

Ent — 28

w — 100

HISTORIA UNIVERSALIS ET PRAGMATICA ROMANI IMPERII, REGNORUM, PROVINCIARUM,

Unà

CUM INSIGNIORIBUS MONUMENTIS HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ EX PROBATIS SCRIPTORIBUS CONGESTA, OBSERVATIONIBUS CRITICIS AUCTA

ATQUE

AD THEOLOGIÆ POSITIVÆ, JURISPRUDENTIÆ, AC PHILOLOGIÆ PECULIAREM USUM REFLEXIONIBUS DOGMATICIS, POLITICIS, & CHRONOLOGICIS ILLUSTRATA.

AUTHORE

P. ADRIANO DAUDE S. J.

SS. Theologiæ Doctore, & in Alma Universitate Wirceburgensi Historiarum Professore Publico & Ordinario.

TOMUS I.

Continet Apparatum Chronologicum, Notitiam sex priorum Mundi Ætatum, & Historiam Universalem Romani Imperii ab ejusdem Primo Monarcha ad Primum Christianorum Imperatorem Constantinum M.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

WIRCEBURGI, Sumptibus LOCHNERI & MAYERI Bibliopol. Norimbergens.
Typis Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Universitatis Typographi. 1748.

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
AC DOMINO,
D. ANSELMO
FRANCISCO,
D. G. EPISCOPO
HERBIPOLENSI,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,
&c. &c.

DOMINO DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.

FElicissimo quodam Fatorum ordine evenisse credo REVERENDISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS, ut sub idem tempus, quo Supremus Ecclesiæ Universæ Arbiter insigniorem præcellentis Gloriæ coronam CELSITUDINI TUÆ nuper adornabat, ego Historiæ præsentis Tomo Primo coronidem imponerem, simúlque

tunc

tunc literarium hoc opus exiret in lucem, quando Romana ex Urbe amplissimæ literæ Tuum Palatium ingrediebantur, quibus Pontifex Benedictus XIV. TIBI, Tuísque ingentibus in Ecclesiam meritis, id, quod paucis, Maximísque Solio Pontificio Assistentibus Præsulibus concessum est, scilicet usum Cappæ Magnæ, Biretúmque Purpurei Coloris *impertiendum putavit. Quare ubi post aliquot dies hâc jucunditatis Stolâ, & gloriosissimâ Purpurâ in Templo Dei refulgeres; cunctis singularis lætitiæ sensus, mihi verò spes ejusmodi injecta est, fore, ut à dignissimo hoc splendore Historiæ meæ illustrius ornamentum accerserem; nam si Poëtarum olim celeberrimo volumina illa nobiliora visa sunt, quæ sive à minio rubeum colorem, sive à Principum manibus lucem acciperent; geminâ, beatissimáque sorte commentarius meus cumulabitur, propereà quod CELSITUDO TUA eundem non tantùm Clementissimo animo amplecti, sed & sublimiore ostro hodiè convestire dignetur. Quanquam hoc ipsum novum monumentum Gloriæ Tuæ, quod Antiquitatibus Imperii & Ecclesiæ præfigo, satìs decoris sit, ut pretium scriptioni meæ accedat. Non enim minùs Franconum posterorum admirationem rapiet Incre-*

mentum tantum Honoris Episcopalis TIBI à Romana Sede collatum, quàm olim populum electum recreavit illa temporis Epocha ab Ecclesiastico c. 45. sollicitè designata, quâ Moyses Aaroni Stolam sanctam auro, & hyacintho, & PURPURA opus tex ile viri sapientis, judicio & veritate præditi *imposuit: Dignitatis autem magnitudinem & gestientium, qui eam spectâverant lætitiam, ut sacer Scriptor aliquâ ratione exponeret, paucis verbis multa complexus est:* Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctita is, & gloria honoris, opus virtutis, & desideria oculorum ornata; sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. *Magnificum hoc etsi videri possit ad Primi Hebræorum Præsulis claritatem; multò tamen gloriosius TIBI nunc est CELSISSIME ANTISTES, quòd Sancta Mater Ecclesia Regale Sacerdotium in TE coronârit, mitræque Tuæ, præstantissimísque virtutibus maximum decus apposuerit, quod cùm omnium ordinum viri oculis, animísque intueri desiderant, id simul fateantur necesse est: ad ipsa Originis Franconicæ exordia simile Gloriæ Episcopalis exemplum non extitisse. Equidem iis, qui ad Burchardum usque Wirceburgensis Principatûs Fundatorem*

torem tempora emetiuntur, facile erit, prærogativas quasdam invenire, quibus Franconum Episcopi semper præ cæteris resplenduerunt; nam præter Ducalia Insignia, quæ gestabant, illud Solio suo semper inscriptum habuerunt: Herbipolis sola judicat, ense, stolâ: *at postrema hæc ætas, TE Duce, TE Authore, eas tandem accessiones vidit, ut TE bis Purpuratum Patrem demiretur; murici quippe Ducali, quem à Prædecessoribus velut nobilissimam hæreditatem accepisti, alteram Purpuram sacram consociâsti, quâ dum in Ecclesia Tua effulges, eidem Sponsæ Tuæ lætantes singuli applaudunt quòd* Byssus & Purpura *sit* indumentum ejus. *TIBI autem CELSISSIME PRINCEPS nullus non gratulatur, TE eodem Dibapho Podêre nunc coruscare, quo Reges, Consulésque suos Antiquitas discrevit, & quo Regali colore subinde Pontifex summos Legatos, dein Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi primo Ecclesiæ Maximos Principes, & in quibus rei Christianæ Cardo versatur, donatos voluit. Inter Gratulantium igitur voces mihi quoque per* ascensum Purpureum mediâ Charitate *& Clementiâ* constratum *eniti licebit, hâncque Primam Partem Historiæ utpote Primitias ad Pedes Tuos deponere; queis ubi Clemen-*

mentissimam manum porrexeris, meminisse potes ejus juris, quod sacer Codex Aaroni in die illa, quâ vestem gloriæ induerat, datum esse commemorat, nempe, ut Primitiæ frugum *eidem Antistiti à populo deferantur. Prætereà crevit hic qualiscunque labor Tua in Universitate velut fructus in cultissimo agro: quem Tuis Clementissimis favoribus, gratiosissimísque auspiciis ad maturitatem perduxisti; Quidni igitur hic quoque pagellarum manipulus TIBI reddatur, qui eum velut Tuum Tibíque debitum reposcis. Postremùm complures Tituli ab argumento hujus Libri subnascuntur, propter quos hoc volumen Tuis Celsissimis manibus debuerat inclinari. Ex libri nimirum Titulo intelligis, Historiam hìc tractari Romani Imperii, cui cum reliquis Summis Principibus velut Atlas fortissimus humeros supponis, servásque hodiedum illam compagem, quæ sub Augusto Cæsare sua olim exordia sumpsit: & profectò properat nunc tantò magìs ad Tuum Principalem Sinum hæc Historia Imperii, quòd ex eo Illustrissimo Sanguine natus sis, qui eidem Imperio dedit Generosissimos Equites, Comites, Cameræ Judices, Principes, Duces, ac Electores. Dein quoniam alteras ordine, primas dignitate vices sacræ Hierarchiæ hic Commentarius tribuit;*

buit! altera quoque causa consurgit, cur Historia Ecclesiastica Ecclesiæ Maximo Episcopo inscribenda sit, cujus merita supremum Hierarchiæ Caput adeò suspexit, ut TE illustriore Purpurâ velut æquissimo præmio condecorârit. Perge CELSISSIME PRINCEPS per plures adhuc annos commodare Imperio, perge longiùs PURPURATE ANTISTES utpote illustrissimum Sidus ornare Ecclesiam; erit tempus, ubi Historia Tua facta ampliore etiam volumine posteris transcribet: pretiosiore intereà charactere hæc notabuntur in libro vitæ, dum post seram tandem ætatem Purpuratis Cælitum, qui à sanguine Agni rubescunt, Ordinibus adscriptus, Amictum immortalis gloriæ in Ecclesia triumphante consequaris. Ita vovet

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ

Infimus in Christo Servus
ADRIANUS DAUDE, S. J.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU
ad Rhenum Superiorem.

Ego infrascriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni Superioris Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Admodùm Reverendo Patre Nostro, FRANCISCO REZ, Societatis JESU Præposito Generali, facultatem concedo DD. Lochnero & Mayero Bibliopolis Norimbergensibus, librum, cui titulus: *Historia Universalis & Pragmatica Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum, unà cum insignioribus monumentis Hierarchiæ Ecclesiasticæ ex probatis Scriptoribus congesta, observationibus criticis aucta, & Reflexionibus Dogmaticis, Politicis, & Chronologicis illustrata &c.* à P. Adriano Daude concinnatum, & à deputatis ad id Patribus lectum & approbatum, imprimendi; eísque Jus Privilegii Cæsarei eatenùs indulgeo, ut librum hunc nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. I. fines & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem literas has manu propriâ subscriptas, & officii mei sigillo munitas dedi.

Otterswiræ 18. Martii 1748.

(L.S.) CASPARUS HOCH, S. J.

APPROBATIO.

Præsentem Tomum primum *Historiæ Universalis & Pragmaticæ Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum una cum insignioribus monumentis Hierarchiæ Ecclesiasticæ &c.* ab Admodùm Rev., Eximio ac Religioso in Christo P. ADRIANO DAUDE Ss. Theologiæ Doctore, & in Alma hac Universitate Herbipolensi Historiarum Professore Publico & Ordinario, jucundâ & clarâ methodo, politóque stylo conscriptum ingenti animi delectatione perlegi, ac non modò nihil, quod orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adversaretur, in eo offendi; sed magnâ eruditione plenum, singulari industriâ ex probatis Auctoribus congestum, saniori Criticæ accommodatum, & quoad materias ac controversias in historia celebriores Reflexionibus Dogmaticis, Politicis & Chronologicis solidè illustratum, orbíque literario, & Reipublicæ Christianæ, nec non celeberrimæ Universitati Herbipolensi præfatæ in notabile commodum & incrementum indubiè cessurum inveni; proinde illum omnibus rei literariæ, præsertim historiæ cultoribus & amatoribus summoperè commendandum, ac luce publicâ dignissimum censeo, eundémque imprimendi licentiam authoritate Rdmi & Celss. D. Ordinarii nostri Clementissimi hisce impertior. *Herbipoli* 27. Januarii 1748.

MICHAEL JOSEPHUS ARMBRUSTER,
Ss. Theol. Doctor, Rdmi & Celss. Episcopi & Principis Herbipolensis, ac Franciæ Orientalis Ducis Consil. Eccl. insignis Eccl. Coll. ad S. Joan. Evang. in Novo Monasterio Canonicus Capitularis & Scholasticus, Libr. Censor. Mpria.

PRÆFATIO.

Etsi eorum, qui in tradendis disciplinis ponunt operam, singularis, princépsque cura esse soleat, ut ab Artis, quam tractaturi sunt, dignitate ac usu lucubrationes suas ordiantur; à nobis tamen hedera ejusmodi sub Historiæ nostræ initium eò faciliùs negligitur, quò certius est, postremum hoc *Sæculum*, quod verè *Historicum* audit, encomiis non indigere, ut in Historiarum notionem, studiúmque deducatur. Omnibus quippe illud Thucydidis jam persuasum est (a), Historiam esse perpetuam rerum omnium possessionem, per quam in mentes nostras veluti in hospitium admittimus præteritas ætates, & ereptos vivis majores nostros, tanquam peregrinos è tumulo reductos excipimus; unde demum longè amœnissimum mentis spectaculum existat, quo cuncta illa, quæ fuerunt, nostris vidisse oculis, ac semper vixisse existimemus.

(a) Thucyd. l. 1. de bello Pelopon.

2. Sed quoniam innumerabilis rerum gestarum multitudo, nisi methodo quâdam constringatur, mentem, memoriámque confundit; Historiographi in eo sæpè desudârunt, ut non tam de monumentis, quàm de modo, quo eadem proferrent, difficiliùs laborarent. Aliis itaque propositum fuit, Historicum concinnare systema unius quandoque ætatis, aut Regionis: alii, qui latioribus finibus suam scriptionem subinde complexi sunt, vel Profanam, vel Ecclesiasticam Historiam divisis tamen voluminibus, multísque amplissimis libris protulerunt in lucem. Non paucos etiam illa cura subiit, ut quæ ab initio generis humani, aut ab ortu cujusque Reipublicæ vetustissimis temporibus facta sunt, ad annos suos, velut statos limites revocarent: Denique recentiùs complures suam operam collocârunt in construendis Historiarum Compendiis, quibus velut rudimentis tyrones imbuerent, aut adultioribus contemplationem retroactarum ætatum in una quasi tabula commonstrarent.

Historiæ tractandæ multiplex modus.

3. Equi-

3. Equidem ſingulis laboribus ſua laus eſt, ſuúsque uſus; verùm cùm noſtri inſtituti non ſit intra anguſtias ſæculi unius, aut Provinciæ hærere: neque multi vel librorum vel temporis copiâ ita abundent, ut vagari illis longiùs per vaſtos Commentarios liceat: Annales autem, præterquàm quòd ſacram cum profana Hiſtoria permiſceant, ipſam quoque rerum geſtarum ſeriem per annos interpoſitos crebrò divellant; nobis conſilium quorundam placuit, ut HISTORIÆ UNIVERSALIS compages ad eam formam redigeretur, quâ Politicarum & ſacrarum rerum narratio ſuis capitibus diviſa, & utraque continuæ Chronotaxi affixa, non interrupto quidem; breviore tamen curſu ad Sæculi aut inſignioris Periodi finem delaberetur. Itaque HISTORIAM hìc profiteri animus eſt, nec nimiâ brevitate contractam, nec multitudine voluminum nimis diffuſam; UNIVERSALEM tamen, quæ Imperii Romani, tum cæterarum Provinciarum & præcipuè Germaniæ ſeu ſtatum Politicum ſeu Hierarchicum complectatur. Ut enim in cæteris artibus à communibus principiis aptiùs ducuntur exordia, antequàm ad ſingularia deſcendatur; ità tum memoriæ, tum uſui magìs conſultum iri credimus, ſiquidem Generali rerum geſtarum comprehenſione erudiantur ii, qui exinde ad longiores particularium Regionum narrationes fructuoſiùs contendunt.

Quâ ratione præſens Hiſtoria ſit Univerſalis.

4. Atque ut rationem noſtri Propoſiti Lector Benevolus magìs perſpicuam habeat; breviter & curſim, at opportunè ad Chronotaxeos leges ea Primùm deſignamus, quæ aliunde ex V. T. ſacris paginis nobis ſæpiùs inculcantur: neque illa altiùs repetenda ducimus, quæ ex Prioribus tribus Monarchiis Civi Romani Imperii utilia minùs videri poterant. Ad Monarchiam tandem quartam progreſſi, Hiſtoriæ Univerſalis telam ordimur, quatuor Partibus contentam; quarum Prima in Conſtantino Magno, altera in Magno Carolo deſinat: Tertia Politici & Chriſtiani orbis monumenta ad Rudolphum usque Habsburgicum exhibet, dum tandem Pars quarta ad hæc noſtra tempora Univerſales Faſtos penitùs abſolvat. Hâc generali diviſione factâ, quemvis Tomum in ſuos Libros diſcernimus, qui ſinguli ſuis numeris, & paragraphis ad memoriæ ſubſidium interciſi, ferè Sæculi unius, aut interdum ultrà rerum inſigniorum eventus repræſentant. Et quoniam ſacra profanis permiſcere è re noſtra fore, haudquaquam viſum eſt;

Forma, modus & diviſio noſtri Operis.

cuivis

cuivis libro duo capita dedimus, quorum uno Hiſtoriam Civilem, Altero Eccleſiaſticam diſcreto, ſimúlque continenti ordine proſequeremur. Nam licèt non pauci ad confuſionem vitandam totis voluminibus utramque Hiſtoriam ſeparandam cenſeant; palàm tamen eſſe arbitramur, monumenta ſacra Regni Hierarchici à Politicis (ſiquidem juxtà ponantur) lucem accipere. Accedit, quòd facta Cæſarum cardinalia illa puncta ſint, quibus velut epochis Chronotacticis & ſacra & profana Hiſtoria innectantur: unde difficultatum non inutile compendium nos facturos credidimus; ſi duæ Hiſtoriæ per modum duarum Catenarum ab uno cardine ſuſpenſæ, diſtinctæ tamen, ac è regione oppoſitæ perpetuò defluerent.

4. Quemadmodum verò Hiſtoriam ab univerſa rerum geſtarum complexione Univerſalem diximus; ità & PRAGMATICAM altero loco voluimus appellatam: cujus nominis Etymon ut intelligas; nôſſe debes, Græcis πραγματικὴν eſſe Hiſtoriam, quòd pragmata ſive facta orbis exponat; preſſiùs tamen Cicero ad Atticum vocem hanc adhibuit, dum Pragmaticum id omne vocat, quo ea, quæ in Senatu aut foro fiunt, pertractantur (b). Quocunque nunc modo nomen illud accipias, certè Hiſtoriam noſtram verè Pragmaticam fore reperies; nam præter innumera Regum Principúmque facta, ipſas legum, edictorúmque origines, multos etiam Canones Eccleſiaſticos in curia ſacratiore editos tibi oſtendet; quæ quidem fori ſeu civilis ſeu ſacri pragmata, Jurisconſultis porrigunt conſilia: judicibus cauſarum modum: Regibus fœderum & pacificationum formas. Teſte enim Lipſio, Politices Magiſtro, (c) Reipublicæ, ac populorum Gubernatio, non ab alia Magiſtra diſcitur, quàm ab Hiſtoria: ùt in Navi dirigenda reſpectus habendus eſt ad Cynoſuram; ſic in publica adminiſtratione ad facta prioris ævi. Prudentia enim certè eſt, quæ Reſpublicas conſtituit, ſervat, auget; ea autem ab eventu rerum diſcitur, ùt eventus nonniſi ab Hiſtoria aut ab uſu. Hiſtoria ſcilicet, ſicut idem Author docet, non unius ætatis, aut Regionis finibus circumſcripta eſt, ſed omnium ſæculorum res geſtas *cum fide* tibi oſtendit.

Cur hæc Hiſtoria dicatur Pragmatica?

(b) Balduin. de Inſtit. Hiſtoric. lib. 2, p. 211.

(c) Lipſius Politic. l. 1, c. 8.

5. Hæc fides, cujus Lipſius paulo antè meminit, tantò ſincerior erit, quantò propiùs ex Genuinis fontibus, ſeu PROBATIS SCRIPTORIBUS fuerit deprompta; quare eò conniſi ſumus, ut ab iis vel rem vel ſenſum propoſiti argumenti peteremus, qui vel fa-

ctorum inspectores oculati, aut ævo, de cujus monumentis agitur, propinquiores fuêre: quorum proinde nomina semper ad marginem notata, aut concepta propriis verbis sensa sæpiùs Historiæ decursui per adsignatos Asteriscos subjecimus; quod Historiæ civili firmamenti non parùm, Historiæ autem sacræ id emolumenti porrò apponet, ut discernere liceat, quid è scaturigine quid ex limpidis fontibus, quid contrà è lacunis fœtentibus ab Adversariis in medium orbem projectum sit. Præclarum profectò laboris nostri fructum putabimus; sin iis, qui ab Historicæ eruditionis siti accenduntur, moram aliquam injiciamus, quò minùs, pleno deinceps impetu ferantur in illa venena, quæ calami partium studiis ebrii, aut amaris in Nationes exteras, aut in Religionem non suam odiis tumentes turbido flumine propinant. Nos enim, qui in hoc sæculo spem nullam habemus, illâ saltem utilitate scriptionis ex voluntate Superiorum susceptæ fastidia solabimur; si quando licebit ex prima ac sinceriore ætate narrationem genuinam proponere, simúlque eximere manibus quorundam infectas Epitomas, infidos, infidelésque Scriptores, à quibus dum aliàs multi Historiam discere incauti amabant, penè amittebant fidem, vel Fidei pseudopoliticæ, incertæ ac tepidæ Religionis, vel omnino frigescentis Christianitatis lineamenta retinebant, non Historici; sed Sceptici in omnibus hæsitantes, & in rebus totâ retro antiquitate & longæva Veracium Scriptorum traditione stabilitis dubii, in asserendis contrà, adstruendísque novitatibus audaces & temerarii, ac demum in exitialem syncretismum prolabentes, ex curiosis corruptarum Historiarum vel Satyrarum potiùs lectionibus facti Eclectici infelices.

Quem in finem coævi & probati Scriptores adhibeantur?

6. Equidem non diffitemur optimorum etiam Scriptorum Commentationibus nævos quandoque suos adhærere, sive quòd librariorum negligentiâ malè descriptæ, sive à malevolorum calamis interpolatæ sint, aut quòd demum Scriptoribus ipsis, quamvis vetustis, humanitùs acciderit, ut rem suâ opinione conceptam non tamen, qualis erat, exponerent. Horum errorum difficiliora essent remedia; nisi Ars, quam CRITICAM vulgò vocant, hic suam operam commodaret. Hæc itaque vera intelligentia suo acumine angulos vetustatis omnes excutit, genuina ab adulterinis, sive pretiosum à vili secernit, de Autho-

Quantùm conferant ad Historiam observationes Criticæ.

Authorum ingenio, ſtylo, ac authoritate, circumſpecto, & absque affectûs immoderatioris pondere dijudicat: ex hujus autem Artis legibus, cum Primores Originum Authores volvuntur, diſquirendum de eorum ingenio, facultate, religione, moribus & negotiis: fuerintne eâ probitate, ut hominibus imponere velle nequiverint? Præterea examinandum eſt, quo ſæculo, quâ ratione, & quo animo ſcripſerint? utrùm exſcriptorum tantùm habuerint vices? an verò ipſi in Republica gerenda verſati, ea, quæ ſynchroni viderint, literis conſignârint? Neque tamen ideo Authori abroganda fides eſt, ſi quando ea in medium adducat, quæ à contemporaneis tacentur: ſive quòd ab aliorum opinione declinet; aut etiam interdum errâſſe deprehenſus ſit. Demum ſicubi Hiſtorico authoritatem Eccleſia tribuit, is meritò multis aliis antefertur; inter hujusmodi Scriptores Patres Eccleſiæ numerantur. Sed quoniam eorum autographa in tranſcriptis ſæpe diſtant; illa regula ob oculos habenda eſt, ut inveſtiges (d), an Sapientum Prudentum, ac Navorum hominum induſtriâ elaboratæ ſint, cujus Prototypi conſulto recognitæ, ac emendatæ? Editionis integritate perſpectâ, vitam authoris ſacri quæque ſcripſerit, teneas, neceſſe eſt: quæ ne tibi deſit, ad finem cujusque ſæculi vitas Patrum & Scriptorum tibi conſpiciendas damus unà cum libris, quos, quóve tempore eosdem in lucem edidêre. Porrò Mabillonius monet (e), ut de doctrina Patris alicujus ſententiam duntaxat feras ex illis locis, in quibus datâ operâ rem excuſſit, neve uni contra aliorum ſententiam, rem quampiam aſſerenti acquieſcas; niſi unius authoritatem ſenſus Eccleſiæ confirmet. In Controverſiis porrò attendendum, in quem finem ſuam ſcriptionem dirigant, quam vim quámque ſignificationem ſuis verbis ineſſe voluerint; præſertim cùm obſcurum non ſit, à Patribus, qui æquè rudibus ac doctis ſcripsêre, vulgares ſubinde formulas adhibitas, nec usquequaque intimam vocum vim & poteſtatem quæſiviſſe. Adhæc cautè quidam tunc ſectandi ſunt, ſi quando diſputandi æſtu abrepti ratiocinationes ſuas longiùs produxerunt.

Regulæ quædam Critices.

(d) Honoratus à S. Maria animadv. in regul. & uſum Critic. Differt. I.

(e) Mabillon. de ſtud. Monaſt. P. 2. c. 3.

7. Præter librorum delectum habenda ratio eſt Monumentorum, quæ ex populari rumore tradita, aut à credulis nimiùm vel etiam infidis Scriptoribus in orbem prolata ſunt: in his internoſcendis aberrant illi, qui novitatis ſtudio Veterum fidem omnem

omnem eliminant: nec minùs superstitiosi sunt, qui vetustati ità favent, ut credant, jura veritatis quorundam sæculorum præscriptione violari posse. Nos omni affectu sinistro liberi, & arbitrariis quandoque Critices regulis haudquaquam confisi, Prudentiorum judicium sequemur: quis enim nescit plurimas res, quæ olim, & quâ ratione gestæ sint, ignorari? unde non statim civitate Historicâ, quâ donatæ sunt, proscribendas dicimus: neque tamen ideo omnia, quæ pseudographa, conjecturæ, aut hypotheses nobis genuerunt, recipienda putamus: dabimus aurem unam Eusebio, Sozomeno, aliisque Scriptoribus Vetustis; dabimus alteram Recentioribus, si quando non sine vanis conclusionibus quædam expungenda commonstraverint.

8. Ad hanc igitur limam postquàm Historia nostra velut genuina *temporum testis*, sincera *Vetustatis nuncia*, & integra *lux veritatis* examinata fuerit; illud porrò curabimus, ut & (f) *Magistra vitæ* tum Christianæ, tum Politicæ existat: post quodvis igitur sæculum figemus pedem, & REFLEXIONE non unâ super Historiæ decursum factâ, latiùs deducemus ea, quæ Theologus & Orthodoxus dogmata ex antiquis Patrum viis legere, quâ ratione Hæreses contundere, quâve Disciplinâ mores excolere debeat. Prætereà Politico suppeditabantur illa, quæ Philologum scire, & quibus in civili vita uti valeat. Hoc igitur qualicunque nostro labore Lector benevole fruere; si punctum omne non tulimus, cogita illud Plinii (g): *Ardua res est, vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem.* His tamen difficultatibus adeò absterriti non sumus, ut aliquid saltem commodi, quàm nihil afferre Reipublicæ conaremur. Cæterùm unius, alteriúsve liventis ingenii amaras censuras non timemus; nec dissimulatione veritatis horum laudes, aut silentium redimimus; quin intra lucrum censebimus, si veritas maledica odia provocârit (h): *Qui enim his hominibus placent, confusi sunt, & Deus sprevit illos.*

(f) Cicero lib. 2. de Oratore.

Quem in finem Historiæ addantur Reflexiones?

(g) Plinius in Præf. Hist. Nat.

(h) Psal. 52.

APPA-



APPARATUS CHRONOLOGICUS AD HISTORIAM CIVILEM & ECCLESIASTICAM.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS CHRONOLOGIÆ.

CUm Chronologia *Doctrina* dicatur *temporum, quæ secundùm annorum seriem res gestas exponit*; (a) duo potissimùm illa spectet necesse est, primò Dierum, Mensium, Annorúmque cursus, ac dimensiones: dein Principia quædam, quorum adminiculo rerum gestarum tempora, ceu totidem omnis Historiæ limites designantur. Quemadmodum enim acus nautica opportuna est iis, qui vastum mare ingressi, ex inspectis orbis cardinibus simul regionum adsitarum, simul portuum, littorúmque propinquitatem ac distantiam discernunt; ita non sine magno commodo chronotaxeos legibus, seu Principiis utentur illi, quibus animus est, certiore vestigio præteritarum ætatum fastos percurrere, atque ex epochis, seu fixis, immotisque temporum punctis reliquum Historiarum textum, annaliúmque coordinationem insigni cum memoriæ subsidio emetiri. Præsidia autem ejusmodi Chronologica, quoniam vel ex Cyclis, Periodísque, vel ex Æris, & nobilioribus celebrium Scriptorum Epochis, aut demum ex Historiæ sacræ Calculo expetuntur; de singulis pauca pro instituto nostro præmittere juvabit.

(a) Petav. de doctrina temp.

Chronologiæ utilitas & necessitas.

§. I.

De varia dimensione temporum, dierum, mensium, & annorum.

(b) Aristot. lib. 4. Physic. c, 16.

1. PHilosophi, qui tempus dixerunt esse Mensuram, quâ priores motûs partes, posterioresque percurrimus (b); iidem nobis reliquerunt, temporis rationes, ac discrimina, tum ex orbium cælestium motibus, tum maximè ex solis & lunæ conversionibus accipi oportere: inde enim Dies, Horæ, Hebdomades, Menses, Anni velut totidem temporis partes existunt. Ac primò *Dies* utì supremi orbis diurnâ conversione describitur, ita à Chronologis dividitur porrò in *naturalem*, *civilem* & *artificiosum*: *Naturalis* est solis ab uno puncto ad idem punctum fixum velut à meridiano circulo ad eundem reditus; viginti quatuor proinde horis naturalis dies definitur, cui propè accedit *Dies civilis*: nam ad naturalis modum viginti quatuor horarum numerum continet ex usu omnium populorum; quamvis hi in numerando Diei civilis initio inter se valde distent: Babylonii quippe diem statuebant à solis ortu usque ad exortum: Umbriæ populi à meridie ad meridiem: Athenienses, Itali ab occasu solis ad occasum: demum olim Romani, & hodie tota ferè Europa à mediâ nocte ad mediam noctem Diem civilem producit. *Dies artificialis* est solis supra horizontem commoratio: cui nox respondet, quæ solis itidem infra horizontem morâ definitur; unde tam noctis, quàm diei horæ ferè semper inæquales numero habentur: crescunt enim perpetuò, aut decrescunt, prout solis ad nos accessus fuerit, vel recessus. Non defuerunt tamen olim gentes, quibus studium fuit tam dies æstivos, quàm hybernos duodenis horis absolvere, eâ lege; ut cùm diei spatia essent majora, aut minora, duodecimæ quoque partes, seu horæ diversas magnitudines sortirentur. Ad hoc apud Hebræos specialis diei, noctisque distributio obtinuit, quatuor horis, quaternisque Vigiliis modò longioribus, modò brevioribus contenta: inter Horas diurnas *prima* ab ortu solis ducebat exordium, pérque tres Καιρικὰς sive inæqualia horarum spatia ad *tertiam* proferebatur: hæc totidem horas complexa finiebatur in meridie; unde *sexta* & demum *nona* usque ad solis occasum decurrebant (c). Ex Vigiliis noctis *prima* contrariâ ferè ratione à solis occubitu numerabatur. *Secunda* desinebat cum noctis medio, *tertia* & *quarta* nocturnum tempus ad ortum solis proferebant (d).

Dimensio dierum.

(c) Censorin. sup. 23. Jans. in concord. cap. 143.

(d) Baron. ad a. 34. n. 163.

2. Ut ex horis dies, ita ex diebus septem HEBDOMAS, & demum ab his MENSIS efficitur. Subinde apud Hebræos hebdomades Sabbathorum nomine veniebant; quare in sacris paginis legitur jam *una Sabbathorum*, jam *una Sabbathi*, *jejuno bis in Sabbatho &c.* *Mensium* duo sunt

Hebdomadæ & Menses.

ſunt genera; alii enim ſunt naturales, civiles alii: naturalium ſpecies duæ, nam alii ſunt *Solis*, alii *Lunæ*. Menſis Solaris eſt, quo Sol in Zodiaco unum Signum percurrit, éſtque pars Anni Solaris duodecima, & fit nunc 30, nunc 31. diebus, prout Sol Signa Zodiaci quædam citiùs, quædam ſeriùs permeat.

Triginta Aprilis, Junius, Septêmque, Novémque
Uno plus alii: viginti Februus octo,
At ſi bis ſextus fuerit, ſuperadditur unus,
Et tunc bis ſexta Martii adſcribe Calendas.

Lunaris menſis eſt temporis ſpatium ab uno novilunio ad alterum novilunium, ſeu (ut alii loquuntur) à ſynodo ſeu congreſſu cum Sole, ad alteram Synodum, aut conjunctionem, quod fit 29. diebus cum medio, plus minus (e). Horum lunarium menſium frequentior apud Veteres uſus fuit: ſed quoniam univerſim omnes duodecim nonniſi 354. dies conficiebant, ac proinde à menſibus ſolaribus, qui 365. diebus conſtant, undecim dierum intervallo diſtabant; hinc ab iisdem Veteribus cautum eſt, ut quandoque ſecundo, interdum tertio anno ἐμβολισμὸς ſeu intercalatio unius menſis interjiceretur, ſive cæteris duodecim menſibus lunaribus tertius decimus menſis adderetur, ab Hebræis ואדר dictus; quo Neomenias, & Kalendas nonnihil cum curſu Solis contemperabant. Novendecim annorum Periodo ſeptenos menſes intercalares inſitos fuiſſe, hoc ex canone colligitur.

Hebdomadæ & Menſes

(e) Tirinus in Chronic. pag 2.

Intercalatio apud Veteres.

ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis.
3, 6, 8, 11, 14, 17, 19.

ſimili intercalandi methodo etiamnum utuntur Chinenſes.

3. Supereſt, ut de *civilibus menſibus* quædam exponamus: ſunt autem hi numeri dierum, quos quæque gens, imò quæque civitas pro placito, vel ex Veteri inſtituto obſervabat: ita Græci à Neomeniis civilibus ſeu fixis, ad ſimiles Neomenias, Romani à Kalendis ad Kalendas politicos ſuos menſes numerabant. Porrò Eccleſia cum Romanis menſes in tres partes diviſit à Kalendis, Nonis, & Idibus appellatas. *Kalendæ* à Καλῶ ſive *voco* dictæ ſunt: cùm enim Romani primum Lunæ aſpectum obſervâſſent; Pontifex vocatæ in Capitolium plebi annuntiabat, quot dies ad Nonas Supereſſent, his verbis fere conceptis: *quinque dies te voco Juno Novella:* ſi ſeptem; *Dies ſeptem te voco Juno Novella* (f). Nonæ vocatæ ſunt, quod ab eâ die ad Idus novem dies intercederent. Idibus nomen datum, vel ab ove Iduli, quæ hoc die immolabatur, vel ab Etruſca

Diviſio Menſis in partes.

(f) Cantelius de Rom Republ. Diſſert. 5. c. 2.

 voce

voce *Iduare*, hoc eſt dividere, eòquòd in duas partes propè æquales menſem dividant. Kalendis in die prima cujusque menſis certa ſedes eſt: Nonæ ſeptimum, Idúsque decimam quintam diem occupant in iis menſibus, qui 31. dierum ſunt: in reliquis, qui 30. diebus conſtant, Nonæ quintam, Idus decimam tertiam tenent; quæ memoriæ causâ his verſibus comprehenſa ſunt:

> Prima dies *menſis cujusque eſt dicta* Kalendæ,
> Sex *Majus* Nonas, *October*, *Julius*, *&* *Mars*,
> Quatuor *at reliqui: dabit* Idus *quilibet* Octo;
> *Inde dies reliquos omnes dic eſſe* Kalendas,
> *Quas retrò numerans dices à menſe ſequenti.*

Annus

4. Romulus menſibus decem Annum olim complexus eſt, cui 304 dies attribuit: Numa Pompilius duos menſes addidit Januarium, & Februarium cum 57. diebus; ita ut Annus lunaris deinceps diebus 355. definiretur in honorem imparis numeri, quem gens Romana ſuperſtitiosè colebat: econtra civilem annum Solarem dies 366. cum quadrante conficiebant. Inde non levis error poſteà emerſit; nam cùm Cæleſtis annus (conſtans 365. diebus cum quadrante) anno civili jam minor eſſet, unius cujusque anni initium uno die à Solſtitio receſſit, & poſt 24. annos à Solſtitio, anni caput 24. diebus aberrabat; cui à Decemviris remedium ejusmodi dicitur allatum fuiſſe, ut Vigeſimo quarto quoque anno Merkedinus, ſive intercalaris menſis, & dies quinta redundans à Numa addita omitterentur (g). Hâc ratione Annus Romanus ſuo in curſu ſtabilis, conſtánsque fuiſſet; niſi ſubſequentibus temporibus ii, penes quos intercalandi erat provincia, menſem intercalarem interponere vel omiſiſſent, vel præcipitâſſent: amore enim, aut odio Magiſtratuum temporis ordinem ita turbaverant, ut jam prorogare, jam minuere intervalla illis integrum foret. Certè circa Julii Cæſaris tempora intercalandi neglectus eò pervaſerat, ut prima Januarii dies ſolſtitium hybernum 67. diebus antecederet, vel Januarius Pompilianus in Octobrem incideret (h).

(g) Cantel. l. c.

(h) Clavius de Correct. Kalend. Scaliger de emendat. temp.

Anni Correctio Juliana.

5. Huic malo, ac vitio communi igitur ſubvenire inſtituit Julius Cæſar: devicto namque Pompejo ad Sacerdotium ſummum ſubvectus Anno Urbis C. 708. ante æram Chriſtianam 46. operâ Soſigenis Ægyptii Aſtronomi peritiſſimi, annum Romanum hanc ad formam reduxit: juſſit nimirum annum 708. eſſe dierum 445; qui accipiebantur partim ex anni Pompiliani diebus 355; partim ex menſis Merkedonii diebus 23; demum addebantur adhuc alii 67. dies, qui ad Solſtitium hybernum deerant. Et ex quibus duo novi conflati menſes inter Novembrem & Decembrem pone-

ponebantur, adeò ut hic annus (quem proinde *confusionis* dicebant) menses numeraret quindecim. Hâc perturbatione factâ, à Julio Cæsare quartùm Consule alia planè forma sequenti anno U. C. 709. data est: Mensis Embolismicus sive Merkedonius, quibusvis bienniis post Februarium inseri solitus, ad vitandam confusionem omninò profligabatur: è diverso dies decem cum quadrante ad annum Pompilianum additi sunt; è quibus binos accepêre Januarius, Augustus, & December, qui antea 29. dierum duntaxat fuerant: reliquis totidem dierum Aprili, Junio, Septembri, Novembri unus numerus appositus est. Itaque hic *annus primus Julianus* cœpit esse dierum 365. cum quadrante, sive sex horis, quas Cæsar tamdiu differri voluit, dum quater collectæ aut numeratæ diem efficerent; quâ ex causâ sub quinti cujusque anni initium post 23. Februarii una dies inserebatur: ac ne ordo dierum inde usque ad Kalendas Martii everteretur, hæc dies *sexta ante Kalendas*, uti etiam dies subsequens; non verò septima (ut debuit) appellabatur, à quo nomine diebus duobus se sequentibus bis adhibito, quintus quisque annus *bis Sextilis* dictus est.

6. Interfecto Cæsare Annus quoque Julianus in magnam labem recidit: cùm enim constitutum esset, ut dies intercalaris adderetur quarto quoque anno vertente, sive ineunte quinto; Sacerdotes, quibus fastorum cura incumbebat, elapso anno tertio, & incipiente quarto intercalabant. Atque hic error 36. annos continuatus est, in quibus intercalati sunt perperam dies 12; cùm nonnisi novem fuissent intercalandi: eò quippe vitium accreverat, ut prima Januarii Dies à suo cardine demota, triduo solido statum initium, aut solitam epocham anteverteret. Augustus Cæsar errorem consanaturus anno U. C. 738. ante Æ. C. 16. jussit, ut anni 12. sine intercalari die transigerentur; ut hoc modo illi tres dies, qui per annos 36. vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis 12. nullo die intercalato absorberentur (i).

Augustus restituit ordinem Julianum.

(i) Plin. lib. 18. c. 25. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 14.

7. Hæc Anni Juliani descriptio etsi ad solis conversionem, usumque valde expedita esset; fuit tamen aliquando tempus, quo & illa correctione indigeret, idque ob discrimen, quod intercedebat inter annum Astronomicum, & Julianum: ille enim si ad Astronomiæ regulas ac Alphonsi tabulas conformetur; præter dies 365. habet 5. horas, minuta 49. secunda 16. Julianus verò absolvitur 365. diebus, ac sex horis integris: unde fit, ut Annus Julianus Annum Solarem Astronomicum, sive Tropicum undecim minutis superet; cujusmodi minuta intra horam 60. continentur, intra diem 1440. Quare per annos 131. anni Astronomici minores sunt uno die, annis Julianis: ac vel ideo initium Astronomici anni paulatim reflectitur versus initia mensium in anno Juliano; dum hic in sua sede fixus permanet. Exempli causâ æquinoctium vernum à Patribus Nicæni Concilii

Correctio Anni Gregoriana.

cilii anno 325. defixum est ad diem 21. Martii. Anno 1582. hoc est post annos fere 1300., cœpit mediâ nocte inter 10. & 11. Martii, citiùs nempe diebus decem: proinde eodem anno Gregorius XIII. Pontifex post quartam Octobris, dies decem expungi jussit, & æquinoctium vernum ad pristinas Concilii Nicæni notas revocari. Porrò ne labente tempore iidem cardines turbarentur, & à 21. Martii æquinoctium denuò versus mensis initium progrederetur; ab eodem Pontifice certa intercalandi ratio præscripta est: nempe ut retento more intercalandi quarto quoque anno, centesimi anni, qui ante Gregorii correctionem bissextiles erant, non omnes in posterum haberent bis sextum; sed tres primi Centesimi post annum 1600. scilicet annus 1700, 1800, 1900. communes essent, sive sine bis sexto; quarta verò Centuria sive annus 2000. retineret formam bissextilis anni: ita 400. annis tres tantùm bissextiles pereunt, quod non centum sed 131. annis, una dies anno Juliano accrescat: unde hic post annos 393. tribus diebus Astronomicum superat, quod facilitatis gratiâ in Centurias dispensatur (k).

(k) Clavius de corr. Kal.

8. Solaris annus (qualem Julianum dicimus) cùm spatium sit temporis, quo Sol totum Zodiacum percurrit, initio sumpto ab aliquo Zodiaci puncto, donec ad idem revertatur; multas hodie gentes reperire est, quæ à diversis punctis exordia anni deducant. Romani siquidem à Januarii Kalendis annum auspicantur, Lusitani à 29. Augusti, Veneti à Kalendis Martii, Sinæ à 26. Januarii, Judæi ab æquinoctio verno anni sacri initium desumunt (l): anni verò civilis caput à septimo mense *Thisri*, qui Septembri nostro aliquo modo respondet, numerabatur.

Anni civilis varia exordia.

(l) Exod. 12.

§. II.

De tribus Cyclis, quibus anni Æra Christianæ notantur.

1. CYclus est circulus, vel numerus certus aliquot annorum in se redeuntium, quo evoluto iterum annus, qui sequitur, primus numeratur: deinde secundus &c. Quemadmodum autem anni alii Solis, alii Lunæ conversioni aptantur; ita Chronologi Cyclos duos *solarem* & *lunarem* dividunt, quibus tertium addunt ab *Indictionibus* nominatum, atque ex his triplicis Cycli notis Chronologiæ id emolumenti accedit, ut hæ velut Characteres annorum certorum habeantur, qui æram Christi vel præcedunt, aut subsequuntur.

Varia Cyclorum ratio.

2. CYCLUS SOLIS viginti octo annorum circuitu continetur, qui numerus ex quaternario septies sumpto emergit; nam cùm annus Julianus dies 365. & sex horas contineat, quæ quarto anno, utpote qua-

Cyclus Solaris.

ter numeratæ intercalarem diem conficiunt; inde fit, ut orbis literarum Dominicalium non ſeptem, ſed quater ſeptem annis demum abſolvatur. Quod ut meliùs intelligas, adverte, hebdomadarum dies ſeptem his litteris deſignari. A. B. C. D. E. F. G. inter quas A. primæ diei incipientis anni apponitur, ac aliæ deinceps aliis ad finem usque. Hæ porrò literæ ſemper iisdem hebdomadum feriis inhærerent; ſi annus certo ſeptimanarum numero finiretur. At quia annus habet dies 365. qui per ſeptem diſtributi, faciunt 52. hebdomades, & diem unam redundantem; ideo à quacunque feria aut litera annus incipit, in eadem quoque terminatur: atque adeò ſequens annus non jam ab eadem Dominicâ, ſed à ſequenti die lunæ ſumit initium: & litera Dominicalis, quæ priore anno fuerat A. poſteriore anno erit G., non enim literæ ſupradictæ recto ſed retrogrado Alphabethi ordine accipiuntur, ùt patet ex vulgato verſu: *Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu.* Ubi ſeptem initiales literæ totidem vocum, notæ ſunt ſeptem feriarum hebdomadæ. A quàcunquæ iſtarum literarum annus incipit, in eadem terminatur: ſicut paulò ante de ferià quoque dictum eſt; & ficut feria ſequens annum inchoat; ita quoque ſequens litera poſt A. ſcilicet G. erit anni ſequentis litera Dominicalis. Dein F., poſtea E. &c. Ex hoc feriarum & literarum ordine non adeò difficile foret Dominicales Characteres deprehendere; imò id utilitatis inde Chronologi conſequerentur, ut periodum hebdomadarum intra ſeptem annos abſolverent; trecenti quippe & ſexaginta quinque anni dies per ſeptem diſtributi, conſtituunt 52. hebdomades, & unam diem, & quoniam per ſeptem ferias annus elabitur, literis totidem A. b. c. &c. Dominicalibus conſignatas; hinc poſt ſeptennium idem ordo feriarum, eadémque ſeries Dominicalium literarum rediret.

Ordo literarum Dominicalium in annis communibus.

3. Sed Biſſextilis annus hanc ſeriem penitus interturbat: eſt quippe dierum 366., qui diviſi per ſeptenarium numerum, relinquunt præter 52. hebdomadas duos dies ſuperfluos, neque tantum uno gradu, ſed duobus menſium dies promovent: unde in anno biſſextili, ſive ſingulis quadrienniis non eadem feria, nec eadem litera annum finit, quæ eundem incepit, ſed omnino ſequens; propterea etiam annus biſſextilis duas habet literas Dominicales: prior incipit à Kalendis Januarii usque ad 25. Februarii, altera ab eodem die usque ad Anni finem, atque ita invertitur curſus & feriarum, & literarum Dominicalium, & nonniſi poſt 28. annos eodem ordine regreditur; quod temporis ſpatium dicitur Cyclus Solaris ex ductu 4. in 7. ortus. Et Romano more ab anno biſſextili, & literis G. F. ſumit initium.

Ejusdem ordinis differentia in annis biſſextilibus.

Cyclus

Cyclus Solis.

Anni	Retrogr. ordo Literarum Dominicalium.	Anni	Retrogr. ordo Literarum Dominicalium.
1	G F	17	A G
2	E	18	F
3	D	19	E
4	C	20	D
5	B A	21	C B
6	G	22	A
7	F	23	G
8	E	24	F
9	D C	25	E D
10	B	26	C
11	A	27	B
12	G	28	A
13	F E		
14	D		
15	C		
16	B		

4. Qui Cycli Solaris annum currentem indagare cupit, ea præstet, quæ versibus sequentibus præcipiuntur:

Junge annis Domini ter ternos, pérque viginti
Octo seca summam, Cyclus Solaris habetur.

Modus investigandi annum Cycli Solaris.

Scilicet I. huic anno currenti Æræ Vulgaris 1747. adde novem annos; quia dum annus primus Æ. V. juxta Pagium, aliósque Chronologos in annum decimum Cycli Solaris incidit, necesse est; ut illi quoque novem anni, qui ante Æ. V. labebantur, addantur ad annum fluentem Æ. Christianæ. II. summam ex 9. & 1747. congestam, scilicet 1756. divide per Cycli Solaris annos 28. III. divisione factâ residuum invenies 20., quod ipsum tibi indicat, annum vigesimum Cycli Solaris concurrere cum labente anno Æ. V. 1747. Si verò ex divisa summa quacunque, & cujuscunque anni residuum nullum supersit; id tibi argumento erit, ultimum sive vigesimum octavum annum Cycli Solaris tunc agi.

Cyclus Lunaris.

5. CYCLUS LUNARIS est intervallum Novendecim Annorum, quo numero evoluto Neomeniæ seu Novilunia ad idem ferme

Prin-

Principium redeunt, unde profecti sunt; sítque Solis & Lunæ regressus ad idem punctum sine multo discrimine: hujus Cycli Authorem dicunt Methonem Atheniensem, qui anno ante Æ. V. 430. Solis & Lunæ reditum in idem punctum Primus animadvertit; cujus ratio posteà data est, quòd Annus Julianus dies haberet 365. horas 6., quæ summa multiplicata per 19., dies efficit 6939. horas 18., eodem modo arguebant Veteres, in 19. annis solaribus totidem contineri annos lunares dierum 354., præterea in 15. annis solaribus communibus remanere singulis annis dies 11., in quatuor verò bissextilibus restare dies 12., quare si 354. multiplicentur per 19. & 11. per 15. & demum 12. per 4., aggregatum dabit similiter dies 6939. horas 18.; redit ergò post annos 19. ad eandem diem tam novus annus solaris, quàm nova lunatio; atque hic famosus ille Cyclus est, quem Veteres nomine *Aurei Numeri* insigniendum existimârunt.

6. At recentiores Astronomi accuratiore examine instituto Cyclum illum decennovalem judicàrunt minùs exactum esse ad designanda vera novilunia: cùm jam certum sit, Cyclum lunarium annorum continere dies 6939. horas 16. tantùm, & minuta 32., Cyclum econtra novendecim annorum solarium Julianorum complecti dies 6939. & horas 18.; adeóque hic priorem superat horâ unâ, & minutis 27., quæ si accrescant per 304. Annos; lunationes citiùs accidunt horis 23.: id quoniam post tempora Gregorii XIII. magis perspectum fuit, dum Novilunia, & plenilunia quatuor & ampliùs diebus à decennovalis Cycli indicio aberrabant; ideò emendatio talis adhibita est, ut imposterum loco aurei numeri 19. melior Cyclus Epactarum 30. assumeretur: scilicet 30. numeri epactales à 1., usque ad 30. progredientes numerantur, ita, ut numerus trigesimus Asterisco notetur; neque enim ulla epactarum trigesimum locum habere potest. Ex his porrò epactis 30. respondent decem & novem aureis numeris variæ decem & novem epactæ, prout anni solaris, ac lunaris æquatio exposcit, quæ quidem epactæ progrediuntur per numerum 11. eodem modo, ut suprà. Latiùs hæc exequitur Aloysius Lilius, qui ad perpetuam Neomeniarum revolutionem obtinendam Cyclum epactarum 30. in Kalendario Ecclesiastico ordinavit.

Cyclus Epactarum.

9. Tertius CYCLUS est INDICTIONUM complectens intervallum 15. annorum: nomen Indictionum ab annonarum & tributorum præstationibus Petavius, aliique Chronologi deducunt, eoquòd certus tributorum Canon & modus singulis annis indiceretur: quo verò tempore primum Indictiones institutæ sint, incertum est. Norisio, & Pagio placuit initium Indictionum revocare ad annum Æ. V. 312. sive septimum Constantini M., ad quem victo Maxentio Tributorum Indictionem Italiæ imposuit: quod autem quindecennali numero Indictiones evolvantur, id Pagius deducendum existimat à quinquennalibus, decen-

Cyclus Indictionum, triplex.

nalibus & vicennalibus ſolennitatibus Imperatorum, quâ ſimul occaſione tributa vel tollebantur, vel laxabantur. Triplex cæteroquin Indictionum eſt ratio ſeu forma: prima dicitur *Conſtantinopolitana* ſeu Græca, quæ à Kalendis Septembris initium ſumit anno Æ. V. 312. (m). Altera *Cæſarea*, quæ incipit Octavo Kalendas Octobris ſeu die 24. Septembris a. Æræ V. 312. Tertia *Romana*, cujus hodiedum in diplomatibus Pontificiis uſus eſt, cœpitque anno Æ. V. 313. à Kalendis Januarii, adeóque Conſtantipolitanâ menſibus quatuor, & Cæſareâ tribus menſibus, & octo diebus poſterior eſt: juvat hoc triplex diſcrimen indictionum nôſſe ad ſecernenda ſacræ æquè ac profanæ hiſtoriæ monumenta, ut latiùs oſtendit Card. Noriſius (n).

(m) Ambroſ. in lib. de arca, & Noë c. 17. & Card. Noris. c. 6. Diſſert. 3. de Epoch.

(n) Diſſert. 4. c. 4. De Epochis Syro-Maced.

11. Pro indagando Indictionis anno ſerva has regulas:

Si tribus adjunctis, Domini diviſeris annos
Ter tibi per quinos, Indictio certa patebit.

Modus indagandi annum Indictionis.

nimirum I. pone anni currentis ſummam 1747. II. huic adde tres inſuper annos, eâ de causâ, quia juxta Pagium, præcipuóſque Chronologos annus Primus Æ. V. incidit in annum quartum indictionis: ac proinde, ne Cyclus Indictionum mancus ſit; tres anni quartum antecedentes, labenti anno Æræ Chriſtianæ ſunt apponendi. III. Summam totam demum collectam divide per 15., quâ factâ reſiduum tibi denotabit annum Indictionis; & quoniam ſumma ex 1747. & tribus annis congeſta ſcilicet 1750., Si ſupradicto modo dividatur, relinquit 10; ideò hic annus in Cyclo Indictionis erit decimus.

§. III.
De Cyclorum compoſitione, ſive de Periodis Latinis & Græcis.

Quid ſit Periodus apud Chronologos.

1. QUemadmodum *Cycli* ſinguli certam annorum Periocham includunt; ita *Periodi* ex Chronologorum uſu dicuntur annorum ſummæ, quæ ex Cyclorum in ſe invicem ductorum multiplicatione coaleſcunt, quæque hoc ſpeciale habent, ut, ſi quando eo modo, quo conjuncti Cycli ſimul uni anno in tota periodo conveniunt, alteri anno ejusdem Periodi nullatenus congruere valeant; adeóque multò ſecuriùs, & apertiùs, quàm Cycli ſinguli, ſeu literæ Dominicales, aut Epactæ annorum Chronotaxin Hiſtoricis oſtendant.

Periodus Victoriana.

2. Ex latinis Periodis Prima fuit *Victoriana* à Victore quodam Aquitano, rogatu Hilarii Papæ, compoſita (o); & poſteà à Dionyſio exiguo Abbate circa initium ſæculi VI. ad conciliandam Alexandrinos inter & Romanos de celebratione Paſchatis concordiam adhibita, ac Chriſtianorum omnium conſenſu in veteri Kalendario usque ad reformationem Gregorii XIII. in Eccleſia uſurpata: componitur autem ex Cyclo Solis annorum

(o) Marian. Scotus & Baron. ad a. c. 463.

rum 28. & ex Cyclo Lunæ 19., qui Cycli inter ſe multiplicati efficiunt ſummam annorum 532. Periodus hujusmodi poſt elapſos totidem ſcilicet quingentos triginta duos annos minùs exacta inventa eſt; nam elapsâ revolutione Noviiunia citiùs accidebant unâ die, horis ſedecim, minutis 51., neque (ùt ſperabatur) ope Periodi eædem Lunationes, nec idem ordo hebdomadarum, feriarúmque redibat.

3. Noriſius Cardinalis, quò errorem hujus Periodi emendaret, aliam ſubſtituit Periodum, quam *luniſolarem* dixit, conflatam ex ſumma annorum 1932. quibus elapſis Novilunia, & Plenilunia ad easdem horas redire demonſtrabat: (p) Præ Noriſianâ Periodo famoſior hodie eſt illa, quæ *Juliana* appellatur: differt à Victorina, quòd hæc ex duobus Cyclis Solis & Lunæ multiplicatis impleat numerum annorum 532. Juliana autem Periodus porrò prædictam ſummam multiplicet per numerum quindecennalem Indictionum; quâ multiplicatione factâ prodibit ſumma annorum 7980., quibus circuitus Julianus continetur, durabítque usque ad annum Æ. Vulgaris 3267: & ſiquidem Mundus eo adhuc tempore conſiſteret; anno ter milleſimo duceteſimo ſexageſimo octavo, velut primo iteratæ Periodi Julianæ anno denuò conveniret Solis 1. Lunæ 1. & Indictionis 1. Cæterùm *Juliana* Periodus ex eo capite dicitur, quia ad methodum anni *à Julio* Cæſare ordinati, atque ad ejus Cyclos accommodata eſt à Scaligero, cui authori hanc laudem non negavit Petavius (q); uſum Periodi Julianæ tam commodum eſſe, ut ſine illius præſidio cæca ſit, & obſcura annorum ſeries, nec niſi per ambages annorum ſitus explorari valeat: ea quippe hujus Periodi ratio eſt, ut inter 7980. annos ne unus quidem occurrat, qui tres illos Cyclos, ex quibus componitur, prorſus eosdem habeat: ſic primus annus Solis 1. Lunæ 1. Indict. 1. Cyclo conſignatur, & nullus alius præter primum, quia numeri 15. 19. & 28., ex quorum multiplicatione conſtat dicta Periodus, ſunt numeri inter ſe primi, ùt Mathematicis loqui mos eſt. Unde ſi Hiſtoricorum annales cujuscunque anni Cyclos notâſſent; nulla planè foret in Chronologia ambiguitas, quæ hodie ferè implicatiſſima reperitur. Accedit, quod anni Periodi Julianæ perſimiles ſint annis Æræ noſtræ, eosdémque habeant Characteres: quidni igitur ex Chronologorum ſententia, Periodus eadem menſura ſit omnium temporum minimè controverſa, quæ ex æquo ab omnibus Chronologis ad omnem Hiſtoriam adhiberi poſſit, quia omnium temporum, adeóque & omnium Annalium exordia licentià quâdam Mathematicâ antecedit.

Periodus Noriſiana.

(p) Guiliel. Bonjour in Kalendar.

Juliana Periodus.

(q) Lib. 9. de doctr. temp. c. 6.

4. Exemplis rem facere manifeſtiorem libet: inter Chronologos controverſum eſt, in quotum annum âb orbe condito primus annus Æræ Chriſtianæ incidat? id dubium tibi reſolvet Periodus Juliana; nam cùm primo anno Æ. V. juxta omnes fuerit Cyclus Solis 10. Lunæ 2. Indict. Romanæ 4.; facilè patet annum primum Æ. C. concurrere cum anno

Uſus Julianæ Periodi.

4714. Periodi Julianæ, in quo dicti Cycli, & non in alio anno totius dictæ Periodi inveniuntur. Secundò si in Periodo Juliana anni labentis Cyclos discernere & cognoscere cupias; accipe annos Æ.C. 4714., his adde 1746., & habebis annum Periodi Julianæ 6460.: hanc summam primo divide per annos Cycli Solaris 28., & residuum habebis 20., qui est Cyclus Solis hoc anno. Eandem summam divide per numeros Cycli Lunæ 19., residuum erit 19., qui est numerus Cycli Lunaris: denique summam dictam divide per numerum Indictionum 15., residuum erit 10. & erit numerus Indictionis currentis anni.

Periodus *Alexandrina*.

5. Præter Periodos Latinis usitatas, Græci quoque suas Periodos habuerunt. Prima earum est, quæ *Alexandrina* dicitur, numerátque in suo circuitu spatium 5501. annorum, quos Græci Alexandrini elapsos esse putant ab exordio Mundi ad annum Christo natalem, qui juxta dictam periodum concurrit cum anno Juliano 43. seu anno Imperii Augusti 42.

Constantinopolitana.

IIda est Periodus *Constantinopolitana* complexa spatium annorum 5509., quot effluxisse ajunt à condito Mundo ad Christi ortum, qui ex hujus Periodi indicio incidit in annum Julianum 45. Seu annum Imperantis Augusti 44.

Antiochena.

III*tia* vocatur Periodus *Antiochena* absoluta annis 5493. ab initio orbis conditi ad natum Christum evolutis; consignat proinde hæc Periodus natalem annum Servatoris in anno Juliano 45. & creationem Mundi decennio tardiùs inchoat, quàm Julius Africanus, & alii Græci Alexandrini.

Græco-Romana Pagii.

Hanc Antiochenam *Pagius* accommodavit ultimis his temporibus usui Latinorum, vocavítque *Græco-Romanam*, cujus formam, regulas, ac utilitates ipse Author latiùs explicat in Dissertatione, quam de dictâ Periodo Tomo I. Critices præfixit, & quâ in censendis Baronii Annalibus perpetuò usus est.

6. Sed quoniam ejusmodi Periodorum notitia implicatior est, quàm ut in primo Historiæ vestibulo Candidatis obtrudi debeat; hìc eandem magis confirmatis Historicis relinquimus: hi enimverò Cyclos, Periodos, ac alias Astronomicas disquisitiones instituant, præsertim cùm pulchrum sit, & arte plenum nôsse, quo cælesti Charactere singula contigerint, quo numero aureo, quo Cyclo Solari Romano: at his inventis ita inhærere, ac si faciliore & æquè securâ methodo temporum Characteres investigari nequirent, id superstitioni persimile credimus.

Quid Chronologi plures sentiant de periodorum usu?

Ut enim dissimulemus Periodos, imò etiam Julianam à Saliano inter entia superflua numerari; certè sua incommoda habet hæc Periodus: dicit quippe initium à Januarii Kalendis, à quibus multæ res exordia sua non sumunt, quâ igitur ratione promiscuè sine magnâ inæqualitate, & fractionum molestiis ad aliarum quoque rerum initia aptari poterit? nisi singularem rerum gestarum, mensium, ac dierum notitiam exploratam habeat, idque ex Scriptoris alicujus testimonio. Præterea hoc momento temporis definito contigisse talem Neomeniam, jubilæum, Ecclipsin, pendet ex

ex fide tabularum Astronomicarum, in quibus, quantum sit erroris periculum, nôrunt omnes Mathematici, & satis fatetur Scaliger (r). Sed demus hæc esse certa: id tamen, quis absque dicentium, aut Scriptorum authoritate asserere ausit, hoc vel illud, in illa præcisè Neomenia, aut Solis Cyclo fuisse gestum? ergò æquè utili, ac fortè utiliore operâ Chronologi sibi quamprimùm prospiciunt de probatis authoribus, fidéque eorum rem tali anno gestam fuisse pronuntiantium; ac ii, qui remotissima illa, & turbata fortè tempora ex dubiis tabellis, & obscuris Periodorum notis vellent conquirere, & dein novo labore (quod necesse est) authore aliquo confirmare, res esse gestas sub tali signo cælesti, charactere &c.

(r) Lib. 5. Can. n. 119.

§. IV.

De Æris, ac Epochis Probatorum Scriptorum.

1. INter Chronologorum Principia Præcipuum ferè locum habet *Authorum fides* (s) præterquam enim, quòd in horum testimonia Historiarum eventus & veritas multò securiùs, quàm in Astrorum conjunctiones, ac Tabellas Sidereas resolvantur; certè nemo dubitaverit de iis, quæ ad exemplum Augustini ex plurium, ac meliorum testium suffragiis relata perceperit (t). Accedit, quòd Scriptores longinquorum temporum obscuritati lucem afferre visi sint, dum illa per certas Æras, & Epochas discreverunt: ita enim fit, ut immensa sæculorum amplitudo per fixos limites inhibeatur ad memoriæ subsidium, & notior temporum mensura assignetur, dum ex recepta ab omnibus Æra cæterarum rerum connexarum annos metimur; neque enim meliùs de ignotis judicare possumus, nisi ea cum notis componamus. (u).

(s) Brietius in Proleg. pag. 5.

(t) August. lib. 13. de Civ. D. c. 1.

Scriptorum fides & testimonium.

2. *Epochæ* sunt aliqua tempora certa ab omnibus admissa, & quæ in controversiam venire vix solent, aut certè, quæ semel statuta reliqua ad se trahunt: nam ùt Mathematici ex postulatis, multa deducunt; sic Chronologi ex Epochis, ac Æris nullà quidem demonstratione, sed usu & consensu comprobatis Chronologicas conclusiones inferunt. Dicitur porrò Epocha ab ἐποχὴ id est *inhibitio*, sive quod de eâ dubitari prohibeatur; (x). vel quòd tempora quasi reprimat, ut in iis Chronologus immoretur, & quasi subsistat. *Æræ* nomen unde proveniat incertum est: aliqui id ab *Ære* deducunt, eòquòd sub Augusto universus orbis Æs reddere professus est Reipublicæ Romanæ (y): alii meliùs opinantur id ex eo ortum esse, quod Veteres Annum hoc modo in Actis publicis consignarent; Acta hæc fuerunt Cordubæ Kalendis Junii: Annus Erat Augusti Cæsaris quintus: posteà brevitatis causâ sic verba ad annum pertinentia signabant: A. ER. A. CÆS. quæ verborum initia subinde tabelliones, aut librarii in unam vocem ÆRA. contraxerunt. Quo errore latiùs serpente, quævis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio primùm ab Hispanis,

(u) Lamy, in apparat. Chronol. p. 1. c. 3.

Epochæ

(x) Brietius in Proleg. Chronologiæ §. 17.

Æræ nomen & Significatio.

(y) Isidorus lib. 5. c. 36.

(z) Genesius Sepulveda.

(a) Danes in Gener. not. temp. pag. 12.

nis, inde à cæteris Chronologis Æra vocari coepit (z). Sed quidquid sit de origine, aut Etymo nominis, illud certum est, quod per *Æram* hodie insinuetur terminus certus, ac numerandi principium, unde tempora tam præterita, quàm futura computantur. Et quemadmodum in mappis Geographicis ad civitates quasdam celebriores, quarum situs memoriæ faciliùs imprimitur, loca alia minùs illustria referri solent (a); ita Æræ nomine celebriora veniunt tempora, magnáque mutatione illustria, ad quæ memoriæ causâ cætera passim referuntur. Sunt equidem, qui inter Æras & Epochas hoc discrimen proferunt, quod Æra sit radix temporum à gente vel populo determinata: Epocha verò à Chronologorum arbitrio designetur. Verùm hoc parvo discrimine omisso seu Æras seu Epochas in duplicem classem dividimus, nimirum in Profanas, & Sacras.

(b) Julius Africanus lib. 10. de præp. Censorin. lib. de Natal.

Olympiadum Epocha.

(c) Lactant. Placid. Princ. 9. Thebaidos.

(d) Livius lib. 27.

(e) Tirinus in Chronic. cap. 32.

(f) In Apparatu Chronol. pag. 232.

3. Ex Profanis Epochis insignior illa est & majore in usu (b), quam *Græci* in initio OLYMPIADUM designunt: est autem Olympias spatium quatuor annorum, quod duos inter Ludos olympicos, Jovi Olympio maximâ Græciæ totius solennitate apud Pisam, & Elidem fieri solitos labebatur. Erant quidem & alia ludorum certamina (c), sed omnium celeberrima fuerunt Olympia, quæ cùm quartò quoque anno sub initium æstivi solstitii celebrarentur (d); eâdem occasione & victorum nomina, & reliqui temporum eventus per publicos sacerdotes tabulis inscribebantur, quæ deinceps in fano Jovis seposita fastorum vices obibant. De prima Olympiade inter Authores minùs convenit: at de vulgari Olympiadum Epocha (quæ modo in usum Chronologorum recepta est) una omnium opinio est (e), eam viginti vel tribus vel quatuor annis ante conditam Romam ab Anno Periodi Julianæ 3936., juxta nos ante Æram Vulgarem 778., circa annum Mundi 3226. numerari debere: quamvis enim hæc Olympias non sit Prima, sed vigesima octava, à Coræbo Victore desumpta, parum tamen interest rei Chronologicæ, illam primo aut posteriore loco censeri; dummodo in Olympiade Coræbi stabilis figatur terminus, à quo putentur tempora. Consensus Chronologorum, ùt ait Gravesonius (f), errorem protegit, & Epocham ab omni controversia vindicat.

Epocha Urbis Romanæ conditæ.

4. Altera celebrior, & usitatior Epocha est, quæ ab urbis Romanæ exordiis habetur. De Primo autem anno, Romæ natali, multiplex eruditorum opinio circumfertur. *Fabius Pictor* initium Romæ statuit in anno Primo Olympiadis octavæ, quem sequitur Usserius. *M. Cato* jacta vult urbis fundamenta anno Primo Olympiadis septimæ, adeóque quadriennio priùs, cujus sententiæ subscripsit Livius & Dionysius Halicarnassæus. Verrio Flacco & fastis Capitolinis placuit decernere annum quartum Olympiadis sextæ, scilicet quinquennio priùs. Epocha quoque U.C. illustris est, quam fixit *M. Varro* in anno tertio Olympiadis sextæ, adeóque ante Epocham Fabianam sexennio antiquior est; huic Varro-

niano calculo institerunt Quintilianus (g) M. Tullius Cicero (h). Vellejus Paterculus, Tacitus, Dio Cassius, Augustinus (i) Orosius, Baronius, & pene omnes recentiores, qui annum urbis conditæ nonnisi 23. annis posteriorem faciunt initio Olympiadum. Romani Imperatores quoque Augustus, Claudius, Domitianus &c. in edendis ludis sæcularibus ad Varronianum Calculum semper respexisse constat. Roma itaque condita fuit juxta alios 23. annis post inchoatas Olympiadas, sive anno M. 3250. ùt volunt Usserius & Valemont. Alii 24. annis aut etiam 25. post Olympiades initium urbis statuunt cum Tirino, Gordono, anno 754. ante Æ. V. anno Periodi Julianæ 3961. anno Mundi 3251. aut 3252. quam sententiam non hìc improbamus.

(g) Quinct. lib. 10. c. 1.

(h) Cicero lib. 5. Acad. qq.

(i) S. Augustin lib. 6. de civit. D. c. 6.

5. Post exactos septenos Romanorum Reges, anno U. C. 244. institutum est CONSULUM IMPERIUM; quorum annis res gestæ deinceps consignatæ inveniuntur: in Fastis Consularibus operam posuère Onuphrius, Sigonius, Norisius, & Pagius, cujus postremi Seriem & Fastos Consulares sequimur: cùm enim Scriptores valde distent in annotandis Consulum annis sive ob interruptionem, quæ sæpe evenit, sive ob tempora ab inæqualibus initiis supputata, ùt fusè ostendit Gordonus (k); Duce perito opus est, qui cæteris tricis prætermissis, viam offensioni minùs obnoxiam ostendat.

(k) Oper. Chronolog. c. 20. p. 366.

6. In Historia Romani Imperii ANNI JULIANI sæpius occurrunt; dicti à C. Julio Cæsare, quia is (ùt supra memoravimus) annum lunarem, quo Romani ad annum U. C. 708. utebantur, in annum solarem commutavit, restituendo suis sedibus æquinoctia, & solstitia, annúmque civilem 365. & sex horarum esse jussit, præscriptis insuper congruis intercalationibus. Primus autem annus Julianus cœpit à Kalendis Januariis, fuitque is, qui dicebatur septingentesimus nonus U. C. ante Æ. V. 45. quando C. Julius Cæsar. IV., & Magister equitum M. Lepidus Consulatum gessère (l).

Anni Juliani.

(l) Censorinus de die Natali c. 20.

7. ÆRA HISPANICA initium sumit ab anno 716. ante Æ. V. annis 38. Appio Claudio pulchro, & Norbano Flacco Consulibus (m): nam Hispanià in Cæsaris Octaviani potestatem per Domitium Calvinum Proconsulem anno 715. redactà (n), Kalendis Januariis sequentis anni 716. Æram suam Hispanienses duxère. Si igitur annis Æræ Christianæ annos 38. addideris, aut ex Ærà Hispanica totidem annos detraxeris; annum Christi Vulgarem invenies.

Æra Hispanorum.

(m) Pagius in Apparatu pag. 18.

(n) Dio lib. 48.

8. Initium Epochæ Imperii AUGUSTI quintuplici modo à Chronologis colligitur. I. ab avunculi sui Julii Cæsaris nece anno U. C. 710. ante Æ. C. 44. Juliano 2. Mundi 3951. occisi idibus Martiis ætatis anno 56. (o) Josephus enim ait de Augusto: *præfuit Reipublicæ annis 57. sex mensibus & diebus duobus ampliùs* (p); desunt tamen dies tres, ac mensis integer: cùm Augustus die decimo nono mensis Augusti anni Æ. V. 14. supremum

Anni Cæsaris Augusti.

(o) Livius lib. 116 Flor. lib. 4. c. 2.

(p) Joseph. lib. 18. antiq. c. 3.

mum diem obiêrit, Julius verò Cæſar die 15. Martii currentis anni. *Secundum* initium Annorum Auguſti ducitur ab ejus TRIUMVIRATU cum M. Antonio, & Lepido, quem iniit anno ſequenti 711., quo Cicero mortuus eſt; unde ſi annos numeres, habebis Octaviani regnantis annos 56. (q). *Tertium* initium ab ACTIACA VICTORIA aſſumitur, quâ Auguſtus potitus eſt, fugato Antonio a. U. C. 723. ante Æ. V. 31. Juliano 15. die 2dâ Septembris, ex quo tempore Monarchiæ anni numerantur; ùt Dio notavit (r), quos integros 44. fuiſſe idem refert libro 56. Eodem modo intelligendi ſunt Suetonius in Octavio §. 28. Victor in epitome & Eutropius; cùm Rempublicam per 44. annos Auguſtum obtinuiſſe narrant (s). *Quartum* eſt ab ANTONII, & CLEOPATRÆ NECE, quorum ille Kalendis ſextilibus; hæc quarto Kal. Septembres ſibi necem conſcivêre. a. U. C. 724. Juliano 16. ante Æ. V. 30. *Quintum* habetur ab Anno 727. U. C. Juliano 19., ante Æ. V. 27. quando 17. Kal. Februarias, Authore Munatio Planco, *Auguſtus* apppellatus eſt; atque ideò Romani Auguſtorum ſuorum Epocham à Kalendis Januariis hujus anni recenſuêre (t).

(q) Author libri de claris Oratoribus apud Pagium.

(r) Dio lib 51.

(s) Pagius in Appar. Chron. p. 23.

(t) Cenſorinus c. 21. de die Natali.

9. Quemadmodum has Epochas ad civilem Romani Imperii Hiſtoriam nôſſe expedit; ita candidatus ad primordia ſacræ Hiſtoriæ firmiore animo volvenda ſequentes Epochas notet, neceſſe eſt: nimirum *Primò* expendenda veniunt duo REGNI HERODIANI Principia, quorum *alterum* cadit in annum U. C. 714. Cn. Domitio Calvino II. & C. Aſinio Pollione Conſulibus, in annum Julianum 6. ante Æ. V. 40.; quando Herodes Antipatri filius Regnum Judææ obtinuit à Senatu Romano. *Alterum* cadit in annum U. C. 717. M. Vipſanio Agrippa & L. Caninio Gallo CC in annum Julianum 9. ante Æ. V. 37.; quo tempore Hieroſolymâ expugnatâ, & ultimo Aſmonæo Principe Antigono interfecto, Herodes Solus in Judæa regnare cœpit, & per 37. annos inde Regno præfuit, nam mortuus eſt anno Juliano 42. U. C. 750.

Anni Herodis duplici ratione computantur.

10. Poſtremùm ÆRA VULGARIS ſeu Chriſtiana, quæ etiam DIONYSIANA dicitur à Dionyſio exiguo Abbate, benè diſcernenda eſt ab ÆRA VERA: etſi enim plures Scriptores hodie conveniant, *Æræ Vulgaris* initium duci debere, à Kalendis Januarii anni 46. U. C. 754. Periodi Julianæ 4714; id tamen quoque certum apud Hiſtoricos habetur, Diem, & Annum natalem Chriſti in tam ſerum tempus minimè prorogari poſſe, ùt infra oſtendetur in Reflexione 1. ad Caput 2. Lib. 1. Unde quando hodie ſcribimus Annum 1747.; tempus equidem, quod vulgò natale Chriſti vocatur, deſignamus: ſed verum annum Natalem non tangimus; is enim ab Æra vulgariter acceptâ uno vel pluribus annis recedit. In puncto hoc maximè controverſo nobis præplacet opinio P. Henſchenii, verum natalem annum à Vulgari Æra quinque integris annis removentis; cujus proinde Syſtema hic ſubjicimus, ut in decurſu ſacræ Hiſtoriæ lucem Candidatis afferre valeat.

Æra Vulgaris Chriſtianorum. & Æra Vera quomodo differant?

Anni

Anni ante Ær. Veram	Anni ante Ær. Vulg	*Fasti Consulares ab Anno Primo Julianæ Correctionis.*	Annus Urbis conditæ.	Annus Julianus	Olympias.	Annus Augusti.
40	45	CC Julius Cæsar IV. & Magister equitum Lepidus. *Initium annorum Julianorum.*	709	1	183 IV	
39	44	CC Julius Cæsar N. & M. Antonius. *Cæditur Julius 15. Martii, & succedit Augustus 19. Augusti.*	710	2	184 I	
38	43	CC Vibius Pansa, & A. Hirtius. *Triumviratus Romæ instituitur.*	711	3	II	
37	42	CC M. Æmilius Lepidus II. & L. Munatius Plancus.	712	4	III	
36	41	CC L. Antonius, & P. Servilius Isauricus II.	713	5	IV	
35	40	CC C. Domitius Calvinus II. C. Asinius Pollio. *Herodes Rex Judææ creatur Romæ à Triumviris, inde anni 37. Herodiani Regni numerantur.*	714	6	185 I	
34	39	CC L. Martius Censorinus, & C. Calvisius Sabinus. *Æra Hispanorum incipit 38. annis ante Æram Vulgarem.*	715	7	II	
33	38	CC Ap. Claudius Pulcher, & C. Norbanus Flaccus.	716	8	III	
32	37	CC M. Vipsanius Agrippa, Caninius Gallus. *Expugnatur ab Herode Hierosolyma, cædes Antigoni, post quem deficit Sceptrum Juda.*	717	9	IV	
31	36	CC Gellius Poplicola, Coccejus Nerva.	718	10	186 I	
30	35	CC L. Cornificius, Sext. Pompejus.	719	11	II	
29	34	CC M. Antonius II., Scribonius Libo.	720	12	III	
28	33	CC Cæsar Octavianus II. L. Volcatius Tullus.	721	13	IV	
27	32	CC C. Domitius Ahenobarbus, C. Sosius.	722	14	187 I	
26	31	CC Cæsar Octavianus III. Valerius Messala Corvin. *Victoria ad Actium 2. Septembris de Antonio: septimus annus Herodis à capta Solyma.*	723	15	II	

Anni ante Æ. Ver.	Anni ante Æ. Vulg.	*Fasti Consulares.*	Annus U.C.	Julian.	Olymp.	Augusti
25	30	CC Cæsar Octavian. IV. & M. Licinius Crassus. *Post extinctos (1. Augusti) Antonium, & Cleopatram ultimam Ptolomæi Sanguinis Reginam, C. Octavianus Monarchicum adipiscitur Imperium, unde Æra Augustorum incipit.*	724	16	III	1
24	29	CC C. Octavianus V. Sextus Apulejus.	725	17	IV	2
23	28	CC C. Octav. VI. Vipsanius Agrippa II.	726	18	188 I	3
22	27	VII. Vipsanius Agrippa III.	727	19	II	4
21	26	VIII. Statilius Taurus II.	728	20	III	5
20	25	IX. Junius Silanus.	729	21	IV	6
19	24	X. Norbanus Flaccus.	730	22	189 I	7
18	23	XI. Calpurnius Piso.	731	23	II	8
17	22	CC Claudius Marcellus Æserninus. L. Aruntius.	732	24	III	9
16	21	CC Q. Æmilius Lepidus, M. Lollius.	733	25	IV	10
15	20	CC M. Apulejus, Silius Nerva.	734	26	190 I	11
4	19	CC Q. Lucretius Vespillo. C. Sentius Saturninus.	735	27	II	12
13	18	CC P. Cornel. Lentul. Marcellin. C. Cornel. Lentulus.	736	28	III	13
12	17	CC C. Furnius, L. JuniusS ilanus.	737	29	IV	14
11	16	CC L. Domitius Ahenobarbus. P. Cornel. Scipio.	738	30	191 I	15
10	15	CC M.LiviusDrususLibo,L.CalpurniusPiso.	739	31	II	16
9	14	CC M. Licinius Crassus. C. Cornel. Lentulus.	740	32	III	17
8	13	CC Claudius Nero. P. Quintilius Varus.	741	33	IV	18
7	12	CC M. Valerius Messala. P. Sulpit. Quirin.	742	34	192 I	19
6	11	CC P. Fabius Maximus. P. Ailius Tubero.	743	35	II	20
5	10	CC Julius Antonius. Q. Fabius Maximus Africanus.	744	36	III	21
4	9	CC Nero Claudius Drusus. T. Quinctius Germanicus. Crispinus.	745	37	IV	22
3	8	CC Martius Censorinus, C. Asinius Gallus. *Anno 38. Juliano, tertiò Janum Clausit Augustus, ut pacato orbe Rex Pacis Christus veniret.*	746	38	193 I	23

Fasti

Anni Æ. Vera	Æ. Vulg	*Fasti Consulares.*	Anno U.C.	Julian.	Olymp.	Anni Augusti
2	7	CC Tib. Claudius Nero. C. Calpurnius Piso.	747	39	II	24
		Angelus Zachariæ nuntiat S. Joannis nativitatem.				
1	6	CC D. Lælius Balbus, C. Antistius Vetus.	748	40	III	25
		Angelus Gabriel 25. Martii B. Virgini nuntiat nativitatem Salvatoris, qui eodem anno nascitur 25. Decembris.				
1	5	CC Augustus Cæsar XII. L. Cornelius Sylla.	749	41	IV	26
		Circumcisio Christi Kalendis Januarii, oblatio in templo, adoratio Magorum, incipit Laniena bimulorum.				
2	4	CC Calvisius Sabinus II. L. Passienus Rufus.	750	42	194 I	27
		Persecutio Judæorum ab Herode instituta, ejus fatalis morbus, mors mense Novembri secuta, tumultus Hierosolymæ sub Archelao.				
3	3	CC C. Cornelius Lentulus, M. Valerius Messalinus.	751	43	II	28
		Iter Archelai Romam: fit Ethnarcha.				
		Christi reditus ex Ægypto: Archelao in Judæa regnante, in partes Galilææ secedit Joseph., ubi Herodes Antipas Archelai frater & Tetrarcha dominabatur.				
4	2	CC Augustus XIII. M. Plautius Silvanus.	752	44	III	29
5	1	CC Cornelius Lentulus & L. Calpurnius Piso.	753	45	IV	30
6	1	CC Cajus Julius Cæsar, Æmilius Paulus.	754	46	195 I	31
7	2	CC Vinicius Nepos, Alfenius Varus.	755	47	II	32
8	3	CC L. Ælius Lamia, M. Servilius Gemma.	756	48	III	33
9	4	CC L. Ælius Carus. C. Sentius Saturninus II.	757	49	IV	34
		Mors Caji, adoptatio Tiberii.				
10	5	CC Valerius Messala, Cornelius Canna.	758	50	196 I	35
11	6	CC Æmilius Lepidus, Aruntius Nepos.	759	51	II	36
		Relegatio Archelai, Judæa in Provinciam redigitur, altera descriptio Quirinii.				
12	7	CC Metellus Creticus, Licinius Nerva.	760	52	II	37
		Christus relegato Archelao, ascendit Hierasolymam, sedétque inter Doctores, inde Nazerethum revertitur.				

Anni Æ. Vera	Anni Vulgar.	*Fasti Consulares.*	Anni U.C.	Julian.	Olymp.	Anni Augusti.	
13	8	CC M. Furius Camillus, Sex. Nonius Quintilianus.	761	53	IV	38	
14	9	CC P. Sulpitius Camerinus. C. Poppæus Sabinus.	762	54	197 I	39	
		Finis Dalmatici belli à Tiberio confecti, Variana Clades, Tiberius ad Rhenum abit.					
15	10	CC P. Cornelius Dolabella. C. Junius Silanus.	763	55	II	40	
16	11	CC M. Æmilius Lepidus, T. Statilius Taurus.				*Augustus & Tiber.*	
		Hi Consules legem tulerunt, ut Tiberius deinceps filius esset Augusti & Imperii Collega, inde numerantur anni Tiberii cum Augusto regnantis.	764	56	III	41	1
17	12	CC Germanicus Cæsar, C. Fontejus Capito.	765	57	IV	42	2
18	13	CC C. Silius Nepos, L. Munatius Plancus.	766	58	198 I	43	3
19	14	CC Sextus Pompejus, Sextus Apulejus.	767	59	II	44	4
		Moritur Augustus Nolæ in Campania 19. Augusti, ex integro subrogatur Tiberius, XXIX. Aug.				*Tib. Sol.* 1	
20	15	CC Drusus Cæsar fil. Tiberii. C. Norbanus Flaccus.	768	60	III	2	5
21	16	CC T. Statilius Sisen. Taurus. L. Scribonius Libo.	769	61	IV	3	6
22	17	CC C. Cælius Rufus. L. Pompejus Flaccus.	770	62	199 I	4	7
23	18	CC Tiberius August. II. Germanicus Cæsar II.	771	63	II	5	8
24	19	CC M. Junius Silanus. L. Norbanus Balbus.	772	64	III	6	9
25	20	CC M. Valerius Messala. M. Aurelius Cotta.	773	65	IV	7	10
26	21	CC Tib. August. IV. Drusus Cæsar fil. Tib. II.	774	66	200 I		11
		Mors Cyrini in Evangelio nominati.				8	12
27	22	CC Sulpitius Galba. D. Haterius Agrippa.	775	67	II	9	13
28	23	CC Asinius Apollo, C. Antistius Vetus.	776	68	III	10	14
29	24	CC S. Cornelius Cethegus, L. Vitellius Varro.	777	69	IV	11	15
30	25	CC C. Lentulus Isauricus. M. Asinius Agripp.	778	70	201 I	in 12	
		Pontius Pilatus succedit Grato Valerio Præses Judææ, quo tempore factum est verbum Domini super Joannem, ut prædicaret baptismum pœnitentiæ Luc. 3. *hic est annus decimus quintus Tiberii cum Augusto regnantis.*					

Fasti

Anni Æ.Ver.	Anni Vulgar.	*Fasti Consulares.*	Anni U.C.	Anni Julian.	Olymp.	Ann. Tib. Sol.	Ann. Tib. Corr.
31	26	CC Cn. Cornel. Lent. Getulicus. C. Calvisius Sabinus.	779	71	201 II	13	16
		Baptismus Christi 6. Januarii, cùm esset annorum quasi trigintæ, post 40. dierum jejunium prædicationem aggreditur.					
32	27	CC M. Licinius Crassus. L. Calpurnius Piso.	780	72	III	14	17
		Secundus annus Prædicationis Christi.					
33	28	CC Ap. Jun. Silanus. P. Silius Nerva.	781	73	IV	15	18
		Tertius annus prædicationis Christi.					
34	29	CC Rubellius Geminus. C. Fusius Geminus.	782	74	202 I	16	19
		Mors Christi Servatoris in cruce, Resurrectio, & Ascensio, Pentecoste, Martyrium Stephani.					
35	30	CC C. Cassius Longinus, M. Vinitius Quartinus.	783	75	II	17	20
		Pauli conversio.					
36	31	CC Tib. Augustus V. Ælius Sejanus.	784	76	III	18	2[illegible]
		Tiberius vult Christum inter Deos referre, obstat Sejanus, qui eo anno interficitur.					
37	32	CC Domitius Ahenobarbus, Furius Camillus.	785	77	IV	19	22
38	33	CC Ser. Sulp. Galba. L. Cornelius Sylla.	786	78	203 I	20	23
		S. Paulus venit Hierosolymam videre Petrum: dein hic Cathedram erigit Antiochiæ.					
39	34	CC Paulus Fabius Priscus. L. Vitellius Nepos.	787	79	II	21	24
		Mors Philippi Herodis Antipæ fratris.					
40	35	CC C. Cestius Camerinus, M. Servilius Rufus.	788	80	III	22	25
41	36	CC Plautius Plautinianus. E. Papinius Galienus.	789	81	IV	23	26
42	37	CC Cn. Aceronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.	790	82	204 I	24	27
						Cajus	
		Mors Tiberii, & succedit Cajus Caligula.				1	

Anni Æ. Vera	Anni Vulgar.	*Fasti Consulares.*	Anni U.C.	Anni Julian.	Olymp.	Anni Caji.
43	38	CC M. Aquilius Julianus. P. Nonnius Asprenas. *Herodes Antipas cum Herodiade relegatur Lugdunum.*				2
44	39	CC Cajus Caligula Cæsar II. L. Apronius.	791	83	II	3
45	40	CC Caj. Calig. C. III. M. Coccejus Nerva suffectus L. Gelius poplicola. *Divisio Apostolorum & initium Petri Romæ; inde numerantur 25. anni ejus sedis Romanæ, usque ad annum 65. qui insignis est ab ejus Martyrio.*	792	84	III	4
46	41	CC Cajus Caligula IV. C. Sentius Saturninus. *Cajo mortuo Claudius Augustus sufficitur in Imperium & Consulatum, quem morem dein alii Cæsares secuti sunt, ut in aditu Imperii Consules se dicerent primò; & dein proximis Kalendis ordinarium Consulatum susciperent, quem dicebant Consulatum secundum.* ✠ In hoc Systemate magnam partem secuti sumus sententiam Henschenii, cujus Synopsin exhibet in apparatu ad Chronologiam Pontificiam.	793	85	IV	Claudius.

§. V.

De Æra conditi orbis, & Calculo S. Scripturæ.

1. QUi Æram Christianam posuerunt suâ in Chronotaxi velut Mensuram posteriorum temporum, ii quoque elapsos priùs mundi annos ad eandem Æram velut terminum numerandos censuerunt: ut enim annum præsentem à Christo nato millesimum septingentesimum quadragesimum septimum dicimus; ita quoque annis, qui Christi natalitia antegressi sunt, suos numeros adscribimus, prout longiùs, aut propiùs Æram Natalem Christi sive Veram sive Vulgarem antecesserunt. Quæstio igitur non inutilis inter Chronologos agitur; quot scilicet annis mundi nascen-

nascentis exordia Christi Natali anno antiquiora sint? pro hac difficultate decidenda solidiora plerumque monumenta ex S. Scripturâ conquiruntur, sed multa sunt, quæ nobis ipsam adeò Veteris Testamenti Chronologiam dubiam faciunt: solent enim orbis anni, dum temporum Calculus subducitur, accipi sæpe ùt absoluti, & tanquam præcisè finiti (u); interdum tamen aliter ab aliquibus enumerantur: hoc est ùt anni incipientes, labentes, ac prope exeuntes. Tam enim à nobis remota sunt prisca sæcula, & anni nequaquam à Scriptoribus ad certum Mensium, ac dierum numerum expressi, ut divinare sæpe oporteat, an annus alicujus Periodi integer sit, vel minùs absolutus? Præterea in sacris paginis vel nomina varia confunduntur, & plures uno nomine consignantur, ut vel ideò Chronographi, qui annos ex veris fundamentis colligunt, sæpius hæsitent, quibus quemque temporibus tribuere debeant: ita quatuor à Codice sacro Assueros legimus: Jechonias, Eliakim, Joakim & Heli videntur esse Synonyma: Joachaz & Sellum, Ozias & Azarias, utut diversa nomina, eundem semper designant Virum: demum maxima causa, quæ Chronologos circa primum annum mundi, & natalem Christi in dissidia conjicit, discrepantia est summa, quæ inter Græca, & Biblia Hebraica esse solet. Tanta quippe annorum auxesis apud eos instituitur, qui LXX. interpretum versionem Græcam sequuntur, ut si temporum ratio vel à solo Adam ad Abrahamum usque ineatur, Calculum Hebraicum totis quingentis annis superent.

Rationes differentiarum in Chronologia sacra.

(u) Gordonus in opere Chronolog. c. 1. pag. 54.

2. Accedit ad difficultatis cumulum, quòd ii, qui Chronologiam LXX. Interpretum, seu Græcam sequuntur, aut illi, qui Hebraico Calculo insistunt, in tam diversas denuò opiniones scindantur, ut Vallemontius professus fuerit, 132. sententias extare circa annorum numeros, qui ante Christum natum à condito orbe effluxerunt: omissis cæteris ex Hebraico codice duplex summa deligitur, una, quâ minor statui nequit, scilicet 3707. altera, quâ non potest major nempe 4330. econtra inter eos, qui LXX. Interpretum versionem sequuntur, Antiocheni numerant annos à creatione mundi ad annum Christi natalem 5493., alii cum Alexandrinis 5501. Constantinopolitani 5509. Alii cum recentioribus quibusdam 5873. alii demum medios numeros subducunt, aut colligunt. Nos antequam statuamus certam annorum summam; priùs inquirendum est, quæ Chronotaxis tutior sit, Græcorúmne, an Hebræorum?

Duplex præcipuus Calculus Hebraici Autographi, & Versionis 70. interpretum.

3. Pro Calculo Græcorum ac LXX. Interpretum postremis his temporibus causam strenuè susceperunt Jo. Morinus (x) Isaacus Vossius. (y) & Paulus Pezronus (z), qui sequentibus argumentis præcipuè nituntur: I. Baronius in Apparatu ad annales n. 119. Catalogum benè longum Antiquorum PP. contexit, qui secundùm LXX. Interpretes Græcos, annos ab origine mundi usque ad ortum Christi numerare consueverunt. II. Non minùs Rom. Ecclesia in suo Martyrologio eodem modo se supputare annos

(x) In Exercit. Biblic.

(y) In Syntagm. de LXX. interpret.

(z) Antiquit. temp. restit. 1687.

Rationes pugnantes pro Calculo 70. interpretum.

annos profitetur, dum ad VIII. Kalendas Januarii ait: Christum natum esse anno à creatione mundi quinquies Millesimo Centesimo Nonagesimo nono. III. Josephus, & Philo Judæi, aliique Historici Calculum Græcorum adoptârunt, cui textus Samaritanus similior est, quàm Hebraico. IV. Biblia Hebraica vitiata sunt à Judæis, quis igitur fidet Chronotaxi? V. ἀδύνατα multa vel infert, vel facit Hæbræorum supputatio; inde enim sequitur à diluvio (a) usque ad ortum Phalegi à tribus duntaxat Noëmi filiis tot prodiisse Nepotes, ut exacto uno sæculo scilicet ab anno 1656. ad 1757., quo natus est Phaleg ex Heber, necessaria fuerit divisio Gentium. VI. Morinus (b) mirabile esse ait: quomodo tam potentes Reges, adeóque multi regnaverint vivente Abrahamo, cùm ad Abrahæ nativitatem à diluvio, cui Noë solus cum tribus filiis superstes fuit, anni trecenti juxta Judæos non effluxerint? Imperabat tunc ad Indos usque Ninus Rex Assyriorum: Ægyptum tenebat Rex Magnus, apud quem aliquamdiu vixit Abraham tribus mensibus: novem Reges (c) Abrahæ tempore vixerunt, quorum uni Chodorlahomor quinque Reges annis duodecim servierunt, annóque decimo quarto redintegratum est bellum, quo Loth captus est, & ab Abrahamo servatus: ecce Abrahamo adhuc Juvene, quàm multi Reges, bella, populi, qui ex quatuor hominibus, trecentorum nonnisi annorum spatio juxta Hebraicum Calculum pullulàrunt? hæc autem cùm minùs congrua, imò prodigiis similia videantur, plures potiùs anni cum Græcis statuendi sunt, ut illa Regum, & populorum potentia, ac multiplicatio commodè exponi queat.

(a) Genes. 11.

(b) Exercit. B. b. 7. c. 2.

(c) Genes. 14.

Firmiora præsidia pro Hebraico Calculo

4. Verùm contra hos Græcæ Chronologiæ assertores major Scriptorum pars pugnat, & Calculum Hebraicum S. Scripturæ, LXX. Interpretum Chronotaxi longè anteponendum ducit: I. quia Romana Ecclesia suâ authoritate textûs Hebræi Chronologiam stabilire visa est, sive cùm Vulgatam in annorum Calculo Hebræis fontibus optimè convenientem approbaret (d), sive cùm sacræ Indicis Congregatio censorium stigma apponeret Annotationibus Antonii Contii Doctoris Bituricensis (e), eòquòd, dum nimio studio LXX. Interpretum Chronologiam tuebatur, non videret se incautè Hebraici fontis & editionis Vulgatæ Chronologiam labefactare, & non obscurè inficiari, quod SS. PP. corruptelam Chronologiæ LXX. Interpretum ingenuè profiteantur. II. Ut verò menda ejusmodi quædam proferamus, queis Græca Versio scatet; Primò nulli non patet quàm superfluas annorum centurias Vitis Patriarcharum affingat, ita quidem, ut, ubi Hebræi ponunt decadem, Græci numerum decuplò augeant: cujus corruptelæ rationem aliquam videre est apud Augustinum (f) qui descriptor primus Græci textûs, ut persuaderet suis Ægyptiis, Patriarchas primos vixisse annos Ægyptios (id est menstruos) ejusmodi auxesses annorum adjecit, quò verosimilior ordo generationis evaderet.

(d) Trid. Sess. 4.

(e) Biblioth. PP. Tom. IX. edit. Paris. 1585.

(f) Lib. 15. de civit. Dei. c. 13.

TABU-

TABULA.

Exhibens differentias Calculorum Hebraici, Samaritani, & Græci circa annos Patrum ante Diluvium.

	Anni ante παιδογονίαν				*post παιδογονίαν*			*Totius vitæ*		
	juxta Calculum	*Hebr.*	*Sam.*	*Græc.*	*Hebr.*	*Sam.*	*Græc.*	*Hebr.*	*Sam.*	*Græc.*
1	Adam	130	130	230	800	800	700	930	930	930
2	Seth	105	105	205	807	807	707	912	912	912
3	Enos	90	90	190	815	815	715	905	905	905
4	Cainan	70	70	170	840	840	740	910	910	910
5	Malaleel	65	65	165	830	830	730	895	895	895
6	Jared	162	62	162	800	785	800	962	847	962
7	Enoch	65	65	165	300	300	200	365	365	365
8	Mathusalem	187	67	167	782	653	802	969	720	969
9	Lamech	182	53	188	595	600	565	777	653	753
10	Noë	600	600	600						
Summa	---	1656	1307	2242						

Ex hac Tabula vides, quàm immensum Græci ante diluvium augeant annos Patrum præcipuè, nam ubi Hebræi pro Malaleel statuunt 65, Græci numerant. 165, quam auxesin per alios quoque Patres continuant.

III. Quicunque græcam versionem sectatur, admittere porrò cogitur, Mathusalemum non tantùm in arca Noë fuisse; sed & vixisse 14 annis post diluvium, quod apertè S. Scripturæ (g) repugnat asserenti, octonas duntaxat animas diluvii exitium evasisse. Dicta quò clariùs intelligantur, summam *Græcorum* hìc colligemus.

(g) 1. Petri cap. 3.

Mathusalem genuit Lamech anno vitæ suæ - - - - 167
& rursum Lamech genuit Noë, cùm esset annorum - - 188
Diluvium evenit anno Noëmi. - - - - - 600

Itaque Mathusalem tempore diluvii explevit annos - - - 955
cùm verò secundùm Scripturam vixerit nongentis sexaginta novem annis; manifestè infertur eum tempore diluvii adhuc vixisse, imò adhuc quatuordecim annis diluvio superstitem fuisse: si enim hos quatuordecim addideris, modò summa annorum vitæ Mathusalemi emerget. - - - 955
14
969

(h) In lib. QQ. Hebr. in Genesin.

è diverso S. Hieronymus (h) ostendit in chronologia Hebraica, hìc omnia esse expedita, & Mathusalemum tempore diluvii jam explevisse annos vitæ suæ 969: nam is Lamechum genuit anno vitæ suæ --- 187
Lamechus genuit Noëmum anno vitæ --- 182
his adde annos Noëmi ante diluvium --- 600
& habebis annos Mathusalemi. 969

(i) 15. de civ. D. c. 11.

(k) Augustin. lib. 10. de civit. Dei c. 11.

(l) Hieronym. in Epist. 135. ad Sunniam & Fretellam.

Atque ex hoc Hebraico calculo id demum conficitur, quod ipse Augustinus (i) testari debuit, Mathusalemum non vixisse post diluvium, sed eodem anno, quo diluvium cœperat, fuisse defunctum. Et quanquàm chronologiæ Græcæ Patroni errorem tam apertum tegere nequeant, minuere tamen eatenus laborant; quatenus ab iis spargitur, vitium tale in paucissima exemplaria græca, fraude quâdam, irrepsisse: non diffitemur equidem quædam Biblia græca ex Autographis Hebraicis correcta hoc vitio carere (k); at cæteris in omnibus hunc errorem inventum esse, testatur Eusebius, Georgius Syncellus, aliaque monumenta, præsertim Hexaplæ Origenis, in quibus emendatissima LXX. Interpretum Versio asservatur (l).

(m) In Genesin lib. 7. num. 130.

Argumenta Adversariorum confutantur.

(n) Trad. Hebr. in Genesin.

(o) Lib 15. de civ. Dei c. 14

(p) Lib. 2. de AntiChr. c. 16.

Despieres de Versione LXX. interp. disp. 2. dub. 5.

5. Ad Argumenta Adversariorum nunc progredimur, quorum *Primum* (m). Pererius ita elidit: non me fugit, ait, plerosque Veterum tam Græcorum, quàm Latinorum chronologiam, quæ est in translatione LXX. Interpretum, sequi maluisse: quòd eam translationem illi cernerent, multis Sæculis esse in Ecclesia Dei reverenter usurpatam, religiosèque cultam: atque ob eam causam aliquâ in parte eam mutare, aut non sequi religioni haberent; sed apud me (quantùm ad chronologiam, de qua nunc agitur) Authoritas scripturæ Hebraicæ ac Latinæ Versionis Vulgatæ, nec non duorum Principum Ecclesiæ Doctorum, Hieronymi, atque Augustini judicium & sententia præponderat: ille enim sine circuitione asserit (n): Græcam editionem in annis Patriarcharum assignandis errâsse; hic verò docet (o): ista numerorum varietas, quæ inter codices Hebræos invenitur & nostros, si quid habet ita diversum, ut utrumque verum esse non possit; rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est, quod habemus. Ad II. Rxdet *Malvenda* (p) quòd Ecclesia Romana in publicis tabulis eam annorum rationem laudare videatur, quam LXX. dederunt; id quidem non facit, quod veram, & minùs corruptam eam existimet: cùm huic è diametro adversantem, ut veram, & genuinam, scilicet summam, quæ in editione Vulgata est consignata, omnibus recipiendam proponat; sed id tantùm salubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetustatis monumentum exhiberet, utut lacerum & pannis obsitum: solent enim res antiquæ tamen corrosæ gratum inspectantibus præstare intuitum. Accedit quòd æquè Martyrologium Eusebii, atque Chronicon in linguam Latinam transtuleri[t]

rit Hieronymus: cujus usus quoniam deinceps in Occidentali Ecclesia fuit; chronotaxis quoque Græca simul propagata est, absque ullo tamen Hebraici calculi præjudicio. Ad III. ℞dent P. le Quien (q) & Ricciolius (r), quorum hic Philonem Judæum, ille Josephum vindicat, multisque argumentis probat, à Josepho nullum nisi Hebraicum calculum adhibitum fuisse. Quâ ratione enim aliàs ab Adamo usque ad obitum Moysis tria prope annorum millia numerare potuisset, dum Græcus refert 3983.? Liber de *temporibus*, ad Græcorum chronotaxin aptatus Philoni affingitur; eòquòd nec Eusebius, nec Hieronymus de eo mentionem faciant: quòd verò cæteri Historici linguæ Hebrææ expertes Eupolemus, Alexander Polyhistor adeóque arctiùs græcis numeris adhæserint, quis mirabitur? *plurimi namque prædictorum virorum, veritate antiquarum causarum frustrati sunt*, ait Josephus (s), *non enim inerat eis, ut nostras literas possent omni scrupulositate sequi.* Demùm quàm leviter ex profanis Authoribus sacer calculus impugnatur; tam malè textus Samaritanus pro causa Adversariorum adducitur. Æquè enim vel fortè pluribus mendis scatet, quæ Samaritani Bibliis suis odio Judæorum intulerunt; quæque oculo facilè occurrent, si suprà positam tabulam inspicere velis. Ad IV. meritò negatur, corrumpi Biblia à Judæis potuisse, quin hoc conversi Judæi nobis aliquando manifestâssent: Hierosolymitana quippe Ecclesia usque ad tempora Adriani Imperatoris ex Judæis pluribus, Patrii Sermonis utique gnaris, conflata fuerat: & si labem ejusmodi Bibliis Hebraicis aspersissent olim Judæi; nunquam Servator aut Apostoli id dissimulâssent. Præterea cur non potiùs Prophetarum oracula corrupta dicis, quàm chronológiam, quæ utique minoris momenti est, ad Judæorum perfidiam convincendam: demùm vel corruptela illa facta est ante Versionem, vel post? si antè, Versores Græci quoque eam in suos libros transtulerunt: si post? Codices saltem aliqui integri restarent; quis enim credat omnes Judæos conspirâsse ad omnes Codices depravandos? Ad V. ℞. post annum 1757. ab orbe condito sub Phalegi ortum, constructâque Turri Babel primæ coloniæ eductæ sunt; non tamen perfecta est divisio Gentium: terra quippe centum annis inculta, & putrescentibus graminibus palustris effecta, tam citò colonos, quousque vellent, currere non sinebat: benè itaque Moyses notat, quod in diebus Phaleg divisa sit terra; quin tamen scribat id sub initium, aut finem Phalegi factum esse: nam si post ducentos fere annos circa exitum Phalegi divisio evenit; sinè prodigio maxima multitudo hominum jam accreverat: sin verò sub Phalegi ortum divisa terra est, sive anno post diluvium 102.; minor quidem, at ingens satis hominum copia ex tribus Noëmi filiis aucta erat. Joannes Temporarius (t) per progressionem Arithmeticam recenset mares simul & fœminas nasci intra sæculum potuisse 1554420. Usserius dimidiam partem demit, neque enim gemelli semper nati sunt, quod anterior scri-

(q) P. 2. defens. textûs Hebr. c. 5.

(r) Lib. 7. Chronol. reform. c. 2.

(s) Lib. 1. Contra Apionem. c. 8.

(t) Lib. 2. Demonstr. Chronol.

ptor frustra supponit: itaque intra centum & duos annos nati sunt trecenta octoginta & octo hominum millia, sexcenti & quinque mares totidémque fœminæ. Deinde Petavius monet (u), singulari Dei Providentiâ factum, ut ad incrementum sobolis humanæ, ad orbis vastitatem instaurandam præcipua quædam illis fœcunditas inesset, quæ justam alioquin ætatem anteverteret; ut vel pueris ipsis, (quod nonnulli suspicantur probabile esse) generandi vis & usus potuerit suppetere. Ad VI. Bedet Usserius (x), à Natali anno Phalegi usque ad Abrahami adventum in Chanaan (quando novem illi Reges à Morino citati vixerunt) decurrerunt anni 324., quæ temporis diuturnitas tanta fuit, ut intra eam ex tot hominum Myriadibus, qui Urbi, & Turri Babylonicæ exstruendæ operam dederunt, procreari potuerit multitudo, quæ sufficeret amplissimis etiam Regnis complendis. Præterea ex novem illis Regibus (y) quinque urbium duntaxat reguli fuerunt & non regionum; reliquorum tam exiguæ erant vires, ut & Abrahamo ejusque 318. servis cedere debuerint: Quàm Magnus extiterit illo tempore Rex Ægypti, scriptura non indicat: fabulis autem prorsus accensendum Nini Imperium, quod tempore Abrahami ad Indos usque prolatum fingitur; Herodoto Historiarum magistro (z). Regnum Nini ad posteriora planè tempora revocante (a).

(u) Lib. 9. de Doctr. temp. c. 14.

(x) Usserius in Chronol. sacra. c. 5.

(y) Gen. 14.

(z) Herodot. lib. 1. c. 95.

(a) Thomas Lydiatus in defens. adv. Scalig. lib. 1.

CAPUT II.

SYNTAGMA CHRONOLOGICUM.

Sex Priorum Mundi Ætatum usque ad Monarchiam Romanam, & Servatoris Jesu Christi ortum.

INter eos, qui olim Hebraico calculo adhæserunt, duplex viguit sententia, quarum prima mundum conditum à Natali Christi quaterno millenario minùs completo removit: altera orbis initia ab ortu Servatoris quaterna chiliade & pluribus sæculis vel saltem annis sejunxit. Tertia nunc apud Recentiores opinio recepta est; quæ docet Mundi, & Christi Natales inter se præcisè quatuor millibus annorum differre: Chronologorum in hujusmodi calculo statuendo præcipua ratio est, quod evitatis fractorum numerorum difficultatibus numerus rotundus 4000. expeditior sit, & æquè sufficiat explicandis successionibus Patriarcharum, Judicum, Regum, totiúsque Historiæ Judaicæ juxta textum Hebraicum & Latinum S. Scripturæ: in qua si quid aliquando prætermissum est; id ex Historia profana juxta dictum annorum intervallum facilè exponi queat. Primas vices in hâc opinione deferunt Scriptores Usserio, eoquòd aptâ coordinatione sacram simul, & profanam Historiam intra quater mille annos à condito orbe ad Natales Christi complexus sit: hujus proinde Authoris

thoris Systema generale hic exhibebimus; dum ad singulas sex ætates mundi descendamus, in quarum chronotaxi ita dictum Authorem plerumque sequemur, ut tamen nec in ejus opinionem, nec ordinem ubique juremus:

	Anni	*Mensis*	*Dies*
I. A *Mundo condi cœpto*, mensis primi die primâ ad Diluvium, finitum eâdem die ejusdem mensis decurrerunt Anni.	1656	0	0
II. Ad initium *Peregrinationis* Hebræorum, ab Abrahamo post mortem Patris cœptæ die decimâ quintâ mensis septimi.	426	6	14
III. Inde ad *exitum* Hebræorum de Ægypto, mensis primi (sic enim ab hoc tempore mensis septimus appellatus est) die decimâ quintâ sunt peregrinationis eorundem anni.	430	0	0
IV. Subinde ad *jacta fundamenta Templi* Salomonis mensis secundi die secundâ fluxerunt anni.	479	0	17
V. Ad ejusdem verò *Templi conflagrationem*, die decimâ mensis quinti factam, numerantur anni.	424	3	[illegible]
VI. Demum ad *Natalem Christi* die 25. Decembris.	583	3	25
Summa -	3999	2	2

† Ad intelligendum Usserii calculum duo præprimis notanda sunt: scilicet eundem scribere ex illorum sententiâ, qui statuunt, mundum conditum esse circa autumnum; imò peculiare huic Authori est, quod sentiat, orbis conditi initium incidisse in noctis illius principium, quæ XXIII. diem Octobris præcessit, unde facilè cognoscitur, cur Christum natum dicat anno quater millesimo ab duobus mensibus, & duobus diebus inchoato. 2dò asserit, diei 25. Decembris, quâ Christus natus est, responsuram fuisse diem quintam noni mensis; si antiqui Kalendarii ratio ad ista usque tempora retenta fuisset, hinc benè infert Christum anno 4000. natum esse.

§. I.

Prima Mundi ætas à mundi exordio ad Diluvium, complectitur annos mille sexcentos quinquaginta sex.

CUm ex serie Patriarcharum calculus dictæ summæ iniri possit; horum annos hìc referendos censemus: ac primò quidem annos mundi, dein annos nativitatis & vitæ singulorum Patriarcharum, tertiò annos chronologicos, hoc est, ex quibus solis, & in unum collectis Periodorum & ætatum summa subduci potest.

Anni Mundi.	*Anni Nativitatis & Vitæ Patriarcharum.*	Anni Chronologici.
1	ADAM, cùm genuit *Seth, erat* 130. *annorum*, Gen. 3. - vixit autem 930. annis Geneſ. 5. v. 3. 5.	130
130	SETH, cùm genuit *Enos, erat* 105. *annorum* Geneſ. 5 - - vixit 912. Geneſ. 5. v. 88.	105
235	ENOS, cùm genuit *Cainan, erat annorum* 90. - - vixit 905. Geneſ. 5. v. 14.	90
325	CAINAN, cùm genuit *Malaleel, erat annorum* 70. Gen. 12. vixit 910. Geneſ. 5. v. 14.	70
395	MALALEEL, cùm genuit *Jared, erat annorum* 65. - - vixit 895. Geneſ. 5. v. 17.	65
460	JARED, cùm genuit *Enoch, erat annorum* 162. - - - vixit 962. Geneſ. 5. v. 20.	162
622	ENOCH, cùm genuit *Mathuſalem, erat annorum* 65. - - vixit 365. Geneſ. 5. v. 23.	65
687	MATHUSALEM, cùm genuit *Lamech, erat annorum* 187. vixit annis 969. Geneſ. 5. v. 27. (A).	187
874	LAMECH, cùm genuit *Noë, erat annorum* 182. - - vixit annis 777. Geneſ. 5. v. 28. 31. (B).	182
1558	NOE, cùm genuit *Sem, erat annorum* 502, quem genuit 98. annis ante Diluvium, Geneſ. 11. v. 10. (C).	
1656	*Diluvium*, quo tempore *Noë erat annorum* 600. Gen. 7. v. 6. vixit autem poſt Diluvium annis 350. Geneſ. 9. v. 28. (D).	600
	Summa -	1656

(A) Vero ſimilius eſt annos Patriarcharum *penè ſemper* integros numerari (a), quia alioquin, ſi liceret in hac prima mundi ætate ab integris, (quos ſcriptura exprimit) annis aliquid decerpere; idem omnibus ſequentibus ætatibus licebit: atque ita incertæ forent chronotaxes omnium Patriarcharum, Judicum, ac Regum: dictum eſt *penè ſemper*, nam ubi aperta ratio contrarium exigit; minùs plenos annos quandoque ſumi debere, nemo negabit. E. C. de Mathuſalemo ſacræ paginæ perhibent Geneſ. 5. v. 26; eundem poſt genitum Lamechum vixiſſe annis 782. & v. 27. omnes vitæ ipſius dies fuiſſe 969. cùm ergò à Lamecho ad Diluvium ſupputentur anni 782; neceſſe eſt à Mathuſalemo ultimum vitæ annum non eſſe completum, eòquòd certum ſit aliunde, illum ipſum inter eas perſonas locum non habere, quæ in arca tempore Diluvii vixerunt.

(a) Tirinus in Chronico ſacro. Uſſerius in Chron. ſacr.

An Patriarcharum Anni ſint integri?

(B) Quia anno 56. vitæ Lamechi Adam mortuus eſt, ideò palàm fit (b), quâ ratione tradita ab initio Doctrina ad poſteros pervaſerit; nam Lamech

(b) Gordonus in oper. Chronol. p. 2.

Lamech ab Adamo (cum quo vixit) eam acceptam tradidit Noë filio & Sem nepoti de Religione, rebúsque divinis. Post mortem Adami anno 57. anno mundi 987. Enoch vivens translatus est. Genes. 5. v. 24

(C) Etsi Sem Noë Primogenitus hìc videatur; ab Usserio (c) tamen ostenditur Japhetum ordine nativitatis Semum præcessisse: Noë quippe cùm esset Annorum 500. sive anno Mundi 1556. genuit *Japhetum*; biennio pòst sive anno M. 1558. genuit *Semum*, eòquòd Genes. 11. idem Sem duobus annis à Diluvio annorum centum fuisse dicatur: *Cham* proinde natu minor horum filiorum fuit.

(c) Usserius in Chronol. sacr. c. 4.

Quis Primogenitus inter filios Noë?

(D) Annus Diluvii complevit annum sexcentesimum Noëmi: nam licèt Gen. 7. v. 7. legatur: *erat sexcentorum annorum, quando Diluvii aquæ inundaverunt super terram*, nihilominus v. 11. sacer textus insinuat: *anno sexcentesimo vitæ Noë mense secundo, septimo decimo die mensis* Diluvium cœpisse, atque ita annus M. 1656, & Noë sexcentesimus in fine Diluvii completur.

Quo anno finitum sit Diluvium?

§. II.

Ætas Mundi altera à Diluvio ad initium Peregrinationis Hebræorum, ab Abrahamo post mortem Patris cœptæ, complectitur annos 426. sex menses 14. dies.

Anni Mundi	*Anni Nativitatis & vita Patriarcharum.*	*Anni Chronolog.*
1655	SEM cùm fuisset 100. annorum, genuit *Arphaxad* post Diluvium Gen. 11. v. 10. - - - - - - -	2
	supervixit 500. Genes. 11. v. 12.	
1693	ARPHAXAD (A) genuit *Sale* post annum vitæ - -	35
1733	SALE genuit *Heber* post annum vitæ - - - - -	30
	post Diluvium vixit annis 403. Genes. 11. v. 15.	
1757	HEBER genuit *Phaleg* post annos vitæ - - - - -	34
	vixit à Diluvio 430. v. 17.	
1787	PHALEG id est *divisio* (quia exstructâ Turri Babel sub eo cœpit dispersio gentium) genuit *Reu* post annos - - - - - - -	30
	vixit à Diluvio 209. v. 19.	
1819	REU genuit *Sarug* post annos vitæ - - -	32
	supervixit 207. v. 21.	
1849	SARUG genuit *Nachor* post annos vitæ - - - -	30
	supervixit 200. v. 23.	
1878	NACHOR genuit *Thare* anno vitæ - - - -	29
	supervixit 119. v. 25.	

THA-

Anni Mundi	*Anni Nativitatis & vitæ Patriarcharum.*	*Anni Chronolog.*
2008	THARE genuit *Abrahamum anno ætatis suæ* - - - Genes. 11. v. 26. (B).	130
2082	ABRAM ab urbe *Ur in Chaldæam* vocatur; ibi Thare, & ejus filii idolorum cultui mancipantur Josue 24. v. 12. Sed Thare à filio Abramo de divinâ vocatione certior factus, ab Idololatria resipiscit; assumitque ut familiæ Pater Abramum, & Loth filium Arani, & Sarai nurum suam; deducitque in Haran: illinc Thare decedit è vivis anno ætatis 205. cum Abram esset annorum -	75
	Summa -	427 *

* *annus ultimus non est completus.*

(d) In Chronico sacro.
(e) Luc. c. 3.
(f) Genes. c. 11.
(g) ad c. 11. Genesis.
(h) Tract. 20. in Joan.
(i) Epist. 107. ad Chromatium.
An Cainan ponendus sit in serie Patriarcharum?

(A) Non pauci sunt, qui inter Arphaxad, & Sale medium collocant Cainanum, cui Græci tribuunt annos 130: Tirinus verò cum aliis 30 (d). Nec ratio asserendi deest, nam S. Lucas (e) Cainanum numerat inter progenitores Christi, ex quo sacro Scriptore supplendum videtur, quod Moyses omisit (f) ideo; quia nolebat plures, quàm decem generationes recensere à Noë usque ad Abramum. Cornelius à Lapide (g) ex adverso docet in Lucam quoque Cainani nomen errore librariorum irrepsisse, cui Petavius, Possinus, Joannes Cordesius adstipulantur; illius quoque sententiæ olim jam fuerat Origenes, qui (h) ait: *Abraham à primo homine vigesimus natus est, decem enim generationes* sunt *ab Adamo ad Noë, & decem à Noë ad Abraham*; ex quo manifestum est Cainani nomen à Transcriptoribus Græcis duntaxat Genealogiæ Patriarcharum insertum esse: hujus apertius testimonium affert Hieronymus (i), dicens, ab Origene ea asteriscis, aut virgulis signari, quæ ex superfluo videntur apposita,: cùm autem Cainani nomen asterisco adhucdum notetur, quidni intelligas, idem in sacro codice redundare? Præterea editio, (quæ in Alexandrina Cleopatræ Bibliotheca reposita fuerat, & quæ in Ægypto, Palæstina & Syria tum recepta, atque Hexaplis Origenis inserta) inviolata extitit, nec Cainani unquam meminit: & licet Vulgata nomen ejusmodi interserat, sitque à Tridentinâ Synodo eum in modum approbata, ut hanc aliis quibusque Versionibus ante haberemus; non tamen de eâdem statutum est, quasi omnes illius voces & chronologici apices nullâ correctione aut limâ egerent. Tandem, ne Vulgatæ authoritati etiam in minimâ voce detrahere videamur; inseri Cainani nomen ita permittamus, ut chronologia asserta non turbetur: veritas quippe Vulgatæ utique integra stabit, Sale nimirum ab Arphaxad anno 35. genitum esse; sive is immediatè, aut mediatè velut ab Avo genitus dicatur. Quid enim obstat, quo minus Arpha-

Arphaxad anno ſuo 18. genuerit Cainanum; iſte verò anno 17. Sale? unde annus trigeſimus quintus denuò emerget. Quàm uſitata ſit ſacris paginis mediatas generationes proferre, ex Matthæo perdiſcimus; ubi habetur Salmonem de Rahab genuiſſe Booz, Booz ex Ruth genuiſſe Obed, Obed Jeſſe, Jeſſe Davidem: hæ autem generationes quatuor non poſſunt implere 366. annos, qui à Rahab usque ad Davidem interfluxerunt.

An Abraham ſeptuageſimo anno Tharæ fuerit natus?

(B) Sacra ſcriptura equidem videtur tribuere Abrahamo planè alium annum natalem, cùm Geneſ. 11. v. 26. dicat: *vixit Thare* 70. *annis & ſeptuageſimo genuit Abraham, & Nachor, & Aran;* Inde enim Authores permulti colligunt, Abrahamum natum eſſe anno ſeptuageſimo Thare (k). Verùm alii longè meliùs ſtatuunt (l), ex textu ſcripturæ citato nihil pro maturiore ortu Abrahami confici: ſicut enim ex eo Geneſ. 5. v. ult. *Noë cùm quingentorum eſſet annorum; genuit Sem, Cham, & Japheth*, perperàm argueres, hos Noë filios natos eſſe præciſè anno quingenteſimo, aut etiam eodem ordine progenitos: cùm conſtet Semum biennio poſt diluvium centeſimum annum complêſſe, & Japhethum ordine nativitatis Chamum præceſſiſſe; ita prorſus erraret, qui in ſeptuageſimo Thare anno Abramum, Nachorem *vel* Aranum, eâdémque ſerie, quâ collocantur, natos diceret. Atque ùt ex priore loco id duntaxat colligitur, poſt quingentos annos Semum, Chamum, & Japhetum à Noë, quamvis alio ordine progenitos; ſic porrò ſtatuendum videtur, poſt ſeptuageſimum Thare annum tres ejus filios natos fuiſſe, quin inde eruatur quotus quisque annus ac ordo ſingulis natalis extiterit (m). Hic verò ut aliunde pateat, præmittendum eſt: Aranum duplicem habuiſſe filiam, una vocabatur Melcha, quam Nachor uxorem duxit, altera dicebatur Sara ſive Jeſcha: hanc Abraham ſibi connubio junxit decennio Senior, quàm Sara, juxta illud (n) *putáſne centenario naſcetur filius & Sara nonagenaria pariet?* ex his concluditur Aranum Primogenitum Patris Thare fuiſſe: niſi enim Aranum ſeniorem Abrahamo dixeris; concedas neceſſe eſt, Saram ab Arano genitam fuiſſe, cùm eſſet novennis, quod videtur abſurdum; præſertim cùm neminem legamus iſto ævo ante annum 29. vel 30. proles procreâſſe (o). Supereſt nunc, ut Aranum non tantùm primum Thare filium, ſed & ſexaginta omnino annis ante Abrahamum natum fuiſſe oſtendamus; adeóque quòd natus Abraham fuerit anno Thare 130., Abraham egreſſus eſt cum Thare ex Ur Chaldæorum, & habitavit in terra Haran (p): & cùm iſtic habitâſſet usque ad mortem Patris Thare; monente Deo exiit denuò ex Haran anno vitæ ſuæ 75. (q) atque eo quidem tempore teſtante S. Stephano (r) *poſtquam mortuus eſt Pater ejus.* Jam ſic: Pater Thare vixit 205. annis: ſi igitur moriente Patre Abraham non erat, niſi ſeptuaginta quinque annorum; non potuit alium annum habere natalem, niſi centeſimum trigeſimum ſui Patris: nam ab illo anno usque ad 205. interſunt 75. anni. Si econtra (ùt pergit Petavius) Abraham natus fuiſſet anno ſeptuageſimo

(k) Lorin. in Act. 7.

(l) Tirinus c. 14. Chron. Uſſerius c. 7. ſacræ Chron.

(m) Tirinus in Chron. ſacro c. 14. Uſſerius in Chronol. l. c.

(n) Geneſ. 17. v. 17.

(o) Tirinus l. c.

(p) Geneſ. 11. v. 31.

(q) c. 12.

(r) Act. 7.

geſimo

gesimo Patris Thare; jam hoc mortem obeunte, Abraham ex Haran egressurus centum triginta quinque annos attigisset, quod est contra scripturam. Adversarii, ut se ex hac difficultate evolvant, duplicem conantur exitum ex Haran asserere ita; ut prima Abrahami profectio evenerit anno 145. quo tempore ajunt illum cum Patre in Haran secessisse, & cum eo quinque annis ibi consedisse: post hos Abrahamus jam 75. annos natus novo mandato Dei non solùm patriam Chaldæam; sed & domum patris sui (adhuc vivi) relinquere jussus: inde in Chanaan cum Loth, & uxore sua perrexit, ibíque annis 60. ad Thare Patris obitum perstitit. Accepto ejus mortis nuntio, Mesopotamiam repetiit ad curandum funus, & secernendam hæreditatem: exinde postremò translatus à Deo, in Chanaan permansit. Verùm Adversarii frustra hìc luctantur, ubi scriptura unius duntaxat egressûs ex Haran mentionem facit; & quidem post mortem Thare & quando necdum repromissionem de filio acceperat Abraham. Præterea si Abraham moriente patre suo centesimum trigesimum quintum annum egisset, (nam tot habuisse oportuit, si natus est anno 70. Thare) jam vivente Patre, & 35. annis ante ejus mortem præceptum circumcisionis accepisset: jam natus ei fuisset Isaac: & in trigesimum quintum adolevisset, cur ergo Patrem non circumcidit? cur secundâ vice jam præsens in Haran non accepit uxorem viro filio? cur modò id fecit post quinque annos per Oeconomum? cur hic ab Abrahamo ablegatus de Abrahami filio ex Sara suscepto, opibúsque Haranæis loquitur tanquam de re ignota? cùm tamen Abraham ante quinquennium in Haran fuisset, & hæreditatem paternam cum suis divisisset?.

§. III.

Ætas Mundi tertia, ab initio Peregrinationis ab Abrahamo post mortem Patris cœptæ ad exitum Israëlitarum ex Ægypto, complectitur annos 430. (A).

Anni Mundi	*Anni Nativitatis & vitæ Patriarcharum.*	*Anni Chronolog.*
2082	ABRAMUM post mortem Patris denuò vocavit Deus è terrâ suâ, & è cognatione suâ, additâ promissione benedictionis in semine ejus, unde 430. anni numerantur, peregrinationis initio & fine eorum in 15. die mensis Abib, id est, Julii constituto. *Gen.* 12. *Exod.* 12. 40. & 41.	
2084	Abram fame compulsus in Ægyptum descendit *Genes.* 12. *v.* 10. Saram periculi vitandi causâ vocat sororem.	2

Abram

Anni Mundi	*Anni Nativitatis & vitæ Patriarcharum.*	*Anni Chronolog.*
2092	Abram & Loth ſe dividunt: hic Sodomam; Abram in Vallem Mambre prope Hebron *Gen.* 13. Loth, captivus deducitur à Chodorlahomor: Abram fratrem in libertatem vindicat *Gen.* 14. - - - - -	8
2108	Abrahamo centenario ISAAC naſcitur *Gen.* 21. (B). -	16
2148	Abrahamus filio Iſaaco de uxore proſpiciens famulum Eliezer in Meſopotamiam mittit, qui inde Rebeccam filiam Bathuelis, & ſororem Labanis ei uxorem obtinet *Gen.* 24. - - - -	40
2168	ESAU, & JACOB ex Rebecca naſcuntur, quando Iſaac pater 60. annos agebat *Geneſ.* 15. - -	20
2245	Jacob acceptâ benedictione in Meſopotamiam ad avunculum Labanem proficiſcitur, & pro Rachele ſe adſtringit ſeptem annorum ſervituti. *Gen.* 27. - -	77
2259	JOSEPH naſcitur ex Rachel. *Gen.* 30. - - -	14
2289	IDEM ſtat coram Pharaone. *Gen.* 41. - - -	30
2298	Jacobus cum tota familia hominum 66. ineunte tertio anno famis in Ægyptum deſcendit annos natus 130. *Geneſ.* 45. 46. (C). - - - -	9
2369	Joſeph moritur. *Gen.* 50., (qui ſub tribus Regibus Ægypti præfecturam geſſit per 80. annos, poſt cujus mortem Hebræi Ægyptiis ſervierunt annis 144, & omnes anni, queis Hebræi in Ægypto fuerunt, ſupputantur 215. ab eo tempore, quo Jacob cum filiis deſcendit in Ægyptum.	71
2385	LEVI moritur in Ægypto, annos natus 137. *Exod.* 6. -	16
2430	Oritur Aaron tres annos ante Moyſen;	
2433	MOYSES naſcitur à Jocebeda matre, cui is ex Nilo extractus, traditur nutriendus. *Exod.* 2. - - -	47
2473	Moyſes 40. annos natus ſuos fratres inviſit, Ægyptium occidit, fugit in Arabiam, Sephoram Jethro filiam ducit. *Exod.* 2.	
2513	Deus apparet Moyſi in rubo ardenti *Exod.* 3., juſſus hic ſtat coram *Pharaone*, & mandata Dei exponit. *Exod.* 7. & ſubſequitur exitus filiorum Iſraël ex Ægypto.	80
	Summa	430

(s) ad Galat. 3. v. 16. 17.
(t) Gen. 12.
Annorum summa hujus ætatis probatur.
(u) Exod 19. v. 16.
(x) Euseb. in Chronic.
(y) Chryſ. hom. 37. in Gen.
(z) Hier. in c. 3. Ep. ad Galat.
(a) Aug. l. de civ. Dei. c. 24.
Difficultas prima ſolvitur.
(b) Gen. 21. v. 12.
(c) Geneſ. 28. v. 4.

(A) S. Paulus (s) numerat annos 430. à promiſſione factâ Abrahæ, cùm eſſet 75. annorum (t). *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, non dicit: & in ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo: quæ* POST QUADRINGENTOS & TRIGINTA ANNOS *facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem* &c. Ergo CCCCXXX. annis promiſſio, & vocatio Abrahæ in Chanaan legem Moyſis datam antecesſit, quæ in monte Sinai promulgata eſt tertio menſe; ex quo exierunt Iſraëlitæ de Ægypto (u). Huic ſententiæ ſubſcribunt Euſebius (x), Chryſoſtomus (y) Hieronymus (z), Auguſtinus (a).

(B) Geneſis XV. v. 13. dicitur ad Abrahamum à Deo: *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubjiciem eos ſervituti, & affligent* QUADRINGENTIS ANNIS: hunc annorum numerum chronologi plures deducunt ab ortu Iſaaci, quia inde usque ad exodum Iſraëlitarum ſunt 405. anni: & ut hi quinque anni quoque abſorbeantur, quidam incipiunt calculum ab ablactatione Iſaaci; in Iſaaco quippe Benedictum Abrahæ ſemen vocari cœptum eſt (b). Cæterùm prædictio illa divina non tantùm complectitur tempus ſervitutis, & afflictionis, quâ in Ægypto Iſraëlitæ afflicti ſunt, ſed & ſpatium totius peregrinationis; nam tria in textu citato diſcernenda veniunt: I. peregrinatio ſeminis in terra non ſuâ, ſive ùt textus Græcus habet, in terra non propria ἐν γῇ ἐκ ἰδίᾳ, quia Chananæa terra quoque Abrahamitis promiſſa tantùm erat, necdum poſſeſſa; & ideo etiam vocatur ab Iſaaco (c) *terra peregrinationis, quam pollicitus eſt avo tuo.* II. Servitus. III. Afflictio. Eventus autem omnes illorum 400. annorum non conveniunt ſingulis intervallis ſeparatè ſumptis; ſed conjunctis, ſufficítque, ſi iſta, quæ prædicta ſunt, intra ſpatium 400. annorum eventura ſint. Equidem textus poſt aliquot verſus ſubjunctus rei difficultatem auget: dicitur quippe *generatione quartâ huc revertentur*, cùm tamen tempore *exitûs* de quarta Abrahami generatione nemo ſuperſtes fuerit: verùm hæc verba haud immediatè addita, non Iſraëlitas: ſed Amorrhæos reſpiciunt, quorum crimina ſe perſecuturum minatur Deus, cùm ipſorum ſceleribus cumulus acceſſerit, quod poſt quatuor generationes erat futurum. Ea, quæ ſequuntur, favent huic explicationi: *necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præſens tempus.* Præterèa populi plures per generationes temporum rationes inibant, atque in generationes ſingulas ſæpe centum, & amplius annos numerabant; unde Calmetus (d) non improbabile judicat, per quatuor generationes idem ſignificari, quod v. 13. per quadringentos annos exponitur.

(d) Calmet. in Comment. in Geneſ. c. 15. pag. 142.
(e) ad Galat. 3.

(C) Genebrardus quadringentos triginta annos à S. Paulo (e) deſignatos numerandos voluit à deſcenſu Jacobi in Ægyptum, ſed longiùs aberrat hæc chronotaxis, quàm ut vero ſimilis videri poſſit: quia impoſſibile eſt ab illa epocha deducere tot annos, etſi conſuetos limites naturæ tranſilire

silire vellemus (f): nam Caath filius Levi cum avo suo Jacobo descendit in Ægyptum (g); hujus vitæ anni fuerunt 133: filii verò ejus Amrami anni sunt 137. (h): filius Amrami Moyses in exitu Israelitarum fuit annorum 80; summam proinde habebis ex his 350. Ex hac summa detrahendi sunt adhuc anni, tum quos Caath ante descensum in Ægyptum exegit, tum quos Caath vixit post natum Amramum: demum etiam ii anni demendi sunt, quos Amramus egit post natum Moysen, ne iidem anni bis numerentur, & ecce nequidem 350.: sed multò minor numerus prodibit; ubi ergo quadringenti anni à descensu Jacobi in Ægyptum?

Alterum argumentum confutatur.

(f) Tirinus in Chron. sacro c. 17.

(g) Genes. 46. v. 11.

(h) Exod. 6. v. 18.

§. IV.

Quarta Mundi Ætas ab egressu filiorum Israël ex Ægypto ad jacta fundamenta Templi Salomonis continet annos 479. 17. Dies, sive quadringentos octoginta annos non omnino completos.

CUm in chronotaxi hujus quartæ ætatis stabiliendâ non parùm laborent chronologi; primùm assertam positionem ex sacris paginis firmabimus, dein quid cæteri contrà sentiant, proferemus. Sacer Historiographus (i) hanc certo annorum numero definiturus ita scribit: *factum est quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti in anno quarto mense Ziu* (ipse est mensis secundus) *Regni Salomonis super Israël; ædificari cœpit domus Domino;* quæ ex parte repetuntur in fine capitis, consentientibus, Latino, Hebræo, Græcóque codice: cùm enim mensis primi die 15. ex Ægypto egressi fuerint Israëlitæ: & mensis secundi die secundo in anno quarto Salomonis templi jacta sint fundamenta; annos 479. & dies 17. intercessisse liquet, non integros utique 480. annos. Neque adversus ista magni facienda est authoritas reliquorum Scriptorum, qui numero à scripturâ asserto plures annos addere conantur. Multùm istam summam auxit Melchior Canus (k), dum ab egressu filiorum Israël 592. annos usque ad Salomonis templum interposuit: majus augmentum adjecit Nicolaus Serarius (l), qui 680. annos interserendos putavit; quorum Authorum discrimen ab eo potissimùm pendet, quòd S. Scriptura in libro Judicum duas omnino partes referat, quarum anterior calculum Judicum describit per intervalla, *quando terra quievit*; posterior verò per spatia, queis Judices dicuntur *judicâsse populum.* Præterea differentiam non exiguam chronotaxeos facit, eò quòd permulti *annos quietis terræ* seorsim ab annis *servitutum* discernant: neque velint, ut tempora illa, quibus Israël Regibus confinibus serviebat; aliáque, queis à servitute vindicati Israëlitæ pace fruebantur, inter se invicem confundantur, aut ullo modo commisceantur: unde tandem eò prolabuntur, ut supra scripturæ testimonium plures, quàm 480. annos cogantur admittere, quod ex sequente tabella ostenditur.

(i) 3. Reg. 6.

(k) Canus lib. 11. Loc. Theolog. c. 1.

(l) Serar. in 3. Reg. 7. propos. 2.

Ratio cur discrepent Authores in summa annorum hujus ætatis.

Anni

Anni Judicum in priore parte libri Judicum enumerati	*Servitus*	*quies.*	*Anni Judicum in posteriore parte libri descripti.*	—
I. Sub Rege *Chusan*, Mesopotamiæ Rege, Galilæi præcipuè oppressi per annos (*Judic*.3.v.8.)	8		*Abimelech* judicavit annis. (*Judic.c.9.v.22.*)	3
Vindicati ab Othoniele Judice & quievit terra inde annis - -	-	40	*Thola, c.* 10. *v.* 2. - -	10
II. Ab Eylone Moabitarum Rege, Ruben, Gad, & Manasse oppressi anno Othonielis 23. per annos *v.* 14. - - -	18		*Jair, v.* 3. - - -	22
			Jephte, c. 12. 7. -	6
Vindicati ab Ebude & terra quievit annis - - - - -	-	80	*Abesan, v.* 9. - -	7
III. A Jabino Rege Chanaan Galilæi præcipuè servituti mancipati. (*Judic.* 4. *v.* 3.) - -	20		*Elon, v.* 11. - - -	10
			Abdon, v. 14. - -	8
Vindicantur à Debbora & Barack, quievit inde terra per annos -	-	40	*Samson, c.* 18 - 20. -	20
IV. A Madianitis subjugati sunt ii potissimùm, qui ad Jordanem habitabant. (*Judic.* 6. *v.* 1.) -	7			
Vindicantur à Gedeone, inde quies per annos - - -	-	40		
V. Sub Ammon & Philisthæis, (*Judic.* 10.) - - -	18*	-		
VI. Sub Philisthæis servitus per annos. *Judic.* 13. - -	40*	-		
	111	200		86

Ex his sinè dubio patebit summam à S. codice dictatam multùm superatum iri; siquidem anni servitutum, & quietis à se invicem sejuncti in ampliorem numerum adderentur: nam à Moyse numera ad exitum annos quadraginta: his cum Melchiore Cano, & aliis Adversariis appone 25. annos pro Josue & Senioribus; dein adde undecim suprà centum annos servitutum: adde & seorsim ducentos annos quietis; demum subjunge annos 20. Samsonis, annos Heli quadraginta, Samuelis & Saulis totidem, quadraginta annos Davidis, & tres annos cum quarto inchoato Salomonis & conficies non 480, sed ad minimùm 520. quod utique est transilire metas scripturæ.

2. Ali-

2. Aliqui ut calculi auxesin mitigent, summam 480. annorum ad templi fundamenta deducendam existimant à transitu Jordanis: non verò ab eo tempore, quo ex Ægypto Israëlitæ exierunt. Ita Moyses ait: se prælegisse Israëlitis librum suum quintum *in exitu eorum* בצאתם (m), cùm tamen id fieret post quadraginta annos à primo exitu ex Ægypto (n); adeóque hi 40. anni in deserto transacti non debent computari, utpote principium numerationis. Equidem non diffitemur τὸ ב Hebraicum, ubi præfigitur, quandoque significare idem, ac *postquam*: quâ ratione intelligitur illud, quod in exitu Israël Jordanis fluvius constiterit. At si לצאת ponatur, & quidem cum Genetivo mensis, & anni; tum enimverò illud ipsum tempus, quod insinuatur, determinatè significatur: quemadmodum de morte Aaronis expressum legitur: לצאת egressionis Israëlitarum de terra Ægypti, mense quinto, primo die mensis mortuum esse Aaronem (o). Quare, cùm scriptura quoque similes determinationes addat, ubi 480. annos ab exitu Israëlitarum recenset, non à qualicunque & vago initio hujus calculi ratio ineunda est (p), sed præcisè ab eo tempore, quo filii Israël egressi sunt.

Adversariorum auxesis in chronotaxi hujus ætatis confutatur.

(m) Deut. 4.
(n) Petavius in Doctr. temp. lib. 9. c. 33. Laurent. Codoman. lib. 1. c. 17.
(o) Num. 33. v. 38.
(p) Usserius c. 12.

3. Alii Chronologi, ne in calculum scripturæ impingant, annos quarundam duntaxat servitutum supprimendos; nec numerandos volunt: ac primò quidam annos 18. servitutis Ammoniticæ absorbent, confundúntque cum annis sive prioribus Jairi, aut cum annis subsequentibus ipsius Jephte, ac Abesanis: necdum enim ajunt à Philistæis omnino liberatum fuisse populum; cùm Jephte Judicis munus obiret. Ante tempora autem Jephte nonnisi 300. anni præcesserunt, testante ipso Judice Jephte (q), qui quoniam sub excessum Jairi jam effluxerant; videntur benè supprimi redundantes anni 18. Ammoniticæ servitutis; ne calculus scripturæ augeatur. Præterea licèt sexta servitus quadraginta annis contineatur; hos tamen non minùs à summâ removendos putant adversæ sententiæ Patroni, eòquòd Samson non omnino vindicârit Israël (r): sed captus ipse in Philisthæorum manus pervenerit; imò calamitas Israëlitarum, quæ sub Samsone cœperat, continuata est in Heli & Samuelis tempora: quare mirum videri non debet, si sextæ servitutis anni iidem esse dicantur, qui fuêre Samsonis, Heli, & Samuelis, adeóque commixti supprimantur. VERUM Adversarii his rationibus adductis haud evincênt, ut non iisdem ex causis cæterarum quoque servitutum annos in annis Judicum comprehendi, nec seorsim subduci debere statuamus cum Eusebio (s), Lyrano (t), qui ex Philone & è tota Hebræorum traditione hanc calculi rationem hauserunt. Quemadmodum enim in fine c. 15. *Judicum* dicitur: *Samsonem judicâsse Israël viginti annis in diebus Philisthiim*, id est, quando Philisthæi dominabantur Israëlitis; ita *Judicum* c. 4. v. 3. expressum videas, quod *Jabin Rex Chanaan vehementer oppresserit* Judæos *per viginti annos*, & nihilominùs *in illo tempore Debbora Prophêtis judicabat populum.* Neque ob suppressos sex servitutum

Anni servitutum & quietis universaliter sibi immiscendi sunt.

(q) Judic. 11. v. 26.
(r) Judic. 16.
(s) Euseb. in Chronic.
(t) Lyranus in Judic. 3. & 5.

vitutum annos, vel commixtos, multùm decedet sermoni ipsius Jephte, quem Judic. 11. hæc in verba concepit: *quando habitavit* Israël -- *in cunctis civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos, quare tanto tempore nihil super hâc repetitione tentâstis?* in hàc defensione, ubi Jephte contra hostes Ethnicos causam populi electi, hujúsque possessionem legitimam tuebatur, non Chronologum, sed Mareschallum professus est: in rem quippe suam non numero imperfecto, annorum 267, qui effluxerant ab initâ terræ possessione; sed rotundo 300. uti ei placuit in rem suam (u): nisi malis dicere Jephte exordium istorum annorum trecentorum non accersivisse à tempore, quo Israëlitæ Chananitidem invaserunt, scilicet ultimo anno Moysis: sed à tempore, quo Deus eam ipsis donavit, & invadere jussit; & ipsi quoque invadere saltem cœperunt missis exploratoribus (x), quod fuit secundo anno ab egressu ex Ægypto: nam ex tunc potest dici dominium terræ Chanaan à Deo translatum fuisse in Israëlitas (y).

(u) Torniellus ad A.M. 2591. Usserius in Chronol. sacr. c. 12.

(x) Num. 13. v. 3.

(y) Tirinus Chronic. sacr. c. 24.

4. Alii ex Adversariis summam illam à S. codice assignatam 480. annorum hujus ætatis negligere tantò minùs verentur, quantò apertiùs legunt Act. 13. v. 20. Deum Israëli dedisse Judices per annos 450. usque ad Samuelem: *mores eorum sustinuit in deserto, & destruens gentes septem in terra Chanaan, sortes distribuit eis terram eorum; quasi post quadringentos quinquaginta annos, & posthæc dedit Judices usque ad Samuelem Prophetam.* Tantus igitur numerus ut pro solis judicibus eruatur; quidni anni servitutum adjungantur in cumulum? præsertim cùm ex postremo textu palàm sit in priorem numerum 480. annorum mendum aliquod irrepsisse. At Usserius ostendit ex Syriacis, Græcis, & Arabicis codicibus utrique textui nullam corruptelam allatam esse: conciliationem autem textuum à loco & ordine petendam. Ex Vetere Vulgata manifestum est, quadringentos & quinquaginta annos non ad Judicum durationem, sed ad tempus partitionis terræ referri: hujus porrò supputationis initium quàm optimè deducitur à nato Isaaco; ab eo enim ad exitum elapsi anni sunt 405, quibus additi sunt 46. cum dimidio, qui inde ad partitionem terræ decurrerunt: annos igitur ex hâc factâ collectione habebis 451. cum dimidio; & hinc dicitur à S. Paulo *quasi post quadringentos quinquaginta annos* (z).

Locus D. Pauli Act. 13. notatus explicatur.

(z) Tirinus c. 22. Kreinz in Observ. Chronol. lib. 1. c. 11.

5. Chronologos hunc in modum luctantes conciliare inter se conatus est Usserius chronologicarum rerum peritissimus: putat is (novo Systemate proposito) belli, & servitutum tempora eatenus à quietis temporibus secernenda esse, ut annorum notatio quieti terræ apponatur, & per annos illos (*quievit terra annis* 40) initium quietis intelligi, non verò integram quadraginta annorum quietem: unde *quievit* idem ei est, ac anno quadragesimo terra quiescere cœpit. Ut enim in scriptura τὸ genuit idem sæpe significat, ac gignere cœpit; ita hìc quoque quietis exordium non per numerum cardinalem, sed *ordinalem* intelligendum existimat; ac proinde, numerus annorum non supponit pro *quamdiu*, sed pro *quando*,

Usserii sententia rejicitur.

ut, dum dicitur *Judic.* 3. *v.* 11. terra quievit ſub Othoniele 40. annis, ſenſus ſit, quies illa data eſt anno quadrageſimo ab alia quiete, quæ ſub Joſue terræ concedebatur. Deinde anno octogeſimo à priore quiete numerando, iterum terræ data eſt quies per Aod. &c. (a) *Verùm* huic opinioni novæ obſtat id, quod legitur Judic. 8. v. 28. *quievit terra per* 40. *annos, quibus Gedeon præfuit*, ubi apertè deſignatur numerus *Cardinalis*, quia poſt partam victoriam Gedeon dicitur præfuiſſe 40. annis, ac totidem annis terra quieviſſe: dein inter quietem per *Othonielem* datam, & alteram per *Aod* acceptam non interceſſerunt anni 80; nam Othoniel poſt relatam victoriam ad ſummum vixit adhuc 40. annis, quia *Judic.* 3. legimus: *quievítque terra* 40. *annis & mortuus eſt Othoniel &c.* (b).

6. Relicto igitur Uſſerii Syſtemate hujus ætatis, ſummam nihilominus ab eodem Authore aſſertam ex Tirini chronotaxi eruemus (c).

(a) Uſſerius Chronologiæ ſacræ cap. 12.

(b) Vide Notationes ad Petavium a. 1720. Coloniæ impreſſas.

(c) Tirinus in Chronic. ſac. c. 18.

Anni Mundi.		*Anni Chronologici.*
2513	MOYSES ab egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto, præfuit usque ad mortem (*Deut.* 31. *v.* 1. *& c.* 34. *v.* 7.) annis -	40
2553	JOSUE rexit populum annis. (A) - - - -	17
2570	OTHONIEL *Judic.* 3. *v.* 11. in cujus Principatu includuntur anni 8. ſervitutis ſub Rege Meſopotamiæ, item tempora ſeniorum, qui *Judic.* 2. *v.* 7. dicuntur longo tempore poſt Joſue vixiſſe: ſed inter eos etiam erant Othoniel, & Aod; neque enim tribuit Scriptura ſenioribus aliis ullum certum tempus, quo ipſi præfuerint Iſraëli. - - - - - -	40
	AOD computatis annis 18. ſervitutis, quæ contigit ſub Rege Moabitarum *Judic.* 3. *v.* 14., item annis judicis	
2610	SAMGAR *v.* 30. *&* 31. (nam is teſte Joſepho lib. 5. c. 5. vix anno ultimo Aod vitam finiit) - - -	80
2690	BARAC & DEBBORA *Judic. c.* 5. - - - ſed his includuntur 20. anni ſervitutis ſub Rege Chanaan *Judic.* 4.	40
2730	GEDEON *Judic.* 8. *v.* 28. cum interregno 7. annorum ſub Madianitis *Judic.* 6. - - - - -	40
2770	ABIMELECH Tyrannus *Judic.* 9. *v.* 22. - -	3
2773	THOLA *Judic.* 10. *v.* 2. - - - -	23
2796	JAIR *Judic.* 10. *v.* 3. cujus annis *Cedrenus* includit annos 18. ſervitutis ſub Philiſthæis & Ammonitis *Judic.* 10. *v.* 8. *Sederolam c.* 12. duos poſtremos producit ad tempora Jephte - - - - -	22
2818	JEPHTE *Judic.* 12. *v.* 7. - - -	6

 ABE-

Anni Mundi		Anni Chronologici.
2824	ABESAN *Judic.* 12. *v.* 9. - - -	7
2831	AHIALON - - - *v.* 14. - - - - -	10
2841	ABDON *Judic.* 12. *v.* 14. - - - - - -	8
2849	SAMSON *Judic.* 15. *v.* ult. ubi etiam additur, in diebus Philisthiim judicâsse Israëlem, id est eo tempore, quo Philisthæi dominabantur Israëlitis, unde 40. anni servitutis sub Philisthæis *Judic.* 13. includuntur annis Samsonis, & quorundam præcedentium Judicum, & etiam subsequentis Heli, quæ causa est, cur LXX. interpretes tantùm 20. annos dent Heli (ut habet *Euseb. in Chron.*) - -	20
2869	HELI 1. *Reg.* 4. *v.* 18. - - - - - -	40
1909	SAMUEL & SAUL *Act.* 13. *v.* 18. (B) - - -	40
2949	DAVID 2. *Reg.* 5. (C) - - - - - -	40
2989	Salomon usque ad initia templi. - - - -	4
	Summa -	480*

* *quorum ultimus tantùm est inchoatus.*

Anni Ducis Josue.

(A Josue à morte Moysis Anno sequente transit Jordanem cum populo, quem circumcidi præcipit: Jericho expugnat; cæditque 5. Reges. Anno tertio, quarto, 5to & sexto pugnatum contra Regem Jabin, & confœderatos Josue c. 11. & 17. Dein quæ usque ad c. 24. dicuntur, per annos 12. acta sunt: ita Salianus, & Torniellus (d) Joannes Lucidus (e), qui passim cum recentioribus plurimis tribuunt Josuæ 17. annos gubernationis: atque inde statuunt Josuen fuisse annosum, quando exercitui Israëlis præesse jussus est. Nam 110. annorum fuit, cùm moreretur.

(d) In Annalibus.

(e) Lib. 2. de emendat. temp. c. 8.

Quot Annis Saul regnârit?

(B) Annos Saulis non parùm obscurat id, quod dicitur lib. 1. Reg. c. 13. *filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit supra Israël.* Tirinus equidem sensui verborum hoc modo inhærendum putat; dummodo subintelligatur more Hebraico *sicut filius unius anni* simplex & rectus: verùm alii duos annos negant sufficere tot eventibus explicandis, qui contigerunt sub Saulis Regno; itaque textûs secundam partem æquè tropologicè exponendam censent: scilicet cùm regnare cœpit Saul, sic erat innocens; utì puer unius anni: & duobus annis, ùt puer unius anni hic in eadem innocentia permansit (f). Non desunt etiam, qui literalem sensum secuti, opportunè difficultatem hoc modo evolvunt; dum hæc verba: *duobus autem annis regnavit super Israël* referunt ad versum sequentem, *& elegit sibi Saul tria millia de Israël,* sive quod Saul per duos annos Regni incomitatus processerit: his elapsis comites elegerit Prætorianos, qui Regium latus stiparent. Videtur hæc sententia aptior textui Act. 13., ubi Sauli & Samueli quadraginta anni tribuuntur.

(f) Petr. Dam. lib. 2. Epist. 20.

(C)

(C) 2. Reg. 15. v. 7. quadragesimo anno Davidis evenisse dicitur rebellio Absalonis, quâ domitâ David per decennium superstes fuit: verùm quadragesimus ille annus Davidis non numeratur à possessione regni; sed ab ejus unctione.

(D) Anno 480. ab egressu Israelitarum ex Ægypto, anno 4. Regni Salomonis mensis secundi, qui Ziu tunc dictus est die secundo (*Maji* 21. *fer.* 2.) templi fundamenta à Salomone jacta sunt (g). Et quoniam primi mensis die 15. (*Maji* 5. *feria* 3.) egressi sunt Israëlitæ ex Ægypto (h); hinc constat 400. annorum ultimum tantummodo inchoatum fuisse (i).

† *Pagius notat,* (k) *durante hâc quartâ Mundi ætate Ninum Beli filium ASSYRIORUM fundâsse Imperium, qui DXX. annis superiorem Asiam obtinuerunt, ut in lib. 1. c. 95. Herodotus auctor est. Sed de Assyriorum Monarchia plura dicentur in ætate sequente, in quâ maximè floruit.*

(g) 1. Reg. 6. 1. 37.
(h) Exod. 12. v. 29. 30. &c.
(i) Usserius ad ætat. M. 4. pag. 14. & ad æt. 5. p. 33.
(k) In Appar. Chronol. pag. 3.

§. V.

Quinta Mundi ætas à Condi cœpto Salomonis templo usque ad Captivitatem Babylonicam, vel conflagrationem ejusdem templi, numerat annos 424. menses 3. octo dies.

Anni Mundi	*Reges Juda.*	*Anni Chron.*	*Menses*	*Dies.*
2992	SALOMON post jacta templi fundamenta regnavit annis - - - - 3. *Reg.* 11.	36	10	28
3029	ROBOAM, sub quo divisio Regni facta est; in Juda regnavit - - 3. *Reg.* 12. & 14.	17	-	-
3046	ABIAS - - 3. *Reg.* 15. *v.* 1. - - -	[illegible]	11	17
3049	ASA - - 3. *Reg.* 15. *v.* 9. - - - -	41	-	-
3090	JOSAPHAT quarto anno Achabi succedit Patri Asæ, & regnavit - - 3. *Reg.* 22. & 2. *Paralip.* 16. 17. 18. 21.	25	-	-
3115	JORAM filius Josaphati (A) - - 4. *Reg.* 82. - - - - -	4	2	-
3120	OCHOZIAS - - 4. *Reg.* 8. - -	1		
3120	Athalia extinctâ stirpe regiâ regnum invadit 4. *Reg.* 11. regnavit - -	6	-	-
3126	JOAS subtractus cædi Athaliæ Rex consecratur & regnavit - - - -	39	-	
3165	AMASIAS - - regnavit - -	29	-	
3194	OZIAS sive AZARIAS (B) - -	52	-	
3246	JOATHAN filius Oziæ. Regn. - -	16	-	

Reges

Anni Mundi	*Reges Juda.*	Anni Chron	Menses.	Dies.
3262	ACHAZ. Succedit Patri - - -	15	-	-
3277	EZECHIAS, cujus anno ſexto finitur regnum Iſraëlis.	6	-	-
3283	Deſtructo regno Iſraëlis Ezechias perrexit regnare in Juda annis - - 4. *Reg.* 18. & 20.	23	-	-
3306	MANASSES ſuccedit Patri, qui anno Regni 22. in Babylonem abſtractus, ſed paulò poſt reſtitutus 33. annis adhuc regnavit - - - - - 2. *Paralip.* 33.	55	-	-
3361	AMON - - 4. *Reg.* 21. - -	2	-	-
3363	JOSIAS octo annorum ſuccedit Patri, & regnavit - - - - -	31	-	-
3394	JOACHAZ, vel *Sellum* ſuccedit Patri: *Necos* Rex Ægypti, (contra quem Joſias bella geſſerat) hunc Joachazum depoſuit, eíque fratrem Eliakim, qui & Joakim vocatur, ſubſtituit: Joachaz regnavit 4. *Reg.* 23.	-	3	-
3394	JOAKIM regnavit in pace ad annum 3398, quo in Babylonem abductus eſt à Nabuchodonoſore; & paulò poſt dimiſſus eâ conditione, ut Regis Babel vaſallus eſſet; & ùt cum parte vaſorum templi pueros regii ſanguinis (inter quos Daniel) mitteret: regnavit autem Joakim - -	10	7	14
3405	JECHONIAS frater Joakimi, cum Patre decem annis regnaverat 4. *Reg.* 22. eum adoritur Nabuchodonoſor, deditúmque cum parte populi Babylonem traducit; cùm regnâſſet - - - - -	-	3	9
3406	Matthanias, ſeu SEDECIAS eidem à Nabuchodonoſore ſuffectus eſt: hic regnavit vigeſimus ſecundus Rex Juda, & poſtremus in Jeruſalem annis - -	11	-	-
3416	Menſe quinto, die decimâ, templi Salomonici, & urbis Hieroſolymitanæ excidium *Jerem.* 52. v. 12. 13. poſt captumà Nabuchodonoſore Regem menſe integro	-	1	-
	Summa annorum chronologicorum -	424	3	8

Judæa Universa sub Saule, Davide, & Salomone uni Principi paruit: sed sub hujus postremi filio Roboamo scissum est Regnum in duas partes, nempe in *Regnum Judæ*, cujus Metropolis erat Hierosolyma, perstititque ad undecimum annum Sedeciæ; & *in Regnum Israël*: cujus Metropolis fuit Samaria. Hoc in sexto anno Ezechiæ, adeóque citiùs, quàm Regnum Judæ destructum est à Salmanasare Rege Assyriæ, qui Regem ultimum Israël Oseam cum decem tribubus in Servitutem abduxit; postquam duraverat Regnum 254. annis,

Annus Mundi.	*Reges Israël.*	*Anni Chron.*	*Menses*	*Dies.*
3029	JEROBOAM regnavit in Israël annis - 3.*Reg.*12.& 13.*Circa mensis tertii diem* 23.	21	-	-
3050	NADAB filius Jeroboami 3.*Reg.* 15. -	1	-	15
3051	BAASA, cujus regno addendum decennium, ut concilietur cum 2. *Paralip.* 15.	23	-	15
3074	ELA - - 3.*Reg.* 16. - - -	1	-	15
3075	ZAMRI - - - - - -	-	-	7
3075	AMRI - - - - - -	11	-	15
3086	ACHAB - - - - -	21	-	15
3107	OCHOZIAS - - 3.*Reg.* 22. - - Partim solus, partim cum Patre.	-	8	10
3108	JORAM alter Achabi filius. - - -	12	-	-
3120	JEHU regnavit - - - - -	28	-	-
3148	JOACHAZ. Anno 23. Joæ succedit Patri Jehu, & regnavit - - -	15	-	-
3165	JOAS associatur Patri a. Mundi 3163. succedit a. 3165. regnavit - -	16	-	-
3179	JEROBOAM II. succedit Joæ 4.*Reg.*15.16.	41	-	-
	Interregnum - - 4.*Reg.* 14. - -	11	6	-
3232	ZACHARIAS - - - - -	-	6	-
3232	SELLUM - - 4.*Reg.* 15. - -	-	1	-
3232	MANAHEN - - - - -	10	11	-
3243	PHACEJA filius Manahen - -	2	-	-
3245	PHACEE filius Romeliæ regnum usurpat	20	-	-
3265	OSEE filius Ela interfecto Phacee regnum invadit - - 4. *Reg.* 17. Sed inter seditiones regnat - - - - -	9	-	-
3283	Osee idem regnat in pace - -	9	-	-
	Et anno 19. regni sui & in anno sexto Ezechiæ abstrahitur in servitutem Assyriorum 4.*Reg.*17. circa mensis tertii diem 10.			
	Summa annorum regni Israëlis -	254		

 (A) Cùm

(A) Cùm 4. Reg. 8. dicatur Joram octo annis regnâsse; vel ex hoc ipso chronotaxis nostra vacillare videbitur, ùt qui eidem quatuor tantùm tribuimus: sed difficultas hunc in modum facilior reddetur. III. Reg. c. 22. v. 42. Josaphat legitur 25. annis regnâsse: at solus non regnavit nisi annis 22.; hinc tres ultimi anni ipsius Josaphati adscribi etiam possunt Joramo filio Regni consorti, qui 4. Reg. c. 8. v. 16. cœpit regnare anno 5to Jorami filii Achab & Regis Israël: hic verò Joram Israëlis Rex Regnum adiit finiente anno 18. Josaphat Regis Juda (4. Reg. 3. v. 1.) atque his 18. annis si superaddas 5; invenies 23. annum Regni Josaphat, esse primum Jorami ejus filii: regnavit igitur Joramus tribus annis integris solus, & quartum incepit non completum. Neque dicas *Joram Regem Juda* regnâsse anno quinto *Joram Regis Israël*, ac proinde malè statui hunc (4. Reg. 1. v. 17.) Regno præfuisse anno secundo Joram filii Josaphat:; item 4. Reg. 9. v. 29. habetur, quod anno undecimo Jorami Regis Israël, Rex Judææ fuerit Ochozias, quæ cuncta cohærent minùs. Nullus Chronologorum negat ænigmati hæc non esse absimilia, & S. Hieronymus scribere non dubitavit (l): *quid prodest hærere in litera, & vel Scriptoris errorem, vel annorum seriem calumniari; litera occidit, Spiritus autem vivific at, relege omnes, & V. & N. T. libros, & tantam reperies annorum dissonantiam, & numerum inter Judam, & Israël, id est inter Regnum utrúmque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quàm otiosi hominis videatur.* Reponimus tamen cum *Petavio* Joramum Israëlitam duplex sortitum esse Regni auspicium, primum anno 18. Josaphati post fratris sui Ochoziæ Israëlitici mortem, quod Regnum sex annis nomine & authoritate Proregis administravit, donec anno vigesimo quarto Josaphati (qui annus simul erat *Jorami Regis Juda* secundus) in Regem Israël à populo denique fit electus. Prætereà, ùt habent sacræ paginæ, Joram Rex in Israël regnavit annis duodecim, incipiendo ab anno decimo octavo Josaphat; Anno duodecimo post obitum *Jorami Regis Juda*, cepit principatum suum Ochozias filius ejus (m), ergo *Joramus Rex Israël* regnavit septem annis cum Josaphato, & quinque annis cum Joramo Rege Juda. Quare cùm hic regnârit septennio integro, necesse est, ut tres ejusdem regnantis anni cum Josaphati annis 25. concurrant.

Quot annis Joram regnârit cum Patre Josaphat?

(l) Epist. 132. ad vitalem.

(m) 4. Reg. 8. v. 25.

(B) Quoniam Phacee anno 52, sive ultimo Oziæ regnâsse perhibetur (n); Item quia anno secundo Phacee regnavit Joathan filius Oziæ; inter Joathan, & Oziam biennale interregnum interponendum nonnulli arbitrantur, ast alii meliùs id negligunt; propter eà quòd anno Oziæ 52. ineunte cœpit Regnum Phacee Regis Israël, eodémque anno unà cum Ozia exspirante & 53. incipiente, scilicet anno primo Joathanis iniit annus secundus Phacee; ergo jam potest dici Joathan cœpisse regnare anno secundo (inchoante nimirum) Regis Phacee; licèt nullus intercesserit Regni hiatus. Pluribus hæc exponit Usserius (o). Cæterùm ad plures, difficulta-

(n) 4. Reg. 15. v. 27.

Quâ ratione difficultates in annis Regum occurrentes solvi queant?

(o) Usserius in Chronol. sacra p. II.

tes

tes evolvendas ſequentia ſervient. I. Quòd ultimus, & primus regnantium annus minùs integer aſſumatur à ſacro codice. II. Quod ſubinde duo ſimul regnaverint; ſic Nadab cum patre ſuo Jeroboamo, Joram cum Joſaphato &c. regnârunt; unde à diverſis Scriptoribus diverſi Regnorum initia numerantur. III. Interdum etiam menda quædam à Lectoribus emendanda occurrunt; dicitur námque de Ochozia (p) quòd annorum 42. fuerit ſub Regni exordia: hoc verò ſi aſſereretur; paradoxum planè emergeret, ſcilicet Ochoziam patre ſuo biennio Seniorem extitiſſe; cùm regnare inciperet: quippe Pater ejus fuit 32. annorum, dum Regnum adiit (q) & octo annis regnavit: itaque cum Uſſerio dicendum eſt, locum Paralipomenon in codicibus Hebræis vitiatum eſſe, permutatione Hebraici numeri, & ſuppoſitis literis ב מ (42.) pro ב כ (22), præſertim, quòd Ochozias alibi (r) legatur fuiſſe annorum viginti duorum, quam Verſionem Sixtina quoque editio habet ex LXX. interpretibus.

(p) 2. Paralip. 22. v. 2.

(q) 2. Paralip. 21. v. 5.

(r) 4. Reg. c. 8. v. 26.

(C) Ab Anno quarto Joakimi, qui primus fuit Nabuchodonoſoris Babyloniæ Regis, incipiunt ſeptuaginta anni captivitatis Judæorum, quos Jeremias c. 25. & 29. definit: conſtat id ex ſubductione annorum; nam ex primâ illâ transportatione Judæorum ad deſolationem urbis & templi, (quæ evenit anno 19. Nabuchodonoſoris) effluxêre anni 18, ſcilicet reliqui ſeptem Joakimi, & 11. Sedeciæ. Inde verò ad Cyrum populi Judaici liberatorem ſunt anni 52; ùt infrà in ætate 6ta oſtendetur, qui anni collecti in ſummam conficiunt annos 70. Præterea Jeremias cap. 25. vaticinatus eſt de annis 70. & de annis Nabuchodonoſoris: *ſervient ei, & filio & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus*, id eſt, donec evertatur Imperium, quibus completis 70. annis promittit Deus ſe viſitaturum populum ſuum, ac liberaturum. Incepit autem Jeremias vaticinari ab eo anno, quo de 70. annis vaticinii initium fecit, ſcilicet tertio anno Joakimi finiente, & inchoato quarto, qui proinde primus fuit annorum 70.; de aliis quippe rebus vaticinari longè ante illud tempus cœperat, ſcilicet anno 13. Joſiæ (s): deinde tertio vel quarto anno Joakimi, & primò Nabuchodonoſoris ductus eſt Daniel in Babylonem, quo tempore Jeremias teſtatur de his 70. annis, factum ad ſe eſſe Verbum Domini: quâ ratione verò annus idem quartus Joakimi, primus Nabuchodonoſoris dici queat; inde patet, quia ſacræ paginæ perhibent (t): *factum eſt verò in anno trigeſimo ſeptimo transmigrationis Joachin Jechoniæ Regis Juda* (hic octennio poſt annum tertium Joakin translatus eſt Babylonem) *menſe duodecimo vigeſimâ ſeptimâ die menſis ſublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Juda de carcere, & locutus eſt ei benignè: & poſuit thronum ejus ſuper thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Ex his ita infertur: Nabuchodonoſor regnavit annis 44. menſibus ſeptem, juxta Uſſerium, & Gordonum, alióſque; à quibus ſi ſubtrahas ſeptem annos, quibus Joachin ſive Jechonias Babylone captivus fuit, pervenies ad annum tri-

Quando inceperint ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ?

(s) Jerem. 1. v. 1. & c. 25. v. 3.

(t) 4. Reg. c. ult. v. 27.

trigesimum septimum, Joakimi quartum, & Nabuchodonosoris primum: de hoc anno primo porrò testimonium insigne extat Berosi (u), quod *demandata* tunc à Nabuchodonosore sit *amicis cura captivorum Judæorum in Babyloniam traducendorum.* Plura de his videri possunt apud Usserium in Chronologiæ sacræ P. II. c. 1. apud Gordonum in opere Chronologico c. 13. ad Period. VI.

(u) Joseph. lib. 10 Antiq. c. 11.

§. VI.

Ætas sexta Mundi à Conflagratione templi, & urbis usque ad Christum natum comprehendit intervallum annorum 583.

1. ADminicula, quæ ordinandæ chronologiæ apta esse poterant, hactenus ex sacro codice deduximus; nunc eò delabimur, ut plura vestigia partim à profana, partim à sacra historia petere sit necesse. Vallemontius pro hac ætate ex *libris duobus Paralipomenon* eruit annos 52. usque ad annum M. 3468. ex libro 1. *Esdræ* à fine captivitatis Babylonicæ usque ad 20. annum Artaxerxis Longimani circiter 80. ex secundo *Esdræ* annos 31. usque ad initia Darii Nothi & annum M. 3581. Ab hoc tempore usque ad *Machabæos* sive ad Regnum *Antiochi Epiphanis* per annos 250. nihil reperitur in scriptura, unde aliis ex fontibus Scriptorum meritò petuntur. Quis enim adeò fidem humanam omnem abneget, ut cæteris mediis destitutus hanc amplecti nolit? simile silentium est post duos libros *Machabæorum* (qui complectuntur 40. annorum historiam) pari modo per annos circiter 130. supplendum.

Vallemontii computus pro sexta ætate.

2. Quoniam verò anni Monarchiarum tum in scriptura, tum in profanis Authoribus manifestiùs notantur; calculum ex his nostrum tantò libentiùs subducemus, quantò meliùs inde ad chronotaxin Monarchiæ Romanæ, cujus historiam suscipimus, veluti conceptâ serie transgrediemur. S. Augustinus Monarchias binas sive duo duntaxat summa in orbe Imperia commemorat, Assyriorum & Romanorum, quibus cætera Regna velut appendices appositas intelligit (x); prævaluit tamen ex Prophetæ Danielis c. 2. ac 7. Quaternus Veterum Monarchiarum numerus, *Chaldæorum, Persarum, Græcorum* & *Romanorum*, de quibus Severus Sulpitius hæc commentatur (y): „ viderat Rex (Nabuchodonosor) per soporem, imaginem capite aureo, pectore, brachiísque argenteis, ventre & femoribus æneis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinebat. Sed ferrum atque testa interconfusum coire non poterat; Ad extremum, imaginem lapis sinè manibus abscissus proterebat; redactáque in pulverem vento ablata: igitur secundum Prophetæ interpretationem imago visa figuram mundi gerit. *Caput aureum* CHALDÆORUM Imperium est; siquidem id primum, & opulentissimum fuisse accipimus. *Pectus*

Monarchiarum quaternus numerus.

(x) Lib. 18. de civ. Dei c. 2.

(y) Sev. Sulp. hist. Sec. l. 2.

ctus & brachia argentea secundum Regnum annuntiant; Cyrus enim, victis Chaldæis, atque Medis, Imperium ad PERSAS contulit. In *ventre æreo* tertium Regnum portendi pronuntiatur; ídque impletum videmus. Siquidem Alexander M. ereptum Persis Imperium MACEDONIÆ vindicavit. *Crura ferrea* Imperium quartum, ídque ROMANUM intelligitur præ omnibus antè Regnis validissimum. *Pedes partim ferrei, partim fictiles, dividendum* esse Romanum Regnum, ita ut nunquam inter se coëat, perfigurant .... in *lapide* verò *sinè manibus abscisso*, qui aurum, argentum, & ferrum comminuit, *Christi* figuram esse. Is enim non conditione humanâ editus (siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) mundum istum, in quo sunt Regna terrarum, in nihilum rediget, regnúmque aliud incorruptum, atque perpetuum *sive Ecclesiam* & demum futurum sæculum, quod Sanctis paratum est, confirmabit.„ *Mystica explicatio Monarchiarum.*

3. Atque ut sigillatim de singulis Monarchiis pauca delibemus; prima omnium & ordine, & splendore fuit Monarchia: quæ sæpè BABYLONICA dicitur, eoquòd Nemrodus Chami nepos Regiam suam sedem Babylone in Chaldææ Metropoli ad confluentem Tigridis, & Euphratis posuit (z). Vocatur & CHALDÆORUM; in regione enim Chaldææ Orientalis Reges Babylonici regnabant (a). Demum & ASSYRIORUM nomine venit hæc Monarchia ab Assur filio Semi, qui Regnum Assyriæ prius fundavit, & Monarchiam à Chaldæis ad Assyrios transtulit (b) vel ideo; quia Niniven Assyriæ Metropolim exstruxit, & Regum sedem Uti nomina, ita & res gestæ veterum Assyriæ Monarcharum obscuræ sunt, & multis fabulis permixtæ. Ortum regni præprimis tribuunt Nemrodo, qui 114 annis post diluvium author urbis Babel & ejusmodi Dominatûs esse dicitur. Interpositâ longâ serie Dynastarum, Ninus tandem circa annum Mundi 2737. Beli Assyrii filius Regnum Assyriæ in majorem orbis lucem produxit, Chaldæos & Assyrios sub unum Imperium cogendo: post Semiramidem reginam, Ninyamque filium, ac alios permultos minùs notos successores, in Sardanapalo rege effœminato, nova mutatio hujus Monarchiæ facta est anno 3257. Eo siquidem à præfectis obsesso & ad mortem adacto, Regnum Medorum Arbaces, & Belochus Regnum Babylonicum, Ninus junior Assyriacum sibi rapuerunt. Divisum hoc modo Imperium postea reparavit Asaraddon, filius Sennacherib, qui Babylonios denuò Assyriis subjecit anno M. 3323. Huic successerunt Saosduchinus sive *Nabuchodonosor in libro Judith* notatus: & post aliquot Monarchas, Nabuchodonosor II. (dictus Magnus) regnavit qui propriè *Leo* ille dici poterat (c), qui ossa populi Judaici (quæ Assyrii sub Salmanassare carne privaverunt) excidio urbis, & regni, translationéque populi comminuit. Floruit quoque idem Regnum sub Evilmerodacho & Balthasare: sed dum viribus, & potentiâ præstabat omnibus; à Dario Medorum, & Cyro Per- *Monarchia Assyriorum.* *Monarchia Persarum.*

(z) Genes. 10. v. 10. Daniel. 7. v. 1. Esaiæ 13. v. 19.
(a) Esdræ 5. v. 12.
(b) Mich. 5. v. 6.
(c) Dan. 7.

Persarum Rege destructum est anno M. 3468. numerant Monarchiæ annos à Nemrodo ad Cyrum 1698., à Belo Assyrio 731.

Monarchia Persarum. 4. MONARCHIA PERSARUM Primùm à Cyro suscepta est a. M. 3468. nam antea Darius Medus, qui simul Babylonem cum Cyro expugnaverat, pares quoque curas regni habebat; unde Monarchia hæc *Dan.*32. per *pectus argenteum* repræsentata fuit. Nam quemadmodum pectus duo continet brachia; ita quoque hoc Regnum Balthasaris Medis, atque Persis velut binis brachiis tunc divisum est (d). Sed mortuo Dario Cyrus solus Dominatum gerere cœpit (e), quod is Cambysi filio jure hæreditatis transcripsit: inde post Magorum intervallum, Principatus summus in Familiam Darii Hystaspis transiit: inque ejus Successoribus usque ad Darium Codomannum firmatus est. Dubitant Authores de Monarcharum Persicorum Numero: quidam quatuor nonnisi Reges agnoscunt ex eo (f), quod *Dan.c.*11.*v.*1.& 2. dicatur: *Ego in anno primo Darii Medi stabam, ut confortaretur; & roboraretur, & nunc veritatem annunciabo tibi: Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes, & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnia adversus Regnum Græciæ.* Sed quoniam hic ipse Rex quartus alius esse non potest, quam Xerxes Darii Histaspæi filius, ùt qui numeravit in exercitu suo contra Græcos conscripto *decies*, ùt ait Tirinus, vel *tricies* (ùt scribit Cornelius à Lapide) Centena armatorum millia: item navium decem millia, vel (ùt alii) decies centena millia; certè non tantùm quatuor, sed plures (ùt infrà exhibebitur) numerandi Reges veniunt; præsertim quia l. c. v.3. Subjungitur: *surget verò Rex fortis, & dominabitur potestate multâ, & faciet, quod placuerit ei, & cùm steterit, conteretur Regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cæli &c.* (g): Hìc non obscuris verbis ostenditur Regni Persici excidium, quod non in Xerxe, sed in Dario Codomanno concidit, ab Alexandro M. scilicet destructum; unde scriptura addit: *Lacerabitur Regnum ejus etiam in externos.* Stetit Monarchia Persarum ab a. M. 3468. ad a. M. 3674. adeóque annis 206.

(d) Daniel 5. v. 28.
(e) 1. Esd. 1.
(f) P. Calino in Trattenimento istorico Chron. l. 8. c. 2.
(g) Daniel c. 11. v. 3.

Monarchia Græcorum. 5. MONARCHIA GRÆCORUM cœpit in Alexandro Magno, postquam is ad Arbelam Darium devicerat A. M. 3674.; ante Christi natalem annum 326., ante æram Vulgarem 332. Magnus ille orbis Domitor, ac Rex Græciæ à Daniele repræsentatus est per *Cornu Magnum* in fronte *Hirci* (h) & per *Pardum alatum* (i), qui intra duodecim annos incredibili victoriarum celeritate orbem pervolaverat, de quo porrò incertum erat, utrùm Alexandrum vicisse orbem, an vincere aggressum esse admirabilius foret (k)? Duravit hic Monarchicus Græcorum Principatus annis sex & decem menses, his quippe evolutis Alexander primus & ultimus Monarcha vivere desiit anno ætatis 33. Funere elato militiæ Principes Imperium suâ operâ devictum in decem Provincias divisêre, quarum gubernatores à quatuor Præcipuis Principibus penderent, à PTELOMÆO, qui

(h) Daniel 8. v. 21.
(i) L. c. c. 7.
(k) Justinus Lib. 12.

qui acceperat *Ægyptum*: à SELEUCO, qui invaſerat Regnum *Babylonis*, & *Syriam*: à CASSANDRO, qui præfuit *Macedoniæ*, & *Græciæ*: ab ANTIGONO, cui in hac partitione Provinciarum Aſia minor ceſſerat. Regnum hoc quadruplex *Romani* armis valentiores per gradus & varias annorum periodos everterunt. Ac Primò *Aſiam minorem* cum Antiocho Magno ſubegit L. Scipio Proconſul, ab ea victoria *Aſiaticus* appellatus (l): *Macedonia* victo Perſeo, poſt annos 156. à morte Alexandri in manus Romanorum venit: *Syriam* victo Tigrane anno ducenteſimo ſexageſimo ab Alexandri exceſſu Pompejus adjecit: *Ægyptus* demum ab Auguſto Imperatore Romanorum Primo, Cleopatræ ac Antonii Victore, in Provinciæ Romanæ formam redacta eſt Anno M. 3974. Stetit itaque hæc Monarchia Græcorum annis 286.; ſi Monarchiæ Romanæ initium numeres ab eo anno, quo C. Octavianus mortuo Julio C. nomen *Cæſaris* accepit ſcilicet anno 3960: ſin verò calculum ineas ab anno 3977., quo à ſenatu Auguſtus appellatus eſt; conficies Græcæ Monarchiæ annos 303. ſi denique Monarchiam Romanam auſpiceris ab anno 3974, quo interiit Antonius cum Cleopatra; addes Græcæ Monarchiæ ſummam annorum 300.

(l) Juſtinus lib. 31. Livius l. 27.

6. MONARCHIA ROMANA à tenuibus Paſtorum initiis cœpta, in ſummam mundi potentiam per ſeptena ſæcula adolevit. Uti enim ante Babylone Chaldæorum, aut in Suſan, ac Ecbatanis Perſarum, ſive in multis Provinciis orientis tempore Græcorum ſupremus Dominatus admodum floruit; ita poſteà in Occidente Romæ Principatus orbis adeò amplificatus eſt, ut ſi Appiano, & Polybio fides ſit, priores Monarchiæ vix Mediam Romani Imperii partem poſſederint. Quod quidem altiori divinæ Providentiæ conſilio factum eſſe diſſerit S. Leo (m): „ut hujus, inquit inenarrabilis gratiæ (quam nempe Chriſtus in orbem attulit) per totum mundum diffunderetur effectus, *Romanum Regnum* divina providentia præparavit, cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum undique gentium vicina, & contigua eſſet Univerſitas. Diſpoſitio namque divinitus operi maximè congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, ut citò pervios haberet populos prædicatio Generalis, quos unius teneret regimen civitatis . . . . (ita futurum erat) ut Lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi Corpus effunderet. Cujus enim nationis homines ignorarent, quod Roma didiciſſet? ſed & felicior quædam Sors hanc urbem manebat: poſtquam ſæculis aliquot, omnibus fere gentibus Dominans, omnium ſerviiſſet erroribus, eò provehenda erat; ut Gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & Regia, pérque ſacram B. Petri ſedem Caput orbis effecta, latiùs præſideret Religione divinâ, quàm unquam præfuiſſet dominatione terrenâ: quamvis enim multis aucta Victoriis jus Imperii ſui terrà, maríque protulerit, minus tamen eſt, quod ei bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit.„

Monarchia Romana.

(m) Serm. 1. de nat. Apoſt. Petri & Pauli.

 Cæte-

Cæterùm res Romana triplici ſtatuum conditione ab Hiſtoricis diſcerni ſolet. *Primus* Regibus tribuitur, ex quo enim Roma anno M. 3252. fundata eſt à Romulo, eptem Reges continui per annos 243. Romæ imperârunt. *Inde* Alter ſtatus *Ariſto-democraticus* incepit a. U. C. 244. & C. mundi 3496. *ſub Conſulibus*, quorum Primi fuerunt L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus: annuus his Magiſtratus definitus erat. Conſulibus primùm anno 302. Decemviri per aliquot annos interpoſiti fuerunt, & deinde per plures annos Tribuni Militares; donec anno U.C. 387. Conſules in perpetuum reſtituerentur. Tertius ſtatus Romanorum fuit *Monarchicus* ſub Imperatoribus Auguſtis; inter quos Primus ſupremam orbis præfecturam arripuit C. Octavianus, poſtquam ad Actium, Epiri Promontorium, Antonium Regni Æmulum deviciſſet: Roma quippe tot motibus inteſtinis ac civilibus lacerata, neceſſitate quâdam rurſus ad Regii, & ſingularis Imperii conditionem recidit, quaſi ad primam, unde exordium ſumpſerat, infantiam revoluta (n). Cùm verò Imperii Romani amplior ætas ſit, nec niſi noviſſimis diebus divinâ vi abolenda; Hiſtorici ordini temporum conſulturi in quatuor partes, ſeu Periodos Monarchiæ Romanæ intervalla diſpeſcunt. *Prima Periodus* initium ſumit ab Auguſto Primo Romanorum Monarcha, profertúrque ad Conſtantinum M. Primum Chriſtianorum Imperatorum; *Altera* hiſtoriam continuat ad tempora Caroli Magni, ſive ad reſtaurationem Imperii occidentalis. *Tertia* faſtorum ſeriem ſiſtit in interregno Magno ante Rudolphi Habsburgici ortum. *Quarta* propiùs ad noſtram ætatem rerum geſtarum telam pertexit.

(n) Lactant. lib. 7. c. 15.

Tabula Chronologica Ætatis ſextæ.

Anni Mundi	*Ab anno* 1416. *usque ad annum Mundi* 4000. PARS MONARCHIÆ ASSYRIORUM.	*Anni Chronolog.*	*Menſes.*
3416 3417	NABUCHODONOSORIS vim contra Ægyptum, & varias Judæorum calamitates prædicit *Jeremias c.* 41-44. & *Ezechiel c.* 33.		
	Joſedech Pontifex Judæorum primus tempore captivitatis Babylonicæ 1. Paralip. 6. v. 15.		
3434	Nabuchodonoſor finitis expeditionibus bellicis, Babylone videt ſomnium de admirabili arbore, cujus interpretationem accipit à *Daniele c.* 14: ob jactantiam		
3435	mente alienatus, & à ſuis depulſus per ſeptennium vitam ferinam cum beſtiis agit. *Daniel. c.* 4.		
3442	Septennio elapſo reſtituitur Regno: moritur; poſtquam annis 43. ſolus, & cum Patre ad viceſimum circiter menſem regnaviſſet. - - -	26	8

EVIL-

Anni Mundi		Anni Chron.	M.
	EVILMERODACH filius regnavit annis duobus - -	2	-
3444	NERIGLISSOR. Parricida Evilmerodachi, regnavit annis *Berosus lib. 3. rerum chaldaic.*	4	-
3448	LABOROSOARCHODUS succedit Patri, & regnavit - *idem l. c.*	-	9
3449	BALTHASAR, quem Berosus *Nabonidum*, & Herodotus *Labinitum* vocat, huic *Ptolomæus* in Regum canone tribuit annos - - - - - -	17	-
3466	Rex Balthasar eâdem nocte, quâ cum suis proceribus celebrat convivium, à Cyro Babylonem invadente occiditur: Impletúmque est Dei judicium, quod immissa manus in tectorio parietis de numeratione annorum, Babylonico Imperio præfinitorum, descripserat. *Dan. c. 5.*		
	DARIUS MEDUS sive Cyaxares, Astyagis filius, beneficio Cyri accipit Regnum Chaldæorum, moritur; &		
3468	CYRUS *Monarchiâ* orientis potitur - -	1	7

Summa - 52



MONARCHIA PERSARUM.

Anni Mundi		Anni Chron.	M.
3468	CYRUS Judæis in universo Regno captivis in Patriam revertendi potestatem concedit, & reduces templum Deo Hierosolymis reædificare Jubet. *Esaiæ c. 44. & 45. Esdræ lib. 1. c. 1.*		
	Judæorum Dux erat Zorobabel, summus sacerdos Jesu vel Josue 1. Esd. 3. qui Pontificem egit annis 34.		
3475	Cyrus moritur septuagenarius, victus à Tomyri Massagetarum Regina post annos Monarchiæ Persicæ. - -	7 / 7	- / 2
	CAMBYSES à morte Patris regnat annis - - quinto anni Regni sui Persarum Imperium Ægypti accessione auget. *Herodotus lib. 3. c. 9. 10. &c.*	-	5
	OROPASTES magus personam assumens Smerdis filii Cyri, & fratris Cambysis Regnum usurpat mensibus occiditur fraude detectâ â septem Magnatibus conjuratis	-	7

Anni Mundi		Anni Chron	M.
3483	*Ab hoc Oropaste (quem Scriptura Artachshastitam vocat) Samaritani impetrârunt, ut Judæis interdiceretur* ædificare templum; unde cessatum est usque ad annum secundum Regni Darii 1. *Esdræ c.* 4.		
	DARIUS HYSTASPES unus ex septem Persis, Successor Regni deligitur; quòd ex conditione propositâ sub ortum solis ejus equus primus hinnitum edidisset: regnavit - - - - - - -	36	-
4495	*Fuit hic conjux Estheris, quæ Judaicum populum ab Amanis insidiis eripuit; sub hoc Monarcha (qui & Assuerus dicitur) templum restauratum est, urgentibus operas Aggæo & Zacharia.* Aggæi 1. v. 1. ad 15.		
3519	XERXES Patri succedit: bella gerit contra Græcos innumerabilem ducens exercitum *Herodot. lib.* 7. *à c.*26. *ad* 32; sed victus à Græcis, & tandem ab Artabano occisus est; postquam regnâsset annis - -	20	-
	Sub hoc Xerxe Joakim filius Josuæ pontifex fuit: sacerdotium summum habuit 41. *annis. Resa Dux Judæorum erat.*		
3531	ARTAXERXES LONGIMANUS Patre adhuc vivente, & parante secundam expeditionem in Græciam, putatur nunc cœpisse regnare cum Patre Xerxe juxta Legem Persarum, de qua *Herodot. lib.* 7. *c.*14.		
	Artabanus Parricida Xerxis usurpat Regnum - - *Diodor. lib.* 2.	-	7
3540	*Longimanus Solus* regnare cœpit A. M. 3540. Hic remisit Esdram in Jerusalem *Esdræ* 7. deditque diploma Esdræ anno Regni sui septimo ad Rempublicam Judaicam reformandam.		
3548	*Ab hoc anno quidam deducunt annos* 490. *Danielis vel septuaginta hebdomades; sive quòd judicent esse annum* 20. *Artaxerxis cum Patre regnantis; sive quòd dicant esse annum septimum Artaxerxis solùm regnantis, nam si solares annos numeres ab eo anno* 3548. *ad annum M.* 4034. *quo Christus mortuus est in cruce; complebis annos* 486. *& trimestre: adeòque ostenditur servatorem obiisse in medio ultimæ hebdomadæ. USSERIUS & VALLEMONTIUS hic meritò deseruntur, eoquòd mortem Christi desigant in anno M.* 4037. *vel* 4036., *unde hebdomadas numerare incipiunt ab anno M.* 3550. *vel* 3551.		

Alii

Anni Mundi		Anni Chron	M.
3560	*Alii hebdomades deducunt* ab anno 3560., *qui hunc annum designant esse Vigesimum Artaxerxis solùm regnantis: atque ut hæc sententia probabilis videatur; abbreviatas hebdomadas, & vel inde breviores annos lunares admittunt scilicet 472. cum aliquot diebus usque ad mortem Christi: quæ sententia coincidit cum opinione Gordoni, qui ab anno 3560. putat fluxisse 490. annos lunares, qui reducti ad solares faciunt 575.; adeòque desinerent in anno post mortem Christi, scilicet anno 4035: id enim, quòd in dimidio hebdomadæ debeat deficere hostia & sacrificium* Daniel 10. *ita exponit: per dimidium hebdomadis non intelligi annum quartum, sed ex duabus medietatibus ultimæ hebdomadæ signari posteriorem: ex his elige, quod vis; nulla enim sententia cum nostra chronotaxi pugnat.*		
	Artaxerxes moritur circa annum septimum belli Peloponesiaci *Thucyd. c.* 14. solus regnavit annis - -	40	-
3580	XERXES II. regnat - - - - - -	-	2
	Jojada Pontifex Judæorum 44. annis		
	SOGDIANUS regnat. - - - - - -	-	7
	Hi ambo regnum per vim invaserunt, (ut habet *Eusebius*)		
3581	DARIUS NOTHUS Longimani ex Pellice filius regnat annis - - - - - - - -	19	-
	ex Diod. Thucyd. Euseb. Beda.		
3600	ARTAXERXES ob memoriæ præstantiam dictus MNEMON regnat. (*Eusebius*) - - - - -	43	-
	Hyrcanus Dux Judæorum anni 31. (Philo. & Mercator.)		
	Jonathan Pontifex. 47. annis.		
	ARTAXERXES OCHUS filius prioris regnat annis	23	-
3643	*Joseph. Dux Judæorum annis 7. (Philo)*		
	Abner Dux annis 11.		
3666	ARSES Ochi filius regnavit - - - - -	3	-
3669	DARIUS Arsis filius, dictus CODOMANNUS tribus præliis ab Alexandro M. devictus, & Asiæ Regno spoliatus est: *primum* fuit non procul à Cyzico in Asia Minore: *secundum* ad Issum in Ciliciæ faucibus, *quo tempore Alexander Hierosolymam pergens; placatus est à Pontifice Jaddo & à Matathia Duce Judæorum, qui præfuit 12. annis, Josephus* lib. 11. c. 8. *tertium* ad Arbelam urbem Assyriæ: regnavit - -	6	-
	Summa -	206	6

Anni Mundi	MONARCHIA GRÆCA.	Chronologici.
3674	ALEXANDER MAGNUS anno septimo, ex quo Græciam rexerat, & anno *primo* suæ *Monarchiæ Babylonem* occupat, & mox mutat mores: anno *tertio*, Ægypto subactâ condit Alexandriam (*Curtius lib.* 5.): anno *quinto* vincit Regem Indorum *Porum*: anno *sexto* audit gentium omnium legationes, & moritur: regnavit igitur Monarcha annis - - - - - -	6
3680	*Mortem Alexandri sequitur Divisio Monarchiæ inter Principes, non sine magna discordia, quæ in duodecimum annum protracta est.*	
	Arideus Frater Alexandri præesse cœpit Macedonibus, a. M. 3681; *quod Regnum dein stetit adhuc annis* 158.; *his enim exactis, victo Perseo, Romani Macedonas jusserunt esse liberos.*	
	Antigonus dominatur in Asia ab anno M. 3687. *sed ejus filius Demetrius hoc Regnum Seleuco tradere cogitur.*	
	Ptolemæus regnavit in Ægypto, Seleucus in Babylonia & Syria.	
	De his duobus Regnis celebrioribus, nostram chronotaxin nunc proferemus.	



Anni Mundi	Regnum Ægypti.	Chronologici.
3682	PTOLEMÆUS Soter *Lagi* filius, primus post Alexandrum Rex Ægypti, regnat - - - - - -	41
	Cyrene, Phœniciâ, & Palæstinâ subactis, ingentem numerum Judæorum in Ægyptum deportat.	
3721	PTOLEMÆUS PHILADELPHUS petit ab Eleazaro anno Regni tertio, LXX. interpretes Scripturæ; & anno 14. finita	
3759	est Versio (*Eusebius*): regnavit - - - - -	38
	PTOLEMÆUS EVERGETUS post bella cum Seleuco	
3785	Callinico gesta à filio occiditur. - - - -	26
	Sub hoc exarsit bellum Punicum I.	
	PTOLEMÆUS PHILOPATOR per antiphrasin dictus, vincit Antiochum Magnum Regem Syriæ: regnat - -	
3802		17
	Tempore hoc floruit Hannibal in Hispania; capitur ab eo Saguntum, pugna ad Cannas. Bellum Punicum II.	

PTO-

Anni Mundi. | *Chronologici.*

3826 PTOLEMÆUS EPIPHANES F. regnat - - - 24
Bellum Macedonicum.

3861 PTOLEMÆUS PHILOMETOR F. regnat - - - 35
Bellum Syriacum à Romanis ſuſcipitur contra Antiochum M. Syriæ Regem. Qui tandem omni cis Taurum Aſiâ ab iisdem mulctatur: Macedones regibus quoque exuuntur hoc tempore.
Scipio Junior bello Punico tertio delet Carthaginem.

3861 PTOLEMÆUS EVERGETES II. *Phyſcon* dictus, regnat 29
3890 in Ægypto.
Circa annum M. 3871. *in Hiſpania finis impoſitus eſt bello Numantino.*
Tiberius Grachus legem tulit agrariam circa annum 3871, *annis ferè* 70. *ante Conſulatum Ciceronis: lege hâc cavebatur, ne civis ultra* 500. *jugera haberet.*

3907 PTOLEMÆUS LATHURUS filius Ptolemæi Evergetis regnat - - - - - - 17
Hoc regnante Cimbricum bellum, ſeu Teutonicum inchoatur a. U. C. 640.: *confectum eſt a.* 652. (Sigonius.)
Ao. M. 3893. *Jugurthinum bellum cœptum eſt* (Saluſtius.)
Cicero naſcitur a. 3898. U. C. 646.
Semina circa hoc tempus jacta ſunt belli Mithridatici, quod duravit annis 42.
Circa annum 3904. *naſcitur Julius Cæſar U. C.* 653. *menſe Julio.* (Dionyſius.)

PTOLEMÆUS ALEXANDER unà cum Matre Cleopa-
3916 tra regnat in Ægypto annis ferè decem. (*Euſeb.*) 10

PTOLEMÆUS LATHURUS, à Matre Cleopatra antea
3923 regno ejectus, nunc revocatus regnat iterum - - 7

3952 PTOLEMÆUS AULETES Pater Cleopatræ regnat - 29
Hoc regnante, fuit Sertorianum bellum a. U. C. 671. *Syllæ Dictatura.*
Bellum Mithridaticum: Pompeji triumphi, qui ideo Magnus dictus eſt.
Circa a. U. C. 695. *Cicero Romæ exulat, anno M.* 3947. *redit ab exilio ſive anno U. C.* 896. *vel* 697.
Bellum Parthicum incepit ſub Duce Craſſo anno 3949.

3953 PTOLEMÆUS DIONYSIUS ſuccedit Patri filius natu major, qui nupſit Sorori *Cleopatræ* ſecundum morem Ægyptiorum.

H *Pom-*

Anni Mundi		*Chronologici.*
3956	*Pompejus* post pugnam Pharsalicam fugit in Ægyptum; hoc occiso	
3957	*J. Cæsar* hostilibus copiis instat: confligit cum Dionysio Ptolemæo, qui in fuga occubuit; postquam regnaverat - - - - - - - -	4
3058	*Julius Cæsar* Regnum donat Cleopatræ, quæ alteri fratri scilicet JUNIORI PTOLEMÆO nupsit: hic ex veneno interiit post intervallum quatuor annorum; Eodem	
3962	ferè tempore, quo J. Cæsar occisus est Romæ.	4
	CLEOPATRA ultima Ægypti Regina sola regnat.	
3969	*Antonius*, qui cum Augusto prope Philippos Parricidas Julii vicerat, capitur amore Cleopatræ: huic donat Phœniciam, Syriam inferiorem, Cyprum, Ciliciam, Arabiam & partem Judææ.	
3971	Antonius in Ægypto cum Cleopatra vivit.	
3972	Præparat *Augustus* bellum contra Antonium; ne porrò Imperium Cleopatræ vendat:	
3973	Actiaca Victoria Augusti Octaviani contra Antonium, qui in Ægyptum se proripit fugâ.	
3974	Idem Antonius se interficit: & CLEOPATRA ictu aspidis perit; quæ regnavit cum duobus fratribus annis octo, & sola duodecim annis: moritur anno ætatis 38.	12

Summa - 293

His adde annos Alexandri - - - 6
Ex redundantibus mensibus annum - - 1

Summa - 300

FINIS REGNI ÆGYPTIACI.

Regnum

Regnum Seleucidarum.

Anni Mundi — *Chronologici.*

POst Alexandri mortem Principes de divisione regnorum contendunt per annos - - - - 12

3692 SELEUCUS NICANOR anno 3692. regnare cœpit in Syria & Babylone: ab hoc anno incipit *Æra Seleucidarum*, unde Author libri 1. Machabæorum, & Josephus *Græcorum annos* numerant, regnavit annis - - 30

Sub hoc Duces Judæorum fuêre Hassajeb, Maslot, Amos, Sirach.

3724 ANTIOCHUS SOTER Filius Seleuci dictus *Salvator*, quia Asiam incursu Gallorum liberaverat; ædificavit Antiochiam Parthorum & Apameam Phrygiæ: mortuus est Ephesi; postquam regnaverat annis - - - 20

Sub Primis his duobus regibus totus ferè Oriens Syriæ suberat. Dux Judæorum erat Matathias & Joseph Junior.

3742 ANTIOCHUS THEOS filius Antiochi Soteris regnavit annis - - - - - - 15

4754 SELEUCUS II. CALLINICUS, ita nominatus; quia de fratre Antiocho grandem victoriam retulerat; ex equo lapsus obiit; postquam regnaverat - - - - 20

3777 SELEUCUS III. *Ceraunus* ab Hieronymo appellatur, quia in modum fulguris exercitum antecedebat; periit veneno post annos regni - - - - 3

3780 ANTIOCHUS III. sive MAGNUS successit fratri Seleuco: gessit bella cum Ptolemæo rege Ægypti, & cum Romanis: regnavit annis - - - - 37

3817 SELEUCUS IV. *Philopator* filius Antiochi, de quo loquitur liber II. Machabæorum c. 3., quòd de redditibus suis præstiterit omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes; sub finem regni misit Heliodorum ad tollendos Thesauros templi Hierosolymitani: regnavit - 11

3828 ANTIOCHUS IV. *Epiphanes* sive illustris regnare cœpit anno 137. ab ærâ Seleucidarum. 1. *Machab. c.* 1.

Anno primo regni, exauctorato Onia Summo & Sancto Pontifice, impium Jasonem, fratrem ejus, illi substituit 2. *Mach.* 4.

Anno quinto regni Jasoni surrogat Menelaum.

Anni Mundi		Chronologici
	Anno septimo regni Epiphanes à Romanis jam potentibus jubetur excedere Ægypto, quam jam occupaverat: unde Hierosolymam redux omnem crudelitatem in Judæos expromit; à Daniele ideo vocatus *cornu modicum* Dan. 8. & *despectus* Dan.11. Triduo solo interfecit 80. millia Judæorum, vendidit 40. millia & totidem in carceres abripuit 2. *Mach.* 5.; deinde per Apollonium & Philippum eandem lanienam repetit: polluit templum Hierosolymitanum collocatâ in altari statuâ Jovis Olympii, quo tempore Eleazarus & septem fratres Machabæi Martyrio affecti sunt.	
	Anno regni 9no Tyranno se opponit Matathias 1. *Mach.* 2., quo post aliquot menses defuncto, filius ejus Judas arma sumit, prosternítque Apollonium, & Seranem belliduces.	
	Anno undecimo & duodecimo Gorgias, & Lysias à Judæis vincuntur, & templum repurgatur. Antiochus è fœdissimo morbo decessit post annos regni - -	12
3840	ANTIOCHUS V. *Eupator* succedit Patri, & post varia bella cum Judæis gesta occisus est; Postquam regnavit -	2
3842	DEMETRIUS I. *Soter* filius Seleuci IV. regnavit - -	11
	Ejus anno secundo Judas Machabæus occiditur à Bachide & Demetrio Ducibus Demetrii 1. *Mach.* 9.	
	ALEXANDER I. *Balas* facto cum Judæis fœdere vincit Demetrium; ipse autem regnare pergit per annos - -	5
	Hic Jonathæ dedit Pontificatum.	
3858	DEMETRIUS II. filius *Soteris* occiso Alexandro regnat annis - - - - -	2
	Postea ab Arsace rege Persidis capitur, 1. *Mach. c.* 14.	
	Jonathas dux Machabæorum mittit Demetrio II. auxilia: sed ab hoc offensus Jonathas unà cum Tryphone Antiochum Alexandri filium in solium sublevat: Jonathas à Tryphone per proditionem captus, cum filiis occiditur; interficitur quoque Antiochus, 1. *Mach. c.* 12. & 13: tandem & Trypho tanquam Usurpator regni ab Antiocho Sedete trucidatur. (Josephus lib. 13. antiq. c.8.) - -	6

ANTIO-

Anni Mundi		Chronologici.
3866	ANTIOCHUS SEDETES frater Demetrii II. oblatum sibi à Cleopatra fratris Uxore Regnum, & conjugium capessit; postquam Tryphonem occiderat: fœdus cum Simone Judæ Machabæi fratre iniit, & rupit 1. *Mach.* 15. pòst interemptus à fratre; cùm regnâsset - - -	7
3873	DEMETRIUS II. *Nicanor* à captivitate Persarum dimissus interfecto fratre Antiocho, recuperat Regnum: regnat -	3
3877	ALEXANDER II. *Zebenna* à Ptolemæo Physcone rege Ægypti, occiso Nicanore, in Regnum intruditur: sed & ipse interficitur à Grypho post annos regni - - -	2
3878	ANTIOCHUS *Gryphus* Demetrii filius regnat annis - -	12
3890	ANTIOCHUS *Cyzicenus* filius Antiochi Sedetis regnavit -	17
	Sub hoc Rege Syriæ ARISTOBULUS filius Joannis Hyrcani & primus Rex Judæorum post captivitatem regnat anno uno: cui succedit Jannæus seu ALEXANDER frater Aristobuli, & regnavit annis 27. cùm enim potentia Seleucidarum paulatim interiret; Hyrcanus primò eâ opportunitate usus, Idumæos subegit, & fines Judæorum protulit, cui deinde duo prædicti filii in Principatu, & Pontificatu successerunt: Postremus ALEXANDER Jannæus duos reliquit filios, HYRCANUM, & ARISTOBULUM, qui inter se de regno usque ad ætatem Herodis contenderunt.	
3907	SELEUCUS *Gryphi filius* regnat circiter - - -	3
3909	ANTIOCHUS *Eusebes* Cyziceni filius post breve regni tempus superatur à Philippo, & Demetrio Gryphi filiis.	
3911	PHILIPPUS primùm unâ cum fratre, dein solus Regnum administrat: his impensi anni - - - -	6
3917	ANTIOCHUS XII. Dionysius - - - - -	4
3920	TIGRANES Rex Armeniæ (petentibus Syris ob Fratrum Demetrii & Philippi discordiam) fit Rex Syriæ: regnat annis - - - - - -	14
3935	ANTIOCHUS ASIATICUS Eusebis filius, dum Tigranem & Mithridatem Lucullus Romanus persequitur; Syriam recipit, & permittente Lucullo obtinet annis ferè - - - - - -	6

Anni Mundi		Chronologici.
	Quibus exactis Pompejus Multarum gentium in Oriente victor, & Lucullo infensus Antiocho adimit Regnum, Tigranem capit, & Syriam in Provinciam Romanam redigit.	
	Regnante Tigrane Alexandra, vidua Alexandri Jannæi, regnavit annis novem; post cujus excessum tribus mensibus regnat Hyrcanus natu major filius sed dein ab Aristobulo fratre oppugnatus per 5. annos usque ad captum templum, quando Hyrcano Pompejus confirmavit Pontificatum, & Aristobulum, vinctum Romam misit. - - - -	5
3946	ARISTOBULUS frater Hyrcani Româ cum filio fugiens, Judæam sibi vendicat, sed bello à Gabinio Romano præside victus, & vinctus cum filio denuò Romam mittitur -	3
	Idem Româ à Julio Cæsare dimissus ad oppugnandum Pompejum, veneno necatur, & *Alexander* filius securi percutitur à Pompejanis post annos - - -	8
3957	ANTIPATER, qui cæsari adfuerat in bello Alexandrino, jubente Hyrcano Judææ Procurator constituitur.	
3963	*Herodes* & *Psellum* filii Antipatri ab Antonio creantur Tetrarchæ - - - - - -	7
3964	ANTIGONUS Aristobuli filius Parthorum auxilio extorquet Regnum Hyrcano, qui proinde captivus abducitur: Antigonus regnat - - - - - -	3
3965	*Herodes Antipatri filius Romæ Rex creatur Judæorum, anno U. C. 714., finiente anno M. 3965. unde Herodis anni numerantur 37.*	
3967	HERODES anno tertio, ex quo Romæ creatus est Rex, obsidet Hierusalem, & quinto demum mense expugnat: occiditur Antigonus.	
	Inde numerantur anni 35. Herodis regnantis.	
	Ad initium Monarchiæ Romanæ anni - - -	7

Summa - 293

Adde annos Alexandri - - - - 6

Ex redundantibus mensibus annum - 1

Summa - 300

MO-

MONARCHIA ROMANA,
USQUE AD ANNUM NATALEM CHRISTI.

Anni Mundi	Chronologici.
3974	CÆSAR OCTAVIANUS vincit Antonium, & Cleopatram Ægypti Reginam, anno U. C. 723. Anno Juliano 15.
	Anno Herodis 10. ab renuntiatione ejus in Regem: ab adita possessione regni 7.; cùm Octavianus tertiò Consulatum gereret.
3975	*Idem* Cæsar, & MONARCHA post mortem Antonii & Cleopatræ Herodem sibi propè Rhodum occurrentem in Regno confirmat anno Imperii *Monarchici* primo.
3978	C. Octavianus *Augustus* appellatur; inde *Æra Augustorum* anno Imperii Monarchici quarto.
	Peracto bello Cantabrico in Hispania secundâ vice Janum claudit Augustus, anno Imperii sexto
3982	Augustus tribunitiam accipit potestatem 27. Julii: moritur Agrippa Augusti gener anno Imperii octavo.
3998	Censum, & descriptionem orbis instituit Augustus circa annum Imperii vigesimum quartum.
4000	NATIVITAS JESU CHRISTI SERVATORIS anno Augusti vigesimo sexto.

His impensi sunt anni - - - - 26

Summa annorum hujus ætatis - - - -


Anni Monarch. Assyr. - - - - - -	52
Monarch. Persic. - - - - - -	206
Monarch. Græc. - - - - - -	300
Monarch. Rom. - - - - - -	26
	584*

* *ultimus non est completus.*


† In Syntagmate noſtro ſex priorum mundi ætatum, quantum licuit, adhæſimus Syſtemati Uſſerii peritiſſimi chronologi; cujus numerandi modus per numeros minùs integros ſi minùs placeat; breviùs Summæ ætatum ad plenos numeros revocari hoc modo poterunt:

I.	A Mundi Primordio ad diluvii finem	- -	1656
II. hinc	Ad initium peregrinationis Hebræorum	-	427
III.	Ad exitum Hebræorum ex Ægypto	- -	430
VI.	Ad jacta fundamenta templi Salomonis	-	480
V.	Ad ejusdem templi conflagrationem	- -	424
VI.	indo ad Natalem annum Chriſti	- - -	583
		Summa -	4000

Atque hæc Chronologiæ Principia Candidato, Hiſtoriam noſtram Imperii Romani adituro, præmonſtrâſſe ſufficiat.



LIBER



LIBER I.
ROMANÆ MONARCHIÆ ET ECCLESIÆ CHRISTIANÆ EXORDIA.

CAPUT I.

STATUS IMPERII ROMANI, REGNORUM, AC PROVINCIARUM,

Sub duodecim Primis Imperatoribus, ab Augusto Primo Romanorum Monarcha usque ad tempora Trajani Regnantis.

§. I. *Augusti Victoria Actiaca, Imperii aditus, nova Monarchiæ forma, Census Provinciarum, Cantabrorum bellum confectum, subjugati Rhæti, debellati Pannones, Variana clades in Germania, Tiberii Proconsulare Imperium: Mors Augusti.*

An. U. C. DCCXXIII. Juliano 15. Ante Æram Christi 31.

1. POstquam ad Actium debellatum est (*1.), Summam rerum C. Octavius Cæsar accepit: supremus hic Dominatus seu merces fuerit condigna victoriæ (a), sive urbs discordiis civilibus fessa in hanc Regni conditionem ultrò concesserit; certè exteris Provinciis legum auxilio penè exutis ejusmodi status expetendus erat, ut unius potiùs potestati, quàm multorum vi subjicerentur (b).

(a) Dio lib. 50.

(b) Tacitus Annal. lib. 1. sub init.

(*1.) *Xiphilinus* in epitome Dionis lib. 50: *Cæsar superior fuit eo prælio navali ad quartum Nonas Septembris confecto, quem diem, etsi mihi mos non est ita faciendi; tamen propterea notavi, quòd eo die penes unum Cæsarem summa rerum esse cœpit, ut ex eo anno Principatus ejus numeretur.* De Bello Actiaco tractant *Vellejus Paterculus* lib. 2. c. 84. *Strabo* lib. 7. pag. 325. *Dio* lib. 50. *Virgilius* lib. Æneid. 8. *Ovidius* Metamorph. lib. 15. *Horatius* Epod. 9. ad Mecænatem.

2. C. Octavius natus est Patre ejusdem nominis, Viro Prætorio (*2.), Matre Actiâ nepte Julii Cæsaris Dictatoris (*3.), cujus nomen, opes, ac robur animi hic adoptatus hæres ità in se transtulit (c); ut Avunculum suum magnum nepos Octavius majore fortunâ superaret: Julio enim Reipublicæ Principatum adire (*4.); Augusto autem eundem possidere per quadraginta quatuor annorum ætatem concessum fuit (*5.).

(c) Sueton. in Augusto.

3. Ex.

(*2.) *Suetonius* in Augusto §. 2. ait: Patrem Octavii fuisse equestris, & Senatorii ordinis, *idem* §. 4. & 5. Augusti Genethliacum describit fusiûs, demum §. 94. refert, Octavium Augustum stemma suum Vulgâsse, nummúmque argenteum notâ sideris *Capricorni* (sub quo natus erat) percussisse: de quo celebri numismate vide *Landam de Selectioribus Numismat.* pag. 37.

(*3.) Ex Suetonio. l. c. patet matrem Augusti fuisse Actiam Juliam, filiam Juliæ Sororis Julii Cæsaris:

C. Julius Cæsar.
- C. Julius Cæsar dictator.
- Julia *nupta Actio Balbo.*
  - Actia Julia *conjux Octavii.*
    - C. Octavius Cæsar Augustus.
    - Octavia *Soror.*

(*4. Dubitatum est à pluribus, an Julius, an verò Augustus Romanæ Monarchiæ Author dici debeat? *Justinianus* Nov. 47. præf. utrique id videtur tribuere. *Æneas*, ait, *Trojanus Rex Princeps Reipublicæ . . . . deinde Regna Constituerunt Romulus & Numa, tandem auspicati sunt Imperium Cæsar, & Augustus.* Quod in sensu APPIANI verum esse potest, qui lib. 2. B. C. sic ait: *Adoptivus* (Julii) *filius Octavius, mutato nomine, Cæsar, postquam ad rerum administrationem accessit per illius Vestigia, Principatum hunc, hodiéque manentem, cujus fundamenta jecerat, confirmavit, auxitque, hinc Consummatæ Monarchiæ initia* XIPHILINUS tribuit Octavio pag. 61., & AURELIUS VICTOR c. 1. *anno Urbis septingentesimo ferè, vicesimóque secundo, etiam mos Romæ incessit, uni prorsus parendi.* Demum TACITUS lib. 1. Ann. de Augusto loquitur: *qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub Imperium accepit.*

(*5.) Alterum dubium est, quot annis regnârit *Augustus*? in modô computandi quia non conveniunt Chronologi, hinc nec in annorum summa consentiunt; aliqui enim (ut Pagius) Augusto tribuunt 57. annos; sed hi Regnum ejus supputare incipiunt à cæde *Julii Cæsaris*, quæ cùm contigerit anno 2. Juliano: mortuus autem sit anno Juliano 59.; subtractis duobus annis habebis 57. Alii numerant à Consulatu VII. *Augusti*, sive ab anno Juliano 19., quia tunc quasi sponte oblatum à senatu accepit Imperium; & hi quadraginta annos *Augusto* tribuant necesse est. Alii numerant ab anno Juliano 15. quo ad Actium devicerat *Augustus Antonium.* Alii ab anno Juliano 16., quibus annis 15. aut 16. ab anno Juliano 59. subtractis, habebis annos 44. completos, aut incompletos; quos ei SUETONIUS tribuit §. 8.

3. Extinctis Antonio & Cleopatrâ (*6.), ac Ægypto in Provinciam redactâ (*7.) C. Octavius Cæsar in urbem regressus, tridui spatio de cæsis hostibus triumphum peregit (*8.), cujus geminum monumentum, ídque perpetuum esse voluit, tum in ara victoriæ, quam in curia dedicabat (*9.), tum in Actiacis ludis, qui quinto quoque anno celebrandi palàm posteris faciebant: uti olim Regni Romani, ac Reipublicæ; sic quoque Monarchiæ postremæ initia à Religionis cujusdam modulo, & rerum gestarum gloriâ extitisse (*10.).

A. U. C. 724. Ante Ch. 30. Jul. 16.

Monarchiæ initia.

4. Sed quoniam in magnis molitionibus cœpisse feliciter, casûs sæpe brevis est, atque fortunæ: cœpta autem ad perpetuitatem operis stabilire, prudentiæ, & maximæ artis; à C. Octavio sapienter eò omnis cura conversa fuit, ut exemptâ ex animis dulcedine pristinæ libertatis, imaginem, ac formam novi Dominatûs omnes amarent, vel cùm quidam vellent, odisse non possent: ex consilio quippe Mecænatis amicissimi, juxtà ac providentissimi viri (d) militem donis, populum annonâ pellicere, nobiles, prout quisque servitio promptior erat, augere honoribus, Provincias spe pa-

(d) Dio lib. 52. p. 464. & 473.

(*6.) DIO lib. 51. pag. 450. FLORUS lib. 4. c. 11. Antonii, & Cleopatræ geminum funus describunt: & illum vi sibi illatâ, hanc morsu aspidis periisse ajunt anno regni sui 22; quod à morte Alexandri 294. annis duraverat, uti Ptolemæus notavit in lib. 3. *Magnæ Syntaxis*: Ægyptii, qui ex eo tempore in ditionem Romanorum venerunt, *Annos Augustorum* numerant, ùt habet CENSORINUS c. 21. *libell. de die Natali.*

(*7.) Augustus devictâ Ægypto auream monetam cudi curavit, in qua expressa fuit imago Crocodili catenâ ferreâ Palmæ alligati, cum hac inscriptione: *Colligavit nemo*, indicans, neminem ante ipsum, Ægyptum domare potuisse. V. *Spanh. Diss. 4. pag. 176.*

(*8.) OROSIUS lib. 6. c. 20. refert Augustum, cùm V. Consul esset, triumphâsse octavo Idus Januarias. MACROBIUS melius id ait factum esse mense Sextili, quia tunc modò Romam venerat, ut ait Usserius. *Primâ die* de Pannoniis, Dalmatis, Japydis, ac Gallis triumphavit, *2dâ die* de Actiaca Naumachia. *3tiâ* de Ægypto, in hoc postremo triumpho Cleopatræ imago (cum aspide mordicùs brachio affixâ) in lecto portabatur, liberíque illius & Antonii inter Captivos ducti sunt, ita Plutarchus in Antonio. Dio lib. 51. pag. 459.

(*9.) CC. Augusto V. & Sex. Apulejo v. Kal. Sept. anno Juliano 17. U. C. 725. *ara Victoriæ* dedicata est, ut habet Gruterus pag. 133. Hæc eadem *ara* deinceps multorum dissidiorum inter Ethnicos, & Christianos ansam dedit, de quibus Baron. a. 356. n. CXVI. S. Ambrosii pugnam hâc super re contra Symmachum infrà dabimus. v. *Pagium* in Apparatu fol. 26. *Usserium* pag. 548.

(*10.) Ludos Actiacos propter Actiacam Victoriam decretos Cæsar cum Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros, & Viros Patricios peregit anno Juliano 18.: posteà singulis Olympiadibus indicti sunt, & cura eorum commissa est Pontificibus, Auguribus, Septemviris, & Quindecimviris. DIO lib. 53. pag. 496.

(e) Tacit. lib. 1. Ann. sub init.

cis, atque exoptatissimi otii delinire instituit (e); cujus omen ab eodem Cæsare repentè datum est, cùm toto orbe pacato post conditam urbem tertiò templum Jani clauderetur (* 11.).

A. U. C. 727. Ante Ch. 27. Jul. 19.

5. Prehendenti jam fasces Octavio obscurum non erat, inter Reges, qui suâ vi capiunt imperia, & inter eos, qui ad gubernacula expetuntur, id discriminis esse, ut illi ad modicum tempus subditorum corporibus, hi etiam animis cum diuturnitate quâdam dominentur: itaque primùm maximè connitebatur, ut populo fidem faceret, Imperium non tam à se sponte susceptum, quàm necessitate quâdam sibi impositum fuisse; deinde Anno U.C. DCCXXVII. cùm septimum Consulatum gereret, in senatum progressus, paratâ ad tempus oratione è re sua fore testatur; siquidem fasces multitudine hostium antè discerptos, nunc denuò integros Patribus Conscriptis restituat: liceret proinde sibi, precabatur, in cunctorum cura reponere, quod gravatis humeris pro amplitudine reipublicæ aliquo, at sat difficili tempore sustentâsset (f). Senatores contrà, quòd eum rogari velle adverterent, aut insidias in hoc simulandi studio timerent; precantem multò prolixioribus votis urgebant, ut Imperium, quod plurium discordes animi perdidissent, unus ipse servâsset, suo deinceps consilio, ac solus fulcire pergeret (g). Cæsar veluti populari obsecratione victus ne tum quidem à modestiæ artificio destitit, pollicitus etiam largiùs publicam rem sibi eâ ex lege cordi fore; ut Senatorum Collegium suam quoque manum tot, támque amplis Provinciis impensam vellet: haberet tamen terrarum spatia bellicis motibus minùs obnoxia, sive optimis, ùt ajebat, Imperii partibus perfrueretur (* 12.), se laboribus, atque periculis objectum iri; dum proximo decennio quasdam Provincias (* 13.) in ordinem redigat, quæ aut hostes accolas haberent, aut ex

Nova Imperii forma.

(f) Dio lib. 53. p. 497.

(g) Idem p. 502. & 503.

(* 11.) TILLEMONT. Tom I. Hist. Profanæ Part. I. fol. 6. advertit, etiam Clauso Jani templo quasdam turbas in Gallia, & Hispania fuisse; sed has minoris habitas esse in tanta amplitudine Imperii, nec communi paci obfuisse.

(* 12.) De divisione Provinciarum agit DIO pag. 503. ubi Senatui relictas esse, ait, *Africam, Numidiam, Asiam, & cum Epiro Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Cretam, Lybiam, Cyrenaicam, Bithyniam cum Ponto finitima, Sardiniam, atque Hispaniam Bæticam*, ab his enim inermibus Provinciis non erat, cur Cæsar metueret.

(* 13.) Tacit. annal. I. c. 256. refert Cæsarem sibi reservâsse, *Tarragonam, & Lusitaniam, Galliam omnem & Germaniam, item Cœlesyriam, Phœnicen, Ciliciam, Cyprum*

ex militum feroci levitate, ac Gentium turbulentâ opulentiâ (*14.) plus discriminis ostenderent. Hoc beneficii genere ad speciem singulari à Senatu ad se copias, & arma transtulit; ac ne quis libertatem accisam crederet, summam potestatem nonnisi decennalibus induciis pactus est (*15.). Beneficentissimo igitur (ùt plebs opinabatur) Patriæ Patri pro corporis custodia Prætorianorum præsidium primùm à Senatu decernitur (*16.): dein Imperator majore cum potestate (* 17.) atque Augustus (†) appellabatur. Hoc instituto C. Octavius Regis, aut Dictatoris invisum nomen cautiùs declinans, Regium ubique Principatum exercebat; sive cùm Præsides, quos vellet, Provinciis imponeret (†), aut in se unum traheret legum abolendarum, ferendarúmve munia: sive cùm solus cuncta belli, pacísque negotia ex suo arbitrio eum in modum definiret, ut Prisci moris nihil, nihil antiqui juris præter nuda Magistratuum vocabula relinqueretur (†).

(†) Reflexio I.

(†) Reflexio II.

(†) Reflexio III.

A. U. C. 728.

Ante Ch. 26.

Jul. 20.

6. Rebus Romæ in novam hanc formam compositis, Augustus ad exteras Provincias abiit: optimum illic factu Cæsari visum est, si quando regiones in certos limites digestas censui subjiceret; quò de terrarum viribus, ac opibus constaret (h). Gal-

(h) Tacitus Annal. lib. 1. init.

prum & Ægyptum, quibus addi possunt Mauritania, Asia minor, Palæstina, & quædam partes *Syriæ* Euphrati propiores: nam omnes hæ regiones abundabant vel milite, vel ære.

(*14.) Gentium ditissima erat Ægyptus; nam teste Aurelio Victore, Augustus ei devictæ tributum imposuit 200000. modiorum frumenti, hoc est, quater decies ferè centena millia modiorum Lipsiensium: modius autem Lipsiensis pendit 200. libras, quibus si singulis diebus, singulis hominibus detur libra panis, poterant annuo spatio Romæ sustentari plus quàm 700000: itaque cautè Cæsar lege edixit, ne quis Senatorum in hanc Provinciam exiret, nisi factâ copiâ per Cæsarem, ùt ait DIO lib. 53. pag. 503. hæc lex adhuc viguit inde post 250. annos. v. TILLEMONT. Tom I. Part. I. pag. 5.

(*15.) Idem TILLEMONTIUS l. c. notat, Cæsares sibi primùm in quinquennium, aut decennium potestatem à senatu expetiisse, ut libertatis umbram relinquerent; postea tamen à Cæsaribus hanc petitionem neglectam fuisse, eoquòd Imperatores sua decennalia ita celebrabant, ut potiùs solennitas renovati regni videretur.

(*16.) Prætorianos, qui deinceps summam in Cæsares, ac in Rempublicam vim edidêre, Constantinus Imperator omnino abrogavit Anno C. 312. v. TILLEMONT. l. c. a. 2. pag. 7.

(*17.) DIO lib. 52. pag. 493.: in *Quinto Consulatu suo Imperatoris nomen Cæsar accepit; non quale propter Victoriam more vetusto solebat (id enim sæpius & anteà, & postmodo ex ipsis actionibus reportavit) sed quo summa Imperii demonstraretur.* Cæterùm solennitas quædam erat usitata, ut quoties Cæsar singulari Victoriâ potiretur, toties adjecto numero Imperator diceretur. Sic in Numismatis legitur. Imperator secundùm, III. VII. &c.

liam omnium primam in partes quasdam divisam (* 18.) censuit; verùm grande opus molientem Principem seditio apud Cantabros & Astures suborta in Hispaniam confestim evocat: Gentes illæ, libertatis recuperandæ avidiores, in quintum postea annum bellum hoc Cæsari moverunt majore molestiâ, quàm periculo: per alternas enim vices ita gliscebat malum; ut parte aliquâ belli restinctâ, alibi pertinaciùs incendium arderet. Augustus lento bellandi genere omnino fessus, cùm populum licentiùs ferocem domare non posset, extinxit (i). Eodem tempore Salassorum gens barbara Alpinos montes tumultuariis motibus implevit: re ad Augustum perlatâ, Varro submittitur, qui rabiem furentis plebeculæ comprimeret, neque arduum peritissimo Duci negotium fuit, seditiosos & rerum novarum cupidos sub jugum Romanorum revocare. Parta hæc victoria vicinos quosque adeò exterruit, ut populi ampliùs quadraginta ab eo tempore in servitutem Augusti ultrò concesserint. Triumphi vice arcus, devictarum gentium nominibus consignatus, in Alpium jugis Cæsari victori positus est (k); cui glorioso trophæo hoc multò insignius monumentum accessit, quòd Jani templum idem Princeps jam secundùm obseraret (l).

Primus Census Augusti.

(i) Oros. lib. 6. c. 22. Sueton. lib. 2. c. 26.

Victoria Augusti.

(k) Plin. lib. 3. c. 20.

(l) Dio lib. 53. Sueton. lib. 2. c. 22.

7. Restitutâ pace non minùs, quàm antea bello Imperium amplificatum est; nam & Indi, & Scythæ, ac ignotorum nominum Barbari, legationibus, officiísque Augusti fœdera expetebant (m): nec jam insolens erat Regibus fiduciario titulo sua regna à Cæsare accipere (n); neque alienum à Regnis cæteroquin liberis jam Romæ pendere tributa, aut planè defunctis eorum Toparchis in Romanas Provincias cooptari: hunc in modum eâdem ætate Gallacia,

Legationes ad August.

(m) Hieronym. Chronic.

(n) Dio lib. 53. p. 514.

(* 18.) Julius Cæsar victam Galliam jam in partes diviserat, sed quia illa descriptio minùs apta videbatur; Augustus aliam suscepit, quæ deinde quingentis annis observata est ùt habet BUCHERIUS lib. 1. *Belgii Romani.* AQUITANIAM amplificatam in *Primam* & *secundam* distinxit, queis *tertiam* adjecit Aquitaniam *Novempalaniam*: similiter CELTICAM duabus partibus dispertitam voluit: *prima* erat sub capite Lugduno, & *secunda* in occasum vergens sub capite Rothomago; Belgicam Galliam demum trifariam divisit, pars prima *Belgica* nomine veniebat, *orientalior pars* Rhenóque contigua, Germania appellabatur, vel *Superior* aut *Prima*, quæ Italiæ, aut Romæ ratione sitûs magis propinquabat. *Inferior* & *secunda*, quæ à fluxu Rheni sic dicebatur, & quia longiùs ab Alpibus aberat. His porrò divisis terris leges Romanas Augustus dedit, municipales etiam fortè nonnullas reliquit, aut correxit. Vide hæc fusiùs tractata apud *Bucherium* l. c. capite 11. & 12.

lacia, Lycaonia, Biſcaja Imperio acceſſerunt (o): Romana Urbs novis ædificiis, ac præcipuè Pantheo (*19.) illuſtrata, Hiſpania recentioribus aucta coloniis (*20.), Gallia adverſus Sicambrorum aſſultus caſtellis limitaneis, quæ ab Auguſto nomen habuerunt, communita (*21.); demum Britannia vectigalis facta eſt, nequaquam tamen ſubacta, ne Romanas legiones, illuc pro præſidio mittendas, toto mari dividere neceſſe foret (p). (o) Ibid. *Res geſtæ in Provinciis.* (p) Strabo lib. 2.

8. Creſcente ad Oceanum, Rhenum, Danubium, Euphratem atque Atlantem Imperio, (†) Auguſtus tribunitiâ jam poteſtate, eâque perpetuâ donatus (q) ſecum conſtituere cœpit, quem potiſſimùm è domo ſua hæredem ſcriberet, aut cujus fidam operam ad regendum tantæ molis regnum adſciſceret? ex Scribonia conjuge filiam Juliam ſuſceperat, quam primùm Marcello Octaviæ ſororis filio (r), & poſt hujus mortem, Agrippæ nuptui dedit (s), viro à bino Conſulatu & Præfectura Syriæ, tum maximè à victis Cantabris inſigni (t): Hic duorum ex Julia filiorum Caji & Lucii Parens poſtea extitit, quæ utraque ſoboles ab Auguſto adoptata, dum in ſpem Regni adoleſcebat, Cæſar duos privignos Tiberium & Druſum, ab altera uxore Livii eidem adductos, inter militares diſciplinas exercuit (*22.). (†) Reflexio IV. (q) Tacit. ann. 3. c. 56. (r) Dio lib. 51. pag. 517. (s) Idem lib. 54. pag. 525. (t) Ibid. pag. 528.

9. Ju-

(*19.) *Pantheon* dictum quaſi τῶν πάντων θεῶν ædificavit Agrippa tertiùm Conſul, de eo plura ſcripſêre *Dionyſius* & *Plinius*, item *Fabricius* in ſua Roma; hodie Mariæ rotundæ, & omnium SS. dicitur; poſtquam *Bonifacius* IV. Pontifex ſub ſæculi VII. initium id à Phoca Imperatore impetravit, atque B. V. & SS. dicavit, adlatis illuc multorum Martyrum reliquiis. *v. Pagium in brev. PP.*

(*20.) DIO refert *lib.* 53. *pag.* 514, ab Auguſto hoc tempore pro militibus emeritis fundatam fuiſſe Auguſtam Emeritam in Caſtilia, quæ diu poſt Metropolis extitit Luſitaniæ. Cæteras Colonias Dio non nominat.

(*21.) *Bucherius* S. J. lib. 1. c. 14. inter ejusmodi Provinciarum firmamenta numerat Auguſtam Trevirorum, Auguſtam Sueſſionum, & Veromanduorum; nam *Dionyſius Halicarnaſſeus* lib. 2. notat, Auguſtum hâc ratione ex alienigenis, & hoſtibus indigenas, & cives feciſſe. *Tacitus* ann. 11. porrò advertit: *Colonias in agros captivos deductas, & adverſus rebelles ſubſidium, & Sociis ad officia legum imbuendis.* Et vel ideo *Strabo* ſcribit lib. 4. ſub Auguſti Imperio, Gallos, linguâ & vitâ, quosdam & civili gubernatione Romanum in morem tranſiiſſe.

(*22.) Livia primum maritum habuit Tiberium Neronem, ex quo ſuſcepit Tiberium & Druſum: Tiberius Nero? quaſi Liviæ Pater, non conjux eſſet, Cæſari *Auguſto*

hanc

A. U. C. 739. Ante Ch. 15. Jul. 31.

(u) Dio lib. 54. p. 536. Horat. lib. 4. od. 4. de laudibus Drusi, item od. 14.

(x) Vellej. lib. 2. c. 39.

Bellum contra Rhætos.

(y) Dio lib. 54. p. 543.

9. Jubente Augusto primùm ab iis bellum susceptum est contra Rhætos, populum Italiæ ac Galliæ infestum, ex quarum Provinciarum agris populabunda gens prædas abegerat: Tiberius ac Drusus diversis itineribus, ast uno consilio hostem aggressi, eundem fugant, nec magno certamine fundunt (u): numerosior populus ne sæpius belli aleam moveret, provisum est, ut primùm validioris ætatis viro quovis abducto (x), tot solùm relinquerentur, quot agris colendis sufficerent (*23.); deinde Regina Castra, ac Augusta Vindelicorum, velut nova munimenta, hoc tempore condita sunt; è quibus securiùs, quidquid porrò turbarum esset, cohiberetur (*24.). Positis militiæ, ac primæ victoriæ rudimentis Tiberius rebellanti Pannoniæ præficitur, Drusus autem maximo bello, id est, Germanorum objectus est (y): ex quo enim Cimbro-

---

hanc uxorem dedit, per quas nuptias uterque filius quoque in jus Paternum Augusti concessit. *Dio* in August.

Livia, cui ex priore Marito

Tiberius CL. Nero Augusti privignus & successor in Imperio | Drusus in Germania mortuus

Drusus in Germania mortuus: Germanicus Cæsar | Claudius Imperator

Germanicus Cæsar: C. Caligula Imperator | Agrippina nupta Domitio

Agrippina: Nero Imperator

(*23.) Rhætia Regio gemina erat, quarum altera Rhætia propria sive *prima* dicebatur, continebátque totum illum tractum inter Alpes Rhæticas, & Tridentinas; ubi hodie Grisones populi, Tridentina ditio, Tirolensis comitatus, & vallis Tellina. ubi populi fuêre Brigantii, Sarunetes, Rigusci, Vennones, Breuni, & Genauni; ita *Freherus*: altera à M. *Velsero* de rebus Augustanis vocatur Vindelicia, sive Rhætia *secunda*, à prima Lico fluvio divisa.

(*24.) *Regina Castra* locus erat, ubi hodie Ratisbona, quæ ab Authore primo *Augusta Tiberii* ex Veteri inscriptione dicitur; vocatur etiam urbs *Tiberina* in lib. CC. Plura de antiquitate hujus urbis, & Etymologia videri possunt apud Vitriarium illustratum lib. 1. Tit. 15. pag. 1232.

Augusta Vindelicorum, à Tacito c. 41. vocatur *splendidissima Rhætorum colonia* ad Vindonis & Lici fluminum confluentiam. Nam licet urbs ista Vindeliciæ caput existeret; posteà tamen totâ Vindelicorum terrâ à Romanis in Provinciam redactâ, integer tractus à Rheno, & Acronio Lacu ad Oenum usque, & Danubium, Rhætiæ nomen sortitus est. Latiùs ista tractat Marcus Velserus lib. 2. & 3. rerum Augustanarum. Cluverius in libro quarto pag. 61. Authorem coloniæ nobis detegit: *admonendum est, ait, Coloniam deductam jussu, vel utriusque Neronis*, vel (*quod credibilius multò*) *alterutrius*; *cùm patrato bello ordinandæ, & constituendæ Provinciæ ambo tempus non triverint: ac malo equidem de Druso verum esse, quod & plures tradidere Authores: tametsi antiquiores* Ottone *Frisingensi* (lib. 3. c. 4.), *& Honorio Augustodunensi nondum reperio*; ad confirmationem dictorum subjungit Numisma argenteum, ubi in Antica est nomen Drusi, in postica Rhenus.

Cimbrorum arma apud Romanos audita sunt, sive ab anno urbis quadragesimo supra sexcentesimum; Gens Germana non minùs corporum robore fortis, quàm pugnando acerba tantas clades Romanis attulerat, quantas nec Samnis, nec Pœni, ne Parthi quidem fuerant meditati. Carbo & Cassius, Scaurus Aurelius, & Servilius Cepio, M. quoque Manlius maximi Duces à Teutonibus cæsi, vel capti sunt. Inter paucos C. Mario auspicatum fuit, ut gentem ejusmodi bellicosam, quæ jam Alpium juga penetraverat, ab Italiæ finibus rejiceret (z); & Julio Cæsari aliquantò feliciori datum est, ut in Galliis Germanos bis profligaret, scilicet Regem Ariovistum in Celtis, & deinde ad Mosæ & Rheni Confluentem; ex his tamen fortunæ casibus palàm hucusque semper fuit, Germaniam prœlio quidem, nunquam bello toto vinci posse (†). Regnante postea Augusto ad edomandos Germanos accommodatius visum est, si ipsorum quædam gentes in Societatem pellectæ in ripa Gallica collocarentur; horum quippe operâ sperabat Cæsar reliquam Germaniam superatum iri: Suevi & Sicambri se dedentes, in Galliam primùm traducti sunt irrito tamen eventu; jam enim Germani Romanos nôsse, minùsque timere cœperant, tantò majore illorum virtute, quantò honestiùs est sua armis tueri, quàm aliena appetere. Accessit & alia causa, quòd, quos Romani vel armis vicerunt, vel blanditiis pellexerunt ad fidem, eos non ferendis exactionibus gravarent, aut ad suam libidinem cogerent (a). Opposuerunt igitur se ipsis Germani, quóque molestiùs pressi sunt, eò acriùs libertati suæ institerunt. Sicambri primùm Marco Lollio quintæ legionis Aquilam eripuêre, deinde legatos Romanorum egêre in crucem (b).

(z) Tacitus lib. 1. de German. c. 37. Vellejus Pater lib. 2.

(†) Reflexio V.

Bellum contra Germanos.

(a) Florus lib. 4. cult.

(b) Dio lib. 54. pag. 544. Vellejus l. 2. c. 97. Bucher. lib. 1. p. 34.

10. Hoc signo dato Drusus vigesimum quintum annum vix egressus arenam periculis plenissimam adire jubetur: ætas Juvenis à veterano & pugnaci hoste facilè, sed non impunè contempta est; ingenio enim bellicis artibus aptissimo id molitus (c); quod Julio Cæsari suscipere nunquam tutum fuit (*25.): Sicambros,

(c) Vellejus l. c.

K

(*25.) FLORUS lib. 4. c. ult. testatur Julium Cæsarem quæsivisse bellum in Germania, sed non confecisse: *sciebat*, (Augustus) *Patrem suum Cæsarem, bis trajecto Ponte Rheni, quæsîsse bellum; in illius honorem concupivit facere Provinciam: & factum erat, si barbari tam vitia nostra, quàm imperia ferre potuissent.* SLEIDANUS in epitome id magis explicat: C. Octavio regnante, ait, populi Romani exercitus omnium primò

(d) Flor. lib. 4. c. 12. A. U. 734. Ante Chr. 21. Jul. 35. bros, Uſipetes, Tenćteros, & Cattos (d) in propriis finibus aggreditur: illis ſubačtis, Mœni ripas circumlegens Marcomannos ad internecionem uſque fundit; è quorum ſpoliis quendam editum tumulum (ubi hodie arx Herbipolenſis extat) in trophæi modum excoluit (*26.), tandem ſecundo Rheno per paratas recentis, & immenſi operis foſſas (*27.), in Oceanum devehitur: Friſones vinćtos fœdere, & Chaucos, Bručterósque vicinos navali prælio vičtos in pacis leges compellit (e). Appetente inde hyeme Romam ovans ingreditur. Triumphalibus honoribus, & Proconſulari imperio aučtus, ſubſequente anno ad caſtra rediit.

(e) Liv. Epit. 138. &c.

11. Druſi iteratus adventus Uſipetis, Sicambris, ac Cheruſcis funeſtus fuit (f): hi viginti Centurionibus crematis velut novo aučtoramento bellum ſumpſerant; adeò quidem certâ vičtoriæ ſpe,

(f) Liv. Epit. 138.

primò bellum Germaniæ fecit, *in ipſorum finibus*. C. Julius Cæſar bis quidem profligavit Germanos, verùm *in Galliis*, nempe Arioviſtum in Celtis, & deinde ad Moſæ confluentem, atque Rheni: poſt eam Vičtoriam exſtručto Ponte Rhenum tranſiit, ſed paucis diebus ibi commoratus, exercitum in Galliam reduxit, Pontémque reſcidit. Biennio deinde pòſt rurſus Ponte Rhenum transmiſit, paulò ſupra eum locum, quo antea exercitum traduxerat. Ac tum planè conſtituit in Suevos proficiſci, verùm per exploratores certior fačtus de rebus omnibus, & difficultatem veritus, inopiámque commeatûs in Galliam ſe recepit, partem aliquam Pontis reſcidit, atque in altera parte Turrim, atque Caſtellum conſtituit, præſidiíſque firmavit, ne ſuî reditu, metum hoſtibus omnino tolleret: & hæc quidem ſolùm adverſùm Germanos geſſit C. Cæſar, ſicut ipſe commemorat.

(*26.) De loco Druſiani Trophæi, diſceptârunt quidam: alii enim Dresdam ad Albim fuiſſe putant, quam opinionem BUNAVIUS abſurdam dicit P. 1. lib. 2. p. 145. BUCHERIUS contrà lib. 1. Belg. Rom. c. 15. p. 38. ait: *iſtum tumulum* (nempe in quo Trophæum à Druſo erečtum eſt) *editiorem, ego quidem vehementer ſuſpicor, quem nunc* ARX HERBIPOLENSIS *occupat ad Mœnum in mediis ejus ævi Marcomannis, quando illum Druſus ita excoluit, ut incolis deinceps frequentari, habitarique cæperit;* Bucherio aſſentiuntur recentiores MASCOVIUS de reb. geſtis Germ. lib. 3. pag. 65. & BUNAVIUS l. c. exiſtimat, occaſionem hanc fuiſſe ædificandi urbem Herbipolenſem.

(*27.) SUETONIUS in Claudio c. 1. *Druſus Germanici belli Dux Oceanum Septentrionalem Primus Romanorum Ducum navigavit, tránsque Rhenum foſſas novi & immenſi operis fecit, quæ nunc adhuc Druſianæ vocantur.* Bucherius lib. 1. c. 16. pag. 39. hæc ita exponit; plures Suetonius foſſas memorat, éasque, ſi non opere, ſaltem ſuî crebritate immenſas: ùt in fundo ad hoc aptiſſimo. Una maximè celebris eſt, hodiéque perilluſtris, quam Tacitus ideo foſſam Druſianam unius numero appellat; ab Rheno, ubi hodie vicus *Iſeloort*, in Iſalam, & Oppidum *Doesburg* dučta per očto non amplius paſſuum millia. opus non adeo immenſum; niſi Iſalæ infra *Doesburg* alveum ad lacum uſque Zuyderzee latiorem, ac profundiorem effecerit, ùt puto: cùm claſſem hanc per immenſam paludem, adverſus Friſios, Bručteros, & Cauchos tranſvehere moliretur, quod & *Germanicus* poſteà Patris exemplo repetiit. Similia poſt *Bucherium* ſcripſère Maſcovius pag. 3. §. 14. Bunavius pag. 146. de foſſa Druſiana latiùs differit BERTIUS in Comment. rerum German. lib. 1. pag. 33.

ſpe, ut prædas jam pactione dividerent (g); Cheruſci quippe equos, Sicambri captivos, Uſipetæ aurum ſibi delegerunt. Sed longè aliter evenit; victor namque Druſus, equos, pecora, torques eorum, ipsósque etiam utpote ſpolia diviſit, vendidítque, ac præterea per Rheni ripam quinquaginta amplius Caſtella ad Oceanum usque diſpoſuit (*28.). Facto deinde per inacceſſum ad id tempus Hercynium ſaltum itinere ad interiora Germaniæ perrupit, & Viſurgim transgreſſus omnia populando ad Albim perrexit, tantum ubique terrorem ſpargens ut matres liberos ſuos ſolo illiderent, malléntque ipſos vitâ, quàm libertate privari: Druſum alimentorum penuria, hyemis propinquitas, tum alia quædam omina revocârunt (*29.); quò minùs Albis littora ſuperaret: redeuntem proinde Germani circumſident, & ex montium receſſibus continuò aſſilientes ita concutiunt; ut feſſæ jam legiones exitio, quàm Rheno, quò contendebant, propiores eſſent (h). Germanorum tamen temeritas pereunti hoſti auxilio fuit; illi enim dum promiſcuo ordine ad cædem potiùs, quàm ad pugnam ſecuriùs properant; Romani collectis ordinibus tumultuarium victorem vincunt, atque concidunt. Ad incurſiones Barbarorum prohibendas à Druſo nova ad Amiſiam, & (*30.) montem Taunum

(g) Florus lib. 4. c. ult.

(h) Florus lib. 4. c. 12. Oroſ. lib. 6. c. 21.

(*28.) BERTIUS lib. 1. de German. pag. 32. per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius Caſtella direxit usque ad Oceanum, quæ ego *Burgos* vocata fuiſſe à Belgis crediderim, & creviſſe paulatim ædificiorum, hominúmque frequentiâ, atque in magnum etiam populum coaluiſſe, qui poſtea nomen acceperit *Burgundionum*. Hunc populum conſtat ex eo auctum potentiâ cum vicinis etiam gentibus bella geſſiſſe, utilémque fuiſſe Imperatori Valentiniano, quòd ſe Romanorum progeniem eſſe jactarent. Talia ego Caſtella fuiſſe Suſpicor, Roomburgi, Rhenoburgi, Valkoburgi, Voorburgi, Lugduni, & in oſtio Flevo illud Caſtellum Flevum, tempore Tiberii celebre, neque aliam originem putat *Lipſius* eſſe tot inſignium urbium, quibus Rheni ripa ornata eſt.

(*29.) JULIUS OBSEQUENS de prodigiis lib. 1. c. 132: *in Germania in Caſtris Druſi examen apum in tabernaculo Hoſtilii Rutilii, Caſtrorum præfecti conſedit ita, ut funem prætendentem, præfixúmque tentorio Lanceam amplecteretur ... Multitudo Romanorum ſubacta eſt.* Hoc omen dicunt cauſam fuiſſe, cur Albim non transmiſerit Druſus: ſed STRABO apud BERTIUM meliorem, & veriorem inſinuat: nempe quòd *Auguſtus* exercitiis incolumitatem famæ poſtponens, maluerit cis Albim tutò rem gerere, quàm trajecto amne famam ex periculo quærere.

(*30.) BUCHERIUS l. c. tria potiſſimùm munimenta à Druſo in Germania erecta celebrat: I. *Amiſiam* præſidio Claſſium, unde Embdæ urbis origo, cui tamen opinioni repugnat *Altingius* apud *Maſcovium*. II. *Aliſonem* ad Lupiæ, Aliſoníſque confluentem, unde hodie Eſſen in Epiſcopatu Paderbornenſi, circa quem vicum Bucherius opinatur pugnam Germanorum cum Romanis extitiſſe, III. in Monte Tauno (der Hay-rich

num munimenta erecta sunt, quo obice non paucos exterruit, minùs tamen Cattos, qui proximo anno Sicambris mixti Romanorum stativa molestiùs infestârunt (i). In hos igitur circa annum U. C. DCCXLV. Drusi maxima vis, quia postrema, incubuit: per prostratorum quippe corpora ad Albis ripas denuò penetrans (k), trophæísque prope Magdeburgum constitutis, victoriæ & vitæ metas sibi fixit, inopinâ, cùm annum ageret tricesimum, mortê sublatus (l). Tiberius, qui in fratris morituri ultimum amplexum celerrimo itinere properârat, defuncti corpus pedibus prægrediens per Municipiorum Primores Romam usque deduxit (m). Cineribus C. Julii tumulo illatis, Senatus Druso nomen Germanici decrevit (n); quem titulum postea Imperatores cæteri insanis votis periculísque petiverunt: Exercitus Germaniæ, ne sui Ducis honoribus deesset, prope Moguntiacum tumulum excitavit, circa quem stato die quot annis miles decurreret, Galliarúmque civitates publicè supplicarent (*31.).

(i) Dio lib. 54. pag. 546.
(k) Dio lib. 55. p. 548.
(l) Vellejus lib. 2. c. 97. Buch. l. 1. l. 17. §. 8.
(m) Valer. Max. lib. 5. c. 5.
(n) Sueton. Tib. c. 1. Dio l. 55. p. 549.

A. U. C. 745. Ante Ch. Ær. 9. Jul. 37.

12. Ab eo tempore belli moles in Tiberium, à Pannonum gente jam domitâ clarum (o), translata est; hujus fidem quatuor abhinc annis sibi Augustus arctiùs adstrinxerat, quando eidem filiam Juliam, post mortem Agrippæ denuò viduam, conjunxit: Privignus igitur, simul & gener expeditionem Germaniæ tantâ virtute resumpsit, ut Sicambris, Suevísque in deditionem acceptis plures Germaniæ partes in formam stipendiariæ Provinciæ redigeret (p): instabiles, ac de novis turbis suspectos Rheni accolas

(o) Sueton. in Tib. c. 9. Florus l. 4. c. 12. Vellejus l. 2. c. 97.
(p) Dio lib. 55. c. ult.

rich oder Höhtrucke) prope Rhenum ex Adverso Moguntiæ, quem tractum, expulsis ubiis Catti possidebant. De aliis urbibus & Castellis divinant quoque Authores, scilicet de 7. urbibus, quas Drusus dicitur dicâsse septem Planetis, de Durnomago Argentorato, Drusenhemio, Augusta Rauracorum &c. vide Cluverium lib. 2. Germ. Albin. Chron. Misn. P. 1. tit. 9.

(*31.) Etsi *Suetonius* in *Claudio* c. 1. honorarium tumulum Druso erectum esse affirmet; locum tamen non exprimit, ubi is structus fuerit. *Serarius* lib. 1. *rer. Mogunt.* c. 15. existimat, per tumulum illum, intelligi, Saxeam molem, quæ hodie Moguntiæ superest, vocatúrque der Eichelstein, quia olim vel glandis formam referebat, vel quia Aquila desuper defixa erat. Hanc sententiam firmat Abbas Urspergensis: *Drusus apud Rhenum Mogonciam construxit, ubi adhuc monumentum ejus monstratur in modum pyræ*, idem testatur *Eutropius* lib. 7. *Otho Frisingensis* lib. 3. c. 4. *Jacobus Campius* in Theatro urbium Tom. V. Chart. 23. His contrà repugnant non pauci. *Hermannus* Epist. ad Sorbill. refert traditionem, quâ spargebatur in hoc monumento Gentilem regem sepultum esse. *Hermannus Engelerus* putat Aurelium Alexandrum ibi tumulatum fuisse; has opiniones fusiùs deducit Serarius l. c. & confutat.

colas in medium Galliæ trajecit (*32.). Quod quidem Tiberii consilium magno cum metu à finitimis populis acceptum est: nam Maroboduus Rex Marcomannorum, Mœno, Rhenóque vicinior, ne similem libertatis injuriam pateretur, cum suis popularibus longiùs in Bojohemum recessit, ex Hercyniæ saltibus Romano Imperio aliquando terror futurus (*33.). Sub idem tempus Parthi Romanis illas Aquilas reddiderunt (q), quas ferè ante annos quinquaginta non sinè dedecore Reipublicæ Crasso Duci eripuerant (*34.). Redintegratâ proinde horum amicitiâ, Scythæ ac Sarmatæ legationum obsequio à Romano populo tunc firmum fœdus meruêre: à bello etiam Germanis, & cæteris in Boream gentibus alta quies fuit; adductâ itaque in orbem universum pace, Jani templum tertiùm ab Augusto occlusum est (*35.). Sed quoniam inter pacis otia futuris bellis tutiùs prospicitur, curandúmque, ut dum terræ armis vacant, legibus à vitiosa licentia coërceantur; Augustus omnibus Provinciis censum indixit (†), quem dum per alias orbis partes varii Præsides agunt, Sentius Saturninus (r) eundem in Syria atque Judæa descripsit cunctis feli-

Cassiodor. Chron. pag. 21.

(q) Strabo lib. 16. Orof. lib. 1. c. 1. Bucherius lib. 1. c. 23.

Pax Generalis totius mundi.

(†) REFLEXIO VI.

(r) Vide ad c. 2. rest. 1. n. 7.

(*32.) SUETONIUS in Aug. c. 21. *Suevos ac Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit* & in Tiber. *c. 9. bello hoc Germanico quadraginta millia deditiorum* (quadringenta millia habet Eutropius *trajecit in Galliam*:) *Dio lib. 55* addit, translationis hujus tædio, plerósque Primores eorum manus sibi violentas intulisse.

(*33.) VELLEJUS lib. 2. c. 108. *Gens Marcomannorum Maroboduo Duce excita sedibus suis, atque in interiora refugiens, incinctos Hercyniæ Sylvæ campos incolebat . . . Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, quàm ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit Principatum: sed certum Imperium, vimque regiam complexus animo, statuit, avocatâ procul à Romanis gente suâ, eò progredi, ubi cùm propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima: occupatis igitur, quos prædiximus locis* (scilicet Bojohemo) *finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit.* STRABO lib. 7. pag. 444. de eodem Maroboduo scribit: *is Româ reversus (ubi juvenis fuit, & ab Augusto beneficiis affectus) è privato statu ad occupandam Dominationem se contulit, ac præter Marcomannos subjecit sibi etiam Luros magnam gentem, Zumos, Batones, Mugilones, Sibinos, & de ipsis Suevis magnam nationem Semnonas.*

(34.) Cladem illam DIO *lib.* 40. & PLUTARCHUS in *Crassi Vita* fusè describunt. CICERO *lib. 2. de divinat.* rem breviter complectitur. M. Crassus, interfecto. (à Parthis:) Publio filio, exercitúque deleto trans Euphratem cum ignominiâ, & dedecore periit. Amissa sunt hoc bello Romanorum 20. millia anno U. C. 698., ùt notat *Cantelius* de Rom Republ. *pag. 89.*

(35.) SUETONIUS in Aug. c. 22. *Janum Quirinum Semel atque iterum à condita urbe ad memoriam suam clausum in multo breviori temporis spatio, terrâ, marique pace partâ, ter clausit, primò,* quidem cum Antonium vicisset anno Juliano 17. quin-

felicior, quòd in album referret nomen Virginis, ac Maximæ Matris, quæ eodem tempore Principem Pacis, Legis novæ conditorem ac scelerum exterminatorem, Deum ipsum, carnem indutum mundo dedit Anno U. C. DCCXLVIII. Juliano XL. Consulibus D. Lælio Balbo, & Cajo Antistio Vetere (s).

(s) Ibid. num. 5.

13. Providentia Augusti pacatum orbem temperare ità non potuit, quin ex pacis otio multa Romæ vitia subnascerentur: ipsa adeò ejus filia Julia cùm in infames libidines tunc se effunderet; conjux Tiberius opprobrium non ferens, invito Cæsare à publicis negotiis sese subtrahens, Rhodum repente secessit: quamvis alii id eâ de causâ factum esse doceant, scilicet, ut Cajo & Lucio, qui adoptati Cæsares propiùs ad Regnum adoleverant, sponte cederet (t). Augustus Tiberii operâ destitutus, Cajum primùm forensibus causis admovet (*36.). Deinde in Armeniam ablegat, ut coortos Parthorum tumultus componat (u). Ducis officium aggressus Cajus eam rerum gestarum famam sibi peperit, quæ apta esset ad tegendam illam maculam, quam ejus mater Julia, vitiorum ergo in exilium jam proscripta (x), Cæsareæ familiæ inusserat. Anno DCCLIV. sive *anno Æræ Vulgaris Primo* Sami Consulatum adiit, quâ dignitate insignitus veluti per Romani

A. U. 749. Ante Ch. Æram 5. Jul. 41.

(t) Dio lib. 55. p. 555. Sueton. in Tib. c. 12.
(u) Tacit. lib. 2. c. 3. Oros. l. 7. c. 3.
(x) Vellejus Pater lib. 2. c. 100.

quintùm Consul. *Secundò* post quatuor annos, cùm esset nonùm Consul. Demùm *tertiò* anno Juliano 38. cujus vestigium legimus apud *Suetonium*, qui de vita Poëtæ Horatii scribit: *decessit quinto Kalendas Decembres, C. Martio Censorino & C. Asinio Gallo Consulibus*. Id est anno Juliano 38., anno secundo ab anno Natali Christi: Horatius autem in anno vitæ ultimo scripsit lib. 4. *ode 14.* ad Augustum

Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis
Ode 15. *Tua Cæsar ætas*
Fruges & agros retulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Direpta Parthorum superbis
Postibus, & vacuum duellis
JANUM Quirini clausit, & ordinem
Rectum evaganti fræna licentiæ
Injecit &c.

(36.) Inter præcipuas causas, queis adhibitus est Cajus, fuit illa filiorum Herodis de Regno disceptantium, de quo argumento plura dicentur c. 2.; & in resl. 1. ad idem c.

Romani nominis Majeſtatem & Parthos, & Armenos ad mitiora conſilia reduxit (y): hoſtis ad ſpeciem conciliati inſidias multò acerbiores Dux ſubinde expertus eſt; nam accepto ab eo, ùt creditur, vulnere (*37.), negotiis publicis omnino impar reddebatur. Neminem magìs funeſtus ejusmodi nuncius, quàm Auguſtum afflixit, qui mortuo jam Lucio Caji fratre (*38.) anxiè timebat, ne ſua Domus altero etiam funere exhauriretur: Cajum itaque jubet, ſalutis causâ citis velis in urbem remeare; at is ſuſcepto itinere Lymiræ, Lyciæ urbe, ſubitò extinctus ſpem Auguſti fefellit, non tamen Liviæ conjugis & matris Tiberii; quæ filio ſuo regnum per geminata Cæſarum fata dudum ambiverat (*39.). Orbatâ Auguſti Domo Tiberius, matre utique annitente, Cæſar adoptatus eſt eâ lege; ut is viciſſim Germanicum Druſi filium ſibi ſucceſſorem diceret (*40.). His peractis Tiberius ad Rhenum bello triennali jam flagrantem movet: Caninefatibus, Attuaris, Bructeríſque domitis, Cheruſcos (hodie Brunſuicenſes) in fidem recipit (z). Anno ſequente ejusdem Ducis inſolitâ curâ effectum eſt, ut Romana Claſſis ſuperato circùm Oceani Sinu, ab incognito mari in flumen Albim ſubveheretur: milite ad terras appulſo Cheruſci à Meridie, Saxones & Cymbri à Septentrione, atque ipſi adeò Longobardi vel victi vel territi ſunt (a).

A. U. C 754. Æræ Ch. 1. Jul. 46.

(y) Vellejus lib. 2. c. 102.

A. Æræ Chr. 4.

(z) Vellejus ibid. Bucher. lib. 2. c. 10. n. 6.

(a) Vellejus lib. 2. c. 106.

14. Fe-

(37.) STRABO lib. 11. pag. 529. refert Cajum ab Artagerarum præfecto ad Addûs mœnia, quæ à Cajo obſidebantur, pellectum, vulneratum fuiſſe. FLORUS lib. 4. c. ult. contrà commemorat, quod Cajus hoc Vulnus à Domne acceperit, is enim hoſtilis exercitùs Ductor, veluti ſimulatâ proditione, Cajo libellum obtulerat, cui, cùm intentus eſſet Cajus, à Domne transfoditur.

(38) TACITUS Annal lib. 1. c. 3. & Florus l. c. mortem Lucii deſcribunt, quod ad Hiſpanienſes profecturus exercitus, Maſſiliæ inglorius repentino morbo extinctus ſit ante fratris Caji mortem duodeviginti menſibus.

(*39) Cajum & Lucium, ambos fratres dolo novercæ Liviæ (aditum ad Imperium filio ſuo Tiberio parantis) ſublatos fuiſſe ſuſpicio erat, ùt notat *Zonaras ex Dione* nec *Tacitus* id diſſimulavit *lib. 1. c. 3. Lucium Cæſarem*, ait, *ad Hiſpanienſes exercitus, Cajum remeantem Armeniâ, & Vulnere invalidum mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abſtulit; Druſóque pridem exſtincto, Nero ſolus è privignis erat &c.*

(*40) Tiberius ſeptem annos Rhodi moratus, octavo demum anno, permittente Cajo, Romam revocatus eſt, verùm ſub conditione, ne quam partem, curámve Reipublicæ attingeret, ùt habet Sueton in Tib. c. 13. Ælio dein Cato, & Sentio Saturnino C. C.

14. Felicem armorum cursum turbo validior in Bojohemo suscitatus subinde retardavit. Maroboduus exercitum septuaginta millium præparabat; erátque eò timendus magìs, quòd vi, aut oblatis conditionibus in fœdus finitimos populos pertraheret(b). Augustus hunc velut alterum Pyrrhum, qui Italiam incrementi sui securam esse non pateretur, opprimendum statuit (c), Tiberio legiones Illyrici à Carnunto, & Norico limite admovere jusso; Rhenanas contrà copias per Cattorum fines Sentius Saturninus adduxit (d). Vix hæ acies æquali ab hoste intervallo stabant, ac penè in Maroboduum irrupturæ; cùm viribus aucti Dalmatæ, Pannones, sociíque populi arma adversùs Romanos simul unà corripiunt: Gentium, nationúmque, quæ rebellaverant, numerus octingenta ampliùs millia explebat (e). Quare tantus belli hujus metus fuit, ut audita sit in senatu vox Principis Augusti: decimo die, ni caveatur, posse hostem in urbis Romanæ venire conspectum. Ne aperta tam vicinæ tempestati Italia relinqueretur; deproperatâ cum Maroboduo pace, in duos Batones duntaxat, alterum Pannonum, alterum Dalmatarum Ducem pugnatum est: triennium inde abiit inter non obscuras clades, ac in ea rerum difficultate, quâ major punicis in bellis non fuit (*41). Dum tandem Tiberius totum Illyricum, quódque inter Italiam, Regnúmque Noricum & Thraciam & Macedoniam, intérque Danubium, ac Sinum Adriatici maris est, in ditionem redigeret (*42.): quò minùs Dux promeritis triumphi honoribus tunc frui posset; tristis ex Germania nuncius impediit, quo ferebatur, Quintilium Varum cum tribus legionibus periisse (f).

(b) Strabo lib. 7. sub init. Vell. lib. 2. c. 108.
(c) Tacitus Annal. 2. c. 26.
(e) Vellej. lib. 2. c. 110.
Bellum in Pannonia.
A. Æ. C. 9.
(f) Dio lib. 56. p. 482.

15. Præ-

C. C. adoptatus est ab Augusto, sed ante adoptionem (quanquam ipse Tiberius natum habuisset filium) à Cæsare coactus est Germanicum Drusi fratris sui filium adoptare, ex metu, ne Tiberius aliàs animo elatus novas ad res consurgeret. ùt testatur Dio lib. 55. pag. 556.

(*41) VELLEJUS lib. 2. c. 95. ita describit Pannonici belli discrimen: *Prima duobus Batonibus, ac Pinneti Ducibus authoritas erat, in omnibus autem Pannoniis, non disciplinæ tantummodo, sed linguæ quoque notitia Romanæ . . . . itaque, hercules, nulla unquam natio, tam maturè consilio belli bellum junxit, ac decreta patravit. Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem, et in regione, quæ plurimùm ab Imperatore aberat, cæsus. Occupata armis Macedonia, omnia, & in omnibus locis igni, ferróque vastata, quin tantus etiam hujus belli metus fuit, ut stabilem illum, & firmatum tantorum bellorum experientiâ Cæsaris Augusti animum quateret, atque terreret.*

(*42.) VELLEJUS idem. c. 114. *omnis Pannonia , . . . pacem petiit.* mox con-

15. Præfuerat is antè Syriæ, eámque pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquerat; hominem hunc ab avaritiæ quæstu notatum ubi Augustus ad Germaniæ exercitum transtulisset (g); ibidem distractis per omnia loca legionibus, omnísque periculi negligens pro vetere ingenio immensis exactionibus vexabat barbaros, & insueta huic genti legulejorum methodo quemvis raptabat ad forum (h): populi, quod nisi expertus vix credebat, in summa feritate versutissimi, primùm hæc sæviora armis jura miti sensu ferre, dein jugum, quod maximè detestabantur, collaudare, ac Quintilium Varum eò socordiæ jam adducere studebant, ut vel eò citiùs opprimendus crederetur, quò minùs timeret. Arminius Sigimeri Cheruscorum Principis filius, eum ita agentem in Cheruscorum usque fines ad Visurgim pertrahit eâ specie, quasi gemitus & querelas oppressorum lictoris virgis, & præconis voce esset inhibiturus (i). Creditum est facillimè Arminio popularium suorum Principi, eoquòd iste superioribus bellis Tiberium in militia comitatus, & jam pridem civitatis Romanæ jure & equestris dignitatis gradu ornatus fuerat (*43.). Intereà, dum conjuratio componitur, penes Quintilium Varum tanta pacis fiducia erat (k), ut ne prædictis quidem & proditis per Segesten (*44.) insidiis move-

Sueton in Aug. c. 23. & Tiber. c. 17. Sueton in Tib. c. 18. (g) Florus lib. 4. cit. (h) Vellejus l. 2. c. 117. 118.

A. Chr. 10

(i) Dio l. 56. pag. 583.

(k) Florus lib. 4. c. 12.

L

commemorat *Batonémque* & *Pinetem, excelsissimos Duces, captum alterum, alterum deditum.* DIO lib. 55. pag. 570. cùm Bato, qui concitatis ad rebellionem Dalmatis multùm incommodi Romanis exhibuerat, tandem ad colloquium de pace cum Tiberio congressus, postridie eum in tribunali sedentem accessisset; percontatus est Tiberius, quid ita deficere, ac tantùm temporis rebellare Romanis statuissent? *vos* respondit Bato, *in culpa estis ipsi, qui ad vestros greges Custodiendos non canes, pastorésve, sed lupos mittitis.*

(*43) ARMINII nomen si spectes, idem fuit, quod Hermanni, ut ait *Maibomius* de Irmensula pag. 13; Cheruscus verò populus, cui Princeps præerat, juxta *Raymundum Marlianum* sedem obtinebat in tractu Leodiensi; vel in Marchia Brandeburgensi, ùt opinatur *Cluverius* lib. 3. introd. Geogr. c. 3. Dotes animi describit Vellej. lib. 2. c. 8. *Juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio . . . ardorem animi, vultu oculisque præferens.* Quàm gratus popularibus fuerit, refert Tacitus lib. 2. c. 45. *Arminium pro libertate pugnantem favor habebat.* Huic alius Romanus scriptor *Vellejus* lib. 2. c. 118. totam belli contra Varum telam attribuit: *Primò igitur paucos, mox plures in Societatem consilii recipit, opprimi posse Romanos, & dicit, & persvadet, decretis facta jungit, tempus insidiarum constituit.*

(*44) TACITUS lib. 1. c. 55. SEGESTES *parari rebellionem sæpe aliàs, & supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit, suasitque Varo, ut se, & Arminium, & cæteros Proceres vinciret; nihil ausuram plebem Principibus amissis, atque ipsi tempus fore, quo crimina, & innoxios discerneret: sed Varus fato, & vi Arminii cecidit:* causam autem, cur, Segestes suis Germanis popularibus infidus patriam prodiderit, Tacitus mox subjun-

moveretur. Itaque improvidus è convivio, cui cum Arminio, alíísque Primoribus indulgebat, studiosè velut ad tumultum sedandum in campum prolicitur; cladi jam magìs opportunum exercitus barbarorum è sylvis prorumpentium circumfundit: tres legiones, totidémque alæ, & sex cohortes, quæ in subsidium Ducis affluxerant, opprimuntur: toto triduo circa saltum Teutoburgensem in finibus Bructerorum minus pugnæ, plus cruentissimæ cædis fuit; nam victores injuriarum efferati memoriâ, aliis oculos effoderunt, aliis manus amputârunt, aliáque genera crudelitatum exprompsêre, ut Varus cum multis suâ potiùs, quàm hostili manu perire maluerit; hujus tamen corpus, quod militum pietas festinante officio humi abdiderat, effossum est atque dissectum, delusum quoque ab Arminio (*45.). Nuntiatâ clade Varianâ Romam tremuisse ferunt, ínque tanto terrore facile fuisset Germanæ genti Galliam, totámque Italiam subigere, nisi hæc gens magìs vincere, quàm victoriâ uti didicisset. Augustus funestam internecionem Cannensi conflictui, aut damno, quod Parthi Crasso Duci attulerant, parem habuit (l); æquè enim signa, & Aquilæ duæ in Germanorum venêre potestatem, tertiam signifer hastili revulsam, abditámque intra balthei sui latebras servavit; unde Imperator per continuos menses barbâ, capillóque submisso caput interdum foribus illisit, vociferans (m): Quintili Vare, legiones redde! diémque cladis penè exitiabilis quot annis mœstum habuit, ac lugubrem. (*46) Ad expiandam Deorum

Variana clades.

(l) Sueton. Aug. c. 23. Dio lib. 56. pag. 585.

(m) Sueton Aug. c. 23.

subjungit. *Segestes .... discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat. Gener invisus, inimici soceri, quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.*

(*45) Cladem exercitûs deplorat Vellejus lib. 2. c. 118. *Exercitus omnium fortissimus, disciplinâ, manu, experientiáque bellorum inter Romanos milites principes, marcore Ducis, perfidiâ hostis, iniquitate fortunæ circumventus, cùm ne quidem pugnandi egregie occasio data esset miseris, inclusus sylvis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat &c.* Vari interitum ita refert: *Vari Corpus Semiustum, hostilis laceraverat feritas, caput ejus abscissum, latúmque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem Gentilitii tandem tumuli sepulturâ honoratum est.* Calamitatem captivorum narrat Seneca epist. 47. *Varianâ clade quàm multos splendidissimè natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit, alium ex illis pastorem, alium Custodem casulæ fecit.*

(*46) DIO lib. 56. pag. 585. Augustus *Vestem, ut quidam memorant, laceravit, in magno luctu fuit propter amissum exercitum, metúmque, qui à Germanis, & Galliis impendere*

Deorum iram Imperator sceleratos quosque, atque adeò neptem Juliam matri Juliæ persimilem in exilium amandare decrevit; (*47) demum Tiberium Illyrici victorem abolendæ infamiæ causâ ad Rhenum mittit: rapto is celeriter (*48) ex Veteranis delectu, cladis reliquias, quas ægrè Asprenas (n) sui avunculi Vari legatus, Germanorum ferro subduxerat, sollicitiùs colligit, aditum Galliæ firmat, & quod in ea arctitudine rerum fieri poterat, nititur servare magìs, quàm proferre imperium (*49).

(n) Dio lib. 56. p. 585.

15. Sub veris sequentis initium majora ausus, hostium vires validiùs concutit, emollítque simul accensas Galliarum dissensiones: exacto hunc in modum altero in Germania anno in urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatisque egit triumphum; quo tempore, scilicet anno quarto ante excessum Augusti Consules M. Æmilius Lepidus, & T. Statilius Taurus lege latâ Tiberium COLLEGAM IMPERII edixerunt; (o) cui æquum jus Augusto in omnibus provinciis, exercitibúsque foret. Partiturus igitur cum Cæsare Regni curas primò Romæ censum descripsit (p), tum abiit in Illyricum, ubi milites ob fessam Imperatoris ætatem, rabie quâdam, & profundâ confundendi omnia cupiditate novum Ducem, novámque Rempublicam quærebant; propagata est ejusmodi seditio in Germaniam usque, processum etiam in arma, ac penè in ultima consilia erupit gladiorum impunitas, ferro stricto id fidentiùs ubique minabantur: se Senatui, se Principi leges datu-

Tiberius Imperii Collega.

A. C. 11.

(o) Sueton. in Tib. c. 21. Tacit. Ann. 1. c. 3. Vid. ad caput 2.

(†) Reflexio II.

(p) Sueton. c. 21.

L 2

pendere videbatur. SUETON c. 23. addit: *vovit & magnos ludos Jovi Op. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset, quod factum Cimbrico, Marsicóque bello erat.*

(*47) DIO l. c. insinuat Juliæ Junioris, Augusti ex unica filia item Julia neptis adulteria hoc tempore patefacta ac punita: cum ea *Ovidius* quoque Poëta, ceu adulteriorum ejus sufflator, aut conscius ab Augusto Tomos in Scythiam relegatus est. Vide *Bucherium* lib. 3. c. 2. n. 8.

(*48) DIO l. c. *Sed neque civium Romanorum juventus magni momenti supererat, & sociæ legiones, quæ alicujus pretii afflictæ erant . . . & quoniam ii, qui militari erant ætate, dare nomina nolebant,* (nimirum ob metum Germanorum); *ex iis, qui nondum tricesimum quintum attigissent annum, quintum quemque, ex natu majoribus decimum, ut sors in quemvis incidisset, bonis privatum infamiâ notavit. Postremo, cùm multi ne sic quidem obedirent, quosdam morte mulctavit. Tam collectâ, quantam maximam potuit, celeriter ex emeritis, & libertinis per sortem multitudine, eam manum cum Tiberio in Germaniam misit.*

(*49) FLORUS innuit, ante cladem Varianam præsidia Romanorum ad oceanum usque porrecta, nunc autem intra Rheni ripas rejecta esse: *hâc clade factum, ut Imperium, quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret.*

daturos, ſibi autem ſtipendii modum, ac militiæ certum finem conſtituturos. (q) Auguſtus his tumultibus non diu ſuperfuit, Nolæ in Campania ſupremo fato functus XIV. Kalendas Septembris anno ætatis LXXVI. Imperii XLIV. (*50) Corpus maximis honoribus ad urbem delatum (r) & poſtquam crematum fuit (s) exuviæ in mauſolæo, quod ſibi inter Tyberinum amnem, intérque viam Flamineam conſtruxerat, depoſitæ ſunt.

(q) Vellejus lib. 2. c. 123. 125.

A. C. 14.

(r) Dio lib. 56.

(s) Sueton Aug. c. 100.

Mors Auguſti & funus.

16. Princeps erat ſummis animi, Corporíſque dotibus clarus, cibi minimi atque vulgaris (*51) veſte non temerè aliâ, quàm domeſticâ utebatur; ſapienti turpe eſſe ratus, cùm animum habeat, à molli corporis indumento (quod nidum luxuriæ, ſuperbiæque vexillum dicebat) laudes captare (t). Annum decimum nonum agens pervenit ex ſchola ad Regnum, à literarum ſtudiis ad bella, à Muſis ad Imperium (u). Quare doctorum virorum amantiſſimus liberaliùs clariora ingenia Romæ alebat, quæ nativum illum latinæ linguæ ſuccum & ſermonem incorruptum retinuerunt, qui deinceps ſub rudibus Imperatoribus paulatim magìs in pìnguem, ac peregrinam degeneravit barbariem (*52). Ex Amicis dilexit taciturnum Mecænatem (*53), & patientem maximè Agrippam (x), quorum Conſiliis hoſtes beneficio magis, quàm ſupplicio edomuit. Romanam urbem cùm è lateritia marmoream

(t) Gregor. Tholoſ. lib. 4. de Republ. c. 11.

(u) Suet. c. 89.

(x) Dio lib. 53. ſub init.

(*50) BUCHERIUS lib. 3. c. 4. n. 3. Imperavit Auguſtus à nece quidem Patris Julii Cæſaris annos omnino 57., menſes quinque, dies quatuor: A primo ſuo conſulatu, ſeu 19. Auguſti (quo etiam die mortuus eſt) annos ſolidos 56., à pugna Actiaca 44., dies novem. DIO acceleratam à Livia mortem Cæſari ſcribit lib. 55. p. 589.

(*51) SUETONIUS c. 74. in eo laudat: quod *cœnam ternis ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis* præbuerit, *ùt non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate.*

(*52) PONTANUS lib. 5. de obed. p. 44. cauſam, cur Auguſtus literatos præ cæteris amârit, deducit ex ipſius Cæſaris dicto: *Principum gloriam, Poëtarum verſibus & ore inniti.* Ideóque aſſidui ejus comites, & familiares fuêre Virgilius, & Horatius: ùt enim *Seneca* ait, qui in ſole ambulant, quanquam aliud agunt, colorari tamen eos neceſſe eſt; ita, qui prudentium & doctorum conſuetudine delectatur, eâque utitur, non poteſt non etiam prudentiâ imbui.

(*53) *Mecœnas* ille idem fuit, qui Auguſto ſuaſerat retinere Imperium, ùt notat DIO lib. 52. pag. 464. quíque poſtea ſingulari libertate uſus eſt ergaCæſarem: MonitumMecænatis unum ad Auguſtum notat *Dio* l. c. familiarium tuorum, ajebat, nulli nimiam indulge potentiam, ne in aliquam te reprehenſionem conjiciant. Nam quæcunque vel rectè, vel ſecus egerint, omnia tibi imputabuntur, talémque te omnes judicabunt, qualie eis facta exercere pèrmiſeris; imprimis autem potentibus omnibus injuriâ alios afficiendi facultatem adimes, ut, ſi nihil etiam delinquant; tamen, nec ideo, quaſi poſſint, in culpam & reprehenſionem veniant.

moream (y) fecisset; illud summi ornamenti loco apposuit, quòd nonnisi idoneos Magistratus pro ejus gubernatione seligeret, publica officia hominibus, non divitiis danda esse professus. Belli ducibus id inculcabat, ut *festinarent lentè*, nec bellum susciperent, nisi cùm major emolumenti spes, ac damni metus ostenderetur; nam minima commoda non minore sectantes discrimine, aureo hamo piscantibus non absimiles pronuntiabat, cujus abrupti jacturam vix parva præda pensaret. Rebus tot terrâ maríque confectis, quas tredecim ille libris longiùs complexus est (z), ab amicis petiit, ut quasi finitâ vitæ fabulâ sibi plauderent.

(y) Suet. c. 28. & 29.

(z) Suidas.

§. II. TIBERII *Augusti initia, composita exercituum seditio, forma Imperii prima sub Tiberio, Germanici Victoriæ in Germania, ejusdémque Romanus triumphus, res gestæ in oriente, ac mors: Marobodui Regis Bojohemorum, & Arminii Regis Germanorum interitus, Tiberii mutatio, Sejani crudelitas, superbia, & supplicium, excessus Tiberii.*

I. INtereà Livia Tiberii mater filium absentem ex Illyrico quàm celerrimè accersit (a), dissimulánsque ad tempus Augusti fatum, ea protinus fieri jubet, quæ ad stabiliendum Imperium aptiora fuerant: Agrippa posthumus, ejúsque mater Julia præprimis jugulantur, ne quis esse posset, qui horum ingeniis ad res novas abuteretur (b): his sublatis & excessisse Augustum, & rerum potiri Tiberium Neronem, fama eadem tulit (c). Principatum omnem cùm novus Cæsar jam occupâsset, callidâ tamen simulatione oblatum à Senatu Imperium abnuere visus est (d): frementibus nimirum per Pannoniam, & Germaniam tumultibus ad Regni firmitatem magìs idoneum esse rebatur, si exemplo Augusti ambiguâ cunctatione in fasces irreperet potiùs, quàm involaret. Peropportunè in idem tempus incidit defectus lunæ, quæ cùm à legionibus Pannonicis utpote cœli prodigium accepta fuisset; nullus fuit, qui in Tiberii nomen non juraret (e). Seditio Germani exercitûs aliquantò seriùs à Germanico compressa est; filius is Claudii Drusi (cujus magna apud populum, militémque memoria) ad Rhenum præ aliis agebat, ut paternæ authoritatis, favorísque nomine seditionem extingueret. Verùm id quod

(a) Tacit. lib. 1. c. 5.

Tiberius adit Imperium.

(b) Sueton c. 22. Tacit. c. 6.

(c) Idem.

(d) Dio l. 57. p. 603.

(e) Tacit. l. 1. c. 31. 49. Dio pag. 604.

A.C. 15.

Rebelles exercitus componuntur.

(f) Tacit. c. 34.

(g) Idem. c. 39. 40.

quod motus Castrorum sopire debuerat, eosdem vehementiùs accendit; omnes enim inter dissonos contra Centuriones, ac Imperatorem questus, Germanicum sibi deposcunt: dein obluctanti vim afferunt, demum strictis gladiis circumsessum Ducem in sua vota cogere parant: vellet nimirum jam habere, quàm post longos Tiberii annos exspectare Imperium (f). Germanicus ubi se eò adactum vidit, ut vel fidei in Tiberium, aut vitæ suæ suorúmque periculum adiret; Agrippinam saltem uxorem & Cajum Caligulam ex ea susceptum filium ab illis, ùt ajebat, Latrociniis subducendos, Trevirorúmque custodiæ committendos putavit (g). Consilium hocce tantum legionibus rebellantibus pudorem injejecit, ut, quod authoritas Germanici multa inhibentis, aut aliqua cum gravitate pollicentis minimè evicerat, id unâ Agrippinæ, & Caji à Castris fugâ consequeretur: Suppudebat nimirum furentes Augusti Neptem, Nepotémque Magni Drusi externæ fidei committi, & Cajum (*1) in Castris natum inter peregrina mœnia salutis quærere præsidium. Facti igitur pœnitentes obsecrant, & ad genua Germanici procumbentes orant: revocet abeuntes, fore, ut traditis ad pœnam seditionis Authoribus tumultus conquiescat.

(h) Dio lib. 57. pag. 606. 610. Sueton. lib. 3. c. 26. 34.

Prima & bona Gubernatio Tiberii.

(i) Tacit. l. 4. ann. c. 6.

2. Pacato exercitu Tiberius ab imminente exitio, non tamen ab omni metu respiravit: noverat Agrippinam à Livia noverca multùm offensam, ejus autem conjugem nunc rerum in castris potentem, è cujus metu salus ejus, perniciésque penderet (h). Ancipiti causæ remedium allaturus, quibusque officiis populum Senatúmque sibi conciliare statuit. Omnes igitur ad submissionem usque venerari, humanitatis propè modum excedere, exhibere plebi libertatis spem, Magistratibus pristinæ potestatis speciem; neque enim tam parvum quidquam, de quo non ad PP. conscriptos referret, nec voculâ quidem questus; siquidem adversus sententiam suam quidquam decerneretur (i). Ex plurimis maximísque honoribus præter paucos eósque modicos non recepit,

(*1) TACITUS Annal. l. 1. c. 31. *Infans in castris natus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad Concilianda vulgi studia eo tegmine pedum utebatur.* BUCHERIUS notat Cajum natum esse a. U. C. 763. pridie Kalendas Septembris, quo anno Germanicus Consul erat. Plinius II. porrò addit, *in Treviris natum vico Ambiatino supra Confluentes.* Ambiatinum hodie, teste Frehero, vicus est ad Rhenum, *Capella* dictus.

recepit, ſtatuarum & titulorum oſor, *Domini* appellationem contumeliæ loco duxit (k). Convitia jactata patienter, adulationes ægriùs tulit, ùt quæ mendacia, & ſervitutis malignæ genus eſſe diceret (l). Sericarum Veſtium uſum lege proſcripſit, eoquòd in iis extaret indicium ægræ Reipublicæ, cui ut tantò magìs conſuleret, nova tributa abrogabat, *boni paſtoris eſſe*, inquiens, *tondere pecus, non deglubere.* Perpetuos amabat Magiſtratus, quibus, ſi boni eſſent, temporis diuturnitas rerum gerendarum uſum ſufficeret: ſi mali, hos multo ſanguine ſubditorum exhauſto, hirudinum ac muſcarum inſtar quieſcere; recentium contrà morſus ſemper acerrimos fore.

(k) Suet. l. 3. c. 27.

(l) Idem ibid.

3. Dum hanc larvam, fictámque Regendi formam Tiberius Romanis objectabat; Germanicus ad Rhenum magìs integrâ virtute rem agebat Imperii (m). A Germanis lætos conſumi dies perceperat, ex quo mortuo Auguſto Romani ſuo Juſtitio, ac penè diſcordiis diſtinebantur. In hanc otioſam, ac hilarem turbam invecturus Germanicus, Rhenum ponte juncto trajicit, ſuperatáque Cæſiâ Sylvâ (*2), aliíſque obſcuris ſaltibus in fines Marſorum venit, ubi Germani ſtrati per cubilia propter menſas jacebant, nullo metu, nec antepoſitis vigiliis (n). Cæſar avidas legiones in quatuor cuneos diſpertit, quinquaginta milliarium ſpatium ferro flammíſque evaſtat, non ſexu, non ætate miſerationem afferente: Tanfanæ templum (*3) celeberrimum illis gentibus ſolo æquatum eſt. Bructeri, Uſipetes ſtrage ſuorum ſeriùs exciti id ſaltem in victore ulti ſunt, ut eundem non incruentum in hyberna dimitterent (o). Eâdem celeritate Romanus miles anno proximo

A. C. Æ. 15.

(m) Tacit. lib. 1. c. 50.

Germanici res geſtæ in Germania & victoriæ.

(n) Idem c. 51.

(o) Tacit. l. 1. c. 51.

(*2) CHRYSANTHUS apud Freherum Cæſiam Sylvam interpretatur den Heſerwald in Ducatu Clivienſi ſitam, quare *Lipſius* & *Bucherius* legendum putant *Hæſiam Sylvam* in Tacito c. 50. *At Romanus agmine propero Sylvam Hæſiam limitémque* (ſive aggerem) *à Tiberio cœptum ſcandit ... inde ſaltus obſcuros permeat ... delectâ longiore viâ cætera accelerantur. Etenim attulerant exploratores feſtam eam Germanis noctem ac ſolemnibus epulis ludicram ... ventûmque ad vicos Marſorum* (Bucherius credit Lunam inter & Münſter in ipſo Monaſterienſi Epiſcopatu hodierno).

(*3) GEORGIUS BRUNUS apud Freherum *Tanfanæ templum* exponit Benthemerberg, locum Germaniæ in Weſtphaliæ & Friſiæ confinio, apud veteres Marſos, & Salios; ubi Benthema oppidum, & Comitatus, à Veteribus Saliis vix milliario Germanico in ortum diſtat. LOCCENIUS Tanfanæ nomen derivat à Germanicis vocibus Than ſive abiete, & Pan, quod Dominum ſignificat, quia nimirum Deus Sylvæ abiegenæ hìc colebatur. Conſule hìc Maſcovium pag. 85. nota 5. & Bunavium P. I. lib. 1. pag. 154.

ximo Cattos obruit, quorum proinde ad Adranam fluvium (*4) par cædes fuit, vel fuga; hostis fugientis tamen terga lacessere nec montium, nec viarum difficultas passa est: quare Germanicus ad Rhenum iter relegens, incenso prope Lonam Mattio (hodie Marsburgo) receptui cecinit (*5). Subinde à Segeste ob proditam anteà Patriam cunctis inviso in auxilium Romani vocantur. Advolat è vestigio Germanicus, Amicum ab obsidentium vi eripit, captis gentis Germanæ Primoribus, ac Arminii
(p) Idem c. 57. conjuge (p). Res ea majoris deinde belli occasio fuit, Arminio in raptæ uxoris, Romanis verò in Varianæ cladis ultionem intentis. Dissidentium porrò iræ propè inflammatæ sunt, cùm Romanæ legiones in Teutoburgensem sylvam eluctatæ, insepultas Vari reliquias mœstæ simul, ac infensæ aspicerent (*6). Nec mora, Arminium assecutæ arma expediunt: contra acerrimè pugnantes, fortitudine primùm æqualis Arminius; posteà etiam Superior extitit, cùm redeuntem per ignotas vias exercitum, gnarus ipse locorum opportunis assultibus quateret; in idem, quod Varus

(*4) TACITUS expeditionem Romanorum contra Cattos (quos hodie Hassos dicimus) lib. 1. c. 56. ita describit: *Cattis adeò improvisus advenit, ut, quod imbecillum ætate, aut sexu, statim captum, aut trucidatum sit, juventus flumen Adranam nando transmiserit: Romanósque pontem cœptantes arcebant.* Adrana fluvius die Eder per Hassiam in Fuldam apud Cassellas influit, ac juxta Frideslariam amplo fluxu decurrit, unde locus prœlii facilè dignoscitur. V. *Bucheriam* lib. 3. c. 5. n. 3. & *Polybium* apud Freherum.

(*5) TACITUS idem l. c. pergit: *Cæsar incenso Mattio, id genti caput, aperta populatus, vertit ad Rhenum.* Bucherius per *Mattium* intelligit Marburgum ad Lonæ fluvii caput. Idem sentit Freherus ex Ortalio: Mattiacum sive Castrum Mattiacorum nunc est *Marpurg* urbs Hassiæ ad Lonam fluvium. Quidquid Menso Altingius in notit. Germ. inf. P. I. pag. 122. contradicat: Mattiacorum gentem ita dilaudat Tacitus de M. G. c. 29. *Est in eodem obsequio & Mattiacorum gens, protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultráque veteres terminos Imperii reverentiam. Ita sede, finibúsque in sua ripa; mente, animóque nobiscum agunt: ceterà similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo & cœlo acriùs animantur.*

(*6) TACITUS lib. 1. c. 59. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantúmque Amisiam & Lupiam inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari insepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæsarem invadit solvendi suprema militibus, Ducique, permoto ad miserationem omni, qui aderat, exercitu .... Prima Vari castra lato ambitu, & dimensis principiis trium Legionum manus ostentabant ...., medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant disjecta vel aggerata... adjacebant fragmina telorum, equorúmque artus simul truncis arborum antefixa ora: Lucis propinquæ aræ, apud quos tribunos, ac primorum ordinum Centuriones mactaverant, & cladis ejus superstites, pugnam aut vincula elapsi referebant: hìc cecidisse legatos, illic raptas Aquilas, primum ubi vulnus Varo adactum: ubi infelici dexterâ, & suo ictu mortem invenerit: quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captivis, quæ scrobes &c.*

Varus ſubierat, periculum, Romanos impulſurus (q), niſi barbara prædæ aviditas, ac nimia victoriæ fiducia Germanos perdidiſſet: his igitur tumultuariò cæſis, aut diſperſis, Germanico innoxium ad Rhenum iter patuit (r). Dux idem dum reparatis mox damnis, laſſum militem ære, ſaucios alloquio, & curâ, cæteros ſpe gloriæ ad nova prœlia firmat; Orientis regna Commoveri Romam perfertur.

(q) Idem à c. 63. ad 67.

(r) Idem c. 68.

4. Tiberius cunctis perterritis, ſolus ad novum diſcrimen geſtire viſus eſt (s); datâ enim hâc belli opportunitate, credebat ſe Germanicum, cujus gloriæ dudum inviderat, abſtrahere poſſe à Germanorum triumphis, ac in turbulentum orbis angulum ejicere; ubi inter inſidias, Parthorúmque acinaces citiùs, obſcuriúsque periret. Germanicus de ſiniſtra Patrui voluntate certior, fidum & paratum militem ad belli abſolutionem urget; translato celeriùs ad Viſurgim (*7) exercitu, ipſæ quoque Germanorum acies trans ripam fluminis ſeſe oſtentant: omnium nomine Arminius Latini ſermonis gnarus hoſtem in pugnam prolicit (t): concurritur poſteà plenis (u) utrimque ordinibus in campo, cui Idiſtaviſo nomen (*8). Germanicus depoſitâ galeâ, quò faciliùs à ſuis Dux conſpiceretur, primus Arminium adoritur, deinde certamen manu, voce, ac exceptis etiam vulneribus ſuſtentat; dum tandem in Germanorum cædem conflictus deſineret (x): Arminius niſu Corporis, & impetu equi evaſit, oblitus faciem cruore, ne noſceretur (y). Cadaveribus atque armis decem millia paſſuum oppleta fuiſſe memorant: haud perinde victos excidium afflixit, atque trophæum, quod Romani in prœlii loco conſtruxêre, ſubſcriptis domitarum gentium nominibus (z): ad abolendam

(s) Tacit. l. 2. c. 5. Dio lib. 57. pag. 615.

A. C. Æ. 16.

(t) Tacit. l. 2. c. 9.

(u) Idem c. 16.

(x) Id. c. 22.

(y) Ibid. c. 17.

(z) Ib. c. 18.

M

(*7) TACITUS lib. 2. c. 5. notat Germanici hoc alterum iter in Germania magna ex parte navale & maritimum fuiſſe. Cujus cauſam adjicit: *Celerandæ victoriæ intentior, tractare prœliorum vias . . . , fundi Germanos acie, & juſtis locis; juvari ſylvis, paludibus, brevi æſtate, & præmaturâ hyeme. Suum militem haud perinde vulneribus quàm ſpatiis itinerum, damno armorum adfici . . . . At ſi mare intretur, promptam eis poſſeſſionem* (ex claſſe ſcilicet è Rheno ad Oceanum ductâ, cùm Germani ad ſimilia rudes eſſent; unde ſubdit, teſte Bucherio) *& hoſtibus ignotam: ſimul bellum maturiùs incipi, legionéſque, & commeatus pariter vehi* &c.

(*8) BUCHERIUS lib. 3. c. 6. n. 6. *Idiſtaviſum campum*, qui pugnæ locus decretorius fuit, ab urbe Brema mare verſùs duobus circiter milliaribus diſtare ait, & hodie *Vegeſack* juxta *Lipſium*, juxta *Cluverium* lib. 3. c. 14. *Eysdorp* dicitur inter Mindam, & Oldorpium.

dam hujusmodi contumeliam à Cheruſcis atrocior pugna reſtaurata eſt. At alterâ quoque vice Germanorum fortuna (a), non item virtus devicta eſt (*9).

(a) Ibid. c. 21.

5. Triumphantes terreſti Marte legiones Oceanum ſubinde infeſtiorem habuêre; nam claſſi impoſitas & ad hybernacula remeantes, Auſter immenſo nubium tractu validus arripuit, disjecítque naves littus ſtringentes in apertum Oceani (*10); illinc vel vadis illiſæ, aut ſaxis abruptis impactæ non tam cum fluctibus, quàm morte certabant (b). Germanici triremis cùm in terram Chaucorum abriperetur; Dux à magnitudine periculi ferè inſaniens ſibi ultimam intentâſſet vim; niſi amicorum pietas manum abſtinuiſſet: relabente tandem æſtu quaſſæ, & raro remigio tractæ naves feſſum cum Duce militem ad littus expoſuêre (c). Non latuit Germanos fama afflictæ claſſis; quare in Manipulos conglobati accurrunt undique velut ad legenda ſpolia, aut ad ægras reliquias penitùs conficiendas. At naufragio ſuperſtites à primo terræ aditu reſumptis viribus priſtinam frontem objectant hoſti, ad primum impetum jam cedenti, aut ſicubi extiterat ſtatim pulſo, nec unquam magìs, ùt ex captivis cognitum eſt, paventi (d). Rebus tam feliciter geſtis, nullus erat, qui non longiorem curſum precaretur; Tiberius unus, ſtimulante invidiâ, Germanici gloriam interrumpendam putavit: monet itaque, Romam rediret ad decretum triumphum: Satìs jam belli eventuum, cætera conſilio magìs, quàm armis confici poſſe: relinquendos potiùs Germanos internis diſſidiis, ac ſi quid bellorum reſtaret, id tutò fratri ejus Druſo committendum (e). Precanti unius anni moram Germanico, ut cœpta abſolveret, callidè Conſulatus oblatus eſt; quem præſens in urbe, adeóque à ſuis ſuetis Legionibus abſtractus obiret: hâc ratione cùm fingi ſingula, ſéque per ſimultatem à curſu victoriarum ſubduci Dux intelligeret; Romam reverſus eſt, de Cheruſcis, Cattis, Angrivariis, aliíſque ad Albim gentibus triumphatu-

(b) Ibid. c. 23.

(c) Ibid. c. 24.

(d) Tacit. ann. lib. 2. c. 25.

(e) Idem c. 26.

Triumphus Germanici.

(*9) TACITUS lib. 2. c. 22. Secundi hujus trophæi, quod Germanicus ſtruxerat, Epigraphen hunc in modum recitat: *Debellatis inter Rhenum, Albimque nationibus, exercitum Tiberii Cæſaris, ea monimenta Marti Jovi, & Auguſto conſecraviſſe.* De ſe nullam Germanicus mentionem fecerat, ne majorem apud Tiberium invidiam incurreret.

(*10) Apud *Senecam in epiſtolar. ſuaſor.* lib. p. 11. extat fragmentum *Pedonis* Poëtæ, quo Germanici naufragantis calamitas depingitur.

phaturus (*11). Vecta sunt spolia, captivi, simulachra montium, fluminum, ac prœliorum (*12): augebat intuentium visum eximia Germanici species, currúsque quinque liberis onustus (f); quanquam non deessent, qui mentem Tiberii altiùs scrutati, hos favores perbreves fore ominarentur. A. Æ. C. 17.

(f) Idem c. 41.

6. Antiocho Comagenorum, & Philopatore Cilicum Regibus defunctis, Tiberio animus erat, has ditiones Imperio adjicere (g): id igitur operis Germanico demandatur; ut peregrè inter subornatas insidias interiret; nam Piso scelerum artifex, ac ejus uxor Plancina à Cæsare ad nefandum parricidium jam empti erant. Germanicus periculi ignarus mari toto divisas adit provincias (h), Ægyptum fame laborantem commeatu (i), Asiam terræ motibus succussam (*13) sumptu publico juvat, cæteris regionibus legum prudentiâ, ac comitate solitâ prospicit. Pisonis quamprimùm intererat ea expromere, quæ ad perdendum Germanicum erant expeditiora: nam simultate & odio perstringebat omnia, quæ Dux Providentiùs agebat, dein apertis inimicitiis sapienter ab eo constituta antiquabat (k); demum, ne moras traheret, venenum attulit, quo Princeps contractâ ægritudine non sine Provinciarum luctu Antiochiæ decessit (l); eâdem ferè ætate, ac fato, quo M. Alexander olim in ista locorum propinquitate, Annos triginta non multùm egressus, suorum insidiis occidit. Agrippina Germanici uxor, postquam animum muliebri more in varii generis planctus effuderat; cineres parricidii testes secum in Italiam aufert (m): vix conspecta urna est; jam omnium ordinum

(g) Tacit. c. 42. Joseph. antiq. lib. 16. c. 3.

(h) Idem c. 43.

(i) Id. c. 59. Sueton. lib. 3. c. 5.

(k) Tacit. an. 2. c. 69. 73.

(l) Sueton. lib. 4. c. 1. & 3. Dio 57. pag. 615.

Mors Germanici.

A. Æ. C. 19.

(m) Tacit. lib. 2. c. 75.

(*11) Extant hodiedum *numismata*, quæ suâ inscriptione hunc triumphum Germanici signant: SIGNIS RECEPTIS: DEVICTIS GERMANIS. Triumphus institutus est ad septimum Kal. Junii sive 26. Maji.

(*12) BUCHERIUS lib. 3. c. 7. n. 2. benè advertit, vecta in eo triumpho simulachra montium, fluminum Germaniæ, sed non *urbium, quia nondum in Gentibus illis conditæ.* Captivos in pompa triumphali ductos refert STRABO lib. 7. *In iis erant Segimundus, & Segestis filius Cheruscorum Dux*; *sorórque ejus, & uxor Arminii*, (in cæde antè vulnerati, quem eodem anno ex vulnerum gravitate, aut ex dolore captivæ uxoris è vivis decessisse ait Bucherius) *nomine Thusnaida, ac filius ejus tres annos natus Thumelicus. Nec non Sesithacus Segimeri Cheruscorum Ducis filius, ejúsque uxor Rhamis, Acrumeri Cattorum Ducis filia, & Theodorix, Baitoriti filius . . . . in Pompa quoque ductus est Lybis Cattorum Sacerdos aliique multi mortales ex devastatis populis, Chaucbis, Ampsivariis, Bructeris, Usipiis, Cheruscis, Cattis, Cattuariis, Marsis & Tubantiis.*

(*13) EUSEBIUS Chr. p. 201. horrificum illum terræ motum describit, quo duodecim Asiæ urbes cum Sardis & Epheso unâ nocte corruerunt: dehiscere terra multis in locis visa est, repertúmque eodem tempore corpus Giganteum, cujus dentem uno pede longiorem Tiberio miserunt. *Phlegon. mir. c. 13.*

dinum viri ſceleri infremuêre. Nec Tiberius queſtibus compoſitis parcebat, quò longiùs à ſe facinoris conſcientiam amoliretur: in unum igitur Piſonem invidia parricidii rejecta eſt. Is ubi ſe à Tiberio deſertum fruſtra inclamaret; vi ſibi ipſi paratâ acerbius ſupplicium prævenit, exemplo iis futurus, qui tyrannis ex æquo crudelibus atque aſtutis obſequuntur.

Maroboduus regno pulſus.

7. Sub idem tempus Germania externo metu liberata, in ſe ipſam arma convertit; Arminius namque, & Maroboduus diſſentientes inter ſe, magnam Germaniæ partem in bella traxerant: oderant nimirum in Maroboduo populares inviſum Regis nomen, atque in hunc Cheruſci, Semnones, Longobardi, aliæque ab Arminio accenſæ gentes bellum moverant (*14.): multitudine hoſtium perculſus Maroboduus à Tiberio Romanorum petit auxilia, quibus negatis id ſaltem impetratum eſt, ut Druſus ad ſpeciem pacis conciliandæ in Germaniam mitteretur (n): iſte verò illiciens Germanos ad majores diſcordias in eo ponebat operam, ut ipſorum in ipſos arma verteret, útque fracto jam Maroboduo usque in ejus exitium inſiſteretur. Eodem tempore Catualda (*15.) nobilis inter Gothones Juvenis, à Maroboduo olim fugatus, animos reſumpſit, collectáque manu validâ Marcomannorum Regiam, ac Bojohemum cepit. Maroboduus proinde pulſus, exutúsque Regno ad Tiberium denuò ſupplex confugit (o): receptus tandem Ravennam pro exilii loco obtinuit; ubi per duodeviginti annos egit inglorius, non ſine Romanorum commodo: nam quoties Gens Suevorum inſoleſcebat, toties Rex iſte reddendus Regno, velut ex inſidiis, oſtentabatur (*16.)

A. Æ. C. 19.

(n) Tacit. l. 2. c. 46.

(o) Tacit. lib. 2. c. 62.

8. Unus

(*14) Alia ratio belli contra Maroboduum ab Arminio ſuſcepti, colligitur ex *Vellejo lib. 2. c. 119.* ubi ſcribit: *Vari Caput abſciſſum, latúmque*, jubente Arminio, *ad Maroboduum;* hoc pignore victoriæ Regem hunc Marcomannorum in ſuppetias adducere laborabat, ſed fruſtra; nam miſſo capite Vari ad Cæſarem, Romanorum Amicitiam pluris, quàm ſuorum fecerat.

(*15) TACITUS lib. 2. c. 62. Erat *inter Gotones* (qui erant in oſtio Viſurgis, ſed quia Marobodui Regnum eò ſe non extenderat, alii legendum putant, *Butones*) *nobilis Juvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, & tunc dubiis rebus ejus ultionem auſus. Is validâ manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad ſocietatem, irrumpit Regiam, caſtellúmque juxtà ſitum. Veteres illic Suevorum prædæ &c.* Hunc eundem Catualdam poſteà ex regno ſuo quoque ejecit Vibilius Dux Hermundurorum, & gratiæ loco à Romanis pro exilio impetravit Forum Julium Narbonenſis Galliæ coloniam, ùt refert Tacitus annal. lib. 2. c. 63.

(*16) SUETONIUS in Tib. c. 37. hanc artem Tiberio uſitatam fuiſſe notat

quoi

8. Unus igitur in Germania hostis supererat Arminius, prœliis ambiguus, bello nunquam Victus (*17.): hunc quoque à medio se sublaturum pollicitus est Andegastrius Cattorum Princeps; si patrandæ neci Senatus venenum submitteret: respuit is, ut fas erat, turpe obsequium, Romanos, inquiens, non latrocinio, sed armis æquis hostem ulcisci (p): incolumi tamen Arminio diu esse non licuit; Regnum enim, quod in Maroboduo non ferebat, ipse posteà affectans, propinquorum dolo cecidit (*18.). A fato bellicosissimi Ducis pax ingens provinciis nata est; Si Odrysias gentes ac Galliarum civitates excipias, quarum illæ ob inultas quorundam injurias (q): istæ ob magnitudinem æris alieni turbabantur (*19.); sed primis Vellejus, aliis Silius breve intra tempus rebelles animos ademit (*20). Pertinacior his in pugna stetit Tacfarinas, ex Afrorum solitudinibus toto septennio Romanis copiis infestus (r): verùm idem, qui victricibus armis domari non poterat, tandem seipsum proprio telo confecit, Dolabellâ Africæ Proconsule eundem ad hoc lethi genus adigente (s).

Arminii interitus.

(p) Tacit. lib. 2. c. 88.

(q) Idem lib. 3. c. 38. & 39.

(r) Tacit. ann. c. 73.

(s) Idem an. 4. c. 23.

9. Circa annum Æ. C. XXIII. Drusus Tiberii unicus ex Agrippina filius crudeli Sejani operâ extinctus est (*21). Potentior

Sejani flagitia.

quosdam per blanditias, atque promissa extractos ad se, non remisit, ut Marobodum Germanum: Cæterùm mortuo etiam Maroboduo, *Marcomannis, Quadisque usque ad nostram memoriam.* (scribit Tacitus de M. G. c. 42.) *Reges manserunt ex Gente ipsorum, nobile Marobodui & Tudri* (nobilis Quadi) *genus.*

(*17) *Romanus* quantumvis *Scriptor* hanc Arminio laudem dedit: *Liberator*, ait, *haud dubiè Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, sicut alii Reges, Ducésque, sed florentissimum Imperium lacessierit.* Tacit. lib. 2. c. 88.

(*18) IDEM. l. c. *Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit, caniturque adhuc barbaras apud Gentes*, MASCOVIUS lib. 4. pag. 102. opinatur, celebrem *Irmensulam*, quam Carolus M. Ehresburgi destruxit, Arminio dicatam fuisse, quasi Hermanni columnam dictam.

(*19) Seditioni huic denuò ansam dedêre insatiabilis Romanorum Magistratuum cupiditas, & exactiones immensæ, demum usurarius quæstus, quo passim premebantur, qui ad solvenda tributa pecuniam mutuam acceperant. Motuum primos authores Tacitus lib. 3. c. 40. nominat Julium Florum, & Julium Sacrovirum, virum fortem, ac astutum. c. 41. subjungit; *haud fermè ulla civitas intacta seminibus ejus motûs fuit.*

(*20) VELLEJUS *lib. 2. c. 129.* pro more suo hanc Victoriam exaggerat: *Quantæ molis bellum, Principe Galliarum ciente Sacroviro, Floróque Julio mirâ celeritate, ac virtute compressit, ut antè populus Romanus vicisse se, quàm bellare cognosceret.* Florus *suâ manu cecidit*, ut refert Tacitus lib. 3. c. 42. quod & c. 46. de Sacroviro memorat.

(*21) DIO lib. 57. pag. 610. Drusum Tiberii filium describit, velut Principem crudelem, & furiosum in optimates etiam: hinc postquam Sejano alapam inflixisset, is injuriam ulturus, veneno eum sustulit. TACITUS Ann. 3. c. 37. tot affectionum pessimarum Drusum insimulat, ut dignum ostendat, qui maturâ morte ex vita extruderetur.

tior hic Prætorii Præfectus, ubi hoc primum facinus impune habuerat; adjecto ad regni spem animo, Imperatorem ad quævis scelera pellicere aggreditur (t): nihil enim aptius ad rapiendum sibi Imperium existimabat, quàm si infamibus quibusque flagitiis notatus Cæsar Imperio indignus haberetur. Consilio igitur suo Sejanus Tiberium eò inducit, ut Regni curam in alios præfectos rejiciat, dein in Campania locum sibi designet, ubi licentiam secreti nactus, procul Liviâ matre, procul urbe dissimulata diu vitia profunderet (u).

(t) Idem ann. 4. c. 1. Tillemont in Tib. pag. m. 127.

Tacit. 4. c. 41. 57. & 67.

(u) Suet. lib. 3. c. 51.

10. Sub annum XXV. permissa Sejano est Italia, Pontio Pilato Judæa (x), aliísque Præsidibus aliæ Provinciæ. His Constitutis Tiberius Capreas abit: in illo secessu portentosæ libidini, turpissimæque ebrietati (y) summam avaritiam, crudelémque rapacitatem sociavit, non minùs in excellentes ingenio viros, quàm in propinquos, & necessarios sæviens (*22). Italia omnis cùm mœreret; uni Sejano tot inter funera volupe fuit, qui carnificinarum minister, ac propè satelles erat, tantò ferocior (z), quantò certiùs se per cruenta hæc vestigia ad summos Imperii honores grassaturum sperabat. Sive metu suadente, seu Tiberio jubente Sejanum miles in labaris, Magistratus ac populus in statuis colebant (*23); hæc tamen officia homini ex mediocri loco emergenti, ùt fit, vilia fuerunt, nisi Regni apicem tangeret (*24).

(x) Bucher. lib. 3. c. 10. n. 4.

(y) Tacit. 4. c. 67.

Sueton. lib. 3. c. 41.

A. Æ. C. 26. & 27.

Crudelitas Tiberii & libido.

(z) Dio l. 58.

11. Qua-

(*22) Primum odium, quod erga sanguine junctos Tiberius fovit, fuit adversus matrem Liviam, cujus monita, ac vigilem oculum ferre non poterat. V. SUETON lib. 3. c. 50. & 51; matre anno Æræ V. 29. mortuâ Agrippinam Germanici viduam, ejúsque familiam in exilium relegavit, ubi fame perierunt. Ut latiùs refert Tacitus An. c. 7. 20. 23. Sueton. lib. 3. c. 54.

(*23) DIO lib. 51. pag. 617. Sejano à Senatu statuam positam esse refert in Theatro Pompeji; TACITUS a. 5. c. 74. effigies Cæsaris & Sejani publico & eodem cultu celebratas dicit. SUETON. lib. 3. c. 65. DIO l. 58. maximos Sejani honores, & superbiam fusè describunt.

(*24) Sejanus erat filius Seji Strabonis Præfecti Prætorii sub Augusto, ait DIO lib. 57. pag. 620., avunculus ejus maternus, Junius Blæsus præerat legionibus Pannoniæ sub Tiberio, (Tacit. an. 1. c. 16.) ipse Sejanus officium & Præfecturam prætorianorum à Patre accepit (Tacit. c. 24.) *mox Tiberium variis artibus devinxit adeò, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum, intectúmque efficeret. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio, & superbia, palàm compositus pudor*

11. Quare ille Imperatorem primò Caprearum (*25) Re- A. Æ. C. 30.
ctorem per contumeliam vocare, deinde gravioribus ejus inſtitu-
tis palàm in Senatu contumaciùs obluctari cœpit (*26). Tibe-
rius, aut verſatili uſûs tyrannorum ingenio, aut Sejani injuriis è
ſtupore ſuo ad ſenſum revocatus, hunc importunum ſortis alum-
num per eos gradus, quibus eum extulerat, profundiùs depri-
mendum exiſtimat (a). Sed quoniam potentium nemo à ſummis (a) Dio lib. 58. pag. 625.
ad ima ſine periculo trahitur; eum Præfecturâ Prætorii, ac mili-
te priùs exuit, objectâ affinitatis ſpe ac tribunitiæ poteſtatis (b): (b) Sueton. lib. 3. c. 65.
poſteà nihil ſuſpicantem ſcriptâ ad Senatum criminosâ epiſtolâ ad
mortem depoſcit (c): dictâ ſententiâ, cùm eſſet Sejanus ejus an- (c) Dio... pag. 626. 630.
ni Conſul, è curia ad carcerem & necem illico trahitur; inter lu-
dibria dejiciuntur ejusdem ſtatuæ, Amici, & filii cæſi, filia una
Claudii ſponſa, antè à Carnifice corrupta (d), & de more ſtran- (d) Tacit. an. 5. c. 9.
gulata eſt. Corpus Sejani unco ad Gemonias ſcalas, inde in Ti- *Sejani Supplicium.*
berim devolvitur, ingenti viciſſitudinis humanæ documento (*27),
mortuum vix terræ ſpatium pro tumulo habuiſſe, cui vivo, & A. Æ. C. 31.
Principis favore ſuffulto orbis univerſus anxiè parebat.

12. Dum è Capreenſi Inſula Tiberius in totam Italiam cæ-
des civium complures dictaret; hoſtes exteri Romanas provincias,
quin ullus reſiſteret, evaſtârunt: Mœſiam Daci, Sarmatæque (e), (e) Tacit. ann. 6. c. 32. ad c. 37.
Armeniam Parthi diripuerunt, magno dedecore Imperii, nec
minore diſcrimine: Friſones etiam in Romana præſidia arma ce- Suet. c. 41.
pêre;

dor, intus ſumma adipiſcendi libido: ejúsque causâ modò largitio, & luxus, ſæpiùs induſtria, ac vigilantia, haud minùs noxiæ, quoties parando Regno finguntur.

(*25) TACITUS lib. 4. c. 67. Capreas inſulam: in quam ſe Tiberius abdiderat: ita exhibet: quod Inſula fuerit *trium millium freto ab extremis Surrentini Promontorii disjuncta. Importuoſum circà mare... neque adpulerit quisquam niſi gnaro cuſtode. Cœli temperies hyeme mitis, objectu montis, quo Sæva ventorum arcentur. Æſtas in favonium obverſa, & aperto circùm pelago peramœna; Græcos eam tenuiſſe, Capreásque Thelobois habitatas fama tradit.*

(*26) OROSIUS lib. 7. c. 4. apud *Henſchenium* in Apparatu pag. 10. n. 18. refert inter præcipuas cauſas, cur Sejanum Tiberius morte damnârit, quia Cæſaris, Chriſtum inter Deos adſcribere volentis, conſilio cum Senatu obſtitit, & *ſuſcipiendæ tali Religioni obſtinatiſſimè contradixit.*

(*27) XIPHILINUS *in epitom. Dionis* pag. 241. de caſu Sejani maximi Miniſtri aulici ita ſcribit; *ex quo intelligi debet imbecillitas rerum humanarum & inconſtantia, nec nos unquam extolli oportere. Nam quem omnes manè, ùt potiorem ſe, comitati in Senatum, eum paulò poſt in carcerem trahebant, ùt abjectum, & nefarium hominem: & cui coronam paulò antè dederant, eundem poſteà vinculis conſtringebant: quemque antea, ut Dominum Satellites ſtipabant, eum deinde, ut fugitivum cuſtodiebant &c.*

pêre; tributum his Drusus modicum imperaverat, ut in usus militares boum coria penderent, quin firmitudo, aut forma præscriberetur; at Olennius, qui postea regendis Frisiis impositus est, maxima urorum terga delegit, quorum in formam coria solverentur. Ac primò boves ipsos, mox agros, postremò corpora conjugum, aut liberorum servitio tradebat; hinc ira, & questus & tandem acerrimum bellum; quo innumeri ex Romanis perierunt (*28).

13. Principem æquè suis crudelem, ac Reipublicæ negligentem tandem languor fatalis prostravit: vi morbi, quâ in itinere Romam versùs tentari cœpit, aliquamdiu dissimulatâ, Misenum devehitur, ubi nihil ex solitis conviviis, nihil ex cæteris flagitiis prætermisit (f): inter ultimas animi luctas, multorum nepotum etiam exitium anhelabat, concepto in hæc verba voto: *me mortuo misceatur igne terra* (*29)! Antequam rabie plenissima vox in funera plurium evaderet; Tiberius tum insidiis Caji, quem Successorem scripserat (*30) tum aliis offensis debilitatus sævire, & vivere desiit in villa Lucilliana Campaniæ die XVII. Kalendas Aprilis Anno Imperii à morte Augusti vigesimo tertio (g) ætatis septuagesimo octavo (h). Imprecabatur mortuo populus uncum, Tiberisque undas, quas innoxio sanguine toties funestaverat (i): majus

(f) Tacit. 6. c. 47. Suet. c. 72.
Mors Tiberii. A. Æ. C. 37.
(g) Tillemont. not. 13. ad Tib.
(h) Dio lib. 58. pag. 639.
(i) Sueton. lib. 3. c. 75.

(*28) Bellum Frisiorum contra Romanos ita concludit TACITUS lib. 4. c. 73. *Quanquam multi tribunorum* (Romanorum) *Præfectorúmque, & insignes Centuriones cecidissent. Mox compertum à transfugis nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugnâ in posterum extractâ, confectos, & aliam quadringentorum manum, occupatâ Cruptoricis quondam stipendiarii villâ, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse. Clarum inde inter Germanos Frisium nomen: dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret.* Bucher. lib. 4. c. 3, putat pugnam Frisios inter, & Romanos extitisse Lewardiam, ad Snekam Frisiorum urbes. Per Baduhennæ lucum intelligit Cluverius lib. 3. Germ. V. c. 17. maximam Frisiæ sylvam. Vulgò *Sevenvvolden.*

(*29) DIO lib. 58. scribit: Tiberium, qui omnium felicitati invidebat, versum illum tragici Poëtæ frequenter usurpâsse: ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Nero postea hanc vocem inhumanam monstrosè corrigens ajebat, *me vivo misceatur igne terra* ἐμοῦγε ζῶντος. Post longam deliberationem tandem hæredes scripsit Cajum ex Germanico & Tiberium ex Druso nepotes, quos sibi invicem substituit, ùt notat. *Sueton.* c. 76. & *Tacit.* ann. 6. c. 45. & 46.

(*30) DIO l. 58. pag. 639. Cajo parricidium tribuit, nam *Cajus, metuens, ne convalesceret, postulanti cibum non suppeditabat, quod ei diceret obfuturum, quódque assereret, eum caloris indigere, ita multis & gravibus vestimentis cooperiebat, ut eum suffocaverit.* SUETONIUS contrà l. 3. c. 73. ex Seneca refert eum præ lassitudine, & defectione virium exanimem in lectum concidisse.

majus utique Cæsaris hujus odium extitiſſet apud poſteros, niſi ab eodem talis ſucceſſor ſtudio ſcriptus fuiſſet, qui fœdam ſcelerum memoriam immaniore libidine poſteà eſſet obruturus; nimirum Cajus Caligula, Germanici optimi peſſimus filius, in quo natura oſtendit, quid vitia poſſint cum ſumma authoritate conjuncta, quémque Tiberius, ùt jactabat ipſe, quaſi nutricem foviſſet ſinu, alterúmque orbis Phaëtontem reliquiſſet (k).

(k) Sueton. lib. 4. c. 11.

§. III. CAJUS CALIGULA *accipit Imperium, ejus bona auſpicia, monſtroſa converſio, libido, avaritia, ac crudelitas, bella ridicula, ac joculares triumphi: conjuratio in Cæſarem eundem, hujúsque funeſtum exitium.*

Laudata Caji regnantis exordia.

1. Regnantis Caji initia ſi ſpectes, diſparia omninò ab ejus inſita indole fuerunt: Servire tempori in aula Tiberii doctus (*1) militem antiquâ à caſtris neceſſitudine, Senatum popularibus ſtudiis deludebat, quæ cùm ageret, penè oblatum accepit Imperium, ſummóque conſenſu abrogabantur Tiberii tabulæ, quibus alter nepos quidam adhuc prætextatus Cajo ſubſtituebatur (a). Funere Imperatoris elato commentarios contra ſuos, & contra ſe conſcriptos in foro palàm concremat, ne quis delatori metus, aut ne quod injuriæ acceptæ veſtigium reſtaret (*2). Populo ſuffragandi primævum jus (b), congiaria civibus, (c) vacuis Provinciis præſidia, ſpoliatis Regibus Regna (d) vel dedit aut reddidit. In tam multiplicem virtutis formam effictus, etſi titulorum oſor videri vellet, pius tamen filius Caſtrorum, exercituum Pater, ac optimus Cæſar audiit (e). Hoc incolumi quia incolumem fore Rempublicam quisque ominabatur, ſiniſtra ejus valetudo, quâ octavo ab adito imperio menſe tentabatur, Romam anxiam habuit: pernoctantibus cunctis circa palatium non defuerunt,

(a) Sueton lib. 4. c. 14. Dio lib. 59. pag. 650.
(b) Sueton.
(c) Idem c. 17.
(d) Idem c. 15. pag. 645.
(e) Sueton. c. 22.

N

(*1) TACIT. l. 6. c. 45. *Immanem animum ſubdolâ modeſtiâ tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum ruptâ voce ... unde mox ſcitum Paſſieni oratoris dictum percrebuit; neque meliorem unquam ſervum, neque deteriorem Dominum fuiſſe.*

(*2) SUETON. in Cajo c. 15. *Commentarios ad matris, fratrúmque ſuorum cauſas pertinentes, ne cui poſtmodum delatori, aut teſti maneret ullus metus, convectos in forum, & antè clarè obteſtatus Deos, neque legiſſe, neque attigiſſe quidquam, concremavit.* DIO tamen l. 59. pag. 642. notat chartas, quas exuſſit, nonniſi tranſcripta exempla fuiſſe; unde ejus verſipellis animus denuò ſe hìc oſtendit; nam multos poſteà eo nomine interemit, quòd ſuæ matri, ſuíſque fratribus necem machinati eſſent DIO l. 59. pag. 647.

fuerunt, qui solitâ superstitione sua capita pro salute Cæsaris devoverent (*3). Accessit ad civium amorem ingens exterorum favor: Artabanus namque Parthorum Rex, qui odium, contemptúmque Tiberii præ se semper tulerat, amicitiam Caji jam ultro petiit; & colloquio cum Legato Imperatoris habito, Euphratem transgressus, in Castris Romanorum signa, imaginésque Cæsaris adoravit (f).

(f) Sueton c. 14.

A. Æ. C. 38.

(g) Idem c. 24. Dio lib. 59. pag. 648.

2. Anno primo lætiora inter auspicia transacto repentina è Principe in monstrum fit conversio: sublata primùm est jubente Cæsare, Antonia avia, dein alii quique, quos Cajus suæ vitæ sollicitos ac simul invisos arbitros fore credebat (*4). Extra metum itaque horum positus contra naturæ leges in sorores nefandâ libidine flagrans, ac unam ex iis Drusillam in modum justæ uxoris propalam habere cœpit (g); his subinde illustribus viris raptas uxores addidit, inter quas Cæsoniam luxuriæ perditæ fœminam constantiùs non sine suo periculo deperibat; istius namque artibus amatoriis infatuatus Cajus in adversantes planè affectiones incidit, in summum scilicet metum summámque fidentiam; hâc stimulante ad Xerxis exemplum fluenti inter Bajas, & Puteolos mari Pontem trium millium ac sexcentorum ferè passuum instravit. (*5) Professus Lunæ stolidum conjugium, & ficta alloquia Jovis, hujus

Caji monstrosa perversio.

(*3) PHILO *in Legat.* pag. 995. addit, quòd & judæi in gratiarum actionem pro valetudine Cæsaris Deo Hecatomben obtulerint. Sed tam Romanos, quàm judæos spe suâ fefellit. Mutatio immanis Principis, quæ hunc morbum secuta est, ab aliis tribuitur disturbato per morbi vim cerebro, ut insinuat *Suetonius* c. 50. Alii artibus pellicis Cæsoniæ, alii demum comitiali malo, quo à puero vexabatur. Josephus verò antiq. lib. 19. vicissitudinem hanc ortam esse scribit, ex nimia superbia, quam Augustinus vocat Vermem Majestatis & Divitiarum.

(*4) Inter morum Magistros, quorum doctrinam, Consilia, ac virtutem Cajus oderat, duo præcipui fuêre *Silanus* & *Macro*. Ille Proconsul Africæ, ac hostium victor, demum Caji socer ad secandas sibi novaculâ fauces compulsus est. Eoquòd, ùt ait SUETONIUS c. 23. Cajum *turbatius mare ingressum non esset secutus; ac spe occupandi urbem, si quid Cajo per tempestates accideret, remansisset.* Sed causa vera quæ Silanum à comitatu abstraxerat, erat *impatientia nauseæ & molestia navigandi.* Alter *Macro*, qui per obsequiorum Cajo præstitorum fidem authoritate quâdam in Cæsare monendo utebatur, erátque quasi *adjutor Imperii*, pro præmio laborum cruentum supplicium accepit *Sueton.* c. 26. Dio pag. 647. *Tiberium* fratrem Regni parem hæredem institutum ad mortem adegit non aliâ ratione, quàm quòd ad præcavenda venena sua antidotum sumpsisset. Unum Patruum *Claudium* ex suis servavit quasi *in ludibrium*, quamvis successor Imperii ei datus sit. Sueton. c. 23.

(*5) XIPHILINUS in epit. Dionis lib. 59. *Cajus ea parvi pendere, & in mari equitar-*

hujus tonitrua, habitum ac honores æmulabatur, miſſis ad Provinciarum templa ſtatuis, in quibus velut alter Latialis Jupiter coli ſacrificiis cupiebat (h). Tumorem hominis ſupra humanam conditionem enitentis, multùm infra hominem depreſſit amentia belluina, quâ equum, cui *incitato* nomen erat, ſibi in Collegam conſulatûs ac Sacerdotii adſcivit (i).

(h) Dio lib. 59. pag. 660. Suet. c. 51.

(i) Idem c. 55. Dio p. 650.

3. Longè acerbiùs autem ſuperbientem Cæſarem metus, terrórque exagitabat, à triſtibus rerum imaginibus inter inſomnes noctes ingeſtus (k): quò anxias ejusmodi curas depelleret, Gladiatorum, Saltatorum, Mimorúmque turbâ circumſeſſus, circos, theatra, maximásque ſubſtructiones cogitabat, in quarum pretium immenſas opes à Tiberio congeſtas, nempe vicies ac septies millies ſeſtertium (ſive centies decem millia coronatorum) non toto vertente anno abſumpſit (l). Ærario expilato, quia pro tot voluptatum generibus ſumptus deerant Cæſari; ex avariſſimis Publicanorum vectigalibus, ac è meretricio quæſtu ingens auri copia coacta eſt (m), quâ Principem ita delectatum fuiſſe ſcribunt; ut in ea nudum ſe provolveret. Cupiditatum, opúmque ſitim, cùm id factis rapinis minùs poſſet, etiam ſanguine reſtinguendam putavit, in vitam & bona ditiſſimorum crudeliter debachando: itáque ſive ex equeſtri, ſive Senatorio ordine non pauci ejus ferociæ ſuccubuerunt, quibus una opulentia pro crimine erat. Alios ſtigmatum notis deformatos ad fodinas, aut beſtias damnavit, alios belluarum more quadrupedes caveâ coërcuit, alios crebris & minutis ictibus concidi voluit, identidem carnificem interpellans, *ita feri, ut mori ſe ſentiant:* à privatorum laniena eò vota ſua convertit, ut univerſæ Reipublicæ exitium anhelaret, populo Romano (n) unam cervicem exoptans, quam pro ſua atroci libidi-

(k) Philo in Flacc p. 990.

(l) Dio pag. 641.

(m) Sueton c. 40.

Crudelitas ac avaritia Imperatoris.

(n) Idem c. 30.

tare quodam modo cupere, ponte inter Puteolos, & Baulos facto: qui locus oppoſitus civitati diſtat ab ea ampliùs tria millia paſſuum; ad hunc pontem naves coactæ, & ædificatæ fuerunt ... fuêre in eo diverſoria ... quibus rebus inſtructis, paratisque Cajus thoracem induit Alexandri (ſic enim appellabat) ... tum accinxit gladium, ſcutúmque accepit, & ex quercu coronatus eſt ... pòſt Pontem ingreditur, introducta magnâ equitum, ac peditum armatorum multitudine &c. Tres cauſas SUETONIUS hujus inſani operis affert c. 19. 1. ob æmulationem Xerxis, qui non ſinè admiratione aliquantò anguſtiorem Helleſpontum contabulâſſet. 2. Ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immenſi operis famâ territaret. 3. Quia Thraſillus Mathematicus, anxio de Succeſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori affirmaverat: non magìs Cajum Imperaturum, quàm per Bajanum ſinum equis diſcurſurum.

libidine uno ictu decuteret: his omnibus velut ultimus calamita-
A. Æ. C. tum cumulus acceſſit, quod ſibi omnia in omnes licere diceret,
39. contemptóque amore civium funeſtum illud crebrè jactaret: *Oderint, dum metuant.*

4. Tertiâ Imperii ſui æſtate, ubi ſe in caſtris natum, & in legionum contubernio (o) à Patre & Duce Germanico educatum meminiſſet, impetum Germanicæ expeditionis cepit (p): ſuperatis igitur Alpibus, expilantis in morem Galliam prætervectus (q) ad Rhenum conſtitit: luſtratis ibi copiis, quarum ducenta ferè millia Galba per eum tractum exercebat, Sueviam ingreditur: pavido tamen, ùt erat, animo ad commemorationem Alemanni hoſtis turpem undique fugam reſpectabat (*6); exemplum fortitudinis ſubinde aliquod editurus, paucos de cuſtodia Germanos trajici, occulíque trans Rhenum jubet, ac ſibi poſt prandium quàm tumultuoſiſſimè, adeſſe hoſtem, nunciari, quo facto, ſe cum Amicis & parte equitum Prætorianorum in proximam ſylvam proripit, truncatíſque arboribus, & in modum trophæorum adornatis, ad lumina reverſus eorum quidem, qui ſecuti non eſſent, ignaviam corripuit (*7); comites autem, & participes victoriæ novo genere & nomine coronarum donavit, quas diſtinctas ſolis, & lunæ, ſiderúmque ſpecie, exploratorias appellavit.

(o) Dio lib. 57. p. 605.
(p) Suet. c. 19.
(q) Dio l. 59. p. 656.

Bella ridicula Caji.

A. Æ. C. 40.

5. Ludicra magìs ſequente anno ſeu bella, ſeu ſpectacula in Britanniæ littore inſtituit: ingentis quaſi belli aleam jacturus, dirigit aciem; ac balliſtis, machiníſque diſpoſitis, nemine gnaro, ac opinante, quid moliretur, repentè ut conchas legerent, galeáſque & ſinus replerent, imperat; Spolia Oceani vocans, Capitolio, palatióque debita (r). Joculari bello par triumphus reſpondit;

(r) Sueton. c. 47.

(*6) SUETONIUS c. 51. *Adverſùs Barbaros quoque minaciſſimus, cùm trans Rhenum inter anguſtias, denſúmque agmen iter eſſedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore conſternationem, ſicunde hoſtis appareat: equum illico conſcendit: ac properè verſus ad pontes, ut eos calonibus, & impedimentis ſtipatos reperit, celeris impatiens moræ, per manus, ac ſuper capita hominum translatus eſt. Mox auditâ rebellione Germaniæ fugam, & ſubſidia fugæ claſſes apparabat: uno ſolatio acquieſcens, transmarinas ſibi ſuperfuturus Provincias, ſi victores Alpium juga, ùt Cimbri, vel etiam urbem, ùt Senones quondam occuparent.*

(*7) IDEM c. 45. *inter hæc abſentem Senatum, populúmque graviſſimo objurgavit edicto, quod Cæſare præliante, & tantis diſcriminibus objecto intempeſtiva convivia, circum & theatra, & amænos ſeceſſus celebrarent.*

ſpondit; præter captivos enim, & transfugas barbaros Gallorum proceriſſimum quemque ſepoſuit, coëgítque Germanicum diſcere ſermonem, ac nomina barbarica ferre, ut de ſubacta Germania poſt tot inſanias triumphare videretur (s): hoc uno Scenica victoria tunc profuit, quod in ejus ſignum Cajus altiſſimam, & hodie adhuc celebrem turrim (*8) in Gallia exſtruxerit, ex qua ad regendos navium curſus noctu ignes micarent.

(s) Dio l. 59. p. 656. Sueton. c. 47.

6. A ſtolidis prœliis ad ſanguinolentum ingenium Cajus rediit, nam conſtitutum habebat, decimare militem, aut totas legiones contrucidare, quæ poſt exceſſum Auguſti contra Patrem Germanicum rebellâſſent, ſéque infantem cum Agrippina matre in caſtris obſediſſent (t). Deſignaverat quoque duplici in libello, quorum uni *Claudius*, alteri *Pugio* nomen erat, complures ex ſummis ordinibus, quos primùm neci addicere, dein Alexandriam Româ relictâ commigrare decreverat (u). Caſſius Cheræa cohortis Prætoriæ tribunus vir fortiſſimus, ſive eſſet Satur tot inſaniarum, ſive irritatus calumniâ, (nam à Cajo utpote mulier tractabatur) (*9) advocat conjuratorum manum, hâc annuente in theatrum irrumpitur, ubi ſpectaculis Cæſar vacabat (x). Vix Cajus è ſcena pedem extulerat, Cheræa Principem ferro adoritur, cædem conjurati cæteri proſequuntur, ac triginta vulneribus confoſſum, arrogatâ divinitate, vitâ & Imperio ſimul exuunt; anno ætatis viceſimo, die nonâ Kalendas Februarias, poſtquam regnâſſet annos tres, menſes decem, dies octo (y). Per-

(t) Idem c. 48. & 49.

Conjuratio in Cajum.

(u) Dio pag. 660. Suet. c. 49.

(x) Joſeph. lib. 19. antiq. c. 1. Suet. c. 48.

Mors Caji.

A. Æ. C. 41.

(y) Clem. Strom. lib. 1.

(*8) BUCHERIUS lib. 4. Belg. Rom. c. 10. n. 13. extat adhuc ad Bononiam noſtram in littore Morinorum ea turris. Incolis hodie dicta la tour d'ordre; bis, aut ter à me annis Chriſti 1616. & 1624. cum ſtupore viſa, diſcuſſáque. Opus cum aliis ejus generis in Belgio noſtro, Galliiſque comparatum, planè Romanum, vetuſtate mirandum. Quod non ſolùm probant oculi, ſenſúſque noſtri; ſed & Eginhardus vitæ Caroli M., Annaliúmque ſcriptor; cùm de eodem Carolo ad annum Chriſti 811. agit; ità loquitur: *Carolus ipſe propter claſſem, quam anno Superiore imperaverat, videndam, ad Bononiam Gallicam civitatem maritimam acceſſit. Pharúmque ibi ad navigantium curſus dirigendos antiquitùs conſtitutum reſtauravit, & in ſummitate ejus nocturnum ignem accendit.*

(*9) CHERÆA, teſte *Tacito* ann. 1. c. 32. fuerat Centurio exercitûs Germaniæ eo tempore, quo milites ad Rhenum contra Tiberium rebellabant, quos tumultus ille non parum repreſſit. *Joſephus* antiq. lib. 19. c. 1. ait eundem eo ex capite in Cajum conjurâſſe, ne cogeretur ejus juſſu porrò tot cædes innocentium edere. *Suetonius* verò lib. 4. c. 40. meminit ingentium exactionum Caji, in queis extorquendis dum mitiorem ſe præſtiterat Cheræa, poſteà à Cajo velut homo nullius animi, vel effœminati traductus eſt. Ut habet *Joſeph.* pag. 654. *Suet.* c. 56.

inde ſequente nocte uxor ejus Cæſonia, gladio à Centurione transfixa eſt, filia Druſilla parieti illiſa; ne ab hoc malo corvo malum ovum ſupereſſet (z).

(z) Dio lib. 59. pag. 663.

§. IV. *Mirabilis vocatio* CLAUDII *ad Imperium, ejus indoles, modeſtia, res geſtæ, vitia, bellum contra Britannos, & victoriæ, Galliarum privilegia, Judæorum proſcriptio ab urbe Romana, lex impia de conſanguineorum nuptiis, Adoptio Neronis, Agrippinæ conjuratio & molitiones in Claudium, hujus exitus fatalis.*

A. Æ. C. 41.

1. VUlgatâ Imperatoris cæde non una omnibus mens neque conſilium fuit: Prætoriani Germani (quæ gens peſſimis etiam Dominis probatæ fidei eſſe ſolet) ſparſis cædibus Caji necem ulciſcebantur (a). Conſules Rempublicam priſtinæ libertati reddituri in Capitolium cum Senatu conveniebant (*1): ſed dum de Dominatûs novi formâ deliberant; milites aliquot prædandi causâ palatium ingreſſi, in Claudium incidunt (b), ac initio quidem alium, ac erat, ſuſpicati, ex angulo, in quem ſe ſalutis ergò abdiderat, extrahunt; dein agnitum & ad genua ipſis præ metu accidentem, Imperatorem ſalutant; deducúntque mœſtum, ac trepidum in caſtra: illinc denuò Claudio ab omnibus legionibus (Senatu nequicquam contradicente) (c) Imperium defertur, eoquòd ſtirpe Imperatoriâ ortus, & vir bonus haberetur (*2). Hâc igitur ratione Regnum adeptus eſt anno ætatis ſuæ quinquageſimo Tiberius Claudius Nero (*3), Druſi filius, Liviæ Auguſtæ

Sueton. lib. 4. c. 59.
(a) Joſeph. lib. 19. c. 1.
(b) Dio lib. 60. p. 664. Sueton. lib. 5. c. 10.
Mira electio Claudii.
(c) Joſeph. lib. 19. c. 3. Suet. lib. 5. c. 10.

(*1) TILLEMONT. advertit, Senatores non in curia Julii, ſed in Capitolio cœtum coëgiſſe, quia cum Cajo Juliam ſtirpem è memoria Romanorum abolere quærebant.

(*2) Claudius natus fuerat Lugduni & licèt è Claudiorum familiâ eſſet, Cæſaris tamen nomen ſuſcepit, quem titulum ſibi Tiberius, & Cajus appoſuerant, eoquòd in Cæſarum domum adoptati ſaltem eſſent; Hujus Imperatoris exemplo factum, ut omnes Succeſſores Cæſares dicerentur. Tranſiítque hoc nomen, Juliæ genti proprium, in communem appellationem Honoris Imperialis. Ita Tillemont. in Claudio. *Spanhemius* Diſſert. 12. pag. 661. contrà aſſerit, hoc nomen Cæſaris non ante Veſpaſianum in titulum Auguſtorum evaſiſſe; eoquòd is ſuo proprio nomini idem nomen primus præmiſiſſet, *Imp. Cæſar Veſpaſianus Aug.* cùm antea Galba illud poſtpoſuiſſet: *Imperator Serv. Galba Cæſar. Tillemontius* in l. c. notat ex *Biragio* pag. 129. in Domitiani poſterioribus numiſmatis contrarium oſtendi; ex quo colligit, non à Veſpaſiano hunc morem profluxiſſe in reliquos Cæſares.

(*3) SUETONIUS lib. 5. c. 10. Memorat Claudium, ut militibus gratitudinem teſtare-

ſtæ nepos, frater Germanici, Caligulæ Patruus, quem ob malas animi, & corporis affectiones Auguſtus & Tiberius publicis muneribus ineptum, mater autem Antonia planè portentum hominis minùs à natura abſolutum dixerunt.

2. Contemptus ejusmodi, Claudio perutilis fuit (d), neque enim Tiberius aut Cajus unquam commiſiſſent; ut hic vitæ, ſive, quod nequidem ſuſpicabantur, Imperio reliquus ſervaretur, niſi hominis ſocordiam ſpreviſſent, quam Claudius ad declinandas inſidias indole majorem ſimulabat (e). Principatu ſtabilito in Caſſium Cheræam, cæteróſque parricidas pœnas decernit, rem, inquiens, mali exempli eſſe, Principem ſuum occidere (f). His interemptis, ea, quæ Cajus iniquiùs ſanxerat, aut geſſerat, antiquanda, & emendanda ſumit: Agrippinam, Juliámque Caji ſorores ab exilio (*4), damnatorum complures à carcere ad libertatem revocat (g); condonans inſuper injurias, quas non paucas ipſe à multis privatus acceperat (h). Cùm Magiſtratus Cajum ignominiâ notatum irent; iis Senatusconſulto interceſſit, id duntaxat præcipiens, ut ſtatuæ illius, & quidem noctu ad minuendam infamiam tollerentur. Pauciſſimis, quæ admiſerat, trophæis, aut ſtatuis ſuis honores divinos adhiberi vetuit; prætereà ſordidarum exactionum oſor, bona admodum multa reſtituit, quæ ſub Cajo & Tiberio hæredibus, Dominíſque vi ablata fuerant (i).

(d) Aurelius Victor c. 3. *Indoles Claudii.*

(e) Dio lib. 60. pag. 658.

(f) Suet. c. 11.

(g) Suet. c. 15.

(h) Sueton. c. 8.

Modeſtia Claudii.

(i) Dio lib. 60. pag. 677. 669.

3. In jure dicundo, ac operum molitionibus ſæpè ſe præcipitem & ſtolidum, ſæpè etiam ſagacem, ac circumſpectum præbuit (k): ad inſignem namque laudem Imperatoris erat, quod ingratos Patronis ſervos in ſervitutem revocari vellet, famulos contrà ægrotantes ab heris neglectos aſſereret libertati, ſanguinariam

A. Æ. C. 42.

(k) Sueton. c. 16.

teſtaretur, quindecim ſeſtertios ſingulis promiſiſſe, Joſephus numerat quinque millia Drachmarum ſive, ùt alii computant, ducentos aureos ſingulis. Hanc liberalitatem ſecutus eſt poſteà Nero; aliíſque Succeſſoribus ab hoc exemplo deſiſtere nefas fuit, ita ut ab iis militibus imperium ferè ſemper emeretur.

(*13) DIO refert pag. 670. eaſdem ſorores ab eodem Claudio paulò pôſt in Inſulam Corſicam relegatas eſſe inſtigante Meſſalina conjuge Cæſaris; Seneca innocentium cauſſam tuitus eſt, & vel ideò in exilium pulſus, revocatus poſteà ab Aprippina matre Neronis, acerbis ſcriptionibus defunctum jam Claudium inſectatus eſt; quamvis antè vivum laudârit.

riam Druidarum ſuperſtitionem (*5) aboleret penitus; compotantiúmque tabernas omninò demoliretur. Extant hodiedum monumenta quædam, quæ apud poſteros Claudii memoriam celebrem reddiderunt: conditus quippe eſt eo authore portus Oſtienſis, ad importanda urbi frumenta, nec minore utilitate Aquæductus, quos Cajus inchoaverat, abſoluti, unde in omnes urbis montes, tum in Privatorum piſcinas, hortos, ac balnea copioſa aquarum vis dimanabat (*6).

Ejusdem res geſtæ ac monumenta.

4. Inter hæc rerum molimina ingenium Imperatoris, poſtquam à libertis pendere cœpit, fœdè in vecordiam aberrabat; unde cùm judiciis præeſſet, hanc ridiculam ſententiam protulit, ſecundùm eos ſe ſentire, qui vera proponerent. Eâdem libertorum turbâ inſtigante jus civitatis & officia venalia proſtabant; (l) quin eò tandem ſervile famulitium Cæſarem adegit, ut ipſe in campo Martio pro inſignioribus, quæ aliàs benè merito cuivis dabantur, dignitatibus emendis pretia palàm dictaret. Sacra proinde Auguſti authoritas in contemptum verſa à plebejorum ſannis traducebatur, quorum unus Claudio pro tribunali ſedenti Graphium, & libellos cum acri ſtultitiæ exprobratione in faciem projecit; alii Cæſarem, ſi quando citiùs è curia abiret, per pedem, vel laciniam togæ apprehenſum, retrahere non verebantur. E tantis opprobriis Claudium in commune omnium odium deduxit Meſſalinæ conjugis crudelis turpitudo; hæc namque procaciſſimæ libidinis fœmina, cùm in optimos quoſque ſæviret, tum in eos præcipuè Claudii mariti vim provocabat, qui laſcivienti lupæ fræna

(l) Dio 676.

Vitia Cæſaris.

(*5) De Sacerdotibus Ethnicis, ac ſacrificulis, qui apud Gallos Druidæ vocabantur agit fusè *Bucherius* lib. 5. Belg. Rom. c. 2. & 4. déque eorum immanibus, & crudeliſſimis ſacrificiis, quæ Tiberius, & Claudius prohibuerunt, & nos fortè alibi hâc de re tractabimus.

(*6) SUETONIUS tria potiſſimùm opera Claudii celebrat 1. Claudiæ aquæ gelidos, & uberes fontes; quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albundino nomen eſt: ſimúlque rivum Anienis novi lapideo opere in urbem perduxit, divisítque in plurimos, & ornatiſſimos lacus. 2. Fucinum aggreſſus eſt, non minùs compendii ſpe, quàm gloriæ, . . . per tria autem paſſuum millia partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægrè, & poſt undecim annos, quamvis continuis 30. hominum millibus ſine intermiſſione operantibus. 3. Portum Oſtiæ exſtruxit, circumducto dextrâ, ſiniſtráque brachio, & ad introitum profundo jam ſolo mole objectâ, quam quò ſtabiliùs fundaret, navem antè demerſit, quâ magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtisque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandri Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent.

fræna injicere meditabantur: Appius Syllanus Cæſari olim amiciſſimus, & cui mater Meſſalinæ connubio juncta erat, ſupplicium ea de cauſa ſubire juſſus eſt, quòd inceſtuoſum flagitium Privignæ eidem denegâſſet (m): innumeris viris, fœminíſque integerrimis honeſtior animus crimini dabatur, pro quo pœnas ultimas ſolvere cogebantur; nec jam alia ferè virtus habebatur, quàm morte acceleratâ integritatis labem occupare.

(m) Tacit. an. 13. n. 124. Dio p. 674.

5. Dum Romæ Claudius innocentes multis ſuppliciis exterminabat, belliduces Romani magis decorè exterarum Provinciarum hoſtes cecidêre: ac Sulpitius quidem Galba cum P. Gabinio à Chaucis Aquilam denuò extorſit, quam gens iſta Quintilio Varo eripuerat (n): Aulus Plautius primùm, dein Julius Britanniam necdum tentatam invaſerunt (* 7.), cæſis Catarataco & Togodumno Cynobellini Regis filiis, ſtationem in peregrina inſula firmant; Veſpaſianus demum adducto Germano milite, qui in armis flumina tranare inſueverat (* 8.), per Britannicos montes & paludes latiùs armorum poteſtatem propagat (* 9.). Claudius accepto rerum geſtarum nuncio ex Italia ad Tameſin procurrit; victoriæ, cujus ſementem nullam jecerat, fructum lecturus: ſine ullo quippe prælio intra ſedecim dies parte Inſulæ in deditionem acceptâ (o), ſexto, quàm profectus erat, menſe, Romam rediit, annóque ſequente U.C. 797. Æræ Vulgaris 43. triumphum, Britannicíque cognomen ſibi, filióque ſumpſit, navalem

A. C. Æ. 43.

(n) Dio l. 60.

Bellum contra Britannos & Victoria.

(o) Dio l. 60. p. 677. Suet. c. 17.

O

(* 7) TACITUS in Agricola: *primus Romanorum omnium D. Julius cum exercitu Britanniam ingreſſus, quanquam proſperâ pugnâ terruerit incolas, ac littore potitus ſit; poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe. Mox bella civilia, & in Rempublicam verſa Principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in Pace. Conſilium id D. Auguſtus vocabat; Tiberius præcipuè. Agitâſſe Cajum Cæſarem de intranda Britannia ſatis conſtat . . . Divus Claudius auctor operis, conſularium primus Aulus Plantius præpoſitus.*

(* 8) Britannicæ expeditionis felicitatem Germanis præcipuè adſcribit DIO: *flumen ſine ponte non poſſe à Romanis tranſiri Barbari credebant, ſocordiùs in altera ejus parte caſtra habebant: igitur Plautius Germanos miſit, ſolitos etiam rapidiſſima flumina in armis tranare. Hi hoſtem inopinantem invadentes, neminem quidem virum ſauciârunt, ſed equos, qui currus trahebant, vulnerârunt; quibus turbatis, ne quidem ſeſſores conſtare valebant &c.*

(* 9) SUETONIUS in Veſp. c. 9. *Claudio Principe, Narciſſi gratiâ legatus legionis in Germaniam Veſpaſianus miſſus eſt. Inde in* Britanniam *translatus, tricies cum hoſte conflixit. Duas validiſſimas gentes ſuper 20. oppida, & inſulam Vectam Britanniæ proximam in deditionem redegit . . . quare & triumphalia ornamenta accepit.*

valem ſimul coronam in faſtigio ſuæ domûs defigens, quaſi Tra jecti ac domiti Oceani inſigne.

A. Æ. C. 47. 6. Plautio intereà reliquam Britanniam ſubigente, Corbulo Dux magni nominis Chaucos, vicináſque gentes affligit; plura præſtiturus, niſi Cæſar bellicorum motuum ſatur militem cis Rhenum referri juſſiſſet (p): paruit tametſi invitus Corbulo, ac ne miles otium induceret; inter Moſam, Rhenúmque, trium & viginti millium ſpatio, ſive (ùt Dio ſcribit) ſtadiorum CLXX. foſſam perduxit; ut per prætenſum hunc obicem amnium ab æſtu oceani refluentium ſtagnatio prohiberetur (* 10.). Eodem anno ſcilicet C. Urbis octingenteſimo Ludi ſæculares Romæ celebrati ſunt (* 11), à quo tempore Primores Galliæ, quæ Comata dicitur, præter jus Romanæ civitatis à Julio jam conceſſum, jura inſuper adipiſcendorum in urbe honorum impetrârunt (†), ut jam non ampliùs Barbari, neque exteri, ſed velut indigenæ inter viros equeſtris, ac ſenatorii ordinis, intérque Conſules locum ſortirentur.

(p) Tacit. lib. 11. c. 18. 20.

A. Æ. C. 47.

Gallia jure civitatis & præfecturarum donata.

(†) Reflexio VII.

7. Quàm

(* 10) Foſſam Corbulonis BUCHERIUS lib. 4. c. 11. n. 13. putat eam eſſe, quæ nunc de fliet Leida ad Rhenum, & Sluys ad Moſam dicitur. Idem ſcribit *Cluverius* lib. 2. Germ. c. 31. Cauſam autem cur foſſam duxerit Corbulo, ita exponit *Bertius* Comment. Rer. Germ. lib. 1. c. 5. *Habent hoc incommodi Rheni oſtia, ut pronæ in Oceanum aquæ obſtantibus marinis æſtibus, ſuáque altitudine exonerationem Rheni impedientibus, præſertim plenilunio, attollantur, haud ſine aggerum periculo; quo tempore, ſi Caurus quoque ex Oceano delatus vehementiùs incumbat Rheni oſtio occidentali, aquiſque in alveo ſuo detentis, ſalſos inſuper fluctus ſuperfundat; neceſſe eſt periculum illud augeri magìs, adeò, ut non alia credatur ingentis illius inundationis fuiſſe cauſa, quâ olim narratur omnis ſubverſa fuiſſe Batavia. Conata eſt tamen natura hoc levare malum, molitáque eſt æſtuaria, quibus ſi uno oſtio attollantur ab Oceano fluctus; poſſint per transverſam Bataviam aquæ in alterum Rheni alveum, atque inde in Oceanum porrò exonerari; neque enim unquam fit, ut ſimul omnia Rheni oſtia præcludant venti: quod cùm deprehendiſſet Corbulo, putavit ſuâ quoque induſtriâ juvandos naturæ conatus: itaque ab alveo Rheni dextero ad ſiniſtrum illud, quo ſe Rhenus ingenti Moſæ oſtio in Oceanum exonerat, foſſam transverſam molitus eſt, quâ probiberentur incerta iſta Oceani diſcrimina, & ex alveo uno ſuperſtagnaturæ aquæ in alterum derivarentur, quæ utrúmne hodie extet, an hauſta dudum Oceano ſit, nunc non diſputo.*

(* 11) Romæ anno ſeptimo Claudii numerabatur annus U. C. octingenteſimus, finiens octavum ſæculum, quare ſæculares ludi à Claudio celebrati ſunt. Ante 64. annos modo Auguſtus eoſdem celebraverat anno U. C. 737., quia is morem priſtinum ſecutus, ſæculum ſupputabat non ab initio centum annorum elapſorum, ſed ab initio annorum centum & decem: Claudius verò ludos ſæculares centenariis urbis annis illigavit: Domitianus tamen denuò Auguſti numerationem inſtituit, & ludos celebravit a. 841. U. C. V. PAGIUS *Critic. Baron. ad ann. C.* 47. TILLEMONT. *in Hiſtoria Imperat. pag.* 360.

7. Quàm liberalem Claudium Galli, tam infestum sibi Cæsarem Judæi subinde experti sunt: nam anno ejus Imperii nono legem tulit, quâ judaica gens unà cum Christianis Româ exesse jubebatur (q). Ad dictandum hoc exilium Cæsarem permoverant streperæ dissensiones, quibus Mosaicis addicti ritibus Christi cultores perpetuò exagitabant: ne igitur paucorum dissidiis urbs tota in seditionem traheretur, utrorumque proscriptione tumultuum semina extinguenda putavit. Republicâ utcunque pacatâ, Cæsaris domus periculosiùs turbari cœpit: Messalina conjux Claudii Mnesterem saltatorem è theatro in Cæsareum thorum procaci libidine pertraxerat (r): at nunc eò impudentiæ prolabebatur, ut alteri adultero C. Silio ad Ostiam Tiberinam palàm nuberet; pro dote ei Consulatum afferens, palatiúmque amplissimum, in quod pretiosissimam Claudii mariti supellectilem convexerat (s). Imperator auditâ licentiosissimi facinoris immanitate velut ex languente vecordia excitatus, infamis lupæ proterviam ultimo supplicio coërceri mandat (t). Sublato hoc familiæ Cæsareæ opprobrio Domus eadem per incestuosas nuptias fœdiùs maculata est; nam Messalinæ spurcissimæ ambitiosissima, juxtà ac crudelissima Agrippina surrogabatur: fuerat ea fratris Germanici filia, quam propinquitas sanguinis, ac Romanæ leges à Claudii connubio arcebant: Cæsar, ne unus in naturæ, aut pudoris modestiam, ac Romanas leges (u) peccare videretur, si patruus neptem duceret; Senatûs-Consulto edici voluit, ut imposterum nuptiæ inter patruos, fratrúmque filias justæ haberentur (x). fucum hâc iniquissimâ lege sibi, non item aliis offudit; neque enim cives Romani in nefasta ejusmodi matrimonia (quantumvis exemplo suo ea Claudius probata vellet) pertrahi se sinebant (*12.).

A. Æ. C. 49.

Judæorum ab urbe proscriptio.

(q) Sueton. c. 25. Act. 18.

(r) Aurel. Victor in Cl.

(s) Tacit. an. 11. c. 26. & 27.

(t) Idem c. 37.

(u) ff. l. 15. c. 16.

(x) Tacit. an. 612. c. 6.

Lex nefasta de consanguineorum nuptiis.

8. Agrip-

(*12) TACITUS an. 12. c. 6. refert nonnisi unum repertum esse, qui tam pudendi matrimonii cum nepte vel fratris filiâ cupidus fuisset. SUETONIUS duos fuisse scribit: *Augustinus* de Civ. Dei lib. 15. c. 16. ad hanc modestiam Romanorum provocat, qui etsi leges Claudii id permitterent conjugium, nihilominùs exhorruerint hoc modo contrahere. Nerva Imp. legem Claudii subinde abrogavit, ùt ait Dio lib. 68. pag. 770. Theodosius ducere fratris filiam lege publicâ interdixit: neque immeritò, juxta *Levitic.* 18. v. 12. *turpitudinem sororis Patris tui non discooperies, quia propinqua est Patris tui.* Ratio eadem autem cùm militet pro casu, quo Patruus fratris filiam duceret, eadem dicenda sunt: unde vitandum est paradoxum illud judicium, quod hâc super re recentiùs tulit Ludewigius.

A. Æ. C. 49. 8. Agrippina ad Imperatoris thalamum ac solium propiùs admissa, id primùm animo volvit: ecquî Britannicus Claudii ex Messalina filius, spe regni exui, fascésque in Domitium suum transferri possent? Susceperat hunc orci invisum partum ex Domitio Ænobarbo, à quo nil nisi detestabile, & malo publico nasci poterat (y). Relegatâ dein à Cajo Agrippinâ inops penè, atque egens Domitius apud Amitam Lepidam sub pædagogis saltatore, atque tonsore pueritiam consumpsit: revocata posteà ab exilio mater, & juncta Claudio uxor ab eodem conjuge consecuta est, ut Annæus Seneca, qui tunc jubente Cæsare exulabat, Romanæ urbi redditus Domitii curam susciperet. Delegerat sagax mulier hunc sapientissimum virum, ut memoriâ beneficii obstrictus potentiore consilio sibi contra Britannicum præstò esset. Prætereà Agrippina Libertorum, ac maximè Pallantis favorem quà pretio, quà libidinum usu conciliabat; hi itaque empti, aut ab adultera infatuati Claudio persuadent, ut præ Britannico Domitium adoptet (z): illum ætate inferiorem esse: huic annis maturiori partem curarum tutò committi posse: nec hoc insolitum exemplum fore, postquam D. Augustus nepotibus etiam privignos antehabuisset. Insidiis ejusmodi circumventus Imperator posthabito filio, Domitium in gentem Claudiam adscit, impertitus ei insuper Neronis nomen, ac filiam Octaviam, cum qua conjuge novus Cæsar dotale Imperium accepit (a).

Adoptatio Neronis. A. Æ. C. 50.

(y) Sueton. in Ner. c. 6.

(z) Tacit. lib. 12. c. 25. 26.

(a) Idem c. 58.

9. Agrippina comparatis omnium animis Provinciarum quoque vota suis partibus attinere studuit; sociis proinde nationibus seu beneficia, seu vim suam ostentans; in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, Veteranos mitti, Coloniámque deduci imperabat (†). Militaribus tumultibus hâc ratione occursum est, ut Burrhus Afranius Agrippinæ familiarissimus cohortibus præficeretur (b). Inter tot maligna mulieris studia Narcissus unus, paucíque integerrimi non parùm urebantur, quòd antepositus filio privignus injuriam, ac exitium Claudiæ domui machinaretur, quódque Imperatoris conjux, libertorum adultera, decus, pudorem, corpus, cuncta Regno viliora haberet. Ferunt, Claudium his querelis non semel pulsatum, ac facti pœnitentem in eam tandem vocem prorupisse: fatale sibi esse, ut conjugum flagitia ad

(†) REFLEXIO VIII.

(b) Idem c. 42.

Agrippinæ in Claudium perfidia.

ad tempus ferret, dein puniret (c): fœminam in ſingula intentam non latebat anceps comminatio; quare, antequam Meſſalinæ fatum experiretur, maritum citiùs evertendum rata, ad parricidii ſcelus Locuſtam veneficiis inſignem (* 13), tum medicum Xenophontem conducit: hi paratum venenum boleto infuſum Cæſari propinant: at vis toxici debilior erat, quàm ut Claudium ſubitò conficeret; nam egerenti malum jam propè ſpes erat incolumitatis (d). (c) Dio L. 60. p. 678. 688. A. Æ. C. 54.

Xenophon non ignarus ſumma ſcelera incipi cum periculo, cum prœmio autem peragi; advolat è compoſito, quaſi niſum evomentis adjuturus, pinnámque rapido veneno illitam faucibus immergendo, Cæſarem penitus proſternit; unde nocte inſequente ſenſibus antè orbatus, vitam quoque amiſit tertio Idus Octobris Anno Urbis Conditæ octingenteſimo ſeptimo, Æræ Vulgaris quinquageſimo quarto, Imperii decimo quarto (e). Mortuo in numerum Deorum relato iidem, qui Auguſto, honores ſunt habiti (* 14) jocante Lucio Julio Gallione Senecæ fratre, alios unco in forum, Claudium boleto in cœlum attractum eſſe (f). (d) Suet. c. 44. Tacit. lib. 12. c. 66. 67. *Claudii mors.* (e) Idem c. 69. (f) Dio p. 688. 689.

(* 13) TACIT. lib. 12. c. 66. & 67. *Agrippina . . . de genere veneni conſultavit; ne repentino & præcipiti facinus proderetur; ſi lentum, & tabidum delegiſſet, ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filii* (Britannici) *rediret. Exquiſitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Deligitur artifex talium, vocabulo Locuſta, nuper veneficii damnata, & diu inter inſtrumenta Regni habita. Ejus mulieris ingenio paratum virus &c.*

(* 14) PRUDENTIUS in Auguſto Cæſare. Apotheoſin Imperatorum ita deſcribit:

Hunc morem veterum docili jam ætate ſecuta
Poſteritas, menſâ, atque adytis, & flamine, & aris
Auguſtum coluit, vitulo placavit, & Agno.
Strata ad pulvinar jacuit, reſponſa repoſcit:
Teſtantur tituli, produnt Conſulta Senatûs,
Cæſareum Jovis ad ſpeciem ſtatuentia templum. Vide & *Herodiani* lib. 4. c. 2. in Apotheoſi Septimii Severi. Plura habet de Apotheoſi eadem Imperatorum Boiſſardus Veſuntinus in IV. parte Antiquitatum Romanarum Lib. II. à pag. 38., ad paginam 48.

§. V. NERONIS *regnantis prima tempora, ejus in matrem Agrippinam veneratio, nefaria mutatio Cæsaris, odium matris, ac cædes. Romæ scelerata facies, legatio Germanorum ad Neronem, Bunduicæ Britannorum Reginæ magnanimitas, & bellum contra Romanos: Bellum Parthicum, libidines infames Neronis, Romæ incendium, crudelitas Neronis, conjuratio in Cæsarem detecta, mors Senecæ, Neronis iter in Orientem, conjuratio nova Julii vindicis. Neronis fuga, & fatalis interitus.*

1. AGrippina interea anxiè curabat omnia, quæ ad servandum filio imperium essent: Britannicum procul à publico conspectu intra arctissimam custodiam detinet, dissimulánsque Claudii mortem priùs unà cum Prætorii Præfecto prospicit, ne quis contrà motus cieatur: ad diei dimidium diductis Palatii foribus Neronem comitante Burrho ad proximam cohortem emittit, à qua festis vocibus ex composito exceptus (a), illatúsque demum Castris Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta sunt Patrum consulta, nec dubitatum est apud Provincias.

Nero salutatur Imperator.

(a) Tacit. ann. 12. c. 68. & 69. Suet. lib. 6. c. 8.

2. Peractâ Pompâ funebri curiam ingressus Cæsar ex Augusti præscripto se formam Imperii capessiturum pollicetur (b), discretam fore domum suam privatam, & Rempublicam: nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium; ac ne paucorum potentia grassaretur, Senatui priscam libertatem reddendam: se unis exercitibus cum imperio præfuturum (*1). Nec promissis fides defuit: primis enim annis ad omnem modestiam formatus, liberalitatis, ac clementiæ occasiones undiquè captabat; maximè etiam questus, cùm mortis sententiæ subscribendum esset: unde exoptâsse non semel auditus est, ut literas formare nunquam didicisset; quæ quidem virtutum studia tanti fecit posteà Trajanus, ut diceret, distare procul cunctos Principes à Neronis quinquennio (c).

A. Æ. C. 54.

(b) Tacit. ann. 13. c. 4.

Ejus prima exordia bona.

(c) Aurelius Victor in Epit.

3. Eodem tempore Imperator annum decimum septimum vix egressus summam rerum publicarum, Privatarúmque matri permisit (d). Hujus in honorem Tribuno signum militiæ petenti primam

(d) Suetonius lib. 6. c. 9.

(*1) Seneca teste *Dione lib. 61.* Orationem, quam in Senatu habebat Nero, composuerat, *tantam autem vim habuit, ut decreto Senatûs insculperetur in columna argentea, ac quot annis, cùm novi Consules Magistratum inirent, legeretur.*

primam tesseram Cæsar dedit: *optimæ matris*; hæc deinde (sedente in Palatio Senatu) causis quibusvis intererat; abditis à tergo foribus, & velo discreta, quod conspectum arceret, auditum non adimeret (e). Quin palàm etiam Neroni in tribunali assidebat, oratorum exterorum negotia excipiens. Nullus erat, qui ista filii in matrem studiosa obsequia non æstimaret; at Agrippina hâc potestate ad dedecus Romanæ gentis & ad optimorum excidium posteà pessimè abusa est. Quare Afranius Burrhus, & Annæus Seneca (*3) Rectores Imperatoriæ juventæ in id incubuerunt, ut citiùs matris impotentem Dominatum infringerent: præceptis severioribus igitur, artibúsque opportunis Principem ad moderandum Imperium imbuere maturabant, concessis tamen voluptatibus nonnullis, quæ prima ætas, & summa fortuna expetierunt: ab his, ut facilè fit, ad illicita devolutus, Acten Libertam deperire occœpit (f): hujus consuetudine ita brevi Nero subactus est, ut & Octaviæ conjugis castissimæ amorem, & matris simul obsequium exueret: subinde etiam Pallas (g), cujus consiliis muliebris superbia potissimùm nitebatur, curâ rerum dimotus fuit, quibus à Claudio præpositus, velut arbitrum Regni hucusque egerat:

(e) Tacit. ann. 23. c. 5.
Agrippinæ matris honores.
A. Æ. C. 55.
(f) Idem c. 12.
(g) Tacit. an. 14. c. 14.
Mutatio aulæ Neronis.

4. Vicissitudinem hujusmodi repentinam Agrippina turbido animo omnino accepit; nam primùm in Acten utpote servam ex Asia emptam aggerebat probra: dein quasi blanditiis turpibus filii amorem ad se revocatura, corporis potestatem in nefandos incestus ostentabat; at tum quoque contempta in has erumpebat minas: adultum jam esse Britannicum (h), curaturam se, ut expulso insito & adoptivo Nerone, genuino Claudianæ stirpis hæredi fasces redderentur: conterritus hunc in modum Cæsar Britannico innocenti, nec nisi per imprudentiam mulieris suspecto

(h) Idem c. 15.

(*2) SUETON. c. 16. *Multa sub eo animadversa severè, & coërcita, nec minus instituta: adhibitus sumptibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactæ; interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina, & olera veniret &c. vetiti quadrigariorum lusus, pantomimorum factiones relegati.*

(*3) *Tacitus* Burrhum describit, ùt virum gratissimum militi & populo providum, sapientem justissimum, & remedium publicorum malorum, qui summâ libertate utebatur in retinendis, & reprehendendis vitiis Principis. De Seneca *Dio* memorat, eum à Nerone deprecatum esse, ne cogeretur, adesse mensæ Principis, quò plus temporis suæ philosophiæ dare possit. Cæterùm profitebatur is, se magìs velle offendere Principem dicendo veritatem, quàm adulando decipere. *Seneca* de clem. lib. 2. c. 2.

ꝯto necem intentat, parato veneno juvenis ſpiritum exhauriens (i): corpus, ne parricidii ſcelus emanaret in vulgus, larvato funere poſtridiè elatum eſt: verùm antequam rogo exuviæ imponerentur, copioſus imber fictitium colorem à vultu Britannici, ita abſterſit; ut liveſcens à toxico cadaver cauſam necis omnibus ſignificaret (*4). Acerbitas & odium, quæ inde multorum animos in ultionem ſtimulabant, largitionibus à Cæſare emollita ſunt (k). Una mater placari neſcia, excubias militares, quæ ei utpote Auguſtæ pro præſidio erant (l), ad vindictam, novâſque molitiones ſollicitabat. Nero, cùm matris acerba conſilia in pejus quotidie vergere cerneret; ſatellitium ab ejus foribus digredi jubet, mox Agrippinam ornamentis auguſtalibus exutam è Palatio in privatam Antoniæ domum transfert. Nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ non vi ſuâ nixæ (m). Statim enim, ac iræ ſigna Princeps dederat; relictum eſt à quovis matris limen, nemo ſolari eam, nemo adire, imò, quia Neroni ità placebat, Agrippinam multorum criminum inſimulare, ac inſidias ab eadem in filium ſtructas confingere certabant, jámque nil propius aberat, quàm ut Britannico parricidio altero aggregaretur.

(i) Idem c. 16. 17. Dio l. 61. p. 692. 693.

(k) Tacit. ann. 13. c. 18.

(l) Dio pag. 685.

Cæſaris odium in matrem Agrippinam.

(m) Tacit. c. 19. Sueton. lib. 6. c. 34.

5. Matre ad ſummum metum, & in ordinem redactâ, Juvenis Imperator omnis Magiſterii jam expers, in ea flagitia ſe profudit, quæ conſtabat peſſimæ eſſe indolis vitia, non ætatis; arrepto ſiquidem pileo vagari per popinas, effringere tabernas ſcurrarum more, in obvios, ac uxores optimatûm vulneribus, & libidine nefariâ graſſari volupe habuit: minùs tamen impunè; nam lixarum gregi immiſtus vitæ periculum crebrò ſubiit, ad necem quandoque etiam cæſus (n). Ab nocturnis his graſſationibus palàm in luce Romanæ Urbis ſceleratus eſſe cœpit; ex quo Sabinam Poppæam pellicem, & multorum deinceps malorum incentricem in thorum attraxerat: hæc Poppææ alterius filia,

Indigna Cæſaris ſtudia.

(n) Tacit. ann. 13. c. 25. Suet. c. 26. Dio p. 693.

A.C. Æ. 56.

(*4) *Larvata funera* dicebantur, cùm cadavera ipsâ ruinâ ædium detrita, vel alio caſu mutilata, propter deformitatem palàm efferri ad funus non potuerunt: ſed loco eorum vel larvæ quædam, quæ eorum faciem repræſentabant, vel planè involuta, vel vestibus tecta. *Vid. Camer. Hor. ſucciſ. lib. 2. c. 96.* ita *Plin.* ſcribit, Scipionem Æmilianum obvoluto capite elatum eſſe, ne livor, vel tumor in ore appareret. Sed de funeribus Romanorum nos alibi plura.

filia (*5.), & Ottonis antè conjux (*6.), cùm omnia haberet præter honestum animum; tutò se inter Neronis complexus vivere posse, vivente Agrippinâ, negabat: in Cæsare igitur odium ad cædem matris duraturum exsuscitat. Imperator adulteræ artibus instigatus ter veneno parentem appetiit (o): dein laxata cubiculi lacunaria in ejusdem caput, innoxiè tamen, præcipitat; tandem ab Aniceto liberto navim insidiarum plenam ornari curat, cujus pars, ipso in mari per artem soluta, ignaram matrem effunderet (p). Quò faciliùs Agrippina exitium adiret, Nero velut in pristinam cum matre gratiam rediturus, eandem Bajas (q) ad festi cujusdam solennitatem evocat: illa sive de periculo ambigua, sive ex proditione certior facta, omissâ navi, sellam elegit, quâ in Campaniam deportaretur: illinc instabile mulieris ingenium dolosis Neronis blanditiis à metu omni adeò exsolvitur, ut viam mari relectura machinam funestam conscenderet. Post faustas Neronis filii acclamationes & vota, aliquid itineris jam emensa fuerat; tum dato signo navis è fictili compage dissolvitur: tectum incumbens, multóque plumbo grave in familiares quosque & socios corruit. Agrippina una è sodalibus (*7.), paratam mortem evadit; impulsu enim primo in undas excussa, quin à sicariis agnosceretur, inter procellas tamdiu se jactabat; dum nando, & subinde lembi

(o) Sueton. lib. 6. c. 34.

(p) Tacit. ann. 14. c. 3.

(q) Suet. lib. 6. c. 34.

A. Æ. C. 59.

(*5) Poppæa mater, ejusdem cum filia nominis sub Claudio An. C. 47. instigante Messalinâ interfecta est. Cæterùm Tacitus ann. 13. c. 58. notat, eodem anno, nimirum Neronis quinto, *Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos & triginta ante annos Remi, Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam: & prodigii loco habitum esse.* Malum utique omen harum nuptiarum.

(*6) Poppæam primùm in matrimonio habuit Rufus Crispinus eques Romanus, cui eam Otho rapuit; sed hic amore incautus, quoniam eandem apud Neronem laudaverat, raptam pellicem, licèt invitus, Cæsari tradere debuit: dejectus quoque Otho est tunc familiaritate suetâ Neronis, & postremò, ne Poppææ rivalis esse posset in urbe, Provinciæ Lusitaniæ præesse jussus est. Latiùs hæc describit *Tacitus* ann. 13. c. 46. *Sueton.* iu Othone c. 3.

(*7) TACIT. lib. 14. c. 5. *Nec multùm erat progressa navis, duobus è numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quibus Creperejus Gallus haud procul gubernaculis adstabat. Aceronia super pedes cubitantis reclinis, pœnitentiam filii, & recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat; cùm dato signo, ruere tectum loci multo plumbo grave, pressúsque Creperejus, & statim exanimatus. Agrippina, & Aceronia eminentibus tecti parietibus fortè validioribus, quamvis oneri cederent, protectæ sunt: Aceronia imprudens, dum se Agrippinam esse, & ut subveniretur matri Principis, clamitat; contis, & remis, & quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Aprippina silens, eóque minùs agnita unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde occursu lembunculorum lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt.*

bi ſubſidio in littus, ínque villam ripæ propinquam deduceretur, nautarum remis, contísque leviter duntaxat ſauciata.

Cædes Agrippinæ matris.

6. Nero ubi certis nuntiis accepiſſet matrem ſuis inſidiis ſuperſtitem; nil magìs metuit, quàm ne parricidii intentati invidia ad urbem pervaderet: flagitii itaque rumorem repetito ſcelere occupaturus, Anicetum è veſtigio ablegat, qui Agrippinæ ultimam vim afferret: hic comitatus paucis iter, ùt juſſus erat, deproperat; dein inopinato aſſultu ad domum (ubi periculo, vulneribúsque feſſa mater decumbebat) irrumpens (r), in Agrippinæ caput ferrum diſtringit: tum è ſtrato miſella exiliiſſe, uterúmque protendiſſe fertur, *ventrem feri*, exclamitans, qui *monſtrum tulit* (*8.). His dictis multiplici ictu conficitur Cæſaris mater, filia Germanici, & abneptis Auguſti, quæ hujus fati multò antè admonita fuerat; cùm neſcio quis vates, ei præſagiret poteſtatem, quam filio tantis ſtudiis quæreret, matri exitio fore: at illa Regni cupidine planè inſaniens reponebat: *occidat; dum imperet* (s)!

(r) Dio lib. 61. pag. 695. & 696.

(s) Idem pag. 690.

A. Æ. C. 59.

7. Parricidæ Cæſari ſceleris conſcientia, tum alia anxiæ mentis terricula pro ſupplicio fuerunt (*9.): ab his itaque ſe expediturus Nero Romam rediit. Nihil illinc libidinum, quas ante matris reverentia tardaverat, omiſit: duplici autem potiſſimùm ſtudio ferebatur, & agitandi quadrigas in circo, & citharâ canendi in theatris hiſtrionum in modum (t). Optimatum ſinguli etſi fœdas artes in Cæſare deteſtarentur; applaudere tamen palàm inſanienti Imperatori propoſitis etiam pœnis cogebantur. Nec verecundiæ ac pudori deinceps in urbe locus fuit; ad exemplum quippe Neronis nobilis quisque mercede aut præmiis emptus in hiſtrionicam ſcenam ſubibat, circa quam mulierum conventus, & poſita

(t) Tacit. ann. 14. c. 13. 15.

Scelerata Romæ facies.

(*8) IDEM c. 9. *Hæc conſenſu traduntur: aſpexeritne matrem exanimem Nero, & formam corporis ejus laudaverit, ſunt, qui tradiderint: ſunt, qui abnuunt. Cremata eſt nocte eâdem . . . exequiis vilibus. Neque dum rerum potiebatur, congeſtâ, aut clausâ humo, mox domeſticorum curâ levem tumulum accepit, viam Miſeni propter, & villam Cæſaris Dictatoris.*

(9) TACITUS lib. 14. c. 10. *Sed à Cæſare, perfecto demum ſcelere, magnitudo ejus intellecta eſt: reliquo noctis modò per ſilentium defixus, ſæpiùs pavore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur tanquam exitium allaturam . . . obverſabatur maris illius, & littorum gravis aſpectus, & erant, qui crederent, ſonitum tubæ collibus circùm editis planctúsque tumulo matris audiri.*

ta venum irritamenta luxûs, tum certamina omnium vitiorum (u). (u) Tacit. l. c.

8. Dum Romæ ſuas inter illecebras otioſus Cæſar conſidebat, in Provinciis Romanæ militiæ Duces arduus labor exercuit. L. Vetus Moſellam, atque Ararim factâ inter utrumque foſsâ conjungere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare ſubvectæ per eam foſſam; mox fluvio Moſellâ in Rhenum, exin in Oceanum citiùs decurrerent (*10); ſed invidit operi Ælius Gracilis Galliæ Belgicæ legatus, hócque agente opus intermiſſum eſt (*11). Circa idem tempus Paulinus Pompejus aggerem coërcendo Rheno ante 63. annos à Druſo inchoatum abſolvit (*12.). Majus negotium Didio Avito fuit cum Friſiis, hi limitaneos agros militum uſui ſepoſitos invaſerant, jámque ùt patrium ſolum colebant (x): Didius contrà vim Romanam comminabatur; nî protinus abſcederent, aut per legatos gentis novas ejusmodi terras à Nerone beneficii loco exorarent. Verritus & Mallorix Friſiorum Præfecti igitur Romam cum precibus proficiſcuntur: ſed antequam ad Neronis alloquium admitterentur; inter ea, quæ exteris oſtentantur, intravêre Pompeji theatrum, què magnitudinem populi Romani viſerent. Illic per otium (neque enim Germani ludicris oblectabantur) dum conſeſſum caveæ, diſcrimina ordinum, quis eques, quis ſenatus percontantur; advertêre quosdam cultu externo in ſedibus ſenatorum: & quinam forent, rogitantes. Poſtquàm audiverunt, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute, & amicitiâ Romanâ præcellerent; exclamant: *Nullos mortalium armis, aut fide antè Germanos eſſe*; digrediuntúrque, & inter Patres conſidunt. Nero poſteà admiſſum utrumque civitate Romanâ donat: & ſimul Friſios

(x) Tacit. lib. 13. c. 54.

Legatio Germanorum ad Neronem.

A. Æ. C. 58.

(*10) MASCOVIUS lib. 4. Addit hìc: Henricum IV. Galliarum Regem paria volviſſe conſilia poſt initam cum Hiſpanis pacem anno 1598.; ſed molitionem quoque fruſtraneam fuiſſe.

(*11) TACITUS lib. 13. c. 35. *Invidit operi Ælius . . . deterrendo Veterem; ne legiones alienæ Provinciæ inferret, ſtudiáque Galliarum affectaret, formidoloſum id Imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honeſti.*

(*12) BUCHERIUS lib. 5. c. 5. n. 2. Erat iſte Druſi agger, ſeu moles in Batavia ad oppidum hodie dictum *Duroſtadium*, paulò ſupra Trajectum inferius, quod & Ultrajectum: ſed aggerem hunc tredecim pòſt annis disjecit Civilis. De quo infra.

ſios agris decedere jubet. Friſii nihilominùs ea juſſa aſpernan-tes, armis Romanorum captis ſedibus expulſi ſunt (y).

(y) Tacitus ibid.

A. Æ. C. 61.

Bunduicæ Britannorum Reginæ bellum contra Romanos.

9. Inter Britannos periculoſiore bello Cæſarem effœminatum virilis animi fœmina laceſſivit: Bunduicæ huic nomen erat, quæ ſtirpe regiâ orta (*13.) comparato centum viginti millium exercitu, more Romano in tribunal ex terra paluſtri aggeſtum conſcendit, ſuos indè monens, quantùm priſca libertas antecellat ſervituti; deinde injurias commemorat, quæ ſibi, quæque ſuis à Romanis illatæ fuiſſent: ſe quantúmvis Regibus natam, verberibus affectam, filiabus intentatum vitium, nihil profici patientiâ; niſi ut graviora ex facili tolerantibus imperentur: per Centuriones exteros regnum, à ſervis domos evaſtari, non corpora, nec ſenectam quidem, aut virginitatem relinqui impollutam. Hâc concione accenſos in ultionem Britannos Bunduica ipſa in decretum bellum antecedit, munitiſſimas quasque arces repetit, ac paulò pòſt ſeptuaginta millia Romanorum ſeu ſociorum, ſeu civium internecinæ cladi involvit (z): Paulinus Suetonius Britanniæ legatus ad redintegrandam rem Romanam trepidus velut in ancipiti negotio accurrit: raptas decem millium copias innumerabili Bunduicæ exercitui opponit; id gloriæ ſuæ acceſſurum ratus, ſi modicâ manu victoris, & frequentiſſimi agminis famam conſequeretur (* 14). Poſtquam Britanni certo jactu tela exhauſerant; monente Suetonio, miles Romanus toto cuneo erumpit, eques protenſis haſtis perfringit ordines, alii conferti pilis, pòſt umbonibus, gladiíſque cædem continuant, prædæ immemores. Sunt, qui eâ die paulò minùs, quàm octoginta Britannorum millia cecidiſſe, memorent (a). Bunduica prælio quidem, non tamen animo fracta reliquias copiarum colligit, & ne pugnæ unius eventu

(z) Tacit. in Agric. c. 16. Ann. 14. c. 31. 33.

(a) Idem c. 36.

(*13) TACITUS lib. 14. c. 31. *Rex Icenorum Praſutagus, longâ opulentiâ clarus Cæſarem hæredem, duásque filias ſcripſerat, tali obſequio ratus, Regnum, & domum procul injuriâ fore; quod contrà vertit: adeò, ut regnum per Centuriones, domus per ſervos velut capta vaſtarentur. Jam primùm uxor Boudicea vel Bunduica verberibus eff… & filiæ ſtupro violatæ ſunt &c.*

(* 14) IDEM c. 34. *Jam Suetonio ... decem fermè millia armatorum erant: cùm omittere contationem, & congredi acie parat, deligitque locum arctis faucibus, & à tergo ſylva clauſum; ſatis cognito, nihil hoſtium niſi in fronte, & apertam planitiem eſſe ſine metu inſidiarum; igitur legionarius frequens ordinibus, levi circùm armaturâ conglobatus pro cornibus eques adſtitit. At Britannorum copiæ paſſim per catervas, & turmas exſultabant, quanta non aliàs multitudo; & animo adeò fero, ut conjuges quoque teſtes vide… ſecum traherent, plauſtríſque imponerent &c.*

eventu pavescerent, suos hortatur: dein ut causâ belli èxpensâ mutabilem conflictuum fortunam denuò tentent, rogat; novâ acie quippe vel vincendum hostem, aut Britannos etiam victos non indecorè occubituros. Nil propius erat, quàm ut bellum hoc modo resumeretur: sed Bunduica in ipso belli aditu morbo repentino extincta integram Romanis reliquit victoriam; probrosam tamen, quòd primùm à fœmina victi, altero posteà prælio fœminam tantùm superâssent.

10. Subinde plus ignominiæ in Oriente acceptum est: Vologeses Rex Parthorum Armeniam fratri Tiridati ereptam, & Tigrani extero donatam dolens, id, quod frustra precibus à Cæsare poposcerat, nunc armorum vi repetebat (b). Corbulo Dux fortissimus hostem barbarum undique irruentem mirifico consilio per tempus aliquod suspendit, aut terruit: verùm cùm unus tot finibus tuendis non sufficeret; alterum militiæ præfectum à Nerone expetiit, qui, se Syriæ res curante, laboranti Armeniæ prospiceret. Adest itaque, jubente Imperatore, Cæsennius Pætus, qui inclinatam Romanorum sortem adeò non adjuvit, ut penitus dejiceret: contemptâ is quippe Corbulonis experientiâ, illud maximè agebat, ut alienæ sententiæ minùs indigens videretur: tenuem proinde, quem habebat, militum numerum, trans montem Taurum in agros omnis annonæ expertes rapit, infrequentes dividit copias, ut facile jam foret Partho magnum, & infensum agmen incauto Duci circumfundere. Pætus in ultimas angustias redactus, Corbulonis, quem antè spreverat, auxilia implorat: verùm iste studiosè, ac tardo itinere lentas trahebat suppetias, quò gliscente magìs periculo subsidii laus augeretur. Intereà à Vologese Romanus miles jam occupatus, spoliatur, cæditur, aut in omni cæde turpiorem fugam ejicitur (c).

(b) Dio lib. 62. p. 710. Tacitus ann. 15. à c. 1. . . . & 8.

Bellum Parthicum.

A. Æ. C. 62.

11. Corbulo, quod modò cunctando peccaverat, virtute celeriore deinceps correxit; nam subsequente anno ad Armeniam recuperandam missus, Vologesen eò adegit, ut Tiridatem Regni Candidatum ad Castra Romanorum submitteret, qui prehensos jam fasces ibi ad Imperatoris imaginem deposuit; cum Corbulone insuper pactus, se illos non antè resumpturum, quàm à Nerone eosdem Romæ, utpote donum clientelare accepisset (d).

(c) Idem. c. 16. 17. Sueton. lib. 6. c. 39.

A. Æ. C. 63.

(d) Tacit. c. 26. 29. Dio lib. 63. pag. 712.

 Fides

Fides in Cæsarem integra, tum cæteræ res gestæ, quas exinde præstitit Corbulo, Imperatori non parum gloriosæ, sed & authori funestæ fuerunt: id quippe sceleratissimo Neroni insitum erat, ut virorum magnorum virtutem vel fastidiret, aut penitus sua crudelitate obrueret; unde Corbuloni tot ex meritis aliud præmium non obtigit, quàm, ut per insidias Tyranni tandem periret, vir celeberrimæ famæ & antiquæ militaris disciplinæ restitutor (* 15.). Qui imperare potuisset, nisi erga infidissimum Imperatorem integrioris fidei esse maluisset.

A. Æ. C. 62. 12. Eodem fato sublatus jam antè Burrhus fuerat, magnum Reipublicæ columen, & una aulicorum criminum mora. Tanto viro duo Prætorii Præfecti substituti sunt Tigellinus, & Fennius Rufus, ut potestas divisa minorum deinceps virium foret. Hi ex intimis libidinibus assumpti primùm Senecam Neronis Præceptorem (* 16.) invisum reddunt: dein Octaviam castissimam Imperatoris conjugem criminatione non unâ appetunt. Cæsar sive confictis accusationibus delusus, sive sponte indulgens, Octaviæ abdicatæ exilium, & demum etiam necem decernit, non sine ingratissimæ crudelitatis nota, quòd uxorem innocentem (cum qua dotale accepisset imperium) Regno, & vitâ ejectam perderet (* 17.) Exinde dissolutior Cæsar nihil usquam perinde la-tum

Libidines Neronis.

(*15) XIPHILINUS in Epitom. Dionis. pag. 287. *Corbulo non solùm genere clarus, & viribus corporis, sed etiam prudentissimus erat, poterátque cum veteribus Romanis comparari: vir magnâ fortitudine, & fide non modò in suos, sed etiam in hostes.... reliquos homines ob hanc unam causam offendit, quòd Neroni fidem servaret, cùmque eum dum Principem pro illo habere cuperent, hac in re duntaxat non probabant.... magnam potentiam, & gloriam adeptus, cùm posset facillimè Imperator designari, omnibus hominibus Neroni graviter infensis, cunctásque res ipsius admirantibus, nihil unquam molitus est.*

(*16) TACITUS lib. 14. c. 53. *mors Burrhi infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur &c.* Petiit frustra à Nerone Seneca, ut ad exemplum Agrippæ, & Mecænatis sibi ab aula ad sua studia recedere liceret. Simulans tamen infensam valetudinem, Philosophiæ morali operam dedit, ùt ipse testatur Ep. ... nil postremo anno pro victu adhibuit, nisi panem, & aquam cum paucis fructibus, metu veneni, aut insidiarum; ùt videre est. Ex ejus Epist. 82.

(*17) SUETON. lib. 6. c. 35. *Octaviæ consuetudinem citò aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere respondit uxoria ornamenta. Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ùt sterilem; sed improbante divortium populo nec parcente convitiis, etiam relegavit: denique occidit sub crimine adulteriorum adeò impudenti, falsoque, ut in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum, indicem subjecerit ...*

tum habuit, ac publicis locis commeſſari, complere illuſtribus fœminis lupanaria, eáque agere, quæ fidem minùs invenirent, niſi de Nerone dicerentur: nam per licita, atque illicita fœdatus viro, cui Pythagoræ nomen erat, contra naturæ leges palàm denupſit, aliúmque Adoleſcentem, quem eâdem veſaniâ deperibat, in fœminam transformare præſumpſit (e): erant hæc vitia, quæ urbis mores admodum labefactabant; ſequebatur mox alterum, quod urbem ipſam ad rudera usque evertit.

(e) Tacitus lib. 15. c. 39.

13. Neroni undecimum annum Imperii agenti ſtatutum fuerat, condendæ civitatis novæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere. Per veterem igitur Romam faces undique jactari jubet, ignésque domibus admoveri. Incendii initium in ea parte Circi ortum eſt, quæ Palatino, Cælióque montibus contigua eſt, ubi per tabernarum mercimonia cœptus ignis; ſimul agente vento per plana, ſimul in edita profertur: nullum malo tunc remedium; velocitate enim induſtriam omnem anteibat, aut id ſopire per adſtantes Neronis emiſſarios vix licebat. Sexto demum die quamvis apud imas Eſquilias finis aliquis incendio factus eſſet; multò tamen validiùs ſubinde ex Tigellini ædibus (non ſine Cæſaris dolo) flamma eadem erupit; quare tanta ſtrages antiquiſſimorum monumentorum extitit, quanta nec à Roma per Gallos incenſa viſa eſt (f). Ex regionibus quatuordecim, in quas urbs dividebatur, quatuor integræ manebant: tres ſolo tenus dejectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant malè lacera, & ſemiuſta (*18).

A. Æ. C. 64.

Romæ incendium.

(f) Tacit. c. 40. Suet. lib. 6. c. 38.

14. Cives fortunis, ac ædibus exutos illud maximè afflixit, quòd rumore non vano ſpargeretur, Cæſarem ipſo tempore flagrantis urbis per Smaragdum (quò lætius foret ſpectaculum) ruinas

qui dolo ſtupratam à ſe fateretur. Hæc latiùs Tacitus lib. 14. ſub finem deſcribit; adjiciens, quòd Octaviæ caput Poppææ oblatum fuerit velut gratiſſimum munus.

(*18) TACITUS lib. 15. c. 41. *Domuum, & inſularum, & templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit: ſed vetuſtiſſimâ religione, quod Servius Tullius Lunæ, & magna ara, fanúmque, quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacraverat, ædéſque Statoris Jovis vota Romulo, Numæque Regia, & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani, exuſta. Jam opes tot victoriis quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua, & incorrupta. Quamvis in tanta reſurgentis urbis pulchritudine multa ſeniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuêre, qui annotarent XII. Kalendas ſextiles Principium incendii hujus ortum, quo & Senones captam urbem inflammaverant.*

nas aſpexiſſe, ac in turpi Citharœdi habitu Trojanum excidium accinuiſſe (g). Nero, ne tam feralis buſti author haberetur; urbem reparare aggreditur: domum præprimis ſibi exſtruit, in qua id, quod natura denegâſſet, ars tentare videbatur: illinc præter aperta arva, & latiſſima ſtagna, in modum ſolitudinum integræ ſylvæ; in molitionibus autem ſuperbiſſimis haud perinde aurum, ac gemmæ miraculo erant. Urbis domus dimenſis vicorum ordinibus, cohibitâ etiam ædificiorum altitudine erigebantur (h): ſupplicatum demum eſt Vulcano, & Cereri, ne quid periculi porrò Romanis ædificiis accideret. Sed nec largitione, nec curâ Principis, neque Deorum placationibus ſuſpicio evelli potuit, ut Cæſar minùs juſſi & ſubornati incendii accuſaretur. Ergo abolendo penitus rumori Nero flagitii omnis infamiam in Chriſti cultores, quorum tunc ingens Romæ erat numerus, transferebat: Gentem iſtam cuicunque criminationi opportuniorem credidit, quòd ob ſanctimoniam dogmatum Romanæ ſuperſtitioni foret inviſa, & per integritatem diſciplinæ communi libidini adverſaretur: in hos itaque tum per urbem, tum foris diriſſimæ pœnæ expromptæ ſunt (*19.): ex illa tamen laniena aliud emolumenti Imperator non habuit, quàm quod Chriſtiani inſontes, ille Tyrannus palàm audiret: nec magis amicæ fuerunt Neroni tunc Provinciæ; ad reſarciendas namque (i) urbis ruinas templa earum ſpoliabantur, omnéque ex iis aurum abreptum eſt, quod victores, quod cæteri Magiſtratus in illis delubris unquam ſacraverant.

(g) Tacit. c. 39. Dio p. 709.

(h) Tacit. c. 43.

Crudelitas in Chriſtianos. A. Æ. C. 65.

(i) Idem c. 45.

15. Anno U. C. DCCCXVIII. Silio Nerva & Attico Veſtino Conſulibus odium, quod boni omnes contra Neronem dudum conce-

(*19) IDEM Ethnicus ſcriptor de chriſtianorum perſecutione pro ſuo impio & ſuperſtitioſo ingenio ita ſcribit: c. 44. *Ergò abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio Imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſáque impræſens exitialis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali; ſed per urbem etiam .... igitur primò correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet, dies; in uſum nocturni luminis urerentur.* Poſtquam hæc ſatis reprobè ſcripſiſſet, ſubjungit tamen miſerationem ortam erga Chriſtianos, *quia non utilitate publicâ, ſed in Sævitiam unius* Neronis *abſumebantur.*

conceperant, conjuratione plurimorum maximè C. Pisonis, & Fennii Rufi alterius Prætorianorum Præfecti firmatum est (*20). Cunctis obversabantur scelera Principis; nemóque erat, qui non diceret: finem adesse Imperii, deligendum, qui fessis rebus succurreret: factâ inter conjuratos fide (k), Promptiùs de tempore, ac cædis loco agitatum est; tandem statuitur Circensium ludorum dies, & persuasum fuit opportunum ad Cæsarem aditum inter ludicra Circi fore: ordine pro insidiis composito primæ facinoris partes demandantur Scevino, è cujus domo proditio fœderis tota posteà incautiùs erupit; is enim ubi cum Antonio Natali, cæterísque conjuratis frequenti utitur sermone; ultimas etiam conficit tabulas, acui demum pugionem jubet à Liberto suo Malicho: hic ex tot molitionibus contra Cæsarem agi aliquid simul suspicatus, simúlque proditionis prœmium sperans, quid rerum domi fiat, apud Cæsarem enuntiat (l): Nero de proximo suî periculo monitus, Scevinum, Natalémque confestim ad Palatium rapi imperat. Constantiâ vocis, ac vultûs integritate primùm sceleris quodcunque indicium elusum est: at dum diversi, ac sejuncti rei interrogantur, nec congruentia respondent; suspicio nova arripitur: mox tormentorum aspectu terrentur rei; tandémque confessio conjuratorum elicitur. Inter cæteros, qui pari criminis conscientiâ illigarentur, Annæus Seneca (m) quoque indicabatur, sive quòd verè gnarus consilii fuerit, sive hunc conjurati deferrent ad tyranni furorem emitigandum; propterea quòd Neronem Senecæ infestum & ad eundem opprimendum intentum noverant.

(k) Tacitus l. 15. c. 48. 49. 53.

Conjuratio in Neronem detecta.

(l) Idem c. 55. 56.

(m) Idem c. 60.

16. Continuò igitur dum reorum agmina ad vincula, & supplicia trahuntur (*21); Centurio ad Senecæ domum advolat, qui ei ultimum fatum denuntiet (o): ille interritus mortis nun-

(n) Dio lib. 62. p. 713. Tacit. annal. 15. c. 62.

Q cium

(*20) TACITUS occasionem conjurationis inde ortam notat, quòd prodigia plura mutationem Regni præsagire viderentur c. 47.: *Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non aliàs crebrior, & sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum. Bicipites hominum, aliorúmque animalium partus abjecti in publicum... secutáque haruspicum interpretatio; parari rerum humanarum aliud caput &c.*

(*21) IDEM inter reos recenset Subrium Flavium tribunum, qui interrogatus à Nerone, quibus causis ad oblivionem Sacramenti processisset? *oderam te*, inquit, *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi; postquam parricida matris, & uxoris, auriga, & histrio, & incendiarius extitisti.* Sulpitius Asper Centurio percontanti Neroni, cur in cædem suam conspiravisset? breviter respondens ait: *non aliter tot flagitiis ejus subveniri posse.*

cium excipiens reponit: ſibi non ignarum fuiſſe Neronis animum, neque aliud jam ſupereſſe poſt matrem, fratrésque interfectos, quàm ut educatoris præceptoríſque necem adjiceret: deinde teſtamento tabulas poſcit, at denegante Centurione ad amicos converſus profari pergit: quando meritis eorum ex bonis ſuis referre gratiam prohiberetur, quod unum pulcherrimum haberet, ſcilicet imaginem vitæ ſuæ ſe illis relinquere, cujus ſi memores eſſent, & bonarum artium, & conſtantis amicitiæ famam laturos. Poſtremùm ſuorum coërcens lachrymas, uxorem Paullinam ad firmitudinem revocat, ſimul orans; velit temperare dolori, & deſiderium mariti tolerare honeſtis ſolatiis: illa contrà ut vitæ, ſic quoque mortis ſocia eſſe expetiit, tum ad Senecæ exemplum ſibi brachiorum venas ferro exſolvit: egeſtâ jam ſpirituum vitalium multâ copiâ (ne omnino fœmina injuſſâ moreretur) renitentis etiam brachia obligari Nero præcepit (o). Intereà Seneca mortis avidior, ut lentum ſanguinis effugium juvaret, crurum quoque & poplitum venas abrumpit, hausítque validum venenum, quò citiùs conficeretur: at in ſenis corpore frigido parùm hæc proficiebant; quare poſtremò caleſcenti balneo illatus, vapore exanimatur (p). Vir totius Romæ clariſſimus, cui Subrius Flavius cum pluribus belli Præfectis Imperii faſtigium deſignaverat, ſi Neroni ſuperſtes fuiſſet.

Mors Senecæ.

(p) Tacit. c. 63. 64.

(p) Dio lib. 62. p. 713.

17. Quanto cum mœrore illuſtria tot funera accipiebantur, tantâ omnium lætitiâ poſteà intellectum eſt, Sabinam Poppæam à ſubita Neronis ira periiſſe. Fœmina erat ad fovendas libidines, & crudelitatem promptiſſima; nam & Cæſarem in tot neces una urgebat, & quò pulchritudine ſuâ in tyranni animum potentior eſſet, quotidiè aſinarum lacte ſe lavabat (q). Tandem cùm pro ſuo in Neronem ſolito dominatu, eum ob indecoros quoſdam ludos increparet; hic in repentinas furias actus ictu calcis afflictam enecat (*22). Tot facinoribus fœdum annum Deus pluribus tempeſtatibus, ac morbis funeſtavit; vaſtata Campania turbine ventorum, qui villas, arbuſta ac fruges disjecit. Erant hæc primi

Fatum Poppeæ.

(q) Dio lib. 62. p. 714.

(*22) TACITUS ann. 16. c. 6. *Poppææ corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, ſed Regum externorum conſuetudine, differtum odoribus conditur, tumulóque Juliorum infertur. Ductæ tamen publicæ exequiæ, laudavitque ipſe apud roſtra formam ejus, & quòd divinæ infantis Parens fuiſſet; aliáque fortunæ munera pro virtutibus.*

Calamitates publicæ.

ma vindicis Numinis signa, quibus injurias Christianæ rei paulò antè illatas ulciscebatur (r): acerbiora illa fuerunt, quæ subsequebantur; omne quippe mortalium genus virulenta lues populari cœpit: non sexus, non ætas periculo vacua, nobilium, plebísque promiscuus interitus, quæ tamen fata multis tunc optata acciderunt; eoquòd communi mortalitate Principis sævitiam prævenirent, qui nunquam magìs, quàm inter tot flebiles Italiæ casus, viris præcipuè insignibus acerbus fuit. Ex istorum numero Thraseas Pætus unus fuit (*23); huic supplicium ultimum intentabatur non alia de causa, quàm quòd nunquam canentem in theatro Neronem audiîsset, neque ejus citharæ divinos honores more aliorum dedicâsset: verùm is eâ fortitudine, quâ vixerat, mortem adiit, Jovi Liberatori propinans effusum ex venis (*24) sanguinem, dignum certè, qui meliore causâ funderetur.

(r) Tacit. ann.16.c.13. Sueton.c.39.

A. Æ.C. 65.

18. Anno Æræ Christianæ LXVI. Neronis XIII. Reipublicæ melior spes quædam affulsit: quam enim vim in innoxios Cæsar hucusque strinxerat; nunc contra Magos, & superstitiosam Philosophorum Sectam (s), tum contra Parthos & Judæos rebelles convertere instituit. Philosophis ab urbe exulare jussis, ingentes Cæsar pro transferendo in Orientem bello paratus facit, atque ut propior exercitibus foret, in Achajam properat (*25): verùm ibi aliter, ac optabatur, cuncta peregit; nam Vespasiano ad Syriæ bellum misso, ipse inter Græcorum levissimos ludos ineptè hærebat, nec quid negotii in Achaja susceptum, nisi quod Isthmum perfodere vesano labore præsumeret (t),

(s) Philostr. in Apoll. lib. 4. c. 15.

Neronis iter in Achajam.

(t) Dio lib. 63. p. 721. & 722.

(*23) IDEM de fato Thraseæ locuturus ait: *Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thraseâ Pæto.*

(*24) TACITUS *16. c. ult.* Tum ad Thraseam in hortis agentem quæstor Consulis missus vesperascente jam die: illustrium virorum, fœminarúmque cœtus frequentes egerat, maximè intentus Demetrio Cynicæ institutionis doctori, cum quo, ut conjectare erat, intentione vultûs, & auditu, si qua clariùs proloquebantur, de natura animæ, & dissociatione spiritûs, corporísque, inquirebat: donec advenit Domitius Cæcilianus ex intimis Amicis, & ei, quid Senatus censuisset, exposuit ..... Accepto dein SCto, Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectis utriusque brachii venis postquam cruorem effudit; humum super spargens, propiùs vocato quæstore: *libemus*, inquit, *Jovi liberatori, specta juvenis, & omen quidem Dii probibeant*; *ceterùm in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis.*

(*25) PAGIUS *Critic. Bar. Tom. I. pag. 50.* Censet Neronem anno sui Regni 13. Christianæ Æræ 66. abiisse in Achajam, quo anno etiam fervere bellum judæorum cœpit.

19. Intereà Roma, cæteræque Provinciæ absente Cæsare lenimen aliquod irritis tamen votis speraverant; Helius namque Neronis libertus, Augusti in urbe vices gerens, servitutem Romanorum ita aggravabat; ut optimorum, ac insontium bona, salus & vita veluti venalia haberentur (u). Tyrannidem ejusmodi, quæ in decimum quartum annum Rempublicam vexaverat, primus omnium Julius vindex excussit; hic dum Proprætor Provinciam Galliæ Celticæ obtinebat; subditorum centum millia contra Neronem in arma subitò concitat (x): inde Sergio Galbæ Hispaniæ Tarraconensis Proconsuli persuadet, suas quoque copias adjungat, & ut accepto tum Gallorum, tum Hispanorum supremo imperio contra Italiam tendat, deposcit; fore enim, ajebat, ut ex magna rei motæ fama, quæ in novis consiliis plurimùm valet, integri quique sequerentur: nihil Neroni scenico adversus vim esse provisum; multa experiendo fieri, quæ segnibus ardua videantur. Immotus adhuc steterat Galba, neque antè potestatem accepit, dum resciret, Neronem de ejus nece agitare consilia (y): tum animoso Vindici assensus, frustra inquiebat silentio & fide Principis Citharœdi, ac Ludionis barbariem ferri; quibus dictis in arma processit: erat autem Sergius Galba vir, neque generis nobilitate, neque opum splendore cuiquam æqualium secundus (z), sub quinque Imperatoribus honorum & gloriæ non parvæ potiebatur: natus ex Sulpitio Galba viro Consulari, & Causidico, matre Mummiâ pronepte L, Mummii, qui Corinthum exciderat. In prima ætate Patris exemplo Juris studium sequebatur; inde operâ Liviæ Augustæ, quam propinquitate sanguinis attingebat, Præturam, ac Aquitanicæ Provinciæ Præfecturam obtinuit (a): â Cajo Caligula substitutus Getulico consulatum gessit: postridiè quàm ad legiones venit, solenni fortè spectaculo plaudentes cohibuit, datâ tesserâ: ut manus penulis continerent; statímque per castra jactatum est: *Disce miles militare, Galba est, non Getulicus:* Claudio posteà non minùs charus Galba, in Africa, & Germania ornamenta triumphalia meruit (b); tandémque sub Nerone Hispaniæ Tarraconensis præfecturam accepit. Neque tamen eum intra has metas substiturum omina quædam portendisse ferunt; nam Augustus Imperator

(u) Idem p. 720.

(x) Sueton. lib. 6. c. 40. Plut. in Gal. p. 1491.

Conjuratio Julii Vindicis.

A. Æ. C. 68.

Sueton. in Gal. c. 9.

(z) Sueton lib. 7. c. 4.

Sergii Galbæ initia.

(a) Idem c. 6.

(b) Tacit. lib. 1. hist. c. 49.

perator puero adhuc ſe inter æquales ſalutanti repoſuiſſe memoratur: *Et tu fili Imperium aliquando guſtabis* (c).

(c) Suet. c. 4.

Anno Æ. C. 68.

20. Dum inter Julium Vindicem, (*26) Sergiúmque Galbam de novis molitionibus agebatur; Cæſar Nero, monente Helio, ex Achaja Neapolim revertitur, cognovítque eâ die Gallorum motus ſibi infeſtos, quâ matrem olim neci dederat (d): rumore cùm exterrendum quisque crederet, gaudentis potiùs ſpeciem præſetulit; ut qui occaſionem nactus eſſet, ex rebellibus Provinciis divites rapinas exhauriendi. Urgentibus ſubinde nunciis Romam ægrè revocatus (e), quaſi periculi negligens cum Primoribus viris non de bello, ſed de quibusque ludicris conſultabat (*27): cognitâ pòſt Galbæ apertâ defectione, exanimari viſus eſt, ac deſperanti ſimilis id maximè querebatur, quòd alii regnum mortui, ipſe vivus amitteret (f); mox rabie percitus Senatui venena, populo belluas, urbi novum incendium comminabatur (*28): digeſtâ intemperie placatior familiaribus teſtabatur, ſe cum cithara ſua in conſpectum hoſtium proditurum, ut quos armis non poſſet, cantu & modulis inflecteret.

(d) Dio p. 694.

Reditus Neronis ex Oriente.

(e) Idem pag. 697.

(f) Sueton. c. 42.

21. Inter hos angores Neroni non deerant adjumenta, quibus ſeditio componi poterat: Virginius quippe ſuperioris Germaniæ Præfectus ſuas legiones in Julii Vindicis copias jam immiſerat; quibus per fortuitum prælium fuſis, Vindex violentas ſibi præ nimio mœrore manus intulit (g). Cladis nuncio non minùs exterritus eſt Galba, qui jam magìs latebras Hiſpaniæ, quàm orbis Principatum quærebat (h): ſpes melior, quæ inde Neroni ſubnaſcebatur, vel ex eo confirmata eſt, quòd Virginius oblatum ſibi

Varia fortuna Neronis.

A. Æ. C. 68.

(g) Plutarch. in Galb. Dio l. 63. p. 736.

(h) Sueton. lib. 7. c. 10.

(*26) DIO lib. 63. p. 724. teſtatur Julium Vindicem ortum fuiſſe ex veteribus Regibus Aquitaniæ; virum magnanimum animi, grandiſque experientiæ in rebus bellicis, ac prudentiæ, æquè gloriæ avidum, ac hoſtem ſervitutis. Oratio vehemens, quam habuit contra Neronem ad populum, extat apud Xiphilinum.

(*27) XIPHIL. in epitome Dionis. Nero cognitis his rebus, primò ſimulat ſe ea contemnere, verſatúrque in deliciis ac ludit, ut anteà conſueverat. Quin etiam accitis Primoribus Senatorii, & equeſtris ordinis, quaſi vellet cum eis communicare conſilia rerum præſentium. *Inveni*, inquit, *quomodo hydraulica ampliores ſonos & magis concinnos efficiat.*

(*28) IDEM l. c. deliberavit interficere Senatores, incenſáque urbe navigare Alexandriam: *etſi enim* inquit, *amittemus imperium, tamen nos alet in illa regione ars noſtra & ſuſtinebit*: adeò ſtultus erat, ut ſe privatim vivere, & citharâ canere poſſe arbitraretur.

ſibi à ſuis Imperium deſpiceret, indignúmque putaret, ſummam rerum, quæ ad Senatûs, populíque arbitrium pertineret, à militibus diſpenſari. Reſtitutam hâc ratione Neronis fortunam Nymphidius paulò pòſt penitus evertit: fuerat is alter à Tigellino Prætorii Præfectus, qui à vili conditione ortus ad ipſos quoque Imperii honores graſſabatur. Quò turbatis rebus ſe voti compotem redderet; Neronem nocte in Ægyptum profugiſſe ſpargit: deinde à militibus pro Galba Imperium mercatur, eam argenti ſummam pollicitus, cui exſolvendæ nemo omnium nobilium, nec Galba par foret. Legiones nihilominùs pinguibus promiſſis illectæ Galbam Auguſtum renuntiant (i).

(i) Plut. pag. 1489. Tacit. Hiſt. 1. c. 72.

22. Nero interim è ſomno nocturno experrectus, ubi digreſſam cuſtodiam, ſéque ab amicis vacuum advertit; hominem inter tenebras inveſtigat, qui ſe occideret (k): revocanti mox impetum, & latere ſaltem cupienti unus ex libertis (Phaon nomine) ſuburbanum ſuum offert. Cæſar, ùt erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obſoleti coloris ſuperinduit, & aperto capite, ac ante faciem obtenſo ſudario equum inſcendit, quatuòr ſolis comitantibus. Poſtquam ad diverticulum non ſine diſcrimine ventum eſt; Libertus inſtat, ut quàmprimùm ſe nece celeri contumeliis militum eriperet: tergiverſatus multùm Nero ſcrobem tandem coràm fieri imperat, ac ea comportari, quæ curando cadaveri forent, identidem vociferans: *Heu qualis artifex pereo* (l)! ex literis ad Libertum caſu perlatis eodem tempore legebatur, Neronem à Senatu Reipublicæ hoſtem pronuntiatum, quærique jam vivum, ut more majorum pœnas daret: interroganti Neroni, quale id genus mortis eſſet? Reſponſum eſt, nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: ſtupeſcens ille, & quaſi furiis agitatus, binos (quos ſecum tulerat pugiones) arripit, jam eorum aciem tentat, jam rogat, ut quis ad mortem capeſſendam ſe exemplo præiret; jam ſegnitiem ſuam increpans teſtabatur: *Vixi deformiter, & morior turpiùs* (m). His dictis emiſſarii ad domum Phaonis advolant: Nero ne vivus ab inſtante ſatellite raperetur; ferrum jugulo immergit, trepidantem manum Epaphrodito, qui ei à libellis fuerat, adjuvante. Irrumpens Centurio, ubi Seminecem videt; nil magìs egit, quàm ut eum vitæ redderet,

(k) Sueton. lib. 6. c. 47. 48.

Neronis fuga, ejus proſcriptio & funeſtus interitus.

(l) Dio p. 727.

(m) Sueton. c. 49.

deret, dúmque admotâ vulneri penulâ ſanguinem premit; Nero exſtantibus, & ferè rigentibus ad horrorem oculis eundem contuitus in hæc verba profatur: *Serò.... & hæc eſt fides* (n)? plura locuturum vox & vita deſtituit (*29). (n) Idem l. c.

23. Funeſtiſſimi ſui occasûs omina plura jam Nero ante cœperat; per quietem námque vidit, navem ſibi regenti extortum Gubernaculum, trahíque ſe ab uxore in arctiſſimas tenebras (o). (o) Sueton. lib. 6. c. 46. de monumento Auguſtali, ſpontè foribus patefactis exaudita vox eſt nomine eum vocantis: Quid? quod natura ipſa, cujus leges fere omnes ſolverat, ferre monſtrum immane renuit; dum mutato ordine, ac non paucis portentis Neronis funus præmonſtravit: ita amnes retro fluere conſpectos, & in agro Marrucino Vectii Marcelli olivetum viam publicam transgreſſum, arvis inde contrario in oliveti locum profectis, tradidit Plinius (p). Obiit trigeſimo ſecundo ætatis anno, die 9. Junii, quâ Octaviam quondam conjugem interemerat (q), cùm jam Imperâſſet annos tredecim, menſes ſeptem, dies 28. Mors ejus, Julii, & Auguſti Cæſarum progeniem (*30) finiit: populo verò Romano tantæ lætitiæ initium dedit; ut omnes Pileati (velut in ſignum partæ libertatis) diſcurrerent. Funeratus eſt impensâ ducentorum millium, exuvias Ægloge, & Alexandrinâ nutricibus gentili Domitiorum monumento condentibus: nec defuerunt populi barbari, qui ob fœderis, & beneficiorum quorundam memoriam ſpecialibus honoribus ei parentarent (31).

Omina & portenta ante Neronis necem.

(p) Plin. lib. 2. c. 83.

(q) Sueton. lib. c. 57.

§. VI.

(*29) AUGUSTINUS lib. 20. de Civ. Dei c. 19. ſcribit, apud nonnullos Catholicos opinionem invaluiſſe, ut putarent Neronem vel non occiſum vel *ſaltem reſurrecturum, futurúmque Antichriſtum, qui myſterium iniquitatis exerceret.* Sed addit; *multùm mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio.* Idem refert SULPITIUS SEVERUS lib. 3. & docet ſententiæ ejus fuiſſe S. Martinum; Lactantius etiam trahitur in partem hujus opinionis: cujus fundamentum inde ortum eſt; quod Sulpitius ſupponat corpus Neronis evanuiſſe, nec eſſe inventum, adeóque non fuiſſe occiſum, ſed ultimis temporibus reſervatum. Verùm Plutarchus, & Suetonius falſitatem dictorum ſuâ narratione ſatis oſtendunt. Vide TILLEMONTIUM *in Nerone. Artic. 32. ſub finem.*

(*30) DIO lib. 63. p. 727. Notat in Nerone defeciſſe Domum & familiam Cæſarum. *Tillemontius* meliùs ait, eandem ſtirpem jam defiiſſe in Cajo ſaltem adoptato filio; videbatur tamen adhuc aliquâ ratione durare in Claudio, & in Nerone, qui ex uxoribus Auguſti deſcendebant.

(*31) Nero etſi hoſtis humani generis cenſeri poterat: TACITUS tamen hiſtor. I. c. 4. & 5. advertit, *varios motus animorum* ſecutos poſt ejus necem: *plebs ſordida, & circo, & theatris ſueta, ſimul deterrimi ſervorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus Neronis*

§. VI. SERGII GALBÆ *minùs auſpicatum & breve Imperium, in cujus locum ſuccedit* OTHO, *huic exercitus Germaniæ opponit* VITELLIUM, *utriusque Principis calamitoſus exceſſus.*

Ad A. Æ. C. 68.

Galba adit Imperium.

(a) Plutarch. in Galb. p. 1491.

(b) Tacit. lib. 1. hiſt. c. 6.

(c) Sueton. lib. 7. Chon.

(d) Tacit. c. 10. & 52.

(e) Idem c. 5.

1. ANtequam fama de exceſſu Neronis percrebuit; Sergius Galba Cluniæ in Hiſpaniæ oppido magìs pœnitentiæ factorum & deſiderio otii, quàm rebus novis parandis tempus trahebat (a): ſed ſupervenientibus ab urbe nunciis, ùt occiſum Neronem, cunctósque in ſua verba juràſſe cognovit; depoſito legati nomine Cæſaris appellationem ſuſcepit (*1). Iter ingreſſus eſt Paludatus, & ante pectus pendente è cervicibus pugione (b): proficiſcentem legio Hiſpana, & Otho Luſitaniæ Proprætor ſequebantur; hic, ut à ſeniore Galba (qui ſeptuageſimum tertium jam inibat annum) adoptaretur (c); illa, ut Duci ſuo præſidio foret: neque Veſpaſianus in Oriente, neque Virginius in ſuperiore Germania diſtulerunt legiones ſuas in fidem Galbæ impellere (d). Nimphidius unus non obſcuris indiciis ſibi Romæ quærebat Imperium, ſive quòd Galbæ decrepitam ætatem deſpiceret, aut quia militum fidem obſtrictam magìs ſibi crederet; poſtquàm liberaliſſimum donativum Galbæ nomine eis addixiſſet: verùm primas inter molitiones ab Honorato Prætorii tribuno in caſtris obtruncatus eſt (e).

2. Hæc ex fortuna quadam Galbæ adhuc iter agenti feliciùs evenerant: cætera, quæ voluntate egit, minùs auſpicata fuerunt; nam civitates Hiſpaniarum, & Galliarum, quæ cunctanter ipſi acceſſerant, gravioribus tributis, aliquot etiam dejectione murorum

rum

ronis alebantur, mœſti, & rumorum avidi. Miles Urbanus longo Cæſarum Sacramento imbutus &c. SUETON. lib. 6. c. ultimo: *& tamen non deſuerunt*, ait, *qui per longum tempus vernis, æſtivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modò imagines prætextatas in roſtris proferrent, modò edicta quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri. Quin etiam Vologeſes Parthorum Rex miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda Societate, hoc etiam magnoperè oravit, ut memoria Neronis coleretur.* Fuêre etiam permulti, qui ſe vel ſuperſtitem Neronem, vel redivivum fingerent, multósque in ſuas partes trahebant. De uno loquitur Dio lib. 64. de altero Zonaras in Tit. pag. 195. de altero demum Suetonius lib. 6. c. ult.

(*1) SUETONIUS lib. 7. c. 2. Mentionem facit, quod Galba *Cæſaris* nomen ſibi ſumpſerit, licèt ad Cæſarum ſtirpem minimè pertineret: nam is titulus jam tranſierat in notam *ſupremæ dignitatis*; unde & reliqui Cæſares hoc nomen ſibi arrogârunt.

rum mulctavit (*2), Præpositi, & si qui fidi Neroni invenirentur; indictâ causâ ad supplicium rapiebantur: unde non tantùm avaritiæ, sed & crudelitatis fama eundem præcessit; quæ non parùm aucta est, ubi Romam ferè appulsus totam legionem, jus militiæ sibi firmari rogantem, equorum ungulis, & militum reliquorum gladiis conficiendam permisit (*3).

3. Per tot cadavera in urbem ingressus malè ominata initia Imperii sumpsit, quod dein ab eo modò remissiùs, modò atrociùs gestum est, prout Aulicorum quorundam libidine impellebatur. Tres ei erant præcipuè â consiliis Libertus, Icelus, & Titus Junius cupidissimi, demum Cornelius Laco Præfectus novus Prætorii, homo arrogantiæ intolerabilis: horum nutibus se ita abutendum reliquit; ut æquè digna, ac fæda Principis facinora invidiæ ac odio simul exponerentur. Pergratum equidem populo erat, Neronis emissarios undique ad pœnas trahi; id verò laudem facti minuebat, quod T. Junius unus ex sceleratis Triumviris, Tigellino deterrimo Tyrannidis Neronianæ Pædagogo parceret, seu præmio, seu quæstu delinitus (g). Digna quoque vox, quâ Cæsar exercitum donativo cupidiùs inhiantem repressit: solitum se scilicet militem legere, non emere; sed sententia eo loco, ac tempore prolata fuerat, quo legiones priscam ac rigidam Scipionum, Fabiorum, ac Camilli disciplinam amplius non ferebant: itaque copiæ omnes repentè Cæsari infensæ ad acrem vocem fremuêre, non dissimulanter questi, fidem datam nullatenus servari (h). Exercitus porrò Germaniæ indignabatur, Virginium Ducem suum de Galba optimè meritum, dignitate omni exutum, nec legionibus Germaniæ tribui præmium navatæ adversùs rebelles Gallos operæ (*4).

(f) Sueton. c. 14.

Galbæ nefarii Consiliarii.

(g) Idem c. 15. Tacit. 1. c. 72.

(h) Dio lib. 64. pag. 729.

(*2) TACITUS lib. 1. hist. c. 8. & 53. Commemorat *Trevirenses* & *Lingones*, ac *Lugdunum* pessimè habitos fuisse à Galba.

(*3) IDEM *Tardum Galbæ iter, & cruentum interfectis Cingonio Varrone Consule designato ceu Nymphidii socio: & Petronio Turpiliano Neronis Duce. Cruentior adbuc introitus in urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, inductâ in urbem legione Hispanâ, plena urbs exercitu insolito.*

(*4) TACITUS lib. 1. hist. primam offensam exercitûs Germanici ex eo adducit: *Germanorum cohortem, à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in Patriam:* & c. 53. *abductus* jam antè Germaniâ superiore à Galba *erat per simulationem amicitiæ Virginius, eúmque*

A. Æ. C. 69.

4. Ergò primùm hi obsequium exuunt, & Calendis Januarii adigi sacramento, nisi in nomen Senatûs recusant: denique nuncios Romam mittunt, qui novum Imperatorem à Senatu eligendum deposcant (i). Galba & senectam, & orbitatem suam (nam filiis carebat) à milite duntaxat despici ratus, tumultum extinguendum putabat; si nobilem, atque egregium Juvenem in filium adoptaret. Eo igitur consilio Pisonem Frugi Licinianum, (*5) in castris pro concione priùs laudatum sibi sociat (k): adoptio ista, quæ malo mederi debuerat; & Cæsari, & Pisoni exitium acceleravit, rem agente Marco Sylvio Othone (l): Patrem hic habuit Othonem sanguine non minùs, quàm officiis clarum, qui ob conjurationem detectam in Palatio Statuam meruerat, & cui Claudius, quem à structis insidiis servaverat, hoc elogium dedit; Virum esse, quo meliores liberos habere ne optaret quidem. Otho filius Patri multùm dissimilis, primùm communione scelerum, & amicitiâ conjunctus erat: at vacillare hæc necessitudo nonnihil cœpit, quando Nero Othoni conjugem Poppæam Sabinam nuptiarum specie eripuerat. Imperator quoniam invitum ablatæ pellicis rivalem eâdem in urbe ferre nolebat; Othonem in Lusitaniam missum eidem Provinciæ imposuit. Post decem annos Galbâ in Hispania rebellante, Otho quasi injuriam sibi à Nerone olim illatam ulturus, partes novi Imperatoris in Italiam usque secutus est, non sine spe promissi regni. Posteà Pisone, contrà ac spes erat, adoptato, sibíque antehabito Otho ad vim convertitur (m): instigabant eum ad hos motus amissæ adoptionis dolor, iræ veteres, tum etiam magnitudo æris alieni; neque enim dissimulabat ipse, se nisi Principem stare non posse, nihílque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.

(i) Tacit. c. 12.

Conjuratio Othonis.

(k) Dio p. 730.

(l) Tacit. hist. lib. 1. c. 21. Sueton. in Oth. c. 5.

(m) Sueton. c. 5. in Othon.

5. Obser-

eúmque non remitti, atque etiam reum esse, tanquam suum crimen accipiebat superior exercitus.

(*5) Piso ille adoptatus oriundus erat M. Crasso, & Magno Pompejo, sed ob hoc nil nisi magnarum calamitatum hæres evasit, natus Patre Marco Crasso, & Scriboniâ, quos ambos Claudius interfecit; Cneus Pompejus & Crassus ejus fratres pari ferè extincti sunt, unus sub Claudio, alter sub Nerone: Piso ab exilio redux trigesimum primum agebat annum, vultu, habitúque moris antiqui, & æstimatione rectâ Severus Vid. *Tacit.* c. 14. 15. & 48.

5. Obfirmato igitur ad omne periculum animo, milites in Galbæ fide nutantes immensis pollicitationibus in apertam defectionem avocat (*6): dein omine quodam per Aruspicem accepto (*7), in foro gregarios (ùt quisque occurreret) in agmen colligit, à quibus unitis vocibus Cæsar proclamatur. Famâ rei ad Palatium evulgatâ, Galbæ authores alii fuerunt; ut ad seditionis lenimen progrederetur foras, alii è diverso abstinere â publico jubebant (n). Intereà, quò citiùs in exitium Galba proliceretur; rumor novus spargitur, Othonem in castris esse cæsum. Facto ut fides foret, spiculatorum unus stricto cum gladio accurrit, qui interfectum à se Cæsaris hostem vociferans, Galbæ ferrum cruore madens commonstrat (o). Imperator proinde salutis suæ securior conscensâ lecticâ in conspectum populi provehitur: ùt in forum pervenit, undique equites, peditésque irrumpunt. Primus omnium Attilius statuam Galbæ humo affixit (p); quo signo dato, jaculis, strictísque armis lectica impetitur: in tanta arctitudine rerum nemo fuit, qui Cæsarem tueretur, præter Sempronium Centurionem, qui licèt nullo privatim beneficio Galbæ obstrictus, integrâ solùm fide tam diu vim irruentium propulsabat; dum ipse poplitem suffossus consideret. Tunc novâ incursione factâ, Galbam lecticâ jam delapsum miles ad Curtium lacum obtruncat. Caput, cùm ob calvitiem teneri manibus vix posset; hastili præfixum ad Othonem defertur, qui id cum ludibrio circumferendum lixis, calonibúsque donavit (q). Truncum corpus ab Argio Liberto in horto viæ Aureliæ noctu sepultum est (r). Periit Galba tertio ætatis anno supra septuagesimum,

A. Æ. C. 69.

(n) Tacit. lib. 1. hist. c. 32.... c. 34.

(o) Plut. pag. 1509.

Cædes Galbæ.

(p) Tacit. c. 41. 42.

(q) Tacit. c. 44. Suet. lib. 7. c. 20.

(r) Plut. p. 1512.

(*6) TACITUS artes Othonis, queis quærebat Imperium, has recenset: *In itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoriâ Neroniani comitatûs contubernales appellando, alios agnoscere, quosdam requirere, & pecuniâ, & gratiâ juvare: inferendo sæpius querelas, & antiquos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi... Latores itinerum, inopia commeatuum, duritia Imperii atrocius accipiebantur: cùm Campaniæ lacus, & Achajæ urbes classibus adire soliti, Pirenæum & Alpes, & immensa viarum spatia, ægrè sub armis eniterentur.*

(*7) IDEM. *Sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruspex Umbricius tristia exta, & instantes insidias, ac domesticum hostem prædicit; audiente Othone, nam proximus adstiterat, idque, ùt lætum è contrario, & suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multò post libertus Onomastus nuntiat, exspectari eum ab Architecto, & redemtoribus, quæ significatio coeuntium jam militum & paratæ conjurationis convenerat. Otho causam digressûs requirentibus, cùm emi sibi prædia vetustate suspecta, eóque priùs exploranda finxisset, innixus liberto per Tiberianam domum in Velabrum... pergit &c.*

gesimum, Imperii mense septimo. Quàm multi mortem ejus miserabantur, tam pauci ejus Imperium desiderabant, eoquòd Libertis suis omnia venalia habentibus, se totum commisisset (s).

(s) Tacit. c. 49.

Otho arripit Regnum.

(t) Idem c. 43.

(u) Suet. in Oth. c. 7.

6. Otho Principatum, quem adiêrat, firmaturus, Pisonis cædem à militibus exegit: hoc igitur è fuga retracto, & ad ædem Vestæ interfecto (t), per consuetum tunc mendacium Senatui testatur, se ad regnum vi adactum fuisse (u): ab Optimatibus illico titulum Augusti, ac tribunitiam potestatem, à plebe Neronis nomen obtinuit, cujus ille Statuas dejectas restituebat. Qui ætate, aut gloriâ cæteris præstabant, his honores, ac munera contulit: privatis ex injuriis neminem ultus: Tigellino urbis Romanæ hosti ultimum dictavit supplicium, à quo toties, auro oblato, se redemerat (x).

(x) Tacit. c. 72.

Vitellius alter in Germania Imperator.

(y) Suet. in Vitell. c. 4.

(z) Idem c. 8.

7. Tam fausta initia dum civium præstantissimos in spem felicioris Imperii erigunt; Germani exercitus, factâ contra Othonem conjuratione, in Vitellii verba jurant: erat is Lucii Vitellii ter Consulis filius, qui primam ætatem (y) inter Tiberii Scorta transegit: Cajo per aurigandi, Claudio per aleæ studium, Neroni per Citharædos & Musicæ certamina familiaris, præter honores cæteros Proconsulatum Africæ sortitus est: posteà jubente Galbâ in Germaniam inferiorem abiit, contemptu magìs, quàm gratiâ ad has provincias delectus; cùm enim largitate epularum delectaretur, tantò minùs metuendus Galbæ, aut ad nova molienda idoneus videbatur, quantò magìs de victu solo cogitaret. In Belgio erga gregarios singulos comis, ac ferè (z) prodigus, gratissimi per mensem Ducis munus exercuit, quo exacto legionis primæ Dux Fabius Valens Vitellium ab epulis, & cubiculo arreptum Imperatorem consalutat: exemplum illius secutæ sunt ejusdem Provinciæ copiæ, & superioris Germaniæ exercitus (*8). Post

(*8) PLUTARCHUS in Galba; *Licèt superioribus diebus id nomen repudiare* (Vitellius) *ac recusare visus esset, molem timens imperii; tunc tamen ajunt, cum esset vino, cibóque meridiano gravatus, progressum esse. Ita circumlatus* (pergit Suetonius) *per celeberrimos* (Coloniæ) *vicos, strictum D. Julii Cæsaris gladium tenens, Martis delubro detractum, atque in prima gratulatione à quodam sibi porrectum. Nec ante in Prætorium rediit, quàm flagrante triclinio ex conceptu Camini. Tum quidem consternatis, & quasi omine adverso anxiis omnibus*, inquit, ***bono animo estote, nobis alluxit; nullo sermone alio apud milites usus.***

8. Post Galbæ cædem idem Vitellius compositis Belgii rebus exercitum partitur, alteram partem pro Italia, alteram pro Rheni præsidio designans: has quippe ripas nudare copiis res periculo plena erat, irrupturis utique in Galliam Germanorum nationibus. Antequam Vitellii legiones Italiæ fines contingerent; Otho Ducem legatione ad concordiam, ac, si vellet, etiam ad pacificum Regni consortium invitabat: verùm tardiùs respondente Vitellio, ac legionibus Germanis citiùs per Alpinos montes irruentibus, magìs de expeditione, quàm de Pacis Consiliis deinceps actum est. Tribus prœliis ad Alpes, & circa (b) Placentiam, Othonis Duces hostem repulêre. In novissimo & quarto conflictu apud Bebriacum (c) Othoniani non vi, sed fraudi succubuerunt: colloquii enim spe factâ, dum Ducum optimi quique ad pactionem fœderis, aut pacis ferè inermes procedunt; Vitellianæ copiæ ex insidiis consultantes obruunt, tantámque stragem edunt, ut quadraginta millia eâ die cecidisse compertum sit. Pudor ex cladis nuntio conceptus mentem victi Othonis adeò turbavit, ut & Regni, & vitæ tædio ultima sibi meditaretur (d). Virum dejectum nec fides superstitum militum, nec novæ ex Mœsia affluentes suppetiæ erexerunt (e): lachrymas itáque & preces fortissimi Duces ad firmandum Othonem adhibebant; ne scilicet suos desertos, & hostibus proditos vellet: uteretur potiùs omnium robore, dum animi, corporáque spirarent: unus præ cæteris fidem Cæsari testaturus, nudato gladio dixit: scias, Cæsar, hoc modo omnes pro te paratos, quo pronuntiato sibi ferrum in viscera intorsit: Otho nihilominus mori certus, amicos cohortabatur; ut sibi quisque pro facultate consuleret: fratris filio Coccejano illud insuper documenti loco relinquebat (f), ne Patruum sibi Cæsarem fuisse oblivisceretur unquam, at nec nimiùm meminisset. Nocte sequente singulos digredi jubet, ne authores necis suæ haberentur: dein solus extra arbitros pugionem arripiens, quem pulvino subdiderat, se uno ictu transegit ætatis anno 38., Imperii die 95. adeò charus militibus, ut cùm apud Veliternam funeraretur, ad rogum plures sibi manus inferrent (g). Cæterùm vir fuit munditiæ penè muliebris, cui minimè mors adeò virilis conveniebat.

A. Æ. C. 69.
Bellum civile inter Othonem & Vitellium.

(a) Tacit. lib. 1. c. 74.

(b) Tacit. lib. 2. hist. c. 18. 22. 24.

(c) Idem c. 35. Plut. p. 1522.

(d) Tacit. c. 47. Suet. c. 9.

(e) Dio lib. 64. pag. 732.

(f) Tacit. c. 48. Suet. c. 10.
Otho seipsum interficit.

(g) Idem c. 12.

(h) Idem

9. In Galliæ Provinciis morabatur Vitellius (h), cùm & Othonis cædem, partámque à suis victoriam audiret: inde primùm cohortes Batavorum (ne quid truculentiùs auderent) in Germaniam remisit (i): posteà virtutibus quibusdam sua Principatûs initia admoderatus, boni Imperatoris spem faciebat. A Galba licèt alieno semper fuisset animo; in ejus tamen Parricidas acriùs animadvertit (k), neque à honoribus subitis ita se inflari passus est, ut pristini sui statûs, aut æqualium memoriam dedignaretur: Coacta ejusmodi virtus consistere diu non potuit, quin ad nativam conditionem, id est ad priora vitia Vitellius rediret: itaque iter in Italiam ingressus, per civitates ritu triumphantium ferebatur; per flumina delicatissimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis usus. Obsoniorum apparatus ubique profusissimi: & cùm nulla familiæ, nulla militis disciplina vigeret; rapinas ipse & petulantiam omnium in jocum vertere solebat. Subinde campum accedens, in quo pugnatum erat; abhorrentibus cæteris cadaverum tabem, ipse detestabili voce crudelissimam mentem prodidit: *optimè*, inquiens, *olere occisum hostem & meliùs civem* (l). Neroni persimilis & matrem veneno sustulit, & Imperium ex histrionum consilio gessit, pronus ad cujuscunque, & quâcunque de causâ supplicium. Crudelitati prodigalitatem gulámque intempestivam, ac sordidam perpetuò conjunxit; ut ne in sacrificio quidem aut pompa publicâ sibi temperaret, quin inter altaria cibos à foco raptos & circa viarum popinas fumantia obsonia vel pridiana, atque semesa manderet. Ex more solenni epulas quadrifariàm in jentacula, prandia, cœnas, ac commessationes partiebatur (m), quibus omnibus se solitâ vomitandi consuetudine parem præstitit. Famosissima præ cæteris cœna erat, quâ à fratre exceptus duo millia lectissimorum piscium, septem millia avium apposita habuit; hunc tamen luxum gulæque infamiam ipse Vitellius superavit dedicatione Patinæ, quam ob immensam magnitudinem ἀιγίδα πολιέχȣ sive Clypeum Minervæ dictitabat; in hoc quippe ciborum barathrum jecinora Phasianorum, pavonum cerebella, linguæ Phœni-Copterum, & Murænarum lactes à Carpathio usque, fretóque Hispaniæ importabantur; adeò ut pronuntiatum de Vitellio tandem

(i) Tacitus lib. 2. c. 28. & 69.

(k) Sueton. c. 10.

Vitellii Helluationes, & crudelitas.

(l) Sueton. c. 10. Tacit. c. 70.

(m) Sueton. c. 13. Tacit. c. 62.

dem sit: Eum, si diutiùs vixisset, pretio mensarum, Romani Imperii opes abliguriturum fuisse (n). (n) Joseph. bell. l. 4. c. 42.

10. Helluantem Imperatorem Mœsiarum, ac Pannoniæ exercitus, tum ex transmarinis copiis Judææ ac Syriæ legiones destituunt (o); profitentes subitò Sacramentum Vespasiano Duci: erat is Publicani Sabini & Pollæ nobilioris fœminæ filius, ultra Reate in Samniis natus (p), adhuc adolescens honores urbanos obtinuit; exinde ædilis, quæstoris, ac tribuni officiis functus à Claudio in Germaniam legatus legionis mittitur: mox in Britanniam ire jussus tricies cum hoste confligit, adjectisque Imperio viginti oppidis, & Insulâ Vecte Britanniæ proximâ, triumphalia ornamenta, duplex Sacerdotium, & Consulatum meruit (q). Africam posteà eâdem fide, id est integerrimâ administravit; unde à Nerone ad motus Judææ componendos in Syriam evocabatur: castigatâ ibidem castrorum disciplinâ cum filio majore Tito Castella Judææ Romanæ ditioni submittit, aliáque agit, quæ Syriæ legionibus animum injicerent, strenuum Ducem ebrioso Vitellio antehabendi (r): in eadem vota concessit eodem tempore Tiberius Alexander Ægypti Præfectus cum suo milite (s); Vespasianus igitur, ne suæ fortunæ deesset, in Italiam Mutianam adjunctis copiis instructum ablegat (t). Huic Mœsiam transeunti cæteræ quoque legiones accedunt. Agmen frequentius cùm jam justi exercitûs speciem præferret; Mutiana per Alpes ingressus, ad Cremonam Vitellianos fundit (u). Jactâ tam infelici belli aleâ, Vitellius hæsitabat, utrùm teneret, aut sponte poneret Imperium? verùm à suis confirmatus arma, & animos resumit (x), atque ut ultionis quidquam contra Flavium Vespasianum depromeret; eos, qui de Flaviana gente erant, in urbe vi subitâ adoritur, fugientes in Capitolium obsidet, injectisque facibus exurit, uno Domitiano Vespasiani filio cum paucis exitium evadente (y). Necdum evulgata Flavianorum clades erat; cùm hostiles copiæ urbi imminent: Mutiana primùm à mœnibus quinquaginta millium strage (z) depellitur, dein assultu secundo miles victor per murorum labes irrumpit, cædem promiscuam spargens. Vitellius tot inter pericula continuò epulabatur, sive ut inter gulæ illicia sensum honestum extingueret, sive ùt quidam ajebant,

(o) Sueton. lib. 8. c. 6. Tacit. c. 74.
(p) Sueton. l. 8. c. 1.
Vespasianus novus in Oriente Imperator.
(q) Idem c. 2. 3. 4.
(r) Dio l. 65. pag. 736.
(s) Tacitus c. 70.
(t) Idem c. 80. & 81. 85.
(u) Idem lib. 3. hist. c. 25. 28.
(x) Dio lib. 65. pag. 740.
(y) Tacit. lib. 3. c. 13.
(z) Joseph. bell. lib. 4. c. 42.

ajebant, benè pranſus moreretur. E latebris, in quas cum Piſtore, & Coco confugerat (a), à furente milite extractus, ligatis poſt tergum manibus, ligatóque cervicibus laqueo, lacerata in veſte & propè ſeminudus in forum rapitur: poſteà pugione ſub mentum poſito, ut ad injurias erectum vultum attolleret; mille contumeliis, luto, ac ſtercore inceſſitur: demum ad Gemonias ſcalas minutiſſimis ictibus excarnificatus, interiit anno ætatis 57. Imperii menſe octavo, Princeps popinis, quàm Palatio aptior: corpus ejus unco tractum in Tyberim ejectum eſt.

(a) Sueton. in Vit. c. 16. Tacit. c. 85.

Vitellii cædes. A. Ann. Æ. C. 69.

§. VII. VESPASIANUS *Imperator, Bellum Batavicum, cujus Dux fuit Claudius Civilis Germanæ libertatis aſſertor, ejus res geſtæ, ac conflictus cum Romanis, Pactio pacis perpetua, Veſpaſiani leges, virtutes, ac regni forma, vitia Cæſaris, triumphus de ſubacta Judæa, amplificatio Imperii, conjuratio Cæcinnæ, & mors Veſpaſiani.*

1. POſt mortem Vitellii, Veſpaſianus à Senatu ſummi Principatûs honores, ejúſque filii Titus, & Domitianus Cæſarum nomen accepêre. Anno Æ. C. 70. Capitolii fundamenta, quæ Vitellius paulò antè igne deſtruxerat, reparata ſunt (a); inde omnes Veſpaſiani curas bellum Germaniæ periculoſiſſimum ſibi vendicavit: cujus cauſas altiùs hìc repetere juvat. Batavi, donec trans Rhenum agebant, Pars Cattorum fuêre: poſteà ſeditione domeſticâ pulſi extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, ſimúlque Inſulam inter Vada ſitam occupavêre (b). Hi nec opibus Romanis, nec Societate validiorum attriti viros tantùm, armáque Imperio miniſtrabant: diu Germanicis, Britannicíſque bellis exerciti, domi & nandi ſtudio præcipui, turmas equitéſque delectos domi retinebant: in his Julius Paullus, & Claudius Civilis (*1) regiâ

(a) Sueton. lib. 8. c. 8.

Bellum Batavicum.

(b) Tacit. l. 4. c. 12.

(*9) BERTIUS *ſtemma Claudii Civilis ita exhibet* m. pag. 57.

Dux Batavorum.

Julius Paulus, qui accuſatus falsò rebellionis, interficitur	Jul. Claudius Civilis libertatis German. author.	Soror cui ex marito.	
	Filius Civilis, qui diu Coloniæ captivus detentus eſt.	Julius Brigantinus præfectus militiæ ſub Veſpaſiano.	Verax.

regiâ ſtirpe multò cæteros anteibant: ſed Paulum Fontejus Capito affiƈto ei rebellionis crimine interfecit. Injeƈtæ Civili catenæ poſt quinque & viginti annorum in caſtris Romanis militiam, miſſúsque ad Neronem, & à Galba abſolutus, Sub Vitellio rurſus diſcrimen adiit, flagitante ſupplicium ejus Romanorum exercitu (c); inde cauſæ irarum, ſpésque rei bene gerendæ ex turbato Romanorum Imperio. (c) Tacit. lib. 4. c. 13.

2. Civilis, ſeu Sertorio, ſeu Hannibali tum habitu corporis, tum belli ſcientiâ & odio in Romanos non abſimilis, ferventibus in urbe tumultibus priſtinas injurias ulciſci, ſuámque gentem priſtinæ libertati reddere datâ occaſione ſtatuit: veritus tamen, ne ſi palàm deſciſceret, ſuis conſiliis obviàm iretur; omnia ſe Veſpaſiani tuendi ſtudio agere ſimulat (d). Novi deleƈtus ubi à Romanis ſubinde ſummâ vi, atque raptu extorquebantur; Civilis Primores Batavæ gentis ſpecie epularum in nemus evocat: vino jam calentibus mala cunƈta Servitii enumerans, oſtendit: hoc tempore, quo alii Vitellium, alii Veſpaſianum ſequerentur, patere Batavis locum adversùs utrumque: magno adſenſu probata ſententia eſt: miſſi ad Caninefates, qui conſilia ſociarent, mox occultis nuntiis pelleƈta auxilia Britannica, nec non cohortes Batavæ, quæ à Vitellio in Germaniam remiſſæ, Moguntiaci tunc agebant. A Caninefatibus (e) ſtolidæ audaciæ homo, cui Brinioni nomen (*2), ſcuto impoſitus more gentis in expeditionis Ducem deligitur; ſtatímque accitis Friſiis Romanorum præſidia ex Inſula profligantur Neomagum uſque.

A. Ann.C. 69.

(d) Idem c. 14.

Claudii Civilis Batavorum Ducis res geſtæ, contra Romanos.

(e) Idem c. 15. 16.

3. Civilis, qui dolo tantiſper ſua egerat, palàm tunc Caninefatibus ſe junxit: Tungris ſubinde accedentibus, captâque viginti quatuor navium claſſe auƈtiores Batavi Germaniæ utriusque inſuper auxilia oblata habuêre. Una Gallia in armorum ſocietatem vocanda erat, hanc Civilis quoque oſtenſâ imbecillitate hoſtium, dulcíque ſpe libertatis in partes trahit (*3). Iisdem

S diebus

(*2) TACITUS Hiſt. lib. 4. c. 15. *Erat in Caninefatibus ſtolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium inſigni: Pater ejus multa hoſtilia auſus, Cajanearum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat. Igitur ipſe rebellis familiæ nomine placuit, impoſitúsque ſcuto, & ſuſtinentium humeris vibratus, Dux deligitur.*

(*3) IDEM c. 17. *Gallorum ſocietatem Civilis arte, doniſque affeƈtabat, captos cohortium præfeƈtos ſuas in civitates remittendo: cohortibus abire, an manere mallent, datâ*

diebus Batavæ cohortes Moguntiaco in inferiora Germaniæ pergebant (f); at Herennius Gallus Bonnæ legatus omnem operam adhibuit, ne, ùt metuebat, his copiis Civilis firmaretur; legiones contrà ſuos juvare certæ, ferro viam aperiunt. Adventu veteranorum militum Civili jam juſtus exercitus in armis erat: at ductor idem ambiguus conſilii, utrùm palàm jam à Romanis deſciſcendum? ſubitò decernit, ad tempus in verba Veſpaſiani legiones adhucdum adigere. Duæ legiones, quæ ad Vetera Caſtra confugerant (*4), in Vitellii fide perſtiterant: ad has igitur nuncios mittit, qui idem ſacramentum pro Veſpaſiano exigant (g): ſed reſponſum eis redditur: Romanos, neque proditoris; neque hoſtium conſiliis uti: eſſe ſibi Vitellium Principem, pro eo fidem & arma uſque ad ſupremum ſpiritum retenturos. Quæ ubi relata Civili, incenſus irâ, Batavos, Bructeros, Tencterósque in arma rapit: dein legiones ad Vetera Caſtra obſidio (h) preſſurus, utramque Rheni ripam, quò truculentior viſu foret, catervis complet: adſultante ſubinde per campos equite, naves ſimul in adverſum agmen agebantur: hinc Veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſilvis, lucíſque ferarum imagines, ùt cuique mos eſt, obſtupefecerant obſeſſos. Mummius Lupercus, & Numiſius Rufus ad has belli concurrentis minas ſuos nihilominùs intra caſtellum, & caſtrorum vallum firmant, machináſque admotas eludunt. Deſperatâ ergo vi vertêre oppugnatores conſilium ad moras; haud ignari, paucorum hoſti eſſe dierum alimenta. Flaccus interim cognitâ Caſtrorum obſidione (i), Voculam Moguntiaco cum copiis mittit; ut quàm maximis itineribus laborantes erueret: Civilis celeriùs proinde obſeſſos urgebat, vi, & demum etiam blanditiis, ſi fortè promiſſis legionum fides convelli poſſet.

(f) C. 15. 19. 20. 21. 23.

(g) Tacit. c. 21. 23.

(h) C. 28. 30.

Obſidio veterumCaſtrorum.

(i) Tacitus lib. 4. hiſt. c. 24. 27.

Ad Ann. C. 70.

4. Dum hæc aguntur, Galliæ legiones in verba Veſpaſiani jurant, monetúrque tempeſtivè Civilis, ut contra eos, qui pari

tâ poteſtate: manentibus honorata militia; digredientibus ſpolia Romanorum offerebantur: ſimul ſecretis ſermonibus admonebat malorum, quæ tot annis perpeſſi, miſeram ſervitutem falsò pacem vocarent.

(*4) Vetera Caſtra, oppidum inferioris Germaniæ eſt, quod *Santen* vocatur à Pighio, in Ducatu Clevenſi prope Rhenum fluvium, duabus leucis à Veſalia inferiore in occaſum, & totidem à Geldria in Boream vide *Freberum* in Lexico.

ri ſacramento vincirentur, bellare ceſſet (k). Ad ea ita reſpondit Civilis, ut quid mente volveret, paulò apertiùs jam pateret: terrore inſuper agendum ratus, Voculæ auxilia delet: dein Julium Tutorem, & Julium (l) Sabinum Romanos Duces in ſocietatem trahit: obſeſſas ad Vetera Caſtra legiones fame in deditionem cogit: nec deerant novo fœderi Moguntiacum, Treviri, ac Colonia Agrippinenſis, quæ ruptis Romanorum ſignis in belli novi communionem venire amabant; Civilem demum ſecuti ſunt Bethaſii & Nervii.

(k) Idem c. 32. 36.

(l) Idem c. 55. 56.

5. Turbatâ hunc in modum Galliâ, & Germanis in varia diſtractis, Gallus Annius, & Petilius Cerealis Romani Duces cum novo exercitu ad Rheni confinia irrumpunt (m): fama tot agminum Galliæ urbes complures in pacis conſilia inclinavit, & poſt leves velitationes Tribocci, Nemetes, Vangionésque honeſto transfugio ad Romanorum fidem redibant. Treviri, quò minùs ſequerentur, Valentinus quidam ac Tutor fœderati Civilis obſtitêre: aſt dum prope Bingium copiæ eorum à Sextilio Romano Duce funduntur; ii, qui ex Treviris ſupererant, per agros palabundi omiſſis armis oberrabant. Ut Cerealis Moguntiacum cum exercitu ſimul venit; ingentem Gallorum delectum trahens, id maximè cavit, ne hoſtibus jam diſperſis coëundi in manipulos tempus foret. Itaque miſſis, qui breviore itinere legiones in hoſtem verterent, contracto, quod erat militum Moguntiaci, & quantum ſecum ex Alpibus transvexerat, tertiis caſtris Rigodulum venit; quem locum magnâ Trevirorum manu Valentinus inſederat montibus ac Moſellâ amne ſeptum: & addiderat foſſas, obicésque ſaxorum. Non deterruêre ea munimenta Ducem; quin iis perruptis, & Valentino cum nobiliſſimis Belgarum capto poſtridiè Coloniam Trevirorum ingreditur (n): nullus militum erat, qui hanc Julii Tutoris Patriam non exſcindendam vellet: verùm Cerealis metu infamiæ, ſi civium reliquias, legionésque rebelles conſcientiâ flagitii mœſtas omnino deleret, iras preſſit, in eam ſpem intentus, fore, ut mitiore veniâ ad priſtinam fidem cæteræ etiam urbes adducerentur.

(m) Tacit. lib. 4. c. 68. 70.

Cerealis Petilius rem Romanam reſtituit.

(n) C. 72. 73. 74.

6. Civilis contrà ſeu Treviros revocaturus, ſeu ad ſiſtendum victoriæ curſum ex Tutoris & Claſſici fœderatorum conſilio pro- Ad Ann. C. 70.

pe Mosellam adeò improvisus in Cerealis copias invehitur; ut Dux Romanus in lectulo pugnari, simúlque vinci suos audiret. Universa clades in oculis fuit, perrupta legionum castra, medius Mosellæ pons, qui ulteriora Coloniæ annectit, ab hostibus infessus (o). Cerealis turbidis rebus intrepidus, & fugientes retrahens, intecto corpore inter tela felici temeritate circumvolat, pontémque recuperatum lectâ manu firmat; mox in castra reversus rarum apud signa militem, ac cuncta pro hostibus videt: voce itaque, ac exemplo agit, ut legio vicesima prima patentiore, quàm cæteræ, spatio conglobata Civilem ruentem sustineat: mox denuò impellat. Hoc signo dato Victores terga subitò vertunt (p); fugientibus Cerealis instat, & interceptâ per iter Coloniâ Agrippinâ (* 5) Civilem in Bataviam ejicit. Ad Vetera Castra in novam pugnam, sed Romanæ militiæ magìs difficilem deventum est; nam campus paludibus humescebat, atque ut penitus oppleretur aquis, Civilis ingenio obliqua in Rhenum moles addita fuerat, cujus objectu revolutus amnis in terras adjacentes copiosiùs sese effunderet: in tam lato æquore Germani fluminibus sueti, & per nota vada proceris corporibus persultantes, prælongis hastis Romanum militem nandi pavidum, & ob gravitatem armorum facilè labantem eminùs fodicant (q): jámque debellatum fuisset; nisi perfuga Batavus Cereali viam, modúmque ostendisset, quo Germani à tergo circumfundi possent. Hoc facto legiones à fronte incubant, pulsíque Germani Rhenum fugâ transiliunt: Civilis tutiora petens in Insulam Batavorum se conjicit (r); unde Romanæ militiæ terrâ maríque infestus, ad tempus bellum protrahere visus est. Inter ista tamen certamina à partium Ducibus non obscura pacis indicia ostensa sunt: Cerealis namque Insulam Batavam hostiliter populatus, agros villásque Civilis intactas notâ arte Ducum sinebat: & Civilis contrà, cùm laborantem in Insula exercitum Romanum, amne ab imbribus turgente, solutis aquarum repagulis opprimere valuisset (s); abstitit

(o) C. 75. 78.

Varia prælia inter Civilem & Cerealem.

(p) Dio l. 66. p. 745.

(q) Tacit. lib. 5. hist. c. 14. 15. 16. 18.

(r) C. 19.

(s) C. 24.

(* 5) TACITUS H. L. 4. c. 79. Agrippinenses *efferebant uxorem, ac Sororem Civilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverunt . . . . largis Epulis, vinóque sopitos clausis foribus igne injecto cremavêre: simul Cerealis propero agmine subvenit.*

abstitit, vel malorum tædio fractus, aut spe vitæ, quam sibi vix ullam fore videbat, si à suis popularibus pacem jam respectantibus (*6) citiùs, ac ipse pactus esset cum hoste, proderetur: certè Civilem priùs alloquium cum Cereale expetiisse constat. Pro pacis conditionibus decretus pons est (t) Nabaliæ flumini impositus; in hujus abrupta uterque Dux & Civilis, ac Cerealis progressi, dato bellis flagrantibus fine fœdus duraturum pepigêre (*7).

Finis belli Batavici.

(t) C. 26.

7. Intereà Vespasianus id, quod in Oriente auspicatus fuerat, Imperium, Alexandriæ non sine magna beneficentiæ significatione excoluit; nam diriorum legum acerbitatem temperare, ac Romæ laboranti de annona prospicere inter primas curas habuit (u): nec defuerunt, qui adulandi studio ejusdem benefacta portentis quibusdam insolitis extollere præsumerent (*8). Alexandriâ in Italiam venit mense Decembri anno Christi septuagesimo (x): Brundusio, ac Benevento ad urbem progressus Cæsar, ostendit, sibi nil antiquius fore, quàm propè afflictam, nutantémque Rempublicam stabilire primùm, deinde etiam ornare (y). Revocatâ Prætorianorum disciplinâ, Româque ex Neronianis bustis restitutâ,

Ad Ann. C. 70.

Felix Gubernatio Vespasiani.

( ) Tacit. lib. 4. hist. c. 52.

(x) Joseph. bell. lib. 7. c. 10.

(y) Suet. in Vesp. c. 8.

(*6) Ex TACITO colligitur lib. 5. c. 24. ad pacem inclinatos fuisse Germanos per Velledam fœminam Vaticidam, quæ inter Bructeros ad Lippam habitabat, & ex cujus oraculis Germani sua bella, fœderáque suscipiebant. Idem scriptor de M. G. c. 8. notat: *Germani inesse sanctum quid & providum putant fœminis, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt: vidimus sub D. Vespasiano Velledam diu apud plerósque numinis loco habitam &c.*

(*7) Icto pacis fœdere Batavi eximebantur tributis, & nonnisi militem alere jubebantur, *Bucherius* lib. 6. c. 13. ait: pacem illam per 20. annos durâsse, nec nisi ab Antonio in superiore Germania in Domitianum rebellante lacessiri cœptum.

(*8) SUETONIUS lib. 10. c. 7. *Auctoritas ei, quasi Majestas quædam, ut scilicet inopinato, & adhuc novo Principi deerat, hæc quoque accessit: e plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adiêrunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, rem ullo modo successuram; ideóque ne experiri quidem auderet; extremò hortantibus amicis palàm pro concione utrumque tentavit; nec eventus defuit.* TILLEMONT. hìc notat ex *August. de Civ. Dei* c. 10. & 16. Deum permittere quandoque dæmonibus, ut mirabilia quædam faciant, quare illi pro Vespasiano talia operabantur, ut persuaderent hominibus Vespasianum esse Messiam, eòquòd Josephus per adulationem eidem Cæsari omnia tribuerat, quæ Prophetæ de Christo prædixerant. Notandum prætereà cum BARONIO ad a. 71. §. 7. TACITUM fateri lib. 4. c. 81., medicos dixisse Vespasiano, quod uterque & Paralyticus remediis naturalibus sanari potuerint, adeóque dæmonum ars hìc nil supra naturam effecit.

tutâ, centumviralia judicia diſpoſuit, per quæ litium diuturnitas abrogaretur (z); repurgabat quoque Senatum, indignos, ſi qui irrepſerant, ab ordine ſubmovendo. Pro morum honeſtate leges non paucas edidit (a), inter quas illa ad libidinem coërcendam fuit inſignior; quâ ſanxerat, ut mulier, libera, quæ alieno ſervo ſe junxiſſet, ancilla haberetur. Cavit etiam, ne fœneratori exigendi à filiisfamilias crediti jus unquam eſſet. Legibus Cæſar fortius exemplum ſuæ frugaliſſimæ vitæ addidit, ad cujus normam molliores agendi modos caſtigabat; unde adoleſcentulum unguento fragrantem, cùm ſibi pro conceſſa præfectura gratias ageret, rejeciſſe fertur, hâc acri voce increpitum: *Maluiſſem allium oboluiſſes* (b).

(z) Idem c. 10.
(a) Aurel. Vict.
Cæſaris Leges.
(b) Sueton. c. 8.

8. Ex negotiorum cura ſeſe Imperatorem: ex ordine autem vitæ ſe privatum oſtendit (c); maturiùs namque & de nocte vigilabat: dein perlectis epiſtolis, & officiorum omnium breviariis amicos admittebat eo etiam tempore, dum calceabatur ipſe, aut veſtimenta regia induebat: itaque penetralia Principis nunc magìs patebant afflictis, quàm ſub Claudio Cæſare, qui alloquia ſua ſubditis vendere ſolebat; dum nemini Auguſtum adire conceſſum erat, niſi qui à liberto emptum, aureúmque Imperatoris numiſma exhibuiſſet (d). Atque hæc admittendi quosvis facilitas tantò gratior cunctis fuerat, quantò demiſſior Princeps, & ſuæ priſtinæ mediocritatis memor cum ſubditis ageret; ridere eos maximè ſolitus (e), qui vilem cæteroquin originem Flavii generis ad Herculis natales, aut alias nobiliſſimas ſtirpes referre conarentur. Inter tot illuſtres Veſpaſiani virtutes eminuêre comitas, & clementia: neque enim repertus quiſquam fuit, qui inſons temerè (f) damnaretur, niſi eo abſente & ignaro, aut certè invito atque decepto; ſontium autem cædibus adeò non lætabatur, ut juſtis etiam ſuppliciis illachrymaretur. Hoſtes ſi quando infeſtos nanciſceretur, hos beneficiis potiùs, quàm pœnis domuit, unde cùm rumor percrebeſceret de Metio Pompoſiano, fore, ut aliquando regnum affectaret, non ſolùm ſibi non ab illo metuit, ſed & Conſulem fecit; admirantibus id amicis: *erit*, repoſuit, *olim memor hujus beneficii* (g).

(c) Idem c. 21. Dio l. 66. p. 750.
Virtutes.
(d) Plin. l. 33. c. 3.
(e) Sueton. c. 12.
(f) Suet. c. 15.
(g) Sueton. c. 14.

9. Sed

9. Sed quemadmodum ſideris cujuscunque ſplendor quandoque umbris quibusdam circumfunditur; ita Veſpaſiani virtus ſuos quoque nævos paſſa eſt. Provinciis quippe pergravis extitiſſe fertur, ſive cum rapaciſſimos exactores iis imponeret (*9), ſive cùm pudendum ex lotio vectigal ipſe extorqueret, Tito Filio hanc quæſtûs turpitudinem Parenti palàm oggerente, cui contrà Veſpaſianus pecuniam poſteà ad nares admovit, non ſinè cavillatione ſciſcitans, num odore offenderetur? & illo negante, at, inquiebat, ex lotio eſt: à quo tempore in Parœmiam traductum eſt: *lucri bonum eſſe odorem ex re qualibet.* Pecuniarum ejusmodi cupido fueritne à natura Cæſaris ingenio inſita, aut ob inopiam ærarii publici ſponte arrepta? multorum varia eſt opinio: id certum eſt, reditus à Veſpaſiano non ad luxum, ſed ad publicam utilitatem collatos fuiſſe (h); nam in omnium hominum genus liberalis, Vitellii etiam hoſtis ſui filium magnificè dotatum in matrimonio ſplendido collocavit: civitates hinc inde afflictas refecit (i): vias communiit maximis molitionibus, ad quas dum innumerabilem operarum turbam conduceret; hâc ratione homines à ſe ali, & in labore gnaros exerceri dicebat. Neque ingeniis, & artibus ejus munificentia defuit; nam Poëtas, & Oratores pinguibus prœmiis mactare, doctísque ex fiſco ſtipendia perampla conſtituere Principi ſolenne erat (*10).

Vitia.

(h) Aurel. Vict.

(i) Sueton. c. 17.

10. Anno Chriſtianæ æræ LXXI. Veſpaſiano Auguſto III. & M. Cocceio Nerva Conſulibus, Titus domitis Judæis, & everſâ Hieroſolymâ ex Oriente reverſus, Romam cum Patre triumphans ingreſſus eſt (k); quo tempore Veſpaſianus filium Collegam Imperii

A. Æ. C. 71.

(k) Joſeph. l. bell. 7. c. 16.

(*9) SUETON. lib. 8. c. 16. *Creditur etiam Procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promovere; quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò pro ſpongiis dicebatur uti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes . . . idque exprobratum ei à ſene bubulco, qui negatâ ſibi gratuitâ libertate, quam Imperium adeptum orabat, proclamaverit, Vulpem Pilum mutare, non mores.*

(*10) IDEM c. 18. *Ingenia & artes quàm maximè fovit: primus è fiſco Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena conſtituit. Præſtantes Poëtas, nec non & artifices coëmit: item Coloſſi refectorem inſigni congiario, magnâque mercede donavit: Mechanico quoque grandes columnas exiguâ impensâ perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remiſit; profatus, ſineret ſe plebeculam paſcere.*

perii renuntiavit (* 11). Natus erat eo anno, qui insignis fuit à nece Caji, scilicet Æræ C. XLI. educatus in aula cum Britannico Claudii filio, eas & animi & corporis dotes præ se tulit, quæ majore fortunâ dignæ, inter pacis, bellíque artes posteà magìs resplenduerunt (l). Castra subinde secutus per Germaniam & Britanniam tribunum egit militiæ (m); inde Romam redux sese exercuit in perorandis causis, quæ tunc egregia Adolescentum studia fuêre. Mox quæstor, & legioni præpositus cum Parente ad bellum Judæorum in Syriam processit: inter summa & præsentissima ibidem discrimina validissimas ejus Provinciæ urbes in potestatem redegit. Quantum verò ei à fortitudine militari authoritatis, tantum in forma erat ac consuetudine gratiæ, quâ id ab exercitu eblanditus est, ut Vespasianus Pater Anno Æræ C. LXIX. Augustus (n) proclamaretur. Patre Imperium capessente Titus ad subigendam omninò Judæam relictus in Syria, manus suas (ut ipse profitebatur) supremo numini ad punienda Judæorum crimina sacravit (o). Eversâ Hierosolymâ Gentis Hebrææ firmissimâ metropoli, aliísque rebus præclarè gestis, parum aberat, quin ab omnibus Imperator diceretur; & rumor Romam jam pervaserat, filium à patre jam desciscere (p). Titus ne regnum sibi quærere videretur, expedito itinere in Italiam properat: ubi id, quod contra Titum temerè spargebatur, facilè difflatum est; nam Pater ac Filius eodem triumphali curru (quod (q) spectaculum Roma necdum viderat) per urbem vehebantur, unáque conjunctissimi, honores eosdem inter se divisêre. Circa idem tempus sextâ vice templum Jani clausum est, conditúmque à Vespasiano Pacis templum, cui insignia quæque Judææ spolia illata fuerunt (* 12). Titus, quò magìs fidem Patri testatam

(l) Sueton. in Tito c. 3.
(m) Idem c. 4.
Vespasiani & Titi Filii triumphus de subacta Judæa.
(n) Tacit. lib. 2. hist. c. 74. 79.
(o) C. 82.
(p) Sueton. c. 56.
(q) Oros. lib. 7. c. 9.

(* 11) Collega equidem Titus fuit Tribunitiæ potestatis cum Patre, habebátque potestatem Imperium simul gubernandi, sed nec titulo Augusti, ut notat BIRAGIUS, nec Patris Patriæ condecorabatur. Vide TILLEMONT. in Vespas. Artic. 12.

(* 12) Templum Pacis dedicatum est. A. 75. pretiosa templi Hierosolymitani ornamenta, quæ ibi asservabantur, magnam partem combusta sunt, sub Commodo Imperatore, quando idem templum in cineres redactum est: BARONIUS ad a. 77. 52. 3. credit, quod Vespasianus huic templo ideò nomen à pace arcessiverit, ut id verum esse comprobaret, quod eidem Cæsari per turpem adulationem imponebatur: Vespasianum scilicet esse Principem pacis Judæis per oracula Prophetarum promissum: idem Author confirmat, nullum aliud templum pacis extra hoc Romæ unquam fuisse, quin fabulam dicit

ſtatam faceret; maximas cum Veſpaſiano curas partitus eſt (r), itaque anno Æ. C. LXXIV. illo authore cenſura ultima, cenſusque poſtremus actus eſt; cujus uſus per ſexcentos triginta novem annos apud Romanos jam viguerat: ſed deficientibus poſteà in pejus moribus, nec Cenſorum officio, nec luſtris emendari valuerunt. Præfecturam Prætorianorum, quæ aliàs equiti Romano tribui ſolebat, Titus ſibi quoque vendicavit, eo conſilio; ne quis eſſet, cujus inſidiis parentis corpus pateret (s). Circa annum C. Æ. LXXII. Imperio variæ ditiones acceſſerunt; ea quippe Regna, quæ tumultuoſiùs inter ſe agebant, in Provinciarum formam redacta (*13), coloniarum ingens numerus ubique diſpoſitus, quibus à Flavio Veſpaſiano perpetuò deinceps nomen adhæſit (*14).

(r) Sueton. c. 6.

Titi pia in Patrem ſtudia.

(s) Aurel. Victor.

Res geſtæ & amplificatio imperii ad a. C. 72. & 73.

II. Dum res Imperii optimè hunc in modum gerebatur; Alienus Cæcinna & Marcellus contra Imperatorem fœdus ineunt, tantò periculoſiùs (t), quantò minùs eos utpote Cæſar metuerat, quos amplis honoribus, & maximis beneficiis ſibi devinxerat: conjuratione tempeſtivè cognitâ ex literis Cæcinnæ interceptis, Titus Alienum Cæcinnam ad cœnam invitat. Ignarus hic, quid actum eſſet, lætum cum Tito convivium tranſigit: at dum ſolutis epulis per limen regreditur; à militibus conſtitutis trucidatur. Marcellus dein in Senatu palàm damnatus guttur ſibi novaculâ præſcidit (u). Utriusque cædem brevì ſecuta eſt mors Veſpaſiani (x): affectam namque valetudinem creberrimo aquæ frigidæ uſu penitus

Ad A. C. 79.

(t) Sueton. c. 6. Dio lib. 66. p. 752.

Conjuratio Cæcinnæ.

(u) Dio p. 753.

(x) Sueton. c. 24.

T

dicit eſſe apertam eorum qui fingunt, templum quoddam pacis priùs exſtructum Romæ concidiſſe eo tempore, quo Chriſtus natus eſt. V. TILLEMONT. in Veſp. pag. m. 45.

(*13) SUETON. lib. 8. c. 8. Comagenam in Provinciam à Veſpaſiano redactam ſcribit: Romani eam dixere Auguſtam Euphrateſiam; eoquòd adſita eſſet ripis Euphratis. Ut habet VICTOR *in Epitome.* S. HIERONYMUS notat *in Chronico* hic: Achajam, Syriam, Rhodum, Byzantium, Samos, Thraciam, Ciliciam, Comagenam, quæ antè Sub Regibus ſuis libertate quâdam fruebantur, à Veſpaſiano Provinciis annumeratas eſſe, eoquòd ſuâ libertate abutebantur ad peſſimas ſeditiones. Latiùs de his agit TILLEMONT. pag. 52. & 53.

(*14) Multis Coloniis inditum eſt nomen *Flaviæ*, ut ait SPANHEMIUS Diſſert. 13. pag. 603. ſed ignoratur an ſub Patre, aut Tito eductæ fuerint? *Sozomenus* lib. 5. c. 21. ſcribit, à Veſpaſiano Emmauntem in Coloniam veteranorum militum mutatam fuiſſe; poſtquàm deſtructa fuiſſet Hieroſolyma, atque inde dictam fuiſſe Nicopolim quaſi monumentum relatæ victoriæ: aliam antè teſte Plinio, dictam Cæſaream quam proinde primam *Flaviam* nominatam eſſe ait, quæ dein metropolis Palæſtinæ habebatur. Plures Colonias enumerat Spanhemius loc. cit.

nitus proſtravit, ad extrema deductus jocabatur: ſe jam Deum fieri. eoquòd nôſſet divinos honores nulli Principum antè deferri, quàm cùm inter homines eſſe deſineret: febri, & alvi profluvio divexatus conſtanti curâ legationes audiebat, atque è lecto aſſurgens, *Imperatorem*, ajebat, *ſtantem mori oportere*: inter ſublevantium manus extinctus eſt in villa circa Sabinas 24. Junii, annos natus unde ſeptuaginta; cùm imperâſſet annis propè decem: melior Princeps, quàm civis, quíque poſt 56. annos à morte Auguſti Reipublicæ exſangui, & à tot tyrannis exagitatæ datus fuerat, ut ruenti Imperio manum commodaret.

Mors generoſa Veſpaſiani.

§. VIII. TITUS *Filius Veſpaſiani Succeſſor in Imperio, ejus Pietas ac Clementia, injuriarum tolerantia, Britannia à Romanis exculta, Veſuvii incendium atrox, ac Romæ; aliæque calamitates Italiæ. Mors Titi.*

Ad A. C. 79.

I. VEſpaſiano defuncto Titum inter & Domitianum de regno controverſum eſt. Hic ſe aut prætermiſſum, aut fraudem tabulis ineſſe querebatur (a): Ille fratrem non obſcurè ſibi inſidiantem ſummis honoribus proſecutus, tantummodò monuit, ecquid parricidio faſces peteret, qui ſe volente ei obventuri eſſent, imò quos jam haberet, regni particeps (b)?

(a) Sueton. in Domit. c. 2.

(b) Victor in Epit.

Quamprimùm Titus regnare exorſus eſt; famæ ſiniſtræ rumores, quêis antè traducebatur, correxit. Moleſtiùs tulerat Romana plebs, quòd exteram fœminam Berenicen, Agrippæ Regis ſororem vetiti amoris ergò ex Syria adduxiſſet; quódque viros conſulares quoſdam truci odio oppreſſiſſet: utraque vitii labes ſub regni initia abſterſa eſt; nam & Berenice abdicabatur (c), & ſuaviore benevolentiâ in omnes uti cœpit, quam per omne vitæ tempus ſuas inter virtutes maximam deinceps habuit: neminem ſine ſpe dimittere ſolebat, & monentibus domeſticis, quod ultra vires polliceretur, *non oportet*, repoſuit, *quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere*. Recordatus aliquando ſuper cænam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet; memorabilem edidit vocem: *Amici, diem perdidi* (d)! nulli civium ademit quidquam, abſtinuítque alieno, & tamen nemo illo in amphitheatris, aliíſque publicis apparatibus magnificentior (e).

Titus Imperator Piiſſimus & Clementiſſimus.

(c) Sueton. in Tito c. 7.

(d) Idem c. 8.

Dio l. 66. 754.

3. Prin-

3. Principes majoribus Planetis persimiles esse credidit: illi enim, quò altiore in sphæra constituti, eò tardiùs moventur; ita Magnatum authoritas tum demum Reipublicæ prodest, si iræ modum, ac moderationem tenere noverit: & quoniam delatorum turba quæstûs ergo Romæ alebatur, qui falsis etiam criminationibus in necem integerrimos trahebant; hos Titus flagellis cæsos ex urbe deportari jussit, ne Imperatoris iram porrò provocandi ansas captarent (f). Maledicta, si quæ sibi impacta nosset, se integritate conscientiæ solatus pronuntiabat: dignum contumeliis cùm nihil gereret, ex facili mendacia contemni. Neque verba duntaxat, sed &, quæ acerbiùs contra ipsum suscipiebantur, magnanimiter neglexit: duos Patritii generis de ambitu, ac insidiis convictos in spectaculum honorificè deduxit; illísque medius sedens, Myrmillonum gladios petiit, velut exploraturus aciem, dein singulis conjuratis singulos pugiones distribuit, eosdem provocaturus ad id, quod tacitè molirentur: verùm his perculsis, videtísne, inquit, Principatum à Superis dari, frustráque tentari facinus, potiundi spe: si quid prætereà desiderarent, promisit se tributurum (g).

Patiens injuriarum & osor delatorum.

(f) Idem c. 8. Plin. in paneg. p. 62.

(g) Aurel. Vict.

3. Hæc in urbe Titus cùm ageret; foris in Provinciis & præcipuè à Britannia ei gloria major advenit. Insulæ hujus pars, postquàm à Romanis jam capta erat, post varios Proprætores, qui eam gubernaverant, Agricolæ Taciti Historiographi Socero sub annum C. Æ. LXXIX. à Vespasiano hæc Provincia obtigit. Hic insulam ingressus turbatas res, tumultuantes populos, & multorum annorum labores invenit: castellis quibusdam, ac regionibus incredibili celeritate occupatis, anno Titi Regnantis primo novum pugnandi genus delegit, quo tandem barbaros edomaret (h): statuebat quippe secum gentes armorum vi sub jugum adactas, eâdem facilitate ab officio discessuras; nisi melioribus disciplinis ita emollirentur, ut & æquanimiter servire perdiscerent. In socialem itáque vitam, dispersos primùm conjunxit: dein optimatum filios liberalibus artibus imbuendos dedit, imbutósque Romam transmisit, ubi in honore, & deliciis erant; futuri posteà Romanorum socii, & Constantia servitutis instrumenta. Subsequentibus annis idem Agricola novas semper

Ad A. C. 79.

(h) Tacitus in Agric. c. 20. & 21.

Agricolæ Romani Ducis res gestæ in Britannia.

per gentes aperuit, Romanóque Imperio subjecit, ob quam rerum gestarum famam præter trophæa, quorum vestigia in Britannia adhuc extant (i) triumphum publicum meruit.

(i) Idem c. 22.

Vesuvii incendium.

4. Per id tempus in Campania, atrocissimum incendium ex Vesuvii fastigio erupit: is mons mare spectat ad Neapolim, compositúsque ex variis colliculis, amphitheatri formam refert (k): exteriora latera arboribus & vineis consita; sed medium montis sterile à temporibus Augusti, terra cineribus similis; lapidésque fumo atrati. Montem eundem olim quoque arsisse, licèt Historiæ non memorent; ex crateribus tamen liquet. Dio ait (l). Ante æstûs initia magnum numerum Giganteæ molis hominum super ardentis Vesuvii apicem conspectum fuisse: post hæc consecuta est maxima siccitas, cunctáque planities in transversos motus agitata, culminibus summorum montium dehiscentibus (m): Ad hæc sonitus subterranei in modum tonitruum, & super mare mugitus extiterunt. Tum exilire primùm immensi lapides, dein magna copia ignis, fumíque qui solem lucémque eriperet: ipse affrictus ruentium in se saxorum Gigantomachiam clangorémque tubarum effingebat. Copia egesti, & per aëra volantis cineris tanta erat, ut pisces mari extinguerentur: duæ urbes Herculanum, & Pompejopolis (populo sedente in theatro) obrutæ sunt, támque latè spargebantur glomera (n) crematæ materiæ, ut ad Africæ, Syriæ, ac Ægypti littora devolverentur (*1). Misenâ (quæ urbs à Vesuvio octo leucis abest) circa primam Novembris nubes ejusmodi cineribus, lapidibúsque mixta visa est: Plinius proinde, cùm ibidem classis præfectum ageret; insolens ostentum scrutaturus navem conscendit (o): sed dum contemptis periculis Vesuvio sese propiùs admovet; spiritu per Crassiorem Caliginem obstructo, extinguitur anno ætatis suæ 56. vir utique magnus labore & studio; nisi Dei, suíque oblitus, naturæ arcana adire, & penitiùs inspicere præsumpsisset.

(k) Dio lib. 6. p. 755. Strabo lib. 5. p. 247.

(l) Dio l. c.

(m) Plin. 6. Epist. 16.

(n) Dio pag. 756.

(o) Plin. jun. lib. 6. Epist. 16. 20.

5. Titus

(*1) CASSIODORUS lib. 5. ep. 50. Testatur incendia ejusmodi posteà Vesuvii multa fuisse; sed Tillemontius ait, utcunque terrifica illa egestione cinerum, ac terræ motibus fuerint; non tamen æquare incendium illud, quod sub Tito exarsit. MARCELLINUS nihilominus *in Chronico* eidem comparare videtur illud, quod contigit Anno 472. apud BARONIUM ad a. 81. 55. Tertullianus, Lactantius dixerunt ignem illum similem igni infernali, qui nunquam deficit. Et S. Pacianus montis igneum spiraculum appellavit *fumariola quædam inferni.*

5. Titus intereà ad incendii damna reparanda, duos Consulares cum ingenti pecuniæ vi misit (p), qui urbes, quíque villas exustas restituerent; quia Imperator ipse (cùm octavùm Consul esset) Campaniam invisit, usurpaturus oculis calamitatem, cujus narratio omnem tunc fidem excedebat. Verùm dum foris extra urbem Titus versatur; quasi fato à loco in locum movente, Romæ novum surgit incendium, quod triduo, totidémque noctibus tam fœdè grassatum est; ut Capitolium, Pantheon, Bibliothecam Augusti, ac Theatrum Pompeji cum pluribus ædificiis publicis absumpserit: huic quoque damno aliquâ ratione consultum ibat Titus; quando Romam non alienis, ùt Nero, sed suis opibus è cineribus revocavit (q). Post tot Romanæ genti irrogatas à Deo pœnas, póstque duplex bustum, pejor jam pestis ex fœtentibus Vesuvii cineribus prodiit, cum tanta Italiæ totius strage, quantum non viderat ætas. Miseriarum multitudo Cæsaris curas, affectúmque auxit, unde periculo defunctis civibus varia impertiebatur solatia, raris æquæductuum, ædificiorúmque molitionibus (r), magnificentissimísque ludis, quibus tristitiam lenire conabatur. Vix mœror ab animis nonnihil depulsus est; jam is, qui medelam attulerat, Titus Cæsar majore suos tristitiâ afflixit; optimè quippe de Patria meritus Titus (an febri, an veneno à Domitiano porrecto? incertum) subitò ereptus est (*2) anno ætatis XLII. Imperii tertio in eodem apud Sabinos agro, in quo antè Vespasianus parens fatum suum obiêrat.

(p) Sueton. in Tito c. 8.

Ad Ann. C. 80.

Incendium Romæ aliæque calamitates Italiæ.

(q) Dio lib. 66. p. 756. & 757. Suet. c. 8.

(r) Onuphr. in fast. p. 210.

Mors Titi ad a. C. 81.

§. IX. DOMITIANUS *fratri Tito surrogatur, exordia Imperii satìs bona, bellum ejus ridiculum in Germanos, Agricolæ Ducis victoriæ, hujúsque pessima pro laboribus merces, bellum Dacicum, ejúsque inglorius finis, triumphus Domitiani fictus, convivium funebre, crudelitas, & condignus interitus.*

1. DOmitianus intellectâ morte fratris, in Castris Prætorianorum solito donativo Augusti titulum mercatus est (a), cui ipse

Ad Ann. C. 81.

(a) Dio lib. 66. pag. 758.

(*2) SUETONIUS c. 10. *Ad primam statim mansionem nactus, cùm inde lecticâ transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cælum, multúmque conquestus, eripi sibi vitam immerenti, neque enim extare ullum suum factum pœnitendum; excepto duntaxat uno; id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cui quam facilè succurrit. Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit.* DIO aliam causam

ipſe nomen *Germanici* appoſuit non ſine plebis ludibrio, eoquòd Germanorum neminem unquam viciſſet (b): ſub initia Regni ſtata habebat tempora, queis ſolus inter cubiculum muſcas aureo ſtylo configebat; unde cùm quidam ſciſcitaretur, num quis apud Cæſarem foret? Vibius Criſpus ab ingenio tunc percelebris, non illepidè repoſuit: ne muſca quidem (c). In ſpectaculis edendis cùm ſumptuoſior eſſet, id in iis obſervari deinceps voluit, ut, qui currus in circo ducerent, diverſis coloribus diſtinguerentur, quæ res multarum cædium cauſa extitit (d).

(b) Birag. p. 131.

Domitianus Imperator.

(c) Sueton. in Dom. c. 3. Aurel. Victor.

(d) Suet. c. 7.

2. Titum fratrem etſi inter Deos ſuetis honoribus retuliſſet; nihil tamen omiſit, quò major, meliórque illo diceretur (e): itaque non obſcuro ſermone ſæpe ejus res geſtas traducebat, dein virtutis quandam umbram confectabatur, quâ videri poſſet, antceceſſores ſuperare. Magiſtratibus coërcendis tantum curæ adhibuit, ut neque modeſtiores unquam fuerint, nec juſtiores (f). Omnis veluti cupiditatis expers, reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependiſſent, diſcrimine liberavit: fiſcales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repreſſit, ferebatúrque vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat.

(e) Idem c. 2. & c. 13.

(f) Idem c. 9.

Ejus res geſtæ ſub initium imperii.

A. Æ. C. 82.

3. Anno C. Æræ LXXXII. Cenſuram ſibi ſumpſit Domitianus, cujus officio pro corrigendis moribus leges edere aggreſſus eſt (g). Probroſis præprimis fœminis lecticæ uſum ademit, júsque capiendi hæreditatem, in quo tamen alienæ magìs, quàm ſuæ pudicitiæ ſe ſollicitum præſtitit (h). Quæſtorium virum, quòd geſticulandi, ſaltandíque ſtudio teneretur, movit Senatu. Inceſta Veſtalium Virginum à Patre ſuo, & fratre neglecta, variè & ſeverè coërcuit; duas namque Ocellatam, ac Varonillam ſorores ad voluntariam mortem adegit: manſuetudinis nihilominùs nomen commeritus, quòd eas non vivas pro more Romanorum recepto defodi juſſiſſet. Inter has leges Italiæ mores nonnihil redintegrati ſunt, ſed quia vitia metu, non amore virtutis exulabant, parùm caſtimoniæ integræ conſultum fuit (i).

(g) Birag. p. 131.

(h) Suet. c. 8.

(i) Baron. 83. §. 2. 3.

4. Qui ex forenſibus cauſis laudis aliquid ſibi quæſiverat, bellicâ gloriâ quoque præ Tito præcellere ambivit; expeditionem

Ridiculum bellum contra Cattos.

cauſam affert, pœnituiſſe nimirum, *quod Domitianum, à quo certò ſciebat, ſibi inſidias parari, non interfeciſſet, ſed id ab eo pati maluiſſet.*

nem igitur subitò capit (k) contra Cattos: eam gentem (* 1), quæ ex Romanorum judicio, & bellandi arte, & prudentiâ cæteros Germaniæ populos anteiret: verùm dum Rhenum obambulat cum copiis, agrósque evastat; repentè (hoste ne quidem viso) revertitur (l): ridicula tunc denuò triumphi species Romæ visa est, nam ùt Caligula olim; ita jam Domitianus curru sublimis victor circumvehebatur, qui nullum devicerat (*2). Fides ut aliqua rerum gestarum plebi fieret; nummi varii procusi sunt, in quibus præter structa trophæa *Germania capta* repræsentabatur (m), empti etiam sunt (n) ex ea gente, quorum habitus, & capilli in captivorum speciem efformabantur (*3).

(k) Suet. c. 6.
(l) Dio lib. 67. pag. 760. Sueton. c. 6.
(m) Birag. p. 134.
(n) Tacit. in Agr. c. 39.

5. Dum his imaginariis triumphis populo Romano Cæsar illudebat; illustriores quatuor victorias in Anglia iterum retulit celeberrimus Dux Agricola, quarum postremâ totam Britanniam Romanæ servituti penitus subjecit (o): Dux qui terrâ hucusque pugnaverat; classe nunc tremendus hosti, ad Caledoniæ Septentrionalis montes ultimos pervenerat. Britanni pugnarum præteritarum eventu minimè fracti, Duce Galgaro commune periculum extremis viribus propulsare statuunt: Agricolæ miles non minùs

(o) Tacit. in Agric. c. 10.
Agricolæ Ducis Victoriæ in Britannia.

(*1) TACITUS de Germ. lib. 2. c. 30. Cattos aliis Germaniæ gentibus antehabet. *Duriora*, ait, *Genti corpora stricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum rationis, ac solertiæ . . . Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus, & fortuita pugna, equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est, rara & privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit.*

(*2) MACROBIUS lib. 1. Saturn. c. 12. *Post duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianúmque transnominavit: quòd altero suscepisset imperium, altero natus esset.*

(*3) Ut Romanarum erga Cæsares adulationum monumentum extet; SILII Italici versus hìc proferimus, quibus triumphum Domitiani celebravit lib. 3. v. 607. &c.

At tum transcendes, Germanice, facta tuorum.
Jam puer auricomo præformidate Batavo.
Nec te terruerint Tarpeji culminis ignes:
Sacrilegas inter flammas servabere terris.
Nam te longa manent nostri consortia mundi.
Huic laxos arcus olim Gangetica pubes
Submittet, vacuásque ostendent Bactra Pharetras
Hìc & ab Arctoo currus aget axe per orbem &c.

Statuæ equestri STATIUS Sylv. lib. 1. hos versus subscripsit:

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxêre manus? qualem modò fræna tenentem
Rhenus, & attoniti vidit Domus ardua duci.

minùs ardebat in pugnam, præsertim quòd jam Britanniæ terminus pateret, proinde non inglorium fore censebant, si in ipso naturæ (ùt ajebant) fine caderent, aut vincerent. Britannorum infinitus exercitus prævalebat numero; sed Romana acies constantiâ & arte: quare ubi Germanæ copiæ ab Agricola in hostem committebantur; catervæ hostiles paucioribus præstare terga, ruere ultrò inermes, ac se morti offerre: patentibus locis ubique atrox spectaculum, passim arma, & corpora, & laceri artus. Victoriâ reportatâ Agricola oram novissimi maris Romanâ classe circumvehi jubet (p), cognitúmque tunc primùm est; Insulam esse Britanniam, & simul ignotæ ad id tempus Insulæ (quas Orcades vocant) inventæ, domitæque sunt.

(p) Idem c. 38.

6. Lætum expeditionis nuncium Domitianus Romæ anxiâ mente excepit (q); verebatur enim, ne Agricolæ fama super nomen Principis attolleretur, qui ob falsum de Germanis triumphum nuper vix non derisui fuisset. Imperator post varium cogitationum æstum victorem Britannico solo submovendum censet: ad tegendam autem invidiam; simul jubet eidem triumphalia ornamenta decerni, triumpho Principi soli servato (r): prætereà evulgata fuit opinio, Syriam Provinciam Agricolæ destinari, vacuam morte Ottilii Rufi Consularis. Agricola ùt in urbem venit; vitato amicorum officio, & ùt jussus erat, noctu in Palatium ivit, exceptúsque brevi osculo, & nullo sermone (s); inglorius deinceps vixit usque ad annum XCIII. quo fatis concessit non sine suspicione veneni, quo gloriæ æmulum peremisse Cæsar dicebatur.

(q) Tacit. in Agr. c. 39.

(r) Idem c. 40.

Ad A. C. 84.

Ingratitudo Domitiani erga Agricolam.

(s) C. 41. 43. 44.

Ad A. C. 85.

7. Redacto in ordinem Agricolâ Domitiani ambitio adeò immensùm aucta est, ut cum honore parem non ferret; jam nec habere superiorem sustineret: supra humanam itaque conditionem connisus divinitatem sibi arrogabat (t); in hanc sententiam suas epistolas exorsus: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet* (*4). unde

(t) Sueton. c. 13.

Cæsar divinitatem sibi arrogat.

(*4) SUETON. in August. c. 53. notat *Domini* appellationem ab Augusto *maledicti* vel *opprobrii* instar repudiatam, & Tiberius ajebat (ut ait DIO lib. 66. pag. 607.) *Dominum se servorum, Imperatorem militum, Principem cæterorum esse*: ab horum Principum moderatione recessit Cajus & Domitianus, qui simul *Dei* nomen adjunxerunt; quæ duæ invisæ notiones in Caji Imperatoris nummis quoque extant, uti & in inscriptionibus, Aure-

unde in legem tranſiit, ut alter à Cajo Domitianus Deus, & filius Palladis celebraretur (u): Plinius refert, omnes ad Capitolium vias armentis pecorum ſtipatas fuiſſe, quas victimas quisque Domitiani honoribus mactatum ibat (x).

(u) Aurel. Vict. Oroſ. lib. 7. c. 10.

(x) Plin. Paneg. p. 99.

Ad A. C. 86.

Ludi Capitolini.

8. Anno Domitiani Regnantis ſexto, C. Æræ LXXXVI. Ludis Capitolinis initium datum eſt, qui Olympiadum more quinto quoque anno deinceps celebrabantur (y): ſpectaculorum fœditas ea erat; ut ipſi adeò Ethnici, qui integritatem amabant, id maximè optarent: eſſet aliquando finis tam obſcœnis actionibus (z)! & profectò Deus brevì perditum ludorum genus interrupit, Dacorum arma in vicina Romanis littora effundendo. Dacica gens quàm corporum robore firma, tam ſpe alterius vitæ omnium periculorum contemptrix originem trahit à populis, qui à Græcis Getæ dicti, trans Hæmum eas Danubii oras coluêre, quas hodie Moldavi, Walachi, aut Tranſylvani inſident; inde ab Aureliano deportati in eam Illyrici partem, Daciam deinceps appellatam (a). Decebalus per id tempus apud Dacos regnum obtinebat, in cognoſcendis rebus æquè perſpicax, ac in gerendis ſolers. Primus is Iſtri confinia populatus, Appium Sabinum Provinciæ præſidem cecîdit (b): ne hoſtis porrò arma proferret, Domitianus copias adversùs in Illyricum duxit, quibus Cornelium Fuſcum cohortium prætorianarum Præfectum cum imperio impoſuit (c). Decebalus parum gloriæ ſe relaturum exiſtimans, ſi cum Duce aulicarum deliciarum ſueto manus conferret; pacem Romanis offert eâ lege, ut ſingula capita ſibi binos obulos annuâ penſitatione numerarent. Renuentes compoſitâ vi invadit, captâque aquilâ, aliíſque ſpoliis lectis, Legiones cum Duce trucidat (d). Eandem belli fortunam experti ſunt alii ex aliis ſuffecti Duces; dum tandem cuidam Juliano Cæſar belli curam committeret: is militem Romanum ad pericula quævis firmaturus, jubet, ut quisque nomen

(y) Onuphr. in faſtis.

(z) Plin. lib. 4. epiſt. 22.

Bellum Dacicum Romanis inglorium.

(a) Bandrand pag. 237.

(b) Sueton. in Dom. c. 6.

(c) Tacit. lib. 2. c. 86.

(d) Oroſ. lib. 7. c. 10.

 ſuum

Aureliani, alii quidam Imperatores, quamvis Dei nomine in nummis conſignentur; id tamen Cæſares non arrogârunt ſibi, ſed per adulationem Provinciarum id iis tribuebatur, vel poſt mortem inter Deos relati his titulis honorabantur. Vide SPANHEMIUM Diſſert. 12. de uſu Numiſm. §. XI. & XII. Vide etiam Athenaſium de Synodo p. 871., ubi queritur, quod Conſtantius & Chriſtiani Imperatores adhuc uſi ſint impiis ejusmodi nominibus.

suum scuto inscriberet, quò faciliùs ii, qui præclarè aliquid aut turpiter fecissent, agnoscerentur (e): congressus hoc modo cum hoste victor evasit. Decebalus cùm robore militum, queis exutus erat, agere minus posset; fraude Romanorum victoriam sistit: truncis quippe arma, arboribúsque excisis imponi mandat, quâ specie, velut ordinato exercitu ad tempus Julianum terruit, dein omnino se à periculo evolvit, Marcomannis, & Quadis Romanos aliunde lacessentibus. Belli utrinque ardentis discrimina Domitianum tum compulerunt, à Decebalo fere Victo pacem petere; hanc ut obtineret conditiones non leves à Rege barbaro dictatas subiit, scilicet ut præter ingentem pecuniæ vim, opifices periti, quíque seu pace seu bello Dacicæ genti utiles forent, in modum tributi penderentur (f). Quantumcúnque ignominiæ Cæsari ex indecorâ pactione accederet; fictam tamen ille victoriam denuò mentitus, triumphum à Senatu, quasi re optimè gestâ, exegit.

(e) Dio l. 67. 764.

(f) Dio l. 68. p. 771.

Ad A. C. 86. vel ad 90.

Insanus triumphus Domitiani.

9. Qui insaniam hanc Domitiani detestabantur, exequias à Cæsare celebratum iri dicebant, eorum nimirum, qui inter Dacorum acinaces periissent; optimates nihilominùs ne deliria hominis in furorem prolicerent, aureas, argenteásque statuas ei poni jussêre, empti quoque sunt Poëtæ, qui victori applauderent; demum triumphalis pompa adornabatur, quam & prœlia Circi, & novum genus navalis belli magìs funestam, quàm magnificam reddebant; nam & ii, qui spectaculo intererant, ob auras turbidas, aliáque incommoda plurimam partem extincti sunt (*5).

10. Domitianus ubi palàm plebi & optimis quibusque hâc ratione illusisset; domi in palatio Senatores divexare impudentiùs aggressus est. Adduxerat Cæsar nobilissimos viros ad cœnam festivam (g): illi dum comparent jussi; ædes pullo colore vestitas, omnia ad horrorem composita mirantur: pro numero hospitum sellæ nudæ, ac totidem columnæ sepulchrales, queis singulorum

(g) Dio l. 67. p. 762. 763. Sueton. c. 4.

(*5) EUSEBIUS triumphum Domitiani revocat ad annum Christi 91. licèt bellum contra Dacos finitum sit anno 86. teste Tillemontio uti etiam colligitur ex Statio. Vel si longiùs usque ad finem 90. anni producendum sit cum Eusebio; utique pro more Triumphus anno 91. Secutus est. Cæterùm ex PLINIO PANEGYR. p. 21. notatur, quod Domitiani triumphi certa semper indicia fuerint, quod Romani ab hostibus vel victi, vel magnam cladem passi essent.

rum Senatorum nomina inſcribebantur; pendebátque de iis lychnuchus parvus, ut aſſolet in monumentis, tum pueri in morem Æthiopum atrati inferunt cibos, eáque agunt, quæ exequiis mortuorum adhibentur: attonitos convivas & nil niſi ultima exſpectantes majore terrore concuſſit oratio Domitiani, quam iis de rebus inſtituebat, quæ ad cædes, & funera pertinebant: tandem ubi longiore metu hoſpites exanimâſſet, omnes lecticis, ac vehiculis per ignotos homines domum deduci imperat; ibidem reſpirantibus à ſummo terrore ſubmiſſi ſunt à Cæſare argentea munera, eæque dapes, quæ menſæ funebri illatæ, antè à perculſo quovis facilè negligebantur: oblatus prætereà ſingulis eſt unus ex pueris, qui atro colore purgati, fulgentésque jam ornamentis tanquam donum tranſcribebantur.

Convivium funebre Domitiani.

11. Annum LXXXVIII. ſæculares ludi inſignem fecêre, quos Domitianus ſeptimos ab Auguſto celebravit (*6); poſteà eadem anni tempeſtas non parùm fœdata eſt (h): proferre nimirum nunc apertiùs cœperat ſanguinolentam indolem, cujus hucusque non omnino obſcura indicia promicabant; ſolitum enim ei fuerat more tyrannorum per ſimulationem cuncta agere, illósque fovere teneriùs, quos diriſſimè enectos cuperet: aſſentatiunculis etſi delectaretur; adulantibus tamen ſimul, & inimicis infeſtus extitit: & quoniam ex Chaldæi Vaticinio quædam de genere mortis ſuæ cognoverat; in omnium ardebat cædem, ne quis eorum eſſet, qui ſibi fatum prædictum conſciſceret (i): acceſſit poſtremùm inſatiabilis avaritia, quâ ærario reddere publico ſatagebat (k), quod inde pro ſpectaculorum ſtolidis paratibus abſtulerat: itaque integerrimi juxtà ac ſontes, ejus ſævitie ſublati ſunt, vel poſt mortem ſpoliandi, aut barbaram ferociſſimi hominis libidinem ſanguine expleturi (*7).

Ad A. C. 88.

(h) Oroſ. lib. 7. c. 10. 11.

Crudelitas Cæſaris.

(i) Euſebii Chronic.

(k) Suet. c. 10.

12. Antonius, qui Superiori Germaniæ prope Moguntiacum præerat, tam infamem belluam minus ferendam putavit (l); invitatis

Ad A. C. 88.

(l) Suet. c. 6. 7. VictorEpit.

(*6) SUETON. c. 4. *Fecit & ludos ſæculares: computatâ ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, ſed olim Auguſtus ediderat.* Nam Claudius ſimiles ediderat anno quadrageſimo primo, cùm nonniſi ſingulis centum annis deberent celebrari ludi.

(*7) SUETONIUS c. 12. Poſtquam deſcripſiſſet rapinas Domitiani, addit: *Præter cæteros judaicus fiſcus acerbiſſimè actus eſt: ad quem deferebantur, qui velut profeſſi, judaicam intra urbem viverent vitam* (BARONIUS ad a. 54. §. 2. 6. hìc quoque intelligit Chriſtianos) *vel diſſimulatâ origine impoſita genti tributa non pependiſſent.*

vitatis proinde ad fœdus Germanis Cæsareum nomen, potestatémque sibi sumit: seditione subinde erumpente Italia ferè omnis exterrita est (m): Domitianus trahens secum petulanter decrepitam etiam Senatorum turbam (n), ad Rhenum pergit; sed antequam eò pervenisset, à L. Maximo hostis jam devictus, Cæsusque fuit, casu tamen potiùs, quàm belli fortitudine (*8); nam cùm Germanorum copiæ in auxilium Antonii jam properarent; ipsâ dimicationis horâ repentè Rhenus resolvitur, quo factum, ut transituræ suppetiæ (*9) ab Antonii exercitu cohiberentur: Lucius Maximus licèt parum gloriæ ex fortuita victoria retulerit; plurimum tamen laudis sibi conciliavit, quòd neglecto proprio periculo inventas in arce Antonii litteras exusserit, ne Cæsar inde materiam caperet, in plures conjuratos sæviendi. Providè id equidem ad multorum salutem, sed minùs opportunè ad tyranni licentiam (o); is quippe grassandi ferociâ omnino incensus, cùm judicio certo homines perdere non posset; ex suspicione pejùs agere incepit: numerum vix ineas eorum, quos ille igne, ferro levissimas ob conjecturas confecerit. Metium Pompassianum, quem Vespasianus magno in honore habuerat, Domitianus ambitûs nefasti ergo, & quasi Regnum quæreret, accusavit; non alia de causa, quam quod domi in tabella orbem pictum asservaret. Corneliam Vestalem ne auditam quidem, vivam defodi jussit (p): Philosophis sua studia pro crimine fuêre.

(m) Plut. p. 489.
(n) Dio lib. 67. p. 764.
Bellum contra Germanos.
(o) Suet. c. 10. Vict. epit.
(p) Eusebii Chronic.

Ad A. C. 94.
Persecutio Christianorum.

13. Tyranno dirum in modum omne mortalium genus divexante, in Christi quoque cultores sævities prolata est Anno C. Æræ XCIV., Diocletiani regnantis XIII.: fuerat hoc tempus, quo

(*8) MASCOVIUS lib. 5. de rebus gestis Germ. p. 138. opinatur Maximum hunc esse, cui inscriptio destinata sit apud Gruterum CCCLIX.

APPI MAXIMI
BIS COS
CONFECTORIS BELLI GERMANICI.

(*9) MARTIALIS hunc Rheni repentè resoluti eventum lib. X. epist. 7. ad Rhenum prædicat.

Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci!

Hæc eadem victoria esse videtur, quæ toties in nummis jactatur, in quibus teste Norisio ep. Consf. p. 175. V. IMPERATOR DOMITIANUS in antica extat: in postica parte verò GERMANIA CAPTA.

quo Cæſar ſui Imperii quinquennalia celebrabat; unde more majorum Diis vota palàm fecit, ut quidquid ſuperſtitioſo eorum cultui adverſaretur, legibus, ac ſuppliciis coërceret (q): & quoniam fidelium dogmata ſacra ſimulachris fictis quàm maxime contraibant; Domitianus in orthodoxos atrociſſimè quidem, ſed breviùs tamen bachatus eſt, à ſuis nimirum paulò poſt ipſe oppreſſus.

(q) Pagius ad a. 94. & Baron. ad prod. a. §. 2. 6.

14. Cædis hujus occaſionem puer quidam dedit, is quippe obſequiorum ergò Cæſaris cubiculum obambulans, temerè tabulam Domitiani pulvinari ſuppoſitam abſtulerat, in qua illorum deſignabantur nomina, quos Domitianus perditum ibat. Puero, quid ferret ignoranti, obvia fit Domitia Cæſaris uxor, quæ dum extractam è parvuli manibus tabellam evolvit, revolvítque; ſibi, Prætorii Præfecto, aulicíſque compluribus extrema omnia decerni videt. Suæ igitur ſalutis ſollicita, cunctos, quos eadem fatalis ſententia notaverat, de periculo monitos in Conſilium adſciſcit (r): conſensêre omnes in Domitiani necem; ad vitandas tamen turbas alium confeſtim circumſpici oportere decernunt, qui mortuo Cæſare ſummam rerum acciperet. Coccejus Nerva Principatu dignior viſus eſt, tum ob generis claritudinem, tum ob odium, quo ille in Domitianum flagrabat (*10).

Ad A. C. 96.
Conjuratio in Domitianum.
(r) Dio l. 67. p. 766. Sueton. c. 14.

15. Intereà Cæſar multis portentis ſui ſecuturi fati admonebatur, quæ Deus ejus animo ideo objecit; ut non ſubitò, ſed terrificæ mortis imagine ſæpiùs maceratus ad terribiliorem exitum deduceretur. Continuis octo menſibus innumera fulgura facta, nuntiatáque ſunt (s): tactum de cœlo cubiculum Domitiani, atque etiam è baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus in monumentum proximum decidit: Largius Paulus in Germania

Ad A. C. 96.
Omina mortem Cæſaris antecedentia.
(s) Sueton.

(*10) Coccejus Nerva natus Narniæ in Umbria, origine Cretenſis; primus proinde Imperator, qui non ex Italia ſtirpem deduceret: ejus progenitores conſulari fulsêre dignitate (ut teſtantur VICTOR, & EUTROPIUS) à Nerone ſtatuam in Palatio, ac triumphalia ornamenta accepit. Cum Veſpaſiano, & Domitiano Conſulatus binos geſſit, excellens Poëta, multisque naturæ donis, præcipuè Prudentiâ inſignis: hunc virum, quem quædam oracula prædixerant Imperatorem futurum. (Ut habet DIO lib. 67.) Domitianus relegavit in exilium Tarentum anno C. 94. & inde in Galliam; eum porrò neci daturus, niſi Aſtrologus quidam ficto vaticinio Cæſari affirmâſſet, Coccejum Nervam brevi ſuo ipſius fato, vel ægritudine periturum. In hoc exilio latuit Nerva, dum conjurati nuntios mitterent, qui ei faſces ſupremos deferrent.

(t) Idem c. 16. Dio p. 767. edixit decimam octavam Septembris Cæsari fatalem fore (t). Alius Astrologus (cui Ascleturioni nomen) cùm eandem næniam Domitiano præcineret; Imperator conturbatus fatidicum hominem interrogat, ecquod mortis genus vicissim sibi ominaretur? reponit is, fore, ut à canibus dilaniaretur: quare, ut mendacii Astrologus convinceretur, vivus igni traditur; sed allabente ad corpus flammâ tantus imber aquæ defluxit subitò, ut rogus, cui impositus fuerat, extingueretur: canes igitur, cùm vinctis à tergo manibus hominem reperissent, in eundem insilientes frustratim dilacerant (u).

(u) Suet. c. 15.

16. Post iterata omina dies tandem decima octava Septembris advenerat, cujus priores ad meridiem horas ubi Cæsar anxiè satìs numerâsset; dein velut periculo defunctus ad lætas corporis curas animum convertit (x): ita jucundiùs agentem, securiùs invadendum conjurati censuêre. Omnes anteire jussus est Augustæ Procurator Stephanus, qui & pacti fœderis artifex præcipuus fuerat, ac instrumentum (y): breviorem gladium sinistro brachio occultabat, & ne sceleris suspicio esse posset, idem lanis, fasciísque quasi malè affectum obvolvebat. Horâ condictâ Parthicus rei conscius Stephanum ad alloquium Cæsaris adducit, & quoniam fingebatur, illi urgens negotium esse, multáque habere, quæ de conjuratione quadam aperiret, continuò admittitur: oblatum conjuratorum indicem Domitianus primùm versat, reversátque: dúmque in dictorum, ac nominum exaratorum monstra defixus hæret; Stephanus exerto clàm pugione Cæsaris inguina suffodit leviore vulnere, sed accedentibus cæteris sociis saucius, & frustra reluctans septenis aliis ictibus contrucidatur, (z) anno ætatis 46. Imperii 15. 14. Kalendas Octobris.

(x) Idem c. 16.

(y) Sueton. c. 17. Dio p. 767.

Cædes Domitiani.

(z) Dio 768.

17. Eâ ipsâ die, ac horâ Apollonius Thyanæus (Pythagoræus Philosophus, & Magus insignis) cùm Ephesi orationem ad populum haberet, cædem Domitiani sibi à dæmone repræsentatam vidit; hinc inter perorandum subitò hæsitare, ac loqui remissiùs, dein attonito similis proclamare cœpit: Euge Stephane, *percute Tyrannum! percute homicidam!* & morâ aliquâ interjectâ, *bene est*, ait, *percussisti, vulnerâsti, occidisti!* (b) cædem Cæsaris populus

(a) Baron. ad a. 98. §. 21.

(b) Philostr. in Apollon. lib. 8. c. 10.

lus leniter, miles gravissimè tulit (* 11): Senatus contrà hâc nece adeò gavisus est, ut contentissimus ad curiam convolaret, nullúsque esset, qui non vellet, imagines mortui, ac titulos funditùs destruendos (* 12). Corpus vespillonum operâ indecorè exportatum: & cineres à nutrice Phyllide templo Flaviæ gentis clàm illati sunt (* 13). *Ejus funus.*

§. X. COCCEJUS NERVA *succedit Domitiano, Rempublicam præclarè gubernat, ejus virtutes, vitia, seditio militum. Adoptatio Trajani, mors Nervæ.*

1. QUo tempore Domitianus interiit, conjuratorum studio Coccejus Nerva Cæsar salutabatur (a), nec multùm obstitêre Prætoriani, postquàm primus tumultuantium impetus liberaliore donativo (* 1) fuerat repressus (b). Exinde summa cum lætitia à Senatu exceptus est, perorante in curia Anio Antonino, qui gratulari se ajebat ordinibus omnibus, ac provinciis de novo Cæsare; dein ad Nervam conversus, dolendas ejus vices asserebat, eoquòd satiùs fuisset eidem privato malos Principes illudere, quàm tanti oneris vi, periculísque tum inimicorum, tum amicorum subjici, qui cùm se mereri omnia præsumant; si quicquam non extorserint, amici sunt ipsis hostibus atrociores (c).

A. Æ. C. 96.

(a) Dio l. 68. p. 769.

(b) Eutropius.

Coccejus Nerva Imperator.

(c) Victor in Epit.

2. Nerva etsi senectute, & corporis languore debilis; animo tamen

Ejus præclara gubernatio.

(* 11) SUETON. c. 23. *Occisum eum miles gravissimè tulit, statimque eum Divum appellare conatus, paratus & ulcisci, nisi Duces defuissent, quod quidem paulò post fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissimè cædis authoribus.* Causa cur milites ita faverint Domitiano, erat, quia sub eo præter ampliora stipendia, rapinas innumeras exercere impunè licebat. Ita TILLEMONT. in Domit. p. 181.

(* 12) Ex PLINIO pag. 98. 99. Colligitur ejus statuas infinitas tum argenteas, tum aureas confractas fuisse, destructos arcus triumphales; Senatus quoque (ut notat SUETONIUS) præcepit, eradendos ubique titulos. LACTANTIUS ait, prostare multa adhuc marmora, in queis Domitiani nomen deletum.

(* 13) Senatus, ut habet AURELIUS VICTOR, decreverat, ut Domitiani exuviæ non alio ritu tumularentur, quam quo gladiatores sepeliri solebant. SUETONIUS in fine addit: *Ante paucos quàm occideretur, menses, cornix in Capitolio elocuta est:* ἔσαι πάντα καλῶς. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpejo, quæ sedit Culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere, dixit erit.

(* 1) Quia in electione Cæsarum miles potissimas habebat partes, & horum suffragia non virtute sed pecuniâ parabantur; VICTOR de Nerva ait: *Ad solenne delinimentum conversus est.*

tamen satis fortis, quamprimùm ostendit, & Monarchiam, & populi libertatem simul consistere (d): revocatis iis (*2), quos iniquiùs exilio Domitianus mulctaverat, rigidiorem legem contra delatores, simúlque adversùs servos edixit, cavens, ne quis eorum in tribunalibus contra heros injuriosiùs agens audiretur (e). Nullum quoque ritûs judaici accusari permisit; quin capitali pœnâ interdixit, ne ullus imposterùm Christianos, Judæósve infestaret, aut læderet (f). Augustus Fisco attribuerat vigesimam hæreditatis, legatorúmque partem, ita ut nonnisi sanguine propiores, & pauperes exciperet (g). Hæc lex comprehendebat omnes cives Romanos, & exceptio restricta cum tempore fuit ad cives veteres, sed qui civitate recentiùs donabantur, illam partem pendere cogebantur (h). Nervâ subinde regnante decretum est, ut omnes proles succederent in bona matrum, & vicissim: eodem modo filii non emancipati Patrum bona sortirentur, quin ullâ lege de vigesimæ portionis pensitatione ligarentur.

(d) Tacit. in Apr. c. 3.
(e) Dio l. 68. p. 769.
(f) Baron. ad 298. §. 12.
(g) Dio lib. 55. p. 565.
(h) Plin. pang. p. 67. 68.

Modestia, & Liberalitas.

3. Sub initium Imperii Cæsar statuas sibi fieri vetuit: ad minuendos sumptus sacrificia, multósque ludos, ac spectacula sustulit (i), & quoniam pecuniæ inopia ne hâc quidem ratione sarciri poterat; magnum vestium numerum, plurima ex auro, argentóque vasa, supellectilem privatam, ac prædia vendidit: neque verò in pretiis harum rerum sordidus, sed in hoc benignus erga multos, liberaliórque fuit. Civibus Romanis, qui in summa egestate vivebant, agrum dedit ad mille quingentas myriades drachmarum (k); ejus agri emptione, divisionéque quibusdam viris senatorii ordinis imperatâ.

(i) Dio p. 769. & 770.
(k) Dio p. 770.

Leges Nervæ.

4. Ex doctissimorum Virorum consilio leges renovavit, ne quis faceret Eunuchum, néve ulli ducere neptem concessum esset (l): post quinque annos à morte transactos contestari statum aut conditionem personæ prohibuit (m). Hâc legum providentiâ cùm sapientissimè moderaretur Imperium, dicere Cæsar auditus est, se nihil fecisse, quò minùs posset deposito regno privatus tutò vivere. Inter tot virtutes unum duntaxat erat, quod Nervæ vitio dabatur, nempe lenior ac subtimida erga improbos indul-

(l) Idem l. c.
(m) H. 40. tit. 50. l. 4.

(*2) BIRAGIUS pag. 144. Numisma profert, cujus inscriptio ita legitur: *Exules Romani reducti.*

indulgentia (n), unde Pantomimi in ſpectaculis licentiùs, & nobilior quisque impunè peccabat. Inter hos Calpurnius Craſſus ex illuſtri domo Veterum Craſſorum oriundus cum quibusdam in Cæſaris caput juraverat (o). Crimine ad Nervam clàm delato, ſcelerati adeò puniti non ſunt, ut Cæſar in ſpectaculo ſibi illos proximè aſſidere voluerit; datis inſuper in eorum manus gladiis, quos explorarent, utrùm ſatìs acuti forent? Quo facto Nerva generoſiùs quidem, at minùs providè oſtentabat, ſe ſatìs gloriæ ſuæ vixiſſe, nec curaturum, ſi iniquorum vi inter ſummorum ordinum ſubſellia necaretur: invidiam quamvìs hoc miti ingenio perfidis conflâſſet; ipſe tamen ab omni criminatione poſteà non abfuit, eoquòd Craſſo leviſſimam exilii honeſtioris pœnam pro ſummo ſcelere dictâſſet.

(n) Plin. l. 4. ep. 22.

(o) Dio l. 68. p. 770. 21. & epit. *Vitia.*

5. Et quoniam impunitate ſerpunt vitia; alter Caſperius Prætorii Præfectus exemplo Cæſareæ manſuetudinis provocatus, milites in Nervam concitare molitus eſt (p): obſidebant illi primùm in palatio Principem, dein eorum, qui Domitiano necem attuliſſent, capita depoſcunt: Nerva furentibus obluctatus, jugulum etiam obtulit, cui ferrum infigerent; æquiùs eſſe ratus, mortem oppetere, quàm prodere eos, à quibus authoritatem Imperii accepiſſet. Verùm contemptis Cæſaris precibus in Stephanum, aliósque conjuratos peſſimè ſævitum eſt. Caſperius, ut porrò Nervæ tolerantiam exagitaret; ſummâ audaciâ Principem adigit, ut facinus, quod ipſe, omnésque boni oderant, coram frequenti concione maximis laudibus efferret, redderétque inſuper ſeditioſo militi grates, quòd nefaſtos, peſſimóſque mortalium condignis pœnis affeciſſet.

A. Æ. C. 97.

(p) Victor Epit.

Seditio militum.

6. Turbatio ejusmodi rerum quantumvis inſolentis exempli eſſet; reipublicæ tamen non inutilis evaſit (q): Imperator namque ſeneſcentem ætatem ſuam deſpici videns, id jam agitabat, ut unum deligeret, qui & corporis robore, & firmitudine animi ſecum Imperii molem ſuſtentaret (r). Nervæ propinqui non deerant, in quos curarum partem devolveret: at is conjunctione ſanguinis publicæ utilitati poſtpoſitâ, planè exterum Hiſpanum ſcilicet Ulpium Trajanum, tunc Coloniæ Agrippinæ Præſidem, ac legionum plurium peritiſſimum Ducem ſibi aſſociat, id pruden-

(q) Plin. pan. p. 10. 12

(r) Dio p 770. & 771

Adoptatio Trajani.

dentissimè statuens, virtutem cujusque, non natales, nec patriam ponderari, aut existimari oportere (*3).

(s) Plin. pan. c. 8.

7. Occasio quò solennior fieret; eodem tempore (s) peropportunè accidit, ut victis in Pannonia Marcomannis Laurea adferretur (*4), à victore Cæsare in templo Jovi Capitolino consecranda. Ad hanc itaque pompam plebe undique accurrente Trajanus Cæsaris Successor renuntiabatur (*5). Nerva nomen Germanici sibi ex victoria assumptum Trajano quoque, qui Germaniæ cum laude præsidebat, impertivit (t): anteà verò quàm legatio in Germaniam ad Trajanum veniret; titulus Imperatoris, & tribunitia potestas eidem decernebantur (*6). Nerva non multò post adoptatum Cæsarem ex effusa bile frigore febrili correptus, & extinctus est anno ætatis 66. (u), postquàm imperaverat menses sedecim cum novem diebus. Senatus Nervæ cineres Augusti tumulo: Nervam verò ipsum Deorum albo, solenni Apotheosi intulit (x); quibus honoribus tantò dignior judicabatur, quantò utiliorem Imperio Principem sibi surrogâsset.

(t) Idem c. 9.

A. Æ. C. 97.

Mors Nervæ Cæsaris.

(u) Victor Epit.

(x) Plin. in pan. 10. c. 11.

REFLE-

(*3) PLINIUS Panegyr. Trajani c. 7. *O novum, atque inauditum ad Principatum iter! non te propria cupiditas, proprius metus; sed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit ... Nulla adoptati cum eo, qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo; nisi quod uterque optimus erat, dignúsque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non ut priùs, alius, atque alius in gratiam uxoris. Adscivit enim te filium, non Vitricus, sed Princeps ... nihil interesse arbitratus, genueris, an elegeris; si perinde sine judicio adoptentur liberi, ac nascuntur: nisi quod tamen æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit.*

(*4) MARTIALIS Lib. VIII. Epist. 15. de Pannonica Victoria ita scribit:

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis & ad reducem cùm litat ara Jovem:
Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus:
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos
Nec minor ista tuæ LAUREA pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est virtus maxima, nôsse suos.

(*5) IDEM c. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea; id agentibus Diis, ut invicti Imperatoris exortum Victoriæ insigne decoraret: hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocârat, cùm repentè solito major & Augustior, advocatâ hominum concione, Deorúmque, te filium sibi, hoc est unicum auxilium fessis rebus assumpsit.*

(*6) Plin. c. 9. *Eidem Germaniæ cùm præsideret, Germanici nomen hinc missum, ... jam Cæsar, jam Imperator, jam Germanicus absens & ignarus.*

REFLEXIONES HISTORICO - POLITICÆ IN CAPUT I. LIBRI I.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 5. pag. 69.

Quinam Tituli proprii fuerint Primo Romani Imperii Monarchæ, cæterísque ejusdem Succeſſoribus?

1. EX quo Cajus Octavius Idibus Januarii, anno ab urbe condita 727., Juliano 19. poteſtatem ſupremam à Senatu confirmatam acceperat (a); decimo ſexto Kalendas Februarii AUGUSTI cognomentum eidem oblatum eſt: tractatum enim in Senatu, an quia condidiſſet Imperium, Romulus vocaretur? Sed ex Munatii Planci ſententia, ſanctius, & reverentius viſum eſt nomen AUGUSTI, ut ſcilicet jam tum, dum colit terras, ipſo nomine, & titulo conſecraretur (b); propterea quòd loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicantur ab auctu, vel avium geſtu, guſtúve (c). Non deſunt equidem monumenta, ex quibus colligas Auguſti vocabulum ab augmento deſumi; ità, ut Auguſtum dicere idem ſit, ac auctorem ſeu amplificatorem Imperii ein Mehrer und Handhaber des H. Reichs (d). Aſt plures veterum Etymo inſiſtendum cenſuerunt; quanquam enim Cæſarei muneris ſit rempublicam ſibi commiſſam modis omnibus juſtè tueri, damna proſcribere, incrementa promovere; eo tamen Auguſti nomine non tam officium; ac poteſtas, quaſi ſplendor dignitatis definitur (e), qui tantò altior videbitur, quantò longiùs per Sanctimoniam quandam à populo Princeps ſubmovetur. Unde non tantùm hic titulus ſummis rerum geſtoribus, ſed Diis ipſis quoque inſcribebatur: cujusmodi exempla plura ſuppeditant indices Theſauri Gruteriani ut JOVI AUG. APOLLINI AUGUSTO &c. Græci Auguſtos σεβαςὸς quaſi conſecratos appellârunt; ex quibus conficitur hoc Sanctum nomen verè *honorum verticem* (f) & *primi honoris titulum* (g) deſignâſſe, qui velut nota ſupremi in Romano orbe faſtigii ad cæteros quoque Imperatores tranſiit; ſive ii ex ſtirpe Cæſarum, ſive è barbaris etiam gentibus originem nanciſcerentur (h). Fictæ Tiberii modeſtiæ tribuendum erat, quod ab hoc nomine ad tempus abſtineret; ad Reges tamen & Dynaſtas cùm ſcriberet, nunquam Auguſti titulum omiſit: de cæteris Imperatoribus (nobis ſilentibus) teſtantur ſtatuæ, lapides, nu-

(a) Dio lib. 53. pag. 503.

Nomen Auguſti ejúsque etymus & dignitas.

(b) Florus lib. 4. c. 12.

(c) Sueton. in Oć. [illegible] 7.

(d) Fride[illegible] III. in reformat. Francof. a. 1442. in Præfat.

(e) Spanhemius Diſſert. 12. de præſtantia & uſu numiſm. n. 4

(f) Ammian. Marcell. l. 26 c. 4.

(g) Lactant. de Perſ. c. 44.

(h) Philo in Leg. ad Caj. p. 1012.

mi à Spanhemio prolati, diplomata à Mabillonio eruta, quanti hoc nomen fecerint: ut mirum sit, Vitriarium scribere potuisse, quasi in posteris Caroli M. ejusmodi nomen eviluisset (i).

(i) Pfeffinger ad Vitriar. lib. I. tit. IV. not. 2.

2. Ut verò id paucis adhuc tangamus, quæ causa sit, cur hodie Imperatores *semper Augusti* audiant? hujus appellationis non tantùm in postremis sæculis, sed in antiquissima ætate jam vestigia deprehendimus; acclamabatur nimirum olim Augustis recens electis: *Dii te servent! Dii te perpetuent!* quæ vota à populo concepta numis titulo *Perpetui Augusti* consignabantur (k). Inscriptio apud Gruterum Severo inscripta hæc prostat: *Propagatori Orbis, ac Romanæ rei, Victori ac . . Triumphatori semper Augusto.* Inde Constantini & Theodosii ævo is ipse titulus usu magis comprobatus, & tandem Germanicæ nationis Imperatoribus perpetuâ veluti lege attributus fuit. Controversiam tamen quandam & Galliæ & Sueciæ legati circa eundem titulum movisse in conventu Monasteriensi posteà compertum est; cùm quisque eorum Cæsari tam amplum nomen à suis Regibus dandum negaret: sed ex antiquis litteris ostenso antiquo more, quem & Franciscus I. epistola ad Carolum V, & Joannes Rex Suecorum ad Maximilianum I. datis tabulis testatus esset; Cæsar hàc suâ nominis amplitudine uti perrexit (l).

(k) Birag. numism. Imper. p. 149.

Tituli Augusti, usus apud Imperatores.

(l) Pfeffinger ad lib. 1. tit. 4. pag. 302.

3. Ne porrò dignitas illa Augusti voce solâ contineretur; tempore labente provisum est: ut, quis Augustus esset, exteriore etiam diadematis insigni discerneretur. Spanhemius de Vespasiano jam locum ex Sulpicio (m) profert, unde dignoscas, ei in Augustum ab exercitibus electo, diadema quoddam injectum fuisse: verùm cùm id ornamenti genus Regibus magis familiare esset: Regum autem usum aut morem Romani aversarentur; per aliquot sæcula evenit, ut Imperatores vel nunquam, vel perrarò diademate uterentur. A Constantino multi ferunt primùm loco laureæ adhibitam ex auro coronam gemmis distinctam (n); quare Ammianus Marcellinus (o) ait: Julianus Cæsar à militibus, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre, negánsque unquam habuisse; torques uxoris è collo, vel capite poscebatur, ut coronatus speciem saltem obscuram superioris repræsentaret potestatis.

(m) lib. 11. c. 43.

Diadema ab Augusto usurpatum.

(n) Spanhemius Differt. 12. n. 16.

(o) Lib. 2. c. 4.

4. Quemadmodum verò supremus Imperii Princeps *Sanctitate Augustus* dicitur; ita *potestate* appellatur IMPERATOR (p). Hujus appellationis Romanis Principibus concessæ vim, ac significationem exponit Dio Coccejanus (q), quando Augusto Imperium delatum commemorat: *Imperatoris quoque nomen*, ait, *non pro antiqua tantùm consuetudine, quâ cùm alii, tum ipse quoque id sæpiùs ex bello reportaverat; neque eâ ratione, quâ vocantur ii, quibus merum aliquod imperium, aut alia quæpiam potestas defertur: sed eo modo, quo nunc iis datur, qui summum obtinent Imperium, tum primò ac primum tanquam quid eidem proprium imposuerunt.* Equidem nullus in historia Romana ita hospes est, qui non intelligat, Imperato-

(p) Auson. in grat. act. ad Gratian. p. 706.

(q) Dio lib. 43. p. 235.

Titulus Imperatoris quâ ratione Cæsaribus datus

rum

rum nomine eos quoque, qui rem belli feliciter gesserant, & quoties id contigerat, more veteri insignitos fuisse; nam in Consularium nummorum serie, semel iterúmque Imperatores id genus leguntur appellari, & cum addito subinde (in victoriæ signum,) trophæo: de Augusto id monuit olim Tacitus, eundem vicies, & semel more veteri Imperatoris titulum è rebus gestis, ac victoriis reportâsse (r), quod cùm fieret, de eodem tamen bello nullum bis Imperatorem pronunciare licebat: cui mori, cùm Claudius contravenisset, séque ob idem Britannicum bellum binis vicibus Imperatorem dixisset; Dio palam scripsit (s): illum contra Romanorum usum peccâsse. Multò nobilior altera Imperatoris notio est, quâ suprema non exercituum modò, sed & Imperii totius præfectura comprehenditur: hanc enim dignitatem sortiti Βασιλεῖς aut αὐτοκράτορες prædicantur: nomen tamen Regis, quia ab eo tempore exosum Romano populo, quo Tarquinios è civitate expulerat, regium titulum in Imperatoris vocabulum converterunt (t): antequam verò de Imperatoris titulo dicere desinamus duo monenda ducimus: *Primò* idem nomen quandoque Prænominis loco venire, quandoque cognominis vice: utriusque exempla exstant plurima passim in nummis apud Spanhemium (u): Nero Cæsar Aug. Imp. *item* Imp. Cæs. Tiberio Augusto. DD. Col. *Secundò* titulus Imperatoris paulò aliter ab aliis Augustis, aliter à Justiniano usurpatus est; hic quippe præ reliquis extitit, qui inter eos, qui Byzantii imperârunt, ROMANORUM IMPERATOR re & nomine est renuntiatus, ut ait Agathius (x). Quamvis huic Scriptori litem moveat Spanhemius, qui ex secundo sæculo, ac à temporibus Hadriani, ac Antoninorum has formulas frequentatas colligit Ρωμαίων Βασιλεῖς Romanorum Imperatores (y).

(r) Tacit. Ann. 1. c. 9.

(s) Dio L. 69. pag. 679.

(t) Synesius de regno p. 19.

(u) Differt. 12. pag. 403.

(x) Lib. 6. p. 157.

(y) Appian. bell. civ. lib. 1.

Nomen Consulis tributum Imperatoribus.

5. Qui vitam Augusti, ejúsque Imperium evolvunt, ab eodem decimùm tertiùm CONSULIS dignitatem supremæ Imperatoris dignitati annexam, & gestam fuisse reperiunt. Appianus (z) hujus moris initia à Sylla deducit, qui dictaturæ præter morem consulatum adjecit: cùm enim florente adhucdum Republicâ consularis prærogativa *summum Imperium* ac *Regum Majestas* diceretur (a); res pulchra visa est posteà Imperatoribus cum Monarchia consulatum conjungere: & licèt ab iis labente tempore aliæ reipublicæ dignitates abolitæ fuerint (ut Julianus ipse de consulatu disserit) (b); nullus tamen Imperatorum unquam exstitit, qui non eximium aliquid putaverit, *Consulem* appellari. Neque tamen Imperatores utì perpetui Principes, Cæsares; sic quoque *διὰ βίου* Consules vocabantur. Statis nimirum temporibus ab iis hæc dignitas suscipiebatur, aut iterabatur: atque ut meliùs constaret, quænam illa tempora potissimùm essent; Pagius quibusdam regulis ea complexus est, nempe primo à suscepto Imperio anno, aut cùm expeditiones militares ab Imperatoribus susceptæ, aut victis hostibus feliciter confectæ, aut cùm agerentur

(z) Idem p. 414.

(a) Liv. lib. 4. c. 1-3.

(b) Orat. 3. p. 108.

rentur ab iisdem triumphi, ludi sæculares, ac quinquennalia vel decennalia (c): quanquàm non deessent aliæ causæ (ut monet Spanhemius) (d); ob quas velut ex lubitu, ac arbitrio Cæsares consulatum acciperent vel abstinerent: præstereà cursus plerumque annuus erat, quo Consularis honor transigebatur. Julius Cæsar, & post eum Augustus fuerunt, qui teste Dione, necdum elapso tempore (e) consulatum abdicârunt; unde cœptum, ut perpauci toto anno consulatum gererent: sed alii pauciores, alii plures menses, diésque (prout casus tulisset) eo Magistratu fungerentur (f). De Augusto hoc speciale est, quod quando Consulis nomen deposuerat, à Senatu ei decreta sit perpetua potestas Consularis, scilicet, ut ei non alternis mensibus, quemadmodum cæteris Consulibus, sed perpetuò duodecim fasces præferrentur; quo facto alii ordinarii Consules ex aliis nihilominùs sufficiebantur, & in fastis consignabantur; iis annis exceptis, quibus ipse Augustus Magistratum illum ex gravibus causis supra allegatis adibat.

(c) Pagius Differt. hypat. pag. 77.
(d) Spanh. Differt. 12. §. 8. n. 3. Pag. critic. Baron p. 88. T. I.
(e) Dio L. 54. p. 527.
(f) Idem. l. 53. p. 518.

Imperatores Proconsulum nomine consignati.

6. Ut in urbe Consul, sic in provinciis Proconsul audiebat Imperator, quod nomen tunc Augusto adscriptum legitur, cùm orbem Romanum in Provincias Cæsaris, & populi divisisset. His enim posterioribus, quia alii Magistratus Proconsulum nomine præesse jubebantur; Augustus singulari modo eodem quoque titulo augendus videbatur: ut ii, qui curam Provinciarum agerent, compertum haberent, etiam extra urbis Pomœria cunctas externas Provincias Augusti auspiciis administrari. Dio suis verbis lucem rei affundit (g). *Ut* Augustus *Proconsulare Imperium semper, & omni modo haberet, neque illud intra Pomœrium veniens,* (ut alii Proconsules inferiores) *deponeret, aut renovare illud opus foret; & quidem, ut major ipsi in provinciis, quàm earum Præsidibus potestas esset.* Triplici itaque modo Proconsulare Imperium Augustorum à cæterorum Proconsulum Magistratibus discernebatur. I. Quòd illi in horum facta, & mores inquirendi, mittendi etiam in Provincias cognitores, qui suas vices implerent, potestate prævalerent. II. Quòd Augustis non ad certum tempus, sed perpetuò deferretur Proconsulare Imperium, adeò ut nec deponi intra Pomœrium aut renovari opus foret. III. Quòd Augusti citra ullos maris, aut terrarum limites jus illud in toto orbe Romano exercerent. Proconsularis hæc Augustorum potestas secundi fastigii Cæsaribus, ac Imperii Collegis assumptis (ùt Tiberio) concedebatur, quâ hi etiam multùm eminebant supra cæteros Proconsules, quorum alii in magna solùm terrarum parte Proconsulatu fungebantur: quemadmodum Germanico sub Tiberio concessæ tantùm *Provinciæ, quæ mari dividuntur* (h). Alii annuo duntaxat lapsu, jubente Augusto, Provincias moderabantur, quo tempore expleto ad urbem remeantes deponebant imperium; nam, ut monet de his Cujacius (i), *Proconsules non in urbe,*

(g) Lib. 58. pag. 518.
(h) Tacitus Annal. 11. c. 43.
(i) Observ. [illegible] c. 33.

urbe, sed ad urbem sunt; cùm nemini eorum Imperium gerenti Romam ingredi licuerit (k).

7. His titulis accessit magna Pars regalis Imperii tribunitia potestas, quam eà lege sumendam duxit Augustus; ut tribuniplebis nomine careret, (id quippe minoribus duntaxat Patriciis impertiebatur) jure tamen eodem amplissimo uteretur: inde factum, ut is sacrosanctus & inviolabilis contra quasvis injurias evaderet, ut si minimo facto, vel verbo, se ab aliquo læsum existimaret; eundem indictâ causâ, tanquam piaculo quodam obstrictum necare potuerit (l). Potestas ejusmodi ab Augusti Successoribus posteà in apertam tyrannidem conversa est, dum quosvis sub specie κατάστασις, aut quasi crimine læsæ Majestatis illigatos perdebant. Julio Cæsari primùm hæc Tribunitia facultas concessa legitur: at quoniam Augustus hunc titulum primus palàm nec sine solennitate accepit; Tacitus author est, ab eodem Augusto hanc tribunitiam potestatem esse repertam, *ut aliquâ appellatione cætera Imperia præmineret* (m). Tillemontius ex tribunitiæ potestatis susceptione non contemnendam Historicis observationem collegit, nempe Imperatores singulis annis cum tribunis plebis dictam potestatem renovâsse cum hoc discrimine, quod annuum tempus à Kalendis Januarii: Imperatores verò à die aditæ tribunitiæ potestatis numeràrint (n). Ejusdem verò tituli obliterata fermè mentio est post Valeriani, & Gallieni tempora (o).

8. Quemadmodum verò Imperatores gentiles rerum civilium, ac militarium curam, ita quoque supremum suæ qualiscunque religionis seu superstitionis sacerdotium arripiebant; nihilque eis usitatiùs fuit, quàm ut in publicis tabulis Pontifices maximi notarentur, quem titulum posteà (utcunque Ethnici eundem obtruderent) tanquam à suo jure alienum Christiani Imperatores rejecerunt. De Gratiano fassus est ipse Gentilis Zosimus, Cæsarem oblatum sibi more veteri Pontificalem amictum unà cum Pontificis Maximi titulo fuisse aversatum; *tanquam habitum, quo uti fas haud esset Christiano* (p). Subjungit subinde idem Ethnicus, & Christianis Cæsaribus infensissimus Scriptor, cæteros omnes ante Gratianum Imperatores id honorifici muneris neutiquam detrectâsse: in quo, etsi fidem non mereatur ob coævorum silentium; Spanhemius tamen hoc eatenus explicandum sumit, quod iis temporibus, cum orbis idolomaniâ maximam partem laboraret, Christianos Imperatores hanc summi fastigii appellationem admisisse; non quòd ipsi Gentilium sacris, quæ aversabantur, operari vellent; sed ut eâ ratione sartam, tectámque sibi in Romanos Sacerdotes Gentiles, quorum adhuc plura in urbe erant Collegia, potestatem reservarent, nec ad alium utique cum summo rei dispendio, eam dimanare paterentur (q). Goldastus ostendere recentioribus temporibus conatus est, diu post Gratianum, Anastasium quoque & Justinum Pontifices fuisse vocatos (r): verùm Gretserus in Indiculo impo-

(k) V. Pag. Crit. Baron. p. 142. Tom. I. Spanhem. Differt. 12. pag. 471.

Tribunitia potestas data Imperatoribus.

(l) Dio lib. 51. pag. 457.

(m) Tacit. annal. 3. c. 56. & an. 1 c. 5.

(n) Tillemont. histoire des Empereurs Tom. 2. pag. 24.

(o) Spanh. D. 12. §. 5. pag. 427.

Sacerdotium summum Idololatrarum penes Imperatores.

(p) Lib. 4. p 250.

(q) Spanhe. Differt. 12. pag. 415.

(r) Goldast.

In epist. ded. Tom. III. Const. Imp. imposturarum, & criminum falsi, quæ Goldastus Calvinista in tertio tomo Constitutionum Imperialium commisit (s), satis falsitatem asserti in apricum produxit. Quid verò sentiendum de eo, quod Vitriarius fundamentum rei sive tituli Cæsaribus attributi, in potestate Regum seu Imperatorum circa sacra constituat (t); suo tempore & alio in loco confutabimus.

(s) c. 3. pag. 113.

(t) Lib. 1. tit. 4. p. 294.

Epitheta specialia Imperatorum.

9. Præter illas honorum, ac potestatum indices appellationes, quædam nomina erant Cæsarum, non tamen omnium propria, quibus eorum virtus, ac merita illustrabantur: titulorum autem ejusmodi complures fuêre, quibus jam Pius, jam Felix laudati sunt Cæsares. Præcipuus verò cæterorum, & plebi gratior veniebat, ubi Imperatores Patres Patriæ proclamabantur: ex fragmento, quod apud Gruterum legitur, palam fit Augusto Anno U. C. DCCLI., ùt supputat Norisius, nomen Patris Patriæ esse adsertum: fragmentum ita habet: *Nonis* (Februariis) *N. Concordiæ in arce Feriæ ex S. C., quod eo die Imperator Cæsar Augustus Pontifex Maximus. Trib. Potest. XXI, Cos. XIII. à Senatu populóque Romano Pater Patriæ appellatus* (u). Seneca causam redditurus, cur Principi talis appellatio concessa sit, ita scribit: Patrem quidem Patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi Patriam potestatem, quæ est temperatissima, liberis consulens, suáque post illos ponens. Ne in modestiam peccarent Cæsares; ab hoc titulo sibi sæpe omnino, aut per aliquod tempus abstinendum duxerunt: de Tiberio compertum habemus, ac de Vespasiano, utrumque in admittendo hujus nominis honore difficilem fuisse. Trajanus quoque, & Hadrianus Patris Patriæ appellationem à Senatu oblatam aliquamdiu recusârant. De Pertinace verò illud ac velut singulare Capitolinus observat, quòd primus omnium eâ die, quâ Augustus est appellatus, Patris Patriæ nomen receperit (x).

(u) Thes. Gruter. CLXXXVI.

(x) In Pertinac. c. 5.

Atque hoc demum titulorum complexu definita, ac exornata fuit sublimis illa Monarchiæ, ac summi fastigii dignitas, quæ primùm in Augusto, dein in reliquis Imperatoribus refulsit.

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 5. pag. 59.

Quænam Magistratuum forma ac conditio fuerit sub Augusto, cæterísque Imperatoribus?

Magistratus Romani.

1. QUicunque de Romanis Magistratibus scripsêre, in duplicem classem eos dispescuerunt, ita ut ii, qui in urbe præfecturam gererent, *Urbani*, alii qui extra urbem rem administrarent, *Provinciales* dicerentur: Inter urbanos primum locum sibi vindicant CONSULES; horum originem Rosinus (a) ad annum CCXLIV. U. C. revocat, quando exactis

(a) Antiq. lib. 7. c. 9.

exactis Regibus, auctore Junio Bruto, Magistratus creari placuit, qui & bini essent, & annui; ut & alter alterum & Imperii brevitas utrumque in officio retineret: Prætores iidem primùm appellabantur (cùm nondum Prætorium nomen peculiarem haberet Magistratum à Consulibus distinctum) eoquòd civibus præessent; dein judices dicti sunt à judicando, demum Consules à consulendo, vel quòd alios consulerent, vel quòd ab aliis consulerentur, (b). Potestas Consulum primæva à Polybio hunc in modum nobis describitur (c): " Consules, inquit, antequàm exercitus educuntur, Romæ præsentes omnium publicarum actionum potestate funguntur. His reliqui Principes cuncti subjiciuntur, & obediunt, præter Tribunos plebis. Et in Senatum illi legationes ducunt, & urgentia consilia proferunt, ac totum edictorum, sive SenatusConsultorum negotium ipsi exequuntur. Denique, quidquid per plebem, quod publica negotia concernat, perficiendum est, hujus cura pertinet ad ipsos: *illorum est convocare concionem, illorum proferre edicta, sive Senatusconsulta, illorum ea, quæ à pluribus decreta sunt, dispensare. Denique & bellicus apparatus ad eos pertinet, ac universæ, quæ sub cœlo est, œconomiæ propè Imperatoriam ac Regiam habent potestatem*, Regum hinc etiam tum jura, tum insignia iis concessa sunt (d): Prætexta, sella curulis eburnea, fasces securibus armati initio 24.; paulò post consilio Poplicolæ 12.: qui non erant penes utrumque Consulem, sed alternis mensibus penes alterum. Hoc uno inferiores Regibus erant, quod in caput civis Romani, injussu populi animadvertere vetitum, & cuivis ab eis liceret ad populum provocare. *Licebat quoque ipsis*, pergit Polybius, *constituere millenarios judices, sive tribunos militum, qui videntur imperare belli sociis, conscribere exercitus, ac seligere socios, & prætereà in ipsorum potestate est quemlibet ex cæteris subditis punire.* Quanta autem hujus Consularis dignitatis sub Imperatoribus diminutio, quanta mutatio facta sit; ex Romanis Scriptoribus perdiscimus: lege cautum erat, ne quis Consul crearetur nisi XLII. annos natus: verùm Augusto necdum XIX. annum egresso consulatus obtigit. Electio Consulum fiebat antè comitiis centuriatis: Augustus plebi contrà suffragandi, ac eligendi jus dedit, quod ita quidem indulgebat, ut, quem Cæsar populo proposuerat, hunc ille potiùs comprobatum iret, quàm eligeret (e). Tiberius à plebe ad Senatum electionis facultatem transtulit (f), & Caligula vicissim ad populum (g), quæ vicissitudo tandem omnes potestate eligendi exuit; ut deinceps nullus, nisi per Cæsares, Magistratus constitueretur. Cæterùm sub Imperatoribus Consulum authoritas vel parva, vel nulla: numerus pro arbitrio Principis modò minor, modò major; nec enim bini erant ut anteà, nec annui, sed sæpe trimestres, interdum etiam menstrui, & sub Commodo Consules 25 uno anno recenset Lampridius. Ex quo dignitas pristina Consularis sensim vilescere cœpit; donec anno

(b) Novell. 24. & 25.

(c) Polyb. lib. 6.

(d) Cantelius de Republ. p. 248.

Consules.

(e) Sueton. lib. 2. c. 40. Dio lib. 53. pag. 511.

(f) Tacitus lib. 1. c. 15.

(g) Suet. lib. 4. c. 16.

541. à Christo nato, sub Justiniano, Consulum nomina in fastis notari desita sunt.

Prætores. 2. Consulum potestatem ferè assequebantur PRÆTORES, quorum alii *urbani* civibus jus dicebant, alii *peregrini* exterorum causas cognoscebant: cùm enim Consules bellis quandoque distracti ab urbe abessent; anno U. C. 387. primus Prætor constitutus est (h), qui in civitate senatum cogeret, rogaret sententias, haberet comitia, viduas, pupillósque tueretur (i): pro varietate temporum varius deinde Prætorum numerus fuit. Deletâ Carthagine ac Numantiâ, ubi luxus Romanorum invaluit, ac vel ideò tum in urbe, tum in Provinciis scelera perpetrarentur; quæstiones publicæ de *repetundis*, de *Majestate*, de *peculatu*, *parricidio*, *incestu &c.* Prætoribus demandatæ sunt: quorum proinde jam plures, jam pauciores numerabantur. Post cædem Julii Cæsaris Prætores tantùm octo, utì priùs creare placuit: at Augustus sub annum U. C. 725. quatuor denuò adjecit (k). Tiberius juramento spoponderat, se quoque duodenarium numerum non excessurum, quamvis hâc religione se multùm vinciri passus non sit (m); certè de Claudio compertum est, quod Prætores duos designârit, qui de fidei-commisso jus dicerent, quorum iterum unum detraxit Titus: at Nerva alium in ejus locum restituit, qui inter fiscum, & privatos jus diceret: & postremùm adjectus est Prætor Tutelaris à Marco Imperatore, ut habet Julius Capitolinus; unde decimus quintus Prætorum numerus tandem extitit (n).

(h) Pompon. ff. tit. 2. de origine juris. l. e.
(i) Rosinus lib. 7. c. 11.
(k) Tacitus lib. 1. excess. c. 4. p. 179.
(l) Idem lib. 1. ann. c. 14.
(m) Dio lib. 58. p. 634.
(n) Rosinus pag. 1120.

3. Alii Magistratus (cujusmodi sunt Tribuniplebis, Ædiles, ac Quæstores) suum etsi nomen retinerent; plus tamen sub Augusto authoritatis non habuerunt, quàm Princeps iis concessum vellet; unde horum facultatem satis accisam esse oportuit. Cæterùm olim TRIBUNIS PLEBIS creandis causam dedit secessio plebis à Patribus, anno U. C. 259. Cùm enim Romani post ejectos Reges continuis bellis vexarentur; plurimi, quibus tenuis res erat, cogebantur, tum propter continuas illas expeditiones, tum propter tributa facere nomina: reversi autem ex bellis domum, quia solvendo non erant, à creditoribus vincti in servitium ducebantur. His ærumnis pressa plebs, ac promissis vanis sæpiùs delusa in montem (qui inde sacer dictus est) trans Anienem discessit (o) A Menenio Agrippa tandem delinita in urbem rediit, eâ tamen conditione propositâ; ut plebeji haberent Magistratus, qui ideò Tribuni dicti sunt, quòd è Tribunis militum lecti essent (p): quamvis & alii à Tribuum suffragio iis nomen injunctum esse velint. Duos primùm Tribunos plebs habere cœpit, qui numerus in decimum usque procrevit. Jura Tribunorum plebis hæc ferè erant: ut qui eis nocuisset, hujus caput Jovi sacrum esset, eorum domum interdiu: noctúque patebat omnibus, quippe qui publicæ libertatis custodes essent; quibusvis decretis, quæ improbabant, intercedere licebat. Tam ampla potestas, si quando in viros improbos cadebat,

Tribuniplebis.

(o) Dionys. lib. 6. Livius lib. 2.
(p) Varro lib. 4. de ling. lat.

cadebat, pestis meritò Reipnblicæ: si in bonos, frænum Patrum, dici poterat (q). Omnis ferè authoritas à Sylla Dictatore a. 672. Tribunis adempta (r): & quamvis paulò post restitueretur; anno tamen U. C. 730. consensu Patrum in Augustum Cæsarem, deinde in alios Imperatores translata est: nec nisi umbra, & nomen hujus Magistratûs remansit; donec sub Constantino Imperatore Tribunatus planè cessârit.

(q) Valer. Max. lib. 4. c. 1. Rosinus p. 1140.

(r) Cicero lib. 3. de leg.

Ædiles.

4. Ab eodem anno, quo plebis secessio facta est, ÆDILES suam duxêre originem, quorum dein tres ordines fuêre: alii enim *ædiles plebis* dicebantur, quòd ædes sacras & privatas curarent, è plebe ad id muneris electi (s); quanquam Dionysius longè ampliorem eorum potestatem describat (t): officia illorum eò pertinuisse, ut inservirent Tribunis, matronas accusarent probri, fœneratores coërcerent, inhiberent popinas: ut aquæductus, cloacas, ædificia munda & integra curarent, providerent, ne annonæ penuriâ urbs laboraret: Plebiscita in æde Cereris asservarent (u). Alii appellabantur *ædiles curules*, qui anno U. C. 387. creati à Patribus, eoquòd Ædiles Plebis ludos, quos Senatus voverat, acturos se negarent (x): his incumbebat ludos sacros, & solemnes instituere, templa Basilica, theatra reficere vel exornare (y). Alii demum *Ædilium Cerealium* nomen obtinebant, quia frumento præerant, & primùm à Cajo Cæsare a. U. C. 709. instituti sunt (z).

(s) Varro l. c.

(t) Dionys. lib. 6.

(u) Pompon. ff. Tit. de orig. J.

(x) Livius lib. 6.

(y) Cicero Act. 7. in Verrem.

(z) Dio lib. 43.

Quæstores.

5. E Magistratibus, qui in urbe insigniores erant, postremo loco veniunt QUÆSTORES triplici ordine distincti: hi vel in malefacta inquirebant, & *Capitales* audiebant; donec ad Triumviros capitales & ad Prætores a. 609. hæc officii pars devolveretur. Alii *ærarii Quæstores* curabant vectigalia, vendebant prædam ex hostibus, exterarum gentium legatos excipiebant hospitio. *Quæstores militares* annonam, & stipendia suppeditabant militi, ad Quæstores demum Provinciales spectabat, in quatuor quæstoriis Provinciis Ostiensi, Calenâ, Ariminensi & Lucerina seu Apuliæ congerere tributa, portoria, frumenta colligere &c. (a).

(a) Pighius in annal. apud Cantelium p. 257.

6. Augustus Imperator quò singulorum Magistratuum authoritatem minueret; in multos eam distrahendam putavit: itaque præter vetera, officia nova excogitavit (b): inter hæc munera præcipuum habitum est sub Imperatoribus Præfectura Prætorii, cujusmodi nomen inde profluxit, quòd veteres omnem Magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellarent: ex quo tabernaculum ejus Prætorium dicebatur. Præfectus posteà Prætorii, qui ab Augusto primùm constitutus, & à Tiberio stabilitus est, talis appellabatur, cujus erat præesse militibus iis, quos Imperatores in sui custodiam delegerant. Præter Wolffgangum Lazium (c) argumentum de origine, & officio Præfectorum Prætorii breviùs executus est Aurelius JC. (d); cujus verba hic subjungimus: "ad vicem Magistri equitum, Præfectos Prætorio antiquitùs institutos esse, à quibusdam Scripto-

(b) Sueton. in Aug. c. c. 37.

Nova forma Magistratuum sub Rom. Imperator.

(c) Comment. Reip. Rom. lib. 1. & 2.

(d) L. un. ff. de offic. præf.

Scriptoribus traditum eſt, nam cùm apud veteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & Magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati Principali curæ, militiæ cauſam ſecundam & poſt eos poteſtatem gererent; Regimine reipublicæ ad Imperatores perpetuùm translato, ad ſimilitudinem Magiſtrorum equitum, Præfecti Prætorio à Principibus electi ſunt, datáque eſt eis plenior licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis Præfectorum authoritas initiata, in tantum meruit augeri, ut appellari à Prætorio non poſſet. „ Legebantur iidem primò ex equitibus Romanis: at ubi Macrinus à Præfecto Prætorii in Cæſarem electus eſt; tum Conſularibus quoque ea dignitas patere cœpit. Inauguratio Præfectorum ejusmodi hunc in morem adornabatur: ut Imperator illis cingulum cum gladio porrigeret, cujus exemplum apertum deprehendimus in vita Trajani, qui Præfecto gladium conſignans addidiſſe fertur: *Atque è republica imperavero, pro me: ſin ſecus, in me utere* (e). Conſtantinus huic Magiſtratui finem impoſuit, exauthoratis quibusque Prætorianis cohortibus; eoquòd hæ pro Maxentio contra Conſtantinum militâſſent (f).

(e) Plinius Juni. in paneg.

(f) Roſinus pag. 1167.

7. Plures Magiſtratuum claſſes Auguſtus invenit, quas ita complexus eſt Suetonius (g): curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, Præfecturam urbis, Triumviratum legendi Senatûs, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotiescunque opus eſſet. De quibus latiùs conſuli poterit Roſinus lib. 7. Ad hæc Imperator ſpatium urbis in quatuordecim regiones diviſit, quas annui Magiſtratus ſortitò tuerentur (h). Denique, ut celeriùs cuncta per Provincias nuntiari, cognoſcíque poſſent, quæ apud exteros quosvis agerentur: Juvenes primò modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Hi ordinarii curſores, ac poſtarum præfecti per Imperium ſub ſequentibus ſucceſſoribus quoque locum habuêre.

(g) c. 37.

(h) Sueton. c. 30. Victor L. 14.

Forma nova Magiſtratuum Provincialium.

8. Hactenus de iis Magiſtratibus, qui in ipſa urbe poteſtatem habuerunt; nunc Provinciales, & Provinciarum Præſides ſubjungendi ſunt, qui duplici modo conſiderari poſſunt: poſtquam enim Auguſtus Romanum orbem, ut ſuprà in §. I. C. I. diximus, duas in partes diviſit, eâ lege, ut alteram earum Senatui, populóque regendam permitteret, alteram ſibi retineret; ii, qui Senatûs nomine ad provincias mittebantur, *Proconſules*: qui ſuo, & *Proprætores* & *Propræfecti* vocabantur: illis gladium, júsque milites capite plectendi Auguſtus ademit (i), nec Provinciæ præeſſe niſi per annum fas erat: his, quos Auguſtus velut ſui vicarios conſtituebat, nec definitum fuit gubernationis tempus; quia plena authoritas erat in criminibus vindicandis. Videatur hìc Tillemont! Hiſtoire des Empereurs Tom. I. pag. 11. ad pag. 15.

(i) Dio lib. 53. pap. 505.

REFLE.

REFLEXIO III. ad §. 1. num. 5. pag. 68.

Quomodo ratio ferendarum Legum apud Romanos usitata, ab Imperatoribus mutata fuerit?

1. QUamprimùm urbis fundamenta molitus est Romulus, eam legibus priùs, quàm mœnibus communiendam censuit (a): legum quippe institutis agrestes populi non tantùm in unum corpus coalescunt, sed & Sanctionum præsidio adversùs labem omnem firmantur: itaque primus ipse gentis author prima jura dare cœpit, quibus ut venerationem quandam conciliaret, se se habitu, aliisque insignibus, tum maximè duodecim lictoribus sumptis augustiorem fecit (b). Exinde, quamdiu regnatum est in urbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, & quod justum illi judicâssent, id erat pro lege (c). Alter à Romulo Rex Numa Pompilius religione, & jure divino plebem devinxit, repertaque quædam à Tullo & Anco; sed præcipuus Servius Tullius Sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent (d). Atque ut quidam argumentum Regiarum legum breviùs complecterentur; appositè dixerunt, Romulum potissimùm ea, quæ sunt juris naturæ, Numam, quæ juris sacri & gentium, Servium Tullium, quæ sunt juris civilis ordinâsse: Sextus autem Papyrius, qui post exactos Reges vixit, decreta ex regia potestate profecta in unum volumen latiùs congessit, qui liber Jus civile Papyrianum hodiedum appellatur: non quia Papyrius de suo quidquam ibi adjecit; sed quòd leges sinè ordine latas in unum composuit (e).

(a) Aurel. Victor vir illust. pag. 714.

Legum ferendarum ratio tempore Regum Rom.

(b) Livius lib. 1. c. 8.

(c) Dionys. Halicarn. lib. 10. sub init.

(d) Tacitus lib. 3. c. 26

(e) Pompon. lib. 2. §. 2. ff. de orig. Juris.

Comitia.

2. Et quoniam statuta legum non regiâ duntaxat authoritate, sed & consensu populi stabiliebantur, comitia & conventus celebrabantur; ad quos cuncti coibant, ut de re proposita edicerent suffragium: comitia curiata à Romulo duxêre originem, quòd is populum in Curias divisisset: per has quippe certo loco congregatas, Reges ac Flamines eligebantur: leges promulgabantur, quæ nomen Curiatarum obtinebant. Servius Tullius Curiatis comitiis ut plurimùm abrogatis, Centuriata substituit, à centuriis, in quas Romanos diviserat, appellata; demum Tribuni plebis Tributa, sive tribuum comitia induxerunt (f). In his omnibus ea fuit populi authoritas, ut, quod plures sive Tribus, sive Curiæ, sive Centuriæ jussissent, id ratum haberetur: triplex verò, cur haberentur, causa fuit: si creandus Magistratus, si peragendum judicium, si lex ferenda; unde pro ratione comitiorum vel lex curiata, aut centuriata, aut tributa dicebatur. Antequam populus congrederetur, trinundino antè ab eo Magistratu, penes quem id jus erat, edicto publico dies comitialis designabatur: deinde observationes de cœlo, avium inspectio, ac auspicia pro suscipiendis comitiis curiatis, ac centuriatis captabantur. Denuntia-

(f) Carol. Sigon. de antiq. Jur. Civ. Rom. lib. I. c. 17.

nuntiatione factâ conveniebant in forum Curiati, Centuriati in Campum Martium, Tribus verò vel in Capitolium, vel in Circum Flaminium, vel in forum, vel etiam extra urbis pomœrium. Aderant autem comitiis Romani cives; non tamen omnes in omnibus, Curiatis ii tantum, qui per urbem in curias essent descripti: in Centuriatis, & Tributis omnes tum urbis, tum municipiorum, tum Coloniarum incolæ; quibus data cum jure suffragii civitas erat: In comitiis deligendorum Magistratuum præter Candidatos erant Rogatores, qui, quæ cujusque sententia foret, exquirerent; Custodes, qui præcavendis fraudibus intenderent, & Præcones, qui suffragiorum numerum palàm enuntiarent. In Comitiis judiciorum aderat accusator, Patroni, reus cum amicorum turba, qui sordidâ veste, promissâ barbâ, impexo capillo populum ad clementiam permoverent. Populus ubi convenerat; concione de negotio tractando agebatur, tum lex descripta est, ut illius & habendæ, & legendæ cuique copia esset. In Curiatis comitiis formula hæc ut plurimùm adhibebatur: *Si ita vobis videtur, discedite in curias, & suffragium inite.* Si rogatio non esset è re populi; Tribuni plebis intercedebant solenni verbo; *Veto*, vel *Vetamus:* prætereà suffragandi ratio non una erat, nam primùm voce suffragium ferebatur; ita ut si quis legem probaret, hoc verbo uteretur, *utì rogas.* Si repudiaret *Antiquo*; dein anno U. C. 614. ex præscripto Gabinii tabularum usus invaluit, quarum uni inscripta prædictarum vocum erant initia. U. R. in altera A. sive antiquo. Neque tamen semper multitudinis in suffragando habita ratio est scilicet in comitiis centuriatis; sedmajor dignitati servatus est honos (g).

Formulæ Legum.

(g) V. Cantelius de Republ. p. 2. Differt. 1.

3. A Regibus ad Consules suprema legum potestas transiit; sed quia consulare Imperium C. Terentillo Tribuno plebis nimium visum est, nec tolerabile liberæ civitati, imò Regio atrocius, quo non unus, sed duo jam Domini omnes legum metus verterent in plebem (h); placuit primùm quinque, dein decem viros seligere, qui de omnibus negotiis tam privatis, quàm publicis leges conscriberent, & conscriptas ad populum referrent: hásque ponerent in foro, ut quid annuis Magistratibus, & privatis civibus inter se juris esset, ceu limites definirent (i). Dissidiis subinde inter Senatum, populúmque gliscentibus anno U. C. 300. authore T. Romilio, legati missi sunt in Græciam scilicet Sp. Posthumius. A. Manlius & P. Sulpitius Camerinus, qui Solonis leges, & aliarum Græcarum civitatum instituta describerent: hi postquam insequenti anno reversi sunt; à Consulibus ad Decemviros legum condendarum causâ creatos imperium translatum est (k). Novi Magistratus præprimis dederunt operam, ut leges tum ex Græcorum jure, conscriptas, tum ex Romanorum pervetusto more acceptas in decem referrent tabulas; quibus populo pro concione propositis monuerunt, eas demum leges habiturum populum Romanum; quas omnium consensus comprobâsset. Ad examen igitur vocare

Legum ratio sub Consulibus.

(h) Livius lib. 3. c. 9.

(i) Dionys. Halicarn. l. 10. p. 629.

(k) Livius lib. 3. c. 32.

Leges XII. Tabularum.

catæ, mox nullo conquerente ex Senatusconsulto laudatæ, ac Plebiscito confirmatæ in æreis columnis, posteà in loco fori maximi conspicuo prostiterunt (l). Vulgatus tamen subinde rumor est duas deesse tabulas, quibus adjectis, absolvi posset corpus omnis Romani juris, quare ut operi ultima manus accederet, Decemviri, renitentibus frustrà Patribus Magistratum continuârunt, duásque tabulas legum ad prioris anni decem tabulas adjecerunt (m). Argumentum earum erat jus tum sacrum, tum privatum, ac publicum; unde Livius illas vocat *fontem omnis publici privatique juris*: ac ut speciatim constet, quibus de rebus duodecim tabulæ pertractârint; *prima* agebat de in jus vocando, *secunda* de judiciis, & furtis, *tertia* de rebus creditis, *quarta* de jure Patrio, & jure connubii, *quinta* de hæreditatibus & tutelis, *sexta* de dominio, & possessione, *septima* de delictis, *octava* de jure prædiorum, *nona* de jure publico, *decima* de jure Sacro, sepulchrorum, ceremoniarum & jurejurando, *undecima* connubia Patriciorum cum plebejis prohibebat, & *duodecima* ad priores præbet supplementum (n). Cicero de his duodecim tabulis dicere non dubitavit: *Bibliothecas me hercule omnium Philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus (si quis legum fontes & capita viderit) authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare* (o).

(l) Dionys. Halicarn. lib. 10. pag. 681.

(m) Livius c. 34.

(n) Gravina lib. 2. apud Struvium. p. 30.

(o) I. de oratore c. 43.

Interpretatio Prudentum.

4. Sed quantacunque elogia Veteres legibus duodecim tabularum apposuerint; nimis tamen eæ obscuræ, ac perbreves, neque ad artis regulas conditæ, nec ex communi Principio deductæ fuerunt: tot nævis ut aliquâ ratione occurreretur; instituta est *interpretatio Prudentum*, & *disceptatio fori* (p), quâ Jureconsulti, & causarum Patroni complures casus decidere conabantur. Certè commentandi hæc, ac disceptandi ratio istâ ætate ita accepta est, ut *jus civile* (q) primùm: dein JURISPRUDENTIA MEDIA appellaretur, propterea quod medium teneret inter leges XII. tabularum, intérque Imperatorum Constitutiones (r). Ex disputationibus Juris-Consultorum frequentibus cùm incertitudo juris, ac perturbatio non parva enasceretur; Pontifices & Prætores prospexêre, ut certæ formulæ dictarentur, quibus disceptandi modi præscriberentur seu LEGIS ACTIONES, harum arcanum quia in collegio Pontificum asservabatur, nec in penetralia ista quis è populo venire poterat; in favorem plebis eas formulas susceptas Cnejus Flavius evulgavit, quo munere ita Romanos sibi devinxit, ut Tribunus plebis crearetur; inditúmque est ab eo tempore legis Actionibus nomen *Juris Flaviani* (s). Non poterant non indignari Juris-Consulti publicationi ejusmodi, suo quæstui nocivæ: timebant enim, ne solennitatibus Actionum cognitis, ac cuique perspectis opera eorum forensis deinceps negligeretur (t). Occupaturi tamen damnum, novas formulas excogitant, eásque certis quibusdam notis ad occultandam notitiam describunt; Verùm has quoque

Sextus

(p) Pompon. lib. 2. §. 5. de or. J.

(q) Cicero lib. de offic. c. 16.

(r.) Justinian. §. 3. Inst. de legit. agn. succ.

(s) Livius l. 9. c. 46.

(t) Cicero pro Murena c. 11.

(u) Lib. 2. §. 7. ff. de o. J.

Sextus Ælius circa annum U. C. 653. publici juris fecit libro edito, qui *Jus Ælianum* proinde dictus est (u).

Plebiscita.

(x) Livius lib. 2. Dionys. Hal. l. 6. c. 6. 7. 8. 9.

(y) Livius lib. 3. Dionys. lib. 11. c. 9. 10. 11. 12.

(z) Pomponius. §. 8.

Senatusconsulta.

(a) V. Hoffmann. Hist. J. Rom. lib. 1. c. 1. Period. 5. Sect. 2. §. 2.

Edicta Prætorum.

5. Exolescente per lapsum temporis XII. tabularum jure, novum jus invaluit, quod ex legibus, Senatus-Consultis, ac authoritate Prudentum conflatum est. Ac de legibus quidem jam diximus, eas à Magistratibus consentiente populo latas fuisse. PLEBISCITA autem erant, quæ Plebs plebejo Magistratu interrogante constituerat: hujus juris initia jacta sunt, cùm Plebs a. U. C. 259. secessionem fecisset in montem sacrum, indéque proprium Magistratum Tribunum plebis obtinuisset (x): sed quoniam Plebiscitis Patricii multum authoritatis impertiri negabant; plebs alterâ in montem Aventinum secessione a. U. C. 304. extorsit, ut Horatius Consul lege ediceret, eo quod tributim sive in comitiis tributis plebs jussisset, populum teneri (y). Tandem cùm Patricii adhuc obluctarentur; tertiâ vice populus in montem Janiculum secessit, quo facto Q. Hortensius Dictator a. U. C. 367. legem promulgavit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur (z): cùm verò auctâ Republicâ tanta populi multitudo in cœtus coire non posset; ipsa demum necessitas exegit, ut cura maxima legum ad Senatum transferretur, cujus Sanctiones (si quas constituisset observandas,) SENATUS-CONSULTA vocabantur (a). His postremùm accessêre EDICTA PRÆTORUM, quæ formulæ erant in albis tabulis quot annis à Prætore propositæ, secundùm quas Actiones suas instituebat Actor, & juxta quarum præscriptum Prætor judicaturus esset de causis ad jurisdictionem suam pertinentibus.

(b) L. . . ff. de Const. §. 4. Pompon. l. 2. §. 11. de or. J.

Legum forma sub Cæsaribus.

(c) Tacitus ann. I. c. 2.

(d) Idem c. 5.

(e) Xiphilin. in epit. Dion. lib. LVII.

(f) Dio lib. 55. pag. 511.

(g) §. 3. & 4. I. de Jure N. G. & Civ.

6. Post Actiacam pugnam ubi Augustus fasces Imperii solus capessivit, Jurisprudentia novam formam, novámque faciem induit: quidquid enim potestatis in ferendis legibus, ac instituendis judiciis apud Magistratus majores hucusque fuerat; id omne in unum Augustum lege curiatâ conferri visum est (b). Ne tamen populus, ac Senatus subitò suo jure exuerentur; non sine arte quadam Cæsar, varia Consulis, Censoris ac Tribunitiæ potestatis nomina admisit, ut sub horum specie exerceret Imperium (c): dein leges condebat non suo consilio; sed eas ad populum ferebat, rogabátque ejus suffragium: quod Tiberius Nero posteà immutavit, dum comitia ex campo in curiam transtulit, útque leges solo Senatus consensu firmarentur, præcepit (d). Inde tot Senatus-Consultorum initia, quæ legis instar erant, ubi Princeps ea comprobâsset; vel si illa ad Principis nutum rogatis sententiis composita fuissent (e). Comitia ita congregabantur, ut contra Augusti voluntatem decernere quid, sive consulere nefas haberetur (f). Cæteræ leges à Magistratibus latæ suum retinuêre vigorem; hâc tamen conditione, ut approbatione Imperatoris indigerent (g): neque Senatus-Consultorum ordo, ac forma (de

qua

qua latiùs agit Heineccius (h), ſub Cæſaribus deſiit, niſi quod iis Princeps orationem præmitteret, & Senatores plerumque pedibus irent in Principis ſententiam: atque hæc quidem Senatûs-Conſulta tamdiu ſarta, tectáque ſervârunt Cæſares, dum ſervituti magìs Romani aſſueviſſent. Tum enim verò Imperatores editis Conſtitutionibus vel abrogabant veteres leges, vel reſcripta edebant, quibus, dum privatorum res decidebant, dicebantur EPISTOLÆ (i): dum ad libellos Magiſtratuum, vel Provinciarum reſpondebant, PRAGMATICARUM SANCTIONUM nomine veniebant(k):addebant ſubinde ea,quæ nullo rogante ad ſubditorum utilitatem promulgabant, EDICTA PRINCIPUM (l): aliquando à Principibus vel de plano decernebatur, vel ferebatur ſententia cum plena cauſæ cognitione, dicebantúrque INTERLOCUTIONES vel DECRETA (m): denique jus novum quandoque ab iis propoſitum eſt, quod CONSTITUTIO Imperatoris appellabatur (n): Conſtitutiones ejuſmodi numero auctas ab Hadriano ad Diocletianum & Maximianum uſque collegit in librum JCtus Gregorius, qui vel ideo Codex Gregorianus hodie audit (o). Alio libro cæteras complexus eſt uſque ad Conſtantinum M. JCtus Hermogenes; cujus volumen nomen Codicis Hermogeniani accepit (p).

(h) In ſyntagm. antiq. Rom. p. 173.

(i) L. 3. §. 1. de teſt.

(k) L. 7. §. 1. ff. de div. reſcript.

(l) L. 35. ff. de pœnis.

(m) L. 2. ff. de his, quæ in teſt. del.

(n) L. 1. §. 1. ff. de Conſtit. Princ.

(o) Gravina de ortu & progreſſu J. Civ. c. 131.

(p) Gothofred. in Proleg. ad Cod. Theod.

Reſponſa Prudentum.

Non minùs ſingulare fuit novo Cæſarum Imperio, quod ſub eo Reſponſa Prudentum ſpeciali vi armarentur. Nam cùm anteà ea judicibus per modum conſilii proponerentur, licerétque cuivis, qui ſtudiorum haberet fiduciam, de jure reſpondere (q); iſtorum tamen viciſſitudo facta eſt ſub Auguſto, qui primus certis tantùm hominibus, de jure reſpondendi copiam fecit, adſtrinxítque judices, ut ne ab eorum reſponſis diſcederent (r): cujus inſtituti quidem varia à variis ratio excogitata eſt, ſcilicet Auguſtum iſtâ reſponſorum potentium authoritate judiciale Prætoris regnum evertere voluiſſe; vel id ſpectâſſe, ut legum ferendarum poteſtatem callidè ſibi ſoli vindicaret, legéſque Reipublicæ duntaxat ſtatui accommodatas per JCtos corrigeret (s).

(q) L. 2. §. 47. de or. J.

(r) §. 8. Inſt. de J. N. G. & Civ.

(s) Huber Auſp. domeſt. p. 178. Thomas de Nævis III. p. 70.

8. Itaque tot cuniculis everſa Magiſtratuum authoritas, & ad Cæſares ſolos devoluta, lege regiâ penitus roborata eſt (t); ut proinde deinceps communis ſententia eſſet: Quod Principi placuit; legis habet vigorem; utpote cùm LEGE REGIA (quæ de imperio ejus lata eſt) populus ei, & in eum omne ſuum Imperium, & poteſtatem conferat. Plura hic de lege regia dicenda occurrerent: ſed quia breviores eſſe malumus, de ea videri poterit Heineccius in Syntagmate Antiquitatum Romanarum lib. 1. Tit. 2. à pag. 86. ad 92. item Struvius in Hiſtoria Juris Romani à pag. 211. ad pag. 216.

(t) L. 1. ff. de Conſtit. Princip.

Lex Regia

REFLEXIO IV. ad §. 1. num. 8. pag. 71.

De limitibus Romani Imperii, & quæ augmenta iis addita sint per Cæsares?

(a) Wolff. Lazius Com. Reipubl. Roman. lib. 1. c. 2.

Limitum notio.

LImites transversos in agris, & terminos prædiorum & vias Romanis olim appellatos fuisse, haud ambigua res est (a). At ubi tot urbi Provinciæ accesserant; terminalibus quoque finibus ditiones Reipublicæ circumscribebantur: ut quemadmodum anteà in agrorum discriminibus observatum fuerat; ita nunc Provinciarum ab hostili agro separatio quædam constitueretur. Quadrifariam autem limites suos Romani firmabant. Aut enim ripis fluviorum intercurrentium distinguebantur, aut si fluvii nulli essent, vel ii tam exiles forent, ut vado transiri potuerint; tunc muro lapideo, stipitibúsve limes muniebatur: erat & quarta ratio positis saxis, aut lapidibus terminalibus terras Romanas à barbaris discernendi. Ripariensium ac flumineorum limitum præcipui erant, Euphrates Orientis, Ister Illyrici, Rhenus Galliæ, Boristhenes Scythiæ, quibus de more Castella & munimenta præsidiaria adjungebantur, ut hostis longiùs arceretur: in mediterraneis verò tractibus muris aut sepibus opus erat; cujusmodi insignior ille murus fuit in Britannia, quem Adrianus Imperator per octuaginta millia passuum primus deduxit.

Limitanei agri & populi

(b) Wolff. Laz. pag. 8.

2. Præter limitum notionem in annalibus Romanorum alia quoque nomina affinia occurrunt, qualia sunt limitati agri, limitrophi agri, limitanei exercitus, limitaneæ urbes. *Limitati agri* erant, qui ab hostibus in finibus Provinciarum capiebantur, & limitaneis per Centurias adsignabantur; in quibus nec alluvionem esse, neque jus usucapionum Frontinus JCtus tradit (b). *Limitrophi fundi* erant, quorum possessores tenebantur annonam inde provenientem ad castra militum ducere, qui in Imperii finibus adversùs Barbaros excubabant. *Limitanei exercitus* alebantur à Cæsaribus in limitibus Provinciarum; ita limitem Istri prima, secunda, legiones cum decima & decima quarta ex Germanis conscriptis tuebantur; limiti verò Rheni insidebant legiones quinta, decima octava, vigesima, & vigesima secunda, & prima Trajana; de quibus amplior sermo erit, ubi de re militari alibi disseremus. *Limitaneæ civitates* continebant præsidia militum, cujusmodi plures ad Istrum positas fuisse meminit Lazius, scilicet Teutoburgium, Bononiam, Sirmium, Lugionum, Sicambrium, Florianam, Vindobonam, Comagenum, Laureacum, Aurelianum, Boiodurum &c.

Provinciæ quo tempore additæ Imperio.

3. A Provinciarum finibus, ad ipsas Provincias recedimus, ut non tantùm amplitudinem Imperii Romani dimetiamur; sed & propiùs inspiciamus, quo tempore quævis Provinciæ Romanam rem auxerint, ac ampli-



Gottf. Friedrich Kriegel fe. Norimb.

amplificârint. Quod ut magis perſpicuum fiat; duplex ætas conſideranda eſt: una, quæ à Romulo ad Auguſtum, altera quæ ab Auguſto ad Arcadium, reliquóſque Imperatores prolata eſt. In prima temporum periodo Romanis armis ſubactæ ſunt Italia, Gallia, Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Corſica, Illyricum, Macedonia, Achaja, Aſia, Cilicia, Bithynia, & Pontus, Cyprus, Syria, Africa, Cyrenaica, & Creta; Numidia demum & Mauritania; de quibus paulò latior nunc ſermo erit.

4. Ac præprimis ITALIA aliàs variè diviſa, tandem à Cæſare Auguſto in XII. regiones diſcreta eſt (c). Harum prima erat *Etruria* Etruſcorum Patria, qui à Romuli temporibus cruentiſſima bella Romanis intulerunt, & a: U. C. Fabios ad Cremonam deleverunt; à multis tamen cladibus per Tarquinium, & Servium Tullium Reges: dein per Duces Camillum, Q. Fabricium, alióſque acciſi, in ſocietatem tandem à Romanis recepti ſunt. II. *Umbria* à Q. Fabio circa annum 450. devicta eſt. III. *Picenus ager* a. 434. eoquòd Picentes rupto fœdere arma ſumpſiſſent, à P. Sempronio Conſule ſubjugatus eſt. IV. idem *Prætutiani* fatum ſubiêre, utpote vicini. V. *Sabinis* primum bellum fuit cum Romulo ob raptas Virgines: anno demum 373. datum eſt illis jus civitatis. VI. *Latini* cum Romanis frequentia fœdera, frequentata & bella iniêrunt, in quinto tandem urbis conditæ ſæculo pax ſtabilis inter utrumque populum concluſa eſt. VII. Samnitum gens cæteris Italiæ populis ferocior per annos fere 80. Romana arma laceſſivit; circa annum U. C. 481. tamen ſub jugum Romanorum conceſſit. VIII. & IX. in eandem ſervitutem eodem tempore pertracti ſunt Marſi & Peligni utpote hoſtis Pyrrhi ſocii, & fœderati. X. & XI. Veſtini & Maruſini anno 445. à Bruto ſubacti ſunt. XII. Campania cum Auſonibus, Auruncis Capuenis, Cumanis & Nucerinis &c. quia eorum pars magna ad Hannibalem defecerat, vel capta, vel diruta, aut ditioni Romanæ ſubjecta eſt (d).

(c) Plin. III. 5. II. 12. 12. 14. &c.

Italia quando à Romanis penitùs ſubacta?

(d) V Cantelius in Diſſert. 4. de Rom. Republ

5. GALLIÆ partes ex Romanorum diviſione quadruplices fuêre; quarum alia dicebatur Ciſalpina, Braccata alia ſive Narbonenſis; alia Comata, & Alpina. In citeriori *Liguria* ad Provinciæ formam redacta eſt ab M. Æmilio Scauro a. U. C. 638. Inſubria debellata a. U. C. 566. à M. Æmilio Lepido, Veneti etiam & Carni ante Hannibalis in Italiam adventum fœdus Romanorum experiêrunt. *Braccata Gallia* cum incolis Maſſilienſibus, Æduis, & Allobrogibus poſt a. U. C. 625. in deditionem accepta, & quia illuc Colonia à Q. Marcio Conſule deducta eſt, quæ Marcius Narbo appellabatur; toti Provinciæ nomen inditum, ut deinceps Narbonenſis diceretur. *Galliam Comatam* Julius Cæſar novem annis ſubegit. *Alpina* tota ante Auguſti tempora vix paruit Romanis.

Quando Gallia Romanæ ditioni adjecta?

6. SICILIÆ una pars Syracuſanis Principibus, ſecunda Carthaginienſibus ſuberat, illa a. U. C. 488. confecto primo bello punico Romanis ceſſit; hæc poſt alterum Pœnorum bellum Romanorum agnovit Imperium

Quando Sardinia, Corsica, Hispania & Lusitania?

rium. SARDINIAM primùm a. 520. T. Manlius Torquatus domuit, ac Licinius Varus CORSICAM. a. U. C. 517. Publius Scipio, qui ob captam Carthaginem etiam Africanus vocatur, victis Asdrubale & Magone HISPANIAM cepit, quæ ann. U. C. 522. in duas Provincias divisa est, quarum illa) quæ cis Iberum erat, citerior: altera, quæ ultra Iberum, ulterior nominabatur. Enatis subinde novis bellis (Celtiberico, Numantino, & Viriathico) ac feliciter gestis D. Brutus Lusitanos latrocinia exercentes persecutus est, & qui Lusitanis auxilia tulerant, Gallæcos, & simul LUSITANIAM, adjecit Hispaniis.

(e) Freher. in lex.

7. ILLYRICUM, quod à Formione amne incipit, terminatúrque Titio flumine, & montibus Scardo & Cerauniis (e), proprios olim Reges habuit, quibus Istri, Japydes, Liburni, Dalmatæ, aliíque populi parebant. Anno U. C. 534. Teutâ Reginâ superatâ pars Illyrici à Romanis occupata est. *Istriam* circa a. 624. C. Sempronius Tuditanus tribus annis perdomuit, Metellus Dalmatiam ad Provinciæ jus redegit. Quamvis totum Illyricum posteà multarum seditionum sedes fuerit; ut ex historiæ decursu patuit.

Quando Istria & Illyricum?

De Macedonia & Græciæ provinciis

8. MACEDONIA non antè Romanam reverita est potestatem, quàm tres Reges ejus devicti succubuissent. Primus *Philippus* erat Hannibalis fœderatus, quo ad Cynocephalas debellato multæ urbes ab ejus regno divulsæ fuêre: alter Philippi filius *Perseus* ad Pidnam ab L. Æmilio Paulo victus vectigalem Macedoniam Romanis reliquit: tertius *Andriscus* 605. à Q. Metello Prætore bello coactus est, ut regalem formam exueret ipse, & Macedonia Provinciæ formam indueret. Sub idem tempus ÆOLIA, GRÆCIA omnis cum EPIRO Romanos fasces vereri cœpit; multis tamen civitatibus permissa libertas, maximè Athenis.

9. ASIAM quantùm ab Issico Sinu ad Hellespontum porrigitur, Attalus Philometor Eumenis filius, & tertius ab Alexandro M. hujus ditionis Dominus, ob accepta à Romanis auxilia, (cùm prole masculâ careret) iisdem testamento scripsit a. U. C. 620., eà tamen lege, ut Asiæ civitates essent liberæ, quâ tamen libertate plurimæ civitates paulò post exciderunt: eâdem ratione BITHYNIAM Nicomedes reliquit hæreditariam Romanis a. 679. PONTUS DUPLEX una inter Sangarium flumen, & Parthenium amnem, altera juxta maris Pontici littus Romanis accessit; postquàm Mithridatem Ponticum Lucullus, & Pompejus inde abegerant. LYCIA adempta Antiocho Magno Regi Syriæ, & vectigalis facta est. Tigrani à Pompejo reliquæ Ciliciæ partes Pamphilia, & Isauria ereptæ sunt; Cyprum P. Clodius Tribunus à Ptolemæo Auletis Ægyptii fratre extorsit a. U. C. 697. SYRIA quæ à monte Amano, & fluvio Euphrate ad Ægyptum pertinet, regiones quinque complectitur, Comagenam, Seleucidam, Phœniciam, Cœlesyriam & Judæam: hæ duæ postremæ regiones sub Augusto suos adhucdum habuêre Reges: tres reliquæ olim

De regionibus Asiæ.

Regibus

Regibus Persarum, & post Alexandrum Ægyptiis, demum Seleucidis paruerunt. Tigranes Armenus Antiochum Euseben Cyziceni filium Syriâ spoliaverat; sed Lucullus Romanus Tigrani regnum reddidit, quod indignè ferens Pompejus Luculli Successor, denuò ab Antiocho Syriam repetiit. Erant tamen adhuc Reguli complures per Syriam, utpote Chalcidis, Emesæ, Traconitidis, Bataneæ, & Abellinæ, qui extra ditionem Romanam erant.

10. In AFRICA tertio bello Punico deleverunt *Carthaginem* Romani, ac regionem Carthaginensium inter Provincias retulerunt. *Numidiam* posteà C. Cæsar in eandem formam compegit, cui primus præfuit (Romanorum nomine) Sallustius Historicus. *Mauritaniam* a. U. C. 721. iisdem Provinciis accensuit Octavius; *Lybiam utramque* Lucullus, Syllæ in bello Mithridatico quæstor; Cretam Q. Metellus, postquàm triennium in Cretensibus expugnandis consumpsisset (f). *Africa.*

11. Atque hic status Provinciarum, hæc amplitudo erat, cùm adhuc floreret Respublica; majora posteà incrementa Imperii Romani facta sunt, ex quo Cæsares gubernacula moderabantur; adeò ut Ovidius sub Augusto canere instituerit:

> *Gentibus est aliis tellus data limite certo:*
> *Romanæ spatium est urbis & orbis idem* (g).

Provinciæ, quæ ab Imperatoribus vario tamen tempore additæ sunt, hæ fuerunt, *Noricum*, *Rhetia*, *Pannonia*, *Mœsia*, *Dacia*, *Britannia*, *Ægyptus*, *Galatia*, *Rhodus*, *Lycia*, *Comagena*, *Judæa*, *Arabia*, *Mesopotamia*, *Armenia & Assyria* (h).

12. Ac primò NORICUM Regio Europæ ampla (quam inter Vindeliciam ad occasum Oenus separat, & mons Cetius ad ortum à Pannonia dividit, Danubiúsque à Germania disterminat) complectitur Austriam, Stiriam Carniolam, Carinthiam, partem Bavariæ, Comitatúmque Tirolensem, (cujus pars ad Rhætiam spectat) totus ille tractus terrarum, qui posteà à Diocletiano in Noricum Ripense, & Mediterraneum divisus est, sub Augusto Romanis Provinciis accessit (i): eodem tempore RHÆTIAM à Rheni ortu usque ad lacum Brigantinum, Danubium, Licum & Oeni fontes Drusus cum Tiberio in potestatem redegerunt (k). MOESIA servitutem Romanorum primis quoque temporibus accepit (l), & si Straboni credimus (m), DACIAM RIPENSEM Augustus Romani juris fecit; Panoniæ jugum Septimius Severus imposuit. BRITANNOS Claudius fregit, Ægyptum dominatui suo Augustus seposuit (n), Trajanus Arabiam (o), Rhodum, vicinásque regiones Tiberius subjecêre; nam ut Eutropii verbis utar: Rege Parthorum Vologese in pacem coacto, sine ullis bellorum tumultibus in immensum Respublica Romana provehitur: siquidem Achajæ pars, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, quæ liberæ ante id tempus fuerant: item Tracha, Cilicia, Comagene, quam hodiè Augu-

Provinciæ à Cæsaribus Imperio additæ.

(f) Cantelius in Dissert. cit.

(g) Ovid. 2. fastor.

(h) Cantel. Differt. 4. p. 158.

(i) Dio lib. 54. p. 534. Paterculus lib. 2. c. 39.

(k) Idem Dio lib. 54. pag. 536.

(l) Appian. in Illyric.

(m) Strabo lib. 7.

(n) Lib. 2. Tacit.

(o) Eutrop. in Vespasian.

Augusto-fretensem nominamus, tunc demum redactæ in Provinciarum formam, judicibus Romanis, legibúsque paruerunt. Cæterùm de Judæa, quando limiti orientis addita fuerit, sic refert Tacitus (p): Ituræique, & Judæi defunctis Regibus Sohennio, atque Agrippâ Provinciæ Syriæ additi.

(p) Tacit. l. ann. 12.

13. Sed quoniam hæc latiùs à Wolffgango Lazio (q) explicata sunt; id unum brevissimè perstringendum hìc sumimus; quænam regna & qui populi liberi clientelari nexu Imperio Romano sub primo Monarcha devincti fuerint? quoniam argumentum ejusmodi ad Majestatem Imperatorum amplificandam maximè convenit. Itaque ut à Judæa initium faciamus: Rex Herodes Palæstinam equidem possidebat sub Augusto; sed eâ tamen lege ut ad servitia, & nutus Cæsaris esset. Obodas Aretæ antecessor tractum quendam circa Judæam moderabatur, titulo Regis Arabiæ Nabatheæ (r); quin tamen ei Cæsaris obsequia exuere fas esset. Idem Augustus confecto bello Actiaco in Reges suum, quo pollebat, Imperium exercuit; nam Jamblico Arabum Regi, ejúsque fratri Alexandro regna abstulit: Antiochum Comagenæ, Philopatorem Regem Ciliciæ, Lycomedem Regem Ponti neci dedit, & pro summo arbitrio fasces regios aliis consignavit (s). Reges Albaniæ & Iberiæ (t), Cappadociæ (u), Thraciæ (x) se Romanæ authoritati quibusdam legibus devinctos profitebantur. Erant & aliæ Regiones quæ sub tutela Romanorum quandam libertatis umbram servabant, ut Alpium Cottianarum Reguli (y), Cydonii, Cyziceni in Hellesponto, Tyrii, Sidonii, Alpes maritimæ, Athenarum urbs, & populi Lyciæ, ex quibus alii aliis temporibus in servitutem Romanorum penitus posteà abstracti sunt, molémque Romani Imperii suis accessionibus non parùm auxerunt.

(q) Comment Reip. Rom. lib. 1. c. 3. 4. 5. 11.
(r) Joseph. antiq. lib. 16. c. 15.
(s) Dio lib. p. 495.
(t) Tacitus ann. 4. c. 5.
(u) Dio lib. 45. p. 411.
(x) Tacitus ann. 2. c. 64.
(y) Dio lib. 60. p. 681.

REFLEXIO V. ad §. 1. num. 9. pag. 72.

Quænam origo, qui populi ac mores antiquæ Germaniæ, & an hanc Romani, (ut jactat Vellejus Paterculus) in stipendiariæ Provinciæ formam redegerint?

Germanorum origo.

INter eos, qui antiquioris mundi ætatem, ac monumenta scrutati, Germanorum genearcham indagârunt, veritati propiùs se accessuros credunt; si cum Cluverio (a) Aschcenazem, Noachi Pronepotem, gentis nostræ authorem statuant; præterquàm enim quod Hebraico vocabulo Germani אַשְׁכְּנַזִים dicantur, tum eidem Aschcenazi *Tuisconis* & *Celtæ* nomen adhæsit, quâ appellatione *Celtarum*, tamdiu nostri Germani consignabantur; dum ipsi *Teutisci* à Thuiscone, vel â Theuth, quæ vox in lingua Celtica, Deum significat, vocari maluerunt. (b). Posteà sub C. Marii

(a) Cluver. de antiq. Germ. lib. 1. c. 4. & 5.
(b) Idem c. 9.

Marii tempora, præcipuè autem in bellis Caji Cæsaris *Germanorum* nomen invaluit, de cujus origine non una Scriptoribus extat opinio. Alii enim hanc vocem iis impositam ajunt à Romanis, quòd veluti fratres Germani inter se agerent, sive cùm pellendus ipsorum terris hostis foret; sive quærendæ alibi sedes, armísque via inter ignotas gentes facienda. Alii, eoquòd Germani ab omni ævo masculi, bellicosi, fortes, animi & corporis magnitudine, ac robore insignes essent, à *Man* nominatos volunt; quasi omnes viri mereantur compellari, unde Alemannorum nomio etiam deducta est: Alii Germanos inde appellatos existimant, à *Weermannis* vel *Guerremanis*, nam cùm hæ voces vel bellum, vel defensionem insinuent; his maximè exprimebantur velut viri apti prœliis, atque in bella prompti (c).

Germanorum nomen.

(c) Bertius Comm. rer. Germ. lib. 1. c. 1.

2. Vetustissimi Germaniæ termini fuêre, ab occasu Rhenus amnis, & Oceanus Germanicus, à septentrione Oceanus Septentrionalis, ab ortu Granvicus, Finnicus & Codanus sinus, Vistula amnis, & à fonte ejus linea ad Sarmaticos montes ducta; à meridie ipsum Danubii flumen. Quare illos à verò longiùs aberrare ait Cluverius (d), qui latiùs nunc quàm olim Germaniam patere opinantur: licet enim portiones quædam ei ex Gallia ad lævam Rheni ripam, & ex Sarmatia ad sinum Codanum & dextrum Vistulæ littus accesserint; illas tamen partes, quas versùs septentrionem, & ortum à Germania abstractas jam videmus, quantacunque hæc nova incrementa vix pensabunt. Sylvæ Romanis conflictibus, aut aliis monumentis insigniores sunt, *Hercynia*, quæ etsi totam olim Germaniam occupâsset; ei tamen saltui, qui circa Bojohemum est, id nomen duntaxat adhæsit: *Bacenis*, quæ Cheruscos à Svevis discernebat: *Semana* vel in Brunsuicensi Ducatu der Hartz (e). *Gabreta* in Thuringia, *Luna* inter Moraviam, Poloniam: in Quadorum confinibus, *Sylva Cæsia* ad dextram luppiæ amnis ripam haud procul Vesalia (f).

Fines veteris Germaniæ

(d) Cluv. c. 11.

(e) Ptolom. 2. c. 11.

(f) Tacit. ann. 1. c. 50.

3. Qui ab Aschcenaze Magnæ Germaniæ populos deducunt, huic Protogeni Teutonum quinque tribuunt filios, ex quibus totidem præcipuæ Germanorum Nationes oriundas dixerunt (g): harum primam constituêre VINDILI, qui ab aliis Vandali, aut Vinuli appellati in plures denuò gentes sese diviserunt. Ab his enim *Guttones*, *Gotones* sive *Gothi* suam numerant stirpem, quorum alii in Pontum concessêre, *Ostrogothi* subinde dicti: alii in Transylvania consederunt, viciníisque tractibus, obtinuerúntque nomen *Visigothorum*. Utriusque gentis emigrationes, & bella per Imperium Romanum in sæculo quinto commemorabuntur. 2. *Burgundiones* Oderæ & Visurgis accolæ, in Hassiam posteà penetrârunt, inde Alemannis ejectis Rheni, Mœníque tractum coluêre; demum in quinto sæculo Galliam invaserunt, ubi ad Rhodanum regnum novum moliti sunt (h), 3. *Varini*, *Angili sive Anglii*, *Eudoses*, *Suardones*, *Nuithones*, *Caviones* & *Reudingi* inter Oderam, ac Visurgim sua domicilia habuêre.

(g) Plin. lib. 4. c. 14

Quinque præcipuæ nationes Germanorum.

(h) Orosius lib. 7.

4. Rugii

Natio prima ex Vindilis.

4. *Rugii & Lemovii* in Pomerania, & Insula Rugia; 5. *Longobardi* inter Albim & Viadrum habitârunt, à prælongis barbis nuncupationem sortiti: tempore Romanorum audierunt, *Gens etiam germanâ feritate ferocior* (i) Sub sæculi V. ætatem Pannoniam & Illyricum, & posteriore tempore Italiam inundârunt, ubi famoso regno Longobardico initia dedêre (k). 6. *Semnones* Portiones Marchiæ, Misniæ, Lusatiæ, Silesiæ, 7. *Deuringi* sive *Thoringi*, qui & à Tacito Keudingi vocantur, tractum Mecklenburgensem & labente tempore Thuringiam occupârunt.

(i) Vellejus lib. 2. c. 8.
(k) Paulus Diac. lib. 2. c. 1.

Altera Natio ex Ingævonibus.

4. Alteram è præcipuis Germaniæ nationibus conflavêre INGÆVONES ad quorum multitudinem variam sequentes populi pertinent. 1. *Cimbri* qui omnem eam tenuerunt peninsulam, quam nunc antiqui nominis gens incolit *Jutæ*: Prima ea Germaniæ gens, à qua clarior fama aperta est (l). Nam primi quoque è Germanis fuêre, qui Romanos lacessiverunt bello (m). 2. *Teutoni* vel *Dani*, *Codani*, Cimbrorum fœderati Danicas insulas. 3. *Chauci* littora Oceani Septentrionalis inter Amisiæ, Albísque ostia adcoluerunt supra Bremam; deinde usque Mindam, quâ Cattis jungebantur. 4. *Frisiis* & *Frisionibus* in Batavorum confinibus geminum Rheni ostium 5. *Sueconibus* hodierna Suecia, *Sitonibus* nunc Norwegis Scandinavia pro sede fuit; hi subinde Normannorum nomine Galliam & Angliam pervagati, Provinciam Neustriæ subjugârunt.

(l) Plinius lib. 4. c. 13.
(m) Vellej. lib. 2. c. 8.

Tertia Natio ex Istævonibus.

5. ISTÆVONES tertiam Germanorum classem conficiunt, unde 1. *Bructeri* perpetui Romanorum hostes (n) Zutphanniam, Comitatum Bentheimensem & tractum Monasteriensem insidebant; sub finem tamen primi sæculi in Ducatum Montium altiùs ascenderunt. 2. *Marsi*, antequàm Drusiana fossa (quæ est in Geldria inter Arnhemium, & Duesburgum) duceretur, superiorem Velaviam, dein Bructerorum Patriam colebant, inter Monasterium, & Paderbornam; ubi Quintilii Vari cædes facta est. 3. *Sicambri* domicilia prima fixerunt inter Luppiam & Hassiam, & in comitatu Marchiæ, in ditione Clevensi, posteà à Tiberio in Galliam transportati, ubi inter Mosam, & Rhenum Gugerni dicebantur (o). 4. In Sicambrorum relictas terras successerunt *Usipetes* & *Tencteri*: hi apud Coloniam, illi ad Rheni divortia. 5. *Ubii* in Germania, Rheni, Mœnique dexteras ripas, *Jubones* & *Mattiaci* Nassoviensem Comitatum cum Wetteravia ex parte Hassiæ servârunt.

(n) Tacit. an. 11. c. 35.
(o) Sueton. in Aug. c. 21.

Quarta Natio ex Herminonibus.

6. Quarta Germanorum Propago extitit ab HERMIONIBUS: ab illis quippe orbem Germanicum complevêre 1. *Hermunduri*, qui ab initio inter Salam & Albim incoluêre Voitlandiam, & Misniæ, Saxoniæque superioris partes; unde adhuc remansit *Freyberga Hermundurorum*: dein dum *Harudes* cum Marcomannis ac Sedusiis in Bojohemum transmigrârunt; in agros illorum Hermunduri successerunt, ac proinde Suevi propriè dicti sunt. 2. *Narisci* superiorem Palatinatum, 3. *Cherusci* tractum inter Visurgim, Salam, & Albim sibi vindicârunt. Horum Dux Arminius

ad pag. 184.



Seb. Dorn sculps. Norib.

minius Quintilium Varum internecione delevit (p). Fœderati, & confines Cheruſcis fuêre *Campſani* & *Cambrivii*. 4. Ad *Chaucos* pertinuit Pars Friſiæ orientalis, cum vicinis regionibus. 5. Ad *Marcomannos* Ducatus Wirtenbergenſis, agríque inter Niccarum, & Rhenum. 6. Ad *Quados* Moravia & Pars Hungariæ 7. *Oſi*, *Marſigni*, *Burii*, *Eliſii* Sileſiæ partes inter ſe diviſerunt.

(p) Tacit. lib. 9. c. 36.

8. *Catti* habitârunt partem Thuringiæ, Principatûs Fuldenſis, totámque regionem, quam hodîe Haſſiam nominamus: Tacitus (q) eorum Patriam ità deſcribit: Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis, ac paluſtribus locis, ut cæteræ civitates, in quas Germania pateſcit: durant ſiquidem colles, paulatímque rareſcunt, & Cattos ſuos Hercynius ſaltus perſequitur, ſimul atque deponit. Partes autem ſylvæ Hercyniæ ſunt Speſſartica ad Mœnum, Veſtrovaldia unà cum Rheno procurrens, ſylva Thuringica ad ortum Cattos proſequens, & demum Bacenis vel Semana der Hartz Cattos ſuos proximè deponens (r). Cæterùm Cattis bellicoſiſſimæ genti laudem Tacitus præ cæteris tribuit (s): Cattis, ait multum inter Germanos ſolertiæ, iis præponere electos, audire præpoſitos, nôſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare ſolemne eſt. Cattorum fœderati fuêre *Chaſuarii*, & *Dulgibini*, in quorum tractu famoſus eſt ſaltus Teutoburgenſis (t). 9. Poſtremùm *Anſibarii*, *Chamavi*, *Tubantes* promptæ gentes in prœlia contra Romanos, ad Amiſonem versùs Viſurgim ſuas ſedes propagavêre.

(q) Tacit. de M. G. c. 30.

(r) Spener. not. antiq. Germ. lib. 4. c. 3.

(s) Tacit. de M. G. c. 30.

(t) Tacitus ann. lib. 61. c. 62.

7. Quintam Germanorum ſtirpem protulêre BASTARNÆ, ſeu PEUCINI, his à Viſtulæ dextra ripa, ad Iſtri oſtia natalis ager erat, quibus quidam accenſent *Æſtios*, *Hirros*, atque *Scyros* Livoniæ, Pruſſiæque cultores.

Quinta Natio Germanorum.

8. Et quanquam Danubius, Rhenúſque Germaniæ magnæ limites fuerint, quibus à Gallis arceretur; per temporum tamen viciſſitudinem non pauci è Germanis cis Rhenum ſuas familias transtulerunt: quare Cæſar Auguſtus Celticam regionem (quanta ad Rhenum eſt) in duas novas Provincias diſcernendam & Germaniæ nomine inſigniendam putavit, ita quidem, ut ea Pars, quæ Rheni fontibus propior eſt, Germania prima, ſeu ſuperior: illa, quæ, ad Oceanum uſque Britannicum excurrit, Germania Cisrhenana, ſeu inferior vocaretur (u). Cæterùm Rhenus oritur in Alpibus Legipontiorum, effluítque in Oceanum Germanicum per triplex oſtium, *Flevum*, *Medium*, & *Helium* Medio propriè Rhenus deducitur: prius oſtium, vel Alveus Rheni Druſum authorem habuit (x): in ſiniſtro vel Helio Rheni alveo vahalis decurrit; ad hæc Corbulo foſſam appoſuit celebrem inter oſtium Moſæ, & Rheni Alveum medium, de quo ſuprà in hiſtoria egimus.

(u) Dio lib. 53. p. 503. Bucherius lib. 1. Belg. Rom. c. 2.

(x) Suet. in Claud. c. 1.

Germaniæ Cisrhenanæ Populi.

9. Ad Germaniam Cisrhenanam superiorem annumerantur populi sequentes; *Helvetii*, quo nomine continebatur, quidquid nunc Suitenses & Confœderati possident. *Sequani* & *Hedui* Araris Accolæ, Lingonibus confines in tractu, ubi nunc Burgundia, & Lotharingia. *Rauraci* quorum caput Augusta Rauracorum; verùm hujus vestigia in pago prope Basileam duntaxat supersunt. *Mediomatrici* in quorum regione Diviodurum, & Virodunum. *Tribocci* tenuerunt terram, quæ nunc Alsatia vocatur. *Nemetes* agrum Spirensem, Wormatiensem *Vangiones* possidebant; in Vangionum quoque terris celeberrima urbs erat Moguntiacum, ubi Præsides Provinciæ agebant (y). Ammianus Marcellinus potissimas superioris Germaniæ urbes enumerans ait (z): *Prima Germania, ubi præter alia municipia Moguntiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota.* Et libellus Romanorum in Gallia Provinciarum uberiùs ita differit (a): *in Germania prima civitates numero quatuor: Metropolis civitas Moguntiacensis; civitas Argentoratensium; civitas Nemetum id est Spira, civitas Vangionum, id est Wormen: in secunda duæ; Metropolis civitas Agrippinensium, id est Colonia: Civitas Tungrorum.* Occidentem versùs juncti erant *Treviri*, quorum olim fines latissimi erant, nam à Rheno ad Mediomatricos usque extendebantur, pariter, & ad Menapios, & ad Mosam (b). De his populis Tacitus ait (c), quod *circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitiosi fuerint, tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & inertia Gallorum separarentur.* Colonia Augusta Trevirorum caput gentis erat; quam ut Metropolim post divisionem Imperii occidentalis Augusti quidam incoluerunt.

(y) Tacitus Hist. lib. 4. c. 15.
(z) Amm. Macell. lib. c. 11.
(a) Apud Bucherium l. 1. c. 2.
Germania prima Cisrhenana.
(b) Bertius lib. 1. de German. p. 248.
(c) Tacitus Germ. c. 28.

10. Ad Germaniam inferiorem adscriptæ sunt reliquæ gentes scilicet, *Ubii*, quorum ditio cœpit à Confluentibus: traduxit hos Agrippa ad ripam ulteriorem, sed non invitos, ùt Strabo ait: præter Coloniam celebris urbs hìc Bonna fuit, ubi Aram Augusti quidam constituunt (d): ex ejus opposito Genosia florebat, ubi Drusus teste Floro Rhenum ponte junxit: demum Antunnacum Andernach, ubi posteà conditum est corpus Valentiniani Imperatoris. *Menapii & Morini* qui Ubiis versùs Occidentem hærebant: erat sub ditione eorum tractus ille, qui juxta montes est, comitatus Namurciæ, Ducatus Limburgensis. *Tungri* sedem habuêre inter Scaldim & Mosam, in quorum agris urbs Tungrorum, Atuacutum, Mastricht, Samobrina Sammerich. Demum *Batavi* à Cattis oriundi, qui obtinebant, quidquid à sectione Rheni inter Mosam & Rheni comprehendebatur ostia. De his videatur Bertius L. 1. de Germania, Item Cluverius de antiqua Germania. lib. 2. à cap. 30. usque ad c. 36.

(d) Tacitus ann. 4. c. 19.
Germania secunda sive inferior.

11. De moribus veterum Germanorum nunc porrò acturi, ex Cornelio Tacito pauca delibamus, ut qui unus omnium de Germania quàm plurima scripsit (e), & oculis ipse, (cùm sub Vespasiano militaret, ac subinde Belgicæ Galliæ rationes procuraret) omnia inspexit (f). Nullas

(e) Cluverius in proœmio.
(f) Althame-

primi

primi Germanorum populi habitabant urbes, nec junctas quidem sedes patiebantur: colebant discreti; ùt fons, ùt campus, ùt nemus placuit: solebant & subterraneos specus aperire, eósque multo insuper fimo onerabant, quasi suffragium hyemi, & receptaculum frugibus, quas ita defossas irruentes hostes vel ignorabant, vel negligebant. Tegumen omnibus sagum fibulà, aut si desit, spinâ consertum. Cætera intecti, totos dies juxta focum, atque ignem agebant. Gerebant & ferarum pelles, quas maculis interdum discernebant: Singuli singulis uxoribus contenti, paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens, & maritis permissa: accisis quippe crinibus adulteram coram propinquis expellebat domo Maritus, ac per omnem vicum verbere agebat; publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Sua quemque filium mater uberibus alebat, nec ancillis, ac nutricibus delegabantur. Potui serviebat humor ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum: sine apparatu, sine blandimentis expellebant famem, adversùs sitim non par illis fuit temperantia. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habebatur: Fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum: ideóque magìs servabatur, quàm si vetitum esset. Armentorum gaudebant numero eæque solæ, & gratissimæ opes erant: permutatione mercium, non pecuniâ inter se agebant. Inter Deos Mercurium, Herculem, ac Martem colebant, quibus stato tempore vel concisa animalia, aut etiam humanas litabant hostias. Apud Sacerdotes eorum summa semper authoritas; horum è nutu scelerati vel vinciebantur, aut verberibus addicebantur.

rus in not. ad Tacit.

Mores veterum Germanorum.

12. Reipublicæ nulla fuit certa forma; neque enim Germanis Optimates perpetui, aut Reges: ubi commune ingruebat periculum; communi consilio decreta bella, certúsque Dux delectus, qui expeditioni præesset: huic Principi in acie vinci turpe erat; infame cæteris, si quis Principi suo superstes ex pugna recessisset. Acies per cuneos componebatur. Frameas gerebat miles angusto, & brevi ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio posceret, vel cominùs, vel eminùs pugnaret. Scutum reliquisse in acie præcipuum flagitium: maximum contra hostes incitamentum erat turma matrum, filiorúmque, qui post aciem ita collocabantur; ut fœminarum ululatus audiri, ac vagitus infantium possent: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Memoriæ proditum est, quasdam acies inclinatas jam, & labantes à fœminis restitutas, constantiâ precum, & objectu pectorum, & monstratâ cominùs captivitate, quam longè impatientiùs fœminarum suarum nomine timebant. Plura de his videri possunt apud Cluverium de Germ. Antiq. lib. 1. à capite XII. usque ad caput LIII.

Res civilis & militaris Germanorum.

13. Vellejus, ut suo Duci Tiberio, encomium ingens affingeret; inani ostentatione celebrat, eum *sic totam perdomuisse Germaniam, ut in formam*

Velleji hyperbole. mam penè stipendiariæ redegerit Provinciæ: addit quoque supra fidem ista: *Perlustrata armis tota Germania est: victæ gentes penè nominibus incognitæ; receptæ Chaucorum nationes: omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum Ducibus suis septa fulgenti, armatóque militum nostrorum* (Romanorum) *agmine ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam germanâ feritate ferocior &c.* (g) *nihil erat jam in Germania, quod vinci posset præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo Duce excita sedibus suis, atque in interiora refugiens, cinctos Hercyniâ Sylvâ Saltus incolebat &c.* Sed utut adulatores Romani suis Principibus abblanditi fuerint; irritum tamen fuisse Romanorum in vincendis, perdomandísque Germanis laborem facile erit ostendere.

(g) Velleji Paterc. lib. 2. c. 106.

Victoria Germanorum contra Romanos. 14. Anno U. C. DCXL. in bello Cimbrico, eæ clades Romanis allatæ sunt, ut quantumcunque Scriptores Romani hoc dedecus silentio obruerint; Orosius nihilominùs posteris transcripsit, à Cimbris cæsos duos Consulis filios, octoginta millia Romanorum, sociorúmque eà tempestate trucidata, quadraginta millia Calonum, atque Lixarum interfecta, & ex omni Romano exercitu decem tantummodò homines, velut Cladis nuntios superfuisse (h).

(h) Oros. l. 5. c. 16.

Julius Cæsar posteà binis vicibus Rhenum trajecit, *inde quoque maturè* (i) *metu Suevorum se recepit, nullâ re perfectâ, quàm quòd gloriam Rheni alterâ vice trajecti reportârit.* Sub Augusto Lolliana, & Variana Clades multum infamiæ, plus detrimenti Romanæ rei attulerunt, effectúmque tunc est, ut imperium, quod in littore Oceani non steterat, intra Ripam Rheni consisteret. Felicior equidem Germanicus in Germanos pugnare visus est, sed arma circumferebat potiùs, quàm ut robur Germanorum attereret, subigerétque: Caji Caligulæ & Domitiani ad Rhenum expeditiones in ludibrium versæ (k): sub Vespasiano quid, quantúmque contra Romanos valuerit Civilis Germanæ libertatis assertor, suprà commemoratum est. Trajanus pacem à Germanis in Galliam irruentibus pecuniâ redemit. Optimè igitur TACITUS in libello de moribus Germanorum profitetur: *Sexcentesimum, & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma Cæcilio Metello, & Papyrio Carbone CC; ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur . . . Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio multa invicem damna: non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, non Parthi quidem sæpiùs admonuëre. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Crassi, amisso & ipso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone, & Cassio & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum, trésque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. . . . Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec*

(i) Dio lib. 40.

(k) Tacitus de M.G.c.37.

Germani nunquam à Romanis penitùs subacti.

donec occasione discordiæ nostræ & civilium armorum, expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias adfectavêre, ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magìs, quàm victi sunt. Mirifica pariter confessio est FLORI Romani Scriptoris (l). *Germaniam*, ait, *utinam Augustus vincere tanti non putâsset, magìs enim turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita; sed quia sciebat, Patrem suum Cæsarem bis trajecto ponte Rheno, quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere Provinciam. Et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quàm imperia ferre potuissent.* Post Augustum namque & Tiberium præter Rheno proximos Frisios, Usipios, Tencteros, Mattiacos, & his conterminos Alemannos, sub Imperio Romanorum nemo ex Germanis stetit: & hi quoque sub annum Christi ducentesimum Romanis disjuncti, Galliam crebris incursionibus infestârunt, quo tempore (m) natum dicitur Francorum nomen; quod sibi omnes populi inter Rhenum, Albímque incolentes, in unam multitudinem congressi imposuerunt, & è parta libertate novam appellationem sortiti, in Galliam repetitis populationibus invecti sunt. Marcomanni cum Quadis, aliísque Istri accolis ab ætate M. Antonini, Vindeliciæ, Norici, ac Pannoniæ agros diripuerunt. Cæteræ trans Albim, Danubiúmque Gentes, etsi ad aliquot sæcula conquiescerent; copiosiùs tamen posteà emisêre Gothorum, Burgundorum, Vandalorum, ac Longobardorum exercitus in varias Imperii Provincias: nec anteà transmigrationum, ac bellorum finis fuit; dùm bellicosa Germanorum natio toto Romano Imperio per complures regiones occupato, ipsos tandem supremi Imperii fasces, nomen, decúsque in fines suos pertraheret (n).

(l) Florus lib. 4. c. 12.

(m) Cluver. lib. 3. c. 7.

(n) Cluver in introduct. Geogr. lib. 3. c. 7.

REFLEXIO VI. ad §. 1. num. 12. pag. 77.

De censu Provinciarum sub Cæsaribus.

1. EX Veterum annalibus nobis relictum est, Servium Tullium Regem Romæ sextum, Censûs, & lustri Urbani primum authorem fuisse. Hic quippe populum in classes digessit, Curiis, atque Collegiis distribuit, ínque censum cunctos retulit; quâ solertiâ ita ordinata est Respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorúmque discrimina in tabulis notarentur, ac si maxima civitas minimæ domûs diligentiâ contineretur (a). Censuræ ut modus quis esset, idem Rex voluit certi pretii nummum in æraria varia pro singulis capitibus inferre, & in Junonis Lucinæ quidem ærarium pro iis, qui nascerentur: in Lybitinæ pro iis, qui morerentur: in Juventutis denique pro iis, qui inter viros accenseri inciperent; unde dignoscere poterat quot annis, & qui esset omnium civium numerus, & qui ex illis militari essent ætate. Similiter

(a) Florus lib. 1. c. 6. *Censuum prima origo.*

militer, ut rusticanæ multitudinis summa iniri posset; festum quoddam celeberrimum, Paganalia dictum, instituit, ad quod jussit omnes, qui eundem pagum incolebant, commeare, & in singula capita nummum inferre, alium viros, alium mulieres, alium impuberes; quibus per Sacrorum Præsides computatus hominum numerus per sexus, ætatésque apparebat. His constitutis jussit, omnes Romanos tam urbanos, quàm rusticos nomina dare, sua item bona pecuniæ æstimatione censere, eáque omnia bona fide relata jurare: nomina Parentum, quibus nati essent, conjugum, ac liberorum adscribere, ætatis annum declarare; addito & urbis loco, & regionis pago, quo singuli habitarent. Et verò ei, qui censùs non fuisset, eam pœnam imposuit, ut bonis spoliaretur, & virgis cæsus sub hasta veniret. Ita peracto censu, & tabulis, quibus omnium nomina inscripta erant, acceptis; eorúmque numero, & fortunis cognitis; sapientissimum, Reíque publicæ saluberrimum institutum induxit (b).

Census Romanorum sub Regibus.

(b) Dionys. Halicarn. l. 4.

2. Quem censum Servius Rex instituerat, hunc Augustus rerum potitus, per orbem Romanum, ac Provincias ampliavit (c). Is enim susceptis Monarchiæ Romanæ fascibus Censoris quoque munus in se trahens non tantùm eos, qui in urbe, sed & eos, qui foris habitarent, ex antiquo censûs more numerandos voluit. Primum censum se egisse testatur Augustus Collegâ M. Agrippâ (d), quo lustro civium Romanorum, & & eorum, qui in Provinciis jure civitatis gaudebant, *censa sunt capita quadragiens centum millia, & sexaginta tria*, sive milliones solidi quatuor, insupérqne 163. millia. Si Bucherio adstipulari placet; Augustus nullum egit civium censum, quin & omnium Provincialium, etiam non civium eodem ferè tempore peregerit (e). Gallos ab eo sub initia Imperii censui subjectos fuisse ex Dione perdiscimus (f): ex Gallis ad alias quoque Provincias censuum formam translatam nemo dubitabit, qui meminisse volet, breviarii illius, seu rationarii Imperii, quod anno U. C. 731. Juliano 23. Augustus undecimùm Consul suo Collegæ Pisoni tradidit: erat autem hic liber exercituum, & redituum publicorum index, ut Dioni placet, vel ex sententia Taciti, hoc libro opes publicæ, quantum civium, sociorúmque in armis, quæ classes, regna, Provinciæ, tributa, aut vectigalia, necessitates ac largitiones, continebantur (g). Unde satìs jam colligitur, non urbis tantùm, sed & Provinciarum rationes ex censu instituto in eum libellum relatas fuisse.

(c) Cassiod. var. l. 3. Epist. 52.

Census primus Provinciarum sub Augusto.

(d) In lapide ancyr. apud Gruter.

(e) Apud Bucher. lib. 2. c. 3. n. 4.

(f) Dio lib. 53.

(g) Tacitus ann. 1.

3. Alter Census, qui ab Augusto actus est, tribuitur anno U. C. 746. Juliano 38. duobus annis ante Christum natum (h); quo tempore cæteræ quoque Provinciæ nomina dederunt Cæsari: nam licèt de Gallia sola Romanus Scriptor commemoret (i); clariùs tamen Lucas hunc censum ad omnes Romanas ditiones prorogat: *in diebus illis exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur, seu censeretur universus orbis*; qui Romanis subjacebat. Ibant omnes, pergit Lucas, ut profiterentur singuli

(h) August. in Ancyr. breviar.

(i) Epist. Li. vii 136.

Alter Census sub Augusto.

in

in ſuam civitatem: aſcendit autem Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David; ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Bucherius docet in hoc Chriſti cenſu ſolum nomen ejus, ætatem, parentes, & habitationis locum deſcriptum eſſe, quin aliquid tributi penderetur à ſubditis; neque enim à Regibus etiam ſibi obnoxiis, aliquotam bonorum partem exigebat Auguſtus, nec à Judæis; dum tandem hæc regio in Provinciam eſſet redacta: atque in hoc regnum differebat à Provincia, quod illius minora, quàm hujus eſſent onera, teſte Keplero. Præter nomen tamen in cenſuales tabulas relatum, Juramentum depoſcebatur, quo Joſephus, aliíque Judæi fidem ſuam Cæſari, Herodíſque Regis negotiis obſtrinxêre (k). De hoc cenſu inſignis obſervatio facta eſt ab Oroſio (l): cenſu iſto maximo inquit, in hoc unum Cæſaris nomen univerſa magnarum gentium creatura juravit, & alibi (m): hæc eſt prima, clariſſimáque profeſſio, quæ Cæſarem omnium Principem, Romanóſque rerum Dominos, ſingillatim cunctorum hominum editâ adſcriptione ſignavit; in qua ſe & ipſe, qui cunctos homines facit, inveniri hominem; adſcribíque inter homines voluit. . . . Chriſtus hanc urbem Romam ſuo nutu auctam, defenſámque in hunc rerum apicem provexit, cujus potiſſimè voluit eſſe, cùm venit: dicendus utique Civis Romanus, cenſûs profeſſione Romani.

(k) Joſeph. lib. 18. ant. c. 3.
(l) Oroſ. l. 7. c. 2.
(m) Lib. 6. c. ult.

Tertius Cenſus ſub Auguſto.

4. Tertius ultimúſque Auguſti cenſus, ab eodem inſtitutus legitur penultimo ante mortem anno; in quo millia viginti tria minùs Civium, quàm in primo numerata ſunt; & pariter tunc Provincias cenſas fuiſſe, præcipuè Galliam ex Dione conſtat; is quippe ſeditiones non paucas adducit, quibus iſtæ regiones fervebant, eoquòd vigeſimæ penſio omnibus moleſtiſſima exigeretur (n). Atque hæc ſunt tria illa luſtra, de quibus Suetonius affirmat (o): recepit, & morum, legúmque regimen Auguſtus; quo jure, quanquam ſinè cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum Collega, medium ſolus. Præterea cenſoria authoritas tantò avidiùs ab Auguſto arripiebatur, quanto certiùs ſic non tantùm penſiones agendi, ſed & in vitam, & mores Senatorum inquirendi poteſtatem adjiceret (p).

(n) Dio lib. 56.
(o) Sueton. in Aug. c. 27.
(p) Dio lib. 53. p. 508.

Cenſura penes Imperatores.

5. Manſit equidem poſteà penes Imperatores illa poteſtas cenſoria ſub Auguſto Cenſoris loco inducta, ita tamen, ut à Cenſorum nomine abſtinerent; quod à Claudio raro, à Flaviis ſæpiùs admiſſum, poſt Domitiani verò tempora vix in publica Cæſarum monumenta eſt relatum (q): nec abs re, nam multa nomini invidia à priſcis ſæculis adhærebat; Cenſorum quippe erat omnium ſobolem, familiam, facultates deſcribere, urbis templa, vias, aquas, ærarium. vectigalia tueri; in omnium mores inquirere, legere tum Senatûs, tum equeſtris ordinis Principem, cives improbos notare ignominiâ, ſi quis enim quid in ſe gravioris criminis admiſiſſet; pro delicti ratione, ſi Senator eſſet, Senatu movebatur: ſi eques, ordine

(q) Spanhemius Diſſert. 12. de præſt. & uſu num. §. 10.

Cenſorum officium.

ordine equestri: nonnunquam fiebat ærarius, aut in Cæritum tabulas referebatur.

6. Ab anno Urbis CLXXXVI. quinquennalis censura dictata est. Paulò pòst Æmilii Mamercini Dictatoris lege anno CCCXIX. annua & semestris evasit: à C. Cæsare A.U.DCCVII. penitus sublata; anno DCCXXXI. verò ab Augusto vetusta censûs agendi forma, & lustri condendi ratio revocabatur (r).

Tempus Censuum.

(r) Cantel. de Rom. Republ. P. II. Diss. 2. c. 2.

REFLEXIO VII. ad §. 4. num. 6. pag. 106.

Quænam fuerint jura Civium Romanorum, tum etiam Provinciarum?

1. QUoniam Urbs Romana potestate amplior, quàm mœnibus non tantùm suos cives complectebatur; sed & fœderatos Latii, ac Italiæ populos, & præter hos dissitas etiam Provincias; inde factum est, ut varia variis jura constituerentur eâ quidem lege, ut ii, qui optimè in populum Romanum se gessissent, honestiore juris conditione veluti præmio uterentur; aut in fœdus, populi jussu & Senatûs voluntate, in perpetuum adsciscerentur: quadruplex autem jurium Romanorum ratio observata semper est, quarum prima jus Romanæ civitatis continebat, altera jus Latii, tertia Italicum, quarta Provinciale.

Jura civium Romanorum.

2. Ac primò JUS CIVITATIS cæteris potius erat, ad quod pertinuit *Jus libertatis*: liber verò dicebaturis, cui, quod luberet, faciendi arbitrium erat; itaque tam Ingenuus, quàm Libertus ex servitute à Domino missus cives erant, dispari tamen ratione, ille enim optimam, hic deteriorem conditionem habebat: & quoniam Romulus olim duas in partes discreverat Romanos cives, quarum una Patres, altera Plebs dicta est; hinc novum Romanis *Jus Gentilitatis* subnascebatur, nam solis Patriciis, non verò Plebejis ad Magistratus aditus patebat: & licèt aliquando è Plebe ad Præfecturas quoque posteà assumpti sint; hâc nihilominus prærogativâ præ Plebejo valebat Patricius, quod qui civitatem adeptus erat, esset continuò Plebejus, non tamen Patricius (a).

Jus Civitatis.

(a) Liv. lib. 10. c. 8.

3. Qui civitate donatus fuit, is particeps reddebatur *Sacrorum Romanorum*: hæc vel publica erant vel privata. Publicum urbis focum servàrunt Vestales: pagorum singularium singuli pagorum Sacerdotes; ac vel ideo publica sacra dicebantur, quia publico sumptu pro populo fiebant: privatos familiarum lares suos quisque domi Paterfamilias coluit. Cautum subinde est, ne quis alio, quàm patrio more sacrificaret (m), datum etiam negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi

(m) Liv. lib. 25. c. 1. & l. 4. c. 39.

nisi Romani Dii, neu quo alio ritu colerentur: Non parva hæc sementis fuit persecutionum, quibus Cæsares deinde Christianos exagitârunt.

4. Inter jura, quæ ad publicam rationem pertinent, *Jus Connubiorum* erat: obmurmeraverat nimirum populus legi, quæ postremùm legum tabulis inserta erat, ne Patriciis cum Plebejis Romæ connubium foret (c), nec ante contentionum finis, aut certandi pertinacia cessavit; dum coacti tandem Patres, ut de connubio lex abrogaretur, consensêre (d): id solùm igitur sequentibus temporibus prohibitum, ne quis Civis Romanus cum peregrina (nisi esset concessum) haberet connubium (e). *De Patrum in liberos potestate* hæc clari juris erant, ut fas esset Patribus liberorum bona distrahere, ipsos etiam vel vendere, vel occidere, si quidpiam gravioris sceleris ab illis fuisset admissum (f).

(c) Dionys. Halicarn. lib. 10.
(d) Liv. lib. 4. c. 6.
(e) Ulpian. Tit. 5. §. 4.
(f) §. 2. de Patr. Potest.

5. Cives Romani *censum* subibant, sed hic non confirmabat jus civitatis, sed tantummodo indicabat, eum, qui sit census, ita se tum jam gessisse pro cive (g). Præter censum *tributa* quoque pendebant, quæ tributim imperabantur, vel *vectigalia*, quæ veniebant nomine portoriorum, vel titulo Decumarum, vel Scripturæ, vel Salis, vel Vicesimæ: justa *hæreditas* ad solos cives Romanos jure civili pervenire poterat; etenim, qui jure civitatis non gaudebant, his nec testamentum condere, neque ex eo quidquam capere fas erat (h). *Honores* nonnisi civibus Romanis patebant; unde civitatis jure privati, insignia quoque honorum perdebant (i). Erant autem honores, curationes publicæ civium suffragio cuipiam delatæ. Alii ad res divinas, ut *Sacerdotia*: alii ad humanas pertinebant, ut *Magistratus*, his quatuor præcipuè jura extitêre, imperare, jus dicere, referre, auspicia habere. Imperabatur edicendo, vocando, & prehendendo: dicebatur jus decreto, & judicii latione: referebatur ad Senatum & ad populum: auspicia vel in urbe, ut observationes de cœlo, vel foris captabantur. His demum accessit illa prærogativa, cujus cives Romani soli capaces erant: scilicet *Imperium* sive facultas habendi exercitum, bellúmque gerendi; quâ potestate ornabantur Dictatores, Consules, Prætores, & alii quibus Imperatoris, & appellatio permissa erat, & dignitas (k).

(g) Cicero pro Archia. c. 6.
(h) Sigon. de antiq. jure Civ. Rom. lib. 2. c. 11.
(i) Valerius Max. lib. 3. c. 4. n. 5.
(k) Cantel. de Rom. Republ. p. 188.

Jus Latii.

6. Alterum Præcipuum jus erat, JUS LATII; Romani quippe fœdere cum Latinis facto, iis quoque quædam Privilegia concessa voluêre. Qui igitur juris latii nomine continebantur, jus habebant suffragii (l), non tamen eum in modum, quo cives Romani: neque enim in tribus erant descripti, nec semper ad suffragia edenda vocabantur, nec jure Romanorum civili ex integro utebantur; nisi populus fundus factus fuisset, sive cùm Prætor Romanus aliquid jussisset, ídque adscivisset; eadem lex in populo aliquo tanquam in fundo resedisset (m). Ad honores tamen Romæ petendos nihil illis juris erat; duo verò fuêre potissimùm, in quibus positum erat Latii jus, alterum, quod is, qui in Latii oppido ædilitatem, vel Præturam gessisset, is esset continuò Romanus civis: al-

(l) Dionys. Halic. lib. 8. p. 640.
(m) Cicero pro Balbo c. 8. apud Struvium.

terum, quod Latini non Romanorum Magistratuum, sed Prætorum suorum edictis obtemperarent. Anno tandem Urbis 662. post Sociale bellum civitas omni Latio lege Juliâ data est (n).

(n) Cantel. pag. 189.

Jus Italicum.

7. Latii jure deterius habebatur JUS ITALICUM, quod reliquis Italiæ populis extra Latium erat concessum: Latium autem complectebatur Albanos; Rutulos, Gabinos, Tiburtes, Prænestinos, Tusculanos, Laurentes, Oscos, Ausones, & Hernicos à Tiberi ad amnem Lirim usque. Italia duobus olim definita terminis, altero juris, altero naturæ: hic Italiam Alpibus, marique circumscribebat Ligures, Gallos, Venetos, Carnos, Etruscos, Romanos, Latinos, Campanos, Lucanos, Græcos, Apulos, Ferentinos, Picentes, Umbros, Sabinos, Vestinos, Marcos, Marrucinos, Pelignos, & Samnites: Prior terminus juris eosdem populos concludebat, si Romanos, Latinos, Ligures, Venetos, & Carnos exceperis; nam hoc sensu à populo Romano Italia propriè appellabatur illa regio, quæ à Rubicone & Arno ad mare Siculum pertinebat. Qui juris Italici erant; iis post obitum in sua urbe Magistratum, ad civitatem Romanam aditus non patuit (o): patuit verò Latinis; his tamen in reliquis pares erant: cum Latinis quippe onera imposita ferebant, solvebant stipendia, & Magistratibus suis propriis parebant. Anno 662. U. C. Italis omnibus lege Juliâ civitas data est (p): subinde cùm ab Augusto tollerentur vectigalia, & tributa alia ordinaria sive in agros, sive in capita, surrogarentur; Cæsar ab iis immunitatem Italiæ cunctæ impertitus est, & tempore Syllæ, Italici juris civibus suffragium quoque concessum est (q); eoquòd in 35. tribus distributi Latini ex consensu Senatûs sententias ferrent.

(o) Sigon. de antiq. Italiæ jure. lib. 1. c. 21.

(p) Livius Epit. 80.

(q) Epit. 84.

Jus Provinciarum.

8. Durius Latino, & Italico jure erat, JUS PROVINCIARUM, sive earum regionum, quæ à Romanis, vel bello partæ, vel hæreditate, vel deditione: his quippe præter onera vectigalium & tributorum lex Romana velut jugum novum imponebatur: & ut libertas magis accideretur; privabantur propriis Magistratibus, quibus Proprætor & Quæstor ex urbe substituebantur: ille, ut rempublicam, hic ut ærarium curaret. Magistratuum ejusmodi novorum imperium anno integro decurrebat, nisi fortè proferretur per legem tributam (r): exacto tempore de Provinciis discedebant Proprætores & Proconsules, & Successori relinquebant tum exercitum, tum Provinciam. In urbem Reversi, ad ærarium rationes referebant; ex rerum gestarum gloria, vel infamia, sua singulis constituebatur merces: quod si pecunia publica ab iis interversa fuisset, accusabantur Peculatûs: si Provinciam hosti prodidissent, Majestatis: si se in hostes crudeliter, aut avarè gessissent, Repetundarum damnabantur (s). Hic mos etsi vigeret per Provincias, earum tamen aliæ vel honestiore vel duriore jure utebantur, proùt quævis magìs vel minùs merita

(r) Liv. l. 8. c. 26.

(s) ff. ad L. Jul. Majest, Repetun. Pecul.

merita fuiſſet de Romano populo; extitêre quippe, quæ ſervitute affectæ, quibúsque datus Prætor Romanus: aliæ liberæ, quibus præter morem ſuæ permiſſæ leges: aliæ fœderatæ Provinciæ erant, quæ ex fœdere vel aliquid pecuniæ, vel auxilia duntaxat præſtabant. Poſtremùm conſtat ante Cæſarem nulli extra Italiam jus civitatis fuiſſe datum. Ipſe Primus Siculis dedit: aliis poſteà extra Italiam oppidis Auguſtus civitatem detulit, aliis Latii, aliis Italiæ jura: inde civitas gentibus exteris, & jura ad honores adipiſcendos, ab Imperatoribus communicari cœpêre.

REFLEXIO VIII. ad §. 4. num. 9. pag. 108.

De Romanorum Coloniis, earúmque juribus.

1. QUamprimùm Romulus tum urbis ſuæ potentiam, tum populi Romani numerum augere inſtituit; nulla oppida, quæ ab hoſtibus victis ceperat, diruenda, aut ſervitute mulctanda voluit: ſed in agrum hoſtilem potiùs Colonos ab urbe, qui rura, locúmque colerent, deduci juſſit (a). Inde conſuetudo apud Romanos invaluit, ut multa oppida conſtituerentur, ſive Coloniæ, in quas populus Romanus ſuos ad incolendum cives mitteret: & quoniam Coloniæ civitatis quaſi propagationes erant; omnia (b) quoque Romani populi jura, ac inſtituta habebant, ſimúlque repræſentabant amplitudinem, ac Majeſtatem Reipublicæ velut parva ejusdem ſimulachra ac effigies. Sequentibus U. Conditæ ætatibus Coloniis deducendis præeſſe jubebantur Triumviri, & Quatuorviri, qui Colonorum numerum definirent, agróſque dividerent (c). Non eadem verò Coloniarum omnium ratio fuit; aliæ enim à jure Latii, quod habebant, dicebantur *Latinæ*: aliæ à privato Romano jure ſive Quiritium *Romanæ* vocabantur: quamvis nulla Coloniarum ita civitatis jure publico donabatur, ut jus cenſûs, ſuffragiorum & Magiſtratuum omnino obtineret.

Coloniarum origo.

(a) Dionyſ. Halic. lib. 2. p. 88.

(b) Gellius lib. 16. c. 13.

(c) Livius l. 3. c. 1.

Varia Jura Coloniarum.

2. Sacra, civilisque res Coloniarum ordinabatur per Curatores agrarios, à quibus illarum Decuriones, Augures, & Pontifices conſtituebantur: erat enim in Coloniis haud aliter ac Romæ Senatus, ac populus: Duumvirorum Magiſtratus Præturæ, aut Conſulatui non erat abſimilis: cenſus per juratos Cenſores ex formula agebatur (d): Senatum conſtituebant Decuriones, erant prætereà Romæ Coloniæ cujusque Patroni, quorum operâ in urbe utebantur.

Res earum ſacra.

(d) Liv. lib. 29. c. 15.

3. Habebant equidem Coloniæ aliquam cum Municipiis ſimilitudinem: inter illa tamen id diſcriminis erat, quòd Municipes in civitatem extrinſecùs vocarentur, Coloni verò ex Romana urbe propagarentur; quando enim oppidum quoddam juri civitatis adſerebatur, incolæ ejus, vel

Municipiorum Jura.

vel Romam commigrabant; & civium Romanorum nomine veniebant: vel remansêre in pristina sede, ac oppido; jámque Municipes dicebantur, eoquòd adepti essent jus munera capiendi ad instar reliquorum civium. Non diffitendum tamen, modò ampliorem, modò arctiorem Privilegiorum Romanorum usum, ac facultatem Municipibus concessam fuisse; fuêre namque, qui suffragii expertes, quíque connubiorum jure, ac propriis Magistratibus exuti in Municipiis viverent, alii contrà maximis privilegiis licentiùs fruebantur (e).

(e) Gellius lib. 16. c. 13.

Varia genera Coloniar.

4. Non abs re fuerit hic subjicere, quàm varia Coloniarum nomina fuerint: præter *Civiles, Militares* erant, quarum hæ à militibus, illæ à civibus Colonis ducebantur. Ante Syllæ tempora civilium plures, militaris nulla inventa est: Et ante Grachi ætatem extra Italiæ fines Colonia nulla admodùm missa memoratur; is quippe omnium Primus Coloniam Carthaginem deducendam jusserat: sed lex à Senatu rescissa. Sub hæc Q. Marcius a. 635. Coloniam primus Narbonem misit in Galliam: deinde Marius, & Sylla in Corsicam, tum in alias regiones alii (f).

(f) Cantel. de Republica Rom. p. 193.

5. Qui Colonias ab Imperatoribus deductas posteris transcripsêre, ingentem earum ineunt numerum, Spanhemius (g) centum circiter & viginti, eásque ferè omnes extra Italiam computat, quas pluribus verbis recenset Vaillantius (h). Coloniis Cæsareis ejusmodi appositum sæpè insigne fuit, ex quo colligi poterat, Coloniam ejusmodi opus Romanorum esse (i). Lupa namque cum lactantibus gemellis vel prostabat in portis, vel varia omina Romanis sueta: ita Ælia (olim Hierosolyma) ab Ælio Adriano restaurata in fronte portæ, quâ Bethlehemium egressus est, *suem sculptam* in marmore exhibebat, quo indicio significabatur urbem Romanæ potestati subjacere (k); Albæ enim urbis augurium captum est ab inventa sue (l), & hujus quoque civitatis Romanæ proprium dein insigne extitit.

(g) Spanh. Differt. 13. §. 3. p. 598.
(h) Foy-Vaillant. de numismat.
(i) Joës Malela Chorogr, pag. 303.
(k) Euseb. in Chronic.
(l) Virgilius Æneid. l. 8. v. 43.

Coloniæ ab Imperatoribus appellatæ.

6. Neque tantùm Romana signa Coloniæ præferebant, sed & Imperatorum nomina: inde toties Coloniæ Augustæ audiuntur ab Augusto, Flaviæ à Flavio Vespasiano, Aureliæ ab Aurelio, Septimiæ à Septimio Severo, quarum longiorem enarrationem facit Spanhemius in dissertatione sua 13. de præstantia & usu Numismatum antiquorum. Unam hic Coloniam, de qua brevem in historiæ decursu mentionem fecimus, hic ex Gelenio (m) paulò latiùs adducere juvat, nempe Coloniam Claudiam Agrippinensem Augustam: Claudia hæc dicta est, & Agrippina, propterea, quòd Agrippina Germanici & Agrippinæ F. Drusi & Antoniæ Neptis, Uxor Claudii Cæsaris Augusti in hac urbe primam lucem aspexit circa Christi nati 17. annum, cujus gratiæ dedit Claudius Imperator cum Romano Senatu, ut Civium, & Veteranorum Colonia huc deduceretur, útque in ea Urbe Orbis Dominæ æmula, forma Reipublicæ constitue-

(m) Gelen. lib. 1. syntag. 3. pag. 17.

Colonia Agrippinæ Augustæ,

ſtitueretur. Integræ Nobilium legiones, plurimáque millia Equeſtrium familiarum ex ter quindecim tribubus deducta tunc, & ſeminata ſunt in Ubiis: hinc ſequentibus temporibusin eadem urbe Imperatoris Claudii Natalis Kalendis Sextilibus, & Natalis Juliæ Agrippinæ Junoniis ludis Senatûs decreto celebres manſerunt. Cæsâ tamen à Filio Nerone Agrippinâ, Senatûs novo decreto Dies Natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſt relatus (n); ſed Colonia civitas ſocialis libera, ſuo utens jure, ejus diei celebritatem retinuit.

(n) Tacitus lib. 14. ann.

REFLEXIO ULTIMA.

Quinam ingenio, ac ſcriptione celebres viri primo hoc ſæculo floruerint ſub Cæſaribus?

Mecænas.

1. AUGUSTUM Cæſarem Scientiarum Altorem fuiſſe nemo diffitebitur, niſi qui ejus annales, ac res geſtas ignorat: ad eam quippe Auguſti ætatem integra Latinæ linguæ venuſtas ſtetit, quæ ſubinde labem ac barbariem etiam contraxit. Familiariſſimus Cæſaris præprimis extitit *Mecænas*, qui ſtudia tantoperè coluit, ut ii, qui Patronos ſe literatorum profitentur, Mecœnates quaſi adſcito nomine audiant: nec minùs amicos Auguſtus habuit *Virgilium* & *Horatium*: inde factum ut cùm Mecænas aliquando Cæſarem iis medium conſpiceret, rogarétque, quid rerum Imperator ageret? feſtivo joco repoſuit: Hìc ſedeo inter lachrymas, & ſuſpiria: per lachrymas innuere volebat Horatii oculorum lippitudinem, aſſiduo rubore perfuſam; per ſuſpiria verò Virgilii Melancholiam: cæterùm Horatius ille Poëta fuit, qui toties Druſi & Tiberii victorias ſuis odis celebravit, mortuus eſt duobus annis ante natum Chriſtum ſcilicet anno Urbis conditæ 746. poſtquàm poſtremis ſuis verſibus Auguſtum Sicambrorum tum victorem ceciniſſet (a). Sub eodem Cæſare Auguſto *Munatius Plancus*, & *Meſſala Corvinus* celeberrimi Oratores floruêre.

Virgilius. *Horatius.*

(a) Bucher. lib. 1. c. 19. §. 2.

Strabo.

2. *Tiberii* tempore STRABO vixit, Amaſeâ civitate Ponti oriundus (b). Celebris ob ſeptendecim libros, quos de Geographia ſcripſit, *anno Æ. C.* 18. *videtur* ſextum decimum librum compoſuiſſe, eoquòd Comagenam in formam provinciæ redactam ibi recenſeat (c): cæteri ejus libri interierunt.

(b) Strabo lib. 12.

(c) Voſſ. l. 2. c. 6. Noris Epo p. 107.

Valerius Maximus.

VALERIUS MAXIMUS Hiſtoricus ſcripſit dicta & facta memorabilia libris novem poſt mortem Sejani (d); ſed quoniam ſcribendi ratio minùs caſtigata à prima illa ætate abhorret; Voſſius credit, Epitomen operum ejus à Julio Pariſio recentiore calamo Orbi procuſam exiſtere.

(d) Voſſ. l. 1. c. 26.

Ovidius. Circa annum 17. Æ. C. è vivis decessit celebris Poëta OVIDIUS Nasò, Patriâ Sulmonensis, familiâ equestri (e): scripsit quamplurima vulgò nota; ex ejus tamen commentationibus interiêre Halieutica, Medea, & sex libri Fastorum posteriores: Augustum Cæsarem offendit duplici de causa, tum quòd libros de arte amandi in gratiam Juliæ satis libidinosæ scripsisset, tum quòd alium errorem, quem non fatetur, in Augustum commisisset (f): post exilium octo annorum anno Tiberii imperantis quinto obiit.

(e) Lib. 4. Trist. Eleg. 20.

(f) Lib. 2. Epist. ex Ponto v. 75.

T. Livius. *Circa annum Æ. C.* 19. T. LIVIUS Patavinus Historiam veteris Romæ miro artificio adeò illustravit, ut quos Roma ad sui contemplationem non traxerat, hujus hominis fama perduceret (g). Descripsit Romæ annales ad mortem Drusi usque, de cujus libris CXL. superstites habemus nonnisi XXXV: integra quidem decuria secunda, & reliquæ omnes post quadragesimam quintam magno cum damno interiêre (h). Opus ejus integrum Constantinopoli in Bibliotheca Turcarum Imp. asservari creditum est, sed nemo licèt magnâ argenti vi oblatâ, ad autographum videndum admissus est unquam (i).

(g) Hieron. Epl. ad Paulinum.

(h) Struvius in select. Biblioth. Hist. pag. 40.

(i) Jac. Spon. itiner. P. I. pag. 253.

Cornelius Celsus. Circa annum Æ. C. 22. Medicam artem excoluit CORNELIUS CELSUS, cujus tamen Latinitatem pluris, quam medicinam fieri oportere censuit Heurnius Medicus doctissimus (k).

(k) Hoffmann in Lexico.

Vellejus Paterculus. A. Æ. C. 25. eminuit calamo suo VELLEJUS PATERCULUS Historiographus Romanus, Legatus Tiberii in Germania, & Pannonia, magna pars libri secundi, quam de Tiberii rebus gestis composuerat, interiit. A sermonis elegantia quantumcunque commendetur; adulationis vitio tamen ubique suis in scriptis affligitur (l).

(l) Voss. lib. 1. c. 24. Aventin. l. 1. ann.

THRASYLLUS Astrologus, FENESTELLA Historicus, & VERRIUS FLACCUS Grammaticus eodem Cæsare Tiberio regnante, sua ingenia probavêre voluminibus insignibus, quæ Joannes Jonssius, & Vossius annotavêre: His accessit POMPONIUS MELA Hispanus Mellaria oriundus in regno Granatensi, qui puriore sermone opus edidit de situ orbis (m).

(m) Garzia de doct. Hispan. viris.

Philo. 3. *Ad Imperatorem Cajum* legatione functus est PHILO Judæus, Alexandriæ natus, disciplinísque omnibus eruditus, eloquiorum Platonis tam acris æmulator, ut ferè communi sensu ediceretur: *aut Plato philonizat, aut Philo platonizat:* sub Claudio de Christianis, qui Alexandriæ à S. Marco instituti vixerant, librum scripsit, quem Therapeutarum vocat, insignia ubique eorum elogia deprædicans (n).

(n) Clem. l. 1. strom. Euseb. lib. 2. hist. c. 18.

Curtius Rufus. 4. Ætati Cæsaris *Claudii* Lipsius tribuit Historiam à CURTIO RUFO eleganti sermone conscriptam de rebus gestis Alexandri M.; quamvis alii hunc authorem ad alia tempora removeant, scilicet ad Trajani sæculum, vel ad Vespasiani periodum (o). De ultimis octo libris nihil interiit,

(o) Vossius lib. 1. c. 25.

teriit, primorum duorum librorum fragmenta duntaxat supersunt, quæ Freinshemius supplere conatus est.

Neronis Imperatoris Præceptor celeberrimus in posterorum memoria est L. ANNÆUS SENECA Philosophus, Patriâ Cordubensis: hujus Magistri curâ effectum est, ut primum Neronis quinquennium cæterorum Cæsarum virtutem superaret; ingratitudinis posteà solitam Præceptoribus mercedem recepit Seneca, ex Neronis tyrannide extinctus. Scripsit de beneficiis libros septem, de ira tres, de clementia ad Neronem libros duos. De vita beata, de tranquillitate, & brevitate vitæ &c. Stylum ejus Quintilianus laudat (p): improbavit olim Cajus, qui hujusmodi sermonem concisum dicere solebat Commissiones meras, aut sabulum sine calce (q). At imprudens Princeps hic non satis in laconico dicendi genere vibratas strictim morum regulas dignovit, vitiis ipse plenissimus: econtrà Augustinus & Tertullianus Senecæ scripta commendant, quorum hic Annæum *Nostrum* dicit in rebus pluribus, quæ Deum, ac religionem concernunt (r). Ille multis ex Seneca locis utitur contra Paganos (s): fatetur siquidem Ethnicus licèt Scriptor, se cum cæteris colere Deos; non quò iis placere studeat, sed ut servet morem Patriæ, & legem urbis. Circumferebantur olim quædam literæ, quarum aliquas ille ad Paulum Apostolum, & hic alias ad illum reddidisse dicebatur, queis non parvam fidem asserere visi sunt Hieronymus, & Augustinus (t). Sed difficile creditu est, ùt ait Tillemontius, has easdem literas esse, quæ nunc extant, atque eæ fortè fuerunt, quibus laudem suam Hieronymus olim tribuit; saltem hodiernæ ætati & criticæ persuasum est (u), literas ejusmodi suppositítias esse, quæ non redolent stylum Pauli, nec Senecæ. Lipsius, qui in omnibus Senecam admiratur, idem fatetur (x), cui Baronius pleno calamo adstipulatur (y). Sub eodem Cæsare orbem suâ scientia illustrârunt FABIUS RUSTICUS, qui historiam temporum Neronis congessit eo sermone, quem Tacitus ipse mirari debuit (z). SERVILIUS, qui obiit anno 59., operam quoque suam conscribendæ historiæ Romanæ impendit (a): laudem non vulgarem hujus ingenio tribuit Quintilianus (b), PERSIUS FLACCUS Volaterris Hetruriæ oppido natus, ex satyris suis elogium apud plures meruit, eoquòd nec Neroni satìs flagitioso nequidem pepercerit, castus ipse, modestus & verecundiæ singularis (c).

Annæus Seneca.

(p) Lib. 10. c. 1.

(q) Sueton. lib. 4. c. 53.

(r) Tertull. de anim. c. 20.

(s) August. de civ. Dei l. 6. c. 10.

(t) Hier. de V. illust. c. 12.

(u) Godeau a. 68. p. 218.

(x) Seneca Proloq.

(y) Baron. 66. §. 11. 13.

(z) Tacitus in Agricol.

(a) Tacitus ann. 14. c. 19.

(b) Lib. 10. c. 1.

Persius Flaccus.

(c) Tillem in Neron. p. 549.

6. Circa tempora *Vespasiani & Titi* naturæ arcana scrutatus PLINIUS SECUNDUS dictus Senior, qui 27. libros scripsit Historiæ naturalis, quorum apparatum ex 2000. voluminibus contulisse memoratur: cætera ejus scripta interiêrunt: de morte ejus suprà in historia nostra mentio facta est, quòd in horrifico Vesuvii incendio ab aëris gravedine extinctus sit (d).

Plinius secundus.

(d) Plinius Jun. lib. 3. Ep. 5. & lib. 6. Ep. 16.

7. Sub

Quintilianus

7. Sub *Domitiano* Primus ab exactis temporibus ſtipendium literarum accepit QUINTILIANUS Fabius, Rhetor Hiſpanus, ex civitate Calaguritana, Romam is cum Galba profectus, brevi tempore poſt Domitiani Principis nepotes inſtruxit; demum ludum Romæ aperuit, unde Martialis.

Quintiliane vagæ moderator ſumme Juventæ;
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

plura de hoc oratore monumenta videas apud Tillemontium (e).

(e) In Domit. p. 183. 186.

Martialis.

MARTIALIS, Quintiliano ſuppar ætate, ſed apud Domitianum gratiâ major fuit: Poëta lapidiſſimi ingenii, ex Bilbili Hiſpaniarum oppido natus (f), Tribunus, & Equeſtris dignitatis: epigrammatum ejus libros habemus 14., cæteros tempus abſtulit: deceſſit non tam ægritudine, quàm tædio, quòd ab Hiſpanis ſe minoris, quàm à Romanis fieri cerneret. Eâdem tempeſtate C. VALERIUS FLACCUS epos concinnavit de Argonautis libris octo contentum, hujus ingenium felix, diligentia non vulgaris, ſed immatura morte præventus eſt (g). STATIUS Papinius Poëta Neapoli oriundus, Patre Statio Epirotâ, qui Romæ à Domitiano, cujus præceptor erat, lauro, auróque coronatus eſt. Domitiano mortuo Neapolim in Patriam Statius receſſit, ubi dramata compoſuit, quæ denuò temporis injuriæ peſſumdederant. Scaliger eum optimum à Virgilio Poëtam dicere non veretur. DECIUS JUNIUS JUVENALIS Poëta Satyricus, Patria Aquinas, primam ætatem declamationibus conſumpſit, poſteà vitiis ſæculi indignatus, Satyras ſcripſit, quibus, cùm nec Paridi Pantomimo, Domitiani familiariſſimo pepercisset; pœnam equidem non tulit, ſed ſpecie honoris præfectus eſt cohorti in extima Ægypto: creditur vixiſſe uſque ad annum 12. Hadriani (h).

(f) Lib. 5. Epigr. 35.

C. Valerius Flaccus.

(g) Cæſar Scaliger. l. 6. Mart. lib. 1. Epig. 76.

Statius.

Juvenalis.

(h) Lipſius Ep. Quæſt. l. 4. c. 20.

Flavius Joſephus.

8. Anno Æ. C. 93. libros ſuos Antiquitatum Judaicarum abſolvit FLAVIUS JOSEPHUS: quinquaginta ſex annorum erat, cùm vigeſimum librum auſpicaretur; unde quidam colligunt, eundem ſub Caligula lucem primò orbis aſpexiſſe: Mattathiæ erat filius ac Sacerdos, per Patrem à ſummis Sacerdotibus: per matrem verò ab Aſſamonæis originem traxit: Eſſeniorum ſectæ addictus primùm, dein Phariſæis adhæſit. Anno ætatis 26. in Italiam transgreſſus eſt, inde redux, deligitur Galilæorum Dux: captus à Veſpaſiano, ínque ejus amicitiam aſſertus libros ſeptem belli ſcripſit à Tito magno in pretio habitos. Romæ Principum favore, & munificentiâ adjutus, & civitatis jure donatus libros viginti prædictos Antiquitatum compoſuit. De Chriſti veritate Teſtis digniſſimus (i).

(i) Voſſ. Hiſt. Græc. lib. 2. c. 8.

CAPUT

CAPUT II.

ORIGO NASCENTIS ECCLESIÆ, STATUS PRIMÆVUS SEDIUM PATRIARCHALIUM, RES GESTÆ APOSTOLORUM, PONTIFICUM, MARTYRUM, ATQUE DOCTORUM &c.

Ab initio translati Sceptri Judaici, ad finem Sæculi Primi Christiani.

§. I. *Ultima tempora Asmonæi Principatûs, Judæa à Pompejo devicta, Herodis Regnum. Antigoni Principis, Aristobuli & Hyrcani PP., Mariamnes, Alexandræ, & reliquorum Asmonæorum interitus. S. Joannis Præcursoris, & JESU Christi Salvatoris Nativitas Cædes Innocentum, Mors Herodis, Archelai Ethnarchia, & exilium &c.*

1. EAdem ferè ætate Gens Judaica sub exteri Regis jugum coacta est, quâ Romana Respublica uni Cæsari servire cœpit: fuerat nimirum utrumque hoc signum cælesti ex oraculo mortalibus positum; ut nonnisi translato Judaici Principatûs Sceptro (a), ac excitato Romanorum Imperio Servator hominum in orbem ingrederetur: quo facto novus hic Princeps Pacis sanctius in terris Regnum super ruentis jam Solymæ rudera condidit (b), aut Lapis ille à montibus æternis abscissus erecta Monarchiæ postremæ vitia verbo & virtute contrivit (c). Sed quemadmodum paucorum Optimatum inter se decertantium studiis Romanæ potentiæ libertas primò amissa est; ita ob duorum Asmonæorum Principum, ac fratrum dissidium accidit, ut tota stirps Judæorum propriis tandem Regibus, ac fascibus exueretur.

A. Mundi 3965. U.C. 714. Juliano 6. ante Æ. Vulg. 40.

(a) Genesis c. 49.

(b) Daniel. c. 2. v. 44.

(c) Ibid. v. 34.

Postremus Judææ Status sub Asmonæis Principibus.

2. Ex Fratribus Alter, & natu major Hyrcanus, Alter Aristobulus erat: uterque Patre Alexandro Jannæno natus. Post Genitoris fatum ex ultimis tabulis Regnum Alexandræ matri, Hyrca-

A. Mundi 3938. ante Æram Vulgarem Christi 67.

(d) Josephus lib. 15. Antiquit. c. 9.

(e) Idem lib. 20. c. 8.

(f) Joseph. 13. antiq. c. 2.

(g) Idem c. 5. & lib. 1. belli. c. 5. & 6.

Hyrcano Sacerdotium ob ætatis prærogativam concessa sunt. Reginâ autem è vivis sublatâ, Aristobulus indole habilior, ac vi armatâ potentior, simul Regis insignia, simul Sacerdotii jura sibi vindicavit (d). Neminem omnium magìs urebat repentina ejusmodi vicissitudo, quàm Antipatrum Idumæum (*1), nobilitate, ac opibus gentis suæ Principem, Alterius Antipæ, sive Antipatri Idumæi (*2) filium, ejus verò, qui posteà Judææ Regnum obtinuit, Herodis Parentem (e). Hujus quippe intererat regnare Hyrcanum vecordis ingenii hominem, quo segniùs publicam rem gerente, se clàm ad quosque quæstus ac honores irrepere; vel si occasio ferret, demum Suos ad regnum evadere posse credebat. Judæorum itaque Primores in Aristobuli odium primùm adducere, dein Hyrcano persuadere aggreditur (f), posceret adversùs fratris injurias Aretæ Arabum Regis auxilia: his facilè impetratis inter utrumque regni competitorem variis & incentore Antipatro cruentis etiam præliis pugnatum est; donec acerba lis ad diribitorem Pompejum, qui tunc in Oriente agebat, deferretur (g): is auditis partium monumentis se in Judæam venturum condixit, ubi de causa coràm statueret: veriùs, ut occasioni præsenti intentus, Judæam motibus intestinis convulsam in Romanæ Provinciæ modum transformaret. Aristobulus suspicans id, quod res erat, venienti cum exercitu arces munitissimas

(*1) NICOLAUS DAMASCENUS in gratiam Herodis Regis (cujus adhuc superstitis vitam descripsit) Antipatri genus à Primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt è Babylonia, deducit: uti habet Josephus lib. 14. antiquitatum c. 2. & in Historiæ Judæorum Arabicæ (*ad calcem Bibliorum Parisiensium πολυγλώττων* (editæ) cap. 35. legimus; Judæum fuisse Antipatrum, ex filiis eorum, qui de Babylonia cum Esdra Sacerdote ascenderant, atque ab Alexandro (Jannæno) Idumæorum Regioni præfectum, uxorem inde duxisse. JULIUS verò AFRICANUS in epist. ad Aristidem (*apud Eusebium lib. 1. Histor. Eccl. c. 6. & 7.*) eúmque secutus AMBROSIUS (*lib. 3. Comment. in Luc. c. 3.*) ex traditione eorum, qui Servatori nostro secundùm carnem cognati δεσπόσυνοι nuncupabantur, Antipatrum Herodis cujusdam Ascalonitæ, templi Apollinis æditui, filium fuisse refert, atque ab Idumæis latronibus Ascalone captivum abductum; Idumæorum moribus & disciplinis fuisse institutum. Vide *Usserium ad annum Mundi* 3932.

(*2) AMMONIUS *in lib. de verb. differentiis* ait: *Judæi sunt, qui naturâ ita fuerunt ab initio. Idumæi verò non Judæi fuerunt ab initio, sed Phœnices, & Syri, à Judæis autem superati, & ut circumciderentur, & in unam cum eis gentem coirent, & iisdem legibus uterentur, adacti, Judæi sunt nominati*: Inde est, quod Strabo lib. 16. pag. 765. Herodem Judæorum Regem *virum indigenam* fuisse affirmet, non generis utique, sed Religionis aliquâ ratione habitâ: ex qua etiam causa Antigonus eum, (apud Josephum lib. 14. Antiquit. c. 27.) appellavit *Semijudæum*.

tissimas occludit. Pompejus contrà vi irruit, cunctísque castellis, unà cum Solyma ac templo expugnatis (*3), toti Judææ tributum primus imponit (*4). Hyrcanus Regni Principatum, non tamen Regia Insignia tunc restituta accepit: vinctus Aristobulus Romam deportari jussus est cum gemina filia, totidémque filiis, quorum unus Alexander ex itinere fugam capessivit. Hoc posteà Judæos ad seditionem concitante, non parùm commendata est Romanis Antipatri fides; nam is in reducendis ad officium rebellibus, atque in exscindendis omnino bellorum reliquiis sese mirificum præstitit; quare ab eo tempore ejus militaris opera à Romanorum Ducibus ad exteros etiam hostes frangendos conducta est (h): nec abnuit obsequium ejusmodi Julius Cæsar, maximus post victum Pompejum Imperator: is enim in acerrimo conflictu, quem contra Ptolemæum Ægypti Regem susceperat, Antipatrum quoque comitem habuit pro re Romana fortiter, nec incruentè pugnantem (i).

A. M. 3941. ante Æram Christi V. 64.

Judæa Vectigalis Romanis.

(h) Joseph. lib. 14. Antiq. c. 11.

Anno Mundi 3957. ante Æ. V. 48.

(i) Idem lib. 1. belli c. 7.

3. Intereà Antigonus Aristobuli filius è servitute Romana, ad quam à Pompejo raptatus fuerat, in Judæam rediit: volvens is secum animo per Pharsalicum conflictum Pompeji fortunam, ac Imperium concidisse, rerum potiri ejus hostem Cæsarem; in spem

(*3) Captum est templum C. Antonio & M. Tullio Cicerone Consulibus. Olympiadis CLXXIX. anno primo, *ùt habet Eusebius Demonstrat. Evangel. lib. 8. c. 2.* expugnatio facta est in solenni jejunio mensis tertii, quem Hebræi Cisleu vocant; hujus mensis die 28. Judæi jejunant, ob captam à Nabuchodonosore Hierosolymam: itaque ter expugnata fuit urbs Solymæa eâdem die. *Primò* à Babyloniis, ut colligitur ex *Zachariæ* c. 7. v. 3. & 5. & c. 8. v. 19., *secundò* à Pompejo scilicet post 543. annos. Et *tertiò* denuò post annos 26., quando Herodi Idumæo, & ejus posteris Judæi servire cœperunt. Ut infra dicetur num. 3.

(*4) Numeratur hic annus septuagesimus nonus ab anno Regni Græcorum centesimo septuagesimo, quo ab Israele jugum Gentium sublatum fuisse legitur 1. Machab. c. 13. v. 41. Unde intelligitur, quam brevi tempore libertate suâ potiti fuerint. Cæterùm Ethnici scriptores hanc expugnationem Solymæ à Pompejo factam celebrant in suis libris T. LIVIUS in lib. 102. epitome. STRABO Geograph. lib. 16. TACITUS lib. 5. c. 9. DIO denique lib. 37. in M. Ciceronis, & C. Antonii Consulatu.

JOSEPHUS Judæus Historiographus contrà deplorat hanc calamitatem, ejúsque caussam reddit lib. 13. Antiquit. c. 8. *Hujus calamitatis causa fuêre Hierosolymitanis Hyrcanus & Aristobulus inter se dissidentes invicem. Nam tum primùm libertatem amisimus, subjecti Romanorum Imperio: & Regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus, & insuper plus quàm decem millia talentorum brevi tempore à nobis Romani exegerunt,* quot solum Crassum è templo abstulisse idem Josephus affirmat. C. 12., qui paulò antè c. 8. laudaverat Pompejum vel ex eo solo, quod ex templo nil rapuisset, sed Deo legitima sacrificia offerri jussisset.

ſpem arrigitur Principatûs, unde ejecta eſſet Ariſtobuli ſtirps, recuperandi: Julio Cæſari proinde ſupplex, Patris ſui à Pompeji ſectatoribus extincti, ac fratris Alexandri à Scipione interfecti fata commemorat: dein precatur, miſereretur ſui, ab Antipatro, Pompeji Amiciſſimo, injuriis multis vexati, ac Hyrcanum regno per vim rapto exueret: Antipater quanquam pluribus accuſationem Antigoni refelleret; unâ tamen oſtentatione vulnerum, quæ pro Cæſare in bello Ægyptiaco accepiſſet, cauſam tum ſuam, tum Hyrcani adeò evicit; ut prætermiſſis cæteris, Julius Cæſar Hyrcano Sacerdotium ſtabiliret: ipſum verò totius Judææ Procuratorem crearet (k). Novi & ampliſſimi muneris viribus Antipater opportunè uſus, duos continuò filios, velut in ſubſidium rudioris Hyrcani, ſummis gubernaculis applicuit: & Phaſaëlum quidem natu maximum Hieroſolymitanæ regioni; Herodem autem viginti quinque annorum Adoleſcentem (*5) Galilææ præfecit. Ab eo tempore obſcurum non fuit, Antipatrum ad Regnum graſſari: id quoque Judæorum oculis apertiùs patebat, quorſum ſpectarent tot ex Hyrcani ærario, veluti de proprio Romanis Ducibus repræſentata donaria, ſcilicet, ut homini vaferrimo facile eſſet, alieno ære ſibi, ſuiſque faſces regios mercari. Nihil tamen Judææ Primores magìs exterruit, quàm audax, ac in tyrannidem ferox Herodis ingenium. Publicis quippe nuntiis afferebatur, ab eo Ezechiam quendam cum non tenui hominum numero eſſe interfectum, ſpretâ poteſtate Hyrcani, calcatiſque Legibus, quæ hominem quantumvis ſceleſtum (priuſquàm è ſententia judicum damnetur) ſupplicio affici non ſinunt. Evocatus ideò Herodes ad dicendam cauſam; non ſordidatus reorum more, ſed purpuratus; ac quod licentiæ omnem modum exceſſit, etiam armatorum manu ſtipatus in Synedrio

Antipater Judææ Procurator.

(k) Joſeph. lib. 1. belli c. 8.

Anno M. 3958. ante Æ. C. 47.

Herodis initia.

(*5) JOSEPHUS lib. 14. Antiq. c. 17. ait Herodem quindecim annorum fuiſſe, cùm ab Antipatro Galilææ præficeretur: hunc numerum etiam retinuit Rufinus, Photius in Bibliotheca, cod. 238.: verùm PTOLEMÆUS, & NICOLAUS DAMASCENUS primi rerum Herodis deſcriptores (ex quibus ſua Joſephus deſumpſit) non 15. ſed 25. ſcripſiſſe videntur, & nota κε in ιε librariorum errore tranſiit. Ab hoc enim tempore ad Herodis mortem numerantur 43. cum dimidio ferè. Quibus anni additi 25. annos conficerent 68. atque anni dimidium, cujus dimidium alterum ſi ille exegiſſet, ætatis annum 70. attigiſſet. Cum verò extremo morbo laboraret illum circa annum *ſeptuageſimum* fuiſſe, Joſephus ipſe ait lib. 17. c. 8. vide Pagium in Apparatu pag. 12. Uſſerium pag. 475.

nedrio comparuit (l): demum ante dictam sententiam è Senatu audacter digressus, authoritatem judicum palàm contempsit.

(l) Joseph. lib. 14. Antiq. c. 17.

4. Malichus unus ex Judææ Primoribus, Herodis filios emolliendos existimabat; si Antipater malorum omnium causa è medio tolleretur: huic proinde apud Hyrcanum convivanti per corruptum ære pincernam venenum fatale allatum est. Non latuit dolus Herodem, quare ab eo pares in Malichum insidiæ structæ, parésque vices redditæ sunt, approbante Cassio Pompejanarum partium Duce, qui occiso Cæsare in Syriam profugerat. Id quippe Herodi non sine summa fortuna semper auspicatum fuit, quòd hostibus à se maximè diversis, sibíque in republica gerenda succedentibus potuerit placere. Utì enim Cæsari primùm, ità hujus parricidæ Cassio: & demum hoc quoque cæso, Antonio Victori adeò in amoribus fuit; ut eam, quam Antipater à Pompejo obtinuerat, Judææ præfecturam, Herodes unà cum fratre Phasaëlo confirmatam acciperet, obluctantibus nequicquam Judæorum Legatis (m).

Antipatri interitus.

A. M. 3963. ante Æ. V. 42. Juliano 4.

(m) Joseph. lib. 14. antiq. c. 22.

5. Quod à Julio Cæsare precibus frustra oraverat Antigonus Aristobuli filius; hujus consequendi occasionem quandam subinde nactus est: desidente nimirum Antonio, & Cleopatræ amoribus in Ægypto serviente, totam latè Syriam Parthi evastabant: non poterant promptiora ad recuperandum regnum auxilia ab Antigono conquiri, quàm ejusmodi hominum, qui Judææ spoliis dudum insidiabantur: pactione igitur factâ copiæ Parthorum in Judæam adducuntur, capitur Hyrcanus, & ne Sacerdotii porrò capax foret; auribus mutilatus (*6.), in servitutem à Barbaris abstrahitur: Phasaëlus pariter vinctus inter catenas alliso ad saxum capite vitam abrupit, uno Herode, cujus caput Antigonus maximè petebat, sese tantis procellis subducente. Hic à cæteris regionibus exclusus, in Ægyptum celeri fugâ properat: sed de Antonii in Italiam profectione certior factus, reflexo itinere per mare procellis ac tempestatibus turbidum (*7) Romam

Antigoni fœdus cum Parthis.

Herodis fuga.

(*6) *Levitici* c. 21. v. 17. & 18. Sacerdos membris mutilus, captus aut debilitatus prohibetur à Ministerio altaris.

(*7) Rufinus, ac Gelenius ex Josephi Lib. 14. c. 25. Malè interpretati sunt, Herodem *Hyberno tempore* Romam ivisse. Nam licet verbum χειμὼν, quod Josephus adhibet

Romam ſecutus eſt: ibidem expoſitis iis, quæ ſuæ familiæ, quæ ſibi accidiſſent, Antonium priſtinæ amicitiæ, ac obſequiorum memorem amplâ largitionum pollicitatione eò demum inclinat; ut operam omnem etiam ad tribuendum regnum ſponderet (n). C. Octavius Cæſar, qui alter Romæ Triumvir erat, conatibus hisce facilè acceſſit, partim propter Antipatri militiam in Ægypto cum Julio Cæſare toleratam, partim ut Antonio Herodis ſtudioſiſſimo gratificaretur: coacto igitur Senatu primùm Antigonus accuſabatur, quòd à Parthis Romanæ rei hoſtibus regnum accepiſſet: deinde laudatis Herodis ac ejus Patris in Romanos obſequiis ab Antonio oſtenſum eſt, quantum præſenti adversùs Parthicam gentem bello conduceret, Herodem regnare. Hoc pronunciato, Herodi regnum omnium ſuffragiis defertur (o). Dimiſſo Senatu novus Rex Antonio & Cæſari medius, comitantibus Conſulibus Cneo Domitio Calvino ſecundùm, & Aſinio Pollione, Capitolium aſcendit, ſolitam Jovi hoſtiam litaturus: poſteà ab Antonio convivio exceptus, ac inſperatâ felicitate intra ſeptem dies ornatus in Judæam abiit.

(n) Joſeph. lib. 14. c. 26.

Herodis Regnum.

(o) Joſeph. lib. 14. c. 26.

A. Mundi 3965. ante Æ. V. 40. Juliano 6.

6. Reverſus ex Italia Herodes arma adversùs hoſtem Antigonum expedit, ſed tardiore bello, ac optaverat; nam tertio demum anno ineunte, ex quo Romæ Rex declaratus erat, Romanis copiis auctus ipſi Solymæ expugnandæ exercitum admovit. Ab eo loco obſidio ſuſcepta eſt, ex quo Pompejus urbem cœpit: triplici deinde aggere citiſſimis operis exſtructo, obſeſſis ſe dedituris poſtremam veniam obtulit: at illi Idumæum Regem ſpernentes, audaciâ majore, quàm militari peritiâ repugnabant (p). Orta demum fames, quæ ob annum Sabbaticum tunc inciderat, ultimum telum fuit, quod hoſti quinto menſe clauſtra Hieroſolymæ aperuit. Cives ferro, Synedrii Judices furore Herodis occubuêre: dúmque inter promiſcuas cædes cuncta expilantur; aurum omne Antonio, vinctúsque Antigonus in ſuppetiarum præmium deſtinatur (*8). Antonius acceptum tam pingue ſpolium, Antigonum

(p) Joſeph. lib. 14. Antiq. c. 28. & lib. 1. Belli c. 13.

Expugnatio Hieroſolymæ & Cædes Antigoni.

hibet, æquè notatur Hyems, ac procella; hìc tamen ob chronotaxin, meliùs procella, quàm hyems intelligitur, ut advertit PAGIUS in Apparatu pag. 16.

(*8) JOSEPHUS lib. 14. antiquit. c. ultimo tempus expugnatæ Hieroſolymæ ita deſcribit: *Ea clades Hieroſolymorum incidit in Conſulatum M. Agrippæ & Canidii Galli Olym-*

tigonum ſcilicet triumpho ſuo ſervare decernit: aſt Herodes ſubveritus, ne is Romæ apud Senatum jure ſecum de regno contenderet; novis largitionibus Antonio perſuaſit, ut captivum apud Antiochiam ſecuri feriret (*9).

7. Aſmonæorum Principatu ſublato, unus Hyrcanus apud Parthos captivus erat; inquo ſpem ſuam collocatam habebant Judæi, præcipuè, qui Babylone vivebant. Hunc itaque novus Rex Judææ in ſuam quoque poteſtatem redigere callidè laborabat. Datis primùm ad Phraatem, Parthorum Regem, literis libertatem Hyrcano exorat: deinde Judæis Babyloniis perſcribit, futuram ſibi cum eodem communem regni adminiſtrandi poteſtatem, proinde ne genero ſocerum inviderent; nam Hyrcani filiam Mariamnem Herodes ſibi connubió antè junxerat: ex his blanditiis etſi Judæorum Primores ſinguli funeſtiſſima quæque ominarentur; deſiderium tamen Patriæ Hyrcanum malè credulum ad reditum, vel potiùs in exitium urgebat (q.) Reduci honores quique habiti ſunt utpote Patri, ac Regi: ſola Pontificis dignitas extero Ananelo tradebatur. Inde nova cauſa irarum; nam Alexandra Hyrcani filia, uxor Alexandri, qui natus Ariſtobulo Rege fuerat, & ſocrus Herodis indigniùs ferens, negligi filium ſuum Ariſtobulum, ac Sacerdotium Aſmonæis congenitum, uſurpari ab homine obſcuri ac alieni generis; pluribus molitioni-

(q) Joseph. lib. 15. c. 2. & 3.

Olympiade CLXXXV. menſe tertio, in jejunii ſolennitate; tanquam recurrente in idem temporis momentum illatâ Judæis à Pompejo calamitate (nam & ab illo eâdem die urbs capta fuerat) poſt annos 27. ſive potiùs anno vigeſimo ſeptimo. DIO lib. 49. pag. 405. idem narrat, ſed calamitatem factam refert ad Conſules anni præcedentis, ſcilicet *Claudium* & *Norbanum*. Difficultatem USSERIUS hoc modo ſolvit, quod Kalendæ Januariæ, quibus expugnata urbs eſt, ex vitioſa intercalandi ratione Romæ eo tempore receptâ, in poſtremam Decembris Diem inciderint, quâ Claudio & Norbani Conſulatus terminabatur, ſequente verò die Romæ M. Vipſanius Agrippa, & L. Caninius Gallus Conſulatum inierunt.

(*9) Ab initio Pontificatûs, & Principatûs Antigoni, ut videre eſt. N. 5. Usque ad captam Hierviſolymam numerantur anni duo, & menſes ſeptem circiter. Ut habetur c. 52. Judaic. Hiſtor. in Bibl. polyglottis. Joſephus verò lib. 20. c. 8. tres annos & tres menſes Antigono tribuit, adeóque ab initio Ducatûs Machabæi fluxerant anni 126. cum duobus vel tribus menſibus: de Antigoni interitu ex Strabone, hæc notat Joſephus lib. 15. c. 1. *Antonius Antigonum Judæum Antiochiam perductum ſecuri percuſſit: exiſtimatúsque eſt primus Romanorum Regem affeciſſe hoc ſupplicio; ratus non poſſe aliter adduci Judæos, ut Herodem pro illo Regem conſtitutum admitterent. Nam ne tormentis quidem adigi poterant, ut appellatione Regis eum dignarentur: tanta fuit apud eos prioris Regis exiſtimatio. Quare viſum eſt ignominioſâ morte obſcurare ejus memoriam, & lenire publicum Herodis odium.* Vide Plutarchum in Antonio, item Dionem lib. 49. pag. 405.

litionibus apud Cleopatram Ægypti Reginam & Antonium Herodem hujus injuriæ accusat. Rex quasi cederet querelis, Amicorum vocato Concilio in Socrum Alexandram invehitur: ejus nempe artes eò spectare, ut sibi Regnum ereptum in Aristobulum transferret, se quantumvis offensum hoc redintegrando amori dare, ut in Ananeli locum Aristobulus jam surrogetur; cui citiùs ob immaturam ætatem demandare Sacerdotium Religioni fuisset. Filius itaque Alexandræ & frater Mariamnes anno sequente in tabernaculorum festo sacris ad aram operatus est. Rituum legalium Majestas, tum eximia Pontificis forma convertit in se multitudinis oculos, stirpi Asmonææ tunc denuò applaudentis. Herodes unus festivam pompam, ac Aristobuli honores iniquiùs tulit; verùm pressâ irâ (ne insidias proderet) cum eodem apud Alexandram matrem eâ die solenni epulo accubuit; inde simulatâ comitate Adolescentem ad opportunum locum protrahit, juveniliter in ejus gratiam colludendi causâ: à lusu æstuantes pro captanda refrigeratione magnas, quæ circa aulam erant, piscinas adeunt: illinc primùm spectabant natantes quosdam è sociis, ac famulis: mox provocante Herode Aristobulus se per aquas fluitantibus miscet, dum lusus in tragicum tandem exitum desineret; nam hi, quibus à Rege datum negotium erat, colluctantium more natantem Adolescentem mergunt: deinde velut per jocum infra undas depressum penitus præfocant. Ad casûs miserabilis nuncium urbs tota inhorruit; nec Herodes funeri suas fictas lachrymas deesse passus est, aliáque dedit luctûs signa, quibus à se Parricidii invidiam amoliri conabatur (r).

Aristobulus Pontifex.

A. Mundi 3970. ante Æ. V. 35. Juliano 11.

(r) Joseph. lib. 15. antiq. c. 3.

8. Mater Alexandra fucato mœrore minimè decepta, Cleopatræ apud Antonium potentiori Herodis insidias, ac filii necem significat. Hæc sive Herodi infensa (illo enim perdito Judææ portionem sperabat), sive mulier mulieri Alexandræ amicior Antonium gravissimè cohortatur; ne sineret Idumæum hominem, alienâ Romanorum ope Regnum tenentem, tam crudeliter in legitimam Regum stirpem debachari. Permotus accusatione Antonius Laodiceam Syriæ Herodem ocyùs accersit, causam de Aristobuli cæde dicturum (s). Is commissâ Regni curâ Josepho Patruo, in mandatis insuper relinquit, ut, si quid funestius sibi evenisset; Mariamna uxor (ne pro alterius amoribus superstes foret) mariti

(s) Idem c. 4.

mariti fato confestim aggregaretur (t). Josephus, quoniam Mariamnam Herodi (fratris sui Parricidæ) infestam noverat; eò omnem artem convertit, ut conjugem absenti viro conciliaret: testaturus itaque, quanto in pretio apud maritum foret; omnia amoris argumenta percurrit, ac æstu quodam incautiùs ultrà ac oportebat, prolapsus, mandatum de ea post Herodis mortem interficienda profert, existimans, maximè id à conjugali amore proficisci; siquidem Rex absque ea nec vivere sustineat, neque vel morte ipsâ ab eadem disjungi. Mariamna cum matre sua Alexandra (contrà ac speraverat Josephus) ad id, quod velut indubitatum fidei signum proditum fuerat, planè inhorruit, hanc tyrannidis omnis complementum fore rata, quòd in suorum capita etiam post mortem sævire decrevisset.

(t) Idem. l. c.

Alexandræ & Mariamnæ odium adversus Herodem.

9. Intereà Herodes in Syriam cum muneribus venerat, quæ Antonii animum adeò placârunt; ut Cleopatræ deinceps parricidium accusanti judex reponeret: non oportere Regem facti sui rationem reddere. Ferunt quoque Cœlesyriam à reo, Ægypti Reginæ oblatam fuisse; ut hoc bolo exsatiata, faciliùs obmutesceret (u). Exinde Herodes, quantis honoribus valeret apud Antonium, quantísque apud Cleopatram, domum perscribit amplis litteris: quæ cùm seriùs advenissent; rumor spargitur, Herodem ab Antonio necatum interiisse. Alexandra mendaci famæ (quia grata nuntiabat) nimiùm credula Josephum Gynecæi custodem rogat, Rege mortuo liceret sibi, suísque securitatis causâ ad Romanos confugere; id quippe spei nunc derelictis reliquum esse, ut Mariamne ad Antonium deducta formæ suæ illicio singulis vitam, sibi Regnum impetraret, quod paulò ante Romani à stirpe genuina abalienâssent: dum Mariamnæ mater hæc consilia versat, & mixta precibus urget; repentè Herodes vivus in Patria conspicitur: Salome Regis soror sive ob simultates quasdam offensa, sive instabili mulieris ingenio ea, quæ facta fuerant, fratri invidiosiùs exponit: atque ut certò filiam cum matre perderet; amorem, quem conjugi suo Josepho debebat, negligens, perfidè mentitur, huic cum Mariamna turpem consuetudinem intercessisse. Atrocitas criminis primò animum Herodis suspendit, ut dubitanti potiùs, quàm irascenti similis videretur; scelus

Herodes dicit causam apud Antonium.

(u) Joseph. lib. 1. belli c. 13.

Salomes maligna studia contra Mariamnam.

tamen posteà fidem invenit; quando Mariamne Herodi palàm mandatum illud acerbiùs oggessit, quod Rex de interficiendo Gynecæo Josepho dederat: id enimverò secretum nullibi nisi inter adulterinos complexus elici potuisse credebatur. Itaque Josephum innocentem (Salomes maritum) indictâ causâ dat neci, Alexandram vinculis; in ipsam Mariamnam quoque Sæviturus, nisi exardescens denuò in conjugem amor manum jam penè sceleratam cohibuisset.

A. M. 3974. ante Æ. V. 31. Juliano 15.

(x) Joseph. lib. 15. c. 9.

10. Devicto subinde ad Actium Antonio, Alexandra salutis quandam spem concepit (x): noverat illa Herodem à Partibus Antonii contra Cæsarem stetisse; ab inimico proinde Augusto exitium Herodi, sibi libertatem, & Hyrcano pristinos honores ominatur: votis suis quò celeriùs obsecundaret; Hyrcanum multo rogatu impellit, ut arreptâ ad Malchum Regem Arabum fugâ, se rebus magìs prosperis servet. Mulieris importunum consilium ægrè tandem secutus Hyrcanus, de discessione suâ apud Arabes agit: verùm antequàm ex urbe efferret pedem; Herodi proditus, & fœderis cum hoste Arabe initi condemnatus interiit. Tempus jam monebat Regem, ut Cæsarem Octavium adiret, ad iras veteres expiandas: Alexandra, ne quid porrò turbarum in absentem moliretur; cum Mariamna sub curâ Sojohemi arctiùs inclusa est. Captivarum autem nil magìs intererat, quàm à Custode primùm exsculpere: utrum ejusmodi funestam sententiam in earum capita dictâsset profecturus Herodes, qualem anteà Josepho imposuisset; cùm ad Antonium ancipiti animo contenderet: Sojohemus ea, quæ â Rege secretò acceperat, pertinaci silentio dissimulare, in modum muti piscis effari nihil, sed blanditiis demum (quæ astutæ mulierum artes sunt) emolliri; ut intima quæque in aures, & animos blandientium effunderet (y): scilicet Gynecæum totum, nisì Herodes superviveret, ex mandato ejusdem Regis periturum. Verba hæc quàm apertè, tam improvidè prolata frigescentem Mariamnæ amorem in odium conjugis nunquam sanabile converterunt. Sub idem tempus ad Rhodum felici occursu Herodes Augustum convenerat (z): posito is duntaxat diademate cum magna constantia suam erga Antonium benevolentiam fassus, præbita à se etiam tum frumenti, tum pecuniarum

Hyrcani exitium.

(y) Joseph. lib. 15. c. 11.

Herodis iter ad Augustum.

(z) Idem lib. I. belli c. 15. Antiq. L. 15. c. 10.

niarum auxilia contra Cæſarem non inficiatur; nihil autem promptius ſibi deinceps fore ſubjungit, quam ut pari fide ac ſtudio Cæſarem proſequatur. Ingenuè fatenti nequaquam indignatus Cæſar, diadema reſtituit, & in Regno confirmatum, multíſque auctum honoribus in Judæam remiſit (*10): illinc Rex acerba omnia expertus eſt; nam Mariamne redeuntis aſpectum faſtidiens, geſtientis ora, ac blanditias amaro vultu deſpectabat: in tanta rerum converſione Herodes vix ſibi conſtitit inter amorem, irámque medius; dum Salome eundem novo artificio in furorem omnino pertraxit: fingebat quippe illa, Pincernam quendam à Mariamna Subornatum, qui amatorium poculum, ac necem ipſam Regi afferret: mendacio, ut veritatis ſpecies conſciſceretur; falſi, ac empti teſtes in forum adducuntur: his auditis conjux Herodis ex Senatûs conſulto de vi, de Majeſtate damnatur. Mater Alexandra, quò ſe criminis puram oſtenderet; facto convitio filiam aggreditur, jam in miſeræ capillos involat, jam furentis in modum vociferatur: degenerem prolem tali exitio dignam, quæ in virum immane facinus auſa eſſet. Hæc cùm turpiter ſimularet; è diverſo pluribus injecta ſuſpicio eſt, Mariamnam meritò damnari. Regina, quæ ducebatur ad ſupplicium, matris qualeſcunque queſtus nec verbo dignata eſt, quin excelſo vultu, atque animo calumnias refellens, intrepida mortem ſubiit: nec filiæ mater perfida diu ſuperſtes fuit; nam ſeditionum novarum (ut ingenii turbulenti erat) accuſata, jubènte Rege interimitur (a).

Supplicium Mariamnæ.

Cædes Alexandræ.

(a) Joſeph. lib. 15. Antiq. c. 11.

11. Cognatione Hyrcani ſublatâ, Herodes à Patriis ritibus longiùs diſceſſit; nam templa Auguſti honoribus exſtruere, & Athletica certamina quinto quoque anno celebrare inſtituit: horum uſui theatra varia ſumptuoſo opere, ſed aliena à Judæorum moribus molitus eſt. Judaicæ genti omnium moleſtiſſima fuêre trophæa, quæ armis contecta hominum putabant eſſe imagines, ipſis per leges interdictas: errorem, ut redargueret Herodes, detrahi jubet ornatum circumpoſitum, oſtendítque nudos ſtipites, quo facto in riſum verſa eſt indignatio multorum: gliſcentibus poſt

A. M. 3976. ante Æ. V. 29. Juliano 17.

Herodis varia gubernandi ratio.

(*10) STRABO lib. 16. pag. 765. de Herode ſcribit: *Tantùm Superioribus maximè Romanorum familiaritate præſtitit, ut Rex quoque fuerit appellatus, Antonio primùm, poſteà Cæſare Auguſto poteſtatem ei concedente.* TACITUS Hiſt. lib. 1. c. 9. *Regnum ab Antonio Herodi datum, Victor Auguſtus auxit.*

post hæc novis seditionibus, Rex anno decimo tertio ab Antigoni morte, Samariam muniit novo Sebastes (sive Augustæ) nomine illi imposito (*11): alias insuper arces excitavit (*12), è quibus seditionum tumultus velut totidem frænis admoderabatur. Sed quoniam in solo subditorum metu Tyranno vix tutum satis erat præsidium; multa in eorum ac Patriæ commodum suscepit (b): ac primò de remedio famis (cum qua Regio tota confli-ctabatur) sollicitus ex propriis granariis frumenta, & de Ærario nummos beneficentissimâ manu expromit: deinde Primores Hierosolymæ eatenus sibi conciliatum ibat; quòd templum geminâ jam expilatione dirutum à fundamentis restauraret (*13): absolutione operis post novem annos factâ, Encœnia demum decimo anno celebrat ipsâ natali die, quâ Regnum à Senatu olim acceperat. His cum laude quâdam transactis tyrannidis etiam maculam ex tot Asmonæorum cædibus contractam delere visus est; dum geminos ex Mariamne filios Alexandrum, & Aristobulum Romam misit, sub curâ Cæsaris in spem regni educandos: Judæi, qui Herodis consilium læti probaverunt, velut novo spiritu afflati, posteà planè gestiebant, ex quo Juvenis uterque disciplinis optimis imbutus ac regni fascibus aptior redierat (c): Diuturna tamen hujusmodi solatia non fuerunt, quæ Salome Herodis soror, Fratérque

(b) Joseph. c. 13.

(c) Joseph. lib. 16. c. 1. & 2.

(*11) Samaria itinere unius diei Hierosolymis distat, ejus circuitum 20. stadiorum esse voluit Herodes, fano sesquistadii amplitudine in ejus meditullio collocato, dedítque operam, ut tam è milite auxiliari, quàm è finitimis gentibus plurimos in ejus civitatis corpus congregaret. V. *Joseph.* lib. 15. c. 11. AFRICANUS eam appellat *Gabiniorum urbem* in Georgii Syncelli Chronico pag. 308. quia à Gabinio Syriæ Proconsule instaurata denuò est, postquàm eandem Joannes Hyrcanus devastaverat anno M. 3947. ante æram Vulgarem 58.

(*12) Præcipua arcium erat Stratonis turris, his addidit Gabalem in Galilæa & Esthmonitim in Peræa. *Joseph.* lib. 15. c. 11.

(*13) Templum hoc ex constanti Hebræorum sententia idem semper habitum est, quod sub Zorobabele anno primo Monarchiæ Cyri cœptum, & aliquamdiu interruptum, post 20. demum annos, Imperii Darii Hystaspis F. anno sexto, finitum est. Ejusdem instauratio ab Herode suscepta est anno Regni sui 18. (ab exitu Antigoni numerato: ad A. M. 3985. anno Juliano 26.) à quo tempore usque ad annum Julianum 71. inclusivè, sive primum annum Prædicationis Christi fluxerunt circiter anni 46. de quibus Joannis c. 2. v. 20. dicitur: *quadraginta & sex annis hactenus ædificatum est templum hoc*, nam licèt decem duntaxat annos in consummanda fabrica exegerit Herodes; *Josephus* tamen lib. 6. belli Judaici memorat, multos thesauros posteà templo illatos fuisse, hinc à *Tacito* lib. 5. c. 8. *Immensæ opulentiæ templum* vocatur: quin & multa incrementa ab aliis ædificium accepit usque ad belli Judaici initia sub Gessio Floro. Ut videri potest apud *Josephum Antiquitatum lib. 20. c. 8.*

Pheroræ, & Salomes dolosa consilia

térque Pheroras suo livore inficere jam parabant. Illi quippe subveriti, ne lectissimi nepotes aliquando matris interitum ulciscerentur; varias & non sine arte compositas calumnias per aulam disseminant, ex quibus id sibi emolumenti accessurum sperabant, ut siquid earum animo Regis hæreret, amor in filium utrumque ardentior frigore saltem aliquo perfunderetur. Nec spes fefellit; nam Herodes ut facilis ad adversos rumores erat, cognitis iis, quæ spargebantur, non tantùm frigescere, sed & toto animo alienari cœpit: tumidos filiorum animos cùm omnino crederet, ac proinde frangendos; Antipatrum ex matre alterâ, ac plebejâ à se genitum iisdem præhabet: atque ut odium palàm in reliquos ostenderet etiam velut Regni hæredem fovet (d). Antipater ridentis fortunæ favore semel gustato, iniquam etiam operam omnem adhibuit, ut quam viam ad regnum adierat, sibi deinceps stabiliùs præmuniret: itaque in eo totus erat, ut Parentem, quàm faventem sibi, tam inimicum cæteris redderet: seponebat ille certa temporum spatia, quibus criminationes novas de fratribus in Herodis aures artificiosè ingerebat, vulnus illud, quod altè Regi insederat, penitus exulcerans; jámque res eò pervaserat, ut, nisi Augustus Cæsar medelam irato Parenti attulisset, acerbitas mali fratris utriusque sanguine consananda fuisset (e). Simultatem nonnihil sopitam periculosiùs subinde Antipater, & Pheroras Herodis frater suscitârunt; nam ille persuadere Patri conabatur, præter se incolumitatem Regis curare neminem: alter turbarum causâ filio Alexandro clàm insinuabat, ejusdem uxorem Glaphyram ab Herode nefastiùs amari; ex hac semente utrinque jacta pessimi quique stimulantis iræ, & in vindictam ardentium animorum fructus sequebantur. Incusabat Parens filios perfidiæ, filii Patrem incestûs, aliorúmque nefandorum criminum arguebant: Herodes contra natos consilium, hi apud exteros perfugium quærebant; sed hæc ipsa fuga, quam juvenes calamitatis suæ remedium constituerant, illis mortem citiùs accivit: vix enim compertum est, eos abitum meditari, jam retracti è fuga compinguntur in vincula, mox ad malignorum consilium evocati supplicio extremo addicuntur; quod Samariæ, bonis omnibus lugentibus, paulò pòst subire coacti sunt (f). Antipater, cujus invidiâ hæ victimæ potissimùm ceciderunt, Patris quoque caput

(d) Idem lib. 1, belli c. 17.

(e) Joseph. lib. 16. Antiq. c. 6. & 8.

Pheroræ & Antipatri impiæ molitiones.

Mors Alexandri & Aristobuli.

(f) Idem lib. 16. c. [illegible]

appetendum sumpsit: defunctis quippe fratribus equidem securè, sed minùs citò se regnaturum existimabat; nisi Herodem horum funeribus confestim accumularet: adjunctis igitur in communionem criminis quibusdam Pharisæis struit insidias: hæ sive negligentiùs susceptæ, sive à vigili Parentis oculo astutiùs observatæ quàmprimùm producuntur in lucem; Pharisæis ideò ad supplicium raptis unus Antipater suspicionem criminis ad tempus elusit. Ne tamen pœnâ vacaret, qui sceleris author fuerat, filium Parens Romam ablegat, quasi negotium cum Cæsare confecturum; dum intereà Herodi spatium esset, Antipatri consilia penitiùs vestigandi (g).

(g) Idem lib. 17. c. 1. 2. 3. & 4.

Felix nuncium Angeli de nascituro Joanne.

12. Circa idem tempus, sive anno Urbis conditæ DCCXLVII. Juliano nono supra trigesimum, Consulibus Tiberio Claudio Nerone & C. Calpurnio Pisone, cùm Rex sceleratissimus cædibus, ac sanguine Judæam totam funestâsset; Princeps cœlestis, ac Unigenitus æterni Patris Filius ad nos transire voluit, ut sanctius in terris Regnum stabiliret. Adventûs optatissimi primum indicium Sacerdos ex classe Abiæ (*14), cui Zachariæ nomen erat, accepit: huic sacrum ministerium obeunti Angelus prædixit, fore, ut Elisabetha uxor ejus, quantumvis sterilis, filium daret, Joannis nomine consignandum (h); qui in spiritu & virtute Eliæ Domini vias præpararet.

(h) Lucæ 1.

13. Sexto jam mense Elisabeth ferebat uterum, quando post quatuor ferè annorum millia Gabriel unus è præcipuis cœli Geniis Nazarethum multò felicius nuncium attulit B. Mariæ Virgini, scilicet ex eadem Servatorem orbis nasciturum (i). Fuerat electa ex omnibus mater Parente effœto Joachimo, & Annâ genitrice sterili; nasci enim debebat hoc modo filia, quæ non minùs naturæ, quàm gratiæ prodigium erat futura: sub primæ ætatis exordia divinis obsequiis in templo oblata (*15), ac posteà

(i) Lucæ 1.

(*14) In primo tabernaculo extabat altare thymiamatis, quod Lucas appellat *altare incensi*: huic singulis diebus vespere & manè thura imponebant Sacerdotes, qui ex sorte ducti erant; unde patet Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, ut aliqui olim existimârunt; nam aliàs ex sorte duci non potuisset: Vide *Petavium* lib. 16. *Theol. dogm.* c. 3. §. 15.

(*15) GOTTUS Tom. 4. Part. 1. de Veritate 8. Christ. Relig. c. 3. §. 4. & 5. aliique definire non audent tempus, an scilicet triennis B. Virgo præsentata in templo fuerit:

ſteà per plures annos ſacris functionibus innutrita, Joſepho è ſtirpe Davidis, ſive pari cum Virgine proſapiâ oriundo, inſolito connubio (* 16) jungitur, nempe ad Virginitatis præſidium, laboréſque Chriſti tolerandos: exinde nupta equidem, at virilis commercii ignara ad ſuſcipiendum nihilominùs filium Deum-Hominem depoſcitur. Non poterat demiſſa quantumvis Virgo obſiſtere myſterio, unde ſalus mundi pendebat; quare dato cœleſti Legato aſſenſu, Chriſtum operâ Spiritûs S. ex puro matris ſanguine formatum caſtiſſimis viſceribus complectitur (* 17). Ex ancilla Domini jam Regina cælorum facta, divinum ſuum pignus in

Incarnatio Verbi Divini.

rit: de facta tamen oblatione nemo eorum dubitat; imò ſuffragatur Orientalis Eccleſia, quæ feſtivitatem Præſentationis in antiquis jam ſæculis celebravit, ut patet ex Conſtitutione *Emmanuelis* Imperatoris (qui regnare cœpit a. 1143.) apud *Balſamonem* in Nomocanone Photii tit. 7. c. 1. in Occidentali verò Eccleſia officium hujus feſti Avenione Romano PP. Gregorio XI. exhibuit Philippus *Mazerius* Regis Cypri apud S. Sedem Orator, decretúmque eſt, ut hæc celebritas toto Occidente ageretur, cujus initium refertur ad annum 1374., ut habetur ex litteris *Caroli V.* Francorum Regis ad Magiſtros Univerſitatis Navarræ eodem anno. Vide plura apud *Hagiographos Antverpienſes* Tom. 8. Maji. Apud *Tillemontium* Not. 6. ad vitam B. V.

(* 16) Non obſtante voto, Joſepho viro juſto deſponſata eſt; nam ut ait *S. Thomas* in 4. Sent. Diſt. 30. q. 2. a. 1. ad 2. *Beata Virgo antequàm contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat.* Et Auguſtinus lib. de Virginitate c. 4. *Deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potiùs violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat:* quod autem verum conjugium inter ambos intercesſerit, docent Sacræ Litteræ Matth. c. 1. v. 16. v. 19. 20. 24. Ubi B. Virgo iteratis vicibus *Uxor* & *Conjux* vocatur. Imò Auguſtinus de nuptiis & Concupiſcentia lib. 1. c. 11. *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoſcimus ipſum D. JESUM: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.* Alibi lib. 5. c. 12. Juliani Pelagiani objectiones ſolvit. Vide *Sandini* in vita B. V. c. 3. q. 5. & 6.

(* 17) Concilium Toletanum, VII. Sæculo celebratum voluit; ut feſtum Annuntiationis die 18. Januarii ageretur; ut habetur Tom. 6. Concil. Collect. Labb. p. 460. unde aliqui concluſerunt, myſterium Incarnationis non die 25. Martii peractum fuiſſe. Verùm Antiquiora monumenta ſtant pro die 25. dicti menſis. Nam *Auguſtinus* lib. 4. de Trin. c. 5. ait: *Sicut à majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit authoritas, octavò Kalendas Aprilis conceptus creditur* (Chriſtus), *quo & paſſus.* Item in Veteri Eccleſiæ Occidentalis Martyrologio, quod Beda S. Hieronymo tribuit, ſic habetur ad diem 25. Martii: *in Galilæa civitate Nazareth Adnuntiatio S. Mariæ de Conceptione, quando ab Angelo eſt ſalutata:* Ad Concilii Toletani definitionem reſpondent; hanc ideo editam fuiſſe, *quia tempore quadrageſima,* in quod feſtum aliàs incideret, *nihil de SS. ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari,* ſicut & feſtum Viſitationis ex eadem ratione hodiè in Julium transfertur. V. *Martene* de antiq. Eccl. diſcipl. in divinis Celeb. offic. c. 31. n. 26.

in montana Judææ (*18) continuò deportat, quò Elisabethæ piam salutem, ac Præcursori Domini novam gratiæ vitam afferret (*19). vix senserat clausus infans salutantis vocem; in utero protinùs exiliit, testatúsque sui Domini præsentiam, etiam vaticinii spiritum Parenti afflavit (*20). Exactis tribus mensibus Virginea mater uterum jam ferens ad sponsum rediit. Rei novitas integerrimo Josepho anxias curas injicere visa est, verùm ab his brevì eundem Angelus absolvit, postquàm eidem Mysterii magnitudinem commonstraverat. Tempore in mensem nonum jam devoluto, divini, ac præpotentis consilii erat, ut nasciturus infans ex loco natali ad Regiam Davidis stirpem pertinere dignosceretur: itaque Dei Placito, per tot Prophetarum oracula significato, Ethnicus etiam Imperator Octavianus Augustus ambitiosissimo suo studio obsecundare debuit; orbem quippe sibi subditum descripturus (*21), omnes ad urbes Gentilitias evocat, quò relatis in censuales

(k) Luc. c. 2. tabulas nominibus de singulorum Patria, ac fortunis constaret (k). Cunctis Judæis proficiscentibus in civitates suis Tribubus assignatas, Joseph quoque cum conjuge prægnante Bethlehemum, Gentilitiam Davidis urbem, pergit: quæsito per oppidum nequidquam hospitio (advenarum enim numerum vix locus capiebat)

Nascitur Servator orbis. paritura Virgo suburbii spelæum subit (*22): eo in loco ad confunden-

(*18) *Julianus*, & *Porphyrius* ausi sunt *S. Lucam* negligentiæ insimulare quòd nomen prætermiserit natalis urbis S. Joannis: sed quoniam civitatem, in qua Zacharias habitabat, Sacerdotalem fuisse oportebat; facilè constat inde, *Hebron* ibi designari, ut quæ Sacerdotum civitas esset, (Josue 21.) & sola quidem in montanis sita. V. Apparatum *Baronii* n. 77.

(*19) Nonnulli eò deflectunt suâ opinione, quasi B. Virgo ad Elisabetham se contulisset ad explorandum, num verum esset, quod de ejusdem fœcunditate sibi Angelus prædixerat? Verùm cum *Ambrosio* lib. 2. in Lucam planè aliter sentire convenit: si enim dubitâsset, quomodo *Elisabeth* illam *beatam dixisset, eòquòd credidisset, quæ dicta illi essent à Domino*? V. *Petrus Canisius* de Deipara lib. 4. c. 4.

(*20) Beneficia S. Joanni, ejúsque Parentibus collata tanti habet Ecclesia, ut singulari festivitate celebranda duxerit: cœpit autem festivitas ab anno 1263. ut colligit *Gavantus* ad rubric. Brev. Rom. Sect. 7. c. 9. n. 2. institutio festi pro toto Occidente tribuenda est Urbano VI. ut etiam fatetur *Hildebrandus* Acatholicus in opere suo de priscæ & Primitivæ Ecclesiæ Sacris publicis, templis & diebus festis pag. 60; unde falsum est, quod *Dresserus* item Acatholicus docet, festum idem recentiùs à Concilio Basilcensi 1441. institutum fuisse. V. *Gretserus* de festis lib. 2.

(21) De descriptione Censûs, & aliis difficultatibus circa eundem occurrentibus, vide reflexionem VI. ad Caput I. Lib. 1. §. I. n. 11.

(*22) JUSTINUS in Dialogo cum Tryphone ait: *Quoniam Joseph non habebat in*

fundendam generis humani superbiam, medius inter brutas animantes (*23) natus est cœli, terræque Dominus, & in præsepio (*24) primùm positus die XXV. Decembris (*25), Anno ab orbe A. M. 4000. ante Æ. V. 6. Juliano 40.

in vico illo Bethlehem, quò diverteret; in specum quendam propè vicum divertit, & cùm illi essent ibi, peperit Maria Christum, & in præsepi illum posuit, ubi venientes ex Arabia Magi invenerunt eum: item EUSEBIUS PAMPHILI Demonstr. Evangelic. lib. 7. c. 2. Agrum juxta Bethlehem demonstrari, ubi Virgo enixa infantem deposuit. Et quoniam locus extra urbem erat; pastores nullo negotio ad puerum in præsepi jacentem pervenire potuerunt: non desunt tamen, qui in urbe Christum natum fuisse contendant, & quidem in stabulo diversorii, uti MALDONATUS in c. 2. Lucæ 17. CASAUBONUS, ut hanc postremam sententiam stabiliat, putat corrupta esse Eusebii Verba: διὰ τῆς τῦ ἀγρῦ δείξεως, legi enim debere τῦ ἄντρυ, sed sine fundamento hæc asserta, facilè quoque negantur. Videatur *Tillemont.* Tom. I. P. I. pag. 189.

(*23) Idem TILLEMONTIUS in loco natali Christi, non fuisse verum Bovem & Asinum suspicatur; eòquòd cum *Ambrosio* in Luc. c. 2. hæc Allegorico sensu exponi posse credit, neque quisquam ex antiquioribus commentatoribus in Esaiam ad litteram verba illa explicat: *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: SERRY Exercit. 30. n. 4. conatur ostendere, per hæc verba Prophetam exprobare Judæis ingratum animum; quibus multò gratiora animalia essent, siquidem illis pabulum obsiparetur: Calmetus existimat per Bovem, & Asinum figurari Judæos, & Ethnicos, qui Christum natum agnoverunt: S. Hieronymus quatuor differentes interpretationes affert. N. T. 6. pag. 196.; volunt prætereà prædicti AA. hanc traditionem sæculo quinto anteriorem non fuisse: Verùm hæc argumenta non sunt ejusmodi, ut nos abduci patiamur à traditione asserente verum Bovem & Asinum in loco natali Domini fuisse: nam Allegoria, quæ ab interpretibus assumpta est, in historia nititur, ùt notat *Basnagius*; unde *Hieronymus* in Ep. ad Eustochium 27. c. 4. de Paula scribit: *Inde Bethlehem ingressa in Specum Salvatoris introiens, vidit sacrum Virginis diversorium & stabulum, in quo agnovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est: beatus, qui seminat super omnes aquas, ubi Bos, & Asinus calcant.* Similia habet *Petrus Chrysologus* Serm. 159. *Prudentius*, *Gregor. Naz.* Vide Baronium. Prætereà Sæculo V. antiquiorem esse traditionem ex variis monumentis, ac sepulchris Christianorum, aliisque picturis demonstrat *Gorius* in observationibus de præsepi Domini pag. 82. n. 13. *Joannes Bottarius* Tom. I. explic. sacr. pictur. hìc tab. 22. pag. 88. & 89.

(*24) S. HIERONYMUS probat sub rupe (petroso enim loco sita erat Bethlehem) Specum fuisse excavatam, in qua stabulum erat, & simul præsepe jumentorum commodis instructum. Idem asserit *Gorius* l. c. & Franciscus Bianchinus Differt. I.: in præsepe illud lapideum, aliud è ligno injectum erat, quod Romæ nunc in Liberiana Basilica asservatur; allatum autem in urbem est septimo Sæculo cum aliquot lapidibus è Bethlehemi spelunca excisis. Vid. *Calmet.* in c, 2. Lucæ n. 7. & Commentar. Cardin. Lambertini de Festis J. C. in festo Natali Domini.

(*25) *Allix* Anglus ad tempus vernum revocat Natalem Christi diem; eoquòd verosimile non videatur mediâ hyeme pastores custodiendo pecori vigilâsse in agris: similia docent alii, scilicet *Scaliger*, & *Samuel Basnagius*, qui vel ad 20. Aprilis, vel ad 20. Maji definiunt Christi Natalitia. Verùm solidiùs stant pro 25. Decembris *Chrysostomus* Tom. 5. Homil. 33. *Gregorius Nyssenus* in Sancta Lumina, & *S. Augustin.* lib. 4. de Trinit. c. 1. qui à Romanis Senatoribus posteà conversis hanc traditionem habuerunt, quique tabulas utique Censuales inspexerant Romæ, & ex iis diem Natalem Christi adverterant.

be condito quater millesimo, urbis Romanæ DCCXLVIII., à correctione Annalium Julianâ quadragesimo XXV. Augusti regnantis; cùm Lælius Balbus consulatum gereret cum Collega suo Antistio vetere †.

(†) REFLEXIO I.

14. Illucescente octavo à Christi Natalibus die, sive Kalendis Januariis, initium habuit annus Julianæ correctionis quadragesimus primus, Herodis regnantis trigesimus sextus, quintus ante Æram Vulgarem, sub CC. Augusto XII. & L. Cornelio Sylla, quæ anni novi exordia Paganorum ante superstitionibus profanata (*26), sacratiora posteà evaserunt; ex quo Deus carnem indutus, ac legi circumcisionis spontè obsequens (*27), eadem Primitiis sui sanguinis consecravit. Interposito quadraginta dierum spatio beatissima mater filium quantumvis lege exemptum in templo obtulit (l): dignum erat hoc Religionis, ac demissæ virtutis spectaculum, ad quod is præcipuè Simeon evocabatur, qui Dominum tantum in carne aspiciendi desiderio dudum flagraverat (*28); contuitus igitur in præsente infante cœlorum Majestatem, ac orbis lumen, veluti voti omnis compos corporis vinculis exsolvi petiit

Anno M. 4000. ante Æ. V. 5. Juliano 41.

(l) Luc. c. 2. v. 25. ad 39.

Et *Casaubonus* ipse adversus Baron. exercit. 2. c. 7. fatetur vetustam traditionem Ecclesiæ non esse temerè rejiciendam, præcipuè, quod in Palæstina sub clementiore cœlo toto anno in agris pernoctent. Conferatur Tirinus in Chronico sacro c. 48. pag. 61. & 62.

(*26) Kalendis Januarii celebrabant in honorem Jani & Deæ Strenæ, unde extat Augustini sermo 198.: *Acturus es* (ait ad Christianos) *celebrationem strenarum, sicut Paganus, lusurus aleâ, inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud speras? Dant illi strenas, date vos eleemosynas: avocentur illi Cantionibus luxuriarum, avocate vos sermonibus scripturarum: currunt illi ad theatrum, vos ad Ecclesiam &c.*

(*27) SOTO in 4. Sentent. Dist. 2. q. 1. a. 3. *Christus nullâ lege ad circumcisionem tenebatur, quia neque virili semine, quo originale contrahitur, genitus erat, ac subinde neque lineâ masculinâ naturalis erat filius Abrahæ.* Teste tamen Apostolo ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Porrò quia Ministerium circumcisionis, nec Sacerdotale, nec Leviticum erat ex genere suo; colligunt plures Servatorem nostrum à B. Virgine, aut S. Josepho circumcisum fuisse, & quidem cultro probabiliùs lapideo, utì habet Bernardus Serm. 1. de Circumcis. Dni n. 1.

(*28) THEOPHYLACTUS XI. Sæculi scriptor in c. 2. Lucæ, Simeonem judicat *Laicum*, & non Sacerdotem extitisse: vix enim credibile est, ab Evangelista hanc dignitatem aliàs prætermittendam fuisse. Aliorum fundamentum est Simeonem numerandi inter Sacerdotes, tum consensus Græcorum, tum antiquissimum testimonium S. METHODII Tyri Episcopi, qui exeunte Sæculo III. floruit: is hom. in fest. purif. Simeonem alloquens, *optimum Sacerdotem & Sacerdotum piissimum* appellat: sed quia hæc homilia apocrypha videtur; rem in medio relinquimus. V. *Tillemont.* in not. ad vitam Christi.

petiit (*29): sacrificii ejusdem altera testis Anna erat, cui plura de hoc Servatore vaticinia rudi ac ignaræ plebi proferre licuit (*30). A templo Bethlehemium, urbem tribus leucis Hierosolymâ distantem, rediit sacra familia; quorsum instituto jam itinere ex Arabia deserta, urbíque Sabæ adjectis locis Magi quidam deducebantur (*31): primùm illi (Regulos aut Dynastas fuisse credimus) Duce stellâ (*32) Hierosolymam ingressi, non sinè periculo alium ab *Magorum adventus.*

(*29) Reliquiæ hujus Sancti conditæ erant in Sacello S. Jacobi minoris, ædificato per Justinum II. in Ecclesia B. V. propè templum S. Sophiæ; unde dicuntur translatæ Venetias circa annum 1220. Bollandi continuatores 19. Martii pag. 7. ajunt, ejus sepulchrum ostendi in Valle Josaphat prope Jerusalem. Festum ejus secundùm consuetudinem Græcorum celebratur postridiè Purificationis; qui SS. semper Natales solent adjungere festis, de quorum mysteriis participant.

(*30) Quoniam Simeon & Anna obviàm venerunt Mariæ, & Josepho; Græci festum Purificationis *Hypapanten* sive occursum vocant. Quando festivitas ejusmodi celebrari cœperit, varia est Criticorum sententia: quidam *Baronii* Martyrologium secuti, docent, *Gelasium* Romanum Pontificem Lupercalibus, mense Februario agi solitis (ut ait Varro lib. 5. de Ling. Lat.) hoc festum substituisse, triginta circiter annis ante *Justiniani* tempora. Alii cum *Tillemontio* not. 7. Vit. Christ. ad antiquiora tempora revocant, quia jam in Martyrologio *S. Hieronymi* 5. Januarii legitur: *In Hierosolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum JESUM CHRISTUM Maria, & Joseph, & depositio ipsius Prophetæ;* fortè ergo Ecclesia alio die olim hoc festum celebravit, & tempore Justiniani majore solennitate condecoratum est. PROCESSIO non Lupercalibus, sed teste *Ildefonso*, VII. Sæculi scriptore, Amburbalibus surrogata est. Amburbalia sacrificium quoddam erant, quod Ethnici mense Februario peragebant, urbem facibus perlustrando. Idem sentit *S. Eligius* Ildefonso æqualis in sermone qui extat Tom. 12. Biblioth. PP. pag. 589.

(*31) Tres Magos fuisse, ex triplici oblato eorum munere dignoscitur; cui suffragatur *S. Leo* serm. 30. in Epiph. c. 1. & c. 2. quare audiendus non est *P. Serry*, qui in exercit. de Magis, negat numerum definiri posse, nixus *Authore operis imperfecti*, à quo in hom. 2. in Matthæum duodecim Magi adstruuntur; nam hæc documenta, unde sententia desumpta est, Apocrypha sunt, & infirmiora, quàm ut traditionem tot sæculorum, utique non temerè arreptam evertant. De nominibus tamen Magorum minùs constitit, usque ad *Friderici Barbarossæ* tempora, quâ ætate, teste *Bollando* Tom. I. Maji pag. 7. *Melchioris, Caspari & Balthasaris* nominibus compellati sunt eâ fortè occasione, dum eorum Corpora Mediolano (ubi 670. annis servata sunt) Coloniam ab *Archiepiscopo Reinoldo* asportabantur, ut habet *Galesinius* in notis ad Martyrol. pag. 12.

(*32) S. LEO Serm. 4. de Epiph. ait *Gentem* fuisse, *quæ spectandorum syderum arte pollebat.* Id est viros sapientes, ac veri Numinis cultores, qui ad instar Jobi nullâ legis scriptæ notitiâ imbuti, Deum adorantes exspectabant Messiam. V. *Calmet* in Differt. de Magis, idem Author cum pluribus dubitat, an iidem Magi Reges fuerint? eoquòd Evangelista nil ejusmodi commemoret; tum quia Herodes exteros Reges sine præmissis Legatis non tam facilè in Regionem suam admissurus fuisset: verùm pro Regia eorum dignitate pugnat *Theophylactus*, *Cæsarius Arelatensis* serm. 129. in Appendice sermonum S. Augustini, clariùs *Paschasius Radbertus* lib. 2. in Matth. *Magos Reges extitisse, nemo qui Historias legit Gentilium, ignorat.* Ex rationibus Adversariorum allatis judicat Baronius

ab Herode Regem inquirunt. Pontifices, ac Judæorum Primores sacras paginas scrutari jussi, quantumcunque veritati obluctabantur, etiam inviti Micheæ vatis testimonium proferunt, quo Bethlehemium, utpote natale Messiæ oppidum designabatur (m). Quare Magi illuc profecti oblatis muneribus in reperto infantulo Deum adorant (*33). Moniti rursus per somni imaginem, ut aliâ, quàm quâ accesserant, viâ recederent; callidam Herodis sævitiem obliquo planè itinere eludunt. Vix isti viam diversam fuerant aggressi; cælestis nuncius Josepho adest, qui jubeat infantem cum matre in Ægyptum deportari (n). Herode enim se delusum à Magis jam infremente, furori Christus subducendus erat; ut, quo tempore in Patria is vivus esse non sinebatur, exteris idololatris vitam gratiæ impertiretur: & cui usuram lucis eripere Rex impius parabat; ille lumen fidei novum inter Ægypti tenebras accenderet. Lanienam intereà Tyrannus pueris in agro Bethlehemitico ante biennium natis edicit (o), quò certiùs unum perderet (*34); sed hoc longiùs jam extra exterminii periculum seposito, ostensum est, consilium Numinis nec præverti astutiâ, nec vi nefariâ everti posse. Herodes postquàm aliorum Parentum filios ambitioni suæ immolaverat; nec suo Antipatro Regni servandi causâ parcendum censuit: duobus ferè annis machinationes filii vestigaverat, & compertis insidiis, quibus Parentis vitam appeteret, eundem Româ, quasi Regni spe proximâ illectum revocat in Patriam. Antipater dolosi consilii ignarus Hierosolymam ad coronam celerrimè advolat: hìc dum Patris osculum

(m) Matth. c. 2. v. 1 - 12.

Fuga Christi in Ægyptum.

(n) Ibidem v. 13 - - - 15.

Cædes Innocentum.

(o) Matth. c. 2.

nius eos non quidem potentiores Reges, sed Regulos fuisse, usitato more divinæ scripturæ, quæ cujusque oppidi Dominum Regem appellare consuevit. V. *Natalem Alexandrum* in Sæc. I. c. 1. art. 4.

(*33) CORNELIUS à LAPIDE in c. 1. Matth. ita commentatur: *Erasmus censet, Magos non cognovisse, Christum esse Deum, ideóque non latriâ sed cultu civili, eum ut Regem Judæorum adorâsse: verùm contrarium docent PP., scilicet Magos instinctu Dei agnovisse Christi divinitatem, ideóque thus, quod Deo soli debetur, obtulisse.* Vide Card. Lambertini in Comment. de Festis J. C. in festo Epiph.

(*34) Græci in suo Menologio de occisis infantibus referunt; quod 14000. interierint: idem legitur in Liturgiis Æthiopum. Bollandus tam magnum numerum fabulosum existimat Tom. I. Maji pag. 57. & 59. dicitur enim primò, quod Herodes occidi jusserit pueros *secundùm tempus, quod exquisierat à Magis*, post visam stellam: *secundò* non tot erant infantes Bethlehemii; incredibile autem est lanienam Hierosolymis quoque institutam fuisse, aliàs certò Josephus id referre non omisisset, ut qui hostis infensissimus Herodis erat.

osculum pro more rogat; ad judicium Vari Præsidis (is quippe Saturnino successerat) repentè protrahitur (p). De nefastis subinde criminibus convictus datur in vincula; dum à Cæsare funestior sententia veniret (*35).

(p) Joseph. lib. 17. c. 7. *Antipatri fatalis ruina*

15. Æstus reciprocus timoris, ac irarum, quæ Tyrannorum flagella esse solent, vel potiùs vindex Dei dextera septuagenarium Herodem lecto tandem affixêre Anno à Christi natalibus altero, Calvisio Sabino II. & Passieno Rufo CC.: ingravescente morbo Pharisæorum complures in spem solvendi aliquando jugi arrecti, ad templi portam submittunt, qui auream Aquilam in Judæorum opprobrium illinc propositam dejicerent: Tyrannus utùt æger, intellectâ facinoris licentiâ, è vestigio conscios comprehendi, ac ignibus exuri mandat circa paschales ferias, quæ à lunæ defectione insignes erant (q). Inde dolores acutissimi & pessima quæque morborum genera corpus Herodis invasêre, contra quæ diversa, ac longiora remedia applicuit (*36); jam enim peritissimos artis accersere, jam ultra Jordanem apud Callirohen adire aquas calidas, jam olei balneis sese mergere: frustra his omnibus demum adhibitis vitam morte acerbiorem expertus, illud tristissimum habuit, quòd gens Judaica ejus funeri gestientis in morem inhiaret: tantam proinde lætitiam ut occuparet; nobilissimos ex omni regione accitos, atque Hippodromo inclusos servat, eâ lege; ut si fatum suum obiret, continuò hi comitum more jugularentur. Istâ quippe ratione se effecturum credebat, ut vel ultionem de inimicis, vel lachrymas suo funeri ab invitis reposceret. Antipatro quintâ die ante Patris mortem interfecto (r), ac mutatis tabulis, quibus jam Archelao regnum designabat, ex turpi, & vermibus arroso corpore turpiorem animam exhalavit mense

An. M. 4002. ante Æ.C.4. Juliano 42.

Herodis ægritudo.

(q) Idem c. 8.

Ejus crudelitas ac mors.

(r) Joseph. lib. 17. c. 9.

(*35) Occasione hujus Antipatri posteà ab Herode interfecti, Macrobius, qui 400. annis pòst vixit, erroneè scripsit: inter infantes Bethlehemii occisos, extinctum etiam fuisse Herodis filium. Ut proinde Augustus exclamârit, *malle se Porcum esse Herodis, quàm filium.* Nullus enim tunc videtur esse potuisse Herodi bimus filius, viro scilicet annum vitæ septuagesimum agenti. Aut si talis fuit, is non Bethlehemii, sed Hierosolymis natus erat; ac vel inde cum infantibus occidi non debebat. Macrobius itaque fortè voluerit, Antipatrum ex eadem causa periîsse, ex quo infantes, nempe, ut Herodes Regnum servaret. V. *Casaubon.* Exercit. 2. ad Ann. Baronii. §. 16.

(*36) Tot medicamentorum ab Herode adhibitorum usus, aliæque post pascha factæ revolutiones *Usserium* & *Pagium* induxêre; ut statuerent, Herodem, non sub Paschale tempus (ut multi opinantur) sed seriùs obiîsse.

mense Novembri (*37). Archelaus elato Judaicos per ritus funere, Regios fasces prehendit: atque, ut gratiora cunctis essent recentioris Dominatûs initia; nobiles innoxios domum remisit, populum autem largitionum ingentium pollicitatione devinxit (s).

(s) Ibid. c. 10.

A. Mundi 4003. ante Æ. V. 3. Juliano 43.

Archelai Successoris ferocia.

16. Sub sequentis anni exordium (sub CC. Cornelio Lentulo, & Valerio Messalino) excitata est seditio ab eorum propinquis, quos Herodes ob vim Aquilæ aureæ illatam supplicio addixerat: tumultui convitia in defunctum, & contemptus in novum Regem jungebantur. Ne porrò malum glisceret, Archelaus sub festum paschatis, immisso in seditiosos exercitu tria millia occidit; reliquos quoque ferro objecturus, nisi fugâ celeri in vaga montium dilapsi fuissent (t). Tum Archelaus ad excusandam, quam Judæi objectabant, crudelitatem & ad stabilitatem Regni impetrandam Cæsarem adiit: proficiscentem secutus est alter Herodis filius Antipas, qui supremam potestatem in primis Patris tabulis sibi demandatam repetebat. Prolatis coram Augusto pluribus in Archelaum querelis, ab eodem Cæsare concilium Amicorum vocatur, cui Cajum Agrippæ, & Juliæ filium præesse jubet. Peroratâ utrinque causâ Archelaus ad genua Augusti procidens id eblanditur, ut Imperator se nec contra ultimas tabulas Herodis facturum quidquam promitteret. Post hæc Quintilio Varo indulgente, alii Judæorum legati Romam (u) veniunt: hi dum à Cæsare efflictim obsecrant, liceret sinè Regibus more Romanorum sub Syriæ Præside vivere; Nicolaus Damascenus, qui Archelai causam tuebatur, exulceratum ejusmodi negotium difficiliùs propugnabat; nihilominùs Cæsar post aliquot dies rem ita admoderatus est: haberet Archelaus (Ethnarchæ duntaxat nomine) dimidium Paternæ ditionis (x); Herodes Antipas sortitò Galilæam cum Peræa acciperet: Philippus autem tertius filius Bataneæ, ac Trachonitidi dominaretur. Divisione Regni factâ Christus monente Angelo ex Ægypto reductus est. Nazarethum Gali-

(t) Ibid. c. 11.

Ejus iter ad Augustum.

(u) Ibid. c. 12.

(x) Joseph. lib. 17. c. 13.

Archelaus Ethnarcha.

(*37) USSERIUS apertè definit Herodem mortuum esse circa Novembris nostri 25. Septimo videlicet Cislevi mensis, qui idcirco à Judæis, ut dies lætus, & festivus celebratur, quòd in eo *Herodes, qui sapientes odio persecutus est, mortem obierit,* ut ex מגילת תענית sive *volumine jejunii* in chronologia sua notavit *Edovardus Livelejus.*

Galilææ, quod sub Antipæ imperio erat, Josepho placuit præ tota Judæa; quæ Archelao ferociori serviebat (y): ex eo deinceps loco Nazaræus dictus est, quod nomen ad ejusdem primos sectatores transiit, hæsitque tamdiu, donec meliore nomenclaturâ Christiani compellarentur (z).

(y) Matth. c. 2. v. 19. 23.

(z) Act. 24.

17. Exacto novem annorum intervallo sub CC. Æmilio Lepido & L. Aruntio, Archelaus apud Cæsarem de crudelitate, aliísque criminibus à Judæis in jus (a) vocatur: auditâ accusatione Augustus hominem Viennam Galliæ relegat: Judæam in Provinciæ formam, Archelai bona publicata in Ærarium per Quirinum redigi curat Anno septimo supra trigesimum post Actiacam Victoriam: è re Romana tunc quoque visum est, ut ab eodem Præside tota regio ac Syria censui subjiceretur, quem dum Quirinus à Gente Judaica acerbiùs, ac oportebat, exigit; tota natio libertate recentiùs defuncta, in adversos motus conjecta est, stimulante Juda Galilæo, qui servitutem tam fœdam ac indecoram liberis Abrahæ filiis excutiendam vi atque armis prædicabat (b). *Sed & ille periit, & omnes, qui assensi fuerant ei, dispersi sunt* (c).

A. M. 4011. Æ. V. 6. Jul. 52.

(a) Joseph. lib. 2. belli c. 6.

Archelai proscriptio & Judææ Census.

(b) Joseph. lib. 18. Antiq. c. 1.

(c) Act. c. 8. v. 37.

18. Proscripto Archelao, Parentibus JESU facilior Hierosolymam aditus patebat; proximo igitur paschæ tempore Christum duodecimum annum jam agentem illuc Religionis causâ deducunt: hic peractis Azymorum diebus clam utroque Parente solus Hierosolymis remanet; quo suæ cælestis sapientiæ dogmata Doctoribus legis exponeret. Multum ea absentia sollicitudinis B. Virgini, ac Josepho toto triduo injecit; dum tandem in templo inveniretur (d): è medio autem peritissimorum hominum Nazarethum ad fabrilem Josephi casam secutus est; ubi inter obeditionis, ac demissionis opera maximam vitæ partem transegit (*38).

A. M. 4012. Æ. C. 7. Jul. 53.

Christus duodennis ascendit Hierosolymam.

(d) Lucæ c. 2. v. 41 ... 47.

§. II.

(*38) Cùm sacra Familia manuali & fabrili labore vitam tolerârit ab anno Christi 12. ad 30.; dubitatur, quam artem fabrilem exercuerint? *Theodoretus* lib. 3. c. 18. insinuat, S. Josephum Fabrum lignarium fuisse: cum Libanius (Juliani familiaris) ex Christiano Ludimagistro quæreret; ecquid faceret Fabri (τȣ̃ τέκτονος) filius? Christianus reposuit, quod fabricaretur feretrum Juliano: ejusdem sententiæ est S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, ubi Josephum fabrum lignarium vocat. Econtrà S. Hilarius c. 14. Comm. in Matth. fabrum ferrarium vocat; cujus sententiæ etiam est Petrus Chrysologus Serm.

§. II. *Præcursor S. Joannes, Baptismus Christi, Apostolorum Vocatio, Prædicationis Christi tempus per tres annos & trimestre, ejusdem Servatoris Miracula, Ingressus solennis in urbem Hierosolymitanam, ultima Cœna, Eucharistiæ institutio & Sacrificium, Passio, Resurrectio, Spiritûs S. adventus, Diaconorum electio, Prædicatio & Prodigia Apostolorum, Conversio S. Pauli, Initium Cathedræ Antiochenæ &c.*

A. M. 4030. A. Æ. V. 25. Jul. 71. (†) Reflexio II.

1. ANteà, quàm Christus ex privata virtutum schola palàm progrederetur; S. Joannes è deserto suo exire, ac ministerio demandato fungi jussus est Anno decimo quinto Principatûs Tiberii Cæsaris †, qui Monarchiæ ipsius ab excessu Augusti duodecimus erat. Pontius Pilatus Romanorum nomine Judæam gubernabat, Sacerdotium gerebat Caiphas (*1) qui cum Anna Socero totam, quâ pollebat, authoritatem dividebat: sub his malignis præsidibus populus magìs vitia, quàm virtutem sectabatur; quare Domini præcursor primùm exemplo omnibus odium inculcat mollium deliciarum, pro cibo locustas ac mel sylvestre, pro veste Camelj setas, ac pelliceam zonam adhibens (*2): deinde pœnitentiæ præco quasi tuba extulit vocem, quâ peccatores ex Judæa, ac regione Jordanis excitos aquis eluit (a), ut ad recipiendum Servatorem majori munditiâ niterent (*3). Hanc inter plebeculam eodem tempore visus est Agnus

Prædicatio S. Joannis.

(a) Marci 1. Luc. 23. Matth. c. 3.

Serm. 48. Alii cum Theophilo Antiocheno lib. 1. Comment. in Evang. eum & Ferrarium, & Lignarium fabrum fuisse significant: nos Justino Antiquiore, & traditione nixi primam tenemus sententiam.

(*1) Luc. 3. tam Anna, quam Caiphas summi Sacerdotes dicuntur, cùm tamen Josephus nunquam duos simul describat: *Tillemont.* I. P. 1. fol. 216. & *du Mesnil* Lib. I. de discipl. Eccl. docent Annam summum Pontificem tantùm nominari ob authoritatem, quam apud Judæos habebat tum quia socer erat Caiphæ: demùm quoniam Magni Synedrii Præsidem agebat.

(*2) LOCUSTARUM nomine *Euthymius* in Matth. c. 3. intelligit, volucres viles, at mundas, quæ frequentes sunt in Palæstina; de his *S. Hieronymus* lib. 2. adversus Jovinianum c. 6. *Orientales, & Lybiæ populos, quia per desertum, & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est, id verum esse Joannes quoque Baptista probat.* Vide *Baron.* ad a. 31. §. 13. & 14. MEL SYLVESTRE Tillemontius putat fuisse muscarum ferarum mel insipidum, econtrà *Du Mesnil* Tom. I. ad A. C. 30. id exponit per quarundem arborum rotunda folia, quæ lactei coloris erant, & mellei saporis.

(*3) Triplex in Sacris Litteris baptismus memoratur. *Primus* apud Hebræos erat Sacra duntaxat *lustratio*, certis actionibus, aut eluendæ cuidam immunditiæ legali præmitti

Agnus candidissimus Joannis manu tingendus: cohorruit ad grande virtutis spectaculum Baptista, nec antè undas puritati tantæ applicare ausus est; dum recusantis reverentiam vinceret imperium Christi, qui tunc incipiebat esse annorum quasi triginta. Totius Ss. Triados imago eâdem die patefacta est; nam Filio Dei ex aqua ascendente, Spiritus Divinus columbæ specie à cœlo descendit, unde quoque vox Patris delapsa de divinitate Filii enunciabat. Edito tanto testimonio Christus desertum petiit (b), ubi impastus quadraginta dies (*4) exegit, documentum posteris daturus, præparationem haud meliorem fore ad Evangelicas functiones, atque jejunium & animæ solitudinem (c). Præterea, ut modum vincendi hostes nobis suggereret, inter deserti squalores triplici genere tentationum, scilicet gulæ, præsumptionis, ac avaritiæ se pulsari passus est; stygium tamen impostorem verbis è sacro codice petitis facilè rejecit, succedentibus bonis geniis, qui victori ministrabant.

Baptismus Christi.

Anno M. 4031.
Æ. V. 26.
Jul. 72.

Manifestatio Christi.

(b) Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

(c) Augustin. Ep. 55

Jejunium.

2. Intereà Joannes in exsecanda viperarum progenie, sive in retundenda, Pharisæorum, ac Sadducæorum superbia totus erat; confitentes (*5) autem peccata inter baptismales Jordanis undas demergens, identidem monebat, ut in eum crederent, qui post se

Testimonium Joannis de Christo.

mitti solita. *Secundus* erat baptismus *Joannis*, quo homines ad sanctitatem per baptismum Christi obtinendam parabantur; hinc gratiam non conferebat quidem, sed tamen ad eam recipiendam disponebat: tùm quia Joannes doctrinâ suâ homines ad Christi fidem adducebat, tum quia ad baptismum Christi eos assuefaciebat, ac per pœnitentiam ad ejusdem baptismi fructus consequendos ritè comparabat. *Tertius* denique baptismus est *Christi* remissionem peccatorum, gratiam & sanctitatem conferens. V. *S. Thomas*. P. 3. q. 38.

(*4) Quadragesima jejuniorum authoritatem habet, & in V. T. ex jejunio Moysis & Eliæ: & ex N. T.; quia totidem diebus Dominus jejunavit. V. *Augustin* Ep. 55. c. 15. & *Author operis imperfecti* hom. I. in Matth.: jejunavit Christus quadraginta diebus propter duas causas: Primùm ut nobis adversùs tentationes daret remedium, deinde ut Quadragesimi jejunii nostri poneret mensuram.

(*5) SUAREZ. in 3. Part. Tom. 2. q. 38. a. 3. docet Judæorum confessionem veram ac distinctam fuisse, & *Morinus* lib. 2. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ c. 20. ex antiquis Judæorum monumentis ostendit, apud ipsos manifestationem omnium peccatorum usitatam fuisse. *Calmet*. in Dissert. de bapt. unum, è Protestantibus allegat, qui fatetur, Judæos, peccata sua sigillatim recensuisse, iis tamen exceptis, quæ capitali pœnâ digna essent. Hæc Confessio non erat Sacramentum, nec peccata condonabat; valuit tamen ad salutaria monita, utilémque animæ medicinam confitentibus impertiendam, vel erat præparatio ad remissionem peccatorum consequendam per baptismum Christi &c. Similia habet S. *Augustinus* lib. 5. contra Donatistas. c. 10.

ſe venturus eſſet, quíque in Spiritu, & igne Charitatis baptizando, peccata verè eſſet aboliturus (*6). Doctrinæ hujus, ac rerum geſtarum fama latiùs jam viciniam omnem pervaſerat: itaque Judæorum Primores legatos ad Joannem mittendos eſſe cenſuerunt (d), qui ſolenniùs ab eo ſciſcitarentur: utrum Meſſiam, aut Eliam, aut alium ex Prophetis ſe eſſe profiteretur? Trinâ confeſſione præcurſor Domini malè opinantium ſenſa correxit, ſe nonniſi *vocem clamantis in deſerto* teſtatus, qui ejus viam præparet, qui medius ipſis viveret, nec agnoſceretur (e): Subinde Joannes ſe Prophetis omnibus longè ſuperiorem oſtendit, quando Chriſtum alterâ die videns, jam non futurum ſed præſentem Meſſiam, Agnúmque Dei, qui peccata mundi tolleret, digitis commonſtrabat (f). Præclara de Chriſto teſtimonia duos Joannis diſcipulos in ſequelam Servatoris tranſtulêre; nam Andreas in conſortium Chriſti modò admiſſus, fratrem natu minorem (*7) Simonem Magiſtro etiam adduxit: diſcipulum hunc ſpeciali *Petræ* nomine Chriſtus deinceps appellandum voluit, ut præſignaretur ſummum Paſtoris officium, ac fundamentum, quo poſteà Eccleſia ſuſtentanda foret (g). Subinde in ipſo Galilæam verſùs itinere, Philippus oriundus Bethſaidâ (natali Andreæ, ac Simonis oppido) ſodalitio Chriſti acceſſit: iſte pro ſuo zelo Nathanaeli Canæ in Galilæa nato, plura de JESU referens perſuaſit, ut cæleſtem Præceptorem accederet (*8). Tulit ab eo Legis Doctor virtutis inſigne ſuffragium; aptus tamen minùs viſus eſt, qui intra Apoſtolorum numerum cooptaretur; propter eà quòd Servatori conſtitutum eſſet, infirma mundi eligere, ut ſine eloquentiæ aut doctrinæ adminiculis, ſolâ veritate cæleſti ſapientia terrena confunderetur (h). Triduo à Philippi vocatione exacto, Cana (conterminus ferè Nazaretho, obſcurus cæterà locus) à Primo Chriſti Prodigio illuſtratus eſt (i): cohoneſtante Sacramentorum Inſtitutore (k) præſentiâ ſuâ ibidem nuptias, aut potiùs Conjugii hono-

(d) Joan. 1.

(e) Marci 1. Luc. 3.

(f) Joan. 1.

Apoſtolorum vocatio.

(g) Tertull. de præſcript. c. 22. Epiph. Hæreſ. 59. §. 7.

(h) 1. Cor. 10.

(i) Joannis c. 2.

(k) Auguſtin. Tract. 9. in Joann.

(*6) Nota hìc *Concil. Trid.* Seſs. 7. Can. 1. de baptiſmo: *Si quis dixerit, baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.*

(*7) EPIPHANIUS hæreſ. 51. §. 17. Seniorem Petro Andream facit; at *Chryſoſtomus* in Matth. hom. 59. dicit Primogenitum Petrum inter fratres fuiſſe. *Baronius* ad a. 31. §. 23. rem ita decernit: *Epiphanius de ætate Andreæ magis audiendus eſt.*

(*8) Teſte *Florentinio* pag. 166. Græci recentiores errant; quòd Nathanaël idem

honorem consecrante (*9), vinum (quæ inopia sponsorum fuit) omnino defecerat: Christus, ut pudori familiæ consuleret, à matre dilectissimâ rogatus, abnuentis primò speciem ostendit; ne, quod divinâ virtute patraturus erat, viribus à natura acceptis adscriberetur (l): hoc documento dato maternis precibus inclinatus, aquam (*10) hydriis haustam in vinum convertit (*11), stupentibus adhæc discipulis Christi potentiam, & Matris charitatem. *Primum Christi miraculum.* (l) Baron. ad a. 31.

Pertransiens inde JESUS Capharnaum, ascendit Solymam ad *Paschæ* solennitatem: ingressus templi atrium ementium, & vendentium nundinas videt; quas, ut licentiùs de populo præda fieret, Sacerdotes sub pietatis fuco introduxerant (m): tum enimverò Patris sui gloriâ incensus subvertere mensas, flagello submovere profanum vulgus, cunctos à templi foribus vultu Majestatem spirante abigere (*12). Prodigii claritas Nicodemum sectâ Pharisæum, ac supremi Synedrii Senatorem in admirationem, & propè in Christi sequelam rapuit (n); nam Magister legis de fidei Mysteriis imbutus, repentè se rudem discipulum profiteri debuit, qui baptismi, & fidei necessitatem, & duplicem Christi nativitatem per æternam à Patre generationem, ac incarnationem adhuc ignorabat. His peractis Hierosolymam relinquens in vicinam Judææ Regionem trans Jordanem discessit, ubi Servato- *Publica Prædicatio Christi.* (m) Hieron. in Matth. 21. (n) Joann. c. 3.

 ris

idem fuerit, qui Bartholomæus. S. *Epiphanius* ait, quòd Cleophas fuerit. Hær. 23. c. 6. p. 67.

(*9) NICEPHORUS affirmat lib. 8. c. 30. Sponsum in his nuptiis fuisse *Simonem Cananæum*, qui unus ex duodenario Apostolorum numero *Zelotes* dictus est. Optimè hìc Baronius, qui credit, verosimili conjecturâ traditum, ejusmodi nuptias fuisse alicujus, qui Christo esset aliquâ cognatione conjunctus; plus dicere divinare est: cæterùm quia de JESU, ejúsque matre tantùm (utpote præsentibus) in his nuptiis fit mentio, omisso S. Josepho; Critici colligunt, prædictum Sanctum ante prædicationem Christi è vivis excessisse.

(*10) Ex Hydriis Cananeis una conspicitur in Abbatia Portûs Regii Parisiensis, quam dicunt tempore *Cruciatarum* à S. Ludovico illuc periatam fuisse, de qua extat Dissertatio Lancelloti. Aliæ hydriæ ejusmodi conspiciuntur vel Coloniæ vel Tungriæ aut Bononiæ, & Bambergæ non sine annuâ celebritate.

(*11) Quoniam Ecclesia testatur Christum octavo Idus Januarias baptizatum fuisse; dicendum videtur sub exitum Februarii aquam in vinum mutatam fuisse. Itá *Pererius* in Joannem c. 2. disp. 2.; nam licèt sextâ Januarii & baptismus Christi, & primi signi memoria celebretur; non tamen hoc ideo fit, ac si eâdem die contigissent: sed quia Ecclesia voluit Epiphaniam Christi sive manifestationem ejus trium miraculorum memoriâ concelebrare; unde quando canitur: *hodiè vinum ex aqua factum est ad nuptias;* sensus est: hodiè ejus rei memoria agitur. V. *Baronium* ad a. C. 31. §. 34.

(*12) HIERONYMUS in c. 21. Matth. *plerique arbitrantur maximum esse signorum;*

ris discipuli partitis laboribus complures salutari aquâ lustrabant (* 13). Æmulationis istud deinde argumentum fuit inter Christi & Joannis discipulos, quam tamen hic vir sanctus egregiâ sui demissione, & Messiæ præconio illico repressit. Idem Herodem Antipam paulò post increpuit, scilicet ab adulterio, juxtà ac incestu cum Philippi fratris uxore infamem: Herodias (hoc adulteræ nomen erat) monitori importuno indignata, à proco suo impetrat, ut S. Præco ab aulæ limine ad silentium carceris abstraheretur (o). Nuncio hac super re accepto Christus per Samariæ fines in Galilæam redire parat: ad urbem Sichar progressus obviam mulierem Samaritanam habuit, quæ dum terrenam aquam haustura prodit; cælestem planè à Christo accepit (p). Ab itinere enim fessus ille, ubi ad Jacobi puteum consederat; dilapsis mox ad emendos cibos discipulis, fœminam docendi occasionem captat: deinde de tempore instruit, quo cultus purior & sanctior exoletis Synagogæ ritibus surrogandus esset (* 14): demum retectis, queis adultera implicita erat, vitiis se Messiam persuadet: quare imbuta probè mulier cum indigenis meliorem vitam ac fidem amplectitur.

S. Joannis captivitas.

(o) Matth. c. 14. Marci c. 1. Lucæ c. 3.

(p) Joannis c. 4.

Samaritanæ conversio.

A. M. 4032. Æ. V. 27. Jul. 73.

Secundus annus Prædicationis Christi.

3. Profectione in Galilæam factâ, Christi Canæ jam secundùm thaumaturgi opem expertus est Regii Ministri filius: proli à medico etiam absente allata sanitas tantùm profuit, ut & Parens, totáque domus ad meliorem salutem convalesceret (q). Circa

(q) Ibid.

rum, quòd Lazarus suscitatus est....: verùm quòd ex atrio templi, quod gentibus etiam patebat, Christus tot ejecerit, majus putat: *quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis; ut posteà crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensásque subvertere .... alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.*

(*13) AUGUSTINUS Ep. 265. aliàs 208. testatur, quòd Christus plures baptizârit, quàm Joannes: porrò ait ipsum *quidem baptizâsse præsentiâ Majestatis, non tamen ipsum baptizâsse manibus suis; ipsius enim erat baptismi Sacramentum: ad discipulos autem baptizandi Ministerium pertinebat. Nazianzenus* tamen ait or. 39. Christum post susceptum à Joanne baptismum, Joannem quoque baptizâsse, juxta illa verba: *ego à te debeo baptizari. Hieronymus* contrà in c. 3. Matth. docet, Joannem baptizatum à Christo non aquâ, sed Spiritu. De Apostolis quoque asserit, *Ambrosius* in c. 18. Lucæ. Eos à Christo ipso baptizatos fuisse: laverat eos JESUS, *lavacrum aliud non quærebant: uno enim Christus baptismate omnia solvit baptismata.* Unde fidem non meretur Nicephorus, qui ex supposito quodam Evodio descripsit: Petrum tantummodò à Christo baptizatum, à Petro Andream, & Filios Zebedæi, ab his reliquos &c.

(*14) JOANNES IV. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt*

ca idem tempus Servator Petrum & Andream à solito Piscatu ad capiendarum animarum studium transtulit (r), cúmque his Capharnaitarum Synagogam ingressus, immundis spiritibus exilium juxtà ac silentium indicit: è templo in domum Simonis se recipiens in ejusdem socru febribus æstuante vim morbi extinguit (s). Sub vesperam evulgata rei fama infirmorum complures exciverat, quibus pro remedio morborum multorum unum Christi sufficiebat imperium. Postridiè è media plebe in desertum abiit orationi vacaturus: non ità latuit, quin brevi investigatus à populo, ad proximos vicos redire compelleretur; ubi miracula denuò doctrinæ, doctrinam miraculis jungebat. Quò cæteris civitatibus legis quoque novæ nuncium fieret; stagnum Genesareth trajecit, sed non sine prodigio: nam ortâ tempestate cùm comites discipuli extrema omnia inclamarent; Magister tandem à somno, quo sopitus videbatur, excitus vel verbo fluctuum licentiam castigavit, pluribus autem anxiorum pusillanimitatem reprehendit, qui præsente Deo timere periculum voluissent (t). Navi eâdem in terram Gerasenorum delatus, duos energumenos obvios malis hospitibus liberat, qui Christo permittente in porcos proximos ingressi, gregem omnem in mare dedêre præcipitem: incolæ magìs de suibus, ac de languentium corporibus solliciti Christum rogant, suis finibus exesse vellet: hic ne divina obluctantibus beneficia obtruderet, mari rediit. Inde ad oram Capharnaitarum appulsum ingens multitudo circumsidet: per confertas ejusmodi turbas cùm Amici Paralyticum salutis causâ inferre frustra niterentur; novo tandem consilio per nudatum tectum ad Servatoris pedes demittunt (e): fiduciæ magnitudo effecit, ut æger priùs animæ morbo; deinde corporis quoque languore absolveretur. Pupugit tamen signi claritas cæcutientes Pharisæos: hìc igitur, ut virtutem suam Dominus quoque humanâ vi majorem comprobaret (x); secretorum revelatione eorum convitia compescuit. Post hæc maris

Secunda vocatio Apost.

(r) Matth. c. 4.

(s) Marci 1. Lucæ 4.

Christi varia prodigia.

(t) Matth. c. 8. Luc. 8.

(u) Matth. c. 9. Marc. 2.

(x) Irenæus lib. 5. c. 17.

Vocatio S. Matthæi.

 littus

bunt Patrem in Spiritu, & Veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Ceremoniarum usum non rejicit Dominus, sed spiritualem cultum commendat ut potiorem

littus denuò revisens, Dominus Matthæum (* 15) à telonio ad sui sequelam vocat. Non defuit voci Servatoris vectigalium collector (* 16), quin ût se gratum ostenderet; convivio Magistrum veneratus se eidem in discipulum tradidit: exinde aliæ criminandi causæ subnatæ sunt; nam Pharisæi Christum arguebant promiscuæ cum peccatoribus consuetudinis, discipuli autem Joannis delicatioris Vitæ Christi sectatores incusabant, quasi nullis ferè jejuniis vacarent (y). Non defuit diluendæ obtrectationi cælestis sapientiæ Magister; ostenso enim, nullibi meliùs Medicum, quàm inter ægros versari, illud etiam recepit: fore aliquando tempus, quo discipuli (& qui ex eorum imitatione ac præscripto viverent Christiani) jejuniis bene multis, nec simulatis (Phærisæorum more) sese essent afflicturi (*17). Hæc eo disserente Princeps Synagogæ Jairus rogat: dignaretur filiam in primo ætatis flore (nam duodecimum annum agebat) ab imminente jam morte servare superstitem (z). Ad istam curandam dum pergit; Hæmorrhoissæ in duodecimum annum laborantis ægritudo ab uno contactu, quo Medici divini extremam vestem piè apprehenderat, penitus abscessit (* 18). Christus porrò patrato prodigio Domum Jairi petens, filiam jam mortuam (quò vis divina magis eluceret) vitæ reddidit.

(y) Matth. c. 9.

Confutatio Pharisæorum.

(z) Lucæ c. 8.

Christi alia miracula.

Subinde Domino Hierosolymam ad diem *festum* ascendente

rem, & finè quo exterior cultus est inutilis. Imprimis superstitiones aut legales purè ceremonias Samaritanorum, ac Judæorum rejicit ût figuras: verúmque cultum ac spiritualem substituit.

(*15) *Matthæus* Patriâ Gallilæus erat, qui mensam habebat ad mare Tiberiadis urbi Capharnaitarum proximam. Natione fuit Judæus, non Ethnicus, ut visum est *Tertulliano*, qui propterea reprehensus est à *D. Hieronymo*: Ethnicorum tamen loco habitos à Judæis Publicanos innuere videtur illud: *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; apud Judæos enim maximè invisum Publicanorum nomen, quod tributum sibi à Romanis indictum, argumentum esset servitutis.

(*16) *Phorphyrius*, & *Julianus* Matthæum accusant, quòd stultè secutus sit Christum, hominem sibi minimè notum, quos HIERONYMUS in Matth. c. 9. refellit: *Cum tanta*, inquit, *virtutes, tantáque signa Christi præcesserint, quæ Apostolos (antequam crederent) vidisse non dubium est, certè fulgor ipse, & Majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.*

(*17) *Matth.* c. 9 v. 15. his verbis ad confutandos Joannis discipulos utitur: *Nunquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus* (sive Christus) *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt* Hinc præter quadragesimale jejunium ab Apostolorum temporibus, alia quoque instituta sunt per Ecclesias jejunia, de quibus in Historiæ decursu.

(*18) EUSEBIUS lib. 7. c. 18. Testatur se vidisse Cæsareæ Philippi statuam æneam, quam

te (*19), homo afflictissimus, qui ad Probaticam piscinam tribus annis supra triginta mali sui remedium nequicquam speraverat, membrorum usu recreatus est, Archisynagogo duntaxat reclamante, quasi Sabbati Dominum curare in Sabbato minùs deceret: Pharisæorum reliqui, cùm Magistrum carpere non possent, in discipulis criminabantur: eos in die Sabbati spicas vellere, seu earum excussis granis vesci (a): ast Pharisaicus livor ad allatum à Christo Davidis exemplum brevi obmutuit. Missis ejus generis hypocritis, Servator montem adiit; ac nocte ibidem inter preces transactâ ex cunctis discipulis duodecim legit Apostolos (b), eorúmque *primum* Petrum (*20); cæteros inferioris ordinis posteà binos misit ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Domino è montis fastigio descendente munditiem leprâ infectus accipit eâ lege; ut se Sacerdoti sisteret: Servus Centurionis ob fidem Heri deprecantis à Paralysi, viduæ filius Naimi ex loculo vivus resurgit (c). Prodigia tanta ubi suo in carcere Joannes audierat; quosdam è suis ad Christum ablegat, rogaturos, utrum ipse Messias foret? quibus cum exspectato responso remissis, cœpit Christus (d) Præcursoris sui enunciare dignitatem, illorum autem exprobare duritiem, qui nec suâ, nec istius doctrinâ, seu exemplo ad frugem conversi fuissent, Pharisæos utique perstringens, quibus Publicanos & quosque vilioris notæ homines præferebat. Quod ut reipsâ aliquando patefaceret; in Simonis convivio, Peccatricis lachrymas (quæ tum ex fide, tum ex multùm diligentis charitate proficiscebantur) ambitiosi hospitis epulo antehabuit (e); remissione etiam noxarum mulieri impertitâ, quâ tantò dignior erat, quòd prima inter languentes non corporis, sed animæ medicinam expetiisset. Non desinebat interim Pharisæorum malevolentia Thavmaturgam Christi virtutem stygio tribuere carmini; cui calumniæ tam disertam Apologiam objecit (f); ut mulier dissertatione perceptâ beatam matrem prædicârit, quæ sapientissimum filium orbi genuisset: Quàm

(a) Matthæi 12. Marci 2. Lucæ 6.

Electio Apostolorum.

(b) Marci 3. Matth. 10.

(c) Matth. 8. Luc. 7.

(d) Matth. 11. Luc. 7.

(e) Lucæ 7. *Mulieris peccatricis conversio.*

(f) Matth. 12. Marci 3. Lucæ 11.

quam mulier Hæmorrhoissa Christo posuerat, accepti beneficii monumentum; ad cujus pedes nascebatur quædam herba, quæ ad fimbriam vestis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum erat remedium. Vide etiam *Sozomenum* lib. 5. c. 21.

(*19) *Post hæc erat festus dies Judæorum*: per diem *festum* Joannes Evangelista c. 7. v. 1. Pascha intelligit; quia id erat festum per Antonomasiam, cæteris enim festis semper additur Epitheton. V. g. dies *festus Judæorum, Scenopegia c. 7. v. 2. vide infrà Reflexionem III.*

Quàm avidum, & ab ore pendentem populum cæteris in urbibus Christus habuit, cùm Syrorum more arcana sacra sub parabolis exponeret (g); tam infestos natali in solo cives expertus est: propositum his erat à Christo miracula extorquere, quêis æquè sua, ac aliorum Regio celebraretur: repulsam passi Servatorem ex urbe ejectum in montis supercilium, unde darent præcipitem, deducunt: verùm eodem de medio eorum innoxiè abeunte, id saltem prodigii, aut documenti loco illis relictum est, contra Dominum nec vim, nec consilium fore (h). Posteà Christus cum Apostolis & mulieribus famulantibus oppida, & urbes peragrans, nil magìs doluit quàm quòd tot Evangelici agri messoribus destituerentur: providè igitur pluribus animabus consulturus duodecim à latere Apostolos, miraculorum vi insignes, ad inferendos manipulos ablegat (i). Cùm hâc ratione in discipulorum ore, atque animis Christus cresceret, Macherunte Joannem suo in carcere minui oportebat; nam Herodias sanctissimo viro dudum insidiata, diem natalem Regis designaverat, quâ rigidum contra incestus præconem perderet (k). Discumbente igitur unà cum Magnatibus Herode in cœnaculum accersitur Salome ex Philippo & Herodiade filia: hæc ubi multis artis saltatoriæ lenociniis tum hospites, tum præcipuè Regem infatuâsset; sacramento impio Herodes se obstringit: se omnium eorum, quæ præmii loco posceret, fidem confestim exsoluturum. Suadente matre nil aliud illa de donis Regiis, quàm resectum Joannis caput in disco sibi expetiit, obtinuítque utique nobilius omni Regno munus, nisi impietas aut impetrâsset, aut dedisset (*21).

(g) Matth. 13. Marci 4.

(h) Matth. 13. Lucæ 4.

Missio Apostolorum.

(i) Matth. 9. & 10. Marci 6. Lucæ 8. & 9.

(k) Matth. 14. Marci 6. Luc. 9.

Mors S. Joannis.

A. Mundi 4033. Æ. V. 28. Jul. 74.

4. Ut

(*20) *Matthæus* c. 10. v. 2. hoc modo describit Apostolorum nomina: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas &c.* Tam apertum pro Primatu Petri testimonium, ut elideret *Beza* finxit τὸ *Primus* additum esse; nil enim sequi, quod cohæreat: idem tamen fatetur exemplaria omnia consentire; unde suum figmentum ipse refellit: neque hìc τὸ *Primus* nomen numerale est, alioquin Evangelista alia quoque numeralia posuisset, sed est signum prærogativæ, & authoritatis, cui à Protestantibus *Grotius* suffragatur, dum in l. c. ait; *Petrus haud dubiè Princeps Collegii designatus à Christo ad retinendam Corporis compagem.*

(*21) Parum inter AA. convenit, ubi tumulatum fuerit Corpus S. Joannis. An *Macherunte*, an in *Hebron*, vel *Samariæ*? certè ex Ruffino lib. 11. c. 28. & Gregorio M. lib. 11. Ep. 45. patet S. Joannis sepulchrum posteà sub Juliano ab Ethnicis apertum & plura

4. Ut occidente Phosphoro, Sol orbi magis illucescit; ità extincto Præcursore Doctrina Christi ac Prodigia adeò amplificata sunt; ut Herodes ancipiti curâ suspicaretur, Joannem revixisse (l): Christus ad Herodis proinde insidias declinandas cum Apostolis (ex Missione tunc reversis) trans Galilæum mare in solitudinem se abscondit; vix tamen solus latere poterat multitudine ejus vestigia premente. Quinque itaque hominum millibus denuò doctrina; & ne fame perirent, etiam alimonia suppeditanda fuit: victum accedente Domini benedictione quinque hordeacei panes, ac duo pisces tam abundè subministravêre, ut refectioni omnium duodecim fragmentorum cophini superessent. Gratitudinem suam testatura plebs Benefactori Regiam dignitatem decernit: verùm Discipulis per mare digredi jussis, Christus captâ quoque in montem fugâ, tam piis populi conatibus se subduxit: rediit post hæc calcatis maris fluctibus ad Discipulorum navim: venienti Petrus super undas innoxio pede occurrit; ast labante fide infra aquas delapsus, à Christo ex maris medio, ac pusillanimitatis extrahitur. Posterâ die cùm occasione convivii prodigio pleni plures ad Servatorem accurrerent (m); eos ab alimoniæ terrenæ desiderio ad quærendum cibum cœlestem commodè traduxit, de eo scilicet pane disserens, quem Pater misisset in mundum, quémque & ipse (scilicet carnem suam) pro mundi vita esset daturus (* 22).

Tertius annus Prædicationis Christi.

(l) Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. Joan. 6.

Panum multiplicatio.

(m) Joan. 6.

plura ossa combusta fuisse. Alteram partem Reliquiarum à Christiano subductam accepit *Philippus Abbas* Hierosolymis, qui eam S. *Athanasio* submisit; requievêre igitur Alexandriæ Reliquiæ sub altari; donec *M. Theodosius* a. 389. destructo templo Serapidis in honorem S. Joannis Basilicam ædificavit: portiones porrò ex his Reliquiis missæ sunt per varia loca, ubi in Sancti honorem exstructæ sunt Ecclesiæ. V. *Hieronymi* Epistolam 17. & 27. Caput Sancti dicitur fuisse inventum Emesæ in oppido Phœniciæ. V. *Tillemont*. in notis ad S. Vitam.

(*22) CHRISTUS Joan. 6. postquàm dixisset: *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus &c.*; Capharnaitæ intellexêre hìc exponi Carnem Christi eo modo, quo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur: quare obmurmurantes, cum aliis multis discipulis abscessêre. Si solam fidem in se, suámque incarnationem hìc commendâsset Christus, ut volunt heterodoxi; nil facilius fuisset, quàm errantes aliâ expositione ad officium revocare: sed quia veram, & realem corporis sui manducationem præcipit (licèt Sacramentalem) priora verba adeo non temperat, ut potiùs inculcet necessitatem illius cælestis cibi: *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, compellátque duodecim Apostolos,

Pharisaicæ traditiones.

Exacto *tertio Paschate* Pharisæorum quidam, qui Hierosolymis ad Christum descenderant, in Discipulos ejus graviùs invecti sunt; quòd traditione Seniorum neglectâ, illotis manibus vescerentur: Magister cœlestis contrà (n) stomachantibus ostendit, quàm optimè eos acturos; siquidem neglectis hominum mandatis & omissis umbris veriora Dei mandata sectarentur: neque enim ab iis, quæ os intrant, sed quæ de corde procedunt, mentem pollui (*23). Lite eâ compositâ ventum est in partes Tyri, & Sidonis: mulieri illic Chananeæ pro salute filiæ ardentiùs precanti ad speciem indignari visus est; nam re ipsâ illud constantis fidei exemplum elicere volebat, quo Judæorum deinceps perfidiam confudit. Itaque primùm asperiùs despicere preces, mox Discipulos, qui verba pro misella interponebant, increpare, atque palàm profiteri, se non esse missum, nisi ad oves, quæ perierunt Domûs Israël (*24). His tamen afflicta mater adeò absterrita non est, ut piam vim inferre renuenti videretur. Probatâ mulieris fiduciâ filiæ sanitatem; matri grande dedit elogium, Gentium conversioni ab eo tempore jam præludens. Post beneficia infirmis plurimis impertita, pósteque errores benè multos Judæorum, Sadducæorum, ac Scribarum confutatos (*25), tandem

(n) Matth. 15. Marci 7.

Filia Chananeæ sanata.

stolos, nunquid & vos vultis abire? Petrus respondit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* De vera Christi carne locum hunc intelligit *Hilarius* lib. 8. de Trinitate, *Maldonatus* XX. Patres ejusdem sententiæ recenset.

(*23) Nullum cibum ex natura malum esse nec ejus usum hìc indicat Christus; nisi cum intemperantia conjunctus sit, aut cum inobedientia erga legem Dei, aut Ecclesiæ. Cæterùm per *mandata hominum* non intelligit Ecclesiastica præcepta, sed Pharisæorum, qui lucris inhiantes populo persuaserant, gratius fore Deo; si ei offerrent pecuniam, Parentum sustentationi necessariam: atque ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi & rei divinæ in Sacerdotum quæstus cederet. JESUS reclamans adversus impiam interpretationem: *hypocritæ*, inquit... *incassum, & sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*, quæ pietati nil conferunt, vel etiam adversantur legi divinæ.

(*24) Christus præcipuè missus fuerat ad Judæos, quia illis promissus fuerat ut Messias; hinc necessè erat, ut aliquo saltem tempore Judæis corporalem suam præsentiam, annuntiationem Evangelii, & miraculorum gratiam præ Gentibus exhiberet; donec Christus in crucem elevatus omnia jam sine discrimine traheret ad se ipsum, & post resurrectionem Petro in mandatis daretur, etiam prædicare gentibus, Act. 10. eodem sensu Paulus Rom. 15. vocat *Ministrum Circumcisionis... ad confirmandas promissiones Patrum, Gentes autem super misericordia honorare Deum.*

(*25) EPIPHANIUS Resp. ad Ep. PHARISÆOS describit: à vulgo *separati* dicebantur, sanctissimam vitæ rationem professi, continentiam ad certum tempus suscipiebant, bis hebdomadâ quoque jejunare, urceos, & discos sæpius lavare soliti; adhæc decimas, &

dem in Partibus Cæsareæ Philippi de se hominum rogat sententiam. Aliis alias (o) opiniones referentibus, Petrus illum filium (o) Matth. 16. Marci 8. Dei vivi professus, & Petra & Caput Ecclesiæ decernitur (*26). Ad honorem vix elevatus Apostolus, denuò ad reprehensionis *Petri Confessio & Primatus.* ignobilitatem dejicitur: supplicium quippe suæ crucis prædicanti Magistro ubi incautiùs repugnâsset; acri nomine objurgatur, ignarus adhucdum gloriæ, quam passionis ignominia pareret. Hujus documentum octavo inde die Christus edidit coram tribus Discipulis, quibus secum in montem Thaboræum assumptis eum *Transfiguratio Christi.* splendorem exhibuit, quo post exantlatam crucem in cœlis esset coronandus (*27). E monte ad instructiones populi reditum est, quarum illa insignior fuit; quando Apostoli occasione denarii (pro Christo ac Petro ex æquo persoluti) inter se de prærogativa ambitiosiùs certabant: producto scilicet in medium puero singulos Discipulos tantò longiùs Magister postposuit, quantò is demissior, & omnis superbiæ expers foret (p). Instante taber- (q) Matth. 18. Marci 9. Luc. 9.

 nacu-

& Primitias offerre, assiduéque precari; sed successu temporis à prima pietate degeneres, induxêre varias superstitiones, & vestimenta, cujusmodi sunt Dalmaticæ, Colobia, & latiora quædam Phylacteria, hoc est segmenta, fimbriæque purpureæ, ac malogranata ad vestium oras appensa, quæ velut temporariæ continentiæ signa præferebant: postremò Geneses & fatum introduxêre. SADDUCÆI à צֶדֶק justitia nomen habent, qui è Samaritanorum genere à Sacerdote Sadoc ortum deducunt: mortuorum resurrectionem, animarum immortalitatem, & Angelos negabant; hinc unicum apud eos erat virtutis præmium, bona temporalia; quorum spe exteriorem legis observationem retinebant. Pentateuchum solum recipiebant, repudiatis aliis scripturis, ac traditionibus, Judæorum opulentissimi hos errores sectabantur. SCRIBÆ seu legis interpretes suas superstitiones ex quadruplici traditione Mosis, Alcibæ, Anani & Asmonæorum filiorum depromebant. *Epiphan. hæres. 15.*

(*26) Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* (Syriacè, quo idiomate Christus loquebatur, Cephas id est Petra) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Mutato nomine promittit super eum Petram, se ædificaturum Ecclesiam: Christus quidem manet *lapis angularis*, & principale *fundamentum, præter quod aliud nemo ponere potest.* Petrum tamen constituit Caput visibile & Ministeriale, ipsique dat potestatis suæ Ministerium, quod etiam ad Successores transfiret; siquidem forma Regiminis stabilis est, nec potest deficere. Vide *Dissertationis nostræ Primæ* C. I. §. I. *de Majestate Hier. Eccl.*

(*27) De die, quâ transfiguratio facta sit, Evangelistæ non convenire videntur; nam Matth. 17. & Marci 9. dicitur *post sex dies*, apud Lucam dicitur *post dies octo* assumpsisse Christum Apostolos in montem: sed notat Augustinus de Consensu Evang. lib. 2. c. 56. Matthæum & Marcum, nec diem, quo Christus sermonem habuit, neque diem, quo ad montem se contulit numerâsse. Lucas verò utrumque cum sex aliis diebus conjungit. Vide Lamy Concord. Evang. lib. 4. c. 19.

naculorum festo Christus unà cum suis Hierosolymam ascendit: proficiscentem quia Samaritani mœnibus excluserant; duo ex Discipulis ingratæ urbi vindices à cœlo iras exposcunt: at Servator mansuetissimus rursum malefacta beneficiis pensanda esse exemplo suo commonstrat. In eodem quippe agro Samaritano decem viris extemplò lepram abstergit: atque, ut se injuriæ omnis immemorem præstaret; unum inter eos Samariæ civem, quòd cæteris pro beneficio gratior fuisset, magno elogio concelebrat (q): Facto Hierosolymam usque itinere Scenopegiæ Solennitatem tum miraculis, tum dogmatum sapientiâ facit insigniorem (r): posteà auditis iis, quæ reversi ex tota Judæa Discipuli de Evangelii fructibus narraverant, transit Bethaniam: hospitio ibidem à gemina sorore Martha, & Maria exceptus, illius sollicito labori hujus piè meditantis otium anteponit (s). Sub mensis noni finem alterâ jam vice Hierosolymam petens, Encœniorum festum colit (t): suspensa Pharisæorum mens diutiùs se tenere tunc non poterat; quin apertiore responso, quis ille demum esset? sibi palàm fieri rogitarent. Tum ex operibus suis Christus se æqualem Patri non obscurè ostendit: at cæca gens ad dictorum veritatem ita efferata est; ut veluti ad blasphemiam novam contumulandam in lapides jam prorueret. Furenti plebeculæ cessurus Servator trans Jordanem abiit: notatis illinc Judæorum vitiis illud maximè reprehendebat, quòd solvendi conjugii authores essent; ostensóque ejusdem perpetuo vinculo docebat ignotam omnibus cœlibatûs prærogativam, omni utique conjugio præferendam (*28).

(q) Lucæ 17. (r) Joann. 7. (s) Luc. 10. (t) Joan. 10.

Christi divinitas.

A. M. 4034. Æ. V. 29. Juliano 74.

5. Quo

(*28) Quia Judæi promiscuè conjugia dissolvebant, Christum rogabant: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* Matth. 19. Magister cælestis ad scripturas provocans, matrimonii legem revocat ad primam institutionem, cùm Deus uni viro unam dedit uxorem; unde concludit: *itaque jam non sunt duo, sed una caro, quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, hísque verbis indissolubile vinculum constituit: prætereà ostendit, primis Patriarchis libellum repudii non fuisse concessum, sed datum duntaxat à Moyse Judæis ob duritiam eorum: demum Christus duo distingnit, quæ Judæi confundebant: concessit viro dimittere uxorem adulteram, sed prohibuit, ne eâ superstite aliam duceret, vel ne dimissa virum aliam acciperet: adulterium igitur divortium excusare potest, sed secundas nuptias non facit legitimas. Ut docet Paulus 1. Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.*

5. Quo tempore Christus in Judææ finibus constitit, Lazarus Marthæ & Mariæ frater ex fatali ægritudine ad extrema deductus est (u). Accepto nuncio de statu infirmi, dissimulabat periculum Servator, trahens insuper moras; donec de ejusdem morte penitus compertum esset. Tum enimverò se dat in viam, & lento itinere, ut miraculi vis amplior esset, Bethaniam progreditur: demum Lazarum quatriduo jam intra tumulum inclusum, tertio verbo vitæ restituit. Visa prodigii (nullis utique præstigiis adscribendi) veritas in pluribus lucem fidei; in Pharisæis autem majorem rabiem accendit: collecto enim illi tumultuario cœtu ex Caiphæ Pontificis sententia occidendum statuunt, inepti satis, quod non intelligerent, Christum præstiturum sibi, quod in Lazaro perfecisset. Insidiarum Christus minimè ignarus in oppidum Ephrem ad tempus secedit, mox Hierosolymam repetit, Discipulis tertiò de crucis suæ supplicio testatus (x): quæ alio tamen sensu ab iis ita accepta sunt; ut Zebedæi filii de terreno regno paradoxa quædam somniarent. Jerichuntem transiens Dominus Cœco visum, Zachæo fidei nobilius lumen dedit; cœptum demum iter prosecutus die sextâ, *Paschæ* festum præcedente, Bethaniam denuò invisit; ubi in domo Simonis unà cum Lazaro accubuit, ministrante Marthâ, & Mariâ pretioso unguento caput Domini perfundente (y). Quantumcunque sordida Judæ avaritia pietati huic obstrepebat; non defuit tamen Christi laudantis testimonium, quo religiosum opus probabatur. Postridiè (z) Asello insidens triumphantis in morem per substrata à plebe vestimenta, ac sparsos Palmarum ramos Hierosolymam ingreditur: omnibus læta quævis acclamantibus (*29) Servator unus lachrymas non tenuit, quos prævisum urbis excidium eidem exprimebant. Conventu applaudentium soluto nullus erat, qui Christum tecto, aut mensâ dignaretur; quare Bethaniam ad piissimarum sororum ædes reverti compulsus est, non sine aperto documento: verum Dei cultum paucorum esse, & magnificos sæpe cœtus plus habere Pompæ, quàm veræ, sinceræque Religionis.

Quartus & ultimus annus Prædicationis Christi.

(u) Joan. 11.

Suscitatio Lazari.

(x) Matth. 20. Marci 10. Luc. 18.

Conversio Zachæi.

(y) Joan. 12. Marci 14.

(z) Luc. 19. Marci 11. Matth. 21.

Christi ingressus solennis in Hierosol.

 6. Fe-

(*29) Matth. 21. legitur populum clamâsse: *Hosanna filio David!* Erat hæc vox lætitiæ & exultationis, cujusmodi vocem edere solebant in Tabernaculorum festo, ramos palmarum manibus gestantes. *S. Hieronymus* Damaso Papæ pleniorem hujus vocis interpretationem fecit, ut videre est. *Ep. 16. Tom. I. litt. Rom. Pontif.*

(a) Luc. 22. Marci 14. Matth. 26.

Christi ultima cœna.

(b) Luc. 22. Marci 14. Matth. 26.

6. Feriâ quartâ ſanctioris hebdomadæ Judas Phariſæos convenit (a), condicítque operam de prodendo Magiſtro, ſacrilegum facinus triginta argenteis pactus (*30). Sub feriæ quintæ finem, cùm jam prima Azymorum dies inſtaret; Dominus miſſo Petro, & Joanne Agnum paſchalem eâdem Veſperâ edendum (b) parari jubet: ad ædes Solymæ deſignatas horâ opportunâ cum Apoſtolis divertens, in cœnaculo grandi ſtrato diſcubuit. Peractâ Moſaicâ & communi cœnâ (*31), Chriſtus accipiens Calicem (quem à Patrefamilias porrectum deguſtabant cæteri convivæ) gratias actis, diſcipulis dixit: *Accipite & dividite inter vos; dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis; donec Regnum Dei veniat* (c). Tum ſurgit à cœna, poſitóque veſtimento exteriore, præcinctus linteo lavit Apoſtolorum pedes in demiſſionis exemplum & in puræ charitatis myſterium (*32); quâ eos præcipuè nitere volebat, qui Euchariſtiam mox inſtituendam frequentaturi eſſent. Perfunctus hoc inſigni virtutis opere, JESUS ad verum Paſchæ Sacramentum transgreditur, quâ enim ratione ſummi Dei Sacerdos Melchi-

(c) Luc. 22.

Euchariſtiæ inſtitutio.

(*30) Ob pactum Judæ feriâ quartâ cum Phariſæis initum, Eccleſiæ Orientales eâdem feriâ jejunârunt, ut habet *Baronius* ad a. C. 34. §. 168. & AUGUST. Ep. 36. ad Caſul.: de pretii, quod Judæi proditori condixerunt, quantitate authores non conveniunt; nam *Baronius* per triginta argenteos intelligit triginta libras, quia inde ager figuli emi potuit. Calmet in c. 26. Matth. §. 15. ſecutus Suareſium exiſtimat fuiſſe triginta nummos argento cuſos, quo pretio ſolebant vendi mancipia. Exod. 21. *ſi ſervum, ancillámque invaſerit, triginta ſiclos argenti Domino dabit.* Gottus de Verit. Rel. Chriſt. Tom. 4. part. 2. c. 24. valorem triginta argenteorum æquat octodecim ſcutis Romanis, Schvvarzenius in Diſſert. *de pretio, quo Servator noſter æſtimatus,* noſtræ monetæ quindecim imperiales putat fuiſſe.

(*31) CORNELIUS à LAPIDE in c. 26. Matth. v. 26. triplicem Cœnam notat à Chriſto peractam fuiſſe, *Prima fuit Ceremonialis, quâ comedit agnum paſchalem. Secunda fuit communis ſive uſualis*, quam cibi, quicunque allubeſcerent, componebant; nam agnellus ſolus integræ familiæ exſatiandæ, ut plurimùm non ſufficiebat. Et in hac primò calix (de quo ſupra) diviſus eſt: *tertia fuit Cœna Euchariſtiæ*, ante quam lavit pedes Apoſtolorum.

(*32) Juxta illud *Joannis* 13. v. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Juxta hoc, inquam, exemplum Pontifices, Imperatores, ac Principes orthodoxi in eadem die pauperum pedes & Prælati in Monaſteriis lavare conſueverunt. Ut ex multorum Sæculorum uſu oſtendit *Baillet* in diſcurſu de die Jovis ſancto. §. 3. *Elgaldus Monachus* in vita Roberti Regis Franciæ. *Codinus* in libro de officiis aulæ Conſtantinianæ. *Martenè* de antiqua Eccleſiæ Diſcipl. c. 22. prætereà in Mediolanenſi Eccleſia Epiſcopus baptizatorum pedes abluebat, quod & factum legitur in Hiſpania, quem tamen morem abrogandum duxit *Concilium Eliberitanum* Can. 48.; ne in eum errorem baptizati inciderent, quaſi ſinè lotione pedum baptiſmus nullam vim haberet, ut aliqui delirabant.

Melchiſedech olim panem & vinum obtulerat; eâdem ferè, at multò meliore modo Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini veritatem ſui Corporis & Sanguinis non ſine tranſubſtantiationis prodigio collocaturus erat. Aſſumit itaque panem, & quidem azymum, ut ratio temporis poſtulabat (*33) divinámque in eo inſtituit Euchariſtiam, gratias deinde agens, frangénſque panem dixit: *Accipite & manducate, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Poſteà accepto calice, qui vinum aquâ temperatum complectebatur (d), in hanc verborum formam proloquitur: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* diſtributo ſubinde ſacro poculo omnes ex illo biberunt (e). Amoris tanti in homines monumentum Servator non huic duntaxat diei ſingulare eſſe voluit, ſed quamdiù deinceps ſtabit orbis terrarum; factâ enim Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus idipſum conficiendi poteſtate, toties Sacramentum ab iiſdem velut Miniſtris repetitur, quoties ad aram ſacris operantur, ſupremo numine promptam ſemper manum ad grande prodigium expediente (*34). Poſt inſtructionem varii generis diſci-

(d) Juſtin. apolog. 2.

(e) Marci 14. 1. Cor. 11.

Sacrificium perpetuum.

(*33) Si Chriſtus primâ Azymorum die (ùt in Sæculo ſecundo latiùs dicemus) paſcha legale celebravit; dubium eſſe non poteſt, Chriſtum in azymo conſecrâſſe, eo enim tempore omnis panis fermentatus à domibus Hebræorum procul aberat: inde tamen ne arguas, Sacramentum in fermentato validè confici non poſſe; nam ut rectè ait *Algerus* lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini c. 10. in Biblioth. PP. Tom. 21. *Chriſtus eo azymo pane uſus non eſt, quia res, quæ fiebat, id exigebat; ſed quia cœna, in qua hoc factum eſt, alium panem non exhibebat; unde Florentinum Concilium: definimus inſuper in azymo ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdotésque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ Occidentalis ſive Orientalis conſuetudinem.*

(*34) Verba illa Chriſti *hoc eſt Corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem,* quibus Chriſtus tum Sacramentum Euchariſtiæ, tum ſacrificium inſtituit, in ſenſu obvio & naturali accipienda eſſe, ſuadet *ratio*; eodem enim tempore, quo à Chriſto Sacramentum inſtitutum eſt, datum quoque ab eo eſt præceptum & teſtamentum conditum: verbis igitur propriis uti debuit; præſertim cum ſoli adeſſent Apoſtoli, agerctúrque de rebus maximè neceſſariis. Ita crediderunt ſemper Primi Chriſtiani, ut teſtem habemus *S. Irenæum* lib. 4. c. 17. *Sacramentalem ſui Corporis commendavit manducationem, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo, de qua præſignavit Malachias ... igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit, offerri in univerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum ... hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, Judæi autem non offerunt ... non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo ... ſed neque omnes Hæreticorum Synagogæ ... quomodo autem conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, Corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis ejus, ſi non ipſum Fabricatoris mundi filium dicant, id eſt Verbum*

(f) Matth. 26. Marci 14. Joan. 14.

Agonia Christi in horto.

discipulis datam (f), exitum est in hortum à Servatore frequentari solitum. Adhibitis illinc Christus tribus, quos familiares magìs habebat, Apostolis, ab iisque aliquo spatio sejunctus tam valido se mœrori dedit, qui sanguinis sudorem exprimeret (*35). Oratione ter repetitâ ab Angelo confortatus ultrò Judæ proditori osculum, ac cohorti, quam is adduxerat, sui capiendi copiam facit (g). Captus, vinctúsque primùm Annæ Synedrii Præsidi, pòst Caiphæ Pontifici sistitur. Testium falsorum inconstantia accusatores reos, Christum sceleris purum probabat; quare ad Servatorem perdendum perfidiæ id supererat, ut Præsul interposito Dei nomine ultimum de Christi divinitate testimonium eliceret: hâc ingenuè assertâ Sacerdos quasi blasphemum execratus vestem discecuit, signo hoc utique præludens, fore brevì, ut Sacerdotium à Judaica gente divellatur. Cunctis jam Dominum mortis reum proclamantibus, petulans satellitium suas sannas, suásque injurias trociter expromit, queis omnibus illud longè gravius accidit, quòd eâdem nocte à Petro dilectissimo discipulo Magister ternis vicibus negaretur: dejerantem subinde Galli cantus perculit, ac de immani facinore commonefactum eò adegit, ut stimulante dolore confestim se è Caiphæ domo proriperet, maculam, quam perfida lingua contraxerat, oculorum lachrymis abstersurus (h). Illucescente die Parasceves Dominus primò

(g) Matth. 26. Luc. 22.

Passio Christi.

(h) Luc. 22.

bum ejus. Idem habetur in Catechesibus PP. Græcorum & Latinorum, quæ sunt familiares Institutiones Catechumenorum paulò post baptizandorum; ibi enim apertiùs de mysteriis tractabatur, quæ obscurè & allegoricè à Patribus ob disciplinam Arcani in homiliis tractabantur. Sed de his plura in Reflexionibus ad Sæculum II.

(*35) *Lucas* c. 22. v. 44. scribit: *Et factus est Sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*: ob particulam *sicut* existimârunt *Theophylactus*, *Euthymius* c. 64. in Evang. Matth., *Justinus* in Dialogo cum Tryphone non Sanguinem è Christi Corpore manâsse, sed veri sudoris magnam vim erupisse, guttásque ejus fuisse tantæ magnitudinis, cujus esse guttæ, aut grumi Sanguinis esse solent. At *S Irenæus* Justino æqualis, eos, qui negabant, Christum veram carnem sumpsisse, confutat ex eo; quia si homo verus non fuisset, non sudâsset guttas sanguinis: idem sentit *Hieronymus* adversùs Pelagianos lib. 2. c. 6. *Augustinus* in Ps. 140. §. 4. videatur *Lamy* Harm. Evang. lib. 5. c. 26. porrò *Hieronymus* l. c. testatur suâ ætate Historiam de Angeli adventu, & de sudore Christi Sanguineo ab aliquibus codicibus abfuisse, quia orthodoxi quidam inconsultò eam expunxerant, ne eo Evangelii loco abuterentur Ariani ad impugnandam Christi divinitatem, quasi in humanitatem divinitati unitam tanta tristitia cadere non possit. Ex eo tamen, quòd denuò addita fuerit, satis manifestum est, in melioribus autographis eam extitisse; nulla enim alia causa fuisset, illam addendi. Vid. *Anton. Bineym.* Tom. 2. de morte Christi lib. 2. c. 2. n. 34.

primò ad Pilati Præsidis tribunal, & quoniam Galilæus erat, inde ad Herodem raptatur (i): hic S. Joannis Sicarius, ubi prodigiis plena opera exspectabat; nequidem respondentis verbum impetravit: ad Pilatum igitur Christum velut hominem fatuum remisit in veste candida, quæ tamen innocentiæ magis, quàm amentiæ testimonium erat. Præses Romanus causam iniquam ad suum forum revocari dolens, dispicere astutè cœpit; ecquî tum actoribus, tum ei, qui per invidiam in judicium trahebatur, satisfieri posset? Captato ex pietatis specie consilio, innocentissimum ad crudelem verberum lanienam damnat (k); horrifico ejusmodi cruciatu Judæos emolliendos ratus: verùm longè aliter, ac crediderat, evenit; plebs enim ad Christi (ossium tenus excarnificati) conspectum in belluinam adeò rabiem acta est, ut penè exanimem ad ultimum supplicium deposceret. In Calvariæ (*36) proinde montem educitur suspendendus duobus latronibus medius. Cruci ferendæ cùm vires nullæ sufficerent, ad onus sublevandum cogitur villicus quidam Simon Cyrenæus: Horâ diei sextâ (*37) trababilibus clavis affixus (*38) cruci, extollitur. Non

(i) Joan. 18. Luc. 23. Marci 15. Matth. 27.

(k) Joann. 19.

(*36) Golgotha vel à Calvariis ibidem dispersis dicitur, vel à Cranio primi hominis, quem ibi sepultum existimârunt Tertullianus, Origenes, Epiphanius &c. Conatur id etiam ostendere Baronius ad a. C. 34. n. 112. verùm obstat huic opinioni S. Hieronymus in c. 27. Matthæi, videtúrque eam duntaxat numerare inter populares traditiones, ac incertas.

(*37) MARCUS c. 15. v. 25. ait: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* JOANNES autem c. 19. v. 14. *Erat Parasceve paschæ, hora quasi sexta.* Hæc antilogia ex eo conciliatur, quod alter Evangelista respiciat finem horæ tertiæ in meridiem desinentis, alter initium sextæ à meridie incipientis; tunc enim quatuor horas numerabant, *primam, tertiam, sextam & nonam*: singulæ constabant tribus horis modò longioribus, modò brevioribus juxta diversam anni tempestatem. Prima durabat ab ortu solis, usque ad horam diei tertiam; inde tertia usque ad meridiem: à meridie sexta, & post tres horas nona usque ad occasum solis. Pari calculatione instituebantur per noctem quatuor Vigiliæ: ex his apparet Christum Crucifixum esse sub meridiem sive finem tertiæ, & initium sextæ. V. S. *Thomam* P. 3. Q. 46. a. 9. ad 2.

(*38) *Westphalus* unus è Protestantibus docere ausus est, Christum funibus alligatum cruci fuisse, quem dudum refutavit S. Thomas Apostolus dicens: *nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum . . . non credam.* Critici porrò disputant, fuerintne tres vel quatuor clavi? pro quaternis stat *Innocentius III.* serm. de uno Martyre, *Bellarminus* de 7. Christi verbis in Procemio, *Quaresinius* de vulneribus Christi Tom. II. lib. 1. c. 9. Sect. 5. cùm enim nullum os confractum esse in Corpore Christi constet, probabilius videtur quatuor fuisse; non enim longiori clavo duo pedes trajici sinè confractione potuissent: prætereà controversia est, an clavis quoque latrones confixi fuerint? affirmat id *Chrysostomus* in Ep. ad Rom. hom. 15., cui consentit *Augustinus* in Ps. 39. §. 11, stabilitur id ex

Non ferebat Sol immane ſpectaculum; quin Ecclipſi inſolitâ tectus, radios abſconderet (*39): Terra autem motibus ſubitis quaſſata Conditoris ſui injuriam ulciſcebatur. Tandem ſub horam nonam Servator prolatis ſeptem ſententiis, aceto & felle potatus emiſit ſpiritum anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto à tribus menſibus inchoato, Æræ Vulgaris vigeſimo nono ſub CC. geminis (†), quo tempore chirographum peccati deletum, nobiſque in libertatem tranſcriptis è ſervitute dæmonis exire conceſſum eſt.

(†) Reflexio III.

Mors Servatoris.

7. Inſtante Sabbati magni die, qui Paſcha cum Sabbato conjungebat, accelerare mortem damnatis neceſsè erat; ne ſub Solennitatis initium in ligno corpora hærerent: itaque latronum crura, quò citiùs extinguerentur, confracta ſunt; Chriſti autem jam emortui latus lanceâ perfoſſum, ne quid ſpiritûs in eo reſideret. Exinde ejuſdem corpus, à Joſepho ab Arimathia & Nicodemo aromatis pollinctum, novo tumulo conditur, Præſidis militibus, qui reſurgenti poſteà Domino teſtimonium ferrent, in cuſtodiam adhibitis; nam poſt alteram à morte diem integram ſub diei tertiæ (*40), diluculum (quæ Dominica nobis eſt, & in Sabbati locum ſucceſſit) redivivus ab inferis, ſtipatúſque Patriarcharum choro victor prodiit (l): dierum inde quadraginta communicatione cum Suis (m) habitâ, Petro univerſæ Eccleſiæ paſcen-

Reſurrectio Chriſti.

(l) Joann. 20. Luc. 24.

(m) Joann. 21.

ex inventione Crucis Chriſti; ad hanc enim dignoſcendam, non iis, quæ patrata ſunt, miraculis, opus fuiſſet; niſi & aliæ cruces foramina, & veſtigia clavorum habuiſſent.

(*39) PHLEGON Hadriani libertus, qui ſexdecim in libros diſtributam hiſtoriam ſcripſit, de hac ſolis defectione ait: *Quarto anno centeſimæ ſecundæ olympiadis magna, & excelſa inter omnes, quæ ante eam acciderunt, defectio ſolis facta. Dies horâ ſextâ ità in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bythinia Nicææ urbis multas ædes ſubvertit.* BERTUS Tom. 5. de Theol. diſcipl. lib. 29. c. ult. oſtendit non Judæam modò, ſed orbem totum obtenebratum extitiſſe non ſinè miraculo, quia in plenilunio, quale tunc erat, naturaliter obſcuratio talis eſſe non poterat.

(*40) *Marcus* c. 8. inſinuat Chriſtum *poſt tres dies* reſurrecturum. Utì & *Matthæus* c. 27. & *Joannes* c. 2. Sed uſitatus modus Scripturæ eſt, ut tres completi dies denotentur pro currente die tertia; ſicut *Luc.* 2. dicitur, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Cùm tamen conſtet, octavo die Chriſtum eſſe circumciſum: porrò quomodo inter Chriſti mortem, & Anaſtaſin tres revoluti ſint dies, ac noctes ſic exponit *D. Thomas* 3. Part. q. 51. a. 4. ad 1. *Primus dies computatur ab extrema parte ſui, quâ Chriſtus in feria ſexta eſt mortuus, & ſepultus. Secundus autem dies eſt integer cum 24. horis nocturnis, & diurnis; nox autem ſequens pertinet ad tertium diem.* Is quippe mos à Romanis ad Judæos tranſiit, ut diem à media nocte ad mediam alteram numerarent. V. *Baronium* ad a. C. 34. n. 177.

paſcendos agnos (n), ovéſque dedit. Apoſtolis etiam cæteris, eorúmque Succeſſoribus poteſtatem regendi fideles, dimittendi, retinendíve noxas (at certis legibus temperatam) diſpertitus (*41), innumera alia ſervanda propoſuit, quæ non conſignari literis; ſed tradi per Apoſtolos, pérque ſuccedaneos Præſules voluit, quò major Eccleſiæ authoritas relinqueretur (*42). His peractis ex Oliveti monte vi propriâ cœlos penetrat, olim orbis Judex rediturus. Intereà Judas proditor ſceleris ſui atrocitate agitatus gulam ſibi laqueo fregerat (o): in hujus igitur locum (monente Petro) Apoſtoli miſſis ſortibus (*43) Mathiam ſubſtituunt.

(n) Bernard. lib. 2. de conſid.

Aſcenſio Chriſti.

(o) Act. 1.

8. Labebatur jam dies quinquageſima Pentecoſtes & prima Sabbati, quâ Deus legem Iſraëlitis olim in monte Sinai dederat: ejuſdem diei horâ *tertiâ* (quæ nobis ſeptima matutina eſt) miſſus à Patre, Filióque Spiritus divinâ virtute induit Apoſtolos, linguarum formam præferens; ut Doctores Gentium ad ſacra eloquia informaret (*45). Eodem tempore ingens multitudo Judæorum,

A. M. 4034.
Æ. V. 29.
Juliano 74.

Spiritûs S. adventus.

(*41) Inſtitutionem Regiminis Eccleſiaſtici & Monarchici per Chriſtum Dominum factam latiùs deducit SCHELSTRATE *in Antiquitate illuſtrata Diſſert.* I. c. 1. & 2.

(*42) *Joannis* c. ult. v 25. *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit JESUS: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum, arbitror, mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

(*43) THOMASSINUS Part. 2. lib. 2. c. 1. de electione Mathiæ per ſortes ait: *Si veræ fuêre eæ ſortes, cujuſmodi exempla ſunt in V. T., Synagogæ potiùs illa fuit reſidua fugientis conſuetudo, quàm Eccleſiaſticæ diſciplinæ initium: cum ſuo ipſe nutu Chriſtus Apoſtolos cæteros delegiſſet; viſum ipſis forſan eſt, vacuam tunc Apoſtolatûs Sedem, qui impleret, à Deo ſolo deſignari debere.* Porrò ubi inter Perſonas eligendas non apparet diſcrimen, ac vel ideo humanæ prudentiæ judicium deficit; divina voluntas conſulenda eſt, & uni ejus Providentiæ committenda: ſic intelligendus *Canon tertius Barcinonenſis Concilii,* per quem ſortes in electione videntur approbari. Similiter *S. Auguſtinus* Epiſt. 180. Suadet mittendam eſſe ſortem inter Sacerdotes perſecutionis tempore, ut eligantur, qui manent in civitatibus ad ſolatium fidelium; cùm non conſtet quis ſit Eccleſiæ magis neceſſarius. Extra has circumſtantias à Canonibus ſortilegium ad electionem non admittitur. Nam ſortibus utentes vel Deum tentant, totum Deo committendo, quod humanâ Providentiâ peragi vult Deus: vel fortunæ, adeóque caſui permittunt, quod ſummo judicio decerni deberet. V. *Cap. Eccleſia de ſortilegiis*; ubi Honorius III. Lucanum Capitulum reprehendit, quòd ſortes adhibuerit in electione, prætereà *ſortis uſum in electionibus perpetuâ prohibitione damnans.*

(*44) Difficultates de Pentecoſtes die hìc non parva oritur, an illa Sabbatum, aut dies Dominica fuerit? eo enim anno cùm juxta nos paſcha inciderit in feriam ſextam; inde numerando ad diem quinquageſimam, pervenies ad Sabbatum, non ad Dominicam. Non deſunt, qui quinquaginta dies cum Heſychio, & Ruperto à ſecunda Azymorum die excluſivè numerandos cenſeant, juxta illud *Levitici* c. 23. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum Primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas*

rum ex Persia, Media, Mesopotamia, aliísque Orientis Provinciis (p) Hierosolymam confluxerat sive Festi celebrandi causâ, sive quòd expletis Danielis hebdomadis se Messiam ibi videre posse crederent. Horum alii in novis Evangelii præconibus stupescere varietatem idiomatum (q), alii mirari tantam in rudibus Galilæis scientiam; plures sive Petro palàm concionanti, sive cæteris Apostolis in templo de fide disserentibus dare manus. A publica doctrina Discipuli se subinde domum recepêre; ubi Eucharistiâ, aliísque mysteriis se firmabant, quæ nisi cum baptizatis celebrare nefas erat. Epulo cœlesti muniti denuò foras prodibant tum ad erudiendam plebem, tum ad patranda miracula, è queis illud singulare, quod SS. Petrus & Joannes ediderunt; ii enim circa horam orationis nonam, quâ sacrificium vespertinum offerebatur, templum adituri, Claudo ad portam mendicare solito pro petita stipe membrorum usum largiuntur (r): sanitati redditus firmo gressu multis ad fidem veram præibat, solis Pharisæis hæsitantibus: vocatos igitur hi postridiè Apostolos in Synedrii Senatu interrogant, quâ virtute ejus generis prodigia facerent? Petrus minimè cunctatus, ea in nomine Jesu Christi patrari profitetur; tum occasionem captat, injuriam illis exprobrandi, quâ Sanctissimum cruci affixissent: ad hæc occæcati magìs Senatores minas spirant, cavéntque, ne deinceps imposturas suas populo venditent. Vano fulmine nullatenus conterriti Apostoli cum cæteris sese precibus, tum sublimi virtutum exercitio ad majora parant; omnes enim, qui fidei nomen dederant, eodem spiritu animari visi sunt: tum recisis rerum mundanarum curis, ac venditorum bonorum pretia ad Apostolorum pedes deferentes, illam vivendi

(p) Philo in legat.

(q) Act. 2.

Prædicatio & miracula Apostolorum.

(r) Act. 3.

Prima persecutio.

---

nas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino. Verùm hæc numerandi ratio à tertia scilicet Azymorum die Josepho lib. 2. Antiquit. c. 10. repugnat asserenti; *Secundâ die Azymorum, quæ est mensis hujus decima sexta, frugibus de messibus, & hactenus intactis incipiunt frui, æquúmque rati, Deum hujus ubertatis auctorem per multitudinem honorari, hordei primitias offerunt.* Itaque hic Calculus communiter non à tertia Azymorum die incipiebat, sed eo duntaxat anno, quando secunda dies Azymorum incidebat in Sabbatum, uti illo anno contigit: cùm enim in Sabbato nulla opera natura sua servilia, ne ad usum quidem templi præstare liceret, juxta illud *Exodi* c. 34. n. 21. *Sex diebus operaberis, die septimâ cessabis arare, & metere;* anno Staurosimo Christi specialiter à tertia die Azymorum, 50. dierum numeratio cœpit; quod semper à Judæis in simili concursu Paschæ & Sabbati observatum fuisse, ait Bellarminus, similiter *Baronius* ad a. C. 34. a. 239.

vivendi formam præmonſtrabant, quam poſteà tot Religioſæ familiæ in clauſtris eſſent ſuſcepturæ (s). Quàm grata fuère Deo vota multorum, & oblata ex integro ſubſtantia, tam duriter animadverſum eſt in Ananiam & Sapphiram; hi quippe conjuges, dum pretii parte ſibi decerptâ Deum fraudare annituntur, repentinâ morte extincti, ſuæ hypocriſis, ac mendacii dant pœnas. Terror ex funeſto exemplo conceptus minimè impediit, quò minùs credentium numerus indies augeretur: hæc incrementa non ferens Princeps Sacerdotum Apoſtolos carcere claudi jubet: verùm Angelis juvantibus nocte ex ergaſtulo ſuo educti poſtridiè in templo liberiùs officio funguntur: infrementibus Judæis Gamaliel commonſtrat (*45), nihil actum iri, ſiquidem divino conſilio res gereretur; facili contrà negotio periturum opus, ſin humanâ arte duntaxat coaluiſſet (t). Mitigati hâc ratione Judices Apoſtolos virgis cæſos dimittunt: glorioſo ſibi ſupplicio exſtimulati præcones, contemptis hominum legibus, atque minis diſſeminando Dei verbo ſollicitas magìs curas intendunt: ac ne qua remora altiora curantibus injiceretur; ſeptem viros deligunt, quos impoſitis manibus ad ſacras functiones (*46) initiatos Agaparum menſis, diſtribuendíſque eleemoſynis deſtinant: ex nominibus Græcos fuiſſe cognoſcitur, dotibus cœleſtibus planè

(s) Act. 4.

Primorum Fidelium vita.

Ananiæ & Sapphiræ peccatum, & pœna.

Gamalielis conſilium.

(t) Act. 5. v. 33-40.

Diaconorum electio.

(*45) Sub Gamaliele celeberrimo Legis Doctore diſcipuli fuère Paulus & ſimul Barnabas, ut habet *Tillemont. Tom. 2.* Hiſt. Sacræ 1. *Part. pag.* 44. ejuſdem authoritas non tantùm necem Apoſtolorum prohibuit, ſed & multos Sacerdotes Judæorum ad fidem adduxit, ut habet *Chryſoſtomus in Act. hom. 14.*, qui nobis quoque *Hom. 19.* tradit, eundem ante Paulum adhuc converſum fuiſſe; cujus argumento nobis eſt, quod S. Stephanum Caphargamalæ in monumento ſuo condi fecerit, ut notat *Baronius* ad a C. 34. §. 304. Eidem tumulo poſteà incluſit Corpus Nicodemi ſui nepotis & ob fidem à Judæis in exilium pulſi; ſimiliter natuminoris filii ſui Abibæ exuvias (qui è cæteris prolibus unus cum Patre fidei nomen dederat) hìc ſepelivit. Mortuus ipſe Gamaliel his Sanctis demum aggregatus eſt. Quâ ratione a. 415. Gamaliel Presbytero Luciano has Reliquias detexerit per viſionem, alibi dicetur.

(*46) S. CYPRIANUS Epiſt. 65. ad Rogatianum: *Diaconos poſt aſcenſionem Domini in cœlos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatûs ſui, & Eccleſiæ Miniſtros.* Et S. Ignatius in Epiſt. ad Trallianos: *Oportet & Diaconos Myſteriorum Chriſti Miniſtros per omnia placere, nec enim ciborum, & potuum Miniſtri* (primariò) *ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtratores. Quia verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum illis Miniſterium exhibent?* ideò ſcriptura tot ſingulares dotes in iis requiſitas fuiſſe, commemorat; adhibitam quoque **χειροτονίαν** cum oratione prævia, quæ omnia ad merum ciborum famulitium ſuperflua fuiſſent. Miniſtrabant itaque Diaconi Agapis, quæ cœnæ Dominicæ tum conjungebantur, ut liquet ex Apoſt. 1. ad Corinth. 11. Apoſtoli verò ſoli propagationi Evangelii intendebant.

nè insignes, qui Ecclesiæ fines sacris officiis suis protulerunt; si unum Nicolaum excipias (*47), cui hoc infelicius accidit, quòd discipuli malè intellectâ Magistri doctrinâ in nefandam hæresin aberrârint. In septenario Diaconorum numero multò gloriosior fuit S. Stephanus, qui prodigiorum vi Evangelium propagans, fortitudine insuper, quâ pollebat, fidei hostes undique confundebat: raptus proinde in judicium, ac per nefas sacrilegii (nescio cujus) damnatus, lapidibus obruitur (u). Primus is erat, qui Evangelicam veritatem profusione vitæ obsignavit, sepultus in novo Gamalielis monumento, qui locus octo leucis Hierosolymâ distat. Protomartyris sanguine ferociores Judæi in cæteros quoque discipulos grassari cœperunt: Discipuli ac Fideles, ut ex consilio Christi procellæ se nonnihil subducerent, in varias dispersi regiones abeunt; quo tempore ferunt Mariam Magdalenam cum sorore Martha, ac fratre Lazaro Judæâ pulsam, ac navi absque remigio impositam, Massiliam appulisse (*48). Dum discipuli salutis causâ per varia oppida dilabuntur, Apostoli Hierosolymis adhuc-

S. Stephani Martyrium.

(u) Act. 6. & 7.

Altera persecutio.

A. Æ. C. 30.

(*47) Nicolaus Antiochenus Proselytis primùm, dein Christianis, & Diaconis quidem adscriptus est: pulcherrimam uxorem, quam habebat, primùm abdicabat studio continentiæ; sed *Epiphanius* hæresi 25. c. 1. ait, eum ad vomitum rediisse & voluptatis nimiâ libidine initium dedisse Sectæ Nicolaitarum: qui præter varios errores de Creatione mundi, Angelis &c. promiscuâ turpitudine utebantur: Epiphanio adstipulatur *Irenæus* lib. 1. c. 27. *Tertullian.* de præscript. c. 47. & alii qui apud *Tillemont.* T. 2. P. I. pag. 75. videri possunt. Alii contrà, ut *Clemens Alexandrinus* lib. 2. item *Eusebius* lib. 3. c. 29. *Theodoretus* hæres. lib. 3. c. 1. excusant Nicolaum, ajúntque eundem, cùm de Zelotypia pulcherrimæ uxoris argueretur ab Apostolis; uxorem in medium produxisse, ac permisisse, ut nuberet, cui vellet: *suâ enim carne quemque abuti oportere.* Hoc autem factum, dictúmque pro exemplo temerè sibi proponentes illi hæretici licenter in omnem libidinem ferebantur: nos autem subjicit Clemens Alexandrinus accepimus de Nicolao nullius eum uxoris præterquàm hujus unius contubernium habuisse: & filiæ ejus, unúsque filius in Virginitate ac continentia vixerunt; igitur factum Nicolai, erat indicium affectûs domiti: verbis autem *suâ quemque carne abuti oportere*, docebat, macerandam carnem &c. Videatur *Tillemont.* l. citato.

(*48) Traditio de deportatione Lazari & Magdalenæ in Massiliam incerta est, quia nullus ante medium VI. Sæculi illius meminit; imò *Gregorius Turonensis* lib. de Mirac. apud Phot. Cod. 275. scribit, Magdalenam quiescere Ephesi, & *Menæa Græcorum* hæc habent: XVII. Octobris Translatio pretiosarum Reliquiarum S. Lazari: felix & celeberrimus, & Regum fidelissimus Leo, divino motus Zelo . . . primum quidem templum justo ædificavit: deinde factâ in Cyprum expeditione, invenit sanctum illius corpus in urbe Citiensi in marmorea capsa, ubi alterius linguæ litteris inciditur: *Lazarus quatriduanus, & Amicus Christi.* Statim sublatum inde magni pretii thesaurum Constantinopoli reposuit; nemo tamen negat Reliquias horum SS. successu temporis in Galliam venisse.

adhucdum morati Jacobum Justum (Christi fratrem, ex Maria scilicet sorore matris Domini prognatum, & eodem jubente Apostolis paulò antè adlectum) Ecclesiæ Solymitanæ præficiunt (x): fuerat is ab utero matris Deo consecratus, à vino, sicera, ac carne abstinens comam nunquam totondit, neque ungi, nec lavari balneo sustinens, lineâ veste utebatur: viro sancto ex omnibus uni in templi sacrarium ingredi licebat; ubi pro peccatis populi Deo supplex, támque frequens orabat de genibus, ut Cameli callum contraherent. Posteà ubi primus Apostolorum Solium Sacerdotale conscenderat; laminam auream hujus dignitatis indicem in capite gestabat (y).

S. Jacobus primus Episcopus Hierosol.

(x) Hieronym. de script. Eccl. Euseb. hist. lib. 2. c. 23.

(y) Ambr. lib. 7. in Lucam.

9. Ex quo Hierosolymæ de Præsule prospectum fuerat; novam fidei coloniam in Samaria collegit Philippus (*49), unus ex septem Diaconis: re ad Apostolos nuntiatâ, Petrus & Joannes illuc properant ad fideles novo gratiæ robore confirmandos: itaque, quod Diaconi potestatem excessit, baptismo jam tinctis manus imponunt (*50); quâ exteriore ceremoniâ factâ interiùs accipiebant Spiritum Sanctum. Inter hos, qui fidem profitebantur, nomen quoque suum dederat vir quidam Simon Gettis oriun-

Anno M. 4035. Æ. V. 30. Juliano 75.

Samariæ conversio.

Confirmationis Sacramentum.

(*49) ISIDORUS PELUSIOTA lib. 1. Ep. 449. ait Philippum Cæsareâ Palæstinæ oriundum fuisse, habuisséque quatuor filias: Diaconis secundo loco adlectus, speciali dono concionandi potitus est, unde à S. Luca Act. 21. *Evangelista* vocabatur. Primus Samariæ Samaritanorum metropoli (quæ ab Herode reparata, Sebaste posteà dicta est) fidem multis miraculis potens persuasit: neque hoc adversatur verbis S. Lucæ Act. 11. ubi ait: *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam; nemini loquentes Verbum, nisi solis Judæis.* Nam Samaritani circumcisione & lege utebantur, ac vel ideo comprehendebantur nomine Israelitarum, ut notat *Justinus* Apolog. 2.

(*50) Confirmationis, sive Sacramenti à Baptismo distincti meminêre Concilia, *Eliberitanum* Can. 38., & *Laodicense* c. 48. AMBROSIUS lib. 3. de Sacramentis ait: *Sequitur spirituale signaculum.. quia post fontem superest, at perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur.* TERTULL. lib. de bapt. c. 7. *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione de pristina disciplina... dehinc manus imponitur per benedictionem invocans Spiritum S.* CYPRIANUS Ep. 70.: *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est; ut accepto Chrismate, id est unctione esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* In primo sæculo Apostolico visibilia miracula, & præcipuè donum linguarum manum impositionem sequebantur, qui prodigiosus modus Spiritum S. conferendi singulari privilegio ad Apostolos pertinebat, ùt observat *Chrysostomus* hom. 18. posterioribus sæculis dilatum est Confirmationis Sacramentum, dum Adolescerent parvuli, quibus initiandis non sufficiebant Episcopi: hi quoque ab octavo sæculo ungendo manum imponunt; nam anteà manuum impositio, & unctio duplici actione perficiebantur.

oriundus vico Samaritanæ Provinciæ: is, quia facultatem tribuendi Spiritum Sanctum æquè venalem eſſe rebatur, ac Ma-

Simonis hæreſis.

giam, cujus præſtigias ille aliis vendere ſolebat; pecuniam paratam obtulit Apoſtolis, ut hoc impetrato Dei dono rem augeret ſuam: increpitus à Petro, & meliora edoctus adeò non reſipuit, ut in pejora indies prolabens, abominandæ tandem hæreſis Pater

Converſio. Eunuchi

evaſerit (*51). Philippus Eccleſiâ Samariæ fundatâ, Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum adire à Deo jubetur: vix in hominem prope Hieroſolymam inciderat; ſtatim de Chriſti vaticinio,

(z) Act. 8.

quod legebat; inſtructum (z), in proxima unda Chriſtianum initiat, deinceps apud ſuos & Præconem, & Martyrem fidei futurum (a).

(a) Irenæus lib. 3. c. 12. Euſeb. lib. 2. c. 1.

A. M. 4035. Æ. C. 30. Jul. 75.

10. Quò minùs Eccleſia Hieroſolymitana latiora incrementa caperet; unus adinſtar omnium obſtitit Paulus, Patriâ Tarſenſis, (*52) Judæus è Tribu Benjamin, Sectâ Phariſæus, in ſacris literis eruditus à Gamaliele (*53), paternarum traditionum æmulator acerrimus. Cujus animi aliquando in Chriſtianos futurus

(b) Act. 5.

D. Pauli converſio.

eſſet, aperta indicia fecerat; cùm teſtium, qui Stephanum lapidabant, veſtimenta cuſtodiret, quò ſingulorum manus expediret ad ſæviendum (b): Creſcente cum annis odio à Pontificibus literas extorquet, quibus ſibi copiam fieri cupiebat ad Eccleſiam evaſtandam: poteſtate datâ Damaſcum pergit (*54), ut fidei adſcriptos in vincula, in mortes traheret; verùm ubi per iter mille

(*51) De Simonis primi hæreſiarchæ erroribus ſcribit *Epiphanius* hæreſ. 21. c. 2. *Irenæus* lib. 1. c. 20. jactabat autem ſe magnam eſſe Dei virtutem, Judæis perſuadebat ſe eſſe Filium Dei, in Judæos, & in Samariam deſcendiſſe tanquam Patrem, in reliquas autem gentes quaſi Spiritum S. adventâſſe; circumducebat etiam Selenen ſive Helenam, quam matrem omnium dicebat, per quam initio creâſſet Angelos; à quibus poſteà mundus eſſet effectus &c. Vide plura apud *Du Meſnil* lib. II. pag. 45. & apud *Tillemont*, Tom. 2. P. 1. pag. 62. *Origenes* lib. 6. contra Celſum teſtatur hanc Sectam, quæ etiam Eutychitarum dicebatur, ſuâ ætate penitus extinctam fuiſſe.

(*52) *Ebionæi* Paulum origine græcum dictitabant, & factum poſteà Proſelytum, & *Epiphanius* hær. 30. §. 16. contra eos, Paulum Tarſi ex Judæis natum probat; ut & ipſe Apoſtolus confirmat Act. 22. ubi ſe oſtendit eo ex capite eſſe civem Romanum.

(*53) Præter Sacras Literas, quas Paulus à Gamaliele didicerat, profanarum etiam ſcientiarum quandam notitiam habuiſſe, commonſtrat *Hieronymus* in Ep. ad Galat. c. 4. ex verbis Græcorum Poëtarum Epimenidis, Arati, & Menandri, quibus ille uſus eſt.

(*54) Paulus communi pictorum more equo inſidens adumbratur in itinere versùs Damaſcum, Thomas autem *Maſſurius* in vita D. Pauli lib. 2. c. 2. fusè exhibet, eum in hac via peditem fuiſſe.

mille neces anhelat. precibus, quas moriturus Stephanus pro eo fuderat, datum eſt, ut lupus in ovem ſubitò converteretur: divinâ ſiquidem circumfuſus luce à Chriſto (*55) intelligit, hâc lanienâ non homines, ſed Deum peti: amiſſo igitur oculorum lumine, mentem magìs ad Numinis vocantis vocem aperiens, ſub Ananiæ Magiſterio & fidem & baptiſmum accepit.

11. Provinciarum Præſidibus ſolenne erat, ut, ſi quid inſolitum accideret, Summis Magiſtratibus nunciarent: Pilatus huic mori obſecutus, ea, quæ de Chriſti Anaſtaſi, quæ de miraculis inaudiêrat (c), Tiberio tranſcribit: Imperator re compertâ decernit, Chriſtum inter Deos ſuos Ethnicâ Apotheoſi referre: Auguſti conatibus Senatus, ac præcipuè prætorii Præfectus, Conſulque ejus anni Sejanus ſeſe oppoſuêre, non ſine Dei altiore conſilio, cujus æterno Filio probro utique fuiſſet dæmonum aut perditorum hominum ſimulachris accenſeri (d). Cæſar ægerrimè à propoſito divulſus, in eum, qui conſilio ſuo interceſſerat, iram omnem expromit; Chriſtianorum hoſtibus inſuper comminatus, ne quis huic genti Religionis causâ negotium faceſſeret.

A. Mundi 4036. Æ. C. 31.

(c) Euſeb. lib. 2. c. 2.

Tiberii de Chriſto honorando Conſilia.

(d) Tertull. in Apol. c. 5.

12. Annus jam tertius labebatur, ex quo Paulus inter Apoſtolos cooptatus (e), & velut novum vas electionis nomen Jeſu undique circumferebat, frementibus Synagogæ Præſidibus, qui, ut certiùs validum Chriſti præconem in caſſibus tenerent, eum (cùm Damaſci ageret) munitis portis circumveniunt: aſt ille per ſportam de murorum pinnaculis demiſſus ex præſente exitio ſe evolvit; inde Hieroſolymam ad Apoſtolorum Principem contendens (*56): quindecim ibi dies cum Petro, & Jacobo fratre, aliíſque diſcipulis conſumpſit: hoc tempore tranſacto in Syriam & Ciliciam à Domino evocatur. Intereà Petrus (f) obeundo,

A. M. 4038. Æ. C. 33.

(e) Ad Galat. c. 1.

Paulus venit Primò Hieroſolymam.

Ii

(*55) Putârunt aliqui, cum *Chryſoſtomo* hom. 13. quod Chriſtus per opera duntaxat, aut in ſpecie ignis viſus ſit à Paulo: verùm alii meliùs opinantur, Chriſtum ipſum Apoſtolo apparuiſſe, ſic enim 1. ad Corinthios c. 15. Paulus teſtatur: *Noviſſimè omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Vid. *D. Thomas* 3. Parte q. 57. a. 6. ad 3.

(*56) *S. Hieronymus* Epiſt. 89. ait: tantæ authoritatis Petrus fuit, ut Paulus in ſua epiſtola ſcripſerit: *deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*, rurſúmque in conſequentibus: *poſt annos quatuordecim aſcendi iterum Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito: aſcendi autem ſecundùm revelationem, & expoſui cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus* oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Evangelii; niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententiâ roboratus.

do Ecclesias, Diospoli sanitatem Æneæ, in Joppe mortuæ Tabithæ vitam, multísque harum urbium incolis animæ salutem impertiit. Antiochiam paulò pòst digressus, Patriarchicæ Sedis jecit fundamenta (* 57), quam septem annis ità tenuit (* 58), ut in proximas quoque regiones zelum suum divideret: & quoniam urbs ea (utpote Orientis metropolis) à Judæis & Ethnicis simul colebatur; Deus Petrum exhibitâ visione edocuit, tempus adesse, quo & Gentiles in ovile Christi tradendi essent. Cæsareæ Petrus primum Christiano gregi adlegit Cornelium cohortis Italicæ ferratæ Centurionem. Rei novitas ignaros Judæos adeò commovit; ut à tumultu plebs parùm abesset, Cerintho faces undique admovente: ast exposito iis Dei consilio, positâ simultate acquieverunt (g).

Initium Cathedræ Antiochenæ.

A. Mundi 4039. Æ. C. 34.


Baptismus Cornelii.

(g) Act. 10.

§. III. *Agrippas Tetrarcha, Antipas Herodes relegatus, Pilati interitus, Lex Caji de statua sua in templo Hierosolymitano ponendo, Divisio Apostolorum, initium Cathedræ Romanæ, Jacobus Hispaniarum Apostolus &c.*

A. Mundi 4042. Æ. C. 37.

I. QUamprimùm Cajus Imperii fascibus admotus est; primos favores contulit in Agrippam Judæum, Aristobuli filium, Herodis nepotem: is cùm ex tenui admodùm fortuna ægriùs viveret; operâ sororis Herodiadis ab ejus conjuge Antipa



(*57) De Sede Patriarchali Antiochiæ à Petro erectâ testatur EUSEBIUS in Chronico: *Petrus Apostolus cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundâsset, Romam proficiscitur.* S. HIERONYMUS de viris illust. c. 1. & c. 16. scribit: Ignatium tertium post Petrum Apostolum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum fuisse; nam secundus fuerat Evodius. GELASIUS in Concilio Romano a. 494. ait: *tertia verò sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eoquòd illic, priusquàm Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est*: Aliam rationem fundatæ Cathedræ Antiochenæ profert SANCTIUS Tract. I. de prædic. S. Jacobi in Hisp. c. 11. Cathedra Petri Catholica erat, id est universalis, quæ neminem excludit, & ideo videri potest ibi (Antiochiæ) à Petro Cathedra primùm erecta, licèt alibi esset Ecclesia ex Judæis congregata; nam Hierosolymitana necdum judicari poterat universalis, quia nondum gentes admiserat... quod si quis eam ob causam Antiochiæ locatam esse Cathedram credat, quia ibi pacificè Petrus docere potuit; sanè ideo ortam Ecclesiæ pacem esse arbitror, quia ex Gentilibus jam ibi multi crediderant, quorum authoritas fideles tueri poterat contra tot hostes Evangelii publici, & Christi causam, & Christianum nomen, quod ibi fideles primùm acceperunt.

(*58) De septenni Petri gubernatione, quâ Antiochenæ Ecclesiæ præfuit, Vide infra Reflexionem IV., ejúsque numerum 4.

pa urbem Tiberiadem alimoniæ causâ acceperat: arcti beneficii, ac ferè inopiæ pertæsus Agrippa Romam abiit, ampliorem sedem quæsiturus. Factis illinc in servitio Drusi, dein Caji stipendiis, ab Eutycho Liberto subitò accusatur, quasi Tiberio mortem, Cajo Imperium machinaretur; quare ex sua egestate in vincula etiam conjectus, extrema quæque opperiebatur (a). Verùm timorem unà cum cæteris ærumnis brevi misero detraxit Cajus, Tiberio defuncto jam surrogatus: hic quippe memor, Agrippæ fidei, ac officiorum, præter torquem aureum Tetrarchias præmii loco concessit, quas Philippus, & Lysanias (nuper funere elati) Cæsari reliquerant (b). Repentinos fratris antè egentissimi honores acerbiùs ferebat Herodias ambitiosissima mulier; subverita enim, ne præ Antipa Herode deinceps Agrippa rerum potiretur, conjugi suo author est, ut & ipse Romam ad Cæsaris gratiam, tum maximè ad regiam coronam eblandiendam contenderet. In Italiam proinde appulsus multis obsequiis Augusto supplicat; ut sibi summum Principatum in Judæa gerenti, etiam Principatûs regia Insignia indulgeret: Imperator importunis precibus offensus hominem de ambitu damnatum Lugdunum relegat (c), Deo per Cæsarem hanc Antipæ ignominiam irrogante, cujus ille æternum filium paulò antè cum toto exercitu spreverat.

(a) Joseph. lib. 18. antiq. c. 8.

Agrippæ Tetrarchia.

(b) Dio lib. 59.

A. M. 4043. Æ. C. 38.

Herodis Antipæ exilium.

(c) Joseph. lib. 18. c. 9.

2. Eodem tempore Pilatus funestissimo quoque fato extinctus est: decem propè annis Judææ præfecturam gesserat, queis expletis ob editas civium cædes à Vitellio Syriæ Gubernatore Cæsarem adire compellitur. Lentiùs proficiscentem mors Tiberii prævertit quidem: ast successorem Cajum non minùs acerbum persensit, ab eodem exilium Viennam Galliæ adire jussus: calamitatum, quas bene multas voraverat, finem facturus, violentâ manu sibi spiritum exhauriens spontè supplicium suscepit, cujus reus erat, quòd vitæ authorem impiâ sententiâ neci dedisset (d). A Judice iniquissimo in actores Hebræos paulatim cœlestis vindicta descendit, qui ad Pilati tribunal Christi sanguinem expoposcerant. Judæi Alexandriæ innumeri (nam decies centena millia urbem unam incolebant) primas exsolverant pœnas (e).

Pilati interitus.

A. Æ. C. 39.

(d) Oros. lib. 7. c. 5. Eutrop. lib. 7.

(e) Philo in Flaccum.

3. Auctus regiis honoribus Agrippa, antequàm ad suos rediret, Alexandriam ex Caji consilio perrexit: Ægyptii quoniam

ſuis Regibus dudum exuti hunc honorem Hebræis ſingularem inviderant; percepto Agrippæ adventu novum Judæorum Principem comicis ſpectaculis palàm traducunt, eum ferè in modum, quo Judæi duodecim abhinc annis regiæ Jeſu Chriſti dignitati illuſerant. Flacco Provinciæ Præſide tumultum diſſimulante, ipſa, ùt ſolet, impunitas, agendi, furendíque licentiam facit: invidioſam proinde rem aggreſſa plebs in Judæorum proſeuchas Cæſaris ſtatuas convehit: deinde eraſis Judæorum ædibus innumerabilem multitudinem in urbis angulum (ſervorum more) compingit; anguſtiâ loci, igne, aliíſque modis perdit, ac necat (f). Necdum tempeſtas ea deſævierat; dum nova procella circumciſis imminet: lege recente Cajus de ſtatuarum ſuarum cultu caverat; huic quantumcunque Judæi obluctarentur, Jamniæ cives Hebræis incolis permixti obſequebantur. Ex latere cocto aram illi Auguſto erigere; hi deſtruere: Ethnici tueri honorem Cæſaris; hi Dei piaculum demoliri. Cajus intellectâ, ùt rebatur, injuriâ pro altari lateritio coloſſum inauratum Hieroſolymis in templo poni jubet, datis ad Petronium Præſidem Syriæ literis, ut armorum vi (ſiquidem Judæi obſiſterent) ſtatuam Sacrario inferret. Judæi tot malis arctati legatos, eorúmque præcipuum Philonem decernunt, qui Romæ gentis miſerias, rémque æternis legibus nunquam ferendam deprecarentur: Cajus oratores difficulter admiſſos multùm increpuit; quòd negatis ſibi divinis honoribus ignoto Deo famularentur: hâc acerbitate perpluti nec illi precari, nec Cæſar porrò ſævire inſtituit, eoquòd magìs miſeros, quàm malos crederet.

(f) Philo in legat. ad Caj.

Judæorum perſecutio.

Cajus jubet ſtatuam ſuam poni in templo Hieroſol.

A. M. 4044. Æ. C. 39.

Petronius dedicationem ſtatuæ differt.

4. Cùm jam propè eſſet, ut confecta Sidone ſtatua nomine novi Jovis templo adduceretur, Judæi ex omnibus oppidis coorti, ad Petronium in Phœniciam (teſſeram dante dolore publico) progrediuntur: viſo Præſide univerſi procumbunt humi: dein inter horrificos ululatus, qui præſentium aures hebetarent, plangunt pectora; demum ſurgere juſſi, revinctis à tergo manibus damnatorum more accedunt, in tales poſteà preces effuſi, quales calamitoſa tempora dictare ſolent. Petronius à miſerabili turba commotus, dedicationem ſtatuæ cunctatione ſopiri poſſe credidit: literas igitur ad Cajum mittendas curat, quibus ſignificat, ſtatuam

tuam Cæſaris jam in templo collocandi haud copiam fieri, tum quòd opifices in mora eſſent, tum propter convectionem frumenti ad iter (quod in Ægyptum Cajus meditabatur) neceſſarii: timendum porrò, ne deploratâ religione Judæi vitam quoque contemnerent, & vaſtatis agris ſuasmet fruges latè per campos incenderent. Acceptis literis Cajus in Petronium implacabili odio exarſit; illud tamen palàm prodere tantò minùs ſecurum erat, quantò majoris authoritatis apud orientales copias Petronius foret. Delinito proinde per literas homine, providentiam in ſpeciem laudat Cæſar; id tamen maximè inculcans, ne convectis frugibus curam ponendæ ſtatuæ negotium ullum præverteret (g).

(g) Philo in legat.

5. Circa idem tempus Rex Agrippa (qui Patrui exulis Trachonitidem cum Galilæa donatam acceperat) Romam venit ad Cæſarem ſalutandum: alloquenti aſperrima quæque reddit Cajus, à ſolis ſcilicet Agrippæ civibus Auguſtum deſpici, abnui honores imperatos, jámque eos mortem ſibi per contumaciam quæritare. Rex Judææ his auditis collabitur exanimi ſimilis, ac tremore membra quatiente, domum deportatur. Subitam mali vim Imperator in pejus vertit, probè aſſecutus, Judæos cæteros multò pertinaciùs legi ſuæ reſtituturos, cujus mentionem amiciſſimus, multíſque beneficiis devinctus Princeps nequidem conſtanti vultu tuliſſet. Agrippa ſibi reſtitutus pro gente ſua ad Cajum ſcribit literas, quarum argumentum erat, ſe eò tandem redigi, ut vel ingratus in Cæſarem, vel ſi templum amicitiæ ergo violari pateretur; proditor à ſuis audiat: id itaque cæteris beneficiis Cajus apponeret, ut ſe vinciret denuò, non ad diem (ùt Tiberius) ità enim ſibi ſæpiùs vinculorum metum ſuperfuturum; ſed perpetuæ ſervituti pro gente addiceret: quin, ſi mallet, interimeret eum, cui ſine benevolentia Cæſaris vita duriſſima foret. Cajus hâc epiſtolâ mollior, indulſit; ne dedicatio ſtatuæ in templo fieret: hujus tamen gratiæ, ſive pro inſtabili ingenio, ſive ex Appionis inſtigantis conſilio, brevì pœnitens, alium coloſſum Romæ parari curat, quem inde in Judæam deducendum decreverat, niſi inſtitutum mors Auguſti occupâſſet (h).

Agrippa impetrat, ne fiat dedicatio ſtatua.

A. Æ. C. 40.

A. Æ. C. 41.

(h) Tacit. hiſt. lib. 5. c. 9.

Primum Christianorum nomen.

6. Quantiscunque viribus Judæi obnitebantur, ne profano Cæſari Apotheoſis tribueretur; prohibere tamen non poterant, quò minùs Chriſtus (quem pariter plebs Judaica velut Deum novum averſabatur) divinis ubique honoribus concelebraretur: tantus quippe eorum, qui Chriſtum colebant, numerus evaſerat; ut jam non obſcuriore Nazaræorum nomine, ſed palàm Chriſtianorum notione Antiochiæ conſignarentur (i). Magnis fidei augmentis majora facturi Apoſtoli in totum terrarum orbem ſeſe dividunt anno Æræ Chriſtianæ quadrageſimo; ad hoc quippe tempus duodecas illa annorum effluxerat, quam ſuis Chriſtus pro excolendis Judææ regionibus voluerat definitam: antequàm verò dictatas à Spiritu Sancto regiones adirent; brevem fidei formulam unitis ſententiis, ac velut Chriſtianorum teſſeram ediderunt (*1): inde Petrus Collegii Apoſtolici caput, poſtquàm Sedi Antiochenæ ſeptem annis præfuerat, ad urbem mundi principem Romam contendit; ſive ut Babylonis illius vitia conſanaret, ſive ut fundatâ ibi Sede (†) ex imperii culmine in reliquas urbes dogmata fidei faciliùs profunderet. Jacobus Hiſpaniam hoc tempore luſtrandam ſuſcepit (†): Thomas Parthiam, Indóſque ſortitus eſt; Andreas Thraces & Scythas: Joannes Aſiæ partem & Ephe-

(i) Act. 11.

A. Æ. C. 40.

Diviſio Apoſtolorum in orbem univerſum.

Initium Cathedræ Romanæ.

(†) Reflexio IV.

(†) Reflexio V.

(*1) RUFINUS Aquilejenſis Presbyter initio Commentariorum in Symbolum ait: *Diſceſſuri itaque* (Apoſtoli) *ab invicem normam ſibi priùs futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne fortè alii aliò adducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent: omnes igitur in uno poſiti, & Spiritu S. repleti, breve iſtud futuræ ſibi, ut diximus, prædicationis, indicium in unum conferendo, quod ſentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe Regulam ſtatuunt*; idem docet AMBROSIUS lib. 1. Epiſt. 7. ad Siricium: *credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat.* S. LEO PP. in Epiſt. 27. ad Pulcheriam Auguſtam, circa finem de Eutychetis pervicacia ita loquitur: *Hoc ſtultiſſima inſultatio audet inceſſere, quod Dominus noſter in Eccleſia neminem ſexûs utriusque voluit ignorare. Siquidem ipſa Catholici Symboli brevis & perfecta Confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cæleſti; ut omnes Hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint obtruncari.* Cæterùm non diſſimulandum eſt, ſymbolum illud, quod Rufinus protulit, & quale tunc Romæ legebatur, tria non habuiſſe, quæ nunc in Vulgari continentur 1. *Creatorem cæli, & terræ.* 2. *Deſcendit ad inferos.* 3. *Vitam æternam*; Marcioni tamen, aliiſque hunc mundum à vero Deo creatum negantibus primum articulum opponunt Irenæus, lib. 1. c. 10. & Tertullianus de præſcr. c. 13. qui eosdem Symboli articulos iisdem penè verbis referunt: de tertio ſic habent & in unum JESUM Chriſtum Filium Dei... qui juſtus.. vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, gloriámque ſempiternam: Rufinus igitur infidum exemplar nactus eſt, & illud evulgavit, ut temporali, & mutabili SS. beatitudini, quam commentus eſt Origenes, faveret. Secundus articulus poſteà duntaxat additus eſt.

Ephesum; Philippus Asiam superiorem, Bartholomæus Armeniam, Matthæus nobilissimus Evangelii scriptor, utì & Mathias Æthiopes: Alii alias orbis partes ingressi sunt (*2).

§. IV. *Agrippæ Regnum; Leges Claudii pro Judæis & contra eosdem, Jacobi Apostoli Martyrium, liberatio S. Petri, mors Agrippæ, Pauli, & Barnabæ Apostolatus, Concilium Hierosolymitanum, Petrus à Paulo Antiochiæ reprehensus, Pauli Prædicationes, Epistolæ, Miracula &c.*

I. Quamprimùm Cajo interfecto Claudius ad Augusti dignitatem evectus est; addubitare cœpit Princeps, tutiúsne sibi turbidis in rebus deponere, aut gerere Imperium? ancipitem animi unus præ cæteris Agrippa firmat, monétque, ne velit fortunam, quæ in ejus sinum se sponte ingessisset, temerè projicere: honores tumultuariò acceptos sæpè tranquilliùs teneri, quàm qui longâ providentiâ decernuntur (a). Consilii ratio & Agrippæ & Judæis non parùm profuit; nam illi Claudius nova Regni augmenta adjecit (b): pro his autem lege cavit, ne quis in orientis partibus Patrios ritus Gentis Judaicæ turbaret (c). Pace restitutâ ingens ubique Judæorum multitudo, ac præcipuè Romæ amplificata est: & quoniam publicos suæ Religionis conventus crebrò celebrabant; id anxiam Ethnicis curam injecit, ne tandem fœdere occulto contra Rempublicam, aut Romanos Magistratus molitiones exitiosas aggrederentur: Alia igitur lex vulgata est, quâ primùm peregrinus cultus: dein publici cœtus prohibebantur (d): id licèt posteà Petrum Romæ agentem impediret, quo minùs Evangelii sementis latiùs per Italiam spargeretur; majores tamen accessiones ad Ecclesiam per cæteras Provincias, ejus curâ appositæ sunt: neque enim fundatas duntaxat per Asiam Ecclesias scriptâ

A. Æ. C. 41.

Claudii beneficia erga Agrippam.

(a) Joseph. lib. 19. c. 3.

(b) Dio lib. 60. pag. 670

(c) Joseph. c. 4.

Publici cœtus Judæorum & Christianorum prohibentur.

(d) Dio lib. 60. pag. 669.

(*2) Spiritu Sancto Apostolorum iter dirigente, ad certas provincias perrexerunt: nec quædam terræ possunt conqueri, se prætermissas; *omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei;* hinc, ut monet AUGUSTINUS Epist. 102. quêis prædicatum est, gratias agant de divino beneficio: qui prætermissi sunt, agnoscant indignitatem: ità salus Religionis, per quam solam veram vera salus, veracitérque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, & ab exordio propagationis humanæ usque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.

scriptâ Epistolâ erudire (*1); sed & novas per discipulos colonias educere suscepit (*2), in quarum usum à Marco Petri discipu-
A. Æ. C. lo Evangelium (*3) conscriptum est. Arctatam Romæ rem Chri-
42. stianam subinde magìs afflixit Simon perfidus Apostata; cujus magicæ præstigiæ cùm superstitiosæ Genti præ veris Christi do-
(e) Act. 11. gmatis placerent (*4); Apostolorum Princeps, ne operam per-
Dio lib. 60. deret, substitutis Vicariis ad alias Ecclesias exivit (*5).
pag. 671.
Orosius lib. 7. c. 6.

2. Per

(*1) THOMAS AQUINAS c. 1. in Princip. & *Glossa* in Prolegomenis Primæ Petri epistolæ, testantur eam Romæ scriptam fuisse tempore Claudii Cæsaris, datum autem esse ad Advenas sive Proselytos Christianos, ut *Beda* exponit hìc cap. 1. in principio. OECUMENIUS in Præfatione ex Synopsi Athanasii epistolæ summam ità complectitur: Primùm ostendit Petrus, quòd fides in Christum à Prophetis annunciata sit, & per ipsos significata Redemptio, quæ per ipsius sanguinem fieret, quódque ipsis, ac gentibus annuncianda sint omnia, ad quæ desiderant Angeli prospicere: deinde, ubi suasit, ut dignè ad eum, qui ipsos vocavit, conversentur; jubet, ut etiam Regibus honorem deferant: & mulieribus, ac viris concordiam præcipit. Demum pauca circa mores exhortatus, significat, quòd etiam in infernum facta sit à Domino prædicatio salutis ac resurrectionis: ut qui priùs mortui sunt, resurgant quidem, & judicentur in Corpore, sed per gratiam resurrectionis perseverent. Et quòd finis omnium deinceps immineat, debeántque omnes parati esse, tanquam judici rationem reddituri. Epistola hæc è *Babylone*, sive Romana urbe, quæ falsarum omnium Religionum colluvies erat, per *Sylvanum* fidelem fratrem ad quinque Asiæ Provincias missa est; recepta quoque semper omnium consensu.

(*2) INNOCENTIUS I. Epist. 1. ad Decent. *Quis nesciat*, inquit, *aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod authoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, Insulásque interjacentes, nullum hominem instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.*

(*3) HIERONYMUS de Script. Eccl. ait: Marcus discipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem, aut prædicantem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium, quod cùm Petrus audîsset; probavit, & Ecclesiæ suâ authoritate legendum dedit. A Prædicatione Joannis suam historiam incipit, rerum tamen ordinem sæpe immutat: Vide *Tillemontium* Tom. 2. p. 1. in S. Marco fol. 161. *Bollandi Continuatores* ad diem 25. Aprilis pag. 345. referunt, Evangelii autographum asservari à Venetorum Republica: alii contrà dicunt, partem ejus haberi Pragæ in Bohemia. Cæterùm latinè, an græcè scripserit? controvertitur. Plerique post Hieronymum & Augustinum sentiunt, Evangelium S. Marci primum Græcâ Linguâ esse conscriptum, quod idioma Romæ tunc valde familiare erat. V. *Tillemont notat IV. in S. Marco.*

(*4) THEODORETUS hist. lib. 1. c. 1. & JUSTINUS Apolog. 2. testantur Simonem, ex Oriente sub initium Claudii venisse Romam: ob veneficas artes ità populum rapuit, ut ipsi statuam dicârit in insula Tiberis, cui inscriptum erat nomen Sancti, & Dei sive Jovis: alteram Romani erexerunt Helenæ, quam Simon velut scortum suum circumducebat: ut referunt *Irenæus* lib. 1. c. 1. *August.* hær. 1. *Justinus* l. c. pag. 69

(*5) PAPEBROCHIUS in Conatu-Hist. Differt. III- fuit conveniens ait, ut tantæ urbi (Romanæ) non sufficiens Petrus, & quidem longiori tempore in prædicando nationi-

2. Per idem tempus fames illa demum Judææ pergravis fuit, quæ ex Agabi vaticinio gentem Hebræam esset afflictura. Christianorum igitur intererat, ad fratrum egestatem sublevandam conferre symbolas: has ubi Paulus & Barnabas Hierosolymam advehunt; Christi cultoribus ea annona subsidio, Ethnicis verò non paucis argumento fuit, ut ad Ecclesiam tot charitatis obsequiis opulentam pertraherentur (f). Status Christianæ rei subinde lætiùs efflorescere cœpit, quando exacto ferè triennio Jacobus Joannis frater ex Hispania redux, unà cum Petro in Orientis partes jam progresso, Judæam junctis laboribus excolendam suscepit. Christiani gregis incrementa non tulit patriorum rituum religiosissimus Agrippa; quare injectis manibus infestavit nonnullos ex Ecclesia, inter quos Jacobum Zebedæi filium gladio interemit: & quoniam crudelitas ejusmodi Judæorum Primoribus placebat; comprehensum quoque Petrum carceri dedit, post Pascha pari supplicio condemnandum. Precibus Ecclesiæ tunc datum est, ut Dei Angelus vinctum Pontificem ex arctissima Sedecim militum custodia educeret, orthodoxis prodigii vim obstupescentibus.

Fames in Judæa.

(f) Act. 11.

Act. 12.

B. Jacobi Martyrium.

Petrus captivus libertati restituitur.

3. Herodes spe suâ delusus, in innoxios custodes furorem effudit: quibus ad supplicium rapi jussis, ipse Cæsaream descendit ad ludos pro salute Cæsaris celebrandos (g). Solennitatis die alterâ, præsentibus Tyriorum, Sidoniorúmque legatis in theatrum manè prodit: amictus illinc veste regiâ, quæ à Sole oriente ad venerationem collucebat, non sine exquisitâ arte ad populum longiùs proloquitur: sermoni ejusmodi adulantium studium adeò applausit; ut ultra communes mortalium laudes prolati, in hoc eloquio non vocem hominis, sed Dei se suspicere prædicarent. Impia blasphemia, quæ vesanum Regem in majorem arrogantiam efferebat, ità vero Numini displicuit, ut superbum ultor à tergo Deus ponè sequeretur: ab Angelo proinde percussus, & à vermibus arrosus per quinque dierum cruciatus se mortalem præbuit, qui mortalitati omni superior Deus visus erat: vitam

(g) Act. 12. Eccl. hist. l. 2. c. 9. & 10.

A. Æ. C. 44.

Mors Agrippæ.

 Agrip-

nationibus Evangelio absfuturus, subinde (utì persuadebunt, quæ de illius excursionibus vulgò tradita ex antiquis Scriptoribus ad XIX. Junii colligemus) institueret, relinqueretque pro se Vicarios, Episcopi charactere insignes, scilicet *Linum*, *Cletum*, *&* *Clementem*, ut sua, cùm res exigeret, absentis vice exhiberent populo Ministerium omne Sacerdotale. Vide infra Reflexionem VII. num. 3.

(h) Joseph. lib. 19. c. ult.

Agrippa finiit anno ætatis LIV. regni VII. (h). Ut cognitum est excessisse Agrippam; Cæsareæ ac Sebastes (urbium ab eo conditarum) cives inter epulas publicas gestire, libare Charonti Ethnici, quòd Tyrannum eripuisset: demum sævire in proles, ex quibus unus Agrippa Junior in aula Cæsaris incolumis servatus est. Destinâsset huic Adolescenti Claudius pro vetere in Patrem amicitia regnum, nisi Libertis, ex quorum arbitrio Cæsar pendebat, extinguere regium nomen placuisset. Itaque Cuspiniano Fado Provinciæ novæ hujus præside creato, Agrippæ Juniori de quibusdam Tetrarchiis duntaxat prospectum est (i).

(i) Idem l.c. Tacitus lib. 5. Hist. c. 9.

4. Circa idem tempus Antiochenam Ecclesiam illustrârunt Barnabas, Simon Niger, & Lucius Cyrenæus cum Manahen & Saulo, viri prophetiâ aut doctrinâ sacrâ insignes (k): his ministrantibus Domino, & jejunantibus Spiritus S. jubet Barnabam, & Saulum à cæteris separari ad functiones Evangelicas: præmissis itaque precibus, ac jejunio, manibúsque impositis initiati Seleuciam pergunt, comitante Joanne Marco; inde Cyprum in Barnabæ Patriam moventes per Synagogas verbum Dei annuntiant. Peragratâ Insulâ Paphum usque in Pseudo-Prophetam, ac Magum Elymam incidunt: cum hoc homine varia utrique Apostolo pugna fuit; quos enim illi cælestibus dogmatis imbuerant, hos iste maligniore operâ revocabat. Tandem ubi sacri præcones Sergium Paulum regionis Proconsulem ad fidem attraherent: Elymas retineret; S. Paulus scelerum artificem cæcitate percutit, ut suâ pœnâ virum stabiliret in fide, à qua eum improbis præstigiis divellere studuerat (l). Lustratâ Pamphyliâ Antiochiam Pisidiæ ventum est: occlusis illic ad sacra animis Judæorum, atque auribus, Gentium urbibus inferendum Evangelium censuerunt; excusso igitur pedum pulvere Iconium properant, cujus incolis multis, tum præcipuè Theclæ Virgini hic adventus salutaris fuit (*6). Iconio post ortum urbis dissidium in civitates Lystram

(k) Act. 13.

A. Æ. C. 45.

Pauli & Barnabæ Apostolatus.

Elymæ magi Pœna.

(l) Act. 13.

Theclæ conversio.

(*6) Plures Scriptorum veterum locuti sunt de S. Thecla, cujus tamen nomen magìs nobis, quam ejus res gestæ innotuerunt, *Tertullianus* de bapt. c. 17, & *S. Hieronymus* de viris illustr. c. 7. memorant, Asiæ Presbyterum D. Joanni confessum esse, quòd librum composuerit, sive acta Pauli, & Theclæ, non amore veritatis, sed amore Pauli; adeóque multa finxerit, unde gradu suo depositus est. Atque hæc etiam ratio fuit cur Gelasius eundem librum inter apocrypha rejecerit. Ea quæ *Tillemontius* Tomo 2. p. 1. de S. Thecla

Lystram & Derben commigrandum fuit. Lystræ præprimis Claudo ab Apostolis impensa sanitas est, quo edito prodigio ità rapta est Ethnica gens; ut Paulo Mercurii: Barnabæ Jovis honores decerneret (n). Non poterat probari impia gratitudo sanctissimis viris; quare scissis in doloris signum vestibus, Deo bonorum omnium authori grates faciendas monuerunt. Judæis paulò pòst eandem urbem ingressis, repentina animorum conversio secuta est; his quippe incentoribus mobile vulgus subitò in rabiem agitur: deinde lapidum vi homines ii petuntur, quos modico anteà intervallo supra humanam conditionem extulerant (o). Paulus & Barnabas ultra Derben non profecti, constitutis per iter Ecclesiarum Presbyteris, Antiochiam (unde exierant) revertuntur: commemoratione ibidem factâ fructuum, quos ex Gentibus collegissent, lætitiam omnibus afflavêre. Stetisset longiùs hoc genus solatii; nisi Pharisæorum, ac Cerinthi discipuli Ecclesiæ pacem disturbâssent (*7). Descenderant ex his Emissarii quidam Antiochiam eo consilio; ut persuaderent Gentiles fidelium numero minimè accensendos: aut saltem in Ecclesia cum spe salutis stare non posse; nisi ex lato Moysis mandato circumcisionis signaculum experirentur (p). Tumultu invalescente res ejus momenti visa est; ut Hierosolymis in Apostolorum Synodo decideretur: Paulus itaque anno à conversione quarto supra decimum unà cum Barnaba urbem eandem petit (q); tertio etiam socio itineris adjuncto

(n) Act. 14.

Paulus lapidatur.

(o) Act. 14.

Cerinthi Discipuli turbant Ecclesiam.

(p) Act. 15.

A. Æ. C. 47.

(q) Ad Galat. c. 2. c. 5.

S. Thecla ex SS. PP. *Gregorio Nysseno* in Cant. Epiphanio hæres. 78., & *Ambrosio* lib. 2. de Virg. c. 3. collegit, sunt sequentia: eandem, postquàm opulentas recusâsset nuptias, à sponso accusatam, & leonibus innoxiè objectam fuisse, similiter ab igne illæsam exiisse; demum tot suppliciis superstitem, ad extremam senectutem pervenisse.

(*7) Cerinthus Judaicâ stirpe oriundus, Philosophiæ in Ægypto dedit operam, reversus in Asiam multas turbas movit contra prædicationem Evangelii, eoquòd Legalium necessitatem urgeret, utì latiùs describunt *Irenæus* lib. 3. c. 3. *Epiphanius* 28. c. 2. *Theodoret* lib. 2. c. 3. *Philastrius* c. 60. Subinde novos errores disseminare cœpit: Deum quamvis unum coleret; mundum tamen per inferiorem Angelorum virtutem conditum delirabat: Deum Judæorum non esse nisi Angelum, qui eis legem dedisset: inter *JESUM*, & *Christum* distinguebat, illum purum hominem, hunc verò Deum esse dicebat, qui in specie columbæ in JESUM descendisset: at tempore passionis à JESU passibili denuò avolâsset; adeóque fundamentum nostræ fidei labefactabat: nempe quod verbum caro factum sit. Author quoque fuit *Chiliastarum*, qui post resurrectionem temporale Christi regnum exspectabant, omni carnis voluptate plenum, duraturum per mille annos, de his erroribus agunt *Augustinus* h. 8. *Epiphanius* & *Irenæus* ll. cc. *Ignatius* ad Phil. *Eusebius* lib. 3. c. 28.

juncto Tito Græco (*8), qui, licèt ex gentili Patre natus eſſet; circumciſus non eſt, ne re nuſquam deciſâ, Paulus perverſis fratribus aliquid dare videretur.

A. Æ. C. 47. 5. Coacto Hieroſolymis concilio (*9), cujus rei causâ venerint, exponunt: tum Petrus jure ſuo primas vices ſuſtinet in pronuntianda ſententia, ſcilicet æquè Gentibus, atque Judæis imminere ſalutem, ac juſtificari ex fide (quæ per charitatem operatur): porrò, ut oſtenderet, Neophytos circumciſionis jugo eximi; veritatem confirmat exemplo Cornelii, qui hujus Moſaici ſigni expers Spiritu S. donatus fuiſſet. *Concilium Apoſtolicum.* Diſcedentibus cunctis in eadem Petri ſenſa, Jacobus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ (ubi Synodus gerebatur) Epiſcopus, collatis ſuffragiis concludit, placere nil aliud Gentibus ad fidem traductis imperare, quàm ut ab idolothytis, ſcortatione, ſuffocato. & ſanguine abſtinerent (*10): prolato

(*8) S. Titus Gentilis erat, quem Paulus filium ſuum appellat *Tit. 1.* teſte Hieronymo in Titum. Virgo fuit per totam vitam; rerum autem ab eo geſtarum ſummam contraxit. TILLEMONTIUS *Tom. 2 p 1. fol. 252.*

(*9) HENSCHENIUS in ſuo Apparatu exercit. III. num. 21. ait: Synodus Hieroſolymitana habita eſt anno Chriſti XLVII., à converſione S. Pauli (quæ contigit proximo poſt paſſionem Chriſti) anno XVII., quod etiam ex Pauli verbis eruitur; qui teſtatur ad Galat. c. 2. *Poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba aſſumpto & Tito;* Primâ enim vice illuc iverat anno tertio converſionis ſuæ, ut videret Petrum, ſive anno quinto à paſſione Chriſti. Hos tres annos adde quatuordecim; & habebis XVII. hos quoque ſi junxeris anno trigeſimo Æ. V.; quo Paulus converſus eſt, conficies annum Æ. V. XLVII.

(*10) Concilii Decretum ſpectat ſolos Fideles è Gentilitate converſos, ut commentatur *Du Miſnil lib. 2. Dict. & Diſcipl Eccl. num. 45.* illis autem tria interdicit. *1mò* fornicationem; nam ſolum adulterium vetabatur Romanis legibus *teſte Strabone lib. 12.*, imò Corinthi, & in aliis urbibus plurimæ meretrices publicè erant Veneri conſecratæ, putabántque Gentiles ejusmodi proſtitutionibus placari Deos ſuos. *2do* eſum carnium, quæ idolis erant immolatæ *3tio* ſuffocatum, & ſanguinem: hæc duo in idem recidunt; ſanguis enim manet in ſuffocatis. Illius eſum tempore legis naturæ prohibuerat Deus in ſignum ſupremi ſui Dominii, quo declararet omnium vitam eſſe ſui juris. Exceptâ fornicatione, quæ jure naturali, & divino prohibetur, nequaquam fuit Apoſtolis propoſitum, ut perpetuò Eccleſiam Univerſalem his legibus obſtringerent; ſed ab iis per aliquod tempus ædificationis causâ fuit abſtinendum, ne infirmis ſcandalum moveretur, quo ceſſante penitùs, ceſſaret & legis obligatio. Hanc mentem Concilii fuiſſe docet Paulus 1. Cor. 10. *Siquis*, inquit, *vocat vos infidelium & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate: nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit. & propter conſcientiam... non tuam, ſed alterius*, qui te admonuit: ea lex etiam nunc à Græcis obſervatur: undecimo Sæculo (ut notant *Humbertus Cardinalis* & *Abbas Uſpergenſis*) illa vigebat in multis Eccleſiis Occidentalibus, atque hæc obſervabantur quidem à Chriſtianis non ex Judaica ſuperſtitione, ſed ut refert *Auguſtinus*, lib. 32. contra Fauſtum c. 13., ne putarentur illæ prophe-

prolato decreto Epiſtola Synodica ad Antiochenos, & reliquos in Syria, ac Cilicia perſcribitur: hæc primi nominis viris (ut legationi authoritas conſciſceretur) nempe Barſabæ, & Silæ, cum Paulo & Barnaba demandatur, Antiochiam primùm, dein aliò quoque perferenda (r). Eâdem occaſione ordini prædicationis proviſum eſt: nam Paulus in Collegium Apoſtolorum jam palàm cooptatus, labores eâ lege cum Petro partiri inſtituit; ut ad ſe Gentes: ad illum Judæorum Synagogæ potiſſimùm luſtrandæ pertinerent (* 11).

Ejus decreta.

(r) Act. 15.

6. Apoſtolorum Princeps paucis poſt concilium diebus Antiochiam quoque venit Eccleſiæ inſpiciendæ causâ. Hìc legalibus primùm ritibus, quò minùs neceſſarios oſtenderet, omninò neglectis, Neophytorum (ex Gentibus converſorum) conſuetudine familiariùs utitur: deſcendentibus tamen Antiochiam, quos Jacobus illuc miſerat, Judæis, humanitus aliquid paſſus eſt (s). Hos enim cùm nôſſet Moſaicis obſervationibus arctiùs addictos, quàm ut recentiore Concilii ſanctione abſtraherentur; ad declinandam offenſam à Gentilium convictu ſe aliquo tempore ſubducendum putavit. Exemplum id quoniam non paucos Judæorum, ac ipſum etiam Barnabam in ſimilem agendi modum pertraxerat; non parùm inde Gentilium conſcientia vulnerata eſt: unus, qui Antiochiæ adhuc ſubſtiterat, Paulus rei medelam attulit; libertatem is Evangelicam vindicandam ratus, Petro imbecilliùs timenti, aut incautiùs ſuis præeunti in faciem fortiter reſtitit (t). Æquo animo Collegii Apoſtolici caput hanc increpantis vocem excepit, novo Superiorum documento: ut ſubditi monentis libertatem tunc non abnuant; ſiquando ea multis errorem eximit, aut peccandi occaſionem præſcindit (†).

Petrus venit Antiochiam.

(s) Ad Galat. 2.

Paulus reprehendit Petrum.

(t) Ad Galat. 2.

(†) Reflexio VI.

propheticæ ſignificationis obſervationes, à piiſſimis Patribus cuſtoditæ, tanquam ſacrilegia Diabolica à poſteris deteſtata; atque ita cum honore ſepeliretur Synagoga, Judæique ſenſim cum Gentibus communicarent faciliùs: hinc etiam idem *Auguſtinus* teſtatur eandem legem exeunte quarto Sæculo in pluribus Provinciis & præſertim in Africa penitùs fuiſſe abrogatam.

(*11) Pactio illa, quâ cultura Judæorum Petro; Paulo verò & Barnabæ converſio Gentium adjicebatur, temporaria erat: nec eâdem cujusquam officio quidquam ſubtractum eſt, ſed proviſum ordini prædicationis. Paulus enim adhuc inviſus Judæis, primùm majores fructus apud Gentes facturus credebatur, uterque tamen & Petrus & Paulus poſteà Gentes & Judæos excoluerunt, ut intelligitur ex Act. 3. 9. 15.

7. Per eandem ætatem Cumano per Judæam & Galilæam iniquiùs grassante: Felice autem Samariæ Præfecto Hierosolymitanos agros atrociùs latrocinante, parùm absuit; quin tota tumultibus, ac seditionibus Judæorum arsisset Provincia (u): Quadratus Syriæ Rector gliscens malum in tempore composuit; pacatis quippe rebellibus Cumanum Romam misit condignis pœnis castigandum: Felix unus, Fratris Pallantis Liberti in aula Cæsaris potentissimi ope subnixus, ac Liberrus ipse Claudii, ex periculo non sine commodo evasit; pro debito enim, quod grassator meruerat, supplicio supremas Samariæ, Galilææ, ac Judææ præfecturas sibi rapuit (x).

(u) Joseph. lib. 2. belli c. 11. & lib. 20. Antiq. c. 5. Tacitus lib. 12. c. 54.

Motus in Judæa exorti.

(x) Josephus l. c.

A. Æ. C. 48.

8. Paulus intereà sollicitabat Barnabam, ut fundatas jam Ecclesias secum reviseret: roganti contrà Barnabas author fuit, ut expeditionis sacræ socium Joannem Marcum (* 12) admitteret: id negante Paulo, contentio parva (qualis inter SS. viros etiam interdum solet) suborta est (y); neque enim Barnabas sine hoc amicissimo comite sequi, neque Paulus tertio hoc adjuncto præire sustinebat; eoquòd aptè sociari eum non crederet, qui antè in Pamphylia ex quadam leviuscula causa sese sponte sejunxisset. Diversos itaque Evangelii campos ingressi, ille cum Marco Cyprum Patriam suam: hic cum Sila Ciliciam coluêre (z). Subinde Paulus Derben & Lystram invisens, Timotheum inter discipulos reperit (* 13): hunc quantumvis probatæ virtutis virum Judæi

(y) Act. 15.

(z) Act. 16.

(* 12) *Cambefisius* malè videtur confundere Joannem Marcum, cum Marco Evangelista; hic quippe discipulus erat Petri: ille verò Barnabæ, plures rationes adducit *Tillemont.* in Vita Joannis Marci & notat. 2. Tom. 2. p. 1. Cæterùm is secutus est Paulum & Barnabam in Cyprum. Act. 13. Videns autem, quod uterque Apostolus ultra Pergen in Pamphylia difficiliùs iter aggressuri essent, iis relictis in Jerusalem reversus est; quæ inconstantia fecit, ut eum à comitatu dein Paulus rejecerit: posteà tamen in gratiam rediisse creditur; eoquòd Doctor Gentium Coloss. 4. Marci meminent, eùmque suum adjutorem in vinculis laudet. Acta circumferuntur Barnabæ sub nomine Joannis Marci, sed opus suppositum est, & plenum fabulis, ut habet *Baronius* ad a. 51. §. 51. ejus festum ab Ecclesia celebratur 27. Septembris.

(* 13) S. Timotheus natus in Lycaonia Lystris vel (ut aliqui volunt) Derbæ; Patrem habuit Gentilem, matrem Judæam Eunicen: Aviam Loiden, quæ ambæ fidem amplexæ à Paulo laudantur 2. Tim. 1. Novus hic discipulus Pauli supplevit vices Barnabæ, qui à Paulo se antè disjunxerat. *Chrysostomus* hom. 5. in 1. Tim. notat ejus circumcisionem non sinè Spiritûs S. instinctu à Paulo susceptam fuisse: postquàm, teste eodem Chrysostomo, Episcopus creatus est Timotheus, licèt adhuc junior; inde cœpit laborare in vinea Domini cum Paulo, velut Filius cum Patre. *Philipp.* 2. quare Paulus eum vocat non

Judæi æquis vix oculis ferebant, quòd matre Hebræâ natus, circumcisione contemptâ patris Gentilis mori adhærere videretur: Paulus, qui Titum anteà nunquam circumcidi passus est (a), nunc pro mutato tempore indulsit, ut Timotheus ad temperandos Judæorum animos legi etiam non necessariæ subderetur; hâc ratione prædicationis comes utilior futurus. Ceremoniâ expletâ emensus est cum Paulo Phrygiam & Galatiam: longiùs profecturos Spiritus S. ab aditu Asiæ prohibet; quare Troadem, inde in Macedoniam monente Domino itum est (b), novo jam itinerum socio adlecto nimirum Luca, qui rerum à Paulo gestarum posteà fidissimus Scriptor fuit (*14). Philippis in Juris Italici colonia duabus præcipuè fœminis salus allata est; nam Lydia, quæ purpuram vendebat, prima sacras undas suscepit: alteri ancillæ Pythonissæ, ejecto immundo spiritu, corporis sanitas obtigit. Beneficium, quod gratitudinem exposcebat, indignationem sodalibus movit; timebant nimirum, ne quæstus, quem ex præstigiis dæmonis collegerant, jam sanatâ muliere dilaberetur: itaque Paulum & Sylvanum in forum protrahunt, accusántque in eam sententiam, quæ deinceps persecutionum plurium causa fuit: Homines hujus Religionis turbare rempublicam, morémque annunciare, quem Romanis suscipere nefas foret; cautum quippe erat, ne quis Deos advenas haberet, aut ne cui liceret alios, quàm quos Senatus Romanus solitâ Gentibus Apotheosi donâsset, cultu divino prosequi. Accusationis argumentum Magistratibus ejusmodi visum est, ut gemini præcones

(a) Ad Galat. 2.

Timotheus

(b) Act. 16.

Paulus Pythonisâ sanatâ virgis subjicitur, & in carcerem datur.

---

non tantùm fidelissimum filium. 1. *Cor*. 4. Sed & fratrem, & socium laborum, 1. *Thess*. 3. hominem Dei 1. *Tim*. 6. hunc Corinthiis maximè commendavit 1. *Cor*. 16.; ut *Chrysostomus* inde colligat, maximo in pretio apud nos esse debere hunc Sanctum, quem Paulus tanti fecisset.

(*14) Lucas natus Antiochiæ in Syria (*ut habet Euseb. lib.* 3. *c*. 4.) Gentilis origine teste Hieronymo: & professione medicus; nam ille ait, *de medico Corporum in medicum est versus animarum* in Epist. ad Philem. Non fuit unus ex 70. discipulis Christi; quia scribit: se ea notare, quæ acceperat ab iis, *qui viderant*, *&* *Ministri sermonis fuerant*. Sed discipulus Apostolorum erat, præsertim Pauli. V. *Baron*. ad an. 58. §. 14. individuus plerumque comes Pauli, quem etiam Romam secutus est. V. *Tillemont*. in Luca Evangelista pag. 238. & 239. Post Pauli Martyrium prædicavit in *Dalmatia*, *Gallia*, *Italia*, *& Macedonia*, ut habet *Epiphanius*. *Tillemontius* ait in Gallia adhuc de ejus prædicatione extare monumenta: *Petrus de Marca* in epist. ad Valesium id tamen in controversiam trahit. Alii per Galliam, Cisalpinam Galliam intelligunt.

cones virgis palàm cæsi carceri manciparentur. De nocte carcere motibus terræ succusso, resolutísque sponte vinculis, captivi lætùm psallere, tremere contrà Præfectus custodiæ, ac desperantis in modum ultima quæque circumspicere: verúm hic ipse timor homini salubris extitit; nam à Paulo meliora edoctus, eâdem nocte fidei nomen dedit. Postridiè Paulus injuriam sibi, suísque velut civibus Romanis illatam questus, cum honore à Senatu ex urbe dimittitur: itinere per Amphipolim & Apolloniam facto, Thessalonicam (c) perveniunt Macedoniæ totius metropolim: at suscitata à Judæis seditio Apostolis breve illinc morandi spatium permisit; unde Berrhœam usque Paulus Silam & Timotheum deduxit: hísque ibi morari jussis, Gentium Doctor Athenas progressus est.

(c) Act. 17.

A. Æ. C. 45.

9. Anno nono Claudii Imperantis Româ ejecti sunt, qui Judæorum stirpem profitebantur (d): primo octennio Cæsar tum Judæis, tum Christianis (qui Hebræorum nomine apud Ethnicos veniebant) minimè inimicus erat; verùm hoc tempore intra pacem transacto inter Moysis & Christi cultores tam acerba studia gliscebant, ut res à tumultu parùm abesset. Imperatori à suis igitur suasum est: ad arcendam seditionem, utriusque partis æmulos quamprimùm mœnibus ejiceret. Dum hæc Romæ aguntur; Athenis Paulus in Synagoga, ac in foro frequens, cum obviis quibusvis Stoicis, ac Epicureis Philosophis de Christo, ac Resurrectione disserebat: in Areopagum subinde rapitur, quasi peregrinorum Deorum præco; at ille tum ex ara ipsorum, quam *ignoto Deo* inscripserant (* 15), tum ex testimonio Arati Poëtæ, Dei progeniem nos esse confirmantis, facundissimè comprobavit, se non alium Deum, quàm quem ignorantes colerent, annunciare: oratio-

(d) Sueton. in Claudio c. 25.

Judæi expelluntur Româ unà cum Christianis,

Paulus prædicat in Areopago.

(* 15) CHRYSOSTOMUS confirmat *in Act. hom. 38.* Aræ inscriptum fuisse: *Ignoto Deo*: at HIERONYMUS *in Epist. ad Galat. c. 3* docet, hanc epigraphen extitisse in Ara: Diis Asiæ, Europæ & Lybiæ, Diis ignotis & peregrinis; Paulum autem suum & unum Deum, Atheniensibus ignotum Deum nominâsse. *Baronius* rem conciliat, & dicit duplicem aram fuisse Athenis, quarum uni id inscriptum erat, quod ait Chrysostomus, alteri verò, quod Hieronymus adducit. Cæterùm Judæorum Deus ignoti apud Gentes appellationem obtinebat: eodem sensu *incertus Deus* nominatus est Lucano in lib. 2. Pharsal: *incertum Numen* Trebellio Pollioni in vita Claudii; huic Athenienses *Aram misericordiæ* in media sua urbe sine ullo simulachro posuerunt.

oratione fortissimâ convictus (* 16) Dionysius unà cum muliere Damari ad Sacra Christiana transiit.

10. Relictis Athenis accessit Paulus Corinthum, quorsum Aquila cum conjuge Priscilla ex Romano illo Judæorum naufragio profugerat. Apostolus ne otiosus victum absumeret; eidem Aquilæ tabernaculorum artifici suam locat operam, quam sacris functionibus tam opportunè interpolabat, ut jam vacaret concionibus, jam totas Stephanæ, & Crispi Archisynagogi familias sacris undis initiaret (e). Crescente latiùs, ac Judæi vellent fidei semente, Paulus ad tribunal Gallionis pertrahitur: renuit hic Proconsul Achajæ Judæorum tricis se immiscere; quin accusatores multùm increpitos à foro suo abegit. Annum posteà secundum Corinthi agens Paulus, primam ad Thessalonicenses scripsit epistolam, (* 17) cohortatus omnes ad immunditiæ fugam, ac adversorum tolerantiam: postremùm præcipit, ut eædem literæ cunctis SS. Fratribus prælegantur (* 18). Thessalonicenses sive quòd

Prima Epistola ad Thessalonicenses.

(* 16) Paulus suâ oratione novæ Religionis accusationem prudenter amovebat, docebátque se prædicare unum Deum, quem ignorantes colerent, cujus opus sit mundus universus, quem regit providens omnibus; hinc deducit nobilitatem generis humani, quod originem trahit ab Omnipotente Deo, qui creavit Adamum, ex cujus stirpe omnes sunt progeniti, ut cognoscant, ament, & colant eum Authorem suum; unde concludit hominem, qui genus est Dei, insulsè venerari muta simulachra tanquam Deos. Siquidem Deus immensus templis non potest concludi, nec indiget aliquo, cùm sit Dominus omnium, omnibus det vitam, qui tandem hominum ignorantiam miseratus, eis annuntiat pœnitentiam per Christum &c. Arati Poëtæ testimonium proferre non dedignatus est, ut doceret Deum ubique præsentem esse, sic sanctificans profana, & faciens Ecclesiastica. Ità *Du Mesnil* lib. 2. num. XL.

(* 17) D. ATHANASIUS in Synopsi occasionem scribendi Thessalonicensibus ità describit: *Quoniam multa tum in Berrhœa, tum in Macedoniæ civitate Philippis, tum Corinthi, & Thessalonicæ Paulus fuerat perpessus, veritus est, ne vel suis pressuris illi offensi, haud satis stabiles forent, vel mœrore nimio ob suorum è vita discessum conficerentur; . . . hanc misit epistolam, ut in fide sic confirmarentur: sive ipsi affligerentur, sive alios cernerent affligi, ut nec morientium ægriùs ferrent casus, sed eam sectarentur vitam, quam ab eo accepissent.* Scopus autem totius epistolæ est, uti ait *Ederus in Oeconomia Bibl. pag. 470.* ut leniter corrigat errantes; perfectiores verò commonefaciat, ne rebus cedant adversis, néve Apostolis falsis credant, quin & ipsi potiùs alios corrigant.

(* 18) Epistolam Paulus ità conclusit: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Hinc mos ortus est, ut libri sacri in publicis fidelium conventibus legerentur, quæ praxis viguit jam tempore Synagogæ: porrò *Justinus Apol. 1.* ait, Sacerdotes lectioni præfuisse. Priscis autem temporibus teste *Epiphanio hær. 64.* *summa erat in explicando brevitas, cùm in id illi potissimùm incumberent, non ut oblectarent; sed ut prodessent auditoribus*, de usu testatur etiam *ordo Romanus*, ubi refertur: *Lectorem oportet legere ei, qui prædicat.*

A. Æ. C. 50.

quòd Paulus in eadem epiſtola de die Judicii, quaſi jam propiùs imminente obſcuriùs fuiſſet locutus: ſive quòd falſi Magiſtri alias ſuppoſuiſſent literas; in varias curas ac errores abſtrahebantur. Paulus igitur aliâ ad eosdem epiſtolâ docet, Chriſtum non antè in Judicium venturum; dum Antichriſtus, diſſolutâ Romani Imperii compage, per triennium & ſex menſes eſſet regnaturus(* 19). Porrò ejusdem epiſtolæ argumento inſeruit, quantâ obſervantiâ tenendæ Traditiones, non tantùm à calamo, ſed & ab ore acceptæ: quaſi Apoſtolus iis jam tunc clypeum objicere voluiſſet, qui poſteriore ætate Verbo Dei tradito eliminando acerbam curam eſſent impenſuri (f). Sub idem tempus falſorum fratrum non tenuis erat numerus; horum fraudes eò devenerant, ut quæ ſcriberent, Apoſtolorum manu exarata venditarent: quò cautiùs doloſis artibus occurreretur, Paulus ſuis Theſſalonicenſibus ſigna quædam indicat, ex queis genuinas ejus epiſtolas internoſcerent (g).

Epiſtola altera ad Theſſalonic.

(f) Epiſt. 2. ad Theſſ. c. 2.

(g) Ibid. c. 3.

Evangelium S. Lucæ.

11. Eodem Apoſtolo Corinthiorum Eccleſiam excolente, Lucas Medicus Antiochenſis, nunc Pauli Diſcipulus, Evangelium Græcè compoſuit ex iis, quæ à B. Virginis, cæteríſque vitæ Chriſti arbitris perceperat; unde nonnulla, ab aliis omiſſa: ſcilicet de conceptione Chriſti, ejus natalibus, circumciſione, adoratione Paſtorum, ac de doctrina à duodenni Chriſto in templo propoſita, clariùs notata leguntur (h). Divinus ejusmodi liber tantò utilior orthodoxis fuit, quantò ſtudioſiùs Pſeudoevangeliſtæ myſteria ſacra fabulis vitiaverant. Sub idem tempus Judæus quidam

(h) Hieron. de Script. Eccl. Iren. lib. 1. c. 20. Auguſt. de Conſenſu Evang. c. 8.

(* 19) IRENÆUS *lib. 5. c. 25.* Antichriſti characteres ità deſcribit: *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt* (culpâ ſuâ) *eoquòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit: & ſermones contra excelſum loquetur, & Sanctos altiſſimi conteret, & putabit, quòd poſſit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis* (Danielis 7.) idem tempus penitiùs expoſitum videmus Apoc. c. 13. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos: & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos; qui in cœlo habitant: & datum eſt illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos, & data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, quem Dominus JESUS interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuminatione adventûs ſui.* BECANUS Manual. Controv. lib. 1. c. 6. eos egregiè confutavit, qui hos characteres Romanis Pontificibus affinxerunt; quamvis argumentis non opus ſit, poſtquàm ipſos Adverſarios hujus calumniæ pudet.

dam Apollo Alexandriæ natus, Epheſi (juvantibus Aquilâ, & Priſcillâ) multos ad fidem Chriſti traducit (i): viro tamen à Ju- (i) Act. 18.
daicis ritibus vixdum egreſſo, præter baptiſmum Joannis, quo A. Æ. C.
ſuos abluerat, nil admodùm de Chriſti Sacramentis conſtabat. 51.
Paulus igitur ex Galatia & Phrygia ad Epheſiorum urbem profectus baptiſmo Chriſti Neophytos expiat: dein impoſitis manibus Spiritum S. unà cum prophetiæ ac linguarum donis impertit; demum Eccleſiam recentiùs collectam, prodigiorum vi con- *Miracula Pauli.*
firmat, quæ tam inſolita fuerunt, ut vel applicatis ſudariis, ac ſemicinctiis Pauli maligni ſpiritus è corporibus cederent (k). Se- (k) Act. 19.
ptem filii Scevæ præcipui Sacerdotis, poſtquàm per Judaicas formulas in dæmones exercere imperium fruſtra contendiſſent; per Jeſu nomen ſe feliciùs Exorciſtarum munere functuros exiſtimabant. A. Æ. C.
At Energumeni in alienum officium involantes pariter inſiliunt; malè mulctant, ac Sycophantas domo nudos 52.
propellunt. Re Epheſi vulgatâ tantus terror omnes perculit, ut multi eorum, qui crediderant, venirent confitentes, & annunciantes actus ſuos: ii quoque, qui curioſa ſectabantur, comportatos libros palàm exuſſerunt (*20). His ſecundis initiis Gentium Apoſtolus tam ſacram fundavit metropolim, quam poſteà S. Joannes ſuâ præſentiâ illuſtravit (l).

12. Ex quo Paulus in Aſia ſtetit; literæ ad eum non paucæ (l) Theodor. Prolog. in Ep. ad Eph.
allatæ ſunt, quibus ex Galatia nuntiabatur: complures eſſe, qui ad Moſaicam legem cunctos obſtringerent, exemplo Jacobi, Jo- *Epiſtola Pauli ad Galatas.*
annis, & præprimis Cephæ, qui Antiochiæ hanc obſervandam duxiſſet (m); his autem Pauli Magiſtris plus, quàm Diſcipulis (m) Act. 19.
tribuen-

(*20) Illud Lucæ Act. 19. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos.* ἐξομολογούμενοι, ϗ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. LUTHERUS per actus miracula intelligit, ſed Syriacus textus contradicit, qui ſic habet, *plurimique ex iis, qui crediderant, veniebant, & renuntiabant offenſas ſuas; confitebanturque, quod fecerant.* Idipſum CALVINUS in Act. 19. & BEZA fateri debuerunt, quorum ille ait: *Reipſa teſtati ſunt ſerio Dei timore penitùs ſe eſſe affectos, qui ultrò ſuperioris vitæ delicta confeſſi ſunt:* hic verò ſcribit: *publicè iſtimetu divini judicii perterriti errata ſua profeſſi, ac deteſtati ſunt.* Dein *miracula* Dei opera ſunt, non hominum: accedit, quòd nimis abſona fuiſſet hæc miraculorum oſtentatio, quódque talis confeſſio ex terrore profecta ſit, qui non ad laudum jactantiam; ſed ad peccatorum dolorem, & confeſſionem homines movere ſolet: & cur aliàs libros curióſos combuſſiſſent, niſi Paulus hunc Epheſiis ſalutarem, & exemplarem ſatisfactionem injunxiſſet, eoquòd peccatum illud ab eis in confeſſione audiviſſet?

tribuendum asserebant. Paulus suam in prædicando authoritatem convelli videns, datâ Epistolâ commonstrat, Evangelium se non ab hominibus, sed à Christo accepisse: cæterùm legales ceremonias ab aliis quoque Apostolis in Synodo Hierosolymis celebrata repudiatas; per fidem autem, pérque circumcisionem affectionum, minimè verò per inania rituum Mosaicorum elementa gratiam hominibus conferri: iis itaque, qui hoc legale signaculum urgerent, nil aliud propositum esse; quàm ut Judæis manifestiùs annumerati, sævitiam Gentium novis Christi Discipulis insidiantium evitarent (*21). Vix istum errorem correxerat, jam recentius schisma Corinthios invasit; aliis enim Pauli, aliis Apollo, aliis Cephæ Discipulos sese jactantibus, per Fortunatum, & Achaicum mittit literas, quibus docet. in Christo potiùs, quàm in ejusdem Ministris esse gloriandum. Atque ut fastum tumentium metu authoritatis Apostolicæ comprimeret; incestuosum, (qui Patris uxorem duxerat, à consortio fidelium ejectum, Satanæ potestati tradit, eo anathematis fine, ut carne per pœnitentiam sponte susceptam, aut per irrogatos à dæmone cruciatus afflictâ, spiritus salvus fieret in die Domini (*22). Corinthiis solenne erat turpissimum Asmodæum, ac Cotyn inter varia lasciviæ genera colere; in eam proinde partem largiùs Gentium Doctor incumbit, ut primùm revocet ab illicita voluptate Corinthios: cælebs deinde ipse cælibatum conjugio quantumvis licito præferens, castimoniæ prærogativam ostendat (*23): subnexuit his plura de alendis Evangelii

Epistola ejusdem ad Corinthios 1.

(*21) AUGUSTUS & TIBERIUS legibus caverant, ut Judæis per Imperium Romanum suo ritu vivere liceret: quicunque igitur circumcisus erat, licèt in Christum crederet, quasi Judæus habebatur à Gentibus, & legis beneficio fruebatur. Qui verò rejectâ circumcisione, se non esse Judæos præferebant, hos tam gentiles quàm Judæi persequebantur; unde origo extitit tot popularium persecutionum adversus Christianos in Oriente. Ad has igitur afflictiones devitandas Pseudoapostoli circumcisionem ubique persuadebant.

(*22) GREGORIUS MAGNUS *hom. 24 in Evang.* postquàm excommunicationis potestatem Ecclesiæ asseruisset, addit: *Hæc Pastoris sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cùm injustè forsan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam, ex alia culpa mereatur; nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

(*23) PAULUS Epist. 1. ad Cor. 7. Cælibatûs prærogativam, quam quidam contemnunt, vindicat: *Volo enim vos omnes vos esse sicut me ipsum.* v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego....* v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do....* v. 27. *Solutus es ab uxore, noli quærere*

gelii præconibus (o), de velandis in Ecclesia fœminis, de vitandis abusibus circa sacram Synaxin, ac de prævia probatione seu Confessione (p): prætereà præcipit, ut in lingua vernacula exhortationes fiant, quo tamen nequaquam prohibitum voluit, ne preces in alio, quàm vulgari idiomate in Ecclesia funderentur.

(o) c. 9.
(p) c. 11.

13. Compositis exterioribus tumultibus in ipsa, è qua necdum excesserat, Ephesiorum urbe summa perturbatio orta est (q): celebre erat inter septena urbis miracula Dianæ Ephesinæ fanum, cui totius Asiæ Principes thesauros, ac operas quadringentis omninò annis impenderant: ejus longitudo viginti quinque super quater centenos pedes, latitudo ducentos superabat: portæ eminebant ex cupresso: columnæ centum & viginti septem à totidem Regibus positæ erant ex cedro: ipsum demum Dianæ simulachrum virgineum fuisse fertur (r). Ad hoc omnium ordinum, ac provinciarum homines confluebant: & quò superstitiosior Deæ cultus foret; in religionem ferè transierat, ut advenarum quisque Dianæ effigiem argento sculptam secum domum asportaret. Demetrius icuncularum artifex cùm ex adversa Christi doctrina suo quæstui timeret; in Evangelii propagatores commovet plebem: hæc Magnam Dianam Ephesiorum ad insaniam usque vociferata, Pauli socios in theatrum raptat, utique dandos neci; nisi urbis Scriba prudentiùs tumultum rescidisset. Furore vulgi mitigato Paulus Timotheum primum Ephesi Episcopum relinquens, cæteros comites è tempestate in tutiorem Macedoniam subducit (s).

A. Æ. C. 53.
(q) Act. 19.
Seditio Ephesina contra Paulum.
(r) Plin. lib. 16. c. 40.
(s) Act. 20

 §. V.

rere uxorem ... v. 32. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt: quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & Virgo, cogitat, quæ Dòmini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro ... v. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare Virginem suam, benè facit. Igitur, & qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit, & qui non jungit, MELIUS *facit.* Unde triplex error cadit, *primus* eorum qui Statum Virginitatis, aut Cælibatûs, neque nobiliorem ajunt esse, neque Deo acceptiorem statu conjugii. *Secundus* quasi conjugium omnibus esset imperatum. *Tertius* Sacerdotes ac Religiosos posse, & debere conjugium inire. Neque tamen per hoc dignitati matrimonii quid decedit, quod nos honorabile dicimus tum ob Sacramenti titulum, tum ob perpetuum vinculum, quod alii Adversarii promiscuis divortiis discindunt.

§.V. *Pauli Epistolæ I. ad Timoth. & II. ad Corinth. ad Romanos. Idem Apostolus compingitur in vincula Hierosolymæ, appellat Cæsarem, varias Romæ scribit epistolas vinctus, & vinculis absolutus obit Ecclesias, Martyrium Jacobi Episcopi Hierosolymitani, & S. Marci, Persecutio Neroniana, Passio SS. Petri & Pauli, Successores Pontifices SS. Linus, & Clemens.*

A. Æ. C. 54. Claudii anno 14. Neron. 1.

(a) Act. 19. Rom. 15.

Epistola Pauli ad Timoth. 1.

(b) 1. ad Tim. c. 1.

(c) c. 3. 4. & 5.

1. POst excessum Claudii unà cum Judæis Christiani ad urbem Romanam remeant; certis enim authoribus jam nunciabatur, Neronem Antecessoris sui legibus abrogatis propensiore animo in eos ferri, qui Hebræorum numero à Gentibus accensebantur. Paulus inde magno desiderio videndi Romam exarsit (a): quò minùs iret, prohibuit altior ille spiritus, qui eum inter vincula illuc deducendum volebat. Anteà, quàm Macedoniâ Paulus egrederetur; Philippis ad Timotheum dedit epistolam (*1), cujus vim potissimam strinxit in Alexandrum Ærarium & Hymenæum, duos Pseudochristianos, ac eorum, quos hodie neutrius religionis dicimus, antesignanos (b): persuasum his nempe erat, se inter orthodoxos fore, si iis articulis, qui fundamenti nomine venirent, fidem adstruerent; cæteros utpote de Resurrectione corporum citra Christianitatis periculum facilè negligi: Paulus inter dogmata à Deo (ubique veracissimo) asserta non distinguens, errores anathemate ferit (*2): hoc edito fulmine ad dotes Episcopi enarrandas delabitur (c); inter quas illam etiam esse voluit, ut Episcopus unius duntaxat uxoris vir esset, sive ut nemo Præsulis munus tueretur, qui plurium ex ordine uxorum conjugium subiisset: ista scribens temporum rationem omninò habuit; nam sub Ecclesiæ initia cælibum ferè nulli, polygamorum verò ingens extabat numerus, eâ scilicet lege apud Græcos & Romanos adhuc vigente, quâ abdicatæ per repudium conjugi alteram

(*1) CHRYSOSTOMUS quærit hìc, quid sit, cur Tito & Timotheo tantùm ex omni discipulorum numero scripserit Paulus, cum Silas & Lucas probatâ quoque, ac mirabili virtute præditi fuerint? Respondet ipse, quòd his jam Ecclesiæ gubernacula, curámque Paulus tradiderat; illos verò secum adhuc circumducebat. Itaque his non doctrinam suggerit, quâ discipuli instruebantur, verùm eam, quæ Magistro congrueret.

(*2) Notandum hìc illud EPIPHANII in exposit. fidei. *Quicunque vel in levissima aliqua parte veritatem minimè profitetur, fidem ejurâsse censebitur.* A quo principio Syncretistæ maximè deflectunt, ex omnibus Religionibus unum monstrum effingentes.

alteram fubftituere licebat: à tot igitur maritis eos pro regendis Ecclefiis feligendos Apoftolus dictavit, qui cæteris continentiores, primas cum una tantùm nuptias celebrâffent; quíque poft fufceptum fummum Sacerdotium à progignendis deinceps liberis abftinerent (*3). Ex Macedonia Cretam petens Paulus, Titum ibi relinquit Epifcopum, quem poftea fcriptâ epiftolâ ad fe Nicopolim evocavit. *Epiftola ad Titum.* Paulus Titi adventu recreatus, non fine folatio accipit, quantum apud Corinthios prima ejus epiftola profuiffet: alterâ itaque fubjunctâ inceftuofum præprimis abfolvit, debitáfque eidem ulteriores pœnas authoritate Chrifti condonat; quo facto palàm exhibita eft poteftas illa Ecclefiæ, quâ hodiedum Præfules utuntur in Indulgentiis difpenfandis (*4). *Epiftola fecunda ad Corinthios.* Nuncium, cui literas Paulus commiferat, mox ipfe Corinthum fecutus eft (d): ibidem inter labores Apoftolicos ab eo intellectum eft, Romæ inter Judæos, ac Gentiles recèns converfos æmulationis acre ftudium flagrare; cùm hi fefe in moralibus virtutibus, illi in operibus legis ambitiofiùs jactitarent. (d) Act. 20. Altercantibus extemplò Apoftolus fignificandum per epiftolam putavit (*5): omnibus populis fine ullo operum legis, aut naturæ merito lumen veræ Religionis gratìs accendi, amicitiámque Dei per fidem in Chri-

Epift. ad Romanos.

(*3) HIERONYMUS lib. 1. adv. Jovin. de Sacerdotum, & Epifcoporum continentia ità ait: *Nec poffet effe Epifcopus, qui in epifcopatu filios faceret; alioquin fi deprehenfus fuerit, non quafi vir tenebitur: fed quafi adulter damnabitur. Bigamus verò, feu ut loquuntur Canones Apoftolici* (Can. 13. & 14.) *qui duobus matrimoniis fuit conjunctus, aut concubinam habuit, vel viduam accepit, aut repudiatam, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam ex numero fcenicarum, non poteft effe Epifcopus, vel Presbyter, vel Diaconus.* Unde Ambrofius Epift. 82. ad Eccl. Vercell. in illud Apoftoli ad Titum *filios habens fideles*, notat, *habentem filios dixit Apoftolus, non facientem.* Et Gregorius M. errare eos oftendit in lib. 6. Reg. lib. 6. c. 1., qui verba Pauli: *unusquisque fuam uxorem habeat*, ad Ecclefiafticos extendunt.

(*4) PAULUS Ep. 2. ad Cor. c. 2. *Sufficit illi, qui ejusmodi eft, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita ut è contrario magìs donetis, & confolemini, ne fortè abundantiori triftitiâ abforbeatur, qui ejusmodi eft ... cui autem aliquid donâftis, & ego; nam & ego, quod donavi, fiquid donavi, propter vos in Perfona Chrifti.* Scilicet Apoftolus remittit pœnam longiorem in Perfona Chrifti.

(*5) In Epiftola ad *Romanos* primis undecim capitibus Apoftolus oftendit, Judæos contra legem Moyfis, Gentes verò contra legem naturæ peccâffe, omnésque natos effe fub peccato: ac proinde omnes egere gratiâ Redemptoris, quem Deus ex fola mifericordia mifit, ut ejus fide, & gratiâ Chrifti gratìs juftificaretur. Altera Epiftolæ pars complectitur præcepta morum. Cæterùm notandum, hanc epiftolam in Canone primum habere locum, non quafi ante cæteras epiftolas fcripta effet, fed quia Romana Ecclefia, ex qua miffa fuerat, primas dignitatis vices fuftinet. V. *Ederum in Oeconomia Bibl.*

(e) August. in Epist. ad Rom.

Diei Dominicæ celebratio.

(h) Act. 21.

Paulus Episcopis Asiæ valedicit.

Ad Æ. C. 55. Neronis II.

Christum & ejus gratiam tantummodò acquiri (e). Corintho ubi Paulus movit in Syriam; proficiscenti à Judæis obtensæ sunt insidiæ: mutato proinde consilio iter in Macedoniam relegens, Philippis tandem Troadem venit comite Lucâ. Expletis septem diebus, primâ Sabbati seu Dominicâ (quâ jam Christianos convenire religioni erat) Paulus Christianis adhuc jejunis Eucharistiam distribuit, subdens sacro epulo sermonem; quo ad mediam noctem protracto Eutychus adolescens somno oppressus, atque ob soporis gravedinem è tertia contignatione præcipitatus, solo exanimis affligitur: mortuo spiritum solo complexu Apostolus reddidit. Prodigio omnium cum stupore patrato, ille quasi functione sacrâ jam defunctus, cum Discipulis mensæ assidens Agapas concelebrat (*6): postridiè pedestri itinere Assum sive Apolloniam abit: inde Ægæi, & Jonii maris insulas invisens, Malvasióque ac Samo superatis Miletum Thaletis sapientis, & Anaximandri Patriam appellitur (h): huc vocatis Ephesinæ Ecclesiæ majoribus valedicit, singulos enixè cohortans, velint suæ, ac fidelium saluti attendere. Post hæc Coum, Rhodum, Pataram Lyciæ, Phœnicen, ac Cyprum transgressus, salutatâ Tyro, Cæsaream Palæstinæ advenit: illinc ad Philippi Diaconi (quem sacer textus à prædicationis officio Evangelistam vocat) domum divertens, ab Agabo Propheta sibi injicienda Hierosolymis vincula intelligit. Hoc tamen periculo altior Paulus urbi propinquat: hìc ab Ecclesia lætissimis votis exceptus, ex Jacobi, aliorúmque Seniorum consilio Nazaræorum (*7) institutum suscipit; cùm enim

(*6) AUGUSTINUS *epist. 54.* hìc advertit: *Placuit Spiritui S., ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi: nam ideò per totum orbem mos iste servatur.* Hujus vestigium extat in Pauli exemplo, qui post Eucharistiam, Agapas cum Christianis celebrare instituit.

(*7) MOYSES Nazaræorum ritum *Numerorum 6.* ità describit: *Cùm dies, quos ex voto decreverat, complebuntur*: Sacerdos *adducet eum ad ostium Tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam, Canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum, quæ offeret Sacerdos coram Domino, & faciat tam pro peccato, quàm in holocaustum . . . tunc radetur Nazaræus ante ostium Tabernaculi fœderis Cæsarie consecrationis suæ: tollétque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.* EPIPHANIUS 29. c. 6. testatur Nazaræos Hæreticos quoque post Christum extitisse,

enim tunc in Ecclesia nec Gentiles compellerentur ad legalia; nec Judæi ab iis velut nefariis ceremoniis prohiberentur (*8); Paulus caput radi, aliísque Nazaræo cuivis solitis ritibus se initiari patitur: ne Judæis porrò illa acerba opinio insideret, Paulum Mosaicis legibus bellum indicere. Quantocunque hoc tamen studio Apostolus nihil admodùm perfecit; declinatâ enim hâc offensione nova confingitur, scilicet à Paulo Trophimum gentilem Epheso in templum contra fas adductum fuisse: tumultu immensum aucto Claudius Lysias Tribunus innocentem à furentium manibus ad castra Antonia transfert: dein ad mitigandam plebem Christi præconem virgis addicit; objecto tamen jure Romanæ Civitatis vinctum denuò pœnâ absolvit (i). Posterâ die in Concilio causam dicere jussus Paulus de Ananiæ Pontificis imperio in os percutitur: Apostolo subinde se Pharisæum, quantum Religio ferebat, proclamante, Sadducæos inter & Pharisæos lis cooritur: his igitur Paulum tuentibus, illis urgentibus ejus necem, in castra iterum reductus est (k). Conjuraverant intereà in Pauli caput non pauci Judæorum, quorum insidiis patefactis, militum satellitio septus Cæsaream bidui itinere ad Felicem Præsidem Provinciæ ablegatur: coram eodem Judice post diem duodecimam strenuè causa Pauli contra Tertullum, aliósque actores defensa est. Felix expensis iis, quæ ad forum afferebantur, judicium protrahendum ratus, Centurionem monet, ut captivus honestiori juxtà ac liberiori custodiæ relinquatur (l).

Nazaræorum ritibus se accommodat Paulus.

(i) Act. 22.

Pauli vincula Hierosolymæ.

(k) Act. 23.

(l) Act. 24.

3. Quo

extitisse, qui à Christi Patria nomen sumpserunt, quem licèt Messiam agnoscerent: & baptismo tingerentur; veterem tamen legem ùt necessariam urgebant, & si Theodoreto fides est; Christum nonnisi purum hominem dicebant. Plura vide apud *Tillemont.* Tom. 2. p. 1. pag. 187.

(*8) AUGUSTINUS Epist. 19. lib. 2. c. 29. testatur quod lex necdum tempore Apostolorum mortifera fuerit, & IRENÆUS *lib. 3. c. 12.* ait, Petrum, Jacobum & Joannem ceremoniis Judaicis hinc inde usos: tempore Justini circa a. 160. Ecclesia legem V. necdum universaliter rejecerat, ùt habet JUSTIN. *Dial. p. 265.* SULPICIUS SEVERUS *lib.* 2. confirmat, ad tempora Adriani Imperatoris Christianos primævos legalibus valde addictos fuisse: nec sine Providentia Dei actum, quod idem Cæsar prohibuerit Judæos ab aditu Hierosolymæ, ut hoc modo libertas fidei, & Ecclesiæ omnino eximeretur à servitute legis.

3. Quo tempore hæc agebantur, Judæa motibus intestinis concussa ad exitium ruebat, (*9); nam urbe quasi magistratibus vacante, Summi Pontifices (m) dissidere à Sacerdotibus, singulique stipati manu audacissimorum hominum, mutuis se conviciis; demùm etiam grandine saxorum appetere. Quò faciliùs Ministri sacrorum minores perirent inopiâ; decimæ solitæ iis rapiebantur: nec minus sycophantis impune erat, plebem in seditiones agere; aut in solitudines pellectum popellum per millenas trahere calamitates. Adhæc sicariorum pars magna obsidebat vias: pars in urbem admissa, ac turbæ ad festa confluenti immixta, recurvis gladiolis (quotquot libuisset) licenter perimebant. Tot scelerum machinatoribus crudelior unus erat Felix Provinciæ Præses, *qui cuncta flagitia sibi licere ratus, per omnem sævitiem, ac libidinem jus Regium servili ingenio exercebat* (n): contraxerat is cum Drusilla Agrippæ Junioris sorore nuptias contra leges, ac jus Azizi Emessenorum Regis (*10.), cui Judaica sacra paulò antè professo uxor ista connupserat. Adulterina sponsa iisdem diebus, quêis Paulus dabatur in vincula, cum Felice Cæsaream venit: muliebre ingenium cùm cupido stimularet audiendi Paulum; captivus accersitur: is factâ loquendi copiâ protinùs de justitia & de castimonia differendi capit initium, scilicet de virtutibus, in quas istud par conjugum maximè peccâsset (o). Conterritus Felix ab orationis vehementia, tum à pœnis futuri judicii, quas Paulus ex composito sceleratis his intentabat, Apostolum ab alloquio confestim, non tamen à catenis dimisit; eâ quippe spe lactabatur, fore, ut captivus ejusmodi ac Christianorum præcipuus, quem eleemosynarum ingenti vi onustum venisse Hierosolymam noverat, suis quoque manibus pinguem quæstum inferret.

(m) Euseb. hist. lib. 2. c. 20. & 21. Joseph. antiq. lib. 20. c. 6.

Judæa perturbatæ summa calamitas.

(n) Tacitus hist. lib. 5.

Oratio Pauli ad Felicem.

(o) Act. 24.

4. Felix interim multorum criminum apud Cæsarem accusatus, ad causam dicendam Romam evocatur; succedente Portio Festo

(*9) *Eusebius* lib. 2. c. 20. Originem motuum ab Ægyptio quodam deducit, qui Sycophantiâ suâ triginta hominum millia in montem olivarum congregavit, pollicitus, suo jussu, Mœnia urbis sponte suâ casura, quo facto se armatâ manu præsidia Romana ab Hierosolymis depulsurum condixerat: verùm inter dolosas artes à Felice Judææ Procuratore fugatus, Judæos multis calamitatibus deinde conficiendos reliquit.

(*10) Idem Azizus propter spem nuptiarum cum Drusilla Judaismum paulò antè fuerat professus, susceptâ etiam circumcisione. V. *Joseph.* Antiq. l. 20. c. 6.

Festo (p): ab hoc impetrare Gens Judaica institit, ut Paulus magis Hierosolymis, quàm Cæsareæ in quæstionem duceretur. Præses equidem ad Judæorum rogatum primùm durior, posteà tamen proclivis admodùm visus est: ne tamen vincto vim afferret, simulatione quâdam Paulum rogat, utrùm Hierosolymis negotium agere placeret? Apostolus sive struendas sibi insidias porspiciens, sive præmonitus à Spiritu altiore, se Romæ dogmata Christi propagaturum; ad Cæsarem è vestigio appellat. Per eosdem dies Festus ab Agrippa Rege Chalcidis, ejúsque sorore Berenice honoris causâ invisitur: ea occasio Præsidi opportuna erat, ut quid de Paulo ad Neronem perscriberet, à regio hospite exquireret: roganti antequàm Agrippa responsum daret; Paulum sibi exhiberi cupit. Vixposterâ igitur die catenâ vinctus (q) in optimatum conspectum adducitur; jam is inter vincula liberrimum de fide vera sermonem aggreditur: altior iste erat, quàm ut Ethnicus Præses caperet; Agrippa tamen in sacris paginis exercitatus, ità perculsus est, ut parùm abesset, quin ad sacra Christiana transiret: nullus è tota Procerum corona fuit, qui Paulum non absolvendum censeret, nisi ipse ad tribunal Cæsaris sponte suâ provocâsset (r).

(p) Act. 25. A. Æ. C. 55.

Paulus causam suam tuetur coram novo Præside Festo & ad Cæsarem provocat.

(q) Act. 25.

(r) Act. 26.

5. Paulus igitur Romam deportandus traditur Julio Centurioni cohortis Augustæ (s), qui eum navi Adrumetinæ Asiam petenti imposuit, comitante præter Timotheum & Lucam etiam Aristarcho Macedone: sequenti die appulsi sunt Sidonem, ubi salutatis carptim amicis, Cyprum provecti, in Lyciam demùm trajecêre; hìc mutatâ navi, lentóque itinere Salmonem Cretæ orientalis Promontorium sublegentes, Lazææ adnavigant. Tempestas instantis æquinoctii navem tutò in altum educere vix sinebat; quare Paulus, ut isthìc hyemaretur, consuluit: sed cùm locus ille minùs commodus visus esset; in alio potiùs Cretæ portu, Phœnice dicto, hyemem transigere decreverant. Anchoris sublatis, dum vela faciunt, Euroaquilo navi jam graviùs incubat, jam arreptam ad Insulas projicit, pérque inæquales fluctus jactatam undique quatit: ingravescente periculo, cùm præsentem omnia mortem intentarent; Paulus intelligit, cœli beneficio meritis ejus datum iri, ut quotquot naufragii socios

(s) Act. 27.

Iter Pauli Romam.

Naufragium.

 nume-

numeraret, incolumes ad littus emergant: ipſe verò ſuperato periculo Cæſari ſiſtatur. In noctem decimam quartam per turbidas Adriæ undas, circumacti ſtabilis in propinquo ſoli indicia deprehendunt: ſub diluculum eò (nimirum ad Melitam Inſulam) appellere conantibus, navis in locum dithalaſſum impacta, dein procellarum vi diſſoluta perit: homines (quorum ſeptuaginta ſex ſupra ducentos erant) tabulis, ac fragmentis quaſſatæ navis ſubvecti, in terram omnes ſalvi evadunt. Naufragis dum indigenarum percommoda charitas cætera parat obſequia; ad ſiccandas veſtes primùm pyra inſtruitur: ligna cæteris afferentibus, Paulus quoque ſarmenta fovendo igni apponit: in his quia vipera latuerat; calore protinus beſtia excitata manum Pauli morſu appetit: venenatum animal ubi è brachio Apoſtoli pendere conſpectum eſt; Ethnici eundem homicicidam ſuſpicantur, quem utùt mari ereptum, divina adhuc ultio terrâ inſequeretur. Viperâ ſubinde ab innoxia manu excuſsâ, Gentilibus dignior de ſanctimonia Pauli mens injecta eſt (t). Tribus omnino menſibus Inſulam excoluit Apoſtolus, quêis transactis poſt ortum Plejadum ſub tempus vernum navim Alexandrinam (cui Caſtoris & Pollucis nomen erat) conſcendere jubetur: ſuperatis Syracuſis, circumlegens Siciliam venit Rhegium, inde devehitur Puteolos, quæ urbs octo milliaribus Neapoli Campaniæ diſtat, à puteorum aquis calidis ſcatentium copiâ nominata; poſteà ad Appii forum (ab Appio Claudio ad res venales conſtructum) Fratres Paulo occurrunt, cum quibus Romam ſecundo anno ſupra quinquageſimum ingreſſus eſt.

Ad Melitam appellit.

(t) Act. 28.

A. Æ. C. 56. Neronis III.

Paulus Romam venit.

6. Burrhus Prætorii Præfectus captivo liberaliſſimè indulſit, ut ſub cuſtodia militis, ubicunque vellet, habitaret. Tertio inde die accitis Judæorum Primoribus, Paulus cauſam ſuæ captivitatis, ſuíque itineris exponit; poſteà ad Myſteria fidei explananda progrediens duriores Judæos, amicos etiam minùs fidos experitur: converſâ igitur ad gentes operâ biennium integrum in annunciando Evangelio ita poſuit; ut tamen curam aliarum Eccleſiarum non negligeret. Philippenſes, ut primùm acceperant, Paulum Romæ in vinculis attineri; Epaphroditum Epiſcopum ſuum cum muneribus ad eundem ablegant: placuit ejus-



Gottfried Friedrich Krieger sculps.

ejusmodi officium Apoſtolo, exaratáque epiſtolâ grates referens *Epiſtola, ad Philippenſes.*
teſtatur per catenas, nullum fidei detrimentum (u) acceſſiſſe, ſéque (u) Ibid. c.
exemplo Chriſti humilem vitam agere(*11.). Circa idem tempus ad 1. & 2.
Epheſios datis literis diſſerit (x) de gratuita electione ad fidem, *Epiſtola ad Epheſios.*
revocatis in memoriam beneficiis Servatoris: officii commonefa- (x) Ibid. c.
ctos porrò de dignitate ac de Sacramento Connubii Chriſtiani 1. 2. 3. 4. 5.
inſtruit, in hæc verba ſcribens: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & Eccleſia* (*12.).

7. Anno ſecundo captivitatis Paulus non ſinè dolore perce- A. Æ. C.
pit, fidei ſemina, quæ Epaphras Laodiceæ in agro Hierapolita- 57.
no ſparſerat, à Cerinthi pſeudoapoſtolis (lolio temerè inje- Neron.
cto) ſupprimi; his Doctoribus eas evulgari fabulas, quêis An- IV.
geli mundi conditores, ac proinde in modum ſummorum Mediatorum colendi traderentur: porrò Jeſum à Chriſto ità diſcernebant, ut ille à puro homine diverſum habere nihil; hic verò in Jeſum ad Jordanis aquas deſcendiſſe, ac tempore Paſſionis in cœlum revolâſſe diceretur. Adhæc jactabant fundamenta errorum, qui deinceps in Chiliaſtis ſeu Millenariis apertiùs eruperunt. Tot execrandis opinionibus occurſurus Paulus, è ſuo carcere *Epiſtola ad Coloſſenſes.*
Coloſſenſibus mittit Epiſtolam (y), quam & à Laodicenſibus legi (y) Ibid. c.
volebat; in hujus prima parte vanum legis uſum, ac ſuperſtitio- 2. 3.
ſam Angelorum latriam execratus, Chriſti Dei & hominis (in quo una ſalus foret) excellentiam oſtendit: deinde ne ſoli Jeſu, ſed & Chriſto vera mors, atque reſurrectio tribueretur; de ejus-

(*11) THEODORETUS *in Præf. ad Ep. Pauli:* Romæ hanc ſcriptam epiſtolam ex eo colligit, quòd Apoſtolus poſtremùm addat: *Salutant vos, qui ſunt de domo Cæſaris:* cæterùm Philipporum civitas à Philippo conditore nomen ſortita eſt, ſub Theſſalonica Metropoli conſtituta, ut habet THEOPHYLACTUS *in Prologo*: videtur autem Paulus Philippenſibus cum magna honoris ſignificatione citra reprehenſionem ſcribere; id, quod & virtutis illorum indicium erat. Præterea in ea civitate fides maxima ceperat incrementa: ibi purpuræ mercatrix ad Dominum converſa eſt: hìc Archiſynagogus Domino credidit: hìc Paulus, & Silas virgis cæſi ſunt &c. CHRYSOSTOMUS *in argumento.*

(*12) Hanc Epiſtolam ad Epheſios, olim Hæretici, & Marcioniſtæ Laodicenis inſcripſêre. Epheſus metropolis eſt Aſiæ, in qua Paulus triennio moratus eſt, Act. 2.; unde ab *Atanaſio* hìc recedimus, qui putavit, hanc epiſtolam Româ ideo miſſam ad Epheſios; quia de illis audîſſet, nunquam autem eos vidiſſet. Paulus eoſdem per hanc epiſtolam primùm in ea, qua prædici fuerant, conſtantia fidei confirmat: deinde etiam ad majorem provocare nititur firmitatem: præcipuè autem inculcat, ne ipſius deſerant traditiones, nec rebus efferantur ſecundis. Vide *Gloſſam in argum.*

ejusdem Anastasi latiùs disputat (*13.). Eodem tempore Onesimus se Pauli discipulum professus est; servus hic antè Philemonis viri inter Colossenses nobilis, ab hero suo in Italiam abierat, fugam furti crimine cumulans: decoctis brevi iis, quæ Domino clepserat, bonis; facti pœnitens Pauli (quem Philemoni amicum noverat) patrocinium rogat: plus ille reddidit (z), ac petitum fuerat; nam fidei adlectum priùs Christi discipulum facit: dein datis per eundem ad herum literis impetrat, ut Onesimum Philemon condonato furto, etiam novo libertatis dono augeret (*14.).

Epistola ad Philem.

(z) Ibid. c. unic.

Epistola ad Hebræos.

8. Sub finem alterius anni, quem suam intra custodiam Paulus ferè expleverat, libertatis spes captivo quædam affulsit. Antequàm verò exiret è vinculis; de Hebræis Palæstinæ inaudit, ab iisdem equidem Jesum utpote Messiam recipi; ast legem ab illis cum Evangelio misceri, singulos proinde ritibus Mosaicis suam in acceptis referre justitiam: ad evellendum errorem Paulus patrio idiomate scribit (*15.) epistolam, in qua de Christi dignissimo Sacerdotio, ac Sacri.

(*13) Colossæ civitas erat Phrygiæ in Asia minore, vicinam habens Laodiceam; ut ait *Chrysostomus hic.* Consilium Pauli in hac epistola eò spectat, ut Colossenses confirmet in fide, & doctrina, quam à discipulis ejus acceperant; doceátque non in alio, quàm in Christo spem ponendam esse salutis. *Glossa in explic. arg.* Sub finem Epistolæ additur: *cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut & in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* SIXTUS Senensis *lib 2. Bibl* confirmat inde, Paulum quoque ad Laodicenses scripsisse, ad ducítque epistolam. Sed S. HIERONYMUS *de Script. Eccl.* testatur: *legunt quidam & ad Laodicenses epistolam, sed ab omnibus exploditur.* Itaque hìc Paulus non intelligit epistolam, quæ ad Laodicenos erat, sed quæ ex Laodicea ad Paulum propter quædam dubia perscripta fuerat.

(14) Philemon, etsi Phryx fuerit genere; moribus tamen fuit fidelis, ut habet THEOPHYLACTUS hìc. Et CHRYSOSTOMUS *ad init. Ep. quòd virtute fuerit mirabilis, ex eo inprimis constat; quòd Domus quoque ejus omnis fidelis erat, atque adeò fidelis, ut Ecclesia etiam appellaretur.* De hac epistola sic loquitur S. HIERONYMUS: volunt aliqui eam aut non esse Pauli: aut etiamsi Pauli sit, nihil habere, quod ædificare nos possit, dum commendandi tantùm scribatur officio, non docendi. At è contrario, qui Germanæ authoritatis eam esse defendunt, dicunt: nunquam in toto orbe à cunctis Ecclesiis fuisse susceptam; nisi Pauli Apostoli crederetur. Utilitates quatuor hujus epistolæ præcipuas ex Chrysostomo descripsit EDERUS *in Oeconomia Bibl. pag 488.*

(*15) Ex opinione *Chrysostomi* Hierosolymam & in Palæstinam directa hæc fuit epistola, scripta primum idiomate Hebraico, sed posteà à *Luca* in Græcum traducta teste *Augustino de Civ. Dei lib. 16. c. 22.* Multi dubitârunt, utrum Pauli esset epistola, an alterius? tum quia nomen Pauli non esset litteris præfixum, tum ob styli elegantiam, quâ in cæteris epistolis non est usus. Sed usus Ecclesiæ nos contrarium docet: & PP. authoritas Paulo soli hanc epistolam vindicat. *Origenes lib. 1. Comment. super Matth. Clemens Alexan-*

Sacrificio pertractat: solenne erat Apostolo literis nomen suum præfigere, quem tamen morem hìc prætermittendum putabat; ne Hebræos, qui sinistram de Paulo opinionem hauserant, scriptionis initio offenderet. Ad calcem epistolæ significat, Timotheum vinculis jam solutum, cum quo se Judæos coràm visurum, pollicetur: libertati subinde redditus Paulus varias prædicando obit Provincias (* 16.). S. Lucas Actis Apostolorum fine imposito (* 17.), Româ in Græciam revertitur; inde multis Italiæ, Dalmatiæ, Galliæque partibus peragratis, anno ætatis quarto supra octogesimum apud Patras (Achaiæ urbem) Doctrinam Evangelicam, quam ore & calamo exposuerat, sanguine etiam consignat (a).

A. Æ. C 58. Neron. VI.

Paulus absolvitur vinculis.

S. Lucas scriptor actuum Apost.

(a) Hieronym. de script. Eccl.

9. Circa septimum Neronis annum à Rege Agrippa Sacerdotium tulit Ananus, illius Annæ filius; qui à quinque liberis Pontificatu functis, apud posteros (b) celebris fuisset; nisi suâ in Christum, & Apostolos acerbitate famam penitùs obscurâsset. Ananus parenti minimè absimilis Christianam rem pari studio insectabatur: Jacobum Hierosolymorum Episcopum paulò post aggressus, Doctrinam palàm, & è fastigio templi ejurare jubet. Sanctus Præsul contrà ab hoc suggestu Christi à Dextra Dei Regnantis gloriam

(b) Joseph. Antiq. lib. 20. c. 8.

A. Æ. C. 59.

Martyrium S. Jacobi Hierosolym. Episcopi.

Alexandrinus apud Euseb. lib. 6. c. 11. plures vide in œcon. *Ederi* pag. 493. ubi etiam objectiones oppositas solvit.

(*16) Paulus libertati redditus, an in Asiam, an in Hispaniam discesserit? incertum est. Primum colligitur ex epistola ad Philemonem, alterum ex PP. authoritate, scilicet *Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Epiphanii, Chrysostomi &c.* quamvis duo Pontifices id denuò negent, nempe *Innocentius I.* Ep. ad Decent. & *Gelasius* apud Gratian. XII. Q. 22. c. *beatus*: imò ajunt Paulum cogitâsse proficisci in Hispaniam, nunquam autem profectum illuc esse. Vide *Baron.* ad a. 61. §. 2. *Tillemont.* not. 73. in Paulum. *Natalem Alexand.* Dissert. 15. Sæc. I.

(*17) HIERONYMUS ad Paulinum, *Actus Apostolorum nudam quidam videntur sonare historiam, & nascentis Ecclesiæ* (per 30. annos) *infantiam texere: sed si noverimus, scriptorem eorum Lucam esse Medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.* CHRYSOSTOMUS hom. 1. in Act. quinque utilitates hujus libri, adducit. 1. Promissa Christi hìc præstita videre licet, ipsámque veritatem ipsis factis relucentem intueri. 2. Simúlque videre est discipulos mirificè ad meliora transmutatos, nimirum Spiritu S. vim suam in illis exercente. 3. Conspicies hìc Apostolos terram, mariáque percurrentes, & fastu mundi superiores esse factos. 4. Nil in eis invidiæ, nil pristini ambitûs, sed plurimum charitatis. 5. Quin & dogmata quædam hìc reperire licebit, quæ nisi liber fuisset proditus, haudquaquam fuissent ulli tam dilucidè cognita &c. Porrò eorum, quæ hic tractantur major pars sunt acta Pauli, qui plus omnibus laboravit. Ejus rei causa est, quòd is, qui librum hunc conscripsit, discipulus, & cultor Pauli fuit, ac individuus comes.

riam, ejúsque dogmata nunquam diruenda professus, ex pinnis templi præceps agitur, túmque ægrè spirans fullonis vecte ac lapidum vi omninò confectus, fusis pro inimica gente precibus, animam Deo reddidit (c). Tumulatæ sunt exuviæ eodem in loco; ubi Martyr mortem subiit, indolentibus ipsis adeò hostibus, qui teste Judæo Scriptore Josepho Hierosolymitani exitii causam magna ex parte in sanctissimi hujus viri cædem conjicere non dubitârunt. Ecclesia, etsi ad casum sui patris magìs ingemisceret; iis, tamen, quæ reliquerat, monumentis (*18), se aliquâ ratione solata est. Præter cætera ob oculos & animos nobis adhuc obversatur Epistola illius Catholica (*19), quam duodecim tribubus inscripsit: ejus argumentum multa præcepta morum, ac dogmata complectitur: útque Paulus legis opera, quæ fidem præcedunt, aversatur; ita Jacobus illas actiones, quæ ex fidei radice nascuntur, velut salutis æternæ meritorias omnibus orthodoxis inculcat (d): demùm promulgat Unctionis Sacramentum, ejúsque ritum, qui in nomine Christi administratus, annexam habet gratiæ promissionem; ita enim scribit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei* (*20).

(c) Euseb. lib. 2. hist. Eccl. c. 22.

Epistola Jacobi.

(d) Ibid. c. 1. & 2.

10. An-

(*18) Extat sub Jacobi nomine LITURGIA, quæ teste *Bellarmino*, à posterioribus ità aucta est, ut incertum sit, cujus partis author sit S. Jacobus: aliqui judicant Liturgiam esse potiùs Ecclesiæ Hierosolymitanæ; nam in ea legitur *verbum consubstantiale Patri*, quo textu Patres utique usi fuissent contra Arianos; si tunc liturgia Jacobi hæc habuisset. Prætereà *Eusebius* lib. 7. c. 12. refert. CATHEDRAM S. Jacobi ad sua tempora magna cum veneratione in Ecclesia Hierosolymitana conservatam fuisse, ut vel inde primæva Sæcula SS. cultum, & Reliquiarum satis nobis præsignent.

(*19) *Catholica* dicitur Jacobi epistola, quòd non uni genti, aut civitati (quemadmodùm Paulus Romanis, aut Corinthiis) hanc dedicat epistolam, sed universaliter Fidelibus, sive Judæis, qui dispersi erant: Vocatur etiam *Canonica;* nam quamvis & epistolæ Pauli Canonicæ sint, speciale tamen nomen hoc reliquis epistolis impositum est, ad differentiam earum, quas alii sub falso Apostolorum ediderant nominé. Ita DIONYSIUS hìc in *Proœmio*. Incertum olim fuit, quis Jacobus an Zebedæi, an Alphæi filius hanc exârasset epistolam? HIERONYMUS tamen *de vir illust.* rem determinavit, dum ait: Jacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento justus ... post passionem Domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, unam tantum scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est; adducitque pro testimonio *Hegesippum* lib. 5. Comment. *Clementem* Hypotypos 7. &c.

(*20) Novatores hujus epistolæ authoritatem convellere nituntur ex eo, quod HIERO-

10. Anno Æræ vulgaris ſexageſimo, Neronis regnantis octavo, S. Marcus Alexandriæ Patriarcha, Ethnicorum furori ſuccubuit: is idea antè factus perfectiſſimæ Chriſtianitatis ad tantum virtutis conatum ſuos adduxerat; ut Philo Judæus toto libro, quem de vita contemplativa inſcripſit, novellam illam Eccleſiam Therapevtarum (*21) nomine celebrârit. Omnibus abdicatis illi extrà urbes in hortis, agellísque deviis vitam agebant ſolitariam: ſilentii ibidem cura perpetua, caſtimoniæ, ac laboris: quamvis multum etiam temporis contemplationi daretur (e), & aliquid etiam Agapis; nam quolibet Sabbato in communem cœtum conveniebant: hæc initia fuêre, unde Monaſtica vita in Ægypto cœpit (*22). Ethnici, qui Iſi, Aſpidi ac Crocodilo ſuum duntaxat cultum dicaverant, fulgore ſublimis virtutis perſtricti, eum, qui reliquis ad religioſam ejusmodi vitam author eſſet, exterminandum decernunt. Die igitur Dominicâ in S. Marcum ſacris operantem irruunt (f), ligatóque ad collum fune per aſpera raptatum, tandem extinguunt (*23). Ne viduata deinceps deſereretur

A. Æ. C. 60. Neron. VIII.

Therapevtæ

(e) Euſeb. lib. 2. c. 17. Philo de Vit. Cont.

Martyrium S. Marci.

(f) Menol. Græc.

HIERONYMUS l. c. dicat eam *paulatim tempore procedente obtinuiſſe authoritatem.* Et EUSEBIUS *lib. 2. c. 23.* teſtetur: *Sciendum eſſe, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit ejus.* Verùm, ſi penitiùs rem conſideremus, Hieronymus & Euſebius tantùm aliquorum dubitationem, cui tamen ipſi non ſubſcribunt, retulêre, & hinc palàm Euſebius ait, iſtam ab omnibus penè Eccleſiis recipi. Demùm ſi fuerunt quidam, qui de hac epiſtola dubitârint; cùm illos, qui fuerint, neſciamus, neque veterum rerum ſcriptores eorum nomina poſteritati mandârint: quis niſi rerum novarum molitor, eosdem ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris, tum Græcis tum Latinis, qui ex eadem epiſtola teſtimonia citant, aut in eam ſcripſerunt commentaria, Præponat? certè ſi dignæ fuiſſent illorum dubitationes, nec Hieronymus, nec Euſebius eas tacuiſſent, imò aut illis darent victas manus, aut easdem diluerent, ùt in minoribus controverſiis agere ſolent; fuſiùs hac de re agunt *Medina* de recta in Deum fide lib. 6. c. 23. *Canus* lib. 2. de locis Theologicis c. 9. *Ederus in Oecon.* Bibl. pag. 510.

(*21) Recentiores malè confundunt *Therapevtas* cum *Eſſenis* Chriſto antiquioribus, qui antè in Judæa ſola reperiebantur, ùt ait *Joſephus* lib. 18. antiq. c. 2. ſed Therapevtarum inſtitutum Græci, barbaríque amplectebantur; imò & mulieres, quarum ſocietatem Eſſeni maximè refugiebant.

(*22) SOZOMENUS hiſt. lib. 1. c. 12. poſtquàm ex Philone *Therapevtarum* inſtitutum retuliſſet, ſubjungit: Philo, dum iſta ad hunc modum narrat, indicare videtur, Chriſtianos ſui temporis . . . unde conjicio hanc Philoſophiam, ſeu vitam Monaſticam apud Ægyptios ex eo tempore floruiſſe. Alii tamen affirmant, perſecutiones, quæ variis ſubinde temporibus Eccleſiæ acciderunt, huic Philoſophiæ occaſionem præbuiſſe; nam quoniam fugientes Chriſtiani in montibus, in ſolitudinibus, ac Sylvis commorabantur, huic vivendi rationi paulatim aſſueverunt.

(*23) Reliquiæ *S. Marci* circa annum 828. ſub *Juſtiniano* Duce Venetias translatæ dicuntur, ùt habet *Andreas Dandulus* lib. 5. P. 28. item *Baronius* ad a. 820. §. 29. & *Bernar-*

(g) Euseb. hist. lib. 2. c. 24.

sereretur Ecclesia; S. Marcus de Anania Successore jam providerat (g), cui duodecim Presbyteros adjunxit, è quorum corona in quartum usque sæculum (scilicet ad tempora Alexandri Patriarchæ) Præsules sequentes delecti sunt (*24).

(h) Lactantius lib. de mort. persecut. c. 2.

A. Æ. C. 64. Neron. XI.

Neroniana persecutio Christianorum.

(i) Tacitus lib. 15. c. 44.

11. Quanto studio Christi cultores Alexandriæ sub institutore Marco virtutem sectati fuerant, tantâ morum disciplinâ Romana Ecclesia tunc sub S. Petro florebat (*25.), cujus prodigiis, ac verborum vi fides tam latè in dies propagabatur; ut non modò Romæ (h), sed ubique à cultu idolorum multitudo ingens deficeret, ádque Religionem sanctiorem, damnatâ superstitione, transirent. Læta ejusmodi incrementa ægrè ferens Nero, primus omnium Tyrannorum fuit, qui palàm sævitiem, ac summam atrocitatem in Christianos expromendam sumpserat. Occasionem furendi inde captabat, quòd incendii, cujus ipse Cæsar author dicebatur, invidiam in gentem Christianam conjiceret. Igitur primò correpti, odio magìs, quàm ullo crimine damnabantur, & pereuntibus, ùt testatur Romanus Scriptor (i), addita ludibria; ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies,

Bernardus Monachus Gallus apud *Mabillonium* in Actis SS. Sæc. III. §. 6. de modo tamen translationis minùs constat.

(*24) HIERONYMUS Epist. 101. ad Evagrium ait: *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heracleam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi unum ex suis, quem noverint industrium eligant, & Archidiaconum vocent.* EUTYCHIUS Tom. I. *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeò ut, cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum de duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eúmque benedicerent, & Patriarcham eum crearent &c.* Ex his quidam malè conclusêre Episcopos non esse superiores Presbyteris divinâ institutione, Verùm advertant illi, hìc non de ordinatione, sed tantùm de electione Patriarchæ agi, quam utique simplices Sacerdotes etiam facere poterant, quin essent Episcopi: neque manuum impositio à Presbyteris suscepta aliud significabat, quam solam suffragii ferendi rationem: Alii tamen probabiliter asserunt, hos duodecim Presbyteros Alexandrinos fuisse Chorepiscopos, & primi quidem generis, scilicet cum charactere episcopali, quibus Patriarcha suas, ut ait Severus, vices committebat in Provincia: hac ratione facilè omnia conciliantur, quia Patriarchâ mortuo, uni per manuum impositionem non ordo, (nam hunc jam habebat) sed jurisdictio conferebatur. Demetrius autem crescente multitudine fidelium, proprios in quibusdam civitatibus constituit Episcopos. Vide *Du Mesnil* de Doctr. & Discipl. lib. 2. num. 89.

(*25) FLEURI horum Christianorum virtutes latiùs describit, *de discipl. pop. Dei*: item has videre est in epistola *Justini* ad Diogenem p. 494.

dies, in usum nocturni luminis urerentur (*26.). Hortos suos ei spectaculo Nero obrulerat: & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi; unde miseratio ergà Christianos oriebatur, eoquòd quisque crederet, innocuos homines non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius Principis absumi (*27.). Ex Urbe in Provincias par carnificina contra Religionis veræ assertores prolata est (k). S. Paulinum Toscanensium Episcopum, Torpetum, Romanum & Ptolemæum præsules in Italiæ extremis finibus hæc tempestas prostravit (l): Gervasius & Protasius, Vitalis & Valeriæ Martyrum filii (m), Mediolani capite truncati, tunc primam Martyrii palmam quoque meruerunt (*28).

(k) Orosius lib. 7. c. 5.

(l) Euseb. lib. 3. c. 30.

(m) Ambros. Epist. 54.

A. Æ. C. 65. Neron. XII.

Occasio Martyrii SS. Petri & Pauli Romæ.

12. His sacris agminibus cumuli loco accesserunt subinde Apostolorum Principes Petrus & Paulus: sive enim ii ante cruentam illam procellam Romam venerint, sive ad firmandos Christianos fervente suppliciorum æstu advolârint; certè turbido hoc tempore laboranti Ecclesiæ ea adminicula attulerunt, ut non modò Christiana virtus, ac Religio in luce urbis, sed & in aula Cæsaris triumpharet. Duobus voluptatum generibus Nero potissimùm delectabatur, nimirum turpi carnis illecebrâ, ac præstigiis magicis, quarum maximus artifex Simon Cæsarem deludebat. Utrique vitio fortissimi ChristiPræcones obstitêre; namPetrus præcepta Dei populo disseminans, castimoniam inculcabat (n), eodémque studio Paulus Neronis pellicem dilectissimam è medio scortorum grege

(n) Ambrosius in Auxent.

(*26) Verbis his lucem addit *Scholiasta* ad illud *Juvenalis* in Satyr. I. *Pone Tigellinum: tædâ lucebis in illa, quâ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.* Tigellinum si læseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cùm fixa essent guttura, ne se curvarent. Nero maleficos, tædâ, papyro & cerâ supervestiebat, & sic ad ignem admoveri jubebat.

(*27) SUETONIUS homo Ethnicus pro suo ingenio laudare videtur hoc Neronis facinus c. 16. *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ.* Tertullianus verò ei repugnat in Apologetico c. 5. *Consulite*, ait, *Commentarios: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

(*28) TILLEMONTIUS de persecutione Neronis T. 2. p. 1. Varios Martyres collegit, qui sub Nerone passi sunt. De Nazario, & Celso, extra Portam Romanam sepultis, & posteà per divinam revelationem à D. Ambrosio inventis, locus scribendi erit in Sæculo IV. In Hispania hanc persecutionem sæviisse colligunt ex lapide ibi defosso, & inscripto: NERONI. CL. CAIJ. AUG. PONT. MAX. OB PROVINC. LATRONIB. ET. HIS. QVI. NOVAM GENERI HVM. SVPERSTITION. INCVLCAB. PVRGATAM. in inscriptionibus Gruteri pag. CCXXXVIII.

grege ad integerrimum fidei, ac caſtioris vitæ complexum traduxit. Tyrannus hâc injuriâ, ùt rebatur, aduſtus, primùm in irarum plena conſilia: mox etiam in rabiem prolabitur; ubi Petrus præſtigiatoris Simonis ludos funeſto caſu interrupiſſet: pollicitus is fuerat, ſe Icari fugam & volatum repræſentaturum (o): vix ſtatâ die Theatrum conſcenderat, unde in ſublime, ac in cœlum ipſum ſe ſuâ vi eniſurum dicebat; jam ſuccollantes dæmones hominem in aëra, applaudente populo, evehunt: Petrus contrà, qui facinoroſo ſpectaculo intererat, in genua ſe demittens, Deo ſupplicabat, ut per Jeſum Chriſtum Dominum frangeret tumidam ludionis proterviam; ne ad perniciem hominum fraudibus ejusmodi abuteretur. Auditis veluti precibus extemplò ſtygiis veteratoribus præcipit, ut Simonem ſibi relinquant: hís ad juſſa diſcedentibus, ſycophanta pondere ſuo in terram detractus effractis cruribus, humúmque latè ſanguine reſpergens corruit: inde perlatus Brundam, cruciatus, & pudorem non ferens, ex altiſſimi culminis faſtigio rurſus ſe præcipitem dedit (*29).

(o) Sueton. in Neron. c. 12.

13. Tot eventibus exulceratus Cæſar geminis Apoſtolis ultimum ſupplicium decernit, quare Diſcipuli Petrum Magiſtrum rogant, ut furori nonnihil cederet, ſéque paſtorem ſaluti ovium ad longiora tempora ſervaret: Petrus lachrymis ſuorum emollitus nocte muro egredi cœpit: at videns ſibi in porta Chriſtum occrrere, urbémque ingredi; Domine, ait, quò vadis? ſciſcitanti reponit Chriſtus: venio iterum crucifigi. Ex reſponſione facta acilè Petrus cognovit, tempus eſſe, ut Magiſter in Diſcipulo (ùt olim prædixerat,) denuò crucem ſubiret: reverſus deinde Apoſtolus ſatellitum jam inveſtigantium manibus ſe obtulit, à quibus in Mamertinum carcerem ad radices Capitolii pertractus eſt (*30); idem ergaſtulum poſteà adire compellitur Paulus

(*29) Hiſtoriam de caſu Simonis & victoria Petri referunt *Arnobius* lib. 2. p. 50. *Cyrillus* Catech. 6. *Ambroſius* Hex. lib. 4. c. 8. S. *Auguſtinus* hær. 1. *Sulpitius Sever.* hiſt. Eccl. lib. 2. *Iſidorus Peluſiota* lib. 1. Ep. 13. &c. quos imprudentis credulitatis nemo incuſaverit.

(*30) *Ambroſius* hanc rerum geſtarum ſeriem fusè exponit Serm. 68. pag. 100. notant hìc Critici inter captivitatem Petri, ejúsque mortem intervallum multorum menſium interceſſiſſe; Uſuardus & Ado 14. Martii inſinuant Apoſtolos novem menſibus in carcere fuiſſe. Vide *Tillemont.* in vita S. Petri notationem 39.

lus, divino planè consilio, ut qui, dum viverent, in Christo extitissent conjunctissimi, in morte nullatenùs separarentur.

14. Inter vincula Gentium Doctor, cùm cursum à se consummatum, séque resolutum iri prævideret, jámque impendere coronam justitiæ; Timotheum alterâ epistolâ ad se confestim evocandum censuit, cui fidei negotium quasi ex ultimis tabulis, & subinde coràm postremis verbis commendaret (*31). Non dissimili curâ S. Petrus ex suæ captivitatis specu secundam ad proselytos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersos epistolam scripsit, in id maximè incumbens, ut eos post suum excessum adversùs hæreticorum insidias, totidémque luporum incursus cautos redderet (*32). Cæterùm catenæ, quibus uterque Apostolus ligabatur, etsi publicum Evangelii cursum constringere simul viderentur; ipsæ tamen carceris angustiæ captivorum Præconum operâ in Ecclesiam conversæ sunt: Processus & Martinianus, ac reliqui custodes cum quadraginta septem viris sacras undas expetierunt, quibus ut elui possent; Apostoli thavmaturgâ manu ex carceris solo scaturientem fontem, qui hodiedum adhuc eo in loco pullulat, elicuerunt. Tandem ubi vigesima nona Junii anni ÆV. sexagesimi quinti illuxerat; Petrus in ea urbis parte, quam Judæi incolebant trans

Epistola Pauli ad Timotheum II.

Epist. II. Petri Apost.

(*31.) *Chrysostomus* hìc in principio confirmat hanc Epistolam secundam ad Timoth. scriptam esse postremò in Vinculis: *Anselmus*, qui idem sentit, scopum ejus epistolæ esse ait, ut Timotheum roboret contra falsos prædicatores, & eum de omni regula veritatis, dein etiam de his, quæ ultimis futura sunt temporibus, instruat: demùm suam mortem insinuat, cujus exemplo illum hortatur ad Martyrium pro fide.

(*32) Epistolam secundam Petri quidam in dubium trahere conati sunt, tum quòd *Eusebius* lib. 3. c. 25. & Hieronymus de viris illustr. de authore dubitare videantur, tum quòd phrasi, & dictione cum priore Divi Petri epistola non per omnia conveniat. Verùm Petri genuinam esse epistolam, probatur ex eo, quod c. 3. dicat: *Ecce vobis charissimi secundam scribo epistolam*: dein, quod transfigurationis Christi, cui is interfuit *Matth. 17.* mentionem faciat, ùt advertit *Gregor. hom. 18. in Ezech.* Loco verò omnium est nobis Ecclesiæ authoritas, & PP. consensus, qui testimonia frequenter ex hac epistola citant, ùt Ambrosius, Augustinus, Origenes, Chrysostomus, quos vide apud Ederum in Oecon. Bibl. pag. 528. cæterùm PP. qui dubitare videntur, non suam sententiam, sed aliorum referunt. Aliæ rationes à curiosis exquisitæ sunt ad infringendam epistolam, Apostolicâ authoritate adhuc olim nudatam: Argumentum verò illud, quod Erasmum movit, aliósque ante Hieronymum, infirmum est, cùm eundem authorem sæpe contingat non aliam modò sed eandem sententiam stylo scribere differenti, ùt patet in diversis Gregorii epistolis: Hieronymus ad Hedibiam ex dissimili stylo non diversos authores colligit, sed interpretes differentes. V. *Canum* lib. 2. de locis Theologicis c. 11.

Annus & dies Martyrii SS. Apoſtolorum.

trans Tiberim, capite, ùt poſtulârat, inverſo, fixus cruci eſt, ſepultúsque in Vaticano viâ Aureliâ. Eâdem die (*33) Paulus ductus eſt ad Aquas Salvias, locum tertio ab urbe lapide diſtantem, ubi carnificis ictu caput amiſit, coronâ juſtitiæ in cœlis coronandum (q). Tres ibi ſcatent fonticuli, qui tunc primùm erupiſſe dicuntur. Apoſtoli ſacras exuvias in ſuo prædio viâ Oſtienſi Lucina fœmina nobilis tumulavit. Virorum tantorum (qui magìs ſanguine ſuo, quàm cuncti Duces victoriis urbem illuſtrârunt) glorioſa ſepulchra poſteà celebrata ſunt magno concurſu etiam Principum, ac Imperatorum, qui tabernaculorum opificem Paulum & piſcatorem Petrum Patronos apud Deum etiam mortuos deprecabantur (r). S. Petro, ſi monumentis pervetuſtis credimus, S. Linus natione Italus, patriâ Volaterranus, anno eodem Chriſti 65., in ſuprema Eccleſiæ, ac Chriſti vicaria cura ſurrogatus eſt (†).

(q) Euſeb. lib. 2. c. 25.

(r) Chryſoſt. hom. 26. in 2. ad Cor.

(†) REFLEXIO VII.

Flori crudelis avaritia.

15. Italiâ ſanguine ac cædibus undante, tempeſtas nova in Palæſtina exorta eſt ſub Floro Judææ Præſide, quem Nero Feſto & Alboino ſurrogârat, id eſt latronibus graſſatorem: is enim quaſi ad oſtentandam malitiam miſſus, publicè traducebat gentis injurias, nihil omninò ſibi ad ſummam in rapinis, & ſuppliciis iniquitatem reliquum faciens (s): inſatiabilis ingenii homo cùm ipſa adeò latronum ſpolia herciſcundo, quæſtum turpiſſimum exerceret; Judæi exuti laribus ad exteros profugi, inter Barbaros circumſpiciunt patriam; dum tandem ſuprema clades toti Judææ immineret, cujus utì certiſſimum indicium ante XL. annos à Chriſto acceptum eſt; ita nunc eandem eſſe in limine propiùs, nova omina, ac inſolita prodigia commonſtrabant. Quarto ante bellum Judaicum anno quidam Ananiæ filius, vir plebejus, ubi ad diem feſtum veniſſet, quo tabernacula juxta templum defigi è more erat, repentè exclamat: vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hieroſolymam, ac in templum. Atque hæc interdiù, noctúque vociferans omnes urbis

(s) Joſeph. lib. 20. Antiq. c. 9. lib. 2. belli c. 13.

Omina cladis Hieroſolimytanæ.

(*33) Quod Petrus & Paulus eodem anno paſſi ſint, facilè conveniunt Authores multi: anno autem 65. paſſos ſimul eſſe, oſtendemus infra in Reflexione IV. n. 7.: de die diſcrepant plures, an uterque Apoſtolus 29. Junii Martyrium ſubierit? Pagius probabiliùs affirmat in Critic. p. 52. Uti & *Papebrochius* ad diem 29. Junii §. V. ubi argumenta Adverſariorum diſſolvit.

urbis vicos circuit: ab Alboino Romanorum Præfecto accitus & ad ossa usque laceratus, nec plagas deprecatur, nec responso quenquam dignatus unum Civitatis excidium commemorat. Dimissus, insanienti persimilis per sex annos & quinque menses citra lassitudinem idem vaticinium totidem verbis ubique inclamitat; donec obsidionis tempore lapis tormento excussus horrifico Vati vocem & vitam ademisset (t). (t) Joseph. lib. 7. belli c. 12.

16. Anno Neronis duodecimo, à morte Christi trigesimo quinto, cùm populus ad festum Azymorum diem congregaretur; sextâ Idus Aprilis sub horam noctis nonam tanta repentè lux circa altare, templúmque circumfusa est, ut dies clarissima illucescere videretur (u): in eadem solennitate vacca, ad sacrificium deducta, in templi medio agnum enititur: ære fusa janua interioris Sacrarii orientem versùs, à viginti robustis viris aliàs claudi solita, noctis horâ sextâ resolutis seris patefacta est. Die 21. Artemisii sive Maji ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus, & armatæ acies nubila tranantes urbi circumfundi: festo demùm Pentecostes sacerdotes templum interiùs religionis causâ ingressi, primò strepitum; deinde vocem confertæ multitudinis audiunt, simul proclamantis: *Migremus hinc.* A. Æ. C. 65. (u) Idem l. c.

17. Inter hæc Cestius Gallus Syriæ Præses Hierosolymam venit, ut incolarum numero inito, Neroni florem civitatis, ab eodem Cæsare cæteroquin contemptæ, significaret. Præsidi Pontifices ex hostiarum summa, quas à die Paschatis cædere solebant, rem demonstrant: earum autem ducenta quinquaginta millia sexcentas, immolari quot annis (x) asserentes, ad singulas porrò hostias comedendas sæpè decem, & aliquando vicenos convenire homines confirmabant. Eodem tempore Cestium trecentæ hominum Myriades circumstetêre supplices, ut in locum crudelissimi Flori (y) mitiorem Magistratum sufficeret: Cestius, ne irritatam plebem in furorem porrò proliceret; pollicitus omnia Antiochiam rediit. Intereà à Floro, qui querelas ejusmodi coràm audierat, nova agitata sunt consilia: ad declinandum exitium id vaferrimo homini expedire visum est; si eò demùm Judæos adigeret, ut apertâ defectione Cæsaris iram in se provocarent: ità enim fore credebat, ut flagrante bello sua quoque scelera tegeren- (x) Joseph lib. 7. belli c. 17. (y) Joseph. lib. 2. belli c. 13. *Judæorum seditio adversùs Romanos.*

gerentur. Digreſſo deinde Ceſtio calamitatem calamitate auget, idque, quod volebat, impetrat ſuâ acerbitate, ut exulcerati immensùm animi imperium Romanorum palàm exuerent. A rebellibus in Cæſareum militem primò ſævitum eſt, deindè lege communi cavebatur, ne quis pro Romano populo offerre hoſtiam præſumeret. Rex Agrippa, qui unà cum ſacerdotali ordine facinus periculorum pleniſſimum ſemper diſſuaſerat, reſtinguendò tumultui mille equites in urbem ſubmittit: at Manahen Judæ Galilæi filius, captâ Maſſadâ, & Herodis armamentario iſthìc direpto, tot ſicarios armat; ut urbem vi adortus, occiſíſque præſidiis Romanis tyrannidem occuparet, crudeliora etiam in ſuos, qui conſiliis obſtitiſſent, decreturus; niſi ab Eleazaro templi præfecto intra ipſos Sacrarii limites fuiſſet interfectus (z).

A. Æ. C. 66. Neron. XIII.

(z) Capellus in compend. Hiſtor. Judaicæ.

18. Eâdem die, quâ Hieroſolymis Romanus miles internecione ſublatus eſt; Cæſareæ Judæos omnes (inſtigante Floro) Ethnicorum rabies trucidavit (a). Hoc ſigno dato efferati magìs rebellium manipuli Philadelphiam, Joppen, aliáſque urbes depopulantur; Syri contrà ſive Gentis odio, ſive vindictæ cupiditate cruentas populantibus ſtrages referunt, nec ulla ferè civitas erat, quæ non gentem Judaicam eliminandam exiſtimaret (*34): Scythopoli triginta millia eorum unâ ſeditioue, Alexandriæ verò quinquaginta millia unâ die periiſſe leguntnr (b). Ceſtius Gallus his motibus excitatus, Antiochiâ cum legione duodecimâ, & auxiliis Regis Agrippæ in Judæam; & per iter expugnatis caſtellis Hieroſolymam properat eo tempore, quo Judæi omnes propter Scenopegiæ feſtum illuc confluxerant (c): quamprimùm in urbe de Romanorum adventu reſcitum eſt; omnes deſertâ ſolennitate, prehenſis armis ad muros advolant: ſed tumultuaria turba nec ordine nec robore Romanæ militiæ par, inferiorem urbem hoſti relinquere cogitur. Ceſtio cùm facile fuiſſet totum occupare; metu inſidiarum etiam partem ſpontè dimiſit, fugienti magìs, quàm abeunti ſimilis: Judæis benè cecidit, ex hoc receptu tantum ſpoliorum ac armorum colligere, quantum ad caſtella deinceps fortiùs

(a) Joſeph. lib. 2. belli c. 19.

Cædes promiſcua Judæorum in variis urbibus.

(b) Idem c. 21.

(c) Idem c. 22.

Ceſtius Romanus Dux à Judæis cæditur.

(*34) Soli Antiocheni, Apameni, & Sidonii ſuis Judæis concivibus pepercerunt; ut habet *Joſephus* apud Cappellum in Breviario.

tiùs tuenda ſatis eſſet (*35); ſecuriores proinde, arcibus de præfectis proſpiciunt, inter quos inſignior ille Joſephus belli Judaici ſcriptor, qui demandatam ſibi Galilæam ità communierat, ut intrepidus Romanorum impetum exſpectaret (*36). Ceſtius intereà legatos quoſdam in Achajam ad Neronem miſit, belli ſiniſtrum eventum derivaturos in Florum (d). Cæſar verò ad vitia Flori parùm, plus ad incuſatam Ceſtii fortunam attentus, Veſpaſianum, qui in Achaja cum Nerone tunc egerat, bello præficit: nullâ interjectâ morâ Veſpaſianus Titum filium celeriùs Alexandriam præire jubet; dum ipſe tranſmiſſus in Helleſpontum, terreno itinere in Syriam perveniret.

(d) Joſeph. lib. 3. de bello c. 1.

Mors Lini Pontificis.

19. Dum hæc in Oriente aguntur; Romæ Linus Pontifex juſſu Saturnini Conſularis (cujus filiam à Dæmone liberaverat) Martyr occumbit Anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo (e), poſtquàm à Petri morte duobus annis & tribus menſibus (*37) Eccleſiam rexiſſet. In ejus locum Cleri ſuffragiis ſurrogatus eſt S. Clemens (f) Romanus, Petri diſcipulus, & à Gentium Apoſtolo grandi elogio concelebratus (g): Paſtoris officium aggreſſus Romæ ſeptem Notarios conſtituit, inter quos urbem diviſit, ut res geſtas Martyrum deſcriberent. Ab his ſuam habere originem dicuntur Protonotarii Apoſtolici, Participantes appellati, quorum olim numerus ſeptenarium non excedebat (*38).

(e) Pagius in Breviario PP. pag. 9.

(f) Tertull. lib. de præſcript. Hær. c. 32.

(g) Philipp. 4.

Succeſſor S. Clemens.

20. Ve-

(*35) *Cappellus* ait: Ceſtium Antipatrida ſe recepiſſe, & ſolviſſe obſidionem ſine juſta cauſa, & multos Romanorum amiſiſſe, cum majore parte impedimentorum, Machinarum, baliſtarum, quas fugientes Romani abjecerant, & quibus Judæi dein uſi ſunt in propugnatione Hieroſolymæ adverſus Titum.

(*36) *Joſephus* de bello lib. 2. c. 26. notat, poſt Galli Ceſtii fugam, ac cædem, Judæos nobiliores ex civitate, velut brevi periturâ navi profugiſſe, quo tempore Chriſtiani utique Chriſti oraculo moniti, cùm exercitum Romanorum facilè rediturum præviderent, vidiſſéntque paulò antè abominationem deſolationis (ſcilicet idola: quæ Romani in ſignis ſuis præferebant) ſtantem in loco ſancto, id eſt in civitate ſancta; haud dubiè fugerunt ad montes, tutóque habitavêre Pellam juxta deſertum Syriæ, in ditione Regis Agrippæ. Ita *Du Meſnil* lib. 2. pag. 104.

(*37) *Chronicon Damaſi* S. Lino tribuit annos XI. cum aliquot menſibus, duodecim etiam annis Linum ſediſſe ait *Epiphanius* hæreſi 27. c. 6.: ſed hi Authores numerant annos Pontificatûs, cum cæteris annis, quibus nonniſi Petri Vicarius fuerat. Ità Pagius in Breviario PP.

(*38) *Sigebertus* de Script. Eccl. refert à S. Lino conſcriptum eſſe librum, qui vocatur *Martyrium Petri & Pauli*, qui liber quoque extat in maxima Bibliotheca veterum Patrum Tom. 1. pag. 67.: ſed *Bellarminus* & *Pagius* eundem velut partum ſuppoſitum, & Ma-

Vespasianus & Titus expeditioni Judaicæ præsunt.

20. Vespasianus subinde ad Antiochiam lecto milite, adductísque per Titum ex Alexandrina Provincia legionibus exercitum 60. millium in Galilæam effundit: primo impetu Gadarensium urbe captâ, Jotapata invaditur, cui cum imperio præerat Josephus Dux & calamo & ferro clarus: hic ubi solerter hostem per quadraginta septem dies â mœnibus retardâsset; tandem cum deditione urbis in potestatem Vespasiani, & simul in ejus amicitiam transiit, quam docto adulandi studio (h) ità sibi devincire noverat; ut inter Duces familiares præcipuum locum haberet. Galilæâ totâ Romanorum armis subactâ, dissensio inter Judæos oritur; aliis fidem pristinam, aliis contrà bellum cupientibus (i). Horum præcipui fuêre illi zelotarum globi, qui totius Judææ erasæ spolia Hierosolymæ inferebant: miscebant sub specie tuendæ patriæ omnia cædibus ac rapinis: in hos latrones Judæorum Primores stringere præprimis arma, ac templo, quod velut arcem suarum seditionum insederant, exuere parabant. Zelotæ subveriti, ne multitudini succumberent; clandestinis literis viginti Idumæorum millia in urbem arcessunt: suppetiæ novæ tantum animorum rebellibus addidêre; ut in primores urbis (quos proditores populi jactabant) crudelitatis omne genus depromerent. Duodecim millibus ex nobiliore ordine cæsis, turbam sævientem vires, nequaquam verò sæviendi animus defecit: è tanto igitur exitio cùm plurimi velut ex intestina tempestate ad Vespasianum profugerent; horum sermonibus in spem arrectus Dux, Hierosolymæ obsidionem decernit: quò minùs è vestigio manum operi admoveret; tum hyemis propinquitas, tum quædam castella antè occupanda prohibuerunt.

(h) Joseph. de bello lib. 3. c. 3. & seq.

(i) Joseph. de bello lib. 4. c. 1.

Judæorum pertinax animus contra Romanos.

§. VI.

& Manichæorum errores redolentem rejiciunt. *Vossius* lib. 2. de Historicis Græcis, librum illum tribuit veteri alicui Monacho: plus fidei tribuendum est libro Pontificali, dum commemorat, S. Linum ex præcepto D. Petri cavisse; ne mulier Ecclesiam ingrederetur, nisi velato capite; nam etsi hoc præceptum *Centuriatores* Magd. Cent. 1. lib. 2. c. 10. explodant; nos tamen id dignum *Episcopali curâ* censemus, postquàm Gentium Doctor 1. ad Corinth. c. 11. id præcipere non erubuit.

§. VI. *Bellum Judaicum, obsidio Hierosolymæ, conflagratio templi, excidium urbis & populi, demum statuta Desolatio totius Palæstinæ, hæreses Ebionis, Cerinthi & Menandri, opera S. Clementis & Hermæ, Pontifices Cletus & Anacletus, Persecutio Domitiana, Pax Ecclesiæ sub Nerva Cæsare.*

I. CONsistente adhucdum sua inter hyberna Vespasiano vulgatum est, motus à Vindice Gubernatore Galliæ in Cæsarem concitari: Ducem hic rumor citiùs, ac volebat ad arma & ad subjiciendas reliquas Judææ arces revocavit; minùs enim tutum esse rebatur, nutante domi imperio in exteris Provinciis bellum longiùs protrahere (a). Abrumpendum tamen hoc quoque consilium fuit, ubi maturiùs Galbam (Nerone occiso) regnare intellectum est; ad Cæsarem novum proinde Titum filium ablegat, nova quoque mandata pro bello Judaico accepturum: at Titus in Achajam vix delatus de Galbæ etiam cæde fit certior; is igitur citis velis ad patrem regressus cavet, ne ardente intùs re Romanâ, flamma periculosa exteriore Provinciarum bello augeatur. Post Galbam Otho breve tenuit Imperium, in hujus locum geminus Imperator suffectus est (b); Germanis legionibus Vitellium, exercitu verò Orientis Flavium Vespasianum sibi deposcentibus. Vitellio subinde profligato Flavius Vespasianus solus captat Imperium, relicto in Judæa Tito, qui ibidem belli reliquias conficeret (c).

A. Æ. C. 67. Neron. XIV.

(a) Sueton. in Neron. c. 40.

Vespasianus accelerat bellum.

(b) Dio 95.

(c) Sueton. in Vespas. c. 6.

2. Quo tempore Roma civilibus bellis, Hierosolyma tribus factiosorum partibus scindebatur (d): Eleazarus cum parva manu interius templi septum tenebat, Simon Gioræ filius sicariorum manipulis accinctus superiori urbi, inferiori Joannes cujusdam Leviæ filius Dux Zelatorum dominabatur. Ex triplici hac statione dum intestinis pugnis sese invicem divexant, de extero bello minùs solliciti; Titus tot malis oppressæ urbi valentiorem applicat exercitum (e), occupatóque Oliveti monte sexto ab urbe stadio stationem primam firmat; paulò antè Azymorum diem, ad quod festum tricies centena hominum millia confluxerant Hierosolymam. Urbs hæc erat octoginta turribus, quatuórque mœnibus communita, è quibus propugnaculis Romanorum conatus

(d) Joseph. de bello lib. 6. c. 1.

(e) Idem c. 2. Euseb. lib. 2. c. 5.

A. Æ. C. 70. Vespasiani II.

 Judæi

Obsidio Hierosolymæ.

Judæi despectabant. Titus rem propiùs acturus ad turrim Psephinam castra figit: dein aggere in modum coronæ egesto, extimum murum quatit; quo dejecto septimâ Maji in eam regionem irrumpit, quæ recentiùs versùs septentrionem urbi adjecta, Neapolis dicebatur: post octo dies altero muro intercepto urbs inferior in hostis potestatem venit. Inde acrior Judæorum, qualis ultima spectantium esse solet, obluctatio accensa est. Titus, ne eruptionibus castra lacesserentur, murum 39. stadiorum Hierosolymæ objicit: opere intrà triduum absoluto in civitate fames tanta invaluit, ut sordibus magno pretio emptis, coriis ac pellibus, quas scutis detrahebant, furentem inediam solarentur: famis rabie incitati alii escæ quærendæ causâ, cloacas & cadavera scrutari: alii hiantes rabidorum canum more per easdem ædes sæpiùs discurrere: alii effractis foribus rimari domos, verberare senes, mulieres sparsis crinibus raptare, pavimento allidere parvulos, & frustra egentes ipsos cogere, ut cibi aliquid indicarent, vel à manibus dimitterent: imò mors ne quidem miseros ab injuriis absolvebat; extremum quippe exhalantes spiritum excutiebantur, ne quis fortè cibum in sinu abditum gerens, mori se simularet: ad hæc singulis diebus ferè quingenti, timore posito in hostium castra prolapsi, alimoniam quæritabant. Hos omnes Titus in crucem suffigi jussit, eo numero, ut spatium crucibus, & corporibus cruces deessent: paucorum, qui supplicium effugerant, corpora dissecta sunt, ut aurum, quod devorâsse dicebantur, è visceribus erui posset. Quantacunque hæc pœnarum atrocitas par cohibendis à fuga civibus fuerat; majus tamen in urbe malum timidos etiam foràs propulit: ad augendam obsessorum calamitatem Titus denuò egressos præcisis manibus remittit; unde famis sævities eò demùm pervasit, ut matres nec prolibus parcerent: de Maria Eleazari filia proditum est, eandem ex lactante filio interfecto, coctóque immanes epulas sibi parâsse.

(f) Joseph. lib. 6. c. 3.

Ærumnæ & Calamitates urbis,

3. Fami & ferro tertia funestior comes accessit pestilentia, cujus contagio sexcentia funerum millia, intra breve spatium elata sunt. Obsessorum fato cùm & hostes ipsi commoverentur (g); Titus urbem per caduceatorem ad deditionem & miseriarum finem provocat: sed obstinatior Judæorum animus pacis Legatum fuso

(g) Idem c. 16.

A. Æ. C. 70.

Conflagratio templi.

fuso sagittarum imbre repulit: Dux igitur novâ injuriâ offensus, & Deum hominésque contestatus, se ad excidium eorum, quêis parcere voluisset, cogi; faces undique urbi subjici imperat: ardentibus jam templi septis, templum servare decreverat; sed altiore numinis impulsu hoc quoque posteà in cineres abiît, sex hominum millibus eo incendio absumptis. Nam die decimâ Augusti miles Romanus ex iis, qui in exteriore templi septo excubabant, à Judæis lacessitus, raptum ex incendio titionem per fenestram auream in domos circa templum constructas rejicit. Igne concepto, simul templum in flammas agitur: has cùm jussi à Tito milites restinguere conantur; validior omni humanâ ope ignis ædificium totum concremat anno Vespasiani secundo, eodem mense cdie , quâ olim sub Nabuchodonosore deflagraverat. (*1).

Hierosolymæ excidium.

4. Paucis à cremato templo diebus Sacerdotes sese Tito dedidêre, quêis ad mortem damnatis id solatii loco esse debuit, quòd destructo Sacrario sacerdotalis ordo nulli usui esse posset. Superior pars urbis (civitas David dicta) septimâ Septembris postremum quoque fatum subiit. Omnibus solo æquatis aratrum pro more inductum est, & tot monumentis præter tres turres Phaselum, Hippicum & Mariamnem, utpote tristis exitii reliquias nihil admodùm superfuit (h): Dux Joannes cum duobus millibus armatorum periit inter cloacas, Simon unà cum septingentis melioris formæ Juvenibus ad Majestatem Triumphi servatus est: ex aliis multi, qui decimum septimum annum vix superaverant, ad operas Ægypti rapiebantur: plures distribuebantur per Provincias vel pretio vilissimo vendendi (nam in singulos triginta homines Denarius unus transigebatur) vel in spectaculis fe- rarum

(h) Joseph. lib. 7. c. 16. & 18. & 24.

(*1) JOSEPHUS lib. 18. antiq. c. 4. videtur quidem ruinam Hierosolymæ inscribere crudelitati, quâ gens Judaica sustulerat Jacobum Hierosolymæ Episcopum; nihilominùs simul illam injuriam eodem libro profitetur, quæ Christo à Judæis irrogata fuerat: & ob quod Deicidium verè urbs in tantam calamitatem fuerat conjecta. *Eodem tempore*, ait, *fuit JESUS vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat autem mirabilium patrator operum, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de Judæis, quàm de Gentilibus sui habebat sectatores, & credebatur esse Christus. Cúmque invidiâ nostrorum Principum cruci eum Pilatus adjudicasset; nihilominùs, qui eum primùm dilexerant, perseverârent: apparuit enim eis die tertiâ vivens. Multa, & hæc, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo Vaticinantibus; & usque hodie Christianorum gens, ab eo sortita vocabulum, non deficit.*

rarum rabiem experturi, aut demùm laniſtarum ferro cæterorum funeribus aggregandi, quorum undecies centena millia in hoc communi interitu jam peſſum iverant (i).

(i) Idem lib. 7. c. 13.

5. His peractis Titus Cæſaream cum exercitu deſcendit, ubi dum pro commodo in Italiam itinere mare tranquillius præſtolatur; trigeſimâ Decembris fratris ſui Domitiani Natales celebrat (k): numerus Judæorum, qui in hac ſolennitate cum beſtiis depugnârunt, aut mutuis ſe vulneribus gladiatorum more confecerunt, viginti quinque millia excedit. Sub vernum tandem tempus Titus comite Agrippæ ſorore Berenice, quam in modum pellicis deperibat, Romam ſolvit: votis ibidem omnium exceptus unà cum Patre de ſubacta Judæa egit triumphum (l); inter ſpolia, ac fercula, quæ victoribus præferebantur, eminuêre vaſa Solymitani templi, menſa aurea pondere talenti magni, & candelabrum pariter auratum: poſt hæc portabatur lex Judæorum, quæ cum penetralium velis purpureis in palatio eſt repoſita (*2).

(k) Idem c. 21.

(l) Idem c. 24.

Triumphus de ſubactâ Judæa.

A. Æ. C. 71. Veſpaſiani III.

6. Sub idem tempus in Judæam miſſus eſt Lucilius Baſſus, qui Macheruntem fortiſſimum caſtellum cepit (m); huic mortuo ſucceſſit Flavius Sylvius inacceſſæ arcis Maſſadæ domitor, ad ultimum iſtud latibulum Eleazarus cum mille ſicariis confugerat; verùm Romanorum intererat prætermittere nihil, quo Judæi ſuâ patriâ penitùs exuerentur: Ducis igitur imperio vis ultima integro adhuc Caſtello admovetur. Sicarii, ne in hoſtium manus inciderent, ſeſe mutuis cædibus rabie pleni conficiunt, & cùm vivi vincere non poſſent, objectâ ſuorum cadaverum ſtrage hoſti inſultant. Quo facto Domini vaticinium ſub annum quartum Veſpaſiani regnantis impletum eſt: *& finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio* (n). Ejectis è Palæſtina Judæis Veſpaſianus omnem etiam ſpem reſtituendi Regni, ac Templi abſcindendam putavit; quare primùm illos, qui è regia Davidis ſtirpe eſſent progeniti (o), neci addicit; dein lege publicâ enuntiat, ut Judæi

(m) Joſeph. lib. 7. de bello c. 25.

Judææ totius ſtatuta deſolatio.

(n) Dan. 9.

(o) Euſebius lib. 3. c. 12.

(*2) DU MESNIL lib. 3. pag. 115. teſtatur videri adhuc *Romæ* ad radices Palatini in arcu triumphali ſculptum candelabrum, cùm aliis victoriæ inſignibus. PAGIUS ait pag. 67. multos de hoc triumpho extare nummos apud Mediobarbum. Viſitur in uno Imperator in quadrigis, qui dextrâ ramum tenet, & à Victoria coronatur: ante eam Tibicen, & ante currum duo captivi Joannes & Simon, præcipui Judæorum Duces, quos in triumpho ductos ſcribit *Joſephus* lib. 7. belli c. 24. In alio nummo cernitur figura muliebris inter ſpolia ſedens prope Palmam, quæ Symbolum eſt Palæſtinæ.

Judæi ſinguli didrachmam, quam pro Templo Hieroſolymitano annuo cenſu pendebant, poſteà ædi Jovis Capitolini inferrent (p). (p) Joſeph. c. 26.

7. Præmiſsâ templi ruinâ, Judæorum in varias Sectas ſciſſa religio faciliùs interiit; cùm enim arâ, & victimis carerent; Galilæi, Sadducæi, & Hemenobaptiſtæ ſuas ſuperſtitiones velut in modulum novæ religionis monſtroſè conjunxerunt: aut (quod Eccleſiæ veræ non potuit non eſſe dedecori) ſuos errores cum dogmatis Chriſtianis commiſcuerunt (q). De Ebione proditum eſt, eum ſimilia monſtra malè coagmentata in pago Cocabe primùm prædicâſſe: conceſſo mulierum promiſcuo uſu tradebat Legem cum Evangelio Matthæi ſervandam eſſe; cæteris quippe repudiatis ſcripturis id unicè, quamvis mutilum admittebat. Chriſtum poſtquàm purum ex Maria & Joſepho hominem finxiſſet; delirium hocce Diſcipuli ejus emendaturi aſſeruerunt, Chriſto ultra conditionem humanam quidem nil ineſſe: illum tamen à Spiritu Sancto fuiſſe creatum; cui nefando errori deinceps Ariani ac Sociniani ſubſcripsêre. In Myſteriis tractandis hæc eadem Secta non parùm hallucinata eſt; nam quantumvis Chriſtianos æmularentur, in panibus azymis celebrando: in altera tamen Myſterii parte denuò ſuperſtitioſa fuit, cùm loco vini meram aquam adhibendam præciperet (*3).

A. Æ. C. 75. & 76.

(q) Epiphanius hær. 19. Euſeb. l. 3. c. 27.

Ebionis hæreſis.

8. Ebionis Magiſter Cerinthus fuit è Judæo Pſeudochriſtianus, qui ſuis nonniſi libidines ac voluptates, velut benè actæ vitæ præmia poſt reſurrectionem futura propoſuit (r). Irenæus à S. Polycarpo ſe accepiſſe teſtatur, S. Joannem ab his impietatis authoribus adeò abhorruiſſe; ut, cùm aliquando Cerinthus & Ebion

Cerinthus Menander &c.

(r) Euſeb. lib. 3. c. 28.

(*3) EPIPHANIUS hær. 30. c. 1. Ebionitas natos exiſtimat ex Nazaræis hæreticis, ſive iis, qui Chriſtiani circumciſi erant; plures tamen errores Nazaræorum Hæreſi addiderunt: gloriabantur in nomine ſuo; eoquòd Hebraicè *Ebionita*, idem ſignificat, ac *Pauper*: quaſi iis hoc nomen datum eſſet, cùm ſua bona ad pedes Apoſtolorum detuliſſent; ſed re ipſa aliunde nomen non traxerunt, quàm ex Ebione pſeudodidaſcalo. Legem Evangelio miſcentes, ordinabant ſibi Presbyteros & Archiſynagogos; unde cœtus ſuos non Eccleſiam, ſed Synagogen vocabant. Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Moyſen venerabantur cum Judæis, ſed, qui hos ſubſecuti fuerant, deteſtabantur. Circumferebant varios libros ſub nomine Apoſtolorum (ut ait *Epiphan.* c. 23.) adoptabant quoque ſibi itinerarium S.Petri fabulis refertum. Symmachus (author verſionis ſcripturæ) dicitur Ebionita fuiſſe, teſte *Euſebio* lib. 6. c. 17. idem videtur aſſerere S. Hieronymus de Theodotione, & Aquila, qui pariter in traducenda ſcriptura operam locârunt. Vide TILLEMONT. de Ebionitis Tom. 2. p. 1. à pag. 192. ad pag. 199. in edit. Bruxellenſi 1695.

Ebion balnearent, S. Apoſtolus retracto confeſtim pede à balnei limine, unà cum Diſcipulis abſceſſerit (s), metuens, ne domus à tam malignis hoſpitibus infecta corrueret. Menander Simonis Magi diſcipulus (*4), Apollonius Thyanæus præſtigiis infamis (*5), aliíque Philoſophi ob vitæ licentiam Romæ ejecti, non parvam eodem tempore labem Chriſtianæ rei affricuerunt; his quippe Chriſtiani cùm omninò ſimiles exiſtimarentur, par quoque odium ſubiêre (t).

(s) Iren. lib. 5. adv. hæreſ. Epiphan. 30. c. 24.

(t) Dio in Veſp.

Opera S. Clementis Romani.

9. Malis hujusmodi ab Eccleſia depellendis operam ſtrenuam adhibuit S. Clemens, Pontifex poſt Apoſtolos ſui ſæculi eruditiſſimus, de cujus doctrina tanta opinio extitit; ut libri plurium Scriptorum, quorum nomina ignorantur, eidem Pontifici à poſtrema ætate attributi legantur. Sunt tamen quædam epiſtolæ ſive ad Jacobum fratrem Domini vel ad omnes Epiſcopos, aut ad Julium & Julianum perſcriptæ, libri recognitionum, itinerarium Petri, quæ meritò inter Apocrypha & ab hoc Authore minimè profecta volumina recenſentur. Eodem calculo Critici metiuntur Conſtitutiones, ac Canones Apoſtolorum (†), quos quidam à S. Clemente relatos, aut collectos fuiſſe affirmant: duas duntaxat epiſtolas ad Corinthios datas, utpote genuinas eruditi ſuſpiciunt (*6). Ex quibus porrò colligitur, eundem Pontificem

(†) Reflexio VIII.

(*4) *Menander*, ex teſtimonio *Euſebii* lib. 3. c. 26. oriundus fuit ex vico Caparattæa prope Samariam, Simonis magi diſcipulus & ſucceſſor; hic ſe Salvatorem mentitus magiam cum Chriſtianiſmo conjungere nitebatur; nam *fuit hoc diabolicæ calliditatis commentum,* (ait *Juſtinus* Apol. 2.) *ut per maleficos homines Chriſtianorum nomen ſibi falsò vendicantes, magnum illud noſtræ Religionis Sacramentum magicæ artis infamiâ aſpergerent, Eccleſiaſticáque dogmata de animarum immortalitate, ac de mortuorum reſurrectione ludibrio exponerent.*

(*5) Apollonius Tyanæus in orbem à ſtyge effuſus videbatur vel ad diſſeminandam magiam, vel ad infirmandam miraculorum lucem, quâ Chriſtus, ejúſque Diſcipuli doctrinam veram ſtabiliebant (ut ait *Godeau.* pag. 246.) vitam ejus deſcripſit Philoſtratus, qui eum natum refert Tyaneæ in Cappadocia, ſtuduiſſe Pythagoræ Philoſophiæ, cujus mores imitabatur, & ſilentium; hâc agendi ratione multas in Oriente Provincias, & poſteà etiam Romam infatuavit. Anno 97. vitæ diſparuit, utique dæmonum vi, queîs ſervierat, extinctus. Poſt mortem à multis Ethnicis inter Deos relatus eſt. Vide *Tillemont.* in Hiſt. Imperatorum Tom. 2. p. 1. à pag. 195. ad pag. 216.

(*6) HIERONYMUS de ſcript. Eccl. primam ait epiſtolam ad Corinthios, *in plerisque Eccleſiis, & noſtrâ, & ſuperiori memoriâ palàm recitari conſueviſſe reperimus.* Fuit ſcripta eo tempore à Clemente, quando apud Corinthios gravis orta erat diſſenſio, nempe ut eos ad concordiam revocaret, illorúmque fidem & Apoſtolicam traditionem renovaret. De ſecunda epiſtola ad eosdem Corinthios fragmentum duntaxat habetur; at *Euſebius*

tificem animarum convertendarum zelo incensum pontificiæ dignitati sponte suâ renuntiâsse (* 7); anno LXXVII. Vespasiani IX. postquàm annos novem, menses undecim, & duodecim dies Ecclesiam Romanam gubernâsset.

10. Pontificatum abdicanti S. CLETUS Æmiliani filius Romanus successit (u), qui ex præcepto S. Petri viginti Presbyteros ordinavit in urbe Romana, sive urbem in totidem Parochias distinxit (x). Originem formulæ, quæ Apostolicis literis in hæc verba præmitti solet: *Salutem & Apostolicam Benedictionem*, huic Pontifici quidam, sed perperàm adscripsit (* 8): pastoralis curæ supremus moderator fuit sex annorum spatio, mensium duorum, & dierum septem ad annum usque octogesimum tertium, quo sub Domitiano in tertium annum regnante Martyr ad Dominum migravit. Post Cletum alius ANACLETUS à priore verè distinctus (*9), Ecclesiæ præesse cœpit, natione Græcus, patriâ Atheniensis, inter monumenta ab eo posita fuit ædes sacra sive memoria B. Petri, quæ tot temporum casibus superior, cum ætate

A. Æ. C. 77. Vespas. IX.

(u) Chronic. Damasi.

(x) Lib. Pontifical.

S. Cletus Pontifex.

A. Æ. C. 83.

bius lib. 3. c. 38. inquit, hanc non æquè receptam fuisse; quandoquidem vetustiores ejus testimonio nequaquam usos esse comperimus. Post Photium tamen Recentiores eam admittunt, præsertim ex eo, quod *Epiphanius* hær. 30. plurium Clementis epistolarum faciat mentionem. Porrò notandum, primam ad Corinthios Epistolam scriptam esse ante excidium Hierosolymæ, adeóque ante annum Christi 71., ex quo patet Clementem ante Cletum sedisse. Ut ostendit *Pagius*.

(*7) PAGIUS in Breviario Pontificum T. I. pag. 10. *Postquàm* Clemens *annos novem, menses undecim, & dies duodecim Ecclesiam Romanam rexisset, anno Christi septuagesimo septimo Pontificatum abdicavit, ut ex Epiphanio Hæresi 27. colligitur.* Prædicationi deinde Evangelii intentus, anno tertio Trajani Martyrium subiit, sive anno Christi centesimo.

(*8) MARTINUS POLONUS in Chronico Cleto hanc formulam adscripsit, sed sine testimonio veterum: teste *Pagio* non videtur illa antiquior Sæculo VII., quo in finem vergente Joannes V. & Sergius I. eâ usi sunt; ùt eruitur ex rescriptis eorum à *Mabillonio* in opere de re Diplom.: stabili usu recepta ista formula non est ante Gregorium VII., ùt habet *Papebrochius* in Conatu Chronico-Hist.

(*9) HENSCHENIUS ad 26. Aprilis pag. 410. ait: in his, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ, major fides est adhibenda ejus alumnis, quàm cæteris: Martyrologia autem Romana hos duos Cletum & Anacletum distinguunt; nam tanquam diversi coluntur diversis diebus, Cletus VI. Kal. Maji, Anacletus III. Idus Julii. Similitudo nominum antiquos fortè scriptores turbavit, ut personas duas confunderent; sicut & Novatum cum Novatiano, Marcellum cum Marcellino. Ut ait *Bellarminus* lib. 2. de Rom. Pontif. c. 5. Consule hìc *Schelstratium* Tom. I. Antiq. Eccl. illustr. Dissert. 2. c. 2. §. 8. *Papebrochium* in Conatu Chronic. Tom. VIII. Maji pag. 19. *Baron.* ad a. 69.

(y) Baron. ad a. 106.
Anacletus Pontifex.

te majora ſemper augmenta accepit (y). Fideles peractâ conſecratione ſacræ ſynaxeos participes eſſe jubebat eâ lege, ut qui renuerent, à ſanctis cœtibus arcerentur. Adhæc Martyres ſpecialibus ſepulchris honorandos edixit, quorum ingens brevi numerus Eccleſiæ datus eſt.

(z) Tertull. apol. c. 5. Euſeb. lib. 4. c. 26. Lact. perſec. c. 3.
(a) Sueton. in Domit. c. 12.
Hermas.

11. Domitianus enim anno quarto ſupra decimum ſui Imperii in Chriſtianos ſævìit, alter jam Eccleſiæ Tyrannus (z): primùm ſive nimio idolomaniæ zelo, ſive dæmonum inſtinctu exactiones easdem à fidelibus, quas à Judæis, ſummâ cum crudelitate repetebat (a): dein publicam legem dictavit de vitandis orthodoxorum cœtibus. Ne ad tantam vim imparati Chriſtiani forent; divino planè conſilio Hermas Apoſtolorum Diſcipulus (cujus Paulus in epiſtola ad Romanos meminit) librum græcè ediderat, qui *Paſtor* inſcribitur: in hoc libro author aperuit Chriſtianorum vitia, quæ ab animis non minùs violentis remediis, atque ſtolones à frugiferis arboribus revelluntur (*10). Rabies Cæſaris præcipua in propinquos erupit; nam Domitiani uxor Domitilla, poſtquàm ſacra Chriſtiana profeſſa fuerat; unà cum nepte ejusdem fidei ac nominis in exilium relegata eſt (b): morte mulctati non pauci aulæ Primores, ex quo facilè conficitur, quanta cæteris ſupplicia irrogârit (c).

Ad Æ. C. 94.
(b) Dio lib. 67. Euſeb. lib. 3. c. 17.
(c) Baron. ad a. 98. §. 7.

A. Æ. C. 95.
(d) Sueton. in Domit. c. 12. Dio l. 67.
Perſecutio Chriſtianorum.

12. Anno Regni decimo quinto, cùm quindecennalia Auguſtus celebraret; aucta immenſum eſt perſecutio (*11), cujus modum aliquem nobis Ethnicus ſcriptor brevibus verbis annotavit (d): *Judæi*, inquit, (quo nomine pro temporis more Chriſtiani quoque comprehendebantur) *Romæ duram patiebantur exactionem: plurimi Romani delati ſunt, tranſiiſſe ad mores Judæorum, & nul-*

(*10) *Hermæ* liber tres partes continet: *prima* eſt de viſionibus, inter quas una eſt de tentatione, & tribulatione Chriſtianis ſuperventura; viderat quippe prægrandem beſtiam, quadricolorem, ex cujus ore procedebant locuſtæ igneæ &c. *Secunda* pars eſt de præceptis, *tertia* de ſimilitudinibus. Teſtimonia ex hoc libro protulerunt olim PP., ùt *Clemens Alexandrinus* lib. 1. & 2. ſtrom. prioribus ſæculis in Eccleſiis orientalibus legebatur etiam publicè, non tamen in occidentalibus Eccleſiis; imò *Gelaſius* eum librum declarat Apocryphum. Utilem nihilominùs cenſet *S. Hieronymus* de ſcript. Eccl.

(*11) PAGIUS in Critic. Baron. ad A. C. 93. arguit: Imperatores in initio ſui Imperii, in Quinquennalibus, Decennalibus, aut Quindecennalibus, Eccleſiam præcipuè vexâſſe, quia tunc pro incolumitate Imperii & ſalute Imperatoris vota nuncupabantur, & Imperatores, quæ ad Religionem Ethnicam pertinebant, ſummo ſtudio curabant; hinc Religio Chriſtiana, ut nova & peregrina rurſus vetita, & in ejus ſectatores ſævitum.

& nullos recipere Deos, quorum alii occisi, alii bonis exuti &c. paucissima ferè eorum pugilum nomina ad nostram ætatem pervenêre; vel enim monumenta Barbarorum flammis, aut inundatione exterorum populorum in Italiam perierunt, vel ità corrupta sunt, aut à librariis interpolata; ut quid in iis verum, quid falsum, vix discernas. Nonnulli in hac laniena suspiciunt Dionysium Areopagitam (*12), alii Anacleti Pontificis cruentam pugnam certis fundamentis notant; cui per Martyrium sublato suffectus est EVARISTUS Bethlehemites anno XCV. (e). Omnium autem authorum consensu totius Romæ oculos tunc in se convertit S. Joannes Apostolus; jusserat hunc Domitianus Romam deportari per Asiæ Proconsulem: in urbem delatus pridiè nonas Majas in dolium ferventis olei injicitur, ex quo dum stupentibus Ethnicis vegetior ac purior exibat; relegatus in Pathmon Insulam ad metallorum fodinas damnatur (f). Hìc librum Mysteriis plenissimum, quem Apocalypsin dicimus (*13), composuit, quo septem Ecclesia-

A. Æ. C. 95.

(e) Optatus Milevit. Augustin. apud Pagium in Brev. PP. pag. 18.

S. Joannes Apostolus.

(f) Origenes in Matth. hom. 12.

(*12) Dionysius Areopagita à Paulo conversus, dicitur Atheniensi Ecclesiæ primus præfuisse: illius libri jam dudum inter Patres probabilem authoritatem obtinuerunt; quamvis horum non meminerit *Eusebius*, nec *Hieronymus*, nec alius author ante sextum Sæculum, nec *quinta Synodus*, licèt cætera opera Patrum recenseat. Sunt qui hos libros adscribunt Authori, qui vixit ante VI. Sæculum, tum quia multa in iis inveniuntur, quæ ætati primævæ Dionysii non conveniunt. Tum quia Pontifices, & Synodi sextæ PP., qui ea opera sub nomine Dionysii laudârunt, opinionem olim communem secuti sunt, nihil definientes, ut observant, *Baronius*, & *Bellarminus* ad Breviarium Romanum: in libro de divinis nominibus (quem in Græcia se scripsisse testatur Author) B. Ignatii ad Romanos epistola citatur, quæ scripta est anno 109.: cùm autem Dionysius tempore Passionis Christi fuerit 25. annorum, ut ipse scribit ad *Apollophantem*; ad centesimum annum Christi pervenisse vix credunt. Præsertim quòd post hoc tempus modò Parisiensem Ecclesiam fundâsse commemoretur, adeóque Centenario major; quæ incredibilia multis Criticis videntur. Opera tamen Dionysii eidem Authori vindicare conatus est *Delrio*, toto volumine, quod Vindicias Areopagiticas inscripsit. De quæstione cœteroquin celebri, an hic Dionysius Areopagita Parisiensium Apostolus fuerit? alibi in Sæc. II. agetur.

(*13) Liber hic *Apocalypsis* dicitur, id est revelatio; quia hic continentur, quæ Deus revelavit Joanni, & Joannes Ecclesiæ, quanta scilicet Ecclesia passa sit in tempore primitivo, & nunc patiatur, & novissimis temporibus Antichristi passura sit; ità *Pictaviensis Gilbertus* hìc in Præfatione: idem occasionem scribendi libri fuisse ait, quòd cùm exul teneretur in Patmo insula; in Ecclesiis (quibus præerat) multa pullulaverint vitia, ac hæreses; erant enim quidam dicentes, Christum non fuisse ante MARIAM, quódque temporaliter de ea natus esset; quos Joannes redarguit, ostendens Christum esse A. & Ω. principium & finem. Alii dicebant Ecclesiam pondere tribulationum ante finem sæculi desituram, & pro labore non præmium æternum suscepturam. His obluctatur S. Joannes, docens, Ecclesiam per exercitium tribulationum non desinere, sed proficere, & pro his bravium

clesiarum Episcopos vel potiùs fideles vitiorum ergò reprehendit: dein Prophetiam subjungit, quæ in modum historiæ conscripta, Ecclesiæ futuras adversitates, ac victorias prænunciat (*14).

Ejus Apocalypsis.

A. Æ. C. 96. & 97.

Pax Ecclesiæ reddita.

13. Domitiano suorum insidiis extincto, Coccejus Nerva pacem orthodoxis reddidit: legibus (quæ iniquiùs impactæ fidelibus fuerant) rescissis, exules revocabat; cavens, ne quis ullum de religione deinceps accusaret (g). Hujus itaque Cæsaris favore Ephesum suo ab exilio rediit S. Joannes: multa ei hìc pugna fuit contra Apollonii Tyanei præstigias (h). Composito grege, quem iste lupus non parùm infestaverat, idoneos maximè Pastores constituit, qui hostium assultibus propulsandis pares forent (i). Demum nonagenario major vicinarum Ecclesiarum precibus adductus, Evangelium scripsit (k), cujus initium post longam extasin dictavit, in hæc verba prolocutus (l): *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Duo potissimùm eo in opere sibi proposuit; primùm ut Cerinthi & Ebionis, qui Christi divinitati detrahebant, impios errores confutaret: dein ut ea, quæ Christus anno primo suæ prædicationis gesserat, ab aliis omissa suppleret. Atque hâc ratione Ecclesia uti in pace cœperat; sic quoque pacis beneficio sub finem primi Christiani Sæculi recreata est (*15).

(g) Euseb. lib. 3. c. 23.

(h) Sozom. lib. 7. c. 26.

(i) Irenæus lib. 3. c. 3.

(k) Euseb. lib. 3. c. 24.

(l) Hieronym. Prolog. in Matth.

REFLE-

---

bravium æternum recipere. Brevem & elegantem epitomen hujus libri collegit *Du Mesnil* lib. 3. n. 14.

(*14) Canonicum esse hunc librum probant *Hieronym.* in d. lib. de Vir. Illustr. in epist. ad Dardanum, *Augustinus* lib. 2. de doctr. Christ. c. 5. *Epiphan.* hær. 51. *Clemens Alexandr.* lib. 2. pædagog. c. 12. *Origenes* apud *Euseb.* lib. 6. c. 18. *Irenæus* lib. 4. adv. hær. Prætereà Innocentius, Gelasius, Concilia, Carthaginense, Florentinum, Tridentinum inter libros Canonicos referunt. Vide Dist. 15. c. *sancta Romana*: demùm decretum Concilii Toletani IV. ubi de libro hoc sic habetur: Apocalypsin, multorum Conciliorum authoritas & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorum decreta Joannis esse Evangelistæ præscribunt, & inter divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui ejus authoritatem non recipiunt: siquis eum deinceps non receperit, aut à pascha usque ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesia non prædicaverit; excommunicationis sententiam habebit.

(*15) TILLEMONT. *de persecutione Domitiani* Tom. 2. p. 1. ait pacem Ecclesiæ aliquo modo durâsse usque ad tempora Severi, nullus quippe Princeps edictis saltem publicis, Christianam fidem intereà proscripsit; sub Trajano tamen & Aurelio populares persecutiones fervebant.

REFLEXIONES HISTORICO - CHRONOLOGICÆ ET ECCLESIASTICÆ.

IN CAPUT II. LIBRI I.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 13. pag. 218.

Qui annus verè Natalis fuerit Christo Domino, sive an æra vulgaris, quâ Christum natum designamus, sit etiam æra Christi vera?

1. ÆRa, quæ hodie à Partu Virgineo Annum millesimum septingentesimum quadragesimum septimum numerat, originem suam debet Dionysio cuidam Abbati natione Scythæ, qui in sæculo VI. sub Justiniano Imperatore, & Athalarico Italiæ Rege Romæ floruit: cùm enim anteà temporum ratio iniretur per olympiades, annos Consulum, aut Urbis conditæ, ac Julianos annos, sive etiam ab æra Diocletiani Imperatoris; hic religiosus Abbas Christianorum Chronotaxin à sacratioribus incunabulis, sive ab ortu Christi deducendam putavit: quare annum tunc currentem, quem 248. Ethnici ab æra Diocletiani sive ab anno CCLXXXIV. dicebant, ille annum quingentesimum trigesimum secundum(*) à Christo nato appellavit: hæc supputandi methodus etsi ab Ecclesia non statim recepta sit; sub finem tamen sæculi VI. in Italia admissa legitur circa annum 590. ùt testatur Ricciolus ex Diplomatis Gregorii M.: Belgæ eandem sibi assumpserunt a. 620.: in Germania frequentata est in sæculo IX. sub Carolo M.; quo tempore etiam Gallia Dionysianâ ærâ uti cœpit, postquàm æram D. Martini Turonensis antiquâsset. Demum Hispania circa annum 970. huic quoque methodo assuevit. Ex hac ipsa sæculorum diversitate, quâ alii citiùs, alii seriùs, æram Dionysianam adhibuerunt, factum est, teste Petavio, ut eadem minùs exactè cum vero Christi Natali anno congrueret; sed aliquot annis, vel pluribus eundem sequeretur: ex eadem ratione Chronologi hodiè in varias abeunt sententias, dum alii Juliano quadragesimo sexto verè natum esse Christum probant: alii anno Juliano 45. 44. 53. &c. Servatorem in mundum venisse ostendere conantur, ùt schema sequens exhibebit.

Æra Dionysiana.

(*) 284
248
532

Variæ opiniones de anno natali Christi.

	Anno Julian.	*Anno Urbi.*	*Regni Herod.*	*Olympiad.*	*Consulibus.*
I. Qui æram vulgarem cum æra Christi vera conjungunt, sunt Petrus de Aliaco, Beda, Bellarminus tom. 1. Controv. lib. 3. de cultu SS. c. 11., aliique qui ajunt hanc etiam fuisse sententiam Dionysii Abbatis, constituúntque æram Christi Anno - -	46.	754.	41.	195. I.	Cajo Cæsare & Æmilio Paulo.
II. Æram veram à vulgari uno anno sejungunt Joannes Lucidus, Petrus Pitatus; & affigunt anno - - - - - - - -	45.	753.	40.	194. IV.	Cornelio Lentulo & L. Calpurnio Pisone.
III. Duobus annis retrahunt æram veram à vulgari Epiphanius hæres. 51. Paulus Orosius lib. 1. c. 1. Eusebius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Gerardus Mercator, Ciaconius, Sigonius, Pererius, Salianus. - - - -	44.	752.	39.	194. III.	Augusto XIII. & M. Plautio Sylvano.
IV. Tribus annis veram æram citiùs factam computant Clemens Alexandrinus, Zonaras, Cassiodorus, Marianus Scotus, Baronius, Genebrardus, Toletus, Salmeron, Josephus Scaliger. -	43.	751.	38.	194. II.	C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino.
V. Quatuor annis anticipant æram Christi veram Severus Sulpitius, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus. - - - - - -	42.	750.	37.	194. I.	Calvisio Sabino & Passieno Rufo.
VI. Quinque annis prior est æra Christi vera, juxta Laurentium Sussygam Polonum, & vetusta quædam Chronica. - - -	41.	749.	36.	193. IV.	Augusto XII. & L. Cornelio Sylla.
VII. In finem sexti anni removent æram veram à vulgari J. Kepplerus Mathematicus Cæsaris Matthiæ, Henschenius, Pagius; qui proinde natum Christum dicunt anno - - - - - -	40.	748.	35.	193. III.	D. Lælio Balbo & Antistio Vetere.

2. Ex his sententiis, quænam vero proprior sit, ille discernet, qui certas notas characteristicas diei Natalis Christi observaverit, tum ex sacris

eris paginis, tum ex Scriptoribus ferè coævis. Ac primò Scriptura cùm nobis manifestet (a) *natum esse JEsum in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis*; inquirendum porrò, quo anno Herodes mortuus sit, ut certi quid eruamus. Josephus Judæus, in Historia Judaica versatissimus, & ipsius Herodis tempori proximus (b) lib. 14. Antiq. c. 10. testatur, mortuum esse Herodem post detrusum regno Antigonum anno 34.; ex quo autem à Romanis Rex declaratus est anno 37., præterea idem Author lib. 16. c. 26. ait Herodem Regium fastigium adeptum esse Consulibus Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione, qui anno sexto Juliano Consulatum obtinuerunt, (ùt legitur ex lapide Colotiano apud Gruterum) hoc itaque tempore *Herodes Antipatri filius Romam venit, & circa autumnum à Senatu Judææ Rex declaratur, Antigonus verò à Parthis Hyrcano substitutus hostis Reipublicæ denuntiatur*: Sub finem igitur VI. anni Juliani cœpit primus annus Herodis; ergo cum ductis inde rationibus, rexerit annis 36. completis, & usque ad autumnum computatis, trigesimo verò septimo à duobus mensibus inchoato nimirum mense Novembri mortuus sit; liquidò conficitur, anno Juliano 42. obiisse Herodem. Nam sex Julianis adde 36., & habebis 42. (*): lib. 14. c. 28. refert idem Josephus, Hierosolymam ab Herode captam fuisse, vinctúmque Antigonum à Sosio Romanorum Duce ad Antonium Antiochiam missum, ibíque securi percussum; postquàm triennio, & trimestri regnâsset. Deinde subdit: *Clades Hierosolymorum incidit in Consulatum Agrippæ, & Canidii Galli mense tertio, feriis, quibus solemne fit jejunium anno Sabbatico*: Annus hic sabbaticus, quartus erat annus inchoatus à duobus Domitiis, quibus CC. Regnum Herodi fuerat decretum: igitur si à prima Epocha Herodis Regis numeres annos sex Julianos; his subinde addas alios tres completos regnantis Antigoni, habebis novem: his novem annis Julianis appone triginta tres annos completos, quibus regnâsse dicitur Herodes à morte Antigoni; nam trigesimo quarto idem mortuus est (ùt habet Josephus loco suprà citato) & conficis summam annorum Julianorum 42 (*). His præsuppositis, difficillimum erit iis, qui primas quatuor sententias tuentur, ostendere, quâ ratione Christus in diebus Herodis natus sit; nisi fortè erroris Josephum arguere velint, de quo tamen compertum est, eundem ex Damasceni Herodis familiaris Adversariis sollicitè cuncta congessisse: neque ii tutum satis effugium arripiunt, quibus placet cum Scaligero Herodi regnanti 39. annos, aut cum Gerardo Mercatore 40., sive demum cum Baronio plures tribuere. Ex quo enim coævo authore hanc opinionem comprobant? certè Sigonius (d) affirmare audet, veterum neminem fuisse, qui Herodem ultrà 37. annos in regno magis longævum faciat. Accedit, quòd Cajus Cæsaris Augusti ex filia nepos anno Juliano 43., aut ad summum anno Juliano 44. ex urbe Roma cum exercitu missus sit in Orientem, ùt ex Vellejo itineris ejus socio probat Tirinus: Atqui

(a) Matth. 2. v. 1.

(b) Pagius in Apparatu.

Characteres Anni veri, quo Christus natus est.

(c) Usserius pag. 570.

(*) 6 + 36 = 42

(*) 9 + 33 = 42

Confutatio opinionum quarundam de anno Natali Christi.

(d) Apud Tirinum in Chronico c. 47.

Atqui Cajus ille, priusquàm urbe excederet, præsedit ibidem liti (e), quam mortuo jam Herode, filii ejus Archelaus, & Antipas de regni succeßione sibi invicem moverant; ergò apertè infertur Herodem filiis vacuum regnum ante 44. Julianum reliquisse, quomodò enim aliàs sibi litem (vivente adhuc Herode) intentâssent?

(e) Joseph. lib. 17. antiq. c. 11.

3. Quinta sententia (quæ Christum natum esse asserit, anno Juliano 42.) ferè iisdem difficultatibus laborat; nam præterquàm, quòd ostendere nequeat in suo systemate Christum in diebus Herodis esse natum; tum eundem annum Christo Natalem aßignat, qui Herodi viventi ultimus fuit; nam *Dio* (f) accusationem, & relegationem Archelai contigisse ait sub Consulibus Æmilio Lepido & L. Arruntio, videlicet anno Juliano 51. Josephus verò (g) refert Archelaum filium Herodis post novem annos regiminis completos scilicet decimo inchoato Viennam ab Augusto in exilium esse missum; si igitur Herodem vitâ functum asseramus, anno Juliano 42. additis novem completis, vel decem, quorum ultimus tantùm inchoatus sit, in annum Julianum 51. incidemus. Hoc statuto impossibile est, Christum natum fuisse in diebus Herodis, qui anno Juliano 42. ante Pascha, ùt multi volunt, vel mense Novembri mortuus est; utique ante Decembrem, cujus 25. die modò Christus natus est.

(f) Lib. 55.

(g) Lib. 17. c. 15. & lib. 11. belli Jud. c. 6.

4. Sexta Sententia licèt teste Tirino (h), in nullo pugnare, sed optimè quadrare dicatur cum sacris, & profanis historiis, ac Chronologiis; nobis tamen ex duplici capite displicet, 1*mò* quòd inter mortem Herodis, & ortum Christi nimis breve spatium interjiciat, quo minimè ea fieri potuerunt, quæ ab Evangelistis, & ab Historiographis usque ad mortem Herodis facta esse leguntur: commemorat Lucas c. 2. natum Christum, die pòst quadragesimâ oblatum, à Magis adoratum, ejusdem fugam in Ægyptum, quando futurum adhuc erat, ut Herodes puerum quæreret ad perdendum eum (i). Subinde Herodes idem jussit necari omnes infantes *à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisiêrat à Magis*. Accedit, quòd Josephus (k) tot & tanta acta interserat inter morbum, & mortem Herodis, ut hæc cum cæteris unius anni spatio peracta fuisse vix credi possint: „ Rabbinis exustis (l) nonnihil remisit vis morbi, hoc rursum recrudescente vermes à carne scaturiebant; salutis tamen „ spem in medicorum ope positam habebat, quorum consilio aliis nequidquam adhibitis remediis, ad thermas trans Jordanem deferri se est „ passus: ibi diu noctúque aquis calidis fovebatur. Additum etiam olei „ balneum, in quo tyrannus penè extinctus est. Inde Jerichuntem ve„ ctus crudeli edicto collectos ex omni Judæa nobiles, hippodromo con„ cludi; ac si se extingui contingeret, trucidari jubet, daturus in tot cha„ rorum funeribus veros luctus. Post hæc reversis ab urbe nuntiis non „ nihil respirare cœpit, tum iterum in deteriora lapsus, Antipatrum fi„ lium, quem attentati parricidii reum Patris potestati Romanus Senatus permi-

(h) In Chronico sacro c. 47. pag. 59.

(i) Matth. c. 2.

(k) Lib. 17. c. 10.

(l) Vide supra lib: 1. hist. Eccl. c. 2. §. 1. n. 15. pag. 221.

„ permiserat, occidi jubet quinto ante suum interitum die. 2dò authores hujus sententiæ non commodè explicant annos baptismi & mortis Christi, ùt ex Reflexionibus II. & III. patebit.

5. Septimam proinde sententiam pro chronologia nostra adoptamus unà cum Henschenio (m) & Pagio (n). Nam anno Juliano 40. sub CC. Lælio Balbo, & Antistio Vetere (clauso Jani templo) Pax in toto mundo extitit, quo tempore Princeps Pacis debuit nasci; ostenditur etiam opportunè, quomodo non tantùm in Herodis diebus in orbem Christus venerit, sed & qua ex ratione tyrannus infantes occiderit à bimatu & infrà, post inquisitum à Magis diligenter tempus stellæ: Puer nimirum JEsus (ùt colligit Henschenius) uno ampliùs anno ante edictum Herodis & innocentum (*bimulorum* circiter) cædem natus jam fuerat. Prætereà inter notas characteristicas Natalis Domini juxta omnes est illud edictum, quod exiit à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (o); hujus descriptionis Ministrum fuisse in Judæa Sentium Saturninum, testatur Tertullianus (p): *sed & census constat actos esse*, ait, *sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus* (Christi) *exquirere possunt Judæi*: idem anteà dixerat (q); *esse censum istum Dominicæ Nativitatis testem fidissimum, quem Romana Archiva custodiunt.* Hoc asserto palàm fit Christum natum esse anno Juliano 40.; nam is Saturninus sive solus, sive (ùt Lucas innuit) vices gerens Cyrini, censum egerit; anno duntaxat Juliano quadragesimo Præses Syriæ fuit, & nullo alio anno sequente, ùt nobis apertè commonstrat Historiæ Judaicæ Scriptor Josephus (r).

(m) Henschen. in Apparat. Exercit. 2.

(n) Pagius in Apparatu pag. 34.

Sententia Verosimilior de anno Natali Christi.

(o) Luc. 1.

(p) Lib. 4. contra Marcionem c. 19.

(q) L. cit. c. 7.

(r) Lib. 16. Antiq. c. 17.

6. Sed ne sententiæ nostræ nimiùm confidere videamur; duorum potissimùm Adversariorum argumenta proferamus, quorum confutatio Chronologiæ nostræ majorem firmitatem & lucem afferet. Ac Baronius (s) primò nobis fundamentum omne succurere nititur, dum pluribus invehitur in Josephum: *si quis Josephum*, ait, *sibi sequendum proponat; deserat necesse est Evangelicam veritatem, utpote qui Judæus Auctor ante Christum natum ponat Herodis senioris obitum.* Secundò eum mendacissimum appellat: *cùm non solùm*, pergit Baronius, *(quod satis erat) Evangelicâ veritate redarguerimus Judæum Historicum, sed ex suis ipsius scriptis sæpenumerò apertâ luce eum mendacissimum ostenderimus: quomodo non magìs nobis sequendus Eusebius?* hunc autem Eusebium tertiò ideò laudat Baronius, quia is non, ùt Josephus, anno ab urbe condita 759. ponit Archelai exilium, sive anno decimo post Herodis senioris mortem, sed anno ultimo Augusti sive anno U. C. 766.; adeóque Herodi Seniori plures annos ex hoc Auctore adsciscit; rationem tamen, cur Eusebio porrò tantoperè hac in re confidat, ità refert: Eusebium *scimus, ea, quæ sunt hujus temporis, esse mutuatum à Phlegonte Chronographo omnium antiquissimo ac famosissimo* .... *eundem secutus est Beda de sex ætatibus, & alii nobiliores Chronographi.* Quartò Dionem, quem pro sententia nostra Patronum adduximus, quique cum Jo-

(s) Ad Ann. 16. num. 1.

Argumenta contraria Baronii.

ſepho eandem Chronotaxin in Archelai exilio obſervat, hoc modo elidit: *quod ſpectat ad tempus damnationis Archelai, Dio Joſephum ſecutus eſt; cùm enim poſt multos annos, nempe Severi Imperatoris temporibus ſcripſerit, res Judæorum à Judæo Hiſtorico mutuatus creditur.*

Solutio oppoſitarum difficultatum.

Ad hæc, quæ objecta ſunt, ut ex ordine reſpondeamus, 1mò reponimus cum Pagio Chronologiam Joſephi vitio & labe carere: id, quod Scriptores ex RR. non pauci ſentiunt, iique haud obſcuri nominis: Baronium à Joſepho averſum reddidit opinio, quâ imbuebatur, illum ea ſcripſiſſe, ex quibus neceſſariò ſequatur, Chriſtum natum eſſe poſt Herodis obitum: Verùm cùm nunc conſtet, id ex meliore aliorum Chronologorum calculo minimè ſequi; reſtat ut Baronii potiùs Chronotaxis relinquatur, quàm Joſephi authoritas. Et licèt is 2dò in re hiſtorica alibi fortè defecerit, (ùt quidam Joſepho crimini vertunt) ea tamen ad ſcopum noſtrum parùm faciunt. Eſto enim reticuerit aliqua, licèt memoriâ digna, ídque etiam fide non bonâ: ùt ſunt adventus Magorum Hieroſolymam, turbatio inde ſacræ Urbis, Infanticidium &c. Quid tamen iſta momenti habent ad evincendum, quòd ille Author vel fuerit deceptus in epocha Regni Herodiani, & annis ejus digerendis vel alios decipere voluerit Chriſtiani nominis odio, aut ſine alio præpoſtero? Quid enim malâ hâc fide, de qua facilè à contemporaneis Scriptoribus redargueretur, in rem ſuam lucrari poterat? nam acta Herodis apud omnes adhuc erant in recenti memoria. Unde 3tiò Pagius benè colligit Euſebium potiùs ex Joſepho caſtigandum eſſe, & vix fieri potuiſſe, ut Scriptor, cujus diligentia, & fides in notatione temporum ſpectatiſſima, in iis peccaverit, quæ ſine illo Euſebius, & alii ignorâſſent. Prætereà à vero tantò longiùs abeſſe videtur, quòd Euſebius monumenta Herodianæ hiſtoriæ à Phlegonte acceperit; quantò certius eſt eundem Phlegontem de rebus Judaicis nihil literis conſignâſſe: id tamen non diffitemur, Bedam, cæteróſque Antiquos Euſebio ſubſcripſiſſe, ſive quòd Joſephum non legerint, aut non examinârint. Veniam itaque merebuntur Chronologi recentiores, ſi rem peniriùs ſcrutati, Joſepho palmam deferant, deſerto Euſebio, quem in rebus Herodianis, anilibus hallucinationibus ſcatere, ait Pagius (t).

(t) In Apparatu pag. 36. n. CXLIV.

Quartò levis admodùm conjectura eſt Dionem res Judæorum à Joſepho exſcripſiſſe: quicunque duos illos Authores comparaverit, res ab iis diverſo modo proponi, aut etiam diverſa ſtatui ſentiet: ità urbem Hieroſolymam anno Urbis 716. ab Herode captam aſſerit Dio, Joſephus eam expugnationem in annum ſequentem transfert: hic Archelaum à Primatibus Judæorum & Samaritarum apud Cæſarem delatum ait, univerſamque ejus ditionem Syriæ contributam; Dio contrà Herodem Palæſtinum (ità nominat) à fratribus accuſatum duntaxat, utì & parte ditionis exutum commemorat. Quomodo ergo Dio Joſephum ſolum ſecutus ſit? quin

ex

ex eo, quòd hi distincti Authores in Epocha, Archelai relegati, & in Herodis morte conveniant, concludendum est, rem hanc antiquissimo tempore notam omnibus, & vulgarem fuisse.

7. Alter sententiæ nostræ acrior Adversarius est P. Petrus Possinus Societatis nostræ, qui apud Tolosates in Gallia ternas in contrarium scripsit epistolas, quæ extant in Apparatu Godefridi Henschenii à pag. 13. usque ad paginam 24.: ex his modò quædam argumenta seligimus, quibus maximè æra nostra premitur: 1*mò* in epistola tertia num. 3. significat fundamentum nostrum è censu Saturnini desumptum, totam suam vim accipere à Tertulliani testimonio; hunc autem, vel de alio censu intelligendum esse ait, quo scilicet Christi Parentes censebantur, sive describebatur genus Christi, ùt numero 5. fusiùs deducit Possinus: vel si minùs hoc modo Tertullianum exponere placet; se Scriptori quantævis alioquin dignitatis Auctorem Canonicum sive Evangelistam Lucam semper antepositurum confirmat: Lucæ autem c. 2. palàm haberi, *Descriptionem* ἀπογραφὴν edicto Augusti præscriptam, *factam* esse *Præside Syriæ Cyrino* ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ubi nulla mentio de Saturnino. Ac ne dubites Cyrinum designari illo tempore Præsidem Syriæ; Evangelista refert, hanc descriptionem *primam* factam esse Præside Syriæ Cyrino: vox autem *prima* respectum signat ad *secundam*, quam egit posteà teste (u) Josepho idem Cyrinus, cùm Archelaus in exilium relegaretur.

Argumenta Petri Possini eorúmque confutatio.

(u) Joseph. lib. 18. Antiq. c. 1.

Cardinalis Norisius apud Pagium in Apparatu pag. 31. è diverso satis ostendit, Tertullianum pro nostra sententia citatum minimè obluctari Evangelistæ; scribit enim à viris doctis adstrui, *Quirinium* cum imperio extraordinario ad censum peragendum in Syriam missum esse eo tempore, quo ex edicto Cæsaris pacatus orbis describi debebat, ut Cæsar universorum, qui vel subditi, vel socii essent populi Romani, numerum, ac facultates nôsse posset: Quirinius quippe vir Consularis circa idem tempus agebat in Oriente, ac bellum contra *Homonadenses* confecerat, adeóque ob recentem victoriam celebris: unde licèt Sentius Saturninus isto anno Syriam administraret; Quirinio tamen velut extraordinario Magistratui in executione rerum ad censum pertinentium subordinatus fuit: ità Germanicus circa annum Urbis 767. & 769. censui Galliarum intentus fuit, cùm non esset Legatus ordinarius Galliæ, ùt videre est apud Tacitum (x). Neque ex eo quid conficitur, quòd omisso Quirinio Tertullianus Sentium duntaxat Saturninum commemoret; nam Patri eidem ordinarium Magistratum præ extraordinario signare placuit: Anno U. C. 746. Juliano 38. Sentius Saturninus Syriæ præpositus est, cujus etiam Josephus sæpè meminit (y). Fusiùs hæc legi possunt apud Cardinalem Norisium in Cenotaphiis Pisanis Dissert. 2. pag. 305. Sentio Saturnino successit Quintilius Varus, qui eo anno, quo Herodes defunctus est, Syriam administravit, ac in eadem Provincia initio Regni Archelai adhuc fuit,

(x) Tacitus lib. 1. Annal.

(y) Lib. 16. Antiq. & lib. 17. c. 1. & c. 2.

(z) Lib. 17. c. 11. & 12. fuit, ùt denuò testatur Josephus (z). Ex his nunc facilè infertur sub ultima tempora Herodis nulli Quirinio inter ordinarios Syriæ Præsides locum esse: restat igitur, ut extraordinarius Censûs exactor, aut descriptor fuerit eo tempore, quo Christus natus est; præsertim cùm S. Lucas tale vocabulum in græco adhibeat, quod tum ordinariis, tum etiam aliis Magistratibus dari solet: sic vox ἡγεμονεύοντος aut ἡγεμόνος ab eodem Luca in Actis Apostolorum (a), Felici tribuitur, qui nonnisi Procuratoris officium habuit: quid? quod Justinus nominatum sæpè Quirinium ἐπίτροπον id est Procuratorem, aut Præfectum vocat. *Secundò* arguitur nil obstare nobis, quòd hæc Quirinii descriptio *Prima* dicatur; hæc quippe extraordinario cum imperio gesta, alteram præcessit, quæ ab eodem Quirinio suscepta est *tricesimo ac septimo anno, post cladem Antonio apud Actium à Cæsare illatam* (b), sive anno U. C. 760. sub Consulatu Æmilii Lepidi & Aruntii, quando *Herodes Palæstinus* (sive Archelaus) *à fratribus accusatus, trans Alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta* (c).

(a) c. 24.

(b) Joseph. in fine lib. 17.

(c) Dio lib. 55.

8. Possinus ex eodem loco Josephi (d), ubi Cajum ait, in Archelai causa ac judicio, primum locum tenuisse; argumentum novum contra nos efformat, asserens, totum judicium filiorum Herodis quàm optimè rejici in annum Julianum 46., nam & tunc Consulatum gerebat cum L. Æmilio Paulo. Quid si igitur mortuus esset Herodes mense Martio? Aprili sequente Archelaus ivit Romam, ibíque dato sibi ad causæ cognitionem consessu delecto, primam in eo sedem tenere vidit Cajum ejus anni Consulem, & destinatum Augusti successorem. Si pro libitu annos Herodis prorogare liceret usque ad 41.; daremus aliquid huic argumento: verùm cùm Josephus nobis tantùm 37. annos præsignet; cur ejus mortem differremus, usque ad annum Julianum 46.? Neque ex eo, quòd judicio Archelai præsederit Cajus; inde quis dicet, eum Consulem fuisse; in amicorum enim consessu, qualis iste erat (e) teste Josepho, cur non potuisset Cajus primas post Augustum habere vices, qui ejusdem Cæsaris successor jam adoptatus fuerat? Præterea Dio (f) circa annum Julianum quadragesimum jam mentionem facit de profectione Caji in Armeniam; quâ ratione ergo longiùs in annum Julianum 46. prorogaretur? Ex hoc tamen nolumus Caji iter ad Parthos cum Dione alligari anno Juliano 40. aut 41.; sed quadragesimo quarto; hunc enim annum certò nobis definit Vellejus Paterculus, qui ducentis annis Dione est antiquior, ediditque historiam suam sub Tiberio (g): is postquàm de Navmachia ab Augusto exhibita, & de dedicatione Templi Martis scripserat, ait: tum detectam Juliæ Augusti filiæ libidinem; post quæ Cajus Cæsar in Orientem missus est. Fuit autem annus, ùt Vellejus ipse notat, ante Vinitii Consulatum anno Juliano 75. gestum tricesimus, quare relegatio Juliæ anno Juliano 44. meritò innectitur (h). Mediobarbus demum in Numismatis Imperatorum pag. 39. Nummum Augusti producit cum hac epigraphe: Augustus Pont. Max.

(d) Lib. 17. Antiq. c. 11.

(e) Lib. 17. Antiq. c. 11.

(f) Lib. 55.

(g) Vellejus Paterc. l. 2. c. 100.

(h) Vide Pagium in Apparatu pag. 40.

MAX. TR. P. XXII. COS. XIII. IMP. XIIII. In *postica* legitur DE PARTHEIS: repræsentatur quoque ibidem thiara Parthica cum arcu & sagittis. Cùm autem Augustus anno Juliano 44. tribunitiam potestatem XXII. V. Kalend. Julias susceperit; concluditur, quòd & Cajus ad subjugandos Parthos tunc abiêrit. Ex his nunc denuò infertur; mortuo Herode anno Juliano 42., Archelaum abiîsse Romam anno Jul. 43., quo tempore Cajus primum in judicio locum habuit: anno autem 44. Juliano profectus est in Orientem, unde Romam vivus nunquam reversus est, teste Suetonio. Næ ergo is multùm à congrua Chronotaxi aberraret, qui cum Possino Herodis mortem ad ulteriora tempora proferret.

REFLEXIO II. ad §. 2. num. 1. pag. 224.

Quoto anno ætatis suæ Christus Dominus fuerit baptizatus?

1. ETsi ex S. Luca (a) manifestum nobis fiat, Christum (cùm baptizaretur) triginta circiter annorum fuisse; duplex tamen hìc difficultas, eáque non parva latet: nam *primò* S. Evangelista ait: *Ipse JESUS erat incipiens quasi annorum triginta*, unde adhuc obscurum Chronologis est, cui præcisè anno affigendus sit Baptismus Christi? utrùm cum Possino dicendum, eundem baptizatum esse anno trigesimo, aut an designandus annus trigesimus quartus cum Natali Alexandro, aut vigesimus nonus cum Saliano? accedit *secundò* quòd talis annus definiendus sit, qui non longè absit ab anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris; hunc enim chronotaxeos characterem nobis consignat S. Lucas: *anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium.* Mox quibusdam adjectis de concursu populorum ad baptismum Joannis, tum de argumentis concionum ejus, versu demum 21. ejusdem capitis tertii addit. *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & JESU baptizato & orante, apertum est cælum. Tertiò* annus ejusmodi statuendus videtur, quem quatuor paschata usque ad mortem Christi sequuntur: tot quippe ab Evangelistis descripta legimus: ac de tribus quidem nullus orthodoxus dubitat, Joannes enim (b) *primum* numerat dicendo: *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha* (JESUS) *in die festo. Secundum* idem Joannes (c) notat hisce verbis: *Erat autem proximum pascha dies festus Judæorum, tertium* omnes Evangelistæ referunt, quo videlicet Dominus juxta legis præscriptum, agnum pridiè comedit, quàm ipse in cruce immolaretur, *Quartum* Pascha à Joanne obscurè, at tamen probabiliùs commemoratur (d), dum ait: *Post hæc erat festus dies Judæorum*; nam dum de cæteris festis fit mentio ab Evangelista, specialiter determi-

(a) Cap. 3.

Characteres anni, quo Christus baptizatus est.

(b) c. 2. v. 23.

(c) c. 6. v. 5.

(d) c. 7. v. 1.

terminatur per vocabulum aliquod, E. G. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum* SCENOPEGIA: præterea è regione prioris textûs, citantur in margine Leviticus, & Deuteronomium iis locis, ubi manifestè agitur de paschate Judæorum; ergo licèt expressis verbis pascha hìc non consignetur; palàm tamen fit diem festum sine addito à S. Joanne assertum, loco paschatis habendum.

Christus baptizatus anno ætatis trigesimo primo inchoato.

2. Ex his nunc verosimilius nobis est cum Henschenio, Christum baptizatum esse anno ætatis trigesimo primo inchoato; ità enim quatuor post baptismum Paschata eruere dabitur, quæ ab aliis vel assignari non poterunt, vel plura contra Scripturam inducentur. Neque huic sententiæ obstat, quòd Christus erat *incipiens quasi triginta annorum*; nam ut omittamus, quòd vocula illa *incipiens* non ad ætatem, vel ad annos Christi ex sensu Eusebii, sed ad manifestationem, seu prædicationem Christi referatur à Justino, Tertulliano, Clemente Alexandrino (e); certè τὸ ὡσεὶ *quasi* nos ita non coarctat, ut non ultra numerum rotundum trigesimum aliquot dies aut hebdomadas addere valeamus (f). Ità Matthæus cap. 17., & Marcus cap. 9. ajunt Christum *post sex dies* (ab instituto scilicet sermone) esse transfiguratum: hoc non obstante Lucas cap. 9. id factum fuisse ait post *ferè dies octo*; quia hic Evangelista aliquot horas primæ diei desinentis, & octavæ incipientis in Summam collegerat: quare & nobis licebit triginta annis tredecim dies citra errorem apponere. Multùm contrà abesse nos profitemur ab illa sententia Natalis Alexandri, quæ solidum annum interjicit inter initium prædicationis Joannis, & baptismum Christi, eo consilio; ut dein Christum anno 34. baptizatum esse tutiùs enuntiare possit: in tantum enim spatium divagari utique per illud τὸ ὡσεὶ à trigesimo anno minimè licitum putamus.

(e) Differt. Grammat. de æra Christi Passi pag. 73.

(f) Vide Tirinum in Chronico sacro.

3. At tertius nodus nunc solvendus restat, quâ ratione Chronotaxis nostra annum decimum quintum Tiberii Cæsaris, anno trigesimo primo Christi baptizati conciliet. Ex reflexione prima intellectum est, nos nati Christi ætatem à Juliano anno quadragesimo desinente numerare; ac proinde anno Juliano septuagesimo primo ineunte Christi baptismum affigamus necessè est; hic autem annus Tiberii regnantis modò duodecimus fuit, ut qui mortuo Augusto anno Juliano 59. Imperii fasces cepit. Antequàm respondeamus ad difficultatem; duæ præprimis Epochæ, aut initia Imperii Tiberiani statuenda sunt, quorum alterum *Augustæum* dicimus, eoquòd Tiberius anno Urbis C. 767. Pompejo, & Apulejo Consulibus die 19. mensis sextilis, quâ mortuus Augustus est, *solus* Imperii fasces cum titulo Augusti moderari cœperit. Alterum initium Tiberii Imperantis *Proconsulare* appellamus, quod ab illo tempore epocham distinctam sortitur, à quo in Consortem Imperii, & Collegam ab Augusto adlectus est. Tiberius nimirum Cæsar (g) bellum Dalmaticum confecerat, sed intra quinque dies hujus belli consummati nuntiatum est de clade

(g) Dio lib. 56.

in

in Germania accepta, in qua Quintilius Varus (nuper, cùm Herodes moreretur, Præses Syriæ, jam Germaniæ Præfectus) cum tribus legionibus ab Arminio Germanorum Duce circumventus & oppressus est; hinc Tiberius de sua victoria triumphum agere non potuit, sed cum novo exercitu ad Rhenum profectus, limites Imperii Romani firmavit. Re benè in Germania gestâ, teste Paterculo militiæ Tiberianæ socio (h), Tiberius *perpetuus Romani Imperii Patronus habitus est.* Et ùt Suetonius porrò exponit (i) *petente Augusto, lex per CC.* (M. Æmilium Lepidum, & Statilium Taurum) *lata est, ut Tiberius cum Augusto Provincias communiter administraret, simúlque censum ageret*; hujus Proconsularis Imperii testem quoque habemus Tacitum, cùm ait (k): *Filius, & Collega Imperii*, &c. à Germania in urbem post biennium ingressus, triumphum, quem distulerat egit: dedicavit, & concordiæ ædem &c. atque ut denuò ex Paterculo rerum gestarum fido inspectore rem confirmemus; " eadem virtus, inquit, & fortuna subsequenti tempore ingressa animum Imperatoris Tiberii est, quæ initio fuit: qui concussis hostium viribus, classicis, pedit úmque expeditionibus, cùm res Galliarum .... molisset, & Senatus populúsque Romanus, postulante Patre ejus, indulsit, *ut æquum ei jus in omnibus Provinciis, exercitibúsque esset.* Etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam erat, *Primus, ad vindicandum honorem non judicari parem. &c.* Denique hujus epochæ Proconsularis indicium habemus in monimento apud suburbium Ancyræ reperto, quos Bousbequius ex ipso lapide descripsit: & Schelstrate Dissert. I. c. 2. a. 4. edidit: in eo autem monimento Augustus lustrum à se conditum refert, *Collega Tiberio, Sexto Pompejo, & Sexto Apulejo Consulibus.* Igitur Augusto adhuc vivente, Imperii jam consors fuit Tiberius.

Discrimen inter Tiberii Imperium Proconsulare & Augustæum.

(h) Vellejus Paterculus c. 121.
(i) Suetonius c. 21.
(h) Tacitus lib. 1. annal. c. 1.

4. Ex coævis authoribus postquam causa, & origo Imperii Proconsularis commonstrata est, tempus, quoque hìc designare juvat, quo nimirum anno Tiberius hanc supremam Præfecturam nactus sit: Gravesonius (l) epocham hujus Imperii sumit ab anno æræ vulgaris decimo, cui sententiæ etiam Antonius Pagius olim adstipulatus fuerat in Dissertatione sua hypatica. Usserius contrà in Annalibus & Tillemontius (m) in annum duodecimum æræ vulgaris id rejiciunt. Nos cum Marco Antonio Capello (n) & Henschenio (o) annum undecimum æræ vulgaris saltem labentem pro initio Proconsularis regni Tiberiani assignamus; ex Dionis enim libro 56. refertur; quòd *Tiberius, & Germanicus, cui* (seu priori, ùt notat Pagius) *Proconsulare erat Imperium, impressionem in Germaniam fecerunt.* Erat hic annus æ. v. undecimus, Julianus 56., quo jam Tiberius Proconsulari utebatur dignitate, triennio ante Augusti obitum: similiter ex Suetonio intelligimus (p) Tiberium egisse censum cum Augusto, ex quo administraverat cum eo Provincias, tribus annis post Varianam

(l) Dissert. de mysteriis & annis Christi pag. 169.
(m) Not. 4. Hist. Imper.
(n) Dissert. de anno Pass. Christi c. 2.
(o) In exposit. Veter. Catalog. Pontif.
(p) C. 21.

rianam cladem, qui ità computandi veniunt; ut æ. v. nonus annus dicatur primus, & decimus æ. v. cladis secundus, tertius demum stragis Quinctilii ejusdem censeatur esse undecimus: atque ex ea epocha cùm dicamus numerari annum decimum quintum Tiberii Cæsaris; declarandum restat, an S. Lucas hâc chronotaxi usus fuerit?

(q) In Critica Baronii ad a. Æ. V. 29.

Statuitur S. Evangelistæ loqui de annis Proconsularis Imperii.

(r) Usserius in Chronol. sacra Th. VI. pag. 85.

(s) Vid. Usserius in Chronol. c. 6.

(t) Clemens lib. 1. stromatum.

(u) Idem l. c.

(x) Citatus apud Schelstrate Dissert. I. c. 3. a. 2.

5. Equidem Pagius incertum esse ait (q), utrùm S. Evangelista annos Tiberii ab ejus Monarchia, vel ab ejus Proconsulari Imperio desumpserit? nihilominùs hoc postremum verosimilius esse confirmat, quòd sacer Scriptor secutus sit morem scripturæ, quæ duo regnantium exordia sæpè distinguit: exemplum unum affert, de Nabopalassaro Babyloniæ Rege, qui quoniam Nabuchodonosorem filium in regni societatem vivus assumpsit; hinc factum est, ut Nabuchodonosoris anni variè computati fuerint: Josephus (r) ei tribuit annos 44., quos à morte Patris deducit, cùm solus Nabuchodonosor regnare inciperet. Econtra Jeremias, plus temporis ei addit, quia ejus Principatûs initium ducit à tempore, ex quo in consortem Regni fuerat adscitus, etiam vivente adhuc Patre (s). Huic Pagii argumento nos multò solidiora apponimus, scilicet ex testimonio Patrum, quorum authoritas, ubi possumus, salva tenenda est: Inter hos Clemens Alexandrinus (t) Tiberio annos Imperii 22. & aliquot menses tribuit, quot annos re ipsâ Tiberius à morte Augusti solus in regno explevit; nam anno æræ vulgaris 14. die 19. Augusti successit defuncto Augusto, regnavítque ad Martium usque anni ejus æ. v. 37. Posteà idem Clemens secundùm aliorum computum eidem Tiberio assignat annos 26. cum sex mensibus, *quidam*, inquit (u), *Romanorum Imperatorum tempora sic describunt: Tiberius annis 26. mensibus sex, diebus novendecim*; cùm autem Authorum quivis mortem defigat in anno Juliano 82., neque ullus in fine discrepet; nec- is est, ut iidem alia exordia Imperii Tiberiani assumpserint, ex quorum dissimilitudine dispar quoque computus proveniat. Alterum è PP. numero adducimus Tertullianum (x) qui ait, *Christum Dominum anno duodecimo Tiberii revelatum* (seu baptizatum), *anno decimo quinto ejusdem Tiberii cruci affixum fuisse*: duo hìc Tiberii initia assumas necesse est; nisi Patrem S. Lucæ ex composito adversari velis: *revelati* nimirum Christi epocham à morte Augusti ducit Tertullianus; ab imperio verò Proconsulari epocham mortis Christi posteriorem. Ex quibus palàm fit veterum sententiam fuisse, quòd S. Lucas suam chronotaxin à Tiberii cum Augusto corregnantis exordio descripserit, quâ enim aliàs ratione Patres inducti toties affirmâssent, Christum sub duobus Geminis cruci affixum esse? sed de hoc argumento plura in Reflexione sequente. Quid? quod Lucas ipse verbis indicare videatur, quam ipse epocham fuerit secutus: scribens námque anno decimo quinto Tiberii factum esse Verbum Domini super Joannem, non utitur voce græcâ τῆς βασιλείας, quod Imperium Tiberii Augustæum indi-

indicâsset, sed τῆσ ἡγεμονίας, quæ vox apta est ad Imperium qualecunque exprimendum ut alibi notatum est.

6. Referendæ nunc sunt Adversariorum rationes, quibus tum Tiberii corregnantis dignitatem, tum tempus, quà hæc facta dicitur, impugnant: demum S. Lucam nunquam hâc computandi ratione usum esse commonstrare conantur. Ac primò Possinus (y) securè asserit, puram fuisse, & singulari semper defixam capiti Monarchiam Romananam à momento saltem victoriæ Actiacæ usque ad Adrianum Imperatorem; ut quid ergo Tiberius Collega Imperii agnosceretur? Augustus si quam huic tribuere visus est dignitatem; ea non alia fuit, quàm ut successorem Tiberium declararet: ùt ergo designati Consules more Romano Magistratum non inibant, nec fastos signabant ante Kalendas Januarias sequentes post redactos scilicet in ordinem decessores; sic nec Tiberius putandus est ante Augustum decessorem defunctum, desponsi dudum Imperii usum, & titulum sumpsisse. Argumento novam vim addit Petavius, qui ait, potestatem Tiberii viventi Augusto adhuc subjectam fuisse, nec multùm absimilem ei, quâ etiam Germanicus pollebat; quin tamen hic Imperator nuncupari potuerit regnante Augusto. Demum pergit Petavius: si superstite etiamnum Augusto Tiberius Imperatoris vero nomine consignandus erat; cur nomen hoc, Cæsare Augusto mortuo, illi delatum est à Senatu Romano? quare illud recusavit Tiberius? ùt testatur Suetonius c. 26.

(y) Epist. I. in Apparatu ad Chronol. Henschenii pag. 13.

Argumenta Possini & Petavii contra Proconsulare Imperium Tiberii.

Gravia hæc utcunque argumenta animum nobis non eripiunt, quin sententiæ nostræ insistamus; nam duos Augustos simul ad Adrianum usque regnâsse fortè nullus reperiet: at Augustum & Imperatorem Tiberium, cum Proconsulari potestate in omnes Provincias simul viguisse nemo est, qui negare possit; nisi quis Tacitum mendacii arguere velit & Vellejum Paterculum, quorum ille (z) ait: *illuc cuncta vergere* (post mortem scilicet Caji Cæsaris) *filius Collega Imperii, consors tribunitiæ potestatis assumitur.* Alter autem (a) confirmat, Tiberio (postulante Patre ejus Augusto) *jus in omnes Provincias & exercitus par illi, quod ipse Augustus habebat, collatum fuisse à Senatu Romano, & tribunitiæ potestatis consortione æquatum esse Augusto*: qui honores ne nudi omni usu videantur; Dio nobis refert, (b) Tiberium, cui proconsulare erat Imperium, impressionem in Germaniam fecisse, & Suetonius (c) de administratione Provinciarum, ac de censu, quem Tiberius cum Augusto egit, mentionem facit; unde nulla hìc cum Consulum imperio similitudo quadrat: ùt enim Imperatores pro suscipiendo regno stata nunquam habebant tempora; sic Augustis pro negotiorum incumbentium mole, & quandocunque libebat, vel Collega Imperii, ac posteà etiam Conaugustos admittebant. Neque, ùt vult Petavius, Proconsulare Imperium Germanici hìc in comparationem venire potest; præterquàm enim, quòd ille nusquam Collegæ titulo

Confutatio eorundem Argumentorum.

(z) Lib. 1. annal.

(a) Lib. 2.

(b) Lib. 56

(c) c. 21.

tulo consignetur, tum in aliquas tantum Provincias, quæ mari toto dividebantur (d), dominatum accepit: Tiberius contrà omnibus Provinciis, ac Imperio toti utpote (Collega Augusti) præpositus est; qui, si erga Augustum, à quo adoptatus fuerat, pluribus in rebus subjectionem, ac reverentiam ostendit, inde minimè concludendum, eum minùs habuisse dignitatis; sed è diverso Tiberium erga benefactorem suum plus obsequii, ac gratitudinis depromere voluisse. Ad id, quod ultimo loco Petavius objecit, ut respondeamus; apertè ex Tacito aliisque asserimus, in illa oblatione Imperii, quam Senatus post excessum Augusti fecerat, cuncta per simulationem gesta fuisse: & quemadmodum optimates officiosi videri volebant in deferendo regno; sic Tiberius demissionis laudem affectabat in eo recusando: quamvis huic alii tituli non defuerint Imperium non qualecunque, & Proconsulare, sed Augustæum ad tempus callidè renuendi; nam Suetonius (e) cunctationis Tiberianæ causas ità recenset: *cunctandi causa erat metus undique imminentium discriminum, ut sæpè lupum tenere auribus se diceret.* Plures conjurationes ibidem enumerat factas in Tiberium: Tacitus quoque (f) describit moras in suscipienda Augusti dignitate, *causa præcipua ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quàm exspectare mallet.* Cæterùm Senatus Imperatoris novos titulos prudenter Tiberio addicere potuit, utì & Augusto ab Actiaca victoria detulerat, licèt pridem assumptos; hâc quippe ratione ostendebant, id munus nequaquam esse hæreditarium. Prætereà Tiberio soli necdum competebat nomen Imperatoris; nunc autem eidem uni velut antonomasticè id confirmatum, adjunctaque alia nomina Patris Patriæ, Augusti &c. quæ superstite Augusto necdum Tiberius acceperat. Inde etiam Tacitus Tiberii Augustæum Imperium novum vocat Principatum, cùm ait (g): *novum facinus novi Principatûs fuit Posthumi Agrippæ cædes.*

(d) Tacitus lib. 2. annal.

(e) Sueton. c. 25.

(f) Tacit. lib. 1. annal.

(g) Tacit. lib. 1. annal. c. 6.

7. Quemadmodum epocham Proconsularis Imperii non pauci oppugnant; ità & ejus tempus sive annum: ac primò Suetonius (h) asserit, Tiberium, ex quo latà sententià administrator Imperii unà cum Augusto constitutus fuerat, in Illyricum abiisse: statim autem, ac Augustus morti propinquaverat, revocatum esse; nam Historicus subjicit: *ac non multò post lege per CC. latâ . . . . in Illyricum profectus est.* Ergo ista nova Tiberii epocha nil confert ad explicandum annum decimum quintum Tiberii; cùm prima epocha, ac Augustæa vix annuo spatio differat. Verùm reponimus illud: *non multò post*, malè referri ad sequentem profectionem Tiberii in Illyricum; patet enim antecedentibus duntaxat connecti: videlicet, quod à triumpho instituto, haud longum tempus intercesserit usque ad legem Senatûs, seu quòd ea lex condita fuerit circa ipsum annum undecimum, quod indicant hæc verba Suetonii: *ac non multò post lege per Consules latâ, ut Provincias cum Augusto communiter administraret, simul-*

(h) c. 21.

Tempus, quo cœpit Proconsulare Imperium Tiberii.

simúlque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est. Sed ex hac ipsa responsione (ùt volunt Adversarii) quinquennium à nobis adstruendum esset, quod deberet intercessisse inter legem à Senatu latam, & inter censum Tiberii: cùm autem difficile hoc sit assignare; vix dici poterit lustratam à Tiberio fuisse urbem, seu conditum lustrum. Difficultati huic quisque facilè occurret, qui dixerit non à Tiberio lustri quinquennium cœptum esse, sed ab Augusto, qui currentibus illis quinque annis (quando Augustus lustrabat urbem) Tiberium in Collegam assumpsit, qui secum censum continuaret, atque ità (quinquennio illius censûs ante profectionem Illyricam transacto) potuit à Tiberio condi lustrum.

8. S. Lucam demum à Proconsulari epocha suam Chronotaxin, seu annum decimum quintum minimè numerâsse, hoc modo probare aggreditur Possinus. 1*mò* quia nullus illorum temporum Græcus aut Latinus Historicus Tiberii annos ab alia recenset epocha, quam ab Augusti morte, ùt monstrant, qui eos exscripserunt Africanus & Eusebius. 2*dò* credendum non est, S. Lucam præ notiore epocha abstrusam & raram designare voluisse. 3*tiò* S. Lucas adhibet eam æram, in qua annus XV. Tiberii concurrit cum Pilati Procuratione Judææ; jam sic: Pilatus cœpit procurare Judæam anno 27. æræ vulgaris, ùt colligitur ex Josepho (i), qui ait: *Vitellius Marcello amico ad Procurationem Judææ misso; Pilatum jussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad objecta per Judæos crimina; ità ille decem exactis annis in sua Provincia, cùm necessè haberet parere Vitellio, ad urbem iter suscepit, quò priusquam veniret, vitâ excessit Tiberius.* Ergo Pilatus exiit Judæâ anno æ. v. 37.; hoc enim anno obiit Tiberius: jam si retroagas computum decennii exacti; necesse est, ut Procurationis initium facias ab anno 27. æ. v.: & quoniam infrà statuetur Christum passum esse anno æræ v. 29.; vix tot annos ex Proconsulari epocha erues, qui annis Augustæis additi, complere possent annum decimum quintum Tiberiani Imperii; nam duos, ùt patet, addere tantùm liceret. Ad *primum* respondemus equidem verum esse Tacitum (k) annos Tiberii à morte Augusti computare, quod & aliis quibusdam in more est, quia ii Romanorum usum secuti sunt, ubi Octaviani Augusti Majestas eadem erat, etiam associato Tiberio: at Provinciarum consuetudo alia fuit, ut quæ Tiberium tanquam Dominum ubique agnoscebant; ac vel inde epochas regni Tiberiani aliter describebant, ùt vestigia habemus ex Clemente Alexandrino suprà citato: accedit, quod SS. PP. plures (ùt infrà dicetur) doceant Christum sub Consulibus Rubellio, & Fusio geminis passum esse, sive anno æræ vulgaris vigesimo nono, & anno Imperii Tiberii decimo quinto, quod nunquam scripturi fuissent; nisi agnovissent, eorum temporum morem fuisse, ut duplici epochâ anni Imperii Augustæi, & Proconsularis consignarentur. Ad *secundum* ℞. obscura epocha dici non debet, quæ tunc nota fuit omnibus Provinciis, licèt posteri

Rationes aliæ Possini contra chronotaxin à Proconsulari Imperio numeratam.

(i) Lib. 15. Antiq. c. 15.

(k) Lib. 4. annal.

Confutatio Argumentorum.

minùs

minùs nota videatur. Præterea si juxta Possinum scriptura Successorum annos tantùm numerare consuevit à morte prædecessoris; cur ipse Possinus (l) annum Artaxerxis Longimani vicesimum, à Nehemia (m) memoratum, non à morte Patris ejus; sed ab eo tempore computat, ex quo is à Xerxe multò antè in Collegam adscitus fuerat? *Ad tertium* ℞. multum inde pendere, quando ex sua Provincia Pilatus discesserit, quantum temporis in itinere insumpserit, quod utique non accelerârit, metu criminum objectorum impeditus: sit itaque, quòd Pilatus anno æræ vulgaris 25. labente, quo factum est Verbum Domini super Joannem Procurationem adiêrit; adeóque vigesimum sextum annum (sub cujus initium, scilicet sextâ Januarii Christus baptizatus est) primum sui decennii habuerit, & posteà à Vitellio trigesimo sexto anno jussus fuerit adire Romam; certè ibi completum decennium habebis, quod Pilatus in sua præfectura ex integro complevit. Quòd autem anno 37. æræ vulgaris, (dum Tiberius mense Martio excessit) necdum Romæ fuerit; tergiversationi ejus adscribe: quid ni enim cunctari potuisset eo tempore, quando Tiberius reipublicæ planè negligens in suo Capreensi secessu hærebat, & subinde cum morbis variis & suorum insidiis conflictatus, omnibus reis spem faciebat, fore, ut post ejus mortem malefacta vel nullatenùs vel mitiùs punirentur.

(l) In Dissert. de Danielis hebdom.

(m) Nehem. c. 11.

REFLEXIO III. ad §. 2. num. 6. pag. 242.

Quo anno æræ vulgaris passus sit in cruce Servator; quótque annos in vita mortali exegerit?

1. AUthorum, qui Christi annos in summam colligunt, non una est sententia; alii quippe Servatoris ætatem prorogant nimiùm, alii breviùs, ac oporteret, contrahunt. Irenæus Episcopus Lugdunensis (a) contra errorem Valentinianorum calamum stringens in contrariam partem supra modum obnisus est, quadraginta aut quinquaginta annis Christi ætatem emetiendo: *Quia autem*, ait, *triginta annorum ætas primæ indolis est juvenis, & extenditur usque ad quadragesimum annum; omnis quilibet confitebitur, à quadragesimo & quinquagesimo anno declinat jam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat: sicut Evangelium & omnes Seniores testantur, qui in Asia apud Joannem Discipulum Domini convenerunt &c.* Non desunt, qui cum Baronio & Pagio suppositum hunc textum fuisse existiment; eoquòd alibi idem Irenæus apertiùs doceat, Christum post quatuor à baptismo Paschata obiisse: quodsi autem mitior hic Authorum sensus Irenæum non satis vindicare videatur; certè fateamur, necesse est, S. Patrem cum aliis ejusdem temporis deceptum fuisse ex illis

(a) Lib. 2. adversus hæreses c. 59.

Variæ sententiæ de ætate Christi & earum Confutatio.

lis verbis à S. Joanne sæpiùs relatis: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti* (b), ex hoc enim Judæorum testimonio Papias, teste Eusebio, vir tenuis ingenii, colligebat, senilem propè Christi ætatem extitisse, quæ traditio non satìs integra ad Irenæi tempora dein profluxit. His propiùs annumerandus est Natalis Alexander; qui ità de annis Christi dissserere ausus est (c): *Christus mortuus est anno ætatis suæ XXXVII. inchoato:* Sententia ejusmodi cùm omninò abhorreat ab omni primorum Ecclesiæ sæculorum sensu (d); tum Evangelio, Historiisque vim infert, ex quibus perdiscimus, Christum sub Pontio Pilato, & quidem regnante Tiberio crucifixum fuisse. Quâ ratione autem id stabiliri posset, si Christus anno demum septimo inchoato supra trigesimum in crucem actus esset? Tiberius enim anni ejusdem mense Martio jam erat mortuus (e): & Pontius Pilatus jam ante Tiberii mortem Romam ad causam dicendam evocabatur (f).

(b) Joann. 8.
(c) Quæst. 11 pag. 221. conclus. 2.
(d) Possinus Epist. 2. num. 6.
(e) Suetonius in Tiberio.
(f) Josephus lib. 18. antiq. c. 5.

2. Ab hac sententia longiùs discessêre olim quidam Patres, scilicet Origenes (g), Cyrillus Alexandrinus (h), & Clemens Alexandrinus (i), quorum hic ait: *et erat Jesus veniens ad baptisma quasi triginta annorum, ... & quòd anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est: annum acceptabilem Domini, prædicatum me misit* (k): in id nimirum incubuêre illi Doctores, ut Christi vitam universam, quàm minimùm ultra trigesimum annum extenderent: sed dum in annum unicum Christi prædicationem compingunt; nullo planè fundamento unum nonnisi Pascha post baptismum Christi fluxisse asserant oportet: quod quantùm Evangelistis adversetur; id ex supra dictis jam liquet.

(p) Lib. de hæres. c. 58.
(h) In c. 52. Esaiæ.
(i) Lib. 1. stromat.
(k) Esaiæ 61.

3. Difficultati ejusmodi propiùs satisfaciunt, qui cum Possino Christi mortem in trigesimo tertio ætatis anno designant; tria enim Paschata illi habent, quæ ab Evangelistis palàm descripta numerent: at quia in Reflexione antecedente jam observavimus, quatuor omninò Paschata à baptismo Christi per sacras paginas signari; in eorum sententiam nos hìc discedendum putamus, qui Christo triginta tres annos completos cum trimestri tribuunt: ex innumeris Authoribus, qui hunc calculum probant vetus Chronicon Alexandrinum ad annum XVIII. Tiberii ita notat: *Versatus est Dominus nobiscum in terris, ac morborum, languorúmque omnis generis mala curavit annos triginta tres, & menses tres:* & V. Beda loqui non dubitavit (l). *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plus quàm XXXIII. annis usque ad suæ tempora Passionis vixisse, quia videlicet triginta annorum fuerat baptizatus, sicut Lucas Evangelista testatur, & tres semis annos post baptisma prædicaverat.* Demùm Salmeron (m) invenisse se confirmat inter manuscripta Joannis à Turrecremata unum tractatum, qui inscribitur *in quinque conclusiones Episcopi Abulensis de mandato Pontificis examinatus, & damnatus*; earum conclusionum prima erat: Dominum Jesum passum esse anno ætatis XXXIII. currente.

Verior numerus annorum quos Christus in carne mortali transegit.

(l) De ratione temp. c. 4.
(m) Tom. I. Proleg. 38.

Vigesimo nono anno æræ vulgaris mortuus est Servator?

4. Commonstratâ summâ annorum, quos Christus in mortali carne transegit; decidendum restat, quo ille anno æræ vulgaris è vivis decesserit? Nos hìc Patrum, & veterum Scriptorum authoritatem secuti, pro Servatoris morte eum annum definimus, qui Consulatu duorum geminorum Fusii, & Rubellii insignis fuit, sive annum æræ vulgaris vigesimum nonum, aut decimum quintum, quo Tiberius ab excessu Augusti fasces supremos solus moderabatur. Id quippe Tertullianus dudum nobis reliquit (n), cùm ait: *Tiberii decimo quinto Imperii passus est Christus annos habens XXXIII. quæ passio perfecta est sub Tiberio Cæsare, Rubellio gemino, & Fusio gemino, mense Martio, temporibus Paschæ die VIII. Kalendas Aprilis die I. Azymorum.* Lactantius Firmianus, Crispi, Filii Magni Constantini instructor (o) idem tradidit, in hæc verba scribens: *Herodes fuit sub Imperio Tiberii Cæsaris, cujus anno decimo quinto, id est duobus geminis Consulibus . . . , Jud... Christ..m cruci affixerunt.* Prætereà antiquissimus catalogus tempore Liberii Papæ conscriptus in procemio hæc notat: *Imperante Tiberio Cæsare passus est, Dominus noster Jesus Christus duobus geminis CC. VIII. Kal. Aprilis.* Subinde D. Augustinus totidem verbis nostræ sententiæ suffragatur (p): *Mortuus ergo Christus duobus geminis CC. Kal. April.* Subscripsit eidem posteà opinioni Severus Sulpitius D. Martini Turonensis discipulus (q), Idatius Gallæciæ Episcopus (r), antiqui Consulum Catalogi (s).

Probatur ex PP. & scriptoribus antiquis.

(n) Lib. adversus Judæos, apud Hieronym. in c. 9. Daniel.

(o) Lib. 4. de vera sapientia.

(p) Lib. 18. de Civ. Dei c. 54.

(q) Lib. 2. hist.

(r) In Chronico apud Sirmond. & Labb.

(s) Apud Cuspinian.

Confirmatur ex iis quæ antecesserunt mortem Christi.

5. Atque ut Authoritatem, quæ in rebus historicis multùm valet, hìc nonnihil seponamus; profectò ea, quæ & passionem Christi antecesserunt, tum illa, quæ subsecuta sunt, alium à vigesimo nono annum nobis minimè commonstrant: sive enim Natalem Servatoris annum, scilicet Julianum quadragesimum respicias, inde ad XXIX. æræ vulgaris annum calculo producto, completos XXXIII. annos cum trimestri invenies: sive adjuncta cætera, & baptismum Christi consideres; & Servatorem in diebus Herodis Regis natum, & circa trigesimum vitæ annum baptizatum, indéque ad passionem usque quatuor exegisse Paschata, citra chronotaxeos errorem computabis.

6. Si verò ea, quæ à passione Christi posteà acta sunt, cum vigesimo hoc anno componere placuerit; omnia cohærere senties, quæ alii per diverticula torta exponere coguntur: ac *primò* Tiberius Sejanum Consulem interfecit anno XXXI. (t); cùm post geminos CC. annus secundus laberetur, maximè ea de causa, quia idem Sejanus Cæsari restiterat, quò minùs Christum in album Deorum, ùt volebat, referret (u); ex hoc igitur indicio Christum anno Æ.V.29. passum esse significatur. Nam Sejanus aliquo tempore pertinaciter (ratione Apotheosis) Tiberio obluctabatur: is quoque Consul Christianos ex urbe ejicere decreverat: quibus omnibus, ut spatium justum temporis detur, & conversi aliqui Judæi ab Apostolis è Syria Romam venerint; secundus certè annus post Ascensionem Christi, sive

(t) Tacit. annal. 6. c. 25.

(u) Orosius lib. 7. adv. Pagan. c. 4.

Probatur porrò ex iis, quæ servatoris mortem secuta sunt.

sive XXXI. Æ. V. decurrebat. *Secundò* post mortem Stephani Protomartyris juxta Apollonii traditionem Apostoli duodecim annis Hierosolymis consistebant, sive ultra Syriam & vicinas ditiones non abibant; cùm autem divisio Apostolorum in omnem orbem facta sit anno Æ. V. XL, qui est duodecimus ab anno 29. Æ. V., denuò mortem Servatoris huic eidem anno affigamus necesse est. *Tertiò* discessit tunc S. Petrus Apostolorum Princeps Romam, ibíque primam sedem collocavit, in qua sedit plurium testimonio annis 25., scilicet ab anno Æ. V. XL. ad annum LXV. quo Martyrio coronatus est: tunc etiam S. Jacobus Apostolus filius Zebedæi potuit discessisse in Hispanias, ùt habet Hispanorum traditio, ac potuit tam ipse, quàm S. Petrus ob occurrentes causas circa annum XLIII. reversus fuisse Hierosolymam; quandò Herodes Agrippa, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit Jacobum fratrem Joannis gladio: videns autem, quia placeret Judæis, apprehendit & Petrum: hæc tempora pro S. Jacobi cæde, & S. Petri captivitate per aliam chronotaxin difficiliùs eruuntur. *Quartò* Synodus Hierosolymitana habita est anno Christi XLVII.: à conversione S. Pauli (quæ contigit proximo anno post passionem Christi) anno XVII. & biennio antequàm Roma pellerentur Judæi. Jam trigesimo anno, quo conversus est Paulus, adde septendecim annos reliquos Pauli, & habebis 47. annos, quo celebrata est Synodus. *Quintò* SS. Petrus & Paulus Martyrio affecti sunt sub CC. Nerva, & Vestino, anno Æ. V. 65.: anno à passione Christi trigesimo septimo, præsente tunc Romæ Nerone, qui anno sequenti discessit in Græciam, nec reversus est Romam; nisi aliquot ante mortem mensibus, & inde fugiens seipsum 9. Junii interfecit. Adde autem vigesimum nonum incompletum, trigesimo septimo incompleto, & summa denuò emerget annorum 65. *Sextò* excidium urbis Hierosolymitanæ evenit anno secundo Imperii Vespasiani, & septuagesimo Æ. V., demùm, ut quidam ex antiquis docuêre (x), quadragesimo secundo à passione Christi; ex his unum Origenem audiamus (y), qui ait, *quadraginta duo anni, ut reor, intercesserunt inter Jesu Christi Crucem, & eversionem Hierosolymorum.* Jam adde viginti novem annos quadraginta duobus, quorum ubique ultimus non sit completus, & septuagesimum annum excidio Hierosolymitano destinatum computabis.

(x) Apud Petav. lib. 12. de doctr. temp. c. 12.

(y) Lib. 4. contra Celsum.

7. Non equidem diffitemur Epiphanium asseruisse, quòd sub Consulibus geminis Christus modò triginta annorum & unius fuerit (z): at perturbationem temporum ab eo commissam nullus non cognoscet; si simul notare velit, quòd idem Author anno Christi 32. subjungat consulatum Rufi, & Rubellionis, quasi verò hi à Geminis distinguerentur. Ex eodem capite non multum sententiæ nostræ incommodat Eusebius Pamphilius, quando is passionem Christi sub CC. *Persico & Vitellio* peractum scribit; Eusebius quippe Fastorum consularium minùs exactam notitiam habuisse videtur; cujus exemplum in eo habemus, quòd, cùm Tacitus

(z) Hæres. 51. c. 32.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

Tacitus *Vitellio* in consulatu Furium Camillum Scribonianum cum C. Domitio Ahenobarbo surroget; Eusebius contrà unum annum sine caussa in duos dividens, Ahenobarbum cum Apruntio in annum sequentem rejiciat, eísque ad tertium annum subdat Galbam & Syllam, quos Dio & Tacitus indicant immediatè successisse C. Domitio, & Camillo, ùt ex alibi posita tabula Consulari patet.

Argumenta Possini eorúmque Confutatio.

8. Possinus nobis instare fortiùs aggreditur, dum ait: nullum characterum chronicorum ei anno convenire, quo fuêre Consules Gemini: incidit is in annum Periodi Julianæ 4242., quando erat numerus Cycli X. Cycli verò lunaris sive aurei numeri XI. cum litera Domini earum indice B. Porrò ex comparatione & concursu Cycli utriusque evidenter patere dicit, isto anno Pascha Judaicum incidisse in XVI. Aprilis & in Sabbatum quidem: quare si Christus adstruatur crucifixus sub Geminis; Evangelistæ adversaberis, qui Servatoris mortem non in sabbato, sed in feria sexta defigit. At Henschenius vim argumenti levi operâ infringit, ostendens per ea tempora Cyclum, quo Judæi utebantur, non fuisse exactum, quod ipsum multò antè contra Reusnerum & Calvisium probavit Kepplerus præstantissimus sui temporis Astronomus (a); " In prima, ajebat, controversia de Paschate hæret uterque in Astronomia velut mus in pice: mirum fatum! ipse Astronomus, cæteros non Astronomos abstraho ab Astronomia in actione hujus causæ. Probandum legitimè, Judæos tam benè fuisse astronomicè doctos, quantam hodiè cognitionem afferunt ad hanc causam. Ego contrarium affirmo; Priscos illos Judæos, usque ad Christi ferè tempora, in usu Kalendarii nihil ultra vulgi captum sapuisse . . . . Valde igitur decepti sunt nostri Astronomi his ultimis centum quinquaginta annis, qui ex sua perfecta Astronomia plenilunia ad Christi tempora; ex pleniluniis festa Judæorum; ex his, & concursu feriæ annum Passionis ausi sunt determinare alium, quàm veteres ætati Christi proximi, tradiderunt. Si hodiè quis, omisso computo Ecclesiastico aberrante, ex Astronomia perfecta, accommodatis decretis Nicænis, quæ jactantur, computaret Paschata superiorum sæculorum; is celeberrimè aberraret ab usuali Paschate, & vix unquam justum historiæ annum assequeretur. ,, Hæc responsio Keppleri etsi abundè faciat satis; recentior tamen P. Grammatici (b) ex tabulis de la Hire insuper commonstrat, characteres ejusmodi chronicos nulli meliùs, quàm anno XXIX. competere, quas demonstrationes (si quis earum studiosior est) videre ibidem poterit.

(a) In Ecclogis Chronicis anno 1615. excusis pag. 90.

(b) In Dissertatione de Æra Christi passi, à pag. 55. ad pag. 71.

9. Urget rem suam Possinus hunc in modum: in morte Christi visa est prodigiosa illa Eclipsis in plenilunio, quando Luna, & Sol minimè fuerant conjuncti; talem autem Solis defectionem Phlegon Libertus Adriani Augusti Chronographus testatur accidisse anno 4. Olympiadis CII. quod tempus exactissimè congruit in mensem Aprilem anni æræ Christianæ XXXIII. Responsio hic nobis tantò facilior est, quantò minùs Uranicæ

tabulæ

tabulæ ad Eclipsin, quæ naturæ vim superabat, explicandam deserviunt: argumentum igitur unâ authoritate Phlegontis nititur, qui cùm â diversis diversimodè citetur, utpote eo loco â scriptoribus vel malè intellecto, vel miserè depravato; non est cur Possinus in hac ratione tantoperè sibi fidat: Eusebius in chronico scribit à Phlegonte rem miraculosam consignatam esse anno 4. Olympiadis CCII., quem Baronius secutus est: congrueret iste annus Æ. V. anno XXXIII. à Januario usque ad Solstitium æstivum; sed Africanus uno post Phlegontem sæculo florens (nam iste Adriani Imp. ævo, ille sub Heliogabalo vixit, & opus Phlegontis (c), quod dein intercidit, vidit) denotat Eclipsin à Phlegonte memoratam accidisse anno secundo Olympiadis CCII. Hinc Kepplerus & Petavius errâsse putant Eusebium in scribendo anno 4. dictæ Olympiadis, putántque pro anno IV. notari debere annum II. At Pagius Olympiadis notationem probat esse emendandam (d), hoc modo, ut pro olympiade CCII. ponatur annus IV. Olympiadis CCI.: lis ex eo facilè componitur, si advertamus, quòd Africanus biennio citiùs, alii seriùs duobus annis initium faciant Olympiadum: Africanus eas inchoat ab anno ante Æ. V. DCCLXXVIII.; plerique cæteri ab anno ante Æ. V. DCCLXXVI.: unde licèt verbotenùs discrepent; re ipsâ conveniunt, qui enim Africano est annus secundus Olympiadis CCII.: reliquis erit annus IV. Olympiadis CCI. & utraque sententia signat annum 28. Æ. V. decurrentem à Solstitio æstivo ad Junium anni 29., quo tempore intermedio Christus passus est. Atque inde etiam obiter hic causam subjicimus, cur suprà in Apparatu pag. 14. n. 3. Olympiadum initium notaverimus ex mente Africani, & nihilominùs posteà Pagii computum expresserimus in Fastis Consularibus pag. 17. Accedit postremùm, quod Augustinus, Tertullianus, alíique Christum palàm dixerint sub CC. Geminis mortem obiîsse: ídque ex Phlegonte probant; qui utique se coram Ethnicis risui exposuissent, si Phlegontem corrumpere, aut falsò adducere seu explicare voluissent.

(c) Baron. ad an. 32. n. 120. Pagius in Crit. tom. I pag. 25.

(d) Pagius in critic. Baron. tom. I. pag. 26. n. 13.

REFLEXIO IV. ad §. 3. num. 6. pag. 254.

An, & quando S. Petrus Romæ suam Cathedram Pontificiam erexerit, quótque annis eam tenuerit?

1. SI veritatem historicam ex æqualibus ævo, aut fermè coævis integræque fidei authoribus eruere tutius est; in minùs securas vias ii certè deflectant necesse est, qui spretis veterum testimoniis profectionem Petri Romanam, aut ejus Romæ fundatam Cathedram in controversiam novam deducere allaborant: Papias quippe S. Joannis Evangelistæ Discipulus in sæculi secundi ætate illa Petri verba: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta* (a) alio sensu accipi noluit, quàm quòd Apostolus Romæ

(a) 1. Petri 5.

Romæ (quæ per allegoriam Babylon nuncuparetur) epiſtolam ſuam exarârit (b). Nec minùs Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola ad Romanos (c) confirmat, Petrum & Paulum Corinthi & Romæ annunciâſſe fidem: Cajus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui ſub Pontifice Zephyrino floruit, adversùs Proclum Montaniſtam ſcribens teſtatur, ſe Apoſtolorum eorundem, qui Romanam Eccleſiam condiderant, trophæa poſſe Romæ oſtendere. Hæc veritas ſubinde Patribus adeò certa fuit, ut da ea dubitare nefas duxerint (d): atque ut diſſimulemus iſta quæ Origenes (e), quæ Cyprianus (f), quæve Arnobius (g) hac ſuper re teſtatâ reliquerunt; unum Tertullianum audiamus (h): *Hæretici*, inquit, *edant origines Eccleſiarum ſuarum, & volvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ità per ſucceſſionem ab initio decurrentium, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit authorem & anteceſſorem: hoc enim modo* ROMANORUM *Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert.*

Petrum Romæ fuiſſe affirmant PP. antiqui.

(b) Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 14.
(c) Idem lib. 4. c. 24.
(d) Pearſon oper. poſth. pag. 27. ad 43.
(e) Origen. in Geneſ.
(f) Cypr. lib. 4. Epi. 2.
(g) Arnob. in Pſ. 106.
(h) Tertull. de præſcript.

Et quoniam in materia facti non modo libris, & ſcriptis, ſed publicis etiam monumentis, fides ſua eſſe debet; certè Romæ vetuſtiſſima ejusmodi hodiedum extant, quæ Petrum ibi fuiſſe loquuntur: extant Apoſtolorum ſepulchra, Martyrii locus, templa eorum nomini erecta, Romani Pontifices, qui ad hanc diem Principem in Eccleſia dignitatem obtinuêre. Primatus hic eorum hæreditas eſt, hanc & documentis & juribus defendunt: ipſa Cathedra lignea Petri Romæ adhuc oſtenditur; conſueverunt enim Majores in gratitudinis vicem ipſas ſedes ligneas, quibus Apoſtoli inſediſſent, ſummâ curâ cuſtodire, ut obſervat Baronius (i), ſicut & Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſedes aſſervata ex integro eſt ad ipſa Conſtantini tempora.

Idem teſtantur monumenta varia.

(i) Baron. Annal. Tom. I. ad A.C.45.n.11

2. Veriſſima etſi hæc nulli non debeant videri; fuêre tamen non pauci Novatores, qui Petro Romanam Cathedram eripere, aut eum à Romana urbe quàm longiſſimè ſubmovere conati ſunt. Ac *primò* apud Lucam ajunt, nil de Romano Petri itinere inveniri, ſilent quoque ſuis in Hiſtoriis hac de re Tacitus, Suetonius; demum Clemens Romanus (k) ſcribit Barnabam Apoſtolum tempore Tiberii Cæſaris Romæ fuiſſe, quin de Petro mentionem ingerat. *Secundò* Paulus (l) antequàm Romam perveniſſet; teſtatus eſt ſibi concreditum eſſe Evangelium præputii, Petro autem circumciſionis, quâ ratione igitur Petrus Gentilium præcipuam urbem excoluiſſet? prætereà ad Romanos ſcribens Paulus, Andronicum Junium Rufum, alióſque notos ſalvere jubet, omiſſo Petro: cùm autem Paulus captivus (m) Romam poſteà ingrederetur, ſolos fratres obvios habuiſſe commemoratur; unde Apoſtolus ex eadem urbe ſubinde ad Eccleſias literas mittens, Petri nullatenùs meminit: cùm tamen Pauli perpetua conſuetudo fuerit, ut Collegarum ſuorum nomine fideles, ad quos epiſtolam dabat, ſalutaret: ita in epiſtola ad Coloſſenſes ex Romano carcere conſcripta, capite ultimo ſubjungit: *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus Conſobrinus Barna-*

Adverſariorum argumenta.

(k) Lib. 1. Recognit.
(l) Ad Galat. 2.
(m) Act. c. 28.

Barnabæ, & Jesus, qui dicitur Justus; hi SOLUM *sunt adjutores mei in Regno Dei*, quâ exceptionis formulâ quoque usus est in epistola secunda ad Timotheum c. 4. *In prima mea defensione nemo mihi adstitit; sed omnes me dereliquerunt*, ergò vel Paulus Petrum nescivit esse Romæ, aut Petrus Coapostolum suum dereliquit. *Tertiò* Josephus Scaliger in Chronicon Eusebii, Salmasius de Primatu Petri contendunt, epistolam, quam Petrus Babylone scripsisse legitur, nihil admodum evincere; per Babylonem enim non Romanam urbem, sed Chaldææ Metropolim, aut certè Babylonem Ægypti intelligi: ad hanc Judæis frequentatam poterat proficisci Petrus, dum Alexandriæ fidem annuntiaverat: ad illam verò, postquàm Pontum, Galatiam & Cappadociam, aliásque Euphrati finitimas Provincias peragrâsset.

Argumenta hæc quantocunque in Petri Romanam sedem odio excogitata sint; facilè tamen veritati cedunt: nam ad *primum* ℞. malè sequi, non est scriptum, ergo non est factum: Lucas licentiâ Historiographi multa omisit, quæ cæteros Apostolos contingebant; cùm id propositum haberet, labores, & itinera Pauli præcipuè prosequi, cujus comes individuus erat: quamvis nequidem in his describendis singula congerat, ità Paulus (n) memorat multa Iconii se esse passum, & tamen Lucas licèt Paulum Iconii fuisse scribat; quid tamen passus sit, prætermittit. Multò lepidius autem illud est, quòd Adversarii ad Scriptorum Gentilium silentium provocent; quasi verò Ethnica gens parvum Christianorum gregem, aut unum, quem æstimare nesciebant, pastorem tanti fecissent? quid? quòd silentium Authorum apud Criticos nihil probet; si aliunde monumenta plurima ex eodem tempore peti possint: quare etiam id parum Adversarios juvat, eoquòd S. Clemens Romanus nil de Petro insinuet; is quippe pari silentio dissimulat Pauli in urbe Martyrium, aliáque quæ certa nobis esse deberit; Clementi mortem Petri Romæ factam benè innotuisse, ipsius epistola ad Corinthios declarat, ubi hæc verba habentur: *propter æmulationem* (utique cum Simone Mago) *Petrus non unum, aut alterum laborem, sed plures labores sustulit, atque ità Martyrium passus est, & in debitum gloriæ locum ascendit.*

Solutio argumentorum.

(n) Ad Timoth. c. 3.

Ad secundum ℞. verum esse, quòd Paulus in Synodo Hierosolymitana cum Petro, Jacobo & Joanne sponte, ad tempus aliquod pactus sit, ut illi in circumcisionem, id est in Judæam; ipse verò inter Gentes cum Barnaba prædicaturus proficisceretur: at hoc pactum non erat perpetuum, neque ex ordinatione divina; aliàs Paulus malè fecisset concionando in Synagogis (o) Thessalonicæ, Berrhœæ, Athenis & Corinthi, quin si Petro Gentium cultura prohibita fuisset; ejus jurisdictio, & Apostolatus arctiores limites habuisset, quàm aliorum Apostolorum, quibus dictum erat: *Ite in universum mundum, & prædicate Evangelium omni creaturæ* (p). Prætereà Paulo publicas literas ad Romanos scribenti necesse non

(o) Act. 17. 18. & 19.

(p) Marc. c. 16.

non erat ſalutare Petrum, ſive quod ſeparatam ad Apoſtolorum Principem privatis de negotiis dederit: ſive quòd nôſſet, eum Romanæ urbi perpetuò non adhærere, ſed aliis provinciis ſuam locare operam; quæ etiam ratio fuit, cur Paulo Romam venienti obvius eſſe non potuerit. Accedit quòd Paulus ad Epheſios, Galatas, Theſſalonicenſes, Hebræos, qui erant Hieroſolymis, & ad alias Eccleſias ſcribens, Epiſcoporum, qui illi gregi præſidebant, nullam mentionem faciat: deinde cùm Evangelii adjutores recenſet, nullius meminiſſe voluit, niſi Concaptivorum: denique querela illa, quâ ſe Paulus deſertum dicebat, nullo modo S. Petrum tangit; ſed illos, qui, cùm Chriſto nomen dediſſent, Paulum tamen apud Cæſarem juvare neglexerunt: quod ſubſidii genus, nec S. Lucas Paulo Præſens, nec Petrus (qui fortè etiam tunc aberat Romà) præſtare potuiſſent. *Ad tertium* ℞. Chaldææ Babylonem, tunc cùm Petrus ſcriberet, lapidum acervo fuiſſe perſimilem: *in ſolitudinem*, ait Plinius (q), *rediit, exhauſtâ vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ à Nicanore, & paulò ante Claudium Caji ſucceſſorem* (quo imperante ſuam hanc Petrus dedit epiſtolam) Judæi Babylone profugi, Seleuciam contenderant (r), quæ omnes calamitates Judæorum non oſtendunt ſub Petro florentem Eccleſiam extitiſſe Babylone. Ad hæc, quòd Petrus Euphratem trajecerit, aut Babylone conſtiterit, neque ſcriptura, neque Hiſtoria Eccleſiaſtica meminit, cur ergo à Patrum ſententia deflecteremus? qui per Babylonem Romam intelligunt, nempe in ſenſu allegorico, eoquòd flagitiis dedita urbs juſtis infenſa, & Idololatriæ ſedes Babyloni utique ſimillima. Deinde quàm ineptè alii Babylonem Ægypti hìc oggerant, ex eo quisque intelligit, quòd Judæi in Ponto, Galatia, & Bithynia, ad quos dirigebatur epiſtola, urbem eam vix noverint: de Babylonis hujus prætereà Epiſcopis per ſæcula plurima ſilentium. Primus tandem Cyrus fuit (s), cujus nomen in prima Concilii Chalcedonenſis actione occurrit, vel ut aliis placet (t), Zoſimus, qui ſæculo quinto ſub Juſtino juniore, ei Eccleſiæ præfuit: an verò quis veroſimiliter opinetur, Eccleſiam ab ipſo Petro erectam tamdiu latuiſſe? & profectò Petrus, ſi de hac urbe ſcribere fuiſſet mentis; Epitheton adjeciſſet, pro urbe diſcernenda, cùm Judæis nonniſi urbs Chaldæorum à tot cladibus inſignis animis inhæreret. Hæc omnia, cùm evolveret *Grotius*, in hanc ſententiam perſcripſit. *De Babylone diſſident Veteres, & Novi interpretes: Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe nemo verus Chriſtianus dubitabit: Novi Babylonem in Chaldæa; ego Veteribus aſſentior* (u). Ante hunc id confeſſus jam fuerat Calvinus (x), *propter Scriptorum conſenſum, ait, non pugno, quin Petrus Romæ mortuus non fuerit:*

Stabilitâ Sede Romanâ Petri, de anno nunc inquirendum, quo huic Cathedræ præeſſe cœperit? Chronotaxin noſtram antequàm definiamus; præmittendum cenſemus, quot annos Petrus cum cæteris Apoſtolis à Paſſione

(q) Plin. lib. 6. c. 26.

(r) Joſeph. lib. 18. Antiq. c. ultimo.

(s) Spanhemius in Diſſert. de Petri in urbem prof. a. 4.

(t) Baronius ad a. 45.

(u) Grotius in 1. Petr. 5. 13.

(x) Lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 15.

Passione Christi Hierosolymæ, tum in proximis Provinciis transegerit, quibus demum elapsis alii in alias terras orbis; Princeps verò Apostolorum Romam discessit. Clemens Alexandrinus secundi sæculi Scriptor lib. 6. stromatum in editione Græco-Latina anno 1616. facta Lugduni Batavorum pag. 450. testatur de traditione, ex qua eruitur Apostolos duodecim annis adhuc circa Hierosolymam constitisse; dum exirent in mundum universum: *propterea, ait Petrus, Dominum dixisse Apostolis, si quis ergo velit ex Israël duci pœnitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittuntur ei peccata: post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Et quamvis Tillemontius (y) in toto sexto libro stromatum se id nunquam invenisse asserat; Sollerius tamen ipse oculis suis in tribus editionibus illud se legisse affirmat (z). Neque authoritas hujus Clementis extenuari potest ex eo capite, quòd Gelasius alicujus Clementis opera in Apocryphorum catalogum retulerit; nam is Clemens planè alius fuit à nostro, quem citavimus, uti testatur S. Hieronymus (b). *Clemens*, ait, *Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, meo judicio omnium eruditissimus octo scripsit stromatum libros, & totidem Hypotyposeon; alium contra Gentes, Pædagogi quoque tria volumina: quid in illis indoctum, imò quid non de media Philosophia est?* Præter Clementem traditionis ejusdem testem habemus Apollonium, *qui*, ùt ait Eusebius (c) *Cataphrygarum hæresin adhuc suâ ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversùs eos volumen edidit.* Is itaque ex veterum traditione hæc refert (d) *Dominum Apostolis suis præcepisse: ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent*, id est, ut rectè explicat Henschenius, ne ultra Syriam, & vicinas ditiones abirent: hìc enim sumendam esse civitatem primariam pro tota Palæstina, vicinísque regionibus constat ex actibus Apostolorum, in quibus legimus Petrum & Joannem non diu post S. Stephani martyrium in Samariam missos fuisse, & à Paulo post tres annos Hierosolymam veniente, neminem ex Apostolis præter Petrum, & Jacobum in urbe Hierosolymitana visum esse: quare dubitandum non est, quin Apostoli prædicandi Evangelii causâ subinde in regiones vicinas excurrerint, & per intervalla redierint Hierosolymam.

Quo anno Petrus Cathedram Romanam fundârit.

(y) Tillemont. Tom. I. memor. Eccl.

(z) Tom. IV. Julii exercit. 3. de Apost. divisione.

(a) Cornel. à Lapide in C. 12. Act. Apl.

(b) Hier. de script. Eccl.

(c) Euseb. lib. 5. Hist. c. 18.

(d) Euseb. lib. 5. ibid.

Duodecim annorum intervallum Apostolis præscriptum pro excolenda Judæa.

4. Intra hos duodecim annos sufficiens etiam spatium designatur rebus iis, quæ ab Apostolis ante exitum in orbem terrarum factæ leguntur; nam postquàm Christus passus esset sub Geminis anno æ. v. XXIX. 25. Martii feriâ sextâ, ac 27. Martii resurrexisset; Petrus Episcopatum suscepit in oriente quatuor annis (e), egit quippe de Matthia substituendo, post adventum Spiritûs S. publicè concionatus est, Ananiam & Sapphiram morte punivit, quo adhuc anno S. Stephanus pro fide 26. Decembris lapidatus est. Anno tricesimo æ. v. Paulus convertitur. Anno 33. ascendit is Hierosolymam videre Petrum, quo anno Petrus Antiochiæ suam cathedram fixit, cui septennio præfuit (f), ita tamen, ut simul

Codex MS. Anastasii Biblioth.

Quid actum sit specialiter intra hos duodecim annos?

(f) Vide Cap. II. §. 3. n. 6. not. 2

mul ad alias Syriæ regiones egrederetur, ibidem Epiſcopos conſtituendo. Neque hìc veroſimilis videri poteſt ſententia Onuphrii Panvinii, qui docere auſus eſt, Eccleſiam Antiochenam poſt Romanam fuiſſe conditam: quis enim credat urbem illam, in qua ſummoperè fides florebat, tot annis ſine Epiſcopo fuiſſe? vel ſi is fuit, quis dicere præſumet; Petrum diſcipulo in Epiſcopatu ſucceſſiſſe? vel Romanæ Eccleſiæ poſteà Antiochenam per Polygamiam conſociâſſe, aut planè deſertâ Româ Antiochiæ ultimos dies in paſtorali cura exegiſſe? expletis igitur ſeptem annis in Antiochena Sede Petrus ſubſtituto ſibi Evodio Romam perrexit; ità enim Adrianus Papa II. (g). *Petrus namque .... de Antiochia utilitatis causâ translatus eſt Romam, ut ibidem potiùs proficere poſſet.* Et quoniam ſeptimus annus Antiochenæ Sedis in anno æ. v. quadrageſimo completur; dicendum porrò eſt, eodem anno Petrum Romam ad fundandam ibidem Eccleſiam abiîſſe, nam præterquàm quòd tunc duodecim anni à paſſione Chriſti abſolverentur, ſub quorum finem omnes Apoſtoli in omnem terram dividebantur; aliunde conſtat nullam moram fuiſſe interpoſitam inter Antiochenſem Eccleſiam, fundatàmque Romanam; ùt colligitur ex ſcriptore antiquiſſimo de vitis Rom. Pontificum. *Petrus*, ſcribit, *ſedit Cathedram Epiſcopatûs in Antiochia VII., hinc Petrus ingreſſus in urbem Romanam.*

(g) Epiſt. 32. ad Epiſc. Synod. Duziacenſis Tom. 8. CC. Colum. 932.

Poſt eosdem annus duodenos fundata Sedes Romana.

5. Ex hoc ſedis Romanæ initio, nimirum ab anno 40. æ. v. cœpto quàm optimè eruuntur 25. anni, quibus Romæ ſediſſe Petrum ex antiqua traditione accepimus; Schelſtratus enim (h) ex Catalogo antiquiſſimorum Pontificum ità notavit: *Petrus annis viginti quinque, menſe uno, diebus novem fuit .... à Conſulatu Vinicii & Longini, uſque Nervæ & Veſtini, paſſus autem cum Paulo die 3. Kal. Julias Conſulibus prædictis, imperante Nerone.* Hic quippe in Chriſtianos ſævire cœpit ſub CC. Lecanio & M. Licinio, hoc eſt anno Chriſti LXIV., qui Imperii Neronis anno X. & XI. reſpondet, uti ex Tacito, & Sulpitii Severi lib. 2. comprobatur: Martyribus autem in illa perſecutione S. Leo M. ambos accenſet Apoſtolos: ſed non primo ſtatim impetu raptos fuiſſe ad necem, tradit Sulpitius Severus; imò Tacitus (i) ait: fuêre, qui annotarent, XIV. Kal. Sextiles, (hoc eſt XXIX. Julii:) Principium incendii hujus ortum, quo &c. incendium porrò ſubſecuta eſt perſecutio: & quoniam Apoſtolos XXIX. Junii Martyrium ſubiîſſe certum eſt, optimè Henſchenius mortem Petri differt in annum ſequentem LXV., qui reſpondet anno Neronis undecimo, atque duodecimo: annus hic erat ex traditione trigeſimus ſeptimus à morte Chriſti ſub Geminis paſſi, unde in hac chronologia confirmatur illud, quod Chryſoſtomus ait de Paulo: Paulum cùm capite plecteretur; ſerviviſſe annis 35. Domino, his ſi duos adjicias, queis poſt paſſionem Chriſti Paulus in Judaiſmo perſeveraverat, triginta ſeptem habebis. Plura, quæ hìc commemorari poſſent, in notis ad hiſtoriam Eccleſiaſticam

(h) Anti. Eccl. Tom. I. Differt. I. c. 5. a. 5.

Quot annis Romanam Sedem tenuerit Petrus?

(i) Lib. 15. annal.

ſiaſticam capitis ſecundi §. 4. jam adduximus: quare poſtremum ex his omnibus ſtatuimus, Petrum Romæ ſediſſe annis 25. atque integris quidem: nam cùm Pagius Sedis Romanæ initium deſigat ad diem XXI. Maji; ab anno quadrageſimo inde numerando ad diem XXIX. Junii anni LXV, quo paſſus eſt Petrus, interceptos invenies 25. annos completos cum menſe, & novem diebus, ùt ſuprà locus à Schelſtrato ſignatus oſtendit.

Argumenta Adverſariorum.

6. Sed ne Adverſariorum argumenta, queis non urgent, fugere videamur; ea hic in medium producimus, ut inter contraria veritas magìs eluceſcat. Ac *primò* tempus diviſioni Apoſtolorum à nobis datum hunc in modum oppugnat Sanctius (k), Clementis teſtimonium ex apocrypho itinerario S. Petri eſſe deſumptum, ex quo illa demum traditio, quam ex Apollonio ſuprà recitavit Euſebius. Et ſi anno demum quadrageſimo diviſi in orbem fuiſſent Apoſtoli; cur Paulus poſt tertium converſionis ſuæ annum Hieroſolymam aſcendens, tantùm invenit Petrum, & Jacobum (l)? *non vidit autem* cæteros Apoſtolos, *non quia contemptui duceret, ſed quòd illi*, ùt exponit Hieronymus, *ad Evangelium prædicandum toto orbe fuerunt diſperſi. Secundò* Chronicon Paſchale non quatuor, ſed quinque annos Prædicationis Petri ſtatuit in Judæa, antequàm is cathedram Antiochenam adiret, ergo ut pro Antiochenſi ſede ſeptem anni eruantur, ſeriùs differri debebit profectio Petri Romana, ac vel inde anno quadrageſimo Petrus Romam ire non potuit. Accedit, quòd monente Papebrochio annus quadrageſimus æ. v. compleat annum duodecimum, qui exigitur juxta traditionem Apollonii, in cujus fine contigiſſe dicenda eſt Apoſtolorum diviſio, ſive ſequentis anni initio; atque vel ideò, dum Petrus Romæ cœpit ſedere anno 41., viginti quinque annos in Romana cathedra non implevit. *Tertiò* Apoſtolus Petrus Romam venit anno ſecundo Claudii, ſive anno æ. v. 42., ùt ab Hieronymo, & Euſebio accepimus: mortem autem ibidem oppetiit teſte Epiphanio (m) anno duodecimo Neronis, vel ſecundùm Baronium, plurimóſque Recentiores anno decimo tertio Neronis, qui ſunt anni æ. v. vel 66. vel ſexageſimus ſeptimus; proinde ſi 25. annos pro ſede Romana eruendi ſint, vel ultra ſexageſimum æ. v. quintum vixiſſe Petrum, vel viginti quinque annis aliquot decerpere neceſſe erit.

(k) Diſp. de prædic. S. Jacobi in Hiſp. Tract. 1. c. 6.

(l) Galat. 1.

(m) Hær. 27.

Solutio difficultatum.

7. Tot difficultatibus ex ordine, quo oppoſitæ ſunt, occurremus: *ad primam* ℞. teſtimonium Clementis ex Itinerario Petri depromptum eſſe æquè facilè negatur, ac aſſeritur: cur enim is non illud citaſſet ſicut plerumque alia monumenta notat? cur Apollonius tanquam ex veterum traditione id retuliſſet, quòd ex Clemente Alexandrino ſibi coætaneo transſcripſiſſet? Præterea non eſt veroſimile doctiſſimum Clementem, & Apollonium Cataphrygarum malleum uſuros fuiſſe ad tuendam fidem delirantium Hæreticorum ſomniis, ſi ipſorum ætate hoc Itinerarium tot hæreticis fabulis corruptum extitiſſet? cæterùm, quòd Paulus paucos ex Apoſtolis Hieroſolymis invenerit; in cauſa erat, quòd alii in agros Ju-

dææ

dææ ad docendam Christi legem exiissent: minimè verò in provincias orbis; necdum enim Petro cœlitùs exhibita fuerat visio de convertendis Gentibus, & Act. 11. modò legitur: *Audiêrunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa, quoniam & Gentes receperunt Verbum Dei.* Quare Hieronymi expositio (cùm versetur in re historica) tutò à nobis hìc deseritur; sicut & Adversarii, siquidem suæ sententiæ insistere velint, S. Chrysostomum relinquere debent, dum ait (n): *Audiêrant, quòd Samaria receperat Verbum, & miserunt Petrum, ac Joannem; magnum enim discrimen erat, & non oportebat Apostolos illinc quidem separari, ne putentur fugitivi, & suos fugisse: tunc autem necessariò separantur, quando nullâ ratione res judaicæ curari poterant, quando bello incrudescente perituri erant, quando sententia pronuntiata, quoniam quamdiu Paulus in Romam non pervenit, illic erant.* En Chrysostomus divisionem Apostolorum multò seriùs differt, scilicet ad annum æræ v. 56., quo Paulus Romam venit, ab hoc igitur si discedendum putas, nobis quoque innoxium erit, Hieronymo relicto, Clementi, & Apollonio Senioribus adstipulari.

(n) Tom. 3. hom. 25. in Act. Ap.

Ad *secundum* ℞. Verba inspici debere Apollonii, quæ sunt: " ad hæc tanquam ex traditione præcepisse Salvatorem Apostolis suis, *ad annos duodecim* Hierosolymis ne discederent. Clemens Alexandrinus contrà hæbet, *post duodecim annos*: primum nos non urget, quia *ad* significat intra annos duodecim, ùt interpretatur Valesius; per *post* obscurum est, completéne illud, an incompletè sumi debeat? sicut sumitur Matth. 27. dum dicitur: *post tres dies resurgam.* Ergò pariter hìc de duodecimi anni initio res intelligenda est.

Ad *tertium* ℞. Qui semel ab Hieronymo sententia de divisione Apostolorum defleximus; eâdem libertate historicâ nunc quoque in materia de anno adventûs Petri Romam ab illo declinamus: Janningus, qui nostram quoque tuetur chronotaxin, plus aliquid dare S. Hieronymo, & Eusebio videtur; dum rem itâ conciliare nititur: nempe quòd Petrus substituto Evodio Antiochiâ, non rectà contenderit Romam, sed aliis nationibus Christum annuntiârit, venerítquè anno secundo Claudii Romam; neque enim ad hoc opus esse, ut coràm in loco fuerit, ùt notat Baronius (o). Porrò initium Sedis Romanæ, utì adversarii ab anno quadragesimo Æ. V. dimovere non potuêre; itâ nec Petri mortem ab anno 65. Æ. V. abducent: annus quippe duodecimus, de quo S. Epiphanius agit, anno undecimo & duodecimo respondet: *undecimo* quidem, quia Nero Octobri mense annum modò duodecimum assumpti Imperii inchoabat, ùt monet Papebrochius: *duodecimo* autem, qui teste Henschenio & Petavio veteres Imperatorum annos non à die aditi Imperii, sed à Kalendis Januarii jam vulgariter numerabant; hinc poterat dici, quòd annus XII. Neronis curreret, vel à Kalendis Januarii, vel secundùm computum Ecclesiasti-

(o) Ad A. C. 39. n. 16.

clesiasticum, à Paschate. Quod suis etiam verbis insinuat Epiphanius, dicens: mortem Petri & Pauli in duodecimum annum Neronis *incurrere*.

Postremùm restat, ut invictè contrà Baronium, aliósque ostendamus, Martyrium Petri ultra annum 65. prorogari non posse: vel enim differretur in annum XIV. Neronis, vel in annum XIII. ejusdem; ità ut exinde mortuus Petrus dicatur anno Æ. V. 66. vel 67. vel 68.? atqui hæc asseri nequeunt; qui enim Martyrio affectum Petrum diceret anno Neronis XIV, is fateri debebit, Neronem ante Petrum mortuum fuisse; eodem quippe anno decimo quarto 9. Junii. sibi Nero violentas manus intulit, contrà Petrus in crucem actus est 29. Junii. Deinde à Petavio malè assignatur annus XIII. Neronis, sive Æ. V. 67., quia ab anno jam præcedente Nero absens agebat in Græcia, teste Xiphilino (p): demum annus duodecimus Neronis, sive annus 66. Æ. V. minimè congruit Martyrio SS. Petri & Pauli; nam Xiphilinus post nominatos hujus anni Consules Cajum Telesinum & Suetonium Paulinum, statim Tiridatis adventum, ludos, Regnúmque Armeniæ ei datum, & Neronis iter, comitatúmque describit in Græciam, ut vero simillimum sit, ea ante Junium contigisse: & licèt seriùs accidissent, certè nullo pacto cum persecutione ferventi, & Martyriis (prout narrantur) Apostolorum conveniunt: cùm totus in ludis esset Imperator. Deinde non est hic annus XXXVII. post Christi Passionem, quem passim omnes apud Henschenium & Pagium requirunt. Igitur pro morte Petri fixus manet annus 65., quam sententiam Pagius extra controversiam poni existimat eo argumento, quod à Pezronio accepit: Tacitus nimirum (q) loquens de iis, quæ Nervæ & Vestino CC. gesta sunt, inter cætera frugum strages, tempestatum vim, & pestem omnibus mortalibus infestam commemorat; Paulus verò Orosius (r) *primus*, ait, *Nero Romæ Christianos suppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit: ipsúmque nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidi. Mox acervatim miseram civitatem obortæ undique clades oppressère. Nam subsequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit; ut triginta millium funera in rationem libitinæ venirent.* Similia habet Suetonius (s): itaque cùm Petrus & Paulus eo anno morti traditi, quo urbem pestilentia afflixit; & teste Tacito, hic alius annus non sit, quàm Christi sexagesimus quintus, in quo Consules erant Nerva, & Vestinus, benè concludit Pagius (t), perperàm mortem Petri à Baronio, aliisque in ulteriores annos proferri.

Quo anno S. Petrus Martyrio fuerit coronatus?

(p) In Epit. Dionis.

(q) Lib. 16. annal.

(r) Lib. 7. c. 5.

(s) c. 39.

(t) Pagius ad A. C. 67. pag. 52.

REFLEXIO V. ad §. 3. num. 6. pag. 254.

An S. Jacobus Hiſpaniarum primus Apoſtolus dici poſſit?

1. JAcobus frater S. Evangeliſtæ Joannis *Major* dictus, ut à Jacobo Hieroſolymorum Epiſcopo diſtinguatur; primam operam Judæis convertendis impendit, more aliorum Apoſtolorum: ſed his in orbem ex Judæa digredientibus, an idem Jacobus in Hiſpaniam Evangelium prædicaturus diſceſſerit? quæſtio eſt, quæ dudum inter Hiſpanos, & Chronologos agitata fuit. Thomas Stapletonus Anglus (a) oſtendit, ſuo tempore certam viguiſſe traditionem de prædicatione Jacobi in Hiſpania; cui Baronius primùm (b) aſſenſus eſt: poſteà autem (c) mutavit mentem, eoquòd Garſias Loaiſa inter cætera argumenta, quêis Eccleſiæ Toletanæ Primatum vindicabat, etiam hoc attuliſſet: prædicationem S. Jacobi in Hiſpania ab Archiepiſcopo Roderico in dubium vocari (d). Unde etiam ſub Clemente VIII. ea hiſtoria, quæ aliàs ſub Pio V. abſolutè recitabatur in Breviario, ad traditionem duntaxat Hiſpaniæ reſtricta eſt: ſed Hiſpani querelis, & argumentis Romæ tantum effecerunt, ut anno 1615. re utriusque maturè, ac diu examinatâ, formula Clementina limitata, in abſolutam denuò ab Urbano VIII. mutata fuerit, quare in Breviario ità habetur: *Mox in Hiſpaniam profectus* (Jacobus) *ibi aliquos ad Chriſtum convertit, ex quorum numero ſeptem poſteà Epiſcopi, à beato Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.*

(a) Lib. 1. de mag. Eccl. c. 3.
(b) T. I. ad A. C. 44. n. 1.
(c) Ad A. C. 816 n. 48.
(d) Cardin. de Aguirre Tom. I. Concil. Hiſp.

Occaſio controverſiæ.

Prædicatio S. Jacobi in Hiſpania nititur traditione.

2. Argumenta, quæ ab Hiſpanis apud Sedem Apoſtolicam adducta ſunt, potiſſima hæc fuerunt. Scilicet prædicationem S. Jacobi in Hiſpania legitimâ traditione niti, ultra quam fruſtra repoſceretur aliquid, cùm ea in aliis Eccleſiis ſufficiat, & in hiſtoria aliorum Apoſtolorum; communis quippe, conſpiránsque conſenſio nullo tempore interrupta, eam habet authoritatem, quam nulla, niſi magna fides convellere poſſit: quam ſi de medio tollas, cadant neceſſè eſt plurima, quæ nunc religiosè ſervat Eccleſia; Cornelius autem à Lapide 1612. ſcripſit: Jacobum in Hiſpania prædicâſſe univerſalis eſt, & immemorabilis non tantùm Hiſpaniæ, ſed & fidelium ubique traditio, cui refragari nemo poteſt: prætereà ſilentium nil ſolum probat, utpote argumentum negativum. Quis enim reſurrectionem Lazari fictitiam eſſe dicat, quia tres Evangeliſtæ de ea ſilent, ſcilicet Matthæus, Marcus & Lucas? Quis ædis Deiparæ mirabilem Lauretum advectionem fabulis accenſeat ob ſilentium S. Antonini Coævi? multa neſciremus de antiquis, quæ verè facta ſunt, niſi revelatione, vel cœleſti ſigno parefacta fuiſſent: quis nôſſet Gervaſii & Protaſii Martyrium, aut ſepulturæ locum, niſi multa poſt ſæcula Ambroſio ea innotuiſſent

Quid probet argumentum negativum?

ſent è cœlo? Accedit, quòd ſcripta Coævorum teſte Sanctio (e), jubente Diocletiano per Dacianum exuſta ſint: reliqui ſcriptores qui adhuc ſuperſunt, utpote Sampyrus, & alii, ad prima Eccleſiæ tempora ſuam narrationem non extendunt, vel adventum Jacobi in Hiſpaniam non tam mirabilem & prodigioſum habuêre, quo excitari poſſent ad illum poſteris tradendum: vel quòd alii prædicationem Jacobi tum vulgò notam rem judicàrint, ut eam, quæ in ore omnium verſaretur, intactam relinquerent.

(e) Tract. 2. c. 5.

3. Ne tamen Hiſpani ſe omninò teſtimoniis pervetuſtis exutos oſtendant; varia ex antiquis tum ſcriptoribus, tum PP. congerunt, quorum aliquot hìc ſubjicimus: S. Theodoretus Cyri Epiſcopus (f) ait Apoſtolos, poſtquàm in omnes terræ fines miſſi fuiſſent, etiam *Hiſpanis* prædicâſſe, & Celtis: ſi igitur Jacobo Hiſpaniæ Spiritûs S. inſtinctu deſignatæ fuerunt; cur non prædicâſſet eis? ſolus Jacobus minor ad regendam Eccleſiam Hieroſolymitanam remanſit, cæteri omnes anno XL. in mundum exivêre, inter quos utique S. Jacobus Major, quem Hiſpanis attuliſſe fidem, vel ex eo colligitur, quòd Diſcipuli ejus corpus in Hiſpaniam per tot itinera detulerint, quòd omiſſo Petro &c. Jacobus in Patronum electus ſit, quæ fiducia in ignotum tanta non fuiſſet. Dicta ejusmodi non parùm confirmat id, quòd S. Hieronymus de diviſione Apoſtolorum loquens dicat (g): Spiritum S. eos congregaviſſe, dediſséque eis ſortes atque diviſiſſe, *ut alius ad Indos, alius ad* HISPANIAS, *alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in Evangelii ſui, atque doctrinæ Provincia requieſceret.* Ex quibus conficitur, quoniam in aliis Provinciis alii Apoſtoli, in Illyrico Paulus ſementem Evangelicam ſparsêre; Hiſpaniam à Jacobo luſtratam, in qua deinceps ejus corpus glorioſè tumulatum eſt. Prætereà Idem S. Doctor alibi (h) ait: *Apoſtolos videns Jeſus in littore juxta mare Genezareth reficientes retia ſua, hominum piſcatores, qui de Jeruſalem usque ad Illyricum & Hiſpaniam Evangelium prædicarent.* Quinam autem illi, qui retia reficiebant, niſi Joannes, & Jacobus Fratres? quorum unus Joannes Illyricum utique pervaſit, quia ad Orientis partes, & Epheſi oves ſuas paſcebat; ergò Hiſpaniæ pertinuêre ad Jacobum.

(f) Serm. 8. de Martyribus.

Authoritas Veterum id confirmat.

(g) In 34. Eſaiæ.

(h) In c. 42. Eſaiæ.

4. Atque ut ad propiora tempora cogitatum proferamus; ante medium ſæculi VII. Iſidorus Præſul Hiſpalenſis (i) rem declarat hisce verbis: *Jacobus filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium, ſcripſit, atque Hiſpaniæ, & occidentalium locorum Gentibus Evangelium prædicavit*: & quanquam τὸ *ſcripſit* ea ex ratione impugnent, quòd juxta Tridentinum (k) minorem Jacobum epiſtolæ canonicæ authorem habeant; id tamen ad ſcopum parùm facit: à Synodo ſancta enim aliud non definitur, quàm quod ſcripta epiſtola ſit canonica, an autem minor aut major Jacobus eam ediderit,

(i) In lib. de ortu & obitu PP. c. 73.

Teſtimonium S Iſidori.

(k) Seſſ. 4. c. 1.

non definitivè sed enuntiativè proponit. Quare S. Isidoro olim innoxium fuerit, aliam tenere sententiam: Baronius huic argumento majorem vim inferre videtur, dum Isidori citatum librum negat esse genuinum. At cùm id, quod in notis ad Martyrologium negat, in annalibus suis omní fide dignioribus asserat; adversarium non habemus: id quidem verum est Isidori citatum librum in quibusdam interpolatum esse; Isidori tamen textus allegatus ubique habetur in Authographis, uti testatur Sollerius oculatus testis. Post Isidorum in ejusdem VII. sæculi fine confirmavit prædicationem Jacobi Toletanus Præsul Julianus (l) *isti*, ait de Apostolis, *ergò pedes Domini fuerunt; qui eum prædicando per universum mundum detulerunt, Petrus enim eum Romam, Andreas Achajam, Joannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum,* JACOBUS HISPANIAM, *Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam retulit, quísque suâ sorte Christum spargit, sine sorde: per Paulum verò toto dispergitur orbe.* Prolatus hic textus est ex MS. edito ab Henrico Canisio, unde malè arguit Natalis Alexander eum ob Leoninam clausulam, undecimum modò sæculum redolere; quo tempore ejusmodi versibus Leo Poëta uti cœpit; nam verba ultima non Rythmica sunt, sed similiter desinentia, quibus etiam antiquiora sæcula utebantur.

(l) In Comment. ad Proph. Nahum.

Locus ex Juliano Toletano assertur.

Suffragium Veterum Martyrologiorum & Breviariorum.

5. Plura argumenta depromit Sollerius ex variis antiquis Martyrologiis, inter quæ monumenta unum officium Hispanicum suspicimus, quod Mozarabicum dicitur, videtúrque proximè attingere ætatem S. Hieronymi, ùt probat Joannes Bona (m), & Concilium Toletanum IV. jam ritus hujus officii recitat. Fortè à Leandro, qui tertio Concilio Toletano interfuit in sæculo VI., illustratum est, & ab Isidoro auctum. In hoc igitur officio clarissimis verbis prædicatio Jacobi in Hispaniis habetur, ùt apud Sollerium videri potest (n). Demùm idem ex Breviarii lectionibus comprobare supersedemus; ne cum Natali Alexandro dicas, Romani Breviarii authoritatem efficere non posse, ùt fabulæ in historias evadant: at licèt verum sit, non omnia explorata esse, quæ sunt in Breviario historicè conscripta; interim tamen officio Gothico perantiquo aliquid tribues, in quo si denuò quædam corrupta fuisse cum tempore, opponas; certè illud affirmare non ausis, cur hoc præcipuè de prædicatione Jacobi, & non alia potiùs mutilata ac vitiata vendites: præsertim cùm Pontifices toties idem officiis inseri voluerint, & similia officia celebrari permiserint: his omnibus contra Natalem Alexandrum addere placet, quòd ille ex Breviariis probare conetur, S. Dionysium Areopagitam à S. Clemente in Gallias esse missum prædicandi Evangelii causâ, quamvis hoc alii negent. Liceat igitur hìc quoque Themistocli Hispano, quod licuerat Epaminondæ Gallo. Allata ejusmodi argumenta tanti ponderis visa sunt Sollerio prudentissimo Historico, ut ad finem commentarii (o) subscripserit in hæc verba: *Sanctè profiteor, me ità ad hanc disputationem illustrandam accessisse, ut putave-*

(m) Lib. 1. Liturgic. c. 11.

(n) Ad 25. Julii in Comment. de prædicat. Jacobi.

(o) Pag. 114.

putaverim, non usque adeò solida esse Hispanorum fundamenta ad prædicationem S. Jacobi in Hispania asserendam. Sed posteà variis monumentis diligenter excussis, omnibúsque utriusque partis argumentis maturè expensis, comperi, immemorabilem Hispanorum traditionem antiquis testimoniis firmatam, omnibus adversariorum argumentis longè prævalere.

6. Antequàm tamen Hispanorum traditioni subscribamus, hæc ipsa adversantium argumenta in medium proferemus. *Primò* illi ex scriptura opponunt. S. Paulus adhuc existens in Oriente decrevit Hispanos adire, ùt constat ex epistola ad Romanos (p), *cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quòd præteriens videam vos . . . . ℣. 28. per vos proficiscar in Hispaniam.* Ergò Paulo potiùs, quàm Jacobo tribuatur Hispaniæ prædicatio necessè est, quod ipsum confirmatur ex eo, quod alibi (q) scripsit idem Apostolus: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est: quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent,* unde consequitur, si Paulus fidem in Hispania primus annuntiavit, neminem, nec Jacobum ante eum Hispanam fundâsse Ecclesiam. Verùm non adeò difficile est ad hæc respondere: nam præprimis obscurum est, an Paulus iter, quod in Hispaniam molitus est, confecerit: Asserenti enim hìc Natali Alexandro Gelasius I. Pontifex (r) & D. Thomas adversantur (s): etsi confecisset iter, quid obstat, quò minùs uterque & Paulus & Jacobus excolere Hispanos potuerint? prædicavit quidem Paulus, ubi Christus non erat annuntiatus, id est, ùt notat Hugo de S. Charo (t) maximè illis prædicavit, ad quos Christi notitia necdum pervenerat, & plerúmque super alienum fundamentum non ædificavit, cui textus Græcus conformis est, φιλοτιμούμενος εὐαγγελίζεσθαι *contendi, ambivi, & conatus sum prædicare.* Sicut enim Paulus Crispum, Cajum & Stephanæ domum, aliósque baptizavit, licèt alibi dixisset: *non misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (u); ità idem Apostolus Damasci prædicavit, ubi jam Christiani erant (x), prædicavit Antiochiæ (y), ubi quidam discipuli in prima persecutione dispersi, jam multos Christianæ doctrinæ imbuerant; quamvis decrevisset non super alienum fundamentum ædificare. Alii hanc Pauli mentem hunc in modum exponunt, quasi insinuare voluisset, se prædicatione inter Gentes distineri, quò minùs Romam ac in Hispaniam venire posset, quo impedimento superato se venturum. Paulus addit, *à vobis deducar illuc,* id est in Hispaniam, ergò Romani ibi noti fuerunt, & Christiani quidem. Cardinalis Aguirre (z) ità respondet: quisquis ità objicit non attendit tempus, quo epistola ad Romanos scripta fuit ab Apostolo; id enim contigit anno Christi 58; dum Paulus esset Corinthi, unde illam ad Romanos misit, quo tempore Petrus Romà abierat in Britanniam. Prædicatio autem Pauli in Hispania contigit multò posteà, nimirum post annum 61. in quo

Argumenta Adversariorum ex Scriptura.

(p) Ad Rom. c. 15. v. 24.

(q) Roman. 15. v. 20. & 21.

Solutio.

(r) Tom. 3. pag. 157.

(s) Caussa XIII. q. 2. c. beatus.

(t) In Comment. ad text. Apost. Lect. 3.

(u) 1. Cor. c. 1.

(x) Act. 9.

(y) Act. 11.

(z) Dissert. 9. n. 104. &

Lucas coronidem imposuit actis Pauli, & Apostolorum: tunc enim ille primùm è carcere sub Nerone liberatus fuit, ac proinde potuit in Hispaniam proficisci: eousque igitur fortè super alius fundamentum non ædificavit, donec veniret Romam, ubi jam Petrus prædicaverat.

Argumenta contraria ex PP. & Pontificum assertis.

7. Ex PP., Pontificúmque authoritate sequentia opponunt adversarii. I. Ambrosius ad c. 15. epist. ad Romanos ait: *venturum se promisit Paulus tempore, quo ad Hispaniam erat iturus, quia Christus illic non erat prædicatus.* II. Innocentius primus anno 416. scripsit (a): *præsertim cùm manifestum sit in omnem Italiam, Gallias, Hispanias &c. nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores, constituerint Sacerdotes: aut legant; si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse;* unde Baronius (b) ait: ante Ipsius Innocentii tempora nec quidquam de S. Jacobi accessu in Hispaniam esse conscriptum, dicam ampliùs neque cognitum; certè non creditum, neque post multa temporum sæcula. III. Gregorius VI. ad Alphonsum Castellæ, & Sanctium Arragoniæ Reges 1074. scripsit: *Cùm B. Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse* (Baronius adire voluisse) *significet, ac posteà septem Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos à Petro, & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructâ idololatriâ, Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem, & divinum officium in divinis cultibus agendis ostenderunt.... unde* (nimirum à Romana urbe) *non dubitatis vos suscepisse religionis exordium....* ex hoc itaque Adversarii hunc in modum concludunt. Si à S. Jacobo illata fides esset in Hispanias, & septem dicti Episcopi ejus discipuli fuissent, ùt quid Gregorius refert Hispaniensis Ecclesiæ initia ad Paulum, Petríque discipulos?

(a) Epist. ad Decent. Ep. Eugubinum. Dist. XI. c. quis nesciat.

(b) Ad a. C. 816.

℟. *ad I.* Ambrosiastri cujusdam sive Hilarii Diaconi dicta esse, qui Luciferi schisma propagavit (c), prætereà idem de pseudoapostolis agit, quorum prædicationem ubique antevertere conabatur Paulus, & hinc quia ejusmodi falsi præcones in Hispaniam needum penetraverant; ait, quia *illic Christus non erat prædicatus.*

(c) Bellarminus de Script. Eccl.

Solutio Argumentorum.

Ad II. ℟. Jacobum in Hispaniis prædicare potuisse, quin Ecclesias exigeret, aut Episcopos institueret; sicut & Paulus in Italia prædicavit, & discipuli per Judæam, quin Ecclesias ubique fundarent; maximè cùm constet à Jacobo septem duntaxat homines ad fidem adductos, qui tenuis numerus ad formandam Ecclesiam non sufficiebat: frustrà autem Baronius antiquitatem traditionis ex eo convellit, quoniam literis Pontificiis fortè ante Innocentium ea signata non fuerat; sufficit enim eam Hieronymi calamo antè expressam fuisse (d). Cæterùm Turrecremata ad c. *quis nesciat*, ait: significare voluit Innocentius neminem Apostolorum in nominatis ibidem regionibus Ecclesias instituisse, aut docuisse, nisi à Petro accepisset potestatem, à quo suo modo etiam ipsa Apostolorum potestas subordinabatur.

(d) In c. Esaiæ 32. & 42.

Ad

Ad III. ℞. Hieronymus, Iſidorus, Julianus Gregorio VII. antiquiores, Hiſpanienſem Jacobi prædicationem tuentur, quid ni igitur his potiùs fideremus, quam authoritati Pontificis, privato ſenſu aliter ſcribentis: id quippe ſibi licere voluit Natalis Alexander contra Gelaſium Papam, dum ei Pauli prædicationem in Hiſpaniis neganti aliam nubem teſtium opponere non dubitavit: accedit, quòd Gregorius nullo modo inficiatus ſit Jacobi labores Apoſtolicos in Hiſpaniarum tractu, ſed prætermiſerit ſolummodò; eoquòd ad ſcopum tunc eorum commemoratio non ſerviret: in epiſtola ſua enim Reges hortabatur Hiſpaniæ, ad ſervandos ritus ſacrorum & ordinem Eccleſiæ Romanæ, ad quod perſuadendum illis proponit merita SS. Petri & Pauli. Neque per hoc, quòd Jacobus primus prædicârit in Hiſpaniis, Petro quidquam derogatur, quo minùs fundator Hiſpanienſis Eccleſiæ dici queat; nam & Paulus Antiochiæ prædicavit, & ante Petrum diſcipuli (e), *qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulaverunt uſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cùm introiſſent Antiochiam, loquebantur, & ad Græcos annuntiantes Dominum JEſum, & erat manus Domini cum eis, multúſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum.* Hoc non obſtante cùm Petrus dicatur fundâſſe Eccleſiam Antiochenam, etiam poterit dici jeciſſe fundamenta Eccleſiæ Hiſpanienſis, eoquòd poſt Jacobum, qui paucos modò convertit, ſeptem miſerit Epiſcopos, qui illud regnum Chriſto ſubjicerent: præterea, ùt notat Cardinalis Arguirre, fortè ipſi Epiſcopi ſeptem fuêre diſcipuli Jacobi, qui converſi cum ſuo Apoſtolo Romam ivêre, ſed poſteà à Petro ordinati majorem in Hiſpania fecerunt fructum; queis dictis convenit id, quod legitur in Breviario toties relecto, & diſcuſſo: *Poſt JEſu Chriſti aſcenſum in cœlum, in Judæa, & Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Chriſtianam fidem perduxit; mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Chriſtum convertit, ex quorum numero ſeptem poſteà Epiſcopi à beato Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.*

(e) Act. 11.

Difficultates contra Prædicationem S. Jacobi ab ipſis Hiſpanis oppoſitæ.

8. Tandem ſolutis externorum quaſi argumentis, ipſi Hiſpani hâc ſuper re inter ſe contendere incipiunt. Alii enim de loco altercantur, ubi primam ſementem Evangelicam Jacobus ſparſerit, alii adventum ejus in Hiſpanias negant, exemplum ſecuti Roderici Ximenii Archiepiſcopi Toletani, qui in plena ſynodo Lateranenſi ſub Innocentio III. id quoque negâſſe dicitur. Alii ex Archivio Eccleſiæ Auſonenſis Epiſtolam producunt Cæſarii Abbatis S. Cæciliæ in Monteſerrato ad Papam Joannem (f), in qua narrat *ſe ordinatum fuiſſe Archiepiſcopum Provinciæ Tarraconenſis in Synodo Compoſtellana, ſed poſteà cùm in Provinciam profectus eſſet; ſuſceptum non fuiſſe ab Epiſcopis ... cùm diceret, ſe ordinatum fuiſſe, ante corpus beati Jacobi Apoſtoli, qui Eccleſias Hiſpanicas fundaverat: reſponderunt illi,*

(f) Apud Baluzium.

illi, nullum hinc præsidium suæ causæ peti ab eo posse, cùm certum esset, hunc Sanctum non fuisse Apostolum Hispaniarum, quia ille Apostolus interfectus huc venit, nullo autem modo vivus.

Earundem solutio.

Horum primi rei substantiam non evertunt, licèt de loco disceptent: ea tamen disputatio Hispanorum occasionem dedit, subinde planè Adventum ipsum Jacobi impugnandi (g). Altera pars majorem authoritatem non adducet, quam Roderici; qui cùm nimio studio Primatum suæ Ecclesiæ urgeret; nervum traditionis omnis interrumpendum censuit. An autem in Lateranensi synodo is suam causam egerit? incertum est; nam nihil in actis de hoc extat; imò in c. 5. ubi agitur de dignitate Sedium Patriarchalium, locus fuisset proponendæ causæ, nec tamen verbo illius illic fit mentio. Rodericus itaque infensus Compostellanæ Ecclesiæ multa sparsit, quæ ab ejus sectatoribus avidiùs, quàm verè arrepta sunt (h). Sollerius insuper (i) ostendit ex legitima chronotaxi, Rodericum nequidem concilio Lateranensi interfuisse. Idem ad tertiarum partium Adversarios confutandos exhibet, Cæsarium literas citatas scribere non potuisse; nam cùm dicatur ordinatus alicubi anno 900., præpostera omnia meritò censentur; eoquòd illo tempore necdum fuerit natus: apud Baluzium ordinatio ejus peracta dicitur a. æræ 938., sed ex hoc quoque falsitas, arguitur, anno quippe 971. insignitus est Archi-Episcopi nomine, imò seriùs, cùm Benedictus VI. Papa Privilegium ei tum Abbati Sanctæ Cæciliæ concessit: plura videri possunt, apud Sollerium, unde hæc breviter pro nostro instituto desumpta sunt.

(g) Augustin. Macedo in Diatriba de Jacobi adventu in Hisp. c. 1.

(h) Mariana c. 6.

(i) Ad §. 17. l. c.

REFLEXIO VI. ad §. 4. n. 6. pag. 261.

An Petro Christi Vicario, aut alteri Cephæ in faciem restiterit Paulus?

1. PAulus ad Galatas c. 2. perhibet, se cùm Antiochiæ in annuntiando Evangelio desudásset, reperisse ibidem Cepham, qui unà cum Gentibus cibis quibuslibet promiscuè utebatur: venisse quoque eodem tempore ab Hierosolymis Judæorum nonnullos, qui licèt nomen fidei Christianæ dedissent, Mosaicas tamen ceremonias & leges necdum dedocti, Gentium contubernia aversabantur: horum infirmitati Cephas indulgendum ratus, à Gentilium jam fide imbutorum communione tantisper abstinuit, ne Judaicis ritibus addictos consuetudine suà offenderet. Eo autem facto Gentiles graviùs perculsi in eam suspicionem deducebantur, quasi à Cepha velut impurum hominum genus tractarentur, inferebántque certis quibusdam cibis in Religione Christiana abstinendum esse: imò ex Judæis Evangelio adscripti, ac ipse etiam Barnabas hoc Cephæ exemplo turbati in fide nutare cœperunt. Paulus re intellecta utrique parti

Causa ostenditur, cur Paulus Cepham reprehenderit.

consule-

consulere volens, Cepham reprehendit; quatenùs Judæi videntes hunc palàm objurgari, neque tamen Paulo repugnare, vel ex hoc ipsius silentio colligerent, nihil jam esse immundum: quò similiter & Gentiles cognoscerent, à lege Christi illos cibos minimè prohiberi, quibus anteà Cephas cum iis usus fuisset. Rei seriem Paulus ad Galat. 2. in hæc verba exponit: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim, quàm venirent quidam à Jacobo; cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi; ità ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem: sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii; dixi Cephæ coràm omnibus: si tu, cum Judæus sis, Gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo Gentes cogis judaizare* (a)?

(a) Ad Galat. 2.

2. Reprehensionem ejusmodi quoniam nonnulli indignam judicant tanto Ecclesiæ Capite, ab eo illam hunc in modum amoliri conantur, ut alium Cepham (ex septuaginta Discipulis unum) excogitârint, cui Paulum restitisse dicunt: pro hac sententia pugnavit jam in sæculo tertio Clemens Alexandrinus (b): eundem Cepham objurgatum à Paulo Dorotheus Tyri Presbyter in sæculo IV. collocavit inter Discipulos Christi (c): huic opinioni subscripsêre S. Hieronymus (d), S. Anselmus Cantuariensis (e), Oecumenius &c. Veterum sensa ut Recentiores magìs excolerent; ex iis Carerius, Pighius, & præcipuè Harduinus varia fundamenta conquisivêre, quibus comprobarent, alium à Petro Cepham fuisse, cui Paulus reprehensionem intentârit.

Quis ille Cephas sit? & an distinctus ab Apostolo Petro fuerit?

(b) Apud Euseb. lib. 5. Hist. c. 12.

(c) In Synopsi de vita & morte discipulorum.

(d) In Ep. ad Gal. 2.

(e) In Comment. in Ep. Pauli.

3. Ac *primò* ajunt, eodem tempore, cùm Cephas Antiochiæ à Paulo reprehenderetur; Petrum Hierosolymis fuisse in Concilio, cujus celebrandi occasionem dederit Cephæ simulatio & Judæorum pertinacia (f), fuitque ad Petrum, velut ad judicem de statu causæ relatum: manserat interim Cephas Antiochiæ, quando scilicet Antiocheni statuerunt, ut ascenderet Paulus, & Barnabas, & quidam alii hac super quæstione cum Apostolis acturi. *Secundò* si post Concilium controversia ista agitata est, & quidem inter Petrum Apostolum, & Paulum; non obscurè notam hæresis eidem Petro impingeres, ut quem post prohibitionem Concilii adhuc judaizâsse diceres. *Tertiò* non minùs argueres Paulum irreverentiæ in superiorem Petrum, & violatæ legis Christi, eoquòd omissâ correctione fraternâ occultâ, illum publicè objurgâsset. *Quartò* idem Paulus (g) nominat Petrum, posteà (h) Cephæ meminit, quem ponit inter Jacobum & Joannem: non est autem verosimile, quod in uno sermonis contextu, Paulus unam, eandémque personam diversis nominibus apellârit: quod & Tridentinum (i) agnovit, dum probabat vulgatam sacrorum librorum editionem, quæ in memorato Pauli loco Cepham habet, non Petrum, utì est in autographis exemplaribus. Præterea mentem suam clarius

(f) Act. 5.

Sententia Harduini, ejusque rationes.

(g) Galat. 2. v. 7. & 8.

(h) v. 9.

(i) Sess. 4.

riùs Paulus explicat, dum ait: *tu cùm Judæus sis*; cùm igitur Petrus non ex Judæa, sed Galilæa oriundus fuerit, alium Cepham reprehendit, quid? quòd Paulus Cepham ne quidem inter Apostolos numeret, ùt eruitur ex illo: nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas (k). *Quintò* Petrus semper primo loco propter Principatum ab Evangelistis nominatur, ut quid ergò illum Paulus posteriore loco nominâsset (l)?

(k) 1. Cor. 9.

(l) Ad Galat. 2. v. 9. & 1. Cor. 9.

Statuitur Cepham non fuisse alium à Petro Apostolo.

4. Argumenta ejusmodi quantumvis firma adversariis videantur; nobis tamen nequaquam persuadent, à Paulo alium & à Petro distinctum discipulum reprehensum fuisse: nam Paulus, quandò memorat, se restitisse in faciem; magnum aliquid insinuat, sive se dignitatem personæ minimè reveritum esse, quae dignitas alteri discipulo certè non inerat: & quà ratione unus ex minoribus discipulis suo exemplo tot Judæos, ac ipsum etiam Barnabam concussisset? ac ne dubitare possemus, quin Cephas & Petrus idem fuerit; Paulus ipse lucem nobis præfert: antequàm enim se Cephæ restitisse dixisset; præmisit talia, ex quibus satis colligeremus, quem Petum, aut Cepham oppugnâsset: *creditum est mihi*, ait Evangelium *Præputii*, *sicut Petro circumcisionis*: *qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis*, *operatus est mihi inter Gentes*; accedit quod totum argumentum epistolæ, quod obliquè de Petro, Jacobo & Joanne dicitur, huic adversariorum expositioni adversetur.

Solvuntur rationes adductæ ab Harduino.

5. Neque nos movet Authorum antiquitas, quâ suam sententiam Harduinus munire nititur; præterquàm enim quòd sæpe veriora, & majore cum delectu proposita præ antiquioribus qualibuscunque observationibus placere debeant, tunc paucis Scriptoribus multò plures opponere licebit: cæterùm Clementis Alexandrini liber quintus hypotyposeon, qui pro contraria sententia affertur, omninò periit, & nusquam apud Clementem dicitur: alium fuisse discipulum; nam hac de re silet Photius (m) qui ejus libri, qui ad id temporis, (sæculo videlicet nono) adhuc extabat, epitomen exhibet, dubitátque, an non sit alterius à Clemente authoris? nec desunt, qui acerbam crisin eidem libro affricent (n). Similiter Dorothei Tyrii Synopsis adducta à multis vapulat? teste quippe Bellarmino author iste numerat inter 72. Discipulos Christi, omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint, vel fœminæ, & illos omnes non solùm Discipulos Domini, sed & Episcopos facit (o). Citatur ab Harduino etiam author chronici Alexandrini, qui à pluribus creditur fuisse Gregorius Pisides: at is cùm in sæculo VII. modò vixerit, meritò eidem Eusebius antehabetur, qui negat inter Discipulos Christi seriem extare (p): & nihilominùs chronicon illud perhibet, Cepham discipulorum tertium fuisse. Alios adversariorum authores hìc adducere opportunum non putamus, eoquòd illi aliorum potiùs sententiam referant, quàm tueantur. Exemplo sit Oecumenius, qui illam de alio Cepha

(m) Biblioth. Cod. 109. pag. 286.

(n) Photius l. c. Richard. Simon Tom. 3. Crit. in N. T. Dupin. in Nov. Biblioth. auth. Eccl.

(o) Bellarm. de script. Eccl. pag. 60.

pha opinionem πίθανον λόγον sive rumorem vocat: Anselmus paucos ista sensisse testatur, & demum Hieronymus tam parùm pro adversantium partibus militat, ut potiùs eorum firmamenta penitùs succutiat, ait enim (q): *Alterius Cephæ nomen nescimus, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli epistolis, & in hac quoque ipsa* (2. ad Galatas) *modò Cephas, modò Petrus scribitur.* Nempe quem nos Latinè & Græcè Petrum vocamus, hunc Hebræi & Syri Cepham nuncupant.

Dissolutio reliquarum difficultatum.

6. Quemadmodum autem authoritate convicti non sumus; sic nec rationes, quas adversarii obmoverunt, sententiam nostram labefactant: *prima* omninò cadit, per Henschenii, ac Pagii chronotaxin, qui controversiam illam non ante, sed post Concilium institutam fuisse congruenter asserunt; neque enim ex sacris paginis liquet, fuerítne dissidium ejusmodi occasio celebrandi Concilii? nec inde eruitur, quòd Petrus minùs citò Antiochiâ Hierosolymam venire nequiverit, siquidem adversariorum placitis inhærere liberet. *Ad II.* ℞. Quamvis hæc simulatio minùs consulta dici queat, à mala mente tamen non provenit: sola pertinacia intellectûs de rebus fidei in verbo vel facto hæresin facit; eâ absente error aliquis esse potest, hæresis esse non potest. Porrò in Concilio de Gentibus duntaxat, illarúmque libertate definitum est; non item de Judæis pronuntiatum, quasi & illis Gentili libertate frui liceat. *Ad II.* ℞. Cum Estio ordinem fraternæ correctionis hìc nequaquam violatum; nam publicam reprehensionem publica salus exigebat, solum autem Petrum Paulus alloquitur, quòd is suo exemplo cæteros simulatione præivisset, quódque eo correcto aliorum emendatio facilè secutura crederetur. *Ad IV.* ℞. à Paulò nullatenus diversa adhiberi nomina, cùm Cephas, & Petrus idem significent, quod ex Christi verbis satìs colligitur, dum Petrum affatur: *Tu es Simon, filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Et hinc Tridentinum easdem voces retinuit, & Cephæ, & Petri, ut tam Syrorum, quàm Græcorum authographis consuleret: ubi tamen regula S. Augustini tenenda est (r). *Libros Novi Testamenti, si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium est.* Cùm autem Græci codices, Petri nomen ubique exhibeant, frustrà in voce Cephæ alium discipulum investigare instituis. Neque illud evincit quidquam, quòd ille Cephas Judæus appelletur à Paulo: quasi verò Galilæorum natio non simul eadem Judæorum notione olim comprehensa fuisset; certè post Babylonis captivitatem, omnes Jacobi posteri ob commistionem Tribuum Judæi appellabantur: ità Paulus versu sequenti se naturâ Judæum nominat, quamvis constet eundem Apostolum originem ex tribu Benjamin traxisse: & quis demum Adversariorum probare ausit, Galilæos nusquam ex tribu Juda prognatos fuisse? de B. Virgine & Josepho palam est, eos & Galilæos, & de stirpe Juda oriundos extitisse. *Ad V.* ℞. Ordinem dignitatis in scriptura non semper servari, cùm Apostolorum nomina recitantur,

(r) Lib. de Doctr. Chr. c. 15.

citantur. Jacobum Paulus primo loco nominat, quia, ut ait S. Thomas, erat Episcopus Hierosolymorum: de cætero, ubi omnium Apostolorum catalogus repræsentatur, semper Petrus principem locum tenet; at ubi pauci, vel non omnes describuntur, ordine promiscuo eorum nomina proferuntur. Ità Angelus (m) loquens ad mulieres, Petrum postponit aliis Discipulis, & Lucas Barnabam præ Paulo utique majore commemorat (n).

(s) Marci 16.

(t) Act. 11.

7. Postquàm his rationibus alius à Petro Cephas inveniri non potuit; alii aliam ineunt viam, ut ab ipso Petro reprehensionis (ùt quidem illi opinantur) maculam amoliantur. Docent nimirùm, Petrum simulatè objurgatum esse: & ex conventione facta, Paulum reprehendentis, Petrum verò reprehensi personam egisse. Hujus sententiæ olim fuerat S. Hieronymus, quem proinde S. Augustinus conflictu epistolari acriter urgebat, quòd Origeni & Dydimo, quos pro se authores citabat, nimiùm tribueret; præsertim cùm Origenem ipse Apostatam aliàs dixisset, & Dydimum doctrinæ ergò traduxisset. Augustinus, cùm vicissim rogaretur, ederet suæ sententiæ rationes; prolatis Cypriano, Ambrosio, & Tertulliano, qui eadem secum sentirent, subjungit (o): " dent veniam quilibet aliud opinanti, ego magìs credo tanto Apostolo in suis, & pro suis literis juranti, quàm cuiquam doctissimo de alienis literis disputanti. Porrò ait, quòd Petrus verè reprehensus fuerit, quòd ad veritatem Evangelii non rectè ambularet; quisquis enim hoc facit, quod facere debet, rectè utique facit, & ideò falsum de eo dicit, qui ait, eum non rectè fecisse, quod eum novit facere debuisse: si autem verum scripsit Paulus, non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii: id verò faciebat, quod facere non debebat. " Itaque ex hoc ratiocinio S. Augustini hoc dilemma esto: vel S. Paulus verum dixit, quando dixit S. Petrum reprehensibilem fuisse, aut non dixit verum? Si vera pronuntiavit, ergò à facto minùs consulto revocandus erat, & sincerè quidem: si minùs verè id asseruit? ergò epistola ad Galatas falsis admixta est; ac vel inde Apostolum mendacii argues.

(u) Epist. 110.

Petrus à Paulo verè & non tantùm per simulationem reprehensus est.

Cur Paulus aliquando legalia observârit?

8. Neque dicas Paulum eadem de causa reprehensibilem dici posse: utì enim Petrus legalibus usus fuit; ità Paulus Timotheum circumcidit &c. quin ullùs eum argueret. Nam respondet S. Augustinus: non inquiro, quid Paulus fecerit, sed quid scripserit, & hæc ad quæstionem, quam suscepi, maximè pertinent: circumcidit Timotheum ex Gentili Patre, Judæâ matre, ne aliàs Judæi suum comitem aversarentur: Titum non circumcidit, ne Gentibus videretur imponere jugum legale: nunquam Paulus coegit Gentes judaizare, qui dum legalibus fuit usus, fecit, ut Synagoga cum honestate velut ad sepulchrum duceretur: omnibus omnia factus (p). Qui Petrum non objurgavit, quòd Mosaicos observaret ritus; sed quod post adventum Hierosolymitanorum nimiùm meticulosus ab

(x) 1. Cor. 9.

ab Ethnicis sese separaverit, quibus familiariter olim æquè ac Paulus usus fuerat. Deinde indecens omninò fuisset, & Apostolico munere indignum, in probationem dogmatis de circumcisione non necessaria, simulationem, fictámque actionem in medium proferre, ubi aliæ probationes abundè sufficiebant. Dum contrà ex genuina objurgatione nova virtutum exempla eruebantur; quatenus is, qui primus erat, in Apostolatûs culmine, & primus erat in humilitate (q); quíque consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam S. Paulus vindicabat, facilè consensit (r): sic quando Davidem corripuit Nathan; nec hìc submissionem deposuit, nec ille superioritatem amisit: potest enim casus occurrere teste Angelico Doctore, quo licitè ac opportunè subditus reprehendat superiorem.

(y) Gregor. hom. 18. in Ezech.

(z) Epist. 71. ad Quintianum.

REFLEXIO VII. ad §. 5. num. 14. pag. 286.

An S. Clemens, aut S. Linus Petro in Pontificatu supremo successerit?

Argumenta eorum qui asserunt, Clementem Petro successisse.

1. QUi in catalogo Romanorum Pontificum alterum à Petro locum Clementi tribuunt, ipsam Clementis epistolam, quam ad Jacobum fratrem Domini dedisse fertur, in medium adducunt: in eadem autem Petri Apostoli verba sic describit: *Simon Petrus in ipsis diebus quibus vitæ finem sibi præsensit, apprehensâ manu meâ, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Clementem hunc vobis ordino Episcopum, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado, quem præ cæteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendis studiis deditum, sobrium, benignum, justum, patientem, & scientem ferre nonnullorum etiam ex his, qui in verbo Dei instruuntur, injurias: ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & solvendi; ligabit, quod oportet ligari, & solvet, quod expedit solvi, tanquam, qui ad liquidum noverit regulam Ecclesiæ.* II. Hujus facti veritatem adstruit Damasus Papa in vita D. Petri, item Anacletus Epist. 1.: Joannes PP. (a) ait: *Princeps Apostolorum adjutores sibi adscivit Linum & Cletum, non tamen potestatem Pontificii, aut ligandi, & solvendi eis normam tradidit, sed Successori suo S. Clementi, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem, tradente sibi B. Petro tenere promeruit.* III. S. Hieronymus (b) scribit: *Clemens vir Apostolicus post S. Petrum Romanæ Sedis Episcopus.* IV. Disciplina hæc vigebat in primordiis Ecclesiæ, ut plerúmque Papa horà suæ mortis instante sibi successorem (suffragante Clero) substitueret, ad eum modum, quo Christus è vivis abiturus Petrum ordinavit Pontificem: confirmat id Symmachus (c. *si transitus*, ait, *Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione Successoris ante decernere non possit,*

(a) In Epist. ad Episc. Germaniæ.

(b) In c. 52. Esaiæ.

(c) Can. si transitus Dist. LXXIX.

sit, ùt suprà placuit: siquidem toties in unum convenerit Ecclesiastici ordinis electio; consecretur electus Episcopus: si verò, ùt fieri solet, studia cœperint esse diversa; eorum, de quibus certamen emerserat, convincat sententia plurimorum. V. Summi Pontifices hanc substituendi potestatem aliis etiam Episcopis inferioribus delegârunt; nam Zacharias PP. Bonifacio Episcopo Moguntino concessit (d): *horâ, quâ de præsenti sæculo migraturum te cognoveris, præsentibus cunctis tibi Successorem designa, ut huc veniat ordinandus.* VI. Is quippe modus utilis est ad rescindenda subinde schismata, & ambitionum studia.

(d) C. VII. q. 1. Can. petiisti.

2. His omnibus expensis in illorum sententiam discedimus, qui ajunt, Linum Petro successisse: ità enim ab Irenæo accepimus (e). *Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit Apostolos, & contulit cum eis; cùm adhuc intonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet.* Idem docet Eusebius (f) *post Pauli,* inquit, *& Petri Martyrium Primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortitò capit.* Suffragatur etiam S. Epiphanius (g) *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, & Cletus, Clemens, Evaristus.* Optatus demum Milevitanus dicta confirmat (h): *Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus: sedit Prior Petrus, cui successit Linus &c.* Et profectò primis Christianæ religionis Propagatoribus optimè compertum erat, quòd non sicut carnale antiquæ legis sacerdotium, novæ legis Pontificatus propagari deberet; *turpe* enim *est, & divini plenum animadversione judici, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis exspectatio habeat* (i). Quare credendum non est, Petrum sibi Clementem substituisse, sed electioni Sacerdotum, & populi reliquisse, ut Ecclesiæ de capite providerent: hunc quippe modum semper usitatum fuisse scribit Anacletus PP. (k) *licèt summorum Pontificum electionem sibi Dominus reservaverit, eorundem tamen electionem bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessit.* Et Augustinus (l) *Cooperatores Dei sumus, & ideò semper non est exspectanda vocatio divinæ sententiæ; sed illum eligit Deus, quem eligit Charitas Ecclesiæ, & communis consensus eligentium.* Eum igitur in modum, & per electionis viam Petro surrogatus est Linus, ùt Irenæus, & Eusebius suprà memorârunt, neque deinceps alia ratio sufficiendi Pontifices in Ecclesia unquam approbata fuit: Anastasius Bibliothecarius (m) refert, Bonifacium Papam culpæ obnoxium fuisse, reúmque se Majestatis confessum esse; eoquòd Diaconum Vigilium suâ subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri successorem constituisset: facti autem pœnitens chirographum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatûs incendio consumpsit. Cælestinus III. gravi morbo laborans, cùm renunciare vellet Papatui, & Cardinalem Joannem de S. Paulo sui ipsius loco eligi caperet

(e) Lib. 3. c. 3.

Verosimilior sententia probat Linum Petri Successorem fuisse.

(f) Lib. 3. hist. c. 2.

(g) Hæres. c. 2.

(h) Lib. 2.

(i) C. nulla de concess. præb.

(k) Can. electionem Dist. LXXIX.

(l) In Epist. ad Hebr. 5.

(m) In Vita Bonifacii.

peret; Cardinales dissenserunt, asserentes *id inauditum esse in Ecclesia Dei.* Paulus III. persuasus à Cardinali Pisano, ut sibi successorem in illis temporum angustiis eligeret, omnino respuit: & Victor (n) notat, quòd anno 1565. Pius IV. in consistorio Cardinales alloquens exposuerit ætatem suam Senio confractam in occasum præcipitem ferri, adjecitque scire se, quæri à Juris Consultis, an Romanus Pontifex sibi Successorem deligere queat? & sub Paulo IV. agitatam esse quæstionem: an idem Pontifex adjutorem cum futura successione adsciscere possit? & quamvis nonnulli id affirment; eam tamen sententiam Pius ùt falsam rejiciendam censuit, volebàtque declarare Pontificem Cardinalibus etiam assistentibus id facere non posse: major Cardinalium numerus decretum faciendum judicavit.

(n) In addit ad Ciacon. in Vita Pii IV.

3, Rationes Adversariorum adeò firmæ non sunt, ut à concepta sententia nos retrahant: nam I. Epistola illa Clementis ad Jacobum fratrem Domini minimè genuina videtur (o), quia scripta est à Clemente post S. Petri obitum, cùm tamen constet, Jacobum ante Petrum ad Dominum emigrâsse scilicet anno Neronis VII., dum contrà Apostolorum Princeps Martyrium subiit anno ejusdem Cæsaris XI.: & quamvis Binius notet epistolæ errorem irrepsisse, eoquòd loco Simonis fratris Domini, Jacobus mendosè positus sit; quis tamen credat in ipsis matris Ecclesiæ incunabulis exemplum datum fuisse, à quo deinceps abhorruit Ecclesia, ne successionis civilis speciem admitteret Pontificatus? itaque Papebrochius advertit benè (p), Clementem, Linum, & Cletum fuisse quidem ordinatos à Petro tanquam Vicarios, ut intra, extráque civitatem ipsum sublevarent in ordinando Clero, *secundò*, ut suâ absentis vice, cùm res exigeret, populo ministerium exhiberent, *tertiò* ut Petro mortuo non haberet opus Romana Ecclesia, ei, quem fideles Pontificem sibi elegissent, ordinatores peregrinos, seu Episcopos quærere; quod quanti periculi esset, post Marcellini Papæ excessum præcipuè apparuit, quando propter Persecutionis immanitatem non potuit Successor ordinari, nisi post annos ferè quatuor sedis vacantis. Minimè verò à Petro ex iis, scilicet Clemente, Lino, Cleto quidam in Pontificatu substituebatur: sed à Clero & populo Linus post Petri mortem novâ institutâ electione suffectus est.

Argumenta contrariæ sententiæ solvuntur.

(o) Victoria in relect. de potest. Eccl. q. 2.

(p) In conatu chronico hist. pag. 15.

Ad II. proinde plerique respondent, Petrum fortè proposuisse S. Clementem, ut post ejus obitum eligeretur, quod & ab aliis Pontificibus factum esse legimus; designatio tamen illa Petri effectu caruit, ità enim Ciaconius (q): licèt Petrus Clementem successorem sibi designâsset, Clemens tamen modestiâ usus, juri, (si quod acquisiverat) cessit, & Linus Romanus electus fuit: Clemens igitur secundus fuit ordinatione; non Ecclesiæ nominatione, non administratione, quæ Lino fuit tributa divino consilio, ne in posterorum exemplum transiret successores sibi eligendi libertas, & providentia Ecclesiæ in constituendo sibi pastore isto

(q) In vita S. Lini.

isto modo adimeretur. Cæterùm, quæ ab Adversariis adfertur epistola Joannis PP., juxta Baronium, Binium, & Possevinum, est supposita; tum quia sub Consulatu Justini sexto XIV. Kal. Augusti anno VII. Justini & Christianæ æræ 571. scripta notatur, quo tempore Joannes III. PP. jam obiêrat, tum quia epistola consignata est per Consules, præter illius temporis morem. Ad III. ℞. Secutum primò fuisse Hieronymum quosdam Scriptores latinos, sed se explicat, vel potiùs corrigit in libro de Viris illustribus (r), quem edidit anno 392. ubi de Clemente ex professo agens, apertiùs dicit, Linum Petro successisse. Ad IV. ℞. Textum Symmachi PP. plus nihil inferre, quàm quòd Pontifices subinde commendare unum Clero soliti sint, qui de Ecclesia magìs meritus, & ei regendæ aptior esset, ac proinde dignus, qui posteà à Clero spontè eligeretur. Ad V. ℞. Pontifici viventi equidem datum esse, ut Ecclesiis præficiat pastores, non tamen alterum caput universæ Ecclesiæ imponere ei licet. Successioni enim in Episcopatibus pastor supremus præcavere semper poterit per salubres Sanctiones: quod fieri satis non posset, si Pontifex supremus, in quem nullus habet imperium, illimitatum substituendi modum haberet: prætereà Pontifex cum vita claves deponit, ergo hanc potestatem ultra dies vitæ prorogare non potest; præsertim si inde mala Ecclesiæ emergere manifestum sit. Unde ad VI. etiam patebit responsio, nempe majora mala inferenda Ecclesiæ, si Papa quasi ex testamento dignitatis suæ successorem scriberet; verendum quippe foret, ne Pontificum propinqui, ac vel ideò sæpè indigni Ecclesiæ obtruderentur: per electionem contrà arcetur longiùs malum Nepotismi & alia, quæ caro & sanguis suadere possent.

(r) C. 15.

REFLEXIO VIII. ad §. 6. num. 9. pag. 296.

An S. Clemens, Constitutiones, Canonésque Apostolicos collegerit, & tanquam genuina Apostolorum decreta Ecclesiæ tradiderit?

A quo tempore Collectio Constitutionum Apostolicarum Clementi attributa fuerit?

1. Constitutiones quasdam, seu regulas ab Apostolis Ecclesiæ relictas fuisse, nemo dubitare potest, nisi qui asserere incautiùs vellet, Institutores primos ordinationi Ecclesiæ non satìs prospicere voluisse. Quænam autem illa statuta Apostolorum forent, cùm detegi satìs non posset; inquisitus tandem est his postremis sæculis harum Constitutionum codex, de quibus Canon 84. Apostolorum sic habet: *ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ.* Petrus Crabbe Ordinis S. Francisci Theologus in altera, quam anno 1551. molitus est, Conciliorum omnium editione, harum Constitutionum epitomen ex libris octo in Creta insula reper-

repertis exhibuit, easdem integras edidit anno 1567. Laurentius Surius ex interpretatione Caroli Bovii Ostunensis Episcopi, qui octo libros earum Constitutionum Scholiis illustratos legatis Concilii Tridentini nuncupavit. Idem posteà executus est anno 1585. Nicolinus in Veneta collectione, adjectà versione Francisci Turriani S. J., qui plures observationes Apologeticas in earum probationem evulgavit. Hi omnes igitur authores, etsi dicere non audeant, Constitutiones ejusmodi ab Apostolis esse conscriptas; confirmant tamen doctrinam in illis libris contentam ab Apostolis esse traditam, atque ab ipso Clemente exceptam, literisque consignatam (a).

(a) Schelstrate in Antiquit. illustr. P. 2. Differt. 1. c. 2.

Sententiæ Affirmantis argumenta.

2. Argumenta, quibus thesin suam stabiliant, ex antiquitate potissimùm eruunt; nam I. apud veteres has constitutiones in veneratione fuisse ex eo probant, quòd S. Ignatius Martyr Apostolorum discipulus suis epistolis sæpe totas sententias earum inseruit: ità in epistola ad Trallianos institutum Parasceves, ac Dominicæ diei observantiam iisdem verbis (quibus Clemens) refert ad Passionem, sepulturam, & resurrectionem Domini, similiter præcipiens quadragesimam eâdem præceptionis causâ, & totidem verbis utitur, quibus Clemens: videntur igitur hæ antiquissimæ Constitutiones non aliam habere originem, nisi Apostolicam; nec ab alio primùm conscriptæ, quàm à Clemente. II. S. Athanasius ait, has Constitutiones ab apocryphis distinctas fuisse, utì fuêre tunc libri: *Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, Esther, & doctrina Apostolorum.* III. S. Epiphanius (b) ait: ad hoc Audiani proferunt Apostolorum ordinationes, quæ quidem apud multos vocantur in dubium, sed tamen non sunt improbandæ; nihil enim habent perversum in fide, atque confessione, sed neque in Ecclesiastica gubernatione & canone. IV. Synodus Trullana a. 681. agnoscit Constitutiones ùt opus Apostolorum, quamvis eas legi prohibeat; quia sunt ab hæreticis interpolatæ: sic Ignatii septem epistolæ vindicantur meritò, licèt multis in locis corruptæ sint. V. Photius Clementis opera recensens, ipsi tribuit Constitutiones Apostolorum, & ait adversantium rationes facilè dilui.

(b) Contra Audianos HH.

Argumenta validiora sententiæ Negantis.

3. Alii contrà cùm Schelstrato, Baronio, Bellarmino, Jacobo Sirmondo sentiunt, nec Constitutiones prædictas ab Apostolis esse oriundas, nec Clementem in certos libros easdem digessisse. Nam libri Constitutionum longo intervallo post Apostolorum & Clementis PP. tempora innotescere cœperunt; neque Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente harum meminit, utì nec plures Ecclesiæ Patres: & licèt post plurimorum sæculorum interstitium in quadam Bibliotheca repertus codex sit; ea tamen is continet, ut vel ex eo novus partus credi possit, quòd multa vel ab Apostolis, aut ab Apostolico sæculo aberrantia complectatur: ità lib. 6. c. 8. ait Petrus Apostolus, Cerinthum, Saturninum, Menandrum, Basilidem dogmatum absurdorum fuisse authores, qui tamen Petro & Clemente posteriores extiterunt. Præterea

de Parœciis, Cœmeteriis, Martyrum memoriis, oleo baptismi, aliisque hujusmodi fit mentio, quæ primis saltem temporibus non conveniebant. Eodem modo decimæ, & primitiæ ibidem tribuuntur Episcopis (c), cùm certum sit, nullas regnantibus Ethnicis fuisse Episcopis solutas; nam Hermannus Gigas author est, Constantinum M. primò præcepisse, ùt Ecclesiis decimæ solverentur: non minùs absonum est, quòd in iis Constitutionibus (d) Matthæus & Joannes dicantur præcipere, ut sua Evangelia & Acta Apostolorum legantur; quasi verò obscurum esset, Joannem diu post Matthæum & Lucam, imò post Apostolorum omnium mortem Evangelium scripsisse: pari ratione memorantur cavere Petrus & Paulus, ùt in festis Apostolorum, & S. Stephani Fideles ferias observent (e). Demum non pauca absurda, & erronea iisdem Constitutionibus comprehensa notabis, ex his quædam tantùm proferre libet: permittit Paulus, ut pellex, Infidelis ancilla soli domino obsequens, recipiatur; si cum aliis intemperans fuerit, rejiciatur (f): similiter, id quod supra trigamiam fit, manifesta fornicatio judicatur (g).

(c) Lib. 2. c. 29.
(d) Lib. 2. c. 6.
(e) Lib. 8. c. 39.
(f) Lib. 8. c. 28.
(g) Lib. 3. c. 2.

4. His jactis fundamentis facilè argumenta adversariorum dissolvuntur. I. Apostoli utique quædam sanxêre observanda, quæ ad Ecclesiasticam Gubernationem videbantur apta & necessaria, quæque Ministrorum functiones redderent religiosiores, quia Christus multa eorum providentiæ reliquerat (h); veruntamen an illæ Constitutiones, quæ nunc Apostolorum nomine circumferuntur, sint hæc ipsa statuta fidelibus per Clementem tradita? dubitatur. Certè quoniam recentiora antiquis admiscentur; Petrus de Marca (i) de Constitutionibus hoc tulit Judicium: « sanè Clementis Romani fœtum non esse, vindicandum tamen Scriptori, qui tertio sæculo floruerit: alii autem confectas Constitutiones putârunt à quodam Hierosolymitanæ Ecclesiæ Clerico; cùm enim in iis hæc verba legantur: oremus pro Episcopo nostro Jacobo, & pro parœciis ejus, item pro Episcopo nostro Clemente (k); non inanis est conjectura, ex hac prærogativa Episcopo Hierosolymorum datâ, Scriptorem illum istius Ecclesiæ alumnum fuisse; qui ad sæculi IV. finem sub nomine Clementis eas congesserit ex variarum Ecclesiarum usitatis ritibus: unde si quæ voces cum Ignatii Martyris scriptione conveniunt, non ex illo, sed illum ex Ignatio desumpsisse verba putandum est. *Ad II. respondent*: Adversariis incumbere, ut probent, quòd per *doctrinam Apostolorum* Constitutiones intelligantur: hæ sunt Episcopis dicatæ, illa verò Apostolica doctrina erat inter eos libros, quæ Catechumenis prælegebatur, quamvis & hanc doctrinam ùt suppositam notet S. Athanasius: *hi omnes* (libri) *cognitionis quidem gratiâ expositi sunt, cæterùm omninò perversè, & falsò scripti sunt, & Nothi, & Reprobi. Ad III.* ℞. non fuisse easdem Constitutiones, de queis loquitur Epiphanius, ac eæ, quæ nunc extant, aliàs dicere non potuisset, nihil aut in fide, aut Catholicâ professione depravatum

(h) August. Epist. 118.
(i) Lib. 3. de concord. c. 2.
(k) Lib. 8. c. 10.
Solutio occurrentium difficultatum.

vatum ibidem reperiri: accedit, quòd Epiphanius prorſus alia teſtimonia adducat, quæ in modernis Conſtitutionibus non leguntur (l). *Ad IV.* ℞. Græcorum errorem inde pullulâſſe, quòd octoginta quinque Apoſtolorum canones utpote genuinos probarent, quorum poſtremus Conſtitutiones prædictas recipi jubet: verùm ex canone ſecundo Synodi Trullanæ patet, Apoſtolorum canonem, qui Conſtitutiones commendat, impugnari: quoniam autem in his canonibus, (ajunt Trullani PP.) præceptum eſt, ut eorundem SS. Apoſtolorum per Clementem Conſtitutiones ſuſciperemus, quibus jam olim ab iis, qui à fide alienè ſentiunt, ad labem Eccleſiæ aſpergendam adulterina quædam, & à pietate aliena introducta ſunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem, ac decoram ſpeciem obſcurârunt, has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam admittentes (m). Ex his concludit equidem Schelſtrate, has Conſtitutiones nec ab Apoſtolis proceſſiſſe omnes, nec à Clemente in octo libros digeſtas, ſed poſteà à fideli quodam fuiſſe collectas, quæ tempore Epiphanii extitiſſent ſanæ & immaculatæ, ſed poſteà ab hæreticis adulteratas: alii tamen totum opus rejiciunt, tum ob authoritatem Gelaſii Pontificis eas reprobantis, tum quia Hieronymus nullam mentionem de opere iſto facit; quare diſcrimen eſſe dicunt inter Ignatii epiſtolas, & has Conſtitutiones, quòd illæ receptæ ſint ab authoribus iſti ætati propioribus, iſtæ verò nullo modo agnitæ. *Ad V.* ℞. Photium Latinorum oſorem Conſtitutionibus aliquod dediſſe ſuffragium, quoniam erroris ſui patrocinium ibidem invenerat, hinc ait (n): *Conſtitutiones ex tribus capitibus reprehenſioni videntur obnoxiæ: ex mala fictione, quam depellere non eſt admodum difficile, deinde, quod contra Deuteronomium criminationes quaſdam adducant, quæ & ipſæ dilui facillimè poſſunt. Denique ex Arianiſmo, quem item accuratiùs paulò inſtando refellere queas.* Sed quia Photius nullibi argumenta contraria depellit, faciliùs dicetur cum Cardinali Humberto, nos dedignari *Apocryphorùm fabuloſas traditiones.*

(l) Vide Natal. Alexand. pag. 209.

(m) Can. 2. Synod. Trull.

(n) Biblioth. Cod. 113.

5. Præter Conſtitutiones, de quibus hucusque egimus, extant quoque Canones octoginta quatuor in unum corpus collecti (o), quos eodem modo ab Apoſtolis traditos, & à Clemente conſcriptos perhibent. Verùm de his Hincmarus Metropolita Remenſis rectè judicium ſuum protulit (p): *non ab Apoſtolis conſcripti eſſe creduntur*, quia aliàs Eccleſia pro uniformitate diſciplinæ eos admiſiſſet, quod factum non eſt; nam Gelaſius I. in Synodo 70. Epiſcoporum anno 494. Romæ celebrata, ſic definit: *Liber canonum Apoſtolicorum Apocryphus.* Prætereà Canones iidem multa continent primis ſæculis non recepta; ſic canon 45. habet: *Epiſcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum baptiſma, vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus. Quæ enim eſt conventio Chriſti cum Belial? Vel quæ pars eſt fideli cum infideli?* Hæc regula ſi Apoſtolica fuiſſet; non inter-

(o) v. initium Conciliorum editionis Labbeanæ.

(p) In opuſc. 55. capitum c. 24.

An ab Apoſtolis profecti ſint Canones Apoſtolici?

termi-

termisisset eam urgere Firmilianus; cùm anno 256. aut 257 in epistola ad Cyprianum hæreticorum baptisma rejiceret: ex Firmilani autem silentio benè arguit Petrus de Marca (q), incognitos eâ ætate Orientalibus fuisse Canones Apostolicos. Canonem septimum adversùs Asiaticos protulisset Victor Papa, siquidem ibi prohibetur, ne Pascha cum Judæis celebretur. Canone 21. 22. & 23. absterriti fuissent Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsareensis Episcopi, quo minùs Origenem post castrationem ad sacra admitterent. Cùm verò id permiserint, argumento est, Canones citatos ignotos planè extitisse.

(q) Lib. 3. c. 2. n. 5.

Origo & Collectio Canonum Apostolicorum meliùs exponitur.

5. Cæterùm optimè disseruit Illustrissimus Albaspinæus Episcopus Aurelianensis (r), quando dixit: vetustam hanc Canonum collectionem esse breviarium privatorum Conciliorum, & earum à privatis Episcopis sancitarum ante Synodum Nicænam; ab eo enim tempore innotescere cœperunt, ùt quidam ostendere conantur (s), eoquòd Constantinus Imperator (t) decimum tertium canonem citare dicatur. Primus omnium expressis verbis Canonum istorum meminit Nectarius in Synodo Constantinopolitana anno 394., centum post annis eosdem Canones in Synodo Romana Apocryphos dixit Gelasius, quam censuram Petrus de Marca mitiore sensu ità exponit (u): Variæ sunt classes Apocryphorum in notitia Gelasii, cùm non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc censum, sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi quidam: nec alio hìc exemplo indigemus, quàm Eusebii Pamphili historiâ, quam Apocryphis accenset Gelasius; cùm tamen anteà illam recipiendam statuisset, quòd nimirum velit hosce historiarum libros nævis quibusdam permixtos: licèt, inquit, propter rerum notitiam singularem, quæ ad institutionem pertinent, usquequaque non dicamus renuendos. Idem dici debet de Canonibus Apostolorum, quos etiam alii Ecclesiasticos vocant, referti sunt hinc inde primitivæ Ecclesiæ doctrinâ; nævos tamen suos patiuntur, & ideò Apocryphorum in numero veniunt. Post Gelasium Dionysius exiguus quinquaginta priores Canones suo codici Canonum præfixit, præfatus tamen, plurimos iis consensum facilem non præbuisse; post Dionysium Cresconius Africæ Episcopus, & Isidorus Mercator, quorum hic in præfatione ad 50. Canones ista præmittit: *propter eorum authoritatem cæteris Conciliis præposuimus canones, qui dicuntur Apostolorum (licètâ quibusdam Apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt & SS. Patres eorum sententias synodali authoritate roboraverunt, & inter canonicas posuerunt Constitutiones* (x). Gratianus licèt hanc præfationem referat, Antonius tamen Augustinus (y) scribit: in omnibus veteribus libris Hispaniæ conciliorum hæc verba non inveniri: sed illa quæ idem Gratianus mox subjungit (z): *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec SS. P.P. illis assensum præbuerunt, pro eo, quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis*

(r) Observ. lib. 1. c. 13.
(s) Schelstr. in Antiq. p. 2. Differt. 2. c. 1. n. 5.
(t) Epist. 2. ad Euseb. & Antiochenos Episc.
(u) Lib. 3. c. 2. §. 7.
(x) Distinct. XVI. c. 4.
(y) Dialogo 6.
(z) Dist. cit. c. 4.

eis utilia inveniantur; tamen ab authoritate canonum, atque Apostolica, eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata. In subsequentibus sæculis Pontifices non dubitàrunt priores quinquaginta Canones probare, ùt Stephanus IV. anno 769. in Synodo Romana statuit (a), ut quinquaginta Canones Apostolici recipiantur, quos *suscepit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Adrianus I. in veteri codice membranaceo eos exhibuit Carolo M., de quibus Anastasius Bibliothecarius (b), Leo IV. in sæculo IX. iisdem suam symbolam addidit (c). Verùm hi Pontifices eo tamen sensu Canones probârunt, non quasi ab Apostolis essent traditi, sed quia plerique ex prioribus Apostolicæ doctrinæ non contradicunt; vel quia jam inoleverat usus eos citandi, aut quia expedirent velut tela vulgò recepta ad hostes conficiendos.

(a) Act. 4.

(b) In Præf. Synod. Gen. VII.

(c) In Epist. ad Ep. Brit.

6. Apud Græcos major facilitas, ac credulitas extitit in Canonibus ejusmodi admittendis vel augendis. Joannes Scholasticus primus admisit 85. Canones (d), & Joannes Antiochenæ Ecclesiæ presbyter in præfatione ait: *Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt*: eundem Canonum numerum asseruit Synodus Trullana (e), totidem amplexi sunt posteà cæteri Orientis Patres teste Joanne Damasceno (f). Qui canones 85. hodiedum in omnibus Conciliorum editionibus inveniuntur: numerus tamen ille varius Canonum suspectæ fidei eosdem arguit, cùm enim Latini ante recensuerint 50., Zephyrinus Papa (g) 60., Turrianus ex MS. Pamphili 59. & ut paulò antè diximus Orientales 85.; minimè ab Apostolis traditi dici possunt, à quibus si proficiscerentur, nunquam Ecclesia, vel saltem non tam facilè permisisset, ut vel vitiarentur Canones, vel numerus eorum augeretur, aut minueretur.


(d) Christ. Justell. in Præf. ad Tom. 2. Bibl. jur. Can.

(e) Can. 2.

(f) Lib. 4. de fide Orth. c. 18.

(g) In epist. ad Episcop. Siciliæ.





LIBER II.
ROMANÆ MONARCHIÆ
ET
ECCLESIÆ CHRISTIANÆ
AMPLIFICATIO.
CAPUT I.
RES GESTÆ ROMANORUM IMPERATORUM IN SÆCULO SECUNDO CHRISTIANÆ ÆRÆ,

Ab Ulpio Nerva Trajano usque ad ætatem Severi. Sive ab anno Æ. C. 98. ad annum 198.

§. I. TRAJANI *vita ante gestum Imperium, ejus Adoptatio, & Regnum, adventus in urbem, munificentia, & clementia, Panegyricus Plinii, Bellum Dacicum, Parthicum, Defectio Provinciarum, Mors Cæsaris, Fabula de Trajano ab inferis redempto.*

1. R*Omam virtute externorum crevisse*, vulgata laus olim fuit Tarquinii Prisci, peregrinis ex terris oriundi Regis; quæ posteà Ulpio Trajano extra Italiam nato Imperatori multò illustriùs donata est: hujus quippe fortitudine res Romanæ immensum adeò auctæ sunt; ut Romanum Imperium, quod post Augustum defensum potiùs fuerat, quàm amplificatum, fines deinceps suos ad Indos ultimos orbis incolas diffunderet (a).

(a) Eutropius lib. 8. Breviarii.

2. Tra-

2. Trajanus Natalem annum habuit æræ Christianæ quinquagesimum quartum, Patria ei erat Hispaniæ oppidum, cui Italicæ nomen propè Seviliam (b); ubi ortus est familiâ antiquâ magìs quàm clarâ (c): nobilitatem tamen stirpi addidit Parens fortissimus, qui in bello contra Judæos suscepto suam militiam ità approbavit Vespasiano Duci; ut triumphalibus ornamentis auctus, Patriciorum ordini adlegeretur (d): Patris igitur exemplo incitatus filius prima castrorum rudimenta sibi in Syria aperuit: amandatâ procul illinc, quæ in juvene milite licentior est, lasciviâ, noscere Provincias, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere ob jactationem, ob formidinem recusare nihil, simúlque anxius, & intentus agere amabat. Exercitatus hunc in modum penè adhuc puer, & simul tribunus (e), viri firmitate disjunctissimas Euphratis ripas ità munivit, ut & Parthorum cohiberet assultus, & Parthicâ simul lauro Parentis gloriam augeret (f).

(b) Aurel. Vict. Baud. pag. 394.
(c) Idem l. c.
(d) Joseph. de bell. Jud. lib. 3. c. 11. & 26. Baron. ad a. 100. §. 1.
Trajani Adolescentia.
(e) Plinius Panegyr. n. 15.
(f) Idem n. 14. 16. & 89.

3. Factis decem annorum stipendiis ad capessendos Magistratus in urbem digressus, Præturam primò; dein Consulatum adiit (*1); demum anno XCI. à Domitiano ad Germaniæ validius Præsidium ablegatur (*2): quâ profectione & Trajano, & copiis Romanis consultum est; cùm enim ferocissimus Princeps nonnisi optimorum, quos coràm intuebatur, sanguinem anhelaret; non sinè sorte accidit, ut Dux integerrimus longis spatiis à Tyranni oculis, manibúsque avelleretur: exercitui autem Germaniæ, qui prioris sæculi malo, inertiâ, ac contumaciâ fatiscebat (g), tanto bellicæ artis Magistro opus erat, qui lapsam Castrorum disciplinam pristinæ formæ redderet (†).

A. Æ. C. 92.
(g) Plin. Paneg. c. 18.
(†) Reflexio I.

4. Trajanus utprimùm Coloniam Ubiorum advenit; eò curas convertit, ut militem Romanum & fortia agere, & dura pati denuò

Trajani militaris Disciplina.

(*1) JACOBUS DE LA BAUNE Præturam Trajani affigit anno Ch. 86. Domitiani sexto, cùm Trajanus esset 32. annorum: Consulatum autem gessit anno Ch. 90. cum Acilio Glabrione Collega: hic Acilius, ut notat *Eusebius* jubente Domitiano post quinquennium exactum, leonibus innoxiè objectus, tandémque pro Christo occisus est.

(*2) IDEM *in Synops. Vitæ Traj.* existimat Trajanum Consulatu defunctum priùs in Hispaniam abiisse cum Hadriano, cujus tutor erat; sed inde cum legionibus ad Germaniam à Domitiano evocatum fuisse; ut etiam *Plinius* n. 14. insinuat. *Nec dubito, quin ille, Domitianus, qui te inter Germaniæ bella ab Hispania usque, ut validissimum præsidium exciverat &c.*

nuò exemplo suo condocefaceret Primus. itaque ille tolerare inediam, à cæteris nisi robore & præstantiâ differre nihil, fessis solatium, opem ægris impertiri, nec ei moris sua subire tentoria, nisi aliorum antè lustrâsset, neque requiem corpori, nisi post omnes, dare: per vasta itinera cùm legiones duceret, vehiculum nunquam, rariùs equum adhibuit; commilitones singulos nomine compellans, omnium facta insignia commemorabat, refovens etiam multis laudibus vulnera, si quæ ab iis pro re Romana suscepta fuissent (h).

(h) Plin. n. 15.

Ad Æ. C. 97. *Trajanus à Nerva adoptatur.*

5. Hâc virtute cùm in animos cunctorum influeret; ipsius quoque Cæsaris Nervæ æstimationem, & adoptionem promeruit, à quo in consortium Imperii accitus est ea in ætate, quæ juventutis impotentiam superâsset, & infra languorem decrepitæ Senectutis consisteret; scilicet anno quadragesimo tertio. Dies adoptionis decima quarta ante Kalendas Octobres triplici gaudio tunc læta extitit (i), quòd & pessimum Principem Domitianum abstulisset, eadémque dedisset optimum Nervam, & tandem meliorem optimo Trajanum Imperio genuisset.

(i) Plin. Panegyr. n. 92.

A. Æ. C. 98. *Succedit Nervæ.*

6. Posteà ubi de Nervæ Cæsaris fato rescitum est; Trajanus secundùm Consul, in Germania Imperium auspicatus est illustri exemplo; & pietatis in Nervam Patrem, & humanitatis singularis in Senatum: nam illum solito Ethnicis more inter Deos referri præcepit (k), huic verò literis testatus est, nullius se boni viri, neque vitæ, neque dignitati obfuturum, ìdque jurejurando sanctum, ínque omne Imperii tempus adeò inviolatum habuit, ut ne convictos quidem de conspiratione in se, aliter, quàm causâ per Senatum cognitâ puniret (l).

(k) Plin. n. 81.

(l) Dio l. 68. p. 771.

A. Æ. C. 99.

7. Principatûs sui primum tempus in dilectis sibi Germaniæ Provinciis transegit (m): nullus barbarorum illo præsente fuit, qui Romanis bellum tunc inferre, quíque duratum glacie Danubium, aut Rhenum transire arderet; quin reverentiâ tanti Imperatoris suspensi omnes, aut intra silvas suas clausi certatim fœdera Cæsaris expetebant (*3). De tot monumentis, quibus Germanicus

(m) Bucher. lib. 6. c. 1. n. 5.

(*3) PLINIUS Paneg. c. 12. *At nunc rediit omnibus terror, & metus & votum imperata faciendi: vident enim Romanum ducem unum ex illis Veteribus & Priscis, quibus Imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi ... Accepimus obsides, non emimus ...*

An

manicus hic Cæsar suos Germaniæ tractus excoluit, longinquitas sæculorum non alia reliquit, quàm coloniam Trajani, castra Ulpia (n), urbésque, quæ ab Eutropio trans Rhenum reparatæ referuntur (*4). Sesqui anno elapso Trajanus amore urbis tandem captus, tótque precibus suorum expetitus, Romam itinere placido ac modesto contendit (*5): antequàm tamen mœnia subintraret; Ælianum Casperium seditionis adversùs Nervam excitatæ Ducem, Cæsarísque ejusdem percussorem puniri morte jubet, dimissis quoque Prætorianis, ne impii parricidii funestus author restaret. Ultione hâc perfunctus non quadrijugo curru, nec hominum humeris urbi illatus est; sed pedes ipse inter ordinum omnium festivas voces incessit, ostendítque simul insolitum demissionis genus, quâ de aliorum Cæsarum ambitione triumphabat (*6). Prima eidem ad Capitolium via: inde palatium eo vultu, quasi privatam domum peteret, accessit; præeuntem secuta est Plotina, Augusti conjux gravissima fœmina, at nec minùs summæ sorti diffidens, cultûque modica, fixo in Palatii gradibus pede, ad populum pronuntiâsse fertur: *Talis huc ingredior, qualem me exire cupio* (o). Moderationis ejusmodi mirabilis modus populum induxit, ut Imperatorem quantumcunque obluctantem ad admittendum nomen *Patris Patriæ* cogeret; cui Senatus

(n) Eutrop. lib. 8. c. 2.

Trajani in urbem adventus.

(o) Victor Epit. Dio l. 68. p. 771.

Moderatio & Munificentia Trajani.

An audeant, qui sciant te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cùm Danubius ripas gelu jungit, duratúsque glacie ingentia tergo bella transportat: cùm feræ gentes non telis magis, quàm suo cælo, suo sidere armantur? sed ubi in proximo tu, non secus, ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur &c.

(*4) MENSO ALTINGIUS p. 45. præcipuam Trajani coloniam existimat fuisse Cliviam, & WINCKELMANN. in descriptione Hassiæ P. II. c. 2. profert nummum, Trajani, qui Darmstadii in veteris turris fundamentis repertus est. Vide etiam BUCHER. l. c. n. 5. & MASCOV. in Rebus gestis Germanorum lib. 5. p. 143.

(*5) PLINIUS c. 20. *Quàm dissimilis nuper alteriùs Principis* (Domitiani) *transitus! si tamen transitus ille, non populatio fuit; cum abactus hospitum exerceret.*

(*6) IDEM à c. 22. hunc ingressum Trajani magnificè describit, SCHEFFERUS *de re vehiculari* lib. 2. c. 13. addit, quòd alii Imperatores currui impositi fuerint urbem ingressi, quem quatuor equi candidi unà conjuncti duxêre, (ut ex Numismatis patet) ex his equis duo fuêre jugales, duo funales, illi in medio, hi utrinque è lateribus jugalium: aliquando etiam quadrigis, aut bigis Elephantum, seu Leonum uti consueverunt.

natus novum OPTIMI titulum illicò adjecit (*7). Nominis tanti menſuram ut meliùs impleret; præter cætera boni publici ſtudia ac curas (p), congiarium civibus & integrum quidem repentè diſtribuit (*8): & ne tenella ætas liberalitate Principis deſtitueretur; plura infantium examina in ſpem militiæ, ac Reipublicæ educanda ſumpſit (q); atque hæc dona tantò gratiora erant civibus, quòd non daretur, quod aliis fuiſſet crudeliter ereptum, palámque erat liberos jam Romanorum, non ut ferarum catulos ampliùs, ſanguine & cædibus aliorum, ſed ſumptibus propriis unius Cæſaris nutriri (r). Non minore ſollicitudine diverſæ gentes commercio junctæ ſunt, recluſæ viæ, ac portus patefacti, per quos Italiæ annona uberrima inferretur (*9).

(p) Plin. c. 25. 26.

(q) Spartian. n. c. p. 16. Rom. illuſtr. pag. 264.

(r) Plin. c. 27.

8. Quæ incolumitatem Reipublicæ ſub Imperatoribus pluribus laceſſiverant, potiſſimùm fuêre, turba delatorum, per quos Tyrannorum ſævities in vitam civium graſſabatur: dein infeſta Fiſci exactio, quâ non tantùm quibusque ſubditis fortunæ; ſed & filiis, ac nepotibus teſtamento vocatis Parentum bona, aut ſaltem eorum pars viceſima diripiebatur: utrique incommodo conſultum ibat Trajanus; nam delatores non legibus, ùt Titus & Nerva: ſed pœnis propulſandos putavit (*10), dum cunctos in navigia compactos velut piaculares publicæ ſollicitudinis victimas ventis

(s) Plin. c. 34.

(*7) PLINIUS Paneg. c. 88. *Juſtiſne de cauſis* S. P. Q. R. OPTIMI *tibi cognomen adjecit? paratum id quidem, & in medio poſitum, novum tamen. Scias neminem antè meruiſſe; quod non erat excogitandum, ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit*, FELICEM *vocare? quod non moribus, ſed fortunæ datum eſt. Satius* MAGNUM? *cui plus invidiæ, quàm pulchritudinis ineſt. Adoptavit te Optimus Princeps in ſuum, Senatus in* OPTIMI *nomen.*

(*8) Congiarium propriè dicitur vas, quod Congium, ſeu menſuram ſex ſextariorum capit: ab initio ex congio oleum, & vinum dabatur: ſubinde hoc nomen ad largitionem frumenti, & pecuniarum adhibitum eſt. Vide *Obſerv. 30. Schvvarzii ad Panegyric. Plinii.*

(*9) Provinciæ frumentariæ pro Italiæ annona erant, Sicilia, Africa, Sardinia, Hiſpania, Bæotia, Macedonia, Cherſoneſus, Aſia & Syria, ut habet CONTARENUS *de frumentar. Rom. Largitione* c. 10. his a. U. C. 724. acceſſit Ægyptus ut notat AURELIUS VICTOR in Epit. c. 1. PLINIUS c. 30. verò id maximè prædicat, quod Trajanus tam largè providerit Italiæ, ut etiam ob humiles Nili aquas egenti Ægypto de frumentis providerit.

(*10) SUETONIUS in Tito c. 8. teſtatur equidem delatores ab eo Imperatore fuiſſe pœnis affectos, ſed *Plinius* c. 42. & 35. plus de Trajano commemorat, pœnam Talionis adverſus delatores ab iſto Cæſare generatim fuiſſe introductam: unde in nummis ſæpe viſitur, SECURITAS PUBLICA, SECURITAS TEMPORUM, quæ per delatores anteà turbabatur. *Vide Anton. Auguſtini Dialog. II. Antiq. pag. 20.*

ventis & undis dedit, fugeréque coëgit terras, quas delationibus
ſuis propè evaſtâſſent (t). Præterea Fiſco is modus datus eſt, Plin. c. 34.
quo præcipuè comprimeretur lex Majeſtatis, cujus acerbitate *Clementia Trajani.*
ærario Principis innocentiſſimorum opes accumulabantur (* 11):
neceſſitas quoque pendendæ viceſimæ abrogata (* 12), demum
omnibus Princeps teſtabatur, ſibi perſuaſum eſſe Fiſcum lieni non
eſſe abſimilem: ùt enim hoc in corporibus creſcente, reliqui artus
tabeſcunt; ita turgente Fiſco Cæſaris, reliqua civitatis membra
marceſcant neceſſe eſt (u). (u) Alciatus in Embl.

9. Atque hâc ratione cùm liberalitatis tantæ Auguſtus eſſet;
impendiis tamen publicis non defuit: quin cùm auferret nihil,
largiretur multa, omnia ſuperfuêre; unde ruinas ædium vel re-
paravit, aut novis operibus auxit: certè circo populi Romani tanta *Liberalitas.*
amplitudo appoſita eſt, ut digniſſima hæc ſedes non minùs dein
viſenda cenſeretur, quàm quæ ex illa ſpectabantur (x). Sub eo- (x) Plin. Pan. c. 51.
dem Principe ſtudia ſpiritum, ſanguinem, & Patriam recepe-
runt, nec jam vigebat temporum priorum immanitas (*13),
quâ Principes per Pantomimos & laniſtas dirimebant negotia,
erántque ſimul civium Domini, & rudium Libertorum ſer-
vi (y): è diverſo ſapientiæ Magiſtris præter ſummos honores ſti- (y) Id. c. 88.
pendia ingentia tributa ſunt (z); horum alloquiis Trajanus par- (z) Idem c. 47.
cas epulas ſuas condiebat (a), per hos audiebat, ac loquebatur.

10. Tertius jam annus Auguſti agebatur; cùm tertium Con- (a) Id. c. 49.
ſulatum aggreſſus eſt, quem priore anno oblatum eâ de cauſa
potiſſimùm recuſaverat, ne abſens adhucdum in Germania offi-

(*11) JULIUS legem Majeſtatis tulerat, ut notat *Gundling.* c. 1. §. 16. contra eos ſcilicet, qui prodidiſſent Patriam, aut aliquid contra Imperantium honorem moliti eſſent; lex hæc ſubinde noxia evaſit, quando Cæſares eâdem abuſi ſubditorum fortunas, & vitam peſſumdabant: SUETONIUS de Tiberio teſtatur, quod *leges Majeſtatis atrociſſime exercuerit*, IDEM ait *in Nerone* c. 32., quod inſtituerit, *ut lege Majeſtatis facta, dictáque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur* IDEM *de Domitiano* c. 12. *bona vivorum ac mortuorum usquequaque, quolibet, & accuſatore, & crimine corripiebat; cui ſatis erat, objici qualecunque factum, dictúmve adverſus Majeſtatem Principis.*

(*12) Ad viceſimam hæreditatum, & legatorum partem ſolvendam tenebantur, qui vocati erant teſtamento, utì ſanxerat AUGUSTUS teſte *Dione lib.* 55. indigentiâ pecuniæ coactus, & ut alere, exercitus poſſet; quomodo verò Trajanus hanc legem correxerit, fusè Plinius in Panegyr. c. 30. & 38. & 98. oſtendit.

(*13) SUETONIUS de Domit. c. 10. *Philoſophos omnes urbe, Italiáque ſubmovit*: Sophiſtam Philoſtratum contrà Trajanus ita honoravit; ut eum in triumphali curru ſocium habere voluerit. *Tillemont.* in Traj. pag. 284.

(b) Plin. c. 57. & 60. cio minùs reſponderet (b): cæterùm Conſulatûs novi initia id ſpeciale habuerunt, quòd inter candidatos veluti privatus conſiſtens, dein palàm cum Frontone Collega jusjurandum emiſerit (c), quo caput ſuum, ſi ſcientem fefelliſſet, Deorum iræ devovebat. (c) Idem c. 64. Nil ſibi plus, quam reliquis licere voluit, nec alia vota probavit; niſi cùm Rempublicam benè & ex utilitate omnium rexiſſet; & ſiquidem commoda civium id expoſcerent, etiam Præfecti manum gladio armaverat, quo Principem feriret, niſi ſalutem Imperii cum ſuâ duceret conjunctam (*14). Eodem anno C. Plinius Cæcilius ſecundus & Cornutus Tertullus (*15) honorarii conſules in menſem (*16) Septembrem nominati ſunt: ille primo conſulatûs ſui die Principi gratias acturus orationem inſtituit, non brevem illam quidem, quomodo dicere eo loco ad Imperatorem neceſſe erat, ſed ut bono civi convenientiſſimum videbatur, ſpatioſiùs poſteà, & uberiùs, ſcriptis qualem habemus comprehenſam, tribus continuis diebus (d) magnâ Auditorum admurmuratióne pronuntiavit (*17).

Panegyricus Plinii.

(c) Plin. lib. 3. Epiſt. 18.

11. Dum eum in modúm Italia ſub novo Principe effloreſcebat; altùm adhuc ſervitutis macula illa inhærebat, ac penè opprobrium

(*14) XIPHILINUS è Dione p. 778.: *Quin etiam cùm primùm Præfecto Prætorianarum cohortium munere functuro gladium, quo cingendus is erat, præberet Trajanus; eo nudato, ſurſúmque porrecto, ait: Accipe gladium hunc, ut eo, ſi rectè imperem, pro me; ſin malè, contra me utaris.*

(*15) PLINIUS CÆCILIUS ſecundus, P. L. Cæcilio, & matre Pliniâ, C. Plinii majoris ſorore natus eſt in Provincia Transpadana Novocomi, A. Æ. C. 62. Neronis 9. A Fabio Quinctiliano eloquentiam, à Nicete Philoſophiam edoctus eſt. Sex annos forenſes cauſas egit, dein Imperatoris Quæſtor, tum Tribunus plebis, & Prætor, demum A. Æ. C. 97. ærario publico præponitur cum Tertullo, cum quo A. Æ. C. 100. Trajani tertiò Conſul creatus eſt, quando agebat annum 38. *Vide Jacobum de la Baune in vita.*

(*16) Cæterùm notandum ſub Imperatoribus tria fuiſſe Conſulum genera. ORDINARII, qui Kalendis Januariis conſulatum inibant, & quorum nomina faſtis præſcribebantur. SUFFECTI qui ordinariis abdicantibus in aliquot menſes ſurrogabantur. HONORARII etſi ipſum conſulatum non eſſent adepti, ex conceſſione tamen Cæſarum utebantur ornamentis Conſularibus. *Ordinarii* Conſules, & *ſuffecti* dicebantur quandoque *deſignati*; eò quòd ante tempus deſtinarentur in ſequentem annum; gaudebántque hi tunc jam quibusdam prærogativis, ut primi ſententiam in Senatu rogarentur &c.

(*17) De Panegyri ſuâ *Plinius* teſtatur ipſe lib. 6. Epiſt. 27. *Deſignatus ego Conſul, omni hâc etſi non adulatione, ſpecie tamen adulationis abſtinui.* Vitio quidam ei vertunt, quod oratio Poëſin ſapiat. Habita eſt oratio anno tertio Trajani tunc Præſentis, nam licèt de Dacis, & futuris triumphis quædam immiſceat; hæc Plinius poſteà addidit: & *Raphael Fabretti*, uti & *Tillemont* in Trajano exiſtimant eum longo tempore expoliviſſe orationem ſuam, ita ut veram ideam Principis exprimere conaretur.

probrium, quo liberrimus olim Romanus populus à Domitiani victi ætate Decebalo victori annuos cenſus pendebat (e). Dedecoris qualemcunque notam ablaturus Trajanus, in Dacorum Regem movet, qui jam ſedecim annis Romanam militiam vexaverat: pugna eo ardore commiſſa eſt, ut maxima quidem hoſtium cædes, non incruenta tamen Romanorum victoria exiſteret: & cùm ſauciorum tanta multitudo foret, ut ea quoque deficerent, quibus militum vulnera obligarentur; Trajanus Purpuram in lacinias diſcidit ad malè percuſſorum incolumitatem confovendam. Hoc obſequio ſuis impenſo Decebalum per avia, & invia inſequitur: captâ tandem Dacici Regis ſorore, Decebali primùm oratores, dein ipſe Trajani pedibus ſupplex pro pace accidit. Hâc demum initâ Imperator Romam reverſus eſt, ubi (†) triumphi honores (*18), & nomen DACICI Victoris accepit.

(e) Dio lib. 68. p. 771.

Bellum Dacicum.

(†) Reflexio II.

A. Æ. C. 104. & 105.

12. Necdum aliquot annis otium, tranquillitáſque integra Dacos inter & Romanos ſteterat; denuò nuntiatur, Decebalum non pauca contra fœdus moliri: id quippe agebat, ut arma undique jactaret, reciperet transfugas, arcéſque inſtauraret velut latibula perfidiæ (f), ac finitimas nationes ſeu pollicitatione ſeu metu ad defectionem ſollicitaret. Nulli meliùs tantum belli periculum committi poterat, quam Trajano, qui novas copias in orientem trahens, in Myſia Decebali inſidiis appetitus eſt; hic enim Romano exercitui impar, cùm apertâ vi agere non poſſet; transfugas ſubornabat, qui ſpecie alloquii Principem confoderent (g): at conſilio tempeſtivè detecto Trajanus ingenti vitæ diſcrimine defunctus eſt. Poſteà Imperator Iſtrum mirabili ponte junxit (*19), quo legiones citiùs in hoſtem moveret: dein ſecurè bellum geſſit magìs, quàm celeriter; ac Dacos vix tandem ſubegit. Decebalus ubi Regiam, regionémque ſuam ſibi ereptam cognovit; ne vivus in manus victoris incideret (h), ſibi vitam

(f) Dio lib. 68. p. 774. & 775.

(g) Dio l. 68. pag. 775.

Dacia in Provinciam redacta.

(h) Plin. l. 8. Ep. 4.

 anteà

(*18) Ad triumphi celebritatem Trajanus revocavit Saltatores, & Pantomimos, quos antè ex urbe ejecerat, ut notat DIO *lib. 68. p 774.*

(*19) XIPHILINUS *interim Trajanus Pontem lapideum in Danubio faciendum curavit, quem ego quidem dignè admirari non queo; nam etſi Trajani ſunt alia opera magnifica, tamen is Pons longè omnibus antecellit: ejus Pontis Pilæ ſunt XX. ex lapide quadrato; ſingulæ absque fundamentis, altitudine pedum CL. latitudine pedum LX. diſtant inter ſe intervallo CLXX. pedum, ſuntque fornicibus conjunctæ. Cujus operis ſumptus licèt ſit incredibilis, tamen plus admirationis habet, quòd hæc in fluvio gurgitibus pleno, limoſóque alveo facta ſunt; quódque fluxus ejus fluminis aliò averti non potuit &c.*

anteà extorsit: Thesauri tunc ejusdem quoque inventi sunt, utùt eos in Sargetiæ fluminis alveo defodisset (*20). Daciâ in Provinciæ formam redactâ (i), coloniam Zarmigethusæ imposuit Imperator, ab Ulpio Trajano cognominatam (k) aliásque urbes in Mysia ejusdem nominis extinxit (*21).

(i) Aurel. V. Eutropius.
(k) Gruterus.

Triumphus Trajani.

A. Æ. C. 105. & 106.

13. Trajanus in urbem redux alterâ vice de Dacis triumphavit. Spectacula tunc edita sunt dierum centum viginti trium (†), quorum lætitiam auxit novus victoriæ nuncius; per id enim tempus Palma Præfectus Syriæ, cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegítque in ditionem populi Romani (l): inde Imperatoris fama ad ultimas orbis oras perlata regulos cunctos Orientis perterruit; hi igitur, ut funestum Cæsaris bellum averterent, ex ipsa adeò India pacis oratores miserunt (m). Brevi intervallo, quo Trajanus Sagum cum toga mutaverat, Romæ ædificia civibus, insignem Bibliothecam Ulpianam artium alumnis erexit, & ne suæ quoque gloriæ deesset, in foro suo columnam prægrandem excitavit, Dacicis Præliis illustratam, quæ deinceps suis exuviis daret tumulum, & rebus gestis æternum monumentum (*22).

(†) Reflexio III.
(l) Euseb. Chronic.
(m) Aurel. V.
Dio p. 777.

14. A

(*20) IDEM *in Trajano: Thesauri Decebali, quanquam in Sargetia flumine, non procul à Regia ejus repositi erant, inventi sunt. Decebalus enim flumine operâ captivorum aversi, perfossoque alveo, magnam vim argenti, aurique, tum pretiosissimas quasque res, atque delicatissimas... eò congesserat; iisque rebus magnis lapidibus, aggeribúsque tectis flumen pristino alveo restituerat: Prætereà & alia ... abdiderat in speluncas per eosdem servos; eósque peracto negotio jusserat occidi; ne quod actum erat, patefacerent. Sed Bicilis socius, & familiaris Decebali, captus hos thesauros indicavit.*

(*21) BAUDRANDUS *in Lexico Geographico* ostendit varia monumenta à Trajano in Oriente posita: nempe *Trajanopolim* in Thracia, *secundam Ulpianam* in superiore Mœsia, & hodiè in Servia: *Plotinopolim* ab uxore dictam in Thracia inter Trajanopolim & Adrianopolim, *Marcianopolim* à sorore Cæsaris nominatam itidem in Mœsia; demùm *Nicopolim*, quam erexit Trajanus ob victoriam contra Sarmatas reportatam, vide TILLEMONT. pag. 306.

(*22) JACOBUS BOISSARDUS P. III. ait: *Columnæ quoque mirandi fuerunt artificii, positæ diversis locis in urbe: quarum duæ supersunt adhuc artificio celebres: omnium integerrima est Trajani Columna Cochlis, quæ in foro Principis ejusdem stat erecta, inter forum Nervæ, Capitolium, & Quirinalem; in ejus ambitu rerum gestarum series à Trajano, elegantibus historiis sculptura expressit. Per eam intrinsecus conscenditur gradibus 185.: fenestellæ 40. lucem præbent ascensui. Alia est columna cochlis non minoris altitudinis, non procul à templo S. Laurentii in Trullio, quæ Antonino Pio sacra fuit, ad cujus fastigium non patet ascensus, sicut in Trajani columna; quòd hæc Antonini mediâ sui parte confracta, gradus & concavitas interna plane sit ruderibus obstructa, neque amplius sit pervia.*

14. A cultura urbis ad limites Imperii proferendos denuò A. Æ. C.
Cæſar animum adjecit. Armeni, Parthíque, eoquòd in partes 106.
ſciſſi, & mutuis bellis attriti languebant, opportuniores cladi vi-
ſi ſunt (n): in hos itaque dum Trajanus invehitur; ne temerè (n) Dio l.
bellum ſuſceptum hoſtes dicerent; cauſa quædam belli conficta 68. p. 778.
eſt; ſcilicet Regem Armeniorum Romanis obſtrictum, prætermiſſo
Cæſare, diadema à Parthorum Principe accepiſſe (*23). Facto
itinere ubi Athenas Trajanus advenit, Choſrois Parthorum Re- A. Æ. C.
gis legatos obvios habuit cum muneribus (*24): hæc dona ſive 107.
ſupplicum, ſive paciſcentium eſſent; Cæſar amarè deſpectans, *Bellum Parthicum.*
de pace ſe acturum ſolùm repoſuit, cùm in Syriam appuliſſet.
Per iter Antiochiæ (*25) Jovis idolo præcipua Dacorum ſpolia
dicavit, poſteà quaſi ſumptis auſpiciis in Armeniam properatum
eſt; hoſtibus ità exterrefactis, ut aut quærendi viderentur, aut ea
præſtarent, quibus ſe ſubactos potiùs, quàm vincendos profeſſi
ſunt. Parthamiſiris Rex Armeniorum ſpe regni ſibi reddendi,
clientum more Principatûs inſignia ad Trajani pedes depoſuit (o); (o) Dio p.
ſed Cæſare præter opinionem diadema retinente, inutili queſtu 779. 780.
id duntaxat impetrabat, ut ſibi vivo ex caſtris Cæſaris egredi li-
ceret. Devictâ Armeniâ, Boſphori, Colchidis, ac Sarmatarum
Provinciæ velut ſponte quæſito jugo ſe ſubmiſerunt (p). Poſt (p) Eutropius.
has acceſſiones adversùs Arabes, & Meſopotamiam arma prolata
ſunt, Trajano militem ad difficillima itinera & pugnas ubique
pedibus præeunte (*26).

15. Feſ-

(*23) Anno Æ. C. 66. Tiridates Romam venerat, diadema à Nerone recepturus, ùt fusè exponit *Tacitus* lib. 15. a. c. 26. ad 31. ex quo facto Romani dein Cæſares jus ſibi vindicabant Parthorum Reges inaugurandi vel confirmandi.

(*24) XIPHILINUS è *Dione* m. p. 345. *poſtquàm in fines hoſtium, Trajanus, pervenit, Satrapæ, qui regionem tenebant, regésque cum magnis muneribus ei proceſſerunt obviàm, inprimisque adduxerunt equum doctum, hominem venerari; ita ut flecteret anteriora genua, & cervicem pedibus ejus, qui propè adeſſet, ſubmitteret.*

(*25) JOANNES MALELA pag. 35. refert Trajanum Româ menſe Octobri exiiſſe, & Seleuciam veniſſe menſe Decembri: ingreſſus eſt autem Antiochiam, portans corollam oleagineam, ſextâ Januarii, quo tempore S. Ignatius ad beſtias damnatus eſt.

(*26) XIPHIL. è Dione l. 68. p. 781. Trajanus *pedibus iter faciebat ſemper cum exercitu; inſtruebátque milites, quoties proficiſceretur; eósque variis modis ductabat. Pedibus non aliter, quàm illi, tranſibat flumina: nonnunquam falſos rumores pro veris, & maximè de iis rebus, quas exploratores retuliſſent, ſpargebat; ut milites imperata facere aſſueſcerent, promptique ad omnia, & intrepidi eſſent.* Plura de rebus geſtis Trajani complexus fuerat ARRIANUS coævus libris 15. ſed hi interciderunt, ut habet *Photius* C. 58. p. 52.

A. Æ.C. 115.

(q) Dio lib. 68. p. 781. & 783.

Ingens terræ motus Antiochiæ.

15. Fessum exercitum recreaturus Imperator Antiochiæ per hyemem substitit, quo tempore urbem tam validus terræ motus concussit (q); ut retroacta sæcula funestiorem cladem vix senserint (*27): ingens hominum multitudo casu lapidum oppressa est, nec mortem vitâsset Cæsar; nisi quidam humanâ specie augustior, & major, Principem inter rudera, & parietinas incolumem per fenestram extraxisset. Neque tamen ea strages suscepti belli cogitatus interrupit; nam ineunte vere Trajanus in Parthorum fines irrumpens, Adiabenem totam sibi subjugavit: Arbela, & Gaugamela à victoriis Alexandri notæ urbes expugnatæ (r); demum capta Babylon (*28) cum Ctesiphonte Parthici regni Sede, quibus peractis Senatus Cæsari nomen *Parthici* decrevit, simúlque voluit, ut quoties liberet, Romam triumphans ingrederetur: quamvis Deus ejus crudelitate in Christianos offensus, his favoribus Tyranno brevì morituro uti non concesserit; quin ei etiam illa abstulit, quæ tot expeditionibus paraverat.

(r) Eutrop.

Ultimæ expeditiones Trajani.

A. Æ.C. 116.

(s) Dio l. 68. p. 784.

16. Anno sequente, belli æstu incensus Imperator ad mare rubrum descendit: variis ibi periculis jactatus, ad Oceanum venit (*29), cujus naturam, dum curiosiùs investigat, navigantes fortè in Indiam conspicatus: *Ego quidem*, inquit, *si juvenis essem, in Indiam trajicerem* (s); Indicas enim res agitabat animo, earúmque magno studio tenebatur, Alexandri Magni exemplum secuturus, si licuisset; in Oceano quippe naviganti Imperatori subitò renuntiatum est, gentes plurimas, dejectis cæsísque præsidiis, ingenti tumultu deficere: mutato itaque consilio Maximum legatum

(*27) XIPHILIN. è Dione p. 346. *Nulla fuit gravis calamitas, quæ non sit illis hominibus illata. .. cùm jam cessâsset terræ motus; fuit, qui ruinas audacter conscenderet; qui postquàm in iis vocem vivæ mulieris intellexit, quæ secum habebat infantem, eúmque ac seipsam lacte suo sustentabat; loco, in quo erat, perfosso utrumque incolumem servavit; quo facto, indagare cœperunt cætera; neminem tamen amplius vivum invenire potuerunt, præter puerum alterum, qui matris mortuæ ubera sugebat.*

(*28) IDEM *ibi* (Babylone) *Trajanus vidit lacum bituminis, ex quo mœnia Babylonis ædificata fuerunt; cujus tanta vis est, ut permixtum cum lateribus, aut minutis lapidibus, quovis saxo sit, aut ferro potentius: ostium quoque ejusdem spectavit; unde tam gravis halitus manat, ut eum nulla animalia terrestria, nullæque volucres perferant; cujus solo olfactu intereunt.*

(*29) IDEM pag. 349: *Navigabat adductus famâ eorum, quæ illic esse ferebantur (quæ tamen opinioni non responderunt) nihil enim vidit præter aggeres, fabulas, ruinas; itemque propter Alexandrum, cui etiam parentavit in iis ædibus, in quibus mortem obierat.*

tum mittit, qui parta tueretur; ast hoc ab hostibus superato, Lucius aliique Duces suffecti meliùs rem pro Trajano gessêre. Nisibis, & Edessa recuperatæ, cæteræque regiones vel ad servitutem revocatæ, aut incensæ (t). Parthis eodem tempore seditionem respectantibus sponte Rex impositus (u): Judæi quoque domiti, sive ii, qui circa Cyrenem, Romanos, Græcósque internecione crudelissimâ deleverant, sive ii, qui in Ægypto, Cypróque ducenta hominum, & quadraginta millia ferociter sustulisse dicebantur (*30).

Defectio Provinciarum.
(t) Idem pag. 785.
(u) Euseb. lib. 4. c. 2.

17. Postremum annum Imperii & vitæ Trajanus egerat, dum adversùs Agarenos (Arabiæ populum) profectus, Agaram primariam eorum urbem adoritur (*31); inde autem non tantùm sagittis hostium, inediâ ac soli æstu, sed & tonitru fulminibúsque cœli pro urbe simul depugnantis repulsus, adversâ valetudine (x) corripitur: quare malo indies ingravescente iter in Italiam reflexit; relicto in Syria cum legionibus Publio Ælio Adriano: in Ciliciam advectus resolutis primùm stupore membris, dein aquâ intercute repletus apud Selinuntem urbem (y), quæ & Trajanopolis posteà dicta est, repentè obiit anno ætatis suæ 64. Imperii vigesimo (*32). Uni ex omnibus Imperatoribus & triumphus mortuo decretus, & sepulchrum intra urbem datum; Cadaveris exusti cineres aureo inclusi vasculo, expressâ ejusdem imagine, perinde atque in triumphis fieri solet, Romam delati sunt (z):

A. Æ. C. 117.
(x) Dio l. 68. p. 786. Eutrop.
Mors Trajani.
(y) Dio p. 786.
(z) Aurel. V.

18. Fuit Trajanus firmo, proceróque corpore, specie prorsus Imperio dignâ; de dotibus animi meritò dubites, an domi, an

Adr. V. p. 3.

(*30) XIPHILIN. è Dione p, 350. *Judæi, qui circùm Cyrenen habitabant, Andrea quodam Duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt, vescuntúrque eorum carnibus, edúntque viscera; tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur: Multos à vertice Serris discidêre medios, multos objecere bestiis; multos etiam inter se certare coegerunt; ita ut interierint hominum ad ducenta viginti millia. Præterea in Ægypto, Cypróque, Artemione Duce, Cypriorum cædes consimilis facta est; ubi desiderata sunt hominum ducenta quadraginta millia; ex quo fit, ut Judæo in Cyprum venire non liceat.*

(*31) IDEM urbem Agaram ità describit: *finitima Regio magnâ ex parte deserta est, quia in ea aquæ rarò inveniuntur. atque illæ parum salubres; quódque in ea ligni, pabulique magna sit penuria; ex quo fit, ut ibi magna hominum multitudo esse non possit, tum verò ardentissimis caloribus, quibus exposita est, defenditur. Itaque eam neque Trajanus, neque posteà Severus cepit.* Plura habet Herodianus lib. 3.

(*32) Regnavit 19. annis, sex mensibus & quindecim diebus. Vide *Tillemontii notationem 28. ad Trajanum.*

Virtutes & vitia. an militiæ fuerint clariores? metuendus æquè hostibus; ac suis charus. Memoria proinde ejusdem apud Romanus eo loco fuit, ut posteri semper, quoties in Senatu Imperatorem deligerent, publicis votis exoptarint, utì felicitate Augustum & probitate Trajanum adæquaret (a): nec defuerunt scriptores, qui notarent, Principem fuisse, in quo Dii effecissent, ne quid desideraretur: quamvis alios contrà legere sit, qui vitam Cæsaris hujus penitiùs scrutati, non pauca in eo desiderârint. Aurelius Victor eundem vinolentiæ (b), Dio infamium libidinum (c), alii crudelitatis in Christianos (*33), alii aliorum vitiorum accusant: (d) atque ut his caruerit, certè Ethnico homini fides defuit, & janua salutis; ut vel ideo dignoscas facilè, fabulis accensendum, quod de Trajani anima Gregorii M. precibus ab inferis erepta quidam evulgârunt (*34).

(a) Eutrop. brev. l. 8.

(b) Aurel. Vict. Epit.

(c) Dio l. 68. p. 772.

(d) Julian. p. 38. & 39. Ammian. l. 24. & 27.

Fabula de redempto Trajano ab inferis.

§. II.

(*33) TERTULLIANUS Tyrannidem, quâ Christianos exagitavit Trajanus, perstringit *in Apologia.* JACOBUS DE LA BAUNE conatur eum excusare, dum Procuratoribus Trajani omne crimen tribuit, ut qui severiùs usi essent edicto illo, quo *hæterias* seu conventicula, in quibus ad seditiones excitandas audierat homines novitatis studiosos convenire, inconsultiùs prohibuerat. Sed nos de his in Cap. 2. plura.

(*33) De Trajano ab inferis liberato per S. Gregorii M. preces mentionem primè fecit PAULUS DIACONUS in Vita c. 27., dein eadem iteravit JOANNES DIACONUS in vita ejusdem Gregorii lib. 2. c. 44., quæ habentur Tomo IV. operum S. Gregorii. S. JOANNES DAMASCENUS, & EUCHOLOGIUM GRÆCORUM c. 19. idem confirmant. Verùm duos Diaconos vitæ Gregorianæ scriptores refellit ipse S. Gregorius lib. 7. Epist. 15., ubi negat Christum eos liberâsse ab inferis, qui se à Deo malè vivendo separaverunt; & secus sentire esse hæreticum prædicavit: & lib. 4. Dialog. c. 44. consulit, *ut non orent SS. homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis.* Et Baronius ad ann. 604. §. 41. *Joannes Diaconus, qui sub Joanne VIII. trecentis ferme post annis ab ipso Gregorio vixit, ac scripsit in urbe vitam ipsius; ubi ad locum hunc devenit, ut narraret, rem adeo celebrem, scriptóque firmatam, certis testibus posteris eam relinqueret; hæsisse planè visus est in salebris, dum nihil habuit, quod ad rem testandam ex Archivo Romano peteret &c.* JACOBUS DE LA BAUNE ait hanc proinde opinionem unam fuisse ex iis, quæ jactari dicuntur ab omnibus, diligentiùs examinatæ nullum habent auctorem: demum oratio JOANNIS DAMASCENI, *de iis, qui in fide dormierunt*, ubi hæc historia de Trajano liberato, asseritur, est Damasceno supposita; in Dialogo enim contra Manichæos §. 65. ait: *Sicut dæmones post lapsum non resipiscunt, neque etiam Angeli nunc peccant; sed utrique hoc habent, ut nulla in ipsos mutatio cadat; sic homines post obitum conversionem nullam admittunt.* Vide *Lequien* Dissert. 5. ex Damasc. §. 3. ex Pseudo-Damasceni oratione in Euchologium Græcorum transiisse fabulam quis mirabitur? breviter & solidè hæc decidit LAMBERTINUS de Serv. Dei beatif. lib. 3. c. 10. §. 6. & NATALIS ALEXANDER in Hist. Eccl. Sæc. II. Dissert. I. Theologi quidem post *Magistrum sententiarum* in 4. dist. 45. id si factum est, explicant, quomodo fieri potuerit: sed utrum factum sit, plerique eorum valde dubitant.

§. II. ADRIANI *acta ante Imperium, initia Regni, abdicatio Provinciarum, modestia, & liberalitas, itinera longinqua Cæsaris, bellum Judæorum, adoptatio successoris, morbus & mors Adriani.*

1. P. Ælius Adrianus, cui vivens adhuc Trajanus Syriæ gubernacula tradiderat, à mortui Cæsaris conjuge Plotina totum Imperium accepit. Natus is mundo erat anno Æræ Christianæ LXXVI. nono Kalendas Februarias (a): anno ætatis decimo Parente Ælio Adriano Afro, & Trajani Imperatoris consobrino, orbatus, sub cura ejusdem Ulpii Trajani adolevit: ingenio inde promptissimo Græcorum artes complexus (* 1), datâque militiæ insigni operâ, neptem Cæsaris Sabinam Plotinæ beneficio uxorem sortitus est (b). Ita propinquitate, ac affinitate Cæsari conjunctus, in secunda expeditione Dacica Primæ Legioni præficitur: nec officio Dux strenuus defuit; nam exercitûs veluti anima, & victoriæ magna pars à Trajano rerum gestarum ergò adamante gemmâ donari meruit, quæ simul futuri Imperii pignus videri poterat, eoquòd eodem munere Trajanum Nerva, ídque in spem successionis dotaverat. Post Præturæ, binarúmque legationum functiones à Syriæ præfectura ad fasces Imperii supremos designatur, an adoptante Trajano, aut adoptionem fingente Plotinâ, incertum est (* 2).

(a) Spartianus in Adriano.

(b) Xiphilin. in Adr sub init.

Adriani acta ante Imperium.

Zz 2 2. Re-

(* 1) *E Dione* XIPHILINUS: Adrianus fuit *ingenio ad studia bonarum artium, & utriusque linguæ prompto: itaque nonnullos libros solutâ oratione, & complures versibus scriptos reliquit: erat enim gloriæ & honoris cupidissimus, ob eámque causam cæteris vel minimis rebus operam dedit. Nam & statuas fecit, & tabulas pinxit: tum ea, quæ in pace bellóque gerantur, quæque ad Regem, privatúmve pertineant, se profitebatur scire: multósque propterea, quòd in aliqua arte, aut facultate excellerent, oppressit, multósque sustulit; cupiens scilicet ipse omnibus antecellere*

(* 2) SPARTIANUS negat Trajano fuisse in animo Adrianum adoptare, sed Neratium Priscum, cui olim ad bellum proficiscens, *Commendo*, inquit, *tibi Provincias meas, si quid mihi fatale contigerit*: fortasse etiam eâ in re Alexandro M. similis esse vovoluit, ut successorem nullum eligeret. AURELIUS VICTOR addit, *fuisse, qui putarent, Adrianum Plotinæ Trajani Conjugis favore imperium esse assecutum, quæ viri testamento hæredem illum simularet.* Quod quidem Dio à Patre suo Aproniano, qui tunc Ciliciæ præerat, certò se accepisse confirmat: imprimis Trajani mortem occultatam esse per aliquot dies, dum adoptio rata esset, idque ex literis ejus ad Senatum cognitum esse, quibus literis non ipse, sed Plotina subscripsit, quod aliàs factum fuerat nunquam.

A. Æ. C. 117. *Initia Adriani regnantis.* (c) Dio lib. 69. pag. 788. (d) Spartianus v. p. 3.

2. Regnum adeptus, per litteras à Senatu expetiit, Principatum sibi firmari, atque ut precibus inclinaret animos; testabatur, se nec honorem nec titulum, quem non jussisset Senatus, admissurum (c); inductum autem esse ad suscipiendum Imperium à cogente milite, quòd sine Imperatore Respublica esse non posset (d). Conciliatis hunc in modum Romanis restituendæ per Orientem paci consilia intendit: & quoniam Imperium amplissimum magnitudine jam suâ laborabat; revocatæ copiæ sunt ab iis Provinciis, quæ motibus bellicis convellebantur (a): abdicata igitur Armenia, Mesopotamia & Assyria, & quidquid trans Euphratem ad Tigrin erat, id omne hostibus relictum, exemplo, ut vulgabatur, Catonis, qui olim Macedonas liberos pronuntiâsset, eoquòd teneri non possent (*3): restricto ad pristinam formam Orientis limite Daciam quoque Cæsar, quòd turbulenta esset, deserere statuit, sed deliberantem Principem à proposito amici deterruerant, id maximè causati, prospiciendum esse, ne Romani cives, quorum infinitam multitudinem Trajanus ad devictæ Daciæ culturam illuc transtulerat, barbaris deinceps servire cogerentur (f). Dacorum Regiones etsi hâc ratione servatæ sint; persuaderi tamen Cæsari non potuit, ut sumptuosum Trajani Pontem iu Daciæ finibus, Danubio impositum sineret: quin cùm superiores Pontis partes disturbari juberet (g), metuere se ajebat, ne barbari in Mysiam hoc facili itinere illaberentur; providum id equidem ad tempus consilium, sed prohibere Princeps non poterat, ut non totus Danubius glacie hybernâ consistens vicinis populis pro valido ponte esset ad sæpiùs lacessendas Colonias Romanorum.

(e) Adr. v. p. 3. *Abdicat spontè Provincias à Trajano adjectas.* (f) Eutropius. (g) Dio lib. 68. p. 776.

A. Æ. C. 118. *Modestia & liberalitas Adriani.* (h) Spartian. in Adr. p. 3.

3. Altero ab adito Imperio anno Romam Adrianus venit: Senatus pro suo in Cæsarem obsequio eidem triumphum, Trajano debitum, & simul nomen Patris Patriæ decernebat: utrumque abnuit Imperator; nam & titulum Paternum se ad exemplum Augusti, seriùs meriturum dicebat: & ne Optimus Trajanus etiam post mortem triumphi honores amitteret, imaginem illius curru triumphali vexit (h): eodem tempore tertiò congiarium populi

(*3) AUGUSTINUS de Civ. D. l. 4. c. 29. ridet stultitiam Romanorum, quâ delirabant, *Deum limitum* Adriano abdicationem Provinciarum noluisse impedire, sed isto, fictitius Deus obstitisset, certè voluntati Adriani cedere debuisset.

populo diſpenſavit, & remiſſo *auro coronario* (*4) tributa omnia, quæ fiſco vel ærario debebantur in annos ſexdecim condonavit (i), ſyngraphas in foro Trajani, quo magìs ſecuritas omnibus reboraretur, concremando (* 5). Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis adſcivit; & Senatorum conventibus, cùm in vel juxta urbem eſſet, intereſſe ſolitus, id ſæpe pronuntiabat: *ita ſe Rempublicam geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam.* Hunc in modum agentem Cæſarem è foro ad bellum evocant Sarmatarum, ac Roxolanorum tumultus (k), quos tam ſubitò reſtinxit, ut fama eſſet, Cæſarem ab hoſtibus pacem emere.

(i) Dio l. 69. p. 791. Euſebii Chronic.

(k) Dio lib. 69. p. 792.

A. Æ. C. 120.

4. Cùm Adrianus laborum patientiſſimus foret, ſubinde Romanum orbem luſtrandum ſuſcepit (* 6): Galliam primò adiit, ubi de Præſidibus, ac Procuratoribus quæſtione habitâ, ſceleris puros præmiis, rapaces contrà hirudines pœnis inſequebatur (l). E Gallia in Germaniam movit Romanarum copiarum præcipuam altricem, unde eò ſuam operam conferebat, ut militem, quaſi continuò bellum immineret, exercens, variis quoque tolerantiæ documentis imbueret (m). Barbari intereà Britanniam vexabant latrocinio magìs, quàm bello infeſti: horum licentiam caſtigaturus Imperator in Britanniam tranſiit: oppoſuítque genti feroci à Glottæ æſtuario ad Boderiam per octoginta paſſuum millia murum ſtipitibus arctè implicatis conjunctum (*7). Ordinatis Britanni-

(s) Dio l. c. *Itinera Adriani per Provincias.*

(m) Spartian. p. 5.

(*4) TILLEMONT. in Adriano pag. 385. ait, *aurum Coronarium* fuiſſe, illud donarium quod omnes urbes conſueverant offerre Imperatoribus poſt eorum Victorias.

(*5) *Spanhemius* Differt. XIII. pag. 552. de reliquis tributis ab Adriano abolitis ita refert: in aliquot Adriani nummis largitiones ejus ingentes legimus: nempe. RELIQUA VETERA H-S. NOVIES MILL. ABOLITA. *Seu ſeſtertium novies millies*: extat apud eundem nummus, in quo Adrianus lævâ ſceptrum, dextrâ facem accenſam tenet, quâ jacentem in terra chartarum congeriem exurit, Plura de hac liberalitate Adriani videri poſſunt apud eundem *Spanhemium* pag. 552. & 553.

(*6) BIRAGIUS pag. 175. & 176. varios nummos profert, quæ oſtendunt Cæſarem fuiſſe in Gallia, in Hiſpania, in Mauritania, in Africa, in Lybia, in Sicilia, Achaja, Eubœa, Macedonia, Ægypto, Palæſtina, Arabia, Syria, Cilicia, Pamphylia, Lycia, Cappadocia, Phrygia, Aſia, Bithynia, Thracia, Mœſia, Dalmatia &c.

(*7) ALFORDUS *in annal. Britann.* Tom. I. pag. 109. Adrianus ab Itunæ Æſtuario ad Tinæ fluminis oſtium, per octoginta millia paſſuum ex magnis ſtipitibus, in modum muralis Sepis, funditus jactis, intràque ſe connexis, aggerem, vallúmque primus excitavit: ne hoſtis in Romanam Provinciam, acturus prædam irrumperet. Julius quidem Agricola olim ſimili induſtriâ ſeptentrionalem Scotorum populum à Britannorum finibus

tannicis rebus Adrianus Galliam revisens, in honorem Plotinæ, cujus studio consecutus erat Imperium, Basilicam opere mirabili exstruxit.

5. Post hæc Hispanias ingressus, monumentum hic nobile reliquit Augusti templum (n), quo restaurato, ad Orientem profectus, in via Atheniensibus leges Solonis, ac Draconis, ut petierant, confirmavit (o); Parthorum inde motus compescuit privato cum hostibus alloquio, quo paciscendi genere ostensum est, plus nonnunquam Principibus prudentem eloquentiam, quàm arma, & exercitus commodare. Ex Oriente reversus Athenis substitit, ubi Eleusina sacra exemplo Herculis, ac Philippi suscepit; transitâ tandem Siciliâ Romam appulsus est: parentavit illinc Plotinæ Trajani viduæ jam defunctæ (p), & lustratâ subinde Africâ (*8) Romæ denuò templum Veneri unum (*9), & posteà Athenis Jovi Olympio alterum (q) adornavit.

(n) Adr. v. p. 6.
A. Æ. C. 122.
(o) Euseb. Chronic.
A. Æ. C. 124.
(p) Dio lib. 69. p. 792.
(q) Adr. p. 7.

6. Exinde Asiam peragrans Toparchas, & Principes, ac Cosrhoen Parthorum Regem beneficiis devinxit; infestior tamen Judæis fuit, cum quibus longè gravissimum bellum gessit. Nihil pejus habebat Hebræam gentem, quàm servire Romanis, cujusmodi jugum ex eo potissimùm gravabatur, quòd sancta civitas in Romanam coloniam versa, & gentibus profanis habitata, nomen ab Adriano *Æliæ Capitolinæ* induisset; templi autem loco staret abominandum Jovis Capitolini simulachrum (r). Non parvi igitur bellorum motus gliscebant, qui tunc in apertam vim erupêre; quando Cæsar se à Syria paulò longiùs sejunxerat. Judæi

A. Æ. C. 130.
(r) Euseb. lib. 4. c. 6. Dio l. 69. p. 793.
A. Æ. C. 132.

finibus excluserat; sed ille arctiùs in Septentrionem provectus, Glottam, & Bodotriam Romani Imperii terminos fixerat; verùm nunc miles, experientiâ doctior, vidit toto illo terrarum tractu, nullam cupiditatis illecebram, pro qua pugnandum, aut laborandum esset. Continuit ergo se ad Australem plagam; & quod Agricola præsidiis firmaverat, ultro hostibus indulsit, munivítque cætera, ob quæ omnia in nummis Adrianus legitur, BRITANNIÆ RESTITUTOR.

(*8) Sacra Eleusina, erant ritus dicati Cereri & Proserpinæ: nomen sumpsêre ab Eleusi, quæ urbs Athenis erat proxima, vide *Hieronym. Chronic. & V. illustr. c. 19.*

(*9) Athenis eo tempore ædificatum esse templum, quo Adrianus solennia fundatæ Romæ 21. Aprilis sub nomine *Palilium* instituta, *Romana* dein appellari voluit. AURELIUS VICTOR testatur combustum templum hoc, sub Maxentio restitutum, quod velut portentum Constantius Romæ admiratus est. Ut habet *Ammian.* lib. 16. pag. 71. *Apollodoro* Architecto celeberrimo, qui Pontis super Danubium sub Trajano structor fuerat, formam templi hujus miserat Adrianus; is ubi quædam in ædificio corrigenda proposuerat; iratus Cæsar eum exilio, dein morti addixit.

dæi ſeditionis authorem habuêre Barcochabum, ſive *filium ſtellæ*, (s) quo nomine impoſtor alluſit ad vaticinium celebre: *orietur ſtella ex Jacob* (t); atque ut religionis ſpecie, animos ſuorum accenderet, aſſumpto Meſſiæ titulo, quinquaginta caſtella, & arcem Bethoron communiit (*10). Præſide Judææ Rufo languidiùs bellum trahente, ex Britannia Julium Severum potentiſſimum Ducem Cæſar evocat: is aperto marte cum deſperata gente congredi non auſus, ſeditioſis commeatum interclusit, dúmque cum fame magìs, quàm cum hoſte luctarentur; in palantes manipulos duntaxat invectus, omnium rabiem tandem edomuit. Intereà Cæſar in Syriam redux caſtellum Bethoron obſidione cinxit, quo poſt tres annos capto Dux Barcochabus cum Talmudicarum fabellarum artifice Akiba (*11) peſſimâ nece interiêrunt, in hoc bello potentia Judæorum, quanta reliqua fuit, fracta eſt, cæſis quingentis octoginta millibus (*12): cladi ignominiam hanc Adrianus addidit, quòd Æliæ portis ſuem inſculptam (u), Judæóſque perpetuò ab urbe abeſſe voluerit (x).

(s) Hierón. in Dan. 9. (t) Numer. 27.

Bellum Judæorum.

7. Atque ità quidem pace terrâ, maríque partâ Romam magnificis, multíſque ædificiis deinceps ornare aggreſſus eſt (y), quorum etiamnum hodiè quædam ſuperſunt; caſtrum videlicet Angelicum (*13), quod moles Adriani dicitur, & Pons quidam, qui vel ideo Pons Ælius appellatur (z). Demum ubi orbem univerſum, civitatémque Romam legibus, ac conſtitutionibus

(u) Euſeb. lib. 4. c. 6. Hier. in Eſ. 6. (x) Juſtin. Apol. 2. Tertull. ap. c. 21. (y) Adr. V. n. 8. (z) Goltzius in Adr.

(*10) *Barchocabus*, ut ait JUSTINUS *Apol. 2.* in Chriſtianos maximum furorem excitavit, qui nec Chriſti repudium dare, nec contra Romanos eidem ſe adjungere volebant.

(*11) PEZRON. *defenſe de l'Antiquité des temps*: Akiba 40. annis Judæis præfuit utpote eorum Patriarcha legis, quod oretenus Judæi acceperunt, ſive traditionum author is habetur, quæ dein in Miſchnam, & in opus Talmudicum congeſtæ ſunt, eo fine, ut verus ſcripturæ ſenſus everteretur: Supplicium ſuorum ſcelerum ſubiit à Romanis captus, & clavis ferreis dilaceratus.

(*12) TILLEMONT. *Artic. V. des Revoltes de Juifs* cladem Judæorum latiùs deducit.

(*13) BOISSARDUS *de antiquæ urbis Rom. ſtatu pag. 16.* Inter cætera monumenta, quæ Romæ fuerunt celebria, moles illa Adriani Imperatoris facilè eminuit; hanc Imperator erexit, variíſque marmoribus, ſignis & columnis pretioſiſſimis exornavit: in qua cineres Antoninorum aſſervarentur. Ejus molis ornamenta poſteà detracta ſunt, & ad ædificia publica applicata: dum arx in ea ſtrueretur, quæ hodiè Caſtellum S. Angeli dicitur. Columnæ illæ templi veteris Vaticani, omnium, quæ in tota Italia videntur ſpecioſiſſimæ, ſepulchri hujus pars ſunt. Vide & PROCOP. *de bell. Gothico lib. 1. c. 22.*

bus exornâsset (*14), in diutinum morbum incidit, cui ex tot itineribus, quæ inter imbres, nudóque capite confecerat, causam dederat (a). Crescente periculo, ac morbi vi Lucium Cejonium Commodum Verum adoptabat; at compertâ hujus sinistrâ valetudine, querebatur Cæsar, in caducum parietem sese inclinâsse (b): mortuo Commodo Arrius Antoninus delectus est, qui dictus est Pius (c), sed eâ lege, ut duos hic sibi adoptaret Annium Verum, & Marcum Antoninum. Hi sunt, qui posteà duo pariter Augusti primi rempublicam gubernarunt (d).

(a) Spartian. in Adr.
(b) Idem in Æl. Vero.
(c) Capitolin. in Anton.
Adoptat Successorem.
(d) Spartian. in Adr. §. 13.

7. Inter auctos morbi cruciatus, cùm continuò Imperator deficeret; in Medicorum multitudinem calamitatis suæ causas conjiciens, Bajas petit: illinc lentâ tabe exesus, ac furenti similis, in multorum vitam iniquo imperio, atque in se ipsum stricto ferro non semel sæviebat; sed & illos, & Cæsarem desperantem ab interitu Antoninus servavit, sanctè, & piè volens exspectare Imperium, ut eo se digniorem præstaret (e). Tandem Adrianus magicis abusus præstigiis, atque in vetitos cibos profusus mortem sibi acceleravit, postquàm næniam timoris sui de futura vita indicem sibi occinuisset (* 14). Obiit anno Æ. C. 138., Imperii 21. die 10. Julii: cùm vixisset annos 62. menses quinque, & dies septendecim. Vir, de quo mireris, pluresne artes ingenio capacissimo, an vitia animo complexus sit? Musicus quippe, Geometra, Pictor, & æris, marmorisque Artifex, Atheniensium studia, ac disciplinas sectabatur: libidine contrà adversùs Antinoum infamis, & crudelitate in artium æmulos, amicósque ferocissimus odium sui tantum reliquit; ut Senatus ejus memoriam, factáque abolevisset, nisi Antonini pietate emollitus à proposito abstitisset (f).

Morbus & mors Adriani.
(e) Dio l. 69. p. 797. Victor. Epit.
A. Æ. C. 138.
(f) Spartian. in Adr. Eutropius.

§. II.

(*14) SPARTIANUS in *Adriano* varias leges hujus Imperatoris commemorat, inter quas erant præcipuæ, ne viri cum fœminis communi balneo uterentur, ne mancipia lanistæ, aut lenoni venderentur, & ne deinceps homines immolarentur in sacrificiis. *Videatur* TILLEMONT. in *Adriano* p. 437. GODEFREDUS censet Adrianum novæ Jurisprudentiæ authorem fuisse, quæ observata fuit, usque dum Codex Theodosianus evulgatus est. *Vide Cod. Theod. proleg.*

(*15) SPARTIANUS in Adriano §. 24. & moriens quidem hos versus fecisse dicitur:

Animula vagula, blandula,
Hospes, comésque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

§. II. ANTONINI *acta ante Imperium, & in Imperio, sollicitudo erga subditos, mansuetudo in hostes, Pacis studium, ejus æstimatio apud exteros Reges, Mors, & Funeris pompa.*

1. ANtonino Nemausium Galliæ transalpinæ pro Patria fuit, (a) ejus familia dicta Aurelia à vetustate magìs, quàm progenitoribus illustris (b); maximum à tanto Imperatore decus accepit. Natus est 19. Septembris anno Æ. C. 86. Patre Tito Aurelio Fulvo viro Consulari (*1): Antonini nomen puero accessit ab Avo materno Arrio Antonino bis Consule, quem olim Nervæ Imperium adeunti indoluisse ferunt (c): adolescentiam ubi honestissimè exegisset; gener, & filius adoptivus Adriani supremum Principatum obtinuit.

(a) Capitol. in Anton.
(b) Aurel. V.
Antonini natales & vita ante Imperium.
(c) Vict. Epit.

2. Exordia Imperii ità moderatus est, ut PIUS à Senatu appellaretur (*2): hujus verò pietatis per omnem deinceps vitam documenta dedit. Nam utì formâ, ingenióque conspicuus; ità moribus clemens, sobrius, alieni abstinens, superbæ jactantiæ osor (d), optimas dotes ad gubernandam rempublicam afferebat (e). Negotiis reipublicæ viros egregios præficiebat, horum (*3) utebatur consiliis; æquius esse ratus, ut Cæsar plurium, quàm plures unius sequerentur arbitrium: & quamvis sæpè inter rerum peritos forent, quorum scientia aliis vitiis obscurabatur; hos tamen nævos ferendos existimabat, eoquòd effici homines tales, quales habere velis, nullo modo valeant: iis verò, qui sint, ad reipublicæ utilitatem uti oporteat. Libertis & amicis id porrò cavit, ne multorum exemplo Principis responsa, aut jussa fingerent, sive, ùt ajebat, fumum ne venderent. Cæterùm otii hostis acerbus, stipendiis negligentes rerum exui voluit; nihil

(d) Capitol in Ant. M. Aurel. l. 6. c. 23.
(e) Dio l. 69. p. 797. & lib. 70. p. 798.
Administratio Imperii.

(*1) TILLEMONT. stirpem Antonini fusiùs deducit Artic. I. in Antonino pag. 497.

(*2) JULIUS CAPITOLINUS in Antonino: *Pius cognominatus est à Senatu, vel quòd socerum fessâ jam ætate, manu (præsente Senatu) levaverit.. vel quòd eos, quos Adrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit; vel quòd Adriano contra omnium studia, post mortem infinitos, atque immensos honores decrevit: vel quòd, cùm se Adrianus interimere vellet, ingenti custodiâ, & diligentiâ fecit, ne id posset admittere: vel quod verè naturâ clementissimus, & nihil suis temporibus asperum fecit.*

(*3) In *M. Anton.* lib. 1. c. 14. Antoninus statuas, & ignem, qui Imperatoribus præferri solebat, tanquam signa vanitatis aversabatur.

hil quippe crudelius esse credebat, quàm rempublicam arrodi ab iis, qui nihil in eam labore suo conferunt (f). Familiaribus suis in Imperio non aliter usus est, quàm privatus (g); quare facetè dicta, placidè ferebat; in ædibus enim Amici aliquando Cæsari sciscitanti, unde Porphyreticæ columnæ, quæ illinc extabant, allatæ essent? Paterfamilias reposuit, in aliena domo, & surdum & mutum esse oportere: quâ libertate adeò non offensus est Imperator, ut etiam delectaretur. Quanto studio Imperii transire Provincias, Adrianus connisus fuerat; tantâ quiete suis civibus Romanis assidere Antoninus volupe habuit: præterquàm enim, quòd gravis esset Provincialibus comitatus Principis etiam nimis parci (h); expedire rebatur admodum, si pastor fidus, probúsque apud suos continuò adesset, oviculásque pasceret, nec ad alias deflecteret.

(f) Capitol. c. 4.

(g) T. Anton. V. p. 19.

Solicitudo pro suis.

(h) Tit. Ant. p. 20.

A. Æ. C. 141.

3. Antonini anno tertio uxor ejus Faustina morbo extincta est; quæ ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, Cæsaris animum ægerrimè afflixit: at mortua, veluti Dea Ethnicis ritibus consecrata est, quasi mulieris insania, & scelera subitò per libitinarium focum excocta fuissent (*4). Sub idem tempus Attilius Titianus, Priscianus, ac Cassius, volente Senatu ob affectatam tyrannidem morte mulctati sunt: Antoninus in reliquos conjurationis conscios inquiri vetuit, sublato capite dictitans, membra nihil esse nocitura; nihil enim magìs timuerat Cæsar, quàm ne civili sanguine se respergere cogeretur (i).

Mansuetudo & pietas.

(i) Victor Epit.

A. Æ. C. 155.

4. Hæc singula cùm præclarè gereret Imperator, insignius adhuc in omni ejus vita studium pacis notabatur; in eandem enim sententiam cum Scipione Africano sæpiùs prolocutus: *malle se unum civem servare, quàm mille hostes perdere*, bella nulli populo, aut Regi intulit, neglectâ omni triumphorum vanâ cupidine: neque

Pacis studium.

(*19) Antoninus licèt Faustinam adulteriis infamem haberet conjugem; legem tamen æquissimam contra adulteria statuit: quod rescriptum insertum est codici Gregoriano. Sancitum autem est: ut vir, qui minùs castè viveret, contra adulteram agere nequeat: *periniquum enim videtur*, ait Imperator, *ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest, & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere.* Hanc legem valde deprædicat S. AUGUSTINUS lib. 2. de adult. conjug. c. 8. isti, quibus displicet, ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur... legant, quid Imperator Antoninus, non utique Christianus de hac re constituerit.

neque tamen parta tueri ideo desiit; nam per legatos suos plurima bella gessit, aut restinxit. Britanni primos tumultus concivêre effracto muro, quem Romani illis objecerant; his contrà obstitit Victor Lollius Urbicus, non tamen eodem loco limitaneus murus refectus est, sed ad Tavum Æstuarium, ubi hodiè limes Scotiæ, & Angliæ figitur: quo facto plus agri barbaris, minus tamen gloriæ Lollio Romano accessit (* 5). Feliciùs eâdem ætate Mauri ad pacem petendam cogebantur: Germani, Daci, Judæi, Alani repressi sunt, authoritate Cæsaris potiùs, quàm armis (k). *Bella.* (k) Pausan. l. 8. Aurel. V. Onuphr. in fastis p. 224.

5. Atque hæc ipsa Cæsaris moderatio effecit, ut populi Orientis, Bactri, Hircani, atque Indi (quos nemo Cæsarum ditioni Romanæ, quamlibet copiis instructissimus, subjicere unquam potuit) missis legatis, oblatóque censu vectigali perpetuam Antonini amicitiam mercarentur (l). Adhæc exteri Reges, si quid controversiæ inter se habebant, id omne ad Cæsaris incorruptam sententiam detulerunt: ita sæpenumero maximas lites diremit, ut qui utrique parti æquè erat addictus. Virum Numæ Pompilio ob pacis studium, ac morum integritatem comparatum febris tandem confecit Anno Æ. C. 162. apud Larios Hetruriæ, postquàm imperâsset annos 23. menses sex. Sepulto in mole Adriani, decreti sunt omnes honores, qui optimis principibus antè delati fuerant (m): Omnia Antonini Pii, domi, militiæque gesta utì divina celebrabantur (n); quibus unam labem aspersit imprudentia regendæ conjugis, quæ eò petulantiæ proruperat, ut in Campania sedens amœna littorum obsideret, ad legendos ex nautarum grege procos libidini suæ aptiores. (l) Dio lib. 70. Eutrop., Vict. Ep. *Ejus æstimatio apud exteros Reges.* A. Æ. C. 162. (m) Eutropius. (n) Aurel. V.

§. IV. *Marci Aurelii Juventus, officia, adoptatio in Cæsarem: Lucius Verus ejus Collega, Bellum Parthicum, Lucii vitia, & Marci Aurelii virtutes, Bellum Marcomannicum, mors Lucii, Victoria mirabilis de Quadis, ac triumphus: mors Imperatoris.*

1. QUamprimùm è vivis decesserat Antoninus, insolito exemplo duo simul Divi Fratres M. Aurelius Antoninus, & Lucius

(* 5) CAPITOLINUS in Antonino §. 5. *Antoninus per legatos plurima bella gessit, nam & Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, alio muro Cespititio, submotis barbaris, ducto.* Alium vocat ab eo, quem Adrianus posuerat: ex hac expeditione Lollii, & ex altera contra Brigantes Antoninus paulò post dictus est *Britannicus*, de quo numismata tria vide apud *Cambdenum.*

(†) REFLEXIO IV. *Marcus Aurelius & Lucius Verus Imperatores.*

Lucius Aurelius Verus supremo eodem Principatu fungi cœperunt (†). Vivendi initium fecit Marcus Aurelius 26. Aprilis, anno Æ. C. 121. natus ex fratre uxoris Antonini Pii, videlicet Annio Vero, cujus & nomen à principio habebat; sed de Adriani sententia adoptatus ab Aurelio Antonino, Aurelius deinceps audiit: cæterùm Annii Veri familia in originem recurrens, à Numa Pompilio probatur sanguinem trahere (a). Mater Imperatoris hujus fuit Domitia Camilla (b) à Ducum Romanorum felicissimo Camillo orta, qui urbem Romam à Gallis captam, obsessúmque ab iisdem Capitolium liberavit. Adriano Imperatori tum ob cognationis vinculum (c), tum ob integritatem animi acceptus (*1), octavo anno ætatis in Saliorum, sive Martis sacrificulorum Collegium translatus est (*2), non sinè rei Christianæ detrimento; inde enim puer tantum à teneris odium adversùs Christi cultores concepit, ut multo sanguine opus fuerit ad illud restinguendum.

(a) Eutrop. Aurel. V

(b) Cinna in lib. de fam. Rom.

(c) Dio lib. 69. p. 797.

Adolescentia & studia Marci Aurelii.

2. Studiis applicitus Primo Magistro usus est Euphorione Hispano in Grammaticis, dein eloquentiæ longo tempore studuit sub Præceptore Alexandro Græco Neapoli, ac Rhodi sub Herode Attico, & Frontone. In Philosophia naturali Commodum Chalcedonium Senem grandævum, & magnæ apud Adrianum authoritatis audivit (*3): Juris expositorem habuit L. Volusium Metianum (d). His artium Magistris tantum honoris Aurelius semper detulit, ut eorum imagines aureas in larario haberet: præcipuè autem Julium Rusticum ùt consiliorum arbitrum reveritus est, huic Marcus, cùm jam esset Præfectus Prætorii, osculum dare insueverat, eique post Senatum Statuas postu-

(d) Capitol. in M. Anton. c. 1. Eufeb. Chronic. a. 146.

(*1) *Adrianus* ob firmitatem fidei, quæ in M. Aurelio erat, *verissimum* nominavit, ad quod vocabulum alludit *Justinus* Apol. 2.

(*2) *Fuit in* Martis *Sacerdotio, & Præsul, & Vates, & Magister, & multos inauguravit, atque exauguravit præeunte nemine, quod ipse cuncta carmina didicisset.* Capitolin.

(*3) IDEM. in Antonin. §. 5. Antoninus, *cùm Apollonium, quem è Chalcide acciverat, ad Tiberianam Domum, in qua habitabat, vocâsset, ut ei Marcum Antoninum traderet; atque ille dixisset: non Magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad Magistrum; risit eum dicens, facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire, quàm à domo sua in palatium: cujus avaritiam etiam mercedibus notavit.* Idem in Marco ait: *usus est & Apollonio Chalcedonio Stoico Philosopho, tantum autem studium in eo Philosophiæ fuit, ut adscitus jam in Imperatoriam dignitatem; tamen ad domum Apollonii discendi causâ veniret.*

postulavit (d). Quantum verò Aurelius perpetuo studio vires animi ad regendum Imperium auxit, tantum valetudini ejusdem detractum est; nam eruditio & doctrina est pastus ingenii, quod, dum saginatur, corpus atteritur; unde Aurelius in debili satis corpore animum vegetum posteà circumtulit (f). (d) Capitol. l. c. (f) Dio l. 71. p. 816.

3. Decimum octavum annum Aurelius inierat, quo Adrianus eundem cum L. Commodo Antonino adoptari ab Antonino voluit (g); atque ut adoptio propinquitate sanguinis firmaretur, Faustina Antonini filia Aurelio in uxorem data est (h): post Antonini excessum licèt Senatus Marcum Aurelium solum diceret Augustum; ipse tamen consortem Imperii, ùt Adrianus jusserat, Lucium Commodum accivit, à quo tempore primùm duo Augusti in Imperio conspecti sunt. Dissimiles cùm moribus essent, (i) multa tamen adjumenta fuêre, quæ concordiam inter dispares aluerunt (k); nam Marcus Aurelius, velut Parens Lucio suum proprium Veri nomen, quod ab Annio Vero traxerat, transcripsit, simúlque eidem genero filiam Lucillam conjugem dedit, quo duplici vinculo collegarum, qui adoptionis jure fratres erant, concors agendi & regendi ratio servata est. (g) Dio l. 69. p. 797. *Adoptatur ab Antonino Marcus.* (h) M. Ant. V. p. 24. (i) Spartian. in Ælio Vero. (k) Aristid. or. 16.

4. Pacata Principum auspicia ingruens Parthorum bellum turbavit; quod imperante Pio paratum (*4), Marci, & Veri tempore Romanis indixit Volegeses Rex Parthorum; fugatis, cæsísque Syriæ, & Cappadociæ legionibus (l). Internecina clades adeò Romam conterruit, ut Lucius Verus ad propulsandum periculum mittendus videretur, remanente in urbe Marco Aurelio, quòd res Italicæ Imperatoris præsentiam postularent: necdum Lucius se â fratris conspectu subduxerat (m); Canusii ad valetudinis jacturam usque, intemperantiâ summâ solvi cœpit; recuperatâ utcunque sanitate in idem vitium relapsus, Corinthi, Athenis, & maritimis civitatibus, belli statutum tempus inter helluationes consumpsit: ad extremum discrimen redacta tunc rei Romanæ gloria fuisset; nisi desidente & voluptatibus vacante Cæsare, peritissimi Duces Statius Priscus, Avidius Cassius, & Martius Verus incumbentem procellam profligâssent (n): horum igitur A. Æ. C. 162. (l) Aristid. or. 9. *Parthico bello Lucius præficitur.* (m) Capitol. in L. Vero. *Lucii Vitia.* (n) Dio l. 71. p. 802.

(*4) CAPITOLIN. in Antonino Pio: *Sellam Regiam Parthorum Regi repetenti, quam Trajanus ceperat, pernegavit.*

igitur fortitudine Media præliis tentata est, ac Armenia intra quatuor annos vindicata; ex quibus victoriis Lucio nomen Parthici, simul ac triumphus accessit, quem non aliter atque crapulâ, libidinibúsque meruerat (o).

(o) Capit. in L. Vero.

5. Meliore titulo Senatus Marcum Aurelium cum Lucio de Parthis triumphare eodem tempore jussit; hujus quippe aptis consiliis & Parthico bello, & rei Romanæ tam sapienter prospectum fuerat; ut quod Plato olim retulit, in M. Aurelio comprobaretur, tum demum florere civitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur (p). Sapientiæ cùm non esset vulgaris, *consulendum* tamen, & *consilio parendum* arbitrabatur: semper, ubi copia esset, Senatui, ac comitiis intererat, etiam usque ad mortem (*5): fastis dies judiciarios addidit; ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibúsque disceptandis constitueret. Prætorem tutelarem primus fecit, cúm antè tutores à Consulibus poscerentur. Scævolâ Jurisperito usus, leges etiam addidit de vicesima hæreditatum, de bonis maternis, & de filiorum successionibus pro parte materna; in eos, qui ultra vectigalia quidquam ab aliquo exigerent, gravissimas pœnas statuit: utì fisco in causis compendii nunquam, ità semper populi libertati favit, fuítque moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copiâ, indulgentiâ liberandis (*6).

Marci sapiens gubernatio.

(p) Capitol. c. 10.

7. Quàm optimo legum, & juris usui Marcomannorum arma subinde obstrepuerunt (†); nam cùm Germaniæ populi à borealibus finibus colonias novas ducere, ac trans Danubium in Romanorum provinciis defigere pararent (q); bellum tantum exarsit, quantum in Punicis duntaxat expeditionibus visum est (*7). Parthorum motibus necdum satìs oppressis, Gentes omnes ab Illyrici

Bellum Marcomannicum.

(†) REFLEXIO V.

(q) Bertius.

(*5) OROSIUS lib. 7. c. 15. cum AURELIO VICTORE notant, quod Marcus Aurelius obscuritatem legum declaraverit, & severiores leges mitigârit; in Pandectis, & aliis Jurium libris ejus edicta multò plura videre est.

(*6) *Papirius Justus* Epitomen fecit legum ab M. Aurelio editarum, qui in Digestis inter veteres Jurisconsultos interdum citatur. Vide *Codicis Theod. Proleg.* item *Tillemontii Tomum II. ejusque 2. Partem pag. 671.*

(*7) AMMIANUS MARCELLINUS lib. 31. c. 5. *Marco itidem moderante Imperium, unum spirando Vesania Gentium dissonarum, post bellorum fragores immensos* cætera corrupta sunt. Pericula hujus belli fusiùs describit LUCIANUS in Pseudomant. Operum Tom. I. pag. 775. item PAUSANIAS lib. 8.

Illyrici limite usque in Galliam copias junxerant: quibus potiores erant Marcomanni ex Bohemia, ac Silesia coorti; hi Nariscos, Hermunduros, Quados, Suevos, Roxolanos, Alanos, aliósque ignotorum nominum populos ciebant (r): à Romanis, quoniam eorum exercitum Pestis, famésque minuerat (8); bellum primò per artem suspensum est magìs, quàm illatum. Verùm invalescente hoste, & cladibus non exiguis acceptis, Senatus tandem decrevit, ut duo Imperatores legiones omnes, quæ à Parthorum bello supererant, in Marcomannos ducerent (*9). Nec parum profuit ista profectio; ut primùm enim Aquilejam ventum est, hostiles copiæ ab Istro longiùs vel fugientium more recessērunt, aut pactis conditionibus pacem redimere conabantur (*10). Marcus Aurelius contrà instandum esse dicebat (s), nec parcendum timido hosti, qui id maximè optaret, ne tanti apparatûs mole premeretur. Evicit demum Lucii sententia, quem Urbanæ voluptates in Italiam revocabant: compositis itaque Illyrici rebus duo Imperatores ad urbem remeant; jamque Altinum tenebant; dum Lucius Marco assidens ictu Apoplectico concidit (t). Mors ejusmodi subita etsi multis suspicionem porrecti veneni injiceret; plures tamen erant, qui fatum hoc bono Marci ac Reipublicæ evenisse affirmarent: quantumcunque enim Marcus sapientiâ suâ Collegæ vitia contegeret, Lucii tamen pessimi mores adeò jam proruperant, ut, quod Marcus Aurelius sanctissimis legibus, vitæque exemplo ordinatum ibat, alter profundiùs confunderet (u).

(r) Julius Capitol. in V. Marci c. 22.

(s) Idem c. 14.

Mors Lucii Imp.

(t) Capitol. in Luc. Vero.

(u) Idem in M. Aurelio p. 28.

7. Lucio

(*8) EUTROP. & CAPITOLIN. lib. 10. Lucius verus *ejus fati fuit, ut in eas Provincias, per quas rediit Romam usque, luem secum deferre videretur: & nata fertur Pestilentia in Babylonia: ubi de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens evasit. Atque inde Parthos, orbémque complêsse*: ita Gentilis fabulatur, sed verior luis origo erat ex justa Dei vindicta, quâ tyrannidem in Christianos exercitam punire volebat. Vide TILLEMONT. in M. Aurelio pag. 894.

(*9) IDEM in Lucio Vero. *Ad bellum Germanicum (quòd Marcus nollet Lucium sine se, vel ad bellum mittere, vel in urbe dimittere luxuriæ causâ) simul profecti sunt, atque Aquilejam venerunt.* Noverat Marcus adhuc libidines Lucii, quibus, cùm in Oriente vacaret, *histrionicum* potiùs bellum inter fidicines & mimos, quàm *Parthicum* confecerat.

(*10) PETRUS PATRICIUS de legatis c. 24. *Primâ statim invasione Barbari terrore perculsi, legatos ad Ælium Bassum, qui Pannoniam Provinciam obtinebat, mittunt, Ballomarium, Regem Marcomannorum, unà cum aliis decem, ex unaquaque gente uno electo. Sic pace jurejurando firmatâ, legati domum redierunt.*

7. Lucio Vero ſuperſtes Aurelius (quia unicus Imperator) feliciùs rem contra Marcomannos geſſit. Conciliatis per ſacrificia Ethnicis numinibus, delectum militum inſtituit: at lues orbem pervagata oppida & Provincias ita exhauſerat, ut, quod tempore Hannibalis factum legitur, ſervi & gladiatores, ad militiam conducerentur; imò Germanorum auxilia contra Germanos emere oportuit (x). Altera Aurelio cura erat, ut ſumptuoſiſſimo bello de amplo ærario proſpiceret: ſed quia adduci mitiſſimus Princeps non poterat; ut Provincialibus nova tributa imponeret, de auctione rerum aulicarum faciendâ conſilium iniit: in foro itaque Trajani Præconis voci ſubjecit ſigna & vaſa aurea, gemmas, tabulas, nec veſti uxoris ſericæ, ac auratæ pepercit, quibus divenditis tantum auri congeſtum eſt, ut facili operâ belli Marcomannici reliquias ſit proſecutus.

(x) Idem c. 21.

Continuatio belli contra Marcomannos.

A. Æ. C. 171. 8. Comparato belli nervo Pannoniam adiit, ubi frangendis potiſſimùm Marcomannis arma intendit: nam alias Gentes, quæ eodem tempore è Rheni ripis in Rhætiam penetraverant, Pertinaci fortiſſimo viro & Marco Pompejano alteri Lucillæ marito, & Cæſaris genero edomandas dedit (*11). Victis non uno prælio
A. Æ. C. 174. Marcomannis, Quadorum Regioni Romanus exercitus admotus eſt; ſed contra ac ſperabatur, in arentia loca delapſæ legiones à Quadis undique obſidentur (y). Circumventi hunc in modum Romani propter aquarum penuriam præſentius ſitis quàm hoſtis periculum ſuſtinebant (*12). Ducibus anxiè opem circumſpicienti-

(*11) DIO lib. 71. p. 802. *Eodem tempore Germani, qui trans Rhenum incolunt, venêre usque in Italiam, attuleréque Romanis maxima, & graviſſima incommoda; quibus Marcus occurrit, Pompejano & Pertinace, legatis exercitûs factis, quo in bello optimè ſe geſſit Pertinax, qui poſteà Imperator factus eſt. Inter cadavera barbarorum, corpora mulierum armata reperta ſunt.*

(*12) XIPHILINUS è Dione: Poſthæc ei prælium acre, bellúmque magnum cum iis, qui Quadi appellantur, fuit; quo ex bello victoria præter ſpem, vel potiùs Dei beneficio feliciter conſecuta eſt: propterea, quòd Romani, cùm eſſent in prælio, atque in maximum periculum veniſſent, mirabiliter ſanè, ac divinitus conſervati ſunt. Cùm enim intercluſi à Quadis in locis opportunis, conferti pugnarent fortiter, atque interim barbari differrent prælium, ſperantes eos calore & ſiti perituros, quos circùm occupatis locis omnibus ſic concluſerant, (erant enim multò plures) ut aquam habere nullo pacto poſſent; cúmque Romani in tantas difficultates incurriſſent; ut morbo, vulneribus, ardore ſolis, ac ſiti vexarentur, nec ob eas res pugnare poſſent, aut aliò ſecedere, ſed in acie ſtantes, atque iis in locis conſtituti arderent: multæ nubes de repentè ita coactæ ſunt, ut maximus imber ceciderit, non ſinè Dei beneficio. Rem eandem deſcribit EUSEBIUS hiſt. lib. 5. c. 5.

cientibus, legio duodecima, quæ ex Melitenis ac Christianis militibus constabat, flexo poplite vero numini supplicat, fusísque precibus simul pro suis pluviam, simul in hostes ignem, grandinem & fulmina (*13) impetrant, quibus dissipati hostes, vitam Romanis, Imperatori insolitam victoriam reliquêre (z). Non tantùm legioni, sed omnibus Christianis id posteà prodigium honori fuit & saluti; nam milites glorioso nomine fulminatricis legionis (*14), aliísque monumentis celebrati sunt: pro Christianis autem cautum est lege publicâ, ut is, qui Christi cultorem Religionis ergo in judicium vocaret, vivus ignibus absumeretur. Clades à Quadis accepta Germaniæ gentes compulit, ut missis legatis pacem peterent: conditiones utùt amplæ fuerant, quibus pax redimebatur (*15); minùs tamen his acquievisset Cæsar, nisi Avidius Cassius sub idem tempus Orientem in seditionem concitâsset (a). Lucio Vero jam is struxerat insidias (b), cùm hujus Cæsaris comes militiam in Syria curaret, sed quia Dux erat bonus, severus, & fortis & Reipublicæ necessarius; crimini indulgendum putavit Marcus Antoninus, ne quidem liberis suis hâc ratione prospiciens, de quibus ajebat Marcus: planè liberi mei pereant; si magìs amari merebitur Avidius, quàm illi: & si Reipublicæ expedit, Cassium vivere, quàm liberos Marci. Venia ejusmodi Imperii cupidum in apertam defectionem impulit: ne

Mirabilis Victoria de Quadis.

(z) Petr. de legat. p. 24. Dio p. 810.

A. Æ. C. 175.

(a) Dio lib. 71. p. 812.

(b) Vulcatius Gallican. in V. Cassii.

Seditio Cassii contra M. Aurelium.

(*13) CAPITOLINUS, & XIPHILINUS licèt eventum mirabilem fateantur; magìs tamen eundem Diis suis tribuunt. TERTULLIANUS *in Apologetico, & in libro ad scapulam* Christianorum precibus id adscribunt: citat Tertullianus c. 5. literas Marci hac super re, ut videre est apud Baronium ad a. 176. §. 22. dubitant tamen de his literis *Pagi* ad a. 174 §. 2. & *Tillemont.* in V. Aurelii Art. 16.: extat porrò hujus miraculi monumentum in columna Antoniana, licèt ibi adulteratum sit imagine Jovis pluvii.

(*14) GORDONUS ex Dionis lib. 55. notat legionem duodecimam longè anteà dictam fuisse *fulminatricem*, sed hæc diversa legio erat, quæ ex hoc miraculo idem nomen accepisse potuit.

(*15) PETRUS de Legat. p. 24. *Quadi legatos miserunt ad Marcum, pacem petituros, & consecuti sunt. Itaque multos equos, & multos boves dederunt: & tredecim mille captivos, & plures etiam posteà libertati restituerunt.* DIO p. 808.: *Tum dimidium Marcomannis finitimæ regionis, & agri partem concessit, uti scilicet ad trigesimum, & octavum usque stadium ab Istro, sedes eorum, ac domicilia distarent; tum loca quædam, ac dies commerciorum adsignavit (priùs enim discrimen nullum habitum fuerat) factâ etiam obsides permutandi potestate.* Pag. 810. idem DIO commemorat, Castella Marcomannorum à Marco fuisse occupata.

ne tamen M. Aurelio, qui omnium in amore erat, obluctari videretur; militum rumoribus evulgari fecit, Marcum obiisse: injuriam Cæsar leniùs, Senatus verò gravissimè tulit; nam & bona Avidii in ærarium relata, ipséque hostis Reipublicæ denuntiatus est. Marcus malo medelam propiorem allaturus in Orientem commigrare decernit; sed antequam illuc moveret, Cassius à Centurione percussus, & à Decurione necatus periit: oblato Tyranni capite adeò non lætatus est Marcus, ut potiùs illachrymaretur, id insuper cavens, ne quid acerbius in liberos Avidii, aut sceleris conscios susciperetur; fore enim, ut hi per ora omnium exemplum pietatis Cæsareæ circumferant, dedecere autem maximè in Imperatore vindictam doloris: quæ etsi quandoque justior fuerit, acrior videtur (c).

(c) Vulcat. in V. Capitolin. in V. Marci.

6. Præter Cassii Propinquos in fœdus quoque iverant non paucæ Orientis urbes: harum igitur fidem recepturus Cæsar, in Orientem progreditur unà cum Faustinâ conjuge (*16), & filio Commodo, ut is laboribus sensim assuesceret. Civitatibus ferè cunctis lenissimè parcitum est; Antiochiam tamen & Cyprum visere Imperator noluit, eoquòd hæc natalis Patria Tyranni, illa nutrix rebellionis fuisset. Posthæc ad Tauri montis confinia Faustinam uxorem Cæsari marito mors rapuit non sinè beneficio, quòd vinculum cum lupa, vetitis servorum amoribus implicitâ, dissolvisset; de quo dirimendo citiùs agitata fuissent consilia (d), nisi abdicatæ Antonini filiæ post factum repudium reddere dotem, id est Imperium, æquum duxisset. Ex Oriente Athenas regressus, in urbe literarum Professoribus amplissima stipendia addixit (*17). Inde resumptâ togâ Romam veniens, Commodum filium, cùm decimum sextum ætatis annum ageret, Collegam Imperii assumpsit (e): & quia Senatus ità optabat, cum eo

Mors Faustinæ Augustæ.

(d) M. Antonin. lib. 1. c. 14.

Commodi adoptatio.

(e) Lamprid. in V. Commod.

(*16) VULCATIUS GALLICANUS in V. Cassii perfidiam Faustinæ describit: Cassius *Imperatorem se in Oriente appellavit, ut quidam dicunt Faustinâ volente; quæ valetudini Marci jam diffidebat, & timebat, ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis existeret, qui captâ statione regiâ infantes de medio tolleret.* Mortuæ ad montem Taurum Cæsar exstruxit monumentum vel urbem, Faustinopolim, rogavit quoque Senatum Marcus, ut ei adulteræ divinos honores decerneret, quod factum ridet *Julianus Cæsar* pag. 50.

(*17) XIPHILINUS è Dione *Marcus postquàm Athenas venit, initiatúsque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus; quorum in urbe Doctores omnis doctrinæ annuâ mercede conductos constituit ad omnium gentium utilitatem.*

eo de Marcomannis peregit triumphum; cujus perpetuum monumentum posteri mirantur in illa columna Aurelii, quam Sixtus V. Pontifex S. Paulo dicatam è fundamentis denuò erexit.

Triumphus de Marcomannis A. Æ. C. 176.

10. Pax bello parta etsi in numis velut *æterna* signaretur (f); diu tamen integra vix stetit. Quintilii duo irruentem ad limites hostem fortitudine, ac prudentiâ sustinuêre primò (g); sed prævalente Marcomannorum vi, Cæsar cum filio bellum gerere decrevit. Postquàm Marcus hastam sanguinolentam, quæ in templo Martis reposita erat, versùs agrum hostium ex veteri more contorsisset (*18); quasi indicto Germanis bello urbe egressus est. Ad Danubium ubi Cæsar constiterat; tot cladibus, quot præliis Marcomannos attrivit, spésque erat, ut post anni felicem cursum tota Regio in Provinciam redigeretur (h); verùm in medio victoriarum æstu à lue in exercitum grassante Imperator quoque prosternitur (i). Morti propior Amicos solatus: quid me fletis ait, & non magìs de communi morte cogitatis? vale nunc vobis dico, vos præcedens. Omissâ dein Principatûs curâ, milites filio, filiúmque tribuno tesseram postulanti commendavit; abi, inquiens, ad Orientem: ego enim ad Occasum jam pergo. Obiit Vindobonæ (*19) 17. Martii anno Æ. C. 180. Imperii 19. ætatis 61. Fati nuncio Romam allato confusa urbs, luctu publico lachrymas Parenti dedit, & quod de Romulo ægrè creditum est, omnes pari consensu præsumpserunt, Marcum cœlo receptum esse (k): itaque ob honorem ejus templa, columnæ, multáque alia monumenta facta sunt; gloriæ tamen posthumæ Imperatoris Philosophi id non parum obfuit, quòd filium naturâ vitiosum fascibus designâ-

(f) Bireg. p. 225.
(g) Dio l. 71. p. 814.
(h) Capitolin. in M. Aurel.
(i) Idem. l. c.
Mors M. Aurelii.
(k) In V. M. Aurel. Victor Epitom.

(*18) LIVIUS lib. I. ex instituto Anci Marcii rationem indicendi belli describit: Fecialis cum hasta ferrata, ac sanguinea præusta bellum his verbis denuntiabat; *Quod populi NN. adversus populum Rom. Quiritium fecerunt, deliquerunt: quod populus Rom. Quiritium bellum cum NN. jussit esse, Senatúsque pop. Rom. Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum NN. fieret. Ob illam rem ego populúsque Rom. bellum indico.* Quibus dictis hastam in illorum fines emittebat: indicto bello Jani templum à Consule recludebatur, ut hunc Deum haberent adjutorem, simúlque triginta diebus (qui præliares dicebantur, rubro vexillo in arce proposito signati) omnia ad bellum necessaria præparabantur.

(*19) AURELIUS VICTOR c. 15. Anno Imperii octavo, decimóque ævi validior Vindobonæ interiit: TERTULLIANUS Apol. c. 25. p. 27. asserit, Marcum Aurelium Sirmii mortuum esse: Lambecius standum esse putat authoritate Victoris. Cæterùm Vindobona, aliàs etiam Juliobona urbs Pannoniæ superioris erat, hodiè dicitur Vienna Austriæ.

designârit, felicior futurus, si sterilis sine prole decessisset; nec sanguini magìs, quàm Reipublicæ ivisset consultum (l).

(l) Dio lib. 71. p. 816.

§. V. *Prima ætas* COMMODI, *hujus perversa indoles, conjuratio in eundem, Ministrorum Perennis & Cleandri flagitia, & interitus, Commodi insania, & crudelitas, ac mors.*

Prima ætas Commodi

A. Æ. C. 180.

1. COmmodus Antoninus, qui Patri filius successit, mundo datus est, anno Æ.C. 161., lanistæ similior, quàm Principi (*1.); nam à puero turpis, improbus, crudelis, pollutum in pulchro corpore animum abscondit: necdum ætatis annum decimum quartum exegerat, dum Nonarum Juliarum die (*2) præter morem & veniâ annorum factâ togam induit, simúlque præ cæteris Principibus Juventutis à Marco adoptatus est. Post mortem Aurelii nactus Imperium Commodus (eoquòd Romanas voluptates anhelaret) Germanorum bellum, quod penè confectum erat, remisit potiùs, quàm finiit.

Perversa ejus indoles.

2. Romam ut rediit, de hostibus licèt adhuc integris triumphavit. Dein velut emotâ mente in omne vitiorum genus se profundens, libidines infandas sectabatur, à quibus nequidem in publicis Romæ conventibus abstinebat (*3). Helluari per diem, de nocte per tabernas, & lupanaria volitare, gladiatorum exercere

(*1) LAMPRIDIUS in V. Commodi: *Faustina, cùm esset Commodo cum fratre* (Antonino gemino) *prægnans; visa est in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferociorem .... Commodus à prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus.... jam in his artifex, quæ stationis Imperatoriæ non erant, ut calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret, scurram denique, & gladiatorem se perfectum ostenderet.*

(*2) Decimum quintum, aut decimum sextum annum agebat Commodus; quando à Patre tribunitiâ potestate, Consulatu, & titulo Cæsaris donatus est, contra exemplum Antonini, Vespasiani, qui tantos honores nonnisi adultæ ætatis viris decernebant. Vide *Tillemont. in M. Aurelio p. 666.*

(*3) HERODIANUS Lib. 1. c. 6.: *Adhæc ripas Istri* (Proceres Commodi) *ut omni tempore incommodas vituperabant, quæ neque Pomiferos haberent frutices, & perpetuis rigoribus, nubibúsque obtinerentur. . Dein verò Ministris illius magìs, magìsque instantibus, nihil jam ad amicos retulit, sed datis Romam litteris, ac Præpositis, quos visum esset, tuendæ Istri ripæ, & Barbarorum insultibus coërcendis profectionem continuò edicit: illi igitur demandata sibi munia obeuntes, haud ita longo tempore multis armis barbaros sublegerunt: quosdam autem ex iis magnis præmiis in amicitiam sibi adjunxerunt. Quod quidem haud difficile factu fuit; quippe Barbari suapte naturâ pecuniæ avidi, periculorum despicientes, aut incursibus, populationibúsque victum parant, aut propositâ mercede pacem venalem habent. Quod intelligens Commodus, ut pecuniâ, quâ maximè abundabat, securitatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat.* V. *Dionem* lib. 72. pag. 817.

cere munus, intérque ſcurras omnem pudorem, ac honeſtatem proculcare ei ſolenne erat. Quæ omnia cùm turpiter ageret, ea tamen intemperies adulatorum ſtudio adeò probabatur, ut amens Cæſar ſua etiam pudenda flagitia Actis urbis inſcribi juberet (a). Senatus ægrè ferens ſuis, civiúmque bonorum oculis, & animis inſultari; odio in Principem flagrare cœpit: quod ſubinde auctum eſt, cùm Imperator ad Provincias regendas mitteret homines, vel criminum ſocios, vel à criminoſis commendatos, ſcilicet, ut à Commodi vitiis non tantùm Roma, ſed totus orbis ſceleratus eſſet.

(a) Lamprid. in V. Comm.

Conjuratio in Commodum detegitur, & punitur.

A. Æ. C. 183.

4. Hæc igitur Quadratum, Lucillámque Cæſaris ſororem impulêre, ad necem monſtroſo principi decernendam (*4): adhibito in conſilium Farrutino Prætorii Præfecto, Adoleſcenti Claudio Pompejano negotium peragendæ cædis commiſſum eſt: is utùt audax, ſui tamen minùs compos ad Cæſarem diſtricto ferro ingreditur, jámque incautum perimendi poteſtas erat; dum ſubito horrore rigeſcens detexit facinus fatuus, nec implevit, in hæc namque verba duntaxat prorumpens: Hunc tibi, aït, pugionem Senatus mittit (b); quâ inſanâ voce & ſibi, & Lucillæ, tum cæteris conjuratis exitium accivit (*5). Perennis Cæſareæ aulæ arbiter, & ſimul homo flagitioſus, ab eo tempore Commodum metu & amore voluptatum agitabat (*6); unâ enim ex parte multa pericula fingebat, ut Imperantem à publico abſtraheret: è diverſo Cæſari uſum voluptatum perſuaſit, ut Commodo extra lucem Imperii inter concubinas turpiter latente, ipſe Perennis ſolus regnaret. Admiſſo conſilio homo vaferrimus in vitam ac bona multorum primùm graſſatus eſt, totidémque ſpoliis domum ſuam implevit: inde expromptis variis tum in Senatorium

(b) Dio p. 818. Ammian. l. 29.

A. Æ. C. 184.

Perennis flagitia & exitium.

(*4) DIO l. 72. p. 818. aliam cauſam addit, cur Lucilla conjuraverit contra fratrem; *Lucilla fœmina nihilo melior, aut continentior, quàm Commodus frater, Pompejano viro ſuo infenſa perſuaſit, ut Commodo inſidias faceret, eúmque ita perdidit: mox tamen & ipſa patefacto ſcelere interfecta eſt.* HERODIANUS lib. 1. conjurationis cauſam putat fuiſſe ambitionem mulieris, quâ ferre non poterat, ut Criſpina Cæſaris uxor ſibi præferretur.

(*5) HERODIANUS lib. 1. Senatorum, & Præcipuorum Magnatum cædes exponit, qui ex ſuſpicione quacunque Coujurationis è medio tollebantur.

(*6) Perennis alter à Paterno Præfectus Prætorii erat, homo Italus, *cui cura militum, ſed & reliquorum omnium eſſe cœpit.* DIO l. 72. pag. 821. qui & cædem ejus deſcribit & ejus ſcelera pag. 822.

A. Æ. C. 186. torium ordinem, tum in exercitum injuriis, veluti potitus rerum nummos ſibi percuti fecit, quibus ſe Imperium ambire, apertiùs teſtabatur (c): hoſtis itaque declaratus, militúmque concisus gladiis interiit. In hujus potentiæ locum ſubrogatus eſt illicò Cleander, Perenni rapinarum ſtudio ac crudelitate non abſimilis (*7); hic quippe occiſis quibusque optimis Provincias & Magiſtratus tam nefando quæſtu venum exponebat, ut intra unius anni ſpatium viginti quinque Conſules numerarentur (*8). Mala hæc Italiæ exacerbabat peſtis, quæ quotidie unâ ex urbe bis millena cadavera extulit: neque minùs grave erat incendium, quod igne fulmineo accenſum, domos ac Bibliothecas Romæ abſumpſerat, quin Commodus Cæſar jacturæ dolorem ederet (d): itaque tum contra Principem, tum adversùs Oeconomum Cleandrum ingens ſeditio efferbuit. Maternus gregarius miles collectâ manu Hiſpanias, Galliásque populatus in Italiam ſe ingerebat, ut deſidem Commodum ex ſolio, vitâque dejiceret. Selegit igitur diem matri Deorum Cybele feſtivam, quâ perſonatum Cæſarem & cum aliis laſcivire ſolitum, larvâ ſibi objectâ trucidaret: ſed ſcelus antequàm perageretur, in authorem recidit; evulgatis namque inſidiis cæſus ipſe anteà eſt, quàm cædendi haberet poteſtatem (e). Huic periculo ſuperſtes Commodus, in novum prolapſus eſt. Cleandrum crudelem, ſimul atque ſordidum hominem exoſa plebs, in tumultus acriores exarſit: parum aberat, quin Imperatoris palatium, cunctáque ſeditioſi everterent: in tempore autem Fadilla Cæſaris ſoror monuit, ut unius Cleandri nece multornm exitium Imperator anteverteret. Itaque reſciſſo œcono-

(c) Herodian. lib. 1. pag. 475.

(d) Oroſ. lib. 8. c. 16.

A. Æ. C. 187.

Cleandri tyrannis & interitus.

(e) Herodian. lib. 1. p. 476.

A. Æ. C. 189.

(*7) XIPHILINUS è Dione: *Cleander, poſt cujus mortem Perennis magna fuit authoritas, inter ſervos venundatus, unà cum iis, ut bajulus eſſet, Romam deductus eſt. Progrediente verò tempore usque adeò eſt auctus; ut Cubicularius Commodi factus ſit, pellicémque ejus Damoſtratiam uxorem duxerit ... Hunc Cleandrum fortuna ita evexerat, ut ſuo arbitratu dignitatem Senatoriam daret, nec eam ſolùm haberet Venalem, ſed etiam officia militaria, Procurationes, imperia, ac poſtremò res omnes. Jámque multi conſumptis omnibus ſuis facultatibus cooptabantur in ordinem Senatorium: ita ut dictum ſit de Julio Solone homine ignobili, hunc ſpoliatum facultatibus in Senatum eſſe relegatum.*

(*8) IDEM *Cleander Conſules XXV. in annum unum deſignavit, quod neque ante id tempus, neque poſt unquam factum eſt. In quorum numero Severus, qui poſteà factus eſt Princeps, Conſulatum geſſit.*

œconomi capite, & furentibus oblato, hi quoque motus pacatiùs conquievêre (*9).

4. Miniſtris ſcelerum ſublatis, ipſe Commodus (ne ſæviendi in ſubditos finis eſſet) & ſervorum, & Tyranni vicibus fungi cœpit: illorum vitæ potiſſimùm inſidiabatur, quorum in Britannia, aut apud Parthos reportatæ gloriæ invidebat (f); miſeros etiam nonnullos, ac pedibus debiles per ludibrium deformatos in ſpeciem Gigantum, ſagittis ſuis configebat. Ab hominum laniena per intervalla ad cædem ferarum converſus eſt: has cùm in ſpectaculis publicis certò ictu conficeret; edito ſemper à gladiatoribus plauſu delibutus ad tantam inſaniam efferebatur, ut Romanus Hercules dici vellet (g). Id nomen quò ſibi proprium faceret; in ſpectaculis clavâ armatus, & leonis pelle amictus ſæpe apparuit, quem tamen habitum muliebri veſte quandoque mutavit, ut cum Hercule ad colum nere videretur.

(f) Idem. 4. 81.

Crudelitas & inſania Commodi.

(g) Xiphilinus è Dione.

5. Marcia Cæſaris concubina indigniſſimè ferens, quòd Marci Patris optimi filius, carnifex, & ſagittarius, ac effœminatus Nero audiret (h); multis perſuadere Commodo anniſa eſt: vellet Purpuratus potiùs inter optimatum cœtus, quàm Athletico cum habitu inter gladiatorum & ſcurrarum turbam verſari; in eandem ſententiam loquebantur Lætus exercituum præfectus, & Electus cubiculi cuſtos: verùm Commodus rectè monentibus id gratiæ referendum exiſtimabat, ut importuni conſultores in tabulam eorum infererentur; quos neci Imperator addixerat (d). Non ſine ſorte Marcia in libellum crudelem incidit: lectóque ſuo, cæterorúmque damnatorum nominibus inſidias occupandas rata, Cæſari à balneo æſtuanti venenum vino admiſtum in calice porrigit (k). Id equidem impigrè hauſtum, ſed facili vomitu rurſus à Cæſare ejectum eſt: quare à Conjuratis quidam Narciſſus Athleta emitur, hic irrumpens Commodum veneno & crapulâ languentem, compreſſis diu faucibus ſtrangulat pridiè Kal. Jan. anno Æ.C. 192. ætatis 31., poſtquàm imperâſſet annis 12., menſibus 9. die-

(h) Herodian. lib. 1. p. 486.

(i) Dio lib. 72. p. 828.

(k) Lamprid. in V. Comm. Herod. l. 1. p. 487. 488.

Mors Commodi.

A. Æ. C. 192.

(*9) IDEM *ut Cleandrum fortuna extulerat; ita celeriter depreſſit. . . Commodus adeò perterritus eſt, (quippe timidiſſimus erat) ut Cleandrum ſtatim, ejúsque filium, qui in manibus Commodi educabatur, interfici juſſerit: puer quidem ſolo alliſus interiit, ſed plebs corpore Cleandri tracto, & lacerato, caput ejus per totam urbem geſtavit in* Pilo: en denuò ſummi Miniſtri ſummam ruinam!

diebus 14. Fato Commodi præluxit funestum incendium, quo templum Pacis paulò antè concrematum fuerat (l), cui irreparabili damno, Tyrannus bustum totius Romæ addidisset; nisi ipse rogo, & inferni ignibus maturus, citiùs è vivis excessisset. Nunquam atrociùs contra Principem, quam tunc in Senatu conclamatum est: aliis Commodum ad uncum, aliis ad spoliarium, aut Tiberim deposcentibus.

(l) Dio l. 72. p. 829.

§. VI. ÆLII PERTINACIS *virtus, assumptio ad Imperium, Prætorianorum seditio, exitium Cæsaris,* DIDIUS JULIANUS *emit Imperium, Pescennius Niger, Septimius Severus novi Candidati Imperii. Didii cædes, Severi Collega Clodius Albinus, Cædes Pescennii, & Albini,* SEVERUS *solus Augustus.*

A. Æ. C. 192.

(a) Herod. lib. 2. p. 489.

Ælii Pertinacis virtus.

1. EAdem nocte, quâ Cæsar sublatus est, conjurati deliberant, cui ex omnibus fasces committendi (a)? nullus præ P. Ælio Pertinace dignior visus est (* 1); obscuro enim licèt genere natus, tot tamen rebus gestis sub duobus Imperatoribus Antonino & Aurelio jam celebrabatur; ut jam Rhætorum, Pannonúmque regiones, & præcipuè Syriæ, Mœsiæque agri ejusdem victoriis consignati dicerentur (* 2). Ad hæc ætatem longiorem (nam sexagenario major erat) ingenio alacri, & judicio acuto animabat (b). Hujus itaque domum dum conjurati petunt, Pertinax ignarus eorum, quæ in palatio fuissent peracta, in suspicionem venit, Satellitium hoc à Commodo submitti, ut sibi vitam eripiat. Pleno audaciæ vultu, ubi venientibus quasi ad oppetendam fortiter necem occurrit; aliud planè salutantium & applaudentium negotium esse intelligit, qui eum non ad supplicium, sed ad Imperium conquirant.

(b) Dio l. 73. p. 832. Aurel. Victor.

2. Vix

(* 1) XIPHILINUS è Dione: Pertinax Ligur erat natione, ex civitate Alba Pompeja, Patre ignobili; ità in studio litterarum versatus, ut ex iis parcè ac tenuiter viveret. *Tillemont.* ait natum esse a. Æ. C. 126. 1. Augusti.

(* 2) Gradus dignitatum à Pertinace obtentos describit CAPITOLINUS in ejus vita: Per Lollianum Avitum . . . ducendi ordinis dignitatem petiit. Dein Præfectus cohortis in Syriam profectus . . . bello Parthico industriâ suâ promeritus, in Britanniam translatus. Post in Mœsia rexit alam . . . inde classem Germanicam rexit. Inde ad ducentorum HS. stipendium translatus in Daciam, posteà legioni primæ præpositus: statímque Rhætias, & Noricum ab hostibus vindicavit: ex quo designatus Consul est. Doluítque palàm Marcus, quod cùm Senator esset, à se Præfectus Prætorii fieri non posset. E Syria ad Danubii tutelam profectus est.

A. Æ. C. 193.

2. Vix precibus, aut minis adigi potuit; ut se aliquantùm eligentium voluntati permitteret: postridiè ubi illuxerat, in curiam succedit, quin sibi ignem, aut alia Principatûs insignia præferri sustineret (c). Quamprimùm igitur in Senatu conspectus est, voce omnium Princeps, & Augustus consalutatur: at ille abnuere institit, rem, noménque Imperii, dictitans, multò meliùs Patritiis dignioribus deferendum, in suà senectute sibi ad tantum onus nihil virium fore: tandem tot rogantium precibus adactus renitente (unde Pertinax posteà dictus est) animo Imperatoriam sellam conscendit. Auctus Augusti, Patris Patriæ titulis, noluit, ut Flavia Titiana uxor à Senatu paribus honoribus ornaretur (d): & ut majus modestiæ argumentum daret, filium suum tum demum Cæsarem dici jussit, cùm meruisset (*3).

(c) Dio p. 830. Herodian p. 492.

Deligitur Pertinax in Imperatorem.

(d) Capitol. in Pert.

Administratio Imperii.

3. Exinde Imperium legibus firmare aggressus est: vectigalia, quæ ad exsculpendas subditorum opes Principes quidam sive fluviorum ripis, sive pontibus urbium imposuerant, ea penitus decrevit remittenda (e). Quidquid inculti soli vacabat, occupantibus eâ lege Pertinax adjudicabat, ut modò post decem annorum immunitatem possessor censum repræsentaret: pinguibus hæreditatibus (more antecessorum) adeò non inhiabat, ut Senatûsconsulto hæc verba adderet: Sanctius est inopem rempublicam obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per discriminum, atque dedecorum vestigia pervenire. Hæc cùm in urbe ad civium utilitatem ageret; apud exteros quoque hostes venerationem habuit: nam barbari (si qui aut frænos depulerant, aut seditiones moliebantur) metu virtutis, quâ Pertinacem superioribus bellis valuisse meminerant, & justitiæ fide (neminem enim ab illo ultrò offendi fatebantur) spontè se ipsi Cæsari dediderunt (*4).

(e) Herodian. lib. 2. p. 496.

4. Pro-

(3) XIPHILINUS è Dione. *Uxorem verò suam Augustam, aut filium Cæsarem fieri noluit, sed utrumque repudiavit prorsus: vel quòd Imperium necdum plane confirmaverat, vel quia nolebat petulantem fœminam Augustæ nomen polluere. Neque passus est filium puerum adhuc, antequam erudiretur, Sacramento obstringi, aut spe nominis corrumpi. Non enim eum educabat in palatio; sed quo die Principatum est adeptus, omnes ejus facultates inter liberos distribuit, eósque apud avum educari jussit. Cùmque iis ut Pater, non ut Imperator, erat, idque perraro.*

(*4) IDEM *intereà Lætus... Barbaros, qui à Commodo, ut pacem servarent, magnam vim auri acceperant, domúmque revertebantur, jussit ex itinere revocari, repetitâ-*

Seditio Prætorianorum adversus Cæsarem.

4. Provinciis pacatis, unicum Romæ malum restabat; quod vir optimus quoque sanâsset, si licentia temporum Medicum tantum ferre potuisset. Prætorianorum effrænis libido, & mollior inter Aulicos vivendi ratio totidem morbi erant, qui salutarem Reipublicæ Cæsarem paulò pòst abstulerunt (f): displicuerat nimirum licentissimo militi, vitiosas facultates frænis quibusdam coërceri, quódque Cæsar primam Tribuno tesseram dedisset: *militemus*, ex qua voce otiosus quisque cognovit, se à desidia, quâ sub Commodo omnes torpebant, ad labores vocari (g). Consilia itaque inter vina, & epulas de tollendo Principe cuduntur. Monitus ab amicis Pertinax de insidiis, se nequaquam mali sibi conscium esse reposuit, ideóque non opus esse, ut contra Imperatoriam Majestatem, atque anteactam vitam latebris, aut fugâ sibi consuleret (h).

(f) Dio lib. 73. pag. 833.

(g) Capitol. in Pert.

(h) Herod. p. 497.

Funestus exitus Ælii Pertinacis.

A. Æ. C. 193.

5. Intereà seditiosorum globus in palatium irruit, cui Princeps intrepido vultu occurrens, me quidem, ô milites, ait, si occiditis; neque ipsi rem magnam facitis neque mihi sanè gravem, homini videlicet hujus ætatis, & gloriæ; siquidem humanæ vitæ finis certè est aliquis necessarius. Hæc quantumvis graviter perorantem Principem Tausius quidam, Tungrorum unus, adoritur, & hastâ petulanter in pectus Cæsaris impactâ, parricidii initium facit: Pertinax togæ caput involvens, reliquorum carnificum ictus excipit (i), Deíque Jovis ultionem precatus occubuit V. Kal. Aprilis, mense tertio sui Imperii, Pater pius, Parens Senatûs, Princépsque omnium bonorum etiam post mortem appellatus (k).

(i) Capitol. in V. Pert.

(k) Victor Epit.

Didius Julianus succedit in Imperio.

6. Cæde peractâ fortissimi quique urbem reliquêre; nec jam ullus erat, qui ulcisci optimi Principis mortem auderet: milites igitur sui facinoris securi ex Prætorii muris proclamant, Imperium ejus fore, qui majore id pretio emerit. Turpis nundinatio etsi multis displiceret; Didius tamen Julianus ambitione incensus ad castra Prætorianorum accessit, licitaturus Principatum vicenis quinis millibus, seu ducentis quinquaginta aureis in singula militum capita pronunciatis. Pollicitatione pingui illectus exercitus Julianum intra castra admissum Imperatorem salutant, inde

que ab eis pecuniâ referte, inquit, domum Pertinacem Imperatorem esse; erat enim illis Pertinacis nomen cognitum ex iis, quæ passi fuerant, cùm ipse in exercitu Marci militaret.

de solitò majore equitum, militúmque multitudine in urbem, palatiúmque evehitur, populo, qui aliàs Cæsaribus læta omnia precabatur, Didio Imperii emptori, infausta ac infelicia cuncta ominante (* 5). Julianus ubi firmiore manu fasces prehenderat, ob libidinem & luxum Romæ statim nequissimus audiit (* 6): & quoniam exhausto ærario solvendæ militibus summæ impar erat; Prætorianis quoque displicere cœpit: his igitur commotus Senatus C. Pescennius Nigerium tanquam Romani Imperii vindicem implorat (l). Erat is Syriæ Præses, cujus ingenium mite & magna in rebus arduis gerendis prudentia; qui, ubi non sine animi dolore acceperat, quid Romæ cum Senatu, populo, ac Juliano ageretur, turpe sibi existimavit, si tam gloriosum à majoribus relictum Imperium, sineret esse abjectum, aut cùm timiditatis aut proditionis nota opem implorantibus denegaret (m): oratione igitur ad milites habitâ, Purpuram ex omnium votis induit, novúsque Imperator præcedente igne in Antiochiæ templum succedit, accurrentibus Regibus & Satrapis Orientis (n).

Odium populi adversus Didium.

(l) Spartian. in V. Didii Jul.

Pescennius Niger alter Candidatus Regni.

(m) Herodian. lib. 2. p. 503.

(n) Spartianus in V. Pescennii Nigri.

7. Dum hæc à Nigerio in Asia agebantur; Septimius Severus tertius è Pannonia Cæsar à suis legionibus deligitur (*6): fuerat is unicus ex Romanis Imperatoribus, quem Africa genuisset: literarum causâ extra Patriam Romam missus, à Pædagogis ad officia Quæstoris, & Tribuni evasit (o), demum legionibus Pannoniæ ac Germaniæ præpositus virum se ostendit vitæ duræ, atque asperæ; promptum tamen, acrémque in rebus gerendis (p). Principatum

Septimii Severi initia.

(o) Spartian. in V. Severi.

(p) Herodian. lib. 3. pag. 527. Dio lib. 76. p. 870.

(*5) ÆLIUS SPARTIANUS in V. Didii Juliani. *Erat in odio populi Didius Julianus, ob hoc, quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi, Pertinacis authoritate reparandam; habebatúrque ità, quasi Juliani consilio esset Pertinax interemptus ... lapides etiam in eum jecerunt &c.*

(*6) SPARTIANUS videtur amoliri hæc vitia à Didio, sed XIPHILINUS apertè asserit: *Julianus occupato hoc modo imperio, res agere cœpit homine libero indignas, blandiri Senatui, & potentissimis quibusque; multa eis promittere & largiri; arridere obviis, frequentare theatra, multa convivia agere, postremò nihil prætermittere quod ad eos fovendos, deliniendósque spectaret. Sed nemo nostrum ei fidebat, erátque suspecta omnibus immoderata ejus assentatio: nam quod extra modum fit, licèt putetur, quibusdam esse gratum; tamen prudentibus fraude carere non videtur.*

(*7) DIO, qui tunc Romæ erat, portentum à se visum commemorat: *Hos viros* (Albinum, Nigettam & Severum) *tres stellæ significabant, quæ visæ repente circùm solem fuerunt Kalendis Januarii, cùm Julianus ante curiam sacra faceret nobis præsentibus. Erant enim adeò conspicuæ, ut eas milites perpetuò inspicerent, & invicem commonstrarent, dicerèntque, Juliano magnum aliquod malum impendere.*

cipatum igitur hic ut suspensum vidit, ac quasi direptioni expositum; ipse quoque tanquam Imperator Romam proficisci decrevit. Nec desiderio ejusdem miles defuit, sed oratione blandâ pellecti singuli Duci suo Augusti titulum contulêre (q): Severo Romam usque progrediente, Julianus pecuniâ ex templis direptâ ad tempus demulsit copias, ut arma contra novum Cæsarem sumerent: apud Pontem Milvium pugnatum est, sed Julianus à Severo devictus in Palatium primò fugit, dein desertus à suis, & à Senatu morti adjudicatus, per gregarium militem obtruncatus vir senex, gulosus, aleator, & vitæ parùm continentis (r). Prætoriani, ut Severi favores aucuparentur, laureis redimiti sertis, armísque exuti in occursum Principis properant: sed dum præmium exspectant, armatis obsessi subitò sententiam hanc Severi excipere coguntur: Parricidii singulos esse reos, qui, cùm Pertinacem tueri corporis periculo debuissent; eum interficere non fuissent reveriti. Adhæc sceleratissimorum fœneratorum more Imperium, quasi rem nihili, vendidisse: exularent proinde perpetuò Româ, & equestri habitu spoliati nudi abirent (s).

(q) Herod. p. 507.

(r) Idem p. 509. Dio l. 73. p. 839.

Didii Juliani cædes.

(s) Spartian. in V. Severi Herod. p. 511.

Ultione hâc sumptâ Severus Romam ingressus à Senatu Pertinacis nomen meruit, quòd primus necem piissimi Principis, gravissimámque Imperii ignominiam absque ulla sanguinis profusione vindicâsset (t): vix dies aliquot in urbe regnaverat; ex Britannia metûs causa non parva allata est: Clodium, nempe Albinum, Ducem in ea Insula fortissimum, Imperium ambitiosiùs quærere. Severus, & Pescennio & Albino simul oppugnandis impar, fraude Imperium stabiliendum putavit; Albinum namque regni communione oblatâ à novis molitionibus sejungens, in unum Pescennium arma movit: hic collectis copiis Severo obviàm profectus nihil industriæ omisit, quâ competitorem ab Oriente arceret: post ingentem, cruentámque pugnam, ubi victoria penes Severum steterat; Nigri milites profugos Nicæni in Bithynia recipiunt: accedente igitur novâ rusticorum manu prælium alterum, at non sine clade Pescennii commissum est. Nigri copias ad Tauri confinia elapsas Cæsar insequitur, tertióque certamine victor, cæsis copiis, ipsum quoque Nigrum prosternit. Inde in Arabes,

(t) Dio l. 74. pag. 839.

Severus Clodium Albinum Collegam assumit.

bes, Adiabenos, & Parthos invectus, cunctos compressit, eoquòd in Pescennii partes concessissent.

9. Eadem causa fuit, cur intereà Byzantini à Severi Ducibus trium annorum obsidione urgerentur: seditione demum factâ in urbem atrocissimè sævitum est: ejus dejecti muri formæ mirabilis: libertas adempta civibus, atque hi Heracleæ contributi, ut inde jus peterent. Ex tantis ruinis civitas antè non emersit, donec à Constantino in novam Romam præclariore operâ commutata est (*8). Ut igitur cuncta in Oriente ex animi sententia Cæsar confecerat; restabat etiamnum Albinus, qui supremæ unius potestati obsisteret. Rem aperto Marte aggredi non ausus Severus, quosdam subornabat, qui veneno hominem perderent: at detectis insidiis in arma utrinque itum est. Albinus ratibus citissimis ex Anglia trajectum exercitum Lugdunum dirigit; Severus contrà in Gallias cum victorioso milite ingressus, varias primùm excursiones fecit, tulítque. Postremò autem infensissimè ad Lugdunenses muros pugnatum est, in quo conflictu victoria, diu, multúmque anceps tandem penes Severum fuit (*9). Albino graviter vulnerato (* 10), atque semineci rescissum caput XI. Kal. Martii; Lugdunum direptum, incensúmque est: inde in optimates quosque ac Albini Socios Imperator adeò sævit; ùt *Sylla Punicus* diceretur, qui corpora, non animos vincere didicisset.

A. Æ. C. 196.

Byzantii expugnatio.

Cl. Albini exitium.

A. Æ. C. 197.

(*8) HERODIANUS lib. 3. c. 68. *Missis item pariter, qui Byzantium expugnarent, clausam adhuc, receptis Nigri Ducibus. quæ deinde urbs fame capta, totáque planè diruta, simul theatro, thermisque, omnique cultu atque honore detracto, & in vici formam redacta, Perinthiisque in servitutem adjudicata est, quemadmodum Antiochia quoque Laodicenis.*

(*9) DIO testatur utrisque fuisse 50. hominum millia, ac priore quidem pugnâ Lupum Severi Ducem Albinus vicit, & magnam militûm vim occidit; posterioris fors varia fuit; nam cùm primo sinistrum cornu Albini victum in castra profugisset; Severiani insecuti eum capiunt, & diripuerunt. At Albiniani, qui dextrum tenebant cornu, Severianos in fossas à se factas, dolóque contectas, illectos, tantâ clade affecerunt, ut Severus cum Prætorianis auxilio superveniens, amisso equo periculum adierit, víxque tandem levi superventu victoriam reportavit admodum cruentam, ipsis etiam victoribus luctuosam.

(*10) SPARTIANUS in Vita Severi: *Seminecis Albini caput abscindi, pilo circumferri, Romam portari, reliquum denique cadaver ante domum propriam exponi ac dividi jussit; equum prætereà ipse residens supra cadaver Albini egit; expavescentémque admonuit, ut effrænatus audacter pretereret.*

REFLEXIONES HISTORICO-POLITICÆ IN CAPUT I. LIBRI II.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 3. pag. 351.

Quæ militiæ, ac Castrorum disciplina apud Romanos fuerit?

1. MAjestas, quâ Respublica Romana præcipuè valuit, à bellorum gloria petita est; per sexcentos quippe annos à Numa Pompilio ad Augustum Romani quingenties quinquagies præliati sunt: & quadringenties quadragies triumpharunt. Genti uni tantam vim præstitit disciplina militaris, quæ ut bonis ex initiis duceretur; Romani singularem in deligendo milite curam adhibuerunt. Ab ætate Tullii Regis *Ingenui* nonnisi & *Juvenes* conscribebantur, sive ii, qui nec 16. annis minores, nec 46. majores forent. *Proletarii capite Censi, Libertini* militiæ viliori, & nauticæ servierunt (a); dum tandem ad annum U. 646. à C. Marco ad Jugurthinum & a. C. 664. ad Marsicum bellum legi cœpti sunt (b).

Delectus militum.

(a) Liv. l. 32. c. 33. Lipsius de Mil. Rom. 1. Dial. 2.

(b) Gellius XVI. c. 10.

2. Bello per consuetas formulas indicto, consulibus velut Imperatoribus demandabatur exercitus: creato Imperatore delectum habituri Consules edicto proposito, & vexillo ex arce sublato (c), omnes cives militaris ætatis in Capitolium vel in Campum Martium convocabant (d). Omnibus enim vel 20. inter pedites, vel inter equites decem stipendia conficienda erant; priusquàm emeriti haberentur: nec sine militia ullis honoribus domi, bellique digni censebantur. Tum Tribuni militum electos milites & Sacramento obstrictos referebant in ordines, nec à militia eximebantur, nisi quis justam ab ætate, vel honore vel à beneficio acceptam *Vacationem*, sive emerita stipendia, aut demum morbum, aut vitium obtendere posset (e).

(c) Virg. Æneid. VIII.

(d) Liv. l. 26. c. 31.

(e) Cantelius Differt. 6. c. 1.

3. Exercitus Romanus tribus partibus plerumque absolvebatur, scilicet *Legionibus, Sociis, & Auxiliis*: *Legiones* ex civibus, *Socii*, ex Italis, *Auxilia* ex nationibus exteris constabant: Socios inter & auxilia id discriminis erat, quòd socii (si frumentum excipias) gratìs militarent; auxiliaribus verò copiis stipendia solverentur: *Legio* certa, peditum . equitúmque manus fuit; pedites in decem cohortes, equites in totidem turmas distributi: ex tribus manipulis componebatur *cohors*, ex duabus centuriis

Exercitus ejusque partes.

turiis *Manipulus*, qui eâ de causa dictus est, quia olim manipulus fœni pro signo ipsis præferebatur (f). *Turma* tres numerabat decurias: in his omnibus pro diversa ratione temporis diversus militum numerus legebatur: Legio tamen communi ex more 4200. peditum erat, cohors 420., manipulus 140., centuria 70.: equites singulis legionibus adjungebantur duceni: cæterùm uti nullus militum, sic nec Legionum numerus apud Romanos vigebat. In bello Punico II. Legiones 25. numeravit Respublica: in bello civili Pompejus, & Cæsar 40., totidem in Actiaco habuit Octavius Augustus (g). *Sociorum* equitatus copiosior utrinque exercitum tegebat, hinc *alares* dicebantur, ex his porrò *extraordinarii*, & *Ablecti* secernebantur ad usum & servitium Consulum (h).

(f) Ovid. fast. lib. 3. v. 117.

(g) Cantel. loc. c.

(h) Liv. 35. c. 5. & lib. 10. c. 25.

Ordo militum.

4. Quatuor potissimùm censebantur *militum* genera, quibus nomen, ætas & arma planè diversa fuerunt. *Primò* VELITES adolescentes admodùm & ad lacessendum magìs, quàm sustinendum hostem apti; his annumerabantur *funditores administri*, *rorarii* tanquam à rore ante pluvias serias dicti, *ferendarii* qui lapides pro fundis conferebant. *Secundò* HASTATI stabant in fronte, adultiores ætate ab hastis appellati. *Tertiò* PRINCIPES in medio consistebant ità nominati, quòd à Principio gladiis uterentur, annis & robore cæteris paulò majores. *Quartò* TRIARII qui in tertio ordine, scuto, hastâ & ense dimicabant. His omnibus præstabant *evocati*, qui expletis suis stipendiis in gratiam Ducum sponte militiam sumebant (i).

(i) Cantel. l. c.

Ordo Ducum.

5. *Ducum* tres classes apud Romanos reperies: CENTURIONES, & TRIBUNI peditatum regebant: illorum munus erat Aquilam præcipuè tueri: & quoniam in singulis Legionibus 60. Centuriones erant, sex in cohorte, in manipulo duo; ut aliquis inter eos prærogativæ gradus esset, Centurio, qui in prima cohorte Hastatorum erat *primus hastatus*, qui in Principum, *Primus Princeps*, qui in Triariorum, *Primipilus* vulgò vocabatur (k). Uti Centuriones cohortes, manipulósque ducebant; ità Tribuni totam Legionem, sic dicti, quod à tribubus olim eligerentur: horum ab initio tres in quavis Legione erant, posteà seni: dignitas ejusmodi habebatur Senatoriæ proxima, gaudebántque jure annuli aurei; cùm reliquis nonnisi ferreus permissus esset. Munus Tribunorum fuit, milites in Castris continere, claves portarum suscipere, delicta castigare, & tesseram militarem suis tradere (l). Equitum Duces alii PRÆFECTI alii DECURIONES vocabantur, quorum illi Tribunis, hi Centurionibus respondebant. IMPERATOR dicebatur is, cui jus datum propriis auspiciis belli gerendi, aut qui profligatis hostibus hoc nomine consignabatur (m): supremo huic exercitûs capiti *legati* adsciscebantur, & *quæstores*: illi absentis Imperatoris munere fungebantur, hi pecuniam curabant publicam: Imperatori, si prætor esset; fasces sex: si Consul, duodecim: si Dictator, quatuor præferebantur.

(k) Veget. II. c. 5.

(l) Liv. l. 28. c. 24.

(m) Sueton in Aug. c. 21.

6. *Arma*,

Arma.

6. *Arma*, quibus usi sunt Romani, multiplicis formæ, ac figuræ fuêre. *Velites* adhibebant Parmam sive scutum rotundum, quod ex ligno confectum erat superinducto corio; Galea iis erat, ex pelle animantis: gladium prætereà utrinque acutum, hastulásque missiles septenas ferebant. Hastatis Principibus, & Triariis arma graviora dabantur, utpote scuta, imbricata, quæ toti corpori tegendo sufficerent, pila, bipennes, galeæ æreæ, ac loricæ vel hamatæ ex annulis, vel squammeæ ex laminis consertæ; equites gladio oblongo, conto, loricâ, & galeâ leviore armabantur. Si quando urbs oppugnanda veniebat; nova armorum, & machinarum genera accesserunt: scilicet *testudo*, cùm copiæ scutis supra caput elatis, & arctiùs insertis muro succederent: quâ machinâ, utì & cratibus, vineísque laborantes milites tegebantur: *turribus* mobilibus, & *ariete* ex firma trabe, ferro prominente, facto: *Catapultis*, & *Balistis* faces urbi, mœnibúsque vis inferebatur (n).

(n) Veget. I. c. 12. Lipsius de re milit. Rom. III. c. 7.

Signa & vexilla.

7. Si cogendus miles; buccinâ, lituo, aut tubâ ad signa vocabatur, quæ hujusmodi erant: nempe toti Legioni aurea Aquila anteferebatur; præter hanc Minotaurus, equus, aper, seu porca ex argento in Legionibus prostabant. In Manipulis fœni fasciculus olim, posteà etiam vexilla draconum aut ex aliarum imaginum figuris insignia sublimè tollebantur (o): stipendia Principio nulla solvebantur; sed suo quisque sumptu militabat. Donec Galli Româ potiti sunt, à quo tempore pediti tres in diem asses, Centurioni sex, novem Equiti sunt constituti: subinde Cæsar Pediti duplicatum, Equiti triplicatum persolvit, decuplo plus dedit Augustus, & Domitianus quatuor aureos in singulos menses singulis militibus erogavit (p).

(o) Suet. in Tib. c. 48.

(p) Græv. in Thes. Tom. X. p. 1195.

Castra.

8. Castrorum formam quadratam plerumque habuêre: in eminentiore loco extabat *Prætorium*, ad cujus dexteram ponebatur *Quæstorium*, ad sinistram verò *tabernacula Legatorum*: ex adverso stabant *tabernacula Tribunorum*, ac *Præfectorum*: in inferiore parte collocabantur equitum, peditúmque domicilia. Castris fossa duodecim pedes lata, & vallum sudibus munitum obtendebatur (q).

(q) Wolffgangus Lazius.

Disciplina militaris.

9. In castris porrò summa vigebat disciplina. Legibus cautum erat, ne quis nummi unius valorem auferret, aut ne quis solus etiam in hostico prædaretur. Vallum transilire capitale erat, ne sic hosti via sterneretur. Mulieres à Romanis castris exesse jubebantur. Nemini nisi dato signo modicè prandere, aut cœnare licebat: cibi autem militum erant vilissimi, panis bis coctus, laridum salitum: his pro potu jungebant aquam vel Poscam, hoc est aquam aceto mixtam. Ut perpetuis laboribus exerceretur miles; etiam in otio ter singulis mensibus sub armorum pondere decurrendum, per decem millia passuum: portabant verò præter arma, & cibaria trium dierum, serram, cophinum, sarculum, securim rutra, falcem frumentariam, catenámque, & palos minimùm tres muniendis castris

aptos.

aptos. Adhæc transiliebant fossas, tranabant flumina, & umbratili prælio se lacessebant. Quidam Duces his exercitiis non contenti copias suas moliendis fossis, muris, arcibus ac oppidis adhibebant; ex quibus munimentis adhucdum fossa Drusi & Corbulonis, Vetera Castra, murus Britannicus insigniora sunt (r).

(r) V. Bert. l. de Ger.

10. Ex Castris dum ibatur in aciem; Legiones medium, Equites latera obtinebant. Manipulis in quadrum dispositis, inire pugnam Hastatorum erat, pugnam continuabant Principes; demum res ad Triarios recidit, quibus irruentibus aut certa clades extitit, aut victoria. *Acies*

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 11. pag. 357.

De triumphis Romanorum.

1. ROmulus utì Romanæ Reipublicæ, ita quoque triumphalis Pompæ author fuit; is enim cæso Acrone Ceninensium Rege, spolia à ramo arboris instar trophæi suspensa gerens, lauróque coronatus Capitolium ascendit. His modicis initiis Tarquinius Priscus & currum & alia triumphantium ornamenta adjecit. Posteà partâ insigni victoriâ Dictatoribus, Consulibus aut Prætoribus triumphi decernebantur, qui suis auspiciis, & sua in Provincia rem ita gessissent, ut fines Imperii proferrent, quíque paucis suorum amissis quinque saltem hostium millia cecidissent (a). *Initia triumphorum.*

(a) Cicero pro Rege Dejot.

2. Triumphi Pompa constituto die hunc in modum adornabatur: Senatus Imperatori laureato, & ramum dextrâ tenenti extra urbem obviàm prodibat: atque illic peractis votis, habitâ de laude militum concione, candidatus populus ordinem triumphalem ducebat per arcus dispositos, & vias floribus respersas (b). Ante Imperatorem ferebantur imagines urbium devictarum, & insigniora spolia à militibus coronatis (c): Antecedebant quoque Victorem Reges, Duces captivi, & victimæ immolandæ: Tum sequebatur Imperator veste triumphali indutus, & coronatus, qui in sella ex ebore, sex aut quatuor equis candidis vehebatur, dextrâ laurum, sinistrâ scipionem cum aquila complexus: Post Imperatorem ibant cognati, & demum Victor exercitus, qui inter cantus, etiam ridicula in Imperatorem convitia conjectabat, ut opprobriis ambitionem triumphantis temperarent (d); ac propter eandem rationem servus publicus in curru ab Imperatoris tergo hærebat; coronam auream sustinens, simúlque identidem monens: *memento te hominem.* In forum delatus Imperator, captivos aliquot in carcerem rapi, necaríque jussit: quo facto in Capitolium enisus, immolato tauro, in Jovis gremio laurum deponebat (e). *Triumphalis pompa.*

(b) Ovid. Trist. 4. Eleg. 11.

(c) Idem l. c.

(d) Sueton. in Julio. c. 50.

(e) Senec. Consl. ad Helvid. c. 10.

3. *Ovatio* minoris triumphi species erat; ita dicta, quòd triumphans non tauros, sed oves pro sacrificio duceret; vel à clamore militum, qui ob victoriam lætantes iterabant litteram O. Qui nec Consul, nec Dictator, nec Prætor: nec justum hostem; sed piratam, servum, aut fugitivum vicisset, huic ovatio concessa est (f). Ovanti vetitum, curru in urbem vehi: nec lauro, sed myrto coronabatur: neque accinebant ei tubæ, sed tibiæ.

Ovatio.

(f) Gell. v. c. 6.

Dona militaria.

4. Sicuti Ducibus sua victoriæ fuêre præmia, ita & militibus: inter dona militaria erant *hasta pura* sine ferro, *armillæ*, torques, & *coronæ* variæ. Qui obsidione liberâsset aut cives, aut socios, *obsidionali* donabatur: erat hæc contexta ex gramine ejus loci, ubi libertas contigisset (g). Qui subiisset primus murum hostilem, coronam obtinuit *muralem:* Qui primus in Castra, aut navem irrupisset, *Castrensem* aut *navalem* consequebatur: singulæ hæ ex auro argentóve dabantur, eo discrimine, quòd Muralis pinnas murorum, Castrensis vallorum propugnacula, Navalis rostra navium figurâ suâ exhiberet. Non minoris honoris opus erat corona *civica ilignea* & posteà quernea, quam is reportabat, qui hoste cæso civem servâsset: militi hujusmodi coronato vocatio omnium munerum simul dabatur, locúsquè ad ludos spectandos Senatui proximus (h).

(g) Plin. H. N. XXII. c. 3.

(h) Dionys. Halicar. VI. c. 13.

REFLEXIO III. ad §. 1. n. 13. pag. 358.

De Spectaculis, & Ludis Romanorum.

1. QUoniam complura ludorum genera ad placandos superos, aut pro salute populi, aut ad plebis favores conciliandos instituebantur; illi ludi præcipui habebantur, qui *sacri* ac *votivi* dicti sunt: inter ludos sacros numerabantur *Apollinares* in Apollinis laudem, ad II. Nonas Quinctiles à Prætore celebrari soliti (a); hos populus laureatus spectabat, eoquòd Marcus Vates ludorum ejusmodi institutione populum in arma convocaverat, ut palabundum per agros Romanos hostem exigeret. In *Cerealibus* ab Idibus Aprilis octo dierum equestria Certamina vigebant (b), colebatúrque Proserpinæ raptus per Ædiles, & prætextatos Magistratus. *Capitolini* ludi Authore Camillo ob servatam à Gallis Capitolinam sedem, Jovi dicabantur, in quibus senex ludibrii causâ cùm prætexta & puerili bulla producebatur; quòd eo habitu Vejentium Rex à Camillo sub hasta venditus fuisset (c). Distinguebantur tamen hi ludi ab Agone Capitolino, quem singulis quinquenniis Domitianus adornari jussit (d), quo tempore Oratores, aut Poëtæ præstantiores palmas, & coronas merebantur. *Compitalitii* in compitis instituebantur in honorem Larium (e): *Consuales* sacri erant Conso sive Neptuno ad XII. Kalend. Septembres in memoriam raptarum Sabinarum (f). *Florales* turpem habuêre originem; nam Acca Tarratia postquàm fœdo commercio magnas opes lucrata esset;

(a) Liv. lib. 25. c. 12.

(b) Ovid. Epist. IV.

(c) Liv. lib. 25. c. 30.

(d) Sueton. in Dom. c. 4.

(e) Plin. H. N. 26. c. ult.

(f) Varro de LL. c. 3.

ſet; populo Romano ultimis tabulis eas reliquit hâc lege, ut editis ludis ſuum natalem diem celebraret: quò verò rei pudendæ dignitas aliqua adderetur; Deam, præſidem florum, fuiſſe finxerunt (g). *Megalenſes* in honorem magnæ Deorum matris celebrabantur per ſex dies à pridie nonas Aprilis ad v. Idus; per quos dies Proceres *mutitabant*, hoc eſt munera ſibi invicem mittebant (h).

(g) Ovidius Faſt. IV. v. 327.

(h) Idem v. 353.

2. Hi ludi quia ſtato tempore agebantur; ſæpe etiam *ſtati* nominati ſunt, ſicut & *Ludos ſæculares* inde nomen ſuum accepiſſe ferunt; eoquòd poſt centeſimum, aut centeſimum decimum annum in honorem Apollinis & Dianæ haberentur. Alii contrà aſſerunt, ludos ejusmodi non ab anno centeſimo ſæculares eſſe dictos; ſed ex eo, quòd rarò inſtitui ſolerent, quódque ea, quæ rarò eveniunt, poſt ſæculum accidere vulgò dicamus. Ab urbe quippe (i) condita pauca ſæcula invenias, in quorum fine exhibiti memorentur, imò primo anno U. C. 52. jam celebrabantur, deinde à Valerio poplicola exactis Regibus: denique aliquando ſub Conſulibus: quinquies ſub Imperatoribus ab Auguſto, Claudio, Domitiano, Septimio Severo, & Philippo anno urbis milleſimo.

(i) Cantel. Diſſ. VI. c. 3.

Zoſimus (k) ludorum modum ità deſcribit: *Circumeuntes præcones univerſos ludorum causâ convenire jubebant ad ſpectaculum, quod neque vidiſſent anteà, neque viſuri poſthac eſſent. Ipſo autem meſſis tempore, perpaucis diebus antè, quàm ludi peragerentur, in Capitolio, templóque Palatino XV. viri ſedentes in ſuggeſtu luſtralia populo diſtribuebant. Ea ſunt faces, & ſulphur, & bitumen. Nec participes horum ſervi ſunt, ſed liberi duntaxat homines. Poſteaquàm populus univerſus, & in locis iis, quæ diximus, & in templo Dianæ, quod eſt in Aventino colle, convenit; triticum & hordeum & fabas, quisquis ſecum defert, ac Parcis nocturnos ludos caſtè, pudicéque faciunt. Hoſtiæ propter ripam Tiberis ... Diis conſecrantur ... videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, tum præter hos Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proſerpinæ. Primâ nocte ſpectaculorum ad horam ſecundam, tribus aris in ripa fluminis conſtructis, Imperator cum XV. viris tres agnos cædit, & aris ſanguine reſperſis ſolidas victimas adolet. Scena verò ſine theatro conſtructa: lumina cum rogis accenduntur, & hymnus recèns factus canitur; adeóque ſpectacula conſentanea rebus divinis eduntur. Et hæc, qui peragunt pro mercede Primitias fructuum accipiunt ... Poſtridiè conſcenſo Capitolio, & conſuetis ibidem immolatis hoſtiis ad conſtructum inde theatrum progreſſi, Apollini & Dianæ ludos faciunt.* Hæc fuſiùs referenda fuerunt, ut pateat tam impios ludos à nullo Chriſtianorum Principum edi potuiſſe, ac vel inde Philippum, qui tales celebravit, nullo modo Chriſtianis accenſendum; ut infra in Reflexione 5. ad Libri III c. 1. patebit.

(k) Lib. 2. p. 660.

3. Sacris ludis accedunt *Votivi* quos vel Magiſtratus, vel Imperator voverat ob partam de hoſte victoriam: hi ſi in quinquennium promittebantur, *Quinquennales*: ſi in decennium, aut vicennium *Decennales*, aut *Vi-*

cennales appellati ſunt. Auguſtus ad Actium Victor Quinquennalium initium dedit: Decennales inſtituit, cùm ex more ſingulis decenniis imperio ſeſe abdicaret, móxque velut rogatus aſſumeret rurſum, ne Tyrannidem ambire videretur, qui deinde mos cæteris Imperatoribus uſitatus fuit in ſingula decennia, aut vicennia, quo tempore vota Diis perſolvebantur de ſuperſtitione Ethnica ſervanda; unde in Chriſtianos non paucæ perſecutiones profluxerunt, ut Pagius ſæpiùs oſtendit (l).

4. Quemadmodum quidam ludi à forma Religionis aut fine *ſacri* dicti ſunt; ita alii fuerunt, qui à loco *Circenſes*, & *Scenici* vocarentur. CIRCUS, unde Circenſes nomen habent, circa metas ferebatur, in cujus medio ludi celebrabantur. Tarquinius Priſcus primum ejusmodi circum adornavit inter Palatinum, & Aventinum montem, cujus longitudo trium ſtadiorum erat cum dimidio, latitudo quatuor jugerum: tota amplitudo capiebat 150. millia hominum. Ludorum Circenſium genera ſex fuêre. Nam I. pugnabatur gladiis, pilis, haſtis, pugnis vel etiam beſtiæ laceſſebantur, quod ludi genus ingenuis infame erat. II. Certabant curſu Parabatæ, & conficiebant quandoque CLX. millia paſſuum (m). III. Saltabant in æquo campo, aut in equos cataphracti inſiliebant. IV. Jaculabantur diſcos, tela. V. Pugna pedeſtris, & equeſtris fiebat ad imaginem veri belli, utì & Navmachia VI. Aurigatio Romanis præ cæteris placuit, dum factiones ſuis coloribus diſtinctæ, bigis aut quadrigis inter ſe contendebant. Ne currus, aut equi cancellis ſuis citiùs, ac judices dediſſent ſignum, elabi poſſent; ſex oſtia ſive carceres erant, ante quos ſtabant duo Hermuli, ſive ſigna Mercurii catenam vel funem prætendentes: funis loco quandoque alba linea ducta fuit, ad quam alludit Horatius, dum mortem vocat ultimam lineam (n). Circus alter erat *Agonalis*: cujus latitudo & longitudo ferè videtur Romæ non procul à templo S. Apollinaris hodiè, & dicitur vulgò in Agone: à Numa Pompilio erectus eſt, in quo Agonalia quot annis celebrabantur in honorem Jani; poſteà à Nerone eſt reſtauratus. *Flaminius* Circus fuit olim; ubi hodiè viſuntur officinæ obſcuræ, non procul à templo S. Catharinæ: in eo ludi Apollinares, & Equeſtres populo exhibebantur. Circus *Floræ* vicinus fuit Pilæ Tiburtinæ, & foro Archemorí: ibi fiebant turpia Floralia quot annis. Circus alius eſt ſive *Hippodromus Caſtrenſis*, qui ferè integer videtur ad viam Appiam; haud procul à ſepulchro Cæciliæ Metellæ, quod *Capo di Boi* vocatur. Circi partes erant; Cubiculum Principis, Carceres, oppidum, Hermuli, Area Circi ſive arena: Spina ſive murus lateritius, qui Circum ſecabat, Metæ, Obeliſcus, Delphines & Ova (o).

5. *Scenici* ludi, primùm cœpti ſunt a. U. C. 389. quo tempore peſtis Romam invaſerat; ad placandam igitur Deorum iram hi inſtituebantur. Quatuor ſcenicorum genera numerantur: Tragœdia, Comœdia, Satyra & Mimus. In theatris hi peragebantur, quibus exſtruendis magnam vim

(l) Pagius critic. Baron. Tom. I. pag. 48.

(m) Plinius Hiſt. nat. VII. c. 20.

(n) Horat. Epiſt. 1.

(o) Cantel. & Nieuport in Compend. Antiq. Rom.

vim pecuniæ Veteres impenderunt: Theatrum M. Æmilii Scauri capiebat octoginta millia hominum; æstimabatur autem HS. millies, sive bis millies & quingenties millenis Imperialibus. Amphitheatrum omnium maximum exstrui à *Vespasiano* cœpit, & à *Domitiano* perfectum fuit, & ornatum incrustatione marmoreâ, & signis, statuísque frequentibus; est inter Cælium & Esquilias: erátque capax octoginties millenorum hominum. Nunc vocatur Coliseum, à Colosso solis, qui propè fuerat erectus: factum est ex Tiburtino marmore, lapidibus ingentibus; ut stupeas tantas moles exscindi, & aliò transportari potuisse. Hodiè destructum ex majori parte, & ex ejus lapidibus Palatium Cancellariæ est ædificatum: relicta tamen est portiuncula integra, ut ab ea judicari possit, quàm splendidum fuerit ædificium, quod dicitur undecim annis absolutum fuisse à 3000 hominum.

Theatrum *Marcelli* visitur ad Palatium Sabellorum: Hoc Augustus Cæsar erigi curavit in honorem Marcelli ex sorore Octavia Nepotis: demum Theatrum *Pompeji*; inter Marcelli theatrum, & forum Judæorum, ejus pars adhuc integra erecta est ad Palatium Ursinorum: Hoc lapideum Pompejus Primus fecit, cùm anteà in urbe theatra essent lignea, quæ spectaculo finito amovebantur. Pompejus verò mansurum perpetuò incœperat, quod Caligula absolvit (p). Cæterùm theatri partes erant, *Scena*, *Proscenium* (histrionum locus), *Postscenium*, *Pulpitum* & *Orchestra* sive *Saltatorium*. De ludis vide Rosinum, & Wolffg. Lazium L. X. Reipubl. Rom.

(p) Boissardus de Antiq. urbis Rom.

REFLEXIO IV. ad §. IV. num. 1. pag. 372.

De Consortio duorum Augustorum.

1. AB eo tempore, quo Monarchia Romana floruit, tres modos ac formas intueri licuit, quibus Imperium administratum est. Primò enim unicum urbis, ac Provinciarum caput in Augusto cœpit: at paulò pòst ab eodem supremo Principe Collega Imperii scilicet Tiberius assumptus est, qui etsi extra urbem idem jus in exercitus ac Provincias cum Augusto haberet; Augusti tamen dignitate necdum gaudebat: sed quidquid ab eo agebatur, id omne actum est ab illo velut Imperatore, & ob Proconsulare ejus Imperium. Labente tempore tertia demum Gubernationis forma inducta est, quando M. Aurelius L. Ælium Aurelium Verum non modo Cæsarem, sed & Augustum novo exemplo renuntiavit (a). Patinus Nummum Coloniæ Beryti ostendit (b), ubi Marcus & L. Verus cum sua quisque aquila summi Imperii Augustæi indice exhibentur: neque inde tantùm duo Augusti, sed & quandoque tres simul regnârunt.

(a) Capitolin. in Marco c. 7.

(b) In Numism. Impp. p. 241.

2. In hac Augustorum conjunctione singulare aliquid fuisse Pagius notat (c): nam etsi supremi Dominii nomina, muneraque duobus, aut tribus Augustis communia forent; unus tamen, seniórque Pontificis Maximi titulo condecorabatur. Qui Numismata Commodi, Caracallæ, & Getæ inspicit, hos Collegas Cæsares cum aliis regnantes non Pontifices Maximos, sed Pontifices duntaxat signari intelliget: confirmat idem Dio (d), dum ait: *Ex eo autem, quod omnibus Sacerdotiis inaugurati sunt Imperatores, & quòd alios in pleraque illa Collegia adsciscunt, sempérque unus eorum, ubi duo, vel tres simul imperant, summum Pontificatum gerit, continuò fit, ut omnium Religionum, & sacrorum Domini evadant.* Legitur tamen in Balbini, & Pupieni Nummis, utrumque Pontificem Maximum appellatum fuisse. An verò duobus & rei & nominis consortium simul datum sit? ambigit author prædictus.

(c) Critic. Tom. I. pag. 154.

(d) Dio lib. 53. Spanhem. Dissert. 8. de præst. & usu numism.

REFLEXIO V. ad §. 4. num. 6. pag. 374.

De Marcomannorum origine, ac rebus gestis.

1. EX Etymo nominis Marcomanni dicuntur limitanei viri, sive qui Marcam contra hostes pro virili tuentur. A Suevis etsi originem ducerent; agrestiorem tamen præ illis vivendi modum adhibebant: cæterùm à Quadis, Ariis, Buriis, Eburonibus, Harudibus, Sidonibus Butonibus, Ligiis, Elisiis & Manymis habitatione magìs, quàm linguâ moribúsque discrepabant. Marcomanni Primùm propiores Rheno Romanos ab hac Marca, seu Germaniæ limite arcebant. Sed postquàm Tiberius multa millia Germanorum (a) ad Galliæ sive Trevirensis agri culturam vi abstraxerat; tum Maroboduus Primus Rex Marcomannorum suos, ne idem fatum subirent, in Bojohemum transtulit, sedésque stabiles, pulsis inde Bojis, ibidem fixit juxta Albim fluvium, quem locum nobis Romanus scriptor designat (b), dum ait: *in Hermunduris Albis oritur flumen inclytum, & notum olim... juxta Hermunduros Narisci, ac deinde* MARCOMANNI & QUADI *agunt: Præcipua Marcomannorum gloria, Virésque, atque ipsa etiam Sedes, pulsis olim Bojis, virtute parta.* Eandem stationem hunc in modum describit Plinius (c). *Sub Gabreta sylva Marcomanni, sub quibus Sudeni, & usque ad Danubium fluvium Adrabæ Campi: sub sylva autem Hercinia Quadi, sub quibus ferri minera, & lunæ sylva, sub qua gens magna Bojemi usque ad Danubium.* Per Gabretam sylvam Wolffgangus Lazius (d) eam intelligit, quæ hodie Silesiam à Moravia dividit: In hoc igitur loco ubi firmas tenuissent sedes Marcomanni; Romanis terrori esse cœperunt. Nigra illis scuta, tincta corpora, atrásque ad prœlia noctes legebant, inferebántque ipsâ formidine feralis exercitûs ingentem pavorem, nullo hostium

(a) Lazius migrat. l. 9.

(b) Tacitus de M. G.

(c) In Tab. Germ.

(d) Lib. 9. de gent. migration. pag.

hostium sustinente novum, ac infernum veluti aspectum (e). Vestibus utebantur ex stuppa, sagísque vilibus, vel tergoribus ferarum: non iis loricæ, non galeæ, non scuta quidem, ferro, nervóve firmata, sed viminum textus, fucatæ colore tabulæ, præusta, & brevia tela, prælongæ hastæ vel veruta.

(e) Tacitus l. de M. G. Cæsar lib. I. Gall. Marcellin. l. 16.

2. Tiberius maximè infestos habuit Marcomannos cum suo Rege MAROBODUO, de quo Imperator querebatur, quod Italiam sui incrementi securam non esse pateretur. Hoc primo Marcomannorum Rege expulso, & Ravennæ in exilio apud Romanos consenescente, Catualda alter Rex genti Marcomannicæ præficitur (f), cui Jubillio, Vannius & Sido totidem Reges successerunt: his regnantibus Marcomannorum gens per duratum glacie Rhenum in Romanorum ditionem non semel involavit (g), prædasque ex Pannonia, Styria, Austria immensas abegit: & si Wolffgango Lazio fides est; in his terris quoque Colonias complures defixit.

(f) Tacitus lib. 2. Hist. Aug.

(g) Plinius in Panegyr. Traj.

3. Sextus Rex Marcomannorum fuit VARABERTUS, qui Marco Aurelio Cæsari clades funestissimas attulit. Cùm enim Pannoniam superiorem, & Valeriam in potestatem redegisset; non uno prælio opus fuit, dum Romani amissas reciperent Provincias. Tantus autem tunc timor Marcomannici belli fuit, ut undique Sacerdotes Cæsar acciverit, Romam omni superstitionum genere lustraverit, atque ipse Augustus cum Collega Lucio Vero in hostem moverit. Adductum innumerabilem Romanorum exercitum primùm objecto pacis fœdere barbari eluserunt: dein bello denuò gliscente copias Romanas in eas locorum angustias pellexerunt: ubi annonæ penuriâ, sitique confectæ fuissent, nisi Legio Christiana precibus à Deo pluviam impetrâsset, & contra Marcomannos Victoriam (h). Pannonia equidem tunc à Romanis recepta est; sed sub ignavo Caracalla in manus Marcomannorum recidit. Istius quippe Cæsaris alia bella in gentes Germanicas non erant, nisi ut pecuniâ ab iis victoriæ nomen emeret: nec ille aliâ de re gloriari auditus est, nisi quod Vandalos, & Marcomannos anteà Amicos, & socios inter se commisisset (i). Alexander posteà & Maximinus fortiùs contra hanc gentem, sed non sine cladibus luctati sunt.

(h) Xiphil. in Dione.

(i) Valesius in excerptis Dionis. p. 746.

4. Gallienus quoniam validam hanc gentem præ cæteris viderat; Attali Marcomannorum Regis filiam sibi junxit conjugii specie, dotémque dedit magnam Pannoniæ partem (k). Marcomanni his sedibus non contenti, Regnante Aureliano, per Noricum in ipsam Italiam penetrârunt, cujus populatione factâ Roma timuit præsens exitium; quare libri Sybillini tunc inspecti sunt; si quod fortè ex iis remedium malo inveniri valeret (l). Nec nisi summo periculo ab Italia tandem Marcomanni depelli potuerunt.

(k) Aurel. Vict.

(l) Vopiscus in Vit. Aurel. c. 18.

5. Quem-

5. Quemadmodum verò gens ejusmodi bellicosa ultra Danubii ripas suos protulit limites; ita & ad Septentrionis partes se longiùs diffudit: monumenta hujus aliqua nobis hodiè sunt Nova, & Antiqua Marca: similia in Dania Marcomannorum Vestigia testatur se reperisse Wolffgangus Lazius; à quibus terris demum in Belgicam Ripensem multi ex his populis commigrârunt, quando ab Aquilone irruens Attila plura Barbarorum agmina in Galliam secum pertraxit: ubi Marcomanni Eburonibus permixti Armoricæ Provinciæ initia dedere, quæ posteà à Mertiis ex Dania illuc transgressis nomen Nordmandiæ induit. Plura de Marcomannis legi possunt apud *Wolffgangum Lazium in Libro nono de Gentium Migrationibus*.

REFLEXIO VI.

Scriptores profani in sæculo secundo.

1. SUb *Trajano* floruit CORNELIUS TACITUS Historiographus, Equitis Romani filius (a), æqualis ac familiaris Plinii Junioris (b) natus est anno Æ. C. 61.: à Vespasiano, Tito, & Domitiano variis muneribus adhibebatur: Galliæ Belgicæ cùm præpositus esset a. 98.; scripsit librum de moribus Germanorum (c). Annales, quos orsus est, sunt mutili: cæteris multò insignius opus est, quod de vita soceri sui Agricola concinnavit teste Lipsio: scribendi modo utitur obscuriore (d), nec verba ejus è genuino Latio proficiscuntur; inter primos tamen Historicorum numeratur ob Politiæ dogmata, quæ Historiæ ubique inserit (e) Cosmas Dux Toscanensis & Papa Paulus III. ejus libros singulis diebus volvebant (f).

PLINIUS JUNIOR Novocomensis natus ex Lucio Cæcilio, & Sorore Plinii Senioris, a. 61., qui illum adoptavit: eloquentiam didicit sub Quintiliano (h): inde sub Domitiano Præturam, sub Trajano a. Æ. C. 100. Consulatum gessit, quo tempore celebrem dixit panegyrin: subinde Præfectus Bithyniæ, exploratis Christianorum moribus, Trajano gentem hanc innocuam commendabat (i). Ex ejus epistolis cognoscitur, virum optimorum morum, & litterarum fuisse (k). Vide *Tillemont.* in V. Traj. à pag. 352. ad pag. 357.

2. *Sub Adriano* Celebratus est præcipuè PHLEGON ejusdem Imperatoris Libertus, Patriâ Trallensis (l). Historiam is scripsit olympiadum libris 16. usque ad olympiadem 229. (m), cujus nonnisi fragmentum superest. Alii libri, quos de fastis Romanorum aut de Roma edidit, interiêrunt: nonnulla tamen circumferebantur præsertim de vita Adriani, quæ ab eodem Cæsare conscripta, Phlegontis nomine evulgabantur (n).

Non minoris famæ erat tunc EPICTETUS Stoicæ Philosophiæ Professor, ex Hierapoli Phrygiæ urbe oriundus: summam doctrinæ suæ duobus

(a) Tacitus lib. 1. c. 3.
(b) Plinius lib. 7. c. 16.
(c) V. Agric. n. 1.
(d) Tillem. in v. Traj. p. 381.
(e) Sidon. car. 2.
(f) Voss. de Hist. Lat. lib. 1. c. 30.
(g) Lib. 5. Ep. 8.
(h) Lib. 2. Ep. 14.
(i) Tertull. in Apol.
(k) Gesner. in Biblioth.
(l) Saturninus in v.
(m) Suidas apud Phot. c. 97.
(n) Spartianus in v. c. 16

bus verbis absolvit, *Sustine* & *abstine*: cùm apud omnes summæ authoritatis esset, mortui ejus lucerna fictilis tribus Drachmarum millibus væniit (o). Discipulum reliquit Arrianum Philosophum, qui de Epicteti dissertationibus libros scripsit 4., simúlque congessit historiam Bithyniæ, Patriæ suæ, usque ad Nicomedis tempora, qui populum Romanum hæredem instituit (p).

(o) Gellius noct. Attic. lib. 15. c. 11.

(p) Idem l. 19. c. 1.

PLUTARCHUS insignis Philosophus, Historicus & Orator in mundum editus est Cheroneæ in Bœotia A. Æ. C. 50. regnante Claudio (q), docuit litteras sub Domitiano Romæ, aliqui etiam opinati sunt eum Præceptorem Trajani fuisse (r): verùm alii ostendunt ætatem Plutarchi vix quinquennio annos Trajani superâsse; posteà tamen Plutarchi consilio Trajanus usus est (s): varia opera elaboravit, & præcipuè vitas virorum apud Romanos, & Græcos illustrium, nec iniquus fertur fuisse Christianis, ut qui ex idolis dæmones & non Deum loqui profiteretur; quamvis ejus tempore nonnisi unus aut duo ampliùs responsa ex simulachris darent (t).

(q) Tillemont. in V. Adr. p. 456.

(r) Joann. Sarisberiensis.

(s) De la Baune in V.

(t) Theodoret. lib. 2. pag. 628.

SUETONIUS TRANQUILLUS Magister epistolarum in aula Adriani (u): scripsit vitas 12. primorum Cæsarum, de quo opere Erasmus, ait: illud opinor apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio, qui ut quidam non infestiviter dixit; prorsus eâ libertate scripsit Cæsarum vitas, quâ ipsi vixerunt (x). Elucubratus quoque alia volumina de Grammaticis illustribus, ac Poëtis, de ludis Græcorum, de quibus videri potest Tillemont. in V. Adr. p. 467. vixit quoque hoc tempore *L. ANNÆUS FLORUS* Senecæ, & Lucani Agnatus, Spartianus hujus lepidos ad Adrianum versus memorat (y) Vossius (z) credit ab hoc Livium in epitomen fuisse contractum.

(u) Capitol. in Adr. c. 11.

(x) Nicol. Clodius

(y) Spart. in V. Adr.

(z) Voss. h. lat. lib. 1. c. 30.

3. *Sub Tito Antonino* Baronius existimat cautum esse, ne quis libros *Sibyllarum* legat, eoquòd ejusmodi vaticinia Christianorum religioni faverent (a). De Sibyllarum libris octo supersunt, qui extant cum notis Opsopæi in editione Parisiensi 1599. & 1607. Tillemontius credit esse suppositios vel ex parte vel ex toto. Vossius ait non exiguam eorum partem à Judæis annis ante Christum natum octoginta circiter confictam esse, à Romanis in Capitolio repositam, & per omnium manus ante, & circa & post Christi adventum circumlatam, multa tamen additamenta à Christianis (ac præcipuè ab HH. Gnosticis) recepisse arbitratur: Hombeckius ea Papiæ, Blondellus vel Hermeti, aut Montano Hæresiarchæ attribuunt. Guilielmus Cave *in sæc. Gnost. p.* 36. Sibyllina hæc oracula ante annum CXL. condita & collecta affirmat; & eodem authore, dicitur ea confinxisse Christianus aliquis Alexandrinus. P. Crasset apud Possevinum ostendere conatur, eos libros tantùm esse corruptos, ut qui citati inveniantur à PP., & Romanis non ignoti fuerint, qui ætate *Lactantii* jam objiciebant, oracula hæc Sibyllis à Christianis fuisse supposita: *His testimoniis*, inquit, *re-*

(a) Baron. 153. §. 1. Justin. Apol. 2.

victi, solent eò confugere, ut ajant, non esse ea carmiaa Sibyllina, sed à nostris conficta, atque composita. de ver. sap. l. 4. c. 15. Rei hujus argumentum peculiaribus scriptis pertractant Blondellus, Is. Vossius, Markius, Crassetius. Difficultates, quæ his super libris moventur, penitiùs examinat Tillemont. 2. P. Tom. II. Histoire des Empereurs. pag. 545.

Eodem Imperatore regnante palmam tulêre *JUSTINUS* Historicus, qui Trogi Pompeji scripta in epitomen coegit (b), *APPIANUS* Alexandrinus, Historicus Græcus, Historiam Romanam edidit 24. libris, sumpto ab Ænea initio, indéque ad Romulum (c), demum ad Augustum usque clariùs continuavit. *CLAUDIUS PTOLEMÆUS* insignis Astrologus, Patria Pelusiota, natione Ægyptius, Alexandriæ, & apud Græcos cœlorum systema diligenter exposuit, & instrumenta, quæ Hipparchus invenerat, clariùs demonstravit. Scripsit libros octo de Geographia, Almagesti libros 13., de judiciis astrologicis libros 4., Planisphærium (d).

(b) Voss. h. lat. lib. 1. c. 32.

(c) Photius c. 57. p. 52.

(d) Voss. de Hist. Græc. l. 2. c. 10.

4. *Sub Marco Antonino* infelix persecutiouum incentor fuit *CRESCENS* Philosophus Cynicus, Deorum contemptor, & Atheus (e) *LUCIANUS* Samosatensis magni nominis ob scriptionis purum nitorem, nullius verò religionis, à canibus devoratus miserè interiit (f). *ALEXANDER* Magus Apollonii Tyanæi discipulus, serpentem, cui nomen Æsculapii imposuit, circumferebat, cujus oraculis illudebat Romanis Vid. Tillemont. in V. Aurelii p. 680. *PAUSANIAS* Historicus, 10. libros scripsit de rebus Græciæ, quas multis fabulis permiscuit (g). *AULUS GELLIUS* Auctor noctium Atticarum, & Criticus, à S. Augustino ob elocutionem & eruditionem singularem laudatus (h).

(e) Halix in V. Justin.

(f) Photius Cod. 128.

(g) Voss. h. g. lib. 2. c. 14.

(h) Aug. de Civ. D. l. 9. c. 4.

5. Sub Commodo celebratus est præprimis *JULIUS POLLUX*, qui Commodo Imperatori Epithalamium dicavit, & onomasticon à Suida magni æstimatum. Alius hìc planè Julius Pollux est ab eo, qui duobus sæculis post Commodum scripsit Historiam à creatione mundi ad tempora Valentis; nam hìc Christianus fuit, cujus Chronicon manuscriptum exstat in Bibliotheca Electoris Bavariæ (i).

(i) Tillemont. in V. Commodi p. 753.

CAPUT II.

INCREMENTA ECCLESIÆ IN SÆCULO II.

Inter persecutiones Trajani & M. Aurelii latiùs efflorescentis, ejus victoriæ adversùs turpes Gnosticorum & Montanistarum sectas, Suprema Authoritas Pontificis in causa Quartadecimanorum, SS. PP. orthodoxa fides &c. Ab a. Æ. C. 98. ad a. 198.

§. 1. TRAJANI *persecutio. Mors S. Joannis Apostoli, Plinius defendit Christianos apud Cæsarem, Martyrium Symeonis Episcopi Hierosol. & S. Ignatii Antiocheni, Evaristus & Alexander PP., Papias, ejúsque error.*

1. ECclesia primi sæculi infantiam egressa, in altera Periodo temporum adolescere cœpit: atque ùt armis Romanorum Imperium; ità Christi Regnum per Europam, Asiam, & Africam Martyrum sanguine prolatum est. *Persecutio Trajani.*

Trajano Principatum obtinente cruenta tempestas in Gregem electum multò atrociùs incubuit: sive enim hic Cæsar religiosior apud suos, aut Diis gratior pro tot reportatis victoriis videri cuperet (a), sive ejus indulgentia (quæ mansuetudinis speciem præferebat) furenti in Christianos plebi nihil non permitteret; certè vexatio fidelium eâ ætate tam valida fuit, ut toti fidelium cumuli ad supplicia & necem traherentur (b).

(a) Plin. in paneg. Ignat. act. pag. 2.

(b) Euseb. lib. 3. c. 32.

2. S. Clemens inter præcipuos erat, quem hæc procella immanis sustulit: ligatâ namque ad collum anchorâ in mare demersus, Martyr ad Chersonesum occubuit (* 1.). Inde in reliquos Pastores sævitum est (c); his quippe percussis oves faciliùs perdendæ credebantur. Furentium manus unus evasit, cui Domitiani rabies nocere non poterat, S. Joannes Evangelista (* 2), Martyrii tamen

A. Æ. C. 100.

(c) Chrysost. Tom. I. Orat. 42. pag. 150.

Eee 2

(* 1) Martyrium S. Clementis describit PAGIUS *in Breviario* PP., de quo etiam agunt Eusebius & Hieronymus ad annum Christi 100. Colitur 23. Novembris, quâ die ad Deum transiit. De translatione reliquiarum v. *Pagium* Tom. 3. Criticæ Baronianæ.

(* 2) De morte S. Joannis duo controversa sunt. I. Scilicet an verè mortuus fuerit, &an Martyr occubuerit? A morte servatum fuisse judicârunt illi, qui perperàm intellexerunt verba Christi dicentis: *Sic eum volo manere, donec veniam*: at Evangelista ipse errorem refellit, dum notat: *& non dixit Jesus, non moritur*; POLYCARPUS discipulus S. Joannis, *apud Eusebium* lib. 3. c. 31. apertè testatur, eum mortuum fuisse Ephesi. Plura de hoc vide apud *Calmet*, in Dissertatione de morte Joannis Evangelistæ

Mors S. Joannis

men coronâ digniſſimus, poſtquàm exantlatis tot pro Eccleſia laboribus Epheſi inter diſcipulorum manus placidam mortem oppetiit.

(d)Plin. lib. 10. Epiſt. 102.

A. Æ. C. 103.

3. Quantò mitiùs per certos terrarum tractus cum Chriſtianis agebatur, eò crudeliùs in Bithynia, viciníſque regionibus ſanctiſſimorum hominum laniena continuata eſt (d): venerat in has Provincias Proconſul Plinius, legum Romanarum ſtudioſiſſimus, qui earum ſanctionum uſum maximè curabat, quibus cavebatur, ne quis novam religionem coleret néve inſciis Magiſtratibus conventus fierent: hæc acerbitas utique Chriſtianos feriebat. Nullum primò ætatum diſcrimen habitum eſt: nomen Chriſtiani pro flagitio, ipſa fidei conſtantia pro obſtinatione ac pertinacia erat; unde imagini Cæſaris, aut ſimulachris negare thura crimen Majeſtatis habebatur. Adhæc quæſtio acerrima inſtituebatur de moribus, de ſodalitiis, in quibus ſua ſacra Chriſti cultores celebrabant; at Plinius aliam culpæ rationem non invenit, " quàm quòd ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carménque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſéque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſúsque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium (e): poſt tot igitur innocentium cædes, ne urbes civibus porrò exhaurirentur; Plinius totidem verbis hæc ad Trajanum perſcripſit, conſiliúmque & modum depopoſcit, quo deinceps adversùs Chriſtianos uteretur: Trajanus ſcribenti repoſuit, in univerſum aliquid, quòd quaſi certam formam habeat, decerni non oportere: conquirendos autem non eſſe: ſi deferantur & arguantur, puniendos (* 3). Hoc mandato vexatio publica equidem ad tempus reſtincta eſt: at plebi, præſidibúſque locorum non minor oppor-

Epiſtola Plinii ad Imperatorem.

(e) Plin. lib. 10. Epiſt. 97.

ſtæ, quæ præfixa eſt commentario in Evang. S. Joannis. II. CHRYSOSTOMUS teſte *Euthymio*, in cap. 43. Commentarii, docuit S. Joannem mortuum eſſe, & interemptum. Sed TERTULLIANUS lib. de anima c. 50. & HIERONYMUS in Catal. Scriptorum Eccl. docent unà cum cæteris DD. Eccleſiæ, naturali morte eundem vitam finiiſſe.

(* 3) TERTULLIANUS Trajani ſententiam hìc valde exagitat: in Apologia *O ſententia*, inquit, *neceſſitate confuſam! negat inquirendos, ùt innocentes: mandat puniendos, ùt nocentes: parcit, & ſævit, diſſimulat, & animadvertit: quid te ipſum cenſu â circumvenis? ſi damnas, cur non inquiris? ſi non & inquiris, cur non abſolvis?* Vide *Euſeb.* lib. 5. c. 21.

opportunitas inde enaſcebatur, Chriſtianorum vitæ, aut fortunis inſidiandi.

4. Intereà palàm aliìsque ex cauſis in Syria, ac Palæſtina Chriſti ovile diripiebatur (f). Suſpecta erat Romanis Judæorum fides, tum (f) Euſeb. propter ultimas ſeditiones, tum propter evulgata quædam ora- lib. 3. c. 32. cula, quæ Meſſiæ de regia ſtirpe David oriundo Imperium tri- *Martyrium Symeonis.* buere videbantur. Subveritus itaque Imperator, ne Rex ejusmodi in Judæa exiſteret, Romanósque de regno depelleret: eos eliminandos præcepit, qui ex Jeſſæo ſanguine procreati dicerentur. Vixerat eodem tempore Hieroſolymorum Epiſcopus Sy- A. Æ. C. meon, ultimus ex illis diſcipulis, qui Chriſtum in carne vide- 107. rant (*4): centum & viginti annorum erat, dum ſenex ſanctiſſimus ad Attici Syriæ proconſularis forum rapitur: damnatus capitis ea ex cauſa, quòd è Davidico genere ortus eſſet, cruci tandem ſuffigitur. In Symeonis locum ſublectus eſt Juſtus (*5), adverſante quodam Thebula, qui hanc Sedem ſuæ dudum ambitioni deſignaverat: ſed repulſus ab Eccleſia Hieroſolymitana, hanc ipſam ſponſam, quia rapere non potuerat, erroribus palàm adulterare quæſivit (*6).

5. Sub idem tempus Antiochenum Gregem paſcebat tertius poſt Petrum & Evodium Epiſcopus S. Ignatius, origine Syrus (g); (g) Ignat. alterum huic nomem *Theophori* indiderat amor, pietáſque, quá Act. n. 4. Jeſum Chriſtum prædicabat (*7). Cúmque velut *Lucerna divina*

(*4) *Symeon* filius erat Cleophæ (ùt habet Euſeb. lib. 3. c. 11.) & Mariæ ſororis B. Virginis, ac vel inde erat nepos Joſephi, & frater Jeſu Chriſti, ſive potiùs conſobrinus. Poſt Jacobum Minorem electus eſt Hieroſolymorum Epiſcopus, quo Duce Chriſtiani exiêrunt Hieroſolymis tempore obſidionis, & poſteà reverſi ſunt: ſub Veſpaſiano & Domitiano licèt jam ii inquirerentur, qui de radice David eſſent; Symeoni tamen ſemper parcitum eſt. Donec ſub Trajano caderet victima. Plura vide apud TILLEMONTIUM Tom. 2. Partis II. in vita Symeonis.

(*5) CHRONICON ALEXANDRINUM docet, hunc Juſtum fuiſſe Joſephum Barſabam, qui dicebatur *Juſtus*, ſed EUSEBIUS lib. 3. c. 32. poſt Hegeſippum finit in morte Symeonis tempus Apoſtolicum, ſive eorum, qui ex ore Jeſu Chriſti veritatem fidei perceperant: ad hoc tempus per 70. annos duo tantùm Epiſcopi fuerant Solymitanæ Eccleſiæ. Sed inde usque ad a. 136. tredecim numerantur Epiſcopi.

(*6) EUSEBIUS lib. 3. b. 32. innuit hæreſes occultiùs ſerpſiſſe eo tempore, quo viri Apoſtolici adhuc vivebant; præſertim Eccleſiam Hieroſolymitanam ſaltem apertè invadere lupi non audebant; unde hæc Eccleſia Virgo dicebatur ab Hegeſippo.

(*7) CHRYSOSTOMUS or. 51. t. 6' Ignatium vocat domum, & templum Dei. quòd *Latinis Scriptoribus* anſam dedit dicendi, in corde Ignatii poſt ejus mortem Nomen

na ſingulorum mentes ſacris commentationibus colluſtraret; id ſibi poſt tot ſub Domitiani tyrannide exantlatos labores deeſſe querebatur, quòd fidem obſignare ſanguine necdum ſibi licuiſſet (h): ardentibus votis Deus ſatisfacere viſus eſt, quando Trajanus anno Imperii nono Antiochiam movit, inde Armenis, Parthíſque bellum illaturus. Fremebat ſuperſtitioſiſſimus Cæſar, ſubjugatis Dacis, Scythíſque, unam gentem Chriſti cultricem ſupereſſe, quæ Diis, quæque legibus ſuis adverſari auderet: Ignatium igitur, quem inter Chriſtianos eminere noverat, acciri jubet (8); advolantem ſpontè Præſulem Cacodæmonis nomine perſtringens, id maximè Cæſar exprobrare pergit: ecquid mandata Imperatoris transgreſſus, alios quoque in Deorum contemptum adduceret? Ignatius injuriam infamis appellationis modeſtè amoliens, contrà reponit, ſe Theophorum eſſe, qui Chriſtum crucifixum in pectore geſtaret; de Religionis ac unius Dei veritate porrò diſputans, id demum mercedis loco retulit, ut vinctus barbaro militum manipulo traderetur, Romam ad ferarum pabulum deducendus (i).

(h) Act. M. pag. 696.

A. Æ. C. 107.

S. Ignatius ad beſtias damnatur.

(i) Act. M. ex Bibliothec Colbert.

6. Antiochiâ primùm Seleuciam deſcendit, dein conſcenſâ navi ad Smyrnam urbem S. Præſul applicuit: labores itineris hìc non parùm levabantur per S. Polycarpum urbis ejuſdem Epiſcopum, qui unà cum Ignatio eundem Magiſtrum S. Joannem habuerat (k): lætitiæ ejuſmodi non parva acceſſio facta eſt, ubi omnes Aſiæ Eccleſiæ eodem tempore Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos mittebant, qui exhibito obſequio ultima dilectiſſimi Parentis verba exciperent. Non defuit S. Antiſtes Eccleſiarum deſideriis; ſingulis namque ſingulas literas ſcribens, virtutum altiſſi-

(k) Act. M. p. 699.

men JEſu inſcriptum extitiſſe aureis literis; ſed huic traditioni obſtat illud, quod *Ignatii acta* memorant pag. 8.: nihil de corpore ejus, aut viſceribus præter oſſa dura reſiduum fuiſſe. *Græci Authores* circa ſæculum IX. citati ab Anaſtaſio Bibliothecario exiſtimârunt, Ignatium puerum in medio Apoſtolorum ſtatutum fuiſſe à Chriſto, ut ex ejus indole humilitatem docerentur, ſed CHRYSOSTOMUS t. 1. or. 42. palàm facit, ab Ignatio Chriſtum nunquam viſum fuiſſe, quódque non ſub Chriſti, ſed ſub Apoſtolorum Magiſterio diſcipulus adoleverit,

(*8) Ignatius licèt eſſet Epiſcopus Antiochiæ, fuit ſimul Epiſcopus vel potius Archiepiſcopus Syriæ, & ſicut Antiochia erat Metropolis in civilibus; ſic quoque in ſacris. V. TILLEMONT. in vita Ignatii a. 2.

ſimarum & primævæ fidei fundamenta reliquit (*9): præter Chriſti enim veri Dei & Hominis Myſteria, docuit Euchariſtiam eſſe corpus & ſanguinem Servatoris (*10), ſolam fidem ſine charitate juſtum non efficere (l); Eccleſiaſticam Hierarchiam ſecundùm divinam inſtitutionem conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis: hos Chriſti Myſteriorum eſſe Miniſtros (*11); demum Chriſtianum conjugium ſine ſententia Epiſcopi fieri non debere, ut ſit ſecundùm Deum (*12): hæc dogmata, quibus orthodoxi hodiedum adhærent, D. Polycarpus à Philippenſibus rogatus in brevem epitomen collegit, cujus epiſtola poſteà in publico Aſiæ conventu legi conſuevit (m).

(l) Epiſt. ad Philadelph. & Epiſt. ad Magnes.

Epiſtolæ ac doctrina S. Ignatii ad Aſiæ Eccleſias

(m) S. Hieron. de Script. Eccl.

7. Ignatius ſuperatâ Troade, Dyrrachio tandem urbi propinquabat eâ die, cùm feſta Sigillaria inter laſciva ſpectacula tranſigerentur (n): Romanos fratres fidei vinculo conjunctos primùm tunc complecti, dein denuò rogare idem eosdem cœpit, quòd Spiritu, & ardore plenis literis ab illis jam enixè fuerat precatus: ne intempeſtivâ benevolentiâ prohiberent, quò minùs immolaretur: frumentum ſe Dei eſſe teſtatus, & per ferarum dentes commoli oportere, ut purus panis Chriſti inveniatur; nil ſe magìs timere, quàm ne belluas mitiores habeat, harum ferociam ſe irritaturum, atque ab iis ſe diſcerptum iri, ut ad coronam citiùs anima evolet (o). Itaque

(n) Acta Martyr.

(o) Epiſt. ad Rom.

(*9) ACTA MARTYRUM referunt: *Convenerunt eum Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus, Croco, Buro, Euplo, & Frontone comitibus; Damas Magnenſis unà cum Baſſo & Apollonio ſuis ſacerdotibus, & Sotione Diacono: & Polybius Trallenſis.*

(*10) IGNATIUS in Epiſt. ad Rom. *Non delector corruptionis alimento ... Panem Dei volo, panem cœleſtem, panem vitæ, quæ eſt caro Jeſu Chriſti Filii Dei ... & potum Dei volo, ſanguinem ipſius, qui eſt charitas incorrupta, & perennis vita.* IDEM in Epiſt. ad Smyrnenſes: *Conſiderate eos, qui alienam opinionem tuentur contra gratiam Jeſu Chriſti, quæ ad nos venit, quomodo contrarii ſunt ſententiæ Dei: de charitate non eſt cura ipſis, ab Euchariſtia, & oratione abſtinent, eoquòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt ...*

(*11) IDEM in Epiſt. ad Magneſianos. *Hortor, ut hoc ſit veſtrum ſtudium in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente loco Dei, & Presbyteris loco Senatûs Apoſtolici, & Diaconis mihi ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt Miniſterium Jeſu Chriſti, qui ante ſæcula apud Patrem erat.* Et in Epiſt. ad Smyrnenſes: *Quòd Philonem, & Rheum, & Agathopodem, qui me ſecuti ſunt in Verbo Dei, ut Chriſti Miniſtros exceperitis, benè feciſtis.*

(*12) IDEM in Epiſt. ad Polycarpum: *Decet verò, ut ſponſi, & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant: quò nuptiæ ſint ſecundùm Dominum, & non ſecundùm cupiditatem.* Clandeſtina igitur matrimonia à primis temporibus jam deteſtata eſt Eccleſia.

Itaque distractiones, concisionésque membrorum anhelantem Athletam festinans tribunus intra Septa amphitheatri sistit. Leones quasi exorati in Ignatium irruunt, nec nisi ossa dura carne consumptâ relinquunt, quæ Syri comites Antiochiam relata in suburbio ad portam Daphniticam religiosissimè tumulârunt (p), Herone Antiochenæ Ecclesiæ Diacono in Ignatii vices succedente.

(p) Chrysost. serm. de S. Ign. T. V.

A. Æ. C. 108.

Mors Pontificis Evaristi.

8. Anno sequente Roma suum quoque Pontificem amisit Evaristum; quatuordecim ferè annorum intervallum effluxerat, quo supremus ille Pastor difficillimo tempore tenuerat Petri sedem: sunt qui eidem Pontifici tribuant: quasi ab eo Institutum consecrandi templa profluxisset; quod si de publicis templorum dedicationibus accipitur; palàm est, ante Constantini M. ætatem nullas ejusmodi fuisse (q): at si de qualicunque Ecclesiarum inauguratione sermo est; faciliùs quis eam à Veteris Testamenti ritibus & Apostolico usu, quàm ab Evaristo deducet: nisi fortè dicere malis, ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod solâ traditione ab Antecessoribus acceperat (r); aut addidisse ad veteres ceremonias, ne deinceps Basilicæ sine Missæ Sacrificio consecrarentur.

(q) Edmund. Martene lib. 2. de antiq. Eccl. rit. c. 13.

(r) Bona C. l. 1. rer. lit. c. 20. n. 3. Pagius in Brev. Sæc. I. pag. 18.

9. Postquàm inter tot fidei victimas Martyr occubuisset S. Evaristus; S. Alexander Alexandri filius Romanus Ecclesiæ Pater esse cœpit (* 13). Usum ille *aquæ benedictæ* Apostolorum more comprobatum speciali sanctione stabilivit (s); cæterùm altiorem ad originem revocanda sunt illa, quæ de commemoratione Passionis in Missa (*14), aut de oblatione de azymo ab eodem Pontifice

(s) Baronius ad a. 132. n. n.

(*13) ANTONIUS PAGIUS ad ann. C. 100. ex Chronico Damasi ostendit, Alexandrum tempore Trajani rexisse Ecclesiam, quod confirmat HENSCHENIUS in Apparatu ex antiquis Breviariis Romanis manuscriptis, ex Martyrologio Bedæ, Rabani, Notkeri, & ex Breviario jussu Pii V. edito. Licèt contradicat hodiernum Breviarium Romanum; dum asserit, Alexandrum Adriano imperante rexisse Ecclesiam: sed factum id, quia Clementis Papæ VII. tempore Baronius Congregationis sacrorum rituum cum Collegis præsidens, ejúsque authoritate Breviarium Romanum emendans, antiquas de antiquiorum Pontificum vita lectiones ad novam suam Chronologiam accommodavit.

(*14.) AUTHOR LIBRI PONTIFICALIS de Alexandro scribit *Hic Passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur.* Unde quidam opinati sunt, precationem illam à sacerdote post consecrationem dici solitam: *unde & memores Domine*, ab Alexandro fuisse institutam, quam opinionem confutat CARDINALIS BONA lib. 2. Rerum Liturgic. c. 13. nam memoria Passionis Christi apud Paulum

Martyrium Pontificis Alexandri.

tifice instituta esse perperàm dicuntur (* 15). Alexander quoniam gregem Domini non parùm auxerat; Trajano adhuc imperante (t) ad longam carceris inediam, dein ad securis supplicium damnatus est die 3. mensis Maji anno Christi CXVI., quo tempore S. Sixtus natione Romanus Ecclesiam regendam suscepit (u).

(t) Pagii Critic. ad Ann. 130.

A. Æ. C. 116.

(u) Chronic. Damasi.

10. Persecutionis æstus utì fatalis summis rei Christianæ Præsidibus fuit; ità in reliquarum Ecclesiarum Pastores multoties grassatus est (†): Hierosolymitana Ecclesia inter tredecim annos sex numeravit Episcopos: Alexandrina, Cerdone amisso, quartum Præsulem delegit, cui *Primi* nomen erat. Hierapolitana Ecclesia tamen suum servavit inter tot procellas Antistitem Papiam, qui Aristionis, & Joannis Presbyteri olim auditor, & sodalis Polycarpi extiterat (x): sedulò is notatum ibat, quæ ab Apostolorum familiaribus, & præcipuè à suis Magistris perceperat; unde tandem quinque libros de interpretatione oraculorum (y) Dominicorum concinnavit, quibus cùm prodesse posteris conabatur, obfuit potius: pro mediocri quippe suo ingenio ea, quæ ab Apostolis arcano sensu exposita fuerant, ad crudam interpretationem traducens, fabulis propiora libris admiscuit: inter quæ ille error perniciosior erat, quo existimabat, Regnum aliquod Christi post resurrectionem mortuorum fore, & ad mille annos in terris stabiliendum (†): commentum ejusmodi non tantùm Hæresiarchas, sed & sanctos Scriptores Justinum & Irenæum decepit, qui ex hominis vetustate sententiæ suæ patrocinium adstruebant. Papias nihilominùs Sanctorum Albo illatus est, neque enim is error tunc hæreseos labem inflixit, nisi cùm per Damasum Papam in Apollinari pertinace damnatus, de errante hæreticum fecit (z).

(†) REFLEXIO I.

(x) Iren. lib. 5. c. 33.

S. Papias ejusque error.

(y) Euseb. lib. 3. c. 39.

(†) REFLEXIO II.

(z) Hieron. epist. 29. Bolland 22 Febr.

§. II.

Paulum jam præcepta legitur: *Qotiescunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 1. ad Cor. c. 11.

(* 15) MARTINUS POLONUS scribit: Alexandrum statuisse, ut oblatio fieret ex Azymo, & in modica quantitate: sed in antiquis Alexandri Actis nihil ab eo de Azymis statutum legitur, nec per undecim sæcula aliquis proferri potest, qui hoc de Alexandro testetur. Vide C. BONAM lib. 1. Rerum Liturg. c. 23. quin PAGIUS in in Breviario PP. contrà docet, Azymorum usum ad Eucharistiam conficiendam ex Apostolorum traditione in Ecclesia Latina semper viguisse, de quo alibi plura: similiter *Dominica traditio* est, teste CYPRIANO lib. 2. Epist. 3., quòd parùm aquæ in consecratione calicis vino admisceatur, unde denuò errant, qui hujus ritûs Authorem Alexandrum faciunt.

§. II. *Hæreses Saturnini, Basilidis, Carpocratis, & Gnosticorum, Martyrium multorum, & Sixti Pontificis, Apologiæ Imperatori traditæ, Proscriptio Judæorum ex Hierosolymis, Aquilæ interpretatio, Mors Telesphori Pontificis.*

A. Æ. C. 117.

Hæresis Saturnini.

I. POstquàm in corpora Christianorum iniquâ vi satis sævitum fuerat; comparata à Dæmone instrumenta sunt, quibus etiam animarum salus pessumdari posset: duo præprimis ad machinandam hanc perniciem aptiores visi sunt Hæresiarchæ ex Menandro Simonis discipulo exorti (a), Saturninus, & Basilides; quorum hic apud Ægyptios Alexandriæ, ille in Syria Antiochenis scholam errorum aperuit. Zizania, quæ SATURNINUS spārserat, hæc ferè fuêre: Mundum à septenis Angelis procreatum, quorum unus Deus Judæorum foret; duo autem hominum genera ab Angelis conditoribus prodiisse, bonum alterum & alterum nequam genus malorum: connubia à Satana proficisci; Christum ad speciem, quin carnem & animam accepisset, apparuisse. Atque hoc venenum ubi è pestilentiæ Cathedra Saturnini discipuli diffundebant; ab animatorum usu abstinentes, quasi affectato vitæ severioris genere, alios in errorem pellicere laborabant (*1).

(a) Tertull. de præscr. c. Epiph. c. 1. Euseb. l. 4. c. 7.

Hæresis Basilidis.

BASILIDES ut hæresin faciliùs venderet; S. Matthiæ doctrinam se profiteri mentiebatur, quam à S. Petri interprete Glaucia se didicisse vulgabat (b): concesso promiscuarum libidinum usu, Pythagoræo per quinquennium silentio suos assuefecit, quo tempore sectatoribus inculcabat, ingenitum Æonum esse Principium, sive summam virtutem, quam barbaro vocabulo *Abrasax* vocabat; à qua dicebat procreatam mentem, à mente verbum, à verbo prudentiam, à prudentia virtutem, & sapientiam: ab utraque conditos fuisse principatus, potestates, & angelos, ab his 365. cælos confectos fuisse. Præter alias blasphemias, quas cum Saturnino communes habuit, effinxit, Simonem Cyrenæum loco Christi cruci affixum; unde negabat pro Christo

(b) Euseb. lib. 4. c. 7. Clem. Strom. lib. 7. Epiphan. hær. 24. Iren. lib. 1. c. 25.

(*1) Contra SATURNINUM pugnat Deus ipse: *videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Deut. 32. *In Principio creavit Deus cœlum & terram.* Genes. 1. Nullum autem ens naturâ suâ malum est. *Connubium* porrò *honorabile* dicitur Hebr. 13. & insuper *Sacramentum* vocatur Ephes. 5. prætereà Christus, *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Esaiæ c. 53. ergò veram carnem habuit.

ſto fidem cum profuſione vitæ aſſerendam: præterea commentus eſt, animas priùs peccâſſe in altera vita, & modò in corpore concluſas pati ſupplicium. Quò minùs ejusmodi deliria in lucem erumperent; altè ſuis imprimebat illud; (poſtea Machiavelli monitum) *tu omnes cognoſcas, te autem nemo cognoſcat* (*2)

2. Æqualis tempore, & malitiâ his errorum anteſignanis fuit CARPOCRAS Simonis itidem diſcipulus Alexandriæ natus, dictus poſteà fæx omnium hæreticorum. Impiæ ejus doctrinæ caput erat (c); animas, quæ peccaverint, mitti in corpora, ut ritè expientur: ac proinde omnia experiri oportere, ne ſi aliquod facinus, vel voluptatem prætermiſiſſent, rurſus in alia corpora relegarentur. In conventibus ſceleratiſſimis nil inauſum, nihílque inexpertum potuit eſſe hominibus, quibus perſuaſum erat, nullas actiones eſſe naturâ, ſed opinione duntaxat hominum malas: circumferebant quoque icunculas Chriſti, eáſque unà cum imaginibus Philoſophorum veterum, ritu Ethnico colebant (*3). In tanta Doctrinæ turpitudine etſi GNOSTICORUM nomen ambirent, quaſi cæteris hominibus rerum divinarum cognitione præſtarent; odio tamen, & contemptui ipſis adeò Ethnicis fuêre. Optandum id erat, ut ſecta ubique obſoleſceret; ſed contrà ac ſperabatur, accidit: infamia obſcœnæ gentis in Chriſtianos omnes (d), ſub quorum nomine Veteratores Gnoſtici latebant, brevi diffuſa eſt; jactabatúrque palàm, Chriſti cultores in publicis

Hæreſis Carpocratis.

(c) Epiph. hær. 26. & 27. Theodoret. lib. 1. hær. fab.

Gnoſtici.

(d) Euſeb. lib. 4. c. 7.

(*2) BASILIDIS figmenta ferè ab iisdem telis configuntur, quibus Saturninus petitus eſt. Nam S. JOANNES c. 1. de uno Deo teſtatur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: idem l. c. teſtatur de vera humanitate Chriſti: *Verbum caro factum eſt.* Et in epiſt. 1. c. 4. *Qui confitetur JESUM CHRISTUM in carne veniſſe, ex Deo eſt.* De Paſſione verâ Chriſti affirmat PAULUS ad Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem.* Et ne Simoni Cyrenæo id adſcribas, CHRISTUS ait: *Ego pono animam meam.* Joan. 10. Et proinde, *qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*: demùm errorem ejus de transmigratione animarum confutavit AUGUSTINUS lib. 10. de Civ. Dei c. 30. & lib. 12. c. 26.

(*3) CARPOCRATIANORUM turpitudo ſe ipſam refellit; dein natura à multis peccatis abhorret & multa prohibita ſunt, quia mala, utpote odium Dei: falsò igitur fingitur, peccata in ſola opinione conſiſtere: imaginum cultus in Carpocratianis deteſtandus, apud Catholicos laudandus eſt; nam illi Gentilium ritu icones adorabant: nos verò in Imaginibus SS. duntaxat veneramur, ut patet ex actis Synodi VII. & Tridentinæ.

cis congreſſibus nefandis libidinibus, & Thyeſtæis dapibus uti (*4)

A. Æ. C. 125.

(e) Cyprian. diſſ. 11. c. 20.

Martyres varii.

3. Adrianus Imperator veteris ſuperſtitionis acerrimus æmulator, adeóque Chriſtianis infenſior, acerbè nunc quoque acceperat, quibus flagitiis religio hæc nova ſuos pollueret (e): itaque ad exterminium gregis (ùt opinabatur) ſceleſtiſſimi, carnificinam, quam Trajanus orſus fuerat, renovare inſtituit: exinde regio omnis cœpit manare Chriſtiano ſanguine: Romæ Euſthatius cum uxore Theopiſta & duobus filiis (f), D. Sophia, & tres ejus filiæ, Piſtis, Elpis, & Agage, Eleutherus Epiſcopus Aquilejenſis, & Marcus Præfectus militum glorioſæ victimæ cecidêre (g). Pervagata mox totam Italiam & vicinas Inſulas ſævities, Antiochum primum Sardiniæ Martyrem (h), & SS. Fauſtinum, & Jovitam Brixiæ (i) abſtulit: atque ut illuſtre Chriſtianæ Caſtimoniæ Exemplum contra Carpocratis ſectatores extaret; eodem tempore Seraphia virgo, & Sabina vidua in Umbria, & fidem inter cruciatus integram, & corporis puritatem etiam inter lupanaria illæſam ſervavêre (k). His nobilior Martyr & Pontifex Sixtus acceſſit anno Æ. C. 126.; poſtquàm ſediſſet annos decem, menſes duos, diem unum. Decreverat hic Eccleſiæ Præſes, ut quicunque Epiſcopus evocatus fuerit ad ſedem Romanam, rediens ad Parochiam ſuam, non ſuſciperetur, niſi Apoſtolicas literas (l), quas *Formatas* vocant, populo exhiberet (*5); conſtituit prætereà, ut ſacra vaſa ab aliis, quàm à ſacris Miniſtris non tangerentur (*6). Triſagion quoque Miſſæ Sacrificio ab eo inſertum aliqui

(f) Bolland. Mart. Tom. 2.

(g) Uſuard.

(h) Ferr. de Italia pag. 773.

(i) Bolland. 18. April.

Sixtus Pontifex.

(k) Baluzius miſcell. Tom. 2.

A. Æ. C. 126.

(l) Liber Pontificalis apud Pagi.

(*4) IRENÆUS lib. I. c. 24. Gnoſticis nefandas ejusmodi epulas tribuit: dum enim conveniebant; ſi quæ mulier eſſet prægnans, informem adhuc fœtum ex utero extractum, contuſúmque in Mortario, pipere, & aromatibus conditum ſinguli delibabant. EPIPHANIUS hær. 27. porrò addit Carpocratianos ſuis candente ferro, vel novaculâ notam impreſſiſſe ad auriculam; hinc de Chriſtianis orta eſt opinio, quaſi occultis notis ſe internoſcerent.

(*5) *Formatæ* dicebantur à ſigilli forma, quâ epiſtolæ ejusmodi muniebantur, ut ait SIRMONDUS ad Goffrid. Vindocin. & ad Sidonium lib. 6. Ep. 8. dicebantur etiam Canonicæ & Eccleſiaſticæ, per quas unitas fidei, ac mutuus inter caput & membra amor foveri, & ſignificari conſueverat, utì habet OPTATUS MILEVITANUS. Harum ſcribendarum rationem, ne aliqua fraus ſubreperet; Poſteà præſcripſit Nicænum I. Concilium Can. 18. vide SCHELSTRATIUM in nota ad Sixtum.

(*6) Ex *Libro Pontificali* Calix, & Patena vaſa ſacra erant, ut quæ per formulas in ordine Romano præſcriptas, & unctione Chriſmatis conſecrantur: hæc contingi vetuit Sixtus

aliqui referunt (*7); ſed alii meliùs Triſagii uſum ab eo ſolenniorem redditum fuiſſe arbitrantur. Mortuo TELESPHORUS Græcus in Sede Apoſtolica ſurrogatus eſt (m).

(m) Chronic. Damaſi.

4. Cùm cauſa Eccleſiæ hinc ab hæreſum fabricatoribus, inde ab irruente Tyrannorum vi agitaretur; ſapientes, & fortes viros Deus excitavit, qui ſponſæ ſuæ hoſtibus occurrerent: ac *Agrippa Caſtor* quidem eâ ætate nobiliſſimus Scriptor, quantùm ab Hæreſiarcharum præſtigiis Doctrina Chriſtianorum differret, in lucem protulit (n), *Quadratus* Athenarum Epiſcopus Adriano Athenis agenti, Apologiam obtulit pro Chriſti grege (o), cui alteram orationem addebat *Ariſtides* vir fidelis, & eloquentiſſimus: quin unus è Gentilibus promiſcuam Chriſtianorum ſtragem non ferens (ſcilicet Serenius Proconſul) literis Imperarem monuit, nefas videri, Gentem nullius criminis conſciam, tumultuantis plebeculæ ſtudio ad ſupplicia raptari. Adrianus tot monitis pulſatus, Minucio Fundano Aſiæ Proconſuli in mandatis dat: ne quis poſthac ſine objecto crimine condemnaretur.

Scriptores & Defenſores Eccleſiæ.

A. Æ. C. 126.

(n) Euſeb. hiſt. lib. 4. c. 8.

(o) Hieron. Ep. 84.

(p) Euſeb. c. 9.

5. Pace Eccleſiæ aliquantùm reſtitutâ Adrianus contra rebellantes Judæos bellum movit; nilque deeſſe paſſus eſt, quo Gentis pertinaciam contereret: ſubactâ Palæſtinâ id etiam cavit, ne quis Judæorum Hieroſolymæ aut regioni circùm ſitæ pedem inferret (q); quod Chriſtianæ fidei non parùm profuit (r): Chriſtiani ſiquidem, quorum complures ex Synagoga ad Eccleſiam tranſierant, à ritibus legalibus adhucdum vigentibus, & à Moſaica ſervitute eò longiùs ſubmovebantur, quò ſeveriùs ſe Patrio ſolo excluſos cognoverant. Et quoniam Eccleſia Hieroſolymitana ex Gentibus multùm jam coaluerat; hæc ipſa Judæorum proſcriptio occaſionem præbuit, ut poſt quindecim Epiſcopos Judaicâ

Edictum Adriani contra Judæos

A. Æ. C. 132.

(q) Dio in Adr.

(r) Sulpit. Sev. lib. 2. c. 45.

A. Æ. C. 132.

Sixtus PP. ab iis, qui ſacri Miniſtri non forent. Idem poſteà a. 363. in *Concilio Laodiceno* Can. 21. interdictum eſt, ne ſcilicet Subdiaconi vaſa ſacra contingerent; quamvis ſubinde anno 613. in *Concilio Bracarenſi* Subdiaconis id conceſſum ſit, ut alibi dicemus. V. PAGIUS in Breviario PP. Tom. I. pag. 22.

(*7) CHRONICON Veterum PP. apud *Pagiam* aſſerit à Sixto conſtitutum, ut Sacerdote *Sanctus, Sanctus, Sanctus* dicente, populus hymnum eundem cantaret: ob abuſus tamen quoſdam deinde duntaxat in ſolemnibus miſſis dicebatur, donec Synodus Vaſenſis a. 529. decerneret: *Ut in omnibus miſſis, ſeu in matutinis, ſeu in quadrageſimalibus, ſive in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo modo ad Miſſas publicas dicitur dici debeat, quia tam Sancta, & tam dulcis & deſiderabilis vox, etiamſi diu noctúque poſſit dici, faſtidium non poterit generare.*

daicâ ſtirpe progenitos, primus Gentilis Marcus Præſulis muneri admoveretur, eo ferè tempore, quo Herone mortuo Cornelius quartus Antiochiæ Epiſcopus vivebat.

A. Æ. C. 136.

6. Ex Ethnicorum Gente ſub idem tempus orthodoxis annumeratus eſt Aquila, Synopæ in Ponto natus (s). Is ubi jubente Adriano Hieroſolymæ novæ, ſive Æliæ ædificandæ præfuerat; conſuetudine Chriſtianorum nonnihil emollitus, animo tamen minùs integro ad Chriſti fidem tranſiit: fati quippe neceſſitatem, aliáſque Gentilium obſervationes retinens minùs dignum Chriſti diſcipulum ſe præbuit: ejectus itaque à ſanctò ovili ad Judæos confugit: literis illinc hebraicis probè imbutus, opitulante Magiſtro Akiba Phariſæo, Scripturæ exponendæ eam operam adhibuit, quæ Chriſtianis meritò ſuſpecta eſt: ſive enim injuriæ, ut rebatur, à Chriſtianis acceptæ memor, ſive novitatis ſtudio ea, quæ de Chriſto invenerat, in ſacris paginis teſtimonia, aut aliter edidit, aut corrupit.

(s) Epiphan. de ponder. & menſur.

Interpretatio Aquilæ.

Celſi Epicurei maligna ſcripta.

7. Acerbius vulnus ſubinde Chriſtianæ rei inflixit Celſus quidam Epicureus, evulgatis duobus libellis, quos licèt, *Sermo verus* inſcribebat; farrago tamen mendaciorum erat, quæ tum Chriſtianis, tum Judæis impegerat (t). Adrianus bello Judaico adhuc æſtuans, & Chriſti cultoribus ob zelum idolomaniæ non diſſimulanter iratus, ex his pagellis velut totidem flabellis novum ignem concepit, quem in Eccleſiæ ruinam paulò pòſt effudit: flagrante hoc perſecutionis incendio, Symphoroſa, ejúſque ſeptem filii ſuam fortitudinem probavêre (u). Adrianus tot Chriſtianorum cædibus tandem vel laſſatus, vel ob inſtantem mortem viribus exhauſtus furere deſiit; quin tamen Eccleſiæ pace optatâ frui liceret; fervebat adhuc quippe populus, qui confictis quotidie novis criminationibus Præſidum operam emebat ad Chriſtianos exterminandos. Populari ejuſmodi perſecutioni ſuccubuit Pontifex ipſe S. TELESPHORUS anno Chriſti CXXXVII. poſtquàm ſediſſet annis undecim, menſibus tribus, & diebus tribus. Statuiſſe hunc ferunt, ut in Natali Domini Miſſa noctu celebraretur (*8), & caviſſe, ne ante horam tertiam diceretur Miſſa

(t) Tertull. de præſcr. c. 47.

(u) Sulpit. Sev. lib. 2. c. 46.

Mors Pontificis Teleſphori.

A. Æ. C. 137.

(*8) GRATIANUS c. Nocte Sancta de Conſecr. Diſt. 1. id ex Teleſphori Decretali excerpſit, ſed cùm feſtivitas Nativitatis multis annis poſt Teleſphorum ſtatâ die coli cœperit

sa (*9), quam hymno Angelico auxisse Pontifex à quibusdam memoratur (* 10) demum ut quadragesimale jejunium traditione Apostolicâ jam acceptum, accuratiùs servaretur, præcepit (*11).

§. III. *Hæreses Valentini & Cerdonis, Marcionis & Apellis: S. Hyginus PP., S. Justinus, ejúsque Apologia, Pontifices Pius & Anicetus, SS. Polycarpus & Hegesippus.*

1. QUo tempore Antoninus primum sui Imperii: alterum annum suæ Sedis egit S. HYGINUS, qui post Telesphorum Ecclesiæ gubernacula statim susceperat. Sub initia sedentis hujus Pontificis Romam venêre duo Hæresiarchæ *Valentinus*, & *Cerdo*, qui velut duo aspides sibi invicem errorum virus dederunt. Valentino Ægyptus patria erat; is pro acri ingenio, quo Platonis sensa, Græcásque literas combiberat, Alexandriæ à Theodato Pauli discipulo salutis doctrinam didicit; pérque regiones vicinas prædicavit: speraverat quippe hoc ex suo eloquio, quo non parùm valebat, Episcopales honores; at spe dejectum, (nam alius

A. Æ. C. 138.

Hæresis Valentinini

perit sub Julio I. teste *Florentinio* in notis ad Martyrol. Hieron.; suppositiium quid describpsisse videtur Gratianus.

(*9) ANASTASIUS, & AMALARIUS lib. 3. c. 42. Telesphoro decretum tribuunt, quo sanxisse dicitur, ne quis præsumeret ante cursum horæ tertiæ missas celebrare: At PAGIUS in Brev. eos à Pseudo-Isidoro deceptos existimat, *qui primorum Pontificum epistolas decretales ausu temerario finxit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces vendidit*: Quid enim, ait Card. BONA lib. 1. Rer. Lit. c. 21. n. 5. magis alienum à conditione illius Sæculi, quo Christiani furentium Imperatorum gladios declinantes summo studio latitabant, quàm hujus legis editio. Noctu & in occultissimis locis convenisse fideles ad Synaxin TERTULLIANUS docet in lib. de fuga in persec.

(*10) SIGEBERTUS in Chronico, & INNOCENTIUS III. lib. 2. de Mysteriis Missæ c. 20. Telesphorum judicârunt esse authorem hymni Angelici, *Gloria in excelsis Deo*: sed Card. BONA lib. 2. Rer. Liturg. c. 4. id negat, licèt concedat, hymni initium ex Evangelicis verbis, ejus Pontificis jussu, Missæ antepositum fuisse, & Concilium Toletan. c. 12. affirmat, cæteras hymni partes, quæ tempore Athanasii jam in usu fuere, ab Ecclesiasticis Doctoribus compositas esse.

(*11) EUSEB. in Chronic. ad a. 136. *Quadragesimale jejunium à Telesphoro per hoc tempus institutum, ac præceptum quidam scribunt*: ARNALDUS PONTACUS negat hæc verba in MSS. reperiri. Cæterùm constat quadragesimale jejunium esse ex institutione Apostolorum, ut colligitur ex Can. 69. Apost. Epist. Ignatii 8. Ep. Hieron. 54. & Socrates lib. 5. c. 22. *Romani & Occidentales suarum Ecclesiarum consuetudinem ab Apostolis Petro & Paulo datam asserunt... Romani tres ante pascha septimanas præter Sabbathum, & Dominicum jejunant*: hoc jejunium (licèt quadraginta diebus non semper jejunatum apud omnes) vocat tamen quadragesimam τεσσαρακοστὴν De varia ratione ac tempore alibi leges plura.

A. Æ. C. 140.

alius Martyris gloriâ insignis ei antehabitus fuerat) ultionis spiritus extra metas Ecclesiæ præcipitem egit: è præcone igitur veritatis hostis & mendaciorum magister Romam abit. Ecclesiæ septis ibi quoque exclusus in Cyprum proficiscitur, ubi omnis fidei demum naufragium fecit (a); nam Legis & Prophetarum, quædam probans, & quædam improbans, scripturas suo ingenio accommodabat: præterea ex Pythagoræ, & Platonis Schola superstitiosas ideas, numerorum Mysteria, & ridiculam Antiphanis Poëtæ Theogoniam malè consuebat (*1): Homines in tres dividebat ordines, quorum primi *Spirituales*, sive Valentiniani cùm cognitioni mysteriorum intenderent, corpus ad nefanda abjicere impunè valeant; fieri enim non posse, quin hujusmodi ordo spiritualis etiam citra opera bona salutem obtineat (*2). *Secundum* ordinem vocabat *Animalem* Catholicorum, quos negabat salutem nisi rectè factis assecuturos; *tertius* ordo ei erat *Materialis* eorum, qui tam animâ, quàm corpore interirent. Eò nimirum homo peritissimus aberrabat; dum rejectâ Ecclesiæ regulâ, Scripturas suo sensu metiebatur (b).

(a) Euseb. lib. 4. c. 11. Iren. lib. 2. c. 19.

(b) Epiph. hær. 31.

Hæresis Cerdonis.

2. Paria, vel majora dogmatum monstra eâdem ætate parturiebat CERDON natione Syrus, è Simonis disciplina progressus (c) duo quippe statuerat Principia, ignotum unum, & Patrem Jesu, alterum cognitum & malum, quod Prophetis apparuit: proscripto igitur Testamento Veteri, de Evangelio quoque id detraxit, quòd Christo carnem veram, simúlque corporis anastasin pernegaret (*3): Hyginus veteratorem recantantem Romæ

(c) Epiph. hær. 41.

(*1) Valentini doctrina per duos Æonas seu Deos Polytheorum deliria restauravit, quæ non tantùm scriptura oppugnat: *Tu es Deus solus* psal. 85. *Non est alius Deus, quàm Tu,* Sap. 12. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Esaiæ 10. *Deus autem unus est.* Galat. 3. Sed & lumen rationis obsistit: Deus est enim ens planè necessarium, perfectissimum, quo nihil meliùs, at quod summum est, unicum est, nec habet, cui adæquetur; unde TERTULLIANUS lib. 1. contra Marcionem: *Deus si unus non est, Deus non est, quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit.*

(*2) *Valentinus* præivit dogmate suo illos, qui fidem justificantem sine operibus statuunt, docéntque peccata gravia prædestinatis non imputari. DU MESNIL lib. 3. doctr. & discipl. Eccl. n. 42.

(*3) Philosophia sana, omnia necessariò reducit ad unum Principium, quale symbolum Nicænum profitetur, Deum esse Patrem Jesu Christi, omnipotentem Creatorem cœli & terræ; Idem Deus de Veteri Testamento testatur, quòd locutus sit per Moysen &

Romæ denuò fidelium numero aggregavit; verùm multis vicibus ad vomitum redeuntem ex ovili velut rude pecus projecit (d).

(d) Euseb. hist. lib. 4. c. 11.

3. Tranquillior etsi conditio Ecclesiæ ex aula mitissimi Imperatoris Antonini tunc affulgeret; ex Justino tamen, qui in media ista malacia scripsit, nobis relictum est: Christianos sub hoc Principe ubique ad necem, & ad crudelitatem Ethnicorum designatas victimas fuisse; occubuit in hac populari persecutione S. Felicitas cum septem filiis, persimilis Machabæorum matri, quæ toties Martyrium perpessa, quoties unam ex prolibus crudeliter laniari aut cædi vidit (e).

Popularis persecutio.

(e) Acta M. Symer.

4. S. Hyginus tot difficultatibus temporum obluctatus, ad laborum, & pastoralis curæ mercedem migravit anno C. Æ. CXLI Hæreticorum verè malleus, clericis officia distribuit (*4). Et virum saltem unum, & mulierem unam tanquam parrinos ad baptismum præter Ministrum voluit adjungi (*5). Quamprimùm Pontifex è vivis excesserat; sede vacante Romam ingressus est Marcion, genere Ponticus ex oppido Synope, vir ardentis ingenii, & scientiæ non vulgaris, Episcopo ac viro in primis religioso natus: hujus parentis vestigia secuturus in solitudinem fecessit. Sed inde posteà redux, quasi carnis solutâ catenâ in vitia licentiùs proruit: de illato virgini vitio apud Parentem accusatus, ab

Mors Hygini PP. A. Æ. C. 141.

Marcionis hæresis.

& per os Prohphetarum, ut quid igitur rejiceretur V. T.? deniquesi .. resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Omnes quidem resurgemus &c. 1 ad Cor. 15. non est ergò, cur corporibus anastasis negetur, quam Ezechiel c. 37. stabilivit; homo enim totus à Deo judicabitur, & anima per carnem coronatur Martyrio, & exercet alias plures virtutes, ergò & cum anima remunerabitur, cujus resurrectionis pignus in Christo resurgente habemus.

(*4) FRANCISCUS BLANCHINUS in notis ad Anastasium Biblioth. tom. 2. pag. 107. ait: Hierarchiam jam à temporibus Apostolorum compositam, proinde nonnisi formæ veteri officia quædam addidit Hyginus.

(*5) CIACONIUS ait: Hyginum voluisse, ut unus saltem Patrinus, seu susceptor, unáve matrina baptismo interesset. Sed de hoc decreto antiqui silent: susceptorum tamen institutio ab EDMUNDO MARTENE lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus c. 1. a. 16. ad primordia Ecclesiæ revocatur, cujus meminêre *Tertullianus* lib. de Baptismo c. 18. Susceptores dicebantur etiam *offerentes*, quia baptizandos Episcopo offerebant, vel *Sponsores*, quia eosdem instruebant in fide, aut hanc pro baptizandis profitebantur, de fonte baptizatos suscipiebant, & simul cum ipsis per totam octavam communicabant.

A. Æ. C. 146. ab eodem Præsule Ecclesiâ ejicitur. Dedecoris impatiens filius Romam continuò movet, & à Presbyterio Romano (nam Pontifex obierat) in communionem referri petit; oblatis etiam ducentis Sestertiis Patrum animos tentans, siquidem ab iis Pontificalem sedem emercari valeret. Verùm fortiores Presbyterorum animos, ac volebat, expertus est (f): negabant hi fas sibi esse, Ecclesiâ proscriptum admittere sine consensu proprii Episcopi, qui in eum anathematis sententiam tulisset (*6): facessere autem jubebant importunum Simonis discipulum, & suam pecuniam habere sibi in perditionem (g): repulsâ duplici irritatus Marcion ad haram Cerdonis secedit, sub cujus Magisterio in pessimos errores deflexit: duo constituit principia bonum unum, malum alterum, quod docebat esse Deum Judæorum. Contemptâ lege veteri, novam pro libidine corrumpebat; peccatoribus baptisma (sine Evangelicis verbis) etiam tertium indulsit: quâ arte tegere voluit sui sceleris infamiam, prædicans se novo baptismate innocentiæ restitutum: in odium carnis (quam à malo Deo creatam delirabat) conjugium odit. Pios Patriarchas inferis relictos: econtrà Cainum, Sodomitas, in Dei Regnum à Christo eductos docebat (h). Tam multiplici insaniâ postquàm non paucos evertisset, facti tandem pœnitens eâ conditione ab Ecclesia pacem oblatam accepit; ut si quos perditioni erudiisset, Ecclesiæ restitueret. Laborantem autem, & animi ancipitem mors occupavit.

(f) Epiph. hær. 42.

(g) Tertull. de præscript. c. 30.

(h) Idem adv. Marc. l. 1. c. 19.

5. Marcionis asseclæ paulò pòst in novas errorum vias (neque enim hæresis sibi constat) abiêre (i). Famosus ex illorum grege Apelles erat; qui operâ cujusdam turpissimæ energumenæ, quæ Philumena dicta est, paradoxa sua venditabat; Christo veram carnem abnegans, & Prophetis mendacia affingens (*7). Libidinum

(i) Eufeb. hist. lib. 5. c. 13.

(*6) DU MESNIL l. 3. p. 160. Is fuit prioribus sæculis disciplinæ vigor, ut ne Romanus quidem Pontifex legitimè excommunicatum sine consensu proprii Episcopi reciperet: utì habet Canon. 25. Apostolorum: *Si quis Presbyter, aut Diaconus ab Episcopo segregatus sit, hunc ab alio recipi non liceat, præterquam ab eo, qui eum segregavit, nisi forsan, qui segregavit illum, mortuus fuerit.*

(*7) *Apelles* delirabat, Christum corpus ex elementis accepisse: quod iterum solutum in elementa reddidisset mundo, cùm surrexit à mortuis; negant Proinde eum corporaliter in cœlum ascendisse. Contra hoc est illud Christi Thomæ dicentis: *infer digitum tuum huc &c.* & Luc. 1. *Concipies in utero, & paries filium.* & ex Act. Ap. c. 1. ubi Apostoli Christum viderunt ascendentem in cœlum, qui & in corpore visibili venturus est judicare vivos & mortuos.

num & doctrinarum portenta, quibus Hæreſiarchæ infames erant, tantò faciliùs in orthodoxos Gentilium odium provocabant, quòd nefandæ Sectæ ſe Chriſtianorum nomine expolirent. Dum igitur ſceleris puri Martyres aliorum ob vitia ad ſupplicia trahebantur; Philoſophus unus fuit, qui oblato Cæſari libello cauſam Chriſtianorum tueretur.

S. Juſtinus.

6. Juſtino huic nomen erat, urbs Sichem (in Palæſtina) Patria: hic Priſci Bachii Gentilis filius, ubi fortitudinem Chriſtianorum ſæpe aſpexerat; deſiderium Deum cognoſcendi cepit: at quoniam numinis veri notitiam ex Philoſophorum vanis ratiociniis fruſtra inveſtigârat; à ſene quodam (quem poſteà amplius non vidit) monitus, ſcripturas evolvere inſtituit, indeque adeò illuſtratus eſt, ut fidei manus, animúmque dederit. Sapientiæ ſuæ cæleſtis prima documenta protulit, cùm ad Antoninum Apologiam ſcriberet, velut rei Chriſtianæ totius epitomen: oſtendit autem Chriſtiani nomen loco ſceleris haberi non poſſe abſque malefactis, quæ ſi probata fuerint, pœnas ſe non deprecari, à ratione contrà alienum eſſe inſontes injuriâ afficere. Chriſtianos non dæmones quidem, ſed veriſſimum illum Deum, *Patrem Juſtitiæ, & Caſtitatis, & virtutum aliarum*, & hunc ipſum, qui ab ipſo venit, & ità nos docuit *filium*, & *ſpiritum* Propheticum colere, & adorare: his non regnum terrenum, ſed æternum propoſitum eſſe. Quàm ſapienter porrò Chriſtus (licèt crucifixus) ut Dei filius adoretur; ex ſanctimonia Legis Chriſtianæ, & ex Prophetiis probat: poſt hæc queritur aliis innoxium eſſe, feles, crocodilos, & arbores adorare: imò & Simoni velut Deo ob magicas artes Romæ erectam ſtatuam: Chriſtianos verò proſcribi, mortéque damnari, quòd Chriſtum Dei filium colant. Atque ut Imperatori pateret, myſteria religionis Chriſtianæ, quæ revelare incautiùs coram Gentibus antè illicitum erat (†), nil flagitii complecti; ea & præcipua quidem ex ordine exponit, ſcilicet baptiſmum, ritúſque ejus (*8): Euchariſtiæ & ſacrificii celebratio-

A. Æ. C. 150.

Ejus Apologia ad Cæſarem.

(†) REFLEXIO III.

(*8) JUSTINUS in Apolog. *Deductos ad aquam eos regeneramus, dum in aqua eis facimus lavacrum, in nomine Patris rerum omnium, & Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritûs Sancti; nam Chriſtus ipſe dixit: niſi regenerati fueritis; non intrabitis in regnum cælorum .. Aliorum quoque peccatorum remiſſionem conſequimur*

A. Æ.C. 150. nem (*9), Eleemosynarum modum (*10), conventus in die solis institui solitos (*11). Quibus enarratis ita concludit: hæc si rationi, & veritati consentanea vobis videntur, illis honorem habete: si pro nugis habetis, contemnite: neque tamen idcircò adversùs insontes, qui nihil in leges peccârunt, capitis supplicium statuatis.... Antoninus hâc Christianorum defensione mitigatus cavit; ne populus deinceps contra Christi-cultores tumultus cieret (k).

(k) Euseb. hist. lib. 4. c. 26.

(l) Oros. l. 7. c. 14.

7. Pace datâ, in oriente Episcopi ingenti curâ gregem Domini multiplicârunt (l): in occidente verò Papa PIUS legibus firmavit Ecclesiam; primò enim decrevit rigidam illis pœnitentiam, quorum negligentiâ aliquid Sanguinis Christi Domini effunderetur (*12). Deinde sanctione speciali inculcavit id, (quod anteà tradi-

---

mur in aquâ ... Hoc lavacrum vocatur illuminatio, quia fidelium mentes illuminantur. Absolutione peractâ novum fidelem ad fratrum cœtum deducimus, qui communes preces & supplicationes, & pro se ipsis, & pro illuminato, & pro illis omnibus, qui ubique gentium sunt, intento animo peragunt; ut agnitâ veritate, tanquam fideles administratores per mandatorum observantiam, nos in BONIS OPERIBUS *exercentes æternam salutem consequamur: precibus finitis nos invicem osculo sancto salutamus.*

(*9) IDEM l. c. *Ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum vini, & aquæ, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritûs Sancti offert, Eucharistiamque seu gratiarum actionem pro eo, quòd nos hisce suis donis dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actiones absolvit, omnis populus, qui adest, faustâ approbatione acclamat, dicens: Amen. Præsidens postquàm gratiarum actionem perfecit ... qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ acta sunt, panem, vinum, aquam, & ad absentes perferunt. Hic cibus apud nos appellatur Eucharistia, quem nulli alii participare licitum est, quàm credenti nostram veram esse doctrinam, & per lavacrum in remissionem peccatorum regenerato, atque viventi, quemadmodum Christus tradidit.* NON ENIM UT COMMUNEM PANEM, NEQUE UT COMMUNEM POTUM *ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit, ad eundem modum hanc alimoniam, in quam per verbi preces actæ sunt gratiæ, à qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse docti sumus.*

(*10) IDEM: *Qui copiosiores sunt, pro arbitrio conferunt Eleemosynas, quæ deponuntur apud Præpositum, qui pupillis, viduis, ægrotis; aliáve de causa egentibus subvenit ...* hinc usus invaluit per plura sæcula, ut bonorum omnium Ecclesiasticorum administratio esset penes Episcopum, qui per se, vel per Oeconomum illa dispensabat.

(*11) IDEM l. c. *Solis die communiter omnes, quandoquidem is primus dies est, quo Deus omnia creavit, & Jesus Christus Salvator noster eodem die surrexit à mortuis.* Eodem die Dominico fideles in secundo sæculo recipiebant Eucharistiam, ùt colligitur ex eadem Apologia Justini.

(*12) Decretum rigidissimum Pii Pontificis extat apud GRATIANUM c. de consecr. dist. 2. ex quo MARTENE lib. 1. de antiq. Eccl. rit. c. 5. a. 5. arguit, quantâ reverentiâ erga sacram Eucharistiam veteres ducerentur, quam reverentiam rectè scribit non infirmum tenere locum debere inter momenta, quibus realis in Eucharistia Christi præsentia comprobetur.

traditione habebatur) ut die Dominicâ Paschæ solennitas celebraretur (*13). Obiit, postquam annos decem, menses quatuor, dies tres sedisset, anno CLI.

Mors Pii Pontificis. A. Æ. C. 151.

8. Eodem anno Ecclesiæ Pastor constitutus est, ANICETUS, qui gubernacula aggressus, Præceptum Apostoli roboravit cavens, ne quis Clericorum comam nutriret (m): inde controversiam de die Paschatis agitandam suscepit, quam S. Polycarpus Romam tunc profectus, Pontifici obtulerat (n). Contendebat is ex more in Asiæ Ecclesiis recepto, & ex traditione S. Joannis (cujus discipulus erat) Pascha celebrandum esse lunâ decimâ quartâ, in quamcunque diem Martii illa incideret: adeóque eodem tempore, quo Judæi ex præscripto agnum immolare jubebantur, finem jejuniis imponendum. Anicetus contrà opponebat Presbyterorum, qui ante se fuissent, & reliquarum Ecclesiarum usum, quibus Religioni erat non aliâ, quàm Resurrectionis Dominicæ die seu jejunia solvere, seu Mysterium sanctissimæ Anastasis celebrare. Uterque cùm suis monumentis niteretur, decisum nihil est; sed sepositâ contentione, mutuo pacis osculo se invicem complexi, in communione fidei perstiterunt (o). S. Polycarpus quò Zelo suo continuò id palàm faceret; junctâ operâ Pontifici, plurimos, quos Valentinus seduxerat, ad ovile Christi Romæ revocabat; simúlque odio in Hæresiarchas converso, Marcionem præcipuè insequebatur, quem obviàm factum, utpote Primogenitum Diaboli execratus (p), Pauli monitum exemplo confirmavit: *hæreticum hominem post alteram admonitionem devitandum* (q); adductos jam ad gregem Christi heterodoxos in fide verâ non parum stabilivit Hegesippus, qui lustratis totius Orientis Ecclesiis, Romam veniens, cunctis affirmabat, se eandem ubique terrarum Catholicam doctrinam, quæ Romæ vigeret. audivisse (r).

(m) Auctor libri Pontif.

Anicetus Pontifex.

(n) Euseb. hist. lib. 4. c. 23.

A. Æ. C. 158.

(o) Euseb. hist. lib. 5. c. 24.

S. Polycarpus.

(p) Idem l. 4. c. 14.

(q) ad Tit. 3

S. Hegesippus.

(r) Euseb hist. lib. 4. c. 22.

(*13) EUSEBIUS in Chronico: *Sancitum est à Pio, ut Resurrectio Domini die Dominicâ celebretur, quod à pluribus posteà Pontificibus confirmatum est.* Eusebius idem alibi decretum tribuit Apostolis scilicet lib. 5. c. 25., ARNALDUS PONTACUS testatur prædictum Pii decretum in MSS. Eusebii non reperiri.

§. IV. *Marci Aurelii persecutio, Apologia Athenagoræ, Martyrium S. Polycarpi, mors Aniceti PP., Dionysius Corinthiorum Ep. Soter PP., Encratitæ, Montanus, Bardesanes, Blasius HH. Britonum conversio.*

A. Æ. C. 261.

1. DEcas annorum jam effluxerat, ex qua Antonini lex vigebat, ne quis solo Christiani nomine reus haberetur: at Imperatore hoc demortuo Marcus Aurelius denuò summi criminis loco censeri voluit; si quis omnis labis cæteroquin expers se Christianum duntaxat profiteretur: Imperatorem placidæ indolis, & æquitati non adeò inimicum, ad crudelitatem tantam duo potissimùm abripuêre, scilicet superstitionis immodicus amor, & ingens erga Philosophos studium (a): ab octavo quippe ætatis anno in Saliorum, ac sacrificulorum Collegium translatus, discendis impii Sacerdotii ritibus tam sedulum alumnum se præbuit, ut Augures quoscunque, & Aruspices superaret (b): itaque à teneris Christi cultores odisse cœpit, quod quidem odium à Philosophis, quibus familiariter utebatur, non parùm inflammatum est. Propositum his erat Christianorum mores suæ Philosophiæ contrarios, tum maximè scholam S. Justini persequi, quam sanctior Magister Romæ erexerat; ut Aristippi, & Epicuri dogmata melioribus Christi disciplinis corrigeret: Crescens Cynicus cæteros maledicentiâ anteibat, quam in Religionis Christianæ contemptum tam dexterè exprompsit, ut hoc signo dato bellum Christi cultoribus indiceretur (c): Aurelius, ne tot cædium, quæ ferè innumerabiles erant (*1), author diceretur; legem novam pro exterminio Christianorum non edidit. At valde probabat, quod ex præscripto antiquorum edictorum promiscuâ lanienâ tollerentur (*2).

(a) Oros. lib. 7. c. 15. Euseb lib. 5. c. 1.

(b) Baron. ad a. 164. §. 5.-9.

Persecutio Marci Aurelii.

(c) Euseb. l. 4. c. 16.

2.

(*1) EUSEB. l. 4. c. 15. scripsit opus de Martyribus, quod periit. Cæterùm ex ejus historia & Martyrologiis satis cognoscitur, quanta laniena fuerit in persecutione Marci Aurelii: de eadem persecutione latiùs tractat TILLEMONT. Tom. II. 2. P. m. à pag. 255. usque ad pag. 280.

(*2) TERTULLIANUS Apol. c. 5. confirmat, quòd ab Aurelio nova edicta contra Christianos facta non sint, itaque ex legibus antiquis contra Christianos agebatur: nam Trajanus prohibuerat particulares conventus: Senatus Romanus legem quoque tulerat de arcenda omni religione nova; demum sub pœna capitis interdicebatur quivis lectione Prophetarum &c.

2. Christianorum causam igitur Athenagoras Philosophus Atheniensis suscepit (d), Institutum hujus antè acerrimum fuerat in accusandis orthodoxis, atque ut aculeum magìs figeret, ex Scripturis Sacris argumenta nova procudere laborabat: sed dum opera divina volvit, revolvítque; repentè Dei afflatu ita capitur, ut veritati victas manus dederit, Religionem Christianam in ipso quoque Pallio professus. Ex hoste fortis fidei legatus opus inscripsit Imperatoribus Marco Aurelio & Lucio, quo ostendit iniquiùs cum Christianis agi, quòd in iis damnandis omnis judiciorum forma negligatur, quæ semper ejusmodi fuisset, ut rei nonnisi ex facinoribus judicentur. Trium deinde flagitiorum infamem rumorem amolitur, qui à Gnosticorum impurissimo grege in Christianam Ecclesiam traducebatur. Primum scelus, quod orthodoxis impingebatur, erat impietas, quâ Deos tollerent: Athenagoras contrà exposito SS. Trinitatis Mysterio Atheismum omnem à Christianis profligat. Alterum crimen desumebatur ex incestibus, quibus Christi cultores in solitis conventibus se polluere dicebantur: Athenagoræ intererat docere, frustrà libidines à Gentilibus accusari, nisi Jovem odisse velint, qui ex Rhea matre, & filia Proserpina liberos genuisset. Mox ad morum innocentiam & integerrimas Christi leges convertitur, ex quibus Christiani vivere juberentur: cogitatum, aut aspectum iniquiorem apud eos pro piaculo grandi haberi (e): ex utroque sexu multos fideles inveniri, qui in cœlibatu consenescant; quòd in hoc statu Deo conjunctiores se futuros sperent. Demum tertium accusationis caput, scilicet Christianos vesci humanis carnibus, sic diluit: fidelibus statam legem esse, ut verberantibus se ultrò præbeant, benedicant maledicentibus, orent pro iis, qui eos insectantur; in hoc autem vivendi studio perperam homicidas appellari, aut Thyestæas iis oggeri epulas, qui neminem lædant, qui neminem occidant, ac multò minùs occisorum carnibus fruantur.

(d) Epiph. hær. 64.

Apologia Athenagoræ.

A. Æ. C. 162.

(e) Matth. 5.

Martyrium S. Polycarpi.

3. Hæc defensio utùt reverens, & gravis adeò nihil obtinuit, ut tempestas exinde in Asiaticas Ecclesias multò graviùs incubuerit. Sublatus eodem tempore est vir Apostolicus S. Polycarpus, postquàm septuaginta annis Smyrnensi Ecclesiæ præfuisset.

(f) Euſeb. hiſt. lib. 4. c. 15.

A. Æ. C. 166.

Veneratio Reliquiarum.

fuiſſet (f). Blaſphemias jactare in Chriſtum cùm juberetur, Proconſuli repoſuit: octoginta annis ſervio Chriſto, nunquam ab eo læſus, ſed multis beneficiis ab eo donatus; quomodo ei maledicam? ad rogum damnatus ab hoc non læditur; gladio igitur transfoſſus occumbit. Ignis qui vivo Martyri nocere non poterat, corpus jam exanime abſumpſit, oſſibus tantùmmodo relictis, quæ ubi Chriſtiani condidiſſent (*3), ad tumulum Martyrii natalem deinceps diem celebrare inſtituerunt. Invaleſcente Gentilium furore S. Polycarpi diſcipuli ad Gallicanas confugêre Eccleſias: ac Irenæus quidem apud Lugdunenſem Præſulem Photinum conquievit; alii Auguſtodunum, ad caſtrum Divionis alii dilapſi ſunt; dum & ipſi cœlo maturi Martyrum ſortem aſſequerentur.

Mors Aniceti PP.

4. Intereà S. Aniceto fatis functo, SOTER Campanus ſucceſſerat: difficilem hic primò operam poſuit in oppugnandis iis, qui à Valentini ſecta in novas hæreſes quotidiè ſcindebantur: Cajani quippe, Ophitæ, & Marcoſiani totidem infauſta flabella erant, qui licentiâ ſcelerum in Chriſtianum nomen Gentilium odia accendebant: Juſtinus Philoſophus eodem tempore in S. Pontificis ſuppetias Romam venit, & alterâ Apologiâ ad Imperatores ſcriptâ infamiam à Chriſti cultoribus amolitus, aliud non impetravit, quàm ut inſtigante Creſcente Cynico, citiùs Martyribus accenſeretur. Soter tanto fidei adjutore deſtitutus, charitatis obſequia & Eleemoſynas fratribus ad metalla damnatis, & in exilium miſſis impendit: & quoniam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus beneficia ad ſuam Eccleſiam quoque pervaſiſſe perceperat; liberalitatem Papæ miris laudibus proſecutus eſt. Ab eodem

Altera Apologia Juſtini.

A. Æ. C. 167.

Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus.

(*3) EUSEBIUS ex Chronico Alexandrino: *Centurio pertinaciam Judæorum advertens, corpus* (S. Polycarpi) *in medio collocatum, ùt moris eſt ipſis, concremavit. Atque ita demum nos oſſa illius gemmis peetioſiſſimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, utì decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.* En praxin ſecundi ſæculi in veneratione SS. Reliquiarum! Cultus ille civili quidem major, ſed latriâ, quæ ſoli Deo debita èſt, longè inferior, ordinatur ad ſanctas Martyrum animas, quibus iterum Reliquiæ debent conjungi in gloria, & ſiſtit in Deo, qui in Sanctorum ſuorum honoribus honoratur: ità enim GREGORIUS NYSSENUS in Orat. in Theodor. Martyr.: *Sacras attingere Reliquias quàm optabile ſit, nôrunt, quicunque experti ſunt. Hi enim tanquam vivum ipſum corpus, & florens videntes oſculantur, & ad omnes ſenſus admovent, deinde Martyri, quaſi integer eſſet, ac præſens, ſupplicant, ut pro ipſis intercedat.*

A. Æ. C. 170.

dem Dionyſio poſteri acceperunt D. Dionyſium Areopagitam, qui à D. Paulo converſus eſt, primum omnium Eccleſiæ Athenienſis Sacerdotium geſſiſſe; unde multis non vana jam ſuſpicio injecta fuit, Dionyſium eundem, quamdiu vixit, vel Gallias nunquam ingreſſum, vel ſaltem Pariſienſis Eccleſiæ fundatorem minus verè appellari (*4).

5. Dum in Oriente impudentiſſimi delatores, & alienarum opum cupidi nova edicta Cæſarea confingebant, quorum vi Chriſtianos premerent, Melito Sardianus Epiſcopus Apologiam M. Aurelio (nam Lucius Verus anno ſuperiore deceſſerat) obtulit, cujus argumentum ejusmodi fuit, ſcilicet, ut in Chriſtianorum facta inquireret; & ſiquidem integros inveniret, latrocinia illa publica prohiberet. Chriſtianorum Religionem unà cum principatu Auguſti natam, Imperio Romano & bono publico adoleviſſe, ac vel ideò Adrianum & Antoninum vetuiſſe palàm, ne quis adversùs Chriſtianæ Religionis homines novi aliquid moliretur. Sub idem tempus Soter Papa ad laborum ſuorum coronam abiit: annis novem, quibus ſederat, legem antiquam de Euchariſtia à jejuno ſumenda, & conficienda, denuò promulgari præcepit: prætereà ſanxit, ne ſacratæ etiam Deo Virgines Pallam ſacram contingerent, aut incenſum in Eccleſia ponerent (u): Viro de Eccleſia optimè merito ſuffectus eſt S. ELEUTHERIUS Nicopolitanus.

Mors Soteris PP.

(u) Author lib. Pontific.

6.

(*4) NAT. ALEXANDER ſæc. I. Diſſ. 16. conatur oſtendere Dionyſium Areopagitam primum Pariſienſis Eccleſiæ Apoſtolum fuiſſe ex variis diplomatis: verùm LAUNOY obſervat, hæc ab Hilduino quodam eſſe conficta. Prætereà ipſius nunquam meminit Euſebius, qui tamen multa de Dionyſio Areopagita conſcripſit: Severus Sulpitius antiquus Gallicanæ Hiſtoriæ Scriptor ait: *non peperci labori in eo, quin ea, quæ permultis voluminibus ſcripta continebantur, duobus libellis concluderem*, & tamen author de Areopagita adducit nihil. Quis credat Dionyſium eundem, qui anteà Athenarum Epiſcopus erat, contra morem primitivæ Eccleſiæ, gregem reliquiſſe, & quidem decrepitum; nam centum annos jam ſuperaverat, cùm ante natum Chriſtum jam quinque annos habuerit teſte Euſebio, qui porrò lib. 3. hiſt. c. 4. ait: Dionyſium Athenis & non Pariſiis vitam inter flammas pro fide poſuiſſe. Unde ab Adriano I. in Epiſt. ad Carol. M. Epiſcopus Athenienſis appellatur, quo nomine eum quoque conſignavit Martinus I. in Concil. Lateran. &c. Non falluntur igitur Authores, qui ajunt, multa hâc ſuper re ab Hilduino Monaſterii S. Dionyſii Abbate, & Methodio Synchrono conficta fuiſſe. Plura videri poſſunt apud SOLLERIUM Hagiographum ad 26. Julii.

6. Sub hoc Pontifice calamitas Ecclesiæ non parùm aucta est: vastabat Cæsaris exercitum, Romanúmque Imperium lues immanis; jamque Marcomanni, qui aliquot conflictibus devicti fuerant, in nova bella ardebant; visum est Cæsari, Christiano sanguine iram Deorum, ac pestem sistere. Itaque in acerbiores cruciatus ac exterminium Christiana res ubique vocata fuisset; nisi Deus peculiari prodigio Imperatoris mentem à furore concepto cohibuisset. Romana militia montibus & sylvis interclusa, & Quadorum assilientium armis & egestate arentium locorum in ultimum discrimen adducebatur. Rebus omnibus desperatis, Christiani, qui in Melitina Legione stipendia merebant, in genua profusi à cælo pluviam Romanis, hostibus fulmina & ignes simul deposcunt (*5). Quâ mirabili victoriâ permotus Aurelius capitis pœnam intentavit iis, qui deinceps Christianos in tribunalibus accusarent.

A. Æ. C. 174.

Mirabilis Victoria Christianorum precibus impetrata.

7. Placato Cæsare populus necdum conquievit: divini quippe consilii fuit, ut in Christi cruce fundata Religio per opprobria, & supplicia propagaretur. Plebis furorem multò acriùs accenderunt sectarum variarum flagitia, quæ in dies magìs ad dedecus Christiani nominis pullulabant. Eâdem namque tempestate caterva Encratitarum caput extulit, quorum Antesignanus erat Tatianus S. Justini degener discipulus.: Magistro mortuo, & relictâ Româ in Pisidiam & Ciliciam secessit, venena sua diffusurus. Nuptias præcipuè execrabatur, & vino à Mysteriis secluso, aquam solam adhibebat; unde sectatores ejus continentium aut En-

Encratitæ.

(*5) EUSEB. hist. lib. 5. c. 5. *Romani montibus, & sylvis interclusi, ab hostibus, qui multò plures erant, sic concludebantur in ea regione, quæ posteà dicta est Bohemia, ut nullo modo aquam habere possent. Inopes consilii, quia siti premebantur, & pugnæ facultas non dabatur; extrema patiebantur. Tum verò milites Legionis Melitinæ, omnes Christiani, flexis in terram genibus, ùt nostris orantibus mos est, preces ad Deum fundunt. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longè admiratione dignum accidit. Nubes derepente coactæ magnam vim imbrium profundunt. Romani primùm aperto ore aquam recipiebant, mox scutis, & galeis, ita ut & ipsis jumentis sufficeret. Barbari impetum faciunt in bibentes; complures saucii Sanguinem infusum in galeas simul cum aqua hauriebant. Sed ingens grando, & crebri fulminum jactus Barbaros averterunt in fugam. Itaque licebat videre in eodem loco aquam, ignémque simul de cælo cadere, sed Romanos non attingebat ignis, vel statim extinguebatur. Econtrà pluvia nil juvabat hostes, sed non secùs ac oleum eos inflammabat; ita ut aquam requirerent imbre perfusi, inflictisque sibi vulneribus ignem vel suo sanguine restinguerent.*

Encratitarum, seu *Hydroparastatarum* & Aquariorum nomine veniebant (x): qui porrò Marcionistarum erroribus impliciti, repudiatis Pauli epistolis, abstinentiam ab animantibus professi sunt, ídque ex Evangelio, quod Tatianus suis concinnaverat, *Diatessaron* nuncupatum (*6). (x) August. de hær. c.64.

8. Alter Hæresiarcha, qui tunc turbabat Ecclesiam, *Montanus* erat in Mysia Phrygiæ natus: hic cùm esset Eunuchus, baptismi undis equidem ablutus; altiora tamen munia, & dona etiam Prophetiæ appetiit: nactus duas mulierculas suis fraudibus aptas Maximillam & Priscillam, oracula complura edi fecit suis asseclis, qui ea de causa *Cataphryges* deinceps dicti sunt, quòd Montanus ex Phrygia originem traheret: is se spiritum Paracletum esse jactitans, nova jejunia; scilicet tres quadragesimas suis dictitabat: funesta etiam sacramenta instituisse fertur, præcipiens, ut pugione sanguis ab infante extorqueretur, quem farinæ admistum, Eucharistiam dicebant: & si puer excarnificatus decessisset; Martyrum in numero habebatur: si verò vixisset tormentis superstes, Sacerdotio summo adhibitus est. Magna errorum eluvio ex fonte hoc lutoso sumpsit exordium; nam matrimonia à sectatoribus pro arbitratu solvebantur, damnabantur secundæ nuptiæ, baptismi formâ abrogatâ, dicebant semel lapsos gratiâ denuò donari non posse (*7). *Montanus Hæresiarcha.*

Hhh 2 9.

(*6) *Encratitarum* somnia Scriptura dudum confutavit: Matth. 19. *Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet.* & 1. ad Cor. 7. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Ex quibus patet, nuptias non esse corruptelas. *Aquarios* autem eosdem sacræ paginæ feriunt. 1. ad Tim. c, 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum.* Igitur vinum prohibitum non est; sed ejus abusus: præterea Christus in Cana Galilææ aquam in vinum convertit, & in vino Sacramentum sanguinis instituit. Similiter animalium esus verè licitus est & carnium, nisi sit cum scandalo conjunctus, ùt monet Paulus ad Rom. c.14. & nisi pugnet cum præcepto Ecclesiæ, quæ justis ex causis ad corporis mortificationem certis temporibus à carnis esu abstinere suos jubet. Extra has circumstantias verum est: quod dicitur Genes. 9. *& omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.* & illud Luc. 10. *Manducate, quæ apponuntur vobis.*

(*7) *Montanistarum* error de *secundis nuptiis* ex eo corruit, quòd Abraham mortuâ Sarâ duxerit secundam uxorem, cui nomen Cetura. *Gen.* 25.. Ruth mortuo primo viro Noemo nupsit Booz. Sara uxor Tobiæ successivè habuit plures viros, & ex Epist. ad Rom. c. 7. constat, secundas nuptias non esse prohibitas, & 1. ad Timoth. hortatur Apostolus viduas, ut potiùs nubant, quàm periculo continentiæ se exponant. Alter insignior error, *scilicet semel lapsos consequi porrò salutem non posse*, in eo vapulat, quòd virtu-

Bardesanes Hæresiarcha

9. Non minora monſtra fuêre, quæ Bardeſanes Apoſtata, & Ptolemæus, quem Irenæus, floſculum Valentini nominat, venditavêre. Peſſimus demum Marcus, & quo nequiorem Valentini ſchola vix numerabat, dæmone familiariter uſus, inter nefandas libidines mulierum ingentem turbam decepit: & ut ſuis fidem faceret; magicis artibus Euchariſtiæ calicem purpureum ſæpe exhibuit, quaſi per ejus conceptas formulas ſanguis Servatoris in calicem ſtillâſſet. Adhæc eadem tempora delirabant Aſcondrytæ, & Archontici tantò cæteris aſtutiores, quantò ſejunctiores à cœtibus publicis vivebant: hi minùs conveniens eſſe rati per viſibilia ſigna, divina & ſpiritualia ſignificari, Sacramenta penitùs abjecerunt.

Perſecutio

A. Æ. C. 177.

(y) Baron: ad a. 196. §. 2. Epiph. 54. c. 1.

10. Tanta delirandi licentia, ac turpis in voluptates quasvis profuſio ſanctionem Principis Chriſtianis faventem ferè abrogavit. Nam Præſides non Chriſtianum nomen ampliùs, ſed ſcelera ſe perſequi jactabant, quæ omnibus Chriſti cultoribus communia eſſe falsò opinabantur. Byzantinum agrum maximè procella illa afflixit (y), inde in Occidentem transfuſa Gallicanas Eccleſias evaſtavit (*8.) Præter innumeros Chriſti pugiles ſtragem illam cumulavit Martyrium Photini primi Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopi, cui magnum fidei & Galliarum lumen ſucceſſit Irenæus D. Polycarpi diſcipulus, & hæreticorum malleus: prima huic pugna fuit contra Blaſtum, & Florinum Eccleſiæ Romanæ Presbyteros, qui novas doctrinas adversùs fidei veritatem invehere conabantur. Blaſto perſuaſum erat, Paſcha non aliter, ac ex lege Moyſis decimâ quartâ menſis celebrari poſſe: Florinus verò Deum ſcelerum etiam authorem fingebat. Irenæi intererat ex traditione Apoſtolica hos errores convellere; cæteras curas S. Præſul ſcribendis libris, & Lugdunenſi civitati ſuæ præcipuè impendit, eo pro-

Blaſti errores.

virtutem Sacramenti pœnitentiæ elidat: cùm tamen ſacra Scriptura toties peccatores hortetur ad pœnitentiam; & Chriſtus præcipuè venerit, ut peccatores quæreret, præceperitque Petro, ut peccanti fratri multoties condonaret.

(*8.) TILLEMONTIUS T. II. P. 2. Gallicanam perſecutionem fusè exequitur à pag. 273. ad p. 280. Item GREGOR. TURON. lib. de glor. Martyr. c. 49. & in ACTIS Paſſionis B. Epipodii & Alexandri ſcribitur, tantam per Gallias fuiſſe Chriſtianorum cædem, ut integrum penè Chriſti nomen à Gentilibus crederetur eſſe extinctum.

profectu, ut cives omnes qui antè dæmoni litaverant, modicum intra tempus Chriſto nomen darent.

Decretum Aurelii pro Chriſtianis.

11. Paribus fidei incrementis Aſiaticæ Eccleſiæ amplificatæ ſunt, ſive quòd Martyrum ſanguis agrum illum ad meliores fructus rigâſſet, ſive quòd Apollinaris Hierapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Apologiâ ſcriptâ Cæſarem ad dandam fidelibus pacem compuliſſet. Certè unica Marci ſententia, quâ delatos Chriſtianos abſolvi, delatores verò puniri voluit (*9), tantum effecit, ut novellæ Plantæ, quas crudelitas & avaritia Gentilium velut rigidâ pruinâ decoxerat, poſt mitiora Cæſaris conſilia vigorem reciperent.

A. Æ C. 180.

Britonum Converſio.

12. Ruinas Occidentis ab hæreſi aut Tyrannide illatas eodem tempore Eleutherius Pontifex reparari vidit; quando cum tota Britannorum colonia Rex Lucius & Primus in Europa fidelis Princeps Chriſto aggregatus eſt. Druidarum ſuperſtitionem, cui innutritus erat, faſtidire cœpit ab hoc tempore, quo & Chriſtianæ fidei, virtutúmque odore, conſtantiâ Martyrum, & cæleſti miraculo, in profligatis nuper, victíſque Marcomannis edito, permotus, ſtatuit Chriſtum vocantem ſequi. Erant equidem præter Irenæum magni fidei Magiſtri in Gallia, à quibus propiùs Myſteria Rex peteret; ſed ille omiſſâ Galliâ Romam ad Eleutherium Pontificem legatos ſuos Eluanum, & Meduinum mittendos cenſuit, ut è fonte Romano fidei undas, nullis errorum fæcibus permixtas, hauriret; indéque Britannis ſuis ſalubrem doctrinam arceſſeret, ubi prima & princeps Eccleſia, ſupra Petrum cæteris

(*9) EUSEB. lib. 4. c. 13. & 27. refert Conſtitutionem M. Aurelii ad Aſiæ Provincias: *Equidem ſcio Diis curæ eſſe, ne hujusmodi homines lateant: multò enim magìs illis convenit punire eos, qui colere ipſos recuſant, quàm vobis, qui eorum, adversùs quos tumultuamini, ſententiam, ac propoſitum ampliùs confirmatis, dum eos accuſatis tanquam impios. Illis autem longè optabilius fuit, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo ſuo, quàm ut incolumes remaneant . . . . Porrò de his hominibus* (Chriſtianis) *plurimi Provinciarum Rectores Divo Patri noſtro anteà ſcripſerunt: quibus ille reſcripſit, ejusmodi homines nullâ moleſtiâ eſſe afficiendos, niſi fide contra ſtatum Romani Imperii aliquid moliri viderentur . . . . Ego Patris mei Conſtitutionem ſecutus reſpondi: quodſi quis adhuc pergit, cuipiam illorum negotium faceſſere, ex eo, quòd Chriſtianus ſit, delatus quidem crimine abſolvatur, tametſi conſtet, eum Chriſtianum eſſe; delator autem ipſe pœnas luat.*

Ecclesiis potentiùs ædificata foret (*10). Eleutherius in regiis oratoribus Primitias Regum aliquando convertendorum complexus, precibúsque æquissimis legatorum annuens, Fugatianum & Damianum ad Lucium Regem ire jubet, ut Insulam Christianæ Religionis institutis imbuant. Rege primùm & Reginâ baptizatis secuti sunt ex utroque sexu, & omni ordine plurimi: ita brevi quà Lucii Regis pietate, quà Romanorum Magistrorum industriâ effectum est, ut è plebe pauci, procerum verò nemo fuerit, qui ad Christum & Romanam fidem aut animum, aut aures obstinârit.

§. V. *Pax Ecclesiæ sub Commodo, Hermogenes Hæreticus, Eleutherius, Victor, PP. Controversia de celebratione Paschatis, Victoris sententia, Praxeas, Theodorus, Symmachus HH. Mors Victoris.*

A. Æ. C. 180.

1. UT primùm Commodus tenuit Imperium; sub crudelissimo cæteroquin Principe pax alta rei Christianæ concessa est. *Pax Ecclesiæ.* Cùm enim superstitione Deorum contemptâ, libidines duntaxat sectaretur, aut sævitiem (quâ posteà valebat) in Magnates solùm depromeret; turbidis aulæ rebus Ecclesia conquievit. Accedebat Martianæ in Christianos studium, quæ pellex maximæ apud Cæsarem

(*10) CENTURIATORES MAGDEB. Cent. 2. c. 2. fol. 9. Ecclesiam Britannicam non à Romanis, sed à Græcis Doctoribus fundatam asserunt: His contradicit USSERIUS in Primordiis fol. 48. & HOLLINSHEDUS in descriptione Britanniæ; sed quia & illi Pontificiam prærogativam respuunt, causam planè alienam fingunt, cur Româ præcipuè Doctores arcessiverit Lucius; nimirum *ob necessitudinem, quâ cum urbe Romana Provinciales Britanni conjuncti fuerant, & ob commercia utrinque intercedentia.* Verùm Tertullianus (qui vivebat, cùm Lucius in urbem mitteret) jubet in negotio salutis Romam petere, & Ecclesiæ ejus scitis parere. de præscript. c. 36. *Age*, inquit, *qui voles, curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ: percurre Ecclesias Apostolicas .... Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas est: statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.* IRENÆUS, qui tunc proximus Britanniæ habitabat. hæres. lib. 3. c. 3. ait: *Ad hanc Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem* NECESSE EST, *omnem convenire Ecclesiam; hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio ...... Beati Apostoli, ubi fundamenta Ecclesiæ præclarè posuerant, & eam providè, sapientérque exædificaverant; Lino Pontificatûs Ministerium concrediderunt, cui successit Anacletus ..., jam duodecimo loco ab Apostolis Eleutherus Pontificatûs Ministerium obtinet. Unde traditio in Ecclesia, ab Apostolis gradatim derivata, & sincera veritatis prædicatio, eodem ordine, eâdem Episcoporum successione in Ecclesia, ad nostram usque ætatem continuata est.* En rationes, ob quas Lucius ex Romana urbe Doctores petierat!

ſarem authoritatis, licèt Chriſtiana non eſſet, favorem tamen Commodi, aliáque Chriſtianis beneficia impetravit.

2. Itaque nulla Provincia erat, ubi non altior Dei ſermo hominum mentes traheret: & jam Romæ complures, & genere illuſtres, & rerum affluentiâ admodùm locupletati unà cum omni familia, & cognatione Suâ ſe ad Religionem Conditoris omnium recipiebant (a). Per Galliam quotidiè magìs Irenæi ſcripta celebrabantur, quibus iſte Valentini, Gnoſticorúmque errores confutabat. Theophilus Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus idolomaniæ exagitabat fabulas, & ſimul deliria Hermogenis; tranſierat hic è Chriſti caſtris ad ſectam Stoicorum, quorum nixus principiis docebat, materiam eſſe Deo coæternam & ingenitam, corpus Chriſti iterùm reverſurum eſſe ad ſolem, unde id deſumptum fuiſſe fabulabatur: animas ex materia conflatas, Salvatorem negabat eſſe Filium Dei, & Spiritui S. intellectum eripiebat; demum ex officina Hæreticorum plurium errorum ac turpitudinum congeriem mutuatus eſt (*1). Epheſi in Aſia Polycrates opportunam quoque ſuarum ovium curam tunc habebat; cùm Theodotion Epheſius Tatiani diſcipulus Scripturam verſione ſuâ corrumperet: inauſpicatus enim interpres, ubi è Marcionis ſecta inter Judæorum proſelytos delapſus fuerat; Teſtamentum Vetus in græcum idioma transferens, illas potiſſimùm ſententias mutilabat, quæ in ſacro Codice de Meſſia, ac de ejusdem vita & Matre Virgine continentur (*2).

(a) Euſeb. hiſt. lib. 5. c. 20.

Hæreſis Hermogenis.

3. Paribus ſtudiis ſuas tuebantur, aut augebant Eccleſias Narciſſus Hieroſolymis, Theophilus Cæſareæ in Palæſtina, & Demetrius Alexandriæ; in qua urbe doctrinâ ſacrâ celeberrimus Pantænus orthodoxorum ſcholæ præerat, abierat is anteà ad Indos,

Amplificatio Eccleſiarum.

(*1) Contra *Hermogenis* errores militant ſequentia. Pſal. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, tu es Deus.* & Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundâſti.* & Geneſ. 1. *In Principio creavit Deus cælum & terram.* quidquid autem creatur, ex nihilo producitur. 2. Chriſtum verè in utero V. incarnatum eſſe alibi dictum eſt. 3. Homo dicitur factus ad imaginem Dei (qui eſt ſpiritus). Spiritualem animam eſſe probant operationes ſublimes, libertas. 4. Salvatorem Filium Dei eſſe aſſerit æternus Pater: *Hic eſt Filius meus dilectus.* & de Spiritu S. Chriſtus confirmat, *quòd doceret nos omnia.*

(*2) Licèt multa corruperit Theodotion in verſione ſua, Danielem tamen Prophetam non juxtà 70., ſed juxtà Theodotionem olim legebant Eccleſiæ, ùt habet HIERONYMUS in Præf. Dan.

dos, ut Evangelii lucem, quam eidem populo S. Bartholomæus accenderat, latiùs proferret: post res benè multas ad fidei incrementum gestas, Alexandriam reversus S. Mathæi Evangelium, quod Hebraicis conscriptum literis Apostolus illinc reliquerat, secum asportavit: inde jubente Demetrio illustrium discipulorum Magisterium aggressus, Clementem etiam Alexandrinum ad eruditionis omnis fastigium perduxit (*3.).

Mors Eleutherii PP.

4. Anno Commodi Imperatoris sexto, æræ Christianæ CLXXXV. Eleutherius Papa è vivis excessit: postquàm Sedis suæ annos quindecim impleverat: de ejus monumentis lex illa potissimùm superfuit: ne quis Fidelium ex quadam superstitione ullum cibi genus (quo homines ex consuetudine vescerentur) rejiceret, nempe ad confundendam Encratitarum hæresin, qui cibos quosdam velut à malo principio procreatos damnabant. Eleutherio S. VICTOR ex Africa oriundus surrogatus est. Mitiorem ætatem Pontifex ille est expertus; nam & Commodus septem reliquis annis, quibus regnavit, Christianis acerbus non erat: hujus autem fatum licèt tumultus non pauci sequerentur; ii tamen magìs Imperium, quàm Ecclesiam turbavêre. Tandem Severus rerum potitus Christianis se benevolum magìs, quàm inimicum præbuit, tum quòd nullus eorum Nigri & Albini Imperii competitorum partibus adhæsisset, tum quòd nôsset etiam Senatorii Ordinis viros Religioni huic nomen dedisse: ac ne populus in furorem pronus solita supplicia postularet; furentibus non semel palàm in os restitit: quin favores suos in orthodoxos eum in modum auxit (b), ut è Christianis Proculum filii sui Pædagogum selegeret.

(b) Tertull. ad Scapul. c. 2. & 4.

A. Æ. C. 196.

5. Pax igitur forìs cùm esset; anno quarto Severi imperantis interior Ecclesiæ, ac præcipuè Præsulum tranquillitas, convulsa est: dissidii non levis causam dedit controversia, quæ animos plurium Episcoporum, Victorisque Papæ distraxerat. Pugnabat enim tota Asia cum Polycrate Ephesi Præsule idem, quod Blastum Romæ perperàm hac super re tumultuantem in schisma

(*3) CLEMENS ALEXANDRINUS hoc encomium scripsit suo Magistro. *Cum in eum ultimum incidissem in Ægypto, qui Doctrinæ merito omnium erat primus; tandem in eo acquievi, venans ea, quæ latuerant; Sicula reverà apis Prophetici Apostolici Prati flores decerpens.* Vid. Euseb. hist. lib. 5. c. 10.

ſchiſma conjecerat (c), nempe ex Chriſti exemplo (†), ex Apoſtolorum, & Eccleſiarum quarundam uſu Paſcha lunâ decimâ quartâ celebrari oportere, eodémque tempore (quamcunque diem contigiſſet) finem jejuniis imponendum (*4). Victor contrà luctatus, exhibénsque multò plurium Apoſtolorum atque Eccleſiarum morem, omnes eidem diſciplinæ adſtringendos putavit; nempe, ut non aliâ, quàm Reſurrectionis Dominicæ die, jejuniorum tempus ſolvere liceret (*5).

(c) Euſeb. l. 5. c. 23.
(†) REFLEXIO IV.
Controverſia de Paſchatis Celebratione.

6. Pontifex ut apertiùs Aſiæ Præſules convinceret, varias per Orientis, Occidentíſque Provincias, Synodos cogi jubet: Theophilus Cæſareæ, & Narciſſus Hieroſolymæ Epiſcopi præſidebant Concilio Palæſtino; cujus Patres id demum ſtatuerunt, conſuetudinem celebrandi Paſcha in die Dominica ex traditione Apoſtolica proficiſci, neque alium morem vigere in Alexandrina Eccleſia; Pontificem proinde rogabant, ut Synodicæ epiſtolæ exempla per omnes mitteret Eccleſias: eadem ſenſa de Paſchatis celebratione habuerunt reliqua Concilia; Dominicæ quippe diei Anaſtaſin ſacram affixerunt Epiſcopi Ponti cum Synodi præſide Palma Amaſtrienſi: Antiſtites Galliæ cum Irenæo, Os-

Concilia varia.

(*4) POLYCRATES EPHESINUS cum ſuis ità ſcripſit Victori: *Nos verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes. Etenim in Aſia Magna quidem lumina extincta ſunt: Philippus ſcilicet unus è duodecim Apoſtolis, qui mortuus eſt Hierapoli, & duæ ejus filiæ, quæ virgines conſenuerunt, alia quoque ejusdem filia, quæ Spiritu S. afflata vixit, & Epheſi requieſcit. Престереà Joannes, qui in ſinu Domini recubuit: Hic inquam, Joannes apud Epheſum extremum diem obiit. Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam Epiſcopus & Martyr fuit: itémque Traſeas Eumeniæ Epiſcopus, & Martyr, qui Smyrnæ requieſcit. Quid Sagarim Epiſcopum. eundémque Martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ eſt mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem Eunuchum, qui Spiritu S. afflatus cuncta geſſit, qui & Sardibus ſitus eſt, adventum Domini de cælis, in quo reſurrecturus eſt exſpectans, Hi omnes diem Paſchæ quartâ decimâ lunâ juxta Evangelium obſervârunt: nihil omninò variantes: ſed regulam fidei conſtanter ſequentes. Ego quoque omnium veſtrum minimus Polycrates ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos aſſectatus ſum . . .* V. EUSEB. lib. 3. c. 24.

(*5) PAGIUS in Breviario PP. adducit tres rationes contrarias *Victoris* in Vita: I. Ne communicemus cum Judæis Chriſti interfectoribus. II. Ut in tota Eccleſia ſit una ratio Paſchatis celebrandi, & ut pauci Orientales Judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribúſque Orientalibus populis & Epiſcopis aliter ſentientibus cedant. III. Quia aliter facientes Orientales, quandoque uno anno bis, quandoque nunquam Paſcha celebrarent; quæ ſunt tres rationes, è quibus Conſtantinus M. decreti æquitatem confirmat poſt C. Nicænum, in quo Victoris Conſtitutum firmatum eſt. Ut habet EUSEB. lib. 3. de V. Conſtant.

Osdroenæ Provinciæ, & Meſopotamiæ Presbyteri, Bachylus Corinthiorum Epiſcopus, aliíque complures: præter tot Synodos, proximos quoque Præſules Romam convocavit Victor Pontifex, ſententiámque conceptam Polycrati Epheſino transmiſit, in publico Aſiæ Concilio prælegendam; comminatus inſuper, ni tot Præſulum, & Synodorum ſtaret judicio, fore, ut à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregetur (*6). Polycrates contrà cum ſuis ad minas intrepidus repoſuit, ſe à tot prædeceſſorum uſu diſcedere non poſſe: Lunâ decimâ quartâ & celebrâſſe Paſcha, & ſolviſſe jejunium S. Philippum Apoſtolum, Hierapoli defunctum: S. Joannem, qui Epheſi obiiſſet: Polycarpum Smyrnæ Antiſtitem, alióſque ſeptem cognatos Epiſcopos, quorum regulæ ipſe cum Aſiæ Epiſcopis inſiſteret (*7).

Victoris PP. ſententia contra Aſiaticos.

7. Victor acceptis his literis, omnes Aſiæ, vicinarúmque Provinciarum Eccleſias, tanquam contraria tot Synodis ſentientes à communione abſcindere conatur: datâque epiſtolâ univerſos, qui illic erant fratres, proſcribit, & ab unione ſuæ Eccleſiæ prorsùs alienos pronuntiat; quin tamen excommunicationis Anathema intorqueret. Ab hoc tempore cùm Orientales ab Occidentalibus divulſi, pacificas à ſe literas nullas acciperent; Irenæus ſe nomine & re pacis conciliatorem oſtendit: ſcriptâ namque epiſtolâ monuit Victorem, ne integras Dei Eccleſias, morem ſibi à Majoribus traditum cuſtodientes, à communione abſcinderet. Urgebat porrò exemplum priorum Pontificum, quibus nunquam in Aſia-

(*6) DU MESNIL L. 4. doctr. & diſcipl. Eccl. advertit; Romani Pontificis Primatum Jurisdictionis hìc ſe mirificè prodere: *In Europa*, ait, *& in Oriente Synodos Pontifex indicit; morem gerunt Epiſcopi ſpecialem authoritatem dirigit ad Theophilum Cæſareenſem; ut cum ſuis, vicinarum Provinciarum Epiſcopos convocet: illi conveniunt; eorum Metropolitani non conqueruntur. Ut Judex ſupremus fert ſententiam, jus aliquod novum uſurpatum nemo criminatur. Quis autem canon, aut quæ lex Imperialis hanc poteſtatem tunc ei attribuerat? Nihil horum dici poteſt. Primatum igitur ei divino jure conceſſum agnoſcebant omnes Eccleſiæ.*

(*7) *Polycrates* Victori obſtitit, ut ex ejus Epiſtola colligitur: *Ego, inquam, fratres, quinque & ſexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe diſperſis ſermones ſæpe contuli, qui Scripturam ſacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ ad formidinem nobis intentantur. Poſſem etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, quos petiiſtis, ut convocarem, ſicut & feci, quorum nomina, ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur. Hi cùm me puſillum hominem inveniſſent, epiſtolam noſtram aſſenſu ſuo comprobârunt, gnari me canos iſtos fruſtrà non geſtare, ſed vitam ex præceptis, inſtitutiſque Jeſu Chriſti ſemper egiſſe.* V. EUSEB. lib. 5. c. 24.

Aſiaticos tantum fulmen excidiſſet; utùt Eccleſiæ quædam ad prædeceſſorum ritus animum obſtinâſſent (*8). Nicephorus nobis reliquit, Victorem Irenæi monitioni adeò non ceſſiſſe, ut in propoſito potiùs perſtiterit: ab aliis tamen non vana opinio concepta eſt, Irenæum eviciſſe, ut pax Eccleſiæ non rumperetur (†). (†) REFLEXIO V.

8. Quàm acris Victor Pontifex in eos fuerat, qui decimâ quartâ Lunâ celebrandum cum Judæis Paſcha cenſuerunt; tam indulgens ac mitior quibusdam viſus eſt adversùs gregem illum, qui Montani errores ſimulatione quâdam contegere noverat: Praxeas, vir pro fide carceris ſqualorem perpeſſus; ac proinde magnæ authoritatis, Papam cohortatus eſt, ut Montaniſtas propiùs inſpiceret, & retectâ eorum fraude, literas pacis & communionis, quas iis dederat, revocaret. *Praxeas.*

9. Praxeæ magnum beneficium in acceptis retuliſſet Eccleſia, niſi eodem tempore, quo Montani hæreſin Româ exegerat, ſuam urbi induxiſſet: cùm diſtinguere neſciret inter eſſentiam divinam, & Perſonas; negabat in divinis ternarium numerum perſonarum, affirmans, unicam eſſe Perſonam diverſis nominibus appellatam: ex quo inferebat, Patrem ſimul cum Filio incarnatum & paſſum eſſe; unde & ejus ſectatores nomen Patripaſſianorum obtinuerunt (*9). Pari audaciâ duo Theodoti totidem hæreſes ſedente *Ejus hæreſis.*

Iii 2 Vi-

(*8) Inter ritus, qui diverſis modis apud Orientales agebantur, jejunandi quoque ratio erat, quæ antè Paſche aliter ab aliis finiebatur, aut ſuſcipiebatur: DIONYSIUS ALEXANDRINUS id expoſiturus ait in Epl. ad Baſilidem. Alii quidem totum ſex dierum ſpatium ſuperponunt jejuni perſeverantes, alii verò biduum, quidam triduum; nonnulli quatriduum ſcilicet à feria quarta usque ad Dominicam reſurrectionis: alii ne quidem unum diem ſuperponunt. Teſte EPIPHANIO multò rigidiùs jejunium illud fuit, quod ad primæ lucis exortum producebatur: ideóque dicebatur *ſuperimpoſitio*, quam adhibebant fideles majore in hebdomada: quo tempore populus etiam Xerophagiis, id eſt arido victu utebatur, ſive panem cum aqua ſub Veſperam duntaxat adhibebat. Cæterùm *ſuperimpoſitio* à jejunio communi, & quadrageſimali in hoc differebat, quòd ad orientem ſolem duraret, *jejunium* verò *commune* feriæ quartæ & ſextæ ſolvebatur horâ diei nonâ poſt finem ſtationis. *Quadrageſimale* demum finiebatur poſt peractam ſynaxin, & divinum Officium ſub Veſperam. IRENÆUS hac varietate rituum expoſitâ Victorem monet, nunquam ideò, quia diverſimodè à diverſis jejunatum eſt, ruptam unquam Eccleſiæ pacem fuiſſe.

(*9) SIANDA Tom. I. Lex. Polem. contra *Patripaſſianos* oſtendit, latum eſſe diſcrimen inter Eſſentiam & Perſonas Divinas, cùm eſſentia divina ſit ipſa Deitatis natura, quæ

Patropassiani Victore procuderunt: Unus eorum Coriarius, quoniam in vexatione communi Christianorum Divinitatem Christi ejuraverat; pudore suffusus ad tegendum facinus suum evulgavit: se nonnisi hominem simplicem abnegâsse, qualem ab hoc tempore Christum esse fingebat, *Theodotiani.* Ebionitarum utique Restaurator; & Alogorum Parens, qui verbum æterni Patris ejusdem esse substantiæ inficiabantur (*10): Alter Theodotus argentarius prioris discipulus *Melchisedechiani.* supra Magistrum desipuit, fabulatus Christum purum hominem Melchisedecho multò inferiorem extitisse (*11), siquidem de hoc dictum sit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* (d):

(d) Tertull. de præscript. c. ult.

10. Hæresiarchis iniquum Scripturæ interpretem accensemus, scilicet Symmachum: *Symmachi Versio.* hic è Samaritano Judæus, & tandem Ebionitarum sectæ adscriptus, operam posuit in Scriptura sa-

quæ totam Deitatis perfectionem dicit: Persona verò est singulare quoddam, in quo Deitas existit, ab alio singulari realiter distinctum: realiter inquam, non per naturam sed per proprietatem personalem, ità, ut cùm dicimus, *Deus*; substantiam explicamus naturæ divinæ omnibus personis communem. Cùm verò dicimus *Pater*, aut *Filius*, aut *Spiritus*, unam personam singularem dicimus, in qua Deitas subsistit, ex quo sequitur, in divinis tres esse Personas realiter distinctas, non autem unicam diversis nominibus appellatam: porrò infertur, secundam Personam tantùm esse incarnatam, & passam in humana natura; tum quia si ratione unius essentiæ etiam Pater esset passus, plures Scripturæ textus contradictionem involverent, & esset inperceptibile, quomodò Filius dicatur missus à Patre, ascendere ad Patrem. Teste NICEPHORO l. 9. c. 11. damnata fuit Patropassianorum hæresis à PP. Orientalibus in fidei expositione per ipsos unanimiter compositâ.

(*10) CAJUS Romanæ Ecclesiæ Presbyter primum Theodotum Byzantinum confutavit in libello, quem *parvum Labyrinthum* inscripserat, & habetur apud *Euseb.* lib. 5. c. ult. *Affirmant priscos omnes, & priscos Apostolos ea, quæ nunc dicuntur, & accepisse, & docuisse: ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora .... à Zephyrini autem temporibus .... adulteratam fuisse veritatem, ac fortasse id, quod dicunt, credibile videretur; nisi eis refragarentur primùm quidem divinæ Scripturæ, dein fratrum quorundam scripta .... Irenæi quidem, & Melitonis & reliquorum scripta, quis est, qui ignoret, in quibus Christum Deum simul, atque hominem prædicârunt? Psalmi quoque, & Cantica fratrum jam pridem à fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo &c.* Blasphema Theodoti hæresis in Socinianis posteà revixit.

(*11) PHOTIUS in Biblioth. Cod. 114. ait: Theodoti Coriarii *liber puerilia continet sine numero & inopinata, maléque conficta, ac falsa, imò stulta, & inter se pugnantia, impia denique, & detestanda, ut qui eum omnis hæresis fontem, atque authorem dixerit, non ille à veritate vel minimùm discesserit.*

ſacra ex Hebraica Lingua in Græcam transferenda; quo labore nefaſtus Eccleſiæ fuit, dum multa Salvatoris Myſteria ſubdolâ interpretatione celabat (*12). Tot ſectarum, hominúmque monſtris diu obluctatus Victor Pontifex tandem ad meritorum mercedem abiit, defunctus A. Æ. C. CLXXXXVII., ſedit annos duodecim, menſem unum: habuit Succeſſorem S. ZEPHYRINUM Romanum, cui unà cum Petri clavibus ingentem patientiæ, virtutiſque materiam reliquit.

A. Æ. C. 197.

Mors Victoris PP.

Iii 3 *REFLE-*

(*12) Interpretationem *Symmachi* poſt Aquilam (ante Theodotionem) in ſuis Hexaplis poſuit Origenes: ſententiarum fuit, quàm verborum retinentior. Cæterùm notat NATALIS ALEXANDER ſæc. II. *Diſſert.* XI. varias fuiſſe verſiones uſque ad S. Hieronymi tempora. *Prima* & antiquiſſima ominum ea vulgò creditur, quæ ſeptuaginta Interpretum vocatur. Ea ſub Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege adornata eſt annis ante Chriſtum natum fermè trecentis, ſcilicet cùm Demetrius Phaleræus Regiæ Bibliothecæ Præfectus iſti Principi ſuggeſſiſſet ſacros in Judæa libros, divináſque leges extare, quæ maximo Bibliothecæ ejus futuræ eſſent ornamento. Igitur Rex ab Eleazaro Pontifice legem, & ſeptuaginta Seniores obtinuit, qui eam græco ſermone donarent. Id in Pharo Inſula factum: an diverſis in cellulis, an mutuâ collatione, diſſidium eſt inter Patres; de hac verſione lege *Joſephum Antiq. Judaic.* l. 12. c. 2. Hæc verſio vulgata fuit in Eccleſia, maximæque authoritatis extitit quatuor primis Eccleſiæ ſæculis. Poſt ſeptuaginta interpretes primi, qui ſacros libros ex Hèbræo ſermone in aliam tranſtulerunt, fuêre (ùt quidam volunt) Chaldæi Paraphraſtæ, Jonathan & Onkelos: hic in Pentateuchum Moſis circa nativitatem Chriſti, ille in Prophetas priores, & poſteriores Paraphraſin adornavit circa tempus excidii templi, & Hieroſolymorum; quibus ſubinde recentiores Paraphraſes acceſsêre, de quibus videri poſſunt Biblia Polyglotta *Waltoni*. *Morinus* Chaldaicarum Paraphraſen ætatem quinque ſæculis à Chriſti ortu removet, eíque poſtponit, quod ex ſilentio Origenis, Epiphanii, & S. Hieronymi probat; tum maximè ex eo, quòd earum rerum ibi mentio fiat, quæ non uno ſæculo poſt Chriſti adventum peracta ſunt; quódque Talmudicis ſcateant fabulis: Talmud autem ante ſextum ſæculum compoſitum non eſſe confirmat idem Author Exercit. Bibl. lib. 2. Exercit. 8. *Primam* itaque poſt 70. Interpretum verſionem NATALIS numerat eam, quæ ab Aquila; *ſecundam*, quæ à Symmacho, *tertiam*, quæ à Theodotione, *quartam* & *quintam*, quæ ab Authoribus anonymis editæ ſunt, & fortuitò repertæ una Hierichunte, altera Nicopoli, quarum additione Origenes Hexapla adornavit: *ſextam* Luciani Martyris; *ſeptimam* Heſychii; *octavam* Origenis; *nonam* Vulgatam editionem latinam ante S. Hieronymi tempora editam, quæ à S. Auguſtino Itala vocatur: *decimam* denique eam numerat, quæ à S. Hieronymo edita eſt.

REFLEXIONES HISTORICO - ECCLESIASTICÆ

IN CAPUT II. LIBRI II.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 10. pag. 409.

De causis persecutionum, de acerbitate cruciatuum & numero Martyrum.

Martyrum multitudo.

1. QUemadmodum Romani strenuè *agendo* hâc ætate suum propagaverant Imperium; ita Christi cultores *sustinendo*, ac fortiter patiendo Ecclesiam multò mirabiliùs auxerunt: insolitum quippe magìs erat, peregrinam & sensuum illecebris adversantem legem, fidémque totius generis humani odio ac suppliciis expositam multorum inserere cordibus, quàm vi armorum pluribus subditis jugum imponere. Fremebat nimirum Tyrannorum rabies; quin Ecclesia cederet, erátque inter terrores mortis communis illa Christianorum pugilum vox: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos ... plures efficimur, quoties metimur à vobis*; *Semen est sanguis Christianorum* (a).

(a) Tertull. in Apolog. c. 5.

2. Persecutionum ejusmodi causas, ex quibus Martyres immolabantur, sequentes fuêre: *Prima* radix extitit carnificinarum, quòd utì omnis, sic maximè Christiana Veritas odium pareret (b). *Secundò* morum integritas lasciviam Ethnicorum offendebat, quos dæmon vel ex eo magìs efferabat, quòd suggereret cunctis, nefas esse à pristinis ritibus deficere (c) *tertia* & præcipua post Religionem causa ex calumniis profluxit; qui enim Christiani nomine veniebat, hoc ipso sceleratus audiebat (d), unde absque omni in doctrinam indagine ad cruciatus damnabatur: multi verò, ne sine crimine innocentes perdere viderentur; in Christianos illa vitia traducebant, scilicet Thyestæas epulas, & Oedipeos concubitus, qui ementitis Christianis, aut hæreticis duntaxat proprii erant. Nec defuêre, qui calamitates orbis Christianorum flagitiis tribuerent: si Tiberis ascendebat ad mœnia, si Nilus non ascendebat in arva, si cœlum stetit; si terra movit, si fames, si lues, statim Christiani ad leones raptabantur (e). *Quarta* causa Gentiles etiam non parùm commovit, quòd Christiani per Privatos Imperatorum Genios jurare renuerent, improbarent superstitiosa sacrificia, & ludos publicos, pro victoriis adversùs hostes relatis aut in Imperatorum diebus natalibus institui solitos; quæ quidem ità à Genti-

(b) Tertull. Apol. c. 7.

(c) Clemens adm. p. 57.

(d) Justin. Apol. I. p. 51.

Causæ persecutionum.

(e) Tertull. Apol. c. 40.

Gentilibus accepta ſunt, ac ſi communi & Imperatorum ſaluti inviderent. Atque hæ quidem cauſæ erant publicarum perſecutionum; fuêre & aliæ, ex quibus populares perſecutiones contra Chriſti gegem crebriùs fervebant: nempe privata odia, & avaritia Magiſtratuum, Sacerdotum & Magorum zelus & invidia &c. (f).

(f) Ruinart. in Præf. in ActaMartyr.

3. Tot de cauſis in rabiem ſummam adacti Ethnici in Chriſtianos furebant eum in modum (ut verbis Phileæ Epiſcopi utar) *quaſi non amplius homines eſſent.* Baronius, aliique ſacri ſcriptores nobis inſtrumenta quædam deſcripsêre; unde conjicias, quibus cruciatibus Martyres enecti fuerint. I. De Antipa, aliiſque legitur, quod in *bovem candentem* miſſi fuerint (g). Erat hoc ſupplicii genus à Perillo inventum, & ejus cruciatu primò comprobatum ſub Phalaride Tyranno Agrigentino, nunc reſuſcitatum ad Chriſtianos torquendos; II. Extendebantur *in Cataſta*; erat hæc machina longæ, ac magnæ compedis formam habens, quâ ſervi detenti venales exponebantur (h), vel fuit cataſta equulei vice (i) vel ſuggeſtus è lignis compactus, in quem elevabantur Martyres cruciandi (k), aut crates ferrea ad comburendum parata (l) III. damnabantur ad *beſtias*, quia ejuſmodi ſupplicium vilioribus maximè Perſonis irrogabatur (m), quales Chriſtianos eſſe Ethnici putabant. IV. Damnabantur ad *metalla* & ad *ludos*, illi gravioribus onerati vinculis ad fodiendam arenam, ad lapidicinas, & alia opera publica quandoque urgebantur (n): hi inter gladiatores, comœdos & turpia inter ſpectacula compingebantur, quæ vel ſpectare tantùm, Chriſtianis erat interdictum (o). V. Alii in *ollam ferventem* protrudebantur, quod tormentum ità deſcribit Joſephus (p): ollæ æneæ carnificum manibus imponitur, prælo gyrato ſanctum caput ad pedes propellitur; ſicque corpore deorſum redacto, pugil in olla miſerrimè deliteſcit. VI. Alii inſuebantur *culeo*, quod genus mortis Parricidis olim dictatum, ſubinde abrogatum (q), Chriſtiani recentiùs ſubire coacti ſunt; dum ſacco ex corio unà cum cane, gallo, ſerpente & ſimia includebantur: præter hunc Culeum, erat & alius *ligneus*, ſic dicta navis exarmata, in quam Chriſtiani impoſiti maris fluctibus committebantur. VII. Non minùs horrificus cruciatus erat *Cyphoniſmus* à Cyphone (ἀπὸ τῦ κύφειν) dictus, ſive à vinculo ligneo ſive ferreo, quo quis ad ignominiam ligatus detinebatur melle delibutus, muſcíſque expoſitus (r). Cyphoniſmo accedebat *Scaphiſmus* (s); quando damnatus inter duas ſcaphas includebatur; prominentibus manibus, capite, ac pedibus tantùm ad volatilium morſus: cúmque in eodem Vaſe corporis fæces exonerare cogeretur, vermibus ex putredine exortis infelix depaſcebatur. Interdum etiam in pellibus, vel exenteratis animalibus coarctabantur; ut pari fœtore perirent. VIII. *Ignis ſupplicium* plerúmque poſt multos cruciatus poſtremum erat; quia Chriſtianos Magicis artibus infames credebant. Pro Magis autem pœna ignis ſtatuta fuerat (t). IX. *Plumbatis* ſive flagellis ex funiculis cædeban-

§. IV. *Inſtrumenta Martyriorum.*

(g) Baron. ad 11. April. in Martyr.

(h) Plin. lib. 35. c. ult.

(i) Salvian. de rect. judic. l. 3.

(k) Prudent. hym. 10. in Rom. M.

(l) Idem in Laur. h. 2.

(m) 3. ff. ad Leg. Cornel. de ſicariis.

(n) L. aut damnum ff. de pœnis inter damn. ad Metall.

(o) Cyprian. de ſpect.

(p) Joſeph. lib. de Mach. ad Polyb.

(q) J. C. Paulus lib. 5. ſent. Tit. 24. ad leg. Pompon.

(r) Cæl. Rodig. antiq. lect. lib. 10. c. 5.

(s) Eunap. Sardian. in V. Phil. p. 113.

(t) Paulus lib. 5. ſentent. tit. 23.

(u) L. 2. de quæst. Cod. Theodos.

debantur viles homines (u); ad mortem tamen cædere nefas erat, sed legis hæc restrictio adversùs Christianos observata non est. X. *Gladio* plurimi interfecti sunt, licèt anteà à flammis, & bestiis illæsi: scilicet ut immediatè per malitiam hominum potiùs; quàm per rationis expertes creaturas; ac vel inde proximè per authorem naturæ perempti Martyres viderentur.

Teterrimi Carceres.

4. A morti addictis Martyribus ad captivos pro fide confessores descendimus: horum quantus squalor fuerit, ex Carceribus intelligimus, quorum nomina adhuc extant: *Custodia Mamertini* carcer nobilitatus vinculis SS. Petri & Pauli; fuit autem profundissimus, ac teterrimus atque fœdissimus: *Tullianus* dictus à Tullio Rege (x). *Latomiæ Syracusanæ*: *Barathrum* Athenis, ubi uncini erant infernè, atque supernè dispositi (y): Carcer Cyzicenus, dictus *profundum maris*, de quo Paulus 2. ad Corinthios 11. scribit: nocte & die in profundo maris fui (z): demùm *Ancon* Carthagine obscurissimus carcer (a) &c.

(x) Vide Baron. in Martyrolog. ad 14. Martii.
(y) Suidas.
(z) Beda ex Theodoro.
(a) Suidas.

5. Hæc quantacunque tormenta majorem semper numerum Martyrum peperêre: dum enim pauci primùm internis Christi auxiliis, aut externis signis confortati, aut Episcoporum verbis, ac exemplis incitati, aut æterno gloriæ pondere invitati cruciatus læti & ferè sine sensu tolerabant; plures Gentiles ad fidem, simúlque ad eandem arenam subeundam impellebantur, præsertim quòd viderent, Martyres subitò à vulneribus sanatos, voces audirent cælitus emissas, contuerentur bestias mansuefactas; unde innumerabilis Martyrum copia evasit. Hæc etsi probatæ fidei semper ab omnibus habita sint; unus tamen postremâ hac ætate Henricus Dodwellus (b) anno 1684. Oxonii in vulgus spargere ausus est: paucos admodum Martyres in primævis persecutionibus passos fuisse; tantámque SS. Martyrum turbam nullâ aliâ, quàm fabulatorum, aut Monachorum, ut ait, otiosorum auctoritate fulciri.

Dodwelli error de paucitate Martyrum.

(b) In Dissert. XI. Cyprianica de paucitate Martyrum.

6. Antequàm hominis commentum confutemus; propiùs mens ejus, ac rationum momenta inspicienda sunt. Primò igitur ait: Si tot fuissent Martyres, quot vulgò memorantur, vix fieri potuisset, ut eorum nomina exciderint. Cùm enim eorum commemoratio annua fieret; omnes per ordinem (utì celebrari debebant) in fastis descriptos fuisse consequens est. Imò tam seduli erant Primævi Christiani in Martyrum actis, ut nec puerorum oblivifcerentur, mitteréntque etiam literas ad aliarum Provinciarum Ecclesias, ut de suis Martyribus facerent certiores: his accedunt Kalendaria pervetusta: Bucherianum in quarto sæculo sub Liberio PP. conditum, & Carthaginiense in sæculo quinto concinnatum, quæ de paucitate Martyrum satis testantur. II. Dodwellus ad Patres provocat, eorúmque homilias perpaucas, quæ Martyrum numerum exiguum videntur exprimere. Inter Scriptores Eusebius (c) Prudentius (d), & Origenes (e) apertiùs confirmant paucos pro Christi fide mortem

Ejus vanæ rationes.

(c) Lib. de Martyr. Palæstin.
(d) In lib. περὶ στεφάνων.
(e) Lib. 3. contra Celsum.

mortem obiisse; III. Ante Diocletianum, si Tertulliano credimus (g), pauci extitère Persecutores, quin ii, qui sub Tyrannorum nomine veniunt; aversi à Christianis adeò non fuêre, ut potiùs benefecerint: IV. Reperiri immensas auxeses Martyrum, utpote in sociabus S. Ursulæ & aliis collectionibus; denique V. audacter asserit Martyrum Catalogis irrepsisse multos hæreticos &c.

(g) Tertull. in Apolog. Melito in Apolog. Lactant. L. de mortibus Persecut.

Confutatio Dodvvellianarum rationum.

7. Hæc latiùs à Dodwello deducta, quia in brevem summam à nobis contracta sunt; breviter nunc quoque nostra reponemus. Ad *Primum* itaque respondetur: Acta præprimis Martyrum ab Ethnicis Magistratibus esse conscripta, quâ ratione autem judex unius Provinciæ numerum Martyrum in cæteris Provinciis consignare potuit, quos utique nescivit? imò nequidem is Martyres per suam Provinciam computare valebat, aut eorum annotare nomina; præsertim cùm plurimi furore populi promiscuè trucidarentur. Idem esto judicium de Notariis Christianis, qui nomina Martyrum ex Ethnicorum Actis plerumque descripsêre: itaque si Dodwellus Kalendarium ejusmodi proferret, in quo universorum & non unius Provinciæ Martyrum nomina signata fuissent; evinceret aliquid: at Bucherianum, in quo maximè triumphat, non est ejusmodi; nam singulæ Ecclesiæ (h) suum sibi proprium, & ab aliis diversum Kalendarium habuerunt (quale est illud Romanum à Bucherio editum), cui paucissimi ex alienis Ecclesiis, etiam vicinioribus, Martyres inscripti erant. Præterea Kalendaria dicta multos quoque omisêre Martyres, qui in propria urbe, aut Provincia passi fuerant: denique ex istis Kalendariis, quæ supersunt, aliquot Martyres (aliàs ex probis monumentis ignoti) innotescunt, adeóque colligitur, multò plures nobis manifestandos fuisse; siquidem singularum Ecclesiarum Kalendaria adhuc præ oculis essent, quæ unà cum cæteris Religionis nostræ Codicibus, Diocletiani jussu, cremata sunt.

(h) Ruinart. in Præf. generali in Acta Martyr. §. 2. n. 16. 17. 18. 19.

8. Ad *secundum* ℞. frustra Dodwellum confugere ad homilias Patrum, quasi verò nullum Martyris festum sine homilia fuisset celebratum: contrarium constat de Eugenia, de Tecla, de Sixto Episcopo, aliísque, pro quibus celeberrimis Martyribus nulla homilia apud Patres occurrit (i). De Eusebio Dodwellus ipse fatetur, quod Occidentales Martyres non scripsêrit, nec Prudentius Orientem multùm curavit. Neque est, cur ex Origene patrocinium arcessatur: scribit ille equidem (k): *paucos per intervalla temporum & facilè numerabiles pro Christiana Religione mortuos fuisse.* Sed his verbis id duntaxat ostendebat Origenes, Persecutiones adversùs Christianos concitatas ità acerbas non fuisse, ut penitus Christiani deleri potuissent, paucósque revera passos fuisse, si cum iis compararentur, qui superstites fuerant; ut ex contextu patet. Cæterùm antiquior Irenæus (l) apertè multitudinem Martyrum tuetur, dum ait: *Ecclesia in omni loco, ob eam, quam habet dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem*: clarissimè S. Cyprianus (m) *numerari non possunt Martyres*

(i) Idem n. 20.

(k) Lib. 3. contra Celsum.

(l) Lib. 4. adv. hæreses c. 64.

(m) De exhort. MM. c. 11.

tyres Christiani, quod si tantus ostenditur, & probatur Martyrum numerus nemo difficile, vel arduum putet esse, Martyrem fieri: quando videt Christianorum Martyrum populum non posse numerari.

9. *Ad tertium* ℞. Quorundam Cæsarum clementiam multitudini Martyrum detrahere nihil: Quantumvis enim paucorum indoles non sitiret sanguinem, adeóque à novis contra Christianos edictis quidam abstinerent; Legis tamen præscriptum inviolatum Principibus manebat, quo peregrina quælibet Religio vetabatur (n): unde cùm Christiani censerentur non tantùm novam inducere Religionem, sed & Romanas superstitiones ridere; acquiescentibus etiam Imperatoribus, Præsides & Proconsules & populus furere pergebant: fuerit sanè Nerva, qui exiguo tempore tumultum stiterit: Trajanus, qui ad Plinii preces ferrum cohibuerit, aut Aurelius per moram quandam faverit: quanto contrà tempore, & quot coronatæ belluæ rescriptis publicis lanienam accenderunt. De his nos jam partim egimus, & in tertio sæculo porrò acturi sumus. Consulatur etiam hìc Ruinartus (o), qui singulorum Cæsarum persecutiones evolvit, numerúmque Martyrum emetitur, à tempore Neronis usque ad tempora Galeriorum Maximini & Maximiani.

(n) Cicero lib. 2. de LL.

(o) Ruinart. §. 3. Præf. Gener. à pag. 31. ad pag. 68.

10. *Ad quartum* ℞. Brietium, aliósque fateri, quod in undecies milleno numero Sociarum S. Ursulæ, & in historia quædam incredibilia narrentur, nec satìs cohærentia, de quibus aliàs; nihilominus inde substantiam evertere velle temerarium foret. Præsertim cùm oculis obversentur tot earundem Virginum Lypsana, miraculis etiam comprobata: latiùs de his agit Gelenius (p): Aubertus Miræus (q) observat numerum Virginalis sodalitii non satìs compertum esse, sed quia in immensum accreverat; certus pro incerto numero vulgari appellatione signatus est scilicet undecim millium: similiter incredibilis Martyrum congeries profertur à Lactantio Firminiano, qui dicuntur combusti Nicomediæ jubente Diocletiano (r). Sed is ipse author rei fidem conciliat, dum ait: *Nicomediæ comprehensi Presbyteri, ac Ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati cum omnibus suis adducebantur. Omnis sexûs, ac ætatis homines ad conflagrationem rapti, nec singulis (quoniam tanta erat multitudo) sed Gregatim circumdati, igne ambiebantur domestici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur, nec minùs in cæterum populum persecutio violenter increbuit.* Demum si etiam ex errore librariorum Martyrologiis transcriptis error adhæsisset; ac vel inde millenus fortè numerus quandoque deberet demi; quantillùm hæc correctio minueret innumerabiles reliquorum Martyrum copias?

(p) Gelenius in Colon. Agripp.

(q) Miræus in Disquisit.

(r) Lact. Firm. Posth. lim. c. 15.

11. *Ad quintum* ℞. Calumniam Ecclesiæ impingi, dum dicitur hæreticos pro Martyribus haberi: hujusmodi calumniæ convicit Samuelem Basnagium Josephus Augustinus Orsi (s): postquàm ille falsò criminatus fuisset, SS. Felicitatem & Perpetuam, sociásque è Montanistarum grege extitisse.

(s) In Dissert. Apolog. Florent. a. 1728.

titisse. Ammianus Marcellinus Ethnicus turpiter quoque hallucinatus est scribendo, homines quâcunque ex causa ad necem raptos Martyribus accenseri. Non minùs impegit Phocas Imperator, qui milites in bello ab infidelibus occisos Martyrum albo inferre conabatur; sed ex Canone 13. S. Basilii facilè repulsus est. Postremùm licèt è nationis unius aut privatæ Ecclesiæ calculo aut usu error quidam fieret; non ideò Martyrum numerus magnoperè augebitur, neque Ecclesiæ infallibilis authoritati decedet quidquam, quæ ad abusus omnes prohibendos sat præceptorum, sat cautelarum dedit.

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 10. pag. 409.

De ortu, progressu, & interitu Millenariorum.

Origo Millenariorum.

1. INter cætera Judæorum deliria hoc quoque fuit, quòd Messiam in temporali Davidis solio aliquando regnaturum exspectarent; qui simul cum gloria & multo apparatu Hierosolymam terrestrem esset restauraturus. Papias Hierapolitanus Episcopus & Joannis Evangelistæ discipulus his fabulis plus æquo indulgens (a), admisit animas justorum cum Agno spatio mille annorum priùs in terris: deinde in cœlis regnaturas, quod ex Apocalypsi stabiliebat (b); ubi de regno millenario SS. cum Agno quædam fit mentio. Hanc opinionem non tantùm amplexi sunt diversi hæretici, utpote Cerinthiani, Marcionitæ, Montanistæ, & Meletiani (c), sed & Ecclesiæ Patres, inter quos primus *Irenæus*: hic siquidem docuit, quòd post adventum Antichristi, & ruinam ejus asseclarum sit futura prima resurrectio Justorum (d), quódque Jesus Christus tunc de cœlo in sua gloria sit descensurus; ut Solymam & templum destructum restituat: animas Justorum longo tempore antè judicium (quod millenario exprimitur) felicitate quâdam cum Christo fruituras, post judicium verò & universalem resurrectionem introducendas ad regnum, & postquàm conjunctæ animæ essent corporibus, visione Dei donandas. In medio tertii sæculi *Nepos* Episcopus Ægypti eandem opinionem propugnavit libro toto, quem inscripsit *confutationem Allegoristarum* (e). Volumen cùm vagaretur per totam Arsinoen; Dionysius Alexandrinus se opposuit, errantésque multos scriptis duobus contra Chiliastas libris reduxit; Lactantius erroneæ opinioni pariter subscripsit, & latiùs calamo explicavit (f).

2. Errorem ejusmodi mitiùs ferendum fuisse, ajebat olim Augustinus (g); si Chiliastæ omnes credidissent, sanctos resuscitatos frui spiritualibus duntaxat gaudiis cum Christo, ut prædicti senserunt. At malè opinantium sensa eò jam propellebantur, ut beatitudinem sensualem pro suo ingenio excogitarent: adstruebántque post resurrectionem carnis humanæ regnum

(a) Hieron. in Ezech. c. 38. Euseb. lib. 3. c. 39.
(b) Apoc. 20.
(c) Euseb. lib. 3. c. 28.
(d) Irenæus lib. 5. c. 36.
(e) Euseb. lib. 7. c. 24.
(f) Hieron. in Ezech. c. 36. Lactant. lib. 7. c. 24.
(g) August. de C. D. l. 20, c. 7.

Hæreticorum carnalis opinio. regnum Chriſti terreſtre futurum, & Hieroſolymis homines carnis cupiditatibus & voluptatum illecebris ſervituros (h). Nullum niſi hæreticum Cerinthum & animales alios homines iſta ſententia rapuit. Hinc ad priorem errorem eorum, qui delicias tantùm ſpirituales aſſerebant, reflectendus ſermo eſt, eoquòd iſte diutiùs ſe rationibus quibusdam tueri viſus eſt.

(h) Natalis Alexander Sæc. I. hiſt. Eccl. a. 5.

3. Ac primò exemplum Papiæ multùm valuit, ut qui vir probus, & ſanctus habebatur, piéque credebatur hunc S. Joannis diſcipulum in hoc puncto non errare; præſertim cùm ipſe Joannes regnum mille annorum pro animabus Sanctorum Agno Dei Duce ſtabilire videatur (i): *& vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium JEſu .... & vicerunt & regnaverunt cum Chriſte mille annis: cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus, & Sanctus, qui habet in reſurrectione prima .... & cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog. & congregabit eos in prælium .... & deſcendit ignis de cælo à Deo, & devoravit eos .... & vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum .... & vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui &c.* ex his volunt eruere millenarium Chriſti regnum, judicium univerſale antecedere. II. ut non tantùm à verbo ſcripto, ſed & tradito ſententia pateat; ingentem ſummam Doctorum congerunt, ex quorum calamo & ore hanc poſteris traditam doctrinam confirmant: itaque appellant Juſtinum Martyrem (k), Irenæum (l), Tertullianum (m), Lactantium (n), Severum Sulpitium (o). III. Ac ne in antiquioribus hæreant, ad propiora tempora hanc opinionem deducentes, eam S. Bernardo adſcribunt: is quippe (p) de ſtatu piorum poſt mortem verba faciens ait: *jam verò conſummato militiæ tempore, gaudium habent Sancti, etiam in ſpiritu ſuo, donec adveniat dies illa, quâ introire mereantur in gaudium Domini ſui: interim quippe ſub altari eos eſſe, & non ſuprà &c.* & alibi (q) *jam multi ex nobis in atriis ſtant, exſpectantes, donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum; in illam enim beatiſſimam domum, non ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt nec Sancti ſine plebe, nec Spiritus ſine carne; neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer, cui datur; nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam.* IV. in decimo quarto ſæculo in eandem ſententiam propenſus fuit Joannes XXII. (r).

(i) Apoc. 20.

Argumenta pro millenario Regno JEſu Chriſti.

(k) Juſtin. in Dialog. cum Tryph.
(l) Iren. lib. 5. adv. hæreſ. c. 31.
(m) Tertull. l. de orat. c. 5.
(n) Lactant. lib. 7. Inſtit. c. 24.
(o) Sev. Sulpit. in Dial.
(p) Bernard. ſerm. 2. in feſto OO.SS.
(q) Idem ſerm. 3.
(r) Joannes Villanus lib. 10. hiſt. c. ult.

4. Hæc argumenta utcunque ſuſtinuerint opinionis durationem; ultimis tamen temporibus penitùs proſtrata eſt, poſtquàm rationes meliores inveſtigatæ: & Eccleſiæ definitio rem clariùs enuntiavit. Nam I. apud Euſebium deprehenſum eſt, Papiam fuiſſe ingenio admodùm imbecilli, & in aliis quoque ſæpiùs impegiſſe. Præterea apertiora Scripturæ teſtimonia contrarium confirmant: ut cùm dicit Chriſtus: *Regnum meum*

meum non est de hoc mundo (s). Vel *regni ejus non erit finis* (t) latroni promittebatur: *hodie mecum eris in paradiso* (u) & Paulus: *Non accessistis ad montem Sion .... sed ad Sion montem, & Jerusalem cœlestem, & multorum millium frequentiam, & Ecclesiam Primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & Spiritus Justorum perfectorum.* Non igitur (teste Anselmo) in terris regnum aliquod Christi erit, aut fine mille annorum circumscriptum; aut post mortem Justorum differendum. Et ipse joannes animas, non in terris, sed in cœlis vidit, dum ait (y): *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, ... ideò sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Ut verò expositio Apocalyptici textûs suprà citati melior afferatur; ex Antonio Boucat eam huc transcribimus (z): " Animæ decollatorum sunt animæ justorum in pace Christi defunctorum, qua de causa regnant in cœlis cum Christo, & hoc mille annorum spatio, id est usque ad resurrectionem generalem; tempus enim finitum ibi pro indefinito sumitur, quæ loquendi ratio in scripturis frequens est. Cæteri verò mortui, id est reprobi, ex omni parte mortui censentur: & quia eorum animæ sunt à corpore solutæ, & quia à Deo sunt perpetuò separatæ in inferno; iterum tamen vivent vitâ naturali, conjungendæ corpori in resurrectione judicii. Gloria, quam justi in exitu, sive mundi sive purgatorii recipiunt, est vera; siquidem à B. Joanne conclamantur beati, maximè verò, quia mors secunda, videlicet infernus, non habet potestatem in eos: ista gloria utique dicitur resurrectio prima, in quantum anima justi transit à statu miseriæ ad æternam felicitatem: resurrectio verò secunda est gloria tum animæ, tum corporis; quæ post resurrectionem & judicium ità completa erit. "

(s) Joann. c. 8.
(t) Lucæ c. 1.
(u) Lucæ c. 23.
(x) Hebr. 12.
(y) Apoc. 7. v. 9.
(z) Tract. II. Dogmatic. Dissert. 4. p. 244.

Confutatio Chiliasticarum rationum.

5. Ad II. ℞. Traditio, asserente Tertulliano, desumitur ex eo, quod antiquius est (a), enim verò dicit, id esse Dominicum, & verum, quod est priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Prætereà requiritur, ut traditio sit universaliter recepta, & ut Ecclesia non refragetur. Hæc omnia non inveniuntur in traditione Papiæ, paucorúmque Patrum; nam his coævi Patres contrarium docuêre, utpote Hermas, qui scripsit (b): Justos è vita migrantes, si nihil expiandum habeant, statim coronari in cœlis. Eadem habent Clemens Romanus & Polycarpus (c), & Athenagoras (d): in tertio sæculo apertissimè S. Cyprianus (e) *Quis non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta ad præmia divina perveniat .... clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum .... occiso mundus eripitur, sed restituto Paradisus exhibetur .... Quanta est dignitas, & quanta securitas .... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus; & aperire eosdem statim, ut Deus videatur, & Christus!*

(a) Lib. de præscript. HH. c. 31.
(b) Lib. 3. simil. 8.
(c) Euseb. lib. 3.
(d) In Apol. 36.
(e) Lib. de exhort. Martyr. c. ult.

6. Ad III. ℞. Bernardus frustra in partes Millenariorum trahitur, cùm ejus mens ex iisdem locis, unde argumenta petuntur, satis eluceat. Sermo-

ne quippe ſecundo n. 8. ait: *Ad requiem exutæ à corporibus animæ ſanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam Regni, non ità*: vult itaque S. Doctor animas SS. perfectâ & conſummatâ beatitudine donandas non eſſe, niſi poſt corporum reſurrectionem.

7. Ad IV. ℟. Joannes XXII. ex cathedra definiit nihil, nihílque fidelibus credendum propoſuit: ſolùm ut privatus Doctor loquebatur in hac materia, ne quidem affirmando, ſed per modum privatæ interlocutionis inſinuando (f): morti verò proximus germanum veritatis (nondum definitæ) ſenſum authenticè expreſſit, veritus; ne aut ſiniſtra ſententia ejus nomini fieret aliquando injurioſa, aut ne eam definitivo modo docuiſſe putaretur (h). Quamprimùm verò Benedictus XII. ſucceſſit; promulgatâ conſtitutione (i) pronunciavit, animas Juſtorum, ſimul atque à corpore abjunctæ ſunt, ſi nihil purgatorii igne expiandum ſuperſit, ad optatiſſimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, deferri; quod poſteà Synodus Florentina ſeſſ. ult. & Tridentina ſeſſ. 25. confirmârunt. Inde tamen ne inferas primos Patres quoſdam hæreticos fuiſſe, nam cùm hæc quæſtio nondum ultimo Eccleſiæ judicio definita eſſet; hæreſeos incuſari non debent, quicunque ſine pertinacia eam propugnabant: hæreſis quippe naſcitur ex pertinacia, quâ error ab Eccleſia proſcriptus defenditur, ùt innuit Auguſtinus (k) *qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt: quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.*

(f) Villanus lib. 10. hiſt. c. ult.

(h) Raynald. ad A. 1334. n. 37.

(i) Benedictus Deus 4. §. 3.

(k) Epiſt. 43. aliàs 162. c. 1. n. 1.

REFLEXIO III. ad §. 3. num. 6. pag. 419.

De Arcani diſciplina.

1. SAcra fidei myſteria etſi ad ſalutem omnium à Chriſto Servatore expoſita ſint; fuit tamen aliquando tempus, quo meritò nefas habebatur has margaritas ante porcos mittere, ſive ſuperſtitioſis Gentilibus revelare. Nempe ut Conchæ certis intervallis ſeſe ſponte aperiunt ad gemmas oſtentandas, aut ſubinde claudunt, ad theſauros, quos complectuntur, aſpicientium luci ſubtrahendos; ita primis ſæculis fidelium ora, aut calami præcipuos Religionis articulos vel proferebant ultrò, aut altiùs diſſimulabant, prout occaſio, locúſque depoſceret. In mediis equidem orthodoxorum cœtibus citra ullam myſteriorum reticentiam explicabantur cuncta, quæ ad Trinitatem, & Sacramenta pertinebant; verùm hæc ipſa coram Catechumenis, Judæis, atque Gentilibus abſcondebantur.

(a) Matth. 7.

Cur Reticentia Myſteriorum apud Chriſtianos?

Origo hujus Arcani.

2. Atque hæc Arcani diſciplina non humano ingenio concepta, neque ex hominis imperio dictata eſt: quâ ratione Philoſophis duntaxat profanis

profanis olim vetitum legimus, rerum suarum sensa aliis promiscuè manifestare: De Pythagoræis quippe Jamblichus memorat (b) *cum externis & ut ità dicam, profanis, si quando usus foret, congrediendum esse, nequaquam sua Sacramenta enuntiabant; sed per symbola, & arcanas tesseras obscurè latenter sibi mutuò sensa mentis velut ænigmatibus significabant.* At Albertinus (c) sacræ apud Christianos reticentiæ meliorem profert originem, dum hanc ab Apostolica traditione veluti per canalem deducit: neque enim communis ille Ecclesiarum in servando arcano consensus ex decreto alicujus privati Doctoris, aut Concilii ortum duxit; neque tempus ostenditur, quo hæc disciplina generalis sumpserit initium: igitur juxta D. Augustini regulam hæc una est ex iis, quæ ad Apostolicas traditiones referatur necesse est. Et profectò sacra Christi Evangelia scrutanti non difficile erit deprehendere fontem, unde Apostoli hoc disciplinæ genus desumpserint: Præceperat nimirum Servator apud Matthæum c. 7. *non esse dandum sanctum canibus, nec margaritas projiciendas esse ante porcos* (d).

(b) Lib. 2. de Vita Pythagoræ c. 28.

(c) Lib. 2. Disq. de Retic. Myst.

(d) Matth. 7.

3. Margarita ejusmodi pretiosissima Religionis erat, præcipuus de SS. Trinitate articulus: de quo Chrysostomus (e) ait: *Non audeo propter eos, qui non sunt initiati, ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogunt, vel non apertè dicere, aut eis arcana enuntiare, sed tamen dicam, quoad ejus à me fieri poterit, tectè & adumbratè.* Idem in suis scriptis aliis, per loca quinquaginta notatus est hanc formulam repetiisse: *nôrunt initiati, quod dicitur,* ùt advertit Casaubonus (f). S. Cyrillus Hierosolymitanus agens de mysteriis symbolo contentis ait: Hæc mysteria, Sacramentáque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit; nec moris est Gentilibus exponere. Non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, neque palàm apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpè loquimur occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, non lædantur. Ex eadem ratione Illiberitani Patres in synodi canone 37. statuerunt, *placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur; in parietibus depingatur.* Bellarminus (g) ostendit hunc canonem spectare imagines SS. Trinitatis, ut quæ propriè colitur & adoratur: quare autem in usu non fuerint olim imagines SS. Trinitatis, erat in causa partim disciplina Arcani, tum (h) ne Deum, quem Gentilibus & Catechumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, corporis & materiæ expertem prædicarent, eum ipsi Gentiles & Catechumeni in ipsorum Ecclesiis, coloribus, lineísque circumscriptum cernerent.

(e) Hom. 40. in 1. ad Corinth. Ep.

Mysterium Trinitatis celari solitum.

(f) Exercit. 16. in Baron.

(g) Lib. 2. de Imag. SS.

(h) Albaspineus in Comment. ad Canon 37. Illiber.

4. Margarita altera, vel in una plures erant septem Sacramenta, eorúmque ritus; quæ cuncta pari & prudenti silentio fideles coram Gentilibus & Catechumenis dissimulabant. Unde Augustinus (i) *Catechumenis Sacramenta fidelium non producuntur*, & alibi de Eucharistia loquitur: *Nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani.* Similiter Chrysostomus (k) Euchari-

(i) August. Tract. 96. in Joannem.

Ritus & dogmata Sacramentorum olim occultata.

(k) Chrysost. hom. 27. in Matth.

Euchariſtiæ myſterium .... *initiati ſolummodò noverunt*. Cyrillus in Catecheſi ad baptizandos: ſciunt initiati vim hujus poculi, ſcietis vos quoque paulò poſt. Julius Primus, ùt habetur apud Athanaſium (l), Euſebianos increpuit, *quòd de ſanguine & corpore Chriſti quæſtionem feciſſent* in præſentia Præfecti, aliorúmque Ethnicorum. Ex quo nunc porrò conſequitur, primâ Eccleſiæ ætate de ſeptem Sacramentorum numero nullos libros editos fuiſſe, cujus ratio minimè illa eſt, quam quidam Novatores comminiſcuntur; quaſi ideò Patres id ſcribere neglexiſſent, quod numerum ſeptemplicem ſemper reſpuiſſent: at ſi hoc aſſertum teneret, & niſi à Patribus primævis id acceptum eſſet; ut quid Orientales Schiſmatici cum orthodoxisLatinis in eundem Sacramentorum ſeptenarium ſemper ab octingentis annis conſenſiſſent? meliùs itaque adſtruitur, hanc ſilentii legem ex diſciplina Arcani profectam extitiſſe, cujus quidem obſervantia viguit uſque ad ſextum ſæculum, à quo tempore frequens Sacramentorum memoria tum apud Græcos tum apud Latinos (m) invenitur.

(l) Apol. II.

(m) Pagius Tom. I. Critic. Baron. pag. 120.

Quæ Myſteria à Chriſtianis olim publicata?

5. Diſciplina Arcani, de qua hucuſque diſſeruimus, etſi arcta ſatis eſſet; fuêre tamen quædam myſteria, quæ per eandem licebat Ethnicis communicare: myſteria ejusmodi palàm prædicata erant, Incarnatio, Paſſio & Reſurrectio Dominica, extremum Judicium, & Reſurrectio noſtra: teſtatur hæc Origenes Celſi Philoſophi malleus, nam cùm hic diſciplinæ Arcani gnarus, ex hac ipſa criminandi anſam captaret; Chriſtianos ſcilicet clam, quidquid ipſis liberet, facere vel docere; Origenes hominem Ethnicum ità repreſſit (n): *Quoniam ſæpiùs nominat doctrinam clancularium, coarguendum eſt hoc quoque; quando per totum orbem notior eſt Chriſtianorum prædicatio, quàm Philoſophorum placita. Quis enim JEſum è Virgine natum, crucifixum ignorat? quis reſurrectionem ejus multis creditam, & denuntiationem judicii reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & juſtis præmia? Quia & reſurrectionis futuræ myſterium vulgatum eſt, tametſi videatur ab infidelibus .... quod verò quædam inſunt, quæ non annunciantur quibusvis; id non ſolius doctrinæ Chriſtianæ proprium eſt, verùm etiam Philoſophicæ; nam & illi exteriorem, & peritiorem doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant contenti ipſius authoritate, alii ſecretè diſcebant rationes non evulgandas in profanos, nondúmque purgatos.* Plura de his videri poſſunt apud SCHELSTRATE in Diſſertatione de diſciplina Arcani.

(n) Origenes lib. I. contra Celſum.

Cur Juſtinus in Apologia clariùs diſſerat de Myſteriis?

6. Poſtremùm nunc tangenda ratio eſt, quæ Juſtinum permoverit, ut relaxatâ Arcani lege etiam de Trinitate, ac Sacramentis Chriſtianorum nonnulla ſuæ Apologiæ inſerere præſumpſerit: conſideratis omnibus hæc potiſſima nobis occurrit, quòd cùm Cæſar Chriſtianos infamium arcanorum damnaret; propiùs illi ſpectanda dabat religionis myſteria, ut prudens Princeps dignoſceret ſolus, quàm nil à ratione alienum noſtra Eccleſia contineret. Oſtendendum erat quippe ſævienti Cæſari, longiſſimè disjunctam eſſe doctrinam noſtram ab Epicureorum ſecta, quibus & ſua

arcana

arcana erant (o); abesse etiam procul à Gnosticorum hæreticorum turpi hara, & latrocinio, ut hâc expositione factâ Imperator strictum jam ferrum ab orthodoxorum jugulis retraheret.

(o) Clemens Alex. Stromat. L. 5.

REFLEXIO IV. ad §. 5. num. 5. pag. 433.

An Christus pascha ultimum sive σαυρώσιμον celebrârit lunâ decimâ quartâ?

1. LEgis præscriptum, quo Deus paschatis celebrandi diem olim designaverat, his verbis Moyses evulgavit (a). *Decimâ die mensis bujus* (Nisan, qui partim Martio, partim Aprili respondet) *tollet unusquisque agnum per familias & domos suas .... & servabitis eum usque ad quartam decimam mensis bujus: immolabîtque eum multitudo filiorum Israël.* Et alibi (b): *mense primo, quartâ decimâ die mensis ad Vesperam, Phase Domini est;* quæ quidam Vespera, non illa erat, à qua decima quarta dies ducebat initium: sed ista, in quam eadem luna decima quarta desinebat; id enim palàm fit ex altero Præcepto, quo Deus jusserat (c): *Septem diebus Azyma comedetis .... primo mense, quartâ decimâ mensis ad Vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad Vesperam.* Jam si dies azymorum à præcedente Vespera numerari deberent, non eorum septem, sed plenè octo in Summam venirent. Porrò dies azymorum appellabatur ab Azymo pane, quo Judæi septenis diebus utebantur in memoriam beneficii, quo citissimè ex Ægypto educti fuerant, ut ne quidem ulla ad fermentandum panem mora exeuntibus relicta sit. Prætereà prima & ultima ex diebus illis festi erant, & solemnes, quia, ut in prima die ex servitute progressi sunt; ità in septima die Pharao cum suis mari rubro demersus est (d).

(a) Exodi c. 12.

Lex de paschatis tempore celebrando.

(b) Levit. c. 23.

(c) Exod. c. 12.

(d) Graveson de Myst. V. & Ann. Christi Tom. II. Differt. 19.

2. Eandem legem à novi testamenti Conditore Christo servatam esse multoties, facilè concesserit is; qui novit eundem venisse, non ut tolleret legem, sed ut adimpleret. Utrum verò ultimum, quod inter mortales Pascha exegit, præfixo lunæ decimæ quartæ tempore celebrârit, an verò diem destinatam prævenerit, aut esum Agni Paschalis postremo anno planè omiserit, controversia multorum est.

An Christus, & quo tempore hanc legem impleverit?

3. *Græci*, quò suæ opinioni de usu fermenti liberiùs indulgere valeant; ab anno 1053. cum Michaële Cærulario docent, Christum lunâ decimâ tertiâ (quâ Judæis fermentum adhuc licitum erat) Agnum paschalem manducâsse, & in fermentato pane Eucharistiam instituisse. Argumenta autem quibus nituntur sunt sequentia: *primò* Joannis 13. v. 1. legitur: *Ante diem festum Paschæ sciens JEsus, quoniam venit bora ejus &c. cænâ factâ.* Et cap. 18. v. 28. *Erat autem manè, & ipsi* (Judæi) *non introiërunt*

Sententia Græcorum.

runt in Prætorium, ut non contaminarentur; ſed ut manducarent Paſcha. Et c. 19. v. 14. *Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta &c.* Ergo paſſus eſt lunâ decimâ quartâ, ac vel inde lunâ decimâ tertiâ celebravit paſcha. *Secundò* confirmare nituntur ſequelam ex PP., inter quos Origenes (e) & Epiphanius (f) ajunt: decuiſſe, ut Chriſtus lunâ decimâ quartâ moreretur, ſive tunc, cùm figura, aut Agnus paſchalis â populo immolabatur. *Tertiò* omiſſis cæteris Græcis Euthymio, Nicephoro, quos in cumulum congerunt: S. Chryſoſtomus (g) ait in illa verba, *ut non contaminarentur* ob paſcha ſcilicet, *aut Agnum, quem eo die* (quo mortuus eſt Chriſtus) *comeſturi erant: Chriſtus enim pridiè fecerat paſcha, ut reſervaret cædem ſuam in Paraſceve, quando Paſcha ſecundùm antiquam inſtitutionem celebrandum erat.* Verùm momenta iſta Græcorum non ſunt ejusmodi, ut opinioni conceptæ multum roboris ſuppeditent. Nam ad *primum* ℞. fruſtra unum Evangeliſtam opponi tribus, qui rem clariùs enuntiant; nam S. Matthæus c. 26. inquit: *Primâ die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad JEſum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Lucas c. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, & miſit Petrum, & Joannem dicens: euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus,* ſimilia habet S. Marcus c. 14. *Primo die azymorum, quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli, quò vis, eamus, & paremus tibi, ut manduces paſcha?* facilè itaque Evangeliſtæ conciliabuntur; ſi dicatur, tribus ſacris Scriptoribus propoſitum fuiſſe, ut diem azymorum primam, ſive paſcha metirentur ad normam dierum legalium ſive ſacrorum, qui à veſpera in veſperam deducebantur. S. Joannes verò, dum affirmavit, cœnam peractam eſſe ante diem feſtum Paſchæ; indicat id contigiſſe ante primam diem azymorum naturaliter aut artificialiter ſumptam, computando ſpatium diei à media nocte ad dimidium noctis inſequentis, aut ab aurora ad alteram auroram; Reſponſio hæc eſt S. Thomæ (h). Ad *ſecundum* ℞. haudquaquam opus eſſe ut typus ex amuſſi figurato reſpondeat; ſufficit, quòd Chriſtus in cruce immolatus ſit ſicut Agnus, licèt non eâdem die: aliàs & eâdem horâ debuiſſet in crucem agi ſcilicet ſub veſperam. Præterea in ſacrificio antecedente veſperâ immolatus eſt, incepítque jam tum pati, & mortem ſubire (i). Ad *tertium* ℞. Græcis PP. Latinos opponi poſſe: quamvis & illi bene intelligi poſſint de immolatione in Euchariſtia. Cæterùm non eſt, cur Græci in Chryſoſtomo triumphent; is quippe velut ex compoſito Græcorum opinionem impugnat, dum in Matthæum commentatur: *Prima azymorum erat, quæ ante azyma dicebatur; conſueverant enim ſemper à veſpere numerare diem, & eam commemorat, in cujus veſpere Paſcha erat immolandum. Quintâ enim Sabbati acceſſerunt, & hanc hìc quidem, quæ ante azyma erat, vocat ipſe diem, in qua acceſſerunt;* nempe decimam quartam, quod argumentum ejusmodi putârunt eſſe Apocriſiarii Latini, ut illud Nimpheæ in Concilio Græcis in os oggeſſerint (k).

Confutatio ſententiæ Græcorum.



(e) Orig. Tract. 35. in Matth.
(f) Epiph. hæreſ. 50.
(g) Hom. 82.
(h) In 3. P. Q. 46. a. 9. ad I.
(i) Barradius in Comm. ad Ev.
(k) Harduinus in Act. Concil.

4. Alteram

4. Alteram ſententiam recentiùs invenit Presbyter quidam è Congregatione Oratorii *P. Bernardus Lamy:* cujus conatus omnis in eo verſatur; ut oſtendat Chriſtum eo anno, quo mortem paſſus eſt, paſcha minimè celebrâſſe. Nam cùm juxta ejusdem Authoris calculum Aſtronomicum anno Æ. C. 33. (quo ait Servatorem deceſſiſſe) dies decima quarta lunæ ferià quintà ſub Veſperam modò cœperit, & ſequente die Chriſtus mortem ſubierit crucis; impoſſibile eſſe dicit, ut in ſecundis veſperis lunæ decimæ quartæ eo anno paſcha peregerit, utpote morte præventus: miſſos equidem diſcipulos Principio diei decimæ quartæ, qui paſcha pararent, fermentum vetus expurgarent: ſed quoniam in prima veſpera necdum ex legis præſcripto licebat Agnum immolare; Chriſtus eâ nocte nil fecit, quàm ut cum duodecim Apoſtolis diſcumberet, & Euchariſtiam inſtitueret.

Opinio P. Lamy.

Novitas hujus ſententiæ omnibus diſplicuit, ſi paucos excipias, Nicolaum Toinardum (l), Auguſtinum Calmet (m), & Hieronymum Vechietum (n) quorum poſtremo malè evenit, merces novas ejusmodi proponere in lucem; nam à fidei Quæſitoribus in vincula conjectus audiit, ſententiam hanc, quam venderet, *eſſe contra ſacrarum literarum fidem, contra Eccleſiæ Univerſæ authoritatem, contra SS. Patrum Doctrinam.* Et profectò I. contra fidem eſſe ſcriptura innuit, Diſcipulos non initio diei decimæ quartæ à Chriſto poſtulaſſe, *ubi vis, paremus tibi comedere paſcha?* ſed illâ die (teſtantibus Matthæo, Marco & Luca,) quæ erat *prima azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, quando paſcha immolabant Judæi.* Et ut intelligas non fruſtra id egiſſe diſcipulos, ſubjungitur ſtatim: *Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum; antequàm patiar.* Quid autem comedit Chriſtus in die prima illa Azymorum? niſi paſcha, quod juſſerat præparari per diſcipulos, quódque in ejus domo fieri juſſerat, cui ſimul dici voluit: *ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* & quis Patri Lamy tantum animi addet, ut dicere auſit, uti Chriſtum ſic & Apoſtolos paſchatis celebrationem neglexiſſe? quemadmodum enim Chriſtus morte prohibebatur, ſic Apoſtoli ob Judæorum rabiem die decimâ quartâ convenire non poterant ad Agni paſchalis eſum; ſiquidem decimâ quartâ die, ut vult P Lamy, mortuus eſſet Chriſtus. II. Contra Eccleſiæ Univerſæ authoritatem opinionem hanc pugnare inde eruitur, quia Eccleſia in officio Corporis Chriſti palàm profitetur: *poſt Agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum diſcipulis.* Concilium etiam Tridentinum per ſuos Patres enuntiat, *celebrato veteri paſcha, quod in memoriam exitûs ex Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitûs ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſanguinis ſui effuſionem nos redemit.* Accedit, quòd Latinus ipſe Sacerdos Latinam

Ejus Confutatio.

(l) Toinard. in Harmonia 4. Evang.
(m) Calmet. in Comment. Literali.
(n) Vechiet. de Anno Primitivo.

tinam Ecclesiam non parùm offendat, dum in suo systemate ait, Eucharistiam à Christo institutam exeunte die decimâ tertiâ, & sub initium diei decimæ quartæ: inde enim ultrò Græcis manum porriget, & simul ansam dicendi, Christum in fermentato pane Euchariſtiam instituisse: Judæis siquidem sub initium diei decimæ quartæ necdum fermento vesci interdicebatur. III. Et quoniam P. Lamy suam opinionem Patribus adversari ultrò fatetur; nihil ei remanet, nisi Calculus Astronomicus, qui utì multos, sic & prædictum Authorem decepit: certè Tillemontius, qui pariter admittit, Christum anno Æræ Vulgaris trigesimo tertio mortuum esse; validè tamen Patrem Lamy impugnat in Epistola, quàm Gallicè illi inscripsit, extátque inserta ejus Tomi secundi tertiæ parti sub finem. Nos verò minimè illa difficultas tangit, ut qui Christi passionem anno Æræ Vulgaris vigesimo nono affigimus. Ut videre est in Reflexione tertia ad Caput I. Libri I. Historiæ Ecclesiasticæ.

5. Tertia sententia nunc demum restat, quæ asserit Christum lunâ decimâ quartâ in secundis vesperis ex legis præscripto Agnum paschalem comedisse. Sed hæc in duas denuò opiniones scinditur; nam altera earum licèt doceat, Christum secundas vesperas diei decimæ quartæ pro celebrando paschate consecrâsse; negat tamen Judæos eâdem die simul cum Christo Agnum paschalem immolâsse, ex ea potissimùm ratione, quòd hoc modo Antilogia apparens Evangelistarum conciliari queat. Cùm enim tres eorum primam diem Azymorum pro Christi paschate assignent; Joannes autem apertè dicat c. 18, Judæos noluisse ingredi in Prætorium Pilati, *ne contaminarentur, sed ut comederent pascha*; Authores in varia Systemata sese diffuderunt, ut horum commento ex difficultate se evolverent. Altera verò sententia meliùs probat, diem paschalem utrisque & Christo, & Judæis eandem fuisse. Prioris sententiæ argumenta priùs proferre juvat, ut ex horum dejectione verior opinio tandem erigatur.

Opinio Pezroni, Manduti & Petavii.

6. Ex Recentioribus Primus est, *Paulus Pezronus*, qui Christi pascha, à paschate Judæorum hunc in modum discerni posse arbitratur: quoniam scilicet Hebræis menses Lunares in usu erant; inde factum, ait Author, ut duplex Neomenia apud Judæos haberetur: quarum altera à vera conjunctione Lunæ cum Sole, altera à prima Lunæ Phasi desumebatur. Quid si igitur Christus pascha celebrâsset decimâ quartâ Lunæ ab ipsa conjunctione sive die Jovis, Principes verò Synagogæ decimâ quartâ Lunæ, sive die veneris numerando dies ab apparitione Lunari? *Contra* hoc systema non parum pugnat, quod Christus Hierosolymis pascha manducârit, ubi Senatus Judæorum unam duntaxat diem designabat (o), quâ singuli paschalem Agnum comederent. Quis autem concipiat, Christum se communi decreto opponere, aut Judæis ansam criminandi præbere voluisse? Privatorum namque non erat ex astrorum concursu definire diem;

(o) Maimonides lib. de die festo c. 6. sect. 14.

diem, sed id Magistratui sacro; & publico relinquebatur. Reponit quidem P. *Manduit*: Synedrium eo anno justis de causis pascha transtulisse in Lunam decimam quartam civilem, id est decimam quintam; quia (ut ait) lex vigebat ab ædificatione secundi Templi, ne duo festa sibi continuò succederent; sed ut eorum unum transferretur, ídque ad accelerandas mortuorum sepulturas (p): *Petavius* eandem paschatis translationem ex duplici potissimùm capite urget, quòd in *Badu* hoc est in feria 2. 3. 6. peragere pascha non licuerit, dein quòd Pharisæi errore Cyclorum aut ritibus Pharisaicis ducti, illegitimum phase posterâ die celebrârint.

(p) Manduit in Analysi Dissert. 29.

Confutatio.

Verùm quis Recentioribus ejusmodi Authoribus aperuit, in Sanhedrin aut supremo Senatu Judæorum de translatione paschatis eodem anno actum fuisse? unde legem, aut consuetudinem stabilient, quam gratìs asserunt? cur non pariter septimam diem Azymorum æquè festivam, ac cum Sabbato denuò continuam translatam ajunt? prætereà si translatio festorum tam usitata Judæis fuit; cur Josephus Judæus (q) ex Nicolao Damasceno refert, Antiochum pugnaturum adversùs Parthorum Ducem, duobus diebus in itinere fuisse remoratum, petente id Hyrcano Judæo propter festorum concurrentium celebrationem, quâ durante Religioni erat Judæis movere Castra? demùm si non quibuscunque diebus Paschale festum conveniebat; cur Quartadecimani cum Judæis pascha celebrantes ab Epiphanio perstringuntur, quod pascha peregerint, in quamcunque hebdomadis diem illud incideret? & quare Aben Ezra Rabbinus notat ex Misna, ac Talmudico Codice, Pascha in secundam, quartam, & sextam feriam plerumque cecidisse; quin Kalendarium aliter tunc disponeretur? Neque perturbatus ordo Cyclorum Judæos, Sabbatorum, & festorum superstitiosiores observatores, ità deceperit, ut longiùs à lunari cursu deflexerint: quin si verum est, quod Epiphanius docuit, Judæos ob istum errorem sæpe biduo imò triduo in anticipando paschate aberrâsse; fateri cogetur Petavius Christum magìs, quàm Judæos à vero Paschatis die deflexisse, cùm is juxta ejus opinionem longiùs, ac hi prævenerit, esum Agni Paschalis.

(q) Lib. 13. Antiq. c. 16.

Tot igitur explicandi modi quia minùs sufficiunt, nodum meliore modo se soluturos arbitrantur Harduinus (r) & Guilielmus Langius (s): atque ille quidem existimat, Galilæos & Israëlitas sejunctim à Judæis Pascha Hierosolymis celebrare solitos esse; ità ut festa fuerint geminata, aliúdque esset pascha Galilæorum, aliud Judæorum: & quoniam Christus Galilæos habebat discipulos, quid mirum, si ille Galilæorum antecedens phase celebrârit? Alter è Protestantium Partibus comminiscitur duplicem Sectam *Talmudicorum*, & *Karræorum*: utrósque ait, usos fuisse primâ Lunæ apparitione ad designandas Neomenias, hoc tamen discrimine, quòd *Talmudici*, si Luna die trigesimâ non apparuisset, mensem illum dierum triginta statuerent; sic ut trigesima prima dies fuerit Neomenia mensis

(r) Harduin. in Selectis operibus Amstelodami 1709.

(s) Langius de Annis Christi P. II. c. 6.

Opinio Harduini & Guilielmi Langii.

mensis sequentis: econtrà *Karræi* exspectabant diem trigesimam primam, quâ si Luna conspecta esset, paucis horis ante occasum Solis; dies prior Neomenia fuit: hæc verò dies secunda mensis; unde factum, ut aliquando dies, quæ Karræis fuerat secunda, Talmudicis prima nominaretur. Ex hoc calculo dicit porrò Christum cum Karræis celebrâsse pascha unâ die citiùs: dum Talmudici contrà unâ die seriùs Paschale festum peregerunt. Sed neque ista commenta ullâ antiquitatis authoritate fundata veritatem eruunt; à veritatis quippe specie alienum est, Christum ex Tribu Juda oriundum maluisse se à Judæis sejungere, & Galilæorum morem (inspiciente Hierosolymâ) sequi: & quis Langio revelavit à Christo potiùs Karræorum, quam Talmudicorum partes delectas fuisse? Prætereà gravìs probatio & Harduino, & Langio incumbit, quâ ostendant, duplicis paschatis ejusmodi apud veteres notionem, apud quos certè reperire nihil est, nisi ut omnes Lunâ decimâ quartâ commune omnibus Pascha celebrent. Accedit, quòd Talmudicorum Secta planè recentiora tempora sapiat, quàm ut ad tempora Christi reduci queat.

Confutatio.

7. Manet itaque fixum nobis cum Doctore Angelico, Christum unà cum Judæis, & eâdem die scilicet Lunâ decimâ quartâ Pascha celebrâsse: suffragantur huic sententiæ tres omnino Evangelistæ, qui omnes de uno paschate vulgari, & ex consuetudine celebrando loquuntur; nam Matth. 26. Christus ait: SCITIS *quia post biduum pascha fiet* ... *Primâ die Azymorum venerunt discipuli, interrogantes ubi vis, paremus tibi comedere Pascha*? non de tempore, quod omnibus notum erat, & cujus necessitas tunc urgebat; sed de loco solliciti erant discipuli, ubi Pascha pararent. Et Luc. 22. Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha: per quæ omnia unum nonnisi pascha & ab omnibus post biduum celebrandum innuitur. Solus igitur restat S. Joannes, qui triplici textu velut totidem argumentis nobis adversari videtur, ac *Primò* quidem c. 18. ait: *Erat autem manè, & ipsi* (Judæi) *non introiërunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, hunc unum locum sufficere putabat Casaubonus (t), ut quis asserat alia die Servatorem, aliâ Judæos pascha peregisse. *Secundò* c. 19. idem Evangelista pergit: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Si præparationis dies duntaxat agebatur ad commune pascha, cum Christus moreretur, quis dicet, à Judæis pridiè jam pascha cum Christo celebratum fuisse? *Tertiò* subdit S. Joannes: *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce Corpora Sabbato (erat enim Magnus ille dies Sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* De magno Sabbati die hìc fit mentio, unde autem magnitudo, ac solennior celebritas Sabbati existet, nisi quia eo anno in Sabbatum pascha incidit, & mortuo jam Christo à Judæis peragi cœpit?

Sententia nostra probatur.

(t) Exercit. 16. in Ann. Baron. n. 34.

8. Argu-

8. Argumenta ejusmodi etsi è S. Joanne velut contraria nobis adducantur; re tamen accuratiùs consideratâ patebit, etiam quartum Evangelistam nostræ opinioni suffragari. Atque ut ex ordine textûs eum conciliemus; nemini ignotum esse supponimus *primò* Pascha non Agnum modò paschalem, sed & juxta illud Deuteronomii cap. 12. paschales victimas quandoque designare, quibus per septenos Azymorum dies vesci nefas erat iis, qui maculâ legali notati fuissent: quis igitur prohibebit, sentire hìc cum S. Thoma (u), Judæos sanguinarium Pilati tribunal contingere noluisse Primâ Azymorum & festâ die, ne ob contractam inde maculam ab esu vespertino pacificarum victimarum arcerentur? ac vel ideò firmamentum nostræ sententiæ hinc consurgit, nempe Christum Lunâ decimâ quintâ, & primo Paschatis die passum esse; quia si Lunâ decimâ quartâ (utique non festivâ) manè Prætorium introivissent, nullus maculæ legalis metus fuisset. Ad *secundum* ℞. Parasceven idem esse ex etymo nominis, ac præparationem; ex more tamen scripturæ, & Judæorum sumitur pro præparatione ciborum, & rerum necessariarum ad Sabbatum, quia hâc solâ die Sabbatinâ præparare cibos illicitum, in cæteris verò festis id licebat: ita de diebus festis Azymorum dicitur Exod. 12. *Dies prima erit sancta, atque solemnis & dies septima eâdem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*: & quoniam Josephus Arimathæus primâ Azymorum die emit Syndonem, Christi Corpus de Cruce deposuit, mulieres præparârunt aromata, quæ tamen in Sabbato quieverunt; vel hæc ipsa observantia ostendit Sabbati majorem celebritatem. Unde per Parasceven Joannes Evangelista non præparationem ad pascha, sed ad Sabbatum intelligit: neque obstat, quod *Parasceven paschæ* nominet; nam id ex eo factum est, quòd paschalis prima dies immediatè antecederet Sabbatum, adeóque ad discrimen aliorum dierum Paracevticorum ab incidente Paschate notionem quandam acciperet: sicut Christiani illam Dominicam, in quam incidit Resurrectio Christi, Dominicam Resurrectionis compellare solent. Ad *tertium* ℞. Sabbatum illud, licèt eo anno in secundam & non in primam Azymorum diem inciderit; vocari benè potuisse à Joanne *Sabbatum Magnum* ob concursum populi frequentiorem ad Paschale festum. Neque inde diei major veneratio deduci potest, quòd corpora ante vesperam de cruce deponerentur; Deut. 21. enim jam cautum erat, ne permaneret cadavera in ligno, sed ut eâdem die sepelirentur. Atque hanc depositionem de cruce velut opus charitatis laudabiliter suscepit die festo paschatis Joannes Arimathæus, propthereà quòd Tobias à sacris paginis laudem ferat ob opera charitatis ejusmodi in diebus festis exercita (y). Turpiter quidem egêre Pharisæi, primam Azymorum diem tumultibus tam streperis turbando; sed ubi livor, rabies, & occasio præsens perdendi Christum Judæorum animos cæcaverat, Religionis ratio exigua

S. Joannes Evangelista conciliatur.

(u) 3. P. q. 46. a. 9. ad I.

(x) Tobiæ c. 2.

exigua habebatur: quin aliqui ex num. 15 sui facinoris exemplum mutuare annitebantur, eoquòd ibidem in ipsa die Sabbati lignator in carcerem missus legebatur.

Difficultas quædam specialis exponitur.

9. Conciliato S. Joanne difficultas una restat expedienda; quâ ratione in nostra sententia inviolata maneat illa traditio, quâ accepimus, Pentecosten Primam à Servatoris morte in Dominicam incidisse. Nam cùm pro Pentecoste dies quinquagesima à secunda Azymorum die numerata designaretur (z); juxta nos autem dies secunda Azymorum eodem anno in Sabbatum inciderit, consecutio alia non est, quàm quòd Pentecostes festum in Sabbato quoque fuerit celebratum; à paschali quippe Sabbato, per 50. dies numerando, venies denuò ad Pentecostale Sabbatum, & non ad Dominicam. Huic Argumento, ut quidam occurrant, scindunt nodum potiùs, quàm solvant: dum scilicet negant traditionem genuinam esse; eámque ajunt ex pseudographis scriptis prolatam (a). Alii cum prioribus consentientes Pentecosten in Sabbatum incidisse apertè docere non verentur (b). Alii duplicem Pentecosten fuisse affirmant, unam Judæorum quæ secundùm legalem calculum affixa extitisset Sabbato, altera Christianorum Dominicæ (c). Alii à tertia & non secunda die Azymorum quinquaginta dies interceptos inter Pascha & Pentecosten computant, ut sic Pentecostalem solemnitatem Dominicæ aptare valeant (d).

Verùm quia hæ sententiæ vel Scripturæ, vel Josepho Historiographo vim inferunt; ab his recedendum ducimus: nam scriptura Act. 2. commemorat Spiritum S. venisse, *dum complerentur dies Pentecostes*, ubi S. Lucas certè non aliam Pentecosten intelligit, quàm Judæorum. Josephus autem l. c. ait: *Secundâ die Azymorum, quæ est mensis hujus decima sexta, frugibus de messibus, & hactenus intactis incipiunt frui, æquúmque rati, Deum hujus ubertatis auctorem per multitudinem honorari, hordei Primitias offerunt.* Igitur ordinariè non à tertia Azymorum die, sed à secunda computus 50. dierum inibatur. Quare cum Baronio (e) & Bellarmino (f) rem tandem ità decidimus: solemne fuisse Judæis in certò tantùm casu dies quinquaginta numerare à tertia Azymorum die, quando scilicet secunda Azymorum dies incidebat in Sabbatum, ídque eâ de causa, quòd secundâ cæteroquin die manipulus frumenti demetendus erat, qui die quinquagesimâ ante festum Pentecostes ex legis præscripto debebat offerri (g): sed quoniam hujusmodi manipulum demetere Sabbato, utpote opus servile illicitum erat Judæis, quidquid hic contra loquatur Calmetus (h); ideò quando secunda Azymorum dies concurrebat cum Sabbato, labor ille differendus erat in diem tertiam, vel Dominicam, unde proinde numeratis 50. diebus velut absolutâ periodo rursus ad Dominicam Pentecostalem ejus anni pervenies.

(z) Josephus lib. 2. Antiq. c. 10.

(a) Bochartus P. I. Hierozoicon c. 50.
Tillemont. Tom. I. Monum. Hist. Eccl. not. 8. in S. Petrum.

(b) Serry exercit. 62. n. 4.

(c) Theophilus Raynaudus Tom. IX. pag. 653.

(d) Suarez in 3. P. D. Th. 2. Disp. 46. n. 1.

(d) Baron. ad a. C. 34. n. 239.

(e) Bellarm. Tom. 2. Controv. lib. 3. de cultu SS. c. 13.

(f) Levitic. c. 23.

(g) Calmet in Act. Apost. c. 2. v. 1.

REFLE-

REFLEXIO V. ad §. 5. n. 7. pag. 435.

An Victor Pontifex Christianos in Asia, Pascha Lunâ decimâ quartâ more Judæorum celebrantes, excommunicârit?

Abrogatio legis ceremonialis.

1. QUamvis Christus legales ritus omnes ipse impleverit; post mortem tamen suam novam Ecclesiam ceremonialibus præceptis minimè voluit ligatam: unde cùm stante Evangelii libertate Apostoli leges Mosaicas veluti per interpolata tempora abrogarent; etiam lex ista de celebrando paschate in Lunâ decimâ quartâ, eum in modum temperata est, ut deinceps Christiani Pascha cum die Dominica Resurrectionis conjungerent, neque uti antè jejunium quadragesimale finirent quâcunque die, cum Luna decima quarta concurrente: traditum hoc acceperant Romana, aliæque Ecclesiæ à SS. Petro, & Paulo (a).

(a) Socrates lib. 5. c. 21.

Disciplina Ecclesiarum varia de celebrandi paschatis tempore.

2. Hoc non obstante quædam in Asia Ecclesiæ fuêre, quæ adhæserunt legali ritui de celebrando paschate Lunâ decimâ quartâ, & de finiendo jejunio, in quamcunque diem hebdomadis Luna eadem incidisset, idque ex exemplo S. Joannis, S. Philippi Apostoli, Polycarpi, & Melitonis: discrimen & varietas hujusmodi disciplinæ diu stetit, quin pax Ecclesiæ convelleretur (b). Quidquid enim PP. Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, & Anicetus hâc super re ordinaverant, eò tantùm spectabat, ne in illorum Ecclesiis ad observationem Lunæ decimæ quartæ absolverent jejunium (c): Blastus Romanus Presbyter subinde se opposuit sub Eleutherio, sed Irenæus epistolam contra illum edidit, *Schisma* inscriptam, quâ ejus animum compescuit (d): Præthereà Polycarpus, & Anicetus hoc de puncto disceptârunt, sine scissione tamen Episcopalis communionis: imò Pontifices antecessores tolerâsse videntur, ut Asiatici etiam Romæ secundùm usum Patriæ suum pascha celebrarent; Soter autem Pontifex eosdem obligavit, ut Romæ deinceps Romano more Paschale tempus servarent.

(b) Eus eb. lib. 5. c. 24.
(c) Tert. Cant. c. 53.
(d) Euseb. lib. 5. c. 20.

Controversiæ origo circa celebrationem paschæ.

3. Tempore Victoris Pontificis diversus iste disciplinæ modus in apertam controversiam abiit, mandante Pontifice, & cæteris Ecclesiis approbantibus, ut omnes eâdem lege Romanâ, eodémque tempore in celebrando paschate uterentur. Polycrati, quoniam is acriùs restiterat cum suis Asiaticis, & Asiæ consuetudinem necessariò observandam prædicabat, reluctatus est præprimis Victor, qui consensêre cæterarum Ecclesiarum Episcopi, per Synodos varias congregati: demùm quia Polycrates tot Conciliis cedere renuebat; Victor eum cum Asiaticis excommunicandum duxit. Quæstio nunc non levis oritur, utrum Pontifex Asianos reipsa à

toto corpore Ecclesiæ per sententiam excommunicationis resciderit, an verò eandem duntaxat fuerit comminatus?

(e) Ad A.C. 198. (f) Ad eund. Ann. (g) Antiq. illustr. P. 2. Differt. 1. c. 3. n. 35. (h) Euseb. lib. 5. c. 24.

An Victor Pontifex excommunicârit Asiaticos? Affirmantium sententia.

(i) Socrates lib. 5. c. 22. (k) Sozom. lib. 7. c. 19.

4. A Victore in Asianos latam fuisse excommunicationem affirmat Baronius (e), cui adstipulatur Pagius (f), & post Bellarminum, Petrum de Marca, Schelstratus (g): hujus argumenta sunt sequentia. I. Eusebius juxta emendatiorem Valesii versionem ità proloquitur (h): *Victor à Communione* (Asianos) *abscindere conatur*, quo indicat, quæ Victor obtento Polycratis responso Romæ meditatus sit, ac pergit: *Datísque literis universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ alienos esse pronunciat.* Non potuit (pergit Schelstratus), clarioribus terminis uti Eusebius, ad exprimendam latam excommunicationis sententiam; quam si solus minatus fuisset, cur quæso, alii Episcopi, tam vehementer fuissent commoti ùt subdit Eusebius? nam & ante coactum à Polycrate Asianum Concilium, ipsis quoque Papa minatus fuerat excommunicationem, post quam Synodum Polycrates dixit in epistolâ Synodica: *nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* Et ut aliud testimonium accedat; ita Socrates intellexit Eusebium (i), forsan ex certioribus, quam nostro tempore extant, instructus monumentis: equidem teste Sozomeno post Victoris Censuram cum Orientalibus Asiani adhuc communicabant (k), *ex communi* quippe *Consilio placuit, ut singuli festum, prout consueverant, celebrantes à mutua inter se communione nequaquam discederent.* Verùm ne Novatores inde illudant Pontificiæ authoritati; Petrus de Marca rem ita dissolvit: *Licèt*, ait, *probent Novatici, non rejectos Asiaticos à communione Orientalium post Victoris Censuram; hoc de dignitate Sedis Apostolicæ nihil demit; cùm ad Irenæi suggestionem pacem redditam à Victore docuerimus. Ex Eusebio enim, & Socrate constat de excommunicatione à Victore inflicta, & de Irenæi epistola: ex Sozomeno autem de communione Victoris, & Polycratis non interrupta, quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso à Victore excommunicationis effectu post monita Irenæi.*

Sententia negativa.

(l) Valef. in notis ad Euseb. (m) Sæc. II. Differt. 2. (n) In notis ad vitam Irenæi. (o) Adnot. Valesii ad lib. 5. c. 24. Eusebii. (p) Hieron. c. 44. de V. ill.

5. Alii contrà complures existimant, excommunicationis sententiam in Asiaticos latam non fuisse. Utì post Henricum Valesium Historicum Regium (l), Ludovicus Maimbourg, Natalis Alexander (m), Halloix (n) &c.

Eorum argumenta, præcipua hìc afferemus I. Eusebius loco supra memorato dixit: Asianos *Victor à Communione abscindere conatur*, ac ne credas hunc Conatum aliquando opere completum esse; Valesius subdit: Epistolæ Irenæi, aliorúmque Episcoporum ad Victorem scriptæ satis arguunt, rem adhuc pependisse, nec sententiam prolatam fuisse. Sic enim Eusebius de Irenæo: *Victorem decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes, à communione abscindat:* Nondum ergo, pergit Valesius (o), Ecclesiam Asiæ à communione Victor absciderat, cùm has literas scriberet Irenæus. Favet & D. Hieronymus (p): *Feruntur* (Irenæi) *& aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de*

quæstione

quæstione Paschæ Epistolæ, in quibus commonet, non facilè debere unitatem Collegii scindere; siquidem Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui 14. Lunâ cum Judæis pascha celebrabant, damnandos crediderat. Pari loquendi modo utitur Photius (q): *Victor eâ tempestate Romæ Pontificium tenuit: quem crebris literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Hæc argumenta tam valida judicavit Schelstratus (r) adversæ sententiæ Patronus, ut profiteretur ultrò, absque ulla difficultate sese à Novatorum argutiis defendere eos, qui sustinerent, Victorem non tulisse excommunicationis sententiam.

(q) Phot. in Bibl. c. 120.

(r) L. c. n. 36.

Difficultates solvuntur.

6. Multò facilior etiam hæc reddetur opinio, longéque aptior ad conciliandos Eusebii textus, si dicatur, Victorem ultra minas etiam hoc addidisse, ut licèt Asiaticos à toto Ecclesiæ corpore non abscinderet; Episcopali tamen suâ communione privaret: quæ Privatio duplici capite continebatur, dum nimirum Pontifex, intermittebat literas formatas aut Pacificas ad Asiaticos scribere; simúlque renuebat mittere Eucharistiam: id quippe pristini moris erat inter Episcopos, ut tempore paschatis in signum communionis & pacis hoc sacrosanctum epulum (quod subinde fermentum vocabant) ad aliarum Ecclesiarum Præsules transmitteretur (s). Confirmat ex parte hoc Epiphanius (t), dum ait: *Polycratis, & Victoris ætate cùm Orientales ab Occidentalibus divulsi pacificas à se invicem literas nullas acciperent.* Hoc non obstante in Communione Universalis Ecclesiæ Orientales persistebant, asserente Firmiliano (u) *non tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est.* Non enim Asiatici (utì Blastus anteà) suum disciplinæ modum tuebantur, ut dicere cum illo præsumerent, eos, qui pascha celebrarent Dominicâ die proximè Lunam decimam quartam, alienos à fide Catholica exerrare; quin suæ tantùm consuetudini insistentes, reliquis quoque suum morem absque scissione charitatis relinquebant: unde nunc lucem etiam accipit istud Nicolai I. Pontificis assertum, *Asianos Victor à Communione Collegii separavit* (x). Cætera, quæ duriùs Sozomenus effutivit contra Victorem, concilianda hìc non putamus; eoquòd homo Novatianus, & spiritu hæreseos agitatus nonnisi mendacia in Ecclesiæ Catholicæ caput evomere potuit. Neque nisi levissimo oculo attendenda sunt, quæ recentiùs convitia & injuriosa commenta Launojus Sedis Apostolicæ osor acerrimus ex historia eâdem exsculpsit: jam enim fingit Hieronymum approbâsse factum Polycratis, jam adducit Victoris molitiones displicuisse cæteris Episcopis, alitérque Victorem etiam de re informandum fuisse per Præsules. Demùm Victorem probrosè videtur criminari; quasi sine sufficiente causâ ob morem adiaphorum tot Ecclesias à communione abscindere tentâsset.

(s) Euseb. lib. 5. c. 20.

(t) Epiph. Hær. 70. §. 9

(u) In Epist. ad S. Cyprian.

(x) Epist. 9. ad Michaelem Græc. Imp.

Ne Convitia in medium projecta plus damni habeant, quàm Commodi, ea breviter contundemus. Ac *primò* Hieronymus, postquàm renitentis Victori Polycratis conatum & literas descripsisset, subdit: *hæc*

propterea posui, ut ingenium, & authoritatem viri ex parvo opusculo demonstrarem (y), hìc S. Doctor refert Polycratis existimationem, judiciúmque; & non improbat, ergò probat: quæso quæ consecutio? quæ nulli bona videbitur, nisi maligno Launojo. Certè Nicænum Concilium posteà satis ostendit, quantò melius judicium Victoris fuerit præ judicio Polycratis. *Secundò* Eusebius scribit: *Verùm hæc non omnibus placebant Episcopis; proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut potiùs sentire vellet, quæ, paci, charitatíque erga proximum congruebant.* Quòd Victor urgeret Paschatis celebrationem in die Dominica, Episcoporum nullus improbavit; quin Eusebius apertè testatur, Irenæum idem *defendisse solo die Dominico Resurrectionis Domini Mysterium esse celebrandum.* Ergo de doctrina vera Victor informandus non erat: displicuit itaque tantùm Episcopis, quòd Victor nimiùm citò (ut putabant) ad censuras progredi vellet, suadebántque proinde, ut priùs leniora tentaret remedia. *Tertiò* Sozomenus ait: *stultum enim, nec immeritò æstimabant* Episcopi, *consuetudinum causâ ab se invicem separari eos, qui in præcipuis Religionis capitibus consentirent*: At prudentia Victoris ex ejus factis maximè elucet; nam non ob consuetudinem, sed ob pertinaciam damnandos Asianos putavit: & quia Polycrates *Deo magìs obediendum* prædicabat, *quàm hominibus*, & majores suos ajebat in celebrando paschate *regulam fidei secutos fuisse*, timere meritò poterat Victor, ne in Blasti jam damnati errorem Polycrates cum suis proruisset; & ne hoc modo legalium obligatio denuò stabiliretur, quæ à Concilio Hierosolymitano proscripta fuisset: causam itáque sufficientem infligendarum Censurarum habebat Victor, à quibus tamen abstinuit, postquàm ab Episcopis propositum fuisset: Polycratem suam consuetudinem ita tueri, ut tamen aliarum Ecclesiarum usum contrarium minimè damnet, ac vel inde paschatis celebrationem æstimet, ùt rem puræ disciplinæ; factum porrò Victoris egregiè & latiùs propugnat Ludovicus Thomassinus (z).

(y) Hieron. c. 54. de V. Illust.

(z) Thomass. Differt. I. ad Concil. General.

REFLEXIO ULTIMA.

Scriptores Sacri in Sæculo II.

S. Ignatius. 1. S. IGNATIUS, de cujus ortu suprà diximus, mortuo Evodio ad Ecclesiæ Antiochenæ Episcopatum evectus est, *ipso Petro manus ei imponente* (a): rexit hanc Ecclesiam plus quam 40. annis. *Trajano* Parthis bellum inferente circa annum 107. ad bestias damnatus, Romam Martyrii causâ deductus est. Scripsit epistolas septem, quatuor Smyrnæ ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, & ad Romanos: tres posteriores Troade, nempe ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, & ad Polycarpum. Harum expreßè meminêre Eusebius (b), Athanasius (c), Hieronymus

(u) Theodoret. Dial. 1. p. 33.
(b) Euseb. lib. 3. c. 35.
(c) Athan. de Synod.

nymus (d), Theodoretus (e): nec minùs Irenæus (f) & Origenes plura ex iis testimonia desumpserunt. Unde fidem his frustra abnegârunt Blondellus, Salmasius, & Dallæus, quos fortiter convicit Joannes Pearsonus in vindiciis Ignatianis anno 1672. in lucem editis: Isaacus Vossius in Medicea Bibliotheca reperit vetus Epistolarum S. Ignatii manuscriptum, cujus textus Græcus Latinis exemplaribus in Anglia ab Usserio repertis apprimè congruebat. Interpolationem tamen epistolarum quandam factam fuisse intelligitur tum ex Patrum excerptis, tum ex iis, quæ antiquitati & sententiæ S. Ignatii contraria inserta sunt. Cæterùm præter septenas epistolas inveniuntur aliæ quinque (g): ad Mariam Cassabolitan una, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, & ad Heronem quinta: inter supposititias numerant has Guilielmus Cave in sæc. gnost. pag. 27., Usserius, Vossius, Dupinius. Ast Bellarminus de his ità disserit: hæ quinque epistolæ, quamvis ad manus Eusebii & Hieronymi non pervenerint; tamen ob styli firmitudinem, & Spiritum verè Apostolicum à viris doctis omnino recipiuntur. Ejusdem sententiæ sunt Petrus de Halloix (h), Baronius (i), Possevinus (k) & Schelstrate (l). Præter istas tres adhuc circumferuntur, ad Virginem Deiparam una, & ad S. Evangelistam duæ: harum meminit Bernardus (m); sed neque in Græcis codicibus habentur, nec gravitatem S. Ignatii redolent. Et valde dubiè de his Authores citati loquuntur.

2. S. POLYCARPUS, de quo Irenæus ait. *virum fuisse, qui non solùm ab Apostolis eruditus, & cum multis, qui Dominum viderant, familiariter versatus; verùm etiam in Asia Smyrnensis Ecclesiæ ab ipsis Apostolis*: (S. Joanne) *ordinatus est Episcopus*, Smyrnæ septuagenario major sub *Marco Aurelio* ad rogum damnatus est. Una ejus præcipuè epistola ad Philippenses scripta ab Irenæo laudatur, *quod ex ea, quicunque salutis suæ curam gerunt, poterunt, si volunt & formam fidei illius, & prædicationem veritatis cognoscere* (n). Displicuit hæc epistola Centuriatoribus levissimis de causis, ut ipse Guilielmus Cave monet: displicuit & Dallæo, Salmasio, Blondello, eoquòd antiquitas Episcopalis dignitatis in ea adstruatur. Cæterùm mirum est, quod Protestantes hanc non ultrò omnes arripiant, cùm S. Polycarpus in eadem suadeat D. Pauli & S. Scripturæ lectionem, quam norunt modò in Catholica Ecclesia non omnibus promiscuè esse concessam: At hìc Protestantibus benè occurit Du Mesnilius (o): sacræ scripturæ lectio, ait, pro laicis res est disciplinæ, quam pro variis temporum circumstantiis vel eis concedere, vel restringere possunt Episcopi. Prioribus sæculis hanc faciliùs consulebant Episcopi, quippe qui singulis Dominicis scripturæ libros publicè exponerent: ac proinde vix ullum erat erroris periculum. Posteà Laicis quandóque prohibita, vel nonnisi sub certis conditionibus permissa est; quippe saluti non est necessaria, quemadmodùm docet Augustinus (p): homo fide, spe, & Charitate subnixus,

(d) Hieron. de Script. Eccl.

(e) Theodoret. Dialog.

(f) Iren. lib. 3. c. 28.

(g) Bellarmin. lib. de script.

(h) Halloix, in Apol.

(i) Tom. 2. Ann. ad a. 109.

(k) Possevin. in Apparat. sacro.

(l) Bernard. Serm. 7. in Ps. *qui habitat.*

(m) Iren. lib. 3. c. 3.

S. Polycarpus.

(n) Lib. 8. c. 3.

(o) Lib. 3. Doct. & Disc. p. 144.

(p) August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 39.

eaque inconcussa retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine, sine codicibus vixerunt &c.

S Dionysius Areopagita.

3. DIONYSIUS Areopagi Senator à S. Paulo ad fidem Christianam conversus Athenis anno Æ. C. 50.: dein ejusdem urbis Episcopus fuit. Gallorum permulti contendunt eum posteà ex Atheniensi Episcopo factum primum Antistitem Parisiorum, ibíque cum Rustico & Eleutherio gladio caput subjecisse, sectúmque ad duo milliaria gestâsse (q). Verùm alii hoc meritò in dubium trahunt, ut suprà commemoratum est; quorum probabilior opinio est Dionysium Athenis vixisse, ibíque Martyrium subiisse: de tempore non satìs constat; alii enim mortuum dicunt sub Domitiano, alii sub Trajano, alii sub Adriano. Acrior nunc quæstio venit inter Authores magnæ famæ controversa, an scilicet illi libri, qui sub nomine Dionysii Areopagitæ circumferuntur, sint genuina ejus opera?

(q) Philippus Labbe in Diss. historic. de Script. Eccl.

Controversia de ejus operibus.

Libri autem ipsi præcipuè attributi sunt: liber *de cœlesti Hierarchia* quindecim capitibus comprehensus, *item de Ecclesiastica Hierarchia* liber septem capita complectens, liber *de divinis nominibus* in capita 13. distinctus, demum *mystica Theologia S. Dionysii &c.* Hos libros S. Dionysio abnuit Joannes Morinus Blesensis, Congregationis Oratorii Presbyter, cum non paucis Authoribus, quorum argumenta hæc sunt. I. Horum librorum ante sæculum V. nulla extat memoria, neque eorum meminit Eusebius, nec Hieronymus, qui tamen cæteros Scriptores multò inferiores accuratè notârunt; neque S. Athanasius in Concilio Nicæno ex libris Dionysii testimonia produxit, unde tamen multa dogmata de Trinitate ad confundendos Arianos desumi potuissent. Et quoniam de simili materia tot libri prodiêrunt, cur non Patres eodem modo, sicuti Clementem Alexandrinum, Ignatium citant; sic quoque provocâssent ad pervetusti Dionysii authoritatem? II. Non pauca in his libris proponuntur, quæ parùm conveniunt ritibus illius ætatis, sed sequentibus sæculis instituta sunt. Gelasius Papa in Romano Concilio & quinta Synodus Oecumenica, dum recensent opera Patrum, quæ recipit Ecclesia, non meminêre librorum Dionysii hujus, quamvis à pluribus annis jam innotuissent. Id equidem verum est Pontifices, Synodos, & Patres sequentibus sæculis libros eos sub hujus Authoris nomine probâsse; sed in confesso quoque est, Patres sextæ synodi ex apocryphis testimonia protulisse. Cæterùm testantibus Baronio & Bellarmino Pontifices olim opinionem communem sequebantur, nihil tamen definientes.

Pro libris S. Dionysio asserendis contrà acerrimè pugnârunt, Baronius, Bellarminus, Delrio (r), Halloix, Lanselius Corderus, & Schelstratus (s), quorum rationes breviter quoque hìc subjungo. I. Quod mentio non fuerit facta librorum Dionysianorum, argumentum dicunt esse negativum; ídque ex eo factum, quod alicubi latuerint, ut multa tempore Gregorii Magni reperta fuerunt, quæ ante in umbris hæserant: ita liber

(r) Delrio in Vindiciis Areopagiticis.

(s) Schelstr. Antiq. illustr. p. 2. c. 3. a. 1. & 2.

liber Lactantii Firmiliani de mortibus Persecutorum omnibus retro sæculis ignotus, non ita pridem productus in lucem est. II. Gregorius M. (t) librum de cœlesti Hierarchia S. Dionysio attribuit, eúmque nominat antiquum & venerabilem Patrem: Agatho (u) PP. librum de divinis nominibus à Dionysio compositum commemorat: Adrianus I. Carolo Magno ita scripsit (x). *S. Dionysius Areopagita, qui & Episcopus Atheniensis valde nimirum laudatus est à S. Gregorio Papa, confirmante eum antiquum Patrem esse, & Doctorem. Iste temporibus Apostolorum fuit; & in Actibus Apostolorum monstratur. Unde & à prædictis Prædecessoribus ejus confirmata sunt veridica testimonia.* III. Concilium Generale VI. in sæculo septimo Act. 2. de Patriarchio Constantinopolitano Codicem S. Dionysii allatum assumpsit, & Concil. Gen. VIII. recipit Canonem primum, qui Constitutiones Patrum veneratur, & quædam eloquia secundùm magnum Dionysium profert. Lateranense Concilium sub Martino I. congregatum librum de divinis nominibus palàm tribuit S. Dionysio. IV. Succedente tempore libros illos admiserunt S. Maximus, Leontius Episcopus Byzantinus, Andreas Cretensis Archi-Episcopus, Joannes Damascenus &c. V. Delrio (y) rem ita evincere conatur: cùm res verbis & verba rei respondeant; & utraque primævum illum Spiritum Ecclesiæ penitùs redoleant; nullam putat esse dubitandi causam. Duo enim ait esse ad dignoscendos Scriptores indicia, stylum & testificationem aliorum scriptorum, utrumque favet nobis. Stylum negare non possunt prorsus eruditum, & antiquarium; Authores fermè innumeri attestantur Græci, Latinique. Videatur hic porrò Joannes Chaumontius *in defensione Areopagitæ*, & Schelstrate Antiq. illustr. P. II. Dissert. IV. c. 3. A. 2.

(t) Gregor. M. hom. 34. in Ev.
(u) Agatho in Ep. ad Constant. Pogon.
(x) In Ep. ad Car. M. Tom. 3. Conc. in fine Conc. VII. Gen.
(y) Delrio Disq. magic. lib. 6. c. 3.

Nos prolatis utrinque sententiis cum Labbeo (z) concludimus, *neque nostrum est inter eos* Authores *tantas componere lites.*

(z) In Dissert. de Script. Eccl.

S. Justinus.

4. S. JUSTINUS Philosophus Christianus & Martyr floruit anno 140., & *sub Marco Aurelio* Martyrii palmam obtinuit anno 164. *duplicem Apologiam* scripsit pro Christianis unam ad Antoninum Pium, alteram ad Marcum Aurelium (a): composuit etiam *Dialogum cum Triphone* Judæo Ephesi habitum; in eo enarrat ingenuè, quemadmodum per divinam gratiam ad veræ fidei doctrinam impulsus sit. Extat etiam ejusdem duplex *ad Græcos cohortatio*, per quam utramque totus est in confutandis Paganorum fabulis: demum librum concinnavit *de Monarchia* seu unitate Dei (c); superest tantùm pars illius posterior, cætera opera injuria temporum nobis abstulit: Justini testimonia citat Irenæus, & Photius (d) de eo hanc crisin tulit: *Est autem vir ille ad Philosophiæ tum nostræ, tum potissimùm profanæ summum evectus fastigium, multiplicísque eruditionis & historiarum copiâ circumfluens.*

(a) Euseb. lib. 4. c. 17.
(b) Idem c. 18.
(c) Euseb. hist. lib. 4. c. 18.
(d) Phot. Bibl. cod. 125.

S. Melito Sardensis.

5. S. MELITO Sardensis Episcopus *Marco Aurelio* Imp. Apologiam pro Christianis tradidit (e). Laudavit ejus eloquentiam Tertullianus

(e) Euseb. in Chronic.

(f) Hier. e. 24. nus teste Hieronymo (f): liber, qui de transitu B. Virginis circumfertur sub ejus nomine, habetúrque in Bibliotheca PP., censuræ subjectus est à Gelasio Papa (g), intérque apocrypha rejectus.

(g) c. Sancta Dist. 15.

Athenagoras.

6. ATHENAGORAS circa annum 170. suam Apologiam pro Christianis obtulit *Marco Aurelio.* Erat Atheniensis Philosophus, è persecutore Christianus, & Presbyter: vitia Christianis impacta dexteritate suâ falsa commonstravit, simúlque Cæsares legatione suâ (sic enim opus suum vocat) scilicet Marcum Aurelium, & Lucium Aurelium Commodum de vera Christianæ religionis substantia edocuit (h).

(h) Epiph. hær. 64.

S. Hegesippus.

7. HEGESIPPUS vixit sub *Marco Aurelio Antonino* ab A. Æ. C. 165. ad annum 180., Romæ trium Pontificum consuetudine usus est scilicet Aniceti, Soteris, & Eleutherii; omnes è Passione Domini usque ad suam ætatem, Ecclesiasticorum actuum texens historias, multáque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem (i). Romam proficiscens plurimos Episcopos adiit, testatúsque est, se ab omnibus unam, eandémque audivisse doctrinam: ex primo Corinthi Episcopo intellexerat pariter, hanc Ecclesiam ad hæc tempora servâsse fidem illibatam. Quin etiam affirmat, in singulis Episcoporum successionibus, & per singulas urbes mansisse, quæ per legem, ac Propheras, & à Domino ipso prædicta sunt (k).

(i) Hier. de Script. Eccl.

(k) Euseb. lib. 4. c. 22.

S. Irenæus.

8. S. IRENÆUS Polycarpi discipulus, deinceps in Gallias missus, post Photinum Lugduni primum Episcopum Successor & populorum Magister fuit ab anno 178. usque ad tempora Severi Imperatoris: Tertullianus eum vocat omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem. Ex omnibus ejus operibus, quæ recensent Eusebius, atque Hieronymus, supersunt tantùm hoc tempore, præter epistolam ad Florinum hæreticum, libri quinque adversùs Valentini, & aliorum suo tempore grassantes hæreses: græco idiomate conscripti quidem sunt; sed nunc non aliter habentur ac in latina versione, & barbara quidem. Nil ægriùs tulêre Centuriatores, Nicolaus Gallasius, Rivetus & alii heterodoxi, quàm quod Irenæi opera Fevardentii, Frontonis Ducæi, Jacobi Billii, & Possevini notis toties illustrata, toties in orbem prodiêrint: scilicet, ut Labbeus ait, (l) totidem hærent infixæ cordi eorum sagittæ, quot pro veritate Eucharistiæ, hujus oblatione à Christo Domino institutâ, libero arbitrio, fide & operibus, Principalitate Romanæ Ecclesiæ, ac similibus Catholicæ religionis assertis ex Irenæi lucubrationibus depromuntur apertissima testimonia: En pauca hìc subjicimus documenta fidei primævæ ex Irenæo excerpta: *Ecclesiæ uniformem doctrinam & traditionem* IRENÆUS *lib.* 1. *c.* 10. *ita tuetur*: " Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad ex„ tremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis, eorúmque disci„ pulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem &c. acceptam inquam „ hanc

Ejus opera.

(l) Labbe in Differt. hist. de Script. Eccl. Tom. I. p. 631.

„ hanc prædicationem & fidem Ecclesia tametsi per totum orbem sparsa „ summo gaudio, & curâ perinde atque unam domum incolens conservat, ac velut animam unam, atque unum, idémque cor habens, his „ æquè fidem accommodat, & miro consensu, quasi uno ore prædita „ hæc prædicat, docet atque tradit. Quanquam enim dispares inter se „ mundi linguæ sunt; una tamen, & eadem est traditionis vis. Ac ne„ que hæ, quæ in Germaniis sitæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter „ tradunt, neque quæ in Hispaniis aut Galliis, aut in Oriente, aut in „ Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis Orbis regionibus sedem „ habent (m). „

Ecclesiæ traditionis authoritas.

(m) Iren. lib. 1. c. 10.

9. *In secundo libro agens contra Gnosticos ostendit in Ecclesia vera donum esse miraculorum.* "Quapropter in illius (scilicet filii Dei) nomine, qui „ veri illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad be„ neficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit „ donum ab eo. Alii enim dæmones excludunt firmissimè & verè .... „ Alii autem habent præscientiam futurorum, & visiones & dictiones „ Propheticas. Alii autem laborantes aliquâ infirmitate per manus im„ positionem curant: „ *Et ne miracula Ecclesiæ Præstigiis diabolicis adscribant heterodoxi, pergit:* " Nec convocationibus Angelicis (Ecclesia) facit „ aliquid, nec incantationibus, nec reliquâ pravâ curiositate: sed mundè „ & purè & manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fa„ cit. „ *Subinde docet Baptismum omnibus, etiam parvulis ad salutem esse necessarium.* " Omnes enim Christus venit per semetipsum salvare: „ omnes, inquam, qui per ipsum renascuntur in Deum, infantes (n) & „ parvulos, & pueros & juvenes, & seniores. „

Donum miraculorum in Ecclesia vera.

Baptismus infantium.

(n) Iren. lib. 2, c. 32.

10. *In libro tertio exhibet denuò traditionis authoritatem, quæ nobis innotescit per Ecclesiam præcipuè Romanam, quam vocat traditionis Apostolicæ fontem, simúlque ostendit ordinem successionis Romanorum Pontificum* (o). "Sed „ quoniam, inquit, valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare „ successiones; maximæ, & antiquæ primæ, & omnibus cognitæ à glo„ riosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & consti„ tutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annun„ tiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem „ usque ad nos judicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo mo„ do & per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & „ malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim „ Ecclesiam propter POTIOREM PRINCIPALITATEM, necesse est „ convenire omnem Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, „ in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ ab A„ postolis traditio „ .... *exinde Romanorum Pontificum successionem recenset.* " Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino „ Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt .... Succedit ei A-

(o) Iren. lib. 3. c. 3.

Romanæ Ecclesiæ à Petro fundatæ Principatus.

Romani Episcopi in Apostolica Cathedra Successores.

„ nacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens (*hìc ex Pontificali Damasi seriem emendamus, & Clementem Anacleto anteponimus*) Huic succedit Evaristus, & Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus; & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè Martyrium fecit; ac deinceps Hyginus, pòst Pius, post quem Anicetus: cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum habet Eleutherius. Hac ordinatione & successione, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos, & est plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate. „

Traditionis genuinas conservatio.

Porrò (p) *fidei veritatem petendam esse ab hac Ecclesia sic probat*: "Tantæ igitur ostensiones cùm sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cùm Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis: utì omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures & latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab iis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & re liquidum est? quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclesias? „

(p) Iren. lib. 3. c. 4.

Traditiones veræ à Romana Ecclesia petendæ.

Traditionis necessitas.

11. *Obediendum esse Episcopis, qui successionem habent ab Apostolis, atque ab iis legitimam scripturarum expositionem petendam sic docet* (q): "Quapropter iis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatûs successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes &c. „

(q) Iren. lib. 4. c. 26.

Interpretatio scripturarum petenda ab Apostolorum successoribus.

12. *In quarto libro de Eucharistiæ Sacramento & sacrificio hæc babet* (r). "Sed & suis discipulis dans consilium primitias offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: *Hoc est corpus meum*, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo: ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo Malachias sic præsignavit:

(r) Irenæus lib. 4. c. 17. & 18. Vet. edit. 32. & 34.

Eucharistia Sacramentum & Sacrificium

„ vit: *Non est mihi voluntas in vobis &c.* (s). Manifestissimè significans (s) Malach. 1. c. 1.]
„ per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni
„ autem loco sacrificium offeretur ei, & hoc purum .... igitur Ecclesiæ
„ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sa-
„ crificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei .... & hanc
„ oblationem Ecclesia sola puram offert Fabricatori offerens ei cum gra-
„ tiarum actione ex creatura ejus. Judæi enim non offerunt; manus
„ enim eorum sanguine plenæ sunt: Non enim receperunt Verbum,
„ quod offertur Deo. Sed neque omnes hæreticorum Synagogæ ....
„ quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt,
„ corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum Fa-
„ bricatoris mundi filium dicant? Quomodo autem rursus dicunt carnem
„ in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Do-
„ mini, & sanguine alitur? .... Nos offerimus ei, quæ sunt ejus, con-
„ gruenter communicationem, & unitatem prædicantes carnis, & Spiri-
„ tûs: quemadmodùm enim, qui est à terra panis, percipiens invocatio-
„ nem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus re-
„ bus constans terrena, & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eu-
„ charistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.
Videsis igitur an verum sit, quod hìc confinxerunt Magdeburgenses Scriptores: *Patres secundæ Centuriæ, simpliciter negant, Ecclesiam Christi, aut alia habere sacrificia, aut aliud quicquam solere offerri Deo, quàm invocationem, celebrationem, & gratiarum actionem* (t). (t) Centur. 2. p. 49.

13. APOLLONIUS floruit anno 192., hujus neque genus, neque Patriam prodiderunt Veteres: condidit librum adversùs Cataphrygas, quo eorum errores contudit; expendit quoque verbo tenus eorum Prophetias, mores & vitam: ex hoc libro fragmenta quædam reperies apud Eusebium l. 5. c. 18. *De eodem Apollonio vide etiam ea, quæ dicta sunt à nobis suprà in Reflexione IV. ad C. II. lib. I. num. 6. & 7.*



LIBER

LIBER III.

ROMANÆ MONARCHIÆ ET ECCLESIÆ CHRISTIANÆ FUNESTA AFFLICTATIO.

CAPUT I.

FORMA IMPERII MONARCHICA A TYRANNIS IN SÆCULO III. MULTOTIES DISCERPTA, A BARBARORUM POPULATIONIBUS DEFORMATA, & A CÆSARIBUS DEMUM IN PARTES DISSECTA,

Ab anno Æ. C. 198. ad annum 306., five ab anno fexto Severi, ufque ad felicius Ævum Conftantini M. Primi Chriftiani Monarchæ.

§. I. SEVERI *bellum contra Parthos, ejus iter in Ægyptum, Plautiani potentiffimi in aula Præfecti interitus, Acta forenfia Cæfaris, bellum contra Britannos, infidiæ Antonini in Parentem Severum, hujus mors, & funus.*

1. UT Primùm Severus Albinum Regni competitorem proftraverat; aufterum Imperandi genus ab exemplis Syllæ, Marii, & Octavii delegit: modeftiam infuper Pompeji, ac Cæfaris abominatus, feroci potiùs Commodo (cui divinos honores habebat) rationes vitæ accommodandas exiftima-

ſtimabat (* 1). Timentibus cunctis, ne civium vitæ, ac fortunis infeſtus, ſeveriore duritie nominis menſuram, magìs, ac fas eſſet, impleret; contra opinionem omnium à Severo Cæſare arma repentè in Orientem adversùs Parthos converſa ſunt. Cauſa belli cùm nulla eſſet; hæc ad ſpeciem confiсta eſt, Parthicam gentem pro Peſcennio Nigro arma miniſtrâſſe (* 2). Vologeſes Rex Parthorum intereà pacem agitans, nihil eorum, quæ à Severo agebantur (a), ad ſe pertinere putabat: in imparatos igitur barbaros Romanus miles invehitur, cæduntur primò, quicunque reſtitiſſent, urbs Cteſiphon Regni Sedes diripitur, tantùm ipſo Rege cum paucis equitibus elapſo. Cæſar ubi tot ſpolia, tantámque Victoriam fortunâ magìs, quàm conſilio reportâſſet; ipſe nomen *Parthici* (b, Baſſianus ejus filius ſummos Imperatoris honores, hujúsque frater Geta Cæſaris titulum à Senatu oblatum accepêre (c).

Severi bellum contra Parthos.

(a) Herodian. lib. 3. p. 526. & 528.

(b) Goltzius

(c) Spartianus in Sever.

2. Poſt hæc Severus Meſopotamiam transgreſſus Atrenſium urbem (*3) adoritur, quòd donaria Solis, grandésque theſauros illinc repoſitos ſciret: ſed viginti dierum obſidione aliud confecit nihil, quàm ut magnâ exercitûs parte amiſsâ (d), exuſtísque hoſtili igne machinis turpiùs recederet: in Palæſtinam inde profectus capitalem iis pœnam edixit, qui ad Judæorum, aut Chriſtianorum Religionem tranſirent. Datâ lege Chriſti cultoribus præcipuè funeſtâ, (*4) Ægyptum inviſit; auſpicatus admodùm hic adventus Alexandri-

A. Æ. C. 202.

(d) Dio l. 75. pag. 855.

Leges Severi.

(*1) XIPHILINUS è Dione in Severo: *Nobis timorem longè maximum fecit, cùm ſe Marci filium & Commodi fratrem diceret, & Commodo, in quem anteà contumelioſus fuerat, heroicos honores daret; nam cùm haberet orationem in Senatu, extolleretque Syllæ, Marii & Auguſti auſteritatem ac crudelitatem, veluti rem tutiſſimam; modeſtiam autem & humanitatem Pompeji, atque Cæſaris, ut rem illis pernicioſam deprimeret; ad defendendum Commodum proceſſit, increpans Senatum, quòd immeritò eum notaret ignominiâ &c.*

(*2) DIO lib. 75. aliam cauſam belli adducit: *Poſt hæc bellum intulit Parthis, qui occupato, in bellis civilibus Severo, ſecuri Meſopotamiam ceperant magnis copiis conductis: cepiſſentque Niſibim, niſi Lætus eam . . . conſervâſſet: Parthi adventu Severi minimè exſpectato domum ſunt reverſi.* Unde Dio cum Herodiano non convenit

(*3) TILLEMONT. in Severo Artic. 25. notat, Atram urbem à Deo deſtinatam fuiſſe, ad frangendam Trajani & Severi ſuperbiam, utì & Artaxerxis, qui reſtauravit Imperium Perſarum, circa annum 226., qui tamen omnes maximi Duces ad ejus urbis mœnia, velut ad ſcopulum adhæſerunt.

(*4) Severus lege editâ contra Judæos, & Chriſtianos *quintæ perſecutionis* author fuit, decimo anno ſui Regni. Judæis lex iſta minùs infeſta fuit, nam *Digeſtorum* 50. T. 2. l. 3. legitur equidem diverſas neceſſitates Judæis impoſitas, quin tamen eorum religio infeſtaretur: imò hi iidem Cæſares voluêre, ut qui Judaicam ſuperſtitionem ſequerentur, admitti

xandrinis erat, nam urbem ingressus Cæsar, & à populo occurrente delinitus (*5), jus curiæ seu Buleutarium concessit eâ lege, ut Alexandriæ jura non amplius à Præfecto Romano (*6), sed à Senatu proprio definirentur: cæterùm quamdiu Severus in Ægypto versatus est; nihil fuit divinarum, aut humanarum rerum, quod non accuratâ indagine scrutaretur. Religionem Dei Serapidis (e), Memphin, & Pyramides & Labyrinthum diligenter inspexit: prætereà libros omnes, in quibus arcana continentur, quotquot potuerunt inveniri, ferè ex omnibut adytis sustulit (f): clausit quoque monumentum Alexandri, ne quisquam corpus ejus videret imposterum: neve ea, quæ in ipso scripta fuerant, legeret (*7).

Iter in Ægyptum.

(e) Spartianus in V.

(f) Dio l. 75. p. 856.

3. Rebus ad Orientem sic gestis per Asiam, atque Illyricum reversus Imperator, urbem triumphales inter honores ingreditur: gaudia hæc Cæsaris subinde turbavit perversa filiorum indoles; deliciis quippe, victúque urbano (g) effœminati inter flagitia vitam palàm traducebant: utrumque igitur ut ad modestiam, moderationémque componeret, varia consilia exquirit; demum Bassianum natu majorem & scelere, per matrimonium subigendum ratus, eundem filiæ Plautiani connubio jungit. Hic, (ut perhibent) Plautianus ab initio ætatis tenui fortunâ fuit, seditionísque, & aliorum criminum reus, ac mulctatus exilio (h): sed erat Severi Municeps, Afer natione, atque, ut quidam putant, etiam sanguine propinquus: ob has itáque causas urbi, & honoribus redditus, omnia petebat ab omnibus, & capiebat omnia, nullámque gentem, nullámque civitatem reliquit, quam non prædaretur: cúmque cuncta diriperet; undequaque ea congerebat

(g) Herodianus lib. 3. c. 75.

(h) Herodian. lib. 3. c. 76.

admitti valerent ad munera, & præfecturas: igitur Christiana gens acerbitate legis sola petebatur.

(*5) SUIDAS narrat, quòd Severus Civitatibus Syriæ, & Ægypti iratior fuerit, eoquòd Nigri Pescennii partes secutæ essent; ingressus Alexandriam inscriptionem reperit: *Domini Nigri est urbs;* quod cùm ægrè ferret Severus, obviàm ei processit Alexandrinus populus vociferans: *novimus dixisse nos, Domini Nigri esse urbem; Tu enim es Nigri Dominus*, quâ promptâ defensione experti sunt veniam, juxta illud Proverb. 25. *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.*

(*6) SPARTIANUS in V. *Alexandrinis jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ità ut sub Regibus antè vivebant, uno judice contenti, quem Cæsar dedisset.*

(*7) BOISSARDUS ait, multa cadavera in Ægyptiorum tumulis fuisse inventa unà cùm voluminibus; quæ cuidam Deo sacra erant, & Hieroglyphicis exarata.

rebat domum ſuam. Præter Eunuchorum turbam ingentem, majore vi opum pollens, Plautillæ filiæ, ac Antonini ſponſæ tantum pro dote dedit, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet (i). Factis nuptiis Plautianus in Cæſaris familiam jam propiùs admiſſus, omni honorum genere circumfluere cœpit: plures illi, quàm Principi ſtatuæ per Provincias ac Romæ collocabantur: per fortunam ejus jurabant cuncti milites, nec Severus agere quidquam auſus eſt, quod Plautianus antè non juſſiſſet: Lato clavo (*8), cæteríſque dignitatum inſignibus ſuperbiens, quocunque incederet, anteambulones præmittebat, qui denuntiarent occurrentibus, ne quis Plautianum contueretur, ne quis conſiſteret; ſed ut univerſi oculos averterent, metúque tanti Domini terram deſpectarent. Hominis ex humili in altum provecti arrogantia inſolens Severum tandem commovit, ut Antonino, Getæque filiis (tam turpia Plautiani facta continuò oggerentibus) primò daret aures: dein etiam de tumentis viri authoritate aliquid imminutum iret. Plautianus, qui non dubiâ ſpe Regnum jam devoraverat, à Cæſaris neglectu irritatus cum Tribuno, quem ſibi fidum putaverat, rem agit, miníſque territum compellit, ut mandatum de Severi & Antonini cæde accipiat. Antequàm tamen Tribunus in palatium diſcederet; rogat ille, utì vaferrimi ingenii erat, libellum ſibi ſcribi (k) Imperatæ cædis. Hoc exarato, (nam cæca cupiditas ſuſpicari quid haud ſinebat) ad Cæſarem Antoninúmque miles provolat, conſiliúmque perfidum Plautiani teſtatur. Dicenti hæc Tribuno Severus vix fidem habuit, neque enim adhuc omnis in Plautianum amor, ſtudiúmque Cæſaris refrixerat. Verùm exhibito libello demandatæ cædis, Plautianus ad aulam repentè accerſitur: is rei, quæ geſta erat, ignarus; quin occiſis Cæſaribus, partum ſibi Principatum credens ad Palatium, cubiculúmque properat, in quo ſe mortuorum cadavera læto vultu viſurum ſperabat. Locum Principum ingreſſus, ubi Cæſares vivos, adverſáque omnia agitari conſpicit, velut fulmine ictus cohorreſcere, purgare facinus cœpit; ſed increpitus à Severo de perceptis beneficiis, tótque honoribus ad pedes

(i) Dio lib. 76.

A. Æ. C. 203.

Plautiani maximi in Palatio Miniſtri Honores & repentinus interitus.

(k) Herod. lib. 3. p. 531.

A. Æ. C. 204.

(*8) CANTELIUS *de Veſtibus Romanorum*, ſcribit in Tunicis Senatorum: latos clavos fuiſſe: in Equitum verò veſtibus anguſtos clavos; unde illi laticlavii dicebantur: eorum tunicæ autem veniebant nomine *lati clavi*.

des Cæsaris frustrà supplex obtruncatur. Cadaver in viam publicam projectum ad vulgi ludibrium (*9): Plautilla verò Conjux Antonini ex throno Cæsareo in Liparam Insulam expulsa est. Hunc in infimum locum tandem devolvi eos necesse est, qui summa omnia audent, atque è viliore sorte nati maximam etiam fortunam lacessunt.

A. Æ. C. 204.

Acta forensia Severi.

4. Tristiore fato liberatus Cæsar eodem anno ludos sæculares instituit (*10), quibus exactis velut in otio (nam pace omnes Provinciæ fruebantur) Rempublicam legibus excoluit: negotio tam arduo Papinianum adhibuit (*11), qui Juris omnis Asylum, & doctrinæ legalis thesaurus dicebatur (l): is præesse jussus est cum summo Imperio causis forensibus, ad quas definiendas Papinianus duorum Pauli & Ulpiani celeberrimorum Jurisconsultorum operam, consiliúmque expetiit: Triumvirorum æqui amantium studio non paucæ, eæque perutiles leges prodierunt, quæ hodie in Codice asservantur: furtis, ac expilationibus acerbissimæ pœnæ dictatæ, léxque nova prolata contra Mœchos (m), ex quibus quàm plurimi in jus vocabantur: non sinebantur venalia officia esse (n), id tamen Christianis non poterat non displicere, quòd Cæsar legem Papiam ab Augusto primùm editam renovârit, quâ Romanorum singuli ad conjugium adigebantur (o). Pessimo

(l) Spartianus in Sever.

(m) Dio lib. 76. p. 869.

(n) Victor. Epit.

(o) Tertull. Apol. c. 4.

(*9) MATTHIAS in suo Theatro Historico hìc monitum aliquod subjungit:

Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediêre loco.

Quam parænesin iis inculcatam cupit, de quibus dici potest illud Claudiani:

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: desævit in omnes,
Ut se posse putet; nec bellua tetrior ulla est,
Quam servi rabies in libera colla furentis.

(*10) Anno U. C. 957., duodecimo Severi regnantis, & Sexto Caracallæ corregnantis celebrati sunt hi ludi sæculares, scilicet post intervallum annorum 116., ex quo Domitianus illos instituerat anno Æ. C. 88.

(*11) TILLEMONT. notat in Severo Art. 30. p. 11. Papinianum Severo successisse in officio Advocati vel Procuratoris fisci. Valentinianus III. Imperator (ut habetur in *Codic. Theodosian.* I. t. 4. l. 1.) Papinianum antehabuit omnibus Jurisconsultis, præcepítque lege datâ 7. Novembris anno 426.; ut si diversæ opiniones super re quâdam occurrerent, insisteretur eí sententiæ, quæ per *ingenium eminens* PAPINIANI firmaretur: & Cujacius in *Codic. Theodosian.* statuit hunc optimum Jurisconsultorum omnium, qui illo tempore fuissent aut futuri essent. Idem ait ZOSIMUS in *Severo*: *cùm* Severus *Antoninum filium designâsset Imperatorem; moriturus & ipsi, & alteri filio Getæ imperii hæredibus institutis, tutorem Papinianum reliquit, Virum justissimum, & qui tam cognitione, quam expositione legum omnes ante pariter, & post se Romani Juris Consultos superavit.*

Pessimo etiam exemplo erat illud, quòd cùm Cæsar inolita Reipublicæ vitia, severiùs ac temporum mollities ferebat, curaret (p); Domum suam, ac familiam incultam relinqueret: filiorum quippe intemperantia, voluptatum omnium irritamentis accensa, ac adulatorum ministerio incitata, quotidiè ruebat in pejus. Hæc igitur ubi à Senatu, civibúsque ægrè accipiebantur; è Britannia literæ veniunt, quibus Virius Lupus præfectus Cæsari significabat, Barbaros Mæatas (*12), illic seditiones moliri, regionémque omnem incursionibus quatere. Quare majore manu ad resistendum, vel etiam Principis ipsius præsentiâ opus esse (q).

(p) Spartianus in Sever.

A. Æ. C. 207.

(q) Herodian lib. 3. p. 536.

5. Non sine lætitia nuncium ejusmodi Romæ auditum est; Imperator quippe gloriæ appetentior, post Orientis victorias etiam sibi nova de Britannis trophæa ominabatur, credebátque hanc occasionem fore, quâ filios ab Urbanis deliciis abductos, ad severiorem militaris vitæ disciplinam, Britanniæque castra trajiceret. Confecto unà cum filiis itinere Britanniæ fines ingressus Cæsar, militem legit, comparátque ea, quæ usui Romanis copiis, quæque detrimento barbaris, impedimentóque forent: Britanni repentino Principis adventu perculsi, legatos ad eum de pace acturos mittunt.

A. Æ. C. 208.

Bellum contra Britannos.

(*12) DIO l. 76. *Cæterùm Britannorum duo sunt præsertim genera (nimirum in quos pugnandum erat) Caledonii, & Mæatæ: nam Cæterorum nomina ad hos ferè referuntur. Incolunt Mæatæ juxta eum murum, qui insulam in duas partes dividit: Caledonii post illos sunt. Possident utrique montes asperrimos, & sinè aquis: itémque campos desertos, & plenos paludibus. Quódque mœnia non habent, nec urbes, agros nullos colunt. De præda, & venatione, fructibúsque arborum vivunt; nam pisces, quorum ibi maxima est, & innumerabilis multitudo, non gustant: degunt in tentoriis nudi, & sinè calceis: uxoribus in communi retentis, liberósque omnes alunt. Apud hos populus magna ex parte principatum tenet: latrocinantur libentissimè: militant in curribus, equos habent parvos, & celeres: pedibus currunt celerrimè: Dum stant, firmissimi sunt. Horum arma sunt scutum, & hasta brevis; in cujus inferiore parte pomum est ex ære; ut dum concutitur, hostes perterrefaciant. Pugiones quoque habent, & imprimis famem, frigúsque, ac labores omnes perferunt; nam mersi in paludibus capite tenus per multos dies inediam sustinent.* Idem scribit Herodianus lib. 3. p. 557. *Per eas paludes barbari natant, excursántque ad ilia usque demersi; ac pleraque corporis nudi, cœnam contemnunt ... quin ipsi notant corpora picturâ variâ & omnifariam formis animalium.* ALFORDI Tom. I. Ann. Brit. p. 210. advertit hìc, id non de populis Australis Britanniæ intelligendum, quia *teste Cæsare* l. 5. de bell. Gallico, hi pellibus vestiri soliti, sed de transmuranis, qui cæruleo colore nuditatem ornabant, unde *cærulei Brigantes* dicebantur: & hæc pingendi consuetudo, quæ ultimò in Mæatis, Caledoniísque mansit, Pictorum illis nomen induxit; hi cum Hibernis, vicinarúmque insularum agminibus Regnum Pictorum suscitârunt, Pictis autem deletis, surrexit Regnum Scotorum.

mittunt. At Severus moras de industria nectebat, ne vacuo sibi Romam redeundum esset: cupidus proinde victoriæ, cognominísque Britannici, dimissis legatis tumultuariâ excursione belli initium facit (r): verùm objecta itineris flumina, impeditæ paludibus viæ, tum maximè Barbarorum insidiæ æstuantem in pugnas Cæsarem retardârunt (s); Britannis quippe è notis latibulis faciles in Romanos assultus, nec difficilis fugientibus inter sylvarum condensa receptus erat: unde Romanorum exercitus quinquaginta millibus virorum imminutus est (*13). Neque tamen destitit Severus, quoadusque ad extremam Insulæ partem venit: tandem per omnem ferè terram hostilem vectus (nam propter imbecillitatem pedum lecticâ utebatur) ad socios rediit, Britannis nimirum ad fœdus faciendum coactis eâ conditione; ut non parvâ Regionis parte cederent (t). Pace factâ Severus muro per transversam Insulam ducto, utrimque finem Oceani communivit (*14), quare etiam Britannici nomen adeptus est.

(r) Herodian. l. c.

(s) Dio lib. 76.

A. Æ. C. 210.

(t) Herod. Lib. 3. p. 537.

Insidiæ Antonini filii in Patrem.

6. Intereà Severum jam senio confectum Eboraci longior invasit morbus, quo tempore filius Geta cum Papiniano (*15) rebus forensibus, Antoninus verò militiæ præfuit: cæterùm hic de

(*13) DIO lib. 76. *Cùm Severus vellet omnem insulam in suam potestatem redigere: ingressus est Caledoniam; eámque dum transiret; habuit maxima negotia, quòd sylvas cæderet, & loca alta perfoderet; quódque paludes obrueret aggere, & pontes in fluminibus faceret; nullum enim prælium gessit, neque copias hostium instructas vidit; à quibus proponebantur consultò oves, bovésque, ut cùm ea milites nostri raperent; ac per fraudem hanc longè à via declinarent, facilè opprimerentur. Ad hæc aquæ nostris valde oberant: dispersisque insidiæ parabantur: cúmque non possent iter facere; occidebantur à suis, ne ab hostibus caperentur. Itaque mortui sunt à nostris ad 50000.* Dissidium hic est Dionis & Herodiani, ille nullum prælium gestum affirmat, sed pugnas tumultuarias: Herodianus verò prædicat victoriam à Romano semper milite stetisse. Dioni nos hic magìs fidimus

(*14) ALFORDI pag. 212. valde dubitat, an Romanis per pacem cum Britannis initum aliquid Regionis accesserit, ut ex ipsa muri constructione & situ probat; imò aliquid ab illis regionibus, quas Julius Agricola ceperat, adhuc decessisse existimat: Agricola enim Imperii limitem ad Caledoniæ usque montes protulerat, intérque Glottam, & Bodotriam claustra posuerat, quibus cultiores Britanni à barbaris distinguerentur: nunc per Severum laxatus Caledoniorum ager, & magnus terræ tractus, omnes omnino Mæatarum sedes hostibus remissæ: constituto Romanæ Provinciæ limite ad Tinæ fluminis ostium, & Itunæ Æstuarium: interim victoriæ quædam Severi cantari debuerunt, ut Imperatori *Britannici* nomen decerneretur.

(*15) Lex *Cæciliæ* de jure querenti Eboraci tunc dictata est æquissima, ut habetur Cod. l. 3. tit. 32. de rei vindic. l. 1. *nam hoc tempore*, inquit Forcatulus apud Vitum in notis ad l. 5. *Eboraci Prætorium, sive tribunal fuit, vel eo nomine felicissimum, quod Æmilium Paulum Papinianum juris ac legum oraculum habuerit.*

de vincendis barbaris minùs, magìs de rapiendo Regno sollicitus, medicis primùm suadet, ut Parentis mortem accelerent: dein exercitûs Præfectos conciliat, ut palàm se Imperatorem colerent. Machinatione militum ad Severum perlatâ, æger quantumvis pedibus; animo tamen, Consilióque valens in tribunal se efferri jubet (u): adesse posteà Tribunos, Ducésque, quorum exemplo hæc acciderant: cúmque animadverti in omnes (præter filium) imperat (*16); Centurionibus pro vita supplicibus reposuit, manu caput contingens: *Tandem sentitis caput regnare, non pedes.* Filiorum dissidio, ac scelere subinde magìs invalescente, morbus Severi denuò augeri cœpit: mœrore itáque potiùs, quàm morbo consumptus interiit. Moriturus humanas deplorabat miserias, dicens: *Omnia fui, & nihil mihi prodest ... Turbatam Rempublicam ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo; senex & pedibus æger, firmum Imperium Antoninis meis relinquens si boni erunt: imbecillum, si mali.* Hæc prolocutus in æternam noctem clausit lumina Eboraci quartâ Februarii anno ætatis 66. Imperii 18. (x): corpus igne in cineres redactum est more Romanorum (†): dein Cæsaris exuviæ in urnam ex Alabastro confectam conjectæ & à filiis Antonino & Geta ingenti pompâ Romanæ urbi illatæ, Antoninorum Mausolæum obtinuerunt. Nec defuit Principi solennior Apotheosis (†), eoquòd Senatus de illo idem dixisset; quod de Augusto olim fuerat pronuntiatum, illum aut nasci nunquam, aut nunquam mori debuisse (y).

(u) Spartian. in Sev. c. 18.

A. Æ. C. 211.

(x) Spartian. c. 23.

(†) REFLEXIO I. *Mors & funus Severi.*

(†) REFLEXIO II.

(y) Spartian. c. 6.

§. II. ANTONINI CARACALLÆ *&* GETÆ *fratris dissidia, hujus funesta cædes: scelera* ANTONINI, *Bellum ejus in Germania, & in Oriente, & excessus turpis.* MACRINI *Imperatoris breve regnum.* HELIOGABALI *Successoris pudenda vitia, ac superstitio, & iis condigna mors.* ALEXANDRI *felicius Imperium, Persici Regni restauratio, Bellum contra Persas & Germanos, mors dolenda Cæsaris propè Moguntiam.*

I. MOrtuo Parente Severo, filiorum Antonini, & Getæ mutua odia multò ardentiùs revixerunt: duo quippe unius Im-

(*16) BARONIUS ad a. 212. *Severus Imperator, qui hactenus ob adeptum Imperium, & tot gentes debellatas felicissimus habebatur: in filiis se esse omnium miserrimum expertus est. Ab Antonino enim sæpe occidi tentatus, beneficio amicorum est à nece subductus.*

Imperii hæredes id agebant, ut quisque alterum poteſtatis conſortem expungeret (a). Trahebantur proinde in diverſa ſtudia urbanorum animi, jámque uni, jam alteri variante conſilio ſingulare Regnum addicebatur. Major tamen Pars ad Getam ſpectabat, quòd opinionem nonnullam oſtenderet probitatis: contrà verò Antoninus cuncta aſperiùs, ferociúſque gerebat, metu magìs, quàm benevolentiâ amicitias quæritans (*1). Viſum tandem eſt Imperium utrique dividere, hâc quidem lege; utì Europam atque Africam Antoninus: reliquam verò mundi partem, nimirum Aſiam Geta poſſideret, tum enim Cæſaribus latiſſimo, maximóque diviſis Oceano iniquam omnem ſimultatem eximendam. His ſuper rebus conſultum fuit coram optimis quibusque urbis Romæ, qui cùm verbis ſenſu exponere timerent; tacentes, & mœſto vultu terram contuiti id, quod animis meditarentur, ſignificabant (b). Tum Julia utriusque mater exurgens ità locuta eſt: Terram quidem, & mare ô filii, quemadmodum dividatis ſanè jam probè inveniſtis: matrem verò quonam quæſo modo dividetis? quâ obſecro ratione ego mater inter utrumque veſtrûm miſera diſſecabor? itáque me primùm occidite, ac dimidiam utérque apud ſe partem ſepeliat, ut & ego unà cum mari, terrâque ipſa inter vos dividar. Hæc multis cum lachrymis profata, utrumque complexa eſt: Populus ad hoc ſpectaculum commotus non ſine ingenti clamore conſilium diſſipat; quare utérque Cæſarum in ſua ſe palatia recepêre.

(a) Herod. lib. 4. p. 549.

Antonini & Getæ fratrum diſſidia

A. Æ. C. 211.

(b) Idem p. 543.

2. Sed gliſcebat indies odium, atque diſcordia, jámque Antoninus ſtimulante cupiditate Imperii eò ferebatur, ut deliberatum haberet, inſigne quiddam facere aut pati (c); ob quam rem magno ſanè tumultu in fratris Palatium irrumpit, ipſúmque nil tale exſpectantem ſupra matris pectus multo undantem ſanguine ſævus

Geta ab Antonino occiditur.

A. Æ. C. 212.

(c) Dio lib. 77. Herod. pag. 544.

(*1) TERTULLIANUS ad Scapul. c. 4. ſcribit, Baſſiano fuiſſe nutricem Chriſtianam, à qua cum lacte mitiores mores accepit, quos quidem primis ſeptem annis multoties oſtendit, ut refert SPARTIANUS in *Caracalla: Hujus pueritia blanda, ingenioſa, parentibus aff.bilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui .... ſi quando feris objectos damnatos vidit; flevit, aut oculos avertit: quod populo pluſquàm amabile fuit. Septennis pue. cùm colluſorem ſuum puerum, ob Judaicam* (Chriſtianam) *Religionem graviùs verberatum audiſſet; neque Patrem ſuum, neque Patrem pueri, vel auctores verberum diu reſpexit, .. ſed hæc puer. Egreſſus verò pueritiam ſeu Patris monitis, ſeu calliditate ingenii, ſive quòd ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, reſtrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus eſt; prorſus, ut eum, quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent.*

vus obtruncat (*2). Patrato Parricidio per urbem ſtupentibus omnibus, & quid cauſæ eſſet, ignaris; celeri, ac trepidâ fugâ in caſtra elabitur. Illinc ad Prætorium multa ſimulat, plura in fratrem occiſum mentitur (*3), atque ut faventem haberet militem; ſingulis Atticarum drachmarum duo millia ſupra quingentas pollicitus, emptum hoc modo Imperium ſibi rapit (d). Monarchiam adeptus, regni vires, quas ſolus habebat, in Tyrannidem convertit: quidquid ex cognatione Imperatoria, aut in Senatu ex Patricia nobilitate ſupererat, ſublatum eſt: medicis adempta vita, quòd Parentis mortem non accelerâſſent; nec minùs Papinianus perire juſſus, quòd facinus ab Antonino in fratrem geſtum excuſare noluiſſet, cauſatus faciliùs patrari, quam velari Parricidium (*4): deflêſſe mortem Getæ conjugi Plautillæ, & Fadillæ Commodi ſorori fatale fuit (e): Clodia Læta una ex Veſtalibus, quaſi vetitis amoribus vacâſſet, innocens viva defoſſa eſt. Et quoniam ii, qui jura divina ex facili violant, leges quoque humanas intactas eſſe non ſinunt; Antoninus poſt parricidia & cædes, legem illam ſuſtulit, quâ quidam à vigeſima hæreditatis parte ſolvenda eximebantur: atque ut titulum haberet non tantùm vigeſimam, ſed & decimam legatorum portionem expiſcandi (f); omnes Imperii ſubditos, in album civium Romanorum referri voluit, propterea quòd illi, qui tunc civium gererent nomen, ad ejuſmodi tributa arctiùs cogerentur (*5).

(d) Herod. lib. 4. pag. 544. Dio.lib. 77. pag. 872.

Crudelitas Antonini.

(e) Dio lib 77. p. 876.

Avaritia & quæſtus.

(f) Valeſius in excerptis Dionis.

(*2) SPARTIANUS in V. Getæ, Parricidii quædam omina refert: *ſtatim ùt natus eſt* (Geta), *nunciatum eſt, ovum Gallinam in aula peperiſſe purpureum. Quod cùm allatum Baſſianus frater ejus accepiſſet, & quaſi parvulus applauſum ad terram fregiſſet; Julia dixiſſe fertur joco: Maledicte Parricida, fratrem tuum occidiſti! idque jure dictum Severus altiùs, quàm quisſpiam præſentium accepit.*

(*3) IDEM *in Caracalla* dixit, prætereà in caſtris fratrem ſibi venenum parâſſe, matri eum irreverentem fuiſſe: in Senatu tamen poſteà mitiùs contra fratrem egit, imò, ut populi criminationes amoliretur; fratrem inter Divos retulit, dicens: *Sit Divus, dum non ſit Vivus.*

(*4) Papinianus, ut ait TILLEMONT, ſinè dubio meminerit quantam infamiam ſibi conſciviſſet Seneca; eoquòd compoſuiſſet Apologiam Neronis, quâ is parricidium matris tueri conabatur.

(*5) ULPIANUS ff. 1. t. 5. l. 17. hanc legem tribuit Antonino, unde multi eandem crediderunt datam eſſe ab Aurelio Antonino. S. Chryſoſtomus in Act. hom. 48. putavit legis hujus Authorem Adrianum, ſed Dio Caracallam deſignat. Quod etiam ex Euſebii lib. 5. c. 1. facilè oſtenditur; ibi quippe habet, Anno 177. tribus annis ante mortem M. Aurelii capite plexos eſſe Martyres Lugdunenſes; eoquòd Cives Romani forent,

A. Æ. C. 214.

3. Subinde Cæsar urbis tot expilationibus ac cædibus fœdatæ conspectum (sive scelerum conscientiâ, sive suetis Tyrannorum fastidiis tortus) ferre amplius non potuit: quare in Galliam secessit (g), è cujus Provinciæ more certum sibi delegit indumenti genus ad talos usque demissum, quo cùm continuò uteretur; ab ipsa veste ei nomen *Caracallæ* accessit (*6). Romam sequente anno regressus, collectas aut raptas undequaque pecunias in nefarios præprimis homines profudit: monitus à matre, ut prædarum partem in meliores usus seponeret; strictum gladium ostentans matri reposuit, quod sibi *omnis in ferro esset salus*, quódque nulla pecunia deficiat Cæsarem, qui reconditas subditorum opes vi extorquere posset (h).

(g) Herod. lib. 4. p. 346.

A. Æ. C. 214.

Luxus & prodigalitas.

(h) Dio lib. 77. p. 875.

4. Inter cæteras insanias Caracallæ non minima fuit, stolidum illud studium, quo Alexandrum æmulari cupiebat: hujus maturo fato sæpe illacrymatus, Philosophorum scholas abolitum ibat; eoquòd crederet Aristotelis consilio Alexandrum occubuisse (i). Eodem quoque anno in Germaniæ fines deduxit exercitum, ut eorum bellorum, quæ ad exemplum Alexandri esset facturus, initium daret: bellum primum gessit (*7) cum Cennis (gente Celticâ), quos ferunt tanta irâ incitatos in Romanos irruisse, ut tela quibus vulnerati erant, dentibus evellerent ex corporibus, ne intereà manus à cædendis Romanis averterent: victoria igitur alia cupido Cæsari relicta non est, quàm quæ à barbaris pecuniâ victoris emebatur. Subinde gentem aliam ALEMANNORUM (†) & in Romanorum fastis necdum signatam ad-

(i) Idem l. c. pag. 873.

Bellum in Germania.

(†) REFLEXIO III.

rent, reliquos verò, qui tales non erant bestiis esse objectos, igitur ante Caracallam non omnes Imperii subditi, Cives Romani erant. Nihilominùs etiam post Caracallam adhuc semper discrimen aliquod fuit inter cives Romanos, & inter eos, queis illud nomen tantùm cum quadam limitatione datum erat.

(*6) AURELIUS VICTOR: *Cùm è Gallia vestem plurimam devexisset, talarésque Caracallas fecisset, coëgissétque plebem, se ad salutandum indutam talibus introire, de nomine hujus vestis Caracalla cognominatus est.* Hoc tamen nomine nunquam in nummis aut monumentis publicis exprimitur.

(*7) VALESIUS in excerptis *Dionis* p. 876. *Bellum gessit cum Cennis, gente Celticâ, quos ferunt tantâ irâ incitatos in Romanos irruisse, ut tela, quibus illi ab Osrhoenis vulnerati erant, dentibus evellerent ex corporibus, ne intereà manus à cædendis Romanis averterent. Quin etiam nomine Victoriæ, magnis ei vendito pecuniis; ut salvus se in Germaniam reciperet, permiserunt. Horum captæ à Romanis uxores, interrogatæ ab Antonino utrùm vendi, an occidi mallent? mori se malle responderunt: quámque essent posteà venditæ, omnes sibi mortem consciverunt.*

adortus est ad Mœnum amnem, pari fortè eventu, quo cæteræ ad Albis ostia gentes se à Cæsare victas fingebant, ut aurum acciperent (*8). Hâc Germanorum adulatione delinitus Antoninus, huic genti quàm maximè favit; inde socios bellorum, & custodes corporis sibi adscivit: cum his Germana veste indutus, etiam *Germanici* & *Alemannici* nomine ornari voluit (*9).

5. Ex Germania in Daciam movit contra Getas, quos deinceps Gothos dictos volunt; leviora tamen hæc fuêre prælia, iis, quæ posteà gens eadem populis aucta, Occidentis Imperio intentavit. Antoninus proinde neglectis his velitationibus in Orientem transit: multa illinc contra Alexandri morem egit; nam Abgarum Osrhoënorum Regem amicè ad se evocatum compegit in vincula, terrásque ejus non apertâ vi, sed doloso latrocinio ad se pertraxit (*10). Eâdem perfidiâ Rege Armeniorum, ejúsque filiis se arbitrum obtulit, ut dissidia, quæ inter eos fervebant, ipse Cæsar componeret (k): invitati àb Antonino, dum promissum pacis beneficium præstolantur, servitutem induere coguntur à Purpurato Veteratore ad catenas damnati: sed ex captivis, utì Cæsar speraverat, spolia legere non licuit; Theocritum enim Romanum Ducem, qui capto Rege subditos quoque subjugaturus aderat, Ar-

A. Æ. C. 216.

(k) Dio lib. 77. p. 757.

(*8) IDEM p. 751. *Multi quoque ex iis Gentibus, quæ ad ipsum Oceanum, circa Albis ostia sitæ sunt, legatione ad eum missâ, pacem postulârunt; ut aurum acciperent, quando enim ità agere instituerat, innumeri eum adorti sunt, bellum minantes, quibus ille omnibus pecuniam dedit.*

(*9) HERODIAN. lib. 4. p. 192. *Germanos illic* (ad Danubii ripas) *sibi omnes adjunxit, atque in amicitiam conciliavit, ut ex his socios bellorum, & custodes corporis, validissimum quemque, & pulcherrimum sibi adsciverit. Sæpe etiam cultu deposito vestem Germanicam induebat, atque in eorum sagulis argento variegatis conspiciebatur: etiam flavam capiti cæsariem imponens, ad modum Germanicæ tonsuræ.* SPARTIANUS c. 10. *Germanici, Parthici, Arabici, & Alemannici nomen adscripsit, nam Alemannorum gentem devicerat*, eo scilicet modo, quo supra dictum est. Atque ità etiam accipienda sunt numismata, quæ post simulatas ejusmodi victorias procusa sunt: cum inscriptione GERMANIA VOTIVA.

(*10) TILLEMONT. in Caracalla Artic. 11. advertit, dubitari à quibusdam, an hoc Regnum Osrhoenorum tunc fuerit extinctum? quia OCCO p. 437. in numismatis Gordiani Regem adhuc invenit Abgarum, SPANHEMIUS credit quoque hunc fuisse Regem Edessæ: BEDA verò Chronic. t. 2. statuit hunc Abgarum postremum fuisse Regem non Osrheonorum, sed vicinarum regionum, & nomen Abgari fuisse nomen dignitatis, non nomen proprinm. CARDINALIS NORISIUS Epo. p. 91. jndicat, Abgarum à Caracalla spoliatum regno fuisse restitutum unà cum filiis. Certum tamen est, quòd in quarto sæculo Osroëhnorum Regnum in Provinciam Romani Imperii redactum sit.

(l) Ibid. l. c.

Armeni ad arma convolantes vulneribus, & cladibus attritum Antonino remisêre (l).

Nefaria perfidia & crudelis ſimulatio Imperatoris.

6. Nefaſta hæc agendi ratio etſi populis omnibus diſpliceret; Alexandrini tamen in dicteria faciles hæc ſcelera mordacibus conviitiis, ac ſcenâ ridiculâ exploſerunt (*11). Facinus ubi inaudiit Antoninus; ſpecie viſendæ urbis Alexandriam properat: exceptus honorificè, à Magiſtratu rogat, vellet multitudinem lectiſſimorum virorum extra urbis pomœria diſponere, fore enim, ut ex his civibus ſibi pergratis Prætorianos ſibi conſtituat: hi igitur dum viſuntur à Cæſare, amicóque colloquio diſtinentur; ſubitò mandante Antonino, ab exercitu circumfuſi gladiis objiciuntur tantâ ſtrage, ut dubitatum ſit, Nilusne aquis, an ſanguine manaret (m)?

(m) Dio l. 77. p. 880. Valeſius in excerpt. pag. 757.

7. Ab hac Carnificina ferrum in Parthos converſum eſt: ſed quoniam Cæſar dolo magìs, quàm virtute bellare inſueverat; à Parthorum Rege filia in uxorem Antonini callidè expetitur. Rex cum magna nobilium manu ad Romanorum Caſtra veluti ad nuptias accerſitur: vix ſolennitati, ac deliciis aliquid datum eſt; jam juſſi milites, vel totidem lictores aderant, qui ſolito latrocinio in Parthos convivas furerent: cæſis Parthorum Magnatibus, Rex unus Artabanus celeri fugâ vim evaſit, ſubinde ultor perfidiæ futurus (n).

(n) Herod. l. 4. p. 551. Dio lib. 78. p. 881.

A. Æ. C. 217.

8. Poſt tot truculentas cædes ſuum ſibi Tyrannus exitium conſcivit: ſcripſerat Romam Materniano arcanorum ejus quàm optimè conſcio, ut magorum operâ exquireret, eſſétne quiſpiam, qui Imperatori inſidias ſtrueret? Maternianus ſciſcitatione factâ, literis ſignificat: Macrinum è medio tollendum eſſe (o). Emerſerat hìc è vili Maurorum genere per varios fortunæ gradus ad ſupremam Prætorii præfecturam: nam ſub Commodo vitæ ſordidæ, proſtibulum, gladiatórque nominatus, à Severo poſteà in exilium miſſus, per Antoninum demum jure urbis ſummíſque aulæ

(o) Herod. lib. 4. pag. 554. Dio lib. 78. pag. 882.

(*11.) HERODIANUS lib. 4. in Caracalla c. 98. de Alexandrinis ait: *Sunt homines ſuâpte naturâ dicaces, atque ad deſcribendum illudendúmque maxime facti: ut autem iis, in quos conjiciuntur, longè graviſſima . . . . quare cùm multa in eum* (Caracallam) *dixiſſent, ne diſſimulatâ quidem fraternâ cæde, matrémque etiam* JOCASTAM *vulgò appellarent, irriderêntque ipſum, quòd tantulæ homo ſtaturæ Alexandrum, atque Achillem maximos & fortiſſimos Heroes æmularetur; dum ludere ſe putant, eò impulerant Antoninum . . . ut perniciem illis, inſidiáſque moliretur.*

aulæ honoribus donatus eſt (*12). Literas à Materniano exaratas ubi Cæſar acceperat; clauſas Præfecto Macrino fatali quaſi ſocordiâ tradit, ut ipſe eas inſpiciat: ac ſiquid majoris momenti ſit, renunciet. Macrinus cognito ex literis ſuo periculo, epiſtolæ argumentum diſſimulans, vim prævenire decernit; & ne moras traheret, Martialem Centurionem invitat ad cædem Antonini: ille à Cæſaris contumeliis jam irritatus, vindictam lubens in ſe protinùs ſuſcipit: ex eodem conſilio Martialis Caracallam Carris Edeſſam proficiſcentem de compoſito ſecutus eſt: atque ut hominem turpiſſimum turpi quoque morte afficeret; eo tempore, quo Cæſar à cæteris divulſus levando ventris oneri vacabat, eundem aggreditur, pugionémque per averſum trajiciens, Antoninum interficit, dignus tali morte, ſed citiore; niſi Deus ad caſtiganda Imperii ſcelera tam diram belluam longiùs ſuperſtitem relinquere voluiſſet. Periit anno ætatis octavo ſupra trigeſimum, Imperii ab obitu Patris ſeptimo (p).

Fœda mors Antonini Caracallæ.

(p) Dio lib. 78. pag. 891

9. Non ſine felici ſorte Macrino evenerat, quòd Martialis, antequàm conjurationis authorem prodere poſſet, à Prætorianis, Germanis ſcilicet equitibus fuerit interemptus (q). Itaque idem Prætorii Præfectus multis fatum Cæſaris deplorans, ſuſpicionem juſſæ cædis omnibus exemit. Julia mater viſâ Antonini urnâ, mortem ſibi ultrò conſcivit: nempe ut miſera eſſe deſineret; æternæ miſeriæ porticum malebat ingredi, partiríque cum filio cruciatus, cujus libidines meretriciâ nuditate ad inceſtas nuptias dicitur provocâſſe (*13).

(q) Herod. lib. 4. p. 556.

Mors Juliæ matris.

10.

(*12.) TILLEMONT. in Macrino A. 1. notat, quòd Heliogabalus contra Macrinum peſſimos rumores evulgârit, quos dein jubente Principe Hiſtorici ſuis faſtis inſeruerant, ideò parva hìc fides habenda eſt *Capitolino*, qui Macrinum malignè traducit: magìs hìc fidendum *Dionis* narrationi.

(*13) XIPHILINUS è Dione. *Julia, quæ tum erat Antiochiæ, cognitâ filii cæde, ità affecta eſt, ut ſe graviter percuteret,* (alii dicunt, quòd carcinoma exulcerando magìs, mortem ſibi accelerârit) *ac mortem ſibi conſciſcere conaretur. Eum enim, quem vivum oderat, lugebat mortuum, non quòd cuperet illum vivere, ſed quòd ipſam privatam vitam degere oporteret.* Hæc haudquaquam conveniunt cum illis fœdis amoribus, quos inter novercam Juliam, & filium Caracallam flagrâſſe notat SPARTIANUS in Caracalla: *Intereſt ſcire*, inquit, *quemadmodum Novercam ſuam Juliam uxorem duxiſſe dicatur. Quæ cùm eſſet pulcherrima . . . . dixiſſétque Antoninus, vellem, ſi liceret: reſpondiſſe fertur; ſi libet, licet: an neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?*

quo

Macrini Imperatoris exordia.

(r) Dio lib. 78. p. 895.

10. Intereà celeribus nunciis afferebatur, Artabanum acceptæ injuriæ memorem innumerabili cum exercitu Romanis instare finibus; arctitudo hæc rerum coëgit militem, ut Opilium Macrinum ex pessimis meliorem tumultuario delectu, simul Ducem, simúlque Imperatorem evulgarent. Nihil eorum à novo Augusto omissum est, quo populum, militémque sibi devinciret (r); Antonini igitur nomine (quia id exercitui gratum) filium Diadumenum adoptatum Cæsarem appellari præcepit (* 14): præterea leges Caracallæ de parte decima hæreditatum fisci ærario inferendâ sublatæ sunt (* 15): initia ejusmodi propior Artabani adventus interrupit; Mesopotamiam quippe ingressæ jam Parthorum copiæ ab exercitu Romano parvo intervallo distabant. Inde acerrimè pugnatum est utrinque unâ, alterâve die ab ortu solis in seram vesperam; tertia dies tamen magìs cruenta extitit: præterquàm enim quòd nox sola pugnam dirimeret; tanta virorum, jumentorúmque cecidit multitudo, ut omnis propè Campus iis compleretur: fuerúntque sequentibus tenebris tot cadaverum cumuli pro funesto aggere, quo exercitus quisque sua Castra tuebatur. In quartam diem nova jam certamina parabant Parthi; tum Macrino è re esse visum est: siquidem Artabano fatum Antonini, con-

Macrini bellum infelix contra Parthos.

quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus est. Nuptias eas celebravit, quas si sciret se leges dare, verè solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) *duxit uxorem.* TILLEMONT. quia hoc scelus Herodianus quoque silet in sua Historia, putat esse commentum.

(*14) SPANHEMIUS *Dissert. XII. de Præst. & usu Num.* §. 15. pag. 506. ait: Susceptæ sunt nonnunquam ab Imperatoribus appellationes parandæ benevolentiæ, aut grati erga Decessoris animi significationem. Huc spectat ANTONINORUM nomen celebratum adeò in monumentis Historiæ Augustæ, quod sex Cæsaribus vulgò nummi largiuntur Antonino Pio, M. Aurelio, L. Commodo, Bassiano seu Caracallæ, Diadumeniano & Elogabalo. His L. Verum & Getam áddit Capitolinus, ut octo Antoninos Augustos efficiat . . . . factum nempe eâ ætate, quod è nummis eorum temporum est similiter obvium, ùt Decessorum suorum (suâ naturâ, seu adoptione Parentum) nomina, & quidem prænominum vice adsumerent eorum in Imperio Successores: sic Nerva Trajanus, Trajanus Adrianus, Hadrianus Antoninus occurrunt, interdum etiam cognominis vice, ùt fusè legere est apud prædictum Authorem.

(*15) CAPITOLINUS in vita Macrini: *Adulterii reos semper vivos simul incendit junctis corporibus: servos, qui à Dominis fugissent, receptos ad gladium ludi deputabat. Delatores, si non probarent, capite affecit: si probarent, delato pecuniæ præmio infames dimisit. Fuit in jure non incallidus; adeò ut statuisset omnia Rescripta Veterum Principum tollere, ut jure, non Rescriptis ageretur; nefas esse dicens, leges videri, Commodi, & Caracalli, & hominum imperitorum voluntates; cùm Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur.*

contra quem vivum ſe adhucdum pugnare Rex Parthorum credebat, ſignificaretur. Ex literis per legatum miſſis vix dum Artabanus cognoverat, ſe non adversùs Antoninum (ut qui jam luiſſet pœnas) ſed contra Macrinum luctari, qui fœdus, pacémque jurejurando, libaminibus, ac ære firmare cuperet; belli omnis motus ſubitò conquievit (s): Romanos itaque duplex ſimul fama re- (s) Herod. creavit, quòd & Antonini ferrum à ſuis jugulis, & Parthorum lib. 4. p. 559. acinaces à finibus Imperii eſſent depulſi. Dio p. 887.

11. Quanto gaudio optimi quique Romæ exultabant, tanto A. Æ. C. in Macrinum odio militum animi exarſerunt; noverant enim jam 218. eundem Antonini Parricidam eſſe: adhæc deſidem Parthicæ pacis emptorem, & auſterum Ducem criminabantur (t). Serpenti- (t) Dio lib. bus per exercitum his rumoribus, facilis etiam occaſio captata eſt, 79. pag. 901. quâ inviſus & ab Antoninorum gratiſſima gente alienus Imperator penitus expungeretur. Antiochiæ, ubi Cæſar tunc agebat, Julia *Heliogabali* Mœſa erat, ſoror Juliæ Domnæ, ſeu matris Caracallæ (*16); Sol- *electio.* licitè hæc avia duos geminæ filiæ nepotes educabat: Alterum Baſſianum ex Julia Soæmia; Alterum Alexianum ex Julia Mammæa. Baſſianus quatuordecim annos natus à Sacerdotio Solis, quod gerebat, à Phœniciæ incolis Heliogabalus dictus eſt (*17). Pontifice eodem ſacra celebrante quotidiè Romani equites ad Magnificum templum convolant, dúmque in Adoleſcente jam formam,

(*16) Genealogia Heliogabali hunc in modum conſtrui poteſt:

Pater Syrus, Mater NN.

Julia *juncta Severo.*
Geta Cæſar. *quo mortuo Julia ſecundas nuptias cum Privigno Baſſiano juxta aliquorum relationem celebravit.*

Mœſa *juncta NN.*
Soœmis *concubina Baſſiani.*
HELIOGABALUS *Imperator.*
Mammæa *nupta Valerio Marcello.*
Alexander Severus *Imperator.*

(*17) CAPITOLINUS in Macrino §. 4. ait: *Heliogabalum Phœnices vocabant Solem,* quem Syri, & aliæ Orientis gentes adorabant. Hoc nomen apud Dionem & Herodianum diverſimodè ſcriptum invenitur: ab hoc ſcribitur Ἐλαιογάβαλος, ab illo Ἐλοιγάβαλος vel Ἐλεαγάβαλος: à cæteris Græcis exprimitur Ἡλιογάβαλος ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quod ſignificat Solem. FLEURY T. II. p. 106. dictum ait ab אֵל גְּבְעוֹל vel alii ab אֵל גְּבוּל quæ verba Deum collis, vel finis ſignificant; quòd Sol anni finem deſcribat. Præterea Solis Idolum ab Heliogabalo cultum nil erat, niſi ingens lapis nigri coloris, cujus baſis rotunda, & apex deſinebat in figuram conicum. Vide Herodian. lib. 5. pag. 536.

mam, ætatísque florem, jam vestium apparatum, cæteráque Augusta omnia veluti suspensi mirantur; Julia Mœsa, quæ sedulò cuncta inspectaverat, militibus obrepit, persuadétque Bassiani hujus & Alexiani Patrem esse Antoninum, qui ex filiabus suis proles ejusmodi genuisset tunc, quando Romæ anteà cum Soæmia & Mammeâ in Imperatoris & Augustæ sororis Juliæ palatio egisset. Addidit porrò sibi ingentem auri vim præstò esse, quam in milites dispensaret; siquidem liberorum uni Imperium obtingeret (u). Antoninorum nomen, tum pecuniarium præmium inclinatos jam milites facilè rapuêre: itaque eâdem nocte Bassianus intra castra receptus, Imperator declaratur. Macrinus ùt inaudiit, Julianum mittit Ducem, qui perruptis Castris tumultum componat; verùm hoc à stipatoribus interfecto, Macrinus ad bellum se accingit: in finibus Phœniciæ, Syriæque pugnatum est: ab Antonini quidem exercitu acriùs; à copiis verò Macrini multò languidiùs, & non sine nota perfidiæ: quo animadverso Macrinus stante adhuc acie, contumeliam victoris declinaturus se cum filio fugâ proripit, detracto etiam ornatu Cæsareo, ne nosceretur. Romam cogitans, fretum Propontidis trajicit; at vento adverso in Chalcedonem repulsus, ad suburbanum divertere cogitur, itineris ærumnis penitus confectus. Quod simul atque Antoninus accepisset; sicarios è vestigio ablegat, qui senem miserè laborantem decimo quarto mense gesti Imperii unà cum filio extinguant (x). Hic miserabilis igitur Macrini, & Diadumeniani exitus fuit, hoc crudelitatis Antonini initium.

(u) Herod. lib. 5. p. 563. Capit. in vita Macrini.

A. Æ. C. 218.

Macrini interitus.

(x) Herod. lib. 5. p. 566. Dio lib. 78. p. 905.

12. Offensos hâc rerum vicissitudine Romanos Augustus tunc maximè jactato Antonini nomine composuit; daturus etiam quoddam omen boni Imperii, cunctis, à quibus offensus anteà fuerat, injurias remisit (y); quod quidem unum in tota ejus vita benefactum censeri potest. Nam cæteros Regni dies signârunt perpetua vitiorum monstra, quæ pudori, quæ humanitati, legibúsque omnibus adversabantur: & ne tenebris digna vivendi forma proferatur in lucem, id dixisse sufficiat: nihil ab eo prætermissum, quod Neronis, quódque Domitiani, & Commodi fœdissimorum Ganeonum infamiam repræsentaret, quin à nonnullis addubitabatur, utrùm Sardanapalus suis libidinibus olim Niniven Assyrio-

(y) Valesf. in excerpt. Dion. pag. 761.

Vitia Heliogabali.

riorum, an verò Heliogabalus insolitis lasciviendi modis urbem Romanorum reddiderit turpiorem (z)?

(z) Lamprid. in Vit. Tillemont. T. III. p. 1. pag. 271.

A. Æ. C. 219.

13. Cùm jam Romam contenderet Heliogabalus, occisis iis, qui suæ libidini frænum injicere possent; pessimos intra consilium adscivit. Effœminatus cæterà animus ex cunctis, quæ agebat, eluxit; nam Juliæ Domnæ matris vitiosissimæ exemplum magis, quam prudentioris Mœsæ Aviæ monita secutus (a), contra Romanum morem sericis primò vestibus, ac diademate, gemmis & unionibus in modum mulieris se comere instituit (*18): ùt autem in Capitolium venit; id quod nec Livia nec Agrippina olim ausæ fuissent, Mœsa (jubente Cæsare) universis Senatoribus præsedit; ordinatus quoque novus Senatus est ex fœminis, in quo Consulatum Avia gerebat, cæteræque mulieres Consulares, fœdus, leges, ac edicta constituendi habebant potestatem (*19): inter hæc Imperii negligens Cæsar eò suas vertebat curas, quò suo Deo, quem ex Oriente advexerat, præcipuos honores dicaret (b), Jovem, cæterósque Deos Deo suo servire voluit, templóque novo ignes Vestales, scutum Martis, & quidquid cætera delubra insigniùs tenebant, inferre statuebat. Carthagine demum accivit idolum per Africam celebre, quod Lunæ formam repræsentabat, ut Solem & Lunam (ita enim fabulabatur) nuptiali vinculo conjungeret (†).

(a) Herod. lib. 5. p. 101.

Insania, luxus & superstitio ejusdem

(b) Dio lib. 79. p. 911.

(†) REFLEXIO IV.

14. Turpitudine continuâ exhaustus Heliogabalus deficere jam cœperat; quare Mœsa familiæ suæ Imperium stabilitura, eidem Cæsari persuasit, ut Alexianum fratrem intra Regni Consortium admitteret (c): fuerat hic Adolescens curâ melioris matris optimis quibúsque disciplinis imbutus, fascibúsque dignior, quòd artem moderandæ Reipublicæ ab eruditissimis Magistris à teneris hausisset. Mutato igitur Alexiani in Alexandrum Severum nomine

Adoptatio fratris Alexiani.

(c) Herod. lib. 5. p. 570.

(*18) LAMPRIDIUS in V. *voluit uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret & magis ad fæminarum vultum aptus:* Caligula ante Heliogabalum tale diadema habuerat, sed in palatio privatim. Diocletianus posteà primus fuit, qui usum publicum gemmei diadematis dicitur induxisse. *Spanhem.* l. 8.

(*19) LAMPRID. in V. *Semiramyria facta sunt Senatusconsulta de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ Pilento, quæ equo Sagmario, quæ asino aut sellâ veheretur, & utrùm sellâ pelliceâ, an osseâ an eboratâ, an argentatâ, &c. . . ., cautúmque est* (occiso Heliogabalo) *ne unquam mulier Senatum ingrederetur, útque inferis ejus caput dicaretur, devoveretúrque, per quem id esset factum.*

mine, collega fratri in Imperio adſtitit eâ ſui commendatione, ut ſuſpecto Heliogabalo populus honorem omnem in novum Alexandrum transferret: id ubi ab Antonino intellectum eſt; factæ adoptionis pœnitens conſortem inſidiis, venenóque appetere non deſtitit: dein omni honore ſpoliatum palatio incluſit, in milites etiam ultionem meditatus, qui Alexandri partes non diſſimulanter ſuſcepiſſent (d): quamprimùm autem equites ad ſupplicium rapere aggreditur, illi ſociorum civiúmque copiis aucti ſeditionem in Antoninum movent; Imperator inſequentem turbam declinaturus, in latrinam inſilit: aſt hâc perruptâ turpis homuncio in fœdiſſimo loco occiditur, occiſus unà cum matre tot ſcelerum fomite, per urbis vicos ac cloacas ignominiosè raptatur; demum in Tiberim cadavera adjecto pondere, ne ſepeliri poſſent, demerguntur (e): ab hoc tempore eraſo Antoninorum nomine Cæſar Tiberinus, & Tractitius apud poſteros audiit, qui Imperium annis tribus, menſibus quatuor, ſuâ vitiorum colluvie fœdaverat (*20).

(d) Dio lib. 79. pag. 915. 916.

Mors fœda Heliogabali, A. Æ. C. 222.

(e) Lamprid. in Vit. Hel.

15. Decimum quartum agebat annum ætatis Alexander, quando à Senatu & exercitu univerſo Regnum, Regníque titulos unâ die accepit (*21). Amotis iis, qui ab Heliogabalo in palatium, in Senatum ac præfecturas acciti fuerant, ex optimorum & Juriſprudentium virorum conſilio Imperium admoderari aggreſſus eſt: horum cùm rogaret ſententias; cogitandi meditantibus ſpatia reliquit; ne quid temerè in medium proferrent (f). Ad publica Reipublicæ munia admovebat eos præcipuè, quos merita, non divitiæ ornarent; unde ſæpiùs dicere ſolitus: *ego non*

(f) Lamprid. in V.

Alexandri felix Imperium.

(*20) IDEM: *Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque poſteà hoc nomen in Republica loco Principum frequentatum eſt; etiam illud addendum eſt, ne quis error oriatur, dum duos Gordianos narrare cœpero, Patrem ac filium, qui ſe de Antoninorum genere dici volebant: non Nomen in illis fuit, ſed Prænomen. Deinde, ùt pleriſque in libris invenio, Antonii dicti ſunt, non Antonini* Itaque nil reliquit Heliogabalus, niſi turpe Symbolum: SUUS SIBI QUISQUE HÆRES OPTIMUS.

(*21) LAMPRIDIUS cauſas refert, cur præter morem ſimul Patris Patriæ nomen, & Auguſti & jus proconſulare & tribunitiam poteſtatem debuerit admittere Alexander. *prima* erat inſtabilitas militum, qui uno electo alium ſtatim obtrudebant, unde bella civilia oriebantur. *2da* nimia & Senatûs & Populi inclinatio ac vaſtatio, quæ per Antoninos facta fuit; unde Alexander etiam nomen Antonini detrectavit, & cùm loco hujus Alexander MAGNUS appellaretur; etiam abnuit, eoquòd necdum Magni quid feciſſet. *3tia* quia Alexander ſuffragante vitâ, & moribus cuncta inſignia, & honorificentiæ genera jam meruerat.]

non patiar mercatores potestatum; necessarium enim est, ut qui emit, vendat: nec sinè rubore puniri potest is; qui, quod emit, aliis venale quoque exponit. Quàm rigidus in facinorosos, tam humanum, comémque se civibus præstitit, bonis Principem quemvis debere professus; quare Privatum quemque interpellans dicebat: *Quid? cur nihil petis? an me vis tibi fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris.* Hæc beneficentia quia modum excedere aliquando matri visa est; filium monuit, *nimiùm familiarem, molliorémque ipsum sibi fecisse Imperii potestatem:* At filius increpanti sapienter reposuit, sed & *securiorem* atque *diuturniorem.* Et profectò Cæsar suæ in cives clementiæ tantùm confisus est, ut nec æmulum hostem timeret: Camillo quippe Imperium clàm affectanti gratias egit, quòd curam Reipublicæ, quæ recusantibus bonis imponeretur, spontè, ac libens ambiret: deinde ipsum ad Senatum secum eduxit, timentémque etiamnum mali quidpiam in palatium recepit, ornamentísque Imperialibus donavit (g). (g) Dio lib. 80. pag. 917. 918.

16. Quo minùs moderatio ejusmodi peccandi licentiam provocaret; vitia ea, quæ tunc invaluerant, acerbioribus pœnis exterminare constituit (h). Fraudes, & furta seu judicum, seu aulicorum persecutus, paratum semper habebat digitum; ut si quem raptæ rei alienæ famâ laborantem conspiceret, ei oculum erueret. Turino cuidam ex Cæsaris familiaribus fatale fuit, suum ut ajebat, potens apud Alexandrum patrocinium, multásque gratias, quasi suâ ope impetratas, dictato pretio per dolum vendidisse. Cæsar ùt hæc cognovit, gnarus nunquam à Turino pro miseris preces interpositas, eventúmque duntaxat, si quis secundus solâ Imperatoris clementiâ aspirantibus accidisset, Turini advocationi (quæ tamen nulla fuisset) adscribi; hominem de muneribus dolo acceptis convictum ad stipitem ligari jubet, & excitato per appositas stipulas, ac humida ligna fumo veteratorem enecat, succlamante Præcone: *fumo punitur, qui vendidit fumum.* Atque hoc virtutum studium Alexander præcipuè hauserat à matre Mammea, pientissima, & ut fertur sacris Christianis addicta fœmina (*22) quæ

(h) Lamprid. in Vit. Alexandri

Scelerum & fraudum odium.

Alexandri Mater.

(*22) EUSEBIUS lib. 6. c. 21. vocat sapientissimam & sanctam fœminam, quæ magnam habebat pietatem erga Deum. OROSIUS lib. 7. c. 18. dicit palàm Mammæam Christianam fuisse. Item CEDRENUS t. 1. p. 256. VINCENTIUS Lirinensis c. 23.

quæ præter cæteras morum regulas ex Evangelio decerptas, illam quoque filio inculcavit: *quod tibi nolis, id in alterum facere caveas.* Cum legibus orthodoxis aliqua ſaltem æſtimatio Chriſti earum Authoris Cæſari inſtillata eſt; inde factum, ut Alexander eundem inter ſuos cæteros Deos Ethnicâ quamvis ſuperſtitione coleret.

A. Æ. C. 222. *Conjuges Alexandri*

17. Primis Imperii annis è vivis deceſſit Julia Mœſa, vel ideo inter numina adſcripta, quòd ſuo conſilio in familiam regnum invexiſſet: inde Alexander Conjugem ſibi junxit, illuſtri ſtirpe prognatam; ſed vinculum hoc non diu ſtetit, ſurrogatáque eſt priori nova Conjux Memmia Conſulis Sulpitii filia, ſive quòd Primam odiſſet Mammæa Alexandri mater, vel quòd Pater ſponſæ ejusdem Martianus Cæſari inſidias ſtruxiſſet (i).

(i) Herod. lib. 6. p. 575. & 575.

A. Æ. C. 223.

18. Circa idem tempus concidit potentiſſimum Parthorum Regnum, ſurrexítque novum Perſarum (k): illud fundare cœperat Arſaces flagrante primo bello Punico, ſive annis 250. ante Chriſtianam Æram; ab ea ætate idem Dux contra Reges Syriæ Alexandri Magni Succeſſores rebellis, Parthorum terras ſibi rapuit, ſuíſque poſteris Regibus tradidit, qui Arſacidum titulo, annis 470. adverſùs vicinos populos, & Romanos præcipuè, ſuam Regni, armorúmque potentiam ſervârunt. Sed, ut res omnes cùm faſtigium tenent; fato quodam ſuo adiguntur in præceps: ita Parthorum gloria ab Artabano Regum poſtremo maximis acceſſionibus aucta, repentè collapſa eſt. Opus tantùm qui deſtrueret, vir genere Perſa fuit, Artaxerxes, qui privatus licèt, audax tamen ingenio & Magus junctis popularibus, tribus præliis Artabanum Romanorum victo-

(k) Petav. Rat. lib. 4. c. 3.

Perſici Regni Reſtauratio.

23. GEORGIUS SYNCELLUS, BARONIUS ad a. 220. §. 6. CASAUBONUS in Alexand. V. id certum eſſe ait Tillemont. p. 291. illam Origenis doctrinam audiiſſe Alexandriæ, atque inde Chriſtianis annumeratam eſſe: ſive deinceps conſtiterit in ordine Catechumenorum usque ad finem vitæ, ùt Conſtantinus M.: ſive admiſſa fuerit ad participationem Myſteriorum. Poſt has laudes, quæ Mammææ tribuuntur, non deſunt aliqua, quæ Scriptores in ea reprehendunt; nam quidam avaritiam notant, quódque ea de cauſa filium in exitium præcipitârit, ùt habet Herodianus lib. 6. p. 587.; qui author porrò eam accuſat, quòd nimium Imperium exercuerit in filium, Auguſtam Alexandram conjugem Imperatoris peſſimè habuerit, fecerítque, ut in Africam relegaretur, & ejus Pater occideretur: ſed Herodianum multi maligni odii contra Alexandrum inſimulant. Quare mirum non eſt, acerbum hìc ejus eſſe calamum. Baronius credit, quòd Aulæ honores ſuſcepta ſacra Chriſtiana nonnihil in Mammæa mutârint. Demum quod poſt mortem Mammæa inter numina Ethnica relata ſit, id non vitium Mammææ ſed aliorum fuit.

Victoriis illustrem debellavit, potitúsque diademate tum Medorum, tum Parthorum, Persiæ Monarchiam restituit (l); postquàm eadem victo Dario ab Alexandro M. eversa, spatio 555. annorum suis in ruderibus latuerat. Ex Media, & Parthorum finibus Paulò longiùs progressus Artaxerxes, Mesopotamiam, Syriam, & quidquid in Asia Romani de Persarum Regno decerpserant, armis repetere aggreditur (m): Præfecti legionum metu victoriarum, quas in Oriente Augustus, Trajanus, & L. Verus, ac Severus reportârant, hostem suspendere annitebantur; at is legationibus, minísque contemptis palàm in Romanas undique ditiones irrumpebat. Alexander itaque Româ ad bellum exiit Anno Æ. C. 231.: castigato, & ad veterem disciplinam revocato milite (*23) profectus in Persas, Artaxerxem utùt copiis, falcatísque curribus validum fundit, fugátque. Victoris lætitiam literæ ab Illyrici Procuratoribus missæ turbârunt: his quippe significabatur, Germanos Rhenum, Danubiúmque transgressos, Romanos in fines hostiliter intrâsse, oppugnare castra Istri, ac Rheni ripis imposita; esséque periculum, ne militaris turbo Galliæ, Italiæque totus incumbat.

(l) Herod. l. 6. p. 576.

(m) Syncell. p. 357.

A. Æ. C. 231.

(n) Lamprid. in Vit.

Bellum Alexandri contra Persas.

19. Alexander Antiochiæ unà cum matre Mammæa constitit, quando his nunciis territus, formidine non exiguâ fatiscebat. Confecto

A. Æ. C 234.

(*23) CAPITOLINUS in V. *Cùm Antiochiam* (Alexander) *venisset, ac milites lavacris, mulieribus, & deliciis vacarent, eique nuntiatum esset; omnes eos comprehendi jussit, & in vincula conjici: tum ille tribunal ascendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, & quidem armatis ità cœpit;* Commilitones, *si tamen ista vobis, quæ à vestris facta sunt, displicent; disciplina majorum Rempublicam tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & Imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt, quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani vestri socii, mei contubernales & commilitones amant, potant, lavant, Græcorum etiam more quidam se instituunt; hoc ego diutiùs feram? & non eos dedam capitali supplicio?* Tumultus post hoc ortus est, atque iterum: *Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam emittite ....* & cùm vehementiùs fremerent, ac ferro quoque minarentur: *deponite*, inquit, *dextras contra hostem erigendas; si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim unum hominem occideritis, non nobis deerit Respublica, non Senatus, non P. R., qui de vobis vindicet.* Cùm nihilominùs post ista fremerent, exclamavit: *Quirites discedite, atque arma deponite!* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diversoria varia recesserunt. Túncque primùm intellectum est, quantum ejus severitas posset; sed hic ipse rigor ei posteà vitam ademit.

Triumphus Alexandri de Persis.

(o) Spart. in V. Herodian. lib. 6. p. 584.

(p) Aurel. V. Spartian.

Initia Maximini.

(q) Syncell. p. 361. Herod. lib. 6. p. 585.

(r) Jornand. Regn. c. 22.

(s) Capitolin. in Vit.

fecto igitur celeriter itinere Romam contendit, & peracto triumpho (24) ad Rhenum centum quinquaginta millium copias deducit (o): communitis ibidem ripis, Castrísque antequàm barbaros videret; hostem in ipso exercitu invenit: legiones quippe duriùs ab Alexandro habitæ in Cæsarem consurgunt. Seditioni licèt Imperator modum poneret, rebelles à militia abdicando; severitas tamen ea cæterorum quoque militum animos in ultionem & exitium Alexandri propiùs futurum incendit (p). Maximinus inter castrorum Duces fortissimus hos tumultus in rem suam vertens, obrepere sensim militum animis, ac insidiari Imperio conabatur: erat is barbaris Parentibus natus in vico Thraciæ (q), Patre Gotho, & matre Alanâ (r): traductâ inter vilem pastorum turbam pueritiâ, prima sub Septimio Severo stipendia, & non exiguos sub Caracalla honores meruit; cùm enim vastissimâ corporis mole, quæ octo pedes digito superabat, admirationem cieret multis, tum in stuporem planè omnes pertraxit insolito robore: Miloni quippe Crotoniati, Herculi, aut Antæo persimilis sedecim fortissimos viros uno sudore vincere, equum æquare cursu, ferrum in modum stipulæ frangere solenne habebat (s): regnantibus posteà Macrino & Heliogabalo militare cingulum solvit, tum quòd primum odisset, tum quia sub impurissimo homine stipendium facere nefastum duceret. Alexandro subinde fascibus admoto, Maximinus è Thraciæ natali solo ad castra rediit; Tribunatûs honore auctus tyrones ex Mauris, & Osrhoenis adlectos armorum usum apprimè docuit, dicere solitus: ego verò quò major fuero, tantò plus laborabo. Maximam à cunctis militibus gratiam iniît, quando legiones suas jaculandi tela, palandi, & circumeundi admodum gnaras in Germanos eduxit: hi quippe solis Mauris & Osrhoenis cedere, hos velut victores timere non sine Maximini Ducis æstimatione ostentabant. Sed quoniam reliquis Alexandri legio-

(*24) IDEM ait, post triumphum hæc verba Alexandrum ad Senatum fecisse: *Persas P. C. vicimus . . . .* arma fuerunt hostibus, *Elephanti septingenti, iidemque turriti, cum sagittariis & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti jacent, decem & octo perduximus. Falcati currus mille . . . centum & viginti millia equitum fudimus: Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus . . . Artaxerxem . . . fusum fugavimus &c.* Herodianus contrà author est, ab Alexandro non victum Regem, imò Imperatorem amisisse exercitum fame, frigore, & morbo. Sed Herodianus (iniquior Alexandro) scribit hæc contra multorum opinionem, ùt monet LAMPRIDIUS.

gionibus iniquior erat cum Germanis bellandi ratio, jámque Cæſar à barbaris auro pacem emptum ibat; milites deſidiam Principis aſpernati, Maximino ad ſpeciem reluctanti purpuram injiciunt: tum in Alexandri tentorium irruentes, Auguſtum cum matre, amicíſque propè Moguntiacum contrucidant (*25). Illachrymata Roma eſt ad triſtiſſimi casûs nuncium, Principem optimum anno ætatis 28. Imperii 14. peſſimorum inſidiis periiſſe.

Cædes Alexandri & matris Mammææ.

A. Æ. C. 235.

§. III MAXIMINI *crudelitas, Bellum ejus in Germania,* GORDIANUS *creatur Imperator in Africa, huic mortuo Romani ſurrogant* CLODIUM PUPIENUM, CÆLIUM BALBINUM, GORDIANUM JUNIOREM, *Maximini cædes, Interitus Cl. Pupieni & Cæl. Balbini; Gordiani victoriæ contra Perſas, & funeſtus exitus: Imperium* PHILIPPI *Arabis, Ludi ſæculares celebrati anno milleſimo U. C., Mors Philippi.*

A. Æ. C. 235.

I. MAXIMINUS ùt primùm gubernacula tenuit, in filium *Julium Verum Maximum* Regni partem diſpertitus eſt: auxit hoc modo Principatum, ſed non in melius; nam & à Patre & filio mox indolis barbaræ documenta data ſunt. Quicunque proſapiâ nobili, aut cognatione Alexandri fulgeret, huic ſtirpis claritudo exitium conſcivit; propter eà quòd vivos illos ſupereſſe nollet Cæſar, qui cultis moribus, aut generis nobilitate ejus barbariem, aut natalium conditionem obſcurarent. E Tyranno in Cyclopem ac Phalaridem planè mutari viſus eſt (a), dum in caſtris dubia quædam conjurationis veſtigia deprehendit. Junxerat nimirum Maximinus ponte Rhenum, quo exercitum in Germanorum fines transmitteret: molienti opus ancipiti rumore affertur virum Conſularem eſſe, cui Magno nomen (b), quíque cuſtodes riparum ad hujusmodi conſilium largitione quâdam pertraxiſſet, ut Cæſarem in alterum littus progreſſum, ponte reſciſſo, reditúque intercluſo Germanis proderent. Famæ mendacium

Maximini Imperatoris crudelitas.

(a) Capitolin. in Vita.

(b) Herod. l. 7. p. 589.

(*25) De loco cædis non conveniunt Scriptores: LAMPRIDIUS ait, id contigiſſe *in vico, cui Sicilæ nomen*, quam Sicilam putat CALVISIUS eſſe *Sicklingam* propè Moguntiam; Euſebius huic ſuffragatur, utì & Casſiodorus: & Chronicon Alexandrinum cæſum eſſe Alexandrum propè Moguntiam confirmat. Mammæam Bucherius *Ficeliæ* inter Bingam & Bobbardam ſepultam eſſe teſtatur, adjecto amplisſimo Cenotaphio, quare hic Author eundem locum & cædis, & funeris eſſe confirmat.

dacium jam ſpontè inſanienti Cæſari ſatis argumenti erat, ut quater millenos homines peſſimis modis perderet: alios enim vivos equorum, boúmque cadaveribus inſui curabat, utì eo pacto vermibus corroderentur: Alios autem Leonibus, ac rabidis canibus laniandos objecit.

Imperator populatur Germaniam.

2. Hâc crudelitate deferveſcente, adversùs Germaniam novus belli ardor conceptus eſt: ſtrato ſuper Rhenum ponte Maximinus Germanorum terras ingreſſus, per trecenta, vel quadringenta millia barbarici Soli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, Germanorum plurimos interemit, cepit innûmeros: populationem, & latrocinia hæc velut ingentia facinora literis & tabulis depicta ad Senatum transmiſſa ſunt (*1); verùm exempla adeò truculenta Romæ non aliter, ac futuræ quoque in urbem tyrannidis omina accepta ſunt (c). Oblatis victimis à Jove potiſſimùm exquirebatur conſilium, quo prohiberi poſſet, ne ullo tempore Imperatores vivi Italiam viſerent. Intereà Maximinus Sirmium in Pannoniam diſceſſit, ut eâ, quâ Germanos ferociâ fregerat, Sarmatas quoque, alióſque ad mare Boreale populos ſubigeret; nec votis eventus defuiſſet, niſi bella civilia Cæſarem retardâſſent. Direptiones nimirum templorum, urbium, ac

(c) Capitolin. in V. Herod. p. 592.

Odium Maximini.

(*1) HERODIANUS lib. 7. c. 2. p. 592. bellum id ità deſcribit: *At verò Maximinus hoſtilem ingreſſus agrum, diu nemine, qui reſiſteret invento . . . regionem illorum depopulabatur, maturis jam ſegetibus, vicóſque omnes incendendos, diripiendóſque militibus tradebat. Sunt autem urbes, ædificiáque illa maxime incendiis obnoxia. Rara enim apud Germanos ſtructura è lapide, ac lateribus coctilibus, denſiſque potiùs ſylvis, quarum confixis, coagmentatíſque lignis quædam quaſi tabernacula ædificant. Igitur Maximinus in eam regionem graſſatus, populatis ſegetibus, omníque pecore captivo militibus permiſſo, nullos adhuc hoſtes invenerat. Siquidem campeſtres regiones, locáque ab arboribus pura deſeruerant, atque intra ſylvas & paludes delituerant, ut inde præliarentur, atque eruptionem in hoſtem facerent. Etenim denſitas illa arborum, ſagittis, jaculíſque hoſtium allatura impedimentum, & paludum altitudo, periculoſa Romanis, locorum ignaris, ipſis autem facilis, expeditáque fore videbatur . . . . In hujuſmodi igitur locis pugna inita, ubi etiam Imperator ipſe Romanus fortiſſimè prælium inchoavit; nam cùm ad ingentem, vaſtámque paludem ventum eſſet, intra quam Germani fugâ ſe receperant, verentibus Romanis eodem hoſtes inſequi; primus Maximinus equo paludem ingreſſus, cùm quidem etiam ſupra alvum equus voragine hauriretur, magnâ vi repugnantes barbaros contrucidavit: Quare reliquus exercitus pudore inſtinctus, ne prodere pugnantem pro ſe Imperatorem videretur; auſus & ipſe eſt paludem ingredi. Multíque utrinque ceciderunt, ità tamen, ut nullus penè barbarorum fuerit reliquus.* Monet hìc CAPITOLINUS, Herodiano in vita Maximini minorem habendam fidem, ut qui facta ejus nimiùm celebrat ex odio, quod gerèbat, in Alexandrum.

ac cædes optimorum cunctasProvincias in Maximinum commove- (d)Herod.l. 7. p. 595.
rant (d): citiùs reliquis aliquid ausa est Africa; nam cuncti seditione A. Æ. C.
ortâ, & Procuratore Maximini (teterrimo homine) occiso, M. AN- 237.
TONIUM GORDIANUM AfricæProconsulem invitum etiam unà
cum filio ad purpuram jam rapuerant (*2). Gladiis, minísque
ad capessendum Imperium adactus Gordianus, literis Senatui Ro-
mano Principatum, & modum, quo rem gesturus esset, testatur:
lectâ coràm populo epistolâ singuli, quasi œstro perciti furen- (e) Capitol. in V. Gord
tium in morem per urbem discurrere, hostem Maximinum, *Gordiani*
ejúsque filium proclamare, dejicere eorum statuas, trucidare *Imperatoris*
Cæsarum propinquos, & cadaveribus cloacas cumulare (f). Quæ *in Africa breve Regnum.*
postquàm Maximino nuntiata sunt; furiis, rabie, & insano do- (f) Herod.
lore primùm agitur: dein revocatâ mente, pacatiùs Capellanium p. 599.
Mauritaniæ Præsidem Gordiano opponere aggreditur (g): is ac- (g)Capit.in
cepto mandato versùs Carthaginem movet copiis vacuam, non V.
sine præsenti Gordianorum exitio: nam Pater senio gravatus,filium
cum parva duntaxat militum manu hosti occurrere jusserat. Dum
igitur imparibus viribus concurritur; Afri milites fugam respe-
ctantes arma abjiciunt: dein tumultuario ordine sibi ipsis eva-
dendi modum præpediunt, ut proinde facilè esset Mauris, Gor-
dianum Ducem, hæsitantésque manipulos, aut interceptos con-
trucidare. Ut verò Gordianus Parens intellexit, hostes victo-
res repentino assultu in urbem irruere: ac fœminarum ejulatus
per totam Carthaginem personarent; deploratâ salute intra cubi-
culum se quasi dormiturus recepit, collóque zonæ (quâ præcinctus
fuerat inserto, laqueo hoc funesto vitam & Imperiumfiniît (h). (h) Herod. lib. 7. p. 603.

(*2) CAPITOLINUS in Gord. *Gordiani non (ùt quidam imperiti scribunt) duo, sed tres fuerunt ... Horum* GORDIANUS SENIOR *natus ex Patre Metio Marullo matre Ulpiâ Gordianâ, originem paternam ex Græcorum genere habuit, maternam ex Trajani Imperatoris: Patre, Avo, Proavo* COSS. ... *ipse Consul ditissimus, ac potentissimus, Romæ Pompejanam domum possidens, in Provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus. Ipse ex Consulatu, quem egerat cum Alexandro, ad Proconsulatum Africæ missus est ex SC.* ... GORDIANUS JUNIOR *Gordiani senis Proconsulis Africæ filius, qui cum Patre, & ab Afris, & à Senatu Augustus appellatus est .... primis diebus sui Natalis Antoninus est appellatus: mox in Senatu Antonini nomen est editum, vulgò dein Gordianus haberi cœptus* .... CORDUS *dixit uxorem nunquam habere voluisse; contrà* DEXIPPUS *putat, ejus filium esse Gordianum tertium, qui post hoc cum Balbino & Pupieno puerulus adeptus est Imperium*, infrà tamen Capitolinus fatetur, plurimos asserere, quòd Gordianus tertius ex filia Gordiani prognatus sit.

Clodius Pupienus & Cælius Balbinus Imperatores.

3. Gordiani fatum utì Africam cædibus, ſic Romam terrore implevit; Senatus quippe velut re deſperatâ in Capitolium confugiens, viros fortes veſtigabat, qui imminens ultoris Maximini ferrum ab urbe porrò averterent. Magiſtratibus duo præ cæteris placuerunt CLODIUS PUPIENUS MAXIMUS è fabri filio militiæ, dein urbis Præfectus; alter D. CÆLIUS BALBINUS tum nobilitate generis, tum bino Conſulatu inſignis (i): uterque itaque electus Imperator eſt, ne ſub uno Principatus in novam tyrannidem demigraret. Balbino impoſitum, ut domi, Pupieno verò, ut militiæ rem gereret. Dum hæc aguntur in Capitolio; vulgus rumoribus excitum alium ex Gordiana Gente depoſcit Principem. Senatus à ſævitie plebis undique petitus, è veſtigio puerum quendam Gordianum ex Gordiani Cæſaris filia natum, à ludo, cui cum cæteris pueris vacabat, vocari & humeris impoſitum per mediam multitudinem continuò fauſta acclamantem Capitolio inferri curat. Hoc Cæſare creato ira popelli reſedit, ſimúlque Senioribus Auguſtis Imperii tutela relicta eſt (k).

(i) Capitol. in V. Maximin. & Balb.

Gordianus Junior.

(k) Herod. lib. 7. p. 604. Capitol. in v.

A. Æ. C. 238.

4. Intereà Maximinus, Pannonum, Germanorúmque copiis ſtipatus, per Alpium anguſta Italiam invadit: primum offenſi Cæſaris impetum Aquileja (l) clauſis portis excepit: multitudine igitur arietum, aliíſque inſtrumentis bellicis mœnibus vis admovetur; at ſimul virorum, fœminarum, puerorúmque dimicantium magnanimitas prolicitur (* 3). Obſeſſis majores animos injecit, quòd nôſſent, Pupienum cum exercitu tergo hoſtis inſtare; itaque ex muris inſignia, atque imagines Imperatorum Pupieni, Balbini & Gordiani, eáſque lauro coronatas oſtentant: urebat Maximinum invidioſa hæc ſpectaculi ſpecies, & ſupplicia, quæ in acerbos ſibi cives ſtatuere non poterat, in militem præſentem effudit, cauſatus per legionum inertiam fieri, quò minùs civitas multò antè capta fuiſſet. Exercitus fame, & annonæ penuriâ jam preſſus, nunc ſuorum injuriis irritatus à Maximino palàm deficit (m): mox à ſeditioſis Cæſar obruitur, & unà cum filio ob-

(l) Herod. l. 8. p. 610.

Cædes duorum Maximinorum.

(m) Herod. p. 616.

(* 3) CAPITOLIN. in Maxim. *Prætereundum ne illud quidem eſt, quod tantâ fide Aquilejenſes contra Maximinum pro Senatu fuerunt; ut funes de capillis mulierum facerent, cùm deeſſent nervi ad ſagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum; unde in honorem matronarum templum Veneri Calvæ Senatus dicavit.*

obtruncatur elapso Tyrannidis anno tertio. Corpora dilanianda canibus projecta, capita verò resecta Romam missa sunt, ut ante rostra populi conspectui exponerentur: repentina hæc mutatio urbis metum, dissidiáque restinxit, quæ cives inter & milites ob diversa factionum studia ad profusionem usque sanguinis, incendiorúmque fœditatem fervebant.

5. Aquileja occisis Tyrannis portas spontè aperuit legionibus, quarum complures Pupienus in Orientem, Illyricum, & Germaniam (unde Maximinus eas copias acciverat) remisit; cum cæteris, scilicet Prætorianis, & parte Germanorum militum idem Cæsar Romam posteà triumphantis in morem profectus est. Lætitiam urbis publicam nata quædam inter æquales Cæsares discordia, tum maximè Prætorianorum seditio brevi convulsum ibant: hi quippe ægrè ferebant Cæsares duos Balbinum, & Pupienum à solo Senatu fasces accepisse; quin pro vetere more à castris petitum fuisset suffragium: nec minùs indignabantur, non sine suo contemptu exteris Germanis custodiam Cæsarum, aliásque prærogativas tribui: itaque eo tempore, cùm ludis Capitolinis vacaret populus, in Palatium (ubi soli agebant Augusti) strictis gladiis involant: & poterat arceri vis, si Germani à Pupieno evocati adfuissent; sed dum eos retinet Balbinus, sibi ab æquali metuens, aut invidens Collegæ, & se & illum perdidit. Non enim in Pupienum duntaxat, sed & in Balbinum procella detonuit: ambo detractis vestibus nudi, evulsis etiam barbis & superciliis, ignominiosè ad castra ducuntur excarnificandi. Ne postremam crudelitatem Cæsares experirentur; prohibuit Germanorum adventus: obtruncati igitur in via, mitiore fato excesserunt (n). In apertum prælium tunc proruissent Germani civibus juncti: nisi Prætoriani Juniorem Gordianum intrà castra receptum insanis vocibus Augustum exclamâssent. Favor tum omnium ordinum in avum, ac avunculum Gordianos, tum pulcherrima Juvenis electi forma truci, & in ultionem parato agmini arma excussère.

Interitus Pupieni & Balbini Cæsarum

(n) Herod. l. 8. p. 621. & 622.

6. Gordiano Imperatori modò annos tredecim nato, cùm nihil deesset præter ætatem; consilio firmiore egebat, cujus adjumento tantam Imperii molem sustentaret: non deerat quidem mater, quæ utì olim Mammæa Alexandrum; sic illa filium Gordia-

A. Æ. C. 239.

num adjuvaret; verùm hujus levitate actum est, ut inter adulatorum mendacia, non sine damno Reipublicæ, Juvenis Cæsar detineretur, nihílque magís posteà questus est Gordianus, quàm *miserum esse Imperatorem, apud quem vera reticentur.* Ex vitiis, quæ à molli regnandi arte, ac veteratorum studio pullulabant, aula subinde emersit, quando Gordianus Misithei viri doctissimi, & eloquentissimi filiam Furiam Sabinam Tranquillinam in conjugem, simúlque Socerum in Prætorii Præfectum adscivit (*4); hujus quippe prudentia, præterquàm quòd domi Rempublicam tot sceleribus ægram consanaret, militiæ etiam mirificè profuit (o).

Misitheus Tutor & Socer Gordiani.

(o) Capitol. in V.

A. Æ. C. 241. & 242

7. Sapor Artaxerxis Persarum Regis filius circa annum CCXLI. bellum illud resumpserat, quod Parens ejus cum Alexandro Severo composuisse visus est. Non equidem defuit fidei datæ Barbarus, nec pacem initam aliter, quàm minis, & modicis velitationibus turbavit: at Artaxerxe fatis functo, Sapor turbulentiùs in Romanorum fines novum exercitum rapuit. Carrhæ & Nisibis primùm expugnabantur: & longiùs protulisset arma; nisi cum Misitheo Gordianus grassatori occurrisset. Tum frequentibus præliis accisa est Saporis arrogantia, eóque demum continuis victoriis radacta, ut Regnum suum etiam libens Romanis in Provinciam traderet. Inde Syriam, agrúmque Antiochenum invisens Cæsar, mox Thraciam, ac Mœsiam, tantùm ubique vicit, delevit, ac fugavit, ut Restitutor Imperii haberetur (p): has tamen ille victorias datis ad Senatum literis uni Misitheo adscribere, hunc velut Patrem, ac Re-

Gordiani bellum contra Persas & victoria.

(p) Capitol. in V.

(*4) CAPITOLIN. in V. recitat literas Gordiani ad Misitheum: *Imperator Gordianus Augustus Misitheo Patri & Præfecto. Nisi Dii omnipotentes Romanum tuerentur Imperium, etiam nunc per emptos Spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo, neque Felicem Prætorianis cohortibus præponi debuisse ..., & ne omnia dinumerem, multa non esse facienda, quæ feci. Sed Diis gratias, quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea, quæ inclusus scire non poteram. Quid enim facerem, quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano, & Reverendo, & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret; & illorum consensu quasi testium, quod dixerat, approbarem? Mi Pater, verum audias velim:* Miser est Imperator, apud quem vera reticentur; *qui cùm ipse publicè ambulare non possit, necesse est, ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet.*

A. Æ. C. 243.

Regni Tutorem dilaudare solebat (*5). Grata mens Cæsaris in Socerum, Misitheíque fides in Gordianum, totidem ungues erant in ulcere Philippi Arabis, qui licèt dudum insidiatus esset Imperio; Gordianum tamen tam fortis viri præsidio munitum aggredi, aut fallere desperabat. Misitheum igitur unum dolo appetendum sumpsit; occasionem inde nactus, quòd Socerum Cæsaris profluvio ventris laborare ex medicis nôsset: his proinde ad perfidam operam conductis, ægro pro medicina venenum porrigitur; quo Vir sapientissimus miserabiliter confectus est, magno Gordiani, majore Reipublicæ damno (q).

Mors Misithei, & Philippi Arabis initia.

(q) Zosim. lib. 1. p. 641.

A. Æ C. 244.

8. Philippus submoto Misitheo, ad Imperatoris cædem jam grassaturus, in ejus favorem blanditiis ità irrepit, ut Prætorio præficeretur. Hâc dignitate armatus, nihil non egit, quo Gordianum perderet. Ac primò naves frumentarias, quæ commeatum ex Ægypto, atque Italia ad exercitum convehebant, aliò avertit, ubi exonerari haud poterant: Annonæ igitur egestate pressum militem ubi in querelas contra Gordianum incitâsset; Philippus quasi alia agens legionum inquiem fictâ commiseratione fovet: tum per intervalla opportuna oggerit Ducibus Castrorum Gordiani ineptam tantis rebus adolescentiam: malis remedium vix fore; nisi Cæsar Tutori & novo Parenti Patriæ subderetur. Rumusculi ejusmodi temerè sparsi, & altiùs concepti id effecerunt, ut Gordiani Collega Philippus diceretur (r). Verùm ea hominem ex ignobili genere, ac Arabiæ sordibus emergentem haud exsatiarunt (*6); Consortem proinde Imperio planè expellere adnititur: ob-

(r) Zos. lib. 1. p. 641.

(*5) IDEM Gordianum ad Senatum retulisse victorias ait, & sub finem epistolæ addidisse: *Valeat tantùm Misitheus, Præfectus, Parens noster, cujus ductu, & dispositione & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est, igitur supplicationes decernere, nos Diis commendare; Misitheo gratias agere.* His in Senatu lectis, quadrigæ Elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote, qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus hujusmodi: MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPUM, PRÆTORII PRÆFECTO, ET TOTIUS URBIS TUTORI RESP. S. P. Q. R. VICEM REDDIDIT.

(*6) POMPONIUS LÆTUS: *Marcus*, ait, *Julius Philippus Vostris Arabiæ urbe obscuris parentibus natus est, cujus fortunæ humilitas generis non obfuit.* SEXTUS AURELIUS VICTOR vocat eum *Arabem Trachonitem*, & alibi in Histor. Antiq. *is Philippus humillimo ortus loco fuit, Patre nobilissimo latronum ductore.* CASSIODORUS eum *primum Christianum ex Romanis Imperatoribus* appellat.

Philippus proditor & parricida Gordiani.

obſcura ejusdem ſtudia ità non fuêre, quin à Gordiano veſtigarentur: is itaque palàm queri apud exercitum cœpit; viri ſcilicet immoderantiam eſſe, qui tot beneficiis malefacta rependeret: audita quidem iſta ſunt, ſed inclinatis adeò animis, ut Gordiano, fruſtrà Cæſaris nomen aut Prætorii Præfecturam gratiæ loco petenti, tandem vivere ægrè, ídque ad breve tempus ſit conceſſum; nam Philippo ſuam ignobilitatem, Gordianorúmque genus, & res geſtas cogitanti facilè occurrebat, inſtabile militum ingenium ad priſtinos favores rediturum: quare ſimul atque occaſio oblata eſt, Gordianum in ſeceſſu aliquo deprehenſum laqueo ſtrangulavit; poſtquàm regnaverat ſupra annos quinque octonis menſibus (*7).

A. Æ. C. 245.

9. Philippus quò tutiùs partum crudelitate imperium ſervaret; Senatui Romano imponit, Gordianum morbo extinctum, nullúmque militum fuiſſe, qui ſibi etiam reluctanti Purpuram non obtruſiſſet. Mendacio fidem facturus nil omiſit, quod ſive ad Gordiani poſthumos honores, ſive ad amoliendam parricidii ſuſpicionem pertineret. Rumor de exceſſu Gordiani ad Proceres Romæ citiùs, quàm Philippi à Senatu Regnum depoſcentis literæ pervenerunt: quare duo una in urbe Auguſti ſubitò emerſerunt, quorum alteri Marco, alteri Hoſtiliano nomen; quod ubi à Philippo reſcitum eſt: ne porrò in Oriente à Sapore belli causâ attineretur; ab eodem conceſſis ultrò Meſopotamiæ & Aſſyriæ regionibus ignominioſam pacem emit (s). Qui Philippo Chriſto nomen dediſſe crediderunt, iis quoque perſuaſum fuit, Philippum eodem tempore Antiochiam unà cum conjuge pariter Chriſti cultrice veniſſe, ad ſolemnitatem Paſchatis celebrandam (t); ſed dum fidelium cœtum ſubire inſtituunt; à S. Præſule Babyla ex-

Hujus pactio cum Perſis.

(s) Goltzius *Chriſtianus fuiſſe dicitur*

(t) Oroſ. lib. 7. c. 28. Euſeb. lib. 6. c. 29.

(*7) CAPITOLINUS in Vita: *Gordiano ſepulchrum milites apud Circejum Caſtrum fecerunt in finibus Perſidis, titulum hujusmodi addentes, & Græcis & Latinis, & Perſicis & Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur*: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM, VICTORI SARMATARUM, DEPULSORI ROMANARUM DITIONUM, VICTORI GERMANORUM; SED NON VICTORI PHILIPPORUM. *Quòd ideò videbatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prælio victus abſceſſerat: ſimul etiam, quòd à Philippo videbatur occiſus.* TILLEMONT. putat hoc ultimum additum eſſe poſt mortem Philippi; quem titulum tamen Licinius poſteà evertit, cùm ſe vellet videri à Philippis originem trahere,

exclusos, atque ad pœnitentium ordinem amandatos, ibidem Gordiani parricidium, aliáque scelera eluisse (†). (†) REFLEXIO V.

10. Intereà Cæsaribus Romæ brevi tempore defunctis, solus Imperio Philippus superfuit: fasces igitur prehensos in stirpem suam certò translaturus, Romam digreditur: largitionibus & militem & civem sibi devincit; quo facto filium Imperii Collegam creat (*8), Priscum fratrem Syriacis Legionibus, Severianum generum Mœsiæ, ac Macedoniæ præficit, ne quis extra propinquos foret, qui vim facultatémque haberet Provincias commovendi. Quieverunt equidem hunc in modum Romanis subditæ regiones, at non exteræ gentes; nam Argunthis Rex Scytharum vicinos agros, Carpi (quos alii Gothos vocant) Mœsiam, Thraciam, ac universa Istri littora evastabant: his tandem repressis anno CCXLVII. (*9) vigesimâ primâ Aprilis Philippus Romæ sæculares ludos instituit (* 10), quorum apparatus tantò solennior fuit, quantò gloriosiùs Imperator annum millesimum U. C. impleverat (u). Oblati sunt Elephantes triginta duo, cum aliis feris plurimis; quas Gordianum collegisse ferunt ad Persicum triumphum (* 11): depugnabant mille gladiatorum paria, sceni-

A. Æ. C. 245.

Ludi sæculares sive millenarii Romæ conditæ.

A. Æ. C. 248.

(u) Eutrop. Aurel. Vict. Hieronym. chron.

Rrr 2

(*8) PAGIUS ad a. 245. in Critic. Baron. T. I. notat filium Philippi, antequàm Imperator Romam ingrederetur, nonnisi Cæsarem fuisse: non Augustum; licèt in nummis hoc titulo exprimatur, nam & alios nummos producit, Maximini, in quibus ejus filius Maximus (licèt Cæsar duntaxat) Augustus vocatur. Filius tamen Philippi anno Urbis conditæ millesimo Augusti nomine honoratus est.

(*9) PAGIUS ad a. 247. n. 10. ait: Hi ludi, quemadmodum & cæteri sæculares æstate editi, & in nummis signantur, qui anno sequenti (248.) sunt percussi: hinc magna suspicio fuit Pagio, an non anno 248., secundùm computum Capitolinum, qui unum annum minùs numerat in æra C. U., ludi essent peracti: verùm re expensâ invenit, quòd nihilominùs ludi iidem revocari debeant ad a. 247. ex calculo Varroniano. Nam VICTOR de ludis sæcularibus (centum post utrumque Philippum annis celebrandis) agens, conjungit eos non cum anno CCCXLVIII. sed cum anno CCCXLVII.

(*10.) BARONIUS ad a. 249. n. 4. reprehendit Zosimum, quòd lib. 2. ludorum sæcularium ab utroque Philippo editorum mentionem prætermiserit: sed PAGIUS illum excusat, quòd de ludis sæcularibus (centenariis urbis respondentibus, quales fuerant, qui hoc anno celebrati) sermonem non instituerit; sed de his tantùm, qui juxta ordinationem Augusti exhibiti sunt, quibus credebant, urbem juxta vetus oraculum, bellis, & morbis liberandam.

(*11) MEDIOBARBUS in numism. Impp. pag. 346. ex nummis Philippi ostendit, ludos ejus magnificos fuisse, in quibus singulis diebus assignatum ferarum peculiare genus videtur. Nam iis in nummis *ludi sæculares* Aug. I. II. III. usque ad X. cernuntur: in I. cernitur Leo gradiens, in aversa *sæculares Aug.* I.: in II. Lupa cum Romulo & Remo: in V. Cervus: in VI. Hyæna: in X. Panthera. Quæ feræ exhibitæ sunt in ludis, nam in aversa ubique additur: *Sæculares Ludi.*

(†) REFLEXIO VI. nicíque ludi in Theatro Pompeji celebrabantur, quæ omnia ex celebrium nummorum fide posteris relicta sunt (†).

11. lætissimum annum secuta tempestas est, quæ in caput Philippi, stirpémque ejus funestiùs detonuit. Rebellabat nimirum Syria, ab avarissimo Philippi fratre tributis penitùs exhausta, & novum Cæsarem Jotapianum sibi designabat (x): Mœsia & Pannonia excusso Severiani & Imperatoris soceri jugo, Marinum Centurionem Augusti nomine venerabatur. Itaque Phlippo arma contra Imperii usurpatores inclamanti, Decius unus Bibali inferioris Pannoniæ urbe natus, ac genere non minùs quàm arte bellicâ insignis Cæsari persuasum ibat: relinqueret Tyrannos armorum strepitu immunes, fore enim, ut gerendis rebus inepti ipsi in pace à suis oppugnarentur. Occiso subinde utroque, consilium Decii tanti habitum est; ut Philippus eundem Illyrici Legionibus Ducem daret. Vix is in castra venerat; exercitus tot seditionum reus, ad vitandas Cæsaris pœnas, novâ perfidiâ Philippum ejurat, Decióque aliquantum renitenti demandat fasces. Dux experientiâ rerum cautus, ne calumniæ, aut propiori exitio faceret locum; Philippo, quid se invito actum esset, literis exponit: turbini temporum se cessisse, ac fore; ut, quod intra castrorum vallum suscipere cogeretur, intra urbis Pomæria ad nutum Principis deponeret (y). His dolosis blanditiis minimè delusus Philippus, copias contra Decium in arma vocat: ipse ægro licèt corpore, legiones Veronam usque prægreditur (z). Ibidem milites sive fastidio Philipporum, sive novi Augusti studio Cæsarem trucidant, capite medio supra ordines dentium præciso: nec diu Romæ relictus filius Parentis fato superstes fuit; ùt primùm enim à Prætorianis cognitum est, Cæsarem interiîsse, tumultu facto Juniorem Philippum obtruncant: postquàm regnaverant quinque annis & tribus mensibus. Atque hâc ratione Philipporum memoria extincta est, quæ non aliter, ac in Philippopoli, urbe à Cæsare exstructâ, posteà remansit (a).

(x) Zosim. l. 1. p. 642.

Seditiones in Cæsarem.

A. Æ. C. 249.

(y) Zonaras p. 229.

(z) Aur. Vict. Zosim. l. 1. p. 643.

Decii Imperium, ac exitium Philippi

(a) Euseb. Chron.

§. IV. DECIUS *Imperator, ejus Collega filius, Bellum Gothicum, & Decii interitus.* TREBONIANUS *Imperator, Pestis, Irruptio Barbarorum:* ÆMILIANUS *Imp.* VALERIANUS *Imp. cum* GALLIENO *filio, Bellum Persarum, & captivitas*

tas ignominiosa Valeriani, variæ calamitates, Bella & Tyranni, Mors Gallieni: CLAUDII II. *Imperium, ejúsque fatum:* QUINTILLUS *Successor.* AURELIANUS *Imperator, illius bella contra Gothos, Zenobiam, Tetricum, & Triumphus, Conjuratio in eundem, & ipsius excessus.*

1. POstquàm Decius (primus ex Illyrico creatus Imperator) Reipublicæ Principatum suscepit; Ethnica Gens in superstitiosissimo hoc Deorum cultore virtutes non paucas demirari cœpit (*1). Nam si Zosimo Scriptori Gentili, & Christianorum hosti infensissimo habenda fides est (a); nihil ille cupiebat immoderatè, honores amplissimo Senatûs ordini permittens: jus quintæ relationis, & Proconsulare Imperium (unde Augusti omnes Proconsules dicti) nec non & jus Tribunitiæ potestatis, quod Augustus sibi primus perpetuò vindicaverat, arbitrio populi Romani reddidit: non minùs modestia Cæsaris inde commendata est; quòd cùm Censura solis Augustis tribui solita Valeriano demandaretur, se prætermissum adeò non (b) quereretur, ut Senatus factum omninò comprobaret. Itaque Decius omnium ordinum sententiâ Trajano adæquatus, nomen optimi Principis meruit; propterea quòd & artibus omnibus, ac virtutibus instructus, & placidus ac civilis Domi, & in armis promptissimus foret (c).

A. Æ. C. 249.

(a) Zos. lib. p. 642.

Decii civiles virtutes.

(b) Trebell. Pollio in V. Valeriani.

Censura Valeriani.

(c) Pompon. Lætus c. 2.

2. Raptis in fidem Decii omnium animis, cum gaudio acceptum est, quòd Augustus in Imperii consortem palàm adoptaret filium. Hic verò modestiam Parentis æmulaturus, Diadema Cæsareum abnuit; vereri enim se ajebat; ne, si Imperator fieret, dedisceret esse filius: Imperii partem hanc sibi optimam futuram; si pareret humiliter Imperanti: illum facilè exuere affectum Parentum, qui superpositâ Principatûs mole extingueret filium (d). Quantæcunque hæ virtutum umbræ (à Scriptoribus Ethnicis immensis laudibus celebratæ) maximè obscuratæ sunt, ex quo Decius in Christi cultores sævire aggressus est: Lactantius hominem pessimum

Decius filium Collegam Imperii creat.

(d) Goltzius Valer. M. lib. 4.

Decii crudelitas in Christianos.

(*1) ZOSIMUS lib. 1. magna elogia de virtute Decii facit, *ut qui civili virtute pariter & usu militari Philippum anteiret*; sed TILLEMONT. advertit, hunc Scriptorem ex odio Christianorum (nam Philippus à quibusdam Christianus habebatur) ea literis consignâsse.

mum, furiosum, ac detestandam belluam vocat, qui virtutem depopulatus, Deo bellum indicere præsumpsisset; unde & moderationis (à Victore tantoperè laudatæ) fama non parùm labefactata est, cùm humani sanguinis sitientissimus, acerbissimis modis infinitam populi vim ad crudelissimas neces raperet (e).

(e) Lact. M. persec. c. 4. pag. 4. Oros. lib. 7. c. 21. Eufeb. lib. c. 39.

3. Latrocinantem hoc modo Cæsarem diutiùs grassari in Christi gregem non sinebat divina ultio; præter cæteros enim Galliæ tumultus, Scytharum sive Gothorum Rex Gniva Istri confinia lacessebat (f): inspectante Juniore Decio, ac Romano exercitu capta à Barbaris Philippopolis, cæsis centum millibus: Thracia evastata (g), penetratúmque est in Macedoniam. Strages ingens seniorem Patrem tandem Româ in castra excivit: præsentia Decii adeò lassum militem urgebat, ut penè res restitueretur, jámque Barbari intrà locorum angustias obsessi fame confici potuissent, nisi insidiæ Cæsaris Gothorum Regi proditæ fuissent: nam cùm Trebonianus Gallus, Dux limitis Mœsiæ, aditus (ne Scythæ fugerent) obsidere, juberetur; is patefacto hostibus consilio monuit, ut diviso exercitu, alios collocarent in insidiis propè paludes, alios prælii causâ contra Decium mitterent, qui simulatâ subinde fugâ insequentem Cæsarem in suffusum uligine, & instabile solum pellicerent. Dum hæc in Pannoniæ finibus agebantur, Romæ Julius Valens, qui antè Censoris munere functus erat, in absentis Imperatoris locum surrogatur, applaudente populo (h); sed magìs lætantibus Christianis, quibus fidei libertas tunc concessa est (*2), majórque iis spes fuisset, nisi paulò pòst idem Valens à suis jugulatus breve finiisset Imperium.

(f) Jornand. R. Got. c. 18. (g) Ammian. l. 31. Aurel Vict.

A. Æ. C. 251. *Bellum Gothicum.*

(h) Aurel. Victor.

4. Intereà Barbari prælium Romanis decernunt, mirante Decio, homines antè metu perculsos jam arma poscere: Cæsar proditionis ignarus filium cum copiis præire jubet: ùt primum pugnæ datum initium; hostis de composito fugit, insequitur Decius, ubi

(*2) AURELIUS VICTOR: *Decio, quàm potuit maturrimè Româ digresso, Julius Valens cupientissimo vulgo Imperium capit.* Hoc tempore brevi, quo Valens Romæ præfuit, Christiani tempus nacti sunt, eligendi Papam Cornelium circa annum 251., quam electionem Decius impediverat. Cæterùm Tillemont credit, hunc Valentem non Imperatoris, sed Censoris munere tantùm functum esse, qui tamen Censoris titulus sensim exolevit; nam licèt passim Principes officium Censoris ad se attraherent; post Domitianum tamen nullus Imperator hoc nomine dici voluit: Decius specialiter Censoris electionem Senatui permisit. TILLEMONT. in V. Decii pag. 599.

ubi ventum est ad insidias; bellum resumitur, cædésque fiunt atrocissimæ: prima in acie Imperatoris filius sagittâ configitur, quod fatum Augustus citra doloris sensum & frigido ad speciem primùm inaudiit animo, dicens: unius militis sibi videri parvam jacturam; dein stimulante affectu, in ultionem flagrantiùs exarsit: in medios hostes igitur longiùs provectus, id quæritabat, ut morte suâ finem dolori poneret (i). Verùm Deo eundem non bello, sed fœdâ Tyrannorum morte extinguere placuit: itaque anteà, quàm in acinaces Barbarorum incideret; incitato equo in fœtentem ac lutosam paludem sese infert (k), tumulum corpori suo (ne post mortem honorari posset) ibidem daturus, animam autem transmissurus ad illum lacum sulphure & pice ardentem, cujusmodi cruciatibus Athletas Christi biennio integro coronatus latro excarnificârat.

(i) Jornand. R. Got. c. 18. *Interitus Decii.* (k) Zonaras p. 231.

A. Æ. C. 251.

5. Quamprimùm Palustri suo in tumulo & regnare & vivere desiit Decius Trajanus; Vibius Gallus Trebonianus (*3) fasces Augustos sortitus est, illius scilicet proditionis præmium, quâ paulò antè legionibus Romanis, ac utrique Cæsari exitium molitus fuerat. Imperator salutatus in consortium Regni filium Volusianum adsciscit; simûlque Hostilianum Decii filium adoptat, ne cui suspicio foret fraudis, quâ Decium Patrem Gothorum genti prodidisset (l). Hæc quantumcunque Senatui probarentur; displicuit illud maximè, quòd Trebonianus fœdere cum Gothis inito pacem turpissimam mercaretur, suppeditando tributum ducentarum aurearum drachmarum (m): ignominia ejusmodi à Domitiani temporibus nunquam visa, tantò graviùs accepta est, quantò magìs Gens liberrima, & orbis Domina vilissimi & externi popelli jugum subire perhorrescebat. Cùm hâc ratione odium populi in se provocaret, addidit alterum facinus, quo vindicem Dei manum planè irritabat (n). Constituerat nimirum secum, lanienam eandem, quam Decius non sine suo exitio contra gentem Christo sacram orsus erat, repetere, ac more lupi cruentis faucibus diripere gregem Domini: at pœna sceleris, quæ Antecessoris caput seriùs quassaverat, citò in novum Tyrannum à supremo Numine effusa est; nam validissima lues orbem Romanum invasit, quæ primò absumpsit Hostilianum Cæsarem, dein per omnes

Trebonianus Imperator. (l) Zosim. l. 1. p. 644. Aurel. V. Eutrop. (m) Zonaras p. 332. Zosim. l. c. (n) Euseb. l. 7. c. 1.

A. Æ. C. 252. *Pestis Europam evastat.*

(*3) Natus fuit Trebonianus in insula Meninga propè littora Africæ.

omnes plagas vagata, in decimum, & plures annos urbes, regionésque incolis exhausit (*4). Pesti aliud flagellum accessit, bellum Gothorum; hi quippe se formidolosos Romanis esse rati, contempto etiam eorum tributo bellum redintegrant, ingentíque agmine terrâ, maríque cædes aut incendia spargunt (o), depopulantur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniam, & Hellada: deinde Hellesponto trajecto Asiam diruunt. Desidente intereà in Italia Cæsare, Æmilianus Mœsiæ Præfectus barbaras has incursiones armis felicibus repressit, quod sanè ob facinus exercitus Æmilianum fortissimum virum (*5) negligenti Gallo Treboniano surrogandum censuit (p)

(o) Zosim. l. 1. p. 645.

A. Æ. C. 253.

Barbarorum irruptiones.

(p) Jornand. R. Got. c. 19.

6. A tempore Philippi Gothorum gens terras Imperii, velut rubigo ferrum adeò exedebat; ut posteri Romanas Provincias ne quidem repurgatis sordibus integritati suæ reddere valuerint (q): hæc tamen jactura à socordibus Principibus æquiore animo semper tolerata est, quàm si quid iis de titulo aut dignitate decessisset. Gallus Trebonianus antè per tot Imperii vastitates minimè commotus, nunc ubi à se translatum Augusti nomen intelligit; quasi discusso torpore exercitum contra Regni æmulum educit. Æmilianus proficiscenti ad Interamnam in Umbria occurrit, jámque atrox imminebat pugna: tum milites ferrum in Gallum ejúsque filium Volusianum primò convertunt, ut duorum nece factâ, plurimorum vita servaretur (r). Æmilianus interfecto utroque Cæsare, amplis literis Senatui libertatem, barbarorum excidium pollicetur, quarum promissionum illecebris à Senatu trimestre duntaxat

(q) Goltz.

Æmiliani Imperium.

(r) Zosimus lib. 1. p. 645.

(*4) Cyprianus a. 252. §. 10 refert à Triboniano multa per orbem instituta dæmonibus esse sacrificia; ut subditos, Imperiúmque lue grassante liberarent: at cùm Christiani à sacrilegis ritibus se sejungerent; velut hostes Reipublicæ vexati sunt.

(*5) VICTOR in Epit. de Æmiliano ait: *fuit genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps, vixit annis quatuor minùs quinquaginta.* ONUPHRIUS in fastis p. 262. notat, sub hoc Cæsare C. Virium Paulinum fuisse Præsidem urbis, & *Domesticos Reges*, quæ dignitas primâ vice hìc in Historia occurrit, & in quarto sæculo multò celebrior evasit. Panicola c. 89. existimat, per *Domesticos* intelligi *Protectores*, qui præcipui Præfecti Prætorianorum tuebantur Personam Principis, sive comitabantur; unde & *Comites* dicti: his sub Christianis Principibus concessum est, portare grande vexillum crucis, erántque eorum 3500. ante Justinianum, qui bis millenos addidit: dividebantur in varios manipulos sive scholas, tum Pedestres, tum equestres: Comites ejusmodi, sive domesticorum Gubernatores sæpè deligebantur ex Principibus exteris, bellandi gnaris contra Barbaros; Inde titulus *Comitis* cœpit esse nomen dignitatis, quod vel ideò ab Æmiliani ætate, & non à Constantini ævo suam trahit originem.

taxat accepit Imperium; nam Valerianus Rhætiæ legionibus Præpositus, tot copias adhibuit ad excutiendum mox Æmiliano Imperium: salutatum à suis Augustum exercitus quoque Italiæ recepit, tum quòd Valerianum nobilissimo genere Romanorum oriundum barbaro Principi milites anteferrent, tum quòd novum Cæsarem & gratiorem Senatui, & bellis crederent aptiorem (s). Ast ne civilis inde belli flamma erumperet; prope Spoletum crudeli obsequio, Æmiliano spiritum sanguinémque exhauriunt: quo fuso gliscentium malorum fomes restinctus est (*6).

Valerianus Imperator.

(s) Zonaras p. 233.

7. Valerianus originem habuit ex illustri Corneliorum, ac Liciniorum gente (t). Sub Decio Censorem egisse ferunt, quo tempore prudens gravísque Senator, amicus bonorum, vitiorum hostis audiit, quíque tantò dignior esset, de omnium vita (u) ferre sententiam, quantò omnibus melior existimaretur (*7). Tam grande munus ut susciperet, nemo ejus modestiam nisi Decii jussa permoverunt (*8). A Gallo Treboniano posteà in Rhætiam missus est, ut inde contra Æmilianum novas suppetias duceret (x): at Imperatore Gallo occiso, exercitus universus in unius jam Valeriani nomen jurare occœpit. Nec vota Senatûs defuêre, qui id maximè urgebat, ut, cùm Provinciæ Romanæ undique ab hosti-

(t) Goltzius

(u) Trebell. in V.

(x) Zosim. lib. 1. p. 645.

A. Æ. C. 253.

(*6) Æmilianus quadrimestri duntaxat regnarit, ùt ait VICTOR in Epit. occisus prope Spoletum, in vicino urbi ponte, unde idem nomen Pontis sanguinarii obtinuit.

(*7) TREBELLIUS POLLIO in vita Valer. Cùm in æde castrorum Senatus haberetur, iretúrque per sententias singulorum, cui deberet censura deferri (nam id Decius posuerat in Senatûs amplissimâ potestate) ubi primùm Prætor edixit; *Quid vobis videtur P.C. de Censore deligendo? . . . omnes unâ voce dixerunt . . . Valeriani vita Censura est: ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior: ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen . . . . Valerianus à prima pueritia Censor fuit . . , prudens Senator, modestus Senator, gravis Senator: hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vitâ, doctrinâ clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.*

(*8) IDEM paulò pòst refert, quomodo Decius coëgerit Valerianum, ut susciperet Censuram: *Felicem te*, inquiebat, *Valeriane Senatûs sententiâ, imò animis atque pectoribus; totius orbis Romani suscipe Censuram, quam tibi detulit Romana Respublica, quam solus mereris, judicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis, qui manere in curia debeant: Tu Equestrem ordinem in antiquum statum rediges: Tu censibus modum pones: Tu vectigalia firmabis, divides statum, Respublicas recensebis: Tibi legum scribendarum authoritas dabitur: Tibi de ordinibus militum judicandum est. Tu arma respicies: Tu de Præfectis eminentissimis judicabis. Excepto denique Præfecto urbis, exceptis COSS. ordinariis, & Sacrorum Rege, ac Maximâ Virginum Vestalium (si tamen incorrupta manebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem & illi, ut tibi placeant, de quibus non potes judicare.*

Gallienus Consors Imperii. (y) Zosim. p. 646. (†) REFLEXIO VII. *Francorum initia.* (z) Chron. Alexand. A. Æ. C. 255.

hostibus exteris appeterentur, filium Gallienum in socium laborum, & Collegam Imperii assumeret (y): Gallieno proinde creato Cæsari fines Europæ demandati sunt; dum Valerianus bellum in Oriente contra Persas meditabatur. FRANCI (†), quorum nomen jam primò in Fastis Romanorum occurrit (z), Gallieni Juvenis authoritatem, robúrque experti sunt; nam ad Rhenum vel profligati, vel ab incursionibus impediti Cæsari titulum magnificum *Germanici Maximi* reliquerunt. Sed quoniam Gallieni perexiguis copiis res erat cum ingenti barbarorum multitudine; ex Postumi, Cæsaris pædagogi (*9), & viri fortissimi consilio, fœdus cum quodam de Gentis Germanicæ Principibus initum est eâ lege, ut is Barbarorum irruentium terga premendo, periculi magnitudinem divideret. Eodem tempore per Illyricum regnum quærebat Ingenuus; Postumo igitur (a) Transrhenani limitis Duce, Galliæque Præside relicto, Gallienus ad novum incendium comprimendum Istro advolat: illinc cum Rege Marcomannorum Attalo (quem paulò antè dicto fœdere junctum fuisse quidam arbitrantur) pacem denuò firmat, concessâ eidem Pannoniæ parte, & filiâ ejus Pipâ matrimonii specie susceptâ (*10); quo facto tempestas compressa est. Eâdem fortunâ Aurelianus inter Duces Romanos celebrior, Gothos ab inferiori Mœsia, extráque fines Imperii ad tempus ejecit (b).

Ingenuus Tyrannus in Illyrico. (a) Buch. Belg. p. 203. A. Æ. C. 257. (b) Vopisc. in V. Valeriani.

8. Intereà Valerianus Byzantii cum exercitu agebat, exquirebátque ab optimis Ducibus consilia, quibus tot Imperii malis occurri posset: Macrinus magicis artibus, & Principis favore clarus, id

(*9) Gallieni adhuc Juvenis Magisterium commissum est Postumo, de quo apud VOPISCUM extat Epistola Valeriani: *Valerianus Augustus Antonino Gallo Consuli. Culpas me familiaribus literis, quòd Postumo filium meum Gallienum magìs, quàm Aureliano commiserim: cùm utique & Severiori & puer credendus fuerit, & exercitus. Nec tu id diutiùs judicabis, si bene scieris, quantæ sit Aurelianus severitatis .... Transrhenani limitis Ducem, & Galliæ Præsidem Postumium fecimus, virum dignissimum severitate Gallorum: præsente quo non miles in castris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat, qui unicuique proprium & suum servet. Virum quem ego præ cæteris stupeo; & qui locum Principis mereatur jure &c.*

(*10) ZOSIMUS lib. 1. c. 30. *Sed quod ingenti cum multitudine perexiguas ipse* (Gallienus) *copias habens, bellum gereret, in angustum jam coacta res ipsius erat, cum inito fœdere cum quodam de Gentis Germanicæ Principibus, & aliquâ parte periculum minuisse visus est.* AURELIUS VICTOR *expositus* (Gallienus) *Saloniæ conjugi, atque amore flagitioso filiæ Attalisci, Germanorum.* & in Epitome VICTOR hunc *Regem Marcomannorum* fuisse notat.

id quod antè jam persuaserat, denuò Imperatori inculcat, medelam meliorem non fore; quàm si Deorum hostibus (Christi cultores intelligebat) non parvæ duntaxat clades, ùt hucusque, sed totum exterminium decerneretur: Valerianus Nefario obaudiens, Christianorum lanienam novis legibus reddit atrociorem. Sed facinus, è quo Cæli favores quærebat, Tyranno Imperióque ultimam irrogavit perniciem: quò enim crudeliùs ferrum stringebatur in Christianos, eò frequentiùs à supremo Numine in Romanas Provincias Barbari ultores provocabantur: Sapor Rex Persarum junctis Armenorum copiis (instigante quodam transfugâ Cyriade) è Mesopotamia in Syriam illapsus Antiochiam Orientis Metropolim non bello, sed spectaculis intentam capit, diripítque (c): inde Ciliciam, Cappadociámque pervagatus, cædibus ac rapinis omnia implet. Spoliorum ingentem vim Domum relaturus, Cæsaris nomine Cyriadem relinquit, qui cùm terrore totam Asiam quateret, Valerianus saltem Byzantio Antiochiam usque exercitum movet (d).

Vastationes Barbarorum.

(c) Ammian. lib. 23.

(d) Trig. c. 1.

9. Calamitatem ejusmodi multò acerbior excepit: siquidem Scythæ, Borani à Successiano Prætorii Præfecto à Pityuntis obsidione anteà rejecti (e), nunc alterâ vice navibus Bosphoranis Pontum Euxinum trajiciunt, primóque assultu idem, quod reliquerant, limitaneum castellum perrumpentes, Trapezunti parem inferunt vastitatem. Tot opibus divites Scythæ suorum domi cupiditatem adeò accenderunt, ut sequenti hyeme ex altera Ponti ripa procurrerent Byzantium usque: illinc raptis piscatorum navigiis per fretum translati, Chalcedonem primùm expilant: dein Nicomediam, Nicæam, opibus spoliatas injectis ignibus succendunt; mox grassatione in Cium, Apamæam, Prusam, & Cyzicum conversâ, tot urbes ac regiones thesauris suis nudant, detractásque prædas plaustris, navibúsque in Patriam devehunt. Valerianus ad tam tristia nuncia non antè accurrit, quàm barbari abscessissent; posteà Cappadociam versùs nonnihil progressus inspexit urbium calamitatem; non adjuvit: risum itaque orbis in se concitavit, ubi his rebus negligenter gestis *Restaurator Orientis* arrogantiùs vellet compellari (f).

(e) Zosim. l. 1. p. 647.

A. Æ. C. 258. & 259.

(f) Birag. p. 368.

Bellum Persarum & captivitas ignominiosa Valeriani.

A. Æ.C. 259.

10. Quemadmodum in vasto Oceano minores procellas fluctus validior insequitur, absorbétque; ità in Oriente Scytharum leviùs grassantium direptionem truculentior Saporis strages excepit. Peste Valeriani copias depascente Regi Persarum facile erat, Romanos limites invadere. Imperator in has angustias redactus Macrinum, à quo consilium vexandi Christianos admiserat, Prætorii Præfectum, copiarúmque Ducem non sinè exitio constituit; nam is proditor sui Principis Valeriano jam primâ pugnâ devicto persuasit (g), ut vel pacem auro emeret, aut, quod maximè Persæ cupiebant, se cum paucis amicitiæ conciliandæ causâ sisteret Sapori (h): paruit consultori pessimo Cæsar jam alterâ vice. Sed ad Saporem sine comitatu & armis profectus, ab hostibus subitò comprehenditur, redigitúrque ad eam sortem, qualem vix mancipia subire solent; purpurâ quippe ad ignominiam indutus, simúlque catenis oneratus per regiones Persiæ traducitur (i): dein quoties Rex equum conscenderet, Valerianus Barbaro cervicem Scabelli loco subjicere jubebatur, ut in calcato pedibus Augusto Romanæ Majestati acerbiore triumpho Rex insultaret: dehortantibus frustra (*11) Saporem exteris Regibus, & Valeriani libertatem irritâ legatione requirentibus; Imperator tandem suffocatus

(g) Eufeb. lib. 2. c. 52.

(h) Zosim. lib. 1. p. 650. Aurel. V.

(i) Lact. M. perf. c. 8. Agath. l. 1.

(*11) TREBELLIUS POLLIO in V. Val. refert Regum epistolas, quas dederunt ad Saporem pro libertate Valeriani: *Rex Regum* BELCOLUS. *Si scirem, posse aliquando Romanos penitùs vinci, gauderem tibi de victoria, quam præfers. Sed quia vel fato, vel virtute gens illa plurimùm potest; vide, ne (quòd senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude) malè tibi cedat, posterisque tuis. Cogita, quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpè victi sunt. Audivimus certè, quòd Galli eos vicerint, & ingentem illam civitatem incenderint. Certè Galli Romanis serviunt. Quid Afri? eos nonne vicerunt? certè serviunt Romanis . . . Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit: certè victus est, certè Asia Romanorum est: si meum consilium requiris, utere occasione pacis, & Valerianum suis redde. Ego gratulor felicitati tuæ, si tamen illâ uti scias.* BALOTUS Rex Caduisiorum sic scripsit: *Remissa mihi auxilia integra, & incolumia gratanter accepi; sed captum Valerianum Principem Principum non satìs gratulor: magìs gratularer, si redderetur. Romani enim graviores tunc sunt, quando vincuntur &c.* ARTABASDES Rex Armeniorum talem ad Saporem dedit epistolam: *In partem gloriæ venis: sed vereor, ne tam viceris, quàm bella severis. Valerianum & filius repetet, & nepos, & Duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes, quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Unum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti; fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.* Infructuosæ hæ literæ fuerunt, eoquòd Gallienus filius & Imperator nullam curam repetendi Patris haberet.

tus, turpiſſimum ſervitutis finem fecit anno 269.; nam pellis ejus ſalita in templo publico (utpote monumentum Romanæ ignominiæ) perpetuò ſervata eſt.

11. Quo tempore Valerianus in poteſtatem Perſarum venerat; Gallienum in Galliæ finibus diſtinuerunt Alemannorum, Francorúmque motus: inde ejusdem operam in Italiam nova incurſio barbarorum avocavit; cùm enim omnia velut deſtituta Principe, confuſa pariter, indefensáque jacerent; Juthungi (Alemannorum portio) per Alpes ingreſſi Ravennam, & Romam usque graſſantur (k): exercitus à Cæſare & Senatu tumultuariò collectus obſtitit, quò minùs orbis Metropolis diriperetur: eraſa tamen Italia eſt, & Rhætia à barbaris Romano Imperio avulſa (l). His malis acceſſit lues, quæ, quidquid intactum reliquerant Alemanni, penitùs evaſtabat. Compagem Imperii tot ærumnis laxatam Gallienus redintegrare potuiſſet; niſi capto Valeriano paternæ cenſuræ jam expers, in omnem ſeſe profudiſſet libidinem: erat igitur ingens omnibus mœror, tum quòd filius Parentem in Perſidis turpiſſima ſervitute deſereret, tum quòd inter funeſtas Reipublicæ ruinas Cæſar popinas, ganeásque obiret, lenonum gregibus immiſtus, expoſitúsque amori flagitioſo filiæ Attali Germanorum Regis (* 12.

A. Æ. C. 260.

(k) Amm. lib. 17. c. 6.

Variæ calamitates Imperii Romani.

(l) Eutrop. lib. 9. Eumen. paneg. IV. c. 10.

12. Dum Regni habenas probroſâ adeò ignaviâ Gallienus remiſerat; Duces non pauci Imperium ſibi vindicârunt. Ingenuus Pannoniæ Præfectus à legionibus Mœſiæ primus ſalutatus eſt Imperator (m); & hoc occiſo ſurrogabatur Q. Nonnius Regillianus Dacus origine, cui tamen inſtabile militum ingenium parvum regni & vitæ ſpatium reliquit; longiorem ſeptem annorum Principatum eodem tempore ſortitus eſt in Gallia M. Caſſius Latienus Poſtu-

(m) Zoſim. lib. 2. p. 650.

Complures Tyranni Imperium invadunt.

(* 12) TREBELLIUS POLLIO in Gallien. *ſæviente fortunâ, cùm hinc terræ motu, inde hiatu ſoli ex diverſis partibus peſtilentia orbem Romanum vaſtaret, capto Valeriano, Gallis parte maximâ obſeſſis, cùm bellum Odenatus inferret, cùm Aureolus perurgeret Illyricum, cùm Æmilianus Ægyptum occupâſſet . . . quæ omnia contemptu Gallieni fiebant, hominis luxurioſiſſimi; & ſi eſſet ſecurus, ad omne ſcelus paratiſſimi . . . Cùm ei annuntiatum eſſet; Ægyptum deſciviſſe, dixiſſe fertur: Quid? ſinè lino Ægyptio eſſe non poſſumus? cùm autem vaſtatam Aſiam, & elementorum concurſionibus, & Scytharum incurſionibus comperiſſet; quid? inquit, ſinè Aphronitris eſſe non poſſumus? perditâ Galliâ arriſiſſe, & dixiſſe perhibetur: Non ſinè trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt? ſic denique de omnibus mundi partibus, cùm eas amitteret, quaſi detrimentis vilium miniſteriorum videretur affici, jocabatur.*

Postumus: Hic vir in bello fortissimus, in pace constans, atque per omnem vitam usque adeò gravis fuit (n), ut Valerianus Gallienum ei filium potiùs, quàm Aureliano postmodùm Imperatori, cæterísque committeret. Præfecturâ Galliæ tribus annis functus, tum cohibitione Barbarorum, tum aliis civilibus officiis se dignum fascibus commonstravit: & quoniam tum Gallieni lascivia, tum parvi ejus filii ac Cæsaris Salonini pueritia odio Gallis erant; interfecto adolescente Postumus Imperator appellatur (*13). Duplici hoc vulnere appetitus Gallienus omnem vim in Postumum convertere parabat; sed funestiores Orientis ruinæ arma Augusti aliò evocabant. Sapor, cùm Valerianum Imperatorem in potestate haberet; facile sibi fore existimabat, Imperio quoque vincula induere (o). Itaque Antiochia Syriæ, Tarsus Ciliciæ, Cæsarea Cappadociæ ad spolia, & cædes designabantur: cæsorum tantum numerum fuisse ajunt, ut valles cadaveribus Rex barbarus æquaret, simúlque licentiæ causâ è monte in montem, quasi per funestam planitiem eques decurreret (p)

(n) Trebell Pollio in Gallien.

(o) Agathias lib. 4. p. 134.

(p) Zonaras p. 235.

Odenati victoriæ contra Persas.

13. Tot ærumnis, qui modum poneret, unus Cæsarei exercitûs Dux Balista fuit, homo vehemens, ast bello felix: hic Persas Pompejopoli expugnandæ intentos ex insidiis apgressus, cæsos, nudatósque spoliis ab urbe primùm in partem Ciliciæ repellit (q); subinde vires cum Odenato (*14) Palmyræ Principe jungit, qui præstitis his suppetiis factam sibi à Sapore contumeliam cruentè & sæpiùs ultus est; nam ad Ctesiphontem usque procurrens, continuis cladibus Persas attrivit, Valerianum etiam ex-

(q) Agath. lib. 4. p. 534.

(*13) IDEM in XXX. Tyrannis c. 3. *Postumus, quantùm plerique asserunt (quod ejus non convenit moribus) posteà fidem fregit; & occiso Salonino sumpsit Imperium; ùt autem veriùs plerique tradiderunt: cùm Galli vehementissimè Gallienum odissent; puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum, qui commissum regebat Imperium, Imperatorem appellârunt, missisque militibus Adolescentem interfecerunt.*

(*14) TREBELLIUS in XXX. Tyrann. c. 54. *Nisi Odenatus Princeps Palmyrenorum capto Valeriano fessis Rom. Reipublicæ viribus sumpsisset Imperium; in Oriente res perditæ essent: quare assumpto nomine primum regali, cum uxore Zenobia, & filio majore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano, & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est: Nisibim primùm, & Orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit: deinde ipsum victum fugere coegit: postremò Ctesiphonta usque Saporem & ejus liberos persecutus, captis concubinis, captâ etiam magnâ prædâ, ad Orientem vertit, sperans, quòd Macrinum, qui imperare contra Gallienum cœperat, posset opprimere; sed illo jam profecto contra Aureolum, & contra Gallienum, eo interempto, filium quietum interfecit.*

extorturus, niſi Macrini ſeditio in Syriam Odenatum revocâſſet (r). Hic quippe Valeriani proditor doloſis artibus ita rem egerat, ut Baliſta ad eum Gallieni exercitum, Auguſtique titulum transmitteret. Eâdem libidine cuncta permiſcendi Valens (*15) in Macedonia, Piſo (*16) in Theſſalia, Munius Acilius Aureolus in Illyrico ſeſe Imperatores venditârunt, quorum poſtremus licèt genere viliſſimo natus, cæteris Tyrannis tamen felicior fuit, quòd ei ſoli arrogatum regnum ultra Gallieni mortem uſurpare conceſſum ſit. Sciſſum in multas partes Imperium inſoliti terræ motus, peſtis, & repetitæ Scytharum, Gothorúmque graſſationes proſtravêre (s): Græcia, Aſia, quidquid opum habebant, infeſta agmina inde exportârunt; nec parcitum Epheſi Dianæ templo (t), quod Gothorum manu deſtructum ominis loco fuit, fore, ut brevì cætera quoque fana à Chriſtianis Imperatoribus diruantur. Barbaros reduces viâ eâdem ex Oriente ſecutus eſt Tyrannus, Occidentis etiam regnum occupaturus. Is ubi ea, quæ Gothi obiter expilârant, omninò abraſerat; in Illyrici Tyrannum Aureolum incidit: congreſſus primo conflictu funditur, atque à militibus jugulatus unà cum filiis & proditionis, & incitatæ in Chriſtianos lanienæ pœnas dedit (u).

(r) Trebell. Pollio in Gallien. pag. 179.

A. Æ. C. 261.

Novi Tyranni Imperium diſcerpunt.

(s) Zoſim. l. 1. p. 647.

(t) Jornand R. Got. 2. 20.

A. Æ. C. 262.

(u) Zonaras p. 236.

14. Fatum Macrini Gallieno tam gratum accidit, ut in omne deliciarum genus profuſus, triumphum, quem Odenatus unus meruerat, de Perſis celebraret. Lætitiam hanc publicam non parùm diminuit luctus ille, qui bonis omnibus de ſervitute Valeriani altè inſederat. Capti ab Odenato Perſarum Duces cùm in pompa triumphali ducerentur; ſcurræ quidam ſe captivis Perſis miſcent, contuitíque mirâ inhiatione cujusque vultum, quaſi Patrem Principis quærerent, Socordi & Parentis contemptori, ſed non impunè illudunt; nam ad unum omnes à furente Cæſare exuſti ſunt (x). Inde pace & fœdere inito cum Aureolo Macrini victore

Triumphus mirabilis Gallieni

(x) Trebell. Poll. in V. Gallieni. p. 179.

(*15) IDEM c. 18. Valens *vir militaris, ſimul etiam civilium virtutum gloriâ pollens, Proconſulatum Achajæ, dato à Gallieno tunc honore, gubernabat . . . . ſumpſit imperium, & brevi à militibus interemptus eſt.*

(*16) IDEM c. 20. Piſo *vir ſummæ ſanctitatis, & temporibus ſuis frugi dictus, & qui ex illa Piſonum familia ducere originem diceretur, cui ſe Cicero nobilitandi causâ ſociaverat. Hoſtis ejus Valens de eo dixit: quòd Romana Reſpublica ei ſimilem non haberet.* A Valente occiſus periit, à Senatu Piſoni mortuo divini honores cum ſtatua ſunt decreti.

ctore, Gallienus in Poſtumum Galliæ uſurpatorem bellum decrevit: dubio primum Marte pugnatum eſt; aſt ubi Poſtumus ſe unum Aureoli, Gallieníque viribus premi graviùs ſenſit, Victorinum militaris induſtriæ virum, & in Imperii & belli partem adſcivit. Conflictibus benè multis & inutilibus finem tandem ipſi Galli rerum novarum cupidi poſuêre: poſtquàm enim hi Moguntiæ Lollianum novum Imperatorem ſalutaverant (y); Poſtumus urbem quidem ſubegit, æmulúmque vicit: ſed inde victori exitium imminebat, quòd Moguntiacum ſuorum militum direptioni nollet relinquere (z). Exercitus itaque quaſi præmio navatæ militiæ fraudatus, Poſtumum cum filio interfecit (* 17).

A. Æ. C. 267.

(y) Eutrop. lib. 9. Poll. in Gallien. c. 3.

(z) Oroſ. l. 7. c. 22. pag. 439.

Aliorum Tyrannorum molitiones,

15. Sed quemadmodum Hydra illa, cum qua olim Herculem luctatum eſſe ajunt, uno capite decuſſo, in plura capita pullulavit; ita Imperium ſuperato Poſtumo multiplici Principum numero aucta eſt: Saturninus quippe, & Odenatus in Oriente, Æmilianus in Ægypto, Lollius, Marius & Tetricus in Gallia, Trebellianus in Iſauria & Cilicia, Cornelius Celſus in Africa Regnum in totidem lacinias divulſum moderari cœperunt (a). His calamitatibus civilibus, exterarum gentium arma interſtrepuêre (†), Franci Hiſpaniam ad hoc tempus illæſam invaſerunt (b), ſubjugârunt Daciam Gothi difficilibus Trajani præliis Imperio antè adjectam (c); Scythæ confinia Ponti & Mœſiæ depaſcebantur; his tamen omnibus Heruli infeſtiores fuêre. Hi quippe è Mæotide eluctati in Pontum Euxinum, & demum in Helleſpontum, Archipelagi Inſulas expilare inſtituunt; dein direptâ Græciâ & Achajâ prædas capere per Illyricum, & Thraciam continuant (d). Gallienus ad nuncium tantorum latrociniorum ex-

Poll. in Tyrann.

(†) REFLEXIO VIII.

(b) Oroſ. l. 7. c. 41.

(c) Aurel. V. Eutrop.

Barbarorum vis contra Imperium.

(d) Poll. in V. Gall. c. 13. Zoſ. lib. 1. pag. 651. & 652.

(* 17 BUCHERIUS in Belgio Rom. lib. VI. c. 10. n. 14. queritur de jejuna & & minùs ordinatâ hiſtoria Trebellii, aliorúmque ejus ævi Scriptorum: *Si priores*, ait, *tredecim Ammiani Marcellini libros ſuperſtites haberemus, longè plura de Poſtumo, Tetrico, & cæteris Imperatoribus*, vel Tyrannis *repræſentaremus: nec enim cum jejunis iſtis Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus adeò jejunare cogeremur. Saltem ordinatiorem, miniméque hiantem rerum ſeriem daremus. Nam Ammianus ipſe teſtatur, ſe à Principatu Cæſaris Nervæ exorſum (ubi ſcilicet deſierat Tacitus) ad uſque Valentis interitum, annorum facilè* 277. *hiſtoriam pro virium explicâſſe menſura. Quanta jactura!* Extitit etiam de his temporis Hiſtoria DEXIPPI coævi, ſed illa interiît, ſi quædam fragmenta excipias. Totam tamen hiſtoriam præ manibus habuerunt *Trebellius, Pollio, Syncellus, & Jornandes*, ſed hi hiſtoriæ lucem abſtulerunt, vel temporum ſeriem confundendo, vel res maximè momenti obſcuræ narrationi involvendo.

excitus, Galliam Lollii motibus agitatam relinquit, jubétque, ut Aureolus duntaxat ad Mediolanum consistens ab Italiæ finibus seditiosos prohibeat: hæc ubi in mandatis dedisset; assumpto Claudio, & Marciano optimis Ducibus in Illyricum abit, vastitatem à Provinciis depulsurus: nec mora, reprimitur primis conflictibus licentia hostium, & subigendi Barbari omninò fuissent, nisi novum incendium in Italia arsisset, ad quod restinguendum Cæsaris opera deposcebatur (e). Aureolus nimirum Mediolano potitus, non jam Dux Gallieni, sed Imperator audire cupiebat: quare ubi Marciano Gothos conficiendos demandaverat; Gallienus cum Claudio Italiam petit: illinc Aureolus quantumvis copiis nudatus se contra obsidionem Cæsaris longo satis tempore tuetur. Atque hoc fuit, quod optimos Duces in ea præcipitavit consilia, ut sortem Imperii acerbam uno Gallieni fato emendandam dicerent; cautum tamen est à conjuratis, ne palàm perimeretur: itaque dum Augustus cœnat, tenebris jam faventibus rumor ex composito spargitur, Aureolum in castra irrumpere. Gallienus paucis Ducibus stipatus à cœnula in campum, & vel ideò in exitium provolat; nam à suis hastâ impactâ transfossus occubuit anno Regni octavo: vir fuit excidio Imperii natus, in Parentem impius, quo in vinculis gemente, ipse in deliciis ludebat; ignava proinde ejus agendi ratio fuit, quæ triginta Tyrannos in Regni sedem armaverat (f).

A. Æ. C. 268.

Aureolus Tyrannus.

(e) Zos. lib. 1. p. 651.

Exitium Gallieni.

(f) Zonaras p. 238.

16. Post mortem Gallieni nemo aptior fascibus gerendis, dignior nemo tum à milite, tum à Senatu habitus est, atque Claudius inter Imperatores hujus nominis secundus (*18): Præside ejusmodi tot bellis jam exercitato tantò magìs opus erat Imperio (g), quantò pejùs Provinciæ Romanæ undique ab hostibus accidebantur (h). Claudius (*19), ne domi in Italia flammam ardere

Claudius II. adipiscitur Imperium.

(g) Aurel. V.

(h) Pollio in Claud. V. c. 6, 9.

(*18) Natalis locus hujus Cæsaris non constat; alii eum è Dalmatia, alii è Dardania oriundum credunt; duos fratres habuit, *Quintillum*, qui ei in regno successit, & Crispum Patrem Claudiæ, quæ Eutropio juncta, ex hoc connubio suscepit Constantium, Patrem Magni Constantini.

(*19) TREBELL. POLLIO in vita Claudi II. *Quid enim in illo non mirabile? ... in quo Trajani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum Principum bona sic fuerunt, ut non ab aliis exemplum caperet; sed etiam, si illi non fuissent, hic cæteris reliquisset exemplum.*

Bellum contra irruentes Barbaros, & victoria.

ardere sineret, in Aureolum primus movit, quo devicto contra Barbaros processit. Traxerant hi trecentorum millium colluviem ex Scythis, Gepidis & Herulis in Romanas Provincias: & præter eas, quas jam in potestate habebant, Sarmatiam scilicet, Daciam, Thraciam, Dardaniam, Bulgariam, Transylvaniam, ac partem præcipuam Pannoniæ, reliquis quoque Orientis regionibus (proùt jam quindecim annis soliti fuerant) suas inferunt vastitates (*20). Claudius multitudinem hanc infinitam primùm bello attrivit, dein intra montem Hæmum conclusos Barbaros ità fame, cruentísque cladibus prostravit (i), ut campi cadaveribus, urbes captivis scaterent; ac vel ideo nomen *Gothici* meruit (*21). Triumphantis exercitûs lætitiam brevi imminens fatum Cæsaris interrupit; nam cùm pestis ex fœtore cadaverum occisorum aucta, in castra etiam Romanorum proserperet; ipse Claudius inter primos fuit (k), qui hoc malo occubuit prope Sirmium, cùm tertium Imperii annum auspicaretur. Mortuo ingens honor à Senatu habebatur; in Romana curia quippe aureus illi clypeus positus est, in Capitolio autem statua aurea, & in Rostris columna defigebatur cum palmata imagine librarum argenti mille quingentarum: his monumentis gloriosius istud erat, quòd amatus ab omnibus desiderium sui reliquerit, de eo quippe hæc opinio concepta fuerat, Claudium, si diutiùs præfuisset Imperio, Scipiones bonos, & Camillos, omnésque illos Veteres virtutibus, suis consiliis, suáque prudentiâ fuisse redditurum (l).

(i) Jornand. Regn. Succ. p. 237.

A.Æ. C. 270.

(k) Zosim. lib. 1. p. 654.

Mors Claudii.

(l) Trebell. Pollio. in V. p. 208.

Quintillus Imperator.

17. Post excessum Claudii frater ejus Quintillus omnium judicio delatum suscepit Imperium (m); moderatio & integritas viri spondebant majorem Claudio Cæsarem: sed ostendere terris hunc tantum voluêre fata; nam eodem tempore, quo Roma Quin-

(m) In Vit. Aurel. pag. 221.

(*20) ZOSIMUS lib. 1. c. 14. *Hoc tempore quot erant Scythæ superstites, animo propter expeditiones hactenus susceptas elati, adjunctis sibi Herulis, Peucis, & Gothis, collectisque propter Tyrum fluvium in Pontum se exonerantem, sexies mille navibus ædificatis ac trecentis & viginti millibus hominum in eas impositis, navigatione per Pontum institutâ, Tomis, munito mœnibus oppido tentato, rejecti sunt .... progressi verò Marcinopolim, Mysiæ civitatem, delati, & ne illâ quidem potiti, vento usi prospero, navigabant ulteriùs &c.*

(*21) TREBELLIUS POLLIO c. 8. Claudii refert epistolam hujus victoriæ nunciam: *Claudius Brocho. Delevimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium mersimus. Tecta sunt flamina scutis: spathis & lanceolis omnia littora operiuntur: Campi ossibus latent tecti: nullum iter purum est.*

Quintillum; exercitus L. Domitium Aurelianum ad Imperium vocavit: tantis igitur viribus ubi ſe imparem Quintillus vidit, exſolvit ſibi venas, ſuo ſanguine civile bellum reſtincturus; decedens decimâ ſeptimâ die ſui Imperii (n), ſoli Aureliano faſces permiſit. Fuerat is Sirmii obſcuro genere natus, & rebus geſtis poſteà clariſſimus; nam Sarmatarum aſſultus ſub Gallieno ferè unus ipſe ſuſtinuit; aut parvâ militum manu Gothorum immenſa agmina à finibus Illyrici ac Mœſiæ rejecit. Tantâ igitur rerum geſtarum famâ: non auro, aut hæreditate ſibi paravit Imperium; quo omnium conſenſione firmato, Româ in Pannoniam à Gothis denuò afflictam contendit (o): illinc prælio ancipiti in noctem usque dimicatum eſt; eâdem tamen nocte Barbari transmiſſo Iſtro, ſimul ac illuxiſſet, de pace miſſis legatis agebant (p). Vix Pannonia ab armis quieverat; jam Marcomanni è Rhætia in Italiam cogitant. Aurelianus viam Barbaris occluſurus in Vindeliciam properat, hoſtéſque fundit: victis à victore fœdus priſtinum, non verò acres leges admittere certum erat; jactabant enim poſt ſiniſtram belli fortunam ſæpè majorem ſequi victoriam, nec ſibi animos, nec arma excidiſſe, quique pridiè incautiùs arenâ deceſſiſſent, futuro in certamine providentiùs & feliciùs rem acturos. Ad hæc immotus Aurelianus hoſtes à tergo duntaxat infeſtare decernit; ùt hâc ratione Barbari à reditu in patriam prohibiti, ſimul unà in Romanis agris conficerentur: at longè aliter, ac ſperaverat Cæſar, evenit; nam Marcomanni à fronte minùs laceſſiti, vel nihil arctati, hâc demum viâ exoptatam in Italiam fugam arripiunt (*22); omniáque cædibus, ac graſſationibus ità exhauriunt, ut de ſalute Imperii jam conclamatum eſſe Senatus pronunciaret. Aurelianus agnito errore ſuo, hoſtem jam ſpoliis ſaturatum, ac proinde languidiùs pugnantem aſſecutus,

(n) Zonaras p. 239.

Aurelianus Auguſtus.

(o) Vopiſc. in V. p. 214.

(p) Zoſim. lib. 1. c. 48.

Bellum Gothicum.

(*22) VOPISCUS in vita Aurel. c. 18. *Accepta eſt ſane clades ſub Aureliano & Marcomannis per errorem. Nam dum is à fronte non curat occurrere, ſubitò erumpentibus, dúmque illos à dorſo perſequi parat, omnia circa Mediolanum graviter evaſtata ſunt; poſteà tamen ipſi quoque Marcomanni ſuperati ſunt. In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vaſtabant, ingentes Romæ ſeditiones motæ ſunt, paventibus cunctis, ne eadem, quæ ſub Gallieno fuerant, provenirent. Quare etiam libri Sybillini, noti beneficiis publicis inſpecti ſunt: inventúmque, ut in certis locis fierent ſacrificia, quæ Barbari tranſire non poſſent . . . .*

A. Æ. C. 271.

tus, ex Italiæ finibus tandem ægrè repulit (*23). Imperator quoniam in Barbaros furorem effundere satis non poterat; Romam reversus in Senatores, & optimos quosque grassatus est: odium, quod inde subiît, emollire posteà conabatur restitutione murorum, quibus post tot labes temporum urbs Romana ferè exuta fuerat: horum ergo jactis recentiùs fundamentis, novam belli gloriam in Oriente quæsivit (q).

(q) Vopisc. in V. Aurel. p. 218.

A. Æ. C. 272.

18. Zenobia multarum Provinciarum Regina ad Propontidis usque fauces suos proferre fines moliebatur: erat hæc origine Romana; quamvis genus Cleopatræ & Ptolemæorum fingeret. Linguarum præcipuarum, & præsertim latinæ gnara, opum dives, & consilio præpotens (r), Odenato Palmyræ Principi, & Persarum Victori connubio magnifico juncta est. Et quoniam Gallienus metu rerum novarum Odenatum Imperii Collegam assumpserat; Zenobia quoque Augustæ nomen obtinuit: hæc mortuo Emesæ marito, eâdem fortitudine in vicinos hostes luctata, Palmyrenorum Regnum per Syriam ac Ægyptum amplificavit: occupatâ Syriâ & Asiâ minore, usque ad Tyanam & Ancyram, Ægyptum adjecit tunc, cùm Claudius bello Gothorum distineretur, jámque Aureliano regnante Chalcedoniam, & Bithyniam Romanis eripere meditabatur (s). Fœminæ potentiam Imperator non ferens in Orientem vim, armáque expedit: per iter ad Danubium Rege Gothorum Cannabaudo cum quinque millibus cæso, spolium quadrigæ Regiæ quatuor cervis tractæ retulit (*24); inde progressus Byzantium, Chalcedonem, Ancyrámque facilè recepit; at Tyanenses in Cappadocia portas Cæsari occlusêre: facinori indignatus Aurelianus in hæc verba jurat, se in oppido, siqui-

(r) Trig. Tyr. a. 29.

(s) Zosim. l. 1. p. 655.

Bellum contra Zenobiam Reginam Palmyrenorum.

(*23 IDEM c. 21. *Cùm autem Aurelianus vellet simul, factâ exercitûs sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, ut Romanum penè solveretur Imperium. Et causa quidem hujus periculi perfidia, & calliditas Barbarici fuit motûs. Nam cùm congredi aperto Marte non possent, in sylvas se densissimas contulerunt: atque ita nostros, vesperâ incumbente turbârunt. Denique nisi divinâ ope post inspectionem librorum, sacrificiorúmque curas, monstris quibusdam, speciebúsque divinis impliciti essent Barbari, Romana victoria non fuisset.*

(*24) FLAVIUS VOPISCUS in Aurel. p. 220. notat, hunc currum fuisse, in quo posteà Aurelianus triumphavit: *fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui dicitur fuisse Regis Gothorum: quo, ùt multi memoriæ tradiderunt,* Capitolium *Aurelianus invectus est, ut illic caderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi O. M. ferebatur.*

ſiquidem id armis expugnâſſet, ne canem quidem relicturum (t). (t) Vopiſ. in V. p. 216. 217.
Urbi tamen per proditionem Heraclammonis poſteà captæ pepercit; ac ne perjurus, aut crudelis videretur; dictum ſacramentum ità executus eſt, ut de civibus proditorem unum (*25), omnéſque ſimul canes (utì verbis conceperat) trucidari juberet.

19. Tyanâ movit Antiochiam, ubi cum ingenti militum robore Zenobia Romanorum impetum exſpectabat: pugnis aliquot editis deprehenſum eſt, Palmyrenorum ſortem præcipuam eſſe in equeſtribus copiis: monet igitur Princeps, ut earum aggreſſionem primam fugæ ſpecie declinent; dein curſu feſſos equites adoriantur: fuerat hujus conſilii ea felicitas, ut Zenobia ad Antiochiam, Emesámque ternis præliis victa, in ultimam Palmyrenſium Metropolim confugerit (u): obſeſſa à Romanis Regina eâ vi, (u) Zoſ. lib. 1. pag. 657. 658.
quâ deſperantes ſolent, reſiſtit (*26). Aurelianus ſive ob obſidionis tardiorem moram, ſive ob vulnus, quod in ipſa urbis invaſione acceperat, literis ad Zenobiam ſcriptis promiſſione vitæ deditionem licitatur (x). At Regina contrà audentior Cæſari (x) Vopiſ. in V. p. 218.
repoſuit, fruſtrà illecebris peti, quod virtute impetrandum: ſibi Cleopatræ exemplum præ oculis, ad manus autem Perſarum auxilia eſſe, hos præſto fore ad depellendam ſervitutem; ſic A. Æ. C. 273.
omnibus deſperatis, ſe cum Ægypti Regina faciliùs in mortem, quàm ad turpe Romanorum jugum ruituram (*27). Pupugit ſalſa epi-

(*25) *Aurelianus* in literis ad Mollium Chilonem apud *Vopiſcum; occidi paſſus ſum* (Heraclammonem) *cujus quaſi beneficio Tyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderunt; neque enim mihi fidem ſervare potuiſſet, qui Patriæ non pepercit.*

(*26) VOPISCUS in V. recitat literas Aureliani ad Mucaporem, in quêis Imperator ultra pudorem hæc fatetur: *Romani me modò dicunt bellum contra fœminam gerere, quaſi ſola mecum Zenobia, & ſuis viribus pugnet, ac non hoſtium: quantum ſi vir à me oppugnandus eſſet, in conſcientia & timore longè deteriore. Dici non poteſt, quantum hic ſagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri eſt, quæ non binis, & ternis baliſtis occupata ſit: ignes etiam tormentis jaciuntur. Quid plura? non quaſi fœmina pugnat, quaſi pœnam timens.*

(*27) IDEM literas Zenobiæ ad Aurelianum p. 218. hunc in modum refert: *Zenobia Regina Orientis, Aureliano Auguſto. Nemo adbuc præter te, quod poſcis, literis petiit. Virtute faciendum eſt, quidquid in rebus bellicis eſt gerendum. Deditionem meam petis: quaſi neſcias, Cleopatram Reginam perire maluiſſe, quàm in qualibet vivere dignitate. Nobis Perſarum auxilia non deſunt, quæ jam ſperamus; pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis ſunt Armenii: latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerunt. Quid igitur, ſi illa venerit manus, quæ undique ſperatur? pones profectò ſupercilium, quo nunc mihi deditionem, quaſi omnifariam Victor imperas.*

epiſtola Cæſarem, eóque adegit, ut auctiore animo obſeſſam urgeret, interciperétque Perſarum ac Armenorum ſuppetias. Urbe Palmyrâ tandem mœnibus ferè nudatâ, exhauſtáque copiis & annonæ penu, Zenobia Camelo ſeu Dromadi inſidens capeſſit fugam, ſed ab Aureliani emiſſariis ab ipſo Euphratis vado retracta libertatem (y) & Regnum amiſit: ſed non animum; nam ab Imperatore quæſita, ecquî auſa eſſet tot Cæſaribus inſultare? repoſuit, ſe nunquam adduci potuiſſe, ut crederet Gallienum, alióſque ignavos ante Aurelianum Principes hoc magnum Auguſtorum nomen mereri. Poſcentibus Zenobiæ necem militibus, Cæſar contrà ſervandum duxit tam præclarum triumphi futuri, & clementiæ ſuæ ſpirans monumentum (z): Victorem inde Cæſarem nomine *Palmyreni Maximi* Legati omnium gentium reverebantur. Non abnuit ſuperbus Princeps demiſſa obſequia; inſolentiùs tamen Zenobiæ fœderatos, ſive Varanis I. Perſarum Regis oratores excepit. Intereà dum Imperator in Occidentem cum Zenobia, ejúsque captivis filiis pergit; Palmyra & Ægyptus non tam clade ſuâ, quàm Reginæ ſervitio efferatæ, novos ſibi Principes, ejurato Aureliano, deligunt. Ægyptiis M. Firmius, Palmyrenis Zenobiæ propinquus placuit, quos purpurâ veſtirent (a). Hæc ùt primùm Cæſari allata ſunt; refert ſubitò ex itinere pedem, Metropolim Palmyrenorum penitùs exſcindit: dein eâdem rabie Ægyptum ingreſſus, Tyrannum Regno, Alexandriam mœnibus & Bruchio ſive fortiſſimo Caſtello exuit.

(y) Zoſim. lib. 1. p. 659.

Aureliani victoria in Oriente.

(z) Vopiſc. in V. Aurel. p. 219.

(a) Idem p. 219. & 220.

20. His peractis in Galliam, Hiſpaniámque Aurelianus cogitat: plures enim anni erant, à quibus hæ nobiliſſimæ Imperii portiones à Romana poteſtate dividebantur. Poſtumus ſeptem annis, paucioribus Victorinus & Lollianus Galliam ſibi vindicârant (b): inde Tetricus Senator & Præſes Aquitaniæ capeſſens Auguſti nomen Gallias & Hiſpanias (vires Reipublicæ) tenuit ad ipſam Aureliani ætatem, qui Orientis victoriis maximè elatus Occidentis Provincias Tetrici manibus ereptum ibat. Bello in Gallias translato tantò citiùs finis impoſitus eſt, quantò optatiùs erat Tetrico, faſces tot ſuorum ſeditionibus obnoxios reddere Cæſari: à Ducibus quippe exagitatus, & inteſtinos Galliæ motus faſtidiens jam Tetricus, in hæc verba Aureliano ſcripſerat: *Eripe me*

(b) Pollio. Tyr. c. 23.

Victoria ejusdem in Gallia

me his invicte malis: ne tamen spontè cedere Imperio videretur, res proditione confecta est: adventanti Aureliano exercitum ad speciem opponit, concurritur armis, & fervente prælio Tetricus in modum captivi ad Aurelianum transgreditur. Tum per Galliarum copias Principe destitutas turbantur ordines, & ab ipso Tetrico proditi Duces obtruncantur (e).

(c) Zosim. l. 1. p. 220.

21. Restitutis hunc in modum veteris Imperii finibus, Aurelianus Romæ longè celeberrimum Triumphm instituit (*28): procedebant revinctis à tergo manibus Gothi, Alani, Franci, Vandali, Palmyreni, & Ægyptii: omnium verò oculos rapuêre Tetricus cum suis filiis, & Zenobia Regina aureis ligata catenis, quod spectaculum utùt gratum plebi, Senatoribus tamen displicuit, tam vili loco ductum esse Consulem, & regiæ potestatis fœminam: Magistratibus igitur ut satisfaceret, Zenobiam in Italia cum suis liberis liberè vivere permisit in Tiburtino; Tetrico autem non tantùm vitam, sed & Apuliæ Censuram dedit, persæpè eum Collegæ nomine compellare ac jocari solitus, feliciùs eum Apulorum Censorem, quàm Gallorum Regem fore.

Triumphus Aureliani,

22. Triumphantis Aureliani publicam lætitiam subinde turbavit Monetariorum tumultus; hi postquàm in suspicionem adulteratæ pecuniæ venerant; pœnam seditione occupandam rati, in Cæsa-

A. Æ. C. 274.

Seditio Monetariorum in Italia.

(*28) IDEM Triumphum Aureliani ità describit: *Currus Regii tres fuerunt: in his unus Odenati, argento, auro, gemmis operosus atque distinctus: alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans, se urbem Romanam cum eo visuram, quod illam non fefellit; nam cum eo urbem ingressa est victa, & triumphata . . . præcesserunt Elephanti viginti, feræ mansuetæ Lybicæ Palæstinæ diversæ ducentæ, quas statim Aurelianus privatis donavit; ne fiscum annonis gravaret. Tigrides quatuor, Camelopardali, Alces, cætera talia, per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captivos gentium Barbarorum, Blemyes, Axonitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ cum suis quinque muneribus: Gothi, Alani, Roxolani, Franci, Suevi, Vandali, Germani religatis manibus captivi præcesserunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerunt Principes civitatis, & Ægyptii ob rebellionem. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat; cùm multæ essent interemptæ: quas de Amazonum genere indicabat: Prælati sunt tituli, gentium nomina continentes: Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccineâ, tunicâ Galbynâ, braccis Gallicis ornatus, adjuncto sibi filio, quem Imperatorem in Gallia nuncupaverat. Incedebat etiam Zenobia, ornatu gemmis, catenis quas alii sustentabant Piæ ferebantur coronæ omnium civitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ. Jam populus ipse Romanis, jam vexilla collegiorum, atque castrorum, & Cataphractarii milites, & opes regiæ, & omnis exercitus, & Senatus (etsi aliquantò tristior, quòd Senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant.*

Cæſarem tantâ rabie concitantur, ut conflictu ad montem Cælium inito ſeptem eorum millia ciciderint; ſubacti tandem ſupplicia ea experti ſunt, quæ crudeliſſimus Aurelianus dictare conſueverat (d). Victoriâ hâc difficiliùs (ut contra deſperantes ſolet) relatâ, pluribus præliis Francos & Alemannos per Galliam, & Vindeliciam Imperator afflixit. Poſteà per Illyricum progreſſus Daciam à Trajano Imperio adjectam, & Gallieno ab hoſtibus ereptam penitùs abdicavit, negans utilem eſſe Romanis terram, quæ fomitem bellorum haberet, abſcindendum ergo illum Iſtri angulum, & Barbaris relinquendum, ne ex anguſto agello aut terræ ſpatio funeſta toties flamma in totum ſpargeretur Imperium (e). Illyricum emenſus Aurelianus in Thracia conſtitit, ſequente hyeme copias in Perſas moturus. Sed conſilium belli Mneſtheus, qui ei à ſecretis erat, literis intervertit. Acres hic Aureliani minas perceperat, ex queîs ſibi mortem ominabatur: dolo igitur ut fatum in caput Cæſaris retorqueret; literas quaſi Aureliani manu conſcriptas confingit, quibus Ducum præcipuis decernebatur exitium: patefactâ ejuſmodi ſanctione, Mneſtheus optimos quoſque eò impulit, ut Imperator meritorum negligentior, è medio tollendus videretur (f). Proficiſcenti itaque Aureliano Cœnophrurium (quod eſt oppidum Byzantio & Heracleæ medium) conjurati vitam, & vim nocendi adimunt; poſtquàm regnaverat annis quinque. Parricidii artifex detectâ fraude beſtiis objectus eſt: Cæſar inter Divos referebatur, qui licèt Reſtaurator Imperii paſſim audiret (*29); Dux tamen melior, quàm Princeps dictus eſt poſteà

(d) Vict. Ep. Eutrop. Zoſ. l. 1. p. 661.

Varia bella Aureliani.

(e) Syncell. p. 385.

A. Æ. C. 275.

Conjuratio in Aurelianum, & hujus cædes.

(f) Vict. Ep. Eutrop. Zoſ. l. c. Vopiſcus Aurel. V. p. 221.

(*29) VOPISCUS numerans optimos Principes his quoque Aurelianum ſubdit, quamvis fateatur ſubinde, alios eum ex horum numero expungere, *quòd ei clementia Imperatorum dos prima defuerit*: Priore autem loco ſic ait: *in his optimi, Auguſtus, Flavius Veſpaſianus, Titus, Coccejus Nerva, Divus Trajanus, Divus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Severus Afer, Alexander Mammææ, Divus Claudius, & Divus Aurelianus . . . Vides, quæſo, quàm pauci ſint Principes boni; ut benè dictum ſit à quodam Mimico ſcurra Claudii; hujus temporibus in uno annulo bonos Principes poſſe perſcribi, atque depingi . . . . & quæritur quidem, quæ res malos Principes faciat? Jam primùm nimia licentia, deinde rerum copia: amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, Eunuchi avariſſimi, aulici, vel ſtulti, vel deteſtabiles, & quod negari non poteſt, rerum publicarum ignorantia. Sed ego à Patre meo audivi, Diocletianum Principem, jam privatum dixiſſe, nihil eſſe difficiliùs, quàm benè imperare. Colligunt ſe quatuor, aut quinque, atque unum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non novit. cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi*

postea à Diocletiano, ut qui præcipuâ Imperatoris dote clementiâ caruisset. Primus Principum Romanorum fuit, qui vestem ex auro, & gemmis ornatam unà cum diademate adhibuit (g).

(g) Spanh. l. 8. p. 682.

§. V. *Interregnum.* CL. TACITUS *Imp.* FLORIANUS *Imp.* PROBUS *Imp.* MAXIMIANUS, GALERIUS, CONSTANTIUS, *Impp. Tyranni varii. Abdicant Imperium Diocletianus, & Maximianus Herculeus, novi Cæsares* SEVERUS *&* MAXIMINUS, *divisio Imperii, Constantii virtus & mors.*

I. Annus ducentesimus septuagesimus quintus (quo sub mensis Januarii finem occisus est Aurelianus) novam Romanæ urbi faciem, formámque dedit: à tempore enim Romuli Respublica etiam mortuis Regibus, vel Interregem, aut Magistratum habebat, qui ad breve tempus tam vastas regeret Provincias (*1); nunc autem eò civitas redacta erat: ut in octavum mensem omni capite nudata penderet: offerebant milites creandum Principem Senatui, Senatus militibus; hi negabant, se Ducum quempiam admoturum Imperio, prouptereà, quòd singuli in necem Aureliani conjurâssent. Senatorum ordo contrà negotium eligendi capitis rejiciebat ad exercitum, causatus tot Augustorum cædes, quos à PatribusRomanourm fascibus donatos militaris

A. Æ. C. 275.

Interregnum

illi loquuntur: facit judices, quos fieri non oportet; amovet à Republica, quos debeat obtinere. Quid multa? ùt Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator.

(*1) VOPISCUS in Vit. Taciti sub init. interregno huic sex menses tribuit: *Cùm interregnum initum est post Romulum, Interreges tamen facti sunt: totúsque ille per quinos & quaternos dies, sive ternos, centum Senatoribus deputatus est; ità ut qui valerent, interreges essent, singuli duntaxat. Quare factum est, ut & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret Imperii. Huc accedit, quòd etiam sub Consulibus, Tribunisque militaribus præditis Imperio consulari, si quando interregnum initum est, interreges fuerant. Nec unquam ita vacua fuit hoc nomine Romana Respublica, ut nullus Interrex ex biduo, triduóve crearetur. Video mihi posse objici. Curulis Magistratus apud Majores nostros quadriennium in Republica non fuisse; sed erant Tribuni plebis cum tribunitia potestate: quæ pars maxima regalis imperii est: tamen non est proditum, Interreges eo tempore non fuisse . . . . ergò quod rarum & difficile fuit, S. P. Q. R. perpessus est, ut Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, Respublica non haberet.*

(a) Vopisc. in V. Aur. p. 222. Et in Tac. 227.

M. Claudius Tacitus Imp.

taris invidia trucidâsset (a). Protractâ ad medium annum contentione, gliscentia Gothorum incendia, ac strepentia ad Romanorum fines arma Senatum compulêre, ut M. Claudium Tacitum annis, & consiliis gravem virum deligerent: obstitit senex equidem Senatorum suffragiis, suæ provectæ ætatis imbecillitatem objiciens. Ast Romani reluctabantur, testati se Imperatorem, non militem legisse, neque enim corporis robore opus fore, dummodò Cæsar animum habeat, quo milites ad pugnas & labores impellat. Susceptum Imperium eâ disciplinâ, iísque legibus excoluit, quas Aurelianus non sine militiæ, ac Reipublicæ commodo dictaverat. Scythas inde sequente anno internecione delevit (b), plura præstiturus; nisi regni brevitas summæ fortunæ cursum abrupisset; occisus enim est à seditiosis legionibus Tyanæ in Cappadocia sexto mense sui Imperii (c).

(b) Zos. lib. 1. p. 662.

A. Æ. C. 276.

Mors ejus.

(c) Aurel. V. epit.

Florianus Imperator.

(d) Zos. lib. 1. p. 662.

(e) Vopisc. in V. Prob. p. 236.

2. Annius Florianus Taciti ex matre frater, non exspectatâ Senatûs, aut legionum voluntate Imperium arripuit, quasi hæreditarium fuisset; custodiâ militum Germanorum cinctus ad aliquod tempus vitam, regnúmque servavit (d): his præsidiis cùm corpus adversùm seditiosorum vim tegeret; subitò apertâ defectione legiones M. Aurelium Probum, è Sirmio Pannoniæ oriundum, Imperatorem conclamant (e): fuerat is posteà seu bello, seu pace optimis Principibus æquatus; qui adhuc imberbis à Valeriano Tribunatum accepit, simúlque à Cæsare hoc elogium, quòd Probus verè Probus esset. Quo tempore milites ei raptam è proximo templo purpuram primò injicere annitebantur; quantùm potuit reluctatus identidem dicebat, non eos benè secum acturos, quandoquidem ipse militibus haudquaquam expediret, neque fortibus viris consuevisset blandiri. Modestia viri legiones ad insistendum magìs accendit; quare Probus admisso Principatu Senatui scribit: se eâ lege ab exercitu sumpsisse Reipublicæ curam, ut devictis Tyrannis, domitísque Barbaris aliquando pax constet Imperio: penes se deinceps fore, ut arma in aratra, milites in colonos transirent, quibus aureum orbi sæculum revocaretur. Hæc ubi nunciata sunt Floriano; tantus ipsum extemplo metus invasit, ut latibula potiùs, quàm Regnum quæreret: subinde occisus à suis est, vel solutis sibi venis animam simul cum sanguine effudit, postquàm duobus mensibus gustaverat Imperium (f).

Probus Imperator,

Mors Floriani

(f) Aurel. Vict. Vopisc. p. 237.

3.

3. Intereà literæ Probi in æde concordiæ Romæ lectæ sunt, tantâ cum exultantis populi approbatione; ut hunc felicitatis assertorem, hunc Ducem Francicum, Gothicum, Sarmaticum, & Parthicum sibi à Diis diu servari conceptis votis palàm precarentur. Nec spem de se conceptam fefellit Probus: nam Patribus permisit, ut ex magnorum judicum appellationibus ipsi cognoscerent, Proconsules crearent, legatos Consulibus, & jus Prætorium præsidibus darent: leges, quas Probus ederet, Senatûs consultis propiùs firmarent (g). (g) Vopisc. in V.

4. A forensibus curis, ad militiam animum adjecit, eoquòd bello pacem tutiùs parari crederet. A. Æ. C. 277. Prima expeditio decreta est adversùs Germanos, qui à morte Aureliani Galliam vel vastaverant, aut ejus urbes insederant. Ad Rhenum igitur occepto bello Probus quater centena millia cecîdit, capto Lygiorum Principe Semnone ejúsque filio (h). (h) Vopisc. in V. Probi. c. 13. Alterum contra Francos prælium (jubente Probo) à Ducibus Romanis gestum est; dum intereà Augustus cum Burgundionum, Vandalorúmque copiis, quorum illæ Franconiam Orientalem, Bohemiam istæ tenebant, dimicavit: *Bellum in Germania* signis collatis Barbari partim cædebantur, partim vivi cum Igillo Duce in potestatem Romanorum veniebant; qui proinde ad Britanniæ culturam missi, non paucis in seditionibus utiles Imperatori fuerunt (i). (i) Zos. l. 1. p. 664. Neque tamen inde pugnari desitum est, cùm quotidiè ad Probum Barbarorum capita deferrentur ad singulos aureos singula: Germanis hâc ratione domitis, novem Reguli ex diversis gentibus ad pedes Probi pro pace supplices fuêre, quibus ille primùm obsides, dein frumenta oves atque vaccas imperavit. Nec difficile tunc Cæsari fuisset, Germaniam in Provinciæ formam redigere; si Imperium, quod majus est, etiam æquè tutum credidisset (*2).

(*2) VOPISCUS c. 13. *dicitur* (Probus) *bis* (Germanis) *jussisse acriùs, ut gladiis non uterentur, Romanam exspectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est, id non posse fieri, nisi limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota Provincia.* Mascovius l. 5. p. 194. statuit hoc tantùm intelligi oportere de Alemannia, sive Suevorum tractu, quem in Provinciæ formam disponere cogitabat Probus, ad arcendos à Rhætia Germanos, unde & *Castra* teste Vopisco, *in solo Barbarico posuit, atque illic milites* (limitaneos) *collocavit*: talium castrorum & limitaneorum murorum monumenta, & reliquiæ extant in Diœcesi Eichstadiana in territorio Anspacensi, & Suevia, quæ à Danubio ad Niccarum porrecta sunt. Vide EDERLINUM de vallo & muro Adriani & Probi, & AVENTINUM in Hist. Bavar. p. 117.

(k) Vopisc. in Prob. c. 18

Francorum audax navigatio.

5. Germanis maximam partem ad Ponti littora colenda adactis, Francorum quidam, ibidem pristinos animos resumpsêre; nam è Ponto collectis navibus Græciam, Asiámque invadunt, posteà in Siciliam delati Syracusas diripiunt: tandem cùm & in Africa Carthaginem armis appeterent; à Romanis rejecti, innoxium tamen iter habuêre per Gaditanum fretum, ac immensum Oceanum, dum divites spoliis incredibili temeritatis eventu domum redirent (l). Intereà dum Franci Europam expilant; Probus Isauros, Blemyas, unà cum Coptone & Ptolemaide coërcuit (*3), ac Varanem secundum Persarum Regem in fidem, fœdúsque recepit. Quibus peractis Romæ de tot devictis gentibus celebravit triumphum (m).

(l) Bucher. Belg. l. 7. c. 1.

A. Æ. C. 279.

(m) Vopisc. c. 21 p. 240.

Tyranni novi.

A. Æ. C. 280.

6. Hostes exteri vix arma seposuerant; jam domestica bella Tyrannorúmque seditiones turbavêre Rempublicam. *Proculus*, Albigaunii natus in maritimis Alpibus, cùm latrunculis ludens, decies Imperator exiret; à scurra quodam per jocum salutatur Augustus: Lugdunum non abnuit novum hunc Cæsarem, eoquòd ab Aureliano urbs olim afflicta, odium in Probum usque continuaret: Probus itaque hominem rerum novarum studiosum armis felicibus eò adigit, ut apud Francos (quorum ex origine se prognatum jactabat) calamitatis suæ perfugium quæreret, sed ab his proditus (nam teste Vopisco Franci ridendo fidem frangere solebant) vitâ, & brevi Imperio exutus est (n). Alter *Bonosus* erat Hispaniensis ex Galla matre, & Patre Hyberno, filius pædagogi literarii nihil, quàm pergræcari didicit; unde ab Aureliano de eodem dictum est, natum esse, non ut viveret, sed ut biberet. Longiùs

(n) Vict. Epit. Europius.

(*3) VOPISCUS in V. Prob. c. 16. *Barbarorum, qui apud Isauros sunt, vel per terrorem, vel per voluntatem loca ingressus est: quæ cùm peragrâsset, hoc dixit: faciliùs est ab istis locis latrones arceri, quàm tolli; Veteranis omnia illa, quæ angustè adeuntur loca, privata donavit; addens, ut eorum filii ab anno octavo decimo, mares duntaxat ad militiam mitterentur.* Donationem ejusmodi, ac dispensationem agrorum limitaneorum in benè meritos factam legimus ab Alexandro Severo apud Lampridium c. 58. *Sola*, ait, *quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus donavit; ità ut eorum ità essent, si hæredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent; dicens, attentiùs eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. Addidit sanè his & animalia, & servos, ut possent colere, quod acceperant; ne per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina Barbariæ, quod turpissimum ille ducebat.* Hunc morem posteà Franci, & præcipuè Longobardi imitati sunt, ut benè meritis agros, & prædia darent sub statutis conditionibus, unde Jura feudalia orta sunt. V. GUNDLING P. I. lib. 1. HERTIUM de feudis P. 1. §. 2.

giùs is, ac merebatur cœptam Coloniæ tyrannidem exercebat; dum tandem difficili certamine à Probo ſuperatus, laqueo gulam frangeret, quam toties vino proluerat; etiam poſt mortem amphoræ pendentis convitio ſignatus (o).

(o) Vopiſc. in V. Bon. pag. 247.

7. Reſtitutâ Provinciis Pace Probus militem, ne otio diffflueret, agreſtibus operis addixit: atque ùt in Galliis, ſic quoque in Pannonia, Mœſia, & præcipuè prope Sirmium vineta agris inſevit: & quoniam Patrii ſoli fœcunditatem maximè optabat; ipſe Sirmium advolans, cunctos præſens labores præſcripſit, paludes exhauſit, & glebam ad vineas, & meſſes aptavit. Tot laborum pertæſi milites, facto tumultu Proburn ad cædem depoſcunt: hic in turrim ferratam, quam ſpeculæ causâ ædificârat, confugit; ſed ſeditioſorum vi prævalente eodem in loco trucidatus eſt anno Imperii ſui ſexto, menſe quarto (*4).

A. Æ. C. 282.

Probi fatum

8. Exercitus perſolutis Auguſto honoribus id maximè egit, ut Senatum electione præverteret: ex omnibus autem militiæ Ducibus ad Purpuram aptior viſus eſt Carus natione Gallus, Narbonæ genitus; eoquòd de hoc Probi teſtimonium adhuc præ animis eſſet, quo Cæſar miſſis ad Senatum literis juſſerat, ut viri fortiſſimi virtus publicâ ſtatuâ cohoneſtaretur (p). Electus in Prætorio Carus, Magiſtratibus Romanis diſplicuit, ſive quòd Probi Parricidam crederent; tum quia ejus Carinum oderant ex omni ſcelere conflatum filium: Pollicitatione tamen ampliſſimâ optimates ſe demulceri paſſi ſunt; quare Carus Carinum in Galliam miſit, ut hunc limitem contra Francos Gothóſque tueretur: ipſe verò in Orientem profectus, cum altero filio Numeriano Sarmatas (qui poſt mortem Probi deſciverant) unico conflictu domuit (q), fuſis ferè quadraginta millibus. Inde Cari victoris arma in Perſas rebelles, eorúmque Regem Varanem incubuêre, Meſopotamia, & Cteſiphon receptæ, Parthi expulſi; ex quo Carus nomen Sarmatici, &

Carus Imp.

(p) Vopiſc. in V. Cari p. 249.

(q) Zonaras Ann. l. 12. c. 30. p. 242.

(*4) IDEM c. 21. *Cùm Sirmium veniſſet, ac ſolum patrium effœcundari cuperet, & dilatari, ad ſiccandam quandam paludem multa ſimul millia militum poſuit, ingentem parans foſſam, quâ dejectis in altum navibus, loca Sirmienſibus profutura ſiccaret. Permoti milites, confugientem eum in turrem ferratam ... interemerunt. Poſteà tamen ingens ei ſepulcbrum elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt, cum titulo hujuſmodi inciſo marmori:* HIC PROBUS IMPERATOR ET VERE PROBUS SITUS EST, VICTOR OMNIUM GENTIUM BARBARARUM, VICTOR ETIAM TYRANNORUM.

A. Æ. C. 283. & Persici promeruit: sed quoniam Deo placuerat, sublatis optimis Principibus Regnum Romanum ad exitium deducere, aut paulatim illud velut spolium objicere Barbaris; Carus Imperator ad Tigrim (fatalem multis Cæsaribus terminum) castra figens, in suo tentorio fulmine cœlesti ictus interiit anno secundo sui Imperii (r). Numerianus licèt Patri surrogatus; fato tamen Parentis adeo illachrymatus est, ut continuò fletu oculorum vitium contraxerit: in clausa lectica itaque cùm gestaretur ad arcendam aeris vim, in eadem tumulum invenit, à socero Arrio Apro insidiatore Imperii ibidem jugulatus: funus Cæsaris non antè militibus patuit, quàm fœtor cadaveris facinus proderet (s).

Ejus mors repentina.

(r) Aurel. Vict. Vopisc. p. 250.

(s) Euseb. Chron. Aur. Vict. Eutrop.

Diocletianus Imperator.

9. Ut Parricidium cognitum est; Diocletem legiones confestim ad fasces deposcunt, seu Diocletianum latinâ voce posteà nominatum: fuerat is libertino Patre natus in Dalmatiæ oppido, cui Docleæ nomen (t): Adolevit inter arma, habuítque tunc in Galliis apud Tungros amplum de futuro Imperio vaticinium: Druis quippe fatidica fœmina hunc supremum Principatum ei portendebat, siquidem Aprum occidisset (*5). Sub Cæsare Probo Diocletianus Ducem egit in Mœsia, Carum dein secutus contra Persas, à Numeriano meruit aulicorum sive domesticorum Regens constitui. Vir cæteroquin ad omnia, quæcunque tempus posceret

(t) Ptol. lib. 2. c. 17.

(*5) VOPISCUS in Numeriano: *Cùm Diocletianus apud Tungros in Gallia, quâdem in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, &c. in* DRUIDE *quâdam muliere rationem convictûs sui quotidiani faceret, útque illa diceret, Diocletiane, nimiùm avarus, nimiùm parcus es: joco, non seriò Diocletianus respondisse fertur; tunc ero largus, cùm Imperator fuero. Post quod verbum Drujas dixisse fertur. Diocletiane jocari noli; nam Imperator eris, cùm Aprum occideris. Semper exinde Diocletianus in animo habuit Imperii cupiditatem: idque Maximiniano* (postmodùm Collegæ) *conscio, atque avo meo, cui hoc dictum à Druide ipse retulerat . . . . Apros in venationibus, ubi fuit facultas, manu suâ semper occidit. Denique cùm Aurelianus, cùm Probus, cùm Tacitus, cùm ipse Carus; Diocletianus dixit: ego semper Apros occido, sed alter semper utitur pulpamento &c.* Cæterùm DRUIDES apud Gallos erant sacrificuli, qui præ Bardis sive Poetis, præ vatibus sacrorum maximæ erant auctoritatis: studebant Astrologiæ, Physiologiæ, Medicinæ, Magiæ naturali, admittebántque animæ immortalitatem; Præter Druides viros: erant & Druides fœminæ, de quibus Gruterus p. 62. in inscriptione Metis, aut circà reperta: SYLVANO SACR. ET NYMPHIS LOCI ARETA DRUIS ANTISTITA SOMNO MONITA. Et Hieronymus in Epl. ad Hedibiam, quæ cùm Algasia de ultimis finibus Galliarum multa ei dubia per quendam Apodemium proposuerat; majores eam Paterium, atque Delphidium habuisse scribit; quos Druidarum stirpe in Aremoricis satos canit Ausonius de Professoribus carm. 5. 9. & 11. Vide Bucherium in Belg. Rom. l. 5. c. 3. & 4.

ſceret paratus, conſilii ſemper alti, nonnunquam tamen effrontis, motus inquieti pectoris mirâ calliditate comprimebat: à Sagaci ingenio maximus posteà Princeps; ſed ſimul peſſimus ob faſtum, avaritiámque inſolentem dictus eſt (u).

(u) Tillem. in Diocl. Artic. I.

Æra Diocletiani.

10. Quamprimùm à militibus electus eſt Imperator, Aprum Prætorii Præfectum, ac Numeriani parricidam propriâ manu confodit, quo facto meminit fidei à Druide datæ, Apro nimirum occiſo fore, ut ipſe faſces adipiſceretur (*6). Regnum auſpicatus eſt XVII. Septembris anno Æ. C. 284., ex quo inſignem illam Epocham posteà numerârunt Chronographi, quæ ab Ethnicis Æra Diocletiani, ab Eccleſia verò Æra Martyrum nuncupata eſt (*7): intereà Carinus Numeriani frater Romam, cunctásque Occidentis Provincias tenebat: inter utrumque igitur competitorem bellum grave exarſit; decretoria pugna ad Danubium in ſuperiore Mœſia Carino felix, ſimúlque funeſta fuit; nam hoſtium in acie victor, à ſuis ſubinde proditus, cæſúſque eſt (x). Diocletianus occiſo Carino univerſi Imperii Dominus, militem perfidum largitionibus, Senatum Romanum pingui libertatis pollicitatione, quaſi ex ſolito Imperatorum artificio demulſit.

A. Æ. C. 284.

Carini exitium.

(x) Aurel. Vict.

A. Æ. C. 285.

11, Provinciarum conditio cùm indies acerbior evaderet, nec jam unus tot hoſtibus coercendis ſe parem præſtare poſſet; Diocletianus altero Imperii ſui anno Collegam ſibi ſociavit Valerium Maximianum, antiquâ neceſſitudine ſibi devinctum, cui cum partitis faſcibus nomen Herculei impoſuit: erat hic Sirmii in Pannonia ſubagreſti ſtirpe oriundus, homo ſævus & truculentus, qui ingenii immanitatem vultûs quoque aſperitate oſtendit (y): rebus militiæ ad Danubium, Euphratem, Rhenum & Oceanum benè geſtis hic Cæſar à Diocletiano adhibitus eſt, ut Tyrannum ad manum haberet, qui in ferocioribus obſequeretur. Primam expeditionem Herculeus in Galliam inſtituit (z); ab eo enim tempore

Collega Diocletiani Maximianus.

(y) Victor Epit. Eutrpop. Aur. V.

(z) Euſeb. ad a. 286. Eumen. Paneg. 3. c. 4.

(*6) VOPISCUS in Numeriano p. 252. *Tam illud notum, atque vulgatum eſt, quòd cùm occidiſſet Aprum Præfectum Prætorii, dixiſſe fertur: Tandem fatalem Aprum occidi!*

(*7) PAGIUS in Critic. Baron. ad a. 284. n. 8. Diocletianum hoc anno imperare cœpiſſe evincit etiam Æra Diocletiana, quæ & Æra Martyrum dicta, à Chriſtianis Ægypti etiamnum uſurpata, quæ proficiſcitur à die 29. Auguſti currentis anni Chriſti, à qua etiam die Æra Actiaca, in cujus locum ſubrogata eſt, auſpicabatur &c.

pore, quo Carinus his Provinciis deceſſit, Ruſticana plebs (nomine Bagaudarum) in ſeditionem deſciverat (*8). Herculeus antequàm in hoſtes contenderet; in Veragris ad Rhodanum luſtrat copias, ſimúlque in Sacramentum Diis faciendum adigit; Thebæorum legio Chriſtiana, ne tanto ſcelere pollueretur, Cæſari adverſata ad octo paſſuum millia Agaunum ſecedit: fruſtra indè ab Herculeo revocata, hortatore Mauritio decimationem primò, iterúmque paſſa, & demum tota immiſſo exercitu crudeliſſimè trucidata eſt (a).

A. Æ. C. 286.

(a) Bolland. 20. Jan. §. 76.

Maximiani bella.

(b) Mamert. pang. 1. c. 5.

A. Æ. C. 287.

(c) Paneg. 10. & 11.

(d) Aurel. V. Entrop.

Carauſius Tyrannus in Britannia.

12. Inde Maximianus ruſticanas Bagaudarum catervas aggreſſus, levibus aliquot præliis fudit, & domuit; motibus his vixdum compreſſis omnes barbaræ nationes in excidium Galliæ concitabantur (b): neque ſolùm Burgundiones & Alemanni ab Auſtro, ſed & à ſeptentrione Charbones, Herulíque viribus primi, barbarorum locis ultimi, præcipiti impetu in has Provincias irruebant: Maximianus igitur conſilio magìs: quam vi bellum gerendum ratus, Burgundiones, Alemannósque neglexit; eoquòd compertum haberet, eos cum fame, & peſtilentia extremis utique malis luctari: dein collectis legionibus, apertóque Marte in Charbonum, Herulorúmque multitudinem invectus, cunctos adeò delevit, ut nec cladis nuncius è prælio reſtaret (c). Victoriæ lætitiam brevì interrupêre Carauſii adverſa Romanis ſtudia. Is Francis, Saxonibúsque mare per Bataviam, Armoriámque infeſtantibus oppoſitus (d) antè fuerat ab Herculeo; tum quòd Menapiæ ſeu Brabantiæ civis, Bataviæque alumnus, adoleſcentiam navium gubernandarum officio exercuiſſet, ſive quòd contra agreſtes Gallorum turbas egregiam Herculeo præſtitiſſet fidem: præfecturam primò gnaviter geſſit, poſteà verò munere elatior, Barba-

(*8) *Bagaudæ* apud Salvianum lib. 5. p. 107. 108. & 113. iidem ſunt, qui rebelles, ac latrones, ſicut hodiedum videre eſt in montanis Pannoniæ, & in montibus Pyrenæis, quorum illi *Martoloſi*, hi *Bandolieri* vocantur. Vide CUNRADUM RITTERSHUSIUM lib 5. in Salvian. Prætereà *Bagauda* pro ſeditione quacunque accipitur apud Proſperum in Chronico: unde MAMERTINUS in *Panegyrico* p. 91. *cùm militares habitus, inquit, ignari agricolæ appetiverunt; cùm arator peditem, cùm Paſtor equitem, cùm hoſtem Barbarum, ſuorum cultorum ruſticus vaſtator minatus eſt.* SALVIANUS porrò Bagaudas agreſtos præpoſitorum acerbitatibus ad rebellionem incitatos confirmat: *Bagaudæ per malas judices & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquàm Jus Romanæ libertatis amiſerunt, etiam honorem Romani nominis perdiderunt, & vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos.*

Barbaros quidem malè cecîdit, ſed ereptam iis prædam in ærarium haud retulit: ſuſpicio igitur eſſe cœpit, à Carauſio non ſinè fraude in Romanorum ditionem admitti Barbaros; ut redeuntes cum præda exciperet, atque hâc occaſione ſibi conquireret opes. Maximinianus Herculeus expilatori mortem decreverat; verùm Carauſius ſcelus novo ſcelere tuendum ratus purpuram ſumit, Barbariſque in ſocietatem pellectis atque ad naumachiam eruditis Britannias capeſſit hauſto Imperio (*9): Herculeo inde rei maritimæ ignaro belli difficilis moles incubuit, quæ, ubi Romanas copias infelici ſemper eventu preſſerat, Maximianus Carauſio Inſulam relinquere coactus eſt (e). (e) Aurel. Vict.

Tyranni complures.

A. Æ. C. 292.

Novi Cæſares creantur.

13. Ex uno tumultu brevì plures enati ſunt; nam Carauſio in Britanniis rebellante, Achilleus Ægyptum, Africam Quingentiani, Orientem Narſes diripiebant. Diocletianus tot bellis undique appetitus, quò pluribus expeditiones divideret; Maximianum Herculeum ex Cæſare fecit Auguſtum: duos iſti præterea Cæſares addidit Flavium Valerium Conſtantium Chlorum, & Galerium Maximianum: hic natale ſolum habuit Thraciam ripenſem, agreſti ſive armentorum paſtore natus; unde Armentarii nomen eidem poſteà datum eſt: infantiam traduxit ſub cura matris ſuperſtitioſiſſimæ fœminæ, quæ licèt filium nec moribus, nec literis imbueret (f); odium tamen, quo ardebat in Chriſtianos, eidem ingenuit, in omnes vitæ annos duraturum: è rudiſſima Parentum diſciplina ad bellum progreſſus, inter ærumnas plures patientiæ & inter conflictus magna fortitudinis facinora edidit, quæ eidem Cæſaris primò, dein etiam Auguſti nomen pepererunt. Conſtantius à pallido vultûs colore Chlorus dictus, ſtirpem ſuam ad Claudium II. Imperatorem refert, Patre Eutropio in Dardania ſuperio- (f) Lact. in M. perſ. c. 11.

Galerius.

(*I) EUMENIUS in Panegyrico p. 214. Iſto, inquam, nefando latrocinio abducta primùm à fugiente Pyrata (Carauſio) claſſis, quæ olim Gallias tuebatur. Ædificatæ prætereà plurimæ Romanum in modum naves, occupata Legio Romana (Bucherius credit fuiſſe legionem Britanniæ coercendæ impoſitam) contracti ad delectum mercatores, ſollicitatæ per ſpolia ipſarum Provinciarum non mediocres copiæ Barbarorum (ſcilicet Francorum, Saxonum, & Friſiorum) atque eæ omnes ad munia nautica, flagitii illius auctorum Magiſterio eruditæ. Ità exercitibus Romanis, virtute licèt invictis, tamen in re maritima novis, mala coaluit ex indigniſſimo latrocinio belli moles, quæ aliquot annos inde obtinuit ab a. 291 ad 300.

rioris Mœſiæ nobiliſſimo viro natus: matre verò Claudiâ, quæ *Conſtantius.* Claudii Auguſti ex fratre Criſpo neptis erat. Adoleſcentis intererat ſub Aureliano & Probo militiæ ponere rudimenta; inde Præſes Dalmatiæ anno 274. ingenti clade Alemannos afflixit, eodem anno, quo Conſtantinum filium ex conjuge Helena ſuſcepit: Caro Imperatori ſemper ejus virtus adeò probata eſt, ut hunc præ Carino ſibi Succeſſorem animo conſtituerit: Cari Auguſti ſenſa ſecutus eſt Diocletianus, quando anno 292, eidem Cæſaris honorem decrevit.

14. Adoptati duo Cæſares quò conjunctiores deinceps inter ſe viverent, novo eos nuptiarum vinculo devincire placuit: juſſerat nimirum Diocletianus, ut Conſtantius in locum Helenæ conjugem duceret Flaviam Maximianam Theodoram, filiam Eutropiæ uxoris Maximiani (g). Armentario contrà data eſt Galeria Valeria, altera filia Diocletiani ex Serena. Tum inter eos Romanus orbis, belláque diviſa ſunt: Diocletianus Ægyptum, & Achilleum Tyrannum ſubigendum ſumpſit: Maximiano Herculeo Africa obtigit cum Quingentianis debellandis: Armentario Orientis cura adversùs Narſetem Perſarum Regem demandabatur: Conſtantius demum Carauſio Britanniæ Tyranno objectus eſt. Hic, dum cæteri ad ſuas Provincias dilabuntur, in Galliam ſuam properat, Bononiam, ſive Geſſoriacum Carauſii ſedem expugnat(*10), plura eodem impetu tentaturus, niſi neceſſitudo navium conſtruendarum iter in Britanniam retardâſſet: illæ igitur dum parantur; Conſtantius rebelles in Batavia Francos aggreditur, victórque ad Nerviorum & Trevirorum deſertas terras transfert, quo conſilio gentes Barbaræ coactæ ſunt, ſolum illud denuò excolere, quod antè multis graſſationibus devaſtaverant.

(g) Eutrop. Aurel. V.

15. Dum Geſſoriaci claſſis inſtruitur (*11), & Conſtantius Bata-

(*10) *Bucherius* lib. 7. c. 5. & 6. Carauſius Bononiam in continente nunquam dimiſit, ſapiente conſilio, & illud tanti momenti fretum utroque littore occupandi, & apertam è Britannia, cùm vellet, in Gallias excenſionem, portúmque retinendi: hoc igitur perfugium Conſtantius primò obſedit terrâ, maríque: úrque opem mari Carauſius ſuis inferre non poſſet, Portum urbis, maris licèt æſtu reciprocum, arborum molibus in aditu defixis, & ſaxis ingeſtis occluſit, donec urbs ipſa ſe dederet Cæſaris clementiæ

(*11) EUMENIUS p. 214. fatetur ædificatam poſteà claſſem, ab infeſto mari afflictam & repulſam fuiſſe, unde EUTROPIUS ait: *Cum Carauſio tamen, cùm bella fruſtrà*

Bella Imperatorum.

Batavos premit; Carauſius in Britannia ab Allecto occiditur; cùm enim is copiarum magnam partem Carauſii nomine regeret, flagitiorum, & ob ea mortis formidine, per ſcelus Imperium extorſerat: quod ubi per triennium ferè tenuiſſet, Conſtantii armis ſuccubuit; is quippe paratâ claſſe, ac ne miles de reditu cogitaret, combuſtis navibus Allectum adortus eſt: Allectus metu trepidus, primò cultum Imperatoris, ne agnoſceretur, exuit; dein amentis in modum attonitus, tumultuariò in irruentia Conſtantii agmina ſeſe induit, ſuæ Tyrannidis finem ſpontè quæſiturus (*12). Occiſo Allecto Britannia, poſtquàm decem annis Tyrannis ſervierat, recepta eſt.

A. Æ. C. 296.

16, Per idem tempus eâdem fortunâ Diocletianus Ægyptum, Achilleúmque; Galerius Narſetem Perſarum Regem fregerant, qui quinque conceſſis Provinciis, à Romanis pacem tandem mercatus eſt (h). Poſt Barbarorum bella Diocletianus ferrum ſtrinxit in Chriſtianos, inſtigante Galerio; peſſimus enim hic Princeps, ubi nihil omiſiſſet, quo Diocletiani ferociam accenderet: ipſum Auguſti Palatium bis ſubjectis ignibus in flammas egit, ut novum crimen, novúmque portentum eſſet, cujus cauſam eventúmque conjiceret in Chriſtianam gentem (i): Martyrum itaque ingenti ſtrage editâ, Diocletianus Romam abiît, Triumphum de victis populis, & ſimul Regni vicennalem ſolennitatem peracturus: licentia plebis, qui Cæſarem in media pompa carpebat, adeò Diocletiano diſplicuit, ut inter hybernas tempeſtates ſubitò Româ egreſſus, in amentiam, corporiſque funeſtam ægritudinem incideret. Ravennâ Nicomediam devectus pejus habuit;

(h) Amm. lib. 25. c. 7.

(i) Lact. c. 12.

Triumphus Diocletiani

A. Æ. C. 303.

ſtrà tentata eſſent contra virum rei militaris peritiſſimum; ad poſtremum pax convenit. VICTOR SCHOTTI ait, *ſoli Carauſio remiſſum Inſulæ imperium.* Quod per ſexennium aut ſeptennium habuit, donec ab Allecto occideretur.

(*12) EUMENIUS in Paneg. *Conſtantius ſtatim atque Britanniæ littus invaſit; univerſis navibus ſuis ignes injecit, ut nullo fugæ præſidio reſervato, in ſola omnes victoriæ ſpem ponerent . . . Igitur Allectus ab eo littore abſcedens, claſſem, portúmque deſeruit, Conſtantium, cujus imminentia vela conſpexerat jam jámque Venturum timens. Sed fugiens* (terrâ) *in Aſclepiodoti* (Ducis Conſtantii) *manus incidit, & in modum amentis attonitus ità properavit ad mortem, ut nec explicârit aciem . . . Sed cùm Veteribus illis conjurationis auctoribus, & mercenariis cuneis Barbarorum* (Francorum, Saxonúmque maximè) *tanti apparatûs oblitus irruerit, ut nemo ferè Romanus occiderit . . . inter mortuos ipſe vexillarius latrocinii* (Allectus) *cultu illo, quem vivus violaverat, ſponte depoſito & vix unius velaminis repertus indicio.*

Diocletianus & Herculeus abdicant Imperium.

quare Galerius Imperio jam ineptum, & reprimendis ingruentium Persarum assultibus minimè parem eò adegit, ut etiam invitus Purpuram exueret: ad idem consilium Mediolani eodem tempore belli civilis metu pertractus est Herculeus (* 13): surrogati his sunt Augusti Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus: atque ut Quatuorvirorum Principatus à Diocletiano cœptus consisteret; duos Cæsares Galerius obtrusit Valerium Severum nepotem suum & Dajam (dictum Galerium Maximinum) sororis suæ filium, indignos quidem, sed quos Galerius in sua haberet potestate (* 14).

A. Æ. C. 305.

Divisio Provinciarum inter Augustos.

17. Inter quatuor Principes Imperium eâ lege divisum est; ut Constantius Chlorus Galliæ, Britanniæ, Hispaniæque præesset: Italia, & Africa Severo datæ sunt: Illyricum, Græciam & Orientem Galerius unà cum Maximino sibi adjecit (* 15). His peractis

(* 13) SEXTUS AUR. VICTOR. Diocletianus apud Nicomediam *sponte imperiales fasces relinquens, in propriis agris consenuit: qui dum ab Herculeo atque Galerio ad recipiendum rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans in hunc modum respondit: utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta: profectò nunquam id tentandum judicaretis.* POMPONIUS LÆTUS totus est in laudibus Diocletiani quasi hujus secessûs consilium ex sana Philosophia hausisset. Sed Lactantio scribenti de Mortibus Persecutorum nos majorem habemus fidem. Capite autem 17. ait: *Nec multis pòst diebus Cæsar* (Galerius) *advenit, non ut Patri gratularetur, sed ut eum rogaret, Imperio cedere. Jam conflixerat nuper Maximiano sene, eúmque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum primùm molliter & amicè, jam senem esse dicens, jam minùs validum, & administrandæ Reipublicæ inhabilem, debere illum requiescere post labores . . . ille verò ajebat esse indecens, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset, & minùs tutum, quòd in tam longo* (21. annorum) *Imperio, multorum sibi odia quæsisset . . . .* Instabat porrò Galerius minis: *si ipse cedere noluisset*, ajebat, *se sibi consulturum . . . His auditis senex* (Diocletianus) *languidus, qui jam Maximiani senis literas acceperat, scribentis, quæcunque locutus fuisset, & dixerat ab eo* (Galerio) *exercitum augeri: Lachrymabundus, fiat, inquit, si hoc placet.* Ex quo patet, Diocletianum & Herculeum minimè spontè deposuisse Imperium.

(* 14) SEXTUS AURELIUS VICTOR ait, ex Imperii divisione facta *parti Italiæ invectum tributorum ingens malum; nam cùm omnis eâdem functione, moderatáque ageret, quò exercitus atque Imperator, qui semper aut maximâ parte aderant, ali possent; pensionibus inducta lex nova; quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis, in perniciem processit suis tempestatibus.*

(* 15) LACTANTIUS de Mort Persec. c. 17. *Quid opus est consilio* (ajebat adoptaturus Diocletianus) *cùm necesse sit illis duobus* (Galerio & Constantio) *placere, quidquid nos fecerimus? ità planè, nam illorum filios nuncupari necesse est Erat autem Maximiano* (*filius*) MAXENTIUS, *hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeò superbus & contumax, ut neque socerum solitus sit adorare, & idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat* CONSTANTINUS, *sanctissimus Adolescens, & illo fastigio dignissimus, qui insigni & decoro habitu corporis, & industriâ militari, & probis*

ctis Herculeus in Lucaniam, Diocletianus Salonam in Dalmatiam secessêre: ille sæpè dein resumens, deponénsque Imperium, vitam anno 311. finiit; Hic verò constans secessûs sui incola, hortorum culturæ navavit operam, ex malo Imperatore factus olitor bonus; nam præterquàm quòd distractum in partes Imperium ad exitium propiùs devolverit; Provinciarum nomina, earúmque Præfectos auxit, non sinè ærarii publici detrimento, cui porrò majorem labem intulit magnificâ constructione thermarum ac ædificiorum, à quibus sumptibus ne quidem tunc abstinuit, cùm in Dalmatia Privatus degeret. In expilandis subditis acerbus, in vestibus insolens, animóque inflato, & tumenti, sericum non tantùm & aurum more Carini, & Heliogabali adhibebat; sed & calceos ornabat gemmis: adhæc Persarum in colendis Regibus, usum induxit, jubens, ut ii, qui Augusto loquerentur, in genua devoluti Diocletiani divinitatem adorarent: verùm nil nisi hominem mortalem se probavit, postquàm novem annis Purpurâ jam spoliatus, sibi veneno hausto vitam quoque eripuit.

Res gestæ, vitia & virtutes Diocletiani.

18. Intereà amotis ab Imperio duobus portentis Diocletiano & Herculeo, unus saltem melior Princeps orbi visus est Constan-

 tius

probis moribus, & comitate singulari à militibus amaretur, à privatis & optaretur. Erátque tunc præsens, pridem à Diocletiano factus Tribunus ordinis primi. Quid ergo fiet? (inquit Galerius) *dignus non est. Qui enim me privatus contempsit, quid faciet, cùm Imperium acceperit? Hic verò amabilis est, & ità imperaturus, ut Patre suo melior, & clementior judicetur. Ità fiet, ut ego non possim facere, quæ velim: eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu. Quos ergo faciemus? Severum, inquit: illúmne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, & dies pro nocte? dignus inquit, quoniam militibus fideliter præfuit, & eum misi ad Maximianum, ut ab eo induatur. Esto. Alterum, quem dabis? Hunc, inquit (ostendens Dajam) adolescentem quendam semibarbarum, quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine ....* Diocletianus *gemebundus: non, inquit, eos homines mihi das, quibus tutela Reipublicæ committi possit .... Cùm hæc essent constituta, proceditur Kalendis Majis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites, qui aderant, & Priores militum electi, & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant .... Concio militum convocatur, inquit senex* (Diocletianus) *cum lacbrymis, alloquitur milites, se invalidum esse, requiem post labores petere, Imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare: summa omnium exspectatio, quid afferret. Tunc repentè pronunciat* SEVERUM & MAXIMNIUM *Cæsares. Obstupefiunt omnes in Tribunali: Constantinus adstabat susum*(sursum) *sciscitari inter se, num Constantini immutatum nomen esset? cùm in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum extendens, protraxit à tergo Dajam, Constantino repulso, & exuto vestem privatam, constituit in medium. Mirari omnes, qui esset, & unde esset? Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatæ rei novitate turbatis.*

Constantii Imp. virtutes tius Chlorus: is enim in fovendis civibus mitissimus, fisci verò augendi negligentior, publicas opes rectiùs à privatis haberi ajebat, quàm intra unum claustrum asservari. Dilectus itaque à suis Imperator in civium promptis manibus thesauros, quotquot vellet, possidebat: luxûs omnis contemptor id, quod de Agathocle Siculo compertum est, fictilia nonnisi vasa ad mensam adhibuit (k): *pauper* etiam ob spretas divitias à quibusdam dictus: Constantii gravitas eminebat in fronte, moderatio in oculis, ad ruborem usque pudor in vultu, æquitas in sermone: his virtutibus cùm Christiano se propè similem redderet; ipsa morum similitudo ei singularem in Christi cultores benevolentiam inspiravit: quare furente Diocletiano per Orientem, & Herculeo in Italiæ finibus sæviente, Gallia Christiano sanguine minimè cruentata est. *Benevolentia erga Christianos.* Quin suo Palatio alios servos, præfectósque alios non adlegit, quàm qui Christum sincerâ mente colerent: atque ut Religionis hujus & probatæ fidei testimonium à suis eliceret, pio commento & edicto callidè proposito iis cavit, ut qui deinceps inter suos numerari vellent, Romanorum Diis litarent hostiam: aut nisi faxint, domesticorum familiâ depellerentur (l). Aliis igitur amicitiam, servitiúmque Principis Christo antehabentibus, aliis omisso numinum cultu proscriptionem potiùs eligentibus, Constantius apertè tandem, quid sanctione istâ voluisset, aperuit; se statuere nunc servitio suo indignos, neque sibi satìs fidos fore, qui fidem suo in cælis Deo seu Christo, quem colebant fefellissent: hos prinde exesse à domûs limine jubens, cæteros, qui propositis minis fortiores se, constantésque præstitissent, inter suos unicè adscripsit: id genus hominum enim ajebat, in præcipuis, maximéque necessariis amicis, & familiaribus numerari, multóque pluris, quàm æraria ingenti thesauro referta, æstimari oportere. Itaque ab hoc tempore Palatium ejus Ecclesiæ potiùs, ac Dei veri templo comparari poterat, in quo tot fideles pro incolumitate Principis precabantur. Tantis Constantii favoribus in orthodoxam Religionem prœmium non unum à Deo datum est; nam etsi fidem ipse (ùt ad animæ etiam salutem facere debuisset) amplexus non sit; summam in Regno felicitatem

(k) Euseb. lib. 8. c. 13. Eutrop.

(l) Euseb. V. Const. l. 1. c. 15 & 17.


citatem ſortitus eſt, & poſt tot violenta Auguſtorum funera pacatam mortem, quam oppetiit Eboraci in Anglia Anno CCCVI. (* 16). Mortuus reliquit plures proles honoribus, & nobiliſſimis conjugiis augendas, quod beneficium Deus paucis Imperatoribus Ethnicis conceſſit (* 17): quanquam illud omnem ejus ævi ſpem ſuperabat, quòd filius natu major Conſtantinus non tantùm in Imperio, & Religionis Chriſtianæ amore ſuccederet; ſed & fidem Chriſti primus inter Auguſtos Purpuræ ſociaret.

Mors Conſtantii, & temporanea ejus felicitas.

REFLE-

(* 16) EUSEBIUS lib. 8. c. 13. *Vix hæc geſta fuerant, cùm Imperium Romanum totum in duas partes diviſum eſt, quod quidem nunquam anteà factum eſſe memoratur.* Notat igitur PAGIUS ad a. 304. hanc fuiſſe novam Imperii formam, licèt enim antè plures Auguſti imperarent; tamen Imperium Romanum ſolidum, atque indiviſum gubernârunt. Unitatis tamen aliqua umbra poſt hanc diviſionem ſervata eſt. Quamvis enim lex aliqua aut monumentum ab aliquo Cæſare ſcriberetur, aut poneretur; hæc tamen decreta omnium Cæſarum nomina ſimul præferebant. Quibus autem viis internoſci poſſit, cui lex aliqua tribuenda ſit, oſtendit Gothofredus in Prolegomenis Codicis Theod. c. 8. & 9.

(* 11) TILLEMONT Hiſtoire des Empereurs Tom. IV. P. I. pag. 130. proles Conſtantii ſeptem enumerat: nam CONSTANTINUM ex Helena primò ſuſcepit, dein ex Flavia Maximiana Theodora filiâ (Maximiani Herculei) tres filios, totidémque filias habuit: inter maſculos natu major fuit DALMATIUS Cenſurâ inſignis, Parens *Junioris Dalmatii* (qui Conſul fuit, & Cæſar creatus eſt anno 335.) & *Annibaliani* Regis Ponti & Armeniæ. 2. Alter Conſtantii filius JULIUS CONSTANTIUS, Conſulatum geſſit anno 335.: occiſus poſt mortem Conſtantini, reliquit filiam, & Gallum Cæſarem ex prima uxore, cui Gallæ nomen. ex altera uxore Baſiliana verò in orbis perniciem genuerat Julianum Apoſtatam. 3. Tertius Conſtantii ex Theodora filius à quibusdam ANNIBALIANUS, ab aliis CONSTANTINUS dicitur, qui Conſul fuit anno 327. Ex filiabus *prima* vocatur FL. VALERIA CONSTANTIA an. 313. Licinio deſponſata, quæ cùm moreretur, id egit, ut Arius ab exilio revocaretur. *Altera* ANASTASIA juncta Baſſiano, qui anno 314. prodere voluit Conſtantinum M., inſtigante Licinio. *Tertia* EUTROPIA uxor Nepotiani, qui anno 350. Purpuram accepit.



REFLEXIONES HISTORICO - POLITICÆ IN CAPUT I. LIBRI III.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 6. pag. 475.

De Pompa funebri, rogo, urnâ, ac ſumptuoſis Mauſoleis Romanorum.

1. QUæ apud Hebræos, Ægyptióſque ſepulturæ, funerúmque reverentia fuit, eadem & ferè ſumptuoſior apud Romanos obſervata eſt. Poſtqnàm enim morientis oculos occluſerant amici, (quod ne præſtarent filii, lege Mæviâ (a) vetitum erat) appoſitâ ad ædes cupreſſo, pollinctum præprimis corpus, veſte induebatur purpureâ, ſi Magiſtratus fuiſſet; aut prætextâ, ſi Eques; vel albâ, ſi plebejus (b): inde ſandapilæ, aut lecto purpurâ conſtrato impoſitum, accinente næniam tibicine efferebatur, ſive à Veſpillonibus, ſive à nobilioribus ſcilicet Conſularibus, aut filiis (c): de corpore Æmilii Pauli Perſarum Victoris notatum eſt, illud à Legatis Macedonum, & Ligurum elatum fuiſſe. L. Syllam Senatores & virgines ſacræ ad rogum deportârunt, Metello Macedonico ſuccollàrunt quatuor filii, quorum unus Conſul deſignatus erat, unus Cenſorius, duo Triumphales. Adhæc pompam funebrem condecorabant honorum, quos mortuus geſſerat, inſignia, urbiúmque, & populorum devictarum Simulachra (d), lectum præcedebant cives raſis capitibus, & ſervi manumiſſi, qui tunc Pileati, velatis albâ lanâ capitibus prægrediebantur (e).. lectum ſequebantur propinqui, affines, filiique omnes capillo demiſſo, & in veſte pulla: filiæ paſſis quoque crinibus, albáque veſte inſigniebantur: his accedebant *Præficæ*, quæ ad luctum emptæ cæteris dabant plangendi modum (f). Magnatum, & de Republica meritorum exuviæ, antequàm ad ſepulturam aut rogum deferrentur, in foro oratione funebri vel à filio, vel à propinquo celebrabantur (g), qui mos à P. Valerio Poplicola dicitur dimanâſſe; eoquòd is Collegæ ſuo Junio Bruto primam ejusmodi panegyrin adornâſſet.

2. Inde comitatus funebris deducebatur in locum ſepulturæ, aut rogo ab Auguribus & Sacerdotibus deſtinatum (h): lege quippe XII. tabularum cautum erat, ne quis in urbe ſepeliretur, quamvis id paucis benè

(a) Cantel. de Romana Republ. diſſert. VI. c. 4.

(b) Juven. III. V. 171.

(c) Sueton. in Jul. c. 84. & Aug. cap. 100.

Ordo funeneris & pompa.

(d) Suet. in Jul. c. 84.

(e) L. unic. §. 5. Cod. de Lat. lib. toll.

(f) Nævius apud Feſt. in Præfica.

(g) Suet. in Jul. c. 6.

(h) Plin. H. n. VII. c. 54.

nè meritis, & sine discrimine Imperatoribus posteà concessum sit. Romanis olim in usu erat (uti Ægyptiis) corpora aromatibus condita tumulare: at post Syllanam Tyrannidem & bella civilia, quibus corpora è monumentis extracta per ludibrium ab inimicis trahebantur uncis, & harpagonibus, laceráque in cloacas vel profluentem projiciebantur; mos alius assumptus est, ut ad impediendam furentium sævitiem, cadavera rogis imposita in cineres redigerentur (i): Pyra autem in modum aræ exstruebatur ex larice pinea, taxo, circumpositis undique cupressis: Pyræ liquoribus pretiosis perfusæ, facem averso vultu subjiciebat is, qui mortuo arctiore necessitudine devinctus erat: in ardentem mox flammam conjiciebantur vestes, arma, supelléxque magni pretii. Intereà dum corpus cremabatur: effundebatur humanus sanguis, vel à gladiatoribus inter se commissis, aut à quibusdam se spontè perimentibus; vel si horum copia non erat, à præficis, quæ laniando genas cruorem eliciebant, proptereà quòd creditum esset à Romanis, manes humano sanguine placari.

Locus sepulturæ & rogus.

(i) Virgil. Æneid. v. 177. & 214.

Ludi gladiatorii circa rogum.

3. Ustulato jam corpore, cùm Pyra in bustum desineret, à Præfica præsentes funeri dicto ter vale, discedere jubebantur, legebantúrque ex ustrina sive loco cremando corpori destinato cineres mortui in urnam ex auro, argento, ære aut marmore; aut in fictile vasculum, prout facultates defuncti ferebant: prætereà cineribus admiscebantur gemmæ, aurúmque imminutum & in pulverem redactum, quæ aromatibus & amicorum lechrymis perfundebantur. Romæ in medio circo Olympico extat mons testaceus, quem quidam ex conjectis in unum cumulum urnis in tantam molem excrevisse ferunt, quando Imperatores Christianam Doctrinam amplexi, jusserant eò in unum conferri eadem vasa funebria, cum cæteris inferiarum instrumentis, edictóque novo caverant; ne aliis sacris, & expiationibus uterentur populi, quàm Christianis. Sed quidquid quisque sentiat de hac traditione, id saltem à nullo negari potest, ex eodem monte profundè etiam effosso, semper novas urnas, integras & venusto toreumate formatas, erutas fuisse. Demum persolutis justis & inferiis, ab hæredibus dabatur convivium amicis domi, senibus cœna funebris, quæ & Silicernium dicta; & interdum epulum populo (k)

Urna feralis.

(k) Cantel. l. c.

4. Sepulchra, quibus cineres inferebantur, sua habebant Epitaphia (l) & aras antepositas, ad quas quotannis sua munera propinqui conferebant: tumulis ut major honos arcesseretur; Romani Ægypti morem imitari visi sunt; uti enim illi Pyramides & tota Mausolea construxerant ad celebrandos mortuorum cineres; ità Roma non uno ejusdem formæ monumento deinceps ornata est. Artemisia Halicarnassi Regina Mausolo marito Regi Cariæ post obitum erexit magnificentissimum sepulchrum, cujus ædificii circuitus 411. pedes complectebatur, altitudo cubitos 45., cui adjecit peritissimus artifex (Pythis nomine) Pyramidem, quæ 24. gra-

(l) Martial VI. v. 52.

Mausolea sumptuosa veterum Romanorum.

duum ordines continebat: ornata columnis ingentibus 36., ſuſtentabat faſtigio quadrigas cum ſtatua Mauſoli ex marmore puriſſimo.

5. Ad hujus Reginæ imitationem *Auguſtus* Cæſar Romæ ſtruxit ſepulchrum ampliſſimum, in quo Cæſarum cineres tumularentur: ejus ruinas videre licet (m) teſte Boiſſardo à poſteriore parte templi S. Rochi ad portam Flaminiam, & duos illos obeliſcos ex lapide Ophite, qui fracti jacent in platea anteriore. *Tiberius* ex Ægypto fecit Romam advehi obeliſcum illum Vaticanum, in cujus apice dicebatur olim, Julii Cæſaris cineres reconditos ſervari. Nec contemnenda *Moles Hadriani. Septimius* autem *Severus*, ut celebrem ſui memoriam relinqueret; monumentum erexit columnarum frequentiâ, & magnificentiâ famoſum: tantâ id erat altitudine, ut cætera urbis ædificia longè ſuperaret: aſſurgebat per contignationes ſeptenas (unde ſeptizonium vocatum eſt) quarum tres hodiè tantùm ſuperſunt, longâ annorum injuriâ nutantes. His annumerari meretur *Cæciliæ Metellæ* ſepulchrum ad viam Appiam: id enim ex puriſſimo & candido marmore confectum formam rotundam in modum ampliſſimæ turris refert: circuitum diſtinguunt capita boum arte ſculptoriâ concinnata: ædificii anguli ita diſpoſiti, ut ſeptenis vicibus voces prolatas multiplicato ſono reddant integras; quod ea de cauſa factum traditur, ut plorantium ad funus gemitus in immenſum augerentur. Non ſecùs, ac ſic Dii Manes & omnes inferorum animæ fatum Cæciliæ iſtius miſeratæ, ex terræ abyſſo tot ploratibus ſuum dolorem teſtarentur.

(m) Boiſſardus de antiquitat. urbis Romanæ.

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 6. pag. 475.

Quo ritu celebrata ſit Romanorum Cæſarum Apotheoſis.

1. CUm mens noſtra immortalis longiorem temporum ſpectet amplitudinem, quàm eam, quæ mortali vitâ citiſſimè abſolvitur; Ethnicis id maximè in more poſitum fuit, ut defunctis ultra mortalitatis metas conarentur aliquid adjicere. Ac primò Ægyptii mortuorum corpora aromatibus à putredine vindicare quærebant; Romani verò has imbecilles corporum exuvias aſpernati, eas igni tradiderunt, ut conſumpto hoc ergaſtulo, & reſolutis in cinerem membris animam tantò celebriùs Superûm, ac Deorum numero inferrent. Atque hæc vota licèt omnium eſſent, etiam cùm privatorum funera agerentur; nunquam tamen ſolenniùs illa concepta ſunt, quàm dum univerſa Reſpublica ſuo Principi parentaret. Nullus quippe tunc erat, qui non Cæſarem aut Auguſtum propter inſignia per totam vitam geſta, & egregia in Provincias merita inter numina conſecrandum cenſeret.

Studium Veterum in honorandis defunctis,

Apotheoſis.

2.

2. Consecratio autem (quæ & Apotheseos nomine venit) celebriore apparatu instituebatur; cujus modum nobis Herodianus (a) reliquit: quandò SEPTIMIUM SEVERUM Imperatorem inter Cælites relatum refert: « Mos est, inquit, Romanis, consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus moriuntur. Quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Deos. Est autem totâ urbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus; quippe vitâ functum corpus ritu hominum superstitioso funere sepeliunt: sed certam imaginem defuncto quàm simillimam fingunt, eámque in Regiæ vestibulo proponunt suprà eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum verò utrinque magnam partem diei sedent, à læva quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextera verò matronæ, quas virorum, aut Parentum dignitas honestat. Harúmque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbent. Hæc ità per septem dies continuos faciunt, medicis quotidiè ad lectum accedentibus, inspectúmque ægrum deteriùs se habere subinde pronuntiantibus. Dein ubi jam visus obiisse diem, lectum humeris attollunt. Equestris, Senatoriíque ordinis nobilissimi ac lectissimi juvenes: pérque viam sacram ad vetus forum deferunt, ubi Magistratus Romani deponere Imperium consueverant. Utrinque autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem constructi: in quibus ex una parte puerorum chorus est è nobilissimis, atque Patriciis: altera fœminarum illustrium hymnos in defunctum, pæanásque canentium, verendo ac lamentabili carmine modulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra urbem perferunt in Martium campum: ubi quâ latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadrangulâ, lateribus æquis assurgit, nullâ præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam. Id quidem interiùs totum est aridis fomitibus oppletum: extrà autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variísque picturis exornatum. Suprà vero alterum minusculum quidem positum, sed formâ & ornatu persimile, portis, januísque patentibus. Tertiúmque item, & quartum semper inferiore contractius: ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur. Possis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naves in tutas stationes dirigunt (Pharos vulgò appellant) igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata, & suffimenta omnis generis, fructus, herbásque, succósque omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe neque gens est, neque civitas, neque qui honore ullo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferant. Ubi verò ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus; tum

(a) Lib. 4. c. 2.

Severi Imperatoris Ethnica consecratio.

Ordo, ritus & solennitas quâ Principes defuncti inter numina referebantur.

rum circa ædificium illud adequitant universi Equestris ordinis certa quadam lege ac recursu, motúque pyrrhichico, numerísque in orbem recurrentibus. Currus item circumaguntur insessi purpuratis Rectoribus, qui Personas ferunt Ducum omnium Romanorum, Principúmque illustrium. Quæ ubi celebrata sunt; facem capit Imperii Successor, eámque tabernaculo admovet: tum cæteri omnes undique ignem subjiciunt; cunctáque illicò fomitibus illis aridis odoramentísque referta, igni valido corripiuntur: mox ab extremo, minimóque tabernaculo, tanquam è fastigio quodam simul cum subjecto igni aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre; ac jam ex illo unà cum cæteris numinibus Imperator colitur. „ Hucusque HERODIANUS (b).

(b) Herod. lib. 4. c. 2.

Altera Apotheseos forma in consecratione Octaviani Augusti.

3. Dio aliam Apotheseos formam in consecratione Octaviani Augusti nobis describit (c): " Funus effertur ... erat lectus ex ebore & auro factus, stratus atque ornatus peripetasmatis purpureis, atque auro intextis: subter quæ tanquam in feretro corpus ejus jacebat occultum. Ante omnia statua cerea vestitu triumphali videbatur, eáque ferebatur ex palatio ab iis, qui erant in sequente anno Magistratus futuri. Deinde ex Curia altera aurea, tertia curru triumphali vehebatur: subsequebantúrque statuæ majorum ipsius, atque propinquorum, qui è vita discesserant, aut tantùm Cæsare excepto: propterea quòd esset in numerum Heroum relatus. Ferebantur deinde statuæ civium Romanorum, quicunque Principatum unquam tenuerant, capto ab ipso Romulo, exordio. Sed & quædam Pompeji Magni statua ferri visa est. Aderant etiam omnes Provinciæ pictæ, atque nationes, quæ partæ ab eo fuerant, & devictæ. Post hæc lectus sistitur in rostris, ubi solebat haberi concio. De quo loco ubi Drusus legisset nonnulla; Tiberius Augustum pro rostris, quæ Julia nominantur, apud populum decreto Senatûs laudavit. Tum qui lectum anteà ferebant, eundem tulerunt portâ triumphali .... Aderat autem Senatus præsens, mortuúmque efferebant, ... cùm esset impositus in rogum in Campo Martio; cùm primò omnes Sacerdotes circumeunt, dein equites, pòst ii, qui Magistratu fungebantur: postremò cæteri milites, præmiáque victoriæ, quæ acceperant, in eum conjiciunt. Rogum Centuriones posteà accendunt, is comburitur. Mox Aquila ex rogo demissa, quasi Augusti animam in cælum ferret, evolavit. „ Credebant Ethnici, Cæsares hoc modo deportatos in astra cum Jove & superis divinitatem induere, ac desuper in terras despicientes necessitatibus Romanorum opitulari. Tum mactatis solemniter victimis per Flamines sacros numen Dei novi incipiebat coli. Aquilæ ad Superos deportantis animam Principis figura cernitur in nummo æreo M. Aurelii: in Faustinæ Augustæ verò nummo pro Aquila extat Pavo sculptus; quasi innueretur, Augustæ animam providentiâ Junonis ad Cœlites asportatam. Sed de superstitiosa Apotheosi Ethnicorum Deorum

(c) Xiphilinus è Dionis lib. 56.

hic satis; nos alibi meliorem consecrationem Sanctorum Dei unius Martyrum ac Confessorum describemus, quos Ecclesia magnâ solennitate Albo Cælitum annumerat, non iis divinitatem asserendo, aut victimas litando, sed velut valde honoratos Dei veri amicos & apud Deum intercessores colendo & invocando.

REFLEXIO III. ad §. 2. num. 4. pag. 478.

Quandò primùm Alemannorum Gens in Historiis signetur, & an Alemanni, iidem fuerint, qui Germani à veteribus nominabantur?

1. Tillemontius ádvertit *Alemannorum* nomen primò sub *Caracalla* in historia reperiri. Spartianus quippe ait (a), de eodem Imperatore, quòd *Germanici, Parthici, Arabici*, & ALEMANNICI *nomen sibi* adscripserit; *nam Alemannorum gentem devicerat*. Similia habet Aurelius Victor: *Alemannos*, inquit, *gentem populosam, ex equo mirificè pugnantem propè Mœnum amnem devicit*: hucusque Tacitus, aliique Teutonicarum rerum Scriptores nonnisi Germanorum fecerant mentionem, aliósque adducebant in prœlia severiora populos, quin Alemannorum memoria ullibi celebraretur.

(a) Spartian. in Carac. c. 10.

Quando Alemanni primò occurrant in historia Romana

2. Quarè cùm jam in sæculo tertio hi tantùm prodeant in lucem; controversa quæstio subnata est, unde Alemanni suam trahant originem? Asinius Quadratus Historiographus Romanus, (ùt testatur (b) Agathias) circa annum CCXLVII. scripsit, Alemannos esse multitudinem ex pluribus nationibus collectam; nec ea expositio ab Etymo Alemannorum multùm abludit (c): porrò Bucherius (d) rem altiùs ad fontes revocaturus, Reliquias eorum Suevorum esse confirmat, quorum complures ex suis sedibus in Bojohemum cum Maroboduo imperantis Augusti tempore concesserunt.

Origo Alemannorum.

(b) Agath. lib. 1. p. 17.

(c) Tillem. in Caracall. pag. 206.

(d) Bucherius Belg. Rom. lib. 6. c. 7. p. 199.

3. Cæterùm Suevi sub initia Monarchiæ Romanæ omnem eum Germaniæ Transrhenanæ tractum insederunt, qui ad dexteram superioris Rheni ripam, ab hodierna Basilea ad Mœni, Rhenique confluentem porrigitur. Factâ posteà translatione harum gentium, exhaustóque incolis solo, Sueviæ nomen exolevit, nec nisi post bina inde sæcula sub Caracalla terra hæc novum Alemanniæ nomen obtinuit: uti enim olim translatis & extinctis Sicambris, portio tamen quædam gentis semper in natali loco remansit teste Tacito (e); ita Suevis in Bojohemum transeuntibus, non pauci populares suæ Patriæ adhæserunt, qui Germanico non exiguas molestias post excessum Augusti facessivère; nam veteranos tunc in Rhætiam specie defendendæ Provinciæ mittere debebat *ob imminentes Suevos*: cum his igitur Reliquiis Suevorum ex Gallia leviores & inopià audaces

(e) Taciti Ann. 12.

An à Suevis Alemanni oriundi sint?

daces se conjunxerunt, paulatímque in gentem magnam coaluêre. Sed ne Romanos, prisco Suevorum nomine retento in se provocarent, novo Alemannorum se tantisper voluêre tectos; donec adultis viribus & per se stare, & in Gallias plenis agminibus ad Vandalorum exemplum irrumpere, prædásque agere præsumerent.

(f) Lib. 1.

Quomodo Alemanni distinguantur à Germanis?

4. Juxta Agathiam (f) igitur Alemanni idem sunt, ac *Convenæ* & *Miscellanei homines*, quod ex Alemannorum etymo erui posse dicit: sub generali tamen Germanorum nomine comprehendebantur, & si quandoque ab Alemannis Germani distingui videntur, ut in Caracallæ titulis, & in aliis locis, de quibus videri potest Cluverius; id eatenùs intelligas, quòd notio Germanorum latiùs alios quoque populos versus Albim degentes complectatur, qui Franci posteà dicti sunt: econtra Alemannorum nomen Suevos, cum quibusdam admixtis Germàniæ gentibus, qui Danubium Rhenúmque colebant; comprehendit.

REFLEXIO IV. ad §. 2. num. 13. pag. 485.

De Diis, ac Sacerdotiis veterum Romanorum.

Solis idolum ab Heliogabalo.

1. QUoniam Heliogabalus in nummis plerumque inscribitur *Sacerdos Dei solis*; meminisse oportet, ab Ethnicis Romanis olim velut injuriam Deorum acceptum fuisse id, quod Emesâ Romam idolum Solis à Cæsare tunc delatum fuerit, quódque huic peregrino Deo non tantùm cæteri Dii subjicerentur, sed & parvus lapis in formam coni effictus, atque à Solis divinitate nuncupatus, insolitis ritibus in urbe coleretur (a). Huic rei lucem afferent ea, quæ de Diis, Romanorum Sacerdotiis, ac Ethnicæ religionis ceremoniis breviter adducemus.

(a) Herod. lib. 5. p. 568. Dio l. 79. p. 908.

(b) Cicer. Tusc. 1. 13.

Dii majorum gentium

(c) Augustin. de C. D. IV. c. 23.

(d) Fest. V. opima.

(e) Liv. I. 20.

Dii consentes.

(f) Cicero Verrin. VII. c. 72.

2. Dii, quos Roma unquam venerata est, duplicem obtinuêre classem, ità ut alii *Dii majorum gentium*, alii *minorum gentium* dicerentur (b): ex primis numerabantur duodecim *Consentes* dicti ab obsoleta voce Conso, seu Consulo (c), quorum præcipui 1. JUPITER, cui deinceps varia cognomina apposita sunt, nam Jupiter *Feretrius* quandóque compellabatur à ferendo, quia ei opima spolia, sive quæ Dux Duci hostium detraxisset, afferebantur (d). Vel veniebat nomine Jovis *Statoris* à sistendo copias à fuga (e). *Elicii* ab eliciendo, quia certo carmine ad opem ferendam è cœlo eliciendus credebatur; dictus quoque est *Capitolinus*, huic in monte Tarpejo templum vovit Tarquinius Priscus, amplificavit Servius Tullus, absolvit Tarquinius Superbus, & Consul Horatius Pulvillus anno U. C. 244. dedicavit velut arcem omnium nationum (f) & Sedem Romani Imperii: incendio posteà ter crematum, restitutum est totidem vicibus à Sylla, Vespasiano, & Domitiano: in hoc templo Consules primo

mo Magistratûs sui die, & Imperatores ad bellum ituri sacra faciebant, (g) ac Victores reversi triumphalem illuc pompam deducebant: demum Jupiter *Lapis* aut *Vejovis* nuncupabatur, primùm quidem à lapide silice, quem jurantes manu tenebant, alteram à juvando & ve derivabatur; eoquod is nocendi tantùm vim habere diceretur (h). 2. VESTA, quæ Ovidio *terra* est, quod & vi suâ stet, & floribus herbísque vestiatur (i): Ciceroni verò *ignis* voce à Græcis deductâ: ἑςία enim ad focos pertinet (k): ignis ille perpetuus à Virginibus Vestalibus à Numa ad hoc institutis servabatur. Lege autem cautum erat, ne qua Patre aut servo, aut liberto nata, aut quâvis corporis labe deformis, aut annis vel sex minor, vel decem major legeretur: uti honoribus summis Vestales afficiebantur; sic pœnæ graves decernebantur iis, si earum culpâ ignis fuisset restinctus, qui ad simulachrum cœlestium siderum & velut Custos Imperii vigilare debebat (l), unde alio igne quàm cœlesti & solari flammam exstinctam resuscitare nefas erat: speciale quoque supplicii genus erat, quod Vestales Virginitatis prostitutæ accusatæ, suffodi vivæ juberentur. 3. MINERVA artium Præses: ex quo dictum est, crassâ vel invitâ Minervâ studere. Festum ejus mense Martio per quinque dies celebrabatur, quæ solennitas ideo *Quinquatria* appellata est (m). 4. CERES quasi frugum creatrix Eleusinia sacra sibi habuit, in quibus faces adhibebantur, eoquòd credebant luminibus accensis ab ea filiam Proserpinam quæsitam fuisse (n). 5. DIANA præter cætera officia, *Diva Genitalis* quoque dicta est; unde cum Apolline fratre ludis in sæcularibus maximè colebatur. 5. VENUS Dea amorum, *Libitinæ* etiam nomen sortita est, in hujus templo ex instituto Servi Tullii (o) pro singulis mortuis singulus nummus solvebatur, ut docerentur omnes, natos à morte non eximi. 7. MARS Romæ *Ultoris* nomine honorabatur à Saliis & Flamine Martiali: Romulus, qui ab eo se prognatum jactabat, mensem tunc primum Martio nomine consignavit; Marti adjungebant Romani Bellonam, cujus ædes extra urbem fuit, in qua Senatus dabatur Legatis exterarum gentium (p), & Imperatoribus à bello redeuntibus (q). Ante illam ædem *Columella bellica* eminebat, in quam hastam mittere solebat Fecialis, cùm bellum alicui genti indiceret (r). His annumerabant 8. Junonem, 9. Neptunum, 10. Vulcanum, 11. Mercurium, & 12. Apollinem.

(g) Livius XLII. c. 49.
(h) Festus V. Lapis. Gell. V. c. 12.
(i) Ovid. Fast. VI. v. 299.
(k) Apud Cantelium dissert. III.
(l) Florus.
(m) Ovid. III. Fast. v. 810.
(n) Idem IV. v. 495.
(o) Plut. QQ. Rom. n. 23.
(p) Livius XXX. c. 21.
(q) Idem XXVIII. c. 35.
(r) Fest. V. Bellona.

3. Post Deos duodecim Consentes veniebant octo *Dii selecti*. 1. JANUS *Bifrons*, quòd præterita, & futura tempora respiciat, *Patulcius* & *Clusius*, quia ejus templum bello indicto aperiebatur, & pace factâ claudebatur, quod intra primos C. U. 724. annos ter tantùm contigit, sub Imperatoribus autem sæpiùs (s). 2. SATURNUS, cui mense Decembri adornabantur Saturnalia muneribus passim mittendis, & feriis agendis: in conviviis tunc Domini ministrabant servis, ut aurea Saturni ætas

Dii selecti.

(s) Ovidius Fast. I.

(t) Auson. de feriis Rom.

ætas significaretur, quâ omnes homines ejusdem conditionis fuerunt (t). 3. RHEA, cujus festum *Megalesia* dictum celebrabatur mense Aprili ludis scenicis. 4. GENIUS naturæ Deus: & quia credebant Ethnici cuique suum adesse Genium; hinc Domini per eundem jurabant, servi per Genium heri: famulæ per Junonem heræ &c. His Geniis accedebant *Penates*, qui Dii in penitissima ædium parte, ubi penus servabatur, colebantur, & Lares dicti ab Etrusca voce *Lar*, quæ Principem sive Præsidem notat: erant hæc numina familiis hæreditaria, ínque larario abscondebantur (u). 5. BACHUS, cujus Orgia aut Dionysia à turpitudinibus famosa sunt (x), prohibebantur anno U. 567. ex S. C. 6. PLUTO. 7. SOL. 8. LUNA.

(x) Lamprid. in Alexand. Sev. c. 29.

(x) Juven.

Dii minorum gentium

4. Ad *Deos minorum gentium* pertinebant. *Primò* INDIGETES, qui propter merita & virtutem inter Deos referebantur; ut *Quirinus*, *Hercules*, *Imperatores*: & licèt posteà Christiani Cæsares hanc Apotheosin abominarentur; Ethnici tamen non destiterunt ad Gratianum usque, hanc eis exhibere ceremoniam (y). *Secundò* SEMONES Dii, quasi Semi-homines, aut Semi-Dei, Diis inferiores; inter quos numerabantur, PALES curandi pabuli Præses, in cujus festo sive in Palilibus urbs Romana condita est; TERMINUS finium regundorum & tuendorum Deus. Cæterùm superstitio Romana eò devenerat, ut quibúsque rebus Deos Deásque præficeret, *Potinam*, quæ Potui, *Edusam*, quæ esui præesset. Virtutibus quoque & affectionibus suas affingebant divinitates, quales erant Fides, Spes, Concordia, Pax, Fortuna, Febris &c.

(y) Onuph. Panvin. de civit. Rom. c. 28.

Dii peregrini.

5. Sub prima Romanarum rerum exordia cautum erat, ne *Sacra Peregrina* in urbe tolerarentur (z); labente tamen tempore Diis exteris quoque templa ibidem concessa sunt. Sic Isis Ægyptiorum idolum in Campo Martio obtinuit templum; & Heliogabalus (ut supra monuimus) Emesâ Deum suum peregrinum Romam adduxit, eíque omnes Deos, etiam Jovem subjecit, insolitum insuper cultum, ritúsque ipse perpetuus Idoli sui Sacerdos induxit (a).

(z) Liv. IV. c. 30. & XXXIX. c. 16.

(a) Herod. lib. 5. l. c.

Ministri sacrorum.

6. Inter *Ministros Sacrorum* præcipui erant. 1. PONTIFICES, sic dicti, quod eorum in sacris faciundis maxima esset potestas: hi primùm à Numa constituti, posteà Comitiis tributis electi, demum ab Imperatoribus designati. Pontificum Collegio præsidebat unus Pontifex Maximus, quod officium sibi deinceps Cæsares vindicârunt. 2. AUGURES ab arte augurandi nuncupati, instituti à Romulo: ad hos pertinebat ex cantu, volatúve avium, aut ex pullorum tripudiis, somniis, portentis oraculísque responsa dare. Quintuplex proinde genus erat auguriorum: vel enim petebantur è cœli tonitru, fulmine, vel ex oscinum avium cantu, præpetúmque celeritate, addicebantur fausta, maláve, vel ex Pullorum esu sive ex quadrupedibus & ex diris (b). 3. ARUSPICES à victimis in ara inspiciendis nomen habent: hi prædicebant futura ex animalium extis,

(b) Cantel. differt. III. de Republ. Rom.

extis, flamma, fumo. 4. QUINDECIMVIRI SACRIS FACIUNDIS difficili Reipublicæ tempore inspiciebant libros Sibyllarum, atque ex eorum præscripto ordinabant sacrificia: iidem libri A. U. 670. cum Capitolio combusti sunt (c), per fragmenta tamen undique collecta utcunque restituti, posteà à Theodosio M. A. C. 389. denuò cremati (d): differebant illi libri ab iis, qui hodiè circumferuntur. 5. FRATRES ARVALES sacra faciebant, ut arva fruges ferre possent; unde solennitas *Ambarvalium* dicebatur (e). 6. SEPTEMVIRI EPULONES in auxilium Pontificum adsciti. 7. CURIONES pro curiarum singularum sacris instituti.

(c) Sueton. in August. c. 31.
(d) Rutil. Numat. lib. 2.
(e) Virg. Georg. I. Gellius VI.

Flamines.

7. Præter hos Sacerdotes, erant FLAMINES, qui specialiter uni Deo addicebantur. His autem nomen dedit filum, quo caput redimiti erant, quasi filamines; vel Pileus, quo utebantur, velut flammeo capitis tegumento. Numa cùm videret Reges ab urbe belli gerendi causâ sæpiùs abfuturos, ne sacra Regiæ vicis desererentur; Flaminem Jovi assiduum Sacerdotem creavit: huic duos adjecit, Marti unum, alterum Quirino. Inter Flamines *Dialis* præstantior erat; ei quippe concedebatur lictore uti, & sellâ curuli regiâ: vinctus, si ejus ædes introiisset, solvebatur: si ad ejus pedes procubuisset, verberibus eâ die prohibebatur (f). Flaminibus proximè accenseri possunt *Luperci*, à Lupercalibus nominati, in quibus illi lupum Romuli & Remi altricem, vel Panem colebant Deum pastorum. *Potitii & Pinarii Herculis Sacerdotes &c.*

(f) Gellius lib. 16. c. 15.

Templa Deorum.

8. Loci sacris peragendis destinati vel fuêre *Templa*, vel *Delubra*, quia ante ædes fons erat aut lacus, in quo templum ingressuri sordes deluebant. Vel *Luci*, qui erant sylvæ Diis sacræ, dicti à lucendo; quia in sylvis lumina multa accendebantur ad Deorum cultum. In templis fiebant supplicationes in honorem Victoris institui solitæ, sive ad gratias agendas pro relata Victoria, quo tempore Diis lectisternia parabantur, vel ridicula convivia idolis. Animalia, quæ immolabantur vel dicebantur hostiæ, aut victimæ, illæ ab hostiendo sive feriendo; hæ à vincendo dictæ, eoquòd victimas nonnisi Victoribus dicare liceret; inter immolandum autem pluribus utebantur ritibus, iisque præscriptis, unde cùm Heliogabalus novo ceremoniarum genere novum suum Deum prosequebatur; tota urbs non parùm commota est. De his ritibus Ethnicorum vide latiùs Nieuportium in compendio antiquitatum Romanarum à pag. 199. ad pag. 209.

REFLEXIO V. ad §. 3. num. 9. pag. 499.

An Imperatorum aliquis ante Magni Constantini tempora, ejurato Deorum cultu, ad sacra Christiana transiêrit?

An Alexander Severus Christianus fuerit?

1. QUi Christianam Religionem Augustorum purpurâ in tertio jam sæculo ornatam dicunt; ii duos Imperatores proferunt, scilicet Alexandrum Severum, & Philippum Arabem, quos intra numerum Cultorum Christi receptos, atque cooptatos asseruerunt. Ac primò præter Baronium Crombachius (a) pro Alexandro pugnat; tria ejusdem tempora distinguens; nam primo quinquennio à fide abhorruit, unde diversi Martyres sub eo annotantur; his annis exactis à Mammæa matre jam Christianâ immutatus favere Christianis, ac fidem amplecti cœpit tunc, quando circa Euphratem contra Persas agens cum Abagaro Edessæ Rege Christiano multùm de vera Religione disseruit, vidítque literas ab Origene Matri Mammææ missas; neque hujus ad sacra Christiana transitûs testimonia Gentilium Scriptorum desunt: Lampridio enim teste, in larario suo Christi effigiem habebat; eíque templum facere voluit (b). Sacerdotibus autem Ethnicæ superstitionis delubrum ereptum, Christianis concessit: (c) atque ut palàm fiat, Alexandrum curâsse doctrinam Christianam, pergit Lampridius: " *Camabat sæpiùs, quod à quibusdam sive Judæis sive Christianis audierat, & tenebat, ídque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici jubebat: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, demum ordinationem Provinciarum regulis ac disciplinæ Ecclesiasticæ accommodabat, teste eodem Lampridio: *Ubi aliquos voluisset, vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere .... nomina eorum proponebat: hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probâsset, subiret pœnam capitis, dicebátque, grave esse, cùm id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.*

Argumenta asserentia afferuntur.

(a) Lib. 4. c. 30. In Ursula vindicata.

(b) Lamprid. c. 43.

(c) Idem. c. 49.

An Philippus Arabs fuerit amplexus Christianam fidem?

2. Eusebius, multò firmiùs alterum Fidelibus accensere videtur Philippum Arabem hisce verbis (d): *fama est, istum* (Christianus namque erat) *cùm precationum in die postremæ vigiliæ Paschatis, unà cum multitudine particeps fieri vellet; non priùs ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat*, (nempe à Sancto Babyla Episcopo Antiocheno) *permissum esse intrare, & quàm se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locúmque pænitentiam agentibus præstitum occupabant, se suâ sponte collocavisset.* In chronico verò idem Eusebius ait: *Primus omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.* Et quamvis alibi Constantinum Magnum, primo loco inter Christianos Imperatores collocare videatur (a); rem tamen

(d) Euseb. lib. 6. Hist. c. 27.

(e) Euseb. in Vita Constantini M. lib. 4. c. 62.

men itâ limitat, ut Constantinum primò palàm in Ecclesia baptizatum testetur, quin tamen diffiteatur, Philippum clàm baptismi aquis tinctum fuisse: verba sunt enim; *solus ex omnibus, qui unquam fuerunt ex Imperatoribus Constantinus, in Christi martyriis renatus, & consummatus est.*

3. Eusebii opinioni accessit Hieronymus (f), qui ab Origene datas ait esse literas ad Conjugem Philippi. Paulus Orosius & Vincentius Lirinensis (g) aliíque complures idem asserunt cum Baronio & Huetio (h). Prætereà acta Pontii Martyris testantur, Philippum à S. Pontio conversum, à Fabiano PP. sacris initiatum, cui testimonio subscribit Martyrologium Romanum jubente Gregorio XIII. evulgatum, id quippe ad XIV. Maji itâ habet: *In Gallia S. Pontii Martyris, cujus prædicatione, & industriâ, postquàm duo Philippi Cæsares ad fidem Christi conversi sunt, ipse sub Valeriano & Gallieno Martyrii palmam adeptus est.*

(f) Hieron. de V. Illust. in Origene.
(g) Apud. Baron. ad A. C. 246. n. 8.
(h) Lib. 1. Origenian. c. 3. n. 12.

Rationes pro Christianitate Philippi.

4. Authoritatem tot Scriptorum rationibus stabilire non cessat Baronius; nam ait, Christianam fidem satìs colligi ex eo, quòd Philippus scortationes, aliáque vitia à Christo prohibita eliminârit, & in ludis sæcularibus, quos solenniter peregit, nullum sacrificium fecerit, teste Orosio, qui inquit, *Philippum Capitolium ascendisse, & sacrificia immolâsse nullus author scribit*: è contrario numismata proferunt Genebrardus, & Campini, ex quibus arguit Baronius à Philippo millenarium illud sæculum Christo consecratum primò fuisse in purpura Imperatoris conversi: demum post mortem Philippi Decius ideo Christianos tantoperè exagitavit, eoquòd in Philippi religionem se desævire credebat (i).

(i) Hieron. in Origene.

Statuitur, Constantinum primum fuisse Imperatorem Christianum.

5. Sunt hæc equidem monumenta ex vetusta antiquitate arrepta, quæ non leviter persuadent ante Constantinum jam Imperatores fidei nomen dedisse: At multorum hodiè quoque interest, Constantino Magno hanc gloriam vindicare, ut is primus inter Augustos Christi Cultores Principem locum habeat. Lactantius, qui regnante Philippo vixit, Constantinum posteà sic affatus est: *Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, Majestatem Dei singularis ac veri cognovisti & honorâsti* (k). Neque à Lactantii Eusebio antiquioris sententia deflexit Ambrosius (l) *Constantinus, quia primus Imperator credidit, magni meriti locum reperit.* Sulpitius Severus in duobus historiæ libris, quos anno quadringentesimo de pace Ecclesiæ scripsit itâ enuntiat (m): *Tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit.* Atque ut cæterorum veterum testimonia dissimulemus; in secundo Concilio Nicæno (n) Epiphanius Diaconus in conspectu tot Patrum legit: *à temporibus istis* (à prædicatione Apostolorum) *usque ad Constantinum Imperatorem, qui primus ex Christianis regnavit, transiêrunt anni quasi trecenti, cùm priùs tyrannidem Pagani exercerent.*

(k) In Proœm. lib. I. Instit. c. 1.
(l) Serm. 24.
(m) Sulpit. in Hist. apud Pagium Tom. 1. Critic. p. 226.
(n) Act. 6. p. 406.

Confutatur opinio de Christianitate Alexandri Severi.

6. Ex his nunc tantò securiùs Alexandro Severo primùm fides Christiana abnuitur, quantò etiam faciliùs ea, quæ de ipso allata sunt, ab hujus sententiæ Patronis diluuntur: & quidem Lampridius ipse verbis suis comprobat, Alexandrum à Christi vera fide longè adhuc absfuisse. *Primò* enim ait: Alexander *matutinis horis in larario (in quo & Divos Principes, sed optimos selectos; & animas sanctiores, in queis & Apollonium & quantum scriptor suorum temporum dicit,* CHRISTUM, *Abraham, & Orpheum & hujusmodi cæteros habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat* (o). Quis autem credat illum verè fidelem esse, qui Christum idolis sacrilegè aggregat? certè id quoque præsumebat Tiberius, quin Christianus dici possit. *Secundò* ait CHRISTO *templum facere voluit, eúmque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitâsse fertur .... sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, & reliqua templa deserenda.* Quàm parùm igitur Hadriani fidem ex superstitioso ejus consilio de ædificando templo eruis, tam ridiculè Alexandri cogitatum à fideli mente profectum assereres. *Tertiò* quòd Imperator dogmata quædam sacra impulsu matris Mammææ, aut ob consuetudinem aliorum Christianorum didicerit, ac opere compleverit; ex eo proclivem eum in Christi cultores fuisse, equidem probabis, quin Christianum penitùs Principem nobis commonstres, nisi fortè & Nervam Christianorum patronum, & Senecam multis in locis doctrinam veram profitentem Gregi Christi annumerare velis. Accedit, quòd Tillemontius vel de ipsa matre Mammæa ancipiti calamo scribat, fueritne Christiana, nec ne (p)? & utùt fidem in ea ostenderis; non ideò filium asserere ausis: Christi cultorem fuisse: habemus enim Neronem, Domitianum, Diocletianum, in quorum aulis vel conjuges vel filiæ aut optimates propinqui Christum secuti sunt, quin à suis Diis Tyranni vel latum unguem discederent.

(o) Lampr. in Vit. Alexandri.

(p) Tillem. Tom. III. P. I. p. 292. & not. 1. ad Vit. Alexandri.

Eliditur sententia, quæ asserit fidem veram Philippo.

7. Alexandro è cœtu Fidelium amandato neque difficilior ratio erit Philippum Arabem inde quoque proscribendi: nam cùm Eusebius fallaci famâ afflatus, ista non aliter ac rumorem orbi venditârit; fundamentum certè grave non est, cui posteà plures sine delectu aut indagine innisi sunt (q): præstereà fama ejusmodi eò magis suspecta est, quò certius est illam vulgatam ab Ethnicis fuisse, ut, dum Philippum crudelem, ac ferocem Gordiani parricidam, Christianum fingebant; in hujus moribus pessimis Christianam fidem odio orbis exponerent: neque figmento plus veritatis tribuere valent acta Pontii à Furio & Baluzio edita; his quippe nec ipse Baronius fidem dare audet, utpote interpolatis, aut corruptis (r): scribitur in iis quod post conversionem Philippi à *Fabiano* Pontifice factam, confractis idolis, & templo everso *omnis populus ad notitiam Domini nostri JEsu Christi cum alacritate & gaudio concurrerit &c.* Quòd Pontius Philippum Catechumenum docuerit mysterium SS. Trinitatis, quòd Eugenia Martyr Imperatoris fuerit filia, quæ omnia minimè cohærent;

(q) Pagius Tom. I. Critic. Baron. p. 226.

(r) Bolland. in Comm. præv. ad acta S. Pontii n. 2.

-rent; nam S. Chrysostomus non Fabianum, sed Babylam Antiochenum Episcopum commemorat, qui cum Philippo egerit (s): populum autem omnem in tertio sæculo ad Christiana sacra transiisse, quis unquam in annalibus legit? id verò, ùt observat Schelstratus, disciplina arcani severè interdixerat, ne Gentili & Catechumeno altissima mysteria patefierent (t). De Eugenia demum notat Zonaras, eam non Augusti, sed alterius Philippi, qui Ægypti præfectus erat, filiam extitisse, atque inde fortè error, & occasio fabulæ nata est: unde nec illud, quod ex martyrologio adducitur, vim quandam habet; eoquòd palàm sit, verba, quæ ibi extant, ex actis Pontii Martyris descripta esse.

(s) Chrysost. in Genes. Tom. I.

(t) Schelstrat. de disciplina arcani.

8. Cæteris Scriptoribus Coævum Lactantium, Ambrosium, Sulpitium Severum, Theodoretum Episcopum Cyri, Anonymum Auctorem vitæ S. Pachomii in sæc. V. aliósque opponimus satis veteres: & licèt Origenes quoque tertio sæculo vixerit; literæ tamen, quas ab eo tunc missas dicunt Eusebius & Hieronymus ad Philippum (u), tam parum Imperatori apponunt fidem, quàm parùm Justini literæ (datæ ad Trajanum) huic Principi nomen Christiani dederunt (x).

(u) Euseb. lib. 6. c. 86.

(x) Pagius p. 226. n. 7.

9. Denique dum Baronius multa scelera emendata à Philippo prædicat, laudem ei aliam non tribuit, quàm quæ impendi etiam poterat Trajano, Aurelio &c. utique Ethnicis. Quòd autem ex Orosio doceat (y), nullum Authorem tradere Philippum in ludis sæcularibus ascendisse in Capitolium, & ex more hostias immolâsse: hujus contrarium ex Scriptoribus Ethnicis percipimus; nam Zosimus describens Severi ludos sæculares, eos *sacros Jovi, Junoni & Apollini* fuisse asserit, & alibi memorat *Pontificum lege hostias* in iis *mactari* (z). Quis autem Philippum aliquid inspectante, nec tumultuante contrà urbe, & quidem in ludis non tantùm sæcularibus, sed millenariis Romæ conditæ aliquid intermisisse censeat? præsertim cùm ipse odium populi necdum omne ob Gordiani cædem exuisset, & displiceret Senatui. Prætereà Eusebius (a) apertè affirmat ludos Terentinos à Philippo in millesimo anno Romanæ urbis celebratos fuisse: & in Circo Magno bestias innumerabiles interfectas, quod de immolatione intelligendum; nam Tertullianus & Cyprianus ajunt, ludos nunquam sinè sacrificiis peragi solere apud Gentiles. *Neque dicas* post ludos sæculares modò conversum fuisse Philippum: *sed* idem Imperator post ludos in Orientem non venit, ubi à Babyla doctrinam accepisse fertur, & Romæ si à Fabiano baptismo tinctus fuisset; id certè constitisset Ethnicis, qui hanc vicissitudinem, (utì nec Constantini) in scriptis dissimulâssent: & Eutropius refert utrumque Philippum, & Patrem & filium post mortem solemni Apotheosi inter Deos relatos esse; ergo nullum vestigium orthodoxiæ ullibi deprehenditur: quare Decius Christianos non persequebatur utpote fidei ejus concives, sed quia fortè in hos fuerat benignior; sicut & Trajanus post Nervam, Septimius post Alexandrum

(y) Oros. l. 7. c. 13.

(z) Zosim. lib. 2.

(a) Euseb. in Chronic.

 Seve-

Severum Christianos ob eandem causam exagitârunt. Ultimum denique telum, quod adversæ sententiæ Patroni ex re nummaria depromunt, infirmum est; adeóque nil evincit, ut etiam validiùs in Antagonistas valeat retorqueri: proferunt nimirum ex Genebrardo, Golzio obscura quædam emblemata quæ in diversos sensus exponere licet: Ast Angellonius Philippi *primum* nummum exhibet, in cujus postica scriptum SÆCULUM NOVUM, & repræsentatur templum quatuor columnarum cum ara, circa quam quinque sacrificantes (b). *Alterum* addit Spanhemius (c), in quo nummo extat epigraphe SÆCULUM NOVUM, exhibentúrque simul septenæ figuræ, quæ sacrificium peragunt. Mediobarbus (d) recitat inscriptionem nummi Philippi senioris, quæ sic habet: P. M. Tr. P. IIII. Cos. P. P. in quo pariter exhibetur figura ad aram sacris operans. Vide hic *Pagium in Critica Baronii ad* A. 247. n. VI.

(b) Angell. p. 308.
(c) Spanh. p. 853.
(d) Mediobarb. in numism. Impp.

REFLEXIO VI. ad §. 3. n. 10. pag. 300.

De Rei Nummariæ origine, Præstantia, & usu in Historia Romani Imperii.

1. CUm ex iis, quæ series Romanæ Historiæ complexa est, multoties ostensum sit, non parùm lucis ex Nummis Cæsarum rerum gestarum veritati, aut ordini accedere; de Nummis ejusmodi multis pauca afferre, ab instituto nostro haud alienum esse duximus: & quoniam in cunctis artibus Primordia præcipuè investiganda sunt; originem rei Nummariæ aliis, quæ dicenda sunt, præmittimus.

Origo rei Nummariæ apud Romanos.

2. Vetustior equidem ratio olim commerciorum fuit, ut illa permutatione rerum vigerent: at labente tempore pretium certi, & valoris explorati designatum est, quo ea, quæ uni deerant, alteri supererant, faciliore viâ valerent comparari: illud verò pretiosum pro mercibus emendis exponi solitum plerumque ex metallis assumebatur: ac ne fraus subreperet, obsignabatur publico sigillo Principis, vel Reipublicæ. Vigente Regum Romanorum ætate Servius Tullius nummos ex ÆRE signare cœpit (a) *As* 12. uncias pendens prima erat ærea moneta; *Semis* sex unciis æstimabatur: *Triens* uncias quatuor, *quadrans* sive Teruncius tres uncias; sextans duas æquabat: Æneis hisce Nummis imprimebantur pecudum variæ figuræ, quibus in memoriam revocabant veteres posteris, primas opes ex pecoribus constitisse (b). Argentum ad Nummos adhibitum est anno U. C. 485. quinquennio ante primum bellum Punicum; inter argenteos autem Nummos alii ab assium numero, dicebantur *Denarii*, sive *Quinarii*, eoquòd illi decem, hi quinque asses appenderent: *Sestertius* quasi sesquitertius duobus assibus valebat & medio, cujus proinde figura à Romanis

(a) Plinius lib. 33.
(b) Harduin. de re monet. Vet. Rom.

nis hunc in modum signata reperitur IIS. vel HS. id est duo asses, & semis. Ab Nummariæ rei peritis observatum est Sestertia sub neutro genere posita, indicare tot millia, quot monades præfixus numerus complectitur; hinc quina Sestertia idem significant, quod 5000. Sestertiorum. Porrò si Sestertio, aut Sestertiis neutro genere prolatis adverbium quinquies, decies &c. præmittatur; totidem centena millia simul pronuntiantur: sic octies Sestertium, æquabit summam octies centenorum millium Sestertiorum.

Variæ moneta Romanorum, earúmque valor.

3. Post Pyrrhi Victoriam, usus argenti; & demum Carthagine ac Corintho eversis, usus etiam auri in conficiendis Nummis frequentatus est. In Nummis Consularibus Consulum nomina sive Propria, sive Gentilitia, aut etiam cognomina extant à variis eventibus desumpta: ex nobilibus ejusmodi metallis excusos quoque invenias Nummos *bigatos*, aut *quadrigatos*, qui bigam, aut quadrigam Circensium ludorum indicem referebant: *Serratos* qui serrâ notabantur: Nummos Imperatorum, qui præter vultus Cæsarum, etiam eorum facta, triumphos, subactas gentes, annos Consulatuum, Tribunitiæ potestatis, ludorum, & sæculorum repræsentabant; Nummos Coloniarum, urbium &c. quibus (sequentibus sæculis sivè in medio ævo) accesserunt Nummi *bracteati*, de quibus alibi disserendi locus erit.

Quando aurei & argentei Nummi cœperint esse in usu?

Forma Nummorum.

4. Ex his Nummorum Thesauris, ac Cimeliophylacii Historiographi Romanis fastis non parvam addidêre lucem. Cùm enim Livii opera omnia præ manibus non sint, & Dio neglexerit multa, Attici quoque, Hygini aliorúmque veterum volumina interierint; multa, quæ Romanos fastos, quæ illustrium virorum familias, gestos Magistratus, nomina & facta concernebant, ex Numismatis vindicari debuerunt. De Imperatoribus, qui sub medium tertii sæculi regnârunt, Bandurius ità questus est: Cùm horum Historia plurima complectatur supra fidem, tum etiam destituta est historicis: aut scriptores planè nugaces, & imperitos nacta est, ex quibus ferè nihil extundi potest, quo stirpium series illustretur, demonstreturve temporum ratio. Hoc incommodo maximè laborat Deciorum historia, ex prisco itaque ære hæc integrari omnia confirmat. Carolus Sigonius, ex Denariis se rerum Italicarum antiquitates vestigâsse, & Onuphrius Panvinius ex ope Nummorum fastos concinâsse testantur. Iisdem mediis usi sunt ad Historiæ Romanæ coordinationem Hubertus Goltzius, Stephanus Vinandus Pighius: Vaillantius Seleucidarum Imperium seu Regum Syriæ res gestas, paritérque Ægypti Regum ex Numismatum fide contexuit: Cardinalis Norisius (c) & Harduinus (d) ex implicatis Chronologiæ nodis adhibitis Nummis veterum sese feliciter evolverunt. Qui alia rei Nummariæ commoda sibi proposita volet; evolvat opus eruditissimum Ezechielis Spanhemii *de Præstantia & usu Numismatum*; Goltzii Thesaurum *Rei Antiquariæ*, Commentarium Comitis Mediobarbi.

Præstans utilitas nummorum ad Romanam historiam.

(c) In Epochis Syromacedonum.

(d) In lib. de nummis Herodiadum popul. & urbium.

5.

Quænam in Nummis potissimùm considerandaveniant?

5. Quemadmodum verò Præstantiam rei nôsse prima sciêntium ars est; ita hæc demum perfecta erit, si & usum eiusdem sibi quis perspectum habeat. Candidato igitur Historiæ tria sufficere arbitramur ad rei Nummariæ usum perdiscendum: scilicet ut *adversam* partem Nummorum peritè consideret. *Deinde* aversæ partis symbola facta contempletur: demum ut inter Numismata delectum faciat; dignoscátque quæ inter illa prærogativam præ cæteris mereantur. Ac *Primò* in Adversa facie præter Imperatorum vultus inscriptiones varias contractis vel mediis vocibus legere est. V. g. IMP. *Imperator*: in Græcis AYTOKPATOP IMP. XXI. *Imperator vicesimum Primum*, quia Cæsares toties proclamabantur Imperatores, quoties insignem Victoriam retulissent. C. vel CÆS. *Cæsar.*, quod Primo Juliæ gentis nomen, dein omnium ab Augustis omnibus assumptum nomen est. N. C. *Nobilis Cæsar* à Philippo Juniore cœptus titulus in sæculo tertio & quarto occurrit. His adde, quòd Cæsares, qui Augusti non erant, in Nummis fere semper sine lauro, aut corona radiata & nudo capite effingantur.

Pars adversa Nummorum.

6. TRIB. POT. vel TR. POT. vel T. P. *Tribunitia potestas* cujus gestæ anni signabantur hoc modo: de Tiberio TRIB. POT. XXXIIX. quòd scilicet Tiberius 38. annis Tribunitiam potestatem administrârit. COS. *Consul.* COS. III Consul tertium. PON. MAX. vel P. M. *Pontifex Maximus*: hic Titulus sinè numero iterationis ponitur, quia perpetuus: exolevit planè sub sæculi tertii finem. P. P. *Pater Patriæ* P. F. *Pius Felix* AUG. AU. A. *Augustus.* AUG. *augur.* IIIVIR R. P. C. *Triumvir Reipublicæ Constituendæ.* CENS. CE. *Censor.* PROCOS. *Proconsul.* D. N. *Dominus noster.* PRIN. JVVENT. *Princeps Juventutis.*

Præter nomina honorum etiam cognomina historiæ perutilia huic adversæ parti inscripta videre licet; qualia sunt: GERM. *Germanicus*, SARM. *Sarmaticus* ARM. *Armeniacus*, BRIT. *Britannicus*, qui tituli Imperatoribus dati sunt, si quando Provinciam ejusmodi subegissent: de titulis & nominibus Imperatorum jam diximus in Reflexione I. ad Libri I. c. 1. pag. 163.

Pars aversa Nummorum, & quid in ea notandum sit?

7. Alterum, quod in Nummorum consideratione venit, est aversa vel postica pars Numismatis: victoriæ hìc, triumphi, ludi, sacrificia fœdera, Pax data proponuntur: ad vulgarium tamen censum Nummi reducuntur, qui suis iconibus virtutes, Providentiam, Felicitatem, Pietatem, aut simulachra Fortunæ, Libertatis, Pacis referunt; Pluris æstimantur illi, qui Personas plures, pluráque Capita, Amphitheatra, Aquæductus, Trophæa, Templa, Pontes, Circos repræsentant: atque ut rerum gestarum Imagines se ipsis quid exhibeant, loquantúrve; Epigraphæ adscriptæ sunt. Ex his aliquot selectiores proferemus: Moneta, quâ Nero testatur pacem toti Imperio datam; Jani templum clausum exprimit, cum hac inscriptione: PACE P. R. TERRA, MARIQUE. PARTA JANUM CLUSIT

CLUSIT. In Trajani Numiſmate ipſe ſublimi loco conſidet, ſtante retro præfecto Prætorii: Parthomaſpaten pedibus acclinem Imperator Regem inſtituit cum inſcriptione: REX PARTHIS DATUS. In Numiſmate Tiberii, Aſiæ urbes terræ motu concuſſæ, & à Cæſare reparatæ hunc in modum proponuntur: Sedens Tiberius lauro cinctus dextrâ fundit pateram velut pietatis ſymbolum, ſiniſtrâ ſuſtinet haſtam cum inſcript. CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. In Nummo Adriani profectiones ejus deſignantur, quo tempore multis urbibus, & Provinciis priſtinum decus reddidit: Effigies itaque mulieris uno genu nixæ exhibetur, utpote Provinciæ vel urbis prototypon; cui Imperator dexteram porrigit cum inſcriptione RESTITUTOR ASIÆ. Item AFRICÆ, ARABIÆ, ACHAJÆ, GALLIÆ, HISPANIÆ, ITALIÆ, MACEDONIÆ, MAURETANIÆ, PHRYGIÆ, SICILIÆ, BITHYNIÆ &c.

8. Tertium, quod de Numiſmatis notandum occurrit, eſt; ut eorum ſelectus quidam habeatur: & quidem univerſim loquendo, artis Nummariæ periti conſiderant, ſintne Numiſmata trita, raſa, adulterata, vel ærugine obducta, an verò conſervata? an epigraphæ facilè legi valeant? an benè cuſum referant typum, cujus ponderis ſint, magnitudinis, cælaturæ & materiæ? prætereà ex raritate & paucitate Nummorum pretium iis accedit. Atque ut Imperatorum Nummos probè diſcernere noveris, hic brevem ſyllabum ſubjicimus. *Selectus Nummorum præſtantium.*

EX SÆCULO I. *Auguſti Octaviani* Nummi majoris formæ rari ſunt, reliqui obvii: *Tiberii* Numiſmata ærea frequentiora ſunt; cætera ex aliis metallis raro invenias. *Caji Caligulæ* Nummi ferè nulli extant; eoquòd vel paucos cudi curaverit, vel quòd Senatus obliterandæ ejus memoriæ causâ eosdem ſuppreſſerit: ubi prætereà nota nomen Caligulæ non inveniri in his paucis Numiſmatis, ſed Caji, ſicut & pro cognominibus Caracallæ, & Heliogabali ſcribitur Marcus Aurelius Antoninus; nam altera illa agnomina Nummorum dignitas reſpuit. *Claudii* pauci Nummi ſunt ex majore modulo; rariores etiam ii, qui ſunt ejus conjugis Juliæ Agrippinæ. *Neronis* Nummi obvii ſunt, ſed Poppææ ac Sabinæ Imperatricum pauciſſimi. *Sergius Galba* in majoribus Nummis raro conſpicitur, *Silvius Otho & Vitellius* rariùs in auro & ære, communiter in argento repræſentantur. *Flavius Veſpaſianus* in auro & argento plerumque exhibetur, *Titi* ejus filii Numiſmata ex ſymbolis æſtimantur. *Domitiani* Nummi vulgaribus accenſentur. *Coccejus Nerva* in minore forma frequentes Nummos edidit. *Præſtantiora Numiſmata Imperatorum primi ſæculi.*

EX SÆCULO II. *Ulpii Trajani* Nummi aurei & Græci pretium ſibi vindicant, *Hadriani* monetæ ex Symbolorum raritate quandoque magni ſunt; pluris autem eæ, quæ de Antinoo ſunt cuſæ. *Antonini Pii, Marci Aurelii* Nummi ob multitudinem communes habentur. *Commodus* in Nummis aureis rariùs reperitur. *Pertinacis* effigies rariſſima ob eandem cauſam, quæ de Caligula ſupra prolata eſt; uti & Numiſmata *Didii Juliani*

& *Pescennii Nigri*, & *Diadumeni*, *Septimii Severi* Nummos plures in Nummorum phylaciis reperire est; *Caracallæ* Nummi aurei, & argentei, præsertim Græci prærogativam tenent. *Opilius Macrinus* & *Heliogabalus* in majoribus modulis rarò comparent.

Præst. Numism. Impp. tertii sæc.

EX SÆCULO III. Imperatorum Nummi rariores habentur, vel ob materiam: ità in AURO procusi Nummi raro in pretio sunt: *Maximini*, *Philippi Arabis*, *Decii*, *Hostiliani*, *Treboniani Galli*, *Æmiliani*, *Valeriani*, & eorum, qui post medium tertii sæculi regnârunt. In ARGENTO magìs suspiciuntur Nummi *Volusiani*, *Numeriani*, *Carini*. In ÆRE etiam perpaucos videas Nummos de *Gordianis Afris*, *de Balbino* & *Pupieno*: ab INSCRIPTIONIBUS & symbolis inclaruêre quædam Numismata *Severi*, *Hostiliani*, *Treboniani Galli* (maximè illa, quæ inscribuntur *Concordia Aug.* & *æternitas Augustorum*) *Volusiani* (præsertim iste Nummus, in quo extat Apollo laureatus cum epigraphe *Apoll. Salutari*) *Valeriani* Congiarium tertium cum epigr. *Liberalitas Augg. III.*, *Constantii Chlori* Nummi plerique ob typos, & insolitas Epigraphas rarissimis annumerantur, *Helenæ* primæ Constantii uxoris cum Epig. *Providentiæ Augg.* rarissimi sunt. *Constantini* Numismata quoque ex typi singularitate pretium sortiuntur. Vide plura apud Vaillantium in libro, cui titulus: *Numismata Imperatorum Romanorum præstantiora.*

REFLEXIO VII. ad §. 4. num. 7. pag. 506.

De Origine Francorum.

1. POstquàm à Caracallæ ætate Alemannorum gens per ipsa Rheni vada ad confinia Galliæ pervaserat; eandem Provinciam Romanorum sub Gallieno FRANCI feliciore ausu aggredi, & firmiora illinc premere vestigia cœperunt; neque enim antè ab iis desitum est, dum Romanis exactis, in solo fertiliore sedem, regnúmque novum constituerent. Historicorum igitur labor hìc desudat, ut exsculpere valeant; unde gens ista illustris in Gallia regni conditrix extiterit; aut quibus è sedibus in has terras immigrârit? & quæ demum nominis Francici origo?

2. Ad primum, ut respondeamus, Francorum genti natalem Germaniam fuisse profitemur; Aurelius quippe Victor (a) de Germanis in Galliam irruentibus ait: *Francorum Gentes direptâ Galliâ Hispaniam possedisse*, igitur Franci non inquilini Galliæ, sed exteri fuerant, quod & Ammianus Marcellinus testatur (b). *Francos nimirum ausos olim in Romano solo apud Toxandrorum locum habitacula sibi figere prælicenter:* nam cùm Rhenus limes Romanæ ditionis habitus sit; trans Rhenum Franci anteà habitaverint necesse est, utique in Germania; quod ùt apertiùs idem author

(a) In Vita Gallieni.

Origo Francorum.

(b) Lib. 17. c. 18.

thor confirmet (c), *Francos*, ait, *Saxonésque Gallicanis tractibus confines fuisse, & eos, quò quisque erumpere potuit, violâsse*, uti ergo Saxones, sic nec alibi Francos, quàm inter Germaniæ populos reperies. Ac ne dubium hâc de re ampliùs esse possit; Procopius de bello Vandalico disserens, in hæc verba scribit: *Vandili fame pressi in Germanos irruunt, qui nunc Franci dicantur, simúlque Rhenum trajecerunt* (d). Quibus verbis posteà Agathias subscripsit (e), dum ait: *Francos hos veteres esse Germanos dixêre, quod utique ex eo satìs liquet, quòd citra Rhenum habitant & huic propinquas incolunt terras, Galliarúmque maximam possident partem non propriam, sed vi postmodùm occupatam.*

(c) Lib. 27. c. 8.

(d) Lib. 2. de bello Vandal.

(e) Lib. 1. de bello Gothico.

3. Natione Francorum commonstratâ, ipsam nunc Germaniæ sedem exhibebimus, unde tam generosa gens fuerit coorta? Eckardus (f) rem conficiendam existimat ex Anonymo Geographo Ravennate .... *Normannorum Patria, quæ est Dania ab antiquis, cujus ad frontem Albes, vel Patriâ Albis: Maurungaria certissimè antiquis dicebatur, in qua Patria per multos annos Francorum linea remorata est* (g). Ex quo concludit Eckardus: Itaque ex Geographo apparet Francorum majores regionem incoluisse intra mare Balthicum & Albim: alteram Francis sedem idem author assignat inter Albim & Visurgim, conjecturis ex ipsius Salicæ præfatione desumptis, quæ apud eundem videri possunt (h): tertiam demum sedem Francorum statuit inter Visurgim & Rhenum; unde tandem transmisso Rheno in Romanas regiones progressi florentissimum regnum victis Alemannis, Burgundionibus & Visigothis in Gallia, partéque Germaniæ condidêre (i).

(f) pag. 1. post Præf. Tom. I.

Prima sedes Francorum.

(g) Lib. 1. c. 2.

(h) pag. 257. §. 24.

(i) pag. 255. §. 17.

4. Bucherius (k) Francos ex variis populis coaluisse scribit, nimirum ex *Frisiis*, *Sicambris*, *Usipiis*, *Tenchteris*, *Saliis*, *Hattuariis*, *Chamavis*, *Bructeris*, qui ab oceano sursum ad Loganum usque, fluvium Rhenum accolebant: prætereà eodem teste Francorum nomen assumpsère *Catti*, *Cherusci*, *Chauci*, *Ansibarii & Angrivarii*, qui in Orientem, Boreámque mediterraneas & interiores terras incolebant. Et quoniam ex Ammiano (l) constat, *Francos* olim ex more recepto etiam *Salios* dictos fuisse; Bucherius Saliorum Francorum primam sedem ad Isalam fluvium collocat, ubi hodiè *Sallandt* seu *Zallandt*, & ubi pariter ad lævam Isalæ amnis ripam *Sallik* visitur: proinde Salios inde traxisse nomen, quod ad *Salam* habitarent, qui in Zuyderzee lacum seu mare influit. Sed de primis Francorum sedibus obscurior notio semper fuit: commenta autem illa, quæ Francorum originem ad Trojanorum mœnia revocant, fabulis Poëtarum persimilia existimamus.

(k) Lib. 6. Belg. Rom. c. 13. n. 5.

(l) Lib. 17. c. 17.

Franci ex variis populis coalescunt

5. Itaque de ea sede potiùs hìc agendum, quam Franci ultimam habuêre, antequàm in Galliam transmigrarent. Hæc autem ab Hieronymo (m) nobis clariùs ostenditur, dum ait: *Inter Saxones, & Alemannos gens est, non tam lata, quàm valida: apud Historicos Germania, nunc verò Francia*

(m) Hieronym. in vita Hilarionis.

cia vocatur, quam ſedem Francis quoque aſſignat Maſſonius Regius Hiſtoricus (n): *trans Rhenum*, inquit, *Francia eſt*, *Claudiani*, *Auſonii*, *Hieronymi*, *Sidonii*, *atque aliorum teſtimonio*: *Franci inde profecti*, *ut Procopius*, *Agathias*, *aliique graviſſimi Scriptores produnt*, *nobiliſſimum Galliæ regnum condiderunt*. Ex his nunc conficitur facilè Francorum Patriam, & propriam ſedem illum tractum fuiſſe, qui hodiè Franconiæ nomen obtinet; nam cùm Alemanni ab Alpibus & Danubii fontibus ad Mœni uſque confinia habitarent: Saxones autem ex ſuis ſedibus transgreſſi, atque ab Albi, Viſurgi propiùs ad inferiorem Rheni ripam accolerent; medium, quod eſt, Francis utique relinquetur. Holtomannus ex veteribus monumentis tabulam itinerariam profert, quæ ipſis Merowingis eſt antiquior, & ab Ortelio denuò edita eſt, ubi ad ripam Rheni Germanicam locatur FRANCIA. Nomen Franciæ huic terræ nunc detractum & in Franconiam mutatum eſſe putavit Crantzius (o); ſed Henricus Coccejus ei adverſatur, affirmando, idem utrumque nomen fuiſſe, qui porrò candidè enuntiat (p): "Francos ſedes ſuas habuiſſe in Franconia inter Suevos, & Saxones & ſemper in Germania certum eſt. Antequàm verò hoc nomine innotuerunt, eos fuiſſe Rheni inferioris accolas uſque ad ejus oſtia, & imprimis eos, qui Sicambri tum dicti ſunt, & ſedes has uſque ad exitum Rheni tenuerunt." His locis pars Francorum anno 316. evocata contra Suevos à Thuringis, ſedéſque in horum finibus ad Salam, & Mœnum iis oblatæ, datæque dicuntur (q), atque hæc eſt Francia illa ſeu Franconia Orientalis, quæ hodiéque ita dicitur, & Sicambrorum Colonia.

(n) Maſſon. lib. 1. Annal.

Ultima ſedes Francorum quæ fuerit?

(o) Saxon. lib. 2. c. 1. & 29.

(p) Coccej. Proleg. §. 19. in Jurisprud. item §. 21.

(q) Trithem. de origine Franc. apud Schard. Tom. I. pag. 151.

6. Tertium nunc reſtat, ut de Franciæ vocis etymo quædam diſſeramus: Vendelinus (r) judicat etymologiam latere in voce Atuatica *Vrang*, quod eſt acerbum, aſperum, trux, ferox: itaque hic author vult Germanis a perſum nomen Francorum ob aſperitatem, & feritatem morum; ideò Orator in ſua ad Conſtantinum panegyri, *Trucem Francum* appellat: Alii meliùs originem vocabuli deducunt à Franck, quod ab omni prorſus ſervitute ac tributis immune ſignificat; ùt de Batavis ajebat Tacitus (s), *quos nec tributa contundunt*, *nec publicanus atterit*, *exemptos oneribus & collationibus & tantùm in uſum præliorum ſepoſitos*, *ac bellis reſervatos*. Cluverius (t) ab hac opinione minimè decedendum exiſtimavit, dum ſolam libertatis tuendæ voluntatem, ac ſtudium ſtatuit magnæ hujus Monarchiæ poſteà natæ cauſam originémque fuiſſe; "Sic exiſtimo, ait: cum prædictæ nationes Rhenum inter & Albim variis jam inde à J. Cæſaris ævo bellis à Romanis petitæ dum aliàs manu ſuperiores, aliàs inferiores extitiſſent, ſe plurima ex parte jugo Romano falſo amicitiæ, ſocietatíſque obtentu ſubjectas eſſe, indignè, acerbéque jam dudum tuliſſent; tandem ubi vicinos ſuos Alemannos, Gallicam origine gentem, eóque Romano Imperio meritò addictiorem, rebellare contra Dominos, & in ipſam Dominorum Provinciam pacatiſſimam Galliam crebras incurſiones audacter facere viderunt,

(r) Vendelin. in LL. Salicis.

(s) Lib. de Germ.

(t) Lib. 2. Germ. Antiq. c. 20.

Etymon Francici nominis.

runt; sibi etiam eosdem animos, idémque consilium esse sumendum rati sunt. Cúmque intelligerent, nullâ aliâ re magìs quondam libertatem suam à Romanis infractam, suppressámque fuisse, quàm quòd singulos illi sensim aggressi fuerant; dum ipsi in unum consulere, communémque hostem communibus inter se, junctísque copiis propulsare neglexissent, tandem plurimis experimentis perdocti, innumerísque damnis admoniti, conspiratione factâ in unam Societatem, in unúmque fœdus, atque adeò in unum corpus coivêre, novo sibi, haud dubio ab libertatis argumento invento vocabulo, quo universi imposterum adpellarentur die Francken, quo etiam nomine nunc reliquiæ eorum in Germania circa Mœnum dicuntur.„ Vide hìc etiam Joannem Rivium de rebus Francicis.

REFLEXIO VIII. ad §. 4. num. 15. pag. 512.

Quænam Barbaræ Gentes populatæ sint Imperium Romanum in III. & in sequentibus sæculis?

1. FLorentibus regnis à supremo numine & locorum, & temporum metas positas esse, vel ipsi Ethnici agnoverunt. Eventibus quippe compluribus edocti fuerant, Hellespontum Assyriis & Chaldæis (a), Tanaim & montem Caucasum Persis (b), Romanis Euphratem ac Tigrim fluvios velut totidem felicitatis terminos defixos esse, ultra quos progredi fatale foret (c). Neque tantùm locis quibusdam amplitudinem regnorum Deus obsepserat; sed & tempora statuit, ad quorum mensuram Monarchiarum gloria cresceret, aut minueretur: atque ut cæterorum regnorum ætatem hìc prætermittamus; Romanorum potestas ab Augusto, aliísque primi, & secundi sæculi Principibus immensùm aucta, in tertio sæculo sensim deficere cœpit; cujus quidem ruinæ præcipuæ causæ fuerunt tot vitia, quæ ingens Imperii corpus in modum carcinomatis exedebant, ignavia Imperatorum, & Dominatûs in plures Principes divisi imbecillitas: inde enim factum legimus, ut Tyranni complures Imperium pro libidine sua in parvas lacinias convellerent, & Barbari undique ad Romanorum fines excubantes, divisas jam Romanorum regiones invaderent, ab illis spolia legerent, aut planè sedes, nováque regna in iisdem metarentur. Trebellius Pollio (d) ingentes barbarorum populorum catervas nobis exhibet, qui per Orientem, Illyricum, ac per ipsam etiam Italiam suas vastitates protulerunt, *Scytharum diversi populi*, ait, *Peucini, Trutungi, Austrogothi, Virtungi, Sigipedes, Celtæ etiam, & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempublicam venerunt, atque illic pleráque vastârunt.* Zosimus (e) eosdem populos enumerans inquit: *Hoc tempore, quotquot erant Scythæ superstites, animis propter expeditiones hactenus susceptas elati, adjunctis*

(a) Diodor. Sicul. lib. 2. rer. antiq. c. 5.
(b) Herod. lib. 1.
(c) Pompon, Lætus

Regnorum omnium certi fines ac stata tempora.

(d) In Gallien. c. u2. 13. In Claudio c. 6.
(e) Lib. 1. c. 41.

Multitudo Barbarorum, qui Imperium vastârunt.

ctis sibi Herulis, Peucis, & Gothis, collectique propter Tyram fluvium in Pontum se exonerantem, sexies mille navibus ædificatis, ac trecentis & viginti millibus hominum in eas impositis, navigatione per pontum institutâ, Tomis, munito mœnibus oppido tentato, rejecti sunt. &c.

Et quoniam horum Barbarorum nomina, résque gestæ posteà sæpiùs in historia occurrent; ordinem Wolffgangi Lazii secuti (f), harum gentium originem, ac migrationes hìc paulò longiùs expendemus.

(f) Wolffg. Lazius de migrat. gent. lib. 10. 11. & 12.

Gothorum origo.

2. Ac primò Provinciis Imperii infestiores GOTHI fuêre, qui adjunctis sibi Greuthungis, Thoringis, Taifalis, Peucinis, Bastarnis, Carpis, Scirris, & Hirris, aliísque Germaniæ, ac Sarmatiæ populis in multitudinem Romanis tremendam augebantur. Cæterùm Gothos Germanicæ originis fuisse tum ex habitu corporis, tum ex idiomate eorum cognoscitur (g). Gothi Getarum nomine crebrò veniunt (h), sive ob similitudinem vocis, sive quòd Gothi in Getarum terras progressi, à regione nova nominati sint (i). Unde & Tyragetas, Massagetas, Alanos, Sarmatásque quandóque cum Gothis commisceri advertes, propтereà quòd Gothi hos populos fœderis aut bellorum socios haberent. Prima Gothorum sedes in insulis Balthici maris fuit, in Scanczia videlicet, quam Plinius Scandinaviam appellare videtur (k), unde in hac vicinia supra Prussiam & Livoniam insula quædam Gotlandiæ nomen obtinuit. Ex his insulis emerserunt imperante Sylla ad Vistulæ propiores agros, quibus subinde ab aliis Germaniæ populis expulsi concessêre in Daciam, Sarmatiámque Europæam; nam breviarium Theodosii Junioris Imperatoris in descriptione orbis sic Gothiam designat: *Hinc ab Oriente Alania est*, (cùm de Tanai flumine priùs locutus fuisset) *in medio Dacia, ubi & Gothia, deinde Germania.* Pannoniam, Mœsias infestârunt tempore Cæsarum Gallieni, Claudii, quin per pontum Euxinum devecti partem Asiæ, Græciámque tenuerunt & expilârunt. Regnante Aureliano universum Istri ripam sibi vendicârunt. A Probo posteà & Constantino M. victi, sub Valentiniano I. & Valente Imperatoribus pristinas vires, audaciámque ostendunt. Ab Hunnis sedibus pulsi à Valente in Thraciam recipiuntur, ubì ad Arianam hæresin traducti sunt: subinde arma resumunt contra Romanos, multísque dein irruptionibus Italiæ, Galliæ & Hispaniæ funesti fuerunt. Cæterùm Gothi in Ostrogothos, & Visigothos dividuntur, qui primùm uni Duci, aut Regi suberant. At tempore Valentis quævis harum gentium suum sortita est Regem, ità ut (l) Hermanarico Ostrogothos moderante, Athanaricus primus fuerit, qui Visigothorum Regnum in se susciperet (m).

(g) Idem p. 677. & 685.
(h) Spartian. in Caracall.
(i) B. Rhenanus in Præf. ad hist. Procopii.
(k) Plinius l. 4. c. 13.

Gothorum sedes variæ.

Bella Gothorum cum Romanis.

(l) Jornand. c. 24.
(m) Isidor. in Chron. Goth.

3. VANDALI, quorum nomen inter antiquiora refert Tacitus (n), ejusdem cum Gothis originis fuêre (o): ora maris Balthici prima illis sedes erat, inde per Pomeraniam, Poloniam, Silesiam effusi ad Danubium in Pannonia constiterunt tunc, quando Marcomannis, Sarmatísque juncti

(n) de M.G. c. 2.
(o) Procop. l. 10. c. 6.

cti bella moverunt M. Antonino & Aureliano Probo (p): parte Daciæ ab iis occupatâ, ortum est bellum inter barbaras gentes; nam Vandali à Gothis partim cæsi, partim fugati, à Constantino supplices tandem novas sedes in Pannonia impetrârunt (q), ubi perstiterunt; dum in sæculo V. in Galliam penetrârunt auspiciis Godegisili, à Stilicone evocati A. C. 406.: ubi Moguntiam, Argentoratum, Rhemos vastârunt; inde in Hispaniam progressi Bæticam insederunt, posteà sub Genserico Rege in Africam moventes, Vandalicum ibidem Regnum constituêre.

(p) Jul. Capitol. in V.

(q) Jornand. l. c.

Vandalorum genus, habitationes, bella, & vastationes.

4. GEPIDÆ, & BURGUNDIONES ejusdem cum Gothis ac Vandalis linguæ, ac originis: illi Gepidæ à tardo ingenio dicti (r), hi nomen à multis castellis appellati, quæ vel exstruxerant, vel quibus præpositi memorantur à Druso & Tiberio, ut has arces limitaneas tuerentur (s). Prima Gepidis sedes fuit in Scythia; ab hac regione in Poloniæ, Pomeraniæ, & Prussiæ, & Transylvaniæ tractus commigrârunt: & Vandalis ex Dacia abeuntibus Imperium suum à fontibus Vistulæ usque ad fines Daciarum propagârunt. Subjecti aliquamdiu Hunnis, Attilà regnante in Illyrico: eo extincto, Ardarici Regis virtute in libertatem denuò asserti, universam Istri ripam ulteriorem usque ad Sarmatiæ montes, ac Hercinii nemoris propagines juri suo vindicârunt. Donec regnante Justiniano Cæsare à vicinis gentibus, Avaribus videlicet ab ortu, & Longobardis ab Occidente pressi, penéque deleti, vix exiguum terræ tractum, Vistulæ amnis fontibus vicinum retulêre, quem & hodie *Gepusam* vocant (t).

(r) Wolffg. Laz. lib. 11. de migrat. gent.

(s) Orosius.

Gepidarum origo, ac migrationes Imperio funestæ.

Burgundiones postquàm cùm Gepidis Scythiam, Vistulámque amnem reliquerant; ad interiora Germaniæ profecti primùm, dein ad ripam Rheni sedem delegerunt (u), eo in tractu, ubi Capellatium laudat Ammianus, & ubi nostrâ ætate est Palatinatus inferior, & Badensis Marchionatus. De his Eutropius (x): Burgundionum quoque novorum hostium cœpit nomen novum, qui plus quàm octoginta millia, ùt fertur, armatorum ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subactâ Germaniâ interiore à Druso & Tiberio, adoptivis filiis Cæsaris, per castra dispositos in magnam coaluisse gentem, atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse: quia crebra per limitem habitanda constituta (Burgos vulgò vocant) eorúmque esse prævalidam & perniciosam manum, Galliæ hodiéque testes sunt: Zosimus, aliíque Scriptores meminerunt bellorum, quæ cum Probo, cum Diocletiano & Maximiano cúmque Alemannis fortiter gesserunt (g). Regnante Honorio, cùm variæ gentes Galliam invaderent; ipsi quoque Burgundiones in Sequanorum & Heduorum regionem transgressi sunt: novis vastatoribus Galliæ Aetius primò arma obmovit; dein Rege eorum Gundicario capto, pacem cum illis firmavit eâ lege, ut sibi cum Gothis contra Hunnos in Catalaunicis campis pugnaturo suppetias ferrent, quibus strenuè præstitis Aetius Burgundionibus in

(t) Wolffg. Laz. p. 755.

(u) Idem p. 766.

(x) Lib. 12. rer. Rom.

Burgundiorum nomen, genus, bella & irruptiones in Romanas Provincias.

(y) Zosim. l. 1. c. 17. Mamertini Paneg. I. c. 9. & in Paneg. II. c. 17.

(z) Prosper in Chronico ad a. 414.

in Germania prima quendam regionis tractum concessit (z), ex quibus initiis Regnum Burgundiæ posteà adeò amplificatum est, ut & partem Vallis Pæninæ, Sedunósque & quam Sabaudiam vocant, prætereà Lugdunum & Viennam & alias civitates Burgundia complecteretur (a).

(a) B. Rhenanus lib. 1. Rer. Germ.

5. HERULI, de cujus gentis origine non una Authorum est opinio: Jornandes eos, ex Palude Mæotide vel ex Schonlandia arcessit (b). Procopius stirpem Herulorum contrà deducit ex Thule Insula supra Britanniam sita; quamvis & primæ sententiæ aliquid tribuat, dum populos hos utrumque locum coluisse, ait, scilicet & Rugiam Balthici maris insulam in finibus Pomeraniæ Meckleburgensísque Ducatûs & simul etiam Thulen Oceani occidentalis haud procul ab Hybernia; in Thule tamen gentis primordia fuisse, unde egressi in Germaniam habitare cœperunt ad Istri ripam Claudio II. imperante, de qua sede Trebellius Pollio (c) *superiùs diximus*, inquit, *illi Gothi, qui evaserant eo tempore, quo illos Marcianus est persecutus, quósque Claudius emitti non siverat, ne quid fieret, quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitaverunt prædas. Denique Scytharum diversi populi, Peucini, Trutingi, Austrogothi, Virtungi, Sigipedes, Celtæ & Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum, & Rempublicam venerunt, atque illic pleráque vastârunt, dum aliis occupatus est Claudius.* Non minùs tempore Constantini M. terris Romanis infestæ fuerunt; nam Nazarius in hæc verba eloquitur (d): *Neque solùm Burgundiones, & Alemanni, sed etiam Chaviones, Erulique viribus primi, Barbarorum locis ultimi præcipiti impetu in has provincias irruissent .... ita cuncti Chaviones, Erulíque cuncti, tamen internecione cæsi, interfectíque sunt.*

(b) Jornand. l. de temp. & Regn. succeß.

Herulorum natale solum variæ sedes, vastationes.

(c) Trebell. Poll. in Vit. Claudii.

(d) Nazar. in Paneg.

Ab eo tempore Heruli Romanæ amicitiæ addicti (e), non solùm liberè habitationem quandam ad Istri ripam retinuerunt; verùm etiam Romanam transcripti ad militiam, Imperatorum in castris sub signis meruêre, quemadmodum libri Præfecturarum, notitiarúmque Orientis ac Occidentis demonstrant, in quibus Herulorum subinde & cohortes & vexillationes commemorantur. Porrò in ea societate cum Romanis manserunt usque ad Justiniani I. tempora; quâ ætate â Romanis offensi ad Gothos defecerunt: Herulorum vestitum & corporis habitum Paulus Diaconus ità describit (f): erant tum Heruli bellorum usibus exercitati, multorúmque jam strage notissimi, qui sive ut illatum ab hoste vulnus contemnant, nudi pugnabant, & Sidonius celeritatem Herulorum celebrans ait: *Cursu Herulus, Hunnus jaculis, Francúsque natatu.* Heruli posterioribus temporibus in Austriæ finibus sive Norici ripensis, vel in tractu Dalmatiæ & Valeriæ, aut in Alpibus Rhæticis habitârunt; posteritas eorum in Irlandia superesse fertur, id quod ex habitu gentis cognoscitur.

(e) Wolffg. Laz. p. 794.

(f) Paul. Diac. lib. 1. c. 20.

6. LONGOBARDI, cum quibus Heruli cruentum in Palatinatu inferiore bellum gesserunt, originem ducunt è Suevorum gente; quod Cornelius Tacitus non obscurè docet, dum ait: *Igitur non modo Cheruscus*

scus, sociique eorum (vetus Arminii miles) sumpsêre bellum; sed è regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones & Longobardi defecêre ad eum (g). Paulus Diaconus Longobardos Gothicæ, atque Vandalicæ originis facit, eadémque ex Patria, (puta ex Scandinavia Insula) evocat (h). Inde novas sedes quærentes grogressi sunt in Prussiam & Livoniam, mox per vices coluêre Mauringiam, & Rugilandiam & Poloniam; posteà à Bulgaris pulsi venêre ad Rhenum, ubi hodiè Palatinatus inferior est, proximè Cheruscis: illinc cum Tiberio non semel certatum est, unde Vellejus Paterculus victoris gloriam his verbis auget: *Perlustrata armis tota Germania est, victæ gentes penè nominibus incognitæ ... fracti Longobardi, gens etiam Germanâ feritate ferocior.* Cessêre igitur Romanis Longobardi, & moverunt in Moraviam, ubi in Herulos pugnavêre, eósque tandem Pannoniâ, quam insederant, exuunt. Elapsis verò 42. annis à Narsete in Italiam evocati (Hunnis Pannonià relictâ) Ostrogothos ibidem delent, Italiæque partem, scilicet Cisalpinam Galliam occupant, quam suo nomine Longobardiam appellârunt: Etymon Longobardorum à variis variè deducitur; Paulus Diaconus à longis eorum barbis (i), Wolffgangus Lazius ex eo nominatos vult, quòd interiora terræ colerent, sive die Landwartet, quod vocabulum in Longobardorum nomen dicit esse detortum (k), alii à telo *Alabarda* vocato ejusmodi compellationem obtinuisse ferunt.

(g) Lib. 2. hist Aug.
(h) Apud Wolffg. Laz. lib. 12. pag. 802.
Longobardorum origo migratione, bella cum Romanis, funestæ irruptiones.
(i) Paul. Diac. lib. 1. c. 8.
(k) Wolffg. Laz. l. 12. p. 803.

REFLEXIO ULTIMA.

De Scriptoribus Profanis Sæculi III.

1. SEveri *Regnantis ætate* PHILOSTRATUS Augustæ Juliæ precibus rogatus, scripsit vitam Apollonii Tyanei fabulis plenam; modus tamen, quo commenta sua profert, à Photio laudatur (a), ùt qui antiquam elegantiam exhibeat: teste Suida professus is fuit Athenis & Romæ eloquentiam.

Philostratus.
(a) Photius c. 44. p. 29.

2. *Sub Antonino Caracalla* floruit OPPIANUS Poëta celeberrimus, Anazarbo Ciliciæ oppido oriundus (b): scripsit sua Poëmata in insula Meleda, in qua ejus Parens degebat exul; posteà cùm Romæ apud Cæsarem ejus carmina recitarentur, non tantùm Parens ab exilio revocatus est, sed & Oppianus donatus est in singulos versus aureo statere, ut viginti millia aureorum pro omnibus acceperit (c). Scaliger vocat illud *opus divinum* (d); at Sozomenus illud mediocritatem non excedere confirmat. Extant quatuor adhuc libri Parisiis, ubi prælum subiêre anno 1555., ùt ait Tillemont in Caracalla. p. 231.: Anazarbi peste extinctus est; cui mortuo cives sumptuosam statuam, cum insigni inscriptione posuerunt.

Oppianus.
(b) Eusebii Chronic.
(c) Suidas. Sozom. l. 1.
(d) Scaliger exerc. 218.

3. Inter celebriores Historicos qui tempore *Alexandri Severi* scripserunt, meritò palmam tulit, DIO CASSIUS natus Nicææ in Bithynia

(e) Dio lib. 69. p. 783. filius Aproniani Præfecti Dalmatiæ, Proconsulis Ciliciæ (e): Senatui adlectus est anno 193. Prætor creatus à Pertinace Imperatore, primum Dio Cassius. Consulatum gessit sub Severo; Caracallam inde secutus est in Orientem circa a. 215.; Pergamo & Smyrnæ eundem præfecit Macrinus a. 218.: ex Oriente revocatur ad Præfecturam Africæ, quâ defunctus præfuit posteà Dalmatiæ & Pannoniæ: anno 228. cum Alexandro Imperatore Consulatum secundum adiit. Scripsit Historiam Romanam, cui labori annos viginti duos (f) Photius c. 71. impendit: opus libris octoginta in octo decades divisis (f) complexus est. Ab Ænea orsus, in Alexandro finit: ne facilè deciperetur à narrationibus promiscuis; decem annos collocavit in explorandis penitiùs monumentis: (g) Dio lib. 72. p. 829. & alios duodenos annos concinnandæ historiæ tribuit (g). Clarior est (h) Voss. h. gr. l. 2. c. 15. Thucydide (h), quem in orationibus historiæ permixtis imitatus est. Vossius in Dione reprehendit, quod Ciceronem, Brutum, Cassium, Senecam acerbiùs descripserit; verum Tillemontius eum excusat, quòd in iis nil vituperet, nisi quæ vituperio digna erant; quòdque regulas Historicorum servârit, quorum est haud dissimulanter posteris objicere veritatem, in quo à Panegyristis Historici utique differre debent. Ex libris ejus octoginta supersunt integri 20., scilicet à fine libri trigesimi quinti usque ad quinquagesimum quartum: triginta quatuor priores omnino periêre; de posterioribus libris fragmenta duntaxat restant, partim à Fulvio Ursino, partim à Valesio collecta: jacturam pensavit per suam Epitomen *Xiphilinus* Patriarcha Constantinopolitanus in undecimo sæcu- (i) Idem c. 27. p. 303. lo, & Zonaras in sua historia (i). Ab eo dein tempore, quo à Dione destituimur, scilicet ab Alexandro ad Diocletianum, historia incerta vagatur (k); (k) Pagius p. 228. nam Herodianus parùm accuratus, Lampridius, Capitolinus, Spartianus vix merentur Historicorum nomen: & Zosimus cùm sub ætatem quinti sæculi scripserit, priora hæc tempora non vidit; ac vel inde monumenta illius ætatis vel non cognovit, vel cognita ob malignam affectionem in pravum sensum detorsit. Tillemont id maximè in Dione prædicat, quod (l) In Alexandro pag. 358. Consulum fastos, résque gestas ex ordine digesserit (l).

Herodianus. 4. *Sub Gordiano Juniore* HERODIANUS condidit historiarum libros octo, quos exorsus est ab excessû Marci Aurelii Antonini, continuavítque usque ad mortem Maximi & Balbini; sexaginta aut septuaginta annorum res gestas, quas ipse vidit, recensens. In aula Romana Cæsarum (m) Phot. c. 78. variis adhibitus est muneribus Politicis: stylo, afferente Photio (m), ele- (n) Capit. in Maxim. gante, ac perspicuo usus, ad fidem pleraque dixit (n); hæc tamen fides nutat in Alexandro & Maximino, quod notatum legimus à Julio Capitolino, in Maximinis duobus; ubi ait: *Herodianus Græcus scriptor, ei quantum videmus, in odium Alexandri plurimùm favit.* Tillemont in eo advertit quod (o) Tillem. in Gordian. p. 564. Geographiæ ignarus, ornandis potiùs rebus studuerit, quàm accuratè proferendis (o). Angelus Politianus primus eum latinè reddidit. Eâdem ætate à Chronologia, & historico opere celebris fuit CENSORINUS,

NUS, quod evulgavit de *die Natali* (p) æſtimatum à Sidonio & Caſſiodoro, & poſteà Lugduni Batavorum 1642. notis illuſtratum à Lindenbrogio.

Cenſorinus.
(p) Voſſ. h. lat. lib. 2. c. 3

5. *Imperante Philippo* ASINIUS QUADRATUS græcè ſcripſit quinque libros hiſtoriæ Romanæ (q) à fundata Roma, usque ad tempora Philippi ſive ad annum milleſimum urbis conditæ (r). Citatur hic Author à Zoſimo, Xiphilino: Agathias eum vocat natione Italum (s).

Aſinius Quadratus.
(q) Voſſ. h. gr. lib. 2. c. 16.
(r) Tillem. in Philipp. p. 590.
(s) Agath. lib. 1.

6. AURELIANUS Imperator ipſe ſuorum bellorum hiſtoriam ſcripſit, quæ in Bibliotheca Trajani ſervata, poſteà uſui fuit Vopiſco, cùm Aureliani vitam concinnaret: idem tempus illuſtravit HERENNIUS DEXIPPUS Athenienſis orator, vir magnæ eruditionis, & Thucydidi comparatus (t), ſcripſit hiſtoriam ab Alexandro Severo, usque ad Claudium II.: quem gnaviter ſecuti ſunt Capitolinus & Trebellius Pollio; cùm inde potiſſimas res eruerent: de ejus decem, aut duodecim libris fragmenta ſuperſunt, quæ à Davide Hœſchelio edita à Caſaubono laudantur ad Lampridium in Severo.

Dexippus.
(t) Eunap. c. 2.

Eidem ætati accenſentur LONGINUS, & AMELIUS Philoſophi, quorum ille Porphyrii Præceptor eruditiſſimus, & Bibliotheca viva appellatus, ab Aureliano occiſus eſt, quòd Zenobiæ epiſtolam admodùm acrem contra Cæſarem dictâſſet: Alter Apameæ in Syria natus diſcipulus Plotini, & Magiſter Porphyrii; Origeni, & Ammonio coævus, ſcripſit librum contra Magos & Gnoſticos (u).

Longinus & Amelius Sophiſtæ.
(u) Euſeb. præp. l. 11. c. 18.

7. *Regnante Diocletiano* Auguſtorum hiſtoriam ſcripsêre ſequentes: ÆLIUS SPARTIANUS, qui à Julio Cæſare cœpit, & in Adriano finiit. Hodiè nobis adhuc proſtant vitæ Adriani, Ælii veri, Juliani, Nigri, Severi, Caracallæ & Geræ ab eodem Authore ſigillatim compoſitæ, quæ opera pleraque Diocletiano dedicavit: ÆLIUS LAMPRIDIUS congeſſit vitas Commodi Antonini, Antonini Heliogabali & Alexandri Severi Impp.; quamvis quædam manuſcripta has vitas tribuant Spartiano, eoquòd Lampridium à Spartiano tantùm nomine differre cenſeant (y). JULIUS CAPITOLINUS concinnatam hiſtoriam de Antonino Pio, & Vero, Diocletiano inſcripſit: vitas verò Cl. Albini, Macrini, duorum Maximinorum, & trium Gordianorum dedicavit Conſtantino M. Maximi demum & Balbini vitas addidit, quin ulli opus devoveret. Non defuêre, qui pariter hæc omnia opera Capitolini Spartiano Authori tribuant; quamvis Voſſius diſſentiat (z).

Æl. Spartianus.
(x) Spart. in V. Veri Voſſ. lib. 2. c. 5.
Lampridius.
(y) Idem. 7.
Capitolinus.
(z) Idem c. 65.

VULCATIUS GALLICANUS Senator Romanus inſtituit ſub Diocletiano ſcribere hiſtoriam Auguſtorum omnium, ex his omnibus nobis ſupereſt unicè Vita Avidii Caſſii, qui contra M. Aurelium in Oriente rebellaverat (a).

Vulcatius.
(a) In Vit. Caſſii.

TREBELLIUS POLLIO Hiſtoricus latinus, ſcripſit vitas Cæſarum à Philippo, usque ad Claudium, & Quintillum fratrem, à quibus nil ſupereſt, præter Partem Valeriani ejus filii, & 30. Tyrannorum (b), Vopiſcus

Trebellius Pollio.
(b) Voſſ. h. lat. l. 2. c. 6.

Fl. Vopiscus. ſcus in eo reprehendit, quod nimius fuerit & prolixior in deſcribendis rebus: opus ſuum molitus eſt circa annum 291. FLAVIUS VOPISCUS Syracuſanus Romæ contexuit vitam Imp. Aureliani circa annum 292., dein Taciti, & Floriani & Probi regnum deſcripſit circa annum 307. ſubjungit Cari, Numeriani, & Carini res geſtas: hic poſtremus author ob eruditionem, & ordinem cæteris quinque præfertur (c). Omnium tamen ſcribendi methodus à primo latii nitore longiùs abeſt.

(c) Voſſ. l. 2 c. 7.

Porphyrius. 8. Profanis Scriptoribus tertii ſæculi ultimò annumeramus PORPHYRIUM qui ſe Patriâ Tyrium appellat, cujus proinde dicta ſecuti ſunt Libanius, Eunapius & alii (d). S. Hieronymus eum vocat Bataneoten, ſcilicet prognatum ex Batanea Caſtello Syriæ, vel Phœniciæ (e): ſed Porphyrio placuit à Metropoli Tyro ejuſdem regionis deducere genus ſuum: Malchus anteà dictus, à Longino Præceptore nomen Porphyrii obtinuit ob veſtem regiam purpuream, quâ ob nobilitatem utebatur. Auditis Rhetoricæ præceptis ſub Longino, Plotinum Romæ audivit a. 263. Româ abiit in Siciliam a. 268., inde in Orientem, poſtremùm Romam reverſus obiit in urbe ſub finem Imperii Diocletiani: quidam eum cum Socrate, & Euſebio Chriſtianum fuiſſe & ob ſuperbiam vel ob acceptam caſtigationem à fide receſſiſſe affirmant (f): Alii tamen eum ſcripturas Chriſtianorum non alio ex fine legiſſe docent, quàm ut eas oppugnaret; quod ex libris XV. poſteà intellectum eſt, quos acerbitate & felle plenos contra Chriſtianos conſcripſit (g). *Primum* librum edidit in Sicilia de contrarietate & contradictionibus, quas in ſcriptura ſe deprehendiſſe fingebat, *tertio* libro ſuggillavit explicationem ſcripturæ inter Chriſtianos tunc receptam, & allegoricam. *Quarto* libro Hiſtoriam Moſaicam & Judæorum antiquitates impugnavit: *duodecimo & decimo tertio* contra Danielis Prophetiam luctatus eſt. *Aliis* libris impugnat Evangeliorum fidem (h); unde rabidus adversùs Chriſtum canis appellatur ab Hieronymo. Sophiſtæ iſtius, & Calumniatoris ſcripta Theodoſius lege latâ ad ignem damnavit; buſto tamen fragmenta quædam ſubtracta extant apud Euſebium. Hiſt. Eccl. lib. 6. c. 19. & in Præparat. Evangelic. lib. 1. c. 9. & apud Hieronymum Præf. in I. Libr. Comment. in Ep. ad Galatas Tom. IX. p. 159.

(d) Eunap. c. 2.

(e) Socrat. l. 3. c. 23.

(f) Socrat. l. 3. c. 23.

(h) Auguſt. de C. D. l. 10. c. 30. & l. 12. c. 20.

(h) Guilielm Cave in ſæc. Novat. p. 99.



CAPUT



CAPUT II.

CALAMITATES ECCLESIÆ MILITANTIS, QUÆ IN SÆCULO III. VEXATA EST A SEX FEROCISSIMIS TYRANNIS, SEPTIMIO SEVERO, MAXIMINO THRACE, DECIO, VALERIANO, AURELIANO, ET DIOCLETIANO:

Convulſa à Novati Schiſmate, ob domeſtica diſſidia Stephani Pontificis, & Cypriani Afrorum Præſulis ad tempus aliquod perturbata, & tandem ab HH. Sabellio, Paulo Samoſateno, & Manete impugnata; quin tamen unquam ab anno 197. ad annum Æ. C. 306. orthodoxa fides pateretur detrimentum.

§. I. *Status Eccleſiæ ante Perſecutionem Severi, Cauſæ Perſecutionis & initia, Tertulliani parænesis ad Martyres, ejusdem Apologia pro Chriſtianis: Origenis Adoleſcentis ardor Martyrii, illius Schola Alexandrina. & vita privata, Tertulliani lapſus, ac hæreſis.*

1. ROmana Eccleſia labente ſæculo tertio id cum Romani Imperii compage commune habuit, quòd utraque hoſtili Tyrannorum ferro appetita, graſſationibúsque barbaris exhauſta, perpetuis cum ærumnis conflictaretur; At ſacræ Eccleſiæ conditio hoc præ civilis Reipublicæ ſtatu felicior erat, quòd ruente ad exitium Imperio, illa amplior, clariórque evaderet, & veluti damnis ditior ipſa ſuis, medias inter calamitates diffundendo propagines adeò effloreſceret, ut dubitatum ſit, utrùm pacata, an potiùs turbata tempora fidei incrementis adminicularentur?

Status Ecclesiæ ante persecutionem Severi.

2. Ad ſeptimum annum usque Severi Imperatoris lætiſſimâ in pace conquievit Eccleſia: à quo tempore effectum eſt, ut orthodoxorum numerus immensùm creſceret; quorum quidem alios in ovile Chriſti traxerat prodigiorum ſplendor (a), aut invicta inter cruciatus anteà viſos Martyrum conſtantia (b), vel abſolutio pulcherrimæ virtutis, cujus modum altiſſimum à Philoſophis excogitatum, in Chriſtianorum vita expreſſum Gentiles mirabantur (c). Non pauci etiam ſub ſepta Eccleſiæ conceſsêre, quando dæmones quovis Chriſtiano jubente ſuas ex idolis miſerias, verúmque aliud numen teſtabantur (*1): alios in ſenſa meliora impulit tacitus ſtimulus à Deo ingeſtus, vel cæleſtes imagines (d), quas ità acceptas conjuges conjugibus, vicini vicinis enarrabant, atque ut ſummorum etiam ordinum viri faciliùs Chriſti legibus ſubſcriberent; favor Septimii Severi non obſcurus in fideles acceſſit. Quibus adjumentis Religionis amplitudo eò evaſit; ut Chriſti ſacra vigerent tum in Palatio Cæſaris, tum in Senatorum Collegio, in exercitu, atque in urbe Romana (e), tanto orthodoxorum numero, ut proditum ſit, Italiam, & orbis Metropolim incolis evacuandam fuiſſe; ſi Chriſtianos inde excedere contigiſſet.

(a) Tertull. ad Scapul. c. 4.
(b) Idem in Apolog. c. 1.
(c) Clement. Alexand. admon. ad gent p. 69.
(d) Origen: in Celſ. l. 1. & in Luc. hom. 7. Euſeb. l. 6. c. 5.
(e) Tertull. ad Scap. c. 2. 4. Apol. c. 1. 37.

Perſecutionis cauſæ.

3. Urebat Idolis addictiorem popellum Evangelii propagatio; unde primùm obſoleta in Chriſti cultores regerere convitia: deinde recentiùs etiam criminari, quòd Deorum templa omninò deſerta relinquerentur (f); confluxus verò maximus foret ad Chriſtianorum Coemeteria. Hæc cùm in Orientem usque, atque ad ipſas aures Cæſaris jactarentur; nihil ille importunis quantumlibet queſtibus dandum cenſuit (g): poſteà tamen, ubi Albino victo Romam reverſus eſt, magìs, ac fas erat, furenti plebeculæ indulſit. Exceperat hæc Severi triumphantis adventum iis ludorum generibus, quos vel contueri Chriſti cultoribus nefas erat: à ſa-

(f) Idem c. 42.
g) Idem ad Scap. c. 4.

(*1) TETRULLIANUS in Apologia c. 23. & 24. *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet; juſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo. Æquè producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati exiſtimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt .... niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes .., Atque omnis hæc noſtra in illos Dominatio, & poteſtas de nominatione Chriſti valet ...* Veram hic religionem Tertullianus eam eſſe probat, in qua talis in dæmones poteſtas ſit, qualis hodiè adhuc eſt in ſola Eccleſia Catholica.

à ſacrilegis proinde ritibus dum ſeſe longiùs ſubducunt, criminationum nova cauſa exſculpta eſt (h); Chriſtianos domi Albini lugere fatum, Severo Regnum, civibus publicam lætitiam invidere. Utùt temerè hæc ſpargerentur, altiùs tamen intra animum Cæſaris admiſſa acerrimæ vexationis initia fuêre; nam Severus inde veluti mutatâ mente Chriſtianos odiſſe cœpit, ac ne medio in triumpho crudelis videretur; ex veterum duntaxat legum inſtituto novam Religionem prohibuit (i).

(h) Tertull. Apol. c. 35.

A. Æ. C. 198.

(i) Idem c. 39.

4. Hoc ſigno dato plebs locupletiſſimorum ædes invadere, Chriſtianos ad leones, ad beſtias, & mille ſupplicia depoſcere: ac ne judiciorum forma furendi licentiam retardaret; citra omnem Magiſtratuum authoritatem obvios quosque lapidibus, igne, ferro perſequi. Poſtquàm in vivos ſatìs ſævitum fuerat (k); in mortuorum etiam exuvias, vis omnis ac rabies exprompta eſt: eruebantur ſuis è tumulis oſſa & corpora Martyrum, & ignominiosè abjecta per agros, aut feris, canibúsque expoſita marcebant (†). & quoniam Coemeteria ſacris olim functionibus deſtinata erant, ubi debitus Deo, ac Religioni cultus impendebatur; his ſacrorum conventuum piis latibulis omnis vaſtitas illata eſt.

Perſecutio prima popularis.

(k) Idem c. 35. & 37.

(†) REFLEXIO I.

5. Quo tempore Gentiles graſſabantur in Chriſtianorum corpora; non pauci fuêre, qui perversâ doctrinâ veluti parato veneno occidere animas conabantur: nam Valentiniani, atque Gnoſtici jactabant impuro ore, ſtultitiæ genus eſſe pro Deo mori, ut qui ſanguinem humanum haud flagitet, nolítque mortem peccatoris. Ne error ejusmodi multos inficeret; Tertullianus librum de bono Martyrii perſcripſit (*2): erat is civis Carthaginenſis, Patre Pagano ac Centurione Proconſulari natus (l), primam ætatem in perorandis cauſis transegit; at poſteà profana Idololatrarum ſtudia

A. Æ. C. 200.

Gnoſticorum error de Martyrio confutatur à Tertulliano.

(l) Hier. V. Ill. c. 53. Pall. c. 1. Optat. l. 1.

(*2) TERTULLIANUS in libello de bono Martyrii (qui ſcorpiacon dicitur, quaſi Pharmacum contra Scorpios) oſtendit ne mortis metu quidem deflectendum ad Idololatriam, nec hoc rarum eſſe, quòd Deus ſua præcepta ſub comminatione mortis urgeat; in Martyrio dilectionem illam inveniri, quæ operit multitudinem peccatorum, ubi dilectio iſta *diligens ex totis viribus ſuis, quibus in Martyrio decertat; ex tota anima ſua, quam pro Deo ponit, hominem Martyrem excudit.* Dein c. 9. ex Chriſti verbis bonum Martyrii probat: *Omnis igitur, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor in illo coram Patre meo, qui in cælis eſt: & omnis, qui negaverit me coram hominibus, & ego negabo illum coram Patre meo, qui in cælis eſt,* Matth. 10.

dia exoſus, ad Chriſti ſacra tranſiit (*3), Doctor Eccleſiæ futurus: hic itaque vir acris, & vehementis ingenii, rationum pondere gravis, & urgens, librum ſuum Hæreticis quaſi totidem Scorpiis objecit, unde & operi nomen Scorpiaci adhæſit.

5. Qui telum contra Hæreticos eum in modum torſerat, huic ſubinde alius liber aggerendus erat, quò Afrorum ærumnas ſolaretur (m). Strinxerat nimirum Primus in Africa ferrum contra Chriſti cultores Proconſul Saturninus; & cum S. Sperato Martyres Scillitanos ergaſtulis incluſerat, ſupplicio extremo conficiendos: his igitur pro fide captivis Tertullianus perſuadet, ne Spiritum S., qui cum eis in carcerem eſſet ingreſſus, abjiciant, útque Dei pacem ſervent & Eccleſiæ; quam more Confeſſorum lapſis poſteà impertirentur: atque ut modicos cruciatus pro gloria æterna faciliùs ſubirent (n); Athletis miſerias, & mortes eorum exhibet, qui à Severo Imperatore ex leviſſimis cauſis ſublati, vitam ſine remuneratione cæleſti poſuiſſent (*4). Vix opus hoc Paræneticum Eccleſiæ Doctor abſolverat; jam denuo urgere calamum debuit, ad confutandas Paganorum calumnias. Judæus Apoſtata ejuratâ Religione, Carthagine infamem iconem palàm affixerat, quâ Deus Chriſtianorum in modum monſtri (o) depingebatur: ſalaces inde riſus opprobriis mixti in fidem veram proliciebantur; at hos Apologia Tertulliani Præſidibus Africæ inſcripta nonnihil temperavit, nam oſtendit, eos odiſſe, quod ignorant: nihîlque eſſe ſolitum magìs, quàm ut, qui deſinunt ignorare, ceſſent, & fidem hanc odiſſe; omnem ætatem & ſexum ad hanc Religionem convolare non utique malam; nam malefici geſtiunt

(m) Tertull. l. ad Martyr. c. 1.

Martyres à Tertulliano confortantur

(n) Idem c. 3. & 4.

A. Æ. C. 201.

(o) Tertull. Apol. c. 16. & lib. ad nation. I. c. 14

Apologiam ſcribit Tertullianus pro Chriſtianis.

(*3) TERTULLIANUS in Apol. c. 18. profitetur: ſe in Idololatria antè vixiſſe: *Hæc*, ait, *Chriſtianæ Religionis Myſteria, & nos riſimus aliquando: de veſtris fuimus: fiunt, non naſcuntur Chriſtiani.* VINCENTIUS LIRINENSIS commonit lib. 1. cap. 24. Tertullianum Origeni comparat, & *ſicut Origenes apud Græcos, ità apud Latinos noſtrorum omnium interpres judicandus eſt: Philoſophiam omnem, Authoréſque Sectarum, omnéſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum, & ſtudiorum varietatem mirâ quâdam mentis capacitate complexus eſt: in eloquendo* (ut ait LACTANTIUS lib. 5. c. 1.) *erat parùm facilis, minùs comptus, & multùm obſcurus; rationum tamen pondere gravis & urgens.* Dupinus p. 288. in eo notat, quòd fuerit judicii minùs ſolidi.

(*4) *Severus* non tantùm in Chriſtianos, ſed & in Gentilium Optimates viros ſæviit, ſcilicet in Albini, & Nigri propinquos, ùt videri poteſt in Cap. I. Libri III. §. 1. horum igitur cruciatus, ſinè mercede exantlatos Martyrum mortibus glorioſis, & æternùm remunerandis opponit. TERTULLIANUS in *Libro* ad *Martyres* c. 5.

gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati (p): Christianorum verò neminem pudet, pœnitet neminem, si denotatur; gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus vel ultro confitetur: damnatus gratias agit, quid hoc mali est? porrò ut Christianorum integritatem commonstret; ipso Plinii (q) testimonio adducto in iniquam judiciorum formam invehitur, crimina, quæ objiciuntur, Gnosticorum esse, non Christi Cultorum ostendit; & impactas Confessoribus fidei criminationes in ipsam idolomaniam, ejúsque crudeles ritus, ac sacrificia retorquet (r): subinde aliter Gentilibus Dei dignitatem, ac essentiam efformat, quàm ab injurioso artifice palàm confictus erat (s); ad hujus potentiam ex idolis renuntiandam cogi dæmones: tantum igitur Deum, cùm colant Christiani; frustrà eos argui, quasi nullam Deorum rationem haberent. Postremùm Tertulliani opera in eo potissimùm desudat, ut amoliatur calumniam, de objecto læsæ Majestatis crimine, cujus rei ideò dicebantur Christiani, quod Imperatori honores debitos non impenderent (t); quódque cœtus privatos contra Rempublicam celebrarent: nam commonstrat Christianorum summam erga Imperatores fidem, & tolerantiam; qui minùs verè hostes publici dicerentur, quòd Deum verum pro salute Principis rogarent, ejúsque solemnia celebrarent majore cum modestia, verecundia, & pudicitia; dum Quirites contrà post lascivos etiam ludos à fide Cæsarum deficerent, eósque sæpè contrucidarent (u): Prætereà suspectos esse conventus minimè posse, in quibus de cœlestibus arcanis sermones sererentur (x): Agapas vel cœnas illinc institutas non à rebellione, sed ab amore & nomen, & rem habere: neque ex superstitione Confessorum proficisci, quòd Tiberis ascendat ad mœnia, pérque orbem lues grassetur (y); hæc enim mala sceleribus Gentilium tribuenda, quæ eadem ex causâ sæpiùs Romanis à Deo irrogata fuissent, antequàm Christianorum nomen orbi patuisset.

(p) Idem Apol. c. 1.

(q) Idem c. 2. 4. 5. & 7.

(r) Idem c. 9.

(s) c. 15. 17. 18. 19. 22.

(t) Idem c. 30. 33. 34.

(u) Idem c. 37. 38.

(x) Idem c. 39.

(y) c. 40. 45. & 50.

7. Intereà Severus Parthis in Oriente devictis, Alexandriam regressus anno regni decimo edictum evulgari fecit, quo cavebat, ne quis Judaicam aut Christianam religionem profiteretur (z): hujus novæ legis sive causa fuerit iniquior Cæsaris mutati animus, sive quòd crediderit Princeps sublatâ religionum varietate

A. Æ. C. 202.

(z) Euseb. hist. lib. 6. c. 2. & c. 6.

Edictum Severi contra Christianos. tumultus Orientis faciliùs componendos; certè hâc publicâ sanctione armati Magistratus Alexandriæ, in Ægypto, ac Thebaide tam innumerabiles ediderunt carnificinas; ut multorum opinio esset, funestam Antichristi ætatem jam imminere (*5). *Leonides Parens Origenis* Inter tot sacros pugiles, qui ad carceres rapiebantur, Leonides fuit, Ægypto oriundus: hic inter septem filios, quos genuerat, Originem quoque orbi Christiano dedit: cujus infantiam Parens non modò primis elementis, sed & solidiore sacrarum literarum studio imbuendam sumpsit eo profectu; ut filius obviâ sacri Codicis lectione minimè contentus, profundiores jam tum sensus scripturæ scrutaretur (*6): decimum septimum Origenes annum agebat, quo Lætus Alexandriæ & Ægypti Præses Leonidem Patrem ad supplicium designavit: *Origenis à teneris institutio & ardor Martyrii* Adolescentem & exemplum Parentis, & sors Martyris adeò impulêre, ut toto animi impetu se in satellitum manus ingessisset; nisi mater præclusis omnibus viis, absconditis etiam ejus vestibus maximè cupientem à proposito revocâsset (*7). Leonide Martyrii coronam adepto

(*5) DODWELLUS n. 43. de pauc. Martyr. hanc persecutionem Severi extenuare studet, ídque ex Eusebio probare conatur, quem ait, *nec multos recensere, nec significare à se multos Martyres esse prætermissos*: At verba Eusebii lib. 6. Hist. c. 1. hominem convincunt; nam inquit, *per omnes ubique locorum Ecclesias ab athletis pro pietate certantibus illustria confecta fuisse Martyria.* Et Clemens Alexandrinus, qui juxta Eusebium l. 6. c. 6. imperante Severo scripsit, lib. 2. stromatum id confirmat: *Nobis autem sunt quotidiè redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, & capite damnantur.* Demum JUDAS istius temporis Scriptor apud Euseb. c. 7. existimavit, *decantatum illum Antichristi adventum imminere.* Præterea Tertullianus in Apol. c. 12. acerbitatem persecutionis notat: *Crucibus, & stipitibus imponitis Christianos . . , ungulis deraditis latera Christianorum . . , cervices ponimus, ad bestias impellimur . . . ignibus urimur, in Insulas relegamur.* Idem c. 50 Christianos ait, appellatos fuisse *Sarmentitios*, & *Semaxios*, quòd ad *stipitem dimidii axis revincti, Sarmentorum ambitu exurerentur.*

(*6) EUSEBIUS lib. 6. Hist. c. 2. *Tantus amor, tantáque Martyrii cupiditas animum Origenis, cùm adhuc valde tenui esset ætate, occupavit, ut prope se ultrò offerret periculis, & alacri, ac propenso studio in certamen insiliret; nisi mater divinâ quâdam & cælesti providentiâ (quæ illum ad maximam plurimorum utilitatem servabat incolumem) impulsa, enixè ejus cupiditati ad necem adeò incitatæ procurrenti obstitisset. Ipsa enim verbis primùm supplex orabat, ut materni erga se amoris misericordiam caperet. Ubi autem eum, cùm jam intelligeret Patrem prehensum carcere custodiri, cupidiùs ad mortem properantem animadverteret (toto enim impetu, & omni animi conatu tum ad Martyrium ferebatur) omni ejus vestitu clàm ablato, & in interiores quosdam ædium recessus abdito, domi eum manere necessariò coegit.*

(*7) IDEM c. 2. *A primo tempore ætatis piis sacrarum literarum studiis fuit*

pto Origenes cùm matre, ſéxque fratribus orbus Patre, orbúsque opibus relictus eſt; nam facultates paternæ, quæ ſupererant, ex edicto Cæſaris ærario publico inferebantur. Non defuit provida Numinis cura ad egeſtatem redactis, & de Origene quidem compertum eſt, eidem de vitæ mediis mulierem Alexandrinam proſpexiſſe: hæc Chriſti ſacris quantumvis addicta fuerat; domi tamen hominem Antiochiæ natum, loco filii habebat, cui Paulo nomen, quíque hæreſi imbutus, hanc ipſam ſuo, quo valebat, eloquio afflare multis non ceſſabat. Origenes ab inopia in has anguſtias conjectus, ad tempus ità ædes coluit; ut cùm hæretico Paulo in precatione nunquam conſiſteret (a): dein literis magìs imbutus, Grammaticam docere inſtituit; ut arte eâdem alimenta lucratus, ingratum mulieris beneficium, domúmque utpote hæreſeos latibulum citiùs abdicaret.

Ejusdem ſuſtentatio poſt Martyrium

(a) Euſeb. lib. 6. c. 3.

8. Quo furore in Ægypto Alexandriæ præfecti Confeſſores exagitabant; eo prorſus crudelitatis genere in Gallia Lugduni Chriſti ovile vexatum eſt. Tota namque civitas ab infeſto milite circumdata, & facto aſſultu Chriſtianorum quivis ferro furentium occubuit: Martyrum cumulum coronârunt SS. Irenæus (*8), & Andeolus S. Polycarpi diſcipuli, quorum ille Eccleſiam à Photini morte diſperſam collegerat, alter Subdiaconus verbo Dei Vivarienſem gregem reſtaurârat (b).

Perſecutio in Gallia.

A. Æ. C. 202.

(b) Tillem. in Perſec. Sever. a. 4.

fuit ſedulò exercitatus . . . . ut non ſatìs ei videretur ſimpliciter apertos, & tanquam in proclivi poſitos ſacrarum literarum ſenſus eruere; ſed aliquid ulteriùs perveſtigare . . . . usque eò, utì Patri nonnihil negotii faceſſeret, dum accuratè ſciſcitabatur, quid hæc vel illa Scripturæ divinitùs inſpirata ſententia vellet, indicaret. Unde Pater, quanquam ſpecie & vultu illum coràm reprehendere præ ſe tulit, admonens, ne quid ſupra ætatis ſuæ captum, néve ulteriùs, quàm apertus Scripturæ ſenſus ferebat, indagaret; tamen animus illius tacitus apud ſe explebatur jucundiſſimâ voluptate: & maximas Deo bonorum omnium auctori agebat gratias, quòd fuiſſet pro ſua clementia & bonitate dignatus, eum talis filii Patrem efficere. Jam verò puero dormienti illum ſæpenumerò adſtitiſſe, ejúsque pectus ſtragulis nudâſſe ferunt: atque illud, perinde ac ſi ſacer Dei Spiritus idem ipſum ſibi tanquam templum conſecrâſſet, auguſte & cum reverentia oſculatum eſſe.

(*8) THEOPHILUS RAYNAUDUS T. VIII. p. 23. & 24. ſtatuit Irenæi & aliorum Martyria in Gallia contigiſſe anno 208., quando Severus per Galliam ibat in Angliam. TILLEMONT verò revocat Irenæi mortem ad an. 202. vide hunc in Vita Tom. III. P. I. pag. 162. FEVARDENTIUS in Irenæi vita p. 19. porrò de ejusdem Sancti Reliquiis narrat, quod ad annum 1562. Hugonotti expugnato Lugduno exuvias ſacras Irenæi ſacrilegè in profluentem ejecerint; Chirurgus autem eas clàm collectas in ædibus privatis aſſervârit, dum ſub Carolo IX. ſolenni pompâ in Eccleſiam Cathedralem everherentur.

9. Intereà, dum Alexandrina Ecclesia diripitur; S. Clemens ejusdem urbis Presbyter, & Catechista celeberrimus (c), tantæ procellæ se ex Christi consilio subducendum putavit. Cùm enim omnium oculis notaretur, neque ad bonum Ecclesiæ in agro Alexandrino latere posset; in Cappadociam, vicinásque regiones discessit: quo quidem exemplo Montani asseclas confundebat, à quibus crimini dabatur, si quis persecutorem fugeret, aut in tortoris manus non sponte involaret. Neque fuga illa sine altiore impulsu à viro Sancto suscepta est (d); Cappadociæ quippe Episcopo Alexandro, olim ejus discipulo ad carcerem raptato, Clemens illarum Ecclesiarum, ac Martyrum curam gessit (e). Sed quoniam Alexandriæ jam nemo omnium supererat, qui tradendis fidei rudimentis daret operam; Origenes sacris disciplinis, quas is à Clemente Magistro hauserat, Catechumenos instituere à Demetrio Episcopo jubetur. Muneris tanti dignitatem, quò meliùs impleret, primùm austerum vitæ genus selegit: rejectis calceamentis, unicâque tunicâ contentus, in singulorum dierum modicum victum quatuor nonnisi obulos transigebat. Horas temporis ità admetiebatur; ut magnam diei partem visendis carceribus, firmandis ad Martyrium Confessoribus daret, non sine maximo vitæ periculo: reliquum tempus diurnum adhibebat erudiendis discipulis, quorum tantus affluebat numerus; ut in unum Origenem utpote Christianæ rei restauratorem Gentilium rabies accenderetur: non destitit tamen majoris animi Præceptor documentis optimis suos ad præclara pro Christo certamina præparare. Plutarchus, Heraclas, Serenus, Heraclides, Heron ex ejusmodi discipulis fuêre, qui hortante, vel etiam assistente Origene inter ignis, ferríque cruciatus posuêre animas (f): His accesserunt ex imbecilliore sexu duæ fortissimæ fœminæ Herais, & Potamiæna, quarum illa adhuc Catechumena per ignem baptismum adepta est; hæc verò post multos cum Tyranno conflictus, tandem ferventi pice à vertice ad pedes circumfusa, mortem crudelissimam constanti animo pertulit (g).

Origenes Catechista Alexandriæ.

Ejus discipuli.

(c) Euseb. l. 3. c. 23. & lib. 6. c. 11.

(d) Clem. str. 4. Baronius ad a. 205. §. 12.

(e) Euseb. l. 6. c. 11.

(f) Euseb. lib. 6. c. 4.

(g) Idem c. 5.

Privata vita Origenis.

10. Ab his laboribus (etsi innumeri essent) Origenes quietem aliam non captabat, quàm cùm nocte per breve intervallum in nuda humo somnum carperet, non dormiret: sopore

re protinus igitur discusso animum divinarum scripturarum commentationibus denuò impendebat (h). Inter hæc studia aliquando incautiùs in sententiam Christi est prolapsus, quâ Magister cœlestis docuerat: *Sunt quidem Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (i). Verborum sensum quoniam perperàm acceperat Origenes; Christi consilium allatâ sibi vi exequi cœpit; credebat enim hâc ratione occasionem obscœni rumoris ac calumniæ infidelibus adimendam: nec minùs fore, ut (cùm fœminis præcepta fidei traderet) hâc antithodo carnis stimuli abolerentur (k). Errorem ipse suum postquàm meliore de Christi verbis sensu correxisset; scilicet de Eunuchis iis agi, qui ex voluntate sua propter regnum cœlorum perpetuam servarent continentiam; facti pœnitens, id saltem providit, ut res ea plerosque familiarium lateret: verùm ille, quamvis maximè id vellet, tantum facinus occultare non poterat: itaque Demetrius, cùm, quid gestum esset, utpote Ecclesiæ Episcopus (*9) subinde comperisset; Juvenis audaciam vehementer admiratus est: & licèt legibus Civilibus, ac Ecclesiasticis contraîsse nôsset (*10); alacritatem tamen animi, & fidei sinceritatem in eo collaudans, bono animo esse jussit; útque tanto majore curâ instituendis Catechumenis vacare pergeret, cohortatus est (l).

(h) Euseb. c. 3.

Origenis castratio.

(i) Matth. 19.

(k) Euseb. c. 8. Hieronym. epist. 65. c. 3.

(l) Euseb. hist. l. 6. c. 8.

11. Eodem ferè tempore, quo tantum fidei lumen in Oriente per obscuritatem admissi facinoris defecerat, in Occidente magnus Ecclesiæ Defensor ad castra hostium hæreticorum transiit:

(*9) EUSEBIUS in Chronico Demetrium numerat undecimum à S. Marco Episcopum Alexandriæ: successit is Juliano, decimo anno Commodi a. 189., sedítque 43. annis, usque ad annum decimum Alexandri 231.: dicitur primùm tres Episcopos in Ægypto ordinâsse, ùt habet *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus; sed *Tillemont* in V. Origenis a. VII. facilè ex cœtibus Conciliorum probat, plures antè in Ægypto fuisse.

(*10) Mutilatio Origenis legibus civilibus prohibita erat per DOMITIANUM, ut videre est apud Dionem l. 67. & apud *Justinum* Apol. 2. Ecclesia hanc legum justitiam secuta, in *Concilio Nicæno* Canone I. statuit, ut ii, qui sibi ejusmodi vim inferrent, de gradu clericatûs dejicerentur: & *Athanasius* ad solitarios asserit, Leontium mutilationis ejusmodi reum meruisse, ut communione privetur; similia leguntur in Canone 23. Apostolorum. Ante Origenis factum Ecclesia equidem legem expressam de castratis non tulisse videtur; ex accusatione tamen Origenis patet, in hujus exsectionis damnationem tacito consensu Præsules omnes convenisse. Imò Origenes ipse facinus suum tanquam reprobum damnat, dum in Matth. 19. caput commentatus est: Demetrius itaque in hoc facto nil laudare potuit, nisi circumstantiam simplicis intentionis: vide *Tillemont.* in V. Origenis Articulo VI. *pag.* 136. & 137.

(m) Hieron. Vir. Ill. c. c. 53.

(n) Tertull. adv. Prax. c. 1.

Scripta Tertulliani.

(o) Tillem. in V. Tertull. Tom. 3. P. I. à p. 338. ad p. 357.

fiît; Tertullianus nimirum, qui ob insignem virtutem (m) Presbyterio initiatus (*11), Praxeæ hæresin contra mysterium SS. Trinitatis Carthagine detexit, authorémque ad ejurandum dogma coëgit (n); atque ut heterodoxos cæteros frangeret; omnium operum, quæ quidem Catholicus concinnavit, longè præstantissimum, sive librum (*12) præscriptionum adversus hæreticos edidit, in quo eosdem confundit authoritate Ecclesiæ, cujus principii veritatem, & necessitatem comprobari ait experientiâ omnium sæculorum: alia volumina velut totidem acutissima tela procudit contra Judæos, Gentiles, quorum crudelitatem, spectaculorum fœditatem, inanésque eorum ritus persequebatur (o): ab hostibus Ecclesiæ suam operam convertebat ad

(*11) TERTULLIANUS in Pr. c. 1. ostendit, quâ ratione hæresin *Praxea* (Carthagine) detexerit. erat is natione Phryx, primò Montani sectator, dein sibi soli delirans, Trinitatem Personarum divinarum negabat, sed omnes unam in Personam conjungebat, quo in errore, absurditas cum impietate certat; nam inde consequitur, quòd Pater sedeat ad dextram suam, séque ipsum genuerit: ex *Optati* Lib. I. & 5. Colligitur à Praxea baptismi formam corruptam fuisse, atque ideò à Zephyrino fuisse damnatum.

(*12) DU MESNIL lib. V. doctr. & discipl. n. 7. de libro præscriptionum ait: „ Hanc Tertulliani præscriptionem adversùs omnes hæreses necdum potuerunt rescindere sectarii, ac proinde Tertullianus ipse, qui vim illius optimè penetrârat; hunc librum in hæresi, vel schismate non scripsit, sed ante lapsum. Imprimis cùm in eo maximè commendet authoritatem Romanæ Ecclesiæ, quam posteà oppugnavit jam factus Montanista. „ Juvat ex eo libro Tertulliani pauca tantùm hic subjicere, c. 32. ità ait: ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quòd sit priùs traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum, ea sententia manebit adversùs posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterùm si quæ audent inserere se ætati Apostolicæ, ut videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem, & antecessorem: hoc enim modo Apostolicæ Ecclesiæ sensus suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum è Joanne collocatum refert: sicut ROMANORUM Clementem à Petro ordinatum itidem . . . ità omnes hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se, quíque putant Apostolicas. Sed adeò nec sunt, nec probare possunt, quod non sunt: nec recipiuntur in pacem, & communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis, scilicet ob diversitatem Sacramenti nullo modo Apostolicæ . . . . & c. 26. age jam, qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum . . . si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Ista quàm felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus, Joannis, (scilicet Baptistæ) exitu coronatur &c.

ad Christi gregem, in quo jam Confessores hortabatur ad martyria: jam coronas illis cœlestes præmonstrabat; inde ornatum fœminarum castigabat: in aliis operibus alias virtutes inculcabat. Hæc, tantáque cùm scripsisset, fecissétque, uno Ecclesiæ repudio omnem meritorum mercedem amisit.

A. Æ. C. 205.

12. Montanus, ex quo ambitiosiùs Episcopatum quæsiverat, superbiæ & simul dæmoni locum dedit, qui proinde tenebrarum & illusionum spiritus hunc hominem, duásque mulieres Priscillam & Maximillam insedit; ut ex aptissimis his instrumentis sua mendacia, utpote cœlestes prophetias, ac oracula orbi obtruderet. Inter cæteros, qui his deliriis subscripserant, Proclus erat, sectæ illius disertissimus: is suavi eloquio primùm in Tertulliani consuetudinem irrepit, dein altas illas imagines, ac visiones Montani, fœminarúmque ejus animo ingerit, per quos dicebat perfectiora fidelibus jam magìs confirmatis aperiri, quàm quæ per Apostolos antè revelata fuissent: hæsitabat ad hæc Tertullianus; & quoniam homini austeros, & singulares vitæ modos sectanti hæc non displicebant, à veteratore capitur. Inde Deo Viri maximi ambitionem castigante, defectio funesta secuta est; nam & Montanum Paracleti nomine prædicare, & Ecclesiam Catholicorum velut Psychicorum & animalium hominum contemnere occœpit; cujus porrò mutationis plura post breve intervallum indicia palàm facta sunt (p).

Tertulliani lapsus in hæresin.

(p) Tillem. in V. Tertull. artic. 7. & 8.

13. Severus Imperator ex Oriente Romam reversus, militibus ex tot devictarum urbium spoliis donativum designârat; ad hoc capiendum cùm laureati militum singuli; etiam ii, qui Christo nomen dabant, accederent; unus è Christianis opinione vanâ religionis deceptus, & laurum solennitatis ergò portare, & donarium admittere renuit. Quo facto exutus cingulo, & fustibus malè mulctatus in carcerem abripitur, simúlque in eos, qui Romæ degebant Christiani, æstum vexationis inflammavit: Ecclesia tota cùm imprudens militis facinus improbaret; Tertullianus unus integro libro (quem coronam militis inscripserat) rem tanquam benè & fortiter gestam ità defendere instituit (*13); ut simul Montanistarum more, clerum Romanum acerbè

Tertulliani liber de corona militis.

(*13) TERTULLIANUS de coroñ. milit. c. 1. jam hæresi Montani infectus clerum

bè perſtringeret, quòd in pace Leones, in prælio Cervi Martyria fugienda cenſerent: objurgandi modus acrior non tantùm Hieronymo (q) poſteà diſplicuit; ſed & univerſi fideles ad ſcriptiunculam exhorruerunt, propterea quòd Chriſto contrairet, qui ſuaſerat, ut de una civitate in aliam fideles inſtante hoſte profugerent (r).

(q) Hieron. de Script. Eccl.

(r) Math. c. 10.

14. Sub idem tempus Zephyrinus Papa conſtituit, ut Mœchi, quos Afrorum Præſulum nonnulli à pœnitentia arcebant, deinceps ad pœnitudinis myſterium admitterentur (s): Tertullianus Montani ſpiritu agitatus, alio volumine de pudicitia concinnato indulgentiæ huic Papæ infremuit: cúmque ſæpiùs corrumpi hoc modo libidinibus Eccleſiam inclamâſſet; hoc hæreſeos caput firmare conatus eſt, eſſe ſcilicet peccata quædam, de queis remittendis facultas penes Præſules minimè foret (*14). Ab his erroribus in cætera Montani deliria deflectens, ſecundas nuptias, ùt adulteria damnabat (t): Montani duplicem quadrageſimam præ quadrageſima Eccleſiæ (nam aliquam ejuſmodi præceptam tunc fidelibus agnoſcebat) obſervandam inculcabat (u).

(s) Cypr. Ep. 52.

Errores Tertulliani ex Montani ſecta.

(t) In Lib. de Monog.

(u) L. de jejun. c. 2. & 13.

15.

rum Romanæ Eccleſiæ ità perſtringit: *Exinde ſententiæ ſuper illo* (milite) *neſcio an Chriſtianorum, non enim aliæ Ethnicorum, ut de abrupto, & præcipiti & mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: ſolus ſcilicet fortis, inter tot fratres commilitones, ſolus Chriſtianus. Planè ſupereſt, ut etiam Martyria recuſare meditentur, qui Prophetias* (Montaniſticas intelligit) *ejuſdem Spiritus S. reſpuerunt: muſſitant denique, tam longam, & bonam pacem periclitari,* (nempe Romæ, ubi perſecutio ſæviebat) *nec dubito, quoſdam Scripturas pariter muſſitare, emigrare, ſarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem. Nullam enim Evangelii memoriam curant. Novi paſtores eorum, in pace leones, in prælio cervos &c.*

(*14) IDEM libr. de pudicitia c. 1. *Audio edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus* & EPISCOPUS EPISCOPORUM *edicit: Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum! Et ubi proponitur liberalitas iſta? ibidem opinor, in ipſis libidinum januis, ſub ipſis libidinum titulis. Illic ejuſmodi pœnitentia promulganda eſt, ubi delinquentia ipſa verſabitur. . . . Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronuntiatur, & Virgo eſt. Abſit, abſit, à Sponſa Chriſti tale præconium . . . non habet, quibus hoc repromittit . . , Hinc eſt, quòd neque idololatriæ, neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur.* Scripſerat TERTULLIANUS adhuc Catholicus contrarium in libro de pœnitentia: & DIONYSIUS Corinthiorum Epiſcopus contrariam quoque praxin in Eccleſiis viguiſſe pluribus teſtatur, nempe ubi pœnitentes à quovis lapſu reciperentur. Apud EUSEB. lib. 4. c. 23. demum Apoſtolorum Canon 44. habet: *Si quis Epiſcopus vel Presbyter eum, qui à peccatis convertitur, non recipit, ſed ejicit, deponatur; quoniam Chriſtum moleſtiâ afficit, dicentem: gaudium eſt in cælo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.*

15. Præter hæresin Montani in alios quoque errores non paucos incidit; nam docebat filios Dei (quos Angelos existimabat) cum filiabus hominum peccâsse (x), animas esse corporeas, & dimensionum capaces, diverso sexu discretas (y), traduce generatione propagari (z); has post mortem, sive bonorum sint, sive malorum in inferno detineri usque ad extremum judicii diem: à quibus tamen voluit animas Martyrum exceptas, quas in Paradiso collocabat (a).

Privati errores.

(x) Tertull. vel. c. 7.
(y) Idem de anima c. 9. & c. 36.
(z) Idem c. 27.
(a) Idem c. 55.

16. Quantum mœrorem ex casu tanti viri ceperat Ecclesia, tanto solatio recreata est ex fortitudine innumerabilium Martyrum, inter quos palmas præcipuas tulêre Cajus & Alexander sub Herminiano Apameæ Præside: Perpetua & Felicitas in Africa sub Proconsule Hilariano: Guddena Virgo sub Proconsule Carthaginiensi Rufino: Rutilius demum, cui etiam Tertullianus Sanctissimi Martyris elogium tribuit. Licèt enim is à Tyrannorum manu profugus, & si quando periculum instaret, vitam nummis etiam repræsentatis redemisset (*15); aliquando tamen, inopino eventu ad forum & ignem raptus eâ, quam ad tempus providè declinaverat, coronâ potitus est (b).

Martyres varii.

(b) Tertull. de fuga c. 5.

17. Prætereà orthodoxorum lætitiæ id accessit, quod eâdem tempestate, quâ Tertullianus à gremio Ecclesiæ se disjunxerat, alter quidam Natalis ab hæresi ad matris sinum multis cum lachrymis revolaret (c). Hunc Confessorem, & multa pro fide jam perpessum, primæ sedis & auri pollicitatione in hæreticorum partes pellexerat Asclepiodotus: verùm dum in erronea turba versatur; à Deo per somnum monitus, dein immissis Angelis diris verberibus cæsus, de reditu cogitat: manè itaque consurgens saccum induit, & cinere conspersus ad pedes Zephyrini

(c) Euseb. hist. l. 5. c. 28.

(*15) TERTULLIANUS l. de fuga c. 1. reprehendit in Catholicis, quòd non solùm privatim pecuniâ redemerint inquisitionem, & judicium Persecutorum; sed & ipsæ Ecclesiæ tributum quoddam ex eodem fine pependerint: verùm D. Petrus Alexandrinus T. I. Conc. in Synodo posteà sic statuit: *Iis, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest: damnum enim, & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsæ animæ detrimento afficerentur.* Horum porrò conditio adhuc longè aberat à Libellaticis, qui à Magistratibus emebant libellos securitatis, vel etiam tales libellos suo nomine consignatos Magistratibus dabant, ùt vult TILLEMONT *Tom. 3. not. 3. in Persec. Decii* eâ lege & conditione, ut in actis publicis scriberetur, eos sacrificâsse, & Christum negâsse, quamvis neutrum commisissent.

phyrini Pontificis se se abjicit, posteà omnium genibus advolutus interposito fletu, ostensísque vibicibus plagarum, quas olim pro fide pertulisset, id demum exorat, ut ovis perdita electo gregi accenseretur.

18. Intereà Tertullianus, quantumcunque scriptione oppugnaret Ecclesiam, non tamen semper ità calamum veneno implevit, ut non aliquando prodesset: nam libro toto, quem tunc contra Marcionem evulgavit (d), Dei unius essentiam, liberum hominis arbitrium, aliáque primævæ fidei mysteria solidè commonstrabat, & altero volumine contra Praxeam hæresiarcham edito, Triados arcanum ac Personarum divinarum veram distinctionem, eâ vocum notione probabat, ut Theologorum quisque vix accuratiùs de tanto mysterio loqui posset (e).

(d) Tillem. in V. Tertull. artic. 11.

(e) Tertull. lib. adversùs Prax. c. 2. 4. 7. 11. 13. & 30.

§. II. *Persecutionis continuatio, Tertulliani Apologia ad Scapulam, Alexander Primus Coadjutor Episcopi Hierosolymitani, Origenis studia, & Conciones; mors Zephyrini PP., Urbanus Pontifex, Origenis ordinatio, & depositio; mors Demetrii, ejúsque successor Heraclas.*

A. Æ. C. 211.

Persecutionis continuatio.

1. SEvero Eboraci in Britannia extincto, incendium, quod vivente hoc Tyranno per quindecim ferè annos Ecclesiam vastaverat, multò ardentiùs per Provincias flagrare cœpit: cùm enim Præsides in Successore Antonino sanguinis adeò cupidam barbariem notâssent; quæ nec fratri Germano pepercisset, eò connitendum existimabant, ut Christianorum cruore truculenti hominis ingenium exsatiarent (a). Ac Scapula quidem Proconsul Africæ cæteris asperiùs rem suam egit, Montani sectâ sævitiem ultrò provocante. Christianis fervente calamitate propositum erat, in abditis recessibus conventus cogere: at Montanistis hæc perfugia mollioris, & minùs Christiani animi indicia visa sunt: cœtus itaque publicos dum temerè satis, ac frequenter celebrant; Ethnicorum odia acuunt, ínque se ac reliquos orthodoxos tempestatem imprudenter concitant. Tertullianus, ut invalescentem vim sisteret, Scapulæ Apologiam pro Christianorum præsidio objecit; quâ commonefecit virum earum ærumnarum, queis Deus toties Africæ gravis fuisset, quoties in Christiano

(a) Tertull. ad Scap. c. 4.

Tertulliani Apologia ad Scapulam Proconsulem Africæ.

ſtianorum jugulos ſæviiſſet: dein fata Præſidum eorum ſubjungebat, quibus in Eccleſiam graſſari haud tuliſſent impunè (*1). Contempſit Scapula oggeſtas Tertulliani novi Philoſophi minas, nam horum more non ſinè ludibrio gentilium pallium induerat: Verùm quòd à viro hæretico Deus effectum nolebat, id monſtrum hominis, Antoninus ipſe Cæſar ſanctione publicâ executus eſt. Surrexerat hìc è ſede, jámque ad curiæ fores adſtabat: *Audite*, inquit, *rem maximam, ut totus orbis terrarum gaudeat: omnes exules rei facti cujuscunque ſceleris, quomodocunque damnati ſint, reſtituantur* (b), quo edicto cùm Chriſtiani quoque comprehenderentur, pax tandem Eccleſiæ conceſſa eſt, quæ longo ſatìs tempore inviolata ſtetit.

Perſecutionis finis.

(b) Dio lib. 77.

2. Publicâ vi per edictum Cæſaris compreſsâ, id reliquum erat, ut & convitia Hæreticorum ac Gentilium ab Eccleſia propellerentur: quare à magnis viris ore, & calamo illico pugnatum eſt, quò calumniandi licentia conquieſceret: Cajus Presbyter Romanus certamen primus iniit cum Proculo Montani ſectatore, in eo maximè triumphans, quòd hæreſiarchæ ſive in Vaticano, ſive in Oſtienſi via Apoſtolorum trophæa oſtenderet, qui Eccleſiam Romanam fundâſſent (*2): Minutius Felix Romæ inſignis Cauſidicus dialogo ſcripto religionem Chriſtianam à paganorum calumniis egregiè vindicabat (c). Redditam priſtino nitori Romanam Eccleſiam inviſit Origenes, útque *antiquiſſimam matrem* coràm viderat; velut votorum ſuorum ſummâ potitus, Alexandriam rediit (d).

Cajus Presbyter & Minutius Felix Scriptores Eccl.

(c) Lactant. lib. 5. c. 1.

(d) Euſeb. hiſt. l. 6. c. 14.

3. Dum hæc Romæ agebantur, Narciſſus quoque Hieroſolymorum Præſul è ſolitudine, ad culturam ſuæ Eccleſiæ revertitur: abiêrat inde ante decem annos; ſive quòd immodi-

(*1) TERTULLIANUS ad Scapulam. c. 3.: *Poſſumus æquè & exitus quorundam Præſidum tibi proponere, qui in fine vitæ recordati ſunt deliquiſſe, quòd vexâſſent Chriſtianos. Ugbellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amiſit. Claudius Hermianus in Cappadocia vermibus ebulliens, peſte conſumptus eſt.... Cæcilius Capella in illo exitu Byſantino, Chriſtiani gaudete, exclamavit. Sed & qui videntur ſibi impunè tuliſſe, venient in diem Divini Judicii. &c.*

(*2) EUSEBIUS hiſt. lib. 3. c. 24. verba Caji refert: *Ego*, inquit, *Apoſtolorum Trophæa perſpicuè poſſum oſtendere... Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre; Trophæa eorum*, (Petri & Pauli) *qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabiliverunt, invenias.* PHOTIUS in Biblioth. Cod. 46. notat, hunc Cajum Regionarium, ſive Gentium Epiſcopum fuiſſe.

eo vitæ Asceticæ (quam Philosophiam tunc vocabant) studio traheretur, sive ob gravissimam calumniam integritati ejus impactam (e); quâ vir prodigiis etiam insignis ità dejiciebatur, ut in luce versari detrectaret. Calumniatoribus posteà à Deo palàm punitis Episcopium repetiit. Verùm cùm ob extremam senectutem (nam sexdecim supra centum annorum erat) officio fungi minùs posset; ex altiore numinis consilio accidit, ut sub idem tempus Alexander in Cappadocia Episcopus, religionis causâ Hierosolymam moveret. Hunc itaque fratres illius Ecclesiæ precibus adigunt, ut, quoad viveret Narcissus, cum eodem Sacerdotii supremi partes susciperet. Neque instituto ejusmodi à vicinarum urbium Episcopis contradictum est (*3). Non minore solatio Antiochena Ecclesia eâdem ætate novum Præsulem accepit Asclepiadem, qui hac sede tantò dignior existimabatur, quantò majora fortitudinis exempla inter Persecutorum cruciatus & vincula Confessor dederat.

(e) Idem c. 9. & 10.

Narcisso Hierosolymorum Episcopo primus Coadjutor datus.

Asclepiades Episc. Antiochen.

4. Alexandrinæ Ecclesiæ gregem intereà Origenes instructionibus Catecheticis excoluit; sed quoniam affluentium numerus quotidiè augebatur, multitudinem Auditorum eâ lege is discernendam sumpsit, ut Heraclæ rerum divinarum perito Tyrones, sibi autem confirmatos magìs fidei candidatos deligeret (f). Plus itaque temporis nactus Origenes, magìs scripturarum commentationibus se impendit: Cujusmodi fortioribus armis subinde instructus primùm Ambrosii famosi & nobilis viri animum expugnavit, ut ejuratâ Valentini hæresi ad castra Catholicorum transgrederetur (g). Hujus victoriæ fama quotidiè

Origenis varia scientiarum studia.

(f) Euseb. lib. 6. c. 15.

(g) Idem c. 18.

(*3) RUINARTUS in Actis Martyrum p. 134. in ea ordinatione Alexandri ait, duo adversùs regulas Ecclesiasticas commissa fuisse: primùm, quòd Alexander ex una sede ad alteram fuerit translatus; secundùm verò, quòd Episcopo adhuc in vivis agenti substitutus, aut saltem adjunctus fuerit: cujus facti nullum exemplum in Ecclesia tunc temporis præcesserat: ad quod proinde Episcoporum COADJUTORUM, qui jam nunc frequentiores sunt, origo refertur. *Valesius* equidem conatur probare, eum Alexandrum potiùs Narcissi Successorem, quàm Coadjutorem extitisse; at Veteres teste Ruinarto omnes fatentur, Alexandrum Narcisso in Episcopatu fuisse adjunctum. Excusabat autem hoc factum Ecclesiæ necessitas, & hinc *Thomassinus* de vet. & nov. discipl. Eccl. p. 2. l. 2. c. 55. n. 10., ubi post expositam Alexandri electionis historiam hæc addit: *Eodem afflati Spiritu charitatis sancti Episcopi Provinciæ, duplici subscripsêre dispensationi, ut & Alexandrum prioris Ecclesiæ nexu solverent, & Coadjutorem illum Narcisso ac Coepiscopum darent. Eò invitabat utilitas, eò necessitas adigebat. Erat enim Narcissus centum annos natus, & Alexandri non paulò eminentius erat fastigium, quàm sedis Hierosolymitanæ. Ità compensata est dispensatio duplex à Concilio Provinciali &c.*

tidie plures attraxit homines literis benè imbutos; ſive ut cum Origene docto prælio confligerent; ſive ut varias ſcientias ſub tanto Magiſtro profiterentur. Nihil enim in Geometria, Arithmetica, aliíſque Philoſophicis ſtudiis adeò ſublime, aut reconditum, cujus arcana Origenes non ſcrutaretur (*4); ſummi proinde Philóſophi loco etiam à Gentilibus, & ab ipſo etiam hoſte acerrimo Porphyrio habitus e, qui licet in Doctorem ſapientiſſimum, & ſibi adoleſcenti, ut ait, olim cognitum, dentem ſæpè acuat; nunquam tamen potuit, quin cum laude tanti viri convitiaretur.

5. Quo tempore Caracalla Imperator crudeliſſimâ lanienâ Alexandriæ cives afflixit, Origenes è tempeſtatis medio elapſus Cæſaream Palæſtinæ profugit: rogatus illinc à Regionum vicinarum Præſulibus, in Eccleſia palàm verba de ſacris ſcripturis fecit (h): probantibus factum Alexandro Hieroſolymorum, & Theocliſto Cæſareæ Epiſcopis, unus Demetrius Alexandrinus reprehendit; laicum hominem pro concione dixiſſe præſente Epiſcoporum coronâ: id licèt Demetrio minùs inſolitum eſſe ab aliis exemplis (*5) oſtenderetur; privatis tamen ille ſuſpicionibus irritatus Origenem Cæſareâ ad ſuam urbem, munúſque ſubitò revocavit: timebat quippe, ne ſi exteris in parœciis diu relinqueretur; Epiſcopi

A. Æ. C. 216.

(h) Euſeb. l. 6. c. 19.

Origenes adhuc Laicus concionari probibetur à Demetrio.

(*4) EUSEBIUS Apologiam refert Origenis lib. 6. c. 19. quâ ſe defendit contra eos, qui ejus nimium Philoſophiæ ſtudium arguebant: *Quoniam ad me*, ait, *verbo Dei addictum, & conſecratum, famâ de illa mea, quam jam in bonis literis adeptus fuiſſem, maturitate per multorum ora volitante, permulti tum hæretici, tum qui artium liberalium, ac Gentilium diſciplinarum eruditione, & eximiâ Philoſophiæ notitiâ maximè præſtabant, frequentes acceſſerunt: placuit & dogmata hæreticorum, & Philoſophorum inſtituta, quæ de veritate diſſerere profitentur, diligenter perveſtigare. Hoc autem fecimus, non ſolùm Pantænum imitati, qui multis annis ante nos multum planè attulit adjumenti, quod illo ſtudiorum genere exquiſitè inſtructus eſſet: verùm etiam Heraclam jam Alexandriæ Presbyterii gradum adeptum: quem apud diſciplinæ Philoſophicæ Magiſtrum & Doctorem, cùm jam quinquennio antè, quàm ego ad eam ſtudiorum rationem audiendam me conferre cœperam, illi Viro enixè operam dediſſet, reperi.* Euſebius addit porrò, Origenem Pallium tunc geſtâſſe Philoſophorum more.

(*5) Euſebius l. 6. c. 19. adducit literas ad Demetrium, quibus Alexander Hieroſolymorum, & Theoctiſtus Cæſarienſis Epiſcopi defendunt Origenem: *Quod verò in literis tuis adjeciſti, nunquam anteà viſum, nec adhuc factum fuiſſe, ut præſentibus Epiſcopis laici concionarentur, in eo neſcio, quomodo à veritate longiſſimè aberrâſti: nam ſicubi reperiuntur, qui fratribus prodeſſe poſſint, eos ſancti Epiſcopi ultrò adhortantur, ut ad populum conciones habeant. Sic Evelpis Phrygiæ rogatus eſt à Neone: Paulinus Iconii à Celſo: Theodotus apud Synnada Phrygiæ rogatus ab Attico, fratribus noſtris beatiſſimis, idque etiam alibi fieri credibile eſt, quamvis nos ignoremus.*

ſcopi hujus doctrinâ rapti, eundem ſuæ Eccleſiæ honorem, ac theſaurum ſibi præriperent. Origenes non omnino inanis Alexandriam reverſus eſt; Jerichunte enim quintam Bibliorum verſionem ab Anonymo factam ſecum aſportabat, quam poſteà ſuis Hexaplis eſſet illaturus (i).

(i) Tillem. in V. Origen. Tom. 3. P. I. pag. 163.

A. Æ. C. 217.

Mors Zephyrini Pontificis.

6. Anno C. Æ. CCXVII. die decimâ Julii è vivis exceſſit Pontifex Zephyrinus: intervallo novendecim annorum, menſiúmque undecim, quo Eccleſiæ præfuit, Proclum, Tertullianum, qui ad omne delictum Eccleſiæ fores obſerabant (k), aliósque pſeudoprophetiæ defenſores anathemate perculit; unde paradoxum videri debet, quòd quorundam acerba cura fuerit, hunc Montaniſtarum hoſtem vel inter medios ejusmodi hæreticos projicere, aut ſaltem eorum amicitiæ conciliare (*6). Poſt eum ſedi Romanæ impoſitus eſt S. CALLISTUS Romanus, is ab Alexandro Imperatore aream in foro patenti impetravit: & quamvis eam Popinarii ſibi omni ſtudio vendicarent (l); Cæſar tamen Pontifici adjudicavit locum, in quo hodiè Baſilica B. V. trans Tiberim conſpicitur: nomen hujus Papæ magìs ſubinde celebratum eſt à Cœmeterio Calliſti, quod ab illo conſtructum vel ſaltem inſtauratum in Martyrum faſtis tantâ cum laude ſignatur; eoquòd centum ſeptuaginta quatuor millium Martyrum & ſex ſupra quadraginta Pontificum exuviis nobilitatum poſteà fuerit (†).

(k) Hieron. Ep. 54.

Calliſtus Pontifex.

(l) Pagius in Brev.

(†) Reflexi II.

7. Sedente eodem Pontifice Scriptorum complures floruêre, Beryllus nimirum Boſtrenorum Epiſcopus, Julius Africanus, Hippolytus (m), inter quos Origenes ſuis in ſcripturam commentationibus illuſtriùs eminuit: Ambroſius quippe virum plurimæ lectionis,

(m) Hieron. de Script. Eccl.

(*6) PAGIUS in Breviario PP. T. I. pag. 35. negat Zephyrinum Montani hæreſin propugnaſſe, aut ei faviſſe; "nam quem adulteris Epiſcopi illi Africani clauſerunt, pœnitentiæ locum aperuit Romæ Zephyrinus: qua de re eum redarguit TERTULLIANUS *in libro de pudicitia*, quòd excluſis & in perpetuum rejectis idololatris, & homicidis, ſolum adulterii crimen ad veniam exceperit.„ Latiùs hæc deducit NATALIS ALEXANDER in ſæc. III. Diſſert. I., adhæc Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccl. Rit. c. 6. a. 2. n. 3. ait: communem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam fuiſſe, penes ipſam reſidere poteſtatem, omnia omninò peccatorum genera verè pœnitentibus dimittendi, generalémque omnium Eccleſiarum praxin ità paſſim obtinuiſſe, quæ tamen non ſuſtulit exceptiones quasdam, nec impedivit, quò minùs Epiſcopi quidam Africani, Romanáque Eccleſia, atque adeò Zephyrinus ipſe, gravioribus ſceleribus, diſciplinæ ſeverioris causâ, ad peccatores intrà Chriſtianæ legis limites continendos veniam denegarent, quam tamen ſe omnibus concedere poſſe, nunquam dubitârunt.

ctionis, vaſtíſque ſtudiis intentum hortatu perpetuo, tum etiam ſuppeditato ſumptu eò adegerat (n); ut tot opes mente altâ collectas poſteris tranſcriberet: adductus precibus Origenes ſeptem Notarios, qui ſibi per vices ſuccedebant, continuò dictavit, eâ ſermonis cunctos per libros VI, ut *Adamantii* nomen inde conſequeretur (o), qui rationes ità colligare nôſſet, ut adamantinum nexum repræſentarent. Calliſtum tot lætos labores pro Eccleſia inſpectantem Gentilium odium trucidavit anno C. Æ. CCXXII., poſtquàm Eccleſiam gubernâſſet annis quinque, duobúsque menſibus.

Origenis Commentationes.

(n) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 6. c. 23.

(o) Hieron. Epi. ad Magnum.

A. Æ. C. 222.

8. Romanam in ſedem tunc natione Romanus denuò ſuffectus eſt, URBANUS nimirum: hujus dum intererat ſupellectilem augere ſacram, cuſtodire bona Eccleſiaſtica, quæ *fidelium vota, pretia peccatorum, & Pauperum Patrimonia* appellabat (*7); Origenes multò pretioſiores gemmas adjecit Eccleſiæ tum ſuis elucubrationibus, tum animarum converſione: Cùm enim audiret Achajæ Eccleſias pluribus hæreſibus vexari, literis formatis & teſtimonio Demetrii munitus Athenas abit: ſed dum per Palæſtinam facit iter, Epiſcopi virum tantum ſublimiore Sacerdotii gradu initiandum cenſent: urgebat propoſitum illud Alexander Præſul Hieroſolymitanus; & quoniam hic Epiſcopus authoritate, & vitæ Sanctimoniâ cæteros antecelluit, facilè Theoctiſto Cæſareæ Antiſtiti perſuaſum eſt, ut Origeni eodem tempore, quo is in iſta urbe morabatur, manus imponeret (p): Presbyterio inſignitus in Achajam properat, compoſitíſque rebus, quarum causâ profectus fuerat, Alexandriam revertitur.

Urbanus Pontifex.

A. Æ. C. 227.

Origenes initiatur Sacerdotio.

A. Æ. C. 228.

(p) Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 56. Hieron. V. ill. c. 54.

9. Antequàm Origenes iter relegiſſet; ad Demetrii Alexandrini Epiſcopi aures jam pervaſerat, quid in Palæſtina, quídve Cæſareæ ſe inſcio actum eſſet: indignatus proinde tum Origeni, quòd ab externis Epiſcopis Sacerdotium accepiſſet, tum Theoctiſto, & Alexandro rei hujus adjutoribus; acerbam ad Præſules dirigit epiſtolam (q), quâ facinus eorum ex eo potiſſimùm capite

(q) Baron. ad a. 230. Tillemont in V. Orig.

(*7) Pagius in Brev. T. I. p. 38. n. 3. ait: "Urbanum feciſſe omnia Miniſteria ſacrata argentea, & patenas argenteas 25. apposuiſſe; narrat libri Pontificalis Auctor: hinc tamen non inferendum, ut quidam perperàm faciunt, tunc primùm ex argento cuſos calices fuiſſe. Nam liber Pontificalis refert, quid Urbanus fecerit, quid verò ab aliis ante ipſum factum ſit. & quibus vaſis uſi ſint, non dicit; ità rectè Cardinalis Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 25. n. 2.

Accusatur Origenes à Demetrio. capite accusat, eoquòd homini extero, & mutilo contra Ecclesiæ morem manus imposuissent (*8): Alexander querelas, irámque Demetrii restincturus placidè reposuit, Origenem juxta insigne testimonium Ecclesiasticarum literarum, quas secum ab illo tanquam Præside attulisset, Presbyterum creatum fuisse: Demetrius his adeò non acquievit, ut in reducem Origenem multò graviùs invectus, Episcoporum insuper, & presbyterorum cœtum cogeret, qui de homine statuerent (r). Accusationis duplex caput erat, primò quòd ordinationem temerè & sine potestate proprii Episcopi factâ in aliena Diœcesi suscepisset, ac ne Synodi Patres judicium mitius ferrent de viro, qui à tot libris in Ecclesiæ bonum conscriptis celebraretur, hos ipsos quoque Origenis Commentarios Demetrius perstringit velut errorum complurium fontes: cùm enim Philosophiæ Platonicæ plus æquo indulgens, hujus porrò placitis religionis mysteria sæpè accomodâsset; in erroneas non semel vias deflexisse notatus est (s). Expensis accusationum momentis Synodo placuit, Origenem equidem urbe, docendíque munere, at non sacerdotii dignitate submovere.

(r) Hieron. Apol. 1. advers. Rufin.

(s) Concil. Tom. 5. p. 660.

10. Exulem, & Ecclesiâ Alexandrinâ expulsum Origenem Theoctistus & Alexander ad suas Ecclesias, amplúmque docendi munus recepêre: id quoniam novæ injuriæ loco Demetrius habuit, unà cum aliquot Ægypti Episcopis illum quoque Sacerdotio abjudicat, cui sententiæ post alios Orbis Episcopos Romanus Pontifex subscripsit (t): erat is S. PONTIANUS, qui Martyri Urbano A. C. Æ. CCXXX. successerat, post breve sedis

Damnatio & depositio Origenis.

A. Æ. C. 230.

(t) Hieron. in Rufin. lib. 2. c. 5.

(*8) NATALIS ALEXANDER in sæc. III. Dissert. XV. negat evirationem Origenis fuisse Canonicum illius ordinationis impedimentum, tum quia Theoctistus Cæsareæ, & Alexander Hierosolymorum sanctissimi Episcopi aliàs in ordinationem Origenis non fuissent consensuri, tum quia Canones Apostolici needum extabant, quorum 22. ità habet: *Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia suus homicida est, & Dei conditionis inimicus*: BARONIUS contrà ait, tempore Origenis fuisse canonicum impedimentum, adducitque ex S. *Athanasio* exemplum Leontii Ariani Episcopi, de quo in *Epistola ad solitarios* ità scribit: *Inter eos ille Leontius, ille Castratus, quem nec sub laici quidem specie ad communionem admitti oportuit, eoquòd se ipsum abscidit.* Præterea licèt non constet, quando editi fuerint Canones Apostolici; tamen plures in eo conveniunt, eos fuisse decreta Synodorum in primis Sæculis habitarum: demum consuetudinem & morem hunc per modum legis ab Ecclesiis tunc jam receptum indicat Eusebius, qui Demetrii accusationem ex eo potissimùm adstruit, quòd Origenes se eviràsset, ut habet TILLEMONT. in V. Origenis.

dis ſuæ tempus ob impactam calumniam unà cum Hippolyto in Buccinam inſulam relegatus.

11. Adversùs hoc Præſulum judicium acrem primò Apologiam ſcripſit Origenes: dein per favorem Sacerdotum Palæſtinæ, Arabiæ, Phœnices atque Achajæ confirmatus (u), ſpreto anathemate & docere, & pro concione dicere inſtituit: Augebatur ſubinde animus errantis, quòd eodem tempore Mammæa Auguſta eundem Antiochiam evocaret, ut ſcientiam rerum divinarum, quam omnes in Origene admirabantur, aliquantò propiùs cognoſceret (x): Firmilianus Cæſareæ apud Cappadoces Epiſcopus Magiſtri tanti conſuetudinem ultrò quærebat (y). At hæc paucorum amicorum ſtudia necdum omnem à pectore Origenis aculeum exemerant: ex pietate igitur ſolatium captaturus, Hieroſolymam proficiſcitur; ibidem à Presbyteris ad verba facienda rogatus, media in Eccleſia aſſurgit, mox in locum pſalmi quadrageſimi noni incidit: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* ad quem verſum attonitus, complicato libro, inter fletus concionem abrumpit, collachrymante populo, qui aderat, univerſo.

Apologia Origenis.

(u) Ruffin. pro Orig.

(x) Pagius in Critic. ad a. 231.

(y) Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 26. & 27.

12. Intereà Demetrius Alexandriæ Epiſcopus è vivis exceſſerat anno CCXXXII.: cujus latum contra Origenem judicium, etſi cuncti laudent; id tamen in Præſule Chriſtiano multi reprehendunt, quòd mutilationem Origenis multò antè cognitam, & non adeò à ſe olim improbatam in orbem totum iracundiùs evulgârit. Heraclas ſolitâ Patriarchis Alexandrinis ſolennitate Demetrio ſurrogatus eſt (*9); qui veſtigiis prædeceſſoris inſiſtens, Origenem Magiſtrum ſuum pari anathemate proſcripſit. Hæc utùt Doctoris famam in Oriente minuerent; Cæſaream tamen (ubi vivebat) continuò novi diſcipuli advolabant: inter quos præcipui fuêre Theodorus (qui & Gregorius Thaumaturgus dictus eſt) & frater ejus Athenodorus (z): natus uterque erat Neo-

Mors Demetrii, cui ſuccedit Heraclas.

(z) Gregor. Nyſſen. in V. Thaumat.

(*9) LIBERATUS in Breviario *Conſuetudo eſt*, inquit, *Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manúmque dextram ejus capiti ſuo imponere, & à ſepulti collo manibus ſuis accipere beati Marci pallium, & tunc legitimè ſedere.* Ubi tamen de ordinatione non agitur, ſed de ceremonia alia quadam ſolemni.

Neocæſareæ in Ponto Patre Gentili, quo mortuo primùm eloquentiæ dant operam: dein Berytum pergunt ad diſcendas Juris Romani leges; ſed dum Cæſaream tranſeunt, mutato conſilio, Origenis ſcholam Beryto antehabent. Capacior Juvenum indoles viſa eſt Magiſtro, quàm ut humilioribus ſcientiis excoleretur: itaque iis Philoſophiam eum in modum ſuaſit, ut ſimul dogmata fidei in animos demittens, operibus magìs, factíſque, quàm verbis virtutum, cœleſtiúmque meditationum uſum inculcaret. Quinquennium ubi Juvenes in ſacris his diſciplinis poſuiſſent; Gregorius recitatâ palàm Origeni oratione Eucharisticâ, cum fratre in Patriam revertitur.

(a) Gregor. Thavmat. in orat. paneg. Origen.

Gregorius Thavmaturgus, ejúsque frater diſcipuli Origenis.

§. III. *Perſecutio Maximini, S. Fabianus Pontifex, Hexapla Origenis, Secta Tertulliani, hujúsque mors, Gregorius Thaumaturgus Neocæſareæ Epiſcopus, ejus ſymbolum, & miracula, Alexander Carbonarius Epiſcopus Comanæ, S. Cypriani initia, Perſecutio popularis ſub Philippo Cæſare.*

A. Æ. C. 234.

Perſecutio

I. MAximinus, qui occiſi Alexandri ſanguine ſibi paraverat Imperium, cruentâ crudelitate id porrò ſtabilire inſtituit: editâ primùm optimatûm Gentilium promiſcuâ cæde, Chriſtianis bellum indixit, cujus potiſſimùm duæ cauſæ fuêre: noverat Barbarus Alexandrum hoſtem ſuum huic genti amicos favores exhibuiſſe: itaque odium, quod in omnes mortui Cæſaris propinquos geſſerat, in Chriſti etiam Cultores propagavit. Præterea calamitatum eo tempore Provincias affligentium ratio in ſolos Chriſtianos conjiciebatur: Cappadociæ, & Ponti urbes vel concuſſæ, aut in profundos hiatus delapſæ totidem ſtimuli erant, quibus Maximini furor in Deorum contemptores incitabatur. Ac primò diruere cœpit orthodoxorum Eccleſias (†), dein ipſos Chriſtianos aggreſſus eſt. Neque tamen inde Tyrannus omnium vitam, capútque petebat, ſed illorum duntaxat, qui paſtores, quíque ſacris ordinibus adſcripti forent. Itaque hâc in communi Sacerdotum cæde primus occubuit S. Pontianus Pontifex virgis uſque ad necem cæſus (b). Sederat is annos quinque & menſes tres; ſucceſſorémque habuit S. ANTERUM natione Græcum: ſeſqui menſe, quo moderatus eſt Eccle-

(a) Euſeb. l. 6. c. 28.

(†) REFLEXIO III.

A. Æ. C. 235.

(b) Bolland. Tom. I. April p. 25.

Ecclesiam, gesta Martyrum à Notariis conscripta sollicitè collegit (c), in quas tabulas illius etiam nomen relatum est, dum brevi tempore suæ sedis expleto victima cecidit. Raptis duobus hujusmodi Pastoribus Deo novum, & calamitosæ ætati idoneum Præsulem designare placuit: octo dierum spatium effluxerat, quo Presbyteri de eligendo Ecclesiæ capite agitabant consilia: & quoniam populo electioni interesse fas erat; Fabianus ex agro Romam veniens, consultantibus se quoque adjungit: dúmque de alio omnino præficiendo cum cæteris agit (d); columba repentè è sublimi advolans, in Fabiani caput descendit, quod ubi Portenti loco, & velut symbolum Spiritûs S. acceptum esset, omnes unâ voce conclamârunt dignum esse, comprehensúmque supremæ cathedræ imposuêre.

(c) Baron. ad a. 238. §. 2

A. Æ. C. 236.

(d) Euseb. l. 6. c. 29.

Fabiani Pontificis electio.

2. Tyrannis postquàm fastigium sacerdotale afflixerat; in cæteros inferioris gradûs Clericos grassata est: sed quoniam Clericorum habitus à laicorum conditione non differebat; ii solùm trahebantur ad supplicium, qui ex zelo, aut gesto apertiùs officio suo dignoscebantur (†). Inter hós fuerat ille Ambrosius, quem Origenes à Valentini secta ad meliora dogmata traductum inter discipulos atque amicissimos numerabat: hic Diaconorum ordini adlectus Cæsareæ in Palæstina cum Protecteto Presbytero capitur (e), atque inde in exilium ad partes Rheno vicinas (ubi Maximinus tunc agebat) transportatus, à bonis plurimis, liberis, uxore divellitur. Ne tot jacturæ virum emollirent, Origenes ei librum de Martyrio inscripsit; tantúmque effecit, ut spretis omnibus terrenis pro cœlo animam poneret (f). Post discipulum in Magistrum Origenem procella detonuisset; nisi is in Cappadociam profugus Cæsareæ apud Julianam Virginem per biennium latuisset (g): hoc igitur tempore sacrarum commentationum studio animum altiùs intendendi opportunam occasionem nactus est. Julianæ Symmachus scripturæ interpres ingentem Bibliothecam tabulis ultimis transcripserat; quæ librorum supellex Origeni ad hoc expedire visa est, ut Hexaplorum opus, cujus formam antè conceperat, absolveret. Alexandriæ hanc in rem multo labore in Hebraicæ linguæ posuerat operam; magnóque sumptu investigârat editiones scripturæ, quarum nonnullas

(†) REFLEXIO IV.

(e) Origen. de Martyrio. Hieron. V. Ill. c. 56.

(f) Euseb. l. 6. c. 28.

(g) Pallad. Lausan. c. 51.

Origenis Hexapla, Tetrapla & Octapla.

nullas præter Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis ſive Nicopoli, ſive Jerichunte, aut alibi inventas accepit. Inſtrumentis hujusmodi comparatis, pauciores verſiones, dein plures cum textu Hebræo compoſuit in totidem columnas; ex quarum numero poſteà Tetraplorum, Hexaplorum, aut Octoplorum nomen iis impoſitum eſt (h): utiliſſimum id opus à Patribus judicabatur, tum quòd ſeptuaginta interpretum verſioni mediæ, cæteras à latere ità oppoſuiſſet; ut quid à veritatis amuſſi propiùs longiúsque abeſſet, uno obtutu conſpiceretur. Præterea interpretationes collectas per certa cola ac membra primus diſtinxit. Demum cùm varia ſeptuaginta interpretum exempla ſeu librariorum negligentiâ, aut quorundam temerariâ manu corrupta exiſterent; hoc quoque laboris Origenes adjecit, ut Autographi fides ex melioribus emendata reſtitueretur: atque ut legenti facilè occurreret, ſi quid uſpiam Hebraico textui à ſeptuaginta interpretibus adjectum, aut detractum foret; (nam ii voces aliquas, quæ bis in eodem ſenſu repetebantur, neglexêre, aut adjectione vocum pleniorem ſubinde reddiderunt ſenſum) hæc ipſa loca Aſteriſcis, aut obelis ſignata voluit (*1).

(h) Epiph. de pond. & menſ. n. 19. Euſeb. l. 6. c. 16. & 32.

Tertulliani Secta.

3. Eâdem tempeſtate Tertullianus Carthaginem profectus, Cataphrygum turbâ (i) relictâ ſectam à ſuo nomine compellatam inſtituit, cui illud poſtremùm (teſte Auguſtino) venditabat, malorum animas poſt mortem in dæmones converti: hoc itaque argumento eſt, illos non parùm decipi, qui Tertullianum (k) ad ſinum Eccleſiæ reverſum, arbitrantur. Quamvis enim multa pro bono Eccleſiæ ſcripſerit (*2); ſecundas tamen nuptias

(i) Præd. c. c. 86. Auguſt. n. 86.

(k) Tillem. in V. Tertull. p. 392.

(*1) S. HIERONYMUS Ep. 82. ad Auguſtinum ſcripſit: *Vis amator eſſe verus ſeptuaginta Interpretum? non leges ea, quæ ſub Aſteriſcis ſunt; imò rade de voluminibus.* Re ipsâ cùm frequenter exſcriberentur Hexapla in Eccleſiarum uſum; Aſteriſcorum & Obelorum adnotationes neglexêre librarii; inde autem ingens incidit rerum perturbatio, confuſis & permiſtis Theodotionis additamentis, quæ inſeruerat Origenes; quapropter eam reſtituere conati ſunt Euſebius, & Pamphilus ex ipſo Autographo, quod erat in Cæſarienſi Bibliotheca; reſtitutum verò, & ſeorſum magna cum diligentia deſcriptum publicârunt: eáque editio Palæſtina dicta eſt; ſummóque plauſu fuit excepta in Orientis Eccleſiis. Vide *Du Meſnil* Tom. I. p. 288.

(*2) Libri, quos *Tertullianus adhuc Catholicus* ſcripſit, ſunt liber de baptiſmo, item liber de pœnitentia, liber de oratione, libri duo ad uxorem, liber præſcriptionum adversùs hæreſes, Apologia ad Præſides Africæ, exhortatio ad Martyres, Scorpiacon, ſive libellus de bono Martyrii, alius de ſpectaculis, unus de idololatria. *Tertullianus Mon-*

nuptias damnare, aliósque errores altiùs retinere perrexit ad mortem uſque, quam ex multorum calculo oppetiit circa annum 245., ſenio non minùs, quàm erroribus gravis (l). (l) Hieron. V. Ill. c. 93.

4. Quo anno Philippi Ambitio Imperii faſces ex trucidati Gordiani manibus eripuit, eodem demiſſio ingens Gregorii Thavmaturgi Epiſcopales honores mirifico certamine detrectavit. Viri tum inviolata integritas prodigio etiam comprobata (*3), tum inſignis ſapientia Phædimo Amaſeenſis Eccleſiæ Præſuli totidem cauſæ fuêre, ob quas Gregorium ſummo Sacerdotio deſtinârat: Gregorius de Phœdimi conſilio edoctus, in ſolitudinem ſe conjecit, ut manus Epiſcopi, honorémque declinaret: “ At (m) Phædimus, etſi tridui ſpatio abeſſet à Gregorio, „ ad Deum ſuſpiciens, precatus eſt; ut ipſe, & ille pariter ab „ eo reſpiceretur: loco manûs impoſitionis Gregorio adhibet „ ſermonem, Deo conſecrans eum, qui corpore coràm non adeſſet, Cæſareámque civitatem ei deſtinans, quæ ad hæc usque „ tempora ſic ſimulachrorum errorì dedita fuerat, ut cùm infiniti eſſent tum urbis, tum circumjacentis regionis incolæ; non „ plures, quàm ſeptendecim invenirentur, qui ſermonem fidei „ recepiſſent. Sic igitur jugum ſubire coactus eſt, ſcilicet ex „ obedientia, omnibus poſt hæc, quæ fieri ſolent, ſolemnibus in „ eo peractis „ (*4).

Mors Tertulliani.

A. Æ. C. 244.

Gregorius Thavmaturgus ordinatur Epiſcopus.

(m) Gregor. Nyſſen. in Vit. Greg.

Eeee 3 5. An-

Montani hæreſi jam infectus ſcripſit opuſcula quædam de moribus, duos libellos de cultu mulierum, item de corona militis, de pudicitia, de anima, adversùs Marcionem, & Praxeam, & Judæos, librum de fuga, de velandis virginibus, Apologeticum librum ad Scapulam; in quibus poſtremis tamen ſæpè valde Catholicè expreſſit Myſteria, dogmata, & diſciplinam primævæ Eccleſiæ.

(*3. GREGOR. NYSSEN. in vita Gregorii: “ Dum ille pro conſuetudine cum viris doctis atque delectis in habitu gravi & honeſto de quadam quæſtione Philoſophiæ diſſereret; mulier accedens ſe debitâ mercede fraudatam ab eo conqueritur. Aliis indignantibus, nihil ipſe commotus eſt, ſedatáque voce converſus ad familiarem quendam, heus tu, inquit, numera ei pecuniam, ne diutiùs importunitate ſuâ propoſitæ quæſtionis tractatum conturbet: ſed Deus brevì ejus continentiam miraculo comprobavit. Simul enim, atque manu pecuniam accepit, ſpiritu infelici & maligno correpta, fremitúque immani, & ferali, diverſo à voce humana ſono ingemiſcens, collabitur, capillos manibus evellens, oculíſque inverſis, os ſpumam emittebat, nec priùs à dæmone ſuffocari deſiit, quàm Deum pro ea invocâſſet, atque placâſſet Gregorius. „

(*4) Ultima ordinatio tantummodò Sacramentalis fuit, non prior, nam iſta nil aliud erat, niſi nominatio, aut deſtinatio abſentis, quo modo nec ordinari Epiſcopus, nec Sacerdos initiari poteſt.

Gregorii Symbolum & miracula.

5. Antequàm ſolitudine Gregorius egrederetur, è cœlo dictatum accepit fidei ſymbolum, quod cùm manu ſuâ exarâſſet; in ſua poſteà Eccleſia velut theſaurum reliquit (*5). Sacerdotio Initiatus ex eremo Neocæſaream petit: verùm dum proficiſcentem nox ingruens occupat; in Idolorum templum divertitur. Nunquam dæmones inviſum magìs, nec potentiorem ſuo in delubro habuerant hoſpitem; hujus quippe Imperio jam egredi, jam redire cogebantur, ad prodigium ſtupentibus Gentilibus (m). Majora huic ſubinde Gregorius addidit, jam Neocæſaream ingreſſus: nam montem de loco precibus amovit, Lyci fluvii eluvionem Scipione in ripa defixo cohibuit, demum lacum, de quo duo fratres acerrimè diſceptabant, ad redintegrandam litigantium concordiam in ſiccam terram convertit (o). Hæc prodigiorum fama Gregorio Thavmaturgi nomen, urbi autem, viciníſque populis lumen fidei dedit. Comanæ præ cæteris urbis jam intererat, integram ſibi cum Epiſcopo habere Eccleſiam; rogatur itaque Gregorius, ut parem eloquentiâ, parémque illi generis ſplendore virum incolis imponeret: at Epiſcopus contrà hortatus eſt, ut virtutem potiùs in epiſcopalem Cathedram quàm nobilitatem, & divitias eveherent. Nonnulli, monitum Gregorii, contumeliam eſſe rati, non ſine ſannis exclamant: Quin nobis ab aratro Dictatorem, aut certò à carbonibus ſuis Alexandrum adduci imperas?

(n) Idem in V.

(o) Gregor. Nyſſen. in Vita.

Alexander Carbonarius creatur Epiſcopus Comanæ.

(*5) GREGORIUS NYSSENUS in V. Symbolum Thavmaturgi ità refert: *Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni, perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, Solus ex ſolo, Deus ex Deo, Character & imago Deitatis, Verbum efficax, Sapientia conſtitutionis rerum univerſarum comprehenſiva, & Virtus atque potentia univerſæ creaturæ effectiva: Filius verus veri Patris, inviſibilis, ejus, qui eſt inviſibilis, & incorruptibilis, corruptioni non obnoxii, ac immortalis, mortis prorſus neſcii, ſempiternus ſempiterni; unúſque Spiritus S, ex Deo exiſtentiam habens, & qui per filium apparuit (ſcilicet hominibus) imago Filii, perfecti perfecta vita, viventium cauſa, fons ſanctus, ſanctitas ſanctificationis ſuppeditator; in quo manifeſtatur Deus Pater, qui ſuper omnia eſt. Trinitas perfecta, quæ gloriâ, & æternitate, ac regno, atque imperio non dividitur, neque abalienatur.* D. BASILIUS Ep. ad Neocæſar. & LEONTIUS I. de ſect. a. 8. affirmant, quòd Sabelliani Neocæſareæ poſteà aliud Symbolum Gregorio affinxerint. Illius Diſputationis cum Ethnico Æliano mentionem facit S. BASILIUS in vita Gregorii, in qua dixit, *Patrem & Filium juxta quidem mentis conſiderationem duos eſſe*; HYPOSTASI *verò unum eſſe*, id eſt ſubſtantiâ, tunc enim, ùt teſtatur S. Hieronymus, eadem erat & *hypoſtaſis & ſubſtantiæ* ſignificatio, eáque loquendi forma declarabat; quòd licèt Patrem & Filium adorarent Chriſtiani; non tamen colerent plures Deos more Gentilium; adeóque fruſtrà Sabelliani hunc Virum ſanctum in ſui erroris patrocinium poſteà vocârunt.

peras? criminantibus porrò Gregorius oſtenderat, Alexandrum utique eum eſſe, quem Deus illis Epiſcopum deſignâſſet; hujus ſub fuligine altam latere ſapientiam, ut qui hoc vitæ genus non urgente inopiâ, ſed virtutis amore elegiſſet. Conſecratus igitur Antiſtes ubi eloquio, & ſcientiâ rerum divinarum Gregorii dicta comprobâſſet; ad tempora Decii populi ejus curam geſſit, quo tempore igne exuſtus, carbones iterum dedit moriens, quibus Comana Eccleſia ſuos faſtos multò pulchriùs, ac quibusvis nitidis gemmis exornavit.

6. Hæc Chriſtianæ rei incrementa quantacunque forent; multos tamen Ethnicos ab amplectenda fide abſterrebant illæ calumniæ, quas Celſus Epicureus (regnante Adriano) ſcripto volumine poſteris reliquerat: Origenes cùm jam eſſet ſexagenario major; mendacia Philoſophi poſthuma compreſſurus octo libros compoſuit, in quibus veritatem religionis Chriſtianæ, myſteria, Prophetiarum oracula, continentiæ in Eccleſia ſplendorem, omniáque alia ità complexus eſt, ut quæcunque objecta fuerant, aut deinceps objici ullâ ratione poſſent, magna argumentorum vi diſſolveret (p). Neque tamen ætatis ac laboris gravitate ſe abſterreri paſſus eſt, quo minùs ſingulis feriis ſextis & diebus Dominicis ad populum diceret ſermones, quos homiliarum nomine compellatos tunc Primùm à Notariis excipi permiſit. Circa annum CCXLVII. Æ. C. in Arabia heterodoxi quidam jactabant, hominum animas in præſenti quidem ſæculo unà cum corporibus interire: in Anaſtaſi verò omnium communi reſuſcitandas: ad hunc errorem delirantibus eximendum advolat Origenes, & primo congreſſu victor ſaniori ſenſui popellum reſtituit (q).

A. Æ. C. 246.

Origenis Zelus contra Gentiles & HH.

(p) Origen. lib. 1. adverſùs Celſum.

A. Æ. C. 247.

(q) Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 37. & 38.

7. Quod in Oriente non ſine ſui commendatione Origenes hucúsque peregerat; id ſinceriore pietatis, ac ſanctimoniæ famâ in Africa ſub idem tempus moliri cœpit S. Cyprianus: Carthagine hic mundo natus, Parentes Gentiles habuit illuſtres Senatorii ordinis; ingenio cùm eſſet facili, copioſo, & ſuavi, omne ſcientiarum genus complexus eſt, quas deinceps Profeſſor eloquentiæ Carthaginenſi in urbe conſtitutus magis excoluit (r): placuerat nimirum altiſſimo numini, ut vir ille, quem ſibi inſtrumen-

(r) Hieron. de Script. Eccl. Lact. l. 5. c. 2. Pont. in vit. Cyprian.

mentum ſuæ gloriæ ſelegerat, tot Ægypti divitias antè colligeret, quàm terram ſanctam Eccleſiæ ſubiret. Pontius ejusdem poſteà Diaconus, vitæque ſcriptor, Cæcilio Presbytero hanc laudem tribuit, quòd Cyprianum è tenebris Gentilitatis ad lucem veræ fidei traduxerit; iſtius quippe ſermonibus cœleſtibus convictus, Carthagine ſacras baptiſmi undas ſuſcepit: quo regenerationis lavacro ablutus, eum hominem repentè induit, qui alta faſtigia honorum, demiſſione profundâ, divitias ſpontaneâ inopiâ, deſideria carnis integro pietatis vigore a deò commutaret (s), ut veloci curſu, virtutis metam jam attigiſſe videretur, qui ab idolomaniæ finibus vix pedem extulerat. Quantùm mutatio Cypriani Ethnicos dejecit, tantùm Eccleſiæ fratres viri dignitas erexit. Primùm Diaconis, mox Presbyteris adſcriptus, demùm breve poſt intervallum Sacerdotium ſupremum Africæ nactus eſt (t).

S. Cypriani converſio.

(s) Cyprian. Ep. 36. & Ep. ad Donat.

(t) Lact. l. 5. c. 1.

Ejusdem Carthaginenſis Epiſcopatus.

8. Anno Æ. C. CCXLVIII, qui ultimus Philippi regnantis erat, Donatus Carthaginenſis Epiſcopus vivis exceſſerat: evulgato ad Provincias mortis nuncio; Epiſcopi ex Numidia, Mauritania, Tingitanâ (*6) convenêre, ut urbi Carthaginenſi Epiſcopum, Provinciis Primatem darent. Suffragia plebis (cujus tunc in electione magna authoritas erat), unum Cyprianum ſpectabant, nec diſſentiebant Præſules: at vir ſanctus obſeratis foribus conatus eligentium retardavit; dum tandem precibus victus, ex judicio

(*6) Quemadmodum ii, qui præerant Imperii Provinciis *Primates Regionis* appellabantur; ità in Hierarchia Eccleſiaſtica Epiſcopi, qui Provinciæ ſuæ Synodos moderabantur, aut in Metropoli Imperii habitabant, Primatum nomen obtinuêre, ſive Epiſcopi primæ Sedis appellabantur. In Africa ſpeciale hoc erat, quòd is, qui alios ordinationis tempore anteiret, hic velut Senior, Primas quoque audiret; quâ unus excipiebatur Carthaginienſis Præſul, qui non ratione ſenii, ſed ob primam Metropolim Africæ, Primatûs jure gaudebat; vide *Diſſertationis noſtræ Primæ C. IV. Sect. I. de Majeſtate Hierarchiæ.* Præterea SCHELSTRATUS Diſſert. I de Eccleſia Africana cap. 3. notat, tres tantùm Provincias, ac vel inde tres Primates in Africa ante Concilium Nicænum fuiſſe, ſcilicet Mauritaniæ, Numidiæ & Africanæ, propriè dictæ, in qua & Carthago erat; hinc CYPRIANUS epiſt. 45. *latiùs*, inquit, *lata eſt noſtra Provincia*, Africana ſcilicet, ſive Carthaginenſis, *habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes*, Tingitanam & Cæſarienſem ſub Galba in unam Provinciam redactas; poſt Concilium verò Nicænum ſex Primates habuit Africa, ut idem Schelſtratus oſtendit c. 4. n. 4. Carthago tamen ſemper primaria omnium Provinciarum Metropolis fuit, & hinc Præſul Carthaginienſis tali ſenſu Primas erat, ut Patriarcharum & Autocephalorum more convocare poſſet, & ordinare Epiſcopos. Primatum cum his privilegiis à Romana Eccleſia accepit Carthago, uti & fidem & Epiſcopatum, ut probat SCHELSTRATUS idem c. 6. n. 5. 6.

cio Dei, plebis favore, & consensu præsulum summum Sacerdotium amplecteretur (u): concordia electionis licèt summa esset; quinque Presbyteri convellere eam adnisi sunt; propterea quòd nefas esse dicerent, ut Neophytus & qui thura idolorum adhuc redoleret, ad tantam rei Christianæ præfecturam eveheretur: in hos itaque seditiosos turbatores, dum popellus à Cypriano dictari pœnas deposcit; Episcopus novus novo ulciscendi genere injuriam eorum vindicat: nam malefactis beneficia rependens, eos etiam posteà inter amicissimos, ac necessarios accensuit. Redintegrato hunc in modum Christi, qui hostibus ignovit, exemplo, vitam Cyprianus ità admoderatus est, ut timeri simul, & amari posset; dúmque demissione, clementiâ, comitate, aliísque virtutibus effulgeret, omnium vox erat: Cyprianum de suo talem accepit Cathedra, non fecit.

(u) Pont. in V.

9. Eodem tempore seditiosus Veterator (x) in Alexandrinam Ecclesiam cruentam procellam concitavit: Imperator equidem unà cum Augusta Christianis semper adeò faverat, ut multis injiceretur suspicio, eum Christo nomen dedisse; at Ethnici Cæsaris exemplo minùs commoti, odii fomitem semper circumferebant, qui quovis afflatu in novas flammas erumpebat (y): Alexandrini igitur (quòd cæteris populis Salaciores essent) vati de Christianis, nescio, quæ funesta præcinenti faciles dabant aures; inde illico furunt, ædes, ac templa fidelium ad cædes, ad direptiones designant: inter Martyres qui lanienæ involvebantur, Præcipuè Virgo Apollonia eminuit, quæ excussis dentibus in rogum conjicienda ostendit, sibi plus animi esse ad ferendos, quàm Satellitio ad infligendos cruciatus. Altiore quippe spiritu acta, vim carnificum prævenit, ac sponte in accensum rogum insiliens, cineribus corpus, animam cœlo citiùs tradidit (z). Paucorum ejusmodi cædes tristia omina erant, quæ Christianorum omnium carnificinam paulò post futuram portendebant.

(x) Dionys. in Ep. ad Fab. Antioch.

A. Æ. C. 248.

(y) Eusеb. l. 6. c. 41.

Persecutio popularis ante Philippi mortem.

(z) Bolland. 9. Febr. Tillemont. Tom. III. 2. P. pag. 102.

§. IV. *Persecutio Decii, Lapsorum & Libellaticorum multitudo, ultio divina in Lapsos, Episcoporum, aliorúmque fuga, Martyrum immensus numerus, eorúmque honores, libelli Lapsis dati, ac horum*

Ffff *abusus*

abusus, Schisma & hæresis Novatiani, Cornelius Papa, finis Persecutionis.

A. Æ. C. 249.

(a) Sulpit. l. 2. Euseb. l. 6. c. 41. Lact. M. Perf. c. 4.

Persecutio Decii.

I. DEcius utprimùm Philippo Cæsari vitam, regnúmque ademerat; pacem, ab eodem Imperatore Ecclesiæ concessam, sanguinolento edicto abstulit (a): cavebatur quippe Provinciarum Præsidibus, ut omnes omnium ordinum ac ætatum viros, fœminásque vel ad Idolorum cultum, vel ad supplicia, eáque nova & insolita raperent, quæ animas magìs, quàm corpora excruciarent. Crudelitati tantæ causam dederat odium, quo Decius in Philippum Christianorum amicum flagrabat; nisi potiùs dicendum sit, Deum hoc funesto instrumento uti voluisse, tum ad castiganda orthodoxorum vitia, tum ad torporem eorum excitandum; nam cùm longa pax probam morum institutionem corrupisset, Primævus ille spiritus sensim extingui cœpit, & in vicem pristinæ pietatis innumera in Domo Dei scelera subnascebantur. Studebant nimirum jam augendis bonis Christiani, quæ Primi fideles ad Apostolorum pedes deposuerant (b). Non in Sacerdotibus Religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, nec in moribus disciplina (* 1). Hunc igitur gregem jacentem aut dormitantem cùm Tyranni rabies leonina invaderet; magna omnium ad carnificinam trepidatio fuit: & quoniam ad enses, ignes, bestias, scrobésque fracta vitiis virtus inhorrescebat; filii parentes, & vicissim patres filios, perfidâ impietate prodere, alii ejurare fidem, dare idolis thura; quin eò malitiæ prolabi, ut satellitibus juncti cæteros in defectionis exemplum cogerent: Aliis fas esse visum est, à Magistratibus emere libellos, quibus se adversùs accusatores tuebantur, vel eorum præsidio tuti prohibebant

(b) Cyprian. de lapsis

Status funestus Ecclesiæ.

Lapsorum variæ classes.

(* 1) CYPRIANUS de lapsis: *Studebant augendo Patrimonio singuli .... corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates ... jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, non jurare tantùm temerè, sed adbuc etiam pejerare. Præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos & bortamento esse oportet cæteris, & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum sæcularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire &c.* Unde mirum non esse, concludit S. Cyprianus, quòd instante persecutione tot Christiani deinceps abnegârint fidem.

bant vim, ne ad ſacram rem idolis faciendam, palàm pertraherentur, eoquòd libellus impetratus teſtimonii vicem habebat, quaſi legi Imperatoris jam obtemperâſſent. Alii non diſſimili crimine, in privatis Præſidum curiis Chriſti fidem abdicabant, cujus ſceleris cùm ſchedam teſtem accepiſſent; lictorum manum ab ædibus propulſabant: Nonnullis demum is error inſederat, Cæſaris & Dei legibus ſatisfactum iri; ſiquidem res ità componeretur, ut Magiſtratus illos falsò Ethnicos crederet, quin tamen eorum manus thura, aut immolata idolis caro ora ipſorum contingeret: itaque metuentes familiæ ſuæ, ſubmittebant idololatras, qui eorum nomen mentiti ſacra Jovi peragerent; quo dolo dum chartam ſecuritatis, ſimúlque ſignum impletæ legis Cæſareæ Chriſtiani in ſe transferebant; facinus hoc ſuum à Religionis piaculo adhuc abeſſe credidêre, propterea quòd ipſi nec genu idolis inflexiſſent, nec manus ferendo thuri, aut os vorandæ impuræ carni, ſed alii, ſcilicet Gentilitati jam impliciti, commodâſſent (c). *Libellatici*

(c) Gregor. Nyſſen. in V. Thavmat.

2. Hunc in modum cùm Chriſtianorum multa millia vel apertè deficerent, aut per doloſæ ſimulationis facinus libellos compararent; triſtiſſimum Eccleſiæ accidit, quòd & ipſi Sacerdotes, ac Præſules ſuppliciorum metu abſterriti è Chriſti caſtris ad impietatem tranſirent. Ex Clero Carthaginenſi quinque Presbyteri deſertores facti, ſeſe ad perſequendos fideles (d) Magiſtratibus adjunxêre: Saturninus, Jovinus, Maximus & Fortunatianus Africæ Epiſcopi, unà cum populo in idolomaniæ ſpeciem pertracti ſunt (e): Baſilides quoque & Martialis Hiſpaniæ Antiſtites renunciârunt fidei; & Eudæmonem Smyrnæ præſulem eadem tempeſtas è gregis paſtore lupum fecit (f). Defectionum ejuſmodi luctuoſiſſima exempla ne porrò ad Eccleſiarum ruinam proſerperent; Deus paucorum Apoſtatarum levitatem graviore pœnâ ulciſcendam ſumpſit. Mulierum enim una poſtquàm Chriſtum ejurâſſet; à dæmone correpta, linguam, quæ impiam vocem ediderat, morſibus rabioſis laniare, ventris & viſcerum pungi doloribus cœpit; dum animam in æternos cruciatus evomeret: Alteri defectionis ſententiam in Capitolio palàm legenti lingua obriguit (g). Os infantis à Parentibus fugientibus relicti, quoniam à Gentilibus ſuperſtitioſo pane & mero Diis immolato pollutum

(d) Baron. ad a. 253. n. 16.

(e) Cyprian. Epiſt. 66.

Lapſorum Epiſcoporum nomina.

(f) Cyprian. Epiſt. 64. & 68. Bolland. 1. Febr. P. 45.

(g) Cyprian. de lapſis.

lutum fuerat; Sanguinem Christi posteà à Diacono subministratum gustare non potuit (*2). Adultior alia fœmina post defectionis facinus, cùm ad accipiendam Eucharistiam obreperet, velut hausto veneno lethifero discruciata concidit. Quin lapsorum etiam usui (licèt sacri epuli partem, domum more recepto (*3) asportatam, asservâssent) sacer ille cibus se subducere visus est; nam virorum unus, dum porrectam à Sacerdote Eucharistiam se portare existimabat; cinerem in manibus apertis posteà invenit: fœmina autam arcam suam, cui sanctum Domini incluserat, manibus sacrilegis apertura, erumpente inde igne deterrita est, quò minùs latentem sub Eucharisticis speciebus Christum (quem antè perfidè negâsset) contrectare porrò præsumeret.

Ultio divina in lapsos.

Martyrium Fabiani PP.

3. Luctum Ecclesiæ, tot lapsorum exitio illachrymantis, eodem tempore mitigavit illustrior fortitudo multorum, qui pretiosas animas inter atrocissimos cruciatus profuderunt: & caput quidem cætera membra præivit, nimirùm Pontifex Fabianus, qui prima facilè victima sub sæviente Decio occubuit (h). Mors hæc gloriosa complementum erat tot laborum (*4) quos Papa annis quatuordecim pro Ecclesia susceperat: septem ille Diaconis addidit

(h) Euseb. l. 6. c. 39.

(*2) AUGUSTINUS Ep. 98. ait: Infantem hunc nullo equidem crimine pollutum fuisse, ast Deus aliis hoc ultionis exemplo voluisse ostendere, quanto sacrilegio lapsi sinè sufficienti pœnitentia, sacramento altaris appropinquare audeant. Colligitur porrò ex eadem historia, Eucharistiam sub una specie (scilicet vini) parvulis in prima Ecclesiæ ætate porrectam fuisse: nam Cyprianus de lapsis de infante loquitur hunc in modum: *Ubi verò solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. &c.*

(*3) Ex illis exemplis divinæ ultionis id quoque eruitur, de quo testatur TERTULLIANUS de oratione c. 14.: nempe Christianos Eucharistiæ participes non solùm inter Missarum solemnia sacram epuli portionem sumpsisse, sed & domum deportâsse, ibique ante cibum accepisse absque calicis participatione. BASILIUS epist. ad Cæs. ait: *Illi omnes, qui per omnes eremos vitam Monasticam instituunt, ubi non est copia sacerdotum, cùm habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem, & per Ægyptum, unusquisque etiam de plebe, utplurimùm habet domi suæ communionem.*

(*4) TILLEMONT. T. III. 2. P. in V. Fabiani, eundem Papam titulo Apostoli honorat, eoquòd septem celebriores Episcopos misit in Galliam, scilicet Gratianum præficiendo Turonibus, Arelatensibus Trophimum, Narbonæ Paulum, Tholosæ Saturninum, Parisiis Dionysium, Arvernis Stremonium, Lemovicis Martialem: alii tamen hanc missionem ad tempora Cornelii Papæ rejiciunt.

dit ſeptem Subdiaconos (*5), qui Martyrum geſta literis integrè perſcribi curarent, quæ anteà obſcuris notis excipiebantur: multa ædificia in Cœmeteriis fieri juſſit, ſive potiùs Eccleſias, quæ ſuper ſepulchra Martyrum exſtruebantur (i). Privatum hæreticum à Concilio Africano XC. Epiſcoporum condemnatum, Eccleſiaſticâ communione ſubmovit (k): ſunt etiam, qui cum Baronio perhibeant, à Fabiano Philippum Cæſarem, ejúſque filium Auguſtum ſacris undis ablutos fuiſſe; quamvis alii hujus Pontificis facta ex verioribus monumentis metientes, hunc rumorem fabellis quibusdam innixum laudibus Fabiani addere meliùs ſuperſedeant (l). Poſtquàm Fabianus Pontifex Martyr cruentus præceſſerat; Moyſes, & Maximus Presbyteri, Nicoſtratus Diaconus ad cruciatum ponè ſequebantur, mox in carcerem dati, quibus Celerinus multorum Martyrum propinquus in fide & virtute comes fuit (m).

A. Æ. C. 250.

Subdiaconi.

(i) Pontific. apud Baron. ad a. 245.

(k) Cyprian. Epiſt. 30. & 55.

(l) Pagius in Critic. Baron. ad. a. 244.

(m) Baron. ad a. 253. n. 90.

4. Româ in Africam transgreſſa eſt ſævities: Primus omnium illinc petebatur S. Cyprianus ad Leonem; at fortiſſimus cæteroquin Præſul, non tam ſuam ſalutem quàm quietem fratrum publicam cogitans, Carthagine cum Victore Diacono (n) ſeceſſit, ne per inverecundam præſentiam ſeditio, quæ cœperat, ampliùs provocaretur. Quamobrem, cùm non appareret, proſcriptus eſt, ejúſque bona edicto publicata. Intereà dum Confeſſorum complures vel carceribus incluſi, aut in exilium ejecti ſive bonis omnibus ex-

Perſecutio in Africa.

(n) Idem n. 30.

 torres

(*5) PONTIFICALE apud Bucherium Cycl. p. 27. habet, quòd Fabianus Diaconis diſtribuerit regiones Romæ, ſive ſingulis duas ex illis quatuordecim urbis partibus, in quas Auguſtus Romam diviſerat. MABILLONIUS his lucem addit, dum ait Tom. 2. Muſæi Italici p. 3. *Primò omnium obſervandum eſt, ſeptem eſſe regiones Eccleſiaſtici ordinis urbis Romæ, & unaquæque regio ſingulos habet Diaconos regionarios.* Poſteà tempore Honorii II. creati ſunt ejusmodi Diaconi octodecim, ex quibus alii *Regionarii* intendebant Noſocomiis, & Eccleſiis, alii *Palatini*, qui Regionariis præerant. Diaconiæ eædem labente tempore in collegia Clericorum, & tandem in titulos Diaconorum Cardinalium mutatæ ſunt. Ità Mabillon. c. 3. Comment. in ordinem Rom. p. 17. Præterà advertendum, quòd *Subdiaconorum* hìc prima mentio fiat, quorum etiam deinceps meminit Clerus Romanus poſt mortem Fabiani, dum ſcripſit ad Carthaginenſem Clerum hiſce verbis: *Didicimus ſeceſſiſſe benedictum Papam Cyprianum à Clementio Subdiacono, qui à vobis ad nos venit, &c.* Canon etiam 42. Apoſtolorum *Hypodiaconum* commemorat, unde ad recentiora ſæcula gradus ille Hierarchicus retrahi non poteſt; imò antiquiorem fuiſſe colligitur *ex epiſtola Cornelii Papæ*: creſcente nimirum fidelium multitudine, cùm jam Diaconi pares eſſe non poſſent obeundis ſuis officiis; quæ minoris ſunt momenti, commiſſa ſunt Subdiaconis, quorum ordo eſt derivatio quædam Diaconatûs.

Episcoporum provida fuga

torres (*6), aut planè tormentis subditi fidem Christi tuebantur; Cyprianus è suis latebris pastoris munere egregiè perfunctus est. Nam clerum datâ epistolâ hortabatur ad charitatem confessoribus impertiendam, jam Martyribus injiciebat majores animos, ut futurorum bonorum spe præsentia supplicia contemnant: jam de sua Episcopali portione sumptus suppeditabat, quibus indigentes refocillarentur; atque his monitis velut anima inhærebat tot corporibus, quæ torquebantur.

(o) Cyprian. Epist. 5 6. 18. & 20.

5. Quod in Africa Cyprianus, hoc idem consilium arripuêre Neo-Cæsareæ Gregorius Thavmaturgus, & Alexandriæ Dionysius Episcopi; nam ille cum Diacono desertum collem occupabat, etiam cùm â Præside Maximo quæreretur per prodigium servatus (p): alter à militibus jam comprehensus, at à Mareotarum manipulo liberatus in vasta Lybiæ concessit, ubi in eremo inter famis extremæ ærumnas ad obitumDecii perstitit (q). Pastorum deserta petentium vestigia non parva ovium multitudo secuta est: ex his apud inferiorem Thebaidem Paulus Eremi cultorum posteà Antesignanus fuit: cùm enim opum dives Adolescens, viginti duos annos natus, à Præsidibus ad cruciatum quæreretur: & jam propè abesset, ut à sororis Marito quæstûs causâ insidiantibus proderetur; in saxei montis spelunca latibulum, simúlque Asceseos palæstram invenit, in qua solitudine ad centesimum tertium ætatis annum vixit, palmâ tectum, cibum & vestimenta suppeditante (r).

(p) Gregor. Nyss. in V.

(q) Eusebi. l. 6. c. 40. & l. 7. c. 11.

(r) Hieron. in V. Pauli.

6. Neque tamen hunc in modum omnes Episcopi arenâ excedendum censebant, quin suos non tantùm verbo, sed & exemplo ad profusionem sanguinis antecessêre: ità Alexander Carbonarius Ecclesiæ Comanensi in igne suo, quo vivus combustus est, præluxit (s). S. Maximus Episcopus Nolæ, S. Nestor Antistes Pamphyliæ, S. Babylas Antiochiæ, S. Carpus Thyatiræ Præ-

(s) Gregor. Nyss. in V. Thav.

(*6) BARONIUS ad a. 253. num. 67. putavit *Extorres* à Cypriano illos dici, qui ne fidem proderent, relictis om ibus aliò commigrabant; ità enim Cyprianus de Mappalico scribit: *Gloriata est nuper quidem Ecclesia, cum confessione perstante suscepta pœna est, quæ Confessores Christo fecit extorres.* At Pagius in Critica ad a. 250. n. 9. dicit *Extorres* illos à Cypriano dictos fuisse, qui nomen Christi coràm Magistratibus liberè confessi, Patriâ per eosdem Magistratus expulsi sunt, quæ expulsio in pœnam confessionis irrogata, & accepta est.

Præſules, innumerabilem confeſſorum turbam antegreſſi ſunt (*7). Quorum certamina Martyrum tantò glorioſiora erant, quantò atrociora admovebantur ſupplicia. Nam tormenta erant ſinè fine tortoris, ſinè ſolatio mortis, quæque ad coronam non facilè dimittant, ſed tamdiu torqueant, quamdiu dejiciant; niſi aliquis divinâ dignatione ſubtractus inter ipſos cruciatus defecerit, adeptus gloriam non termino ſupplicii, ſed velocitate moriendi (t): ejusmodi certamen S. Damaſus, Romaníque faſti prædicant in S. Agatha Virgine, quæ Catanæ in Sicilia poſt equuleos & mamillarum abſciſſionem, poſt volutationem in teſtis, & carbonibus, tandem in carcere inter fuſas ad Deum preces cruciatum conſummavit. S. Hieronymus demiratur pugnam florentis ætate Juvenis: Hic multorum ſuppliciorum Victor, in amœniſſimo horto in thoro molli reclinis, & loco ferrearum catenarum blandis è ſerico nexibus irretitus, periculoſiùs à procaci Scorto ad rem nefaſtam pellicitur: abigere lenocinium cùm non valerent captiva membra; linguam, quam unam in poteſtate Adoleſcens habebat, præſcindit, eámque in faciem mulieris cum ſanguine exſpuens, impudenti ruborem reddidit, ſibíque cruento hoc telo victoriam libidinis aſſeruit (u). Sunt & alia præclari conflictus, quos de ſeptem Dormientibus (*9) Gregorius Turonenſis, de S. Chriſtophoro

Martyres.

(t) Cyprian. de lapſis.

(u) Hieron. in V. Pauli

(*7) Vitæ horum Martyrum videri poſſunt apud RUINARTUM in Actis Martyrum, item apud TILLEMONTIUM Tom. III. P.II.

(*8.) BOLLANDUS 5. Februarii exhibet p. 647. quâ ratione velum, quo S. Agathæ corpus tegebatur, toties jam Catanam defenderit contra ignea Ætnæ ſpiracula.

(*9) GREGORIUS TURONENSIS gl. M. c. 95. refert hiſtoriam de *ſeptem Dormientibus*, qui timore perculſi, in antrum propè Epheſum fugientes, occluſo à Perſecutoribus oſtio, in Domino obdormierunt; vel ùt Græcus Scriptor Manaſſes ait, mortui ſunt. Atque in hoc ſtatu fermè per ducentos annos usque ad Regnum Theodoſii Junioris id eſt annum 447. integri manſerunt; quo tempore dicuntur è ſomno evigilâſſe: vel potiùs à morte reſuſcitati ſunt. BARONIUS huic hiſtoriæ fidem vix habet, & Gregorius T. viginti ſex annis ſcripſit poſt mortem Theodoſii; unde decipi à rumore potuit. TILLEMONT in Perſecutione Decii, rem ita conciliat: ſcilicet ſeptem Martyrum ſive in carcere mortuorum, ſive ibidem tumulatorum corpora ſub Theodoſio inventa eſſe, quæ inventio à popello habita eſt, ad inſtar reſuſcitationis, fuitque occaſio, ut Græci multa hic comminiſcerentur: nomen *Dormientium* à conſuetudine Eccleſiæ venit, quæ mortem Sanctorum ſomno comparat ob ſpem futuræ anaſtaſis. IDEM teſtatur multa aſſerri de *S. Chriſtophoro* incerta, quin tamen S. Martyri ſuus honos negari queat, nam Tom. III. P. II. probat, eundem Sanctum tam ab Orientali, quàm ab Occidentali Eccleſia ſemper cultum eſſe, & S. Gregorius M. lib. 8. Ep. 33. facit mentionem Monaſterii S. Chriſtophori in Sicilia, S. Eulogius, qui in nono ſæculo vixit, loquitur de Monaſterio ejusdem Sancti propè Cordubam in Hiſpania. &c.

(x) Tillem. Tom. III. P. II. p. 100.

(y) Cyprian. exhort. ad MM.

Martyrum multitudo.

(z) Cyprian. Epist. 12. 14. & 19.

phoro in Lycia (x) Gregorius M. recenset; Dionysius etiam invictam Origenis constantiam miris laudibus prædicat; quamvis non desint, qui eundem in prælio, metu intentati vitii succubuisse arbitrentur (*10). Ac ne quis ex paucorum nominibus, exiguam quoque Martyrum copiam colligat (y); Cyprianus multitudinem eorum brevibus verbis reliquit: Hoc ampliorem, ait, gloriam computantes temporis nostri, quòd cum vetera exempla numerentur; exuberante postmodùm copiâ virtutis & fidei, numerari non possunt Martyres Christiani.

7. Atque huic victrici populo ingens, ac religiosus cultus ab Ecclesia deinceps statim impensus est; nam Cyprianus sollicitè per epistolam monebat suos, ut dies eos, quibus excederent Martyres, notarent, quò *oblationes, & sacrificia institui ob commemorationes eorum, simúlque Martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione per Africam celebrari possent* (z). Non minor habita

(*10) Origenem lapsum esse in Persecutione, & thus adolevisse, ne ab Æthiope nefastam innocentiæ labem pati cogeretur, affirmat EPIPHANIUS hæref. 64. *Per diabolicam verò malignitatem excogitaverunt malitiæ operatores, quomodo turpitudinem talem excogitarent, & plagam talem decernerent: ità ut in abusum corporis ipsius Æthiopem ipsi subornarent, aut sacrificare juberent. Ipse verò non ferens diabolicæ fraudis versutiam, proclamavit utrisque rebus ipsi propositis, sacrificare se potiùs velle.* Idem scripsère NICEPHORUS lib. 5. c. 32. & THEOPHYLUS Alexandrinus Episcopus Epiphanio coævus: plura testimonia extant in Bibliotheca PP.; unde huic sententiæ subscripsère recentiores PETAVIUS *animadv. in Epiph.* HUETIUS *in Orig.* NATALIS ALEXANDER *sæc.* 3. *Dissert.* 3. PAGIUS *in Critica Baronii* Tom. I. ad a. 251. Contrarium tuentur BARONIUS, VALESIUS, HALLOIX, TILLEMONTIUS, quorum fundamenta sunt: 1. Scriptores Epiphanio antiquiores, sive amici utpote Eusebius Pamphili, Ruffinus: sive inimici, ùt Demetrius ... qui nunquam de hoc facinore mentionem faciunt; unde conjectum est, in Epiphanii librum hæc ab Origenis quodam hoste posteà intrusa fuisse; imò Nicephorus, ne quidem Epiphanium pro hac Historia citat. 2. Parùm cohæret narratio Epiphanii, qui id Alexandriæ contigisse memorat, ac proinde vivente Demetrio; siquidem Alexandrinæ Synodi decreto expulsus, & nunquam reversus est: igitur ante Persecutionem Decii imperante Alexandro vel Philippo id factum oportuit, sub quibus tamen Principibus nulla Persecutio fuit. Præterea Demetrius quâ ratione dissimulâsset hoc scelus, qui minora vitia ejus odio vel invidiâ publicârat. 3. Epiphanius ipse celebrat Origenis nomen; & famam tantam esse ejus ex illo, quod narras testatur: *Non tamen spontaneâ mente hoc potiùs perfecit, velut magna de hoc fama refert. Sed quandoquidem omninò confusus est, se facturum hoc esse, injecto in manum ejus thure ipsum ad aræ rogum adduxerunt.* Et de mens. & pond idem EPIPHANIUS ait: thus Origenis manibus impositum, in subjectum aræ focum à Gentilibus excussum fuisse. Hoc autem factum à culpa eximit *Ancyrana Synodus.* Canon. 3. *Qui fugientes comprehensi sunt, aut in custodiam trusi proclamârunt, se esse Christianos, & eò usque adstricti sunt, ùt manus comprehendentes violenter traherent, & funestis sacrificiis admoverent ... & luctum rei, quæ contigit incessabiliter ostendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ, hos velut extra delictum constitutos à communionis gratia non vetamus.*

bita ratio est eorum, qui extorres, aut in carceribus detenti vitæ cursum necdum absolverant: dum enim ipsis tormenta, non ipsi tamen tormentis defuerant (a); nil obstabat, quo minùs Martyrum quosdam honores adipiscerentur, non quidem illos, qui SS. Cœlitibus consummato cursu adhibentur: sed tales, queis Ecclesia illorum authoritatem supra cæteros mortales celebrabat. Itaque in Synodis multò honorificentior eorum locus erat, & extra conventus tanta prærogativa, ut lapsos ad privatam communionem admittendi valerent potestate: prætereà examinatis causis, designatísque singulorum nominibus dabant libellos supplices ad Episcopos (b); ut Apostatas, pace Ecclesiæ datâ, ad publicam etiam orationum communionem (siquidem Episcopis, & populo ità placeret) reciperent, partem aliquam pœnarum illarum condonando, quibus duarum primarum Classium pœnitentes subjiciebantur.

(a) Cypr. ep. 12. Pamel. 37.

(b) Cypr. ep. ad Martyr.

Libelli Martyrum.

8. Lucianus etsi fortissimus cæteroquin in Africa confessor, ignarus tamen Ecclesiasticarum legum, hâc suâ authoritate abuti cœpit (c); non enim, ut alii Martyres paucis, sed plurimis sine delectu, & causarum examine: & quin nomina cunctorum lapsorum notaret, libellos integris familiis ante persecutionis etiam finem, absente Episcopo dispensabat: ídque se facere testabatur ex consilio Paùli & Aurelii Martyrum. Disciplina Ecclesiastica cùm hâc ratione non parùm convelleretur; tum maxima turbatio ex eo orta est, quòd Presbyteri, & Diaconi (qui aliàs ad carceres commeabant ad Martyrum preces, ac desideria pro lapsis moderanda) contra Evangelii legem, ante exomologesin criminis factam, & antequàm manum Episcopus & Clerus in pœnitentiam lapsis imposuisset, illotis pedibus à defectione revolantes paci redderent, pro illis offerrent; & Eucharistiam dando, sanctum Domini Corpus profanare auderent (d). Cyprianus, hanc indulgentiam, crudelem, & Evangelio contrariam esse ratus, triplici epistolâ malo occurrit: ac primâ Martyres monet, ut more aliorum Confessorum petitiones lapsorum cautè, ac sollicitè discernant, inspiciántque merita singulorum, delictorum genera, & ne in universos, seu innominatos lapsorum manipulos, suos libellos profundant: Alterâ Cleri pro lapsis sacrificia prohibet, neve communionem porrò cum iis habeant, interdicit; nam *fide majores*, ajebat, *& timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii*,

(c) Cypr. ep. 23. ad Presbyt. Rom.

Abusus libellorum.

(d) Cypr. ep. 15. Pamel. 11.

Epistolæ variæ S. Cypriani.

Exomologesis. *ficii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitârant, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt* (e); quantò magìs eos, qui thura obtulerant Diis, aut impios libellos à profanis Magistratibus emissent, Pœnitentiæ publicæ subjiciendos affirmabat (†). Tertiâ epistolâ hortabatur populum, ut repressis Presbyterorum quorundam conatibus, lapsos, qui citra pœnitudinis onus januam Ecclesiæ non tam intrare, quàm perfringere præsumerent, melioribus documentis imbueret (f).

(e) Idem ep. 16. Pamel. 10.

(†) REFLEXIO V.

(f) Idem epist. 34. Pamel. 38.

9. Per idem tempus literas Clerus Romanus dedit binas, tum ad Cyprianum, tum ad Sacerdotes Carthaginienses. Et Cypriano quidem his acriùs exprobrabatur, quòd gregem deseruerit. Hoc autem absente Clerici Romani Afris inculcabant, quæ ratio cum lapsis instituenda, nempe ut vel errorem novâ coram Tyrannis confessione emendent; vel si occasio desit, libenter Ecclesiæ pœnam subeant; nec nisi ægris manus imponantur. Cyprianus accusationem sui factam diluit, exhibendo ea, quæ curâ perpetuâ, scriptisque tredecim ad suos literis præstitisset (g), tum & secundùm Cleri Romani regulas lapsis in articulo mortis indulturum promittit; dum redux cum cæteris Episcopis, quid facto opus sit, porrò dispiciat. Nihil eorum fuit, quæ Cyprianus Romanis scripserat, quod non illi amplis literis comprobarent; „ nempe properata communionis remedia non profutura miseris, cùm ad eversionem majorem pœnitentia lapsis hoc modo eripiatur; eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ, & professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis, ac verè pœnitentis animi signa prodiderint; cùm spes vivendi secundùm hominem nulla substiterit, ità demum cautè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera: nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem (h)." Acceptas has literas Romanas Cyprianus misit aliis Africæ Episcopis, qui cuncti Præsules protinus in Cleri Romani, ac Cypriani sententiam ultrò concesserunt (i).

(g) Idem ep. 20. Pamel. 15. & ep. 27.

Disciplinæ severitas.

(h) Cypr. ep. 30. Pamel. 31.

(i) Idem ep, 32.

10. Hæc

10. Hæc quantâcunque Providentiâ agerentur; Lucianus tamen à propoſito adeò non deſtitit, ut potiùs nomine omnium Confeſſorum ad Cyprianum ſcribens, hujus Præſulis duritiem incuſaret: nec ceſſabant Clerici cum lapſis habere pacem. Cyprianus, qui ex Dei oraculo Perſecutionis finem acceperat, nil magìs exoptabat, quàm ut ipſe coràm tot malis mederi poſſet (k): ſed quoniam tot inter turbas, vexationis æſtus illo præſente novas concipere flammas poterat; urbe Carthaginenſi tantiſper adhuc abeſſe debuit. Media tamen interim præſcripſit, quibus tum pœnitentes juvaret, tum Clericorum coërceret audaciam; nam permittebat, ut lapſi (ſiquidem mortis periculum urgeret) non exſpectato Epiſcopi adventu, apud Presbyterum, vel etiam Diaconum ſuæ defectionis crimen aperirent (l); útque poſt hanc exomologeſin (minimè Sacramentalem) iis pœnitentia publica ſecundùm canones ſubeunda exponeretur, ſimúlque manu impoſitâ ſive in album pœnitentium ſive in fidelium communionem cooptarentur, vel ſi exitus inſtaret, à Diacono Euchariſtiæ epulum reciperent (*11).

(k) Idem ep. 12. Pam. 37.

(l) Idem ep. 18. Pam. 13.

 Præ-

(*11) CYPRIANUS ep. 13. ità ſcribit: *Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis, & gravibus infeſtat, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativâ eorum apud Deum adjuvari poſſunt; ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectatâ præſentiâ noſtrâ, apud Preſbyterum quemcunque præſentem: vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit; apud Diaconum quoque èxomologeſin facere delicti ſui poſſint; ut manu eis in pœnitentiam impoſitâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt* Per exomologeſin (quæ apud Diaconum fit) non intelligitur hìc confeſſio ſacramentalis; ſed abſolutio ab excommunicatione aut à publicæ pœnitentiæ legibus. Prior enim Sacramentalis, quæque eſt fori interni, ſolis Epiſcopis & Sacerdotibus data erat, quando Petro Sacerdotum Principi à Chriſto dictum eſt: *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* Matth. 16. ità docent HILARIUS & HIERONYMUS in illum Mathæi locum, item AMBROSIUS lib. I. de pœnit. c. 2. itaque Diaconis ſolùm ritus ille exterior committebatur, quò lapſos Martyrum libellis munitos, periculo urgente, communioni orationum & Sacramentorum reſtituebant: prætereà *exomologeſis* dicebatur, quia cùm ſolenni ritu reconciliarentur, confiteri crimen palàm ſolebant, ob quòd ab Eccleſia repulſi fuiſſent; ùt conſtat ex Can. *Cùm aliquis* 11. Q. 3. accedit, quòd lapſorum plures eſſent ordines, quorum alii dicebantur *Sacrificati* qui idolis ſacrificâſſent, aut guſtâſſent Idolothyta: alii *Thurificati*, qui adoleviſſent Diis thura, alii *Libellatici*, qui libellos accipiebant à Magiſtratibus, ne palàm ſacrificare cogerentur, quamvis actis publicis inſereretur eos ſacrificâſſe, & legi Imperatoris ſatisfeciſſe. *Alii* poſt impia Diocletiani edicta, vocati ſunt etiam *Traditores*, qui ſuppliciorum metu vaſa ſacra, libros ſacros, ſacrámque Eccleſiæ ſuppellectilem Ethnicis Magiſtratibus tradidiſſent. *Alii* ad prima ſtatim verba minantis inimici fidem ſuam prodiderant; *Alii* ſuppliciis victi ceſſerant: itaque

Præterea ex Clericis seditiosis Cajum Didium à distributionibus, quæ Clero singulis duobus mensibus porrigebantur, amovit (m). Pœna unius, cùm cæteros terrere debuisset, ulcus eorum ità exacerbavit, ut aperto schismate se à Cypriano separarent.

(m) Idem ep. 52. Pamel. 49.

A. Æ. C. 251.

II. Felicissimus Carthaginiensis vir authoritate & opibus potens, infausta hæc novorum motuum semina jactaverat: nam quoniam rapinarum, & immanium libidinum reus habebatur, nihilque extimescebat magìs, quàm Cypriani in vindicandis criminibus fortitudinem; antequàm S. Præsul Carthaginem reverteretur, avellere ab ejus partibus cunctos aggreditur: ac primò infestabat eos, sive qui Cypriani nomine (n) eleemosynas dispensarent, sive qui acciperent. Augendum factiosum hominem sibi subinde aggregans, Confessores, qui jam ex carceribus progressi erant, eo convitio decipit, quasi à Cypriano eorum preces parvi fierent: tum ad lapsorum perniciem conversus, mendacio dolosæ pacis ad seditionis consilium invitat. Ne verò occultis latibulis malum clauderetur; Felicissimus cum suis distinctos conventus agebat in monte, seu in excelso urbis loco; unde sectatores ejus Montenses dicti sunt: comminatus insuper, non communionem secum in monte habituros, quicunque Cypriani partes sectarentur. Insolens viri facinus postquàm ab Antistitis S. Vicariis Caldoino & Herculiano Episcopis & à Rogatiano & Numidico presbyteris Cypriano denunciatum fuisset; dignam factiosis sententiam rescripsit, nempe ut ab Ecclesia submoverentur (o). Fulmen hoc à sacra potestate profectum, plures patefecit, qui tacitis molitionibus Felicissimi schisma sustinuerant: Præcipui horum erant quinque illi Presbyteri, qui anteà electioni S. Cypriani audaciùs fuerant obluctati: Fortunatus unus eorum erat posteà Pseudoepiscopus Carthaginis (p), cui malitiâ minimè secundus fuit Gordianus, & Donatus, & Didius Cajus à S. Præsule anteà communione Ecclesiæ ejectus: His omnibus facem dissidii præ-

(n) Idem c. ep. 38.

Schisma Felicissimi & Novati.

(o) Idem ep. 39.

(p) Ep. 55.

que urgente morbo, si non esset copia sacerdotis, æger apostasiæ suæ speciem exponebat coram Diacono, qui ei declarabat pœnitentiam publicam, quam secundùm Canones agere teneretur, si convalesceret, imponebátque manum, ut vel in album pœnitentium, aut communionem Ecclesiæ reciperet, vel si fletibus, si contritione præmissâ crimen eluisset, in extremo vitæ discrimine Eucharistiam contrito porrigebat. Eodem modo intellige Canones Illiberitani, Toletani, Ancyrani Conciliorum, de quibus latiùs vide NATALEM ALEXANDRUM sæc. 3. Dissert. 4. Vide etiam infrà Reflexionem 5. in hoc C. II, L. III.

prætulit Novatus: hic quippe rerum novarum cupidus, avaritiâ insatiabili furens, tumidi, & perfidi oris, spoliaverat pupillos, fraudaverat viduas, & pecunias Ecclesiæ furtivâ manu clepserat: adhæc in Patrem impius, eidem extremùm egenti victum, & mortuo tumulum negaverat; demum homo ferox calce percusserat uxoris uterum, ut abortione properante in parricidium partus exprimeretur (q). Tot igitur flagitiorum causâ ad Episcopi, & Cleri quæstionem vocandus erat; nisi cognitionem criminum ingruens Christianorum vexatio interrupisset. Defervescente jam per Africam Tyrannide vir scelerum conscientiâ gravatus, judicium Sacerdotum voluntariâ discessione prævertere statuit: atque ut schismatis aperti firmaret initia; Felicissimum machinationum omnium Ducem, aut Satellitem, nec permittente Cypriano, nec sciente, suâ factione & ambitione Diaconum constituit (*12). Portio plebis cùm hoc modo à S. Cypriano avulsa esset, idem S. Antistes literis reliquum populum monet, ut lupos devitet, qui oves à pastore secernunt: *Deus enim unus est*, inquit, *& unus Christus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum, Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare & unum Sacerdotium non potest, Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur* (r). His gravissimè perscriptis post diem Paschæ se cum collegis suis Carthaginem visurum, pollicetur; nam Decio ad Gothorum bellum evocato, in Africa vexatio infesta conquieverat: statuto igitur tempore circa medium Aprilis cùm è suo secessu S. Cyprianus in lucem progressus, ea jam pararet, quæ ad seditiosorum causam judicandam forent; Novatus, antequàm coactus Episcoporum cœtus ferret sententiam, Romam fugit, Italiæ quoque turbarum sementem illaturus (s).

(q) Hieron. in Chronic.

(r) Ep. 43.

A. Æ. C. 251.

(s) Euseb. l. 6. c. 43.

12. Neque Veteratori occasio defuit; Romæ enim de eligendo Pontifice tunc agebatur, quod antè per Decium Dei Sacerdotibus

(*12) CYPRIANUS Ep. 49. scribit: Felicissimum à Novato Presbytero creatum esse Diaconum; unde noli colligere à Presbyteris Diaconatum conferri posse; nam TILLEMONT in V. Cypriani pag. 157. advertit: eodem modo à Novato factum esse Diaconum, quo posteà Novatianum creavit Episcopum, scilicet advocando Schismaticos Episcopos, qui suo consilio inducti, Episcopatum Novatiano, Felicissimo Diaconatum contulerunt.

Electio Cornelii Papæ.

(t) Cypr. epist. 55. Pamel. 52.

(†) REFLEXIO VI.

tibus infestum non licebat. Eo autem urbe digresso mense Junio ineunte, ab obitu Fabiani decimo sexto mense (t) CORNELIUS creatus *est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis suffragio* (†) *& de Sacerdotum antiquorum Collegio.* Vir per omnes officiorum ordines exercitatus quanto conatu eligentium voluntati restiterat, tantâ fortitudine clavum Ecclesiæ tenuit eo tempore, quo Decius fanda atque infanda Presbyteris comminabatur (u). Nullus itaque Episcopus erat, cui dignissimus hic Pontifex non probaretur. Unus tamen Novatianus nodum in scirpo quærens, variis commentis electionem capitis convellere instituit (x): erat is è Philosopho Stoico ac eloquentissimo oratore Christianus, cui stygius hospes Ecclesiam adeundi, indéque exeundi causam dedit (y). Nam inter energumenos admissus, dum in gravissimum morbum porrò labitur; in ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus baptismum suscepit: inde volente Episcopo, reluctante tamen Clero, & populo ordinatus Presbyter est; id quippe tunc Canonibus cautum erat, ut nemo in Clerum assumeretur, qui urgente vi morbi in lectulo, perinde ac Novatianus, perfusi forent (*13). Præterea non poterat non malè accipi, hominem vix baptismalibus undis ablutum, neglecto confirmationis signaculo, aliísque, quæ ante Presbyterii gradum percipi debent, ad sanctum Sacerdotium elevari: fuêre etiam, qui in Novatiano Presbytero imbecillam nimis mentem reprehenderent: cujus quidem infamiam contraxerat tunc, quando sæviente Decio à Diaconis rogatus, ut ad opitulandum captivis fratribus accurreret; ille verò turpiter cubiculo inclusus contempsit primùm preces: dein vel metu vel fastidio correptus abiit, negans se deinceps Presbyteri loco futurum (z). His nævis cùm laboraret Novatianus; eò tamen ambitioso efferebatur

(u) Cypr. epist. ad Antonian.

(x) Cornel. epist. ad Fabian.

(y) Euseb. l. 6. c. 43.

Novatiani & Novati machinationes.

(z) Theodoret. h. l. 3. c. 5.

(*13) EUSEB. l. 6. c. 43. Clericalis ordinis incapacem pronunciavêre multi Novatianum ideò, eoquòd in lecto decumbens baptismo tantùm aspersus vel perfusus fuisset, non verò lotus aut aquis penitùs immersus: receptum enim tunc non sinè errore apud multos Romæ erat, Clinicos, sive qui decumbentes ægri baptismum per aspersionem accepissent, non obtinuisse sacramenti gratiam cum ea plenitudine, sicut alii; hæc opinio eò pervasit, ut licèt ejusmodi homines perfusi non rebaptizarentur, à Cleri ordine tamen rejicerentur, ùt habetur in Conc. Tom. I. pag. 1484. in Concil. Neocæsariensi Can. 12. quia tali modo in lecto baptizatos credebant, à necessitate & metu mortis potiùs ad susceptionem Sacramenti, quàm ex vera fide adactos fuisse.

rebatur ſtudio, ut præ Cornelio Pontificiæ Sedi inhiaret: antequàm igitur electus Papa ſacris initiaretur, id quaſi crimen Cornelio objecit, quòd lapſos ad communionem recepiſſet; inficiabatur enim Novatianus Sacerdotes pacem ejusmodi Apoſtatis dare poſſe; hortari equidem ad pœnitentiam reos, Presbyterorum eſſe: at cætera divino judicio reſervanda (a). Iſta cùm Novatianus deliraret; ſuppudebat tamen hominem, quòd ipſe anteà Cleri Romani ſententiam elegantibus ad Afros literis ornâſſet, nempe ſubſcripto nomine teſtatus, lapſos judicio ſacerdotum relinquendos, quódque ipſe libello à Magiſtratibus accepto infamis, ſacrilegam cum Apoſtatis habuiſſet communionem. Convitio in Papam jacto ut fidem faceret; jurejurando teſtabatur, ſe ſuâ criminatione Pontificis gradum haudquaquam ambire: ſed quoniam mendacium non facilè ſibi conſtat; Novatus eodem tempore urbem ingreſſus eſt, nutantem jam Novatianum impulit, dubitantémque fovit: erat hic diſcordiarum diſſeminanandarum ſuetus, ac proinde in turbulenti Novatiani amicitiam irrepens, partes ejus acceſſione quorundam etiam Confeſſorum firmat: ex viliſſimo poſteà Italiæ angulo tres Epiſcopi accerſuntur, quaſi diſſidium Eccleſiæ compoſituri, re ipsâ, ut Novatiano manus imponerent (b). His peractis Cornelius literis ad Cyprianum, & PP. Carthagine congregatos de ſua electione, ac de Novatiani machinationibus perſcribit: Synodo placuit lectâ epiſtolâ duos Romam mittere Epiſcopos Caldonium & Fortunatum, qui rem propiùs cognoſcerent. Sequente menſe Julio Novatiani quoque emiſſarii Carthaginem adveniunt: ex eorum literis ubi à Patribus intellectum eſt, Novatianum prehendiſſe ſummi Sacerdotii gradum eo modo, quo minimè debuiſſet; legatis communione Afrorum Epiſcoporum quamprimùm interdictum eſt (c). His igitur per domos, ac oppida ſcelerum ſuorum comites indagantibus, Pompejus & Stephanus Africæ Epiſcopi ex Romana profectione Carthaginenſium Patrum Cœtum ſubeunt: Nihil gratius Cypriano fuit, nil jucundius cæteris Præſulibus, quàm audire, quo omnium conſenſu Cornelium virum maximæ probitatis ac demiſſionis, invitum etiam in Pontificiam dignitatem ſublevari viderint; de Novatiano contrà teſtabantur, eum ambitioſiſſimum, à ſimplicioris ingenii Epi-

(a) Cyprian. ep. 49. Pamel. 46.

(b) Cornel. ep. ad Fab.

Novatianus primus Antipapa.

(c) Cypr. ep. 44. Pam. 41.

Episcopis, iisque temulentis inanem manuum impositionem per vim ac fraudem accepisse. Ex testimonio tantorum virorum, qui electioni interfuerant, proscripto Primo Antipapâ Novatiano, Cornelio omnes adhærendum judicârunt (d).

(d) Idem epist. 46. Pam. 44.

Cornelius ab Afris agnoscitur verus Pontifex.

13. Patres de Canonica Cornelii ordinatione persuasi, ad negotia Africanæ Ecclesiæ pertractanda diligentiùs accedunt. Ac Primò Felicissimum & quinque Presbyteros nuper ab Ecclesia profugos audiunt: dein auditos à pace fidelium abstinent. Dum hæc sententia Provinciis perscribebatur; reversi sunt Caldoinus & Fortunatus Carthaginem: expositis iis, quæ Romæ de Cornelii gloriosa innocentia habuissent comperta, epistolæ Synodicæ id quoque insertum est, ut & tota Africæ Provincia, & Numidia, & Mauritania Cornelium velut Ecclesiæ caput tenerent. Atque ut PP. congregati obeditionis erga Cornelii supremam potestatem exemplum ederent; judicium de Felicissimo, aliísque Presbyteris prolatum, Cornelio transmiserunt. Inde causa lapsorum in eodem Carthaginiensi Concilio suscepta est: Cyprianus eam ad duo capita redegit (e); nam primò cautum est, ne spes omnis communionis restituendæ lapsis adimatur: dein Provisum lege Ecclesiasticâ, ut ii, qui ad pacem pristinam aspirarent, pœnitentiam à Sacerdotibus injungendam non detrectent. Hoc duplici Canone & Felicissimi facilitas, & Novatiani erga lapsos Austeritas profligabantur. Sed utì omnis schismatis funesta initia in hæresin tandem desinunt; ita Novatianus jam non solùm ob turbulentos motus Primus Schismaticorum Antipapa, verùm & pessimus Hæresiarcha audiebat (f): ex Stoicorum doctrina cùm illi durior animus adhæreret; vulgabat lapsis inaniter veniam & non sinè scelere concedi à Sacerdotibus: ad hos quidem pertinere, ut reos ad pœnitentiam hortentur; at Ecclesiastica in potestate nullâ ratione esse, ut peccata (quæ omnia paribus æstimanda mensuris dicebat) remittat, aut condonet. Risum à Cypriano tulit Sycophanta, cui S. Præsul non semel oggessit, ut quid suaderetur iis pœnitentia, quibus subtraheretur de satisfactione medicina? somnio etiam illud persimile esse, quòd cùm lapsis pacem dandam inficiaretur; ipse adulteros libellaticis deteriores reciperet: imò sceleratissimos ab Ecclesia recedentes admittens, novo elueret baptismate (g). Præter

(e) Pagius in Critic. Baronii ad a. 251. Pearsonus in Cyprian.

(f) Pacian. ep. 3.

Novatiani Schisma in hæresin desinit.

(g) Cypr. epist. 55. Pamel. 52.

ter Cyprianum Dionyſius Alexandrinus in homine ab errore revocando ſuam operam quoque collocavit. Poſtquàm enim ei graviſſimam facti ſchiſmatis noxam expoſuiſſet; id à Novatiano depoſcebat, ut fratres, quos in errorem conjeciſſet, ad concordiam revocaret: At Hæreſiarcha in profundiora prolapſus, contemptis monitis, ſuos ſectatores ſibi arctiùs deinceps devinxit; nam oblatione factâ, portionem ſingulis dividens, dum eam tradit, miſeros homines jurare cogit per corpus & ſanguinem Domini, ſe factionem Novatiani ſemper, nunquam verò Cornelii partes ſecuturos (h).

A. Æ. C. 251.

(h) Euſeb. l. 6. c. 43.

14. Intereà Cornelius accepto à Synodo Carthaginenſi Canonum libello, ipſe Romæ cœtum 60. Epiſcoporum, Presbyterorum plurium, ac Diaconorum cogit (i). Horum intererat, damnatâ Novatiani Sectâ, corroborare ea, quæ ab Afris paulò antè de recipiendis lapſis prudenter ſancita fuerant. Novatianus quoniam tot telis appetebatur in Italia, in Africam ſuos ablegavit, ut in ea Eccleſia, ubi Feliciſſimi erga lapſos ſententia mitior proſtrata fuerat, auſterius contra Apoſtatas judicium ſcilicet Novatiani, unà cum ejus hæreſi erigeretur. Tot igitur veteratoribus ex Italia egreſſis, fratres Confeſſores à Novatiano decepti velut diſcuſſo turbine reſipuerunt (k): neque Cornelius votis eorum defuit; nam pœnitentes complexus, ex conſenſu Præſulum, & ſuffragantis populi ſingulos Eccleſiæ reſtituit. Decio ſub hujus anni CCLI. finem ſublato, pacem integram Orthodoxi accepêre. Multitudo lapſorum, qui per Pœnitudinis gradus ad Eccleſiam redire parabant, Epiſcopis ingens faceſſivit negotium; quare ab eo tempore (ſi Socrati, & Sozomeno fides eſt) *Pœnitentiarius Presbyter* albo Eccleſiaſtico appoſitus eſt, qui Epiſcopi vices gerens lapſorum delicta cognoſceret (*14); ſimúlque ſtatueret, quæ pœnitentia iis injungenda

(i) Idem c. 45.

(k) Cypr. epiſt. 49. Pamel. 46.

Finis Perſecutionis.

Pœnitentiarius Presbyter.

(*14) SOCRATES lib. 5. c. 19. & SOZOMENUS lib. 7. c. 17, dum hoc tempore *Pœnitentiarium Presbyterum* creatum in quavis Eccleſia ſcribunt; manifeſtum eſt ad tempora Cypriani usque, Epiſcopos ſolam & ſpecialem pœnitentium curam habuiſſe: BARONIUS ad a. 255. §. 9. explodit hanc Scriptorum narrationem: ſed quamvis Socrati & Sozomeno in iis, quæ doctrinam, & diſciplinam Eccleſiæ concernunt, parva fides danda ſit; nihilominùs id aliunde confirmatur, reconciliandorum ſcilicet pœnitentium munus Epiſcopo olim reſervatum eſſe: ſic Canone 3. Concilii Carthagin. II. habetur: *Ab ani-*

genda foret. In Presbyteros aut Clericos Apostatas severiùs actum est; ea quippe Ecclesiæ lex tunc vigebat, ut quicunque idolis rem nefandam fecissent, persoluto Pœnitentiæ debito Ecclesiæ ità redderentur, ut tamen è gradu Sacerdotali dejecti, in Laicorum ordine deinceps consisterent.

§. V. *Synodi de lapsis, Martyrium Cornelii Pontificis, Lucius & Stephanus PP. Controversia inter Cyprianum & Stephanum de baptismo HH. Persecutio Valeriani, Sixtus II. Papa, ejúsque Martyrium, S. Laurentius, S. Cyprianus aliique MM. Finis persecutionis.*

A. Æ. C. 252.

I. QUemadmodum nubes tempestatibus fœta non unam regionem permeat, sed pluribus Provinciis illata, tumultu ac vastitate cunctas confundit; ita Novatianorum cohors ex Italia in Africam progressa, sparsis contra Cornelium criminationibus tumultuari ubíque, ac exitiosa schismatis vestigia imprimere ausa est (a): Factionum licentia quò minùs invalesceret; Cyprianus librum de unitate Ecclesiæ velut validissimum clypeum objecit, quo quidem volumine id potissimùm urgebat; veritatis & unitatis originem, capûtque esse Cathedram Petri, super quem Deus fundavit Ecclesiam suam: ab hac cathedra recedentes unitatem scindere, ac Christi promissiones evacuare (*1). Dum hoc utili labore Cyprianus nutantes etiam Africæ Episcopos confirmabat; Dionysius Alexandrinus pari curâ Fabianum Antiochiæ Præ-

(a) Cypr. epist. 41.

Cyprianus componit librum de unitate Ecclesiæ.

universis Episcopis *dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant, vel reconciliare quenquam in publica Missa Presbyteris non licere; hoc omnibus placet.* Et Canone 4. *Aurelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum: & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare.*

(*1) CYPRIANUS de unitate Ecclesiæ: *Hoc erant*, ait, *utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unâ confessione pascatur. Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse credit? . . . . Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodò cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in Origine &c.*

Præsulem & Austeriore Novatiani disciplinâ delusum ad saniorem mentem revocare instituit (b): At is altiùs dudum errori inhæserat cum aliis quoque præsulibus, qui Antiochiæ sibi jam diem designaverant, quâ Novatiano integras manus darent (c). Dionysii literæ cùm non proficerent; Fabianum Deus è terris rapuit, cui suffectus Demetrianus meliorem indixit Synodum, in qua schismatis malesanum authorem proscripsit.

(b) Eufeb. hist. l. 6. c. 44.

(c) Idem c. 46.

2. Eodem Anno CCLII. circa festum Paschale pro more congregati Episcopi in civitate Capsensi (*2) literis à Cypriano exquirunt; utrùm eas, qui tempore tyrannidis multa perpessi, ac lentâ tormentorum vi subacti fuissent, peractâ triennii pœnitentiâ ad pacem admittere conveniat? Cyprianus affirmavit omnino indulgendum; tum quod per tres annos planxerint, tum etiam quòd ii cæterorum lapsorum sortem præcedere debeant, qui in prælio congressi & vulnerati per imbecillitatem carnis, confessionis suæ coronam non potuerint perferre; maximè cùm cupientibus mori non permitteretur occidi: sed tamdiu fessos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ invicta est, vincerent; sed carnem, quæ infirma est, fatigarent (d): consulturum tamen se proximè cæteros Episcopos hâc super re promittit. In Synodo, quam Carthagine post pascha decimâ quintâ Maji celebravit (e), postquàm Cypriano super re propositâ Patres annuissent; Fidus Episcopus retulit (f) à Therapio Præsule Victorem Presbyterum ante actam pœnitentiam plenam & integram pace donatum fuisse; quin infirmitatis urgeret periculum: Therapius ideò reprehensus, Victor autem ad Laicorum ordinem redactus est (*3). Ab eodem Fido subinde alia in medium quæstio adducta est, an infantibus baptismus eo tempore, quo olim circumcisio, scilicet post octo dies conferendus sit (g)? omnium contrà sententia fuit, parvulos dono

Synodus Caps. nsis de lapsis.

A. Æ. C. 252.

(d) Cypr. epist. 53.

Synodus Carthaginensis II. de lapsis.

(e) Cypr. ep. 55.

(f) Idem ep. 59.

(g) Cypr. ep. 59.

(*2) Veteris disciplinæ institutum erat, ut quot annis Episcopi post tempus Paschale, & sub autumnum, id est binis vicibus Provinciales haberent Synodos ad decidendas, si quæ inciderent, Religionis controversias V. *Canonem* 36. *Apostol.*

(*3) TILLEMONT in V. Cypriani A. 29. dum de Victore lapso Presbytero scribit: quòd redactus sit in ordinem laicorum, quia ante plenam pœnitentiam à Therapio Episcopo ad communionem admissus fuisset: inde ait illustre monumentum disciplinæ Ecclesiasticæ extare; siquidem inde intelligatur etiam sacerdotes in certis casibus pœnitentiæ publicæ fuisse subjectos.

dono Dei, & gratiæ tamdiu privari non oportere (*4). Sub Concilii finem Carthaginem venit Privatus, olim Lambesæ in Numidia Episcopus: is licèt criminum ergò primùm ab Episcopis Africæ, dein à Clero Romano posteà condemnatus recessisset; adlecto tamen novo factionis satellitio Carthaginiensi Synodo se obtrudere præsumpserat (h): At denuò rejectus, ultionem suæ, ut rebatur, injuriæ novo facinore exigendam putavit; Fortunatum quippe unum ex quinque seditiosis contra Cyprianum Presbyteris, honoribus summi Sacerdotii insignitum Cypriano opposuit; atque ut crimini hujusmodi præsidium conscisceretur; Felicissimus cohortis istius Dux Romam abit, in Cornelio causæ malignæ Patronum quæsiturus. Pontifex hominem primò respuit: sed quoniam Felicissimus à repulsa ferocior, minas jactabat cum suis, nec paucorum criminum insimulabat Cyprianum; Cornelius ad molitiones seditiosorum mollior, id datis ad Cyprianum literis maximè querebatur, quòd ex Africa ad urbem nihil hac super re fuisset perscriptum. Verùm Cyprianus jam per Felicianum Acolythum epistolam de ordinatione Fortunati, & de legatione Felicissimi Romam direxerat: & quo minùs citò hæc instructio manibus Cornelii consignaretur (i); unius Feliciani mora, aut itineris difficultas in causa fuêre. Seriùs igitur Cornelius epistolam Cypriani accepit, non tantùm Primam, quâ de Schismaticorum conditione edoceretur; sed & alteram, quâ Pontificem hortatur, ut audentior contra machinationes Felicissimi obsistat, cujus, uti & reliquorum Schismaticorum conatus reprehendit, eoquòd hi inferiorum ordinum Clerici ab Africæ Primate & Concilio jam damnati contra Canonum statuta ad Pontificem provocâssent (†): Cornelius ità instructus Felicissimum fortiùs abegit, ejúsque sectam, quæ paulò post dissipata est (k).

(h) Ep. 55.

Schisma Fortunati.

(i) Cypr. ep. 55.

Appellatio ad Pontificem.

(†) REFLEXIO VII.

(k) Tillem. in V. Cypr. n. 30.

3. Dum hoc literarum complexu se invicem stringebant amantissimi Præsules; uterque pari operâ suos ad impendentem à Cæsaribus procellam præparare instituunt: nam quoniam lues plures Imperii incolas unà cum Augusto Hostiliano absumpserat, Impe-

(*4) PAMELIUS collegit in ordine 59. epistolam Cypriani, ex qua patet, parvulos adfuisse sacrificio, & accepisse de calice Domini more aliorum: hunc morem adducit S. Augustinus Epist. 18. in libro de meritis, & peccatorum remissione, inde contra Pelagianos urgens peccatum originale.

Persecutio sub Gallo & Volusiano.

Imperatores Gallus, & Volusianus à Diis & præcipuè ab Apolline salutari remedium mali per sacrificia exquirendum existimârunt: ab his igitur sacrilegis ritibus dum Christiani se subducunt, vexatio graviùs recrudescit. Cyprianus velut bonus Pastor cunctos per Africam pane fortium singulis diebus roborat, monétque ut meminerint se *idcirco quotidiè calicem Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere* (*5). Cæteris verò lapsis pacem indulgentiùs impertitur, in eam spem intentus, fore, ut antecedentem maculam majore animi vi, & fuso cruore eluant. A. Æ. C. 252. Uti Cyprianus Carthagine verborum virtute Confessores animabat ad pugnam; ita Romæ Cornelius exemplo Martyribus in mortem præivit (l). Centumcellas enim relegatus a. CCLII., in exilio obiit eodem anno: excessu hoc glorioso confortavit non paucos qui sub Decio defecerant; simúlque Novatianorum calumniam extinxit, qui criminabantur, à Cornelio perperàm & sine fructu lapsos Ecclesiæ redditos fuisse. Mediis in his fluctibus clavum Ecclesiæ accepit LUCIUS Romanus: Pontifex hic paris fortitudinis Cornelium in sedem, ac subinde etiam in exilium secutus est, applaudente Cypriano non minùs ejus Papali dignitati, quàm tam gloriosæ confessioni (*6). Ne Novatianus livor denuò ejus, ut antè Cornelii famam roderet, vir vitæ integerrimæ statuit (*7); ut duo Presbyteri & Diaconi tres Episcopum continuò comites testésque sequerentur. Septimo mense sedis suæ necdum absoluto, quarto nonas Martii a. CCLIII. inter cruciatus Martyr (*8) animam posuit; STEPHANO Archidiacono suo, dein Pontifici, gregis universi curam relinquens (m).

(l) Cypr. epist. 57. Euseb. lib. 7. c. 2.

Martyrium Cornelii Pontificis.

Lucius Pontifex, ejúsque obitus.

Papa Stephanus.

(m) Cypr. epist. 67.

(*5) CYPRIANUS dum epist. 56. hortatur populum ad Martyrium, simul indicat quòd instante necessitate fideles tunc quotidiè cælesti epulo se refecerint. Colligitur quoque ex eadem epistola Cypriani, quòd olim Eucharistia in manus laicorum porrecta fuerit: *armemus & dextram, ait, gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum amplectatur.*

(*6) IDEM in Epist. 58. ad Lucium Papam scribens: *Et nuper quidem Tibi frater charissime, gratulati sumus, cùm te honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione Confessorem pariter, & Sacerdotem constituit divina dignatio &c.*

(*7) Decretum Lucii recitatur c. *jubemus* 60. de Consecr. dist. I. *propter malevolos juxta Apostolum, oportet Episcopum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Sicut igitur Evaristus præceperat, ut septem Diaconi *custodirent Episcopum prædicantem propter Stylum veritatis*; ità Lucius voluit, ut duo Presbyteri, trésque Diaconi continuò assisterent Episcopo *propter testimonium Ecclesiasticum* de ejus vita.

(*8) IDEM epist 67. juxta Pamel. ad Stephanum Papam, *Servandum, ait, est an-*

4. Pestis eodem tempore magis invalescens non tantùm Gentilium, sed & Christianorum domos exhausit: calumniæ inde novæ in Christi gregem confictæ sunt (n); nam Demetrianus judex Carthaginensis mali originem in orthodoxos rejectabat: Alii verò Ethnici vel ex hoc fidelibus insultabant, quòd æquâ cum Gentilibus sorte uterentur; nec magis à luis contagio defensi promiscuâ strage occumberent. Cyprianus utrique respondit; nam ad Demetrianum dato libello, ostendebat ex hominum peccatis duntaxat calamitatum profluere cumulos: dein volumen de mortalitate edidit, in quo non diffitebatur, Christianos, quoad in mundo degunt, cum humano genere carnis eâdem conditione conjungi; spiritu verò quàm longissimè separari: hoc inter nos & cæteros interesse, qui Deum nesciunt, quod illos adversa conturbent; nos ærumnæ non avocent à virtutis & fidei veritate, sed corroborent in dolore: Mortalitatem istam Christi hostibus pestem esse, servis verò Dei salutarem excessum. Quod quidem discrimen ampliùs tunc patuit ex diversæ agendi Gentilium, & Christianorum ratione; nam cùm illi fugientium more ægros, afflictósque desererent, hi conjunctis charitatis obsequiis & domesticos fidei & infideles confovebant.

(n) Pont in in V. Cypr.

Cypriani liber de mortalitate.

Pestis orbem evastat.

5. Quàm funesta cæteris urbibus hæc lues erat, tam opportuna ad salutem fuit Neocæsariensibus: grassata hìc per tempus eâdem fœditate pestis fuerat, & ne pereuntibus ad formidinem aliquid deesset; spectrum urbem obambulans apertè designabat ædes, quibus malum immineret: deprehensum tandem à civibus est, ab illis domibus exulare contagium, quas Gregorius Thaumaturgus civitatis ejus Episcopus ingrederetur: re igitur divulgatâ omnes omissis sacrificiis ac delubris ad Præsulem confugiunt & ejuratâ superstitione, corporis posteà, animæque sanitatem simul percepêre (o).

(o) Nyssen. in V. Greg. Thav.

6. Sed ne Prodigiorum vi tantùm fidei nostræ præstantia Ethnicorum oculis atque animis inferretur; eâdem tempestate suavioribus adjumentis illa commendata est: Desidente turpiter Gallo Cæsare, Barbari Numidiam populati, Christianorum complures

tecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii bonos gloriosus . . . . illi enim pleni Spiritûs Dei, & in glorioso Martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt.

plures ad servile jugum abstraxerant: non passa est fidelium charitas tot fratres in hostium manibus squalere; quin symbolis collatis, & lytro sestertium centum millibus æstimato captivis catenæ ademptæ sunt, mirantibus Ethnicis pretiosa officia Christianorum. Haud absimili gratificandi studio Episcopi per Africam suorum necessitatibus aderant, sive cùm Demetrianus sæviret, sive cum lues grassaretur: itaque in varia suis opitulandi genera quoniam Præsules se profundebant; parùm aberat, quin aliquorum Episcoporum simplicior zelus errori adhærescerct (p): illi siquidem in ipso vexationis æstu matutinis horis, quibus celebrabant Mysteria, pro vino aquam adhiberi posse putabant, ne per diem fratrum ergastula obeuntes, ex odore vini peracti manè sacrificii ab Ethnicis insimularentur: Cyprianus de ignorantia Episcoporum edoctus, eos admonuit, *ut in calice offerendo traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix, qui in commemoratione ejus offertur mixtus vino offeratur* (*9).

Charitas Christianorum erga captivos & peste infectos

(p) Cypr epist. 63.

Sacrificium Eucharistiæ in aqua confici non potest.

7. Anno Æ. C. CCLIII., ætatis suæ ferè septuagesimo Tyri obiit Origenes (q), inque Ecclesia S. sepulchri tumulatus est: vir à doctrina, virtute, & discipulis celebris, sed non minùs ab erroribus famosus, cui quoniam mortuo Dionysius Alexandrinus laudem amplam scripsit (r); eum extra communionem Ecclesiæ decessisse haud putavit. Idem annus finem Galli & Volusiani Augustorum, ac simul initia vidit Valeriani Principis: Hoc Imperium auspicante pax data est Ecclesiæ (s); nec displicuit Augusto, in palatio à familia Cæsaris Christi legem coli. Valeriani primi favores incitamento Episcopis fuêre, ut illatas Ecclesiæ ruinas reficere

(q) Euseb. l. 7. c. 1.

A. Æ. C. 253.

Mors Origenis.

(r) Euseb. lib. 5. c. 46.

(s) Idem l. 7. c. 10.

(*9) CYPRIANUS epist. 63. dum Episcopos monet, ne in aqua conficiant Eucharistiam, palàm ostendit, Eucharistiam eandem esse verum Sacrificium: Melchisedech sacerdos, *qui Christi typus fuit, & sacrificii Dominici Sacramentum præfiguravit, dum protulit panem & vinum. Nam quis magis Sacerdos Dei summi fuit, quàm D. N. Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod obtulerat Melchisedech, id est panem & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem . . . . unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici, nec sacrificium Dominicum legitimâ sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni . . . . Nam si Jesus Christus Dominus Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre. secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.*

Pax Ecclesiæ sub Valeriano. reficere aggrederentur: lætissimus labor, ubi fervebat; mercenarios quoque Episcopos ac Presbyteros (qui nuper ab Ecclesia profugerant) incendit, ut & ipsi ex oblationibus (* 10) fidelium magìs quæstum, quàm animarum lucra quærerent. Duo præcipuè Basilides Legionis, & Martialis Emeritæ Episcopi depositi, Stephano Papæ obrepserant, ut datis literis sedibus restituerentur (t): Cyprianus, ùt hæc cognovit, contrà obluctatus, sanctionem Cornelii Pontificis urgebat, quâ statuerat ejusmodi Apostatas ad pœnitudinem, non verò ad Sacerdotii honorem admittendos. Majore pondere Africæ Primas oppressit Marcianum Arelatensem Episcopum: is licet Novatianum secutus, pacem facinorosis etiam in ultimo vitæ articulo negaret; tricis tamen suis Stephanum Papam ita deluserat, ut longiore tempore in Præsulis munere, ac vicini Episcopi vellent, relinqueretur. Cyprianus itaque causam apud Papam fortiùs egit, ut ejecto lupo Pastor substitueretur, qui Marciani duritie dissipatum gregem denuò colligere posset (u).

(t) Cypr. epist. 64.

Lapsi Episcopi arceantur ab Ecclesiasticis officiis.

(u) Idem. epist. 57.

A. Æ. C. 255.

Baptismus Clinicorum, sive perfusorum.

8. Postquàm Stephanus cum Cypriano causas ejusmodi amicè transegerat; anno CCLV. controversia inter utrumque suborta est, quæ conjunctionem animorum non parùm distraxit (x). Prima dissidio initia jecerat Magnus quidam, cujus à Cypriano edoceri intererat; utrùm baptismus, quem acciperent Clinici, quémque Hæretici impertirentur, nullo nævo laboret? ad Primum Cyprianus ex mente Ecclesiæ, ac Pontificis optimè reposuit, nil deesse lavacro regenerationis, & gratiam ex pari Christi institutione consequi tum eos, qui dicerentur loti, tum illos qui Clinici, aut in ægritudine decumbentes, salutari duntaxat aspergine perfusi fuissent. Verùm alterum quæstionis caput contra Ecclesiæ universalis traditionem & contra Stephani, pluriúmque Episcoporum judicium Cyprianus ità diremit: Baptismo ab Hæreticis collato non ablui homines, sed sordescere magìs, nec Deo per regenerationem illam, sed Diabolo filios generari. Cùm enim unum duntaxat baptisma in Dei vera Ecclesia existat, frustra alium baptismum venditari: & quoniam vitæ fontem deseruerunt, in illorum potestate non esse, ut vitalis & salutaris aquæ gratiam polliceantur

(x) Idem epist. 76.

(* 10) CYPRIANUS epist. apud Pamel. 64. hic apertè ostendit, Clericos illo tempore ex solis fidelium oblationibus vixisse.

tur (y): Cyprianus etsi à vero aberraret longiùs, ut qui Baptismi effectum ab ipso Sacramento non distinguens, nullam gratiam adultis baptizatis, ac proinde nec Sacramentum iis ab hæretico aut schismatico conferri posse assereret; non pauca tamen adjumenta habuit, quibus in sua opinione, quantumcunque erroneâ, per tempus aliquod firmaretur.

(y) Idem epist. 70. 71. 74. 75.

Baptismus ab Hæreticis collatus an valeat?

9. Provocabat ille primùm ad Prædecessorum suorum usum, inter quos Agrippinus sub sæculi secundi finem Carthaginiensium Episcopus unà cum Tertulliano docuerat, cunctos, qui ab Hæreticis essent baptizati; in Ecclesia Christi (siquidem illi annumerari vellent) alio Baptismo ablui oportere (z). In Cappadocia, & quibusdam in Provinciis Asiæ eadem Episcopis opinio fuit, hoc tamen discrimine, quòd Afri dicerent, se prætermissâ consuetudine antiquâ rationem sequi: Cappadoces verò unà cum Cilicibus, & Galatis, se rebaptizare affirmarent ex accepta traditione (a); quare cum subinde addubitatum esset, an saltem Cataphrygum, qui cum orthodoxis Patrem & Filium & Spiritum S. crederent, Baptismus probari posset? causâ Iconii, & Synnadæ circa a. 230. ad Synodos permultas revocatâ definierunt, nec à Cataphrygibus, nec à cæteris hæreticis Baptismum validè administrari (b).

Negantium argumenta

(z) Idem epist. 73.

(a) Idem epist. 75.

(b) Euseb. l. 7. c. 7.

10 Dum huic suæ à medio sæculo forsan usurpatæ disciplinæ insistebant Firmilianus in Asia, Cyprianus in Africa, cum quinquaginta, aut aliquanto pluribus Episcopis Cappadociæ, Galatiæ, Ponti & Numidiæ; major pars Ecclesiarum & Episcoporum contrarium, & ab Apostolis traditum morem sequebatur: quæ dissimilitudo tandem Africæ Præsulibus dubium ejusmodi injecit, ut literis à Cypriano exquirerent, an inter cæteros hæreticos, eos, quoque, qui à Novatiano veniant, post profanum ejus lavacrum baptizari & sanctificari in Ecclesia Catholica vero & unico Ecclesiæ Baptismate oporteat (c)? Cyprianus ubi Magno cæterorum nomine sciscitanti reposuisset, hâc omninò ex ratione hæreticos Sacramento initiandos, & Ecclesiæ asserendos esse. Jubajanus porrò obmovit, hunc usum novum, & Novatianorum ritui persimilem videri, qui ab Ecclesia vera recedentes novo, alteróque Baptismo lustrarent: Cyprianus etsi provocâsset ad Agrippinum, & alios Episcopos, qui ante se in Asia, & Africa id comprobâssent

Ecclesiæ universalis consuetudo circa baptismum HH.

(c) Cypr. ep. 70.

Synodi varia in eadem causa.

bâſſent; necdum tamen compluribus Prælatis omnem anxietatem exemerant. Itaque eorum octodecim in Numidia conveniunt, ad quæſtionem diſcutiendam: præſtétne Novatianos ad Eccleſiam redeuntes tingere baptiſmo, aut hoc omiſſo iis manus duntaxat imponere? Poſt longam deliberationem, quid ſtatuant, incerti, ad Concilium, cui Cyprianus tunc præſederat, cauſam perſcribunt: Africæ Primas unà cum Synodo denuò urgebat, ab hæreticis nullum Sacramentum confici poſſe (d); cui addidit, quòd cùm hæretici nec altare habeant, nec Eccleſiam, conſecrare nequeant oleum, quo baptizati ungebantur: atque ut Adverſantium argumentorum vim extenuaret, ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum ſeparatis literis oſtendit ex iis, quæ aliàs diſſeruiſſet, hæreticos non rebaptizari; ſed quia nihil antè in Hæreſeos hara accepiſſent, Baptiſmi modò primi participes fore: non diffitetur equidem Cyprianus antiquam univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem ſibi adverſari; aſt, quò faciliùs hoc telum repellat, ratione potiùs vincendum ait, quam conſuetudine præſcribendum. Huic Cypriani ratiocinationi cùm pauci acquieſcerent; libellum concinnavit de bono patientiæ, in eo maximè deſudans, ne controverſiæ ergò pacem Eccleſiæ ullus intereà ſcinderet: ac ne verbis placare Epiſcopos ſolùm videretur; copioſiorem 70. Præſulum cœtum ex Africa Proconſulari & Numidia Carthaginem cogit. Nihil ab iis, quæ jam à Primate ſtatuta fuerant, Patres definiendum illinc cenſuêre: id igitur ſolùm expoſitionis causâ adjectum eſt, Baptizatos, qui à Catholica Eccleſia defeciſſent, ſiquidem redeant, novo Baptiſmo minimè luſtrandos. Quod & exemplo eorum, quos Samariæ Philippus Diaconus baptizârat, confirmaverunt; nam hos ajebant citra alterius Baptiſmatis ritum, ab Apoſtolis ſignaculum Dominicum ſeu Confirmationis Sacramentum accepiſſe (*11).

(d) Cypr. epiſt. 73.

Synodus I, Carthaginenſis de HH. baptiſmo.

Carthaginenſis altera Synodus.

II.

(*11) IDEM ep. 73. ad Jubajanum docet id, quod jam epiſt. 71. ad Januarium & Epiſt. 72. ad Stephanum monſtraverat, eſſe ſcilicet in Eccleſia CONFIRMATIONIS Sacramentum diſtinctum à Baptiſmo: ità enim de Samaritanis à Philippo baptizatis ſcribit: *Idcirco, quia legitimum, & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant; baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodò, quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habitâ, & manu impoſitâ invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur; ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manûs impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Neque dicas cum

Dal-

11. Conceptæ à tot Synodis ſententiæ, ut ſuprema tandem authoritas accederet; Synodica epiſtola ad Stephanum Pontificem directa eſt (* 12): in qua primùm magnâ in ſedem Romanam reverentiâ ſua de impertiendo hæreticis novo Baptiſmate ſenſa teſtabantur: tum Cyprianus ſubjecit nulli hâc ſuper re (quidcunque ſenſerit) in Africa vim fieri, neque legem dari. Duriùs duo Epiſcopi, quos legatos Concilium ex Africa Romam miſerat, à Stephano accepti ſunt; nam præterquàm quòd eos à colloquio rejiceret, id etiam cavit, ne quis fratrum eos præſumeret habere domi: Pontifex tamen, ne Cypriani errorem diſſimularet, literas ad eundem dedit, quibus id inculcat: *Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam* (†), præcepto ſuo Pontifex minas addidit: ni Afri obſequantur; fore, ut refragantes communione prohibeat.

Synodica ad Stephanum PP.

Stephani ſententia.

(†) REFLEXIO VIII.

12. Ad fulminis intentati terrorem intrepidus Cyprianus, convocat tertiam eadem in cauſa Synodum: congregatis 87. Epiſcopis ex Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ Provinciis controverſiæ argumentum denuò exponit, monens, ut quisque liberè enuntiet, aut ſequatur, quod velit; neque enim ullum Epiſcopum altero ſuperiorem, qui cæteros in ſua ſenſa compellat: aut ei, ſi diverſum ſenſerit, communionem abnuat: quæ cum diceret, Stephanum perſtrinxiſſe viſus eſt (e); nihil quippe magis Cyprianum afflixerat, quàm quòd Papa ad leges ſuas Afros ultimâ vi & cenſurâ Eccleſiaſticâ adigere conaretur. Prætereà aculeus iſte altiùs hærebat, quòd Stephanus Afris traditionem oggeſſiſſet;

A. Æ. C. 256.

Tertia Synodus Carth. rebaptizantium.

(e) Act. Concil.

 Apo-

Dallæo: hos rites fuiſſe ceremonias Baptiſmo annexas, quia ſuper pridem baptizatos novus hic exterior ritus de novo adhibebatur, & Spiritus S. conferebatur. Erat igitur ſignum habens annexam promiſſionem gratiæ, ac vel ideò verum & diſtinctum Sacramentum. Vide Natalem Alexandrum in ſæc. 3. diſſert. X. §. 4,

(*12) IDEM epiſt. 72. *Ad quædam diſponenda, & conſilii communis examinatione limanda, neceſſe habuimus, frater chariſſime, convenientibus in unum pluribus ſacerdotibus, cogere & celebrare concilium, in quo multa quidem prolata, atque transacta ſunt: ſed de eo vel maximè tibi ſcribendum, & cum tua gravitate & ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad ſacerdotalem authoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem, de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem; eos, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere ....* Ut verò intelligatur mens Cypriani, quod nimirum hanc quæſtionem non fidei, ſed diſciplinæ duntaxat eſſe putârit, ſubjungit: *Quâ in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus.*

Apoſtolicam, cujus veſtigium à ſe inveniri Cyprianus negabat (* 13). His propoſitis Præſules ad unum omnes in ſui Primatis ſententiam tertiâ jam vice iverunt: ſuffragia hujus Concilii eò digniora viſa ſunt, quò illuſtriores viri ea protuliſſent; nam quindecim Confeſſores Synodo intererant, quorum aliqui poſteà fidem ſanguine ſuo obſignârunt.

13. Cyprianus hoc ipſum Patrum judicium cum Stephani decreto miſit Firmiliano Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo (f): Hic Antiſtes vehementis ingenii, literas ad Primatem Africæ reddidit felle plenas, quibus cùm Stephani acerbitatem duriùs notâſſet; gratulabatur Præſulibus, quòd errorem conſuetudinis, cognitâ veritate reliquerint. Adhæc ſignificabat, Cappadocibus traditionem, æquè ac Romanis, licèt contrariam eſſe, à qua diſcedere nefas putaret. Literas has etſi inter ſuppoſitarum numerum meritò doctiores accenſeant; id tamen perſuaſum eſt omnibus, Firmilianum Stephano pervicaciùs obluctatum fuiſſe. Quare Pontifex eò ſua jam verterat conſilia, ut Cappadoces, Cilicéſque (ùt qui hæreticos rebaptizarent) Communione ſepararet (†). Meditanti hæc Stephano obſtitit Dionyſius Alexandrinus, qui à Papa id precibus rogabat, ne pacem abrumperet cum Epiſcopis, qui id ſequerentur, quod in pluribus Aſiæ, Africæque Synodis fuiſſet comprobatum (g). Et profectò viri Authoritas tantò major apud Stephanum extitit, quantò certius erat, ab eo, Ægyptiiſque errorem & legem Romanam obſervari. Præterea idem paulò antè Papam ſuis literis recreaverat; cùm nuntiaret Epiſcopos, qui Novatiano faverant, ad unitatem Eccleſiæ rediiſſe: ſcilicet Demetrianum Epiſcopum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Mazabanem Æliæ, Marinum Tyri, Laodiceæ Heliodorum, Helenum Tarſi, Firmilianum cum Univerſa Cappadocia (h). Ne igitur tot præſules in novam

(f) Cypr. epiſt. 75.

Firmiliani epiſtola.

(†) REFLEXIO IX.

(g) Euſeb. l. 7. c. 10.

(h) Idem c. 5.

(* 13) Stephani epiſtola non videtur equidem lecta fuiſſe in Concilio Carthaginenſi; ſed poſtquàm Pompejus Africanus Epiſcopus petierat à Cypriano literarum ejuſmodi exemplum; Primas Africæ eas miſit, cum his animadverſionibus, quibus id maximè perſtringebat, quod Stephanus ſcripſerat: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* Quare ſubjungit Cyprianus in modum indignantis: *Unde eſt iſta traditio? utrúmne de Dominica & Evangelica authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis, aut literis veniens?* Errabat in hoc Cyprianus, quòd expreſſam legem requireret; ſufficiebat enim conſuetudo; quam tenebat univerſalis Eccleſia: hinc, ut monet Auguſtinus lib. 5. adv. Donatum c. 23. ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.

novam ſciſſionem evaderent; Dionyſius facilè impetrabat, ut vinceret Pax Chriſti in cordibus Stephani, & reliquorum Præſulum: atque ut nullum Schiſmatis malum inter illos oriretur.

14. Velitationes Epiſcoporum longè atrocior Ethnicorum in Chriſtianos pugna interrupit: Valerianum enim quidam Macrinus (i) ad hoc ſcelus impulerat; ut Orthodoxorum ſanguine à Diis felicitatem tot in Imperii ærumnis mercaretur: his ſublatis fore pollicebatur, ut Numina certiora oracula darent & Aruſpices ex inſpectis infantium viſceribus, omina Victoriarum meliora caperent: debebat Macrinus tot humanas victimas orco, ejúsque miniſtris Magis, qui viro cæteroquin ſagaciſſimo per ſuas præſtigias deluſo Imperii ſpem objecerant: Valerianus ut peſſimo conſultori haberet fidem, victoria effecit; quâ eodem tempore Dux ejus Aurelianus Scythas & Gothos profligaverat. Antequàm vexatio Eccleſiæ corpus affligeret; Caput primò appetiit, ſcilicet Stephanum Papam, cui in Martyrum Cryptis miſſam legenti amputatum fuiſſe caput, Acta apud Surium perhibent: alii tamen eum in exilio vel carcere deceſſiſſe memorant anno CCLVII. (k) ſedis ſuæ anno quinto: Stephani per Martyrii palmam coronati locum obtinuit Sixtus II., qui primas inter curas id habuit, ut SS. Petri & Pauli Reliquias transferret ad Catacumbas (l): utì enim Chriſtianis viventibus; ſic & mortuorum Martyrum corporibus Gentilis perfidia inſidiabatur. Necdum perſecutionis æſtus penitus eruperat; quando idem Pontifex Euchariſtiam fidelibus dividebat, ut ingruente tyrannide cibus fortium in ſingulorum ædibus præſto eſſet. Tarſicius Acolythus, qui acceptum ſibi ſacrum epulum, domum portabat, à militum manipulo obruitur: inquirentibus quid geſtaret? indignum ratus porcis prodere Margaritas, inter verberum lanienam exhalat ſpiritum. Tum revoluto quantumcunque mortui corpore, Myſteria ſacra ab Ethnicis nulla inventa ſunt (m).

15. In Ægypto eodem tempore Dionyſius Alexandriâ cum magna Presbyterorum coronâ in exilium expellitur (n): Profuit hæc emigratio Lybiæ populis, quibus non modò Evangelium illatum eſt; ſed & detecta hæreſis Sabellii, quæ per ultimas Ægypti, Lybicáſque terras tantò ſecuriùs graſſabatur, quantò longiùs veræ doctrinæ Doctores ab his Provinciis anteà abfuerant. Fuerat Sabellius natione Afer, Pentapolitanus, Noëti diſci-

(i) V. C. I. §. 5.

A. Æ. C. 257.

Valeriani Perſecutio.

(k) Pagius in Brev.

Mors Stephani.

(l) Pearſon. in Annal. Cypr. ad a. 258. §. 2.

Sixtus II. Pontifex.

(m) Euſeb. l. 7. c. 5.

S. Dionyſii Alexandrini exilium.

(n) Idem c. 11.

discipulus, cujus virus improbo labore disseminabat, tres SS. Triados Personas in unam confundens (o). Pessimis conatibus Mesopotamiæ, Pentapoleos Episcopi adeò non restitêre, ut & ipsi in Ecclesia filium Dei prædicare cessarent, jámque errori victas undique darent manus: Dionysius oves è lupi faucibus retracturus, per literas dogmate meliore perditos imbuit; sed cùm validiori malo potentiora remedia adstruenda essent; ad Sixtum Pontificem perscribit (p): commodâsset operam suam Sanctissimus Ecclesiæ pastor; nisi à Valeriani Satellitio exagitatus, & tandem interceptus, ad supplicium raptus fuisset. Properantem ad bravium Athletam, Laurentius Archidiaconus ponè insequitur, id maximè questus, quòd cùm ex munere suo Sacerdoti ad aram facienti semper comes adstitisset; nunc quando se ipsum Deo Victimam Papa litaret, ab ejus latere divelleretur: Sixtus Laurentio Juveni graviores post triduum cruciatus præsagiens, querelas & gemitus hominis repressit. Neque vaticinio eventus defuit; nam post mortem Sixti is ipse Diaconus ab urbis præfecto de bonis Ecclesiæ postulatur (q): Laurentius ubi inopum turbam pro Thesauris ad palatium deduxisset; Præses in rabiem actus, Martyri craticulæ imposito prunas subjici mandat: ustulato uno latere, Christi pugil cruciatus in jocum vertens; tostam corporis partem Tyranno in crudeles dapes offert. Mox cœlum contuitus, Deo spiritum, tortoribus ruborem, Ethnicis multis fidem dedit (* 14).

(o) Epiph. hær. 57.

Hæresis Sabellii.

A. Æ. C. 258.

(p) Euseb. l. 7. c. 6.

Martyrium Sixti PP. & S. Laurentii.

(q) Prudent. περὶ στεφάνων. Ambros. l. 1. Offic. c. 41. & l. 2. c. 28.

16.

(* 14) RUINARTUS quidem monet in Actis MM. p. 187. Laurentii Acta (qualia circumferuntur) esse interpolata; celebritas tamen Martyris satis ab aliis promulgata est: scilicet ab Augustino Serm. 303. Chrysologo S. 135. qui ait: *Egregii hujus Martyris merita nullam partem orbis ignorare*, & Leo M. S. 83. *à solis ortu usque ad occasum Leviticorum hominum corruscante fulgore, quam clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris facta est Roma Laurentio.* Ex hujus igitur Martyris notissimo cultu patet, quàm antè religiosè primæva Ecclesiæ ætas venerata sit Martyres; & silentibus tot SS. PP., lapides etiamnum clamarent Laurentii honores. Ecclesiæ unius S. Laurentii cultui dicatæ meminit Augustinus in Serm. 322. n. c. Alias, quæ in Galliis extabant, Fortunatus & Gregorius Turonensis commemorant. Prudentius circa a. 400. testatur de Ecclesia S. Laurentii. Sed cæteris illustrior est, quæ extra urbis Romæ muros in agro Verano etiam nunc perstat: ac inter septem præcipuas, id est Patriarchales urbis Ecclesias locum obtinet, servátque B. Martyrii instrumenta & S. Reliquias: de his Gregorius M lib. 2. indic. 11. Ep. 33. ad Dynamium Patricium Galliarum transmisit, *crucem parvulam, cui de catenis S. Petri beneficia inserta sunt, quæ illius quidem colla ad tempus ligaverunt,*

sed

16. In cæteris Provinciis haud mitiùs cum gregis Paſtoribus actum eſt; Valerianus enim contra Perſas movens (inſtigante Macrino) Sacerdotum carnificinam alteram jam, & publicâ quidem lege indixerat (r): quare in Africa eodem tempore S. Cyprianus poſt unius anni exilium Curubi in deſerto Zeugitaniæ transactum, jubente Galerio Maximo Proconſule, cervicem ferro ſubjecit (s). Paſſus eſt in confeſſorum grege, ut ait Pacianus Barcinonenſis, cujus memoria ab omnibus omnino orbis Chriſtiani Eccleſiis celebratur (* 15). Equidem (t) *ille aliter de baptiſmo ſenſerat, ac forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ; correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur. Sed hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis: dum unitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis & copioſiſſimè defendit, & perſeverantiſſimè tenuit vinculum pacis .... acceſſit huc etiam, quòd tanquam Sarmentum fructuoſiſſimum, ſi quid fuerat in eo emendandum, purgavit Pater falce paſſionis; unde niſi quia hærens in diffuſione vitis, radicem non deſeruit unitatis. Nam etſi traderet corpus ſuum, charitatem autem non haberet, nihil ei prodeſſet* ... hinc cæteros Præſules diverſa ſentientes, nec judicandos, nec à jure communionis ſubmovendos eſſe decrevit. Et profectò hâc agendi ratione oſtendit, ſe correcturum fuiſſe opinionem (u); *ſi jam illo tempore quæſtionis hujus Veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur* (* 16).

(r) Vopiſc. in Aurel.

Martyrium S. Cypriani.

(s) Acta MM. apud Ruinart.

(t) Auguſtin. epiſt. 293. aliis. 48. ad Vincent.

(u) Auguſtin. lib. 2. de bapt. contra Donat. c. 4.

17.

ſed veſtra colla in perpetuum à peccatis ſolvant. Per quatuor verò in circuitu partes de beati Laurentii craticula, in qua peruſtus eſt, beneficia continentur. Vide etiam Tillemont Tom. IV. §. 1. in V. S. p. 64.

(* 15) S. AUGUSTINUS Serm. 310. 311. 312. & 313. S. Cyprianum prædicavit, & l. 2. de doctrina Chriſtiana c. 40. *Doctorem ſuaviſſimum, & Martyrem beatiſſimum appellat.* Et GREGORIUS NAZIANZENUS or. 18. Tom. I. ait: *Neque enim Carthaginenſi tantùm Eccleſiæ, nec Africæ, ab eo & propter eum etiam nunc claræ & celebri, præficitur, verùm etiam occiduis omnibus regionibus, ac propè etiam Orientali omni, atque Auſtrali, & Septentrionali oræ, quocunque illius fama & admiratio pervagata eſt. Sic Cyprianus noſter efficitur.* In Romanæ Eccleſiæ Canone ſemper nomen Cypriani recitatum eſt. Victor Vitenſis l. 1. deſcribit duplicem Baſilicam, quæ ædificata fuerat in honorem S. Cypriani, & Auguſtinus lib. 5. Confeſſ. c. 8. teſtatur, quòd eam noctem Beata Monica, quâ Auguſtinus in Italiam ſolvebat, flendo & orando transegerit *in memoria*, id eſt ſacello, *S. Cypriani.*

(* 16) *Per Concilium plenarium* ab Auguſtino citatum, alii intellexêre cum *Launojo* Concilium Arelatenſe, quod celebratum eſt anno 314. egitque de baptiſmo HH. Alii verò cum *Joanne Nicolai, Pagio, Schelſtrato* exiſtimant, per Concilium plenarium meliùs exponi Synodum Nicænam; ſed de hac controverſia opportuniùs differemus in ſæculo IV.

Martyres varii.

17. Post Cyprianum, Fructuosus Præsul Hispaniæ Tarraconensis, Saturninus primus Tholosæ, Dionysius Primus Parisiorum, Episcopi cecidêre (* 17), cum pluribus omnium ordinum atque ætatum Martyribus; quibus cumuli loco Nicephorus Laicus Antiochiæ in Syria accessit: hic in Sapricio Presbytero anteà sibi amicissimo leviusculâ offensâ grande odium concitârat: id cùm frustrà amicorum, suísque precibus leniisset; Sapricius ad tormenta, & ad supplicii locum fidei causâ raptatur: sperabat Nicephorus hunc Silicem jam per sanguinem pro Christo fundendum emollitum iri; quare per varias vias homini supplex pro venia occurrit, ínque ipsa arena ultima Confessori verba adhibet, quêis ad deponendum odium permoveret. Verùm Sapricius ab officio irritatus magìs, cum charitatis neglectæ jactura etiam fidei naufragium in portu facit. Apostatâ igitur manus sacrilegas Diis nefastis commodante, Nicephorus in locum Sapricii sese ingerens collum ferro carnificis dedit; quíque ab homine favorem unum exsculpere non poterat, à Deo duplicis charitatis coronam reportavit (x).

(x) Acta Syncell.

Finis Persecutionis.

18. Valerianus ubi ferè medio super triennium anno rem Christianam vexaverat (y); Bellua tandem illa, cui *datum* erat *os loquens magna & impia* edicta, & cui *data* erat *potestas per menses quadraginta duos* (z), Persarum catenis onerata, in turpi servitute & feritatem animi, & regni crudelitatem ipsa quidem deposuit: sed in præsidibus relictis, atque Ecclesiæ satìs acerbis adhuc furebat Alexandriæ, aliísque in Provinciis; dum Gallienus sive Patris exemplo territus, sive quod libidinosus magìs, quam ferox esset, Orthodoxis pacem integram publicâ lege (a) concederet.

(y) Dionys. Alexand.

(z) In Apocal. c. 13.

A. Æ. C. 249.

(a) V. c. 1. l. 3. §. 5.

§. VI.

(*17) Martyrium S. Dionysii TILLEMONT in V. refert ad annum 273.; fatetur tamen incertum esse, sub quo Tyranno, & quo tempore passus sit: id saltem ex hoc Authore Gallo certò eruitur, opinionem illam, quam Natalis Alexander de Dionysio Areopagita, velut primo Parisiensium Apostolo astruere nititur, oppido falsam esse: cæterùm antiquiora Martyrologia duorum semper fecêre mentionem, & Rosweidi quidem Martyrologium *Dionysii Areopagitæ* festum refert *ad quintum nonas Octobris*, quo die dicitur *passus sub Aureliano Athenis*. Ut etiam testatur Aristides coævus in lib. de Christiana Religione: alibi autem idem Martyrologium ità enuntiat: *Septimo Idus Octobris. Parisiis Dionysii Episcopi cum sociis suis à Fescennino gladio animadversi.*

§. VI. *S. Dionysii Alexandrini orthodoxa fides, Pauli Samosateni hæresis, ejus depositio: Antonii Ascesis: Felix, Eutychianus, Cajus & Marcellinus Pontifices: Manichæorum initia, Persecutio Diocletiani, Synodus Cirtensis, & Eliberitana.*

A. Æ. C. 259. *Dionysius Pontifex.*

1. ANno Ducentesimo quinquagesimo nono, quo Imperium suo capite à Persis exuebatur; Ecclesia per anni totius intervallum Pontifice jam orbata, novum sibi Præsidem delegit DIONYSIUM natione Græcum. Primum Christianæ fidei negotium, quod huic Papæ curas injecit, causa fuit Alterius Dionysii Alexandriæ, petierat is opem à Sixto contra Sabellii hæresin, at Pontifice eodem citiùs per Martyrium consummato, cùm sedes toto anno vacaret; ipse solus operi applicuit manum, scriptísque ad Ammonium Berenicæ Episcopum, & Euphratorem literis, ea tela proferebat, quêis SS. Trinitatis hostes configi possent (a): & quoniam Sabellius confusione Personarum factâ, ea, quæ Verbo non tantùm, sed & Filio Dei carnem induto propria erant, Patri æterno tribuebat: Dionysii interfuit id duntaxat ostendere, quòd pessimè illa, quæ de Filio, in quantum homo est, dicuntur, de Patre quoque enuntientur; discrimen proinde inter Patrem & filium expositurus, Filium Dei, vel potiùs ejus naturam humanam creatam, factámque, neque consubstantialem Patri asserebat; ut hujus distinctionis ostensione prolatâ, tandem etiam sapientioribus commonstraret, quâ ratione Verbum divinum à Patre distingueretur (b): nimirum Dionysius ordinem Apostolorum sequebatur, quibus curæ erat primùm rudibus suggerere ea, quæ ad humanitatem Christi pertinebant; dum præparatos magìs ad fidem animos etiam verbi divinitatem condocefacerent. Utùt orthodoxo animo Dionysius ista scriberet; Fidelium tamen quidem his ejusdem loquendi formulis offensi (*1), apud Dionysium supremum Pontificem questi sunt ab

(a) Euseb. lib. 7. c. 26.

S. Dionysius Antitrinitarios oppugnat.

(b) Athanas. lib. 1. de sent. Dionys.

(*1) Qui verba Dionysii expenderant minùs, S. Episcopi sensa malè traduxerunt: ac *Ariani* & *Anomæi* quidem illum vocârunt in suum patrocinium: GENNADIUS Dog. c. 4. Dionysii sermonem, ait, fuisse radicem Arianæ hæreseos, & S. BASILIUS epist. 41. quando necdum Apologiam S. Dionysii legerat, ferè idem judicium tulit: sed S. ATHANASIUS in eo totus est lib. de sent. Dionysii, ut hunc Præsulem ab Ariana Secta

S. Dionysii fides de Trinitate impugnatur.

A. Æ. C. 261.

ab Alexandrinensium Præsule non absque errore venditari, Filium Dei esse creaturam, támque longè distare à natura Paterna, quàm Planta ab Agricola, Scapha à Navium fabro sejungitur. Synodus agebatur Romæ, cùm hæc accusatio Pontificis manibus consignaretur. Nullus è Patribus fuit, qui non pessimè acciperet Dionysii Alexandrini sententiam: quare supremus Pastor omnium nomine Præsulem Alexandrinum ad defensionem missis literis evocat; harum argumentum erat, damnationi equidem obnoxiam esse opinionem Sabellii, propterea quod Personas divinas in unam commisceret, at non minùs illam doctrinam improbari, quæ cùm crudam distinctionem inveheret, filium factum, simúlque creatum, neque Patri consubstantialem affirmaret (c).

(c) Athanas. de decret. Nicæn. Synod.

Ejus Vindiciæ & Apologia.

Dionysius Alexandrinus, ut suæ integritatis rationem redderet; Apologiam quatuor libris comprehensam Pontifici transmittit: formula fidei, quam illinc profitebatur; Nicænorum Patrum Symbolo omnino similis erat (*2): & quamvis vocem *Consubstantialis* in scripturis reperiri diffiteretur; aperto tamen animo asserebat filium Dei, à Patre hypostasi differentem, ei verè consubstantialem esse: exempla rerum *factarum* & ab Adversariis malè intel-

Secta eripiat. RUFFINUS de Origene hunc in modum defendit Dionysium, scilicet ejus libros contra Sabellium scriptos per ejus Adversarios fuisse corruptos. Vide Tillemont in vita Dionysii Artic. 16.

(*2) ATHANASIUS lib. 1. de sent. Dionysii, Apologiæ quædam fragmenta refert: *Nunquam fuit, quando Deus non erat Pater .... neque à se ipso Filius, sed à Patre habet esse. Et cum sit splendor Lucis æternæ, & ipse omninò æternus est. Luce enim semper existente, manifestum est, & splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse intelligitur, quòd splendeat; & fieri nequit, ut lux non luceat. Cùm igitur æternus sit Pater, æternus est & Filius .... nam si Genitor est & Filius, quod si Filius non est, quâ ratione, & cujus potest esse Genitor? Atque ambo sunt, & semper sunt ....* Adversarios dein ità confutat: *Cæterùm ubi res factas, & opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla, & minùs utilia cursim protuli, cùm dixi: neque planta idem est, quod agricola, neque scapha idem, quod navium faber. Deinde ... quæ certioris erant fidei, exposui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia epistola scripsi, quibus criminationem eorum depuli, mendacémque ostendi, quâ ajebant, me Christum negare Deo esse Consubstantialem; tametsi fateor, me hoc vocabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse, vel legisse: attamen argumenta mea, quæ subsequuntur, quæque isti tacuerunt, ab hac sententia nil discrepant.* In II. libro pergit: *Singula nomina à me prolata à se invicem nec separari, nec dividi queunt. Patrem dixi, & priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaveram - ... Spiritum S. addidi, sed simul & unde & per quem processerit, adjunxi .... Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus: & Trinitatem iterùm, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus.*

intellecta, à se adducta esse eum in finem, ut rudioribus distinctionis quædam species, appareret inter Patrem & Christi humanitatem.

2. Accusationum ejusmodi fastidio adeò non frangebatur Dionysii Episcopi magnanimitas, ut fortiùs etiam contra fidei hostes calamum urgeret: somniabat Nepos quidam Ægypti Episcopus (Chiliastarum errore delusus) mille annorum spatium fore, quo homines carnalibus deliciis in terris post Anastasin essent perfruituri. Hunc itaque adoritur Dionysius, & libro scripto de Promissionibus, tum disputatione habitâ multis delirium exemit: (d) Acrior subinde pugna & ultima in mortali vita eidem Alexandrino Antistiti subeunda fuit cum Paulo Samosateno Ecclesiæ Antiochenæ (e) Episcopo. Patriam is habuit Samosatas, urbem ad Euphratem in Syria Euphratesia; natus ex egenis parentibus: Post Demetrium Præsulem Antiochensibus præpositus anno 260., quæstui magis, quàm animarum lucro incubuit. Opum itaque cùm esset sitientissimus à Zenobia Orientis Regina officium pingue Procuratoris Ducenarii eblanditus est, quo in munere cùm intra Ecclesiam etiam vectigalia publica cogeret; singulis annis ducentorum sestertiorum stipendium auferebat. Avaritiæ sociabat domesticas libidines, ex quarum corruptela ubi multorum odium subiisset; favore unius Zenobiæ se stabilivit: & quoniam fœmina eadem Judaicæ superstitioni obsecundabat; Paulus mulieris conciliandæ studio, Christo Judæorum more divinitatem abnegat. Nam à Zenobia de Mysteriis Christianæ Religionis interrogatus, audacter effutire ausus est, Christum ex Maria natum supra mortalem hominem habere admodùm nihil (h). Prætereà rejectâ omni à personis divinis distinctione, unum Deum, unámque duntaxat Personam professus, in Sabellii errorem primò concessit: dein ab eo digredi visus est, quando totam divinæ naturæ cum humana conjunctionem (quam Sabellius etiam inter Patrem & humanitatem intercedere asserebat) omnino abstulit: itaque Nestorii antesignanus, Christúmque duas in Personas dividens, Verbum in puro homine velut templo habitâsse, & tempore passionis ad Patrem revolâsse delirabat. Repentem humi, & blasphemiis plena venena ructantem hujusmodi serpentem Dionysius Alexandrinus datâ epistolâ aggredi fortiter instituit (i):

Millenariorum error exagitatur à Dionysio.

(d) Euseb. l. 7. hist. c. 24.

(e) Idem c. 27.

Paulus Samosatenus.

Ejus hæresis.

A. Æ. C. 263.

(h) Euseb. lib. 7. c. 27.

(i) Theodoret. h. l. 2. c. 8.

at is errorem altiùs, callidiúsve imbiberat, quàm ut hunc palàm proderet, aut ſibi doctiſſimâ etiam manu ſineret evelli (*3).

Antiochena Synodus contra Paulum Samosaten.

(k) Euſeb. l. 7. c. 30.

A. Æ. C. 264.&265

3. Clerus proinde, totáque Parœcia Antiochena proximos quosque Præſules in auxilium vocat, ut Paſtorem, qui in lupum mutatus fuerat, vel à grege abigerent, vel reducerent ad frugem (k). Ad annum igitur 264. ubi Antiochiam convolant Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Gregorius Thavmaturgus, ejúsque frater Athenodorus, Helenus Tarſi, Himenæus Solymæ, aliarúmque Provinciarum Epiſcopi; unus, cujus opera utilis depoſcebatur, Dionyſius Alexandriâ ob vires afflictas abeſſe non potuit; ne tamen Symbolam ſuam negaret, ad Clerum Antiochenum literas dedit, quibus Hæreſiarchæ odium oſtendit, dum Paulum erroris Ducem ne ſalutare quidem dignabatur. Epiſtola hæc ultima fuit, quam in vita mortali Dionyſius ſcripſit; nam Præſul poſt decimum ſeptimum annum defunctus Maximo ſedem reliquit. Coactâ jam Synodo Paulus in quæſtionem adactus, ea repoſuit (l), quæ ſpem facerent Patribus, fore, ut ab hæreſi mitioribus remediis convaleſceret: prorogatâ igitur ſententiâ diſceſſum eſt.

(l) Idem c. 25.

A. Æ. C. 269.

(m) Idem c. 29.

4. Deluſis hunc in modum Epiſcopis Paulus quaſi ſecurior ſuæ audaciæ, favente Zenobiâ, nefaſtiùs conceptos errores diſſeminat (m): quare circa annum 269. menſe Octobri denuò convenêre 70. Antiſtites. Firmiliano per ipſum ad Synodum iter è vivis ad Superos transgreſ-

(*3) EPIPHANIUS hær. 63. errorem Pauli Samoſateni ſic exponit: *Eſt autem Pauli hæc opinio . . . Filium Dei ſubſiſtentiam habere per ſeſe nullam, ſed in Deo ſubſiſtere, ſicut hominis in corde proprium verbum ineſſe cernimus.* Unde Trinitatem Perſonarum negabat. S. ATHANASIUS de Synod. & l. 2. de Incarnat. *Paulus Filium ſenſit non eſſe ante Mariam, ſed ab illa initium exiſtendi accepiſſe. Cùm tamen Deum ex Virgine confitetur, Deum ex Nazareth viſum, ac qui inde cùm exiſtendi, tum regnandi initium duxerit. Verbúmque eſſe à cælo efficax, non quidem ſubſtantivum, & conſubſtantiale Patri, ſed prolativum, vel imperativum, per quod juſſit, quod volebat.* Paulus idem nomen CONSUBSTANTIALIS accipiebat corporali modo, ùt obſervat Athanaſius, in creatis enim ea dicuntur Conſubſtantialia, quæ in natura ſunt ſimilia; unde ſic argumentabatur: *Si Chriſtus non ex homine factus eſt Deus, ergo Conſubſtantialis Patri; atque hinc neceſſe eſt, tres eſſe ſubſtantias in Deo, unam priorem, duas verò ex illa procedentes.* Atque hæc quoque cauſa erat, cur Patres Antiocheni negârint, Filium eſſe conſubſtantialem Patri, ſcilicet in ſenſu Samoſateni; id enim his Epiſcopis propoſitum erat, ut oſtenderent, Filium non ex homine factum eſſe Deum, ſed Deus cùm eſſet, formam ſervi induiſſe: ac proinde planè alio ſenſu Verbum eſſe conſubſtantiale Patri, quia ſcilicet Filius unius cum Patre eſſet ſubſtantiæ à ſe ipſo neceſſariò exiſtentis.

Altera Synodus Antiochena.

(n) Hieron. V. ill. c. 71.

gressO, Helenus Tarsensis Concilio præfuit. Lupum nonnisi extremis auribus rursus tenuissent Patres, nisi Malchion è disertissimo eloquentiæ Professore Presbyter Antiochenus(n), vulpinam larvam Veteratori penitùs abstraxisset: ab hujus quippe sermone convictus, id, quod frustrà dissimulare quærebat, profiteri coactus est, se in Christo præter purum hominem, gratiis amplioribus instructum, revereri nihil. Errore hoc in apricum producto, omnium sententiis depositus, eíque Domnus Demetrii Antecessoris filius suffectus est (o). Concilii mens, quò cæteris quoque Episcopis significaretur, epistolæ Synodicæ ad omnes mittuntur, quibus Pauli scelera, error, & sententia depositionis comprehendebantur (*4): Gregorio Thaumaturgo hanc legere epistolam non licuit, utpote è mortali vita ad æternam jam transcripto (p): is antequam extremum ageret spiritum; à suis percontabatur, quot adhucdum cives Neocæsareæ Idola colerent? ubi cognovit, non esse plures, quam septendecim; gratias Deo retulit, quòd totidem simulachrorum cultores relinqueret successori, quot ipse Christianos in primo urbis aditu invenisset. Seriùs quoque epistola eadem à Synodo exarata Romam pervenerat, quàm ut viventis Dionysii Pontificis manibus potuisset consignari (q): itaque hoc sub Decembris finem anni CCLXIX. defuncto, Felix in ejus locum substitutus causam contra Paulum actam approbavit, simúlque Hæresiarchæ delirium detestatus, Clerum Alexandrinum scriptis literis instruxit, quæ genuina fides foret circa incarnationis Mysterium (*5).

(o) Euséb. l. 7. c. 30.

(p) S. Basil. in V. Greg.

Mors Gregorii Thaumaturgi.

A. Æ. C. 269.

(q) Eusèb. lib. 7. c. 30.

Felix Pontifex succedit Dionysio.

(*4) Synodica ad Dionysium Pontificem scripta complectebatur *primò* vitia Pauli, ob quæ depositus fuisset, quorum præter hæresin præcipua erant, *quòd Tribunal & sublimem thronum in Ecclesiasticis conventibus, non ut Christi discipulus sibi ipse construxerit.* Nam licèt Episcopi altiore in Cathedra sive Throno sedere solerent; nefas tamen erat iis habere tribunal. Præterea, quòd ipse, ejúsque Presbyter ac Diaconi haberent *mulieres subintroductas.* Hujusmodi fœminæ erant devotæ cæteroquin virgines, quas aliquis è Clero tanquam in sorores adoptabat sub prætextu pietatis; hinc etiam *Commanentes* & *Agapitæ* dicebantur: sed ob multa scandala ab Antiochena eadem Synodo improbabantur, & posteà à Nicæno Concilio Canone 3. prohibitæ sunt. *Secundò* significant Patres Antiocheni electionem novi Præsulis in locum Pauli surrogati, *quod quidem idcircò vobis,* ajunt, *significavimus, ut ad eum scribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis,* inter communicatorias autem, quibus Episcopi mutuam Communionem testabantur, celebriores illæ erant, quæ paulò post ordinationem ad primarias Sedes dirigebantur, & Episcoporum recèns electorum Professionem fidei continebant, quem morem etiam servabant Romani Pontifices post electionem suam. Ut habet *Liber Diurn. Rom. Pontif.*

(*5) FELIX ad Maximum Alexandrinum ejúsque Clerum scripsit: *Credimus in Domi-*

A. Æ. C. 270. *S. Antonius Asceticam vitam profitetur.*

5. Quo tempore Paulus Samosatenus Antiochiæ in imam errorum, scelerúmque abyssum sese impiè demerserat; Antonius in Ægypto ad sublimioris Asceseos apicem eluctari cœpit. Natus erat in Vico Coma juxta Heracleam. A Parentum, morte orphanus, ipse quoque mundo mori, & juxta Christi consilium, quod ex Evangelio lecto recens audierat, Pauperibus dare bona, sororem autem (quam unam habebat) è sua cura ad Parthenonem transferre constituit: ità terrenis laqueis expeditus, inter jejunia vigilias ac legendi studium asperam & sanctimoniâ plenam ascesin ante domum suam professus est (*6). Singularis virtutis exemplum hostis stygius non ferens, castissimum Juvenem turpibus præstigiis frustrà appetiit; atque ut Victori sæpius dæmonem vincendi occasio foret; à domûs suæ confiniis sepulchro, cujusmodi Pyramides apud Ægyptios esse solent, se infert: illinc à Veteratore non uno, sed millenis assultibus infestatus, súbque variis ferarum, reptiliúmque formis territus, arenæ non cessit; dum tandem decimo quinto anno vitæ asceticæ, & trigesimo quinto ætatis, in abstrusiorem solitudinem secederet, ibidem Dux iis futurus, qui ex Evangelicæ perfectionis turri dæmonem, mundum, carnémque generosiùs essent subacturi (r).

(r) Athanas. in V. Antonii

A. Æ. C. 272.

6. Intereà Paulum, quem Episcoporum sententia prostraverat, iteratus Zenobiæ favor adeò erexerat, ut contempto Præsulum suffragio in Episcopio persisteret. At Reginâ tot scelerum protectrice ad annum CCLXXII. ab Aureliano Imperatore captâ, & ab Orientis Regno depulsâ, à sua etiam sede Paulus ejectus est. Re quippe ad Ethnicum Cæsarem delatâ (s), ab eodem Cæsare pronuntiatum est, *Domum Episcopalem*, quam iniquiùs insideret Paulus, *ei tradendam, cui eam Italici Christianæ Religionis Antistites*

(s) Euseb. l. 7. c. 30.

Dominum nostrum Jesum Christum ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei Filius: nec enim hominem assumpsit Dei Filius, ut esset alter præter ipsum, sed Deus existens perfectus, factus simul homo perfectus, incarnatus ex Virgine, quâ Pontificis doctrinâ Posteà contra Nestorium usi sunt Ephesini Patres in Concilii Act. 1.

(*6) ATHANASIUS in vita Antonii: *Ipse ante domum suam asceticæ vitæ deinceps operam dedit, atque attentus sibi asperum vitæ genus toleranter agebat. Nondum enim in Ægypto erant Monasteria; sed ut sibi quisque vacare cuperet, haud procul suo pago se exercebat solus.* Parthenones tamen, seu domicilia Virginum jam extitisse, ex eodem Athanasio colligitur; nam idem testatur, ab Antonio sororem ad *Parthenonem* fuisse traditam.

stites & Romanus Pontifex tribuendam perscriberent (*7). Favor ejusmodi ab Aureliano in Ecclesiam profectus magno loco fuisset apud Posteros; nisi beneficii primi memoriam Cæsar pejore malefacto corrupisset: cùm enim divinos honores affectaret, sensim odisse Religionem eam cœpit, quæ ambitioso instituto maximè adversabatur. Dein à suis porrò impulsus, legem contra Christianos scribere meditabatur; sed divinâ ultione (t) cubitum scribentis reprimente, ad tempus funesta lex suspensa est, non tamen omissa; nam ex voluntate impii Cæsaris, terroribus his minimè mutati, edictum ad Provincias pervasit. Antequàm laniena indicta regiones omnes corriperet; Deus Tyrannum è vivis eripuit, ut unius morte multorum vita servaretur incolumis (*8).

Persecutio Aureliani.

(t) Euseb. c. 30.

Mors Aureliani.

A. Æ. C. 275.

7. Circa idem tempus EUTYCHIANO Pontifici, post Felicem mortalitate defunctum, Ecclesiæ cura demandata est: referunt complures eum propriis manibus 342. Martyrum corpora diversis in Cœmeteriis sepelivisse, unáque decrevisse (u), ut corpora Martyrum cum dalmatica, aut colobio purpurato honoris causâ tumularentur (*9): in tertium jam annum in pace gregem paverat

Eutychianus Pontifex.

(u) Liber Pontific.

(*7) Ex Aureliani sententia, ac judicio palàm fit, quantæ æstimationis etiam apud Ethnicos Pontifex fuerit, quòdque etiam infideles compertum habuerint, eos esse verè Christianos, ac illos quoque esse legitimos Pastores, qui cum Romano Pontifice, ac Ecclesia communione conjuncti forent.

(*8) PAGIUS in Breviario Persecutionem Aureliani in ordine nonam collocat; sed Dodwellus hanc vexationem omninò extenuat, dum ait *intentatam fuisse, non executioni mandatam*: contra hunc ANNOTATOR Baronii ad annum 272. latiùs ostendit, Persecutionem verè multos Martyres sustulisse. RUINARTUS etiam in Præfatione generali ad Acta Martyrum §. 54. Dodwellum mendacii convincit ex Chronico Eusebiano, ubi habetur; *cùm* Aurelianus *adversùs nos Persecutionem movisset.* Jam verò si Lactantium consulamus, edictum quidem, cùm Aurelianus occisus est, *ad ulteriores Imperii Provincias* nondum pertigerat; sed quidni post mortem pertigerit? Tantundem nempe temporis necessarium fuit ad mortem Imperatoris nuntiandam, quantum ad perferenda edicta expensum fuerat. Præterea edicta ad Provincias, quæ non ità dissitæ erant, jam pervenerant; & Aurelianus *inter initia* quidem *furoris sui extinctus est*, ut ait Lactantius, sed qui *Deum factis* jam lacessiverat; unde malè dicit Dodwellus, *Aureliano non licuisse perficere, quæ cogitaverat, nullóque ejus decreto factos fuisse Martyres*; cogitaverat quippe Religionem Christianam delere; sed nec id perfecit Nero, nec ipsemet Diocletianus, & tamen Tyranni fuerunt, fecerúntque Martyres.

(*9) Blanchinus in notis ad Anastasium Bibliothecarium Tomo 2. P. 2. pag. 244. *Vindicandorum Martyrum*, ait, *curam promovens cautus Pontifex providenter præcepit, ut adderentur indicia certa Martyrii in eorum depositione. Adhiberi mandavit colobium, aut dalmaticam non qualemcunque, sed purpuratam ad involvendos Martyres, quos etiam* PURPURATOS *ideò vocare consuevit Ecclesia. Ante hoc decretum* EUTYCHIANI *consueve-*

A. Æ. C. 277. rat, tum anno Æ. C. CCLXXVII. Probi Regnantis secundo bellua immanis ovile Christi invasit: fuerat hæc Manichæa hæresis, quam tres nequissimi mortalium, vel genuerunt, vel in rei Christianæ exitium nutriverunt (x). Primus eorum *Scythianus* genere Saracenus, è gente Arabum in confinio Palæstinæ duxit originem; Græcas literas, Ægyptiorúmque disciplinam edoctus, acri & otioso ingenio Empedoclis somnia recoxit de duobus rerum Principiis, quorum unum bonum, alterum malum dixit: error, ut latiùs serperet; quatuor compositis voluminibus Hierosolymam petiit, cum Legis Mosaicæ senioribus disputaturus: illinc cùm veritati mendacium succumberet; Scythianus ad magicas præstigias conversus domûs tectum conscendit: vix dum in fastigium elatus Veterator ludibriis fecerat initium, jam à Deo percussus in terram præceps agitur; facultates, & libros superstitione suâ plenos *Terbintho* relinquens: hic seu Scythiani servus, seu discipulus, postquàm in Palæstina aliquamdiu hæserat; acceptis libris, & opibus Scythiani in Persidem aufugit: mutato Terbinthi nomine, séque Buddam appellans apud viduam latuit; tandem è latibulo progressus à Sacerdotibus Solis rejicitur, quare more Magistri artibus magicis homines decepturus in altum quoque enititur, sed ex aëre sublimi quoque dejectus Scythiani fatum secutus est. Viduæ itaque hospiti tota cessit hæreditas, quam illa demum suo servo ultimis tabulis transcripsit (y). *Cubicro* huic nomen erat, quem genere Persam mulier adhuc septennem sibi ad domestica servitia emerat: subinde libertate donatus, Persicísque disciplinis imbutus viduæ hæres, *Manes* vocari voluit, quasi à sermone, aut Dialectices peritiâ dictus (10). Dogmata, quæ posteà sparsit, partim ex veterum

(x) Euseb. l. 7. c. 31. *Manichæorum initia.*

(y) Cyrill. Hierosol. Catech. 6. Epiphanius hær. 66. Socrat. lib. 1. c. 22.

sueverant Christiani sacra Martyrum corpora sepelire cum linteis ipsorum sanguine respersis. Cæterùm colobia & dalmaticæ erant tunicæ talares, & hoc distabant dalmaticæ à tunicis & colobiis, quòd dalmaticis amplæ erant Manicæ, tunicis strictæ, colobiis vel nullæ, vel breviores.

(* 10) CYRILLUS Catech. VI. ait: quòd Manes in Persarum lingua significet *sermonem* seu allocutionem, aliam vocis originem tradit EPIPHANIUS hæres. 66. num. 1. nempe vocabulum hoc linguâ Babylonicâ τὸ σκεῦος id est *vas* exprimere. Et quidem apud Chaldæos & Syros מאן *vas* denotare, nôrunt qui in linguis Orientalibus vel leviter versantur; quasi scilicet ad instar D. Pauli se vas Deo electum esse homo arrogans significare voluerit. GRÆCI verò, quò aptiorem irridendi occasionem arriperent illud à *μανία* deducere solent, quod est *insania*. Vide *Guilielmum Cave* in sæcul. Novat. pag. 90.

Manetis impium instìtutum.

terum Hæresiarcharum lacunis, partim ex nugis Orientalium, tum ex absurdis Gentilium Philosophorum placitis, denique ex Christianæ Religionis institutis conflavit. In formanda Secta id singulare habuit, quod futili imitationis larvâ Christum æmularetur; hujus quippe exemplo duodecim Pseudoapostolos sibi delegerat (z), quorum tres præcipui, & arcanorum magis conscii discipuli erant Thomas, Addas & Hermas. Hos Hierosolymam ablegabat, ut sacros Scripturæ codices emerent; quo facto, eos malâ fide vitiatos, in erroris sui patrocinium violenter detorsit, recoquens etiam volumina Scythiani, quæ ex hæreditate viduæ relicta acceperat.

(z) Augustin. de hæres. c. 46.

Ejus Præstigiis enecatur filius Regis Persarum

8. Circa idem tempus ubi vulgatum esset, Persarum Regis filium periculoso cum morbo conflictari; Manes se ex suis libris remedium mali exsculpsisse ratus, ad Regiam Persidis urbem advolat, infausto tamen eventu. Nam enecto per medicinam filio Regio, Veterator carceri traditur (a), ex quo fuga elapsus, in Mesopotamiam venit ad Marcellum, cujus dicendi & increpandi pondus, pertinax Hæresiarcha adeò non tulit; ut lucem declinans, denuò in Persidem remeârit. Sed è charybdi evolutus, in Scyllam incidit, nam Regni fines ingressus ad vincula retrahitur & ad Castellum Arabionis, calamo cute detractâ (11) supplicium subiit.

(a) Epiph. hær. 66.

Supplicium Manetis.

9. Tyrbo ejusdem discipulus tum Marcelli (quem coràm audierat) argumentis, tum Magistri sui fato ad saniora reductus, fidei manu datâ, Manetis deliria, quæ adhucdum latuerant, in apricum protulit: statuerat nempe Impostor duo esse Principia, æterna, innata, & sibi invicem adversantia, quæ nonnunquam duos Deos nominabat, alterum seu lucem, authorem bonorum omnium: Alterum malum, seu tenebras, à quo mala cuncta proficisce-

(*11) SIANDA in Lexic. Polem. Tom. II. ait: *Cùm verò Manes arundine fuisse excoriatus; inde Manetis sectatores super arundines cubare consueverunt, & super matta ex arundinibus compositas, ex quo etiam dicti fuerunt Mattarii.* Hæc Secta ab Imperatoribus Gratiano & Theodosio M. acriter posteà exagitata est: eorum libri Romæ sub Leone Papa combusti; eosdem tanquam sacrilegos punivit Valentinianus Imperator, & Hunnericus Vandalorum Rex in Africa igni tradidit. Manichæorum debellatores fuerunt Titus Bostrorum Episcopus, Eusebius Emissenus, Theodoretus, sed potissimùm S. Augustinus, qui plures libros adversùs Manichæos conscripsit.

ficiſcerentur: atque ex hac pugna bonorum & malorum mundum univerſum coaluiſſe. Ex eodem principio, metempſychoſin effingens cavebat ſuis, ne animantes occiderent, aut ne iis uterentur. Quæ ex materia concreta fuiſſent, à Principio malo: qui verò materiæ expertis forent ſpiritus, à Principio bono ducere originem venditabat. Adhæc Deum, qui per Moyſen, Prophetáſque legem dederat, Principem tenebrarum appellabat, cujus proinde Vetus Teſtamentum deteſtatus, Chriſtianos inſuper, Judæóſque abominabatur, quòd huic Deo malo honores ſummos haberent. Porrò fabulabatur, Patrem Cœleſtem, cùm videret affligi animam in corpore, miſiſſe Filium ad ſalutem animæ, ſive ut is ipſe ſubſtantiæ bonæ particulas ſegregaret à Corporeis: Carnem itaque ſalutis capacem negabat; animabus verò Solem & Lunam totidem navigia eſſe aſſerebat, quibus illæ ad cœlum transveherentur. Non minora monſtra erant, quæ de Trinitatis Myſterio, excogitaverat (b); ut proinde mirum ſit, Sectam tam abſurdis erroribus prægnantem ſuos fœtus per Orientem ac Occidentem latiſſimè propagare potuiſſe (c).

Inſana dogmata Manetis.

(b) Auguſtin. l. 20. adv. Fauſt. c. 2.

(c) Archel. Diſput. adv. Manetem.

10. Uti Manichæorum dogmata à ſtultitia non aberant, ità eorum diſciplina in amentiam atque inſaniam penitùs defecit: Alios Sectæ diſcipulos dicebant *electos*, alios *Auditores*; hi (d) carnibus veſcebantur, & ſi voluiſſent, ducebant uxores: Electos contrà utpote abſtinentes, peccato nulli obnoxios ſomniabant. Et quamquam Sanctorum cultum abominarentur; diem tamen, quâ Manes occiſus eſt, ſuperſtitioſis ritibus proſequebantur. Baptiſmum aquæ rejiciebant utpote ſaluti inutilem: Euchariſtiam diſpenſabant ſub una panis ſpecie, propterea quòd vinum velut fel Principis tenebrarum & à malo principio creatum averſarentur (e).

Ejus diſcipuli.

(d) Auguſtin. l. 10. adv. Fauſt.

(e) Idem de moribus Manich. c. 15.

11. Eutychianus Pontifex, ut Lernæ hujus caput contunderet, ſecundùm antiquum uſum omnes fruges fructúſque terræ benedici (f), & tanquam ſapientiſſimi Conditoris, & Principis optimi beneficia ſacrari præcepit. Aliis quoque benè functus laboribus poſt octo annorum, undecímque menſium intervallum obiit Anno CCLXXXII. (*12). Clavum inde Eccleſiæ regendum

(f) Liber Pontifical.

A. Æ. C. 282.

(*12) Anno quinto Pontificis Eutychiani, Probi Imperatoris quarto, ſive anno

dum ſuſcepit CAJUS Dalmata: fuêre, qui hujus Pontificis prudentiam, ac Religionis curam deducant ex ejus epiſtola, quam ad Felicem Epiſcopum perhibent ſcripſiſſe: verùm cùm literæ eædem ex Innocentii, Leonis & Vigilii Succeſſorum epiſtolis conflatæ videantur; eædem, uti & priorum Pontificum *Decretales epiſtolæ* tanquam ſuppoſitæ meritò rejiciuntur (†): itaque ex melioribus fontibus laudem is Pontifici Cajo tribuet, qui ejus ſtudio factum dixerit, ut Religio non tantùm in pauperum caſis, ſed & in Palatio Imperatoris habitaret.

Cajus Pontifex.

A. Æ. C. 283.

(†) REFLEXIO X.

12. Ab anno 284., quo Diocletianus exorſus eſt Imperium, Eccleſia nullis adeò edictis exagitata eſt, ut potiùs favores Auguſti experiretur: Chriſtianis Provinciarum præfecturæ demandabantur (g); nec obſtitit Cæſar, quo minùs ejus domeſtici, veræ fidei nomen darent. Itaque in immenſum creſcente fidelium numero ampliores Eccleſias in ſingulis Orientis urbibus exſtruere neceſſe erat: & quanquam in Occidente Maximianus (Diocletiani conſors) & Rictiovarus Galliarum Præfectus, duriùs cum Chriſtianis agerent (h); ea tamen ſævities non Imperatoris lege, ſed ex hominum privata ferocia impellebatur: cæteræ contrà Provinciæ, quas Diocletianus ſpeciali, ſuæque curæ ſervaverat, altum quieſcebant; creditúmque eſt eodem tempore Priſcam Cæſaris conjugem, & Valeriam ejus filiam, maximúmque aulæ præfectum Dorotheum, unà cum aliis Magnatibus (Luciani cujusdam operâ) ad Chriſti ſacra tranſiiſſe (i). Hos lætos fidei fructus ubi Pontifex Cajus in ingentem cumulum collectos vidiſſet; in pace ad Dominum dimitti petiit anno CCXCVI. MARCELLINO Romano in defuncti locum ſubrogato malaciâ eâdem frui haud diu licuit: nam anno ſecundo, ex quo Cathedram conſcenderat; Diocletianus Chriſtianis, quos odiſſe jam cœperat (* 13), anno CCXCVII., etiam

A. Æ. C. 284.

(g) Euſeb. hiſt. l. 8. c. 1.

Diocletiani favor erga Chriſtianos.

(h) Gregor. Turon de glor. Martyr. c. 62.

(i) Lact. de Perſec. M. c. 15.

A. Æ. C. 296.

Marcellinus Pontifex.

Æ. C. 279. BARONIUS regiam viam Dionyſianæ Æræ ingreditur (ùt monet PAGIUS) poſtquàm tres Conſulatus reſecavit, Æmiliani nempe & Baſſi, Sæcularis II. & Donati, & Probi II. Lupíque collegæ; quia enim Æram Chriſtianam ſeu Dionyſianam biennio anteverterat; duo ei Conſulatus omninò expungendi fuêre: & quia Conſulatum tertium ordinarium Decio Imperatori, Grato II. Collegâ, perperàm attribuit, ei alius Conſulatus ordinarius abjiciendus erat, quo pacto Æram Chriſtianam ab anno 280. aſſecutus eſt, ſed omnium aliarum Ærarum, maximè Diocletianæ annos biennio mutilare coactus eſt, ùt latiùs oſtendit PAGIUS ad annum 280.

(*13) LACTANTIUS de mort. Perſecutor. c. 9. Pace deinde factâ Meſopotamie

Persecutionis X. initia & causæ.

etiam palàm bellum indixit. Immolaverat Tyrannus in Oriente pecudes sive ut superos placaret, seu ut ex animalium extis futura quæpiam cognosceret; at fugatis signo crucis (hoc enim adstantes Christiani se munierant) dæmonibus, sacrorum, aut Ethnicæ superstitionis perturbatio ingens facta est. Quare Imperator non solùm eos, qui in palatio erant, sacra Diis peragere jussit (k), sed etiam datis ad præpositos literis milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit (l). Nullus ferè ex tot Pugilibus fuit, qui non censeret magìs militiæ, quam fidei esse renunciandum; nam primus hic assultus Tyrannidis necdum vitam omnium petebat, donec alterâ, eâque cruentissimâ impressione anno CCCIII. Religio Christiana ad internecionem usque impugnaretur.

(k) Euseb. l. 8. c. 4.

(l) Lact. in lib. de M. Persecut. c. 10.

13. Vexationis ejusmodi novæ præcipuus incentor erat Galerius Maximianus Cæsar, is quippe à matre sua (superstitiosissimâ fœminâ) instigatus (m), Diocletiani aures continuò pulsabat, vellet tandem gentem Christo addictam proscribere Imperii finibus: adscitis igitur in Consilium Primoribus (* 14), probatóque Christianorum exterminio, Diocletiano jubente Nicomediæ edictum propositum est, quo cavebatur, ut Christiani *carerent omni bonore ac dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocunque ordine, aut gradu venirent; adversùs eos omnis actio caleret* (* 15). Vulgatâ hâc lege, non ut ante quinque annos in milites tantùm, sed in cunctos Christianos vexatio, citra sanguinem tamen proferebatur. Galerius

(m) Lact. c. 11.

A. Æ. C. 297.

Diocletiani primum edictum contra Christianos.

Romanis est restituta: in tantos fastus post hanc victoriam elatus est Galerius, ut jam detrectaret Cæsaris nomen . . . nec minor fuit superbia Diocletiani, qui ab omnibus volebat adorari se ùt Deum. Quid ergo mirum, si Christianis unum Deum colentibus infestus fieri cœpit? Similia habet EUSEBIUS in Chronico: PAGIUS illam mutationem Diocletiani refert ad annum 293., quando idem Decennalia celebravit.

(* 14) Ex EUTROPIO manifestum fit, cur Diocletianus de Persecutione deliberans alios vocârit in consilium, nam l. 9. ait: *Solebat suam severitatem alienâ invidiâ explere;* & LACTANTIUS c. 11. Diocletianus *erat ejus malitiæ, cùm bonum quid facere decrevisset, sinè consilio faciebat, ut ipse laudaretur; cùm autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpæ adscriberetur.*

(* 15) EUSEBIUS hist. l. 8. c. 1. Persecutionis decennalis hujus hanc dat rationem: Deus hanc permisit, inquit, ut Christianos probaret, & emendaret, cum ex nimia libertate in negligentiam, ac dissidium prolapsi essent, cùm alter alteri invidere, atque obtrectare cœpisset, cùm inter se quasi bella intestina gererent, verbis tanquam armis se mutuò vulnerantes; cùm Antistites adversùm Antistites, populi in populos collisi, jurgia & tumultus excitarent, denique cùm fraus, & simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset: tum divina ultio levi brachio, ùt solet, integro adhuc Ecclesiæ statu &

lerius mitiore carnificinâ non contentus; palatio ignem ſubjici per ſuos curat (n); ut invidiâ incendii in Chriſtianos conjectâ, Diocletianum ad ferociora ſupplicia ſuccenderet: nec fraudi eventus defuit, nam omnes, qui in Palatio Chriſtum colebant excarnificati periêre (o). Poſt quindecim dierum intervallum eâdem arte novum erupit incendium (p): & quoniam verſipellis Galerius è medio buſto ſe fugere ajebat, ne Chriſtianorum inſidiis tandem vivus arderet; Diocletianum ea ſubiit rabies, ut pluribus Chriſtianis promiſcuâ cæde ſublatis, filiam etiam Valeriam, conjugémque Priſcam Sacrificio pollui cogeret. Deinde novum, ídque funeſtius edictum prodiit, quo Eccleſiæ quidem ad ſolum usque dirui, ſacri verò codices flammis abſumi jubebantur, útque altiorum ordinum viri (ſiquidem contra Imperatorum juſſa Chriſti Sacra colerent) infamiæ maculâ; plebeji verò ſervitutis dedecore notarentur: crudeliſſimæ legis exempla quoque miſſa ſunt in Italiam ad ſeniorem Maximianum, & in Galliam ad Conſtantium Cæſares: atque illi quidem volupe erat, in Chriſtianos graſſari; huic verò Dei ſervorum fautori curæ erat, ut ſuis in regionibus edicti acerbitatem ita admoderaretur, ut Præſidibus juxta Diocletiani legem agentibus magnoperè non obſiſteret, ipſe tamen Vexationem minimè urgeret (q).

(n) Lact. c. 14.

(o) Euſeb. l. 8. c. 6.

(p) Lact. c. 15.

Alterum edictum Diocletiani.

(q) Euſeb. de MM. Paleſtin.

14. Dum Eccleſiam Tyranni foris appeterent, intùs Hierax Ægyptius ac novus Hæreſiarcha gregem Chriſti vaſtabat, hic homo Ægyptius, nec literarum expers Auſterum vitæ genus profeſſus, carnis anaſtaſin, nuptiásque inſectabatur, quêis dogmatis virgines, Monachósque Ægyptios plurimùm decepit (r). Ad has calamitates Eccleſiæ acceſsêre calumniæ, quas pleno calamo Philoſophi eodem tempore in Chriſti legem evomuêre (s); atque his effectum eſt, ut Imperatorum incitata ſævities nova edicta procuderet in Epiſcopos præcipuè, & Paſtores, quibus latronum ergaſtula, graviſſimíque cruciatus adſignabantur: itaque dum fer-

Hæreſis Hieracit.

(r) Epiph. hær. 67.

(s) Lact. l. 5 div. inſtit. c. 2.

& fidelium turbis adhuc convenientibus, ſenſim ac moderatè cœpit in nos animadvertere. Orſa eſt Perſecutio ab iis, qui militant. Cùm verò ſenſu omni deſtituti, de placando Dei numine ne cogitarent quidem: . . . tunc demum juxta dictum Jeremiæ Thr. 2. *obſcuravit Dominus in ira ſua filiam Sion, & dejecit de Cælo gloriam Iſrael.*" Ità Euſebius oculatus omnium teſtis.

A. Æ. C. 303.

ferro, & calamo contra fidem veram pugnabatur; Providum numen inter ipsos Ethnicos Religionis defensorem elegit: fuit is Arnobius gente Afer apud Siccam Veneream Africæ urbem, Rhetoricæ Professor, Christianorúmque hostis; tandem per somnum erroris sui admonitus, Baptismum ab Episcopo petiit, sed hoc negato libros septem adhuc Ethnicus adversùs Idololatras composuit, tanquam certissimum suæ fidei pignus: Præsul igitur è Saulo Paulum miratus, eidem salutarem aquam impertiit (t).

Arnobius Scriptor Ecclesiasticus.

(t) Hieron. in Chronic.

15. Arnobii scripta Apologia etsi mendacium Philosophorum confunderet, à jugulis Christianorum tamen vim sævitiémque propulsare non potuit; nam eodem tempore Persecutionis æstus adeò invaluerat, ut nulla esset Provincia, ubi non innumerabilem Martyrum multitudinem flammæ, equulei, atrocissimáque supplicia absumerent. Vexabatur universa terra, & præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant (u): polluebant nimirùm Cæsares Provincias sibi subjectas Dei cultorum cædibus, parúmque habebant interficere, quos oderant, nisi etiam crudelitas corporibus illuderet (x). Diocletianus præcipuè in modum belluæ ex Hircania, aut Caucaso editæ, uno loco recubans per totum orbem ferreis dentibus grassabatur, & dissipatis artibus hominum, & ossa ipsa comminuens, in cineres furebat, ne quis extaret sepulturæ locus (y). Tot fluctibus cùm Petri navis undique jactaretur; Marcellinus, qui in nonum annum clavum ejusdem difficillima in tempestate rexerat, obiit Anno CCCIV. Olim complures tradidêre, eundem Pontificem metu cruciatûs ad thura Diis immolanda adactum, posteà tamen facti pœnitentem Martyrium subiisse; verùm posteriorum temporum viri celebres, & antiquitatum accurati scrutatores in narratione hac vulgari, non pauca invenerunt, quæ meritò lapsum ejusmodi in dubium pertrahant (*16).

Persecutionis incrementa.

(u) Lact. de M. Persec. c. 16.

(x) Idem l. 5. instit. c. 9.

(y) Id. c. 11.

Marcellini obitus, cujus lapsus videtur esse fictitius.

16.

(*16) Non conveniunt Authores, an verè contigerit Marcellini lapsus, nec ne? AFFIRMANTIUM apud Schelstratum Antiq. illustr. P. II. Dissert. I. c. 6. argumenta sunt. 1mò Acta Concilii Synuessani pervetusta (ùt testatur Petrus de Marca l. 1. c. 11. §. 4.) hanc de Marcellini lapsu historiam referunt. 2dò Pontificale Romanum, quod Damasi esse creditur, ità refert: *Ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret, quod & fecit.* 3tiò Nicolaus I. PP. ad Michaelem Imperatorem scripsit: *Tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui posteà insignis* Mar-

A. Æ. C. 305.

Synodus Cirtensis in causa Traditorum.

16. Postquàm Maximimianus ad Diocletiani exemplum fascibus sese exuerat; Occidentales Provinciæ duorum jam annorum immani tyrannide exhaustæ, pacis aliquid consecutæ sunt: quo tempore Cirtæ Numidiæ Metropoli undecim Episcopi convenêre (z), ut de causa eorum, qui flagrante Persecutione libros sacros, aut Ecclesiæ suppellectilem tradidissent, definirent: ex congregatis Patribus, quoniam septem *Traditores* fuerant; facilè evenit, ut rei excusatione criminis allatâ, mutuis veluti suffragiis absolverentur. Eodem anno Eliberi in Hispania Bætica Synodum habuêre 19. Præsules Idibus Majis: His cùm propositum esset, collapsos Christianorum mores restaurare, primùm lapsis ac Traditoribus, pœnitentiam, non tamen communionem, ídque ad aliorum terrorem dandam censuerunt: dein unum supra octoginta Canones condidêre severioris disciplinæ, & antiquæ virtutis ac pietatis indices, inter quos præcipui sequentes fuerunt. Trigesimus tertius, quo Patres statuunt: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris & Diaconibus & Subdiaconibus in Ministerio abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: Quicunque verò fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur.* Et quoniam non-

(z) Augustin. contra Crescent. c. 27.

Synodus Eliberitana, ejúsque præcipui Canones.

Martyr effectus est à Paganis, ut in templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Cujus rei gratiâ collecto numeroso Concilio Episcoporum, & inquisitione factâ, hoc se idem Pontifex egisse confessus est Alii Authores Catholici his accedunt unà cum Martyrologio, & Breviario Romano. *Qui verò lapsum Marcellini* NEGANT, ajunt Acta Synuessana esse supposititia, *primò* quia referunt â Romano Pontifice suæ thurificationis arbitros constitutos fuisse Cæsares Persecutores, & ad primam Diocletiani vocem sinè reluctatione Papam Jovi & Saturno sacrificâsse. *2dò* Marcellinum, qui spectante Româ in templo Isidis sacrificaverat, id coràm Synodo negâsse, sed convictum esse à 72. testibus, quæ paradoxa sunt. *3tiò* Episcopos trecentos in tanto æstu Persecutionis convenisse in tenui oppido non procul ab urbe Roma, hósque exclamâsse se non posse de eo judicare; ut quid ergo tanto cum periculo convenerant? cur tot testes audierant? Multa alia apud Pagium & Natalem Alexandrum fabulosa & Chronologiæ dissona de hac Synodo legere licebit: Porrò hunc lapsum, Synodúmque factam ignoravit AUGUSTINUS; imò cùm Donatistæ thurificationis & traditionis crimen Marcellino ejúsque Successoribus Marcello & Melchiadi objicerent; ità reponit Augustinus lib. de Bap. adversùs Petilian. c. 16. *Quid ergo opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus, Sylvester traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur; sed nunquid ideò etiam convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monstrantur? ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo.* Demum ex eo, quòd historia Breviario inserta sit, authoritas ei quædam accedit, sed non alia, quàm ut credibiliter gesta proponatur, quoadusque nihil solidi in contrarium producatur. Vid. HONORATUM à S. MARIA *in regulis Criticis Tom. I.* BARONIUM T. III. Annal. CANUM loc. com. l. 21. c. 3.

nonnulli in eam superstitionem devenerant; ut cereis accensis mortuorum animas è tumulis evocare niterentur (a), Canone trigesimo quarto cautum est: *Cereos per diem placuit in Cæmeterio non incendi, inquietandi enim Spiritus SS. non sunt.* Quanquam & alia ratio erat interdicendi cereorum usu, scilicet, ne si Christiani apud Catacumbas ejusmodi lucernas accenderent; fideles, qui ibidem ab hostibus latebant, velut dato signo proderentur (b). Porrò Canone trigesimo sexto prohibitæ imagines, quibus divinitas quoquo modo exprimitur: cùm enim Gentilibus, atque Catechumenis Deus utpote immensus, atque corporis expers proponebatur; timebant Præsules, ne si in tabulis, aut parietinis picturæ ejusmodi extarent, sinistra mens aut opinio rudibus injiceretur: itaque Patribus *placuit, picturas in Ecclesia non esse, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur* (c) Canone 79. aleæ ludos Episcopi detestantur: *Si quis fidelis aleâ luserit, placuit eum abstinere, & si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.*

(a) Mendoza.
(b) Pagius in Brev. PP.
(c) DuMesnil. l. 9. n. 3.

17. Intereà Galerianus Maximianus expulsis senibus Diocletiano & Maximiano Herculeo, adeptus maximam potestatem (d), ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat, animum intendit; volupe ei erat videre, Christianorum corpora ferarum dentibus laniari: nulla pœna penes eum levis: non carceres, non metalla; sed ignis, crux, belluæ in illo erant quotidiana & facilia (e): haud minùs sæviebat Maximinus Galerii studio in Cæsarem adoptatus; nam accepit Orientem calcandum & conterendum (f). "Adhibuit autem ignem, ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones & effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes; ad hæc famem, metalla, vincula &c.„ (g) ut Christianam fidem exterminaret. Nullis unquam magìs bellis mundus exhaustus est, quâm cùm plebem Dei tot hostes popularentur; sed neque majore unquam triumpho vicit Ecclesia, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuit (h): his enim decennalibus peractis, fides à fuso toties sanguine eum fructum retulit, ut non modò floresceret in agris & urbibus, sed & Solio Cæsaris illata toti orbi dominaretur,

(d) Lact. de M. Persecut. c. 21.
A. Æ. C. 306.
(e) Idem c. 11.
(f) Lact. c. 19.
(g) Euseb. l. 8. hist. c. 14.
(h) Lact. de M. Persec. c. 10.

REFLE-

REFLEXIONES HISTORICO - ECCLESIASTICÆ IN CAPUT II. LIBRI III.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 4. pag. 567.

Quantâ Barbarie Gentiles in SS. Martyrum, cæterorúmque Christianorum pias exuvias desævierint?

1. ETsi omnis *crudelitas minimè humanum malum sit, indignúmque miti animo* (a); in belluinam tamen tunc planè rabiem illa desinit, ubi post torta vivorum corpora, in mortuorum quoque reliquias funestiùs grassatur: omnes igitur naturæ leges egredi visi sunt Gentiles, quando cadavera Christianorum (quos mille cruciatibus jam delaniaverant vivos) vel inhumata dejiciebant, aut exustorum cineres effundebant in profluentem, ponebántque *mortalia* Dei *servorum bestiis terræ: effundentes sanguinem ipsorum in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret* (b). Atque hoc sæviendi consilium non à legibus humanis, sed à dæmonis unius instinctu proficisci potuit (c), qui Martyrum, quorum honoribus fides crescebat, memoriam his nefandis machinationibus abolere penitùs adnitebatur.

(a) Senec. l. de clement.

Crudelitas Gentilium in mortuos MM.

(b) Ps. 88.

(c) Liter. Eccl. Lugd. apud Euseb. l. 5.

2. Ac primò, ut hostis stygius contemptui Reliquias Martyrum exponeret; persuasit Tyrannis, ut Christi pugiles *sepulturâ* interdicerent: erat hæc insania omnium Gentium quantumvis barbararum moribus contraria, non modò lucem vivis, sed & terram mortuis denegare (d); præsertim cùm Romanus Scriptor ipse testetur, quòd nec hostes ipsi sepulturam invideant (e). Verùm cultissima Romanorum Gens, quasi legum suarum oblita, in Christianos ità exarserat, ut hos nec vivos certo loco consistere, nec mortuos alicubi conquiescere pateretur. Qui acta Martyrum evolverit, *sub Nerone* palàm abjecta leget corpora Ss. Processi & Martiniani, *Sub Valeriano* exuvias Ruffinæ & Secundæ Virginum: *sub Decio* Parmenius, Elimena, Chrysitelus, Lucas & Mutius sepulturâ caruerunt: *sub Diocletiano* quot inhumati perierint, quot canibus, ferísque objecti, quis in numerum referet? Urebat utique Christianos fratres, cùm viderent Dei servos velut jumenta temerè projectari: at accurrere, corpus Martyris attingere, aut terram iis dare, summo crimini vertebatur: itaque legimus par nobilissimorum Persarum Abdonem & Sennen, Irenæum

Martyres sepulturâ prohibiti.

(d) Lact. l. 5. c. 2. Ambros. ep. ad Valent. contra Symmach.

(e) Tacitus ann. lib. 1.

Feris expositi.

um & Abundium, alióſque eadem ex cauſa ſupplicio addictos: & quoniam pœnarum metus Chriſtianos à pietatis officio ne quidem ſatìs abſterrebat; cuſtodes abjectis corporibus adhibebantur, qui longè fideles à pia reliquiarum rapina arcerent (f). Acerbæ tamen ejusmodi vigiliæ Ethnicorum prohibere non potuêre, quò minùs multa Martyrum corpora ad Cœmeteria ac Catacumbas Chriſtianorum ſedulâ curâ ſubtraherentur; id cùm idololatras haud lateret, cadavera jam ſepulta refodere, & injurioſiùs inſectari non ſemel aggreſſi ſunt: Tertullianus ſæviente Severo queſtus eſt (g); "quòd in ipſis Bachanalibus furiis, nec mortuis parcant Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, & Aſylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, diſſipent, diſtrahántque.„

(f) Surius Tom. 4. 10. & 15, Aug.

(g) Tertull. in Apol.

Martyrum exuviæ facinoroſorum oſſibus commiſcentur.

3. Triſte, & ad dolorem Orthodoxi gregis ſpectaculum erat, videre diſperſa oſſa Sanctorum; nefaſtius illud Ethnicæ ſuperſtitionis inſtitutum, quo beatorum Martyrum corpora membratim conciſa aliis facinoroſorum infidelium, aut etiam brutorum oſſibus permiſcebant. De Vitali & Agricola teſtatur Ambroſius (h), eorum pretioſas reliquias furente Diocletiano inter fœda Judæorum cadavera projecta fuiſſe. Surius commemorat (i), Trucidatos Julianum & Celſum inter reos diverſorum criminum: & Sozomenus de Euſebii, Neſtorii & Zenonis exuviis loquens (k), ait: "reliqua autem oſſa, quæ ignis neutiquam abſumpſerat, oſſibus camelorum & aſinorum, quæ ibi projecta erant, admiſcent, adeò ut perdifficile eſſet, ea inter oſſa reperire.„

(h) Ambroſ in exhort. ad Virg. & ep. 55.

(i) Sur. l. 1. 9. Jan.

(k) Sozom. hiſt. l. 5. c. 8.

Martyrum corpora exuruntur.

4. Ad abolendam porrò Martyrum memoriam fidei noſtræ hoſtes ignem, & aquam velut inſtrumenta poſtremæ crudelitatis adhibuerunt: hoc quippe conſilio propoſito, ùt ait Euſebius (l), ſe Chriſtiaoorum cadavera vaſtare, comburere, demergere nequiſſimi homines profitebantur. Ex Tacito Romano Scriptore (m) palàm fit, quâ ferociâ Nero Chriſtianos incendio cremârit, ut, ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis deſervirent: Severus Imperator tantâ frequentiâ flammis dedit Martyres, ut eo tempore Chriſtianos Sarmentitios & Semaxarios ignominiæ causâ appellarent, quia ad Semiaxis ſtipitem revincti ſarmentorum ambitu crudeliter exurebantur (n). Atque ut diſſimulemus ingentem Chriſti Athletarum turbam, quam ſub aliis Tyrannis ignis abſumpſit; numerus ille multorum millium exemplo ſit, qui Nicomediæ jubente Diocletiano in Templo, cùm Natalem Servatoris celebrarent, per ignem cælo renati ſunt; quo tempore Chriſtus in terris pro ſalute mundi naſci dignatus eſt (o).

(l) Euſeb. l. 5. c. 1.

(m) Tacit. Annal. l. 15.

(n) Tertull. in Apol. c. 50.

(o) Martyrolog. Rom.

Traduntur fluctibus maris.

5. Exuſtos incendio ferali cineres dare mari & undarum fluctibus ſolenne erat; quanquam non paucis Tyrannis ratio brevior, & vivos & mortuos ſimul perdendi viſa ſit, ſiquidem Martyres navigiis malè compactis impoſiti, fluctibus permitterentur (p), in iis necem & ſepulchrum reperturi: itaque multos Tiberis (q), plures maria, anchoris vel ſaxis gra-

(p) Euſeb. h. l. 8. c. 6.

(q) Martyrol. Rom.

gravatos hauſerunt, alios etiam fœdiſſimæ cloacæ oculis fidelium ſubtraxêre (r): & quanquam Martyrum gloriæ decederet nihil, cùm illi per ignem, & aquam tantò citiùs in refrigerium tenderent; apud fratres tamen Chriſtianos luctus ingens erat, ùt loquitur Auguſtinus (s), "quòd nulla dabatur poteſtas Sanctorum funeribus juſta perſolvendi, nec occultè ſubtrahere aliquid crudelium cuſtodum vigiliæ permittebant. Atque ità cùm illos, qui occiſi fuerant, in dilaceratione membrorum ſuorum, in conflagratione oſſium, in diſperſione cinerum miſeria nulla contingeret, iſtos tamen, qui nihil eorum ſepelire poterant, magna miſeria cruciabat, quia nullo modo illis ſentientibus, ipſi quodammodo ſentiebant, & ubi jam nulla eorum erat paſſio, erat iſtorum miſera compaſſio."

Sur. Tom. I. 20. Jan.
(r) Act. S. Sebaſtian. apud Sur. Tom. I.
(s) Auguſtin. de cura poſt mort. c. 8.

6. Verùm cùm homines tot modis perdere Martyrum exuvias conarentur, provida Dei manus eas tot caſibus ſubtrahere, ac fidelium cultui ſervare, non ſinè prodigiis inſtituit: ac primò feræ, quêis in pabulum membra ſancta objecta fuerant, humanitatem defunctis corporibus, ùt ait Ambroſius (t) detuliſſe produntur, quam homines frequenter negârunt; volucres enim, canes & leones quaſi mutatâ naturâ ad iſta alimenta ingluviem, oráque non modò occludere, ſed & corpora projecta ab injuriis defendere viſi ſunt. B. Martinæ corpus duæ aquilæ, reliquias S. Gordiani, Olympiadis & Maximi (u) canes ſuâ cuſtodiâ tutati ſunt: ad exuvias Martyris Vincentii corvus (x), ad artus ſanctos Pelagiæ quatuor leones cuſtodes & defenſores aſſedêre (y). Deinde quoties ignis, & quoties immanes aquarum fluctus Martyrum corporibus pepercêre: lambebant flammæ Polycarpi, Anaſtaſiæ, aliorúmque multorum membra, non urebant: & ſi quando procellis abſorbendi Martyres mari injiciebantur, hoc protinus Chriſti Athletas littoribus reddidit, cujusmodi exempla de Ss. Luciano, Aurea, Apollonio, Floriano, Quirino, aliíſque legimus. Quadraginta Martyrum corpora ſtellæ in aquis apparentes manifeſtârunt, aliarum Reliquiarum veſtigia exhibuerunt Angeli, aut ipſi Ss. per ſomnum aut imagines cæleſtes probos homines commonefaciendo; quin Deus facinoroſum cineres ſæpè à Martyrum cineribus ſeparavit. Atque ità Tyrannorum acerbitas eluſa eſt; ſervatus & probatus cælitùs Reliquiarum cultus, multotiéſque oſtendebatur: quòd cuſtodiat Dominus omnia oſſa, eorum, unum ex his non conteretur (z).

Reliquiæ multæ divinitus ſervantur.
(t) Sur. T. 3 10. Maji.
(u) Idem T. 4. 10. Aug.
(x) Prudent. in περὶ ϛεφάνων. hymno.
(y) Surius Tom. I. 4. Maji.
(z) Pſal. 33. v. 22.

REFLEXIO II. ad §. 2. num. 6. pag. 582.

De ſepulturis Martyrum, Cœmeteriis, ac Catacumbis.

1. QUantam Ethnici curam habuerunt in diſpergendis Martyrum oſſibus, tantum apud omnes omnium ordinum Chriſtianos ſtudium

viguit in tumulandis eorum corporibus, qui pro fide ad ſanguinem usque decertâſſent (a): & quoniam urbs Romana inter reliquas totius orbis tanquam fertilis Eccleſiæ ager Martyrum cruore uberiùs redundavit; ipſi ſupremi Pontifices hùc conſilia ſua converterunt, ut honorificis ſepulchris Chriſti pugiles inferrent. Pius Primus Pontifex Juſto Epiſcopo id obſequii genus demandans, his verbis uſus eſt: *Cura autem ſanctorum Martyrum corpora, ſicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum.* Beatus Marcellus Papa viginti quinque titulos in urbe inſtituit, quaſi Diœceſes, propter baptiſmum, & pœnitentiam multorum . . . & propter ſepulturas Martyrum (b). Non minora tumulandorum Martyrum ſtudia fuêre Fabiani, Cornelii, Stephani, aliorúmque primævorum Pontificum, à quorum tempore certi homines ab Eccleſia alebantur, quos Ignatius κοπιῶντας (c), Epiphanius κοπιατὰς id eſt laborantes (d), Hieronymus *foſſarios* appellant (e), qui è Clericorum quandoque ordine (f) corpora eorum, qui obdormierant, obvolvebant, ac terrâ cooperiebant.

Studium ac pietas Chriſtianorum in ſepeliendis Martyribus.

(a) Prud. de exeq. def.

(b) Anaſtaſ. in V. Marcell.

(c) Ignat. ep. ad Antioch.

(d) Epiph. in expoſ. fid.

(e) Apud Hieron. T. 9.

(f) Baron. ad a. c. 34. §. 288.

2. Intra exiguum foſſariorum numerum hæc charitas erga Martyrum exuvias officioſa adeò non ſubſtitit, ut & nobiliſſimi quique viri ac matronæ huic digniſſimo obſequio ſuam operam intenderent. De Aſterio Senatore Romano (g), Mario, Nicoſtrato (h) compertum eſt, eos humeris corpora Martyrum comportâſſe, nec minùs celebria ſunt officia, quæ Baſiliſſa, Anaſtaſia, Plautilla, Martyrum ſepulturis impenderunt (i): Gaudentius prædicat Religioſas matronas, quæ, cùm cineres exuſtorum corporum mandato Tyranni in fluvium jacerentur, partem cineris vel furto eripuerunt, vel pretio corporibus æquato reliquias à crudeli Satellitio coemerunt (k). Fuêre demum, quibus non tantùm integros artus, ſed & guttas fuſi ſanguinis linteis excipere, vel pulverem cruore rubentem inſtar theſauri auferre, ſive etiam ipſas carnificum veſtes ſanguine Martyrum aſperſas oblato argento comparare curæ fuit (l).

(g) Martyr. Rom. 5. non. Mart.

(h) Acta MM.

(i) Baron. in Not. ad Martyr. 15. April.

(k) Gaud. in orat. 40. MM.

(l) Aringh. Tom. I. l. 1. c. 16.

3. Collectis jam ſummo ſtudio Reliquiis, alter Chriſtianis labor erat, ut eædem ad Cœmeteria ſacra & ſæpiùs ſolenni ritu, quantùm ſcilicet temporum difficultas ferebat, deveherentur (m): Lavabantur ſcilicet corpora & odoriferis herbis condita mundiſſimâ ſyndone, pannove bombycino, aut pretioſis etiam veſtibus obvolvebantur (n), tum privatis in ædibus vigilias, aliáque in Martyrum obſequium pietatis officia exhibebant (o): dein, ad perſecutorum acerbitatem declinandam ſub intempeſtæ noctis ſilentium, birotis ſive vehiculis exuvias ſacras ad Cœmeterium, prælucentibus cereis deferebant. Ejusmodi candelis non tantùm ad diſpeſcendas noctis tenebras, ſed & in diurnis funeribus in lætitiæ ſignum utebantur (p); unde Acta S. Cypriani referunt, corpus ejus propter Gentilium curioſitatem in proximo poſitum fuiſſe cum cereis, cum voto, & triumpho magno: præter cereorum lucem, Pompa funebris animabatur modulationibus

(m) Idem 17.

(n) c. 21. 22. 23. 24. & 25.

(o) c. 20.

Ritus, quo olim Martyres ſepeliebantur.

(p) c. 18. 19.

bus psalmorum, quibus & Dei laudes, & beatæ resurrectionis exspectatio celebrabatur. Prætereà more receptum erat, cruces in varias formas effictas, sanguinem ampullis inclusum, instrumenta Martyrii (q), & Acta Passionis (r), tabulas Ecclesiasticas Confessorum, & Evangeliorum codicem sàu cum Martyrum corporibus tumulo includere, quæ quidem corpora non Promiscuo situ, sed vultu ad orientem converso collocata fuisse testatur Aringhius (s).

(q) c. 27. 28. & 29.
(r) c. 30.
(s) Idem c. 31.

Cryptæ Martyrum seu Catacumbæ.

4. Quemadmodum verò Gentiles exustis mortuorum cineribus Magnifica Mausolea, aut sepulchra extra urbis mœnia, quâ frequens viator transibat, construebant; ità è diverso Christiani terræ corpora mandabant in Cœmeteriis sive in agris ad inferendas, recondendasque fidelium exuvias sacratis, aut in Cryptis subterraneis, quæ partim rupibus incisæ, partim effossâ arenâ in visceribus terræ substructæ erant; hinc etiam nomen *Catacumbarum* obtinuerunt, à Græca voce κατὰ & κύμβος quod idem est (ut Hesychius exponit) ac cavus recessus, seu locus in imo positus (t). Baronius illam Catacumbarum vocem ex duabus dictionibus Græca & Latina conflatam ait, ac si diceretur, quod sint locus juxta tumbas. Porrò hæc Cœmeteria, sive cavernæ subterraneæ extra mœnia per circuitum sitæ nil ferè lucis admittunt, discernuntúrque in varios, ac multiformes vicos, & angiportus, ut labyrinthi speciem effingant. In parietibus excavati foruli cernuntur condendis corporibus apti, infra humum longissimi excurrunt vici, duplici triplicive ordine cellis instructi, in quibus corpora quiescebant, altè in terram depressa; quam Cœmeteriorum formam S. Hieronymus prima in ætate sese exploràsse confirmat; *Cùm essem*, inquit (u), *Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer; solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi, diebus dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebróque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defossæ, ex utrâque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ità obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: descendant in infernum viventes, & raró desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putes, rursúmque pedetentim acceditur, & cava noctis circumdatis illud Virgilianum proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.*

(t) Baron. in not. ad ad Martyrol. die 20. Jan.

(u) Hieron. in Ezechiel. c. 40.

Forma & amplitudo Cryptarum.

5. Porrò ejusmodi Cœmeteria in eam protenduntur amplitudinem, ut unumquodque eorum civitatem haud exiguam repræsentare videatur; statis enim quibusdam locis spatiosa intervalla videas; ubi tempore Persecutionum, fidelium conventus habiti: demirari etiam licet ibidem distega, & tristega aptè ad habitandum disposita, in quibus Christiani à Tyrannorum rabie latebant: & quanquam in terreis illis cavernis ornatûs quidquam vix requiras; Camerarum tamen pars potissima perinde ac totidem Sacella varias ex Vetere, Novóque Testamento historias penicillo expressas referebant. In multis Catacumbis repertæ fuerunt urnæ

ex marmore, quæ celato, elegantíque opere easdem, quas picturæ Camerarum effigies exhibebant: posteris eæ speluncæ subterraneæ diu ignotæ fuêre, aditu scilicet earum injuriâ temporum præcluso; et sæculo decimo sexto ad finem vergente observari, & recludi cœperunt (x).

(x) Aringhius lib. 1. Romæ subterran. c. 1.

6. Inter Cœmeteriorum verò substructiones, quas benè multas describit Paulus Aringhius de Roma subterranea duobus Tomis; celebrior illa fuit, quæ à Callisto Pontifice nomen habebat. Fuerat quippe hoc Cœmeterium Pontificibus maximis (dum inter vivos degerent) optatissimum aliquando domicilium, & post obitum dignissimum sepulchrum: inter eos, qui tumulati hìc quiescunt, numerantur PP. Anicetus, Soter, Anterus, Pontianus, Fabianus, Cornelius, Stephanus, Sixtus II., Dionysius, Eutychianus, Eusebius & Melchiades; in hoc pium conditorium S. Sebastianus suum à Lucina corpus transferri præcepit; porrò ut terræ hujus sanctitatem breviùs complectaris, ex titulo marmori ibidem insculpto rem totam tenebis (z):

Cœmeterium Callisti.

(z) Idem l. 3. c. 11.

HOC EST COEMETERIUM CALLISTI PAPÆ ET MARTYRIS INCLYTI; QUICUNQUE ILLUD CONTRITUS, ET CONFESSUS INGRESSUS FUERIT, PLENAM REMISSIONEM OMNIUM PECCATORUM SUORUM OBTINEBIT, PER MERITA GLORIOSA CENTUM SEPTUAGINTA QUATUOR MILLIUM SANCTORUM MARTYRUM, UNA CUM QUADRAGINTA SEX SUMMIS PONTIFICIBUS, QUORUM IBI CORPORA IN PACE SEPULTA SUNT.

REFLEXIO III. ad §. 3. num. 1. pag. 586.

A quo tempore primi Christiani habuerint Ecclesias publicas?

1. Etsi primâ nascentis Ecclesiæ ætate à Christianis conventus sacri instituti sint; nemo tamen in primis àc ferreis illis Tyrannorum sæculis vestigium alicujus ædificii illico deprehendet, quod habitis ejusmodi fidelium cœtibus palàm Sacratum ante Gentilium oculos prostitisset. Legimus equidem sub Claudio, atque Trajano occulta conventicula Christianorum accusata fuisse, quin tamen certæ Ecclesiæ aut templi mentio fieret. Unde & Præfectus ex Justino Martyre sciscitatus est, quem in locum Christiani convenirent (a)? cui sapientissimus Christi Athleta aptè reposuit, „ eò unumquemque convenire, quò vellet, ac posset. An, inquit, existimas omnes nos in eundem locum convenire solitos? minimè res ità se habet: Quoniam Christianorum Deus loco non circumscribitur; sed cùm invisibilis sit, cælum & terram implet, atque ubique à fidelibus adoratur, &

Publicas Ecclesias primis temporibus Christiani non habuerunt.

(a) Acta Justin. M. apud Ruinart.

& ejus gloria collaudatur. „ In eandem ferè ſententiam ſcripſit Dionyſius Alexandrinus (b), " quivis locus, ait, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacras celebrandas Synaxes congregabantur. „ Atque hæc ratio fuit, cur ſuperſtitioſi Ethnici Chriſtianæ fidei cultoribus amarè inſultârint, id præcipuè objectando, Religionem hanc carere templo & altari (c). Diffiteri id tunc non ſunt auſi Chriſtiani; at cauſam rei eam dederunt, quæ hoſtes fidei ſatis confunderet. Utì legere eſt apud Tertullianum, & Minutium Felicem (d).

(b) Euſeb. h. l. 7. c. 22.

(c) Cardin. Bona Lit. l. 1 c. 19.

(d) Min. F. p. 8. 26.

2. Neque tamen ideò primis temporibus Orthodoxi à privatis conventibus abſtinebant; habebant quippe Patresfamiliàs *in domo alta* (ùt Acta Pontii Martyris teſtantur) cœnaculum, ad quod non modo domeſtici, ſed & vicini orationis causâ affluebant: Præthereà ſubterranea quaſi templa Chriſtianis fuerant, Cœmeteria, & Catacumbæ; unde in Clementis Pontificis conſtitutionibus legitur (e): *Convenite in Cœmeteriis ad legendum ſacros libros, & pſallendos hymnos pro Martyribus mortuis* (ſcilicet Deo gratias agendo pro impenſa Martyribus gloria) *& Sanctis omnibus, qui ſunt à ſæculo defuncti, ac pro fratribus veſtris, qui in Domino mortui ſunt, & Eucharistiam Deo acceptam, antitypon, id eſt Sacramentum Regalis corporis veſtri offerte in Eccleſiis veſtris & in Cœmeteriis...* Atque hæc cauſa fuit, cur Valerianus Cœmeteriorum aditum ſeveriſſimis pœnis interdixerit (f), & tempore Tertulliani Gentiles jam exitio Chriſtianæ fidei intenti vociferabantur: *Areæ non ſint, ſive Cœmeteria claudantur, deſtruantur* (g)! erant quippe hæc non tantùm pia latibula, ſed & ſacraria, in quibus ſummi Pontifices primorum temporum cogebant Synodos, baptizabant, inſtruebant plebem, confirmabant, Epiſcopos deſignabant; præcipuè tamen in his abditis terrarum receſſibus ſacræ Synaxes peragebantur: hùc flagrante Perſecutionum incendio Chriſtiani tanquam apes ad alvearium convolabant (h), ſcilicet ad Chriſti Corpus & Sanguinem ſumendum, aut conficiendum: de Stephano Papa Martyrologium Romanum teſtatur eum cùm in Cœmeterio Calliſti Sacrificium perageret, ab irruente in cryptas ſatellitio inter Miſſarum ſolemnia capite obtruncatum fuiſſe (i). Acta ſancti Diodori nobis ingentem Chriſtianorum multitudinem exhibent, quæ regnante Numeriano in ipſa ſynaxeos ſacræ ſolennitate ab hoſtibus oppreſſa eſt (k): Prudentius meminit Aræ Hippolyti Martyris ſepulchro appoſitæ (l).

Ubi olim ſacros cœtus celebrârint Chriſtiani?

(e) l. 7. c. ult. Conſt. Apoſt.

(f) Baron. T. II. ad a. 260.

(g) Tertull. ad ſcap. c. 3.

(h) Chryſoſt. ſerm. de SS. Juvent. & Max.

Conventus in Cœmeteriis.

(i) Rom. Martyr. 5. Auguſt.

(k) Acta Diodori.

(l) Prudent. in Periſteph. hymno de S. Hippolyt.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi appoſita eſt Ara dicata Deo.
Illa Sacramenti Donatrix menſa, eadémque
Cuſtos fida ſui Martyris appoſita.

Ser-

Servat ad æterni ſpem Judicis oſſa ſepulchro
Paſcit item ſanctis Tybricolas Dapibus.

Ex quo nunc porrò colligitur, quare ſequentibus ſæculis more receptum fuerit, aras ſepulchris Martyrum imponere (m), & cur in Cœmeteriis retectis, tot hodiedum viſantur cubicula, aptatis utraque ex parte ſedilibus, quorum unum Pontifici deſtinatum eminebat, ùt videre eſt in via Nomentana in Cœmeterio B. Agnetis (n); quia nempe in his cryptis Chriſtiani aras ſuper tumulos Martyrum exſtruxerant, aut has cavernas ità aptabant, ut Synaxi & Miſſarum ſolemnibus celebrandis aptior locus foret.

(m) Concil. Gener. VII. Bona Lit. l. 1. c. 19.
(n) Aringh. T. I. lib. 1. c. 31. n. 5.

3. Neque tamen labente tempore in terræ tenebris ità ſub Gentilibus latuêre Religionis Myſteria, ut non etiam in publicis, & luci expoſitis templis frequentarentur. Origenes de Perſecutione Maximini loquens, confirmat per hanc tempeſtatem multa templa Chriſtianorum diruta, & incenſa corruiſſe (o). Idem Scriptor alibi (p) prædicat, quòd poſt Maximinum ædificari viſæ ſint aræ pro Sanguine pretioſo Jeſu Chriſti; & Gregorius Nyſſenus dilaudat templum, quòd circa eadem tempora exſtruxit Neocæſareæ Gregorius Thaumaturgus: Sub Decii tyrannide curam templa ædificandi penes fideles fuiſſe aſſerit Gregorius Turonenſis (q): *ex his ergo*, ait, *pauci admodum credentes Clerici ordinati, ritum pſallendi ſuſcipiunt, & qualiter Eccleſiam conſtruant, vel Omnipotenti Deo ſolemnia celebrare debeant, imbuuntur*; & quanquam Tyrannorum ſequentium furor utì in exterminium fidei; ſic quoque in deſtructionem Eccleſiarum incubuerit, Henricus tamen Valeſius notat ad Euſebii hiſtoriam, Baſilicas Romæ tempore Diocletiani numero quadraginta ſex extitiſſe (r). Euſebius autem Pamphili ipſe pertractans ea, quæ Diocletiani Perſecutionem præceſſerunt, ita ſcriptum reliquit: tum verò quis innumerabilium hominum quotidiè ad fidem Chriſti confugientium turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris cumulatè poſſit deſcribere? quo factum eſt, ut priſcis ædificiis jam non contenti, in ſingulis urbibus ſpecioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent Eccleſias (s).

(o) Origen. in Matth. 28.
(p) Apud Tillemont.
Eccleſia publicæ Chriſtianorum.
(q) Gregor. Turon. l. 1. Hiſt. Franc. c. 28.
(r) Valeſ. in Not. ad Euſeb. l. 6. c. 43
(s) Euſeb. l. 8. hiſt. Eccl. c. 2.

4. Equidem non deſunt ex Scriptoribus, qui Eccleſiarum originem ad ipſa Apoſtolorum tempora revocent: nam Petrus dictus Venerabilis, qui Romæ præſens affuit anno 1145. (ut teſtatur Baronius) rem ita evincere conatur: *Nunquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apoſtolus ſedit, absque templo vel Eccleſia, id eſt orationis domo vel parvo ſaltem oratorio fuit. Nonne ut geſtorum veracium ſeries narrat, ſi tamen præter divinum canonem geſtis aliquibus aſſenſum datis, Primus ipſe Princeps Apoſtolorum Petrus in urbe orbis capite templum Chriſti inter innumera Gentilium templa conſtruxit. Et juxta quod beatus & Magnus Papa Leo nobis ſermone pronunciat, Trophæum Crucis Chriſti Romanis arcibus invexit* (t)? S. Chryſoſto-

An vel quo tempore Eccleſiæ fuerint?
(t) Petr. Ven. l. Ep. 1 Con. Pet. Reſp. ad c. 2.

ſoſtomus (u) quoque & Auguſtinus (x) de templis mentionem faciunt, quæ ab Apoſtolorum manibus conſecrata traduntur. Verùm hæc templa potiùs oratoria dixeris, quæ invidiam Gentilium minùs provocabant; aut aræ ejusmodi, quas S. Cyprianus occultas nominat, & abſconditas à Paganorum oculis (y). In hunc ſenſum quoque intelligendus eſt Petrus Venerabilis, quando in citato loco ſubdit: *Nonne & nos ipſi Romæ poſiti frequenter vidimus in Cryptis antiquiſſima oratoria, & altaria, qualia eo tempore fieri poterant. Quæ ab eodem Apoſtolo conſtructa, & ſanctificata, ſicuti per ſucceſſionem fama conſentiens, ac celeberrima proteſtatur, in monumentum tantæ ſanctitatis fidelibus oſtenduntur, & ab iisdem fidelibus dulciſſimè, & devotiſſimè deoſculantur.*

(u) Chryſoſt. Tom. 5. or. 12.
(x) Auguſtin. S. 32.
(y) Cypr. ad Demetr.

REFLEXIO IV. ad §. 3. num. 2. pag. 587.

Qualis fuerit habitus Clericorum in primis Sæculis?

Perſecutio Clericorum.

1. QUemadmodum Maximinus Imperator Eccleſias, quæ tunc jam extabant, ſuſcepit diruere; ita alteram furoris partem in ordinem clericalem penitùs effudit (a): uti enim ab Euſebio accepimus, τὰς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας ſive Eccleſiarum Antiſtites perſecutus eſt; ex quo nunc dubium Hiſtoricis ſuboritur, fueritne certus Clericali ordini aut Eccleſiarum Miniſtris ſeu Præſidibus habitus, aut quædam exteriora inſignia, quæ eosdem à Laicorum, exteriore uſu ac conſuetudine diſcreverint?

(a) Euſeb. l. 8.

Quas olim veſtes habuerint Clerici?

2. Non deſunt Authores, qui cùm veterem diſciplinam, vivendíque modum cum hodierna agendi ratione penitùs æquare ſatagunt; longioribus oculis in primæ ætatis Clericis & tonſuram, quaſi ab Apoſtolis traditam, & veſtes easdem (quæ Clericis hodiè tribuuntur) ſe deprehendiſſe arbitrantur. Quidam etiam fuêre qui noſtris temporibus ſolitas Epiſcoporum veſtes in veſtitu S. Cypriani ſe reperiſſe confirment; nam in Actis ejusdem Martyris habetur: *Cyprianus in agrum ſexti productus eſt, & ibi ſe lacernâ byrro expoliavit, & genu in terra flexit, & in orationem ſe Domino proſtravit; & cum ſe Dalmaticâ exſpoliâſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere* (b).

(b) Acta Paſſionis S. Cypriani.

3. Verùm quis credat, inter tot vigiles Tyrannorum inſidias, animarum Paſtores tam aperta Profeſſionis ſuæ indicia palàm geſtâſſe; quibus ſtimularetur Gentilium furor; & quibus ſignis indicia certiſſima facta fuiſſent capiendorum, aut inveſtigandorum Paſtorum? Qui de Dionyſii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, & S. Cypriani fugâ, ac millenis latendi ſtudiis aliorum Epiſcoporum legerint; iis facilè occurret, neminem Sacerdotum adeò cum Montaniſtis deſipere voluiſſe, ut temerè, & cum multarum ovium jacturâ in manus hoſtium illabi, ſéque manifeſto veſtitûs genere agnitum in lanienam offerre præſumpſerit. Itaque in exteriore

 cultu

cultu corporis à reliquâ plebe Clerici non differebant: de aliquibus tamen proditum est, scilicet de Tertulliano, Origene, & aliis, eos habitum, vultúmque Philosophorum Veterum induisse (c). Ipsa igitur dignitas oris, & virtutis è facie Episcoporum resplendentis majestas erat, quæ reverentiam ordini Clericali conciliabat; simúlque sagacibus fidei hostibus aliquam suspicionem injiciebat. Quanquam & Ethnici id maximè observarent, ad quorum ædes fidelium & pauperum turba potissimùm convolaret, aut qui Cœmeteria frequentiùs obirent; hos enimverò utpote Clericos ad tribunalia raptabant: quibus conjecturis opus non fuisset, si colore vestis, si tonsuræ modulo Clerici suum ordinem, officiúmque obviis Gentilibus in oculos ingessissent.

(c) Apud Tillemont.

Tonsura in Primæva Ecclesia non fuit.

4. Quòd verò *Tonsuram* ex Apostolorum præscripto profectam aliqui dicere ausint, ii certè à vero quàm longissimè aberrant; nam Tonsuram eandem (quæ fit in modum Circuli) nequidem in sæculo quinto adhibitam fuisse, intelligimus ex S. Hieronymo, qui dum exponit illa verba Ezechielis: *Caput suum non radent, neque comam nutrient*, ità ait: " perspicuè demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultorésque Isidis, atque Serapis, nos esse debere, nec rursus comam demittere, quod propriè luxuriosorum est, barbarorúmque & militantium; sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur: discimus nec calvitium novaculâ esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos esse demittendos, ut opertum sit caput (d): „ Tonsuræ itaque Clericalis usus meritò ab Apostolicâ ætate, & à prioribus sæculis ad posteriora tempora submovetur, præsertim cùm in Sæculo VII. Concilium Toletanum ejusdem Primam mentionem faciat: sub idem enim tempus Monachi frequentiùs ad Sacerdotium promovebantur; quare evenit, ut hi Monachalem tonsuram in Presbyterii gradu servarent, simúlque exemplo suo plures ad sequelam provocantes eum Circularis tonsuræ morem propagarent, qui posteà per Occidentem frequentatus est (e).

(d) Hieron. in c. 44. Ez.

(e) DuMesnil lib. 6. Doctr. & discipl. §. 3.

Nec speciali tunc vestitu usi sunt Clerici.

5. Non minùs à pristinæ disciplinæ cognitione deflectunt, quibus persuasum est, Cyprianum specialibus vestibus suam Episcopalem dignitatem exornâsse: *Pallium* illi fuit, sed quis nescit, hunc habitum tum Philosophi, non Præsulis fuisse? *Byrro* indutus erat, at hæc lacerna coloris rubei ad plebejos etiam pertinuit (f): demum *Dalmaticam* legitur deposuisse in loco Martyrii. Verùm hoc vestimenti genus Cæsaribus quibusdam familiare extitit. Certè de Heliogabalo ex Lampridio compertum est, quod Dalmaticus in publico sæpè visus sit (g). Nihil igitur Episcoporum, aut Presbyterorum vestis primis sæculis singulare habebat ab illis indumentis, quæ à Romanis recepta fuerant.

(f) Augustin. serm. 18. de verb. Apost.

(g) Lampr. in Heliog. c. 26.

REFLE-

REFLEXIO V. ad §. 4. num. 8. pag. 602.

De Pœnitentia, quotuplex ea & quàm rigida fuerit in Prima Ecclesiæ ætate?

1. Cùm Exomologeseos nomen apud Primorum Sæculorum Patres non unâ vice occurrat; postremùm à quibusdam quæri cœpit, quæ notio, quis hujus vocabuli sensus olim extiterit? verùm rem propiùs inspicientibus caligo, quæ offusa videtur, quamprimùm tollitur: Exomologesis quippe nomine *primò* venit secreta & auricularis criminum enuntiatio, illique addita pœna, quo sensu Cyprianus locutus est, dum ajebat (a): *hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes EXOMOLOGESIN conscientiæ faciunt, animi sui pondus* (cogitatu solo admissum, adeóque censuris Ecclesiasticis invium) *exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt*; nam anteà in errorem eorum graviter invectus fuerat, *qui ante expiata delicta, ante exomolegesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, pacem putant esse.* Hæc pœnitentia privata omnibus saltem in exitu semper concessa fuit; nam quod Cyprianus multoties exemplo suo ordinaverat, id Arausicani Patres in Sæculo V. posteà confirmârunt. *Qui recedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ, placuit reconciliatoriâ manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitionem Patrum*; itaque ægro pœnitentiâ privatâ perfuncto, publica pœnitentia remittebatur: vel si convalesceret, jubebatur ab eadem Synodo stare *in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione percipere* (b).

Pœnitentia privata.

(a) Cypr. l. de lapsis.

Exomologesis sive confessio occultorum peccatorum.

(b) Arausic. Concil. I. Canon. 3.

2. Altera *Exomologeseos* significatio denotat aliquando simplicem illam, audiente Deo, peccatorum professionem, ut ex Tertulliano Dominicam orationem explicante intelligimus; ad illa quippe verba *dimitte nobis debita nostra*, ait, *exomologesis est petitio veniæ, quia, qui petit veniam, delictum confitetur* (c). Hanc solam ad veram peccatorum expiationem sufficere frustrà contendunt Protestantes; Tum quia confessio auricularis fuit à Christo instituta, quandoquidem à Christo acceperunt Apostoli potestatem dimittendi peccata: sed peccata nequeunt dimitti, nisi dimittens noverit peccata; cùm dimissio, utpote actus judicialis in incertum ferri nequeat: sicut Judex reum non judicat; nisi sit per se vel per testes convictus. Ut autem sciat Sacerdos, quæ peccata debeat remittere, quæ retinere juxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt*; debent Sacerdoti peccata pœnitentis innotescere, quod fieri nequit (ut maximè patet in peccatis occultis) nisi

Confessio generalis peccatorum.

(c) Tertull. l. de orat. c. 7

nisi pœnitens peccata confiteatur. Quare meritò aliam instructionem hâc super re Armenis dedit Florentinum Concilium, Adversarios autem jure anathemate percussit primò Constantiense, dein Tridentinum Sess. 14. c. 3.

3. Per Exomologesin frequentiùs apud Patres exponitur tertiò ritus pœnitentiæ publicæ, ità enim Tertullianus (d): *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens, misericordiæ illicem de ipso quoque habitu, atque victu mandet ... hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret. Cùm igitur pervolvit hominem, magìs relevat; cum squalidum facit, magìs mundatum reddet; cùm accusat, recusat; cùm condemnat, absolvit:* Sed cùm de pœnitentia ac exomologesi publica sermo est; nequaquam confessionem publicam hìc quoque intelligas) nam ad istam nemo omnium seu lege divinâ (e), seu humanâ obligabatur) sed actus satisfactionis publicos, quibus se gravium peccatorum reos profitebantur pœnitentes. Et quanquam *ob Ecclesiæ offensæ ædificationem* delicta sua publicè confiteri nonnulli minùs perhorrescerent; grave tamen & molestum subinde visum est in Theatro circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare; quare prudentior demum Presbyter delectus est, ad quem accederent singuli, ut aperto delicti sui genere ab eodem pœnitentiæ gradum dictatum acciperent (f).

(d) Tertull. l. de pœnit. c. 9.

Pœnitentia publica.

(e) Trid. sess. 14. c. 5.

Confessio publica nunquam necessaria.

(f) Sozom. l. 5. c. 16.

4. Porrò Sacerdos ille non peccata quævis pœnitentiæ publicæ subjiciebat: sed ea duntaxat, de quibus S. Leo affirmat (g): *Qui idola adoravêre, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Reliqua peccata, quæ vel minùs erant publicata, aut famosa, privatâ pœnitudine elui poterant; Adhæc cum Peccatoribus iis mitiùs agebatur, qui licèt de crimine convicti, plus tamen damni, & fortè etiam periculum irrogandæ mortis ob factam exomologesin, incurrere poterant; unde adulterio pollutas mulieres publicari Episcopi prohibuerunt: & Clerici, qui ad mortem peccaverant, aliam pœnam non subibant, quam quòd de gradu suo dejecti, ad Laicorum ordinem amandarentur (h).

(g) Leo ep. ad Rustic. c. ult.

Peccata pœnitentiæ publicæ subjecta.

(h) Basilius Can. 33. & 34.

5. Ubi verò à Pœnitentiario, aut Episcopo crimina reorum agnita fuerant; Pœnitentibus sua classis adsignabatur: LOCUS INFIMUS, gravissimúsque erat *luctus seu fletus, ubi Peccatorem stantem oportet, fideles ingredientes orare, ut pro se precentur* (i): stabant nimirum hi extra templum sub dio, in Area; quæ causa est, cur Ancyranus canon eos *Hiemantes* sive pluviæ & auræ tempestati expositos nominet (k). Hic Flentium gradus inter pœnitentiales non semper annumeratus est, præsertim primis duobus sæculis, quo tempore nullâ Ecclesiæ communione seu precum seu concionum, seu societatis humanæ fuerunt donati (l); posterioribus tamen sæculis in loco Flentium constituti inter admissos pœnitentes accensebantur. SECUNDUS POENITENTIUM GRADUS erat *Auditio intra*

Ordines sive classes publicè pœnitentium.

(i) Gregor. Neocæs. c. 11.

(k) Concil. Ancyr. c. 17.

Luctus seu Fletus.

(l) Albaspin. lib. 2. observ. 21.

tra Portam in Narthece, ubi oportet peccatorem stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi (m). Collocabantur hujusmodi pœnitentes intra sacra jam septa; nondum tamen intra templum, quo in loco cum Catechumenis imperitis veterani Christiani pœnitentes stabant, concionem, & Apostolicas lectiones *audituri*; quod pœnitentiæ genus senibus & peritis tantò amarius erat, quò apertiùs ad Tyronum elementa retro agebantur, & ex Professoribus denuò in Novitiorum sortem detrudebantur. TERTIUS GRADUS dicebatur ὑπόπτωσις *substratio vel subjectio*: durus hic gradus fiebat à frequentatis adgeniculationibus, prostrationibus, jejuniis & manuum impositionibus; quare sæpe in Canonibus Ancyranis hic unus pœnitentium ordo nomine Pœnitentiæ venit, quasi aliis acerbitate prævaleret. Qui in hanc classem erant redacti, post recitatas super se orationes ab Episcopo & Sacerdotibus, cum Catechumenis expletà Missà, quæ Catechumenorum dicitur, & benedictione factà emittebantur; Diacono proclamante, *exite, qui in Pœnitentia estis*: rem penitiùs exponit Concilium Agathense (n): *In capite Quadragesimæ omnes publicè pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam; ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent Decani, id est Archipresbyteri, Presbyteri Parœciarum, & Presbyter Pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ, Pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Post hæc Episcopus in Ecclesiam introducat, & cum omni Clero septem Pœnitentiæ psalmos in terram prostratus, cum lachrymis, pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat*, (fiebat hæc impositio ante apsidem sive prope ambonem, ut habet Canon Concilii Carthag. III.: apsis autem erat pars chorum à navi Ecclesiæ distinguens) *aquam super eos benedictam spargat, cinerem priùs mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis iis denunciet, quod sicut Adam projectus est de Paradiso; ita & ipsi pro peccatis suis ab Ecclesia abjiciantur, Post hæc jubeat Ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant &c.*

QUARTUS POENITENTIUM GRADUS erat σύστασις, vel ùt Gregorius Neocæsariensis, loquitur, *consistentia*; is enim, qui ad hunc gradum ascenderat, subsistebat cum fidelibus, neque cum profanis egrediebatur, nílque ei deerat, nisi communio Eucharistiæ, quæ illi duntaxat negabatur.

6. His gradibus expletis, fiebat RECONCILIATIO ea, quâ ad participationem Eucharisticam cum reliquis admittebantur Pœnitentes. Erant & alia duo reconciliationum genera, quæ in prioribus pœnitentiæ gradibus jam adhibebantur. Ac primò, cum Flentium ordinem Pœnitentes tenerent, jam probabili ex opinione multorum, sacramentali absolutione peccati reatus, tollebatur (o); & sic Deo reconciliabantur Pœnitentes, non verò

Classis Audientium.

(m) Gregor. Neocæs. c. 11.

Ordo Substratorum.

(n) Concil. Agath. c. 9. apud Grat. dist. 10.

Consistentes

Reconciliatio.

(o) Phelippæi in c. 4. Oleæ..

verò Ecclesiæ, nam censuræ Ecclesiasticæ adhuc manebant, tollendæ post graduum pœnitentialium decursum. Quare pœnitentia publica privatæ appendix erat, vel complementum; quamvis non diffiteamur tempore obitæ pœnitentiæ publicæ sæpiùs sacramentalem confessionem, & peccatorum detestationem iteratam fuisse (p). Cæterùm reconciliatio omnis manûs impositione conferebatur: & *Prima* quidem dabat peccatorum relaxationem in primo pœnitentium gradu constitutis. *Altera* substratis frequentiùs adhibebatur non ad culpæ, sed pœnæ remissionem. *Tertia* reconciliatoria manuum impositio ab Episcopo & Clero facta reddebat plenam pacem, utpote pœnitentiâ internâ & externâ integrè persolutâ; restituebâtque jus ad Eucharistiam & ad omnia Religionis Christianæ munera.

(p) Cellotius lib. VI. c. 20 de Hierarch. ordinis.

7. *Reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero olim non licebat* (q): itaque Episcopi id sibi solis servabant; adsciscebant tamen communiter Clerum Præsules solennitatis causâ (r): & si quando Episcopum abesse contingeret, periculum autem urgeret mortis; reconciliationis officium Presbyteris (s), & interdum etiam Diaconis (t) permittebatur ità quidem, ut exomolegesin apud eos lapsi facerent, sive confessionem pœnitentiæ jam factæ, & quotum ejus gradum impleverint: Diaconi verò visis contriti & humiliati cordis testimoniis, vices Episcopi gerentes vel ab excommunicatione minore adhuc restante absolverent, vel donatam ab Episcopo relaxationem aut absolutionem censurarum & jus ad Eucharistiam declararent. Neque hìc reconciliationem primam, quam sacramentalem diximus, Diaconis commissam unquam fuisse existimes; propterea quòd his in Corpus Christi mysticum, ad absolutionem criminum nullum sit jus, neque permissione solâ Episcopi potestas ejusmodi tradi valeat: imò hæc sacramentalis ac interior reconciliatio cum Deo, sive reatûs absolutio, ineunte Pœnitentiâ à Presbyteris, aut Episcopo ex potestate concedebatur; cui tantùm addenda proinde erat altera, quasi exterior censuræ absolutio, per quam ad tertiam sive ad jus Eucharistiæ percipiendæ (favore Martyrum, beneficio Episcopi Diaconi Ministerio) pœnitens deveniret.

(q) Concil. Carthag. II. Can. 3.
(r) Cypr. ep. 11.
(s) Concil. Carth. II. Can. 7.
(t) Cypr. ep. 13.

Reconciliationis Minister.

Specialis dispositio circa morientes & periculosè ægrotantes.

8. Sed quoniam de Morientium reconciliatione disserere cœpimus; anceps hic quæstio discutienda venit, cur Eliberitana Synodus aliquibus reis in fine communionem permittat, prohibeat aliis? Antequàm respondeamus; duplicis generis ægrotos discernimus, quorum alii pœnitentiâ jam cœptâ in ipso veluti cursu à morbo occupantur: Alii verò in mortis confinia delapsi ab Episcopo pœnitentiam sibi modò imponi postulant: His suppositis, asserimus primi generis pœnitentibus datam plenam, perfectámque communionem juxta Canonem Arelatensis Concilii, *de his, qui in Pœnitentia positi vitâ excesserunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti; sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur* (u). Quod beneficium Eliberitani Patres virginibus lapsis (x), & Ancyrani bru-

(u) Concil. Arelat. II. Can. 12.
(x) Concil. Eliber. c. 13.

brutam Venerem exercentibus (y) in fine pariter vitæ indulgendum existimârunt, ut expletâ per vitæ totius tempus pœnitentiâ corpore Dominico pasti, ad judicem abirent, *& memoria eorum orationibus, & oblationibus commendaretur* (z).

(y) Conc. Ancyr. c. 16.
(z) Concil. Carth. IV. Can. 79.

9. Illis porrò, qui sub vitæ exitum pœnitentiam rogaverant à Præsulibus sibi irrogari, Ecclesia quoque indulsit, ut sacramentali absolutione expiati quidem, haud tamen communione donarentur; arcebantur quippe plurimi hujusmodi tum à perceptione Eucharistiæ, tum ab absolutione à Censuris, ità ut privati orationum, & suffragiorum Ecclesiasticorum communicatione decederent; quod ex ipso Eliberitano canone palàm fit: *Placuit nec in fine eos Communionem accipere debere.*

Interdum negabatur morientibus Communio.

10. Atque hìc rigor tamdiu tenuit, dum Ecclesiæ pace datâ lapsorum numerus, & labendi occasio minueretur. Quare Innocentius Pontifex ait (a): *Posteaquàm Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam sequi videamur.* Quo Viatico concesso minimè integra reconciliatio concedebatur, quà scilicet omnis pœnitentiæ satisfactio remitteretur; nam si moriturientes vitæ & valetudini reddebantur, ad reliquos Pœnitentiæ gradus decurrendos adigebantur juxta Arausicani (b), Carthaginensis (c) & Epaonensis Concilii Canones, quorum postremi legem hìc adducere satìs esto: *Quodsi ægrotum accepto Viatico revalescere fortassè contingit, statuti temporis spatia observare conveniet* (d).

(a) Innoc. I. ep. ad exuper. c. 2.

Quid statutum sit circa convalescentes?

(b) Concil. Arauf. I. Can. 3.
(c) Carth. IV. Can. 76.
(d) Concil. Epaon. c. 36

11. Præter Vivorum Reconciliationem, erat quoque alia, quâ & *mortui* Ecclesiæ restituebantur: ubi tamen de iis nobis sermo non est, qui ante peccatorum absolutionem è vivis decesserunt; de his enim, ait Eusebius Papa, quod *eorum causa Dei Judicio reservanda sit*; unde Montanistarum error dudum exolevit, quo mortuos baptizabant, & Trullani Patres in eorum morem duriùs invecti sunt, quo mortuorum corporibus (ùt testatur Zonaras) Eucharistiam præbebant, & Antisiodorense Concilium definivit: *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradere.* Quamobrem quæstionis hujusce de mortuorum reconciliatione argumentum in eo duntaxat versatur, quòd Pœnitentes (si morte subitâ reconciliationem, seu absolutionem ab excommunicatione recipere non potuerunt) communi Ecclesiæ indulgentiâ pro absolutis & communioni restitutis haberentur: Eo enim sensu loquitur Vasense Concilium (e): *Pro his, qui pœnitentiâ acceptâ* (deleto tamen antè peccato per privatam confessionem) *in bonæ vitæ cursu satisfactoriâ compunctione viventes sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam.* Nonnullis etiam in excommunicatione mortuis, aliquo saltem pòst tempore in-

Qualis fuerit reconciliatio mortuorum?

(e) Concil. Vasens.

indulta est reconciliatio, & communio, ut Gregorius M. multorum exemplis ostendit (f).

(f) Gregor. M. l. 4. Dialog. c. 55.

12. Antequàm de Pœnitentia publica hìc dicere desinamus, hæc pauca subnectenda sunt. 1*mò*. Pœnitentiam ejusmodi publicam semel tantùm concessam (g), *ne* ut ait Augustinus *medicina vilis, minùsque utilis esset ægrotis*: Baptismo proinde comparabatur à Patribus, eoquòd delicta unà cum pœnis expungeret. Privata verò pœnitentia, quæ præter sacramentalem absolutionem à peccato, pœnas non omnes tolleret, sæpiùs repeti permissa est. 2*dò*. Præter publicam & privatam pœnitentiam erat quædam media, dicebatúrque *semiplena*, cujus meminit Basilius (h): Qui furatus est, si seipsum accusaverit, per annum à sola Sacramentorum communione arcebitur. In reliquis ergò cum fidelibus communicabat; quia, ut ait Siricius PP. (i) jam suffragium non habent, id duximus de his discernendum, ut solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, & sacræ Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur; quos tamen Viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari &c. 3*tiò*. Qui pœnitentiam publicam peregerant, monebantur, ut à militia sæculari, & ab ineundo conjugio abstinerent, nam Leo M. ait: *secundùm veram cognitionem, nihil magìs ei congruit, qui Pœnitentiam gessit, quàm Castitas perseverans mentis & corporis* (k). 4*tò*. Iidem notabantur perpetuâ irregularitate, arcebantúrque ab Ecclesiasticis ordinibus; nam Epaonensis Synodus ita definit: *Pænitentiam professi ad Clericatum non vocentur* (l). Nimirum altaris illibata sanctitas esse debet, quódque Clericis depositio; id Laicis pœnitentia est, ne vitia in sacrarium etiam vindicata penetrent, & sancti populi communione contenti sint, qui Professionis suæ puritatem violârunt (m). 5*tò*. Pœnitentia publica cùm sit institutionis Ecclesiasticæ, mutationem patiebatur: non tamen ratio eadem erat pœnitentiæ seu Confessionis sacramentalis, quam nullatenùs mutandam Christus instituit. Præştereà ad publicam confessionem nemo adigebatur, ut testatur Tridentinum; ad privatam verò peccatorum exomologesin peccatores mortalis peccati rei tenebantur, ut docet Augustinus (n): *Si præter uxores vestras, cum aliqua concubuistis, agite pænitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè agis apud Deum. Ergo sine causa claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium Dei, frustramus Verba Christi.*

(g) Augustin. ep. 54.
Pœnitentia semiplena.
(h) Basil. epist. ad Amph. c. 61.
(i) Siric ep. ad Himer.
(k) S. Leo epist. 92. ad Rustic. c. 12. & 13.
(l) Concil. Epaon. c. 23.
(m) Albaspin. l. 2. obs. 34.
(n) Augustin. hom. 49 ex. 50.

REFLEXIO VI. ad §. 4. num. 12. pag. 606.

Quas partes habuerit Populus olim in Electione Episcoporum?

1. QUòd præsente populo Electiones Præsulum in primis sæculis institutæ sint, nemo veteris disciplinæ gnarus inficiabitur: id verò para-

paradoxum eſt, quòd nonnulli ità ad Electionem populum adſciſcant, ut ei jus verum eligendi tribuant. Illi ut aſſertum ſuum ſtabiliant, primò ad Apoſtolicam ætatem recurrunt, ubi in Concilio Hieroſolymis habito, ad Diaconos eligendos adſcitam quoque ajunt multitudinem diſcipulorum; ſubjungit enim ſacer textus: *& placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum* (a). 2*dò* S. Cyprianus epiſt. 52. loquens de Cornelio in Romanam Sedem evecto ità pronuntiat: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio*: & Epiſtolâ 68. apertiùs idem docet: *Quando ipſa plebs maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi.* 3*tiò* Hincmarus Rhemenſis (b) eandem electionis Symbolam à populo requirit: Quæ electio, inquit, non tantùm à civitatis Clericis erit agenda, verùm & de omnibus Monaſteriis ipſius Parœciæ; & de ruſticanarum Parœciarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium ſecum vota ferentes. Sed & LAICI nobiles, ac cives adeſſe debebunt, quoniam ab omnibus debet ELIGI, cui debet ab omnibus obediri. 4*tum* Argumentum deducitur à factis Imperatorum, qui tametſi Laici, Pontifices nonnunquam ſanctos, ſemper veros deligebant. Ità Petrus Aurelius (c).

(a) Act. c. 6.

An populus verè elegerit Sacerdotes & Epiſcopos?

(b) Hincmarus epiſt. ad Hedenulph.

Affirmantium argumenta.

(c) Petr. Aurel. in Vindic. p. 28.

2. Verùm alii meliùs ſtatuunt populum eatenus Electionis participem fuiſſe, quatenus admittebatur in Electionis conſilium, aut poſtulabat, ſeu nominabat eligendum à Clero Præſulem, vel ferebat teſtimonium virtutis ejus, qui eligebatur, vel demum conſentiebat ad electi conſecrationem peragendam, quæ omnia Electionis apparatus erant, vel appendix. Atque ut conſtet, quem locum in Electione Canones populo adſignent, ex pluribus paucos afferamus: Veteris Eccleſiæ eſt Concilium Laodicenum, cujus Canon ità habet: *quòd non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi* (d). In eandem ſententiam conceſsêre Patres Antiocheni ſedente Julio Papâ, dum ajunt: *Si quis ordinatus non iërit in parœciam, ad quam ordinatus eſt, non ſuâ quidem culpâ, ſed propter populi recuſationem* (e), ubi clariſſimè populo non aliæ partes tribuuntur, quàm ex teſtimonio (quod eligendo fortè contrarium ferebant) recuſare ordinatum; non verò eligere, aut ordinare: Concilium Martini Papæ eodem modo decernit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, ſed in judicio Epiſcoporum ſit* (f): demum ſecundi Nicæni Concilii ſanctio ea erat: *Omnem electionem, quæ fit à Magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere; oportet enim, qui promovendus eſt ad Epiſcopatum ab Epiſcopis eligi* (g). Quare cùm electio ſit alicujus perſonæ idoneæ ad dignitatem vel fraternitatem, vel ſocietatem ſervatâ formâ Canonicâ facta vocatio (h); ab his Canonibus Conciliorum minimè recedendum, populóque ille locus in electionis forma tribuendus, quem ſoli Canones præſcribunt. Et quoniam iidem plebem à pro-

(d) Concil. Laodic. can. 13.

(e) Concil. Antioch. can. 16.

(f) Martin. Bracar. c. 1. decret.

(g) Concil. Nicæn. II. can. 3.

(h) Rebuff. tr. de. nomina. q. 1.

Argumenta sententiæ negantis.

priâ electione prohibitum volunt; actum is aget, qui Laicos jure, quod iis non competit, donare largiùs præsumit. Standum potiùs eo ordine, quo Leo Magnus in electione suum cuivis adnumeravit officium. *Exspectarentur*, ait, *certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, ELECTIO CLERICORUM, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui nôrunt Patrum regulas, custodiri; ut Apostolicæ authoritatis norma in omnibus servaretur, quâ præcipitur, ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solùm attestatione fidelium, sed etiam, qui foris sunt, testimonio muniatur* (i).

(i) S. Leo ep. 98.

Solutio difficultatum.

3. Argumenta Adversariorum quàm leviter objecta sunt, tam facilè dissolvuntur. Ad *primum* igitur ℞detur: in electione Diaconorum multitudinem equidem adfuisse, sed quæ de eligendis *septem Viris* BONI TESTIMONII testaretur; unde S. Cyprianus ait: *idcirco tam diligenter, & cautè, convocatâ plebe totâ gestum, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem ordinem indignus obreperet* (k). *Ad 2dum* ℞. S. Cypriani mentem ex Pamelio ejus fido Commentatore accipiendam. Primus quidem textus Cypriani in Cornelii Electione populo assignat suffragium, sed tale, quod testimonii vicem habeat, aut desiderii, quo in unius nomen conspirabat, sive nominabat, non verò eligebat. Quod ne alienum à mente S. Doctoris videatur; inspicienda duntaxat est ejusdem epistola 68., ubi hæc habet: *Quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur; sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit, id est, instruit, & ostendit ordinationes Sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & fit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata*: & tandem concludit: *propter quod diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum &c. ut Episcopus plebe præsente deligatur, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Ad 3tium* ℞. Hincmarum populi præsentiam aliâ ex ratione requirere non posse, nisi ut ordinandorum vita plebis censuræ subjiciatur. Cujus ritus aliquis adhuc extat hodiè in Ecclesia; nam Episcopo rogante publicè, causas edici, si quæ fuerint, ob quas ab ordinibus quis arceri possit? reponit populi nomine Archidiaconus illos videri dignos, quantùm humana fragilitas nôsse patitur. *Ad 4tum* ℞. Versari adhuc benè ob oculos decretum illud, quod Synodus VIII. in causa Ignatii evulgavit, scilicet *Neminem Laicorum Principum, vel Potentum semet inserere Electioni, vel Promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, præsertim cùm nullam in talibus potestatem quenquam potestativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat, sed potiùs silere, & attendere sibi* (l). Et quoniam Theodoricus Rex Italiæ præcipuus fuit, qui electioni Pontificis sese immiscuit; audia-

(k) Concil. Nic. 2. can. 3.

(l) Concil. Nic, 2. Can. 3.

audiamus, quid de hoc facto scribat Annalium Ecclesiasticorum Parens: "Quod nullus, ait, unquam Ethnicorum Principum ausus fuerat, iste meditatus implevit, nimirum, ut captivam duceret ipsam Romanam Ecclesiam; Apostolicæ Sedis Episcopi electionem, atque nominationem ipse sibi procaciter arrogans (m)". Quid nunc porrò statuendum sit de Justiniani, Mauritii, aliorúmque Græcorum Imperatorum obreptionibus, ac Ecclesiastici juris Usurpationibus: quid de famoso & supposito Canone, quo Hadrianus Papa Carolo Magno jus eligendi (n) Pontificem transcripsisse fingitur; partim jam diximus in Dissertatione Prima de Hierarchia Ecclesiastica Capite I. Sect. I. §. 10. 11. & 12. partim in sequentium Sæculorum decursu dicturi sumus.

(m) Baron. ad ann. 526.

(n) Grat. Dist. 10.

REFLEXIO VII. ad §. 5. n. 2. pag. 612.

An S. Cyprianus Africanæ Ecclesiæ Primas Appellationes ad Sedem Apostolicam improbârit?

1. INter complures Cathedræ Romanæ prærogativas non postrema existimari potest, quòd causæ in Synodis examinatæ, ac definitæ, illuc velut ad superius tribunal devolvantur: *Ab Apostolis* quippe, ut ajebat Eleutherius Pontifex, *eorúmque Successoribus multorum consensu Episcoporum jam definitum esse, ut finitiva Episcoporum judicia Romanæ tantùm Sedis Authoritate finirentur* (a). In quem sensum posteà Canon tertius Concilii Sardicensis disseruit: *Quodsi quis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur: si vobis placet; Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur, vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo: & si judicaverit ... non rescindantur, quæ acta sunt; quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt* (b).

Unde jus Appellationum ad Romanum Pontificem?

(a) In epist. adversùs Sever. hær. ad an. 177.

(b) Concil. Sard. can. 3.

2. Qui Sedis Apostolicæ potestatem convellere, aut membra à capite aliquantò longiùs submovere student; ii à Synodis Provincialibus ad Pontificem provocari posse pernegant, Cypriani testimonio maximè confisi, qui Fortunati appellationem ad Cornelium Papam conceptis hisce verbis reprehendit (c). *Nam cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actûs Domino redditurus; oportet utîque eos, quibus præsumus, nec circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere ... jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est ... si judicium nostrum voluerint experiri, veniant.* Ex hoc Baluzius juxta mentem Petri de Marca (d) concludit: "*Primò* Episco-

(c) Cypr. 58. edit. Pamel.

Argumenta contra Appellationes Papales.

pos Vetus Ecclesia instituit in Principalibus urbibus uniuscujusque Regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Episcopo Metropoleos, ità tamen, ut eas componeret cum Concilio Coepiscoporum suorum. Itaque judicia Ecclesiastica uniuscujusque Provinciæ supremæ authoritatis erant, nec ab eis provocare licebat „. *Secundò* idem Parisiensis Archiepiscopus (e) ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ hunc locum potissimùm opponit: *non provocent ad transmarina judicia; sed ad Primates Provinciarum suarum, aut ad Universale Concilium; sicut, & de Episcopis sæpe statutum est* (f).

(e) Idem l. 6. c. 14. §. 4.

(f) Codex Canonum Eccl. Afric. Tit. 28.

Quantùm Africana Ecclesia olim reverita sit supremam Pontificis authoritatem?

3. Hæc sunt argumenta, quibus Sedi Apostolicæ jus Appellationum præripere nonnulli conati sunt. Verùm antequàm reponamus nostra; perlustrabimus, quâ ratione Africana Ecclesia semper supremam Romani Pontificis authoritatem reverita sit. Post conditæ hujus Ecclesiæ exordia Tertullianus Carthaginiensis presbyter in suis de præscriptionibus libris hæreticos omnes ad Ecclesiam Romanam remittit; ut inde dogmata fidei genuinè, simúlque traditionum Veritatem edocerentur: *Habes Romam,* ait (g), unde nobis quoque authoritas præsto est: ista quàm felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt! Idem alibi (h) Stephanum Papam, vocat Pontificem Maximum, & Episcoporum Episcopum, ejúsque judicium ait esse peremptorium. *Audio edictum esse propositum, & quidem PEREMPTORIUM, Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pænitentiâ functis dimitto.* Pamelius in hunc locum Tertulliani: *benè habet,* inquit, *& adnotatu dignum, quòd etiam jam in hæresi constitutus, & adversùs Ecclesiam scribens Pontificem Romanum EPISCOPUM EPISCOPORUM nuncupet.* Et infra c. 13. *Bonum pastorem, & benedictum Papam,* & c. 21. *Apostolicum.* Cyprianus eadem sensa habuit de Sede Apostolicâ; cùm enim de Lapsis admittendis aliquid statuisset; id continuò Romam misit subjiciens: *quod credimus vobis quoque Paternâ misericordiâ placiturum.* Quibus verbis Cornelium Papam, non ut Collegam, sed ut Patrem reveretur. Et alibi (i). Cornelii Sedem vocavit *Petri Cathedram, atque Ecclesiam Principalem,* unde unitas Sacerdotalis exorta est: & alio in loco ex Novatianis quærit (k): qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Post tempora Cypriani, Donatistarum Afrorum causam ad Melchiadem Papam remisit Constantinus Anno 313. Melchiades ubi Donatum proscripsisset, & Cæcilianum communioni Ecclesiasticæ retinendum affirmâsset; sententiam hanc tanti fecit Optatus Milevitanus, ut diceret, *sufficere, Cæcilianum tanto JUDICIO esse purgatum* (l) & Augustinus, ubi considerâsset Pontificis decisionem, exclamat, *O Patrem Christianæ plebis* (m)!

(g) Tertull. lib. 36. præscript.

(h) l. de pudicit. in c. 1.

(i) Cypr. ep. 55.

(k) Lib. de unit Eccl.

(l) Optatus Milevit lib. 1

(m) Augustin. ep. 162.

4. Ex istis cùm jam facilè intelligatur, quo animo erga Pontificiam sedem fuerit Africana Ecclesia in Primis Sæculis, inficiari non possumus;

eos

eosdem Afros tenaciores quandoque non sinè errore suarum traditionum & Privilegiorum fuisse, & in fine sæpius facti pœnituisse. Atque ut ad argumenta quæ causam Appellationum speciatim concernunt, nunc respondeamus; inter cæteras Africanæ Ecclesiæ, aliarúmque consuetudines hæc quoque recepta erat, ne excommunicatus à proprio Episcopo, (nisi ipso consulto & consentiente) ab alio Præsule susciperetur, quod etiam declarat Canon Apostolorum: *si quis Presbyter, aut Diaconus ab Episcopo segregatus sit, hunc ab alio recipi non liceat, præterquàm ab eo, qui eum segregavit; nisi forsitan, qui segregavit illum, mortuus fuerit* (n). Cujusmodi exemplum Romæ jam editum erat a. 141., quando Marcion Romam veniens, pœnitentiámque postulans, rejectus est, respondentibus Patribus: *nobis injussu venerandi Patris tui* (ab hoc enim ob scelera à communione resectus erat) *facere istud non licet, una siquidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri quidpiam possumus* (o), Præterea hæc subordinatio tunc servabatur in judiciis Ecclesiasticis, ut Clerici secundi ordinis ad Tribunal Episcopi vocarentur; nec ab iis appellare licebat, nisi ad Metropolitanum, qui in Synodo totius Provinciæ peremptorium ferebat judicium: quo facto Clericus prohibebatur; quo minùs fallaci temeritate ad alios Episcopos provocaret, quod & in Nicæno Concilio firmatum est (p).

(n) Canon. 25. Apostol.

Quibus licuerit olim appellare ad Pontificem & quibus non?

(o) Epiph. hær. 42.

(p) Concil. Nicæn. can. 5.

5. Aliter tamen disponebatur de Episcopis, ut qui in Synodo damnati, superioris Pontificis sententiam poterant jure implorare; uti posteà clariùs definivit Synodus Sardicensis. Ex multis exemplis aliquot proferre libet: Privatus Lambesitanus in Provincia Numidiæ Episcopus in hæresin inciderat, damnatúsque à Synodo, confugit Romam ad Fabianum, ubi denuò proscriptus est ultimâ Pontificis sententiâ. Neque hanc Privati Episcopi Appellationem à Synodo ad Papam improbat Cyprianus, dum ità scribit (q): *Privatum esse veterem hæreticum in Lambesitana Colonia ante multos fere annos, ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatum, Antecessorum etiam nostrorum FABIANI & Donati literis notatum, qui cùm causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus Idibus Maji, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus est.* Igitur acquievit Cyprianus sententiæ Pontificis. Alterum exemplum habemus in Basilide Legionis & Martiale Asturicæ Episcopis, qui à Comprovincialibus præsulibus Bæticæ Provinciæ ob idololatriæ crimen depositi, provocàrunt ad Stephanum Papam: equidem Cyprianus hàc de Appellatione consultus, visus est factum improbare; non tamen eâ ex causa, quasi Episcopi ad sedem Apostolicam appellare non possent: sed ideo, quod sponte cessissent Episcopatibus suis, & à surrogatis intereà aliis Episcopis repetere derelictos Episcopatus præsumerent, per Pontificis authoritatem, quem vera silendo, aut etiam mendacia offundendo decepissent: unde in literis excusat Papam Cyprianus, *neque enim tam culpandus est ille,*

(q) Cypr. epist. 55. Pamel. edit.

Episcoporum Appellatio ad Papam olim usitata.

cui negligenter obreptum eſt, quam hìc execrandus, qui fraudulenter obrepſit. Præterea Africæ Primas reſpuebat hoc Appellationis genus, quo Idololatræ ſuos denuò Epiſcopatus venabantur, qui jam Cornelii Pontificis ſententiâ omni Sacerdotali honore indigni judicati eſſent: *Maximè cùm jam pridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, ètiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus ac juſtus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus decrevit, hujusmodi homines ad pænitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi* (r). Fruſtra igitur forum petebant Pontificis, cujus jam generali ſententiâ utpote idololatræ erant proſcripti.

(r) Cypr. epiſt. 59. Pam. edit.

Cyprianus non improbavit omnes Appellationes

6. Inde nunc facilè colligitur quoque, cur à Cypriano Fortunati, aliorúmque Schiſmaticorum Appellatio penitus reprehenſa fuerit, & tanquam legibus contraria; cùm enim ſinguli vel Presbyteri forent, & Fortunatus à Privato Hæretico contra jus omne Pſeudoepiſcopus creatus fuiſſet; meritò Cyprianus inferebat, ex diſciplina receptâ Presbyteris illicitum eſſe ad Papam à Synodo provocare: & quamvis Fortunatus in Epiſcopatum ſe intruſiſſet, ac proinde Epiſcopali licentiâ ad Pontificem appellare potuiſſet; nihilominùs quia ordinatio ejus extiterat illegitima, Cyprianus eum adhuc in numero Clericorum minoris ordinis habuit. Quare ſcribit de eo utì de aliis Presbyteris, *jam cauſa eorum cognita eſt, jam de eis dicta ſententia eſt ... Quod autem Tibi de Fortunato iſto Pſeudoepiſcopo à paucis & inveteratis hæreticis conſtituto, non ſtatim ſcripſi, frater chariſſime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos feſtinato ſtatim, quaſi magna, aut metuenda perferri:* hiſce tamen non negabat ad Sedem Apoſtolicam cauſas majores Fidei aut Epiſcoporum devolvi debere, nam addit: *neque enim ad Catholicæ Eccleſiæ Majeſtatem pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud ſe hæreticorum, & Schiſmaticorum moliatur audacia* (s).

(s) Cypr. epiſt. 58. Pam. edit.

Petrus de Marca refutatur.

7. Alterum fundamentum, cui Petrus de Marca ſuam opinionem, ſuperſtruit, iisdem ex rationibus corruit; nam Canon ille Africanus, ſi Presbyteris duntaxat transmarinas Appellationes ad Papam prohibeat; nihil contra nos, neque quid alienum à recepto tunc more affertur: id verò, quod additur, *ſicut & de Epiſcopis ſæpe ſtatutum eſt*, Canoni aſſutum eſſe ab Æmulo Romanæ Eccleſiæ, vel inde conſtat, quod nullibi Canon ullus Africanæ Eccleſiæ extet, qui Epiſcopis (utcunque à Synodis damnatis) accedere Romanum judicium interdicat: & licèt Codex Canonum Africanorum hunc Canonem veluti 22. Concilio Milevitano II. adſcribat; citato tamen loco noninvenitur: imò primævum Codicem ea verba non habuiſſe argumento eſt, quod teſte Marcâ editus fuerit à Concilio Carthaginenſi VI., circa tempora Bonifacii I. a. 419.: illo (t) autem tempore non potuerunt Epiſcopi Africani ità ſentire de Epiſcoporum Appellationibus, quia citatis Sardicenſis Concilii Canonibus, feruntur omnes 217. Africani Præſules ibidem Congregati, conſenſiſſe Alipio Tagaſtenſis Eccleſiæ Antiſtiti

(t) Schelſtrate Eccl. Afric Diſſ. I. c, 7. 11. 12.

ſtiti dicenti: *de hoc jam ſuperioribus etiam literis Concilii noſtri reſcripſimus, & id nos ſervaturos profitemur.* Unde patet, & in prima ſeſſione Epiſcopos Africanos promiſiſſe, ſe ſervaturos Canones Sardicenſes de Appellatione; *donec integra exemplaria Nicæna veniant.* Eadem profitentur in epiſtola Synodica ad Bonifacium I., ut exinde conſtet, usque ad hanc Synodicam anno 419. Bonifacio oblatam, Africanos nihil omnino decidere voluiſſe contra Appellationes transmarinas Epiſcoporum, quin illas permiſiſſe, & tunc fuiſſe amplexos.

REFLEXIO VIII. ad §. 5. num. 11. pag. 619.

An, & quo ſenſu Stephanus Pontifex contra S. Cyprianum, aliósque Orientis & Africæ Epiſcopos definierit, nullos omninò Hæreticos rebaptizandos eſſe?

1. CUm inter Stephanum Pontificem, & Cyprianum de Baptiſmo HH. quæſtio agitaretur; uterque alteri ſuam ſententiam omni ex capite opponere viſus eſt: & CYPRIANUS quidem ſuam opinionem hiſce verbis concepit (a): *Obſervatur itaque à nobis & tenetur (frater chariſſime) exploratâ, & perſpectâ veritate, ut omnes, qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ unico legitimo Baptiſmo baptizentur.* STEPHANUS verò ſuam mentem hunc in modum expreſſit (b): *Si qui, ergò à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Cyprianus Pontificis Adverſarius primùm hæc verba aliò planè ſenſu accepit; nam quando literas Stephani ad Pompejum miſerat, hoc obſervationis loco ſubjunxit: *A quacunque hæreſi venientem baptizari in Eccleſiâ vetuit, id eſt omnium hæreticorum Baptiſmata juſta eſſe & legitima judicavit.*

(a) Cypr. epiſt. 4. ad Pompejum

(b) Epiſt. ad Cypr.

An Stephanus omnes omnino Hæreticos rebaptizari juſſerit?

2. Launojus, qui ad carpenda Pontificum facta ubique intentus excubat, hìc quoque amplam ſe exiſtimavit deprehendiſſe cavillandi materiam: nam veluti diribitor litis inter Papam, & Epiſcopum id ſibi ſumit, ut utrumque erràſſe dicat (e): & Stephanum quidem, admittendo Hæreticorum baptiſmata, quorum aliqua non fiebant in nomine Ss. Trinitatis; Cyprianum verò in eo defeciſſe, quòd abjudicàrit baptiſmata Hæreticorum, quantumvis ea in ritu, formáque præſcriptâ impertirentur. Judicium hoc Launoji de Pontificis præcipuè errore ſecuti ſunt Dupinus, Bailletius, aliique Novatores, qui id maximè ſibi poſtulant, ut quia Stephanus nullos Hæreticos altero Baptiſmo eluendos præcepit; eadem Papæ verba, non ad aliquot vel certi nominis Hæreticos reſtringantur; II. præſertim cùm indefinita, & univerſalis Pontificis lex in cauſa fuerit, ut Cypriano tanta bilis moveretur, *cur* enim, ait (d), *in tantum Stephani fratris*

Affirmantium argumenta.

(e) Launojus Part. 8. epiſt. ad Bevilaque,

(d) Cypr. ad Pompej.

fratris nostri obstinatio prorupit dura, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentiniani, & Apellis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat filios Dei nasci? III. Accedit, quòd ante exortam Stephanum inter & Cyprianum controversiam pauci Hæretici fuerint, qui in nomine Ss. Trinitatis baptizárint; præcipuè Marcion in conferendo Baptismate nullam sanctissimæ Triados faciebat mentionem. Denique Cyprianus id contra Pontificem urget, *singulas hæreses singula habere Baptismata*, adeóque diversâ formâ uti. Atque hæc quidem sunt, quæ à Launojo aliísque Sedis Apostolicæ Adversariis acriùs effunduntur.

3. Verùm non desunt, qui verba Stephani meliore animo scrutati, Pontificem ab hoc errore omninò vindicent: Schelstratus Antiquitatum probus indagator contra Launojum ità pugnat (c): " Hæc quidem Launojus rectè de mente Stephani: Stephanum enim approbâsse eorum Baptismata, quæ in forma legitima non erant collata, error est longè gravissimus, & commentum hucusque in Ecclesia Dei inauditum. Pugnabat S. Pontifex pro antiqua Ecclesiæ Romanæ, Africanæ & orbis reliqui consuetudine: *Nihil*, inquiens, *innovetur, nisi quod traditum est*, & suam de non rebaptizandis HH. sententiam dicebat à Petro & Paulo continuâ traditione ad suum usque tempus in Italia observatam: nunquid verò Apostolorum Princeps Petrus errorem Ecclesiæ tradidit, & Ecclesiæ communi consuetudine ab initio errorem servavit? Absit ab Apostolicâ Sede tam infamis traditio, absit à Christi in terris Ecclesia tam nefanda consuetudo. Nunquam Romana Ecclesia pro Baptismo sinè forma legitima contra Carthaginensem certavit: nunquam Stephanus talem Baptismum contra Cyprianum admisit. Equidem verum est, quòd â quacunque hæresi venientem baptizari vetuerit; sed in sensu contradictorio Cypriani, qui omnem omninò Baptismum HH. ut talium reprobat, quòd putaret extra Ecclesiam dari non posse legitimum: idem sensit Firmilianus cum suæ partis Episcopis: & huic reponit Stephanus nullum Baptismum Hæreticorum, ut talium esse iterandum, eoquòd & extra Ecclesiam constituti, cujuscunque sint Sectæ, & hæresis, Baptismum possint conferre; si nimirum debitâ formâ uterentur & materiâ. „

(c) Schelstrate Antiquit. illustr. P. II. Diss. I. c. 5. A. 2. n. 58.

Mens Stephani Pontificis circa Hæreticorum baptismum melius exponitur.

4. Ac ne hæc interpretatio aliena à Proposito Stephani videatur; ex Firmiliano rem apertiùs cognoscemus. Scripserat is ad Cyprianum in hæc verba: *Quoniam Stephanus, & qui illi consentiunt contendunt dimissionem peccatorum, & secundam nativitatem in hæreticorum Baptismа posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum S. non esse; considerent & intelligant spiritualem nativitatem sine spiritu esse non posse* (f). Igitur de fide ministri requisitâ contentio erat, non de forma legitima; quare ultra pergit: *illud quoque absurdum, quo non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eoquòd, qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit invocatâ Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritûs S.*

(f) Firmilian. epist. ad Cyprian.

Ra-

Ratum proinde habuit Stephanus Baptismum à quocunque, collatum eâ tamen verborum formâ, quâ solâ Baptismum perfici Catholica docet Ecclesia, quod porrò verba Cypriani inspicienti magìs patebit: *effectum Baptismi*, ait, *Majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine JESU CHRISTI ubicunque & quomodocunque baptizantur, innovati & sanctificati judicentur* (1). Schelstratus rem multò clariùs ex Anonymo confirmat, erat hìc author (teste Labbeo) Cypriano ferè coævus, cujus Tractatus editus est à Nicolao Rigaltio, habetúrque jam Tom. I. Concil. Labb. editionis: in hoc volumine ità legitur: *Animadverto, quæsitum apud* Fratres, *quid potiùs observari oportet in Personam eorum, qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri JESU CHRISTI sint tincti . . . utrùm vetustissimâ consuetudine, ac traditione Ecclesiasticâ post illum, qui foris quidem, sed in nomine D. N. JESU Christi Dominicum acceperunt Baptisma, tantummodò imponi eis manum ab Episcopo ad accipiendum Spiritum S. sufficeret?* ubi apertissimè exhibetur non de forma, sed de fide Ministri disceptationem inter Ecclesiæ Præsules fuisse.

5. Argumenta, quibus ad infestandum Pontificem potiùs, quàm ad sua stabilienda utuntur Adversarii, etsi ex dictis jam corruant; ad singula tamen ex ordine respondebimus. *Ad primum* itaque ℞. minimè à nobis restringi verba Stephani, nisi quantùm is Pontifex ea restringenda putavit; volebat quippe sententiam Apostolicæ traditioni conformem, *nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Traditio autem hæc alia non erat, quàm ut ille Baptismus duntaxat valeret, qui juxta institutionem Authoris Sacramentorum fieret sub invocatione Ss. Trinitatis: explicitè autem hanc restrictionem addere Pontifici tantò minùs incumbebat, quantò certius tunc erat, non de forma Baptismi, sed de Baptizantis facultate quæstionem moveri. Ad II. ℞. cum Facundo Hermianensi Episcopo apud Schelstrate, quod Cyprianus injuriosè tractaverit Stephanum, *à quo fuerat jure culpatus*, similiter Concilium Carthaginense III. anno 258. à D. Cypriano congregatum dicitur damnâsse Stephani doctrinam, sed perperàm, nam hujus Synodi acta teste Augustino (a) fuêre per plenarium Concilium abrogata. Ad III. ℞. cum eodem August. l. 6. de Bapt. contra Don. c. 25. *faciliùs inveniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis* (Evangelii) *baptizent*; imò Cyprianus ipse testatur (b) *Baptismum Marcionis, Valentini & cæterorum blasphemantium in Deum & Patrem*, Stephano ratum fuisse, quia collatus fuerat *in nomine Jesu Christi*, hoc est eâdem formâ, quam idem Servator præceperat: neque enim privatus de Trinitate error Baptismi valori obesse potest, docente Augustino (c). *Si Evangelicis verbis*, (in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S. Marcion Baptismum consecrabat) *integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Labente tamen tempore

(a) Lib. de bapm. contra Donatist. c. 7. & l. 2. c. 3. & 4.

(b) Epist. 74.

(c) Lib. 3. de bapt. c. 15.

Encratitæ, aliíque Hæretici fuêre, qui corruperunt Evangelica verba, sive formam Baptismi, ut suos tantò faciliùs ab Ecclesia Catholica arcerent; de hoc testatur S. Basilius (d), *nimirum, ut reditum sibi in Ecclesiam intercludant, aggressi sunt deinceps proprio Baptismate præoccupare: unde & suam ipsorum consuetudinem violârunt*; ergo anteà Evangelicis verbis usi fuerant. Et hæc quoque ratio fuit, cur Nicænum posteà Concilium omnes Hæreticos putârit recipiendos, *exceptis Pauli Samosateni discipulis* (e), qui inter tot Hæreticos tunc soli singularem baptizandi formam sequebantur.

(d) Epist. Canon I. Tom. 3.

(e) Hieron. in Dialogo adversf. Lucifer. §. 26. Tom. II.

REFLEXIO IX. ad §. 5. num. 13. pag. 620.

An Rebaptizantes unà cum S. Cypriano ab Ecclesiæ communione fuerint separati?

I. Nicolaus Rigaltius Bibliothecarius Regis Galliarum (a) & Christianus Lupus Professor Lovaniensis (b) cum quibusdam aliis censuêre, Cyprianum cum Afris, & Firmilianum cum Orientalibus propter dissidium de rebaptizandis HH. reipsa per Stephanum Pontificem Anathemati subjectos, & à Communione submotos fuisse. Hujus opinionis triplex potissimum firmamentum afferunt: scilicet Legatos Africanæ Synodi, postquàm urbem Romanam accesserant, ut de cæterorum Præsulum instituto Stephanum Pontificem edocerent, ab eodem Papâ alloquio exclusos, communicatione omni prohibitos, & ne quis eos domi foveret, lege Stephani cautum esse: quo quidem facto excommunicationis supremæ vis manifestata est. Prætereà Firmilianus (c) Cappadociæ Episcopus (qui uti Cyprianus in Africa, sic ille in Oriente Rebaptizantium partes tuebatur) non tantùm de intentatâ, sed & peractâ separatione conqueritur: *in cæteris*, ait, *quoque Provinciis plurimis, multa pro locorum & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ pace aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpere adversus vos pacem, quam semper Antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt.* Et post multa verba, quæ amarities animi in calamum effundere poterat, ità subjungit: *Quid enim humilius, aut quid lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere Rumpentem, modò cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modò vobiscum, qui in Meridie estis.* Denique excommunicatione propositâ cùm Stephanus Africam, Orientémque primùm perterrefaceret; eandem tamen ita tulit, ut, nisi Afri, aliíque opinione mutatâ in Pontificis sensa discederent, censura Ecclesiastica suum sortiretur effectum: & quoniam Stephani minis à suo errore adeò non se avelli passi sunt, ut convocatis etiam novis Patrum cœtibus Rebaptizantes adversùs omnem vim sese obfirmarent; nil

(a) Rigalt. in not. ad Ep.Cypr.75. (b) Lupus P. IV. ad Can. 22. Dictat. Greg. VII.

(c) Epist. ad Africanos.

nil impediebat ampliùs, quo minùs excommunicationis vinculum, quod jam procusum fuerat, Pertinaces ipso facto tandem ligaret.

2. Mitiùs hâc de re loquuntur Bellarminus (d), Baronius (e) Henricus Valesius (f) Schelstratus (g); nam etsi minas à Stephano complures Rebaptizantibus oggestas fateantur; nunquam eò deventum asserunt, ut excommunicationis fulmine penitus prosternerentur. Ac Primò illi Authores ad verba Dionysii Alexandrini, quæ apud Eusebium recitantur, provocant: de Stephano quippe pronuntiat, illum Firmiliano, & Rebaptizantibus Episcopis scripsisse, *sese ob eam causam ab illorum communione discessurum*, *quòd Hæreticos rebaptizarent*. Quæ verba ex S. Augustini ampliore sermone lucem accipiunt (h): *Stephanus*, inquit, *abstinendos putaverat*, *qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere niterentur*. *Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus*, *& Sanctis charitatis visceribus largissimè præditus*; *in unitate cum eis putavit manendum*, *qui diversa sentirent*. *Ità quamvis commotiùs*, *fraternè tamen indignarentur*; *vicit tamen pax Christi in cordibus eorum*, *ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur*. Idem scribit lib. de unic. baptismo contra Petilianum c. 14. imò ipse Cyprianus in epistola ad Pompejum ipse significat, Stephanum intentâsse anathema; non verò complevisse: " dat honorem Deo, qui... Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes ABSTINENDOS putat?,, ex quibus omnibus colligitur, propè abfuisse, ut Stephanus Rebaptizantes à communione abscinderet, nondum tamen abscidisse.

(d) Lib. de CC. c. 3.
(e) Ad ann. C. 256.
(f) In Annot. ad c. 5. Euseb. hist.
(g) Schelstrat. Antiq. illust. P. II. Diss. 1. c. 5. artic. 2.
(h) Augustin. l. 5. de bapt. contra Donatist. c. 25.

3. Veritati pondus accedet, si quæ Adversarii contrà moliti sunt, datâ operâ elidamus. Et *primum* quidem Argumentum nostræ sententiæ non adeò incommodat. Quid enim prohibet, quo minùs dicatur, Stephanum Legatos Africanæ Synodi Episcopos admittere noluisse, ne invisam causam proponerent, sive ut hâc primâ correctione perterrefacti, ab opinione malè conceptâ faciliùs decederent; quin tamen Pontifex decretorio fulmine Afros prosterneret: quod ipsum confirmant literæ Stephani post abitum Legatorum ad Cyprianum datæ, quibus minas adhuc intentabat; ergò quantumcúnque anteà Legati duriùs Romæ habiti fuerint, excommunicatio nulla secuta est. Exemplo nobis sit S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus; qui Constantinopolim veniens, nec cum S. Chrysostomo orare, nec ad ejus ædes divertere sustinuit; ex hoc tamen nullus arguet, Chrysostomum ab Epiphanio excommunicatum fuisse: sed id potiùs inde colligitur, quod cùm Epiphanius S. Chrysostomum Origenistis faventiorem (licèt falsò) opinaretur; hâc providentiæ œconomiâ illum ab Origenistarum patrocinio voluerit revocare: ità pariter Rebaptizantium legatis Stephanus Romæ alloquium, tectum, hospitiúmque negavit, non ut hoc facto eos excommunicatos pronuntiaret, sed ne legatos benigniùs excipiendo, errori eorum & negotio favere videretur; tum ne Afri Episcopi Romæ diutiùs commorati, latiùs opinionem suam ad perni-

ciem Romanorum diffunderent. Neque *ſecundò* Firmiliani literæ rem evincunt; præterquàm enim quòd hæ multis ſuppoſitæ videantur ob criminationes immodicas, quas in Pontificem ſanctus Epiſcopus (qualis Firmilianus erat) haudquaquam jactârit; tum conturbato & irato Firmiliani animo aliquid dandum eſt; qui fortè minas Pontificis ità exaggeravit, ut quod futurum credebat, jam factum fuiſſe ſcriberet. Quare *tertiò* dicendum eſt, nullatenus intentatum excommunicationis vinculum unquam ligâſſe: etſi enim non conſtet, utrum Cyprianus aut Firmilianus ſententiam mutârit; Dionyſii tamen literæ, quas pro pace ſervanda ad Stephanum perſcripſit, tum Auguſtini teſtimonium de non violata communione, & demum tot Concilia, in quibus cum Firmiliano Gregorius Thaumaturgus, aliique SS. Epiſcopi communicârunt, ſatìs argumento ſunt; Pontificem ultra minas non proceſſiſſe; plura de his videri poſſunt apud Schelſtratum P. II. Antiquit. illuſtr. Diſſert. I. c. 5. Artic. 2. item apud Natalem Alexandrum in Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæculi III. Diſſert. XII. Art. 1. 2. & 3.

REFLEXIO X. ad §. 6. num. 11. pag. 655.

An Epiſtolæ Decretales Primorum Pontificum ſint genuinæ, aut ſuppoſititiæ?

1. POſtquàm Epiſtolæ vetuſtiſſimorum triginta circiter quinque ad Damaſum uſque Pontificum, ab Iſidoro Mercatore circa ſeptimi ſæculi finem in corpus Canonum collectæ ſunt; Riculfus ſive Ricolphus Moguntinenſium ſecundus à S. Bonifacio Archiepiſcopus ſequente ſæculo circa annum 787. eaſdem per Galliam divulgavit, teſtante id Hincmaro Rhemenſi Epiſcopo, qui poſteà in ſæculo nono ità ſcripſit. *De libro Collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania illi tum Riculfus Epiſcopus Moguntinus, in hujusmodi, ſicut & in capitulis Regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit* (a). Pontificum nomina, quæ ſingulis epiſtolis ſive ab Iſidoro, ſive à Ricolpho præfixa fuerant, Gallicos Antiſtites permoverunt, ut reverentiæ ergò ex eisdem ſuarum præceptionum firmamenta deſumerent; nam ex ſecundis Fabiani literis Decretalibus procul dubio acceptum eſt, quod in Synodo Aquisgranenſi a. 838. decernitur, de Unctione infirmorum, déque Chriſmate quot annis in Cœna Domini conſecrando: *Statutum eſt* (inquiunt PP.) *ut vel ſemel in anno, id eſt quintâ feriâ, quæ eſt in Cœna Domini, unctio S. Olei, in quo ſalvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Epiſcopis non negligatur, ſicut nunc usque neglecta eſt. Sed omni devotione juxta traditionem Apoſtolicam, ac STATUTA DECRETALIUM, in quo de eadem re præcipitur, peragatur* (b). Quantæ porrò authoritatis epiſtolæ Decretales in Sæculo nono fuerint, colligere licet ex tribus

(a) Hincmar. Rhem. opuſc. contra Nepot. c. 42.

(b) Concil. Aquisgr.

bus postremis Capitularium libris, quos jubente Otgario Moguntino Præsule ex ejus Ecclesiæ tabulariis Benedictus Levita congessit circa annum 850. in his quippe ex Decretalium sanctionibus complura vel constituuntur vel confirmantur (c).

(c) Petrus de Marca l. 3. c. 5. §. 3.

2. Primus, qui epistolis Decretalibus ejusmodi derogare visus est; fuit Hincmarus Metropolita Rhemensis (d); cùm enim Hincmarus Laudunensis Episcopus alterius nepos dictas epistolas constanter defenderet, séque ex iis contra Patruum tueretur; Metropolita reposuit: *Quærens adinventiones, ut te Metropolitanâ subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis, ante sacros Nicænæ Synodi, aliorum Sanctorum Canones editis collegisti, in quibus sententias inter se dissonas, & contra Evangelium, & Apostolicam, atque Canonicam, & Apostolicæ Sedis authoritatem immiscuit.* Magnum scilicet discrimen Hincmarus Rhemensis constituit inter recepta Innocentii, Leonis, Gelasii decreta, & inter ea, quæ his epistolis continentur. Illa velut Conciliorum præscriptis consentanea, omnino servanda, hæc in multis capitibus adversa Canonibus Conciliorum, non ita ab Ecclesia usquequaque Custodiri debere.

(d) Apud Flodoard. l. 3. c. 21. & 22.

3. Hæc opinio contra Decretales ubi apud plures Galliæ Episcopos invaluerat; Nicolaus I. Pontifex, missis literis earum authoritatem asserere annisus est (e). Objiciebant equidem Gallorum Præsules, Decretales insertas non esse codici Canonum: at Pontifex reponebat, ex hac ratione, siquidem valeret, confectum iri, ut nec Scripturis sacris haberi fides debeat; eoquòd Codici Canonum non essent insertæ (f); aut si ideò recipiendas dicerent, quòd Innocentii I. decreto in Codicem Canonum relato comprehenderentur libri veteris & novi Testamenti: inferebat contrà Nicolaus, non minùs decreto Leonis sancitum esse, ut omnia Decretalia constituta decessorum suorum custodirentur. Tenuit lis ejusmodi ad annum 992., quo tempore in Concilio Rhemensi tempore Hugonis Regis celebrato, firmata omnino est Decretorum Authoritas: quod ipsum testatur Petrus de Marcà (g) " eò deventum est, ait, ut tantis nominibus veterum Pontificum casserint unà cum reliquis Episcopis etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores, qui in Concilio Remensi ab Hugone & Roberto Regibus Francorum coacto anno 992., Anacleti, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum epistolas expendunt in causa Arnulphi, ac si in Canonum censum receptæ essent. Quare Burchardus Wormatiensis Episcopus, cùm novam collectionem Canonum institueret circa annum 1010., eam ex sæculi sui sensu Primorum Pontificum epistolis auxit: quibus & selectos ex Augustino, Hieronymo, & Gregorio, & Isidoro locos adjunxit. Eandem rationem secutus est Ivo Carnotensis in ea Collectione Canonum, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum 1100. publicavit . . . successit Gratianus, qui Decretorum corpus novâ quidem methodo adornavit, sed collectionem tam Dionysii exigui, quàm Isidori, & Ivonis in

(e) Epistol. Nicol. ad Episc. Gall. A. C. 865.

(f) Epist. 42. & Can. si Romanorum Dist. 19.

(g) Petrus de Marca l. 3. c. 6. §. 2.

partes dissectam in unum corpus industriâ suâ temperatum compegit, & aliquot legibus, constitutionibus novis Pontificum & Conciliorum & Patrum locis amplificaret circa annum 1150." Ab eo tempore in Cathedris scholasticis ubique prælegebantur Epistolæ prædictæ Decretales.

3. Post sæculorum aliquot decursum, tempore Concilii Basileensis Joannes Wicleffus easdem epistolas impugnare cœpit, ùt testatur Joannes Gerson, qui anno 1431. eidem Synodo interfuit; & quanquam tunc Wicleffi Novatoris molitio rejiceretur à Patribus; plures tamen subinde Antagonistæ in medium prodierunt, scilicet Magdeburgenses, Blondellus (h) & alii è Protestantibus; quorum argumenta hìc paucis libet perstringere. I. adulterinas dicebant, quòd Codici Canonum Ecclesiæ Romanæ non fuissent illatæ. II. Quòd more epistolarum non describant res gestas, nec anni Consulum fini epistolarum appositi legitimæ chronotaxi conveniant. III. Cùm Pontificum tam variorum literæ unam tantùm formam ac stylum exhibeant, eúmque barbarum, quò prioribus sæculis minimè utebantur; palàm fieri volunt, eas scriptiones unius & ultimâ ætate viventis Authoris fuisse. 4. Atque ut certiùs compositionem epistolarum illarum à primis Ecclesiæ sæculis removeant; arguunt, in iis inveniri textus scripturæ juxta versionem S. Hieronymi: adduci etiam mentionem Theodosiani Codicis, & Constitutionum Justiniani, imò ex posteriorum Conciliorum ac Pontificum decretis, seu literis totas immisceri lacinias, ut proinde consutus ex iis cento videatur. Demum ad Hadriani I. tempora nullus Catholicorum Scriptorum testimonium ex his literis legitur adduxisse.

(h) Blondell. in Pseudo Isidoro. Genevæ 1627.

4. Hæc utùt fortiter & sæpè intorquerentur; non defuêre tamen, qui epistolas ab ejusmodi Adversariis vindicare conarentur: præ cæteris Turrianus hìc operam suam posuit, Apologiam quinque libris complexus. In his *primò* ostendit, ex Nicolai I. epistola minimè rejici Decretales veteres posse ex eo, quod in Codice Canonum locum non habuerint; multas quippe non parvæ authoritatis sanctiones, & præcipuè Gregorii M. literas hoc quoque ab albo exulâsse, quin adulterinis fœtibus accenseri queant. *Secundò* de insignioribus persecutionibus, & hæresibus ibidem non semel mentionem fieri, ut proinde falsò dicantur esse rebus gestis vacuæ. Consulum verò nomina, cùm sæpè alii aliis suffecti sint, apud paucos eadem haberi, quin & in quibusdam epistolis per imperitiam librariorum, alios Consules, quàm qui in autographis scripti fuerant, irrepsisse. *Tertiò* epistolæ Petri, Jacobi & Pauli, etsi stylo & argumenti genere sæpiùs non differant, hasne ideò uni authori tribues? *Quartò* vulgata Scripturæ versio, quantum ad Novi Testamenti libros attinet, non ab Hieronymo edita, sed emendata, dein quòd ex Vetere Testamento textus Hieronymianæ versionis epistolis inserti dicantur; id eatenus fieri potuisse scribit Turrianus, quatenus scilicet exscriptores verba ejusmodi ex editione nova, & magis tunc recepta suppofuerint; neque

que vitium epiſtolarum eſſe, quòd in eadem materia, ſententiiſque verſentur, quibus poſteà alii Pontifices & Imperatores quoque uſi ſunt, niſi hàc ratione Scripturæ libros complures labefactare lubeat, quibus tum materiæ, & argumenti dogmatici & parænetici unum genus. Denique quod earum rara apud Veteres mentio, id tantùm probare, illas per tempora ærumnis pleniſſima apud privatos, aut altiùs in Romanæ Eccleſiæ tabulariis latuiſſe, unde poſteà in manus hominum denuò redierint (b).

(i) Turrianus contra Magdeb.

5. Sunt equidem hæc reſponſa non levis ponderis, at ſcrupulum omnem omnibus non exemerunt; nam Bellarminus ingenuè fatetur: *aliquos errores in eas epiſtolas irrepſiſſe, non negârim: nec indubitatas eſſe affirmare audeam* (k). Poſt hunc Baronius (l) "*ex multis* inquit, *reddi ſuſpectas epiſtolas, quæ dicta ſunt ſecundo Annalium Tomo; dum de ſingulis mentio facta eſt, ſatìs eſt demonſtratum, ſimúlque oſtenſum, illis non indigere Romanam Eccleſiam, ut ſi falſitatis arguantur, ſuis ipſa deſtituatur juribus, & privilegiis: cùm etſi illis careat, ex legitimis, Germaníſque aliorum Romanorum Pontificum epiſtolis decretalibus, ſatìs ſupérque corroborata conſiſtat.* In eadem ſenſa concedunt Antonius Auguuinus Archiepiſcopus Tarraconenſis (m), Petrus de Marca (n), Chriſtianus Lupus Doctor Lovanienſis (o), demum Philippus Labbæus S. J. poſt allatas Severini Binii annotationes ſubjungit (p): " mirum eſt, viris doctiſſimis Turriano, Binio, & quibuſdam aliis in tanta eruditionis Eccleſiaſticæ luce probari potuiſſe Decretales illas epiſtolas, à quocunque ſeu Mercatore, ſeu Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter annum Chriſtianæ Epochæ octingenteſimum ſuppoſitas: adeò enim perſpicacibus viris deformes videntur ſaltem hoc tempore, ut nullâ arte, nullâ ceruſsâ, aut purpuriſſo fucari poſſint. Eas omnes ſaltem plerasque earum repudiàrunt viri eruditiſſimi, quíque Tractatores Catholici, Baronius, Bellarminus, Perronius, Cratius, Antonius Auguſtinus, Lorinus, Sirmondus, Duceus, Petavius, Marca, Bosquetus; ut alios modò ſive antiquiores, ſive recentiores ſilentio obvolvam. „

(k) Lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14.
(l) Ad ann. C. 865. n. 8.
(m) In Not. ad C. 36. Hadriani I.
(n) Lib. 7. c. 20. §. 2.
(o) P. 3. ad Can. 3. Dict. Gregor. VII.
(p) Tom. I. C. Collect. Mag. a. 1671 p. 78.

6. Neque tamen eſt, cur Blondellus, cæterique Novatores hìc ſibi Triumphum fingant; liceat enim cum Doujatio dicere (q): " videtur id Blondelli conſilium Pontificis rebus conducere magìs, quàm obeſſe, adeò ut ei propè gratias agam, quòd, dum quæcunque ad Eccleſiæ Romanæ gloriam, & authoritatem illis in epiſtolis facerent, ea ferè omnia jam diu, ſi non iiſdem Pontificibus, quibus eripere conatur, ſaltem aliis Patribus, & antiquis Eccleſiaſticis optimæ plerumque notæ Scriptoribus uno fermè aut altero, vel tertio certè poſt eos ſæculo, placuiſſe oſtendit: ſic quæ ſummo labore convellenda ſumpſerit, revera firmaverit. Unde univerſo ejus operi confutando ſufficere videtur, quod Baronius jam laudatus obſervat, merces illas Iſidori Mercatoris per Riculſum

(q) Doujat Prænot Can. l. 2. r. 22.

An ex eo, quòd decretales dicantur ſuppoſitæ, Novatoribus commodi aliquid accedat?

ſum primùm illatas in Galliam ex Hiſpania fuiſſe; ne quis calumniari poſſit, ab Eccleſia Romana ejuſmodi commenta prodiiſſe.„

(r) Antiq. illuſt. P. II. Diſſert. III. c. 5.

Prætereà Schelſtratus (r) benè advertit, duplicem quæſtionem hìc diſcernendam, nempe an dictæ epiſtolæ erroneis diſciplinæ & fidei dogmatis refertæ ſint, an verò ex aliorum minùs ſinceris teſtimoniis interpolatæ, aut ſuppoſitæ? " Primum quoniam aſſeruerat Wicleffus Conſtantienſe Concilium inter alias ejus propoſitiones damnavit 38. *Decretales epiſtolæ ſunt Apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent iis.* Imò Blondello Archiepiſcopus Pariſienſis de Marca indignatur, quod acrioribus verbis epiſtolas dilacerârit, " quas tamen è ſententiis & verbis legum, Canonum antiquorum & ſanctorum Patrum, qui quarto ſæculo floruerunt (ſi pauca demas) conſtat.„ (s) Atque ut meliùs intelligatur, quantùm epiſtolæ ab hæreſi pejoribúſque vitiis abſint, Schelſtratus totum articulum inſtituit, ubi examine de ſingulis peracto tandem commonſtrat nihil erroris, & eorum iis ineſſe, quæ falſo à Novatoribus affinguntur.

An epiſtolæ decretales etiam erroneæ dici poſſint?

(s) Lib. 3. c. 5. §. 1.

REFLEXIO XI.

De præcipuis Scriptoribus Eccleſiaſticis in Sæculo III.

Clemens Alexandrinus.

(a) Strom. lib. 1.

I. CLEMENS ALEXANDRINUS Patriâ Athenienſis claruit ab anno 192., nam etſi ipſe ſe primis temporibus proximum fuiſſe teſtetur (a); latiore tamen ſenſu hoc accipiendum eſt. Audivit ſcilicet optimos Magiſtros, è quibus doctrinam hauſit Apoſtolicam. Tandem Pantæni ex Stoico Philoſopho Chriſtiani diſcipulus, & poſt ejus mortem in Alexandrina ſchola ſucceſſor Catechereticam doctrinam expoſuit; ingruente Severi perſecutione in Orientem ſe recepit, tandémque ut creditur, Alexandriam reverſus circa exitum Antonini Caracallæ obiit (b). *Vir verè ſanctus, & qui doctrinæ copiâ omnibus antecelluit* (c), volumina edidit plena eruditionis & eloquentiæ tam de Scripturis divinis, quàm de ſæcularis literaturæ inſtrumento (d): ex his extant. *Protrepticon ad Gentes*, in quo Ethnicos ad Chriſtianam fidem hortatur. *Pædagogus* ſive inſtructio Gentilis jam converſi: *Stromatum libri octo*, in quibus adultos ad pleniorem, & perfectiorem rerum ſacrarum cognitionem inſtituit. Ordinem cùm nullum hìc ſequatur, ex variis autem ſcriptoribus plura, eáque erudita afferat; hos commentarios inſcripſit ſtromata ſive ſtragulas, aut ſermones variegatos (e). Præter hos libros multa opera Clemens concinnavit, quæ interciderunt, celebriores eorum dicuntur fuiſſe; libri octo *Hypotheſeon* ſeu inſtitutionum, ubi breviter hiſtoriam utriusque legis congerens

(b) Guilielm. Cave in ſæc. Gnoſtic.

(c) Cyrill. Alexand. apud Euſeb. l. 6. c. 11.

(d) Hieron. de Script. Eccl. c: 38.

(e) Stromat. lib. 4.

gerens ea, quæ à suis Magistris acceperat, dogmata inspergit, non sinè errore quandoque, ut notat Photius (f), quamvis hic censuræ suæ id subjiciat, videri, quod errores ejusmodi Hæretici Ariani Clementis libris inseruerint. Gelasius Papa nihilominùs opuscula ejus ob appendices has erroneas inter apocrypha recensuit (g).

(f) Photius Cod. 109.

(g) Concil. Rom. sive Dist. 15. Can. 3.

2. Q. SEPTIM FLOR. TERTULLIANUS circa medium sæculi secundi Carthagine natus, ex idololatria ad Christi sacra transiit circa annum 185., Presbyterio initiatus a. 192., sub sæculi tertii initium in Montani hæresin deficit: de illius ingenio, scriptísque in Historiæ decursu plura dicta sunt. Ejus opera in Pamelii editione quinque Tomis comprehenduntur, quorum alia sunt incerta, dubia, vel supposititia, utpote liber *de Trinitate*, in quo Sabelliana hæresis (Tertulliano posterior) refutatur, & *epistola de cibis judaicis*. Alia sunt, quæ scripsit adhuc Catholicus, quæque authoritatem habent in Ecclesia: 1. *Liber de Baptismo*, in quo Baptismi necessitatem contra Cainanitas HH. tuetur: in quæstione incidente, an Apostoli fuerint baptizati? nil decidit; sed sive tincti fuerint, sive non, magna fides eorum, ut ait, eis loco Baptismi esse potuit, poterátque eos Christus salvare sinè Baptismo, quod tamen nunc non tenet post promulgatam à Christo legem de Baptismo suscipiendo: prætereà in eodem libro Tertullianus adstruit Baptismum iterari non posse; Hæreticos tamen rebaptizandos docet, eoquòd nullum habeant Baptismum, ac vel inde nec dare possint; quem Tertulliani errorem posteà secutus est S. Cyprianus. 2. *Liber de Pœnitentia*, quem ei abdicavit Erasmus, sed immeritò (h): confitetur in eo libro Ecclesiam posse peccata etiam carnis dimittere post Baptismum. 3. *Liber de oratione*, in quo loquitur de sacrificio Christianorum: *similiter*, inquit, *& stationum, seu jejuniorum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini; ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magìs Deo obligat? nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii...* igitur tunc moris erat, ut Christiani Eucharistiam sumerent, quoties celebrationi interessent, cum quo convenit Canon I. Apost. *omnes fideles, qui ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autem & communione non permanent, ùt Ecclesiæ confusionem afferentes segregare oportet.* 4. *Duo libri ad uxorem*, secundum enim matrimonium in iis adhuc probabat Catholicus: *nam etsi non delinquas*, ait, *renubendo; carnis tamen pressuram subsequi dicit Apostolus.* Hortabatur nimirum uxorem suam, ne, si prior ipse decederet, alteri nuberet, vel si tandem nubere vellet, ne Gentili viro nuberet. 5. *Liber præscriptionum adversùs hæreticos* verè aureus, ubi ostendit HH. dogmata præscriptione jam esse eversa, quódque novitate suâ se confundant. 6. *Apologia.* 7. *Scorpiacon.* 8. *Adhortatio ad Martyres &c.* Cæterùm observat S. Hieronymus ab eo jam hæretico scripta esse

Tertullianus.

(h) Guiliel. Cave in sæc. Nov. p. 55.

Quos libros Tertullianus intra Ecclesiam scripserit?

esse opuscula adversùs Ecclesiam Catholicam *de exhortatione Castitatis*, *de Monogamia*, *de fuga in Persecutione*, *de jejunio adversùs Psychicos* (id est Catholicos) & *de pudicitia*: hi libri cum judicio legendi sunt, uti & illi, quos composuit adversus Praxeam, & Hermogenem, de Anima, de Carne Christi, ob paradoxa à Pamelio in iis notata; de quibus in C. III. suprà jam diximus.

Origenes.

3. ORIGENES *Adamantius* Leonidæ Martyris filius, discipulus Clementis Alexandrini & in Catechetica schola successor, obiisse creditur Tyri a. 253. ætatis 70. à Vincentio Lirinensi ingenii & eruditionis laudem magnam tulit (i); nec Porphyrius ab ejus præconio sibi temperavit (k). Fama etiam erat, eum sena millia librorum conscripsisse, quo numero singulas quásve Homilias & Epistolas comprehendi necesse est (l): Alii tamen cum Huetio multos illi errores objiciunt (m); quos Guilielmus Cave ita complexus est: " inter SS. Trinitatis Personas inæqualitatem, ac dignitatis gradus intercedere voluit, ità ut Filius Patre, & utroque Spiritus S. inferior esset: pari modo, ac radius à solari corpore emissus ipsi Soli dignitate cedit. Christi mortem non hominibus solùm, sed Angelis etiam, Dæmonibus, quin & sideribus (utpote animâ rationali ex ipsius sententia præditis, adeóque peccati capacibus) profuisse. Rationis participes naturas omnes, sive Dæmones, sive Animas humanas, seu alias quascunque ejusdem omnes inter se naturæ, & eodem tempore conditas fuisse, túncque extitisse νόας, deinde verò propter varios illarum motus, & diversum liberi arbitrii usum in varios ordines sive Angelorum, sive hominum, sive Dæmonum distributas esse, graviora vel subtiliora corpora pro criminum modo ac mensura indutas. Angelos enim, cæteráque entia rationalia corpore sui generis subtili quidem, & æthereo, materiali tamen constare credidit; Mentes porrò (sive entia rationalia) in quocunque statu hominum vel Angelorum versatæ fuerint, prout benè vel malè libero arbitrio usæ sint, post exutum istum statum, vel in superiorem gradum ascendere vel in deteriorem detrudi, mutuâ quâdam μετενσωματώσει in æternum factâ. Hinc animas humanas nonnisi peccati anteà commissi causâ in corporum ergastula compingi, quibus solutæ, aut Angeli fiant, aut Dæmones, commissa scelera non æternâ, sed temporariâ pœnâ luituri &c. ,, (n). Ex Platonis nimirum scholâ hos errores imbiberat, unde ab Epiphanio in Hæreticorum numerum refertur, & in V. Synodo Generali ei, ejúsque scriptis, quemadmodum Ario & Macedonio anathema dictum est: cui judicio similis est *Hieronymi*, *Cassiodori*, aliorúmque Catholicorum sententia. PP. Synodi Romanæ nonnulla opuscula Origenis suscipiunt: reliqua damnant. Pro Origene Apologiam scripserunt *Eusebius Pamphili*, *Rufinus*, & recentiùs *Joannes Picus*, *Genebrardus* &c. Verùm certum est, Platonicas opiniones hinc inde festinanti, & juveniliter agenti Origeni saltem excidisse, multa quoque eundem (o) scripsisse præfervido contra

Errores Origenis.

(i) Commonit. c. 23.
(k) Euseb. l. 6. c. 19.
(l) Guilielm. Cave p. 71.
(m) Huet. in Origenian.
(n) Guilielm. Cave p. 71.
(o) Photius Cod. 117.

tra HH. ingenio, quo effectum est, ut à medio veritatis tramite in alterum extremum se nimiùm abripi passus sit Præterea plura ab eo dicta sunt exercitationis causâ (p), dolebatque non semel ab amicis quibusdam temerè in lucem emissa, quibus limam adhibere voluisset (q): demum negari non potest, quædam etiam in Origenis scriptis esse ab HH. adulterata: quænam autem ejus volumina fuerint, longum esset recensere. Videri ea possunt apud *Guilielmum Cave* pag. 73. & 74. apud *Annatum* in Apparatu l. 4. p. 367. apud *Doujat* Prænot. Canon. l. 2. c. 48. apud *Bellarminum* in Origene: de præcipuis libris in decursu Historiæ Eccl. c. 2. l. 3. à nobis jam mentio facta est.

(p) Apolog. Pamphil. apud Hier. T. 4.

(q) Apud Hieron. ad Pammach. de error. Orig.

S. Cyprianus.

4. S. CYPRIANUS *Afer.* è Rhetore Ethnico, factus Christianus operâ Cæcilii, dein per omnes Clericatûs gradus ad Episcopatum Carthaginensem evectus est. De ejus rebus gestis plura in Historia supra videre licet. Scripta illius tres in Tomos digessit Pamelius Burgensis Ecclesiæ Canonicus. In Primo & secundo Tomo habentur libri genuini & à Cypriano indubitatè compositi: in tertio Tomo continentur scripta supposita vel dubia. Inter libros Cypriani primas tenent Epistolæ ejusdem octoginta quinque, variis temporibus ad varios scriptæ. Excerpta ex iisdem literis dat *Annatus* in Apparatu lib. 4. à p. 373., sed quia hæc jam dedimus alibi, frustra eadem hic repetere supersedemus. IN SECUNDO TOMO habentur libri *de disciplina & habitu Virginum, de Lapsis, de unitate Ecclesiæ, de oratione Dominica, Apologia ad Demetrianum Proconsulem Africæ. Liber de Idolorum vanitate, de mortalitate, de opere & Eleemosynis, de bono Patientiæ, de zelo & livore, de exhortatione Martyrii ad Fortunatum;* libros suppostitios (qui TERTIO TOMO comprehenduntur) aliqui arguunt ex diversitate styli, aut argumento temporibus aut Personæ Cypriani minùs conveniente; quos libros vide apud *Annatum* p. 380., apud Guilielmum Cave in sæc. Novatiano p. 79. Quod autem Cypriani genuina opera à Gelasio apocryphis annumerentur (r); id ità accipere noli, quasi cunctæ ejus lucubrationes ab Ecclesia rejectæ sint, sed quòd de rebaptizandis Hæreticis aliter alicubi scripserit, quàm in Ecclesia Catholica fuerit definitum (s).

(r) In Can. 3. Dist. 15.

(s) Doujat. p. 235.

S. Gregorius Thaumaturgus.

5. S. GREGORIUS THAUMATURGUS. Anteà Theodorus dictus, discipulus Origenis; cujus tamen errores secutus non est. Demum Episcopus Neocæsariensium creatus, post multos labores Apostolicos obiit a. 269. insignis vir non tantùm à miraculis (unde Thaumaturgi nomen accepit) sed & à scriptis. Extant hodiè (t) *Panegyris ejus Eucharistica ad Origenem*, quam scholæ Origenianæ valedicturus, ipso etiam Origene præsente recitavit, *Metaphrasis in Ecclesiasten, brevis expositio fidei*, quam à Joanne Evangelista, ei unà cum B. V. MARIA apparente, traditam, & ipsius Gregorii manu scriptam, dein in archivio Neocæsariensis Ecclesiæ conservatam testatur Gregorius Nyssenus, *Epistola canonica*, de iis, qui Barbarorum incursu lapsi sunt. Inter supposita scripta numerantur, *Capita* 12. *de*

(t) Bellarm. de Script. Eccl. p. 77. Philippus Labbe Tom. I. de Script. Eccl. p. 373. Guilielm. Cave p. 82.

fide cum Anathematiſmis contra Neſtorium & Eutychetem; *ſermones tres in annunciatione B. V. MARIÆ*, & alius in *Theophania*, & *Diſputatio de anima ad Titianum.*

REFLEXIO ULTIMA.

Quænam fuerit Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ per tria Prima Sæcula?

§. I.

De Doctrina genuina & Apoſtolica primorum ſæculorum.

1. QUoniam teſte Vincentio Lirinenſi *Doctrina Eccleſiæ annis conſolidatur, dilatatur tempore, ſublimatur ætate, nihilque permutationis admittit*; operæ pretium, & nobile compendium terminandis in fide controverſiis nos facturos credimus, ſi antiquam Eccleſiæ faciem contemplantes, indagemus hìc in vias Veterum Patrum, ſimúlque in primorum Chriſtianorum fide, noſtræ ſive ejuſdem fidei orthodoxiam oſtendamus.

2. Primum igitur Primæ Eccleſiæ inſtitutum fuit, ut duplex genuinæ doctrinæ regula orthodoxis ad manum eſſet, ſcilicet Scriptura Sacra, atque Traditio. Cùm enim omnia, quæ Chriſtus *loquens de Regno Dei* (a), ſuis reliquerat, nec quæ Apoſtoli *per ſermonem* (b) diſſeruerunt, literis exarari potuerint; ab illorum ore integræ fidei ſubſtantia petenda erat, qui à Chriſto, ejúſque diſcipulis Myſteria credenda perceperant: ac ne eorum traditionem ſperneremus, monuerat anteà Chriſtus, *qui vos audit, me audit* (c) *quid* enim (ut ait Irenæus ſecundi ſæculi ſcriptor) *ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias* (d).

(a) Act. 1.
(b) 2. ad Theſſ. 2.
(c) Luc. 10.
(d) Irenæus l. 3. c. 4.

3. Hâc duplici regulâ inſtructi Primi Chriſtiani crediderunt, Deum, inviſibilem, æternum, juſtum, ac bonum, in perſonis trinum, & in eſſentia unum; nam Juſtinus in Apologia, Chriſtianorum nomine, Imperatori teſtatus eſt: *Profiteor quidem nos Gentilium Deos non venerari, qui ſunt Dæmones; ſed veriſſimum illum Deum Patrem Juſtitiæ, & Caſtitatis, & virtutum aliarum, & hunc ipſum, qui ab eo venit, & ita nos docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus cum ratione & veritate venerantes* (e) clariùs hæc diſſeruit poſteà Athenagoras (f), & Tertullianus (g) *jam ediximus*, ait, *Deum univerſitatem hanc mundi verbo & ratione & virtute molitum. Apud veſtros quoque ſapientes λόγον id eſt ſermonem, atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis... Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ: nam & Deus Spiritus; & cum radius ex ſole porrigitur, portio ex ſum-*

(e) Juſtinus in Apolog.
(f) Athenagoras in Apolog.
(g) Tertull. in Apolog. num. 22.

mi

ma; sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum ... ita & quod à Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo. Ita & de Spiritu Spiritus & de Deo Deus &c. ... iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in utero ejus, caro figuratus nascitur, Homo Deo mistus, Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est. Similia habet de divinitate Filii, incarnatione & passione dogmata adversus Praxeam (h), & Hippolytus in sæculo tertio ostendit (i) exarato suo testimonio, Fidelium eandem fuisse in prima Ecclesiæ ætate fidem circa Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, quam nunc retinet Orthodoxa Ecclesia. Et quanquam sub Christianitatis exordia Trinitatis, & homousii voces auditæ non sint: nec nisi sequente sæculo prolatæ fuerint ad confutandas Hæreticorum tricas; Mysterii tamen substantia eadem credita ab omnibus est: nec unquam natæ fidei aliud accessit, nisi ut quæ priùs velut in pugno adstricto latebant, posteà apertâ solum manu, explicatisque articulis præmonstrarentur.

(h) Lib. advers. Prax. c. 2. 4. 7. 11. 13. 19. 25. 30.

(i) Hippolytus in Disput. adv. HH. apud Sirmondum Tom. 3.

4. Quid nunc de aliis fidei Dogmatis attinet dicere, quæ cum hodierna Doctrina Catholica ita conveniunt, ut ovum ovo similius esse non possit; nam I. docuerunt per ORIGINALE PECCATUM hominis liberum arbitrium sauciatum; non tamen ademptum (k) II. BAPTISMI necessitatem, ejúsque effectus comprobârunt. Ut percipimus ex Tertulliano (l). *Proficiente*, ait, *hominibus gratiâ Dei, plus aquis & Angelo* (qui olim aquam piscinæ commovit) *accessit, qui vitia corporis remediabant, nunc Spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternum reformant: qui unum semel in anno liberabant, nunc quotidiè populos conservant, deletâ morte per ablutionem delictorum, exempto scilicet reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo ad similitudinem ejus, qui retrò ad imaginem Dei fuerat ... Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed pòst amiserat per delictum.* III. CONFIRMATIONIS Sacramento, quod statim post Baptismum conferebatur, crediderunt verè Spiritum S. conferri. Tertullianus quippe eodem loco pergit: *exinde egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione ... in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur, spiritualis effectus, quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum ... Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora libens à Patre descendit.* IV. Nullus Orthodoxus in Primæva Ecclesia fuit, qui Ecclesiæ negaret potestatem RECONCILIANDI peccatores: hinc lapsos hortatur S Cyprianus (n): *Confiteantur singuli, quæso vos Fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in Sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Idem conqueritur ibi-

(k) Justinus Apol. 2. ad Antonin. Irenæus l. 4. c. 9. 29. Tertull. l. 2 contra Marcion.

(l) Tertull. l. de bapt. n. 1. 5. 6.

(m) S. Cyprian. Serm. de lapsis.

ibidem, quod quidam desertores audeant sacram Synaxin accedere *ante Exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam manu Sacerdotis.* Quemadmodum è contrario illorum fidem ac salutarem timorem commendat, qui ob minus peccatum, *hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, Exomolegesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur.* V. Nunquam Primi Christiani in dubium vocârunt, Corpus & Sanguinem D. N. JESU CHRISTI verè & realiter esse in EUCHARISTIÆ Sacramento; *non enim*, ait Justinus (n), *ùt communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei Caro factus JESUS CHRISTUS Salvator noster, & carnem & Sanguinem salutis nostræ causâ habuit: ita alimoniam per precationem verbi ab ipso profecti Eucharistizatam, ex qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse edocti sumus.* VI. Eandem Eucharistiam simul esse SACRIFICIUM prima credidit Ecclesia; testante id S. Irenæo secundi Sæculi scriptore. *Sed & suis discipulis dans Consilium, Primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias agit dicens: Hoc est Corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & Novi Testamenti novam docuit oblationem, quæ Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat Primitias suorum munerum in Novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit, non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Omnipotens & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab Ortu Solis usque ad Occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum* (o).

VII. Post Confessionem infirmis quoque adhibitam esse EXTREMAM UNCTIONEM discimus ex Origene: *Est*, ait, *adhuc & septima, licèt dura & laboriosa per pænitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis stratum suum; & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum & quærere medicinam:* hâc Confessione præmissâ subdit, aliud Sacramentum conferri infirmis, *in quo impletur & illud, quod Apostolus dicit* (p): *si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini* (q).

VIII. MATRIMONIUM ità probârunt, ut ei tamen VIRGINITATEM Deo sacratam anteferrent. Hinc Tertullianus (r) *prohiberi nuptias nusquam omnino leginus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo* (t) *permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum ... Quot enim sunt, qui statim à lavacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu*

(n) Justinus in Apolog. 2. ad Antoninum Imp.

(o) Irenæus lib. 4. c. 32.

(p) Jacob. 5.

(q) Origenes hom. 2. in Levitic. post med.

(r) Tertull. lib. 1. ad uxorem c. 3.

(s) 1. Cor. 7.

ſenſu pari inter ſe matrimonii debitum tollunt? voluntariis Spadonibus pro cupiditate cœleſti (ſalvo matrimonio) abſtinentia toleratur, quantò magis adempto? IX. SS. Martyribus RELIGIOSUM CULTUM impendebant; unde Clerum monebat Cyprianus: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus,...* laudat, quod ſignificentur dies, *quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis ex vita tranſeunt; & celebrentur hìc à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum.* Prætereà Origines alteram cauſam Martyres & SS. colendi adducit, ut nempe nobis opitulentur hom. 3. in diverſos. Quod porrò probat hom. 3. in Cantica: *ſed & omnes SS.*, inquit, *qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum & juvare eos precibus ſuis, atque interventu ſuo apud Deum, non erit inconveniens. Scriptum námque eſt in Machabæorum libris* (t) *ita: Hic eſt Jeremias Propheta Dei, qui ſemper erat pro populo.* X. Primatus Petri, & Romanæ Eccleſiæ Apud omnes in confeſſo erat (u). *Vide plura de his Dogmatis apud Gualterium in tabul. chronogr.*

(t) 2. Mach. 15.

(u) Origen. hom. 3. in exod. Cyprian. epiſt. 40., 50. & in lib. de unit. Eccl. Tertull. lib. de præſcr. c. 22.

4. Ac licèt hæc ipſa Primævæ fidei Dogmata ex iis Scriptoribus habeamus, quorum aliqui in nævos ſubinde prolapſi ſunt; hi tamen errores non obſunt, quo minùs ad nos ſincera Primorum ſæculorum fides pervenerit: nam præterquàm quòd ſemper integri Doctores fuerint, qui contra paucorum Patrum errores, ſimul ac eruperunt, pugnârint; certè Eccleſia hos errores ac nævos quorundam Patrum ſtatim notavit, correxit, effecítque, ut nos poſteri doceremur, quæ in iis cautè, quæve ſine offenſione legi, credíque poſſint: itaque obſcurum non eſt jam Fidelibus, quando verax Origenes, quando Tertullianus Catholicus, quando demùm Cypriano abroganda fides ſit. De quibus Bellarminum vide in Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Reflexionem præcedentem XI. & integrum Caput II. Libri III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

§. II.

De Eccleſiæ Diſciplina trium ſæculorum.

Quid Diſciplinæ nomine intelligatur?

1. QUi Diſciplinam, Doctrinámque Eccleſiæ conſiderant, utramque ſuis proprietatibus fineque diſtinctam eum in modum ſecernunt; ut per Doctrinam intelligant orthodoxiam fidei nullis temporibus mutandam: per Diſciplinam verò ſignificent exteriorem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gubernationem, quæ pro ſæculorum viciſſitudine varietatem patitur; unde S. Proſper in illud Pſalmi (a), *fecit lunam in tempora*, ità commentatur: *fundavit Dominus Eccleſiam: quæ per temporalia tranſit ad æterna, & quamvis ad claritatem deſtinata ſit perpetem, mutationibus tamen, dum hìc degit, obnoxia eſt*: neque hoc conditioni Eccleſiæ, aut Fundatoris perfectioni detrahit; nam eodem modo creatus eſt olim orbis terrarum, primùm in compendio, mox ſingularum rerum effuſione. Tum ornatus acceſſit ſtella-

(a) S. Proſper in Pſ. 103.

Varietas Disciplinæ frustrà objicitur Ecclesiæ.

stellarum cœlo, plantarum terræ, & nova epitome, scilicet homo, qui porrò suas ætates habet, ac periodos; & brevis licèt in prima conditione, surgit tamen postmodùm, crescit in partes, enodat sese, & explicat artus, nec tamen aliam & aliam naturam subire dicitur: sed tantùm suam perficere & explicare substantiam (b): quare malè Magdeburgenses (c): *Veram Ecclesiam è simplicitate ceremoniarum agnosci: hypocriticam verò esse, quæ illas coacervat.* Quàm parùm enim Deus arguendus est, quod primò simplex & rude legis rudimentum dederit: dein post servitutem Ægypti explicatiora præcepta dederit, distinxeritque vario ceremoniarum ritu; ità Ecclesia à Deo fundata, reprehendenda non est, quòd post tria sæcula sub Tyrannorum jugo exacta, posito luctu, palloréque deterso ornatiorem faciem ostenderit, quódque ætate Constantini crux effulserit, fumârint thuribus palàm aræ, & alia cœperint fieri, quæ primis temporibus aut incognita aut inaudita fuerant.

(b) Alfordi in Contempl. Primi sæculi p. 91.
(c) Cant. 2. c. 6.

2. Cæterùm Disciplina, quæ per tria Sæcula viguit, vel spectabat Pastores, aut oves aut fidelium actiones, earúmque ritus sacros. Ac Primò Hierarchia constabat jam ex Episcopis Presbyteris & Diaconis, testante Clemente Alexandrino (d): *in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius Oeconomiæ & Dispensationis.* Præsules præsente & testificante populo sæpe etiam inviti eligebantur, consecrabantúrque à Comprovincialibus per impositionem manuum. Episcopi & Metropolitæ instituti sunt ad normam & partitionem veteris Imperii Romani: Cùm enim in Imperio Provinciæ contributæ essent cuidam civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magistratus subjectorum causas judicabant, & quò propterea populi frequentiùs conveniebant, quòd singulari quodam jure civitates à matrice penderent; Apostoli itidem Episcopos in civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in Metropoli, sive urbe primariâ (e). Inde quoque factum, ut in tribus majoribus Imperii urbibus, videlicet Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ Cathedræ Patriarchales erectæ sint; inter quas tamen Romana sedes Primarias semper vices habuit tum dignitatis, tum supremæ jurisdictionis. Coadjutorum, infirmis Episcopis adjunctorum, vestigia prima legere est in Alexandro, qui Hierosolymorum Præsuli Narcisso in partem laborum datus est (f): post Episcoporum gradum, veniebat ordo Presbyterorum, dein Diaconorum; his absente Sacerdote ministerium baptizandi, Evangelium legendi, & Sanguinem Christi dispensandi concessum erat. Primus Diaconorum vocabatur Archidiaconus, quem Episcopus eligebat, ut minores Clericos in functionibus Ecclesiasticis instrueret, inquireretque in vitam & mores ordinandorum (g); celebriores quatuor Archidiaconos primæva habuit Ecclesia, scilicet S. Stephanum Hierosolymæ, Romæ S. Laurentium, in Hispania S. Vincentium, in Africa Cæcilianum: Subdia-

(d) Clemens Alexand. l. 6. Stromat.
Disciplina in Pastorali & Clericali statu.
(e) Petrus de Marca l. 4. de Concord. Sacerd. & Imper. c. 1. §. 31.
(f) Euseb. l. 6. Hist. Eccl. c. 11.
(g) Concil. Carthag. IV. Leo epist. 58.

Subdiaconorum mentionem facit Clerus Romanus in epiſtola ad Cyprianum, quorum ordo erat derivatio quædam Diaçonatûs.

3. Non plures Presbyteros Epiſcopi, neque plures Diaconos, neque inferiorum munerum Clericos ordinabant, quàm quot ipſis ad Diœceſis gubernationem opus eſſet; atque inde factum, ut eorum numerus minùs frequens eſſet: tempore Cornelii Pontificis in Romana Eccleſia fuêre 46. Sacerdotes, Diaconi ſeptem, Subdiaconi totidem, Acolythi 40., Exorciſtæ duo, Lectores cum Oſtiariis 42. (h): non licebat Clericis ſeſe alterius Epiſcopi officiis addicere: nec habitu ſpeciali utebantur: adhærebant autem Præſulis ſui lateri perpetui comites, ut eſſent in laboribus ſubſidio, vel in actionibus vitæ teſtimonio. Per Acolythos plerumque Epiſcopi formatas epiſtolas mittebant ad alios Epiſcopos. Ad ſacros ordines etſi conjugati tum etiam vocarentur ob penuriam Cælibum; Epiſcopi nihilominùs poſt ordinationem ab uxoribus abſtinebant, quod poſteà inſtitutum caſtimoniæ à Romana Eccleſia in Presbyteros & Diaconos Occidentis prorogatum eſt; nam in Oriente labente tempore remiſſiùs hac in re agi cœptum eſt: Ordinatione tamen ſemel ſuſceptâ, queiscunque Presbyteris ducere conjugem nefas erat. Pro victu Clericis ſingulis in quosvis menſes & hebdomadas ſportulæ, ſeu ſtipendia dabantur (i); unde *Sportulantes fratres* dicti ſunt (k). Bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio penes Epiſcopum erat (l), ad quem quoque unum Chriſtiani ſuas deferebant lites, cùm ex Præſcripto Pauli, Fideles à Gentilium tribunalibus abſtinere dudum juſſi fuiſſent (m).

(h) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 20.

Victus & Vita Clericorum.

(i) Cyprian. epiſt. 34.

(k) Idem epiſt. 66.

(l) Can. 31. Apoſt.

(m) 1. Cor. 6.

4. Baptiſmus olim conferebatur trinâ immerſione in nomine Ss. Trinitatis Catechumenis, quorum tres ſpecies erant: *Audientes* dicebantur ii, qui Tyrones & myſteriorum rudes erant; ſtabántque in Narthece ſive in templi porticu, ubi ſaltem concio, & ſcripturarum lectio exaudiri poterat. Alii propriè *Catechumeni* vocabantur, qui Baptiſmo dilato in Eccleſiam nondum admiſſi erant. Ex eorum numero ſelecti quidam *Competentes* vocati, qui *fontis Salutaris Sacramenta petunt* (n): S. Leo eos *Electos* (o) vocat, Tertullianus *perfectos* (p). Hi Catechumeni itaque exorciſmis luſtrati, dein Catecheticis inſtructionibus continuò informati, tandem compotes fiebant Baptiſmi, cujus ritum unà cum aliis ceremoniis in Eccleſia primæva uſitatis exponit Tertullianus (q): *Ut à baptiſmate*, inquit, *ingrediar; aquam adituri aliquantò priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare Diabolo, & Pompæ, & angelis ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſic ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: ex eâque die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus,*

Collatio Baptiſmi ejúſque ritus & ceremoniæ.

(n) Ordo Romanus.

(o) S. Leo Ep. 4. c. 5.

(p) Tertull. l. de præſcript. c. 4.

(q) Idem de corona militis c. 3.

Varii ritus & piæ Consuetudines Primævæ Ecclesiæ.

cimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur: ad omnem progressum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus: harum & aliarum ejusmodi Disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.

5. Eucharistiæ epulo ferè quotidiè primi Christiani pascebantur, tempore Persecutionum (r): Laici Eucharistiam tunc manu excipiebant, ut illam subinde domum asportarent, & urgente necessitate se ad cruciatus hoc pane cælesti confortarent (s). Infantium ori infundebatur quoque aliquid de sacro calice; unde Communionis sub una specie multiplicata exempla in primæva Ecclesia invenies. *Sacram Synaxin agebant*, ut describit Justinus (u), *die, qui Solis dicitur, seu Dominicâ: facto conventu Commentaria Apostolorum vel Prophetarum scripta legebantur. Post lectionem præsidens, quæ lecta sunt, recolens & explicans ad earum imitationem exhortatur. Posteà consurgimus omnes & oramus: precibus absolutis panis offertur, vinum, & aqua, & Præpositus, quantum potest, fundit preces, & gratiarum actiones, & populus faustè acclamat, Amen! & cuique præsenti fit distributio eorum, in quibus actæ sunt gratiæ, éisque quisque communicat: absentibus autem per Diaconos mittitur.*

(r) Cyprian. epist. 56. Pamel. edit.

(s) Tertull. de orat. c. 14.

(t) Cyprianus de Lapsis.

Liturgia.

6. Pro missæ celebratione Ecclesiæ suas habebant *Liturgias*, Hierosolymitana usurpabat liturgiam Jacobi, quæ teste Bellarmino valde interpolata, multáque continet, quæ primo sæculo non congruunt (x): inter antiquas Liturgias magìs celebris etiam erat, quam Clemens Romanus reliquit, cujus sic meminit Proclus (y): *multi quidem & alii divini pastores, qui Apostolis successerunt, sacrorum illius divinæ missæ Mysteriorum rationem explicantes, scriptis mandatam tradiderunt, in quibus est B. Clemens... qui sacrosancta illa Mysteria à SS. Apostolis sibi revelata in lucem edidit.* Porrò Gregorius M. (z) nos docet, quomodo sacrificium peregerint Apostoli: scilicet ad ipsam solummodò orationem Dominicam oblationis hostiam consecrabant. Posteà jusserunt in hujus sanctificationis præparatione fieri preces, obsecrationes, postulationes, Gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Tunc etiam in longam doctrinam convertebantur (a). Præcipuæ partes ad nos pervenerunt, quibus dein ceremoniæ variæ accessêre. Cyprianus (b) memorat, quòd post osculum pacis sua singuli dona Sacerdoti obtulerint, & Sacerdos omnium verbis Deo illa sacrârit: tum ad actum sacrificandi propiùs ventum est; quapropter sacrificans jubebat præsentes, ut ad Deum corda erigerent &c. Demum rarus usus imaginum erat in Ecclesiis; ne rudibus Catechumenis à superstitione Gentili modò conversis idololatriæ ansa daretur.

(u) S. Justin. in Apolog.

Dispensatio Eucharistiæ & Synaxis.

(x) Bellarm. de script. Eccl.

(y) Proclus de Trad. Div. Miss.

(z) Gregor. M. l. 7. epist. 63.

(a) Chrysost. hom. 27. in 1. ad Cor.

(b) Cyprian. de orat.

7. A

7. A functionibus iis, quæ præcipuè Pastorum erant, ad actiones quorumvis Christianorum descendimus: Baptizati sæpiùs ad orationes publicas manè & vesperi conveniebant, quas ideo Laudes & Vesperas hodiè dicimus: vespertinæ preces etiam quandoque *Lucernarium* appellabantur, præterea horâ tertiâ, sextâ, nonâ, à primis Christianis fundebantur orationes, ut scribit Cyprianus (c): singulis annis per 40. dies (d), & singulis hebdomadis feriâ quartâ, & sextâ inediâ corpus macerabant: eorum dierum semijejunia vacabantur; quia post nonam solvebatur jejunium, peractis sacrificio & communione populi; in quadragesima verò producebatur ad Vesperam, seu ut Tertullianus loquitur, ad authoritatem stellæ demorantis, sed sine sacrificio & communione & pacis osculo. In majore hebdomada rigidiùs jejunabatur (e); ubi producebatur jejunium ad primæ lucis exortum, ideóque dicebatur *superpositio* (f). Inter jejunantes autem alii dicebantur *homophagi*, alii *Xerophagi*: illi crudis, hi siccis duntaxat esculentis utebantur. Adhæc Episcopi quandoque nova jejunia plebi dictabant; ità enim Tertullianus (g): *Ecce convenio vos, & præter pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum semijejunia interponentes, & vero interdum pane & aquâ victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio... benè autem, quòd & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent.*

Piæ Actiones Christianorum.

(c) Idem de orat.

Jejunia primorum Christianorum.

(d) Chryfost. Ep. 54. ad Marcell. Tertull. de jej. c. 2.

(e) Irenæus apud Eusebi l. 5. c. 24.

(f) Epiph. in expos. fidei.

(g) Tertull. de jejun. c. 13.

8. Inter Christianos perfectiori vitæ studebant *Ascetæ*; nam præter communes aliis virtutes, hi domi velut in solitudine Xerophagiâ, aut inediâ plurium dierum, Ciliciísque se macerantes ad exemplum Pauli corpus (h) in servitutem redigebant, intentíque vel assiduis castísque precibus, aut scripturarum lectioni sese à mundi illecebris subducebant. Hujusmodi Institutum aliquamdiu secutus est Origenes (i), multíque ex ea disciplina prodiêre Sanctissimi Præsules ac Doctores. Prætereà innuptarum & Deo dicatarum virginum ingens erat numerus, quæ vel in paternâ domo habitabant, aut omnino solitariæ, aut duabus, tribúsve Virginibus associatæ, ex hac Parthenone pedem non efferebant; nisi cum adeunda esset Ecclesia: & si quando contingeret quandam nuptiarum causâ à proposito discedere, ad publicam Pœnitentiam adigebatur. Demum Viduæ complures haud aliter, ac Virgines in Castitate, jejunio, & oratione vitam exigebant; non tamen more Virginum abstinebant à publico, quin charitatis multiplicis operibus se dedentes, in carceribus, & ad infirmorum lectulos assiduæ ministræ visebantur. Ex his Viduis, si quando *non minùs quàm sexaginta annorum* erant (k), *Diaconissæ* deligebantur, sic dictæ, quòd Diaconorum quasdam obirent partes erga fœminas (l); has quippe Catechumenas instituebant, vel Catechistæ institutionem iis repetebant: easdem ad sacrum deducebant fontem, ínque ponendis, & recipiendis vestibus operam conferebant: recenter Baptizatas apud se aliquo tempore servabant, dum dogmatis Christianis penitiùs imbutæ forent; postremùm in Ecclesiis, quâ parte fœminæ intrabant, custodiebant fores, curabántque ut mulieres modestè, & piè in domo Dei conversarentur.

Ascetarum institutum.

(h) 1. Cor. 9.

(i) Euseb. lib. 6.

Deo Dicatæ Virgines.

Viduæ.

(k) 1. Tim. 5.

(l) Epiphan. hæres. 59. Synod. Chalced. c. 15.

Diaconissæ.

§. III.

De Conciliis, quæ per Primam ſæculorum triadem de Doctrina, & Diſciplina Eccleſiæ ſunt celebrata.

1. Concilium, ſive ex græca voce Synodus eſt Congregatio Præſulum Eccleſiæ ad controverſias fidei decidendas, & fidelium Diſciplinam & mores reformandos. *Univerſale* Concilium erit, ſi ad illud Totius orbis Epiſcopi convocentur, ac interſint; niſi juſtis de cauſis quidam eorum impediantur: *Provinciale* ſi unius Provinciæ Præſules; *Nationale*, ſin Archiepiſcopi & Epiſcopi unius Regni & Nationis conveniant. Primi Generis ſcilicet Synodos Oecumenicas tria Prima ſæcula non habuerunt, ſecundæ verò & tertiæ conditionis Concilia primâ hâc in ætate complures reperire eſt.

2. Atque ut initium à Primo Sæculo faciamus; unam, Primámque Apoſtolicam Synodum HIEROSOLYMIS congregatam nobis S. Lucas deſcribit (a): occaſionem huic Concilio dedit Controverſia, quæ de neceſſaria Circumciſionis, rituúmque Moſaicorum obſervantia circa annum Æ. C. XLVII. inter fideles Judæos, intérque Gentiles Neophytos Antiochiæ fervebat: quæſtione igitur ad Apoſtolicum Concilium delatâ, Petrus Primatûs jure primus dixit ſententiam, oſtendens exemplo Cornelii Gentiles exemptos jugo circumciſionis juſtificari fide: aſſensêre ſuis ſuffragiis Paulus & Barnabas: atque ut commonſtrarent, à Deo non amplius haberi rationem Moſaici ritûs, *narrabant, quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos* (b). Poſtremùm Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus rejiciens Circumciſionis neceſſitatem, in medium affert oracula Prophetarum, quibus Deus vocationem Gentium & futurum novum cùm iis fœdus teſtaretur; ex quibus porrò concludebat: *propter quod & ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum & fornicatione & ſuffocatis & ſanguine* (c). Decretum Concilii tranſcribitur in Epiſtolam Synodicam: *Apoſtoli, & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverant vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo; hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine D. N. JESU CHRISTI; Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, benè agetis, valete* (d). Legati à Synodo ubi Antiochiam veniſſent, *congregatâ multitudine tradiderunt epiſtolam, quam cùm legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione* (e). En formam omnium ſequentium Conciliorum! nam exortâ contro-

(a) Act. 15.

Concilium Apoſtolorum de obſervatione Legalium.

A. Æ. C. 47.

(b) Act. 15. v. 12.

(c) v. 19. & 20.

Synodica epiſtola.

(d) Act. 15. v. 23. 24. ... 30.

(e) v. 31. & 32.

controversiâ, Ecclesia in Synodo repræsentata velut columna veritatis consulitur: congregantur Apostoli sive Episcopi cum senioribus: Petrus Pontifex præsidet, primúmque profert suffragium: suffragantur & alii Apostoli, decretum scriptum fidelibus proponitur utpote peremptorium, & à spiritu S. dictatum, cui populus sine exceptione obedit: & quanquam refractarii posteà nonnulli essent, inter Romanos, Corinthios, & Galatas; Paulus tamen executionem decreti multis epistolis urgebat, dum toties iis inculcabat, non legem Moysis, sed Evangelium Christi, medium salutis esse à Domino institutum; proinde non legis Mosaicæ opera, sed fidem Christi, quæ per charitatem operatur, ad salutem esse necessariam. Plura ab aliis numerantur Concilia Apostolorum, scilicet Hierosolymitanum circa electionem Matthiæ (f), 2dum pro electione septem Diaconorum, (g) 3tium pro Missione Petri & Joannis ad Samaritanos (h), quartum pro edendo fidei symbolo & designandis regionibus; sed his Conciliorum nomen impropriè tribuitur, quia piorum potiùs conventus, quàm cœtus synodales haberi debent. De Canonibus & Constitutionibus Apostolorum, quæ à Clemente Romano collectæ dicuntur, nos suprà diximus in Reflexione ultima ad Libri I. caput II.

Forma Conciliorum.

Quot Synodos Apostoli celebrarint?

(f) Act. 1. v. 15...26.

(g) Act. 6. v. 2....6.

(h) Act. 8. v. 14.

II. IN SECUNDO SÆCULO cum controversia nova glisceret inter Asiaticos circa diei Paschalis observationem, Synodos denuò convocare conveniebat, quæ Polycratis, ejúsque asseclarum causam examinarent: statuerant hi pascha more judæorum celebrandum die XIV. Lunæ mensis Martii, in quamcunque hebdomadæ diem incideret: contrà Ecclesia Romana cum cæteris Ecclesiis Occidentalibus juxta morem ab Apostolis receptum pascha inviolabili ritu in venerationem Dominicæ Resurrectionis peragendum censebat die Dominicâ, quæ post Æquinoctium vernum proximè sequitur diem XIV. Lunæ mensis Martii, de quibus plura diximus in C. II. Histor. Ecclesiast. L. II. Victor Pontifex proinde Synodos indixit, quarum prima erat IN PALÆSTINA CÆSAREÆ, cujus fragmentum Beda (i) latiùs refert.

Concilia secundi sæculi.

(i) Beda lib. de Æquin. Verno.

Præterea eâdem in causâ Synodus habita est in PONTO *sub Palma Amastriensi*, CORINTHI *sub Bacchylo*, in PROVINCIA OSDROENA, demum ROMÆ *à Victore* celebrabatur Concilium, quod unà cum aliis Synodis decrevit, ne videlicet ullâ aliâ, quam Dominicâ die mysterium Resurrectionis Domini celebretur, útque eâ solùm die jejuniorum terminus observetur. EPHESINUM à Polycrate Ephesii Metropolita congregatum ob morem sibi à majoribus traditum cæteris Synodis restitit (k). Demum eâdem in causâ habitum Concilium est LUGDUNI in Gallia ab Irenæo; cujus Patres, etsi starent pro Victoris sententia; nolebant tamen, ut Asiatici à communione resecarentur: fragmenta Synodicæ extant apud Eusebium (l).

A. Æ. C. 196.

Synodi in Ponto, Corinthi, Romæ &c. contra Quartadecimanos.

(k) Euseb. lib. 5. c. 23. & 24.

Synodi Lugdun. & Ephesina.

(l) Idem c. 24.

3. IN TERTIO SÆCULO uti celebrior quæstio erat de Baptismo HH.; ita per intervalla multis Synodis laborem facessivit. Disceptatio

Concilia tertii sæculi.

hac de causa jam cœperat in CARTHAGINENSI I. anno 215. sub Agrippino Carthaginensi Episcopo, qui tunc Canonem edidit de iterando Hæreticorum Baptismo (m): sepositâ tantisper lite anno 230. celebratum est CONCILIUM ALEXANDRINUM sub Demetrio Alexandriæ Episcopo, in quo Decretum est, Origenem inscio proprio Episcopo ordinatum à Theoctisto Cæsariensi & Alexandro Hierosolymitano, Alexandriâ pellendum, non tamen Sacerdotii dignitate, quâ initiatus fuerat, submovendum; accessit huic Concilio proximè alia ÆGYPTI SYNODUS, in qua Origenes etiam dignitate Sacerdotali exutus est, consentientibus totius penè orbis præsulibus (n). Anno 240. LAMBESITANUM Concilium habitum est in Colonia Africæ adversus Privatum Hæreticum à nonaginta Episcopis (o). Anno 251. agebaturConcilium CARTHAGINE II. quod erat Cypriani I. in causa Lapsorum (p). Eodem anno iisdem de causis coacta est Synodus ROMANA à Cornelio Pontifice, convenêre LX. Episcopi, Carthaginensium sanctiones approbantes (q). Anno 252. CARTHAGINENSE III. Cypriani II. Concilium celebrabatur, in quo decretum est, ut pax lapsis (si necessitas urgeret) non negaretur (r). Anno 253. CARTHAGINENSE IV. Cypriani III. Concilium instituitur circa mensem Septembrem, interfuere LXVI. Episcopi, in quo de Baptismo parvulorum potissimùm agebatur (s). Anno 254. CARTHAGINENSE V. Cypriani IV. (paulò post pascha pro more celebratum) definiit Basilidem & Martialem Episcopos Hispaniæ libellaticos justè depositos, & Felicem ac Sabinum jure illis surrogatos fuisse (t). Anno 255. CARTHAGINENSE VI. Cypriani V., sanxit nullum esse HH. Baptismum (u), quod A. 256. ICONIENSE Concilium confirmavit (x): & Carthaginense VII. Cypriani VI. unà cum 71.; Præsulum suffragiis, ut patet ex Synodica ad Stephanum Romanum Pontificem data (y). Eodem Anno CARTHAGINENSE VIII. Cypriani VII. multò frequentius fuit à 87. Episcopis, qui contra Stephani intentatum anathematis fulmen sese unà cum Cypriano opponentes, multò pertinaciùs conceptæ de rebaptizandis Hæreticis sententiæ adhæserunt (z). Anno 260. in ROMANO II. Concilio Dionysius Papa egit causam Dionysii Alexandrini, de qua supra in Historia Ecclesiastica mentionem fecimus. Anno 264. fuit Concilium ANTIOCHENUM I. contra Paulum Samosatenum: sed quia homo versipellis suum virus texerat; in ANTIOCHENO II. demum anno 269. habito damnatus est (a). Anno 305. CIRTENSIS cogebatur Synodus ab undecim Episcopis in causa Traditorum (b). Eodem anno celebre Concilium ELIBERITANUM celebratum est pro Disciplina morum reformanda, cujus rigidos Canones jam exposuimus in cap. II. L. III. Historiæ Ecclesiasticæ p. 640.

(m) Cyprian. Epist. 71. ad Quintum.
(n) Euseb. l. 6. Hieron. l. 2. in Rufin. c. 5.
(o) Cyprian. Ep. 59. ad Corinth.
(p) Cypr. epist. 43., 45., 55. & 59.
(q) Id. Ep. 55.
(r) Idem Ep. 59.
(s) Idem Ep. 64.
(t) Idem Ep. 67.
(u) Id. Ep. 70. & 71.
(x) Euseb. l. 7. c. 7.
(y) Cypr. Epist. 72.
(z) Concil. T. I. p. 786.
(a) Euseb. l. 7. c. 28.
(b) Optatus lib. I. p. 16.

FINIS.

SYLLA-

SYLLABUS
REFLEXIONUM HISTORICO-POLITICARUM
REFLEXIONES AD LIB. I. HISTORIÆ ROM. IMPERII &c.

REFLEXIO I. QUinam Tituli proprii fuerint Primo Romani Imperii Monarchæ, cæterísque ejusdem Successoribus? pag. 163
II. Quænam Magistratuum forma, ac conditio extiterit sub Augusto aliísque Imperatoribus? 168
III. Quomodo ratio ferendarum legum apud Romanos usitata, ab Imperatoribus mutata fuerit? 173
IV. De limitibus Veteris Romani Imperii, & quæ augmenta per Cæsares accesserint? 178
V. Quænam origo, qui populi, ac mores antiquæ Germaniæ, & an hanc Romani (ut jactat Vellejus Paterculus) in stipendiariæ Provinciæ formam redegerint? 182
VI. De censu Provinciarum sub Cæsaribus. 189
VII. Quænam fuerint jura Civium Romanorum, tum etiam Provinciarum? 192
VIII. De Romanorum Coloniis, earúmque juribus. 195
IX. De Scriptoribus profanis Primi sæculi Christiani. 197

REFLEXIONES AD LIB. II. HISTORIÆ ROMANI IMPERII.

REFLEX. I. Quæ militiæ, ac Castrorum disciplina apud Romanos fuerit? 390
II. De Triumphis Romanorum. 393
III. De Spectaculis & Ludis Romanorum. 394
IV. De Consortio duorum Augustorum. 397
V. De *Marcomannorum* Origine, ac rebus gestis. 398
VI. De Scriptoribus profanis in sæculo secundo. 400

REFLEXIONES AD LIB. III. HISTORIÆ ROMANI IMPERII.

REFLEX. I. De Pompa funebri, rogo, urnâ, ac Sumptuosis Mausoleis Romanorum. 536
II. Quo ritu celebrata sit Romanorum Cæsarum Apotheosis? 538
III. Quando Primùm *Alemannorum* Gens in Historiis signetur, & an *Alemanni* iidem fuerint, qui Germani à veteribus nominabantur? 541
IV. De Diis, ac Sacerdotiis Veterum Romanorum. 542
V. An Imperatorum aliquis ante Magni Constantini tempora, ejurato Deorum cultu, ad sacra Christiana transierit? 546
VI. De Rei Nummariæ origine, præstantia, & usu in Historia Romani Imperii. 556
VII. De origine *Francorum*. 554
VIII. Quænam Barbaræ Gentes populatæ sint Imperium Romanum in tertio, & sequentibus sæculis? 557
IX. De Scriptoribus profanis sæculi tertii 561

SYLLA-

SYLLABUS
REFLEXIONUM HISTORICO-ECCLESIASTICARUM
REFLEXIONES AD LIB. I. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

REFLEXIO I. Qui Annus verè Natalis fuerit Christo Domino, sive, an Æra Vulgaris, quâ Christum natum designamus, sit etiam Æra Christi Vera? pag. 301
II. Quoto Anno ætatis Christus Dominus fuerit baptizatus? 309
III. Quo Anno Æræ Vulgaris passus sit in cruce Servator, quótque annos in vita mortali exegerit? 316
IV. An, & quando S. Petrus Romæ suam Cathedram Pontificiam erexerit, quótque annis eam tenuerit? 321
V. An S. Jacobus Hispaniarum primus Apostolus dici possit? 330
VI. An Petro Christi Vicario, aut Alteri Cephæ in faciem restiterit Paulus? 336
VII. An S. Clemens, aut S. Linus Petro in Pontificatu successerint? 341
VIII. An S. Clemens, Constitutiones, Canonésque Apostolicos collegerit, & tanquam genuina Apostolorum Decreta Ecclesiæ tradiderit? 344

REFLEXIONES AD LIB. II. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

REFLEX. I. De Causis Persecutionum, de acerbitate cruciatuum, & numero Martyrum. pag. 438
II. De Ortu, Progressu, & Interitu Millenariorum. 443
III. De Arcano Disciplinæ. 446
IV. An Christus Pascha ultimum, sive σαυρώσιμον celebrârit lunâ decimâ quartâ? 449
V. An Victor Pontifex Christianos in Asia, Pascha Lunâ decimâ quartâ more Judæorum celebrantes, excommunicârit? 457
VI. Scriptores sacri & Ecclesiastici in Sæculo secundo. 460

REFLEXIONES AD LIB. III. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

REFLEX. I. Quantâ Barbarie Gentiles in SS. Martyrum, cæterorúmque Christianorum pias exuvias desævierint? pag. 641
II. De Sepulturis Martyrum, Cœmeteriis, ac Catacumbis. 643
III. A quo tempore Primi Christiani habuerint Ecclesias publicas? 646
IV. Qualis fuerit habitus Clericorum in primis Sæculis? 649
V. De Pœnitentia, Quotuplex ea, & quàm rigida extiterit in prima Ecclesiæ ætate? 651
VI. Quas partes habuerit populus olim in Electione Episcoporum? 656
VII. An S. Cyprianus Primas Africanæ Ecclesiæ Appellationes ad Sedem Apostolicam improbârit? 659
VIII. An, & quo sensu Stephanus Pontifex contra S. Cyprianum, aliósque Orientis, & Africæ Episcopos definierit, nullos omnino Hæreticos rebaptizandos esse? 663
IX. An Rebaptizantes unà cum S. Cypriano ab Ecclesiæ communione fuerint separati? 666
X. An Epistolæ Decretales Primorum Pontificum sint genuinæ, aut suppostitiæ? 668
XI. De Præcipuis Scriptoribus Ecclesiasticis in Sæculo III. 672
XII. Quænam fuerit Doctrina, & Disciplina Ecclesiæ per tria Prima Sæcula?
§. I. De Doctrina genuina, & Apostolica Primorum Sæculorum. 676
§. II. De Disciplina nascentis Ecclesiæ. 679
§. III. De Conciliis, quæ per primam Sæculorum triadem de Doctrina, & Disciplina Ecclesiastica sunt celebrata. 681

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS

Sacræ & Civilis Hiſtoriæ, quæ hoc Tomo Primo comprehenditur.

Anni ante Æram Vulg.	Res geſtæ ante Æram Chriſtianam.	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
31	OCTAVIANUS CÆSAR poſt victum in pugna Actiaca Antonium aggreditur Imperium, pag. 65. 66. *Herodes Rex Judææ Hyrcanum occidit pag.* 210.	Auguſtus regnavit annis 44.	
30	Mors Antonii & Cleopatræ: Ægyptus in Provinciam redigitur pag. 67. *Herodes ab Auguſto in Regno ſtabilitur pag.* 211.		
29	Octavius triumphat toto triduo Romæ; decernit ex Concilio Mecænatis ſervare Imperium pag. 67. Claudit Jani templum pag. 68. *Mariamna conjux Herodis ad mortem damnatur pag.* 211.		
27	Diviſio & ordinatio fit Provinciarum ab Octavio, qui accipit nomen AUGUSTI, in Gallia cenſus deſcribitur pag. 68. & pag. 163. & 171. 176.		
26	Bellum Auguſti in Hiſpania pag. 70.		
25	Victoria Auguſti de Salaſſis Alpinis pag. 70. Galatia & Lycaonia fiunt Provinciæ Romanæ, Oratores Indi mittuntur ad Auguſtum, Julia Filia Auguſti Marcello datur in conjugem, Pantheon exſtruitur pag. 71.		
23	Marcellus moritur, pag. 71. Auguſtus Tribunitiam poteſtatem perpetuò ſumit, pag. 71. & p. 167.		
21	Auguſtus Agrippæ Juliam viduam ſecundo matrimonio jungit, p. 71. *Herodes reſtaurat templum Hieroſolymis, p.* 212.		
19	Virgilius Poëta moritur, p. 197.		
17	Auguſtus adoptat Cajum & Lucium filios Agrippæ & Juliæ, p. 71.		
15	Druſus & Tiberius Privigni Imperatoris ſubigunt Rhætos p. 72.		
12	Agrippa moritur in Campania, Tiberius ei ſurrogatus in Pannonia conficit bellum, Druſus præficitur Bello contra Germanos, p. 74.		
9	Mors Druſi, funus, ejúsque monumenta, p. 76.		
8	Tiberius ſubigit Sicambros & Suevos p. 77. Maroboduus cum ſuis Marcomannis in Bojohemum ſecedit p. 77. Clauditur Jani templum ibid. Mors Mecænatis & Horatii p. 137. & p. 77. *Incipit deſcriptio Cenſûs jubente Auguſto*, p. 305. & 307.		
7	*Annunciatur Zachariæ Sacerdoti Joannis Præcurſoris Nativitas*, p. 214.		
* * *	*Æra Vera Chriſti nati.*		
6	Tiberius Rhodum ſecedit, ubi ſeptem annis extra negotia Reipublicæ commoratur. *Nativitas JESU Chriſti Salvatoris* p. 217. & à pag. 301. ad p. 309.		
5	*Chriſti Circumciſio, Oblatio in templo* p. 218. *Adoratio Magorum* 219. *incipit laniena bimulorum* p. 220.		
4	*Herodis morbus, ejus crudelitas in viros Primarios, in filium Antipatrum & mors menſe Novembri* p. 221. *&* p. 303. *&* 304.		
3	*Diſceptatio filiorum Herodis coram Auguſto de Regni Succeſſione, Archelaus fit Ethnarcha p.* 222. *Chriſti reditus ex Ægypto p.* 223.		
2	Cajus Auguſti Nepos contra rebelles Armenos mittitur in Orientem pag. 78. & pag. 308.		
1	Victorias Caji de Parthis ſignant Numiſmata p. 309.		

Anni Æræ Christianæ.	SÆCULUM I. ÆRÆ CHRISTIANÆ SIVE DIONYSIANÆ.	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
1	Incipit annus primus Æræ Dionysianæ, CC. Cajo Cæsare & Æmilio Paulo p. 302. 303. 304. &c.		
2	Moritur Lucius Cæsar p. 79. Tiberius Rhodo Romam redit.		
3	- - - - - - - - -		
4	Mors Caji in Lycia, Adoptatio Tiberii, bellum in Germania p. 79.		
5	Motus Marobodui Regis Bojohemi p. 80.		
6	Tumultus Dalmatiæ & Pannoniæ, Res Gestæ Quintilii Vari in Germania p. 81. *Archelaus relegatur Viennam Galliæ* p. 223.		
7	*Christus ascendit in templum duodennis* p. 223.		
9. & 10	Quint. Vari Clades, p. 83. n. 47. Tiberius rem restituit, p. 83.		
11	Tiberius Romam reversus triumphat, assumiturque in Collegam Imperii, ex quo numerantur ejus anni Proconsulares pag. 312. 313. 314. & 315.		
12	Lustrum Romæ peragitur, motus Pannoniæ: ad quos componendos advocatur Tiberius, mors Augusti post annos 44. sui Imperii Monarchici		
14	p. 84. succedit TIBERIUS, pag. 85. Tumultus in Pannonia & Germania componuntur p. 86.	Tiberius	
15	Germanici (Drusi filii) Res Gestæ in Germania, & Victoriæ contra Arminium à p. 87. ad p. 89.	reg. an. 23.	
17	Antiochus Rex Comagenæ, & Philopator Rex Ciliciæ moriuntur p. 91. Mittitur in Orientem Germanicus, ut relicta regna in Provincias redigat, *ibid.*		
18	Bellum Germanorum contra Maroboduum Bojohemi Regem p. 92.		
19	Germanicus perit insidiis Pisonis p. 91.		
23	Sejanus eâdem arte occidit Drusum Tiberii filium p. 93.		
24	Tiberius Imperii curas abjicit, adit Capreensem Insulam, pag. 94.		
25	*Pontio Pilato Præfectura Judææ demandatur* p. 94. *quo tempore scilicet anno decimo quinto Tiberii Cæsaris, S. Joannes prædicare cœpit*, pag. 224. & pag. 310. & 311.		
26	*Baptismus Christi, cùm esset annorum quasi triginta*, pag. 225. & 309. *Primus annus prædicationis Christi.*		
27	*Alter annus, quo Christus vocatione Apostolorum, conversione peccatorum, & prodigiis inclaruit*, à p. 228. ad p. 232. *Mors S. Joannis* ibid.		
28	*Tertius Annus Prædicationis Christi, qui à panum multiplicatione, Petri Confessione, Transfiguratione Servatoris insignis fuit*, à p. 233. ad p. 236.		
29	*Quartus &* σταυρώσιμος *Christi annus* p. 237. *celebris à resuscitatione Lazari, ibid. Institutione Eucharistiæ* p. 238. & 239. & *Morte Christi* p. 241. & 316. 317. 319.		
	PETRUS *Christi Vicarius eodem anno cum cæteris eligit Matthiam, descendit Spiritus S. in Apostolos* p. 243. *Prima Persecutio Christi discipulorum* p. 244. *Diaconorum electio, Martyrium S. Stephani* p. 246. *S. Jacobus Primus Episcopus Hierosolymæ* p. 247.		*S. Petrus.*
30	Sejanus è summis honoribus ad infame rapitur supplicium p. 95. 249. & p. 318. *Philippus baptizat Samaritanos, Petrus & Joannes Baptizatis impertiunt Confirmationis Sacramentum* p. 247. *Baptismus Eunuchi Reginæ Candacis, Conversio S. Pauli* pag. 248.		
31	Exteræ gentes, Sarmatæ, & Parthi evastant Provincias Romanas, pag. 95. Frisones contra Romanos bellum gerunt pag. 96.		
32	*Paulus ubique prædicat Christum, frementibus Judæis* p. 249.		

Judæi

Anni Æ. C.	*Sæculum I. Æræ Christianæ.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
33	*Judæi insidiantur Paulo, hic fugit Damasco Hierosolymam, ubi cum Petro quindecim dies agit* p. 249. *Petrus* ANTIOCHIÆ *Patriarchalem sedem erigit* p. 250. & p. 326.		*Petrus Antiochiæ sedet 7. annis.*
34	*Conversio Cornelii Centurionis Primi è Gentilibus Christiani* p. 250.		
37	Tiberius moritur Misenæ in Campania pag. 96. cui succedit CAJUS CALIGULA pag. 97. Ejus Imperii bona initia ibid. & p. 78. *Agrippam Herodis Nepotem Cajus ob præstitam sibi fidem Tetrarchiâ donat.* p. 251.	Cajus Caligula reg. an. 3. mens. 10.	
38	Cajus in monstrum pervertitur, p. 98. ejus insania, & crudelitas, pag. 99. & 100. *Herodem Antipam qui Christo antè illuserat, in exilium ejicit Lugdunum* p. 251.		
39	Ludicra bella Caji ad Rhenum, pag. 100. *Pilatus Judææ Præses, qui Christum damnârat, exilio multatus, se ipsum interficit* pag. 251. *Cajus imperat dedicationem statuæ suæ in templo Hierosolymitano* p. 252. & 253.		
40	Caji jocularis bellandi ratio in Gallia p. 101. ridiculi triumphi ibid. *Apostoli post duodecim annos à Passione Christi, exeunt Judæâ in orbem terrarum, Petrus fundat* CATHEDRAM ROMANAM, pag. 254. & à pag. 322.... ad pag. 329. *S Jacobus eodem tempore abit in Hispaniam* p. 254. & à pag. 330. ad pag. 336.		*Petrus Pontifex Romanus sedet 25. annis.*
41	Conjuratio Chereæ in Cajum: Imperator in theatro occiditur p. 101. CLAUDIUS Caji Patruus surrogatur 102. & pag. 255. *Judæis & Christianis Romæ interdicitur agere conventus*, pag. 255.	Claudius reg. annis 13. 8. mens.	
42	Liberti Claudium suis molitionibus infatuant & pervertunt p. 104. Cæsaris Conjux Messalina turpissima fœmina & crudelis p. 105. *Petrus primam scribit epistolam, Marcus Evangelium: Varii labores Petri extra Romanam urbem* p. 256.		
43	Claudii bellum contra Britannos & Victoria pag. 105. & 106. *Fames ingens in Judæa, B. Jacobi Martyrium, Petri liberatio è carcere* p. 257.		
44	*Rex Agrippa Christianorum & Apostolorum Persecutor ab Angelo percussus moritur* p. 257. *redigitur Judæa in Provinciam* p. 258.		
45	*Paulus & Barnabas jubente Spiritu S. per* χειροτονίαν *ordinantur ad functiones Evangelicas* p. 258.		
46	*Elymæ Magi pœna*, Theclæ *conversio*, *p.* 258. *Paulus Lystræ lapidibus impetitur*, p. 259. *Cerinthi discipuli urgent Legalium observationem*, ibid.		
47	Ludi sæculares Romæ celebrantur p. 106. *Concilium ab Apostolis instituitur Hierosolymis de usu Legalium* p. 260. *Petrus post Synodum abit Antiochiam, ubi ei in faciem resistit Paulus* p. 261. & p. 337. *usque ad pag.* 341. *Motus in Judæa gliscentes Quadratus componit* p. 262.		
48	*Paulus se disjungit à Barnaba* p. 262. *circumcidit Timotheum* p. 263. *convertit Lydiam Purpurariam, sanat Pythonissam, carceri cum sociis traditur; & liberatur* p. 263. & p. 264.		
49	Judæi unâ cum Christianis Romana ex urbe ejiciuntur, jubente Imperatore p. 107.		

 Messali-

Anni Chron. Æ. C.	Sæculum I. Æra Christianæ.	Anni Impp.	Anni Pontif.
	Messalinâ ad mortem ob libidines damnatâ, Agrippinam neptem Claudius ducit in uxorem, lex ejus nefasta de nuptiis propinquorum p. 107.		
	Paulus prædicat in Areopago Athenis, pag. 264. *Convertit Dionysium & Damarim* pag. 265. *Apud Aquilam tabernaculis faciendis operam elocat. Stephanæ & Crispi Archisynagogi domum baptizat*, p. 265. *Primam scribit epistolam ad Thessalonicenses.* Ibid.		
50	Claudius prætermisso Britannico filio, Domitium Neronem privignum, & Agrippinæ filium adoptat in Cæsarem p. 108. Agrippina fundat Coloniam Ubiorum. *Ibid.*		
	Paulus alteram epistolam scribit ad Thessalonicenses, p. 266. *Lucas scribit Evangelium.* Ibid.		
51	Burrhus Prætorii præfectus, Seneca verò constituitur Præceptor Neronis pag. 108.		
	Paulus baptizat eos Ephesi, quos Baptismo Joannis tantùm Apollo lustraverat p. 267.		
	Energumenos dæmoniis Paulus liberat; pseudoexorcistarum pœna, confessio fidelium, p. 267.		
52	*Epistola Pauli ad Galatas*, p. 267. *Epistola ad Corinthios prima* p. 268.		
53	*Seditio Ephesiorum contra Paulum* p. 269.		
54	Agrippina insidiatur vitæ Imperatoris, eúmque veneno extinguit p. 109. Claudio succedit NERO, p. 110.	Nero reg. annis 13., 8. mens.	
	Paulus Philippis scribit epistolam ad Timotheum primam, p. 270. *subinde Nicopoli epistolam dat ad Titum, & secundam ad Corinthios* p. 271. *posteà Corintho scribit ad Romanos: ob insidias Judæorum redit in Macedoniam, Troade reddit vitæ Eutychum adolescentem; inde terrestri itinere pergit Syriam versùs, Ephesi valedicit Præpositis* p. 272.		
55	Agrippinæ matris insolentem animum non ferens Nero, eam in ordinem redigit, Britannicum occidit, pag. 111. & p. 112.		
	Ab Agabo prædicuntur vincula Paulo p. 272. *Paulus suscipit Hierosolymis ritum Nazaræorum: coram Felice Præside vinctus, contra Tertullum aliósque Judæos suam causam propugnat Cæsareæ*, pag. 273. & 274. *Provocat à Festi Tribunali ad Cæsarem*, p. 275.		
56	Nero variis se libidinibus mancipat p. 112.		
	Pauli iter Romam, ejus naufragium, ingressus in Romanam urbem pag. 275. & pag. 276. *Ex vinculis scribit ad Philippenses & Ephesios* p. 277.		
57	*Paulus anno secundo captivitatis dat epistolam ad Colossenses* pag. 277. *ad Philemonem*, p. 278. *ad Hebræos* p. 278. & 279.		
58	Poppæa pellex Neronis, & malorum multorum incentrix aulam ingreditur, pag. 112. & p. 113.		
	Paulus absolvitur vinculis, Lucas finem imponit Actibus Apostolorum p. 279.		
59	Nero matri Agrippinæ necem per insidias decernit p. 113. & tandem occidit p. 114 Scelera, quæ Romæ vigebant p. 114. Legatio Germanorum ad Neronem p. 115.		
	Martyrium S Jacobi Episcopi Hierosolymis p. 279. *ejus epistola canonica* p. 280.		
60	*Status Alexandrinæ Ecclesiæ sub Marco Patriarcha, hujus Martyrium* p. 281.		
61	Bunduicæ Britannorum Reginæ ardentissimum bellum contra Romanos p. 116.		

Burrhus

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum I. Æræ Christianæ.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
62	Burrhus Prætorii præfectus à Nerone veneno tollitur p. 118. Parthicum bellum infelici eventu suscipit Pætus, p. 117. repudiatur à Nerone Octavia p. 118.		
63	Corbulo rem Romanorum contra Parthos restituit, cujus facti iniquam tandem mercedem accipit à Nerone p. 118		
64	Nero succendit Romam, facinúsque in Christianos transfert, p. 119. & 120.		
	Persecutio Prima generalis Christianorum sub Nerone p. 120. p. 282. & 283.		
65	Conjuratio Pisonis in Neronem detegitur, trahuntúrque conscii ad supplicium, inter quos fuit etiam Seneca, p. 121. & 122. Poppæa conjux Neronis, ictu calcis afflicta ab eodem Nerone enecatur p. 122. variæ calamitates publicæ p. 123.		
	SS. Petrus & Paulus compinguntur Romæ in vincula, p. 283. *Petrus scribit secundam suam Epistolam. Paulus verò secundam ad Timotheum*, p. 285. *His peractis afficiuntur Martyrio*, pag. 286. & 329. *S. Petro in Pontificatu succedit immediatè* S. LINUS p. 286. & p. 341. *usque ad* p. 344.		*Linus sedit annis 2. m. 3.*
	Varia prodigia & omina futuræ cladis Hierosolymitanæ p. 286. & 287.		
66	Nero proficiscitur in Achajam, ubi ludicris se occupat p. 123.		
	Seditio Judæorum adversùs Florum crudelissimum Præsidem, & eorum bellum apertum contra Romanos p. 288. & 289. *Vespasianus bello Judaico à Nerone præficitur* p. 289. & 290.		
67	Julii Vindicis & Galbæ conjuratio in Neronis caput p. 124.		
	Martyrium S. Lini Pontificis p. 289. *succedit* CLEMENS.		
68	Redit ex Achaja Nero Romam, causam Neronis tuetur Virginius superioris Germaniæ præfectus, ast Nymphidii Prætorii præfecti insidiis ad fugam & necem Nero compellitur, pag. 125. 126. & 127. GALBA fit Imperator p. 128.	Galba reg. menses 7.	*Clemens. sedit ann. 10.*
	Vespasianus varia Judææ Castella expugnat p. 290. & 291.		
69	Legiones Superioris Germaniæ rebellant contra Galbam p. 130. OTHO Prætorianos concitat in cædem Imperatoris, sibíque Imperium rapit p. 131. VITELLIUS Coloniæ Ubiorum eodem anno proclamatur Augustus, qui fraude victum Othonem ad necem compellit p. 133. Vitellius Commessator crudelis p. 134. demum in Oriente VESPASIANUS ab exercitibus Cæsar deligitur p. 135. Bellum in Batavia contra Romanos p 137. 138. cædes Vitellii p. 136.	Otho. Vitellius. Vespasianus. reg. an. 10.	
	Hierosolymæ in factiones scissæ calamitosissimus status pag. 291.		
70	Civilis Dux Batavorum Romanas legiones vel capit vel vincit p. 138. & 139.		
	Cerealis Dux Romanorum rem Imperii restituit p. 139. & 140. Belli Batavici finis p. 141.		
	Titus Vespasiani filius obsidet Hierosolymam, & solo urbem & templum æquat pag. 292. 293.		
71	Vespasianus cum Tito filio de victis Judæis Romæ triumphat p. 144. & p. 294.		
	Judææ totius statuta desolatio completur p. 294.		
72	Vespasianus, Coloniis, alísque Provinciis auget Imperium p. 145.		
73	Josephus scriptor Judaicus suos libros de bello Judaico hoc anno incepit p. 200.		
75	*Cerinthus, & Ebion nefastas suas sectas propagant* p. 295.		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum I. Æra Christiana.*	Anni Impp.	Anni Pontif.
76	*Menander, Apollonius Tyanæus, suis præstigiis multùm incommodant Christianis* p. 296. *S. Clemens Pontifex his veteratoribus scriptis libris obsistit* p. 296. *&* p. 344. *usque ad* pag. 349.		
77	*Clementi Pontificatum abdicanti succedit* CLETUS.		*Cletus sedit ann. 6. mens.* 2.
79	Cæcinnæ & Marcelli conjuratio adversùs Vespasianum detegitur & punitur p. 145. Post Mortem Vespasiani pag. 146. TITUS ejus filius potitur Imperio ibid. Agricola multa castella Romanis adjicit in Britannia p. 147. Vesuvii incendium immane p. 148. Senioris Plinii mors. ibid. & p. 199.		
80	Incendium oritur validissimum Romæ, & pestis Italiam evastat p. 149.		
81	Titus Imperator moritur. ibid. DOMITIANUS frater in Imperio Successor p. 150.	Domitianus reg. annis 15.	
82	Domitiani ridiculum bellum contra Cattos, & non dispar Victoria p. 151.		
83	- - illustres Victoriæ Ducis Agricolæ in Britannia ibid. & p. 152. *Cleto succedit Pontifex* ANACLETUS, *hujus acta pro Ecclesia* p. 297. & 298.		*Anacletus sedit an. 12. m. 10.*
84	Domitianus ex invidia Agricolam è medio Victoriarum avocat p. 152.		
85	Arrogat sibi divinos honores p. 152.		
86	Ludorum Capitolinorum initium Romæ p. 153. Bellum Daci movent contra Romanos ibid. Decebali Dacorum Principis Victoriæ p. 154.		
87	Pax venditur Romanis ibid. insanus triumphus Domitiani ibid. ejus ferale convivium p. 155.		
88	Antonius Præfectus Superioris Germaniæ rebellat contra Domitianum p. 155. Sæculares ludi celebrantur Romæ 13. Septembris ibid.		
89	Domitianus abit cum exercitu in Germaniam contra Antonium p. 156. Antonius ex casu fortuito vincitur pag. 156.		
90	Domitiani crudelitas erga omnium ordinum viros & fœminas, & præcipuè adversùs Vestalem Virginem ibid.		
94	*Cæsar persecutionem secundam hoc tempore instituit in Christianos* p. 156. & p. 298.		
95	*Crescit acerbitas Persecutionis anno decimo quinto Domitiani Imperantis* p. 298. *Anacletus Pontifex Martyr occumbit, habètque Successorem* EVARISTUM p. 299. *S. Joannes Apostolus multa passus Romæ, relegatur in Pathmon, ubi scribit Apocalypsin* p. 299.		*Evaristus sedit annis 13. mens. 7.*
96	Conjuratio contra Domitianum pag. 157. ejus cædes p. 158. surrogatur à conjuratis COCCEJUS NERVA p. 159. feliciter regnat p. 160. *Pax redditur Ecclesiæ. S. Joannes redit Ephesum ex exilio, ubi Evangelium scribit* p. 300.	Cocceius Nerva reg. 16. menses.	
97	Nerva adoptat Ulpium Trajanum in Cæsarem p. 161. & p. 352.		
98	Post mortem Nervæ Imperatoris, TRAJANUS Coloniæ capit Imperium. p. 352. Tacitus Historiographus scribit librum de moribus Germanorum p. 400.	Trajanus reg. an. 19. & m. 6.	
99	Trajanus ex Germania Romam inter plausus populi ingreditur. p. 353. Plotinæ conjugis ejus moderatio ibid. Imperatori *Optimi* nomen tribuitur. p. 354. Cæsaris cura erga orphanos, severitas ejus adversùs delatores. ibid.		
100	Trajanus antequàm tertium adiret Consulatum, juramentum pronuntiat palàm more privatorum Consulum. p. 356. Adrianus posteà Imperator Juliam Sabinam neptem Trajani ducit uxorem. Cornutus Tertullus, & Plinius Junior mense Septembri Honorarii Consules creantur,		

Anni Chron. Æ.C.	*Sæculum I. Æra Christiana.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
	antur, hic gratitudinem suam Trajano testaturus eo tempore Panegyricum dixit, qui adhuc extat. p. 356. & p. 400.		
	Tertia incipit Persecutio Christianorum, Martyrium S. Clementis pag. 403. *& placida mors S. Joannis* p. 404.		
	SÆCULUM II. ÆRÆ CHRISTIANÆ.		
101	Bellum Trajanus suscipit contra Decebalum Dacorum Regem, ejus Victoria & triumphus p. 357.		
103	*Plinius præficitur Bithyniæ, ubi acriùs Christianos exagitat* p. 404.		
104	*Idem post occisos multos Martyres scribit epistolam apologeticam pro Christianis ad Imperatorem, qui respondit, non inquirendos Christianos, sed, si deferantur, puniendos* p. 404.		
105	Decebalum in novos motus æstuantem altero bello persequitur Trajanus, & occiso hoste Daciam in Provinciam redigit p. 358. Imperator multas in Mysia & Thracia urbes erigit ibid. Arabia Petræa subigitur, & secundus solennior Triumphus Romæ de Dacis victis celebratur p. 358.		
106	Trajani columna Romana in urbe erigitur p. 358. Imperator eodem anno Româ in Orientem contendit, ibique Parthis bellum intentat p. 359.		
107	Parthamiseris regiâ dignitate spoliatur à Trajano, Regnum Armeniæ in Provinciam, vicini populi in potestatem Romanorum rediguntur p. 359.		
	Symeon Hierosolymorum Episcopus, ultimus, qui Christum in carne viderat, cruci affigitur p. 405. *S. Ignatius Antiochiæ Præsul à Trajano damnatur ad bestias* p. 405. *deducitur Romam, ejus variæ epistolæ* p. 407. *Martyrium & Reliquiæ* p. 408.		
108	*S. Evaristus Pontifex moritur 26. Octobris, succedit* S. ALEXANDER p. 408.		*Alexander sedit ann. 8. m. 2.*
114	Trajanus ad novum bellum contra Parthos se accingit p. 360.		
115	Ingens terræ motus Antiochiam (ubi tunc erat Imperator) labefactat p. 360. Trajani victoriæ in Oriente ibid.		
116	Trajano longiùs ad sinum Persicum ac Oceanum penetrante, subacti populi denuò rebellant p. 360. & 361. Redux Imperator domat rebelles p. 361.		
	Alexandro Pontifice per Martyrium sublato sufficitur S. SIXTUS. *Eodem tempore variarum Ecclesiarum Episcopi Martyrio coronantur.* p. 409. *Floruit quoque tunc Papias Hierapolis Episcopus* p. 409 *Hic dedit occasionem erroris, qui Millenariorum dicitur* p. 409. & p. 443. & 444.		*Sixtus sedit ann. 10. m. 2.*
117	Trajanus post infelicem Agaræ obsidionem Ethnicus moritur p. 361. ac vel inde finè spe salutis p. 362. ÆLIUS ADRIANUS creatur Imperator, qui ad redimendam pacem Provincias à Trajano partas abdicat p. 364.	Adrianus reg. ann. 21.	
	Hæreses Saturnini, Basilidis, Carpocratis, & Gnosticorum serpere incipiunt p. 410. & 411.		
118	Adrianus remittit aurum coronarium p. 365.		
119	Bellum Sarmatarum & Roxolanorum, à quibus pacem Cæsar emit p. 365.		
120 121	Imperator peragrat Romanas Provincias, Galliam, Britanniam, Hispaniam &c. p. 365. Orientem p. 366.		

Adria-

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum II. Æra Christiana.*	Anni Impp.	Anni Pontif.
124	Adrianus Athenis se Eleusinis sacris initiari facit p. 366.		
125	*Acerbiùs hoc anno exagitantur Christiani. Post Sixti Pontificis Martyrium sedere incipit* TELESPHORUS p. 412.		*Telesphorus sedit an. 11. m. 3.*
126	Adrianus per Siciliam Romam redit p. 366. Indéque denuò abit in Provincias. *Cæsari ab Aristide & Quadrato Apologiæ offeruntur pro Christianis* p. 413. *Persecutionis æstus cessat* ibid.		
132	*Cæsar evulgat Edictum contra Judæos, quo eos ab aditu Hierosolymæ proscribit* p. 413.		
134	Judæi rebellant sub Duce Barcochabo; sed subiguntur p. 367.		
136	Finis seditionis Judaicæ, quæ ferè tribus annis duravit; Judæorum 580. Millia eo tempore periisse dicuntur p. 367. *Aquila Ponticus Hebræa Biblia transfert in Græcam Linguam* p. 414. *& multa corrumpit,* ibid. *Celsi Epicuri maligna scripta contra Christianos* p. 414.		
137	Adrianus incidit in morbum, & adoptat L. Ælium Verum p. 368. *Telesphorus Pontifex Martyrio afficitur, locum ejus occupat* S. HYGINUS p. 415.		*Hyginus sedit an. 4.*
138	Moritur Ælius Verus, quare Imperator Cæsarem creat Antoninum, qui protinus jubetur sibi adoptare Annium Verum, & Marcum Antoninum p. 368. Mortuo Adriano Imperium capessit ANTONINUS, dicitúrque à Senatu PIUS p. 369. *Romam veniunt Valentinus, & Cerdon Hæresiarchæ* pag. 415. 416.	Antoninus regn. an. 22. m. 7.	
140	*In Populari Persecutione multi Martyres cæduntur* p. 417.		
141	Faustina uxor Antonini moritur p. 370. *Hyginus Pontifex mortali vitâ solutus sedem relinquit vacuam* p. 417. *Marcion excommunicatus à Parente (Episcopo Ponti) Romæ frustra orat communionem à Clero* p. 418. *fit discipulus Cerdonis* ibid. PIUS *Pontifex.*		*Pius sedit ann. 10. m. 4.*
148	*Christianis invidiam conflant HH. immania scelera* p. 419.		
150	*Justinus Apologiam pro Christianis tradit Antonino* p. 419. *pax Ecclesiæ data* p. 420.		
151	*Moritur Pius Pontifex, & Caput Ecclesiæ constituitur* ANICETUS p. 421.		
152	Britannorum tumultus restinguit Lollius Dux Romanus p. 371.		
153	Imperator Mauros rebellantes cogit ad pacem petendam p. 371.		
154	Legati exterorum Regum pro concilianda amicitia Antonini properant Romam p. 371.		
155	Floret Ptolemæus Astrologus, natione Ægyptius p. 402.		
156	Antoninus agit arbitrum in Causa Regùm exterorum p. 371.		
157	*S. Polycarpus Romam venit; qui cum Aniceto Pontifice tractat de tempore Paschatis celebrandi* p. 421.		
158	*Multi è Valentini Secta per S. Polycarpum Romæ ad Ecclesiam reducuntur* p. 421. *Marcionem Idem Sanctus confundit* ibid. *Hegesippus eodem tempore Romam venit, testatúrque de uniformitate doctrinæ in cunctis à se visis Ecclesiis* p. 421.		
159	Hoc tempore floruit Justinus Historicus p. 402.		
160	*Valentinus Hæresiarcha hoc anno moritur.*		

Anto-

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum II. Æra Christiana.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
	Antoninus fert legem, ne liceat adultero viro accusare adulteram uxorem p. 370. not. 4.		
161	Imperator Antoninus vitâ cessit septimâ Martii p. 371. Succedit MARCUS AURELIUS ANTONINUS cognomento Philosophus, qui adsciscit sibi Collegam LUCIUM ÆLIUM VERUM ANTONINUM: inde Divi Fratres vocati p. 373.	Marcus Aurelius regn.	
	Crescens Cynicus maledicentiâ suâ perstringit Christianos p. 422. *Persecutio quarta Ecclesiæ sub Marco Aurelio* ibid. *S. Anicetus Pontifex Martyr* SOTERI *Sedem relinquit* p. 424.	an. 19. & Luc.	
162	Parthico bello Lucius Verus præficitur p. 373. Lucii vitia ibid.	Verus	*Soter sedit ann. 9.*
	Athenagoras scribit Apologiam pro Christianis p. 423.	reg. an.	
163	M. Aurelius Romæ optimis legibus Rempublicam gubernat p. 374.	8.	
164	Duces Romani feliciter Bellum Parthicum conficiunt, ibid.		
165	Lucio nomen Parthici adjicitur, Marcomanni bellum intentant Romanis p. 375.		
166	Marcus Aurelius & Lucius Verus Romæ de Parthis triumphant p. 374. Uterque Cæsar ex urbe movet contra Marcomannos p. 375.		
	S Polycarpi Martyrium p. 424.		
167	Germaniæ Gentes orant pacem à Cæsaribus, p. 375.		
	Altera Apologia Justini, ejúsque Martyrium p. 424.		
168	*Soter Pontifex Eleemosynas mittit Ecclesiis egentibus & fratribus ad metalla damnatis* p. 424.		
169	Mors Lucii Veri 375. ingens lues depascitur Provincias p. 376.		
170	Ad bellum alterum Marcomannicum paratus fiunt p. 376.		
	Merito Episcopus Sardianus Apologiam tradit M. Aurelio p. 425. Soter *Pontifex ad cœlestem Patriam transit, succedit* ELEUTHERIUS ibid.		
171	Bello Marcomannorum quadriennium impenditur p. 376.		*Eleutherius*
174	Aurelius à Quadis inclusus, & ferè victus servatur per preces Christianorum, qui pluviam, & fulmina adversùs hostes impetrant pag. 376. & 377.		*sedit ann. 15.*
	Imperator publico edicto cavet, nè quis persequatur Christianos p. 426.		
175	Cassius rebellat contra Cæsarem Marcum p. 337. Cassii cædes p. 378. Mors Faustinæ Augustæ p. 378.		
	Variæ Hæreses grassantur, Encratitarum p. 426. *Montanistarum* 427. *Bardesanis, Ascondrytarum, & Archonticorum* p. 428.		
176	M. Aurelius filium Commodum sibi Imperii Collegam adjungit p. 378. Cúmque eo de Marcomannis triumphat p. 378. & 379.		
177	*Christianorum Persecutio recrudescit* p. 428. *Præsertim in Gallia*, ibid.		
	Apologia Apollinaris p. 429.		
178	Bellum in Germania novum p. 379.		
	Irenæus post Photinum Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus oppugnat errores Blasti p. 428.		
180	Victoriæ M. Aurelii de Germanis p. 379. & ejus mors ibid. succedit COMMODUS, qui bellando fessus, pacem dat hostibus p. 380.	Commodus	
181	*Legati Britonum ad Eleutherium Pontificem veniunt, & instrui in fide rogant* p. 429. & 430. *Pax Ecclesiæ datur sub Commodo* p. 430.	regn. ann. 12.	
182	*Irenæus Hæreticorum variorum Sectas confundit editis libris* p. 431. *Incrementa magna adjiciuntur Ecclesiis* ibid.	m. 9.	

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum II. Æræ Christianæ.*	Anni Impp.	Anni Pontif.
183	Lucilla Soror Commodi, contra Cæsarem conjurationem molitur, quæ detecta punitur p. 381.		
184	Perennis Minister Commodi, Palatium vitiis implet. p. 381.		
185	*Eleutherius Pontifex moritur, surrogatur* S. VICTOR.		*Victor sedit ann. 12. m. 1.*
168	Perennis flagitiorum ergo occiditur, Cleander æquè sceleratus aulæ præficitur p. 382.		
187	Maternus miles conjurat contra Cæsarem, & occiditur p. 382. Pestis Italiam affligit. Ibid.		
189	Populus deposcit à Cæsare necem Cleandri p. 382.		
190	Crudelitate, & insaniâ se Domitianus invisum reddit p. 383.		
192	Marcia Cæsaris Concubina, & Lætus conjurant in necem Commodi, ibid. Commodus à suis per insidias enecatur, sub finem Decembris p. 383.		
193	ÆLIUS PERTINAX in Imperatorem 1mâ Januarii deligitur, quamvis invitus, p. 384. 385. & eodem anno 28. Martii à seditiosis militibus occiditur p. 386.	Ælius Pertinax.	
194	Sufficitur DIDIUS JULIANUS, qui post 65. dies decimâ Junii pariter trucidatur p. 388. Tertius hoc anno Imperator fuit SEPTIMIUS SEVERUS p. 387. Pugnat contra PESCENNIUM NIGRUM Imperii Æmulum ibid. CLODIUM ALBINUM Collegam assumit p. 388.	Didius Julianus. Severus regn. ann. 17. m. 8.	
196	*Inter Victorem Pontificem atque Asiaticos agitur controversia de paschatis celebrandi tempore*, p. 432. *Variæ Synodi eâ super re instituuntur*, p. 433. & 434. *Victoris sententia contra Asiaticos* p. 434. & p. 457. *usque ad pag.* 460.		
197	Victoria Severi contra Albinum prope Lugdunum p. 389. *Tumultuantur contra Ecclesiam HH. Praxeas* p. 438. *Patropassiani* p. 436. *Theodotion, Melchisedechiani* p. 436. *Moritur Pontifex Victor, succedis* ZEPHYRINUS.		*Zephyrinus sedit ann. 10. m. 11.*
198	*Persecutiones populares Christianorum* p. 567. Severus denuò abit ad bellum Parthicum p. 469. Caracalla Augustus dicitur Ibid.		
199	Geta alter filius Severi creatur Cæsar p. 469. infelix obsidio urbis Atræ. *Ibid.*		
200	*Saturninus Proconsul Africæ Primus palàm Christianos persequitur* p. 568. *Tertullianus scribit Adhortationem ad Martyres.* Ibid. *Eodem anno componit librum de Bono Martyrii contra Gnosticos* p. 567.		
	SÆCULUM III. ÆRÆ CHRISTIANÆ.		
201	*Tertullianus scribit Apologiam* p. 568.		
202	Severus sub pœna capitali prohibet, ne quis ad Judæorum, aut Christianorum Religionem transeat p. 469. & p. 569. Jus curiæ dat Alexandrinis p. 470. *Leonides Origenis Pater Martyr* p. 570. *Persecutio Quinta Ecclesiæ* p. 571.		
203	Plautianus, ad maximos aulæ honores subvehitur p. 471. fit socer Caracallæ ibid.		

Origi-

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum III. Æræ Christianæ.*	Anni Impp.	Anni Pontif.
	Origenes docet Grammaticam, dein instituit Catechumenos Alexandriæ p. 572. *Se ipsum Eunuchum facit* p. 573.		
204	Plautianus è summo apice ad imum supplicium rapitur p. 471. Ludi sæculares Romæ p. 472. Florent JCti Papinianus, Paulus & Ulpianus ibid.		
205	*Origenes Discipulos suos ad fortia Martyria animat,* pag. 572. *Tertullianus deficit ad Montanismum* pag. 574. *Labitur in alios errores* pag. 576. & 577.		
206	*Martyria illustria Perpetuæ & Felicitatis, Rutilii &c.* p. 577.		
207	Rebellant Mæatæ in Britannia contra Romanos p. 473.		
208	Severus cum Filiis Caracalla & Geta ad Britannicum bellum abit p. 473.		
209	Variæ, & ingentes clades Romanorum in Britannia p. 474.		
210	Severi Magnanimitas, & Victoriæ adversus Britannos, ibid.		
211	Imperator mœrore ob scelera filiorum concepto moritur Eboraci in Britannia p. 475. Succedunt CARACALLA & GETA qui inter se diffident p. 476.	Antoninus Caracalla regnat	
	Florent Romæ Cajus & Minutius Felix, Origenes invisit Ecclesiam Romanam, Narcisso Hierosolymorum Episcopo Coadjutor datur Alexander p. 580.	ann. 6. m. 2.	
	Origenes Ambrosium quendam convertit è Valentini sectâ, ibid.		
212	Caracalla fratrem Getam in sinu matris occidit p. 476.		
213	Caracalla agit in Gallia, indéque Romam refert indumenti genus, à quo dictus est Caracalla p. 478.		
214	Bellum Cæsaris cum Alemannis p. 478., fictæ Caracallæ Victoriæ p. 479.		
215	Bellum Caracallæ contra Gothos p. 479.		
216	Cæsaris perfidia erga exteros Reges Osrhœnorum, & Armeniorum p. 479. Alexandriæ Imperator cruentam civium edit stragem. p. 480.		
	Origenes Cæsareæ concionatur, improbante id Alexandriæ Episcopo Detrio p. 581.	Macrinus	
217	Fœdâ morte tollitur Caracalla octavâ Aprilis p. 481. MACRINUS creatur Imperator, hujus bellum infelix contra Parthos p. 482. *Moritur hoc anno Zephyrinus Pontifex, habétque Successorem* S. CALLISTUM pag. 582.	reg. m. 14. Heliogabalus	*Callistus sedit*
218	Occiso Macrino, ejúsque filio Diadumeno HELIOGABALUS agnoscitur Imperator p. 483. & 484.	regnat ann. 5.	*ann. 10. m. 2.*
219	Muliebris Cæsaris Gubernatio, ejúsque erga Idolum suum superstitio p. 485.	Alexander	
221	Heliogabalus adoptat Alexandrum p. 485.	regnat	
222	ALEXANDER trucidato Heliogabalo succedit in Imperio p. 486. Operâ Mammeæ matris prudenter & benè regnat pag. 487. & 488.	ann. 13.	
	Moritur Callistus Pontifex eique surrogatur URBANUS p. 583.		*Urbanus sedit*
223	Concidit Regnum Parthorum, surgítque novum Regnum Persarum p. 488.		*an. 7. m. 7.*

 Varia

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum III. Æra Christiana.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
224	Varia bella Persarum contra Orientales & Romanos p. 489.		
228	*Origenes à Theoctisto Cæsareæ Episcopo initiatur Sacerdotio* p. 583.		
229	Artaxerxes Rex Persarum subjugat Mediam, imminétque propiùs Provinciis Romanis.p. 489. *Origenes accusatur à Demetrio Alexandriæ Episcopo de Sacerdotio foris suscepto, & expellitur Alexandriâ* p. 584.		
230	Romani difficile bellum experiuntur ab Artaxerxe p. 489. *Origenes recipitur à Theoctisto Cæsareæ, & Alexandro Hierosolymorum Episcopis, damnatur contrà in Synodo Alexandriæ, & deponitur* p. 584. *Moritur Urbanus Pontifex, succedit* PONTIANUS.		*Pontianus sedit ann. 5. m. 3.*
231	Alexander Imperator cum matre abit in Syriam contra Persas p. 489. *Origenes magno in honore etiam exul à quibusdam Episcopis habetur* p. 585.		
232	Victoria Alexandri de Persis p. 489. *Moritur Demetrius* p. 585. *Gregorius Thaumaturgus & frater ejus Athenodorus discipuli Origenis* p. 586.		
233	Germani evastant Gallias, aliásque Provincias Romanas, quare Alexander avocatur ab Oriente p. 489.		
234	Alexander peracto Romæ triumpho pergit in Galliam & ad Rhenum contra Germanorum irruptiones pag. 490.		
235	Alexander operâ Maximini occiditur in castris prope Moguntiam decimâ quartâ Martii p. 490. Imperiam rapit Maximinus p. 491. *Persecutio sexta Ecclesiæ sub Maximino qui in Clerum maximè sæviit, Pontianus Pontifex in hac clade occumbit, succedit* ANTERUS p. 586. & p. 587.	Maximinus regn. ann. 2.	*Anterus sedit mens. 1.*
236	Imperator Maximinus populatur Germaniam p. 492. aliáque crudelitatis genera in suos exercet p. 491. FABIANUS *divinitùs eligitur in Caput Ecclesiæ* p. 587. *Origenes hoc tempore componit Hexapla* p. 587. & 588.		*Fabianus sedit ann. 14.*
237	GORDIANUS SENIOR unà cum FILIO in Africa salutatur Imperator p. 493. sed eodem quoque anno morte sublati sunt. Ibid. CLODIUS PUPIENUS & CÆLIUS BALBINUS succedunt Gordianis p. 494.	Gordiani duo. Clodius Pupien. & Balbinus reg ann. 1.	
238	Maximinus Aquilejam obsidet p. 494. Cædes Maximini ibid. interitus Pupieni & Balbini p. 495. GORDIANUS III. Junior Augustus dicitur. *Ibid.*		
239	Gordianus Junior sub tutela matris, & dolosâ aulicorum directione p. 496.		
240	Persæ affligunt Provincias Romanas p. 496.	Gordianus III. regn. ann. 6.	
241	Antequàm ad Bellum Persarum movet Gordianus, Tranquillinam Misithei filiam in uxorem ducit ibid.		
242	Victoriæ insignes Gordiani contra Saporem Regem Persarum p. 497.		
243	Moritur Misitheus socer Cæsaris, & fortunæ ejus arbiter, in ejus locum Philippus Arabs Prætorio præficitur p. 497.		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum III. Æræ Christianæ.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
244	Gordianus insidiis Philippi Arabis proditur, & occiditur mense Aprili p. 497. & 498. Parricida PHILIPPUS succedit, non fuit Christianus pag. 546. & 547. & 549. *S. Gregorius Thaumaturgus ordinatur Neocæsareæ Episcopus* p. 589. *Ejus symbolum & miracula* p. 590.	Philippus regnavit ann. 5. m. 4.	
245	Philippus fundat Philippolim in Arabia, ejus bellum cum Carpis seu Gothis p. 499. *Tertullianus in sua hæresi moritur* p. 589.		
246	*Origenes scribit contra Gentiles & HH. & permittit, ut ejus Homiliæ à Notariis excipiantur* p. 591.		
247	Post exactos mille annos Romanæ urbis Philippus celebrat ludos sæculares p. 499. Philippus Junior Augustus dicitur. *Origenes Hæreticos Elcesaitas superat* p. 591.		
248	Syria novum Cæsarem sibi creat Jotapianum, Pannonia verò Marinum. p. 500. *S. Cyprianus eligitur post Donati mortem Carthaginensis Episcopus.* p. 592. *Persecutio popularis Christianorum Alexandriæ* p. 593. *Alexander Carbonarius Episcopus Comanæ.*		
249	DECIUS ab exercitu Illyrici salutatur Imperator, occiditur Philippus cum filio circa mensem Julium, p. 500. * *Status funestus Ecclesiæ, Persecutionis Septimæ initia sub anni hujus finem*, p. 594.	Decius regn. an. 2. m. 5.	
250	*Aucto Persecutionis æstu lapsorum ingens extitit numerus* p. 595. *Martyrium S. Fabiani Pontificis Romæ 20. Januarii* p. 596. *Persecutio invalescit in Africa* p. 597. *S. Cyprianus Carthagine, S. Gregorius Neocæsareâ, S. Dionysius Alexandriâ providâ fugâ excedunt* p. 598. *Paulus Eremita desertum petit* ibid. *Martyrum multitudo* p. 599. *quorum dies pro cultu publico notantur jubente Cypriano* p. 600. *Libelli Martyrum* p. 601. *Eorum abusus* ibid. & 603. *Epistolæ variæ S. Cypriani* ibid. *Disciplinæ rigor circa lapsos* p. 602. *Providentia S. Cypriani circa moribundos* p. 603.		*Sedes vacat ann. 1. m. 4.*
251	Decius filium creat Augustum, proceditque ad bellum Gothorum, in quo perit exeunte Novembri p. 500. 502. & 503. Succedit VIBIUS GALLUS TREBONIANUS, qui à Gothis turpem pacem emit p. 503. *Schisma Felicissimi & Novati* p. 604. & 605. *Electio* CORNELII *Pontificis mense Junio* p. 606. *Novatianus Primus Antipapa,* p. 607. *Ejus schisma in hæresin desinit* p. 608. *Finis persecutionis* p. 609.	Trebonianus regn. an.	*Cornelius sedit anno 1.*
252	Pestis Europam evastat; p. 503. Barbari in Imperium undique irrumpunt p. 504. *Cyprianus componit librum de unitate Ecclesiæ* p. 610. *Synodus Capsensis de lapsis* p. 611. *Synodus Carthag. II de lapsis.* ibid. *Schisma Fortunati* p. 612. *Martyrium Cornelii Pontificis* p. 613. *Post quem* LUCIUS *per septenos menses Ecclesiæ præsidet* ibid.		*Lucius sedit m. 7.*

 Occiso

Anni Chron. Æ. C.	*Saeculum III. Æra Christiana.*	Anni Impp.	*Anni Pontif.*
253	Occiso Treboniano regnat ÆMILIANUS p. 504. Cui pariter interfecto surrogatur VALERIANUS p. 505. Qui Gallienum filium in Collegam Imperii assumit p. 506. *Origenes moritur* p. 615. *Pax Ecclesiæ datur à Valeriano* p. 616. *Cyprianus scribit librum de mortalitate* p. 614. *Mors Lucii Pontificis, cui succedit S.* STEPHANUS p. 613.	Æmilianus Valerianus & Gallienus regn. a. 7.	- *Stephanus sedit an. 4, m 2.*
254	*Basilides & Martialis duo è lapsis Episcopis obrepunt Pontifici* p. 616. Francorum initia, & bella contra Romanos p. 506.		
255	*Incepit hoc anno controversia inter Stephanum & Cyprianum de Baptismo HH.* p. 616. *Prima Synodus in eadem causa celebrata à Cypriano* p. 618.		
256	Ingenuus Tyrannus in Illyrico comprimitur p. 506. *Cyprianus scribit libellum de bono patientiæ, Concilium II. à Cypriano de Baptismo celebratum, cujus synodica mittitur ad Stephanum Pontificem* p. 619. *Stephani sententia* ibid. *Tertium Concilium in eadem causa à Cypriano coactum* p. 619. & 620. *Firmiliani acris epistola* p. 620.		
257	*Macrinus homo nefarius Valeriano persuadet persecutionem Ecclesiæ, quæ fuit octava,* p. 507. & p. 621. *Martyrium S. Stephani, cui succedit* SIXTUS II. *S. Dionysius Alexandrinus exul, Lybiæ populos à Sabellii hæresi reducit* p. 622. *S. Cyprianus expellitur in exilium Curubim* p. 623.		*Sixtus sedit m. 11.*
258	Valerianus Byzantii agit cum exercitu, dum Persæ Provincias Romanas diripiunt p. 507. Borani Trapezuntem expugnant p. 507. *Novum prodit edictum contra Christianos, Martyria S. Sixti Pontificis, & S. Laurentii* p. 622. *S. Cypriani* p. 623. *Lapsus Sapricii* p. 624. *Dionysius Alexandrinus scribit contra Sabellium* p. 625.		
259	Barbari Scythæ, & Borani Nicomediam & Nicæam, aliásque regiones Asiæ expilant p. 507. Pestis per orbem grassatur p. 508. *S. Dionysius* 22. *Julii eligitur in Pontificem, apud quem Dionysius Alexandrinus de doctrina accusatur* p. 625.		*Sedes vacat an. 1.*
260	Macrinus prodit Sapori Valerianum 508. Hujus capti Cæsaris turpis servitus *ibid.* Alemanni Galliam, Juthungi Italiam evastant p. 509. Postumi operâ occiditur Cornelius Valerianus Gallieni filius p. 510. Varii Tyranni Imperium inter se dividunt pag. 509. Sapor Rex Persarum Antiochiam, Tarsum, Cæsaream crudelissimè subigit p. 510. Odenatus Princeps Palmyræ Persas repellit p. 510. S. *Dionysius Alexandrinus redit ab exilio. Paulus Samosatenus post Demetrianum fit Episcopus Antiochiæ* p. 627.	Gallienus solus reg. an. 9.	*Dionysius sedit an. 10, m. 5.*
261	Alii Tyranni Imperii Provincias sibi rapiunt p. 511. Irruptiones Gothorum *ibid.* *Dionysius Alexandrinus Apologiam scribit ad Pontificem pro sua doctrina* p. 626.		
262	Gallienus ridiculè triumphat Romæ de Persis p. 511.		
263	*Paulus Samosatenus incidit in hæresin, contra quem scribit Dionysius Alexandrinus* p. 627.		
264	*Prima Synodus Antiochena contra Paulum Samosatenum* p. 628.		
265	Tyranni, Scythæ, Persæ affligunt Provincias Romanas p. 512.		

Franci


Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum III. Æra Christiana.*	Anni Imper.	*Anni Pontif.*
266	Franci & Gothi Occidentem & Daciam expilant p. 512. Quo tempore creduntur primò fidem Christianam accepisse.		
267	Novi Tyranni, eorúmque molitiones p. 512.		
268	Gallienus prope Mediolanum occiditur p. 513. Succedit CLAUDIUS II.	Claudius II. regn. an. 2.	
269	Claudius vincit Barbaros p. 514. Zenobia Orientis Regina, Vidua Odenati subigit Ægyptum p. 516.		
	Concilium alterum celebratur Antiochiæ contra Paulum Samosatenum p. 629. *Mors Firmiliani Episcopi Cæsareæ, Gregorii Thaumaturgi & Dionysii PP. cui succedit* FELIX p. 629.		*Felix sedit an. 5.*
270	Claudius Barbaros & Gothos includit intra fauces Montis Hæmi, ex cæsorum corporibus oritur pestis, quâ Imperator conficitur p. 514.		
	Succedit frater ejus QUINTILLUS p. 514. Quo mox occiso regnare solus incipit AURELIANUS p. 515. Victoria ejus contra Gothos in Pannonia p. 515. Cædit Marcomannos in Rhætia, & vicissim ab iis in Italia affligitur. *Ibid.*	Quintillus Aurelianus regn. a. 4. m. 9.	
	S. Antonius tradit suam sororem Parthenoni, & Asceticæ vitæ initium facit p. 630.		
271	Aurelianus reparat mœnia Urbis Romanæ pag. 516.		
272	Zenobia ab Aureliano multis præliis superatur p. 516.		
	Paulus Samosatenus ope Aureliani Imperatoris ab usurpato Episcopatu expellitur p. 630.		
273	Zenobia prope Palmyram capitur ab Aureliano p. 518. Legationes Regum ad Aurelianum *ibid.* Firmius Ægypti Tyrannus occiditur *ibid.* Triumphus Romæ p. 519.		
	Incipit Persecutio nona Ecclesiæ sub Aureliano p. 631.		
274	Monetariorum seditio Romæ p. 520. & alia bella Aureliani *ibid.*		
	Mors Felicis Pontificis, succedit EUTYCHIANUS.		*Eutychianus sedit ann. 8. m. 11.*
275	Aurelianus Mnesthei insidiis interficitur p. 520. vicesimâ quintâ Septembris tandem eligitur TACITUS Imperator.	Interregnum m. 8.	
276	Taciti expeditio in Scythas, ejúsque obitus p. 522. *Florianus* se Cæsarem facit in Asia, & PROBUS in Oriente p. 522. Florianus a suis occiditur post regnum 60. dierum. *Ibid.*	Probus regn. a. 6.	
277	Probus ad Rhenum contra Germanos primam expeditionem aggreditur p. 523. Ejus victoriæ. *Ibid.*		
	Origo Hæreseos Manichæorum p. 632. 633. & 654.		
278	Francorum audax navigatio p. 524.		
279	Probi bellum contra Mauros, Persas, reditus ejus Romam & triumphus p. 524.		
	Hoc anno Chronotaxis Baronii incipit concordare cum æra nostra vulgari p. 635. not. 12.		
280	Seditio Proculi & Bonosi in Gallia p. 524. & 255.		
282	Mors Probi prope Sirmium p. 525. CARUS ei subrogatur.	Carus regn. a. 2.	
283	Carus *Carinum* filium mittit in Galliam contra Francos, ipse Imperator cum altero filio *Numeriano* movet contra Sarmatas p. 525. Ejus Victoriæ, & mors p. 526. Post Patrem Carinus & Numerianus filii regnant novem mensibus moritur hoc anno Pontifex Eutychianus die septimâ Decembris, habétque Successorem S. CAJUM.		*Cajus sedit an. 12. m. 4.*

DIOCLE

Anni Chron. Æ.C.	*Sæculum III. Æræ Christianæ.*	Anni Imper.	*Anni Pontif.*
284	DIOCLETIANUS ab exercitu eligitur 17. Septembris Imperator post *Numeriani* mortem p. 526. Inde Æra Diocletiana sumit initium p. 527. *Ecclesia pace fruitur* p. 635.	Diocletianus regn. a. 21.	
285	Carinus alter Cari filius vincit Diocletianum, sed post victoriam occiditur p. 527.		
286	MAXIMINUS HERCULEUS prima Aprilis Augustus dicitur Nicomediæ, qui bellum prosequitur adversùs Bagaudas p. 528.		
287	Idem Cæsar oppugnat Alemannos, Carausius Tyrannus in Britannia, quam septem annis tenet p. 529. *Varii Martyres in Gallia & Occidente sub Herculeo* p. 635.		
292	Constantius Chlorus & Maximianus Galerius creantur Cæsares primâ Martii Nicomediæ p. 529. Constantius repudiare Helenam cogitur & ducere Theodoram Neptem Herculei: alter nubit Valeriæ filiæ Diocletiani p. 530. Constantius expugnat Gessoriacum Carausii sedem. *Ibid.*		
293	Carausius occiditur ab Allecto p. 531.		
296	Constantinus Allecto superato Britanniam recipit p. 531. Moritur Pontifex Cajus 21. Aprilis, surrogatur 30. Junii MARCELLINUS.		*Marcellinus sedit an. 8. m. 3.*
297	Bella Herculei contra Mauros, & Galerii adversùs Persas p. 531. *Galerius hoc anno initium facit Persecutionis Christianorum* p. 531.		
298	Vopiscus, Spartianus, Lampridius, Capitolinus, Vulcatius & Pollion hoc tempore scripserunt p. 563.		
299	Marcomannorum bellum hoc anno conficitur.		
	SÆCULUM IV. ÆRÆ CHRISTIANÆ.		
300	Quindecennalia Imperii Cæsarei Galerii.		
301	*Hoc anno sævitum est in Christianos, qui militiæ nomen dederunt.*		
302	*Decimæ Persecutionis Christianorum generalis initia, dicitur hoc anno lapsus esse Marcellinus Pontifex immolando thus idolis, sed perperam,* p. 638.		
303	Triumphus Diocletiani & Maximiani de Persis p. 53. Arnobius scribit Apologiam p. 638.		
304	*Innumerabilis Martyrum strages. Moritur Marcellinus 24. Octobris.*		
305	Diocletianus & Maximianus abdicant Imperium p. 532. Divisio Imperii inter novos Cæsares. *ibid.* Constantii Benevolentia erga Christianos p. 534. Ejus obitus p. 535. Concilium Cirtense & Eliberitanum p. 639.		
306	*Crudelitas Gallerii adversùs Christianos* p. 640.		



INDEX



INDEX
RERUM & VERBORUM.

p. indicat paginam, N. numerum Paragraphi, n. notationem minoribus literis subjectam.

A.

ABraham an septuagesimo anno Thare natus sit? p. 33. An duplex ejusdem exitus fuerit ex Haran. p. 34.
Acies Romanæ militiæ p. 393. N. 10.
Acta Apostolorum p. 279. n. 17. Doctrina hujus libri & utilitas *Ibid.*
Actiaca pugna p. 65. n. 1.
Adrana hodie Edera fluvius prope Frideslariam, à Germanici expeditione insignis p. 88. n. 4.
Adrianus Imperator p. 363. N. 1. Ejus studia, ac artes *Ibid.* n. 1. Officia ante Imperium *Ibid.* à Trajano adoptatus p. 363. n. 2. Abdicat Provincias à Trajano partas p. 364. N. 2. Modestia & liberalitas Adriani p. 364. N. 3. Itinera per Provincias p. 365. N. 4. n. 6. Murum construit in Britannia *Ibid.* not. 7. Eleusinis sacris initiatur Athenis p. 366. N. 5. n. 8. Bellum gerit cum Judæis N. 6. Prohibet, ne quis judæorum Hierosolymitano agro pedem inferat p. 413. N. 4. Ejus monumenta Romæ posità p. 367. N. 7. n. 13. Morbus Adriani, & obitus p. 388. N. 7. Ultima ejus verba *Ibid.* n. 15.
Ædiles, qui fuerint apud Romanos? p. 171. N. 4. Quotuplices eorum classes? *Ibid.*
Ægypti servitus quot annis duraverit? p. 36. & p. 37. Ægyptus frugum feracissima regio p. 69. n. 14. Ægypti regnum quando desierit? p. 37. n. 6.
Æmilianus Imperator post breve Imperium occiditur p. 504. N. 6. & p. 505. n. 6.
Æmulatio Ducum Romanorum legionibus accersit exitium p. 117. N. 10.
Æræ nomen, & significatio p. 13. N. 2. Quid sit Æra Dionysiana? p. 16. N. 10. & p. 301., quando in Occidentis Provinciis admissa? p. 301. Quid sit æra vera Christi nati? p. 16. N. 10. & p. 305. Æra Augustorum p. 67. n. 6. Æra Diocletiani & Æra Martyrum p. 527. N. 10. n. 7.
Ætates Mundi p. 29. & quot annis singulæ finiantur *Ibid.*
Africa quo tempore à Romanis devicta? p. 181. N. 10.
Agabus Propheta prædicit captivitatem Paulo p. 272.
Agaparum usus apud primos Christianos p. 272.
Agricola Dux Romanus subigit Britannos p. 147. N. 3. Occupat ultimos fines Insulæ p. 152., eámque primus circumnavigat *Ibid.* Avocatur à victoriarum cursu per Domitiani invidiam p. 152. N. 6. Obscurus moritur *Ibid.*
Agrippa M. Herodis nepos à Cajo Imperatore obtinet Principatum & Tetrarchias Philippi & Lysaniæ p. 251. N. 1. Ab Alexandrinis protervè traducitur p. 252. N. 3. Impetrat à Cajo, ne in templo Hierosolymitano dedicetur Imperatoris statua p. 253. N. 5. A Claudio Imp. accipit augmentum Ditionum p. 255. N. 1.
Agrippina Conjux Claudii Imp. p. 107. Suis arti-

artibus curat ut Nero adoptetur à Claudio p. 108. N. 8. Ejus insidiæ adversùs Cæsarem p. 108. N. 9. Veneno interficit conjugem p. 109. n. 13. Neroni filio procurat aditum Imperii p. 110. N. 1. Honoratur à Nerone p. 111. N. 3. Incurrit odium filii p. 111. N. 4. Ex aula expellitur p. 113. Periculum vitæ evadit p. 113. n. 7. Occiditur p. 114. N. 6. Ultima ejus verba *Ibid.*

Alearum ludus quantoperè ab Ecclesia prohibitus? p. 640.

Alemanni, quando primò occurrant in Historia? p. 541. N. 1. Eorum origo N. 2. & 3. An à Germanis distincti? p. 542. N. 4.

Alexander Imperator adoptatur ab Heliogabalo p. 489. Ejus beneficentia in subditos p. 487. N. 15. Fraudes & furta severiùs punit N. 16. Restituit disciplinam militarem p. 489. N. 18. Bellum ejus contra Persas *Ibid.* Ejus Triumphus p. 490. Prope Moguntiam in castris occiditur p. 490. N. 19. Non fuit Christianus p. 548. N. 6.

Alexander Carbonarius creatur Episcopus p. 590. N. 5. Ejus Martyrium p. 591.

Alexandrinæ Ecclesiæ status sub S. Marco p. 281. N. 10. n. 21. & 22.

Alexandra Hyrcani filia miserabilem filii Arostobuli interitum apud Cleopatram deplorat p. 208. N. 8. Sibi metuens ab Herode Mariamnæ filiæ necem approbat. p. 211. Occiditur ab Herode *Ibid.*

Anacletus Papa distinctus fuit à Cleto p. 297. N. 10. n. 9. Ejus res gestæ p. 297. & 298.

Anicetus Papa p. 421. N. 8. Polycarpum licèt de die Paschæ celebrando diffidentem honorifice suscipit *Ibid.*

Anius Antonius condolet Coccejo Nervæ de adita Imperii dignitate & cur? p. 159. N. 1.

Anni solares & lunares p. 4. N. 4. Anni Correctio Juliana N. 5. Restitutio per Augustum facta p. 5. N. 6. Anni civilis varia apud varias gentes exordia p. 6. n. 8.

Anni Nativitatis & vitæ Patriarcharum ad diluvium usque p. 30. à diluvio ad initium peregrinationis Hebræorum p. 31. Ab initio peregrinationis ad exitum Israëlitarum ex Ægypto p. 34. 35. & 36. Anni Israëlitarum ab Exodo ad initium Templi Salomonis p. 37. & 40. N. 4. 5. & p. 41. N. 6. Anni Judicum p. 38. Anni servitutum, & Pacis quâ ratione numerandi? p. 39. N. 3. Anni Regum Juda ab initio templi ad conflagrationem ejusdem p. 43. & 44. Anni Regum Israël p. 45.

Anni septuaginta Captivitatis Babylonicæ quando cœperint? p. 47.

Anni Monarchiæ Assyriorum ab excidio Hierosolymæ usque ad ejus finem p. 52. & 53. Anni Monarchiæ Persarum p. 53. 54. 55. Anni Monarchiæ Græcæ p. 56. Regum Ægypti *ibid.* & p. 57. & 58. Regum Seleucidarum p. 59. 60. 61. 62. Quot annis Monarchia Romana steterit ante Christi nativitatem? p. 63.

Alexandrinorum ritus, quo Patriarchæ instituebantur p. 585. N. 9. Annas an cum Caipha simul summus Sacerdos fuerit? p. 224. N. 1.

Anterus Papa p. 586. N. 1.

Antichristus? p. 266. N. 19. An Nero redivivus & Antichristus sit futurus? p. 127. not. 29.

Antigonus Aristobuli filius frustra orat à Julio Cæsare restitutionem Paterni Regni p. 204. cum Parthis init fœdus, & Judæam diripit p. 205. N. 5. mutilat Hyrcanum Pontificem ibid. not. 6. declaratur hostis Romanorum p. 206. N. 5. Securi percutitur Antiochiæ p. 207. N. 6. not. 5.

Antiochena Cathedra à Petro fundata p. 250. cur? n. 57. quo anno? p. 325. N. 4. quot annis ibi sederit? pag. 326. N. 4.

Antiochena Synodus I. contra Paulum Samosatenum p. 628. N. 3. Altera Synodus contra eundem p. 629. ejus Synodica n. 4.

Antiochi Epiphanis crudelitas adversùs Judæos p. 60. profanat templum *ibid.* Septem Machabæos occidit *ibid.*

Antipas. M. Herodis filius præficitur Galilææ pag. 222. N. 16. occidit S. Joannem p. 232. illudit Christo p. 241. relegatur in exilium p. 251. N. 1.

Antipater Herodis M. Pater p. 202. N. 2. Quo genere natus? p. 202. n. 1. Concitat Hyrcanum in fratrem Aristobulum p. 202. Operam suam præstat Romanis Ducibus p. 203. Contra Antigonum se defendit apud Julium Cæsarem p. 204. Ab hoc impetrat Procurationem Judææ p. 204. Herodem filium præficit Galilææ *Ibid.* Veneno tollitur à Malicho p. 205. N. 4.

Antoninus Imperator adoptatur ab Adriano p. 368. Ejus Natales & vita ante Imperium p. 369. N. 1. Cur Pius dictus sit? *Ibid.* not. 2. Administratio optima Imperii p. 369. N. 2. Nimia indulgentia erga sceleratam Conjugem Faustinam p. 371. N. 5. Pacis studiosissimus p. 370. N. 4. Lex contra Adulteros p. 370. n. 4.

n. 4. Ejus æstimatio apud exteros Reges p. 371. N. 5. Mors *Ibid.*
Antonius Dux Romanus contra Domitianum rebellat p. 155. N. 12. Casu fortuito vincitur p. 156.
Antonii Eremitæ initia p. 630. N. 5. Sororem Parthenoni tradit *Ibid.*
Apocalypsis S. Joannis p. 299. Ejus argumentum & occasio scribendi p. 299. n. 13.
Apollo quis? Christum prædicat p. 267. N. 11.
Apollonius Tyanæus, Magus, Ephesi indicat cædem Domitiani p. 158. N. 17. Ejus vita fabulis plena p. 561. N. 1.
Apostolorum vocatio, p. 226. Eorum Ordo p. 232. n. 20. Missio *ibid.* Miracula p. 244. Divisio in orbem terrarum p. 254. N. 6. Symbolum Apostolicum p. 254. n. 1. Cur non in singulis Provinciis prædicârint? p. 255. n. 2.
Apotheosis Cæsarum quo ritu celebrata fuerit p. 538. 539. 540.
Appellationes ad Sedem Apostolicam p. 659. An S. Cyprianus eas improbârit? p. 662. N. 6. Quibus licuerit olim appellare ad Pontificem, & quibus non? p. 661. N. 4. Episcoporum appellatio ad Papam p. 661. N. 5.
Aqua sola in consecrando calice non sufficit p. 615. n. 9.
Aquila quis? deficit à fide ad judæos, & novam versionem V. T. facit p. 414. N. 6. quæ meritò suspecta est *ibid.*
Ara Victoriæ, quid sit? p. 67. n. 9. Quo tempore ab Augusto dedicata? *ibid.*
Aræ, ignoto Deo, sacratæ, quid inscripserint Athenienses? p. 264. n. 15.
Arcani disciplina, quæ fuerit apud veteres Christianos? p. 446. N. 1. Ejus origo p. 447. N. 2. Quæ mysteria fidei per eam occultata sint? p. 447. N. 3. & 4. Quæ publicare licuerit? p. 448. N. 5.
Archelaus regni hæres scribitur ab Herode Patre p. 221. Ejus crudelitas in Judæos p. 222. N. 16. Disceptat Romæ cum fratre Antipa de regno *ibid.* Fit Ethnarcha *ibid.* Proscribitur in exilium p. 223. Bona ejus publicantur *ibid.*
Archidiaconi quinam celebriores fuerint in primæva Ecclesia? p. 680. N. 2. Eorum officium *ibid.*
Archontici Hæretici & eorum error p. 428.
Argentei, quibus Christus venditus est, quantùm appenderint? p. 238. n. 30.
Aristobulus post captivitatem Babylonicam resumit insignia & nomen regium p. 61.
Aristobulus Alexandræ filius fit Pontifex p. 208. Ejus Majestas in sacris *ibid.* Herodis invidiâ, & insidiis in aquis suffocatur *ibid.*
Aristobulus Jannæni filius & Rex Judææ, Hyrcanum spoliat sacerdotio p. 202. N. 2. Bellum cum eodem acre gerit *ibid.* Resistit Pompejo in Judæam vendenti *ibid.* Deportatur vinctus cum prolibus Romam p. 203.
Arma Romanorum p. 392. N. 6.
Arminius Cheruscorum Princeps p. 81. n. 43. Quintilium Varum in exitium urget p. 82. Germanicum infestat p. 88. N. 3. Eundem latino sermone in pugnam provocat p. 89. N. 4. Ejus fuga *ibid.* Bellum contra Maroboduum Bojohemi Regem instituit p. 92. Arminii interitus p. 93. N. 8. Ejus Laus N. 7. n. 17. & 18.
Arnobii mirabilis conversio p. 638. Adhuc Gentilis libros adversùs idololatras scribit *ibid.*
Asiæ Regiones quando, & quâ ratione accesserint Romanorum potestati: p. 180. N. 9.
Athenagoras quis fuerit p. 464. N. 6. Ejus conversio mirabilis & Apologia pro Christianis p. 423. N. 2.
Augusta Emerita in Hispania ab Augusto fundata p. 71. n. 20.
Augusta Vindelicorum Tiberium & Drusum Authores habuit p. 72. n. 24.
Augustæum Imperium distinctum à Proconsulari p. 310. N. 3. & p. 313. N. 6.
Augusti nomen, Etymus, ac dignitas p. 163. N. 1. à quo tempore Imperatores sint semper Augusti? p. 164. N. 2.
Augustus Octavianus Imperator Primus Monarcha Romanorum p. 66. n. 4. ejus Genealogia p. 66. n. 2. & 3. Anni Regiminis p. 66. n. 5. & p. 84. contra communem legem creatur Consul cùm esset XIX. annorum p. 169. ex Mecænatis consilio servat Imperium p. 67. N. 4. quâ arte Novam Imperii formam introduxerit? p. 68. N. 5. Partitur cum Senatu Provincias *ibid.* n. 12. Accipit nomen Cæsaris p. 69. n. 17. dicitur Augustus p. 69. ordinat Magistratus Romanos ibid. & p. 172. N. 7. & 8. legum potestatem sibi sumit p. 69. & p. 176. N. 6. & p. 177. N. 7. & 8. Bellum ejus in Hispania p. 70. contra Alpinos populos *ibid.* Legationes Indorum accipit p. 70. N. 7. amplificat Imperii fines p. 71. N. 7. & p. 181. N. 11. 12. & 13. Augusti timor & luctus de Variana Clade p. 82. n. 46. ejicit filiam Juliam libidinum ergò in exilium p. 83. n. 47. mors

Augusti p. 84. N. 17. ejus Virtutes morales p. 84. N. 16. cur literatos amârit p. 84. n. 52. regendi peritia p. 85.

Aurelius Imperator p. 515. ejus severitas ante Imperium p. 506. not. 9. natales p. 515. N. 17. fortitudo *ibid.* bellum contra Gothos p. 515. à Marcomannis clade afficitur *ibid.* n. 22. & 23. Zenobiam Palmyrenorum Reginam multis præliis vincit, p. 517. N. 19. & capit p. 518. Paulus Samosatenus ab usurpato episcopatu ejus operâ ejicitur p. 630. Subigit Aurelianus Ægyptum p. *ibid.* Tetricum Galliarum Tyrannum in suas partes trahit p. 519. N. 20. Triumphus ambitiosus Aureliani de Zenobia & Tetrico p. 519. N. 21. & not. 28. Persequitur Christianos p. 631. N. 6. conjuratorum insidiis perit p. 540. an bonis Principibus adscribendus? *ibid.* not. 29.

Azymo pane usus est Christus in institutione Eucharistiæ p. 239. n. 33.

B.

Babylon quando Roma dicta? pag. 256. n. 1. & p. 324. N. 3.

Bagaudæ in Gallia contra Romanos rebellant p. 528. N. 11. quale hominum genus fuerit? *ibid.* not. 8.

Baptismus triplex Judæorum, Joannis & Christi & eorum discrimen p. 224. 225. n. 3. 6. An Apostoli fuerint, & à quo baptizati? p. 228. n. 13. Baptismus Clinicorum, seu Perfusorum an valeat? p. 616. N. 8. cur ii qui decumbentes ægri Baptismo aspersi essent olim à Cleri ordine rejecti sint? p. 606. n. 13. Baptismum ab Hæreticis datum reprobat S. Cyprianus p. 616. N. 8. & multi Afri, & Orientales Episcopi p. 617. N. 9. resistunt huic sententiæ alii Episcopi plures p. 617. N. 10. Concilia hâc de Controversia habita p. 618. & 619. N. 10. 11. & 12. & p. 686. Stephani Pontificis sententia p. 619. N. 11. & p. 663., 664. N. 3. 4. & p. 665. N. 5. Baptismi necessitas & ejus effectus p. 677. N. 4. Baptismus olim conferebatur trinâ immersione p. 681. N. 4. Ritus administrandi Baptismum in Primæva Ecclesia p. 681. N. 4. Infantibus quàm necessarius p. 465.

Baptismus Christi ad quem annum Æræ Dionysianæ revocari debeat? p. 309. Quâ ratione accipiendum, quod dicatur Christus fuisse triginta circiter annorum, cum baptizaretur p. 310. N. 2. An annus decimus quintus Tiberii Cæsaris, quo Christus baptizatus est, intelligi debeat de Proconsulari ejus, aut Augustæo Imperio? p. 311. N. 3-4. 312. N. 5. & p. 313. usque ad p. 316.

Barbarorum irruptiones in Imperium p. 504. N. 5. p. 507. N. 8. 509. N. 11. p. 512. N. 15. Barbarorum strages cruentissima p. 514. N. 18. Quænam fuerint illæ Barbaræ gentes, quæ evastârunt toties Imperium? à p. 557. ad p. 561.

Bardesanes Hæresiarcha p. 428. N. 9.

Barnabas Apostolus cum Paulo consecratur pag. 258. N. 4. Cur à comitatu Pauli se disjunxerit? *Ibid.*

Basilides Hæresiarcha, ejúsque errores p. 410. N. 1. Confutatio errorum p. 411. n. 2.

Basilides & Martialis lapsi Episcopi in Hispania p. 661. N. 5. Obrepunt Pontifici *ibid.* Eorum Appellatio ad Pontificem improbatur, & quare? *Ibid.*

Bigami excluduntur à sacris ordinibus p. 270. & p. 271. n. 3.

Blastus & Florinus Ecclesiæ Romanæ Presbyteri erroneè docent pascha non aliter quàm lunâ decimâ quartâ celebrari posse p. 428. N. 10.

Bonorum Ecclesiæ administratio penes Episcopum qui ea dispenset p. 681. N. 3.

Britannia primum à Julio bellis tentata p. 105. N. 5. & n. 7

Britannicus Claudii Cæsaris filius postponitur Privigno Neroni p. 108. N. 8. Occiditur à Nerone p. 112. Ejus larvatum funus p. 112. n. 4.

Britonum conversio p. 429. N. 12. Ab Eleutherio Pontifice petunt fidei Doctores & cur? *ibid.* Lucius Rex Britonum baptizatur, quem cæteri sequuntur p. 430.

Bunduica Britannorum Regina irritatur Romanorum injuriis p. 116. n. 13. Bello profligat legiones Rom. N. 9. Superatur altero prælio à Paulino Suetonio p. 116. N. 9. & n. 14. Moritur p. 117.

Burgundionum nomen genus, bella & irruptiones in Romanas Provincias p. 559. N. 4.

Burrhus Præfectus Prætorii sub Nerone p. 111. n. 3. Moderatur Juventam Neronis *ibid.* Occiditur à Nerone p. 118. N. 12.

C.

C.

Cælibatûs prærogativa p. 268. n. 23.
Cæsaris nomen à quo tempore cœperit esse nomen dignitatis Imperatoriæ p. 102. n. 2. p. 128. n. 1.
Cainan an ponendus sit in serie Patriarcharum? pag. 32. & 33.
Cajus Imperator, Germanici filius, cur dicatur Caligula? p. 86. ejus annus natalis p. 86. n. 1. Accelerat mortem Tiberii p. 96. n. 30. pessima Caji Indoles p. 97 n. 1. Amor populi & Regum exterorum erga Cajum p. 98. n. 3. Ejus monstrosa perversio p. 98. N. 2. Abdicat morum Magistros ut Consiliarios bonos p. 98. N. 4. Nefastæ libidines 98. N. 2. à Cæsonia pellice in amentiam agitur *ibid* Inter Bajas & Buteolos mari pontem insternit p. 98. n. 5. Æmulatur divinos honores p. 99. Ridicula ejus bella ad Rhenum p. 100. n. 6. & 7. & in littore Morinorum p. 100. N. 5. Caji interitus p. 101.
Cajus nepos Augusti ex Julia filia admovetur caussis forensibus p. 78. N. 13. Mittitur in Orientem contra Parthos *ibid.* Ejus Consulatus *ibid.* Caji mors p. 79. n. 37. & 39.
Cajus Papa p. 935.
Callistus Papa p. 582. N. 6. Ab Alexandro Imperatore aream pro templo impetrat *ibid.* Callisti cœmeterium celebre à Martyrum reliquiis p. 646. Ejus inscriptio *ibid.*
Canones Apostolici an ab Apostolis verè editi sint? p. 347. Origo eorum p. 348. N. 5. Quo sensu Apocryphis accenseantur? *ibid.* Numerus eorum apud varios varius p. 349 N. 6. Quinam ex iis probati sint à Pontificibus? p. 349. N. 5. 6.
Capreæ, Insula à Tiberio habitata, p. 349. N. 5.
Caracalla Imperator unde hoc nomen ortum sit? p. 478. n. 6. Christianam nutricem habuit p. 476. n. 1. Plautiani filiæ matrimonio jungitur. & cur? p. 470. N. 3. Sequitur Severum Patrem ad bellum Britannicum p. 473. N. 5. Insidiatur vitæ & Regno Parentis p. 475. Occidit fratrem Getam in sinu materno p. 476. N. 2. Hujus parricidii omen p. 477. n. 2. Cur medicos, & Papinianum JC. interfecerit? p. 477. Avaritia *ibid* n. 5. Prodigalitas p. 478. Bellum cum Cennis p. 478. N. 4. Victoriarum nomen à Germanis emit p. 479. n. 8. Germanorum habitu utitur n. 9. Ejus perfidia adversùs Reges exteros p. 479. N 5. Crudelitas in Alexandrinos p. 480. Dolosæ Caracallæ artes contra Parthos p. 480. N. 7. Fœda ejus mors p. 481. N. 8.
Carcerum teterrimorum nomina, in quibus Martyres detinebantur p. 440. N. 4.
Carpocratis Hæresis p. 411. Ejus confutatio n. 3.
Carus Imperator p. 255. N. 8. Ejus Victoriæ contra Persas *ibid.* Mors repentina p. 526.
Carinus filius sceleratus Cari p. 255. N. 8. Vindicat sibi Provincias Occidentis p. 527. N. 10. Vincit Diocletianum *ibid.* Proditur à suis *ibid.*
Cassius Cheræa quis? p. 101. n. 9. Ejus conjuratio in Cajum Cæsarem p. 101. N. 6.
Castra Romanorum, cujus formæ fuerint? p. 392. N. 8. Quæ in iis disciplina? N. 9.
Catacumbæ unde dicantur? p. 645. N. 4. Earum forma ac amplitudo p. 645. N. 4. & 5.
Catechumenorum tres classes p. 681. N. 4.
Catti sive Hassi ob virtutem & fortitudinem aliis gentibus à Tacito Historico Romano antehabiti p. 151. n. 1.
Celsi Epicurei maligna scriptio contra Christianos p. 414. N. 7.
Censores quinam apud Romanos fuerint? p. 191. n. 5. Nomine Censorum; non tamen officio abstinebant Cæsares *Ibid.*
Census unde originem habuerit? p. 189. N. 1. Census Romanorum sub Regibus p. 190. N. 1. Quando cœperit census Provinciarum N. 2. Augustus tertiò Provincias censuit p. 76. & 77. p. 190. N. 2. 3. & 4. Qualis ille census fuerit in quo B. Virgo cum S. Josepho nomen professa est? p. 191. N. 3. An Saturninus, aut Cyrinus censum illum peregerit? p. 307. N. 7. Quot annis census compleri solitus sit? p. 192. N. 6. Census à Vespasiano & Tito peractus p. 145.
Cerdonis Hæresis p. 416. N. 2. Errorum brevis confutatio *ibid.* n. 3.
Cerinthus Hæresiarcha p. 259. n. 7. Ejus errores *ibid.* Chiliastarum caput *ibid.* Magister Ebionis Hæretici p. 295. N. 8.
Cestius Syriæ Præses numerat populum Hierosolymis p. 287. N. 17. Placare conatur seditionem Judæorum *ibid.* & N. 18. p. 288. à Judæis rebellibus in fugam agitur *ibid.*
Christi Nativitas p. 216. Annus Natalis à pag. 305. ad pag. 309. Locus Nativitatis p. 217. n. 22. An natus fuerit inter duo animalia? p. 217. n. 23. Tempus & dies Nativitatis n. 25.

25. Cur & à quo circumcisus sit? p. 218. n. 27. Fuga in Ægyptum p. 220. Cur ex Ægypto in Galilæam potiùs redierit? p. 223. Ascendit duodenis in templum p. 223. N. 18. Redit Nazarethum *ibid.* Baptizatur à Joanne p. 225. Quo anno ætatis baptizatus sit? pag. 309. N. 1. p. 310. N. 23. Quo anno æræ Dionysianæ? à p. 311. ad p. 316. Vocat Apostolos p. 226. & 228. Primum ejus miraculum in Cana p. 227. Nicodemum instruit p. 227. Ejicit vendentes è templo p. 228. n. 12. Alia miracula p. 231. p. 226. Convertit Samaritanam p. 228. Mulierem peccatricem p. 231. Panes multiplicat p. 233. Suscitat Lazarum p. 237. N. 5. Ingressus solennis in Hierosolymam *ibid.* n. 29. Ultimam peragit cœnam p. 238. N. 6. Eucharistiam instituit ibid. n. 31. An verè sanguinem sudârit? p. 240. n. 35. quot clavis affixus sit cruci? p. 241. n. 38. quâ ratione triduo fuisse in sepulchro? p. 242. n. 40. quo anno Æræ Dionysianæ mortuus sit? à pag. 316. ad pag. 321. Quot annos in vita mortali transegerit? pag. 317. N. 3. Plura, quàm quæ scripta sunt, Apostolis ore tradidit p. 243. not. 42. Verè apparuit S. Paulo pag. 249. Christi divinitas pag. 676. N. 3.

Christianorum nomen quando cœperit p. 254. N. 6. Eorum Cœtus prohibentur Romæ p. 255. Calumniam patiuntur ex pravis hæreticorum moribus p. 411. N. 2. Labuntur multi in persecutione Decii & cur? p. 594. 595. Cur *Sarmentitii & Semaxii* à Gentilibus appellati? p. 570. n. 5.

Chronologia cur tam diversa sit apud diversos? p. 23. Chronotaxis Hebræorum N. 2. Græcorum N. 3. Discrimen utriusque Chronologiæ p. 25. Hebræorum Calculus præfertur Calculo 70. interpretum p. 24. N. 4. & p. 26. & 27. N. 5. Quibus vitiis laboret Calculus Græcorum? p. 24. N. 3. Syntagma Chronologicum sex priorum mundi ætatum p. 28. & 29.

Chronologicæ difficultates circa annos Regum Juda & Israel solvuntur p. 46. & 47. Circa Annum Natalem Christi à pag. 301. usque ad pag. 309. Circa annum, quo Christus Baptizatus est à pag. 309. ad pag. 316. Circa Annum σαυρώσιμον Christi à p. 316. ad p. 321. Circa annos 25. Petri, quibus Romæ sedit à p. 325. ad pag. 329.

Ciborum delectus quis bonus, & quis reprehendendus p. 234. not. 23.

Civilis Dux Batavorum, ejus Genealogia p. 136. n. 9. à Romanis compingitur in vincula p. 131. N. 1. Movet bellum contra Romanos p. 137. N. 2. & 3. Obsidet Vetera Castra p. 138. N. 3. & legiones capit p. 139. N. 4. Vincitur à Cereale Duce Romano p. 139. N. 5. & vicissim cædit Cerealis copias prope Treviros p. 140. Denuò Victus profugit in Bataviam p. 141. Pacem cum Cereale componit & cur? p. 141. Pacis conditiones n. 7.

Claudius Imperator Caji Imp. Patruus vocatur ad Imperium p. 102. N. 1. Cæsaris nomen assumit n. 2. Ejus liberale donativum erga milites p. 103. n. 3. Indoles Claudii N. 2. Clementia & modestia *ibid.* Druidarum superstitionem abolet p. 104. n. 5. Monumenta ab eo posita p. 104. n. 6. à libertorum pendet arbitrio p. 104. publica officia pretio vendit *ibid.* Contemnitur à subditis *ibid.* Claudius victoriâ partâ de Britannis nomen Britannici sibi suóque filio tribuit p. 105. N. 5. Gallos donat jure in urbe percipiendorum p. 106. N. 6. Judæos ex urbe proscribit p. 107. N. 7. enecatur ab Agrippinâ conjuge p. 109. N. 9. n. 13. Ejus Apotheosis n. 14.

Claudius II. Imp. p. 513. N. 16. Ejus Virtus. *Ibid.* not. 19. Bellum gerit contra irruentes Barbaros, & vincit p. 514. Ejus mors & monumenta in ejus honorem posita. *Ibid.*

Cleander Minister crudelissimus Commodi ejúsque interitus p. 382.

Clemens Alexandrinus quis fuerit? & quæ scripserit? p. 672.

Clemens I. Papa non successit immediatè S. Petro à p. 341 ad pag. 344. Successit S. Lino p. 289. N. 9. Non collegit Constitutiones Apostolicas à p. 344. ad p. 347. Neque Canones Apostolicos p. 347. & 348. Alii libri falsò ipsi adscripti p. 296. Abdicavit Pontificatum p. 297. N. 9.

Cleopatræ interitus p. 67. n. 6.

Clerici primis sæculis non habebant certum habitum p. 649. & p. 650. Nec Tonsuram p. 650. N. 4. Eorum Persecutio p. 587. & p. 649. N. 1. Ordo Hierarchicus p. 680. N. 2. Cælibatus eorum p. 681. N. 3. Numerus Clericorum in Romana Ecclesia *ibid.* Cur sportulantes fratres dicti? *ibid.* In certis casibus duntaxat pœnitentiæ publicæ subjiciebantur p. 611. n. 3. Ad Clericalem ordinem non admittebantur, qui Baptismum per aspersionem accepissent p. 606. n. 13.

n. 13. A Clero quoque arcebantur Pœnitentiam publicam professi p. 656. N. 12.
Codex Gregorianus p. 117. N. 6.
Coloniæ, earum origo p. 195. N. 1. jura N. 1. & 2. Aliæ civiles, aliæ militares p. 196. N. 4. Quot Colonias eduxerint Cæsares? p. 196. Acceperunt ab Imperatoribus nomen N. 6.
Colonia ab Agrippina Claudii Uxore apud Ubios fundatâ p. 196. & p. 197. N. 6.
Cœmeteria p. 645. N. 4. & 5. Cœmeterium Callisti p. 646. in Cœmeteriis non licebat accendere lucernas & quare? p. 640.
Comitia quotuplicis generis apud Romanos, & quâ ratione celebrata? p. 174. N. 2.
Commodus Imperator p. 380. N. 1. Perversa ejus indoles. N. 2. & n. 1. Quando tribunitiam acceperit potestatem? p. 380. n. 2. Pacem emit à Barbaris n. 3. Conjuratio in Cæsarem detegitur & punitur p. 381. N. 4. Commodus truculenta instrumenta crudelitatis habuit Perennem, & Cleandrum p. 381. & 382. Insania & crudelitas Commodi p. 383. Mors funesta Imperatoris p. 583. N. 5.
Communio sub una specie p. 596. N. 2. & n. 2. & n. 3. p. 682. Laici communionem olim manu dexterâ excipiebant p. 613. n. 5. Domestica communio p. 596. n. 3. & p. 682. N. 5.
Concilium quid sit? & quotuplex? p. 684. N. 1. Concilium Apostolorum de usu Legalium p. 260. N. 5. Ejus decretum n. 10. & p. 684. N. 2. Synodica epistola & forma *ibid.* An plures Synodos Apostoli celebrârint? p. 685.
Concilia habita in Sæc. II. de celebratione Paschatis p. 433. & 434. & p. 685.
Concilia in Sæc. III. de Lapsis.
Concilia Carthaginense I. p. 686. Carthaginense II. de lapsis p. 607. & 608. N. 13. III. Carthag. de Lapf. p. 611. N. 2.
Concilium Romanum de eadem causa p. 609. Capsense Conc. de Lapsis p. 611. N. 2.
Concilia Rebaptizantium p. 618. & 619. & p. 686.
Concilium Cirtense p. 639. Eliberitanum ejúsque Canones *ibid.* & p. 640.
Confessio Sacramentalis pag. 267. n. 20. nunquam publicè facta ex aliqua lege p. 652. N. 3. Confessio occultorum peccatorum p. 651. N. 1. p. 602. Hujus necessitas p. 656. N. 12. p. 677. & 678.
Confessio generalis peccatorum an sufficiat? p. 651. N 2. An Judæi confitentes peccata apud S. Joannem ea sigillatim exposuerint p. 225. N. 5.
Confirmationis Sacramentum p. 247. n. 50. & p. 677. N. 4.
Consortium duorum Augustorum quando cœperit p. 372. N. 1. & p. 397. N. 1. Quæ corregnantibus Augustis potestas fuerit? p. 398.
Constantius fit Cæsar p. 529. Quare Chlorus dicatur? *ibid.* Ejus Natales p. 530. Constantinum ex Helena conjuge suscipit p. 530. Cogitur repudiare Helenam & ducere uxorem Flaviam Theodoram & cur? p. 530. N. 14. Victor Francorum *ibid.* Carausio subacto recipit Britanniam p. 531. Creatur Augustus p. 532. Ejus virtutes, ac Benevolentia erga Christianos p. 534. 637. Mors Constantii p. 535. Ejus Proles. *ibid.* n. 11.
Constitutiones Apostolicæ an ab Apostolis editæ? p. 344. N. 1. & p. 345. N. 2. & 3. An S. Clemens eas collegerit? N. 3.
Consules Romani p. 169. Eorum origo, officium, insignia *ibid.* N. 1. Quotuplicis generis?
Continentia præstat conjugio p. 678. p. 268. n. 23. Semper floruit in Ecclesia p. 678. & 679.
Cur Augustus & reliqui Imperatores Consulatum admiserint? p. 165. N. 5.
Consulum authoritas sub Cæsaribus quæ? p. 169. Eorum numerus aliquando major aut minor *ibid.*
Corbulo Dux Romanus p. 118. N. 15. Fossam ducit p. 106. N. 6. & n. 10. Vincit Vologesen Parthorum Regem p. 117. N. 11. Occiditur à Nerone p. 118.
Cornelius Papa p. 606. Ejus virtus *ibid.* à Novatiano Schismatico impugnatur p. 606. & 607. Ab Afris agnoscitur verus Pontifex p. 608. N. 13. Celebrat Romæ Concilium de causa Lapsorum p. 609. N. 14. Confessores, qui Novatiano adhæserant, recipit p. 609. Exul pro fide moritur p. 613.
Cultûs Sanctorum antiquitas p. 679. Cultus Martyrum Religiosus p. 424. n. 3. & p. 600. N. 7. & p. 679.
Curtius Rufus quando scripserit Historiam Alexandri M. p. 198. N. 4.
Cyclus quid sit p. 6. Cyclus solaris N. 2. Modus indagandi annum Cycli solaris p. 8. N. 4. Cyclus Lunæ p. 8. N. 5. Cyclus Epactarum N. 6. Indictionum N. 7.
S. Cyprianus. Quibus Parentibus natus? p. 591. N. 7. convertitur ad fidem Christianam p. 592. Initiatur Presbyterio *ibid.* Fit Episcopus & Primas Carthaginensis p. 592. N. 8. n. 6. Mansue-

tudo erga Adversarios p. 593. Persecutionis tempore secedit, proscribitur p. 597. N. 4. à suo secessu scribit varias epistolas p. 598. Præcipit Martyrum notari dies p. 600. N. 7. Dissuadet libellorum dispensationem promiscuam p. 602. Excusat secessum suum p. 602. N. 9. Moribundis Lapsis de reconciliationis remedio prospicit p 603. N. 10. Excommunicat Felicissimum & Novatum p. 604. N. 11. Novatiani Legatos rejicit p. 607. Ecclesiis Africæ scribit pro Cornelio Papa p. 608. N. 13. Componit librum de Unitate Ecclesiæ p. 610. Synodos celebrat in causa Lapsorum p. 608, 611. Fortunati Schisma comprimit p. 612. scribit librum de mortalitate p. 614. Ejus sententia de Baptismo HH. p. 616. & Synodos eadem de causa instituit p. 618. 619. Exilium patitur & Martyrio afficitur p. 623. N. 16. Ejus errorem quâ ratione excuset Augustinus? p. 623. N. 16. quo sensu à Gelasio quædam Cypriani opera Apocryphis accenseantur? p. 675. N. 4.

D.

Dæmones Imperio Gregorii Thavmaturgi subjecti p. 590. N. 5.

Decebali Dacorum Regis bellum & Victoriæ contra Domitianum p. 153. p. 154.

Decemviri quando à Romanis creati p. 174. N. 3. Quod eorum officium? p. 175. Quamdiu fuerint? 175.

Decius Imperator ubi natus? p. 500. N. 11. Dux legionum in Illyrico *Ibid.* à legionibus salutatur Imperator *ibid.* Ejus politicæ dotes p. 501. N. 1. Filium Collegam creat N. 2. Persequitur Christianos p. 502. N. 2. & p. 594. p. 597. N. 4. 598. & 599. Bellum ejus Gothicum p. 502. Ejus interitus p. 503. N. 4.

Decretales epistolæ primævorum Pontificum an sint genuinæ, aut suppofititiæ? p. 668. 669. 670. An ex eo quod Decretales dicantur suppositæ, Novatoribus Commodi aliquid accedat? p. 671. N. 6. An epistolæ Decretales ejusmodi etiam erroneæ dici possint? p. 672.

Demetrius Ephesi seditionem movet adversùs Paulum p. 269. N. 13.

Demetrius Episcopus Alexandriæ prohibet ne Origenes palàm pro concione dicat; p. 681. N. 5. Indignatur eundem ab exteris Episcopis ordinatum fuisse p. 583. N. 9. Expellit Origenem Alexandriâ p. 584. Eúmque damnat & deponit N. 10. Mors Demetrii p. 585. N. 12.

Diaconorum institutio; eorum ordo est sacer p. 245. n. 46. Diaconis sacramentaliter absolvere non permisit S. Cyprianus p. 603. N. 10. n. 11. Diaconorum officium p. 680. N. 2.

Diaconissarum institutio p. 683.

Dianæ Ephesinæ templum p. 269. N. 13.

Didius Julianus emit Imperium p. 386. N. 5. Odium populi adversùs Didium p. 387. Ejus cædes p. 688.

Diei Dominicæ celebratio p. 272.

Dierum dimensio quotuplex p. 2.

Dii majorum gentium p. 542. Dii consentes p. 543. Dii selecti 543. N. 3. Dii minorum gentium p. 544. N. 4. Dii peregrini N. 5. Ministri Deorum N. 6. Flamines N. 7. Templa Deorum N. 8. p. 543.

Diocletianus fit Imperator p. 526. N. 9. Ejus vita ante Imperium *ibid.* Omen futuri Imperii *ibid.* n. 5. Æra Diocletiani p. 527. N. 10. Collegam assumit Maximianum, novos Cæsares creat p. 529. N. 13. Triumphus Diocletiani p. 531. N. 16. n. 13. Primum ejus edictum adversùs Christianos & ejus causæ p. 636. Alterum edictum p. 637. Eligit novos Cæsares p. 532. n. 15. Abdicat Imperium p. 532. n. 12. Ejus res gestæ, vitia & virtutes p. 533.

Dionysius Alexandrinus secedit in persecutione Decii p. 598. N. 5. Rogat Stephanum Papam, ne excommunicet Rebaptizantes p. 620. N. 13. Exul pro fide p. 621. N. 15. Sabellium oppugnat *ibid.* Scribit contra Antitrinitarios p. 625. N. 1. Accusatur ob modos loquendi duriores apud Dionysium Pontificem p. 625. n. 1. Ejus Apologia *ibid.* Quo sensu dicat Filium Patri consubstantialem esse? *ibid.* not. 2. Nepotem Chiliastam adoritur p. 627. N. 2. Paulo Samosateno bellum indicit *ibid.* Ejus obitus p. 628.

Dionysius Areopagita p. 462. N. 3. Controversia de ejus operibus *ibid.* & p. 463. item p. 299. n. 12. an. fuerit Parisiensium Episcopus? p. 425. n. 4. & p. 624. n. 17. p. 299. n. 12.

Dionysius Corinthiorum Episcopus p. 424. & 425. N. 4.

Dionysius Papa p. 625. Dionysium Alexandrinum accusatum de fide ad causam dicendam evocat p. 626. Mors ejus p. 629.

Disciplina Ecclesiastica trium Primorum Sæculorum quid hoc nomine intelligatur? p. 679. N. 1. Varietas Disciplinæ in sequentibus Sæculis nil derogat immutabili Ecclesiæ p. 680. Disciplina in Pastorali & Clericali ordine p. 680. N. 2. in ritibus & consuetudinibus p. 681. & 682.

682. N. 4. in Piis Actionibus Christianorum p. 683. N. 7.
Dio Cassius quis? p. 562. Quantum temporis tribuerit scribendæ Historiæ Romanæ? *ibid.*
Divisio Apostolorum in orbem terrarum p. 154. N. 6.
Divisio Gentium facta in diebus Phaleg. p. 27.
Doctrina genuina Ecclesiæ per tria prima Sæcula p. 676. p. 677. 678. 679. Scriptorum aliquorum interdum hæsitantium nævi integritati fidei non obsunt p. 679. N. 4.
Dominicalium literarum qualis ordo p. 7. & 8. N. 2. & 3.
Dominicâ die celebrare conventus sacros est Institutio Apostolica pag. 272.
Domitianus Vespasiani alter filius cum reliquis de Flaviana Gente in Capitolio obsessus evadit necem p. 135. Tito fratri conatur præripere Imperium p. 146. N. 1. Post mortem Titi creatur Imperator p. 149. Adsumit nomen Germanici p. 150. Stylo aureo configit muscas *ibid.* Obtrectat Tito p. 150. N. 2. Mensem Octobrem suo nomine *Domitianum* appellari jubet p. 151. n. 2. Ejus ingratitudo erga fortissimum Ducem Agricolam p. 152. N. 6. Dominum & Deum se dici præcipit p. 152. N. 7. n. 4. Ludos Capitolinos turpissimos instituit, pag. 153. Infelix ejus bellum contra Decebalum Dacorum Regem p. 153. N. 8. Spondet tributum annuum Decebalo p. 154. Post tot clades triumphat p. 154. N. 9. Convivio funebri Senatores exagitat p. 155. N. 10. Crudelitas Domitiani erga omnium ordinum homines p. 156. N. 12. Adversùs Christianos N. 13. Omina mortem Domitiani antecedentia p. 157. N. 15. Occiditur à conjuratis p. 158. N. 16. Vile ejus funus p. 159. n. 12. & 13.
Donativum primò à Claudio datum militibus p. 102. Quod dein in consuetudinem necessariam transiit p. 159. n. 1.
Dormientium septem Historia an genuina sit? p. 599. n. 9.
Drusus Augusti Privignus præficitur bello contra Germanos p. 73. N. 10. cum Frisonibus init fœdus p. 74. Trophæum ejus famosum HERBIPOLI positum n. 26. Oceanum Septentrionalem primus enavigat p. 74. n. 27. Ovans Romam ingreditur p. 74. N. 10. Castella disponit ad Rheni ripam p. 75. n. 28. Penetrat ad Albim usque p. 75. Omine revocatur *ibid.* n. 29. Vincitur à Germanis, & pariter vincit p. 75. Alterâ vice ad Albim venit, ibique erigit trophæa p. 76. Moritur *ibid.* Funus Romam deducitur *ibid.* Ejus honorarius tumulus Moguntiæ p. 76. n. 31.
Drusus Tiberii filius fovet dissidia Germanorum p. 92. N. 7. Extinguitur operâ Sejani p. 93. N. 9. Ejus vitia n. 21.

E.

Ebionis Hæresis p. 295. N. 7.
Ebionitarum Etymus, & origo p. 295. n. 3.
Ecclesia fundata super Petrum p. 235. n. 26. Multa accepit per traditionem, quæ scripta non sunt p. 243. n. 42. Ecclesiæ uniformis Doctrina & traditio p. 464. N. 8. Ecclesiæ Romanæ Principatus p. 465. N. 10. Donum miraculorum in Ecclesia vera p. 465. N. 9. Ecclesia Romana fons & origo traditionis Apostolicæ p. 466. N. 10. Ecclesiæ Hierarchia p. 680. N. 2.
Ecclesias publicas primis temporibus Christiani non habuerunt p. 646. Ubi sacros cœtus celebrârint Christiani? p. 647. N. 2. Conventus in Cœmeteriis *ibid.* Quando cœperint esse Ecclesiæ publicæ? p. 648. N. 3. & 4. & p. 649.
Eclipsis tempore mortis Christi p. 242. n. 39.
Electio Patriarchæ Alexandrini à 12. Presbyteris p. 282. n 24. An debeat fieri per sortes? p. 243. n. 43. An populus olim vere elegerit Sacerdotes & Episcopos? p. 657. N. 1. & N. 2. p. 658. N. 3.
Eleutherius Papa p. 425. N. 5. Ab eo Britanni petunt fidei Doctores & cur? p. 429. N. 12. & 430.
Encratitæ Hæretici p. 426. N. 7.
Ephesus Metropolis Asiæ p. 277. n. 12. An Paulus ibi fuerit? *ibid.*
Episcopatus quâ ratione ordinati sint in Primæva Ecclesia? p. 680. N. 2.
Episcopus Romanus ejúsque prærogativa p. 630. N. 6. p. 680. N. 2. Episcoporum formatæ Epistolæ p. 681. Eorum continentia post susceptum Episcopatum *ibid* N. 3. & p. 271. n. 3. Eorum electio p. 657. N. 1. Episcopi Romani in Apostolica Cathedra Successores p. 465. N. 10. Ab iis petenda scripturarum interpretatio p. 466. N. 11. Iis obediendum *ibid.* Quantùm Africana Ecclesia reverita sit supremam Episcopi Romani authoritatem? p. 660. N. 3. Coadjutor Episcopi primus p. 580. n. 3. Episcopus administrator bonorum Ecclesiasticorum p. 420 n. 10.
Epictetus Philosophus p. 400. Ejus lucerna quanti æstimata sit? p. 401. Ejus scripta *ibid.*
Epistola I. S. Petri Romæ scripta, ejúsque argumentum p. 256. n. 1. II. Petri p. 285. An fas sit de ejus authoritate dubitare? p. 285. n. 32.

Epistola Pauli I. ad Thessalonicenses p. 263. n. 17. Ejus singularis clausula *ibid.* n. 18. II. ad Thess. p. 266. Ep. Ad Galatas quâ occasione scripta? p. 267. Ejus argumentum p. 268. n. 21. Ep. I. ad Corinthios. Scribendi causa, & arg. p. 268. Ep. I. ad Timoth. p. 270. N. 1. ad Titum p. 271. Ep. II. ad Corinth. *ibid.* Complectitur potestatem indulgentiarum p. 271. n. 5. Ep. ad Romanos p. 271. n. 5. Ep. ad Philippenses p. 277. Ep. ad Ephesios p. 277. Occasio scribendi *ibid.* n. 12. Ep. ad Colossenses & occasio scribendi p. 277. N. 7. Item argumentum n. 13. Ep. ad Hebræos, an verè Pauli fuerit? p. 278. n. 15. Cur nomen non proposuerit Paulus? p. 279. N. 8. Ep. II. ad Timoth. p. 285. n. 31.

Epistola Jacobi p. 280. Cur dicatur Catholica & Canonica? *ibid.* n. 19. An olim ab Ecclesiis recepta fuerit? p. 281. n. 20.

Epocha quid sit? p. 14. N. 2. Quæ Epochæ celebriores in profana Historia? p. 14. 15. 16. N. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Quæ magis usitatæ in Historia sacra? p. 16. N. 9. 10.

Essenii p. 281.

Evangelium S. Marci p. 256. n. 3. Quo idiomate primò conscriptum? *ibid.* Ubi autographum habeatur? *ibid.*

Evangel. S. Matthæi p. 255.

Evangelium S. Lucæ, quo idiomate editum? p. 266. N. 11. Quæ Lucas enucleatiùs exprimat præ aliis Evangelistis *ibid.*

Evangelium apud se tardiùs propagatum nulla gens justè conqueri potest pag. 255. n. 2.

Evaristus Papa p. 299.

Eucharistiæ promissio, in ea est verè & substantialiter Corpus & Sanguis Christi, ejus utilitas & necessitas p. 233. n. 22. Jejunè sumitur p. 272. n. 6. Est Sacramentum & sacrificium p. 420. n. 9. n. 12. p. 466. & 467. N. 12. & p. 678. Sub una specie sumebatur p. 682. N. 5. *Vide Communio.*

Eunuchi Reginæ Candacis Conversio p. 248. N 9.

Eutychianus Papa p. 631. N. 7.

Excommunicatio p. 268. N. 12. Quam timenda ea sit *ibid.* n. 22. Victor Pontifex non excommunicavit Asiaticos p. 434. N. 7. & à p. 457. ad pag. 460. Excommunicatus ab uno Episcopo recipi non poterat ab altero p. 418. N. 4. n. 6. Privatum hæreticum excommunicat Fabianus Papa p. 597. S. Cyprianus excommunicat Felicissimum & Novatum Schismaticos p. 604. S. Stephanus Pontifex non excommunicavit Cyprianum & alios Rebaptizantes p. 666. ad p. 668.

Exomologesis quid sit? p. 602. & p. 651. Quotuplici modo accipiatur? p. 651. N. 1. 2. & p. 682. N. 3.

Extorres quinam propriè olim in Ecclesia dicti sint? p. 598. n. 6.

F.

S. Fabianus Papa cœlitus eligitur p. 587. N. 1. Non baptizavit Philippum Imperatorem p. 597. N. 3. Divisit Diaconis septem urbis regiones p. 597. n. 5.

Fames in Judæa p. 257. Hierosolymitana p. 292. N. 2.

Fasti Consulares ab anno Primo Julianæ Correctionis usque ad initium Claudii Imperatoris à p. 17. ad p. 22.

Felicissimi & Novati Schisma p. 604. N. 11.

Felix Syriæ Præses. Inhorrescit ad Pauli orationem p. 274 N 3.

Felix Papa p. 629. Ejus doctrina circa Incarnationis Mysterium p. 629. & 630. n. 5.

Festum Præsentationis B. M. V. à quo tempore institui cœperit? p. 215. n. 15. Annuntiationis festum cur in Hispania mense Januario celebratum sit? p. 215. n. 17. Festum nati S. Joannis à quo anno sumpserit initium? p. 216. n. 20. Quo sensu accipiendum, quod Ecclesia miraculum in Cana, & Baptismum Christi, & Magorum adorationem colat p. 227. n. 11.

Festus Paulum vinctum mittit Romam & cur? 275. N. 4. & 5.

Fides Primævæ Ecclesiæ est eadem cum nostra, quam hodie Orthodoxi profitemur p. 676. 677. 678. & 679.

Fidelium Primorum vita p. 245. & p. 683. N. 7. & 8.

Filius Dei Unigenitus, æternus, Deus ex Deo p. 590. n. 5. Consubstantialis Patri p. 626. n. 2.

Firmilianus Cappadociæ Episcopus, quis? p. 620. N. 13. Acris ejus de Stephano Papa Epistola p. 620. & 666.

Flavius Vopiscus Historicus p. 564. Quo tempore & quid scripserit? *ibid.*

Florus Annæus Historicus Romanus p. 201.

Florus Præses crudelissimè exagitat Judæos p. 286. N. 15. & p. 288. N. 17.

Formatæ literæ p. 412. n. 5.

Fortunati Schisma p. 604.

Fossa Drusi p. 74. n. 27. Fossa Corbulonis p. 106. N. 6. & n. 10. Fossa Lucii Veteris inter Mosellam & Ararim p. 115. N. 8. n. 10. Interrumpitur opus n. 11.

Franco-

Francorum origo, variæ ſedes, & Etymon nominis à p. 554. ad p. 557.
Friſonum fœdus cum Druſo p. 74. Eorum bellum contra Tiberium p. 96. n. 28. Mittunt Legatos Romam ad Neronem p. 115. N. 8. Expelluntur captis ſedibus p. 116.
Fuga tempore perſecutionum licita p. 576. & 597.
Funera larvata quid ſint? p. 112. n. 4.

G.

Galba Imperator conjurat contra Neronem p. 124. Ejus vita & officia ante Imperium *ibid.* Omen futuri Regni p. 125. Occiſo Julio Vindice in Hiſpania ſe abſcondit p. 128. Poſt mortem Neronis pergit Romam *ibid.* Cruenta ejus Primordia p. 129. N. 2. n. 3. Dirigitur à nefariis Conſiliariis p. 129. N. 3. Negat donativum militi *ibid.* Piſonem adoptat p. 130. n. 5. Occiditur p. 131. N. 5. Omina mortis n. 7.
Galerius Imperator fit Cæſar p. 529. N. 13. Ejus natales *ibid.* Odium ingenitum adversùs Chriſtianos. *Ibid.* Variis artibus incitat Diocletianum ad perſecutionem Chriſtianorum p. 637. Cogit Diocletianum, ut abdicet Imperium p. 532. n. 13.
Galliæ nova diviſio facta ab Auguſto p. 70. n. 18.
Gallia in motus concitata à Sacroviro & Julio Floro p. 93 n. 19. & 20.
Galli adipiſcuntur à Claudio jus honorum in urbe p. 106. N. 6. Quatuor Galliæ partes quo tempore acceſſerint Imperio? p. 179. N. 5.
Gallienus Imper. Valeriani filius p. 506. Magiſtrum morum habuit Poſtumum *ibid.* n. 9. Bellum cum Germanis p. 506. Fœdus init cum uno Principe Germaniæ *ibid.* n. 10. Capto à Perſis Patre ſolus ſumit Imperium p. 509. Sub eo variæ Calamitates Imperii & Tyranni *ibid.* N. 11. 12. n. 12. p. 511. & 512. Triumphat de Perſis p. 511. N. 14. Occiditur p. 513.
Gamaliel Magiſter Pauli, quando Chriſti fidem amplexus ſit? p. 245. n. 45.
Gellius Author Noctium Atticarum p. 402.
Gentiles cur ad fidem Chriſti tanto numero pertracti ſint? p. 566. N. 2. n. 1.
Gepidarum origo & migrationes p. 559. N. 4.
Germanicus Druſi filius ſeditioſis legionibus ſe ad Imperium depoſcentibus reſiſtit p. 86. Mittit uxorem Agrippinam & filium Caligulam Treviros *ibid.* Marſos cædit p. 87. Profligat Cattos p. 88. Segeſti à Germanis obſeſſo ſuccurrit, *ibid.* Ingreditur Teutoburgenſem ſylvam, ubi fuerat Clades Variana p. 88. n. 6. Ab Arminio laceſſitur p. 89. ad Viſurgim pergit p. 89. n. 7. Pugnat contra Arminium & cædit Germanos *ibid* in loco pugnæ trophæum erigit *ibid.* n. 9. Naufragii periculum incurrit p. 90. N. 5. Avocatur ex Germania à Tiberio *ibid.* Ejus triumphus Romæ p. 91. n. 11. & 12. Jubetur adire Orientem p. 91. N. 6. Piſonis inſidiis perit *ibid.* Ejus cineres ab Uxore Agrippina deferuntur Romam p. 91. N. 6.
Germanorum origo p. 182. N. 1. olim Celtæ dicti *ibid.* Etymus nominis *Germani* p. 183. N. 1. Sylvæ præcipuæ Germaniæ p. 183. N. 2. Fines veteris Germaniæ *ibid.* Quinque olim præcipuæ Nationes Germanorum p. 183. N. 3. An Germania olim amplior fuerit ac hodie? p. 183. N. 2. Germaniæ diviſio in Cis- & Tranſrhenanam p. 185. N. 8. Ciſrhenana alia prima, alia ſecunda dicta & cur? *ibid.* Quos populos utraque complectatur? p. 186. N. 9. 10. Mores Veterum Germanorum p. 187. Res eorum civilis & militaris N. 12. Victoriæ Germanorum contra Romanos p. 188. N. 14. An Germania unquam in Provinciæ formam à Romanis redacta ſit? p. 188. N. 14. Germani ſemper timendi Romanis p. 73. N. 9. Quintilium Varum extremâ clade afficiunt p. 82. n. 45. Eorum crudelitas contra Romanas legiones n. 45. Ejiciunt Romanos à ſuis finibus usque ad Rheni ripas p. 83. n. 49. Ingentem cladem accipiunt à Germanico p. 89. Germanorum virtus in Bello Britannico p. 105. n. 8. Legati Germanorum comprobant fidem ſuæ nationis Neroni p. 115. N. 8 à Vatidicis fœminis accipiunt pacis & belli conſilia pag. 141. n. 6. Vendunt auro victorias ambitioſis Cæſaribus pag. 479. n. 8. Prætoriani Cæſaris Caracallæ p. 479. n 9. Fortitudo fœminarum de hac natione p. 478. n. 7.
Geta Auguſtus Severi filius abit cum Patre in Britanniam p. 473. Præficitur ibi juri dicundo p. 474. N. 6. Ejus cum fratre diſſidium p. 476. N. 1. à Caracalla in ſinu matris occiditur *ibid.* N. 2. Omina hujus necis p. 477. n. 2.
Gnoſtici turpiſſimi Hæretici p. 411. N. 2.
Golgotha unde dicatur? p. 241. n. 36.
Gordianus Senior in Africa Imperator eligitur p. 493. Ejus natales n. 2. Gordianum filium Collegam facit *ibid.* Utriusque cædes *ibid.*
Gordianus Tertius poſcitur à populo in Imperatorem p. 494. N. 3. Malignum ejus Imperium ſub Tutoribus p. 496. Melius regnum inſti-

instituit operâ Soceri Misithei *ibid.* Victoriæ ejus contra Persas p. 496. N 7. Proditur à Philippo Arabe p. 497. & occiditur p. 498. N. 8.
Gothorum origo, sedes, bella p. 558.
S. Gregorius Thaumaturgus discipulus Origenis p. 586. Fit Episcopus Neocæsareæ p. 590. Ejus miracula p. 589. & 590. Alexandrum Carbonarium creat Episcopum Comanæ p. 591. N. 5. Ejus obitus 629. Scripta p. 675.

H.

HAbitus Clericorum in primis sæculis p. 649. & 650.
Hæmorrhoissa ponit statuam Christo Sospitatori p. 230. n. 18.
Hebdomadum Danielis initium p. 54. & 55.
Hebræi Chronologiam nunquam de industria corruperunt p. 27.
Hegesippus Scriptor Ecclesiasticus, quo anno & quæ ediderit? p. 464. N. 7. Testatur de unitate doctrinæ in omnibus Ecclesiis p. 421. N. 8. & 464. N. 7.
Heliogabalus Sacerdos Solis idoli p. 483. N. 11. Ejus Genealogia *ibid.* n. 17. Etymus nominis n. 17. Fit Imperator p. 484. N. 11. Vincit Macrinum *ibid.* Assumit Antonini nomen N. 12. Vitia Heliogabali p. 484. N. 12. Insania, luxus, & superstitio p. 485. N. 13. Mulierum Senatum instituit *ibid.* Adoptat fratrem Alexianum, qui dein Alexander dictus est N. 14. Mors fœda Heliogabali p. 489. N. 14. An ultimus Antoninorum? n. 20.
Heraclas Episcopus Alexandriæ p. 585. N. 12.
Herbipolis ædificandæ occasio à tempore Drusi p. 74. n. 27.
Herennius Dexippus p. 563. N. 6.
Hermas quis & ejus scripta p. 298.
Hermogenis errores p. 431. N. 2. Confutatio n. 1.
Herodes Antipatri filius, quo anno ætatis præesse cœperit Galilææ p. 204. n. 5. Malichum occidit p. 205. N. 4. Romam fugit p. 206. Rex Romæ creatur *ibid.* Quo tempore Hierosolymam expugnârit? p. 206. n. 8. Diffidia ejus cum Alexandra Socru p. 208. Aristobulum occidit *ibid.* Accusatur apud Antonium p. 208. N. 8. Dicit causam & liberatur p. 209. N. 9. Interficit Hyrcanum p. 210. N. 10. Stabilitur in regno ab Augusto p. 211. Necat Mariamnam & ejus matrem Alexandram *ibid.* Alexandrum & Aristobulum ex Mariamna susceptos filios Romam ad Cæsarem educandos mittit p. 212. Samariam munit *ibid* n. 11. Templum Hierosolymitanum incipit exstruere p. 212. n. 13. Antipatrum ex plebeja genitum præ Alexandro & Aristobulo fovet p. 213. Hos Samariæ supplicio addicit *ibid.* Antipatri insidias detegit p. 214. Infantes Christi causâ occidit p. 220. Ejus morbus p. 221. N. 15. n. 36. Pharisæos exuri jubet *ibid.* Nobiles omnes Hippodromo includit post mortem suam occidendos *ibid.* Archelao filio transcribit regnum *ibid.* Post gravissimos dolores toleratos moritur, & quo anno? p. 221. & 222. n. 37.
Herodes Antipas filius M. Herodis disceptat de regno cum Archelao Romæ p. 222. præficitur Galilææ ibid.
Herodianus Historicus Græcus ejúsque scripta p. 562. & 563. N. 4.
Herodias conjux Philippi Herodis, Antipæ adultera p. 228. machinatur necem S. Joanni p. 232.
Herulorum natale solum, variæ sedes ac vastationes Imperii p. 560. N. 5.
Hieracis Hæresis, p. 637. N. 14.
Hierarchia Ecclesiastica p. 680. N. 2.
Hierosolyma ab Herode expugnatur p. 206. N. 6. n. 8.
Hierosolymitanæ cladis omina p. 286. N. 15. & pag. 287. N. 16. Hierosolymam quot incolæ inhabitârint? p. 287. N. 17. Urbs obsidione cingitur à Tito, p. 292. N. 2. Ærumnæ & calamitates urbis N. 3. Conflagratio templi p. 239. Hierosolymæ excidium, N. 4.
Hispania olim in duas partes divisa p. 180. quando subjecta sit Romanis p. 180.
Historia de Sudore sanguineo Christi, cur olim in aliquibus codicibus reperta non fuerit? p. 240. n. 35.
Hora, quâ Christus crucifixus est, p. 241. n. 37.
Horatius quando floruerit? p. 197. N. 1.
Hydriæ, in queis aqua in vinum conversa est, ubi asserventur? p. 227. n. 10.
Hyginus Papa, p. 415. N. 1. Cerdonem, qui in Ecclesiam irrepserat, ab eadem proscribit, p. 417.
Hymenæus Indifferentistarum antesignanus à Paulo proscribitur p. 270. N. 1. n. 2.
Hyrcanus Alexandri Jannæi filius Sacerdotium accipit, p. 202. N. 2. recipit Principatum Judææ à Pompejo p. 203. à Parthis in captivitatem abstrahitur, & auribus mutilatur, p. 205. N. 5. repetitur ab Herode p. 207. N. 7. & occiditur. p. 210. N. 10.

I.

JAcobus Frater Domini Primus Hierosolymorum Episcopus p. 247. N. 8. Martyrio afficitur p. 279. N. 9. Epistola ejus Catholica, p. 280. n. 19. Liturgia n. 18. Cathedra *ibid.*

Jacobus Joannis frater abit in Hispaniam, p. 254. an ibidem prædicârit? à pag. 330. ad p. 336. quando Hierosolymam redierit? p. 257. Martyrio afficitur, p. 257. N. 2.

Jani templum clauditur ab Augusto primâ vice, p. 68. N. 4. n. 11. secundò p. 70. N. 6. tertiò p. 77. n. 35. Idem templum sextâ vice clauditur à Vespasiano p. 144.

Japhet primogenitus filius Noë fuit p. 31.

Idistavisus campus, ubi cum Arminio conflixit Germanicus p. 89. n. 8.

Idolodytha quomodo prohibita? p. 260. n. 10.

Jejunium quadragesimale & ejus origo p. 225. n. 4. Jejunia in Ecclesia sua futura prædicit Christus p. 230. n. 17. Cur Orientales feriâ quartâ jejunare soliti sint? p. 238. n. 3. Jejuniorum diversitas & rigor præcipuè in majore hebdomada p. 683. N. 7. Jejunia possunt præcipi ab Episcopis p. 683. N. 7.

S. Ignatius Episcopus Antiochiæ p. 405. N. 5. & Archiepiscopus Syriæ p. 406. n. 8. Varia ejus nomina ibid. & n. 7. Damnatur ad bestias p. 406. Deducitur Romam N. 6. Literæ ejus ad varias Ecclesias p. 407. & p. 460. & 461. Quænam ex his genuinæ sint? p. 461. N. 1. Ardor pro Christo moriendi p. 407. N. 7. n. 10. Docet in Eucharistia esse verè Corpus Christi p. 407. n. 10. & Diaconis commissum esse ministerium sublimius JESU Christi n. 11. Ejus Martyrium p. 408. N. 7. reliquiæ *Ibid.*

Illyricum quas regiones complectatur? p. 180. Quo tempore ad Romanos pervenerit? p. 180 N. 7.

Imaginum usus in primæva Ecclesia? p. 645. N. 5. Icon posita ab Hæmorrhoissa Christo p. 270. n. 18. Cur quarundam imaginum usus prohibitus in primis sæculis? p. 640. N. 16.

Imperatoris nomen cujus, & quotuplicis significationis sit? p. 164. n. 4. An Cæsares semper dicti sint Romanorum Imperatores? p. 165. N. 4. Imperatores cur dicti sint Augusti? p. 163. N. 1. Cur semper Augusti? p. 164. N. 2. à quo tempore usurpârint diadema? p. 164. N. 4. Cur Consulatum admiserint? p. 165. N. 5. Quare dicti Proconsules? p. 166. N. 6. Quo ex fine admiserint Tribunitiam potestatem? p. 167. N. 7. Vindicârunt sibi summum Sacerdotium p. 167. An Christiani Imperatores hoc nomen & officium sibi arrogârint? p. 167. N. 8. Appellati quandoque sunt Imperatores Pii, Felices p. 168. N. 9. Raro admisêre titulum Patris Patriæ p. 168. N. 9. Rariùs etiam Domini, ac Dei nomen suscepêre p. 152. n. 4. Imperatorum Epistolæ, Pragmaticæ sanctiones, interlocutiones vel decreta, ac Constitutiones, quid sint? p. 177. N. 6. Quibus Provinciis Romanorum potestatem amplificârint Cæsares? p. 181. N. 11.

Incendium urbis Romanæ in Christianos derivat Nero p. 120 N. 14. n. 19. p. 282. N. 11.

Incestuosum excommunicat Paulus p. 268.

Indulgentiarum prima indicia & exempla p. 271. n. 4. p. 601. N. 7.

Infantium ab Herode occisorum numerus p. 220. n. 34. An inter eos fuerit quoque infans Herodis? p. 221. n 35.

Infantium Baptismus p. 465. N. 9.

Invocatio Sanctorum p. 679. N. 5.

Joannes Apostolus missus in oleum fervens evadit incolumis p. 299. In Patmum relegatur *ibid.* Scribit Apocalypsin p. 299. n. 13. Ephesum redit p. 300. N. 13. Scribit Evangelium *ibid.* & an quo tempore obierit? p. 403. N. 2. n. 2.

Joannes Præcursor Domini nasciturus annuntiatur p. 214. N. 12. Urbs ejus Natalis p. 216. n. 18. Quo tempore prædicare cœperit? p. 224. N. 1. Baptizat Christum p. 224. N. 1. Dat de eo testimonium p. 226. Quid conferat ejus Baptismus? p. 225. n. 3. & 6. Traditur vinculis p. 228. Capite plectitur p. 232. Ejus reliquiæ *ibid.* n. 21.

Interpretatio Prudentum quâ occasione à Cæsaribus admissa sit? p. 175. N. 4.

Joram quanto tempore regnârit cum Patre Josaphat? p. 46.

S. Josephus Nutritius JESU Christi quam fabrilem artem exercuerit? p. 223. n. 38. Mortuus ante prædicationem Christi p. 227. n. 9.

Josephus Herodis Patruus, jussus clàm Gynecæum interficere, mandatum prodit p. 209. Occiditur p. 210. N. 9.

Josephus Flavius, Judaicus Scriptor, quo tempore absolverit suos Commentarios? p. 200. N. 8. Ejus testimonium insigne de JESU Christo p. 293. n. 1.

Irenæus Lugduni Episcopus p. 428. N. 10. Blasti errores oppugnat *ibid.* Inclinat in sententiam Papiæ de millenario regno JESU Christi p. 409. Nec tamen ideo reprehendendus *ibid.* Hortatur Victorem Pontificem, ne Asiaticos excommunicet p. 434. N. 6. n. 8. Ejus opera ac scripta p. 464. 465. 466. & 467.

Irmensula ecquod monumentum fuerit? p. 93. n. 18.

Italiæ divisio in 12. partes per Augustum facta p. 179. N. 4. Quo tempore singulæ Romanorum ditioni accesserint? *ibid.*

Judæis cur primò & præcipuè prædicatum sit Evangelium? p. 234. N. 24. In quo differant ab Idumæis? p. 202. n. 2. Obsistunt Cajo Cæsari, volenti statuam invehere templo Hierosolymitano p. 252. Eorum persecutio Alexandriæ *ibid.* Proscribuntur ex urbe Romana p. 107. N. 7. Seditio Judæorum adversùs Romanos & bellum apertum p. 288. N. 17. Judæorum internecio in urbibus p. 288. N. 18. Numerus Judæorum, qui vivebant Hierosolymis p. 287. N. 17. Eorum pertinacia in obsidione Hierosolymæ p. 290. N. 20. Eorum factiones p. 291. N. 2. Ærumnæ ac calamitates p. 292. Judæorum internecina clades p. 293. N. 4. Venduntur vilissimo pretio p. 293. N. 4. Quot interierint fame, peste & bello in obsidione Hierosolymitana? p. 294. N. 4. Edictum Adriani Imp. contra Judæos p. 413. N. 5. Proscribuntur omnino ad aditu Regionis Hierosolymitanæ *ibid.*

Judæa quando, & quibus de causis Romanis Vectigalis facta sit à Pompejo? p. 203. n. 4.

Judææ perturbatæ status p. 274. & causa n. 9.

Judææ statuta desolatio p. 294. N. 6.

Julii Cæsaris bella contra Germanos p. 73. & 74. n. 25.

Julius Pollux p. 402. N. 5.

Julius Capitolinus p. 563. N. 7.

Julius Vindex Galbam contra Neronem in Conjurationem impellit p. 124. N. 19. Ejus Natales & virtus p. 125. n. 26. Legiones Julii fortuito eventu cæduntur p. 125. N. 21. Sibi vitam eripit. *Ibid.*

Julia filia Augusti jungitur Uxor Marcello, dein Agrippæ p. 71. N. 8. Mater Caji & Lucii Cæsarum *ibid.* Demum Conjux Tiberii p. 76. N. 12. Ejus libidines p. 78. N. 13.

Jus Papyrianum quid? p. 173. N. 1. Quid Flavianum? p. 175. N. 4. Quid Ælianum? p. 176 Jura Civium Romanorum p. 192. N. 1. Qualia privilegia annexa sint juri Civitatis N. 2. 3. 4. 5. Jus Latii p. 193. N. 6. Jus Italicum p. 194. N. 7. Jus Provinciarum, Jus Coloniarum p. 195. N. 1. Jus Municipiorum p. 195. N. 3.

Jurisprudentia media, quæ sic dicta fuerit apud Romanos? p. 175. Jus Naturæ, Gentium, & Civile, quinam primi excoluerint? p. 173. N. 1.

S. Justinus è Gentili Christianus p. 419. N. 6. Apologiam primam scribit pro Christianis ad Antoninum *ibid.* Altera Apologia Justini p. 424. N. 4. & Martyrium *ibid.*

Justinus Historicus p. 402.

L.

Lapsi in persecutione & lapsûs causæ p. 594. N. 1. Eorum variæ classes *ibid.* & p. 603. n. 11. Lapsorum Episcoporum nomina p. 595. N. 2. Ultio divina in lapsos p. 595. & p. 596. N. 2. Severitas disciplinæ Ecclesiasticæ circa lapsos p. 602. N. 9. Providentia circa lapsos morituientes p. 603. n. 10. n. 11. Synodi in causa lapsorum celebratæ p. 611. Lapsi Episcopi arcentur ab Ecclesiasticis officiis p. 616.

Lampridius Historicus p. 563. N. 7.

S. Laurentius Martyr & Archidiaconus p. 622. Ejus passionis Acta *ibid.* n. 14. Templa in ejus honorem erecta *ibid.*

Lazari resuscitatio p. 237. N. 5. An in Massiliam cum Magdalena devenerit? pag. 246. n. 48.

Legalium observatio cur non statim abrogata p. 261. n. 10. Quanto tempore duraverit? p. 273. n. 8.

Legum Romanarum modus & forma sub Regibus p. 173. N. 1. Leges curiatæ quid? N. 2. quid Tributæ? *ibid.* quid Centuriatæ? *ibid.* Legum ratio sub Consulibus p. 174. N. 3. Leges XII. tabularum p. 174. N. 3. Earum argumentum p. 176. Quanti habitæ à Romanis? *ibid.* Legis Actiones p. 175. N. 4. Legum ferendarum modus sub Cæsaribus p. 176. N. 6. Lex Regia p. 177 N. 8. Lex Romana, ne quis colat Deos nisi publicè receptos, periculosa Christianis p. 263. Tiberius lege proscribit sericarum vestium usum p 87. Lex nefasta *Claudii* de consanguineorum nuptiis p. 107. Centum viralia judicia lege disposuit Vespasianus p. 142. N. 7. & ut mulier libera servi consuetudini addicta, ancilla habeatur p. 142. & ne fœneratori fas esset exigere creditum à filiofamilias *ibid.* *Domitianus* speciali lege probrosis fœminis lecticæ usum adimit p. 150. N. 3. Nerva servos injuriosè cum Dominis agentes à foro reprimit. p. 160. N. 2.

Legem

Legem de vigesima ex hæreditatibus pendenda abolet *ibid.* Legem abrogat de propinquorum nuptiis N. 4. Ne quis faciat Eunuchum, jubet p. 573. n. 10.
Leges Marci Aurelii Imp. p. 374. N 5.
Libellatici quinam dicti? p. 595. N. 1.
Libelli Martyrum p. 601. N. 7. Abusus libellorum N. 8.
Limites quânam ratione olim constituti? p. 178. N. 1. Limitanei agri N. 2. Limitrophi fundi *ibid.* Limitanei exercitus & limitaneæ civitates quid? *ibid.*
S. Linus Papa an successerit immediatè Petro? à p. 341. ad p. 344.
Literæ formatæ seu communicatoriæ p. 629. n. 4.
Lites Christianis non licebat deferre ad Gentiles Magistratus p. 681. N. 3.
Liturgia p. 682. N. 6. Apostolorum *ibid.* Clementis *ibid.* Jacobi p. 280. n. 18.
Livia conjux Augusti, mater Tiberii & Drusi p. 71. n. 22. Ejus Genealogia p. 72. n. 22.
Livius Historicus quid & quo tempore scripserit? p. 198. Quinam ejus libri interierint? *ibid.*
Locustæ quæ fuerint, quas comedisse dicitur S. Joannes in deserto? p. 224 n. 2.
Longinus Philosophus Porphyrii Præceptor p. 263. N. 6.
Longobardorum origo & irruptiones in Imperium p. 561.
Lotio pedum, quare à Christianis frequentata fuerit? p. 238. n. 31.
S. Lucæ Evangelium p. 266. N. 11. Scribit Acta Apostolorum p. 279. Prædicat per varias Provincias *ibid.*
Lucianus, scriptor profanus p. 402. N. 4.
Lucianus Confessor abutitur dispensatione libellorum p. 601. N. 8.
Lucius Cæsar & Nepos Augusti moritur p. 79. n. 38. & 39.
Lucius Papa p. 613. N. 3. Gratulatio Cypriani ad Lucium Papam n. 6. Cur Episcopi Comites esse voluerit septem Diaconos n. 7.
Lucius Rex Britanniæ, ejúsque conversio p. 429. & p. 430. N. 12.
Lucius Verus adoptatur in Collegam à Marco Aurelio Imperatore p. 373. N. 3. Parthico bello præficitur N. 4. Ejus vitia *ibid.* Mors Lucii Imperatoris p. 375. N. 7.
Ludi Actiaci p. 67. n. 10. Sæculares sub Claudio p. 106. N. 6. & n. 11. Sub Philippo Arabe p. 499. N. 10. n. 9.
Ludi ad quid instituti? p. 394. N. 1. Quotuplices N. 1. & 2. p. 395. Sæcularium Ludorum forma p. 395.
Ludi Circenses & scenici p. 396. N. 4. & 5.
Ludi Capitolini p. 153. N 8.

M

Macrinus Imperator p. 482. N. 10. *Ejus infelix* bellum contra Parthos *ibid.* Macrini ejúsque filii interitus p. 484. N. 11.
Magistratus Romanæ urbis, Consules p. 169. n. 1. Prætores p. 170. N. 2. Tribuniplebis *ibid.* N. 3. Ædiles p. 171. N. 4. Quæstores N. 5.
Magistratuum horum nova forma sub Imperatoribus p. 171. N. 6. Prætorii Præfectus *ibid.* Triumviri legendi Senatûs *ibid.* Præfecti cursorum *ibid. &c.*
Magistratus Provinciarum dicti Proconsules, & quæ nova ratio eorum tempore Augusti? p. 172. N. 8.
Magi an tres fuerint, qui Christum adorârunt? p. 219. n. 31. Quæ eorum nomina *ibid.* An Reges fuerint? n. 32. An cultu latriæ Christum adorârint p. 220. n. 33.
Mammæa Alexandri mater an Christiana fuerit? p. 488. n. 23.
Marcellinus Papa p. 635. An lapsus fuerit? p. 638. & n. 16. Ejus obitus *ibid.*
Marcionis Apostasia p. 418. N. 4. Ejus errores *ibid.*
Marcosiani hæretici p. 428.
Marcus scribit Evangelium p. 256. n. 3. Patriarcha Alexandrinus p. 281. N. 10. Ejus Martyrium *ibid.* Reliquiæ quando Venetias adductæ? p. 281. n. 23. S. Marcus constituit, ut Patriarchæ successores à duodecim Presbyteris eligantur p. 382. n. 24.
Marcus Joannes quis? p. 262. n. 12. Cur Paulus eundem à comitatu rejecerit? p. 262. N. 8.
Marcus Aurelius Imp. & Lucius Verus primi Imperatores Coaugusti p. 371. Marci Aurelii Adolescentia p. 372. N. 1. & N. 2. Adoptatur ab Antonino Marcus p. 373. N. 3. Bellum ejus cum Marcomannis & Germanis p. 374. 375. & 376. Persequitur Christianos p. 422. & 423. à Quadis undique includitur p. 376. N. 8. Mirabilis victoria eidem à Deo per Christianorum preces impetrata p. 376. n. 12. & p. 377. n. 13. Cassius rebellat contra Marcum Aurelium, indulgentia hujus in Faustinam Conjugem N. 6. n. 16. Triumphus de Marcomannis p. 379. Mors M. Aurelii.

Manes

Manes Hæresiarcha, unde nomen suum desumpserit? p. 632. n. 10. Ejus genus & Magistri p. 632. Impium Institutum p. 633. Enecat præstigiis suis Persarum Regis filium *ibid* N. 8. Supplicium Manetis *ibid.* Insana Hæresiarchæ dogmata p. 634. Manichæi seu Manetis Discipuli p. 634. N. 10.

Marcomannorum origo & res gestæ eorum p. 398. & 399.

S. Maria B. V. accipit nuncium de nascituro Servatore p. 214. n. 13. In templo enutrita p. 215. n. 15. Desponsata S. Josepho, n. 16. Visitat Elisabeth & cur? p. 216. n. 19. Cur Christus visus sit, negare primò, quod in Nuptiis Canæ oraverat à filio mater? p. 227. N. 2.

Mariamne Alexandræ filia Herodis Uxor p. 207. Ejus odium adversùs conjugem p. 209. & 211. Veneficii accusata ab Herode damnatur ad supplicium p. 211.

Maroboduus Rex Marcomannorum cum suis secedit in Bojohemum p. 77. n. 33. Intentat bellum Romanis p. 80. N. 14. Impugnatur à cæteris Germanis p. 92. N. 7. Supplicat frustrà apud Romanos pro suppetiis *ibid.* Ægrè ab his impetrat exilii locum *ibid.* à Catualda Gothone Regno exuitur *ibid.* n. 15.

Martialis Poëta quid scripserit, & quo tempore? p. 200.

Martyres quàm acerbè cruciati? p. 438. N. 1. Instrumenta Martyriorum *ibid.* N. 3. Carceres p. 440. N. 4. Multitudo Martyrum ostenditur p. 441. N. 7. Dodwelli Novatoris sententia de paucitate Martyrum confutatur p. 440. p. 441. & p. 442. In mortuorum Martyrum Reliquias insana Gentilium sævities p. 641. N. 1. Sepulturâ Martyres prohibiti p. 641. N. 2. Feris expositi, *ibid.* Martyrum exuviæ facinorosorum ossibus commixtæ p. 642. N. 3. exuruntur N. 4. Traduntur fluctibus maris p. 642. N. 5. Sepulturæ Martyrum exuviis à Christianis impensæ à p. 643. ad p. 646. Martyrum sepulchris aræ impositæ p. 647. & 648. Martyrum libelli in quem finem dati? p. 601. N. 7. Eorum indiscreta dispensatio reprehenditur à S. Cypriano, & quâ de causa? p. 601. N. 8. Martyrum dies anniversarii cultu religioso celebrati p. 600. N. 7.

Mathusalem mortuus est eo anno, quo cœpit Diluvium p. 26. N. 4. Error Calculi Græci hac de re p. 25.

S. Matthæus an Ethnicus fuerit, aut Judæus? p. 230. An imprudenter fecerit, statim sequendo Christum? p. 230. n. 16.

Mattium sive Marburgum à Germanico evastatum p. 88. n. 5.

Matrimonium an verum fuerit inter B. Virginem & S. Josephum? p. 215. n. 16. Matrimonium etiam in casu adulterii est indissolubile quoad vinculum p. 236. n. 28. Est Sacramentum p. 277. N. 6. Matrimonia clandestina jam primæva Ecclesia improbavit p. 407. n. 12.

Mausolea Romanorum p. 537. N. 4.

Maximianus Collega Diocletiani Imp. p. 527. N. 11. Ejus genus & res gestæ ante Imperium *ibid.* Herculei nomen accipit à Diocletiano p. 527. N. 11. Crudelis in Thebanam legionem p. 528. Victor Germanorum p. 528. N. 12. & Bagaudarum *ibid.* Abdicat cum Diocletiano Imperium p. 532. N. 16. n. 13.

Maximinus Thrax occidit Alexandrum Imperatorem p. 490. Ejus Natales & res gestæ ante Imperium *ibid.* Fit Imperator p. 491. Ejus crudelitas p. 491. N. 1. Populatur Germaniam p. 492. N. 2. n. 1. Senatus Romanus alios Imperatores in locum ejus surrogat p. 493. & 494. Occiditur *ibid.* N. 4.

Maximinus fit Cæsar p. 532. n. 15. & p. 533.

Mecænas literatorum patronus p. 197. Familiaris Augusti p. 84. n. 53.

Melchisedechiani Hæretici p. 436.

Melito quis? scribit Apologiam pro Christianis p 425. N. 5. & p. 464.

Menandri hæresis p. 296. n. 4.

Menses alii solares, alii lunares p. 3. N. 2. Mensium partes apud veteres *ibid.* N. 3. Quot diebus quisque absolvatur p. 4.

Messalina turpissima conjux Claudii Imp. p. 105. Necatur p. 107. N. 7.

Metropolitanorum origo p. 680. N. 2.

Militia Romana p. 390. Delectus militum *ibid.* N. 1. Exercitûs partes p. 390. N. 3. Ordo militum p. 391. N. 4. Ordo Ducum N. 5. Arma p. 392. N. 6. Signa & vexilla N. 7. Forma castrorum N. 8. Disciplina militaris N. 9.

Minutius Felix, ejúsque Dialogus pro Christiana religione p. 579. N. 2.

Miracula sunt in vera Ecclesia p. 465. N. 9. Miracula Christi p. 227. 229. 230. Gregorii Thaumaturgi p. 590. N. 5.

Misitheus Gordiani socer p. 496. N. 6. Ejus operâ vincit Persas Gordianus Imp. p. 497. n. 5. Honores Misithei *ibid.* Mors p. 497. N. 7.

Moguntiæ honorarius Drusi tumulus p. 76. n. 31.

Mo-

Monarchiæ an duæ, an quatuor numerari debeant? p. 48. N. 2. Earum Mystica descriptio *ibid.* & p. 49. Monarchia *Assyriorum* quare sic appellata? ejus origo, & progressus p. 49. N. 3. Interitus p. 50. Monarchia *Persarum* cur per pectus argenteum repræsentata? & an quatuor duntaxat Reges habuerit? p. 50. N. 4. Sub quo Rege desierit, & quo anno? *ibid.*

Monarchia *Græcorum* quando cœperit? p. 50. N. 5. Cur Pardus alatus ejus sit Symbolum? *ibid.* Quot annis duraverit integra? *ibid.* Ejus divisio in varia Regna p. 51. Quando penitus interierit? *ibid.*

Monarchiæ Romanæ initia p. 51. N. 6. & p. 67. N. 3. Cur ad tantam amplitudinem & potentiam hoc Imperium Deus evexerit? p. 51. Ejus Præcipuæ Periodi ad hæc usque tempora p. 52.

Montanus ejúsque hæresis p. 427. N. 8. n. 7.

Mulierum Aquilejensium pugna & fortitudo contra Maximinum p. 494. n. 2. Mulieres Germanorum antehabent libertatem vitæ p. 75. & 478. n. 7. Mulieres subintroductæ quid sint? p. 629. n. 4. & an tales Clericis habere liceat? *Ibid.*

Mundus conditus anno quater millesimo ante Christi nativitatem p. 29.

Munimenta celebriora à Druso in Germania ædificata p. 75. n. 30.

N.

Narcissus Hierosolymorum Episcopus primus accipit Coadjutorem Episcopum p. 580. n. 3.

Natalis ab hæresi ad Catholicam fidem revertitur Pœnitens p. 577. & p. 578. N. 17.

Nathanaël an idem sit, qui Bartholomæus? p. 226. n. 8. Cur Nathanaëlem Christus non cooptârit in Apostolum? *Ibid.*

Nazaræorum ritus p. 272. n. 7. Nazaræi HH. p. 273. n. 7.

Nero Agrippinæ ex Domitio Ænobarbo filius p. 108. N. 8. Ejus turpis pueritia *ibid.* adoptatur à Claudio p. 108. N. 8. Adipiscitur Imperium p. 110. N. 1. Ejus Gubernationis bona exordia p. 110. N. 2. Ejus Reverentia in matrem p. 111. N. 3. Mutatio Neronis *ibid.* Agrippinam matrem odisse incipit p. 111. N. 4. Britannicum occidit p. 112. Matrem ex aula ejicit p. 112. N. 4. Vita scurrilis Cæsaris N. 5. Insidias struit matri p. 113. n. 7. Interfici jubet p. 114. N. 6. Impietas Neronis in matris cadaver p. 114. n. 8. Conscientia ejus exagitatur p. 114. N. 7. Neronis infames libidines p. 119. Incendit urbem Romanam *ibid.* N. 13. & 14. Reædificat *ibid.* Persequitur Christianos p. 119. n. 19. Conjurationem detegit & punit p. 121. n. 20. Senecam præceptorem addicit neci. p. 122. N. 16. Viros insigniores ad supplicium rapit p. 123. N. 17. Abit in Achajam N. 18. n. 25. Isthmum perfodi jubet *ibid.* Redit ex Achaja Romam p. 125. n. 27. & 28. Fugit ex urbe cum paucis p. 126. N. 22. Damnatur à Senatu *ibid.* Omina mortem antecedentia p. 127. n. 23. Funus Neronis n. 31. à quibusdam perperàm creditum est, eum fore Antichristum p. 127. n. 29.

Nepotis Chiliastæ errores confutantur à Dionysio Alexandrino p. 627.

Nerva Coccejus creatur Imperator p. 159. N. 1. Ejus modestia & liberalitas p. 160. N. 2. & 3. Indulgentiâ nimiâ ansam dat conjurationibus p. 161. N. 4. & 5. Adoptat Trajanum *ibid.* N. 6. n. 3. Mors Nervæ p. 162. N. 7.

Nicolaus Diaconus an author fuerit Nicolaitarum Sectæ p. 246. n. 47.

Ninus quando fundârit Imperium Assyriorum? p. 43.

Noë sexcentesimum annum vitæ in fine Diluvii complevit p. 31.

Noricum, quas Regiones complectatur? p. 181. N. 12. à Diocletiano dividitur in ripense, & mediterraneum *ibid.* Quis hanc Provinciam in potestatem Romanorum redegerit? p. 181. N. 12.

Novati & Felicissimi Schisma p. 604. N. 11.

Novatianus primus contra Cornelium Antipapa p. 606. & 607. Novatiani Schisma desinit in hæresin p. 608. N. 13.

Numerianus filius Cari Imperatoris ejúsque mors p. 526.

Nummaria res Romanorum unde originem habeat? p. 550. N. 1. & 2. Variæ monetæ Romanorum earúmque valor p. 551. N. 2. Quando aurei & argentei Nummi cœperint esse in usu? forma Nummorum N. 3. Præstans utilitas Nummorum ad Romanam historiam p. 551. Quænam in Nummis potissimùm consideranda sint? p. 552. N. 5. Pars adversa Nummorum *ibid* Pars aversa Nummorum N. 7. Selectus Nummorum p. 553. N. 8. Præstantiora Numismata Augusti p. 66. n. 2. & p. 67. Alia Sæculi primi & secundi selecta Numismata p. 553. N. 8. Numismata insigniora tertii Sæculi 554.

O.

Octavia Claudii filia fit Neronis Conjux p. 108. N. 8. Contemnitur à Nerone p. 111. N. 3. In exilium pellitur & occiditur p. 118. N. 12. n. 17.
Odenatus vincit Persas, p. 510. & unus Imperii rempublicam tuetur n. 14.
Opera bona ad salutem æternam exigit S. Justinus p. 420. n. 8.
Oppianus Poëta celebris p. 561. N. 2.
Ordinatio Gregorii Thavmaturgi p. 589. N. 4. n. 4.
Origenes filius Leonidis p. 570. Ejus Institutio, & ardor Martyrii ibid. n. 6. Sustentatio Origenis post Patris Martyrium p. 571. N. 7. Catechista Alexandriæ p. 572. Ejus discipuli *Ibid.* Origenis Castratio p. 573. An Castratio eo tempore fuerit impedimentum Canonicum? p. 573. n. 10. & pag. 584. n. 8. Origenes Philosophiæ studet p. 580. N. 4. Apologia illius pro hoc studio p. 581. n. 4. Concionatur adhuc Laicus improbante Demetrio p. 581. N. 5. Origenes ab aliis Episcopis defenditur n. 5. Origenis Commentationes p. 583. N. 7. Initiatur Sacerdotio N. 8. Accusatur à Demetrio p. 584. N. 9. Damnatur & deponitur N. 10. Apologia Origenis p. 585. N. 11. Ejus Hexapla Tetrapla & Octapla p. 587. N. 2. & p. 588. Origenis Zelus in Gentilium & HH. conversione p. 591. N. 6. An in Persecutione Decii lapsus fuerit? p. 600. n. 10. Mors Origenis p. 615. N. 7. Quos errores ejus scripta contineant? p. 674. N. 3.
Otho Sylvius Imperator eligitur p. 131. N. 5. Ejus Natales p. 130. N. 4. Poppææ Conjux *ibid.* Mittitur in Lusitaniam *ibid.* Comitatur Galbam in Italiam p. 128. N. 1. Concitat milites in Galbam Imp. p. 131. N. 5. n. 6. & 7. Illudit amputato capiti Galbæ *ibid.* Vincitur à Vitellio & se ipsum interficit p. 133. N. 8. Ejus ultima ad Nepotem monita *ibid.*
Ovidius Poëta insignis p. 198. Cur in exilium missus? *Ibid.* Quot annis in eo vixerit? *Ibid.* Quinam ejus libri interierint? *Ibid.*

P.

Pantænus p. 431. N. 3. & p. 432. n. 3.
Pantheon Imperante Augusto exstructum p. 71. n. 19.
Papias Hierapolitanus Episcopus quis? p. 409. N. 10. Ejus libri de interpretatione ac ingenium *ibid.* Millenarium Christi Regnum primus adstruxit *ibid.* & p. 443.
Papinianus juris omnis Asylum p. 472. N. 4. n. 11. Leges ejus studio conditæ *ibid.* Cur à Caracalla fuerit occisus? p. 477. N. 2. n. 4.
Parthi Romanis restituunt Aquilas Crasso Duci ereptas p. 77. Parthici Regni interitus p. 488. N. 18.
Pascha Judæi celebrârunt Lunâ decimâ quartâ sub vesperam p. 449. N. 1. Eodem tempore Christus ultimum Pascha suum peregit à pag. 449. ad pag. 456. Morem hunc secuti sunt Asiatici p. 457. N. 3. & p. 433. n. 4. Cur Victor Pontifex voluerit, ut omnes Ecclesiæ pascha celebrarent non aliâ quàm Resurrectionis Dominicæ die? p. 433. n. 5. Concilia hâc de controversia habita p. 433. N. 6. & p. 434.
Patriarchales tres Sedes tempore Apostolorum institutæ p. 250. 254. & 281.
Patriarchæ, qui vixerunt usque ad diluvium p. 30. Eorum anni Nativitatis & vitæ *ibid.* Quando hi anni numerari debeant integri, aut minùs completi? p. 30.
Patropassiani Hæretici p. 435. N. 9.
Paulus eruditur sub Gamaliele p. 248. n. 53. Ejus Conversio p. 249. An Christus ei verè apparuerit? *ibid.* n. 55. Visitat Petrum Hierosolymis p. 249. Elymam Magum cæcitate percutit p. 258. N. 4. Lapidatur Lystræ p. 259. Pythonissam sanat p. 263. Præfectum Carceris Philippis convertit, p. 264. Prædicat in Areopago *ibid.* N. 8. & p. 265. n. 16. Miracula p. 267. Ephesinus tumultus contra Paulum p. 269. N. 13. Cur solis Tito & Timotheo discipulis scripserit? p. 270. n. 1. Proficiscitur Hierosolymam p. 272. Nazaræorum ritum suscipit p. 273. Vinculis datur p. 274. Oratio ejus ad Felicem præsidem *ibid.* Tuetur causam suam coram Festo p. 275. Appellat ad Cæsarem Neronem *ibid.* N. 4. Iter ejus Romam p. 275. N. 5. Naufragium *ibid.* Ingreditur Romam *ibid.* Liberatur à vinculis p. 279. Varias obit Provincias *ibid.* n. 16. Martyrio afficitur pag. 286. Gloriosum ejus sepulchrum *ibid.* An eâdem die passus sit, quâ S. Petrus? p. 286. n. 33.
Paulus eremita desertum petit pag. 598.
Paulus Samosatenus Hæresiarcha p. 627. N. 2. Synodi contra eundem institutæ p. 628. N. 3. & p. 629. N. 4. Errores Pauli Samosateni p. 628. n. 3. Quàm crudè acceperit nomen, *Consubstantialis?*

tialis? ibid. Expellitur Episcopatu Aureliani Imperatoris operâ p. 630. N. 6.
Pax Ecclesiæ data per Nervam Imp. p. 300. n. 15.
Per Antoninum p. 420. N. 6.
Per Marcum Aurelium p. 426. N. 6.
Per Commodum Imp. p. 430. N. 1.
Per Caracallam p. 579. N. 1.
Per Gallienum p. 624. N. 18.
Pentecoste, in qua venit Spiritus S. super Apostolos an in Sabbatum vel Dominicam inciderit? p. 243. n. 44.
Periodus quid sit apud Chronologos? p. 10. N. 1.
Periodus Victoriana N. 2. Norisiana p. 11. N. 3. Juliana *ibid.* Hujus usus N. 4. Alexandrina, Constantinopolitana, Græco-Romana p. 12. N. 5. Quid Chronologi quidam sentiant de Periodorum usu? N. 6.
Persecutio Ecclesiæ I. sub *Nerone* p. 282. N. 11. p. 283. n. 27. 28. & p. 284. II. Sub *Domitiano* p. 298. N. 4. & p. 299. III. Sub *Trajano* à p. 403. ad p. 411. IV. Sub *M. Aurelio* & *Lucio Vero* à p. 422. ad p. 426. V. Sub *Septimio Severo* p. 566. & à p. 570 ad pag. 579. VI. Sub *Maximino Thrace* p. 586. N. 1. VII. Sub *Decio* p. 594. VIII. Sub *Valeriano* p. 621. N. 14. IX. Sub *Aureliano* p. 631. N. 6. n. 8. X. Sub *Diocletiano* p. 636. N. 12. Ejus persecutionis causæ n. 15.
Persecutorum judicium ac inquisitionem redimere an pecuniâ liceat? p. 577. n. 15.
Persecutorum infelix exitus p. 579. n. 1.
Persici Regni restauratio p. 488. N. 18. Persarum bellum cum Alexandro p. 489. N. 18. Cum Gordiano p. 496. N. 7. Cum Valeriano p. 508. N. 10. Cum Odenato p. 510. N. 10.
Pertinax Ælius Imperator p. 385. Quomodo gesserit Imperium *ibid.* N. 3. Generosa ejus mors p. 386. N. 5.
Petrus an fratre Andrea senior fuerit? p. 226. n. 7. Christus promittit quod super Petrum ædificanda sit Ecclesia p. 235. n. 26. Constituitur Pastor Agnorum & ovium p. 243. n. 41. Fundat Cathedram Antiochenam p. 250. n. 57. & 58. Cornelium Centurionem Gentilem convertit *ibid.* Fundat Cathedram Romanam & quo tempore? p. 326. N. 4. Scribit Romæ primam epistolam p. 256. Per Discipulos erigit varias Ecclesias p. 256. n. 2. Hierosolymæ liberatur per Angelum à carcere Herodis p. 257. Præsidet Concilio Apostolico p. 260. N. 5. Pactionem temporariam facit cum Paulo de prædicatione inter Gentes & Judæos p. 261. n. 11. An Petrus ille Cephas fuerit, cui in faciem restitit Paulus? à p. 336. ad p. 341. Martyrio afficitur pag. 284. & quo anno? p. 329. Occasio passionis p. 284. n. 29. An Petrus Clementem ordinârit in Sedis suæ Successorem? à p. 341. ad pag. 344.
Pharisæi quinam fuerint, & qui eorum vestitus? p. 235. n. 25. Eorum vanæ traditiones reprehenduntur à Christo p. 234.
Philemon quis fuerit? p. 278. n. 14.
Philippenses quanti æstimârit Paulus? p. 277. n. 11.
Philippus Diaconus convertit Samaritanos p. 247. N. 9. Eunuchum baptizat p. 248.
Philippus Imperator p. 498. N. 8. Ejus natales p. 497. n. 6. Prodit Gordianum & occidit p. 498. Paciscitur cum Persis *ibid.* N. 9. An fuerit Christianus? p. 548. p. 549. & 550. N. 7. 8. 9. Celebrat Ludos sæculares sive millenarios Romæ conditæ p. 499. N. 10. & quo tempore? *ibid.* n. 9. Cur Zosimus eos non commemoret? n. 10. Numismata Philippi n. 11. Quo tempore Philippi filius Augustus creatus sit? p. 499. n. 8. Occiditur uterque p. 300. N. 11.
Philo Judæus quando, & quid scripserit? p. 198 N. 3.
Philosophi quantùm nocuerint Christianæ Religioni? p. 296. N. 8 n. 5. p. 414. N. 7. p. 422. N. 1.
Philostratus scriptor vitæ Apollonii Tyanæi p. 561. N. 1.
Phlegon Chronologus, scriptor Olympiadum p. 400. N. 2.
Photinus Episcopus Primus Lugdunensis Ecclesiæ p. 428. N. 10.
Pilatus mittitur in Judæam p. 94. N. 10. ad Tiberium de morte Christi perscribit p. 249. N. 11. Crudelitas ejus in Judæos p. 251. N. 2. Amandatur in exilium & se interficit *ibid.*
Piso Parricida Germanici p. 92.
Pius I. Papa p. 420. N. 7. Ejus decreta *ibid.* & n. 12. & 13.
Plebiscita unde Originem habeant? p. 176. N. 5.
Plenarium Concilium quid sit p. 623. n. 16.
Plinius senior Historiæ naturalis Scriptor p. 199. N. 6. Ejus obitus p. 148. N. 4.
Plinius Junior quis fuerit? p. 400. Panegyricus Plinii ad Trajanum p. 356. N. 10. n. 15. Ejus Consulatus *ibid.* n. 16. Præfectura Bithyniæ p. 404. N. 3. Epistola ejus pro Christianis ad Trajanum *ibid.*

Plutarchus quis? p. 401. An Præceptor Trajani fuerit? *ibid.* scripta ejus *ibid.*

Pœnitentia publica. p. 652. n. 3. An lege aliquâ præcepta? *ibid.* Quæ peccata eidem subjecta? N. 4. Ordines seu classes publicè pœnitentium p. 652. & 653. N. 5. Pœnitentia publica semel concessa p. 656. N. 12. Irregularitatem post se trahebat *ibid.* Quænam fuerit pœnitentia illa, quæ semiplena dicta est? *Ibid.*

S. Polycarpus quis fuerit p. 461. Ejus epistola ad Philippenses. Ejúsque argumentum ingratum Novatoribus. *Ibid.* Agit cum Aniceto Pontifice de die paschatis celebrando p. 421. N. 8. Marcionem obviàm factum execratur. *Ibid.* Martyrium S. Polycarpi p 423. N. 3. Ejus reliquiæ quantâ in Veneratione fuerint? p. 424 n. 3.

Polycrates p. 432. N. 5. Ejus controversia cum Victore Pontifice de die Paschatis celebrando p. 433. N. 5. n. 4. & p. 434.

Pompejus Dux Romanus subjugat Judæam p. 203. Quo anno templum in suam potestatem redegerit? *ibid.* n. 3.

Pontianus Papa p. 584. N. 10.

Pontifex Romanus, est Episcopus Episcoporum p. 576. n. 14. & p. 660. N. 3. Ejus Primatus jurisdictionis p. 434. n. 6. Etiam Gentilibus cognitus p. 631. n. 7. Pontificum Romanorum Successio p. 465. N. 10. p 574. n. 12.

Poppæa pellex Neronis p. 112. n. 5. & 6. Inflammat odium Cæsaris in matrem Agrippinam p. 113. Ejus cædes ab omnibus approbatur p. 122. N. 17. Ejus funus *ibid.* n. 22.

Porphyrius quis fuerit? p. 564. N. 8. Ejus maligna volumina contra Christianos *ibid.*

Præscriptionis argumentum adversùs hæreses p. 574. n. 12.

Præsepe, in quo Christus primò positus fuit, ubi, & quale fuerit? p. 217. n. 24.

Prætoriani milites p. 69. n. 16.

Prætores Romani alii peregrini, alii Urbani p. 170. N. 2. Numerus Prætorum *ibid.* Eorum edicta p. 176. N. 5.

Praxeas, ac ejus hæresis p. 435. N. 8. & 9.

Preces, ac jejunia præmittenda ordinationibus p. 258. N. 4.

Presbyter Pœnitentiarius quis? ejúsque institutio p. 609. N. 14. n. 14.

Primates unde nomen obtinuerint? p. 592. N. 8. n. 6. Quid Primates Africæ speciale habuerint? p. 592. n. 6. Primatus Petri super cæteros Apostolos p. 610. n. 1.

Priscilla & Maximilla Montani Prophetissæ. p. 427. N. 8.

Privatus Lambesi Episcopus hæreticus, ejúsque damnatio p. 577.

Probus Aurelius Imper. p. 522. Ejus obitus p. 255. N. 7. n. 4.

Proconsules Provinciis impositi p. 166. N. 6. Ante ingressum urbis officium deponebant. *Ibid.*

Proconsulare Imperium, quod Cæsaribus & Augustis dabatur. Quomodo distinctum fuerit à potestate cæterorum Proconsulum *ibid.*

Proprætores & Propræfecti ab Augusto Constituti, & quæ eorum potestas? p. 172. N. 8.

Provinciæ, quæ obtigêre singulis Apostolis excolendæ. p. 254. N. 6.

Provinciæ, quas Octavius Augustus reliquit Senatui regendas p. 68. n. 12. Quásque sibi Imperator servavit *ibid.* n. 13. Provinciæ frumentariæ p. 354. n. 9.

Ptolemæus Astrologus insignis p. 402. N. 3.

Q.

Quadratus Athenarum Episcopus scribit Apologiam, p. 413. N. 4.

Quadragesimale Jejunium p. 415. & 435. n. 8.

Quæstores quotuplices fuerint? p. 171. N. 5.

Quinquennalia & Decennalia Cæsarum p. 69. n. 15. cur in iis aucta plerumque persecutio Christianorum? p. 298. n. 11.

Quintilius Varus præficitur legionibus Germaniæ. p. 81. N. 15. Ejus crudelitas & avaritia adversùs Germanos *ibid.* ab Arminio ad internecinam cladem deducitur p. 82. n. 45.

Quintilianus Rhetor. Primus literarium stipendium accepit p. 200. N. 7.

Quintilli Imperatoris breve Imperium p. 514. & 515. N. 17.

Quirinus sive Cyrinus quâ ratione dicatur censum descripsisse in Judæa tempore Nativitatis Christi? p. 307. N. 7.

R.

Reconciliatio publicè pœnitentium p. 653. N. 6. Reconciliationis Minister p. 654. N. 7. Specialis dispositio circa morituriente p. 654. N. 8. Quid statutum circa convalescentes? p. 655. N. 10. Qualis Reconciliatio fuerit mortuorum? *ibid.* N. 11.

Reges, qui tempore Abrahæ vixerunt, quàm potentes fuerint? p. 28. Reges quinam clientelari nexu olim Romanis devincti fuerint? p. 182. N. 13. Regum nomen invisum Romanis p. 165. N. 4.

N. 4. Regius titulus post Agrippæ obitum in Judæa exolevit p. 258

Regina Castra hodiè Ratisbona à Tiberio fundata p. 72. n. 24.

Regnum Judaicum dissidio duorum fratrum ad Alienigenas translatum est p. 201. N. 1.

Reliquiarum veneratio p. 424. n. 3. Reliquiæ S. Marci quo tempore venerint Venetias? p. 281. n. 23. Reliquiæ Martyrum à Gentilibus dispersæ vel pessumdatæ p. 642. divinitùs servatæ p. 643.

Responsa Prudentum, quando cœperint vigere? p. 177. N. 7.

Resurrectio Dominica quando die Solis cœperit celebrari? p. 421. n. 13.

Rhætia subacta à Tiberio & Druso p. 72. N. 9. Rhætiæ veteris divisio p. 72. n. 23.

Ritus Sacramentorum occultati olim à Gentilibus p. 347. N. 4. Baptismi ritus p. 419. n. 8. p. 681. N. 4. Sacrificii ritus p. 420. n. 9. p. 682. N. 6. Ritus sepeliendi Martyres p. 644. N. 3.

Rogus vel Pyra. in qua Romani mortuorum cadavera cremabant, p. 537. N. 2.

RomanaEcclesia antiquissima mater, p. 579. N. 2. inde omnis authoritas p. 574. n 12. & p. 660. N. 3. PrimatusRomaniEpiscopatûs p. 430. n 10. 465. N. 10. p. 610. n. 1. & p. 619. n. 12. à Romana Sede judicia finitiva Episcoporum finiuntur 659. N. 1. ab Ecclesia Romana genuinæ traditiones conservantur p. 466. ab eadem cæteræ Ecclesiæ velut totidem rivi defluunt p. 610. n. 1. Quid censendum de illis, qui hanc Ecclesiam relinquunt? *ibid.*

Romanæ gubernationis triplex status p. 52. Romæ scelerata facies sub Nerone p. 114. N. 7. incendium Romanæ urbis p. 119. N. 13. n. 18. p. 149. N. 5.

Rutilius insigni martyrio consummatur p. 577. N. 16. n. 15.

S.

Sabellii hæresis, p. 621. N. 15. oppugnata à Dionysio Alexandrino p. 622.

Sacerdotum continentia p. 681. N. 3.

Sacrificium Eucharistiæ in aqua confici non potest p. 611. n. 2.

Sadducæi qui fuerint? eorum erronea doctrina p. 233. n. 25.

Salome Josephi uxor criminatur Mariamnam conjugem Herodis, suúmque maritum falsi criminis insimulat p. 209. & 211.

Sanguis D. N. Jesu Christi etiam parvulis post Sacrificium infundebatur p. 596. n. 2. & p. 612. n. 4.

Sanguinem Christi de calice negligenter effundere, quantum olim piaculum p. 420. n. 12.

Sapricii Presbyteri Apostasia, ejúsque causa p. 624. N. 17.

Sardinia quando à Romanis occupata? p. 180.

Saturninus Hæresiarcha p. 410. ejus confutatio n. 1.

Saturninus Præses Syriæ an descripserit censum ab Augusto indictum tempore Nativitatis Christi? p. 77. N. 12. p. 305. N. 5. & p. 307. N. 7.

Saul quot annis regnârit? p. 42.

Scribæ Judæorum, unde Traditiones suas desumpserint? p. 235. n. 25.

Schisma Felicissimi & Novati p. 604. N. 11. Novatiani p. 607. Fortunati p. 612. N. 2.

Scripturæ sacræ interpretatio petenda ab Apostolorum Successoribus sive Episcopis p. 466. N. 11. Ejus lectio pro laicis est disciplinæ p. 461. N. 2. Cur laicis quandoque prohibita, aut certis tantùm sub conditionibus permissa? *ibid.* non est absolutè omnibus necessaria lectio S. Scripturæ p. 462. N. 2.

Seditio legionum contra Augustum p. 83. N. 15. mirabiliter componitur p. 85.

Segestes, quamvis Germanus, suorum consilia prodit Quintilio Varo p. 81. n. 44.

Sejanus occidit Drusum Tiberii filium p. 93. N. 9. Ejus natales p. 94. n. 24. Suadet Tiberio, ut abeat Capreas p. 94. Sejani ambitio & crudelitas *ibid.* N. 10. ejus summi honores *ibid.* infame supplicium p. 95 N. 11. n. 27.

Senatûs Consulta quando primùm constituta? p. 176. N. 5.

Seneca fit Præceptor Neronis p. 108. N. 8. componit orationem insignem, quam Nero in Senatu dixit p. 110. n. 1. Seneca morti addicitur à Nerone p. 221. fortis ejus obitus p. 222. Senecæ stylum reprehendit Cajus Imp. p. 199. Libri ejus commendati à PP. *ibid.* Quid de literis inter Senecam & Paulum Apostolum sentiendum? *ibid.*

Septuaginta Interpretum Calculus, an Hebraico anteponendus? p. 24. quid in eorum versione cautè legendum? p. 588. n. 1.

Sepulturæ Martyrum p. 644. 645 646. Studium Christianorum in sepeliendis Martyribus p. 644. N. 1. & 2. Ritus, quo olim Martyres sepeliebantur p. 644. & 645. N. 3.

Sepulturæ Romanorum p. 536. Ordo funeris *ibid.* Locus sepulturæ & rogus p. 537. N. 2. Ludi gladiatorii circa rogum *ibid.* Urna feralis N. 3. Mausolea Romanorum splendidiora N. 4. & p. 538. N. 5.
Severus Imperator p. 387. N. 7. n. 7. Res gestæ ante Imperium *ibid.* Clodium Albinum Collegam assumit p. 388. N. 8. Byzantium expugnat p. 389. N. 9. n. 8. Albinum vincit *ibid.* n. 9. & 10. Ejus bellum contra Parthos p. 469. N. 1. Leges Severi N. 2. Iter in Ægyptum p. 470. Plautianum ministrum evehit, & paulò post deprimit p. 470. & 471. n. 9. Acta forensia Severi p. 472. & 473. N. 4. Bellum contra Britannos p. 474. N. 5. n. 12. & 13. Insidias filii Caracallæ comprimit p. 475. Mors ejus & funus *ibid.* Ultima morientis verba. *Ibid.*
Sicilia olim in duas partes divisa p. 179. N. 6. Quo tempore adjecta sit Imperio? *ibid.*
Signo crucis se jam muniebant Primorum Sæculorum Christiani p. 682. N. 4.
Simon Magus & Hæresiarcha p. 248. n. 51. Quantùm incommodârit Petri laboribus Romæ p 256. n. 4. Extollitur per dæmones in aëra, & per Preces Petri, solo affligitur p. 284. n. 29.
Sixtus I. Papa p. 409. N. 9. Sixtus II. Papa p. 621. N. 14. Ejus Martyrium p. 622. N. 15.
Soter Papa p. 424. N. 4.
Sojohemus ab Herode Custos Mariamnæ constituitur p. 210. N. 10.
Spartianus Ælius Historicus p. 563. N. 7.
Spectacula & Ludi Romanorum quotuplicis generis? p. 394. N. 1. & p. 395. N. 2.
Spectacula Decennalia, & vicennalia N. 3. Ludi Circenses p. 396. N. 4. Scenici Ludi N. 5. Theatra in quibus spectacula edebantur p. 397.
Sponsores quinam fuerint? p. 417. n. 5.
Statius Papinius Poëta quo tempore floruerit? p. 200.
S. Stephanus Papa p. 613. Ejus Controversia de Hæreticorum baptismo cum S. Cypriano p. 619. N. 11. & p. 620. Quo sensu dixerit multos omnino Hæreticos rebaptizandos esse à p. 663. ad p. 666. An Rebaptizantes unà cum S. Cypriano ab Ecclesiæ communione rescinderit? à p. 666. ad p. 668.
Strabo celebris Geographus p. 197. N. 2.
Subdiaconorum mentio, quando primùm in Historia occurrat? p. 597. n. 5.
Suetonius Tranquillus Historicus qualis fuerit? p. 401.
Superimpositio quid sit? p. 435. n. 8. p. 683.
Sybillarum libri an genuini sint? & quinam supersint? p. 401. N. 3.
Symbolum Apostolorum p. 254. n. 1. Gregorii Thavmaturgi p. 590. n. 5.
Symeon, qui in templo Domino occurrit, an Sacerdos, an Laicus fuerit? p. 218. n. 28. Ejus reliquiæ p. 219. n. 29.
Symeon Hierosolymorum Episcopus, quis fuerit? p. 405. n. 4. Cur Martyrio affectus? p. 405. N. 4.
Syncretistarum error p. 270. n. 2.
Synodi Provinciales quotannis ab Episcopis tempore Paschali olim institutæ p. 611. n. 2.
Synodi Synuessanæ acta an genuinæ fidei sint? p. 638. & 639. n. 16.

T.

Tacitus Cornelius p. 400.
Telesphorus Papa p. 413. Ejus Martyrium p. 414. N. 7.
Templum Hierosolymitanum quoties expugnatum fuerit p. 203 n. 3.
Templum Pacis conditur à Vespasiano, & quare? p. 144. n. 12. Ornamenta Templi Hierosolymitani in eo reponuntur *ibid.* Ejus incendium sub Commodo. N. 5.
Templum Tanfanæ apud Germanos ecquod fuerit? p. 87. n. 3.
Tertullianus p. 573. 574. N. 11. & p. 673. N. 2. Ejus res gestæ *ibid.* Quæ scripserit adhuc Catholicus? p. 673. Labitur in Montani hæresin p. 575. N. 12. Ejus errores ex Montani Secta p. 576. N. 14. n. 14. Privati illius errores p. 577. N. 15. Ejus Apologia ad Scapulam Proconsulem p. 577. N. 1. Novam Sectam instituit p. 588. Mors ejus p. 589. N. 3. An Catholicus obierit? p. 588. N. 3.
Teutoburgensis sylva à clade Quintilii Vari famosa p. 88. n. 8.
Theatra celebriora Romæ p. 397.
Thebæa Legio Martyrio afficitur unà cum Duce Mauritio p. 528. N. 11.
S. Theclæ Conversio p. 258. N. 4. Ejus Acta an sint genuina? *ibid.* n. 6.
Theodotus Coriarius & Theodotus argentarius Hæretici p. 436. n. 10. & 11.
Therapevtæ qui? p. 281. n. 21.
Tiberius, Privignus Augusti, filius Liviæ p. 71. n. 22. Ejus bellum in Pannonia p. 72. N. 9. Suscipit post Drusum bellum in Germania p. 76.

76. N. 12. Traducit Rheni accolas in Galliam p. 77. n. 32. Secedit Rhodum p. 78. Post septem annos revocatur Romam p. 79. n. 40. Adoptatur ab Augusto p. 79. Ejus res gestæ in Germania *ibid.* Movet contra Maroboduum Bojohemi Regem p. 80. N. 14. Bellum Pannonicum conficit *ibid.* n. 41. Restituit Romanam Militiam ad Rhenum post Varianam cladem p. 83. N. 15. Creatur Collega Imperii p. 83. Fit Augustus p. 85. N. 1. Tiberii simulatæ virtutes p. 86. N. 2. Perfidia in Germanicum p. 89. N. 4. p. 90. N. 5. & p. 91. N. 6. Secedit Capreas ad locum libidinum p. 94. N. 10 Ejus morbus & mors rabie plena p. 96. N. 13. n. 29.

S. Timotheus, ejus genus, studia, Episcopatus, p. 262. n. 13. cur circumcisus sit à Paulo? *ibid.*

Tituli Imperatorum quinam fuerint? à p. 163. ad p. 168.

Titus Imperator p. 146. N. 1. Ejus adolescentia p. 144. & officia ante Imperium *ibid.* conficit bellum Judaicum *ibid.* Triumphat cum Patre Vespasiano p. 144. Suscipit præfecturam Prætorii & cur? p. 145. Alienum Cæcinnam conjurationis reum interficit p. 146. N. 1. patiens injuriarum & osor delatorum p. 147. N. 2. calamitates publicas sublevat p. 149. N. 5. moritur. *Ibid.*

Tonsura Clericalis an in primis sæculis fuerit? p. 650. N. 4. quo tempore introducta sit? *ibid.*

Traditiones p. 266. N. 10. p. 465. N. 8. p. 466. N. 10.

Trajanus Imperator adoptatur à Nerva p. 162. N. 7. n. 3. ejus natales ac patria p. 351. N. 2. ejus res gestæ ante Imperium *ibid.* N. 3. & p. 352. N. 4. Trajani in urbem adventus p. 353. n. 5. 6. moderatio & munificentia, *ibid* eidem *Optimi* titulus tribuitur p. 354. N. 7. n. 7. abrogat legem de vicesima hæreditatis pendenda *ibid.* N. 8. legem Majestatis moderatur. p. 355. n. 11. Clementia & liberalitas *ibid.* N. 9. Panegyrico Plinii hæc omnia celebrantur p. 356. N. 10. Trajani bellum Dacicum & victoriæ p. 357. N. 11. 12. Triumphus de Dacis p. 358. N. 13. varia monumenta à Trajano Romæ posita *ibid.* n. 22. ædificatæ urbes *ibid.* n. 21. Bellum Trajani contra Parthos p. 359. N. 14. incurrit Imperator vitæ periculum Antiochiæ p. 360. N. 15. pergit ad mare rubrum p. 360. N. 16. n. 29. mors Trajani p. 361. N. 17. ejus singulare funus *ibid.* redemptum ab inferis Trajanum fuisse per Gregorium M. fabula est n. 33.

Transfiguratio Christi quo tempore facta sit? p. 235. n. 27.

Tribuni plebis, eorum origo, numerus, officium, atque authoritas p. 170. N. 3. Tribunitiam potestatem cur Imperatores admiserint? p. 167. N. 7. quando hic titulus esse desierit? p. 171. N. 3.

SS. Trinitatis fides p. 419. N. 6. p. 436. n. 9. p. 590. n. 5.

Triumphi Romanorum p. 393. Currus triumphalis p. 353. n. 6.

Trisagion *Sanctus* quando in Missa cani cœperit? p. 413. n. 7.

Trophæa Apostolorum Romæ 579. n. 2.

Tumulus Gordiani Junioris ejúsque inscriptio p. 498. n. 7. Tumulus Probi p. 255. n. 4.

Turris in littore Morinorum à Cajo exstructa, p. 101. n. 8.

Tyranni varii sub Gallieno p. 509. N. 12. p. 511. N. 15.

V.

Valentini Hæresis p. 415. & 416. Confutatio n. 1. & 2.

Valerianus Imperator p. 505. Ejus natales *ibid.* N. 7. Censuram egit ante Imperium p. 505. n. 7. & 8. Collegam assumit filium Gallienum p. 506. Sub Valeriano Francorum nomen primò occurrit *ibid.* Persequitur Christianos p. 507. & 621. Provincias evastant Barbari p. 507. N. 9. Bellum Valeriani cum Sapore Persarum Rege p. 508. N. 10. Captivitas calamitosa Imperatoris *ibid.* n. 11.

Valerius Maximus Historicus quo tempore, & quid scripserit? p. 197.

Vandali, eorum genus, habitationes & bella p. 558. & 559. N. 3.

Vasa sacra quæ & quibus non licuerit contingere? p. 412. n. 6.

Velum S. Agathæ præsidium contra Ætnæ spiracula p. 599. n. 8.

Vellejus Paterculus Historiographus Romanus, quis fuerit, quid scripserit, & quo tempore? p. 198.

Veritas & sanctimonia Religionis Christianæ p. 419. N. 6. p. 423. N. 2.

Versiones Sacræ Scripturæ quæ fuerint usque ad S. Hieronymi tempora? p. 437. n. 12.

Versio

Versio Theodotionis p. 431. n. 2. Aquilæ p. 414. N. 6. Symmachi p. 436. N. 10.
Vespasianus præficitur bello Britannico p. 105. N. 5. & n. 9. Mittitur à Nerone in Syriam ad bellum Judaicum p. 123. N. 18. fit Imperator p. 135. N. 10. Ejus natales ac officia ante Imperium *ibid.* Reparat Capitolium p. 136. N. 1. Gentiles eidem prodigia quædam affingunt p. 141. n. 8. Centumviralia judicia Romæ instituit p. 142. ejus leges *ibid.* Virtutes, & vivendi forma p. 142. N. 8. Clementia illius & mansuetudo erga hostes *ibid.* Reprehenditur à filio ob turpem quæstum ex lotio p. 143. n. 9. Beneficentia erga literatos *ibid.* n. 10. Triumphat cum Tito filio de Judæis p. 143. N. 10. Auget Imperium Provinciis & Coloniis p. 145. n. 13. & 14. Erectus in pedes moritur p. 146.
Vesuvii incendium funestissimum p. 148. N. 4. An similia incendia ante Titi tempora fuerint? *ibid.* n. 1.
Vicarii, quos S. Petrus Romæ constituit p. 257. n. 5.
Victor Papa p. 432. N. 4. Ejus Controversia cum Asiaticis de celebrando Paschate p. 433. N. 5. 6. Cur jusserit, ut Pascha non aliâ, quàm Resurrectionis Dominicæ die celebraretur? p. 433. n. 5. An excommunicârit eâdem de causa Asiaticos? p. 434. N. 7. & p. 457. ad p. 460.
Victorum variæ Coronæ triumphales variáque dona militaria p. 394. N. 4.
Viduæ quam vitam duxerint in primæva Ecclesia? p. 683. N. 8.
Virgilius quo tempore floruerit? p. 197. N. 1.
Virginitatis & viduitatis statum matrimonio antehabet Apostolus p. 268. & p. 269. n. 23.
Vitellius Imperator p. 132. N. 7. & 8. Ejus turpis Adolescentia *ibid.* Victoria de Othone apud Bebriacum *ibid.* Spes primùm bona de ejus Imperio p. 134. N. 9. Ejus helluationes & crudelitas *ibid.* Infamis illius exitus p. 136. Ultio divina in Apostatas, ac lapsos p. 595. & p. 596. N. 2.
Unctionis extremæ Sacramentum, p. 280.
Unitas & unicitas Ecclesiæ descripta à S. Cypriano toto libro p. 610. N. 1.
Vologeses Rex Parthorum intentat bellum Romanis p. 117. N. 10. Cædit Legiones eorum *ibid.* Vincitur à Corbulone N. 11. à Nerone recipit diadema Regium. *Ibid.*
S. Urbanus Papa p. 583. An author primus fuerit, ut calices fierent ex argento? n. 7.
Urnæ funerales Romanorum p. 537. N. 3.
Vulcatius Gallicanus Historicus quid scripserit, & quo tempore? p. 563. N. 7.

X.

Xerophagia in hebdomada sancta p. 435. n. 8. p. 683. N. 7.
Xenophon medicus veneno interficit Claudium Imperatorem p. 109. N. 9.

Z.

Zacharias Pater S. Joannis Præcursoris an fuerit Summus Sacerdos? p. 214. n. 14.
Zenobia Orientis Regina p. 516. N. 18. Ejus natales & studia *ibid.* Bellum cum Aureliano Imp. p. 517. N. 19. Fortitudo Reginæ *ibid.* n. 26. & n. 27. Capitur ab Aureliano p. 518. N. 19. Aureis catenis ligata ducitur in triumpho p. 519. N. 21. n. 28.
Zephyrinus Papa p. 437. N. 10. Ejus obitus p. 582. N. 6. Appellatur Episcopus Episcoporum à Tertulliano p. 576. n. 14. Item bonus Pastor & Benedictus Papa, ac Apostolicus p. 660. N. 3. Oppugnatur ab eodem Tertulliano & cur? p. 576. n. 14. An Montanistis hæreticis faverit? p. 582. n. 6.




Emendanda in Tomo Primo.

Pag. 43.	*Lin.* 8.	400.	*Lege* 480.
50.		Ptelomæo	Ptolomæo.
52.	3.	eptem	ſeptem.
52.	25.	1416.	3416.
85.	29.	defectus lunæ	defectio lunæ.
172.	9.	à Præfecto Prætorii	è Præfecto Prætorii.
183.	38.	Oderæ & Viſurgis	Oderæ & Viſtulæ.
207.	13.	Hyrcani filiam	Hyrcani neptem.
256.	9.	datum	datam.
276.	26.	ſecundo anno	ſexto anno.
358.	5.	extinxit	exſtruxit.
383.	13.	Spectaculus	Spectaculis.
387.	8.	Peſcennius	Peſcennium.
417.	20.	carnis	canis.
417.	*4.	Blanchinus	Bianchinus.
418.	11.	duo	duæ.
432.	27.	ſelegeret	ſeligeret.
437.	*12.	ominum	omnium.
437.	*12.	Paraphraſen	Paraphraſeon.
499.	*10.	de bis	de his.

Alia Errata Typorum Benevolus Lector facilè corriget.

DAUDE
HISTORI
UNIVE SAL



HISTORIA
NIVERSALIS
ET
PRAGMATICA
OMANI IMPERII,
EGNORUM, PROVINCIARUM,
Unà
UM INSIGNIORIBUS MONUMENTIS
RARCHIÆ ECCLESIASTICÆ
X PROBATIS SCRIPTORIBUS CONGESTA,
SERVATIONIBUS CRITICIS AUCTA
ATQUE
HEOLOGIÆ POSITIVÆ, JURISPRUDENTIÆ,
AC PHILOLOGIÆ PECULIAREM USUM
LEXIONIBUS DOGMATICIS, POLITICIS,
& CHRONOLOGICIS ILLUSTRATA.

AUTHORE
P. ADRIANO DAUDE S. J.
ologiæ Doctore, & in Alma Universitate Wirceburgensi
Historiarum Professore Publico & Ordinario.

TOMUS II.
PARS PRIMA
Historiam sæculi quarti & quinti deductam à Constantino M.
o Christianorum Principe, ad ultimum Imperatorem Augustulum,
sub quo Occidentale Imperium collapsum est.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

URGI, Sumptibus LOCHNERI & MAYERI Bibliopol. Norimbergens.
Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Universitatis Typographi. 1751.

HISTORIA UNIVERSALIS ET PRAGMATICA ROMANI IMPERII, REGNORUM, PROVINCIARUM,

Unà

CUM INSIGNIORIBUS MONUMENTIS HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ EX PROBATIS SCRIPTORIBUS CONGESTA, OBSERVATIONIBUS CRITICIS AUCTA

ATQUE

AD THEOLOGIÆ POSITIVÆ, JURISPRUDENTIÆ, AC PHILOLOGIÆ PECULIAREM USUM

REFLEXIONIBUS DOGMATICIS, POLITICIS, & CHRONOLOGICIS ILLUSTRATA.

AUTHORE

P. ADRIANO DAUDE S. J.

Ss. Theologiæ Doctore, & in Alma Universitate Wirceburgensi Historiarum Professore Publico & Ordinario.

TOMUS II.

PARS PRIMA

Continet Historiam sæculi quarti & quinti deductam à Constantino M. Primo Christianorum Principe, ad ultimum Imperatorem Augustulum, sub quo Occidentale Imperium collapsum est.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

WIRCEBURGI, Sumptibus LOCHNERI & MAYERI Bibliopol. Norimbergens. Typis Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Universitatis Typographi. 1751.

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S.R.I. PRINCIPI,
AC DOMINO
D. CAROLO
PHILIPPO,
D. G. EPISCOPO
HERBIPOLENSI,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,
&c. &c.

DOMINO DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.

Historia Universalis quarti & quinti sæculi dum Tuis se pedibus advolvit REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS; Felicissimam illa Tibi Imperii & Ecclesiæ ætatem latissimè explicat, quâ veterum Antistitum sapientia sublimior, & Primorum Christianorum Principum altissima Virtus orbi gloriosiùs illuxit. Dignissima proinde temporum periodus Tibi se sistit, quæ in argumenti sui fronte Tuum duntaxat nomen ferre amabat, quòd summa Tua Eruditio, & amplissima Pietas effecisset, ut & Sapientissimus simul Episcopus, simúlque Religiosissimus Imperii Princeps do-

tes

tes ac merita eorum brevi complexu in Te ipso inclusa teneres, quorum encomia ac laudes diffusa per multas paginas historia repræsentat. Quod consilium ne à me primò susceptum videatur; dignaberis recordari, Hermiam Sozomenum celebris utì famæ, ita pervetustæ antiquitatis Scriptorem mihi in hæc sensa jam olim in sæculo quinto præivisse: A Constantini quippe Primordiis ille fastos suos auspicatus, ubi telam ad Theodosii Junioris Regnum protulisset; velut re confectâ, opus suum historicum nemini, nisi Regnanti tunc per Orientem Theodosio Imperatori consecrandum putavit; propterea quod is esset, qui scientiam, virtutémque, quam de Majoribus multis lucubratione suâ Author descripserat, uno animo complecteretur. Atque ut apertiùs mentem suam Historiographus iste exponeret, in præfixa Historiæ dedicatione tres causas adducit, quibus se incitatum fuisse testatur ad hoc literarium tributum Augusto Principi persolvendum. Inter has prima erat, quod Theodosius à primis annis ad omnem artem atque disciplinam eruditus, de oblatis lucubrationibus tam solido ac perspicaci ingenio dijudicaret; ut cui operi ille suum suffragium addixisset, id omnium votis comprobaretur. Alteram causam petebat à singulari

 studio,

ſtudio, quo tantus Imperator tum literarum incrementa, tum literatorum commoda, quàm largiſſimè adjuvaret. Demum ſe Sozomenus ſuaviſſimâ Virtutis ac Clementiæ vi trahi fatebatur, à quâ utì Theodoſius Pii nomen obtinuerat; ita hâc ratione in omnium animos influens, cunctorum affectum, amorémque rapiebat.

Intelligis nunc, credo, SAPIENTISSIME PRINCEPS, mihi cum vetere illo Hiſtorico non modò idem ſcribendi argumentum, ſed & eaſdem, totidémque cauſas eſſe, cur Tuo Celſiſſimo nomini labores meos inſcribere non dubitarim. Nam ſi tuam ſcientiam altiſſimam in exortu ſuo intueri placet; in teneris jam annis nil parvum habuiſti præter ætatem; ſodales quippe Tuos longiſſimo intervallo antecedens, primus ſemper ordine cunctis ſignabas iter, quo feliciùs ad literarum variarum profectum contenderent: & profeciſſe illi ſibi ſatis putaverant, quibus tua eminus veſtigia premere conceſſum erat. Verùm, ut diſſimulem illa ſcientiarum exordia; hodie cuivis cognoſcere datur, quod apicem omnium artium teneas: cum oratoribus quippe facundè, & variis quidem linguis loqueris, cum Philoſophis ſubtiliter de naturæ arcanis, cum

Aſtro-

Astronomis sublimè de siderum cursu, cum Theologis orthodoxè de dogmatis fidei, cúmque Jurisperitis de statutis Canonum, legibúsque doctissimè disseris. Nam quid ego de Historia commemorem? quam veritatis tum Christianæ, tum Politicæ Magistram tanto Tu studio ac lectione perpetuâ fovisti, ut huic maximam annorum partem tribuendam duceres. Me etiam tacente, id posteris loquetur opus illud Heraldicum ac Genealogicum, quod indefesso labore ex antiquitatis ruderibus, atque tabulariis de Nobilium familiarum progenitoribus, ac de descendentibus inde per legitimam seriem propaginibus congessisti, ultimam manum tam erudito volumini daturus; nisi Te jam regnantem Principem multiplex Patriæ cura ad alia negotia avocaret. Habent quidem exteri, quod Cathedrali Ecclesiæ Herbipolensi gratulentur, quod in sua Bibliotheca asservet vetustissimum Codicis Theodosiani *autographum; verùm longè utilior eidem erit Tuus ille* Codex Carolinus, *ex quo multæ controversiæ de Candidatorum nobilitate, ac de vera ad præbendas Nobiles obtinendas habilitate decidentur. Quare cùm omnes artes tam divite ingenio sis complexus, hic meus quoque labor sapientissimum tuum in cogno-*

gnoſcendo, æquiſſimum in judicando arbitrium appellat: multò illuſtrior, ſpero, commentatio iſta tum apparebit, ſiquando ſolidâ tuâ criſi emendata, tuum altiſſimum Magiſterium perſenſerit; quo Gratiæ beneficio cumulata magìs mea Hiſtoria Tibi altero quoque titulo tranſcribetur, utpote dignius homagium, quod eruditiſſimo primùm Antiſtiti, dein amantiſſimo literarum atque Academiarum Patri atque Patrono me debere quàm lubentiſſimè profitebor.

Celebrat adhuc hodie gratâ memoriâ Academia Bononienſis Theodoſium II. Reſtauratorem ſuum, eo, quod ab hoc leges ſingulis annis legi ſolitas, methodúmque ſingularem acceperit: venerabatur magis eundem olim Univerſitas altera Conſtantinopolitana, quam is in urbe ſua regia, cui Princeps præerat, maximis auxit incrementis; quando novos eidem tum Profeſſores dedit, tum nova reliquis diſciplinarum Magiſtris ſtipendia elargitus, ea omnia illa accuravit, quæ in Codice Theodoſiano Lib. XIV. T. IX. De ſtudiis liberalibus, ac de Profeſſoribus publicis *ipſe orbi poſtea vulgaverat; quin Sozomenus hoc in eo Principe admiratur, quod ſingulorum fervorem judicio, & applauſu vel exſtimulârit, aut etiam muneribus & omnis generis hono-*

honoribus fuerit remuneratus. Magna hæc fuêre Augusti erga literatos studia, majora in Te per multos annos Rhenus, Mœnúsque suspexêre; nam in Moguntinensium animis perpetuò versabitur, quod cùm in illa Metropoli Universitatem pluribus annis regeres; facultatibus sanctiones meliores præscripseris, & Bibliothecæ publicæ author, alia adhuc adjeceris adminicula, quæ ex omnibus Provinciis numerosum Auditorem ad instructum à Te Emporium literarum provocârunt. Subinde ab urbe Moguntina ad Franconici Principatûs fastigium evocatus, eodem ferè tempore, quo Patriæ clavum, sceptrum etiam Academicum ac Rectoris Magnificentissimi munus amplectebaris, Universitatísque Tuæ Principalis compagem ita ordinabas, ut etiam exteri & ii, quibus aliàs novaturire volupe est, sua vota superari admirentur. Desiderabatur ad Universitatis amplitudinem, ut Dicasteriorum Praxis speciali Collegio traderetur, aut naturæ arcana per experimenta altiùs indagarentur; duos proinde novos Professores cæteris addidisti: & quoniam ex docentium industria Academiarum vigor suspenditur; ad illam acuendam Professoribus quibusdam largiores reditus constituens, alios saltem honoribus cumulare non de-

)( )(*sistis;*

ſiſtis; quid enim honorificum nobis magis eſſe poteſt, quàm quod ipſe Celſiſſimâ Tuâ Præſentiâ Academicorum actus ſæpè digneris. Ex ejusmodi inſtitutis velut jactâ ſemente nunc copioſiſſimus redit fructus: præterquam enim quod tota Univerſitas ſpiritum, vitámque majorem jam recipiat, à Profeſſoribus Tibi ſæpius jam lucubrationes deferuntur, quas Tu complexu paterno ſtringis, laudibus foves, & præmiis etiam remuneraris. Inter tot verò Eruditorum ſpecimina, ne Hiſtoria minus fructuoſa videretur; hoc volumen Tibi eâ obſervantiâ defero, quâ omnes in Maximum Mecœnatem eſſe cupiunt.

Quemadmodum verò Tuus literarum amor facit, ut meas paginas Tuas eſſe velim; ita ſuaviſſimâ virtutis Tuæ vi impellor, ut poſtquam mea dedi, me ipſum quoque Tibi conſecrem. Quod enim de Orientis Piiſſimo Principe Theodoſio Sozomenus prædicabat; hoc ego de te Orientalis Franciæ Duce cogor teſtari; quod cunctam virtutem ope Dei exerceas. Quâ pietate in Deum ſis, ut cætera prætercam, recentiùs palàm fecit exemplum, quo Tuis ad Aſceticas exercitationes, his ultimis diebus præibas; quæ ſanctioris vitæ cultura, comprobat, te Tuam aulam Theodoſianæ velle eſſe perſimilem, quæ Aſceterion & ſchola publica virtutum dice-

dicebatur. Utì autem domui Tuæ benè præpositus es; ita Ecclesiam totam per doctos & pios Pastores, Rem civilem per integros Præsides regi curas: quibus tamen omnibus superior est Principalium virtutum Tuarum concordia, quæ tanta est, ut nihil dignitati humanitas, nihil demissio Celsitudini, nihílque fortitudini Clementia detrahat. Hæc autem dum commemoro, omissa à me sunt illa, quæ circa te sunt splendoris Principalis insignia, ut nempe de Tuo tantùm, Tuísque insitis virtutibus Magnus & Reipublicæ utilissimus appareres. Det Deus Tibi longævam ætatem, atque Idem Numen, quod Theodosio Pio quinquaginta ferè annos regiminis, id est jubilæos concessit, Episcopale jubilæum Tibi quoque largiatur, quo post seros annos expleto, per portam auream cælestis Hierosolymæ introeas in sanctuarium gloriæ, ubi inter jubilares Cælitum voces sapientiæ bravium & Pietatis Tuæ, aliorúmque meritorum coronam obtineas immortalem, ita vovet

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Infimus in Christo Servus
ADRIANUS DAUDE, S.J.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU
ad Rhenum Superiorem.

EGo infraſcriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni Superioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Admodùm Reverendo Patre Noſtro, FRANCISCO RETZ, Societatis JESU Præpoſito Generali, facultatem concedo D. Lochner - Mayer Bibliopolæ Norimbergenſi Tomi II. Partem Primam, cui titulus: *Hiſtoria Univerſalis & Pragmatica Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum, unà cum inſignioribus monumentis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ex probatis Scriptoribus congeſta, obſervationibus criticis aucta, & Reflexionibus Dogmaticis, Politicis, & Chronologicis illuſtrata &c.* à P. Adriano Daude ejusdem Societatis concinnatam, & à deputatis ad id Patribus lectam & approbatam imprimendi; eíque Jus Privilegii Cæſarei eatenùs indulgeo, ut librum hunc nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. I. fines & hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem literas has manu propriâ ſubſcriptas, & officii mei ſigillo munitas dedi.


Herbipoli 3. *Auguſti* 1750.

(L.S.) CASPARUS HOCH, S. J.

APPROBATIO.

CUm præſens hæc Pars prima Tomi 2di Hiſtoriæ Univerſalis R. P. Daude S. J. nihil contineat fidei Catholicæ, aut bonis moribus adverſum, ídemque planè encomium ac Tomus primus mereatur; hinc eandem primam Partem Tomi 2di pariter luce publicâ digniſſimam cenſeo, eámque imprimendi & authoritate Rdmi & Celſiſs. D. Ordinarii hiſce licentiam impertior. *Herbipoli* 3. *Aprilis* 1751.

MICHAEL JOSEPHUS ARMBRUSTER,
Ss. Theol. Doctor, Rdmi & Celſiſs. Epiſcopi & Principis Herbipol. ac Franciæ Orientalis Ducis Conſil. intim. & Eccleſiaſticus, inſignis Eccl. Coll. Nov. Monaſt. Canonicus Capitularis & Scholaſticus, Libr. Cenſor, Mpria.



PRÆFATIO.

1. ANteà quàm alteras ſecundo huic Tomo curas admovere aggrederer; Hiſtoricam ſeriem ex deſignata mihi in Primo Tomo partitione à Conſtantino Magno ad Magnum Carolum deducere propoſitum erat: verùm cùm jam ſcribenti quotidie ſub manu copioſior, ac proſpexeram, materies enaſceretur; mutanda tantiſper mens fuit, ne ſi in tanta, támque neceſſaria argumenti amplitudine brevior eſſe vellem, vel explicatam Hiſtoriæ lucem adimerem, aut ſi prolixior, vaſtâ voluminis mole legentibus faſtidium crearem. Itaque meliore conſilio, & aliorum clariſſimorum Hiſtoriographorum exemplo Tomum iſtum in duas partes diſcernendum putavi, quarum prima res à Conſtantini Primordiis ad Occidentalis Imperii interitum geſtas referret, ſecunda autem Hiſtoriæ curſum proſequeretur ad ſæculum nonum, ſive ad illud tempus, quo Carolus Magnus collapſum ejuſdem Occidentis Imperium è ſuis rurſus ruinis excitavit.

Diviſio Operis

2. Hac diviſione factâ ampliſſimam rerum copiam, quam etiam nunc Prima Tomi pars comprehendit, inde colliges, quod *Civilis* duntaxat *Hiſtoria* Maximam Imperii mutationem deſcribat, quâ Religio Chriſtiana Cæſarum ſolium non tantùm obtinuit, ſed & meliorem ſimul regnandi modum introduxit, qui civibus cum æterna ſalute temporariam progigneret felicitatem. Cùm enim Ethnici anteà Imperatores rempublicam ferreis & ſubinde virtuti infeſtis legibus premerent; Conſtantinus Magnus Primus Chriſtianus Princeps, abolitis decretis impiis, & veluti ſpiritu Chriſti ſubactus mitiora orbi præcepta melioréſque Magiſtratus dedit: ac ne ex Gentilium concepta forma aliquid ſuperſtes foret; totum orbem

Argumentum civilis Hiſtoriæ

orbem novâ divisione in Diœceses partitus, eâ compage Imperium donavit, ut omnes boni crederent, Reipublicæ prodesse magis, quod Christiana esse cœperit, quàm quod Romana fuisset. Et quamvis ordinem hunc Imperii optimè constitutum Julianus Apostata, & pauci Principes Hæretici Constantius & Valens paulò post labefactatum irent; quando ille Christianitatem omnino tollere: hi verò erroribus confundere adnitebantur; turbatio tamen vel brevis fuit, vel Reipublicæ vinculum nonnihil luxatum meliores Imperatores redintegrârunt. Sæculum tandem quintum majora Occidentali Imperio vulnera, atque ipsam adeo ruinam conscivit: cùm enim Occidentis Provinciæ à toto Orientis regno divisæ, minoribus contra hostes viribus pugnarent; non tantùm Provinciæ Barbarorum, exterorúmque hostium incursionibus, sed & intestinis perfidorum hominum consiliis succubuêre: Quin ipsa orbis Metropolis Roma binis vicibus à Visigothis nempe & Vandalis vastata est: nec Occidentali Imperio tot motibus concusso, totque abscissis regni sui partibus diminuto aliud supererat, quàm ut ægrum trahens spiritum, post aliquod intervallum penitus exspiraret. Quàm immensa hìc se nobis offert materies! nam præter novam Juris formam in Codice Theodosiano descriptam, occurrunt ingentes rerum conversiones, Imperatorum præcipites casus, Gentium Transmigrationes, & novorum Regnorum exordia, quibus accedunt malorum facinorum pœnæ, & plurium bonorum Præmia: quorum illa fugies, ne in Divinæ justitiæ manus incidas; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Argumentum Historiæ Ecclesiasticæ.

3. Non minùs fœcunda est hujus Partis *sacra Historia*; ex quo enim tempore Ecclesiæ è suis latebris in lucem, ídque ope Christianorum Principum prodire concessum est; Dogmata jam fidei apertiùs quoque exponebantur non tantùm in Patrum sermonibus, sed & in Conciliis Oecumenicis ac Provincialibus: & Religio Catholica cum splendore quodam etiam de Paganorum superstitione, déque errore Hæreticorum triumphabat. Adhæc Hierarchia Ecclesiastica in explicatiorem formam redacta, & certis limitibus ac Diœcesibus distincta, pulcherrimum orbi objiciebat spectaculum. Nunquam clariùs, atque his duobus sæculis eluxit

Vicaria

Vicaria Christi & in Ecclesiam universam suprema Pontificis potestas, quâ & hæreses condemnare, præsidere Oecumenicis Synodis, aut easdem confirmare, appellationes ab omnibus terrarum Episcopis accipere, totúmque jus sacrorum exercere valuit; & profectò hæc Pontificum authoritas olim tam certa atque extra controversiam fuit, ut etiam Bucerus ætatem illam antiquam inspiciens testari debuerit (a): "Confitemur, ait, apud veteris Ecclesiæ Patres Romanam Ecclesiam præ cæteris Primatum obtinuisse, ut quæ Cathedram Divi Petri habeat, cujúsque Episcopi successores Petri ferè semper habiti sint.„ Huic porrò capiti proximè subordinabantur Patriarchæ, quorum numerus in sæculo quinto ita augeri cœpit, ut Constantinopolitanus alterum à Romano locum sibi arrogaret, Hierosolymitanus verò quintus cæteris accederet. Post Patriarchas veniebant Metropolitæ, hos subsequebantur Episcopi, quorum jura & limites ut tantò melius teneas, singulorum Diœceses, Provincias, Metropoles, atque Episcopia non tantùm verbis, sed & tabulis Geographicis expressimus; & quoniam in Synodis tantorum Præsulum non minima potestatis pars eminuit; urbes & oppida, in quibus Concilia seu Generalia, seu Provincialia olim celebrata fuêre, majoribus aut minoribus Asteriscis ad Lectoris commodum notavimus. Nam quid de duorum istorum sæculorum Disciplina commemorem? quæ ut tantò melior foret, optimis institutis, legibus, Canonúmque innumerabili multitudine stabilita fuit, quibus proinde Clerus ad sanctioris vitæ normam, Monachi ad perfectissimam Ascesin erudiebantur. Habet igitur in Historiæ hujus complexu præprimis Theologus rationes veras & solidas, ad quas modernæ Ecclesiæ orthodoxæ dogmata comparet, & quæ veteri doctrinæ conveniunt minùs, detestetur, simúlque iisdem telis, quibus hæreses Patres olim confutabant, subnascentes hodie errores configat: neque enim quisquam tam temerarius erit, ut heterodoxiæ aut superstitionis illa arguat, quæ in Primis Universalibus Synodis comprobata & usu totius Ecclesiæ tunc recepta viderit. Postremùm jurisprudentia sacra undique sapientissimorum Præsulum Canones & Conciliorum leges inveniet, ex quibus veteris Ecclesiæ atque disciplinæ Oeconomiam metietur.

(a) Bucerus in Præparatoriis ad Concilium.

4. Ar-

4. Argumenti amplitudinem in hoc volumine comprehensam postquam exhibui, est quoque, ut Tibi Benevole Lector methodum ostendam, quæ scriptioni isti accommodata est: Tres nimirum notas, quas Justus Lipsius (b) præscripsit iis, qui concinnandis historiis dant operam, eas mihi observandas duxi, scilicet ut veritatem, explanationem, judiciúmque præ oculis haberem. Et primò *veritas* sine quâ historia in fabulam desinit, quæque est principium Prudentiæ simul & Sapientiæ, ut ait Dionysius Halicarnassæus (c), eatenus nobis proposita fuit, quatenus nihil in civilibus afferremus, quod non coævum haberet authorem; in Sacris autem Conciliorum Canones, ac decreta verbotenus exposuimus: nec minùs Patrum sententiæ de fide, ac disciplina ex eorum scriptis recitantur; unde speciali lucubratione horum Patrum genuini libri ab Apocryphis distincti sunt, ne dolo aut inscitiâ veritati mendacium aspergi valeat. Secundò *explanatione* eâ usi sumus, quæ à nobis in Primo Tomo adhibita, & à multis sapientissimis viris comprobata fuit; nam eodem modo fideliter narrata disponimus, & quomodo, & quibus de causis res gestæ sint, explicamus. Denique *Judicio* discrimen, luménque rebus conciliare conamur, probamus probanda & quæ vituperio obnoxia fuêre, damnamus, ut hâc ratione bonos Historia instruat ad honestatem, malos à vitio terreat, sitque, utì Tacitus olim præcepit (d), virtuti ita sua laus, ut & pravis dictis factísque ex posteritate & infamia metus existat.

(b) Lipsius apud Possevin. in Bibl. select. l. 16. c. 2.

(c) Dionys. Halicarnas. in præfat. Archelog.

Methodus scribendi

(d) Tacit. 1. hist.



LIBER



LIBER IV.

NOVA REIPUBLICÆ ET ECCLESIÆ FACIES

Sub Primis Christianis Imperatoribus.

CAPUT I.

STATUS IMPERII à CONSTANTINI M. INITIIS, USQUE AD THEODOSII M. EXCESSUM.

Sive ab Anno 306. ad Annum Æ. C. 395.

§. I. CONSTANTINI *Primi Christiani Imperatoris Patria, juventus, commoratio in aula Galerii, fuga in Angliam, Cæsarea dignitas: Exitium Severi Cæsaris, Herculei, & Galerii Augustorum: Constantini Victoriæ de Maxentio, & Licinio, ejusdem leges, ac fidei zelus: interitus Crispi: Constantinopolis initia, Partitio Imperii, morbus Imperatoris & funeralia.*

1. A Quo tempore supremus Principatus penes Ethnicos Magistratus fuit; ipsa Urbs Romana, orbísque Domina omnium Gentium erroribus, flagitiísque servire visa est (a): quantumcunque enim à Cæsaribus proferretur Imperium; per ipsas tamen terrarum accessiones in publicam Regni sedem simul trahebantur Provinciarum vitia, quibus Victores Regionum, Principésque media

(a) S. Leo Serm. I. de Nat. App. Petr. & Paul.

Conſtantinus Primus Chriſtianus Imperator.

inter trophæa fœdiùs, frequentiúſque vincebantur. Quare forma illa Dominatûs ab Auguſto cœpta in probroſam tyrannidem ſubinde deſiit, quâ & virtus & libertas, tum Optimorum fortunæ, vitáque opprimebantur. Malis ejuſmodi finem tandem attulit Conſtantinus, dum ſub ſæculi quarti initia, in Cæſarum ſolium elatus, ſimul Regi Regum Jeſu Chriſto Primus caput ſubmiſit, ab eóque Magiſtro novam doctus regnandi artem, exciſis idolis, proſcriptíſque Ethnicorum flagitiis ſanctius in orbe Romano fundavit Imperium.

Conſtantini Patria & Juventus.

2. C. Flavius Conſtantinus Conſtantii Chlori filius natus eſt ex matre Helena (* 1) ineunte anno CCLXXIV. (* 2). Quinam ei

(* 1.) Helena Conſtantini mater genere minùs nobili orta eſt Drepani in Bithyniâ, ùt habet PROCOPIUS de ædific. Juſtin. lib. 5. c. 2. quæ urbs teſte *Sozomeno* lib. 2. c. 1. nomen Helenopolis obtinuit. *Stabulariam hanc primò fuiſſe aſſerunt ſic cognitam Conſtantio Seniori.* Ut legitur apud AMBROSIUM in orat funebr. Theodos. ANONYMUS VALESIANUS de ea ſic ait: *Hic igitur Conſtantinus natus Helenâ matre viliſſimâ* (id eſt, ùt exponit *Pagius* infimæ conditionis) in *oppido Naiſſo* atque *eductus &c.* ALFORDI tamen in Annalibus Britann. Eccleſ. ad a. 275. altiorem eidem originem eruere conatur. Prætereà BEDA lib. 1. c. 8. Helenam non legitimam matrem, ſed Concubinam fuiſſe videtur aſſerere: *Conſtantius Conſtantinum filium ex Concubina Helena procreatum, Imperatorem Galliarum reliquit.* Similia habet ZOSIMUS lib. 2. cujus verba Leunclavius ita reddit: *Conſtantinus natus ex conſuetudine mulieris, quæ materfamilias non eſſet: nec in manum Jmperatori Conſtantio legitime conveniſſet.* Sed Beda ſcripturarum more Helenam ſecundariam uxorem Concubinam vocavit, & quia Conſtantius ab ea divertere coactus eſt, cùm Maximiani privignam Theodoram Cæſaríſque cum ea dignitatem accepit. Cæterùm Zoſimi ſententia iniquiùs verſa eſt à Leunclavio; nam ille, nec matronæ, nec matris familias mentionem facit: convitia quæ in græco Zoſimus jacit contra Helenam, ſunt, hæc vocabula ὐ σεμνὸς, & ἀσεμνὸς, quibus Helena *non illuſtris*, *non venerabilis* ſignificatur; nam Romanis legibus cautum erat, ut *Romanus nonniſi Romanam duceret: vel ut ſi præfectus cohortis, vel equitum: vel tribunus, contra interdictum uxorem duceret in ea provincia, in qua officium gerebat, matrimonium non eſſet*, L. Præfectus de ritu nupt: Zoſimus igitur dicere voluit hoc matrimonium Conſtantii & Helenæ fuiſſe obſcurum, quia ὐ κατὰ νόμον. Convaleſcebant tamen ea matrimonia, ut videre eſt L. eos. ff. de ritu nupt. & L. ſiquis in Senator. cit Titimò BARONIUS ad ann. 306. ait: *ex neceſſitate compellimur dicere: Helenam Legitimam Conſtantii conjugem fuiſſe.* Quod ex Panegyri EUMENII oſtendit, ubi Conſtantini Legitimi Natales celebrantur. Et JUSTINIANUS Imp. affirmat polemoniacum pontum *Helenopontum* vocari. *Quod illi nomen à pientiſſimo Principe Conſtantino impoſitum eſt occaſione Honeſtiſſimæ matris Helenæ, ſcilicet pientiſſimæ mulieris.* Conſtit. 28. quod pulchrè. Honeſtiſſimam matrem autem nemo Concubinam dixerit.

(* 2.) BUCHERIUS Belg. Rom. lib. 6. c. 15. n. 6. Annus Conſtantini natalis ex ejuſdem morte, & morientis ætate conficitur. Mortuum enim conſtat anno. Ch. 337. Maji 22. Dominica Pentecoſtes, ùt ex Euſebio, aliiſque fuſiùs. De illius verò tunc ætate,

ei locus natalis fuerit, parùm liquet: utì enim Britannia Constantinum sibi vendicat; ita Dacia contendit civem esse suum (†). Ætatis primordia cùm in palatio Diocletiani poneret; Moysi in medio Dei hostium adolescenti non absimilis, ea documenta dedit, quæ anxiam Imperatori mentem injicerent: ne Constantinus aliquando foret, qui populum electum à Cæsarum tyrannide vindicaret (b). Præsidia, quæ juveni non pauca erant, virum Regno dignum spondebant; nam & compositio membrorum, oris venustas (*3), proceritas firmi, robustique corporis totidem dotes fuêre, quibus æqualium provocâsset invidiam, nisi æmulorum odia virtutis suavitate temperâsset (c). Nemo illo modestior, continentior nemo, aut temperantior (d), quo vivendi genere ubi hostium spem superâsset, tum illud amorem omnium rapuit, quòd ad insitas virtutes aliunde peteret illa adjumenta, quæ in literis ac belli artibus ad excolendum animum esse solent (*4). Exercita-

(†) Reflexio I.

(b) Euseb. V. Constan. l. 1. c. 12.

(c) Panegyr. 5. & 7. Euseb. l. 1. c. 13. Niceph. l. 8. c. 55.

(d) Nazar. pan. 7. Euseb. l. 3. c. 55.

ætate, variæ sunt sententiæ. Qui plurimum sciscunt, annum vitæ 66. definiunt, ut EUTROPIUS lib. 10. & ex eo Hieronymus in Chronico. Qui minimum, annum malunt 62. nempe completum, ùt VICTOR SCHOTTI. Medio tutissimus incedit alter VICTOR, qui 63. ætatis annos itidem solidos morienti concedit. Idem testatur Eusebius, cum *duos illum & 30. annos (extra paucos menses ac dies,) imperâsse eundemque annorum numerum ætate suæ vitæ duplicâsse* scribit; putat porrò Bucherius ex 32. Imperii annis primum cum Patre tanquam Cæsaris in Britannia transactum esse, quando à Patris excessu nonnisi 31. & quidem duobus mensibus, tribusque diebus minus imperavit. Ita si bis 32. annos (mensibus aliquot ac diebus minùs) vixerit; ad annum 64. inchoatum pertigerit: adeoque infert prædictus Author illum natum esse a. 274. & quidem 27. Februarii, sicut Libellus de Præfectis Urbis tradit. Cæterum PAGIUS ad a. C. 337. n. 4. non improbabiliter judicat Constantinum natum esse anno 272. eoquòd ex ejus sententia Constantinus vixit annos sexaginta quinque. Provocátque ad Rufinum lib. 11. c. 12. Socratem lib. 1. c. ult. Sozomen. lib. 2. c. ult. Alfordi & Gordonus natalem annum transferunt in annum 275. ùt videre est apud Alfordi ad a. 275. Annal. Eccles. Brit. pag. 270.

(* 3.) NICEPHORUS. lib. 8. c. 55. *Fuit Constantinus formæ decore nemini secundus. Et cum gratiosus maximè fuit; tum decentiæ ipsi Magnificentiam conjunxit. Staturâ quoque Corporis spectabundus, colore Corporis rubicundus: Minùs densum habuit capillum, eúmque flavescentem; Barba mediocriter tenuis & rara: Oculi quales virum decent & placidi, ex quibus mirifica eminebat gratia, auctiorésque illi, & grandiores: nasus subaduncus, cui carnosum quiddam insidebat; facies ipsa latior, & magnanima admodum.*

(* 4.) EUSEBIUS lib. 1. c. 13. *virtutibus magis, quàm corporis ornamentis nobilitatus est. Quippe modestiâ primùm suum decoravit animum: deinde politiori Literaturâ: tum prudentiâ à natura prope insitâ. Ad extremum Sapientiâ divinitus animo consignatâ tanquam alimentis quibusdam eximie educavit.* NAZARIUS Panegyri 7. in Constantino amorem pudicitiæ laudat; *jam illa vix audeo de tanto Principe commemorare: quòd*

citatus hunc in modum Tyro militiam aggressus est: nullum illinc periculum, quod extimesceret: præ cæteris stare in acie, appetere ardua, contemnere fortunæ bellique casus solenne habuit (e); quare Diocletianus A. CCCIII. fortissimum juvenem primi ordinis Tribunum creat (f), deinde Cæsarem anno CCCV. dicere constituit: sed Galerius Constantini virtutem non ferens, eodem tempore hanc Imperatori mentem eripuit, quo per vim, fraudémque duos Seniores Augustos purpurâ, Regnóque exutum ibat (* 5).

(e) Panegyr 9 p. 191. Euseb. V. Const. l. 1. c. 20.

(f) Lactant. de Mort. Persec. c. 18.

A. Æ. C. 305.

3. Decedentibus aut depulsis ab Imperii præfecturâ Diocletiano & Herculeo, divisísque inter Galerium & Constantium novos Augustos Provinciis (* 6); non paucos urebat, Severum Barbarum Juvenem tunc præ Constantino Cæsaris nomen obtinuisse: & credebatur tempus fore, quo Constantius Parens filii injuriam esset ulturus. Galerius igitur, quò certiùs belli, pacísque fomitem haberet in potestate; Constantinum, Nicomediæ ob-

quòd nulla matronarum, cui forma emendatior fuerat, boni sui puduit, cùm sub abstinentissimo Imperatore species luculenta, non incitatrix Licentiæ esset, sed pudoris ornatrix &c. Et EUSEB lib. 3. c. 56. *quòd ob hanc potissimùm causam à Deo missus* (in Orientem) *fuerit, ut omnes homines temperantiæ Legibus institueret.*

(* 5.) LACTANTIUS de morte Persec. c. 18. *Nec multis post diebus Cæsar* (nempe Galerius Maximianus) *advenit, non ut Patri gratularetur, sed ut eum cogeret Imperio cedere. Jam conflixerat nuper Maximiano sene, eúmque terruerat injectio armorum civilium metu - - - his auditis, senex languidus, qui jam Maximiani senis Literas acceperat scribentis, quæcunque locutus fuisset, & didicerat augeri ab eo exercitum; lacbrymabundus: Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat, ut communi Consilio omnium Cæsares legerentur. - - - Erat autem Maximiano filius Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeò superbus & contumax, ut neque Socerum solitus sit adorare. Et idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, Sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus - - - Quid ergo fiet? ille, inquit, Galerius, dignus non est. Qui enim me Privatus contempsit, quid faciet, cùm Imperium acceperit? - - - eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi jussu meo. &c.*

(* 6.) EUTROPIUS lib. 10. de Diocletiano & Herculeo loquens ait: *His abeuntibus ab administratione Reipublicæ, Constantius & Galerius Augusti creati sunt, divisúsque inter eos Romanus orbis.* Constantio obtigit Gallia, Italia, Africa & aliæ Provinciæ Occidentis. Galerius adiit principatum Orientis, scilicet Asiæ, Illyrici, Thraciæ & Ægypti: ex his tamen Provinciis relinquebantur quædam administrationi duorum Cæsarum tunc creatorum scilicet Severi, & Maximini; nam Constantius Severo dederat Italiæ & Africæ curam, Maximino cessit Dominatus Syriæ, & vicinarum Provinciarum, præcipuè Asiæ minoris unà cum Ægypto, vide Tillemont in V. Constantini A. 6. Tom. IV. P. 1.

obſidem ſpecie religionis atque amicitiæ detinet (g), perditurus etiam captivum, ſi apertâ vi agere licuiſſet. Ex inſidiis proinde res peragitur (h): oſtentandi roboris causâ Conſtantinus in Circo laceſſere beſtias, ac in præliis eo loco pugnare jubetur, quorſum acerbior vis hoſtium incumbebat (*7). Conſtantius de filii periculo edoctus, Galerium rogat, ne hoſtium, aut etiam animantium ferociâ extinctum vellet, quem Parens ipſe longiori hominum bono genuiſſet, néve intra Nicomediæ clauſtra mancipium eſſe fineret, qui Princeps libertati natus utiliorem in Britannia operam Reipublicæ ſibíque eſſet daturus (i). Galerio pignoris retinendi cupido certum erat vel preces Conſtantii negligere, aut diſſimulare: nihílque Conſtantino ſpei reliquum, quàm ut tot diſcriminum caſibus admonitus è Tyranni manibus celeriùs ſe evolveret (*8). De fuga Conſtantini quamprimùm in aula compertum eſt; Galerius lacrymas ſive â rabie ſive à dolore profectas fudiſſe fertur, ídque continuò in mandatis dediſſe, ut Severus in Italia Cæſar (ſiquidem fugitivus in has Provincias incideret) medio in itinere interceptum enecaret. Sed Conſtantinus jactos caſſes cautiùs declinans (k), prætermiſſâ Italiâ in extremos Galliæ fines jam evolaverat, unde cum Patre Conſtantio in Angliam ſolvens, (l) ſuſceptum contra Pictos bellum omnino confecit (*9).

(g) Lactant. Perſec. c. 24. Aurel. Vict.
(h) Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 20. Lact. c. 24. Phot. c. 62.
Conſtantini commoratio in aula Galerii.
(i) Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 20.
A. Æ. C. 306.
Ejusdem fuga in Angliam.
(k) Lact. Perſ. c. 24.
(l) Eumen. Paneg. 9.

(* 7.) ZONARAS Ann. Tom. 2. in V. Dioclet. *Hunc igitur Conſtantinum Pater, adoleſcentem etiamnum, Galerio dediſſe obſidem memoratur, ut interim etiam in re militari exerceretur. Qui cùm ei ob ingenii dexteritatem ex invidia inſidias ſtrueret; in pugna Sarmatica mandârit, ut barbarorum ducem armis inſignem aggrederetur: Conſtantinum verò paruiſſe, eumque correptum viventem ad Galerium portâſſe. Deinde Leonem immanem & cruentam belluam juſſiſſe ſubſiſtere: illum verò id quoque certamen, quamvis non ſine periculo, divinâ tamen Gratiâ incolumen obiiſſe.*

(* 8.) EUSEB lib. 1. vitæ c. 14. *quod quidem adoleſcens* (Conſtantinus) *animadvertens* (*ſiquidem Dei nutu, inſidiæ contra eum comparatæ ſemel & iterum fuerunt perſpicuè deprehenſæ*) *fugâ ſalutem quæſivit. Atque in eâ re exemplum magni Prophetæ Moyſis eſt probe imitatus. Deus etiam omnia ejus cauſâ faciebat; providè proſpiciens, ut in eo tempore præſtò eſſet ad Patri ſuccedendum.* AURELIUS VICTOR c. 40. fugam ita deſcribit Conſtantini, nimirum *ad fruſtrandos inſequentes, juſſit publica jumenta* (*quàquà iter ageret*) *interfici*, & ita demum, cùm nemo fugientem aſſequi poſſet, *in Britanniam pervenit* adeò properato itinere; *ut non advectus curſu publico, ſed divino quodam advolâſſe vehiculo videretur.* Inquit EUMENIUS paneg. 9.

(* 9.) De Pictis teſte USSERIO circa hæc tempora, loqui Hiſtoria incipit: habitabant tunc in ea regione, quæ hodie Scotia dicitur, venerúntque, ùt ſcribit BEDA

4. Defuncto subinde genitore (*10), Constantinus ab exercitu Augustus consalutatur (*11): purpurâ vestitus laureatam suî imaginem, pro more, ínque signum susceptæ Imperatoriæ dignitatis (m) reliquis Cæsaribus mittit. Galerius ad iconis invisæ spectaculum altero jam vulnere ictus, anceps hæret, quò vertat consilia, hinc invidiâ ad perniciem Constantini stimulante, illinc retrahentibus metu belli, legionúmque seditione (*12); igitur, quod minimè cupiebat, imaginem recipit eâ lege, ut Severo in locum Constantii Augusti surrogato, Constantinus solum

(m) Lactant. c. 25.

Constantini electio in Cæsarem.

Hist. Angl. lib. 1. c. 1. ex Scythia, vel ùt Usserius exponit ex Scandinavia aut ex aliis Septentrionis partibus: porrò juxta Bedam, horum Pictorum usus fuit, ut in Successione principum majorem Fœmininæ, quam Masculinæ lineæ rationem haberent. Cæterùm EUMENIUS Panegyr. 9. hanc expeditionem contra Pictos ita celebrat: *Constantii suprema illa expeditio, non Britannica trophæa, ùt vulgò certum est, expetivit; sed Diis jam vocantibus ad intimum terrarum limen accessit*, atque ut constet, ubi prælia potissimùm peracta sint, idem author ait, ibi *longissimi dies, & nullæ sine aliqua luce noctes, ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.*

(* 10.) TILLEMONT. in V. Constantini. A. 7. p. 145. asserit Constantium mortuum esse Eboraci 25. Julii a. 306, decimo quinto anni sui regni, scilicet ab anno 292. quo factus est Cæsar, ALFORDI in Annal. Eccl. Brit. ad a 306. confirmat Constantium à Romanis inter Deos relatum: & in Nummo Londini cuso Divus appellatur additâ templi effigie. Ejus sepulchrum variis Angliæ locis tribuitur: Primò monstratur Constantii tumulus in loco Caïr Segeint dicto. Præterea anno 1283. in alio loco ejus Corpus inventum credebatur, quod Eduardus I. transferri fecit in Ecclesiam, quin attenderet, utrùm hoc canonibus congrueret, ut habet FLORILEGUS ad cit. annum. CAMBDENUS in Brigantibus refert: *Nam fide digni nobis retulerunt, cum Patrum memoria Monachorum ædes Eboraci diruerentur, in Crypto porticu adiculæ, in qua Constantium situm fuisse opinio erat, lampadem ardentem repertam fuisse. Veteres enim auro, in pinguedinis liquorem, arte soluto, diutissimè & per multa sæcula arsurum ignem in Sepulchris fovisse scribit Lazius.*

(* 11.) EUMENIUS Paneg. 9. *Sententiam rogatus Constantius* (moriturus) *cui Imperium decerneret, dixit, ut decebat Constantium Pium. Manifestè enim Sententiâ Patris electus es Imperator. - - - illico, atque ille* (Constantius) *terris fuerat exemptus; Universus in te consedit exercitus, te omnium mentes, oculique signarunt - - - Purpuram statim, tibi, cum Primus copiam tui fecit egressus, milites, utilitati publicæ magis, quam tuis affectibus servientes, injecêre lachrymanti.* TILLEMONT. existimat hanc inaugurationem factam fuisse 25. Julii, quâ obiit Constantius, adeóque ante funeralia Patris.

(* 12.) LACTANTIUS lib. 25. *Paucis post diebus laureata imago ejus* (Constantini) *allata ad malam bestiam* (Galerium): *deliberavit diu, an susciperet? In eo pene res fuit, ut illam, & ipsum, qui attulerat, exureret, nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quòd universi milites, quibus invitis ignoti Cæsares erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summâ; si venisset armatus.*

lum Cæſaris nomen uſurparet (* 13). Conditione utrimque admiſsâ Maxentius Herculei filius (qui unà cum Conſtantino per Galerii fraudes à Cæſaris honore paulò ante excluſus fuerat) novam tumultuum ſementem jacit: is enim Romæ viſâ Conſtantini Cæſaris imagine, jam non paris, ſed majoris etiam dignitatis ſpe afflatus (n), populo perſuadet; ut quod paterno jure in ſe tranſiiſſet, nomen Auguſti, exauthorato Severo in ſe transmitterent, daréntque modò id beneficii loco, quod ſibi debitum barbarus hic Juvenis annitente Galerio abſtuliſſet: Plebejorum quisque ſive odio in Galerii tyrannidem concepto, ſive antiquis in Maxentii Patrem Herculeum ſtudiis, votis filii non defuit (o). Galerius ut primùm inaudiit, quæ nova Maxentius in Italia moliretur; Severum Cæſarem cum legionibus Romanis ad opprimendum belli civilis tumultum advolare jubet: verùm unde medela petebatur, inde periculum ſummum enatum eſt (p); nam Legiones Italicæ, dum cum filio Patrem ſcilicet Herculeum in adverſa acie ſtare vident: nefas eſſe ſucclamant, eum adoriri hoſtem, quem antea Ducem, ac Imperatorem ſummâ fide exercitus coluiſſet; quare animis repentè converſis per caſtra mutatur conſilium, fitque palàm omnium ad Herculeum defectio (q). Severus legionibus nudatus intra validam munimentis urbem Ravennam ſe proripit: & latere tutus potuiſſet; niſi pollicitationibus amplis Herculei ad deditionem pellectus, damno ſuo maluiſſet diſcere, fidem datam nusquam faciliùs, quàm regnandi causâ violari: egreſſus namque mœnibus purpurâ, quam biennio geſſerat; ac ne eam reſumeret, etiam vitâ protinus exuitur (r).

(n) Zoſim. l. 2. p. 672.

Maxentius Auguſti titulum ſumit.

(o) Lactant. c. 26.

(p) Zoſim. l. 2. p. 673.

A. Æ. C. 307.

(q) Lact. c. 26. Europ. Zoſimus. l. c.

Severi Cæſaris interitus.

(r) Anonym. Valeſ. p. 472.

5. Herculeus quantumvis nece Severi lætaretur; id tamen urgebat timentis animum, Proditione peractum facinus â Galerio minimè inultum fore (s): ad pares itaque hoſti vires objiciendas animum intendit. Conſtantinus eodem tempore ut potentior rerum, ita opportunior fœderi viſus eſt: præterquam enim, quòd

Lactant. c. 26. Zoſ. l. 2. p. 673.

(s) Lact. c. 27.

Herculei & Conſtantini fœdus.

(* 13.) Idem l. c. *Suſcepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipſi purpuram miſit, ut ultro aſciviſſe illum in ſocietatem videretur. Jam turbatæ rationes ejus fuerant, nec potuerat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Auguſtum nuncuparet; Conſtantinum verò non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem, cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum.*

(t) Euseb. V. Const. l. 1. c. 25.

(u) Panegyr. 9. p. 197.

quòd suas Provincias, quas à Patre Constantio acceperat, scilicet Angliam, Hispaniam, Galliámque pacis studio excoleret (t); motus Francorum & Alemannorum, Gallorum finibus infestos ita castigavit, ut captos cum Regibus Barbaros benè multos in Circo bestiis discerpendos daret, quo terror latiùs spargeretur (* 14). Ad hæc Castellis munierat Rhenum (u): ac pro Romanis in hostiles terras transituris, prope Ubiorum Coloniam Pontem flumini rapido instraverat (* 15). Agentem eo modo Constan-

(* 14.) EUTROPIUS lib. 10. c. 2. *Cæsis Francis, atque Alemannis, captisque eorum Regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum Spectaculum muneris parâsset, objecit.* EUMENIUS panegyr. 6. illam in hostes crudelitatem laudat: *Hoc boni confert pœna hostibus irrogata, ut non solùm inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensiùs revereantur: inde igitur est pax ista, quâ fruimur. Neque enim Rheni jam Gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur - - - sciunt, posse Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas; sed nec Victoriam sperare possunt, nec veniam: Quid ipsos maneat, ex legum suorum cruciatibus metiuntur &c.* Sed quantumcunque laudetur ab Ethnicis hæc atrocitas in captivos, nihilominus fatendum, id à Constantino factum, quando necdum mansuetudine christianâ imbutus fuerat. NAZARIUS Panegyr. 9. c. 18. de alio bello Constantini contra Bructeros, Chamavos, Cheruscos, Vangionas, Alemannos, Tubantes mentionem facit. Et EUMEN. paneg. 6. c. 12. Ob has victorias contra Francos, Constantinus ludos Francicos institui præcepit, qui à 14. Julii usque ad 20. celebrabantur. vid BUCHER. in Calend. Rom. edit 1664. Antverp.

(* 15.) EUMENIUS Paneg. 6. c. 13. *Insuper etiam Agrippinensi Ponte faciundo reliquiis adflictæ gentis insultas, ne unquam motus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat: cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, & ornatum limitis facias, quàm ad facultatem, quoties velis, in hosticum transeundi: quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, & revera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solùm superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut viciniâ fontis exiguus, sed etiam ibi novo Ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens Fluvius & Barbarus Nicer, & Mœnus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere.* Valesius Rer. Franc. p. 18. dubitat, utrum Pons ille Constantino tribuendus sit? sed quia rationem solidam non affert, communi opinione standum existimat Tillemont in V. Const. A. 10. pag. 155. BAUDRAN cum aliis Coloniensibus Scriptoribus Ægidio Gelenio Sacr. Syntag. 9. Stephano Brœlmanno &c. Apud Mascovium lib. 6. de reb. Gest. Germ. p. 215. judicat Pontem ejusmodi stetisse usque ad tempora Ottonis III. quia tunc ejusdem frater Bruno Archiepiscopus Pontis dejecti lapides ad Ecclesiam S. Pantaleonis erigendam adhibuit. BUCHERIUS in Belg. Rom. lib. 8. c. 2. §. 5. notat: *Divitense munimentum ad Barbaricam Rheni ripam Coloniæ oppositum, à Constantino ad Pontis tutelam, si non primùm erectum, certè seriò restitutum, firmiúsque redditum prorsus existimo, narrat quippe Rupertus ejus loci Abbas, cùm murus quidam suâ ætate in Tuitiensi illo suo Cœnobio dirueretur, repertam quandam ex lapide tabulam, cum inscriptione:* CONSTANTINUS PIUS ROMANORUM. IMPER. AUGUSTUS DEVICTIS FRANCIS. CASTRUM DITENSIUM IN TERRIS EORUM FIERI JUSSIT. MILITES TURRIM

ſtantinum Herculeus datâ in Connubium Fauſtâ filiâ (* 16) ſimúlque oblato Auguſti nomine ſibi conſociat (x). Galerius licèt inanem dediſſet operam, ne fœdus ejusmodi ſciſceretur; id tamen nunc proſpiciendum putabat, ut Maxentius in Italia antè ſubigeretur, quàm propinquitate conjuncti in ejusdem auxilium copias viréſque ſociarent: confeſtim igitur Romam novo aſſultu quatiendam ſumit, miſſo hanc in rem robore exercitûs: verùm quia hæ ſuppetiæ non aliæ erant, quàm quas Italia genuiſſet; pari defectione Romanæ copiæ Galerio, ùt antè Severo Cæſari funeſtæ fuerunt. In Acie jam conſiſtebat Romanus miles, propiúsque aberat, ut jubente Duce vim ultimam Romæ (Maxentii ſedi) afferrent; tum ſubitò ipſe Patriæ conſpectus arma pugnaturis excuſſit (y), ac deſtituto à ſuis Auguſto præter fugam nihil ſuperfuit, quæ miſerè luctantem fato imminenti eriperet (z).

(x) Bar. 307. §. 9. Paneg. 5.

Galerii clades p'ope urbem Romanam.

(y) Lactant. Perſec. c. 27.

(z) Idem l. c. Zoſim. l. 2. p. 673.

6. Diſcuſſo bello, quo forìs Italia petebatur; in ipſo urbis ſinu belli quædam ſpecies exarſit: Herculeus paterni amoris oblitus, regnóque priſtino cupidiùs inhians, cùm regnare aliter non poſſet, filium Imperio depellere inſtituit (a); concione factâ militibus perſuadere adniſus, unâ Maxentii proſcriptione turbarum fontem obſtructum iri. Quo dicto Pater manus in filium injicit, quaſi purpuram murepturus (b): at inviſam rem molienti Herculeo miles obſiſtit, & pugnantis in modum arma expedit in Patrem: optimè ſecum agi credidit Herculeus, quòd periculo defunctum una fuga abſtulerit in Galliæ fines. Illinc novâ ſerendorum tumultuum prurigine incenſus, Conſtantinum impellere

Diſſidium Herculei cum filio Maxentio.

(a) Lact. c. 28.

(b) Panegyr. 6. Zoſim. l. 2. p. 674.

RIM CUM INTERTURRIO FECERUNT. Licèt BROWERUS Annal Tre . lib. 3. c. 114. eandem inſcriptionem alio modo referat: VIRTUTE DN. CONSTANTINI MAX. PII. FEL. INVIC. AUG. SUPPRESSIS, DOMITISQUE FRANCIS IN EORUM TERRIS MIL. CASTR. DIVITENSIUM SUB PRÆSENTIA PRINCIPIS SUI - - - DEVOTI NUMINI MAJESTATIQUE EJUS DUODEVIGINTI HÆC VOTA FECER. in poſtrema tamen inſcriptione illud tempori convenire non videtur, quòd Conſtantinus *Auguſtus* appelletur, quem titulum modò poſt nuptias cum Fauſta tranſactas accepit.

(* 16.) LACTANTIUS perſec. c. 27. ait *Fauſtam* fuiſſe ſecundam filiam Herculei: nata illa erat Romæ, et poſt mortem Minervinæ (primæ conjugis Conſtantini) connubio huic Principi juncta. Ex ea Uxore Conſtantinus ſuſcepit *Conſtantium*, *Conſtantinum Juniorem*, *&* *Conſtantem*: præterea duas filias ſcilicet *Conſtantiam* uxorem Anniballiani & hoc mortuo conjugem Galli Cæſaris; dein *Helenam* ſponſam Juliani Apoſtatæ.

(c) Lactant. c. 29. lere in arma (c), jam Diocletianum, ſuum olim Collegam Imperii, ad recuperandos faſces prolicere: ſed verba cum ubique perderet; novo veluti fulmine icitur, quòd certis nunciis afferretur, tres novos Auguſtos prehendiſſe Imperium: Licinium (* 17) ſcilicet, quem Galerius in Maxentii odium creaverat; alterum Maximinum Orientis anteà Cæſarem (* 18). His tertius in Africa acceſſit Alexander, qui è milite Imperatorem profeſſus, cunctas ſibi rapuerat Afrorum Provincias (* 19). Simul igitur recuperandi ſpe imperii, ſimul regionibus excluſus Herculeus, decerpere ſaltem aliquid de regno Generi ſui aggreditur (d): Conſtantinus ad Rhenum contra Francos acturus, Herculeo Galliæ præfecturam demandaverat; occaſionem ille hanc perfidiæ ſuæ opportunam ratus, Arelatem regni ſedem, totáſque provincias interiore bello haurit; dum Auguſtus à Galliæ finibus exteros hoſtes profligabat: atque ut rapinam præſidio quodam firmaret, raptis è theſauro Regis opibus, defectionem militum emercatur. Faci-

A. Æ. C. 308.

(d) Lact. c. 29.

(* 17.) VICTOR in Epit. teſtatur Licinium fuiſſe oriundum viliore genere & ut ANON. VALESIANVS ait, in Dacia ſecunda ſive parte Illyrici; rudis literarum, oſor quoque artium fuit, quas venenum & peſtem Reipublicæ dictitare ſolebat: miles cæteroquin aſper et laborioſus meruit Conſtantiam Conſtantini Sororem habere Sponſam a. 313. Galerio ob res geſtas contra Narſetem Perſarum regem ita gratus, ut illum Conſtantio mortuo, creare Auguſtum decreverit, niſi Conſtantinus Conſilia Galerii evertiſſet. Vid. LACTANT. Perſec. c. 20. poſt mortem Severi creatur Auguſtus, AUREL. VICT.

(* 18.) LACTANTIUS c. 32. *Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæſarem ſe, nec tertio loco nominari volebat: mittit ergo ad eum* (Galerius) *ſæpe legatos: orat, ſibi parcat, Diſpoſitionem ſuam* (Cæſaris) *ſervet, cedat ætati & honorem deferat canis* (Licinii, qui anno 323. jam 60. annorum fuerat) *At ille tollit audaciùs cornua, & præſcriptione temporis pugnat ſe priorem eſſe debere, qui prior ſumpſerit purpuram; preces ejus, & mandata contempſit: dolet beſtia* (Galerius) *& mugit, quod eum ideo ignobilem feciſſet Cæſarem, ut ſibi obſequens eſſet; is tamen tanti ſui beneficii oblitus, voluntati ac precibus ſuis impiè repugnaret: Victus contumaciâ* (Galerius) *tollit Cæſarum nomen, & ſe, Liciniumque Auguſtos appellat, Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum. Maximus poſtmodum ſcribit quaſi nuncians in Campo Martio proxime celebrato Auguſtum ſe ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mæſtus ac dolens, & univerſos quatuor Imperatores jubet numerari.*

(* 19.) AURELIUS VICTOR in Epit c. 58. *Alexander fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior adverſus laborem vitio ſenectæ.* VICTOR de Cæſarib. c. 40. *eâdem tempeſtate apud Pœnos Alexander pro præfecto gerens, dominatui ſtolidè incubuerat: cum ipſe debili ætate, agreſtibus, ac Pannonicis Parentibus vecordior; milites, tumultuariéque quæſiti; armorum vix medium haberetur, denique eum â tyranno miſſi pauciſſimis cohortibus Rufus Voluſianus Præfectus Prætorio, ac militares duces levi certamine confecêre.*

Facinoris obſcuritas ea non erat, ut Conſtantinum etiam abſentem latere poſſet: is itaque celerrimo itinere in Galliam revolat, detracturus ſpolium non jam Socero ſed Graſſatori. Nec mora, Arelatenſi agro Imperator propinquat, tum Herculeus cauſæ ſuæ, emptæque militum fidei haudquaquam confiſus, Maſſiliam ſeſe ejicit: fugientem Conſtantinus inſequitur, captúmque (cùm occidere fas eſſet) eâ adhuc gratiâ donat, ut depoſitis honoribus privatus deinceps, nudúſque regno vivat (*20).

Herculei perfidia adverſus Conſtantinum punitur.

7. Necdum mitiore in cuſtodia annum expleverat Herculeus; homo inſtabilis ingenii novos de occupando Imperio animos reſumit (e): nimirum, quod viribus, aut ſcelere anteà confecerat minùs; id ſubinde dolo muliebri tranſigendum feliciùs ſperabat: filiam proinde ſuam Fauſtam, Conſtantini conjugem multis tentat blanditiis: plus, inquiens, honoris eidem acceſſurum; ſi Parens, quàm ſi maritus regnet: ſibi autem necem Auguſti cogitanti, januam cubiculi regii leviore ſerâ revinctam ſineret; & Prætorianis noctu digredi juſſis, viam Patri ſterneret ad flagitium. Fauſta, quid Parenti, quidve Conjugi deberet, altiùs ponderans, tandem Conſtantino rem totam aperit: hic ut Herculeum in ipſis caſſibus deprehenderet; ex compoſito cubiculi aditum patefieri jubet, remotíſque ab oſtio cuſtodibus, unum intra penetrale Eunuchum relinquit, qui pro Conſtantino Parricidæ

A. Æ.C. 310.

(e) Lact. de M.Perſ.c.30. Eutrop. Zoſim. l. 2. p. 674.

Novæ inſidiæ Herculei contrà Conſtantinum.

(* 20.) LACTANT. c. 29. *Quare impeditis conſiliis Senex Maximianus, tertiam quoque fugam moliebatur, redit in Galliam, plenus malæ contagionis, & ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem, Generum ſuum, Generi filium, dolo malo circumveniret; Et ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem. Francorum gens in armis erat. Perſuadet nihil ſuſpicanti, ne omnem ſecum exercitum duceret, paucis militibus poſſe barbaros debellari, & ut ipſe haberet exercitum, quem occuparet, & ille opprimi poſſet ob militum paucitatem. Credit adoleſcens, ut perito ac ſeni: paret ut ſocero, proficiſcitur relictâ militum parte majore, ille paucis diebus exſpectatis, cum jam Conſtantium æſtimaret intrâſſe fines barbarorum, repentè purpuram ſumit, theſauros invadit, donat, ut ſolet, largè: fingit de Conſtantino, quæ in ipſum protinus reciderunt. Imperatori properè, quæ geſta ſunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviſo, nondum ſatis inſtructus: milites ad Imperatorem ſuum redeunt. Occupaverat Maſſiliam & portas obſeraverat. Accedit propiùs Imperator, & in muro adſtantem alloquitur, non aſperè, nec hoſtiliter; ſed rogat, quid ſibi voluiſſet, quid ei defuiſſet, cur faceret, quod ipſum præcipuè non deceret? Ille verò ingerebat maledicta de muris. Tum ſubitò à tergo ejus portæ reſerantur, milites recipiuntur. Attrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, Pater impius, ſocer perfidus. Audit ſcelera, quæ fecit, detrahitur ei Veſtis, & increpito vita donatur.*

dæ ſævitiem exciperet, ſimúlque exanimi corpore patrati ſceleris teſtimonium comprobaret (f). Intereà ſub noctis concubium Herculeus adeſt explendo facinori intentus: factâ per incuſtoditum limen viâ, lætabatur in hominem unum (quem Principem credebat) ſeſe incidere, cui extra arbitros afferret necem. Properâ itaque manu pugionem in Eunuchi pectus immergit, dein ruente in pavimentum cadavere foràs erumpit, altùm ſibi plaudens, Auguſtum ſuâ dexterâ periiſſe. Inſultantis vocem ſubitò repreſſit Conſtantinus, qui ex inſidiis molitiones Herculei auſcultans, facto jam ſcelere in medium vivus cum armatis progreditur; poſitóque ſuavi Generi nomine ſeveriorem Judicis ſpeciem profeſſus, Parricidæ ſupplicium quantocyus decernit: Multis precibus id ſaltem datum eſt, ut, quo vellet mortis genere, extingueretur (g): Laqueo igitur, mitiore quidem, ſed infami pœnâ Maſſiliæ vigeſimum ſui regni annum, vitámque finiit, quam toties crudeliſſimâ Martyrum carnificinâ dehoneſtaverat (*21).

(f) Vict. in Epit. Lact. l. c.

Infamis exitus Herculei.

(g) Lact. c. 30. Euſeb. l. 8. c. 18. et V. Conſt. l. 1. c. 47.

8. Truculentior pœna Galerium (quia plurium criminum reus erat) brevi è vivis abſtulit (h): is Vicennalia celebraturus, nihil in templis, civiúmque opibus intactum reliquerat, ut corraſam auri vim in vanam Pompam unius diei profunderet: Sed Tyranni ſuperbiam tot crudelitatibus turgentem inſanabilis plaga percuſſit (i): hæc ubi ſecretiores partes acutiſſimo dolore affixiſſet; fœtore invaleſcente à popularibus, medicíſque deſertus Imperator, factis nequicquam Æſculapio votis poſt anni integri acerbos cruciatus vindicem Dei dexteram, quâ pulſaretur, agnovit. Ad placandum verò Chriſtianorum numen edicto publico cavebat, ut Perſecutionum contra Chriſti legem finis foret (k). Quàm parum olim Antiochi, ſic neque Galerii ſera & ficta pœnitudo iram divinam emolliit, quin menſe ſequenti, ex quo Nicomediæ legem affixerat, ad majores pœnas evocatus deceſſit anno vigeſimo ſui regni: humatus in Dacia eſt, ut terram eandem, quam olim natalem habuerat, fatalem poſteà experiretur (l).

(h) Lactant. c. 31.

(i) Idem c. 33. Euſeb. l. 8. c. 16. Aurel. V. epit. Zoſ. p. 674.

A. Æ. C. 311.

(k) Euſeb. c. 17. Lact. c. 35.

Mors Galerii.

(l) Vict. Epit.

8. Dum

(* 21.) CHRONICON NOVALICIENSE apud Tillemont. in V. Conſtantini A. 17. teſtatur circa annum 1054. inventum fuiſſe corpus Herculei plumbeo loculo incluſum, in marmoreo ſepulchro; quod ex conſilio Archiepiſcopi Arelatenſis in mare projectum eſt. AMBROSIUS epiſt. 57. jam olim ſcripſerat, quod Corpus hujus Cæſaris conditum ſit in tumulo ex marmore.

9. Dum Maximinus ac Licinius Galerii Provincias æquatis portionibus sibi rapiunt (m), Maxentius Alexandro Africæ Tyranno profligato, Provincias transmarinas in potestatem recipit (n), indéque Romam reversus crudelissimum, scelestissimúmque retulit animum. Nam in vitam, ac fortunas Divitum ferox, infestúsque fœminarum pudori (*22) sacrilegâ etiam manu spolia ex templis detraxit: quæ cùm licenter, perditósque inter greges decoqueret; fama fuit, Maxentium paucos intra annos tantum absumpsisse, quantum Romani à decem sæculis urbi conditæ importâssent (o). Prodigam, & luxu plenam vivendi rationem, fames egestásque gravissima secuta est, cui malo se subventurum Maxentius credidit; Si Constantinum suis terris, uti Alexandrum Africâ exueret (p): Bellum igitur eo nomine suscipitur, quòd filii intersit ulcisci Patris Herculei necem. Constantino negotium erat cum Tubantibus, aliisque Rheni accolis; dum hic belli rumor eundem perculit: noverat is equidem parvam Maxentio de Parente curam esse, cujus mortem nullus faciliùs ac ipse tulerat: sed superbiam ac avaritiam Tyranni paucis victoriis inflatam ita nunc impelli, ut quemvis subigendum suis armis putaret (q). Pacis consiliis frustra tentatis (r) Constantinus minùs validam etiam frontem objectare hosti decernit (*23): munito contra Barbaros Rheno iter adversus Alpes cœptum est; proficiscentem tamen Imperatorem hæc

(m) Eufeb. l. 9. c. 6. Lact. c. 36.
(n) Aurelius Vict. Paneg. 6. 7. Zosim. l. 2. p. 675.
Crudelitas et libido Maxentii Romæ.
(o) Eufeb. l. 8. c. 14. Zosim. l. 2. p. 675. & p. 676.
(p) Zosim. l. 2. p. 675.
(q) Lactant. c. 43.
(r) Nazar. pan. 7.
Maxentius bellum molitur contra Constantinum.

(* 22.) PRUDENTIUS in Sym. l. 1. descriptionem facit miserabilis statûs, quo afflicta Romana urbs fuit sub crudeli & impudico Maxentio: ZOSIMUS l. 2. p. 677. licèt Maxentium laudare & purgare conetur, fatetur tamen: *Et Maxentii quidem rerum his ità gestis, & omnibus per Italiam, ac in ipsa urbe per summam crudelitatem, libidinémque habitis, hic status erat.*

(* 23.) ZOSIMUS copias Maxentii ita enumerat lib. 2. p. 676. *Cum Maxentius longe majoribus copiis semet instrueret, Romanorum & Italorum octoginta millia se ad belli societatem conjunxerant; itémque Thusci, quotquot universam oram maritimam incolebant, præbebant & Carthaginienses exercitum quadraginta millium: & præter hos Siculi: adeò quidem, ut totus exercitus centum & septuaginta peditum, & decem atque octo millibus equitum constaret.* De Constantini exercitu contrà sic loquitur: *Constantinus - - - ad bellum se comparat, ideóque collectis copiis ex redactis in potestatem Barbaris & Germanis & aliis Celticis nationibus, itémque de Britannia coactis militibus, qui omnes erant ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum.* PANEGYRISTA Panegyri 6. dicit; quod Constantinus pauciores copias habuerit, quàm Alexander M.; cum Persas aggrederetur. adeóque Constantino adversus Maxentium ituro nonnisi quadraginta millia fuêre; cæteræ enim copiæ, ad Præsidium Rheni & Britanniæ relinqui debebant.

hæc ſollicitudo anxium habuit: cujus Numinis auſpiciis belli aleam jaceret. Audierat equidem à Maxentio id agi, ut Aruſpicum operâ paſſim viſcera infantium ſecentur, ſtygióque carmine ſive ex Aſtris, ſive à Dite omina expoſci (s). At Conſtantinus his contemptis præſtigiis, altius & potentius numen ſibi implorandum cenſuit (t): deliberanti occurrebat, â Patre Conſtantio, quantumvis Idola contemneret, nusquam victoriæ, nusquam fortunæ adjumenta deſiderata fuiſſe (u); Melitinam contrà legionem pro Marco Aurelio precibus ad Chriſtum fuſis viciſſe hoſtes: hoc ipſum Chriſtianorum numen ſuis tantum robur, tantámque vim ſuppeditare, ut inter cruciatus alacres, intérque vulnera & mortes invicti conſiſtant (x): talia cùm memori mente revolveret Imperator; id porrò precabatur, ut intelligentiæ quandam lucem de hoc Numine accipere liceret, atque præſentis periculi opem opportunam experiri (y). Conceptis Conſtantini votis Chriſtus obſecundare viſus eſt; nam paulo poſt meridiem, ubi exercitum Dux præibat; infra Solem Crux refulſit his verbis inſcripta, *in hoc vince* (z): cauſa cœleſtis imaginis quoniam obſcurior erat Gentili, & Chriſtianarum rerum ignaro; inſequente nocte Chriſtus ipſe Imperatorem monet, ut viſæ crucis modulum artificis operâ elaboratum labari vice deinceps adhiberet (a); ex hoc enim ſigno legionibus tantam vim acceſſuram, ut hoſtium undique vel cædem ederent vel fugam. Expergefacti à ſomno Conſtantini prima cura fuit, ut quæ à Chriſto in mandatis acceperat, fieri quàm celerrimè juberet: dein ex accitis Chriſtianæ legis Doctoribus id maximè reſcire ſtuduit, quod ad Crucis, Chriſtíque Myſteria propiùs faceret (*24), his imbutus longiorem ille librorum lectionem ſubjunxit, quâ breviter percepta in mentem altiùs deſcenderent (b).

(s) Euſeb. l. 8. c. 14. & l. 9. c. 9.
(t) Idem V. Conſt. l. 1. c. 27.
(u) Idem l. 2. c. 45.
(x) Euſeb. V. Conſt. l. 2. c. 28.
(y) Idem l. 2 c. 28.
Crux apparet Conſtantino.
(z) Idem c. 29.
(a) Idem c. 30. & Baron. ad a. 312. §. 26.
(b) Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 32.

9. Quam-

(* 24.) ZOSIMUS l. 2. p. 685. Converſionem Conſtantini tribuit per calumniam Ægyptio cuidam: Flaminibus *reſpondentibus; non eſſe traditum luſtrationis modum, qui tam fœda*, Conſtantini, *eluere piacula poſſet, Ægyptius quidam, ex Hiſpania Romam delatus, palatiníſque miraculis familiaris factus, & ad Conſtantini colloquium admiſſus; ſententiam doctrinæ Chriſtianorum habere vim abolendi quodcúnque confirmaret - - - Principium inpietatis hoc dedit, ut divinationem ſuſpectam haberet.* TILLEMONT. in V. Conſt. Ar. 24. judicat per hunc Ægyptium ſignificari à Zoſimo Hoſium Epiſcopum Cordubenſem, qui ex Hiſpania ad Conſtantinum veniens & principia fidei expoſuit, quíque ex hac cauſa poſteà magnæ authoritatis ſemper apud eundem Chriſtianum Imperatorem fuit.

10. Quamprimùm Conſtantinus Chriſto nomen dederat; in Principis exemplum Helena mater (*25), Propinqui, pauci tamen ex Ethnicis ivêre: hi enim Cæſari mutatæ religionis ergo iras Deorum, neſcio quas, ominabantur (c): quæ ſuſpicio, metúſque per exercitum magis tunc invaluêre, quando crucis effigies in apice Labari unà cum innexo Chriſto nomine ante militares copias proſtabat (†). At Conſtantinus contemptis quibusque rumoribus ſub finem anni CCCXI. Prælato eodem vexillo adversùs hoſtem belli æſtu ferocem, copiíſque validiorem intrepidus pergit (d). Claſſis primùm mari data eſt ad portus Italiæ laceſſendos (e); quo divergio creditum eſt, hoſtem aliò avocatum Conſtantino vix obſtiturum, quo minùs per Alpium anguſta deduceret militem. Nec conſilio eventus defuit, ſuperatis enim difficili itinere montium jugis proxima quæque munimenta injectis ignibus capta ſunt (f); dein Conſtantinus ad Taurinos progreſſus graviorum certaminum initia habuit: inſederant agrum eundem Duces fortiſſimi Maxentii, unâ cum equeſtrium agminum numeroſiſſima manu: hi, ùt vigebant animis, corporibúſque, eâ opinione penè inflammabantur, quòd exiſtimarent, ſibi cum umbris hominum, fame, frigore, illuvie enectis, contuſis ac debilitatis negotium fore, quíque amiſſis in tranſitu Alpium plurimis præter peruſtos artus, quaſſata arma, debiléſque equos, nihil admodùm afferrent. Iſta cùm jactarentur; non tanquam in hoſtes, ſed velut in ægras hoſtium ab Alpibus penè jam devictorum reliquias invecti, ſummâ vi aciem perfringunt: Conſtantinus ardori primo cedendum ratus, laxatis ordinibus aſſultantem ultro admittit hoſtem: dein circuitu ſuis imperato, equites medios, ac fere captos gladiis concidit. Strage editâ præcipua urbs Taurinorum, & caput gentis, tum aliæ ad Padum Caſtella Victorem recipiunt. Ad Veronam tamen collecta denuò Maxentii agmina in novum coëunt prælium; quod obſtinatis utrinque animis ità ſuſceptum eſt,

(c) Paneg. 6. Bucher. de B. R. l. 8. c. 6. §. 2.

Labarum Crucis.

(†) REFLEXIO II.

(d) Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 52.

A. Æ. C. 312.

(e) Paneg. 6.

(f) Paneg. 6. & 7.

Conſtantinus ſuperat Alpes & magnam Italiæ partem.

(* 25.) THEOD. RETUS l. 1. c. 17. ait quidem, Helenam educâſſe Conſtantinum in pietate, adeòque Suppreſſioni dat locum, quaſi Helena jam ante Conſtantinum Chriſtiana fuerit, quod & ALFORDI in Annal. Britann. videtur aſſerere. Sed EUSEBIUS in V. Conſt. lib. 3. c. 47. confirmat *eandem anteà Dei cultricem non fuiſſe*, ſed à Conſtantino *tam piam ac religioſam evaſiſſe.*

est, ut pugnam cædibus non minùs cruentam, quam diuturnam nox una diremerit. Postridiè Constantinus confessionem cedentis hostis, ac detrectantis certamen pro victoria habuit: deinde victum exercitum, qui in modum fugientium raptim agebatur, breviore itinere ad ipsa urbis Romanæ mœnia secutus est (g).

(g) Paneg. 6.

Desidia Maxentii Romæ.

11. Maxentius, quantâcunque vi assiliret hostis, intra portas otiosus desidet; sive quòd vanâ spe sibi blandiretur, legiones Romanas non minùs nunc â Constantino, atque anteà â Severo & Galerio ad se repentino transfugio defecturas; sive quòd Vati haberet fidem, â quo acceperat, diem, quâ Româ exiret, Maxentio fatalem fore (*26). Agentibus Ducibus id saltem jussit, ut exercitus ad citeriorem Tiberis ripam excubans, propiorem ab urbe vim prohiberet. Adhæc insidias Constantino molitus, Pontem flumini imponit eâ arte compositum, ut compages certis uncinis, clavísque mobilibus devincta, iisdémque clàm refixis dissolvenda transiturum Ducem in Tiberis voragines effunderet (*27). Intereà Constantinus cum suis ad Pontem Milvium amplissimo in agro pro castris consederat; & quocunque circumtulerat oculos, plena omnia animorum vidit, ac roboris: Veteranum peditem, & gestientes tot jam victoriis equites, quibus propositum erat, ad ipsa urbis mœnia laborum terminum, & dignam mercedem emeritis stipendiis fore. Æstuante in pugnam milite, Constantinus subverebatur; ne Maxentius intra muros clausus, longiore morâ suorum ardorem extingueret (h): hæc ancipiti curâ versans Imperator de cælo per somni imaginem intelligit, occasionem conferendi manus cum hoste abesse propiùs, jubetúrque (in spem futuræ postridiè victoriæ) pugnaturis dare scuta,

A. Æ. C. 312.

(h) Lactant. c. 44.

(* 26.) LACTANTIUS c. 44. *Jam mota inter eos fuerant arma civilia, & quamvis Maxentius se Romæ contineret, quòd responsum acceperat periturum se, si extra portas urbis exîsset, tamen bellum per idoneos Duces gerebatur &c.*

(* 27.) ZOSIMUS lib. 2. p. 676. *Tantis cùm ambo copiis instructi essent; Maxentius Pontem supra Tiberim amnem struit, non connexum prorsus à ripa, quæ urbem spectat, ad alteram usque ripam, sed duas in partes ità divisum, ùt in medio flumine eæ, quæ partem utramque Pontis explebant, inter se quodam modo concurrerent fibulis ferreis, quæ revellebantur, quotiès pontem quis junctum nollet: simul imperat fabris, cùm primùm viderent exercitum Constantini juncturæ pontis insistere, fibulas revellerent, ac pontem solverent, ùt quotquot huic insisterent, in fluvium delaberentur.* vide etiam EUSEBIUM in vita Const. l. 1. c. 38.

Conſtantinus & Maxentius ſe ad pugnam præparant.

ſcuta, galeáſque cruce ſignatas (*28). Dies vigeſima octava Octobris erat, quâ Maxentius ſextum regni annum celebraturus, per Aruſpices Deorum oracula aut belli omina expetebat; reſponſi loco id tunc præcipuè relatum eſt: eâ die periturum Romanorum hoſtem. Ambigua dictio Tyrannum eò abripuit, ut tempus, quod Maxentio fatale prædicebatur, Conſtantini potiùs exitio funeſtandum putaret (*29): quâ vanâ ſpe lactatus illico urbe egreditur, Tiberíque transmiſſo ad Saxa rubra aciem diſponit (i), id maximè ſuis inclamans, belli molem non humanâ, ſed Deorum ope actum iri; nec aliud officium à Ducibus ac milite exigi, quàm ut per Deos commiſſam jam pugnam, ac profligatam ipſi penitus conficiant. Hæc jactanti Maxentio Conſtantinus intrepidam è Cruce ſignatis agminibus aciem objicit, datóque claſſico tam alacri impetu in Maxentii copias decurritur, ut effuſâ fugâ magna pars hoſtium ordines confunderet. Prætoriani ſoli rediêre in certamen; tum quòd offenſi Conſtantini veniam deſperarent, tùm quia malefactorum conſcientia etiam paventibus neceſſitatem pugnandi imponeret. Suſtinebatur inde per tempus aliquod dubia belli alea; dum Crucis ſive à labaro, ſive ab armis quibusque emicantis terror ſingulos urbem verſùs propelleret in fugam (*30). Maxentius fugientium cumulo abreptus ad Pontem nava-

(i) Aurel. Vict. paneg. 6. & 7.

Conflictus Conſtantini cum Maxentio.

Victoria Conſtantini.

(* 28.) Idem l. c. *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad ſextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur. Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ùt cœleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ità prœlium committeret. Fecit, ùt juſſus eſt, & transverſa X. litera ſummo capite circumflexo Chriſto in ſcutis notat. Quo ſigno armatus exercitus capit ferrum.*

(* 29.) PANEGYR. 6. *Potuiſſet ille quidem debitas reipublicæ pœnas, obſidione differre; nam exhauſtâ Africâ, & exinanitis Inſulis infiniti temporis annonam congeſſerat: ſed divina mens, & ipſius urbis æterna Majeſtas nefario homini eripuêre conſilia, ùt ex inveterato illo torpore, ac fœdiſſimis latebris ſubitò prorumperet, & conſumpto per deſidiam ſenio, ipſum diem Natalis ſui, ultimâ ſuâ cæde ſignaret, ne ſeptenarium numerum, ſacrum ac religioſum inchoando violaret. At quo modo inſtruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? ita prorſus, ne quis ſuorum evadere, nec loco motus referre gradum, & inſtaurare prælium poſſet: cum à fronte armis: à tergo Tiberi flumine premeretur.* Similia habet LACTANTIUS c. 44. p. 38. ZOSIM. l. 2. p. 676.

(* 30.) ORATORIS INCERTI paneg. 6. *territi, fugatique hoſtes, & anguſtiis Milvii Pontis excluſi, exceptis latrocinii illius primis authoribus (prætorianum militem ſignificat) qui deſperatâ veniâ, locum, quem pugnæ ſumpſerant, texêre corporibus; cæteri omnes in fluvium abiêre præcipites; ùt tandem aliquod cædis compendium feſſis Conſtantini manibus eveniret, cùm impios Tiberis hauſiſſet.*

navalem quoque elabitur, non sine divino consilio: vix enim in Pontis medium pervenerat; ipsa machina (quam Tyrannus Constantini exitio paraverat) in authorem scelus refudit: dolosa quippe compages urgentium, aut insistentium militum numero disrupta sive sponte dissiliens Ducem unà cum suis in Tiberim devolvit (k); enatantibus paucis, Maxentium cum aquis frustra luctantem thoracis ferreum pondus in ima fluminis, atque in naufragium vitæ, Imperiique præcipitem egit (*31). Postridie eodem in loco, ubi interierat, extractum cadaver est, avulsúmque trunco caput civibus læto deinceps spectaculo fuit (l).

(k) Zosim. p. 677. Euseb. V. Const. l. 1. c. 38. V[illegible] epit.

Interitus Maxentii.

(l) Amm. anon. p. 473.

12. Senatus excusso jam Tyranni jugo, in occursum novi Principis effusus (*32), pro more labarum adoravit: & quoniam Crux in ejus fastigio eminebat; sacro signo eâ die primùm summus honor ab invitis etiam Romanis habitus est (*33). Deducen-

Zosim. p. 677

Constantini Victoris ingressus in urbem Romanam.

(* 31.) LACTANTIUS c. 44. p. 38. *Maxentianus proterretur; ipse in fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus in Tyberim deturbatur.* ORATOR Panegyr. 6. *Ipsum etiam Maxentium; cum equis & armis insignibus frustra conatum, per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tyberis correptum gurgite devoravit; ne tam deforme prodigium, vel hanc obitûs sui relinqueret famam, quòd alicujus viri fortis gladio, telove cecidisset.*

(* 32.) NAZARIUS Panegyr. 7. *Nullus post urbem conditam Romano Imperio dies illuxit, cujus tanta gratulatio aut fuerit unquam, aut revera esse debuerit: nulli tam læti triumphi, nulli plausus, quos Annalium Vetustas consecratis literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces, sed incedebat tandem soluta nobilitas: unà conjecti in carcerem barbari, sed educti è carcere consulares. Non Captivi alienigenæ introitum illum honestarunt, sed Roma jam libera, nihil ex hostico excepit, sed seipsum recuperavit: nec præda auctior facta est, sed esse præda desiit, & (quò nihil adjici ad gloriæ magnitudinem potest) Imperium recepit, quæ servitium sustinebat.*

(* 33.) PRUDENTIUS Lib. 1. contra Symmach. describit ingressum Constantini in Romanam urbem, quæ fuit secundum Bucherium 29. Octobris a. 312. & simul adorationem crucis factam à Senatu:

Testis Christicolæ Ducis adventantis in urbem
Milvius exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quânam victricia viderit arma
Majestate regi; quod signum dextera vindex
Prætulerit; quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis,
Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc, concreto processit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vastâ:

Com-

ducendus inde Cæſar erat ſolenni & veteri ritu in Capitolium: verùm Conſtantinus Religionis Chriſtianæ legibus prohibitus, omiſſo Jovis templo, poſt viſitatam curiam in Palatium ſeceſſit (m). Pupugit hic neglectus Deorum Ethnicos: ac ne porrò in aperta odia irritarentur; Conſtantino quædam toleranda fuêre, quæ nonniſi temporis diuturnitas ex uſu hominum & animis abſtulit: itaque à Ceremoniis quibusdam, & à ludis ſolennitatis causâ peractis Imperator haudquaquam ſe ſubducere potuit (n); quamvis inter ipſa ſpectacula magis intuentium oculos rapuerit Conſtantini virtus, ac manſuetudo, quâ poſteà moderatiſſimè victoriâ uſus eſt: nulli ſiquidem hoſti ademit vitam, omnibus arma reddidit (o); Prætorianos tamen, (militiam illam Cæſarum Dominatricem ac Imperii Magiſtram) in Gregariorum ordinem ex omnium votis redegit (p). Imperator ubi ſe Patrem Patriæ probâſſet; Optimates Romæ Principi arcum triumphalem poſuêre (*34): cui benefacto majus beneficium relaturus Conſtantinus, media in urbe ſtatuam ſuam fecit erigi (q), quæ Crucem complexa ſubſcriptâ ſimul ſententiâ Romanis teſtabatur; in hoc ſigno oppreſſam tyrannidem, civibus datam libertatem, Cæſari victoriam (*35): dignus proinde hic annus CCCXII. fuit, qui ſpecialem Epocham, ac Indictionum initium fundaret (†).

(m) Baron. ad a. 312. §. 57. 58. Zoſim. l. 2. p. 686. Paneg. 6.

(n) Baron. §. 67.

Moderatio Conſtantini.

(o) Liban. or. 12. Paneg. 6.

(p) Aurel. Vict. Zoſim. l. 2. p. 677.

Monumenta Conſtantini.

(q) Euſeb. hiſt. l. 10. c. 5.

(†) REFLEXIO III.

C 2 13. An-

Complexúsque pedes Victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Chriſtique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

(* 34.) GRUTERUS pag. 282. BARONIUS, aliique inſcriptionem Arcûs Conſtantini in capite viæ Appiæ, ita deſcribunt:

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. F. AUGUSTO S. P. Q. R. QUOD INSTINCTU DIVINITATIS, MENTIS MAGNITUDINE CUM EXERCITU SUO TAM DE TYRANNO, QUAM DE OMNI EJUS FACTIONE UNO TEMPORE JUSTIS REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS; ARCUM TRIUMPHALEM INSIGNEM DICAVIT.

intra fornicem majorem ejusdem arcûs legitur hinc: LIBERATORI URBIS: inde FUNDATORI QUIETIS. *Noriſius* in Diſſert. de Num. Licinii c. 3. obſervat Arcum illum, qui etiamnum Romæ viſitur, in ipſis Conſtantini Decennalibus ſive quadriennio poſt relatam victoriam, aut anno 316. erectum fuiſſe, cui adſtipulatur PAGIUS in Critic. Baron. Tom. I. p. 360. illud porrò notans, quod Imperatores plerumque triumphos diſtulerint usque ad annum Quinquennaliorum, atque eodem anno arcus de more, & victorias, quas ante reportârant Cæſares, Nummis inſculptas fuiſſe.

(* 35.) EUSEBIUS lib. 1. c. 33. ait, ſtatuæ ſuæ Conſtantinum hanc epigraphen addi-

A. Æ. C. 313.

13. Anno CCCXIII. mense Januario Constantinus ex urbe Mediolanum digressus (r), Constantiam Sororem Licinio sponsam jungit (s): ad nuptiarum celebritatem invitatus Diocletianus non comparuit; sive quòd otium jam pertinaciter amaret (t), sive quòd Maximini metueret odium: hic enim Cæsar connubium ejusmodi suæ potentiæ infestum esse ratus, sexaginta armatorum millia jam coëgerat, quibus Licinium pauciorum copiarum Principem invaderet (u). Licinius cùm nec consilii satìs, nec virium adversus hostem haberet; Ethnicus licèt, ab Angelo tamen bono docetur certam precandi formam (x), quâ tesserâ, cælestis genius pollicebatur, & milites telorum hostilium securos, ac maximi etiam exercitûs Victores fore. Eventus probavit, non somniantis id commentum fuisse; nam precante præscriptum in modum milite, Maximinus Heracleam inter & Adrianopolim cæsis legionibus exuitur (y); dein quæsitis frustra per Cappadociam, ádque montem Taurum fugæ latibulis, venena hauriens & vitæ & ignominiæ finem facere decernit (z): sed placuerat vindici numini lentiore mortis genere Tyrannum conficere; nam liquore lethali artus innoxiè pervadente, graviorem à Deo plagam immissam sensit; quâ toto corpore incensus, igne stygio in terris jam torreri visus est: & quoniam Martyrum oculos frequentatâ crudelitate erui jusserat; purpurato carnifici per talionis pœnam tumentes oculorum orbes intolerabilis dolor suis planè sedibus emovit (a): putrescenti demum cadaveri persimilis, rabie spumans, intérque ejulatus Tarsi (b) anno nono Imperii evomuit animam, Diocletianum secuturus, qui pari Tyrannidis conscientiâ gravatus ad æterna supplicia paulò ante præiverat (*36). Licinius victoriæ

(r) Lactant. Persec. c. 45.
(s) Zosim. l. 2. p. 677.
(t) Vict. Epitom.
(u) Euseb. l. 8. c. 14. Lactant. c. 45
(x) Lactant. c. 46.
Licinii victoria de Maximino.
(y) Euseb. V. Const. l. 1. c. 58.
(z) Lactant. c. 49. Euseb. l. 9. c. 10.
Maximini fatum.
(a) Chrysost. in Gent. T. 1. p. 681. Euseb. V. Const. l. 1. c. 59.
(b) Zosim. p. 677.

addidisse. HOC SALUTARI SIGNO VERO, FORTITUDINIS INDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS PRISTINÆ AMPLITUDINI, ET SPLENDORI RESTITUI.

(* 36.) TILLEMONT. in V. Diocletiani A. 23. extinctum hunc Tyrannum ait, post nuptias Licinii cum sorore Constantini sive post annum 313. VICTOR in epitome ait: Diocletianum vixisse in suâ solitudine novem annis, quare diu post illud connubium vivere non potuit: certè ante Maximini mortem obiit, quæcontigit anno 313. mense Augusti; idem statuit PAGIUS ad a. 316. in Critic. §. 5. cæterùm VICTOR in Epitome difficultatem multis chronologis reliquit, dum ait: Diocletianum annis viginti quinque

ctoriæ cæli beneficio datæ memor (c), Nicomediæ legem edidit, (c) Lactant. c. 48.
nequis Christianis deinceps negotium facesseret; & spes multis
injecta erat, fore, ut Legislator ipse Gregi Christi accederet: Sed A. Æ. C. 314.
vitia hominem arctiùs superstitionis jugo attinebant, quàm ut ex
facili vincula rumperet. Deo itaque cùm perfidus esset; fide, *Bellum inter Constantinum & Licinium.*
ut debebat, integrâ amicitiam Constantini colere haud potuit.
In hunc subinde Bassianum, aliósque sceleris conscios incitare,
molirique insidias undique regnanti cœpit (d): conjuratione de- (d) Amm. anon. p. 473.
tectâ Constantinus Bassianum, quem in potestate habebat, subitò
oppressit, ab aliis quoque pœnas exacturus, nisi Licinius re-
clamante Constantino iis præsidium, domiciliúmque dedisset:
hæc itaque causa fuit, cur in apertum bellum uterque Cæsar
prorumperet. Licinius primùm ad Cibalas Pannoniæ oppidum,
fusus (e), posteà in Thracia altero prælio magísque cruento ad (e) Zosim. l. 2. p. 678.
accipiendas pacis leges compulsus est (*37).

14. Pactione factâ Constantino præter Illyricum, occiduásque Provincias, Dardania, Macedonia, Græcia, Mœsiáque accesserunt: inde idem Imperator veluti à bellis vacuus, sanctionibus stabilivit Imperium, nec ulla pars Reipublicæ fuit, cui non legum auxilio prospiceret. Treviris edixit, ut ii, quos Maxen- A. Æ. C. 315.
tii atrocitas servituti mancipaverat, libertati redderentur: voluít-
que

que imperâsse: sed rem expedit Pagius, quod nimirum Victor hos annos numerârit usque ad annum 309. quo Galonas rediit, unde posteà non amplius egressus est. Nam post abdicationem, publicorum Consiliorum adhuc particeps fuit, ejúsque & aliorum Imperatorum suffragio *Licinius* Augustus declaratus est, ut ait EUSEBIUS l. 8. hist. c. 13: eodem modo explicandus est Suidas in voce Διοκλητιανός, ubi asserit, *Diocletianus tranquille consenuit, ac triennium summa cum virtute exegit.* Scilicet ab anno 309. numerando usque ad initium anni 313. tranquillitas tamen, de quâ Suidas, modica admodum fuit, quia TILLEMONT. l. c. ostendit, quantos inter mortis horrores, ac insidias perpetuas maceratus sit, dum extingueretur.

(* 37.) ANONYMUS VALESIANUS hujus belli Liciniani ita reddit causam: *In Orientis partibus, Licinio, Constantino,* CC. (scilicet juxta Pagium anno 319.) *repentinâ rabie suscitatus Licinius omnes Christianos è palatio jussit expelli Mox bellum inter ipsum Licinium & Constantinum efferbuit. Item cùm Constantinus Thessalonicæ esset; Gothi per neglectos limites eruperunt. Tum Constantini terrore & impetu repressi, captivos illi impetratâ pace rediderunt: Sed hoc Licinius contrà fidem factum questus est; quod partes suæ ab alio fuerint vindicatæ: Deinde cùm variâsset inter supplicantia & superba mandata, iram Constantini meritò excitavit. Per tempora, quibus nondum gerebatur bellum civile, sed item parabatur; Licinius scelere, avaritiâ, crudelitate, libidine sæviebat: occisis ob divitias pluribus; uxoribus eorum corruptis.*

Constantini leges & Magistratus.

que ne quidem sexaginta annorum spatio præscribi contra libertatem posse: sequente anno Cabilluni vetuit, ne quis reorum porrò ageretur in Crucem, aut ne frons cujusquam cauterio deformaretur; quibus legibus & Crucis Mysterio, & pulchritudini hominis, quæ ex frontis decore maximè refulget, consultum est. Præterea alias benè multas sanctiones de pœnis, de testamentis, déque favoribus specialibus tum Ecclesiæ, tum egenorum prolibus impendendis evulgavit (†); quarum legum usum tantò fortiùs urgebat Princeps, quantò meliore Providentiâ Provinciarum intervalla discernebat; inducebátque Magistratibus illam formam; quæ & Ecclesiasticæ disciplinæ emolumenti non parùm adjecit (†).

(†) REFLEXIO IV.

(†) REFLEXIO V.

A. Æ. C. 323.

(f) Euseb. l. 10. c. 8.

15. Interea Licinius cladis à Constantino illatæ memor, in eam porrò suspicionem venit, quasi Christianæ genti propositum esset, sibi rapere omnino Imperium (f): cogitatu vanè concepto postquam se satis discruciâsset; injuriæ existimatæ lenimen daturus, primùm è Palatio Christianorum singulos expellit: dein prohibitis eorum conventibus, Episcopos præcipuè divexat, quóque arctiùs Dei servos Constantinus complectebatur, eò truculentiùs in illorum fortunas, vitámque Licinius grassatus est. Simultate igitur utrumque inter Cæsarem crescente, sexto ab initâ pace anno, bellum ardentiùs resumitur (*38). Licinius mari classem ducentarum septuaginta navium: terrâ equitum quindecim; peditum centum quinquaginta millia trahebat (g): Constantinus contra hos millenis onerariis, navibúsque ducentis (quarum quævis triginta remis impellebatur) Hellespontum obsederat. Adhæc

Alterum bellum inter Constantinum & Licinium.

(g) Zosim. l. 2. p. 681.

(* 38.) EUSEBIUS in lib. 2. V. Const. c. 5. recitat orationem, quam Licinius ad milites habuit in secundo bello contra Constantinum gesto: *Viri*, inquit, *amici & commilitones; siquidem quos ab ultimis usque majoribus colendos accepimus, Dii sunt Patrii. Iste verò, qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus, institutisque majorum violatis, ad impiam nullos credentium Deos opinionem descivit, peregrinum, nescio, unde quæsitum temerè amplectens Deum.* Ex quibus NORISIUS apud Pagium ad a. 318. Gentilem fuisse concludit: econtrà SOZOMENUS lib. 1. c. 7. apertè ait anteà Licinium Christianum fuisse: *Licinius, qui antè Religionem Christianam coluerat, post cladem illic acceptam animo mutatus, multos sacerdotes, qui in suis partibus degebant, graviter afflixit - - - Prætereà cùm iterum pugnaturus esset adversùs Constantinum, victimis & divinationibus ad futurum bellum se præparabat, seductúsque à quibusdam, qui victoriam ipsi pollicebantur, ad Gentilium superstitionem descivit.* Plura argumenta adducit PAGIUS, ex quibus conficit Licinium Apostatam fuisse §. 11.

hæc peditum viginti ſupra centum & equeſtrium copiarum decem millia terreſtri aptaverat pugnæ (h). His viribus licèt parem ſe hoſti præſtaret; cæleſti tamen præſidio magìs confiſus, Sacerdotúmque coronâ ubique cinctus, in tentoriis (ubi Crucis labarum ſervabatur) preces jejuniis mixtas fundebat ad illud Chriſtianorum Numen; unde opem toties jam fuerat expertus (i). Licinius ſeveriora hæc pietatis officia amarè deſpectans, accenſis per lucos cereis, factíſque ſacrificiis jactabat plus opis à pluribus Diis, quàm ab uno, eóque Numine peregrino exſpectandum; cui Conſtantinus veteris religionis deſertor adeò leviter ſe addixiſſet, ut & ejusdem infami cæteroquin Crucis ſigno ſuos milites notatum iret. Tertia dies Julii illuxerat, quâ Licinius ſuis inclamabat: id nunc temporis eſſe, quo alterutrius clades palàm faceret, cujus Numinis præſidia firmiora forent (* 39). His dictis in Conſtantinum movet; adverſus infeſta & Deorum imaginibus expicta ſigna Chriſtianus Princeps unum Crucis labarum objectat, hócque velut fulmine ita percellit hoſtes (k); ut eâ die de Licinii copiis triginta tria millia internecioni data ſint (l). Atque ut conſtaret; cujus Dei beneficio tam inſignis relata fuiſſet Victoria, in ipſo Conſtantini exercitu res novo prodigio confirmata eſt. Ex Protectorum numero quinquaginta viros delegerat Imperator, qui ſignum Crucis alternis vicibus portarent: fervente autem certamine, ubi in ſigniferum hoſtilis fit impetus, is metu, aut fugæ captandæ ſtudio, ferendi labari munus in proximum transfert: vix ille velut vice ſuâ defunctus, depoſuerat haſtile, cuſtodiámque Crucis, in ventre telo percuſſus illico occumbit, altero, qui ei ſucceſſerat, in medio ſagittarum imbre omnino incolumi; nam anguſtus haſtilis ambitus, cui Crux infixa fuerat, in

(h) Idem p. 680.

(i) Euſeb. V. Conſt. l. 2. c. 3. & 4.

Conſtantini Victoria de Licinio.

(k) Euſ. V. Conſt. l. 2. c. 7. 8. 9.

(l) Zoſim. l. 2. c. 23. pag. 681.

(* 39.) Conſtantini Monarchia non ante annum 325. cœpit juxta opinionem PAGII; quo anno etiam vult, Licinium interiiſſe, quod idem probat ex loco Theodoreti l. 1. c. 1. deducto *Euſebius quidem Palæſtinus à SS. Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſiis geſtas usque adeò acceptum Conſtantini Principatum perſcripſit: ego verò à fine Hiſtoriæ illius initium operis mei ſumam.* Prætereà anno 325. AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI refert: *Eodem anno Conſtantinus Imperator totius Imperii Romani* SOLUS *omnia ubique idola dejecit*: *Sed* TILLEMONT. in V. Conſt. a. 50. probat contrà mortem Licinii antè 16. Maji a. 324. accidiſſe, quodque Conſtantinus ejus decreta duntaxat aboleverit 12. Februarii a. 325.

in modum ſolidi ſcuti cuncta excipiebat miſſilia, aut retundebat (* 40).

16. Licinius cædi ſuorum ſuperſtes, & ægrè Byzantium elapſus, à Conſtantino obſidione premitur; ſimul includendus mari à Criſpo Conſtantini filio, niſi Amandus Licinianæ claſſis præfectus novibus ſuis Helleſponti oſtium obſtruxiſſet. His itaque in loci anguſtiis navali pugnâ res dirempta eſt (m). Amando prægrandis molis erant navigia, quæ cùm difficulter in patenti mari, tum nihil admodùm in modicis Helleſponti faucibus impelli poterant: Criſpi itaque conſilium erat minores rates & in omnem partem mobiles in pugnam adducere, quarum agili vi ineptas Licinii machinas primâ die penitus labefecit: poſtridiè verò ventis faventibus, quaſſis centum triginta navibus, cæsíſque quinque hominum millibus integram confecit victoriam (n). Licinius terrâ, maríque jam victus, antequàm obſideretur; Chalcedonem ſeſe ejicit: at in fugientis veſtigiis hærens Conſtantinus ſpatium colligendi exercitûs hoſti adimit (*41); quare homo vafer-

(m) Zoſim. l. 2. p. 681. 682. Ammian. Valeſian. p. 475.

Naumachia inter Claſſem Licinii & Conſtantini.

Euſeb. l. 10. c. 9.

(n) Zoſim. l. 2. c. 25.

(* 40.) ZOSIMUS lib. 2. p. 683. *His Licinius ad inopiam Conſilii redactus, ſtatuit deſerto Byzantio, & ibidem exercitûs infirmiore parte relictâ, cum maximè ſibi neceſſariis qui & benevolentiam ei ſuam probaverunt, Chalcedonem Bithyniæ quamprimùm ſe recipere. Nam fieri poſſe crediderat, ùt ex Aſiâ collecto exercitu dimicaret denuò. Quamobrem navigio Chalcedone delatus, adjunctum ſibi Socium periculi Martinianum, qui ordinem Palatinorum duxerat, (Romani Magiſtrum officiorum vocant) Cæſarem creat, & cum exercitu Lampſacum mittit; impediturum, quo minùs hoſtes è Thracia tranſirent ad Helleſpontum: ipſe copias ſuas in collibus, & faucibus ad Chalcedonem collocat. His rebus intento Licinio, Conſtantinus, qui & onerariarum & bellicarum navium ingentem numerum haberet, & per has adverſo littore potiri vellet; veritus inacceſſas onerariis præſertim navibus Bithynici littoris oras: Celoces & Cymbas quàm citiſſimè ſtruit, & iis ad Promontorium ſacrum, quod dicitur ad Oſtium Ponti ſitum, quódque Chalcedone ducentis ſtadiis abeſt, navigat: & expoſitis ibi copiis quoſdam in colles adſcendit, ac in iis aciei ſtruendæ locum capit.*

(* 41.) ZOSIMUS l. 2. p. 685. *Martianum Conſtantinus ſatellitibus ſuis occidendum tradidit, Licinio Theſſalonicam ablegato, velut iſtic ſecurè victuro. Neque multò poſt ei violatâ jurisjurandi religione: (quod quidem Conſtantino non inſolens erat*, ita criminatur Principem Chriſtianum Ethnicus) *laqueo vitam ademit.* Transſcripſit hoc S. HIERONYMUS in ſuum Chronicon, et ANONYMUS apud Tillemontium, ait milites depopoſciſſe mortem Licinii, & Conſtantinum eorum precibus geſſiſſe morem, ne Licinius denuò abſolutus reſumeret Purpuram, quemadmodum antè fecerat ſæpe Herculeus. ZONARAS V. Conſt. p. 4. mortem Licinii adſcribit ſenatûs ſententiæ. SOCRATES l. 1. c. 4. teſtatur, Licinium equidem factâ pace per tempus quieviſſe, & poſteà pro inſtabili ingenio Barbaros contrà Conſtantinum concitâſſe, quod ſi verum eſt, nulla crudelitatis, aut perfidiæ macula Conſtantino impingi poterit.

hæc peditum viginti ſupra centum & equeſtrium copiarum decem millia terreſtri aptaverat pugnæ (h). His viribus licèt parem ſe hoſti præſtaret; cæleſti tamen præſidio magìs confiſus, Sacerdotúmque coronâ ubique cinctus, in tentoriis (ubi Crucis labarum ſervabatur) preces jejuniis mixtas fundebat ad illud Chriſtianorum Numen; unde opem toties jam fuerat expertus (i). Licinius ſeveriora hæc pietatis officia amarè deſpectans, accenſis per lucos cereis, factíſque ſacrificiis jactabat plus opis à pluribus Diis, quàm ab uno, eóque Numine peregrino exſpectandum; cui Conſtantinus veteris religionis deſertor adeò leviter ſe addixiſſet, ut & ejusdem infami cæteroquin Crucis ſigno ſuos milites notatum iret. Tertia dies Julii illuxerat, quâ Licinius ſuis inclamabat: id nunc temporis eſſe, quo alterutrius clades palàm faceret, cujus Numinis præſidia firmiora forent. His dictis in Conſtantinum movet: adverſus infeſta & Deorum imaginibus expicta ſigna Chriſtianus Princeps unum Crucis labarum objectat, hócque velut fulmine ita percellit hoſtes (k); ut eâ die de Licinii copiis triginta tria millia internecioni data ſint (l). Atque ut conſtaret; cujus Dei beneficio tam inſignis relata fuiſſet Victoria, in ipſo Conſtantini exercitu res novo prodigio confirmata eſt. Ex Protectorum numero quinquaginta viros delegerat Imperator, qui ſignum Crucis alternis vicibus portarent: fervente autem certamine, ubi in ſigniferum hoſtilis fit impetus; is metu, aut fugæ captandæ ſtudio, ferendi labari munus in proximum transfert: vix ille velut vice ſuâ defunctus, depoſuerat haſtile, cuſtodiámque Crucis; in ventre telo percuſſus illico occumbit, altero, qui ei ſucceſſerat, in medio ſagittarum imbre omnino incolumi; nam anguſtus haſtilis ambitus, cui Crux infixa fuerat, in modum ſolidi ſcuti cuncta excipiebat miſſilia, aut retundebat.

Conſtantini Victoria de Licinio.

16. Licinius cædi ſuorum ſuperſtes, & ægrè Byzantium elapſus, à Conſtantino obſidione premitur; ſimul includendus mari à Criſpo Conſtantini filio, niſi Amandus Licinianæ claſſis præfectus navibus ſuis Hellesponti oſtium obſtruxiſſet. His itaque in loci anguſtiis navali pugnâ res dirempta eſt (m). Amando prægrandis molis erant navigia, quæ cùm difficulter in patenti mari, tum nihil admodùm in modicis Helleſponti faucibus impelli pote-

(h) Idem p. 680.

(i) Euſeb. V. Conſt. l. 2. c. 3. & 4.

(k) Euſ. V. Conſt. l. 2. c. 7. 8. 9.

(l) Zoſim. l. 2. c. 23. pag. 681.

(m) Zoſim. l. 2. p. 681. 682. Ammian. Valeſian. p. 475.

Naumachia inter Classem Licinii & Constantini.

Euseb. l. 10. c. 9.

(n) Zosim. l. 2. c. 25.

poterant: Crispi itaque consilium erat minores rates & in omnem partem mobiles in pugnam adducere, quarum agili vi ineptas Licinii machinas primâ die penitus labefecit: postridiè verò ventis faventibus, quassis centum triginta navibus, cæsísque quinque hominum millibus integram confecit victoriam (n). Licinius terrâ, maríque jam victus, antequàm obsideretur; Chalcedonem sese ejicit: at in fugientis vestigiis hærens Constantinus spatium colligendi exercitûs hosti adimit (*39); quare homo vaferrimus agitare pacis consilia, & quæ amissurus erat, sponte offerre instituit. Indulgebat precanti Victor denuò pacem, quam Licinius non novi fœderis, sed belli parandi causâ accepit (o): Quo enim tempore pacis subibat leges, copias tum suas, tum Gothorum auxilia cogebat, quibus auctus ad perfidiæ plenum bellum reversus est; monuit tamen militem, ne ingruente certamine eâ parte irrumperet, quâ labarum Crucis sibi aliàs infestum & fatale prostaret (p). Constantino (fervente jam ad pugnam hoste) certum erat à religione fœderis non decedere; nisi à Licinio invitus in arma adigeretur: itaque primò exercitum hostilem aspectat immotus; dein distringente gladios, teláque Licinio, velut provocatus, non qualiter in alios hostes magnâ vi, sed & cum indignatione irruit, tantam ubique spargens cædem, ut ad Chrysopolim eâ die centum millia vel cæsa, vel capta sint (q): Licinius solitâ fugâ à strage suorum sese abstulit, eluctatúsque Nicomediam ab insequentibus Constantini legionibus ad ultima redigitur. Rebus desperatis una uxor Constantia, in castra fratris progressa

(o) Euseb. l. 2. c. 11. 12. 13. 14. 15.

(p) Euseb. l. 2. c. 16. & 17.

Tertium bellum Constantini cum Licinio.

(q) Zosim. l. 2. p. 683.

(* 39.) ZOSIMUS lib. 2. p. 683. *His Licinius ad inopiam Consilii redactus, statuit deserto Byzantio, & ibidem exercitûs infirmiore parte relictâ, cum maximè sibi necessariis; qui & benevolentiam ei suam probaverunt, Chalcedonem Bithyniæ quamprimùm se recipere. Nam fieri posse crediderat, ut ex Asiâ collecto exercitu dimicaret denuo. Quamobrem navigio Chalcedonem delatus, adjunctum sibi Socium periculi Martinianum, qui ordinem Palatinorum duxerat, (Romani Magistrum officiorum vocant) Cæsarem creat, & cum exercitu Lampsacum mittit; impediturum, quo minus hostes è Thracia transirent ad Hellespontum: ipse copias suas in collibus, & faucibus ad Chalcedonem collocat. His rebus intento Licinio, Constantinus, qui & onerariarum & bellicarum navium ingentem numerum haberet, & per has adverso littore potiri vellet; veritus inaccessas onerariis præsertim navibus Bithynici littoris oras: Celoces & Cymbas quàm citissime struit, & iis ad Promontorium sacrum, quod dicitur ad Ostium Ponti situm, quódque Chalcedone ducentis stadiis abest, navigat: & expositis ibi copiis quosdam in colles adscendit, ac in iis aciei struendæ locum capit.*

gressa conjugis vitam supplex deposcit. Roganti Sorori Constantinus id dedit, ut Maritus purpurâ exutus Thessalonicæ extra regni curas degeret (r). Vivere qualicunque hâc sorte potuisset Licinius; nisi rerum novarum cupido ingenio dilatum supplicium ultro lacessere maluisset: de novis enim molitionibus subinde suspectus, quia aliter consanari non poterat, occisus est anno Principatûs sui decimo quarto, ætatis sexagesimo (*40).

(r) Zosim. l. 2. p. 684.

Exitium Licinii.

17. Circa idem tempus, quo Constantinus suæ victoriæ fructus in castris legebat, Hormisda secundus (Hormisdæ Senioris Persarum Regis filius (s), nepósque Narsetis) libertatis suæ præsidium apud novum Orientis Cæsarem quæsivit: Huic regnum adituro Persiæ Magnates antehabuerant Saporem natuminimum fratrem, sive quòd is tiarâ, aut nativâ coronâ tectus in mundum prodiisset infans, sive quòd Hormisda invidiam conflâsset sibi intempestivis minis, quibus se acceptas injurias aliquando ulturum jactaverat. Mortuo igitur Hormisdæ parente, cùm ad solium debuisset, ad carcerem filius rapitur: uxor ejus providit, ne, utì regnum; sic & vitam amitteret: nam limâ (quam pisci velut epulo incluserat) clanculum per carceris fores submissâ, captivo catenas eradendi copiam fecit, quibus contritis, honesto transfugio ad Constantinum abiit, Dux Romanis contra Persas deinceps futurus (*41).

(s) Zosim. l. 2. p. 684. Zonar. V. Const. p. 12.

Hormisda Regius Persarum Princeps à Constantino suscipitur.

D 2 18. Con-

(* 40.) ZOSIMUS l. 2. p. 685. *Martianum Constantinus satellitibus suis occidendum tradidit, Licinio Thessalonicam ablegato, velut istic securè victuro. Neque multò post ei violatâ jurisjurandi religione:* (*quod quidem Constantino non insolens erat*, ita criminatur Principem Christianum Ethnicus) *laqueo vitam ademit.* Transscripsit hoc S. HIERONYMUS in suum Chronicon, & ANONYMUS apud Tillemontium, ait milites depoposcisse mortem Licinii, & Constantinum eorum precibus gessisse morem, ne Licinius denuò absolutus resumeret Purpuram, quemadmodum antè fecerat sæpe Herculeus. ZONARAS V. Const. p. 4. mortem Licinii adscribit senatûs sententiæ. SOCRATES l. 1. c. 4. testatur, Licinium equidem factâ pace per tempus quievisse, & posteà pro instabili ingenio Barbaros contrà Constantinum concitâsse, quod si verum est, nulla crudelitatis, aut perfidiæ macula Constantino impingi poterit.

(* 41.) ZOSIMUS l. 2. p. 684. *In hoc tempore Persa quidam, cui nomen Hormisdes, regio sanguine procreatus ad Imperatorem Constantinum ex hujusmodi causa transfugit. Cum Pater ejus, qui Rex Persarum erat, diem suum natalem more Persico celebraret; Hormisdes Regiam ingressus est, magnâ secum adlatâ ferinæ copiâ. Cùm invitati ad convivium nullo eum honore dignati essent, nec uti decuerat, adsurrexissent: indignatus, eis se Marsyæ mortem illaturum minatus est. Eam orationem complures, ùt peregrinam, non intel-*

18. Constantinus redacto in potestatem Oriente (*42) id maximè curabat, ut fides, cujus virtute tantam nactus esset Imperii amplitudinem, ditionibus nunc devictis inferretur (t); nec minùs idola illa exolescerent, quorum præstigiis ultimum sibi exitium Licinius consciviſſet: utrumque effecit Imperator; dum Provinciis singulis Christianos imposuit Præsides, qui ex lege præscriptâ providerent, ne nova idola fierent, aut ne à vetustis oracula sciscerentur (u): muti igitur illi stipites, truncíque fictiles ex aris, in publicos urbium vicos ad plebis ludibrium protrahebantur; & quibus divinitatem antè inesse creditum fuerat, in his præter calvarias, aliásque quisquilias nil admodum repertum est. Confusis ad hunc modum Ethnicorum simulachris in ipsas Idolomaniæ sedes sive templa pugnatum est: Præcipuum ex iis, quæ diruebantur, fuit templum Ægeæ in Cilicia Æsculapio sacrum (x): Corporibus hìc quædam sanitatis species venditabatur à Dæmone, ut animas multò pejùs affligeret: malesanum commercium abrupit igitur Constantinus submisso milite, qui iniquitatis emporium everteret (*43).

(t) Euseb. V. Const. l. 2. c. 19. 20. 23. 24. 27. 28. 29.

(u) Sozom. l. 2. c. 5. Euseb. V. Const. l. 3. c. 1. & c. 54.

Constantini Zelus in propaganda fide & idolorum proscriptione

(x) Euseb. V. Const. l. 3. c. 56. Socrat. l. 1. c. 18.

---

intelligebant. Sed Persa quidam, qui vixiſſet in Phrygia, & narrationem de Marsya audiviſſet, minarum Hormisdæ sententiam adsidentibus exponebat. Illi memoriâ minarum suis animis inscriptâ, cum primùm Patrem Hormisdæ mori contigit; earum recordati, fratrem ipsius natu minorem regno præficiunt: quantumvis lex majori natu inter regios liberos rerum summam tribueret: Hormisdam verò compedibus vinctum, in sito quodam ante urbem colle custodiunt. Posteaquam aliquid temporis interceſſiſſet; uxor ejus hoc modo molitur, ut evaderet. Magno pisce capto, limam ventri ejus indit; eoque rursùm consuto, piscem Eunucho fideliſſimo tradit: cum mandato, ut Hormisdæ diceret: hoc pisce nemine præsente vescerctur, & ad opem eo, quod in illius ventre reperiret, uteretur. Hoc captato consilio, camelos ablegat, vino, cibisque copiosis oneratos; & mariti custodibus epulum præbet. Intereà dum epulo custodes intenti sunt, Hormisdas pisce discerpto, limam invenit: quâ cum pedibus injectas compedes discuſſiſſet, & Eunuchi amictum induiſſet; per medios Custodes, jam temulentos egreſſus est, sumptóque secum uno ex Eunuchis, ad Regem Armeniorum, amicum, ac hospitem suum pervenit: cujus operâ tutus & incolumis, ad Constantinum se contulit, qui eum omni tum honore, tum respectu dignatus est.

(* 42.) Constantini Monarchia non ante annum 325. cœpit juxta opinionem PAGII; quo anno etiam vult, Licinium interiiſſe, quod idem probat ex loco Theodoreti l. 1. c. 1. deducto *Eusebius quidem Palæstinus à SS. Apostolorum temporibus exorsus, res in Ecclesiis gestas usque adeò acceptum Constantini Principatum perscripsit: ego verò à fine Historiæ illius initium operis mei sumam.* Præterea anno 325. AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI refert: *Eodem anno Constantinus Imperator totius Imperii Romani SOLUS omnia ubique idola dejecit*: Sed TILLEMONT. in V. Const. art. 50. probat contrà mortem Licinii antè 16. Maji a. 324. accidiſſe, quodque Constantinus ejus decreta duntaxat aboleverit 12. Februarii a. 325.

(*43). Alexandriæ Serapidis templum suis eodem tempore honoribus orbatum est: nam cùm eidem idolo Ægyptus annuas Nili egressiones in acceptis referret; Christianus Princeps Perticam, quâ Popæ altitudinem fluminis metiebantur (y), ex delubro impio ad Ecclesiam transferri jussit, quo facto Nilus copiosiùs ac antè ad pudorem Gentilium sese in agros effudit. Inde aliis superstitionum domiciliis, quæ Veneri Aphacæ aut Heliopoli Sacra erant, vastitas illata est (*44). Corruentibus his turpitudinum scholis religio Christiana lætiùs efflorescebat; restituebantur Ecclesiis Præsules, quos Constantinus charissimorum fratrum nomine dignabatur: Confessores redibant ab exiliis, fodinis, & carceribus ad fortunas, libertatem & honores (z): Martyrum bona (siquidem defunctis alius hæres non superesset) unà cum delubrorum agris transferebantur ad Ecclesias, quas latiore jam murorum ambitu vel ædificari novas, aut amplificari voluit; præfectis Provinciarum ad id operis sumptus ex ærario publico suppeditantibus (a). Addidit subinde Imperator literas ad omnes Provincias, quibus suam fidem, mutatæque religionis causas professus, omnes ad sequelam pertrahere nitebatur, quin tamen vim inferret (b): suadenti Augusto etsi non paucæ urbes in Oriente obsecundarent; difficilius tamen religionis negotium adhucdum erat in Africa & Italia; & Afri quidem per Donatistarum artes turbati, quantâcunque Imperatoris curâ nec paci, nec fidei reddi poterant (c): Romæ etiam tantus superstitionis amor fuerat, ut Princeps ægrè quosdam ritus (*45), ludorúmque licentiam ibidem

(y) Socrat. l. 1. c. 18. Eufeb. V. Conft. l. 4. c. 25.

(z) Eufeb. c. 32. 33. 34. 37-39.

(a) Eufeb. l. 2. c. 45.

(b) Idem c. 47. 48-60.

(c) Idem c. 65.

(* 43.) PHILOSTRATUS in vita Apollonii Tyanæi (qui in hoc loco prima Magiæ documenta acceperat,) de hoc templo loquitur, quod dæmon speciem sanitatis hic venditârit corporibus: reipsâ, ut perderet animas.

(* 44.) Templum Veneris (teste EUSEBIO V. Const. l. 3. c. 58. non vi, sed prædicationis verbo destructum est. Nam Episcopus cum presbyteris & Diaconis illuc dirigebatur: & simul celeberrima exstruebatur Ecclesia, ut hujus oppositu alterius cessaret superstitio: Ex integro tamen abominatio ista tempore Constantini tolli non potuit; nam tempore Juliani Heliopolis turpitudine istâ adhuc fœdabatur, imò iste Apostata crudelissimè vexavit Christianas Virgines, eoquòd Constantinus leges Veneris colendæ nefastas abolere voluisset. In quinto aut sexto demum sæculo S. Episcopus NONNUS has turpitudinis nundinas evertit.

(* 45.) JOANNES RUDOLPHUS WETSTEIN in Prolegomenis ad librum Origenis de Martyrio notat, quod verbum *Genii* usitatum in inscriptionibus Cæsarum adi

dem constringeret. Nullâ autem ratione diruere templa, vel bona Romanorum promiscuè transcribere Ecclesiis Principi tutum erat; quare illi longiùs à vero aberrare videntur, quibus persuasum est, Constantinum in hac temporum acerbitate integrum urbis Romanæ, pluriúmque Provinciarum Dominatum in Pontificis potestatem tradere potuisse (†).

(†) REFLEXIO VI.

A. Æ. C. 324. *Ægyptus turbatur per Arium.*

19. Quoniam igitur in Oriente amplior disseminandæ fidei spes erat; Cæsari propositum fuit, ad illas terras post victum Licinium suam regiam transferre. Properanti jam in Ægyptum, Syriámque Constantino moras injecit Arius, qui has Provincias novâ hæresi convulsum ibat: Princeps ne oculis calamitatem propriis inspicere cogeretur; interrupto itinere, missísque per Hosium Cordubensem literis tumultum quantumvis absens restinguere conatur (d): Verùm legatione hujusmodi irritata plebs in statuas Cæsaris Alexandriæ expositas furere cœpit (e). Quod triste nuncium ubi Hosius retulisset; in Arium tot malorum incentorem durius quid statutum fuisset, nisi Eusebius Nicomediensis tela retardâsset vel confregisset: is quippe Arii causam clanculum sustinens, ita obrepserat Constantino, ut quò vellet, Principem inclinaret. Urgentibus tamen viris gravibus, & curante Constantino Nicæam evocata Synodus est, cujus Sanctione publicâ Hæresiarcha Arius unà cum sectatoribus ab Ecclesia primùm, dein per sententiam Cæsaris Patriâ proscriptus est. (f). Compositis fidei rebus ejusdem anni vigesimâ quintâ Julii Vicennalia Imperii Constantinus (g) instituit; quæ à Congregatis Patribus, tum ab Eusebii Cæsariensis panegyri multò celebriora evaserunt (h).

(d) Euseb. l. 2. V. Const. c. 72.
(e) Idem l. 3. c. 4.

A. Æ. C. 325.

(f) Cod. Theod. chron. p. 24. & 25.
(g) Sozom. l. 1. c. 25.
(h) Euseb. V. Const. l. 3. c. 15.

A. Æ. C. 326. *Crispus Constantini filius.*

20. Principem se hucusque Magnum & à Religionis & Regni curâ Constantinus probaverat: Verùm annus vigesimus Imperii primus, huic magnitudini non parùm detraxit: nam ab eo tempore, sive humano errore abreptus, sive delatorum calumniis aut fraudibus Arianorum largiùs indulgens, talia agere aggressus

ad Constantini tempora posteà exoleverit; nam Christiani vocem hanc detestabantur adeò, ut *per fortunam aut Genium Imperatoris jurare* detrectarent, etiam mortis pœnis propositis. Constantinus ergo hanc ceremoniam quidem extinxit: non tamen alias potuit sacrilegas dictiones abrogare, quæ Cæsaribus divinitatem tribuebant, quæque olim adhibitæ fuerant in legibus à Cajo, Nerone, Heliogabalo, & Diocletiano &c.

ſus eſt, quæ & familiæ propriæ, tum Eccleſiæ & Reipublicæ peracerba fuerunt. Filium genuerat (Criſpum nomine) ex prima Conjuge Minervina anno CCC.; is (i) ſub Lactantio Præceptore dogmatis Chriſtianis imbutus, dein anno CCCXVII. Cæſar creatus (k): Demum circa annum CCCXX. (l) de Francis inſignes retulit triumphos; inde exactis aliquot annis majore clade Amandum proſtravit Licinianæ Claſſis præfectum: Rerum ejusmodi geſtarum gloria neminem magis, quàm Fauſtam Novercam aduſſit (m): hæc enim ubi defunctâ Minervinâ (Criſpi matre) in thorum Auguſti traducta, proles bene multas ex Conſtantino ſuſceperat; ſubverita, ne Criſpus tot victoriis celebratus, Patris Regnum, favoréſque filiis ſuis præriperet; calumniam confingens, id maximè Imperatoris auribus ingerebat (n): Criſpum Paterno thoro vitium, ſibíque conjugi nefaſtam vim inferre voluiſſe (o). Sceleris temerè prolati atrocitas ità protinus emovit animum Conſtantini, ut ſe Patrem oblitus, acerrimi judicis partes ſumpſerit, quò citiore nece filius facinoris, cujus purus erat, pœnas funeſtas daret (*46). Parricidii rumore Helenam Conſtantini matrem adeò exterritam fuiſſe ferunt (p), ut Hieroſolymam è veſtigio ſe contulerit, à locorum ſanctimonia ſolatium, conſiliúmve quæſitura. Intereà dum ubique innocentiſſimo filio parentatur; ſceleſtæ artes mendacis Novercæ in apricum erumpunt, nempe adulteriis infamem Fauſtam, quidquid fronte texiſſet ſceleris, in Criſpum Privignum conjeciſſe. Obriguit ad immanitatem factorum Conſtantinus, ac dolori ſimul, ſimúlque calumniæ medendum ratus, adulteram balneo includi jubet (q), cujus æſtu, & fumo ſuffocata eſt (*47). Filio cùm vitam

(i) Byzant. fam. p. 46.

(k) Hieron. ad a. 317. vir. ill. c. 30.

(l) Paneg. 7.

(m) Aurel. V.

Ob calumniam Novercæ perit.

(n) Vict. epit. Philoſt. l. 2. c. 4.

(o) Baron. ad a. 324. §. 11.

(p) Zoſim. l. 2. p. 685. vict. Epit.

Supplicium Fauſtæ Novercæ.

(q) Zoſim. loc. cit. Sid. l. 5. ep. 8.

(* 46.) AURELIUS VICTOR, qui ſcripſit ſub Conſtantio (filio Fauſtæ) ait: cauſam ignorari, cur Criſpus morti datus ſit. ALIUS Victor in Epitome, teſtatur contrà, quod ſuggerente Novercâ per Patrem interierit, PHILOSTORGIUS l. 2. c. 4. rem totam rejicit in calumnias; Alii apud Gregor. T. hiſt. Franc. l. 1. c. 36. videntur aſſerere, quod rebellionis accuſatus fuerit; Zoſimus tamen palàm dicit, eum inſimulatum fuiſſe inceſtûs cum Novercâ: Baronius huic aſſentitur ad a. 324. §. 11. niſi quòd putet, Criſpum non facti, ſed intentati tantùm hujusmodi criminis eſſe damnatum. Quo genere mortis Criſpus obieric, variant Authores; aliqui enim capite plexum, alii veneno ſublatum recenſent. Videatur SIDONIUS l. 5. ep. 8. & GREGOR. TURONENSIS l. c.

(* 47.) S. CHRYSOSTOMUS in Phil. hom. 15. docet, Fauſtam de adulterio ſuſpectam

A. Æ. C. 328. *Mors Helenæ.* tam Parens reddere non poſſet, in aurea ſtatua ſaltem ejus memoriam vigere voluit, cui hanc ſubjecit epigraphen: *Hic meus eſt filius infelix, ſed innocens.* Dolori Conſtantini alium addidit annus ſubſequens, qui matrem Helenam tot Eccleſiarum Fundatricem (* 48) vivis eripuit: Corpus ejus magnis honoribus deportatum eſt Romam (r), illatúmque Mauſolæo Auguſtorum (*49).

(r) Euſeb. V. Conſt. l. 3. p. 47. Sozom. l. 2. c. 1.

A. Æ. C. 329. 21. Sub idem tempus id, quod de urbe regia in oriente extruenda agitaverat, conſilium propiùs exequi cœpit: dubitatum primò eſt, locúſne Troadem inter & vetus Ilion aptus ſedi Cæſarum foret (s)? Dein mutato repentè animo Byzantium è ruinis, in quas Severus Imperator id oppidum redegerat, excitare placuit: dato operis initio Pomæria ad bina maris brachia prolata ſunt, ut bimaris utrinque portus Advenarum plurium navigia admitteret (t). *Conſtantinopolis exordia.* Ædificia per ſuos ordines ad artis regulas deſcripta à circis, fontibus, aliíſque ornamentis ſplendorem acceperunt. Atque ut non tantùm urbs Romæ æmula, ſed & penè Chriſtiana foret (u); delubra in Eccleſias converſa ſunt, quibus inſuper addebantur aliæ, quæ religioni cultum, ſimúlque Imperatoribus tumulum præberent (†). Abſolutione urbis quàm celerrimè factâ Auguſti cura hoc maximè ſpectabat, ut Regiæ ſedis amplitudini par civium numerus reſponderet: Magnatibus igitur celebriora palatia diviſa ſunt (* 50): Dein lege cautum, ne quis per Aſiam, Pon-

(s) Sozom. l. 2. c. 3. Zoſim. l. 2. p. 686.

(t) Philag. l. 2. c. 9. Codini orig. Conſt. p. 7. 8. 9. 39.

(u) Euſeb. V. Conſt. l. 3. c. 48.

(†) REFLEXIO VII.

ſpectam à Conſtantino in monte beſtiis objectam fuiſſe. VALESIUS, (qui Chriſtianis Fauſtam accenſet,) ejusdem Fauſtæ corpus ait deportatum eſſe Conſtantinopolim, & in Eccleſia Apoſtolorum tumulatum; juxta TILLEMONTIUM in V. Conſt. a. 26. ſepulchrum alicujus Fauſtæ extitit in Mauſolæo Juſtiniani, quod erat in eadem Apoſtolorum Eccleſia.

(* 48.) S. Helena fundavit Eccleſias Bethlehemii & in monte Oliveti ad honoranda myſteria Chriſti naſcentis & aſcendentis in cœlos: S. Luciani &c. vid. TILLEMONT in V. S. Helenæ.

(* 49.) Licèt exuviæ Romam deportarentur; in Oriente tamen multa monumenta matri ſuæ poſuit Conſtantinus: nam præter urbes *Helenopontum* in Ponto, & *Helenopolim* in Palæſtina ab Helena dictas, Imperator eidem ſtatuam dedicavit in Caſtello Daphnes prope Antiochiam vide BARON. ad a. 326. §. 58.

(* 50.) CODINUS in Origin. & Antiquit. Conſt. p. 10. refert à Græcis receptam eſſe opinionem, quòd Conſtantinus eo tempore, quo Magnates Romanos miſerat ad bellum Perſicum, ædificari curârit iisdem domos & palatia ſimilia illis, quæ Romæ poſſidebant, quódque reverſi poſt ſex menſes ſtupuerint ſe Conſtantinopoli Romam invenire

Pontum, & Thraciam jure gauderet, suas fortunas in hæredes transferendi, qui non Byzantinis civibus adscriptus, aut domum eâdem in urbe possideret (x). Multitudo ingens incolarum cùm jam undique confluxisset; Anno CCCXXX. per quadraginta dies Constantinopolis hæc nova in honorem B. Virginis dedicata est (*51); atque ut Veteris Romæ formam, modúmque referret, in 14. Regiones divisa est, cujus cives per Tribus & Curias descripti jure Italico donabantur (*52).

(x) Cod. Th. T. 6.

A. Æ. C. 330.

22. Molitio tantorum operum eam Constantino peperit famam, ut Sarmatæ â Gothis bello oppressi in hoc potissimùm Principe spem unam reponerent: nec defuit miserorum precibus Imperator; quin ipse devastatas jam circùm terras ingressus, hostem sive palantem, sive in totas coëuntem acies ubique profligabat cæsis Gothorum centum millibus (y): Victoria illa non modò Sarmatis Patriam, agrósque reddidit (z), sed & Romanos absolvit pristino tributo, quod Cæsares Gothis in singulos annos pendere solebant (*53). Neque tantùm vicinas nationes, sed & remotos Indiæ Regulos Constantinus famâ nominis con-

A. Æ. C. 331.

(y) Amm. Vales. Aurel. V. Eutrop.

(z) Euseb. V. Const. l. 4.

nire &c. TILLEMONTIUS V. Const. a. 64. probat, contrà Græcos hìc fabulari, eoquòd nullum bellum semestre adversus Persas tunc fuisse legatur. Item Magnatum nomina, quæ à Græcis ibidem recensentur, Romanis nomenclationibus non conveniunt.

(* 51.) DU CANGE in descript. urb. Const, l. 1. p. 25. ait Dedicationis festum durâsse quadraginta diebus: addidit Constantinus in solennitatis memoriam, ùt quot annis 11 Maji Ludi Circenses haberentur. Quidam etiam Imperatores jusserunt, ut illâ die tribunalia feriarentur: in eâdem solennitate Byzantii nomen mutatum est in nomen Constantinopolis, & Secundæ vel novæ Romæ; hunc postremum titulum eidem urbi indidit Imperator per specialem legem incisam columnæ lapideæ, & in loco publico expositæ &c.

(* 52.) Jure Italico, sive iisdem juribus, quibus utebatur Italia, Constantinopolis regebatur; donec Procopius illam urbem anno 365. invaserit. Valens tamen idem jus sopitum restituit. Ab illo tempore eadem urbs, ut habet CHRONICON ALEXANDRINUM, exempta est à Provinciâ Europæ & à Metropoli Heraclea. Facta quoque tunc est sedes Præfecti Prætorii Orientis, cui subinde (scilicet sub Constantio) alius Præfectus Urbis additus est. Plura de Constantinopoli videri poterunt infra *in Reflexione VII.*

(* 53.) SOCRATES l. 1. c. 18. quando affirmat per hanc Victoriam abolitum fuisse tributum Gothis pendi solitum; simul testatur Gothos in eadem victoria potentiam Dei, quem Constantinus adoraret, agnovisse adeóque multò plures Gothos veræ fidei dedisse nomen tunc, licèt ante septuaginta annos jam religionis Christianæ quædam apud Gothicam Gentem initia fuerint; demum JORNANDES *rer. Gothic.* c. 21. notat ab hoc tempore Gothos à Constantino devictos Imperatoribus 40000. militum sub nomine *fœderatorum* care cœpisse.

conterruit: hi igitur dum donariis, & legationum obsequio Principis tanti fœdus efflagitabant (a); Sapor Rex Persarum suos quoque Præfectos (alio tamen consilio) in novam urbem ablegat (b): ut primùm enim venêre ad Cæsarem, largitionis specie ferrum, cujus Persia ferax non est, impetrare adnisi, re ipsâ prodebant, se non pacis rogandæ studio, sed ad paranda belli instrumenta accessisse. Constantinus etsi dolum adverteret; dissimulatâ perfidiâ, ultro, quod petitum fuerat, concedit, ne timere hostem, aut lacessere videretur: id tamen à Sapore ferri loco reposcebat, ut Christianorum complures, quibus Persia Patria esset, quósque ipse Tyrannus atrociter infestaverat, mitiùs haberentur (c).

(a) Euseb. V. Const. l. 4. c. 7.
(b) Idem c. 8. Liban. or. 3.
Variæ Legationes ad Constantinum.
(c) Euseb. c. 9-13.

23. Accessisset Constantino ex rebus his optimè gestis non exigua gloria; nisi tempore eodem, quo manu unâ pro Ecclesia pugnabat, alterâ causam ejusdem vulnerâsset: nam priusquam ædificando Byzantio adjecerat animum, fraudibus Arianorum circumventus, Eusebium Nicomediæ, & Theognidem Nicææ Episcopos ab exilio, in quod jubente Concilio eos ejecerat, revocabat (d): vix redierant Veteratores, jam non in plebejos, sed in ipsum palatium sua venena ructavêre; quo tandem Orthodoxorum fortuna ita accisa est, ut qui hosti Ario moverent bellum, hostes ipsi ac turbatores Reipublicæ haberentur. Insidiis tunc pessimis succubuêre viri Sanctissimi Eusthatius Antiochiæ, Asclepiades Gazæ, Lucius Andrinopolis Episcopi, in exilium protinus amandati. Oves pastoribus submotis cùm faucibus luporum paterent; scelus ejusmodi serpere ita non poterat, quin Constantinus adverteret, turbari Ecclesiam. Quare Anno CCCXXXV. cùm Tricennalia celebraret; ad abscindendas (ut rebatur) lites, Tyrum Episcopos evocat, ex quorum Synodo Imperator tandem postrema statueret (e). Verùm ab hoc Latrocinio tela non alia prodierunt, quàm quibus Athanasius unus appeteretur: facilè calumniis indulgenti Constantino persuasum est, ut Ario ejúsque sectatoribus ad communionem Ecclesiæ receptis Alexandrinensium Præsul Treviros usque in exilium abigeretur, hoc enim (ùt falsò opinabantur) discordiarum disseminatore longiùs in Occidentem proscripto, Orientis partes penitus conquieturas.

A. Æ. C. 331.
(d) Euseb. V. Const. lib. 3. c. 59.
Constantini incautus favor erga Arianos.
A. Æ. C. 335.
(e) Euseb. l. 4. c. 40.

24. Vi-

Constantinus partitur inter suos Imperium.


24. Vitio vertebatur Constantino, quòd & Crispo filio innocenti ademisset vitam, nec minùs integerrimis Episcopis à Grege sublatis per ipsas Arianorum manus Ecclesiæ viscera petiisset: hoc vero tempore integræ suæ familiæ discordiarum sementem inferre visus est, quâ Propinqui in mutuas cædes armati sese tandem conficerent (f). Hujus postremi fati initia tunc quædam jacta sunt, ex quo Augustus tribus Cæsaribus filiis, duos ex fratres nepotes Regni hæredes eâ lege adjunxit, ut hic, cui Dalmatio nomen, Cæsareâ: alter Annibalianus Regiâ dignitate præfulgeret (*54). Invidiam, quæ inde oriri poterat, Constantinus se quamprimùm compressurum putavit, si cuíque suas Imperii partes vivens adhuc dispertiretur (g): Natumajori itaque filio data Gallia est cum Hispania & Britannia, & quidquid infra Alpes est: Constantio cesserunt Asia, Syria, ac Ægyptus: Constanti Provinciæ mediæ sive Illyricum, Italia & Africa. Dalmatius primus ex nepotibus accepit Thraciam cum parte Illyrici id est Macedoniam & Achajam; Annibalianus Rex altérque Constantini Armeniam minorem, Pontum, Cappadociam cum Cæsarea

(f) Tillemont. in V. Const. a. 62.

(g) Eufeb. V.Const. l.4. c. 51. Zosim. l. 2. p. 691. Ath.Apol. 2.

E 2

(* 54.) *Genealogia Constantini*, quoniam Historiæ multum Lucis affert, hìc eam subjicimus:



ſarea ſortitus eſt, quæ urbs dein ejus Regni ſedes fuit. Odia, filiorum quæ ex (diviſis etiam in quoscunque propinquos) Imperii partibus continuò gliſcebant, per authoritatem Conſtantini (quoad vixit) utcunque ſopita fuêre, poſtea fortiùs exarſura, ubi mors Parentis in filios jus Regni, vindicandíque copiam tranſtuliſſet.

A. Æ. C. 336.

Bellum Perſicum.

25. Domeſtico bello præluſerê Perſarum tumultus: his ciendis author fuit Rex Sapor anno ultimo Regnantis Conſtantini; ubi miſſo feciali ab Imperatore quinas ad Tigrim Provincias repetiit, quas ante quadraginta annos Maximinus Galerius Narſeti victo extorſerat (h). Conſtantinus poſt tot relatas de hoſtibus quibusvis victorias, etiam per Perſiam victricia arma circumferendi cupidus (i), Legatis reponit, ſe ad Perſiæ fines præſto fore, ut Sapori, quid ſentiret, propiùs eloqueretur. Rex Perſiæ accepto nuncio nil cunctatus, nec bello ſolenniùs indicto in Meſopotamiam involat (k): Conſtantinus contrà collecto ingenti exercitu, ut Chriſtiano more contra hoſtem pugnaret; ſibi Epiſcopos adjungit, quibuscum in tentorio, quod mediis in caſtris ad Eccleſiæ portatilis formam aſſurgebat, preces perageret (l). Perſæ viſo belli apparatu primò ſtupent, dein miſſis legatis orant pacem (m). Imperator ſive petentibus dederit quidquam, ſive abnuerit (* 55); certum eſt, morbum Conſtantini repentinum belli conſiliis finem aut moram poſuiſſe: Optima huic valetudo fuerat ad paſchales usque ferias, quas eodem anno ſolenniùs ac antè celebrârat (n). Solennitate feſti peractâ humorum intemperies Cæſarem ſubitò proſtravit (o): ad profligandam mali vim thermæ primùm adhibitæ (p), poſteà Helenopolim Conſtantinus delatus, invaleſcente morbo Catechumenorum ordini adlegi expetiit; hinc ad Suburbana Nicomediæ digreſſus, Epiſcopis præſentibus teſtatur, ſe nil magis optâſſe, quàm ut in flumine Jordane exemplo Ser-

(h) Liban. Orat. 3. Aurel. V.

(i) Euſeb. V. Conſt. l. 4. c. 56.

A. Æ. C. 337.

(k) Aurel. V. Chronic. Alexand. p. 668.

(l) Euſeb. c. 56. & 57.

(m) Liban. or. 3.

Morbus Conſtantini fatalis.

(n) Euſeb. V. Conſt. lib. 4. c. 57-60.

(o) Idem c. 60. & 61.

(p) Socrat. l. 1. c. 39.

(* 55.) EUSEBIUS Vit. Conſtantini c. 57. aſſerit, Legatos Perſiæ denuò clementiam Conſtantini expertos fuiſſe, adeóque obtinuiſſe pacem. FESTUS verò negat de pace tractatum fuiſſe cum Perſis, quódque vel ideò Conſtantius ſub initium ſui regni continuare debuerit cœptum bellum. TILLEMONT judicat, interſtitium armorum ſaltem fuiſſe condictum inter Conſtantinum & Perſas. PAGIUS demum hìc advertit ad a. 336. per annos quadraginta, Romanos inter & Perſas pacem viguiſſe, ab anno nimirum 297. usque ad 337. ea enim paulò antè Conſtantini obitum rupta eſt.

Servatoris ablueretur (q): verùm Deo aliter placuisse, qui nunc infirmum ea in tempora conjecisset; ut ad aliam vitam avocatus, propiùs remedia salutis respicere cogeretur: se itaque rogare, ut quantocyus unà cum Dei populo aggregetur, ac in Ecclesiam adscitus fidelium, precúmque communionem percipiat: eas vivendi leges se secuturum, quæ professione fidei, tantóque cœtu dignæ forent. Hæc postquàm longiore sermone disseruisset, Sacris Mysteriis per Eusebium Nicomediæ Episcopum initiatus fideli populo adscriptus est (†).

(q) Eufeb. c. 62.

Ejus Baptismus.

(†) Reflexio VIII.

26. Constantinus interea sepositâ purpurâ albísque indutus vestibus, ac candido in lecto recumbens (r) maximè lætabatur, quòd Primus inter Imperatores foret, qui in Christi Martyriis renasceretur: Subinde Tribunis, Ducibúsque militiæ fato Cæsaris afflictis, hoc solatii impertiit, se modò intra Ecclesiæ sinum feliciter vivere cœpisse: tempus esse, ut majore Regno in cælis, amplioribúsque Dei favoribus donaretur. Hæc prolocutus dicitur in mandatis dedisse, ut Athanasius, cæterique Orthodoxi Præsules suis redderentur Ecclesiis (s), milites autem jurejurando obstringerentur, quo quisque palàm faceret, se deinceps, nec contra Ecclesiam, nec contra Constantini filios quidquam molliturum (t). His peractis ultimæ tabulæ firmatæ sunt, quibus Princeps tribus filiis, ac duobus nepotibus Imperii Provincias, Romæ autem, & Constantinopoli ingentes redditus, maximósque favores reliquit (u): tandem ad extrema deductus, Constantium (qui tunc in Oriente agebat) adesse jubet (*56): sed antequàm is locum Patri fatalem attingeret; Constantinus jam vivis excesserat ipsâ Pentecostes die, anno Imperii trigesimo primo, ætatis sexagesimo quarto (x). Corpus quamprimùm loculo aureo, purpurâque constrato impositum, deportatúmque est Constantinopolim (y), ubi in ipsis Palatii penetralibus Pio Principi inter lachrymas, collucentésque cereos suetis Aulicorum obsequiis tamdiu parentaba-

(r) Euf. c. 63.

Sanctiones postremæ Constantini.

(s) Sozom. l. 3. c. 2.

(t) Eufeb. V. Const. l. 4. c. 63.

(u) Socrat. [illegible] c. 39. Sozom. l. 2. c. 34.

Mors Constantini.

(x) Eufeb. V. Const. l. 4. c. 64. Socrat. c. 40.

(y) Theodoret. V. l. 1. c. 34.

Funus ejusdem.

(* 56.) EUSEB. V. Const. c. 68. & 70. commemorat, quod Constantinus conatus ante mortem fuerit unum ex filiis habere præsentem, sed quoniam nil ejusmodi obtineri poterat, tabulas ultimas dedit presbytero, quem Arianum nesciverat; quo negotio is tantos favores sibi, Ariique partibus posteà à Constantio impetravit, ut Ecclesia vel ex hoc solo capite extrema omnia perpessa sit. Vid. *Sozom.* l. 2. c. 34. *Socr.* l. 1. c. 2, *Rufinum* l. 10. c. 11.

tabatur (*57), dum Constantius ex Oriente advolaret. Hic ubi advenerat; funus ingenti pompâ educitur ad Apostolorum Ecclesiam, factísque fidelium precibus ac sacrificiis in templi Vestibulo exuviæ tumulantur (*58).

27. Ut primùm de excessu Augusti per Italiam increbuit rumor, Urbs Romana, quæ Constantinum utpote Restauratorem Imperii venerabatur (z), singularem dolorem testata est; idque omnium deposcebatur vocibus, ut corpus tanti Cæsaris pristino more in Imperatorum antiquam sedem deduceretur. Sed quia è re visum non est, ossa Christiani Principis Ethnicorum Cæsarum cineribus permiscere; hoc saltem superstitioni permitti debuit, ut Constantinus Apotheosi (a) solitâ inter Deos Romæ referretur (*59). Meliores honores Imperatori non ut Deo, sed veluti

(z) Aurel.V. Eufeb. c. 69.

(a) Eutropius Goltz. p. 128. Byz. fam. p. 23.

(* 57.) EUSEBIUS l. 4. c. 66. & 67. *Hic milites arreptum cadaver, aureâ capsulâ includunt, & undique purpureâ veste contectum Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus, celsò atque edito loco deponunt: luminibúsque circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant: & sanè hujusmodi, quale nunquam in terris ullum à condito mundo sub sole visum est. Nam intus, in ipso fere medio regii Palatii excelsâ & aureâ capsulâ inclusum Imperatoris corpus, Imperiali apparatu, id est purpurâ, & diademate ornatum, permulti circumfusi vigiles, diu noctúque asservabant. Jam totius exercitûs, Duces & Comites, omniúmque Principum cœtus, quibus anteà in more fuit Imperatorem venerari; pristinum morem & consuetudinem conservantes; statis temporibus introeuntes Imperatorem in capsula jacentem, tanquam vivum etiam post mortem humi procumbentes salutabant. Horum reverentiam eodem pietatis officio subsecutus est Senatus, & omnes reliqui Magistratus.*

(* 58.) EUSEB. l. 4. c. 70. *Præibant turbatim militum cohortes, infinita hominum turba sequebatur. Imperatoris funus hastatis, & armatis militibus cingebatur. Ut verò ad Salvatoris nostri Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt; Sic adolescens Constantius Imperator cum præsentia suâ, tum reliquis rebus tanto homine dignis, omnia Patri pietatis officia præstabat.* CHRYSOSTOMUS in 2. Cor. hom. 26. memorat, in vestibulo & ad Portam Ecclesiæ, Constantini corpus tumulatum esse, ut hâc ratione janitor Peccatorum dici posset: ædificium, ubi sepulchrum Constantini extabat, circa annum 358. ruinæ imminebat; unde Imperatoris exuviæ tunc ad templum S. Achatii translatæ sunt: posteà tamen redditæ pristino loco. Post plura sæcula, ut habet TILLEMONT. in V. Const. art. 78. sepulchrum idem ex Porphyra monstratum est, & BOLLANDUS in XXI. Maji p. 13. affirmat hodiè ostendi solium ejus vacuum, & operculo carens.

(* 59.) EUSEB. l. 4. c. 69. *Ut verò Imperatorem vitâ functum esse Senatus, Populúsque Romanus, ac tota Imperatoria civitas accepisset: cum hâc famâ nihil sibi gravius, aut luctuosius accidere posse existimarent, nullum dolori, & lamentationi modum statuebant. Nam balnea clausa, & fora publica; item spectacula submota, & præterea omnia, quæ*

veluti Dei servo impendit Ecclesia (*60): & quoniam varia Constantini in varios erant merita, alii aliis laudibus ejus memoriam celebrandam sumpserunt; & Clerus quidem immunitates ordini suo datas suspicere (b): Virgines, ac Ascetæ dilaudare legum beneficia, aliósque favores, quibus genuina virtus revocata fuisset (c): complures demum Provinciæ eidem Cæsari Apostoli amplissimum nomen tribuere certabant; primus enim ex Romanis Imperatoribus Deum omnium Regem excellente quâdam pietate coluit (*61): Primus Doctrinam Christi universis libero ore prædicavit; cúmque Ecclesiam Dei honore & gloriâ in tantum auxisset, quantùm antè nemo, & errorem hominum plures colentium

Constantini posthuma memoria.

(b) Euseb. l. 4. c. 27. Sozom. l. 1. c. 9.

(c) Eus. c. 28.

quæ per vitæ otium, & tranquillitatem facere solebat animus pacatus, & nullâ perturbatione impeditus. Nam qui antè omnibus lætitiis affluebant, nunc tristi, & demisso vultu in publicum procedebant: & omnes tamen beatum Imperatorem; acceptúmque Deo, & verè Imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantùm & clamoribus significabant; verùm etiam re ipsâ declarabant; cum eum vitâ functum pictis tabellis tanquam vivum colerent. Nam cùm cæli effigiem in tabella propriis coloribus expressissent: depingunt eum super cælestes orbes in æthereo cœtu requiescentem. Jam liberos ejus, ii solos rerum Dominos & Augustos nuncupabant; adhibitisque supplicibus vocibus, funus Imperatoris sui, ad ipsos efferre, & in Imperatoria urbe deponere cupiebant.

(* 60.) ALFORDI in annal. Brit. ad a. 337. testatur Britanniam Constantini nomen scripsisse in Ecclesiasticis tabulis ad 21. Maji. Extat apud Britannos in Ordovicum agro templum, Constantini nomen adhuc retinens. In Gallorum Martyrologio ita legitur: *Aureliis festum S. Constantini Magni Imp., à quo fundata creditur ipsius urbis Primaria Basilica, sub veneratione S. Crucis:* Solennis quoque apud Græcos extat Constantini memoria: nam Manuelis Imp. Constitutio de feriis ad 21. Maji feriari jubet; *propter memoriam SS. Apostolis parium, Magnorum Principum, Constantini & Helenæ.* PAPA NICOLAUS apud Baron. 324. §. 48. asserit, quod Romæ Constantini nomen in sacris Mysteriis adhuc sæculo IX. recitatum sit, unâ cum nominibus Constantis, & Theodosii I. in medio sæculi V. De Constantino velut Sancto loquebantur omnes, ut colligitur ex *Concil.* T. IV. p. 920. & p. 950. Demum THEODORETUS lib. 1. c. ultimo & ex eo NICEPHORUS in fine lib. 7. ajunt, lucernas & cereos ad Constantini statuam accensos, precésque ei directas, & morborum curationes ab eo postulatas: id verò meritò PHOTIUS tanquam commentitium, & à christianâ religione alienum rejicit, quod PHILOSTORGIUS lib. 2. c. 17. Christianos accusat, *quòd imaginem Constantini in Porphyretica columna stantem sacrificiis placarent - - - vota etiam facerent, ut Deo, & supplicationes ad depellendas calamitates peragerent:* vide hîc PAGIUM ad a. 337. §.V.

(* 61.) AUCTOR *Libelli Synodici* in Synodo Nicæna ait: *Constantinus inter Christianos Imperatores Apostolus*, & in Menæis Græcorum vocatur ἰσαπόστολος id est *par Apostolis*, quod cognomen illi meritò datum ait PAGIUS ob propagatam Christi fidem. Bene tamen advertit Tillemont. in V. Constantini art. 78. Qualiscunque sanctimonia Constantino tribuatur, discrimen tamen statui debere inter Alios SS. & Apostolos, inter oves & Pastores, inter fundamenta Ecclesiæ, & inter eos, qui ædificantur super his fundamentis: De Sanctitate autem ejusdem Imperatoris latiùs consule Papebrochium ad diem XXI. Maji.

tium Deos primus evertiſſet; ſolus quoque tum in hac vita, tum poſt mortem conſequi meruit, qualia nullus Princeps anteà nec apud Græcos, nec apud Romanos vel barbaros adeptus eſſe perhibetur (d). Quid? quod Ethnici ejus Laudibus non defuêre, ac inter paucos Julianus & Zoſimus, qui Conſtantini nævos dicacitate acerbâ perſtrinxerunt, vel amiſêre fidem (†), vel dum Pio Cæſari obſtrepunt, ſubinde ſuæ licentiæ, ac mendacii immemores, optimo Principi maxima tribuere encomia coguntur.

(d) Euſeb. ibid. c. 75.

(†) Reflexio IX.

§. II *Filiorum Conſtantini Regnum, Propinquorum carnificina, initia belli Perſici*, CONSTANTINI JUNIORIS *&* CONSTANTIS *miſerabilis interitus*, CONSTANTII *Bellum contra Magnentium, hujus mors funeſta, Euſebia conjux Conſtantii, Calamitates Imperii, Galli Cæſaris exitium, leges Conſtantii, Sylvani interitus: Juliani Cæſaris Studia, & mores, Conſtantii in urbem Romanam ingreſſus, Juliani bellum contra Francos, aliósque populos, Auguſtæa dignitas ab eodem arrogata, bellum & Pax cum Perſis, Conſtantii repentina mors.*

A. Æ. C. 337.

Internecio familiæ Conſtantinianæ.

I. Poſteaquam de Conſtantini morte in Caſtris reſcitum eſt; miles id meritis defuncti Cæſaris dandum cenſuit, ut tres ejus Filii Auguſtorum nomine regnarent (* 1). Id quoniam Annibalianum & Dalmatium exuebat jure, quod hi ex tabulis Imperatoris æquum cum filiis acceperant; iidem etiam reluctante exercitu, & ſenatu haudquaquam probante, ſe Auguſtos palàm venditârunt (a). Succendit adeo facinoris novitas ferox militum ingenium, ut Conſtantini Patris vix celebrato funeri plura Propin-

(a) Euſeb. l. 4. V. Conſt. c. 69.

(* 1.) PAGIUS hìc notat, poſt obitum Conſtantini Magni interregnum fuiſſe usque ad diem V. Idus Septembris, quâ IDATIUS in Faſtis Num. 2. ait tres Conſtantini filios *Auguſtos* eſſe appellatos: hinc EUSEBIUS lib. 4. V. Conſt. c. 71. ſcribit: *ipſe etiam* (Conſtantinus) *poſt mortem Imperium retinens, quaſi redivivus univerſum orbem gubernans, Victor Maximus Auguſtus, ſuo adhuc nomine rempublicam regeret.* In quæ verba Valeſius ita commentatur: *Ex hoc loco apparet: poſt obitum Conſtantini Maximi tribus circiter menſibus, id eſt, toto interregni ſpatio, leges omnes atque edicta Conſtantini tanquam ſuperſtitis nomine inſcripta fuiſſe.* Sic lex 2. Codicis Theodoſ. *de excuſationibus artificum*, quæ dicitur data IV. Non. Aug. Feliciano & Titiano CC; tribuitur Conſtantino M., qui tamen à Menſe Majo jam obierat; His tamen contradicit Tillemont. in V. Conſtantii a. 1, negátque interregnum verum fuiſſe, ſed quod exiſtimatum fuerit, quaſi Conſtantinus in filiis redivivus regnaret.

pinquorum funera adderentur, quæ non lachrymis, sed sanguine ac miserabili cæde peragebantur (b). Ablavius Prætorii Præfectus & Constantii moderator, Julius Constantini avus Paternus, Optatus aliique complures sanguine juncti unà cum Annibaliano & Dalmatio gladiis concisi sunt; Constantio repetita parricidia vel dissimulante, vel ut multi crediderunt, jubente. (*2). Dum in exitium familiæ Constantini hunc in modum insistebatur, duo Nepotes Gallus & Julianus lanienæ superfuêre (c); nam Juliani ætas, quæ infantiam necdum egressa fuerat, facilè contempta est, vel ob miserationem fidâ manu mediis ex cædibus subducta (*3): Gallo verò morbus, quo brevi conficiendus credebatur, saluti fuit.

(b) Naz. or. 3. Eunap. c. 4. Zosim. l. 2. p. 692.

(c) Socrates l. 3. c. 1. Baron. ad a. 337. §. 55.

Divisio Imperii inter Fratres Augustos.

2. Sublatis duobus Regni Competitoribus Annibaliano & Dalmatio, tribus Fratribus Augustis non parva Provinciarum portio accessit (d), quam cùm inter se dividerent, Constantius velut arbiter rerum Thraciam, Asiam continentem cum Constantinopoli sibi rapit (e); inde præcipuo hæreditatis spolio inflatus contra Persas movit sinistro tamen eventu; nam miles sive à dolore amissi Constantini adhuc languescens, sive impatiens novi Imperii segniùs in arma impellebatur (f): neque conductis multo ære Saracenis, Gothisque aliud effici potuit, quàm ut Constantius novenis præliis accisus, totius Orientis Dominatum Persis abjicere pararet; nisi arx Limitanea Nisibis & hostilium assultuum unica mora, irruentes Saporis copias retardâsset (*4).

A. Æ. C. 338.

(d) Julian. or. 1.

(e) Liban. or. 13.

(f) Julian. or. 1. p. 33.

Initia infelicia belli Persici.

3. In-

(* 2.) AURELIUS VICTOR affirmat nesciri, quinam suasor fuerit cædis Dalmatii &c. EUTROPIUS tamen c. 35. ait: *Dalmatius oppressus est, factione militari - - Constantio Patruele suo sinente potiùs, quàm jubente.* Plus dicit ZOSIMUS l. 2. p. 692. *Constantius exorsus ab ipso lare, cognati sanguinis effusione virilem omnibus animum probare voluit.* Idem facinus Constantio exprobravit S. ATHANASIUS solit. p. 856. & HIERONYMUS in Chronico.

(* 3.) NAZIANZ. orat. 3. testatur Julianum à Marco Episcopo Arethusæ cædi subductum fuisse, quod beneficium ille Tyrannus barbarâ crudelitate viro sancto posteà rependit. S. BASILIUS Presbyter Ancyranus (ut videre est apud BOLLAND. ad 22. Martii) exprobat in suis actis Juliano, quod oblitus sit facile auxilii, quod à JEsu Christo, ejusque ara expertus esset: absconderat nimirum S. Marcus in Sanctuario Ecclesiæ puerum; ut Constantii iram sanguinolentam evaderet.

(* 4.) Nisibis, à Romanis Antiochia & à flumine interfluente Mygdonia dicta, urbs erat Armeniis olim subdita, quam (teste ZONARA 1. 3. p. 13.) Rex Tigranes Mithri-

A. Æ. C. 340.

3. Intereà dum Perſæ, atque Conſtantius in Oriente pernicioſo non minùs quàm cruento certamine ſe utrinque atterunt; per Occidentem luctuoſius (quia inter fratres) bellum flagrare cœpit (g). Diſplicuerat Conſtantino juniori, à Conſtante fratre partitionem Provinciarum eâ arte concinnatam; ut de Italia & Africa nihil ſibi relinqueretur (h). Verbis primùm & querelis; dein etiam armis actum eſt: Conſtantinus inferior viribus, cùm dimicare aperto Marte non poſſet, dolo tantisper agendum ratus, fingit, Galliam, ſibi ſuíſque copiis peſte graſſante minùs tutam, quærendas proinde ſalubriores in Italia ſedes: ſed quoniam has quoque terras lues evaſtabat, ut mentienti porrò fides eſſet; id quoque additum eſt, milites Galliâ egreſſos properare in auxilium Conſtantii, ad Perſas à finibus Imperii profligandos (i). Conſtantinus cum ſuis Aquilejam, vicinûmque agrum jam inſederat; tum anxio rumore in Daciam atque in ipſam Conſtantis Regiam perfertur, hoſtilem fratris exercitum Pannonibus inſtare: Imperator belli ingruentis metu excitus, raptas continuò copias mittit, quæ infeſtam vim à ſuis provinciis cohibeant. Duces ubi celerrimo itinere ad caſtra Conſtantini pervenerant; ab hoſte rerum omnium ſecuro, latrocinii ſpecie bellum geri advertunt: collocato itaque in inſidiis exercitu, Velitum modica manus præmittitur, qui Conſtantinum in pugnam proliciant. Vix certamini datum initium; emiſſarii præſcriptam fugam in ea loca arripiunt, ubi ſub dumetis agmina Conſtantis latebant. Conſtantinus cæſurus fugientium terga, incautiùs ſequitur: at dum de victoriâ ſibi applaudit; ab hoſtili & ex inſidiis erumpente exercitu ſubitò circumfuſus, ferro militis conciditur (k). Corpus Principis in Alſam (flumen (l) Aquilejæ propinquum) ejectum eſt, dein denuò extractum, Conſtantinopoli propè Patrem tumulum obtinuit (m): Conſtantinus tertio anno ſui Imperii, ætatis trigeſimo

Conſtantini Junioris interitus.

(g) Socrat. l. 2. c. 5. Julian. or. 2.
(h) Victor. Epitom. Zonar. t. 3. p. 11.
(i) Socrat. l. 2. c. 6. Zonar. l. c.
(k) Zonar. t. 3. p. 11.
(l) Baudran. p. 29.
(m) Plonodius p. 3. 4.

thridati regi Ponti, ſimúlque genero donavit. Romani eam ſubjugârunt unà cum Meſopotamia Imperantibus M. Aurelio & L. Vero. Urbis & Caſtelli munimenta ea fuêre, ut ſiſte militari præſidio Perſarum incurſus ſiſterent. Non minùs huic urbi ſalutem ſæpè attulit Epiſcopus S. Jacobus, qui tempore Conſtantii ſuum hoc Epiſcopium, precibus ſolis contra infeſtiſſimam Perſarum obſidentium vim defendit; effecitque ut Sapor luculent ſſimâ & prodigioſâ ſtrage afflictus, ſponte à mœnibus recederet. vide HIERONYMI CHRONICON.

mo sexto defunctus hanc apud Orthodoxos laudem meruit, quòd Athanasium Treviris exulantem præsidio suo ac solatio refecerit (*5): extincto autem jam tertio hoc fratre ad duos summa rerum recidit, eâ lege, ut Constantius Orienti, Constans Occidenti Imperaret (n). Gallia difficiliùs Constantis jugum admisit, quòd Principis sui amantissimi parricidam crederet: ne igitur invidiâ illatæ necis amplius premeretur, compositâ famâ vulgatum est, Constantinum peste mortalibus tunc funestâ interiisse.

(n) Philost. l. 3. c. 1. Sozom. l. 3. c. 2.

4. Vix integrum Galliæ Dominatum adierat Constans, jam ad fines harum Provinciarum arma concrepabant Franci (*6); dubio

A. Æ.C. 341. 342.

(* 5.) THEODORETUS l. 2. c. 1. ait: *Divinus ille Athanasius biennio integro, & mensibus quatuor, Treviris commoratus, revertit Alexandriam. Quo quidem tempore, Constantinus filius Constantini Magni, natu maximus, qui Galliæ versùs Occidentem Imperium obtinuit, literas scripsit ad Ecclesiam Alexandrinam.* Meminit harum literarum ipse Athanasius Apol. 2., cujus fragmentum hic subnectimus. - - - *Ad feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus (Athanasius), ut sub me ageret, jussus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret: tametsi ejus reverenda virtus divinâ ope fretus, onera asperioris fortunæ vilipenderet. Jam cum imprimis vestræ in Deum pietati, suisque sedibus hunc Episcopum Deus noster & Pater Constantinus restituere vellet; & humanâ sorte præventus; antequàm hoc votum impleret, requievérit: ego mihi convenire puto, ut susceptâ voluntate sacræ memoriæ Imperatoris, id ipsum adimpleam, quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetraverit; tunc demum intelligetis, quantæ apud nos reverentiæ fuit: &c.* data est hæc Epistola Treviris XV. Kal. Jul. cujus etiam Socrates meminit l. 2.

(* 6.) SOCRATES lib. 1. c. 7. *Isto tempore reipublicæ status magnoperè perturbatus fuit. Nam Gens Francorum, qui Galliæ finitimi sunt, in Romanorum fines incursionem fecerunt.* De irruptione eorundem Francorum LIBANIUS mentionem facit in orat. 3. *Celtarum Gens est supra Rhenum fluvium, ad Oceanum pertingens tam præclarè à natura ad bellicum usum munita, ut appellationem ab ipsis actis nacti Franci nominentur, quasi à Græcanica dictione* Φραγκοὶ *hoc est septi, munitive ab imperito vulgo corrupta. Hi multitudine numerum pene omnem excedunt; robore autem multitudinis immensitatem superant. His maris procellosi æstus non magis terrori est, quam continens terra: & frigus septentrionale suavius, quàm aëris temperies: calamitas verò maxima, vita absque negotiis, & felicitatis apex belli tempora sunt. Quodsi quis mutilatus fuerit, parte reliquâ integrâ præliatur, & vincentium persecutio non admittit finem: ut si contigerit, ut superentur, extremum fugæ, invasionis initium faciant; porrò insanæ pervicacitatis præmia, & audaciæ honores legibus apud ipsos sancitis, obtinent: quietem, otiúmque omnino judicant morbum. Quapropter ab omni ævo superiore propinquum illis regnum nacti, neque rationes invenerunt, quibus persuaderent: neque tantum in armis vim habuerunt, ut quiescere cogerent. Verùm diu, noctúque nullâ interpositâ morâ perseverantes, excursionibus occurrere opus erat: neque cibum sine armis sumere, neque galeâ depositâ securè requiescere licebat: sed tantùm non armaturæ cohærentes ferrum gestare priscorum Acarnanum more oportebat. Denique bis usu venit, quod in obicibus, quando mare variis impulsum ventis continuatos fluctus decumanos excitat. Nam quemadmodum*

Constantis Bellum contra Francos. A. Æ. C. 343. (o) Ammian l. 20. p. 154. (p) Cod. Theod. Chron. p. 44. (q) Cod. Theod. 16. t. 2. l. 1. *Res gestæ pro Ecclesia.* A. Æ. C. 347.

dubio inde Marte longo tempore pugnatum est adversus pertinacem hostem, à quo Constans pacem non ante obtinuit, aut victoriam, quàm cùm argento fœdus, victorísque titulum à bellicosa gente mercaretur (*7). Ex Germania in Britanniam Cæsar arma convertit: Scotis ibidem utcunque ad mitiora revocatis (o) Constans Treviros reversus (p), ostendit se tractandis magis legibus, quàm armis idoneum fore; nam Ethnicorum Sacrificia proposito supremi supplicii metu proscripsit (*8), Clericósque exemit oneribus, queis ad gerendam militiam (q) adigebantur. Circa annum CCCXLV. Mediolanum profectus Imperator S. Athanasii exulis causam fortiter suscepit, id fratri Constantio comminatus, nisi Pastorem innocentem redderet Gregi, se vi restituturum (*9). Quod Justitiæ, ac pietati hucusque negatum fuerat, id tan-

dum ibi, priusquam prior fluctus ad oppositos obices fractus sit, secundus occupat, & tertius deinceps: isque motus non intermittit, donec venti cessent; ita certè Francorum animi rerum bellicarum amore ad insaniam concitati crebras edebant impressiones - - -.

(* 7.) IDATIUS ad a. 342. ait: CONSTANTIO III. & CONSTANTE II. COSS. *His COSS. victi Franci à Constante Aug. superati* Tillemont. art. 8. ad V. Constantii p. 679. victoriam hanc aliam non fuisse ait, quàm quod Francos repræsentato argento ex finibus Galliæ deduxerit; nam licèt Libanius velut Orator multa declamitet de hac victoria; fatetur tamen simul, armis Francos vinci non potuisse. orat. 3. p. 139.

(* 8.) PAGIUS in Critic. Baron. ad a. 342. notat *Constantem* sacrificiorum usum abolere cœpisse, ut liquet ex L. 2. & 3. Cod. Th. *de paganis*, ex quibus colligitur quod Imperator Romæ omnem superstitionem cessare, & idola exscindi voluerit: inter aras ejusmodi fuit etiam *Ara Victoriæ* in senatu seu curia urbis Romæ Constantis Imperio diruta: de quo queritur multò post Symmachus in relatione ad Valentinianum, seu Epist. 54. l. 10. Nam de ea restituenda agens: *Meritò*, inquit, *Divi Constantis factum diu non stetit: omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis.* Quo loco Symmachus Magnentii factum tacitè opponit, qui ùt sacrificia nocturna, ita & Aram Victoriæ procul dubio restituerat. Noluit autem Constans templa extra muros urbis (quæ plurima fuêre) dirui propter voluptatem populi Romani, ac lætitiam publicam: nempe quòd ex nonnullis origo ludorum exorta fuerit. IDEM ad ann. 346. pergit, quod Constans leg. 4. Cod. Theod. *de Paganis* templa Gentilium ubique claudi jusserit, sed non per totum Imperium Romanum; cùm hæc Constitutio ad Taurum Præfectum Prætorio Italiæ inscripta fuerit: THEODORETUS l. 5. c. 20. & LIBANIUS in Orat. funebri in Julianum p. 253. et Orat. ὑπὲρ τῶν ἱερῶν magnam, ait, templorum stragem editam; multa etiam templa esse donata aulicis Palatinis: his non obstantibus per conniventiam alicubi adhuc templa patebant Ethnicis.

(* 9.) THEODORETUS l. 2. c. 5. *Hortatur etiam* (Constans Constantinum), *ut hereditatem pietatis Paternæ integram inviolatámque servaret. Illum enim Imperium pietate stabilivisse; Tyrannos, qui Romanos oppresserant, profligâsse; & Barbaros undique in suam potestatem, redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, ut Episcopi tum Orientis, tum Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria urbs Gen-*

tandem armatis hujusmodi precibus concedi debuit; timebat enim Constantius, ne Persarum bello pressus, alterum à tergo hostem in se provocaret. Cæterùm Sapor in octavum annum cum Principe Orientis conflictatus, transmisso Tigri fluvio interiora Imperii rimabatur. Audacia ejusmodi Persis summo periculo fuit (r); ab interposito quippe flumine prohibebantur, quominùs celerem, sicubi belli sors sinistra foret, relegerent viam: à Constantio itaque ad ripas Tigris, dein in fugam adacti (s), ingentem copiarum & qui instar medii exercitûs erat, Saporis filii jacturam subierunt (t). Diem integram cædendis, & mactandis hostibus Constantii miles jam dederat, tum æstu hians ad spolia, & reficiendas vires revertitur: per tempus ubi largo vino se proluerat, Persæ in agmina denuò conglobati in Sopitas irruunt legiones, palmámque, quæ Constantio cesserat, manibus Victoris denuò eripiunt (u).

A. Æ. C. 348.

(r) Liban. or. 3. p. 129.

(s) Festus p. 554.

(t) Liban. p. 131.

Clades Romanorum.

(u) Ammian. l. 18. p. 1222. Jul. p. 41. Hier. Chron.

5. Eventum Orienti peracerbum, pejores calamitates excepêre; præterquam enim quod terræ motus undique Provincias, urbésque ad exitium usque concuterent (x), Magnentius Tyrannide Occidentem totum hauriebat. Natus is fuerat in vicinis Rheno agris (y), unde à Constantino in servitutem abductus (z), tandem in præmium rerum militiæ gestarum libertatem meruit: vasti corporis cùm esset, acríque sermone, sub Constante titulo Comitis legiones quasdam rexit (a). Perfidia tamen, aliáque vitia, quæ exteriore duntaxat Christiani specie tegebat, posteà palàm erupêre; quando ingratissimus suo Principi, non tantùm imperio, sed & ejus vitæ insidiari cœpit. Constante ad venationem egresso, cum Marcellino ærarii præfecto, supremísque Ducibus

(x) Theophan. p. 32.

(y) Zonar. t. 3. p. 12.

(z) Julian. or. 1. 2. p. 16. 177.

(a) Zosim. l. 2. p. 693.

A. Æ. C. 350.

tis Daciæ primaria, adventarent; Nam aliis multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Conciliis necessariis requirebatur. In hoc Concilio Athanasii innocentia ab Episcopis Occidentalibus agnita fuit, ut ATHANASIUS ad solit. agent. scribit: porrò restitutionem Athansii, urgebat teste SOCRATE l. 2. c. 18. *Ubi Constantius fratris* (Constantis) *postulata de die in diem differebat: ille (Imperatorem dico Occidentis) optionem fratri dat; vel Paulum, vel Athanasium, ad suas ipsorum sedes, Ecclésiásque restituendi: vel si hoc minùs præstarent, ipsum sibi hostem reddendi, nihilque aliud, quam bellum exspectandi - - - Quæ cùm intellexisset; Orientis Episcopis optionem sibi datam illis exponit, rogat, quid faciendum sit. Illi meliùs esse respondent; ut Athanasio Ecclesiæ suæ concederet administrationem, quàm ut bellum intestinum susciperet. Unde Imperator necessitate adductus, ad Athanasium accersit.*

cibus Autuni de rapiendo Regno icit fœdus; quod, ut viribus plurium augeretur (b), ad Solenne epulum potentiores quique vocantur: convivis largiore vino madentibus, Magnentius purpurâ vestitus adest, quo signo dato conjurati Augustum proclamare, stupere alii, & quid rei ageretur, ignari: at largitionum spes, ac metus præsentis discriminis prohibuerunt; quominùs temulentorum consiliis repugnarent. Eodem tempore à Magnentio urbe clàm emissi sunt, qui Constantem confoderent: perfidiâ plenum facinus antè suboluerat Principi, quàm emissariorum vim experiretur. In Hispaniam proinde cum paucis se proripit, inde rem aliquando restituturus: verùm jubente Magnentio Gaison sicariorum acerrimus in fugientis hæret vestigio, atque Elnæ in Pyrenæis montibus Principem assecutus, eundem trucidat anno (ab obitu Parentis) tertio Imperii, ætatis trigesimo (c). Non excessit è vita, nisi salutaribus baptismi aquis tinctus (*10), quo beneficio se dignum præstitit, quòd Donatistarum & Arianæ sectæ perpetuus hostis Orthodoxorum injurias propulsarit (d): ex Gentilibus scriptoribus fuêre quidam, qui in eodem Principe nonnulla carperent (*11), omnes tamen Magnentio meliorem putavêre.

(b) Julian. or. 2. p. 106. Zonar. p. 12.

Magnentius Augusti titulum sumit.

Constantis obitus.

(c) Victor Epit. Zosim. l. 2. p. 693. Ath. Apol. 1. p. 678.

(d) Optat. l. 3. p. 64.

6. Triste de fratris obitu, deque tyrannide Magnentii nuncium vix ad Constantium pervaserat (e); hic Imperator anceps hæsit

(e) Philost. l. 3. c. 22.

(* 10.) ATHANASIUS in *sua Apologia*, quâ se apud Constantium defendit, contra calumniam, quâ accusatus fuerat, quasi cum Magnentio haberet commercium: in hac proinde sic scribit: *Credo magnam scilicet, & multam illi gratiam debebam; quòd piæ memoriæ fratrem tuum, cujus donariis Ecclesiæ plenæ sunt, ipse Magnentius ejus Legatus occiderit, nihil eam necessitudinem, cùm ante oculos versaretur, reveritus; nihil* GRATIAM *beato tuo fratri* IN BAPTISMATE *donatam respiciens; veluti Dæmon, & furia infernalis in eum insiluit, atque ita sanctissimus ille vir Martyrium assecutus.* Ex quo modo loquendi porrò confutari potest id, quod apud Chrysostomum in Philipp. hom. 15. legitur, quod Constans inter manus hostiles detentus post occisas proles, se quoque peremerit, præsertim cùm nullus Historicorum Constanti proles tribuat.

(* 11.) Quo religiosior Constans fuerat in superstitione Gentili extinguendâ, eò acriores scriptores Ethnici sunt in exaggerandis ejusdem vitiis. Ac Primò AURELIUS VICTOR p. 527. *Constans victoriâ* (adversus fratrem Constantinum) *tumidior; simul per ætatem cautus parùm, atque præceps in avaritiam despectúmque militarium.* JUNIOR VICTOR in Epit. in eo reprehendit, *quod Provinciarum rectores pretio potiùs quam judicio provexerit.* EUTROPIUS lib. 10. c. 42. ait: *Constantis Imperium, strenuum aliquamdiu & justum fuit; mox & cum valetudine improsperâ, & amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus est.*

hæsit, utrùm adversus Persas, an contra Parricidam arma converteret (f)? sed dum consilia agitat, aliis literis perfertur, Vetranionem Ducem Pannoniæ, Illyricum Imperatoris nomine rapuisse (g); & Flavium Popilium Nepotianum Romæ insidiari (h): postremum non adeò displicuit Constantio, eoquòd crederetur, Magnentii vires hâc ratione distractum iri: spes tamen ista brevi defluxit, ubi perceptum est, occiso Nepotiano Magnentium in Italia potiri rerum (i), haustámque ex urbibus pecuniam ab hoste conscribendis legionibus impendi (* 12). Inclinatis per Occidentem summoperè rebus, Constantio melior belli conditio in Oriente ac pax ipsa cum Persis oblata est. His quippe ab Nisibis obsidione precibus S. Jacobi ejusdem urbis Episcopi depulsis, ac majore prodigio in Patriam, unde venerant, rejectis (* 13) Im-

(f) Zosim. l. 2. p. 593.

(g) Aurel. Vict. Idatius in fast. Chronic. Alexand. p. 672.

(h) Zosim. l. 2. p. 693.

(i) Idem p. 694. Jul. or. 1. p. 61.

(* 12. JULIAN. Orat. 1. p. 34. describit belli apparatum: *Sed bellici illius* (Magnentii) *apparatus, quem cùm adversus barbaros comparâsset, in nos effudit, vim ac potentiam quis pro rei dignitate possit explicare? Aderant & Affinitatis nomine promptissimi Sociorum Franci, & Saxones, qui ultra Rhenum atque Occidentis mare habitant, nationes omnium bellicosissimæ*, et Orat. 2. p. 56. *Habebat autem ille secum legionarios pedites multos; tum non pauciorem equitum numerum, quidquid roboris ex Gallis & Hispanis, ac Germanis, qui Rhenum accolunt, & mare ad occidentem situm, quod sive Oceanum vel Atlanticum mare, sive alio quopiam nomine appellare conveniat, nihil admodum pugnabo. Verùm bellicosissimas, ac longe fortissimae Barbarorum nationes ad illum habitare non auditu modo, cujus non adeò certa fides est: Sed experientiâ, quod dici solet, ipsâ comperi. Harum igitur gentium non minorem multitudinem, quam quæ ex domesticis copiis sequebatur, secum educens; vel ut veriùs dicam, Illi quidem, utpote Generis ejusdem ac Cognati, quam plurimi comitabantur, nostri verò, sic enim Romanos appellare libet, vi ac necessitate compulsi trahebantur.*

(* 13.) ZONARAS T. III. p. 13. Nisibin *Sapores aggressus, omnes ad expugnandum Machinas adhibuit; admotis ad muros arietibus, actisque cuniculis. Sed qui obsidebantur fortiter ad omnia resistebant. Cúmque fluvio, qui mediam urbem perfluit, alio derivato, ut oppidani siti coacti se dederent, ex puteis & fontibus abunde illis aquâ suppetente, nihil profecisset: ad aliud convertitur. Regressus enim versus caput ejusdem amnis, qui in convallibus angusto alveo deffluebat: loco illi obsepto, cursum inhibuit, & aquam stagnantem remotis aggeribus confestim versus urbem emisit; quæ quia plurima collecta fuerat, magno impetu partem muri dejecit. Barbarus verò, cùm urbem non statim intraret, tum quia diei serum erat, tum quod jam expugnatam, postridie citra dimicationem se accepturum putabat. Oppidani, etsi ad ruinam muri consternati, tamen ut Persas differre ingressum viderunt, noctem illam egêre insomnem, & operarum multitudine novo exstructo muro locum illum muniverunt.* THEODORETUS lib. II. c. 30. servatam urbem precibus S. Jacobi Nisibitani tunc Episcopi adscribit: dein pergit „Præterea Sa„por vidit stantem in muro quendam Imperiali cultu ornatum. Cúmque Imperatorem „Romanorum eum esse conjiceret, mortem minatus est iis, qui procul abesse illum nun„tiaverant. Illis contrà affirmantibus vera esse, quæ dixissent; intellexit, quid visum „signi-

Constantii Bellum contra Magnentium. Imperator occasionem nactus est vim omnem armorum in Tyrannos Occidentis concitandi. Antiochiâ in Italiam moturus Constantius decem intra menses tantam classem expedivit, quanta nec intra decennium olim à Xerxe constructa legitur (k): & quoniam Augustus benè meminerat, Persarum cladem paulò ante non alio, quàm cæli favore editam; Sanctione publicâ vulgavit, ne quis in castris deinceps stipendia faceret, qui non salutaribus Baptismi aquis expiatus foret (l): His peractis dum Princeps terrâ marique iter accelerat; Magnentius paratu bellico territus, Servasium Tungrorum & Maximum Trevirorum Episcopos mittit, qui pacis consilia proponant (* 14): verùm Constantius Parricidæ legationem tunc aspernatus (m), petenti posteà Vetranioni saltem spem injecit, fore, ut in Collegam Imperii assumeretur (n), diviserat ejusmodi arte Cæsar arma hostilia; dum Daciam ingressus, illa, quæ animo conceperat, tutiùs exequeretur. Vix Constantius in Provinciam venerat, ubi Vetranioni jus summum erat; Promissorum fidem facturus, eundem velut Regni Consortem, tribunal secum conscendere jubet: inde de Constantini Magni Parentis meritis, deque felicitate, quæ ab uno Principe profecta esset, dicere exorsus, militem confertum ita emolliit, ut sublato clamore unum quoque Constantium sibi Imperatorem deposcerent (o): Vetranion repentinâ mutatione attonitus, ne cum Imperio vitam amitteret, à sublimi solio se protinus ad

(k) Jul. or. 1. p. 77.

(l) Theodoret. l. 3. c. 1.

(m) Zonaras p. 14.

(n) Socrat. l. 2. c. 28.

(o) Zosim. p. 694. Socrat. l. 2. c. 28. p. 120.

„significaret; Deúmque pro Romanis pugnare dixit: & indignatus miser sagittam in cælum conjicit. Tunc admirandus Ephrem (qui apud Syros præstantissimus fuit scriptor) divum Jacobum rogavit, ut murum conscendens, barbaros aspiceret, & imprecationis tela in eos immitteret. Cui obsecutus in turrim conscendit, visâque innumerabili hominum multitudine; oravit, ut cinifes & culices in eos immitterentur; ut ex minutis animalibus, ejus, qui ipsis auxiliabatur, potentiam cognoscerent. Orationem Jacobi nubes cinifum & culicum protinus excêpere. Et Elephantorum quidem proboscides, equorum verò aures & nares compleverunt, qui cùm eorum impetum sustinere non possent; abruptis loris sessores suos excutere cœperunt, & ordines conturbârunt, relictóque exercitu totis viribus conciti in fugam se dederunt.

(* 14.) ATHANASIUS Apol. 1. p. 679. legatos ejusmodi à Magnentio ad Constantium directos, nominat *Sarbatium* & *Maximum*. BARONIUS ad a. 350. §. 18. existimat hos duos Episcopos fuisse primum Servasium Tungrorum, alterum Maximinum Trevirensium Præsulem, TILLEMONT in V. Constantii art. 20. quoad Servasium Baronio subscribit, non verò quoad secundum, nam Maximinus eodem tempore, nimirum a. 350. diem suum jam obierat. v. HERMANT. *la vie de S. Athanase aux eclaircissements sur le livre VI. ch. 19.*

ad Constantii pedes conjiciens id gratiæ loco impetravit, ut in Bithynia Imperatoris sumptibus extra Regni curas aleretur (p). (p) Zonar. p. 14.

7. Provinciis Pannoniæ ac Daciæ sine cæde ac sanguine receptis, Constantius Gallum instituit Cæsarem, qui Persarum novos tumultus à tergo cohibeat; dum Imperator ipse frontem Magnentio objiceret (q). Utriusque exercitûs arma primò commissa sunt in finibus superioris Pannoniæ: post nonnullas clades vario Marte datas & acceptas (r), Constantius Philippum Ducem mittit ad Magnentii castra, sive ut sub pacis consiliis hostis vires exploret, sive ut legiones ab Imperatore suo ad Constantini filium inclinet; jamque sermone is potente tantum consecutus fuerat, ut vel pax, vel defectio militum ad Constantium futura crederetur (s), verùm postridiè, ex quo hæc acta erant, Magnentius largitionum vi retraxit ad se animos; quare ad ultimum & decretorium certamen in Pannonia ad Dravi ripas prope Mursam (* 15) tandem deventum est (t): ea dies denuò comprobavit, in bellis civilibus victoriam & victis & victori esse luctuosam; nam Constantius sorte belli superior robore Romanæ militiæ exutus est, Magnentius viginti quatuor suorum millibus amissis, ac penè profligatus vago per Italiam itinere in Galliam demum profugit

Zosim. p. 695

A. Æ. C. 351.

(q) Idatius in fastis chronic. Alexandr.

(r) Zosim. l. 2. p. 695.

(s) Idem p. 696.

A. Æ. C. 352.

(t) Idem p. 699.

(* 15.) ZONARAS Tom III. p. 14. & 15. *Constantius bellum contra Magnentium parat. Ne verò pugnis intestinis & mutuis cædibus Romani polluerentur; tyrannum ad pactiones provocandum esse censet. - - Verùm ille nihil modicum animo agitans, non accepit ea, quæ per otium à Constantio accipere potuisset. - - Magnentius etiam præstigiis usus est. Nam Saga quædam eum monuit, ut Virginem immolaret, ejúsque sanguinem vino mistum militibus gustandum præberet, ipsâ interim carmina quædam recitante, & dæmonum opem implorante. Sed die jam inclinante exercitibus congressis, cùm diu ancipiti Marte pugnatum esset, Victoria tandem penes Constantium fuit:* eodem tempore, quo Constantius conflixit cum Magnentio Crux in cælo visa est. Ut testatur IDATIUS in Fastis ad ann. 351: *His Conss.* (nimirum Magnentio & Gaisone) *bellum Magnentii fuit Morsa die IV. Octob. & eo anno depositus Vetranio VIII. Kal. Januar. & levatus est Constantius Cæsar Idibus Martii, & apparuit signum Salvatoris die III. Kal. Febr. Luna* 28. Idem testatur AUTHOR CHRONICI ALEXANDRINI: *Signum crucis Christi Hierosolymis hoc ipso tempore sub horam tertiam ipso die Pentecostes, Nonis Maji, in cælo velut lumen apparuit à monte Oliveti usque ad Golgotha, in quò loco Dominus crucifixus est, extensum versus orientem, unde Dominus crucifixus est, coronâ, quæ iridis speciem referebat, Crucem pretiosam, quæ apparuit, in orbem ambiente. Eâdemque horâ etiam Constantio Augusto in Pannoniis & copiis ipsius visa est, cùm in prælio contra Magnentium cœpisset vincere, & Magnentius cum Constantio confligeret ad urbem Mursam.*

git (* 16): Constantii ideo intererat, quamprimum omnes obsepire vias, ne ex Ægypto, & Africa novas hostis conscisceret suppetias (u); ac ne Galliam teneret sine formidine; in eundem Magnentium Germanorum arma provocaverat (x). Hi misso argento illecti subito Galliarum fines invadunt, ac præeunte Chnodomairo Alemannorum Rege cuncta expilant, quatiúntque. Dum intra casses ferè hærebat Magnentius, ultimum luctanti ictum inflicturus Constantius per Alpes Cottianas irrumpit (y), levi prælio fundit hostiles reliquias, jamque ferrum in authorem tot turbarum intorquendum erat; nisi Magnentius vim, quam à victore experiri debuerat, suæ matri, propinquis ac sibi ultrò inferre maluisset: periit itaque anno quarto usurpati Imperii, vitámque cum Regno sui ipsius Carnifex projecit (z).

(u) Julian. or. 1. & 2. p. 73.
(x) Zosim. p. 700.
A. Æ. C. 353.
Magnentii mors funesta
(y) Socrat. l. 2. c. 32. Sozom. l. 4. c. 7.
(z) Zonar. p. 16. Philost. l. 3. c. 26. Victor Epit.

8. Extincto Tyranno, in innocentes quosvis & præcipuè Orthodoxos sævitum est (a): impulerat in tam atrox facinus Constantium conjux Eusebia (* 17), quæ Arii veneno tumens, id persuadere Augusto conata est; multos ex iis, qui fidem Ario adversam profiterentur, à Magnentio stetisse: non inultam voluit Deus suorum injuriam; ipsa enim malorum incentrix, sterilitatis damnata, & circa annum CCCLX à Constantio sublata est. Galliâ inter-

(a) Zosim. l. 2. p. 701. Ammian. l. 14. p. 9.
Eusebia conjux Constantii.

(* 16.) ZONARAS p. 15. *Sic ille* (Magnentius) *effugit. Manè Constantium, cùm tumulo quodam conscenso subjectam planitiem, & præterfluentem amnem cadaveribus plena vidisset, in manifestas erupisse lacrymas ferunt, non tam victoriâ lætatum, quàm ob cæsorum interitum mœstum. Nam cum ad octoginta millia haberet, ad triginta millia cecidisse: de Magnentii triginta sex millibus quatuor & viginti periisse.* TILLEMONT notat, vero simile non esse, quod Constantii jactura tanta fuerit: VICTOR tamen in Epit. c. 42. fatetur quod *nunquam amplius Romanæ consumptæ sint vires, totiúsque Imperii fortunæ pessumdatæ.*

(* 17.) *Eusebia* circa finem anni 352. à Constantio in thori consortem admissa est; postquàm aliæ uxores, quas habuerat plurimas, decesserant: fuerat hæc Thessalonicæ in Macedonia nata, filia Consulis, quam præ cæteris conjugibus *præcipuè dilexit*, ut ait VICTOR in Epit. c. 66. in cujus honorem novam Diœcesin ejusdem nominis fundavit, ut habet AMMIANUS l. 17. p. 97. Bithyniæ tractu, vicinisque regionibus definitam. ZOSIMUS l. 3. p. 702. eidem excellens ingenium ac eruditionem tribuit; sterilitatem suam ægrè ferens, Helenæ Constantii Sorori, ac Uxori Juliani potionem obtulit, quæ ipsam similiter sterilem redderet, vel ut saltem conceptos fœtus abortiret, teste AMMIANO l. 16. p. 72. BARONIUS ad a. 356. §. 126. Eusebiam eandem Arianæ Sectæ maximum fulcrum fuisse queritur, & quia in Mariti animo plurimum poterat, non pauca mala Ecclesiæ invexit. Vixit ea adhuc anno 359. sed ante finem 360. obiit ex molestia sterilitatis, quam periculosis remediis curare tentaverat, aut ex Imperio fastidientis Constantii extincta est. Ut habet CHRYSOST. in Philipp. hom. 15.

tereà negabant excedere Barbari, ad cujus pinguia ſpolia paulò ante Imperator eos invitârat (b): Romam annonæ penuria (c), Aſiam Iſaurorum incurſus (d), Meſopotamiam Saraceni premebant (e); his tamen omnibus calamitoſior Imperio erat Gallus Orientis Cæſar, qui ab Aëtio nequiſſimo homine per omnem impietatem præcipitatus, in cives ac præfectos cædibus graſſabatur (f). Conſtantius maximum præprimis malum conſanaturus, pace cum Alemanniæ Regibus in Rauracorum agris factâ, de Oriente componendo meditatur (*18): palàm agere contra hominem, quem ad ſeditionis crepidinem ſcelera cætera deduxiſſent, periculi plenum facinus viſum eſt; quare primò copiæ aliâ ſub ſpecie diſtrahuntur, aut ſubducuntur Galli poteſtati (g): dein Urſicinus Ducum in Oriente præcipuus velut conſilii captandi causâ Mediolanum abire jubetur ad Imperatorem, qui maximè timebat, ne præfectus præſtantiſſimus turbatis rebus purpuram ſumeret. Hoc in Italiam digreſſo Gallus quoque humaniſſimis à Conſtantio literis ex Oriente evocatur. Juvenis Cæſar accepto nuncio dubius quid ageret, precibus tamen Conſtantiæ ſororis Auguſti, quam uxorem habebat, confiſus iter aggreditur (h): at fœminâ tam potente ſubinde è vivis prope Bithyniam ereptâ, nova Gallus agitabat conſilia, parúmque aberat, quin abjectâ veniæ ſpe adverſus Imperatorem rebellaret (i). Deo providente evenit, ut qui ſe dignum ſupplicio fecerat; in illud ab Scutilone viro vaferrimi ingenii impelleretur

(b) Ammian. l. 15. p. 38.
(c) Idem l. 14. p. 10.
(d) Id. p. 4. 5. &c.
(e) Id. p. 7. 8.
Calamitates Imperii.
(f) Ammian l. 14. p. 2. 3.
A. Æ. C 354.
(g) Idem p. 26.
(h) Philoſt. l. 4 c. 1.
Galli Cæſaris exitium.
(i) Ammian. l. 14. p. 27.

(* 18.) AMMIANUS l. 14. c. 10. memorat, Germanos ad pacem ineundam inductos ab aliis Ducibus Germanis, qui in Romanis legionibus præfecti militiæ erant; ſuósque populares tempeſtivè admonebant de periculo: *Emenſis itaque difficultatibus multis & nive obrutis callibus pluribus, ubi prope Rauracum ventum eſt, ad ſupercilia fluminis Rheni, reſiſtente multitudine Alemannâ; pontem ſuſpendere navium compage Romani vi nimiâ vetabantur, ritu grandinis, undique convolantibus telis. - - - Ecce autem ex improviſo index quidam regionum gnarus advenit: & mercede acceptâ, vadoſum locum nocte monſtravit, unde ſuperari potuit flumen, & potuiſſet alìorſum intentis hoſtibus. Exercitus inde transgreſſus, nullo id opinante, cuncta vaſtare, ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commiſſa, populares ſuos hæc per nuntios docuiſſent occultos, ut quidam exiſtimabant. Infamabat autem hæc ſuſpicio Latinum, Domeſticorum comitem, & Agilonem tribunum ſtabuli, atque Scutilonem, Scutariorum rectorem, qui tunc, ut dextris ſuis geſtantes Rempublicam, colebantur - - - icto poſthæc fœdere, Gentium ritu, perfectâque ſolemnitate, Imperator Mediolanum ad biberna diſceſſit.*

tur (* 19), hujus quippe pollicitatione ad ſpes novas arrectus in Noricum pergit: Verùm Petobionem ingreſſus (* 20) mutata omnia videt: Barbation comes vice obſequii, quod Cæſari debebat, purpuram diripit, atque nudatum inſignibus in quæſtionem de criminibus vocat (k): negabat equidem ille nihil eorum, quæ objiciebantur; aſt ſcelerum cauſam in defunctam Conſtantiam detorquebat: quod ubi ad Imperatorem nunciatum eſt, ita excanduiſſe fertur, ut ſorori affictam maculam Galli ſanguine abluendam decerneret (* 21).

(k) Philoſt. l. 4. c. 1.


9. Ab eo tempore Conſtantius Solus Romani Imperii totius principatum tenuit, quem per ſeptuaginta annos varii Auguſti aut Cæſares inter ſe diviſerant (l): igitur ut ſe novum orbis Patrem oſtenderet, variis legibus rempublicam excoluit (* 22); ad-

(l) Aurel. Victor.

(* 19.) *Scutilon* hic ipſe fuit è Germana Gente oriundus, magnæ apud Conſtantium authoritatis, quíque anteà Germanos de pace facienda monuerat; unde Ammianus de eo ita loquitur. lib. 14. c. 11. *Velamento ſubagreſtis ingenii, perſuaſionis opifex callidus.*

(* 20.) Quod *Petobio* dicitur ab AMMIANO, hoc *Petavium* eſt PTOLEMÆO, hodie *Pettau* colonia & urbs Pannoniæ ſuperioris, in Iſtria ad Dravum fluvium, à Græcio 8. Leucis in Auſtrum, à Celeja 9. in ortum, olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Laureacenſi.

(* 21.) AMMIANUS MARCELL. l. 14. ſub fin. *Pandente viam fatorum ſorte triſtiſſimâ, quâ præſtitutum erat, eum* (Gallum) *vitâ & Imperio ſpoliari, itineribus interjectis per mutationem jumentorum emenſis, venit. Petobionem oppidum Noricorum: ubi reſeratæ ſunt inſidiarum latebræ omnes, & Barbatio repente apparuit comes, qui ſub eo domeſticis præfuit, cum Apodemio agente in rebus; milites ducens, quos beneficiis ſuis oppignoratos elegerat Imperator, certus, nec præmiis, nec miſeratione ullâ poſſe deflecti: Jamque non adumbratis fallaciis res agebatur: Sed quà palatium eſt extra muros, armatis omne circumſedit. Ingreſſúsque obſcuro jam die, ablatis regiis indumentis, Cæſarem tunicâ texit, & paludamento communi; eum poſt hæc nihil paſſurum, velut mandato Principis, jurandi crebritate confirmans: & ſtatim, inquit exſurge, & inopinum carpento privato impoſitum, ad Iſtriam duxit prope oppidum Polam; ubi quondam peremptum Conſtantini filium accepimus Criſpum. Et cum ibi ſervaretur arctiſſimè, terrore appropinquantis exitûs jam præſepultus, accurrit Euſebius cubili tunc præpoſitus, Pentadiúsque notarius & Mellobaudes armaturarum tribunus, Juſſu Imperatoris compulſuri eum ſigillatim docere, quam ob cauſam quemque apud Antiochiam necatorum juſſerat trucidari? Ad quæ Adraſteo pallore perfuſus hactenus voluit loqui, quod pleroſque incitante conjuge jugulaverit Conſtantinâ - - - quo comperto, irrevocabili irâ Princeps percitus & dolore, fiduciam omnem fundandæ ſecuritatis in eodem poſuit abolendo. Et miſſo Sereniano - - eum capitali ſupplicio deſtinavit: & ita colligatis manibus in modum noxii cujuſdam latronis cervice abſciſſâ, ereptâque vultûs & capitis dignitate cadaver eſt relictum informe, paulò ante urbibus, & Provinciis formidatum.*



(* 22.) *In Cod. Theod.* 16. t. 2. l. 11. Lex Conſtantii refertur Longiniano Ægypti præfecto inſcripta, quâ cavetur, ne quis moleſtus ſit Eccleſiaſticis Perſonis, aut eos ad

adjunxit his alia edicta, quibus, cùm Arii sectæ admodum faveret, salutem Præsulum Catholicorum pessimè afflixit. Non defuit denuò causæ suæ ultor Deus, qui ut antè sæpiùs; sic jam graviùs Constantii Regnum per intestinos, exterorúmque hostium motus castigare cœpit (m). Erat Imperatori Dux summâ fide obstrictus, ac ferè terror Barbarorum Sylvanus nomine (*23); ab hoc Dynamius quidam, quique jumenta Constantii tunc curabat (*24), literas pro sui commendatione petierat; Sylvanus, fraudis nihil suspicatus, testimonium homini exarat: at is perfidâ operâ, quidquid characterum fuerat, abradit, solo ejus, qui subscripserat, nomine relicto: dein ea substituit, quæ tantum Ducem conjurationis insimulare possent. Commentitia tabella Sylvani manu consignata ubi Constantio porrecta est, in viri Innocentissimi necem confestim intenditur. Audierat ista Sylvanus Coloniæ eo tempore, quo Constantii hostes ab Imperii finibus abigebat: indignatus primò integritati suæ convitium inferri;

Leges Constantii.

A. Æ. C. 355.

(m) Ammian. l. 15. c. 4. & 5.

Sylvanus cur Imperium sumpserit?

ad civilia servitia adigat. Alia eodem anno lex edita est & data ad Orfitum Romanæ urbis Præfectum, quæ statuit, ut is, qui viduam castimoniæ voto obstrictam raptu abduceret, eas daret pœnas, quas ii exsolverent, qui virginem Deo sacram rapiunt. GOTHEFREDUS existimat hanc legem latam esse in favorem S. Marcellæ celebris viduæ Romanæ, cui Cerealis vir Consularis insidiabatur; ùt habet HIERONYM. epist. 16. Anno 355. à Constantio quoque sancitum est, ne cui fas sit deinceps Uxoris sororem, aut fratrem Mariti ducere, ut habetur, Cod. Th. 3. t. 12. l. 2. Anno eodem lege quoque definitum est, ut causæ Episcoporum aliis Episcopis duntaxat judicandæ relinquantur, TILLEMONT existimat hujus legis sanctione non causas Ecclesiasticas, sed civiles comprehendi. Aliquorum porrò opinio est illam legem in favorem Episcoporum Arianorum datam fuisse, ut hâc ratione in Catholicos præsules majore cum potestate animadvertere possent; ùt patet ex Historia Eusebii Vercellensis.

(* 23.) AURELIUS VICTOR de Cæs. c. 42. *Sylvanus in Gallia natus barbaris Parentibus, ordine militiæ; simul à Magnentio ad Constantinum transgressus pedestre ad magisterium adolescentior meruerat*: AMMIAN. l. 15. c. 5. *Cùm diuturna incuria Galliæ cædes acerbas, rapinásque & incendia, barbaris licenter grassantibus, nullo juvante perferrent; Sylvanus pedestris militiæ Rector iratus & efficax ad hæc corrigenda, primùm ipsis supervenit &c.*

(* 24.) IDEM AMMIAN. l. c. *Actuarius Sarcinalium Principis jumentorum* (quem posteà Dynamium vocat) *commendatitias ab eo petierat ad amicos; ut quasi familiaris ejusdem esset notissimus. - - - Idem Dynamius inquietiùs agens, ut versutus & in fallendo exercitatus, fraudem comminiscitur impiam - - & peniculo seriè literarum abstersâ, solâ incolumi relicta subscriptione, alter multum à vero illo dissonans superscribitur textus: velut Sylvano rogante verbis obliquis, hortantéque amicos agentes intra Palatium, vel privatos (inter quos & Tuscus erat Albinus, aliique plures), ut se altiora cœptantem, & propediem solium Principis aditurum, juvarent.*

ferri, dein amore in odium converso palàm Purpuram induit (n). Intereà, dum illa ad aulam perferuntur, Sylvani innocentia, fraus Dynamii detegitur (* 25): sed quoniam arrogatio Imperii pro novo crimine accepta est; Constantius notâ Magnatibus arte, Ursicinum sibi cæteroquin invisum Ducem contra Sylvanum mittit, sive ut hunc perderet, sive ut ipse periret (* 26). Ursicinus fortissimum virum bello haud evertendum ratus, ingenio rem agendam suscipit: ac primò se Sylvano velut Principatûs ejus firmandi adjutorem ultrò sistit, dein opportunis horis milites ad Constantii fidem revocat; quo facto in Sylvani palatium seditiosi irruunt, fugientémque è Regia in Ecclesiam ferro trucidant (* 27), postquam octo supra viginti dies regnaverat. A cæteris Sylvani propinquis solita sævities cohibita est, eoquòd Constantius dixisset, Amicitiam criminis loco nequaquam haberi posse (o).

(n) Ammian. l. 15. c. 5.

Sylvani interitus.

(o) Julian. orat. 1. 2. p. 80.

10. Barbari submoto, quem unicum timuerant, Sylvano in Galliam fidentiùs remeant (p), expugnatísque quadraginta ad Rhenum oppidis, magnam vim hominum, spoliorúmque abigunt (* 28). Grassationibus tantò amplior locus erat, quantò plu-

(p) Ammian. l. 15. c. 8. Zosim. l. 3. p. 702.

(* 25.) BUCHERIUS in Belg. Rom. l. 10. c. 3. §. 3. ostendit, quàm strenuè causam hanc sui popularis Sylvani egerint apud Imperatorem, ne per Sylvanum Germanorum famæ macula aspergeretur: ubi etiam notat id ex Ammiani l. 15. c. 10. quanta tunc floruerit in Palatio Cæsaris Francorum multitudo: „certe præter hosce duos *Malarichum*, & *Mallobaudem*, nominat insuper Ammianus l. 14. 15. &c. *Bepponem* Promotorum ductorem; *Teutomerem* Protectorem Domesticum, Principisve stipatorem; *Bainobaudem* Scutariorum, Cornutorúmque Tribunum; *Seniaucum* Turmæ equestri præpositum &c.„ imò idem Author ait, elumbes tunc & ignavos Romanos fuisse, ut proinde Francis militia, & officia dignitatum committi debuerint.

(* 26.) AMMIAN. l. 15. c. 5. *Diligens opera navabatur, aut Sylvanum extingui ceu fortissimum perduellem: aut si secùs accidisset, Ursicinum exulceratum jam penitus aboleri; ne superesset scrupulus impendio formidandus.*

(* 27.) Idem l. c. *Firmato itaque negotio, per sequestres quosdam Gregarios, obscuritate ipsâ ad patrandum idoneos, præmiorum exspectatione accensos; solis ortu jam rutilo, subitus armatorum globus erumpit, atque ut solet in dubiis rebus audentior, cæsis custodibus Regiâ penetratâ, Sylvanum extractum ædiculâ, quò exanimatus confugerat, ad Conventiculum ritûs Christiani tendentem, densis gladiorum ictibus trucidant: ita Dux haud exilium meritorum hoc genere oppetiit mortis: metu calumniarum, quibus factione iniquorum irretitus est absens, ut tueri posset salutem, ad præsidia progressus extrema.* BUCHERIUS suspicatur eum Christianum fuisse, quia ad Christianorum Ecclesiam confugit.

(* 28.) JULIANUS Ath. p. 279. *Jam innumera Germanorum multitudo circum eversa*

plures regiones opitulatricem Imperatoris manum expetebant; nam & Quadi & Sarmatæ Pannoniam, Saporis autem Duces Orientis fines eodem tempore carpebant: tot negotiorum mole oppressus Constantius, Galliæ curam Juliano demandandam decernit (q). Natus is Constantinopoli anno CCCXXXI., eundem cum Gallo Patrem habuit Julium Constantium Constantini M. fratrem (r): aliam tamen Matrem Basilinam (*29). Ab his Parentibus brevem & deformem corporis molem (s), plus animi ac ingenii accepit (t); quas tamen dotes stulto propemodum agendi modo, & demum exitiali Apostasiæ vitio corrupit. Septimum agens ætatis annum sive eum, quo M. Constantinus obierat, in idem vitæ discrimen trahendus erat, cujus vi defuncti Cæsaris propinqui interibant; sed ob tenellam ætatem è medio carnificum piâ cujusdam viri manu (u) sublatus, obsequium posteà impiâ crudelitate pensavit. Mardonium Eunuchum primum sortitus Præceptorem eam sementem hausisse dicitur (x), quæ, cùm deinceps in crimina adolesceret, spem Institutoris non fefellit: Subinde à Constantio Eusebii Nicomediensis curæ traditus (y), illud præcipuè ab Arianorum signifero discere poterat, ut faciliùs divinitatem JEsu Christi abnegaret. Hoc iniquitatis Magistro mortuo anno CCCXLV. Julianus jam quatuordecim annorum Adolescens in Regiam arcem Cappadociæ cum fratre Gallo mittitur (z), illinc sub Nicocle Lacedæmone Grammatico, & Ecebolo Rhetore, literis eruditi (a), alios præcipuè Institutores audire jussi sunt, qui præcepta morum unà cum fidei Christianæ Mysteriis altè ingererent; nec Magisterio sublimi Julianus, utpote tyro rerum omnium capax defuit; quin modico tempore dogmata divina, sacrarúmque legum usum condocefactus, inter clericos minores in Ecclesia Lectoris munere palàm fungi cœpit (b), atque ut exem-

Julianus creatur Cæsar.

(q) Ammian. l. 15. c. 8.
(r) Amm. l. 14. p. 31.
(s) Idem l. 22. p. 226. Vict. Epit.
(t) Eutrop.
(u) Nazianz. or. 3.
(x) Jul. Misop. p. 80. Socrat. l. 3. c. 1.
(y) Baron. a. 337. §. 57. & 58.

Studia Juliani.

(z) Sozom. l. 5. c. 2.
(a) Socrat. l. 3. c. 1.
(b) Theod. l. 3. c. 1.

eversa per Gallias oppida commorabatur; quorum numerus oppidorum ad 45 pervenerat, Burgis & Castellis minoribus omissis. Agri verò, quem cis Rhenum obtinebant Barbari, tantum erat spatium, quantum à fontibus illius ad Oceanum usque porrigitur &c.

(*29.) AMMIANUS l. 25. Basilinam familiâ illustri ortam ait, filiam Juliani præfecti, & sororem alterius Juliani, qui fuit Comes Orientis, ut habet Libanius or. 12. ex Chrysostomo apud BARONIUM ad a. 337. §. 55. colligitur Christianam quidem extitisse; nam possessiones Ecclesiæ Ephesinæ donavit; sed non minùs addictam Ario, cujus proinde studio S. Eutropius Episcopus Andrinopolitanus pessimè habitus est, demum devincta propinquitate erat Eusebio Nicomediensi.

exempli quâdam specie notaretur, se pium non minùs virtute, quàm in dotandis Ecclesiis ac honorandâ Martyrum memoriâ liberalem ostendit (c). Anno CCCLI., quo Gallo dignitas Cæsaris obtigit, Julianus quoque ampliorem facultatem accepit, literas non in solitudine, ut antè: sed Constantinopoli veluti in luce prosequendi (d). Nondum paucos menses in hoc scientiarum theatro exegerat; tum tantus honos ejus ingenio habitus est, ut omnium sententiâ dignus Imperio censeretur (e). Opinio per urbem jam vagata Constantium permovit, ut candidatus ille invisus, quantocyus Constantinopoli in Asiam amandaretur (f), ubi extra aulæ conspectum regnandi spem abjiceret. Verùm longè aliter, ac Imperator existimaverat, evenit; Nicomediam quippe ingressus Julianus in pessimam Magorum turbam incidit, quorum ex auguriis ac præstigiis cùm firmiorem obtinendi Imperii fiduciam captaret; tanto idolomaniæ studio accensus est, ut ab ea die ejurare Christum: & si quando potitus rerum esset, idolis cultum reddere constitueret (g). Aberrantem firmiùs errori ac superstitioni innexuit Maximus, qui Ephesi Magorum Antesignanus Julianum exinde velut discipulum è nutu librabat suo (h). Ad hæc venena Juvenis hauriebat ex libris Libanii Sophistæ, quem superstitionum artificem quia metu Constantii adire non licebat; saltem ejus scripta sedulò privatus evolvit (i). Licentiâ hujusmodi dum Julianus utebatur, anno CCCLIV. intelligit, Galli fratris vitia ab Imperatore ultimo supplicio fuisse castigata: terror inde conceptus Juliano tantum cautionis ac providentiæ injecit, ut, quæ apertiùs aliàs egerat, tecto animo dissimulare conaretur; abreptus subinde in vincula, quasi conscius Galli scelerum (k), operâ Eusebiæ Augustæ id impetravit, ut Athenis mitiore in exilio philosophiæ studiis Regni cupidinem, cogitatúmque obrueret. Juliano optatius nil esse poterat, quàm relegari in eam urbem, ubi propior suo Maximo Institutori intra consuetudinem Magorum degeret: venerat in Græciam anno CCCLV. eodem tempore, quo Athenis eloquentiæ dedêre operam Gregorius Nazianzenus, & Basilius (l). Horum virorum famam cùm ex eorum virtute ac scientia suspiceret: neque is adhuc videri vellet, qualis erat; cum iisdem tum literas profanas tum sacrorum Codi-

(c) Idem. l. c.

(d) Eunap. c. 5.

(e) Socrat. l. 3. c. 1. p. 165.

(f) Liban. or. 5.

(g) Sozom. l. 5. c. 2. Liban. or. 5. p. 175.

(h) Eunap. c. 5. 6. Sozom. p. 595.

(i) Eunap. c. 14.

(k) Julian. ad Ath. p. 501. 502. & 503.

(l) Nazianz. p. 132. Basil. epist. 207. & 208.

Codicum lectionem frequentavit: ſimulata agendi ratio etſi multos; non tamen Gregorium decepit, qui ab exteriore corporis habitu, interiora quæque hominis metiebatur: peſſima itaque ſigna videbantur „ Colli crebræ converſiones, humeri alternis ſubſultantes, oculi torvi, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes inſtabiles, crebræ geniculationes. Naſus contumeliam, & contemptum ſpirans, figura vultûs deriſionem ſignificans quoquo modo variabatur. Riſus crebri altùm crepantes; nutus, renutus ſine ſermone: ſermo interruptus non complens ſententiam: interrogationes crebræ, confuſaneæ, & ſtultæ, reſponſiones inconcinnæ, coacervatæ, inter ſe diſſidentes & ſine ordine: „ talium geſticulationum formas igitur contemplatus Gregorius in hanc demum vocem coram ſodalibus erupit: Quantum, & quale malum Romanum alit Imperium (m)! Ac profectò hic idem annus fuerat, qui Julianum ſimul Athenis exulem, ſimúlque Cæſarem, ad orbis Chriſtiani exitium vidit: exagitatus undique Conſtantius ab hoſtibus, quia ex propinquis nemo ſupererat, cum quo curas divideret; Julianum Athenienſi ex urbe, inſtigante Euſebiâ conjuge: at refragantibus aliis Mediolanum revocat; veſtitúmque purpurâ ac Helenæ ſorori junctum Galliæ præficit (*30). Inſtabili Juvenis ingenio diffiſi Primores id ſaltem Conſtantio perſuaſêre, ut præter comites, teſtéſque actionum Marcellum peritum Ducem adjungeret, qui præcipitem Juliani animum moderaretur (n).

Prognoſis ex moribus Juliani.

(m) Naz. or. 4. p. 121. 122.

A. Æ. C. 355.

(n) Ammian. l. 16. Jul. ad Ath. p. 277.

II. Cir-

(* 30.) IDEM l. 15. c. 8. *Æſtuabat diu* (Conſtantius) *quâ vi propulſaret ærumnas. Ipſe in Italia reſidens, ut cupiebat; periculoſum enim exiſtimabat ſe in partem contrudere longè dimotam: reperit tandem conſilium rectum. Julianum Patruelem fratrem haud ita dudum ab Achaja accitum, etiam tum palliatum in ſocietatem Imperii adſciſcere cogitavit. Id ubi urgente malorum impendentium mole, confeſſus eſt proximis, ſuccumbere ſe tot neceſſitatibus, támque crebris unum ſe (quod nunquam fecerat) apertè demonſtrans; illi in adſentationem nimiam eruditi infatuabant hominem, nibil ita aſperum eſſe dictitantes, quod præpotens ejus virtus, fortunáque tam vicina ſideribus, non ſuperaret ex more. Addebántque, deinceps caveri debere Cæſaris nomen, replicantes geſta ſub Gallo. His opponebat ſe Regina* (Euſebia) *incertum, migrationem ad longinqua pertimeſcens, an pro nativa prudentia conſulens in commune, omnibúſque memorans anteponi debere propinquum. Poſt multas ergo deliberationes, placuit Julianum adſumere. - - Dein diebus paucis, Helenâ Virgine Conſtantii ſorore, eidem Cæſari conjugali fœdere copulatâ, paratiſque univerſis, quæ maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu parvo ſuſcepto* (militum nempe 360.) *Kalendis Decembris egreſſus eſt.*

A. Æ. C. 356. (o) Ammian. l. 15. c. 8.

11. Circa annum CCCLVI. Julianus Cæſar Viennam Galliæ tendens, Tauruni audit à Germanis captam eſſe Coloniam Agrippinam (o); itaque collecto exercitu Decempagos profectus in ſuperiore Germania ingentem Alemannorum turbam offendit, qui exuſtis vel deſtructis munimentis (*31) palantium more per agros vagabantur: cum Alemannis commiſſo prælio Brocomagum Cæſar recepit: poſteà è prima Germania in inferiorem per deſerta loca, (nullam enim per eos tractus præter pauca caſtella civitatem Franci reliquerant) eluctatus, Coloniam è Barbarorum manibus extorſit (*32). Eodem tempore Conſtantius in Rhætia cæſis vel captis hoſtium Regibus tantisper pacem reddidit (p), quâ utcunque ſtabilitâ Imperator anno ſequente Romam primò venit de Magnentio triumphaturus (q). Ad urbis, quam nunquam antè viderat, Magnificentiam attonitus, id maximè doluit, quod ſuperſtitio Ethnicorum in famoſa ara Victoriæ ſeſe Romæ adhuc jactitaret: hoc igitur Gentilitatis monumento è curia ſublato, nova in urbe ædificare ornamenta laborabat; inter quæ eminebat ille obeliſcus, quem in magno Circo erectum Dei honoribus conſecravit (*33). Plura molientem Imperatorem ex Italia evo-

(p) Ammian. l. 16. p. 77.

A. Æ. C. 357.

Conſtantius Romam triumphans ingreditur.

(q) Idem. p. 69. 72.

(* 31.) IDEM l. 6. c. 2. *Audiens igitur Argentoratum, Brocomagum* (urbem Argentorato & Hagenoæ mediam) *Tabernas, Saliſonem* (oppidum inter Bingium & Bodobrigam) *Nemetas, & Vangiones, & Moguntiacum civitates barbaros poſſidentes, territoria earum habitare; (nam ipſa oppida, ut circumdata retiis buſta declinant) primam omnium Brocomagum occupavit: eique jam adventanti Germanorum manus pugnam intentans occurrit. Cúmque in bicornem figuram acie divisâ, collato pede res agi cœpiſſet, exitióque hoſtes urgerentur ancipiti, captis nonnullis, aliis in ipſo prælii fervore truncatis, reſidui diſceſſere celeritatis præſidio tecti.*

(* 32.) IDEM l. 16. c. 3. *Nullo itaque poſthac repugnante ad recuperandam placuit ire Agrippinam, ante Cæſaris in Gallias adventum exciſam: per quos tractus nec civitas ulla viſitur, nèc caſtellum: niſi quod apud Confluentes locum ita cognominatum, ubi amnis Moſella confunditur Rheno, Rigomagum oppidum eſt: & una prope ipſam Coloniam turris. - - - Igitur Agrippinam ingreſſus, non ante motus eſt exinde; quàm Francorum regibus furore miteſcente perterritis, pacem firmaret, reipublicæ interim profuturam, & urbem reciperet munitiſſimam.* Per hanc urbem ultimam intelligit Tillemont V. Conſtantii art. 29. Treviros, aut Caput Tungrorum, quamvis ex Marcellino colligatur eodem tempore Tungros fuiſſe penitus devaſtatos.

(* 33. IDEM c. 17. *Proinde Romam ingreſſus* (Conſtantius) *Imperii, virtutúmque omnium larem; cúm veniſſet ad Roſtra, perſpectiſſimum priſcæ potentiæ forum obſtupuit. Pérque omne latus, quò ſe oculi contuliſſent, miraculorum denſitate præſtrictus & ſæpe cùm equeſtres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec ſuperbè nec à libertate coalita deſciſcentis; reverenter modum ipſe quoque debitum ſervans* (Bucherius B Rom

evocant hostium in varias Provincias irruentium arma; nam Rhætiam Suevi, Valeriam Quadi, Pannoniam inferiorem, & superiorem Mœsiam Sarmatæ vexabant (r): præsentia Constantii effecit, ut grassatores brevi recederent (s). Verum Juliano intereà diuturnum magis bellum cum Alemannis fuit: consederat is pro castris in agro Rauracorum cum tredecim millibus armatorum, atque ut Barbari interciperentur; alterâ ex parte adversus eos ducebat Dux Romanus Barbation viginti quinque millia peditum: Alemanni in arctum coacti inter utriusque exercitûs castra dilapsi Lugdunum invadunt. Quâ re cognitâ Julianus quamprimum itineribus omnibus ingenti militum manu occupatis, maximam eorum partem oppressit (t). Qui cædem evaserant, unà cum reliquis Barbaris vias arbustis ac saxis obsepsêre, ne ad insulas Rheni, in quas se receperant, hostis sequeretur. Julianus proinde à Barbatione naves expetiit, ut quia terrâ non posset, aquâ, navigiisque ad Barbaros deduceretur. Verum Barbation dudum Juliani gloriæ invidens, hæc novorum triumphorum instrumenta negabat: aliunde itaque consilium desumptum est; viderat nempe Julianus attenuatam calore æstivo Rheni altitudinem, vadúmque pedibus alicubi, vel facili natatu superari posse: è vestigio igitur fortissimi quique mittuntur, qui ad insulas transgressi, Barbaros incolas ex his latibulis protinus ejecerunt: parti Rheni citeriori liberatâ Julianus tres Tabernas in Alsatia ad radices Vogesi restau-

(r) Ammian. l. 16. c. 10.; (s) Idem c. 12.

A. Æ. C. 357.

(t) Ammian. l. 16. c. 11.

Juliani contra Alemannos Bellum & Victoria.

Rom. l. 10. c. 7. §. 3. notat ex Theodoreto, quod in iis Circensibus Ludis Constantius lectâ supplicatione Romanarum matronarum, se Liberium Papam revocare edixerit; unde populus lætior, clamavit primùm æquam Imperatoris esse sententiam, mox rursum omnes uno ore, unus Deus, unus Christus, unus Episcopus conclamârunt) - - - *cùm ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cælo structuram, ut opinamur, etiam Numinum assensione, mirabilem, hærebat attonitus - - omni itaque spe hujusmodi quicquam conandi depulsâ; Trajani equum solum, locatum in atrii medio, qui ipsum Principem vehit, imitari se velle dicebat & posse. Cui prope adstans Regalis Hormisda, cujus è Perside discessum supra monstravimus, respondit gestu gentili: Antè, inquit, Imperator, stabulum tale condi jubeto, si vales, equus, quem fabricare disponis, ita late succedat, ut iste, quem videmus. Is ipse interrogatus, quid de Roma sentiret? id tantùm sibi placuisse, ajebat. Quod didicisset ibi quoque homines mori. - - - Deliberansque diu quid ageret* (Constantius)? *urbis addere statuit ornamentis, ut in proximo Circo erigeret Obeliscum.* Quem paulo post Alexandriâ navi advectum erexit: Sixtus autem V. Pontifex jacentem & fractum post annos 1230. restituit, & ante S. Joannis in Laterano Basilicam anno Christi 1588. Pontificatûs sui anno quarto transtulit, ubi adhuc hodie visitur. ita Bucherius l. c. §. 4.

restaurat, nequa deinceps via iis ad Galliam foret (*34). Expeditiones ejusmodi tam faustæ stimulabant animum Barbationis; atque ut pari rerum gestarum famâ se insigniorem redderet, ponte juncto Rhenum transmittere cogitat (u): opere absoluto Barbari grandes contrà lignorum, saxorúmque moles injiciunt, nexúmque pontis jactato pondere discerpunt. Hoc præsidio destructo, Barbation cum suis ad fugam compellitur (y); jámque auctis animis secuti Chnodomarius, sexque alii Reges Alemannorum, Rheno trajecto prope Argentoratum castra defigunt (35). Julianus (quantumvis Barbation abesset) tanto exercitui se unum opponit, atque ope Cornutorum & Braccatorum, quibus se junxerunt Batavi, Victor fuit. Ceciderunt è Barbaris sex mille (*36): plerósque fugientium hausit Rhenus: Chnodomarius Rex post gestas strenui Ducis ac militis vices, in potestatem Victoris vivus venit

(u) Liban. or. 12.

(y) Ammian. l. 16. c. 1.

(* 34.) BUCHERIUS in Belg. Rom. l. 10. c. 13. §. 4. de *Tabernis* notat: „Hoc ipse Julianus ad S. P. Q. Atheniensem, Argentorato vicinum castellum dicit ad Vogesi radices; unde nullâ ratione possunt hìc intelligi Tabernæ Rhenanæ (quod sciscit Cluverius l. 2. Germ. c. 12.) sed Alsaticæ, quo sic Germani ab Galliarum intimis arcerentur. Neque enim ad Rhenum adhuc pervenerat Julianus.

(* 35.) AMMIAN. l. 16. c. 12. *Ductabant autem populos omnes pugnaces, & sævos Chnodomarius & Serapio, potestate excelsiores ante alios Reges, & Chnodomarius quidem nefarius belli totius incentor, cujus vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrum, audax & fidens ingenti robore lacertorum, ubi ardor prælii sperabatur immanis, equo spumante sublimior, erectus in jaculum formidandæ vastitatis, armorúmque nitore conspicuus, anteà strenuus & miles, & utilis præter cæteros Ductor. Latus verò dextrum Serapio agebat etiam tum adultæ lanuginis juvenis, efficaciâ præcurrens ætatem: Mederichi fratris Chnodomarii filius, hominis, quoad vixerat, perfidissimi: ideo sic appellatus quod Pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis, doctúsque græca quædam arcana, hunc filium suum Agenarichum genitali vocabulo dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque, regalésque decem, & Optimatum series magna, armatorùmque millia triginta, & quinque, ex variis nationibus partim mercede, partim pacto vicissitudinis reddendæ quæsita.* MASCOVIUS l. 6. de reb. Gestis Germ p. 249. notat obs. 3. Reges quandoque dictos Germaniæ Magnates non à terrarum possessarum magnitudine, sed vel ab eo, quod nulli alteri subderentur: vel à stemmate regali, à quo orti erant; unde Alemannis & Francis KUNING & CHUNING nomina Prosapiæ & honoris, non verò semper potestatis tituli erant.

(* 36.) AMMIAN. l. 16. c. 12. *Ceciderunt in hac pugna Romani quidem 243. Rectores quatuor, Bainobaudes Francus, Cornutorum Tribunus, adæquè Leipso, & Innocentius Cataphractos ducens, & vacans quidam Tribunus, cujus non suppetit nomen. Ex Alemannis verò sex millia corporum numerata sunt in campo constrata & inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.* - - BUCHERIUS hìc l. 10. c. 13. §. 6. Zosimum mendacii arguit, cùm pro sex. 60. millia hominum deleta scribit, totidemque millia Rheno hausta, ausus comparare hanc Victoriam cum victoria Alexandri de Dario.

venit (*37). Libertatem Galliæ etsi hâc victoriâ Julianus pepeRisset; plura tamen subinde ausus, ad Moguntiacum conjuncto ponte Rhenum trajicit: posteà cædibus ac incendiis utramque Mœni ripam depopulatus, Castello, quod à Trajano exstructum Alemanni everterant (*38), refecto Parisios abiit, ibidem hyemem exacturus.

12. Dum bellum hujusmodi fervebat in Germania, Sirmii Constantius pacis consilia cum Persis agitat (*39): Musonio Orientis Præfecto in mandatis positum fuerat, ut cum Sapore de conditionibus transigeret (z): Rex Persarum quia rogatus, non aliis legibus fœdus, pacémque vendebat, quàm ut eæ regiones, quæ Narseti avo à Romanis ereptæ fuissent, scilicet Mesopotamia & Armenia redderentur: modus hic restituendæ tran- A. Æ. C. 358.

(z) Ammian. l. 16.

 quil-

(* 37.) IDEM l.c. *Rex Chnodomarius repertâ copiâ discedendi, lapsus per funerum strues, cum satellitibus paucis celeritate rapidâ properabat ad castra, quæ prope Tribunos, & Concordiam, munimenta Romana fixit intrepidus, ut adscensis navigiis, dudum paratis ad casus ancipites, in secretis se secessibus amandaret. Et quia nonnisi Rheno transito ad tentoria sua poterat pervenire; vultum ne agnosceretur, operiens, sensim retulit pedem. Cúmque propinquaret jam ripis, lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens, ut transiret, calcatâ mollitie glutinosâ equo est evolutus: & confestim, licèt obeso corpore gravior ad subsidium vicini collis evasit: quem agnitum (nec enim potuit celare, qui fuerat, fortunæ prioris magnitudine proditus) statim anhelo cursu cohors cum tribuno secuta, armis circumdatum aggerem nemorosum cautiùs obsidebat, perrumpere verita, ne fraude latenti inter ramorum tenebras exciperetur occultas. Quibus visis compulsus ad ultimos metus ultro se dedit, solus egressus: comitésque ejus ducenti numero, & tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos - - - & ut augeret eventûs secundi lætitiam, concilio* (Julianus) *Chnodomarium jussit sibi offerri: qui primò curvatus, deinde humi suppliciter fusus, Gentilique prece veniam poscens, bono animo esse est jussus. Et diebus postea paucis ductus ad comitatum Imperatoris, missúsque exinde Romam in castris peregrinis, quæ in monte sunt Cœlio, morbo Veterni consumptus est.*

(* 38.) AMMIAN. 17. c. 1. *Et dum nullus obsisteret, munimentum, quod in Alemannorum solo conditum Trajanus suo nomine voluit appellari, dudum violentiùs oppugnatum, tumultuario studio reparatum est: locatisque ibi pro tempore defensoribus, ex Barbarorum visceribus alimenta congesta sunt. Quæ illi maturata ad suam perniciem contemplantes, metúque rei peractæ velociter congregati, precibus, & humilitate supremâ petière missis oratoribus pacem, - - -* Per Monumentum Trajani juxta BAUDRAN. Geograph. p. 327. intelligitur *Cronburgum*, vel *Cassellæ*, aut ut LINDENBROGIUS voluit, *Colonia Trajana.* Cæterùm in eadem expeditione Julianus sylvam Hercyniam, transiit, quam alii ad inferiorem Rhenum, alia in Hassia indagant, (ubi & Julio Cæsari victori metæ positæ sunt.)

(* 39.) BUCHERIUS in B. R. l. 10. c. 7. §. 6. in Illyricum Româ digressus Constantius, Sirmii in Pannonia inferiore ad annum Christo 359. plusquam biennio hæsit: *ne-*

(a) Idem l. 17. Zonaras p. 17

Constantii varia bella.

quillitatis durior visus est, quàm ut Imperatori probaretur (a); quare legationum negotio tardari belli initia debuerunt, dum Alemannis arma excuterentur. Ac Barbation quidem hoc tempore cæsis Rhætis maculam illam eluit, quam probrosâ fugâ ante annum contraxerat (b): Constantius ad Danubum Quados supplices pro pace habuit (c): Sarmatæ â servis suis, qui Limigantes dicti sunt (*40), sedibus suis ejecti Imperatoris operâ Patriam, domósque recepêre (d). Non minùs in inferiore Germania Julianus victricia arma circumtulit; confectâ quippe Parisiis hyeme, primo assultu appetiit Salios, Francorum gentem (*41), ausam

(b) Ammian. l. 17. c. 6.

(c) Idem c. 12.

(d) Idem l. c.

neque tantùm de Persarum fœdere, sed & de fide ibi multa peracta sunt. nam *Bucherius* pergit; ubi non pauca contra fidem Catholicam & contra nonnullos Episcopos orthodoxos molitus est. Ac primùm agentibus maximè Ursacio, Valente & Germinio Episcopis Arianis, novam adhuc fidei formulam, quæ secunda Sirmiensis appellatur, procudi permisit, latino primùm Sermone, testibus Athanasio, Hilario & Socrate, qui eam describunt. &c.

(* 40. BUHNAVIUS l. 2. P. 2. pag. 432. ex Valesio notat, servos Sarmatarum ideò *Limigantes* dictos, quia iis à Sarmatis limitum custodia demandata fuerat. Quâ ratione à servorum jugo vindicatis impositus sit Rex Sarmatici sanguinis, Zizais nomine describit VICTOR in Cæs. c. 43. *Genti Sarmatorum, magno decore confidens apud eos Regem dedit.* videatur AMMIAN. l. 17. c. 12. & 13. Constantius servos rebelles à Dravi, Danubiique ripis aliò transferre cogitabat, invitabátque ad castra sua, ut de fœdere, & pacis conditionibus transigi posset: sed *Limigantes*, cùm à suis sedibus avelli nollent; magnâ copiâ in Castris Cæsaris eo animo comparent, ut sub specie precum Imperatorem trucidarent. Sic enim AMMIANUS l. 19. c. 11. *Quæ Limigantes licèt properari sentirent; nihil tamen præter preces fingentes stabant incurvi: longè alia, quàm, quæ gesta præferebant, & verbis, altis mentibus perpensantes. Visóque Imperatore ex alto suggesta jam sermonem parante lenissimum, meditantéque alloqui velut morigeros jam futuros: quidam ex illis furore percitus truci, calceo suo in tribunal contorto,* MARHA, MARHA, *quod est apud eos signum bellicum, exclamavit, eúmque secuta incondita multitudo, vexillo elato repentè barbarico, ululans ferum, in ipsum principem ferebatur.* Pergit hic Author recensere, uti exercitus injuriam Imperatori à Limigantibus illatam ultus sit, cædendo cunctos eorum; à quo tempore, advertente *Mascovio* ait de Limigantibus in Historia nil porrò speciale occurrit.

(* 41.) BUCHERIUS B. Rom. l. 6. c. 13. §. 5. *Francos* ex variis populis coaluisse ait, puta, *Frisiis Sicambris, Usipiis, Tenchteris, SALIIS, Hattuariis, Chamavis, Bructeris.* Cæterùm ut idem author l. 10. c. 9. §. 3. docet Salios, ad Lacum Zuyderzee, Isalámque fluvium habitâsse; hos cum Frisiis Bataviam sibi contiguam semper impetiisse ac irrupisse in Belgium, ita ut jampridem in Toxandria (hodie in Brabantiæ Kempinia *Tesenderloo*) habitacula sibi fixerint. *Saliorum* nomen si spectes, id quidam à Curia vel Palatio deducentes, Francos omnes *Salios* dictos existimant; sed Historiæ decursus ostendit Francorum certæ duntaxat nationi nomen illud proprium fuisse, Alii à *Salland*, quod paludibus interfusam terram significat, dictos opinantur, ut vult MENSO ALTINGIUS &c. Iidem Salii posteà numerati sunt inter *auxilia Palatina* in Notit. Imper. p. 1699. *Cohors VII. Francorum*, ubi etiam nominantur, *Batavi, Brutteri, Tubantes, Salii &c.*

ausam jampridem in Romano solo apud Toxandriam sibi domicilia figere: in Tungros eadem Procella mitiùs; verùm in Chamavos graviùs (*42), denique in Alemannos quosvis trans Rhenum pessimè detonuit (*43). Anno sequente Julianus granaria Galliæ refecit, urbésque dirutas, Bonnam scilicet, Novesium, Antennacum, Bingium subjecit suæ potestati (e). Posteà aliquantisper Moguntiaci moratus, per pontem ibidem in Germanorum terras excurrere decreverat: sed Suomarii fœdus, quod is cum Romanis foverat, Julianum permovit; ut aliunde in Germaniam veheretur (f): ferro ac flammâ igitur Alemannos insecutus ad Burgundiorum fines demum subsedit, atque cum Alemannorum Regulis pace factâ (*44), Parisios ovans ad hyberna regressus est (*45). Necdum Germania à tumultibus hujusmodi con-

A. Æ. C. 359.

(e) Ammian. l. 18. c. 1. 2. Liban. or. 12.

(f) Amm. l. c. c. 2.

(* 42.) BUCHERIUS l. 10. c. 9. §. 6. Eum soli Transrhenani tractum *Chamavi* tunc incolebant, per quem nunc fere comitatus Markensis totus, confinésque aliquot ad Rhenum è Bergensi, Cliviensique Ducatibus urbes à Dusseldorpio ferè Wessaliam usque non procul à Bataviæ Insulæ capite porriguntur. Bellum contra Chamavos describit AMMIANUS l. 17. c. 8., item EUNAPIUS in excerptis, ac ZOSIMUS l. 3. c. 6. & 7. sed valdè imperitè, quia hic Græcus scriptor de occidentalibus rebus parvam notitiam habuisse videtur, ut advertit MASCOVIUS l. 6. p. 257. n. 5.

(* 43.) BUCHERIUS l. 17. c. 10. Juliani expeditionem contra Alemannos describens, meminit præcipuè Suomarii & Hortarii, qui Alemanniæ Reges pacem orârunt, ac impetrârant eâ lege, ut captivos Romanos, quorum 20000. millia in potestatem redegerant, redderent, & ad reparandas limitaneas urbes operas conferrent.

(* 44.) E Regibus Germanorum, cum quibus pacem feriit Julianus, fuêre ii, qui Argentoratensi prælio interfuêre, scilicet Macrianus, & Hariobaudus, item Urius, Ursicinus & Vestralpus, quibus accessit Vadomarius Rex in agris Rauracorum; ut videre est apud AMMIANUM l. 18. c. 2. & apud EUNAPIUM p. 17. de loco pacis initæ ita pergit AMMIANUS: *Cum ventum fuisset ad Regionem, cui* CAPELLATII *vel* PALAS *nomen est; ubi terminales lapides Alemannorum, & Burgundiorum confinia distinguebant, castra sunt posita: eapropter, ut Macrianus, & Hariobaudus Germani fratres & Reges susciperentur impavidi: qui propinquare sibi perniciem sentientes, venerant pacem precaturi.* Regio Cappellatium vel Palas (ut opinatur BUCHERIUS) is terræ tractus est, qui inter Fuldam & Sylvam *Spessart* jacet; nam tunc Burgundi Mœno finitima obtinebant à Bohemia occidua ad istam usque Sylvam *Spessart*. Macrianus autem, & Hariobaudus fratres inter fluvios Lonam ac Mænum regnabant, circa Veteraviam, in Hanoviensi, Nassoviensi, finitimísque comitatibus hodiernis. CLUVERIUS verò Germ. l. 3. c. 36. putat illud Capellatium seu Palas idem esse, ac Palans sive locus judicii, quod nomen posteà transiit in vocem Palz & Pfaltz, cui tamen opinioni BUHNAVIUS p. 439. contradicit, quod credibile non sit tempore Ammiani Palatinos aut Palansgravionatus in Germania fuisse.

(* 45.) JULIANUS Epist. ad S. P. Q. Atheniens. p. 514. de suis quatuor annorum in Germania expeditionibus ita scribit: *Longum est singula percensere, quæ quatuor annis*

conquieverat; tum Saporis Regis Persarum per Orientem infestior jam vis Constantio incubuit. Antoninus quidam transfuga (anteà Constantii Protector) id hosti nempe dederat consilium: vellet distractam tunc ab Alemannis Romanorum potentiam aggredi, quàm post leges pacis cum Germanis initas, totum legionum robur experiri (g): Ursicino (aliàs Persarum terrore) submoto, præfecturam gerere Sabinianum hominem desidem & à nimio senio languentem; cui, quot vellet victorias, eripere facile foret. Hæc quàm perfidè à proditore Saporis auribus ingerebantur, tam grata Persarum Principi accidêre. Continuò itaque hostilis exercitus peragratâ Mesopotamiâ ad ripas Euphratis constitit: sed quia fluvius videbatur ob machinas, sudésque præstructas inaccessus; mutato itinere Amidæ fortissimi Castelli obsidio suscepta est: tres menses ad urbem pertinax adhæsit Sapor, & tandem expugnavit majore tamen clade, quam victoriæ famâ; amisso quippe Grambato filio, ac triginta suorum millibus in Persiam se tantisper recipere cogebatur, dum reparatis viribus sequente anno cœptorum cursum prosequeretur (h).

(g) Ammian. l. 18. p. 120-123.

Bellum Persarum contra Constantium ingravescit.

(h) Idem l. 19. & l. 20.

A. Æ. C. 360.

13. Constantio ubi de Amidæ, aliarúmque arcium jacturâ nunciatum est; eò curas omnes convertit, ut, ex queiscunque posset Provinciis, copias congereret: direxerat tamen Decentium præcipuè in Galliam, deducturum inde trecentos viros fortissimos ex singulis legionibus, tum Hollandorum, Britannorúmque confœderatos milites (i). Duplici malo unâ ratione hâc prospectum iri Imperator censuit, ne scilicet Juliani viribus aucti fortuna latiùs, ac Constantius vellet, proveheretur, dein ut idem Cæsar robore militum exutus nova moliendi animum abjiceret eo tempore, quo arma per Orientem fervebant. Julianus de Imperatoris mente certior, palàm querebatur se vel irâ Augusti vel Barbarorum manu interiturum (k); ab his quidem, si Gallia exercitu destituta unà cum Cæsare rebellium furori relinqueretur: ab illâ au-

(i) Ammian. l. 20. c. 5.

Constantius à Juliano copias deposcit.

(k) Julian. ad Ath. p. 519 Liban. or. 12. p. 283.

annis à me gesta. Horum summa ista capita sunt: ter, cùm adhuc Cæsar essem, Rhenum trajeci. Viginti captivorum millia à Transrhenanis Barbaris repetii. Ex duobus præliis, & unâ obsidione, mille homines in potestatem accepi, nec eos ætate confectos; sed juvenes. Quatuor lectissimorum Peditum numeros, tres nihilo inferiorum Equitum, scholas duas honoratissimas ad Constantium misi. Oppida cepi, nunc quidem omnia, tum verò paulo minus 40. potitus fueram.

autem, si dura quævis Imperanti Constantio morem gerere recusaret; adhæc Decentio testabatur, periculi plenum opus esse, in ultimas Orientis oras evocare agmina confœderatorum, qui operam militarem ultra Alpes nunquam condixissent: facturum se nihilominus, ut mandata Imperatoris legionibus injungeret. Vix ista audita sunt; jam ingens civium clamor cooritur, instare inermi Galliæ Barbarorum ferrum: atque ut tumultus tantò validiùs serperet; schedis querelarum contra Constantium plenis militum quivis in seditionem pelliciebatur (l). Rebus ad nutum Juliani fluentibus dies legionibus dicitur, quâ Parisiis accepto ultimo à Cæsare osculo in Orientem discederent. Tum enimverò percrebrescere voces civium, militúmque: rogabant hi, ne Galliam desererent; illi ne desererentur. Julianus quasi utrorumque vota exstimulaturus reponebat: penes se non stare, ut acerbis Augusti mandatis contrairetur: id quod sui duntaxat esset officii; se militem cum summâ honoris significatione dimissurum. Eæ voces ubi castra pervaserant; sub vesperam fit ad palatium concursatio, Julianum Augustum proclamantium. Quantumcunque hæc Regni avido Cæsari placerent; obserari tamen ad speciem fores jubet, ne conscius, aut particeps tumultûs videretur (*46): in-

(l) Julian. l. c. Zosim. l. 3. p. 710.

A. Æ. C. 360.

Julianus Augustus Parisiis salutatur.

(* 46.) ZOSIMUS, LIBANIUS & præcipuè AMMIANUS l. 20. persuadere conantur, quasi Julianus invitus susceperit Imperium, postremus enim ita scribit: *Nocte verò cæptante, in apertum* (milites) *erupêre dissid.um: incitatisque animis, ut quémque insperata res adflictabat, ad tela convertuntur & manus; fremitúque ingenti omnes petivêre palatium, & spatiis ejus ambitis, ne ad evadendi copiam quisquam perveniret; Augustum Julianum horrendis clamoribus concrepabant; eum ad se prodire destinatius adigentes. Exspectaréque coacti, dum lux promicaret, tamen progredi compulerunt Quo viso, iteratâ magnitudine soni, Augustum appellavêre consensione firmissimâ. Et ille mente fundatâ universis resistebat, & singulis; nunc indignari semet ostendens, nunc manus tendens, orans & obsecrans, ne post multas, felicissimásque Victorias agatur aliquid indecorum. - - - conclamabatur post hæc ex omni parte nihilominus, uno, parique ardore nitentibus universis; maximóque contentionis fragore, probro, & convitiis mixto, Cæsar assentire coactus est.* JULIANUS in Misopogone & in Epistola ad S. P. Q. Atheniensem profitetur, nolentem se, reluctantem, & ab exercitu coactum Imperium suscepisse; ne scilicet GENII sui favorem, & tutelam amitteret, de hoc enim Genio memorat AMMIANUS l. 20. c. 18. *Nocte verò, quæ declarationis Augustæ præcesserat diem, junctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum, ùt formari Genius publicus solet, hæc objurgando dixisse: olim Juliane vestibulum ædium tuarum observo latenter, augere gestiens tuam dignitatem, & aliquoties tanquam repudiatus abscessi. Sed si ne nunc quidem recipior, sententiâ concordante multorum, ibo dimissus & mæstus.*

inſtat itaque pertinax miles; & effractis poſtridiè portis, Juliano è Regia extracto (cùm diadema non eſſet ad manus) torques à Mauro quodam acceptus injicitur coronæ loco: dein in ſcutum ſublatus, Imperium, quod adhuc ſe faſtidire ſimulabat, prehendere cogitur (*47). Decentius Legatus è turbulenta hac procella ſe actutum proripiens, ad Conſtantium triſti cum nuncio remeat (m). Miſerat quoque Julianus Eutherum & Pentadium, quorum uterque vel à cubiculis vel ab officiis Cæſaris erat: Hi celerato itinere Decentium ſequebantur; ut, quod iſte acerbiùs de Galliarum mutatione Conſtantio pertuliſſet, artificio quodam emollirent (*48).

(m) Ammian. l. 20. p. 167.

Legatio Juliani ad Conſtantium.

14. Dum Legati in Orientem contendunt; Sapor in Meſopotamia majore cum exercitu redintegraverat bellum: Conſtantius, qui ad hoc tempus Conſtantinopoli perſtiterat, hoſti obviam moturus, Cæſaream Cappadociæ venit; quo minus pergeret, tum De-

Sed quantumcunque hæc ſpecioſè ab Juliani ſtudioſiſſimis Hiſtoricis dicantur; GREGORIUS tamen NAZIANZENUS or. 3. p. 58. & 67. & PHILOSTORGIUS l. 6. c. 5. confirmant, à Juliano per ſeditionem, ac atrocem licentiam arreptum eſſe Imperium: ejusdem ambitûs Julianum arguunt THEODORETUS l. 2. c. 28. SOZOMENUS l. 5. c. 1, & clariſſimè quidem ZONARAS p. 18.

(* 47.) Modum, quo Julianus coronatus eſt in Auguſtum, refert AMMIANUS l. 20. c. 4. *Impoſitúsque ſcuto pedeſtri, & ſublatiùs eminens, nullo ſilente Auguſtus renunciatus, jubebatur diadema proferre; negánsque unquam habuiſſe, Uxoris colli & capitis poſcebatur. Eoque adfirmante, primis auſpiciis non congruere aptari muliebri mundo: Equi Phalera quærebatur; uti coronatus ſpeciem ſaltem obſcuram ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cùm id quoque turpe eſſe aſſeveraret; Maurus nomine quidam, poſteà Comes, qui rem malè geſſit apud Succorum anguſtias, petulantium tunc haſtatus, abſtractum ſibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani impoſuit confidenter.* ZOSIMUS l. 3. c. 10. *Sublimen in ſcutum quoddam elatum, Imperatorem Auguſtum appellant, & diadema capiti ejus imponunt.*

(* 48.) ZONARAS T. III. p. 18. *Tum ille Pentadium magiſtrum Imperatoriarum Legionum cum aliis ad Conſtantium mittit, additis literis, quibus ſe purgabat, quod Imperii titulum non ſpontè admiſiſſet, ſed à militibus coactus, qui non ſub Cæſare, ſed ſub Imperatore militare vellent; quò digna ſuis laboribus operæ precia flagitare poſſint. Petere, ut Imperii communionem ex uſu reipublicæ futuram æquo animo pateretur, polliceri ſe curſores equos de more ex Hiſpania, & delectos è Galliis viros, quot annis ei miſſurum. His literis ſe non Imperatorem ſcripſit, ſed Cæſarem, ne eas inſcriptione offenſus Conſtantius abjiceret.* AMMIANO hic non habet fidem Tillemontius, quando ait: *Iisdem literis junctas ſecretiores alias, Conſtantio offerendas clanculo miſiſſe objurgatorias & mordaces: quarum ſeriem nec ſcrutari licuit, nec ſi licuiſſet, proferre decebat in publicum.* Non enim hic ſcribendi modus conveniebat turbato tempori. Cæterùm *Pentadius* Legatus benè diſtinguendus ab altero Pentadio, de quo velut Conſtantii fautore, & ſuo hoſte queritur Julianus *in Epiſtola ad Ath.*

Decentii, tum Legatorum adventus prohibuit: ex his enim ubi Imperator intelligit, Julianum (quem tot benefactis extulisset) sibi vivo præripere supremum Occidentis Principatum; ita anceps animo hæsit, ut incertus fluctuaret, magisne contra Galliæ Cæsarem, an adversus Persarum Regem progrederetur? Legatorum intererat, iræ Cæsaris quendam afferre modum: literas proinde Constantio consignant à Juliano datas, quibus is Imperatorem rogabat, ne seditioni cuidam tribueret, quæ ex necessitate summa temporum fieri debuissent; se præter honoris nomen retenturum nihil, Præfectum Prætorii ex arbitrio Constantii non aliter, atque anteà constituendum (n): id modò se poscere, ut Augustus deinceps audiret, cæterósque belli præfectos suo ingenio deligeret; his enim conditionibus propositis seditionem conquieturam, ac magnos delectus militum adversus Persas ituros (o). Quàm molliter hæc scripta fuerant, tam acerbè à Constantio accepta sunt, qui ægerrimè ferebat, hominem suo beneficio viventem, ac penè regnantem eò jam devolvi; ut pacisci cum benefactore, & in leges adigere vellet illum, à quo omnia hausta haberet. Legatis rejectis, nihilominus ex consilio suorum contra Persas Constantius iter exequitur; ut his devictis totam vim in Julianum retro ageret. Ne tamen Julianus periculi expers se intereà firmaret; Leonam Ducem Parisios in Galliam cum literis mittit, quibus pauca hæc demandabantur (p): nihil eorum, quæ Julianus ab aliis agi, aut ipse pati sustinuisset, probari: provisurum Principem suæ securitati, suísque amicis: Cæsaris esse parere Imperatori, non invadere Imperium: Præfectos accipere, non dare. Juliano postquam literas Leonas exposuisset; ridente ore (ut ad omnem simulationem erat compositus) respondit, se quantocyus Constantii jussis obtemperaturum, si per militum voluntatem liceret. His proinde in concionem vocatis epistola exhibetur; at singuli ad argumentum ejus jam præparati, vel subornati ad responsum, in publicos clamores erumpunt: se præter Julianum Augustum colere neminem (q); quo testimonio ubi Julianus commonstrâsset, nihil profici in furente milite, tum paulò ferocior, Leonæ Legato literas ad Constantium reddit; quibus querelas querelis, minásque minis retundens, significabat: se paucorum

(n) Julian. ad Ath. p. 518. 519. Zonaras p. 18

(o) Ammian. l. 20. c. 19.

(p) Jul. ad Ath. p. 525. Zon. p. 18, 19.

Constantii mandata ad Julianum.

(q) Ammian. l. 20. c. 23.

Juliani responsum ad Constantium.

beneficiorum non immemorem: at nec memoriâ excidisse malefacta, quorum vi orbus & ab amicis optimis desertus mœreret; Constantii atrocissimo nimirum imperio factum, ut Parentes, Propinqui, ac recentiùs Frater iniquâ morte sibi tollerentur: horum vitam, sanguinémque ulciscendi occasionem præsentem fore, si ad bellum porrò proliceretur (* 49).

A. Æ.C. 361.

15. Hoc primo signo belli civilis prolato, Julianus colligere copias cœpit: atque ut militum fidem magis sibi obstringeret; dissimulato superstitionis suæ studio, effictóque ad pietatem Christianam ore, vultúque in templo sancta Mysteria frequentabat (*50). Præterea ex Barbaris, qui infestare Galliam possent, Attuarios adhucdum integros noverat: istorum igitur accidere vires opportunum duxit; ne posteà Constantii armis colluctaturo moverent periculum, aut moram interjicerent. Domitâ (ut constituerat) Germaniæ Gente, per Rauracorum terras Viennam recessit (*51); ubi Helena ejus Conjux, sorórque Constantii extincta est

(* 49.) ZONARAS p. 19. *Quæstor Juliano mandata Imperatoris nunciat, quæ erant, meminisse eum oportere, quantum Constantio deberet, non tantum, quòd Cæsarem appellâsset sed etiam, quod puerili ætate Parentibus orbatum apud se aluisset. Ille verò Quæstori: Quis*, inquit, *eâ ætate mihi orbitatis author extitit, nonne Parentum meorum interfector? An ignorat istis commemorandis se refricare cicatricem & vulnus redderé atrocius?*

(* 50.) ZONARAS T. III. p. 19: *Quanquam autem Christianismum jam abjurârat; tamen milites reformidans, quos ferè omnes Christianos esse nôrat, tegendæ suæ nequitiæ causâ, liberum cuique facit, quamvis religionem colere, Natalique* SALVATORIS *die in templo adorat, ut consentire cum militibus videatur.* Et AMMIANUS l. 21. c. 2. *Utque omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat; à quo jam pridem occultè desciverat, arcanorum participibus paucis; aruspicinæ, auguriisque intentus; & cæteris, quæ Deorum semper fecêre cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani* EPIPHANIA *dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solenniter Numine orato discessit.* Notat hic BUCHERIUS in B. R. l. 11. c. 2. §. 3. „Vides hic Christianorum in Galliis multitudinem, & pietatem; vides antiquissimam Festorum nostrorum etiam hodiernorum celebritatem atque frequentationem, quæ jam tot sæculis inconcussa durat.„

(* 51.) AMMIANUS l. 20. c. 10. *Rheno exinde transmisso Regionem subitò pervasit Francorum, quos Attuarios vocant* (Alii Hattuarios vel Ansuarios apud Valesium appellant, qui teste Bucherio l. 11. c. 1. §. 15. prope Ulpiam Tricesimam inter vetera Castra & Burginacium habitabant) *inquietorum hominum licentiùs etiam tunc percursantium extima Galliarum. Quos adortus subitò nihil metuentes hostile, nimiúmque securos, quod scrupesè viarum difficultate arcente, nullum ad suos pagos introisse meminerant Principem, superavit negotio levi; captisque plurimis & occisis, orantibus aliis, qui superfuêre pacem ex arbitrio dedit;* LIBANIUS in or. funebr. *Cum venisset ad Rhenum ostenso Barbaris vultu, ac iteratis sacramentis firmato fœdere ad civile bellum se invitus accinxit.*

est (*52). Hoc ultimo amicitiæ pignore amisso, Julianus propiùs ad indicendum Imperatori bellum animum adjecit: deterrebat equidem Cæsarem fortuna Constantii, quâ is quosvis æmulos in bellis civilibus oppresserat: ast Galli fratris interitus, ab infida Augusti mente (ni occuparetur) par Fatum Juliano, párque exitium spondebat. Jaciendam proinde aleam decernit, literis Græciam quasi ruentem in suas trahit partes: Pannoniam cogit legionum numero: Italiam, Siciliam, ac demum Illyrici magnam partem capit, fugientibus undique Præfectis, aut irruptionis repentinæ insolenti exemplo attonitis.

Juliani contra Constantium apparatus.

16. Fortunatum eodem tempore Constantio accidit, quòd Sapor ob omina quædam infausta ab Aruspicibus accepta vel bellum differret, vel traheret languidiùs: relictis itaque per Mesopotamiam præsidiis è vestigio contra Julianum itum est. Quantumcunque gestirent cum milite Duces, & spe victoriæ alacres volitarent in hostem; ipse tamen Augustus ab ea die tristior, turbidísque animi motibus agitari est visus. Subinde febri corripitur, quo malo ad radices montis Tauri in Ciliciæ finibus invalescente (*53) subsistit; susceptísque ab Euzojo hæretico Baptismi aquis obiit tertiâ Novembris anno vitæ quadragesimo quinto, Regni à morte Parentis aditi vigesimo quinto, vir Suis, Imperio & Ecclesiæ exitialis, quæ tria piacula, antequàm excederet, deploràsse dicitur,

Constantii mors repentina.

(* 52.) ZONARAS T. III. p. 19. *Intereà & uxor ejus moritur suis, ut quidam ajunt, adhuc materfamilias ejus, sive ut alii, jam repudiata.* AMMIANUS ubi descripsisset Quinquennalia à Juliano octavo Idus Novembris celebrata, addit: *Inter quæ Helenæ Conjugis defunctæ suprema miserat Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condenda: ubi uxor quoque Galli quondam soror ejus, sepulta est Constantina.*

(* 53.) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI *Constantius initio quartæ indictionis* (erat quinta Indictio à Septembri cœpta) *denunciatis sibi Juliani Cæsaris insidiis concitus à Tarso Ciliciæ ad Mopsvestiam seu Mopsi fontes veniens, accepto ab Euzojo Antiochiæ Episcopo ex Monasterio per Constantinum acce sito, baptismate, Constantius Aug. mense Dio seu Novembris die tertiâ anno Antiocheno CDX. Indict. V., cum Ecclesia pacem annos 50. habuisset, dictis Consulibus Tauro & Florentio mortem cum vita commutavit.* AMMIANUS l. 21. 5. ait *abiit è vita III. Non. Octobrium, Imperii vitæque anno quadragesimo, & mensibus paucis*: verùm sicut iste scriptor errat in Imperii, vitæque annis, ita & in die emortuali - - corruptum tamen Ammiani locum putat Pagius Tom. I. Critic. p. 495. Præterea Ammianus de Constantio testatur, quod *post amissam jam pridem Eusebiam* Uxorem, *uxorem Faustinam duxerit paulò ante mortem, eamque prægnantem reliquerit, unde edita posthuma, ejúsque nomine appellata* (Constantia) *cùm adolevisset, matrimonii jure copulata est Gratiano.*

ſcilicet, quòd de Propinquorum cædibus tantum ſanguinis profudiſſet atrociùs, quódque creando Julianum Cæſarem, Reipublicæ; ac defendendo Arianam labem, Eccleſiæ peſſimè incommodâſſet (* 54).

§. III. JULIANUS *adit Imperium, deficit à Christiana religione, Conſtantinopoli abit Antiochiam, ab Antiochenis variè traducitur, ejusdem liber Apologeticus: movet contra Persas, ex Magicis & Ethnicis ritibus victorias ſibi ominatur, deceptus à Perſarum transfugis in extremas incidit calamitates, & moritur:* JOVIANUS *eidem ſurrogatur, qui pace cum Perſis factâ, ex hoſtili agro reliquias exercitûs reducit, moritur præpropero fato in Bithynia.*

A. Æ. C. 361.

1. Julianus in Illyrico adhuc ſteterat, dum gratiſſima Cæſari fama tulit, exceſſiſſe Auguſtum; ab occurrentibus proinde Legatis oblatum adeptus Imperium, undecimâ Decembris Conſtantinopolim Regiam urbem ingreditur: tumulatis illinc in SS. Apoſtolorum Eccleſia Conſtantii exuviis (a), primum id molitus eſt novus Auguſtus, ut natali ſuæ civitati decus novum, recentémque Magiſtratibus formam daret (b). Præter portus, bibliothecam, quibus Conſtantinopolim Julianus auxit, Senatoribus favores, inſigniorésque diſpertiebat prærogativas: atque ut Curiæ major deinceps ſtaret honos; ipſe Princeps (quod ab Auguſto olim factum legitur) de more in frequenti Senatu perorabat. Ad hæc Præfectorum nimiâ multitudine, quâ reſpublica gravabatur, abrogatâ (* 1), Curiam Vindicem ordinavit Chalcedone

(a) Zoſim. l. 3. p. 713. Zonar. p. 17.
(b) Amm. Marcell. l. 22. c. 1.
Quæ egerit Julianus Conſtantinopoli?

(* 54.) Non tantùm ZONARAS p. 19. Conſtantii erga Orthodoxos animum iniquiorem exponit; ſed & AMMIANUS Ethnicus. Sub finem enim l. 21. ita ait: „Princeps fuit, ut in externis bellis adflictus, ita in civilibus felix, & tumidus. Unde pravo propoſito triumphales arcus ex clade Provinciarum magnis ſumptibus erexit in Galliis & Panonniis, titulis geſtorum adfixis. *Chriſtianam religionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens: in qua ſcrutandâ perplexiùs, quàm componendâ graviùs excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſu fuſiùs aluit concertatione verborum. Ut catervis Antiſtitum, jumentis publicis ultro citróque diſcurrentium per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariæ ſuccideret nervos.*

(* 1.) ZONARAS t. 3. p. 17. *Magnam partem Imperatorii comitatûs dimiſit, cùm tonſorem quæreret, & ad eum Conſtantii tonſor ſumptuoſo ornatu acceſſiſſet: tonſorem ſe quæſiviſſe, non Senatorem, dicens, dimiſit hominem: coquum item Imperatorium in ſplendidiore veſte, quàm pro miniſterio conſpicatus, ſuo coquo, qui pro artis conditione ornatus erat, accerſito, eos, qui aderant, rogat, utrum coquo ſimilem judicent? qui cum*

cedone, cujus negotium esset animadvertere diris pœnis in eos, quorum operâ privati sub Constantio pessumdati fuissent (c).

(c) Idem c. 5

Palàm desicit à religione Christiana.

2. Initiis ejusmodi ubi plebem nonnihil demulsisset Imperator; paulò apertiùs frontem, quam priùs contraxerat, explicuit, Deorum cultum professus (*2). Eam in rem superstitionum Magistri acciti sunt Philosophi ex Asia, unâ cum Maximo, à quo fere omne virus Julianus olim combiberat (d). Hâc delirantium turbâ obsessus, viscera infantium, adultorúmque ad captanda omina scrutabatur. Diabolicæ carnificinæ liberiùs vacaturus, Constantinopoli Antiochiam contendit (e): auditis per viam tum Pessinunte, tum Ancyræ variis Deorum oraculis, propè Antiochiam hortatore Libanio in altissimum montem Casium enisus, Jovi execrandas litavit hostias; humano sanguine juxtà ac belluino se fœdissimè respergens (*3).

A. Æ.C. 362.

(d) Idem c. 5.

(e) Amm. l. 22. c. 9.

3. De-

cum viliùs cultum dixissent, alterum repudiavit. Hæc faciebat gloriolæ causâ, ut frugi homo, & germanus Philosophus haberetur. Eadem fusiùs leguntur apud AMMIANUM lib. 22. ratione hujus frugilitatis laudem meruisset Julianus, nisi optimos quoque præfectos eodem tempore abdicâsset; Principum enim magnificentia ac vel inde etiam reverentia diminuitur, dum aulicorum bonorum numerus contrahitur, aut abrogatur.

(* 2.) AMMIANUS MARC. l. 22. *Et quanquam à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissimè. Ubi verò abolitis, quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi, quæ vellet, advertit; sui pectoris perfecit arcana, & planè absolutis decretis, aperiri templa, arisque hostias admoveri, & reparari statuit cultum. Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissâ in palatium intromissos monebat, & civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus: quod agebat ideo obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ non timeret unanimantem posteà plebem.*

(* 3.) GREGOR. NAZIANZ. or. 3. refert, quod Julianus summi sacerdotis officium sibi sumpserit, & quasi erubesceret Christianum nomen, ac Baptismi characterem, Taurobolii ritum susceperit; qui talis erat: consecratus in scrobem profundam demittebatur, super quam tabulis constratam taurus auratis cornibus matri Deorum immolabatur, cujus sanguinem per foramina defluentem toto corpore excipiens Julianus se renasci dicebat. Juxta illos Prudentii versus:

Quis Tibi Taurobolus vestem mutare suasit,
Inflatus dives subitò mendicus, ut esses
Obsitus, & pannis modicis tepefactus - - -
Sub terra missus, pollutus sanguine Tauri
Sordibus infectus vestes servare cruentas,
Vivere cùm speras viginti mundus in annos.

videatur hic etiam FIRMICUS lib. de errore profanarum Religionum. Et PAGIUS ad a. 361. in critic. §. 7. & 8.

Variæ calamitates Imperii.

3. Decreverat jam verum in cælis numen à Principe inter Christianos nutrito defectionis, ac infandarum superstitionum exigere pœnas; sed clementissimo Deo adhuc dum placuit ostentis (*4), & variis ærumnis eundem premere, ut his velut totidem vocibus præmonitus periret. Constantinopolis, variæque Palæstinæ urbes terræ motibus succussæ (f), templa Apollinis Romæ, ac Daphnes igne absumpta: & malum eo pervaserat, ut Sybillarum oracula his flammis jam amburerentur (g). Mare superatis riparum aggeribus totas Regiones aquis suppossuit (h). Demum terra continuo æstu solis exhausta annonam mortalibus negabat: famis igitur remedia, cùm Antiocheni præcipuè à præsente Imperatore deposcerent; ea egisse Julianus dicitur, quæ annonæ caritatem augerent, ac inediam civium (utique per imprudentiam Augusti) redderent acerbiorem. Atque hoc ipsum erat, quod salacem cæteroquin Antiochensium populum in risus & convitia irritabat. Non defuere, qui carmina per vicos decantarent, quibus Juliani mores, insanus erga Deos amor, tum maximè barbæ, quam prolixam alebat, deformitas perstringebatur (*5): pupu-

(f) Liban. or. 12.

(g) Amm. l. 23. c. 13.

(h) Nazianz. or. 4. Sozom. l. 6. c. 2.

A. Æ. C. 363.

(* 4.) IDEM GREGORIUS l. c. Ostenta varia profert, quibus à Deo Julianus admonitus est: nam cum sacrificium impium perageret, Victimarum exta coronatam Crucem exhibuerunt, quæ res licèt aliis injiceret horrorem; obstinatus tamen Apostata, id ita interpretatus est, quasi circumscripti, atque undique conclusi essent Christiani; Aliàs cum Proserpinæ vaccas immolaret, ut legitur apud PRUDENTIUM; sacra turbari, nec solita apparere sacrificia dicebat Popa, Christianos forsan præsentes ejiciendos. &c.

(* 5.) AMMIAN. MARCELL. l. 22. c. 14. *Quocirca in eos deinceps sæviens, ut obtrectatores & contumaces, volumen composuit invectivum, quod Antiochense, vel Misopogonem appellavit; probra civitatis infensâ mente dinumerans, addénsque veritati complura: post quæ multa in se facere dicta comperiens, coactus dissimulare pro tempore, irâ inflabatur internâ. Ridebatur enim, ut Cercops, homo brevis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiáque incedens tanquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit. Idémque Victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: culpabatur hinc opportunè, cùm ostentationis gratiâ vehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatúsque mulierculis lætabatur.* SOCRATES l. 3. l. 17. ait Antiochenos Julianum deridentes dixisse: *Nummi tui taurum habent, & eversus est*, ut notat Valesius in notis ad Sozomenum l. 5. c. 19. gloriabatur nempe Julianus, quod templa ac sacrificia reparâsset, quódque centenos interdum tauros Jovi immolaret. Quare cum in ejus Nummis taurus esset insculptus; hinc jocandi ansam arripientes Antiocheni dicebant, *non taurum à Juliano sed orbem mactatum esse*, seu ut loquitur Sozomenus: *orbem eversum esse, perinde ac tauros supinos.* Resupinari autem seu ἀνατετράφθαι (quo vocabulo utitur Sozomenus) proprium est Victimarum, quæ cum immolarentur resupinari consueverant. Vide hic PAGIUM in Critic. Baron. Tom. I. ad a. 362. §. 8.

pupugit non parùm Principem ambitiosum acris Satyra, sed ultionem differre coëgit temporum difficultas (i): ne autem plebs omninò impunè laceràsset Imperatorem: cavillatione plenum librum composuit, quo Antiochensium vitia carpens, suas contrà virtutes prædicabat: præterea vindicabat longiore sermone suæ barbæ dignitatem, à quo argumento titulus libro accessit, *Misopogon*, quæ vox barbæ osorem significat (*6): scriptione ejusmodi cùm plebis licentiam provocaret magis, quàm componeret; Tarsum suam transferre sedem constituit: voluntati illius aliquâ ratione pòst obsecundatum est; ubi in Persico bello extinctus, Tarsi saltem tumulum accepit (*7).

Julianus ab Antiochenis traducitur.

(i) Julian. Misop. p. 101 & p. 58. Amm. l. 22.

Misopogon.

4. Postquam Julianus in Antiochenses cives non sine famæ jactura calamo pugnaverat; plus gloriæ sibi ferro parandum existimavit, si Persas (quos Constantius integros reliquisset) armis fortiùs contereret. Argenti immensa vis Christianis præcipuè imperata est ad conficiendos belli sumptus (k), dein constitutis exercitûs Ducibus Victore, & Hormisdâ (*8) Dii in responsa & oracula coacti sunt. Sententiæ, quæ à mendacibus Numinibus depromebantur, tam ancipites erant (*9), ut Curiæ Proceribus peri-

(k) Socrat. l. 3. c. 13. Theodoret. l. 3. c. 16.

(* 6.) IDEM PAGIUS §. 7. corrigit errorem Ammiani, qui scribit l. 22. c. 14. *Julianum* composuisse *Misopogonem* sub Consulatu *Mamertini & Nevittæ* sive anno 362; nam quia Kalendarum Januariarum meminit Julianus, quibus ipse Consul processit, & quia Juliani avunculi sui, anno 363. defuncti, mortem commemorat in hoc libro, meliùs dicitur cum Valesio, anno 363. hanc qualemcunque Apologiam ab Imperatore compositam fuisse.

(* 7.) AMMIANUS l. 23. *Ipse autem* (Julianus) *Antiochiam egressurus, Heliopoliten quendam Alexandrum Syriacæ jurisdictioni præfecit, turbulentum & sævum: dicebátque non illum meruisse; sed Antiochensibus avaris, & contumeliosis hujusmodi judicem convenire. Cúmque eum profecturum deduceret multitudo promiscua, itum felicem, reditúmque gloriosum exoptans, oránsque, ut deinde placabilis esset, & lenior; nondum irâ, quam ex compellationibus & probris conceperat, emollitâ, loquebatur asperiùs, se eos, asserens, posteà non visurum. Disposuisse enim, ajebat, hiemandi gratiâ per compendiariam viam consummato procinctu, Tarsum Ciliciæ reversurum; scripsisséque ad Memorium Præsidem, ut in eadem urbe cuncta sibi congrua pararentur: & hoc haud dici postea contigit. Corpus namque ejus illuc relatum exequiarum humili pompâ in suburbano sepultum est, ut ipse mandârat.*

(* 8.) De hoc *Hormisda* videantur dicta pag. 26. not. 42. Quàm verò fidelem Juliano operam Dux ille navârit in bello Persico; latiùs exequitur AMMIANUS MARCELLINUS lib. 24. & Juliano feliciùs evenisset, si quæ de reditu è Persia ab Hormisda data fuerant consilia, sequi maluisset.

(* 9.) THEODORETUS l. 3. c. 21. postquàm narraverat, quo modo Julianus mise-

(l) Amm. l. 23. c. 1. (m) Baron. ad a. 363. §. 22. (n) Liban. orat. 11. Socrat. l. 3. c. 19. (o) Amm. l. 23. c. 2.

periculi ſuſpicionem facilè injicerent (l). Julianus contrà Magorum præſtigiis deceptus, nonniſi victorias cogitabat (m): quare pacis conditiones, quas ſubinde Saporis Oratores propoſuêre, non tantùm contemptui habuit (n), ſed & ſuppetias aliarum Gentium aſpernatus eſt, inquiens Romanorum eſſe dare auxilia, non accipere (o): Saracenis (quorum militaris virtus ab Auguſtis anteà conducta, magno commodo fuerat) negabantur ſtipendia hâc potiſſimùm jactantiæ ſpecie, quòd Imperator bellicoſus (qualem ſe Julianus oſtentaverat) exteris populis ferrum, non aurum velle deberet (p). Principem à belli fortuna, quâ proſperâ in Galliis erat uſus, omnino ebrium, atque à Saracenis deſertum, in bellum atque exitium digna his fatis ſcelera tandem rapuêre.

(p) Idem. l. 28.

Juliani iter contra Perſas.

(q) Julian. ep. 27. p. 156. & 157.

5. Antiochiâ Litarbum (q), Berrhœámque transgreſſus, ubique contra Chriſtianos Magiſtratus, ſubditóſque jactabat querelas comminationibus mixtas: at fortitudo ſingulorum in his deſpiciendis tanta fuit, ut quandoque Tyrannum ad pudorem, ſilentiúmque compellerent (r). Evitatis igitur urbibus illis, quibus Chriſtiana Religio cordi erat, Hierapolim ac Bathnas deflexit (s), ut inter idolorum cultores lætiores ageret conventus. Hierapoli, ubi multis cruentis victimis ſe polluiſſet, ad id animum adjecit, ut exercitum in ſuæ perfidiæ exemplum pertraheret (t): pauci è militibus fuêre, qui pollicitationibus Juliani illecti Chriſtum ejurarent; alii è diverſo apertiſſimè facinus execrati, cum vita militiæ ſigna ponere citiùs decrevêre, quàm ut fidei veræ repudium darent. Princeps

(r) Theod. l. 3. c. 17. (s) Julian. ep. 27. p. 158.

(t) Theod. l. 3. c. 16. 17. Sozom. l. 5. c. 17. Gregor. Naz. or. 3.

miſerit Legatos Delphos, & in Delum, ac Dodonam, interrogâritque vates de ſuſcipienda expeditione; addit, oracula data Principi nonniſi victorias ſpopondiſſe: Unum ex illis mendacibus Deorum reſponſis erat: *Nunc omnes aggredimur Dii victoriæ trophæa referentes juxta ferum amnem; horum ego Dux ero belligerator Mars.* Ferum amnem vocavit Tigrim, propterea, quod is feræ cognominis eſſet, quique ex Armeniæ montibus ſcaturiens, per Aſſyriæ tractum in Perſicum ſinum defluit. LIBANIUS id quoque fingit, quaſi Dii Juliano dixiſſent: illum moriturum, poſtquàm Perſas humiliâſſet: & SUIDAS 18. oraculum profert, quo enunciatur, Julianum proſecuturum victorias Seleuciam usque, quin mentio fiat de Cteſiphonte Parthorum ſede, quam fruſtra Julianus obſedit. Ex quo TILLEMONT in Juliano Art. 22. concludit ignaros rerum fuiſſe, qui hæc oracula finxêre. Denique Marcellinus fabulatur, Juliano ante mortem apparuiſſe ſecundâ vice *Genium*, ac fatum prænunciâſſe; ſed his Ethnicorum Scriptorum, Juliani laudibus addictorum, commentis quantum tribuendum ſit, quisque Chriſtianorum videt.

ceps quantumcunque ſuppliciis propoſitum extorquere maluiſſet; premere tamen iram debuit, ne maximâ legionum parte nudatus Perſis objiceretur. Carrhas ſubinde profectus immane idolo cuidam (cui à Luna nomen) ſacrificium peregit: pauciſſimos ſcelerati ſui facinoris conſcios ad templum, ubi ſacris operabatur, admiſit; atque ut ne quid actum eſſet, conſtare poſſet; è delubro pedem referens, fores occluſas appoſitâ inſuper cuſtodiâ conſignavit, maximè comminatus, illum ſupplicio audaciam luiturum, qui templum reſeraret anteà, quàm Imperator à Perſis rediiſſet: Juliano ſubinde interfecto templi oſtium ſtatim recluſum eſt: viſa enimverò tunc Pietas eſt, ac Sapientia Cæſaris, quem Pagana Gens tunc tantis & inſanis laudibus efferebat; nam in medio templi reperta fœmina eſt â crinibus ſuſpenſa, extenſis manibus, ex cujus jecinore immanis ille Apoſtata, ac ventre diſſecto victoriam ſcilicet de Perſis explorare voluerat (u).

Ejus Superſtitioſæ, & fidei infeſtæ Machinationes.

(u) Theod. l. 3. c. 21.

6. Firmatis in Meſopotamiâ finibus, relictâque parte exercitûs Carris vigeſimâ quintâ Martii Callinicum contendit, ubi advehi claſſem ſuam vidit ex multis triremibus, atque onerariis navibus conflatam (* 10), inde Cercuſio ſuperato (* 11) Aboram fluvium ponte trajicit, quo repentè reſciſſo, animum ademit militi reſpectandi fugam (x): Perſarum ſolo jam inſiſtens, quod Aſſyriæ proximum erat, quidquid annonæ in agris, aut op-

(x) Ammian. l. 23.

(* 10.) AMMIANUS MARCELL. Lib. 23. c. 6. *Xerxis illius potentiſſimi regis inſtar, claſſis advenit, tribuno Conſtantiano cum comite Lucilliano ductante; quæ latiſſimum flumen Euphratem arctabat: in qua mille erant onerariæ naves ex diverſa trabe contextæ, commeatus abundè ferentes, & tela, & obſidionales machinas, quinquaginta aliæ bellatrices, totidemque ad compaginandos neceſſariò pontes.*

(* 11.) IDEM l. 23. c. 8. *Tendens Imperator agili gradu Cercuſium Principio menſis Aprilis ingreſſus eſt munimentum tutiſſimum, & fabrè politum: cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut ſpatium inſulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac, & ſuſpectum, muris turribúsque circumdedit celſis, cùm in ipſis Barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Perſæ, ita ut paucis antè annis cum magnis Provinciarum contigerat damnis. Namque cùm Antiochiæ in alto ſilentio ſcenicis ludis mimus cum uxore immiſſus è medio ſumpta quædam imitaretur; populo venuſtate attonito, conjunx,* niſi ſomnus eſt, *inquit,* en Perſæ! *& retortis plebs univerſa cervicibus, exacervantis in ſe tela declinans, ſpargitur paſſim. Ita civitate incensâ, & obtruncatis pluribus, qui pacis more palabantur effuſiùs, incensiſque locis finitimis & vaſtatis, onuſti prædâ hoſtes ad ſua remeârunt innoxii, Mareade vero exuſto, qui eos ad ſuorum interitum civium duxerat inconſultè. Et hæc quidem Gallieni temporibus evenerunt.*

pidis, petulanter non minùs, quam improvidè pessumdedit (y); id, quod redeunti posteà exercitui exitium, famémque supremam afferebat. Propinquantibus jam in occursum manipulis Persarum, jam superaverat Euphratem exercitus, interceptísque non paucis urbibus (z) ad Ctesiphontem tandem perventum est. Persæ quoniam se numero & robore militum (nam Julianus sexaginta tria millia ducebat) premi videbant; ab Imperatore pacem missis oratoribus rogant. At Julianus seu Magorum promissis, seu metu Persarum inflatus, consilia pacis contemnens Ctesiphontem caput regni constitutis machinis oppugnat (a): irrito assultu ubi urbem sæpius invasisset, dissuadentibus Ducibus in interiora Persiæ penetrare decernit (b): ignaro locorum quidam transfugæ se sistunt; pollicentúrque se exercitum per notos calles, & terras annonâ uberes ducturos (c). Nec primò fefellêre fidem (* 12); nam ad Tigris littora per aliquot dies militi solum fertile transire datum est: posteà verò, quando Juliano fraudis suspicionem exemerant, Principem eò impellunt, ut à Tigri secedens in medium Persici regni se ingereret; mentiti, illinc vias ad expeditionem fore opportunas. Julianus quoniam Persarum Dominatum spe jam devoraverat; nil suadentibus transfugis abnuit: qui tamen id maximè agebant, ut exercitum in desertas solitudines seductum fame magis, quàm ferro conficerent. Romanis ne redeundi & è malis se extricandi facultas esset; transfugarum porrò intererat, callido sermone eò inclinare mentem Augusti, ut classem, quæ Tigrim fluvium tenebat, exureret (d), ac milite inde educto reliquas augeret copias: vix incendii funesti initium conspiciebatur (e), optimi quique Duces è castris velut ad exitii supremi causam trepidi accurrunt, dein Juliano commonstrant, pessimè secum agi, quod salus tot legionum è paucorum transfugarum machinatione anceps satis pendeat: precibus ac tumultu militum effectum est, ut tormentis infidi ductores adhibiti fraudem confiterentur: verùm serius erat, quàm ut

(y) Liban. or. 12. p. 313. 315. Sozom. l. 6. c. 1.

(z) Ammian. l. 24. Zosim. p. 715. 718. 720. & 721.

(a) Socrat. l. 3. c. 21.

(b) Liban. p. 301.

(c) Sozom. l. 6. c. 1.

Expeditio Juliani contra Persas infausta.

(d) Ammian. l. 24. Liban. p. 307. Zosim. p. 726.

(e) Zonar. t. 3. p. 23.

(* 12.) GREGORIUS NAZIANZENUS or. 4. p. 115. & FESTUS p. 554. loquuntur de uno duntaxat transfuga, qui exemplo veteris *Zopyri*, se ultro Romanis captivum tradidit, ut eos velut Patriæ hostes perderet. Similis historia legitur apud Virgilium de *Sinone*. Econtra SOZOMENUS l. 6. c. 1. & AMMIANUS l. 24. de pluribus ejusmodi Veteratoribus, qui Julianum deceperunt, mentionem faciunt.

ut à flammis naves vindicari, aut è mediis hostium periculis referre pedem liceret: hinc igitur latera fodicantibus Persis; illinc egestate vires exercitûs exedente, ultimum Juliano instabat fatum. (f).

(f) Chrysost. Tom. 5. or. 45.

A. Æ. C. 363.

7. Nocte, quæ sextum Kalendas Julias antecesserat, Princeps insolentibus monstris nequicquam territus (* 13), postridiè laxatos exercitûs ordines periculi negligens, ac ferè inermis ductor prægreditur; jámque se, suósque in ea locorum discrimina induerat, unde Persis commodum erat & terga hostis, ac frontem lacessere. Assultus igitur dum fit in postrema agmina; Imperator rumore cladis accitus, ex primis manipulis (quin corpus loricâ tegeret, ac scuto duntaxat tumultuariè arrepto) ad ferendas ultimis suppetias advolat: vix illinc firmabat militem ad pugnam, jam alio motu revocatur ad antesignanos, quibus eodem tempore par cædes, aut majus periculum imminebat: ad avertendum à fronte hostem Julianus jam reversus fuerat (g); „tum ex aliâ parte Cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias: ac sinistro cornu inclinato „acriter superfusus, fœtorem elephantorum, stridorémque impatienter tolerantibus nostris, contis & multiplicatis missilibus „decernebat. Verùm Principe volitante inter prima discrimina „præliorum exilivit Romanorum succinctior armatura, aversorúmque Persarum & belluarum suffragines concidebat, & dorsa. „Quos cùm Julianus cavendi immemor defluxisse trepidos, elatis vociferando manibus demonstrans, irásque sequentium excitans, audacter semet effunderet in pugnam; subitò equestris „hasta (* 14) cute brachii ejus perstrictâ, costis perfossis hæsit in „ima

Conflictus ultimus Juliani cum Persis.

(g) Ammian. Marcell. l. 25 Zosim. p. 728

(* 13.) AMMIANUS l. 25. *Ipse* (Julianus) *ad sollicitam, suspensámque quietem paulisper protractus, cùm somno, ut solebat, depulso, ad æmulationem Cæsaris Julii quædam sub pellibus scribendis obscuræ noctis altitudine sententiis cujusdam Philosophi teneretur; vidit, squalidiùs (ùt confessus est proximis) speciem illam Genii publici, quam, cùm ad augustum surgeret culmen, conspexit in Galliis velata cum capite cornucopia per aulæa tristiùs discedentem - - - adultâ jam excitus nocte, numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem visam, aëris parte sulcatâ evanuisse existimavit - - - confestim itaque ante lucis primitias Etrusci Aruspices accersiti, consulti, quid astri species portenderet nova, vitandum esse cautissimè responderunt, ne quid tunc tentaretur*; verùm multi cum Photio putant, hæc omnia ab Ammiano fuisse confacta, qui falsitatem oraculorum fausta spondentium hâc arte occultari posse credidit.

(* 14.) Hasta illa, Juliano impacta, cujus manu vibrata fuerit, non una omnium est

Vulnus lethale Juliani. (h) Gregor. Naz. or. 4.

„ima jecoris fibra.„ Vulnus hujusmodi tempestivum erat (h), totique mundo salutare: & cum stolidus ille omnia ex visceribus victimarum se cognoscere putaret; unum hoc vulnus propriis visceribus infligendum ignorabat. Ferro à corpore extracto sanguis copiosus protinus erupit, quem manu haustum in cælum evibrâsse dicitur, hoc convitio Christum debellatorem suum allatrans, *vicisti Galilæe!* (* 15) deficientibus subinde viribus jumento relatus in castra, imminens fatum medicorum affluentium ope aliquamdiu distulit (i): verùm recrudescente malo, familiares opes tristibus amicis distribuens, id porrò commemorabat, humile esse cælo, sideribúsque conciliatum lugere Principem: dein conversus ad Maximum, Priscúmque Philosophos super animarum dignitate implicatiùs disputabat: hians latiùs suffossi corporis vulnus, tumórque venarum arctiùs spiritum cohibuêre, quam ut loqui diu, aut vivere sine dolore ampliùs posset: rabie itaque plenus gelidam poscit aquam, cujus frigore id, quod supererat vitæ, in medio noctis horrore restinxit; natus erat annos duos supra

(i) Ammian. l. 25. c. 3.

Mors Juliani.

est sententia; ùt ostendit GOTHOFREDUS in Dissert. in libr. 7. Philostorgii c. 15. nam Alii cum *Eutropio*, & *Victore* hostili manu Principem interfectum esse prodiderunt, quod tamen LIBANIUS negat, eâ ex ratione, quod nemo ex hostibus ob vulnus illud hono e affectus sit, quamvis Rex Persarum authorem cædis ad præmium vocaverit: itaque ex odio Christianorum alicui facinus adscribit. Juxta SOCRATEM ab uno ex Romanis militibus occisus est, qui irascebatur, quod Juliani imprudentia, fame, miseriâque exercitus conficeretur. Sed quiscunque demum necem intentârit, certè ille instrumentum divinæ justitiæ dici poterat, cujus ultionem tot Anachoretarum, & totius Ecclesiæ exagitatæ preces deposcebant. EUTYCHIANUS Chronographus, qui huic bello interfuit, apud Joannem Malelam, & AUTHOR CHRONICI ALEXANDRINI referunt, Julianum lanceâ divinitus transfixum fuisse à S. Mercurio Martyre, quod S. Basilium Seleucenum Episcopum veneno extinxisset: historiam hanc latiùs exponit ex Chronico Alexandrino TILLEMONTIUS in Vita Juliani m. p. 1017. cæterùm factum istud conforme esse antiquæ picturæ probat CANGIUS in opere de fam. Byzant. p. 51. in ea autem pictura (ut in Codice MS. operum Gregorii Nazianzeni, Basilio Macedone Imperante exarato, in Bibliotheca regia cernitur) depingitur *Julianus* ad terram prostratus, equite cum lancea instante, supra cujus caput inscribitur: ΑΓΙΟΣ ΜΕΡΚΟΡΙΟΣ.

(* 15.) THEODORETUS l. 3. c. 20. rem hanc confirmat; & SOZOMENUS l. 6. addit, quod furens & desperans Julianus, cùm sanguinem in aëra projiceret, Christum præsentem viderit. ACTA S. THEODORETI referunt, quod Apostata tantùm crediderit se Christum videre, atque ideo sanguinem in auras effundens dixerit, quousque me persequeris Galilæe! adhucdum tibi renuntio: satura te meo sanguine, quoniam tu me vicisti! PHILOSTORGIUS p. 105. ait, Julianum verba sua convertisse ad Solem quasi huic exprobare voluisset, quod Persis magis quam Imperatori favisset.

ſupra triginta; poſtquàm menſem vigeſimum primum à morte Conſtantii ſolus regnaverat diuturniore, quam ejus crimina poſtulabant, imperio.

8. Mortem Tyranni, antequàm excederet, non pauca tantum omina (* 16), ſed & viri ſanctiſſimi divinâ quadam præſagitione ad ſolatium afflicti populi commonſtravêre (* 17). Defuncti cadaver in ſuburbio Tarſenſi terræ mandatum eſt (* 18), quorſum exequias deduxêre nequiſſimi ex omni ſcurrarum genere homines, qui ad tibias ſaltantes mortui præcipua vitia carpebant, *Ejusdem funus.*

(* 16.) ZONARAS Tom. III. p. 24. *Ajunt eum* (Julianum) *in ſomnis Antiochiæ vidiſſe Juvenem quendam flavo capillo, qui diceret, ei in Phrygia moriendum eſſe. Ictum igitur iis, qui aderant, rogatis, quomodo locus ille vocaretur? ut appellari Phrygiam audierit, exclamâſſe. O Sol Julianum perdidiſti! Præterea ferunt, obitum ejus eodem, quo periit, die, Antiochiæ fuiſſe cognitum. Nam quendam Paganum, ejusdemque cum deſertore religionis, ex ordine judicum illius loci, cum juxta Prætorium excubaret, congeriem ſtellarum in cælo vidiſſe, quæ litteras informaret in hanc ſententiam: Hodie Julianus in Perſia occiditur. Notato tempore poſteà cognitum eſt, eodem die fuiſſe interfectum.*

(* 17.) S. *Athanaſius* (qui anteà prædixerat Chriſtianis à Juliano exagitatis: *Nolite, o Filii, conturbari, nubecula enim eſt, & citò pertranſibit*) mortem Tyranni intellexit à S. Theodoro Tabernenſium & S. Pammone Arſinoenſium Abbatibus, quibus Deus fatum Imperatoris revelaverat, ut videre eſt apud Tillemont in V. Juliani art. 27. Præterea SOZOMENUS l. 6. c. 2. recenſet, quod *Didymus* Alexandrinus (cujus liber de Spiritu S. in operibus Hieronymi adhuc extat) cùm ob ſcelera *Juliani* animo admodum eſſet ſollicito & triſti, uti frequente nocte nihil comederet; fortè in ſolio aſſidens ſomno oppreſſus eſt, ac velut extra ſe poſitus videbatur ſibi videre equos albos in aere curſare, viróſque illis inſidentes ita clamantes audire: *Nuntiate Didymo Julianum hâc ipsâ horâ noctis ſeptimâ peremptum eſſe; idque ille Athanaſio Epiſcopo ſignificet, & ſurgens comedat.* TILLEMONT in V. Juliani art. 27. notat, falſum equidem eſſe nocte peremptum fuiſſe Julianum, ſed non eſſe infrequens, ut viſiones res minùs exprimant ſecundùm omnia adjuncta: quod & intelligi debet de illa viſione, quæ de morte Juliani facta legitur Anachoretæ cuidam, cui pariter Juliani nomen erat, ut videre eſt apud THEODORETUM hiſt. lib. 3. c. 24. Denique non omittendum hìc, quod SOZOMENUS l. 6. c. 2. & IDEM THEODORETUS l. 3. c. 18. adducunt de Chriſtiano Ludimagiſtro Antiochiæ. hic à *Libanio Sophiſta* interrogatus: *Ecquid faceret Fabri filius?* reſpondit: Hujus Univerſitatis opifex Deus, quem tu per ludibrium Fabri filium nominas, *parat Juliano loculum.* Nec multi dies præteriêre, cùm fama de morte Juliani advolavit, ejusque cadaver loculo reconditum ad ſepulturam allatum eſt.

(* 18.) PHILOSTORGIUS l. 8. c. 2. *Non conſulto quidem Conſilio, verùm caſu quodam è regione Sepulchri, quo Maximiani* (Maximini) *oſſa continebantur, ſemitâ ſolâ loculos ab invicem ſeparante* prope igitur Maximini, cui vitiis & Tyrannide ſimilis erat Tarſi tumulatus eſt. ATHANASIUS & RABUS l. 2. Mart. p. 367. commemorant, quod cùm Julianum humare voluerint, terra ingenti motu fit concuſſa, quaſi execrandum ejus cadaver, quod receptaculum multorum Dæmonum fuit in ſe recipere nollet.

bant (* 19); Audacior quippe Julianus fuerat, ac crudelior in Christianos, quàm Imperatorem deceret. Superstitionis curam pertinacémque Cæsaris hujus temeritatem fovebant præceps ingenium, inquies animus, levitas in agendo, laudísque immodica cupido, quibus incitamentis eò abripiebatur; ut, postquàm in vita bonis omnibus infestus fuisset, post funeralia relictis post se libris Augustos cæteros, & maximè Christianos insectaretur (* 20).

Jovianus succedit in imperio.

9. Postridiè, quam Julianus è vivis decesserat, hostibus ex omni latere circumfusis, collecti Duces exercitûs Jovianum designant Imperatorem: fuerat is Comitis Varroniani filius Singidone in Pannonia anno CCCXXXI. natus (k): facies liberalis, lætum ingenium, literarúmque non modica cultura (l), virum militaribus honoribus dignissimum præstitêre: unum tamen in Joviano Imperatori Juliano displicuit, quod Christianis Sacris imbutus milites cæteros pietate singulari Dux præiret. Subinde ab Apostata Cæsare adigitur, vel insigne Tribuni munus, aut fidem exuere: nihil ille cunctatus cingulum militare abjicit (m); sed quoniam ipsa Joviani magnanimitas, tum hostis adventantis propinquitas passæ non sunt, ut castra tam strenuo Duce fraudarentur; militiæ, quam sponte abdicaverat, perhonorificè restituitur. Julianum trans Tigrim secutus inter acerbos Persarum conflictus ea egit (n), tulítque, ut à rebus gestis celebrior, dignus etiam Imperio videretur; vulgato quippe Juliani fato primùm à paucis militibus Augustus pronuntiabatur, dein aucto per accurrentes manipulos agmine salutantium, ac applaudentium rumor percrebuit; Qui enim in extremis ordinibus erant, dum Juvianum

(k) Victor Epit.
(l) Amm. Marcell. l. 25. sub fin.
A. Æ. C. 363.
(m) Niceph. l. 10. c. 38. Socrat. l. 3. c. 22. & l. 4. c. 1.
(n) Ammian. l. 25. Themist. or. 5.

(* 19.) NAZIANZENUS or. 4. refert, à comitantibus funus exclamatum fuisse, O *maxime fatue, ubi sunt tua Vaticinia? vicit Deus & Christus ejus!* THEODORETUS l. 3. c. 28. ait Gentiles Carrenos tantum percepisse dolorem, ut eum qui nuncium attulerat, lapidibus obruerent: è diverso Christiani Antiocheni publicos plausus, & festiva convivia instituerunt. GREGORIUS NAZIANZENUS tunc duas quoque orationes adversus Julianum publicè recitavit, quibus sacrilegum & crudelem Tyrannum palàm insectatur.

(* 20.) Ex Juliani operibus supersunt præter orationes octo, & 66. Epistolas, Misopogon, ac liber de Cæsaribus, in quo vitia Cæsarum acriùs & ambitiosiùs carpit: item tres libri habentur, quos Antiochiæ contra divinitatem Christi, SS. Evangelia, & Christianorum cultum composuit, quibus multos evertit & fidem plurium labefactavit. Fragmenta ex iis in c. 2. infra adducemus. *vide libros Apologeticos* CYRILLI *contra Julianum.*

num dici Cæsarem audiunt, errore vocis (o) redditam Juliano vitam credebant; sed alium mox purpuratum, Jovianum scilicet intra castrorum vallum contuiti, in lachrymas primùm solvuntur: posteà tamen eidem Principi amplis votis suffragati sunt, eoquòd hujus nomen à Juliani compellatione propiùs abesset.

(o) Ammian. l. c.

Joviani Zelus pro Religione Christiana.

10. Lætantibus jam omnibus legionibus unus Jovianus tristiùs obluctabatur, delatum Principatum repudians; nefas enim sibi fore affirmabat, cùm Christianus esset, Idola colentibus imperare (p). Hæc ubi dixerat, nullus militum fuit, qui non Christianum se esse proclamaret: suscepto igitur Imperio Jovianus cum Tribunis, ac Comitibus consilia agitare cœpit, quânam ratione præsenti ex discrimine legiones incolumes eruerentur (q). Arduum profectò erat Romano militi (qui velut fera ad ictum designata à circumsidentibus Persis infestabatur) tot insidias evadere: & quanquam arctissima necessitas desperantibus majores adderet vires, quibus hostem irruentem cruentis cladibus abigerent (r); hoc ipsum tamen vincendi genus non poterat non esse luctuosum, eoquòd victoribus haud alia erant solatia, quàm ut lassi prælio, deinceps cum fame periculosiùs conflictarentur. Exitio ultimo in dies magis propinquante, cælestis Numinis beneficio evenit, ut Persæ Oratores mitterent de pace acturos (s): conditiones autem ferebant difficiles & perplexas, id maximè causati: modestissimum Saporem, cùm reliquias exercitûs conficere simul posset, non sine indulgentiæ singularis exemplo eas fato superstites velle; neque alia nunc eundem petere, quàm sua, dudum à Maximiniano erepta, scilicet quinque regiones Transtigritanas cum variis castellis, & firmissima Orientis munimenta, Nisibin & Singaram: Adhæc conditio exitialis Romanis proponebatur, ne post hæc ita composita, Arsaci Regi Armeniæ, & Romanorum fœderato ferretur auxilium, quod eâ ratione cogitatum fuerat (t), ut Persis remaneret occasio, Armeniam licentiùs diripiendi. Indecoræ equidem istæ leges erant, at necessariò hoc tempore subeundæ; cum enim percitus miles ferro potiùs properaret; quàm fame (ignavo mortis genere) absumi: & alius quidam Procopius Juliani defuncti propinquus contra Jovianum

(p) Theodoret. l. 4. c. 1. Soz. l. 6. c. 3.

(q) Ammian. l. 25. Nazianz. or. 4.

(r) Zosim. l. 3. p. 729.

(s) Theodoret. l. 4. c. 2. Ammian. l. c.

Pacem damnosam sed necessariam init cum Persis.

(t) Ammian. l. 25.

nova moliretur; Princeps multorum Ducum hortatu ſuccenſus, ſine cunctatione tradidit omnia, quæ petebantur (*21).

11. Firmatis ad triginta annos induciis, ac pace jurisjurandi religione conſecratâ (u), poſt difficiles caſus brevibus lembis, iis ſcilicet, qui poſt exuſtam à Juliano claſſem remanſerant, Tigrim ſuperavit exercitus (x): inde Atram venit, ad quod vetus oppidum in ſolitudine poſitum Trajanus & Severus Cæſares penè olim deleti ſunt. Viam poſteà ſex dierum emenſi, artus à ſiti, ac inediâ languentes refecerunt ad Ur Perſicum Caſtellum, cibariis ex Meſopotamia acceptis: ab hoc loco Jovianus nuncios in Italiam, Illyricum, & Gallias miſit, qui & mortem Juliani, & ſuum Imperium ſignificarent (y): exinde Thiſalpata transgreſſæ copiæ obvios habuêre Sebaſtianum & Procopium cum tribunis militum ſibi ad tuëndam Meſopotamiam commiſſorum: Procopius eodem in loco juſſus eſt (z) exuvias Juliani deportare Tarſum; quo mandato expleto, is repentè ex oculis hominum diſceſſit: nec inveniri usquam potuit, ſtudio quæſitus ingenti; niſi quod multo poſteà apud Conſtantinopolim viſus eſt ſubitò purpuratus (*22). Intereà Jovianus cum ſuis Niſibim moverat; ingredi tamen caſtellum, quod hoſtibus Perſis per pacis leges addixerat, omnino pu-

(u) Zoſim. l. 3. p. 729.

(x) Ammian. l. 25. c. 21. 22. 23. &c.

Jovianus reducit exercitum ex Perſia.

(y) Ammian. p. 301. Zoſim. p. 732

(z) Idem p. 303-306.

Niſibis traditur Perſis.

(* 21.) AMMIANUS l. 25. p. 300. valde traducit Jovianum, quòd pacem Reipublicæ damnoſam inierit: *Et cum pugnari decies expediret, ne horum quidquam dederetur, adulatorum globus inſtabat timido Principi, Procopii metuendum ſubſerens nomen; eúmque adfirmans, niſi rediret, cognito Juliani interitu, cum intacto milite, quem regebat, novas res, nullo renitente, facile moliturum. Hac perniciosâ verborum ille aſſiduitate nimiâ ſuccenſus, ſinè contatione tradidit omnia, quæ petebantur.* - - infra autem p. 305. ita pergit: *Nunquam enim ab urbis ortu inveniri poteſt, annalibus replicatis, ut arbitror, terrarum partes ullas noſtrarum ab Imperatore vel Conſule hoſti conceſſas: & ne ob recepta quidem, quæ direpta ſunt, verùm ob amplificata regna, triumphales glorias fuiſſe delatas.* Eodem ſtylo perſtringunt Jovianum Gentiles ſcriptores ZOSIMUS l. 3. p. 731. & Eutropius. Verùm TILLEMONT in V. Joviani art. 3. p. 1066. oſtendit ex *Spartiano* Adrianum Imperatorem plures Provincias abdicâſſe, quàm Jovianum: Prætereà Aurelianum ceſſiſſe Daciâ, quam Trajanus tanto labore acquiſiverat, & Diocletianum utut Victorioſum Romanam Ægyptum minuiſſe pluribus regionum intervallis: certè ipſi Ethnici fateantur neceſſe eſt, ſupremam ineundæ pacis rationem fuiſſe. ut patet ex *Zoſimo* p. 732., Libanio orat. 12. PHILOSTORGIUS Chriſtianus quidem, ſed Arianus, adeóque Joviano infeſtus fatetur tamen, non aliud medium, præter hanc pacem Principi ſuperfuiſſe, ut ex hoſtili ſolo reduceret exercitum, qui decimâ parte jam diminutus fuerat.

(* 22.) Procopius ille tempore regnantis *Valentis* invaſit poſteà Imperium ut infra oſtendetur.

puduit: conſtabat enim hoc orbis Orientalis firmiſſimum munimentum & habili ſitu, ac mœnium magnitudine hactenus reſtitiſſe, quo minùs Romanæ Provinciæ in ditionem Perſidis transirent (*23). Poſtridiè quàm in agrum Niſibitanum ventum fuerat; Bineſes unus ex primariis Perſarum Ducibus (Principe Romano permittente) civitatem deditam ingreſſus, gentis ſuæ ſignum ex arce extulit (a); ſimulque commigratio è Patria civibus indicta eſt: inſolens mandatum ejusmodi incolas adeò perculit, ut manus ſupplices ad Imperatorem tenderent, id unum obſecrantes, ne vertere ſolum cogerentur: at Joviano religionis ſacramentum violare nolente (*24), toto triduo inter ploratus omnium ordinum (*25) Amidam diſceſſum eſt, quæ urbs ſub Conſtantio in ruinas redacta, modo reſtaurata, à Niſibitano rurſum populo habitari cœpit (b).

(a) Amm. p. 300. Chronic. Alex. p. 696.

(b) Zoſim. p. 733.

12. Antequàm Antiochiam Jovianus cum exercitu regrederetur; fama triſtis de deditione Niſibis jam proficiſcentem antevolaverat; quare adventus Joviani Antiochenſibus Ethnicis malè ominatus (*26): Chriſtianis verò primùm minùs lætus fuit: mœror

(* 23.) GENNAD. c. 1. obſervat, mirum non eſſe, quod Niſibis maxima arx Orientis Romanis erepta ſit; quia Julianus præcipuo defenſore eam ſpoliaverat, ſcilicet corpore S. Jacobi Epiſcopi, qui ex Conſtantini lege in eadem urbe defunctus tumulum acceperat; ut & poſt mortem, quam vivus tuitus fuerat, porro cuſtodiret: ſed Julianus invidens Chriſtianorum gloriæ, exuvias ſacras extra urbem amandavit, cauſatus, quòd leges Romanæ caveant, ne quis intra civitates ſepulturam habeat.

(* 24.) EUTROPIUS L. 10. *Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, ſi fœderis neceſſitatem, cum integrum fuit, mutare voluiſſet, ſicut à Romanis omnibus his bellis, quæ commemoravi, factum eſt &c.* Similia habet AMMIANUS l. 25. p. 303-305. Sed quod Duces Romanorum hinc inde mutârint pacta, id factum eſt authoritate Senatûs, cui præfecti paciſcentes inferiores erant: Joviano autem Imperatori ſupremo flagitioſum fuiſſet à fœdere & conditionibus pacis ſemel initis recedere, & jurisjurandi religionem violare.

(* 25.) AMMIANUS l. 25. p. 304. & 305. *Intra triduum omnes juſſit excedere mœnibus* (Jovianus) *deteſtantes rerum præſentium ſtatum. Appoſitis itaque compulſoribus, mortem (ſi qui diſtulerint egredi) minitantibus, mœnia permixta ſunt lamentis, & luctu, & per omnia civitatis membra una vox cunctorum erat gementium: cùm laceraret crines Matrona exul fuganda laribus, in quibus nata erat, & educata, orbatáque mater liberis & conjuge viduata, procul ab eorum manibus pelleretur: & turba flebilis poſtes penatum amplexa vel limina lachrymabat. Exin variæ complentur viæ, quà quisque poterat, dilabentium: properando enim multi furabantur opes proprias, quas vehi poſſe credebant, contemptâ reliquâ ſupellectili pretioſâ & multâ: hanc enim relinquebant penuriâ jumentorum.*

(* 26.) AMMIAN. l. c. p. 306. *His hoc modo peractis, diſcurſisque itineribus* Antio-

Jovianus pacem reddit Ecclesiæ.

(c) Sozom. l. 6. c. 3. Socrat. l. 3. c. 24.

(d) Theodoret. l. 4. c. 4.

(e) Cod. Theod. §. 2. tit. 25. l. 9.

(f) Baron. ad a. 363. §. 125.

mœror tamen his ſubinde abſtergebatur; ubi Imperator omnes curas ad reſtaurandas Eccleſiarum ruinas tranſtulit: atque ut de Joviani mente Provinciarum Præfectis conſtaret; lege vulgatum eſt, ſolam deincepsChriſtianorum fidemRomanis colendam eſſe (c): adhæc Gentilium templa (quæ Julianus recludi fecerat) denuò obſerabantur, exeſſe ubique juſſis idolomaniæ incentoribus, Sacrificulis, & Philoſophis; qui ne injuriis porrò acrioribus vexarentur, pallium cum plebejo habitu commutabant. Revocato veri Numinis cultu (d), Sacerdotibus viduis ac Virginibus id, quod à Conſtantino, ejúsque filiis conceſſum, à Juliano autem ademptum fuerat, reſtituebatur (* 27); quo facto licentia etiam illa caſtigata eſt flagitioſorum hominum, qui regnante Apoſtatâ Virgines ad nefanda crimina abducere præſumpſerant; nam Jovianus ad Secundum Prætorii præfectum perſcripſit, illum capitali ſupplicio facinus luiturum, qui ſacram Virginem ſibi uxorem deſpondere, aut attentare matrimonii causâ, nedum rapere conatus fuiſſet (e). Demum, ut in Caſtris quoque palàm fieret, militiam deinceps Chriſtianam fore, labarum rurſus cruce, & literis Chriſti nomen exprimentibus ornatum præferri legionibus voluit (f).

A. Æ. C. 363.

Revocat ab exilio Epiſcopos.

19. Iſta cùm accurarentur ad Gentilium pudorem; aliud quid ſuſceptum eſt ab Auguſto, quo Hæreticorum improbitas compeſceretur. Squalebant extra ovium ſuarum curam longiùs in exilia amandati paſtores; nec iis abſentibus ſatis certum erat, quæ dogmata, aut qui errores venditarentur; præſertim cum litibus perpetuis ipſi fraudum ac mendaciorum Magiſtri ſeſe convellerent; Jovia-

Antiochiam venimus: ubi per continuos dies, velut offenſo numine, multa viſebantur & dira: quorum eventus luctificos, gnari rerum prodigalium præcinebant. Nam & Maximiani ſtatua Cæſaris, locata in veſtibulo Regiæ, amiſit repente ſphæram æream formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat; & cum horrendo ſtridore ſonuerunt in Conſiſtorio trabes, & viſa ſunt interdiu ſidera cometarum. Gentiles ſicut & Zoſimus p. 733. ſimilia commemorant, ut Joviano Chriſtiano odium conflare conentur. Quis enim abſconditorum ejusmodi arcanorum naturæ (ſiquidem contingant) præſagitiones explicet, aut de eventibus divinet?

(* 27.) THEODORETUS l. 1. c. 10. refert Donationem Conſtantini, Eccleſiis certum frumenti dimenſum tribuentis; quo beneficio dein Julianus easdem fraudavit Eccleſias. Jovianus itaque licèt reſtituere adempta vellet, non potuit ex integro: ſed quoniam fames exorta tributariam functionem exigi non ſinebat, Eccleſiis tertiam partem annonæ frumentariæ Conſtantinianæ præberi præcepit; integrum canonem præbiturum ſe pollicitus eſt, ubi fames ceſsâſſet. vide *Theodoretum* citatum l. 4. c. 4.

Jovianus igitur tot malis mederi tempestivè aggressus, Episcopos iniquiùs proscriptos reverti jubet, & Ecclesias iis restitui, qui Nicænam fidem inviolatam servâssent (g): ut verò de doctrinæ integritate sinceriorem Institutorem Cæsar haberet; præ cæteris binâ datâ epistolâ S. Athanasium ad Patriam, Ecclesiámque revocat (h). Denique turbarum etiam finis & modus quidam positus est, quando Imperator ab digladiantibus undique hæreseon antesignanis appetitus, impetum altercantium hâc voce confregit: se contentionum studia aversari; eos verò, qui concordiæ student, diligere atque observare (*28).

(g) Socrat. l. 3. c. 24. Nazianz. or. 21. p. 394.
(h) Athanas. nov. edit. tom. 2. p. 779. &c.

14. Inter tot Ecclesiæ amplificandæ studia, ubi aliquod tempus Antiochiæ Jovianus exegerat; Imperio etiam componendo animum applicuit. Equidem Augusti Providentia sub regni exordium ea jam fuerat, ut ad cohibendos Occidentis tumultus Lucillianum socerum suum Magisterio equitum ac peditum donaret: (i) ac ne Jovinus Dux potentior Gallias, quibus præerat, authoritate suâ sibi attineret; Malarichum eidem surrogârat. Verùm hæc sollicitudo nondum anxio Principi exemerat omnem seditionum metum. Quare ut propior avertendo periculo foret, Antiochiâ flagrante etiam hyeme profectus, venit Tarsum nobilem Cilicum urbem; (*29) unde celerem abitum urgens, in mandatis raptim dedit, ut Juliani sepulchro ornamenta quædam imponeren-

(i) Ammian. l. 25. p. 302.

(* 28.) THEMISTIUS Philosophus paganus or. 5. asserit, primam fere legem à Joviano editam fuisse, ut quisque sectaretur religionem, quamcunque vellet: porrò ait, sacrificia Gentilibus ab eodem Augusto fuisse permissa; Verùm hæc Ethnici figmenta non concordant cum iis, quæ de Zelo religionis Christianæ ejusdem Joviani recensent SOZOMENUS l. 6. c. 3. nimirum Jovianum præcepisse, ut sola Christianorum fides Romanis sit veneranda. SOCRATES l. 3. c. 25. quamvis non ignorârit, quæ pronunciaverat de sacrificiis Themistius; contra tamen testatur templa idolorum fuisse occlusa. Et LIBANIUS orat. 12. deplorat., quod omnibus post mortem Juliani contra Deos Gentilium & agere & loqui licuerit, quódque sacrificulos suppliciis addixerint Magistratus. Demum ne credas, sectariis libertatem fidei concessam à Joviano; eoquòd schismata & contentiones se odisse profiteretur. Nam inde potiùs concludendum, ab illo unitatem & pacem super verâ fide fundatam amâsse, quod porrò observantia erga S. Meletium, & exstructa orthodoxis templa confirmant. vide SOCRATEM l. 3. c. 24. 25.

(* 29.) AMMIANUS l. 14. de Tarsensi civitate ita disserit: *Ciliciam, quæ Cydno amne exsultat, Tarsus nobilitat, urbs perspicabilis &c. hanc condidisse Perseus memoratur, Jovis filius & Danaes; vel certè ex Æthiopia profectus Santan quidam nomine, vir opulentus, & nobilis, & Anazarbus auctoris vocabulum referens.*

rentur (*30): posteà magnis itineribus Tyana oppidum Cappodo-
(k) Idem p. 307. ciæ digressus intelligit, Malarichum oblatam abnuisse præfecturam (k); Lucillianum autem unà cum Seniaucho tribuno Remis à seditioso milite fuisse interfectum (l); Valentiniano (qui alter tribunus, & fidus Lucillani comes erat) imminentem necem celeri fugâ prævertente (*31.) Tristissimum nuncium uti Jovianum planè prostraverat; tum id, quod à tabellariis afferebatur, mentem Principis erexit: scilicet Jovinum in Galliis Ducem, cujus fides apud Imperatorem antè suspicione quâdam laborabat, exercitum universum, omnésque Duces in verba Joviani adegisse; cujus integritatis ergo ille supremo militiæ Magisterio ornatus est, cæteri verò tumultûs concitores ad comitatum vincti transmitti jubebantur (m).

Tumultus in Gallia.

(l) Zosim. l. 3. p. 733.

(m) Ammian. l. 25. p. 307.

15. Sub anni sequentis initium Ancyræ Imperator paratis ad Pompam pro tempore necessariis consulatum iniit, adhibito in societatem trabeæ Varroniano filio suo admodum parvulo, (n) cujus vagitus pertinaciter reluctans, ne in curuli sella veheretur ex more, mali ominis loco à quibusdam acceptus est (*32). Id sive

A. Æ. C. 364.

(n) Philost. l. 8. c. 8. Ammian. l. c.

(* 30.) IDEM p. 306. *Tarsum Cilicum urbem nobilem introiit - - - exindéque egredi nimium properans exornari sepulchrum statuit Juliani, in Pomærio situm itineris, quod ad Tauri montis angustias ducit.* Fuêre, qui in Christiano Principe hoc officium reprehenderent, verùm Tillemont art. 7. in V. ait, non esse illicitum, honorare naturam humanam, & conditionem Imperatoris; imò licere veneratione quâdam prosequi etiam in sceleratis res nonnullas, quæ à Deo proficiscuntur. vide hìc BARONIUM ad a. 364. § 4.

(* 31.) AMMIANUS l. 25. sub fin. *Hinc (ut ordo poscebat) exorsi, quod Lucillianus Mediolanum ingressus cum Seniaucho & Valentiniano tribunis, quos duxerat secum; cognito, quod Malarichus recusârit suscipere Magisterium, effuso cursu petierat Remos: & tanquam in alto gentis silentio, extra calcem (ut dicitur) procurrebat: & intempestivè, parum etiam tum firmatis viribus ex Acturio ratiociniis scrutandis incubuit. Qui fraudum conscius & noxarum, ad militaria signa confugit: finxitque Juliano superstite; in res novas quendam medium surrexisse. Cujus fallaciis turbo militaris acerrimè concitus, Lucillianum & Seniauchum occidit. Valentinianum enim, paulò posteà Principem, trepidum, & quò confugeret, ambigentem, Primitivus hospes tutiùs amandârat.*

(* 32.) AMMIANUS p. 307. & THEMISTIUS or. 5. confirmant Valerianum *Nobilissimum puerum* cum Patre consulatum iniisse; nam ut notat PAGIUS in Critic. ad a. 364. Qui nomine Nobilissimi pueri cohonestabantur, Consulatu posthac, non minùs quàm Cæsares, initio dignitatis exornati sunt. Eodem tempore Themistius orationem habuit. Quamvis SOCRATES l. 3. c. 26. asserat, eam palàm ante pronunciatam non fuisse, nisi Dadastanæ, scilicet post intervallum 6. septimanarum, quam orationem posteà Constantinopoli idem Themistius coram populo repetiit. vide TILLEMONT ad a. 364. in vita art. 7.

ſive præſagium fuerit, ſive ſuſpicantium conjectura; certè fatalis dies paulò poſt Jovianum exegit: Cum enim Ancyrâ Conſtantinopolim Imperator feſtino itinere properaret; venit ad prædium, cui nomen Dadaſtana, (o) quique locus Bithyniam diſtinguit & Galatas: ad hos fines Imperatori occurrebat jam Themiſtius Philoſophus cum aliis Conſtantinopolitanæ urbis legatis, ut Jovianum conſulari oratione (p) ſalutatum feſtivo apparatu ad Regiam civitatem deducerent. Aſt nox inſecuta vota omnium, ac vitam Principis eliſit (q); in ſtrato enim, cui incubuerat, exanimis repertus eſt, incertum, an ex cruditate ſtomachi, ut quidam volunt, vel à prunarum calore, quas ob gravius frigus adoleri juſſerat, aut demum quia odorem noxium ob recens illitum calce parietem ferre nequivit (*33). Deceſſit autem anno triceſimo ætatis & tertio, decimâ quartâ Kalendas Martii, poſtquam ſextenis menſibus integris regnaverat. Defuncti corpus Conſtantinopolim deductum eſt, ut inter Auguſtorum exuvias conderetur. Princeps erat, in quo nec inimici alios nævos carpsêre, quàm qui fuêre potiùs temporis infeſti, quàm malignæ voluntatis (r); ac proinde Imperio necdum ſtabilito Principi omnia circumſpicienti forſitan ignoſcendi: defuit itaque Joviano nihil præter ætatem, quâ longiùs prolatâ Romanas res tum Civiles, tum Eccleſiaſticas ad ſummam felicitatem perduxiſſet (*34.)

(o) Sozom. l. 6. c. 6. Amm. p. 308 Zoſim p. 733.

A. Æ. C. 364.

(p) Socrates l. 3. c. 26.

(q) Amm. p. 308. Zonar. p. 25.

Mors repentina Joviani.

(r) Agath. l. 4. p 135. Eunapius. Philoſtorg. l. 8. c. 1.

§. IV.

(* 33.) De morte Joviani variæ occurrunt ſententiæ, quod & AMMIANUS l. 25. ſub fin. innuit: *Super cujus obitu dubitationes emersêre complures; fertur enim recente calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiviſſe; vel extuberato capite periiſſe ſucceſſione prunarum immensâ, aut certè ex colluviene ciborum avidâ cruditate diſtentus.* ZOSIMUS l. 3. p. 733. ait breviùs: *Subitus eum morbus in Dadaſtanis Bithyniæ corripiens, vitæ finem attulit.* ZONARAS T. III. p. 24. & 25. *Dadaſtanis repentè obiit, cùm (ut alii ſcribunt) recentes fungos venenatos comediſſet, (vili enim victu uſus eſt) ut alii hyberno tempore in conclavi tectorio recens inducto obdormiſſet. Nam cum ob frigoris acrimoniam carbonibus intus accenſis magnus vapor è calce æſtuante extitiſſet, eo dormiens ſine ſenſu mortis ſuffocatus eſt vino gravis.* CHRYSOSTOMUS in Philipp. hom, 15. aſſerit Jovianum veneno ſublatum, aut a ſuis Prætorianis occiſum, quod & AMMIANUS innuere videtur, dum ait: *cùmque huic & Æmiliano Scipioni vitæ exitus ſimilis eveniſſet, ſuper neutrius morte quæſtionem comperimus agitatam.* De Scipione autem eodem palam eſt, eundem in lecto ſtrangulatum fuiſſe.

(* 34.) Facit hùc animadverſio S. AUGUSTINI de civitate Dei l. 25. p. 328. edit. Baſil. *Conſtantinum*, ait, *Imperatorem non ſupplicantem Dæmonibus, ſed ipſum Deum verum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta nullus optare auderet. Cui etiam condere civitatem Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine ali-*

quo

§. IV. VALENTINIANUS *eligitur Imperator, Acta ejus ante Imperium, inauguratio:* VALENTEM *Fratrem in Collegam adoptat, renuit se immiscere rebus Ecclesiasticis; partitur cum Valente Provincias Imperii, Procopii Tyrannis in Oriente, ejúsque cædes: Valens in Oriente belligerat cum Gothis, Valentinianus Gratianum filium renunciat Augustum, vincit Alemannos, Pictos, Scotos, Saxones, Francos, & Firmum Mauritaniæ Tyrannum; ejusdem mors repentina.*

1. DEcem fluxêre dies à Joviani obitu, dum alius Imperio datus Augustus est Valentinianus (a). Is Cibali in Pannonia Anno 321. ortus erat (*1) Patre Gratiano, quem non nobilitas generis, sed propria virtus celebrem reddidit (b). Probato corporis, viriúmque robore in militiam adscitus est, cujus varios gradus ubi subiisset; à Constantinopolitano Senatu statuam meruit anno 364. (c): vivis egressus binos filios Imperii candidatos reliquit Valentinianum & Valentem. Valentinianus exemplo

(a) Ammian. l. 26.


(b) Victor Epit.

(c) Themist. or. 6.

quo Dæmonum templo, simulachróque concessit. Diu Imperavit: Universum orbem Romanum unus Augustus tenuit, & defendit: in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandævus ægritudine & senectute defunctus est: filios Imperantes reliquit. Sedrursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset; ut felicitatem Constantini mereretur: cùm propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus; JOVINIANUM *multò citiùs, atque Julianum abstulit: Gratianum ferro Tyrannico permisit interimi &c.* Præterea THEODORETUS l. 4. c. 4. de Joviani morte scribens, ait: *Ego verò existimo, Deum, dum improbitatem nostram coarguit, & ostendere nobis bona, & ea rursus eripere: ac per illud quidem docere, quàm facile sit præbere, quæcunque voluerit: per hæc verò arguere nos, ut indignos, & ad meliorem vitam impellere.*

(* 1.) A Valentiniano, quoniam nova Cæsarum Prosapia incipit; hìc ejusdem Genealogicum Systema proponimus.

GRATIANUS *Cibali in Pannonia natus.*



emplo Patris arma ſecutus, ſub Conſtantio in Galliis Tribunatum geſſit, quo ob calumniam Barbationis (*2) ſubinde dimotus, regnante poſteâ Juliano ampliore fortunâ Sagittariorum tribunus creatus eſt (d): hâc dignitate auctus Apoſtatæ ubique latus ſtipavit, quin tamen à Chriſtianis ritibus ſe disjungeret; nam circa annum CCCLXII. cùm idem Juliani comes in fortunæ templum ſuccederet, ac Popæ ad delubri veſtibulum ingredientium quemvis aquæ aſpergine ex Ethnicorum more ſuperſtitioſo luſtrarent (e): Valentinianus ut pallium quoque ſuum guttis nonnullis conſpergi vidit; indignans admodùm ritûs miniſtrum pugno ferit, plus inquiens maculæ, quàm munditiæ ab hac aqua in veſtes conjecta proficiſci. Quo viſo Imperator Ducem apprehendi jubet, cogique ad Idolorum cultum (f): aut ſi nollet, ad ceſſionem è Palatio (g). Tum Valentinianus zelo religionis divinæ accenſus aulam extemplo deſeruit; nec ante ab exilio (*3) ad caſtra, quàm ſub Joviniani Imperio reverſus eſt. Exinde probatâ adeò in Cæſarem fide fuit, ut præ aliis aptior viſus ſit, quem Lucillianus Auguſti ſocer ad componendos Galliæ motus ſibi comitem adjungeret (h). Remos vix tenuerant; Veteratoris fraude in utrumque Ducem ſeditio concitatur, quâ præter Lucillianum fidi Joviano Tribuni crudeliſſimè trucidabantur: è medio cruenti hujus naufragii ſoli Valentiniano emergere licuit, Provido Numine eundem ad altiora reſervante; fugam enim, quà data porta, arripiens, Ancyram (quorſum Jovianus tunc moverat) tandem pervenit: expoſitis iis, quæ diſcrimina in turbata Gallia ſubiiſſet, ab Auguſto Præmii vice ſecundam Scutariorum ſcholam regendam accepit.

(f) Oroſius l. 7. c. 32.

(g) Theodoret. l. 3. c. 12. Sozomen. l. 6. c. 6.

(h) Ammian l. 25. p. 302. & 307.

Valentiniani res geſtæ ante Imperium.

2. Erant

(* 2.) AMMIANUS l. 16. innuit, Valentinianum a. 357 à Conſtantio à dignitate tribunatûs depoſitum fuiſſe ob calumniam, quam innocenti impegerat Barbation Dux militiæ. PHILOSTORGIUS autem l. 7. c. 7. commemorat hujus abdicationis cauſam fuiſſe, eoquòd Conſtantius ex præſegiis (quibus circumferebatur, Valentinianum aliquando Auguſtum fore) hunc velut regni æmulum à caſtris ejectum voluerit.

(* 3.) THEODORETUS l. 3. c. 12. ait, Valentinianum in Caſtellum prope deſertum relegatum eſſe, PHILOSTORGIUS autem l. 7. c. 7. confirmat eundem Thebis in Ægypto exulâſſe, SOZOMENUS l. 6. c. 6. nominat locum exilii, Melitenem in Armenia: ne verò Valentinianus *confeſſor* audiret apud Chriſtianos; Julianus Apoſtata non ſine calumnia finxit, Tribunum deportari in exilium, quòd militum, queis præerat, nullam habuiſſet curam, videatur hìc AMBROSIUS epiſt. 13. ubi Conſtantiam fidei prædicat in Valentiniano.

A. Æ. C. 364.

2. Erant hæc initia honorum, quibus Dei beneficio paulò post supremus Principatus accessit; ut centuplam remunerationis partem in terris reciperet, qui fidei causâ militiam, Patriámque sub desertore Cæsare reliquisset (i). Decima quarta dies ante Calendas Martias Jovianum mortali vitâ absolverat; tum militiæ præfecti moderatorem Imperii quæritabant diu exploratum, & gravem. Nicææ, quò jam exercitus progressus fuerat, consilia collata sunt (k): Aliis Equitium scholæ primæ Scutariorum tribunum, aliis Januarium Illyrici Ducem poscentibus, displicuit tandem uterque; & illius quidem rustica asperitas, hujus autem absentia longinquior curandæ, aut celeriùs restituendæ Reipublicæ inhabiles visæ sunt. Itaque his rejectis, numinis quâdam adspiratione in Valentinianum consensêre omnes, qui Ancyrâ, ubi adhuc morabatur, confestim accitus quinto Calendas Martias (*4) habitu Principali & Coronâ circumdatus Augustus pronuntiatur. Subinde, quasi quædam è tribunali dicturus, ubi strepentes circùm legiones protenso brachio ad silentium commonuisset; validior clamor tollitur omnium, quo postulabatur præter Principem unum Consors Imperii: nam quoniam paucorum mensium intervallum duos fato repentino sustulerat Cæsares; capite geminato existimatum est, turbationi Reipublicæ occurri posse. Nec intra verba importuna stetit audacia, sed in acres minas erumpens, id, quod urgebat, vi quâdam extorquere parabat. Tum Valentinianus intrepido ore seditiosorum antesignanos duriùs increpans, libertate summâ proloquebatur (l): vestrum fuit commilitones, cum nullus esset Imperator, Imperii habenas mihi committere; nunc verò cum Imperium susceperim, mei deinceps officii est: non vestri, Reipublicæ curam gerere: ne tamen inquiem quorundam irritaret; non inficiabatur adhiberi oportere in omnes casus sociam Collegæ potestatem. Studendum intereà, ut is per otium deli-

(i) Prosper. de Promiss. l. 1. c. 22.

(k) Ammian. l. 26.

Valentiniani electio & coronatio.

(l) Theodoret. l. 4. c. 5 Sozom. l. 6. c. 6.

(* 4.) AMMIANUS l. 26. innuit inaugurationem Valentiniani 26. Februarii factam fuisse ex ridicula conjectura, quam Ethnicus scriptor sibi fingit: quasi *bissextum vitâsset Februarii Mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognôrat infaustum.* Sèd melior ratio adstruitur, quod Valentinianus 25. Februarii adhuc declinans Imperii molem, dubitârit, utrum tanto ponderi subjicere humeros consultum foret?

deligatur, qui concordiam (quâ res minimæ convalescunt) non divellat; alienum quippe ad amicitiam, cum judicaverit quisquam prudens, adjungere sibi debebit; non cùm adjunxerit, judicare (m). Oratio ejusmodi postquam flexerat cunctorum animos; circumseptum aquilis, vexillisque Principem, & scuto impositum (n) duxerunt in Regiam. Solennitatis die exactâ Nicæâ (*5) Constantinopolim profectio indicta est, simulque coram Optimatibus habita quæstio, quem ad Imperii consortium adsciscì oporteret? Ad hæc Dagalaiphus (*6) tunc equestris militiæ rector fidentiùs reposuit: *Si tuos amas Imperator optime, habes fratrem: si rempublicam, quære, quem vestias*; quo dicto Augustus infensior: at iracundiâ compressâ Nicomediam accelerat iter. Calendis Martiis urbem illam ingressus Valentem fratrem stabulo suo cum tribunatûs dignitate præficit (o). Indeque cùm venisset Constantinopolim, negotiorum urgentium molem secum ipse divolvens, eundem Valentem Collegam potestatis & curarum adlegere statuit. Calendæ Aprilis solennitati consignatæ fuêre; His enim Valentinianus fratrem in Hebdomon (*7) productum, & decore Imperatorii cultûs ornatum (nemine refragante) Augustum pronuntiavit. Principum simul regnantium pacata initia turbo quidam domesticus excepit; cùm enim duo Imperatores morbo repentino corriperentur (p), investigatum est acriter: malumne hoc ab infestis Juliani amicis utrique Cæsari

(m) Amm. l. 26. p. 313

(n) Philostorg. l. 8. c. 8

(o) Ammian. l. 26. p. 314. 315.

Valentinianus fratrem Valentem sibi associat.

(p) Zosim. l. 4. p. 734.

(* 5) Ex *Conciliorum* Tom. 4, *Labbeæ editionis* pag. 714. & 715. colligitur ab Augustis duobus fratribus Nicææ hanc prærogativam esse confirmatam: ut, quia Valentinianus ibidem in Imperatorem fuisset electus; Metropolis deinceps haberetur, salvo tamen jure Nicomediæ, quæ Bithyniæ Metropolis permansit.

(* 6.) Dagalaiphus, ut scribit PHILOSTORGIUS l. 8. c. 8. maxima causa fuerat, cur Valentinianus aliis in Imperio antehaberetur. Atque ùt refert AMMIANUS l. 26. in Divisione Imperii atque exercitûs, Valentinianus hunc sibi fidum Ducem præ cæteris quoque adsciscere voluit, & subinde etiam Consulem creavit.

(* 7.) *Hebdomon* locus erat prope Constantinopolim, dictus hoc nomine, quòd abesset ferè septem millibus passuum ab urbe, ut habet CANGIUS de Constantinop. l. 2. p. 140. 141. &c. fuit species Castelli versus meridiem ad litus maris, ubi extabant præter palatium plures Ecclesiæ. Ex quo tempore Valens hoc in loco coronatus est, cæteri quoque Græci Imperatores hìc inaugurationem susceperunt: Cæterùm eidem loco sæpe tribuitur nomen *Tribunalis*, quia Valens primo anno sui Imperii multa illinc struxerat ædificia, ac simul thronum, qui *tribunal* appellabatur.

(q) Idem p. 735.

ſari irrogatum eſſet (q)? Judicii acerbitas Maximum & Priſcum Philoſophos præcipuè petivit (* 8).

(r) Socrat. l. 4. c. 2.

Imperator profitetur Jus ſacrorum ad Sacerdotes pertinere.

(†) Reflexio XI.

3. Recreatis nonnihil viribus Imperatores Conſtantinopoli in Pannoniam tranſeunt; ſed in Thraciam progreſſi, obvium habuêre Hypatianum Heracleæ Perinthi Epiſcopum, qui ſuſceptâ pro Macedonii Sectatoribus legatione id à Valentiniano exorare adnitebatur, ut ſuæ Synodo ad dogmatis emendationem intereſſe dignaretur (r). Cauſam à ſuis curis, foróque alienam cùm Princeps profiteretur; tum in hæc verba hominem increpuit: Mihi cum ſubjecto populo de hujusmodi negotiis curioſè agere fas non eſt: ùt ergo videtur vobis ſacerdotibus, facite. Intellexerat quippe Valentinianus, quantis motibus Eccleſia à Conſtantio ſuccuſſa fuiſſet; propterea quod ſacrorum arbitrum temerario auſu ſe conſtituiſſet: itaque diverſam agendi rationem ſecutus nec judicare inter Epiſcopos, nec dogmatis decernendis, aut diſciplinæ formandæ ſeſe immiſcere præſumpſit (†). Inſtitutum ejusmodi quanquam à Sanctiſſimis viris poſteà celebratum ſit; fuêre tamen, qui in Principe reprehenderent, quòd cùm Eccleſiæ integritatem ac amplificationem potenti Principatûs ſui præſidio, legúmque adminiculis ratam, tectámque ſervare debuiſſet; ſub regni exordia edicto minùs laudato permiſerit, ut, quam quisque vellet, religionem coleret. Ex eo enim Ethnici poſteà nefaſtam illam licentiam arripuêre; ut nocturna (* 9), & per datas jam leges proſcripta ſacri-

(* 8.) EUNAPIUS c. 5. ait: Priſcum & Maximum Philoſophos, utpote Juliani familiares Conſtantinopoli carceri datos fuiſſe, quaſi præſtigiis magicis tollere Principes voluiſſent: Abſoluto ſubinde Priſco, Maximus totum diſcrimen ſubiit, diuturnis carceris ſqualoribus maceratus; eoquòd Valentinianum Juliano olim inviſum reddidiſſet, cùm abdicare ſacra Chriſtiana, aut cingulum militare juberetur: ut innuit ZOSIMUS l. 4. p. 735. circa annum 374. idem Maximus unà cum cæteris Philoſophis ob artes magicas Epheſi capite plexus eſt.

(* 9.) ZOSIMUS l. 4. p. 735. *Nocturna ſacra fieri probibuit: quâ lege coercere volebat ea, quæ ſcelerata deſignarentur. Sed cum Prætextatus, qui pro Conſule Græciam adminiſtrabat, vir omni virtute præſtans, hanc legem diceret vitam injucundam, & acerbam victu Græcis parituram; ſi futurum eſſet, ut Myſteria ſanctiſſima, quæ genus humanum continerent, prohiberentur: peragi ea rite, vi legis ſuæ ceſſante, permiſit; ita tamen, ut omnia ſecundùm Patrias conſuetudines, quales ab initio fuiſſent, perficerentur.* TILLEMONT. notat homini Pagano hic nullam habendam eſſe fidem. Nihilominus ex *Codic. Theod.* 9. t. 16. l. 9. legitur lex edita a. 371. quâ Valentinianus declarat

sacrificia Aruspices resumerent, & Ariani unà cum cæteris Sectis liberiùs volitarent (* 10).

4. Intereà Augusti Thraciam emensi Naissum advenerant: ubi in suburbano, quod appellatum Mediana à civitate tertio lapide disjungitur (s), quasi mox separandi partiti sunt legiones atque Provincias: & Valentinianus quidem (cujus arbitrio res gerebatur) arreptâ Occidentis curâ, Orientis regnum Valenti reliquit. Quibus digestis Sirmium digressi per aliquod tempus, authoritate regnandi discreti Principes, diviso quoque palatio habitârunt; inde demum Valentinianus Mediolanum, Valens Constantinopolim discessit (t). Quantum hæc Regia urbs Orientis lætabatur de novi Principis adventu, tanto subinde mœrore omnium animos perculêre illæ calamitates, quæ regni initia turbârant; nam Persæ manus Armeniis injectabant, hísque subactis facilè creditum est, ab iisdem Romanos limites afflictum iri (u). Imperator quò citiùs malo occurreret, in Syriam abiit, jámque in Bithyniam moverat; tùm nuncio tristiore spargitur, Gothorum prædatorios globos à tergo diripere Thraciam: ancipiti igitur formidine distractus Valens id tandem decrevit, contra minùs validum hostem satis præsidii fore, si oppositu aliquot legionum Provinciæ fines firmarentur (x); quo facto prosecutus iter, Cæsaream usque Cappadociæ, in majores ærumnas, incidit; terra quippe insolitis motibus succussa urbes complures mœnibus nudatas, ædificiorum ruentium labe, hominúmque funeribus replebat (y). Ac ne integris adhuc Provinciis calamitas deesset; eodem tempore Principi nunciatum est, Procopium sumptâ purpurâ per Bithyniam grassari (z): Fuerat is illustri genere in Cilicia natus, ac propinquitate etiam Juliano Cæsari conjunctus: ad hæc animum habebat reconditum, & taciturnitatis quâdam specie

Augusti fratres inter se partiuntur Imperium.

(s) Codic. Theod. Chron. p. 69.

(t) Philostorg. l. 8. c. 8. Ammian. l. 25. c. 10. & c. 11.

A. Æ. C. 365.

(u) Socrat. l. 4. c. 2.

(x) Ammian. p. 315.

Procopius Tyrannus sumit purpuram in Oriente.

(y) Hieronym. Chron. & in Esaiæ c. 15. v. 1.

(z) Ammian. l. 26. p. 318.

 cie

se nec prohibere disciplinam Aruspicum, nec alterius religionis usum à Veteribus permissum; si non magia ritibus adhibeatur: prohibet tamen, ut asserit LIBANIUS de temp. p. 10. immolationem bestiarum, & non concessit Paganis nisi adolere incensum.

(* 10.) Quod Arianis plus interdum indulserit Valentinianus; ac Confessorem decebat, aliqui adscribant Politicis rationibus: Alii id inde profectum credunt, quòd timeret, ne Valens apertum Ecclesiæ bellum indiceret; siquidem in Occidente Ariani premerentur: demum non pauci sunt, qui Justinam, Ario addictam conjugem & incentricem omnis mali judicârint, ut videre est apud Theodoretum l. 4. c. 28. & apud Baronium [illegible] §. 129-132.

(a) Themist. or. 7.

Ejusdem prima studia & officia.

cie Philoſophum profitebatur (a): iſta cùm diſplicerent multis, grata tamen Juliano fuêre, unde Comitum conſortio adlectum variisque militiæ honoribus auctum, tandem cum valida militum manu Meſopotamiæ tuendæ impoſuit, eo tempore, quo Princeps adverſus Perſas ducebat exercitum: & quoniam tunc jam apparebat, Procopium (ſi unquam potuiſſet) quietis publicæ turbatorem fore; Juliano homini ſibi admodum ſimili clàm purpuram ſubmiſit, quam repentè indueret, præque cæteris capeſſeret Imperium, ſiquidem humanitus quid Auguſto hoc in bello eveniſſet (* 11). Mortui Juliani funus à Joviano curare juſſus, paruit: ſed quoniam omnium oculis velut de novis molitionibus ſuſpectus notabatur; in abditas Cherſoneſi Tauricæ ſolitudines diſceſſit (b). Virum latibula (ut indagantis Joviani manus evaderet) ſæpe mutantem, egeſtas demum extrema progredi coëgit; quare deviis itineribus in Chalcedonium agrum regreſſus apud fidiſſimum amicorum Strategium hoſpitium nactus eſt (c). Inde Conſtantinopolim (quantum fieri poterat) clanculum crebriùs intermeans, ignotus vultu ſpeculatoris ritu rumuſculos colligebat tunc crebreſcentes incuſantium multorum Valentem: quaſi cupiditate aliena rapiendi ſuccenſus, Petronio Socero immanem in exſculpendis opibus licentiam concederet. Præterea cùm votis licet obſcuris & tacitis permutatio ſtatûs præſentis, ope Numinis ſummi, concordi gemitu poſceretur; Procopius dimoto jam longiùs Principe (ut qui Syriam petebat) è ſuis ærumnis ad apicem ſummæ poteſtatis ſubitò eluctari præſumit: audaciſſimo facinore milites, paucóſque Duces in occultum fœdus inclinat: dein cæteros vel rei novitate captos, aut pollicitationibus pellectos ſibi jungit. Hi Procopium ſcutis, armíſque cinctum (diſſimulante populo) Imperatorem proclamant. Ubi hunc in modum, pérque hæc exordia ridiculè non minùs, quàm temerè cœpta factio inva-

(b) Ammian. l. 26.

(c) Ammian. l. 26. p. 318. 319. 320.

Quâ ratione venerit ad Imperium?

(* 11.) ZOSIMUS p. 736. *Procopio Julianus ùt ſanguine ſibi juncto, parte copiarum creditâ, mandárat; ut cum Sebaſtiano per Adiabenen itinere facto, ſibi per aliam viam in hoſtem eunti occurreret: conceſſo eidem, ut amictum Imperatorium haberet, ob cauſam cæteris omnibus ignotam. Poſteà verò, quàm Deus alio rerum fortunam tranſtulerat, ac poſt obitum Juliani Jovianus Imperatorium illud ſolium conſcenderat: confeſtim advolavit Procopius, ac datam ſibi veſtem Imperatoriam Joviano tradidit &c.*

invaluisset (* 12); provisum est, ut valida militum manus ex Thracia cogeretur: & inventa occasio est ad alliciendos eos perquam opportuna. Aderat Conastantinopoli Faustina Constantii vidua cum filia parvula: hanc prolem Procopius sinu ipse circumferens, necessitudinem prætendebat (* 13); illecebris ejusmodi (nam Constantii memoria colebatur) invitos etiam in suas partes impulit. Interea Sophronius, notariorum Præfectus, quid ageretur Constantinopoli, nuntiaverat Valenti Cæsareâ Cappadocum Antiochiam profecturo (d); Imperator atrocitate factorum perculsus: per Gallogræciam trepidum reflectit iter: & ni optimorum sententiæ Cæsarem co firmâssent; Augustos amictus abjicere Principi certum erat: resumptis itaque animis duo præmittit militum agmina, quibus in hostiles copias jam pugnantibus Procopius solus prodit in medium, verborúmque lenitate ita demulcet militem (* 14), ut à certamine in fidem Procopii trans-

(d) Ammian. p. 321. 322. 324. 325.

(* 12.) AMMIAN. MARCELL. l. 26. p. 320. *Mirantur quidam profecto irrisione digna principia, incaute cœpta & temere ad ingemiscendas eripuisse reipublicæ clades; iguari forsitan exemplorum, id accidisse primitus arbitrantes. Sic Adramytenus, Andriscus degener quidam infimæ sortis, adusque Pseudophilippi nomen evectus, bellis Macedonicis tertium addidit grave. Sic Antiochiæ Macrino Imperatore agente ab Emesa Heliogabalus exivit Antoninus. Ita inopino impetu Maximini Alexander cum Mammæa matre confossus est: in Africa Superior Gordianus in Imperium raptus, adventantium periculorum angoribus implicatus, vitam laqueo spiritu intercluso profudit.*

(* 13.) IDEM l. c. *Ubi excanduit radiis dies, Idem Procopius deductus in cogitationes varias, Anastasianas balneas petit à Sorore Constantini cognominatas; ubi locata noverat signa: Doctúsque per arcanorum conscios, omnes in ejus studium consensisse Societate coitâ nocturnâ, fide salutis datâ libentr admissus, constipatione vendibilium militum cum honore quidem, sed in modum tenebatur obsessi; qui ut Prætoriani quondam post Pertinacis necem, licitantem Imperii præmia Julianum susceperant, ipsi quoque Procopium infausti Dominatûs exordia molientem, attenti ad omne compendium defenderunt. Stetit itaque subtabidus (excitum putares ab inferis) nusquam reperto paludamento, tunicâ auro distinctâ, ut regius Minister indutus, à calce ad pubem in Pædagogiani pueri speciem purpureis opertus tegminibus pedum: hastatúsque purpureum itidem pannulum lævâ manu gestabat: ut in theatrali scena simulachrum quoddam insigne per aulæum, vel mimicam cavillationem subitò putares emersum. Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriosè sublatus, & ancillari adulatione beneficii allocutus auctores, opésque pollicitus amplas & dignitates ob Principatûs primitias, processit in publicum multitudine stipatus armorum, signisque sublatis erectius ire pergebat, circumclausus horrendo fragore scutorum lugubre concrepantium: quæ metuentes, ne à celsioribus tectis saxis vel tegularum fragmentis conflictarentur, densius ipsi galearum cristis aptabant. Huic timidiùs incedenti, nec resistebat populus, nec favebat.*

(* 14.) AMMIANUS l. 26. p. 324. *Ubi cùm legiones jam pugnaturæ congrederentur,*

transiret. Exinde Nicæa spe celeriùs occupata est: & Chalcedon novi Tyranni molitionibus addicta, Vadomarii Alemannorum Regis, ac Valentis fœderati minas explosit (* 15); simulque Rumitalcam infestum emisit Ducem, qui obsidioni accinctas copias trucidâsset; nisi Vadomarius de consiliis admonitus, instantem Vestigiis hostem per Sunonensem lacum, & fluminis Galli sinuosos anfractus celeriùs abeundo frustrà insequentem elusisset.

Valentis Bellum contra Procopium infelix.

5. Bithyniâ exutus Valens recreari cœpit à Lupicino Orientis Duce (e), qui copiarum hostilium partem in fidem Imperatoris reduxit (* 16). Verùm, quidquid lucri inde evenerat, majore totius Hellesponti, ac Cyzici jacturâ eversum est (f): ad hanc urbem Principis Thesauri ingentes importati fuerant, quibus servandis, uti & civitati Serenianus præesse jubebatur; Alisonis autem Tribuni arte ac fortitudine (impedimentis quibusque sublatis) urbs capta est (* 17): & Serenianus primùm in vincula com-

(e) Zosim. p. 738.

(f) Amm. p. 326. 327.

rentur, inter reciprocantes missilia, quasi procursatione hostem lacessens, solus procedit in medium, & secundioris ductu fortunæ, ex contraria acie velut agnitum quendam Vitalianum (quem si nôrat, ambigitur) latinè salute datâ blandè produxit. Eumque porrectâ dextrâ suaviatus omnibus, hinc inde attonitis: Ea, inquit, cana Romanorum exercituum fides, & religionibus firmis juramenta constricta. Placet fortissimi viri, pro ignotis tot suorum consurrexisse mucrones; utque Pannonius degener, labefactans cuncta, & proterens imperio, quod ne votis quidem concipere ausus est unquam, potiatur, ingemiscere nos vestris, nostrísque vulneribus. Quin potius sequimini culminis summi Prosapiam, non ut rapiat aliena, sed in integrum Majestatis avitæ restituatur, arma justissima commoventem.

(* 15.) IDEM p. 325. *Ad obsidendam Nicæam cum hujusmodi pugnarum peritis Vadomario misso ex Duce & Rege Alemannorum, Valens Nicomediam pergit. Exindéque profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cujus è muris probra in eum* (Vadomarium) *jaciebantur, & injuriosè compellabatur, ut Sabajarius: est autem Sabaja ex hordeo vel frumento in liquorem conversus paupertinus in Illyrico potus.*

(* 16.) IDEM p. 326. *Cum Ancyram Valens citis itineribus revertisset, comperissétque Lupicinum ad Orientem cum catervis adventare non contemnendis, spe prosperorum erectior, Arintheum lectissimum ducem occursurum hostibus misit. Qui ubi Dadastanam tetigit, in quâ statione periisse diximus Jovianum, Hyperechium sibi oppositum repentè vidit cum copiis, antehac rectè Gastrensis apparitorem, id est Ventris ministrum & Gutturis: cui ut amico Procopius auxilia ductanda commisit. Et dedignatus hominem superare certamine despicabilem, authoritatis & celsi fiduciâ corporis, ipsis hostibus jussit suum vincire rectorem: atque ibi turmarum antesignanus umbratilis, comprehensus suorum manibus.*

(* 17.) IDEM p. 329. *Cyzicum se contulit* (Venustus): *ubi fortè Serenianus repertus domesticorum tunc comes, missus ad thesauros tuendos, urbem inexsuperabili mœnium ambitu, monumentis quoque Veteribus cognitam, fretus tumultuario præsidio custodit-*

compactus; dein nemine lugente Nicææ occisus est (* 18). Ea victoria ultra homines Procopium efferebat: & totam Asiam tunc rapere potuisset; nisi in expilandis Arbetionis, aliorúmque divitum ædibus tempus suo periculo trahere maluisset (* 19).

6. Dum Procopius opibus magìs, quam Provinciis occupandis inhiabat; Valens juncto sibi Lupicino: & Pessinunte Galatiæ oppido communito, tendit in Lyciam, Gomoarium Procopii Ducem quasi oscitantem adgressurus: venienti ubi pertinaciùs restitum fuisset; Arbetion, cujus domus antè Constantinopoli expilabatur, à Valente accersitur: is injuriæ à Procopio illatæ memor, pro ea authoritate, quâ Dux in suos olim milites valebat, ostensâ canitie, simúlque gregarios paternâ voce velut filios compellans hortabatur, ut suo exmeplo Principi potius legitimo, quam profligato morem gererent nebuloni destituendo jam & casuro (g). Quibus cognitis Gomoarius cùm elusis hostibus, unde vene- (g) Ammian. p. 328.

stodiebat: ad quam expugnandam Procopius (ut possessâ Bithyniâ, sibi etiam Hellespontum jungeret) validam destinaverat manum. Morabantur autem effectum sagittis & glandibus, cæterisque jaculis obsidentium sæpe globi confusi, & propugnatorum solertia claustrum per catenam ferream valde robustam ori portûs insertam; quæ, ne rostratæ irruerent naves hostiles, erat altrinsecus colligata. Hanc post varios militum labores, & Ducum fatigatorum acerrimis præliis, Aliso quidam tribunus abscidit, exercitiis bellorum prudens, hoc modo: Conjunctis tribus navigiis testudinem hâc specie superstruxit. Densatis cohærentes super capita scutis, primis transtris instabant armati: alii post hos semet curvantes humilius, tertiis gradatim inclinatis summisse: ita ut novissimi suffraginibus insidentes, formam ædificii fornicati monstrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hâc specie, ut missilium ictus atque saxorum per decursus cadentes, labiles instar imbrium evanescant. Itaque conjectu telorum Aliso paulisper defensus, ingenti corporis robore, supposito stipite eandem catenam fortiùs bipenni confindens, ita confregit; ut disjecta patefaceret aditum latum: hócque exitu civitas hostili impetu patuit improtecta.

(* 18.) IDEM p. 330. *Iisdem ferè diebus Protector Marcellus ejusdem* (Procopii) *cognatus agens apud Nicæam præsidium, proditione militum, & interitu Procopii cognito, Serenianum intra palatium clausum medio noctis horrore incautum adortus occidit. Cujus mors saluti plurimis fuit: nam si victoriæ superfuisset incultis moribus homo, & nocendi acerbitate conflagrans, Valentique ob similitudinem morum & genitalis Patriæ vicinitatem acceptus, occultas voluntates Principis introspiciens ad crudelitatem propensioris, multas innocentium edidisset strages.*

(* 19.) IDEM p. 328 Procopius ... *Segniùs commoratus in modum acuti mucronis obtusus est: ut quondam Pescennius Niger ad subveniendum spei rerum extremæ à populo Romano sæpe accitus; dum diu contatur in Syrias irruere, superatus in sinu Issico (qui est in Cilicia, ubi Darium Alexander fudit) fugatúsque in suburbano quodam Antiochiæ gregarii manu militis interiit.*

Proditur à suis Procopius & neci datur.

venerat, redire posset innoxius; ad castra Imperatoris specie captivi, & velut accursu multitudinis circumsepti transivit. Valens hoc eventu lætior, in Phrygiam signa profert, acriúsque prope Nacoliam cum rebellibus conserit manus: parum aberat, quin Augusti legionibus clades internecina afferretur; cum adversarum partium Dux Agilo è media victrice acie repentè ad Valentis attritum exercitum transfugiens rem totam prodidit. Agilonem secuti milites quatiebant pila & gladios: atque ut apertum defectionis signum ederent; cum vexillis scuta perversa gestantes, ad Valentis partes transibant. Procopius visâ proditione, unam in fuga salutem superesse ratus, secreta nemorum, montiúmque petit, Florentio sequente, & Barchalbâ tribuno (h). Majorem noctis partem ubi inter graves curas, multósque questus (ut in ardua necessitate solet) exegerat; comites exitio Tyranni à se periculum propulsuri, vinctum Valenti sistunt, qui statim capite minutus regnum, vitam ac discordiarum gliscentes turbines absolvit octo mensium Imperator (*20); inde in Tyranni fœderatos atrociter sævitum est: muri Chalcedonis, quòd Procopio favisset, destructi, mox tamen reparati sunt, quia urbs punienda non perdenda censebatur (i): demum in Florentium & Barchalbam quoque statuta pœna est, ut ostenderetur, proditionem aliquando, nunquam proditores amari (*21).

(h) Ammian. p. 328. & 330.

(i) Zosim. p. 739.

Alemannorum bellum contra Valentinianum.

7. Bellum civile, quod octo fere mensibus Orientem turbaverat, citiùs potuisset confici; si Valentiniano, quod maximè cupiebat, sociare arma licuisset: sed Alemanni solito infestiùs commoti perruptis Germaniæ finibus Imperatori moram posuêre. Miserant hi legatos suos in Comitatum ad munera certa, & præstituta ex more recipienda: Ursacius officiorum Magister venientes hospites indigniùs, quàm Gentis honor ferebat, excepit; atque

(* 20.) Procopii supplicium extitit Mense Majo, ut habet SOCRATES l. 4. c. 5. & Themistius Procopium hybernum regem ludibrii causâ nominat.

(* 21.) AMMIANUS l. 26. p. 329. *Parique indignationis impetu Florentius & Barchalba, qui eum duxerunt, confestim non pensatâ ratione, sunt interfecti. Nam si Principem legitimum prodidissent, vel ipsa justitia jure cæsos pronuntiaret: si rebellem & oppugnatorem internæ quietis, ut ferebatur, amplas eis memorabilis facti oportuerat deferri mercedes.*

atque ut contumeliæ (k) facti acerbitatem adjiceret, vilioribus donis oneratos non ſine dedecore dimiſit: mordebat iniquior modus Alemannos populos, & legatorum injuriam ſuam eſſe rati, pacis ſtudium (quod repræſentatione horum munerum Romanis hucusque vendiderant) acerrimâ depopulatione Galliæ, velut dato ſigno interrumpunt. Roganti itaque Valenti ſuppetias contra Procopii nefaſtos auſus, id ab Auguſto reſponſum eſt, hoſtem ſuum, fratrisque ſui ſolius eſſe Procopium: Alemannos verò totius orbis Romani, neque videri opportunum, ut internecina minantibus barbaris exponeret Gallias, aut nudatas his adminiculis Provincias irruentium jam hoſtium furori relinqueret. (k) Ammian. l. 26. c. 5. & Valeſ. p. 453.

8. Valentinianus omiſsâ Orientis curâ, Mediolano ex Italia Remos, dein Pariſios transgreſſus fuerat; tum Alemanni (l) hyeme rigidâ per adſtrictum glacie Rhenum licentiùs vagari cuncta infeſtabant: populantibus Charietto per utramque Germaniam Cisrhenanam comes occurrit, adſumpto in Societatem Severiano cum legionibus Divitenſibus Tungricanis. Agmine hi in unum coacto primùm rejicere Barbaros; dein ponte flumini impoſito hoſtes jaculis, mox ſtrictis mucronibus parant inceſſere: ſed Barbarorum manus à vulneribus fortior tam frequenter, támque validè tela, ictúsque retorſit, ut Romanos acriore impetu concuſſos in fugam compelleret, Severiano Duce miſſili ſagittâ per os confixo (m). Quantumcunque verbis gravibus, aut objectu corporis fugientium metus ſiſtere Charietto conaretur; aliud tamen operæ pretium non tulit, quâm ut telo lethali transfoſſus ultimus in acie occumberet. Ducibus ſublatis, Herulorum, Batavorúmque vexillum direptum eſt, quod inſultando tripudiantes Barbari crebrò ſublatum altiùs oſtendebant, nonniſi poſt multa, eáque cruenta certamina reddendum (n). A. Æ. C. 366. (l) Ammian. l. 27. c. 1. (m) Zoſim. l. 4. p. 740. *Romani à Germanis prælio funduntur.* (n) Amm. l. 27. c. 1.

9. Cladem, ubi Valentinianus non ſine mœrore cognoverat Jovinum Equitum Magiſtrum damna rei Romanæ reparare jubet: nec officio defuit vir fortiſſimus; nam Scarponnam (*22) celer-

(* 22.) BAUDRAN. in Lexic. ait Scarponnam olim oppidum fuiſſe Galliæ Belgicæ, hodie oppidulum vel pagus eſt tenuis Lotharingiæ ad Moſellam fluvium inter Tullum & Metas apud Mulopontum.

(o) Amm. l. 27. c. 2.

Jovini expeditio contra Germanos.

celerrimè profectus, palantem ac ferè inermem Barbarorum multitudinem adoritur (o), quâ primo impetu extinctâ, per lentiores deinceps gradus progreditur, ut excussis latibulis, sicubi hostes lateant, fidentiùs vestiget: expertus demum prope Mosellam hostium complures lavandi causâ innatare aquis, alios componendis comis, aut etiam compotationi ex more vacare; stimulante in pugnam odio tumultuaria castra perrumpit. Oppressæ turbæ, cùm nec liceret componere aciem, nec arma expedire dispersa; irati victoris ferro inter irritos fremitus, & jactatas sine viribus minas succubuêre. Advertit stragis hujus celeritas adeò Barbarorum reliquias, ut Jovinus inde ad Catalannos signa movens in cuneum inciderit minimè imparatum: pugnæ ardor ad noctis confinia proferebatur, nec ante ex acie discessum est; dum è Germanis quatuor millibus sauciis, sex alia virorum millia cecidissent (p). Sequente die Dux Romanus lapsos jam tenebris Barbaros insecutus, didicit unum ex Alemannorum Regibus captum, patibulóque suffixum: supplicii atrocitas Jovino ipsi displicuit, & tribunus id facere ausus dedisset pœnas; ni militari impetu commissum facinus constitititisset (q). Duci subinde Parisios reverso non exigua data sunt præmia Victoriæ; quæ tanto lætior imperatori fuit, quòd eodem tempore de occiso Procopio nuncium, simúlque ejus abscissum caput velut Tyrannidis extinctæ testimonium afferretur (r).

(p) Zosim. l. 4. p. 740. Ammian. l. c.

(q) Am. ibid.

(r) Idem l. c.

A. Æ. C. 367.

10. Valentiniano Alemannos à Galliarum finibus propulsante, Valens adversus Gothos in Oriente bellum decernit: causa dissidii inde arrepta est, quòd gens amica Romanis, trina virorum millia Procopio dedisset, armis infestis legitimum Principem invadenti. Tyranno debellato, ínque ordinem redactis rebellibus copiis, hæ quoque Gothorum turmæ captæ sunt (s). Athanaricus, qui apud suos rerum potiebatur (*23), easdem repetendas

(s) Zosim. l. 4. 740. Eunap. p. 18.

(* 23.) TILLEMONT. in V. Valentis. m. p. 146. Ermanaricum, ait, fuisse tunc regem Gothorum eorum, qui vocabantur Greuthungi, & Athanaricus, qui Procopio suppetias miserat, non regio, sed judicis titulo erat insignis: quamvis EUNAPIUS eundem interdum Regem compellare soleat. De hoc Athanarico cum Valente pacem ineunte THEMISTIUS or. 10. p. 134. ita differit: *Quique non perindè ingenio esset, ut linguâ barbarus, sed intelligentiâ, prudentiáque multò, quàm armis*

tendas duxit, quòd ad belli ſocietatem iſta auxilia miſſa ſint Conſtantiani generis propinquo, qui Imperium ſibi debitum commemorâſſet (t); errori itaque, qui à perfidiæ ſcelere abeſſet longiùs, veniam dari oportere. Valenti difficilius perſuaſum eſt, ut eos velut amicos redderet, quos more cæterorum hoſtium captos haberet (u): diſſidentes igitur animi in bellum prorupêre, quod tribus dein annis vario Marte geſtum eſt (*24). Ac primo quidem anno fugientes Barbari intra Serrorum inacceſſos montes maximam Imperatoris vim eluſêre; ut nonniſi pauciſſimis in poteſtatem redactis Princeps in hyberna rediret cum ſuis innoxius, nec illato gravi vulnere, nec accepto (x): ſequentis anni decurſus ab eluvione Iſtri impeditior, moram Valentis molitionibus majorem injecit: neque tertio anno plus confectum eſt, quàm ut commiſſo ad Novidunum prælio Athanaricus ageretur in fugam (y). Permodicæ ejusmodi velitationes etſi parum frangerent hoſtem; longinquioris tamen belli metus, tum inopia ab interciſis commerciis profecta Gentem ſtimulabant, ut legatorum officiis pacem depoſcerent. Valens caſtigatos ſaltem Barbaros ratus, precibus indulget, mittítque militiæ ſuæ magiſtros Victorem & Arinthæum, qui de conditionibus acturi diſquirerent, utrum pax dolo aut fide integrâ quæreretur? Diſcuſſis omnibus, ubi de loco ſanciendæ pacis tandem conventum eſt; Athanaricus excepit, ſe jurisjurandi religione, mandatísque paternis prohiberi, quominus ſibi Romano ſolo inferre pedem liceret; placuit proinde navibus medio in flumine & Gothicæ Gentis Judicem, & Principem Orientis congredi (*25), quorum ille factâ pace ad ſuos, hic

Belli Gothici initia in Oriente.

(t) Zoſim.

(u) Ammian. l. 27. p. 340.

(x) Amm. l. 27. c. 5. Themiſt. or. 10.

A. Æ. C. 368.

(y) Amm. l. c. Zoſim. p. 741.

Valens cum Gothis pacis fœdus decernit.

armis peritior, ideo enim Regis appellationem repudiat, uſurpat judicis. Eſt enim illa potentiæ, hæc prudentiæ, ſapientiæque propria. Is anno 372. contra Chriſtianos Gothos perſecutionem inſtituit; unde juſto Dei judicio ſuæ Nationis ruinam vidit, atque ipſe eò redactus eſt, ut Conſtantinopoli ſepulchrum quæreret.

(* 24.) AMMIANUS l. 26. p. 320. Gothorum nationem *intactam* dicit; nam teſte *Tillemontio* triginta annis nunquam victa fuerat, quod proinde Gothos non parùm ambitioſos, legúmque pacis impotes fecit. THEODORETUS l. 4. c. 11. refert Valentem ob periculi magnitudinem baptiſmum accepiſſe ab Eudoxio Arianorum Coryphæo, qui eodem tempore Conſtantinopolitanæ Cathedræ ad exitium orthodoxorum præerat.

(* 25.) THEMISTIUS or. 10. p. 132. *Eſt illud ſane quidem eximium ac magnificum, cum apparatu bellico trajicere Iſtrum, bis deinceps hoſtilem agrum populari, iteratis toties ſtativis eò progredi, quò ne per legatos quidem penetrare unquam auſi fuiſſemus.*

Sed

hic Constantinopolim reversus est majore victoriæ famâ, quam commodo reipublicæ (z).

(z) Amm. l. 27. c. 5.

A. Æ.C. 367.

11. Interea Valentinianus Rhemis in Gallia tam gravi morbo prostratus est, ut veluti deploratâ Principis salute, de Imperatore deligendo consultaretur (a): non diu tamen Proceres tenuit hæc anxia cura; postquam Valentinianus à morbo recreatus fascibus denuò manus applicuit: quo tempore designare Imperii successorem statim aggressus est; ne, siquid humanitus ei accidisset, respublica detrimentum caperet. Gratianum ex Severa (*26) primâ conjuge habuerat filium: hic ab Ausonio præceptore ad spes altiores educatus, cùm nondum plenos pubertatis annos iniisset (*27), apud Ambianos à Parente Augustus renunciatus est. Solen-

(a) Ammian. l. 27. p. 342. Zosim. l. 4. p. 742.

Gratianus Valentiniani filius creatur Augustus.

Sed quamlibet ea splendida sint, ac generosa, paucisque admodum olim concessa Principum: tamen cum diei illius venit in mentem, cujus ego spectator fui, tum demum mihi Ponte illo Xerxis; (quo cum exercitu trajecit Hellespontum) ad laudem, atque gloriam amplior una illa navis videtur, quâ fœdus Imperator percussit. illo inquam ponte, qui bellum transmisit, oneraria illa, quæ pacem impertavit . . . vidisses tum incredibile, ac longo intervallo revocatum spectaculum, pacem dantes, non redimentes Romanos. Nemo hic aurum Barbaris numeratum vidit, non argenti tot talenta, non veste oneratas naves, non ea, quæ priùs à nobis tolerabantur, cùm excursione omni graviorem atque acerbiorem pacem, ac quietem haberemus. Cujus quidem nomen ipsum, cùm rei interim nihil nos puderet, ejurare solebamus. At Imperator quamvis alioqui munificentissimus, eo tamen tempore videri parcissimus non erubuit; qui insuper consuetam iis annonam detraxit, & pro tantis copiis, quæ ad eos importabantur, vix uni exiguum aliquid concessit, quo usus interprete fuerat: quasi nihilo magis pensitatio ipsa ad Romanos, quam ad Scythas pertineret. Ita porrò per omnia palam istud facere pugnavit, non tam se cupiditate teneri pacis, quàm Barbaris velle parcere; adeò ut neque mercaturæ aut fori commercium, quod superiori pace magnâ ubique iis cum libertate concessum fuerat, in eorum arbitrio & potestate relictum voluerit. Magnificè licet hæc orator de pace exponat; ipse tamen paciscendi modus, ac eventus ostenderunt, parùm commodi inde Romanis accessisse.

(* 26.) SOCRATES l. 4. c. 31. Conjugem primam Valentiniani *Severam* vocat; apud Goltzium p. 132. inscriptio reperitur, quæ eidem nomen *Valeriæ Severæ Augustæ* tribuit: hæc uxor primùm Valentiniano charissima, contra legem Evangelii dicitur à Cæsare fuisse repudiata, & eâ adhuc vivente, surrogata Justina natione sicula, ut TILLEMONT. id conatur probare ex SOCRATE l. 4. c. 3. Verùm DU MESNIL l. 15. Doctr. & Discipl. Eccl. n. 20. contrarium probat. *Primò*, quia rem tam à Romanis moribus antiquis alienam non omisisset MARCELLINUS, Christianis Imperatoribus alioquin infensus. *Secundò* incestuosas nuptias non dissimulâsset Ambrosius, aliique Episcopi. *Tertiò* Valentiniani edictum de ducendis duabus uxoribus, cujus meminit SOCRATES l. 4. c. 3. non extat in legibus Cæsarum. Demum SOCRATES ait, eam Virginem nupsisse Valentiniano; hanc verò tunc Magnentii viduam fuisse testatur ZOSIMUS.

(* 27.) BUCHERIUS in Belg. Rom. L. XI. c. 7. n. 2. Ambianis prope Atrebates

Solennitate omnium ordinum consensu peractâ, Valentinianus cum novo regni consorte Treviros abit (b): illinc magno cum mœrore intellectum est, Britannias vexari à Barbaris & Galliarum tractus à Francis & Saxonibus incendiis ac captivorum funeribus violari. Imperator ad comprimendam vim primò Severum Domesticorum comitem: dein Jovinum; & quoniam periculi magnitudo peritissimum virum poscebat, Theodosium tandem mittit ejus Theodosii, qui postea imperavit, Parentem (c). Is accepto Legionum robore, cùm ad Bononiense littus appulisset, secundo æstu trajecit, stationémque fixit ad Rutupias; Batavis, Herulísque alio itinere sequi jussis. Turmæ, cohortésque vix sub signis steterant; Dux Londinum tendens, divisísque militiæ manipulis prædantium globos per occultiores excursus urget, prædam repetit, revocat desertores propositâ impunitate, quibus compositis novi præfecti, Romanorum finibus (non pauci enim hostilibus insidiis interierant) impositi sunt (*28).

(b) Amm. l. 27. p. 346.

(c) Amm. l. 28. c. 17.

13. Quem-

tes nostros declaratum Augustum, scilicet Gratianum, ex Hieronymi Chronico audivimus, cui consoni Idacii fasti, *Lupicinio*, inquiunt, & *Jovino CC. levatus est Gratianus Augustus in Galliis apud Ambianos, in tribunali à Patre suo Augusto Valentiniano, die 9. Kalendas Septembris, sive Augusti Mensis 24.* Præterea controversia est inter Authores, quoto ætatis anno Gratianus hâc dignitate donatus fuerit. AMMIANUS p. 338. ait, adulto jam extitisse proximum: ZOSIMUS. l. 4. scribit nondum plenos pubertatis annos ingressum; porrò TILLEMONT. concludit cum *Bucherio* Gratianum attigisse tunc octo annos & aliquot menses, quia natum dicit anno 359. 18. Aprilis secundum *Idacium*: vel 23. Maji juxta Chronicon Alexandrinum; huic sententiæ conforme est, quod ajunt SOCRATES l. 5. c. 11. & SOZOMENUS l. 7. c. 13. qui eidem tribuunt annos vitæ 24.; cum anno 383. occideretur.

(* 28.) AMMIANUS l. 28. c. 17. *Theodosius Dux nominis inclyti, animi vigore collecto, ab Augustâ; quam Veteres appellavêre Lundinium: cum milite industriâ comparato solerti, versis, turbatisque Britannorum fortunis, opem maximam tulit: opportuna ubique ad insidiandum Barbaris præveniens loca; nihilque gregariis imperans, cujus non ipse primitias alacri capesseret mente. Hócque genere, cùm strenui militis munia, & præclari Ducis curas expleret; fusis variis gentibus & fugatis, quas insolentiâ natriente securitatem, aggredi Romanas res inflammabat; & in integrum restituit civitates, & castra multiplicibus quidem damnis afflicta, quiete temporis longi fundata* . . . & c. 18. IDEM ait *recuperatam* à Theodosio *Provinciam*, quæ deinde VALENTIA *vocata est arbitrio Principis.* Ubi sciendum est, Romanos, cum belli jure regnum expugnâssent, illud suo more distinguere, & novis appellationibus insignire solitos: quinta proinde hæc Provincia erat, quam Theodosius Romanis stabilivit. PRIMA dicebatur BRITANNIA, scilicet omnis regio australis, quæ hinc mare Britannicum, illinc Tamesim & Sabrinianum fretum interjacet. SECUNDA BRITANNIA Silures, Dimetas & Ordovices continebat, quam posteri *Cambriam* & *Walliam* dixêre. FLAVIA CÆSARIENSIS complectebatur, quidquid

A. Æ. C. 368. (d) Amm. l. 27. p. 349. *Moguntiaci direptio.*

13. Quemadmodum Theodosius trans mare Britannos bello fregerat; ita Valentinianus Treviris adhucdum agens bellum Meditabatur, quo Alemanna gens penitus domaretur (d): verùm Imperatore expeditionem cogitante, Rando unus ex Germaniæ principibus Moguntiacum, præsidiis vacuam urbem occupat: hostis latenter irrepentis insidiæ Christianos præcipuè turbârunt, qui solennia sacra Paschatis peragentes partim Barbarorum ferro obruti, partim unà cum ingenti præda in servitutem abstracti sunt (*29). Mordebat non parum Romanos crudelis audacia: & quoniam Vitichabium Vadomarii filium tumultûs ejusmodi incentorem credebant; regem eundem, cùm interverti haud posset, fraude famuli domestici ad latrocinium empti, sustulerunt, Cædes viri apud suos clarissimi, tam indigno, ac Romanis insolito modo perpetrata Germanorum animos in ultionem accendebat: quare Valentinianus adlectis ex Illyrico & Italia copiis, accitísque præcipuis Ducibus Severo & Jovino hostilem æstum tempestivè comprimendum existimat. Sub vernum igitur tempus sequentis anni unà cum filio Gratiano, magnóque legionum numero in Germanorum terras transgreditur, Barbaro quovis ad sylvarum latebras fugiente. Evastatâ incendiis regione Princeps leviùs suos pergere jussit eum in locum, cui Solicinio nomen est (*30), ubi Barbari altissimum montem insederant; cujus aditus per confragosos colles erat undique abscissus & invius: nisi quod lateris unius declinatio mollior gnaris faciliorem viam ad mon-

A. Æ. C. 369.

quid terrarum à Tamesi ad Humbrum erat. MAXIMA CÆSARIENSIS ab Humbro ad Tinam Fluvium seu vallum Severi porrigitur. Jam verò porrò progressus Theodosius, cum Pictos & Scotos ad ulteriora coëgisset: quidquid à Tina ad fossam juxta Edenburgum erat, Romanorum jugo subjiciens, VALENTIAM voluit appellari. vide ALFORDI in annal. Eccl. Brit. ad a. 312. n. 4. & ad a. 467. n. 4.

(* 29.) AMMIANUS l. 27. c. 10. *Sub idem fere tempus, Valentiniano ad expeditionem cautè, ut rebatur, profecto, Alemannus regalis, Rando nomine, diu præstruens, quod cogitabat, Moguntiacum præsidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritûs invenit celebrari solemnitatem; impræpeditè cujusquemodi fortunas, virile, & muliebre sexûs, cum suppellectili non parva indefensum abduxit.*

(* 30.) BUCHERIUS l. 11. c. 9. n. 3. per SOLICINIUM intelligit Sultzbacum in stratis montanis supra Heidelbergam: BAUDRAN. Lex. Geog. *Solicinium* unà cum Cluverio ait esse oppidum *Sultz* ad Nicrum fluvium in Ducatu Wirtenbergensi. LAZIO est *Bretten* oppidum Sueviæ apud Heidelbergam. Videatur etiam Malcovius l. 6. p. 272. n. 3.

montis fastigium præberet (e). Valentinianus relicto ad sarcinas Gratiano (cujus ætas erat etiam tum præliorum impatiens, & laborum) castra hostium inspecturus avolat cum paucis: sed dum per ignota viarum, ac palustres uligines tendit; hostium insidiis periisset Imperator; nisi jumento citiùs incitato ad suos relatus legionum præsidio sese immersisset. Hoc periculo defunctus aggressionem militibus indicit, qui obstantibus nequicquam Barbaris per hirta dumis & aspera in sublime enisi, fidentissimo impetu manus, armáque miscent. Æquatâ primùm certaminis sorte difficiliùs certatum est; dum turmarum funeribus mutuis res agebatur. Disjecti denique Romanorum ardore hostes fugam arripiunt: fugientibus contrà post montium terga ex composito Dux Romanus (cui Sebastiano nomen) occurrit, qui cæsis magnam partem Alemannis, reliquos Germanorum globos in sylvarum latebras dispersit. Dimicatio quantumcunque felix visa sit Romanis, damnis suis non caruit (f); amissis quippe optimis Ducibus, & militum plurimis absumptis Valentinianus Treviros unà cum filio reversus est (*31); quâ in urbe sepositis armis optimarum legum usu Rempublicam excolere instituit (* 32).

(e) Amm. l. 27. c. 10.

Conflictus Romanos inter & Germanos prope Solicinium.

(f) Amm. l. 28. c. 2.

Valentinianus redit Treviros.

14. Sequente anno Imperator id, quod à Druso Germanico ingenti olim conatu cœptum fuerat, sollicitâ operâ exequi molitus est; nempe ut substructione munimentorum infestas Germanorum excursiones à Galliæ finibus cohiberet: Rhenum igitur à Rhætiis usque ad Oceanum magnis munivit molibus, castella vetera restituit, nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis positis, subradens Barbaros fines (g): Præ cæteris insignius munimentum erat, quod ad Nicrum amnem Valentinianus à primis auspiciis fundavit; sed cùm metueret, ne illud undarum appulsu paulatim subverti posset, statuit impetum fluminis aliorsum abducere. Itaque effosso novo alveo, & vetere non sine ingenti mole-

A. Æ. C. 369.

Munimenta nova à Valentiniano exstructa.

(g) Amm. l. 28. c. 2.

(* 31.) AUSONIUS Gratiani pædagogus huic expeditioni interfuit, & cùm Moguntiâ Treviros rediisset, *Mosellam* (elegantissimum suum Poema) composuit: in quo plures Germaniæ urbes & fluvios commemorat. vide fragmenta aqud Bucherium L. XI. c. 9. n. 4. 5. 6. - 9.

(* 32.) Leges illæ habentur Codic. Theod. 2. t. 10. l. 2. & Codic. Theod. 13. t. 3. l. 8.

molestia obstructo, tandem id, quod voluit, consecutus est (*33). Non absimilem subinde molem (dispari tamen eventu) in monte Piri (*34) trans Rhenum exstruere Augustus disposuit (h): nam cùm locus hic in Barbarorum terris positus esset; Syagrio cuidam in mandatis dabatur, ut celeritate operis prospiceret, ne ante Castelli absolutionem fama novæ molitionis ad Germanos pervaderet, qui nil magis cavebant, quàm & ne suo in solo Romani arces, aut munimenta ædificarent. Verùm citiùs, ac sperabatur, Barbari facinoris indicium accepere; Primùm igitur optimates Alemanni venêre, obsidum Patres, quos lege fœderis, mansuræque diutiùs pacis haud aspernanda pignora Valentinianus tenebat: Barbarorum legati, ubi frustra supplicâssent, ne quid contra fidem, aut pacta susciperetur; deploratâ veluti salute filiorum, qui in potestate Romanorum essent, ad suos redeunt. Reduces ex abdito propinqui collis barbaricus globus jam opperiebatur: qui ùt Patrum responsa audivêre, accensâ irâ prorumpentes, milites seminudos humum etiam tum gestantes invadunt, expeditíque ferro Duces geminos cum gregariis Romanis obtruncant; Nec indicaturus gesta superfuit quisquam, præter Syagrium, qui deletis omnibus ad Comitatum reversus, irati sententiâ Principis sacramento exutus abiit ad lares, commeruisse sævo judicatus arbitrio, quòd evaserit solus. Dignius laborum præmium sub idem tempus retulit Theodosius: is postquam plures annos in componenda Britannia, ac Valentini cujusdam tyrannide (i) opprimenda cellocârat; ad Principem Treviros accitus in locum Jovini equitum Magistri succedere jussus est (k).

(h) Amm. l. 28. c. 15.

Romani ab Alemannis cæsi.

(i) Hieron. Chron.

(k) Amm. l. 28. c. 17.

A. Æ. C. 370.

15. Annus septuagesimus supra trecentesimum labebatur, quo Saxones Oceano (quèm unà cum vicinis Frisonibus accolebant) superato, limitem Romanum invecti in Gallias penetraverunt (l). Eruptionis primæ procellam etsi Nannenus comes aliquamdiu sustineret; vulnere tamen accepto, certaminibus ingentibus impar precibus ab Imperatore adeptus est, ut Peditum Magister Seve-

(l) Ammian. l. 28. c. 29. Orosius l. 7. c. 32.

(* 33.) BUCHERIUS l. 11. c. 10. n. 2. Munimentum hoc nihil aliud fuisse, quam hodiernum *Manheim* ad Nicri, Rhenique confluxum, tenent Freherus & Gruterus: Dubitat Cluverius. Videatur etiam Tillemont in V. Valentiniani Artic. 21.

(* 34.) Per montem *Piri* Heidelbergam intelligunt Historici complures, uti asserit TILLEMONT l. c. & BUCHERIUS l. c. n. 3.

Severus dubiam belli aleam pluribus copiis firmaret. Auctus immenſùm exercitus ſignorum, aquilarúmque fulgore præſtrictos Barbaros ad pacem petendam compulit, quam eatenus conceſſam habuerant, ut datis obſidibus innoxii ad ſuos remigrarent. Aſperſa tunc denuò labes Romano nomini perfidia; nam Saxonibus ſine formidine (ut ex pacis legibus juſſi fuerant) reditum parantibus, pedites in abdita circa Deuſonem valle ad inſidias diſpoſiti prætereuntium exitium moliebantur (m). Barbari proditione nefariâ rem agi, indignantes (extremâ ſorte novas vires ſuggerente) Romanos multâ cæde perculſos ad fugam compellunt, concidiſſéntque omnes nullo relicto; ni Cataphractorum equitum cuneus ex alio latere prope divortium itineris pari modo locatus, & pereuntium clamore excitus, victoribus Saxonibus geminâſſet periculum. Exin concurſum eſt infeſtiùs, firmatíſque pectoribus hinc inde incumbentes Romani clauſos Barbaros contrucidant, quod vincendi genus tantò probroſius fuerat, quantò glorioſiùs Veteres Romani (non latrocinio): Sed aperto Marte pugnantes hoſti etiam datam fidem ſervaverant (*35).

Saxonum irruptio in Gallias.

(m) Euſeb. Chron. l. 2. p. 187. Oroſ. l. 7. c. 32. Valeſ. Franc. l. 1.

Cædes Saxonum.

16. Stabant hâc qualicunque victoriâ Galliæ fines unâ ex parte à prædonum incurſibus liberi: & Hermogenis atque Aratoris Romanorum Ducum ſolertiâ Alemanni ad Niccarum domiti, faciliùs jam ferebant jugum. Supererat una Macriani regis potentia, eorúmque Alemannorum, qui Mœnum circumſidentes irrequietis ſæpe motibus rem Romanam confundebant: opportunum igitur Imperatori viſum eſt, ad cohibendam vim urgere arcium ad Rhenum cœptarum opus. At metus erat, ne ſtructoribus caſtellorum infeſta gens foret; commodum proinde captari poſſe credebatur (n), ſi finitimus Burgundiorum populus & viribus affluens in Alemannorum perniciem excitaretur: legatione, ſcriptíſque literis Regibus Gentis (o) iis potiſſimùm de cauſis bellum perſuaſum eſt, quod cum Alemannis & ipſi ſæpiùs de finibus

(n) Amm. l. 28. c. 5.

(o) Ammian. l. 28. c. 5.

(* 35.) AMMIANUS l. 28. c. 29. deſcribit prœlii locum: *Deuſone in regione Francorum*, ita conciſi ſunt, ut *ne eorum quidem unus genitales reviſeret lares* per Deuſonem plures intelligunt Duiſium è regione Coloniæ. Porrò BUCHERIUS hic commentatur: valuit ea Saxonum cædes ad aliquod tempus, ut à novo in Belgicam eruptione abſiſterent. Neſcio, an non etiam ad generalem illam usque aliorum Barbarorum, ac præſertim Vandalorum eluvionem.

Burgundiones evocantur à Valentiniano.

finibus, salinisque (*36) certârint, quódque jam Imperator amplâ pollicitatione occasionem suggereret, quâ Burgundii hostis sui distractas vires à fronte lacessere: Romani verò agminibus per Rhenum transmissis terga ejusdem premere; ac vel inde communione armorum pavidos pessumdare possent. Icto fœdere octoginta millia Burgundiorum ad ipsas Rheni ripas progrediuntur (p): illinc ubi non Romanos milites, sed operas exstruendis munimentis intentas vident; ad comitatum nuncios celeres mittunt, qui promissas copias, ac adminicula ab Valentiniano exigant: petentibus nonnisi verba data sunt, fiebátque palàm, Imperatorem id duntaxat specie fœderis egisse, ut commissis inter se Germanis ipse postremus ad legenda spolia accederet. Reges hunc in modum decepti, aut ludibrio habiti occisis iis, quos à Romanis obsides aut captivos habebant, ad terras (unde pellecti exierant) revertuntur, aliquando longiùs etiam ultra Rhenum cum Romani Imperii exitio progressuri.

(p) Euseb. Chr. l. 2. ad a. 374. Oros. l. 7. c. 32

Et ab eodem decipiuntur.

Captorum Alemannorum pars traducitur in Italiam.

Valentinianus etsi ex violata fide integrioris famæ jacturam pateretur; facinus tamen non sine omni lucro fuit: acurrentibus nimirum Burgundiis, Alemanni belli metu in extimos Patriæ limites dispergebantur; unde Theodosio alterâ ex parte excubanti occasio subnascebatur, quâ per Rhætias illapsus (Alemannorum non paucis cæsis) plures cœpit, traducendos in Italiam, ubi agros circa Padum tributarii colerent (q).

(q) Amm. l. 28. c. 5.

A. Æ. C. 371.

17. Digressis Burgundis Rex Macrianum, ad suum (quod inter Mœnum ac Lonam habebat) solum rediit; terror ut ante Romanis futurus: Imperator, qui hostem tam potentem superstitem dolebat, eundem novis insidiis in suam redigere potestatem adnititur (r): navibus Rhenum jungit, præmissúmque contra Mattiacas aquas Severum ipse sequitur, id maximè suis inculcans, ne infesto belli strepitu adventum miles proderet. At hoc ægrè ab incendiis, rapinísque manum abstinente indicium insidiarum ad Macriani Satellites subitò permanat, qui à fumantibus villis exciti

(r) Amm. l. 29 c. 4.

Valentinianus Macriano Alemannorum Regi in cassum struit insidias.

(* 36.) BUCHERIUS l. 11. c. 11. n. 8. „Erant Salinæ istæ in gentis utriusque confiniis, extat adhuc fluviolus Sala, qui sub monte Vogelsberg apud vicum Sala oritur, & per oppida Salemunster, Salefeld & Hanau fluens, Mœno paulò infra Francofurtum confunditur. Ad hujus igitur fluvioli fontem Salinas illas ego quidem fuisse puto.„ Videatur etiam VALESIUS ad c. 5. l. 28. Macellini.

exciti raptum regem & carpento impoſitum anguſto aditu circumfractis collibus abdiderunt: intemperantia paucorum prædantium ubi univerſam Valentiniani ſpem infregiſſet; Princeps in terras hoſtiles furorem exprompſit, híſque devaſtatis Treviros abiit mœſtus. Triſtitiam aliquantùm temperavit Juſtina altera poſt Severam defunctam conjux (37), quæ hoc tempore Valentinianum Juniorem Parenti dedit: natus Princeps Prodromus pacis videri potuerat; eoquod Imperator rempublicam deinceps non tam armis, quàm legibus tueri conſtitueret: ſed hæ tam acres & Chriſtiano nomine acerbæ erant, ut in media pace bellum contra religionis honorem (*38), & adverſus multorum ſalutem ſuperſtitionis quâdam ſpecie gereretur. His ad calamitatum cumulum accedebat, quod Princeps in Provinciarum Præſides indulgentior, parum adverteret animum ad hujuſmodi hirudinum dolos, quibus ſubditorum opes exhauriebant. Romanus Africæ comes præ cæteris ad fallendum aptior (s) eò ſecuriùs in ſuos debacchabatur, quò arctiùs Remigium officiorum Magiſtrum repræſentatâ rapinarum ſuarum parte devinxerat. Afri atri hominis ingenium non ferentes miſſis ad Palatium legatis tandem querelas exponunt. At Remigii artibus res ita compoſita eſt, ut teterrimo raptore omni ſceleris ſuſpicione liberato, in accuſatores integerrimos pœnæ crudeliſſimæ expromerentur. Romanus quia ab impunitate ad majora facinora mentem firmaverat; Firmum Maurorum Principem quæſtûs causâ opprimere inſtituit (t): erat is

Leges illaudatæ Valentiniani.

A. Æ. C. 372.

(s) Amm. l. 28. p. 363.

(t) Amm. l. 30. p. 429. Oroſ. l. 7. c. 33. Zoſim. l. 4. p. 744.

(* 37.) Juxta SOCRATEM l. 4. c. 31. Juſtina erat filia Juſti, qui Gubernator erat Marchiæ Anconitanæ; ZOSIMUS ait l. 4. p. 746. Juſtinam fuiſſe antè uxorem Magnentii occiſi anno 353. Cæterùm fœmina habebatur Ario addictiſſima, quam hæreſin callido animo occultavit, dum Valentinianus vixit: Suſcepit ex Valentiniano quatuor proles, *Valentinianum II.* qui poſt Patrem regnavit, & tres filias, quarum una *Galla* ſecunda conjux fuit Theodoſii M.; duæ reliquæ ſcilicet *Juſta* & *Grata* manſerant innuptæ. vide Byz. famil. p. 59.

(* 38.) BARONIUS ad a. 371. §. 129. notat legem Valentiniani, quæ habetur in Codic. Theod. 15. c. 7. l. 1. & quâ decernitur, ut Comœdi in periculo mortis ſacramenta participantes cogi nequeant, ſiquidem convaleſcant, ut ad Theatra redeant; unde patet Comœdorum ſortem ſervilem fuiſſe, quâ quidam obligabantur eo tempore ad hoc turpe obſequium: præterea BARONIUS l. c. reprehendit legem 29. Maji editam ab eodem Imperatore, quâ conceditur Aruſpicibus, Gentilibúſque uſus ſuperſtitionum antiquarum, dummodo iis non adjungantur ritus Magici, & per aliam legem datam 28. Junii donat privilegia Sacrificulis Provinciarum pares Comitibus honores. vide BARON. ad a. 371. §. 130. & 131. & 132.

is filius Nubel per tractus Mauritaniæ potentissimi Reguli; qui mortuo Parente, fratrem Zamma (ne regnum præriperet) interemit: id igitur parricidium cùm ad Cæsarem acerbiùs, ac fas erat, delatum fuisset à Romano; formidanda, & atrocia in Firmi caput statuta sunt, quin reo Defensionis locus relinqueretur. Maurus proinde saluti suæ prospecturus (accitis in societatem reliquis Barbaris) palàm ab Imperatoris fide deficit, irrepítque in præcipuas urbes Donatistarum (qui tunc hæretici iis in terris tumultuabantur) favore (u). Valentinianus compertis Africæ motibus Theodosium non exigua cum militum manu mittit, ut indagatâ seditiosorum causâ pacem restituat (x): is emenso mari, ac litore Sitifensis Mauritaniæ confestim Romanum tradit custodiæ, dein in Firmum copias movet, qui adventu repentino famosi Ducis conterritus pacem orat: & impetrâsset, si quos obsides dare pollicitus fuerat, protinus tradidisset: legatione itaque secundâ Firmi repudiatâ, ad arma deventum est. Tyrannus binis conflictibus accisus, ne quid ultimæ rationis omitteret; Christianos Antistites cum obsidibus ablegat, qui iteratis precibus fœdus orent: benigniùs susceptos ipse Maurus sequitur, curvatâ ante Theodosium cervice facinoris audaciam deprecans; inde cum osculo susceptus abscessit captivos, militaria signa, & coronam Sacerdotalem (* 39), quam interceperat, redditurus. Hæc tamen omnia moliebatur callido consilio, ut posteà nihil hostile metuentes Romanos in modum tempestatis subitæ concuteret: junctis namque subinde Barbarorum plurimis & cohortibus quibusdam Romanis (quæ ad Firmum transierant) Theodosium in suprema conjecit discrimina, è quibus errore hostium duntaxat emersit. Constitutum his jam fuerat suâ multitudine obruere Ducem, tum fœderatis repentè terror incussus est: venerant aliunde in Firmi auxilium Barbarorum agmina, quæ quoniam quidam Romani transfugæ anteibant, existimatum est, novo exercitu res Theodosii auctum iri; versi igitur in fugam, ac è Victoribus victi evasêre. Inde Theodosius Firmi fugientis vestigia pede sollicito pressit, & vicinos reges, qui Tyranno latibulum dederant aut præsidium

A. Æ. C. 373.

Firmi Mauritaniæ regis seditio contra Valentinianum.

(u) August. ep. 164.

(x) Amm. l. 29. p. 399-408.

Theodosius in Africa pacem restituit.

(* 39.) TILLEMONT. in V. Valentiniani art. 28. per coronam, ait, sacerdotalem corona aurea intelligitur, quali Pontifices Pagani in quavis Provincia consueverant uti.

ſidium tamdiu conflictibus attrivit; donec Igmazenius Iſaflenſium Rex ærumnis feſſus de tradendo infeſtorum motuum authore decerneret (*40): Conſilia, quæ Barbarus Princeps cum Theodoſio agitârat, cùm Firmo minùs obſcura forent; primùm de fuga meditatur: ſed ab Igmazenio cuſtoditus, in ipſo carcere vino diſtentus, & cuſtodibus altiore ſomno oppreſſis funiculo collum inſeruit, pendénſque è clavo parieti adfixo absque diuturniore cruciatu animam tot ſeditionum incitatricem exhalavit. Igmazenius ægerrimè tulit, exanimem videre, quem vinctum ad Romanorum caſtra ambitioſiùs traducere ſtatuerat: itaque Camelo ſaltem necati cadaver impoſitum, ad Theodoſium deportabatur, qui viſis perduellis exuviis exultare poterat, ſe Tyrannum, non tamen omnem Tyrannidem oppreſſiſſe; Gildo quippe Firmi Frater eam reparavit, acerbus æquè Orthodoxis, atque Donatiſtis amicus.

Firmus ſuſpendio perit.

18. Compoſitâ tantiſper per Africam pace, in Pannoniæ finibus bellum Imperatori exitiale exarſit: Maximinus enim Valeriæ præfectus Quados in arma coëgerat (y); ſive quòd in eorum terris trans flumen Iſtrum præſidiaria caſtra contra pactorum fidem ædificâſſet (z), ſive ob Gabinii Quadorum Regis necem, quem ad Convivium corrogatum nefaſto latrocinio trucidaverat (a): utraque injuria iram Gentis adeò accendit, ut transmiſſo Iſtro omnia cædibus populationibúsque permiſcerent; imò parùm abfuit, quin filia caperetur Conſtantii, cùm duceretur Treviros Gratiano nuptura: ſed Meſſala Provinciæ Rector ſponſam Auguſti carpento impoſitam celeri fugâ Sirmium ſubduxit: Barbarorum globi tam inſigni ſpolio inhiantium ad urbis ejus portas ſequuntur; mœnia tamen validiùs à Probo Prætorii Præfecto exſtructa prohibuêre, quominùs votis frementium fieret ſatis. In Valeriam itaque verſo curſu per iter obvias legiones quaſdam deleviſſent; ni Theodoſius Junior (tum Dux Mœſiæ à debellatis Sarmatis celebris, poſteà Princeps) laborantibus ſubveniſſet (b).

A. Æ. C. 374.

Irruptio Quadorum in Valeriam.

(y) Amm. l. 30. p. 417.

(z) Idem l. 29. c. 6. p. 408.

(a) Zoſim. l. 4. p. 745. Amm. p. 409.

Diſcrimen ſponſæ Gratiani.

(b) Amm. l. 30. c. 6.

19. Va-

(* 40.) OROSIUS l 7. c. 33. Finitum hoc bellum ait ſub Gratiano, quare turbæ Afrorum modò poſt Valentiniani mortem à Theodoſio compoſitæ ſunt.

19. Valentinianus eodem tempore ædificando prope Basileam munimento (*41) commodaverat curas, quo tristes literæ veniunt Probi, docentis Illyrici clades (c); periculi immunitas urgebat irrequietum Imperatoris animum, jámque ad iter abeunte etiam autumno stabat accinctus: sed Optimatum intererat, persuadere Principi, ut pacato priùs Rheno sub sequentis veris initium expeditionem novam auspicaretur. Itaque prope Moguntiacum blandiùs Macrianus accersitur proclivis & ipse ad accipiendum fœdus (d): in ulteriore Rheni ripâ (is quippe locus colloquio designatus erat) pax inita est & amicitia, quâ sacramento firmatâ, Imperator Treviros, Macrianus ad suos abiit ex hoste deinceps socius futurus: non tamen Barbaro exsolvere fidem licuit; nam Francorum fines subinde populatus, Mellobaudis regis dolo periit.

(c) Amm. l. 29. c. 6.

(d) Idem l. 30. c. 6.

Valentinianus pacem fœdúsque ferit cum Macriano Alemannorum Principe.

A. Æ. C. 375.

20. Hyemem interea Valentinianus Treviris exegerat (e), tum relicto ibidem Gratiano, ipse per nota itinera unà cum conjuge Justina ac quadrimo filio Valentiniano Carnuntum (Illyricorum oppidum) pergit: proficiscenti legatio Sarmatarum offertur supplex, quam tamen Princeps in Pannoniam distulit. Inde aliquot menses cogendo exercitui dati sunt; & facto apparatu Mellobaudes cum militari peditum manu, & adjuncto Sebastiano comite copias præcedit: secutus Imperator Acincum castra movit, ubi ponte Istro flumini imposito transiit in Quados. Ferocia militum nec tectis, nec ætati cujusquam pepercit; quo ultionis acerbissimo exemplo edito, Valentinianus Acincum, dein Bregetionem signa reduxit, legionibus sua hyberna dividens: vixdum per tempus respiraverat Imperator; Quadorum venêre legati ad orandam pacem (f). Hanc ut impetrarent, seditionis causam in Valeriæ præfectum, ínque plebem ad motus arte quorundam latronum suscitatam rejiciebant; prætereà gratum facturi pro Cæsaris militia certos tyronum numeros condicebant. Ista quantâcunque officiorum significatione dicerentur; Valentinianum tamen ita commovebant, ut

(e) Amm. l. 30. c. 5.

Valentinianus movet contra Quados.

(f) Amm. l. 30. c. 6. Zosim. p. 745 Vict. Epit. c. 45.

(* 41.) AMMIAN. l. 30. c. 3. *Secuto post hæc anno, Gratiano adscito in trabeæ Societatem, Æquitio consule, Valentiniano post vastatos aliquot Alemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basileam, quod appellant accolæ Robur &c.* ubi etiam (scilicet Robore) leges editæ leguntur in Codic. Theod. Anno 374. l. 33. de curs. public.

ut iræ repentinæ æstu abreptus, tanquam ictus è cœlo vitali viâ, vocéque simul obstructâ exanimis: vel ut alii, subitâ sanguinis eruptione interclusus decesserit (*42) XV. Kalendas Decembris anno ætatis quinquagesimo quinto, Imperii duodecimo. Corpus ejus Constantinopolim ad Imperatorum tumulum deductum est (*43). *Mors repentina Valentiniani.*

21. Princeps erat solers ingenio, animóque gravis, sermone cultissimus, parcus tamen ad loquendum (g), omni pudicitiæ cultu castus domi & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscœnæ (h), háncque ob causam velut exemplo Palatii licentiam admoderabatur. Disciplinæ militaris censor eximius, in Provinciales admodum parcus, tributorum onera ad tempus mollivit: anxius in deferendis potestatibus (i), id porrò prospiciebat, ne quod officium nummularius (*44) pretio mercaretur: præter fratrem, ex propinquis neminem altioribus officiis admovit: perpetuus vitiorum & severissimus hostis in adulteria præcipuè animadvertebat (k). Atque hæ virtutes optimi Imperatoris imaginem in Valentiniano expressissent; nisi easdem quibusdam vitiis obscurâsset: in acerbitatem enim justo asperiùs naturæ calore ferebatur, (l) oblitus, quod regenti Imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sint devitanda. Et licet in lenitudine Principum, afflicti solatia statûs esse soleant; Valentinianus tamen pœnas per cruentas quæstiones, pér-

Vitia & virtutes Valentiniani,
(g) Ammian. l. 30. p. 433. Eutropius Vict. Epit.
(h) Amm. p. 432.
(i) Suidas s.
(k) Vict. Epit
(l) Ammian. l. 30. p. 429. & 431. Hieron. ad a. 366.

(* 42.) AMMIANUS l. 30. c. 8. *Quadorum venêre legati, pacem cum præteritorum obliteratione suppliciter obsecrantes; Tyrociniúmque pollicentes. Imperator irâ vehementi perculsus, tanquam ictus è cælo, viâ, voceque simul obstructâ, sufflatus igneo lumine cernebatur: & repentè cobibito sanguine, lethali sudore perfusus, ne laberetur spectantibus exulibus, concursu Ministrorum vitæ secretioris, ad conclave ductus est intimum. ubi vena ejus iterum, sæpiúsque puncta, ne guttam quidem crueris emisit, internis nimietate calorum ambustis. Et dicere conatus aliqua, animum efflavit, ætatis anno 55. Imperii minùs centum dies, secundo & decimo.* VICTOR *id intemperantiâ*, ait, *cibi, ac saturitate, quâ artus diffuderat, accidisse plures retulere.* HIERONYMUS in Chronico *subitâ sanguinis eruptione (quod græce apoplexis vocatur) Brigitione mortuum* refert.

(* 43.) AMMIANO teste l. 30. p. 433. *Corpus conditum ad sepulturam, ut missum Constantinopolim inter Divorum reliquias humaretur*, venit Constantinopolim sequente anno 28. Decembris & non antè terræ mandatum, quàm anno 382. per Theodosium. TILLEMONT advertit, quorundam vanam opinionem fuisse, quod Valentiniani corpus Autunaci ad Rhenum inventum sit anno 1174.

(* 44.) ZOSIMUS hìc veritatis limites pro more transilit l. 4. p. 435. *Ad Magistratus reliquos fortuitò perveniebant, qui eos adfectabant: cum quidem unum hoc ex rationis præscripto fieri videretur.*

pérque ignes & gladios augebat: judices malignos nunquam consultò elegit; sed si semel promotos agere didicit immaniter, sævientibus ille stimulos submovebat, ut noxas vel leves acerbissimè vindicarent: itaque ut reliquis Augustorum compluribus multum potuisse ad salutem alterius, honori; ita plus posse ad exitium, Valentiniano probro fuit (m). Asperitati (quam quidam crudelitatem nominavêre) adjunxit subinde cupiditatem, opes nimias congerendi (n), dissimulans scire, quod sunt aliqua, quæ fieri non oportet, etiamsi licet. Demum quoniam invidiâ urebatur, eruditos, & opulentos ac nobiles oderat, fortibus etiam detrahens, ut solus videretur bonis artibus eminere, quo vitio exarsisse Principem novimus Hadrianum (o). Hæc vitia utut adhæserint Principi, famam tamen ejus apud posteros omnem non abstulerunt; quin scriptores non defuêre (p), qui rempublicam ab illo sapienter gubernatam, testarentur: ac proinde unus veterum Trajano Valentinianum æquare non dubitavit; eoquod salutari, ut ajebat, rigore, vicisset inanem clementiæ speciem.

(m) Amm. l. 27. p. 345. l. 29. p. 396. & 397.

(n) Zosim. l. 4. p. 744.

(o) Idem l. c.

(p) Cedren. p. 309. Ambros. Epist. 13. Sozom. l. 6. c. 36.

§. V. VALENTINIANUS II. *creatur Augustus:* GRATIANUS *renuit admittere nomen, habitúmque Gentilis Sacerdotii.* VALENTIS *Bellum cum Persis, irruptiones Hunnorum, Bellum Gothorum Romanis fatale. Victoria Gratiani de Alemannis: Valentis internecina clades & mors funesta.* THEODOSIUS *adoptatur à Gratiano in Collegam Imperii: Theodosii Baptismus, Religionis Zelus, fœdus cum Gothis: Seditio & Tyrannis* MAXIMI, *cædes truculenta Gratiani.*

A. Æ. C. 375.

(a) Ammian. l. 30. c. 31.

1. Post excessum Valentiniani anceps rei timebatur eventus (a): id quippe Duces præcipuos anxios habebat, ne si fama de morte Augusti ad Gallicanas cohortes pervaderet; Imperatorem novum ipsi suo arbitrio objicerent. Authore Equitio Consule & Merobaude utriusque (* 1) militiæ præfecto consensêre omnes, ut

(* 1.) VICTOR in Epit. *Valentinianus adhuc quadriennis, auctore Equitio, &c Merobaude propinquo* (prope Acincum) *ubi cum matre fuerat allatus, creatus est Imperator* ZOSIMUS l. 4. 746. *extincto Valentiniano, v denses legionum Tribuni Merobaudes & Equitius, Valentem, atque Gratianum in locis procul remotis degere, quod alii Valens*

ut Valentinianus puer, defuncti filius vocaretur ad regnum. Et quoniam parvulus cum Justina matre, in villa (quæ centesimo duntaxat lapide à castris absuerat) morabatur; à Cereali avunculo (b) quadrimus infans lecticâ devectus in castra, sexto post die fasces Imperii suetâ solennitate suscepit (c). His peractis acrior cura multos urgebat; quòd maximè subvererentur, ne Gratianus re compertâ ægriùs ferret, se inscio, aliud Imperio caput datum fuisse (d). Verùm contra, ac metuebatur, evenit; nam Gratianus omni pietate atque officio fratrem complexus (e), eidem Collegæ, Italiam, Illyricum, Africámque (f) adsignavit, transalpinas duntaxat Provincias sibi retinens: quanquam inhabili infantis ætati hâc ratione quoque prospiceret, quòd Principatûs titulos, fructúmque Valentiniano relinquens, ipse totius Occidentis curam, quoad vixit, gesserit. Solus igitur Gratianus cùm in oculis omnium etiam Gentilium foret; ab his natumajori Imperatori summi Pontificis ornamenta oblata sunt. Admiserant equidem Christianorum Cæsarum quidam signa ejusmodi, ut potestate in sacrificulos donati, superstitionem suos intra limites coërcerent; At religiosiori Gratiano detestabile visum est, siquidem is, qui Ecclesiæ unius amplitudinem curaret, exteriore Idololatrarum notâ insigniretur: repudiatis itaque Gentilis Sacerdotii vestibus, cum pudore Ethnicorum se Christianitatis defensorem, ac verioris Pontificis filium maluit profiteri (†).

(b) Zosimus l. 4. p. 746.

(c) Chron. Alexand. Idat. in Fast.

Valentinianus secundus Augustus creatur.

(d) Amm. l. c.

(e) Socrat. l. 4. c. 31.

(f) Zosim. l. 4. p. 746.

Gratianus renuit habitum Pontificium Gentilium.

(†) REFLEXIO XI.

2. Intereà ad Valentem in Oriente, nuncius mutati Imperii pervenerat; quâ vicissitudine Imperator idem non parùm commotus est (g), quod se doleret, Patruo neglecto, nec auditis consiliis Nepotes divisisse Occidentis Provincias: multitudo tamen hostium, quibus distinebatur, non permisit, ut contra moliri aliquid auderet. Præterquam enim quòd Ecclesiæ ac divinitati JESU Christi bellum cruentum indixisset (*2); cum Magnatibus ac Philosophis Gentilibus negotium habuit (h): lætabantur hi

(g) Eunap. p. 19. Zosim. p. 751. Amm. l. 31. p. 457.

Sævities Valentis.

(h) Amm. l. 29. p. 388. Sozom. l. 6. c. 35. Baron. ad a. 370.

Valens esset in Oriente, alter Gratianus apud Occidentales Gallos à Patre relictus fuisset: veriti, ne Transistriani Barbari rebus Principe destitutis irruerent; arcessitum minorem Valentiniani filium, natum ei de conjuge, quæ Magnentii priùs uxor fuerat, (Justina), *nec procul inde cum matre degentem, in regiam cum purpura producunt; cùm vix quintum ætatis annum ageret.*

(* 2.) Vide inferiùs Histor. Ecclesiast. c. 2.

hi Valenti nuper fato repentino ſublatum fuiſſe unicum filium Valentinianum Galatam (*3), jámque eò conferebant operam, ut præſtigiis magicis explorarent, quis demum Auguſto ſurrogandus foret? de ſciſcitatione ejusmodi invidioſa ubi intellectum eſt; vaga etiam ſceleris cujuscunque ſuſpicio multorum Optimatum vitam, fortunáſque exhauſit (*4). Preſſus ideo ſuorum odiis Valens ab exteris quoque ſcilicet Perſis gravi bello vexatus eſt.

Bellum cum Perſis.

Sapor nimirum Arſacem Armeniorum Regem catenis argento procuſis vinctum carceri, dein neci dederat; id licèt ægerrimè Romani ferrent; palàm tamen laboranti Armeniæ ſuppetias mittere eò minùs tutum erat, quo recentior lex adhucdum illa vigebat, quam pacturus cum Perſis Jovianus inierat, ſcilicet à Romana gente Armenis (ſiquidem Sapori in eos invehi placeret) copias nullas, nec auxilia præſtatum iri. Para Arſacis filius precibus, fœderíſque obſequio à Valente nihilominùs impetrat, ut Romanus exercitus vim victoriáſque Perſarum ab Armeniæ rapinis cohiberet: variâ inde

Para Armeniorum Regis cædes.

fortunâ pugnabatur: & levis ſuſpicio Imperatori tandem injecta eſt, Saporem id agere; ut Param blanditiis in ſuas partes pertraheret: quod ne fieret, Tarſum ſpecie Conſilii captandi Armenus Princeps evocatur. Inſidias illinc permultas cùm ſibi innocenti imminere Para adverteret (i); celeri fugâ Valentis conatum eluſit: Imperator quaſi dolens fugientis vicem, Trajano Duci Romano in Armeniam literas officio plenas mittit, quibus hominem offenſum demulceret, ſive potiùs placatum propiùs in exitium impelleret: literarum ficta humanitas, tum cæteræ Trajani pollicitationes Paræ adeo curam ſui abſtulerunt, ut ad convivium rogatus compareret: jámque inter epulas lætiùs agebatur; tum enimverò fidem integram, quâ erga Romanos ſemper valuiſſet,

(i) Amm. l. 30. p. 412. 415.

(* 3.) NAZIANZENUS or. 20. id fuſiùs narrat de Filii Valentis morte: fuit autem defunctus anno 371. poſtquam ab Arianis, neglecto S. Baſilio, ejus ſoſpitatore, baptiſmum accepiſſet. Nos de his plura infra in cap. 2.

(* 4.) Circa annum 374. cùm Valens eſſet Antiochiæ, Ethnici in ſucceſſorem per præſtigias Magicas inquiſiverant, ùt videre eſt apud AMMIANUM & ZOSIMUM, ex hac igitur cauſa Theodorus ſecundus Notariorum Imperatoris, Origenes Gubernator Bithyniæ, Comes Salia quæſtor in Thracia, Eutropius Proconſul Aſiæ, Alypius vicinus Britanniæ; aliique damnati ſunt, qui à *Theod* nomen ſuum incipiebant. Dæmon enim reſponderat, eum Imperatorem fore, cui Th. initiales literæ forent. Atque ex eadem ratione ſublatum fuiſſe Theodoſium Theodoſii M. Patrem contendit SOCRATES l. 4. c. 15.

A. Æ. C. 376.

luiſſet, teſtanti & frequentiùs obſequia commemoranti Principi ſummâ perfidiâ vita adimitur. Latrocinium ejusmodi hominibus, cœlóque inviſum fuit; quare undique hoſtes in Imperii Provincias ſe effundebant, ſupplicium, quod Sicarius Valens meruerat, armorum acerbitate exacturi. In Pamphyliam & Lyciam procurrebant Iſauri (k), Perſæ Syriæ propinquabant, & ne locus ab anguſtiis aut calamitatibus vacuus eſſet; adverſa ex parte Thraciæ Gothi ultimum, & Valenti exitiale bellum moliebantur: cujus ſequentia initia fuêre (l).

(k) Baſil. can. 81.

(l) Amm. l. 30 p. 416. & 417

3. Hunni (Scythiæ trans Tanaim, ultráque Mæotim gens, Romanis necdum cognita) per hoc tempus transmiſsâ palude in Schythiam Europæam ſeſe effuderant, atque Alanorum regionem adorti, magna populi ſtrage editâ, cæteros ad belli Societatem coëgêre (†). Inde auctis viribus Gothos illos, qui Grutungi dicebantur, invadunt tantâ belli mole, ut Ermenerichus ipſorum Rex ſubitæ procellæ vi perculſus, magnorum diſcriminum metum voluntariâ morte prævenerit (m). Cujus poſt obitum Rex Vithimiris creatus reſtitit aliquamdiu hoſtibus; verùm poſt multas, quas pertulit clades, in acie victus cecidit, Viderichum parvum filium regni, & fati ſui hæredem relinquens. Hujus curam Alatheus & Saphrax famoſi Duces ubi ſuſcepiſſent; omiſsâ pugnâ cautiùs Hunnis cedendum exiſtimârunt, ad amnem Danaſtum cum ſuis digreſſi (*5). Athanaricus Thervingorum judex contrà firmo gradu conſiſtere decreverat; ſurrecturus in vires, ſi eodem, quo cæteri Oſtrogothi, aſſultu laceſſeretur (n). Celeritas irruentium Hunnorum providam omnem Athanarici curam oppreſſit; nam exitio ægrè eluctatus inter abrupta montium ſalutis præſidia quærere cogebatur. Dein à ſuperciliis Hieraſi fluminis (*6) ad usque Danubium Taifalorum terras præſtringens,

(†) Reflexio XII. *Hunnorum irruptiones.*

(m) Amm. l. 31. c. 3. Jornand. c. 24.

(n) Amm. ib. *Hunnis reſiſtit Athanaricus, & quo eventu?*

(* 5.) AMMIANO l. 31. c. 3. *Danaſtus* idem eſt, quod Jornandi c. 26. *Danaſter:* ab aliis vocatur *Boryſthenes* der Dnieper, oder Nieper fluvius hodie Poloniæ præcipuus; fontes habet in Moſcovia, quâ relictâ Poloniam ingreditur, ubi Smolenskum, Orſam, Mohiloviam Lithuaniæ urbes rigat: dein auctus aliis fluviis in mare Nigrum ſe exonerat prope Oczacoviam. Ab hujus igitur fluvii ripis ad Danubium usque, ubi jam Podolia viſitur, pars Oſtrogothorum confugerat; nempe ex illis regionibus quas in ſecundum jam ſæculum tenebant.

(* 6.) BAUDRAND. in Lex. *Hieraſus* idem eſt, quod *Geracus* Ammiano Marcel-

per tempus nequicquam loricam objecit hosti; Hunnis quippe undique urgentibus Gothi communi sententiâ discedendum Patriis terris rati ad Danubii ripas consident: inde in Thraciam (si per Valentem Imperatorem liceret) transituri (o). Missi à Gothis oratores Augusto pollicebantur (p), se & populi amplitudine, & armis Provinciæ consulturos (*7): admissi itaque intra Imperii viscera, qui ea tandem penitus in partes discerperent (*8): Alavivus cum Fritigerno primus Istrum volente Imperatore transiit, quod beneficium Vitherico Grutungorum Regi, ac Farnabio negatum est (q); nec Athanaricus petere id præsumpsit, quòd cum Valente simultates fovisset (*9); quin ad Caucaledensem locum altitudine sylvarum inaccessum cum suis declinavit; Sarmatis inde extrusis.

(o) Ammian. l. 31. c. 4.
(p) Eunap. leg. p. 19.
Gothi à Valente admittuntur ad solum Romanum.
(q) Amm. l. 31. c. 5.

4. At

lino lib. 31. c. 3. *Pruth* Martino Cromero & Mercatori *Seret* Lazio, (cui subscribendum putat Baudrandus) nam qui *Pruth* nunc dicitur; *Porata* Herodoto est fluvius Daciæ per Moldaviam in Istrum fluens.

(* 7.) AMMIAN. l. 31. c. 4. *Pubescente jam fide gestorum, cui rumor adventu Gentilium addiderat legatorum, precibus & obtestatione petentium circa flumen suscipi plebem extorrem, negotium lætitiæ fuit potiùs, quam timori, eruditis adulatoribus in majus fortunam Principis extollentibus, quod ex ultimis terris tot tyrocinia Thracensis, nec opinanti offerrent, ut collatis in unum suis, & alienigenis viribus, invictum haberet exercitum, & pro militari supplemento, quod provinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus. Hácque persuasione mittuntur diversi, qui cum vehiculis plebem transferant truculentam*, egressi itaque terris suis sunt Gothi, quas 150. annis coluerunt. Ammianus porrò multitudinem eorum innumerabilem commemorat, *quam, qui scire velit, Lybici velit æquoris idem discere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.*

(* 8.) IDEM: *Navabatur opera diligens, ne qui Romanam rem eversurus relinqueretur vel quassus morbo lethali.* Providas tamen leges dederat Imperator, quæ si observatæ fuissent, in tantum exitium Provinciæ Romanæ non incurrissent: ita enim ZOSIMUS l. 4. p. 752. *Valens suscipit ille quidem eos, sed ratus ipsorum se fidei nomine cautionem habiturum idoneam, si libertos eorum necdum puberes in alia regione curaret educari.* & pag. 747. *Valens, uti reciperentur, armis priùs depositis, permisit.* Ex SOZOMENO l. 6. c. 37. & Socrate l. 4. c. 33. id quoque colligitur, quod ante trajectum Danubium promiserint ii, qui necdum sacris Christianis imbuti fuissent, se sacras undas suscepturos. Et quia Valens Arianismum olebat, nova pestis Imperio Romano accessit: nempe ut & Gothis nefanda secta tot malorum incentrix inplantaretur.

(* 9.) IDEM. *Quibus, ut communi rei conducere videbatur, repudiatis, & quid capesserent anxiis, Athanaricus parum pertimescens abscessit; memor Valentem dudum, cum fœderaretur concordiâ, despexisse, affirmantem se religione devinctum, ne calcaret solum aliquando Romanum: hâcque occasione Principem firmare pacem in medio fluminis coegisse.*

4. At verò Thervingi ad citeriorem Istri ripam admissi, à Lupicino Thraciæ Comite & Maximo Duce crudelissimo vel fame premebantur, aut nefandis nundinandi commerciis; vel enim annona necessaria afflictis negabatur, aut (sicubi exigua subministrabatur portio) ea immenso pretio debebat parari (r): facinus hujusmodi Gentem peregrinam primò in querelas, mox in bellum coëgit. Lupicinus, quò rebellibus par esset, milites ab Istri limite evocat, quibus dimotis Grutungi quoque ad ripas easdem adhuc excubantes sine certamine in Romanum solum progressi, Thervingorum vires firmant. Marcianopolim posteà Gothorum pervenit exercitus, ubi aliud atrocius accessit; Alarico nimirum & Fritigerno ad convivium corrogatis, Lupicinus interdixerat, ne quis Barbarorum reliquorum urbi propinquaret: id tantò acerbiùs acceptum est, quantò cupidiùs Gothi emendis ibidem victui necessariis inhiabant (s): ortis itaque jurgiis inter cives, atque eos, qui infestiùs arcebantur, res in pugnas, cædésque desiit. Quod ubi Lupicino nuntiatum est medias inter epulas jubet, ut Satellites, qui pro prætorio honoris ac tutelæ causâ Duces præstolabantur, ad unum omnes neci darentur: fama atrox ad Gothos perlata, populum in novos ausus concivit. Fritigernus verò (ut erat expediti consilii) veritus, ne obsidis vice teneretur cum cæteris, exclamavit, graviore pugnandum exitio; nisi ipse ad leniendum vulgus sineretur Marcianopoli exire cum sociis: Hócque impetrato egressi omnes ad suos remeant; vix castra subierant; bellum apertum Romanis indicitur. Grassantibus jam undique Gothorum manipulis Lupicinus cum parva militum manu occurrit: Sed nil ex iis post pugnam superstes fuit præter Ducem, qui urbem citato cursu anhelabat: occisorum cadaveribus signa, armáque erepta sunt, quibus Barbari induti fortiùs deinde cum Romanis, & periculosiùs conflixère (t).

5. Hæc ex Thraciis magno mœrore accepta Valentem Principem in varias sollicitudines distraxerunt: & confestim Victor Magister equitum ire jubetur ad Persas, ut super Armeniæ statu transigens, qualicunque jacturâ redimeret pacem (u); dein Imperator Antiochiâ protinus Constantinopolim moturus, Profuturum & Trajanum præmisit: copiæ, quas hi Duces adducebant

A. Æ. C. 377.

(r) Amm. l. c. Eušeb. Chron. l. 2.

Seditio Gothorum contra Romanos.

(s) Amm. c. 5. Jornand. c. 26.

Bellum recrudescit inter Romanos & Gothos.

(t) Amm. c. 6.

Apparatus Valentis contra Gothos.

(u) Idem c. 7.

bant numero minores erant, quàm ut cum infinita Barbarorum multitudine congrederentur: locis proinde inclusos hostes fame premere placuit, dum ex Occidente Gratianus expetitas adderet legiones (x); jámque Richomeres jubente Gratiano è Galliis aliquot cohortes ex plurimorum fuga sat imminutas adduxerat, tum juncti Duces prope oppidum Salices tendunt, ubi intra aggerem ex plaustris compositum Barbari prædarum ubertate hilares fruebantur. Despectabant hi primò intra vallum suum Romanorum minas aut insidias: dein revocatis iis, qui ad prædandum excurrerant, Gothorum manipulis, prælium contra Romanos decernunt; ne (ut verebantur) plurium accessione copiarum hostis invalesceret. Ingenti animorum robore, infestísque varii generis armis utrinque pugna continuata est, atque cedens vespero dies internecina certamina duntaxat diremit: clades Barbarorum non parva; major tamen Romanorum fuit, eoquòd inferiore numero cum innumerabili multitudine colluctari debuissent (y): Marcianopolim proinde retulêre pedem, dum à Valente novas suppetias operirentur. Nec Valens tanto in periculo opitulari distulit; nam Saturninnm cum recente milite in Thraciam illico mittit, ac Richomerem iter in Galliam relegere jubens, id orabat; ut Gratianum (z) ad validiora auxilia precibus permoveret.

(x) Idem c. 8.

Cæduntur Romani.

(y) Eusebii Chronic. l. 2. ad a. 379. Oros. l. 7. c. 33.

(z) Amm. l. 31. c. 8. & 10.

6. Interea ab adventu Saturnini recreatus miles Gothos intra montium recessus latentes obsidere, atque urgere inediâ conabatur: Verùm & Barbari ab Hunnis, & Alanis auctiores resumptis animis, multísque conflictibus Romanorum globos attriverunt; dum totam Thraciam ferro aperirent, quam licenter pervagati ad ipsa Constantinopolis mœnia cædes, expilationésque protulerunt (a). Gratianus de Orientis & Patrui accisis rebus admonitus aliquot legiones, ut laboranti Imperio subventum irent, dirigit; ipse mox cum toto exercitu secuturus: Sed hæc meditanti Gratiano mora difficilis injecta est; nam Lentienses (Alemannorum portio, quæ Rhætias accolit) intellectâ Imperatoris expeditione, Galliam copiis nudatam sibi ad suetas rapinas designant (b): atque ut erant veloces & rapidi, Rhenum gelu pervium Februario mense transeunt: repulsi primo impetu, quadraginta armatorum millia trahentes rediêre. Quibus Gratianus magna

Thracia expilatur à Gothis.

A. Æ. C. 378.

(a) Zosim. l. 4. p. 748.

(b) Amm. c. 10.

magna cum formidine compertis, revocans cohortes, quas præmiserat (c) in Pannonias, Nannieno negotium & Mellobaudi dedit. Singulis illorum diversa contra hostes bellandi ratio placuit: primus cunctatione; Alter celeri aggressione frangendum hostem existimabat. Mellobaudis (* 10) sententia ubi magis probata fuisset, apud Argentariam (* 11) concurri cœptum, tantáque strage fusi sunt Lentienses, ut de ingenti multitudine vix quinque millia evaderent, Rege quoque eorum Priario interfecto (* 12). Victor Gratianus ne porrò obluctantem haberet gentem, transmisso Rheno omnium excidio curam intendit. At Lentienses deditione spontè factâ, pactíque Juvenes se ad militiæ tyrocinium daturos pacis fœdus meruerunt (d).

Gratiani bellum & victoria contra Germanos.

(c) Oros. l. 7. c. 33.

(d) Amm. l. 31. c. 10.

7. Compositis igitur Galliæ finibus Gratianus digressus per Castra, quibus *Felicis Arboris* nomen est (* 13), præmissis sarcinis, nuntiísque (e) suæ tum victoriæ, tum adventûs; Istro flumine

(e) Amm. c. 12.

(* 10.) Juxta AMMIANUM lib. 14. c. 11. *Mellobaudes Armaturarum Tribunus* fuit sub Imperatore Constantio. De eodem legitur apud eundem Historicum, quod circa annum 374. Rex fuerit Germaniæ l. 30. c. 3. periit autem (Macrianus Alemannorum Rex) in Francia postea, quam dum internecinè vastando perrumpit avidiùs, oppetiit *Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumventus.* Demum tempore regnantis Gratiani Comes Domesticorum erat. Ita rursus AMMIANUS l. 31. c. 10. Nannieno Gratianus *Mellobaudem junxit pari potestate Collegam, Domesticorum Comitem, Regémque Francorum virum bellicosum & fortem.*

(* 11.) AURELIO VICTORI Arguentuaria sive Argentaria idem est quod **Horburg** (Teste B. *Rhenano*) oppidum Germaniæ superioris ad Ellum fluvium Colmariæ urbi vicinum: hoc exciso, Colmariam inde ædificatam fuisse ferunt; ita *Baudrand.* in Lex. Geograph. *Valesius* contra in Notit. Gall. p. 41. opinatur per Argentariam intelligi Arburgum in Cantone Bernensi.

(* 12.) Ex AMMIANO l. 31. c. 10. intelligitur Priarium Lentiensium Alemannorum Regem fuisse; de ejus cæde ita commemorat: „Apud Argentariam signo per „ cornicines dato concurri est cœptum - - - Barbari repentè versi in terga, resistentésque interdum, ne quid ultimæ rationis omitterent; ita sunt cæsi, ut ex prædicto numero non plusquam quinque millia (ut æstimabatur) evaderent, densitate nemorum tecta, *inter complures alios audaces & fortes Rege quoque Priario interfecto exitialium concitore pugnarum.* Alii existimant hunc Priarium, nomine Priami venire debere, de quo in Chronicis Prosper Tiro: Quarto Gratiani anno Priamus quidam regnat in Francia, quantum altiùs colligere potuimus„ eodem nomine eundem consignant SIGEFRIDUS GEMBLACENSIS ad A. C. 385. & RORIC. MONACH. Gest. Franc. apud Du Chesne. Tom. 1. Script. Rerum Franc. p. 800. VALESIUS Rerum Francic. l. 3. p. 118.

(* 13.) BUCHERIUS Belg. Rom. l. 12. c. 2. n. [illegible] Locum, qui Felicis Arboris dicebatur, designat in Helvetia prope Rhenum & lacum Podamicum.

Gratianus properat in auxilium Valentis.

mine Laureacum, indéque Bononiam (*14) Daciæ inferioris, ac demum Sirmium (*15) pervenit: moratus illinc quatriduo, febríque afflictus, Castra Martis (oppidum ejusdem Provinciæ) contendit. Per idem tempus Valens Constantinopoli multis populi injuriis impetebatur; quòd belli negligens, ipsas urbis partes nequidem à Barbaris tectas servaret: plebi ut faceret satis Imperator; iræ impetum in Trajanum (*16) Comitem effundens, eidem pedestris militiæ Magisterium ademit; ídque ei acerbiùs exprobrans, quòd tot clades ejusdem pavore & ignaviâ accidissent. At vir integerrimæ fidei calumniam amoliturus, hæc forti animo Principi reposuit (f): Non ego, inquiebat, victus sum ô Imperator; sed tu victoriam projicis, qui contra Deum pugnas, ejúsque auxilium concilias Barbaris. Cum enim à te impugnetur Deus, is ad illorum transiit partes: Deum porro comitatur victoria, & illis hæc cedit, qui Deum Ductorem habent. Dicta Trajani alii catholici Duces confirmabant Arinthæus & Victor: verùm ista in Arii Sectatore adeò nil profuêre, ut Sebastiano Manetis erroribus, & summâ in orthodoxos crudelitate infami totius exercitûs sui salutem commiserit (*17).

(f) Theod. hist. lib. 4. c. 33. & 34.

Theodosii Præfecti oratio ad Valentem.

A. Æ.C. 378. 8. Valens quò præsentiâ suâ urgeret Victoriarum cursum; tertiâ Idus Junii Constantinopoli exivit: proficiscenti Isaac Monachus de

(* 14.) BAUDRAND. in Lex Geograph. Bononiam hanc ait urbem olim fuisse Pannoniæ inferioris ad Danubium mediam inter Mursam (hodie Esseck) & Taurunum (hodie Belgradum) extremam Pannoniæ urbem.

(* 15.) Sirmium (Sirmis Jornandi, Sermium Evagrio, Sirmisch Lazio) Colonia, & urbs olim episcopalis Pannoniæ inferioris sub Archiepiscopo Colocensi, ad Bacuntium fluvium; ubi is in Savum labitur: nunc paucis constat incolis, & in vicum redacta est.

(* 16.) AMMIANUS l. 31. p. 447. Theodosium eundem perstringit utpote altiùs anhelantem, & animo pavidum: verùm responsio Principis data & mors in decretorio prælio obita offenderunt virum metu omni superiorem esse. TILLEMONT. in V. Valentis artic. 19 ait duas superesse epistolas, quas S. Basilius illi perscripsit, nimirum Basilii ep. 376. & 377. Ab uno crimine purgari vix potest, si Para Rex Armeniorum eâ ratione (quâ describitur ab Ammiano l. 30. p. 415.) per illum sublatus est. Cæterùm filiam habuit nomine Candidam, de qua Palladius refert, quod prolem ex conjugio susceptam ad omnem sanctimoniam educârit, quâ in Ecclesia postea præfulsit.

(* 17.) ZOSIMUS l, 4. p. 749. Valens. *Sebastianum Prætorem Copiarum deligit, ejúsque fidei totius belli gerendi munus committit.* Erat hic homo Manichæus famosus à crudelitate, quam 22 annis contra Catholicos Alexandriæ in favorem Georgii exercuerat; dignum itaque fuisse ait TILLEMONT, ut ipse Hæreticus Ariani Imperatoris ac proinde Hæretici exercitum ad internecionem deduceret.

de composito occurrit (g), monens Principem de criminibus, déque Dei ira, quæ legionibus exitium, ipsi verò supremum fatum essent allatura. Vates funestus cùm præter minas ab Imperatore referret nihil; illud porrò abituro inclamabat, se, nisi dictorum fidem eventus probaret, ad omne necis genus promptum fore (*18). Post hæc Valens celeri itinere venit Melanthiada, quæ domus regia erat centum quadraginta stadiis Constantinopoli dissita: inde Sebastianus cum duobus millibus Hadrianopolim præcedit (h): postridiè, quàm advenerat, eruptione factâ palantes Gothorum cuneos concidit. De victoria ista ubi nunciatum est Cæsari; continuò cum reliquo exercitu Ducem sequitur: ne verò è vestigio in hostem rueret, Victor equitum Magister author erat; ut intra vallum prope Adrianopolis suburbanum, opperiretur auxilia Gratiani, quem mox adfuturum allatæ à Richomere literæ testabantur. Adulatorum contrà vicit sententia; etiam sine Occidentis suppetiis tentandum esse conflictum, probro enim non absimile fore, siquidem Adolescens Gratianus partem gloriæ seniori Valenti præriperet. Talia cùm jactarentur, contemptis etiam Gothorum de pace consiliis, acies struitur (i). Primo statim impetu Gothorum perturbatæ Romanorum equitum turmæ nuda peditum deseruêre præsidia; mox legiones peditum undique equitatu hostium cinctæ, sagittarum imbre obruebantur: deinde quoniam amentes metu sparsim per devia cogebantur (*19); gla-

(g) Idem c. 34. *Isaaci Eremicolæ monita ad Valentem.*

(h) Ammian. l. 31. c. 11. *Prælium Valentis cum Gothis.*

(i) Idem c. 11 *Internecio exercitûs Romani.*

Q 2

(* 18.) THEODORETUS l. 4. Histor. c. 34. Isaac quoque Monachus, qui cellam habebat monasticam, Imperatori ad bellum unà cum exercitu proficiscenti inclamavit: *Quo pergis Imperator, qui Deo bellum intulisti, nec illum habes adjutorem? ille enim est, qui contra te Barbaros concitavit, quia tu quoque prior multorum linguas ad blasphemiam impulisti. Desine ergo ei bellum inferre, & ipse bellum comprimet. Redde optimos Pastores gregibus suis, & incruentam Victoriam de hostibus reportabis. Quod his insuper habitis prœlium inieris, re ipsâ experturus es, quàm durum sit contra stimulum calcitrare. Nam neque ipse reverteris, & exercitum prætereà amittes.* Ad hæc Imperator irâ percitus, *Revertar*, inquit, *téque interficiam, & falsi Vaticinii pœnas à te exigam.* Tum ille minas neutiquam æstimans, *interfice*, inquit, *si in verbis meis mendacium fuerit deprehensum.*

(* 19.) AMMIANUS l. 31. c. 13. in prælii descriptione videtur exitium Romani exercitûs inde deducere, quòd Ala sinistra longiùs prolata, ac vel ideo ab equitatu divisa, à Gothis undique circumfundi potuerit: S. Hieronymus in Chronic. & Socrates l. 4. c. 38. contrà equites accusant, quòd pedestres copias turpiter deseruerint; certum id est, quod duæ partes Romani exercitûs fuerint deletæ. Ex Præfectis militiæ periêre Sebastianus

(k) Amm. l. 31. c. 13. Sozom. l. 6. c. 40. Socrat. l. 4. c. 38. Zosim. l. 4. p. 750.

gladiis insequentium, contísque perierunt (k). Imperator ipse sagittâ saucius, è pugna in agrestem casam deportatus ad tempus latuit; dum propinquans hostium globus domum adoritur: effringere illi cùm nequicquam ostium pararent; missilibus eorum, qui sub tecto erant, efferati magis Barbari: ac ne per moras amitterent populandi copiam; congestis stipulæ & lignorum fascibus, suppositáque flammâ ædiculam cum hominibus exurunt. Unus ex Romanis, qui cremabantur, incendium evasit, ex fenestra in Gothorum manus desiliens: atque his quoque elapsus, postеà testem, nunciúmque supplicii professus est, quod Valens quintâ Idus Augusti, anno ætatis quinquagesimo ac decimo quinto Imperii subiit, vivus ignes expertus, quos mortuus toleraturus esset sempiternos (* 20). Princeps erat in amicos fidus, ambitionis ultor, pervigil semper & anxius: furibus & in peculatu deprehensis judicibus asper, & vehemens; quæ virtutes Provinciis utiles viideri poterant, nisi pejora vitia labem sacræ rei, ac civili attulissent (l). Nam impatiens laborum & magnas opes intemperantiùs appetens, expérsque liberalium disciplinarum ex subagresti ingenio in crudelem sævitiam abiit, quæ nulli, præterquam Ecclesiæ fecit negotium (m). Paganis, Judæis, & omnibus Hæresiarcharum sectis suo vel uti ritu, vel volitare palam licebat

Valens vivus exuritur.

(l) Ammian. l. 31. c. 14. Vict. Epit.

Virtutes & vitia Valentis

(m) Theodoret. lib. 4. c. 21.

nus & Trajanus, Valerianus, Equitius propinquus Valentis, & Curopalates & Potentius filius Magistri copiarum tam celebris sub Constantio vide TILLEMONT. in V. Valentis artic. 20.

(* 20.) AMMIANUS lib. 31. c. 13. varia de morte Valentis refert *Primò* ait: *Diremit hæc nunquam pensabilia damna (quæ magno rebus stetêre Romanis) nullo splendore lunari nox fulgens. Primáque caligine tenebrarum, inter gregarios Imperator (ut opinari dabatur; neque enim quisquam se vidisse vel præsto fuisse adseveravit) sagittâ perniciosè saucius ruit, spiritúque consumpto mox decessit; nec posteà repertus est usquam.* Hanc opinionem LIBANIUS arripuit, quòd serviret magis ad Valentis Elogium, si diceretur, Valentem (ut olim Decium) periisse. *Secundo* alteram sententiam AMMIANUS l. c. subjungit: „ Alii dicunt Valentem animam non exhalâsse confestim: sed cum candidatis & spadonibus paucis prope ad agrestem casam relatum secundâ contignatione fabrè munitam, dum fovetur manibus imperitis, circumsessum ab hostibus, quiesset, ignorantibus, dedecore captivitatis exemptum. Cum enim oppessulatas januas perrumpere conati, qui secuti sunt, à parte pensilis domûs sagittis incesserentur, ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam, congestis stipulæ fascibus & lignorum, flammáque suppositâ ædificium cum omnibus torruerunt. „ Huic sententiæ adstipulatur VICTOR in Epit. c. 47. ZOSIMUS l. 4. p. 750. & 751. EUSEBIUS Chron. l. 2. RUFINUS l. 2. c. 13. OROS. l. 7. c. 33. SOCRATES l. 4. c. 38. SOZOM. l. 6. c. 40.

cebat (n), solis orthodoxis, quique divinitatem Christi tuebantur, cruciatibus innumeris suam integram fidem luere jubebantur (o). Neque intra Imperii fines hanc acerbitatem conclusit Arii Patronus, sed & ad Gothorum gentem propagans, petentibus sacerdotes, alios non dedit, quàm ex Arianorum colluvie prognatos (p). Unde ad perversam hæresin traducti hi populi posteà de exitii sui authore sumpsêre pœnas, justo Dei judicio eum vivum cremantes, propter quem & ipsi mortui, vitio erroris arsuri essent.

(n) Cod. Theod. 9. t. 16. l. 1.

A. Æ. C. 378.

(o) Theodor. l. c.

(p) Theodoret. 4. c. 37

9. Alterâ die, ex qua debellatum fuerat, Gothi victores Hadrianopolim densis agminibus invadunt ad rapiendos Principis thesauros; quos eadem in urbe conditos ex proditione transfugarum accepêre. Ex assultibus frequentibus, ubi nihil nisi vulnera, cædésque reportâssent; Perinthum, mox Constantinopolim convertunt iter (q): obsessos cives vi, rabie urgent, terréntque. Tum Saracenorum cuneus ad urbem tuendam accersitus, in Barbaros fidenter erumpit: æquo Marte primùm certatum est, dein ex Saracenorum turma crinitus quidam, subraucum, & lugubre strepens educto pugione, agmini se medio Gothorum inseruit, interfecti hostis jugulo labra admovens, effusúmque exsugens cruorem; quo monstroso spectaculo in fugam acti hostes, deinceps relictis urbibus, Provinciarum agros duntaxat licenter adusque radices Alpium Juliarum erasêre (*21).

Gothi Victores obsident Hadrianopolim.

(q) Ammian. l. 31. c. 15.

Evastant Provincias.

10. Gratianus intereà cognitam Patrui cædem non admodum mœsto animo tulit (r): sive quòd suspicio inter eos gliisceret, sive quòd Religionis studio omnino disjungerentur (s). Nam ut primò Gratianus Imperium utrumque tenuit; Episcopos omnes à Valente pulsos restitui: è diverso Manichæos, Photinianos, Eunomia-

(r) Zosimus l. 4. p. 751.

(s) Bucher. l. 12. c. 2. n. 5.

Gratianus Monarcha utriusque Imperii.

(*21.) HIERONYMUS epist. 95. devastationem Gothorum describens ait: *Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti & eo amplius anni sunt* (notat hæc epistola annum XCV.) *quod inter Constantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achajam, Dalmatiam, cunctásque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot Matronæ, quot Virgines Dei, & ingenua nobiliáque corpora his belluis fuêre ludibrio? Capti Episcopi, Presbyteri interfecti sunt! Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum exfossæ reliquiæ, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur.*

nomianos, adeóque Arii sectatores Ecclesiis ejici jussit (*22). Ecclesiæ rebus ordinatis turbatæ summoperè Reipublicæ prospicere aggressus est; Ausonio enim præceptori suo consulatum (*23): Theodosio autem revocato ex Hispaniis Imperii summam præfecturam contulit (*24). Cum hoc proinde partitus Provincias, (*25) Galliam, Italiámque deinceps legibus coluit (*26), ignavam Men-

Theodosius à Gratiano in Collegam Imperii admittitur.

(* 22.) TILLEMONTIUS in V. Gratiani art. 8. notat. Valentinianum Gratiani Parentem sub initium regni sui liberum reliquisse, quamcunque religionem quisque sequi vellet; Verùm Gratianum in Imperii exordio duntaxat concessisse, ut Christianis sectam eligere fas foret, quæ extra Manichæorum, Photinianorum & Eunomianorum partes essent, ídque ob temporum acerbitatem fecisse, eoquòd Arianorum vires in Oriente invaluissent. Errorem tamen Gratianus brevi restrinxit, quando l. 5. Cod. Theod. 16. tit. 2. jussit, ut permissa facultas tantam Orientis partes obtineret.

(* 23.) AUSONIUS in Gratiarum Actione ad Gratianum c. 4. *Et tui* inquit, *tantùm Præfectura beneficii, liberaliùs divisa, quàm juncta* (divisa nempe cum Patre ipsius Ausonii jam grandævo) *cùm teneamus Duo integrum* beneficium, *neuter desideret separatum - - -* c. 12. *Agant pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum Præfecto hanc honorificentiam* (Consulatûs) *detulisti.* Et in epistola Gratiani ad Ausonium sic habetur: *Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem; ut me nôsti, atque ut facere debui, ut velle Te scivi; Consilium meum ad Deum retuli. Ejus authoritati obsecutus, te Consulem designavi, & declaravi, & priorem nuncupavi. Palmatam tibi misi, in quâ Divus Constantius Parens noster intextus est.*

(* 24.) ZOSIMUS lib. 4. p. 751. Gratianus tantæ Gubernationi (Orientis nempe & Occidentis) se non sufficere cernens, Thraciâ quidem à Barbaris occupatâ; vicinis autem Mæsiæ, Pannoniæque locis ab hærentibus ibidem Barbaris infestatis; Rhenanis denique nationibus urbes citra cujusquam impedimentum adorientibus; Imperii consortem Theodosium deligit, oriundum ex oppido Hispanicæ Gallæciæ.

(* 25.) Sirmii 19. Januarii, Theodosio Gratianus dedit Orientem Thraciam, cum iis provinciis, quas Valens habuerat; nec sibi reservavit; nisi Gallias, Hispaniam, Britanniam: si verum sit, quod Valentiniano Juniori fratri concesserit Italiam, Illyricum, & Africam vide ZOSIMUM p. 746. & THEODORET. l. 5. c. 6. SOZOMENUS l. 7. c. 4. innuit, quod Theodosius quoque Illyricum obtinuerit, scilicet Orientale: *Occidentale* Illyricum complectebatur duas Pannonias, duplex Noricum, Dalmatiam & Valeriam. *Orientale* includebat Macedoniam geminam, Epirum, Thessaliam, Achajam, Cretam, cum duplici Dacia, superiore Mœsia, Dardania & Prævalitana. vide hic PAGIUM in Critic. Tom. I. p. 555.

(* 26.) Inter leges, quas Gratianus *in Gallia* tulit, hæc famosior est, & habetur Cod. Theod. 13. t. 1. l. 11. quâ eximuntur Clerici negotiantes à tributis mercatorum: nisi summa excesserit quindecim aureos solidos, quorum singuli teste Fleury l. 17. continebant 80. Francos vel libras Gallicas; ita enim paupertati Clericorum consulens, simul eorum quæstum Imperator restringebat. Valens Clericos omnes negotiantes lustrali collationi obnoxios fecit l. 5. Cod. Theod. *de lustrali collatione*, quam legem Gratianus hic corrigit. Nempe quamdiu Clerici nondum divitiis abundavêre, ac maximè cum Divites ad Clericatum non assumerentur, quâ de re videndæ leges Cod. Theod. 3. 6. 17. *de Episcopis*, negotiationem quandam alimoniæ causâ exercentibus ipsis & ut victum sibi vestitúmque conquirerent, ea immunitas data. Et quidem aliquando data indistinctè,

Mendicantium turbam adegit ad labores (*27), atque famosam illam Victoriæ aram (*28), quæ ad dolorem Christianorum Senatorum Romæ in curia, sacrificiis Dæmonum denuò honorabatur, adeò pessumdedit; ut & bona quibus hoc impietatis monumentum conservabatur, ærario Principis adscripta vellet: & quoniam multò castiores Virgines Romana Ecclesia numerabat; id quoque cavit, ne deinceps per ultimas tabulas Vestalibus fæminis, aut sacrificulis prædia aut reditus relinquerentur (*29).

11. Hæc licèt ageret Gratianus in foro; ab armis tamen non abstinuit, attritis quippe non semel Alemannis, in ipsas etiam Orientis partes suas copias submisit, ut Theodosii Gothorum tunc Victoris vires confirmarent (*30). Non exigua inde mutatio rerum per Thra-

ut ipsi pauperes juvare possent, quod utique peculiare votum Clericorum erat, sicuti docet Lex 3. *de lustrali collatione*: iterum adempta indistinctè, ubi jam satis divitiarum in Ecclesiam & clericos congestum videbatur, apparebàtque non pauperibus eos, verùm suis commodis studere. Tandem data distinctè hoc anno 379. à Gratiano (nempe ubi ditiores Clerici erant, velut in Italia & Illyrico) intra minorem summam decem solidorum: ubi non adeò divites (veluti in Gallia) intra quindecim solidorum lucrum, ita PAGIUS Tom. I. Crit. p. 552. *In Italia* lege aliâ prohibuit, ne fœminæ interesse Theatris aut ludis cogerentur, quæ vitam sanctam & perfectam profiterentur: licèt earum ortus illas cæteroquin obligaret ad artem mimicam, ut habetur Cod. Theod. 15. t. 7. l. 4.

(* 27.) De lege Cod. Theod. 14. t. 18. quæ pauperum otiosorum ac inertium vitia restringit, habet plura Baronius ad a. 382. §. 7. & Ambrosius hâc super re consuli potest offic. l. 2. c. 16.

(* 28.) Ara Victoriæ (ut exhibet *relatio* SYMMACHI) inutile ornamentum erat, ad quod Gentiles suas jurandi formulas, & sacrificia afferebant; cui superstitioni etiam Senatores Christiani interesse cogebantur. Constantius a. 357. eandem Aram ideo amovit Romæ: Julianus restituit a. 361. Valentinianus ignarus superstitiosi monumenti dictam Aram intactam reliquit; Sed Gratianus illud opprobrium Christianitatis abstulit l. 2. Cod. Theod. T. 16. videatur & AMBROSIUS Epist. 11. & 12.

(* 29.) *De Vestalibus Virginibus* AMBROSIUS loquitur epist. 12. *vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, Pompa lecticæ, Ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis; concilium Virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen usui, nobile castitati: non exquisita, sed abdicata Lenocinia pulchritudinis: non illa purpuræ insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum, non Privilegia, non lucra: omnia postremo talia, ut revocari à studio putes, dum exercentur officia*: opponit hìc S. Ambrosius Vestalibus Virgines Christianas, harúmque præstantiam.

(* 30.) ZOSIMUS l. 4. *harum rerum nancio perturbatus, satis magnas copias ablegabat, Baudoni Prætori traditas; cum quo & Arbogastem mittebat. Erant autem ambo genere*

Thraciam visa est: recedebant Barbari ad Istri limites; & magna eorum pars sub Theodosii signis militiam profitebatur. Gothi ubi hâc ratione in se invicem pugnabant, Romanæ Provinciæ brevi à grassationibus penitus conquievissent; nisi Theodosium Thessalonicæ hybernantem morbus quidam (t) à belli curis avocâsset. Singulari Dei consilio hoc evenisse posteà compertum est, scilicet, ut is, qui Barbaris castigandis operam addixisset, deinceps profligando Ario, par studium afferre disceret: lecto quippe affixus à S. Episcopo urbis Thessalonicensis Ascolio Baptismo tinctus (u), simul incolumitatem corporis, simúlque animum induit, Arii erroribus, qui ab Illyrico (*31) per universum Orientem jactabantur, bellum indicendi. Clementiâ primùm contra Hæreticos agendum ratus, lege publicâ, subditos sequi fidem eam jussit (x), quam à S. Petro acceptam & nunc per Damasum Pontificem, & S. Petrum Alexandrinum propositam Romana Ecclesia amplecteretur. Qui contra obluctarentur, pœnis divinis atque humanis subjiciendos, testabatur (y). Subinde Thessalonicâ Constantinopolim movens, urbem triumphantis more ingressus est. Primam illinc curam habuit de Ecclesiis (quas Ariani insederant) restituendis, disjiciendis Hæreticorum conventibus, fugandísque errorum Ministris (z), quorum vices Catholici pastores subire jubebantur.

A. Æ. C. 380.

(t) Zosim. l. 4. p. 759.

(u) Socrat. l. 5. c. 6.

Theodosius ab Ascolio baptizatur.

(x) Cod. Theod. 16. t. 5. l. 6.

(y) Theodoret. l. 5. c. 2.

Ejus cura circa Ecclesias.

(z) Philost. l. 9. c. 19.

12. Quantùm piæ hæ Theodosii molitiones ab æterno Verbo (cujus tunc honor maximè agebatur) probatæ sint (a); ex eo intellectum est, quod Barbarorum Reges, quos velut hæresis flagella contra Valentem Deus suscitaverat, nunc Theodosii fœdus non tantùm expeterent: sed & in regia Imperatoris urbe Domum, sedémque subditorum more precarentur; nam Athanaricus, qui Valenti peracerbus, Romano in solo pacis causâ pedem figere contempserat (b), hoc demum anno Constantinopolim, quin securi-

A. Æ. C. 381.

(a) Socrat. l. 5. c. 10.

Athanaricus Rex Gothorum recipitur à Theodosio.

(b) Zosim. l. 4. p. 759. Ambrof. de spir. l. 1.

genere Franci, amicissimis in Romanos animis, ab avaritia prorsus immunes, in bellicis rebus prudentiâ pariter & robore præstantes.

(* 31. SOZOMEN. l. 7. c. 4. testatur eo tempore Occidentem ad Macedoniam usque fuisse in vera fide, sed Orientales Provincias divisas erroribus extitisse, & præcipuè Constantinopolim: Ariani dominabantur tum Constantinopoli, tum Antiochiæ & aliis in urbibus præcipuis.

curitatis literis se muniret, clementiæ Theodosii duntaxat confisus, & sponte suâ abiit; eadem in civitate (quam Arii hæresi infectam oppugnaverat, nunc Catholicam amabat) domicilium quæsiturus. Venientem Theodosius omni officii genere excepit(c), quod licèt vivo diu impendere non potuerit (brevi quippe decesserat); mortuo tamen plus habuit honoris(d). Elatis scilicet Regiâ Pompâ exuviis mausolæum tam magnificum imposuit, ut Gothi (qui præsentes aderant) beneficentiam Imperatoris mirati, eundem deinceps amicum potiùs, quàm hostem experiri percuperent. Respublica igitur ubi ab externorum assultu nonnihil conquieverat; pacem intestinam, quæ per Sectarum licentiam convellebatur, Imperator reddere studuit: eam in rem Synodus, quæ inter Oecumenicas altera dicitur, Constantinopolim evocata est(e). Coacto Patrum cœtu, definitísque iis, quæ ad dogmata fidei pertinebant, Theodosius suas quoque leges adjecit, quibus vim Canonum se executurum ostendebat; illis quippe, qui Ario aut Eunomio adhærerent, cavit, ne Ecclesias exstruerent, útque prædia eorum sacris quoquo modo tributa fisco addicerentur (f): Qui verò ab orthodoxa defecissent fide, hos omni ultimas condendi tabulas jure exclusos voluit (g); adhæc sacerdotii dignitati consulturus prohibuit, ne fas sit porrò Episcopum utpote testem provocare in tribunal (h).

(c) Oros. l. 7. c. 34.
(d) Themist. or. 15.
(e) Theodor. l. 5. c. 6. & 8. Socrat. l. 5. c. 8.
Leges Theodosii contra H. H.
(f) Cod. Th. t. 1. l 3.
(g) Cod. Theod. 16. t. 7 l. 1.
(h) Cod. Th. 11. t. 39. l. 8.

A. Æ. C. 382.

13. Dissensionibus postquàm Imperator legum pondere posuisset modum; Barbarorum instabile ingenium ad Istri limites denuo fremebat: Theodosio nova procella tandem persuasit, Gothos terris suis exclusos non antè armis exuendos, dum illis quædam Romani soli portio pro sede stabili obtingeret (i): Thraciæ proinde agri magnam partem exulibus adsignati sunt, quos usibus quidem suis, & vectigalibus immunes colerent: sed ingruente bello Imperatori copias militares pro auxiliis præberent. Conditionibus utrimque admissis, à Martis turbine Orientis Provinciæ ingenti solatio respiravêre, quibus longè amplior lætitia accessit, quòd Theodosius eodem tempore filium Arcadium Augustum pronuntiaret (k): Susceperat hunc infantem ex Placilla conjuge circa annum CCCLXXVII. sive eo tempore, quo in Hispa-

(i) Themist. or. 16.
Theodosius Gothos recipit in Thraciam.


A. Æ. C. 383.

(k) Idatii Chronicon. Socrat. l. 6. c. 23.

Arcadius creatur Augustus. niam à Valentis vi perfugerat (*32). Inde sex annorum puer in Hebdomo Constantinopoli Imperii insignibus auctus: ut ferre aptis etiam humeris tantum pondus valeret; Arsenio præceptori optimis imbuendus disciplinis tradebatur (*33).

14. Dum

(* 32.) TILLEMONT. in V. Theodosii art. 2. Theodosius tres ad minimum proles habuit ex Placilla conjuge: Arcadius nascebatur anno 377., cum Theodosius exularet in Hispania tempore Valentis: Honorius primò lucem aspexit a. 384.& filia Pulcheria, quæ obiit paulò ante matrem Placillam circa annum 385. Secunda conjux Theodosii posteà fuit Galla filia Valentiniani & Justinæ, ex quo matrimonio suscepta est celebris Placidia mater Valentiniani III., Gratiani &c. En Genealogicum systema!



(* 33.) THEMISTIUS orat. 16. insinuat, quasi sibi educatio Arcadii commissa fuisset, ut vult HARDUINUS: sed juxta TILLEMONTIUM hæc verba Themistii id tantùm

14. Dum novæ ſpes Orientis hunc in modum efflorefcebant; iterata Auguſtorum funera aut parricidia totius Occidentis gloriam, pacémque peſſumdedêre: turbarum non modica ſementis inde enata eſt, quòd Romani quererentur, Germanos & præcipuè Francos ab aliis Imperatoribus in palatium adſcitos, eò nunc à Gratiano evehi; ut neglectis Romanarum Provinciarum Optimatibus Exteri, & Barbari quidem frequentatis vicibus conſulatum præriperent (*34). Hoc vulnere ubi Imperator ſatis multorum animos pupugiſſet; cauſam doloris exulcerare planè cœpit, quando Alanos vixdum cognitos, iisdem ferè officiis fovere adnitebatur (*35). Acceſſit demum Macedonii officiorum Magiſtri ſacrilega nequitia, cujus auſu, & Gratiano negligentiùs diſſimulante, cuncta ſacra, ac profana in palatio venalia fuêre (l). Atque hæc, dum Deum in ultionem, milites in apertos queſtus provocabant; Maximus Dux à Britannis legionibus purpurâ indutus (m), repentè Gratiano inſidias, exitiúmque decernit. Cujus ſtirpis, Patriæque fuerit multorum varia opinio eſt (n); ſtrenuum tamen virum, atque Auguſto dignum fuiſſe ferunt, niſi contra Sacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet (o). Maximus priusquam in Gallias trajiceret; Saxones, & Friſios ſibi

Gratianum perdiditBarbarorum amor.

Seditio Maximi adverſus Gratianum in Britannia.

(l) Severus Sulpit. l. 2. ſub. fin.

(m) Gildæ Abb. Ep. c. 10.

(n) Uſſerius R.Brit.p.199 Socrat. l. 5. c. 11. Pacat. p.266. Zoſim. l. 4. p. 760.

(o) Oroſ. l. 7. c. 34.

R 2

tantùm exprimunt, quod hujusmodi officium homo Ethnicus ambiverit. De Arſenio educatore & moderatore Arcadii & Honorii habetur in Vit. PP. l. 3. c. 37. Referuntur ibidem variæ prærogativæ, quas à ſuis filiis exhiberi voluit Arſenio Præceptori Theodoſius, ſed Tillemont fatetur ſe non perſpicere monumenta hujus rei certa aut ſatis probabilia.

(* 34.) BUCHERIUS B. R. L. XII. c. 3. n. 4. Francos quidem conſtat jam pridem ab Imperatoribus in Palatium ac militiam adſertos: Nondum tamen paſſim ad conſulatum evectos. Primus, aut maximè Gratianus evexit: Merobaudem militiæ ſcientiâ clarum, quarti ſui Conſulatûs Collegam anno Chriſti 377. aſſumpſit, eundémque ſexto inde anno Chriſti 383. iterum Conſulem creavit. Ne quid de Ricomere, Bautone, aliiſque Francis ad eundem gradum ita deſtinatis dicam; qui poſt obitum Gratiani ſæpiùs conſulatum geſſerunt, prorſus ut Romanæ Dignitates in Francos tranſiiſſe viderentur.

(* 35.) IDEM n. 5. Graviùs multò Romanos irritavit nota & vehemens in ALANOS vixdum cognitos inclinatio, de quibus ita ZOSIMUS l. 4. p. 760. *Nam iis obtemperans, qui Principum mores in aula corrumpere ſolent, Alanos quosdam transfugas ſuſceptos, & militum numeris adſcriptos, muneribus largis cohoneſtabat, tantique faciebat, ut eis maximi res momenti crederet; nullâ militum ſuorum habitâ ratione: pariebat hoc illi apud milites odium. Quod paulatim ſuccenſum & auctum, milites ad rerum notarum libidinem perpulit; maximè in Britanniis conſtitutos, & cæteris contumaciæ & iracundiæ indulgentiores. Exacuebat eos Dux MAXIMUS, Hiſpanus natione, jam ante Theodoſii Principis in Britannia commilito, quem dignum Imperio habitum, ſe neglectum, ægerrimè ferebat.*

sibi fœdere junxit, quo facto navibus Oceanum transmittentes ad ostia Rheni adpellit (p); Gratianus collectâ exercitûs parte, (nam reliquæ ad Rhenum legiones ad Maximum defecerant) hosti occurrit; & quinque per dies cum Maximo prope Parisios conflictatus, ubi discessionem suorum è media pugna vidit; desperatis rebus, sumptísque secum trecentis equitibus celerrimo cursu versus Alpes properat (q). Per iter ab urbibus ubique exclusum Dux Andragathius tandem ad Lugduni mœnia deprehendit; ubi cruentis manibus (Tyranno jubente) legitimo Imperatori spiritum exhausit, anno ætatis vigesimo quarto, Regni decimo sexto (* 36). Dignus erat meliore sorte Princeps; optimis disciplinis licèt excultus, minus tamen scientiæ habuit, quâ geri Respublica solet: cæterùm fidei in Deum integræ, mansuetæ indolis, castimoniæ insignis fuit, qui præter conjugium, nescierit alterius fœminæ consuetudinem: ùt testatur Ambrosius, quem in paucis charum habuit, & cujus nomen moriens pronuntiavit.

(p) Zosim. p. 760.

(q) Pacat. in Panegyr. Theod. Victor. in Epit. Zosim. l. c.

Cædes Gratiani.

15. Peractâ cæde Maximus Treviros ingressus, ad Theodosium Constantinopolim, Legatos misit, qui fœdus, pacémque poscerent. At sapienter ille tergiversatus est, ne Valentinianus ab eo in Italia opprimeretur. Eodem tempore hic junior Imperator Mediolano Ambrosium Præsulem ad Maximum ire jussit; cujus eloquentiâ (r) effectum est, ut pax saltem qualiscunque coalesceret. Subinde legatione primâ ad Italiæ salutem perfunctus Episcopus, alteram Valentiniano rogante suscepit; quâ

(r) Ambros. Ep. 27.

Legatio Ambrosii ad Maximum.

(* 36.) ZOSIMUS p. 760. *Hâc Gratiani fugâ non neglectâ, Maximus Magister Equitum Andragatium oriundum è Ponto Euxino, qui esse peramico in ipsum animo videretur, cum equis laborum tolerantissimis ad eum persequendum mittit. Is impetu continuo Gratianum persequens, cùm Singiduni* (Lugduni ut corrigit Bucherius & Tillemontius) *Pontem transiturum apprehendisset, occidit.* Narrat porrò SOCRATES, quâ ratione occiderit. l. 5. c. 11. sed talibus cum adjunctis, quæ parùm probabilia sunt: *In Rhedâ, quæ lecticæ speciem præferebat, quæque à multis gestabatur, Andragathius Maximi Dux occultatus præcepit, ut Satellitibus Imperatoris* (Gratiani fugientis) *denuntiaretur; Gratiani conjugem eâ vehi, Imperatoríque fluvium Rhodanum, qui Lugdunum urbem Galliæ præterfluit, trajicienti obviam procederet. Imperator itaque conjugem esse ratus (matrimonium enim non ita pridem* cum Constantii filia *contraxerat, & ut juvenis miro conjugis amore flagraverat) præ desiderio ejus videndæ non nihil prospiciens.* SOZOMENUS addit l. 7. c. 13. *insidias haudquaquam evitavit; sed in hostis manus, tanquam cæcus in fossam imprudens incidit; nam Andragathius è rheda desiliens, Gratianum interfecit: Merobaude & Saturnino Consulibus.*

quâ corpus Gratiani fratris postularet: Treviros igitur denuò profectus acerbiorem Tyrannum, ac antè expertus est; nam negato privato alloquio Ambrosius in Consistorio, contra ac Præsulis honorem decebat, stare & verba facere debuit: dein increpitus à Maximo, quòd eum ad damnosam pacem induxisset, ingenti animo calumniam diluit, Parricidio & Usurpatori Imperii id porrò exprobrans, humanitatis leges eundem ita exuisse, ut, postquam Imperatorem peremisset vivum, mortui saltem exuvias reddere cunctaretur: id autem omnem facinoris modum excedere, quòd, cui abstulisset vitam, etiam sepulturam invideret. Hæc ubi acriùs perorâsset Ambrosius, è curiâ egressus, eorum Episcoporum communione se usurum negavit, qui Tyranni ab Ecclesiæ adytis proscripti partes tuerentur. Maximus hanc novam injuriam esse ratus, Treviris Ambrosium abigit (s), in reditu sicariorum insidiis conficiendum, nisi Deus sui Episcopi vias direxisset.

(s) Sulpitius V. Mart. c. 23.

§. VI. THEODOSII *pietas erga Ecclesias; nascitur Honorius, Galla altera conjux Theodosii Placillæ defunctæ surrogatur. Seditiosis Antiochenis Flavianus exorat gratiam Cæsaris: Valentinianus Junior per Maximum Tyrannum fugatus à Theodosio restituitur: Pœnitentia Theodosii, Arbogastis insidiæ adversus Valentinianum, hujus mors & funus, Tyrannis Eugenii cœlesti victoriâ à Theodosio depulsa;* HONORIUS *creatur Augustus, morbus, & pius obitus Theodosii.*

1. DUm Valentinianus in Occidente adversus Maximum summas inter difficultates luctabatur; Theodosius per suas Orientis Provincias alio prorsus bellandi genere pro Religionis amplitudine certare cœpit: Superstitioni Ethnicorum prima vis illata est; neque enim (ut aliàs sacrificia duntaxat publica proscribebantur (a); Sed & templa Paganorum, Libanio nequicquam contrà fremente (b), funditus exscindebantur: prætereà Hæretici, qui urbem Regiam erroribus suis admodum afflixerant, Constantinopoli nunc proscripti in solitudinibus ærumnarum suarum sedes quæritabant: Judæis quoque capitis pœnâ propositâ cautum est, ne quis eorum deinceps hominem Christi sacris addictum mancipii loco habere præsumeret (c): & quoniam inter orthodoxos

A. Æ. C. 384.

(a) Rufin. l. 2. c. 19. Ambros. de div. 3. Cod. Theod. 16. t. 7. l. 1. & 2.

(b) Liban. temp. p. 10. 29.

(c) Cod. Theod. 3. t. 1. l. 5.

doxos promiſcua nubendi licentia vigebat; Imperator id, quod ratio honeſtatis dudum diſſuaſerat, lege tandem expreſsâ definiendum cenſuit, ſcilicet, ut Nuptiæ inter Patrueles & Conſobrinos nefaſtæ eſſent (*1): demum Theodoſius ſacrarum Perſonarum dignitati proſpecturus ſancivit, ut nulli Eccleſiaſticorum cauſas ad aliud, quam Epiſcoporum judicium vocare liceat. Hæc ubi Imperator ad fidei, ac diſciplinæ integritatem agitâſſet; Deus, (cujus rem Theodoſius fideliter geſſerat) benefactis ejusmodi ampliores favores reddidit. Nam eodem tempore alter Principi hæres, nimirum Honorius, ac Occidentis poſteà Imperator natus eſt (*2), cujus incunabula Sapor III. miſsâ legatione pacem, fœdúsque precatus cohoneſtavit (*3): itaque eo anno dubium fuit, utrum Perſæ (qui Romanorum arma olim minùs extimeſcebant) virtutem modò Theodoſii magis metuerent, an amarent?

Theodoſii cura pro bono Eccleſiæ.

Naſcitur Honorius.

A. Æ. C. 385. 2. Sed quemadmodum lucis ſplendor non adeò omnibus gratus exiſtit, ut lippientium ſaltem oculos offendat; ita Imperatoris pietas ab optimis quibusque commendata, malignorum offenſionem conſcivit (d). Hi magicis proinde præſtigiis ea moliebantur, ut Auguſto vitam, regnúmque eriperent. At inſidiis non ſine divino beneficio detectis facinoroſorum quisque ad ſupplicium raptabatur: & jam carnificis ferro cervicem ſubjecerant; tum enimverò Principis cle-

(d) Liban. or. 14. 15.

Manſuetudo Theodoſii.

(* 1.) Ex AUGUSTINO de civ. D. l. 15. c. 16. palàm fit Nuptias inter Patrueles equidem expreſsâ lege necdum fuiſſe tunc prohibitas; verùm ipſum naturalem pudorem legis loco fuiſſe, uti & Ambroſius innuit ep. 48. Theodoſius autem honeſtatem magis inculcaturus, has nuptias prohibuit inter hujusmodi propinquos ſeveriſſimis pœnis, uti habetur Cod. Theod. 3. t. 12. l. 3. Arcadius Patris legem admoderatus eſt: & cùm conjuges nefario modo contrahentes vel exilio vel igni damnarentur; ille id unum reliquit, ut nuptiæ duntaxat illegitimæ & inceſtuoſæ haberentur. Anno 405. quando Chryſoſtomus Conſtantinopoli proſcriptus fuerat, Arcadius omnino legem Patris irritavit, reſtituítque jus vetus Romanum, quod conjugia talia non improbabat. Ex Auguſtino porrò patet, hanc abrogationem in Occidente non fuiſſe receptam; ſed Juſtinianus hanc ſuo Codici inſeruit: quamvis poſteà Gregorius Magnus l. 12. Ep. 31. q. 6. nihilominus eas nuptias lege divinâ aut naturali prohibitas, declarârit, ac vel inde talia conjugia plerumque ſterilia eſſe ſoleant.

(* 2.) Honorius natus eſt 9. Septembris a. 384. à Theodoſio accepit nomen NOBILISSIMI, ut habet IDATIUS in faſtis. SOCRAT. l. 5. c. 12.

(* 3.) AGATHIAS l. 4. teſtatur Saporem II. ſive Magnum anno 379. poſt annos vitæ 70. extinctum eſſe, cui ſucceſſit Artaxerxes ejus filius quarto poſt anno regni defunctus, ac reliquit filium Saporem III. hæredem regni. Anno exacto hic quoque mortuus Varanem IV. filium habuit ſucceſſorem anno 383. qui tenuit regnum per annos undecim usque ad a. 399. quo occiſus eſt. Sapor III. itaque fuit, qui anno 384. legationem miſit ad Theodoſium, pacémque petiit.

clementia apertiùs eluxit: factâ quoque hostibus suis vitæ veniâ ostendit expedire regnantibus, sontes & extrema exempla meritos quandoque salubriore mortis terrore corrigi, quàm mortuorum fato, plurium odium animari (e). Harum, aliarúmque, quibus Theodosius valebat, virtutum Magistra fuerat Placilla (f) pientissima Imperatoris conjux, quæ Nicænæ fidei custos (g) & maximarum rerum in Palatio gestarum instrumentum, subinde è vivis ad meliorem coronam decessit (h). Defunctæ annuo luctu parentatum est (*4) quo ferè exacto (i) Imperator alteram sponsam sibi junxit Gallam Junioris Valentiniani sororem (*5), sed minùs aptam, ut ad exemplum Placillæ affectiones irati Principis, quibus præceps sæpe rapiebatur, admoderaretur; utì sequente anno Antiocheni suo ipsorum damno didicerunt.

(e) Ambros. de divers. 3.
(f) Theodoret. l. 5. c. 18.
(g) Sozom. l. 7. c. 6.
(h) Ambros. div. 3.
(i) Philost. l. 10. c. 7.

A. Æ. C. 386.

Mors Placillæ Augustæ, cui Galla surrogatur.

3. Annus septimus supra trecentesimum octogesimum volvebatur, quo Theodosius quinquennalia Arcadii filii, sui verò regni decennalia celebrare instituit (k). Solennitatis non minima pars erat, ut in milites singulos quinque aurei erogarentur (l): hæc summa quoniam ex tenui ærario exsculpi nequibat; exactionum nomine Antiochenæ urbi imperata est (m). Nullus Magnatum erat, qui non fronte gravi, aut supercilio tristi pergrave mandatum exciperet (n): aspera quoque hæc vox in auribus vulgi, rebellionis secuturæ (*6) incentivum præbuit; nam spoliarium civium instare, & post æra sanguinem emunctum iri conclamantes, in Constantini, & Theodosii statuas involant (o), tractásque per

A. Æ. C. 387.

(k) Pagi Tom. I. Crit. p. 263.
(l) Ammian. Marcell. p. 315.
(m) Liban. or. 14. t. 1.
(n) Chrys. or. 5.

Seditio Antiochiæ.

(o) Zosim. l. 4. p. 766. Sozom. l. 7. c. 23. Liban. or. 23.

(* 4.) BARONIUS ad a. 385. §. 22. mortem signat Placillæ Augustæ, NYSSENUS de Placilla notat, ante matrem decessisse Pulcheriam filiam. Idem Gregorius Nyssenus delectus fuit ad habendam orationem funebrem tum Placillæ, tum Pulcheriæ: laudavit autem in Placilla potissimùm justitiam, fidei Nicænæ zelum; ejus enim curâ effectum est, ut & Eunomius Hæresiarcha nunquam ad alloquium Principis admitteretur. Atque utì THEODORETUS ait: l. 5. c. 18. per magnanimam libertatem Ambrosii, & Pietatem Placillæ Theodosium in virtutis amore fuisse conservatum.

(* 5.) PHILOSTORGIUS l. 10. c. 7. contendit, quod Galla Ariana fuerit: quamvis apud alios nil ejusmodi reperiatur. Mater fuit Placidiæ posteà sub Honorio & Valentiniano III. celebratæ, dedit quoque Filium Theodosio Gratianum, qui mortuus est ante obitum Patris, tertiam datura prolem in partu decessit Galla anno 394.

(* 6.) Seditio ista orta est circa 26. Februarii, decendio ante quadragesimam. Authores fuêre pauci numero extranei, & furiosi. Ethnici atque catholici agnoverunt Coriphæos fuisse instrumenta dæmonum, quin LIBANIUS or. 14. refert unà cum SOZOMENO l. 7. c. 23. apparuisse dæmones humanâ in forma, qui postquam incendissent malum, disparuerunt.

per ludibrium millena inter convitia diffringunt. Injuria celeribus nunciis Constantinopolim perlata in funestissima Principem conjecit consilia (p): urebat id maximè Theodosium, ab urbe, cui beneficam semper manum impendisset (q), opprobriorum monstra referri: primo igitur iræ impetu decretum est, ut civibus ferro & igne perditis, Antiochia jure Metropoleos exuta Laodiceæ subderetur (*7). Feralis sententiæ rumor non per intervalla, sed citò in modum Fulminis ad Antiochenos transiit: quare cùm præsentem intentarent omnia mortem; plures secedere in exilium (r), alii gemitu, lachrymis suam testari innocentiam, omnes Flavianum urbis Episcopum velut rei desperatæ Patronum invocare (s). Sanctus Præsul precibus & ærumnis suorum victus, ægro corpore, mediâ hyeme legationem aggreditur, à populo imminens exitium depulsurus: verùm iter faciente Præsule jam Antiochiam advolabant jussi judices, qui dirissimâ quæstione, vinculis, ultimísque pœnis in sontes adverterent (t). Periculi magnitudo ipsos solitarios ex suis cavernis excivit, qui lugubri vultu, & umbris hominum persimiles in urbem atque tribunal se ingerebant ad causam pro Antiochenis perorandam (u). Præ cæteris Macedonius Præfectorum cuivis hæc inculcabat: ut novæ statuæ Cæsaris ære fundantur, operam fortè multorum præsto fore; nullum autem artificum extiturum, qui homines suppliciis exanimatos vitæ restituat. Sanctimonia viri, tum vis, quâ concepta verba protulerat, judicum animos ita emolliit; ut ipsi captivorum squalore mitigato, patrocinium causæ se suscepturos apud Theodosium pollicerentur. Intereà Flaviani preces Constantinopoli Theodosius duriore adhuc animo exceperat; id Episcopo maximè testatus, se nil in æquitatis rationes peccaturum, si populum beneficiis suis insultantem severiore posteà imperio coërceret. At Episcopus clementiam Principis interpellans, meminisse volebat Cæsarem, quoties reorum temperâsset pœnas, & leni manu vitia castigâsset: quàm sollicitè sanxisset, ut circa festa paschalia fontium vincula solverentur: esse Antiochiæ cives alieno potiùs, quàm suo crimine in seditionem pellectos, qui nunc pariter redeuntibus paschalibus feriis liberta-

(p) Chrysost. in col. hom. 7 Theodoret. l. 5. c. 19. Sozom. l. 7. c. 23.
(q) Liban. or. 15.
Acerba quæstio instituitur.
(r) Chrysost. or. 2. 4. 11. 13. 17.
(s) Idem t. 1. or. 3. 17. & 20.
(t) Chrysost. or. 11. 12. 16. 20. & 22. Theodoret. l. 5. c. 19.
(u) Chrysost. or. 17. 18. Theodor. l. c. Liban. or. 22. & 23.
Flavianus gratiam exorat Cæsaris.

(* 7.) HERODOTUS refert l. 3. Severum ante ducentos annos Antiochiam Laodiceæ subjecisse.

bertatem à catenis, atque immunitatem ab exitio opperiantur (x). [(x) Chryſoſt. or. 17.] Supplicante adhuc Flaviano Cæſari, judices quoque Antiochiâ reverſi palatium ſubibant. Hi orationi Præſulis literas à ſolitariis perſcriptas addiderunt, quarum argumentum in Chriſti hoſtibus ignoſcentis exemplo verſabatur: tot igitur votis, monitíſque victus Imperator urbi & populo injuriam condonavit, mirantibus Gentilibus eximiam charitatem, quæ non ab alia radice, quam verâ fide naſci, & nutriri poteſt (y). [(y) Chryſoſt. or. 17. & 20. Zoſim. l. 4. p. 766. Liban. or. 22. Ambroſ. epiſt. 17.]

4. Per ejuſdam anni decurſum Maximus Tyrannus non contentus Ditionibus, quas Gratiano rapuerat, etiam Valentiniani modicis Provinciis inſidiabatur. Sub Auguſti finem per Alpes irrumpens (*8) juniorem Principem cum matre Juſtina Italiâ expellit: [*Valentinianus à Maximo ſuo regno expellitur.*] fugientibus cùm nec Aquileja ſecurum ſponderet locum; Theſſalonicam convolant, Theodoſii opem imploraturi (z), [(z) Zoſim. l. 4. p. 767.] quam is & beneficio Gratiani, & Gallæ Valentiniani ſororis conjugio devinctus ampliſſimam addixit hâc duntaxat lege, ut Juſtina Arium, cui mordicus & ad perniciem Eccleſiæ adhæſerat, ejuraret. Inde enim profectum ajebat Theodoſius, ut filius cum matre exules hoſtili ferro ereptas ditiones dolerent (a); [(a) Theodor. l. 5. c. 15.] quòd Chriſti divinitatem profitentium fidem acerbâ vi, & Præſules orthodoxos exiliorum ſqualore mulctaviſſent.

5. Poſt

(* 8.) ZOSIMUS l. 4. p. 767. *Maximus exiſtimans non ex dignitate ſibi res ſuccedere, ſi ſolis imperaret in nationibus, quæ Gratiano prius parebant; de Valentiniano regno dejiciendo cogitabat; toto quidem illo, ſi poſſet; in ſuâ ſpe fruſtraretur, parte ſaltem illius conquirendâ, quantam ſanè occupare poſſet. Hâc opinione victus* (fœdus abrumpere, addit PACIANUS p. 268., jus feciale violare, bellum edicere non timens:,, aut ùt PROSPER PITHOEI ,, indignum ducens contra Eccleſiæ ſtatum agi,, nempe quòd Juſtinæ Arianæ hæreſin foveret) *ad tranſeundas Alpes, & adeundam Italiam ſe parabat. Cum autem videret, per arctam viam, & aſperrimos, inviósque montes iter neceſſariò faciendum eſſe; quos deinde lacus & paludes excipiunt, per quas Viatoribus ſaltem tardiùs tranſeuntibus, non tantis copiis exitus patet; quid agendum eſſet, ad melius conſilium differebat. Valentiniano autem legatos Aquileja* (quo ſe Mediolano contulerat) *mittente, déque pace firmiora ſibi caveri petente, poſtulatis Maximus adſentiebatur itaque Domninum hac de cauſa ablegat.* Is à Maximo *omni comitate & obſervantiâ exceptus eſt . . . . ac potuit uſque adeò Domninum decipere Maximus, ut etiam partem exercitûs ſui cum eo mitteret, quæ Imperatori auxilio eſſet contra Barbaros.* Hâc ratione *viam ducentem ab Alpibus imprudens* Domninus *Maximo faciliorem reddebat. . . . . comperto igitur Domninum* cum Maximi adjunctis militibus *Alpes, quâ ſunt anguſtiſſimæ, penetrâſſe . . . . omni cum celeritate Italiam, nemine præpediente ingreſſus . . . . . . ita Valentinianus tam repentino caſu præter ſpem omnem fere oppreſſus eſt.*

A. Æ. C. 388.

5. Post Valentiniani fugam jugum Maximi Italia (*9) & Africa subiêre (b); ex quibus Tyrannus tam numerosum coëgit militem, ut Aquilejæ sedem figeret, non pugnæ moderator, sed testis victoriæ futurus. Theodosium quia anceps belli alea urgebat; à pietate, sanctísque viris consilium expetiit. Omnibus expeditionem suadentibus (*10), id porrò rogatus Joannes unus ex solitariis Ægypti addidit, Imperatori triumphum adversus hostes à Cælitibus decretum (c). Collecto proinde ex Gothis, Hunnis & Alanis exercitu (d), datáque (e) Arcadio undecim annorum Adolescenti Imperii curâ, Theodosius comitante Valentiniano Legionum ita direxit iter, ut quorsum vim esset conversurus (f), Maximus ignoraret: curaverat hic tamen, ut mari Andragathius classem imponeret, quâ hostis (siquidem illuc moveret) ante Italiæ conspectum per navalem pugnam comprimeretur. Sed errore eodem, quem Tyrannus Providentiam crediderat, Theodosio terrestri Marte vincendi locum dedit (g); divisis quippe, à Maximo copiis, Siscia ad Savum, Petavio, Alpésque Juliæ celerrimo impetu superatæ sunt; dum ad Aquilejæ portas Theodosii exercitus consisteret (h). Præsidiarius miles numerosis tot legionibus impar, ut suam saltem fidem redimeret, Maximum purpurâ spoliatum per aperta mœnia ad Theodosium deducit (i). Is paucis ad eum, quæ contra Rempublicam deliquisset, velut exprobrationis vice recensitis, hominem carnifici tradit, meritas perfidiæ ac tyrannidis pœnas luiturum. Andragathius cognitâ Maximi morte, è navi

(b) Ambros. Ep. 17. & Epist. 61. Baron. ad a. 387. §. 59.

(c) Rufin. l. 2. c. 32. Theodoret. l. 5. c. 24.

(d) Pacatus p. 270.

(e) Socrat. l. 5. c. 12. Sozom. lib. 7 c. 14.

(f) Zosim. 697. p. 770.

Theodosii bellum contra Maximum.

(g) Ambros. epist. 17.

(h) Oros. l. 7. c. 35.

Mors funesta Maximi

(i) Socrat. l. 5. c. 14 Philost. l. 10. c. 8.

(* 9.) AMBROSIUS lib. offic. 2. c. 28. testatur, quod cùm Maximus Placentiam, Rhegium, Mutinam, Claternam, Bononiam exagitaret, raperétque cives in servitutem, se eosdem captivos venditis sacris vasis redemisse.

(* 10.) PACATUS in Panegyrico p. 269. Theodosium ita alloquitur: *An sustinere te coràm, ille quondam domûs tuæ negligentissimus Vernula, mensularúmque servitium statarius lixa potuisset? Non statim totum subîsset hominem præterita sui, tuique reputatio? Non ipse sibi objecisset, te esse triumphalis viri filium, se Patris incertum? te heredem nobilissimæ familiæ, se clientem? te omni retrò tempore Romani exercitûs Ducem, libertatis Patronum; se orbis extorrem, fugitivum? Jam verò te Principem in medio reipublicæ sinu, omnium suffragio militum, consensu Provinciarum; ipsius denique ambitu Imperatoris optatum; se in ultimo terrarum recessu, legionibus nesciis, adversis Provinciarum studiis, malis denique auspiciis in illud Tyrannici nominis adspirâsse furtum! postremò tecum fidem, secum perfidiam . . . tecum clementiam, pudicitiam, religionem; secum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium scelerum, postremorúmque vitiorum stare collegium?* ita orator rationes profert, ex quibus Theodosius Maximum aggredi decrevit.

è navi in Jonium mare, ubi classem regebat, se præcipitem dedit (k); & Victor Tyranni filius jubente Theodosio in Galliis ab Arbogaste interfectus est: his paucis occisis, veniam reliquis Imperator impertiit (l);

(k) Zosim. p. 770. Oros. l. 7. c. 35.

(l) Pacatus p. 282.

6. Sequente anno Theodosius unà cum Valentiniano Romam Idibus Junii digressus, triumphum peregit (m): Pompæ publicæ lætitiam auxêre primorum ordinum senatores, nimirum Anicii, Probi, Paulini & Gracchi, qui Pientissimi Imperatoris hortatu ac exemplo è tenebris idolomaniæ ad lucem christianæ fidei protracti, Orthodoxorum vota impleverunt (n). Conversio rerum quoniam Theodosium præcipuè ad altiores spes excitârat; adversus delubra Paganorum (* 11), & HH. conventus legum, consiliorúmque vim omnem protulit (o): tanta cùm Romana in urbe egisset Imperator; Mediolanum reversus, Butherichum in Illyrico præfectum à Thessalonicensibus occisum intelligit. Religiosum cæte-

A. Æ. C. 389.

(m) Sozom. l. 7. c. 14. *Theodosius venit Romam.*

(n) Socrat. l. 5. c. 14.

(o) Ambros. epist. 7

A. Æ. C. 390.

(* 11.) Inter Delubra præcipua, quæ tunc dejecta sunt, erat famosius templum Alexandriæ, quod *Serapidis* dicebatur, de quo RUFIN. l. 2. c. 23. „ Locus erat manu, & constructione per centum gradus in sublime suspensus, quadratis & ingentibus spatiis omni ex parte distentus. Cuncta verò, quo ad summum pavimentorum evadatur, opere forniceo constructa, quæ immensis desuper luminaribus, & occultis aditibus invicem in semet distinctis, usum clandestinis officiis exhibebant. Jam verò in superioribus, extrema totius ambitûs spatia occupant exedræ & Pastophoria, domúsque in excelsum porrecta, in quibus vel æditui, vel castè viventes commanere soliti erant. Porticus quoque post hæc omnem ambitum quadratis ordinibus distinctæ intrinsecus circumibant. In medio totius spatii ædes erat pretiosis edita columnis, & marmoris saxo intrinsecus ampla, magnificéque constructa. Interioris delubri parietes laminis aureis vestiti erant, super has argenteis, ad postremum æreis, quæ munimento pretiosioribus metallis forent. In hac simulachrum Serapis ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum læva pertingeret; humanam habebat effigiem in Vertice modium gestantem, barbâ, & capillis longioribus„ Huic adjunctum erat monstrum Hieroglyphicum tricipitis animantis, quod exprimebat medio, eodemque maximo capite leonis effigiem, dexterâ parte caput canis exoriebatur mansuetâ specie blandientis, pars verò cervicis læva rapacis lupi capite finiebatur; eâsque formas animalium Draco connectebat volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram. vide Macrob. Saturn. 1. c. 20. Porrò RUFIN. l. c. de Serapidis Dei origine varias affert opiniones. Alii siquidem putabant Jovem, alii virtutem Nili fœcundantis Ægyptum. Quidam in honorem Patriarchæ Joseph formatum perhibent simulachrum, ob dimensionem frumenti, quo famis tempore subvenit Ægyptiis. Alii repertum in veteribus Græcorum historiis, Apin Ægypti Regem, cum tempore famis frumenta defecissent, ex proprio civibus alimenta præbuisse. Quo defuncto à Memphi in ejus honorem templum institutum, in quo bos quasi indicium optimi agricolæ nutriebatur; ejus verò corpus Alexandriam deductum, cum sepulchro, quod σορὸν græcè dicitur. Hinc *Soron Apis* seu *Sorapis* posteà verò Serapis nominatum est. Sed de ruina hujus templi plura dicentur infra in C. II.

Pœnitentia Theodosii.
(p) Sozom. l. 7. c. 25. Theodor. l. 5. c. 17. Aug. l. 5. de civ. Dei c. 17.
(q) Ambros. ep. 31. Theod. c. 18.
A. Æ. C. 391.
(r) Rufin. l. 2. c. 19.

cæteroquin Principem nuncius repentinus ita commovit; ut civibus cædis authoribus communem lanienam, internecionémque dictaret (p): strages tum nocentium, tum innocentium funeribus consummata longè funestius Theodosio vulnus inflixit; Ambrosio enim obluctante ab Ecclesiæ communione resectus, iracundiæ æstum octo mensium pœnitudine expiare coactus est (q). Restitutus fidelium cœtui Imperator, beneficium pensare eatenus studuit, ut (* 12) Ecclesiæ hostes legum præscripto ab aditu Provinciarum, quam longissimè submoveret. Exinde ab Occidente, cujus curam ferè triennio gesserat, in suum Orientis Imperium recessit, eâdem fortitudine lupos (qui ibi gregem evastarent) exclusurus (r).

(s) Sozom. l. 7. c. 14.
(t) Prosper Pithœi.
A. Æ. C. 392.
Valentinianus incurrit odium Gentilium.
(u) Suidas

7. Valentinianus intereà regnum meliore sorte recuperat; nam Maximo extincto suis Provinciis eas quoque adjunxerat (s), quæ Gratiani sub potestate olim fuêre: neque sine Dei consilio erat, quod mater ejus Justina vivis eodem tempore excederet (t). Hâc quippe vicissitudine Junior Princeps à mulieris Arianæ præstigiis ereptus, ad meliora Theodosii, ac Ambrosii Episcopi documenta animum advertebat. Fructus certè ingens à morte matris sperari poterat; nisi Arbogastes virentem in herba spem truculento facinore succidisset. Francus is natione fuerat, robore corporis & asperitate animi ad officia summa militiæ eluctatus, à Theodosio subinde Valentiniani moderator decernitur, de quo optimi quique credebant, posse gravitate suâ Adolescentis Principis mores, simúlque instabilitatem regni cohibere (u): missus in Galliam, ut Victorem Maximi filium velut ultimam seditionis scintillam extingueret, fidem ita exsolvit; ut simul Barbaros à finibus depellens, Gallorum Provincias paci redderet. Gloria rerum gestarum hominem brevi ambitiosiùs extulit, quàm ut legitimum Cæsarem superiorem sibi, aut etiam æqualem pati vellet: scelus tamen, quod meditabatur, tantisper dissimulans paulò post prodi-

(* 12.) A. 391. 9. Maji (ut habetur Cod. Theod. 16. t. 7. l. 4.) Lex edita est à Theodosio, quâ omnes Apostatæ à fide, incapaces testamenti condendi, aut hæreditatis capiendæ declarantur, simúlque infames & inhabiles ad honores pronuntiantur, & subinde 19. Maji cautum est, ut omnes Hæretici, præsertim Manichæi, & Joviniani sectatores abigantur ex urbibus.

prodidit. Authore Symmacho Pagani à Valentiniano extorquere
precibus conabantur (x), ut ara Victoriæ, quam Gratianus ſe- (x) Ambroſ.
moverat, ſuo loco & cultui reponeretur: petentibus Valenti- Ep. 15.
nianus repoſuit, ſe nequaquam cum religionis Chriſtianæ offen-
ſione commiſſurum, ut à fratre pietate ſuperaretur. Quantùm
aduſſerat id reſponſum Principis Gentiles, tanto gaudio affecit
Arbogaſtem, qui & ipſe Paganus ſperabat fore: ut turbidâ quaſi
procellâ in regni purpuram irreperet.

8. Sub idem tempus Valentiniano (qui Viennæ Galliarum
tunc egerat) nunciatur, Barbaros ex Illyrici finibus Italiam pe-
tere (y): rumore quoniam Princeps tardiùs ad ſubveniendum ſuis (y) Ambroſ.
impellebatur; Ambroſius Mediolano in Galliam movere ſtatuit, div. 2.
quò Cæſarem ad celeriores ſuppetias permoveret. Nil gratiùs Va-
lentiniano accidit, quàm Præſulis ejus opperiri adventum, ad
quem proficiſci ſalutis causâ jam antè decreverat: dabantur pro- *Inſidiæ Ar-*
inde literæ ad Ambroſium, ut iter acceleraret; id enim maximè *bogaſtis ad-*
cupere Imperatorem, ut apud Arbogaſtem eum fidei ſuæ vadem *verſus Valen-*
haberet (* 13), qui ſibi ſacris Baptiſmi aquis Eccleſiæ ſinum pro- *tinianum.*
piùs aperiret (z). Arbogaſtes ſeu metueret conſilio potentis Epi- (z) Idem Ep.
ſcopi præſentiam, ſeu ſuſpicione ageretur, ne hâc legatione Am- 57.
broſii ſuæ inſidiæ proferrentur in lucem; Valentinianum infe-
ſtiùs adoritur (* 14). Acerbitatem ſervi deteſtatus Princeps, Ar-
bogaſtem à Magiſterio militiæ dimovere parat: Francus quaſi novâ
injuriâ ictus in Valentinianum probra mille aggerens, ferrum
S 3 etiam

(* 13.) Simultates inter Valentinianum, & Arbogaſten interceſſiſſe innuit ZOSIMUS l. 4. p. 774. *Arbogaſtes oriundus è Gente Francorum, quem ſecundum à Baudone Duce locum Gratianus Imperator obtinere juſſerat; illo rebus humanis exempto, fretus induſtriâ ſuâ, citra Principis authoritatem, Imperium militare ſibi vindicaverat. Viſus autem ſubditis ſibi militibus idoneus, ob fortitudinem, Reique bellicæ ſcientiam, & pecuniæ contemptum, magnam ad potentiam pervenit. Adeóque tantus erat, ut etiam adverſus Principem liberior eſſet, & quæcunque non rectè, neque par erat, fieri putabat prohiberet. Ea Valentinianus permoleſtè ferens, reluctabatur quidem ſæpiùs, ſed nihil perficiebat. Nam Arbogaſtes omnium militum benevolentiâ munitus erat.*

(* 14.) IDEM p. 775. *Tandem Valentinianus haud ferens ampliùs, ut huic ſubjectus eſſet; cum Auguſto in ſolio ſedens, accedentem videret Arbogaſtem; acerbiùs hominem limis adſpiciens literas porrigit, quibus ipſi Imperium abrogabat. Iis ille perlectis: Nec Imperium, inquit, mihi dediſti, nec auferre poteris. Quibus prolatis, diſcerptóque libello, & in terram abjecto diſcedebat. Ex eo tempore, non clanculum ſuſpiciones alebantur, ſed omnibus eorum inimicitiæ patebant.*

etiam arripit, Auguſtum confoſſurus; niſi Prætoriani ſceleratam hominis manum tempeſtivè cohibuiſſent. Parricidæ manibus hoc modo ſica quidem, at non ira animo evulſa eſt (a); hujus quippe æſtu milites quoſdam ad latrocinii facinus protinus emit, qui ludentem in ſejunĉto Palatii loco Imperatorem adorti, compreſſis faucibus vitam Principis elidunt: crudelitati latrones ignominiam addidêre; exanimi quippe faſciam induentes, ferales exuvias ex pariete ſuſpendebant, ut aliis perſuaderent, Valentinianum ſuis manibus ſibi hoc infame genus mortis intuliſſe (* 15): interiit itaque Auguſtus Adoleſcens Idibus Maji pridie Pentecoſtes, ætatis ſuæ vigeſimo primo, Imperii decimo ſeptimo.

(a) Philoſt. l. 11. c. 1.

Mors Valentiniani.

A. Æ. C. 392.

9. Arbogaſtes turpiſſimi criminis ſuſpicionem à ſe amoliturus, facilè conceſſit; ut Corpus Valentiniani magno apparatu Mediolanum deduĉtum, Gratiani fratris tumulo inferretur (b): cohoneſtabant pompam funebrem non tam Romanorum, quàm Barbarorum gemitus (c): Eccleſia poſt Gratiani fatum altero fratris funere jam affliĉta, velut è percuſſis duplici iĉtu maxillis copioſas fundebat lachrymas (* 16). His tamen ſorores Valentiniani Juſta

(b) Ep. p. 177

(c) Ambroſ. div. 2. & Epiſt. 57.

Funus Valentiniani.

(* 15.) De necis modo, quo Valentinianus interierit, non conveniunt Hiſtorici ZOSIMUS l. 4. p. 776. ita ſcribit: *Igitur Principem, qui apud oppidum Celticum commorabatur, & propter muros ejus ludicra cum quibusdam militibus exercebat, nihil tale cogitantem adortus, lethaliter vulnerat & interficit.* II. CASSIODORUS in Chronico ait, Valentinianum *vitæ tædio apud Viennam laqueo periiſſe.* RUFINUS l. 2. c. 3. unà cum Sozomeno dubitat, cur Valentinianus vitam finierit. III. Oroſius l. 7. c. 35. affirmat eum dolo Arbogaſtis laqueo ſuſpenſum, ut voluntariam mortem ſibi conſciviſſe putaretur. SOCRATES l. 5. c. 24. ait Eugenium & Arbogaſtem, Eunuchos Imperatoris cubicularios ſollicitâſſe, ut Valentinianum oppreſſum ſtrangulent; quare S. HIERONYMUS Ep. 3. ait, *Adoleſcens Valentinianus ac pene puer, haud procul ab urbe* (Lugduno) *fraternæ mortis conſciâ necatus eſt, & cadaver exanime ſuſpendio infamatum.* Quod confirmat S. Ambroſius in Or. funebr. *cùm in tranſalpinis partibus poſitus, audiſſet ad Italiæ fines Barbaros appropinquâſſe, ſcribit,* (ſe) *ne alieno hoſte regnum ſuum attentaretur, venire properâſſe, cupientem dimittere Gallicana otia, & pericula Italica ſuſcipere; imò ſe ab eo ſæpe appellatum* (addit Ambroſius), *ut ſacris Baptiſmi Myſteriis initiaretur, ac denique reſcripſiſſe, ut ſine mora pergeret, eoquod illum vadem fidei ſuæ habere apud comitem ſuum* (Arbogaſtem) *vellet: non arbitraretur Ambroſius cauſam itineris ejus Synodum Gallorum eſſe Epiſcopum* (quæ ob diſſenſiones Gallicanorum Epiſcoporum tunc cogebatur), *propter quorum frequentes diſſenſiones, crebrò ille ſe excuſaverat, ſed ut ipſe Valentinianus baptizaretur in ipſo egreſſu* è Galliis. Ambroſius jam Alpium juga ſuperârat, cùm nuntiatur mors Imperatoris, unde reflexit iter.

(* 16.) AMBROS. in obitu Valentiniani p. 105. *Quid primùm amarâ conqueſtione deplorem? converſi ſunt dies nobis votorum in lachrymas. Siquidem Valentinianus nobis, ſed*

Justa & Grata Virgines copiosiùs unà cum Episcopo Ambrosio indulgebant : atque hic quidem præreptum filium sibi dolens, totâ oratione ad populum habitâ suum luctum testatus est, cujus unicum lenimen ille credebat fore, quòd voto Baptismi facto, & ardenti amore Christo conjunctus ad melius cæli regnum transiisset (* 17). Peractis exequiis Arbogastes plebis odium declinaturus, alium scelere sibi similem Imperio donare constituit, ut sub alterius nomine licentiùs grassaretur (d). Placuit Franco præcipuè Eugenius Grammaticus, qui cùm literas latinas docuisset, tandem relictâ scholâ ad scriniorum Magisterium subvectus (e), eloquentiæ causâ præ cæteris omnibus colebatur. Arbogastis ex consilio ubi sumpsisset purpuram (f), Christianus licèt ex superstitiosis Aruspicum præstigiis Principatûs aditi insignia se retenturum sperabat (g). Subinde missis ad Theodosium legatis fœderis, Imperiique communionem deposcebat (h); At Constantinopolis à Valentiniani cæde non parum irritata (* 18), oratoribus præter

(d) Oros. l. 7. c. 35.
Eugenius Tyrannus succedit.
(e) Socrat. l. 5. c. 25.
(f) Zosim. l. 4. p. 776.
(g) Sozom. l. 7. c. 22.
(h) Rufin. lib. 2. c. 31.

sed non talis, qualis sperabatur, advenit . . . Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent ignoti, flent & timentes, flent & inviti, flent & Barbari, flent & qui videbantur inimici . . . & quia de Hierusalem dictum est: plorans ploravit in nocte & lachrymæ ejus in maxillis ejus & nostra Hierusalem, id est Ecclesia, ploravit in nocte, quoniam, qui eam splendidiorem fide suâ, & devotione faciebat, occubuit . . . flet igitur Ecclesia pignus suum, & lachrymæ ejus in maxillis ejus. Quæ sit maxilla, audi. Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram; eoquòd in dolore sit patiens, ut pœniteat verberantem. Percussa eras Ecclesia in Maxilla tua cùm amitteres Gratianum, præbuisti & alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est. Meritò non in una maxilla, sed in utraque sunt lachrymæ, quia piè Germanum utrumque deploras.

(* 17.) AMBROSIUS in obitu Valentiniani Junioris p. 112. *Sed audio vos dolere, quòd non acceperit sacramenta Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? atque etiam dudum hoc voti habuit, ut antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significavit, & ideo præ cæteris me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit; non habet, quam poposcit? certè quia poposcit, accepit . . . Solve igitur Pater Sancte, munus servo tuo, quod Moyses, quia in spiritu vidit, accepit: quod David, quia ex revelatione cognovit, emeruit. Solve, inquam, servo tuo Valentiniano munus, quod concupivit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis . . . aut si quia solemniter non sunt celebrata Mysteria, hoc movet? ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, si non initiantur. Quòd si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit, & voluntas . . . Date manibus sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date Sacramenta cœlestia, NB. animam piam nostris oblationibus.* Hìc apertè animas defunctorum precibus, & altaris Mysterio juvari docet Ambrosius.

(* 18.) ZOSIMUS p. 776. *Universis hisce Theodosio renuntiatis, Uxor ejus Galla fratrem deplorans, Regiam totam conturbabat. Simul ipse Princeps magno mærore, curáque*

Theodosius decernit bellum contra Eugenium.
(i) Zosim. p. 777.
A. Æ. C. 392.
(k) Sozom. l. 7. c. 22. Rufin. l. 2. c. 32. Theodor. l. 5 c. 24.
(l) Ruf. c. 33.

Præter verba responsi ferè nihil reddidit; his digressis Optimatum ex sententia concepta lex est, ut Parricidium insolens insolitâ quoque armorum acerbitate plecteretur (i). Theodosius antequam Tyranno palàm obsisteret; Eutropium fidum in paucis servum ad S. Joannem Ægypti Monachum (unde victoriæ adversus Maximum relatæ certa indicia acceperat) denuò ablegat (k): rogabatur autem Solitarius, ut vel præsens ipse coràm, vel absens per Eutropium, quid de belli eventu ominaretur, dissereret. Intereà Imperator, ut Deum conciliaret sibi; fidei, & pietati amplificandæ dabat operam (l): hortatu ejus, & largitionibus Ecclesiæ plurimis in locis ornatæ satis sunt, magnificéque constructæ: abusus, si qui falsâ religionis specie irrepserant, ex legum novarum præscripto sublati (*19): Idololatræ & Hæretici propositis pœnis repressi (*20).

A. Æ. C. 393.
Theodosii pius apparatus ad instantem expeditionem.
(m) Rufin. l. 2. c. 32. August. civ. Dei l. 5. c. 26.

10. Postquam Eutropius demandatum emensus iter S. Joanni Ægyptio vota Principis exposuerat; negabat is se solitudine relictâ ad Palatium concedere posse: nunciari tamen Theodosio voluit, ab ejus partibus victoriam fore, sed Tyranno extincto Deum decrevisse, ut victor ipse in Italia moriturus ad meliorem cæli triumphum evocaretur (m). His auditis Theodosius precum, jejuniorúmque magis subsidio, quàm armorum munitus, obibat cum sacerdotibus & populo ædes sacras, & cilicio coopertus ante Mar-

ráque conficiebatur, quin Imperii consortem ætate florentem, affinitatisque vinculo junctum amisisset.

(* 19.) *Cod. Theod.* 9. t. 40. l. 15. anno 392. præcipitur, ne Gubernatores Provinciarum supplicium differant damnatorum: sub specie appellationis, sive quod Ecclesiasticæ Personæ per vim reos abriperent; nam S. AMBROSIUS offic. l. 2. c. 21. etsi probet, quod Clerici apud Judices supplicent pro venia reorum; id tamen convenire iis negavit, ut vi turbent disciplinam civilem, aut vi auferant sontes sive captivos. 18. Octobris alia lex Cod. Theod. 145. l. 1. prodiit, quæ loquitur de Asylis Ecclesiarum, & licèt ante hanc legem expressa hujus Asyli mentio non fiat à Cæsaribus, ut advertit TILLEMONT.; ipsa tamen hæc sanctio ad vigentem jam consuetudinem provocat, id solummodo inculcans, ne raptores hoc privilegio abutantur, quin si debeant, extradantur: aut Episcopi, qui tradere nolint, ex Ecclesiis, ipsi debitum solvant, quo modo fecisse S. Augustinum legimus ep. 268.

(* 20.) BARONIUS ad a. 392. §. 27. citat legem, quâ Theodosius ad pendendas decem libras auri damnat illos Hæreticos, qui ordinationem acceperint, aut alios ordinârint; simúlque Imperator cavit, ut omnia loca, in quibus Hæretici cultum suum instituerunt, Fisco attribuerentur. Aliâ lege eodem anno imperatum est, ut, qui contra fidem catholicam, præsertim in Ægypto, convitia spargerent, jámque semel pœnâ hâc super re fuissent excepti, relegarentur. Cod. Theod. 16. t. 4. l. 3.

Martyrum, Apoſtolorúmque thecas, auxilia ſibi fidâ ſanctorum interceſſione poſcebat (n): Prætereà Conſtantinopoli profecturus Rempublicam ita temperatam eſſe juſſit; ut ne quis vectigalium onere, aut militum exactionibus vexaretur (o): dein Honorium filium ſuetâ ſolennitate dixit Auguſtum, quâ providentiâ ſementem turbarum, quæ decedente Imperatore cæteroquin ſubnaſci ſolent, longo antè conſilio oppreſſit (*21).

(n) Rufin. c. 33.

(o) Vid. Tillemont. in V. Theod. art. 74. & 75.

11. Quemadmodum Theodoſius pietatis ſtudio parare bellum aggreſſus eſt; ita Eugenius in ſuperſtitione Paganorum firmamentum virium, fortunámque collocabat (p). Collectis quippe ex Germania barbaris Gentilibus (*22), ut Italos quoque Ethnico adhuc cultui addictos obſtringeret; & reditus eorum delubris, & Victoriæ famoſam aram in curia reſtituit (*23). Præter vetera hæc improbitatis monumenta Tyrannus ad ſpeciem Chriſtianus permiſit, ut novum Jovis Fulminei ſimulachrum in faucibus Alpium Julianarum, velut victoriæ pignus attolleretur (q); ab his igitur nefaſtis idolis ac ſacrificiis, ubi Eugenius lætiſſima quæque divina-

(p) Oroſ. l. 7. c. 35.

Eugenii diverſa ad Bellum præparatio.

(q) Auguſt. de civ. Dei l. 5. c. 26. Theodoret. l. 5. c. 24.

(* 21.) PHILOSTORGIUS l. 11. c. 2. Honorium ſecundum Theodoſii filium anno 393. Auguſtum creatum aſſerit, quo menſe neſcitur. Inauguratio (quæ in Hebdomo ſuſcepta eſt) terribilis apparuit ab Eclipſi, quæ tunc incidebat, velut præſaga tot malorum, Occidenti ſub futuro Honorii regno imminentium. Ut habet CLAUDIANUS Conſ. Hon. 4. Eodem anno forum Theodoſii dedicatum eſt Conſtantinopoli, ubi Anno ſequente ſtatua ejuſdem Cæſaris argentea columnæ impoſita eſt, quæ Theodoſium Equitem & Victorem Gothorum repræſentabat: dicitur hæc adhuc in ſæculo XIII. ſtetiſſe. Vide CANGIUM de Conſtantinop. l. 1.

(* 22.) OROSIUS l. 7. c. 35. *Arbogaſtes . . . alibi poteſtate, alibi cognatione* (Francorum) *ſubnixus, . . . adverſus eundem Theodoſium collectis Gallorum, Francorúmque viribus exundavit, nixus etiam præcipuo cultu idolorum &c.*

(* 23.) BUCHERIUS B. R. L. XII. c. 14. n. 2. ita paratus Eugenius cum Arbogaſte anno 393. (ut reor) movit in Italiam; *jámque ad civitatem Mediolanenſem feſtinatò veniebat*, ait PAULINUS in vita Ambroſii, cùm Ambroſius inde Bononiam, mox Faventiam, tum Florentiam fugit, ubi ad Theodoſii adventum ſeu annum inſequentem 394. hæſit. Cur autem fugerit, rationem reddit Epiſtola 15. Sixtinæ editionis. Præcipua cauſa erat Ara Victoriæ, ſacrificiorúmque Gentilium reſtitutio, de quibus RUFINUS l. 2. c. 33. quod magis impium viſum eſt, quia Chriſtianus Eugenius in favorem Arbogaſtis tantas pateretur abominationes. Unde etiam cum Eugenio Catholici renuebant communicare, nam PAULINUS in Vita Ambroſ. pergit: *Eugenius è Mediolanenſi civitate egreſſus contra Theodoſium Imperatorem . . . promiſitque Arbogaſtes tunc Comes & Flavianus præfectus egredientes, cùm Victores reverterentur, ſtabulum ſe eſſe facturos in Baſilica Eccleſiæ Mediolanenſis, atque Clericos ſub armis probaturos. Cauſa commotionis erat, quia dona Imperatoris, qui ſe ſacrilegio commiſcuerat, ab Eccleſia reſpuebantur, nec orandi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur.*

vinabat; Theodosius sanctiori instituto confisus, ac in Rufinum prætorii Præfectum Orientis, duorúmque filiorum Augustorum curam devolvens (r), adversus hostem egredi decernit. Anteà quàm Constantinopoli exiret, Galla conjux ex partûs doloribus defuncta est (s). Discrimen Reipublicæ privato luctui indulgere non concessit; quare Theodosius à Divo Joanne Baptista in proxima Constantinopoli Ecclesia opem precatus (t), sub æstatis tempestiva primordia per Daciam, cæterásque Provincias, quæ inter Thraciam & Alpes Julias sunt (u), exercitum dirigit: ad Prima montium claustra Flavianus Dux Eugenii excubabat, sed alacri assultui cedere coactus aditum ad montes Theodosio reliquit: facto per arduas rupes itinere (x), Imperator versus Aquilejam denuò descendere parabat (y); tum innumerabilis Eugenii exercitus in unam aciem collectus Theodosii oculos perstrinxit: non tamen terruit; nam ad frigidum flumen (*24) Gainam cum suis Gothis, aliísque conductis pretio Barbaris (quorum jactura Victoriæ species habebatur) prima hostium agmina lacessere jubet. Arbogastes contrà inter suos volitans, tantum cuique animi injecerat, ut Barbaris fusis, cæsísque decem Gothorum millibus perculsas reliquias (z) in fugam repelleret. Aspectabat cladis acerbitatem Imperator ex edito montis jugo, quin animum despondéret (a); nam revocatâ in memoriam Anachoretæ promissione imminui exercitum ideo quâdam strage credebat, ne militum numero potiùs quàm opis divinæ subsidio relata posteà victoria putaretur (b): ad preces itaque rursus conversus Princeps tantò ardentiùs cæli præsidium inclamabat, quantò propius urgebat periculum. Militæ præfecti non aliter, ac si Deus audisset Augusti sua vota, prœlium fidentissimè redintegrant: Bacurius Comes domesticorum cæteros antegressus, tela & ferrum in omnem agebat partem, scindénsque ordines per strata cadavera ferè ad Eugenium ipsum armorum vi penetrabat (c): amissis demum utrinque multis virorum millibus nox prælium diremit (*25). Eugenius quasi

(r) Sozom. l. 7. c. 24.
A. Æ. C. 394.
(s) Zosim. l. 4. p. 777.
(t) Sozom. l. 7. c. 24.
(u) Zosim. p. 778.
(x) Rufin. l. 2. c. 33.
(y) Sozom. l. 7. c. 24.
(z) Zosim. p. 778.
(a) Socrat. l. 5. c. 24.
(b) Rufin. l. 2. c. 33.
Conflictus Theodosii cum Eugenio.
(c) Socrat. l. c. Theodoret. l. 5. c. 24.

(* 24.) BAUDRAND. in Lex. Geogr. Frigidus, *Vipao*, fluvius Japodum in Carniola, cum oppido cognomine inter Aquilejam & Æmoniam, ubi Theodosius Eugenium Tyrannum vicit.

(* 25.) OROSIUS l. 7. c. 35. *Decem millia Gothorum interiisse* ait, *quos Arbogastes*

quaſi exploratâ victoriâ è veſtigio mittit ſuorum fortiſſimos, qui occupatis Alpium faucibus Theodoſium à reditu prohibeant (d); aut ſi altera certaminis alea poſterâ die ſubeunda eſſet, à tergo hoſtes invadant (e). Theodoſium hæ inſidiæ latebant; non parum tamen commovebatur, quòd robore legionum, quæ vel cecidiſſent in acie, aut in fugâ ſalutem quæſiviſſent, ſe exutum videret: Duces proinde Auguſto authores erant, ut acciſis rebus in annum ſequentem differret bellum, dum reparatis copiis validiùs in hoſtem incumbi poſſet (f). Theodoſii in Deum fiducia major erat, quàm ut Ducum formidini daret aliquid: non decet, ajebat, ut Crucem divinam tantæ imbecillitatis probro maculemus, Herculis autem imagini tantam vim tribuamus; noſtrum enim exercitum Crux, hoſtiles verò copias imago Herculis antecedit. Hæc ingenti cum ſpe diſputans ad ſacrarium, quod prope caſtra in montis faſtigio eminebat, ſecedit, noctem orationi daturus. Appetente die adhuc precantem ſomnus obruit (g): humi ergo proſtrato duo ſe offerunt equites veſtibus albis induti, quorum unus ſe S. Joannem Evangeliſtam, alter S. Philippum Apoſtolum profitebatur; metum ubi paventi abſterſiſſent, futuri poſtridie conflictûs ſe inſuper Duces fore, arbitróſque victoriæ ſpondebant: vulgatâ per exercitum cæleſti imagine confirmatum militem Theodoſius in prœlium deducit (h).

(d) Zoſim. p. 778.

(e) Socrat. & Sozom. l. c.

(f) Theodor. l. 5. c. 24.

(g) Oroſius l. 7. c. 35.

(h) Theodor. l. c.

12. Locorum anguſtiæ, per quas è montis vertice anguſto itinere iturus erat exercitus, hoſti dedêre tempus opportunum dirigendi aciem (*26): ad aſpectum igitur copiarum & numero & ordine

gaſtes delêſſe funditus fertur: & quos utique perdidiſſe lucrum, & vinci vincere fuit: ſed fiebat hoc (addit Rufinus l. 2. c. 33.) *non ut Theodoſius vinceretur, ſed ne per Barbaros vincere videretur.* ZOSIMUS l. 4. p. 778. ait: Noctis interventu ſe recollegerunt exercitus.

(* 26.) ZOSIMUS p. 778. Ethnicus Scriptor rem ita deſcribit, ut malle videatur victoriam Providentiæ Theodoſii, quàm cæleſti beneficio adſcribere. *Igitur ubi noctu interventu ſe recollegiſſent exercitus; elatus ob Victoriam Eugenius, dona diſtribuebat in eos, qui ſupra cæteros ſtrenuè ſe geſſerant, & cœnandi poteſtatem faciebat; quaſi nullum amplius poſt tantam cladem acceptam, prælium futurum eſſet. His autem ad epulas converſis, Theodoſius Imperator auroram adpetentem conſpicatus, univerſis cum copiis in hoſtes adhuc humi jacentes irruit: & nihil eorum, quæ perpeterentur, ſentientes occidit. Cúmque progreſſus eſſet ad Eugenii tentorium, quotquot propter hunc aderant, adortus complures interemit: nonnullis (quos ipſe terror excitaverat), dum fugam molirentur, captis,*

dine prævalentium hæsitanti militi Imperator pio æstu abreptus inclamat, ubi est Theodosii Deus? quo dicto incitatæ Romanæ legiones cum hostilibus manipulis congrediuntur (i): vix à fronte fervere cœperat certamen; à tergo pridiè structæ erumpunt insidiæ, parúmque aberat, quin Theodosii copiæ circumfusæ in ultimum exitium impellerentur (k). Tum enimverò Augusti pietas postremùm validissimis precibus, lachrymísque pugnare instituit. Vehementiùs luctantem curis tandem suis Deus absolvit; nam Arbetio Comes, qui insidiarum molitor aversæ exercitûs parti instabat, repentè mutatâ mente cum suis ad Theodosium descivit: fide transfugientium pacto legum quarundam firmatâ, Imperator novis copiis auctior multò fortiore assultu hostilem urget aciem; hoc tamen conatu nihil admodum effectum est, quàm ut æquo nunc saltem Marte utrinque confligeretur: victoriam nempe non humanis viribus, sed suo duntaxat beneficio in acceptis referri cæleste numen voluit, quod & ostensione prodigii paulò post palàm factum est. Ancipiti certamine postquàm collisa agmina jam vincerent, jam denuò vinci conspicerentur; Eugenio adversus increbescit ventus, cujus reflante impetu tela in eos,

(i) Ambros. Tom. V. p. 117.

(k) Theodor. l. 5. c. 24. Orof. l. 7. c. 35. Soz. l. 7. c. 24.

Victoria Theodosii adversus Eugenium.

---

captis, inter quos & Eugenius erat. &c. Sed planè diversa colligimus ex OSORIO l. 5. c. 35. *At verò Theodosius in summis Alpibus constitutus, expers cibi ac somni, sciens, quod clausus alienis, Dominum Christum solus solum, qui posset omnia, corpore humi, mente cælo fixus orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit; signo crucis se muniens signum prælio, victoriæque dedit.* THEODORETUS Hist. l. 5. c. 24. porrò addit: *Humi ergo jacens duos viros videre sibi videbatur, albâ veste indutos, & albis equis insidentes, qui bono animo ipsum esse juberent, metúmque deponere, & primâ luce arma capere, aciémque ad pugnandum instruere. Auxiliatores enim & propugnatores se missos esse dicebant, & alter quidem se Joannem Evangelistam esse ajebat, alter Philippum Apostolum. Hanc visionem cùm vidisset Imperator, preces fundere non destitit, sed majore alacritate eas offerebat Deo. Idem visum miles quidam cum vidisset, suo indicavit Magistro militum, qui Imperatori id retulit; qui ait: priori mihi communis Dominus hanc visionem objecerat: sed ne quis fortè suspicaretur, me pugnandi desiderio ista finxisse, adjutor Imperii mei hæc isti quoque revelavit; proinde abjecto metu Antesignanos & Duces sequamur, nec bellantium multitudine quisquam Victoriam metiatur, sed unusquisque vim, ac potentiam Ductorum consideret.* Ne verò quis existimet Theodosium inopino assultu irruisse in Eugenium, AMBROSIUS de Obitu Theod. confirmat Num. 2.: *Recognoscitis nempe, quos vobis Theodosii fides triumphos acquisiverit. Cum locorum angustiis, & impedimentis calonum agmen paulò seriùs in aciem descenderet, & inequitare hostis morâ belli videretur, desilivit equo Princeps, & aciem solus prægrediens, ait; ubi est Theodosii Deus? ... Theodosii ergo fides, fuit vestra Victoria.*

eos, qui jecerant, reflectebantur (*27); scutísque è manibus militum abreptis, pugnantibus hostibus tanta pulveris vis in oculos ingesta est, ut inermes, cæcíque, ac suis sagittis saucii vel laberentur exanimes, aut fugâ tumultuariâ diffinderent ordines, vel Theodosio supplices pro salute precarentur: annuit equidem Victor rogantibus; sed simul in mandatis dedit, ut Tyrannum confestim ad se velut omnium victimam adducerent (l). Illi concito cursu collem ascendunt, in quo Eugenius rei gestæ adhucdum ignarus consederat, qui cùm eos anhelantes vidisset; nuntios victoriæ esse ratus, sciscitatur, utrum Theodosium victum, vinctúmque ferant? quæstionem suam tempori, ac sorti suæ importunam miser agnovit, quando ipse repentè ex solio dejectus, injectísque catenis captivus ad Prætorium Theodosii raptabatur (m): venientem Imperator acerbo vultu despectare, dein parricidium Valentiniani, maláque tyrannidis (quibus orbem concitâsset) eidem in os oggerere, demùm meritum dictare supplicium. Eugenius in omnem luctatus partem, ad clementiam Principis, quæ tot sontes ultimo fato jam exemisset, confugit: & fortè pedibus Theodosii affusus impetrâsset aliquid; nisi humi abjecto advolans miles ferro caput, spémque omnem præcidisset (n), postquam octava dies ante Idus Septembris Theodosio fortunata, Tyranno exitialis

(l) Theodor. l. 5. c. 24.

(m) Claud. consf. H. 4. Rufin. l. 2. c. 33. Socrat. l. 5. c. 25.

Eugenii exitium.

(n) Paulin. in V. Ambr. Zosim. l. 4. p. 778.

(* 27.) Claudianus Ethnicus poëta non diffitetur hoc miraculum: *in Consulat Hon. 3.*

- - - - - - nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis, spes irrita vallo
Concidit, & scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies; revolutáque tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.
O nimiùm dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther
Et conjurati veniunt ad classica Venti.
Alpinæ rubuêre nives, & FRIGIDUS amnis
Mutatus fumavit aquis, turbáque cadentûm
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum (Arbogastes) *trajecerat altum*
Non uno mucrone latus, dupléxque tepebat
Ensis, & ultrices in se converterat iras.

En testimonium Gentilis hominis, qui in hoc duntaxat ridiculus est, quod Honorio adulaturus, eidem hæc adscribat, quæ pietati Theodosii debebantur; nam Honorius tunc undecim annorum puer adhuc erat.

Arbogastes seipsum interficit.

lis fuerat. Arbogastes alter malorum incentor inter abrupta Alpium latibulum quæritabat, quod se insequentium conspectui, mortíque undique imminenti eriperet; verùm insidiis obsessus, spe ac salutis fiduciâ exclusus, séque ipsum ferro transigens, trepido è corpore seditiosum spiritum extorsit (o).

(o) Socrat. l. 5. c. 25. Claudian. Conf. H 3. Oros. l. 7. c. 35.

13. Sublatis belli incentivis multitudini reliquæ, quam iniquior fortuna in turbarum consortium traxerat, parcitum est (p): obscurum enim nimis Victoriæ genus habetur, siquando morientium gemitu, aut carnificinâ Victoris gloria funestatur; & hanc mansuetudinem tantò liberaliùs impendendam putavit Imperator, quantò certius ei erat, se non suis, sed Dei sibi clementissimi viribus vicisse (q). Quare de alio quoque triumpho haud cogitabatur, quàm ut S. Ambrosius sacrificiis, precibúsque Deo victoriarum Authori Eucharisticon adornaret: iisdem gratiis cælo reddendis Orientales Episcopi dabant operam; qui eâdem die, quâ hostis perierat, lætum ac ferè prodigiosum tyrannidis oppressæ nuncium accepêre (*28). Post Episcopos non minùs religiosus gratúsque supremo numini Theodosius erat; totus enim pietati incumbens triumphalia monumenta, aliaque ambitionis trophæa negligebat, quibus optimarum virtutum studiis exemplum illud demissionis porrò addidit, quòd propter hostes in acie cæsos & maculatas sanguine manus abstinuerit à Sacramentorum communione; donec Domini circa se gratia filiorum exprimeretur adventu (r): sive dum Honorius Constantinopoli securo commeatu advenisset. Cum enim Imperator facilè prospiceret, parte unâ Præsagii, quo victoriam multò ante Joannes Anachoreta prædixerat, impletâ, alteram quoque nunc de de suâ morte brevi consummatum iri (s); quosdam è suis misit Constantinopolim, qui inde Honorium filium accerserent, cum ejus sorore Placidia & Nepte Serena (t). Hi ubi Mediolanum venerant, Theodosius in Ecclesia susceptos, eosdem curæ,

(p) Oros. l. 7. c. 35.

(q) Ambros. Epist. 16. & 58.

Theodosius parcit reliquis hostibus.

(r) Ambros. div. T. V. p. 121. & 122.

(s) Rufin. l. 2. c. 34.

(t) Socrat. l. 5. c. 26. Sozom. l. 7. c. 29.

(* 28.) SOZOMENUS l 7. c. 27. refert. Energumenum eo ipso tempore; quo pugna committebatur, in templo Dei, in quo Imperator ad bellum proficiscens preces fuderat, à Dæmone in sublime raptum Joanni Baptistæ convitiatum esse, ita vociterando: *Tu me vincis, & Exercitui meo insidiaris.* Hi verò, qui aderant, obstupefacti diem in charta perscripserunt, eóque ipso die prælium factum esse, haud multò post ex iis, qui prælio interfuerunt, didicerunt. & RUFIN. v. PP. c. 1. scribit Petronium idem nuncium victoriæ ex S. Joanne Ægyptio eo die, quo victoria acciderat, rescivisse.

curæ, sacrísque Ambrosii manibus consignavit (u). Agitatis posteà consiliis ex suorum Optimatum sententia inter filios divisit Imperium, ut Arcadio annos octo & decem nato Orientis; Honorio annum undecimum agenti Occidentis Provinciæ tribuerentur (x). Senatus Romanus legatione Mediolanum missâ, id quod Theodosius sanxerat, magnâ consensione adprobavit (y): Imperator hanc occasionem opportunam nactus, Senatoribus præsentibus persuadere conatus est, ut ejurato Idolomaniæ errore, ad unum omnes Christo nomen darent. Verùm cùm altiùs superstitio sensibus inhæreret, quàm ut verbis citò evelleretur, vi quâdam agendum fuit; nam templa jubente Theodosio occludebantur, & sacra Ethnicorum inde per leges prohibita publico veluti contemptu obsolescebant (z).

(u) Paulin. in Vit. Ambrosii p. 86.

Honorium creat Augustum.

(x) Zosimus l. 4. p. 779.

(y) Claudian. de Olybr.

(z) Zosim. l. 5. p. 814.

A. Æ. C. 395.

Morbus Theodosii.

14. Annus quintus supra trecentesimum nonagesimum labebatur, dum Pius Imperator ex ærumnis postremo in bello toleratis aquæ intercutis morbo corripitur (a): de imminente igitur fato certus (b) filios Stiliconi commendabat (c), cui neptem suam Serenam dederat uxorem, ex eaque genitam filiam Honorio jungendam præcepit (d): dein ad utrumque filium conversus pietatem illis integram (e) ac solidam inculcabat, id maximè confirmans, nullâ virtute magis, quàm eâ pacem coalescere, bellúmque extingui. Parænesi ultimâ suis impensâ hostium quoque & seditiosorum civium memor, indulgentiam cunctis (f) vectigaliúmque remissionem tabulis ultimis imperavit (g): beneficiis demum, erga Ecclesias utì in vita solebat, sic in morte suum cursum obsignavit (h) defunctus Mediolani die XVI. Kalendas Februarii, anno ætatis sexagesimo Imperii decimo sexto (k). Quadragesimo post obitum die, præsente Honorio eum in Ecclesia laudavit Ambrosius, qui amplâ oratione ostendebat, Principem à rerum gestarum fama verè Magnum non deposuisse regnum, sed mutâsse (k), in tabernacula Christi jure pietatis adscitum (l), destituisse equidem paterno præsidio filios; at simul virtutum suarum hæredibus altiorem adquisivisse gratiam & exercitûs fidem. Mortui corpus (m) Constantinopolim posteà deportatum, Cæsarum sepulchro illatum est sexto Idus Novembris, Arcadio Paternas exuvias solennibus exequiarum honoribus celebrante (n).

(a) Philost. l. 11. c. 2. Socrat. l. 5. c. 26.

(b) Sozom. l. 7. c. 28.

(c) Baron. ad a. 395. §. 20.

(d) Claudian. Consul. H. 3.

(e) Theodor. l. 5. c. 25.

(f) Ambros. div. 3. p. 117.

(g) Claudian. Conf. H. 4.

(h) Ambr. l. c. p. 122.

(i) Socrat. l. 5. c. 26. Sozom. l. 7. c. 29.

Mors Theodosii.

(k) Ambros. l. c. p. 122.

(l) Id. p. 121.

(m) Idem p. 125.

Funus ejusdem.

(n) Socrat. l. 6. c. 1.

15. Prin-

(o) Victor. in Epit. Pacat. p.249.

Virtutes Theodosii.

(p) Ambrosius in obitu Theodosii. in Tom. V. operum à p. 118. ad. p. 122.

15. Princeps erat (si corporis formam, morésque spectes) Trajano similis (o), à cæteris quippe nonnisi habitu discretus, simplicia ingénia diligebat, mirabatur erudita, sed innoxia: largiebatur magna magno animo, amabat cives vel privato contubernio cognitos: vinolentiam atque cupidinem triumphandi adeò detestatus est, ut bella non moverit, sed invenerit, prohibueritque lege ministeria lasciva, psalteriásque commessationibus adhiberi, tantum pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum. Ad iram quandóque præceps, subitò flectebatur (p); melior haud dubio (quod est raræ virtutis) post auctam annis potentiam, multóque maximè post civilem victoriam. Beneficium se putabat accepisse, cùm rogaretur ignoscere; & tunc propior erat veniæ, cùm iracundiæ major commotio extitisset. Præsules arguentes magis, quàm adulantes probavit. Deflevit in Ecclesia palàm peccatum suum, quod ei aliorum fraude irrepserat; quódque privati erubescunt, non erubuit Imperator. Cùm jam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum (*29), quàm de suo periculo anxius, tandem regnum, exuviásque deposuit, ut animæ illustrior corona, splendórque immortalis obtingeret.

RE-

(*29.) Quod Theodosius Magnus maximam Ecclesiæ curam gesserit Primò ex ejus legibus cognoscere licet; nam l. 1. & 2. C. *de Summa Trinitate, & fide Catholica*; item l. 2. C. de Hæreticis. ac l. 3. C. de Apostatis. Demum l. 2. C. de Paganis, totidem constitutiones sunt, quibus mentem suam, dum vixit, explicaverat, de quibus porrò videatur SOCRATES Lib. V. c. 10. SOZOMENUS Lib. VII. c. 12. THEODORET. lib. V. c. 20. NICEPHORUS lib. XII. c. 25.; magis tamen notandæ leges illæ sunt, quarum una habetur Cod. Theod. L. 16. de Episc. judicio l. 3. exemptionem Ecclesiasticam à foro laico confirmat; *Habent ii, suos judices, nec quidquam his publicis est commune cum legibus*, & altera edicit: *judicium ratum sit ab omnibus, qui se audiri à sacerdotibus elegerint, eámque illorum judicationi reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse potestatibus, à quibus non licet provocare, per Judicum quoque officia ne sit Episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* L. 8. de Episc. audientia. Moriturus Theodosius non minorem Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum Sollicitudinem gessit, filiis suis hæredibus sacræ Hierarchiæ bonum inculcando; NICEPHORUS enim l. 13. Histor. c. 1. ait: *Filii autem Parenti fidem exhibentes, quæcunque Decessores eorum pii Imperatores pro Ecclesiis statuerunt, & ipsi confirmarunt, eáque firmiter servârunt, aliáque insuper Deo grata addiderunt.*

REFLEXIONES HISTORICO-POLITICÆ IN CAPUT I. LIBRI IV.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 2. pag. 3.

Quâ Patriâ, quibusve Parentibus oriundus fuerit Constantinus?

1. SI non levis disceptatio præcipuas inter urbes olim esse poterat, quænam earum prima Homero Poëtæ incunabula dedisset (a); nemo mirabitur, & hodie nonnullas inter Gentes de Constantini Natali solo acriùs decertari. Utì enim gloriæ non parvæ argumentum erat, celebris viri & Poëtæ Patriam vocari; ita longè insignior prærogativa videri debet ejus regionis, cui orbis & Ecclesia primum Imperatorem Christianorum in acceptis referunt. Tres autem potissimùm Gentes sunt, quæ hìc suam agere causam instituunt, scilicet Bithyniæ, Britanniæ & Dardaniæ populi; quorum momenta hìc breviter dispiciemus.

(a) Cicero Pro Arch. Poët.

Quænam Nationes sibi vendicent Constantini ortum?

2. Ac Primò Pro Bithynis stat Callistus Nicephorus (b), qui Historiam de Constantini ortu ità contexuit: *Persæ, Parthi, Sarmatæ quoque & plerique alii finitimi populi, Varacho Duce, Romanam ditionem vastârunt. Ad quem per fœdera pacta placandum, qui tum rerum potiebantur Imperatores* (Diocletianus & Maximianus) CONSTANTEM *Româ legatum misêre: ut tùm pacem cum eo componeret, tum annua ei dona (redimendi scilicet belli gratiâ) polliceretur. Is ab Occidente Orientem versus navigans; ad locum, qui Drepanum dicitur, applicuit. Situm autem est Drepanum ad Nicomediæ sinum, in altum mare longè prominens; ubi Constantio concubitûs desiderium incessit. Quod ubi cognovit hospes ejus, Magnificentiâ, & splendore cohortis ejus regio permotus; filiam ei suam, venustâ formâ, ætatísque flore jam nubilem puellam conciliat. Ille cum ea rem habet: concubitûsque mercedem, peplum ei purpurâ intextum donat. Nocte eâ Constantio mirifica visio est oblata; quæ eum timore quodam perculit. Quapropter & Puellæ Patrem est cohortatus; ut filiam, quæ insigne quoddam donarium gereret, impollutam diligentiùs asservaret: & quod ex ea natum esset, accuratiùs educâret: vidisse quippe se, eâ, quâ dictum est nocte, ajebat in tabernaculo suo præter naturam ab Occidentali Oceano Orientem solem. Cæterùm legatione rectè obitâ, Constans alio itinere Romam reversus, unà cum Galerio Maximino Cæsar est creatus. Nec ita longè post, uterque Augustus factus. Et Diocletianus Herculeo Imperatore Romæ relicto,*

(b) Niceph. l. 7. Eccl. Hist. c. 17.

Argumenta pro Bithyniæ Provincia.

relicto ipse Nicomediam se recepit. Accidit deinceps, ut Oratores alii ad Parthos mitterentur; qui & ipsi Drepanum diverterunt: & qui Constanti, ex hospitis filia Helena primogenitus erat infantulus, puerilem ludum ludens, à quodam ex Oratorum comitum numero offensus, admodum ei succensuit; & objurgationes illius indignissimè tulit. Ibi tum mater, Constantis eum puerum esse indicavit: eámque rem, peplum illud purpurâ ornatum proferens confirmavit. Et facies ipsa, indolésque generosa, filium esse satis testabatur. Eâ re Constans ex legatorum sermone, cognitâ; posteà comitatu regio puerum unà cum matre Romam adduci curavit. Justus Lipsius (c) nihil omittit, ut Nicephori Historiæ jam expositæ fidem conciliet, quam ne abnuant multi, ex Julio Firmico (d) rem evincere conatur: *Dominus* (ait prædictus Author) *& Augustus noster ac totius orbis Imperator, Pius, Felix, & Providus Princeps, Constantinus scilicet Maximus, Divi Constantini filius, Augustæ ac venerandæ memoriæ Principis, qui ad liberandum orbem à Tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domestica mala, favore propitiæ Majestatis electus est; apud Tarsum genitus, à primo ætatis gradu, Imperii Gubernacula retinens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis, Romanum orbem salubri Gubernationis moderamine sustentat.*

(c) De Magnitud. Roman. l. 4. c. 11

(d) Firmicus l. 1. Matheseon. c. 4.

3. Verùm in hac sententia, quantumcunque probet eam Lipsius, multa multis displicent: & quidem Baronius (e) contra historiam Nicephori (quam mendacissimam vocat) ita insurgit: „ Si, ut vult Nicephorus, eo anno, natus est Constantinus, quo Constantius Pater rediens à legatione, creatus est Cæsar (quod contigisse certum est anno Domini CCXCII.) necesse est affirmare, eo anno, quo cepit Imperium Constantinus, fuisse quatuordecim tantùm annorum ætatis; quem tamen ex sententia Eusebii, qui eo familiarissimè usus est, & aliorum constat, cùm auspicatus est Imperium, triginta annos superâsse. „ Ex hoc nunc porro infert Camdenus (f) non audiendum esse Nicephorum de loco Natali Constantini, ut qui in modo Genituræ aniliter ineptiat, & temporis ratione omnino aberret. Neque firmamentum ex justo Firmico adsciscì potest; nam licet ille sub Constantio Constantini filio scripserit; Nicephorus autem Historicus multò recentior, sub Andronico Juniore anno millesimo trecentesimo quadragesimo suas narrationes concinnârit; omnia tamen Firmici verba corrupta & interpolata nemo non videt: loquitur is non de loco natali *Constantini*, sed de *Constantii* ejus filii atque hoc modo legendum Camdenus ostendit ex duobus Manuscriptis, altero è Bibliotheca Collegii Lincolniensis Oxonii: Altero Thomæ Alani Mathematici Oxoniensis: *Constautius Maximus, Divi Constantini filius, augustæ & venerandæ memoriæ Principis (qui ad liberandum orbem .... electus ....) apud Tarsum genitus &c.* & quoniam hæc ipsa fatetur Lipsius; porrò inquirendum venit, quid *Tarsum* cum Bithynia commune habeat, & quid *Drepanum*

(e) Baron. ad a. 306. §. 12. *Refutatio Argumentorum.*

(f) Camdenus in Ep. ad Lipsium apud Alfordi in Annal. Brit. T. I. p. 254.

panum Nicephori, cum Tarso Firmici? reponit Lipsius, eandem urbem esse variis nominibus signatam; sed benè addit idem author, *hæc mea conjectatio est.* At conjectura contra tot authores, qui nunquam Tarsum Bithyniæ Drepanum vocarunt, vix prævalebit. Plures de Firmici textu difficultates evolvit Alfordi ubi & textum ejus genuinum videre poteris (g).

(g) Alfordi in Annal. Brit. Eccl. T. I. p. 256. n. 15. 16. ad n. 33.

4. Altera sententia pro Britannis militat, qui Constantinum M. suo sive Britonum solo vindicant. Gloriam gentis suæ asserturi tales scriptores proferunt, qui Nicephorum ætate aut ævo æquarent, nimirum Henricum Hantindoniensem, Guilielmum Malmesburiensem, Joannem Sarisburiensem (h), quibus adnumerari potest Baronius (i) qui ita commentatur, *apertissimè constat in Britannia ortum esse Constantinum.* Id quidem disertis verbis coram amplissimo conventu tunc temporis habito cum celebratæ sunt nuptiæ Constantini, & Faustæ, filiæ Maximiani Herculei, testatur celebris ille Gallicanus Orator; dum ait hæc de Patre Constantio, & ejus filio Constantino: *Liberavit ille Britannias servitute: Tu etiam nobiles illinc oriendo fecisti.* Ac ne de ortu quocunque Imperii: non verò Nativitatis intelligas; Eumenius (k) hanc Insulam Britannorum eo ex capite felicem prædicare videtur, quod primum Imperatorem orbi genuerit: *O fortunata*, ait, *& nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!* Quid enim laudis novæ admodum Britannis aliàs adjecisset Orator, cùm aliunde constet, Severo Eboraci in Britannia extincto, Bassianum & Getam Imperatores ibidem jam anteà creatos fuisse: in hunc igitur sensum Eumenius suæ orationis telam continuat: *Dii boni* exclamat, *quid est hoc, quod semper ex aliquo supremo fine mundi nova Deûm numina Universo orbi colenda descendunt? Sic Mercurio à Nilo, cujus fluminis origo nascitur. Sic liber ab Indis, prope consciis Solis Orientis, Deos se gentibus ostendere præsentes. Sacratiora sunt profectò mediterraneis loca vicina cœlo, & inde propiùs à Diis mittitur Imperator, ubi terra finitur.* Quare si Eumenii mens sit hìc veram Deorum nativitatem exprimere, non est, quod quis ambigat eum quoque de ortu Constantini Natali disserere voluisse. Postremùm Alfordus Adversariis omnem clypeum eripere conatur, dum negat Constantinum in Britannia ortum, sive factum Imperatorem; nam Constantio Eboraci mortuo, filius equidem Cæsar designatus, Imperatoris tamen titulo, purpuráque abstinuit, donec facto extra Britanniam itinere à Maximiniano in Galliis simul Faustam filiam, simul Imperii insignia acciperet.

(h) Camdenus in Epist. ad Lipsium.

(i) Baronius ad a. 306.

Argumenta Britannorum Constantinum sibi vendicantium.

(k) Eumen. paneg. 9.

5. Hujus opinionis argumenta ad veritatis speciem jactata ab Adversariis hunc in modum dissolvuntur: ac *Primò* authoritatem Britannorum Historiographorum veluti studio partium inclinatam, nec veterum firmamentis subnixam elidit (l) Lipsius: *Vestri* (ad Camdemum ait) *ita Britanni: scio. Quis aliorum adsentit? Non Beda, quod jure observes. Ille anti-*

Refutatio earundem rationum.

(l) Lipsius ad Camdenum apud Alfordi p. 255.

(m) L. 1. c. 8.

(n) Pagius Tom. I. Critic. in Annal. Baronii ad a. 306. n. 9. p. 337.

(o) Livinejus in notis ad paneg. 9. Eumenii.

(p) Eumen. paneg. 9.

(q) Lactantius de Morte Perf. c. 25.

(r) Vide L. IV. c. 1. §. I. num. 4. & notat. 11. 12. & 13.

antiquus & fidus an gloriæ gentis suæ non favit? Atqui ubi dicendi locus erat (m), *duntaxat ex Eutropio, creatum in Britannia Imperatorem scripsit. Cæteri vestri, quàm fabulosa misceant, non nescis.* Pagius Baronium, qui Constantinum pari suffragio Britannum dixit, non minùs corrigendum hìc putavit; dum ait (n): „decepit Anglos: aliósque viros doctissimos locus Panegyrici Maximiano, & Constantiniano dicta, in quo legitur: *liberavit ille* (Constantius Constantini M. Pater) *Britannos servitute, tu etiam nobiles esse illic oriundo fecisti.* Quæ & similia ita ab illis de Britannia accepta, quasi natus illic Constantinus esset: cùm tamen Oratoris mens sit gratulari se, ibi ortum, factúmque Imperatorem Constantinum, nec uno verbo de Natali genuino loquatur. Quare quod Constantinus Anglus sive Britannus fuerit, inter fabulas computandum.„ Ac ne minorem sortem Britanniæ (quam Eumenius tantoperè prædicat) inde futuram credas: si quis Constantinum apud Britannos creatum duntaxat Imperatorem dixerit, eoquòd Bassianus cum patre multo antè Gubernacula Imperii eadem in Insula ceperit; inspiciendum profectò discrimen est, quod inter Severi filios, Constantinúmque extitit. Illi Parricidæ aut graves reipublicæ, hic in sui Imperii exordiis fortunatus cunctis Provinciis, & maximè Christianis: cur igitur Oratoris argumento aliquid decederet, siquidem Britannia non Natalis Patriæ Constantini, sed Insula ejusmodi prædicatur, quæ felicem & toti orbi expetitum Principem fascibus primò ornâsset. Atque hoc ipsum significâsse videtur Eumenius, quando Constantinum ait, more aliorum Deorum ab ultimis mundi finibus accersitum; utì enim Numina Ethnicorum tum Paganis modò data dicebantur, ubi Apotheosi solenni, aut cultu publico cœperant coli; ita Reipublicæ bono nati censebantur Principes, quando Castrorum, aut Senatûs suffragiis, aut Populi veneratione super mortales cæteros aut subditos evehebantur (o). Quod verò Alfordi demum contra omnium sensum statuminet, Constantino post mortem Patris in Britannia minimè fasces obtigisse; id faciliùs negatur, quàm is peregrinam opinionem asserturn eat; audiatur Eumenius, ad quem tam sollicitè (ubi in rem suam est) provocat: *Purpuram,* hic ait (p) *statim Tibi, cum Primus copiam tui fecit egressus, milites utilitati publicæ magis, quàm tuis affectibus servientes, injecêre lacbrymanti:* vel si jam Ethnicus scriptor, ubi contrarius est, displicet; inspiciatur Lactantius (q), qui postquam dixisset, Galerium infremuisse, quod Constantinus post obitum Constantii in Britannia Imperator consalutatus esset; pergit, quòd metu militum tandem consenserit, *atque illi* PURPURAM *miserit, ut ultro adscivisse illum in societatem videretur.* Maximianus igitur tantùm posteà approbavit, quod Constantinus jam tenebat imperium, nihilque adjecit, nisi merum Augusti nomen, à quo Galerius Constantinum per tempus suspensum voluerat (r).

6. Restat

6. Restat igitur, ut cum Tillemontio (s), & Pagio (t) pronunciemus, Constantinum *Naissi Dardaniæ urbe* prognatum fuisse, quod Henricus Valesius hisce argumentis evincit (u): apud Stephanum Byzantium habetur; *Naissus urbs Thraciæ* (lege Daciæ) *structura, Patriáque Constantini Imperatoris.* Idem tradunt Constantinus Porphyrogenitus (x) & Firmicus (y) quorum postremus de Constantino ita prorsus affirmat: *Apud Naissum genitus, à primo ætatis gradu Gubernacula Imperii retinens.* Sic enim in duobus MSS. legi, dudum viri docti monuerunt; cùm vulgo excusum sit *apud Tarsum.* Denique in excerptis Ammiani de gestis Constantini idem distinctè traditur his verbis: *Constantinus natus Helenâ matre vilissimâ in oppido Naisso, atque eductus, quod oppidum posteà magnificè ornavit.* Accedit quod Cedrenus in Daciæ urbe Constantinum natum esse memoret, hucusque Valesius.

(s) Tillemont. ad V. Const. not. 3.
(t) Pagi. ad an. 306. n. 9.
(u) Vales. in not. ad Ammian.
(x) Porphyrog. l. 2. περὶ θεμάτων.
(y) Firmic. l. 1. Math.

Statuitur Constantinum Naissi in Dardania natum esse.

7. Sed quoniam Paulò ante de Helenæ matris conditione mentio injecta est; non abs re erit hìc quoque de ejus Patria & genere disserere. Ac primò, quod Patrium Augustæ solum concernit, nos primas vices Historico Sæculi VI. scilicet Procopio damus, qui Helenam *Drepani in Bithynia* prognatam affirmat (z) circa annum 248. unde urbs ista Helenopolis nomen obtinuit (a): Qui recentiores authores sequi malunt, sequantur hi, per nos licet, Ottonem Frisingensem scriptorem sæculi duodecimi, cui ita decernere placuit, *Helenam ex Pago, seu regione Trevirorum oriundam, indéque eandem Ecclesiam plurimùm decorâsse.* Alfordi (b) Britannus ipse, & Britannicorum Annalium concinnator Britannam fuisse ait, & quidem ex Coëllorum regio sanguine satam. Huic asserto repugnat id, quod teste Tillemontio apud plerósque reperitur, Helenam nonnisi ad viles natales suum reflectere genus: nil tamen gloriæ decessit per hoc Imperatrici, quæ virtute, ac sanctimoniâ Prosapiæ conditionem evexit; unde Ambrosius (c) ita commentatur: *stabulariam hanc primo fuisse asserunt sic cognitam Constantio Seniori. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati: Bona stabularia, quæ omnia maluit existimare stercora, ut Christum lucrifaceret.*

(z) Procop. de ædibus Justiniani l. 5. c. 2.

Parentes Constantini.

(a) Euseb. in Vit. Const. l. 3. c. 46.
(b) Alfordi in Annal. Eccl. Brit. ad a. 275. n. 44. & 49.

Quænam origo & conditio matris Helenæ?

(c) Ambros. in orat. fun. de obitu Theod.

8. Majorem his omnibus difficultatem ciet Zosimus; dum Helenæ integritati ac virtuti detrahens, eandem ad concubinarum, & vilissimarum fœminarum sordes abjicit. *Constantinus*, ait (d), *natus ex consuetudine mulieris, quæ materfamilias non esset: nec in manum Imperatori Constantio legitimè convenisset.* Et alibi *Maxentius non tolerandum ratus, Constantino ex animi sententia conatum suum succedere; qui muliere, non matronâ genitus esset.* Acriorem hic Ethnicum scriptorem pro more existimaremus in Christianam Augustam, nisi & Beda fere iisdem verbis uti videretur (e). Hic quippe notat, *Constantius Constantinum Filium ex concubina*

(d) Zosimus l. 2.

Zosimi criminationes diluantur.

(e) Beda l. 2. c. 8.

cubina Helena procreatum Imperatorem Galliarum reliquit. Verùm benè Alfordi hic respondet (f): cum Constantinus à Constantio Imperii hæres designatus sit, successeritque nemine refragante, ac ne quidem filiis ex Theodora secundâ conjuge susceptis; quis credat Constantinum ex illegitima matre filium prodiisse. Certè hoc unum Baronium (g) coëgit, ut Helenam legitimam Constantii conjugem pronuntiaret. Et quâ fronte Panegyristæ toties, ùt faciunt (h), prædicare potuissent continentiam Constantii, si concubina digitis commonstrari potuisset, quæ intemperantiam Cæsaris arguisset. Aut quâ ratione Justiniano Imperatori profari licuisset (i). *Ab omnibus Helenopontus nuncupatur. Quod illi nomen à Pientissimo Principe Constantino impositum est occasione* HONESTISSIMÆ MATRIS HELENÆ, *scilicet pientissimæ mulieris, quæ nobis etiam sacrum Christianorum invenit.* Ex his igitur concludere pronum est, nomen illud Concubinæ latiore, ut olim solebat, sensu accipi oportere; cùm enim Romano homini istâ priscâ ætate non fuerit jus connubii cum alia natione, nec præfectis uxorem ducere fas esset in ea provincia, ubi gessissent munus (k); Zosimus nil aliud dicere voluit, quàm quod matrimonium Constantii fortè primo contra leges Romanas fuerit; convaluit tamen civili jure etiam posteà, eoquod Paulus JC. ita respondeat; *Si post depositum officium ejusmodi, in eadem voluntate perseveret, justas nuptias effici* (l).

(f) Alfordi n. 46. 47. 48.
(g) Baron. ad a. 306.
(h) Eumen. pan. 9. & Alius. pan. 1.
(i) Constit. 28. Quod pulchro.
(k) L. præfectus de ritu Nupt.
(l) L. eos ff. de ritu Nupt.

Genus paternum Constantini.

9. A maternâ stirpe ad genus Paternum descendimus; quod ex Dardania pariter fluxisse patet. Nam paternum avum Eutropium Dardanum extitisse veteres palàm perhibent (m): De Patre Constantini etsi obscurior sermo Historicorum sit; dum eundem *Illyricum* compellant (n) nemo tamen ita in monumentis antiquis hospes est, ut Illyrici Provinciam Dardaniam esse ignoret; Dio enim ait (o): *Antiquitus Mysi ac Getæ omnem eam regionem, quæ Hæmum, ac Istrum interjacet, incoluerunt. Progressu verò temporis alia quidam eorum nomina acceperunt; & post hæc, Mysiæ nomine omnis ea regio, quam Savus in Istrum incidens supra Dalmatiam, Macedoniam, & Thraciam à Pannonia dirimit, vocari cæpit. In qua Mysia cùm aliæ multæ gentes, tum qui olim Tribulli appellati sunt, iique, quos etiam hodie* DARDANOS *nominant.* Hanc veterem Dardaniam Aurelianus Imperator circa annum C. 270. Daciam Mediterraneam appellavit, testante id Rufo Historico (p). *Daciam trans Danubium in solo Barbariæ Provinciam Trajanus fecit, quæ in circuitu habet decies centena millia passuum. Sed sub Gallieno Imp. amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ & Dardaniæ factæ sunt: illa scilicet dicta Ripensis, hæc Dacia Mediterranea.*

(m) Trebell. Pollio in V. Claudii.
(n) Victor Schotti c. 39. §. 3.
(o) Dio. l. 51. sub fin.

Dardania, quænam Regio fuerit?

(p) Rufus in Breviario.

REFLE-

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 6. pag. 15.

An, & ubi vera Crux à Constantino visa sit, item quæ ejus forma, ac veneratio?

1. QUi Severiori Critices lumine, antiquitatis monumenta perlustravêre; seu erroris tuendi, seu ostentandi ingenii causâ eò tandem prolapsi sunt, ut cùm in granis à palea secernendis soli esse deberent, ipsi contumaci disputandi æstu nova Zizania invehant: & quorum erat rescindere adjuncta quædam, securim tàm altè impingunt, ut veritatis radicem simul auferre non reformident (a). Exemplum hujus perversæ Criticæ habemus in Historia de Cruce Constantini à veteribus accepta; Hujus enim in cælo visæ narratio licèt â coævis nobis depingatur; recentiores tamen Critobuli eandem Crucem tot umbris involvunt, ut ex ipso cælo, in quo apparuit, jam omnino detrahi videatur. Sunt, qui de hac Cruce Constantinum duntaxat somniâsse ac proinde non in æthere, sed in Phantasia Imperatoris ostensam velint. Aliis fingere libet, ex Politicis causis adductum Constantinum, ut quasi visæ imaginis cœlestis rumore evulgato belli Ducibus suam conversionem gratiorem redderet. Demum Fabricius (b) pugnat, Crucem, Phænomeni naturalis rationem habuisse, quod ex reflexione radiorum solis in nube figuram crucis quandam efformâsset.

(a) Honoratus à S. Maria Tom. II. L. 1. Dissert. 1.

Variæ opiniones de cruce à Constantino visâ.

(b) Fabricius in Diss. de cruce Constantini.

2. Exploratum apud omnes literatos Principium est, nauci habendum, quidquid novitius author enunciat, haud innixum testimonio veteris alicujus scriptoris, qui rei gestæ ætate vel certè propiore vixerit (c). Quo pronuntiato neminem Historiæ, de qua laboramus, testem meliorem afferre possumus, quàm Eusebium; hic quippe Constantino familiaris illa, quæ eidem Principi acciderunt, ab ejus ore frequentiùs percepit. Refert autem (d) Constantinum ad Deum Christianorum confugisse, *eumque solum observare & colere statuisse.* Dein pergit: *Quocirca hujus opem imploravit, ut tum quisnam esset, illi significaret, tum rebus, quas apud animum proposuisset, dexteram adjutricem porrigeret. Imperatori igitur ista precanti,* VISIO *quædam* DIVINA *& inprimis admirabilis apparuit . . . Cum jam sol ad medium cælum ascenderat,* DIE IN POMERIDIANUM TEMPUS PAULATIM INCLINANTE, *dixit se crucis signum, ex lucis splendore figuratum,* IN IPSO CÆLO *Soli imminens, manifestò oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectitur* ἐν τούτῳ νίκα *in hoc vince. Admiratio ingens ipsum &* TOTUM EXERCITUM, *qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeo hujus prodigii spectator factus erat, incessit.* Quis recentiorum jam ita obduret frontem, ut coævo scriptori suas commentatiunculas anteponat? Quis de Cruce somnium fuisse dicet, quod testis pervetustus in meridie, lucente sole à Con-

(c) Dupinus de Doctr. Christ. c. 20. p. 639. Fleurius in Procem. Hist. Eccl. Gallic.

(d) Euseb. l. 1. de Vit. Const. c. 22.

Constantinum verè crucem vidisse probatur.

à Constantino & exercitu visam commemorat; nisi velis tot legiones de meridie simul somniàsse? quis fabulabitur de Phænomeno naturali, ubi visio divina ab Eusebio exprimitur? Certè Crakantorpius negans veram Crucem Constantino apparuisse, suum figmentum authoritate Eusebii stabilire adnisus est. Ait enim Euseb. l. 1. de V. Const. c. 22. & 25. *signum illud, non crucem fuisse, sed duo nominis Christi elementa* (X & P) *liquidè demonstrat*; quamvis autem falsò citet prædictus author Eusebium, ejusque assertum aliter referat; tamen inde, quantum pondus Eusebii authoritas narrationibus rerum de Constantino concilicet, ostendit; idque tantò magis, quantò certius est Eusebium hìc alia non scripsisse, quàm quæ ab ore Constantini exceperat: ita enim affirmat Eusebius: *Si quis fortè alius dixisset, non tam facilè hominibus potuisse persuaderi, verùm cum Imperator ipse Victor*, NOBIS IPSIS, *qui hanc historiam jam literis prosequimur, longo pòst tempore (cùm notitiâ eramus, & familiari colloquio ab eo dignati) narraret, & sermonem jurejurando confirmaret, cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides adhibenda?*

3. Ex quo nunc porrò conficitur, quàm vana eorum opinio sit, qui Constantinum ista commodorum suorum causà finxisse autumant; eccur enim talia referret, scilicet, ut militem validiùs impelleret in pugnam? at relatâ jam victoriâ & longo post tempore Constantinus Crucis ostentum enarravit; & Artemius, qui tunc inter Christiani Principis milites stipendia fecerat, posteà coram Juliano Crucis hoste profiteri ausus est, se cum cæteris Gregariis Crucis imaginem oculis aspexisse. *Tunc enim ei* (Constantino) *in meridie, apparuit signum Crucis, radiis solis splendidius, & literis aureis, belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi aspeximus, cum bello interessemus, & literas legimus. Quin etiam totus exercitus, id quoque contemplatus est* (e). At Gentiles de hoc Prodigio silent? hoc argumento (siquid momenti in Christianitate obtinere debeat) quamvis maximam traditionum partem labefactatum ires; nihilominus & Pagani oratores præ manibus sunt, ex quorum scriptis de Crucis visà imagine conjectari liceat. Habemus Nazarium (f), qui de *luce terribili cælestium armorum* mentionem facit: habemus & alium incerti nominis Rhetorem, qui hisce verbis Constantinum affari gestiit (g); *Quisnam te Deus, quæ tam potens hortata est Majestas, ut omnibus fere tuis Comitibus & Ducibus, non solùm tacitè mussantibus, sed* OMEN *apertè timentibus, contra consilia hominum, contra Aruspicum monita, ipse per temet liberandæ urbis tempus venisse sentires. Habes profectò aliquid cum illa divina mente, Constantine, secretum, quæ delegatâ nostri Diis minoribus curâ, uni se tibi dignatur ostendere .... vix enim quartâ parte exercitùs, contra centum millia armatorum hostium, Alpes transgressus es; ut appareret penitus considerantibus, id, quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitus petere Victoriam.*

Adversariorum rationibus occurritur.

(e) Acta apud Metaphrast. 20. Octobris.

(f) Nazar. Paneg. 7.

(g) Incerti A. Pan. 6.

4. T

4. Testimoniis tot virorum cùm ægrè obluctari possint Adversarii; in uno Sozomeno adhuc se jactitant, qui visionem Crucis somnio tribuere videtur, dum ait: *Constantinus in tali cogitatione positus, per visionem, signum crucis in cælo splendescens conspicatus est. Atque ei, jam visione obstupefacto, Sancti Angeli adstantes dixerunt: in hoc O Constantine vinces* (h). Ex quibus verbis Centuriatores Magdeburgenses inferunt, per somnum Crucem Constantino objectam fuisse, quin ex cælo talis species refulgeret (i). Verùm si qua dissensio Eusebium intérque Sozomenum cooritur, cui fidem habendam existimabimus, an coævo Eusebio, utrum Sozomeno, qui quinti sæculi scriptor fuit? quamvis hi duo adeo non sibi litem moveant, ut fere idem asserere videantur; nam Sozomenus visionem hanc Crucis dormienti exhibitam ait, & Eusebius affirmat: anteà tamen de meridie à Constantino conspectam in cælo Crucem testatur denuò Eusebius, neque Sozomenum hoc inficiari usquam reperies.

(h) Sozomen. l. 1. c. 3.

(i) Centur. 4. c. 14.

Visio crucis Constantinianæ non meram fuit somnium.

5. Postquàm quæstio illa, utrum Crucem veram Constantinus viderit, decisa est; ad alteram nunc venimus, quæ de loco, ubi Crux visa sit, inquirit: ex Historiæ decursu constat, Imperatorem, cùm in Italiam adversus Maxentium moveret, tres legionum partes Rheni castellis imposuisse, nec nisi quartam exercitûs sui partem trans Alpes deduxisse. Ex quo concludit Tillemontius (k), Crucis trophæum Constantino in Galliæ finibus conspicuum fuisse, scilicet eo tempore, quo copiis Rhenum munierat: Bucherius (l) rem specialiùs definit, dum Treviros inter & Rhenum visionem Crucis contigisse ait: atque ut locum indigitet, gloriam hanc Nivomago ad Mosellam tribuit, quod oppidum ab Ausonio (m) *Divi castra inclyta Constantini*, appellatur: huc enim velut ad locum capacem, & peninsulæ fluvio circumclusum, nec à Trevirensi Cæsarum Metropoli multùm dissitum Gallicus Romanorum exercitus sæpe confluebat, indéque velut è stativis in expeditiones varias educebatur: & quoniam (teste Eusebio) Constantinus *priusquam in Maxentium moverat, iter quopiam cum exercitu* instituit scilicet ad Rheni confinia; Gelenius (n) non minùs probabili conjecturâ ostendere conatur, Crucis prodigium ad Rheni & Aræ confluxum extitisse. His tamen omnibus contra luctatur Pagius (o), qui cum Baluzio asserit, visionem illam Crucis Constantino ostensæ contigisse, dum Romam obsideret, VII. Kalendas Novembris: facilè conciliabitur hæc opinio priori, siquidem meminisse velimus, non semel Constantino Crucem vel è cœlo, vel per somnum præmonstratam fuisse. Nisi enim jam in finibus Galliæ Imperatorem visa Crux ad spem Victoriæ erexisset, ut quid maximâ militum parte ad Rhenum relictâ, cum paucis infinito Maxentii exercitui se objecit? cur ad Alpium ingressum trementes Duces, Comitésque firmavit?

(k) Tillem. in V. Constant. artic. 23.

(l) Bucherius Belg. Rom. l. 8. c. 6. n. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.

(m) Auson. Edylio 10.

Quo in loco Constantinus viderit Crucem?

(n) Gelen. in Synt. U. Col.

(o) Pagi in Crit. Annal. Baron. T. I. ad a. 312. n. 4.

6. A loco, ad Crucis formam nunc delabimur; de qua Eusebius denuò nobis consulendus est: is autem, postquam à Constantino interdiu conspectam Crucem, & subinde eandem ipsi in quiete vel somno ostensam retulerat; ita pergit (p): *simul atque dies illuxit, surgens Constantinus, primò arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum, & lapides pretiosos affabrè sculpere noverant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem; eam auro, & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat. Erat autem tali figurâ fabricata: hastile oblongum, erectúmque auro undique obductum fuit, quod cornu habuit transversum, ad formam Crucis constructum. Supra in fastigio ejus operis corona affixa lapidibus pretiosis, & auro politè circumtexta: in ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta; duobus solùm expressa Elementis erat; nam P in medio literæ X curiosè & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicuè significârunt, quas quidem literas deinceps semper Imperator in Galea gestare consuevit. Ad cornu istius particulæ, quæ ex transverso erat, per hastile trajecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis scilicet & Magnifica textura mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè conjunctorum, lucísque suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta & multo auro intexta, quæ dici non potest, quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitârit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum longitudinis, latitudinísque Crucis mensuram penitus exæquavit. Oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cujus pars inferior versus basin longiùs ducta fuit, sub ipsum Crucis insigne, ad texturæ decurrentis fimbrias; aurum pii Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinnè descriptam continuit.* Atque hoc famosum illud est labarum seu vexillum, quod Cruce ornatum suo tempore in Regia asservatum commemorant Socrates (q), & Cedrenus (r); ad cujus modulum non unius formæ labara posteà constructa sunt, in quibusdam enim Crux sola, in aliis Christi initiales literæ vario modo dispositæ visebantur (s); De aureis autem Augustorum imaginibus, quæ primo labaro affixæ fuerunt (teste Eusebio) à reliquis jubente Constantino ablatæ sunt (t).

(p) Euseb. l. 1. V. Const. c. 25.

Quæ forma fuerit Crucis illius, quam Constantinus in cælo vidit?

(q) Socrates l. 1. c. 1.

(r) Cedren. Comp. hist.

(s) Vide apud Gretser de Cruce l. 2. c. 37.

(t) Euseb. l. 4. de V. Const. c. 21.

7. Equidem non desunt, qui in vexillis Cruces ante Constantini tempora se deprehendisse memorent; verùm illi similitudine quâcunque decepti hanc opinionem obtrusêre. Nam licèt nonnulla Romanorum vexilla ligno erecto, & transverso constarent, ex quo postremo pannus, aut sypparum deflueret; Crucis tamen figura ea casu potiùs, quàm ex instituto concinnabatur: At Constantinus ex composito voluit, ut hæc labari forma non tantùm genuinæ Crucis effigiem referret, sed & in Christi Crucifixi notionem per adjectas literas aspectantem deduceret, disceréntque inde milites contra Crucis inimicos esse pugnandum, aut post acria prælia in Crucis signo victoriam, laborúmque terminum exspectandum. Gregorius enim

An apud Romanos ante Constantinum Crucis forma usitata fuerit?

enim Nazianzenus (u) ex hoc Etymo *Labari* nomen profectum ait, quasi à vocabulo latino labos, partim à Græco ὅρος quod finem significat, unde vexillum hoc cohortibus, ut quæque magis ab hoste urgebatur, inferebatur, tanquam certissimum iniquo belli pondere laborantium præsidium (x).

(u) Gregor. Nazianz. or. 1. contra Julian.

Quæ sit notio & quæ origo labari?

8. Quod de formâ, origine & Etymo labari diximus; neminem fortè multum vexabit: at nunc ea, quæ de virtute Crucis labaro impositæ dicturi sumus; arbitros minùs æquos invenient. Ex ipsa quippe cælesti imagine, ac scriptore coævo Eusebio affirmamus, Constantinum virtute Crucis hostes devicisse: quid enim aliud voces illæ denotabant visæ Cruci appositæ, & ab Angelis repetitæ: *In hoc vince*, nisi Constantinum non in copiarum vi, quæ Maxentio multò inferior erat, sed in signo Crucis præmonstratæ victoriam reportaturum? Nec omini cælesti eventus defuit: victus Maxentius est, profligata Tyrannis, sed cujus beneficio? audiamus rursus ex Eusebio, cui Constantinus suum triumphum in acceptis retulerit: postquam urbem Romanam Victor *ingressus est, statim illustribus inscriptionibus, columellísque erectis omnibus hominibus* SALUTARIS CHRISTI SIGNI VIRTUTEM *promulgavit, ínque urbe media, quæ præ cæteris Principem locum facilè obtinet, ingens istud trophæum contra hostes erexit, & hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant in eo insculptis, Romanorum aliorúmque omnium imperio subjectorum* PROPUGNACULUM *esse demonstravit, palámque omnibus proposuit ad intuendum. Ac statim ubi erectum hastile, ad formam Crucis, in manum propriæ imaginis in statua expressæ insertum, Romæ in locó celebri, ac multum à populo frequentato, locatum fuit: hanc inscriptionem, latino sermone in eo mandat incidere. Hoc salutari signo vero fortitudinis Indicio, civitatem vestram tyrannidis jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui* (y). Cujus virtute scilicet Crucis Constantinus debellaverat Maxentium, ejus adjumento Licinium posteà prostravit. Nisi enim Eusebius nos fallit, piissimus Imperator tunc quoque *signo isto suis militibus dato, in prima dimicatione hostes expugnavit. Deinde secundâ etiam pugnâ tulit superiores; atque adeo salutari jam Salvatoris vexillo exercitum suum antecedente, præclariora Victoriæ trophæa consecutus est. Nam quâ in parte istud Crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capiebant, quos Victores persequebantur. Quâ re intellectâ Imperator, sicubi partem aliquam sui exercitûs languentem cernebat; ibi salutare illud vexillum, tanquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandavit, cujus adjumentis extemplò parta est Victoria; quippe dimicantium vires divinâ quâdam potentiâ fuerant admodùm confirmatæ* (z). Unde glossema Magdeburgensium Centuriatorum frivolum plane videri debet, quando perperam, & contra Veterum sententiam sua somnia hunc in modum pro more venditant:

(x) Euseb. l. 2. V. Const. c. 7. Sozom. lib. 1. c. 4.

An in virtute crucis hostes devicerit Constantinus?

(y) Euseb. l. 1. V. Const. c. 33. Baron. ad a. 312.

(z) Euseb. lib. 2. V. Const. c. 3. & 4. Baron. ad ann. 317. & 318.

 Monuerat

(a) Centur. 4. c. 13.

Quam erroneè hac de re sentiant Magdeburgenses Centuriatores?

Monuerat Deus Constantinum, per signum Crucis, & literas additas, IN HOC VINCE, *de agnitione & invocatione Verbi Dei, & Domini nostri JEsu Christi: in cujus rei memoriam, id signum vexillo inscribi curavit, ut esset tanquam symbolum religionis christianæ: quamobrem Deus etiam, non ob superstitiosam hominum opinionem; quasi in eo signo vis inesset; sed propter agnitionem fidei, fidem, & professionem* (a).

9. Sed de cogitatibus, quos mentis contumacia & cæcitas spontè insaniens exsculpere solent, hic plura referre non vacat; restat, ut quâ veneratione Crucem coluerit Constantinus, hìc postremo loco exponamus. Ac Primò amovens simulachrum illud, quo hactenus in militia usus fuerat, *jussit, ut signum, quod à Romanis labarum vocatur, in effigiem crucis, auro & lapidibus pretiosis collustratam, mutavent* (b), causam autem mutationis ejusmodi explicaturus Sozomenus ita pergit: *Quod quidem cum signum esset Imperii Romani omnium præstantissimum, arbitror à Constantino, ob hanc causam imprimis, signum crucis mutatum, ut assiduo ejus aspectu &* CULTU, *subjectos suos pedetentim à Patriis ritibus desuefaceret; eúmque Deum solum existimarent, quem coleret Imperator: atque illo duce & adjutore in bello, contra hostes gerendo uterentur.* Neque hic oppones cum Spelmanno (c) cultum illum religionis Castrensis quendam modum fuisse; nam Sozomeno hic non alius sermo, quàm de eo cultu, qui Diis falsis in labaro anteà extantibus patrio ritu Gentilium, utique per veram adorationem impendebatur: qui cultus cùm posteà Cruci exhibitus fuerit; quis neget eum sacrum fuisse? Neque tantùm in labaro venerandam Crucem voluit Constantinus sed & in Galea Christi literas in modum Crucis formatas circumtulit (d). Et eandem Crucis formam fronti sæpius impressit, testante id Eusebio (e): *Interdum Constantinus vultum salutari illâ passionis signavit notâ, nonnunquam trophæo illo victorioso plurimùm se extulit*, quare verò id fecerit ejusdem ævi Cyrillus Hierosolymitanus (f) ostendit, *signa te*, ait ille, *cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens & stans, & loquens & ambulans; in summa: in omni negotio tuo.*

(b) Sozom. lib. 1. c. 4.

An Constantinus & qua veneratione coluerit Crucem?

(c) Spelmann. ad a. 712.

(d) Numism. apud Baron. ad a. 312. §. 31.

(e) Euseb.

(f) Cyrill. Catech. 4.

10. Relatâ jam Victoriâ quâ ratione Constantinus coluerit Crucem, ex iis, quæ sequuntur, palàm fiet: ingressus Urbem Victor, præferri legionibus Crucem jussit, ut Romana urbs cognosceret, se illis armis olim emptam, nunc redemptam esse: voluit præterea, ut Senatus etiam infidelis ante Crucem procumbens, Christi nomen adoraret, quem cultum, ac adorationis ritum Prudentius elegantibus versibus comprehendit (g). Atque ut Romæ Crucis veneratio porrò extaret; iconem sui Cruce insignitam ibidem erexit (h), cujusmodi statuis posteà Constantinopolim quoque condecoravit (i): neque unquam imaginem sui in Nummis cudi, aut in

(g) Prudentius l. 1. contra Symmach.

(h) Prudent. l. 1. in Symmach.

(i) Georg. Codin. in Origin. Constant.

in tabellis pingi sine sanctissimæ Crucis effigie concessit (k): Hanc Crucem in corona sua, in armis suis, in scutis militum descripsit, ut sedecim Legiones in exercitu Cæsareo forent, quæ hanc tesseram salutarem suis in clypeis circumferrent (l). Atque ut specialis locus esset, ubi major Cruci veneratio exhiberetur; Constantinus templum magnificum in honorem Crucis Hierosolymæ construxit (m). Itaque ab eo tempore Crux, quæ in primis jam sæculis adorata fuerat, publico magis & per Augustos præcepto cultu honorari cœpit (n); de quo Prudentis ita canit:

- - - jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ Rectoris ad atria Christi,
Vexillúmque Crucis summus dominator adorat (o)

ex his nunc palam est, quæ fides tribuenda sit Novatori Whitakero, dum scribit (p): *Crucis signo, Constantinus, quod in aere conspexerat, tanquam vexillo uti voluit . . . hanc tamen Crucem ab eo fuisse cultam, ac adoratam nunquam evinces*: Unus hìc Sozomenus præ millenis nuperæ fidei hominibus nobis esto; qui non recente ætate, sed quinto sæculo hæc notavit: CONSTANTINUS *sanctæ Cruci plurimum honoris tribuit: tum propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex ejus virtute sibi allata, tum propter divinam sibi de ea oblatam visionem.*

(k) Sozom. l. 1. c. 8.

(l) Notit. Rom. Imp. apud Gretf. l. 2. de cruce.

(m) Euseb.

(n) Justus Lipsius l. 3. de Cruce c. 15

(o) Prudent. in Apotheos.

(p) Whitaker. contra Campianum.

REFLEXIO III. ad §. 1. num. 12. pag. 19.

Quo tempore cœperint Indictiones, & quam suæ Institutionis atque originis causam habuerint?

1. ETsi de Indictionum origine sermo brevis jam nobis fuerit in Apparatu Chronologico, quem nostræ Historiæ præmisimus (a); hoc tamen loco, ubi de Constantini Imperio agitur, idem argumentum denuò & paulò longiùs tractandum putamus: propterea quòd ab ejusdem Christiani Principis usu aut lege, Indictionum initia complures deduxerunt. Ac Primò, quod ad nomen Indictionis pertinet, diximus alibi Petavio, multósque Chronologis placere, ut ab annonarum, & tributorum (quæ indicebantur) præstationibus derivetur. His nunc lubet addere, probabilem magis opinionem videri eorum, qui Indictionibus inde nomen accersitum volunt, quòd ludi Panegyrici certa per intervalla indicerentur, in quibus ex libertate Cæsarum onera nova subditis minimè imponebantur; quin tributorum mitigatione factâ, etiam ea, quæ adhuc debebant ærario cives, omnino remittebantur. Unde Græcis Indictio ἐπινέμησις est appellata; quæ vox significare potest largitionem in editione spectaculi solitam fieri (b): testimonium hujus expositionis habemus in Quinquennalibus, & Vicennalibus Imperatorum ludis ac solennitatibus, ad quas plebs

(a) Vide Tom. 1. p. 9. & 10.

Quæ origo vera Indictionum fuerit?

(b) Gordon. in Operis Chronologici Tom. II. p. 110.

plebs tantò avidiùs aspirabat, quantò certior spes omnibus erat, eo tempore ære gravatos suâ debitione, mancipatos vinculis ergastulo & custodiâ liberatum iri. Quidni ergo fieri potuerit, ut à Quinquennalibus ad Vicennalia Cæsarum quindecim annorum certa periodus numeraretur, quâ absolutâ tam gratæ populo remissiones donarentur: atque ut constaret omnibus, quotus annus ejusdem periodi curreret, non aliter ac in Olympiadibus anni singuli suis ex ordine numeris signarentur.

2. Explicato nominis Etymo de tempore dicendum est, à quo scilicet sæculo, aut ex quo sæculi anno Indictiones suum exordium deducant? Scaliger (c) opinatur cœpisse Indictionem cum æra Antiochena. Sive ab eo tempore, quo Antiocheni αὐτονομίαν sunt consecuti à Julio Cæsare Victore Pompeji in pugna Pharsalica, quando (inquit Chronicon Alexandrinum) proposita est in Antiochia urbe magna libertas ejus (d) sive anno ante Christianam æram 59. vel 48. Ab hac Antiochena indictione ait Scaliger cæteras Indictiones esse deductas: sed Pagius (e) probat Scaligerum esse deceptum; præterquam enim, quod Gordonus (f) ostendat rationem temporis à Scaligero subductam ubique cum Indictionum reliquarum annis malè cohærere, tum eidem commonstrare incumbit, possitne Epocha quævis, aut quæcunque Largitio Imperatoris (nisi nomine abuti velis) Indictionis fundare exordium? certè largitionum aliarum monumenta sub variis accidisse Imperatoribus negabit nemo; at quâ ratione firmabit Author, harum largitionum ac remissionum tempora fuisse in usu, aut instituta, ut eorum anni per quindecennalem, aut quamcunque periodum evolvendi putarentur?

(c) Scaliger in Canonib.

(d) Chronicon Alex.

(e) Pagius in Dissert. Hypatica.

(f) Gordon. l. c.

A quo tempore Indictiones cœperint?

3. Meliora itaque Indictionum cœptarum vestigia Chronologorum maxima pars legit in ætate Constantini, ante cujus Quinquennalia vix quidquam de Indictionum commemoratione reperies: Quinquennalia autem Constantini bis celebrata probat Pagius (g) & *primò* quidem anno 310., de quibus Eumenius (h): *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum, quod meritò hanc Imperii tui æquavit ætatem!* Secunda Quinquennalium celebratio contigit ab anno sequente 311. in 312. de quibus Idem Eumenius pergit: *Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt; illa enim quinto incipiente suscepta; omnibus populis jure* Illo enim anno compleverat omnino quinque annos sui Imperii Constantinus. Ante trecentesimum igitur undecimum vel duodecimum annum nullus Indictionum usus.

(g) Pagius in Critic. Tom. I. ad a. 310.

(h) Eumenius Paneg. c. 13.

4. Restat igitur quæstio, à quo præcisè anno cœperint Indictiones? Onuphrio placuit (i) eas auspicari ab ejus anni die, quo Constantinus Maxentium vicit, scilicet octavo Kalendas Octobris, in cujus, inquit, Victoriæ memoriam in Synodo Nicæna sive anno vigesimo, Constantini constitutæ sunt Indictiones. Et primum earum initium ad hujus Victoriæ

(i) Onuphrius apud Gordon. p. 112.

Quis annus Constantinianarum Indictionum primus numeretur?

riæ diem, octavo Kalendas Octobris statutum: Verùm assertio hæc nullo authore subnixa displicet Baronio, aliisque Recentioribus, qui Indictiones inchoandas decernunt non ab anno 313. ut voluit Onuphrius, sed ab anno 312. cujus ut rationem exhibeant, ajunt, quod & Siculi & Græcorum annales restentur, Indictiones eo anno cœptas, quo Constantinus & Licinius secundum gerebant consulatum (k): Quicunque autem Consulum fastos inspiciet, non alio anno, quam 312. prædictos secundùm Consules fuisse reperiet. Accedit, quod ante hoc tempus in diplomatis Principum nulla Indictionum incidat mentio: in decretis contrà Pontificum, aut Synodorum vestigia prima deprehendimus Indictionum sub Julio in Concilio Romano, atque eodem quarto sæculo earum meminit S. Ambrosius in sua ad Præsules Æmiliæ Epistola. *Neque dicas* hæc, quæ asserta sunt, conciliari Constantini annis reliquis vix posse; nam, ut à Quinquennalibus, aut Vicennalibus Constantini origo Indictionum derivetur, requiritur; ut vel ultima sive decima quinta vel prima Indictio concurrat cum Quinquennalibus, aut Vicennalibus; hoc autem minùs reperiri; cum prima Indictio inchoetur ab autumno anni Ch. 312, decima quinta ab autumno 326: econtra Quinquennalia à Mense Julio a. 311. & Vicennalia à Mense Julio a. 325. ℞. Duplicis generis Quinquennalia & Vicennalia à Constantino celebrata fuisse; nam cùm anno 306. 25. Julii Patri successerit, & ante 27. Octobris Cæsar à Gallerio appellatus sit; Quinquennalia utique Cæsarea ab anno 310. in 311. (l) celebravit. Sed ab hoc anno 311. in 312. Quinquennalia Constantini Augustea peracta sunt. Et quamvis Eusebius in Vita Constantini de unis Vicennalibus, uti & de unis Quinquennalibus, ac Decennalibus mentionem faciat; in Chronico tamen duo Vicennalia à Constantino celebrata (m) memorat. Ex quibus consequitur Quinquennalia Augustea completa esse anno 312: diem addere nolumus, nec mensem, nam ex Pag. (n) constat, ejusmodi solennitates, modo anticipatas, jam ultrà dilatas fuisse; imò ad a. 325. n. 47. ait idem author: *Constantinus M. octavo Kalendas Augusti anni 326. dictus est Imperator, ideóque eodem die Cæsarei Imperii Vicennalia de more celebranda fuissent. Sed cùm Eusebius, aliique scribant, nonnisi absolutâ synodo Constantinum ea solennia edidisse; liquet hanc triumphalem festivitatem dilatam esse in diem octavum Kalendas Septembris, quo Synodus Nicæna absoluta.* Si igitur ab anno 310. & 311. Quinquennalia Cæsarea, & ab anno 325. in 326. Vicennalia Imperii Cæsarei Nicomediæ celebrata sunt; constat quoque ex eodem Pagio, quod ad a. 326. in 327. Constantini vicennalia Augustei Imperii Romæ peracta sint: quo mense, ibidem dissimulat & in Dissertatione Hypatica se eadem fusiùs executum commemorat: nobis saltem id suspicandi ansam facit, cur Indictiones à diversis mensibus & diebus inchoentur.

(k) Apud Pagi. ad a. 312.

Difficultas ab Adversariis opposita solvitur.

(l) Eumen. Pan. c. 13.

(m) Pagius ad a. 310. Tom. 1. pag. 351. n. 3.

(n) Pagius ad a. 284. n. 12.

5. De Indictionum usu per Constantini ætatem cœpto si quis nunc porro quærat, quæ vera causa extiterit, cur ista putandorum temporum ratio

ratio tunc potissimùm delecta sit? præter ea, quæ de quinquennalibus largitionibus, aut Quindecennalium aut Vicennalium celebratione jam diximus, nihil est quod reponamus; nam cùm hoc inventum ex hominum placito nascatur: & ex variis causis potuerit quis Principi suggerere, ut rejectâ Olympiadum (quæ tunc cessârunt) putatione, hanc eámque novam numerandi annos methodum præscriberet; otiosum foret de re intra animos Imperatoris occultâ porrò divinare; id certum est Indictionum calculum tempore Carlovingicorum frequentatum fuisse, utì Diplomata testantur, à quibus ad Imperatores Germaniæ mos transiit, quando verò rursus Principibus visum sit, Indictiones in suis rescriptis omittere, incertum est. Cæterùm Pontificiæ Indictiones adhuc in magno usu sunt, qnarum initium olim fiebat à primâ Septembris a. 312; quamvis posteà auspicari eas placuerit à Natali Domini, aut à Kalendis Januarii vel à 25. Martii vel â Paschate, quem usum ante octavum sæculum natum esse Pagius arbitratur (o).

(o) Pagius in Critic. Tom. I. p. 364.

REFLEXIO IV. ad §. 1. num. 14. pag. 22.

Quæ nova Juris, legúmque ratio fuerit sub Constantino Magno?

Ecquod propositum Constantini fuerit in mutatione legum?

1. ETsi ad salutem civium, ac Reipublicæ incolumitatem suprema legum authoritas plurimùm valeat; in ipsis tamen legibus delectus quidam habendus est: & si quando aliud tempus alia præscripta postulat, non tantùm non abs re sed & necesse erit veteres sanctiones antiquare, aut permutare novis vel melioribus amplificare. Quare sicut sub initium Regnantis Augusti dissimilis ratio legum, & diversa ab illa, quæ per ætatem Reipublicæ viguit, instituta est; ita Constantinus, ineunte sæculo quarto, ex quo & Imperii fasces & Christianam religionem amplexus est, meliorem, atque Gentiles hucusque coluerant, Juris formam componendam existimavit. Duo autem fuêre capita, quæ Primus Christianus Imperator in legibus ferendis præcipuè spectabat, scilicet tolerabilius in in vitæ civilis usu institutum, tum Ecclesiarum commoda; quæ favente & adjuvante Constantino à viris sanctissimis, universóque Hierarcharum ordine per omnes Provincias & urbes excitabantur.

Leges cælibatui & Virginitati odiosæ tolluntur.

2. Quâ ratione plurimas leges Reipublicæ ad majorem æquitatem, & earum vetustatem ad sanctiorem novitatem traduxerit, ex Eusebio perdiscimus. I. (a) *orbos,* ait, *antiquæ leges hæreditatis Patrum ademptione plectebant. Erátque lex hæc sanè atrocissima; quippe quæ homines liberis destitutos, tanquam alicujus criminis reos pœna afficeret. Imperator verò hoc abrogato jure, sanctam ac religiosam legem tulit. Eos enim, qui sponté ac deditâ operâ*

(a) Euseb. in V. Constant. l. 4. c. 26.

operâ peccarent, congruo supplicio afficiendos esse ajebat. At verò multis natura liberos denegavit; qui cùm numerosam sobolem sibi optâssent, tamen ob corporis infirmitatem liberis caruerunt. Alii sine liberis ideo vixerunt, non quòd successores habere liberos nollent, sed quòd muliebrem copulam adversarentur, præ ardentissimo amore Philosophiæ id continentiæ genus amplexi. Multæ præterea mulieres divino cultui consecratæ, castitatem atque omnimodam Virginitatem coluerunt; & tam animos suos, quàm corpora purissimæ ac sanctissimæ vitæ mancipavêrunt. Quid ergo? utrum hoc supplicio, an potiùs admiratione & approbatione dignum haberi oportuit? . . . Ad hunc igitur modum Imperator summa cum æquitate legem illam correxit.

3. *Altera lex*, quâ Constantinus jus antiquum emendavit, de ultimis tabulis erat: hæ nisi olim præscriptis formulis, ac solennitatibus quibusdam verborum anxiè conceptæ fuissent; non sine morientium illusione abrogabantur. Fraudibus his contraiturus Princeps statuit, ut nudis verbis, & qualicunque oratione testamentum condere morientibus liceret, & supremam voluntatem quovis scripto declarare: aut si mallent sine scripto testari; id facerent adhibitis duntaxat testibus idoneis, qui fidem servare absque mendacio possent (b). *Tertia* Sanctio Constantini famosior ad Constantinopolim multitudine hominum replendam; aut potiùs viris doctis illustrandam edita est; nam eâdem Medicis & Professoribus immunitas stabilitur (c), exemplo Julii Cæsaris, qui, ut exhaustæ urbi frequentia suppeteret, omnes Medicinam Romæ Professos, & liberalium artium Doctores, quò libentiùs & ipsi urbem incolerent, & exteri appeterent, civitate donavit (d). Prohibuit quoque Agricolas sationibus aut colligendis frugibus vacantes ad onera aliò distrahi (e). Res Uxoris, quæ in eam ante Mariti publicatum crimen pervenêre, illibatas esse voluit, & donationes Mariti ante reatûs tempus in conjugem collatas (quia præmio pudicitiæ cessêre) esse observandas (f). Ex quibus patet Constantino omnibus in legibus id propositum fuisse, quod alibi expressit (g). *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse Justitiæ, æquitatísque, quam stricti juris rationem.* Huic æquitatis studio à Parente præscripto postea institit filius Constantinus, dum *Juris formulas aucupatione Syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitus amputari* præcepit (h).

Lex de Testamentis correcta.

(b) Euseb. l. 4. c. 26.

(c) L. 6. Cod. de Profess. & Medicis.

Aliæ leges Constantini civiles.

(d) Suetonius in V. Julii c. 42.

(e) L. 1. Cod. de Agricol.

(f) L. 24. Cod. de Donat. inter Vir. & Ux.

(g) l. 8. C. de judiciis

(h) L. 1. C. de formulis & impetration. act. subl.

4. Et quoniam *primum est curatio rerum Divinarum* (i); Constantinus M. Religionis, quam primus Christianus Princeps susceperat, causam, augmentúmque primâ suâ lege anno 312. latâ stabilitum ivit. Sanctio ad Provinciæ cujusvis Præsidem scripta sic habet (k): *Cum feliciter tam ego Constantinus Augustus, quàm etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus, atque universa, quæ ad commoda, & securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus; hæc inter cætera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel imprimis ordinanda esse credidimus, quibus Divinitatis*

(i) Aristot. l. 7. Politic. c. 8.

(k) Vide Lactant. c. 48.

Lex Prima Constantini in favorem Christianæ Religionis data.

tis reverentia continebatur, ut Christianis & omnibus daremus liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset. Quo scilicet quidquid illud est divinum, ac cæleste Numen, nobis & universis, qui sub Imperio nostro degunt, propitium esse possit. Itaque hoc consilio salubri, ac rectissimâ ratione ineundum esse credimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederit, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in orantibus solitum favorem suum benevolentiámque præstare. Quare scire dignationem tuam convenit, placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quæ priùs scriptis ad officium tuum datis, super Christianorum nomine videbantur, nunc cavere, ut simpliciter unusquisque eorum, qui eandem observandæ religionis Christianorum gerunt voluntatem; citra ullam inquietudinem, ac molestiam sui, idipsum observare contendant. Quæ sollicitudini tuæ plenissimè significanda esse credimus: quo scires, nos liberam, atque absolutam colendæ religionis suæ facultatem iisdem Christianis dedisse; quod cum iisdem à nobis indultum esse pervideas; intelligat dignatio tua etiam aliis religionis suæ vel observantiæ potestatem similiter apertam & liberam pro quiete temporis nostri esse concessam. Atque hoc insuper in Persona Christianorum statuendum esse annuimus: Quod si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum literis, certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliqui vel à fisco nostro, vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia, & sine ulla pretii petitione, postpositâ omni frustratione, atque ambiguitate restituant. Qui etiam dono fuerint consecuti, eadem similiter iisdem Christianis quantocyus reddant, etiam vel hi, qui emerunt, vel qui dono erant consecuti: Si putaverint, de nostra benevolentia aliquid vicarium postulent, quo & ipsis per nostram clementiam consulatur. Quæ quidem omnia Corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam, ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani non ea loca tantùm, ad quæ convenire consueverunt, sed etiam alia habuisse noscuntur ad jus Corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum pertinentia, ea omnia lege, quâ superius comprehendimus, citra ullam ambiguitatem, vel controversiam iisdem Christianis, id est Corpori, & conventiculis eorum reddi jubebis, supra dictâ scilicet ratione servatâ, ut ii, qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentiâ sperent. In quibus omnibus supra dicto Corpori Christianorum intercessionem lucem efficacissimam exhibere debebis, ut præceptum nostrum quantocyus compleatur .... ut autem hujus sanctionis benevolentiæ nostræ forma ad omnem possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo hæc scripta, & ubique proponere, & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benevolentiæ nostræ sanctio latere non possit. „

5. Octo annis sub Constantini præsidio Christianitas efflorescebat; tum Imperator piissimus legem Papiam abrogavit, quæ vetabat, ne Cælibes ab anno ætatis quinto & vicesimo pari gauderent jure cum iis, qui conjugium iniissent, scilicet ut Cælibes ex testamento capere, nisi essent genere proximi, non possent: orbi autem dimidiâ hæreditatis parte minuerentur (l): Huic igitur Christianæ continentiæ adversanti legi meliorem opposuit Constantinus Sardicæ, anno 320. jubens, ut *qui jure veteri Cælibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero Maritorum matrimonii fædere fulcirentur; sítque omnibus æqua conditio capessendi, quod quisque mereatur. Nec verò quisquam orbus habeatur: proposita huic nomini damna non noceant* (m). Aliam legem subinde Princeps apposuit, quâ Virgines etiam Impuberes testandi de rebus suis facultate donavit (n). Circa annum 321. jubente eodem Imperatore dies Dominica celebrari apertiùs cœpit; edixerat enim, *ut omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium otia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ liberè, licentérque inserviant* (o): præter Dominicam cavit insuper, ut feria hebdomadæ sexta in honorem mortis Christi sacra haberetur (p): Atque hæc quidem cùm civibus & urbium incolis inculcata Constantinus vellet; etiam militibus suis author fuit, ut supremo Numini cultum debitum præstarent: ac quidem, qui Christo dederunt nomen, statis temporibus vacuos oneribus esse voluit, quo Christianorum ex more sacris interessent, aliis autem certam precationis formam præscripsit, quam Dominicis diebus in apertum campum digressi ad Deum funderent, in hæc verba orantes (q): *Te solum agnoscimus Deum, Te Regem profitemur, Te adjutorem invocamus. Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, & futura à Te speramus. Tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus, Tibi omnes supplicamus, útque Imperatorem nostrum Constantinum unà cum piissimis ejus liberis incolumem, & Victorem diutissimè nobis serves, rogamus.* Denique præcipuum Christianitatis trophæum honoraturus Imperator interdixit, ne quis reorum deinceps more Romanis usitato in Crucem ageretur (r).

Abrogatio legis Papiæ.

(l) Sozom. l. 1. c. 9.

(m) Cod. Theod. l. 8. t. 1.

(n) Sozom. l. 1. c. 9.

(o) Cod. Theod. l. 3. T. 12.

(p) Eufeb. Vit. Const. l. 4. c. 18. & 19.

Celebratio diei Dominicæ, & feriæ sextæ.

(q) Idem c. 20.

Sublatum Crucis supplicium.

(r) Aug. Serm. 18. c. 9. Aurel. Vict. p. 526.

6. Quemadmodum verò Christianorum singulis legum pio adminiculo prospexit; ita potiorem curam gessit eorum, qui sacris initiati, in Ecclesia ministrarent. Primò igitur hujusmodi sacrorum Ministris ab omnibus functionibus civilibus immunitatem impertiit lege publicâ, quam ad Anulinum Proconsulem Imperator dedit (s): *Cum ex multis rebus constet, Religionem illam, in qua summa divinæ Majestatis reverentia custoditur, spretam quidem, maxima Reipublicæ importâsse discrimina; eandem verò ritè susceptam, ac custoditam, & nomini Romano maximam prosperitatem, & cunctis mortalium rebus, divinâ id tribuente munificentiâ, præcipuam felicitatem contulisse; placuit, ut homines illi, qui cum debita sanctimonia, & assidua*

Immunitas Clericorum publica lege stabilita.

(s) Eufeb. hist. l. 10. c. 7.

sidua

fidua hujus legis observantia, Ministerium suum divinæ religionis cultui exhibent, laborum suorum mercedem reportent. Quocirca eos homines, qui intra Provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic Sanctissimæ Religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego à cultu summæ divinitatis debito distrahantur, sed ut potiùs absque ulla inquietudine propriæ legi deserviant. Exemptio talis cùm in Curialium, Municipúmque onus redundaret; non pauci ditiores fuêre, qui Clericatum profiterentur, ut privilegio eodem gauderent: quare Constantinus novâ lege præcepit (t), ne Clerici alii fierent, nisi in defunctorum locum, iique non ex locupletioribus decurionibus, sed ex egenis. Id quoniam libertatem seligendi dignos non parum constrinxerat; decurionibus subinde restituta facultas est Clericatum adeundi hâc tamen conditione, ut vel bona, vel eorum partem dimitterent, ne ditioribus subtractis nemo esset, qui oneribus publicis ferendis par foret. Uti Clericos exemit functionibus civilibus Constantinus; ita & prædia Ecclesiarum creditur liberâsse tributis (u) teste Tillemontio (x): verùm Ambrosius dubium hâc super re ingens Criticis injecit, dum post sexaginta annos adhuc scribere non reformidavit, *Agri Ecclesiæ solvunt tributum, solvimus* (y). Privilegium fori ut habet Eusebius l. 10. Hist. c. 7. Clericis iisdem concessit Imperator: *Clerici, qui per injuriam hæreticorum ad curiam evocati sunt, absolvantur, & de cætero ad similitudinem Orientis ad curias minimè advocentur, sed immunitate plenissimâ potiantur.*

(t) Cod. Theod. c. 6. l. 1.

(u) Cod. Theod. t. 4. l. 1.

(x) Tillem. in V. Const. p. 238.

(y) Ambros. Ep. 32.

Potestas manumittendi concessa Clericis.

7. Prætorum ex primo Romanorum more jus erat, ut manumittere, liberósque, qui mancipes servirent, pronuntiare liceret; eâ facultate utcunque pingui etiam donare Ecclesias, Clericósque Constantino è re visum est. Et ad Protogenem Sardicæ Episcopum anno 315. ita rescripsit: *jam dudum placuit; ut in Ecclesia Catholica libertatem Domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum Antistitibus id faciant.* Idem aliâ lege ampliavit. *Clericis amplius concedimus, ut cùm suis famulis tribuant libertatem, non solùm in conspectu Ecclesiæ, ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur; verùm etiam cùm postremo judicio dederint libertates, seu quibuscunque verbis dari præceperint; ita ut ex die publicatæ voluntatis, sine aliquo juris teste vel interprete competat directa libertas.* Heineccius in Antiq. Rom. l. 1. Tit. 5. n. 7. existimat Constantinum exemplum Gentilium hac in re aliquo modo æmulari vel superare voluisse, qui & ipsi ad aras Deorum, vel in publicis populi cœtibus manumittebant. ut notat etiam Gothofred. *ad L. unic. C. Theod. de manumiss. in SS. Ecclesiis.*

Leges Constantini contra Hæreticos & Judæos.

8. Dispensatione beneficiorum in Ecclesias, Clericósque factâ, eos qui Ecclesiæ bono incommodarent, pœnis propulsandos putavit; unde con-

contra HÆRETICOS ſui temporis toties legibus detonuit: Donatiſtas ad ſuum Comitatum perduci jubebat, ut metu imminentium ſuppliciorum à novis molitionibus cohiberentur (z): contra Arium alióſque Eccleſiæ refractarios edictum edidit (a), quo ſtatuit: *Atque quo iſta veſtræ peſtis pernicies longiùs graſſari impediatur, per hanc legem mandamus, ne quis Veſtrûm poſthàc conventus cogere audeat. Et prætereà etiam jubemus, ut univerſæ ædes veſtræ, in quibus congreſſus illos celebrare conſueviſtis, penitus evertantur.* Imò in peculiari ſanctione decernit (b), eosdem *omnibus Privilegiis alienos, diverſíſque muneribus conſtringendos atque ſubjiciendos.* Pari fortitudine JUDÆIS Pœnas intentavit, ad Evagrium ſcribens (c) *Judæis, & Majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari, quod ſi quis poſt hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, Saxis, aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognovimus) auſus fuerit attentare, mox flammis dedendus eſt, & cum omnibus ſuis participibus concremandus: ſi quis verò ex populo, ad eorum nefariam ſectam acceſſerit, & conciliabulis eorum ſe applicaverit, cum ipſis meritas pœnas ſuſtinebit.*

(z) Tom. I. Concil. in Synod. Arelat. apud Labb.
(a) Euſeb. in V. Conſt. c. 61. & 62.
(b) In Cod. Theod. Tit. de HH. Baron. ad a. 326. §. 16.
(c) Cod. Theod. de judic. l. 16. t. 8.

9. Imperator Chriſtianus, qui exteros ab Eccleſia hoſtes longiùs ſubmovere laboraverat, parùm ſe feciſſe arbitrabatur; niſi & in medio Eccleſiæ ſubnaſcentia vitia legum fræno cohiberet: Nam lex extat (d), quâ idem Princeps ſeveriùs ac prædeceſſores in adulterii crimen animadvertendum voluit, nempe capitis ſupplicio, quam pœnam Juſtinianus poſteà in maſculis probavit: mulierem verò verberibus cæſam in monaſterium detrudi juſſit (e).

(d) L. 2. C. Th. de adult.
Quam pœnam Adulteris dictaverit Conſtantinus?
(e) Novell. 134. c. 10.

REFLEXIO V. ad §. 1. num. 14. pag. 22.

Quos novos Magiſtratus creârit Conſtantinus, & in quas Provincias partitus ſit Imperium?

1. CUm magna negotia magnis adjutoribus egeant (a); Conſtantinus ſapienter actum iri credidit: ſiquidem graviſſimos Principatûs initi labores Magiſtratibus opportunis velut totidem adminiculis ſuſtentaret. Sed quoniam è delectu eorum, qui ſalutaria pace ſive bello conſulere debent, Reipublicæ ſalus maximè pendet, emendandam ſumpſit primò illam multorum Cæſarum amentiam, qui in Præfectos Prætorii omnem curarum molem rejicientes (b), horum hominum potentiam eò provexerunt, ut ex eorum arbitratu, ac fere libidine Principum vita, ſalúſque & cardines orbis volvi; neque iis quid de Imperio præter purpuram deeſſe videretur. Horum igitur inſolentem dominatum conſtricturus Imperator Chriſtianus, poteſtatem ampliſſimam, quam ad ea tempora duo duntaxat Prætorio Præfecti eámque non diviſam, ſed omnium terra-

(a) Vellejus Paterc. l. 2.
Conſtantinus cur & quâ ratione reſtrinxerit poteſtatem Præfectorum Prætorio.
(b) Bucher. Belg. Rom. l. 9. c. 2. §. 2.

(c) Zosim. lib. 2. p. 687. & 688.

terrarum congestam habebant (c), in Quatuorviros distinxit eâ lege, ut Præfectus Prætorio Orientis Diœceses quinque, Præfectus Illyrici Diœceses duas, Præfectus Italiæ Diœceses tres, totidémque Præfectus Prætorio Galliarum admoderaretur. Et quanquam ad res novandas hæc utùt separata jurium facultas Quatuorvirorum quemque adhuc accendere valuisset; duo tamen adjecta sunt, queis non aliter ac validioribus habenis supremorum illorum Ducum petulantia comprimeretur. Statuit nimirum Constantinus, ut deinceps Præfecti ejusmodi non alio quàm *Clarissimorum* nomine venirent, qui titulus eâdem ætate singulis Senatoribus communis esse solebat; Præterea Castrorum præfectura ex eo satis accisa est, quòd novi MAGISTRI MILITIÆ simul crearentur, qui magnam dominatûs, exercitúsque partem sibi vendicabant; quod Zosimus (d) ita exponit: *Hâc ratione diverso Præfectorum Magistratu, studiosè conatus est aliis quoque modis eorum potestatem imminuere. Nam cum præessent ubique locorum militibus, non modo Centuriones & Tribuni, verùm etiam Duces (sic enim adpellabantur) qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant: Magistris militum institutis, altero equitum, peditum altero, & in hos translatâ potestate militum ordinandorum; & coërcendi delinquentes, hac etiam in parte Præfectorum authoritati detraxit.* Constantium Constantini filium Magistrorum numerum auxisse ex notitia Imperii perdiscimus (e) ubi *Magistri equitum & peditum duo in præsenti recensentur, alii tres per Orientem, Thracias & Illyricum,* inter hos eminebat, *Magister militum præsentalis*, sub cujus depositione militabant palatinæ vexillationes quinque, comitatenses septem, legiones palatinæ quindecim, auxilia palatina octodecim: *præsentes* autem dicebantur, quòd adessent in comitatu Principis, & in palatinis scholis sive disciplinis militarent. Magistrorum eorundem conditio postea insignior evasit; nam *Comites* deinceps dicti, & *illustres*, superiorum Ducum sortem, officiúmque adibant (f).

(d) Zosim. l. c.

(e) Notit. Imp. c. 5-8.

(f) Valesius apud Tillemont. in V. Const. p. 449

(g) Zosim. l. 2. p. 692. Procop. l. 1. de bello Vandal.

(h) Walafrid. Strab. de reb. Eccl. c. 31.

Patricii.

2. Diminutâ Prætorii dignitate Constantinus alium honoris titulum scilicet PATRICIORUM invenit, quo qui ornabantur, Præfectos Prætorii longè anteibant (g). Quin teste Walafrido Strabone *Primi post Cæsares in Imperiis fuisse videntur.* (h). *Illum honoris*, non Magistratûs, *titulum*, (ait Zosimus) *primus Constantinus excogitavit, latâque lege sanxit, ut qui hunc consecuti fuissent, supra ipsos Præfectos Prætoriorum sessitarent.* Inter Consulatum nimirum & Præfecturam Prætorii medius erat Patriciatus non tam potestate, quàm honore. PATRICIUS autem ideo dictus, quasi Pater & adjutor Imperatoris (ait Paulus Diaconus in Hist. Longob.) quare mirandum non est, quod militum Magistri & Prætorio Præfecti ad Patricii dignitatem evecti sint. Gradus ejusmodi honorificus *mox ut datus fuerat, in vitæ tempus reliquum homini fiebat coævus*, ut docet Senator l. 6. Epist. 2. quamvis interdum exempla legantur, quibus ad tempus

dunta-

duntaxat hæc honoris prærogativa concessa perhibeatur (i). Major posterioribus sæculis apud Byzantinos, Francósque Imperatores Patriciatûs gloria extitit, de qua nos in sæulis sequentibus agemus. Opinio nonnullorum est (k) à Constantino M. COMITUM extitisse initia: verùm præterquam (l) altiorem originem jam eorum ostenderemus; Spartanus (m) commemorat, *cum* (Hadrianus) *judicaret, in Consilio habuisse non amicos suos & Comites solùm; sed jureconsultos.* Hinc *Comites Imperatorum vel Augustorum* in Veteribus inscriptionibus passim Romæ extant: *Necessarius Aug. & Comes per omnes expeditiones eorum* (n). Erant autem Comites, qui principem comitabantur: quod licèt antè nihil nisi officium designaret; sub Constantino tamen simul dignitatis nomen esse cœpit (o), quod non tantùm iis datum est, qui Cæsarem comitati sunt: sed aliis quoque militiæ præfectis vario cum discrimine, nam alii Comites domesticorum, Comites Palatini &c. dicebantur, de quibus latiùs tractat Du Cange & nos in sæculo quinto amplius tractaturi sumus. Plura dignitatum munera qui requiret; Notitiam Imperii infra in Libri V. C. I. à nobis exhibendam consulat.

(i) Vide Du Cange in Glossario.
(k) Tillem. in V. Const.
(l) Tom I. Hist. Univ. l. 1.
Comites.
(m) Spart. in V. Hadr.
(n) Du Cange in Gloss.
(o) Tillem. in V. Constant. art. 84.
Alii Magistratus & Honorum tituli.

3. Præter dictos Magistratus Constantinus primorum Cæsarum exemplum secutus HONORARIOS CONSULES creâsse dicitur (p). Alii tamen Critices periti id diffiteri non reformidant (q). Denique Zosimus (r) nobis testatur ab eodem, de quo agimus, Imperatore dignitatem NOBILISSIMI institutam fuisse, quem quidem titulum Constantinus fratri suo Constantio & Anniballiano ex fratre nepoti primùm apposuit: nam licèt olim jam Imperatorum filii *Nobilissimi pueri*, aut *Nobilissimi Cæsares* dicerentur (s); illud tamen nomen *Nobilissimi* nudè sumptum dignitatem nullam antè significabat, nisi quando Constantinus huic voci speciale munus, honorémque affixum voluit. Hinc Marcellinus Comes, ait: *Justinus Imperator Justinianum ex sorore sua nepotem jam dudum à se Nobilissimum, Regni quoque sui successorem creavit* (t).

(p) Pagi in Crit. Annal. Baron. p. 71.
(q) Tillem. in V. Const. p. 453.
(r) Zosim. lib. 2. p. 692.
(s) Cujacius ad l. 4. Cod. de Privil. eorum, qui in sacro palatio militant.
(t) Du Cange in Glossar.

4. Quemadmodum verò Magistratuum numerum Constantinus auxit vel minuit; ita Provinciarum, quibus Magistratus novi præerant, novam formam, Partitionémque instituendam putavit: quare teste Jacobo Sirmondo, aliísque superioris sæculi peritis (u) Imperium Romanum sub pluribus Præfectis Prætorio hoc ordine dispositum est, ut Diœceses plures singuli Præfecti moderarentur eâ lege, quâ Diœcesis sub se haberet plures provincias, sicut Provincia plures civitates. Harum Diœceseon tredecim erant sex Orientis & Occidentis septem, quæ complectebantur centum & octodecim Provincias: Orientis nimirum Provincias 60. & Occidentis 58; quas eo modo hìc referemus, quo sub quatuor novis Prætorio præfectis collocatæ, & in libro (qui Notitia Romani Imperii dicitur; scriptúsque est in medio sæculi quinti) descriptæ reperiuntur (x).

(u) Schelstraten P. 1. Antiquit. Illustr. c 3. art. 1. p. 32.
Partitio Provinciarum sub Constantino in Diœceses.
(x) Notit. Imperii Rom. apud Labbeum.

PRÆ-

PRÆFECTUS PRÆTORIO ORIENTIS
sub quo Diœceses quinque.

ORIENTIS *Diœcesis habet Provinc.* 15. *quæ sunt:*	ÆGYPTI *Diœces. habet Provinc.* 6. *quæ sunt:*	ASIÆ *Diœcesis habet Provinc.* 10. *quæ sunt:*	PONTI *Diœcesis habet Provinc.* 11. *quæ sunt:*	THRACIÆ *Diœcesis habet Provinc. sex.* *quæ sunt:*
Palæstina.	Lybia superior.	Asia.	Galatia.	Europa.
Phœnice.	Lybia inferior.	Pamphylia.	Bithynia.	Thracia.
Syria.	Thebais.	Hellespontus.	Honorias.	Hemimontis.
Cilicia.	Ægyptus.	Lydia.	Cappadocia I.	Rhodope.
Cyprus.	Arcadia.	Pisidia.	Cappadocia II.	Mœsia II.
Arabia.	Augustanica.	Lycaonia.	Paphlagonia.	Scythia.
Isauria.		Phrygia Pacatiana.	Pontus Polemoniacus.	
Palæstina salutaris.		Phrygia salutaris.	Helenopontus	
Palæstina secunda.		Lycia.	Armenia I.	
Phœnice Libani.		Caria.	Armenia II.	
Euphratensis.		Insulæ.	Galatia salutaris.	
Syria Salutaris.				
Osrhoëna.				
Mesopotamia.				
Cilicia secunda				

PRÆFECTUS PRÆTORIO ILLYRICI
sub quo Diœceses duæ.

MACEDONIÆ *Diœcesis habet Provincias sex quæ sunt:*	DACIÆ *Diœcesis habet Provincias Quinque quæ sunt:*
Achaja.	Dacia Mediterranea.
Macedonia.	Dacia Ripensis.
Creta.	Mœsia I.
Thessalia.	Dardania Prævalitiana.
Epirus Vetus.	Pars Macedoniæ Salutaris.
Epirus Nova.	

PRÆ-

PRÆFECTUS PRÆTORIO ITALIÆ

ſub quo ſunt Diœceſes tres.

ITALIÆ

Diœceſis habet Provincias 17. quæ ſunt:

Venetiæ,
Æmilia,
Liguria,
Flaminia, & Picenum Annonarium,
Tuſcia & Umbria,
Picenum ſuburbicarium,
Campania,
Sicilia,
Apulia & Calabria,
Lucania & Brutii,
Alpes Cottiarum,
Rhetia I,
Rhetia II,
Samnium,
Valeria,
Sardinia,
Corſica.

ILLYRICI

Diœceſis habet Provincias ſex, quæ ſunt:

Pannonia II.
Savia,
Dalmatæ,
Pannonia I,
Noricum Mediterraneum,
Noricum Ripenſe,

AFRICÆ

Diœceſis habet Provincias ſex, quæ ſunt:

Byzaicum,
Numidia,
Mauritania Sitifenſis,
Mauritania Cæſarienſis,
Tripolis,
Africa Proconſularis.

PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM

ſub quo Diœceſes tres.

HISPANIÆ

Diœceſ. habet Provinc. 7. quæ ſunt:

Bætica,
Luſitania,
Gallæcia,
Tarraconenſis,
Carthaginenſis.
Tingitana,
Baleares.

SEPTEM PROVINCIARUM GALLICARUM

Diœceſis habet Provinc. 17. quæ ſunt:

Viennenſis, Lugdunenſis I.
Germania I. & II. Belgica I. & II.
Alpes Maritimæ,
Alpes Penninæ & Grajæ,
Maxima Sequanorum,
Aquitania I. & II.
Novem populi,
Narbonenſis I. & II.
Lugdunenſis II. & III.
Lugdunenſis Senonia.

BRITANNIARUM.

Diœceſis habet Provincias 5. quæ ſunt:

Maxima Cæſarienſis,
Valentia,
Britannia I.
Britannia II.
Flavia Cæſarienſis.

Limites Episcopatuum Ecclesiasticorum imitantur modum & divisionem Provinciarum Imperii.

5. Notitia harum Diœceseon, & contentarum sub iis Provinciarum tantò utilior erit Historico, quantò certiora in antiquissimis sæculis vestigia deprehendere licet; ex quibus cognoscatur ad hanc partitionis formam non tantùm Imperii Ditiones, sed & nascentis Ecclesiæ Provincias à primis initiis coordinatas fuisse. Id quippe ex Petri prima epistola palam fit, ubi variis variarum Ecclesiarum Christianis perscribens, ad modum, numerúmque Provinciarum Romanarum, sive *Dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ* eosdem Christianos, Ecclesiásque discriminat: confirmat illud ipsum S. Joannes (y), dum Episcopis Asiæ scripta monita daturus, eorum Ecclesias per Provinciarum Romanarum nomina discernit: *Septem Ecclesiis*, ait, *quæ sunt in Asia; Ephesο & Smyrnæ, & Pergamo & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ & Laodiceæ.*

(y) Apocalyp. c. 1.

6. Neque tantùm civilem Provinciarum partitionem, sed & constitutionem Metropoleon Oeconomia Ecclesiastica imitata est: nam præterquam, quod Christianus Lupus (z) affirmet, *Romanarum Provinciarum Metropoles civitates & fines fuisse Metropoles, civitates & fines Provinciarum Ecclesiæ*; tum certè urbes, ad quas velut Matrices subjacentes populi concurrebant, à Præfectis sibi Magistratibus judicandi: easdem inquam urbes Metropoles quoque Ecclesiæ fuisse. Itaque in Bithyniæ Provincia Metropolis erat *Nicomedia*, in Cappodociæ Provincia *Cæsarea* (a), in Pontica *Amasea*, in Asia Proconsulari *Ephesus*, ubi S. Joannes teste Hieronymo *totas fundavit, rexítque Ecclesias* (b); in Achaja *Corinthus*, ideo Paulus omnibus scripturus, ad Metropolim scripsit: *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum universa Achaja* (c): in Macedonia Metropoles erant Philippi & Thessalonica, quibus proinde Gentium Doctor literas dedit; at quoniam Creta totius Insulæ Metropolis habebatur, huic Titum præfecit, ut inde Ecclesias cæteras gubernaret: *reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi* (d). Nam Metropolitanorum est Provinciarum suscipere curam: átque iis, quæ per provinciam geruntur, tribuere firmitatem (e). Unde Parisiensium Archiepiscopus (f) ita concludit. „Cum in Imperio Provinciæ contributæ essent cuidam civitati Primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magistratus subjectorum causas judicabant, & quo propterea populi frequentiùs conveniebant, quòd singulari quodam jure cæteræ civitates à Matrice penderent; Apostoli itidem Episcopos in civitatibus constituerunt eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in Metropoli sive urbe primariâ.„

(z) Lupus P. I. ad can. 3. Synod. Constantin.

Metropoleon Ecclesiasticarum forma.

(a) Eutrop. in Tiberio l. 7.

(b) S. Hieron. de Scriptor. Eccl.

(c) 1. Cor. 1.

(d) Epist. ad Tit. c. 1.

(e) Can. 4. Nicæn. Concilii.

(f) Petrus de Marca l. 4. c. 1. §. 31.

7. Quemadmodum verò Imperii Provincias singulas Comites, Vicariique regebaut; ita Diœceses, quæ plurium Provinciarum præfecturæ (g) à Præfectis Prætorio curabantur (h). In Ecclesiastico contrà ordine Diœceses hodie vulgò appellantur Episcoporum singulorum districtus, qui proprio vocabulo Parochiæ nuncupari deberent; apud Veteres enim

(g) Balsamon in can. 9 Concil. Chalced.

(h) Gothofred. ad leg. 13. Cod. Theod. de Med.

enim Diœceses illæ Provinciæ dicebantur, quibus præerant Metropolitæ, aut Archiepiscopi (i), in qua notione etsi Diœceseos nomen recedat ab usu civili; aliunde tamen Præfecturas illas multarum Provinciarum exprimit institutum (k) Patriarcharum: hi quippe non uni Provinciæ sed pluribus præerant, quod ipsum ex primis tribus Patriarchalibus sedibus à S. Petro ordinatis cognoscitur: componebatur sub initium nascentis Ecclesiæ orbis Ditionis Romanæ ex tribus potissimùm regnis, scilicet Asiæ, Ægypti & Occidentis; tribus itaque his Monarchiæ partibus totidem Patriarchatus propositi sunt, & iis in urbibus collocati, quæ Metropoles Metropoleon nominari poterant. Nam in Asia ANTIOCHIA, teste Josepho (l) tertia civitas erat urbis Romani, vel ut loquitur Chrysostomus (m) *civitatum sub oriente positarum caput & mater.* ALEXANDRIA altera civitas sub sole Ægyptiorum Regni Princeps (n). ROMA demum Occidentalis Imperii sedes, cui reliqua regna suos fasces submittebant.

(i) Can. 8. Concil. Chalcedon.

(k) Perronius c. 30. apud Schelstrat. Diss. I. c. 3. a. 2.

Diœceses & Patriarabatus Ecclesiastici.

(l) Joseph. de bell. Judaic. t. 3. c. 2.

(m) Chrysostom. hom. 5. ad pop. Antioch.

(n) Chrys. or. 32.

8. Ex quo tamen concludere noli, quasi eadem in omnibus & Politiæ civilis, & ecclesiasticæ Disciplinæ aut Oeconomiæ fuerit; nam Thomassinus l. 1. c. 20. n. enumerat Metropoles sacras in iis partibus constructas, quæ in albo Metropoleon civilium nec locum, nec numerum unquam haberunt: Præterea Innocentius 1. Epist. 18. ad Antiochenum Episcopum, *nam quod sciscitaris, utrum divisis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic Metropolitani Episcopi debeant nominari; non visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari; honorésque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator.* Refertur hoc Can. 1. Dist. X. Ita Justinianus, cùm duas Ponti Provincias contraheret; utrique tamen Metropoli, Amaseæ scilicet, ac Neo-Cæsareæ nomen Metropoleos servat: ac utriusque Episcopis authoritatem pristinam in illarum urbium, quæ cuique subordinatæ fuissent Præsuli. V. Novell. 28. c. 2. Idem Armeniam in quatuor Provincias partitus Nov. 31. statuit: *Quæ verò ad sacerdotia spectant, (ut sæpe diximus) volumus in pristina manere forma.* In Patriarchatibus etiam tum limites, tum Jurisdictionis termini à Civilibus multùm differebant, de quo alibi.

REFLEXIO VI. ad §. 1. num. 18. pag. 28.

De Donatione Constantini Magni.

1. QUicunque controversiam præsentem penitiùs excutere meditantur, duo illi ex ordine capita considerant, quorum alterum Edicti Constantiniani fidem: alterum Donationem ipsam Edicto expressam examinet. Horum institutum nos secuturi, Edictum, quod à Constantino de Donatione evulgatum dicitur, quódque Gratianus suo Decreto

 cen-

(a) Distinct. 96. can. 14.

censuit inserendum, hìc præmittimus (a): Constantinus Imperator (sic canonem decimum quartum distinctionis nonagesimæ sextæ Gratianus incipit) quartâ die sui Baptismi Privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut judices Regem „ dein idem compilator Privilegii verba recitare aggreditur: *Utile judicavimus unà cum omnibus Satrapis nostris, & universo senatu, Optimatibúsque meis, etiam & cuncto Romanæ gloriæ Imperio subjacenti, ut sicut beatus Petrus in terris Vicarius filii Dei esse videtur constitutus; ita & Pontifices, qui ipsius Principis Apostolorum gerunt vices, Principatûs potestatem, ampliùs, quàm terrena Imperialis nostræ Serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis, nostróque Imperio obtineant, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum vel ejus Vicarios firmos apud Deum esse Patronos. Et sicut nostra est terrena Imperialis potentia: ita ejus S. Romanam Ecclesiam decernimus veneranter honorari, & amplius quàm nostrum Imperium, terrenúmque thronum Sedem Sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari: tribuentes ei potestatem, & gloriam, & dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam Imperialem; atque decernentes sancimus, ut Principatum teneat, tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in Universo orbe terrarum Ecclesias Dei. Et Pontifex, qui per tempora ipsius S. R. E. extiterit, celsior & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio, quæ ad cultum Dei, vel fidem Christianorum vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur: Ecclesiis BB. Apostolorum Petri & Pauli pro continuatione luminariorum; possessionum prædia contulimus, & rebus diversis eas ditavimus, & per nostram Imperialem jussionem sacram, tam in Oriente, quam in Occidente, vel etiam in Septentrionali, & meridiana plaga, videlicet in Judæa, Græcia, Asia, Thracia, Africa, & Italia vel diversis Insulis nostra largitate ei concessimus, eâ prorsus ratione, ut per manus beatissimi Patris nostri Sylvestri summi Pontificis, successorúmque ejus omnia disponantur.* (§. 2.) *B. Sylvestro, & omnibus ejus Successoribus ... de præsenti contradimus palatium Imperii nostri Lateranense: dein Diadema, videlicet coronam capitis nostri, simúlque phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare solet collum, utramque chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, seu etiam dignitatem Imperialem præsidentium equitum, conferentes ei etiam Imperialia sceptra, simúlque cuncta signa, atque banda, & diversa ornamenta Imperialia, & omnem processionem Imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ ...* (§. 3.) *& ut amplissimè Pontificale decus præfulgeat, decernimus, & hoc Clericorum ejusdem S. R. E. mappulis & linteaminibus, id est candidissimo colore decorari equos, ita & equitare, & sicut noster senatus calceamentis utitur cum Udonibus, id est candido linteamine illustratis ...* (§. 5.) *Decernimus itaque & hoc, ut ipse, & succes-*

Edictum Constantini Imperatoris.

Successores ejus diademate, videlicet coronâ, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo, & gemmis pretiosis uti debeant, & in capite ad laudem Dei pro honore B. Petri gestare. (§. 6.) Jnde ut Pontificalis apex non vilescat, sed magis quàm terreni Imperii dignitas, gloriâ & potentiâ decoretur; ecce tam palatium nostrum, quàm Romanam urbem, & omnes Italiæ, sive Occidentalium regionum Provincias, loca, civitates, Beatissimo Pontifici & Universali Papæ Sylvestro contradimus, atque relinquimus, & ab eo & Successoribus ejus per hanc Divalem nostram, & Pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri S. R. E. concedimus permansura... (§.7.) Unde congruum perspeximus nostrum Imperium & regni potestatem in Orientalibus transferri regionibus, & in Byzantinæ Provinciæ optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illuc constitui Imperium, quoniam ubi est Principatus sacerdotum.... Hujus verò Imperialis Decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus B. Petri posuimus. Datum Romæ tertio Kalend. April. à Constantino Augusto IV. Consule & Gallicano IV. Conf.

2. Edictum hujusmodi concinnatum etsi apud plurimos hodie vix fidem inveniat; sunt tamen nonnulli Recentiores, qui Isidorum Mercatorem, Adonem Viennensem, Luitprandum, aliósque medii ævi scriptores secuti, hoc decretum à Constantino in quarto sæculo promulgatum velint: Ne verò ab iis hæc temerè asseri quisquam existimet; in omnem evagantur antiquitatem, ut causæ suæ Patrocinium inde adsciscant. Ac primò ad Acta Sylvestri provocant, ubi hujus Edicti mentionem fieri apertam nemo nisi hospes ignorabit: monumento autem huic pervetusto tantò certiùs se confidere posse arbitrantur, quantò solenniùs Gelasius Papa hos *B. Sylvestri Apostolicæ sedis Præsulis* dilaudandos putavit. Nam, *licèt ejus, qui conscripsit, nomen ignoretur, à multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hæc* olim imitabantur *Ecclesiæ* (b); accedit, quod ex Proœmio eorundem Actuum pateat, illos non à cujuscunque, sed optimæ notæ scriptore scilicet Eusebio Cæsariensi congestos fuisse, cui, qui fidem abnuet, næ is ingentem Historiæ Ecclesiasticæ labem impegerit. Atque hæc sunt monumenta, quibus ex SÆCULO IV. ac V. edicti Constantiniani veritas comprobatur. Ab eo equidem tempore veterum Annales de præsenti argumento silent, sed in SÆCULO VIII. c) silentium illud rupit Hadrianus Papa (d) dum ad Carolum Magnum ita perscripsit: *& sicut temporibus B. Sylvestri Romani Pontificis à sanctæ recordationis Piissimo Constantino M. Imperatore per ejus largitatem sancta Dei Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, elevata atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignitatus est; ita & in his vestris felicissimis temporibus &c.* Quibus verbis non dignitas duntaxat spiritualis (ut loquitur (e) Parisiensium Archipiscopus de Marca) sed & auctoritas in Occidente, Imperiúmque Pontifici adscri-

Argumenta pro Edicti Constantiniani valore.

(b) Gelasius PP. in Decreto Synod. apud Gratian. in Dist. 96.

(c) Baron. ad a. 775.

(d) Epist. Cod. Carol. 49.

(e) Petr. de Marca l. 3. c. 12. §. 5.

pta intelliguntur. Eâdem ætate novum firmamentum hoc Edictum accepit à Collectione Isidori Mercatoris, quæ regnante Carolo M. publicata est, & ab Hincmari Remensis opinione, quam ille SÆCULO sequenti sive IX. in Epistola de Institutione Ludovici Balbi expressit (f). In SÆCULO X. pondus quoque suum huic sententiæ apposuit Luitprandus Cremonensis. Neque XI. SÆCULI Periodus ab hoc cogitatu deflexit; exhibet enim testimonium Leonis Papæ IX. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham in hæc verba perscribentis (g). *Sed ne fortè adhuc de terrena ipsius Dominatione aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus, neve leviter suspicemini ineptis & anilibus fabulis sanctam Romanam sedem velle sibi inconcussum honorem vendicare, & defensare aliquatenus: pauca ex Privilegio ejusdem Constantini manu cum cruce aurea super cœlestis clavigeri venerabile corpus posito, ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, & confundatur vanitas.* Eodem in sæculo vir insignis sanctimoniæ & eruditionis Edicti Constantiniani veritatem confirmare suo suffragio auditus est Petrus Damiani (h); dum Henrici Regis Oratorem cohortabatur: *Lege Constantini Imperatoris edictum, ubi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum Ecclesias Principatum. Nam postquam supra corpus B. Petri Basilicam fundator erexit, postquam Patriarchium Laterarense in B. Salvatoris honorem construxit, mox per Imperialis rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem: ubi nimirum B. Sylvestro, suisque successoribus obtulit, ut regali more &c.* SÆCULI demum XII. ætas suos quoque hujus Edicti assertores habet, inter quos Gothefridus Viterbiensis (i) ex Latinis: ex Græcis autem Theodorus Balsamon ex Præfecto Blachernarum Antiochiæ Patriarcha (k), qui ait: *Cæterùm cujusmodi sunt Privilegia sanctæ Ecclesiæ Veteris Romæ, evidenter tradit nobis scriptum illud oraculum ab Apostolis æquali Sancto Constantino M. ad S. Sylvestrum eo tempore Papam Romanum emissum, quod in hunc habet modum: cum omnibus satrapis nostris &c.* His eâdem ætate accesserunt Ivo Carnotensis, & Gratianus, qui Constantini Edictum suis Decretis insertum voluêre.

(f) Hincmar. Epist. a. 887. apud Schelstrate in Antiq. ill. P. 2. D. 3. c. 7.

(g) Epist. Leon. n. 13.

(h) Petr. Damiani in Discept. Synod. inter Henrici R. adv. & R. E. defens.

(i) Gothefr. P. 5. Chron. c. 2.

(k) In exposit. Nomocan. Photii ad c. 1. tit. 8.

3. Virorum tam insignium authoritas multos ad credulitatem citiùs inclinavit; Verùm nobis Edicti farraginem penitiùs inspicientibus non una ratio, eáque pergravis occurrit, cur id nec à Constantino edictum, sed à recentiore ingenio confictum, congestúmque dicamus. Ac *Primò* quicunque Decretum obiter percurrit, EX STYLI BARBARIE facilè dignoscet, partum hunc non à sæculo IV, sed IX. prognatum fuisse: id enim voces illæ primis Constantini temporibus ignotæ, scilicet *Imperialis, Pragmatica Constitutio, Satrapæ, Banda &c.* (l) satis confirmant. Præterea CHRONOTAXEOS leges author Edicti ita perturbat, ut se hospitem, peregrinúmque in Constantini ætate sæpiùs ostendat. Atque ut cætera dissimulemus; subscriptio diem tertiam Kalendas Aprilis designat

(l) Natalis Alexander Dissert. 25. ad sæc. IV. Artic. I.

gnat Conſtantino IV. & Gallicano IV. CC.: verùm legenti Faſtos Conſulares obſcùrum eſſe nequit; Gallicanum, cùm quarto fungeretur Conſulatu, non Conſtantinum, ſed Symmachum Collegam habuiſſe: è diverſo Conſtantinus IV. Conſul Licinium Conſortem Conſulatûs duntaxat ſibi accenſuit anno Æ. C. CCCXV., quo tempore fatentibus etiam Adverſariis Imperator Baptiſmi aquas necdum ſuſceperat; ut quid igitur in Edicti Proœmio hoc Privilegium à quarta die Baptiſmi collatum commemoratur? Accedit, quod de urbe Conſtantinopolitana, de ejuſdem urbis Patriarchatu, de corona aurea Imperatorum, de Equis Phaleratis Clericorum fiat mentio, quæ ſingula quantùm ab Conſtantini ævo abhorreant, quis non videt? certè Byzantium nomen à Conſtantino poſt annum CCCXXX, nec antè accepit, & Patriarchæ Conſtantinopolitani ante concilium Chalcedonenſe vix ullum eſt veſtigium: utì autem corona aurea Romanis exoſa, nec niſi duobus poſt Conſtantinum ſæculis inſigne Imperatorum eſſe cœpit; ita à more Clericorum utique illo ſæculo alienum fuit, Pompâ exteriore & inſolito faſtu Gentilium oculos offendere (m).

Cenſura Critica Edicti Conſtantiniani, quâ probatur illud eſſe ſuppoſititium.

(m) Vide Schelſtrat. Differt. III. c. 7. Antiq. illuſtr. P. II. & Natal. Alexand. l. c.

4. Quàm facile eſt ex his Edicti velut ſuppoſitii partûs lineamenta dignoſcere, tam promptum quoque nunc erit nobis firmamenta refellere, quibus Adverſarii nituntur: ad *Primum* itaque. ℞. Actis Sylveſtri nos majorem, non dare fidem, quàm quæ Edicto â nobis data eſt, ſcilicet nullam. Tot quippe fabulas (de quibus in Reflexione VIII. plura dicemus) mendoſus ille Cento complectitur; ut Pagius miretur (n), Baronium ad hæc Acta vindicanda inanem operam afferre voluiſſe. Et quamvis vetuſtatis quædam ſpecies Edicto conciliaretur; meminiſſe tamen debemus illius, *quod & antiqua Inſtrumenta ſæpe falſa ſint* (o). Ad *Secundum* ℞. Adrianum Pontificem minimè ſuffragari Donationi per Edictum expreſſæ; hic enim, ut ait Natalis Alexander (p), in Capitulis Angilramero Epiſcopo Metenſi datis, quæ ex antiquis Canonibus Græcis, ac Romanis, nec non ex decretis Principum collegit, cùm Romanæ Eccleſiæ Privilegia ac jura ſtabiliat frequentiſſimè; ne verbum quidem habet de Conſtantini Donatione: quare Adriani I. verba mitiore ſenſu accipienda: ſcilicet, quod beneficentiâ Conſtantini Romanæ Eccleſiæ jura quædam etiam temporanea, & civilia obrigerint; non tamen talis, tàmque ampla in Heſperias partes poteſtas, qualem Petrus de Marca ex iis verbis Hadriani exſculpſit, & cujuſmodi facultatem aut Dominatum nunquam Pontifices poſſedêre. Neque plus roboris addit collectio Iſidori Mercatoris; cùm enim is Epiſtolas Pſeudepigraphas Pontificum ſuppoſuerit, uti alibi oſtenſum eſt (q), mirari nemo poterit; ſi & hìc ejus merces fide Hiſtoricorum indignas judicemus. Et quamvis in *ſæculo nono* Hincmarus credulitate nimiâ abreptus, Iſidoróque plus æquo confiſus in epiſtolis ſuis hanc Donationem jactitet (r); fuit tamen eodem ævo Vir celebrior, nimirum

(n) Pag. Part. 2. Crit. p. 58.

(o) C. 1. & 2. de fide Inſtrum.

(p) Nat. Alex. l. c. art. 2.

Argumenta Adverſariorum ſolvuntur.

(q) Tom. I. Hiſtor. Univ. à p. 344. ad pag. 349.

(r) Hincmar. Ep. 3. c. 13.

mirum Nicolaus I. Pontifex, qui dum ad Michaelem Græcorum Imperatorem perſcriberet, ea, quæ ad Majeſtatem Sedis Apoſtolicæ Romani Imperatoris contuliſſent, hujus Edicti nec ullum oculis ſubjicit veſtigium. Ad *quartum.* ℞. Si ſæculo decimo certa fuit hæc Edicti formula, cur Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, qui ſub ſequentis ſæculi initium Canones collegit, hanc Conſtantinianam Donationem ſuo volumini non inſeruit? cur Henricus I. Imperator eodem tempore ſcripſit, *ſe concedere B. Petro Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus Pippinus, Dominus Carolus, & D. Ludovicus, & Otto, & itidem Otto filius ejus B. Petro Apoſtolo, per Donationis paginam contulerunt* (s). Præterea Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus (qui Toleti obiit anno 973.) Donationis iſtius teſtis nequaquam appellari poteſt; cùm enim is ab Ottone I. ad Nicephorum Phocam Imperatorem Græcorum mitteretur; recenſitis Conſtantini M. in Eccleſiam beneficiis, nihil mentionis de famoſa hac Donatione (de qua agimus) fecit. *Ad quintum* ℞. Leonis IX. Epiſtola id duntaxat evincit, quod Pontifex opinionem ab Iſidoro jactatam, & à quibusdam Petro Damiani ac Anſelmo Lucenſi Epiſcopo receptam in rem ſuam tunc vertere voluerit: profectò Gregorius VII. (qui eodem in ſæculo undecimo paulò poſt ſtrenuus Defenſor jurium Eccleſiaſticorum extitit) non diſſimulâſſet hanc Donationis amplitudinem, ſi quam firmitatem jactato Conſtantini Edicto ineſſe crediſſet. Equidem in ſæculo XII. denuò viri fuêre, qui pro Donatione Conſtantiniana verba facerent: ſed illi aliorum in ſententias conceſſiſſe potiùs, quàm veſtigatis Antiquitatis monumentis de ſuo ſenſu talia protuliſſe dicendi ſunt. Ivoni Carnotenſi (t), Ottoni Friſingenſi (u), aliiſque, qui hanc opinionem transſcripſerunt, fidem tribuimus circa ea, quæ ſuâ ætate viderunt, non quæ ab aliis excogitata, calamo ſuo ulteriùs propagârunt. In his enim ſemper ſubintelligendum putamus illud Senecæ (x). *Sit fides penes Authorem*: Atque ut de Balſamone, & Gratiano ſpecialiùs loquamur; ille Græcus, & Pontificum honoribus invidens cum cæteris Orientalibus multa commentus eſt, teſte Baronio, qui vel ideo hanc ſuſpicionem ſuam ſuis Annalibus inſerere auſus eſt, à Græcis potiſſimùm Edictum Conſtantinianum fabricatum eſſe eo conſilio, ut Romanæ Eccleſiæ Principatum ab Imperatoribus, non à Chriſto conſtitutum probarent; Edicto enim hæc verba comprehenduntur: *Decernentes ſancimus, ut Principatum teneat* (Romana Eccleſia) *tam ſuper quatuor ſedes Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in univerſo orbe terrarum Eccleſias Dei.* De Gratiano porrò illud affirmare liceat, ejus collectitio Decreto à nullo Pontificum plus unquam authoritatis acceſſiſſe, quàm quæ fontibus, unde ſcripta deſumpſit, aſſeritur: cùm autem id Edictum nec ex authore gravi hauſerit, quis ſuas, aut Mercatoris

(s) Vid. Baron. T. XI. Ann. ad a. 1014.

(t) Decret. P. 5. c. 49.

(u) L. 3. chron. c. 3.

(x) Senec. l. 4. Natur. quæſt. c. 3.

toris Isidori fabulas proponenti adstruere fidem non reformidet. Demum hìc non omittendum, quod Paleæ suspectum nomen toti Edicto inscriptum, suspicionem nonnullis moveat, nequidem Gratianum aliquid ejusmodi suæ collectioni unquam inseruisse; nam cùm Cardinalis Cusanus doceat Paleas esse additiones post collectionem Gratiani appositas; facilè hunc ipsum Gratianum sequentibus verbis excusat: *Absque dubio*, inquit, *si non fuisset illud Dictamen apocryphum; Gratianus in vetustis codicibus & Canonum collectionibus invenisset, & quia non invenit, non posuit, unde qui postea addidit, pro palea ita illam confictam scripturam posuit; sicut multa alia inveniuntur ex apocrypho libris nostris inscripti.*

Quo tempore Edictum Constantini editum sit?

5. Ex Cusano etsi concludi possit, alium à Gratiano & posteriorem eodem fuisse, qui Decreto Edictum hoc ingesserit; nolumus tamen hæc dicta ita intelligi, quasi ultimâ modo ætate commentum istud in orbem exîerit: Nam teste Petro de Marca vetus illud monumentum Caroli Calvi tempora saltem antecedit (y). Quo autem tempore & quo authore hic Partus primò lucem aspexerit, non una omnium est opinio. Sunt qui cum Baronio existiment, Græcorum maligno studio Edictum hoc prodiisse in orbem, & si fides est Binnio; post millesimum Christi annum: post quod tempus à Balsamone promulgatum affirmant eo fine, ut Primatum Ecclesiæ Romanæ Constantino Imperatori homini Laico acceptum Græci referant, & Patriarchatum Constantinopolitanum à graviore jam ætate erectum commonstrent. *Verùm* Philippus Labbeus falsum id esse ait, cùm longè ante tempore Balsamonis sive annum 1194. Donationem integram, aut saltem ejus maximam partem suis operibus intexuerit Isidorus Mercator, Leo IX, Damianus, Ivo, Gratianus: & quoniam Imperatores Græci Romanæ urbis Principatum, Exarchatum Ravennæ, aliásque Provincias sibi tam frequenter restitui postulârunt; quis credet Græcorum studio factum esse, ut Occidentalis Imperii spes, hâc ratione Orientis Imperatoribus penitus abscinderetur? Præterea non Schismaticum Græcum, sed Catholicum planè simplici ingenio partum ejusmodi protulisse conjicias ex eo, quod Primatum Pontificis à Christo institutum extollat hisce verbis: *Quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est; justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem ... Justum quippe est, ut ibi Lex Sancta caput teneat Principatûs, ubi Sanctarum Legum institutor Salvator noster B. Petrum Apostolum obtinere præcepit cathedram; ubi & Crucis patibulum sustinens beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri & Domini imitator apparuit.*

(y) Petrus de Marca l. 6. c. 6. §. 6.

An sit Græcorum studio excogitatum?

An author hujus Edicti sit Joannes Diaconus?

6. Alii commenti hujus authorem faciunt Joannem Diaconum, nixi Diplomate Ottonis III., in quo ita legitur: *Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quibus Joannes Diaconus, cognòmento digitorum mutilus, præceptum*

ceptum aureis literis scripsit sub titulo M. Constantini, longa mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt quendam Carolum S. Petro nostra publica tribuisse (z). Hoc Diploma etsi Baronius suppositum dicat (a); Joannes tamen Morinus id ut genuinum vindicat probante id de Marca (b): quare nunc ultrà inquirendum, quis ille Joannes edicti scriptor fuerit? an Joannes Diaconus, qui vitam Gregorii M. concinnavit (c)? An verò Joannes Cardinalis, ut vult Baronius, qui à Joanne XII. abscissis duobus digitis, naso, & linguâ deformatus, vixit circa annum 883.? sed quisquis fuerit, nulli eorum Edicti compositio tribui potest, præsertim cùm ab Adriano I. & Isidoro Mercatore circa annum 775. Donationis literæ jam in medium adductæ sint.

(z) Marquard. Freherus apud Schelstrate Antiq. illust. P. 2. Differt. III. c. 7.

(a) Baron. Tom. XII. Annal.

(b) Petrus de Marca l. 3. c. 12. §. 1.

(c) Marq. in notis ad Dipl.

An Edictum hoc suppositum sit à Pontificibus?

7. Acriore censurâ digni illi sunt, qui Edictum illud à Romanorum Pontificum industriâ suppositum scribere præsumpserunt: cùm enim circa annum 767. oppressa esset à Græcis Romana Ecclesia, & petierint eodem tempore Imperatores Orientis per Legatos à Pipino Regiones Italiæ; clypeum hunc Græcis (suadente Pipino) arte quâdam objectum fuisse commemorant. Quis verò credat, Pipino aut Pontificibus alia jus suum tuendi media defuisse; nisi ad fabulas confugerent? meritò igitur Schelstrate Petri de Marca audaciùs opinantis judicium corrigit, dum ait: „ Potuit tunc (quando nimirum anno 767. Cæsares Orientis Exarchatum Ravennatensem repetebant) aliquis fidelium piâ industriâ conficere laudatum sub nomine Constantini Edictum, & ex variis quoque antiquiorum monumentis vera supposititiis adjungere, illúdque hoc modo confectum Pipino & Paulo II. offerre, ac statim admissum ab Hadriano I. in authoritatem receptum esse, uti & ab Isiodoro Mercatore suæ collectioni insertum: sic enim & salvatur sedis Apostolicæ authoritas, quæ nihil unquam effingere solet: & retinetur, quod de Marca prætendit ex variis temporum circumstantiis, idipsum tempore Pauli Papæ II. fuisse confectum, prout quoque stylus & scribendi character indicat.„ Ex eodem styli squalore postremùm Natalis Alexander decernit, Edictum illud opus esse Isidori Mercatoris; cùm enim is multa alia supposuerit eodem ferè charactere conscripta; non multum à tempore viri, neque ab ejus ingenio abludit; si hic quoque partus eidem tribuatur: & licet in re tam incerta multi cum Dupinio suspendere hìc judicium malint; id tamen affirmare audemus, eum, qui Edictum supposuit, in centone suo minùs circumspectum fuisse; qui dum prodesse voluit, nocuit, etiam ideo declinandus quòd, dum dare aliquid simulabat; decipiendi voluntatem, nequaquam autem artem habuerit.

8. Postquàm Donationis Edictum crisi congruâ perstrinximus; altera nunc Pars examinanda restat: utrum scilicet eâdem falsitate Donationem ipsam condemnare conveniat? Quisque enim facilè intelligit, quod

quod ſepoſito omni diplomate, utì in aliisRegnorum, Provinciarúmque poſſeſſionibus, ita huic quoque Donationi ab aliis titulis ſua tribui firmitas valeat. Nec deſunt, qui hoc modo literis Conſtantini abolitis, ſequente argumentorum vi Donationem adhuc ſalvam velint. I. Divinæ ajunt Providentiæ conſilio factum eſſe, ut urbs Imperii in propriam Regalis Sacerdotii cathedram mutaretur, ut ſic B. Petri ſedes in proprio jam ſolio collocata, libertate plenâ in ſuis agendis per omnia potiretur; nec ulli ſubeſſet homini, quæ ore divino cunctis dignoſcitur eſſe prælata (d). Decet enim, Romani Pontificis, ùt Chriſti Vicarii, & cui totius Eccleſiæ ſuæ curam, regiménque commiſit, liberam eſſe authoritatem, judicia libera, ut nullus ipſum ſæcularis poteſtatis metus exterreat, ad poteſtatem ſuam in omnes liberè exercendam; quare etiam ex tot Auguſtis Imperatoribus, qui Romani Imperii nomine tam in Oriente quàm Occidente tantoperè gloriabantur, videmus ab illo die nec unum ferè in urbe Roma, velut in ſtabili ſede Imperii ſui ſubſtitiſſe; verùm aut Conſtantinopoli, aut Mediolani, aut Ravennæ, aut in alia Galliarum urbe habitâſſe: Romam verò velut penè peregrinos, honoris causâ interdum inviſiſſe (e). II. Si Pontifices à Conſtantini ætate exercuerint ſemper Romæ in Imperii Occidentalis ſede, jura quædam Regalia ac Majeſtatica, nemo ab illo tempore negabit, iisdem Pontificibus fuiſſe ſupremum & à Conſtantino conceſſum dominatum; niſi, quis ab exercitio jurium continuo & præcipuè Regalium Politicæ poteſtatis titulum avellere velit. Ut autem videas, quâ ratione Eccleſiæ Antiſtites ſeſe Romæ geſſerint; *primò* toti erant (ut Principes regionum decet) in conſervanda pace & concordia publica: id quippe ab Sigonio accepimus (f), ab ævo *Conſtantini* usque ad ſæculum ſextum, Romani Pontificis officium fuiſſe, incumbere *ad fidem Catholicam tuendam; ad Plebis Romanæ inopiam ſublevandam; & ad pacem, concordiámque publicam conſervandam.* Præterea teſte eodem Authore tantâ *authoritate*, opibúsque *quas Chriſtiani Principes, initio à Conſtantino facto, reliquiſſent*, Eccleſia Romana pollebat, augebatúrque adeò *opimis agrorum, fundorúmque poſſeſſionibus, & quæ per omnes ferme Europæ, Africæque Provincias diſperſæ, Patrimonia Romanæ Eccleſiæ dicta ſunt, ut Roma unâ Pontificis latè omnibus Eccleſiis Imperantis ſede* ſplendorem nominis Veterem tueretur. Unde Socrates querebatur, Epiſcopatum Romanum non aliter, ac Alexandrinum ad ſæcularem Principatum fuiſſe delapſum. III. Cæleſtini I. tanta poteſtas fuit ſub ſæculi VI. initium, ut Novatianis eripere potuerit Eccleſias (g). Demum tempore Gregorii Magni Roma nonniſi ſpeciali Protectione S. Petri, ſingulari Pontificum Romanorum curâ & vigilantiâ, facultatibus ac viribus Apoſtolicæ ſedis nitebatur; ita enim Gregorius teſtatur, in hæc verba ſcribens (h): *Uno tempore Epiſcoporum & populi curam gerere, contra hoſtium inſidias ſollicitè vigi-*

An ſubſtantia Donationis Edicto expreſſa falſitatis argui valeat?

(d) C. fundamenta de Elect. in 6.

Argumenta idem probantia, afferuntur.

(e) Nicolaus Sanderus de viſibili Monarchia l. 7. n. 90

(f) Sigonius de regno Italiæ l. 1. p. 3.

(g) Thomaſs. de Vet. & N. Eccleſ. Diſcipl. Tom. l. 1. l. 1. c. 26.

(h) Gregor. l. 4. Ep. 34. & 35.

vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias ſuſpectum ſemper exiſtere, cujus laboris ſit, veſtra fraternitas tantò veriùs penſet, quantò me, qui hæc patior, puriùs amat. Accedit, quod idem Gregorius cum Longobardorum Rege pacem inierit, quin Imperatoris aut Exarchi ſenſa exſpectaret. *Si Exarchus pacem cum Agilulpho generalem pro Italia facere noluerit, nobiscum quidem pacem ſpecialem Agilulphus facere repromittit* (i). Ex quibus omnibus niſi politicam Pontificibus poteſtatem, ac Dominatum urbis Romanæ colligas, in meridie te cæcutire neceſſe eſt.

(i) Idem Ep. 29. & 31. & l. 7. Ep. 1.

Sententia noſtra ſtabilitur.

9. Sunt equidem hæc monumenta, quæ arguere videntur temporariam Pontificum, quæ poſtea eis adjecta eſt, poteſtatem; ſed argumenta ejuſmodi nobis ita perſpicua non ſunt, ut Donationem Conſtantini & ab eodem Imperatore profectam veroſimilem reddant. In comperto enim eſt, quod cùm Imperii Romani Provinciæ ex ultimis Conſtantini tabulis tribus potiſſimùm filiis dividendæ relinquerentur; Conſtanti Italia unà cum Romana urbe tributa ſit. Quâ ratione autem Conſtantinus earum regionum Dominium transferre in filium potuiſſet, quas jam diu Pontifici abdicâſſet? Ac ne Dominium dependens, ac ſubordinatum Papæ duntaxat adſcriptum effingas; id porrò commonſtrandum eſt, quod aliquot ſæculis poſt Conſtantini tempora nulla Pontificum in urbem, Italiámque poteſtas politica extiterit. Regnante Conſtantio Romæ Leontius Præfectus Imperatoris nomine rem gerebat, qui Liberium Pontificem ex mandato Principis Mediolanum deduxit, inde in exilium, quia Athanaſium damnare nolebat, deducendum (k). Nomine Valentiniani Maximus præfecturam urbis geſsêre & Prætextatus, quorum hic jubente Principe Urſicinum Antipapam Româ expulit (l). Symmachus ſub Honorio Romanam curabat rempublicam; gliſcente enim inter Bonifacium & Eulalium ſchiſmate, idem ad Imperatorem ſcripſit (m): ſe monuiſſe Honorium, *ne quis quietem urbis veſtræ tentaret turbare.* Et Bonifacius cùm ſubinde Româ expulſus, poſtea ab Honorio reſtitueretur; Romam dicebat Imperialem urbem, dum ait (n): *vobis*, inquit Eccleſia, *glorioſè Imperantibus crevit meus, qui modo tuus eſt populus, tam fidus Deo, quam tibi* (Honorio), *qui es Chriſtianus Princeps ... precamur, ut in urbe manſuetudinis veſtræ hoc animo, quo poſtulatis noſtris annuitis, in perpetuum ſtatum Eccleſiæ conſulatis.* In ſæculo quinto (o) Odoacer Herulorum, & Theodoricus Gothorum reges non minorem poteſtatem in urbem arrogarunt, deſignando ibidem judices, de publicis ædificiis ac mœnibus inſtaurandis decernendo (p) poſtremùm vindicatâ per Juſtinianum Italiâ Exarchi, Ducéſque Romani ſupremum exercuerunt Dominatum, adeò quidem, ut & ad jura ſacra, ſuum ampliare conarentur Imperium; quare cùm confirmarentur Pontifices, ab Exarchis aut Græcis Cæſaribus: ſive cùm ii intereſſent electionibus, aut Cathedraticum in modum tributi exige-

(k) Athanaſ. in Epiſt. ad Solit. Theodoret. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 16. & 17.

(l) Rufinus l. 2. c. 10.

(m) Baron. ad a. 418.

(n) Baron. T. V. ad a. 419. n. 40. & 41.

(o) Lib 2. Epiſt. 62. ad Maurit. Imp.

(p) Natal. Alexander Differt. 25. ſæc. IV.

exigerent; Gregorius meritò questus est, quod Ecclesia velut filia Sion facta esset sub tributo, amisissétque juris sacri libertatem: nunquam autem de eo querelas obmovisse auditus est, quod Roma, quódque Provinciæ à Constantino donatæ alieno nunc Imperio regerentur, aut possessionibus Ecclesiæ subtraherentur.

An nullas Provincias possederint Pontifices ante Carolingensium tempora?

10. Atque hæc postquàm ex sensu Natalis Alexandri, Pagii, aliorúmque Historicorum protulimus; cum his tamen porrò in temporum serie ad ipsos Francorum Reges usque pergere nolumus. Persuasum quippe nobis est, Pontifices ante Pipini tempora multas possedisse Provincias, quæ subinde hostili manu ereptæ, ac Carolingensium beneficio restitutæ; donatæ tamen primò ab his minimè dici possunt. Circa annum 564. Apostolica Sedes *in Italia possidebat Patrimonium Alpium Cottiarum, Thusciæ, Sabinense, Bruttiæ, Lucaniæ, & Siciliæ, eáque per Præfectum (Rectorem Patrimonii appellatum) illuc à Pontifice missum gubernabantur* (q). *Rotharis Longobardorum Rex* anno 639. in has terras involans *Pontificem opulento, quod ibi antiquitus possidebat, Patrimonio exuit* (r). Restituit verò Aripertus anno 704. teste Paulo Diacono, qui ait: *Hoc tempore Aripertus Rex Longobardorum donationem Patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxit* (s). Luitprandus Rex equidem vectigalibus consulendum volens, Alpes Cottias repetierat (t); sed admonitione Gregorii II., vel increpatione perculsus restitutionem ab Ariperto factam confirmavit (u). Qui cùm deinde mutato consilio quatuor urbes Ducatûs Romani invasisset; à Zacharia ad restitutionem compulsus est teste Anastasio Bibliothecario, qui ait: Luitprandus *quatuor civitates redonavit in Oratorio Salvatoris intra Basilicam S. Petri. Nam & Sabinense Patrimonium, quod per annos ferè triginta fuerat ablatum, atque Narniense, & Auximanum, atque Anconitanum, nec non &c. per donationis titulum ipso B. Petro Apostolorum Principi reconcessit* (x). Idem Author de Pipino jurejurando testatum facit, quo is se obstrinxerat, *se* Stephano II., *ut illi placitum fuerit, Exarchatum Ravennæ & Reipublicæ jura seu loca redditurum modis omnibus.* Quibus testimoniis satìs amplis cumuli loco accedit Epistola, quam Hadrianus I. ad Constantinum & Irenem perscripsit (y), ubi ait: *Carolum M. tam Provincias, quàm civitates, seu castra & cætera territoria, imò & Patrimonia, quæ à perfidâ Longobardorum gente detinebantur, brachio forti, Dei Ecclesiæ restituisse, cujus & jure esse dignoscebantur.*

(q) Sigonius de regno Italiæ l. 1. p. & 4.

(r) Idem.

(s) Paulus Diacon. l. 5. de gest. Longob. c. 28.

(t) Sigonius l. 3 ad a. 713.

(u) Paulus Diacon. l. 6. c. 43.

(x) Anastas. Biblioth. apud Baron.

(y) Hadriani I. Epist. ad Constant. & Iren. A. 785. apud Labbeum Tom. IV. CC. p. 96.

Solutio Argumentorum.

11. Ex his igitur licèt manifestum sit, ante Carolingensium Ævum Pontificibus Politicum Dominatum unà cum possessionibus Provinciarum obtigisse; hoc tamen, quantumcunque est, à Constantini concessione indultum aut donatum esse, ex causis suprà allegatis diffitemur: quæ ut porrò

porrò lucem accipiant, ad Adversariorum firmamenta ex ordine respondemus. Ac *Primò* ratio illa adducta, cur Constantinus Româ relictâ in Oriente sibi sedem fixerit, adeò non probatur, ut ex coævis Scriptoribus aliæ planè causæ ostendantur. Zosimus ait (z): *Cùm dies quidam more patrio festus appetiisset, quo in Capitolium exercitui ascendendum erat; eum ascensum contumeliosis verbis imprudenter insectans* (Constantinus) *re divinâ proculcatâ, Senatûs atque populi odium incurrit: cúmque præfatas ab omnibus, propè dixerim, execrationes haud ferret; urbem quandam Romæ æmulam quærebat, in qua palatium ipse sibi conderet.* Si Eutropio fides est (a): *Primus urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romæ æmulam faceret.* Verronius in eam inclinat sententiam (b), quòd Constantinus sedem Imperii ex Italia in Græciam transtulerit, ut Persarum potentiæ commodiùs iretur obviam, nutantíque Orientis Imperio promptiùs & faciliùs subveniretur. Demum Tillemontius (c) ita rem definivit, Romam illam novam veteri oppositam nec Ecclesiæ, nec Imperio profuisse; nam huic commodum aliud non tulit, quàm quòd per aliquot adhuc sæcula nomen Romanorum in Oriente ita servaretur; ut tamen Occidentis exitium hâc ratione simul acceleraretur. Quod Ecclesiam concernit, illud dici potest, quòd magnitudo Constantinopolis verè unitatem Ecclesiæ funesto schismate diviserit: credit itaque prædictus Author, quòd Diocletianus Constantino quodam exemplo præiverit, cùm eâ de causâ is Romam desereret, ne Senatûs amplissima authoritas (quâ Romæ Optimates valebant) Cæsareæ dignitati umbram offunderet, & limites potestati Imperatoris poneret. Nam certum est, Constantinum per 20. annos, quibus imperaverat, Romæ nonnisi per brevia intervalla stationem habuisse. Atque ut has rationes dissimulemus; in confesso apud omnes est, quòd Constantinus Româ cesserit: sed quòd eam alteri concesserit, unde liquet? locum, non dominium mutavit: sederat is per tempus in regia urbe Nicomediensi, unde quoque ad novam urbem transtulit curiam: dicesne ideo Episcopo Nicomediensi datam fuisse hujus Metropolis jam à Principe desertæ politicam potestatem. Imò quàm parùm Clemens V. cùm Avenionem discederet, ibíque pro successoribus per longam satis periodum figeret sedem, Romanæ urbis dominatum abdicâsse censendus est; propterea quòd Præfectum urbis illic haberet, qui suo nomine Rempublicam administraret. Ita Constantino Româ discedenti dominium abrogandum non est, eoquòd Viros præfecturâ insignes Constantini successores æquè Romæ ac Nicomediæ, Alexandriæ, aliísque Metropolibus imponeret. Ad *secundum* ℞. Si Pontifices Romæ pacem mediis spiritualibus conservârunt, fecit & id S. Ambrosius Mediolani, imò ad hanc inter Valentinianum Juniorem & Maximum restituendam non unâ legatione functus est; quin tamen Ambrosio Regalium aut politicæ rei usus tribui queat. At Pon-

(z) Zosimus l. 2. p. 686.

(a) Eutrop. l. 10. c. 34.

(b) Verron. l. 7.

(c) Tillemont. in V. Constantini Artic. 64.

Pontifices valebant opibus & facultatibus? an nil ejusmodi detulit Ecclesiis Orientalibus? imò ex decursu superiùs adductæ Historiæ patuit, Constantinum in Oriente liberaliùs delubrorum prædia & bona Episcopis ac Ecclesiis donâsse. Itaque utì in Asia, & Ægypto nullus Præsulum, quantumcunque opibus auctus, territoriali dominatu valebat; ita nec summo Pontifici aliquid hujus potestatis esse primò concessum, statuminari poterit. De Alexandrini Præsulis Principatu quod ex Socrate allatum est, minimè nobis adversatur; quamvis enim Alexandriæ Episcopi ad modum sacrorum Principum authoritate eminente Ecclesiastica jura tuerentur; neminem tamen ex iis fuisse, ausis dicere, qui in civilem administrationem (à Præfectis Imperatorum geri solitam) falcem immitteret, nisi fortè cùm causæ mixtæ agitarentur: id igitur si de Romanis Pontificibus quoque statueris, à nobis non dissenties. Ad *tertium* ℞. Tempore Longobardorum utique cepisse quendam, eúmque civilem Pontificum Principatum. Nam cùm urbes & Provinciæ anteà ad Imperatores Græcos pertinuissent; hi subinde toto Oriente divisi, & hæresi nefariâ laborantes Occidentem vel medios inter hostes desertum neglexêre. Ex quo factum, ut populus sibi relictus apud Papam perfugium quæreret, nec directionem paternam Italis omni subsidio destitutis Pontifex negavit; quare plurimi solatio eo recreati Pontificiæ potestati etiam suas res temporarias subjiciendas putavere; præsertim cùm Orientales Cæsares, quos frustra toties contra Longobardos implorâssent, suâ negligentiâ abdicâsse Provincias, & juri suo reliquisse censerentur: sic de Spoletani Ducatûs populis Anastasius refert, quòd diuturnâ Longobardorum sævitiâ fatigati, Hadriano I. dediderunt se, & fidei sacramento facto, ejus provoluti pedibus obnixè deprecati sunt, ut eos in servitio B. Petri, sanctæque Romanæ Ecclesiæ susciperet. Accedit, quòd cùm Imperatores Italiam jam penè sibi ereptam, & in complures Duces & Longobardos divisam omni ope destituerent; Pontifices jure curaverint, ne ea porrò à Ducibus & Longobardis occuparentur, quæ ipsi, ùt membra præcipua Reipublicæ Romanæ tantis impendiis & periculis jam defendissent. Atque hoc modo veluti per gradus (ubi infrà in sæculo VIII. pluribus monstrabitur) Provinciarum totarum Dominatus Pontificibus accessit, qui ex una duntaxat donatione M. Constantini ab aliis perperam dicitur profluxisse.

Quâ ratione Pontifice Dominatums Politicum acceperint?

REFLEXIO VII. ad Cap. I. §. 1. num. 21. p. 30.

De origine Urbis Constantinopolitanæ.

1. DUm in Primordia urbis Byzantinæ inquirimus; nobis animus non est cum Codino in Argivorum fabulas, quas ipse refert, penetra-

trare (a): sufficit tot commentorum loco hìc annotâsse, quòd urbs illa vetus in extremis Thraciæ finibus posita sit super montem in mare projectum, qui claudit Bosphori aditum. A situ æquè, ac à fertili agro commendari posset, nisi naves, quæ ex Archipelago veniunt, difficulter, & non alio, quàm Austro flante adpellerentur (b). Opibus, munimentísque tam valida urbs subinde evasit, ut à Severo Imperatore tertio duntaxat anno expugnata, & anno Æ. C. 190. destructa fuerit: qui Cæsar proinde incolas jure pristino exutos Heracleæ submisit; æstu tamen iræ defervescente civitas è ruinis restaurata, & ab eodem Severo magnam partem adeò aucta est; ut Constantinus posteà in sæculo quarto sedem hìc figere decerneret (c). " Positurus idem Imperator fundamenta juxta formam, quam designaverat, ipse pedibus circumivit, comitantibus eum proceribus suis: qui, ubi usque in forum perventum fuit, monuêre, ut illic pomærio finem statueret. Ille verò respondit: nonnisi ubi is, qui me præcedit ductor constiterit, finem faciam. Videbat nimirum solus Angelum præeuntem: progressus igitur pedibus cum toto senatu usque ad Exocionium, vidit ibi Angelum, defixâ in terram romphæâ stationis indicium facere; quare ipse quoque ibi substitit, & finem pomærio statuit. „ Hucusque Codinus (d).

(a) Codin. de orig. Constantinop. p. 1. 2. 3. 4.

Byzantinæ urbis situs.

(b) Eunap. in exc.

(c) Zosim. l. 2. p. 686.

Pomæria ejusdem urbis amplificata.

(d) Codinus de Orig. Constant. edict. Paris. p. 39.

2. Eodem tempore, quo mœnibus urbs cingebatur; intra muros ingens ædificiorum numerus parabatur: præter curias, quas Constantinus senatui ædificabat (e); Regiam condidit, Romanâ non multò minorem, itidem Hippodromum ad omnem elegantiam perpolivit (f), his addidit, fontes circósque, in quibus Numinum simulachra mutila videbantur, non ut honoribus placarentur, sed ut lapidea deinceps ornamenta ædificiis forent. Recentiores Græci plura commemorant de columna ex Porphyrite composita; in cujus fastigio statua Constantini eminebat cum inscriptione, quâ Imperator urbem Jesu Christo devovebat; & quoniam recepta apud omnes istius ætatis opinio erat, columnæ à Constantino S. Crucis particulam insertam; huc confluebat populus cum cereis, aliísque pietatis exercitiis ac signis, non ut statuam Cæsaris, sed Crucem colerent (g). Ædificia, quorum complura erexerat, donavit iis, quos partim ex Provinciis, partim ex urbe Romana acciverat (h). Operæ pretium erit hìc examinare illud, quod Græci pro suo ingenio finxerunt, & Codinus suo calamo evulgavit (i). " Cùm vellet Constantinus Magnus urbem suam maximè à Romanis habitari, annulos præstantissimi cujusque viri occultè accepit, & misit ipsos contra Persarum Regem Saporem: videlicet quatuor Magistros: Adam, Protasium, Scolymbrum, Philoxenum, & octo Patricios, Probum, Domninum, Darium, Rhodanum, Maurum, Sallustium &c.... cum magno exercitu in Persidem misit, ubi sexdecim menses commorati sunt. Interea Constantinus M. missis Romam

(e) Idem p. 8.

(f) Zosim. l. 2. p. 687.

Quæ decora, & incrementa Byzantio adjecerit Constantinus?

(g) Socrat. l. 1. c. 17.

(h) Sozom. l. 2. c. 3.

(i) Codin. de Or. Const. p. 10. ed. Paris.

Fabula quædam ex Codino Græco recitatur.

mam legatis, eorum uxores, liberos & familias accersivit. Misit etiam Architectos, ut domos eorum, & cujusvis locum, sitúmque, sive in ora maritima sive continenti; tum formam structuræ, earúmque gradus, & scalas observarent. Adsumptis igitur familiis Senatorum, Byzantium redierunt, ibíque singula simili modo ædificia exstruxerunt, eorúmque familiis dederunt inhabitanda. Cùm itaque acceptis sexaginta quinque centenariis tributi, ex Perside Victores rediissent, Imperator eos convivio excepit, & dixit illis tentandi causâ: Numquid abituri estis Romam? illi responderunt, se intra duos menses nondum eò reversuros. Tum Imperator: Vesperi, inquit, dabo vobis ædes vestras. Jusserat enim Euphrati accubitori suo, qui & Constantinum M. Christianum fecerat, ut unicuique suas ædes restitueret. Ut igitur viderunt, portas, atria, gradus, mensuram & formam, altitudinem & prospectum fenestrarum Romanis similes, putabant se per somnium esse Romæ: cùm verò & familias suas invenirent, obstupescebant: ubi verò eas interrogârunt, & uti res gesta esset, intellexerant; tum demum crediderunt, non esse phantasticam, verùm prudentiam Imperatoris, qui hoc pacto invitos, & nolentes ibi habitare coëgisset. „ Tillemontius meritò veritatem hujus historiæ in dubium vocat, tum quòd barbara ferè nomina & Romanis ex parte ignota hìc Ducibus tribuantur, tum quòd bellum nullum intra hoc tempus Persis intentabatur, quibus tamen hi Romani obmovisse exercitum, armáque dicuntur.

Quid de fabella hac censendum ?

3. Constantinus ubi Constantinopolim urbem suam tot ædificiis ornâsset; populum propositis variis favoribus ad eandem incolendam permovit (k): in eam itaque multitudinem accrevit urbis frequentia, ut adducta ex Syria, Ægypto, ac Ponto frumenta populo indies dispensari necesse foret: singulis diebus octoginta millia modiorum erogata fuisse constat (l); atque ut institores lucri spes ad urbem magìs alliceret, commerciorum leges amplas Cæsar scripsit. Inter tot curas, quibus alendis vivis prospexit, non minima videri poterat, quâ & mortuorum funera curavit. Hunc in finem cœtum instituit ex 950. viris, quos aliis tributis exemptos Ecclesiæ Cathedrali adsignabat: *Decanorum* ac *Lecticariorum* nomine dictos esse varia monumenta perhibent (m), qui subinde à Constantio *Copiatæ* (n), & *Collegiati* compellabantur, eoquòd ex variis conventibus & collegiis consociati (o) humandis mortuorum corporibus Constantinopoli operam darent.

Providentia Constantini circa cives Byzantinos.

4. Quemadmodum verò Roma ista nova urbium aliarum spoliis, opibúsque ditabatur (p); ita Ecclesiarum splendore ac numero illustrata est. Socrates duas præcipuas fuisse ait (q): illam scilicet, quæ à Diva Irene vel à Concordia, & altera, quæ ab Apostolis compellata est. Prima tamdiu Cathedralis Ecclesiæ loco erat, dum Constantius aliam ædificaret,

(k) Themist. or. 3.

(l) Socrat. l. 2. c. 13.

(m) Novell. Inst. 43. & 59

(n) Pagi 357 §. 13. Baron. 336. §. 76.

(o) L. Un. C. de Colleg.

(p) Hieron. Chron.

(q) Socrates l. 1. c. 16.

Præcipuæ Basilicæ urbis Constantinopolitanæ.

quæ S. Sophiæ nomen habuit. Secunda Apostolorum Ecclesia prope palatium constructa est in modum Crucis, cujus tectum laminæ ex ære inauratæ decorabant: in hoc magnifico templo Imperatores, & Episcopi urbis posteà tumulati sunt. Præter has Ecclesias alia à Codino Oratoria & Martyria enumerantur, quæ tum intra, tum extra urbem Constantinus erexit; cùm enim res Christiana, quotidie magnis incrementis augeretur; intra paucorum templorum angustias innumerabilis multitudo comprehendi nequibat, cujus testimonium illud esto, quod Imperator Eusebio perscripsit (r): „ Visum est id significare prudentiæ tuæ, ut quinquaginta Codices divinarum Scripturarum, quarum apparatum, & usum maximè necessarium Ecclesiæ intelligis, in membranis probè apparatis ab artificibus antiquariis venustè scribendi peritissimis describi facias, qui & legi facilè, & ad omnem usum circumferri possint. „ Petierat autem Scripturæ exempla quinquaginta, ut inde colligas populi & Ecclesiarum numerum quotidie auctum fuisse; quibus panoplia hæc sacra parari debuerat.

(r) Euseb. vit. Const. l. 3. c. 48. l. 4. c. 36.

(s) Theophan. p. 17.

(t) Pagi ad a. 329. §. 16.

Quo anno novæ urbis Primordia cœperint?

5. Ex testimonio Theophanis, Constantinopolis fundamenta ad annum 325. jacta dicuntur (s): nec dissentit Pagius, qui primordia urbis ad Vicennaliâ Constantini rejicit (t). Verùm quia Nicæna Synodus tunc satìs Imperatorem distraxerat: & cùm Zosimus confirmet a. 326. Constantinum cogitâsse de transferenda sede: Aurelius etiam Victor asserat, post mortem Crispi, & seditionem Caloceri extinctam; suspicari nequidem licet Constantinum, ùt benè asserit Tillemontius (u), urbis initia ulla ante 328. suscepta fuisse; cui etiam adstipulatur Chronicon Alexandrinum, quod Petavius primò, dein etiam Gothodefredus & du Cangius secuti sunt; imò Tillemont. ad 329. illa auspicia differre non veretur, quibus tamen immorari consultum non ducimus.

(u) Tillemont. Not. 60. ad Vit. Constantini.

Dedicatio urbis quando facta sit?

(x) Du Cang. de Const. l. 1. p. 27.

(y) Baron. ad a. 330. 4.

Nomen novum & jura urbis.

6. Undecimâ Maji A. 330, anno vigesimo quinto Constantini dedicatio urbis (x) publico ritu Deo ac patrocinio B. V. consecrata est (y): Solennitas quadraginta diebus protrahebatur, quod tempus largitione in populum factâ, Circensibus ludis, tum etiam imperato forensium causarum otio Imperator celebrandum duxit. Ex Nùmismatis hoc anno 330. procusis constat, per hos dies Byzantio à Constantino urbis fundatore nomen accessisse (z); quod ne posteris excideret, columnæ ex solido lapide inscriptum & omnium oculis propositum est (a). Præterea Romæ veteri hanc civitatem æquaturus Cæsar, eandem pari formâ in 14. regiones divisam iisdem ferè privilegiis donavit (b), totum Orientem ad Danubium usque eidem subjectum voluit (c); nam constitutus ibidem Senatus, Proconsulésque, qui iisdem (quibus Romæ) juribus gauderent: dein Præfectus Prætorio Orientis hìc sedem suam figere jussus est (d). Imperatores, qui Constantino successerant, omnino Principis vota impleverunt, quando eâdem

(z) Codin. p. 25

(a) Socrat. l. 1. c. 16.

(b) Cod. Theod. 16. t. 2. l. 45.

(c) Sozom. l. 2. c. 3.

(d) Cangius de Const. l. 1.

eâdem in urbe Auguſtum Solium erexêre (e), ubi primùm impietas Ethnicorum contuſa eſt, deſtructa delubra, & Majeſtas Eccleſiæ Chriſtianæ majore in pompa apparuit.

(e) Sozom. l. 2. c. 3. p. 445.

7. Ut verò Ichnographiam Conſtantinopolitanæ urbis habeas, hic eandem ſubjicere placuit, quæ olim ab authore Vetuſto Regnantibus Arcadio & Honorio concinnata eſt (f).

(f) Apud Labbeum in volum. Pariſiis edito 1651.

Regio Prima, continet in ſe Domum Placidiæ Auguſtæ Domum nobiliſſimæ Marinæ. Thermas Arcadianas. Vicos ſive Angiportus viginti novem. Domos centum decem & octo. Porticus perpetuas duas. Balneas privatas quindecim. Piſtrina publica quatuor. Piſtrina privata quindecim. Gradus quatuor. Curatorem unum, qui totius regionis ſollicitudinem gerat. Vernaculum unum, velut ſervum in omnibus & internuntium regionis. Collegiatos viginti quinque, qui è diverſis corporibus ordinati, incendiorum ſolent caſibus ſubvenire. Vicomagiſtros quinque, quibus per noctem tuendæ urbis cura mandata eſt.

Regio Secunda, ab initio Theatri minoris per æqualitatem ſui latenter molli ſubleuata clivo, mox ad mare præcipitiis abrupta deſcendit. Continet in ſe, Eccleſiam magnam. Eccleſiam antiquam. Senatum. Tribunal purpureis gradibus extructum. Thermas Zeuxippi. Theatrum. Amphitheatrum. Vicos ſive Angiportus triginta quatuor. Balneas privatas tredecim. Piſtrina privata quatuor. Gradus quatuor. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta quinque. Vicomagiſtros quinque.

Regio Tertia, plana quidem in ſuperiore parte, utpote in ea Circi ſpatio largiùs explicato, ſed ab ejus extrema parte nimis prono clivo, mare usque deſcendit. Continet in ſe eundem Circum maximum. Domum Pulcheriæ Auguſtæ. Portum novum. Porticum ſemirotundam: quæ ex ſimilitudine fabricæ ſigma Græco vocabulo nuncupatur. Tribunal Fori Conſtantini. Vicos ſeptem. Domos nonaginta quatuor. Porticus magnas quinque. Balneas privatas undecim. Piſtrina privata novem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos viginti unum. Vicomagiſtros quinque.

Regio Quarta, à Miliario aureo collibus dexterâ lævâque ſurgentibus, ad planitiem usque valle ducente perducitur. Continet in ſe idem Miliarium aureum. Auguſteum. Baſilicam. Nymphæum. Porticum Fanionis, Liburnam marmoream, navalis Victoriæ monumentum. Eccleſiam ſive Martyrium ſancti Mennæ. Stadium. Scalam Timaſii. Vicos triginta duos. Domus trecentas ſeptuaginta quinque. Porticus magnas quatuor. Balneas privatas ſeptem. Piſtrina privata quinque. Gradus

dus ſeptem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos quadraginta. Vicomagiſtros quinque.

Regionis Quintæ non modica pars, in obliquioribus poſita locis, planitie excipiente producitur, in qua neceſſaria civitatis ædificia continentur. Continet in ſe Thermas Honorianas. Ciſternam Theodoſianam. Prytaneum. Thermas Eudocianas. Strategium, in quo eſt Forum Theodoſiacum, & Obeliſcus Thebæus quadrus. Horrea holearia. Nymphæum. Horrea Troadenſia. Horrea Valentiniana. Horrea Conſtantiaca. Portum habet prosforianum. Scalam Chalcedonenſem. Vicos viginti tres. Domos centum octoginta quatuor. Porticus magnas ſeptem. Balneas privatas undecim. Piſtrina publica ſeptem. Piſtrina privata duo. Gradus novem. Macellos duos. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos quadraginta. Vicomagiſtros quinque.

Regio Sexta, brevi peracta planitie, reliqua in devexo conſiſtit: à foro namque Conſtantini, Scalam usque ſive trajectum Sycænum, porrigitur ſpatiis ſuis. Continet in ſe, Columnam purpuream Conſtantini. Senatum ejusdem loci. Neorium portum. Scalam Sycænam. Vicos viginti duos. Domos quadringentas octoginta quatuor. Porticum magnam unam. Balneas privatas novem. Piſtrinum publicum unum. Piſtrina privata decem & ſeptem. Gradus decem & ſeptem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos quadraginta novem. Vicomagiſtros quinque.

Regio Septima, in comparationem ſuperioris planior, quamvis & ipſa circa lateris ſui extremitatem habeatur in mare declivior. Hæc à parte dextera Columnæ Conſtantini usque ad Forum Theodoſii, continuis extenſa portibus, & de latere aliis quoque pari ratione porrectis, usque ad mare velut ſeipſam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in ſe Eccleſias tres, hoc eſt, Irenen, Anaſtaſiam, & S. Pauli. Columnam Theodoſii, intrinſecus usque ad ſummitatem gradibus perviam. Equites magnos duos. Partem ejusdem Fori Thermas Caroſianas. Vicos octoginta quinque. Domus ſeptingentas undecim. Porticus magnas ſex. Balneas privatas undecim. Piſtrina privata duodecim. Gradus ſedecim. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos octoginta. Vicomagiſtros quinque.

Regio octava, ex parte Tauri, nulli maris vicinitate contermina, anguſtior magis quàm lata, ſpatia ſua in longitudinem producta compenſat. Continet in ſe partem Fori Conſtantini. Porticum ſiniſtram Taurum usque. Baſilicam Theodoſianam. Capitolium Vicos viginti & unum. Domos centum octo. Porticus majores quinque. Balneas privatas decem. Piſtrina privata quinque. Gradus quinque. Macellos duos

duos. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos ſeptemdecim. Vicomagiſtros quinque.

Regio Nona, prona omnis, & in notum deflexa, extenſi maris litoribus terminatur. Continet in ſe Eccleſias duas. Cœnopolim, & Homonœam. Horrea Alexandrina. Domum Nobiliſſimæ Arcadiæ. Thermas Anaſtaſianas. Horreum Theodoſianum. Vicos ſedecim. Domos centum ſedecim. Porticus majores duas. Balneas privatas quindecim. Piſtrina privata quindecim. Piſtrina publica quatuor. Gradus quatuor. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta octo. Vicomagiſtros ſex.

Regio Decima, in aliud civitatis latus à nona regione plateâ magnâ velut fluvio interveniente dividitur. Eſt verò tractu planior: nec usquam præter maritima loca inæqualis, longitudini ejus latitudine non cedente. Continet in ſe Eccleſiam ſive Martyrium ſancti Acacii. Thermas Conſtantinianas. Domum Auguſtæ Placidiæ. Domum Auguſtæ Eudociæ. Domum Nobiliſſimæ Arcadiæ. Nymphæum majus. Vicos viginti. Domus ſexcentas triginta ſex. Porticus majores ſex. Balneas privatas viginti duas. Piſtrina publica duo. Piſtrina privata ſedecim. Gradus duodecim. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos nonaginta. Vicomagiſtros quinque.

Regio Undecima, ſpatio diffuſa liberiore, nullâ parte mari ſociata eſt. Verùm ejus extenſio tam plana, quam etiam collibus inæqualis. Continet in ſe Martyrium Apoſtolorum. Palatium Faccilianum. Domum Auguſtæ Pulcheriæ. Bouem æreum. Ciſternam Arcadiacam. Ciſternam Modeſtiacam. Vicos octo. Domos quingentas tres. Porticus majores quatuor. Balneas privatas quatuordecim. Piſtrinum publicum unum. Piſtrina privata tria. Gradus ſeptem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta ſeptem. Vicomagiſtros quinque.

Regio duodecima, Portam à civitate petentibus in longum plana omnis conſiſtit, ſed latere ſiniſtro mollioribus clivis deducta, maris confinio terminatur; quam mœnium ſublimior decorat ornatus. Continet in ſe portam auream. Porticus Troadenſes. Forum Theodoſiacum. Columnam itidem intra ſe gradibus perviam. Monetam. Portum Theodoſiacum. Vicos undecim. Domos trecentas ſexaginta tres. Porticus majores tres. Balneas privatas quinque. Piſtrina privata quinque. Gradus novem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos decem & ſeptem. Vicomagiſtros quinque.

Tertiadecima Regio, Sycæna eſt, quæ ſinu maris anguſto diviſa, ſocietatem Urbis navigiis frequentibus promeretur: tota lateri montis affixa, præter unius plateæ tractum, quam ſubjacentium eidem monti littorum tantùm præſtat æqualitas. Continet in ſe Eccleſiam. Thermas Ho-

Honorianas. Forum Honorianum. Theatrum. Navalia. Domos quadringentas triginta unam. Balneas privatas quinque. Pistrinum publicum unum. Pistrina privata quatuor. Gradus octo. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta quatuor. Vicomagistros quinque.

Regio XIV. sanè licet in urbis *quartadecima* numeretur parte: tamen quia spacio interjecto divisum est muro proprio vallatum; alterius quodammodo speciem civitatis ostendit. Est verò progressis à porta modicum, situ planum, dextero autem latere in clivum surgente usque ad medium ferè plateæ spacium, nimis pronum: unde mare usque mediocris, quæ civitatis continet partem, explicatur æqualitas. Continet in se Ecclesiam. Palatium. Nymphæum. Thermas. Theatrum. Lusorium. Pontem sublicium sive ligneum. Vicos undecim. Domos centum sexaginta septem. Porticus majores duas. Balneas privatas quinque. Pistrinum publicum unum. Pistrinum privatum unum. Gradus quinque.

Collectio civitatis. Cognitâ urbe per partes, fas est etiam situm conclusæ jam Universitatis aperire, ut magnificentiæ unicum decus non solùm videatur opere & manu confectum, sed etiam conspirantibus elementis, naturæ felicitate munitum. Providentiâ ergo divinâ tot futurorum hominum domiciliis consulente, longo tractu in promontorii qualitatem spatiosior terra faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine, circumflui maris tutelâ vallatur. Hoc quoque spacium quod solum apertum maris circulus derelinquit, duplici muro acies turrium extensa custodit: intra quas septa civitas continet in se omnia singillatim memorata, quæ nunc ad firmioris memoriæ qualitatem summatim collecta referemus. Habet ergo urbs Constantinopolitana, Palatia quinque. Ecclesias quatuordecim. Domos divinas Augustarum sex. Domos nobilissimas tres. Thermas octo. Basilicas duas. Fora quatuor. Senatus duos. Horrea quinque. Theatra duo. Lusoria duo. Portus quatuor. Circum unum. Cisternas quatuor. Nymphea quatuor. Vicos trecentos viginti duos. Domus quatuor millia trecentas octoginta octo. Porticus quinquaginta duas. Balneas priuatas centum quinquaginta tres. Pistrina publica viginti. Pistrina privata centum viginti. Gradus centum decem & septem. Macellos quinque. Curatores tredecim. Vernaculos quatuordecim. Collegiatos quingentos sexaginta. Vicomagistros sexaginta quinque. Columnam purpuream. Columnas intra se pervias duas. Colossum unum. Tetrapylum aureum unum. Augusteum. Capitolium. Monetam. Scalas maritimas tres. Habet sanè longitudo urbis, à porta aurea usque ad littus maris directâ lineâ, pedum quatuordecim millia septuaginta quinque. Latitudo autem pedum sex millia, centum quinquaginta.

RE-

REFLEXIO VIII. ad §. 1. num. 25. pag. 35.

De Baptiſmo Conſtantini Imperatoris.

1. QUo tempore ad Baptiſmum tranſierit Conſtantinus? quæſtio eſt, quæ complures, eóſque longè graviſſimos Authores in diverſa partium ſtudia dudum pertraxit. PRIMA SENTENTIA illorum eſt, qui jam laborioſiùs contendunt, ut Primum Chriſtianum Imperatorem non in Græcia, ſed Romæ: non ab Heterodoxo Euſebio Nicomedienſi, ſed à Sylveſtro Pontifice: non in ultima vitæ periodo, ſed longè antè, ſcilicet circa annum Chriſti CCCXXIV. baptizatum eſſe oſtendant. Firmamenta opinionis (quæ inconcuſſa, & nî traditionum vim, veterúmque authoritatem infringere velis, recipienda exiſtimant) hiſce ferè capitibus complectuntur. I. Poſtquàm Criſpum, ejúſque novercam Fauſtam, Conſtantinus ſuſtuliſſet (a); circa annum 324. inde compunctus Imperator, ad expiationem ſceleris Baptiſmi aquam quæſivit: *Ad flamines proinde accedens, admiſſorum luſtrationem poſcebat. Illis reſpondentibus non eſſe traditum luſtrationis modum, qui tam fœda piacula eluere poſſit: Ægyptius quidam ex Hiſpania Romam delatus* (Hoſium Cordubenſem Epiſcopum intelligit) *Palatiníſque mulierculis familiaris factus, & ad Conſtantini colloquium admiſſus, ſententiam doctrinæ Chriſtianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum confirmavit; & idipſum adeò polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios mox omni delicto liberari. Eam orationem, cùm non gravatè Conſtantinus accepiſſet; ac patrata miſſa faceret; perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem ſuſpectam haberet* &c. (b). II. Zoſimi Ethnici Scriptoris dicta ne fidem minùs inveniant; ex Actis S. Sylveſtri paris argumenti momenta afferuntur (c): " Cùm audis horruiſſe Conſtantinum fundere innocentem ſanguinem; puta ipſum ob anteactæ vitæ crimina, & dilatum imprimis baptiſma, à Deo leprâ percuſſum, anxiúmque de remedio, doctum ab Aruſpicibus, in uno infantum ſanguine medicinam eſſe: Principem verò, tam atrox facinus deteſtatum, naturâ illum ad pietatem inclinante remedio abſtinuiſſe. „ Ex quibus porrò Actis Hadrianus Papa ad Orientis Imperatores ſcribens hæc refert (d): *Ex eo, quo Chriſti Dei noſtri Eccleſiæ, tempore quietis & pacis apertæ ſunt fores; hactenúſque depictæ Eccleſiæ imaginibus ſunt ornatæ: Beato atque Sanctiſſimo Papâ Sylveſtro teſtante. In ipſis enim exordiis Chriſtianorum, cùm ad fidem converteretur pius Imperator Conſtantinus, ſic legitur: Tranſactâ die, nocturno Regi facto ſilentio ſomni tempus advenit: & ecce adſunt SS. Apoſtoli Petrus & Paulus dicentes: Quoniam flagitiis tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti; miſſi ſumus à Chriſto Jeſu Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergo noſtra monita,*

(a) Zoſim. l. 2. p. 685. Euſeb. in Chron. a. 329

Argumenta eorum proponuntur, qui ſtatuunt Conſtantinum Romæ à Sylveſtro eſſe Baptizatum.

(b) Zoſim. l. 2. l. c.

(c) Acta Sylveſtri.

(d) Concil. Nicæn. II. Act. 1.

nita, & fac omnia, quæ indicabimus tibi. Sylvester Episcopus civitatis Romæ ad montem Soractem persecutiones tuas fugiens, in cavernis Petrarum, cum suis Clericis latebras fovet: hunc cùm ad te adduxeris; ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertiò merserit, omnis te valetudo deseret lepræ &c. Exurgens itaque è somno statim convocat eos, qui observabant palatium; & secundùm tenorem somni sui misit ad montem Soractem; ubi S. Sylvester cum suis Clericis receptus, lectionibus & ordinibus insistebat.... Quem cùm Rex alacri animo, & vultu placidissimo suscepisset; omnia illi, quæ facta sunt, quæ dicta sunt, quæ etiam revelata sunt, secundum textum superiùs comprehensum exposuit. Post finem verò narrationis suæ percunctabatur: Qui essent Dii, Petrus & Paulus, qui illum visitârunt, ob causam salutis suæ, & ejus latebras detexissent? Sylvester respondit: Hi quidem Dii non sunt, sed idonei servi Christi, & Apostoli electi ab eo, & missi ad imitationem Gentium, ut credentes salutem consequantur..... Tunc S. Sylvester misso Diacono, imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit; quam Imperator aspiciens, ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat; nec debere jam differre Spiritum S., ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat. III. Eusebius Scriptor vitæ Constantini, Constantinum sæpe vocat servum, Sacerdotum conservum, Deo charum, divino ejus afflatum Spiritu, universo pietatis genere eximium (e), Dei nomen amplexum (f), & demum addit omnia vitæ officia eum piè, religioséque obiisse (g); nam doctrinam Christi universis prædicavit: Synodo Nicænæ interfuit, superstitiosos ritus confutans, vero Deo templa erexit (h), ac *sacrorum mysteriorum particeps Pontificis atque Hierophantæ munere functus*, & in Paschæ vigiliis *cum cæteris* fidelibus *pernoctavit* (i). Quæ omnia de eo, qui sacris undis necdum ablutus est, vix dici posse videntur; quâ ratione enim Catechumenus in medio Ecclesiæ se cæterorum communioni permisceret, cùm statutum sit (k): *Catechumenus, si ingrediatur Ecclesiam, in ordinem eorum, qui instruuntur, assistat.* Sed clariora sunt adhuc, quæ alibi Eusebius adducit (l): *Hic Imperator virtute tam eximius, ex Dei sapientia mortali hominum generi donatus fuit, tanquam res quædam peregrina, quæ homines in admirationem traduceret. Hic enim Christum Dei libero ore ac sermone in omnes divulgavit, neque salutarem illam appellationem, QUAM OBTINUERAT, erubuit; sed ipsâ professione gloriatus, se in luce & omnium oculis collocavit, atque interdum vultum salutari illâ passionis signavit notâ.* Jam dic sodes, quænam erat illa salutaris appellatio, *quam obtinuerat*, & quam non erubescebat Imperator? quænam professio, quâ gloriatus est? responde Christianam appellationem & fidei in baptismo professionem fuisse. IV. A vetustis Historicorum paginis ad ipsa monumenta, quæ ad posterorum memoriam fixa sunt, convertimur: extat adhuc locus ille, quem orbis totus Constantini BAPTISTERIUM vocat, de quo Anastasius Bibliothecarius sæculi

(e) Euseb. l. 2. c. 19.
(f) Idem l. 2. c. 55.
(g) Idem in laud. Constantini.
(h) L. 4. c. 22. & 57.
(i) L. 1. de Vit. Const. c. 32.
(k) Concil. Neocæsar. c. 5.
(l) Euseb. l. 3. c. 2.

sæculi noni Scriptor (m) ait: *Fecit fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus ex lapide Porphyretico & ex omni parte coopertum intrinſecus & foris, & deſuper, & quantum aqua continet, ex argento puriſſimo, libras tria millia & octo. In medio fontis columna Porphyretica, quæ portat Phialam ex auro puriſſimo, penſantem libras quinquaginta, ubi ardent balſami libræ ducentæ, annexum ex ſtupa amianti. In labro fontis agnum ex auro puriſſimo, fundentem aquam penſantem libras triginta. Ad dexteram agni Salvatorem ex argento puriſſimo, in pedibus quinque penſantem libras centum ſeptuaginta. In læva agni B. Joannem Baptiſtam ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet: Ecce Agnus Dei: Ecce, qui tollit peccata mundi, penſantem libras centum. Cervos ex argento ſeptem, fundentes aquam penſantem libras octoginta. Thymiaterium ex auro puriſſimo, penſans libras decem cum gemmis praſinis, & hyacinthinis, undique numero gemmæ quadraginta duæ.* V. Poſtquam metalla & lapides Baptiſmum Conſtantini clamârunt (ut Reginaldi Poli phraſi utamur) ſua quoque ſuffragia, vocéſque ſequentium ſæculorum ſcriptores his adjiciunt; nam Gregorius Turonenſis (n) de Clodovæo Rege Franciæ ait: *procedit novus Conſtantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordentéſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus.* Utì Conſtantini ad Baptiſmum aſpirantis cauſam eloquitur Gregorius; ita de eo, qui Imperatori aquas impertiit, Nicolaus I. teſtatur, dum *S. Sylveſtrum Conſtantini M. Baptizatorem vocat* (o): cui idem encomium Eccleſia tum in Breviario (p) tum in Martyrologio tribuere videtur.

2. Altera ſententia Recentiorum complurium, & ferè trecentorum authorum eſt (q); qui, dum Conſtantinum ſub finem vitæ Nicomediæ ſacramento Baptiſmi regeneratum docent, hiſce argumentis ſuam opinionem ſatis ſtabilitam exiſtimant. I. Euſebius Cæſarienſis, cujus obſcuras quasdam & ancipites voces pro ſe allegârunt Adverſarii, clariùs pro hac ſententia ita enunciat (r): *Principio quidem inæqualis corporis intemperies; poſthæc morbus eum invaſit. Itaque ad aquas calidas civitatis ſuæ progreſſus, inde Helenopolim delatus eſt: ibique in templo Martyrum diu commoratus, ſupplicationes, & preces obtulit Deo. Cùmque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret; tempus tandem adeſſe exiſtimavit, quo totius vitæ delicta expiaret, firmiſſimè credens, quæcunque humanitus peccaviſſet, arcanorum verborum efficaciâ, & ſalutari lavacro penitus eſſe delenda. Hæc cùm apud ſe reputâſſet, genu flexo humi procumbens, veniam à Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in ipſo Martyrio, quo in loco* MANUUM IMPOSITIONEM CUM SOLEMNI PRECATIONE *primùm meruit accipere.* Ex quo ritu initiandis Catechumenis proprio (s) quid aliud conjicias, quàm Conſtantinum per manûs impoſitionem ab Epiſcopo factam Catechumenorum ordini tum adlectum fuiſſe? pergit Euſebius: *Hinc ad ſuburba-*

(m) Anaſt. Biblioth. 10. 1. Conc. in Sylveſtro.

(n) Gregor. Tur. Hiſtor. l. 3. c. 31.

(o) Nicol. I. Epiſt. ad Michaelem Imp. Græcorum.

(p) Breviar. Roman. ad 31. Dec. in Lectionibus II. Nocturn.

(q) Janningus S. J. in Apolog.

(r) Euſeb. l. 4. de vita Conſtantin. c. 61. & 62.

Sententia altera probatur, quæ docet, Conſtantinum ſub finem vitæ eſſe baptizatum.

(s) Concil. Illeberit. can. 39. Arelatens I. can. 6.

urbana Nicomediæ digressus, convocatis Episcopis sic ad eos verba fecit: Hoc erat tempus, quod jamdudum sperabam, cùm incredibili cupiditate arderem, votísque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Jam tempus est, ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus: tempus est, ut salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optimè novit ea, quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio; nam siquidem Deus vitæ, mortísque arbiter hìc me diutius vitam agere voluerit, ídque semel decretum est, ut in posterum unà cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo, quæ sint Deo dignæ. Hæc cum dixisset; illi solemni ritu divinas ceremonias peregerunt, injunctísque ei, quæcunque necessaria erant, sacrorum Mysteriorum eum participem fecerunt. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt, Imperatoribus, Constantinus in Christi Martyriis renatus, & consummatus est; & divino donatus signaculo, exultavit spiritu, renovatúsque est, ac divinâ luce repletus.
Ac ne de Eusebii coævi scriptoris fide dubitare possis; Papebrochius aptissimè ad rem nostram arguit (t): Hieronymus Eusebio ob defensionem, quam pro Origene susceperat, non parum infensus, hoc nihilominus de Eusebii Historia tulit judicium; nullam ejus partem unquam vel minimo verbo suggillandam: & postquam opuscula ejusdem complura latino idiomate donâsset, de viro tandem ita proloquitur (u): *Quis inveniri possit eo prudentior, doctior, eloquentior?* Cui encomio subscripsit Gelasius II, dum Eusebii *libros*, ait, *propter singularem notitiam, quæ ad instructionem pertinent usquequaque non esse renuendos* (x). Næ igitur is prorsus nodum in scirpo quæreret, qui in tanto Ecclesiasticæ Historiæ parente fidem, veritatémque desideraret, præsertim cùm alius Gelasius Cyzicenus huncipsum *Ecclesiastici fundi præstantissimum Aratorem, veri studiosissimum, & inter veteres Ecclesiasticæ Historiæ scriptores fide dignissimum pronuntiârit* (y).

(t) Ad 21. Maji V. c. 2. n. 11.

(u) Hieron. Epist. ad Pammachium.

(x) Epist. 2. ad Episcopos Istriæ.

(y) Gelas. Cyzic. l. 2. c. 1.

II. Neque tamen ita curta nobis suppellex est, ut unius authoris libro rem confectam velimus; Nam ecce plures Historicos veteres in medium proferimus: Socrates (z) sua sensa his verbis depromit: *Constantinus quintum & sexagesimum ætatis ingressus annum, in morbum incidit. Relictâ ergo Constantinopoli, navigio delatus est Helenopolim, ut aquis calidis, quæ juxta urbem illam sitæ sunt, uteretur. Sed cùm morbum ingravescere sensisset, lavacrum quidem distulit. Helenopoli autem abscedens, Nicomediam profectus est. Illic in suburbano degens, Christianum Baptisma suscepit.* Sozomenus (a) huic suffragatur; dum ait: Imperator cùm morbo vehementius urgeretur, Nicomediam deportatus est. *Ibi autem, cùm in suburbiis moraretur, Sacrosancto baptismatis Mysterio initiatus est.* His adjunge Theodo-

(z) Socrat. l. 1. c. 39.

(a) Sozom. Hist. Eccl. l. 3. c. 32.

retum in hæc verba ſcribentem (b): *Cùm eſſet Nicomediæ, morbo corripitur: ibi quod ſciret, quàm eſſet incerta hominum vita, donum ſuſcepit ſacri baptiſmatis. Id enim facere ad illud usque tempus diſtulerat; quia in Jordane fluvio ſe conſecuturum ſperaverat.* III. Sed quoniam iſtis quoque Hiſtoricis labem quandoque affricare libet; veritatis hujus vadimonium præſtant SS. Patres, inter quos S. Hieronymus (c) ait: *extremo vitæ ſuæ tempore Baptizatus*; cui adſtipulatur S. Ambroſius ita diſſerens (d): *Conſtantino in ultimis conſtituto Baptiſmatis gratiam peccata omnia dimiſiſſe.* Atque ut cæteros omittam; unum Athanaſium cumuli loco adducemus, qui Patrum multorum Synodi Ariminenſis ſenſa hunc in modum refert (e): *Cùm ſciamus etiam Conſtantinum, poſt mortem quoque memoriâ dignum, conſcriptam cum omni diligentia, deliberationéque fidem expoſuiſſe, atque adeò abſurdum fore, poſtquàm ille migraturus baptizatus eſt, & ad debitam ſibi requiem tranſiit, innovare quidpiam.* Ex quibus nunc tandem conficitur, in hac quæſtione, quæ meri facti eſt, teſtimonia coævorum, aliorúmque gravium authorum plus evincere, quam rationes eas, quæ non contra factum, ſed contra facti condecentiam pugnare videntur.

(b) Theodoret. Hiſt. l. 1. c. 32.

(c) Hieron. in Chron. ad a. 337.

(d) Ambroſ. in Orat. funebri Theod. Magni.

(e) In L. de Synodis ex octo Cod. MSS. apud Papebroch. l. c.

Argumenta Prioris ſententiæ ſolvuntur.

3. Argumenta Adverſariorum diſſolvere proinde non tam ardui operis erit; nam *primum* ex iis, quæ adducta ſunt, ex hac una duntaxat ratione corruet, quòd id omne à Zoſimo Ethnico, & malevolentiſſimo Maſtyge Conſtantini confictum ſit: nam Criſpus poſt Concilium Nicænum modò interiit (f), ob cujus cædem Conſtantinus anno Imperii ſui decimo nono (ſive ante Concilium celebratum) jam luſtrationem petiiſſe dicitur. Prætereà Gentilibus obſcurum eſſe non poterat, Herculem Alcmenæ filium poſt cædem liberorum, & necem Iphiti, Cereris ſacris expiatum fuiſſe (g), ut quid ergo Conſtantino Popæ reſpondiſſent, Imperatori nil ex omni luſtrationum penu depromptum iri, quo Gentilium ſaltem more & ipſe quoque expiaretur? Ad II. ℞. Acta Sylveſtri inter ſuppoſitos partus meritò rejici, propterea quod fabuloſa non pauca complectatur: Quis enim credat id, quod in iis refertur, ſcilicet à Sylveſtro Romæ Synodum coactam fuiſſe, ad quam præter ſeptuaginta quinque Epiſcopos, novem ſupra centum Judæorum ſacerdotes confluxiſſent: Helenam Judaicorum rituum amantiorem Conſtantino Moſaicam religionem præ Chriſti legibus perſuaſiſſe: demum Sylveſtrum jejunio Sabbathino abrogato, Diem Dominicam inſtituiſſe; quæ quàm abſurda ſint vel ex hoc ſolo conjicias, quod jejunium idem Pontifices ſucceſſores perpetuò obſervarint: & jam ex Apocalypſi conſtet, ipſis Apoſtolorum temporibus Dominicæ Diei & uſum & nomen fuiſſe. Atque ut ad ea, quæ hìc agitantur, animum reflectamus; Aſſerunt eadem Acta Sylveſtrum metu Perſecutionis Conſtantinianæ in monte Soracte latuiſſe: eundem Conſtantinum ideo leprâ percuſſum, ut de vexatis Chriſtianis pœnas daret:

(f) Chronicon Alex. & Idacius in Faſtis.

(g) Sozom. l. 1. c. 5.

ret: & demum omisso balneo, quod ex infantum sanguine sibi parare decreverat, Baptismum christianum adhibuisse. Sed quis somniet Constantinum, qui ante tot annos præmonstratâ in cælo Cruce ad religionem Christianam vocatus fuerat, tam levi pede ad Idolomaniam resiliisse; afflixisse autem eos, quorum fidem propagare undique studuerat: vel lepram (quam habuisse fingitur) sacris undis abstersisse? profectò cùm Julianus Christianis objiceret, Baptisma neminem à lepra mundâsse; Cyrillo facile fuisset vel hac Constantini sanatione silentium imponere, quando Apostatæ criminationes confutabat (h): sed quia id exemplum non adduxit, ab ætate illa fabulam istam minimè agnitam esse; nemo non videt. *Neque dicas*, Hadrianum Acta illa Sylvestri laudâsse (i) & à Gelasio asseri eadem Acta in multis Ecclesiis esse recepta, quin censuræ illa subjiciat: imò totum Romanum Concilium sub Sylvestro celebratum a. 324. ferè eadem, de quibus Acta enuntiant, testatur. Demum si quid contineat, quod probari minùs posset, hoc per interpolationem Veteratorum nonnullorum adjunctum videri. *Verùm* laus Adriani Actis ejusmodi impensa hoc tantùm probat, quod antiqua dixerit, & asserendæ Venerationi imaginum sacrarum, de qua tunc agebatur, accommodata; unde plus inferri nequit, quàm in illis nil contineri contra Catholicam fidem (k). Neque Acta à Gelasio multum firmamenti recipient; aliud quippe nil Pontifex definiit, quàm ex eorum lectione errorem hæresis nullum aspergendum fidelibus: authentica tamen adeo non asseruit, ut potiùs illa cautelâ quâdam legenda esse moneret. Nam extra controversiam Pastori supremo erat id, quod postea Possevinus hisce verbis exposuit: „Quod fuerint primis sæculis Christiani, qui fingere, ac mentiri pro religione pium crederent, indéque multos libros, magnis Veterum nominibus insignes à se suppositos sparserint; ùt magna, hodiéque nec injusta multorum querela est.„ Infractâ ergo fabulæ firmitate frustra ad Romanum Concilium, nescio quod, confugies; uti enim umbra umbræ apposita lucis nihil addit, sic nec fictum Concilium veritatem adjiciet levis cujusdam ingenii commento; Ac ne de Concilii Romani fictione dubites, En Natalis Alexander Synodi istius viscera rimatus, sequentia deprehendit: *Primò* Prologus Concilii Photinum damnatum ibidem ait: at hic ante Sirmiense Concilium longo post tempore proscriptus est. *2dò.* Ducenti octoginta quatuor Episcopi, iique cives Romani vigente & stante adhuc Idolomaniâ ad Provincialem hunc conventum de facto duntaxat decreturi accessisse perhibentur, quin tamen Episcopatuum, quibus illi præerant, nomina adscribantur. *3tiò.* Steterunt Presbyteri post Episcopos, quæ disciplinæ istius ætatis omnino adversantur (l). Imò non tantum moribus Synodi forma, sed & decretorum ratio opponitur: habet enim Canon. 13. *Nemo, nisi velamen cæleste acceperit primùm conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatûs ordinem acce-*

(h) Cyrill. l. 17. contra Julian.

(i) Epist. 3. ad Carol. M.

(k) Natalis Alexander. Dissert. 23. sæc. IV. m. p. 302.

(l) Hieron. Ep. 89.

accedat; quasi verò conjugium iniri necesse sit ex Ecclesiæ legibus, antequam quis clericali ordini inseratur. Non dissimili ratione paradoxi sunt illi Canones: *Nullus Episcoporum Virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit 72. annorum esse constitutam; Item non damnabitur Præsul nisi in 72.: Presbyter autem, nisi in 44. testimoniis non damnabitur.* Quis enim unquam audivit sacrari Virgines maritali consortio, aut tam longævam senectutem exspectandam pro benedictione? aut quando uspiam plures, quàm duodecim Episcopi requisiti sunt ad Episcopi unius condemnationem? sive quo sæculo Christi sententia eversa est, ut in ore duorum aut trium testium adversus nocentem Presbyterum non firmum verbum staret aut testimonium? postremùm quia fatetur Baronius (m) multa Actis Sylvestri alienâ manu esse adjecta; necdum tamen Eminentissimus Cardinalis palàm facere potuit, quæ in Actis genuina potiùs, quàm quæ spuria forent. Ad III. ℞. titulos illos ab Eusebio Imperatori datos probare quidem, quod Constantinus ad Christi sacra conversus tum animo, tum exterioribus signis fidem suam testatus sit: non verò quod per Baptismum initiatus, aut solemni ritu inter Catechumenos conscriptus fuerit; unde *Mysteriorum* eorum (quæ Sacramenta dicimus) *particeps* esse non poterat; sed eorum duntaxat Arcanorum, quæ Christus ad salutem operatus est, habebat cognitionem, & fide suâ mysteria aliquâ ratione participabat; unde græcus textus habet *οἷα τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων velut aliquis, qui divinorum Mysteriorum revera particeps fieret.* Et quoniam imperio suo & exemplo id quoque egit, ut paschalis solennitatis apparatum Magnificentiùs faceret adornari; Hierophantæ nomen eatenus meruit. Neque porrò nos urget, quod cum cæteris fidelibus pernoctâsse dicatur Constantinus in Paschæ Vigiliis; nam Eusebius non addit; utrum in palatio, an in Ecclesia has preces cum cæteris fuderit. Itáque Historicus nil aliud expressisse videtur, quàm quod ibi, ubi aliàs solebat, (scilicet in palatio) noctem orando exegerit, ac vel ideo (quamvis solus precaretur) more cæterorum, & eodem tempore quasi cum cæteris (distincto tamen in loco) Deum coluisse & pernoctâsse dicatur. Verba Eusebii sunt: *Aderat jam Paschalis festi solemnitas, in qua Imperator vota Deo persolvens, unà cum cæteris pernoctavit* (n). Verùm demus etiam, Constantinum unà cum reliquo fidelium grege, & in Ecclesia quidem orationibus vacâsse, quid hoc causæ Adversariorum adjiciet? cur enim non licuisset Imperatori Christianam fidem professo subire Ecclesiam, cui interesse extra Missarum solemnia etiam Gentilibus licebat: & si S. Basilius Valentem (Hæreticum Principem) nequidem ab ara abstinuit (o): & Antiocheni Patres Constantium Catechumenum ad Dedicationem Ecclesiæ admiserunt; ecquid piaculi fuerit, si Constantinus tam integræ fidei, támque insignis pietatis Imperator (cui tot titulis obstricta erat

(m) Baron. ad a. 324.

(n) Euseb. l. 1. c. 22.

(o) Theodoret. l. 4. Hist. Eccl. c. 18.

erat Ecclesia) concessione eâ donaretur; ut orare in Ecclesiis (licèt nondum Catechumenus) posset, nec non adesse Synodis ad fidem & unitatem Ecclesiæ contra Hæreticos & Schismaticos protegendam (p). Ex quibus nunc tandem conficitur, Constantino nec *appellationem* Christiani, nec *salutarem fidem* defuisse, quam cùm aliis quoque inculcaret, Professione externâ Christianus erat, nondum tamen sacramentorum communione, aut Baptismi præsertim consecratione. Ad IV. ℞. Baptisterium Constantini dici, quòd in aliorum usum, Imperatoris ejusdem sumptibus exstructum sit: sicuti Lateranensem Basilicam Constantinianam olim dixerunt, eoquòd Principali munificentiâ surrexisset. Ad V. ℞. Gregorium Turonensem loco & tempore, ubi Constantinus Baptismum susceperit, altum silere: id verò, quod lepram sacris undis abstersam commemoret; de peccatorum lepra intellige, vel Actis Sylvestri jam confictis deceptum credito. Quod ipsum de Nicolao I. tantò magis affirmare audemus, quod & is pseudepigraphas veterum Pontificum epistolas vindicare conatus sit, quamvis hodie Criticorum quisque eas suppositas agnoscat. Id tamen, quod persuasioni communi Pontifices hinc inde aliquid dederint; eorum infallibilitati in materia fidei non obstat: Quis enim, ut cum Papebrochio loquamur (q), in Romano Pontifice, in quanticunque momenti negotio majorem exigit, distinctiorémque rerum peritiam, aut cur illi debuerunt dubitare de factis, de quibus tunc nemo ambigebat? inter talia verò erat ille Constantini Baptismus, qui ex Actis Sylvestri velut ancipiti fundamento credebatur à pluribus per Sylvestrum collatus. Atque hinc ratio nobis innotescit, cur Breviario Romano & Martyrologio similia inserta sint: quamvis enim magna subinde diligentia impensa sit, ut genuina ab Apocryphis secernerentur (r); " In tanta tamen veterum Historiarum & Apocryphorum multitudine Breviarium illud sic ordinare, ut non multa perquam incerta irreperent, & malè jam vulgatis, receptísque opinationibus quædam etiam successu temporis, communi eruditorum consensu proclamarentur falsa. Quapropter variorum Pontificum cura in id incubuit, ut ea saltem tollerentur, mutarentúrve, quæ maximè oculis occurrebant, reliquis tamdiu relictis eruditorum Disputationi, & examini; donec Apostolicæ sedi videretur iterum mutare aliquid: sicut in particularibus quibusdam casibus hoc sæculo nonnulla mutata scimus, plura mutanda credimus „ His adde observationem illam Gersonis (s), ab Ecclesia *non determinari, talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium, & in ædificationem ipsorum: dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum: quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum, quod nec oportet: nec ut tale credendum proponitur.*

(p) Natalis Alexander l. c. p. 299.

(q) Papebroch. in Conatu Hist. in Nicol.

(r) Idem in Propyl. Maji Dissert. V.

(s) Gerson. Declarat. Verit. T. I. Col. 24.

4. Con-

4. Considerati utriusque sententiæ fundamentis SCHELSTRATUS (t) novam & tertiam proponit sententiam, quâ confidit, se dissidentium partes conciliaturum. In hanc proinde rem docet I. Constantinum duplici Baptismo ablutum fuisse: scilicet Romæ à Sylvestro primùm, cùm ageret annum decimum nonum sui Imperii: dein sub vitæ finem Nicomediæ ab Eusebio Ariano; nam pro Baptismo Romano præter superiùs allata monumenta, sequentia adhuc militant: superstitioni simile videri, quod Pientissimus Princeps nullo exemplo provocatus, inter tot bellorum, casuúmque discrimina sui regenerationem, & expiationem à vitiis distulerit; dum in decrepita senectute in Jordanis flumine mergeretur, præsertim cùm id multò antè præstare licuisset, quando encœnia Hierosolymitanæ Ecclesiæ celebrabat. II. Pro altero Baptismo stat Eusebius Cæsariensis, cujus fidem utpote authoris de hæresi Ariana suspecti quantumcunque Baronius elidere conetur; mendacem tamen insignis notæ virum in Historia hac tantò minùs alii existimant, quantò certius est, Eusebium describendo res gestas, quæ in omnium memoria & ferè in oculis adhuc recentiùs versabantur, decipere haud potuisse vel voluisse; cujus lucrum aliud non tulisset, quàm ut Prudentiæ ac Doctrinæ, quâ pollebat, famam tam enormi mendacio profligaret. Non negandum tamen putat Schelstratus, ab Eusebio malâ fide dissimulari non modò primum baptismum, sed & prætermissas esse secundi Baptismi circumstantias. III. unde Hieronymus eas ita supplet (u): *Constantinus* (ait idem S. Doctor) *extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat, à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius orbis est secuta discordia.* Silentio obvolverat itaque Eusebius, quinam Constantinum baptizâsset, aítque per Baptismum in fine vitæ à peccatis liberatum & de cœlesti gratiâ gavisum; at Hieronymus Arianum Baptizatorem indicat, & Constantinum refert, hoc Baptismo in deteriora esse prolapsum, declinando in Arianum dogma. Et quodnam illud? reponit Author, tale fuisse, quod in Baptismo consistebat: *Baptizatus* vel ut alii cum Mariano Scoto legunt (x), *Rebaptizatus ad dogma Arianum declinat*: Arianos autem rebaptizâsse ex Augustino intelligimus dicentes: *Ab Arianis rebaptizari Catholicos, novimus; utrum & non Catholicos, nescio* (y). Et quid ni Eusebius Arianus, qui è nutu Constantinum cæteris in rebus versabat, hunc Baptismum secundum (Arianorum more suscipiendum) Imperatori persuaserit: certe hujus vestigium apud Carolum M. extat (z): *Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cujus initium beatum, quem Antiphrasium cognominâstis, benignè suadetis. Hoc etiam divinâ miserante gratiâ præcavere satago: non ab illo tantummodò, sed etiam ab omnibus, qui aliud rectæ fidei contrarium docere videntur; assiduâque devotione dominum deposco .... ne me alicujus verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens à via veritatis*

(t) Schelstr. Antiquit. illustr. P. II. Differt. 3. c. 6. à p. 471. ad p. 476.

Tertia sententia affertur Schelstrati, quâ is priores duas sententias conciliare conatur.

(u) Hieron. in supplemento Chronic. Euseb.

(x) Marian. Scotus in Chronic.

(y) August. lib. de Hæresibus c. 48.

(z) Carol. M. in Epist. allata à Concil. Francof. a. 774.

tis avertat. Pronum igitur colligere est, Carolum M. agnovisse, quod Constantinus alicujus verbosâ adulatione scilicet Eusebii Nicomediensis, in fine deceptus sit circa aliquid fidei contrarium, scilicet circa baptismum iteratò suscipiendum.

Sententia Schelstrati rejicitur.

5. Displicet meritò multis iste modus conciliandi sententias ex duplici capite. *Primò*, quòd Constantino sanctissimè mortuo piaculum ac verè sacrilegium impingat; ut quid enim ad facinus ejusmodi se induci permisisset, qui nec latum unguem à decretis Nicænis se per amicissimos etiam dimoveri passus est? aut quâ ratione Eusebius Nicomediensis id vel proponere Principi ausus fuisset, qui unà cum cæteris Arianis ab Ecclesia externâ professione necdum recesserat, & Constantini fidem se sectari mentiebatur? *Secundò* Historiæ illius temporis adversatur omnino, quòd Ariani regnantibus Constantino & Constantio rebaptizârint; nam neque Nicæni Patres Canonem ullum hâc de re ediderunt, neque S. Athanasius, nec S. Hilarius, nec S. Epiphanius hoc inter errores eorum recensent. S. Augustinus primus est, qui illis hoc exprobrat: teste igitur Victore Vitensi error ille modò cœpit tempore Vandalicæ persecutionis; & quomodo induci se passus esset Constantinus ad alterius Baptismi susceptionem, cujus Principis authoritate paulò ante Donatistæ rebaptizantes fuerant compressi?

Ejus Argumenta solvuntur.

6. Restat igitur, ut argumenta novæ istius sententiæ diluamus, ad I. ℞. Superstitioni minimè tribui posse, quod ex pio in Baptismum Christi voto conceptum est: nempe ut Constantinus ad exemplum Servatoris in Jordane, quem hic contactu corporis sacraverat, ablueretur; neque hoc alienum erat ab isto sæculo, quo Catechumeni ad has aquas pietatis causâ affluebant (a). Cæterùm cùm de facto Historico inquiritur, non quando res fieri debuerit, aut cujus jussu eveniant, sciscitamur; sed quid reipsâ actum sit, ex authoritate coævorum perpendimus: profectò dilati Baptismi exempla sufficientia eadem ætas tulit; nam & Valentinianus adhuc Catechumenus obiit, & Constantius multos regni annos in Catechumenorum ordine exegit. His adde Nectarium, Ambrosium, Augustinum, quorum postremus testatur, suo tempore hanc Baptismi dilationem frequentatam fuisse (b): quin mos iste adeò inoleverat, ut duo Gregorii Nazianzenus & Nyssenus abusum illum evellere Christianis editis voluminibus allaborârint (c). Constantini ejusdem in suscipiendo Baptismate moram utì nemo admodùm laudaverit; ita nec causa est, eundem hac de cunctatione multùm increpandi: quod enim cæteri fideles tunc persuasum habebant; id Imperatori quoque altè insederat, scilicet satiùs esse differre Baptisma, quàm à gratia per illud collata excidere, ac propterea eâ ætate potiùs Regenerationis mysterium esse suscipiendum, quâ cupiditatum æstus ad vitia minùs alliceret. Pietati etiam simile videbatur illud, quòd nonnulli

(a) Euseb. in lib. de locis Hebr.

(b) S. August. l. 1. Confess. c. 10.

(c) Gregor. Naz. or. 40. in S. Baptis. Greg. Nyssenus or. in eos qui Bapt. differunt.

nulli minùs citò ad Baptisterium advolarent, ut ad gratiam tanti Sacramenti se diligentiùs disponerent, quo non peccata duntaxat singula, sed & omnem pœnæ reatum expungi noverant. Alios à Baptismo absterrebat etiam Ecclesiæ disciplina, quæ erga eos, qui post Baptismum peccâssent, severior esse solebat. Ad II. ℞. Primum Baptismum à Sylvestro collatum ab Eusebio non dissimulari, nisi velis & Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Hieronymum ac Ambrosium ejusdem simulationis & fidei minùs integræ accusare, quia de primo Baptismo silent. Imò quia Eusebius (ùt arguit Natalis Alexander,) palàm affirmat (d), Constantinum sub finem vitæ in suburbio Nicomediæ Baptismo initiatum; præter omnem fidem est, quòd infidus hâc in parte fuerit Historicus: Præsertim dum superstites erant, qui Romæ baptizatum nôssent, ac ejus Baptismi fuissent spectatores. Papebrochius (e) tamen fatetur: " Multa Eusebium in favorem Arianorum reticuisse haud bonâ fide circa gesta Nicæni Concilii, quam ob causam (vel ipso teste Natali) ejus Historia Ecclesiastica à Gelasio in Synodo Romana ex parte improbata est, & à Photio notata censoriâ virgulâ. Hæc verò in Constantini Baptismo præsumi vix posse, asserit idem Author, quòd vel mentiri improbè voluerit Eusebius, vel potuerit impunè. *Non voluit:* quia si caverit, ne quid Constantio & Arianis displiciturum insereret; eodem modo prospexit, ne quid ad eorum gratiam scriberet, quod illico falsitatis posset coargui. Hoc nî voluisset cavere, plurima alia scribendi copia fuisset de causa S. Athanasii, quæ vulgò credi multò pluris intererat factioni Arianæ, quàm quæ scripsit de Constantini Baptismo, ad summam rei parùm aut nihil potiùs facientia. *Non potuit:* quia res (ut proditur) gesta erat coram tanta Curialium multitudine, plurium hebdomadarum decursu; ac proinde recentissimæ memoriæ, spirantibus etiamnum testibus oculatis, à quibus tam putidi commenti cum summo dedecore potuisset illico convinci. An forsan nullus in toto numero Episcoporum, Constantini in Persas moventis castra sequentium, sincerè orthodoxus fuit, qui turpissimum mendacium patefaceret, & technas Eusebianorum (nec enim illi tum se gerebant pro Arianis, sed Nicænam fidem simulantes, solum *homousii* verbulum abhorrebant) posteris manifestaret? „ Ad III. ℞. A Gelasio Cyziceno f) asseri, Baptismum Constantino contulisse planè alium ab Eusebio Nicomediensi & orthodoxum quidem Sacerdotem, quem Hosium Cordubensem suspicatur Papebrochius: Et licet Eusebius Nicomediensis, in cujus Diœcesi res agebatur, pro jure suo id muneris susceperit; non tamen ideo rebaptizatus dici Imperator posset. Jacobatius, Zeno, Marianus Scotus (ad quos Schelstratus provocat) citimæ cùm sint vetustatis; authoritatis quoque multum non habent: quibus porrò fidem hoc quoque derogat, quòd eas suæ opinionis rationes exhibeant, quibus quandoque Schelstratus nequidem adsti-

(d) Nat. Al. l. c. p. 299.

(e) Papebroch. ad 21. Maji Tom. Maji V. c. 2. n. 11.

(f) Photius in Biblioth. Cod. 88.

(g) Schelstrate Antiq. illustr. P. II. Differt. III. c. VI. p. 472.

adstipulandum censuit (g). Testimonium siquando ob damnationem Athanasii irritatus Hieronymus asperiore stylo protulit: Constantinum in Arianum dogma declinâsse; mitiore sensu accipiendum est, sicut & illud, cùm idem scriberet ob receptam Valentis & Ursacii confessionem in specie Catholicam, quòd ingemiscens orbis terrarum sese Arianum esse miratus sit. Quare Papebrochius τὸ declinâsse ita exponit, quòd inclinare visus sit in eorum partes, qui homousii voce abstinendum putabant, non ut nomine hæretico, sed ut novo; præsertim cùm crederet illud nec Nicænæ fidei obfuturum, tum etiam, quod spes esset, fore, ut hâc ratione faciliùs multorum animi ad concordiam revocarentur. Atque hoc ipsum fuit, quod Carolus M. extimescebat, ne scilicet fraudibus quorundam pellectus, pariter in ea falso fidei zelo impelleretur, quæ tanquam Ecclesiæ salubria quidam proponerent.

REFLEXIO IX. ad §. 1. num. 27. pag. 38.

Cujus authoritatis, & ponderis esse debeant calumniæ, quas olim in Constantinum M. Zosimus projecit?

Zosimus quis fit?

(a) Evagr. l. 3. c. 40. & 41.

(b) Nicephorus Callist l. 16. c. 41. 42. 43. 44.

(c) Hoffmann. in Lex. Histor.

An Zosimum benè vindicârit Leunclavius?

(d) Petrus Cave in sæc. Nestoriano p. 302.

1. ZOsimus Comes & Exadvocatus Fisci, Idolomaniæ pertinaciùs devotus, dum in sæculo quinto Romanorum Imperatorum res gestas ad Romam ab Alarico captam persequitur; omne virus in Constantinum M. exonerat, perstringítque ea, quæ Evagrius (a) & Nicephorus (b) suis Apologiis posteà defendenda susceperunt. Adversus hos Joannes Leunclavius Amelbuno oriundus in Westphalia, genere & ingenio illustris, Jurisconsultus excellens, in legatione, & itinere Constantinopolitano linguam & arcana Turcica edoctus, patrocinium Zosimi suscepit in sæculo decimo sexto (c): verùm dum hominem ethnicum & Christiani nominis hostem longè infensissimum purgat; laterem lavat, & Æthiopem dealbare conatur: & ut malevoli, ac si unquam alius, virulenti scriptoris causam ageret; non modo in Eusebium, Chrysostomum, Innocentium, Theodoretum, Photium, aliósque Christianæ Religionis Antistites, sed & in Constantinum M., ejúsque filios, in Jovianum, Valentinianum, Theodosium, totámque sequentium Imperatorum Prosapiam se parum æquum, quin & in nonnullos acerbum planè & inverecundum manifestò prodit (d).

2. Ut verò maligna Leunclavii opera in purgando Zosimo magìs pateat; quædam convitia hujus maledici Historici juvat percurrere: scripserat is Romanos fastos eo consilio, ut ostenderet Imperium ab eo tempore in pejus declinâsse, ex quo Constantinus abdicatâ Deorum superstitione, rejectísque sæcularibus ludis ac spectaculis ad Numinum honores dica-

dicatis, Christi sacra confoveret; quâ scriptione etiam tantùm nocuit, ut nisi Augustinus in libris de civitate Dei contrarium probâsset, integræ etiam mentes à viri virulento calamo nocivam hanc opinionem altiùs ac fas erat, combibissent. Zosimus dein proposito suo obsecundaturus primò in Constantinum invehitur, quod (e) *exhaurire non desierit vectigalia largitionibus, quæ non ubi par erat, sed in homines indignos ac inutiles fiebant. Et collatoribus quidem tributorum gravis erat, illos autem cumulabat opibus, qui nulli esse usui poterant .... Idem & auri, argentíque collationem imposuit omnibus ubique terrarum negotiationes exercentibus, & Dardanariis oppidorum ad vilissimos usque, ne miseris quidem meretriculis hâc collatione liberatis*; En quot verba, tot fere mendacia! nam ex decursu Historiæ, legibúsque patet: quoties antiqua vectigalia Constantinus remiserit, quoties clementiæ erga populum signa paternâ manu dispensârit (f): Panegyricus unus, qui in ejus Principis laudem dictus est, Apologiæ loco esto: "Septem millia (ita loquitur orator) capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum: mox remissione istâ septem „ millium capitum viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opes, de- „ disti salutem .... certè & tum liberi Parentes suos cariores habent, & „ Mariti conjuges non gravatè tuentur, & Parentes adultorum non pœ- „ nitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur." Hoc dicit, quoniam eos liberârat à tributo, quod pendebant pro singulis capitibus non modo agrorum, sed etiam hominum (g). Ex legibus porrò unam proferamus, quâ cavit, ne qui potentiores essent, humiliores damno afficerent: *Grave est non solùm legibus, verùm etiam æquitati naturali, contrarium pro alienis debitis alios molestari idcirco hujusmodi iniquitates circa omnes Vicaneos perpetrari modis omnibus prohibemus* (h). Cæterùm quod Zosimus tributum meretricibus impositum adscribat, à calumnia non abest; Constat quippe à Caligula illud excogitatum (i), *vectigalia is nova atque inaudita per Publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunósque Prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret .... ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret: Additúmque ad caput legis, ut tenerentur publico, quæ meretricium, quæve lenocinium fecissent: nec non & matrimonia obnoxia essent.*

(e) Zosimus l. 2. p. 690. & 691.

Zosimus falsò Constantinum accusat avaritiæ & vilissimi quæstûs.

(f) Paneg. Orat. incerti.

(g) Lipsius in Annal. Taciti.

(h) L. 1. Cod. de Censibus.

(i) Sueton. c. 40.

3. Avaritiæ crudelitatem Constantini Mastyx apponit; ad tributa enim solvenda tam acrem adhibuisse modum ait, ut passus sit ad ea solvenda à Parentibus filios distrahi & filias prostitui: *Itaque videre erat, quoties quartus quisque annus adpeteret, quo tributum illud pendendum erat, meras per universam urbem lachrymas & ploratus: ubi verò jam advenisset, nonnisi flagra tormentáque corporibus eorum adhibita, qui propter paupertatem extremam sustinere jacturam hanc non possent. Quin & liberos ipsæ matres distra-*

Idem mentitur exactiones crudeles à Constantino factas.

(k) Zosimus p. 691. *trabebant, & Patres filias prostituebant* (k). Quidquid commenti petulantis in hoc convitio est, partim ex lege illa confutatur, quâ Proconsulibus, Prætoribúsque edicto præcepit; ut ex horreis publicis alimenta egenis suppeditarentur (l), partim ex alia lege, quâ severiores prædecessorum pœnas emollivit adversus debitores, qui solvendo non essent: *Nemo carcerem, plumbatarúmque verbera aut pondera, aliáque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus vel à perversis vel ab iratis judicibus expavescet. Carcer pœnalium, Carcer hominum noxiorum est* . . . (m). Præterea sanctione aliâ consuluit Parentum (qui in Italia degebant) inopiæ, quâ cogebantur eos occidere filios, quos alere non possent: Provincialibus verò ita prospexit ut concederetur quidem liberorum distractio, sed ita, ut redimi semper possent: *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatémque victûs causâ filium, filiámve sanguinolentos vendiderit, Venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem: liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi præstet* (n). His adde ea, quæ Eusebius in vita Constantini de ejusdem Principis liberalitate erga egenos toties testatur (o).

(l) L. 2. de alim. C. Theod.

(m) L. 2. C. de Exactorib. Tributorum.

(n) L. 2. de Patribus, qui filios suos distraxerunt.

(o) Euseb. in Vit. l. 1. c. 36.

4. Equidem negandum non, est Ablavium avarissimum hominem à Constantino præfecturâ, ac vel inde magnâ vexandi subditos potestate donatum esse (p); sed Imperator Euclionis vitium adeò non probavit, ut eum hisce verbis increpitum voluerit: *quousque tandem inexplebilem hanc tuam avaritiam cumulamus aut sustinemus? tum hastâ, quam manu tenebat, longitudinem hominis humi cùm impressisset; omnes, inquit, vitæ divitias, & universi opes orbis domi si haberes, non plus tamen, quàm hoc loculo à me circumscripto possidebis, atque utinam illud possideas* (q)! Nec vanum Vaticinium Constantini fuit; idem enim Ablavius in frustra concisus mortuo Constantino periit (r).

(p) Eunap. c. 4.

Neque Ablavii crudelis avaritia in Constantinum regerenda.

(q) Euseb. l. 4. Vit. Const. c. 29. & 30.

(r) Zosimus p. 692.

5. Zosimus calumniari pergit, dum ait (s): *Fecit & aliud quiddam Constantinus, quod in ditionem populi Romani liberum Barbaris aditum præbuit. Nam cùm Imperium Romanum extremis in limitibus ubique Diocletiani Providentia (quemadmodum à nobis supradictum est) oppidis & castellis, atque Burgis inclusum esset, omnésque copiæ militares in iis Domicilium haberent: fieri non poterat, ut Barbari transirent, absque copiis hostium depellendorum causâ occurrentibus. Hanc præsidiorum munitionem Constantinus abolens, majorem militum partem, de limitibus submotam in oppidis nullius opis agentibus, collocavit; à barbaris vexatos præsidio nudavit, tranquillas, & quietas urbes militum peste gravavit, quâ jam complures ad solitudinem redactæ sunt; milites ipsos theatris, & voluptatibus addictos emollivit: denique simpliciter, ut dicam, rerum hactenus pereuntium internecioni principium & se-*

(s) Zosim. p. 689.

Mendacium Zosimi ex probrantis Constantino negligentiam Imperii & Provinciarum.

& femina præbuit. Verùm Aurelius Victor (t) calumniatorem confutat, nam ubi funus Constantini Constantinopolim deductum recitat, simul docet, *Populum Romanum id ægerrimè tulisse; quippe qui hujus Principis armis, legibus, clementi Imperio, quasi novatam urbem Romanam arbitraretur. Pons per Danubium ductus: castra, castelláque pluribus locis commodè posita.* Adhæc Julianus, quantumcunque ideam (u) Christiani Imperatoris deformare conaretur, fateri tamen debuit, Constantinum, Victoriosum, & bellicosum, & ut ait Victor (x), *mirâ bellorum felicitate* fuisse.

(t) Aurel. Victor in Epitome.

(u) Julian. Cæsares p. 42.

(x) Victor. in Epitome.

6. Demum cavillator in hanc criminationem delabitur, quâ Constantinum Gentilium partium per longum adhuc tempus fuisse dicit, quod & colligi videtur ex ejus Rescripto de Auguribus consulendis, ad annum XVI sui Imperii edito, atque ex illo Sacerdotii summi amictu, quem more Ethnicorum Imperatorum accipere non dubitavit, dicente Zosimo: *Simul enim atque summum Imperium quisque consequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur à Pontificibus; & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur. Ac cæteri quidem Principes universi lubentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc usi titulo videntur, adeóque Constantinus etiam potitus Imperio* (y). Verùm censuram malignam Zosimi Constantinus dudum eliserat, quando in causa Cæciliani interpellatus Judex Donatistis ita reposuit (z): *Petitis à me in sæculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium exspectem:* quæ vox non Gentilis, sed Christiani hominis esse potest. His adde testimonii loco signum Crucis, quod in Labaro, ínque variis orbis Romani locis seponi fecit (a), ac leges; quas adversùs Gentiles pro Christianæ rei incremento ab eodem Principe converso quidem, sed needum baptizato editas novimus (b). Cur autem Rescriptum illud de Aruspicibus vulgaret, causa esse potuit; ne Romanos omnino sub Imperii exordia in seditionem proliceret; qui ægerrimè habebant, à summo Imperii Capite deseri, sed jam everti veteres Deorum ritus. Itaque ut à majori tumultu cohiberet plebem, de consulendis Aruspicibus rescripsit; nam & maximæ authoritatis apud Romanos esse auguria noverat, simúlque ex responsis se resciturum facilè credebat, quid Ethnici adversus se molirentur. Et quamvis humanitus hìc, utì & in cæde Crispi filii, & Faustæ conjugis aliquid passus esset Constantinus; domestica tamen bella ei non defuerunt, inter quas calamitates piacula ista deleret. De altero, quòd nimirum Pontificis titulum, amictúmque admiserit, non pauci dubitant; ii tamen, qui id minùs inficiantur, duas causas adhibent, quibus Constantinum vindicent: erat nimirum dignitas hujusmodi Pontificia adeò tunc connexa cum Imperatoris Majestate, ut nisi hoc nomen admitteret, osor & hostis Patriæ religionis & salutis censeretur. Deinde Pontifici summo prærogativa hæc supra Consules tribuebatur, ut eidem fas esset abdicare Magistratus: Comitia, ne fierent, religionis causâ prohibere, aut

Nova Criminatio Zosimi superstitiones Ethnicas Constantino tribuentis.

(y) Zosim. l. 4. p. 761.

(z) Vide Optatum l. 1.

(a) Euseb. l. 4. de Vit. Const. c. 21.

(b) Idem l. c. c. 18. 19. 26.

 si fa-

si facta fuissent, facere irrita: Senatûs-consultis intercedere: bella, quò minùs fierent, impedire (c). Tantâ igitur authoritate cùm sibi opus esse judicaret Constantinus, ad Senatores Ethnicos, queis invitis regnabat, in ordinem redigendos: aut potiùs ad sacra Gentilium, ne frequentiùs ac superstitiosiùs fierent, admoderanda; mirum esse non debet, si ex monumentis antiquis legamus, eum cum dissimulatione quadam speciem nominis cæteroquin Christianis invisi tolerare voluisse.

(c) Tullius l. 2. de nat. Deor. & l. 2. de legib. Valer. Max. l. 1. c. 23.

REFLEXIO X. ad §. 4. num. 3. pag. 90.

An Christiani Imperatores in Sæculo IV. sibi Jus Sacrorum vendicârint, aut vendicare potuerint?

1. QUàm necessaria sunt ad felicitatem consequendam duo illa generis humani præsidia (a), quæ Sacerdotii & Imperii nomine veniunt; tam immensis spatiis ac dissitis omnino negotiis inter se disterminantur: sive enim natalitia horum Primordia consideres; Imperatorum Dominatus ab altissimo Naturæ Conditore: Sacerdotum contra potestas à Christo authore gratiæ suam *originem* deducit. De illo dictum est: *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt* (b). De hac Servatoris extat oraculum: *Quæcunque alligaveritis super terram erunt soluta & in cælo* (c). Sive *finem* utriusque potestatis expendas; alterius est componere reipublicæ statum & vitæ humanæ tranquillitatem mediis opportunis comparare; juxta illud Pauli: *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate* (d). Alterius verò erit non temporaneæ sed æternum duraturæ felicitatis gerere curam, ídque *ad consummationem Sanctorum* (e). *Quâ ex causâ Præpositi etiam sacri pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (f). Itaque uti Principibus velut Imperii arbitris gladius Justitiæ à Deo consignatus est, ut criminum reos plectant, sustinendis Provinciis pares subjiciant humeros, & legum Ministerio, armísque Reipublicæ concordiam alant, atque defendant; ità Petro, Apostolísque ac eorum successoribus dictum est: *Attendite vobis, & Universo Gregi in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (g). Et quemadmodum hæcipsa non super Tiberium, sed super Petrum, ac fundamenta Apostolorum ædificata erat (h); sic non queiscunque Principibus ac Regibus, sed Apostolis, & ex iis qui eorum invicem surrogandi forent, solvi, ligari, pasci, vel regi populum Christus voluit, id maximè inculcans, ut jure verè suo, quod Præsules soli circa sacra habent, gregem ad altiorem beatitudinis finem deducant.

(a) Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & Imp.

Discrimen inter jus civile & sacrum.

(b) Proverb. 8. v. 18.

(c) Matth. 18. v. 18.

(d) ad Gal. 1. v. 1.

(e) Ephes 4.

(f) Hebr. 13. v. 17.

(g) Act. 20. v. 28.

(h) Ephes. 2. v. 20.

2. Hoc sacrorum jure usos fuisse Imperatores Gentiles equidem nemo dixerit; nisi quis simul fateri velit, eos Præsides Ecclesiæ extitisse, qui

qui hanc Persecutionibus extirpare funditus allaborâssent: At eò plures sunt, qui sub Christianis Principibus in sæculo quarto, *suâpte naturâ* conjunctam in uno capite Sacerdotii & Imperii potestatem affirmare ausint; propterea quod ab iis semper vindicata sit disponendi facultas circa ea, quæ fieri cæteroquin convenit ad gubernandam animarum salutem. Neque enim quidquam omiserunt, quæ ad defensionem, atque provisionem Ecclesiarum, directionem Religionis, statúsque Ecclesiastici pertinebant. Atque ut ad singula altioris istius gubernationis capita animum advertamus; sequentia monumenta afferunt ex rebus gestis Imperatorum sæculi quarti. *Argumenta Adversariorum, quibus probare conantur, jus sacrorum ab Imperatoribus IV. sæculi vindicatum fuisse.*

I. CONVOCASSE CONCILIA PRIMOS CHRISTIANOS CÆSARES ferè omnium Adversariorum vox est; De *Constantino Magno* Auctor ipsius vitæ prodit (i); quod *Ecclesiæ Dei præcipuam curam gerens, cùm per diversas Provincias quidam inter se dissentirent; ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, Ministrorum Dei Concilia congregâvit. Nec dedignatus adesse, & considere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuerit, ea, quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans.* Eodem jure convocavit Synodos Romanam, & Arelatensem; illam coëgit anno 313. ad dirimendam litem inter Cæcilianum Carthaginensem & inter Donatistas Africanos (k); hanc a. 314., de qua extat Epistola ad Chrestum Syracusanorum Episcopum (l): *Quoniam igitur plurimos ex diversis, ac propè infinitis locis, Episcopos in urbem Arelatensem intra Calendas Augusti jussimus convenire, tibi quoque scribendum censuimus.* Quid? quod Oecumenicum primum Concilium Nicæam a. 325. accivit ad subigendam hæresin Arianam. Socrates Constantini Epistolam refert ad Alexandrinos (m): *Unum igitur omnes Deum & nomine adoramus & esse credimus; porrò ut id fieret, Deo suggerente, Convocavi in Urbem Nicæam, quam plurimos Episcopos; quibuscum ego, Unus ex vestro numero, qui me vestrum conservum esse, magnopere gaudeo, Veritatis examen suscepi. De Constantio & Constante* legimus, convocatum ab iis fuisse Sardicense a. 347. sive ut loquitur Athanasius (n) *ad edictum Religiosissimorum Principum Constantii & Constantis*: Idem S. Pater testatur, quod *ab Imperatore, præfectísque literæ frequenter in omnem partem sint missæ, eos Episcopos, qui illuc* (ad Ariminense Concilium) *ituri essent, convocantes.* Demum Patres Constantinopoli a. 381. congregati in Epistola ad *Theodosium M.* ita loquuntur: (o): *Agentes autem Deo debitas gratias, necessaria quoque ea, quæ acta sunt in Sancto Concilio, ad tuam referimus pietatem: nempe quod, ex quo tempore, ex mandato tuæ Pietatis; Constantinopoli convenimus &c.* II. Imperatores IV. Sæculi CONCILIIS PRÆSEDERUNT, IISQUE ADDIDERUNT ROBUR, AUT DECISA IN CONCILIIS EXAMINARUNT; nam apud Gratianum habetur (p): *Constantinus Imperator præsidens in Sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat.* Et Eusebius (q): *Jam verò Epi-*

(i) Euseb. l. 1. c. 44. Edict. Vales. p. 430.

(k) Euseb. l. 10. Hist. Eccl. c. 5.

(l) Baron. T. 3. Annal. ad a 314. § 41. & 42.

(m) Socrates l. 1. c. 9.

(n) Athanas. Apol. 2. Tom. 1. operum p. 720.

(o) Baron. Tom. IV. ad a. 381.

(p) C. XI. Qu 1. c. 5.

(q) Euseb. l. 4. c. 27.

Episcoporum sententias: quæ in Conciliis promulgatæ essent, auctoritate suâ confirmavit: idem ad Theodosium Patres Constantinopolitani Concilii perscripserunt (r). . . . *Quæ omnia huic nostro scripto subjicimus. Rogamus igitur Tuam Clementiam, ut per literas Tuæ pietatis, ratum esse jubeas, confirmésque Concilii decretum; & sicuti literis, quibus nos convocâsti, Ecclesiam honore prosecutus es; ita etiam summam eorum, quæ decreta sunt, conclusionem sententiâ atque sigillo tuo corrobores.* III. SCHISMATA TAM IN ELECTIONIBUS PRÆSULUM, QUAM EX PERVERSIS DOCTRINIS ORTA SUSTULERUNT. Nicephorus Callistus verba Constantini M. refert ex ejus epistola, quâ Concilium fieri jussit a. 313. in causa Cæciliani Carthaginensis Episcopi (s): *Placuit mihi ut idem Cæcilianus unà cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum decem aliis, quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romam naviget: ut ibi coram vobis* (Melchiade Pontifice) *& coram Reticio, Materno & Marino Collegis vestris, quos eâ causâ Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum Sanctissimæ legi convenire optimè nostis . . . Siquidem, nec suam sedulitatem latet, tantam â me reverentiam Sanctissimæ Ecclesiæ Catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum schisma, aut dissidium ullibi à vobis relinqui velim.* De Valentiniano pariter constat, illum inter Ursicinum & Damasum schisma composuisse (t). IV. CONSTITUTIONES *Divinum cultum Promoventes, & adversus Hæreses* PROTULERUNT, ut ex Historiæ decursu patuit. V. JURISDICTIONEM IN CLERICOS TAM IN CIVILIBUS, QUAM IN CRIMINALIBUS EXERCUERUNT, postquam enim a. 314. ab Arelatensium Patrum sententia Donatistæ ad Augustum iniquiùs provocâssent; Adversarios pœnis coercendos Princeps putavit (u). Et in Epistola ad Synodum Tyriensem a. 335. rescripsit: *Quod si quis, sicut minimè suspicor, nostrum mandatum etiam jam callidè rejicere studens, recuset ad Concilium adventare: hinc à Nobis aliquis mittetur, qui eum regio mandato, de dignitate sua dejiciat; doceátque: non decere quenquam decisionibus Imperatoris, pro veritate editis, adversari . . .* Synodo verò Tyriensi habitâ, Præsules ad suam regiam evocavit, inquiens: *Proinde vos omnes ad Pietatem meam confestim venire volo, ut rerum à vobis gestarum rationem, coram me, per vosmet ipsos accuratè reddatis* (x). Quoties Constantius Episcopos constituerit, expulerit, plenæ sunt omnes paginæ, quæ sæculi quarti Historiam recensent. Imò Recentior quidam dicere non reformidat (y): *Si quis vellet jura sacrorum ab Imperatoribus Romanis, & Græcis, à Regibus & Principibus, passim ante Reformationis tempora exercita, uno in volumine enarrare, in prolixissimum is scriptionis campum dilaberetur.*

3. Si hæc de iis tantùm jactarentur, qui ex vi aut injuria in Sacerdotii aut Sanctuarii leges temerè involârunt; nihil propiùs esset, quàm ut

(r) Concil. T. I. Baron. Tom. IV. Annal. ad a. 381.

(s) Niceph. l. 7. Hist. Eccl. c. 43.

(t) Sozom. l. 4. c. 11.

(u) Baron. Tom. III. Annal. ad a. 316.

(x) Sozom. lib. 2. Hist. Eccl. c. 28.

(y) Pfaffius de origin. jur. Eccl. art. 3. p. 176. in Not.

ut ad allata reponeretur, jus nullum ex usurpatione iniquâ exsculpi posse: Verùm quia & Christiani maximè Principes in medium afferuntur; dispiciendum, utrum facta, quæ allegantur, ex arrogatione Juris sacri profecta, aut quomodo, quémque tandem in finem suscepta sint. Quod ut penitiùs intelligatur, operæ pretium erit inquirere: potuerint ne ejusmodi Principes (quin in Religionis Christianæ leges peccarent) juris altioris se reddere participes? Cùm enim Imperatoribus piissimis tribui nequeat, quasi in alienam messem falcem immiserint; indagandum venit anteà, an potestas sacra Politico Dominatui ullâ ratione conjungatur?

Quæstio interseritur, an Imperatores IV. Sæculi hoc sacrorum jus sibi per fas vindicare potuerint?

4. Quæstionem hanc audaciùs definiit olim Puffendorffius (z), dum ajebat: potestatem sacram Majestati insitam facilè intelligi ex *natura* Religionis & Imperii ab iis, qui vel præjudiciis, vel affectibus vel privati commodi studio haud fascinati existunt. Cùm enim finis à natura intentus eò collineet, ut tranquillitatis publicæ nexus servetur; certè is regnum in se ipsum divideret: & contra naturæ ordinem, pacis destrueret vinculum, qui potestatem sacram à civili imperio vellet sejunctam; ac proinde adversantia in perniciem quietis statueret, nimirum Statum in Statu, Principatum in Principatu, Rempublicam in Republica. Accedit, quod homo in statu naturæ non præcisè conditus fuerit ad finem naturalem, sed & eum, qui naturæ conditionem omnino transcendit; quare Melchisedechum non tantùm Regem talem, sed & Sacerdotem Dei altissimi, item Abrahamum, aliósque Patriarchas tum populo jura, tum supremo Numini thura, victimásque litâsse legimus, authore naturæ utramque potestatem uni capiti adfigente (a). *Equidem* si argumentis hujus generis pondus inesset; id tandem conficeretur: in Regibus quoque Ethnicis facultatem disponendi de Sacris fuisse; quo enim natali jure in Christianos Principes, eodem in Gentiles potestas summa seu mediatè seu immediatè transiit, adeò ut non minus his, quàm illis parendum esse sacræ paginæ perhibeant. Quemadmodum autem in Ethnicos Principes à communitate humana naturaliter aut jure naturæ transferri nequivit, quod ordinis planè altioris est, naturæque conditionem excedit; ita ad Christianos Imperatores suâpte naturâ nequaquam profluxit facultas illa legitima disponendi circa ea, quæ præcipuè respiciunt finem supernaturalem, cujus generis ea sunt, quæ ad provisionem Ecclesiarum, directionem Religionis, statúsque Ecclesiastici pertinent. Et profectò majorem hic præ Recentioribus fidem merentur sæculi IV. Patres, inter quos S. Ambrosius ita scripsit (b). *Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa: respondeo, noli gravare te Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere: noli te extollere; sed si vis divinitùs imperare, esto Deo subditus, sicuti scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdo-*

(z) Puffendorff. enucl. in element. de jure Naturæ & G. c. 22.

Argumenta perperam affirmantium, quod ex jure naturæ, jus sacrorum ad sæculares Principes pertineat.

(a) Hennigius de summa Imp. Rom. potest. circa sacra c. 2.

Confutatio eorundem.

(b) Ambr. in Epist. 14. ad Marcell.

cerdotem Ecclesia : publicorum tibi mœnium jus commissum est, non Sacrorum. Neque per hanc duplicis Gubernationis discretionem multa Reipublicæ aut ejusdem ordinis civilis capita invehuntur, quæ concordiam à natura intentam perturbarent; nam ut omittamus illud, quo dicitur, non uni Monarchæ, aut pluribus optimatibus, sed communitati immediatè collatam à Deo potestatem fuisse gubernandi, quatenus hominibus in perfectam & politicam societatem congregatis, ex natura ipsius corporis politici à Deo instituti, per naturalem consecutionem competit facultas actiones civium ad communem eámque temporalem salutem dirigendi, adeóque communitati liberum olim fuit vel ad unum, vel ad plures deferre principatum etiam ejusdem civilis ordinis; tùm certè ipsa hæc diversorum jurium à diversis administratio emolumenta politica non parùm adjuvat. Nam ab experientiæ testimonio discimus, eis, qui temporaneis curis nimium implicantur, sæpe vires, sæpe spatium deesse; ut animum ad supernarum rerum dispensationem traducere valeant: meritò igitur officia ac facultates divisæ sunt, non aliter atque in cælo luminaria constituta videmus, quorum unum diei, alterum nocti præsit (c): Ac ne potestatum distinctionem concordiæ nocivam statumines; ex literis Nicolai Papæ, quas Michaeli Imperatori inscripsit, pauca hæc depromamus (d). *Cùm ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpavit, quoniam idem Mediator Dei, & hominum Homo Christus* JESUS *sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro causa temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus; & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus.* Fuerint hæc malefausta tempora aliquando, quibus Diffidium inter Regnum & Sacerdotium innumeras turbas invexerit; has tamen qualescunque ærumnas non jurium distinctio, sed maligna alieni juris usurpatio parturivit. Ut enim hujus mundi Oceanus à continente terra limitum suorum intervallo submotus nullum orbi malum accersit; quamdiu intra metas (quas ab Authore naturæ præscriptas habet) consistens, in alienos agros nequaquam egreditur; ita non sine salute Reipublicæ eveniet, si & civilis, & sacra potestas singulæ suos intra alveos decurrant, neque una in alteram cum Urbium, Provinciarúmque turbatione sese effundat. Hæc tamen cùm dicimus; minime inficiamur illud, quod Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem scripsit: *evenisse ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul & Sacerdotes existerent, quod S. Melchisedech fuisse sacra prodit*

(c) Innocent. III. in Epist. ad Imp. Orient. rel. C. sollicita de Maj. & obed.

(d) C. cùm ad verum de Maj. & obed.

prodit Historia (e). . . . Sed in hoc duntaxat luctamur, perperam statui, quod vinculum illud Sacerdotii & Principatûs jure naturæ sive ordinatione Dei ut Authoris naturæ per dictamen rationis nobis applicatâ procusum sit (f). Nam licèt Sacerdotium sit eatenus de jure naturali, quatenus mediante ratione, & voluntate humanâ â generalibus Principiis Juris naturalis originem ducit; id verò, quòd his præcisè personis attributum sit, non est jure naturæ præscriptum, sed jure aliquo positivo definitum. Itaque ante legem Moysis vel jure Gentium vel moribus populorum introducebatur, ut dignitas Sacerdotalis cum Regia esset conjuncta, qui mos si in lege adhuc Veteri posteà mutari potuit, cur non & in lege Novâ? hinc Nicolaus in sua epistola ita pergit: *Sed cùm ad verum ventum est, eundem Regem, atque Pontificem ultra nec Imperator, nec Pontifex usurpavit.* Præterea in lege nova est supernaturalis potestas Ordinis & Jurisdictionis, qualis in lege naturæ nunquam fuit; nam in hac Ministerium sacrificandi duntaxat erat & intercedendi pro populo, ad quod poterat aliquis suâ spontè vel per consensum populi deputari: quia Deus eo tempore nihil in particulari de Sacerdotio vel sacrificio præscripserat. Neque lege naturæ tribui potest jurisdictio spiritualis; hæc quippe cùm ordinem humanum transcendat, nec ab hominibus, nec ab eorum communitate promanavit: & quamvis Paterfamilias in lege naturæ etiam divini cultûs curam habuerit, inde tamen aliud non conficitur, quàm quod in modo, & determinatione ejusmodi cultûs bonum Reipublicæ humanæ tantùm respexerit; quin homines vi talis potestatis gubernativæ ad Deum, ejúsque amicitiam referret. Imò si in eo statu dirigendus civis erat ad finem supernaturalem, sive ad præcepta altioris ordinis & beatitudinem mediante gratiâ consequendam, perducere tamen ad illum finem non fuit humani, sed Divini regiminis, ut testatur S. Thomas g). Postremùm penes communitatem Christianam (quantumcunque in religione supernaturali fundetur) Christus jus Sacrorum relinquere noluit; sed peculiari institutione spiritualem Gubernationem Ecclesiæ elevavit; dum hanc instituit per modum unius corporis Mystici per totum orbem diffusi, in quo unitas fidei & concordia in substantiali ritu Religionis ad Dei cultum & sanctificationem hominum ordinato conservari posset. Quâ autem ratione id fieret, dum quodvis regnum Capitis sui ab alio minimè dependentis doctrinam, jussáque sequeretur? aut quâ virtute universi fideles ex omni orbe Pastori supremo eam infallibilitatem in fide, & sanctitatem in moribus dictandis tribuerent, quas â Christo dotes Petro, successoribúsque datas scimus, quásque ex superiore institutore, qui humanam conditionem excedat, dispertiendas esse nemo non videt.

(e) Epist. Nicol. SS. ad Mich. Imp.

(f) Suarez. in defens. fid. Cathol. l. 3. c. 9. p. 146. & 147

(g) Thomas de Regim. Princ. c. 14. l. 1.

5. A lege Naturæ ad Mosaici instituti, Regúmque V. T. tempora veniamus: magna inde Recentioribus obloquendi materies conspicitur;

 nam

(h) Anaclet. Ep. 2. apud Suarez. l. c. c. 9. p. 147.

Argumenta eorum, qui jus Sacrorum deducunt pro Principibus ex V. T.

(i) 2. Paralip. c. 17. v. 7. & c. 19. v. 8.

(k) 3. Reg. 2. v. 27.

(l) 1. Paral. c. 13. 4. Reg. c. 22 & 23.

(m) 1. Reg. c. 13. v. 13.

(n) 2. Paral. c. 26.

(o) 2. Paral. c. 19. v. 11.

Confutatio Argumentorum.

nam licèt Anacletus neget (h), Melchisedechum, Abrahamum, aliósque sacrificium obtulisse Sacerdotali authoritate à Deo peculiariter institutâ; in lege tamen scriptâ Deus uti sacrificia, ita & Sacerdotium determinavit eâ ratione; ut id profanam simul potestatem adjunctam haberet: quod cùm de Moyse, Heli, Samuele, Nehemia, & Machabæis in confesso sit; Regum etiam ævum nobis manifestum facit: hi quippe Reges misêre Sacerdotes ad erudiendum populum, ùt de Josaphato sacræ paginæ perhibent (i): deposuerunt Pontifices, cujusmodi testimonia de Salomone Abiatharem ejiciente præ oculis habemus (k). Convocaverunt Synodos Sacerdotum, legerunt verba libri fœderis &c. Qualia de Davide tertius liber Regum & Paralipomena nobis testantur (l). *Sed* qui sacra volumina penitiùs inspexerit, facile inveniet, à paucis, quos Deus præter ordinem solitum utrâque potestate donatos voluit, malam ad universos consecutionem prorogari. Cur enim Tribus Levitica specialiter delecta & prosapia Aaronis pro dignitate Sacerdotii supremi designata fuisset, si Regibus Juda, qui non erant de Tribu Levi hæc potestas communis habebatur? Cur Saul (m) & Ozias (n) increpiti, quod in Sacerdotum officium se intruserint? Cur denique sacer Codex definiisset (o): *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in Domo Juda, super opera ea erit, quæ ad Regis officium pertinent?* Quod autem Reges quidam de Juda Juri sacro protegendo, honori divino augendo impenderint operam; id non potestatem sacram, sed zelum omninò Regium, pietatémque erga Sacra legi illi Divinæ accommodatam ostendit, quâ Principes non solùm cultum supremi Numinis promovere, & populum ad Virtutem verbo, exemplóque animare, atque hac ratione ad salutem & beatitudinem æternam perducere tenentur. Unde nunc intelligere pronum erit, quare Josaphat *tertio anno regni sui miserit de Principibus suis, ut docerent in civitatibus Juda, & cum eis Levitas & Sacerdotes*, quibus Rex stipendia & vehicula publica subministrabat, ut Juventus doceretur: & siquidem refractarii quidam verbum Dei audire aut instrui respuerent, adjungebantur Principes, qui Sacerdotes protegerent, & contumaces ad instructionem compellerent. Neque Jurisdictionem spiritualem Salomonis arguit, quod depositum à se Pontificem exilio mulctârit; nam Abiathar ideò amotus urbe & officio est, quia Adoniæ partes firmaverat: ac proinde metus erat, ne Hierosolymæ intra Sacerdotii summum munus Salomonis saluti incommodaret. Neque ex eo, quod Sadoc à Salomone surrogatus sit, Regi potestas sacra asseritur; nihil quippe egerat Salomon, quàm ut Sadoc, qui cum Abiathare simul Pontificis vices gesserat, deinceps uno ob conservationem pacis publicæ dimoto, alter solus administraret Sacerdotii functiones. Demum Davidis facta multum pietatis

erga

erga legem divinam repræsentant, nihil sacræ jurisdictionis; nam convocando Sacerdotes, populúmque etiam ob finem spiritualem ostendit, se Regiâ etiam potestate uti in animarum bonum. Eodem ex fine legit, vel legi fecit verba statutorum Divinorum, promissionémque de lege servanda renovavit, quæ cuncta Regiam Sacrorum defensionem, amplificationem, minimè autem arbitrium & potestatem Sacrorum insinuant.

Jus Sacrorum ex monumentis Novi Testamenti Episcopis asseritur.

6. Ex Umbris tandem ad lucem Novi Testamenti emergentes, clariùs intuebimur Sacerdotium (quod multò dignius Christus instituit) non Imperatori aut Principi: sed Petro, & Apostolis eorúmque successoribus collatum fuisse; quid enim aliud volunt verba illa Petro dicta: *Pasce oves meas, pasce agnos meos* (p): & *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (q). Lex gratiæ novissima nimirum repræsentavit illam ætatem, in qua *Deus in Ecclesia sua posuit primùm Apostolos* (r), non Reges aut Principes; & in quo tempore *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (s): hi proinde loquebantur gregi, exhortabantur, & arguebant *cum omni Imperio* (t): & contrà Christiani *obediebant* hisce *Præpositis*, & subjacebant eis (u). Media regendi erant *Virga* sive potestas coercitiva, *Charitas* & *Spiritus mansuetudinis* (x): *arma* demum Episcopi hi habebant suæ *militiæ non carnalia, sed potentia Deo ad distinctionem munitionum .. . in promptu habentes ulcisci omnem obedientiam* (y). Atque ut ovile Christi in unitate fidei conservare valeant, singuli Episcopi ab uno supremo Capite & controversiarum judice universali & infallibili dependent; unde velut à fonte in tam diversas provincias fidei dogmata profluunt, eodem sensu ac concordiâ accipienda. Quæ omnia dici non possent, si tot Principes, quot territoria forent, potestatem Sacrorum sibi vindicarent; quivis enim eorum (regnante, & præcellente spiritu privato) suo in Principatu distinctam Ecclesiam, fidem ac religionem formaret: utì experientiâ quotidianâ constat. De hoc argumento, qui plura cupit, consulat Tractatum, quem de Majestate Hierarchiæ Ecclesiasticæ conscripsimus a. 1744.

(p) Luc. 22. v. 32.
(q) Matth. 19. v. 18.
(r) 1. ad Cor. 12.
(s) Act. c. 20. v. 28.
(t) Ad Tit. c. 2. v. 15.
(u) Hebr. c. 13. v. 17.
(x) 1. Cor. 4. v. 21.
(y) 2. Cor. 10. v. 4.

Solutio Difficultatum, quæ ex factis Cæsarum Sæculi IV. objectæ sunt.

7. Postquam à nobis ostensum est, nec Naturâ ipsâ, nec ex Veteris aut Novi Testamenti instituto jus Sacrorum Principatui laico conjungi; ad illa nunc planiùs respondebimus, quæ ex factis Christianorum Cæsarum Sæculi IV. allata sunt. Ad *Primum* igitur ℞. cum Pagio (z): duplicem authoritatem in Conciliorum convocatione concurrere posse, *Civilem*, ut Canones à Concilio constituti in forensi etiam judicio vim legis obtineant, & per omnes Imperii provincias executioni tradi possint; & ut Hæreticorum contumacia Regiâ etiam potestate comprimatur: *Ecclesiasticam*, ut damnentur hæreses, extinguantur schismata, sacri Canones ad sanciendam condantur disciplinam. Indixerunt igitur Synodos Romani Pontifices vel convocando Episcopos, vel eorundem convocationi

(z) Pagius in Critic. Annal. Baron. T. I. ad a. 325. n. 8.

assensum suum præbendo, utì fecit S. Sylvester; quia Generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio tradita est, ut ait Pelagius II. Indixerunt easdem Synodos Imperatores, ut Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, ut Canonum se executores ac tutores demonstrarent; quare ob auctoritatem non Regiminis, sed Protectionis Constantinus M. indixit Nicænam Synodum, ut, quæ pacem Ecclesiæ spectarent, procuraret, *tanquam communis Episcopus*, ut ait Eusebius. Necesse autem erat prioribus Ecclesiæ sæculis Christianorum Imperatorum Auctoritatem ad Synodorum convocationem concurrere ob alias etiam rationes. *Primò* quia Ecclesia temporale Dominium non habebat, neque alicujus urbis, aut Provinciæ obtinebat Imperium. Neque tunc Respublica erat in Ecclesia: sed Ecclesia erat in Republica, ut ait Optatus; adeóque necesse erat, ut Imperatores locum aliquem & urbem Imperii sui assignarent ad celebrationem Concilii. *Secundò*, quia publicis expensis deducebantur, reducebantur, alebantur Episcopi, indéque literarum TRACTORIARUM usus. *Tertiò*, quia legibus cautum erat, ne conventus fierent absque Imperatorum licentia. Quare nunquam coacta sunt Concilia ab Imperatoribus, ut authoritatem suam ab illis mutuarentur; unde meritò exclamat Athanasius (a): *Quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* sed ut ab eis Protectionem obtinerent, ac eorum potestate freti Antistites, Hæreticorum faciliùs frangerent contumaciam. *Hucusque Pagius.* Ad II. ℞. Constantinum interfuisse Concilio, non præfuisse; nam quidquid ibi tractabatur, *ex Sacerdotum sententia factum id esse* testatur Rufinus (b): ac Theodoretus Constantinum duplici ex ratione accessisse Synodum ait (c), *partim ut multitudinem Episcoporum adspiceret, partim ut pacem inter illos conciliaret*, minimè autem Præsidii causâ; quod ex Rufino amplius ostenditur (d) dum Constantini ad Episcopos orationem his verbis complectitur: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari...* Præterea teste Theodoreto (e) Imperator in hoc Concilio non consedit, nisi cum venia Episcoporum, nec in throno, sed in humili sede, ex quo cognoscitur, quantum à Præsidentis ambitu & Religionis arbitrio abfuerit: & Leo Castrius ex Veteri Codice ordinis S. Benedicti refert (f): Hispaniæ Reges in Synodis ad Constantini exemplum solitos ante Episcoporum pedes provolvi; donec eorum brachiis erecti in Regia sede ponerentur pro eorum dignitate. Porrò Imperatores aliud robur decretis Episcoporum non addiderunt, quàm ut brachio armato (ubi opus foret) impedimenta tollerent: aut ne quis in forensi judicio his sanctionibus temerè obluctari auderet; ita enim Martianus posteà Augustus ad Synodum Chalcedonensem profitebatur (g): *Nos ad fidem confirmandam* Protectione Princi-

(a) Athanas. Epist. ad Solit.

(b) Rufinus Hist. Eccl. l. 10. c. 1.

(c) Theodoret. l. 1. c. 7.

(d) Rufin. l. 10. c. 2.

(e) Theod. hist. Eccl. l. 1.

(f) Leo Castrius in c. 49 Esaiæ.

(g) Apud Petr. de Marca l. 2. de Conc. Imp. & Sacerd. c. 6, n. 4.

Principali, *non ad Potentiam* seu potestatem *aliquam exercendam*, *exemplo religiosi Principis Constantini*, *Synodo interesse voluimus*, *ne vel alterius populi pravis suasionibus separentur.* Ad III. ℞. Nihil juris sacri inde erui, quod Imperatores, Religionis tuendæ zelo accensi, turbationum semina ab Ecclesia submovere connisi sint. Cùm enim Protectores sint Ecclesiæ, manum armatam subinde illi afferant, necesse est; ut ubi pax Religionis (è qua etiam salus & tranquillitas Reipublicæ maximè pendet) Sacerdotali edicto servari nequit, Principali brachio sustentetur. Et quoniam duplici modo Ecclesia turbari potest, scilicet ab exterioribus Novatorum molitionibus, aut ab intestinis dissidiis; Cæsarum Christianorum erit eam operam interponere, quam scelerati & divini ac Ecclesiastici juris cæteroquin negligentes magis pertimescant. Itaque Constantinus pro commisso sibi Ecclesiæ patrocinio, nullatenus verò ex proprio in Religiosa Sacra Imperio, Donatistarum licentiam frangendam putavit; & Valentinianus Ursicinum ab arrogata Pontificis sede mandato Cæsareo tandem expulit, postquàm hìc ambitiosus Apostolici throni usurpator Romani Cleri, ac Damasi legitimè electi Episcopi minis corrigi haudquaquam poterat (h). Ad IV. ℞. quemadmodum Imperatoribus Protectionem Ecclesiæ jam addiximus; ita legum ferendarum potestatem eatenus concedimus, quatenus hæc *pro sacris* sit, *non in sacris*; atque ùt formam, modúmque sacrorum definire, aut præscibere Principum facultatem excedit; sic officii sui partes optimè implebunt: si Ecclesiastica statuta, circa fidem & mores, censurásque Apostolicas authoritate suorum edictorum fulciant, executionem promoveant, refractarios coërceant: ad hos quippe compescendos infirmiora sæpe Sacerdotum remedia sunt, quibus teste Chrysostomo (i) non est *data talis potestas, ut authoritate sententiæ cohibeant homines à delicto; sacerdotum est tantùm arguere, liberámque præstare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere* (k). Quod & Augustinus confirmat, dum Principes hortatur. *Et nunc Reges intelligite, servite Domino in timore... Quomodo ergo Reges serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ servitute probibendo, atque plectendo? aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est: quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes, & contraria probibentes, convenienti vigore sanciendo: sicut servivit Ezechias, lucos destruendo &c.* (l). Quàm parùm autem Patrifamilias jus aliquod in Ecclesiam adscripseris ex eo, quod suæ domi abusus tollat, aut coërcitione quâdam famulos ad observationem legum Ecclesiasticarum compellat; ita Regibus, Principibúsque nihil inde Ecclesiasticæ accedet facultatis, quod corruptelis proscribendis in suo territorio, aut legum altiorum usui firmando nova edicta apponant. Quo facto verum manet illud, quod Ambrosius inculcatum voluit: *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est* (m). Ad

(h) Sozom. l. 4. c. 11. Baron. ad a. 367. Pagius §. 8.

(i) Caus. XXIII. Q. 8. c. 21.

(k) Chrys. hom. 4. de verbis Esaiæ 13. 15. 22. & 23.

(l) August. Epist. 50. ad Bonif. Com.

(m) Ambros.

Ad V. ℞. *Fas non esse, ut divini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*, utì loquuntur Theodosius & Valentinianus (n). Et Constantinus ait: *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi, vos verò non potestis ab hominibus judicari* (o), neque enim convenit, ut pastores ab ovibus in judicium trahantur: Julianus Apostata equidem hoc infregit; sed Valentinianus Desertoris maligna sensa correxit publicâ lege, ad quam S. Ambrosius provocat; cùm Valentinianum filium hâc super re meliora edocere cuperet (p): Dalmatius me Tribunus & Notarius mandato .... clementiæ convenit tuæ, postulans, ut & ipse judices legerem, sicut elegisset Auxentius (Arianus Episcopus)... Sed id addidit, *quod in consistorio esset futura certatio arbitro pietatis judicio tuæ. Cui rei respondeo, ut arbitror, competenter. Nec quisquam contumacem judicare me debet, cum hoc asseram, quod Augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit; sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis, hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus; & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere.* Itaque si Imperatores aliquid jusserunt, vel leges circa Sacra juri posteà civili inseruerunt; non id exercendæ jurisdictionis Ecclesiasticæ causâ, sed disciplinæ ejusdem tuendæ gratiâ præstiterunt. De Justiniani statuto, quo decrevit Clericos saltem in civilibus criminibus, furto & homicidio, coram sæculari judice conveniendos (q), quid sentiendum sit, in sequentibus decidemus. Ad VI. ℞. quod temporum acerbitas subinde extorsit, id in jus verti nequaquam potest. Duriora hac in re sæcula per historiæ decursum adhuc nobis obvenient, ubi de Electione, & Institutione Episcoporum legitima differendi locus amplior erit: antequam tamen hìc in sæculo IV. manum contrahamus; Chrysostomum audire juvat (r): *Quanquam admirandus videtur Thronus regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem præterea quidquam habet authoritatis:* & si sæculi ejusdem Patri minùs credimus; Theodosii M. nepos, ac ejusdem nominis Theodosius saltem fidem inveniat, dum ait: illicitum est eum, qui non ex ordine Sanctissimorum Episcoporum est, Ecclesiasticis immisceri tractatibus (s), cujus rationem posteà Imperator Valentinianus dedit: *ad illos Episcopos enim Divinarum rerum interpretatio: ad nos* (Imperatores) *Religionis spectat obsequium* (t) & clariùs arguit hunc in modum Basilius Imperator (u). *De Ecclesiasticis causis ... investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, atque solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, atque cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus &c.*

(n) Cod. Theod. l. 16. Tit. 2. l. 46. 47.

(o) Euseb.

(p) Ambr. Epist. 13. ad Valentin.

(q) Novell. 83. Coll. 6. Tit. 12.

(r) Chrysost. hom. 4. & 5. de Verb. Esaiæ.

(s) Epist. ad Synod. Ephes.

(t) Sozom. l. 6. Hist. c. 7.

(u) Act. Synodi VIII. apud Surium

REFLE-

REFLEXIO XI. ad §. 5. Num. 1. p. 113.

An Imperatores Christiani ante Gratianum Augustum Pontificis Maximi titulum sibi arrogârint?

1. ZOsimus quando exponere meditabatur Pontificum apud Ethnicos suos originem; hisce verbis seu veris, seu confictis rem aggressus est (a): *Cùm necdum homines cultum, qui per imagines exhibetur, intelligerent; prima in Thessalia Deorum simulachra facta sunt: cúmque nec sacraria quidem adhuc essent (nam & illorum incognitus erat usus) effigies divinas in Penei fluminis Ponte statuebant, indito illis vocabulo, qui Deorum sacris præfecti essent, ut à prima simulachrorum collocatione Gephyræi, (quasi si Pontanos dicas) nuncuparentur. Hoc à Græcis accepto, Romani eos, qui Sacerdotum in Collegiis apud ipsos locum Principem obtinerent, Pontificem appellârunt.* Hi Pontifices chlamydibus candidis ornati incedebant, ut scribit Lactantius (b).

(a) Zosimus l. 4. p. 671.

Pontificum origo apud Gentiles.

(b) Lactant. de mortib. Persecut. c. 36.

2. Atque hæc dignitas tanti apud Romanam Gentem à Reipublicæ exordiis habita est; ut eandem quoque primò Regibus, dein Imperatoribus adscriptam vellent. Nam ex testimonio Zosimi, *Numa Pompilius hunc honorem adeptus est, omnésque deinceps, qui Reges appellati sunt* (c). Tempore Consulum, (licèt hi Regiâ dignitate potirentur) penes alterum Pontificis authoritas, officiúmque fuit: ac ne quidem regnante posteà Octaviano Augusto, statim cum Cæsarea dignitate, Pontificia coaluit; nam idem Imperator exspectandum duxit, dum eo, qui tunc Sacerdotio fungebatur, mortuo hoc quoque pingue apud Ethnicos munus una cum cæteris sibi attraheret. Zosimus ab hac Historiæ serie ad Christianorum Imperatorum Primum Sæculum delabens, nullum ex iis ante Gratianum extitisse memorat, qui sive Pontificis Maximi nomen sive insignia abnueret (d). *Simul enim* (ait) *atque summum Imperium quisque consequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur. Ac cæteri quidem Principes Universi lubentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc usi titulo videntur; adeóque Constantinus etiam potitus Imperio; licèt is à recta* (Ethnicus hìc criminatur) *sacris in rebus viâ deflexerit, & fidem Christianorum amplexus sit; itemque post illum reliqui in ordine secuti, & Valentinianus, & Valens. Cum ergo Pontifices ex more, talem Gratiano amictum attulissent; aversatus est id, quod petebant, ratus non esse fas, illius modi habitu Christianum uti: cúmque stola Flaminibus reddita fuisset; ajunt eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex; admodum brevi Pontifex* MAXIMUS *fiet.* Alludebat nimirum ad Tyrannum MAXIMUM, jam non obscurè rebellantem & Imperio insidiantem, cujus partibus ipse Zosimus Gentilis præcipuè favebat.

(c) Zosim. l. 4. p. 671.

Imperatores Ethnici dicti Pontifices.

(d) Zosim. l. c.

Idem asserit Zosimus de Christianis Imperatoribus.

3. His in medium allatis in geminas partes, ſententiáſque Authores abeunt: alii quippe cum Pagio & Tillemontio fidem Zoſimo abnuunt dicenti, quod ante Gratianum Imperatores Chriſtiani nomen, habitúmque Pontificis admiſerint: Alii cum Baronio dandum aliquid ſcriptori utùt Ethnico hoc in argumento exiſtimant; ajunt enim Pontificis hujusmodi dignitatem authoritatem Conſulum longè ſuperâſſe; vi hujus comitia, ne fierent, religionis ſpecie prohibere poterant: decretis Senatûs intercedere. Ex Pontificum ferè arbitrio pendebat, utrum bella ſuſcipienda, aut Conſules abdicandi. Quare ſicuti Imperatoribus Ethnicis perutilis viſa eſt ſummi Sacerdotii arrogatio, ut ſummo religionis jure Senatum in Cæſares ſæpè acerbum, velut fræno cohibitum, potentiùs inflecterent ad obſequia; ita Chriſtianis Principibus neceſſaria Pontificis poteſtas erat eo tempore, quo ſciebant ſe invito Senatu regnare, & diverſâ religione jam in ſe Gentilium odium concitâſſe. Quæ ſanè cauſa cùm poſteà ceſsâſſet, quando tempore Gratiani & Theodoſii maxima Senatorum pars ad Chriſti ſacra tranſierat (e); Imperatoribus locus erat, fidentiùs Ethnicorum Sacerdotium, hujúſque muneris habitum (quem quidem Chriſtiani Imperatores non Sacrorum faciendorum, ſed poteſtatis conciliandæ causâ geſſerant) abjiciendi.

Sententia eorum, qui Zoſimo adſtipulari videntur.

(e) Ambroſ. in Ep. ad Valentinian. de relat. Symmachi.

4. Mirari hìc profectò ſubit, cur Recentior quidam iis rationibus, quas attulimus, non contentus, aliam ſubdere præſumpſerit: fundamentum nimirum cur Imperatores Chriſtiani ante Gratianum nomen, habitúmque Pontificis geſſerint, in Poteſtate Regum ſeu Imperatorum circa Sacra quæri oportere (f). Rationem ejuſmodi novam quoniam ex Goldaſto deſumpſit (g); hujus commenta breviter hìc adjungere ducimus opportunum. Uti citatus Zoſimus Imperatoribus Gentilibus Pontificatum tribuit; ita Chriſtianis Auguſtis Sacerdotium ſupremum Eccleſiæ Chriſtianæ addicere Goldaſtus non reformidat: atque ut fuco veritatis ſpeciem affingat; Gratianum ab Auſonio *religione Pontificem* dici, & Valentinianum *Pontificem inclytum* à Concilio Chalcedonenſi appellari; item Marciano acclamatum commemorat: *Pio & orthodoxo Imperatori, Pontifici Imperatori:* tandem fabulatur, Maximilianum I. Imperatorem Pontificalem tiaram iterum ambiviſſe, eúmque in finem Cardinalibus trecenta Ducatorum millia (ſi poſt fata Julii in ejus locum eligeretur) fuiſſe pollicitum; uti patere ait ex literis Maximiliani ad Paulum Lichtenſteinium a. 1511. datis (h). Ac ne ſine jure quæſiviſſe ſacerdotium videatur Maximilianus; porrò commentatur Goldaſtus, Sacratiſſimi & Sacroſancti Imperii nomina ideò obtinuiſſe, ut ex illis arcta communio inter Imperium & Sacerdotium commonſtretur, quod poſtremum Imperatores ante Gregorium VII. (licet Pontificis Maximi titulum non habuerint) geſſiſſe ſibi Goldaſtus imaginatur.

Goldaſti & Recentiorum hâc ſuper re opinio.

(f) Pfeffinger in Vitriario illuſtrato L. I. Tit. IV. p. 294.

(g) Goldaſt. Tom. III. Conſtit. Imper. c. 3.

Eorum argumenta.

(h) Goldaſt. P. 12. der Reichs-Handlungen §. 4. p. 428. & 429.

5. Scri-

5. Scriptorem hunc (cujus fides in multis laborat) confutandum tantò minùs censemus, quantò fortiùs jam contritus est à Gretsero, qui toto libro (anno MDCX. edito) *Insipientiam & falsimoniam Goldastinam in tertio Tomo Constitutionum Imperialium* commissam in lucem produxit (i) Breviter tantùm delibare quædam responsa ex Prædicto authore allubitum est: Christianus Imperator quantumvis potentissimus inter eos est, qui pascendi Petro aut ejus successori dati sunt, juxta illam sine discrimine prolatam Christi sententiam: *pasce oves meas.* Inter ligandos verò, aut solvendos est quoque Imperator quoniam potestas ejusmodi non Imperatori, sed Episcopo data est: itaque hujus erit verbum Dei prædicare juxta illud, *prædicate Evangelium, docete omnes Gentes.* Jure clavium uti, Concilia indicere, de fide Catholica constituere, Ecclesiam reformare, Episcopatus & Sacerdotia ordinare, causas Ecclesiasticas decernere, jejunia indicere supplicationes publicas mandare, in vitam & mores Clericorum inquirere, festorum gerere curam, manus imponere . . . . hæc quippe Pastorum, non ovium officia esse dignoscuntur. Et licèt Christianis paucis Cæsaribus, ac fortè etiam invitis supremi Pontificis nomen ab Ethnicis adjectum sit; non ideo quid conficies pro eorum Sacerdotio: nisi & eodem jure Neronem, Decium (nam eodem nomine appellantur) Ecclesiæ Pastores fuisse concesseris. Cæterùm Gratianus non aliter *religione Pontifex* ab Ausonio, atque ab Eusebio Constantinus *quasi Episcopus* dictus est: nimirum ut zelus, studiúmque Cæsarum significaretur, quo ad modum Episcoporum, Pontificúmque Fidem propagarunt. In Concilio Chalcedonensi Act. 3. (etsi allegata non habeantur in nova editione CC.) mendum esse ait Gretserus; nam *Ponticus inclytus* à Ponto devicto, non Pontifex Ecclesiæ (ut idem ait author) salutabatur Valentinianus: quod ex sequentibus, quæ adjunguntur, patet; nam ibidem legitur *Germanicus inclytus*, *Alemannicus inclytus*, *Sarmaticus inclytus* ex ratione supra allegata. E diverso Leo Præsul in eadem Synodo Chalcedone celebrata *Pontifex Universalis* sive Maximus communi omnium voce proclamabatur. Binius aliam Actionis tertiæ corruptelam profert, dum ait Martiani tertium annum, quo Imperio potiebatur, scribi trigesimum septimum *Tribunitiæ potestatis*, cùm hæc dignitas nonnisi cum Regni aditu dari consueverat. Demum Gretserus ad plures Valentiniani & Marciani & Leonis Impp. Epistolas provocat, in quibus Pontificis titulus nusquam ab oculatissimis etiam Criticis conspici potuit. Et næ is lyncis acumen omne superârit, qui se Maximiliani Pontificatum tam improbè quærentis literas aliquando vidisse testari possit. Bæotico in aëre natus sit, necesse est, qui fraudis hìc insigne documentum non olfaciat: habent hoc Adversarii, ut cùm Imperatoribus jura sua acerbo subinde calamo restrinxerint; seu ludificandi, seu jocandi causâ vanas umbras, seu indebitum Pontificis titu-

(i) Gretserus in Tom. VI. edit. Ratisb. p. 276

Confutatio Goldastiani erroris.

Solutio argumentorum, quæ à recentioribus & Goldasto objiciuntur.

titulum, quem hodiedum Imperatores ipsi rejiciunt, obtrudere etiam nolentibus allaborent. Neque ex eo quod *Imperium* appelletur *Sacrum*, Imperatoris Sacerdotium exsculpes: legeris, credo, sæpe Imperatorum responsa *Divalia* vocari; an ideo eosdem Deos fuisse argues? Ad *postremum* Gretserus respondet, "non esse illud argumentum, sed mendacium; Nullus enim Imperatorum summi Pontificis officium sibi competere existimavit; & hoc vel inde planum fit, quòd etiam legitimorum Pontificum summi hostes, inter quos Henricus IV. & diversi plures distinctos summos Pontifices vel potiùs Pseudo-Pontifices sibi creârint, ut Henricus Cadalvum, & Guibertum: Fridericus I. Victorem contra Alexandrum III.: & alii alios. Cur autem non se pro Pontificibus ostentârunt, & jactitârunt Cæsares, si ex Imperatoris officio Pontificatus Maximus illis competebat?,, ita ille (k), cui hoc duntaxat Gelasii Papæ (l) subscribendum censemus: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tantò gravius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem.*

(k) Gretserus l. c. c. 5. p. 288.

(l) Dist. 96.

6. Altero loco nunc explicanda est Sententia Tillemontii (m) & Pagii (n) aliorumque (o), qui Goldasti fundamentum potissimum succutiunt; dum docent, Christianos Imperatores nequaquam *Pontificis Maximi* nomen usurpâsse. Nam licèt Zosimus (p) scribere ausus sit: *simul atque summum Imperium quisque consequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur*; hanc tamen scriptoris in Christianos acerbi, & in Historia sæpius hallucinantis fidem tanti non habent, ut eam Sozomeno illa in re anteponendam ducant: Hic verò de Juliani initiis loquens, tanquam rem novam observat, quod idem Imperator se Pontificem Maximum, utique primò dixerit: *Cúmque*, inquit, *anteà Christianus fuisse videretur, repente mutatâ Religione, semet ipse Pontificem Maximum appellavit* (q). Et quis credat, Principes (qui eradicare Gentilium superstitionem, quantum tempora ferebant, adnitebantur) publico exemplo ritus abominandos consecrare, & nominis sui authoritate firmare voluisse. Nullus certe Oratorum Ethnicorum fuisset, qui hoc facinus amplà panegyri non fuisset complexus; dum è diverso Patres, sanctique Scriptores piaculum ejusmodi voce & calamo detestari, ac carpere non destitissent: silentium itaque tum Ethnicorum, tum Patrum non vanam suspicionem injicit; Zosimum nihil acerbitatis, multum fidei suæ Historiæ detraxisse. Atque ut hæc dissimulemus; Zosimus ipse sibi in hac re asserenda minùs constat: ait enim se fabellam non ab æquis authoribus, sed tumultuariò accepisse. Hinc addit: *Ajunt quidam &c.*

(m) Tillemont. in V. Grat.

(n) Pagius in Critic. Tom. I.

(o) Gothofredus in Ep. ad Biretum.

(p) Zosim. l. 4. p. 761.

Sententia Tillemontii & Pagii.

(q) Sozomen. l. 5. c. 1.

7. Sunt equidem inscriptiones quædam apud Gretserum de Constantino M., Valente, Gratiano (r) quæ Zosimi Imperatoribus Pontificis Maximi

(r) Vide Pagium ad ann. 312. n. 22.

ximi nomen adſcribentis opinionem veroſimiliùs firmant. Sed ut benè Gothofredus notat: Imperatoribus invitis hunc titulum, illis in inſcriptionibus expreſſum, obtruſum fuiſſe ab Ethnicis; qui pro Joviano licèt Religioſiſſimo Imperatore hoſtias Gentilium more cædebant, extaque inſpiciebant (s). Præter eà obſervandum monet Pagius (t), " nonnullos ex inſcriptionibus illis non in Chriſtianorum primùm Imperatorum, verùm in Gentilium gratiam factas fuiſſe, quorum eraſis poſtea nominibus, Chriſtianorum nomina à Gentilibus ſuffecta, eorúmque loco inciſa, inſculptáque ſunt " ita ille, cujus exemplum Baronius adducit in inſcriptione Conſtantiniana, quod videri poterit apud citatum Pagium. Ex quibus nunc tandem hoc modo concludimus, contra Goldaſtum: ſi ne quidem authoritas Zoſimi (Ethnicorum Sacerdotium Cæſaribus imponentis) fidem inveniat, Ecquis minùs fideli ſcriptori ita adhuc inniti auſit, ut inde fundamentum, occaſionémque expiſcetur, Pontificis Chriſtiani munus, titulúmque ad Imperatores transferendi?

Difficultatum Solutio.

(s) Amm. l. 25. c. 6.

(t) Pagi l. 4. n. 24.

REFLEXIO XII. ad §. 5. num. 3. pag. 115.

De Hunnorum & Alanorum Origine.

1. QUemadmodum in tertio ſæculo Alemanni, Franci, Burgundi, aliæque gentes vicinas Galliæ, Pannoniæque Provincias terrore ſuo, atque armis concuſsêre; ita in ſæculo quarto circa annum CCCLXXVI. Hunnorum illorum nomen occurrit, qui primùm hoc anno Gothos, atque Alanos vi ſuâ è ſedibus ejectos compulerunt transmigrare in Thraciam (a). Atque ita exitii illius exordia quædam moliti ſunt, quibus poſtea totum, quà latè patuit, Romanum Imperium convulſum eſt. " Hunnorum gens, ut ait Ammianus (b) monumentis Veteribus leviter nota ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens, omnem feritatis modum excedit: ubi quoniam ab ipſis naſcendi primitiis, infantum ferro ſulcantur altiùs genæ, ut pilorum vigor tempeſtivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur: ſeneſcunt imberbes absque ulla venuſtate, ſpadonibus ſimiles. Compactis omnes, firmíſque membris, & opimis cervicibus, prodigioſè deformes & pandi .... ſemicrudâ cujusvis pecoris carne veſcuntur, quam inter femora ſua & equorum terga ſubſertam, fotu calefaciunt brevi. Ædificiis nullis unquam tecti: ſed hæc velut ab uſu communi diſcreta ſepulchra declinant..... Non alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis: ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta, non ante deponitur, aut mutatur, quàm diuturnâ carie in pannulos defluxit defruſtata. Galeris incurvis capita tegunt; hirſuta crura coriis munientes hædinis; eorúmque calcei formulis nullis aptati vetant incedere

(a) Ammian. Marcell. l. 31. circa init.

(b) Ammianus. Marcell. l. c.

Hunnorum Patria & mores.

Eorum Domicilia & Veſtes.

dere gressibus liberis; quâ causâ ad pedestres parum accommodati sunt pugnas: verùm equis prope adfixi, duris quidem, sed deformibus & muliebriter iisdem nonnunquam (*cruribus in unum equi latus junctis*) insidentes funguntur muneribus consuetis. In ipsis quivis in hac natione pernox & perdius emit & vendit: cibúmque sumit & potum, & inclinatus cervici angustæ jumenti in altum soporem adusque varietatem effunditur somniorum. Et deliberatione super rebus propositâ seriis, hoc habitu omnes in commune consultant. Aguntur autem nullâ severitate regali, sed tumultuario Primatum ductu contenti, perrumpunt, quidquid inciderit. Et pugnant nonnunquam lacessiti; sed ineuntes prælia cuneatim variis vocibus sonantibus torvùm. Usque ad pernicitatem sunt leves & repentini; ita subitò de industria dispersi lugescunt, & impositâ acie, cum cæde vasta discurrunt; nec invadentes vallum, nec castra inimica pilantes præ nimia parte decernunt .... Nemo apud eos arat, ... omnes enim sine sedibus fixis absque lare, vel lege, aut ritu stabili dispalantur; semper fugientium similes cum carpentis, in quibus habitant: ubi conjuges ex illis vestimenta contexunt, coeunt cum maritis, pariunt. Nullus apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest; alibi conceptus, natúsque procul & longiùs educatus. Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentis spei novæ perquam mobiles, totum furori incitatissimo tribuentes... Nullius Religionis vel superstitionis reverentiâ districti, auri cupidine immensâ flagrantes, irasci faciles ... Hoc indomitum hominum genus per rapinas, cædésque finitimorum adusque Achajam (*tempore scilicet Ammiani*) pervenit,, *hucusque Ammianus Marcellinus*.

Quâ ratione bella gerant?

Sunt Nullius Religionis.

2. Sidonius Gentis ejusdem originem refert (c), sed paucioribus versibus illum constringit Claudianus:

Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim, quo non deformius ullum
Arctos alit, tristes habitus, obscœnáque visu
Corpora, mens duro nunquam cessura labori,
Præda cibus: vitanda Ceres: fratrésque secare
Ludus, & occisos pulchrum jurare Parentes (d).

Anno 374. in Pannonias effusi Hunni eidem regioni Hungariæ nomen dedisse feruntur: in Thraciæ partem seu Mœsiæ à Valente recepti, Auxiliares posteà Romanorum fuère. A. 407. in Galliam & Italiam migrârunt Duce Attila; dum in Catalaunicis campis à Meroveo Francorum Rege, & Aëtio Romanorum Duce devicti, circa annum 450. se in Pannoniam receperint: tandem ab Ugris, Scythicâ gente, sub Carolo Crasso cladibus attriti, & sedibus pulsi sunt: Eorum Rex Horda, eodem tempore (quo Herulorum Rex Gothus) circa annum 528. ad Christi sacra transiit.

(c) Sidonius lib. 26.

(d) Claudian. in Rufinum.

3. Sed quoniam Hunnorum gloria, noménque inde celebrari cœpit, quòd Alanos vicinos suâ Patriâ majore vi exuerint; ALANORUM, hic quoque genus, morésque contemplari opportunum ducimus ex Ammiano, qui sequentia de hoc populo recenset (e): "In immensum extentas Scythiæ solitudines inhabitant, ex montium appellatione cognominati; paulatímque nationes conterminas, crebritate Victoriarum attritas, ad Gentilitatem sui vocabuli traxêrunt, uti Persæ. Inter hos *Neuri* mediterranea incolunt loca ... Alani sunt Orienti acclives ... Asiaticos vergentes in tractus ... Non sunt illis tuguria, nec versandi vomeris curæ: sed carne & copiâ victitant lactis, plaustris supersidentes, quæ operimentis curvatis corticum, per solitudines conferunt sine fine distentas ... maximè equini pecoris est eis sollicitior cura ... Juventus equitandi usu à prima pueritia coalescens, incedere pedibus existimat vile, & omnes militari disciplina prudentes sunt bellatores. Unde etiam Persæ, qui sunt originitus Scythæ, pugnandi sunt peritissimi. Proceri autem Alani penè sunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorúmque temperatâ torvitate terribiles, & armorum levitate veloces, Hunnísque per omnia suppares; verùm victu mitiores & cultu ... Latrocinando & venando ad usque Mæotica stagna, Cimmerium bosphorum, itémque Armenias discurrentes & Mediam. Illos pericula juvant & bella: ille beatus, qui in prælio profuderit animam: senescentes, & fortuitis mortibus mundo digressos, ut ignavos conviciis atrocibus insectantur. Nec quicquam est, quod elatiùs jactent, quam homine quolibet occiso: próque exuviis gloriosis, interfectorum avulsis capitibus detractas pelles pro phaleris jumentis accommodant bellatoriis. Nec templum apud eos visitur, aut delubrum; sed gladius Barbarico ritu humi figitur nudus; cúmque ut Martem (Regionum, quas circumeunt, præsulem) verecundiùs colunt. Futura miro præsagiunt modo; Nam rectiores virgas fœminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, apertè, quid portenditur, nôrunt. Servitus quid sit, ignorabant, omnes generoso semine procreati, judicésque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi usu spectatos."

(e) Ammian. Marcellin. l. 31.

Alanorum genus & mores.

Alanorum crudelitas.

Eorum Religio quæ fuerit?

4. Alani juncti Vandalis, Suevísque, uti & posteà Gothis sub initium sæculi V. trajecerunt Rhenum: & Moguntiâ, Wormatiâ, Remis, Ambiano ... captis (f), tandem à Vallia Visigothorum Rege victi, Anno C. 418. in Africam, Hispaniámque transierunt (g). Posteà à Justiniano devicti eidem Imperatori nomen ALANICI reliquerunt.

(f) Cassiodor. in Chr.

(g) Salvian. l. 7. de Provident.

RE-

REFLEXIO Ultima in Cap. I. Libri IV.

De Scriptoribus Profanis Sæculi Quarti.

(a) Tacitus 2. Annal.
(b) Julian. or. 1.
(c) Auſon. Profeſſ. c. 4. Hieronym. Epiſt. 150.
Scriptores Ethnici ſub Conſtantino.
(d) Jouſius de ſcript. Hiſtor. Philoſoph. p. 174. & Jamblich. de Vita Pythag. apud Joann. Arcerium.
(f) Cod. Theod. Chron.

1. QUoniam *ſublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia pereunt* (a); Conſtantinus (b) aliique ſæculi quarti Principes ſuâ liberalitate id curârunt, ut ſuis temporibus non deeſſent decora ingenia. *Sub Conſtantino M.* ad a. 336. teſte Hieronymo floruit Orator ATTIUS PATERA ex Druidarum genere natus: Rhetoricam primò Romæ, dein Burdegalæ magnâ cum laude docuit (c). JAMBLICHIUS de Pythagoræorum ſchola Philoſophus, oriundus ex Chalcide Syriæ, ſub Porphyrio & Anatolio artes ſuas condidicit; ſubinde Præceptori & arte Magicâ, & Philoſophiâ æqualis Romæ habitus ſcripſit *vitam Pythagoræ, ad Alypium Orationes paræneticas pro Philoſophiæ ſtudio capeſſendo.* Holſtenius ejuſdem Philoſophi opera edere promiſerat, ſed mors citiùs virum eripuit, quàm ut fidem exſolveret (d). Gothefredus his ſcriptoribus coævos facit GREGORIUM, & HERMOGENEM duorum nominis gemini Codicum authores (f): incipit uterque ab Adriani legibus, neque Diocletiani ætatem excedunt; quia Conſtantini leges tangere nolebant, ob diverſas viciſſitudines, quibus hic Princeps veterem Jurisprudentiam correxerat: ſequuntur ordinem temporis in ſuis codicibus, qui privatâ authoritate congeſti; poſtea tamen Imperatorum voluntate evulgati ſunt: ex iis nonniſi pauca fragmenta in diverſis Jurium voluminibus aſſervantur.

Scriptores Chriſtiani ſub Conſtantino.
(g) Gennad. c. 15.
(h) Hieron. V. illuſtr. c. 48.

Ethnicis Scriptoribus aliquot è Chriſtianis accenſemus, quorum *primus* COMMODIANUS, ejuratâ idololatriâ Inſtructionem ſcripſit de Deorum vanitate, caſtigat Chriſtianorum vitia, laudat paupertatem voluntariam & divites hortatur ad diſpenſandas Eleemoſynas: in uno tamen vir dogmatum fidei necdum ſatis gnarus hallucinatus eſt; dum in Papiæ doctrinam abreptus, Millenariorum ſomnium facilè credidit (g): Alter dicitur JUVENCUS Poëta Chriſtianus (h), qui Evangelicam Hiſtoriam Hexametris verſibus complexus eſt; quorum ſincerum ſenſum Gelaſius in Concilio Romano laudavit.

Scriptores ſub Conſtantio.
(i) Auſon. Prof. c. 1.
(k) Auſon. Carm. 5. de Profeſſor. Burdegal.
(l) Hieron. in Chron. ad a. 360.

2. *Sub Conſtantio* rem literariam illuſtrârunt, Tiberius Victor Minervius, qui duabus in celeberrimis urbibus ſcilicet Conſtantinopoli & Romæ, demum Burdegalæ in natali ſolo eloquentiam docuit (i); cui eodem tempore acceſſit DELPHIDIUS ATTICUS TYRO Rhetor Burdegalenſis ab Auſonio celebratus (k): *facunde, docte, linguâ & ingenio celer, totus amæne Delphidi.* Ex Grammaticis floruêre eâdem ætate DONATUS ÆLIUS S. Hieronymi præceptor (l), qui commentarios in Terentium, & Virgilium reliquit: & Gregorius M. de regulis Donati ejuſdem loquens, ait eas in fine Sæculi VI. uſitatas fuiſſe. NONNIUS MARCELLUS ſcripſit librum

librum de proprietatibus verborum latinorum (m). SEXTUS POMPEJUS FESTUS epitomen dedit Verrii Flacci, nimirum ejus, qui regnante Augusto vixit. Ex Historicis hujus temporis insignior fuit SEXTUS AURELIUS VICTOR natus in Africa, deduxit Historiam Imperatorum ab Augusto usque ad vigesimum tertium annum Constantii, qui est annus 359. Æræ Christianæ (n): idem author scripsit Epitomen virorum Illustrium Romanorum, finitque compendium in Julio Cæsare (o), quamvis hoc idem opus alii Cornelio Nepoti, vel Plinio Juniori, alii Æmilio Probo, Tacito, aut Suetonio tribuendum censeant. Cæterùm alia Historia Imperatorum præ manibus est, quam alius Aurelius Sextus Victor scripsit usque ad Theodosium. Ethnicis scriptoribus hìc denuò subjicimus Christianum, Ecclesiasticis aliàs annumerari solitum, scilicet FIRMICUM MATERNUM, cujus opus, quod edidit de errore & falsitate Religionis profanæ circa annum 350., ab omnibus celebratur (p). Bucherius anno 1633. quædam evulgavit opuscula, quæ sub Constantio conscripta fuisse asserit, scilicet *fastos Consulum* ab anno 205. ad a. 354. unà cum Epactis, & Bissextilibus, quamvis Norisius a. 1689. eosdem fastos ampliore volumine in lucem dederit, scilicet à primis Consulibus Bruto & Collatino usque ad annum 354. quod opus variis observationibus illustrat (q). *Alterum opus* complectitur Consules & Præfectos Romæ ab a. 254. ad a. 354. (r). *Tertium* describit depositionem Pontificum, horúmque sepulturas à Lucio usque ad Julium; hic liber Marcellum cum Marcellino confundit, & Calendarium Martyrum Romanorum subinde refert ita, ut initium anni à 25. Decembris derivet. *Quartum* est Pontificale, & Catalogus Pontificum, incipit à morte JESU Christi, & in Liberio desinit; labitur tamen author, dum Anicetum, Eleutherium, & Zephyrinum omittit. *Quintum* recitat dies Nativitatis & Coronationis Imperatorum ex ordine mensium (s). His Du Cangius annumerat Chronicon Paschale, sive Alexandrinum (t), quod à diversis compositum finit in a. 354., continuatum posteà ab Ariano est usque ad tempora Heraclii.

(m) Tillem. in V. Const. a. 65.
(n) Vossius Histor. lat. p. 196.
(o) Idem. l. c.
(p) Dupin. T. 1. p. 578.
(q) Noris. de Diocl.
(r) Bucher. Cycl. Pasch. p. 236-241.
(s) Petav. Uran. p. 114.
(t) Du Cange in Chron Pasch. Paris. 1688.

Scriptores sub Juliano Apostata.

3. *Sub Juliano Apostata* PROÆRESIUS Armenus giganteæ magnitudinis ab Ulpiano Oratore Antiochiæ, dein à Juliano Rhetore Athenis præcepta Eloquentiæ hausit; ubi subinde celeberrimus Magister evasit, cujus disciplinæ se addixerunt SS. Basilius, & Gregorius Nazianzenus: à Constante vocatus in Galliam, inde Romam abiit, quæ urbs eidem statuam erexit, cum hac inscriptione: *Roma Regina urbium Regi eloquentiæ.* Julianus ab eodem tempore, quo Athenis studuerat, virum licèt Christianum maximis honoribus prosecutus est, nam cum Christianis docere humaniores literas interdixisset, huic uni docendi facultatem reliquit; quam tamen gratiam non admisit, sed scholas, officiúmque abdicavit,

(u) Eunapius c. 8. Hieronym. Chronic. Suidas 11. p. 596.
(x) Eunap. c. 5.
(y) Photius c. 218.
(z) Eunap. c. 19.
(a) Photius c. 165.
(b) Amm. l. 29. p. 390.

dum post Juliani mortem cathedram repeteret: obiit circa annum 368. (u). Alter, qui Regnante Juliano floruit, Medicinæ peritissimus erat ORIBASUS natus Pergami in Asia (x), jubente Cæsare commentarios in Gallenum composuit: quinquaginta libri supersunt, & editi Parisiis anno 1555. (y) Hic Julianum in Persiam secutus, vulnus Principis à divina justitia inflictum frustra sanare conabatur. Post mortem Apostatæ in exilium ejectus, posteà tamen revocatus vitam protraxit ad annum 400., quando Eunapius vitas Sophistarum descripsit (z). Ad annum 361. Christianos suis Declamationibus allatravit HIMERIUS Sophista ex Bithynia ortus (a). Ad annum 362. ad aulam Juliani evocabatur MAXIMUS Philosophus, à quo Imperator infelix Magiæ, & Gentilium superstitionum dogmata accepit: natus erat Ephesi (b), Jamblichi posteà discipulus, & demum Magister CHRYSANTHI & PRISCI pessimorum Magorum, qui ad expeditionem contra Persas pollicitationibus ingentibus Julianum pertraxerunt. Imperante Valentiniano Maximus ad mulctam pecuniariam damnatus, cum summam solvere non posset; usque ad annum 365. carceri datus est, à quo per Themistii operam liberatus, per tempus Constantinopoli vixit. Circa annum 371. tandem unà cum cæteris Philosophis Magiæ accusatus, supplicio supremo suas præstigias, sceleráque luere debuit. Eodem tempore orbem suâ eloquentiâ defixum tenuit LIBANIUS Antiochiæ, natus anno 315., ætatem produxit ad annum 390.: post absoluta Athenis studia, Constantinopoli, Nicomediæ, denique Antiochiæ Rhetoricam tantâ cum laude docuit, ut Julianus ei Quæstoris & Successores posteà eidem Præfecti Prætorio honores concesserint: quamvis Libanius his titulis minimè usus, in Sophistæ nomine se unicè jactaverit. Quantus Christianorum hostis fuerit, ex ejus Orationibus liquet, duæ habentur inter Luciani opera (c), quarum *Prior* inscribitur μονῳδία ἐς Ἰυλιανὸ, ubi in Constantinum M. invehitur quod sacrificia prohibuerit, templa clauserit, & meretriculis (ita enim criminatur) habitanda concesserit: *Posterior* dicitur ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰυλιανῷ, quâ Christianos unà cum Constantio carpens, Juliani necem in Christianos conjicit. Est & alia oratio *de templis Gentilium*, quam Gothofredus Genevæ a. 1634. in lucem edidit, in hac delubrorum caussam agit apud Theodosium, dein Episcopos Monachósque velut templorum destructores accusat (d).

(c) Tom. III. oper. Luc.
(d) Tillemont. in Julian. V. a. 37.

Antequam de scriptoribus sub JULIANO celebrioribus finem faciamus; ipsum adeò hunc Principem litteratis viris adnumerare juvat: sub Mardonio enim & Maximo præceptoribus, & ex Libanii consuetudine doctrinæ multum, plus tamen erroris & malitiæ combibit; quod virus (ubi adoleverat in Cæsarem) in tres libros effudit, quibus Christianam fidem acerrimè impugnavit, καὶ τῶν ἁγίων ἐυαγγελίων, καὶ κατὰ τῆς ἐυαγῦς τῶν χριςιανῶν θρησκείας, inquit Cyrillus Alexandrinus, qui hæc

maligna

maligna volumina validè confutavit (e); operíque suo (omissis duntaxat in Christum, ejusque Religionem invectivis) maximam librorum Julianæorum partem intexuit (f).

(e) Tom. IV. oper. S. Cyrilli.

(f) Petrus Cave in Sæc. Ariano. p. 220.

4. *Sub Valentiniani & Valentis Imperio* floruit AMMIANUS MARCELLINUS; nam uti S. Hieronymus suum Chronicon in dicti Cæsaris obitu finit; ita & Ammianus MARCELLINUS Historiam Cæsarum circa idem tempus absolvit: ortu Græcus erat, domo ut videtur, Antiochenus, castra secutus Persiæ, Mesopotamiæ, Galliæque expeditionibus interfuit; depositâ militiâ Romæ latino sermone Historiam scripsit: ex 31. libris, nobis octodecim posteriores duntaxat supersunt, qui incipiunt ab anno 353, finiúntque in morte Valentis; odium in Christianos & Constantium, Zelúsque Ethnicæ superstitionis ex modo scribendi colligitur: Critici quamvis in Authore hoc reprehendant nimias digressiones: & annorum perturbationem; laudant tamen ejus monumenta, fatentúrque sine Ammiani commentariis historiam istius temporis ignotam vel obscuram fore; præstantissima editio est, quam Hadrianus Valesius notis illustratam Parisiis edidit Anno 1681. (f). Circa idem tempus Epitomen Historiæ Romanæ contraxit EUTROPIUS jubente Valente Cæsare, cui opus suum dedicavit: Valesius illum appellat authorem sincerum & elegantem. Vossius tamen illum parum concinnum dicit (g), aliqui eum Christianis annumerant, alii id negant, propterea quod de Joviano scribat, *eum inter Divos relatum* fuisse.

Scriptores sub Valente & Valentiniano.

(f) Petrus Cave l. c. Tillemont. in V. Valentis a. 23.

(g) Voss. h. lat. l. 2. c. 8.

5. *Sub Gratiano* DECIMUS MAGNUS AUSONIUS, natione Gallus, domo Burdegalensis, Julii Ausonii Medici filius, in Patriâ primùm urbe Grammaticam, Rhetoricámque professus (h), posteà Gratiani Augusti præceptor à Valentiniano constitutus est (i): ex ejusdem Cæsaris gratia Comitis titulum ac Quæstoris; dein Gratiano favente Præfecturam Prætorii, mox & Consulatum gessit anno 379., pro quo oratione eruditâ Principi gratias egit. Poësin, quâ non mediocriter valebat, ingenio lapido & acuto probavit. Ea tamen suis commentationibus admiscuit, ex quibus suspicio non paucis injecta est, Ausonium Gentilem fuisse. Nam præterquàm quod Paganæ religionis ritus & antiquitates ubique depingat (k); scripsit nonnulla adeò fœda, atque detestanda, ut neque scriptore, neque auditore digna, non in spongiam incumbere merita sint, sed solis flammis expiari posse videantur (l). Tillemontius contra cum paucis illum Christianis annumerant, Trinitatis enim Mysteriorúmque fidei mentionem in scriptis facit (m); quamvis hancipsam fidem, quam professus est, lascivâ dicendi venâ, & molli vivendi genere labefecit; unde etiam Paulino ad solitudinis arctiorem vitam anhelanti velut rudis in Christi schola alumnus dissuadere triste institutum annisus est. Opera ejus, quæ ad historiam serviunt, sunt *Epitaphia Professorum Burdegalensium*;

Scriptores sub Gratiano.

(h) Auson. profess. a. 17.

(i) Ejusdem Epidillyon 32

(k) Petrus Cave in Sæc. Arian. p. 220

(l) Jul. Scaliger l. 6. Poet. c. 5.

(m) Epist. 24. ad Paulin.

ſium; elogia præcipuarum Imperii urbium: Oratio Eucbariſtica ad Gratianum: Moſella & faſti Conſulares usque ad annum 383., qui interierunt.

Scriptores ſub M. Theodoſio Latini.

6. *Sub Theodoſio M.* duplicis generis claruêre authores ſcilicet Latini, & Græci. Inter Latinos eminuit Q. AUREL. SYMMACHUS Româ oriundus. Quæſtor is fuit, Prætor & Proconſul Africæ a. 373. Præfectus Romæ a. 384. & Conſul ejusdem urbis a. 391. hoſtis infenſiſſimus Chriſtianorum pro Ara Victoriæ reſtituenda Valentiniano libellum obtulit; ſed Ambroſius hominis conatus Apologiâ ſuâ repreſſit: ob infeſta adverſus Chriſti Religionem ſtudia in exilium tantiſper proſcriptus; ſubinde tamen à Theodoſio in gratiam receptus eſt. Eloquentiæ ſubtilis & callidæ vim, ingénsque nomen ſuo tempore habuit; ejus filius *decem miſcellaneorum libros* ab eodem concinnatos evulgavit: qui recuſi anno 1604. Pariſiis: *Relatio Symmachi de Ara Victoriæ* habetur inter Ambroſii opera. His adde *Epiſtolas*, quæ cum Fr. Jureti & Joan. Lectii notis prodierunt Genevæ 1598. (n). SEXTUS AURELIUS VICTOR, qui & *Junior* vocatur, Hiſtoriam in Theodoſio finit, cujus amplam laudem complectitur; videtur opus vel epitome eſſe excerpta ex hiſtoria Victoris Senioris (o). SULPITIUS ALEXANDER ſcripſit Hiſtoriam Gallicam teſte Gregorio Turonenſi (p).

Scriptores ſub Theod. Magno, Græci.

Inter Græcos Scriptores palmam eâ ætate tulit THEMISTIUS Philoſophus natus a. 317. in Paphlagonia, ob Eloquentiam Euphrades dictus (q), ſcripſit *varios commentarios in libros Ariſtotelis & Platonis* (r). Prætereà edidit ſua, videlicet *de interpretatione & inſcriptione prædicamentorum, & orationes*, quarum 33. hodie habemus. Hujusmodi eruditionis fama Themiſtium variis honorum gradibus dignum præſtitit; nam Conſtantius ei Senatoris Conſtantinopolitani titulum a. 355. dedit; & nomine totius Senatûs legatione decies fungi juſſus eſt apud Jovianum, aliósque Imperatores: Socrates & Sozomenus ajunt, Themiſtium fuiſſe (quamvis Gentilem) qui Valentem Imperatorem in orthodoxos ſævientem authoritate ſuâ, & epiſtolis reddidit mitiorem (s). Theodoſius tandem anno 384. eundem Præfectum Conſtantinopolis creavit (t). EUNAPIUS apud Sardes natus (u), Chryſanthii, dein Proæreſii diſcipulus, Medicus, & Hiſtoricus non incelebris. Scripſit *librum de vitis Philoſophorum & Sophiſtarum.* Incipit à Plotino, qui vixit in medio ſæculi tertii, dein Porphyrii, Jamblichi, & diſcipulorum res geſtas enarrat. Concinnavit quoque Hiſtoriam Imperatorum quatuordecim libris contentam (x), quæ inde oritur, ubi Dexippus deſierat, nimirum in anno 268, finitque in morte Eudoxiæ Arcadii conjugis anno 404. Quàm benevolus Author eſt Juliano, tam acerbus Chriſtianis Imperatoribus: Hiſtoria dicitur aſſervari in Bibliotheca Venetorum, & nobis hodie omnibus compendium iſtius proſtat in Zoſimo, qui in epitomen ferè Eunapii libros contraxit (y).

(n) Petrus Cave l. c. Tillemont. in V. Theod. a. 91.
(o) Idem a. 92.
(p) Greg. Turon. Hiſt. l. 2.
(q) Jonſ. l. 3. c. 16.
(r) Photius c. 73.
(s) Socrat. l. 4. c. 32. Sozom. l. 6. c. 36.
(t) Themiſt. or. 17. & 31.
(u) Eunap. c. 8.
(x) Photius c. 77.
(y) Photius C. 98.

CAPUT

CAPUT II.

GLORIA & FELICITAS ECCLESIÆ,

Quæ

IN SÆCULO IV. SUB CHRISTIANORUM PRINCIPUM IMPERIO

UBIQUE ORNATA, DOTATA, & LEGIBUS MUNITA, DUOBUS OECUMENICIS CONCILIIS CONFIRMATA, & MULTORUM PATRUM DOCTRINIS ILLUSTRATA,

Triumphavit de excisa penitus Superstitione Ethnica, & validas Donatistarum, Arianorum, Semiarianorum, Photinianorum, Aetianorum, Eunomianorum, & Macedonianorum Sectas meliore fide, ac virtute sinceriore repressit.

§. I. PERSECUTIONES *Maximiani, Galerii, Maximini, & Licinii.* CONVERSIO *Constantini, & ejus edictum pro Christianis.* SS. PONTIFICES *Marcellus, Eusebius, Melchiades, Marcus, Julius.* VIRI *SS. Antonius Eremita, Ammon, Hilarion, Alexander Alexandrinus, Athanasius; hujus ærumnæ & exilium.* CONCILIA *Romanum, Arelatense, Ancyranum, Neocæsariense, Conciliabulum Tyriense.* SCHISMA *Donatistarum & Meletianorum.* HÆRESIS *Arii & funesta mors.*

1. QUod Soli inter densissimas nubes latenti evenire solet, ut discussâ immani tempestate è nubilo splendidior emergat; ita Christi Ecclesia ac vera fides hoc sæculo quarto è Tyrannorum carceribus, atque exiliis deterso squalore, illustrior in publicum orbis conspectum prodiit; visaque tunc Gentibus est illa Majestas, quæ in meridiano sole ponens tabernaculum suum (a), ab omnibus aspici, credi, colique voluit: fuerat enimverò istis temporibus decreta ea felicitas (* 1), quam sacer Vates (b) conceptis hisce ver-

(a) Psal. 18.

(b) Esaiæ c. 49.

(* 1.) Quatuor Magdeburgici scriptores quantamcunque crisin cæteris sæculis affricare conati sint; miti tamen censurâ quarti sæculi explicationem hæc in verba ordiuntur: Centur. 4. c. 1. *Fuit in hoc sæculo Ecclesiæ Christi facies, & forma omnino illustris, & præclara. Etsi enim initio atrocissima in ea vastatio facta est per Diocletianum: tamen repentina non multò post per Constantinum secuta restitutio; superioris status felicitatem non reparavit modò; sed & egregiè auxit.*

Felicitas Christianæ Ecclesiæ in sæculo quarto.

verbis descripserat: *Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Itaque non clam amplius (ùt olim) fiebant Sacra, fundebantur preces, explicabantur Scripturæ, dictabantur oracula, sed publicè, & in luce omnium hæc singula gerebantur; idque non uno tantùm in loco, aut Provincia, sed quà patebat Christianus orbis: & quoniam Reges, Principésque Christiani ab hac ter felici ætate gerere mundi fasces cœperunt, ab istius quoque sæculi initio Religio gentibus dominari exorsa est, non aliter ac Regina adsistens à dextris Dei in vestitu deaurato circumdata varietate (c).

(c) Psal. 44. v. 10.

Initia Regnantis Constantini, ejusque in Christianos favor.

2. Annus sextus supra trecentesimum agebatur, dum Constantino post mortem Constantii Patris gubernacula Imperii concessa sunt: Prima lex, ac præcipua hujus Cæsaris cura fuit, ut per eas, quas regebat, Provincias fidei Christianæ libertas integra consisteret (d): favores innumeri, à Principe Christianis sacris necdum imbuto in Ecclesiam profecti etsi spem facerent, fore, ut idem religionis genuinæ assertor gentem electam à cruentæ Tyrannidis jugo aliquando vindicet; vota tamen fidelium suspensa tenuit reliquorum Tyrannorum rabies, qui eodem tempore multò crudeliùs gregem Domini vexabant. Maxentius æmulus quinto Kalendas Octobris in Purpuram, Regnúmque Romæ irrepserat: hujus insignia quò sibi stabiliret; adulari cæpit omnibus, & beneficia non pauca in Christi cultores quoque tunc redundabant (e). Sed ùt simulationis brevia intervalla esse solent, ita larvâ mox depositâ atrociorem animum ostendit. Constantinopoli pérque Orientale Illyricum non minor à Galerio procella concitabatur, cujus vis geminata est tunc, quando Licinius homo ferox atque ad cruciandos Christi Athletas expeditus operâ Galerii Augusti honores accepit. Maximinum in Oriente Cæsarem novus hic Principatus adusserat; & credebatur, Tyrannos in mutuas cædes ituros: verùm in diversa planè capita ira Maximini erupit; is quippe Augusti nomen suo arbitratu sibi adjiciens, ultionis impetum, quem adversùs competitores purpuratos satis validè

(d) Lactant. de Morte Persecut. c. 24. & 25.

(e) Lactant. c. 44. Euseb. hist. l. 4. c. 14.

A. Æ. C. 307.

Persecutio Christianorum à Maxentio, Galerio & Maximino concitata.

lidè torquere haud poterat, in cruentandos Christi Martyres omnino effudit. Itaque per Syriam, Palæstinam, atque Ægyptum rapiebantur divinæ Religionis Alumni ad Ciliciæ & Thebaidis fodinas effossis oculis, aut ambustis poplitibus, & igne, ferro, dirissimísque suppliciis ad Deorum aras omnis ætatis ac sexûs homines excarnificabantur (*2).

2. Vexationis æstus subinde in Italia refrixit; sive quòd profusâ humani sanguinis copiâ Maxentii sitis restincta foret, sive quòd satellitum fessorum truculentæ manus spatium poscerent, quo ad novas carnificinas resumerent vires. Hoc igitur tranquilliore intervallo sive anno trecentesimo octavo, quinto Kalendas Julii Ecclesiæ Romanæ MARCELLUS Pontifex datus est, postquàm sacra Sedes integris tribus annis, ac octo mensibus vacaverat (f). Viginti quinque titulos in urbe ab eodem constitutos quidam ferunt; ut Sacramentorum dispensatio, ac Martyrum sepultura faciliùs curaretur. Hæc, aliáque cùm vigente adhuc Ecclesiæ malaciâ perageret Præses Dominici gregis (*3), reflagravit

A. Æ. C. 308. & 309.

Marcellus Pontifex.

(f) Pagius in Critic. Annal. Baron. T. I. p. 341.

(* 2.) TILLEMONT. P. I. Tomi V. Historiæ Ecclesiasticæ, Persecutionis hujus acerbitatem latiùs describit, ubi & Martyres præcipui videri poterunt; utì & apud EUSEBIUM l. de Martyribus Palæst. c. 6. 7. 8. Porrò in nono capite idem Eusebius celebrat *Ennatham Virginitatis infulis decoratam;* ad quæ verba notat RUINARTUS in Actis MM. p. 327. Mitrellas aureas vel purpureas gestatas fuisse in capite ab iis, quæ Virginitatem profitebantur; unde OPTATUS MILLEVITANUS l. 6. Donatistis exprobrat, quod ipsis jubentibus, Virginitatem professæ *signa voluntatis capitibus* immutârint; *mitrellas aureas* projecerint, *velata capita* nudârint. Eusebius porrò c. 11. *Pamphili* Martyrium commemorat, cujus nomen sibi desideratissimum esse ait: ac vel inde sibi illud venerationis causâ adjecit; cujus acta dicit, se tribus libris conscripsisse. Demum Baronius ex Eusebio l. 8. c. 27. eruere voluit, quod & hâc tempestate sublata sit *S. Catharina* quamvis teste PAGIO in modo Martyrii hallucinetur. T. I. ann. p. 346.; cui adjungimus ea, quæ PAPEBROCHIUS in Ephemiridibus Græco-Mosaicis in init. Tom. I. Maji statuit. "Hæcaterinan Græci, Latini Catharinam appellant. Acta apud utrósque quantum habent admirabilitatis; tantò etiam plus difficultatis patiuntur ad obtinendam fidem. Nihilo levior objicitur molestia circa sacri corporis ad montem Sinai translationem, indubitabilem illam quidem quoad substantiam; sed quoad Authores ejus ac tempus perquàm obscuram. Hoc certum, nullam esse Sanctam, cujus fama, cultúsque primis post persecutiones sæculis ignotior; celebrior autem posterioribus fuerit, non solùm Orientali, sed etiam in Occidentali Ecclesia. In nostro certè Belgio, ut de aliis taceam regionibus, haud facilè reperias ullam urbem, ac ne oppidum quidem vel municipium, ubi hæc sancta non habeat vel altare, vel templum: quod factum esse non potuit, nisi propter illustria & frequentia, ac passim nota miracula, ad ejus invocationem patrata.,,

(* 3.) Marcellum aliqui (teste PAGIO) confundunt cum Marcellino; his argumen-

gravit Maxentii furor, cujus acerbitate Marcellus in exilium ejectus, ac demum ærumnis confectus obiit anno CCCX. decimâ septimâ Kalendas Februarii (g). Exactâ inde dierum viginti periodo claves Ecclesiæ capessivit EUSEBIUS natione Græcus (h): hic Eusebio clari nominis Episcopo Vercellensi salutaribus aquis tincto suum transcripsit nomen (i); & quoniam lapsorum ingens tunc erat numerus, Pontifex providit, ne quis (ùt maximè cupiebant) in Ecclesiam sine publicæ pœnitentiæ indiciis admitteretur. Prætereà decrevisse dicitur, ut Sacerdos circa ægrotantem pœnitentem orationes dicat, ugnátque eum oleo sancto, & Eucharistiam donet; ex quo nonnulli id notârunt, Eucharistiam post unctionem ægrotis ex singulari Ecclesiasticæ disciplinæ præscripto administratam fuisse (*4). Eusebius mense quinto Sedis suæ, nimirum undecimo Kalendas Maji fato functus successorem habuit

(g) Idem in Breviario PP. T. I.

A. Æ. C. 310.

Eusebius Pontifex.

(h) Bolland. April. Tom. II. p. 29.

(i) Baron. ad a. 311. §. 42.

gumentis adducti: *Primò* quia Eusebius Cæsariensis in Chronico post Marcellinum proximè nominat Eusebium Pontificem omisso Marcello. *Secundò* libellus Anonymus *Depositionis Episcoporum* sedente Liberio scriptus, & à Bucherio publicatus unius Marcellini ad diem 16. Januarii meminit, quâ die Marcellus colitur, & Hieronymus seu Alius in Martyrologio Marcellum tantùm adducit, omisso Marcellino; unde colligas Synonyma esse. *Verùm* ℞. cum Baronio ad a. 296. §. 4. non solùm tabulæ Ecclesiasticæ, sed etiam Optatus l. 2. §. 3. & Augustin. Epist. 53. aliàs 165. Marcellinum à Marcello distinguunt: imò quia Eusebius meminit Marcellini, & Auctor Chronici Damaso attributi (qui vixit sedente Liberio) Marcellum adjiciunt, annósque & dies, quot quisque eorum Pontificum federit; argumento est eos distinctos fuisse.

(* 4.) IVO CARNOTENSIS Decreti parte XV. c. 35. Eusebii Papæ decretum recitat, ex quo EDMUNDUS MARTENE l. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c. 7. a. 2. arguit, Sacramentum extremæ Unctionis ante Viaticum ægrotis collatum fuisse, & consequenter antequàm jam omni salutis spe amissâ sensibus & vitâ carere inciperent. Jubet enim Eusebius illo decreto, ut sacerdos circa ægrotantem pœnitentem *orationes dicat, & ungat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet.* Ex eo enim sequitur Eucharistiam post Unctionem ægrotis administratam fuisse; præsertim cùm Viaticum nonnisi mente integrâ, & corpore non deficiente suscipi debeat. Acta S. Leonis IX. Papæ à Wiberto Archidiacono descripta l. 2. c. 16. asserunt etiam hunc S. Pontificem decrevisse, *ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorúmque fidelium confluxerunt turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, munitúsque corporis & sanguinis Domini communione &c.* Alterum hujus moris argumentum repetit idem MARTENE ex consuetudine iterandæ unctionis, quæ aliquando fiebat in Ecclesia, imò infirmis non semper jacentibus, sed genuflexis aut sedentibus. Ex quibus rectè infert: hæc omnia peragi haudquaquam potuisse in eum, qui exhaustis omnibus viribus, & penè exanguis esset corpore; ac proinde statim, ut certum inesset salutis periculum, infirmos inunctos fuisse, ac posteà viaticum recepisse. Hucusque PAGIUS in Breviario PP. conferatur hìc TILLEMONTIUS in Tom. V. I. Parte Hist. Ecclesiast. de Persecutione Diocletiani art. 39.

habuit MELCHIADEM Afrum genere (k); quo ſedente per Orientem Magiſtratus nova cruciatuum genera ingenio peracerbo excogitabant, queis aut fidei radices ex animis, aut animas ex corporibus diriſſimè evellerent (l): auctâ in immenſum perſecutione, divini conſilii fuit; ut ii, qui fomitem igni ſubjecerant, lege prorſus diversâ incendium comprimerent. Nam Galerius calamitoſiſſimo morbo afflictus, cùm medicorum juxta ac dæmonum opem toto anno nequicquam implorâſſet; urgente doloris vi ad ipſam, à qua pulſabatur, Numinis manum, Chriſtianorúmque preces confugit: atque ut medelam inde ſperare poſſet; legem Nicomediæ propoſuit, quâ per Aſiam omnem Chriſtianæ religioni ſua libertas condicebatur (m). Edicti formula quoniam ex Senioris Auguſti mandato concepta erat; reliquis Principibus porrò ſævire haud licuit: itaque Maximinus invitus etiam cogebatur per Ægyptum ac Syriam attemperare furorem: nec minùs Maxentius in Africa & Italia jam mitior, Melchiadi Pontifici raptas Eccleſias reſtitui præcepit (n).

Pontifex Melchiades.

(k) Baron. ad. a. 311. §. 43. Pagius §. 23. A. Æ. C. 311.

(l) Euſeb. l. 8. c. 16.

Edictum Galerii pro Chriſtianis.

(m) Lactant. Perſec. c. 31. 32. 33. Rufin. l. 8. c. 18.

(n) Euſeb. l. 8. c. 17.

3. Orabant intereà pro hoſtis ſui Galerii ſalute manſueti Chriſti cultores: ſed extorta Tyranni clementia vindici juſtiſſimi Numinis dexteræ adeò flagrum non excuſſit; ut acrioribus indies ærumnis conciſus, crudelitatum ſuarum poſtremas pœnas daret (o). Maximinus (qui terrifico mortui Galerii exemplo ad frugem revocari debuiſſet) adjunctis Aſiæ Provinciis ſuperbior, Chriſtianis atrocius bellum indicit. Ne tamen ex facili mutâſſe mentem argueretur, impiis artibus rem aggreditur: jactabat undique Deorum favoribus ſe amplius accepiſſe Imperium, ingratitudinis proinde labe ſe notatum iri; ſi Chriſtianos utpote Numinum hoſtes porrò toleret (p). Conventus in cœmeteriis primò prohibebantur: dein cruciatibus denuò funeſta opera impenſa eſt. Atque has lanienas cùm per Aſiam omnem præciperet, viróſque etiam conficeret ſanctiſſimos (q); à crudelitatis ſpecie ſe abfuturum credebat, eoquòd tum zelo ſuæ ſuperſtitionis, tum precibus inferiorum Magiſtratuum impulſus carnificinas ejusmodi moliretur. Fuerat hoc ad corporum exitium; pejus illud, quod purpuratus latro ad animarum perniciem meditabatur: Sparſis adverſus Chriſtianorum mores infamibus libellis religioni convitium affricare aggreſſus,

Mors Galerii.

(o) Lactant. Mort Perſec. c. 35. & 36.

Perſecutio Nova Maximini.

(p) Euſeb. l. 9. c. 2. 3. 4.

(q) Euſeb. l. de Martyr. Palæſt. c. 13.

Acta Pilati suppoſita.

ſus, Acta quædam Pilati publicari fecerat, quæ communibus contra Chriſtum blaſphemiis referta in ſcholis teneræ Juventuti prælegebantur (*5): ſperabat ex maligna hac ſemente fore, ut implantata primæ ætati calumnia in odium perpetuum, exterminíumque rei Chriſtianæ adoleſceret.

(r) Euſebius l. 1. V. Conſt. c. 27. & 28.

A. Æ. C. 312.

Conſtantini Converſio ad veram fidem.

(s) Idem l. 10. c. 5.

A. Æ. C. 313.

(t) Lactant. c. 45. & 46.

Edictum Conſtantini pro Chriſtianis.

(u) Euſeb. l. 18. c. 16.

4. Quo tempore Maximinus in Oriente lucem fidei obſcurare adnitebatur; Occidentalibus plagis ſacra Crux è cælo (r) in modum Solis refulſit, cujus radii & Imperio & Eccleſiæ inimicam tempeſtatem, triſtéſque curas ſubinde eſſent disjecturi: erat quippe hoc ſignum, in quo Italiæ, Chriſtianorúmque carnifex Maxentius, & poſt eum omnis Idololatrarum vis, ac ſuperſtitio debellanda foret. Oppreſſo circa quintam Kalendas Novembres Tyranno, Conſtantinus Victor legem Chriſtiaram in Purpura profeſſus, primâ Sanctione Romæ decrevit; ut ſepoſito qualicunque vexationis genere, Chriſti alumnis, eorúmque conventibus ſecuritas omnis redderetur (s). Sub initium anni ſequentis Imperator idem Mediolanum movit, ubi Licinio ſororem Conſtantiam in uxorem dedit: celebratis nuptiis, firmatóque jam fidei fœdere uterque Auguſtus edictum ſive legem pro Chriſtianorum religione Romana in urbe anno præcedente breviùs conceptam, nunc majoribus favoribus auctam Maximino transmisêre (t). Exterruêre ferocem hominem literæ: & quoniam uni duorum à ſententia Principum diſſentire haud licebat; à publicis Chriſtianorum cædibus ita abſtinendum duxit, ut complures Martyrum occulto ſaltem latrocinio tolleret (u). Conſtantini edicto etſi ad ſpe-

(* 5.) EUSEBIUS hiſt. l. 9. c. 5. de Actis Pilati advertit: Dux quidam in urbe Phœnices Damaſco cùm impuras, neſcio quas, mulierculas ex foro rapuiſſet; tormento ſe ipſas admoturum minatus, eas miſeras adegit, ut publicè editis apud acta teſtimoniis faterentur, ſe olim Chriſtianas fuiſſe, & flagitiorum, quæ à Chriſtianis gererentur, conſcias eſſe: eos in ipſis ædibus ſacris obſcœna quædam perpetrare aſſeverantes, & quæcunque alia ad infirmandam religionem noſtram effutire eas dux voluerat. Harum igitur mulierum teſtimonia actis inſerta Dux confeſtim ad Imperatorem mittit; nec mora jubente Principe in ſingulis urbibus, ac locis hæc quoque monumenta publicantur. Et *alibi* c. 6. & 7. *oſtendit*, *rationem temporis actis prænotatum mendacii arguere adverſarios.* Quippe Conſulatu Tiberii Auguſti quarto, quæ incidit in ſeptimum ejus Imperii annum, ea, quæ iſti in ſalutari Domini noſtri paſſione auſi ſunt confingere, geſta dicuntur. Quo quidem tempore nondum in Judæam adveniſſe Pilatum ſatis conſtat. Siquidem Joſephus l. 18. c. 3. tradit, anno Principatûs Tiberii duodecimo Pilatum Judææ Procuratorem à Tiberio factum fuiſſe.

ſpeciem hâc ratione faceret ſatis; Dei tamen omnia inſpicientis oculum non fefellit. Unde cæleſtis ultio lento, at gravi pede Tyrannum ſequebatur: fami conjuncta peſtis Maximini terras jam aliquot ante annis exhauſerat (x): atque ut nôſſet, quâ ex cauſa ejus ſubditis mala hæc irrogarentur; tertium morbi genus (carbunculum vocant,) acceſſit, quo per univerſum corpus, tum præcipuè per oculos graſſante innumeri promiſcuæ ætatis homines luminibus exuebantur. Fuerat nimirum acerrima egeſtas, tótque mortuorum funera, ac vivorum miſerabilis cæcitas triplex illa talionis pœna, quâ exilia, neces Martyrum, atque oculorum truculentæ effoſſiones caſtigabantur Sapere enimverò damno ſuo Maximinus, tum etiam ab funeſtiſſimis Herculei, Galerii, Diocletiani, ac Maxentii exemplis ad ſaniora Conſilia inflecti debuiſſet: verùm cùm Tyrannorum triſtes eventus præ oculis haberet; ad animum admittere contempſit. Quare divina juſtitia admonitum fruſtra Principem in idem, quo alii interierant, exitium urgere inſtituit. Movebat infelix arma adverſus Licinium, à quo internecinâ clade fuſus (y), quæſito nequicquam per montem Taurum fugæ latibulo, Tarſum anxius confugit: ibi cùm terrâ, maríque angeretur; venena hauriens languorem cruciatibus non modicis acerbum ſibi conſcivit: mali vi præcordia immensùm urente, in rabiem efferatus, vel uti ſtimulante caninâ fame arreptam manibus terram devorare, infligere parietibus inſanum doloribus caput, jactare oculos de caveis exilientes; ut aſpectantibus horrorem injiceret (z). Tunc demum utroque captus lumine, ad Deum judicem reflectere mentis oculos, ac reo in quæſtionem adducto ſimilis vociferari, petere veniam, dictare etiam ſuis benignam pro Chriſtianis legem (*6): ſed pœnitudine falsâ parùm crucia-

(x) Euſeb. l. 9. c. 8. Lactant. c. 37. 39.

Tyrannis Maximini à Deo caſtigata.

(y) Lactant. c. 46. 47. & 48.

Interitus Maximi funeſtus.

(z) Idem c. 49.

 tibus

(* 6.) EUSEBIUS hiſt. l. 9. c. 10. Edictum Maximini refert; in Præſides poſtquam in primâ edicti parte Perſecutionis cauſas conjeciſſet; ſic pergit: *igitur, ut omnis impoſterum ſuſpicio, metus & ambiguitas admittatur; hoc edictum proponi ſtatuimus, quo cuncti intelligant iis, qui hanc Sectam, & religionem ſequi volunt, ex hac indulgentia Majeſtatis noſtræ licere, prout cuique libitum, & acceptum fuerit, ad eam religionem, cui ex iis ſervire conſtituit, colendam accedere; ſed & Dominica ſua ipſis inſtaurare conceditur. Ceterùm ut indulgentia noſtra prolixior appareat, illud etiam ſancire voluimus, ſi quæ domus, áut loca ad jus Chriſtianorum antehac pertinentia, ex juſſione Divorum Parentum noſtrorum ad jus fiſci devoluta ſint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certè vendita,*

tibus medente, inter non profuturos gemitus nocentem ſpiritum per deteſtabile mortis genus efflavit. Sublato Tyrannidis capite in reliquam familiam velut noxia membra Licinius ſæviit (a): nec mitiùs habiti ſunt Provinciarum Præſides, qui ſicariorum more in Chriſtianos fuerant debacchati (b).

(a) Lactantius c. 50.
(b) Euſeb. l. 9. c. 11.

Efflorescens ſtatus Eccleſiæ.

5. Ab hoc tempore lætiores Eccleſiæ dies affulsêre; nam loca cuncta, quæ Tyrannorum impietas paulò ante ſubruerat, tanquam ex diuturna & peſtifera tabe, beneficio Conſtantini reviviſcebant, ſurgebántque porrectiore amplitudine & majore nitore in novam formam (†) templa, quibus dedicationum ſolennitates, Epiſcoporum conventus longè inſignius decus conciliabant (c). In his igitur Sacrariis Antiſtitum abſolutiſſimæ ceremoniæ, & accurata Sacrificia Sacerdotum & divini quidam, auguſtíque Eccleſiæ ritus, hinc pſalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium, illinc divina & arcana obeuntium miniſteria. Denique cùm omnis ætas, & promiſcua utriusque ſexûs multitudo toto pectore precationibus incumberet, & ſummâ animorum lætitiâ Deum bonorum authorem veneraretur; una erat divini ſpiritûs virtus per univerſa commeans membra, eadémque alacritas fidei viſebatur. Atque ut porrò reliqui populi in unam compagem coaleſcerent; Conſtantinus Imperator, exules captivos, ad bona, Patriam, libertatémque revocabat. Præ cæteris tamen ſacrorum miniſtros benevolentiâ ſuâ complectebatur; hos quippe utut vili cultu veſtitos adhibere menſæ: & quocunque faceret iter, eosdem deducere comites; nec ab ulla re magis, quàm ex illorum ad Deum obſecrationibus regni ſui ſperare præſidium (d).

(†) REFLEXIO I.
(c) Euſeb. hiſtor. l. 10. c. 1. 2. 3. 4.

Conſtantini pietas erga Sacerdotes.

(d) Euſeb. de Vit. Conſt. l. 1. c. 41. & 42.

6. Liberalitas Chriſtiani Principis non modò intra Italiam, Galliámque concluſa eſt; ſed & trajecto mari in Africam tranſiit (e); dederat quippe Anulino Proconſuli Imperator in mandatis, ut ii homines (qui intra ejusdem Præfecti Provinciam in Eccleſia Catholica, cui Cæcilianus præeſt, miniſtrant, quósque Clericos nominare conſueverunt) ab omnibus publicis functionibus immu-

(e) Idem l. 10 hiſt. c. 6. & 7.

vendita, aut alicui dono data; cuncta ad priſtinum jus, ac Dominium Chriſtianorum revocentur: ut hac etiam in re pietatem, & providentiam noſtram cuncti poſſint agnoſcere.

immunes ſervet: ne errore aliquo, aut caſu ſacrilego à cultu ſummæ divinitati debito abſtrahantur; ſed ut potiùs absque ulla inquietudine propriæ legi deſerviant (*7). Favor is utùt amplus eſſet, eodem tamen tranquilliùs uti non licuit; propterea quod Eccleſia in duas partes ſciſſa motibus adverſis jactaretur. Diſſidii hujus ante novem annos jam ſementis ſparſa fuerat; altiùs proinde illius origo repetenda eſt. Anno tertio ſupra trecenteſimum Diocletianus lege caverat, ut ſacri codices à Chriſtianis ad infame buſtum afferrentur (f): non una inde omnibus Chriſti cultoribus virtus, unáque conſtantia fuit; nam alii zelo minùs probato advolabant ad Judices, híque ſe volumina habere teſtati, in ſupplicia ſimul ſe imprudentiùs ingerebant (g): alii diſſimulanter rem agentes, interdum etiam dolo quodam Ethnicorum manibus ſacros theſauros ſubtrahere conabantur (h): demum non pauci cruciatibus aut metu pœnarum victi margaritas projicere ante porcos non dubitabant; quare à traditis libris infami *Traditorum* nomine apud Orthodoxos audivêre (i). Lapſorum hujusmodi etiam Epiſcoporum cùm non tenuis eſſet numerus; anno 305. Cirthæ in Synodo duodecim Traditores ex Numidia Præſules convenêre, ut crimen, quod negare non poterant, ſibi invicem condonarent (k). Indulgentiâ hâc mutuâ ubi tranſiliiſſent leviùs Eccleſiaſticæ pœnitentiæ gradus; id porrò acerbiùs contendebant, ut integerrimos quosque Epiſcopos ejusdem criminis inſimularent: ſperabant enim, pluribus in communionem labis venientibus, ipſam traditionis maculam minus turpitudinis habituram.

Immunitas à Conſtantino Clericis conceſſa.

(f) Lactant. Perſec. c. 12.

Donatiſtarum initia.

(g) Collect. Monum. Rom. apud Holſten. D. 3. c. 13.

(h) Optatus l. 1.

(i) Auguſt. bapt. l. 7. c. 2.

(k) Idem l. 3. contra Creſcon. c. 27.

(* 7.) EUSEBIUS l. 10. c. 7. exhibet literas Conſtantini ad Anulinum: *Cùm ex multis rebus conſtet, religionem illam, in qua ſumma divinæ Majeſtatis Reverentia cuſtoditur, ſpretam quidem, maxima Reipublicæ importâſſe diſcrimina: eandem verò ritè ſuſceptam, ac cuſtoditam, & Romano nomini maximam proſperitatem, & cunctis mortalium rebus, divinâ id tribuente munificentiâ, præcipuam felicitatem contuliſſe; placuit, ut homines illi, qui cum debita ſanctimonia, & aſſidua hujus legis obſervantia, miniſterium ſuum divinæ religionis cultui exhibent, laborum ſuorum mercedem reportent. Quocirca eos homines, qui intra Provinciam tibi creditam in Eccleſia Catholica (cui Cæcilianus præeſt) huic ſanctiſſimæ religioni miniſtrant, quos Clericos vocare conſueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conſervari, ne errore aliquo, aut caſu ſacrilego à cultu ſummæ divinitati debito abſtrahantur, ſed ut potiùs absque ulla inquietudine propria legi deſerviant.* Ubi tamen adverte à Conſtantino nullam fieri mentionem de tributis; nam AMBROSIUS poſt longum inde 60. annorum ſpatium, adhuc aſſerere non dubitabat Epiſt. 32.: *Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum: ſolvimus.*

Prætereà ab hoc tempore malitiæ humanæ quoddam arcanum erat, ut, quem quisque odisset, aut opprimere seu repellere cuperet, huic traditionis invidiosum aspergeret nomen.

7. Circa annum CCCXI. sæviente in quasdam Africæ Provincias Maxentio (1), Mensurius Carthaginiensium Episcopus Romam ad Palatium evocabatur; eoquòd Felicem Diaconum, libelli contra Cæsarem scripti accusatum, tribunali Principis sistere nollet. Profecturus igitur Præsul anxiam de thesauris Ecclesiæ curam habuit: humi defodere quia tutum haud erat; illos manibus seniorum, quos integræ fidei credebat, consignavit, ac simul indicem supellectilis sacræ alteri aniculæ tradens, jussit: ut si humanitus sibi quid in aula Cæsaris accideret; schedam successori Episcopo deferret. Curatis omnibus Romam deductus causam dicit: mox emollitâ Maxentii irâ Carthaginem remeat, sed medium iter vix emensus fato supremo fungitur. Vulgatâ Mensurii morte, Botrus & Cælesius duo è Clero Carthaginiensi præcipui Episcopio inhiabant: atque ut votorum fierent compotes, rem ita egêre, ut ne illi (qui vocari debuissent) Episcopi, electioni interessent. A vicinioribus itaque Præsulibus duntaxat, & voce accedentis populi Charthagini novus Antistes imponendus erat: verùm longè alium à Botro, aliúmque à Cælesio collata suffragia designârunt, nimirum Cæcilianum Archi-Diaconum, cui Felix Aptungitanus Episcopus (* 8) manus (frementibus æmulis) quamprimùm imposuit. Tum fœmina Indicis auri & argenti custos (pro fide Mensurio datâ) sedenti nunc Cæciliano summam supellectilis sacræ adhibitis testibus exhibet. Ex hoc quoniam palam fiebat, senioribus quibusdam opes Ecclesiæ creditas eâ lege, ut successori restituant; Cæcilianus haud cunctandum existimavit, ut quod viri Sacrario deberent, protinus exsolvant. Ast hi spoliis ejusmodi avaritiam expleturi, luctari in omnem partem, Botri & Cælesii Cæciliano non obscurè repugnantium præsidia conquirere; demum de Præsulis communione insolentem subtrahere pedem

(1) Optatus l. 1.

Mensurio Carthaginiensi Episcopo defuncto surrogatur Cæcilianus.

In Schisma cur & quando Donatistæ proruperint?

(* 8.) AUGUSTINUS in brevic. Collat. Carthag. die 3. c. 16. advertit, de more prisco fuisse, ut Carthaginensis Episcopus per proximos Episcopos, & non per Primatem alterius Provinciæ initiaretur, (sicut hodie Romanum Pontificem ab Ostiensi propiori consecrari novimus).

pedem (m). Concordia Ecclesiæ ubi tam nefasto exemplo rimas agere cœperat; plenis posteà hiatibus per mulieris ambitiosæ molitiones pessimas divisa est (n).

8. Fuerat huic Lucillæ nomen (o), quæ olim à Cæciliano, cùm Archidiaconi officio fungeretur, increpita est, quòd ante Eucharistiæ Mysteria os, nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, sed necdum approbati venerari osculo diceretur. Correptio (quam injuriam (p) impotens mulier crediderat) fœminæ iram primò accendit, dein inflammavit penitus, quando Cæcilianum solio Episcopali impositum vidit. Nihil itaque omittebat, quo Præsulem perderet (q): huc opes, queis valebat, huc omnem Consilii vim expromebat, ut plebem, útque Numidiæ præcipuè Episcopos ad Cæciliani exitium incitaret (q): & hos quidem emere facilius erat, propterea quod Secundum Tigisitanum Episcopum ac Primatem morderet, in Ordinatione Cæciliani sibi Felicem Aptungitanum antehabitum fuisse: ægriùs quoque ferebant reliqui Præsules, se absentibus, vicinos tantummodo Episcopos operam electioni commodâsse. Empti proinde Lucillæ argento quantocyus Carthaginem advolant, & in domum privatam tumultuariè congressi, Cæcilianum ad dicendam causam evocant (r): negabat ille, se extra Ecclesiam, rationes sui officii reddere posse iis, qui fœminæ ambitioni adversus fratrem servirent; ac ad profanas ædes dilapsi contra leges sacras Episcopo velut facinoroso grassatori diem dicerent (s). Responso dato, Donatus à casis nigris Secundo Tigisitano, cæterísque Episcopis persuasit, ut in absentem decerneretur sententia (t): ne tamen insons condemnatus videretur; mendacia quædam excogitata sunt, quibus fingebatur, Cæcilianum & à Traditore ordinatum, atque ipsum tradidisse libros: quin & Martyribus olim, cum Diaconus esset, victum subtrahendo, eos fame enecuisse (u). His non sine convitio jactatis, Donatus à casis nigris Episcopus, & acerbus iniquæ causæ incentor persuadet, ut exauthorato Cæciliano Majorinus substituatur (x). Placuerat is factioso cœtui, quod Lucillæ familiaris esset. Quo facto monstrosus schismatis partus, quem pepererat mulieris ambitio, ac avaritia paucorum nutriverat, authoritate Patrum coli, foveríque cœpit (y).

9. Dum

(m) August. contra Ep. Parmen. l. 1. c. 3.
(n) Idem l. c.
(o) Idem in Petil. de unico bapt. c. 25.
(p) Optatus l. 1.
(q) August. Ep. 162.
(q) Hieron. Epist. ad Ctesiphontem contra Pelagianos c. 2.
Conciliabulum Donatistarum contra Cæcilianum.
(r) August. Psal. 36.
(s) Idem in Crefconium l. 4.
(t) Idem Ep. 162.
(u) Optatus l. 1.
(x) August. in Crefcon. l. 3. c. 28.
(y) Optatus l. 1. p. 41.

9. Dum nefastis ejusmodi studiis Afrorum Ecclesia geminas in partes distrahebatur, transmarinæ Provinciæ uni Cæciliano se conjungi professæ sunt; ac Imperator Constantinus circa idem tempus hoc ipsum testatus, literis Anulinum monebat, ut favoribus Clero concessis alteri, quàm qui Cæciliano Præsuli subesset, uti non liceret (z). Novum id vulnus erat, quo Majorini Sectatores irritati duos libellos procudunt, quorum alterum criminationibus adversùs Cæcilianum referciebant, altero sine sigillo, & alutæ cohærente deposcebant ex Gallia (ubi tunc Constantinus agebat) Judices, qui causam adversantium partium evolverent (a). Anulinus Proconsul oblatam voluminum compagem continuò ad Imperatorem dirigit, qui examinato scriptionis argumento indignabatur, à Christianis non sine Gentilium offensione tam strepera moveri tricas: dein multò ægrius tulit, à se in sæculo judicium posci, cui ipsi Christi judicium exspectare necesse foret. Questibus tamen molestis altercantium victus, causæ arbitros dedit ex Gallia præcipuos Præsules, scilicet S. Maternum Agrippinensem (*9), Reticium Augustodunensem (*10), & Marinum Arelatensem (*11). Tribus Gallis sese adjungere jussi sunt quindecim Itali, qui, dum Romam ex Imperio Constantini pergunt, idem Princeps Melchiadem Pontificem præmissâ epistolâ rogat, æqui-

(z) Euseb. hist. l. 10. c. 7

(a) Optatus l. 1. c. 22. & 23.

Concilium Romanum sub Melchiade Pontifice contra Donatistas.

(* 9.) BUCHERIUS L. VIII. Belgii Rom. c. 9. n. 11. existimat, "Maternum è Constantini Catechistis & Doctoribus unum fuisse, dum ille Coloniæ Agrippinæ contra Francos arma movens frequentiùs ageret, de fide Christi per mutua colloquia sæpe quæstiones injiceret. Neque verò tanti nominis esse potuit, nisi diuturnum jam pridem probitatis, & reconditæ doctrinæ, prudentiæque documentum præbuisset." TILLEMONTIUS Tom. VI. Prima Part. *de Donatistis* art. 11. ait: Ecclesia hodie celebrat Maternum XIV. Septembris: à quibusdam statuitur Primus Episcopus Aggrippinensis, ut colligitur ex vita Gereonis, & traditione ejusdem Ecclesiæ: præterea notat Author, Maternum ab initio præfuisse his regionibus, quas hodie Diœceses Trevirensis, Coloniensis & Leodiensis complectuntur: & in S. Agrecium subinde Trevirensem tractum transtulit: ex quo *Tillemont* arguit ingentem S. Materni humilitatem; eoquod Trevirorum urbs (Imperatorum Metropolis) multis prærogativis Coloniensi urbi antestabat: ab hac tamen posteà mortui Materni corpus denuò Treviros translatum est, ubi hodie quiescere dicitur in templo S. Matthiæ.

(* 10.) S. AUGUSTINUS in Jul. l. 1. c. 3. Reticium vocat virum Dei & magnæ authoritatis Episcopum, illiúsque genuinam doctrinam de peccato originali Pelagianis opponit: totam ejus vitam Tillemontius pluribus illustrat monumentis Tom. VI. P. I. a. 12.

(* 11.) *Marinus* Sanctorum albo adscriptus est in sæculo quinto à Concilio Arelatensi ut habetur Concil. Tom. IV. p. 1013.

ut cum reliquis, qui in urbem venturi eſſent, fratribus ex lege æquitatis controverſiam dirimeret, ad perniciosſam abEccleſia diſſenſionem amoliendam (* 12). Intereà quia aliis literis Anulino ſignificatum fuerat, ut dein ex utraque contendentium parte Romam abirent ad orandam cauſam; Cæcilianus cum decem Epiſcopis, & Donatus cum ſua accuſatorum caterva in Italiam movent: Trajecto mari Romam ingreſſi in domum Fauſtæ (quæ in Laterano erat) ſexto nonas Octobris conveniunt (b): illinc conſidente cum Judicibus Patribus Melchiade, primâ & ſecundâ die de objectis Cæciliano criminibus actum eſt: quæ quia ſine teſtium fide à vagæ plebis tumultuario clamore in judicium proferebantur; nil ponderis habuêre. Quare Cæcilianus in Donatum Adverſariorum anteſignanum (* 13) multò graviùs, veriúsque detonuit, nempe ſchiſmati primo apud Carthaginienſes (cùm adhuc viveret Menſurius) ab eo datum eſſe infelix initium: Hæreticis ad Eccleſiam reverſis baptiſmum alterum, & Epiſcopis lapſis contra præſcri-

pta

(b) Auguſt. coll. 3. Carthag. c. 318. Brevic. coll. d. 3. c. 12. Optat. l. 1. c. 23.

Donati vitia in quæſtionem adducuntur.

(* 12.) EUSEBIUS hiſt. l. 10. c. 5. refert Conſtantini Epiſtolam ad Melchiadem. *Conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo urbis Romæ, & Marco. Quoniam hujusmodi plures libelli à viro clariſſimo Anulino Africæ Proconſule ad me ſunt miſſi, in quibus continetur Cæcilianum Carthaginenſium urbis Epiſcopum à quibusdam Collegis ſuis per Africam conſtitutis, multis de cauſis inſimulari: quod quidem permoleſtum mihi videtur in iſtis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni ſpontaneâ deditione tradidit, & in quibus maxima eſt populi multitudo, plebem quaſi in partes duas diviſam ad deteriora deflectere, & Epiſcopos inter ſe diſſentire. Placuit mihi, ut idem Cæcilianus unà cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget, ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino Collegis veſtris, quos eâ causâ Romam properare juſſi, poſſit audiri, quemadmodum Sanctiſſimæ Legi convenire optimè nôſtis. Porrò ut totius negotii pleniſſimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me miſſorum literis meis ſubjecta ad Collegas veſtros ſupra dictos tranſmiſi. Quibus lectis, perpendet gravitas veſtra, quonam modo ſupra memorata controverſia accuratiſſimè dijudicanda ſit, & ex præſcripto juſtitiæ terminanda; ſiquidem nec tuam ſedulitatem latet eam à me reverentiam SS. Eccleſiæ Catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum Schiſma, aut diſſidium ullibi à vobis relinqui velim.*

(* 13.) Juxta TILLEMONT & PETRUM CAVE in ſæc. Arian. p. 125. Donatus hic de caſis nigris Epiſcopus, licèt primus ſchiſmatis Dux atque author fuerit; ab alio tamen Donato ejusdem nominis (quique poſt Majorinum factioſorum Epiſcopus Carthagine fuit, & innoteſcere cœpit circa annnm 329. teſte Hieronymo). Donatiſtarum ſecta nomen ſuum deſumere maluit; eoquod hic dotibus eloquentiæ floreret, & reſponſa ſibi de cælo facta jactaret: eo audaciæ tandem prolapſus dicitur, ut ambitioſius nomen Principis ſibi arrogaret.

pta Canonum imposuisse manum. Ista ubi Donatus diffiteri haud poterat; Cæcilianus jam pressum adversarium inde urgebat, quod accusatorum vel testium partem subtraxisset, ne (uti metuebat) veritatis stimulo impulsi alia prorsus, ac vellet, in judicio proloquerentur. Facinus hoc quoque quia Donatus concesserat, cautiùs deinde à Judicum conventu abstinuit. Perorata hunc in modum causa videbatur: sed postridie bellum recruduit oblato altero contra Cæcilianum libello: umbras venari Adversarios, etsi

Replicæ Donatistarum. cuncta proderent satis; unum tamen erat, in quo se triumphaturos sperabant: scilicet exilem non adeò authoritatem tribui oportere Carthaginiensi septuaginta Episcoporum Synodo, quæ summâ consensione Cæcilianum proscripsisset. Altioris id momenti visum est, ut tertiâ die penitiùs inspiceretur: equidem Melchiadi tunc certum erat, Primatem Synodi Provincialis sententiæ subjici posse; at simul Patres congregatos ab Adversantium cohorte emptos, nec dissimulanter Cæciliano infensos, præcipiti judicio in Episcopum insontem detonuisse noverat: itaque ex hoc capite duntaxat infringendam Synodi vim putavit, cui post tot interpositas minas se sistere, Cæciliano nequaquam tutum fuisset. His discussis evolvendum restabat, quod postremo loco contendebant: scilicet utrum Felix Aptungitanus, qui Cæciliano manus imposuisset, traditionis maculâ laboraret? quæstio ista novorum jurgiorum sementem datura erat, nisi Melchiadis prudentia malo tempestivè occurreret: opinio quippe Majorini Sectatoribus insederat, ab Episcopo traditore characterem Episcopalem propagari non posse; è diverso, qui pro Cæciliano militabant, nil promptius esse reponebant, quàm ut paris criminis eos involverent, qui Majorinum sacris initiâssent, neque enim ajebant, Cirthæ acta excidisse, quæ de illorum facinore testarentur. Ad hæc Felicem Cæciliani consecratorem necdum Ecclesiastico judicio fuisse condemnatum, quo minùs legitimâ ordinandi facultate potiatur. Undique cum implexum esset negotium (c); prætermissâ hâc quæstionis difficultate, Melchiades ea duntaxat de causa Cæcilianum suo in gradu confirmandum sumpsit, quòd à Donato nullius, quod quidem objectum esset, criminis convinceretur. Deinde ut alteri parti aliquid indulgeret, Accusatoribus quantumvis malignis com-

(c) Optatus l. 1. c. 25.

communionem ita salvam volebat (d), ut Donatus saltem turbarum instigator à fidelium commercio proscriberetur. Denique ne pacis inde tranquillitas pessum iret, quòd Majorinus in locum orthodoxorum Episcoporum alios à se ordinatos substituisset; res ita composita est: ut quibuscunque in locis jam bini essent Præsules, quos dissensio gemināsset; is antehaberetur, qui longiore tempore Episcopio potitus fuisset: cæterùm alteri de alio grege esse providendum.

(d) August. ep. 23. aliàs 162.

Donatus à Melchiade excommunicatur.

10. Exemplum insigne dispensationis Ecclesiasticæ, tum reliqua, quæ prudenter ac summo æquitatis studio Pontifex cum congregatis Patribus definierat, ad Principem perlata, & probata sunt. Verùm Donatus in Africam reversus pejus tumultuari cœpit: atque ut scintillas magis fodicaret; suæ factionis viros ad Cæsarem dirigit, qui perfrictâ fronte sanctissimorum Episcoporum judicium conculcantes, Constantino (ut quidam ajunt) mentiri ausi sunt, synodo Melchiadem præfuisse, qui traditionis notâ infamis (* 14) thura idolis quoque litâsset (e): ab aliis porrò Patribus, causam præcipiti & inclinatâ mente (quin adversantium momenta audirent) dijudicatam (f); unde evenisse comminiscebantur, ut Felicis Aptungitani crimen, quod primum accusationis caput erat, nonnisi levissimè tangeretur. Imperator aspersum Melchiadi convitium facilè contempsit; eoquod ante synodum integerrimo Pontifici

Donatistæ appellant ad Cæsarem.

(e) August. brev. Coll. die 2. c 18.

(f) August. in Petil. c. 16. Euseb. l. 10. c. 5.

(* 14.) DU MESNIL l. 9. p. 493. id adstruit: at TILLEMONT de Donatistis a. 16. T. VI. P. I. Hist. Eccles. ambigit, Donatistas enim, ait, post sæculum ferè exactum, accusâsse Melchiadem (primâ an secundâ vice dubitat) de traditis S. Scripturæ libris & oblato Idolis incenso; sed AUGUSTINUS contra Petilianum de bapt. c. 5. eosdem interrogat: cur ergo coram Melchiade primò comparuissent tanquam legitimo judice? cur in Concilio Romano nil ejusmodi oggessissent, in quo Felicem traditionis tanto conatu insimulaverant, si canonico hoc vitio laborâsset? calumniam proinde desumpserunt Donatistæ ex eo, quod Melchiades uteretur Stratone Diacono non degradato, quem Traditorem palàm jactabant. Falsitatem impacti in Melchiadem criminis porrò cognoscere licet in eo, quod Donatistæ Marcellinum, Marcellum & Sylvestrum infamis traditionis accusârint, ut notat AUGUSTINUS in Petil. quos Idem S. Pater confutat l. de un. Bapt. c. 16. *Quid jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est Petilianus, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Miltiades & Marcellus & Sylvester Traditores Codicum divinorum, & Thurificationis ab eo criminis arguuntur: sed nunquid ideo convincuntur; & convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. Quid laboro probare defensionem meam; cum ille nec tenuiter conatus sit probare accusationem suam.*

(g) August. contra epist. Parmeniani c. 5.

(h) Euseb. l. 10. c. 5.

tifici id minimè adversarii oggessissent (g). De Felicis tamen traditione apertam in Africa quæstionem haberi voluit: quæ ab Æliano Proconsule summâ severitate agitata est (h). Adversarii in literis maximè confidebant, queis Alfius decemvir ad Felicem perscriptis testabatur, ab eodem Episcopo traditas Ecclesiæ claves, ut libri sacri incendio cremari possent. Harum igitur literarum argumentum ubi palàm legebatur; negavit Alfius se quidquam ejusmodi suæ epistolæ inseruisse: prætereà Felicem Aptungâ esse profectum tunc, quando ex mandato suo libri ad bustum exigebantur; nihil autem ex illius Ecclesiæ libris sacris ablatum, nec quid de codicibus incendio periisse. Suspicio proinde judicibus injecta est, Ingentium scribam publicum, nec dissimulanter Felici infensum (* 15) literas ejusmodi corrupisse: Homo equuleo applicitus fraudem tandem edicere coactus est, scilicet se Alfii epistolæ postrema adjecisse, idque studio Mauri hospitis sui, qui Episcopatum Uticensem mercatus, à Felice communione Ecclesiæ submotus fuerat. Innocentia Felicis comperta meruit, ut ab Æliano crimine omni omni palàm absolveretur (i).

Felicis Aptungitani causa agitatur.

(i) Acta Purgationis Cæciliani & Felicis edit. Paris. 1631.

II. Im-

(* 15.) ACTA Purgationis Cæciliani & Felicis: *Agesilaus dixit: sunt & aliæ Epistolæ huic rei necessariæ, interest, ut legantur. Ælianus Proconsul dixit: Lege Cæciliano audiente, ut agnoscat, an ipse dictaverit: Agesilaus recitavit Donatistarum libellum supplicem adversus Felicem; postulabant ut illius sceleris testes literæ ab Alfio Cæciliano conscriptæ legerentur. Hic interrogatus respondit: Zamæ eram .... mittunt ad me in Prætorio ipsi Christiani, ut dicerent: sacrum præceptum ad te pervenit? ego dixi: Non; sed vidi jam exempla, & Zamæ & Furnis dirui Basilicas, & uri scripturas vidi. Itaque proferte, si quas scripturas habeatis .... Tunc mittunt in domum Episcopi Felicis, ut tollerent inde scripturas, ut exuri possent secundùm sacrum præceptum. Sic Galatius nobis perrexit ad locum, ubi orationes celebrare consueti fuerant. Inde Cathedram tulimus, & epistolas salutatorias; & ostia omnia combusta sunt .... & cùm ad domum ejusdem Felicis mitteremus, renuntiaverunt officiales publici, illum absentem esse. Posteà Augentio cum quo Ædilitatem administravi, dictavi epistolam, quam feci ad Felicem Episcopum, Maximus dixit: quoniam recognovit epistolam suam, hanc lego, & oro, plena actis inseratur; & recitavit integram, & desinebat in his verbis: Opto te Parens Charissime bene valere.* Nunc additamentum à falsarii manu sequebatur. "Hoc signum, quod ad me deprecatorium miserant Christiani, & ipse, cujus est Prætorium, & dixisti: Tolle clavem, & quos inveneris in Cathedra libros, & super lapide Codices, tolle illos, sed vide, officiales ne tollant oleum & triticum; & ego dixi tibi: Tu nescis, quia ubi scripturæ inveniuntur, ipsa domus diruitur; & tu dixisti: Quid ergo faciemus? & dixi ego vobis: Tollat aliquis de vestris in area, ubi orationes facitis, & illic ponantur, & ego venio cum officialibus & tollo. Et nos illo venimus, & omnia tulimus secundum sacrum præceptum. Cæcilianus dixit: Domine usque ad hoc dictavi, usque quo habet: *Opto te Parens Charissime bene valere.*"

II. Impudentia accusatorum tantoperè confusa, sententiæ Romani Concilii nunc tandem subjicienda credebatur: sed illi velut protritis omnis pudoris legibus aures Cæsaris novis querelis pulsabant (*16); quibus criminabantur, non integritatem Felicis, sed favorem judicum fuisse, ut ex hac causa intactus exiret. Constantinus ori impiorum fortius frænum impositurus (k), Arelaten aliam Synodum convocare decernit: ac ne moræ traherentur, Ælianum Proconsulem jubet, ut Cæcilianum Carthagine, aliósque seu Præsulis ejusdem amicos, seu adversarios ex Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum & Mauritaniarum Provinciis ad Arelatense oppidum evocet (l), instructósque singulos tractoriis, sumptu publico, vehiculísque ad Synodi locum intra diem Kalendarum Sextilium transferat. Prætereà Encyclicas Imperator dedit ad Occidentis Episcopos, quibus causam cunctis sollicitè commendabat (*17). Atque ut majore cum authoritate Provinciale Concilium perageretur; ipse quoque Pontifex ad celebrem hunc

(k) Augusł. Ep. 166.

(l) Baron. 314 §. 45.

Arelatense Concilium.

Ii 3 Patrum

(* 16.) Sunt nonnulli, qui ex eo, quod post Melchiadis Romanum Concilium Donatistæ apud Cæsarem querelas moverint, velint eosdem ad Constantinum ultra provocâsse: *Verùm* appellatio ejusmodi non jus, sed factum audacium hominum probat, utì ipse Constantinus in Epist. ad Ælian. Tom. 1. CC. affirmat: *Cum ditionis tuæ scripta legissem, quæ ad Nicasium, & cæteros super iisdem simulationibus gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quod neque respectum salutis suæ, neque quod est majus, Dei Omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere, siquidem ea agere persistant, quæ non modo ad ipsorum dedecus, infamiámque pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facilitatem, qui longè ab ejus sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere.* Pacis tamen studio Cæsar dandum aliquid censuit, utì monet Augustinus epist. 43. aliàs 162. & quia in causa facti Personalis erat, Pontifex facile acquievit, unde etiam pergit Constantinus in sua Ep. *Quare cum hæc tot, & tanta nimiùm obnixas dissensiones protrahere perviderem; ita ut nullo modo finis iisdem dari posse videretur, nisi Cæcilianus Idem, & ex his, qui contra eum dissident tres aliqui . . . ad Arelatense oppidum venerint, injungendum solertiæ tuæ duxi &c.*

(* 17.) EUSEBIUS hist. l. 10. c. 5. Encyclicarum literarum exemplum ad Chrestum Syracusanum ità refert: *Quoniam igitur plurimos ex diversis ac prope infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti jussimus convenire; tibi quoque scribendum censuimus, ut accepto publico vehiculo á Viro Clarissimo Latroniano correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere ministrare vobis possint, intra eandem diem ad prædictum locum occurras. Quo tum per tuam gravitatem, tum per cæterorum in unum coeuntium unanimem, concordémque solertiam controversia hæc, quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum, qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus ad congruam religionis & fidei observantiam, fraternámque concordiam tandem aliquando possit revocari.*

(m) Synod. Concil. Arel. A. Æ. C. 314. Patrum cœtum rogabatur (m): erat is SYLVESTER natione Romanus, qui Melchiadi (menſe Januario hujus anni CCCXIV. defuncto) ſucceſſerat. Verùm cùm Pontifex à paſtoralibus curis diſtineretur; quatuor legatos miſit, ſcilicet duos Presbyteros, Claudianum & Vitum, totidémque Diaconos Eugenium & Cyriacum, qui ſuo nomine Concilio intereſſent (n).

(n) Tillem. de Donatiſt. n. 20.

(o) Concil. Tom. III. p.

12. Congregatis Epiſcopis (o) ex Gallia, Africa, Italia, Sardinia, Hiſpania, & Britannia, ſive ex iis Provinciis, quæ Conſtantini verebantur Imperium, Kalendis Auguſti in civitate Arelatenſi cauſa Cæcilianum inter & Donatiſtas novo judicio ſubjecta eſt. Actores quoniam aliud crimen exſculpere non poterant, antiquam cramben recoquentes, *judice Deo & matre Eccleſiâ,* quæ ſuos novit, & comprobat, damnati ſunt, aut repulſi (p): indultum tamen Clericis eſt, ut qui ejurato ſchiſmate ad concordiam redirent, de gradu non dejicerentur; neque Patres ab eo favore, quam Synodus Romana Epiſcopis à Majorino ordinatis impertiverat, quidquam diminutum voluêre. Cæcilianus igitur alterâ jam vice ab Adverſariorum calumniis abſolvebatur: ſed quoniam Donatiſtæ eundem Præſulem à Traditore initiatum falsò jactaverant; timebant Patres ne convitio hoc rejecto, Adverſarii criminarentur, Synodum traditionis facinus parvi feciſſe. Quare Epiſcopi ſuam mentem expoſituri tertio decimo canone ſtatuerunt, ut quicunque ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur vel vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum, ab ordine Clerici amoveantur: porrò ut accuſatorum libidini occurreretur, cautum eſt, ut crimen ex actis publicis, & non tantùm ex nudis verbis commonſtraretur: demum (q) ad abſcindendam omnem litis captandæ occaſionem, definitum eſt pro pace Cæciliani à Felice conſecrati, ut ſi de traditione ſuſpecti aliquos ordinâſſe fuerint deprehenſi, & de his, quos ordinaverint ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio. Confuſis eum in modum Donatiſtis ad inveteratum aliud Africæ vulnus conſanandum operam converterunt Patres. Nempe à ſexaginta annis ſingularis apud Afros mos invaluerat, eos, qui ab Hæreticis baptizati fuiſſent, altero baptiſmate initiandi: Synodus itaque voluit (r), ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, & interrogatus teſtetur ſe in Patre & Filio & Spiritu S. eſſe baptizatum

(p) Synod. Arelat. Concil. T. I.

(q) Arelat. Conc. Can. 13.

(r) Can. 8.

tum; manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi verò baptismum in nomine Trinitatis se suscepisse inficietur, hunc sacris undis eluendum Patres sancivêre (†).

(†) Reflexio II. *Canones Concilii Arelatensis.*

13. Synodus sacra de corrigendis Afrorum erroribus sollicita, non minorem impendit curam ad aliarum Ecclesiarum disciplinam stabiliendam. Itaque præcepit, ut unâ die & tempore à Pontifice statuendo paschæ dies per omnem orbem observetur (s); atque ut ubi quisque ordinatus fuerit, ibi permaneat (t). Qui ludis dabant operam, hos à communione secernendos dixêre (u): illis autem qui conjuges suas in adulterio deprehenderint; maximè inculcandum, ne viventibus uxoribus suis (licèt adulteris) alias accipiant (*18). Tam salubria canonum statuta Synodicis literis comprehensa ad Sylvestrum Papam (*19) & ad Cæsarem Arelatenses Patres transmisêre. Equidem tantorum virorum consensio non paucos ad saniora retraxit: ast major pars stimulante seditionis spiritu eò dementiæ prorupit (x), ut contemptâ Patrum sacrâ sententiâ ad Imperatoris civile judicium provocaret: cohorruit ad audacium facinus Constantinus; & literis Arelaten datis (*20) testabatur, Sacerdotum judicium non aliter haberi oportere,

(s) Can. 1.

(t) Can. 2.

(u) Can. 5.

(x) August. Epist. 88. olim 68.

Donatistæ à Concilio ad Imperatorem perperam appellant.

(*18.) CANON DECIMUS CONCILII Arelatensis ita habet: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles & prohibentur nubere, placuit, ut in quantum possit, consilium eis detur ne viventibus uxoribus his, licet adulteris, alias accipiant.* PETAVIUS ad hæresin 59. super D. Epiphanium putat negationem deesse, & legendum *non prohibentur.* Alii verò existimant, Patres ideò dixisse, dandum esse Consilium, ne Civilibus Magistratuum legibus offensam impingerent, quæ his concedebant secundas nuptias, quas Christianis, vivente priore conjuge licet adulterâ, interdictas esse, satis insinuant, dum ajunt *& prohibentur nubere.*

(*19.) In Synodica Patres Arelatenses ad Sylvestrum ita perscripsêre: *Et utinam ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses. Profectò credimus, quia in eos* (Donatistas) *severior fuisset sententia prolata: & te pariter nobiscum judicante, cœtus majore lætitiâ exultâsset. Sed quoniam recedere â partibus illis minimè potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur .... placet à te, qui majores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* Ex his colligis *primò* Sylvestrum ad Arelatense Concilium invitatum fuisse, non tamen comparuisse; nisi per legatos Claudianum & Vitum Presbyterum, Eugenium & Cyriacum Diaconos, *secundò* nil retractatum fuisse de causa in hac Synodo, quæ à Melchiade in Concilio Romano definita fuerat.

(*20.) CC. T. I. apud Harduinum p. 265. Epistola Constantini refertur, in qua dixit, quia pars Donati, quomodo forenses sic litigant, ut denuncient, & appellent Imperatorem, & desiderent audiri post Episcoporum judicata: aliqua tantum hic excerpere juvat, quæ ad rem nostram sunt: "*Quoties jam à me ipso improbis aditionibus suis*

sunt

tere, ac ſi Dominus ipſe reſidens judicâſſet; itaque velut causâ penitùs decisâ, Patres voluit remeare ad ſuas Provincias: illos autem, qui cœleſte hoc Sacerdotum judicium per appellationem infirmare, aut ab Epiſcopis ad ſæculare forum tranſilire præſumerent, deduci jubebat ad ſuum comitatum; ut ibidem metu imminentium pœnarum conſtricti, à molitionum novarum licentiâ ſeveriùs cohiberentur (y). Quod ad compeſcendos Donatiſtas remedium excogitaverat Imperator, id ſubinde contumacis turbæ proterviam aluit, fovítque. Nam Donatiſtarum anteſignani ad palatium perducti propiùs auribus Cæſaris querelas ſuas ingerere, optimatum conciliare animos, quorum ſtudiis jam mollior Conſtantinus decrevit de Cæciliano ſtatuere, à ſanctis Præſulibus poſteà veniam petiturus, ſi rem Epiſcopali judicio terminatam, ipſe Laicus denuò retractaret (z). Rogabant factioſi, ut in Africa cauſa omnis à judicibus, quos Conſtantinus elegiſſet, cognoſceretur; Verùm Imperator ſubveritus, ne Donatiſtarum multitudo opprimeret, aut enervaret ſententiam; turbulentos unà cum Cæciliano & Ingentio Romam evocat. Cæciliano quoniam mora quædam injecta fuerat, quominus Romæ ad diem dictam compareret; judicii actio Mediolanum translata eſt (a). Donatiſtæ, qui abſentem Cæcilianum contumaciæ ergo condemnandum pugnabant, non parùm exterriti ſunt; ubi intellectum eſt, quæſtioni quoque interfuturum Ingentium, ſcilicet eum, qui in equuleo ſuſpenſus Cæciliani innocentiam enuntiaverat. Quare illorum complures ſe clàm à comitatu ſubducunt, profectíque in Africam cuncta ſeditioſis motibus perturbant: frænum Donatiſtis injicere tam citò non poterat Conſtantinus, cujus curas bellum adverſus Licinium tunc ſibi vendicabat: ſed pace paulò poſt reſtitutâ Mediolani Cæcilianum omni criminis labe abſolvens, adverſarios

(y) CC. T. I. apud Harduin. p. 269. & 270.

A. C. 315. & 316.

(z) Auguſt. ep. 43. olim 162.

(a) Optatus l. 1. in fine.

ſunt condignâ reſponſione oppreſſi? qui utique ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum judicium poſtulant; qui ipſe judicium Chriſti expecto. Dico enim, ut veritas habet; Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet. Nihil enim licet his aliud ſentire vel judicare, niſi quod Chriſti Magiſterio ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia, ut verè dixi, diaboli? Perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt . . . legant hæc ſollicito oculo, qui Cæſaribus jus ſupremum circa ſacra tribuere hodiedum præſumunt.

Improbitatis ac calumniæ palàm condemnavit (b). Donatiſtæ, qui anteà in paucos Epiſcopos, ac Cæcilianum acres linguas ac ora reſolverant; nunc quaſi effractis modeſtiæ omnis repagulis in Conſtantinum convitiandi libidinem acuebant: quem ab Hoſio Cordubenſi Epiſcopo Cæciliani Patrono deceptum, & perperàm inclinatum criminabantur. Injuriæ ejus aliam ultionem non ſumendam duxit Imperator, quam ut fiſco aſſereret eorum loca, in quibus cœtus cogere præſumpſerant (c). Mitior hæc pœna concitatam ſectam adeò commovit, ut in Eccleſias Catholicorum graſſantes, Baſilicam Conſtantinianam (d) etiam orthodoxis abſtulerint. Vis injurioſa utique uno ictu dejici potuiſſet; ſi ejus fortitudinis ac animi (cujus eſſe debebat) Conſtantinus fuiſſet: ſed dum tolerantiâ mederi petulantiæ nititur; impunitas effræne hominum genus in quidlibet audendi licentiam: atque à ſchiſmate nefaſto tandem in apertam hæreſin devolvit.

(b) Auguſt. in brevic. Collat. d. 3. c. 19.

(c) Auguſt. ep. 88. olim 68.

(d) Optatus l. 1. ſub fin.

14. Quam funeſta monſtra Africæ diſcordia invexerat, tam lætos fructus eodem tempore concors fidei, virtutíſque ſtudium per Orientem protulit: Euſebius Pamphili tunc Eccleſiæ Cæſareæ Palæſtinæ Presbyter, & poſtea Epiſcopus, vir incredibilis eruditionis quindecim de *præparatione Evangelica* libros elucubrabat (e), quibus tum Ethnicæ ſuperſtitionis vanitatem, tum veræ pietatis, quæ ex Chriſtiana fide enaſcitur, formam, inſtitutúmque commonſtrat. Atque ut religionis ſanctiſſimæ authorem omnes meliùs cognoſcerent; aliis quatuor libris (quos de demonſtratione Evangelica inſcripſit) Chriſti Myſteria, doctrinam ac divinitatem (*21) exponit: præcipuè autem in libro primo

Euſebius Pamphili.

(e) Hieron. de Script. Eccl.

(* 21.) Euſebius l. 4. Demonſtrat. Evang. *Cum unus ſit Pater, filium quoque unum, non plures eſſe oportet, unúmque perfectum ſolum genitum, Deum de Deo, non autem plures. A Patre filius procedit, & illum generat, at ipſe non genitus eſt: ille quidem per ſe ipſum perfectus, ac primus tanquam Pater, & qui author ſit, ut filius conſiſtat, nihil à filio accipiens, quo ſuam naturam, quâ Deus eſt, compleat: Hic autem tanquam ex cauſa profectus filius, alius ab illo, cujus eſt filius, exiſtit, & alterum lumen in omnibus ſibi ipſi ſimile ſubſtituit .... Quæ autem ad propoſitam à nobis Theologiam pertinent, cùm omnem exempli comparationem exſuperent; nihil tale, quale ex corporibus manat, præ ſe ferunt: ſed cogitationi ſolertiſſimæ intuendum, quaſi in ſpeculo præbent, docéntque filium, qui genitus ſit, non illum quidem, qui certis temporibus non fuerit, poſteriùs autem natus ſit: ſed qui ſit ante tempora æterna, atque anteeat, & tanquam filius unà cum Patre ſemper degat; neque verò, qui non ſit genitus, ſed ex*

mo pertractat duplicem vivendi modum, quo fideles aureâ istâ ætate se discernebant; Alterum vocat remissiorem & humaniorem eorum, qui modesto conjugio & sobolis procreatione implicati, rei familiaris assumebant curam (f). Alii contra sublimius vivendi institutum secuti, non nuptias, nec opum facultatem requirentes, soli divino cultui ex immenso rerum cœlestium amore sese addicebant. Hujusmodi disciplinam ingenti cum sanctimoniæ famâ eodem tempore magis excoluit Antonius; nam cælesti contemplationi omnino vacaturus, in eremi abdita longiùs discessit: haud tamen ita latuit, ut à sedulis discipulis, aliisque afflictis non vestigaretur (g): his igitur documenta salutis, incolumitatémque Thaumaturgâ manu impertiebat (h). Demissionis captabat augmentum ex rerum gestarum fama; Ecclesiæ quippe Canonem supra modum observans, omnem Clericum honore sibi præire voluit: nec verebatur Episcopis, & Presbyteris inclinare caput: Diaconus verò si utilitatis causâ accederet, paucis, quæ expediebant, absolvens, reliqua ad orationem & munus ordinis spectantia modestè discere, aut audire ab aliis se velle profitebatur (i). Ad omnium obsequia promptus, alloquia duntaxat Hæreticorum respuit, ratus eorum consuetudine animæ perniciem afflari exitialem (k). Exemplo Antonii per idem tempus Monasticæ Philosophiæ operam dedit Ammon Ægyptius (l): is primùm cum uxore, quam duxerat, virgineum octodecim annorum conjugium habuit; dein circa montem Nitriæ Patriarcha Monachorum duos supra viginti annos explevit, quo cursu consummato ab Angelis, quorum in carne puritatem æmulatus fuerat, è solitudine ad cælestium Indigetum frequentiam sublatus est. Quod Nitriæ Ammonius, hoc Tabennæ in insula Thebaidis Pachomius instituit (m): oriundus licèt Ethnicis Parentibus; fidelium charitate permotus ad sacra Christiana transiit: inde à Palæmone solitario Monastices hausit disciplinam, quam ille posteà regu-

(f) Euseb. Dem. Ev. l. 1. c. 8.

S. Antonius Eremitarum Antesignanus

(g) Athanas. in V. c. 48. & 49.

(h) C. 55. 57. 58. 59. 65.

(i) Idem c. 67.

S. Ammon.

(k) C. 68.

(l) Vitæ PP. l. 11. c. 30.

(m) Bolland. 14. Maji.

Patre non genito genitus, qui unicus sit, qui Verbum, qui Deus de Deo, non diremptione aliquâ, aut sectione, aut divisione de substantia Patris productus sit; sed qui de Patris consilio, atque virtute omnem elocutionem, omnémque cogitationem superante ab ævo, potiùs ante ævum essentiam sit nactus, modo quodam, qui neque verbis comprehendi, neque ratione à nobis colligi possit. Catholicè etsi hæc explicari possint; videtur tamen Eusebius hìc aliquibus jam Arianismo prælusisse.

regulis è cælo acceptis amplificatam, Tabennesi multis Monachorum millibus multò sublimiùs inculcatum ibat. Ut enim Moysi in deserto Sinai; ita Pachomio in Tabennensium solitudine, ministerio Angelorum leges accipere licuit, quibus novæ Monachorum Coloniæ ad virtutis absolutionem penitus deducerentur. Asceseos sacræ Institutoribus istâ ætate D. Hilarion accensendus venit (n): *S. Hilarion.* hic è pagano Tabathæ incola Christianus, dein Antonii sanctior (n) Hieron. de V. Illustr. discipulus, demum Magister pietatis monasticæ evasit: in eremum latrociniis infamem, quæque à Majomo (Gazæ Emporio) propiùs abest, ingressus, pugnis pectus, inediâ milléque molestiis corpus macerabat; in brevi siquidem tugurio, quod junco & Caryce texerat, humi cubans saccôque coopertus, scripturas sanctas post orationes & psalmos, quasi Deo præsente recitabat. Nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in gravissima valetudine solvit jejunium; per triginta annos sex uncias hordeacei panis, & coctum modicè olus in cibo habuit: sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumiceâ quâdam scabredine contrahi, adjecit oleum. Sexdecim ultimis vitæ annis pane abstinuit: fiebat autem ei de farina, & comminuto olere sorbitiuncula, cibo & potu vix quinque uncias appendentibus.

15. Cum solitudo Orientis sub hac Asceseos rigidâ disciplina in modum Lilii efflorescerct; Episcoporum quoque interfuit, suas per Orientem Ecclesias austeris quibusdam Legibus obsepire, ne mollior agendi modus in delinquendi licentiam declinaret. Sæviente Maximino non paucos tormentorum metus à fide, fortitudinéque Christiana abstraxerat: verùm restitutâ pace sæpiùs; at frustra fores Ecclesiæ pulsabant. Vitalis tandem Antiochenus Episcopus Lapsorum causam acturus (o), Ancyram Galatiæ octodecim Episcopos convocat, qui afflatu Spiritûs Sancti edocti decreverunt, ne scilicet quispiam eorum ad Ecclesiæ communionem admittatur, qui non antè pœnitentiam delicto convenientem peregerit: atque ut docerent, cui quemque gradui subjici oporteret, viginti quinque Canonibus Patres sua sensa complexi sunt. Ac Primò quidem Episcopi & Diaconi (si eos Diis nefastis immolâsse: at errorem novo fortitudinis exemplo apud judices corre-

(o) Harduin. in T. I. CC. pag. 279.

Concilium Ancyranum.

(p) Synod. Ancyr. can. 1. & 2. Diſtinct. 50. presbyteros qui &c.
(q) Can. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
(r) Can. 9. edit. veteris.

xiſſe certum ſit) à functionibus publicis, non item à ſedis aut gradûs honore prohibentur (p); dein ſingulis lapſorum pœnitudinis partes, temporáque decernuntur (q). His ſancitis Patres emendandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ operam apponunt, unde de Diaconis ſtatuitur (r), "*ut quicunque tales ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere nequeunt: hi, ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea, quod eis Epiſcopus licentiam dederit* (*22). *Chorepiſcopis* Synodus *licere noluit Presbyteros aut Diaconos ordinare: ſed nec Presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi, vel literis, in unaquaque parochia aliquid imperare, nec ſine auctoritate literarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere* (†). Poſtremos canones ad extirpanda & caſtiganda crimina Patres ſubjunxêre; nam Presbyteri (s) & Diaconi, qui à carnium velut immundarum eſu abſtinebant, ordine ſuo ſubmoveri jubentur: uſum ſacri epuli adulteris poſt ſeptennium (t); homicidis verò in fine duntaxat vitæ Præſules iidem conceſsêre (u).

(†) Reflexio III.
(s) Can. 13.
(t) Can. 19.
(u) Can. 21.

Concilium Neocæſarienſe.

16. Ex hoc Canonum inſtituto etſi non pauci abuſus, qui irrepſerant, ſublati viderentur; multa tamen adhuc ſupererant, quæ correctionis falce amputari decebat: quare eodem anno CCCXIV. Vitalis Antiochiæ Epiſcopus cum duodecim aliis Patribus Neocæſareæ in Ponto Polemoniaco convenit (x); ubi ea, quæ emendanda porrò videbantur, quatuordecim Canonibus diſpoſuêre: *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ab ordine deponi* præcipitur; *ſi autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abjici & ad Pœnitentiam inter Laicos redigi* jubetur (y). Septimo canone definitur (z): *Presbyterum convivio ſecundarum Nuptiarum intereſſe non debere, maximè cùm præcipiatur, ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter, qui propter convivium illis conſentiat nuptiis* (*23)? *ſi cujus uxorem adulterium commiſiſſe,* cùm

(x) CC. Tom. I. apud Harduin. p. 282.
(y) Can. 1. item Diſt. 28. Presbyter.
(z) Can. 7. & Cauſ. XXXI. Q. I. de his, qui.

(* 22.) BAILIUS in ſumma CC. T. II. p. 29. ad can. 9. Concilii Ancyrani ita notat: *Is Canon abrogatus eſt per Canonem ſextum Conc. VI, Generalis, ut ait Balſamon; Quare vera eſt communis Theologorum & Canonici Juris interpretum opinio, nulli poſt Diaconatum, aut Subdiaconatum licere matrimonium contrahere: id non quidem jure divino, ſed Canonico prohibente.*

(* 23.) BAILIUS in ſumma CC. T. II. p. 31. Canonem VII. Neocæſ. Concilii (ait) nonnulli de iis, qui ſimul plures uxores habere volunt, explicant. Alii eundem in-

cùm esset Laicus, fuerit comprobatum; is ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest. Quodsi in clericatu jam constituto eo, adulteravit, dato repudio dimittere eam debet. Si verò retinere ejus consortium velit, non potest suscepto Ministerio perfrui (a). *Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus* (b), *Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi fortè posteà ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat* (*24). *Presbyteri, qui corregionales sunt, in Ecclesia* (c), *præsentibus Episcopis vel Presbyteris civitatis offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Quodsi absentes sint civitatis sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationem, soli debebunt dare. Vicarii autem Episcoporum (quos Græci Chorepiscopos vocant) constituti sunt quidam ad exemplum septuaginta seniorum, sed tanquam consacerdotes propter sollicitudinem, & studium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur* (*25). *Diaconi* demum (d) *septem esse debent secundum regulam, quamvis magna sit civitas: Regulæ autem auctoritas ista est; quod & liber Actuum Apostolorum insinuat* (e).

(a) Can. 8. Synod. Neoc. & Dist. 34. si cujus uxorem.
(b) Can. 12. & Dist. 57. si quis in ægritud.
(c) Can. 13.
(d) Can. 14. Dist. 93. c. Diaconi septem.
(e) Act. 6.

17. Pacem Ecclesiæ optimis ejusmodi legibus florentem repentinus subinde turbo concussit; Licinius enim, qui per tempus aliquod Religionis Christianæ amicum professus fuerat, ùt primùm Constantinum mutatâ mente odisse cœpit (*26); Christi

A. Æ. C. 319. *Persecutio Licinii.*

intelligunt de iis, qui sæpius nuptias contrahunt successivè, eósque peccare ajunt, non quidem contrahendo, sed quod indebitam solemnitatem, & celebritatem suis nuptiis licitè contractis, adhiberi importunè sollicitârint. Rectiùs verò dicitur; quod sicut Laodicenum can. 1. Nicæn- c. 8. nuptias secundas approbat; ipsis tamen contrahentibus per Laodiceni Concilii canonem allegatum, propter emissum incontinentiæ signum certi temporis pœnitentiam injungunt; ita hoc Concilio à Bigamis pœnitentiam requiri, non quòd secundum matrimonium contrahendo peccent, sed quòd suam ipsius incontinentiam manifestent, & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium 1. Cor. c. 7. instituta est, licentiâ usurpent, ita Baronius ad a. 314. §. 91.

(* 24.) Nota irregularitatem hìc quandam pro CLINICIS; ita enim Cyprianus Epist. 76. eos vocabat, qui decumbentes in ægritudine baptismo lustrabantur: sicut vocabat PERIPATETICOS, qui semicorpore baptizati fuissent.

(* 25.) De Chorepiscopis, eorumque ordine ac officio vide infra Reflexionem III.

(* 26.) Licinius, postquàm Constantiam Constantini sororem sibi matrimonio Mediolani junxerat, vicerátque Maximinum cœlesti ope; Nicomediæ legem pro Christianis edidit: triennio exacto simultatis & æmulationis studium effecit, ut Licinius bello appeteret Constantinum, sed coactus orare pacem, cladis acceptæ causâ Constantino, & simul Christianis infestus esse cœpit. Vide SOCRATEM l. 1, c. 3. & SOZOM. l. 1. c. 7.

ſti quoque cultoribus ſe acriter præbuit infenſum. Diſſimulanter tamen primò res acta eſt: & quoniam metu Chriſtiani Imperatoris vim publicam adverſus fideles expromere non licebat; per inſidias ſubruere Eccleſiæ fundamenta adniſus eſt, ſerpenti perſimilis, qui dum non audet fortiùs invadentem aggredi, contorto tantiſper in volumen corpore, ſéque intra ſe abſcondens, ſibilo ſaltem, linguæque tricuſpidis motu furorem, minásque ejaculatur. Licinius quippe Conſtantinum ultrò laceſſere reformidans, veneni æſtum, quem animo altiùs tegebat, nonniſi callidis legibus, edictíſque prodebat (f): Epiſcopos nimirum ad Gentilium ædes accedere vetuit; ne inde propagandi fidem occaſio foret. Adhæc ſynodos Præſulum & conventus, in quibus controverſias decidi convenit, penitus interdixit: concordiam Eccleſiæ præterquam quod hâc ratione convellendam ſperaret; etiam rerum divinarum ignorantiam, cultúſque ſanctioris pietatíſque neglectum, invehere ſtuduit, id maximè cavens, ne quis Epiſcopus fœminas porro in fidei dogmatis inſtrueret, aut ne ſolemnis conventus Chriſtianorum, niſi extra urbis portas ſub libero aëre fieret (g). Indigniores hæ leges Chriſti cultoribus viſæ ſunt, quàm ut obſequium illis deferendum cenſerent: rideri igitur ubi ſe vidit Licinius; è doloſo latrocinio ſuo in apertam Tyrannidem prorumpens, exilio, fame, & diriſſimo mortis ſupplicio omnes omnium ordinum homines ad nefanda dæmonum ſacrificia compellere aggreditur. Epiſcopos non paucos (*27), Martyréſque innumeros (*28) ubi ſuſtuliſſet; dolori non exiguo erat Eccleſiæ, deficere Chriſtianos indies ſeu tormentorum metu, ſeu honorum ſpe,

(f) Euſeb. l. 1. V. Conſt. c. 51. & 52.

(g) Idem c. 53. & 54.

(* 27.) EUSEB. l. 10. hiſt. c. 8. . . . Baſileus Amaſeæ Epiſcopus, vir illuſtris, qui & Neocæſarienſi & Ancyranæ ſynodis interfuerat, grata Tyranno victima mactatur. NICEPHORUS l. 7. c. 44. ait Sebaſte in Armenia Martyrio affectum S. Blaſium Epiſcopum, qui multorum patrator miraculorum, ſub Agricolao Præſide, poſt diutinam cæſionem, atque in ligno ſuſpenſionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus diſruptæ ſunt: poſt teterrimum carcerem & in lacus demerſionem, unde ſalvus exivit; jubente eodem judice unà cum duobus pueris capite truncatur THEODORET. l. 1. c. 7. commemorat Paulum Neocæſareæ Epiſcopum, cujus manus candente ferro aduſtæ ſunt, quibus Chriſti inſignibus ornatus poſtea in Concilio Nicæno comparuit.

(* 28.) Ex Martyribus innumeris, qui ſub Licinio paſſi ſunt; BASILIUS hom. 20. Tom. I. numerat quadraginta coronatos Martyres, qui ſtagno glaciali impoſiti glorioſâ morte conſummati ſunt. Plura de Perſecutione Licinii videri poſſunt apud Ruinartum in Actis Martyrum pag. 521. 522. & 523.

ſpe: & forte deſcituri plures fuiſſent, niſi eodem tempore Lactantius calamo (*29): & Conſtantinus armis fidem multorum confirmâſſet. Hic ſiquidem tot ſuorum injuriis irritatus Licinium primo prœlio victum, dein altero in conflictu captum nocendi facultate, & demum etiam vitâ exuit. Relata cœli beneficio (h) victoria Conſtantino perſuaſit, ut quas Tyrannus clades Eccleſiæ attulerat, accelerato auxilio repararet: itaque exules continuò revocare, reddere honores & prædia ſpoliatis aut eorum propinquis: aut ſi forte hi Martyrio quoque conſummati fuiſſent; Eccleſiis novam hæreditatem (*30), ac eorum, quæ ſacrariis detracta videbantur, ampliorem poſſeſſionem adſcribere inſtituit.

Conſtantini victoria de Licinio. A. Æ. C. 323. & 324.

(h) Euſeb. Vit. Conſt. l. 2. c. 5... 19.

18. Extinctâ Tyrannide ſub potentis Conſtantini præſidiis tranquilliùs pace, commodíſque ſuis Religio frui cœperat; tum in Eccleſiam tenebrarum Principes pejorem procellam concitavêre (i): obſoleverat in animis multorum inſania illa, quâ res creatæ neglecto creatore Dei inſtar habebantur; nunc igitur convertendus error nonnihil erat, nempe ut agnitus quantumvis Conditor Univerſi, ſimilis nihilominùs rebus creatis, ſeu ejuſdem cum creaturis ordinis cenſeretur (k). Qui hanc blaſphemiam, hæreſínque in orbem temerè projiceret, aptior omnium viſus eſt Arius, quidam Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter: natus is erat in ea regione Lybiæ, quæ Ægypto vicina eſt (l). Proceriore cùm eſſet

(i) Theodoret. hiſt. l. 1. c. 4.

Arii Hæreſiarchæ initia.

(k) Epiph. hær. 69.

(l) Tillem. Tom. VI. 2. P. Hiſt. Eccl. a. 1.

(* 29.) HIERONYMUS de ſcriptoribus Eccl. tempore Perſecutionis Licinianæ ſcripſit ſeptem libros Inſtitutionum adverſus Gentes, quos Conſtantino nuncupavit: in Libro *primo* probat ex Poetis & Philoſophis Deum eſſe unicum, in *ſecundo* tractat de creatione mundi; in *tertio* perſtringit deliria Philoſophorum, qui ſapientiam ſectantur ſine religione. In *quarto* oſtendit penes Chriſtianos individuum veræ ſapientiæ & religionis vinculum eſſe. In *quinto* agit de Juſtitia Dei adverſus infideles, tum erga fideles. In *ſexto* exhibet officia juſtitiæ Chriſtianæ ſive erga Deum, ſive erga proximum. In *ſeptimo* diſſerit de cæleſti gloria, & judicio extremo, quod præcedet Romani Imperii diſſipatio.

(* 30.) EUSEBIUS V. Conſtantini l. 2. c. 21. "Sanctorum etiam Martyrum bona, qui in ipſa confeſſione obiiſſent, ad proximos eorum devolvi juſſit. Quodſi nullus genere ipſis conjunctus reperiretur, hæreditatem earum Eccleſiis deferri. *Eccleſiarum igitur primæ poſſeſſiones fuit Martyrum Patrimonium.* Bona autem, quæ ex Fiſco, vel per Donationem ad alios translata fuerant, aut quæ penes Fiſcum remanſerant, Dominis reſtitui debere, indulgentia Imperialis epiſtola præcipiebat. Martyria pariter ſeu loca, quæ Martyrum reliquiis honorata ſunt, & Cœmeteria reddi juſſit Eccleſiis. *Sciant tamen*, inquit, *qui hæc emerint, noſtram benignitatem, quoad ejus fieri poterit, ac decebit, ſibi non defuturam.*

(m) Epiph. c. 3. esset corpore, alloquio suavi & ad persuadendum apto (m), eò faciliùs in fraudes suas credulos impellebat, quo dolosiùs per abditas Dialecticæ artes rudioribus obreperet: atque ut doctiores & sanctos viros suis quoque partibus attineret; mentem suam scelerum ingentium machinatricem virtutis quâdam conciliatriculâ specie obvelabat: quo quidem exteriore & ad mendacium omne composito habitu tres maximè Episcopi Alexandriæ delusi sunt (n).

(n) Sozom. l. 1. c. 15. Rufin. l 1. c. 1 Theodoret. l. 1. c. 3.

Arius obrepit S. Petro Alexandriæ Antistiti.

Primus eorum S. Petrus fuerat; cui Arius imposuit eo tempore, quo Meletius Lycopolis in Thebaide Præsul à Patrum Synodo scilicet anno CCCVI. Apostasiæ convictus, suo sacerdotii gradu dimovebatur. Homo igitur exauthoratus, & Pœnitudinis certo ordini subjectus, cùm spretâ Concilii sententiâ defectionem ab Ecclesiæ concordia moliretur; Arius opportunam ratus occasionem sua provehendi consilia, turbulenti schismatis Ducem sequitur. Verùm à Meletio (qui ignoti, & suspecti adhucdum Veteratoris consuetudinem abnuerat) rejectus, in sinum S. Petri Alexandriæ Antistitis revertitur: gratum id adeò habuit S. Patriarcha, ut Arium à factiosorum partibus receptum Diaconorum ordini adlegeret (o). Crescente interea Schismaticorum multitudine, velut novo fomite accensus Arius denuò in novitatis ardet studium, relapsúsque ad Schismaticorum castra, Meletio jam magis cognitus ultro accipitur: satis id causæ visum est Alexandriæ Præsuli vertumno mobilius ingenium ab Ecclesiæ foribus eliminare. Fulmen, quod Novatori intorquebatur, virum Apostatam ita perculit, ut referre levissimum pedem illico pœnitens cogitaret. Quo minùs S. Petrus Alexandrinensium Episcopus Ecclesiæ ostium cupienti aperiret, cælestis imago fecit; eâ quippe Christus Sancto Antistiti vestem suam in multas partes discerptam exhibebat, testatus eam ipsam Arii scelere dissutam fuisse (*31): monitus è cælo S. Petrus flecti precibus nullis potuit, ut versipellem gregi redderet. Et quoniam postridie se Martyrio sub Maximino consummandum præviderat, aliis, qui coram erant, cavit ne hominem ejectum intra Ecclesiæ adyta unquam sinerent reverti (p).

A. Æ. C. 307.

(o) Sozom. l. 1. c. 15.

Arii fraudes deteguntur.

A. Æ. C. 311.

(p) Acta Martyr. S. Petri Alexand.

19. Achil-

(* 31.) TILLEMONT hanc visionem Petro Alexandrino factam & in Actis Petri Alexandrini recitatam accuratiùs ad crisin examinat Tom. V. 3. P. Hist. Eccles. qui unà

19. Achillas, qui Petro ſucceſſerat, anteceſſoris monitis adeò non obſecutus eſt, ut Arium paucis communionem precatum fidelis ac Diaconi loco rurſus haberet (q): quin favore immoderatiore eò prorupit, ut illotis vixdum pedibus regreſſo Presbyterii gradum, Baucalíſque Eccleſiæ (quæ inter præcipuas erat) curam conſignans, ſimul populo ſacra exponere volumina præciperet (r). Tumentem tot officiis Arium ſpes afflaverat, ut poſt mortem Achillæ, quæ paulò poſt evenit, propiùs jam in Epiſcopale faſtigium involandi copia foret. Verùm cupido ſuperbiſſimi hominis repreſſa eſt, ubi Alexandrum & pietate & fide meliorem, contrà ac ſperaverat, ſibi antehaberi vidit: inde igitur extitêre cauſæ non modicæ irarum; ſtimulante quippe livoris impetu, ſeu calumniâ, ſeu doctrinæ reprehenſione perdere Præſulem laborabat (s): Alexandro ſolenne erat ad ſolitos cœtus vocare Clerum, ut hunc fidei dogmatis frequentiùs imbueret; accidit autem, ut quâdam die Sacroſanctæ Trinitatis myſterium expoſiturus doceret in Triade increata agnoſci debere unitatem, filiúmque eſſe ejusdem cum Patre dignitatis, atque ſubſtantiæ. Hìc Arius velut occaſione convitii jaciendi aut erroris ſui diſſeminandi datâ, turgidi ſerpentis inſtar Antiſtitem invadit. Et quoniam noverat, quàm malè apud omnes Sabellius audiret, quòd effutire auſus eſſet, unam ſub tribus nominibus in Deo eſſe Perſonam; id potiſſimùm Alexandro docenti palàm in faciem oggerebat, Hæreſiarchæ ante ſexaginta annos jam proſcripti dogma aliis duntaxat vocibus ab eo proferri (t), perperam acturum Præſulem, ſiquidem aſſertâ eſſentiæ divinæ unitate porrò negaret Perſonas ſimul invicem confundi: cum enim filius à Patre genitus eſſet (ut profitebatur Alexander) neceſſe fore, ut Pater ſit princi-

(q) Sozom. l. 1. c. 14.
Achillas Petri ſucceſſor Arium Presbyterio adſcribit.
(r) Epiph. Hæreſ. 69. Theodoret. l. 1. c. 2.
(s) Sozom. l. 1. c. 14. & 15.
Arius Alexandrum Alexandrinum exagitat.
(t) Theodoret. l. 1. c. 2. Socrat. l. 1. c. 5.
Error & hæreſis Arii.

unâ cum Natali Alexandro monumentum illud antiquitatis in dubium vocat ex ſequentibus rationibus 1. ob ſilentium Alexandri & Athanaſii 2. in Actis, ubi viſio aſſeritur, nomine Chriſti refertur, prohibitum eſſe Achillæ & Alexandro Presbyteris, ne Arium usquam in Eccleſiam recipiant. Et tamen Achillas (teſte Athanaſio or. 1. contra Arianos) vir ſanctiſſimus recepit Arium & ad Sacerdotium provexit: imo Alexander ipſi ſacræ ſcripturæ cathedram commiſit, quæ paradoxa ſunt. 3. Acta Petri Alexandrini affirmant, Petrum excommunicâſſe Arium ob hæreſin, quam necdum tamen fundaverat, & Petrum Alexandrinum à Diocletiano occiſum, cùm Diocletianus multò ante obiiſſet &c. His non attentis multi Acta non adeò vitioſa nec fabuloſam exiſtimant veterem traditionem de dicta cæleſti imagine.

principium filii, ac vel inde dependere filium à priore, quo iste sit posterior, nec ejusdem cum Patre substantiæ esse valeat: præterea si Pater genuit Filium; existendi initium habet is, qui genitus est, igitur tempus aliquando fuit, quo non esset Filius, nec ejusdem cum Patre substantiæ, eoquòd ex nihilo Filius subsistat (u). Ario hunc in modum disputanti non pauci dedêre manus; quare Alexander Arii errorem compressurus, conventum alterum cogit, quo disputantis audacia infringatur; sed eventus votis Alexandri minùs respondit; Arius enim cupiditate vincendi accensus, & linguâ scelestior divinitatem Christi atrociùs lacessebat, solum Patrem Deum, solum à se ipso æternum, sapientem, immutabilémque compellans, Filium contrà ajebat minimè emanâsse de Patris substantia, per ejusdem sapientiam, verbúmque internum ante omnes creaturas duntaxat productum; quas quia donorum sublimitate antecelleret, obstare nihil, ut Patris largitione Dei filius, Deúsque aliquâ ratione compelletur, naturâ quidem Angelis, hominibúsque superior, minor tamen Patre, obnoxiúsque mutationi futurus, nisi Pater eundem à mali vicissitudine prohibeat.

(u) Athanas. Or. 1. Sozomen. l. 1. c. 14. Theodoret l. 1. c. 2, & 3.

Artes, quibus Arius disseminavit errorem.

20. Exhorruit ad impias voces Alexander; & commonstratâ blasphemiarum insaniâ Hæretico cavet, ne merces ejusmodi Christianis exponere audeat. Paruit ad tempus mandato Præsulis, dum Presbyteris præcipuis, ac Episcopis sibi devinctis suæ sectæ augeret vires, quo facto per cunctorum domos volitans, Optimates blando alloquio, Doctos sophismatum laqueis, & pias, Deóque sanctas Virgines quodam sanctimoniæ jactatæ artificio in errorem traducebat (*32). Dissimulanter agentis Alexandri animum mali increbrescentis vis tandem adeò acuit, ut quia remedia mitiora impostori consanando vix suffectura credebantur; Synodum

(* 32.) Juxta EPIPHANIUM h. 29. c. 3. Ario adhæsere septem presbyteri, Diaconi duodecim, & septingentæ Virgines: ex PRESBYTERIS erant *Achillas*, *Aithalus*, *Carpo*, *Sarmates* & alius *Arius*: ex DIACONIS *Euzojus*, *Lucius*, *Julianus*, *Menna*, *Helladius*, *Cajus*: ex EPISCOPIS *Secundus* Episcopus Ptolemaidis in Ægypto, *Theonas* præsul Marmaricæ in Lybia; plures, qui primò Ariò adhæserunt & ab Alexandro condemnati sunt, enumerat TILLEMONT l. c. a. 4.; ubi porrò notat, incredibile esse, quod ab Ario septingentæ Virgines confestim deceptæ fuerint, præsertim cùm ipse Alexander apud THEODORETUM l. 1. c. 3. de exiguo numero perversarum mentionem faciat.

nodum centum Episcoporum è Provinciis Ægypti, & Lybiæ convocaret. Discussâ penitùs causâ Arius Presbyterii gradu depositus, cúmque suis ab Ecclesia proscriptus est. Sententia æquissima incendii scintillas cùm premere debuisset (x); irritavit magìs, nam ut quique affectu rapiebantur, vel intempestivâ miseratione damnatos indictâ causâ spargebant; vel in sensa Arii novitatis studio tracti cœtus seditionum plenos fovebant: id quod Eusebium Cæsariensem quantumvis in Arii partes propensum fateri coëgit, divisionem populi eò devenisse, ut occasionem inde captarent Pagani, in theatris nostris fidei mysteriis illudendi (y).

Deponitur Arius ab Alexandro.

(x) Sozom. l. 1. c. 15. Socrat. l. 1. c. 6. Prosper. in Chron.

(y) Euseb. V. Const. l. 2. c. 61.

21. Neque tamen intra Alexandriæ mœnia malum ejusmodi stetit, sed Arius sive ob turbas ab Alexandro urbe ejectus, sive favorem extraneorum Episcoporum quæsiturus in Palæstinam cum Carpone & Achilla aliísque hæreseos alumnis abiit: acerbus illis tum in hac, tum in proximis Provinciis labor erat, expetere commendatitias ad Alexandrum Alexandriæ Antistitem literas (z), quod quidem eo fine ab ipsis factitari cognitum est, ut acceptas literas in ostentationem communionis, quæ Ario cum tot Episcopis intercederet, coram suis sectatoribus jactitarent. De dogmatis ubi sermo apud Præsules erat, is nonnisi brevis, & verbis ambiguis prolatus: illud verò omnibus palam obtrudebatur, Arii doctrinam Sabellio adversari, quem unus Alexander ab inferis revocare præsumeret. Artes tam callidæ etsi sanctiores Episcopos minimè deciperent (*33); plures tamen fuco mendaci delusi non tantùm extra communionem Ecclesiæ amandato communionis dare literas, sed & suis gregibus Arium contra Apostolicas leges accensere non dubitârunt (*34).

(z) Epiphan. hær. 69. Theodor. hist. l. 1. c. 5. & 6.

Arianorum insidiæ & fraudulentæ machinationes.

 22. Præ-

(* 33.) *Arius* apud THEODORETUM l. 1. c. 5. Adversarios suos nominat *Philogonium* Antiochensis Ecclesiæ Antistitem, *Hellanicum* Tripoleos, *Macarium* Hierosolymorum, ex quo patet, hos longissimè Arium à se abstinuisse; quare Arius eos hæreticos vocat.

(* 34.) Quinam Episcopi Ario primò subscripserint, ex ejus ad Eusebium literis cognoscitur, quæ apud Theodoret. l. 1. c. 5. extant: *Et quoniam Eusebius frater tuus Episcopus Cæsareæ, & Theodotus Laodiceæ, ac Paulinus Tyri, Athanasius Anazarbi, Gregorius Bereti, Aëtius Lyddæ seu Diospolis, omnes denique per Orientem Episcopi asserunt Deum Principii omnis expertem existere ante filium, anathemate* (ab Alexandro) *damnati sunt.* Præterea Arius sui erroris Duces invenit in Palæstina, aliísque Provinciis.

(a) Athanas. apol. 2.
Eusebius Nicomediensis.
(b) Socrat. l. 1. c. 6. Liban. or. 8.
(c) Theodoret. l. 1. c. 19.
Arii litera ad Eusebium.

22. Præcipuum verò firmamentum novæ hæresis dedit Eusebius Nicomediensium Episcopus: Berytensi is primùm Ecclesiæ ferè tumultuarius Præsul (a) datus fuerat; sed cùm sponsam suam ex divitiarum, honorúmque inopia, non ex pietatis sensu æstimaret; mercenario huic Nicomediensis Ecclesia præ Berytensi arrisit: Nicomediam quippe & Bithyniæ metropolim & Orientis Imperatorum sedem (b) idoneam suis consiliis judicabat, quæ ambitiosiùs sibi jam designaverat: suavi proinde eloquio, aliísque fraudibus in familiaritatem Licinii, Constantiæque conjugis irrepens, mortuo subinde Eustolio Nicomediæ Episcopo ab Augustis impetrat, ut relicto paupere grege suo magnificentius in Regia urbe Episcopium adire liceret: facultatem ejusmodi nefastam quoniam non à legibus Ecclesiasticis (c), sed beneficio laicorum acceperat; Episcopali dignitate non aliter, atque in Ecclesiæ exitium posteà usus est. Nam Licinio tum in Christianos, tum in Christianorum defensorem Constantinum bella movente, posito Præsulis officio utrorumque proditorem egit (* 35). Occiso Licinio lupus ille cruentus palatio, atque ovili suo abigendus sperabatur; verùm operâ Constantiæ Constantini sororis Eusebius Imperatori adeò commendatus est, ut quibus favoribus sub Licinio, iis nunc sub Constantino perfrueretur. In aula itaque rerum denuò potentem Arius literis convenit, enixè obsecrans, ut sibi ob fidem genuinam Alexandriâ pulso adesse vellet, deinde perverso dogmati suo fucum obtendens (*36), mentiebatur ab

eiis, nam ex Historiæ decursu patebit, ejusmodi antesignanos fuisse, *Patrophilum* Scythopolis in Palæstina Episcopum, *Narcissum* Irenopolis in Cilicia, *Menophantem* Ephesi, Theognium Nicææ, *Marim* Chalcedonis, & *Eusebium* Nicomediæ.

(* 35.) Apud THEODORET. l. 1. c. 19. Constantinus de Eusebio Nicomediensi testatur, quod à Licinii partibus steterit eo tempore, cùm bellum inter duos Cæsares ferveret, quódque contra Constantinum arma tulerit, proditionísque infamem operam commodârit Licinio: demùm quod hunc Tyrannum ad eam persecutionem, quâ Christianos vexavit, commoverit.

(* 36.) Literæ Arii ad Eusebium referuntur à THEODORETO hist. l. 1. c. 5. *Domino desideratissimo, viro Dei, fideli, orthodoxo Eusebio, Arius, qui injustè persecutionem patitur ab Alexandro Papa ob victricem omnium veritatem, quam tu quoque defendis, in Domino salutem .... vehementer nos oppugnat, ac persequitur Episcopus, adeo, ut nos etiam velut impios urbe expulerit; eoquod non assentiamur ista publicè prædicanti: semper Deus, semper est filius, simul Pater, simul filius: filius Deo coexistit ingenitè, semper genitus est, ingenitè genitus est, nec cogitatione, nec ullo temporis puncto*

ab Alexandro Episcopis optimis Catholicæ doctrinæ ergo anathema, extremáque omnia intentari. Eusebius Arii epistolam gratissimam habuit, sive quòd cum illo literas sub Luciano Martyre olim fuisset professus (* 37), sive quòd de divinitate Christi jam eadem, quæ ipse, sentiret (* 38). Unde probato ejus dogmate, Ario tantum animi injecit, ut Nicomediam velut ad erroris sui asylum provolaret (d): Eusebius ab eo tempore patrocinium hæresiarchæ suscipere, eidem Constantiæ Augustæ conciliare gratiam, ac sollicitare Episcopos instituit, ut pro Ario apud Alexandrum

(d) Epiph. c. 5.

Eusebii studia pro Ario.

cto Deus præcedit filium semper Deus, semper filius, ex ipso Deo existit filius .... Nos verò, quid dicamus, & quid sentiamus, & professi jam sumus, & nunc profitemur filium non esse ingenitum, nec partem ingeniti ullo modo, neque ex aliqua subjecta materia, sed voluntate & consilio substitisse ante omnia tempora, & sæcula perfectum Deum, unigenitum, immutabilem, & antequam gigneretur, aut crearetur, aut determinaretur, aut fundaretur, eum non fuisse; ingenitus enim non erat. Persecutionem patimur, propterea quod dixerimus, eum esse ex non extantibus. Virus suum latenter hic insinuat Arius, cùm neget filium esse ex ipso Patre, eique coæternum: dum autem immutabilem esse ait filium; intelligit hoc virtute esse factum, cùm anteà mutationi obnoxium fuisse blasphemet: nec alio sensu filio divinitatem tribuit, quàm quod Pater ex voluntate sua filio omnia subjecerit, velítque eum ab omnibus adorari; nec jam filius, per quem omnia facta sint, imperfectioni subjaceat: demum fingit filium extitisse ante omnia tempora, hoc est ante mundi creationem.

(* 37.) Arius literas suas concluserat hisce ad Eusebium verbis: *Vale vere Collucianista.* Ex quo colligit Tillemontius illum Arii condiscipulum fuisse Antiochiæ sub Magistro S. Luciano, quod & insinuat EPIPHANIUS hær. 69. c. 5. & PHILOSTORGIUS l. 2. c. 15. jactat de suis Arianis, quod non tantum Eusebius, sed & alii hujus sectæ præcipui, nimirum Maris Chalcedonis, Theognius Nicææ, Menophantes Ephesi, Athanasius Anazarbi, Eudoxius Germaniciæ, Leontius Antiochiæ, Antonius Tarsi Episcopi S. Lucianum Præceptorem habuerint.

(* 38.) Eusebius quid crederet, perscripsit ad Paulinum Tyriorum Episcopum, uti habetur apud THEODORET. l. 1. c. 6. *Unum ingenitum credimus, alterum autem ab eo verè & non ex ejus substantia factum, nec ullo modo participem naturæ illius, nec à substantia ejus existentem, sed naturâ & virtute prorsus diversum, ad perfectam tamen similitudinem naturæ, virtutisque factoris sui conditum, cujus initium non modo verbis inexplicabile est, sed ne cogitatione quidem, non dicam hominum, sed omnium, qui supra homines sunt, comprehendi posse credimus. Atque hæc non nostrâ ratiocinatione collecta, sed à scripturis edocti sumus, creatum, ac fundatum esse, & genitum substantiâ, & immutabili, atque ineffabili naturâ, ac similitudine. quam habet ad factorem suum, didicimus ex ipsius Domini verbis, qui ait:* Deus creavit me initio viarum suarum, & ante sæculum fundavit me. *Si verò ex eo, quod genitus esse dicatur, subindicari videtur eum ex paterna substantia ortum, eandem quoque cum Patre substantiam habere, scimus scripturam non de illo solo dicere, quod genitus sit, sed etiam de aliis, quæ naturâ prorsus ab illo discrepant. Nam & de hominibus dicit:* filios genui, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me .... *& omnia quidem per ipsum verbum, à Deo tamen facta sunt: omnia enim ex Deo.*

drum literis agerent; demum ſuæ, quâ valebat, authoritatis vim appoſiturus, epiſtolam ad Alexandrinenſium Antiſtitem dedit, quâ perſuadere integerrimo Patriarchæ conabatur, ut gregi fidelium hominem hæreticum rurſus accenſeret (e).

(e) Athanaſ. apolog. 2.

23. Arius Alexandrum precibus vincendum ratus, ſuam quoque epiſtolam adjunxit (f); hujus argumentum ancipitem denuò fidei dubiæ, vocúmque obſcurarum complexum exhibebat; ut qui hominis ingenium ignoraret, eum orthodoxum facilè credidiſſet: profitebatur enim unum Deum, ſolum ingenitum, ſolum æternum, qui unigenitum filium ante ſempiterna tempora genuit: per quem & ſæcula & reliqua procreavit omnia. Genuiſſe porrò dicebat reipsâ, non ſpecie tenus, ac ſubſiſtentem illum ſuâpte voluntate condidiſſe, condidiſſe autem ejusmodi, ut neque converti, neque mutari poſſit, non tanquam rerum creatarum aliquam, atque ideo contuliſſe Patrem filio gloriam, ſplendorémque ſuum (g). Hæc quantumcunque torqueret Hæreſiarcha, Alexander tamen errorum non ignarus, ex ipſo epiſtolæ contextu veneni vim deprehendit: patebat nimirum provido Præſuli, Ario Dei filium illum eſſe, quem nominabat perfectam Dei creaturam, quíque Patri minimè coæternus, ſed aliquando non extitiſſet, productúsque tanquam cæteris creaturis perfectior, quo ſenſu participaret divinitatem, minimè verò Deum ſuâ naturâ immutabilem dici poſſe, ſi cum Patre comparetur: prætereà negabat filium Patri conſubſtantialem, eoquòd Pater compoſitionis expers more rerum corporearum nil ſubſtantiæ in filium dividere valeret. Has igitur literas ubi Alexander accepiſſet; blaſphemiarum authori indignatus, Euſebii, aliorúmque Epiſcoporum poſtulata reſpuit. Repulſa Arium terruit quidem, ſed non proſtravit; ab Alexandro enim ad Conſtantiæ Auguſtæ, populíque captandos favores ſe convertens, de opinione ſua librum compoſuit, cui laſcivienti operi & ad exemplum Sotadis molliculi Vatis (*39) concinnato, nomen fecit Thaliæ (h): ſcurrili huic Poëſi appoſuit alia carmina nautica, molendinaria, & viatoria, quæ

(f) Athan. de Syn. or. 3.
Arii literæ ad Alexandrum Alexandrinum.

(g) Epiph. hæreſ. 69. c. 7. 8.
Arii fraudes.

(h) Socrat. l. 1. c. 9.

(* 39.) SUIDAS ait, quod Sotades Poeta Cretenſis, à dæmone vexatus, Jamborum libros ſcripſerit turpiſſimos, quos Philatas, Cinædóſque vocavit.

quæ plebs ad imbibendam leviùs impietatem in circulis, rudiúmque conventibus decantabat (i).

Alia scripta Arii.

(i) Athanaſ. or. 2. in Arian.

24. Interea Euſebius ab Alexandri contemptu irritatus (k), in Bithynia Synodum cogit, cujus conceptam ſententiam ad cæteros Epiſcopos perſcripſit, nempe ut Arii ſectatoribus communionem impertiti, Alexandrum quoque exemplo & literis ad aliam mentem inflecterent (l); verùm conatibus Præſulum obluctante Alexandro, Arius id ſaltem impetravit à Paulino Epiſcopo Tyri, Euſebio Cæſarienſi, & Patrophilo Scythopolitano Antiſtite, ut unà cum ſuis cœtum cogere liceret: ne tamen ſchiſma hæreſi conjunctum apertiùs volitaret, inculcatum Ario eſt, ut ab Alexandro Epiſcopo porrò dependeret. Ex eo tempore Hæreſiarcha canticum illud, quo *Gloria Patri, & Filio*, & *Spiritui Sancto* dicitur, utpote errori ſuo contrarium hunc in modum immutavit, ut *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* accineretur (m); corruptio etſi talis non eſſet, ut orthodoxo ſenſu exponi non poſſet; diſplicuit tamen eâ ætate, quòd æqualitatem divinarum Perſonarum impugnare videretur. Prætereà nil optatius Ario erat, quàm ut invocationem SS. Triados in Baptiſmi forma perverteret; ſed utut perfricuiſſet frontem, eò tamen audaciæ crudus etiam pudor delabi illum non ſinebat, ut in Evangelica verba ſacrilegam manum injiceret.

(k) Sozom. l. 1. c. 15. Socrat. l. 1. c. 3.

(l) Theod. l. 1. c. 4.

Arianorum Synodus.

(m) Idem l. 4. c. 1.

A. Æ. C. 324.

25. Conſtantinus victo Licinio Orientis adeptus Imperium, non poterat non dolere, ab Ario turbari Eccleſiam (n), ſed Euſebii Nicomedienſis artibus inductus eſt, ut ſeditionis cauſam in Alexandrum quoque conjiceret: utrumque igitur Imperator gravi epiſtolâ monet, ut pace reſtitutâ à turbis abſtinerent (*40). Lite-

(n) Euſeb. V. Conſt. l. 3. c. 4. Socrates l. 1. c. 6.

Conſtantinus Orientis motus componere conatur.

(* 40.) EUSEBIUS Vit. Conſt. l. 2. c. 69. literas ad Alexandrum & Arium miſſas ab Imperatore ita refert: *Præſentis controverſiæ initium hinc extitiſſe comperi. Cum enim tu Alexander à presbyteris tuis requireres, quid unusquisque eorum de quodam legis loco ſentiret, ſeu potiùs de quadam parte inanis quæſtionis eos interrogares. Cúmque tu Ari, id quod vel nunquam cogitare, vel ſanè cogitatum ſilentio premere debueras, imprudenter protuliſſes, excitatâ inter vos diſcordiâ communio quidem denegata eſt; Sanctiſſimus autem populus duas in partes diſciſſus à totius corporis unitate diſceſſit. Quocirca uterque veſtrûm veniam viciſſim alteri tribuens, id amplectatur, quod conſervus veſter vobis juſtiſſimè ſuadet. Iſtiusmodi enim quæſtiones, quas nulla legis neceſſitas præſcribit, ſed inutilis otii altercatio proponit, nec facile in publicos efferre conventus, nec auribus vulgi*

Literarum iſtarum bajulum, ſimúlque legatum, qui tumultûs fontem propiùs cognoſceret, Hoſium miſit Cordubæ, quæ Hiſpaniæ civitas eſt, Antiſtitem; probaverat viri hujus integram virtutem Conſtantinus, quòd inter præcipuos Elberitani Concilii Patres in emendanda diſciplina Eccleſiæ ante viginti ferè annos laboráſſet (o), ac poſteà ſub Maximiano Herculeo fortiter inter vincula fidem confeſſus (p), receptâ demum libertate Primum Chriſtianum Principem dogmatis ſalutis imbuiſſet (q). Ab eo tempore à Conſtantino ſummoperè dilectus, grandibúsque Eccleſiæ negotiis adhibitus, Ægyptum quoque adire juſſus eſt, ut ſicut ante ad Donatiſtarum in Africa motus componendos (r), ita nunc ad diviſionem Ægyptiorum conſanandam auxilium afferret (s). Præſul à nomine & conſtantia verè ſanctus, ubi Alexandriam venerat, in ipſa urbe videt bellum, præliáque miſceri, à verborum concertationibus plebem ad cædes & ſanguinem proruere, quin & ſtatuas Cæſaris non ſine injuria, & flagitioſa vi labefactari: inſpectâ triſtiſſimâ tumultûs imagine Hoſius ex Epiſcopis ſciſcitatur, ecquid cauſæ ſit, cur Ægyptus, tótque Orientis Provinciæ immani contentionum æſtu convellantur? Alexander, qui ab Euſebio Imperatori impoſitum jam noverat (t), authorem turbarum legato meliùs depingit, Arii unius ſcilicet molitionibus agi, ut maximum Chriſtianitatis myſterium ſive divinitas Filii Dei, à quo Imperator tot jam gratiis ac victoriis eſſet cumulatus, evertatur, inde quoque fieri, ut uno Hæreſiarchâ Eccleſiam commovente, reliqui diſſidiorum concitatores, velut quidam latrunculi ad fidei & diſciplinæ communis exitium advolent; Quartadecimanos & Audianos rurſus aliam Paſchatis celebrationem urgere (*41). Collu-

(o) Euſeb. l. 1. Conſt. l. 2. c. 63. CC. T. I.
(p) Socrat. l. 1. c. 7.
(q) Euſeb. V. C. l. 1. c. 32.
(r) Auguſt. Parm. l. 1.
(s) Euſeb. l. 2. c. 73.
Hoſius Cordubenſis abit in Ægytum.
(t) Sozom. l. 1. c. 25.
Tumultus aliquantum componitur.

vulgi inconſultè committere debemus. Neque enim de præcipuo & ſummo legis noſtræ mandato inter vos orta eſt contentio, neque ullum novum à vobis de Dei cultu introductum eſt dogma, ſed unam, eandémque ſententiam ambo tenetis, adeò ut ad communionis ſocietatem ambo coire facilè poſſitis; quamvis invicem de re aliqua minimi momenti diſſentiatis ... reddite igitur mihi tranquillos dies &c. Scripſiſſe hæc Conſtantinum, ab Euſebio Nicomedienſi deceptum, palam eſt. Et Euſebius Cæſarienſis, qui iſtas literas hoc modo exhibet, non obſcurè ſuum erga Arium ſtudium commonſtrat.

(* 41.) *Colluthus* Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter duntaxat, nihilominus Epiſcopi ad inſtar Sacerdotes ordinare auſus, inter quos erat Iſchyras, infamis ille convitiator S. Athanaſii: de hoc ATHANASIUS teſtatur Apolog. 2.: *Cùm Iſchyram quendam ſubornâſſent,*

Colluthianos (*42), Anthropomorphitas (*43), Sabellianos undique licentiùs grassari. Hosius malis ejusmodi remedium daturus Synodum Alexandriæ cogit (u), verùm causarum moles amplior, implicatiórque visa est, quàm ut exiguo Patrum numero definiretur; itaque Cordubensis Episcopus ad Constantinum remeans, expositis iis, quæ coràm vidisset, suadet; ut commune hæreseos malum universali totius orbis Concilio propulsetur: nec abnuit Constantinus; quin honorificis literis singulos Provinciarum Episcopos Nicæam Bithyniæ olim metropolim (x) evocans, cunctis de itinerum adjumentis ex ærario publico providit.

(u) Athanas. Apol. 2. Socrat. l. 3. c. 7.

(x) Eufeb. V. Const. l. 3 c. 6. 7. 8. 9.

Convocatur concilium Nicænum.

26. Accurrentibus ex Asia, Africa & Europa trecentis & octodecim Præsulibus, unus qui primum in Concilio locum habere debuerat, scilicet supremus Ecclesiæ Pontifex Sylvester ab ab affecta valetudine impediebatur (a), quò minùs generali Patrum

(a) Theod. l. 1. c. 7.

nássent, quem secum adduxerunt, hominem minime presbyterum, tametsi se eo nomine jactitet; quippe ordinatum à Collutho quodam, non vero; sed imaginario Episcopo, cui in generali Concilio ab Hosio, & à cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro presbytero, qualis anteà fuerat, haberet; atque ideo omnes ab illo constitutos in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras nominandus est.

(* 42.) EPIPHANIUS hæres. 70. *Aridæus è Mesopotamia oriundus, domi clarus imprimis fuit propter vitæ integritatem, & divinæ fidei zelum, & ardorem, qui cùm sæpe nonnulla videret, quæ in Ecclesiis perperam geruntur, Episcopos ac presbyteros coram increpare, & redarguere non verebatur tanquam veritatis amans .... verùm cùm indigna pateretur, his malis ingemiscens .... se ipsum ab Ecclesia segregavit: atque ita pluribus cum eo desciscentibus, novum ab eo divortium conflatum; ipse tamen cum suis sinceram in omnibus religionem tenuit ... decursu temporis ... Catholicos* Audiani *calumniati sunt, quasi paternam in celebrando paschate consuetudinem reliquissent, ut se ad Constantini nutum accommodarent, contendebántque Paschæ festum cum judæis quartâ decimâ lunâ celebrandum esse.* Cæterùm Novatores ab Ecclesia se segregantes notent sequentia Epiphanii verba: *sed illud reliquis omnibus ad horrorem & atrocitatem majus est, quòd cum nemine precantur, tametsi honestis, atque integris moribus esse videantur; neque quidquam habeant, quod illi objiciant; non stupri, non adulterii, non avaritiæ crimen ullum, nisi hoc duntaxat, quod Ecclesiæ communione continetur. Est hoc verò horrendum, Christianorum commutare nomen, qui in sancta Ecclesia censentur, quæ solâ Christi, & Christianorum appellatione contenta, adscititium omne nomen respuit. Pro illo, inquam, nomine Audianos appellari, coitiones inter se facere, ac tesseram meri hominis nomine inscriptam exigere. Hæc inquam minimè ferenda sunt, quamvis alioqui integerrimus sit hominum ille conventus, atque omni se probitate, justitiáque venditet.*

(* 43.) EPIPHANIUS l. c. inter cæteros *Audianorum*, quos cum tempore admiserunt, errores hunc quoque recenset: decursu temporis hæc scripturæ verba: *faciamus hominem ad imaginem nostram*, Gen. 1. imperitiore modo pertinaciùs interpretati ejus discipuli, præfractè referenda esse ad corpus existimârunt. Hinc Deum fecêre corporeum, ac vel ideo dicti sunt *Anthropomorphitæ.*

trum conventui interesse & præsidere posset. Misit tamen duos Presbyteros Romanos Vitonem & Vincentium (b), qui legatorum nomine unà cum Hosio vicarias suî vices implerent (†). His igitur in Episcoporum cœtu sinistra sedes, quæ juxta veterem disciplinam primaria erat, concessa est (c). Dexteram tenuerunt Patriarchæ duo, Eustathius Antiochenus (d), & Alexander Alexandrinus, qui secum adduxerat S. Athanasium tunc Diaconum, cujus consilium & sapientia in hac Synodo multum valuêre. Patriarchis dignitate proximi venêre Macarius Hierosolymitanus & Cæcilianus Carthaginensis: ille, quod Apostolicum thronum possideret, hic verò, quòd Primas Africæ cæteros Præsules prærogativâ antecelleret.

(b) Sozom. l. 1. c. 17.
(†) Reflexio IV.
A. Æ. C. 325.
(c) Athanas. epist. ad Solit.
Leo Epist. 74.
(d) Socrat. l. 1. c. 8. Theod. l. 1. c. 7.

Provinciæ, ex quibus venêre Episcopi ad Synodum Nicænam.

27. Præter Patriarchas, Primariósque Antistites ex toto orbe celeberrimi Præsules confluebant: ex Orientis Partibus Ægyptus, Asia, Pontus & Thracia huc suos Episcopos direxêre: ex Macedoniæ sex & quinis Daciæ Provinciis: ex Italia, Illyrico, & Africa: ex Hispania demum, & Gallia, ac Britannia plures sacrorum dogmatum arbitri, Conciliíque decora advolârunt. Ad hæc augustiorem cœtui speciem adjecit, quòd non tantùm ex Romani Imperii Provinciis, sed & exteris & ultimis terrarum finibus Episcopi accesserint, nimirum ex Persia, Scythia, Armenia (e): atque hi illustres illi viri fuêre, qui conflavêre primam Synodum Generalem, coronámque pacis, quam Constantinus Deo in gratitudinis pignus pro tot victoriis offerebat (*44). Alii autem eorum Præsulum sapientiâ sermonum, alii austeritate vitæ & tolerantiâ laborum eminebant. Multos ornabant gratiæ Apostolis olim concessæ: plures fidem sub Tyrannis confessi, stigmata adhuc Jesu Christi in corpore suo portabant; vel enim succisis poplitibus

(e) Vide Tillemont de Concil. Nicæn. Tom. 6. p. 3. Hist. Eccles.

Episcopi Confessores.

(* 44.) Ex Episcopis celebriores erant: S. PAPHNUTIUS in superiore Thebaide Episcopus Thavmaturgus, cujus effossum pro fide oculum Constantinus venerationis causâ exosculabatur, ut habet *Socrates* l. 1. c. 11. & 12. *S. Potamon* Episcopus Heracleæ, & Confessor. S. SPIRIDION urbis Trimithuntis in Insula Cypro Episcopus, de hoc *Sozomenus* l. 1. c. 11. refert, quod cùm continuaret etiam ante communem quadragesimam voluntarium jejunium, hospiti Christiano suillas carnes apponi jusserit; & huic renuenti dixerit: *omnia munda esse mundis*. Non quod Spiridion crederet ab Ecclesia non posse præcipi ciborum discrimen certis diebus; sed ut hominem à judaica superstitione

plitibus, aut erutis oculis mutili, aut ambustis candente ferro nervis, contortísque manuum articulis deformes, pulchritudinem triumphantis Religionis ostentabant; adeò ut quidquid splendoris singulæ Afrorum, Asiaticorum, aut Europæorum Ecclesiæ haberent, hìc protinus in una Bithyniæ Metropoli Ecclesiáque una velut uno cumulo collectum videre liceret (*45).

28. In medio tot Sanctorum comparuit etiam Eusebius Nicomediensis cum Mario Chalcedonensi, & Theognio Nicæno aliísque non adeò multis Arii Patronis (*46): nam etsi complures ante istam diem Hæresiarchæ partes suscepissent; in conspectu tamen tot Confessorum, qui unâ voce perhibebant testimonium Divinitatis Jesu Christi, rubore suffusi expromere virus non audebant, dum tempus magis opportunum nacti, quod corde tegerent, impudentiâ majore effunderent (f). Ex Secta Donatistarum, quòd totius orbis communione abscissi essent, nemo in Synodi locum pedem intulit; at horum turbulentas vices implevêre non pauci Gentiles Philosophi, qui intellectâ eâ, quæ inter Christianos ferveret, divisione, in Bithyniam turmatim convenerant, in id suis sophismatis incubituri, ut præsente Constantino,

(f) Theodor. l. 1. c. 7.

Disputationes Gentilium Philosophorum.

tione revocatum doceret, Christianos ad pristinam legem non teneri, quæ suillas carnes prohibebat; tum etiam ut ostenderet, se Episcopum in lege privata, aut Ecclesiastica (siquidem hæc tunc tenuisset) dispensare posse, urgente casu necessitatis; præsertim cùm historia prodat, nil alimentorum in ædibus Spiridionis tunc, nisi aliquid suillæ carnis superfuisse. His SS. accesserunt *Macarius* Hierosolymitanus, *S. Jacobus* Nisibis in Mesopotamia, *Leontius* Cæsareæ in Cappadocia, *Amphion* Epiphaniæ in Cilicia, *Alexander* Byzantinus, *Meletius* Sebastenopolis, *Hypatius* Gangrensis, *Achillas* Larissæus, Episcopi omnes, quos Confessorum & Martyrum albo Ecclesia inscripsit.

(* 45.) AMBROSIUS Epist. ad Grat. de Nicænis Patribus hoc elogium notavit. *Trecenti decem & octo Sacerdotes tanquam Abrahæ electi judicio, consonâ fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subrutis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eodem numero in conciliis fidei haberemus oraculum, quo in historia habemus exemplum.* Sed benè notat *Tillemont*, numerum illum multò ampliorem fuisse ex Presbyteris & Diaconis, qui Episcopos comitabantur.

(* 46.) THEODORETUS l. 1. c. 6. præter eos Episcopos, quos ARIUS in sua ad Eusebium Nicomediensem epistola *suos* vocat, scilicet *Eusebium* Cæsareæ, *Theodotum* Laodiceæ in Syria, *Paulinum* Tyri, *Athanasium* Anazarbi; *Gregorium* Beryti, *Aëtium* Lyddæ; alios adhuc adjungit, qui in Nicæna Synodo à partibus Arii stetere, *Menophantem* Ephesi, *Narcissum* Neroniadis in Cilicia, *Patrophilum* Scythopolis, *Theognium* Nicææ, *Theonam* Marmaricæ, *Secundum* Ptolemaidis in Lybia, quibus utique Nicomediensium Episcopus *Eusebius* annumerandus est. RUFINUS l. 1. c. 5. eorum septendecim recenset, & PHILOSTORGIUS porrò numerum aliquantisper auget l. 2. c. 15. Vide TILLEMONT T. VI. p. 3. de Concil. Nicæn.

vi disceptationum, queis se valere credebant, labem affricarent Christianitati, aut Cæsarem hâc ratione convictum ad pristinos Gentilitatis ritus revocarent (g). Presbyteris, Diaconísque, quorum ingentem numerum Episcopi secum ad Synodum deduxerant, cum Sophistis strenuus labor fuit: in arena jam per dies aliquot luctati fuerant; tum unus Philosophorum, ac cæteris argutiarum nectendarum peritior validiùs pugnare: dein etiam sibi tribuere licenter victoriam auditus est. S. Spiridion Episcopus Tremuntinus, qui fortè tunc aderat, hominis insolentem, & Religioni probrosam jactantiam non ferens (h), solus cum solo congredi non veretur: omnibus, qui sanctum Virum sophismatum minimè gnarum noverant, admodum metuentibus, ne temerè ad fidei ludibrium alea periculi plena hìc jaceretur; S. Præsul assurgit, ínque adversarium conversus: *Audi* (inquit) *Philosophe, in nomine Jesu Christi, unus est Deus cœli, terræque & visibilium omnium, atque invisibilium conditor, qui hæc omnia Verbi virtute perfecit, & Spiritûs sanctitate firmavit. Hic igitur sermo, quem nos Dei Filium vocamus, hominum errorem, ac ferinam vivendi rationem miseratus, ex muliere nasci voluit, & cum hominibus versari, & pro iis mortem oppetere. Iterum verò venturus est Judex eorum, quæ unusquisque gesserit in hac vita. Hæc ita se habere simpliciter credimus. Noli igitur frustra laborare, eorum, quæ fide comprehenduntur, quærens confutationes, modúmque investigans, quo ista fieri aut non fieri potuerint; sed si credis interroganti, mihi responde.* Philosophus, cùm præsentes planè alia exspectarent, toto animo immutatus, nihílque hæsitans reponit: *ita, credo hæc omnia.* Tum suis discipulis testatur se ad dandas Christo manus, palmámque Præsuli (agente altiori vi) cogi; rationibus enim ac argutiis quamdiu actum esset, sibi ingenium facile fuisse ad sustinendam pugnam: nunc autem quando Spiritus divinus per os Præsulis validiora tela cordi injecisset, penes se non stare, ut veritati nullâ arte propositæ resistat; victum proinde se ex casu suo meliorem victoriam, & succumbendo salutem capturum (i).

(g) Rufin. l. 1. c. 3. Sozom. l. 1. c. 18.

(h) Baron. 325. §. 48.

S. Spiridionis de Philosopho victoria.

(i) Sozom. l. 1. c 18. Ruf. l. 1. c 3

29. Prævia hæc velitatio, quam unus è tot Patribus simplici sermone confecerat, Arianis id portendebat, fore, ut illi à tot SS. Episcopis potentiore & concordi eloquio prosternantur. Et pro-

profectò prima Præsulum cura erat, ut Arii causam præviâ disquisitione examinarent; dum Imperator, qui Nicomediæ adhuc agebat, adveniret (k): Hæresiarcha in Ecclesiam vocatus, reformidavit minimè suas denuò profundere blasphemias (* 47), quibus partem magnam impiarum vocum addebant Eusebiani: his in medium prolatis, ingens animorum commotio coorta est; nam alii obturare aures, ne detestando sermone impiorum læderentur (l): alii rationes assertorum postulare: alii in id incumbere, ut præter fidem ab initio traditam, nihil innovaretur: alii urgere, ut mysteria altissima curiosiùs discutere nemini liceret; alii demum cum S. Athanasio Alexandri Diacono, qui hujus disputationis anima dici poterat, consilio, sapientiâque blasphemiam ructantibus inferre terrorem, ínque impios anathema deposcere (m).

(k) Sozom. l. 1. c. 17. Euseb. Vit. Const. l. 3. c. 7

Patres disputare incipiunt cum Ario.

(l) Athanas. in Arian. Or. 1. Socrat. l. 1. c. 9. Sozom. l. 1. c. 19. Rufin. c. 2.

(m) Athanas. de Synodis.

30. Hæc dum variis molitionibus agitabantur; Constantinus Nicæam ingreditur (n): salutantes Episcopos amicissimè complexus, osculo etiam dignabatur cicatrices illorum, qui notas has Christianæ fortitudinis à Tyrannorum sævitie excepissent. Quantum commodi à piissimo Imperatore orthodoxorum quique sperabant; tantum mali sibi improba factio ominabatur. Quare ad conflandam integris Episcopis invidiam, aut ad moras Synodo injiciendas, Eusebii asseclæ Constantino libellos criminationum plenos porrigunt (o); at sapientior Princeps eos in fasciculum colligatos, suóque obsignatos annulo servari præcipit: dein die constitutâ velut sententiam dicturus Episcopos accersit, quibus præsentibus graviter in hæc verba locutus est (p), Jesum Christum in universalis Judicii die harum litium diribitorem fore: sui utpote hominis laici non esse, ut eorum causas definiat, qui vica-

(n) Theodoret. l. 1. c. 11.

Constantinus Nicomediâ movet Nicæam.

(o) Sozom. l. 1. c. 17. Baron. ad 325. §. 42.

(p) Rufin. l. 1. c. 2. Theodoret. l. 1. c. 10.

 rias

(* 47.) ATHANASIUS blasphemias Arii orat. contra Arian. T. I. ita exponit: *Non semper Deus fuit Pater . . . non semper fuit filius, nam cùm omnia ex nihilo sint orta, ipsum quoque Dei verbum ex nihilo factum est, & fuit aliquando, cùm non esset . . . item verbum naturâ, ut nos omnes, esse mutabile, suóque arbitrio, quousque volet bonum perseverare. Et quia Deus bonum fore præscivit; idcirco hanc ei gloriam præveniendo donavit, quam homo posteà virtute consecutus est: quapropter ex ejus operibus, quæ præscivit Deus, talem illum nasci voluit. Præterea ausus est dicere, verbum non esse verum Deum: nam tametsi dicitur Deus; non tamen verus est Deus, sed gratiæ factus particeps . . . Quemadmodum enim res omnes secundum naturam diversæ, & dissimiles Dei sunt; ita & verbum omnino alienum, & dissimile est naturæ, proprietatisve Dei Patris; sed ad res factas & creatas pertinet, quarum una ipsum est* &c.

Constantinus negat audire querelas contra Episcopos allatas.

rias Dei vices haberent ad judicandum etiam Cæsarem in causis fidei maximis: porrò monebat, ut Episcopi, licèt nulli Judici obnoxii essent, eam tamen integritatem vitæ præ se ferrent, quam eorum ordo, conditióque statûs postularet; se contrà partibus suis non defuturum, quin eorum gradui venerationem summam semper impendat, adeò quidem, ut si à quoquam eorum crimen committi propriis oculis cerneret, eum spondeat se purpurâ suâ contecturum (q), ne aliis pateret. Postremùm Episcopos ad concordiam cohortatus, libellos, in quibus se nil legisse jurisjurandi fide testabatur, exurit rogans, ut offensis pariter abjectis die præscriptâ magnum religionis negotium suscipiant.

(q) Sozom. l. 1. c. 17. Theodoret. l. c.

31. Tertiâ igitur decimâ ante Kalendas Julias, sive statutâ die, ubi in amplissimam aulam Palatii convenêre Patres (r); suis quique sedilibus dispositi Imperatoris adventum præstolantur, cui subinde Synodi locum cum Optimatibus Christianis ingredienti omnes assurrexêre: perstringebat primùm oculos Majestas Principis à purpureæ vestis, auri, lapillorúmque intermicantium nitore refulgens; dein animos etiam rapuit Religionis zelus, Dei timor, comísque suavitas, quæ virtutes velut pretiosa decora in demissis oculis, in modesto & ad pudorem rubescente vultu, ínque toto corporis habitu legebantur. Postquam ad caput subselliorum venit, non antè consedit, donec ab Episcoporum nutu reverenter cogeretur; per quod modestiæ exemplum ubi ante Imperator ostenderat, quo discrimine Sacerdotium Principatui antecelleret; tum Episcopi non minus suâ demissione palàm fecerunt, quantum honoris sacri Antistites Cæsaribus, Protectoribúsque Ecclesiæ velle deberent; nam sedente jam in medio ad aureum scabellum Constantino, nullus Episcoporum nisi vicissim jussus à Constantino in positis à latere subselliis assidendum putavit. Præmisso hoc pio officiorum certamine Eustathius Ecclesiæ Antiochensis (s) Episcopus omnium nomine ad Augustum in hæc verba proloquitur: gratias se agere omnipotenti Deo, qui Principem tantum orbi induxisset: vota proborum eò spectare, ut Cæsar eâ manu, quâ superstitionem antè Gentilium, nunc hæresin profliget: neque permittat errorem Arii volitare, qui agnitum etiam Deum suâ divinitate spoliatum inter creaturas amandare allaboret: fine ser-

(r) Sozom. l. 3. c. 19. Euseb. Vit. Const. l. 3. c. 10. Theod. l. 1. c. 6.

Nicæna Synodi primordia.

Constantinus concilium ingreditur.

(s) Tillem. de Concil. Nicæn. n. 6. Theodoret. l. 1. c. 7.

sermonis facto Imperator placido vultu universos intuitus, rursúsque mentem in se colligens leni & moderatâ voce reponit, optatius sibi nil fuisse, quàm ut tot Ecclesiæ lumina coràm videret: votorum hanc metam impletum iri, si ii, qui in eundem locum congressi sunt, in eandem porrò sententiam concedant, dissensionúmque nodos pacis legibus dissolvant; hâc enim ratione ab Episcopis rem gratissimam Deo, sibi autem conservo beneficium ingens præstatum iri (t).

(t) Euseb. V. Const. l. 3. c. 12.

Acta Primæ Sessionis Nicænæ Synodi.

32. Ista graviter monens Constantinus dogmatum discussioni initium permisit. Arius igitur, ut sui erroris rationem daret, in medium vocatus est (u): hoc pro more impietatem suam evomente, Patres alii stupescere, alii arma contra expedire, hominémque confundere; fortissimè omnium tamen hæresiarcham premebat Marcellus Ancyranus Episcopus (x), & Athanasius Alexandri Diaconus (y): hi postquam veteratorem eò redegissent, ut spiritu vertiginis circumactus titubaret undique; Eusebius Nicomediensis quasi laboranti suppetias laturus Constantino supplicat, ne sententia contra Arium proferretur (z): ab Ario itaque in Eusebium malæ causæ Patronum Patres incubuêre. Prolata est ejus epistola, quàm ad Paulinum Tyri Episcopum perscripserat, impietate Arii refertam (a): vix ferebant Episcopi, ut blasphemus libellus ex integro legeretur; quin fastidientes reprobas voces, eum quantocyus discerpi jubebant. Ne in authorem etiam acrius quid excideret Patribus, dolo quorundam pacem rogantium, præpeditum est. Nicomediensis Eusebius ubi hâc ratione ad tempus conticuisset; alter Eusebius Cæsariensis formulam fidei protulit eâ arte compositam, ut & orthodoxis probari, nec tamen Ario adversari videretur (b): confitebatur quippe se credere in Jesum Christum, Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen ex lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, ante omnia sæcula ex Patre genitum, per quem & omnia facta sunt; atque ut suspicionem erroris præsentibus eximeret, testabatur se execrari omnem impiam hæresin. Patribus non ita hebes erat ingenium, ut obtensum errori fucum minùs adverterent; displicuit enimverò Filium dici *ex Deo*: sub quibus verbis ambiguis Arii sententia se adhuc occultabat, nempe Verbum, licet antecelleret multis præ-

(u) Socrat. l. 1. c. 9. Sozom. l. 1. c. 20.

(x) Athanas. Apol. 2.

(y) Nazianz. or. 21.

(z) Theodoret. l. 1. c. 19.

(a) Theodoret. l. 1. c. 7

(b) Idem c. 12. Athanas. de Decret. Nic. Synod.

Formula Eusebii Cæsariensis subdola.

prærogativis reliquas creaturas; factum tamen esse ex Deo, eo-quòd unus Deus sit, ex quo omnia producta perhibeantur. Ad has fallacias rescindendas quidam præcipiendum putavêre, ut Filius diceretur esse *ex Dei substantia;* eo enim sensu expositum iri, quâ ratione Verbum à creaturis distingueretur, cùm illud solum assereretur esse ex Patre; cætera verò omnia ex nihilo creata: alii verò discrimen Filii & creaturarum clariùs explicaturi, addendum voluerunt, *Verbum esse virtutem veram, imaginémque Patris, eíque in omnibus sine ulla prorsus varietate esse simillimum, denique immutabile, sempérque esse, ac sine divisione in ipso esse, denique verum esse Deum.* Per hanc fidei tesseram etsi omne erroris asylum abscissum crederetur; ipsis tamen Eusebii sectatoribus diverticulum satis implicatum remansit: jactabant nimirum inter se, nihil admodum proponi hâc formulâ, quod suo dogmati adversaretur. Cùm enim *Homo* IMAGO *& gloria Dei* appelletur (c), scriptúmque sit, SEMPER NOS esse *viventes* (d), atque IN IPSO Deo nos vivere, moveri & esse; nihil obstare ajebant, quò minùs verba ejusmodi admitterent, quibus Filio Dei idem, quod creaturis proprium est, tribueretur. Adhæc immutabiles posse dici homines, queis gloriari licet cum Paulo (e): nihil nos separabit à charitate Dei; ac ne quidem illud controverti oportere, quod Filius *verus Deus nominetur*, participatámque divinitatem longè adhuc à Patre abfuturam; & quoniam filium *verè factum* confiterentur, etiam *verum* existere, inficiaturum neminem.

(c) 1. Cor. 11.
(d) 2. Cor. 4.
(e) Rom. 8.

33. Exultantibus adhuc pessimo in errore Adversariis, à Synodo vox una prolata est, quâ in Trinitatis mysterio & Personarum distinctio, ac naturæ unitas significaretur: scribi enimverò jubebant, Filium Patri esse ὁμοούσιον sive *consubstantialem*, ut scilicet exponerent Filium non tantùm similem, sed eandem rem similitudine esse ex Patre (f): atque ut similitudinem, & immutabilitatem Filii aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione, quæ in nobis esse dicitur, quam quidem nos propter mandatorum observationem consequimur. Vix telo tam apto hæreseos caput confixum fuerat (g); Arii Sectatores non aliter ac lethali vulnere amentes, vocem *Consubstantialis* utpote arietem Sectæ suæ funestum, querimoniis, convitiorúmque omni genere amoliri

Vox Homousii à Synodo dictata contra Arianos.
(f) Athanas. Ep. ad Afros.
(g) Ambr. de fide l. 3. c. 15.

liri satagunt; ac ne sine rationis specie furere viderentur, novitatem vocabuli, sacris paginis ignoti, & ab Antiochenis Patribus jam præcedente sæculo damnati, incusabant. At Synodi Præsules reponebant (h); voces non paucas, easque ad fidei expositionem necessarias expunctum iri, si piaculo duceretur, illarum apices non aliunde, quàm è sacro codice educere; quin Arium sibi ipsi hâc ratione litem dicturum, qui toties oggerat: fuisse tempus, cùm Verbum non esset, talibúsque nominibus abutatur ad suæ impietatis mysterium, quæ in sacris paginis vestigare nunquam licuit. Non literam proinde semper, sed sensum sequi oportere, quem de hac Consubstantialis voce ante centum & viginti annos antiquiores Patres tum Romæ, tum Alexandriæ ex sacris scripturis hausissent; quando uterque Dionysius damnarunt tum eos, qui Filium Dei facturam esse asserebant, tum etiam illos, qui Filium eundem Patri homousion pernegabant. Et quanquam Antiochena Synodus anno CCLXVIII. contra Paulum Samosatenum instituta hoc nomen Consubstantialis omnino â Filio divino removendum duxerit; factum tamen id esse eo tempore alio planè sensu, pro comperto haberi (i): intellexisse nimirum istum hæresiarcham (more veterum Philosophorum) consubstantialia in rebus creatis illa duntaxat dici, quæ licèt ex hypostasi & substantia diversa sint; in natura tamen similia ex se invicem fiunt vel partitione, ùt ex radicibus veniunt germina: vel fluxu & eruptione, quemadmodum ex parentibus liberos; ex auri massa duas phialas produci cognoscimus. Itaque cùm Antiocheni Patres abnegârint propagationem substantiæ, seu per abscissionem, aut permutationem paternæ essentiæ & virtutis ad modum corporum, vel mortalium animantium consubstantialem Patri filium dici posse, propterea quòd ingenita, & simplicissima æterni Patris natura ab his divisionibus maximè sit aliena; aliis nihilominùs & divinis rationibus homousion adstrui Filium tantò magìs nunc â Patribus Nicænis, quantò iis ex fide ac traditione certius esset, quòd Filius unius, ejusdémque cum Patre substantiæ foret, à se ipsa necessariò existentis: sempérque Verbum sit in Patre, & Pater in Verbo, quin divisio hìc fingi aut concipi valeat.

(h) Athanas. epist. ad Afros. Item de Decret. Nicæn. Rufin. l. 1. c. 5.

(i) Theod. l. 1. c. 12. Athanas. lib. de Synod.

Quo sensu Verbum dicatur Homousion.

34. Dum magnâ animorum contentione talia in utramque partem diſputabantur; Conſtantinus altiore mente propoſitas quæſtiones verſare, ſuavi alloquio demulcere pertinaciùs certantes (k), orare alios, reluctantes flectere, & univerſos laudibus ac hortatu paterno ad concordiam incitare conniſus eſt: tandem ubi Catholicorum Patrum ſinguli apertiſſimè commonſtrâſſent, quo vero ſenſu Conſubſtantialis Patri filius dici deberet; ex omnium conſilio vox homouſii ab Hoſio Præſide fidei formulæ (quæ deinceps Nicæni Symboli nomen obtinuit) inſerta eſt (*48). Imperator Synodi definitionem admirabili conſenſione factam divini oraculi loco accepit; unde eos velut divini judicii violatores exilio damnandos pronuntiavit, quicunque ſanctioni & dogmati Patrum reluctari præſumerent (l). Septendecim adhuc Epiſcopi adversùs tot Præſules orthodoxos pro Ario depugnaverant: verùm anathemate ab Epiſcopis impendente, ac metu non vano pœnarum à Cæſare infligendarum maximâ ex parte Sectam ejurabant, & ſubſcribentibus Symbolo Patribus ipſi quoque nomina ſua ſimulationis quâdam ſpecie appoſuerunt (m). Quinque durioris cervicis, impudentiorem frontem adhuc oſtentabant (n), ſcilicet Euſebius Nicomediæ Epiſcopus, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis (o); hi igitur ut alterius periculo ſaperent, Arius â Synodo cum quibuſdam paucis continuò proſcribitur, damnatâque ſimul ejus doctrinâ cavebatur, ne Hæreſiarchæ porrò pedem Alexandriæ, quam primus turbaverat, inferre fas eſſet (p).

(k) Euſeb. V. Conſt. l. 3. c. 13.

Symbolum Nicænæ fidei.

(l) Sozom. l. 1. c. 20.

(m) Theod. hiſt. l. 1. c. 7. 8

(n) Socrates l. 1. c. 8.

(o) Rufin. l. 1. c. 5.

(p) Athanaſ. de Synod.

35.

(* 48.) Symbolum Nicænum eſt fuſior explicatio articuli ſecundi ex ſymbolo Apoſtolico, quódque ab Hoſio compoſitum, Hermogenes Leontii Diaconus, & poſteà Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus ſcripſit: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei, genitum ex Patre unicum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum*, CONSUBSTANTIALEM *Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cælo ſunt & in terra, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit, incarnatúsque & Homo factus eſt & paſſus. Qui reſurrexit tertio poſt die, aſcendit ad cælos, venturus eſt ut vivos judicet, ac mortuos: & in Spiritum S. Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam naſceretur, non erat, & quia ex iis, quæ non ſunt, factus eſt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia dicunt eſſe creatum, vel mutabilem, vel convertibilem filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Vide ATHANASII ad Solitar. Epiſt. THEODORET. l. 1. c. 12.

35. Intereà dum Eusebium ejúsque asseclas hoc fulmine ad saniora revocari posse credebatur; Synodus Meletium majore lenitate (ac hominis turbulenti ingenium meruerat) recepit (q): vigesimus enim quintus annus jam agebatur, ex quo hic Lycopoleos Episcopus se diviserat â suo non tantum superiore Antistite Petro Alexandrino; sed & in ejusdem jura involans, viginti novem Episcopos, plurimósque Clericos initiaverat: sedente posteà Alexandriæ Alexandro, ne ex schismate ad Arii, cui jam favebat, hæresin deficeret; tempestivè per mitiorem pœnam Sanandus videbatur (r). Jussus proinde est Lycopoli honoris duntaxat nomine retento subsistere; de iis verò, qui â Meletio ad sacrum Ministerium promoti fuissent, decretum est, ut sanctiore manuum impositione (*49) confirmati & ad communionem admissi, secundo honoris & officii loco sint ab illis omnibus, quicunque in parœciis ab Alexandro priùs ordinati versantur (*50).

(q) Theod. l. 1. c. 8.

Meletianorum causa deciditur.

(r) Athanas. Apol. 2. Socrat. l. 1. c. 3. Theodoret. l. 1. c. 9.

36. Meletianorum motus ubi, hâc ratione Synodus composuerat; tertia controversia de celebratione paschatis suscepta est (s): sanxerunt autem (*51) Patres Nicæni, ut omnes eâdem die

(s) Athanas. de Synod.

(* 49.) TILLEMONT not. XII. ad Conc. Nic. advertit per χειροτονίαν sive manuum impositionem non intelligi eam, quæ in ordinatione prima adhiberi solebat: sed benedictionem potiùs eorum, qui redibant à schismate, ut ita sanctificati legitimè præstare possent ea, quæ in schismate illicitè faciebant. Equidem Valesius ait reordinationem quandoque, ut in Theodoro Oxiringio usurpatam fuisse: sed quia Marcellinus presbyter Luciferianus hujus moris author perhibetur; non est, quod in schismatici aberratione jus, traditionémque fundemus: certè Basilius improbavit valde, quod Eusthatius Sebastenus aliquos reordinare præsumpserit.

(* 50.) Juxta THEODORETUM l. 1. c. 9. hæc intelligi debent de 28. Episcopis, quos ordinârat Meletius. Quodsi quempiam eorum, qui in Ecclesia censentur, diem suum obire contigerit: tum in defuncti locum, & honorem promoveantur ii, qui nuper adsciti sunt; modò digni videantur, & modò populus eos eligat; suffragante nihilominus, plebísque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Episcopo.

(* 51.) AMBROSIUS de Pasch. t. 4. confirmat ex Nicænæ Synodi curâ & mandato concinnatum Cyclum paschalem. *Unde majores nostri in tractatu Concilii Nicæni eum diem Enneadecateride, si quis diligenter intendat, statuendum putârunt.* S. HIERONYMUS V. Illustr. c. 61. compositionem Cycli tribuit Eusebio Cæsareensi, cui & BEDA (ut testatur BARONIUS ad annum 325. §. 113.) idem opus adscribit. BUCHERIUS ex parte tantùm his adstipulari videtur; nam circa tempus Concilii Nicæni Eusebium Cæsareensem Cyclum Novendecennalem publicâsse ait, quin tamen ille primò invenerit, aut synodi jussu ediderit. Itaque S. Anatolium Laodicenum (qui Alexandriæ

Decretum de celebratione Paschatis. die, sive Dominicâ proximè sequente lunam decimam quartam post vernum Æquinoctium Paschatis festum auspicentur (*52): Constitutio hæc de paschatis die etsi Syris, & Orientalibus probaretur; displicuit tamen Audianis, quorum pertinacia (quia aliter mitigari non poterat) exilio, pœnísque gravioribus tandem debuit coërceri.

37. Præ-

xandriæ sub finem secundi sæculi diu vixit) Cycli authorem: Eusebium verò exultorem ejusdem nominat, qui suo consilio, non mandato Patrum hoc opus evulgavit. Quod inde argui existimat, quia multæ adhuc disceptationes postea fuerunt super Paschatis festo; dum Theophilus Alexandrinus Cyclum pro centum annis disposuisset: quas lites non movissent Latini, si agnovissent à Concilii Patribus Cyclum dictatum fuisse. Premitur tamen Bucherius ex parte ab authoritate Ambrosii, Gennadii, & Dionysii Exigui, qui ex Synodi dispositione Cyclum editum affirmant. Porrò DIONYSIUS EXIGUUS docet, quod Synodus decreverit, ut luna, in qua celebrandum sit pascha, illa intelligatur, quæ incipit ab octava Martii usque ad quintam Aprilis; atque ut decima quarta ejusdem Lunæ concurrere debeat cum 21. Martii, usque ad 18. Aprilis: & si quando decima quarta Lunæ in 21. Martii (quæ esset Sabbathi dies) incideret; pascha postridie institui oportere. BUCHERIUS denuò non credit, quidquam ejusmodi à Concilio sancitum esse, eoquod extra prædictum Dionysium nemo de hac re mentionem faciat.

(* 52.) Decretum de Paschatis celebratione habetur in literis Constantini ad Ecclesias & Episcopos, qui Concilio Nicæno non interfuerunt apud Harduinum in CC. T. 1. p. 447. *Ubi etiam, cum de sanctissimo die paschatis disceptaretur, communi omnium sententiâ videbatur rectum esse, ut omnes ubique Christiani uno eodemque die salutare festum Sanctissimi paschatis celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius esse poterit, quàm ut hoc festum, per quod spem immortalitatis accepimus, uno modo, & ratione apud omnes sincerè, inviolatéque observetur? Ac primùm omnium indignum planè videbatur, ut consuetudinem judæorum sequentes, Sanctissimum festum celebraremus. . . . Licet enim nobis eâ gente rejectâ, veriore instituto (quod quidem usque à prima passionis die hactenus servavimus) hujus festi celebrationem ad posterorum sæculorum memoriam transmittere. Nihil igitur sit nobis commune cum judæorum turba omnium maximè odiosa. Aliam enim viam, quam insistamus, à Salvatore didicimus; proponitur namque sanctissimæ nostræ religioni cursus quidam & legitimus & decorus. Hunc igitur uno consensu tenentes, fratres honoratissimi, ab illa detestabili Judæorum opinione nos ipsos emoveamus. . . . Hinc etiam est, quodne in hac quidem parte veritatem perspiciant: qui semper, ut plurimùm aberrantes, non modo errorem non corrigunt, sed in eodem anno alterum pascha celebrant. . . . . Ex his item illud potest intelligi, nefas esse, ut in tanto negotio, tam solemni religionis nostræ festo, dissensio ulla sit. Unum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est Sanctissimæ Passionis Salvator noster nobis tradidit: unamque Ecclesiam* Catholicam *esse voluit; cujus quidem membra, tametsi in multis, variisque locis congregentur, tamen uno Spiritu, hoc est divinâ voluntate & nutu foventur. Vestræ igitur Sanctitatis prudentia secum reputet, quam grave & indecorum sit, ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia: ac post dies paschatis, alii in festis & animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant. Quapropter istud, ut decet, emendari, & ad unam normam reduci divina providentia postulat, sicut vos omnes satis animadvertere existimo.*

Et

37. Præcipuis capitibus (quorum causâ Synodus convenerat) probè diremptis Episcopi viginti canonibus disciplinam Ecclesiæ emendandam voluerunt. PRIMUS eorum de Eunuchis jubet, ut *qui per ægritudinem â medicis sectus, vel â Barbaris castratus est, iste permaneat in Clero* (t): *Quod si quis* contrà *semetipsum sanus abscindit*, ídque impatientiâ libidinis (u), *hìc etiam, etsi iste in Clero, cessare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinari* (*53). SECUNDUS præcipit (x) ne ad Presbyteratûs vel Episcopatûs ordinem promoveatur Neophytus (*54). TERTIUS hæc statuit, ut *neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino liceat, habere secum* (y) *mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut avia. aut amita sit* (*55) *In his namque Personis & harum similibus omnis suspicio decli-*

Canones Nicæni de disciplina.

(t) Can. 1. Synod. Nic. Dist. 55. c. Si quis à medicis.

(u) Rufin. lib. 1. c. 6.

(x) Dist. 48. c. Quoniam plura.

(y) Dist. 32. c. Interdixit.

Et quoniam istud ita erat corrigendum, ut nihil nobis cum parricidis illis & necis Domini authoribus commune sit: est modus ille decorus, quem omnes Ecclesiæ servant, quæ orbis partes vel versus occidentem, vel versus meridiem, vel versus septentrionem incolunt: quem nonnulli, qui ad orientem habitant, non admittunt; idcirco omnes in præsentia hoc rectè se habere arbitrati sunt: ipseque etiam in me recepi, vestram Sapientiam facile assensuram, ut quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Ægypto, in Hispania, Gallia & Britannia, in Lybia & Universa Græcia, in Diœcesi Asiatica & Pontica, in Cilicia denique, unâ & consentiente sententiâ conservatur, hoc etiam vestra prudentia libenter approbet: illud sedulò reputantes non solùm, quod in locis ante dictis major Ecclesiarum numerus existat, sed etiam quod sanctissimum sit, illud omnes communi consilio statuere, quod recta ratio postulare videtur, nihil cum judæorum perjurio habere commercii.

(* 53.) *Canonis primi* occasionem sumptam quidam ajunt ex causa Leontii Presbyteri, qui ubi accusatus de commercio suspecto fuisset; se castrandum dedit, ut liberiùs consuetudine amatæ mulieris uti posset. TILLEMONTIUS tamen hanc Canonis rationem infirmiorem existimat, quàm ut opinioni stabilitatem afferat: Alii proinde alia monumenta adducunt; scilicet Origenis exemplo multo ex præpostero zelo se ipsos tunc exsecuisse: ita Valesii trans Jordanem habitantes universi facinus ejusmodi admiserunt; adeò quidem, ut qui castratus necdum fuisset inter eos, is ab animatis abstinere juberetur: sectione verò factâ promiscuus ei ciborum usus permittebatur, eoquòd certaminis jam securior haberetur.

(* 54.) *Canon secundus* de arcendis Neophytis etsi universalis sit; *ne in superbiam elati* ob repentinos Ecclesiasticos honores, *in judicium incidant, & in laqueum diaboli.* Ea lex tamen tam arcta non fuit, ut ad sedandos concitatos tumultus aut ob personæ alicujus insigniorem utilitatem quandoque prætermitti non posset: sicut palàm factum est in Ambrosio & Nectario.

(* 55.) S. BASILIUS Epist. 17. ad Paregor. inquit: *Ejice illam* (mulierem licet septuagenarius senex) *& trade illam in monasterium. Sit illa cum virginibus: tu inter viros ministra Lege canonem à SS. Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifestè interdixit, ne quis mulierem subintroductam habeat.* Et HIERONYMUS Epist. 50. in fine: *Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri,*

declinatur. Qui aliter præter hæc agit periclitabitur de Clero suo (* 56).
(z) 1. Dist. c. 64. QUARTO Canone (z) prohibitum est, ne quis Episcoporum, nisi ex eorum, qui Comprovincialium nomine veniunt, sententiâ ordines gradúmque suscipiat. QUINTUS (a) vetat recipi ab Episcopis illos, quos â suo Antistite communione submotos fuisse compertum est: ac ne quis injuriâ se exclusum obtendere valeat; geminas ejusdem anni Synodos pro causis ejusmodi excutiendis, per singulas Provincias cogi jubet. SEXTUS Canon (b) jura Alexandrini Præsulis intacta servari jubet. Admoderabatur is ex vetere instituto totam Ægyptum & subjectos sibi omnes Episcopos confirmabat: verùm postquam ejusdem Ægypti regiones in tres Provincias divisæ sunt; Thebais, & Lybia se Alexandrino Antistiti subtrahere & speciales Metropolitas sibi imponere adnitebantur-

(a) C. XI. Q. 3. c. 73. Servetur.

(b) Dist. 65. c. 6. mos antiquus.

teri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici. EPIPHANIUS hæres. 54. n. 4. disciplinam primævam Ecclesiæ hac super re ita refert: „ ita profectò se res habet, ut post Christi in orbem terrarum adventum, eos omnes, qui secundum priores nuptias mortuâ uxore alteri se nuptiis illigârint, sanctissima Dei disciplina rejiciat. Quin insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit: sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus; quod in illis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.„ Et quamvis eo tempore, nonnullis adhuc in locis Presbyteri & Diaconi liberos tunc susciperent; reponit tamen Epiphanius, id non fieri ex Canonis præscripto, sed ob ignaviam hominum, quibus ob nimiam multitudinem subinde conniveri solet, præsertim cùm primis temporibus, non facilè Cælibes reperirentur, qui ad eas functiones se applicarent. Vide hic etiam BELLARMINUM l. 1. de Clericis c. 20. BARONIUM ad an. 325. §. 148. & ad annum 58. §. 17.

(* 56.) Huc referendum est, quod SOCRATES commemorat l. 1. c. 11. *Visum erat Episcopis novam legem in Ecclesiam inducere, ut quicunque in sacrum ordinem adlecti essent, id est Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab uxorum, quas, cùm Laici essent, matrimonii jure sibi Sociaverant, concubitu abstinerent. Cúmque hâc re in medium propositâ singulorum Sententiæ rogarentur; surgens in medio Episcoporum consessu Paphnutius vehementer vociferatus est: non esse imponendum Clericis, & Sacerdotibus grave hoc jugum, honorabiles nuptias, & torum immaculatum esse dicens; ne ex nimia Severitate damnum potiùs inferrent Ecclesiæ. Neque enim omnes ferre posse tam districtæ continentiæ disciplinam; ac forsitan inde eventurum esse, ut cujusque uxoris castitas minimè custodiretur. Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitima. Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent: non tamen quemquam sejungendum esse ab ea, quam antehac tunc, cùm esset Laicus, legitimè duxisset. Atque hæc dixit, ipse non modo conjugii, sed muliebris congressûs penitus expers: quippe qui â puero in Monasterio educatus fuisset; & ob singularem Castimoniam ab omnibus celebratus. Cæterùm Universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est.* Idem scribit ex Socrate SOZOMENUS, qui addit, quod

tebantur. His conatibus obſtitit Alexander eâ potiſſimum ratione, quòd nequaquam ad formam Provinciarum civilium augeri Metropolitarum numerum neceſſe ſit; in Italia enim plures eſſe Provincias, quæ uni Epiſcopo Romano ſubeſſent, quin alterius Metropolitæ poteſtas intercederet. Argumento ejusmodi prolato, Patres in hæc verba decrevêre: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Epiſcopus harum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo: ſimiliter autem, & qui in Antiochia conſtitutus eſt. Itaque & in cæteris Provinciis privilegia ſalva ſint Eccleſiarum; omnino autem manifeſtum eſt hoc, quod ſi quis præter voluntatem Metropolitani fuerit Epiſcopus ordinatus; hunc ſtatuit hæc ſancta Synodus non debere eſſe Epiſcopum. Sanè ſi communi omnium conſenſu rationabiliter habito, & ſecundum Eccleſiaſticam facto decreto, duo dignì,*

quod etiam *Subdiaconos* Nicæna Synodus obſtringere voluerit ad Caſtimoniam: item GELASIUS CYZICENUS l. 2. c. 32. CASSIODORUS l. 2. c. 14. NICEPHORUS l. 8. c. 19. Horum ſententiam probant CHRISTIANUS LUPUS ad can. 13. Con. Trull. item TILLEMONT not. 3. ad Concil. Nicæn. NATALIS ALEXANDER Diſſert. 19. ad ſæc. IV. Verùm BARONIUS & BELLARMINUS totam Hiſtoriam ſuſpectæ fidei arguunt ex ſequentibus rationibus. *1mò* Quia in Quiniſexta ſynodo c. 13. nulla fit mentio iſtius hiſtoriæ, quæ tamen Trullanorum Patrum mentem de non prohibendo uſu conjugii omnino probâſſet: & Rufinus hâc de re ſilet, ex quo tamen Socrates ſua deſumpſit. *2dò* Concilii Nicæni acta nil ejusmodi recenſent; quamvis enim canón tertius prohibeat introduci mulieres alias in domum Epiſcoporum, aut Presbyterorum; de uxoribus tamen nihil dicit. *3tiò* Paphnutius hanc novam legem vocat de non uſu Uxorum; quam nihilominus Eliberitanum Concilium duodecim ante annos jam condiderat. can. 33. apud Harduin. Tom. I. CC. p. 253. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus vel omnibus Clericis poſitis in Miniſterio, abſtinere ſe â conjugibus ſuis & non generare filios: quicunque verò fecerit, ab honore Clericatûs, exterminetur.* *4tò* Euſebius l. 1. Demonſtr. Evang. c. 9. ait: *Eos, qui ſacrati ſunt atque in Dei Miniſterio, cultúque occupati continere deinde ſeipſos â commercio uxoris.* *5tò* Epiphanius agens adverſus Ebionæos. Hær. 30. §. 5. ait: *Nec ipſos Arianos ordinare conſueviſſe, quos noviſſent conjugio obligatos.* & hæreſ. 59. §. 4. plura hanc in rem habet, quæ videri poſſunt in Nota 55. *6tò* S. HIERONYMUS eodem ſæculo IV. ſcribit ad Pammachium epiſt. 48. *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt ſacerdotium in æternùm pudici.* Ac ne Hieronymum intelligas tantùm de Occidentalibus loquentem contra Vigilantium; ſub initium ita ſciſcitatur: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerunt, mariti eſſe deſiſtunt*: Socratis ergo fides hîc vacillat, qui â Photio *in dogmatis minùs accuratus* dicitur. Objectiones â Natali Alexandro oppoſitas diſſolvit SANDINI Diſput. 13. Hiſtor. Et nos de eadem continentia Clericorum (quæ ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata eſt, ac â Conciliis primævis & Canonibus roborata) alibi fuſiùs agemus.

digni, aut tres per contentionem ſuam contradixerint, obtineat ſententia plurimorum. Canonis iſtius ſenſum quoniam Rufinus paulò aliter expoſuit, non unius controverſiæ argumentum inde arreptum eſt: ſcribit autem aliis planè verbis, ſcilicet: *Ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat* (†). Qui hic arctiores ſecundum quoſdam, vel latiores aliquantò limites Eccleſiæ Romanæ poſitos legit; meminiſſe debet, â Synodo Eccleſiam Romanam Alexandrinæ in ea facultate duntaxat dicendi juris exæquatam fuiſſe, quam utraque ſine medio exercet per quasdam Provincias Metropolitano necdum ſubjectas: iſta tamen Juriſdictionis Patriarchalis ad certa ſpatia commenſuratio non impedit, quominùs Romano Epiſcopo, ſupremi Pontificis locum habenti, poteſtas alia, quæque nec Alexandrinis nec reliquis Epiſcopis communis eſt Juriſdictio omnis limitis expers, nimirum ſuper univerſam Eccleſiam conveniat. Poſtquàm Synodus authoritatem Epiſcopi Alexandrini canon e ſexto ſtabiliiſſet; SEPTIMUM (c) adjecit, quo Antiſtes Æliæ ſive Hieroſolymitanæ quartum honoris locum tenere jubebatur (*57). OCTAVUS Canon præſcribit modum, quo Novatianos recipere ad Eccleſiæ communionem deceat. Nempe ut ſcriptis literis palàm profiteantur, ſe Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ leges obſervaturos, præſertim, quæ de ſecundis nuptiis, lapſorúmque pœnitudine propoſitæ extant: quo facto reſipiſcentes Clericos Synodus ſuo in ordine relinquit. At Epiſcopos ad Presbyterii gradum dejicit; niſi forte placeat Epiſcopo Catholico eisdem concedere Epiſcopalis

(†) Reflexio V.

(c) Diſt. 65. c. 7. quoniam

(* 57.) BAILIUS ad Canon. Nicæn. meritò hìc perſtringit audaciam Molinei Juriſperiti, qui ad titulum *de Privilegiis & exceſſibus Privileg.* ita fabulatur, „ Si quod fuit primum caput in Eccleſia, Hieroſolymam fuiſſe, deinde Antiochiam. Sed in Primitiva Eccleſia, inquit, Primatus iſte ſcelus erat. Addit: poſtquam Roma judicio Phocæ prima ſedes fuit; Alexandrina prima poſt eam fuit, odio Conſtantinopolitanæ non parentis. Poſtquàm autem per Balduinum capta Conſtantinopolis fuit; ea ex fœdere ſubdita fuit Romanis, quamdiu Galli ibi dominati ſunt. Innocentius III. ſub quo hoc contigit, ut Græcos pelliceret, poſtpoſitâ Alexandrinâ primum locum dedit Conſtantinopolitanæ, ut hìc. Jeroſolymitana verò, quæ prima fuerat (quia pauper) facta eſt ultima. Hæc ille temerè & audacter more ſuo, nihilque probans. Quorum falſitatem facilè æquus Lector advertet in hoc Concilio & in aliis ſequentibus. „ Hucusque BAILIUS.

palis etiam honoris dignitatem: si verò id minus congruere visum sit: locus iis adsignetur in Parochia, ubi Chorepiscopi aut Presbyteri munere fungantur. DECIMUS (d) lapsos, qui è media sua defectione ad Clerum & ordines suscipiendos nihilominus irrepserunt, deponi jubet. UNDECIMUS iis Laicis, qui sub Licinii sævitie temerariâ levitate prævaricati sunt, indulget, ut tribus annis inter Auditores constituantur, & septem annis inter Pœnitentes sint: duobus verò annis extra communionem in oratione sola participes fiant populo. DUODECIMUS multò severiùs punit illos, qui postquam officiis suis ob fidei confessionem renuntiâssent; ambitione inflati, ejurato etiam Christo ad suos, quos forti animo abjecerant, honores remeabant. DECIMUS TERTIUS decernit (e): *De his, qui recedunt ex Corpore, antiquæ legis regula observabitur, etiam nunc; ita ut si recedunt ex corpore, ultimo & necessario vitæ suæ viatico non defraudentur. Quodsi desperatus aliquis acceptâ communione supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec tempus statutum impleatur.* DECIMUS QUARTUS animadvertit in flagitiosos aut lapsos, quos â Catechumenorum adeo conditione & loco per tres annos exclusos voluêre Patres. *Duo sequentes Canones.* Pœnas dictant Episcopis, Clericisque, qui ab una Ecclesia ad aliam contra Canonum præscripta transeunt (f). DECIMUS SEPTIMUS (g) Usuras Clericis intentatâ depositionis pœnâ interdicit (* 58). DECIMUS OCTAVUS Diaconorum se super Presbyteros superbiùs efferentium insolentiam reprimit (h): *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam, & civitatibus sacramenta à Diaconis dentur, quod neque regula, neque consuetudo tradi-*

(d) Dist. 5. c. 81. Quicunque ex his.

(e) C. XXVI. Q. 6. c. 9. De his, qui recedunt.

(f) C. VII. Q. 1. c. 19. Non oportet Episcopum.

(g) Dist. 47. c. 2. C. XIV. Q. 4. c. 8.

(h) Dist. 93. c. pervenit.

(* 58.) Licèt Imperatorum Leges eo tempore exigere aliquid ultra sortem concesserint; Synodus tamen Nicæna hoc Canone refrænatam voluit avaritiam Clericorum: *Quoniam multi Clerici avaritiæ causâ turpia lucra sectantes, oblitique divini præcepti, quod dicit:* Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, *fœnerantes, centesimas exigunt; statuit hoc Sanctum Concilium: quodsi quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra Sectari, vel etiam in Græcis dimidias Centesimas frugum ad sescuplum dare: omnis, qui tale aliquid commentus fuerit ad quæstum, excidetur de Clero, & alienus ab Ecclesiastico habebitur gradu.* De usuris porrò adverte, *centesimam* esse, quæ in centum mensibus sortem exæquat, id est octo annis & aliquot mensibus: non ergo accipitur pro ea, quæ sorti æquiparatur in anno, ut sumit glossa Dist. 47.

tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, Christi corpus porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam Diaconi etiam ante Episcopum Sacramenta contingant. Hæc omnia amputentur, & maneant Diaconi intra propriam mensuram; scientes, quia Episcoporum quidem ministri sunt. Presbyteris autem inferiores sunt. Accipiant ergo Eucharistiam post Presbyteros ab Episcopo vel à Presbytero. Quod si non fuerint in præsenti vel Episcopus vel Presbyter; tunc ipsi proferant & dent: sed nec sedere quidem in medio Presbyterorum liceat Diaconis: Si quis autem his non vult esse subjectus, etiam post hanc definitionem, cesset esse Diaconus (*59). DECIMUS NONUS (i) tradit modum, quo conciliari Ecclesiæ Pauli Samosateni sectatores debeant: *Si qui confugerint, ad Ecclesiam de Paulianistis, statutum sit rebaptizari eos omni modo: ejus sectæ Clericos permittit post acceptum baptismum ordinari ab Episcopis Ecclesiæ Catholicæ* (*60). De Diaconissis ubi idem Canon Mentionem fecisset; vigesimo & postremo commendatur, ut servetur vetus consuetudo erecto corpore precandi diebus Dominicis & in diebus Pentecostes (*61).

(i) C. I. Q. 1. c. Si qui confugerint.

Decreta alia Nicæna.

38. Præter hæc Decreta à Patribus alias sanctiones eodem tempore propositas fuisse, ex aliis monumentis cognoscitur; nam S. Augustinus (k) ex nullo capite magis doluit, se vivente adhuc prædecessore Episcopalem ordinem suscepisse, quàm quia id Nicænorum

(k) August. ep. 110.

(* 59.) DU MESNIL ad a. 325. ex hoc canone XVII. sequentia colligit. *Primò* quod Nicæni Patres crediderint, Eucharistiæ celebrationem esse verum sacrificium. *Secundò* quod Eucharistia servari solita sit; nam Sacerdotibus absentibus, hanc Diaconi populo dispensabant. *Tertiò* quod eâdem die unum duntaxat sacrificium sit celebratum, offerentibus simul cum Episcopo cæteris Sacerdotibus, qui ritus apud Græcos etiamnum viget. *Quartò* quod Diaconi Presbyteris & utrique Episcopis sint inferiores.

(* 60.) Paulianistæ rebaptizabantur ideo, quia illis nullum baptisma primò per expressam Ss. Trinitatis invocationem collatum fuerat; nam Trinitatis Mysterium abnegantes, Christum purum hominem esse blasphemabant; unde magnum Novatianos inter & Paulianistas discrimen, illos quippe Stephanus rebaptizari vetuit ideo, quia per legitimam formam jam fuerant baptizati.

(* 61.) BAILIUS ad hunc Canonem ita ait: Die Dominicâ Quartadecimani Resurrectionis Dominicæ immemores, genua flectebant, non aliter, quam reliquis diebus profestis. Itaque horum occasione ad decretum de celebrando paschate hæc appendix addita fuit, ut sanctum diem Dominicum omnes æquis ritibus peragerent, memorésque se cum Christo resurgente, à morte animæ resurrexisse in spem vitæ æternæ, omnes fideles die Dominicâ stantes vota persolverent. vide BARONIUM anno 58. §. 58. & ad a. 325. §. 115.

norum Patrum decretis adversari ignorârit (*62). Idem author est, ejusdem Concilii utpote plenarii authoritate factum, ut controversia Cypriani de non rebaptizandis Hæreticis tandem decideretur (*63). Nec minùs Ambrosius (l) inde sanctionem quoque illam desumpsit, quâ Bigami à sacerdotio & cleri ordine submoventur: Baronius demum, ex eodem fonte deducit modum literarum formatarum (*64), quibus complementi loco nonnulli Canones Arabicos 84. appositos voluêre (†), quamvis perspicaciores Critici illos ex minore Synodorum particularium scaturigine profluxisse meliùs arbitrentur.

(l) Epist. 25.

Canones Arabici.

(†) Reflexio VI.

39. Nicæni Patres antequam ad suas remearent Ecclesias, conscriptâ Epistolâ Synodicâ (m) Ecclesiis evulgârunt, quid in tanto Episcoporum conventu contra Hæreticos, próque disciplinæ commodo confectum fuisset. Nec minùs Imperator literas ad eos Episcopos dedit, qui Synodo interesse haud poterant; ut hâc ratione instructi providentiùs & ad præscriptos Canones Ecclesias admoderari possent (n). His peractis initium datum est solennitati, quâ annus vigesimus Constantini, ex quo is Cæsar creatus erat, colebatur. Eusebius Cæsareensis Nicænorum Patrum coronâ circumdatus, Panegyrin festivam Imperatori dixit: Princeps contrà Episcoporum officio majorem gratiam redditurus, omnes ad convivium vocat, ingredientes singulos (nam nullus ex trecentis octodecim Episcopis aberat) Augustus ingenti demissione, at Confessores & Martyrum notis insignitos osculo etiam excipit: dein præcipuos scilicet Metropolitas aut legatos mensæ

(m) Vide Tom. I. Concil. apud Harduin. p. 439.

(n) Eusеb. Vit. Const. l. 3. c. 17.

Vicennalia Constantini.

(*62.) BARONIUS ad a. 325. §. 143 refert, quod Patres Nicæni prohibuerint, ne prædecessore vivente, alius jam Episcopus Successor initiaretur, quod & SOZOMENUS insinuat l. 2. c. 26. videtur itaque ista lex fuisse comprehensa in Canone octavo; nam quartus Canon duodecimi Concilii Toletani provocat in eadem materia ad Canonem octavum Concilii Nicæni.

(*63.) Vide infra REFLEXIONEM II. ad Caput II.

(*64.) ATTICUS Patriarcha Constantinopolitanus *formatas literas* per Canonem 18. Nicæni Concilii dictatas fuisse perhibet: dicebantur formatæ à sigilli forma, ut opinatur SIRMONDUS ad Godefrid. Vindocin. l. 6. Epist. 8. vocabantur etiam *Canonicæ*, *Pacificæ*, quia ad testandam communionem & pacem, Ecclesiæ ac Episcopi sibi invicem literas ejusmodi mittebant. Sed TILLEMONT. ad Conc. Nicæn. a. 16. etsi fateatur ante S. Basilium Patres instituisse certos parvos characteres, per quæ signa communionem testatam faciebant; negat tamen modum formatarum, qui circumfertur, à Nicæno profluxisse, rémque hanc tribuere videtur Isidoro Mercatori.

mensæ suæ adhibens, reliquos positis à latere mensis accumbere jubet; refectos demum donis, muneribúsque accumulat (o). Die propinquante, quâ Episcopis propositum erat, sedes revisere, Constantinus abeuntes ultimis verbis ad concordiam hortatus, simulque pro se, liberísque preces efflagitans valedixit.

(o) Euseb. V. Const. l. 1. in Proœm. & c. 22.

finis Concilii Nicæni.

Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus exulare jubentur

40. Digressis jam Patribus, Eusebius Nicomediensis cum Theognio Nicææ Episcopo de periculo (quod præsentibus tot arbitris undique instabat) securiores, apertiùs denuò animum ostendunt, quem pœnarum metu tempore Synodi aliquantùm velaverant: itaque Schismaticorum pessimos suo firmare præsidio: eos, qui Ario anathema dicere detrectaverant, ad communionem Mysteriorum admittere, atque scintillas novarum seditionum jacere instituunt. Imperator ubi nefastas molitiones duorum Episcoporum cognovit (p); convocato aliquot præsulum cœtu ingratos ejusmodi homines, quos Pœnitentiæ tantâ mansuetudine frustra servâsset, confestim exauthorari, deque gradu dejectos in Gallias amandari exules jubet (q): ac ne iis spes esset, subinde remeandi; Amphionem Nicomediæ, Crestum Nicææ in eorum locum subrogari curat (r).

(p) Athanas. Apol. 2.

(q) Theodoret. l. 1. c. 19.

(r) Athanas. l. c.

41. Interea Alexander Alexandrinensium Antistes in Ægyptum regressus, juxta Nicænorum Patrum statuta Clericos, Ecclesiásque recepit à Meletio (s), quo Lycopoli privatam deinceps vitam agente tumultuum finis fuit: verùm pax, quæ multis curis coaluerat, uno Meletii facinore præter opinionem omnium rursus labefactata est. Morti siquidem propior cùm Joannem quendam in sui locum temerè sufficeret; Meletianorum factio novo armata Capite in motus, tricásque prorumpere cœpit. Alexandri vires quoniam comprimendis rebellibus haudquaquam pares fuerant; Constantinus Imperator suam operam commodavit, qui id maximè agebat, ut ex Nicænorum Patrum decreto causam definiens, Meletianis caveret, ne Ecclesiæ corpus procaciter discerpentes, futurum Dei judicium ultrò provocarent (t). Restitutâ igitur Alexandrinensium tranquillitate, Alexander tot certaminibus adversus Meletium & Arium gestis defunctus, quinto post Concilium mense ad meliorem & æternam quietem abiit: moriturus de Successore sollicitus, S. Athanasium suum

(s) Sozom. l. 2. c. 21.

(t) Theodoret. l. 1. c. 26.

suum Diaconum commendavit, de quo non vanam spem conceperat, fore, ut unus tot Lupis audentior contraire, & oves ab exilio vindicare valeat: natus is in agro Alexandrino (u), parvo in corpore magnam ad summa & agenda & toleranda animam circumferebat: à Parentibus ad Alexandri Episcopi domum translatus, velut alter Samuel sub sapientissimi Magistri disciplina adolevit. Eum hâc in puerili ætate ludentes alios secum pueros baptizâsse testatur Rufinus; non pauci tamen hodie sunt graves viri, qui unius Authoris calamo minùs confisi, melioribus ex fontibus narrationem illam inter commenta rejiciant (*65). Ante Synodi Nicænæ tempora Diaconorum ordini adlectus (x), in ipso postea Concilio tantâ vi contra Arii hæresin decertavit, ut hostibus

Athanasius succedit Alexandro Alexandrino.

(u) Socrat. l. 4. c. 13.

(x) Theod. l. 1. c. 25. Athanas. Apol. 2.

(* 65.) RUFINUS l. 10. Hist. Eccl. c. 14. refert: *Tempore, quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander Episcopus agebat; cùm post expleta solennia, conventuros ad convivium suum Clericos exspectaret; in loco mari vicino, videt eminus puerorum multitudinem, super oram maris ludo, ut fieri solet, imitantium Episcopum, atque ea, quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cùm intentiùs diutinè pueros inspectaret; videt ab his geri quædam etiam Secretiora & Mystica. Perturbatus illico vocari ad se Clericos jubet; atque eis, quid eminus ipse videret, ostendit. Tunc abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat; cúmque adessent, quis eis ludus, & quid egissent, & quomodo, percunctatur: deinde rem gestam per ordinem pandunt: & baptizatos esse à se quosdam Catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi istius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille, diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo, qui interrogaverat; ubi videt, secundum Religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio Clericorum, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptisma non debere, sed adimpleri ea, quæ à Sacerdotibus mos est.* Ex Rufino hanc historiam descripsêre SOCRATES l. 1. c. 15. & SOZOMENUS l. 2. c. 17. multis tamen historia ista hodie suspectæ est fidei, I. eoquod difficulter cum annis Athanasii componatur: dicitur is à Sozomeno tunc, cùm hæc agerentur, *nondum pubertatis ætatem ingressus*, adeóque teste Baronio ad a. 311. §. 63. duodecim circiter annorum erat; nam Petro Alexandrino mortuo S. Alexander modo anno 311. in Episcopatu successit; igitur si ab anno 312., quo hæc historia fortè contigit, numeres ad annum 326., quo Athanasius suffectus est Alexandro, invenies eundem Athanasium anno ætatis vigesimo quinto, aut sexto jam creatum fuisse Episcopum, quod paradoxum abhorret à primorum sæculorum disciplina. II. Ex eo, quod Alexander Clericos convivio excepisse dicatur, inferri posset, tempus Ecclesiæ satis pacatum, quod tamen non fuit, quia persecutio anno 312. Orientem satis vexabat: prætereà TILLEMONT *n. 2. ad vitam Athanasii* dubitat, an pueri tempore hujus decennalis Persecutionis Mysteria baptismi, quæ secretò tunc administrari debebant, toties viderint, ut tam exactè ceremonias omnes adhibere noverint. III. Rufinus teste Papebrochio & Valesio author est mediocris authoritatis præsertim in vita Athanasii: Hoc non obstante idem PAPEBROCHIUS ad 2. Maji p. 189. §. 21. hanc Historiam stabilire nititur dum Petri Alexandrini mortem refert ad annum 303., sed TILLEMONT *in Vita ejusdem Petri* hanc chronotaxin facilè evertit.

stibus æquè terrorem, atque Patribus admirationem injiceret (y). Hæc itaque causa fuit, cur Alexander nunc divinitatis fortissimum assertorem designarit, cui Alexandrina Metropolis cunctorum votis committi debeat (z). Quantùm verò clerus, populúsque supremas Athanasio partes deferre annitebatur; tantùm ab honore ille refugiebat: ex latebris tandem, quas quæsitaverat, eductus ad S. Marci Thronum populi, Clerique suffragiis provehitur (a). Neminem magis, quàm Hæreticorum sectam adussit, eum jam potiri rerum, cujus validâ sapientiæ vi inflicta vulnera non pauca accepissent: in vulgus proinde & in aulam spargitur, Athanasium clam, & paucorum insidiis in Episcopium irrepsisse (b): calumnia sibi non constitit; ubi Episcopi Ægypti, Lybiæ & Pentapolis tum Imperatori, tum aliis testati sunt, quantâ consensione & non absque Dei consilio vir forti eloquio non minùs, quam Sapientiâ valens, temporúmque acerbitati opportunus electus fuisset (c). Hæretici igitur suis artibus impetrârunt nihil, nisi ut Constantinus novis legibus multorum heterodoxorum petulantiam coërceret (*66).

(y) Theod. l. 1. c. 25. Sozom. l. 1. c. 17. Nazianz. or. 21.
(z) Rufin. l. 1. c. 14.
(a) vide Tillemont in not. 6. ad V. Athanas.
(b) Athanas. Apol. 2. Bolland. 2. Maji.
(c) Sozom. l. 2. c. 17. Athanas. Apol. adv. Arian.

42. Eodem anno CCCXXVI. S. Helena Principis Augusti mater seu filii Crispi à Patre interfecti dolorem mitigatura (d); seu altiore afflata impulsu in Palæstinam cogitabat (e): vix illa tritas Christi vestigiis terras pervenerat; tum doluisse ferunt, Patriam, quæ Christianitati natalis fuisset, turpissimis simulachris pollui; ab Adriani quippe temporibus, in loco sacræ Anastasis Jovis Idolum: in Crucis autem rupe veneris statua ex marmore colebatur: Bethlehemium lucus inumbrabat Adonidis; & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, veneris Amasius plangebatur (f). Hæc igitur sanctissimæ Patriæ probra auferre, ínque eorum locis denuò Crucis trophæum erigere piissimæ matri aut Chri-

(d) Codin. Orig. C. 34.
(e) Rufin. l. 10. c. 7.
Inventio S. Crucis.
(f) Hieron. epist. 49. aliàs 13.

(* 66.) COD. THEODOS. l. 1. T. 5. extat lex Constantini contra HH. *Quando hæc vestræ improbitatis pernicies amplius ferri non potest, præsenti lege interdicimus: ne quis vestrûm imposterum conventus agere præsumat. Atque idcirco universa loca, in quibus ejusmodi cœtus peragitis, auferri præcepimus, eo usque procurrente Majestatis nostræ sollicitudine, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus, ac locis ullis privati juris, superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur &c.* Arianorum hìc non fit mentio, quia illos necdum à Catholicis omnino segregatos judicabat Constantinus; Novatianis etiam aliquid indulsit Imperator, quia minùs exosi erant ob rectam de divinitate sententiam.

Chriſtianas ſubſtituere Eccleſias Religioni erat. Nec difficile fuit ſumptus, operáſque à filio Conſtantino impetrare; qui Helenæ totius Theſauri Regii poteſtatem eò lubentiùs commiſit, quò crebriùs de honorandis Chriſti Servatoris Myſteriis, ac de veſtigando Crucis ſigno conſilia cum Epiſcopis contulerat. Paratis ſubinde operis monumenta iniquitatis deturbantur: humus, quæ ſepulchrum ſacrum contexerat, labore ſollicito egeritur; tandem foſſione profundiùs factâ tres cruces inventæ ſunt, & alia ſeparatim tabella, in cujus albo literis Hebraicis, Græcis, & Latinis hæc ſcripta erant: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Vota Auguſtæ etſi tunc aliquâ ratione impleta viderentur; anxiam tamen illud habuit, quòd ignoraret, quæ ex iis crucibus Servatoris corpus ſuſtentâſſet. Authore igitur Macario Hieroſolymorum Antiſtite, mulieri nobili & graviſſimo morbo laboranti ſingulæ ex ordine cruces admoventur; verum priorum duarum contactu nihil proficiente, tertia quæ Dominica Crux erat, adhibita eſt; cujus vim mulier illico experta, à vitæ diſcrimine ſubitò convaluit (*67). Helena igitur Crucem Domini recognoſcens, Regem, qui à ligno regnâſſet, adoravit: dein ejus partem pro palatio ſervans,

(* 67.) Multi ex Proteſtantibus, ſcilicet *Salmaſius*, *Baſnagius*, *Dallæus* & *Rivetus* veritatem hujus hiſtoriæ impugnant ex eâ præcipuè ratione, quòd Euſebius in vita Conſtantini de eâ re ſileat: dein paradoxum omnino & à vero alienum exiſtimant, quod ſpatio trecentorum annorum cruces trinæ ſub terra latuerint incorruptæ. *Sed* Critici ſaniores veritatem ex ſequentibus rationibus adſtruunt. 1. Quia Euſebius ejus rei mentionem fecit in V. Conſt. l. 3. c. 30. ut Bollandiſtæ probabiliùs aſſerunt ad diem 18. Auguſti §. 8. in vita S. Helenæ & in Chronico Euſebii à Pontaco edito habetur: *Helena Conſtantini mater divinis monita viſionibus, beatiſſimum Crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit.* 2. Dato, non conceſſo (ut cum Bollandiſtis ad 18. Aug. l. c. porrò loquamur) quod Euſebius hae in re piſce mutior fuerit; an propter ſilentium unius Euſebii tot alii Graviſſimi Authores falſitatis arguendi ſunt, quando iſtud factum recenſent? quorum nomina ſi nôſſe velis, paucis perſtringimus: lege AMBROSIUM in Concione de obitu Theodoſii: RUFINUM l 1. c. 8. S. PAULINUM epiſt. 31. SOZOMENUM l. 2. c. 1. & S. Cyrillum epiſt. ad Conſtant. Imper. §. 3. ubi hæc habentur: *Ac tempore quidem Deo amiciſſimi, & felicis recordationis Conſtantini Patris tui Salutare Crucis lignum Hieroſolymis eſt repertum, divinâ gratiâ viro pietatem rectè quærenti hoc largiente, ut abſconditos ſanctos locos inveniret.* Et quamvis Rivetus hanc epiſtolam ut minùs genuinam rejiciat, eoquòd Conſtantius hæreticus in ea laudetur; nil tamen hoc admodum epiſtolæ veritati officere ex eo probatur, quod & Athanaſius & Hilarius eidem Imperatori ſua encomia quandoque non negârint. 3*tiò* Tot Authoribus addimus ſtabilem ac perpetuam Eccleſiæ traditionem quæ intacta manere quoad ſubſtantiam debet, licet à falſis actis (de quibus Tillemont not. 3. ad V. Helenæ) aliter

vans, reliquum argenteâ thecâ inclusum urbis Episcopo ad cultum religiosum reliquit: prætereà ex clavis, qui Servatoris corpus Cruci affixerunt, aliquid inseruit galeæ Imperatoris, & illius equi freno admiscuit aliam partem, quæ filio contra hostium pericula tutelam præstaret.

43. Post hæc Pietatis officia S. Helena apud Bethlehemium, ac in olivarum monte geminas construxit Ecclesias (g), quibus ejusdem matris hortatu in loco Anastasis tertiam addidit Constantinus, Basilicam profecto & arte & pretio insignem (h); quæ post sex annorum intervallum ad absolutionem perducta & Christo resurgenti anno CCCXXXV consecrata est. Dum Ecclesiæ tot Hierosolymis surgebant; Religiosissima Imperatrix collectas in Parthenonem puellas demissione summâ, ac piissimo ministerio ad virtutem erudiit (i): quibus peractis ex sacra peregrinatione redux ad sanctimoniæ suæ (k) coronam anno ætatis octogesimo evocata est, filio salubria monita, fidelibúsque omnibus ingens virtutum suarum exemplum relinquens. Nec verbis postremis Helenæ defuit Constantinus; de religione quippe propugnanda sollicitus, dejectis ubique delubris (*68) templa plurima erexit. Quibus fidei incrementis illud porrò accessit, quòd ubique terrarum exturbatis Idolis Barbaræ Gentes Christum jam palam profiterentur; nam & Celtæ & Gallorum ultimi, qui Oceanum accolunt, ad Rhenum Franci: Gothi ad Istrum sub Chri-

(g) Euseb. V. Const. l. 3. c. 35. 36. 37. 38. &c.

(h) Idem c. 26. 27.

(i) Theod. l. 1. c. 18.

(k) vide Tillemont ad vit. Helenæ a. 8.

Propagatio Fidei per Romanum Imperium.

aliter referatur. 4*tò* Quid obstat, quo minùs omnipotentia divina per tria sæcula Cruces ejusmodi incorruptas servârit, quæ longiore tempore hodie sub terra humata SS. Corpora illæsa custodivit.

(* 68.) ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS in Sylv. notat, à Constantino erectam fuisse Ecclesiam in Palatio Faustæ uxoris suæ Lateranensi, quæ dicta est *Constantiana*; sed postea ob imaginem D. Joannis Baptistæ, quæ in ejus Baptisterio posita erat, D. *Joannis Lateranensis* nomen sortita est. Septem aliæ ibidem illius sumptibus ædificatæ numerantur; *prima* sub Invocatione D. Petri in templi Apollinis, quod situm erat in Monte Vaticano, *secunda* in loco Passionis D. Pauli, *tertia* in ædibus Sessorii, ubi partem veræ Crucis reposuit, ex eaque nomen accepit, *quartam* Divæ Agnetis dixere utraque Constantia, filia & soror Imperatoris, quas baptizavit Papa Sylvester ut communis fert opinio; *quinta* est D. Laurentii viâ Tiburtinâ in agro Verano circa ejus Sepulchrum; *sexta* D. Petri & Marcellini Martyrum sub Diocletiano viâ Lavicanâ inter duas Lauros; in ea fecit Mausoleum, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in Sarcophago Porphyretico. Ingentia quoque donaria addidit Ecclesiæ, quam Sylvester tunc Romanus Pontifex in ædibus Æquitii Presbyteri consecrârat ad thermas Diocletianas. &c. *vide Du Mesnil ad annum* 326.

Christiana Disciplina mansuetiorem cultum induerunt (l): Nec minùs Armenia (ex quo Tiridates cælesti prodigio ad lucem fidei traductus fuerat) Ecclesiis florebat; unde ad Osrhoënos & Persas veri Numinis notio pervasit. In Longiora terrarum spatia Evangelii sementem protulit Methrodorus Philosophus, qui orbis novi vestigandi causâ ulteriorem Indiam scrutatus (m), redux Constantino margaritas ex illis terris dicitur attulisse. Hoc exemplo incitatus Meropius (alius Tyrius Philosophus) cum duobus adolescentibus Christianis Ædesio & Frumentio in Indiam abiit. Magistro ab Æthiopibus interfecto, discipuli ad Regis aulam, & majores honores subinde translati sunt, quorum præsidio christianas Ecclesias Barbarico in solo plantare cœperunt: & quoniam ad fidelium multitudinem pascendum Episcopo opus erat; reversus posteà Alexandriam Frumentius Præsulem ejusmodi, qui res fidei curaret, ab Athanasio Antistite petiit. Coacto cœtu sacerdotum nemo omnium dignior visus est, præ Frumentio. Hic itaque Auxemeos Metropolis Æthiopiæ initiatus Episcopus viam, quâ venerat, relegit, opus fidei in suis, quod cœperat, perfecturus.

(l) Sozom. l. 2. c. 6.

(m) Theodoret. l. 1. c. 23.

44. Ecclesiæ in tam lætas propagines auctæ concordiam Donatistarum motus multò acriores infestavêre; posteaquàm enim Majorino defuncto alter Donatus homo insolentis æquè ac acerbi ingenii successerat (*69); Clericos ad tribunalia rapere (n), cum Traditoribus (quod tamen Catholicis antè exprobraverant) communicare, ac Circumcelliones, infame hominum genus, in suum traducere consortium non perhorrescebant (o): probrosæ ac nefandæ Sectæ sociis inde nomen hoc conflatum est, quod circum cellas vagarentur: Axidum, & Fasirem Duces pessimos secuti, Catholicos de possessionibus depellere, insultare creditoribus; & siquidem mancipes essent, Dominos vice mutuâ in servitutem redigere præsumebant. Erat hoc audaciæ incredibilis, quâ impro-

Donatistarum novi motus.

(n) Cod. Theod. l. 7. de Episc.

(o) August. de hær. 69. & in Ps. 132. Optat. l. 3.

Circumcelliones.

(* 69.) Malè aliqui confundunt hunc *Donatum Pseudo-Episcopum Carthaginiensem*, cum *Donato à Casis nigris*, ut colligitur ex S. Augustino in Breviculo Collat. diei 3. c. 18. videatur etiam NATALIS ALEXANDER Differt. I. & III. ad Sæc. quartum. TILLEMONT Tom. VI Part. I. art. 27. describit latiùs Carthaginensis Donati dotes & vitia. Item artic. 28. & 29. refert detestabiles errores Donatistarum.

improba Circumcellionum turba in liberorum hominum bona, libertatémque graſſabatur; alterum etiam Barbaræ Inſaniæ facinus planè fuit, cùm ſibi ipſis vim inferentes ſe mille mortis ge-
(p) Auguſt. de hær. c. 69. neribus (p) peſſumdatum irent: & profectò delirantium amentia eò proceſſerat, ut non hortatibus corrigi, nec armis militum potuerint deleri. Nam occiſis etiam nefariis Donatiſtæ Martyrum honores, aráſque ſuper eorum tumulis dicabant.

45. Dum Donatiſtarum furor apertiore hâc licentiâ invidiam, odiúmque orbis provocabat; Ariani cautiùs agendum rati, per occultos cuniculos ſuam Sectam utùt profligatam reſtaurare moliebantur. Conſtantia Licinii vidua, ac Conſtantini Imperatoris ſoror ſuos inter familiares Presbyterum numerabat, Arii
(q) Rufin. l. 1. c. 11. ſtudioſiſſimum (q): nihil iſte intermiſit induſtriæ, quâ fœminæ perſuaderet, Ario exuli non unam impingi injuriam; nam & virum fidei integræ ab illis, quos Synodus proſcripſiſſet, erroribus purum, tum non alio crimine, quàm ſimultate privatorum Epiſcoporum, ac infeſto æmulationis ſtudio damnatum prædicabat. Conſtantia querelis ejusmodi ſæpiùs imbuta ſibi jam religioni ducere cœperat; ni, quæ à Presbytero monita accepiſſet, Fratri Au-
Conſtantia ſoror Conſtantini à Presbytero decepta Arii Patrocinium ſuſcipit. guſto ſignificaret. Conſilio concepto vim addebat morbus fatalis, quo cùm ad extrema mulier deduceretur; id à Conſtantino gratiæ loco depoſcendum ſumit, ut Presbyterum frater in familiaritatem reciperet: dein ea, quæ pro ſpe ac ſalute ſuggeſturus eſſet, pronis admitteret auribus. Porrò ut Conſtantia Principis animum magis emolliret; ſibi quidem, ajebat, ex hac luce diſcedenti nihil curæ amplius, negotiique fore: amore tamen fratris poſtremùm cavere voluiſſe, ne pro innocentium (ſic Arianos exules vocabat) pœnis, ipſe Imperator ſui Regni pateretur excidium. Verba hæc ultima morientis Conſtantiæ impulêre adeò Conſtantinum, ut Pres-
A. Æ. C. 328. bytero exinde familiariter uſus, illis, quæ Veterator de Arii innocentia, ac orthodoxa doctrina mentiebatur, majorem, ac fas
Arius revocatur ab exilio erat, haberet fidem. Revocatus igitur ab exilio Arius unà cum Euzojo (quem S. Alexander Diaconatûs ordine exuerat) repente
(r) Sozom. l. 2. c. 27. in Imperatoris palatio conſpiciuntur (r): rogati, utrum Nicæno Symbolo darent manus? formulam proferunt, quæ etſi nullam exprimeret hæreſin, ita tamen compoſita erat, quam Arianorum

quis-

quisque in suum sensum facilè detorqueret (*70). Formulam nihilominùs approbantibus nonnullis Episcopis, queis Arii error non displicebat, deceptus Imperator Hæresiarcham restituit.

46. Alea tam feliciter jacta Eusebio Nicomediensi & Theognio spem non vanam injecit, fore, ut post triennale exilium sibi quoque ad Patrias sedes aspirare liceat (s): libello proinde supplici Episcopis testantur, se nullâ ex aliâ causa proscriptionis pœnam subiisse; quàm quòd à fide verâ, cui etiam subscripsissent, nunquam alieni (t), Arium duntaxat damnare reformidârint. Cum enim hujus viri integritas sibi magis, quàm aliis fuisset perspecta, sinè injuria committi haud potuisse, siquidem hæreseos labem ei, qui planè orthodoxo esset animo, affricarent: & quoniam nunc vel ipsi Episcopi unà cum Imperatore omni erroris suspicione liberatum communioni palàm asseruissent; fraudi iis esse non debere, qui multò ante Arii propugnâssent Innocentiam. Literæ artibus dolosis compositæ, quæque ad speciem dogmatis controversiam à Personæ causa discernebant, continuò evicerunt, ut Eusebius & Theognis ex suo exilio in suas irreperent Ecclesias, amandatis Amphione & Chresto, qui antè proscriptorum sedes tenere jubebantur (u). Ad tot insidias Episcoporum complures obmutescere, alii etiam palàm Arium intra Ecclesiæ adsciscere septa: unus Athanasius nec minis Imperatoris, nec Eusebii dolis adduci potuit, ut Hæresiarcham, quem Synodus exesse jussisset, reciperet (x). Fortem quantumcunque virum convitio frangendum Eusebius existimabat; quare conductâ Meletianorum quorundam Episcoporum operâ criminatio confingitur, quâ spargebatur Athanasium ad novum tributi genus adigere Ægyptios, scilicet ut Alexandrinæ Ecclesiæ vestes lineas pendere cogerentur (y). Macarius Alexandrinus Presbyter, qui tunc apud Imperatorem Nicomediæ agebat, ostenso accusato-

& ejus Fœderati.

(s) Theod. l. 1. c. 19.

(t) Socrat. l. 1. c. 14. Soz. l. 2. c. 16.

(u) Philostorg. l. 2. c. 5.

(x) Athanas. Apol. adv. Ar.

A. Æ. C. 328.

(y) Socrat. l. 1. c. 27.

(* 70.) Arii fallax Professio coram Constantino facta sic habetur apud SOZOM. l. 2. c. 27. „*Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus, qui ex eo genitus est ante omnia Sæcula, Deum Verum, per quem omnia facta sunt. Qui descendit, & incarnatus est. . . Nisi autem ita credimus, & nisi verè suscipimus Patrem, & Filium & Spiritum S., sicut omnis Catholica Ecclesia & Scripturæ docent, quibus per omnia credimus; judex noster sit Deus nunc & in futuro judicio.*„

rum mendacio Conſtantinum permovit, ut Athanaſium coràm audiret: quo venire ad palatium juſſo, graviores calumniæ ab Adverſariis excogitatæ ſunt, quibus & Macarium & Athanaſium obruerent; nam ille de calice confracto inſimulabatur (z): huic autem crimen conjurationis adverſus Principem intentabatur. Imperatori res ejusmodi viſa eſt, quam ipſe protinus executeret: verùm ubi denuò cognoviſſet, livore criminantium duntaxat cauſam agi, indignatus mendacibus rabulis, Athanaſium datis etiam palàm literis abſolvit.

(z) Athanaſ. Apol. cit. p. 178.

A. Æ. C. 329.

47. Poſtquam Euſebiani non uno fuco Arium ita expinxerant; ut jam plurimi etiam hoc monſtrum (quod tantoperè Nicæni PP. oderunt) amare, vel ſaltem non omnino averſari viderentur; à Perſona ad dogma ipſum expoliendum audaces animos adjiciunt. Ac lis quidem, quæ Nicææ dirempta fuerat, hâc ratione reſumitur: pugnabat Euſebius Pamphili unà cum Paulino Tyri & Patrophilo Scythopolis Epiſcopis, nomen illud Arianis inviſum, ſcilicet *Homouſii* à fidei formula exterminandum; hoc enim, qui profiterentur, à Sabellii & Montani dogmate minùs abeſſe, quin in eam delabi impietatem, ut Filii Dei exiſtentiam tollerent (a). At Euſtathius Antiſtes Antiochenus confeſſor, ac fide pius regerebat Euſebio, nihil à decretis Nicænis innovari oportere; præterea Gentilium errorem ſuſcitatum iri, ſiquidem abrogatâ Conſubſtantialis voce Arianis multos Deos admittere luberet: vel certè Trinitatis larvam ab iis effingi, qui Dei Unitatem cum tribus naturâ inæqualibus Perſonis conciliare præſumunt (b). Dum Euſtathius invictus in acie contra tot Arii Patronos militabat; Euſebio Nicomedienſi propoſitum erat virum evertere: ſed dedicatio Conſtantinopolitanæ urbis moram homini injecit; quominus in Euſtathium virus effunderet. His celebratis ab Imperatore veniam ſibi fieri rogat, ut ſibi Hieroſolymam unà cum Theognio Nicææ Epiſcopo contendere liceat, quaſi templum, quod Conſtantinus ibi moliebatur, inſpecturis: Antiochiam transgreſſos omni humanitate excipit Euſtathius: at illi beneficiis nequaquam deliniti ad Palæſtinam avolant. Conſcriptos illinc ad ſua Conſilia Euſebium Cæſareenſem, Patrophilum Scythopolitanum, alióſque Arii partium ſtudioſos Epiſcopos Antiochiam

Arianorum novæ molitiones.

(a) Socrat. l. 1. c. 23.

(b) Gregor. Naz. or. 35.

A. Æ. C. 330.

chiam adducunt. In urbem ubi venissent; cœtus adversus Eustathium cogitur(c): sedentibus Patribus mulier prostituti pudoris (c) Theod. hist. l. 1. c. 21. locum concilii subintrat, quæ ad accusationem coempta infantem ostentabat, quem se ex nefasto Eustathii concubitu concepisse vociferabatur (*71). A. Æ. C. 331. Sanctus Episcopus ex composito fabam hanc in se procudi intelligens, testem facinoris, cujus purus erat, produci rogat: at judices Scorti mendacio libentiùs obsecuti, jurejurando interposito fidem criminis firmari jubent: hoc malitiosiùs à fœmina prolato contra Canonum leges citra testium conscientiam adulterii damnatus deponitur. *Fraudes Arianorum contra Eustathium.* Contradicentibus sententiæ nonnullis Episcopis, ingens per urbem exoritur seditio; parúmque aberat, quin in iniquos judices cruenta procella detonaret (d). (d) Sozom. l. 2. c. 19. Eusebius cum Theognio periculo elapsi ad Imperatorem occupandum Nicomediam properant: illinc dum Eustathium utpote adulterum, seditionísque authorem describunt; facilè Constantinum pacis amantissimum impulerunt, ut innocentissimum virum unà cum longo Diaconorum ordine Trajanopolim in exilium amandaret; quo per dolum expulso, populus magis efferatus est: ad hujus igitur tumultum restinguendum, Paulinum Tyri Episcopum contra Nicænorum canonum præscriptum Eustathio surrogant (e). (e) Philostorg. l. 3. c. 15. Arii studioso homini sedem temerè arreptam nonnisi sex mensibus usurpare licuit, quibus expletis mortuus, Eulalio pariter Arium olenti reliquit Antistitis vices: magnas strages hic lupus in ovili edidisset, nisi Deus eundem è vivis, atque ab ovili, exiguo post tempore abstraxisset. Mercenariorum Præsulum duplici funere elato, populus denuò sui Eustathii meminisse cœpit (f): (f) Socrat. l. 1. c. 24. jamque inter strepitus revocandum exulem contendebat; tum virum à literarum famâ insignem, quíque plebi non ingratus videbatur, deligere placuit Eusebium Cæsareensem: sed quia is ad omnes artes effictus pro temporum vicissitudine, seu orthodoxorum, seu Arianorum partes tuebatur; negavit se contra Nicænorum Patrum præscriptum à sua Ecclesia, cui jam de- *Eusebius Cæsareensis negat se admissurum Episcopatum Antiochenum.*

(* 71.) De eadem mulie[illegible] refert THEODORETUS l. 1. c. 22. quod in gravissimum delapsa morbum fassa sit, se mercede conductam ad hoc calumniæ genus, nec tamen prorsus falsum esse jusjurandum, quod ecidisset, propterea quod *Eustathius* quidam: sed alius (scilicet Faber ærarius) Infantis Pater esset.

ſponſus foret, ad alterius ſponſæ ſacrum connubium tranſire poſſe (g). Probabat Conſtantinus Euſebii integritatem (h), ſimúlque literis Euphronium Presbyterum ac Cæſareæ civem commendabat; cujus fidem ſoli Ariani (qui tunc aures Imperatoris, animúmque malignè obſederant) maximis laudibus extulerunt. Acceptis proinde Auguſti literis Antiochenſes Euphronio curam Eccleſiæ commisêre (i), quam tamen huic Euſebianorum Patrono præmaturum fatum proximè rurſus abſtulit. Catholici cùm fruſtra orthodoxum rurſus Epiſcopum à Principe Arianorum artibus detento efflagitarent: nec jam ſpes eſſet Euſtathii reſtituendi; palàm ſe ab Hæreticorum conventibus disjunxêre, nomen Euſtathianorum inde ſortiti. Quemadmodum verò Antiochiæ Euſtathium; ſic Eutropium Adrianopolis, Asclepam Gazæ Epiſcopos peſſumdedit Euſebius Nicomedienſis: quod negotium iniquitatis ubi operâ Baſilinæ Julii Conſtantii uxoris & matris Juliani Apoſtatæ abſolviſſet (k); novum crimen homo ſacrilegus cæteris flagitiis addidit, eos Eccleſiæ non tantùm communioni, ſed Miniſterio etiam adlegendo, quos impietatis causâ Euſtathius à fidelium conſortio penitus ſubmoverat (72).

(g) Sozom. l. 2. c. 19.
(h) Euſeb. V. Conſt. l. 3. c. 60. 61. 62.
(i) Theod. l. 1. c. 21.
Euſtathianorum origo.
(k) Athanaſ. ad ſolit.

48. Prehendentibus hâc ratione Eccleſiarum gubernacula Hæreſiarchis, unà cum paucis Alexandria erat, quæ fidum Paſtorem Athanaſium ſequebatur: in hunc igitur omnis factioſorum turbo incubuit (l). Iſchyras quidam ſe Clericum mentitus (*73), inſtigantibus Meletianis funeſtarum machinationum initium fecit: is ubi de erroribus per Mareotidem (*74) diſſeminatis apud Atha-

(l) Athanaſ. Apol. adv. Arian. n. e. p. 181.

(* 72.) Ex numero iſtarum ab Euſtathio Antiochenæ proſcriptorum Epiſcoporum erant: *Leontius* Caſtratus, & *Stephanus*, ambo poſteà Antiochiæ Epiſcopi, *Georgius* Laodiceæ, Tripoli *Theodoſius*, *Eudoxius* Germanicæ, Sebaſtes *Euſtathius*.

(* 73.) SOZOMENUS l. 3. c. 12. Iſchyram vocat hominem peſſimæ vitæ, non erat is in gradu Eccleſiaſtico; proinde ne quidem Diaconus: ut habet ATHANASIUS Apol. 2. quamvis id HILARIUS aſſerere videatur in fragmentis à Pithæo editis fr. 1. Nihilominus ſe presbyterum venditabat, qualis ordinatus non erat, nec apud Catholicos, nec apud Meletianos; utì ii, qui ab his ad Eccleſiæ unionem redierunt, teſtabantur: accedit, quod Iſchyras nullo modo in Catalogo Clericorum, quem Meletius tradidit Alexandro, fuerit annumeratus.

(* 74.) Mareotis in Agro Alexandrino locus fuit, ſic dictus à Mareotide lacu, cui adjacebat: Alexandriæ Epiſcopo immediatè parebat, quin alio ab Epiſcopo, aut Chorepiſcopo adminiſtraretur; dividebatur in vicos, quorum ſingulis præerant totidem presbyteri.

Athanasium accusaretur; Antistitum judicium elusurus, fingit Macarium Diaconum (jubente Athanasio) calicem confregisse: huic criminationi acerbiorem calumniam addidêre, scilicet ab Athanasio eodem Arsenium (*75) Meletianorum Episcopum esse interfectum. Prioris equidem mendacii falsitas brevi patefacta est, dum accusator ipse Ischyras à Meletianis malè habitus, ac vel ideo ad Alexandrinum (quem insimulaverat) Præsulem transfugiens palàm profitebatur, se ad comminiscendam criminationem Meletianorum vi adactum fuisse (m). Verùm altera pars accusationis de Arsenio occiso implicatiùs agebatur, quàm ut citò evolvi posset. Ex composito Sycophanta per quinque annos conspectui hominum se subtraxerat: ac ne vestigaretur, latebras subinde mutans, per Thebaidis monasteria vagabatur (n). Latitante hunc in modum tenebrione, Parricidium Athanasio Hæretici affingunt: atque ut fabulæ audaci conciliaretur fides; trunca manus, utpote testimonium concisi Arsenii circumferebatur (o). Insolentis facinoris rumor Constantinum adeò commovit, ut fratri suo Dalmatio Censori quæstionem causæ committeret (p). Dies itaque cùm Athanasio diceretur ad depellendam accusationem; S. Præsul suæ innocentiæ confisus, datis ad Ægypti Episcopos literis, in Thebaidem Diaconum mittit, qui Arsenium conquisiturus cuncta perscrutaretur. Investiganti Diacono subinde nunciatum est, Veteratorem in Monasterio Premencyrcos occultari: sed quoniam ex eodem latibulo Arsenius jam discesserat; id saltem è re visum est, ut Monasterii Abbas cum Monacho Helia Alexandriam deveherentur. Ibi cùm nulla negandi facultas suppeteret; uterque confessus est Arsenium vivere, & in dicto cœnobio delituisse (q). Integritati Athanasii etsi hoc testimonio prospectum esset; Dei tamen consilio evenit, ut & ipse Arsenius productus in lucem S. Antistitem impacto crimine absolveret. Con-

Meletianorum iniquæ artes & calumniæ contra Athanasium.

De confracto calice.

A. Æ. C. 332.

(m) Athanas. Apol. 2. Vet. ed. 782. n. 182.

(n) Socrat. l. 1. c. 29. 30. Theodoret. l. 1. c. 28.

De occiso Arsenio.

(o) Epiph. h. 68. c. 6.

(p) Athanas. l. c. p. 783.

(q) Sozom. l. 2. c. 23. Athanas. p. 784.

(* 75.) TILLEMONT not. XII. ad vit. Athanasii, observat ex Apolog. 2. Athanasii v. edit. p. 781. Arsenium Episcopum fuisse Hypseladis, in superiore Thebaide, & Concilium Sardicense apud Baron ad a. 347. §. 86. insinuat, Athanasium accusatum fuisse, quòd Episcopum occiderit: Arsenius licèt ex Meletianis fuerit, non tamen ejus nomen notatur inter Episcopos, quos Meletius dedit Alexandro: forte quia prætermissum est; vel potius quod Episcopus factus sit post renovationem ejusdem Meletiani schismatis.

Confugerat idem fraudum artifex Tyrum ad ædes noti ſibi civis; ex quibus ab Archelao Conſulari extractus, cuſtodiæque datus eſt (r): negabat hominum nequiſſimus ſe eſſe Arſenium, ſed à Paulo Tyri Epiſcopo agnitus, confeſſionem tandem ſui, ſuorúmque criminis edidit eo tempore; quo fraudum earundem conſcii Euſebiani ad opprimendum Athanaſium Antiochiam anhelabant. A Conſtantino poſtquam intellectum eſt, repertum eſſe Arſenium; laudatâ Athanaſii innocentiâ, Meletianorum impudentem malitiam execratus, iis porrò comminabatur: ni à facinoroſis ejusmodi motibus abſtinerent, ſe eos utpote generis humani, divinæque doctrinæ deprædatores & Eccleſiaſticarum & publicarum legum vi, pœníſque coërciturum (s).

(r) Socrat. l. 1. c. 29.

Deteguntur fraudes Arianorum.

(s) Athan. Apol. cit. n. 783. 785. Baron. ad a. 333. ſ. 2.

A. Æ. C. 333.

49. Poſtquam Meletiani ex ſua calumniandi libidine nil præter infamiam, irámque Cæſaris retulerant; Arſenius civitatis Hypſelitarum Epiſcopus, idémque, qui è ſuis latebris magno cum pudore protractus fuerat, dedecus meliore facto emendaturus, ſuo, ſuorúmque nomine Athanaſio perſcribit: nihil jam obſtare, quò minus ii, qui Meletium ſecuti fuiſſent, denuò cum Alexandrina Eccleſia conjungantur (t): reſciſſum iri omnem cum Schismaticis aut Hæreticis communionem, atque ut ſe omnino Metropolitano ſive Athanaſio ſubditos juxta Eccleſiaſticum Canonem profiterentur; nihil à ſuis deinceps ſtatuendum, quod Antiſtes Alexandrînus non antè comprobâſſet (*76). Athanaſius revertentibus ovibus (licèt Luporum more in ipſum ſanguinolentos dentes paulò antè acuiſſent) non aliter ac manſuetiſſimus paſtor ultro occurrens, receptos pœnitentes ovili aggregavit. Hoc peracto, cùm pacem Eccleſiæ Alexandrinæ reſtitutam gauderet Athanaſius; idem Præſul velut tempus opportunum nactus Diœceſi

(t) Athan. l. c. p. 786. & 787.

(* 76.) DU MESNIL ad a. 330. ex his tria clareſcere ait, *primò* Patriarchas tunc dictos fuiſſe Metropolitanos; *ſecundò* judicium Epiſcoporum fuiſſe reſervatum Patriarchis vel Exarchis, vel Primatibus, qui dicebantur Metropolitani. Hinc Patres Africani in ſua ad Cæleſtinum Papam Epiſtola, decreta Nicæna, inquiunt, ſive inferioris gradûs Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Epiſcopus quidem de certis criminibus accuſatus condemnabatur ab omnibus Epiſcopis Provinciæ, ſed non citra Metropolitani ſententiam. *Tertiò* ejusdem Metropolitani judicium fuiſſe pariter neceſſarium, ut dogma commune ſtatueretur.

cesi perlustrandæ dedit operam (*77): per iter instruebat populum in fide Jesu Christi, & firmabat Ecclesias in amore veritatis: Nili ripas secutus Tabennam venit, ubi S. Pachomius cum ingenti Monachorum numero (quos ex regula ab Angelo dictata (*78) moderabatur) S. Præsuli inter cantica & hymnos occurrebat. Non poterat non lætum esse spectaculum, post tot Hæreticorum blasphemias in solitudine videre integram fidem, ingentémque virtutum complexum, quo tum Monachi omnes, tum præcipuè Pachomius refulgebat. Suscipere huic cunctos in more erat, qui per pœnitentiam se Dei miserationibus offerebant: monebat autem Monachorum singulos, ut mundo, propinquísque renunciantes; postremùm semetipsos odio quodam salutari persequerentur (u): in labore manuum præibat subditis; & cùm solennitatis ratio deposceret, ut Mysteriorum cælestium participes fierent, ex proximis viculis presbyteros convocabat. Ad contentionum enim

Athanasius visitat solitudines Ægypti.

(u) Hieronymus in V. Pachom. c. 27.

(* 77.) Visitationem Ecclesiarum Ægypti ab Athanasio factam aliqui revocant ad tempora Valentis, cujus sententiæ Bollandiani fuerunt, cùm S. Athanasii vitam perscriberent; quam opinionem posteà emendarunt ad XIV. Maji in vita Pachomii p. 306. ex eâ ratione, quia Pachomius Athanasio tunc obviàm procedere non poterat, utpote mortuus a. 349. Nos igitur TILLEMONTII sensa secuti not. 16. ad V. Athanasii, ad annum 333. historiam illam revocamus; qui Author hìc consuli poterit.

(* 78.) Regulam Pachomio ab Angelo dictatam refert CARDONUS unus ex Hagiographis, ex MSS. Græco in V. Pachomii ad 14. Maji p 301. 1. *Singulis juxta vires suas edere concedas & bibere, & pro modo vescentium laborare compellas; & neque comedere modestè, neque jejunare prohibeas. Validioribus quidem & comedentibus validiora opera, leviora verò abstinentibus & infirmioribus imponas.* 2. *Facias autem diversas cellulas, & ternos per unam cellulam constituas.* 3. *Omnium verò cibus in uno loco paretur, atque consumatur.* 4. *Somnum verò capiant, non jacentes sed super instructas, & paululùm reclines cathedras, & velatas palliis suis, sedentes quiescant.* 5. *Induantur autem noctibus lebitones lineos,* (genus vestimenti id erat sine manicis instar Colobii) *præcincti lumbos: habeántque singuli meloten, id est caprinam pellem confectam albam, sine qua neque comedant, neque dormiant.* 6. *Accedentes tamen ad communionem Sacramentorum Christi & cingula solvant, & meloten deponant, cucullis utentes tantummodo.* 7. *Hoc etiam præceptum erat, ut juxta numerum Elementorum & Græcarum literarum, viginti quatuor Monachorum turmæ constituerentur; ita ut singulis turmis imponerentur singularum nomina literarum, id est ab A. & deinceps usque ad Ω: ut cum interrogaret Archimandrita de aliquo in multitudine tanta, facili responsione cognosceret &c.* Præterea Angelus dictaverat, ut *cùm comederent, capita sua cucullis operirent, ne Frater Fratrem videret manducantem, & ut diurnæ orationes duodecim fierent & vespertinæ duodecim, & nocturnæ duodecim*, idem CASSIANUS memorat. l. 2. Instit. c. 4. Præter regulam ab Angelo in tabula exaratam, Pachomius sua addidit, quæ *Regula Pachomii* dicitur, & S. Hieronymo interprete extat in Godice Holstenii P. I.

Pachomius Cœnobiarcha. enim ſtudia reſcindenda minimè patiebatur inter Monachos eſſe quempiam, qui Clericatûs officio fungeretur: ſi quando tamen veniſſet ad eum Clericus, qui ſub regula ejus vellet vivere; dignitati ejus honorem reddebat Eccleſiæ debitum. Subinde Pachomius Germanæ ſorori trans Nili litora monaſterium conſtruxit, quod benè multæ virgines ſub curâ ſenioris monachi (*79) coluerunt. *Virginum Cœnobium.* Neque tantùm aſceteriorum, ſed & populi vir Sanctus curam geſſit; nam cùm plebejos paſtores cæleſti doctrinâ, ſacrorúmque Myſteriorum uſu deſtitui videret; Aprioni Tentyrorum Præſuli perſuaſit, ut in vico popelli deſerto Eccleſiam erigeret. Quod ubi impetrâſſet, nec ad manum eſſent ordinati Clerici, qui ſolemnia plebi peragerent; ipſe Pachomius ad horam conventûs cum monachis aderat, ſalutiferas plebi paginas relegens, & ſic alacriter Lectoris implebat officium. Quantùm ab Arianis ac Origenis libris abhorrebat, tanto in Athanaſium ſtudio ferebatur, cui pro Divinitate Chriſti multa jam perpeſſo plures poſteà, utì altiore inſtinctu acceperat, calamitates ab hoſtibus fidei irrogandas prædixit: & profectò Alexandriam reverſo Athanaſio nova lis, novæque turbæ intentabantur.

A. Æ. C. 334. 50. Suſcitaverat ignem hunc, qui doloſis ſub cineribus aliquamdiu latere viſus eſt, Euſebianorum invidia, quos maximè affligebat ille fidei triumphus, quem S. Athanaſius per Ægypti Provincias agitâſſet (x): augebat etiam non parum dolorem, quod digreſſis ad Catholicorum partes Meletianis, deſtituerentur viris ejuſmodi, qui anteà ſuo calumniarum artificio Athanaſium laceſſere probè nôſſent. Itaque huc omne conſilium expromebatur, ut

(x) Athanaſ. Apol. 2. p. 788.

(* 79.) HIERONYMUS in V. Pachomii: *Hæc audiens ſoror* Pachomii ... *ſe Chriſto ſervire profeſſa eſt.... Convenerunt ad eam plurimæ: & brevi tempore mater magnæ multitudinis effecta eſt. Pachomius autem cuidam Petro ætate jam grandævo præcepit, ut interdum famulas Dei viſitaret, & ſanctâ exhortatione ſuſtolleret; habebat enim cum mortificatione paſſionum omnium, etiam ſermonem ſale conditum; qui ſæpe numero virginibus Chriſto de ſanctis ſcripturis loquebatur. Exceptis melotis, quas fœminæ non habent, omnis inſtitutionis earum forma Monachis erat conſimilis. Si quis autem de Fratribus habebat in monaſterio fœminarum propinquam aliquam, vel ſororem, eámque viſitare voluiſſet; mittebatur cum eo unus ex ſenioribus probatæ vitæ, & primùm quidem videbat eam, quæ ſororibus præerat; & deinde ſub ejus præſentia, & aliarum, quæ erant provectioris ætatis, ſororem ſuam, vel proximam frater cum omni pudore cernebat, nihil ei deferens, nec prorſus ab ea quidquam accipiens.*

ut revocati ab orthodoxorum communione Meletiani velut ſtipendiarii tricarum conducerentur. Promiſſis amplis poſtquam factioſorum ingenia in poteſtatem Euſebianorum redierant; acies ſtruitur, armáque adverſus Alexandrinum Antiſtitem expediuntur: Joannes Meletianorum Epiſcopus Archiſtrategi more cæteros anteiverat in Imperatoris palatium; ubi de Athanaſio infanda commemorans, Synodum Cæſareæ in Palæſtina fieri rogat. Nunquam Conſtantini facilitas mollior extitit (y), quàm cùm turbulentæ ſectæ (à quâ toties deceptus fuerat) denuò conventum, judiciúmque de Athanaſio multis vicibus jam abſoluto indulgeret. Athanaſius ad Synodum vocatus comparere diſtulit, cauſatus judicum hæreſin, odiúmque Euſebii Cæſarcenſis, quo in ſe flagraret; quare Euſebiani novas criminationes inde exſculptas Imperatoris auribus ingerunt, ſcilicet ab uno homine Principis Imperio, & Eccleſiæ paci infeſto turbari fidelium tranquillitatem (z). Conſtantinus uti quietis amans, ita ad ſuſpiciones earum rerum, quæ quieti publicæ adverſari poſſent, facilior, Athanaſium utpote virum contumacem odiſſe cœpit: mitigatus ſubinde Tyrum (Phœniciæ Metropolim) Synodum transfert; hunc enim locum credebat fore, contra cujus Epiſcopum excipere nequaquam poſſet Athanaſius. Advolabant ſexaginta ex variis Provinciis Epiſcopi, quorum maxima pars in Arii dogmata juraverat: Aderant & Meletiani, cum Euſebianis Athanaſii cauſam eatenus diviſuri, ut illi judicum, hi teſtium vicibus fungerentur: ac ne quid ad opprimendam Athanaſii innocentiam deeſſet; à Conſtantino Euſebius ſuetis artibus impetraverat, ut Dionyſius Comes Provinciæ Arii partium ſtudioſiſſimus militari præſidio (quale in Nicæna Synodo nuſquam viſum eſt) Tyrienſes Patres defenderet: ſive potiùs, ut cœtum velut campum Martium ingreſſus, arma ad vim, minas ad terrorem inveheret (a).

(y) Euſeb. V. Conſt. l. 4. c. 54

Euſebiani novam Synodum petunt à Conſtantino contra Athanaſium.

(z) Sozom. l. 2. c. 25. Theodoret. l. 1. c. 26.

A.C. 334.

Synodus Tyrienſis.

(a) Athanaſ. Apol. 2. p. 799. Theodoret. l. 1. c. 28.

51. Tumultuario conventui conjuratorum ſalutem, cauſámque ſuam ſubjicere negabat equidem Athanaſius; ſed ſupremis Conſtantini mandatis adactus, cum ſeptem ſupra quadraginta Ægypti Epiſcopis Tyrum adiit: id quippe Imperatori à moderatore rerum omnium Euſebio perſuaſum fuerat, Dedicationem templi Hieroſolymitani, quam eodem anno peragendam Princeps

A.C. 335.

(b) Euseb. V.Const.l.4. c.41. & 42.

decreverat, piè ac sanctè celebrari non posse (b); nisi controversiis diremptis, Episcopi omnes uno pacis vinculo sociati concordes animos haberent, ad dignum Deo munus in illa solennitate offerendum. Dum Athanasius Concilii locum subibat, non tantùm hic primæ Sedis in Oriente Episcopus à primo subsellio exclusus; sed & sedentibus cæteris reorum more in medio consistere jubebatur. Quod indignum spectaculum ubi ferre oculis non posset S. Potamon Heracleæ in Ægypto Episcopus (c); sermonem zelo incensum in Eusebium Cæsareensem convertit: *Tene*, inquit, *Eusebi, sedere, & innocentem Athanasium à te judicari? Quis ista sustinere possit? Dic sodes, nonne mecum persecutionis tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi, tu nullâ corporis parte mutilatus es, sed vivus integérque consistis. Quânam ratione è custodia evolâsti, vel etiam admisisti?* Amaræ hæ voces Eusebio tantum pudorem injecerunt, ut inter fremitus & minas conspectum tot Patrum fugiens è Synodo discesserit. Sequente die Athanasius palàm testatus est, iniquiùs secum actum iri, siquidem hostium suorum sententiæ exponeretur. Hæc liberiùs dicenti obstrepebant magnis clamoribus Eusebiani, vociferantes, injuriam his turbulentis vocibus Imperatori prudentissimo impingi, qui delectu Patrum sapienter facto formam judicii, optimósque judices constituisset. Ad rescindendam igitur tumultûs invalescentis occasionem ex suorum consilio Athanasius de falsò jactatis criminibus respondere sustinuit. Meletiani primò objectabant (d), Athanasium, pejerantium quorundam auxilio in Episcopi gradum irrepsisse; cathedram subvertisse Episcopalem, Callinicum Episcopum, aliósque vinculis, verberibus, tormentis crudelissimè dilaniâsse. Ista cùm subornati accusatores liberrima inter mendacia fingerent, magnáque fide iniqui Judices audirent; uni tamen crimini altiùs inhærere placuit, scilicet quòd præcipiente eodem Athanasio Macarius poculum mysticum sacrilegâ manu Ischyræ sacris operanti ereptum confregisset (e): in tam immane facinus ut subitò sententiam proferrent, Macarius Diaconus catenis onustus congregatis Patribus sistitur (f). Athanasio adhuc in manibus erat Ischyræ recantantis testimonium, quo ipse Veterator asserebat, ad ejusmodi fabulam con-

(c) Epiph. H. 68. c. 7.

Meletianorum criminationes adversus Athanasium.

(d) Sozom. l.2. c.25. & 27.

(e) Sozom. l.2. c.25.

(f) Athanas. Apol. v.edit. p.728.n.131

concinnandam ſe ab Euſebianis coactum fuiſſe; Alexandrinus proinde Præſul ad præſentem tunc Iſchyram ſe convertens publicum veritatis ſuffragium depoſcebat: verùm verſatilis hic omnium horarum homo pollicitatione amplâ honorum ab Euſebianis illectus ad priorem mentiendi libidinem redierat, effutire jam auſus, ſe Palinodiam ſcripſiſſe, eoquòd Athanaſii verbera, vinculáque timuiſſet. Quantiſcunque inſidiis hæc agerentur; Antiſtiti tamen iniquiſſimè prodito animus adeò non excidit, ut aliâ & planiore viâ falſitatem criminis commonſtraret. Negabat enim verò vas ſacrum eo in loco extitiſſe, ubi id quodam cum ſacrilegio confractum jactaretur: dein Epiſcoporum & Presbyterorum catalogum, quem Meletius poſt Nicænam Synodum Alexandro conſignaverat, exhibens, oſtendit, Iſchyram nusquam inter Sacerdotes numerari: ex quo cùm etiam in confeſſo eſſet, calicem Iſchyræ (qui ſacro in vaſe offerre non poterat) perperam ſubtractum dici; ſilentium Athanaſio clamore Arianorum, & Comitis Dionyſii minis impoſitum eſt. Diſſoluto conventu eò artes Factioſi conferebant, ut aliunde ſcilicet ex Mareotide (loco in Alexandrinâ Diœceſi ſito, ubi ſacrilegium perpetratum fingebatur) majus periculum accuſatis conſciſceretur: repugnantibus integerrimis quibusque Ægypti Epiſcopis (*80), deligebantur peſſimi Athanaſii oſores, nimirum Theognius, Maris, Theodorus, Macedonius, Urſacius & Valens, ut legationis nomine ex Mareotidis incolis de facinore propiùs cognoſcerent. Antequam verò Tyro arbitri abirent; veredarios præmiſêre, qui Meletianorum acerbam turbam, nec non Colluthianos

Defenſio Athanaſii.

Novæ Machinationes Euſebianorum.

(* 80.) Apud ATHANASIUM Apol. 1. n. edit. p. 194. conteſtati ſunt 49. Epiſcopi Ægypti ad Patres Synodi: „*Rogamus in Dei timore in mente ſuſcepto improbantes, quod clam nobis, quos libuerit, miſerint, non ſubſcribatis, ne quæ illi inter ſe machinantur, hæc quaſi à vobis geſta prædicent. . . . Par erat (ſiquidem legati in Mareotem fuere mittendi) nos etiam intereſſe huic negotio, ut inimicos Eccleſiæ confutare, extraneósque indicare poſſemus, ac eo modo ſincerè cauſæ disquiſitio haberetur. Scitis enim Euſebianos dolo uſos epiſtolam tradidiſſe quaſi à Colluthianis, Meletianis, & Arianis adversùm nos ſcriptam. Palámque eſt illos, utpote Catholicæ Eccleſiæ hoſtes, nihil vere de nobis, ſed omnia adverſa deferre. Lex autem Dei inimicum vetat vel teſtem eſſe, vel judicem. Reliquum eſt, ut tanquam in die judicii rationem reddituri, hoc accepto teſtimonio, agnitáque conſpiratione in nos conſlatâ, quantumvis rogati, quidvis contra nos agere caveatis.*

nos (*81) & Ariomaritas de proferenda testimoniorum ratione callidè instructos conveherent. Quibus peractis Legati cum militari præsidio, acceptísque ad Præfectum Ægypti Philagrium literis, in Mareotidem profecti sunt.

52. Macarius Diaconus intereà Tyri arctæ custodiæ inclusus servabatur, atque in Athanasium novæ machinationes, ne tempus ab injuriis vacuum esset, procudebantur (g). Muliercula primùm ad Concilii locum admissa est, quæ consciis Eusebianis judicum opem inclamabat adversus Athanasium, qui à se hospitio susceptus aliud beneficio factum non retulerit, quàm ut sibi pudorem nefastâ vi eriperet. Conticescente Athanasio (nam de laqueo isto ab amicis præmonitus fuerat) Timotheus Presbyter Præsulem se simulans, scortum adoritur in hæc verba profatus: Ego enim tecum aliquando confabulatus sum mulier, aut in ædes tuas unquam ingressus? Tunc illa multò impudentiùs clamore sublato, intentísque in Timotheum digitis vociferabatur: Tu virginitatem mihi omnino abstulisti, simúlque tempus & locum flagitii designans, non sine adstantiùm risu, & pudore eorum, qui fabulæ authores erant, explosa est. Athanasius licèt patefactâ mulieris fraude fabricatores calumniæ inquiri vellet; judices tamen insidiarum & ipsi conscientiâ graves, fœminam protinus dimiserunt, id causati, quod adhuc pejora essent crimina, pro quibus Athanasio respondere necesse foret. Resumpta igitur altero loco est quæstio de occiso Arsenio: in quâ causa expedienda non tam Athanasius, quàm Adversarii loborabant; cùm enim certis testibus Imperatori compertum esset de vita Arsenii; Accusatoribus, (quoniam id urgebat Athanasius) ostendere incumbebat, quâ fronte tantum crimen disseminâssent (h). Illi contrà defensionis loco novum mendacium afferentes criminabantur, Plausianum Episcopum ex Athanasii præscripto in domum Arsenii ignem conjecisse; dein eundem post diram verberum laniénam

(g) Rufin. l. 1. c. 17. Sozom. l. 2. c. 25. Theodoret. l. 1. c. 28.

Calumniam Mulierculæ Athanasio impactam dissipat Timotheus.

(h) Sozom. l. 2. c. 25.

(* 81.) *Colluthiani* à Collutho Alexandrinæ Ecclesiæ Presbytero dicti; qui sibi Episcopale munus arrogans, nonnullos ordinare ausus est; & inter alios Ischyram, famosum illum Athanasii calumniatorem: docueret hic homo erroneus, Deum non esse authorem malorum naturæ & pœnæ, ut habet PHILASTRIUS l. de Hæres. c. 31.

nam inclusisse ergastulo, ex quo quia fugâ dilapsus, nec longo tempore inde visus esset; suspicionem meritò injecisse multis, quod crudelitati Athanasii succubuerit. Dolus igitur cùm ex dolo, & convitium ex convitio necteretur; ii, qui ex Imperatoris mandato ad prohibendas à Synodo turbas constituti fuerant, subducendum ex loco Concilii Athanasium judicârunt: ne, ut in seditionum æstu solet, furiosi tandem in virum sanctum insilientes, parricidio conventum funestarent (i). Athanasio Constantinopolim ad Imperatoris implorandam opem secedente, cæteri Ægypti, & integræ conscientiæ Patres id quoque à Dionysio comite, sed in cassum impetrare adnitebantur: nempe ut supremum hac in re judicium Constantino relinqueretur.

(i) Athanas. Apol. adv. Ar. p. 198. n. e.

53. Dum Tyri Athanasius hunc in modum exagitabatur; Mareotem legati advenerant, ad criminationum ampliorem materiam vestigandam (k). Clericis (quos præsenti in causa audiri maximè oportuisset) exclusis, ii duntaxat arbitri, testésque adhibebantur, qui vulneratam conscientiam, aut insitum animo errorem circumferebant; nam Ischyras à suis mendaciis infamis Veterator, & Philagrius Ægypti præfectus Apostata, atque ipsi adeò Ethnici judicii, testimoniíque partes habebant. Coram his de calice, mensa, déque iis Mysteriis acerba quæstio instituebatur, quæ nec commemorare, nedum aspicienda exhibere præsentibus Catechumenis licuisset. Tumultuaria actio Clericis Alexandrinis, & propè Mareotem habitantibus ita displicuit; ut scriptis literis Ischyræ nequitiam, integritatémque Athanasii palàm confiterentur: hujus tamen suffragii aliam mercedem non abstulerunt, quàm verberum cruciatus; aliásque Virgineo ordini illatas injurias, quas pudor horret meminisse. Legati hâc omni arte suâ, ac vi nihil elicuerunt, quod ad Athanasii proscriptionem momenti aliquid afferret; nam inter medios turbulenti judicii tumultus id testatum fecêre plurimi, Ischyram eo tempore ægrum decubuisse, quo Macarius Mareotem venisset, & quoniam tunc minimè sacra ac Dominica dies agebatur, liturgiam celebrare utì de more non erat; sic perperam dici profitebantur, quod Macarius sacrum legenti Ischyræ calicem abstulerit, aut confregerit. Ex crimine igitur cùm Athanasius condemnari non posset, spontè insa-

(k) Idem l. c. p. 135. & 189. n. e.

Acta in Mareotide contra Athanasium.

(l) Socrat. l. 1. c. 32. Sozom. l. 2. c. 25.

Sententia Tyriensis Conciliabuli adversus Athanasium.

insanientium voluntate interiit (l). Reversi quippe legati unà cum cæteris perversis arbitris virum Sanctissimum seditionis, violentiæ in Episcopos, homicidii, sacrilegii & magicarum præstigiarum insimulant: & utì jactabant, convictum protinus urbe Alexandrinâ, atque Præsulis gradu ejiciunt; datis insuper ad Imperatorem, aliósque Episcopos literis, queis monebant, proscripto homini obedientiam non minùs, quam vitæ communionem negari oportere: fulmine contra Athanasium emisso Ischyræ & Arsenio proditionis tam nefastæ præmia persoluta sunt; nam huic inter Episcopos judices sententiæ decretoriæ subscribere licuit: Ischyræ autem (licet sacerdotio careret) ad Episcopatum ridiculo saltu ascendere concessum est (m). Insolens profectò cæcæ malitiæ exemplum, quod posteà sæpius frequentatum est, quando hæresis odio & vindictæ sociata, crudelitatis & injustitiæ immania monstra non semel parturivit.

(m) Athanas. in Apol. cit. p. 200. n. e.

54. Confederant adhuc dum in Consilio Malignantium fidei & æquitatis omnis prævaricatores, jámque id contendebant, ut submoto ab Ecclesiæ atrio fortissimo custode Athanasio, Arius in sacra adyta induceretur; tum Marianus ab Imperatore missus nuntius negotium iniquitatis interrumpit (n): jubebat enim singulos confestim advolare ad dedicationem Ecclesiæ, quam Hierosolymis in resurrectionis Dominicæ honorem Constantinus extrui curaverat. Digressi igitur Tyro, Hierosolymámque publico cursu tendentes, plures ibidem invenêre Episcopos, variósque ex omni ordine viros, quos Imperator ad festivitatem evocaverat. Ab Eleemosynarum largitionibus exordia facta sunt, pauperibúsque distributæ vestes, nequis esset, qui lacerâ veste tectus splendorem solennitatis obscuraret. Dein ad consecrationem templi, & vasorum deventum est: cæterum per diem, inaugurationi sacram, nulla hora fuit, quæ non specialibus Episcoporum functionibus illustraretur; nam alii pro concione dicere, alii sacrorum voluminum arcanas lectiones interpretari, aut Theologicis dogmatis pascere populum, alii demum queis tenuior disciplinarum facultas erat, incruentis Sacrificiis & Mysticis immolationibus placare Deum, ac offerre preces pro Imperatore, qui tricesimum ab adito regno annum eodem tempore celebrabat.

(n) Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 43. 44. & 45.

Dedicatio Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Spe-

Spectaculi hujus Majestas gloriosa admodum Ecclesiæ fuisset, nisi publicæ lætitiæ finem tristior & funestus fidei eventus excepisset (o). Arii Patroni, qui Tyri jam eidem Hæretico patefacere Ecclesiæ septa studuerant, celebritate dedicationis peractâ de restitutione hominis abscissi curiosiùs meditantur: scripserat enim Arius formulam fidei eâ methodo, quæ cùm cunctos falleret, tum Constantinum unà cum Palæstinæ Episcopis ita deluserat, ut Veteratorem palinodiæ causâ amatum amplexi, aliis eundem epistolis etiam commendarent: has igitur literas, formulámque congregatis tunc Hierosolymæ Episcopis Eusebiani magna inter encomia ostentant, atque ita abripiunt omnium animos, ut Ario in Ecclesia dare locum nullus reformidaret.

(o) Sozom. l. 2. c. 27.

Eusebiani Arium in communionem palam recipiunt.

55. S. Athanasius intereà Constantinopolim profectus Imperatoris poscebat alloquium: sed Presbyter ille, quem Constantia palatio fratris invexerat, veritus, ne ab Athanasio Eusebianorum fraudes proferrentur in lucem; Præsulem à conspectu Principis longiùs submovit. Quare aliâ industriâ ad Constantinum aditus reserandus erat (p): equitante ad urbis portas Imperatore, Athanasius per mediam stipatorum turbam sese inferens, opem contra vim, injuriásque inclamat. Constantinus audax viri, sibi (ut credebat) ignoti facinus primò amaro gestu despectat; dein ubi noverat Athanasium esse, irascenti similis, & odio illo quod Eusebiani contra Præsulem in Principis animo incenderant, permotus, quin verbum clamanti reponeret, iter prosequitur. Tum enimverò vir sanctus altiore voce abeuntis conatum suspendens, ac vultu magis forti, quàm supplici Constantinum affatur: Nolit eam, quam cunctis mortalibus Princeps Christianus deberet, Justitiam Præsuli afflicto, & liberè pro salute suâ pugnanti negare; instituti sui non esse, ut precibus his favores insolitos ab Augusto eliciat, sed ut coram adversariis suis (quod miserrimis etiam licet) fraudes eorum, quibus divinis, humanísque juribus illusissent, palàm exponat. Libertas ejusmodi emollivit adeò Principem, ut palatium subeundi, ibique privato alloquio suas calamitates in sinum Imperatoris effundendi, copiam Athanasio faceret. Constantinus igitur auditis iis, quæ Tyri Tumultuariò peracta essent, quantocyus Episcopos & fraudum fabricatores

(p) Epist. Const. ad PP. Synodi Tyriensis apud Athanas. in Apol. cit.

Athanasius apud Constantinum causam suam agit.

(q)Athanas. Apol. adv. Ar. n. e. p. 201. literis Constantinopolim evocat, in hæc verba perscribens (q): sibi omnino Constitutum esse in animo, efficere, ut sacra Concilii Nicæni decreta inviolatè observentur, & latentes exterminentur Ecclesiæ inimici, qui sub specie Sanctitatis errores & blasphemias suas occultant. Verba hæc Episcopos facinorum suorum conscios non parùm perterruerunt: Eusebius ut trepidantibus animos redderet; aliis, quo minus Imperatorem adirent, prohibitis, ipse cum iis duntaxat Constantinopolim movere constituit, qui in malitiam magis frontem obduràssent: erant hi Theognis, Patrophilus, Ursacius & Valens, quibus se adjunxit Eusebius Cæsareensis, hoc tempore maximè opportunus comes negotiorum; nam

A. Æ. C. 335. ubi ad palatium pervenissent, & Trecennalium solennitas adhuc celebraretur; ab eodem Eusebio (qui Nicææ ante decennium præsente universâ Synodo laudes Constantini prædicaverat) nunc quoque amplissima oratio recitata est (r). Eloquentia viri, tum dictionis argumentum Principem (s) magnoperè rapuêre, quare nullus dubitabat, quin Eusebiani conciliato Constantini favore faciliùs Athanasium essent subacturi. Annum trecentesimum trigesimum quintum conclusit obitus Sylvestri Pontificis, postquam sedisset super annos viginti & unum, mensibus undecim: confirmavit acta Synodi Arelatensis, quibus Donatistarum furor frangebatur; nec minorem posteà fortitudinem, sapientiámque adhibuit in proscribenda Arii hæresi, cui in Nicæno Concilio per suos legatos primum, eúmque fatalem ictum infligi jussit. Sunt equidem, qui ab eodem Sylvestro Baptizatum Constantinum; atque ideo eidem Pontifici amplissimam donationem Occidentalis Principatûs obtigisse evulgârint: monumenta tamen, quibus nituntur, talia esse cum pluribus fateamur necesse est, quæ apud posteros fidem haudquaquam merentur (t).

(r) Euseb. Or. de Laud. Const.
(s) Euseb. V. Const. L. 4. c. 46.
Mors Sylvestri.
(t) Vide Refl. ad C. I. L. IV.

A. Æ. C. 336. 56. Postquàm trigesima primâ Decembris ad laborum mercedem è vivis abierat Sylvester (u); sub sequentis anni initium Cathedram Romanam obtinuit S. MARCUS Romanus. Prima sub hoc Pontifice mentio fit de Pallio, quod posteà Patriarchis & Archiepiscopis ab Apostolicâ sede dispensatum est: sicut enim Liber Pontificalis refert; à Marco institutum perhibetur, *ut Episcopus*

(u) Hieron. in Chron. Catalog. Damasi apud Pagi.
S. Marcus Pontifex.

ſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum urbis (*82), *pallio uteretur.* Clavum nactus hic Pontifex vidit & doluit ſe in eam incidiſſe ætatem, quâ profligatis optimis quibusque ab Oriente Epiſcopis, Eccleſiæ earum Provinciarum Arianis, id eſt lupis diſcerpendæ objicerentur. Stabant jam ad Imperatoris tribunal vocati Tyro Epiſcopi: atque ut præteritorum ſuorum criminum memoriam Principi eriperent; novum adverſus Athanaſium confinxêre facinus, quo uno mentem Conſtantini obruendam credebant. Euſebius nimirum cæterorum nomine criminabatur, Alexandrini Præſulis turbulenti, & legum impatientis ingenium ex eo ſatis dignoſci, quòd minatus ſit, ſe impediturum, quo minus naves ex Ægypto frumentum Conſtantinopolim deinceps adveherent (x): teſtes interceptorum navigiorum proferebantur ii, qui minimè debebant, ſcilicet Epiſcopi quinque, qui Tyri cauſam Athanaſii defenderant; ſed jam Euſebianorum artibus corrupti ex amicis evaſerant hoſtes. Conſtantinus amori ſuo erga urbem ſuam fame preſſam plus tribuens, quàm æquitas poſtularet; Athanaſium, quin defenſioni locum daret, Treviros Galliarum relegat (y). Excepit omni humanitatis genere exulem in regia illa Cæſarum ſede tum Maximinus Epiſcopus, tum Conſtantinus Junior, quorum beneficiis S. Athanaſius id rependit, ut genuinam de Chriſti divinitate doctrinam vicinis populis inculcaret (*83).

(x) Athanaſ. in Apol. cit.

Athanaſius relegatur in exilium.

(y) v. Bucherium in B. R. l. IX. c. 2. n. 10.

(* 82.) PAGIUS in Breviario PP. T. I. p. 84. n. 4. hìc notat: „*Primus, quem ſciamus, ex Epiſcopis, hoc honore affectus, ut pallio uteretur eſt Epiſcopus Oſtienſis, qui illud à Papa Marco accepit. Pallium enim ſolis Patriarchis, & Archiepiſcopis competit: illud tamen poſteà Romani Pontifices aliis Epiſcopis conceſſerunt.* Sed de Pallio ejúsque origine nos alibi plura dicemus. Præterea idem Author n. 3. obſervat, CIACONIUS *in Leone II.*, & SIGONIUS *in Hiſtoria de regno Italiæ ad annum* 682. *ſcribit, Oſtienſem Epiſcopum ſolum fuiſſe Epiſcopi Romani Conſecratorem, usque ad Leonem II., qui à tribus Epiſcopis, Oſtienſi ſcilicet, Portuenſi & Veliternenſi ordinatus eſt; ſed in ejusdem Leonis Pontificatu oſtendemus, Romanos Pontifices à tribus Epiſcopis ſemper ordinatos fuiſſe, inter quos primum locum obtinebat Oſtienſis, ſecundum Portuenſis, tertium Albanenſis: licèt enim tam Leo II., quàm Joannes V. ordinati fuerint ab Oſtienſi, Portuenſi, & Veliternenſi Epiſcopis; Veliternenſis tamen non erat unus ex Conſecratoribus ordinariis: ſed ideo tunc Oſtienſi, & Portuenſi additus, quia (ut ait Anaſtaſius in Leone II.) vacabat ſedes Albanenſis.*

(* 83.) BUCHERIUS in Belgio Rom. L. IX. C. II. n. 11. notat, quod falsò jactetur ab aliquibus, Athanaſium, cùm exularet Treviris, in puteo latitâſſe, ibidémque celebre illud de Trinitate Symbolum, (quod vulgò *Symbolum Athanaſii* dicitur) conſcripſiſ-

57. Proſcriptio Athanaſii ubi primum Alexandriæ, ac per Ægyptum percrebuit; ingens omnium comploratio Virginum, Presbyterorum, ac omnium ordinum facta eſt. Quid quod magnus ille Antonius, qui Arii dogmata palàm aliàs deteſtatus fuerat (z), literis ad Conſtantinum datis rogavit, ut Paſtor legitimus gregi redderetur (a): verùm altiùs calumniæ Euſebianorum Imperatoris animo inſederant, quàm ut ſolitarii cujúsque precibus cederet; reponebat enim Antonio, conſenſionem tot Epiſcoporum ſibi argumento eſſe, ut crederet, nil perperam in Athanaſium ſtatui: Alexandriæ contrà civibus acerbiùs comminabatur, niſi à motibus, quos molirentur, conquieſcerent; atrociùs cum illis, quàm cum eorum exule Epiſcopo actum iri. Gratiâ igitur Principis ubi ſe valere Euſebiani viderant; optimos quosque Antiſtites

(z) Athan. in V. Antonii n. 69.
(a) Sozom. l. 2. c. 1.
S. Antonius, unà cum aliis fruſtra agit de reſtituendo Athanaſio.

ſcripſiſſe; videtúrque Bucherio veroſimile id, quod Baronius aſſerit, Symbolum illud ab Athanaſio Romæ eſſe concinnatum. Alii non de loco, ſed de reipſa diſputant, ſitne hoc Symbolum verè Athanaſio tribuendum? AFFIRMANTIUM argumenta ſunt 1. quia Auguſtodunenſis in Gallia Synodus ſub S. Leodegario Epiſcopo habita a. 670. hunc Canonem edidit: *Si quis Presbyter; Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod ſancto inſpirante ſpiritu Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* 2. Concilium Tolet. IV. c. 1. ex hoc Symbolo quædam profert c. 1. ut habetur apud Harduin. Tom. III. CC. p. 578. & 579. 3. Theodulphus quoque Aurelianenſis Epiſcopus, qui octavo Chriſti ſæculo vixit, in libro de *Spiritu S.* multa ex eodem Symbolo deſumit, ipſúmque Athanaſio tribuit. Atque ut alios omittamus, quos videre licet in Diatriba, quam ad Symbolum *Quicunque* compoſuerunt Monachi S. Benedicti è Congreg. S. Mauri, & habetur in Tom. II operum S. Athanaſii p. 719; clauſulæ ſaltem loco addimus Eugenium IV Pontificem, qui in *decreto de unione Armenorum* 1439. *compendioſam illam fidei regulam per beatiſſimum Athanaſium editam* commemorat. NEGANTIUM contra Argumenta ſunt 1. quia in antiquis MSS. operum Athanaſii non reperitur; nec ante ſeptimum ſæculum ſive Synodum Auguſtodunenſem hujus Symboli facta eſt mentio. 2. Deſideratur ibidem vox Conſubſtantialis, cujus, ut teſſeræ Catholicitatis acerrimus defenſor erat Athanaſius, adeo, ut formulas improbaret, quæ *homouſion* non haberent. 3. Athanaſius Patres Sardicenſes laudat, quod ſanciverint, ut nullum porrò reſcriptum de fide aut Profeſſio fidei ederetur; eoquòd ſufficeret fides Nicæna, ejusque Symbolum. Nam è contrario hoſtes fidei occaſionem inde captare poſſent, criminandi, quaſi Profeſſio Nicænæ fidei imperfecta foret: ex his pronum eſt inferre ab Athanaſio, niſi ſuis dictis adverſari voluiſſet, nullum Symbolum fuiſſe conſcriptum. 4. Si tempore S. Cyrilli Alexandrini, Epheſinæ Synodi aut Chalcedonenſis, Symbolum Athanaſii extitiſſet; facillimum fuiſſet ex eo tela validiſſima proferre contra Neſtorium, & Eutychetem. Plures rationes vide apud NATALEM ALEXANDRUM in Hiſt. Sæcul. IV. c. 6. p. 110. His ſuppoſitis quæritur porrò: quinam ergo author extiterit hujus Symboli? nos ei ſententiæ ſubſcribimus, quæ id opus tribuit VIGILIO TAPSENSI, qui ſua adverſus Hæreticos ſcripta, Patrum & præſertim Athanaſii nominibus inſcripſit, eóque vivebat tempore, quo Neſtoriana hæreſis, uti & Eutychiana graſſabantur, plura de hoc vide apud *Natalem* l. c. p. 111.

tistites & præcipuè Marcellum Ancyræ Episcopum, collatis sententiis subruendos putavêre. His tandem quâcunque de causâ ejectis, Arium triumphantium in morem in Ecclesiam adducere allaborârunt. Venerat is primùm Alexandriam, etiam cum strepitu & vi intra gregem communionem quæsiturus: sed populi obluctantis impetus tam insolens fuit, ut homo, ne penitus à plebe furente discerperetur, Constantinopolim ex consilio Eusebii adiret (b). In regia urbe Constantinum, cui de ejus errore non vana suspicio adhuc insita erat, placare studuit, per jusjurandum fidem asserendo, quàm Nicæni Patres definiissent. Confessione ad speciem & non sine dolo editâ, nil obstare ampliùs factiosi existimârunt, quo minus in Ecclesia Alexandri Antistitis Arius deinceps Synaxi frueretur. Vir sanctus utùt obniteretur, provocans ad Nicænorum Patrum sententiam; ab Eusebianis percellitur, qui eidem occurrentes ex mandato Principis denuntiabant Dominicam sive sequentem diem fore, quâ Arius ejusdem Ecclesiam subiret (c). Alexander in omnem partem sese versans, tandem indictis pro depellendo malo jejuniis, precibúsque, ipse Irenem Ecclesiam ingreditur, fusúsque humi inter lachrymas & gemitus precatur, ut sibi priùs vivis exire, quàm Hæresiarchæ septa Ecclesiæ adire liceat: durius sibi omni morte futurum hoc opprobrium, quo impietas intra piissimas aras habitet, & Mysteria ante porcos projiciantur (d). Dum fideles, & omnium nomine Alexander multò ardentiùs cælitum opem implorabat; Arius Eusebianorum nixus præsidio, eâdem die multa nugabatur, Alexandro potissimùm insultans, quòd ejus ingratiis sacra tecta triumphantis in morem esset ingressurus. Sub vesperam comitantibus Eusebianis urbis plateas obambulans, cùm foro Constantini propinquaret; velut naturæ necessitati obsecundaturus ad latrinas secedit: sed dum alvum exonerat; crepat medius, ac intestinis cum hepate ac splene profluentibus repentè extinguitur, non jam communione tantùm sed & vitâ destitutus. Eventus ejusmodi Eusebianos pudore, lætitiâ orthodoxos affecit; atque hi quidem exitio unius hominis gaudebant, simul Hæresiarchæ dogma, & perjurium condemnatum, simúlque Catholicorum fidem cœlesti prodigio approbatam videri.

(b) Athan. epist. ad Serap. n. e. p. 340.

Alexander resistit Arianis, ne Arium in Ecclesiam introducant.

(c) Socrat. l. 1. c. 25. Sozom. l. 2. c. 28.

(d) Athan. ep. ad Serap. l. c.

Arii funesta & repentina mors.

 58. Quàm

Mors Marci Pontificis. A. Æ. C. 337.

58. Quàm turpe Arii fatum in totius orbis oculis erat; tam honorifica mors Pontificis Marci extitit, qui octo mensium tempore exacto defunctus, post modici intervalli vacuitatem viro fortissimo, & ad omnes Hæreticorum machinationes intrepido, scilicet JULIO Romanum clavum reliquit. Sub Pontificis hujus Primordia non pauci Ario ejurato ad frugem rediêre: & de Constantino spes erat, fore, ut quemadmodum rectam fidem animo fuisset complexus; ita Arii detestandâ morte nunc admonitus, factiosorum tandem turbam palatio, ac favore prorsus ejiceret: verùm Eusebius artificio quodam simulatæ pietatis, ac religionis Principem ita intra casses tenuit; ut cùm paulò post Constantinus è vivis decedere pararet, adhucdum intra hujus, aliorúmque Arianorum consuetudinem velut arctissimum nexum devinctus hæreret (e). Moriturus quippe Presbytero, qui hucusque hæreticorum in aula Patrocinium gesserat, tabulas ultimas dedit, natu majori filio Constantio tradendas; ex quo beneficio id, quod Pius Princeps nunquam potuit voluisse, evenit, nempe ut Hæretici non tantùm Constantino vivente, sed & mortuo ad Catholicorum perniciem in Palatio Augustorum regnarent.

Pontifex Julius.

(e) Socrat. l. 2. c. 26.

Constantinus tradit Ariano testamentum.

§. II. *Defectio Constantii ad Arii sectam, Athanasii restitutio, Translatio Eusebii Nicomediensis ad Ecclesiam Constantinopolitanam. Synodus Antiochena, Georgii Cappadocis sævities & violenta usurpatio Alexandrinæ sedis: SS. Antonii, & Pauli vita Ascetica, propagatio Monastici instituti in Occidentem:* JULII *Pontificis res gestæ pro Athanasio: vexatio Christianorum in Persia: Synodus Antiochena, Sardicensis, Carthaginiensis I, Sirmiensis, Mediolanensis, Ariminensis & Seleuciensis: Athanasii, Eusebii Vercellensis, Hilarii Pictaviensis &* LIBERII *Pontificis exilia: Felicis Antipapatus: Prævaricatio Hosii, & Liberii PP imbecillitas: S. Martini Turonensis initia: Hæreses Aëtii, Eunomii, & Macedonii: Schisma inter Meletianos & Eustathianos.*

1. POst excessum Constantini inter filios Augustos non tam Imperii, quàm etiam Ecclesiæ aperta Divisio facta est; nam quas in Occidente & Illyrico Provincias Constantinus & Constans sortiti fuerant, hæ ex Nicænorum Patrum præscripto genuinam fidem

fidem tuebantur: at Constantinopolis, Thracia, Ægyptus cum toto Oriente (quanta nimirum portio Constantio accesserat) in fœdam Arii hæresin prolapsæ à vera Ecclesia sese disjunxerunt. Funestissimæ Divisionis fundamenta ab Eusebio Nicomediensi jacta sunt; is enim à Constantino nihil amplius metuens & Constantii ingenio versatili plurimùm confisus, liberiore audaciâ in id incubuit, ut exterminatâ Consubstantialis voce, ac fide, opinio Arii stabiliretur: & quoniam à summis ad ima faciliùs error devolvitur (a); Presbyteri (b), qui ob traditas Patris Constantini tabulas Constantio in amoribus erat, sacrilegam operam conducit. Hujus proinde studio primò actum est, ut Eusebio regii cubiculi præposito, dein Eunuchorum potenti turbæ Arii dogma ingereretur (c); inde Gynecæo ad eandem impietatem erudito, Augustam demum ipsam pervertit (d). Per hos gradus ubi prorepserat vitium; Constantio persuasum est, ut constitutis utriusque partis disceptationibus, ad ea, quæ similiora vero perspecturus esset, adverteret animum. Quamprimùm igitur Imperator auditis Arianorum sophismatis dubius esse cœpit; Catholicus esse desiit. A Palatio in urbem, & tandem in Provincias disputandi libido prolata est: in circulis atque mulierculum conventibus nequidem sibi à quæstionibus fidei agitandis temperabant, dúmque alii causam tumultûs percontabantur; in idem bellum, cadendique periculum spontè ruebant (e).

Sub Constantini filiis varia in variis Imperii Provinciis Religio.

(a) Socrat. l. c. c. 2.
(b) Rufin. l. 1. c. 11. Theodoret. l. 2. c. 2.
(c) Gregor. Naz. or. 23.
(d) Athan. ad solit. p. 834. §. 35.

Constantius quâ ratione deductus sit ad Arii sectam.

(e) Sozom. l. 2. c. 1.

2. Fervente altercantium, & deficientium insaniâ, Eusebius id porrò cavendum duxerat, ne Athanasio unquam ad Alexandrinam Ecclesiam reditus pateret; non enim Arii errorem eo, quo nunc loco esset, constaturum credebat, siquidem fortissimus orthodoxorum Antesignanus in Ægyptum reversus molitiones illas disjiceret, quas longo labore Eusebius cum suis construxisset (f). Sed cum Consilia hæc aguntur; Athanasius jam aderat cum Constantini Junioris literis (g), quibus Alexandrini monebantur, ut virum (quem ipse Augustus exulem Treviris quatuor mensibus ac duobus annis veneratione summâ fuisset complexus) tantò majoribus obsequiis exciperent, quantò ardentiùs Constantinus Pater tantum Præsulem unà cum cæteris Episcopis restituendum præceperit. Redeunti proinde Athanasio dum Clerus, popu-

A. Æ. C. 338.

(f) Theod. l. 2. c. 1.

S. Athanasii reditus ex Trevirensi exilio.

(g) Athanas. Apol. 2. adv. Ar. n. e. p. 203.

(h) Sozom. l. 3. c. 2. Theodoret. l. 2. c. 2.

Motus Eusebianorum contra Athanasium.

(i) Theod. l. 2. c. 3. Socrat. l. 2. c. 2.

(k) Athan. ad Solit.

A. Æ. C. 339.

populúsque ingenti lætantium animorum significatione occurrit; Eusebius dolore adustus in tumultum concitat asseclas (h), quibus seditioso strepitu cuncta perturbantibus, ipse cum Theognio Nicææ, & Theodoro Perinthi Episcopis ad Constantium provolat, ostensurus Principi, pacem Ægypti convulsum iri adventu unius hominis, qui Tyri à Patribus depositus, contra Ecclesiasticas leges suo arbitratu & absque Episcoporum judicio sedem Alexandrinam invadere auderet (i): crebras tumultuantium voces, esse signa communis odii, tum præcipuè gemitus viduarum, quibus frumentum distribuendum paulò ante clepsisset (k). Constantius etsi minimè faveret Athanasio; puduit tamen aut timuit contra Patris ultimam voluntatem ejicere eum, cujus proscriptio iterata sine magna fratrum Augustorum offensa fieri haud posset: Consiliis collatis è re visum est judicium deferre Julio Pontifici, ad quem confestim legati Macarius Presbyter Hesychius & Martyrius Diaconi unà cum accusationum monumentis mittebantur (l). Hi ubi Romam pervenerant, commendare suorum fidem, atque Athanasium infandis onerare criminibus instituunt; sed vix telam mendaciorum absolverant, in tempore Presbyteri Alexandrini Præsulis adsunt, qui confutatis iis, quæ falsò objecta fuerant, Episcopos motuum ejusmodi Architectos hæresis, aliorúmque criminum accusant: duo legati Diaconi (nam tertius Presbyter causæ diffidens suæ noctu profugerat) cùm non haberent, unde ea, quæ ab Athanasii Presbyteris palàm oggerebantur, diluerent, ad avertendam aut prorogandam sacri fulminis vim Synodum Romæ cogi, simúlque literis tum Eusebianos, tum Athanasium evocari postulant, quo in cœtu clariùs commonstratum iri dicebant, quod à duobus in medium satis afferri vix posset. Accepit conditionem Pontifex & epistolis missis Episcopos utriusque partis ad solennem conventum accersit.

(l) Athanas. Apol. 2. ex lit. Jul.

Causa Athanasii apud Julium Pontificem agitur.

A. Æ. C. 340.

(m) Socrat. l. 2. c. 4. Sozom. l. 3. c. 2.

(n) Sozom. l. 3. c. 3.

3. Dum Eusebianorum Emissarii ad suos remeant; mors duos Orientalium Ecclesiarum Episcopos humanâ vitâ exemit scilicet Eusebium Cæsareæ (m), & Alexandrum Constantinopolis Antistites (n): vixerant virtute ac fide planè dissimiles; nam ille ad tempus, vel ut aliqui volunt, perpetuus Arii Patronus

nus (* 1): hic Hæresiarchæ ejusdem per viginti & tres annos, quibus urbi regiæ præfuit, hostis acerrimus. Eusebii memoriam ob evulgatos libros colit literarius orbis; at Alexandri sanctimoniam Universalis Ecclesia meliore cultu veneratur (o). Et quanquam viri hujus piissimi studium gregem pacis vinculo colligare nunquam non laborârit; accidit tamen, ut paucis ante mortem prolatis verbis (quod minimè cupiebat) Ecclesiam in diversas traheret partes. Migraturus nimirum ex vita interrogantibus Clericis, quem deinceps ovili præficiendum censeret? reponebat (p): sin hominem ad agendas cum judicibus causas idoneum desideratis, potior erit Macedonius Diaconus: si contrà virum pietate præditum, quíque vos in rebus divinis probè instruat, Paulum Presbyterum habetis. Anceps Præsulis responsio contentione non unâ populum distraxit; nam iis, qui homousion profitebantur, Paulo: aliis è diverso, qui Arium sequebantur, Macedonio vota deferentibus, controversiarum non parva sementis fuit, dum mortuo Alexandro Paulus licet junior suffragantium multitudine palmam alteri præriperet (q). Imperator Constantius belli causâ aberat, cùm Paulus Constantinopolis Præsul initiaretur: quamprimùm igitur ad urbem revertitur; Eusebius Principi invidiosiùs exponit, ejus injuriâ factum, ut ingratus tantoperè Præsul absque Episcoporum vicinorum consensione obtruderetur (r). Non erat, cur pluribus frementem jam Principem ad amandandum urbe Paulum impelleret; quin Eusebius suæ malitiæ hoc præmium denuò tulit, ut viro sacri Connubii lege jam ligato à sponsa Nicomediensi, ad Constantinopolitanam Ecclesiam (iterato adversus præscripta canonum crimine) migrare daretur.

Mors Eusebii Cæsareensis & Alexandri Constantinopol.

(o) Martyr. d. 28. Aug.

(p) Socrat. l. 2. c. 5.

Paulus Catholicus surrogatur Alexandro & paulò post ejicitur à Constantio.

(q) Sozom. l. 3. c. 3.

(r) Athanas. ad solit.

A. Æ. C. 341.

4. Eu-

(* 1.) PAGIUS ad a. 325. §. 32. ait: „Certum quidem *Eusebium* Cæsareensem Episcopum ante Synodum Nicænam ad Arianos, in Synodo autem ad Orthodoxos accessisse, ut doctè ostendit HANKIUS in Lib. de Byzant. rerum Scriptoribus Græcis P. I. c. 1. *à num. 76. ad 99. sed prorsus incertum, an Arianis*, vel Orthodoxis annumerandus sit. Hankius ab eo numero ad 146. refert Auctorum antiquorum loca, qui eum post Concilium Nicænum *tam orthodoxis, quàm Arianis adscribunt*; tandémque concludit, *viâ tutissimâ videri illos incedere*, qui post Synodum Nicænam Eusebium Arianum fuisse, *neque negantibus*, neque *affirmantibus accedentes*, judicium suum suspendunt. *Tot ambagibus hæc quæstio intricata est.*„ Nos de hoc argumento plura dicemus infra in Reflexione de Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculi IV.

Eusebius Episcopus Constantinopol.

4. Eusebius ubi altiore ex specula Orientem despectabat, eò mentem, virésque applicuit, ut quo exitio Paulum perdidisset, eodem Athanasium affligeret. Tempus his consiliis opportunum dedêre Encœnia Ecclesiæ Antiochenæ, quæ ante decimum annum à Constantino cœpta; nunc à Constantio ad absolutionem deducta, sacrum Episcoporum cœtum exspectabat, ut suetâ solennitate Cælitum honoribus dedicaretur (s). Imperatore jubente variis ex Provinciis Antiochiam movebant septem supra nonaginta Episcopi; sed quoniam in tanto numero quadraginta Præsules Arium olebant, orthodoxis non vanus scrupulus injectus est: utrum cum ejusmodi viris in Ecclesiastica comitia congredi liceret? erant tamen Arii sectatores hâc quoque vice fraudum suarum minimè inopes; conceptâ quippe formulâ (quæ nec homousion, nec alia controversa vocabula complecteretur) fidem professi (t), Episcopis Catholicis persuadebant, sui haudquaquam instituti esse, ut, cùm Episcopi forent, Presbyterum multò inferiorem, Arium scilicet sequerentur; atque ut religionis suæ integritatem testatam facerent, effictam fidei larvam in medium projecerunt (u). Formulâ ejusmodi utcunque placati Catholici cum reliquis celebrârunt Encœnia, quibus peractis in Synodum coeuntes de dogmatis statuere aggressi sunt: propositum ad speciem erat damnare Sabellii errorem, eúmque qui recentiùs hanc hæresin refricuisset, Marcellum Ancyranum; sed reipsâ Eusebius cum suis moliebatur, ut novæ fidei formulæ procuderentur, à quibus homousion (tam invisum Arianis nomen) amandaretur: hoc igitur omisso ubi una, alterave fidei tessera (* 2) proferebatur;

(s) Sozom. l. 3. c. 5.

Synodus Antiochena.

(t) Athanas. de Synodis n. ed. p. 735.

(u) Sozom. l. c.

Arianorum novæ formulæ.

(* 2.) ATHANASIUS de Synodis n. e. p. 735. & 736. refert Arianorum subdolam formulam Antiochiæ editam: *Credimus juxta Evangelicam & Apostolicam traditionem in unum Deum Patrem omnipotentem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum Deum, per quem omnia, genitum ex Patre ante sæcula, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto, Regem ex Rege, Dominum ex Domino, Verbum vivens, Sapientiam viventem, veram lucem, viam, veritatem, resurrectionem, pastorem, portam, nec mutationi nec conversioni obnoxiam, Paternæ divinitatis, substantiæ, consilii, potestatis, & gloriæ in nullo dissimilem imaginem, Primogenitum omnis creaturæ, qui erat in principio apud Deum, Deum Verbum, ut Scriptum est in Evangelio: & Deus erat Verbum, per quem omnia facta sunt, & in quo omnia consistunt, qui novissimis diebus descendit desuper, natus est ex Virgine secundùm scripturas, & Homo factus est . . . & in Spiritum S., qui ad consolationem, & sanctificationem & ad*

rebatur; nullus etiam Catholicorum erat, qui non fucato hoc ſimulachro deceptus, ſubſcriberet, præſertim cùm ab Euſebianis jactaretur, hanc, quam ederent, fidei confeſſionem Luciani Martyris manu olim exaratam fuiſſe. Equidem geminum formulæ exemplum aperti erroris nil admodum exhibebat; at proſcriptâ Conſubſtantialis voce hæreſis omnis expultrice, multa in iis erant, quæ citra negotium ſuo Ariani ingenio aptabant (x). (x) Athanaſ. l. de Synod.

5. A fidei quæſtionibus ad emendandam Diſciplinam deventum eſt. PRIMUS ex viginti quinque Canonibus, quos ediderunt Patres Antiocheni, excommunicationis exemplum proponit, quæ absque ulteriore judicio, vel (ut loquimur) ipſo facto incurritur (y); ſtatuit enim, ut, qui cum judæis contra ſtatuta Nicæni Concilii Paſcha celebraverit, excommunicetur... *Si quis autem eorum, qui præeſſe noſcuntur Eccleſiæ, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, poſt hanc definitionem tentaverit ... ſeorſim colligere... ſancta Synodus hunc alienum jam hinc ab Eccleſia judicavit.... Nec ſolùm tales à Miniſterio removet, ſed etiam illos, qui poſt damnationem hujusmodi communicare tentaverint: damnatos autem omni quoque extrinſecus honore privari, quem ſancta regula, & ſacerdotium Dei promeruit.* TERTIUS præcipit, ut Clericus, qui ab Epiſcopo revocatus ad propriam parochiam redire contempſerit, degradetur (z). QUINTUS Clericos contumaces per externam potentiam coërceri jubet. SEXTUS vetat, ne excommunicatus à ſuo Epiſcopo, ſuſcipiatur ab alio (a); quem in finem SEPTI-

(y) Tom. I. CC. apud Harduin. p. 593.

(z) Can. Ap. 15. & 16.

(a) C. XI. Q. 3. c. 2. Si quis à proprio Epiſcopo.

ad initiationem credentibus datur, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus præcepit diſcipulis, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.: nominibus non temerè poſitis, aut inutiliter, ſed accuratè propriam ſingulorum, qui nominantur, hypoſtaſiam, ordinem & gloriam ſignificantibus: adeo, ut hypoſtaſi quidem tria ſint: concordiâ autem unum. Hanc igitur tenentes fidem, eámque ab initio ad finem usque in conſpectu Dei, & Chriſti conſervantes, pravam omnem hæreticam doctrinam anathemate damnamus. Et ſiquis præter ſanam, rectámque doctrinam fidem docuerit dicens: aut tempus, aut ævum, aut ſæculum eſſe, vel extitiſſe, priusquam filius gigneretur, anathema eſto. Et ſiquis dixerit filium creaturam, quaſi unam ex creaturis, aut genitum, ut unum ex genitis, aut opificium, ut unum ex opificiis; neque ſingula, ut divinæ ſcripturæ tradiderunt, prout ordine dicta ſunt, profiteatur: aut ſi aliquid docuerit, aut evangelizaverit, præter id quod accepimus, anathema eſto. Equidem HILARIUS de Synodis n. e. p. 1170. hanc formulam mitiùs explicat: ſed quia vox Conſubſtantialis ad diſcernendos Arianos ab Eccleſia conſecrata omittitur; ſuſpecta tamen meritò fuit S. Athanaſio, eoquòd hâc ſtante fatebantur Ariani tres Perſonas divinas eſſe unum concordiâ voluntatis & honoris, & Semiariani negabant filium Patri eſſe diſſimilem. &c.

(b) Dist. 71. c. 9. Nullum absque formata.

MUS canon præscribit (b), ut nullus peregrinorum sine pacificis, seu commendatitiis suscipiatur epistolis (* 3), quas Chorepiscopi, non autem quilibet in agris Presbyteri concedendi facultatem ex præscripto Canonis OCTAVI habuêre. Post hunc Canon NONUS Metropolitanorum jura promulgat (c): *Per singulas regiones Episcopos convenit nôsse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere ... & nihil amplius sine illo cæteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam: nisi ea tantùm, quæ ad suam Diœcesin pertinent, locáque illi subjecta. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem & Providentiam gerat omnis regionis, quæ sub ejus est civitate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio dirimat* (* 4). DECIMUS Chorepiscopis hanc ordinandi potestatem restringit eâ lege, ut in majoribus ordinibus constituendos sine consensu civitatis Episcopi, initiare sacris nequaquam illis liceat. UNDECIMUS & DUODECIMUS statuunt pœnas in eos Clericos (d), qui neglecto Episcopo

(c) C. IX. Q. 3. c. 2. Per singulas provincias.

(d) C. XXI. Q. 1. c. 2. Si quis à proprio Episc.

(* 3.) Inter *Pacificas*, *Commendatitias*, & *formatas* Epistolas, etsi discrimen fieri non soleat; in Concilio tamen Chalcedonensi diversitas significationis quædam insinuari videtur Can. 11. *Omnes pauperes, & indigentes auxilio cùm proficiscuntur, epistolis pacificis tantummodo commendari decrevimus, & non Commendatitiis; propterea quòd commendatitias literas honoratioribus tantummodo personis præstari conveniat.* Literæ pacificæ cæterùm dirigebantur præcipuè eo fine, ut peregrinantes alibi ad Ecclesiasticam communionem admitterentur; & his destituti, etsi reciperentur hospitalitatis officio, non tamen in communionem sacrorum iis venire licebat: quin ipsi adeo Clerici commendatitiis duntaxat muniti, non sine prævio examine sacris interesse poterant.

(* 4.) DU MESNIL ad a. 342. in summam Metropolitanorum jura hoc modo colligit: I. Synodorum Acta Metropolitanis tradebantur, & ad eos dirigebantur Epistolæ summorum Pontificum, ut eas aliis Episcopis transmitterent. II. Graviores causæ totius Provinciæ ad Metropolitam referebantur. III. Provinciæ Concilium is convocabat; eique præsidebat & Clericos minores decretoriâ sententiâ judicabat ut habet. c. 125. Cod. Eccl. Afr. & nos diximus in T. I. Hist. Rom. Imp. pag. 661. IV. Singulis Metropolitanis cura præcipua erat de vita, & opinione non solùm totius Cleri, sed etiam ipsorum Episcoporum, ne se per culpam vel negligentiam suam tales exhibeant, qui meritò apud Laicos viles atque infames, ac per hoc in ipso sacro Ministerio contemptibiles habeantur, ut habet Concil. Valent. III. c. 9. V. Episcopi sine Metropolitani sui literis non audebant proficisci ad aliam provinciam. VI. Metropolitanus, mortuo Episcopo, curabat, ne quid ante ordinationem futuri Pontificis inhiantium Clericorum subversioni vel direptioni liceret: atque de repertis omnibus inspectior censitio, descriptióque fidelissima intra octavam defuncti, sub diligentia visitatoris Episcopi perageretur, quæ ad ejus notitiam deferretur: Præterea Successor præter Synodum & præsentiam, vel consensum Metropolitani nullatenus ordinabatur; quodsi secus factum fuisset, nullas ordinatio vires habebat. *Vide etiam Dissertationem nostram I. de Majestate Hierarchiæ Ecclesiasticæ* C. IV.

ſcopo aut ab eodem damnati Imperatorem adire præſumunt (* 5). DECIMUS TERTIUS irritum eſſe voluit, quidquid Epiſcopus non rogatus in aliena parochia ordinaverit (e). DECIMUS QUARTUS & DECIMUS QUINTUS decernunt (f): ut ſi in damnatione Epiſcopi, Provinciales diſſenſerint à Metropolitano; vicinis Epiſcopis advocatis cauſa terminetur (†). DECIMUS SEXTUS jubet, ut Epiſcopus vacantis Eccleſiæ invaſor abjiciatur (g). DECIMUS SEPTIMUS: *Si quis Epiſcopus manûs impoſitionem Epiſcopatûs acceperit, & præeſſe populo conſtitutus, miniſterium ſubire neglexerit, nec acquieverit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione privari; donec ſuſceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid decreverit ejusdem Provinciæ Synodus Sacerdotum* (h). VIGESIMUS *Propter utilitates Eccleſiaſticas, & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem, controverſiamque recipiunt, optimè placuit, ut per ſingulas quasque Provincias bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem poſt tertiam ſeptimanam feſti Paſchalis; ita ut quartâ ſeptimanâ conveniat Synodus, Metropo-*

(e) C. IX. Q. 2. c. 6. Nullum Epiſcoporum audere.

(f) C. VI. Q. 4. c. 1. Si quis Epiſc. criminaliter.

(†) REFLEXIO VII.

(g) Diſt. 92. c. 8. & Concil. Chalced. act. 11.

(h) Diſt. 92. c. 7.

(* 5.) BARONIUS, BINNIUS, Canonem XII. ex Antiochenis, canonibus rejiciendum exiſtimant, & præcipuè Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Epiſcopus contra duodecimum Canonem ita pugnat: ad locum Gratiani C. XXI. q. 5. c. 2. *Hoc eſſe caput arbitror, contra B. Athanaſium ſcriptum, quod reprehendit Julius in epiſtola ad hos eosdem Epiſcopos Antiochiæ Congregatos: Idem contra Joannem Chryſoſtomum dum objiceretur, ab eo reſponſum eſt, Hæreticorum Canonem fuiſſe.* SCHELSTRATE P. II. Diſſert. II. c. 5. n. 177. & 179. oſtendit à contrario Canonem illum conceptis verbis in omnibus collectionibus reperiri; & unà cum cæteris Antiochenis Canonibus olim in Eccleſia receptum; ac vel inde rejici non poſſe. Damnari equidem à Synodo Epiſcopum, ſi ad Judicium Imperatoris provocet, & non ad majus Concilium, quod *nullam reſtitutionis futuræ ſpem exſpectet;* ſed hoc in pœnam delicti duntaxat ſtatui, cujus purus erat Athanaſius; nam hic ad Imperatorem confugerat, ut Concilium ab eo Impetraret, ut habet Synodica Alexandrinorum ad a. c. 339. *Ad Religioſiſſimum Imperatorem aſcenderat, deprecans, & iniquitatem hominis, & Adverſariorum calumnias, poſtulánsque, ut legitima Epiſcoporum Synodus indiceretur.* Canon igitur duodecimus minimè in odium Athanaſii excogitatus dici poteſt; qui juxta verſionem Dionyſii exigui ſic habet: *Si quis à proprio Epiſcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad majus Epiſcoporum converti concilium, & quæ putaverint habere juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorúmque diſcuſſiones ac judicia præſtolentur. Si verò hæc parvipendentes moleſti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitus opperiri dijudicamus.* Cæterùm Canon à D. Innocentio & Magno Chryſoſtomo rejectus planè alius fuit, quíque à Palladio Helenopolitano, Chryſoſtomi diſcipulo ſic recitatur: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, ſive juſtè, ſive injuſtè depoſitus ex ſe ipſo abſque Synodo in Eccleſiam redierit, hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omnino expellatur.* Hic autem Canon inter Antiochenos 25. Canones nuſpiam repertus eſt.

tropolitano Provinciales admonente, secunda verò Synodus Idibus Octobris (i). VIGESIMUS PRIMUS (k) *Episcopos ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte suâ prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopo necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret secundum pristinum de hac re terminum constitutum* (*6). VIGESIMUS TERTIUS irritum esse definit, si Episcopus sibi successorem elegerit (l), Duo POSTREMI decernunt, ut res Ecclesiæ judicio Episcopi dispensentur (m), Dispensationis autem modum Patres Antiocheni hunc esse voluerunt: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reverentia & timore. Participet autem & ipse, quibus indiget, si tamen indiget: tam suis, quàm fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo quâlibet occasione fraudentur.... Quodsi contentus istis minimè fuerit; convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia, Diaconorúmque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat: ut per hujusmodi Personas occultè cæteræ lædantur Ecclesiæ, Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat* (*7).

6. Quo

(i) Dist. 18. c. 4.

(k) C. VII. Q. 1. c. 25. Episcopum de Diœcesi.

(l) C. VIII. Q. 1. c. 3. Episcopo non licere.

(m) C. XII. Q. 1. c. 23. Episcopus Ecclesiast.

(* 6.) *De Translationibus Episcoporum.* Sæpius Canones CC. mentionem faciunt: & NICÆNUM quidem c. 15. & APOSTOLORUM Canon. 14. hanc exceptionem adjungit: *Episcopo non licere alienam parochiam propriâ relictâ pervadere, licèt cogatur à plurimis, nisi fortè eum rationabilis causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre; & hoc non à se, sed multorum Episcoporum judicio, & maximâ exhortatione.* SARDICENSE Concilium Can. 1. & 2. & Chalcedonense c. 5. Episcopis & Clericis translatis hanc pœnam decernunt, ut ne in fine laicâ quidem communione digni habeantur. A Communione Translatos abesse vult DAMASUS in Epist. ad Paulinum Antiochenum. LEO I. illos penitus abdicat. ut habetur Epist. 48. ad Anast. Thessalon.

(* 7.) TRIDENTINUM Sess. 25. c. 1. observationem postremi Canonis firmat: *Sancta Synodus .... exemplo Patrum nostrorum ... non solùm jubet, ut Episcopi modestâ supellectili, & mensâ, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam reliquo vitæ genere, ac totâ ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quódque non simplicitatem, Dei zelum ac Vanitatum contemptum præ se ferat. Omninò verò iis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones (XL. & XLI.) probibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant: eas autem nec distrabant, nec dissipent illorum causâ.... Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obti-*

6. Quo tempore à Patribus congregatis morum, fideique capita exponebantur; Româ Eusebianorum legati redibant, qui suis inculcabant, nihil à Julio adversus Athanasium, cui addictissimus foret, impetratum iri. Discedentibus igitur à Synodo Orthodoxis Episcopis (n), novum conventum quadraginta Eusebianarum partium Præsules instituunt (o), pessumdaturi suâ sententia virum, quem alienâ summi Pontificis manu haudquaquam prosternendum noverant. Causa damnationis ex Canonis, quos Ariani vel corruperant, vel recentiùs fuerant commenti (*8), desumpta est: nempe Athanasium ab exilio regressum suo, & non Synodi cujusdam arbitrio Ecclesiam occupâsse. His cùm subinde alia, quæ Tyri jam agitata fuerant, facinora ex composito adjicerentur; Eusebio Emisseno (*9) Alexandrinam sedem committendam censuêre: sed hoc honorem tam ancipitem abnuente, Gre-

(n) Socrat. l. 2. c. 8.
(o) Pallad. in V. Chrysost.

Conciliabulum Antiochenam Arianorum contra Athanasium.

obtinentibus, pro gradûs sui conditione observari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.

(* 8.) BARONIUS ad a. 341. §. 30. & 31., item BAILIUS Tom. II. pag. 62. Aliique complures Concilium Antiochenum non videntur distinguere ab illo conciliabulo, quod sub finem Synodi legitimæ, contra Athanasium conflârunt 40. Eusebiani Episcopi, in quâ pseudo-synodo Ariani illos Canones procuderunt contra Athanasium, qui meritò suspecti, & ab Ecclesia minimè admittendi dicuntur, & quorum unum S. Chrysostomus posteà, ut ab Hæreticis compositum rejecit. Cùm enim universi Episcopi scilicet 90. vel plures in Concilio sederent; fides tantùm Nicæna firmata est & viginti quinque canonibus stabilita disciplina, idque summâ consensione, ut ex Synodica colligitur, cujus fragmentum extat apud SCHELSTRATE §. II. Dissert. II. c. 5. n. 180. *de Antiquitatibus illustratis.* His peractis de Personis tractari cœpit, ubi dissidium Catholicos inter & Eusebianos ortum est; ut habetur apud *Sozomenum* l. 3. c. 5., digredientibus ab urbe Catholicis Episcopis *Gregorius Alexandrinæ Ecclesiæ præsidere jussus est*, scilicet conciliabulo Arianorum, unde Julius Papa de iisdem Antiochenis jam divisim Synodum celebrantibus scripsit: *Qui solùm ad 36. suffragia eorum, qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem Episcopum salutârunt.* Sub Præside è secta malignâ delecto quadraginta Ariani Episcopi canones illos protulerunt de suprema Synodorum Provincialium authoritate, de proscriptione Athanasii, quos teste Palladio in Vita Chrysostomi *Theophilus miserat à quadragiata complicibus Arii editos*: Difficultas igitur tota cessabit de Antiocheni Concilii canonibus legitimis aut illegitimis; si inter 90. Episcoporum legitimam Synodum, & Conciliabulum subsequens benè discernatur.

(* 9.) Juxta SOCRATEM l. 2. c. 9. SOZOMENUM l. 3. c. 6. Eusebius ille apud Edessam notissimam Osrhoënæ urbem ortus est. Eusebium Cæsareensem & Patrophilum in studiis Theologicis Magistros habuit. Sacerdotii detrectandi causâ abiit Alexandriam, ut philosophiæ operam daret; inde reversus Antiochiam cum Flaccillo Episcopo familiariter versatus est. Arianis cùm esset charissimus; Eusebius Constantinopolitanus illum Athanasio in Alexandrina sede surrogandum proposuit: sed cum hanc ordinationem abnuisset; Emissenis datus est Episcopus: hi verò negabant se admissuros præsulem, quem

Gregorius Cappadox delectus est. Non displicuit Constantio juratus Athanasii hostis, quíque in evulganda occisi Arsenii fabula acerbam operam suam jam probâsset. Ne verò Alexandrinus populus Mercenario Pastori Ecclesiæ aditum occluderet; Philagrius Apostata & crudelis Orthodoxorum tortor cum literis Imperatoris, & militari manu mittitur, ut Gregorium vi atque armis sedi imponat (p). Novam constituendi, inducendíque Præsulis formam primùm Alexandriæ cives obstupescere; dein lectâ Principis epistolâ palàm proclamare, & sibi & Athanasio injuriam fieri, qui citra ullius querelam, citráque judicium à Canonibus præscriptum suæ Ecclesiæ eriperetur (q). Philagrius se verbis nihil admodum profecturum ratus, vim parat: atque ut militum numerum firmaret, ex judæis, & Ethnicis ferocissimos quosque ferro, fustibúsque armat; dein infamem cohortem in sacra adyta immittens, sacrilegiis, rapinis, violatione Mysteriorum, sacrarúmque virginum cuncta permiscet (*10). Unâ Ecclesiâ (quæ dicebatur S. Cyrini) expilatâ, progreditur ad direptionem alterius templi, ubi paschæ tempore, quod tunc agebatur, Athanasius operari sacris consueverat: at vir sanctus furori cedendum ratus, navi subitò conscensâ Romam, quorsum à Julio Pontifice literis jam antè evocatus fuerat (r), citis velis contendit; antequam tamen Oriente penitus eveheretur, orthodoxos Episco-

(p) Gregor. Naz. or. 41.

Gregorius Cappadox surrogatur Athanasio.

(q) Athanas. ad solitar. n. edit. p. 349. v. edit. p. 15.

Persecutio S. Athanasii.

(r) Epist. Julii PP.

quem audivissent esse Astronomiæ studiosum; quare Laodiceam Eusebius fugit ad Georgium: redit tamen posteà Emisam. Obiit Antiochiæ circa a. 360.: de ejus libris plura dicentur infra in Reflexione de Scriptoribus Ecclesiasticis.

(* 10.) Ex *Encyclicis literis* ATHANASII *ad Episcopos orthodox.* p. 112. n. edit. vet. 944. colligitur, quantâ rabie Gregorius in Ecclesiam introductus sit: „Philagrius Ethnicos, Judæos, & alios postulantes viros sibi conciliat, eosdemque confertim cum gladiis, & fustibus contra populum in Ecclesias immittit. Ecclesia, quæ dicebatur Cyrini, & sacrum baptisterium incenduntur, quidam interficiuntur. In sacra mensa strobilos, avésqne sacrificabant, idola sua laudibus efferentes . . . Divinos scripturarum libros combussêre. In sacrum baptisterium judæi & Ethnici temerè ingressi se ipsos nudantes, adeò obscœna protulêre verba, ut ea pudeat referre. . . . Hic Gregorii Ariani fuit ingressus, qui satellitibus suis (quasi mercedem tribueret) Ecclesiam in prædam tradidit: ita ut alii obvia quæque diriperent: alii quorundam deposita dividerent; magnam vini copiam illic repertam ebiberent . . . auferrent oleum reconditum . . . . candelabra reponerent ad parietem: Ecclesiæ cereos idolis accenderent. Quin etiam his graviora & crudeliora addiderunt; Presbyteri enim & Laici plagis lacerari: Virgines detracto Maforte seu velamine capitis ad tribunal Ducis pertrahi, & in carcerem conjici: illic proscribi, flagellisque cædi, &c.

Episcopos per epistolam monet, ne cum Gregorio homine Ariano & ab Alexandro jam Ecclesia ejecto communionem habeant. Tum iter prosecutus Romam appellit: omni humanitatis genere exceptus, Papæ significat, quæ ab Eusebianis adversus se, & Ecclesiam Alexandrinam crudelissimè gesta forent. His auditis Julius Legatos Elpidium & Philoxenum Antiochiam confestim ire jubet, cum literis (s), quibus Eusebianos nomine Pontificis ad Synodum vocarent; tum quia ipsi ad hunc se venturos condixissent, tum ut facta ea examinarentur, quæ recentiùs Antiochiæ, aut Alexandriæ novas turbas conscivissent. Necdum à suo Conventu impio factiosi discesserant, cùm allatæ sunt Antiochiam ejusdem Pontificis literæ: indignari illi primùm, quod Athanasius suis manibus elapsus apud Pontificem benignius perfugium esset sortitus; dein explorare mutuis consiliis, quâ ratione Synodus ejusmodi declinari posset. Ubi ex regula Ecclesiastica, citra armorum vim, cuncta peractum iri præviderant; obfirmatâ tandem (quod Hæreticorum ingenium est) in scelus fronte, audere decernunt omnia ex arbitrio, subesse nulli, & quæ placita fuerant semel, obtrudere singulis; & cùm rationes desunt, superbiùs respondere. Legatis proinde hujus argumenti epistola redditur (t): Romanorum equidem Ecclesiam & numero & magnitudine satis diffusam hoc quoque gloriæ præ cæteris habere, quod domicilium Apostolorum & pietatis origo, ac Metropolis ab initio christianæ rei extiterit; fas tamen haud esse, ut ii, qui in Oriente virtute & animi proposito superiores essent, multitudini Romanæ Ecclesiæ cederent, à quibus Doctores fidei Occiduæ partes accepissent: cum magna Orientalium Episcoporum offensa Romæ nunc agi, ut Præsulum omnium judicium unius hominis querelæ leviùs propositæ posthabeatur: hujus contumeliæ se minùs memores, & communionis socios perpetuò futuros pollicebantur; si quæ saxissent, Julius rata vellet: nec rationes sibi deesse, quibus coràm sententiæ integritatem tuerentur, nisi Persarum imminens bellum ab Oriente egredi prohiberet. Illiberali cum responso ubi legati decessissent; Eusebianorum astutia id providit, ne à Julio territi viderentur: quare Gregorius novitius Ægypti Episcopus cum Præfecto Philagrio & Duce Balacio per omnes Provincias subdi-

S. Athanasius venit Romam.

(s) Athanas. ad solit. p. 350. n. e. p. 816. r. e.

Ariani Episcopi à Pontifice Julio ad Synodum Romam evocantur.

(t) Sozom. l. 3. c. 8.

Arianorum Responsoriæ ad Julium PP.

(u) Athanas. ad solit. l. c.

Crudelitas Pseudo-Episcopi Gregorii.

tas Impietatis suæ furorem ubique circumtulit (u): in S. Potamonem celebrem sub Maximino Confessorem, in Episcopos, Virgines, Monachósque verberibus ad necem usque sævitum est. S. Antonius tempestatem, quam multò ante præviderat, nunc oculis propiùs inspectans, literis ad Balacium missis, crudelitati modum ponere quæsivit: sed monitis homo ferox antè non cessit; dum aperto divinæ ultionis exemplo & vitâ, & nocendi libidine exueretur.

(x) Hieronymus in V. Pauli.

S. Antonius invisit Paulum in Eremo.

Mors S. Pauli Eremitæ.

7. S. Antonius nonagesimum agebat annum, quando per Eremum innumeros Monasticæ vitæ alumnos ad sanctimoniam erudierat; eo autem tempore asceseos præcepta illustriora à S. Paulo accipere jubebatur (x). Scrutatus proinde sylvarum latebras, Deo dirigente in Magistrum hunc multò sapientiorem tandem incidit, qui ubi documenta non pauca perfectioris vitæ Antonio dedisset; discipulum eundem (Corvo prandium subministrante) pastum ad Monasterium remisit, ut inde pallium, quod à S. Athanasio acceperat, adduceret, huicque tegumento mortui corpus involutum (brevì enim se decessurum Paulus prædixerat) tumulo inferret. Paruit extemplo Antonius, & iter ad cœnobium relegens id tantummodo suis Monachis stupentis in morem inclamabat, se Eliam, se Joannem in deserto, & Paulum in Paradiso vidisse: mox compresso ore, manu verberans pectus, prorepto ex cellula pallio, itineri rursus se accingit: sed vix trium horarum spatium emensus, inter Angelorum aliorúmque cælitum choros niveo candore fulgentem Pauli animam in sublime deferri videt; luctu itaque alas pedibus addente citiùs ad Pauli speluncam profectus, invenit corpus exanime genibus complicatis, erectâ cervice, extensísque in altum manibus: cantatis ex Ecclesiæ more hymnis Antonius dolebat, sibi nil ad manum adesse, quo humum ad sepulturam effoderet: sed animo fluctuanti Deus duos leones submisit, qui terram pedibus scalpendo, tam amplum locum, qui hominem caperet, eruerunt. Demissis in fossam exuviis, opertoque tumulo pius hæres ex intestatis bonis tunicam sibi abstulit, quam in sportarum modum de palmæ foliis Paulus sibi contexuerat; & quo indumento Antonius posteà diebus duntaxat solennioribus vestitus est. Qui ex Pauli Magisterio hâc ratione non

parùm

parùm profecerat, ſubinde non minus commodi, ſolatiique nactus eſt ab Hilarione diſcipulo; is quippe à vigeſimo ſecundo converſionis ſuæ anno, virtutum exemplis, oſtentiſque cæleſtibus celebratus, novas Monachorum Colonias in Syriam propagavit (y). Itaque hoc tempore utì Antonius ad ripas Nili ac per Ægyptum in Inſula Thebaidis Tabenna Pachomius; ita Hilarion in Palæſtina & Syria vitæ Monaſticæ primordia dare cœpit (z): ſub quibus Aſceſeos ſacræ Ducibus Præpoſiti ſive Archimandritæ *Monaſteria* regebant, *quæ erant quaſi tabernacula repleta divinis choreis pſallentium, legentium, jejunantium, orantium, exultantium ſpe futurorum, laborantium, ad Eleemoſynas erogandas mutuâ charitate & concordiâ junctorum*; nullus ibi, qui injuriâ *vel afficeret, vel afficeretur: nulla exactoris increpatio, ſed unum erat omnium virtutis ſtudium* (a). Ex Oriente ad Occidentem S. Athanaſius eodem anno Inſtitutum Cœnobitarum tranſtulit. Cùm enim ex Ægypto S. Præſul duos Monachos Ammonium, ac Iſidorum (b) Romam adduxiſſet; hi cæleſtem in terris vitam profeſſi omnium oculos rapuêre. Quo minùs primò plures in ſequelam traherentur; ipſa auſtera novitas fecit, quâ Proceres maximè abſterrebantur, quòd conſtantem hujuſmodi diſciplinam, rerúmque periturarum abdicationem ſuo ordini aſperam nimis, aut ignominioſam crederent. Ad errorem mortalibus eximendum, Athanaſius operam locavit in S. Antonii vita deſcribenda (c), quo libro ſubinde evulgato, Magnatum etiam animos ad Monaſticæ vitæ ſtudium accendit (d).

(y) Hieronym. in V. Pauli.

(z) Hieron. in V. Hilar.

A. Æ. C. 342.

(a) Athanaſ. in Vit. S. Antonii c. 14.

(b) Socrat. l. 4. c. 24.

Inſtitutum Monaſticum ab Athanaſio propagatur in Occidente.

(c) Hieron. de Scriptor. Eccl.

(d) Idem in epiſt. ad Principes 16.

8. Dum Romæ piis his lucubrationibus S. Athanaſius intendit; Legati Pontificis Antiochiâ in urbem revertuntur cum literis, quibus Euſebiani ſe Synodo interfuturos negabant (e). Julius argumentum literarum diſſimulans, exſpectandum duxit; dum alii ſaltem Præſules ex Oriente advolarent: & modico tempore interjecto, adfuêre ii Epiſcopi, quos Arianorum furor ab Eccleſiis, gregéque ſuo depuliſſet; inter hos præcipui Aſclepas Gazæ, Lucius Hadrianopolis & Marcellus Ancyræ Antiſtites cauſam ſuam ab Euſebianis malignè deciſam ad ſupremum Eccleſiæ caput detulerunt (f). Quantum formidinis penes Euſebianos erat, quo minùs Romæ judicium ſubire ſuſtinerent, tantùm au-

(e) Athanaſ. Apolog. adv. Ar. p. 140. n. c.

(f) Socrat. l. c. c. 15.

Julius in Synodo Romana Athanasium cum aliis Episcopis restituit.

daciæ tumido animo conceperat Gregorius Alexandriæ nuper intrusus. Hic quippe cavens, ne timere videretur, Legatos suos misit; sed eos, qui palàm Arianâ labe infecti Pontifici insultarent potiùs, quàm obsequerentur: Julius proinde offensus quinquaginta Episcoporum Synodo coactâ, Eusebianorum primò impudentiam ex eorum lectis literis ostendit; dein defensione Athanasii, ac Marcelli Ancyrani, aliorúmque exulum Episcoporum auditâ, singulos ad communionem receptos, Apostolicâ authoritate suis, unde expulsi fuerant (g), sedibus restituit. Denique ex Patrum Consilio Eusebianis in hanc sententiam rescribit: superbiæ insolentis & conscientiæ minùs integræ argumentum esse, quod contentiosiùs respondentes judicium Pontificis subterfugiant, ad quod & antè provocârint ipsi; nec Synodus Nicæna vetet priorum Synodorum acta per alias disquiri: vitio verti non posse Pontifici, siquidem eos ad communionem admiserit, quos complures Orientis Episcopi illorum criminum nequaquam reos testarentur, quibus Eusebiani inflati odio aut invidiâ premere Innocentes conarentur (h). Adhæc Athanasium non suo arbitrio, sed literis evocatum Romæ suam ita egisse causam, ut calumniarum atrocitas facilè appareat: contra Canones proinde nihil moliri Patres, cùm post tot Innocentiæ testimonia vir receptus sit; quin ex adverso disciplinam penitus convulsam fuisse Alexandriæ, quando Episcopus non ex Clero, non ex ipso sacerdotali ejusdem Ecclesiæ ordine, neque à Provinciæ illius Episcopis; sed Gregorium exterum inter Episcoporum, Virginúmque detestandas injurias à militari præsidio intrudebatur. Præterea in consuetudinem peccari non parùm, quâ traditum est, ut si suspicio in Primarum sedium Episcopos cadat, horum causa sine consensione summi Pontificis nequaquam definiatur. Quod autem ad Marcellum Ancyranum spectat; hunc impietatis istius, cujus eum insimulâssent, se purum præstitisse prolatâ sincerioris fidei formulâ, ac testimonio Presbyterorum, qui palàm profitebantur, Marcellum in Nicæna Synodo Arii blasphemias præ cæteris oppugnâsse. Hæc ubi Julius graviùs ad Arianorum Duces, atque ad ipsum Eusebium Nicomediensem perscripsisset: Idem Eusebius nunc insititius Constantinopolis Antistes, antequàm literas Pontificis

(g) Sozom. l. 3. c. 8.

(h) Athanas. Apol. cit. p. 144.

Julii Pontificis literæ ad Arianos.

ficis acciperet, è vivis migravit (i): ſedem igitur vacantem ne alius occuparet, quàm qui Arianis placeret; Macedonius urbi regiæ impoſitus eſt. Obſtitêre conatibus orthodoxi, & vi quâdam Paulum antè ejectum reſtituere parant: novum inde, & cruentum prope bellum Conſtantinopolim diviſit, Arianis pro Macedonio, Catholicis pro Paulo depugnantibus. Fervente jam tumultu à Conſtantio Hermogenes Magiſter militum mittitur: ſed dum arma in concitatam plebem movet; ſeditioſorum manibus trucidatur. Hoc facinore offenſus Conſtantius urbem mediâ parte frumenti, quod ex Ægypto advectum in cives erogabatur, multavit: tum exturbato Paulo Macedonium (nam & is Imperatori diſplicebat) aliâ facultate non donavit, quàm ut plebem colligere ei liceret in eâ duntaxat Eccleſia, in quâ fuerat ordinatus.

(i) Sozom. l. 3. c. 7.

9. Tempeſtate ejusmodi aliquantùm compoſitâ, in Perſia pejor procella adverſus rem Chriſtianam erupit: exceperat hic populus primam fidei ſementem à genuina Apoſtolorum manu (k), ac cum tempore in tam lætos fructus adoleverat, ut & Seleucia, ac Cteſiphon nobiliſſimæ regni urbes Archiepiſcopum Simeonem; reliquæ Parœciæ Epiſcopos, Clerúmque numeroſum unà cum ingenti Chriſtianorum multitudine numerarent (l): quid? quod in Palatio regis Eunuchi, ac PræcipuiOptimates Chriſti nomen profitebantur. Urebant hæc veræ religionis incrementa Magorum, Judæorúmque animos; unde in exterminium Gentis electæ intenti, Sapori Regi perſuadent, Symeonem Antiſtitem iſtarum Provinciarum id agere, ut pro ſua, quæ ei cum Romanorum Imperatore intercederet, amicitiâ Perſidis ſalutem exteris hoſtibus proderet. Irritatus his mendaciis, Princeps graviſſima primùm tributa Chriſtianis imperat; dein facultatibus exhauſtos tormentis publico edicto addicit (m), quod eâ acerbitate conceptum erat, ut qui Solem divinis honoribus adorare pro veteri gentis ritu detrectaret, ultima quæque experiretur: frangi cùm his minis fortitudo Chriſtianorum non poſſet (n); tanta laniena Martyrum edita eſt, quantam in primis tribus ſæculis diriſſimi etiam Tyranni haudquaquam meditabantur (* 11).

A. Æ. C. 343.

(k) Euſeb. l. 3. h. c. 23. l. 6. de præpar. Ev. c. 8.

(l) Hieron. in Catal. Sozom. l. 2. c. 8. & 9.

Perſecutio adverſus Chriſtianos in Perſide.

A. Æ. C. 344.

(m) Sozom. l. 2. c. 10. & 11.

(n) Idem c. 12. & 13.

Tt 3 Con-

(* 11.) RUINARTUS in Actis MM. p. 566 n 2. ait, Sozomenum inſigniter errare, quòd Perſecutionem in Perſide trahat ad tempora Conſtantini; nam tunc altam Eccleſiæ

Constantius Imperator ista Ecclesiæ per Persiam damna utcunque in Arabia felice & Ægypto pensâsset; nisi dum iis in partibus eodem tempore plantare fidem adnisus est, simul pestiferum Arii errorem novitiis Christianis inseri fecisset (o). Sabæi, seu Homeritæ, qui ex Chetturæ Abrahæ conjuge prognati, Arabiæ felicis incolæ, Judæorum, Gentiliúmque ritus permiscebant; nam circumcisi licèt, Soli tamen & Lunæ victimas litabant: legatione, muneribúsque à populi Primoribus Imperator impetravit, ut Theophilo (p) illinc ædificare Ecclesias in Neophytorum usum liceret. Per hujus itaque manum primò ager ille excultus est, sed simul Arianorum lolia insperſa, quæ ad populi ejusdem exitium sementem bonam suffocârunt.

(o) Philostorg. l. 3. c. 4.

(p) Idem l. 2. c. 2.

A. Æ. C. 345.

10. Tertia anni periodus labebatur, dum Eusebiani Antiochiam denuò ingressi novam, eámque ampliorem fidei formulam procudunt, cujus artificio Occidentalium communionem elicere machinabantur (q): atque ut zeli sui testimonium darent; Marcellum Ancyranum, & Photinum tunc Sirmii Episcopum damnavere. Delirabat hic filium Dei non fuisse ante sæcula, sed ab eo tempore tum Dei filium factum, tum regni sui initia cœpisse, cùm nostram carnem ex virgine assumeret (r). Doctrinam execrandam quia Photinus à Marcello hausisse ferebatur; & Magister & discipulus eâdem damnationis sententiâ proscripti sunt: meliorem igitur Orientales fidem expositturi ita tesseram suam conceperant, ut eos, qui dicunt filium ex nihilo, aut ex altera hypostasi, non autem ex Deo, & tempus, aut sæculum aliquod fuisse, cùm is non esset, aut non esse Deum, aut eundem esse cum

(q) Athanas. de Synod. p. 738. n. e. p. 808. v. e.

(r) Hieron. in Chronic. Vincent. Syr. l. 1. c. 26.

Photini hæresis.

clesiæ pacem ibidem fuisse ex Constantini literis intelligitur: *Quandoquidem talis, tantúsque es, tibi* (scribebat Imperator ad Saporem) *commendo. Hos, quandoquidem pietate excellis, tibi in manum trado. Hos* (scilicet Christianos) *pro tua humanitate complectere.* Meliùs igitur ad annum 343. revocatur Persici Saporis Persecutio cum Baronio, Valesio, Bollando & Pagio: *Amrus* Nestorianus in Epitome historiæ Catholicorum, hoc est, Patriarcharum suæ sectæ, refert ex Adanæ Armeniæ Episcopi historia, quod in prima sub Sapore vexatione cæsa sint Martyrum centum sexaginta millia, unà cum Symeone, & Sadoth in Persia Episcopis. Cæterùm observa Ctesiphontem & Seleuciam sedem antiquam Metropolitarum Persidis fuisse. Unus ex Persarum Episcopis celebrior est Joannes, qui earundem Ecclesiarum nomine Nicænæ Synodo Generali interfuit.

cum Patre, anathemate ferirent (* 12). In hoc ficto fidei suæ simulachro adeò se jactabant, ut confestim Mediolanum legatos mitterent, qui eandem formulam Imperatori Constanti, ac Episcopis ibi congregatis consignarent. Lectis literis deprehendêre Patres, virus sub verbis ambiguis rursus abscondi: urgebatur proinde, ne quid præter Synodi Nicænæ decreta definiretur (s). Synodus tamen facilè consensit, ut Photinus dogmatum perversorum ergo à communione exularet (t): commendata etiam causa est Athanasii & Pauli, quam cùm se acturum Constans apud Imperatorem fratrem reciperet; id tandem impetratum est, ut in annum sequentem Sardicæ Synodus ex Occidentalibus ac Orientalibus Episcopis cogeretur, ad negotia eorum, tum qui læsi essent, tum qui læserant, expendenda.

Nova formula Arianorum à Mediolanensibus PP rejecta.

(s) Epist. 2. Liber. ad Const.

A. Æ. C. 346.

(t) Athanasius ad solit. p. 352. n. e. p. 818. v. e.

11. Undecimo igitur anno ab obitu Constantini M. Sardicam in confinibus Illyrici, Thraciæ, & Mysiæ sitam ex triginta quinque Provinciis super centum septuaginta Episcopi convenêre. Inter orthodoxos primas vices habuit Magnus ille Hosius unà cum Archidamo, & Philoxeno Presbyteris, qui Pontificis Julii legati Synodo præfuêre. His accessêre maximi quique ex omni orbe Præsules Catholici (* 13). Tardiùs adrepsêre Eusebiani octo-

A. Æ. C. 347.

Synodus Sardicensis.

(* 12.) ATHANAS. de Synodis p. 738. n. edit. refert ex Arianorum formula sequentem confessionem in hæc verba conceptam: *Nec tamen, quia tres res, & tres Personas Patris & Filii, & Spiritûs S. secundum scripturas confitemur; ideo tres Deos facimus. Unum enim solum ex seipso perfectum, ingenitum, Principio carentem, & invisibilem Deum novimus, Deum & Patrem unigeniti, qui solus ex seipso habet esse, solus illud copiosè aliis elargitur.* In hac professione nulla mentio de substantia, & Patrem non obscurè insinuant solum verè & propriè Deum esse, quamvis in sequentibus Christum Deum confiteantur, sed participatione & modo inferiori duntaxat, unde addunt: *Ita solus Pater omnibus omnino & ipsi quoque filio dominatur; filius verò Patri subjicitur, & illo excepto omnibus post illum dominatur, quæ ab ipso facta sunt.*

(* 13.) D. ATHANASIUS in epist. ad solit. p. 352. n. edit. testatur ex XXXV. Provinciis totius ferè orbis Episcopos Sardim convenisse, vel ex XXXVIII. Provinciis, ut habent THEODORETUS l. 2. hist. c. 8. & CASSIODORUS in hist. trip. l. 4. c. 24. adductis ipsius Synodi literis cum hac epigraphe: *Sancta Synodus Dei intra Sardicam Congregata, ex urbe Româ, Hispaniis, Galliis, Italiâ, Campaniâ, Calabriâ, Africâ, Sardiniâ, Pannoniâ, Mysiâ, Daciâ, Dardaniâ, alterâ Daciâ, Macedoniâ, Thessaliâ, Achajâ, Epiris, Thraciâ, Rhodope, Asiâ, Cariâ, Bithyniâ, Hellesponto, Phrygiâ, Pamphyliâ, Lydiâ, Insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Lybiâ, Galatiâ, Palæstinâ, & Arabiâ;* & ex his Provinciis, aut orbis regionibus numerat Athanasius 78. Episcopos: adfuêre Italici 14. è *canalio* Italiæ (Episcopi autem in *canali* constituti dicebantur, qui sedes

octoginta; nam nisi Constantius Comites armatos sociaret, viæ dare se nolebant: & his quoque concessis, moras traxere per iter, ut rationes, quas oppositturi erant, meliùs expolirent, aut frontem mutuo fœdere in audaciam obstinarent (u). Sardicam tandem ingressi adversa sibi omnia vident; Constans quippe Augustus remoto Comitum ac militum præsidio citra vim & metum ex Ecclesiæ regulis agi, decernive præceperat: libertas igitur summa fuit Actoribus, Testibúsque quorum complures aderant ad Eusebianorum fraudes in apricum proferendas: nihil autem magis factiosos exterruit, quàm quod Athanasio præsenti Asterius & Macarius (anteà præcipui Arianorum Duces) mutatâ nunc mente sese adjunxissent, utique arcana ea, quorum maximè conscii erant, in lucem protracturi. Itaque Eusebiani varia agitantes consilia, intra palatium, quin pedem ad Synodum efferrent, se occludunt, causati, sibi nefas fore, conventum ejus generis frequentare, ubi locum haberent ii, quos Synodus Antiochena extra communionem esse jussisset (x). Hosii è diverso intererat ostendere, libertatem & justitiam causæ ademptum iri, siquidem illi à cœtu semoverentur, quibus vel reis respondere, vel innoxiis probare innocentiam incumberet (y). Adhæc Præsulibus, quos ipsi proscriptos dicerent, a Pontifice pacem esse datam; injuriam proinde restitutis inuri minimè posse, ut nisi cognitâ per Synodum causâ abscindantur. Eusebiani cùm accisas undique res suas dolerent; fingunt literas à Constantio Persarum Victore advenisse, quibus in Orientem confestim omnes evocarentur, hócque dicto Sardicâ dilapsi Philippopolim, in Constantio subjectam ditionem recedunt. Fuga ea Patres minimè absterruit, quominùs Concilio darent initium (z).

12. Examinata primùm causa est Athanasii, excusśisque iis, quæ Tyri tum per Maræoten acta fuerant, absolutum omni crimine, & fortitudinis ergo laudatum Episcopum Synodus sedi restituendum censuit (a). Altero loco disputabatur, utrùm Marcellus

(u) Epist. Synod. ad omnes Ep.

Ariani detrectant Synodo interesse.

(x) Epist. Pseudo-Synod.

(y) Epist. Hosii apud Athanas. ad solitar.

Ariani Sardicâ discedunt Philippopolim.

(z) Socrat. l. 2. c. 20. Athanas. ad solit. p. 353. n. e. p. 819. v. e.

Acta Synodi Sardicensis.

(a) Ep. Synod. ad Jul. apud Harduin. T. I. CC. p. 654.

sedes habebant in cursu publico, viâ scilicet, quâ equi publicè per stationes singulas ad iter agendum dispositi erant, ita CARANZA & de la CERDA Adv. sacr. c. 84. n. 2.) ex Gallia Episcopi fuêre 34: ex Africa 36: ex Ægypto 92: ex Cypro 12: ex Palæstina 15. vide Schelstrate Parte secundâ Antiq. illust. Dissert. 2. c. 6. n. 184.

cellus Ancyranus in suo adversus Asterium libro Sabellii & Pauli Samosateni errores docuisset? lecto ejus volumine deprehensum est, ista, quæ Marcellus interrogantis more scripserat, eadem in modum sententiæ, ac certi judicii ab Ancyrano Præsule asserta falsò confingi; nam responsiones, quas continuò Marcellus interrogationibus subjecerat, faciebant palàm, minimè his in locis statui, quod ex S. Maria (ut Eusebiani criminabantur) Verbo Dei initium tribuatur, aut quod regnum ejus finem sit habiturum (b): post iteratam itaque fidei Nicænæ professionem à Sardicensibus Patribus erroris purus declarabatur (* 14). Demum quæstio in medium adducta est de injuriis, déque vi, quam Episcopis, Clericis, atque Ecclesiis Eusebiani attulissent; quibus comprobatis, Ursacius & Valens utpote machinationum pessimarum authores unà cum reliquis lupis Eusebiano furore incensis à fidelium communione expellebantur (c). De fidei dogmatis nihil novi decernere placuit: nam etsi quorundam studium id contenderet; ut ampliore formulâ fides Nicæna exponeretur; Synodus tamen rem indignè ferens sancivit, sufficere Symbolum à Nicææ Patribus promulgatum, eoquòd in eo cuncta comprehenderentur, quæ ad integritatem fidei, & ad conservandam solidam pietatem necessaria forent (* 15).

Absolutio Athanasii & Marcelli Ancyrani.

(b) Athanas. ad Solit. l. c. & Apolog. adv. Ar.

(c) Epist. Synod. ad Jul.

13. Con-

(* 14.) DU MESNIL ad a. 347. n. 50. notat hìc sequentia: „ Sardicenses Patres hìc Marcellum *primò* penitus absolvunt ab errore Pauli Samosateni. *Secundò* fatentur quædam in ejus opere legi minùs orthodoxa, sed quæ per modum quæstionis proposuerat; idipsum enim contendebat ipse Marcellus, qui semper cum orthodoxis steterat adversus Arianos. Interrogatúsque in Romano Concilio rectam de Trinitate fidem professus est. Hinc liquet, quam meritò tunc fuerit absolutus: nec quidquam præjudicat Athanasii judicium, *quem* (inquit Epiphanius hæres. 72.) *cùm aliquando interrogâssem, cujusmodi Marcellum fuisse arbitraretur? ille neque purgavit hominem, neque vero asperiùs notavit: sed leniter arridens, non multùm ab improbitate abhorruisse significavit, & in eorum loco, qui se purgâssent;* nempe si solius libri ratio habeatur, quædam in eo reprehensione non carent: si verò spectentur omnes relatæ circumstantiæ, Marcellus rectè pronunciatur orthodoxus. Ad eos autem spectâsse judices declarat Papa Julius (*in Epistola ad Orientales*): *Marcelli*, inquit, *fides, seu fidei professio, confessióque Nicææ spectata est, cùm Arianis contradiceret.* „

(* 15.) THEODORETUS l. 2. c. 8. memorat equidem, à Sardicensibus PP. compositam novam fidei professionem: verùm ATHANASIUS ad Antioch. ep. p. 772. n. edit. contradicit, dum ait: *Nonnulli postulârant, ut quædam de fide scriberentur, atque id obtinere conati sunt. Synodus coacta rem indignè tulit, sancivitque ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides à PP. Nicææ promulgata; quippe quæ in nullo defic-*

Ejusdem Concilii Canones.

13. Controversiis diremptis ad stabiliendam disciplinam viginti Canones compositi sunt, quorum primo & secundo cavebatur, ne Episcopi (ut Eusebius, Ursacius & Valens fecerant) in alios Episcopatus involarent, aut ex unâ Provincia ad aliam se levi de causa facerent transferri (d): & quoniam Ischyras in loco minimo, in quo unus sufficiebat sacerdos, Episcopus ordinatus fuerat; prohibitum est, ne ad vilipensionem Episcopalis authoritatis, in pago vel parva urbe Episcopus constituatur (e). Præterea dum Eusebiani curiam Imperatoris neglecto grege ubique sequebantur, sancitum, ut non nisi vocati vel pietatis causâ ad Comitatum transgrediantur: & si quando preces Imperatori offerendas habeant, Diaconum ad Regem dirigant (f). Decimus Canon præcipit (g), ne quis anteà Episcopus initietur, quàm Lectoris, & Diaconi & Presbyteri Ministerium peregerit; ut in unoquoque gradu si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatûs fastigium per progressionem possit ascendere. Undecimo Canone jubebantur (h) à communione secerni Laici, qui tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus ad oblationes non convenerint (*16). Inter cæteros Canones, quos ab aliis jam Conciliis defini-

(d) Can. 1. 2. 9.

(e) Can. 6.

(f) Can. 7. & 8.

(g) Can. 10.

(h) Can. 11.

deficeret, sed plena pietatis esset &c. Itaque professio à Theodoreto adducta, non Sardicensium Patrum, sed eorum esse videtur, qui novam conscribi postulaverant.

(* 16.) *Ex hoc Canone undecimo* eruitur, quod diebus Dominicis una duntaxat *divina oblatio* fuerit, eáque ab Episcopo celebrari solita, cui qui aliquoties non intererant, velut Ecclesiasticarum legum violatores communione excludebantur. Cæterùm in divina oblatione sive Missa, aliæ quoque fiebant *oblationes fidelium:* hoc est donaria à fidelibus, qui jus communionis habebant, offerebantur ad usum sacrificii necessaria, *ut videre licet in c. 24. Concil. Carthag*: vel si alia dona oblata fuissent, mittebantur ea ad domum Episcopi, qui reliquo Clero ea distribuebat; unde etiam oblagia vel die Oblenen aliqui derivant. Jam verò ex ROMANO ORDINE oblationum ritus observetur: Cantores cantant offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, id est panem & vinum, & offerunt cum fanonibus, seu linteaminibus candidis, primò masculi, deinde fœminæ, sed extra chorum. Pontifex enim eas accepturus ducebatur; oblationes autem à Pontifice suscipit Subdiaconus, & ponit in Sindonem, quæ eum sequitur, quam tenent duo Acolythi. Item Subdiaconus cum calice vacuo sequitur Archidiaconum; & Pontifice oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eam amulos, seu vasa, quibus vinum continebatur, & refundit in calicem majorem. Novissimè verò Sacerdotes, & Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare. Imperator etiam, Monachi & Virgines ad altare suas offerebant oblationes; Cantores verò in suo loco aquam vino miscendam offerebant. Tunc Episcopus redit in sedem, & manus lavat, quibus lotis accedit ad altare. Tunc Subdiaconi levantes oblata de manu Subdiaconi sequentis porrigunt Archidiacono, & ille componit altari, accipiénsque oblatas, ponit

definitos, nunc autem denuò comprobatos brevitatis causâ prætermittimus, præcipui illi sunt, quibus Eusebianorum in abdicandis Episcopis audacia restringitur & primæ judicandi vices, quæ Pontifici summo competunt, exponuntur. Decernebatur autem (i), ut Episcopus, siquidem se in Synodo contra jus ac fas damnatum esse existimet; ad Pontificem Romanum recurrendi polleat facultate (†). Unde pariter interdictum est (k), ne alius Episcopus ante sententiam supremi istius judicis in locum alterius substituatur. Statuta Patrum Synodicis literis, tum etiam ad Julium Pontificem (l), atque ad Alexandrinam (m), aliásque Ecclesias (n) perscripta sunt.

(i) Can. 3.
(†) Reflexio VIII.
(k) Can. 4. & 5.
(l) CC.T.I. apud Harduin. p. 654.
(m) Ib. p. 655
(n) Ib. p. 662

Arianorum Pseudo-Synodus Sardicensis sive Philippopolitana.

14. Dum Spiritûs S. operâ Episcopi in Sardicensi cœtu conciperent ea, quæ ad fidei ac disciplinæ integritatem opportuna censuerant; Orientales Philippopoli adulterinum conventum cogunt (o), in quo contra Julium Papam, Hosium Cordubensem, Protogeném que Sardicensem & Maximinum Trevirensem, aliósque Præsules Catholicos anathematis sententiam (p) proferunt, eâ potissimùm de causâ, quòd in suam communionem receperint Athanasium, atque illos, quos in Conciliis legitimè ab Ecclesia resectos mentiebantur (q). Subinde sextam fidei confessionem concinnantes, ad speciem blasphemias Arii condemnabant; nam suppressâ Consubstantialis voce Hæresiarchæ Principium animo complexi (r), sequelas, quæ ponè inde fluebant, per exteriorem verborum periphrasin ineptissimè diffitebantur; non jam Ariani amplius, sed Semiarianorum, qui posteà delirarunt, Duces futuri (s). Quò verò authoritatem Conciliabulo accerserent, Synodicam quasi à Sardicensi Synodo profectam in Africam (* 17), aliás-

(o) Socrat. l. 2. c. 20.
(p) August. epist. 163.
(q) Hilar. fragm. 25.
(r) Sozom. l. 3. c. 10. 11. Hilar. Syn. p. 129.
(s) Hilar. frag. 2. p. 28. Sozom. l. 3. c. 11.

ponit tantas super altare, quantæ possunt populo communicanti sufficere. Diaconus acceptæ à Subdiacono aquæ modicum refundebat in calicem, faciens crucem; deinde Pontifici offerendum exhibebat. Eorúmque nomina, qui obtulerant, recitabat Diaconus: ut habet *Innocent. I. epist. ad Decent. Eugub.* Demum quia à plerísque plures panes offerebantur; residuum panis in duas dividebatur partes: ex una fiebant Eulogiæ, sive panes benedicti, qui non communicantibus in fine missæ distribuebantur. Altera pars dabatur Ministris.

(* 17.) *Cresconius* Donatista (ut habet AUGUSTIN. Concil. Carth. 2.) conatus est probare suos communionem habuisse cum Patribus Sardicensibus, quia Semiariani ex illo Conciliabulo Acta sua transmiserant *Donato* Carthaginiensi Schismatico; sed Augustinus Sardicense dicebat esse Arianorum omnino Concilium; necdum enim noverat aliquid

aliásque Provincias transmisêre. Hoc impietatis negotio peracto ad Constantium cito itinere redeunt, cujus auribus deinceps malitiosiùs ingerebant, Thraciæ Episcopos præcipuos fuisse, qui desertâ Orientalium causâ turpi transfugio ad Occidentales defecissent: ob tenuem proinde suorum numerum evenisse, ut religio, fidésque ab Adversis partibus proderetur (t). Hæc cum falsò jactarent; Constantius furore amens Philagrium in Thraciam mittit, qui Episcopos vinculis, exilio, ac etiam pœnâ capitis mulctaret. Crudelitati modum posuêre Legati, quos Synodus, quósque Constans Imperator ad fratrem direxerat (u): his quippe in mandatis datum fuit, ut exhibitis Constantio Patrum Sardicensium decretis, Athanasium cum cæteris Episcopis restitui flagitarent. Dum quid ageret, Imperator longiùs deliberat; Stephanus Antiochensium Pseudo-Episcopus ad Legatorum authoritatem infringendam scelus immane aggreditur (x). Hominis pessimi lenocinio usus, de nocte mulierculam in cubiculum Euphratæ Episcopi Coloniensis (* 17) & Legati Pontificii immittit unà cum aliis insidiarum consciis, qui, ubi dolus succederet, facinoris testimonium perhiberent: ad ingredientium strepitum excitatus Præsul senio admodum confectus, velut ad dæmonis conspectum exterritus opem suorum inclamat; ab advolantibus, citò (ut quisque proximus

(t) Athanas. ad Solitar. p. 354. n. edit. p. 820. v. e.

(u) Theodor. l. 2. c. 8.

(x) Idem c. 9.

Arianorum impia fraus adversus Euphratam Legatum.

aliquid de Synodo verâ Sardicensi, ejúsque Canonibus, quibus Gratus Catholicus Episcopus Carthaginiensis cum pluribus Africæ Episcopis subscripserat; unde etiam evenit, ut Catholici etiam Episcopi in Africa Canones de appellationibus, quos legitimos esse ignorabant, admittere primò noluerint.

(* 17.) BAILIUS Tom. II. CC. p. 66. ex Actis Synodi Agrippinensis hæc refert: *De nomine Euphratæ, qui Christum Deum negavit, Maximinus Episcopus dixit: Quia Dei voluntas Patris nostri Jesu Christi voluit nos juxta postulatum fratrum ad hoc Agrippinense oppidum convenire, propter perditum, & blasphemum Euphratam, quem omnis mundus jam ore Domini cognovit esse damnatum.* Ex his nunc dubium oritur, an idem Euphratas, qui in Agrippinensi Concilio anathema tulit, anno 346. subsequente anno ad Constantium missus sit tanquam Legatus rei Catholicæ: BARONIUS negat, Synodum ejusmodi fuisse Agrippinæ; eoquòd minimè decuisset infami adeo notâ inustum hominem post tam breve tempus (etiamsi palinodiam recantâsset) legationi tam honorificæ adhibere. Alii verò cum Pagio Tom. I. ad a. 346. n. 6. supponunt duos Euphratas, quorum prior propter crimina fuerit abdicatus, alter verò perfunctus sit his legationibus. HENSCHENIUS ad XIII. Maji in V. Servatii ita commentatur: *At cùm in diversis Episcoporum Catalogis duos ejusdem nominis Episcopos eandem Ecclesiam successivè sæpiùs rexisse legere sit; existimo, tam Episcopum in Concilio Coloniensi depositum, quàm Episcopum in ejus locum subrogatum, Euphratam seu Euphratem vocatam fuisse, perperámque secundum seu Orthodoxum cum priori, qui Hæreticus fuit, confundi.*

mus erat) domeſticis, ſcortum, ſociíque ſceleris comprehenſi, & in quæſtionem adacti, id, quod fraudis ſuberat, ſimúlque authorem calumniæ confitentur (y). Neminem magis pudebat, quàm Conſtantium à ſuis tam enormi flagitio jura legationum violata fuiſſe: itaque querelis Vincentii Capuani Epiſcopi & Saliani oratoris aliquid daturus Stephanum ſuâ ſede expelli: ac ne integrum beneficium foret; Leontium Eunuchum, ſive hæreticum hæretico ſurrogari jubet (* 18). Decem menſes inde effluxerant, quibus Legati pro Epiſcoporum Orthodoxorum reſtitutione reſponſi nihil receperant: Conſtans intellectâ fratris obſtinatione, precibus addit minas; ſe, niſi votis annueret, armatâ manu Epiſcopis ſedes redditurum (z). Conſtantius, cujus exercitus eodem tempore à Perſis non unà clade affligebatur, novum Conſtantis bellum declinaturus, ultrò Præſules exules admittit, iteratíſque literis Athanaſium Antiochiam ad curiam regiam evocat; eíque ſedem Alexandrinam, quæ tunc per mortem Gregorii vacabat, ampliſſimâ pollicitatione addicit (a).

A. Æ. C. 348.

(y) Athanaſ. ad Solit.

(z) Socrat. l. 2. c. 22. & 23.

(a) Athanaſ. ad Solit. p. 356. n. ed. p. 823. v. ed.

15. Eodem tempore Gratus Carthaginienſis Epiſcopus, & Cæciliani Succeſſor ex Sardicenſi Synodo in Africam redierat, ubi commendatis Patrum ſanctionibus id porrò curavit, ut Conſtantis Principis auxilio pax in Afrorum Eccleſiis firmaretur. Quamprimùm miſſi ab Imperatore Legati concordiæ reſtaurandæ causâ in Africam venerant (b); diſpenſatis liberaliùs Eleemoſynis inculcare unitatis ſtudium ſuſcipiunt. Infremuit Donatus ad has pias molitiones, concitatóſque Circumcelliones in tumultus, rabiémque

A. Æ. C. 348.

Concilium Carthaginenſe primum.

(b) Optat. Milevit. l. 3. de ſchiſm. Donat.

(* 18.) TILLEMONT Tom. VI. 2. P. a. 42. *Hiſtoir. Eccl* Leontius erat natione Phryx, ingenio ſubdolus, & ſi Philoſtorgio Ariano fides eſt; fuit diſcipulus S. Luciani Martyris: Ario à primis initiis ſe addixerat, unde ab Euſtathio Antiocheno excluſus eſt à Clero; ſed quando hic vir ſanctus in exilium ejectus eſt anno 330. non modò Leontium recepêre Ariani, ſed & Epiſcopum creârunt contra leges Nicænas; nam præter hæreſin, malè notatus erat à conſuetudine, quæ ei cum puella Euſtathia interceſſerat: ſuſpicionem igitur ut aboleret, vel potiùs ut liberiùs cum illa vivere poſſet; ſe ipſum exſecuit. Facinore hoc non ſuppreſſit ſcandali famam, ſed auxit, presbyteri gradu, quo fungebatur, meritò ideo depoſitus. In Epiſcopatum ubi irrepſiſſet; decem ferè annis Anomæorum hæreſin animo altiùs texit: & quoniam alii in glorificatione filii particulam *&* conjunctivam more Eccleſiæ adhibebant: *alii* verò canerent *gloria Patri per Filium in Spiritu S.*, ipſe Leontius glorificationem ſubmiſsâ voce proferebat: qualis tamen eſſet, ex hoc conſtabat, quod nonniſi Arianos ordinaret, præcipuè Aëtium, Eunomii peſſimi Magiſtrum. Vide plura, *apud Athanaſium in epiſt. ad Solitarios* p. 630.

que agit: audaciæ comprimendæ admoventur milites, ínque Donatiſtas tunc variis ſuppliciis ſævitum eſt (c). Diritas pœnarum poſtquam procellam diſcuſſiſſet; Gratus velut pace reſtitutâ Epiſcopos ad Concilium invitat, quòd hodie primum Carthaginienſe appellatur, eoquòd ex iis, qui anteà ibidem celebrati fuerant conventus, hujus duntaxat acta ab injuriis temporum primò vindicata ſuperſint (* 19). Congreſſi Præſules quatuordecim edidère Canones (d), quibus decreverunt, ne quis more Donatiſtarum cuiquam alterum baptiſmum impertiat (e); ac ne iis, qui ex inſania Circumcellionum ſibi manus attuliſſent, Martyrum honores habeantur (f). Juſſerunt quoque, ut alienus Clericus ante non ordinaretur, dum literas ſui Epiſcopi exhiberet (g); útque Clerici à ſæcularibus procurationibus abſtinerent (h): aut ſi implicati quidam negotiis ejusmodi exiſterent, ante datas rationes Clericali ordini haudquaquam adlegerentur (i). Demum præceperunt, ut ſiquis Clericus tumidus vel contumelioſus extiterit in majorem natu: vel aliquam cauſam habuerit; ſi Diaconus eſt, qui arguitur à tribus vicinis Epiſcopis: ſi Presbyter à ſex; ſi Epiſcopus à duodecim conſacerdotibus audiatur (k).

(c) Auguſt. Tract. 11. in Joann.

(d) v. Schelſtrat. Diſſert. III. de Eccl. Afric.

(e) Can. 1.

(f) Can. 2.

(g) Can. 5.

(h) Can. 6.

(i) Can. 8.

(k) Can. 11.

A. Æ. C. 349.

Athanaſius redit ad ſuam Eccleſiam.

16. Interea ad Athanaſium tertia Conſtantii epiſtola pervenerat, quâ in Orientem ínque ſuam ſedem revocabatur. Aquileja proinde, quorſum Præſul Sardicâ digreſſus fuerat, ad Conſtantem primùm in Gallias, dein Romam ad Pontificem Julium abit; & ab utroque acceptis literis, mox Antiochiam cito itinere contendit

(* 19.) SCHELSTRATE *de Eccleſia Africana Diſſert. III. c. I.* viguit initio Eccleſiæ diſciplina ab Apoſtolis tradita: & quia recens eorum memoria; non indigebant primitivi fideles ſcriptis Canonibus, & renovatoriis traditionum ſtatutis: hinc Concilia ſecundo & tertio Sæculo in orbe Catholico habita nullos Canones edidèrunt, ſed ſi quæ adunata fuerint, vel ad ſopiendam hæreſin, vel ad componendam circa Perſonas controverſiam plerúmque celebrata ſunt. Prima poſt Apoſtolos Concilia, quæ dogmatis definitionem attigerunt, fuêre de Paſchatis die ſub Victore Papa ad Sæculi ſecandi finem tempore Tertulliani Carthaginienſis presbyteri, qui dum notavit, Græcos ſuo tempore conventus habere conſueviſſe de rebus Eccleſiæ; morem illum in Africa nondum receptum fuiſſe indicavit. PRIMUS Epiſcoporum conventus, quem novimus, fuit ille, qui ſub *Agrippino* habitus eſt anno 215. à ſeptuaginta Africæ & Numidiæ Epiſcopis pro rebaptizandis HH. *Cyprian. Ep. ad Quirin.* SECUNDA Synodus fuit *Lambeſitana* occaſione Privati Hæretici, qui depoſitus eſt; ad a. 240. *Cyprian. ep. 55. ad Cornel. PP.* TERTIA Carthaginienſis Donati: *Cyprian. epiſt. 66. ad Clerum.* QUARTA in cauſa Lapſorum à Cypriano habita. *Idem epiſt. ad Antonianum &c.* de reliquis Synodis Africanis mentionem jam fecimus in Tom. I. noſtræ Hiſtoriæ ſub finem p. 686.

tendit (l). Redeuntem Constantius placido vultu ubi fuisset complexus; Athanasius queri cœpit de calamitatibus toleratis, id maximè rogans, ut Adversariorum criminationes coram Cæsare diluere liceret (m). At Constantius Episcopum deliniens, se obliteraturum ea, quæ infestiùs acta essent; ac ne porrò fierent, calumniatorum dicacitatem compressum iri, interposito jurejurando recepit. Quo beneficio devinctum jam Athanasium ratus, ex consilio suorum hoc vicissim ab Episcopo expetiit, scilicet ut Arianis Alexandriæ unam saltem Ecclesiam adsignaret; eoquòd hi crederent se religione prohiberi, quo minùs sacrorum cum cæteris communionem habeant (n). Athanasius nihil cunctatus votis Constantii se omnino satisfacturum reposuit; dummodo & Antiochiæ Catholicis æqualis favor concederetur (o). Imperator ad hæc verba attonitus primùm hæsit: dein cum Arianis collato consilio à pactione ejusmodi abstinendum censuit; ne per eandem Catholicis (quorum innumerabilis Antiochiæ multitudo erat) plus beneficii atque Hæreticorum Alexandriæ degentium tenui numero accederet. Itaque Athanasius amplis cum literis in Ægyptum remissus est: Palæstinæ Episcopi primi fuêre, qui Hierosolymis in Synodum congressi redeuntem Præsulem ingenti cum solatio exceperunt (p). His subinde alii accessêre, quos metus, aut temporum acerbitas ab Athanasii partibus abstraxerat: plus lætitiæ publicæ omnis ætas ac sexus exhibuit Alexandriæ, quam urbem ubi Athanasius ingrediebatur; Ecclesiæ fides, gregi amantissimus Pastor, afflictísque Pater redire visus est (q). Triumphanti hunc in modum Athanasio ab ipsis adeò hostibus gloriæ cumulus accessit: præterquam enim quòd complures pudore suffusi, ac suppressâ calumniarum suarum conscientiâ gratulantium vocibus se miscerent; tum Ursacius & Valens eodem tempore recantabant id, quod maligniùs duos ante annos Mediolani coràm conferto Patrum cœtu in sanctum Antistitem confinxerant (r). Collegerat Romæ Pontifex Episcoporum conventum, ad procudendum ultimum illud telum, quo Photinus Mediolanensi in Synodo jam proscriptus, tandem penitus ab Ecclesia profligaretur. Occasio igitur tam opportuna ab Ursacio & Valente arripitur, cùm enim versatile hoc hominum genus sectæ Arianorum linguam,

(l) Socrat. l. 2. c. 23.

(m) Athanas. ad Solit. p. 356. n. ed. p. 823. v. e.

(n) Sozom. l. 3. c. 20.

(o) Theod. l. 2. c. 12.

(p) Athan. Apolog. adv. Ar. p. 175.

(q) Socrat. l. 2. c. 24.

(r) Hilar. frag. 1. p. 23. 24. 26. 27.

Ursacii & Valentis ficta pœnitentia.

guam, operámque commodâſſet, timeretúrque modò, ne reſtituto Athanaſio hæreſis illa peſſum iret; mutato conſilio pœnitentium ſpeciem, integriorémque fidem profeſſi, quidquid iniquiùs in Athanaſium evomuerant, ſimul deteſtantur. Teſtificatio iſta, quæ à ſimulatione tunc longiùs abeſſe videbatur, Julium permovit, ut viros Eccleſiæ; dein etiam Athanaſii communioni reddiderit (s).

(s) Sozom. l. 3. c. 24.

A. Æ. C. 350. & 351.

17. Neque tantùm Alexandrina civitas hunc annum auſpicatum habuit; ſed & cæteras Eccleſias legitimi Epiſcopi ſuo reditu recreârunt. Quantacunque ſpes orthodoxis inde enaſcebatur; brevì tamen hæc morte Conſtantis Auguſti (Magnentii artibus occiſi) proſtrata eſt. Conſtantius Edeſſæ Perſarum bello intentus agebat, dum nuncium ei affertur de exceſſu fratris, ſimúlque de Magnentii per Galliam, & Vetranionis per Pannoniam Tyrannide; periculi magnitudine excitus Imperator, paucis ad Orientis fines relictis, cum maximâ exercitûs parte Pannoniam versùs movet: redacto illinc in ordinem Vetranione, in unum Magnentium arma deinceps expedit: ſed dum præmiſſis copiis, Syrmii adhuc moratur; medios inter belli tumultus quæſtio fidei agitanda ſuſcipitur (t). Photinus nimirùm ejus loci Epiſcopus ob Sabellii, & Pauli Samoſateni errores non uno jam fulmine territus, adeò non ab impietate deſtitit; ut palàm ſuis dogmata peſſima venditaret. Ad lupum igitur penitus ſubmovendum, viginti duo Orientis Epiſcopi Syrmii in Synodum congreſſi hominem exauthoratum Eccleſiâ ejiciunt: Catholicos ob zelum iſtum crediďiſſes judices, niſi quales fuerint, ex teſſera fidei eodem tempore ab illis edita, intellectum eſſet (u). Septima hæc erat Arianorum confeſſio, & Prima formula Syrmienſis (*20), in quâ quia nomen Conſubſtantialis ſtudio ſupprimebatur, ab D. Athanaſio reprobata: à S. autem Hilario mitiùs accepta; propterea quod nihil adverſus Catholicum dogma palàm enuntiaret. Teſtificationi fidei ſatis

(t) Socrat. l. 2. c. 28. & c. 29.

In Synodo Syrmienſi damnatur Photinus.

(u) Idem c. 30.

Formula Prima Syrmienſis.

(* 20.) Formulam primam Syrmienſem à *Marco Arethuſio* græcè concinnatam, HILARIUS de Synodis ita latinè refert: *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem . . . & in unicum ejus filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ante omnia ſæcula ex Patre natus eſt, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta ſunt omnia, . . . qui eſt Verbum & Sapientia & Virtus & Vita, & Lumen verum. Qui in noviſſimis diebus propter nos incorporatus eſt, & natus de S. Virgine &c.*

ſatis ancipiti, viginti ſeptem anathemata ſubjecerunt, quæ tantâ vocum intemperie confuſa ſunt, ut authorum fidem apertiùs demonſtrarent; nam cùm filium Patri nec æquandum, nec comparandum: ſed ei ſubjectum & in creatione mundi tanquam Miniſtrum Paternæ voluntati obſecutum dicerent; non obſcurè, quibus Arii deliriis agerentur, profitebantur (*21). Integritatis plus habent, quæ in his anathematis contra Photinum proferuntur: verùm idem Hæreſiarcha his fulminibus non antè ceſſit (x), dum cum Adverſariis in publica diſceptatione acerrimè denuò colluctatus, tandem victas dare manus, & Geminio Cyziceníi Ariano Syrmienſis Eccleſiæ ſedem relinquere debuerit.

(x) Epiph. H. 71.

18. Athanaſius de damnatione Photini edoctus, diligentiùs inquirere cœpit de ejus Magiſtro Marcello Ancyrano (y). Vindicaverant hunc ab errore Julius Pontifex, ac Synodus Sardicenſis: ſed quoniam aliquot annis exactis, Photini doctrinam ambiguis prædicationibus evulgare denuò aggreſſus eſt; re compertâ Athanaſius nova molientem Marcellum à communione repulit (z). Ariani occaſionem ejusmodi opportunam rati, Sardicenſis Synodi decreta ſuffodere incipiunt, in id maximè incumbentes; quòd genuinum eorum Patrum judicium haberi non poſſit, qui Marcellum tot errorum reum abſolviſſent. Quæ quidem eo conſilio in controverſiam adducebant, ut Concilio falſitatis unâ ex parte inſimulato, ſimul decretum illud Synodi affligerent, quo Sardicæ Athanaſius omni ſceleris ſuſpicione exemptus fuiſſet. Erat hoc velitationum quarundam genus, quod tunc in commune bellum prorupit, quando Conſtantius Magnentii Victor Imperii univerſi Principatum obtinuit: nec defuêre cæleſtia ſigna, quæ calamitatem Eccleſiæ futuram loquerentur; nam anno præcedente 351. Cyrillus (qui Maximo Hieroſolymorum Epiſcopo proximè ſucceſſerat) Crucem è cælo refulgentem deſcribit, cujus radii ſuper montem Golgotha & usque ad ſanctum Olivarum montem protenſi,

Photinus ſede ſuâ ejicitur.

(y) Sever. Sulp. l. 2. c. 52.

(z) Hilar. in fragm.

A. Æ. C. 352.

Ariani impugnant Synodum Sardicenſem & cur?

(* 21.) Ex ANATHEMATISMIS Syrmienſibus, III. ita habet: *Si quis unum dicens Deum, Chriſtum autem Deum ante ſæcula filium Dei obſecutum Patri in creatione omnium non confiteatur, anathema ſit.* XVIII. *Si quis Dominum & Dominum, Patrem & Filium, quia Dominus à Domino, duos dicat Deos, anathema ſit. Non enim exæquamus vel comparamus Filium Patri, ſed ſubjectum intelligimus.*

tensi, populum ad instantium periculorum trepidationem commovêre (*22). Quo minùs ærumnas ejusmodi cælesti hâc linguâ prædictas, Julius Pontifex experiretur, ad cælestem Patriam evocatus est anno 352. die duodecimâ Aprilis, postquàm sedisset annos quindecim, menses duos, dies sex (a).

(a) Pagius in Brev. PP. T. I. p. 89. n. 9.

Mors Julii Pontificis.

19. Defuncto suo Protectori Athanasius justas lachrymas dedit; prævidebat enim S. Antistes jam cladem illam, quæ post tanti Pontificis casum in Ecclesiam, ínque Episcopos, atque in se esset proruptura (b). Initia tantarum ærumnarum fecêre Ursacius, & Valens: hi quippe ad vomitum sive Arii partes reversi, dum mentiebantur se ad ea, quæ in Athanasii favorem coram Julio dixissent, metu Constantis adactos fuisse; simul Constantium belli felicissimo eventu jam inflatum in novum adversus Orthodoxos bellum impellunt. Nec mora, Paulus è Constantinopolitanâ sede ejectus, vinctúsque catenis (c) Cucusum relegatur: ab Athanasio atque ejus Ecclesia, suetum frumenti aliàs suppeditati pensum ad Arianorum Pseudo-Episcopos transferebatur. His aliísque injuriis appetitus Athanasius quinque è suis Præsules in Occidentem ad Imperatoris comitatum dirigit (d), causam, ut res postulabant, acturos: verùm Arianorum artibus Legatio ista facilè elusa est, quin aliæ literæ quasi Athanasii nomine scriptæ Cæsari exhibebantur, quibus is rogare fingebatur, ut sibi in Occidentis venire partes liceret (e): sperabant enim Hæretici Athanasium, siquidem à Constantio ex Ægypto arcesseretur, in peregrinis terris extra suorum, quos devinctos habebat, conspectum sine negotio opprimi posse. Imperator petitioni (quam Athanasii esse, falsò credebat) indulgens, eundem Antistitem facultate imper-

(b) Athanas. ad Solit. p. 360. n. ed. p. 828. v. e.

Ursacii & Valentis perfidia.

(c) Socrat. l. 2. c. 16.

(d) Sozom. l. 4. c. 9.

Persecutio adversus Athanasium aliósque Episcopos.

(e) Athanas. Apolog. ad Constant.

A. Æ. C. 353.

(* 22.) CYRILLUS Epist. post Catechef. ad Constant: *Sanctis hisce diebus sanctæ Pentecostes, nonis Maji circa horam tertiam, omnium maxima Crux, ex lumine constituta, in cælo super sanctissimum montem Golgotham, & usque ad sanctum montem olivarum extensa apparuit, non uni tantùm & alteri; sed universæ civitatis multitudini manifestissimè ostensa, & compluribus horis supra terram apertè conspecta, coruscis splendoribus radios superans solares . . . Universa civitatis multitudo illico ad S. Ecclesiam concurrit metu divini illius prodigii, non sinè lætitia concitata . . . concordi & uno ore omnes Jesum Christum Dominum nostrum, Filium Dei Unigenitum, ejusmodi mirabilium effectorem laudabant, reipsâ & experientiâ discentes, quod Christianorum pientissimum dogma, non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione Spiritûs & Virtutis, non ab hominibus tantùm annuntiatum, sed de cælis testificatum.*

impertit in Occidentem, ubi Augustus tunc agebat, commigrandi. Acceptis Constantii literis Athanasio suboluit, unde & quem in finem machinationes ejusmodi subornatæ forent: consistendum itaque in Oriente existimavit; eoquòd Augustus oblatâ profectionis veniâ, iter haudquaquam imperâsset. Id posteaquàm Ariani velut contumaciæ facinus apud Cæsarem exposuissent; alias addidêre criminationes, quibus Constantii bilem omnino irritarent. Nam Principi in memoriam revocabant non tantùm Constantis minas, quas ab Athanasio ad belli metum usque concitatas fingebant; sed & alias literas afferebant in medium, quas idem Præsul ad Magnentium scripsisse amicitiæ & fœderis causâ dicebatur. His supra modum exulceratus Imperator Athanasium ejicere Ecclesiâ decernit: ne tamen causæ æquitas deesse videretur; ad Liberium Pontificem judicium defertur, ut ille cum reliquis Occidentalibus Episcopis communione Athanasium submoveret (f). Pontifex quia octoginta Episcoporum (qui Alexandriæ convenerant) testimonium pro Athanasii integritate ad manus habebat; adduci haudquaquam ad ferendam sententiam potuit: Præsulibus etiam, quos Liberius in Consilium vocaverat, è re visum est, si Vincentius Capuensis & Marcellus ex Campania Episcopus ab Imperatore omnium nomine peterent, Aquilejæ Congregari Concilium, quo inspecta penitiùs causa definiretur. Constantius moras istas indignè ferens, in Arelatensi urbe (ubi tunc constiterat) cogi Synodum è vestigio præcipit (g): Damnatio Athanasii primum caput erat, quod urgebatur. Legati Pontificis, ut laqueum evaderent, conditionem difficillimam causæ apponunt: nempe anathema Athanasio se non ante dicturos; dum singuli Episcoporum Ario, ejúsque doctrinæ maledixissent (h). Id cùm ab Arianis plerísque rejiceretur; Luctatio utrinque acerba fuit; cui finem impositurus Imperator lege edixit: ut qui in damnationem Athanasii non subscriberet, in exilium pelleretur. Paulinum Trevirensium Episcopum comminatio ista adeò non terruit, ut in Phrygia exul mori maluerit, quàm eum condemnare Antistitem (i), per cujus latus Ariani Ecclesiæ viscera petere molirentur: verùm mollior ad pœnarum metum Vincentius Capuanus tandem subscripsit. Prævaricationis genus ubi Liberius acce-

(f) Liberii Epist. ad Hosium. Hilar. in fragm. pag. 1330.

(g) Sever. Sulpit. l. 2. c. 54.

(h) Liber. Epist. ad Constant.

(i) Hieron. in Chronic.

Prævaricatio Legatorum Liberii Pontificis.

accepit, in tristissimam hanc vocem prorupisse fertur: *Moriendum magis pro Deo decrevi, ne videar novissimus delator existere* (* 23). Afflictum Pontificem Lucifer Calaritanus nonnihil solatus est; nam alterâ legatione ab Imperatore se consecuturum pollicebatur, ut sententia tumultuario in cœtu concepta, meliore sacerdotum judicio emendaretur: hìc igitur dum Liberii cum literis, paucísque sociis ad Comitatum Constantii pergit, Pontifex Eusebium Vercellensem (k) monendum duxit, ut & ipse pro fidei suæ ardore se legationis jungeret socium; erat enim vir sanctimoniæ famâ percelebris, è Sardinia oriundus, unde Romam translatus inter Lectores locum obtinuit: subinde virtutis famâ crescente Vercellensis creatus Episcopus, duo, quæ diversa hucusque visa fuerant, & Clericorum officia & instituta Monachorum conjunxit, extra

(k) Liber. epist. 3. & 4. ad Euseb. Vercell.

Eusebii Vercellensis institutum.

(* 23.) Ex hoc fortitudinis consilio refutatur illud, quod de Liberio quidam dicere audent: nempe eundem Pontificem metu Orientalium sub Papatûs sui initium Athanasio non communicâsse; è contrario quod Liberius non in communione Orientalium, sed Athanasii fuerit, ex Epist. 2. ejusdem Pontificis ad Constantium fit manifestum: *Ego*, ait, *religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita internâ dispositione fallaciæ; sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantùm negotium, sed alia multa in medium venerant, propter quæ Concilium fieri, mansuetudinem tuam fueram deprecatus. At ante omnia (quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio) cùm fidei causa, in qua nobis prima spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata .... significant Orientales paci se nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo cùm apud Mediolanum Arii hæreticam sententiam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exiêre. Horum, si fas est sententiis, quale sit, aut quid habeat, commodare consensum, æquitas & Clementia tua poterit æstimare. Non est novum, quod non subtiliter, & sub occasione nominis Athanasii attentetur. Manent literæ Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significat, ante ordinationem Athanasii, undecim tam Presbyteros, quàm Diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesiâ ejecisse; ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positi, dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius in Alexandria per literas communicare. Quæ ergo potest pax esse, si Episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire &c.* ATHANAS. ad Solit. p. 364. n. edit. refert: quod Liberius Eunucho Constantii Romam profecto & subscriptionem damnationis Athanasii urgenti ita responderit: *Qui, quæso, adversus Athanasium id agatur, quem non una solum, sed & altera Synodus, scilicet Sardicensis ex toto orbe coacta purum, innoxiúmque declaravit, quem Romana Synodus cum pace dimisit; quo pacto eum damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem præsentem ad communionem admisimus, absentem aversemur? non Ecclesiastici Canonis illud est, nec talem unquam à Patribus accepimus traditionem, quam ipsi à Magno & beato Apostolo Petro accepêre. Sed si Ecclesiasticam pacem curat Imperator; si jubet abrogari, quæ apud nos pro Athanasio scripta sunt; abrogentur pariter, quæ ab illis adversus eum & alios gesta fuerunt.*

extra omne mulierum consortium communem vitam cum Clericis suis agens in paupertate, & jejuniis, orationibus & lectionibus (l). (l) Ambros. epist. 63. & 82.

A. Æ. C. 354.

20. Virorum tantorum existimatio Constantio persuasit, ut Mediolani Synodum Congregari juberet: ex Oriente pauci, ob itineris difficultates, plures sive trecenti ex Occidente Præsules ad Conventum indictum approperârunt (m): anteà verò quàm Concilio daretur initium, Constantius id acerbè molitus est, ut Episcpos metu ac vi ad dicendam adversus Athanasium sententiam inclinaret (n): plurimis igitur hâc ratione devictis, Eusebius Vercellensis ad eam Synodum accedere religioni habuit, in quâ veritati nec locus, nec libertas foret. Adactus tandem Imperatoris literis, venit eo animo; quo se trepidantes Præsules ad frugem revocaturum sperabat (o). Et profectò Mediolanum necdum ingressus obvium habuit Dionysium ejus urbis Episcopum, veniam sui erroris deposcentem: causam, criménque ab Eusebio rogatus, inter lachrymas reponit, subscribentibus contra Athanasium reliquis Episcopis, se quoque minis emollitum, ut nomen suum prævaricantium syllabo apponeret. Ingemuit Eusebius ad viri integerrimi casum: & quia artem arte eludere necesse erat; pio dolo eum ab hac macula eripiendum promisit. In cœtum igitur malignantium ubi pervenisset; jámque & ipse Eusebius urgeretur, ut Dionysii exemplum secutus, ad damnationem Athanasii Symbolam suam, nomenque afferret (p); negavit omnino se seniorem Patrem (cujus Dionysius nonnisi filius foret) infra juvenem hunc subscripturum. Cùm enim ipsi ferre non possent ut Filius Dei Patri æqualis dicatur; suæ dignitati quoque indecorum fore, siquidem filium Dionysium sibi antehaberi pateretur (q). Ariani subscriptioni tanti viri inhiantes, chirographum (in quo Dionysii, aliorúmque Episcoporum extabant nomina) extemplo incendunt; tum aliam paginam porrigunt, in qua primas scribendi vices Eusebius haberet. At S. Præsul vindicato hunc in modum Dionysio derisit Arianos: atque ut ostentaret eos piâ fraude deceptos, in Constantii faciem testabatur, nihil esse, cur eorum sceleribus suos pollui deinceps permitteret; monebat autem, ut si quæ integritas illis esset, subscribendam antè

(m) Socrat. l. 2. c. 36.

(n) Theodor. l. 2. c. 15.

Synodus Mediolanensis.

(o) Ughell. T. IV. Ital. Sacr.

Eusebius Vercellensis pio dolo à numero lapsorum Dionysium vindicat.

(p) Hilar. ad Constant. l. 1.

(q) Ambros. Serm. 56. apud Ughell.

Eusebii Vercellensis fortitudo & patientia.

fidei Nicænæ formulam darent, quâ ab omnibus signatâ, de hæresi singulorum aut vitio posset decerni. Hæc prolocutum Ariani indignissimis modis excarnificant: & quoniam frangi tormentis nequibat; Scythopolim Palæstinæ urbem in exilium amandatur. Ab Antesignano Catholicæ fidei ad vexationem reliquorum Episcoporum deventum est: in Concilio nimirum Ecclesiastico armatus præsidebat Constantius, authoritate supremâ & vi cuncta definiens: Ursacius & Valens perfidi desertores calumnias in Athanasium licenter evomebant, quibus assertis cùm nihilominus Episcopi damnare Præsulem non auditum, toties absolutum & nunc denuò falso insimulatum renuerent, causati sibi fas non esse, in fidem Nicænam Canonésque peccare; Imperator his verbis accensus velut è tribunali audaciùs dictabat, voluntatem suam illis Canonum loco esse debere (r), cui si morem gerere cunctarentur, supplicio quovis, & proscriptione pertinaciam castigatum iri. Sancti Episcopi magis ad dictorum impietatem, quàm ad minas attoniti, protensis in cælum manibus Constantium monent, ab Altissimo ei concessam potestatem ad defendendam, non ad opprimendam Ecclesiam: esse proinde, cur timeret; ne datum Deus Imperium adimeret, quo ille nunc abuteretur, jura Ecclesiæ cum Imperii legibus, & Christianitatem cum Arii detestanda hæresi confundendo. Libertas æquissima dicendi iratum Cæsarem adeò de mente dimovit, ut furenti similis stricto primùm ferro cunctis necem comminatus, mox mutato consilio Episcopos à sedibus ejecerit: Lucifer Germaniciam Syriæ, Dionysius in Cappadociam deportati; Hilarius Diaconus summi Pontificis Legatus ad majora tormenta servatus est.

(r) Athanas. ad Solitar. p. 330. n. edit.

Proscriptio Episcoporum Catholicorum.

A. Æ. C. 355.

21. Hæc Mediolani acta, ubi Liberius Romæ audiisset; literis ad exules Confessores missis, eos ad fortiora pro fide toleranda accendit (*24): sed qui Præsules verbis solatus fuerat, subinde exem-

(* 24.) LIBERIUS Epist. 6. ad exules Episcopos ita scripsisse dicitur: *Quo præconio laudis, quâ vocis exultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ, & gaudium gloriæ? prorsus invenire non possum: nisi quod scio, hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me vobiscum in exilium esse daturum. ... Optaveram, fratres charissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exempla gloriæ, per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veniretis .... estote itaque de promissione*

Liberii conſolatoriæ literæ ad Epiſcopos exules.

(s) Athanaſius ad Solit. p. 364. n. ed. p. 830. v. e.

exemplo ſuo illos firmare debuit. Perſuadebatur enim eodem tempore Conſtantio, Occidentis Provincias quantocyus communione Athanaſii deceſſuras; ſi ſummus Throni Apoſtolici Antiſtes ad damnationem viri compulſus fuiſſet (s): id igitur ut impetraretur, Euſebius Eunuchus Romam mittitur, qui minis, aut muneribus Liberium everteret. Sed cùm Pontifex his adeò non flecteretur, ut etiam dona ejus in æde S. Petri depoſita, velut ſacrilegum ſacrificium abjeciſſet; Leontio urbis Romanæ præfecto à Conſtantio injungitur, Liberium dolo Româ ſubductum ad Imperatoris caſtra tranſmittere: noctis itaque conticinio (nam de die ob populi ſeditionem id non licebat) Pontifex à ſede abſtractus Mediolanum deducitur. Primò illinc leniter à Conſtantio rogabatur, ne judicio totius orbis obſiſtens Athanaſium ab omnibus proſcriptum ipſe unus communioni ſuæ illigaret; atque ita pacem Eccleſiæ, quam velut ſupremus Magnæ Romæ Epiſcopus ſalvam velle deberet, unius impii hominis causâ convelleret. Ad hæc Liberius majore fortitudinis ſignificatione reponebat (t): ſibi tum ex divinis, tum ex Eccleſiaſticis legibus cautum eſſe, ne Epiſcopum toties abſolutum criminis condemnet, ni priùs audiatur, aut negotium ejuſdem in judicio cum debita libertate diſcutiatur: in id Cæſari potiùs incumbendum, ut judicum fidem, conſentiatne hæc Nicænæ formulæ? exploret; quo facto in Ægyptum ſe unà cum cæteris Epiſcopis, quorum magnam partem in illis terris jam exulare Imperator juſſiſſet, diſceſſurum, ut ſummâ integritate de controverſiæ monumentis cognoſcatur: è diverſo ſe neque orbis univerſi prævaricatione adductum iri, ut Innocentiæ labem impingat, quin ſe exemplo illorum Juvenum à cauſæ juſtitia minimè deceſſurum, qui ſoli ſtatuam Nabuchodonoſoris adorare detrectâſſent. Conſtantius hâc oratione in rabiem actus confeſtim edicit, intra triduum, Pontificem aut in ſententiam Principis, aut in exilium iturum (u): Liberius tum Imperatoris pedibus acclinis obteſtabatur, ne porrò bellum inferre Jeſu Chri-

(t) Theodoret. l. 2. c. 16.

Liberii Oratio ad Conſtantium.

(u) Athanaſ. epiſt. ad Solitar.

miſſione cæleſti ſecuri: & quia proximiores Deo eſtis effecti, orationibus me veſtrum conſacerdotem, famulum Dei ad Dominum ſublevate, ut supervenientes impetus, qui de die in diem cùm annuntiantur; graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre poſſimus: ut inviolatâ fide, ſalvo ſtatu Eccleſiæ Catholicæ, præmia nobis Dominus dignetur afferre.

Christo præsumeret: quantacunque verò supplicia moliretur, hæc tanti se non facturum, ut causam religionis desereret. Trium dierum spatio (quod ad deliberandum concessum fuerat) exacto, animo immotus Pontifex in exilium abiit Berrhœam, Thraciæ oppidum: proficiscenti ab Augustis mille solidi dati ad sumptus itineris faciendos, quibus Eusebius Eunuchus sua munera quoque adjicere instituit: sed Liberius nudum Christum (cujus causâ exulatum ibat) secuturus, pecuniam rejecit; monens, ut Imperator has opes militibus: Augusta verò Arianis Episcopis erogaret. Tum in Eunuchum invectus, Tune, ajebat, post expilatas utriúsque Imperii Ecclesias, mihi tanquam reo Eleemosynam de tuis latrociniis & sacrilegiis offerre ausis? vade & conscientiæ tuæ consule; atque ubi Christianus fueris, videbo quonam modo agere tecum conveniat.

Liberius in exilium amandatur.

22. Quàmprimùm in Thraciam decesserat exul Pontifex; Clerus Romanus & Archidiaconus Felix (audiente populo) jurârunt, se vivente Liberio Papam alterum nullatenus habituros (x). At Constantius hìc quoque vim suam interponendam censuit: atque utì anteà Dionysio Mediolanensi Auxentium depopulatorem potiùs quàm Christianum, & virum ne latinæ quidem linguæ, sed tantùm hæreseos peritum surrogarat; ita nunc Throno Apostolico in locum Liberii imposuit Felicem Ecclesiæ Romanæ Diaconum. Acacius Cæsareensis Ecclesiæ Episcopus Arianus (y) hunc hominem suis moribus dignum (ut loquitur (z) Athanasius) sacerdotio donavit in Constantii palatio, Eunuchis duntaxat præsentibus. Felix quamvis fidem Nicænam profiteretur; Arianis tamen communionem non negabat (a): quare Romanorum odium in se adeò concitavit, ut, cùm ille divina perageret Mysteria, nullus Ecclesiæ limen contingere dignaretur (*25).

(x) Athanas. de Solit. p. 389. n. ed. p. 831. v. e.

Felix Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus Liberio à Constantio surrogatur.

(y) Hieron. in Chron.

(z) Athanas. ad Solit. l. c.

(a) Theod. l. 2. c. 17.

23. Re-

(*25.) Controversia hìc gravium Authorum subnascitur: scilicet, an Felix Liberio exuli surrogatus legitimus fuerit Pontifex? *Affirmant* Platina, Baronius, ejúsque Annotator Pagius ad a. 355. T. I. Critic. Bellarminus in defensione Felicis Papæ: & rationibus sequentibus nituntur. I. S. Hieronymus in Chronico ad a. 352. ait: *Post annum cum Felice ejecti sunt* Romani Clerici, *quia Liberius tædio victus exilii, & in Hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi Victor intraverat.* Unde concludunt Felici (majorem orthodoxiam ostendenti) sedem Apostolicam à Clero obtigisse, ex quâ ejectus dicitur à Liberio Arianis communicante; quod confirmare videtur Theodoret. l. 2. Hist. Eccl. c. 17.

Sac-

23. Redacto in ordinem (ut Ariani credebant) Liberio, unus adhuc incolumis stabat Hosius Cordubensis Ecclesiæ Episcopus: is quoniam Præsulum Pater atque Christi confessor sexaginta omnino annis suo gregi & diversis per intervalla (*26) Synodis præfuerat; per Occidentem universum suâ authoritate rem Catholicorum

Successum est, inquit, *Liberio à fideli quodam ejus Diacone, nomine Felice, qui fidem in Nicæno Concilio expositam, servavit integram.* II. Extat Epistola Athanasii ad Felicem II. de infestationibus Arianorum: & præter alia monumenta, quæ exhibet Schelstrate in op. Chronol. Antiq. Eccl.: Codex Theodosianus l. 16. T. 2. de Episc. exhibet Constantii legem de Roman. Eccl. Clericorum Privilegiis, datam ad Felicem II. Ep. Rom. a. 357. III. Felix ab Ecclesia colitur IV. Kalend. Aug. ut *Pontifex & Martyr.*, sub cujus nomine etiam Missa invenitur in Sacramentario Gregorii M. IV. Felix Papa Gregorii Atavus à Joanne Diacono dicitur Felix IV., quo numero venire non posset; nisi Felix II. antecessisset. V. In Basilica SS Cosmæ & Damiani, cùm ageretur tempore Gregorii XIII. de eodem Felice; inventa est arca marmorea, cui inscriptum erat: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnavit.* VI. Cum his ferè convenit illud, quod de eodem Felice statuit PAPEBROCHIUS in Conatu Histor. Dissert. 9., nempe legi in Catalogo quodam: *Et congregati Sacerdotes & cum consilio eorum Liberius, ordinaverunt in loco ejus Felicem, Venerabilem virum, Presbyterum & Episcopum.* Tale autem consilium duplici modo proficisci à Liberio potuit, scilicet ut vel ultro abdicante illo, alius Pontifex eligeretur; vel more majorum (in persecutionibus frequentatissimo) jubente, ut pro se ordinaretur Episcopus Vicarius cum jure successionis; si mori ipsum in exilio contingeret. NEGANT è contrario Natalis Alexander Diss. 32. ad sæc. quartum, Dupinius &c. ex his rationibus. I. Quia HIERONYMUS in Chron. ait: *Cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt.* Adhæc Faustinus & Marcellinus testes oculati, in præf. lib., quem Valentiniano & Theodosio obtulerunt, (uti habetur T. V. B. M. PP.) ajunt: *Felix notatus à senatu vel populo, de urbe propellitur; & post parum temporis, impulsu Clericorum, qui pejeraverunt, irrumpit in urbem, & stationem in Julii Basilica trans Tyberim dare præsumit. Quem omnis multitudo fidelium & Proceres iterum de urbe cum magno dedecore projecerunt.* II. OPTATUS MILEVITANUS l. 2. §. 3., & D. AUGUSTINUS Epist. 53. aliàs 165. Romanorum Pontificum seriem recensentes omittunt Felicem. III. Liberius per communionem cum HH. Papatu necdum excidit, quia hæresin nullam professus est: vel si excidisset, isque translatus fuisset ad Felicem; quâ ratione vivente Felice, Liberius reversus ab exilio tanquam Pontifex ab omnibus acceptari potuisset? Neque enim si Felix verus Papa fuerat; redeunte licèt Liberio à suo jure poterat amoveri, adeóque biceps tunc Ecclesia fuisset: si denique Felicem Vicarium duntaxat dicas cum jure successionis; Felix nunquam Pontifex extitit, ut qui ante Liberium è vivis decessit. Solutionem argumentorum exhibet *Natal. Alexander.* l. c. Consulere hìc quoque juvat Dissert. 10. Papebrochii in Conatu Hist., ubi statuit de *Martyrio Felicis II., quam parùm verosimiliter narretur, credatúrque.*

(* 26.) Inter cæteras Synodos, quibus interfuisse dicitur Hosius, numeratur quoque GANGRENSIS in Paphlagonia. Quo anno ea celebrata sit; controvertunt Critici. Alii enim ad annum 340. illud Provinciale Concilium revocant: Alii ad annum 351. accensent, quia Cyrillus Melitinæ Episcopus inter Synodi Patres scribitur, qui eo circiter anno sedere cœpit: PAGIUS monet, Synodum Gangrensem ultra annum 357. pro-

(b) Athanas. ad Solitar. n. edit. p. 369.

Hosii Cordubensis exilium.

(c) Idem p. 361. n. ed.

A. Æ. C. 356.

(d) Idem p. 373. n. ed.

Persecutio Constantii adversus Alexandrinam Ecclesiam.

(e) Athan. Apolog. adv. Constant. p. 309. n. edit. p. 688. v. e.

corum sustinebat (b). Constantium pudor quidam primò absterruit, quo minùs virum à Magno Constantino tanti æstimatum duriùs invaderet; Arianorum tamen artibus subinde inclinatus Præsulem propè Centenarium ex Hispania evocat, blanditiis, minísque urget: ad utrumque verò cùm invictum firmúmque ægro in corpore animum S. Præsul ostenderet; Imperator catenis oneratum, pluribúsque cruciatibus deinceps edomandum raptari Syrmium jubet. Dispersis Pastoribus in gregem procella desævit, cujus acerbitas postquam per Occidentem ab Ursacio & Valente mali incentoribus propagata fuisset (c); Constantius Alexandriam (Athanasii sedem) pari tempestate affligendam censuit (d). Syrianum Ducem exercitûs in urbem eandem advenisse jactabant Ariani, ut Athanasium in exilium pelleret: is igitur à Clero rogatus, ut vel ex scripto Cæsaris mandato discessum juberet, vel si nullum ejusmodi haberet; indulgeret Catholicis vivere extra metum & cœtus solitos peragere, dum ad Imperatorem Legatos direxissent. Postremum concessit Syrianus, sed non sine dolo (e); nam Athanasium unà cum suis conventus sacros celebrantem certiùs se intercepturum sperabat. Accitis intereà quinque armatorum millibus idem præfectus aliquando Ecclesiam circumsidet: mox patefacto per vim aditu, flagris, gladiis, telis in populum, in Virgines, Presbyteros ac Diaconos sævitur: confringitur sacra

prorogandam non esse, quia Hosius (qui interfuit) anno 358. in Hispaniam post lapsum suum reversus est. Sub *Dio* Synodi Præside editi sunt 20. Canones contra Monachos, Eustathii Sebastensis Episcopi & Semiariani discipulos, qui ex nimio vitæ Monasticæ studio nuptias, esúmque carnium damnabant. Præterea ex Synodica colligitur illius temporis disciplina; vi cujus PRIMITIÆ frugum per Orientem Ecclesiis deferebantur: constituta in Ecclesia JEJUNIA omnibus observanda inculcantur; ac vel ideo Patres Gangrenses damnant illos, *qui jejunia die Dominico peragere & sanctitatem Dei liberè aspernari; jejunia* verò, *quæ in Ecclesia sunt constituta, comedendo contemnere* præsumunt. Porrò mentio hìc fit de OBLATIONIBUS, quas faciebant Sacerdotes tum in Ecclesia, tum in privatis ædibus, quas MISSAS vocamus; hinc damnantur, qui nolunt *in domibus conjugatorum orationes facere, quæ preces ibi fiunt despicere, sæpe etiam oblationibus, quæ in ipsis conjugatorum domibus fiunt, non communicare*: demum VIRGINITAS & BONA OPERA laudantur. *Nos autem & Virginitatem cum humilitate admiramur & continentiam, quæ cum castitate & religione suscipitur, approbamus, & renunciationem secularium negotiorum cum humilitate recipimus & Nuptiarum castum vinculum honoramus . . . . & bona opera, quæ supra modum in fratres pauperes exercentur, secundùm Ecclesiasticas traditiones beatificamus.* Illius Synodi Canones recepit semper Ecclesia, eósque ut Apostolicâ authoritate constitutos, sive potiùs confirmatos Laudat Papa Symmachus in Synodo Rom. a. 604.

ſacra menſa cum Eccleſiaſtica ſupellectile: undique Athanaſii nomen inclamatur; & ab hoſtibus quidem, ut vociferatione territum præſulem à fuga ſiſterent: ab amicis verò, ut monitum de periculo patrem ab irruentium manibus vindicarent. Inter morientium ac cæſorum gemitus, intérque ſtrepitum armorum Athanaſio, quin agnoſceretur, elabi licuit (f). Alexandriæ geſta cùm Conſtantius accepiſſet; ſacrilegia illa adeo non improbavit, ut continuò ad Heraclium Comitem daret literas, quibus jubebat, perſequi eos, qui Athanaſio faverent, & cum Arianis communicare negligerent (g): nova proinde laniena in Virgines, & nefaſti auſus in Eccleſiæ direptionem expromebantur, quibus per ſummam licentiam peractis, Georgius (quem ante aliquot annos Ariani Alexandriæ Epiſcopum nominaverant) Athanaſio ſurrogatur (h). Fuerat is natione Cappadox, in Fullonio natus, malus genere, animo pejor; functus cum fraude viliſſimis etiam officiis, Arianorum Anteſignanis ſe tandem applicuit, quibus, utì & Conſtantio hominis ferox ac inſolens ingenium tantoperè placuit, ut is præ cæteris aptior lupus videretur, qui poſt Athanaſium ovile Alexandrinum evaſtare poſſet (i). Impoſitus ſedi nullum omiſit ſupplicium, quo Orthodoxorum omnium ætates, ordinéſque exagitaret; in Epiſcopos tamen graviùs detonuit, queis proſcriptis, aut fame ac ſqualore enectis peſſimos quoſque ſufficiebat. Pſeudo-Epiſcopi crudelitatem etſi populus Conſtantiâ magnâ pertuliſſet; id tamen ferendum non putabat, quod turpi quæſtu bona Eccleſiaſtica expilaret: ejectus proinde à civibus ad Conſtantium confugit (k), à quo majore vi reſtitutus Alexandrinæ urbi, ea deinceps abſolvere facinora inſtituit, quæ ferociſſimè jam antè fuerat molitus: atque ut in tot flagitia potentior foret; Aëtium ſibi adjunxit & Eunomium: illum Magiſtrum, hunc diſcipulum & gnavum impietatis æmulum (l).

Athanaſius fugit ab Alexandrina urbe.

(f) Athan. Apolog. de fuga ſua. p. 334. n. ed.

(g) Athan. ad Solitar. p. 374. n. ed.

(h) Sozom. l. 4. c. 8.

Georgius Cappadox homo crudelis & Arianus Athanaſio ſuccedit.

(i) Gregor. Naz. or. 21.

(k) Sozom. l. 4. c. 10.

(l) Theod. l. 2. c. 27.

24. Athanaſius, qui ſaluti ſuæ conſulens in deſertam ſolitudinem profugerat (m), auditis iis, quæ crudeliùs tum Alexandriæ, tum alibi geſta erant, Conſtantium adire ſtatuit; ratus fieri haud potuiſſe, ut conſcio Imperatore tam inſolita ſacrilegia perpetrarentur. Jámque ſe viæ dederat; tum in manus ejus veniunt duo literarum exempla, quibus Princeps cunctos Morta-

(m) Athanaſ. Apolog. ad Conſtant. p. 313. n. ed.

Edicta nova Conſtantii adverſus Athanaſium.

lium

lium in Athanasii exitium provocabat. Hæc edictorum ferocia S. Viro ita repentè ademit proficiscendi consilium, ut omisso ad Cæsarem itinere, in eremi abstrusiora se protinus occultatum iret: & animus Athanasio erat, solatii causâ magnum invisere Antonium; nisi diem extremum is jam eodem anno CCCLVI., ætatis centesimo quinto obiisset. Moriturus vetuit, ne corpus suum in Ægyptum transferretur (* 27); dein commendans fratribus virtutis amorem, simúlque Arianæ sectæ odium inculcans, id, quod ei reliquum ex supellectile erat, hâc ratione divisit (n): Athanasio pallium (quod novum à Præsule eodem acceperat) usu nunc detritum cum melote reddi: Serapioni Episcopo meloten alteram; demum cilicinum indumentum Anachoretis relinqui voluit. Athanasius ubi gratum ex tam pia hæreditate donum, simúlque de morte Antonii nuncium accepisset; in solitudine nihilominus constitit, intérque Monachos, qui velut sidera hunc paradisum illustrabant, solitariam vitam cum communi conjungens, ostendit sacerdotium non esse Philosophiæ asceticæ expers, & Philosophiam sacerdotio egere (o). Qui alios virtute anteibant, tantum ei tribuebant, ut quidquid ipsi visum esset, aut dictaret, pro lege haberent. In arctas Eremi angustias etsi redactus Athanasius videretur; in hoc tamen angulo libros ejusmodi evulgavit, qui toti Christiano orbi profuerunt. Præterquam enim quod Episcopos Ægypti & Lybiæ scriptis literis firmaret in fide; Constantii rabiem objectâ Apologiâ vel emollire vel frangere laboravit (p): tot igitur Religionis orthodoxæ monumenta cùm ad ipsum Imperatoris Palatium proferrentur; suspicio Arianis injecta est, Authorem talium libellorum in Monachorum cellulis latere; his proinde non sinè acerbitate excussis, Athanasio alius locus non superfuit, quam profunda cisterna, quam subinde ingressus, vestigantium se oculis, lucíque publicæ ad tempus eripuit. Non tamen

Mors S. Antonii.

(n) Athan. in V. Antonii.

(o) Gregor. Naz. or. 21.

Athanasius inter Solitarios vivit.

(p) Athanas. Apolog. ad Constant. de fuga.

(* 27.) ATHANAS. in V. Antonii: „Fratribus autem vehementer rogantibus, ut illic moriturus remaneret; abnuit ille, ideóque maximè, quod Ægyptii soleant piorum hominum defunctorum corpora, maximéque SS. Martyrum funerare quidem, & lineis involvere, nec tamen sub terram occultare, sed lectulis superponere, & apud se intus servare, rati id mortuis esse honori. Antonius plerúmque rogârat Episcopos, ut eâ de re populos monerent: eos ipse sæpiùs objurgârat, ajens nec legitimum, nec sanctum illud esse; nam & Patriarcharum, & Prophetarum corpora hactenus in monumentis servantur. &c. „

tamen destitit ex hoc ergastulo solari literis Episcopos, quos ærumnarum suarum fidos & magnanimos socios habebat (q); eodem quippe tempore Lucifer Calaritanus in Palæstina exul ob scriptos in defensionem Athanasii libellos crudelissimè torquebatur: paria supplicia tolerabat fortiter à Patrophilo Scythopolis Pseudo-Episcopo Eusebius Vercellensis (r): non minori cruciatu in Phrygia premebantur Dionysius Mediolanensis & Paulinus Trevirensis Episcopi, quibus hoc anno S. Hilarius Pictaviensium Præsul accessit, è sua sede in has longinquas terras Orientis ejectus (s). Latinæ Eloquentiæ Rhodanum hunc olim appellavit S. Hieronymus (t), qui Pictavis natus ex nobilibus parentibus, & ad Rhetoricæ præcepta potissimùm institutus, è Gentilitatis tenebris sacrarum paginarum lectione emersit (*28): in matrimonio quia pietatem ferè monasticam exhibebat; mortuo Maxentio Episcopo Pictaviensi, Ecclesiæ ejusdem clavum habere jussus est, conjuge adhuc superstite, quæ ubi continentiam fuisset professa; ipse Hilarius jam Episcopus gregem Orthodoxis & ab Athanasio acceptis dogmatis imbuere cœpit (u). Id quod pessimè habuit Saturninum Arelatensium Episcopum, hominem factiosum & Ursacii, Valentísque amicum. Quò citiùs hic orthodoxos Episcopos, ac præcipuè Hilarium everteret; Synodo Biterrensi convocatâ (x), subscribi ab omnibus damnationi Athanasii postulat.

(q) Epist. ad Lucifer & Serap.

(r) Euseb. Verc. Epist. ad Eccles. suam.

Catholici Episcopi ex Gallia in exilium ejiciuntur.

(s) Sever. Sulpit. l. 2.

(t) Hieron. in præf. ad Paul. in l. 2. Comm. ep. ad Galat.

(u) Fortunat. in V. Hilar. l. 1 de Trinit.

(x) Hilar. de Synod.

(* 28.) HILARIUS l. 1. de Trinitate n. 4. &c. suam conversionem ita describit: „*Discussis variis Philosophorum de beatitudine, & de Deo sententiis . . . animus sollicitus, utili & necessariâ ad cognitionem Dei sui viâ nitens, cùm neque incuriam Deo rerum à se conditarum dignam esse arbitraretur, neque naturæ potenti, atque incorruptæ competere sexus Deorum, & successiones satorum atque ortorum intelligeret: porrò autem divinum, & æternum nihil, nisi unum esse pro certo habebat; atque ita omnipotentiam, & æternitatem nonnisi penes unum esse, quia neque in omnipotentia validius, infirmiúsque, neque in æternitate posterius, anteriúsve congrueret. In Deo autem nihil nisi æternum, poténsque esse venerandum. Hæc igitur, multáque alia ejusmodi mecum animo reputans, incidi in eos libros, quos à Moyse, atque Prophetis scriptos esse, Hebræorum religio tradebat; in quibus ipso creatore Deo testante de se, hæc ita continebantur: Ego sum qui sum. . . . Hunc de Deo pulcherrimæ sententiæ modum mens propheticis sermonibus apprehendit . . . . sed ex lectione Doctrinæ Evangelicæ & præsertim Evangelii secundùm Joannem mens trepida & anxia plus spei invenit, quàm exspectabat. Ac primùm ad cognitionem Dei Patris imbuitur: non in Deos fidem laxans, quæ ex Deo Deum audit; non ad naturæ diversitatem in Deum ex Deo decedens, quia plenum gratiâ & veritate Deum ex Deo discit, neque præposterum ex Deo Deum sentiens: quia in Principio apud Deum esse Deum comperit. . . . Hanc itaque divini sacramenti doctrinam mens beata suscepit.*

Tum Hilarius utì & Rhodanius Tolosanus Antistes imperiosiùs certanti Saturnino decreta Sardicensis Synodi opposuêre: his se ajebant prohiberi, quominus impium officium (quantumcunque jussi) præstarent; quare Constantius de mente horum Episcoporum admonitus, eosdem in Phrygiam exules emisit. Dum hæc acriùs geruntur in Occidente; Macedonius Constantinopoli multò crudeliùs vexavit Ecclesias (y): Eleusium Nicomediensem, & Marathonium Cyzicenum cùm suæ iniquitatis adjutores haberet; tantâ barbarie in Clericos, civésque sæviit, ut ipse Imperator hominis ingenium detestaretur; cujus odii paulò post alia causa gravior accessit. Templo (in quo Constantini exuviæ repositæ fuerant) ruinam minitante, Macedonio cura fuit, ut arca Magni Imperatoris ad aliam Ecclesiam transferretur: plurimi contrà ex Orthodoxis impium id facinus esse rati, Antistitis molitioni obluctabantur. Macedonius igitur novam hanc vexationis occasionem arripiens, ingenti strage editâ ipsam adeo Constantini Ecclesiam fœdavit, quibus auditis Imperator longè graviùs commotus est, neque ut hactenus dissimulanter, sed palàm contumeliam sui Patris ulcisci decrevit (z).

(y) Sozom. l. 4. c. 20.

Constantius Macedonio Episcopo Constantinopolitano subirascitur.

(z) Idem c. 21.

A. Æ.C. 357.

25. Sextum annum in Occidente jam exegerat Constantius; tum anno CCCLVII. Romam primùm adiit, ibidem de Magnentio triumphaturus (a). Solennitatis hujus opportunitatem nactæ primi ordinis fœminæ, Imperatori vota urbis exponunt, scilicet, ut gregi Pastorem Liberium redderet (b): Constantius, quia infirmioris sexûs preces erant, pacato equidem vultu eas accepit; sed simul reposuit, urbem alio pastore non egere: sibi potiùs in acceptis referri oportere, quòd Romanis de idoneo Antistite Felice providisset. Hæc differenti Principi fœminarum una cæteris facundior modestè respondebat: beneficium Cæsaris majus fore, si eum revocaret Pontificem, à cujus ministerio populus non abhorreret; nam summâ civitatis conturbatione hucusque accidisse, ut cùm Felix sacris operaretur, quisque ab Ecclesiæ adytis quàm longissimè refugeret. Constantius ne duriùs agendo, lætitiam civium interrumperet, se redditurum promisit Liberium, eâ lege; ut is cum Felice conjunctâ operâ & potestate clavum Ecclesiæ moderaretur. Beneficii hujus magnitudinem eam

(a) Theod. l. 2. c. 17.

(b) Sozom. l. 4. c. 11.

Matronæ Romanæ pro Liberii restitutione supplicant Cæsari.

eam credebat Imperator, ut populum de eodem admonendam putaret: exhibebantur in publico circo ludorum certamina, quæ duæ factiones diversis coloribus distinctæ instituebant. Ad hoc igitur spectaculum ubi plebs advolâsset; ex literis Imperatoris legitur palàm, Liberium Romam rediturum ad dividendum cum Felice Pontificis officium. Stupuêre omnes mirabilem edicti novitatem, atque in jocos soluti, lepidum fore dicebant: si ut duplex spectatorum in circo, certantiúmque classis & colore vestium discreta esset; sic quoque deinceps cuilibet factioni suus, ísque distinctus Pontifex præesse juberetur. Dein subitò à derisione consilii ad seria conversi, sublatis vocibus Constantio inclamabant: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus!* Imperator æstuanti populo gratificaturus, solum ergo Liberium Pontificem futurum condixit; dummodo hic cum suis Episcopis communicare non detrectaret.

26. Constantius subinde ex Italia in Illyricum digressus, Syrmii substitit; inde bello Barbaros ab Istri limite profligaturus. Dilapsis ad suas Ecclesias reliquis Episcopis in comitatu Imperatoris permanserant Ursacius, Valens, & Germinius nuper Cyzico Syrmium translatus: hi cùm Arianorum pessimi forent, nequaquam ferendam existimabant formulam, in priore Synodo Syrmiensi editam; eoquòd Arii doctrina eâdem traduci, aut mitiùs more Semiarianorum exponi: Nicæna autem fides videretur undique stabiliri; nisi quod unica vox Consubstantialis ibidem dissimularetur (c). Utendum ergo rati opportunitate temporis idiomate latino fidei tesseram evulgant, quæ ab Arii initiis octava, & secunda Syrmiensis formula fuit. Tentatum in hoc flagitioso partu fuit, ut omissis Consubstantialis, homousii, & similis substantiæ vocibus velut à scriptura (ut ajebant) alienis, Pater major filio in dignitate, honore & majestate: filius contrà Patri omnino subditus; ac vel inde veræ Divinitatis expers diceretur (*29). Quod qui-

(c) Athan. de Synod. p. 744. n. ed. p. 902. v. e.

Secunda Formula Syrmiensis.

(* 29.) Juxta HILARIUM de Synodis, FORMULA SYRMIENSIS SECUNDA sic habet: *Unum constat Deum esse omnipotentem & Patrem, sicut per Universum orbem creditur, & unicum filium ejus Jesum Christum Dominum, Salvatorem nostrum, ex ipso ante sæcula genitum: duos autem Deos nec posse, nec debere prædicari; quia ipse Dominus dixit: ibo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum*

quidem exemplum blaſphemiæ cùm Potamius Ulyſſiponenſis Epiſcopus multò antè dictâſſet; Hoſius eum à communione ſubmovit (d). Quare idem Antiſtes Cordubenſis, agente nunc Potamio, reliquíſque Hæreticis Syrmii (ubi anni integri exilium Hoſius jam toleraverat) acerrimis porrò cruciatibus adigebatur, ut huic, quam ante damnârat, formulæ ſubſcriberet. Ærumnarum faſtidium aut imbecillitas virium (quæ in Centenario ſene flagris, equuleo, diſtenſioníque membrorum vix ſufficere videbantur) tandem effecêre, ut Arianorum diuturnæ crudelitati victas daret manus (*30). Formulæ tamen blaſphemæ cùm ſubſcriberet; negabat ſe Athanaſium unquam condemnaturum, in quo orbi palàm fecit, ſe nec rationis, nec liberi arbitrii compotem fuiſſe; qui enim dare nomen impietati non verebatur, ecquî reformidâſſet ampliùs damnare hominem tot accuſationibus proſciſſum? aut quomodo hæreſin ſuo ſpontè ſuffragio firmare cupiiſſet, qui hæreſeos ejusdem capitalem hoſtem intactum volebat (*31)? Subſcriptione nihilominus factâ, è carcere in Hiſpaniam Hoſio redire licuit, ubi in Orthodoxos eos ſæviiſſe dicitur (e), qui ſe eidem velut fidei deſertori conjungi poſſe, abnegabant (f). Deductus

(d) Libell. Marcell. & Fauſtini.

Huic ſubſcribit Hoſius.

(e) Libell. Marcell. & Fauſt.

(f) Hilar. fragm. l. 2.

Deum veſtrum.... Quod verò quosdam, aut multos movebat de ſubſtantia, quæ græcè USIA *appellatur, id eſt, ut expreſſiùs intelligatur homoouſion, aut quod dicitur Homæuſion, nullam omnino fieri oportere mentionem: nec quenquam prædicare eâ de causâ & ratione, quod nec in ſcripturis divinis contineatur... nulli poteſt eſſe dubium eſſe Patrem honore, dignitate, claritate, Majeſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe filio; ipſo teſtante: Qui me miſit, major me eſt. Et hoc Catholicum eſſe nemo ignorat, duas eſſe Perſonas Patris & filii; Majorem Patrem, filium ſubjectum cum omnibus his, quæ ipſi Pater ſubjecit. Patrem initium non habere .... filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine... carnem vel corpus, id eſt hominem ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ.*

(* 30.) HILARIUS l. de Syn. teſtatur Hoſium ſecundæ formulæ Syrmienſi ſubſcripſiſſe; unde ait: *Exemplum blaſphemiæ apud Syrmium per Hoſium & Potamium conſcriptæ*, ſimilia habet Severus Sulpit. l. 2.

(* 31.) SOCRATES l. 2. Hiſt. c. 31. *Quanquam iſte* (Hoſius) *paulò ante per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium miſſus; id temporis tamen ſtudio & labore Epiſcoporum, qui Syrmii convenerant, factum eſt, ut Imperator illum accerſeret, habens in animo, vel perſuadendo, vel cogendo, eum inducere, ut cum Epiſcopis ibi coactis conſentiret. Nam ſi iſtud factum eſſet, illorum fides perilluſtri teſtimonio confirmata videretur. Hac de cauſa invitus, ut dixi, acceſſit ad Concilium: ſimul atque verò ſenex ille eorum fidei aſſentiri abnuebat; plagæ illi erant inflictæ, membráque machinis diſtorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis, vi & neceſſitate compulſus, conſenſit, ſubſcripſitque.*

ductus posteà ad extrema mortis confinia, antequàm vitali luci eriperetur; oculos mentis aperuit: quare ejurato rursus Arii errore simul testabatur, se ad illud prævaricationis genus non voluntate suâ, sed suppliciorum acerbitate compulsum fuisse (*32).

27. Ex quo Hosium hæresi suæ implicuerant Ariani; unus in Thracia exul Liberius restabat (g), quo expugnato integram adversus Orthodoxos victoriam fore credebant: neque ab his consiliis aberat Constantius, cujus intererat eâ ratione de restituendo Liberio fidem Romanis exsolvere, ut Sectæ Arianorum nihil officii, honorísque detraheret. Placuerat itaque Pontificem liberare exilio; si damnando Athanasium, communionem cum alterius partis Episcopis subscripto nomine profiteretur. Negotii istius confectores delecti sunt Demophilus Berrhœæ & Fortunatianus Aquilejæ Præsules, olim cùm fide integri adhuc starent, Liberii familiares; amicâ proinde manu hi figere telum, iisque artibus subvertere Pontificem jubebantur, quibus paulò antè illi ipsi à Saturnino Arelatensium Episcopo in casses fuerant pertracti. In Thraciam postquàm pervenerant, Liberium duorum annorum ærumnis fractum, ídque maximè dolentem vident, quòd Diaconus unus è minore Cleri ordine maximum Pontificis munus sibi surripuisset; quare inclinatum jam Antistitem eâ parte, ubi mollior erat, in casum omnino dejecturi, fingunt, à nemine facilè intelligi, quo pacto vir tantorum meritorum obstinare animum ad tot discrimina vellet, ídque ob metum imaginariæ hæresis, quam unus Athanasius à Constantino M. relegatus, ínque pluribus Synodis damnatus jactitaret: hominis istius causam malè confundi cum Dei, & Ecclesiæ rationibus, qui tametsi omnis sceleris purus videretur; in mare ejiciendus foret, ut tempestas discuti

(g) Athanas. ad Solit.

Liberius à Demophilo & Fortunatiano ad lapsum sollicitatur.

(* 32.) ATHANASIUS in libris post Hosii mortem conscriptis de eo honorificè loquitur; nam in Epist. ad Solit. de Hosio ita scribit: *Moriturus, quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresin condemnavit, vetuitque eam à quoquam probari aut recipi.* Præterea in communione Ecclesiæ Hosium decessisse colligitur ex AUGUSTINO. l. 1. contra Parmen. c. 4. 5. & 8 Contra hos equidem aliter Hosii mortem referunt MARCELLINUS & FAUSTINUS in libro, quem Theodosio obtulerunt: sed quia *Natalis Alexander Dissert.* 32. ad Sæc. IV. eos utpote Luciferianos alia quoque mendacia ac calumnias adversus Athanasium & Hilarium edidisse dicit; fidem non merentur, plúsque dandum authoritati coævi Athanasii.

diſcuti & pax in orbem aliquando revehi poſſet. Poſt Saturnini Arelatenſis, & Vincentii Capuani Athanaſio renuntiantium exempla, pertinaciæ haud abſimilem fortitudinem iſtam futuram; ſi porrò Pontifex Romanus, neglectâ totius Eccleſiæ ſollicitudine præoptaret exulare in Thracia, quò citiùs pro homine à divinis & humanis legibus proſcripto in ſupplicium rueret. Adhæc voculam homouſii ſacris paginis ignotam tanti eſſe non debere, ut ſumma infimis permiſceantur: formulam ejusmodi ſubſcribendam, quæ ſuppreſſo Conſubſtantialis duntaxat inviſo nomine, Catholicam undique fidem redoleret; quámque pacis causâ citra conſcientiæ maculam Pontifici ſignare liceret. Hæc Demophili partim pollicentis, partim mitiùs ſingula explicantis oratio reditum ſperanti, juxta ac faſtidienti exilium Liberio tam mollem vim injecit; ut primùm & ſe ab Athanaſio hiſce recedere (*33), & adſciſcere rejectos in communionem Epiſcopos teſtaretur: dein confirmabat ſe nequaquam porrò obſtiturum, quo minùs Catholica cæteroquin formula ſibi proponenda, omiſſâ etiam Conſubſtantialis voce rata habeatur (*34).

Lapſus Liberii.

A. Æ. C. 358.

28. Teſtificatio tam ampla Liberii etſi Conſtantio placeret; ex ſuorum tamen conſilio ſubigere Pontificem ampliùs libebat, dum prorogato exilii ſqualore ad damnationem ipſam homouſii impel-

(* 33.) LIBERIUS in Epiſt. ad Orientales ait: *Ego Athanaſium non defendo, ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius Epiſcopus deceſſor meus; verebar, ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juſtè vos illum condemnâſſe; mox conſenſum meum commodavi ſententiis veſtris: literas adeóque ſuper nomine ejus, id eſt damnatione ipſius per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem noſtrum Conſtantium. Itaque amoto Athanaſio, ſuper quo ſtatuta omnium veſtrûm à me cum ſede Apoſtolica ſuſcipienda ſunt, dico me cum omnibus vobis, & cum Univerſis Epiſcopis Orientalibus, ſuper Univerſas Provincias pacem & Unitatem habere.* Lapſus hìc primò Liberius eſt, quia Athanaſium, cujus cauſam velut cum fide conjunctam antè defenderat, innocentem condemnavit; nec non quia Julii Pontificis atque decretum Patrum Sardicenſium reſcindens ſcripſit, ſe Arianis in omnibus conſentire.

(* 34.) IDEM in eadem epiſt. pergit: *Dominus meus, & frater communis Demophilus, qui dignatus eſt pro ſua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Syrmii à pluribus fratribus & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita & ſuſcepta eſt. Hanc ego libenti animo ſuſcepi in nullo contradicens.* Formula autem, quam Demophilus Liberio obtulerat, erat prima Syrmienſis, non ſecunda; hanc enim tres duntaxat ſcripſerant Epiſcopi, ut probat NATALIS ALEXANDER Diſſert. 32. a. 1. Primam verò ſignaverant plures Epiſcopi, quos recitat Hilarius in fragmentis, adeóque iſta erat

à plu-

impelleretur (h): eodem quippe tempore in Palatio Cæſaris Valens id agebat, ut Orienti univerſo non quamcunque, ſed crudam Arii blaſphemiam implantaret, operâ uſus Eudoxii, Germaniciæ Epiſcopi, qui anno ſuperiore modica ex parœcia ſua in Antiochenam Cathedram irrepſerat (i). Hanc ſedem ubi favore Eunuchorum Palatii ſtabiliviſſet; Aëtium in Ægypto exulem, ac peſſimum Hæreſiarcharum (k) revocat, ut in fundanda Anomœorum ſecta ſibi præſto eſſet; erat enim Aëtius excitati ac ſubtilis ingenii, Aurificis artem primò Antiochiæ in natali urbe profeſſus, Alexandriam poſteà movit, ut ſophiſticen condiſceret: hâc aliquantùm imbutus Myſteria divina fallaci ratiocinatione convellere, & in Arii errorem deflectere omnia inſtituit, exſtimulante hominem Georgio Pſeudo-Epiſcopo Alexandrino. Sed quoniam Aëtius ratiuncularum ſuarum vertigine ampliùs circumagebatur; in ipſos mox Arianos tela acuit. Dum enim eorum plurimi, qui Antiochiæ verſabantur, Arii doctrinam ita exponebant, ut (licèt inficiarentur Verbum Conſubſtantiale eſſe Patri) aſſererent nihilominus illud Patri ſimile eſſe in Subſtantia; Aëtius molliorem hanc Arianorum ſectam ſophiſticis artibus aggreſſus oſtendit, ex ipſorum principiis conſecutionem aliam fieri non poſſe, quàm quòd Filius Dei, cùm ſit creatura, à Creatoris ſeu Patris ſubſtantia diſſimilem omnino naturam, ſeu ſubſtantiam habeat. Diſplicuit Antiochenis hæc blaſphemia quantumvis ex Arianorum placitis deducta: & quoniam Aëtium Atheum & impium dicebant; jubente Conſtantio in exilium amandatus eſt: nec antè Veteratori redire licuit, dum ab Eudoxio accerſitus facultatem ampliſſimam accepit, Anomœorum ſive eorum, qui verbum diſſimile Patri dicebant, hæreſin diſſeminandi (l). Conatus novæ ſectæ non parum adjuvit Valens, literis (quas eodem tempore ad Eudoxium perſcripſit) id maximè teſtatus, quod Syrmii æquè præſente Imperatore, diſſimilitudo Filii cum Patre publicâ formulâ

(h) Sozom. l. 4. c. 14.

(i) Sozom. l. 4. c. 11. Socrat. l. 2. c. 29.

(k) Epiph. Hær. 73. Socr. c. 28.

Aëtius Hæreſiarcha & Anomœorum Anteſignanus

(l) Theod. l. 2. c. 25. & c. 27.

à pluribus fratribus & Coepiſcopis ſuſcepta, quam & Liberius ſe amplecti ajebat. A perſonali tamen peccato ac dato ſcandalo excuſandus non eſt, quia formulæ ſubſcripſit ab Arianis dictatæ; & vocem Conſubſtantialis, quam ſacrum Concilium Nicænum inſeruit Symbolo Catholicæ fidei ſuppreſſit, favens in hoc Hæreticis, qui reliqua haud ægrè in ſuo ſenſu admittebant. Sed hanc formulam toti Eccleſiæ non propoſuit; ac proinde ut ſummus Eccleſiæ Doctor non erravit.

lâ propoſita ſit, atque ab Hoſio ſubſcripta, quódque in hæc ſenſa agente Demophilo Liberius jam conceſſerit. Poſtremum de Pontifice etſi falsò mentiretur Valens; tantos tamen animos cuncta Eudoxio injecêre, ut quemadmodum Aëtius & Eunomius antea ſingulos pervertere ſtuduerant, ita Eudoxius hoc Anomœorum dogma convocatâ Synodo confirmare decerneret (m). Nec diſſentientes habuit Acacium Cæſareæ, atque Uranium Tyri cum paucis Sectatoribus: alii tamen Antiochiæ erant, qui novitatem doctrinæ deteſtati ad Georgium Epiſcopum Laodiceæ & capitalem Aëtii hoſtem profugêre: is collato confeſtim conſilio Ancyræ Præſuli Baſilio perſuaſit, ut in ſua Galatiæ Metropoli venturos tunc ad dedicationem novæ Eccleſiæ Epiſcopos cogeret in Synodum, formulámque Syrmienſem unà cum Anomœis damnaret (n). His peractis inter ipſos Arianos inteſtini belli ſementis jacta eſt, aliis Filium Patri ſimilem, aliis diſſimilem affirmantibus. Baſilius Semiarianorum contra Anomœos prolátam in Pſeudo-Synodo Antiochena ſententiam firmaturus, cum Euſthatio Sebaſteno & Leontio Cyziceno ad Imperatorem abiit (o), qui authoritati viri blaſphemiam, contagionémque adverſæ partis graviùs exponentis tantùm tribuit, ut protinus errorem Anomœorum edicto palàm conſtringeret. Nunquam magìs verſatile hominum in omnem fidei ſpeciem ingenium viſum eſt; quam dum Conſtantio à cruditate præfractorum Arianorum recedente, complures & præcipuè cum Valente Urſacius miteſcere cœperunt. Hi quippe voluntatem quamcunque Principis ſecuti, nunc aliam à ſecunda Syrmienſi formulam conſcribendam, atque (utì Baſilius petierat) novam Synodum cogendam cenſuerunt (p), ut Adverſariorum opinione diſcuſsâ ea fidei teſſera proponeretur, quæ deinceps omnium ſenſu & manu conſignanda foret. Mutatio ejusmodi rerum Liberio ab exilio tandem eximendi occaſionem præbuit; Conſtantius enim mitigatam hâc ratione doctrinam Arii, ac vel inde ab eodem Pontifice arripiendam eſſe ratus, eundem Syrmium advocat: venientem iteratis hortatibus urget, ut damnando homouſii vocem libertati ſe ipſum redderet. Liberius ubi viderat, aliena hæc eſſe ab illis, quæ Demophilus ſibi in Thracia paulò antè propoſuerat, magnóque inter ſe diſtare diſcri-

Eudoxius Antiochenus Anomœorum dogma fovet.

(m) Socrat. l. 2. c. 37. Sozom. l. 4. c. 12. & 13.

Baſilius Ancyranus Eunomœorum ſententiam tuetur.

(n) Epiph. Hær. 73.

(o) Sozom. l. 4. c. 13.

(p) Idem c. 16.

discrimine: si quis dissimulare, aut contra damnare Consubstantialis nomen jubeatur; postremum quò minus faceret, se religione prohiberi fortiter edixit. Basilius, qui Syrmii unà cum cæteris Episcopis in cœtum hac super re congressus fuerat, suâ interesse vidit, ut Romanus Pontifex in Semiarianorum saltem partem hoc tempore inclinâsse censeretur: omissis proinde iis, quæ duriùs à Liberio exigebantur; decreta, quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum in prima Synodo Syrmiensi concepta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam in unum libellum conjicit, monétque Pontificem, ut saltem ea subscribat, quæ controversiæ haberent nihil; nisi quòd una Consubstantialis vox eatenus adhiberi non potuerit, quatenus ejus nominis abusu non pauci firmare Sabellii hæresin adniterentur (q). Liberius ut permolesto tandem se expediret negotio, cùm aperti erroris in his formulis nihil admodum deprehenderet; subscribere haud amplius cunctatur (* 35). Quo facto Romam redeundi facultas Pontifici data est. Ursacius, Valens, Germinius, aliique, exemplo Liberii formulam quoque mutaverant, & amplexi Pontificis communionem, simul scripsêre Romam ad ejusdem urbis Clerum, ut Liberio deinceps unà cum

Cui formulæ subscripserit Liberius?

(q) Sozom. l. 4. c. 15.

Restitutio Liberii.

(* 35.) Non desunt, qui asserant, Liberium subscripsisse formulæ secundæ Syrmiensi, quæ ex integro hæretica erat; hísque rationibus nituntur. I. Quia HILARIUS postquàm formulam ejusmodi appellâsset *Perfidiam Arianorum;* Liberio subscribenti anathema infligit repetitis vicibus. II. S. HIERONYMUS de script. Eccl. c. 97. Fortunatianum Aquilejensem damnat, quòd Liberium *ad subscriptionem hæreseos* compulerit. Verùm hæc argumenta facilè alii refutant; dicunt enim *ad primum*: ab Hilario eatenus formulam à Liberio subscriptam perfidiæ nomine compellari, quatenus ab Arianis dictata fuisset eum in finem, ut doctrinam Consubstantialitatis à Nicæno admissam per cuniculos labefactarent. Adhæc NATALIS ALEXANDER Dissert. 32. ad sæc. IV. ostendit fragmenta Hilarii ab aliis sæpiùs interpolata existere. Ad *secundum* respondent ab Hieronymo asseri, à Liberio subscriptum hæresi hoc sensu, quòd Athanasium, cujus causa cum fidei causa conjuncta erat, damnaverit, quódque cum Arianis communicaverit. Qui autem cum Hæreticis communicat, & eorum decretis subscribit, interpretativè Hæreticus censetur; quamvis hæresis necdum sit, si fidei professionem alio, ac in Ecclesia recepta est modo, conceptam & quoad verba à fide minimè erroneam, admittat, atque viros sanctissimos propter sanæ fidei defensionem ab Hæreticis vexatos execretur, ac damnet. Denique verisimile non est, Liberium tunc illi formulæ subscripsisse, quam ipse Constantius (agente Basilio Ancyrano) damnaverat. Syrmium autem vocatus est ab Imperatore Liberius; cùm Eudoxius, & Anomœi Antiochiâ expulsi essent, & secunda formula Syrmiensis, utpote malè natus fœtus supprimeretur. Ita *Natalis.*

(r) Libell. Marcell. & Faustin. T. V. Bibl. Max. PP.

cum Felice supremo fungi sacerdotio liceret (r). Consiliis tam insolitis quamvis quísque Romanorum obniteretur; diversa tamen inter populum, Clerúmque studia fuêre. Nam hic prævaricationem Liberii abominatus, unum Felicem dein sequi decreverat: at cæteris ordinibus redeunti ab exilio Pontifici tantùm adhærere certum erat; & populi vis adeò prævaluit, ut Felix velut pseudopapa quantocyus ejiceretur (s). Vocatus subinde in urbem Clericorum operâ, plebem in seditionem concitavit, quâ ad carnificinam, rabiémque invalescente non pauci interierunt; Felix proinde alterâ tum vice Româ excedere coactus, & ærumnis confectus brevi pòst intervallo obiit, Liberio soli sedem Apostolicam relinquens.

(s) Sozom. l. c.

Mors Felicis.

A. Æ. C. 359.

(t) Sozom. l. 4. c. 16.

29. Ab eo tempore Constantio curæ fuit Aëtii sectatores ad mitiorem Semiarianorum partem pertrahere; id ut evinceret (t), Nicææ celebrare Synodum constituit: displicebat verò locus ille Semiarianis, qui maximè timebant, ne primi Nicæni Concilii memoria à novarum molitionum conatibus Patres absterreret. Nicomedia igitur delecta est, ad quam urbem dum ex toto orbe Episcopi confluunt; nuncius subitò affertur, Nicomediam terræ motu succussam corruisse (u). Præsules ne à suscepto itinere dilaberentur; Basilius Cæsari author fuit, ut quia Nicæam anteà probâsset, eandem urbem nunc (in rationem versâ necessitate) Synodo adsignaret: paruit hortanti Basilio Imperator, & per nefas summum sibi Ecclesiæ arbitrium arrogans, Nicææ Episcopos omnes adesse jubet (x). Anomœis persuasum erat id ad exitium suum fore, si & ii, qui fidem Nicænam profiterentur, & Semiariani Aëtianis infesti in unum conventum, unámque sententiam adversus duriores Arianos consciscerentur (y): agentibus itaque Acacio, Ursacio & Valente, per operam Eusebii Eunuchi à Cæsare impetratum est, ut Occidentales ab Orientalibus discreti de quæstionibus controversis statuerent (z): & illis quidem Ariminum in Italia pro Concilii loco designabatur (a); quænam verò urbs pro Orientis Præsulibus opportunior esset? variâ multorum opinione certabatur; nam Nicæâ novo terræ motu labefactatâ, quísque Episcoporum Synodi honores suæ Parœciæ aut Metropoli vindicabat (b). Seleucia in Isauria tandem ab Imperatore pro cœtu haben-

(u) Nyssen. de fat. p. 75.

(x) Theod. l. 2. c. 21.

(y) Athan. de Synod.

(z) Sozom. l. 4. c. 16.

(a) Sever. Sulpit. l. 2. n. 56.

(b) Socrat. l. 2. c. 39.

habendo decreta eſt; quo ex conſilio Anomœi hoc ſaltem commodi reportavêre, ut ſiquidem pars eos damnâſſet, non à conjuncti orbis ſuffragiis proſcripti dicerentur. Antequàm tamen utriusque tum in Occidente tum in Oriente conventûs daretur initium; Conſtantius Syrmii Baſilium Ancyranum, alióſque, qui tunc apud Cæſarem agebant, Epiſcopos in cœtum ire, ac formulam ab iis digeri mandat, cui duarum Synodorum Patres ſine diſcrimine ſubſcriberent (c). Altercatio non modica tunc Baſilium inter & Valentem coorta eſt; illo enim pro Semiarianis pugnante, dictabatur *filius eſſe ſimilis in ſubſtantia* Patri: hic verò Anomœorum Patronus ſimilitudinis hujusmodi expreſſionem à formula quàm longiſſimè abeſſe volebat. Lis cùm componi non poſſet; Marcus Arethuſæ Epiſcopus deligitur, qui omnium nomine fidei teſſeram componat (d): is Valenti aliquid daturus *ſubſtantiæ* vocem abolendam primò cenſuit; dein in Baſilii gratiam, *filium per omnia Patri ſimilem* ſcripſit. Ambiguas voces quia quisque ſuo ſenſu exponendas noverat; utraque pars jubente Cæſare formulam ſignavit (* 36).

(c) Athanaſ. de Synod.

Anomœorum fraudulenta fidei profeſſio.

(d) Socrat. l. 2. c. 37. Epiphan. H. 73.

30. His præmiſſis ex Illyrico, Italia, Africa, Hiſpania, Galliſque trecenti ferè Epiſcopi Ariminum menſe Junio conveniunt; quorum octoginta Arium, ducenti verò fidem Nicænam ſequebantur. Liberius Pontifex Legatos mittere ad ea comitia è re Catholica haudquaquam exiſtimavit: & Galli unà cum Aquitannis & Britannis (ut libertati ſuæ conſulerent) non alio, quam ſuo

(* 36.) Formula à Marco Arethuſio ſic latinè reddita eſt: *Expoſita eſt fides Catholica præſente Domino noſtro Imperatore Conſtantio .... credimus in unum ſolum ac verum Deum Patrem omnipotentem .. & in unum Filium Dei unigenitum ante omnia ſæcula .... qui genitus ex Patre unigenitus ... Deus ex Deo, ſimilis Patri, qui ipſum genuit, ſecundùm ſcripturas. ... Nomen verò ſubſtantiæ, quod à Patribus ſimpliciùs poſitum, à populo minimè intellectum, offenſioni eſt plurimis; propterea quod in ſcripturis non continetur, placuit omnino removeri, nec ullam deinceps, cum de Deo ſermo eſt, ſubſtantiæ fieri mentionem; quoniam ſcripturæ ſacræ nusquam meminerunt ſubſtantiæ Patris & Filii. Filium verò per omnia ſimilem Patri dicimus, quemadmodum ſacræ ſcripturæ dicunt ac docent.* Cæterùm advertendum hìc eſt, ſenſus Arianorum de ſimilitudine cum Patre varium fuiſſe; concedebant equidem ſimilitudinem, ſed ut SEVERUS SULPITIUS l. 2. ait, adimebant ſimul unitatem. Itaque alii filium dicebant Patri ſimilem in aliqua perfectione, vel quoad exteriorem repræſentationem: alii exponebant has voces de ſimilitudine voluntatis vel efficientiæ; quod ita intelligebant, quòd filius vellet eadem, quæ Pater, aut operaretur: alii ſimilem quoad ſubſtantiam dicere non dubitârunt, ſed hoc ſenſu erroneo, quo inducerent duas ſubſtantias ſimiles.

(e) Sever. Sulp. l. 2.
(f) Hilarius de Synod.
(g) Sozom. l. 4. c. 17.
Concilium Ariminense.
(h) Sozom. l. c.
(i) Theod. l. 2. c. 18.
(k) Athan. de Synod. p. 876. & in Epist. ad Afr. p. 934.

ſuo ſumptu acceſſerant (e), neque imparati ad Arianorum fraudes eludendas; nam ex S. Hilarii libro, quem de Synodis ad eos dederat, id omne, quod ad rem pertinebat, ſollicitè præviderant (f). Congregatis literæ oſtenſæ ſunt Conſtantii, quibus Princeps inculcabat, ut Patres primùm controverſias de fide componerent (g); poſteà cognoſcerent de Epiſcoporum cauſis, criminibúſque: demum ad comitatum Imperatoris Decemviri ex Synodo amandarentur, qui Concilii ſenſa, geſtáque Conſtantio denuntiarent (* 37). Quamprimùm igitur Catholici Præſules in præcipua urbis Eccleſia conſederant; Reſtitutus Carthaginenſis Epiſcopus (utpote Synodi moderator) de fide agere cœpit. Ariani licèt anteà ſeceſſionem ab orthodoxis feciſſent, & in privato conventu ſuas res ſibi haberent; eâ tamen die Valens & Urſacius cum ſectæ ſuæ Primoribus in Patrum Synodum ſe ingeſsêre, nomine Cæſaris poſtulantes, ut formula Syrmii nuper compoſita & à Conſtantio admiſſa, cæteris abrogatis una deinceps probaretur (h): hâc profeſſione ajebant ſimilem quidem per omnia filium dicendum eſſe; ſed vocabulum ſubſtantiæ alienum à ſcripturis reticendum: quare caverent, ne quod quíque ſentirent, curioſiùs deinceps ſcrutarentur, néve vocibus peregrinis ad diſputationem adductis in diſſidia, ac ſeditiones corpus Eccleſiæ diſtraherent (i); ſatiùs quippe eſſe, ut imperitiùs diſſerendo, rectè de Deo ſentiamus, quàm ut novitates nominum introducamus, affines Dialecticorum argutiis. Patres ſuſpicati, quod res erat, Arianos nempe id moliri, ut Nicææ actis abolitis ſuam hæreſin ſupponerent (k); formulâ penitiùs expensâ reſponderunt; ſe nullatenus tot itineribus

(* 37.) HILARIUS in fragm. l. 2. refert Epiſtolam ad Arimin. PP. *Continent priora inſtituta, Venerabiles, Sanctimoniam legis rebus Eccleſiaſticis niti . . . His ita ſe habentibus, de fide atque unitate tractari debere cognoſcat ſinceritas veſtra, & operam dare, ut Eccleſiaſticis rebus ordo competens præbeatur. . . . Non de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definire. Proinde ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit gravitas veſtra, tractare debeatis, & completis celeriter univerſis, conſentiente conſenſu, decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiæ veſtræ prioribus literis intimavimus. . . . Prædicti enim poterunt omnibus, quæ eiſdem Orientales propoſuerant, reſpondere vel tractare de fide, ut exitu competenti omnis quæſtio terminetur, & ambiguitas ſopiatur. Quæ cùm ita ſint, adverſus Orientales nihil ſtatuere vos oportet: aut ſi aliquid volueritis contra eosdem, prædictis abſentibus, definire; id quod fuerit uſurpatum, irrito evaneſcet effectu.* Ex quibus patet Imperatorem ſe judicem ſupremum contra fas Eccleſiæ obtruſiſſe.

bus ad hanc Synodum profectos, ut de novo discerent, quæ fides genuina foret; sed solùm, ut fidei (quam veram haberent) hostes confunderent. Necessarium proinde esse, ut illi communi consensione Arium, cæterásque hæreses condemnent: & ne posthac Synodorum cogendarum causæ continuò nascantur; accipiant Nicænorum Patrum traditiones, qui omnia, quæ credenda sunt, in suum Symbolum providè contulissent (l). Valens & Ursacius hoc responso attoniti negabant se aliam, præter Syrmiensem, formulam agnituros: Patres contrà collatis suffragiis, Concilii Nicæni decretis adhærendum rati, Consubstantialis & Substantiæ nomina, eorúmque significationem retinendam judicârunt: inde in Valentem & Ursacium conversi, eos tanquam hæreticos, & Ecclesiâ ejectos pronuntiant, ut qui dogmata nova, & Concilio contraria Christiano orbi obtrudere præsumerent (m). Addebantur in Arii doctrinam anathemata, quibus prolatis decem Legati ad Cæsarem abierunt cum Synodica epistola, quâ Patres sententiæ pronuntiatæ causas exponentes, id porrò rogabant, ut Constantius singulos ad suas Ecclesias velut confecto negotio dimitteret; atque exinde omissâ pergravi Conciliorum coactione, sanctionum tempore Constantini editarum præscripto firmiùs inhæreret.

(l) Hilar. in fragm.

(m) Athan. de Synod. p. 879.

31. Eodem tempore Ariani suâ ex Pseudo-Synodo rerum à se gestarum nuncios ad Imperatorem direxêre, numero quidem pares, sed nocendi arte superiores. Cùm enim Ariminenses Præsules legationem adolescentibus, iisque parùm peritis demandâssent; Ursacius & Valens sibi octo è suis Veteranos, & perfidiâ omnino imbutos adjunxêre, cum quibus accelerato itinere ad Constantium provolabant (n): nihil ibidem artis, nil acerbitatis omissum est, quo Principis furor in Patres Arimini congregatos accenderetur. Fremens proinde Constantius formulam à se laudatam contemni, orthodoxorum Legatos Adrianopoli subsistere jubet (o), causatus susceptum contra Barbaros bellum, quo minùs eos ad alloquium admittere, aut de eorum negotio cognoscere posset (p). Ariminenses Episcopi ex ancipiti hoc responso probè assecuti, moras necti, ut Præsules fastidio temporis ad alia sensa inclinentur; rescribunt Cæsari, per se non stare, ut ea, quæ

(n) Sozom. l. 4. c. 19.

(o) Theod. l. 2. c. 19.

(p) Socrat. l. 2. c. 37.

in Concilio ſanctiſſimè decreta eſſent, nefaſto auſu everterent; fruſtra igitur & cum damno Eccleſiarum tot Epiſcopos à ſuis gregibus abſtractum, & toto hyemis tempore Arimino velut carceri incluſum iri. Alteræ hæ literæ Imperatori bilem adeò concitârunt, ut non occultis cuniculis, ſed apertâ vi frangendos Patres decerneret (q). Ac primò Epiſcopos Legatos ad oppidum Thraciæ (cui Nice nomen) traducit: dein ad formulam Syrmienſem ſubſcribendam propoſitis pœnis hortatur. Trepidantium formido, ætáſque fortioribus conſiliis minùs matura tunc Valenti perſuaſêre, nihil fore, cui Legati non ſua darent nomina; quare formulam fraude ſuâ ita vitiatam exhibuit, ut quas voces anteà per Baſilium Ancyranum expungere non licebat, ſcilicet quod Filius Patri *per omnia* eſſet ſimilis, jam ampliore poteſtate omitteret, ſcriberétque filium duntaxat Patri ſimilem. Eſcam hanc veneno illitam ubi Legati incautiùs acceptâſſent; eò quoque adacti ſunt, ut ſententiâ, quam Arimini Patres contra Urſacium & Valentem ſtatuerant (r), reſciſsâ, teſtificatione publicâ in nefaſtam cum Arianis communionem ſe congredi profiterentur (* 38). Quantumcunque in hac Legatorum prævaricatione ſibi Valens applauderet;

(q) Theod. l. 2. c. 21.

Legatorum Synodi Ariminenſis prævaricatio.

(r) Hilar. in fragm.

(* 38.) THEODORETUS l. 2. c. 21. formulam Arianorum in oppido Nice excogitatam, & Legatorum Ariminenſium ſubſcriptioni propoſitam ita exhibet: *Credimus in unum ſolum ac verum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia ... & in unum Filium Dei unigenitum, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium genitus eſt ex Deo; per quem omnia facta ſunt, viſibilia, & inviſibilia. Qui genitus eſt unigenitus ſolus ex ſolo Patre, Deus ex Deo, ſimilis Patri, qui ipſum genuit, ſecundum ſcripturas, cujus generationem nemo novit, niſi ſolus Pater, qui creavit illum. Hunc unigenitum Filium Dei, à Patre miſſum è cælo deſcendiſſe novimus, ſicut ſcriptum eſt, ad mortem, culpâmque abolendam: & ex Spiritu S. natum de Maria Virgine ... & in Spiritum S, quem unigenitus ipſe Filius Dei Jeſus Chriſtus Deus, ac Dominus noſter, miſſurum ſe promiſit generi humano, conſolatorem, ſicut ſcriptum eſt. Nomen autem ſubſtantiæ, quod à Patribus ſimplicius expoſitum, & à populo non intellectum, offenſioni eſt plurimis, propterè quod in ſcripturis non continetur, placuit omnino removeri, nec ullam deinceps ſubſtantiæ fieri mentionem, quoniam ſcripturæ ſacræ nuſquam meminerunt ſubſtantiæ Patris & Filii. Neque item in Perſona Patris & Filii & Spiritûs S. unam hypoſtaſim nominari oportere; ſimilem verò Patri filium dicimus, quemadmodum divinæ ſcripturæ dicunt ac docent. Omnes autem hæreſes, ſeu quæ jam priùs damnatæ, ſeu quæ poſteà exortæ ſunt, huic fidei expoſitioni contrariæ, anathema ſint.* Erat hæc formula injurioſa Nicænis decretis, & doloſa ad fallendum; nam & Anomœi huic facile ſubſcripſêre, quia & illi filium fatebantur ſimilem virtute perfectâ, non tamen quoad ſubſtantiam. Unde HILARIUS contra Conſtantium ita conſurgit: *O fallax blandimentum tuum ... eſcis laqueos ſupponis ... quia dicis ſimilem Patri ſecundum ſcripturas. Audi nunc etiam tuæ impietatis*

ret; nihil tamen emolumenti Arianorum causæ accedebat, proptereà quod Decemviri illi contra datam Ariminensibus Patribus fidem, non ex præscripto Synodi; sed suo privato errore defecissent. Constantius igitur integram ab orthodoxis victoriam extorturus, Valentem Ariminum cum eadem formula ablegat, simúlque datis ad Taurum Præfectum literis cavet, ne quem urbe anteà exire sineret; dum in verba proposita jurâsset (s): aut si porrò obluctantes haberet, exilio mulctaret. Stetêre ad has minas primùm immoti Præsules, & Legatorum facinus detestati, iis communionem negavêre: verùm (quod imbecillitatis humanæ est) agente Tauro Præfecto, fortitudo illa Præsulum brevì labefactata corruit. Alios quippe injuria hyemis, & inopia, quam in septimum mensem peregrinâ in urbe tolerabant, impulit ad signandam nomine suo formulam (t). Alii in Legatorum exemplum pollicitationibus pertracti (u), pluribus prævaricandi viam aperuêre; dúmque hunc in modum ex numero desciscentium lapsui & errori authoritas quædam aut honestas adjici videbatur, paucissimi fuerunt, intérque eos Phœbadius Agennensis, & Servatius Tungrorum Episcopus, qui nec suppliciorum metu, nec exilii intentati formidine ad acceptandum formulæ istius simulachrum permoveri poterant (x). Ne tamen hi soli sine labe integri ad suos redirent; callidum Valentis ingenium effecit. Molliore quippe viâ in animos illapsurus, mentitur præsentem fidem Catholicâ ratione ab Orientalibus conceptam, nunc Imperatore authore publicatam fuisse: à contumaciæ igitur crimine non abfuturum, si quod tot in Oriente Episcopis placuisset, Occidentalium nonnulli audaciùs abjicerent; neque tamen velle jam, ut authoritati tot Præsulum, decretísque tam anxiè adhærescant, ut nil formulæ decerpere, aut apponere liceat; quin copiam illis amplam hisce relinqui, ut, quæ vellent, suo arbitrio emendarent (y): id duntaxat postulari ut voces illæ scripturis sacris inusitatæ, scilicet *substantia*, ac *consubstantialis*, *essentia una*, *similis secundùm naturam*, utpote

(s) Sever. Sulpit. l. 2, n. 58.

(t) Hilar. in fragm. 2. p. 37 & 38.

(u) Sozom. l. 4. c. 19.

Lapsus PP. Ariminensium.

(x) Sever. Sulpit. l. 2. n. 58.

(y) Hieron. adv. Lucifer. c. 7.

Valentis dolosa professio fidei.

tis artem. Nunquid non piè dicimus, hominem similem Deo secundum scripturas? quia dictum est: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? & GREGORIUS NAZ. orat. 21. *Hæc verba, simile secundum scripturas, simplicioribus illecebra erant, impietatis hamo circumjecta, statua ad omnes pertranseuntes se obvertens.*

pote perturbationum fontes ſeponantur; hoc dato Arii errores ſe præ omnibus palàm deteſtaturum. Neque intra promiſſa Valens ſtetit, ſed & in publica Eccleſia poſt aliquot dies, primò contra Arii blaſphemias, dein contra eos anathema recitavit, qui Chriſtum Dominum Dei Filium ante ſæcula ex Patre genitum, aut ſimilem Patri ſecundùm ſcripturas, ſive æternum cum Patre negarent. Quod cùm cuncti Epiſcopi plauſu quodam & acclamatione excepiſſent; Valens ſermonem proſecutus, illos quoque execrabatur, qui dicerent creaturam Filium Dei, ut ſunt creaturæ cæteræ, vel de nullis extantibus Filium & non ex Deo Patre eſſe, vel qui docere præſumerent: erat tempus, quando non erat filius, aut filium eſſe quidem ante omnia ſæcula, ſed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat. His anathematis in medium allatis perſuaſum eſt omnibus, Valentem ab Ario abhorrere, nec in uſiæ aut ſubſtantiæ nominibus laborandum, ubi expoſitionis ſuperficies nihil ſacrilegum præferret (z). Tota igitur Eccleſia perſonuit acclamationibus Epiſcoporum & Valentem celebrantium, & doctrinam eandem, quantùm verba ſpectabat, aſſerentium (*39). Valens unionis à ſe factæ honore inflatus ac trium-

(z) Hieron. adv. Lucifer. n. 7.

(* 39.) S. HIERONYMUS in Dialogo adversùs Luciferianos de Patrum Ariminenſium lapſu ita loquitur: *Tunc uſiæ nomen abolitum eſt: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis; & ſe eſſe Arianum miratus eſt.* Ex quo malè concludunt nonnulli, Patres Ariminenſes non tantùm in Arianam planè hæreſin eſſe prolapſos, ſed & paucos ampliùs fuiſſe tunc orthodoxos. VERUM idem Doctor in eodem Dialogo ſeipſum explicat: *Illo tempore nihil tam pium, nihil tam conveniens ſervo Dei videbatur, quam unitatem ſequi, & à totius mundi communione non ſcindi: præſertim cùm ſuperficies expoſitionis nihil jam ſacrilegum præferret..* dein exhibitâ, quam ſubſcripſerant, formulâ, ſubjungit: *Concurrebant Epiſcopi, qui Ariminenſibus dolis irretiti ſine conſcientia Hæretici ferebantur, conteſtantes corpus Domini, & quidquid in Eccleſia Sanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putavimus, ajebant, ſenſum congruere verbis: nec in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio...., flentes aſſerebant; parati & ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arianorum blaſphemias condemnare.... Poſt reditum confeſſorum, in Alexandrina poſteà Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis authoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur: non quod Epiſcopi poſſent eſſe, qui Hæretici fuerant; ſed quod conſtaret, eos, qui reciperentur, Hæreticos non fuiſſe.* Itaque Hieronymus Arianum tunc mundum evaſiſſe eo ſenſu dicit, quod omiſſis Conſubſtantialis & Subſtantiæ vocibus, Arianis occaſionem dederint, oppugnandi Catholicam fidem Nicææ ſtabilitam: poſtremùm hìc benè advertendum eſt, S. Hieronymum hyperbolicè loqui, dum ait, quod *totus orbis ingemuerit, & ſe eſſe Arianum miratus ſit.* Nam præterquàm quod Orientales & Ægyptii ab hoc concilio abfue-

triumphanti similis acceptâ ab Ariminensibus PP. Synodicâ ad Imperatorem Constantinopolim procurrit (a); adveníque eo tempore, quo Orientales Synodum quoque suam dissolverant; cujus res gestas hìc ex ordine repetere juvat.

(a) Hilar. fragm. 1. Sever. Sulpit. l. 2. n. 59.

32. Quemadmodum Præsules ex Occidente Ariminum mense Junio; ita Seleuciam Isauriæ Episcopi Orientis sexaginta supra centum eodem anno CCCLIX. mense Septembri convenerant: ex his centeni & quinque Semiariani *homœusion* sive similis essentiæ filium prædicabant: decem & novem *anomœusion*, id est dissimilis essentiæ profitebantur (b): soli Ægyptii (si Georgium Alexandrinum hæreticum excipias) *homousion* constantissimè obtinebant; quibus accedebat D. Hilarius, qui quarto sui exilii anno è Phrygia ad idem Concilium adscitus est (c). Die quintâ Kalendas Octobres, quando Episcopi primùm consederant; longiore altercatione disceptatum est: utrum priùs de quorundam criminibus, aut de fide agitanda quæstio (d)? Leonas, qui vices Imperatoris gerebat, ad abscindendam litem de fidei dogmatis primò disquiri jussit: Anomœorum Dux Acacius Cæsareæ Palæstinæ unà cum Eudoxio Antiocheno, & Georgio Alexandrino, aliisque triginta quatuor Episcopis ex formulæ, quam Syrmii Marcus concinnârat, præscripto nomen substantiæ, simúlque fidem Nicænam abolendam proposuit (e); id maximè contendens, nil substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse existere generatio-

Synodus Seleuciensis.

(b) Hilar. adv. Const. n 12.

(c) Sever. Sulpit. l. 2. n. 57.

(d) Socrat. l. 2. c. 39.

(e) Sozom. l. 4. c. 22.

abfuerint, nec in formulam illam consenserint; ipsi quoque Ariminenses non aliter ac decepti dedêre manus: ídque inscio, neque consulto Pontifice, adeóque non in legitimo concilio œcumenico. Quæ singula manifestiora fiunt ex Epistola Synodica Damasi ad Episc. Illyrici apud Theodoret. l. 2. c. 23. in qua de Nicæna fide ita differitur: *Quam definitionem salutarem posteà aliis tractatibus quidam pervertere, & violare tentaverunt. Sed & in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi aliâ disputatione faterentur; idcirco, quòd non intellexissent, Patrum Sententiæ apud Nicæam formatæ esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt; cùm constet neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia fuit expetenda sententia, neque Vincentium,* (Capuanum) *neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodâsse. Cùm præsertim, ut diximus, iidem ipsi, qui per impressionem succubuisse videbantur, idem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati. Unde advertit sinceritas vestra, hanc solam fidem, quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetuâ firmitate esse retinendam: hâc nobiscum Orientales, qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalésque gloriari.* Itaque tempore Concilii Ariminensis (ut jactârunt fortè tunc hæretici) totus orbis non fuit Arianus.

Anomœi discedunt. rationem, sed esse Christum creaturam. Hæc impiè fabulanti Acacio Sylvanus Tarsi Episcopus oggessit; præter eam (quæ ab Antiochenis Patribus firmata est) formulam, admitti nullam oportere; hâc autem enuntiari Filium esse imaginem Patris absque omni diversitate. Conclamantibus in eandem sententiam Georgio Laodiceæ, Sophronio Pompejopolis, Eleusio Cyzici, aliisque, Semiarianis; Acacius cum suis recessit, ne acta Antiochiæ audire, aut probare cogeretur. Postridiè iidem, qui in arena perstiterant, Semiariani, in Ecclesiam S. Theclæ conveniunt (f): remotísque arbitris, atque ad arcendam vim occlusis etiam foribus Antiochenam formulam scriptis nominibus confirmant. Momordit Acacii animum ejusmodi molitio, & post profusas frustra querelas Leonam rogat, ut eam, quam Imperatoris esse dicebat, formulam, Synodo inculcaret (g). Exacto triduo igitur in cœtum utriusque partis Episcopi denuò coguntur: tessera fidei Acacianæ prælegitur, quæ novitate suâ omnibus fastidium bilémque movit; nam Catholicos offendebat, quod Consubstantialis vocem omitteret; Semiariani verò indignabantur, filium (ut volebant) nequaquam in substantia similem dici: ac ne Anomœis quidem omnino satisfecit; propterea quod filium nec dissimilem, nec creaturam esse profiteretur, quanquam re ipsa ab Anomœorum opinione nullatenus discrepabat. Cùm enim similem Patri Filium venditaret (h); non hanc similitudinem ad naturam, divinámque substantiam, sed ad voluntatem referebat, postquàm scilicet Pater istiusmodi Filium creare voluisset, qui similia sui vellet (i). Adhæc crudas blasphemias de creatura, déque productione, aut de aperta dissimilitudine dissimulabat, ut verborum fuco Constantii iram evaderet. Invidiosum argumentum aliquot dies tenuit; dum Leonas garrientium tricis omnino fessus cœtum dissolvit; congressi tamen denuò sunt Semiariani; tum ut Antiochenam stabilirent formulam, tum ut Acacium, aliósque qui ad ejus partes confugerant, illorum criminum condemnarent, quorum dudum fuerant insimulati. Sententiâ depositionis contra eos prolatâ, decem Legatos direxêre Constantinopolim, qui Cæsarem de iis, quæ gesta essent, edocerent (k).

(f) Socrat. l. 2. c. 39. Gregor. Nazianz. or. 21.

(g) Socrat. l. 2. c. 39. Sozom. l. 4. c. 22.

(h) Athan. de Synod.

(i) Hilar. contra Constant.

(k) Socrat. l. c.

33. An-

33. Anteà, quàm urbi Regiæ propinquarent; Acacius cum suis celeriore itinere profectus, Proceres (l), atque Imperatorem in eam suspicionem jam inclinaverat; ut crederet, Seleuciæ Semiarianos formulam, quam Constantius Syrmii ediderat, amarè despexisse, atque pacem nefastis studiis conturbâsse (m). Basilius igitur Semiarianorum Antesignanus utprimùm Imperatorem convenit; mutata omnia contuebatur: neque enim pro ea, quâ aliàs apud Cæsarem florebat gratiâ, poscere liberè aliquid contra Adversarios licebat. Eleusius ubi Basilium irâ Principis premi vidit; quasi rem Semiarianorum restituturus, Eudoxium Acacianorum Ducem coram Constantio aggreditur, ac blasphemiam, quam is, de dissimili in substantia filio scripserat, recitans, Principi bilem, Eudoxio pudorem movet. Cùm enim Constantius à nullo dogmate magis abhorreret, quàm si filius & Pater dissimiles dicerentur; subitò excandescens ab Eudoxio sciscitatur: utrum ipse tam crudæ blasphemiæ fabricator extitisset? Veterator quò tempestati impendenti se subduceret; crimen omne in Aëtium conjicit: hic igitur confestim in cœtum admissus, quia, quid rerum ageretur, ignorabat, se scriptionis authorem ultro profitetur; tum Constantius impietatis scelus abominatus in Phrygiam hominem ejicit. Eusthatius inde iracundiam Cæsaris in Eudoxii caput quoque præcipitaturus, id ostendere conabatur, illum omnino à sententia Aëtii stare: quod cùm pernegâsset Eudoxius, ad fidem faciendam (quantumcunque reluctaretur) palàm doctrinam Aëtii damnare cogitur. Quo tempore hæc Constantinopoli agebantur; in Acacianorum partes jam Legati Ariminenses transierant: ad hos itaque revocandos Semiariani jactabant Aëtii proscripti exilium, Cæsaris voluntatem Acacianis infestam. Verùm Acacii Sectatorum intererat, Ariminenses suæ factioni arctiùs adstringere: quare iisdem inculcant, Aëtium, non Aëtii doctrinam à Constantio damnari; eandem Acacio, ac Patribus Arimini sententiam esse; cùm utríque rejiciant substantiæ nomen, quòd à scripturis alienum foret (n). Ac ne quidem ab Ariminensibus negari, Christum esse creaturam, quamvis cæteris creaturis dissimilem asserant: æternum porrò illos filium cum Patre profiteri; non quòd ab æterno existat, sed quod Angelorum & animarum more duraturus

(l) Sozom. l. 4. c. 22.

(m) Theodoret. l. 2. c. 27.

Eudoxii fraudes.

Aëtius à Constantio proscribitur.

Acaciani ab Imperatore impetrant, ut omnes Ariminensi formulæ subscribere jubeantur.

(n) Hilar. in fragm.

raturus ſit: demum ſimilem filium dici ſecundùm ſcripturas; nam & ſacræ paginæ hominem quemcunque Deo ſimilem teſtantur. Hâc ratione cùm Acaciani Legatos Ariminenſes firmarent, ſimúlque Legati orthodoxis illudentes pravis interpretationibus corrumperent, quæcunque Arimini damnâſſe videbantur; variis artibus Imperatori perſuasêre, ut formulam Ariminenſem licèt in omne erroris genus verſatilem; approbatam tamen in tanto Patrum cœtu à reliquis Epiſcopis ſubſignari curaret. Semiariani ſoli obluctabantur, negabántque ſe ſubſtantiæ vocabulum repudiaturos; Acacianis proinde curæ erat, fraudibus rem conficere, quæ diſputationis æſtu non poterat; interpoſitâ quippe ſacramenti fide ſacrilegè mentiebantur, ſe nequaquam diſſimilem in ſubſtantia filium aſſerere, paratóſque ſingulos (ſiquidem opus eſſet) ad hæreſin ejuſmodi ejurandam: pondus hiſce addidit Conſtantius, qui nocturnis, diurníſque hortatibus, miníſque Semiarianos in unam cum Acacianis neceſſitudinem compellebat (o).

(o) Sozom. l. 4. c. 23.

Pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana.

A.C. 360.

34. Inclinatis hunc in modum compluribus, alii etiam per Orientem Præſules evertendi veniebant: quod iniquitatis negotium ut majore authoritate expediretur; Conſtantinopolim in Concilium coire jubentur. Quinquaginta omnino Epiſcopi fuêre, qui circa initium anni CCCLX. in regia urbe conſederunt (p). Illis ubi Ariminenſis formula prælecta fuiſſet; nullus erat, qui contrà hiſceret: unus Hilarius Legatos à Seleucia ſecutus, quamvis exul, nec mandato Cæſaris accitus, extra Synodum etiam fidei hoſtium conatibus ſe oppoſuit (q). Tribus enim Libellis evulgatis Imperatori fraudes Arianorum detegens, id maximè impetrare adnitebatur, ut ſibi coràm confundere Adverſarios liceret: ſed velut diſcordiarum diſſeminator, in Galliam remiſſus eſt, ut in ipſo Patriæ conſpectu ærumnis exuli imponi ſolitis maceraretur. Hoc Orientis perturbatore (ut criminabantur Ariani) longiùs amandato, formulæ Ariminenſi ſubſcripsêre omnes eâ lege, ut ne quis in poſterum ſubſtantiam in Deo aut hypoſtaſin diceret: útque præter formulam hanc reliquæ omnes, tum quæ anteà ſcriptæ, tum quæ deinceps ſcribendæ, condemnarentur (r). Eventu rerum ad nutum, arbitriúmque Acacii & Eudoxii fluente, hos Arianorum Duces adhuc urebat, quod à Seleuciæ Patribus

(p) Socrat. l. 2. c. 41.

Hilarius remittitur in Galliam.

(q) Sever. Sulpit. l. 2. n. 50. Hilar. ad Conſt. l. 2.

(r) Socrat. l. 2. c. 41.

bus ægrè factum esset Aëtio: pares itaque vices relaturi Adversarii, varia adversus eos crimina confingunt (s), quibus per subornatos testes utcunque probatis, annuente Constantio Episcopi sedibus exuebantur, ínque alios, quos maximè volebant, quíque crudiores Arii blasphemias tuerentur, pastoralem curam hæretici transferebant. Quare Macedonio Constantinopolitano Eudoxius, Basilio Ancyrano quidam Athanasius (à Sancto longissimè diversus) Eleusio Cyziceno Eunomius successêre. Neque in Semiarianos turbida hæc procella duntaxat desæviit, sed & in Catholicos Præsules; eodem namque tempore Cyrillum Hierosolymorum Episcopum iniquior Herennius expulit (t). Post Antistites & Pastores, oves quoque vexationem subierunt; per omnes quippe provincias Ariminensis formula subsignanda circumferebatur (u): illecebram illam iniquitatis hamo circumjectam (x) alii timore perculsi, alii utilitate subacti, vel denique ignorantiâ circumventi acceptârunt. Hæc cùm per Orientem molirentur Acacius & Eudoxius; in Occidente Ursacio & Valente Authoribus, tessera eadem Ariminensis (quæ erroris quidem expressum habebat nihil, in hæreticorum tamen sensa poterat deflecti) à plurimis subscripta est: fuítque tunc funestum tempus, quo usiæ nomen abolitum, & Nicænæ fidei conclamata videbatur damnatio (y); adeò ut totus orbis ingemisceret, miraretúrque se esse eatenus Arianum, quatenus fraude decepti Catholici in ejusdem formulæ subscriptionem, ac communionem; minimè tamen in perversa, sed latenter sub verborum involucro abstrusa sensa conveniebant. Quanquam post labem illam multi adhuc fuerint orthodoxi, qui cum Liberio Pontifice maculæ istius puri nunquam nomen suum Ariminensi formulæ dederint. Indorum atque Persarum, aliarúmque barbararum nationum Antistites fidem Nicænam semper retinuerant; ita ut Athanasius non multò pòst Joviano Imperatori testatus sit, longè plures secum fidei Nicænæ adstipulari. Qui verò artibus Arianorum eversi in subscribentium venerant syllabum, ii mox compertâ fraude recantârunt (z), scilicet primæ Germaniæ, Hispaniarum, Africæ, & præcipuè Galliarum Episcopi. Horum stabiliendæ fidei opportunus S. Hilarii adventus fuit; errantes quippe is revocare expositione doctrinæ so-

Acaciani deponunt tam Catholicos quàm Semiarianos Episcopos.

Quot & quinam non subscripserint Ariminensi formulæ?

(s) Idem c. 42. Gregor. Nazianz. or. 21.

(t) Sozom. l. 4. c. 25.

(u) Idem c. 19.

(x) Hilar. contra Constant. Gregorius Naz. or. 21.

(y) Hieron. adv. Lucif.

(z) Socrat. l. 2. c. 37.

lidæ aggrediebatur. Quod etsi multis commentariis faceret; tum maximè illo libello, quem contra Constantium composuit (a): recensitis ibidem variis cladibus, queis Ecclesiam labefactâsset Imperator, formulæ Ariminensi larvam detrahit, simúlque Cæsari, Arianísque exprobrat tot novarum formularum monstrosos partus, quos in mundi exitium edidissent. Postquàm eum in modum vehementiore zelo in Constantium à Juliano jam Galliis ferè exutum detonuisset; S. Hilarius Parisiis Episcoporum cœtum cogit (b), ut hæresi omnem aditum intercluderet. Erat hoc ingens in Gallos beneficium; majus illud, quod eodem tempore suæ disciplinæ assereret S. Martinum, illíque inculcaret dogmata, quibus posteà regiones illas sanctissimus Antistes excoluit.

(a) Hieron. de script. Eccles. Hilar. contra Constant.

(b) Sever. Sulpit. l. 2.

A. Æ. C. 360.

S. Martini Turonensis initia.

35. Decem is annorum erat, cùm invitis Parentibus ad Ecclesiam confugiens Catechumenorum ordini adlegi postularet; sed quoniam lege Cæsareâ cautum erat, ut Veteranorum filii ad militiam scriberentur, agente gentili Patre ad armorum usum abstractus primùm sub Constantio: dein sub Juliano stipendia fecit; Christianum tamen magis, quàm militem professus, sub sago eas aluit virtutes, quæ sodalium animos raperent. In Pauperes adeò benignus erat, ut in porta Ambianensium cum obvio paupere mediam chlamydem diviserit (c), quod benefactum quantùm superis placuerit, noctis insequentis cælestis imago S. Martino exhibita comprobavit: per somnum enim viderat Christum pallii sui, quâ pauperem donaverat, parte vestitum; qui porrò ad circumfusam Angelorum frequentiam in hæc verba profari auditus est: *Martinus adhuc Catechumenus hâc me veste contexit.* Exactis quinque annorum stipendiis Martinus ad vexillum Christi propiùs aspirans, à Juliano dimissionem petiit: sed quoniam Cæsar apud Vangionum civitatem bellum adversus Barbaros moliebatur; exprobrabat postulanti, eum metu pugnæ, non religionis causâ detrectare militiam. Martinus ad hæc intrepidus, crastinâ die (inquiebat) ante aciem inermis astabo, & in nomine Domini Jesu signo crucis, non clypeo protectus, hostium cuneos penetrabo securus; retrudi ergo in custodiam jubetur, facturus fidem dictis: verùm posterâ die hostes Legatos de pace miserunt. Exinde relictâ militiâ S. Hilario se alumnum tradidit, à quo in Patriam

(c) Severus Sulpit. in V.

Conversio S. Martini.

triam remissus (scilicet Sabariam Pannoniarum) Gentilitatis errore matrem absolvit; dein per Illyricum contra Arianos luctatus varia pro fide egit, tulítque: peractis his laboribus in Galliam remeans, ubi Hilarium Magistrum exulare cognovit; Mediolani sibi Monasterium statuit. Ab Auxentio subinde urbe ejectus, Gallinariæ insulæ solitudines incoluit; dum Hilarius ab exilio rediret. In hujus posteà reversi curam, ac disciplinam se totum transtulit: atque ut cælestis sapientiæ lucem propiùs à viro sancto acciperet; haud procul à Pictaviensium oppido sibi Monasterium construxit. *S. Martinus S. Hilarii discipulus.*

36. Dum S. Hilarius institutione suâ convulsas Occidentis partes redintegrabat; Lucifer Calaritanus in Oriente exul plures libros adversus Constantium conscripsit, quibus Athanasii innocentiam vindicans (d), Imperatori suos errores amariore calamo oggessit. Constantius etsi contrà fremeret; molliore tamen tolerantiâ potiùs amaritiem exsorbere, quàm gravissimam Luciferi manum porrò provocare è re suâ existimavit. Et profectò tempus jam advenerat, quo Princeps perciperet malignos tandem mutatæ toties fidei fructus; post duodecim enim formulas versatili Arianorum ingenio procusas, spiritus Vertiginis adeò invaluerat, ut reluctante nequicquam Constantio pejora indies hæreseon monstra ederentur. Eunomius orthodoxam Cyzici Ecclesiam adminiculantibus Arianis sibi rapuerat: monitus tamen ab amicissimo Eudoxio, ut sensa virulenta ad tempus dissimularet; impietatem non aliter ac involucro quodam contectam privatis in cœtibus venditabat (e): mox in scelus audentior palàm jactare cœpit errores ejusmodi, à quibus Hæreticorum etiam aures abhorrerent. Accusatus apud Constantium Patrocinio Eudoxii sese tantisper defendit; sed urgente Cæsare proscriptus Cyzico in Cappadociam Patriam abscessit, hæresiarcha ibidem novus futurus: stimulante superbiâ prædicabat se nosse Deum, ut Deus ipse se noscit (f): toti Triadi increatæ infestus, non tantùm filium Patri dissimilem, sed & Spiritum S. à Filii substantia diversum docebat. Mutato Baptismi ritu, nováque suis verbis conceptâ formâ rebaptizabat eos, quicunque ad suam Sectam levi pede transgrederentur (g): atque ut mores æquè, ac fidem unà simul ex animis evel-

Lucifer Calaritanus scribit adversus Constantium.

(d) Hieron. de script. Eccles.

(e) Theod. l. 2. c. 29.

Ex Arii Secta variæ hæreses nascuntur.

(f) August. de hær. Socrat. l. 4. c. 9.

(g) Theod. hær. fab. l. 4.

evelleret; præter nudam Dei cognitionem operis boni nihil, nihil virtutis ad salutem exigi delirabat. Alter, qui eodem tempore in novam Sectam erupit, erat Macedonius paulò antè à Constantinopolitana sede ejectus (h): homo ambitiosissimus cùm doleret se extra oculos, famámque esse; à novitate blasphemiæ existimationem aucupaturus, pnevtomachiæ suæ principia vulgavit (i): inficiabatur autem Spiritui S. quandam esse cum Patre & Filio honoris communionem; quin contrà effutire ausus est, eundem Spiritum & Patris & Filii Ministrum, ac Creaturam esse. Infelix lolium, ut per Bithyniæ, Thraciæque agros citiùs disseminaretur; præcipuos ex Semiarianis sibi comites adjunxit (k). Et quoniam in Veteratore morum compositio affectata, oratio non indiserta, ac indoles ad persuadendum apta magnam ad fallendum vim afferebant; Marathonium quoque Quæstorem publicum, & opum potentem sub sua vexilla attraxit, cujus studio, ac divitiis virulenta perfidia primò rudium casas: dein urbes ampliores oberravit: demum in Monasteriis firmiore pede Constantinopoli constitit.

(h) Theod. l. 2. c. 6.
(i) Epiphan. hær. 74.
(k) Theod. l. 2. c. 6.

A.C. 361. 37. Ad calamitatum cumulum sub idem tempus evenit, ut Schismate funesto in tres partes Antiochena Ecclesia divideretur: nam ex quo Eustathius Catholicus à grege suo abactus fuerat, ínque hanc sedem (l) ab anno CCCXXVII. Ariani scilicet Eulalius, & Eudoxius involaverant; geminos, ac distinctos conventus eadem in urbe populus celebrabat. Eudoxio tandem in locum Macedonii Constantinopolitani circa annum CCCLX. suffecto, occasio subnata est, ut præter Eustathianos Catholicos, & Arianos, tertia Ecclesia Meletianorum Antiochiæ colligeretur (m). Arripere tunc vacuam Antiochensium Cathedram non pauci conabantur: sed Arianis è re sua visum est, gubernacula gregis committere Meletio urbis Sebastiæ in Armenia Episcopo; tum quòd eum sui erroris socium crederent, tum quia sperabant, fore, ut tanti viri fama & authoritas Antiochiæ adhuc orthodoxos cives perduceret in Arii sequelam. Verùm sedi impositus Meletius cùm planè alia sentiret, & Nicænam se tueri fidem publicâ expositione (n) ostenderet; ringentes Ariani ex mandato Cæsaris novum Episcopum post triginta dierum intervallum Melitenem ejiciunt: hoc tamen

(l) Pagius Tom. I. ad a. 315.
(m) Sozom. l. 4. c. 28. Theodor. l. 2. c. 31.
Meletius Episcopus Antiochenus.
(n) Epiph. hær. 73. n. 29

tamen brevi tempore Antiochiæ fidei ſemina per Meletii curam adeò adoleverant, ut Euzojus Arianus ſucceſſor ea evellere nequaquam potuerit (o). Catholici omnes etſi inde lætandi argumentum primò acciperent; hi ipſi tamen ſubinde inter ſe ſimultate novâ diſtracti ſunt: religioni nimirum ſibi Euſtathiani ducebant, cum his, qui Meletio adhærerent, in communionem venire; propterea quòd is ab Arianis ordinatus, adque Antiochenſium ſedem Hæreticorum operâ translatus fuiſſet (p): tribus itaque partibus cùm ſcinderetur Antiochena Eccleſia, totúsque Oriens à Macedonio, atque Eunomio vaſtaretur; tot errorum fabricatoribus tandem acceſſit Julianus Apoſtata, qui pro hæreſi idolomaniam, póſtque varia fidei ſimulachra ad Conſtantii libidinem procuſa, deteſtata diu ex inferis idola reveheret, documento inſigni comprobans, ab erroneâ religione ad nullam, & à divinarum rerum erroneo ſenſu ad Dei inſcitiam, contemptúmque facili lapſu deflecti.

Ejicitur ab Arianis in exilium.

(o) Theod. l. 2. c. 32.

Schiſma inter Euſtathianos & Meletianos.

(p) Socrat. l. 2. c. 44.

§. III. *Julianus Idolomaniam reſtaurat, perſequitur Chriſtianos, iis adimit ſcholarum publicarum uſum. SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni ſtudia & Aſceſis: S. Athanaſii reditus ad Alexandrinam Eccleſiam, & iterata ejus fuga. Schiſma novum Antiochiæ inter Meletianos, & Paulinianos: Donatiſtarum tumultus in Africa: Reſtauratio templi Hieroſolymitani fruſtra tentata: Joviani Imperatoris Catholica fides, & zelus pro orthodoxis, Laodicæna Synodus.*

1. QUod Julianus vivente adhuc Conſtantio multis, ſed tacitis votis petiverat, nempe, ut Gentilium ſuperſtitio per Provincias, atque in ipſa Imperii ſede denuò regnaret; id poſt obitum Patrui, ac Principatum jam adeptus maligniùs exequi cœpit. In Illyrico quippe & ſubinde Conſtantinopoli non nocturna ampliùs (ùt in Galliis) ſacrificia litabat (a), ſed palàm & in urbis luce ſacrilegiis ejusmodi ſe polluere non dubitavit (b); edictis illud primò inculcans, ut templa aperiendi, & dejecta delubra reſtaurandi, ſollicitam præfecti curam ſuſciperent. Ad nefandos ritus cohoneſtandos Julianus ingentem Hierophantarum, flaminúmque turbam aluit (c), quibus medius Princeps, ac Pontificis ſummi

Julianus palàm ſuperſtitionem Ethnicam profitetur.

(a) Ammia. Marcell. lib. 20.

(b) Sozom. l. 5. c. 3.

(c) Idem l. 5. c. 3.

mi vices habitúmque gerens in victimarum carnificinis omnibus præibat. Equidem impio veri Numinis desertori cælestes voces non defuerunt, quibus ad frugem revocaretur (* 1), sed magorum, Philosophorúmque greges in hominis animum ita dominabantur, ut contemptis quibusque portentis ac cæli monitis, exitium Christianæ rei quotidiè ardentiùs anhelaret. Circumspicienti autem media, quibus religionis orthodoxæ fundamenta succuteret, id potissimùm placuit, ut intestino bello Christiani inter se committerentur (d). Quo Consilio cùm exules omnium Sectarum Antistites ac Duces errorum ab Ecclesiis proscriptos, nimirum Aëtium & Photinum ultro in Patriam accerseret (e); lætabatur se degeneres Ecclesiæ filios contra matrem in arma vocâsse.

Artes, quibus rem Christianam succutere quærebat Julianus.

(d) Gregor. Naz. or. 3. Sozom. l. 5. c. 5.

(e) Facund. l. 4.

Persecutio Juliani.

2. Neque tamen his molitionibus ita fidebat, ut nisi ipse artes suas quoque afferret, Ecclesiæ exiguam labem inferri crederet. Quidquid igitur astutiæ, fraudísve ingeniosus Veterator effingere poterat, huc expromendum existimavit, ut citra tyrannidis infame nomen molliore manu vulnus Christianis, aut etiam exitium infligeret. Honorum, opúmque pollicitationes (f) primi arietis loco adhibitæ sunt, queis illi potissimùm fracti sunt, qui Religione utuntur adinstar vestis, pro quavis ratione temporis deponendæ (* 2). Multis hâc ratione in partes Juliani euntibus, unus Episcoporum fuit, qui Imperatori in templo Fortunæ impia sacra facienti oggerere ausus est, à summo crimine non abesse, quod Christiani Principis nepos ad lignorum lapidúmque cultum Atheus & Apostata defecisset. Julianus (ut solebat) iram affectatâ lenitate premens, reprehensioni convitium duntaxat

(f) Juliani Ep. 43.

(* 1.) GREGOR. NAZIANZ. or. 3. Ferunt, cùm ipse (Julianus) sacrificaret, victimarum ex coronatam crucem ostendisse, quæ res alios quidem horrore, atque anxietate perfudit, effecítque, ut potentiam Christianæ religionis agnoscerent; at impietatis Magistro animum addidit: tanquam circumscripti, atque undique conclusi essent Christiani. &c.

(* 2.) SOCRATES l. 3. c. 13. De *Ecebolo* Sophista urbis Constantinopolitanæ refert, quod ad Imperatorum mores, fidémque se accommodârit; nam Constantio regnante Christianum se finxit, vel potiùs Arianum. Sub Juliano fuit denuò Idololatra. Post obitum Juliani, rursum Christianam religionem profiteri voluit. Etenim pro foribus Ecclesiæ se pronum abjiciens, his vocibus usus esse dicitur: *Calcate me, ut sal insipidum.* En pseudopoliticorum infame Prototypon!

xat reposuit, Galilæorum nimirum Deum, Præsuli nil opis allaturum, ut cæcitate, quâ senium viri decrepitum oculos vitiaverat, eximeretur: maledicto ejusmodi libertas Episcopi adeò oppressa non est, ut continuò responderet, se enimverò superis maximas debere grates, quod lucem eripiendo prohibuissent, quo minùs monstrosum Principem aspiceret, cui in votis esset stygem cum cælo confundere (g). (g) Sozom. l. 5. c. 4.

3. Julianus voce (ut rebatur) injuriosâ adustus, ab hoc tempore in acerbiora raptabatur consilia (h). Vexationis adversus Christianos conceptæ initia prima desævierunt in aulæ Cæsareæ Primores, quibus plerísque citra causam aliam abdicatis (i), Cæsarius unus Gregorii Nazianzeni frater ob medicæ artis, quam profitebatur, insignem peritiam relictus est, ut ampliore certamine à Christi fide avelleretur: sed Gregorii Nazianzeni literis confirmatus, elusis Juliani conatibus, sponte suâ tandem ex aula excessit. A palatio ad militiam Augustus malignas artes transtulit (k); nam cùm Romanis solenne esset Imperatorum adorare imagines: Juliani fraude curabatur, ut Cæsaris iconi, Mercurii, Jovísque effigies apponerentur. Quicunque igitur honoris causâ, signo Imperatoris flectebat genu, is Diis quoque litâsse homagium dicebatur; nullum nisi simplicioris ingenii homines fraus ea decepit. Quare fidem militum apertiùs largitione tentandam Julianus putavit: conscenso proinde regali solio, simul instrui jubet aram cum foculo, cui milites donationem è manu Principis accepturi, thura imponerent (l). Quibus insolentis obsequii novitas suspicionem fraudis injecerat, hi cingulum militare solvere, & quantiscunque suppliciis redimere perfidiam maluerunt. Nec defuêre, qui incautiùs decepti aurum sacrilegum ad pedes Imperatoris denuò projicere, ac ignes poscere non reformidârunt, ut impia manus, quæ ad focum, ac dona Principis se temerè extendisset, flammarum cruciatu purgaretur. Invidit Tyrannus Confessoribus Martyrii gloriam: & ne fidei causâ pati quid viderentur; alia affingens crimina, generosos milites in exilium amandavit (m).

A.C. 362. (h) Sozom. l. 5. c. 17. Greg. Naz. or. 10. *Sævities in aulæ Primores.* (i) Gregor. Naz. Ep. 17. (k) Gregor. Naz. or. 3. *Militum & Præfectorum insectatio.* (l) Theod. l. 3. c. 16. Sozom. l. 5. c. 16. (m) Theodoret. lib. 3. c. 17.

4. Postquàm Julianus è palatio, castrísque Christianos ejecisset; veluti intestini periculi expers, ab exteris quoque Provinciis

Persecutio propagatur in exteras Provincias & in omnes hominum ordines.

(n) Sozom. l. 5. c. 5.

ciis Christianitatem exterminare aggressus est. In Episcopos & gregis Pastores prima vis incubuit: his quippe dimotis pietatis ducibus præsidibúsque, sperabat religionem cultúmque templorum labefactatum iri. In minorem dein Cleri ordinem æquè acerbus Julianus, immunitatem sacerdotibus, annonásque à prædecessoribus (n) concessas ademit; quin leges in eorum gratiam latas abrogans, ipsos denique curiis publicísque functionibus subjecit. A viduis etiam ob egestatem Clero adscriptis, atque à Virginibus Deo sacris ea, quæ ex publico pluribus annis acceperant, dirissimâ exactione repetiit. Nullum demum Christianorum genus erat, quod apertiore odio Apostata insectaretur, quàm Solitariorum: jejunia horum, orationésque, perpetuas non ferens, ingentes militum catervas in eremum immisit, qui atrociùs paradisum illum tot luminibus radiantem evastarent, virósque sanctissimos à divina militia abstractos ad armorum profanum usum pertraherent.

(o) Julian. ep. 43. Greg. Naz. or. 3.

Julianus adimit jura Romana Christianis.

(p) Julian. ep. 43.

(q) Sozom. l. 5. c. 16.

5. Quemadmodum ignis anteà paucorum ædes invadit, dum invalescente flammarum vi commune spargatur incendium; ita Julianus post nonnullorum ordinum vexationem, æstum persecutionis demum in omne hominum genus protulit. Lege publicâ primò cautum est, ne quis Christianos alio, quàm Galilæorum nomine compellaret (o); hos subinde civitatis, ac Magistratuum gerendorum jure exutos, à conventibus quoque & à foro prohibuit, quo facto Christianis legum usum, & præsidium ereptum ibat, ut nec per vim oppressis, aut spoliatis injurias suas in tribunali persequi liceret: atque hæc cùm sanciret, amaritie quâdam jocabatur, edictis suis quàm optimè prospectum iri Christianorum religioni, cujus hæc potiora essent capita, ne quis injuriam acceptam ulciscatur, sive ne ullus aliquid omnino possideat, propriúmque ducat (p): aut ne quisquam malefactis talionem reddat. Artes ejusmodi aptæ quidem erant ad tentandam, non verò ad infringendam Christianorum Constantiam; duo quippe adhuc erant in Ecclesia fidei præsidia, scilicet accurata morum disciplina & insignis eruditio, ex quibus Religio Christiana in admiratione Gentilium adeò erat, ut & multorum Flaminum uxores, liberi, ac famuli nomen Christi profiterentur (q): Julianus itaque

hæc

hæc firmamenta fidei labefactaturus operam dedit, ut Gentiles ea, quæ apud Christianos vigerent, instituta sequerentur: assuefacerent humanitati in peregrinos, gravitati morum, liberalitati in pauperes (r). Adhæc Ethnicorum templa apparatu, atque ordine Christianis usitato ornare aggressus, precationum alternis vicibus canendarum formam præscripsit, demum cætera, quæ nostræ disciplinæ sunt, Xenodochia, ac Monasteria tum virorum tum virginum exstrui parabat. His dispositis humaniores literas, ne docerent Christiani, prohibuit, causatus minimè decere, ut eorum Poëtarum, Rhetorum ac Philosophorum libros exponerentii, qui ab horum instituto abhorrerent (s). Reipsâ nolebat, ne ex veterum lucubrationibus tela Christiani exquirerent, quibus (dolente Juliano) Idolomania configebatur. Urebat porrò Apostatæ animum omni disciplinarum genere excultos esse viros, qui Ethnicorum scriptorum armis instructi bellum contra falsa numina gererent. Erant inter illos præcipui Basilius, & Gregorius Nazianzenus Cappadoces (t): hic Cæsareæ primùm, deinde Alexandriæ Thespesii fuit auditor, posteà Athenas circa annum CCCLIV. profectus, Basilium Magnum Cæsareensem sibi studiorum, vitæque socium junxit (u): utriusque ex hoc tempore propositum erat, ut virtutem cùm omni scientiarum amplitudine complecterentur: omissis spectaculis ludísque, summâ contentione sub Himerio, & Proæresio Christiano Eloquentiam, singulásque Philosophiæ partes absolverunt. Opibus nobilissimis dives Basilius Athenis Cæsaream sub annum CCCLVIII. revertitur; & postquàm tempus aliquod in perorandis causis posuerat, à Macrinæ piissimæ monitis, ac exemplis (*3) ad Asceseos amorem tradu-

(r) Julian. ep. 49.

Julianus impietatem suæ superstitionis ad Christianæ disciplinæ formam expolire conatur.

(s) Julian. ep. 42.

Julianus scholas publicas Christianis Præceptoribus adimit.

(t) Sozom. l. 5. c. 18.

(u) Gregor. presbyt. in V. Gregor. Naz.

SS. Basilii & Gregorii Nazianzeni studia ac Ascesis.

(*3.) GREGOR. NYSSEN. in V. D. Macrinæ. Macrinam, aít, fuisse natumaximam sororem D. Basilii: Adolescente, cui à Patre desponsata erat, maturiùs defuncto, Virginum albo nomen dedit, erat autem harum institutum hujusmodi: „*Vita ab omni rerum humanarum vanitate aliena ad Angelorum similitudinem proximè accedebat. Non ira, non invidia, non odium, non suspicio inter eas cernebatur: omnis honoris, gloriæ, & aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis fastus & superbia, & reliqua omnia similia inde rejecta erant. Delicias suas in temperantia collocabant: gloriam suam in eo putabant sitam, quod notæ essent nemini: divitias, quod nihil possiderent, quódque terrenas omnes copias tanquam pulverem à corporibus suis excussissent. Nullum autem non inan. studium esse ducebant, quod in hac vita curanda, colendáque poneretur. Sola illic*

traductus, Ægypti solitudines adiit, ubi inspectâ Monachorum disciplinâ in Pontum secessit, austerum ejusmodi vitæ genus inter jejunia, precésque continuas suscepturus (x). Hæc meditante Basilio, Gregorius Nazianzenus in suam quoque redierat Patriam: à Parente primùm ad publica, domesticáque negotia frustra invitatus, Presbyterium tandem per ejus manus suscipere compellitur. Ne verò ad Præsulis officium, ùt consilium erat, admoveretur; Ponti eremum celeri fugâ petiit, in quâ Basilio se ùt anteà studiorum, ita jam vitæ solitariæ comitem dedit (* 4). Volventes igitur diu noctúque junctis laboribus sacros codices, multa etiam ex libris Origenis collegerunt, quæ literarum studiosis utilia judicabant, ac inscripsêre *Philocalia* (y): posteà cùm multi ad eos pietatis causâ confluerent; Monastici instituti leges Basilius scripsit, quibus suos ad virtutem & ad fidem erudiebat; & Alumnis, qui regulam hanc profitebantur, præcipuè tribui debebat, quod à Ponto, vicinísque Provinciis Eunomii & Apollinaris dogmata exulârint. Gregorius Nazianzenus ab hoc pio consortio subinde Neo-Cæsaream ad docendam Rhetoricam vocatus est (z): nec Basilio diu in solitudine hærere licuit; nam ab Eusebio Cæsareensi Episcopo initiatus Presbyterio, in urbe pro concione dicere compulsus est (a). Displicuit Juliano tantorum virorum, quos Athenis studiorum Sodales habuerat, virtus atque eruditio (b); aggredi

(x) Gregor. Nyss. in V. Macrin. Basil. ep. 19. & 79.

(y) Gregor. Naz. in V.

(z) Gregor. Naz. ep. 64.

(a) Idem orat. 20.

(b) Sozom. l. 4. c. 22.

rerum divinarum vigebat cura, perpetuúmque precandi studium, & assidua psalmorum decantatio, quæ nullo unquam tempore, nec die, nec nocte intermittebatur: ut in ea re & opus ipsarum, & quies consisteret.

(* 4.) BASILIUS epist. 1. ad Gregor. Nazianz. utilitates vitæ solitariæ describens ait: *Est secessus à mundo, non extra mundum esse corpore, cæterùm à consensu corporis, mutuáque affectione animum abrumpere, non civem esse . . . nihil proprium habere . . . non sodalitatis officia, non amicitias colere . . . nullis negotiis vacare, juris gentium contractus, humanásque disciplinas non nôsse: ita se comparare, ut cor aptum sit admittere disciplinam ex divinis monumentis informatam. . . . Pietatis autem meditatio animam divinis cogitationibus alit. Quid verò beatius, quàm hominem in terra conventum Angelorum imitari? ineunte statim die ad orationes ire? exinde sole jam dilucescente converti ad opera, nunquam sinè oratione. Denique canticis tanquam sale condire actiones? Quietus igitur status animæ auspicatus est, cum nec lingua loquitur, quæ ad homines pertinent; nec oculi colorum nitores circumspiciunt in corporibus. . . . Cùm nec aures animæ intentionem elanguescere faciunt. . . Quippe mens nec extrorsùs dissipata, nec in mundum per sensoria diffusa, ad sese ipsa redit, móxque suopte nutu ad Dei notionem evadit. Quo fit, ut in illo decore illustratus undique intellectus, atque supernè illuminatus, naturæ quoque ipsius oblivione capiatur. . . . idque assequi conetur, quo virtutes omnes absolutè excolat. &c.*

Rabies crudeliſſima Juliani in Epiſcopos & Virgines.

gredi tamen duriùs auſus non eſt, ne probata ſuppliciis conſtantia Tyranno pudorem, novúmque Eccleſiæ decus conſciſceret. Itaque furorem, quem hac ex parte compreſſerat, licentiùs in Epiſcopos benè multos, ac ſacratas Virgines effudit (*5); nam in illos, quòd ſimulachra confregiſſent, diris pœnis graſſabatur, harum autem ventres diſſecari (c), & hordeo oppleri juſſit, ut porci inde pabulum, ſimúlque viſcera devorarent. A mortalium laniena ſe ad exterminium SS. reliquiarum, atque imaginum convertit: Sebaſtæ S. Joannis Baptiſtæ exuviæ igne exurebantur (d): & Cæſareæ Philippi (cui Paneadi nomen) ſtatua, quam Hæmorrhoiſſa Chriſto dedicaverat (e), everſa, atque in ejus locum effigies Cæſaris ſubſtituta eſt. Non tulit ſupremum numen ab Apoſtata injuriam, ſed immiſſo de cælo fulmine Imperatoris ſacrilegi ſimulachrum disjecit (f).

(c) Theod. l. 3. c. 7. Sozom. l. 5. c. 10.

(d) Rufin. l. 11. c. 28.

(e) Euſeb. l. 7. c. 18.

(f) Codin. or. C.

S. Athanaſius redit Alexandriam.

6. Inter tot Martyrum cædes malignâ morte extinctus quoque eſt Georgius Alexandriæ Pſeudo-Epiſcopus, quo à Gentilibus interfecto, Athanaſius è ſuâ eremo, in qua per ſeptem annos latuerat, Alexandriam reverſus eſt triumphantis in morem (g). Confirmaturus Eccleſiæ dogmata viginti Epiſcopos confeſſores in Synodum vocat: ex quorum ſententiâ decretum eſt, ut exceptis authoribus hæreſeos, cæteri (quos error excuſare poterat, quique decepti Valentis & Urſacii dolo, Ariminenſi & Conſtantinopolitanæ formulæ ſubſcripſiſſent) pœnitentes demum intra Eccleſiæ ſinum (h) reciperentur. Præterea Synodus id egit, ut cùm voces quasdam vario ſenſu varii acciperent, conceſſo nominum uſu, rebus potiùs fideles conſtringendos putaret (*6). Liberio Pon-

(g) Gregor. Naz. or. 21.

Synodus Alexandrina

(h) Rufin. l. 1. c. 28.

(* 5.) De Perſecutione Juliani plura vide apud TILLEMONT. Tom. VI. 2. Part. Hiſt. Eccl. à p. 562. ad p. 739. item apud RUINART. in Actis SS. à p. 577. ad p. 597.

(* 6.) Subſtantiæ & Hypoſtaſis voces tunc à diverſis in varia acceptione ſumebantur; aliis enim ex more antiquorum Philoſophorum ſubſtantia, & hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentia idem videbantur, quare unam hypoſtaſin in Deo eſſe dicebant. Alii verò per ſubſtantiam intelligebant rei naturam; per ſubſiſtentiam verò oſtendi ajebant Uniuscujusque Perſonæ hoc ipſum, quod extat, & ſubſiſtit; & ideò Synodus adverſas partes conciliatura juſſit, ut res & dogma potiùs, quàm vox attenderetur. Unde Athanaſius epiſt. ad Antioch. ſcribit: *Aliquos quidam incuſabant, quod tres hypoſtaſes dicerent, quia hæ voces, cùm in ſcriptura non habeantur; hinc ſuſpectæ eſſe poſſunt; rogavimus, ut nihil præter Nicænam confeſſionem inquirant. Illos tamen contentionis occaſione interrogavimus, anne (ut Ariomanitæ dicunt) hypoſtaſes illas alienas, peregrináſque, ac diverſæ à ſe invicem.*

(i) Liber. ep. 9.
(k) Theod. l. 3. c. 5.
Paulinus à Lucifero Calaritano Antiochiæ alter Epiſcopus creatur.
(l) Sozom. l. 5. c. 13.
(m) Hieron. adv. Lucifer. Aug. hær. 81.
(n) Rufin. l. 1. c. 30. Sozom. l. c. c. 10.
(o) Optat. Milevit. l. 2. n. 15.

tifici etſi doctrina Patrum omninò placeret (i); occaſio tamen fuit, ut hæc Synodi decreta à Lucifero Calaritano improbarentur. Poſtquam is redierat ab exilio Antiochiam eodem hoc anno; Euſtathianos compoſiturus, Paulinum iis Epiſcopum dedit (k): remedium quia diſſenſionem magis fovebat; Euſebius Vercellenſis (qui Alexandrinâ ex Synodo Antiochiam tunc moverat) Luciferi conſilia improbavit. Faſtidium inde conceptum Luciferum adeò afflixit, ut cùm Euſebium aliter premere non poſſet (l), Alexandrinæ Synodi acta convelleret, aſſerens Clericos, qui Ariminenſi formulæ ſubſcripſiſſent, è gradu dejici oportere (m). Euſebius Luciferi ſenſa declinans, peragrato Oriente, ac Illyrico Italiam petiit, ubi magna cum lætitia receptus, omnibus perſuaſit, ut Ariminenſe Symbolum palàm repudiarent (n).

7. Necdum Italia in Catholicum omnino ſenſum redierat, tunc Africa ab infeſtis Donatiſtarum tumultibus denuò convulſa eſt (o). Parmenianus, qui Donato ſcelerato, ſceleſtior ſucceſſerat, à Juliano impetratum ibat, ut factioſi quique ab exiliis ad perniciem Africanæ Eccleſiæ revocarentur. Apoſtata in religionis exitium indulgentior, ubi votorum compotem Parmenianum red-

cem ſubſtantiæ, & unamquamque hypoſtaſin ſecundùm ſe ab altera diviſam, ut ſunt aliæ creaturæ, nec non qui ex hominibus naſcuntur: vel quaſi diverſas ſubſtantias, quale eſt aurum, argentum & æs; ſic & ipſi dicerent? An ſicut alii hæretici tria Principia, & tres Deos eſſe dicunt, eâdem ipſi ſententiâ affirmarent tres eſſe hypoſtaſes? illi neque ſe hæc dicere, neque unquam ita ſenſiſſe affirmabant. Nobis autem percontantibus, quid ergo hæc dicitis? aut quare tandem hujusmodi vocabula uſurpatis? Reſponderunt illi: eoquòd in Sanctam Trinitatem credimus, non nomine tenus Trinitatem, ſed quæ verè ſit, & ſubſiſtat, nimirum Patrem exiſtentem, & ſubſiſtentem, Filium item verè ſubſtantialem, & ſubſiſtentem, Spiritum quoque Sanctum ſubſiſtentem & exiſtentem agnoſcimus. Nec tamen ſe dixiſſe, ajebant, tres Deos, aut tria Principia, nec omnino eos, qui ita dicerent, ſentirentve, tolerare: ſed ſe Sanctam quidem Trinitatem agnoſcere, unámque Deitatem, ac unum Principium, ac Filium quidem Patri Conſubſtantialem, ut Patres declarant, Sanctum verò Spiritum non Creaturam, neque alienum, ſed proprium, & à ſubſtantia Filii & Patris indiviſum. Approbatâ igitur ejusmodi & vocum interpretatione, & excuſatione, eos quoque examinavimus, quos iſti accuſabant, quod unam dicerent hypoſtaſim, num in Sabellii ſenſu ita loquerentur, quo Filium, Spiritúmque S. hypoſtaſi carere exiſtimarent? Qui item affirmârunt ſe neque hoc dicere, nec unquam ita ſenſiſſe, ſed unam hypoſtaſin ajebant, dicimus, exiſtimantes perinde eſſe dicere hypoſtaſim, atque dicere ſubſtantiam: unam credimus hypoſtaſim, eoquòd Filius ſit ex ſubſtantia Patris, & quod una, eadémque ſit natura. Unam quippe Deitatem. & unam ejus naturam eſſe credimus ..., omnes denique Dei gratiâ poſt ejusmodi interpretationes unam confitentur iſtiusmodi vocabulis præſtantiorem, accuratiorémque fidem à Patribus Nicææ promulgatam: atque denuum illius verba ſufficere debere, iisque utendum eſſe.

reddidisset; nil crudelitatis fuit, quod seditiosum genus hominum non perpetraret. Regulis comminuta Confessorum capita, tractæ nefandum in modum Virgines: atque ut ferociam sacrilegiis cumularent; detracta de Virginum Deo sacrarum capitibus bonæ voluntatis signa, sive mitellæ purpureæ (*7), effusa canibus Eucharistia non sine irati Numinis indicio (p); nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, sacri Corporis reos, dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactabant; & cùm casum adjuvaret abjectio, Deo muniente illæsa inter saxa consedit.

Donatistarum sacrilega molitiones in Africa.

(p) Idem n. 18. & 19.

Antiquus usus Chrismatis miraculo comprobatus.

8. Quod Schismatici & Hæretici per Africam, hoc per Ægyptum, totúmque Orientem Juliani furor adversus Ecclesiam molitus est (q): Athanasius unus præ cæteris erat, qui superstitioni Gentili posuerat moras; hunc ergo aquâ & igni interdicere placuit. Catholicis ne acerbior clades immineret; sanctus Antistes Alexandriâ excessit, monens suos, nubeculam hanc esse, quam citò transituram acceptis è cælo ominibus prædiceret: Athanasius relictâ urbe nactus in ripa fluminis navigium, in Thebaidem subvehitur (r): & aliquantùm profectus ubi instare eos audierat, qui vel cædem vel servitutem ejus in mandatis ferebant, cursu Alexandriam reflexo, satellitio occurrit: sciscitantibus sicariis quantùm inde abesset Athanasius? ipse sacer Episcopus obvius, illum haud procul abesse, reponit, quo responso decepti Parricidæ cùm navem porrò propellerent, Athanasio Alexandriam incolumi regredi licuit, ubi latuit ad fidelium solatium ad Juliani mortem usque absconditus. Julianus interea Antiochiam ingressus impiis sacrificiis Deorum favores provocabat, ut sibi ad Persarum bellum promptas afferrent manus (s): verùm Babylæ Martyris sacra ossa, quæ è regione templi Apollinis tumulata erant, obsti-

(q) Julian. ep. 27. Theodoret. l. 3. c. 9.

Athanasius infestatur à Juliano, & fugit in solitudinem.

(r) Sozom. l. 5. c. 15.

(s) Sozom. l. 5. c. 19.

(* 7.) Mitra è lana purpurea capitis erat ornamentum, quo Virgines Deo consecratæ utebantur; de quo OPTATUS MILEVIT. lib. 6. n. 4. ait: *Res inventa est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. Talis pannus & errare & rodi, & perire potest; & tamen Virginitas, si illæsa sit, sine mitella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est. In nuptias sponsi jam illæ Virgines venerant voluntate, & professione suâ; & ut sæcularibus nuptiis se renuntiâsse monstrarent, & junctas spiritali sponso; solverant crinem, jam cælestes celebraverant nuptias. Quid est, quod eas iterum crines solvere coegistis? &c.*

têre, quo minùs sueta oracula funderentur. Diis igitur suis ora resoluturus & singulas Julianus Babylæ reliquias amoveri præcipit, quæ à fidelibus tantâ cum solennitate exportatæ sunt (t), ut Tyrannus superstitionis suæ, ut rebatur, injuriam non ferens, in fideles pompæ istius Amatores supplicia acerrima dictârit. His minùs conterrita Publia & Virginum sacrarum Antesignana, Imperatorem prætereuntem unà cum suis hoc sacro cantico quatiebat: *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, similes fiant illis, qui faciunt ea* (u); cruentæ plagæ, quas generosa virgo pro fortitudinis suæ præmio retulit, Publiæ gloriam, Tyranno ignominiam addidêre.

(t) Theod. l. 3. c. 10. *Magnanimitas Christianorum.*

(u) Psal. 113.

A. C. 363. 9. Post eversas benè multas Ecclesias, Martyrúmque Carnificinas cùm desertor Christianitatis parùm proficeret; Judæos in fidelium cœtum concitare decrevit. Hos itaque liberare tributis, erigere honoribus, & demum iis Solymitanum templum restaurare aggressus est (x); ut surgente è ruderibus hoc Judaicæ Religionis trophæo, Catholicorum Ecclesiæ aut caderent, aut obscurarentur: fervebat jam opus (y) & substitutione multiplici fundamenta jactabantur; tum enimverò metuendi flammarum globi crebris assultibus è terra prorumpentes disjiciebant operas aut cremabant: dissipabantur ab ingruente ventorum turbine opificum instrumenta: ac ne dubitare possent, cujus manu ædificium tam invisum prohiberetur; in fossorum, & Judæorum vestibus impressa Crucis signa apparebant, quibus prodigiis tandem à consilio depulsi, cœptam fabricam interruperunt. Annus tertius jam fluebat & ultimus, quo perfido Apostatæ grassari licuit; in Persiam quippe longiùs cum exercitu profectus, ubi victorias legere sperabat, mortem invenit: telo confixus suam quoque animam dæmonibus dedit, qui famam, fidémque ad inferorum obsequium dudum devoverat (z).

(x) Julian. ep. 25. Theod. l. 3. c. 20.

(y) Sozom. l. 5. c. 22. Rufin. l. 1. c. 38. *Julianus restaurare templum Hierosolymitanum frustra aggreditur.*

(z) Sozom. l. 6. c. 1.

10. Vivente Juliano uti Christianitas perpetua inter funera squalebat; ita mortuo Tyranno è suis exiliis prorepere Episcopi, ex carceribus Confessores, atque ad novam lucis vitalis usuram redire visi sunt (a); nam Jovianus Christianus Imperator ac melior Apostatæ successor amoto per duras conditiones Persarum bello, abolere etiam cœpit vexationes intestinas, quæ civium, optimo-

(a) Socrat. l. 3. c. 24. *Jovianus restituit Ecclesiæ afflictæ vigorem.*

optimorúmque ſanguinem temerè exhauſerant. Ad reſtaurandas Eccleſiæ ruinas ab Athanaſio certam & ſecuram fidei regulam Auguſtus petiit; nec defuit Principis voto ſanctus Antiſtes, ſubmiſsâ quippe ad Symboli Nicæni modum formulâ, rogabat, ut huic fidei, quam tot & plurimæ per orbem Provinciæ profiterentur (*8), quàm arctiſſimè adhæreret. Acceptâ Jovianus hâc epiſtolâ Athanaſium Antiochiam evocat, ut coràm de fidei argumento diſſerentem audiret. Sectarum Principes Athanaſii adventu conterriti nullum artificii genus omiſerunt, ut Epiſcopo ſancto apud Cæſarem conflare invidiam, ſibíque gratiam Joviani aucupari valerent; ſed integritas fidei, moréſque Præſulis ita jam rapuerant Auguſti animum, ut calumniatoribus pœnas, Hæreticis verò reſponſi loco hoc referret; propoſitum ſibi eſſe rejectis cæteris formulis uni Nicænæ fidei inhærere, pacem ſe amare Eccleſiæ, nilque magis odiſſe, quam eos, qui litibus rempublicam conturbent (b). Hâc ratione etſi Imperator necdum è re ſua eſſe duceret, ut quemquam ad Catholicam cogeret fidem (c); verſatilibus tamen ingeniis hic Cæſaris erga Catholicos propenſi favor tantùm perſuaſit, ut & Philoſophi depoſito pallio Religionem veram exteriùs confiteri, atque Hæretici mitigatâ blaſphemiarum duritie propiùs ad Eccleſiæ limina accedere viderentur; quam animorum mobilitatem meritò poſteà illis Themiſtius Philoſophus exprobravit, nempe homines ejusmodi non Deum, ſed purpuram Imperatoris adorare, projici inſtar Euripi jam in hoc jam in oppoſitum latus, neque illos aliam nôſſe credendi regulam, quàm quæ à ſola authoritate Principis acciperetur (d).

Jovianus rejicit Hæreticorum poſtulata.

(b) Socrat. l. 3. c. 25.

(c) Idem c. 20. & 21.

(d) Socrat. l. 3. c. 21.

Synodus Laodicæna.

11. Regnante feliciùs Joviano (*9) Epiſcopi majorem libertatem nacti, Laodicæam Phrygiæ convenerunt, ut Eccleſiæ diſcipli-

(* 8.) ATHANASIUS Tom. I. n. c. p. 779. *Scito*, inquit, *religioſiſſime Auguſte, hæc ab omni ævo eſſe prædicata, báncque ipſam fidem Patres, qui Nicææ convenerunt, confeſſos fuiſſe, eámque ſuffragio comprobare univerſas totius orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæque & Africæ Univerſæ, nec non Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis, nec non Orientis Eccleſias, paucis exceptis, qui Arii hæreſim ſequuntur.* Ex quibus orthodorum amplior numerus facilè colligitur.

(* 9.) Concilium Laodicænum *in antiqua Collectione* locum ſuum obtinet poſt Synodum

ſciplinam, quæ ſub Juliano conciderat, novis legibus reſtaurarent (e). Ex ſexaginta canonibus præcipui ſunt ſequentes: *Primus* errorem eorum corrigit, qui ex zelo præpoſtero bigamis communionem negabant (f). *Secundus* dictat pœnitentiam pro ratione delicti imponendam (g). *Tertius* uti Neophytos ab ordine prohibet ſacerdotali; ita *quintus* Clericos ab iniquo fœnore reſtringit (h). *Septimus* præſcribit modum Hæreticos Eccleſiæ conciliandi, nempe ut ejuratis, damnatíſque cunctis Hæreſibus, doceantur fidei ſymbolum, tum uncti ſancto chriſmate Orthodoxis accenſeantur. *Octavus* Cataphryges, ſiquando eos converti contigerit, jubet, ut novo baptiſmate tingantur, eoquòd Baptiſmi formam Hæretici ejusmodi corruptam adhiberent. *Decimus* cavet, ne ii, qui ad Eccleſiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis ſocient. *Duodecimus* & *decimus tertius* de Electionibus ita ſtatuerant, ut probatæ primùm fidei ac vitæ viri ad Præſulum honores deligantur (i): dein altero eorum canonum præcipitur, quod non ſit permittendum turbis ſeu populis electiones facere eorum, qui ſunt ad ſacerdotium promovendi (k). *Decimus quartus* decernit, ut Sancti nullo modo, causâ Eulogiarum (* 10) tempore paſchalis feſti, ad alias Parochias debeant deſtinari. *Vigeſimus quartus* & *vigeſimus octavus* ſobrietatem Clericis commendant, eos à tabernis arcendo (l), ſimúlque injungunt, ne deinceps in Eccleſiis convivia, quæ Agapæ vocan-

(e) Diſt. 16. c. 11.

(f) Bellarm. l. 2. de CC. c. 8

(g) C. XXVI. Q. 7. c. 4. His, qui diverſorum.

(h) Diſt. 46. c. 9. Non licet fœnerari.

(i) Diſt. 61. c. 6. Epiſcopum non oportet.

(k) Diſt. 63. c. 6. Non eſt permittendum.

(l) Diſt. 42. c. 3. Non oportet Miniſtros.

nodum Antiochenam anno 341. coactam: PETRUS DE MARCA verò Laodicænos Patres conveniſſe ait circa annum 365., quia eodem anno dicit *Illyricianam* quoque Synodum celebratam fuiſſe, ſed ratio ejus fallit, nam Illyriciana poſtea a. 375. inſtituta eſt ſub Pontifice Damaſo. PAGIUS demum ex Gothofredo in Notis ad Philoſtorgium l. 8. c. 3. & 4. probat Synodum Laodicænam pertinere ad annum 363. quia *Theodoſius* Philadelphiæ in Lydia Epiſcopus coævus Canonum Laodicænorum tunc præcipuus author eſſe potuit, & quia oſor mulierum, & voluptatum hoſtis infenſiſſimus erat, meritò tunc ſtatuiſſe dicendus eſt, quæ Can. 1. 10. 30. 31. 44. 52. 53. 54. contra voluptates ejusmodi decernuntur: dein PHILOSTORGIUS l. c. quando ſimilia commemorat, de iis agit, quæ *Joviano Imperante* geſta ſunt.

(* 10.) Juxta CYRILLUM epiſt. ad Neſtor. *Eulogiæ* nomen quandoque uſurpatur pro ipſa Euchariſtia; frequentiùs tamen ſignificat panem duntaxat benedictum, qui ſub finem Miſſæ in ſignum mutuæ communionis iis diſtribuebatur, qui ad ſacram Synaxin haud parati erant. Epiſcopus Eulogias ſingulis Dominicis mittebat ad ſingulas urbis parœcias, quatenus ſcirent omnes, ſe cum illo unum corpus efficere, cujus ipſe erat caput. Laodicæni PP. prohibuerunt, ne in Paſchate Eulogiæ mittantur, quia Presbyteri omnes eâ die cum Epiſcopo celebrare debebant.

vocantur, fiant (*11). *Trigesimus* non tantùm Ecclesiastici ordinis viris, sed & laicis Christianis lavacra cum mulieribus celebrare interdicit (m). *Trigesimi quinti* argumentum est: quod non oporteat Christianos derelictâ Ecclesiâ Dei abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere. . . Quicunque autem inventus fuerit, occultæ huic idololatriæ vacans, anathema sit; quoniam derelinquens Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, accessit ad idola (*12). *Quadragesimus nonus* negat, ex more esse Ecclesiæ, ut in Quadragesima panis benedictus offeratur, nisi

(m) Dist. 81. c. 28. Non oportet Ministros.

(* 11.) *Agape* est convivium publicum, quod in Ecclesia olim in SS. Martyrum natalitiis celebrari consuevit, ut patet ex Gregorio l. 1. ep. 14. ubi dedicaturus Oratorium B. Mariæ pro Agapa parari mandat. Sed can. 28. hæc temperata sunt, & circumstantia loci interdicta; nam tempore Apostolorum abusus jam in ejusmodi convivia irrepserant, quos Paulus perstrinxit: his autem invalescentibus, prohibitum est Canone citato, ne epulæ in Ecclesiis fiant; retenta sunt tamen convivia similia per tempus in ædibus privatis, ubi Divites præparabant cibos, & pauperes invitabant.

(* 12.) Postquàm Canone 34. veri Martyris cultus Religiosus receptus est. Tum 35. Canone decretum subjungitur ad cultum Angelorum reformandum. Theodoretus quinquaginta annis posterior hunc Canonem ita exponit in Epist. ad Coll. c. 2: „Qui legem defendebant, scilicet discipuli Cerinthi, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos fuisse datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus, quæ convenit apud Laodicæam Phrygiæ, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & in hodiernam usque diem Oratoria S. Michaëlis apud illos, illorúmque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes Universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. In eo igitur erant Idololatræ, quod relicto Christo Mediatore (ut dicit Canon) ejus honorem transferebant ad Angelos, per quos nos tantùm ad Deum accessum habere credebant. . Prætereà ad Canonem 35. Laodicænum BAILIUS ita commentatur: *Canone 34. veri Martyris cultus religiosus recipitur, falsorum verò Martyrum superstitiosa veneratio prohibetur: dum ergo sequente Canone subjungitur decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens, expresse patet, sacrosanctam Synodum voluisse, ut veri Angeli, qui æternam salutem adepti sunt, sicut veri Martyres colantur: falsorum autem Angelorum, sicut Pseudo-Martyrum cultus ac veneratio sub pœna anathematis evitetur. Angeli enim naturæ & gratiæ donis omnes ferè sanctos excellunt. Quis ergo credat, Patres hujus Synodi, Martyribus ob sanctitatem, quâ donati sunt, cultum ac venerationem adjudicâsse; Angelicæ autem creaturæ excellentiori, & sanctiori omnem honorem ac piam observantiam ademisse? falsos autem Angelos, quos Gentiles & Magi religiosi colebant, Genios fuisse, ait Baronius, quorum gratiâ ipsi (ut ex Censorino de die Natali, & Macrobio in Saturnalibus constat) diem natalitium celebrantes, affines, & amicos suos convocabant, & quod ait Canon, ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes faciebant. Quamquam probabilius esse judicet, per falsos Angelos intelligi debere dæmones; quos cùm illi ad Magias suas perficiendas occultè invocarent; à Patribus hujus Concilii idololatræ nominati sunt: cùm verò ad imposturas suas honesto nomine velandas, profiterentur se Angelos invocare* (ut ait Tertullianus in Apolog.

nisi in Sabbato & Dominica (* 13). *Quinquagesimus secundus* vetat, ut in Quadragesima seu nuptiæ seu natalitia celebrentur (n). *Quinquagesimus octavus* minùs congruere ait, quod in domibus oblationes ab Episcopis fiant, vel à Presbyteris (* 14). *Sexagesimus* demum canon catalogum commonstrat, quo libri sacræ Scripturæ ab Ecclesia tunc recepti recitantur (* 15.

(n) Caus. XXXIII. Q. 4. c. 8. Non oportet in quadragesima.

12. Concilio peracto Patres ex his legibus eum præcipuè sperabant fructum, ut adminiculante Joviano Imperatore Religioni pristinus decor redderetur; sed vota tot Antistitum funestus nuncius interrupit; eo enim dolentibus orthodoxis ferebatur, Principem, spem Ecclesiæ, ac Orientis felicitatem Dadastanæ repentino fato extinctum concidisse.

§. IV. *Sy-*

Apolog. c. 23.) *idololatræ occulti appellantur, quod nimirum idololatriam honestissimo nomine Angelorum velatam & occultatam committerent.* Vide Baron. ad ann. C. 60. §. 20. Adverte denique aliquos Codices habere: *Ad Angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere.* Et tunc litera Canonis nullam haberet difficultatem.

(* 13.) LEO ALLATIUS *in ep. ad Naud.* Missa, in qua non fit nova consecratio, sed panis anteà consecratus sumitur, dicitur *Missa præsanctificatorum.* In Latina Ecclesia hoc modo missa legitur in Parasceve; in Græca verò per totam quadragesimam exceptâ die Dominicâ & Sabbato, quibus integrum conficitur Sacrificium, & simul sacerdos tunc tot particulas panis in oblatione abscindit, quot Missas in ea hebdomada dicturus est, eásque cum particula ea die absumenda consecrat; consecratas conservat in pixide, aliísque diebus sub vesperam celebraturus accipit particulam, & reponit in disco, & in altare majus advectam consumit.

(* 14.) Concilium Missas in privatis domibus fieri prohibet, non quasi illicitæ essent, & inusitatæ; nam contrarium docemur ex Apostolorum praxi, qui Synaxin in privatis ædibus celebrabant: & ex more Christianorum primorum, qui tempore Persecutionum privatim sacra agebant. Quare ex eâ ratione prohibentur, quòd multi abusus intercesserint; hinc posteà Ecclesiasticis & civilibus legibus interdictum est celebrare in ædibus privatis, nisi necessitas urgeat.

(* 15.) Canon Sexagesimus ex versione Dionysii sic habet: *Hæc sunt, quæ legi oportet ex* VETERI TESTAMENTO (sunt autem libri, qui in Judæorum Canone continentur) 1. *Mundi Genesis.* 2. *Exodus sive exitus ex Ægypto.* 3. *Leviticum.* 4. *Numeri.* 5. *Deuteronomium.* 6. *Jesus Nave.* 7. *Judices, Ruth.* 8. *Esther.* 9. *Regnorum I. & II.* 10. *Regnorum III. & IV.* 11. *Paralipomenon I. & II.* 12. *Esdræ I. & II.* 13. *Liber Psalmorum CL.* 14. *Proverbia Salomonis.* 15. *Ecclesiastes* 16. *Canticum Canticorum.* 17. *Job.* 18. *Duodecim Prophetæ.* 19. *Esaias.* 20. *Jeremias & Baruch Lamentationes & epistolæ.* 21. *Ezechiel,* 22. *Daniel.* NOVI *autem* TESTAMENTI *hæc*: *Evangelia quatuor secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Joannem. Actus Apostolorum, Epistolæ Catholicæ septem, videlicet Jacobi una: Petri duæ, Joannis tres, Judæ una, Epistolæ Pauli quatuordecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Hebræos una, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una.* Igitur ex novo testamento Apocalypsis tantùm omittitur.

§. IV. *Synodus Lampſacena, Auxentius Epiſcopus Arianus; Semiariani ſubſcripto Nicæno Symbolo communicant Liberio.* DAMASUS *Pontifex, ſchiſma Urſicini, Perſecutio Valentis adverſus Catholicos, Mors Athanaſii: Saracenorum converſio, Apollinariſtarum initia, Parmeniani Donatiſtæ cum Optato Milevitano pugnæ: Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis electio, Concilium Valentinum, Epiſcopatus S. Martini Turonenſis: varia certamina S. Baſilii cum Valente, Euſtathio Sebaſteno, Anthimo Tyanenſi, & cum Monaſticæ vitæ oſoribus: Sancti Ephrem, S. Hieronymi & S. Epiphanii Aſceſis & ſtudia: Gothorum perverſio ad Arii ſectam.*

1. QUantùm orthodoxos inopinum Cæſaris fatum proſtraverat, tantum audaciæ Hæreticis à Joviano anteà repulſis mors eadem addidit; ominabantur hi ſe nunc in novorum Principum Valentiniani & Valentis animos irrepere poſſe. Quo conſilio ſubinde Valentiniano per Thraciam Romam contendenti obviàm mittunt A.C. 364. Hypatianum Heracleæ Perinthi Epiſcopum (a), qui Epiſcoporum Helleſponti, & Bithyniæ, tum cæterorum Macedonum nomine Cæſarem rogaret, ut ad emendationem dogmatum ſuæ Synodo intereſſe dignaretur. Verùm Auguſto hoc officii genus (quod Sacerdotibus proprium dicebat) à ſe rejiciente, iidem Epiſcopi velut datâ facultate Lampſacum conveniunt (b): illinc primò decretum eſt, ut ea, quæ Conſtantinopoli ſtudio Eudoxii atque Acacii geſta fuerant, irrita pronuntiarentur; dein abolitis formulis, quæ diſſimilem Patri filium aſſererent, ea tantum retenta eſt, quæ Seleuciæ, quæque Antiochiæ in dedicatione majoris Eccleſiæ expoſita fuerat: demum ex Macedonum ſententia per deteſtandam blaſphemiam Spiritui Sancto Divinitas abnegabatur. Eudoxius quoniam ſe à Lampſacenſibus premi audierat; ad Valentem, qui Orientem adminiſtrabat, confugit, & aulicorum operâ id à Principe elicuit, ut Lampſacenſium legatis in exilium abactis, Eccleſiæ Eudoxianis traderentur.

(a) Socrat. l. 4. c. 2.

Synodus Lampſacena.

(b) Sozom. l. 6. c. 7.

Eudoxius Valentis Imperatoris favorem ſibi conciliat.

2. Intereà Valentinianus in Occidentem, quem ſuo reſervârat Dominatui, propiùs moverat; & Kalendis Juniis Mediolanum ingreſſus, gliſcere diſſidia vidit Auxentium inter & Euſebium Vercellenſem (c): incumbebat hic paſtor bonus in alterum velut lupum,

(c) Rufin. l. 1. c. 30.

Eusebii Vercellensis & Hilarii certamen contra Hæreticum Auxentium. lupum, qui Arii rabiem per ovile diffunderet. Verùm Auxentii intererat, dolosâ arte Imperatorem decipere: jactabat proinde palàm, se unà cum Rege, Christum Deum, verúmque Dei Filium ante tempora genitum profiteri: jámque Valentinianum verborum fuco ita deluserat, ut perperàm viro hæreseos notam inuri crederet; tum Hilarius in Eusebii advolat suppetias, & hominis blasphemi fraudes penitiùs inspici rogat: quare coram Quæstore & Magistro decem Episcopi audire causam jubentur (d). Auxentius negotio diffisus suo, eò fraudes vertebat, ut Hilarium, utpote à Saturnini communione olim exclusum, nunc quoque à foro rejiciendum diceret. Hilarius contrà confutatione brevi factâ à judicibus perstare jussus est, eoquòd non de Persona accusatori, sed de Auxentii accusati fide quæstio haberetur. In angustias redacto Veteratori nil superfuit, quàm ut id, quod Imperatori antè testatus fuerat, Christum esse verum Deum ac ejusdem cum Patre substantiæ, subscriptione nominis firmaret (e). Confessionem quia metus extorserat, ambiguo sensu aliam formulam porrexit Cæsari, quo & suum errorem tueretur, simúlque Valentiniano imponeret. *Fraudes Auxentii.* Hilarius quantocunque studio homini larvam detraheret, scriptione tamen suâ Auxentium è gratia Cæsaris non exturbavit. Quare Italiâ discedens vir Sanctus, Pictavos se recepit, ubi variis pro fide editis libris tandem anno CCCLXVII. ad superos migravit idibus Januarii, sexto anno, postquam redierat in Patriam (f).

(d) Hilar. l. contra Auxent.

(e) Idem l. c. n. 8. 9. 10.

(f) Hieron. de script. Eccles.

3. Quò minùs in Oriente per idem tempus turbarentur Ecclesiæ, bellum Persarum, & seditio Procopii prohibuêre; his defunctus Valens Eudoxio (à quo anteà baptismum acceperat) apertiùs favere cœpit (g). Semiariani inde exagitati ad Liberium Pontificem Romanum confugiunt; negabat hìc primùm se erroris conscios & fidei Nicænæ hostes in Communionem recepturum: obluctanti contrà reposuêre Semiarianorum legati, se mutatâ sententiâ Anomœos nunc tandem detestari, nihílque certiùs sibi esse, quàm Patrem per omnia similem Patri existere, nec ullatenus differre Consubstantialem à simili (h). Liberius asserentium testimonio haud contentus, Nicænum Symbolum unà cum Consubstantialis voce ab iis subscribi petiit: quod ubi ampliore Confessione

(g) Sozom. l. 6. c. 8.

(h) Socrat. l. 4. c. 12.

Semiariani coram Liberio Nicænæ professioni subscribunt, & in communionem admittuntur.

fessione præstitissent, simúlque hæreses quascunque & præcipuè Ariminensis Synodi proscripsissent errorem; Pontifex nil fraudis porrò reformidans, veteratoribus communionis dedit literas, quas legati ad suæ sectæ triumphum per Siciliam; dein per Orientem posteà circumtulêre. Liberius his rebus gestis è mortali vita ad superos transiit; quem maximi Ecclesiæ Doctores virum sanctæ memoriæ (i), & triumphantem veritatis Athletam dixêre; maculam enim illam, quam antè ab Arianorum communione, aut ex Athanasii damnatione suo in exilio contraxerat, libertati redditus ita emendavit, ut Ariminensium formulam proscribere, & nomen Consubstantialis velut Catholicorum tesseram tenere salvam præ omnibus unus allaborârit.

A.C.366.

(i) Epiphan. hær. 75. Ambros. de Virg. lib. 3. c. 1. & 4.

Damasus Pontifex.

4. Eodem anno CCCLXVI. post septem dierum inducias sedem Apostolicam obtinuit DAMASUS vir plurimis virtutibus insignis, filius Antonii, natione Hispanus: turbulenta satis initia Pontifex habuit (k); nam factiosorum globi in Basilicam Sisinnii convolantes, seu odio seu invidiâ Antipapam Ursicinum Damaso objiciunt: quo ex facto tanta seditio, tantúmque bellum coortum est, ut constet in Basilica Sicini uno die centum & triginta septem reperta fuisse cadavera peremptorum. Valentinianus Imperator Romanæ urbis incolumitati prospecturus Prætextatum (* 1) jubet, ut Ursicino in Gallias amandato, Damasus à plurium suffragiis electus relinqueretur. Restitutâ pace Romæ Pontifex varias coëgit Synodos, quibus Ursacii & Valentis, ac Auxentii errores proscribens; Illyricum totámque Italiam ad Nicænæ fidei professionem reduxit (l).

(k) Rufin. l. 2. c. 10 Sozom. l. 6. c. 10.

Ursicini Schisma.

(l) Theod. l. 2. c. 22.

A.C.367.

Persecutio Valentis adversus Catholicos.

5. Dum Damasus sub Valentiniani Catholici præsidio Occidentalium Ecclesiarum clavum feliciùs moderabatur; in Oriente Valens Imperator Episcopis orthodoxis bellum indixit: obstrinxerat is fidem suam Eudoxio tunc, quando ab hoc Pseudo-Episcopo Constantinopolitano baptismum susceperat, id interposito jurejurando pollicitus, se Bello Gothico confecto, Catholicis Præ-

sulibus

(* 1.) HIERONYMUS epist. ad Pammach. refert, quod Prætextatus fuerit idolorum cultor, & posteà præfectus urbis; hic solebat Damaso per jocum dicere: *Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Ex quo patet, magnam jam tunc Pontificis authoritatem, & ex oblationibus, aliísque à Christiana gente suppeditatis opibus opulentiam non contemnendam fuisse.

(m) Theod. l. 4. c. 12. & 13.

Episcopis indicitur exilium.

sulibus exitium machinaturum (m). Nec post pacem à Gothis impetratam promissis defuit; nam edictum continuò publicum evulgavit jubens, ut omnes illi Episcopi, quos relegâsset Constantius & Julianus sedibus reddidisset, à suis quantocyus Ecclesiis exularent. Præfectus Ægypti Tatianus ubi Alexandriæ hanc legem adversùs Athanasium fecisset promulgari; cives advolabant ad prohibendam vim à suo præsule, quem hoc edictum minimè premebat; Athanasium enim fatebantur à Constantio abactum quidem, sed & eodem revocante reversum: dein eundem à Juliano beneficii nihil, multum verò calamitatis retulisse; dum tandem à Joviano, Patriam & Ecclesiam suam revisere, illi fuisset concessum. Tatianus, quoniam obsistere tantæ multitudini haud tutum erat; ad Imperatorem, id, quod ageretur, perscribit: sed dum literæ Valentis exspectantur; Athanasius ne porrò iram in suos proliceret, sedato tumultu clàm ab urbe digressus in monumento Patrio se abscondit (n). Factum id fuisse non sine altiore consilio eventus docuit; sequente enim nocte, postquam Antistes secesserat, Præfectus cum globo militum ædes Athanasii occupat, excussísque parietum, recessuúmque omnibus angulis, dum frustra virum sanctum investigat, prædâ vacuus, plenúsque rubore recessit. Latuerat quartum in mensem jam Athanasius; tum Valens subveritus, ne Alexandrinenses, quos absentis pastoris desiderium indies magìs stimulabat, in seditionem apertam concitarentur, Athanasium Alexandriam revocat, ubi reliquum vitæ tempus inter sanctas pro fide lucubrationes (o), aliásque Præsule tanto dignas curas posuit, quibus non tantùm suis sed & exteris Provinciis commodabat.

A. C. 368.

(n) Socrat. l. 4. c. 13.

Athanasius Alexandriâ excedit & revocatur.

A. C. 369.

(o) Athan. l. de incarnat.

6. Dum Alexandria sibi cum Antistite redditam pacem lætabatur; totum Orientem validiore tempestate maligna Valentis studia obruêre. Pellebantur è suis sedibus Catholici Præsules, inter quos insigniores fuêre Pelagius Laodicænus, S. Basilii frater Gregorius Nyssenus, & Eusebius Samosatenus; quorum exilia omni dignitate nobiliora fuêre: in horum igitur Episcopia cùm Hæretici pessimi involarent, tantum odium in novos Pseudo-Episcopos coortum est, ut cùm Eunomius Samosatenis se obtruderet; hi aquam, in qua ille lotus erat, in Cloacam effunderent. Postquàm

Orthodoxis Episcopis hæretici surrogantur.

quàm Veteratorem ſede denuò ejecerant, in Lucium ejusdem ſectæ Succeſſorem non minor indignatio exarſit; pueri enim, cùm pilam, quâ ludebant, tetigiſſe viderent pedem jumenti, cui Lucius inſederat, religioni ſibi duxerunt, hujuscemodi inſtrumentum antè contrectare manibus, quàm igne flammíſque ab impio contactu purgatum fuiſſet (p). Antiochenſibus plus doloris inuſſit Meletii ſui deportatio; vix enim Præfectus manus Epiſcopo injecerat, tum cives in lapides irruere: & hominem contriviſſent; niſi vir ſanctus obtentu pallii ſui ejus prohibuiſſet necem. Valens eodem tempore factâ cum Gothis pace Antiochiam ad Perſarum fines contendere parat, & per iter furorem populi aſpernatus, in Præſules & Catholicorum Eccleſias omnem vim, ſævitiémque exprompſit. Nicomediam porrò profectus de Eudoxii Conſtantinopolitani Pſeudo-Epiſcopi morte, déque turbis urbis intelligit (q); Ariani quippe Demophilum in mortui locum ſubſtituere, nec minùs Catholici abſentis Imperatoris metu ſoluti Evagrium ſedi imponere decertabant. Valens Arianis conſulturus, militum globos mittit, qui Evagrium in exilium ejiciant. Ferocior hoc facto Arii Secta Catholicis acerbiùs inſultat; ad vexationis igitur periculum avertendum Nicomediam ablegantur octoginta Eccleſiaſtici ordinis viri, ut libello ſupplici à Valente mitiora tempora exorent. Imperator vix vultus Catholicorum ferens, Modeſto præfecto mandat, ut infeſtos ſibi viros è medio tollat: hic ſubveritus, ne cædes aperta inſontium plebis ſeditionem provocet; Legatos navi imponit mox longiùs velut in exilium provehendos, ac in medio tandem mari exuri jubet. Sceleris atrocitatem ſubſecuta fames caſtigavit; hâc enim per totam Phrygiam ſæviente, Valenti à Deo oſtenſum eſt, quem in tot Martyribus perſequeretur (r).

(p) Theod. l. 4. c. 13.

Odium, quo flagrabant Catholici adverſus hæreticos Epiſcopos.

A.C. 370.

(q) Socrat. l. 4. c. 13. Sozom. l. 6. c. 13. & 14.

Tumultus novi inter Catholicos & Arianos Conſtantinopoli.

(r) Sozom. l. 6. c. 19.

7. Steterat inter tot violatas Eccleſias adhuc illæſa Cappadocia, cujus Metropolim Cæſaream unà cum Euſebio Epiſcopo S. Baſilius adhuc presbyter firmabat (s): ſed cùm levis diſſenſio ſubinde inter duos viros illos ſanctiſſimos gliſceret, & Baſilius pacis causâ in Pontum ſe recepiſſet; Valens hoc tempore maximo præſidio exutam hanc Eccleſiam invadere decernit: & votis eventus reſpondiſſet, niſi ſub idem tempus Baſilius Gregorii Nazianzeni operâ

(s) Gregor. Naz. or. 20.

Baſilius abit in Pontum & ſubinde redit Antiochiam.

(t) Idem ep. 169. & 170. operâ Eusebio conciliatus ex Ponto Cæsaream rediisset (t): hic itaque venienti Imperatori tanti animi robur objecit, ut contemptis minis & Episcopatûs honoribus, quos Valens cedere volenti repræsentabat, gregem incolumem servaret. Disjecto discrimine

Ejus liturgia. Basilius scripsit *liturgiam* illam, quæ apud Orientales posteà in usu

(†) REFLEXIO IX. fuit (†). Quem Antistitis gradum impiis nequicquam conditionibus promiserat Basilio Imperator; hunc idem piâ institutione

A.C. 371. consecutus est anno insequente CCCLXXI.; rapto enim celeriùs è vivis Eusebio, senior Gregorius Episcopis amplâ epistolâ

(u) Gregor. Naz. Ep. 23. persuasit (u), ut Virum tantæ virtutis (*2), tantæque sapientiæ Cæsareensi civitati darent Præsulem, qui in supremis Hæreticorum insidiis munire gregem, & salutarem doctrinam tantoperè neglectam frequentiùs dispensare populo valeret.

A.C. 372. 8. Anno CCCLXXII. Imperator Antiochenam urbem, quo dudum contenderat, ingreditur magno Catholicorum periculo; ejicere quippe Episcopos, demergere in Orontem fluvium fide-

(x) Socrat. l. 4. c. 17. Theodoret. l. 4. c. 26. (y) Theod. histor. relig. c. 8. & 9. lium corpora, libido Valentis erat (x). Ad hoc commune Ecclesiæ incendium restinguendum non tantùm è suâ solitudine advolârunt sanctissimi Eremi cultores (y); sed & Themistius Gentilis Philosophus interpositâ oratione injicere frænum sævienti annisus est, monens, ne magnoperè Cæsar miraretur, quod tanta sit dogmatum diversitas apud Christianos; eam enim exiguam esse, si cum multitudine opinionum quæ apud Græcos sunt, conferatur: quippe cùm apud istos plures, quàm trecentæ sint aliter sentien-

(z) Socrat. l. 4. c. 32. *Themistius Gentilis Philosophus Valentem absterret à persecutione Catholicorum.* tium classes (z). His porrò Ethnicus è penu suo superstitionis addidit, Deum hâc opinionum varietate delectari, ut singuli Majestatem ipsius magìs revereantur, qui error homini unius divinitatis & unius fidei, ac unius Christi ignaro faciliùs indulgeri poterat; ac hodie iis, qui ex dissidentibus sectis unam religionem procudi posse, aut quamvis earum ad salutis deducere viam fingunt. The-

(* 2.) GREGORIUS NAZIANZ. or. 2. de S. Basilio ita scribit: *Divitiæ illi erant, nihil habere, & crux, cum qua sola ipsius vita versabatur, & quam in majori pretio habebat, quàm ingentes pecuniæ acervos. Hinc illi tunica unica, & pallium unum, & stratus humi lectulus, & illuvies, & vigiliæ, illius decora, & ornamenta; & suavissima cœna, & obsonium, panis & sal, & potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt. Magnum erga pauperes studium, quos pro liberis habebat, fovebat, & ut fratres amplectebatur.*

Themiſtii ſaltem facundia apud inſipientem Cæſarem tantùm valuit (a), ut mitiores dein in ſacerdotes & Epiſcopos pœnæ decernerentur.

(a) Theod. l. 4. c. 13.

9. Quamdiu ſuperſtes fuit Athanaſius; Imperator à vexatione Ægypti abſtinuit: verùm eodem Antiſtite die ſexto nonas Maji anno ſupra trecenteſimum ſeptuageſimo tertio è vivis decedente (b), univerſa hæc vinea à ſapientiſſimo Præſule per quadraginta ſex annos ſollicitè exculta, Hæreticorum ſpolium evaſit. Catholicorum equidem intererat, Petrum virum multa intra pericula probatum ex conſilio Athanaſii, ſucceſſorem conſtituere (c); ſed dum ſedi imponitur, à Palladio Ægypti præfecto expulſus urbe, Lucio Ariano & ſacrilego proco Eccleſiam ſponſam relinquere debuit (d): inde vaſtitas inaudita templis, cædes promiſcua fidelibus illata eſt. Tempeſtas tamen magìs debacchata eſt in Epiſcopos & Monachos; illi enim in exilia raptabantur: in horum autem ſolitudinem Lucius validam & crudelem manum immiſit militum, qui poſtquam in cruciandis Confeſſoribus fidei Nicænæ inutilem operam perdidiſſent; cunctos Monachos iniquis legibus vexare, & præcipuos ſaltem Monachorum Patres (e) in exilium amandare Valenti placuit. Hâc ratione ubi Lucius ſe domuiſſe Solitarios ſuſpicabatur; unus ſuperfuit ex iis Moyſes nomine, qui Arii hæreſin facinore aperto fortiùs confudit (f). Mortuo rege Saracenorum, quos Arabes vocamus (*3), Mauvia uxor vaſtatis Phœ-

Mors S. Athanaſii. A. C. 373.

(b) Socrat. l. 4. c. 20.

(c) Theod. l. 4. c. 20. & 21.

(d) Socrat. l. 4. c. 21. & c. 22.

Alexandrinæ Eccleſiæ Arianus Epiſcopus imponitur.

(e) Sozom. l. 6. c. 20.

(f) Theod. l. 4. c. 23.

(* 3.) THEODORET. l. 4. c. 23. SARACENORUM gens ab Iſmaële Abrahami filio ducens originem, vocabulum quoque accepit, eóſque antiqui ab Authore gentis Iſmaëlitas nominârunt. Verùm ut ignobilitatem Agar matris Iſmaëlis (quæ ſerva erat) abolerent; ipſi ſe Saracenos nominârunt, quaſi ex Sara conjuge Abrahami orti eſſent. Tali igitur genere prognati, omnes quidem Hebræorum more circumcidebantur, & à ſuillis carnibus abſtinebant, alióſque Hebræorum ritus obſervabant, ſed non omnes; quippe qui ante leges à Moyſe datas, conſuetudine non ſcriptâ regerentur. Porrò ut fieri ſolet, diuturni temporis ſucceſſio priora quidem oblivioni tradidit, alia verò ab illis coli fecit, eosdémque, quos finitimi, coluerunt Deos. Poſt hæc quidam eorum cum Judæis congreſſi, didicerunt, unde originem ducerent, & ad cognatos ſuos reverſi, Hebræorum ritus ac leges ſibi adſciverunt: atque ex eo tempore multi apud illos Judaico more vixerunt. Traducti ſunt autem ad fidem Chriſti, paulò ante tempora Valentis, colloquiis Sacerdotum, & Monachorum, qui in finitimis ipſis ſolitudinibus, vitæ Sanctimoniâ & miraculis refulgebant. Fertur etiam integram eorum tribum ad Chriſti religionem eo tempore tranſiiſſe, cùm ZOCHOMUS eorum Philarchus baptiſmum ſuſcepiſſet.

Saracenorum prima Conversio. Phœnices & Palæstinæ Provinciis, & Romano exercitu sæpe deleto, ad pacis leges subeundas rogata; hanc supremam esse voluit, ut suam gentem idem Moyses Solitarius Episcopi nomine ad fidem Christianam traduceret. Imperatori itaque ad quietem aspiranti curæ erat, ut Lucius Arianus viro miraculis etiam illustri manus citò imponeret: sed Moyse à sacrilegis manibus abhorrente, Catholici præsules in ipso exilii squalore conquiri debuêre, qui Episcopi characterem, simúlque Apostoli nomen meliore potestate tribuerent.

A. C. 374. 10. Interea ex Oriente in Italiam ad Damasum Petrus Alexandrinâ sede ejectus confugerat, & amicè receptus sua studia Pontifici conjunxit (g) ad profligandam Apollinaris hæresin: fuerat is Laodicenæ Ecclesiæ Presbyter, habebátque filium, qui Lectoris officio fungebatur; utrumque Theodotus Episcopus ab Ecclesia exesse jussit, quod iniquiore Epiphânii Sophistæ consortio uterentur (h). Recepti tamen, subinde à Georgio Ariano Theodoti successore denuò expelluntur, quæ injuria Apollinarem Patrem ita afflixit, ut novam sectam sibi procudere cogitaret. Finxit itaque naturam hominis in Christo semiplenam esse, sive animâ carentem, cujus partem sive mentem suppleri ajebat à Verbo (i). Prætereà in SS. Triade quosdam dignitatis gradus constituebat (k), ita ut *magnus* Spiritus S., *major* Filius, *maximus* Pater diceretur: porrò delirabat, sanctos mille annis cum Christo post judicium in terra regnaturos (l); quibus erroribus alios discipuli ejus adjecêre, scilicet, Corpus Christi eum in modum consubstantiale existere Divinitati, ut hæc mortem, cruciatúsque reipsâ perpessa sit (m); Verbum Divinum carnem ex Virgine non sumpsisse, sed attulisse ex cælo (n). Divinam demum Verbi substantiam in carnem omnino esse conversam. Quantâcunque fœditate hæc hæresis scateret; erroris tamen artifex simulandi studio effecit, ut sancti Patres Athanasius, Epiphanius & Basilius (quibus familiariter utebatur) nec sensa hominis, nec blasphemias primò dignoscerent. Re tandem in apricum propiùs erumpente, monitus Pontifex Synodum Romæ convocat, & dogmata tam perversa configens, in Apollinarem, ejusque primarium discipulum Timotheum depositionis sententiam pronunciat (o): mitiùs actum est

(g) Gregor. Naz. or. 23.

Apollinaris Haeretici initia.

(h) Sozom. l. 6. c. 25.

(i) Socrat. l. 2. c. 36. Epiphan. Hær. 77. Augustin. Hær. c. 55.

(k) Gregor. Naz. ep. ad Cledon.

(l) Basil. ep. 293.

Apollinaris errores.

(m) Gregor. Nyss. opusc. contra Apol. Ambros. lib. de incar. c. 6.

(n) Gregor. Naz. ep. ad Nectar.

Damnatur Doctrina Apollinaris.

(o) Theod. l. 5. c. 10.

est cum altero Apollinaris sectatore Vitali; is enim Antiochiâ (ubi præceptoris sui zizania sparserat) Romam evocatus, postquàm editâ fidei formulâ se purgâsset, in communionem Catholicorum dolosâ subscriptione irrepsit (p).

(p) Gregor. Naz. ep. 2. ad Cled.

11. Quâ curâ Apollinarem pressit in Italia Damasus, eodem labore Optatus Episcopus Milevitanus in Numidia Parmenianum Donatistarum caput insectatus est (q). Arma, quibus confligebat, fuêre sex illi insignes libri, in quibus ostendit, ubi sit vera Ecclesia: & cùm Originali labe omnes inquinentur; nullum esse, qui non egeat baptismo, ad quem Ministri probitas nequaquam sit necessaria: demum Donatistarum sacrilegia redarguens commonstrat, altare sedem esse Corporis Christi. Dum hæc certamina per Africam fervebant; Auxentius Mediolani & pugnare contra Catholicos, & vivere desiit (r). Defuncto Pseudo-Episcopo Ariano, melior Custos gregis creatus est S. Ambrosius: natus erat Treviris Ambrosio Patre Prætorii Præfecto, literis humanioribus Romæ excultus (s) perorare causas cœpit. Aniceto Probo, qui summam Prætorii præfecturam tunc gerebat, Ambrosii eloquentia tantoperè probata est, ut eundem consularibus ornatum insignibus regendæ Liguriæ & Æmiliæ admovendum duxerit: profecturo autem ad Provinciam Præsidi Anicetus hisce verbis ultima mandata dedisse fertur: vade, age, non ut Judex, sed ut Episcopus. Quamprimùm Ambrosius Mediolanum suæ Provinciæ Metropolim pervenerat; Arianos inter & Catholicos acerba de eligendo Episcopo ardebant studia: Ambrosio proinde curæ erat seditionem opprimere; jamque in Ecclesia, quò populus frequentior confluxerat, verba pro pace facere fuerat exorsus, tum vox Infantis è media plebe audita est, dicentis Ambrosium Episcopum. Prodigium ejusmodi ab utraque dissidentium parte tam concordi sensu acceptum est, ut omnibus ab Ambrosio Episcopi munus geri placeret: soli verò, qui ita eligebatur, negotium adeo displicuit, ut multa meditaretur, quibus populi favorem à se averteret; jam enim è tribunali tormenta quibusdam dictabat, jam publicas mulieres domum suam ingredi palam volebat: sed simulatæ licentiæ ac crudelitatis exempla desiderium populi accenderunt magis; quare fugâ prævertendam eligentium voluntatem ratus, Ticinum per-

A.C. 374.

(q) Hieron. de script. Eccles.

Parmenianus Donatista oppugnatur ab Optato Milevit.

(r) Hieron. in Chronic.

S. Ambrosii initia.

(s) Paulin. in V. Ambr.

Ambrosius eligitur in Episcopum Mediolanensem.

Ejus tergiversatio.

pergit, jamque per noctem se longiùs Mediolano digressum putaverat; tum illucescente die, ad urbis, quam reliquerat, portam denuò consistit: post tot omina è cælo accepta ad Valentinianum nuncii mittuntur, qui peterent, ut Gubernatorem Provinciæ hâc ratione electum ab Imperatoris officio, ad sacratius Ecclesiæ præsidium transferre liceret (t). Principi nil gratius ad aures accidit, quàm ad Sacerdotium deposci eum, quem pro profanis Provinciæ curis duntaxat designâsset. Facultate itaque perlubenter factâ Ambrosius primò baptismum, dein ordines sacros, demum post impleta omnia officia Ecclesiastica octavo die Episcopalem characterem suscepit septimo idus Decembris anno Christi CCCLXXIV., ætatis XXXIV. Initiatus Præsul opes pauperibus, prædia Ecclesiæ, & horum usum Marcellinæ sorori concessit, atque ut curis terrenis expeditus, volvendis scripturis, & quotidianis sacrificiis tempus dare posset; Satyrum fratrem Domesticis præesse rebus jussit (u): haustam ex Basilii, & Origenis Commentariis sacram scientiam populo singulis Dominicis explicabat (x): in Arianis reducendis solers, atque in perstringendis vitiis etiam Magistratuum erat intrepidus; unde Imperator aliquando increpanti Ambrosio reposuit (y): *Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam; sed licèt eam probè nossem, non solùm non contradixi, imò assensum præbui ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit.*

(t) Ambros. ep. 22.

Virtutes & studia.

(u) Ambros. l. 3. de Virg. c. 1. Idem epist. 20.

(x) Aug. Conf. l. 6. c. 3.

(y) Theod. hist. l. 4. c. 7.

12. Eodem tempore cùm Forojuliensi Ecclesiæ de Præsule prospiceretur; in Virum dignissimum, cui Accepto nomen, suffragia Cleri, populíque collata sunt (z): sed is aliorum sanctorum more à tremendo ministerio abhorrens, piam illam fallendi artem adhibuit, ut crimen, nescio quod, de se confessus, adversas eligentibus suspiciones, curásque injiceret. Fuêre, qui eâ de causâ rejiciendum, alii contra neglectâ simulatione demissionem Accepti honorandam contenderent. Causa ejusmodi visa est, ut Valentiam Allobrogum in Synodum coirent viginti Antistites: re omnino expensâ illis Patribus placuit, ut quicunque se sub ordinatione dixerint mortali crimine esse pollutos, à gradu, quem suscepturi erant, submoveantur. Licèt enim multos verecundiâ, aut

(z) Harduin. in Tom. CC. pag. 798.

Concilium Valentinum.

aut ſacerdotii metu trepidos (quæ utique ſanctimoniæ ſigna ſunt) falſa in ſe dixiſſe compertum ſit; tamen ad reſcindendam obtrectationem ſacerdotum, ac diſputationum materiam, ſtatutum eſt, ut quisquis ſibi fictitium crimen impoſuiſſet, fides ei, quam ſuo teſtimonio confirmâſſet, haberetur. Huic decreto tres alios adjunxêre Canones, quibus Bigamos ab ordinibus & Virgines ſacras, ſiquidem ad ſacrilegas nuptias temerè provolâſſent, à præproperâ & leviore Pœnitentia excluſas voluêre: demum ii, qui ſe profanis dæmonum ſacrificiis, aut inceſtis lavacris polluiſſent, ad diem mortis pœnitere juſſi ſunt. Argumentum Canonum in Synodicam congeſtum transmisêre dilectiſſimis fratribus per Gallias, & per Quinque Provincias Conſtitutis Epiſcopis (*4).

13. Quemadmodum annus ſeptuageſimus quartus ſupra treceteſimum Mediolanenſi Eccleſiæ Magnum dedit Ambroſium; ita toti Galliæ non minorem pietatis & fidei defenſorem conceſſit Divum Martinum. Is ſub idem tempus ad Turonenſem Eccleſiam regendam delectus, votis ardentiſſimis aliquamdiu reſtitit, eoquòd à ſuo, quod incolebat Monaſterio, avelli nollet. Ruricius igitur civium unus dolum meditatur, quo virum ſanctum cœnobio egredi, ídque charitatis ſpecie compelleret: ſimulat nimirum uxoris morbum, cui, ut Martinus coràm mederetur, rogat: ad preces hominis ubi extuliſſet è Monaſterio pedem Martinus; ab advolantibus undique civibus obſeſſus, coactúsque Epiſcopatum admiſit (a). Nihil tamen in hac dignitate conſtitutus, de aſperitate veſtium, ac jejuniorum remiſit: atque ut propoſitum Monachi, virtutémque conjungeret; aliquamdiu adhærente ad Eccleſiam cellulâ

(a) Sever. Sulp. c. 7.

S. Martini Turonenſis Epiſcopatus.

(* 4.) Apud PAGIUM Tom. I. Critices. p. 534. n. 6 per has quinque Provincias, (ut diſtinctæ ſunt à Galliis) multi intelligunt illas, in quas ſolida Provincia Narbonenſis diviſa fuit, ſcilicet *Narbonenſem primam*, *Viennenſem*, *Alpes Maritimas*, *Alpes Grajas & Narbonenſem ſecundam.* GOTHOFREDUS in comm. l. 15. Cod. Th. de Paganis per eas Provincias ſignificari ait, Narbonenſem & Paucas alias Provincias, ſcilicet, *Aquitanniam primam & ſecundam*, *Lugdunenſem Senoniam (in qua Pariſii) ſecundam Lugdunenſem, in qua Rotbomagum, & tertiam Lugdunenſem, in qua Turones.* PETRUS DE MARCA in Diſſert. de Primatu Lugd. docet, quinque Provincias fuiſſe partes ſolidas Narbonenſis antiquæ, quæ olim diſtincta fuit à reliquis tribus Provinciis Galliarum: videtur huic ultimæ ſententiæ ſubſcribere PAGIUS n. 19. Alpes tamen Grajas ad quinque Provincias minimè pertinuiſſe demonſtrat, qui proinde loco citato conſuli poterit.

usus est. Deinde cùm frequentantium inquiem turbam haud ferret, binis ab urbe milliaribus Monasterium sibi fundavit; ubi Discipulos octoginta, eósque fere omnes Nobiles sapientissimus Magister Asceseos legibus ita imbuit, ut abdicatis possessionibus inter perpetua jejunia, orationésque vitam traducerent: vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coëgisset: plerique Camelorum setis vestiebantur: rarus cuique extra cellulam egressus. Ars ibidem (exceptis scriptoribus) nulla habebatur; cui tamen operi minor ætas deputabatur: majores orationi vacabant. Cultura ejusmodi domestica erat; major subinde illa fuit, quæ toti Galliæ impensa est. Pauci admodum in illis regionibus Christi nomen acceperant, & Idolis addicta plebs tenebras, vitiáque amabat: at ubi Martini virtus, & prodigia Gallicanis Provinciis illuxerunt; nullus locus erat, qui non Ecclesiis frequentissimis, aut Monasteriis repleretur. In animos S. Episcopus mirifico pollebat Imperio; unde evenit, ut Valentinianum Imperatorem utùt infensum & renitentem, in suas partes pertraheret (b). Concitârat hujus Principis iram contra S. Antistitem Justina uxor, jámque Arii discipula Maritum eò impulerat, ut Martinum nec allóquio, nec honoris cujuscunque officio dignaretur. Septem diebus inter jejunia exactis, Episcopus palatium petit; & quin ullus prohiberet, ad Regem ingreditur: ille frendens hominem, quem aulæ aditu proscriptum voluisset, nunc inoffenso pede interiora subire penetralia; despectat amaro vultu venientem, nec astanti assurgit. Tum solium, cui Insedit Imperator, subitò erumpens ignis corripit, & pertinacem anteà Cæsarem, nunc sellâ regiâ quasi ejectum & pœnitentem in amplexus Martini adigit & tandem in amicitiam arctissimam impellit. Profuit Valentiniano non parùm Viri sanctissimi consuetudo; nam fidei propagandæ zelo Princeps ita incensus est, ut Ecclesiæ salutaribus (* 5) edictis prospiceret &

S. Martini Monasterium

(b) Sever. Sulp. Dial. 2. c. 6.

Valentinianus favere cogitur S. Martino.

(* 5.) Inter cæteras leges, quas Valentinianus edidit, una est in Codice Theodos. l. 3. de hær. descripta, quæ Ecclesiarum bono contrariari videtur: *Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentiam se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant, sed publicis exterminentur judiciis, si posthac ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos. Censemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quâcunque vel extremo judicio*

& anno sequente CCCLXXV., qui eidem ultimus ac fatalis fuit, in Illyrico cogi Synodum curârit, quæ aberrantibus tunc Episcopis veram notionem Triados increatæ inculcaret (c).

(c) Harduin. Tom. I. CC. p. 794.

14. Post mortem Valentiniani tribus adhuc annis Valens per Orientem grassatus est. Antiochia crudelitatis sedes erat, unde in varias Provincias subinde egressus, viros sanctissimos aut exagitavit, aut confecit: ejectis multis à grege suo Episcopis, Cæsaream Cappadociæ Valens venit eo consilio, ut Basilium multis artibus jam petitum tandem dejiceret (*6). Modestus Apostata, ac Imperatoris emissarius præmittebatur in pugnam: jámque exilia, tormentáque S. Antistiti obtrudebat; tum S. Basilius cruciatu omni & exilio excelsiorem animum ostentans paucis reposuit (d): non esse, cur quid eorum, quæ intentarentur, extimesceret; nam bonorum proscriptioni se minimè obnoxium, qui præter laceros pannos, paucósque libellos haberet nihil: nec exulem fore, cui omnis terra esset Patria; demum tormenta ibi adhiberi non posse, ubi corpus deesset, imò mortem se beneficii loco numeraturum, ut quæ citius mortalibus ærumnis finem esset impositura. Modestus ad tantæ Constantiæ exemplum perterrefactus, mitiùs propositâ in prœmium Principis amicitiâ suasit Præsuli, ut vel solum Consubstantialis vocabulum è Symbolo tolleret (e). Adhæc Basilius reponere-

A. C. 375.

(d) Theod. l. 4. c. 19.

S. Basilii fortitudo adversus Valentem.

(e) Gregor. Nyssen. l. 1. in Eun.

cio possint adipisci, vel omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel donatione, vel testamento percipere. Quin etiam si fortè post admonitionem legi nostræ aliquid hisdem ea fœminæ vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id Fiscus usurpet. De hâc lege HIERONYMUS epist. 2. ad Nepotianum ita scripsit: *Pudet dicere; Sacerdotes idolorum, mimi & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt: solis Clericis ac Monachis hâc lege prohibetur: & non prohibetur à Persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio.* Lex itaque lata fuit non in odium Ecclesiarum; sed ad comprimendam Clericorum & Monachorum illorum avaritiam, qui Virginum divitum domos obibant, captantes earum hæreditates.

(* 6.) PAGIUS in Crit. Tom. I. ad a. 370. n. 16. & 18. S. Basilium bis à Valente impugnatum ostendit, PRIMO dum Cæsareensis Ecclesiæ adhuc Presbyter esset, anno 365. quia eò anno Valens (vaporatis æstibus Ciliciæ jam lenitis) Antiochiam procurrebat teste *Ammiano* l. 26. quâ aggressione nil effecit Valens; nam Sozomenus ait l. 6. c. 15. *Valens itaque unà cum Episcopis, quos secum habebat, conatu suo depulsus, tum quidem re infectâ discessit.* SECUNDO circa annum 370., quando S. Basilius jam Episcopus erat; novum certamen inter hunc Præsulem & Imperatorem Arianum extitit; ut PAGIUS colligit ex *Gregorio Nysseno* l. 1. contra Eunomium, ex *Gregorii Naz.* orat. de laud. *Basilii* & ex epist. Basilii 297.

reponebat: Cæsaris gratiam (siquidem cum pietate conjuncta sit) sibi magno loco esse; at sine hac videri exitialem: cæterùm per se non stare, ut Symbolo addatur quidquam, aut detrahatur. Modestus ubi firmitudinem animi tantam Valenti exposuisset (f); Imperator consultius esse duxit, ut vi omni sepositâ, communionem exteriùs saltem cum Basilio amplecteretur: sacris itaque operanti Antistiti adfuit (g), dona simul sua in sacrario reponens (*7). Equidem ab hoc tempore Valens Basilio favere cœpisset; nisi Adversariorum calumniæ denuò Principis mentem ita abstulissent, ut vehiculum jam conquireretur, quo Basilius in exilium emigraret: sed desperatâ humanâ ope, Deus decreto manum objecit. Parvulus enim Valentis filius (nomine Galates) in gravem morbum repentè delabitur, cujus causam Augusta mater se per somnum non aliam accepisse dicebat, quàm quod Episcopo Imperator novam injuriam irrogatum iret (h). Basilius itaque continuò ad palatium pro afferenda puero medela accersitur: & promiserat Antistes, periculo liberandum esse filium; si per Parentes antè copia fieret, eundem Catholicis dogmatis imbuendi. Conditionem ubi accepisset Imperator; orante ad Deum Basilio puer sanitati & vitæ redditur. Cælesti beneficio hoc diù uti non licuit; cùm enim Valens fidem datam adeò non exsolveret, ut potiùs Galatem Arianis Episcopis aquis Baptismi traderet eluendum; divina ultio Parentis perfidiam ultimo tandem filii fato castigavit. Pœna ejusmodi sævitiem Valentis nihil emolliit; nam Basilium sæpe ad communionem cum Hæreticis frustra hortatus, eundem proscribere Patriâ decernit: jámque subscripturus sententiæ Cæsar libello apponebat manum; sed in tertiam vicem negante officium calamo, ipsa quoque scribentis dextera tremore concussa est: metus igitur hominem coëgit, ut sceleratam paginam dilaceraret (i).

(f) Gregor. Naz. or 20.

(g) Theod. l. 4. c. 19.

(h) Socrat. l. 4. c. 26.

Valens scripturus decretum exilii contra Basilium divinitus absterretur.

(i) Theod. l. 4. c. 19.

15. Erant hæc acria Basilii cum externo hoste certamina; implicatiora fuerunt domestica illa dissidia, quæ inter eundem Anti-

(* 7.) CONCILIUM ELIBERITANUM can. 28. equidem statuit: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere;* sed Basilius secundùm scientiam, & circumstantias temporis agendum ratus, dona oblata à Valente suscepit, & à communione apertâ hæreticum Principem non exclusit; ne in Fideles furorem irati Imperatoris porrò provocaret.

Antistitem Cæsareæ, aliósque Episcopos exarserunt. Eustathius Sebastiæ Pseudo-Episcopus postquam Romæ Nicænam fidem coram Pontifice pronunciârat; Basilio nil suspicionis remansit, quin hominem utpote orthodoxum ad communionem admitteret. At Theodoro Nicopoleos in minore Armenia Episcopo Veteratoris errores, quos à Macedonio contra Spiritum S. hauserat, magis erant perspecti; unde visâ consuetudine, quæ Basilio cum Eustathio intercederet, cum aliis Catholicis Episcopis decrevit: Basilium hæreticorum amicum ab orthodoxorum consortio submoveri oportere. S. Antistes his minis admonitus in fidem Eustathii altiùs indagans, deprehendit se à simulatione hominis deceptum fuisse; quare rescissâ pace, eum velut hostem insectatus est (k): nova inde seges calumniarum extitit, quas Basilius primùm modesto silentio; dein defensione publicâ confutavit. Pugnam illam alia simultas excepit: Cappadocia in duas Metropoles divisa erat, Cæsareensem & Tyanensem (l); hujus igitur Antistes Anthimus, quia à prioris Metropolis jure avellere quasdam parœcias conabatur, obluctari primò Basilius; dein turbis hâc ratione occurrere instituit: pluribus per Cæsareensem Provinciam constitutis Episcopis, etiam Zazimis (ignobili cæteroquin & in finibus utriusque Cappadociæ sito loco) Gregorium Nazianzenum imponit Præsulem, & jurium Cæsareensium defensorem (m). Anthimus Tyanensis secundæ Cappadociæ Metropolita, ubi de Gregorii ordinatione perceperat; Nazianzum venit, quasi Gregorium seniorem Gregorii Parentem inviseret, reipsâ, ut Gregorii filii nuper ordinati animum pertentaret, atque à Basilio divelleret (n): pollicitationibus, minisque diu certatum est, ut Gregorius Anthimum Metropolitam agnosceret: sed cùm conditio ejusmodi contra Basilii jura accipi non posset; Gregorius è tanta tempestate, quin Zazimensem Ecclesiam adiret, in solitudinem profugit. Revocatus tamen à Parente Nazianzi Episcopo, Coadjutoris ibidem primùm gessit vices, dein post Patris mortem (o), rogantibus comprovincialibus Episcopis, Antistitis munere ad tempus functus est.

Eustathii Sebasteni fraudes tandem à Basilio agnoscuntur.

(k) Basilius ep. 187. ad Terent.

(l) Gregor. Naz. or. 20.

Anthimi Tyanensis diffidium cum Basilio.

(m) Idem in epist. 22. & or. 7.

(n) Idem ep. 33.

Gregor. Naz. à Basilio Zazimensi Eccl. præficitur.

(o) Gregor. Naz. or. 19. Carm. de Vit.

Greg. Naz. Coadjut. sui Parentis.

16. Tertia lucta S. Basilio fuit cum iis, qui ejus ingens Asceticæ vitæ studium reprehendebant (p): nihil gloriosius sibi acci-

(p) Basil. ep. 302. 319.

dere posse reponebat vir sanctus, quàm delicti loco haberi, quod ipse viros, virginésque Monasticæ pietati assuefaceret, ac psalmodias ab iis faceret concelebrari: in maximâ enimverò felicitatis parte se semper numeraturum, si virorum, mulierúmque (*8) tales cœtus porrò cogere liceat; quorum conversatio in cælis sit, qui carnem suam cum affectionibus & concupiscentiis crucifixerint: quique nec de cibis, nec de indumentis solliciti sint, sed immobiles & assidui apud Dominum noctes ac dies precationibus, ac psalmodiis immorentur. Efflorescebat itaque in dies magis per Orientem Asceseos studium, atque ex domiciliis cœnobitarum optimi Pastores gregis ac Episcopi expetebantur. Ephrem Syrus verò à libris suis celeberrimus tanti Monasticen fecit (q), ut, ne hanc deserere cogeretur, amentiam simulans, Præsulis dignitatem declinârit (r). Neque in Oriente tantùm Monasteriorum fama constitit, sed & ad Occidentem pervasit: Melania nobilissima Romanarum mulierum amisso marito, & aliquot liberis intra annum elatis, unico relicto filio tum Prætore Urbano (s), in Ægyptum discessit cum Rufino Aquilejensi erudito viro, quíque in Dalmatiæ desertis Monasticen jam coluerat. Perlustratis cœnobiis multum virtutis à Monachis Orientis didicêre; sed posteà Alexandriam ingressi à Didymo cæco quidem, sed à scientiis omnibus illustrato Doctore (t) erroris aliquid hauserunt (u); cùm enim ille libros Origenis ab erroneo sensu vindicare contenderet, audientibus facilè aliquid illabebatur, quod fidei labefactaret integritatem. Rufinus tandem Melaniam deduxit Hierosolymam, ubi hæc præter alia charitatis obsequia Parthenonem construxit (x), cui per quinque lustra præfuit moribus, quàm fide melior.

17. Ad ejusdem Orientis solitudines jam antè præiverat S. Hieronymus; natale is habuit Dalmatiæ oppidum, cui stridoni nomen est, natus circa annum CCCXXIX. expletâ pueritiâ, à Patre Eusebio Romam deductus, sub Donato & Victorino præceptoribus literas latinas græcásque didicit (y): in licentiam juvenilem

S. Basilii studium in propaganda Ascesi Monastica.

S. Ephrem Syrus Monasticæ disciplinæ amantissimus.

(q) Gregor. Nyss. in Vit.

(r) Sozom. l. 3. c. 16.

Melania cum Rufino in Orientem abit.

(s) Paulin. ep. 10. Hieronym. ep. 22.

(t) Socrat. l. 4. c. 25.

(u) Hieron l. 2. Apolog.

(x) Pallad. Lausiac. c. 118

S. Hieronymi prima ætas & studia.

(y) Gennad. Catal. Vir. illustr.

(* 8.) *Basilius* Cæsareæ virorum Monasterio conjunxit Prochodochium. Ibidem instituit Cœnobium Virginum, quibus præerat ejus neptis. CANONICAS eas vocat, quod sub regula vitam agerent (quo sensu Cœnobitæ quoque olim dicebantur CANONICI) eas ut præceptis pietatis informaret, multa scripsit. vide Du Mesnil ad a. 375. n. 99.

lem poſteà prolapſus, mox à lubrica via revocavit gradum, & baptiſmate ſuſcepto ſolatia meliora apud Apoſtolorum ſepulchra, cryptáſque Martyrum invenit, quæ antè inter minùs caſta æqualium conſortia fruſtra quæſiverat (z): urbis Romanæ pericula tumultúſque declinaturus cum Bonoſo comite in Gallias earúmque Metropolim Treviros contendit; ſcrutatus ubique Bibliothecas, deſcriptíſque voluminibus ditior ex Belgio Aquilejam ad Valerianum Epiſcopum venit, qui Eccleſiæ iſtius reſtaurator, & ſanctiſſimorum virorum inſtitutor erat. Hauſto illinc majore ſpiritu, Evagrio Presbytero Antiochenſi (qui cum Euſebio Vercellenſi Romam migraverat, jámque in Orientem redire parabat) ſe ſocium adjunxit: hoc Duce in Syram profectus eſt, ubi Apollinarem (cujus hæreſis adhuc latebat) ſacras ſcripturas exponentem ſæpiùs audivit (a). Inde Antiochiam usque progreſſus diſtractam à duobus Epiſcopis Paulino & Meletio Eccleſiam invenit; ignarus, cujus communionem potiùs amplecteretur, ab Evagrio Meletianis infenſo inductus eſt, ut Paulinum ſequeretur. Peragrato demum agro Hieroſolymitano in Ægyptum aſcendit, luſtratíſque Nitriæ Monaſteriis ab Aſceſeos amore ita inflammatus eſt; ut factâ in deſerta Chalcidis ſeceſſione, vitæ Monaſticæ ſeipſum tranſcriberet (b). Tyronis inſtitutum ſtygius Veterator adeò non tulit, ut Hieronymum adortus, variis tentationum generibus exagitârit (*9); jejuniis, precibúsque cùm depelli æſtus diſcerpentium in varia cogitationum non poſſet; ſtudiis mentem fregit:

(z) Hieron. in c. 2. ad Gal. & in Ezech. c. 40.

In Orientem obit.

(a) Idem ep. 41.

Adhæret Paulino Antiochenſi.

(b) Id. ep. 18. & 94.

S. Hieronymi vita Monaſtica.

(* 9.) HIERONYMUS Epiſt. 18., aliàs 22. *Quoties*, ſcribit, *in eremo conſtitutus & illâ vaſtâ ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horrendum Monachis præſtat habitaculum, putavi me Romanis intereſſe deliciis! ſedebam ſolus quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia; ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis adduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus: & ſi aliquando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nudâ humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes ibi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuriæ ſit. Illic igitur ego, qui ob metum gehennæ, tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat: in frigido corpore, & ante hominem ſuum jam carne præmortuâ, ſola libidinum incendia pullulabant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Jeſu jacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam. & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ ſubigebam. Non erubeſco infelicitatis meæ, quin potiùs plango non eſſe, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſabam verberibus, quàm à Domino rediret imperante tranquillitas.* &c.

fregit: & ut penitus edomaret Hebraicæ linguæ discendæ operam dedit, cujus difficultate factum est, ut animus magìs adstrictus in molestos cogitatus minùs evagaretur (* 10).

A.C. 376.

(c) Hieron. ep. 18.

S. Epiphanius Episcopus Salaminæ.

(d) Zozim. l. 6. c. 32.

18. Dum Hieronymus suâ in Eremo adhuc latebat, scorpionum tantùm socius & ferarum (c); in apertâ Ecclesiæ luce fulgere cœpit S. Epiphanius: datus is mundo erat in vico Besanthuce juxta Eleutheropolim; dein sub Hilarione Ascesin professus, eas virtutes, doctrinámque collegit, ut Cyprii eum Salaminæ Episcopum deposcerent (d). Præsulis vices adeptus primùm curavit, ut in genuinâ fide gregem confirmaret, quod abundè præstitit in illo libro, quem ideo inscripsit *Anchoratum*, ut ostenderet, ab hac commentatione animos de vita & salute sollicitos instar anchoræ dirigi (e). Altera eidem cura fuit, ab Ecclesiæ finibus hæresum monstra depellere; unde præclarum illud opus *adversus octoginta hæreses*, quod *Panarium* aut Antidotum contra serpentis stygii venena dixeris, conscripsit (f). Quo tempore manum huic libro admoverat, duplex Hæreticorum genus in Arabia emersit: quorum alii fabulabantur, sanctissimam Virginem, post Christum in lucem editum, cum viro suo Josepho consuetudinem habuisse, ac vel ideò *Antidicomaritæ* dicti (g): alii quasi honorem Virginis reparaturi, B. Mariam Deæ loco habuerunt: & quoniam in Deiparæ honorem Collyridem seu tortam panis utpote sacrificium offerebant; *Collyridianorum* nomen obtinuerunt. In oppositos planè errores Epiphanius cominus pugnavit, & priorem quidem falsum esse monstravit, dum Virginem in partu & post partum fuisse probabat; posterioris autem delirii superstitionem castigans, in hæc denique verba desiit: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.*

(e) Epiph. in Anchorat.

(f) Photius Bibl. c. 122.

(g) Epiph. hæres. 78.

Antidicomaritæ & Collyridiani Hæretici.

Schismatis Antiocheni dissidium augetur.

19. Quàm lætos pacis fructus proferebat tota Cyprus sub unius Epiphanii curâ, tam tristi adhuc Schismate Antiochiæ Catholici

(* 10.) IDEM Epist. 94. de se profitetur: *Perversæ cogitationes cùm semper rediirent, ad mentem edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatémque Frontonis & Plinii lenitatem, Alphabetum Hebraicum discerem, illiúsque linguæ stridentia, anhelantiáque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiésque cessaverim, testis est conscientia mea. Et gratias ago Deo, quod de amaro semine literarum, dulces fructus capio.*

tholici inter se dissidebant sub diversis ejusdem Ecclesiæ Episcopis. Regnante Juliano insanabilis planè facta fuerat Ecclesiæ istius divisio, ex quo Lucifer Calaritanus Paulinum alterum à Meletio Episcopum Antiochenis imposuerat; quare Athanasius summam operam eò contulit, ut divisos Antiochenos sub unius capitis moderationem revocaret (h); sed hoc quoque sub annum CCCLXXIII. è vivis decedente, Damasus Papa ad hoc scandalum tollendum suas vires unà cum aliis Occidentis Episcopis convertit. Scripserat autem Pontifex ad Paulinum, ut unus deinceps excluso Meletio Antiochenam regeret Ecclesiam: & Terentio comiti viro Catholico tanto opportunior consanandi Schismatis occasio visa est, quantò longiùs Antiochiâ Meletius suo in exilio adhuc aberat: atque illud quoque in commodum Paulini accessit, quòd præter Romanum Episcopum Epiphanius & Hieronymus magna Orientis lumina ab ejus partibus starent, quibus persuasum erat, Meletii ordinationem ab Arianis factam esse irritam; Paulinum verò à fidelibus magni Eustathii & legitimi Episcopi discipulis postulatum post ejus mortem, & demum ab Episcopo Catholico initiatum fuisse. Hæc consilia ùt primùm agi S. Basilius inaudiit (i); Terentio literis testatus est, Occidentales ignaros rerum earum, quæ in Oriente peractæ fuissent: exspectandum proinde eorum Episcoporum suffragium, qui causam magìs haberent perspectam. Dein ad Epiphanium ab eodem Basilio directa est epistola, quâ monebat, nequaquam decere, ut Meletio vivo & superstiti (qui prior esset ordinatus, atque à se, aliisque ob egregiam veræ fidei confessionem receptus) alius surrogetur (k): potissima tamen ratio, cur Basilius à Paulino abhorrebat, erat suspicio erroris, quo eum laborare putabat, eoquòd tres divinas hypostases dicere nollet; quamvis tres perfectas Personas in unitate substantiæ confiteretur: inde autem Arianis dari ansam criminandi, quod Catholici filium Patri Consubstantialem secundùm hypostasin dicerent, Sabellium imitati, qui unum in hypostasi Deum esse suis venditaverat. Dum Basilius hoc modo contra Paulinum pugnaverat; tela in Meletium retorquere S. Hieronymus non destitit (l): indignè is ferebat, quod à Meletio tres hypostases in Deo prædicarentur non sinè multorum offensâ, qui

(h) Athanas. ad Antioch.

(i) Basil. ep. 349.

(k) Basil. ep. 325.

Consilia de extinguendo Schismate Antiocheno in irritum cadunt.

(l) Hieron. ep. 14. & 16.

Causæ, cur alii Meletio, alii Paulino adhæserint,

qui vocem οὐσίασ & ὑποςάσιωσ non distinguerent, ac proinde crederent, trium hypostaseon commemoratione tres substantias in individuam Trinitatem induci. Post aliquod temporis dissidium, compertum est, utriûsque partis Catholicum esse sensum; licet voce duntaxat discreparent. Nam alii per tres hypostases, tres personas intelligebant, alii contra nomen hypostasis cum usiæ significatione confundentes, in Deo tres esse Personas unamque hypostasin sive substantiam esse docebant (* 11). Disceptantium igitur hinc inde diversa studia prohibuere ut pax Antiochenæ Ecclesiæ eo tempore reddi non posset (m).

(m) Basil. ep. 10. & 321.

A. C. 376.

20. Ad annum trecentesimum septuagesimum sextum Ariana hæresis ultra Orientis fines non admodum progressa est; hoc autem labente ad Barbaras etiam nationes proserpere cœpit: Gothi Hunnorum vi sedibus pristinis expulsi, Ulphilam suæ gentis Præsulem ad Valentem legationis causâ miserant, ut in Thracia popularibus habitandi, ac alimenta quærendi copiam efflagitaret (n); Constantinopolim ingresso Arianæ Sectæ Antistites occurrunt, id maximè polliciti, Cæsarem in vota ejus suis consiliis impulsum iri; si cum Arianis communionem habere, minùs abnueret: hâc spe illectus in eorum consortium Ulphila, & demum in fidem Arianam transit, quam posteà Gothis eâ ratione persuasit, quod inter Catholicos, ac Arianam religionem præter verborum inutiles quæstiones ferè nihil intersit (o): è Semente in tot Barbarorum animos diffusâ, posteà illa Zizania adoleverunt, quæ iis in

Gothi ad Arianam hæresim traducuntur.

(n) Zozim. l. 6. c. 37.

(o) Theod. l. 4. c. 37.

(* 11.) Occidentales & Orientales quamvis in verâ fide Trinitatis convenirent, diu tamen in unam significationem vocum ὐσίασ, & ὑποςάσιωσ non consensêre: Occidentales propter Arianos (qui dicebant tres esse hypostases) potiùs tres personas dicendum esse volebant: Orientales è diverso, ne Sabellio favere viderentur, si prædicarent unam hypostasin, & tres personas; favebant huic sententiæ Synodica epistola Sardicensis apud Theodoret. l. 2. c. 8. item Epiphanius apud Basilium epist. 325. quare ut apertiùs ostenderetur, in Deo esse tres Personas subsistentes in propria & vera hypostasi, trium hypostaseon confessionem exigebant. Successu temporis Occidentalium sententia prævaluit; nam ut probat NATALIS ALEXANDER Dissert. 35. ad Sæc. IV. Concilium Chalcedonense Act. 5. Ephesinum Anath. 4. Oecumenicum V. Collat. 8. Anath. 5. & Oecumenicum VI. Act. 4. in Epl. Agathonis, Occidentalium morem, significationémque sequuntur. Unde S. Thomas posteà scripsit in I. Sent. Dist. 26. Q. 1. a. 1. ad 4. *Subsistentiam apud usum Sanctorum sumi pro hypostasi* & III. P. Q. 3. a. 3. ad 1. ait: *Quia in divinis idem est, quo est, & quod est, quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto, secundum se consideretur, aliis circumscriptis; erit aliquid subsistens, & per consequens Persona cùm sit in natura intellectuali.* &c.

in Occidente provinciis funesta fuerunt, in quibus Gothorum arma deinceps personuerunt. Lætabatur intereà Valens Arii pestem tam facili operâ propagari, ad quam tuendam, aut in Oriente dispergendam aliàs multò validiore assultu opus fuisset: sed Deus inultam passus non est suam, Ecclesiæque injuriam; quare subinde Gothos eosdem, ab Arii hæresi jam infectos in maximum Arii Patronum, Valentem scilicet concitavit (p). Nec destitit gens Barbara corruptorem suum persequi; dum bello maceratus, flammísque exustus, nil relinquere orbi posset, nisi paucos & infames cineres, ingentémque scelerum memoriam (q).

(p) Socrát. l. 4. c. 35.

A.C. 378.

(q) Theod. l. 4. c. 36. Sozom. l. 6. c. ult.

§. V. *Episcoporum Catholicorum reditus ad Ecclesias: Ambrosii pietas erga captivos, & zelus pro fide, & Virginitatis instituto, ejus Fratris Satyri obitus. Conditiones pacis inter Meletium & Paulinum Antiochenos præsules. Gregorii Nazianzeni Episcopatus Constantinopolitanus. Mors SS. Basilii & Ephrem: Synodus Antiochensis, Cæsaraugustana: Priscilliani hæresis. Concilium Constantinopolitanum I. Synodus Aquilejensis, Romana: S. Hieronymi labores Romæ, mors Damasi Papæ: Siricius successor: S. Hieronymi profectio in Orientem.*

Gratianus ab exiliis revocat orthodoxos Præsules.

1. POst exitialem Valentis mortem, Gratianus Asiam, & reliquam Africæ partem Imperio suo adjunxit, quibus terris hoc pietatis officium primò impendit, ut lege publicâ Pastores Catholicos ad suos greges, ædésque sacras ad eorum redire manus juberet, qui cum Damaso communicarent. Sanctio ubi ad Magistratus pervenerat, mercenarii Arianæ Sectæ Pastores Ecclesiis expellebantur. De urbe tamen Constantinopolitana mitiùs statuere visum est: nam cùm Gothi Metropoli eidem jam imminerent; Gratianus verebatur, ne, si hæretici premerentur, in seditionem intestinam prolecti, sedem Imperii hostibus proderent: moderatio itaque hæc adhibita est; ut præter Manichæos & Photini atque Eunomii discipulos, cæteri, quamcunque vellent, religionem, sectarentur (a). His dispositis Imperator arma adversus Gothos expedit, simúlque animum iis præsidiis firmat, quibus inter hæreses tutus stare posset; abiturus quippe in Orientem secum libros de fide ab Ambrosio conscriptos asportavit, quos velut

(a) Marcell. l. 3. c. 15.

(b) Ambros. de fide lib. 1. & 2.

velut clypeos Arianis posteà objecit (b). Gratianus ut primùm ex Italia discessit; magna rerum turbatio suborta est: Gothis enim ad Julias Alpes populationes suas proferentibus, complures Catholicorum ex Illyrico ad Transalpinas urbes confugiebant; id porrò precati ut & sibi extra tot calamitates illinc vivere, & captivis fratribus, quos hostis in servitutem abstraxisset, aliarum Ecclesiarum beneficio ad libertatem aspirare liceat (c). Ambrosius miserorum conditione commotus, omnium Charitatem superavit; nam & extorres hospitio suscipere, & captivos è barbarorum potestate tantâ liberalitate redimere instituit, ut cùm Ecclesiæ opes in hoc obsequii genus profudisset; vasa etiam Ecclesiæ conflata pro libertate fratrum erogare non dubitârit (d).

(c) Ambros. offic. l. 2.

Ambrosii pietas erga Captivos.

(d) Idem l. c. c. 28.

2. Quemadmodum verò tempestas illa, Ambrosio occasio virtutis fuit; ita Ursicinum Pontificis Damasi æmulum in novas adduxit artes, quibus Romanam Ecclesiam sibi diriperet. Proscriptus ille à Valentiniano in Gallias, multos habebat Presbyteros comites, qui arbitrium, consiliáque Pseudopapæ sequebantur. Hoc igitur tempore, cùm Imperator ab hostibus distineretur, & vacua præsidio urbs machinationibus daret locum; factiosis Ursicinus reddit animos, ut contempto Damasi judicio suas, è queis exire jussi fuerant, Ecclesias retineant (e). Audacia ejusmodi Ambrosium, aliosque Præsules permovit, ut à Gratiano & Valentiniano literis expeterent, firmari receptam Ecclesiasticorum judiciorum formam (*1), cui obstinatos subjici, & quin turbas porrò obmoveant, compesci Ursicini asseclas volebant. Gratianus Episcoporum precibus annuens statim rescripsit, ut Aquilinus urbis Vicarius inquietos & jam ante damnatos Episcopos in exilium ejiciat; dein illos quoque, qui tricas molirentur, ultra cente-

Ursicini Antipapæ novæ molitiones.

(e) Tom. I. CC. p. 840.

Sententia Gratiani adversus Antipapam.

(* 1.) Episcopi in suo ad Gratianum libello petierunt, ut non authoritatis augmentum daret Romano Pontifici, sed ut Cæsar interpellatus executionem decretorum Ecclesiasticorum urgeret; unde scribunt ex Synodo Romana: *Sed quoniam jam dudum Vestræ Clementiæ judicio relegatur Ursinus, per eos, quos illicitè sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque licèt occultè sollicitare conatur: eóque nonnulli Episcopi, qui male Ecclesiis incubant, usu temeritatis suæ, & profani conspiratione contemptûs, ne adquiescant Romani Sacerdotis judicii, lacessunt: ita ut etiam, qui intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos, vel damnatos esse viderunt, redemptâ vulgi multitudine, judices suos terrore mortis exagitent. .... Idcirco statui Imperialis* NON NOVITATEM, *sed* FIRMITATEM *postulamus.* vide Tom. I. CC. p. 841., 842. & 843.

centeſimum lapidem ab urbe depellat, poſtremùm ſtabilitâ judicii Eccleſiaſtici poteſtate (*2); cavet, ne quis morum pravitate corruptus, aut infami calumniâ notatus facilè præſumat, perſonam criminatoris aſſumere, aut adverſus Epiſcopum teſtimonium profiteri. Compoſitis Eccleſiæ Romanæ diſſidiis, Gratianus Imperii tranquillitati quoque proſpicere cœpit; nam Theodoſium ſibi in conſortem adlegens (f), eum Principem Orienti & Illyrico donavit, qui paulò poſt Gothorum furorem penitus infringeret (g).

(f) Sozom. l. 7. c. 2. Theodoret. l. 5. c. 5.
(g) Zoſim. l. 4. c. 26.

3. Gratianus quoniam ex Occidentis Provinciis ſibi Hiſpaniam duntaxat, Britanniam atque Gallias moderandas ſervaverat; ad has digreſſus ab Ambroſio plures de fide commentarios & præcipuè de divinitate Spiritûs S. expetiit, ne ſubditos haberet, qui alieno (ac fas eſſet) dogmate imbuerentur (h). Idem Imperator ſubinde Mediolani S. Antiſtitem inviſens ea monita coràm accepit, quibus adductus, Hæreticis illam in cœtus eundi facultatem anteà conceſſam abrogavit (i): prætereà Clericis alimoniæ tantùm causâ negotiationem exercentibus immunitas à luſtrali collatione eatenus tunc reſtituta eſt, ut ii, qui in Illyrico & Italia decem, aut in Galliis quindecim ſolidorum pretium non excederent, à penſitatione communi eximerentur. Quàm benevolum ſibi, reíque Catholicæ Gratianum Ambroſius habuit; tam infeſtum poſteà perſenſit Juſtinæ odium: erat hæc Auguſta Valentiniani Junioris mater, quæ pro ſuo in Arianos ſtudio huc omnes afferebat vires, ut malignam ſectam oppreſſis Catholicis proveheret,

(h) Ambroſ. ep. 41.
Leges Gratiani pro Clericis.
(i) Cod. Th. l. 10. & 14. de Epiſc.
Ambroſius Juſtinæ Auguſtæ conſiliis adverſatur.

(* 2.) Gratiani Reſcriptum in Tom. I. CC. pag. 843. ſic habet: *Volumus autem, ut quicunque judicio Damaſi, quod ille cum conſilio quinque, aut ſeptem Epiſcoporum habuerit, vel eorum, qui Catholici ſunt, judicio vel conſilio condemnatus fuerit; ſi injuſtè voluerit Eccleſiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab illuſtribus viris præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, ſive à Proconſulibus vel Vicariis, authoritate adhibitâ, ad Epiſcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam ſub proſecutione perveniat, aut ſi in longioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, omnis cauſæ ejus dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia Epiſcopi deducatur examen. Vel ſi ipſe Metropolitanus eſt; Romam neceſſariò, vel ad eos quos Romanus Epiſcopus dederit judices, ſine dilatione contendat. Ita tamen, ut quicunque detecti ſunt, ab ejus tantùm orbis finibus ſegregentur, in quibus fuerint Sacerdotes.... Quod ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cujuscunque Sacerdotis iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum accerſitum liceat provocare: modo ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit integretur.*

heret: & quoniam exceſſerat è vivis eodem tempore Syrmienſis Epiſcopus; mulieris audaciſſimæ intererat, hominem ſufficere, qui de Arii harâ ad inſtar Photini & Germinii eandem ſedem fœdaret. Ambroſius ut Juſtinæ vota cognovit; Syrmium (licèt locus extra Provinciam ſuam foret) citato itinere advolat (k): jámque Catholico imponere manus parabat; tum procax quædam Ariana fœmina ſancto Antiſtiti vim injectat. Quò mitiùs Ambroſius tulit injuriam, eò ſeveriùs Deus eandem mulierem caſtigavit; nam repentinâ morte rapta tantum metum adverſariis incuſſit, ut Catholicis locus eſſet Anemium Epiſcopum orthodoxum initiandi.

(k) Paulin. Diacon. vit. Ambr. n. 11. & 12.

4. Ambroſius Syrmio Mediolanum reverſus ſuum gregem omni virtutum genere excoluit: & quoniam Eccleſiæ à Virginitatis flore non exiguum decus acceſſurum rebatur (l); frequentibus ſermonibus (quos poſteà tribus libris comprehendit) ad caſtimoniæ ſtudium hortatus eſt. Sacri oratoris verba tot Virgines attraxêre; ut matres multæ plurimùm obſiſterent, ídque filiabus caverent, ne audirent Ambroſium; intentatæ tamen parentum comminationes imbecilliores erant, quàm ut puellarum caſtum ſtudium interrumperent: itaque aliæ è proximis urbibus, aut longinquis Africæ regionibus ad Virginitatis ſacraria accurrebant; aliæ verò in domûs paternæ receſſibus in eâdem aſceſi piam operam collocabant (* 3). Hâc ratione ubi Ambroſius Eccleſiæ ſollicitam gerebat curam; in eo quoque totus fuit, ut domui ſuæ benè præpoſitus videretur: illinc Marcellinam ſororem anteà inſtituerat, quæ Virgines cæteras eo tempore odore virtutum longè anteceſſit; non minori exemplo viris erat Satyrus Ambroſii frater, quem cælo maturum mors repentina anno CCCLXXIX. rapuit. Trajecerat is anno præcedente in Africam, à Proſpero debita quædam recepturus; negotio confecto iter relegens naufragium facit: Saty-

(l) Ambroſ. l. 1. de Virg. c. 10.

Virginitatis ſtudium à S. Ambroſio laudatur & propagatur.

A.C. 379.

(* 3) Ex S. AMBROSII libris de Virg. colligitur, duas eo tempore fuiſſe Virginum claſſes; aliæ enim, uti Virgines Bononienſes communem in Chriſti ſacrariis vitam ducebant: aliæ à paternis ædibus quidem non recedebant, quarum quædam votum habebant caſtitatis; & hæ velari à ſacerdote merebantur ut innuit INNOC. I. *epiſt. ad Vict. Rothom.*, híſque ad Eccleſiam venientibus locus ſeparatus dabatur & ornatus appoſitis divinæ ſcripturæ ſententiis: nonnullæ verò citra votum caſtitatis manebant nuptiarum expertes, de quibus Cyprianus ait epiſt. ad Pomp.: quæ perſeverare nolunt, aut non poſſunt; melius eſt, nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant.

Satyrum nihil vitæ periculum: plus verò illud anxium habuit, ne (cùm Catechumenus esset) Mysteriis vacuus è vivis exiret; quare ab aliis, quos initiatos noverat, sacrum Eucharistiæ epulum poposcit, quod in orario ligatum, ubi collo involverat; quin tabulam adhiberet, mari se dedit, atque ita cælesti ope in terram Sardiniæ evectus, in Episcopum Luciferianarum partium incidit. Quantumcunque supremo periculo defunctus Satyrus ad Baptismum anhelaret; à Schismatico tamen sibi salutis aquas affundi adeò non sustinuit, ut continuò inde in aliam Ecclesiam profectus, à Catholico præsule initiari voluerit: tandem Mediolanum redux sontico morbo oppressus est (m). Funus ad ædem S. Laurentii elatum Ambrosius oratione eleganti cohonestavit; dein post septem dies ad Satyri tumulum reditum est, ut solitis precibus ac ceremoniis propitium ipsius animæ divinum numen redderetur (*4).

Satyri Fratris S Ambrosii naufragium, baptismus, & mors.

(m) Ambros. de excessu Satyr. n. 24.

5. Intereà, dum hæc in Occidente agebantur, Ecclesiæ per Orientem proscriptos à Valente Pastores receperant: id beneficium Imperatoris etsi Catholicis pergratum, minùs tamen Antiochenæ urbi profuit; nam publicatâ Gratiani lege uti cæteri Episcopi, sic quoque Meletius ex suo exilio ad gregem properabat (n). Tota civitas cùm revertenti Episcopo in occursum effunderetur; unus Paulinus cum suis id ægriùs tulit. Meletius igitur æmulum miti ingenio devincturus in hæc verba Paulinum compellat: quandoquidem sibi ovium istarum curam Dominus commisisset, nec minùs à Paulino earum cura esset suscepta; ad fidelis populi bonum pertinere, ut amoto tandem omni dissidio greges uti religione consentientes; sic in unam Ecclesiam conjunctos communi studio uterque Præsul deinceps pascat: nullam inter duos prærogativam fore; ac siquidem unus eorum prior decesserit, ad alterum totius gregis integram curam devolvendam (o). Paulino ad has conditiones obstinatiùs hæsitante, parum aberat, quin Antiochia in novos, adversosque motus concitaretur. Seditio, quominùs invalesceret, hoc consilio temperata est: nempe placuit jurejurando omnium obstringere fidem, ne quis viventibus Pau-

(n) Theod. l. 5. c. 3.

Meletius Antiochenus redit ex suo exilio.

(o) Sozom. l. 7. c. 3.

Pacis conditiones initæ inter Meletium & Paulinum.

 lino

(* 4.) AMBROSIUS de excessu Satyri n. 78. *Post septem dies ad Satyri tumulum reditum est, ut ipsius animæ solitis precibus ac ceremoniis divinum numen propitiaretur.*

lino & Meletio Paſtoris officium acciperet; altero autem illorum Præſulum mortuo is, qui ſuperſtes eſſet, ſolus Epiſcopale munus ſibi vindicaret (p).

(p) Sozom. l. c.

Gregorius Nazianzenus fit Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

6. Poſtquàm Antiochiæ duo Præſules in concordiam fuerant congreſſi; Conſtantinopolitanam Eccleſiam novum geminorum Epiſcoporum diſſidium diſcerpſit. S. Baſilius, aliique Antiſtites Gregorio Nazianzeno authores erant, ut quoniam Epiſcopus ſine Eccleſia, in S. Theclæ Monaſterio Seleuciæ viveret; Conſtantinopoli per quadraginta annos ab Arianis evaſtatæ operam paſtoralem impenderet: precibus, quamvis primò obluctaretur, ceſſit tandem, & Antiſtitis munere ſuſcepto (q) Conſtantinopolis ruinas ita reparare cœpit, ut Hieronymus Bethlehemio (eò enim Doctoris ſapientiſſimi fama jam pervaſerat) advolârit ad Gregorium Nazianzenum audiendum. Necdum ſementis tam ſanctâ manu jacta in fructus adoleſcere poterat; tum Maximus quidam Alexandrinus in Gregorii amicitiam velut furtivus prædo irrepit: is cùm anteà ob ſcelera quædam in Oaſim fuiſſet deportatus; mentiebatur Gregorio, ſe pro fide virgas, exiliúmque pertuliſſe: menſæ igitur, arcanorúmque S. Antiſtitis particeps, illuc cum Hammone, aliiſque ſex Claſſiariis Ægyptiacis vertit conſilia, ut ſibi thronum Conſtantinopolitanum rapere præſumeret (r): & occaſio perfidiæ ſubinde data eſt; nam tres Epiſcopi Gregorio infenſi ex Ægypto (indulgente Petro Alexandrino) Conſtantinopolim venerant, meditatum facinus perfecturi. Gregorius valetudinem curabat ruri; tum ſubitò nautarum colluvies auro emitur, quæ plebis nomine Maximo ſuffragia deferat; poſtulatus hunc in modum Pſeudo-Epiſcopus ſequente nocte in Catholicorum irrumpit Eccleſiam, & imponentibus manus tribus Epiſcopis ſedem ſacram invadit. Excitus rumore Gregorius Conſtantinopolim remeat, jámque certus cathedram (quam ſine Epiſcoporum conſenſione accepiſſet) relinquere, populum in concionem adducit: valedicentem populus inter lachrymas rogabat, ne gregem lupis addictum vellet, aut egreſſurus urbe ſimul Trinitatis integram fidem ſecum ejiceret: Gregorius tot precibus fatigatus ſpopondit tandem, ſe non exiturum, dum Epiſcoporum ſenſa audiiſſet. Turbas ejuſmodi ubi Aſcholius Theſſalonicenſis alii-

(q) Gregor. Naz. or. 14.

(r) Idem Carm. p. 12. & 16. & or. 23. 24.

Maximus Alexandrinus Gregorio Epiſcopatum eripere conatur.

aliique Macedoniæ Præsules perceperant (s); Damaso id, quod actum esset, denunciant. Pontifex redditis literis etsi ordinationem Maximi improbaret; adeò tamen pro Gregorio nil Constantinopolitanis rescripsit, ut potiùs moneret, ne paterentur aliquem contra statuta majorum de civitate alia ad aliam transire, ac vel inde non obscurè notabat, alium à Gregorio, Catholicum Præsulem Constantinopolitanæ sedi imponendum. (s) Holsten. Coll. Rom.

7. Ancipiti adhuc studio Episcopium Constantinopolitanum pendebat; tum sedem Cæsareensem omnino in terris reliquit S. Basilius, è vita ad superos translatus primâ Kalendis Januarii anno CCCLXXX. (t) S Ephrem defuncto orationem funebrem dixit, pro quo labore mercedem hanc in fine sermonis exoravit, ut sibi (u) Basilium sequi ad coronam liceret. Audiit Deus Basilii preces & Ephremii vota; duobus namque mensibus exactis pius orator mortalitatem exuit, stolâ immortalis gloriæ induendus: ad extrema deductus hortabatur suos, ut omissis aromatis, sumptuosísque exequiis in cœmeterio communi depositum precibus juvarent suis, & assiduè pro se offerre dignati, trigesimo porrò ab elato funere die sui sacram facerent memoriam; quo maximè id inculcabat, quod *mortui beneficio afficiantur in oblationibus recordationum sanctorum viventium* (x). Decussis duabus hisce Ecclesiæ columnis, non minùs fortiter suffulsêre domum Dei cæteri Orientis Episcopi: assultibus malignis hanc labefactare adnitebantur Eunomii, Macedonii, & Apollinaris discipuli; quare Gregorius Nyssenus, aliique Patres Antiochiæ in Synodum congregati (y), turbarum fabricatores acriore fulmine profligant: atque ut robur sententiæ accederet; à Damaso Pontifice literis expetunt, ut & ipse in damnando Timotheo Apollinaris sectatore supremam adjiciat manum. Placuit Universalis Ecclesiæ Pastori, quod Orientales Præsules debitam Apostolicæ sedi reverentiam exhiberent; dein Timotheum cum Apollinare à se jam Romæ proscriptum testatur: demum monet, ut serpentem illum sæpiùs percussum (siquidem in supplicium suum reviviscat) velut pestem defugientes in fide à Nicænis Patribus conscripta stabiles permaneant. Necdum in Oriente angues venenati ictu fatali prostrati fuerant; tum alius coluber tortuosus cervicem in pejores Occidentis

A. C. 380.
(t) Gregor. Nyssen. de Vita Macr.
Mors SS. Basilii & Ephrem.
(u) Pallad. Lausiac.
Preces pro mortuis.
(x) Ephrem. Test. T. IV. Basil.
Synodus Antiochensis contra HH.
(y) Theod. l. 5. c. 9. & 10.

 dentis

Priſcilliani Hæreſis.

(z) Sever. Sulpit. l. 2. n. 60.

Synodus Cæſarauguſtana.

(a) Synod. Cæſaraug. Tom. I. CC.

Ejusdem Canones.

dentis ruinas erexit: erat is Priſcillianus natione Hiſpanus, opibus dives, ac ingenio conſpicuus (z). Gnoſticorum virus, à Marco Ægyptio Hiſpaniis illatum, ubi combibiſſet; adjunctis viris, fœminíſque permultis novam inſtituit hæreſin, in quam velut ſentinam omnium hæreſiarcharum ſordes, erroréſque conjunxit (* 5). Turpitudo dogmatum etſi ingens eſſet; Inſtantium tamen, Salvianúmque Hiſpanos Epiſcopos decepit: Adiginus Cordubæ & Idacius Emeritæ Epiſcopi malo primùm validiùs obluctati, hoſtes in par odium, majorémque audaciam provocârunt; quare Cæſarauguſtam Hiſpaniæ, ac Aquitaniæ Præſules convenêre, ut de errorum remediis ſtatuerent (a). Hæretici in judicium vocati cùm nusquam juſſis parerent; in abſentes lata ſententia eſt: damnatione prolatâ Patres Canones ediderunt, ex quibus octo ſuperſunt: PRIMUS ad avertendum ſeductionis periculum, mulieribus cavet, ne cœtibus alienorum virorum ſe immiſceant. SECUNDUS vetat jejunium die Dominicâ obſervari more Priſcilliani Sectatorum, aut abeſſe ab Eccleſia tempore Quadrageſimæ: & quoniam ab iisdem Hæreticis ad varios abuſus Euchariſtia domum deferebatur; TERTIO CANONE omnes jubentur, ut ſacrum epulum in Eccleſia ſumant. QUARTUS CANON ſub anathematis pœna prohibet, ne quis more Priſcillianiſtarum tribus hebdomadis Epiphaniam Domini antecedentibus ab Eccleſia abſit, vel domi dies illos in mœrore tranſigat. CANON SEPTIMUS

(* 5.) AUGUSTINUS Hær. 70. *Priſcillianiſtæ, quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, maximè Gnoſticorum, & Manichæorum dogmata permixta ſectantur. Quamvis & ex aliis hæreſibus ſordes, tanquam in ſentinam quandam horribili confuſione confluxerint. Propter occultas autem contaminationes, & turpitudines ſuas habent in ſuis dogmatibus & hæc verba: Jura, perjura, ſecretum prodere noli. Hi animas dicunt ejusdem naturæ ac ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum per ſeptem cælos & per quosdam gradatim deſcendere Principatus, & in malignum Principem incurrere, à quo mundum hunc factum volunt, atque ab hoc Principe per diverſa carnis opera ſeminari. Aſtruunt enim fatalibus aſtris homines alligatos, ipſúmque corpus noſtrum ſecundùm duodecim ſigna cæli eſſe compoſitum.. Hæc & alia fabuloſa, vana, ſacrilega hæreſis iſtá contexit; carnes, tanquam immundas eſcas etiam ipſa devitat. Conjuges, quibus hoc malum perſuadere potuit disjungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non à Deo bono, & vero; ſed malignis Angelis tribuunt: hoc verſutiores Manichæis, quòd nihil ſcripturarum Canonicarum repudiant . . . ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertentes. De Chriſto Sabellianam ſectam tenent. . . . Natali & Dominicâ die jejunia celebrabant.* vide etiam Natalem Alexandrum de Priſcillianiſtis ad Sæc. IV.

MUS definit, ut non laici, nec mulieres; sed ii duntaxat, quibus ab Episcopis concessum est, Doctoris nomine aut officio utantur: demum OCTAVUS arcet Virgines à suscipiendo velamine, nisi quadraginta annorum ætatem compleverint (*6). Instantius, & Salvianus ubi sectam suam tot fulminibus afflictam dolerent; obfirmato in audaciam animo Priscillianum in Latilensi oppido creant Episcopum: facinus hoc Idacio & Ithacio Catholicis tam detestabile visum est, ut Gratiani Imperatoris lege Hæreticos Ecclesiis, urbibúsque pellendos curarent (b). Sectatores rem suam restituturi, primam Pontificis Damasi; dein Ambrosii opem frustra deposcunt, demum ad Imperatorem aditum sibi aperiunt per Macedonii artes, quem officiorum Magistrum pecuniâ corruptum suis partibus devinxerant. Hujus quippe beneficio Rescriptum obtinent à Principe, quo missis in irritum prioribus decretis restitui Ecclesiis jubebantur. Instantius proinde & Priscillianus (nam tertius Salvianus Romæ obierat) in Hispaniam reversi Ecclesias repetunt, Ithaciúmque Catholicum suâ sede excludunt: trepidus præsul in Gallias profectus, Gregorium Præfectum implorat: & exuli Ithacio fuisset subventum; nisi Macedonius fraude solitâ totam causam Hispaniarum Vicario remisisset: dirigebantur jam satellites Treviros, qui Ithacium ad tribunal pertraherent; sed vir integerrimus conatus impiorum pio dolo eludens, tempori meliori se, suúmque negotium servavit.

(b) Sever. Sulpit. l. 2. n. 62. & 63.

Priscillianus ejectus sedi suæ restituitur per decretum Gratiani.

8. Sub idem tempus Orientis Imperator Theodosius in Orthodoxos Episcopos plus æquitatis, benevolentiæque ostendit: ex quo enim is ab Ascholio Thessalonicensi sacris aquis tinctus fuerat (*7); Pastoribus Catholicis restituere ereptas Ecclesias inter præ-

A.C. 380. & 381.

(* 6.) Sermo hic in Can. 8. ep. de iis Virginibus, quæ in paternis ædibus vivebant; ne nimirum sub specie servandæ virginitatis, Priscillianistarum errores sequerentur.

(* 7.) Apud PAGIUM in Critica Tom. I. p. 565. n. 8. & 9. Ascholius primus à Damaso dicitur constitutus fuisse Vicarius sedis Apostolicæ in Illyrico Orientali, quo idem Pontifex prohibere voluerat, ne Episcopi ejusdem Illyrici Orientalis à jurisdictione Patriarchæ Occidentalis recederent. Illyricum enim anno 379. divisum hâc lege est, ut Pannonia, utrumque Noricum, Dalmatia, Mœsia, Dardania, & Creta in Imperio Occidentali remanerent, servatáque est hactenus Syrmio, quæ sedes fuerat Præfecti Prætorio Illyrici, sua dignitas, constituto illic Vicario Præfecti Prætorio Italiæ, qui Provincias illas regeret. Sedes verò Præfecti Prætorio Illyrici translata est Thessalonicam, eique con-

(c) Sozom. l. 7. c. 5.
(d) Idem l. c. c. 7.
(e) Theod. l. 5. c. 7. & 8.
Concilium Constantinopolitanum, ejusque Acta.
(f) Sozom. l. 7. c. 10.
A. C. 381.
Flavianus succedit Meletio Antiocheno.
(g) Idem c. 11.
(h) Gregor. Naz. Carm. p. 29.

præcipuas curas habuit (c). Constantinopolim subinde digressus, ad tranquillitatem fidelibus reddendam Concilium convocat (d): anno igitur CCCLXXXI. mense Majo Regiam urbem centum quinquaginta Episcopi ex variis Provinciis subeunt; solus Damasus (quia citra ejus consilium Synodus cogebatur) cum Occidentis & Africæ Episcopis abfuit (e). In Synodum postquàm præsentes convenerant; Maximo Cynico abdicato, Gregorium sedi Constantinopolitanæ (applaudente populo) imponunt: non minus gaudium pervasisset ad Antiochenam Ecclesiam; nisi gregis illius felicitati Orientalium Episcoporum invidia obstitisset. Decesserat ipso Concilii tempore è vivis Meletius, alter à Paulino Antiochenus Episcopus (f): jámque mortuo uno spes erat, fore, ut Paulinus superstes (cui soli Occidentales anteà communionem tribuerant) totam Ecclesiam Antiochiæ regeret. Verùm simultas, quæ inter Orientis, atque Occidentis Præsules gliscebat, non permisit, ut schismate sublato concordia redintegraretur: Occidentalium nimirum votis ne Constantinopolitani Patres obsecundare viderentur; Flavianum (licèt is unà cum cæteris presbyteris anteà pollicitus esset, se vivente Paulino nequaquam Episcopatum ejusmodi admissurum) sedis Antiochenæ Antistitem designant, Gregorio uno ab ordinatione ejusmodi abhorrente (g). Dum hæc aguntur, ad Synodum accessêre Ægyptii ac Macedones Paulini Patroni: hi ubi audierant, Flavianum novum Antiochiæ Episcopum esse creatum, Gregorii electionem improbant, causati Canonis decimi quinti sanctionem, quæ vetaret, *ne à civitate in civitatem Episcopus transeat: & si factum fuerit, infirmabitur, & Ecclesiæ restituetur, cui ordinatus fuerat* (h). Eâ lege quamvis Gregorius nullius Ecclesiæ Episcopus minimè teneretur; spontè tamen veniam à Theodosio nactus, urbe ac sede suâ disces-

contributæ Macedonia, Thessalia, Achaja, Epirus utraque, Prevalis, & utraque Dacia. In Ecclesiasticis sicut ante eam divisionem totum Illyricum Episcopo Romano seu Patriarchæ Occidentis suberat; ita & post illam eidem subditum remansit; quia, ut scribit Innocentius PP. ep. 30. ad Alexandrum Episcopum Antioch. Ecclesiæ dignitati non congruit *ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honorésque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator.* Cæterùm idem PAGIUS n. 9. probabiliùs putat *Anysium* à Siricio Papa primum Vicarium Thessalonicæ & consequenter Illyrici Orientalis creatum esse; de quo alibi plura dicemus.

discessit (i). Imperator inde Patres de novo Episcopo creando monuit: annitentibus Diodoro Episcopo (k) Tarsi, & Flaviano Antiochensi, Nectarius Tarso Ciliciæ oriundus, vir senatorii ordinis Theodosio commendatus est, quem adhuc Catechumenum ubi Imperator surrogandum vellet, magna Episcoporum Adversantium conturbatio extitit: verùm cùm Theodosius velut altiore impulsu incitatus à proposito divelli non posset; Nectario Baptismus, & subinde cætera Mysteria collata sunt: ordinatione factâ ab Imperatore Romam directi sunt Episcopi, qui formatam Nectario à sede Romana ex antiqua regula transmitti flagitarent (l).

(i) Theod. l. 5. c. 8.
(k) Sozom. l. 7. c. 7. & 8.

Nectarius creatur Episcopus Constantinopolitanus.

(l) Bonifac. ep. 2. ad Epp. Maced.

9 Posthæc Præsules unà cum Nectario cœptam Synodum prosecuti contra Macedonianos (m), cæterósque Hæreticos fidem Nicænam stabiliunt (* 8). Cautum equidem erat, ne quid Professioni à Patribus Nicææ editæ adderetur: ast errorum emergentium multitudo tollere illam legem hoc tempore coëgit. Quare cùm Manichæi res creatas duobus Principiis non sine contumelia unius

(m) Sozom. l. 7. c. 9. Theodoret. l. 5. c. 8.

(* 8.) Symbolum Constantinopolitanum etsi nomine Nicæni Symboli sæpe etiam veniat; ab hoc tamen differt in nonnullis; nam NICÆNUM *Primò* habet *incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertiâ die, & ascendit in cælos, unde venturus est judicare vivos & mortuos.* Hæc Mysteria CONSTANTINOPOLITANUM Symbolum his verbis amplioribus proponit: *Incarnatus est de Spiritu S., ex Maria Virgine, & homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus & sepultus est, & tertiâ die resurrexit secundùm scripturas, ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.* II. NICÆNUM pauca de Spiritu S. habet. *Et in Spiritum S. credimus.* CONSTANTINOPOLITANUM verò sic profitetur: *Credimus in Spiritum S. Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per SS. Prophetas: & unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri Sæculi.* Vide Harduin. in T. I. CC. p. 813. PAGIUS in Breviario T. I. p. 109. n. 17. etsi fateatur Symbolum Constantinopolitanum ubique fuisse statim receptum; ex Lupi tamen T. I. CC. c. 4. observat: in Ecclesia urbis Romæ servatum fuisse morem recitandi Symbolum Apostolorum, eoquòd ibi nulla hæresis suum sumpserit exordium. Huic usui quoque institerunt aliæ Europææ Ecclesiæ, quia Ariana hæresis Illyrici fines nunquam transiit: in Hispaniis verò quia Ariani has terras invaserant; in tertia Synodo Toletana anno 589. statutum est: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniæ & Galliciæ secundum formam Ecclesiarum Orientalium Concilii Constantinopolitani Symbolum recitetur.* Imitatæ id postmodum sunt sub Carolo M. Gallicanæ quædam Ecclesiæ, & sub Leone III. & Joanne VIII. frequentior Symbolum Constantipolitanum in Missarum solemniis cantandi usus fuit: quando verò particula *filióque* Constantinopolitano addita sit, alibi dicetur. Porrò Martene l. 1. de ant. Eccl. rit. c. 1. a. 11. n. 10. existimat post Concilium Constant. primùm Catechumenis, antequam baptizarentur, traditum esse Symbolum Nicænum sive Constantinopolitanum.

Symbolum Constantinopolitanum.

unius Conditoris adſignarent; ex Symbolo Conſtantinopolitano omnes juſſi ſunt, Deum confiteri *Creatorem cæli & terræ, viſibilium, & inviſibilium.* Negabat Photinus, Chriſto ante B. Virginem ullâ ratione Originem aut exiſtentiam poſſe tribui; ad hoc dogma contundendum, Patres Conſtantinopolitani edixêre, Chriſtum *natum ex Patre ante omnia ſæcula.* Quantùm præterea Apollinaris Sectatorum intererat, verum Chriſto corpus detrahere; tantò amplior & genuina teſtificatio per hoc Symbolum his verbis concepta eſt: *Incarnatus eſt de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, Paſſus & ſepultus eſt.* Non minùs occurrebatur Millenariorum ſomniis; dum de Chriſti regno hæ voces ſubjungebantur: *Et regni ejus non erit finis.* Maximè verò in hoc Concilio contra divinitatis Spiritûs S. hoſtes (quales Macedoniani erant) pugnatum eſt; atque ut in brevem teſſeram vim omnem colligerent, ita Patres profeſſi ſunt: *Credimus in Spiritum S., Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per SS. Prophetas.* Hæreticis demum omnibus ut conſtaret, quibus notis ſe vera Eccleſia à ſpuriis conventibus diſcerneret, *unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam* ſcripsêre. Rebaptizantibus poſtremùm error exemptus eſt, illis verbis: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.*

(n) CC. T. I. apud Harduin. p. 809.

Canones Concili Conſtantinopolitani.

10. Symbolo hunc in modum amplificato tres compoſiti ſunt Canones (n) quorum PRIMUS proſcriptis queiscunque hæreſibus, & præcipuè damnatâ Macedonianorum ſectâ, porro præcipit: fidem non violandam Patrum trecentorum decem, & octo, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt. SECUNDUS Canon tres partes complexus, Majorum Diœceſeon terminos definit, ultra quos Metropolitanis egredi nefas ſit: dein prohibet, ne Epiſcopi non vocati ultra ſuam Diœceſin accedant ad faciendas ordinationes, vel propter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas, quas Canon Provinciæ Synodo tributas voluit; demum novo jure ſtatuit, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat Primatum honoris poſt Romanum Epiſcopum, proptereà quod urbs ipſa ſit nova Roma (* 9). TER-

(* 9.) Canonem tertium Concilii ſecundi Oecumenici de ſecundo Epiſcopi Conſtantinopolitani loco BARONIUS putavit eſſe ſuppoſititium; ſed NATALIS ALEXAN-

TERTIO Canone Maximi in Constantinopolitanam sedem intrusi Episcopi abdicatio probata est. Antequam Synodo exirent Patres, à Theodosio petiêre, id quod actum esset, eâ ratione confirmari, ut ipse Imperator ad protegendam fidem arctiùs adstrictus, Canonum editorum observantiam suis etiam legibus urgeret: neque vota Episcoporum irrita fuêre; nam Theodosius acceptis literis Synodicis legem primò tulit (o), quâ Episcopis iis jubet restitui Ecclesias, qui unius Majestatis atque Virtutis Patrem, & Filium & Spiritum S. sincerè professi, Personarum simul assertionem, & divinitatis Unitatem enuntiant. Inde in Hæreticos Paganos atque Apostatas acerbitatem legum convertens (p) Eunomianis, Arianis & Aëtianis templa ademit, Manichæis, atque iis, qui à vera fide ad Gentilium superstitionem deficerent, testandi facultatem: Paganis verò sacrificia eripuit; demum Encraticos, Saccophoros & Hydroparastatas addixit neci (q).

(o) Cod. Th. l. 3. de fid. Cath.

(p) Ibid. l. 6. de Hæret.

(q) Codic. Theodos. l. 7. de Hæret. & l. 9.

Concilium Aquilejense adversus Palladium Arianum.

II. Duobus mensibus à Constantinopolitano Concilio elapsis, ex Italia triginta tres Episcopi Aquilejam convenêre, ut Palladium & Secundianum Arianos Episcopos ad saniora reducerent. Ambrosius (qui Synodum præcipuè moderabatur) primus Palladio litem intentavit; urgebat autem hominem, ut ejurato Ario filium Deum verum, & à se ipso sapientem profiteretur: Palladius abstrusis vocibus se ad tempus occultans, tandem arctiùs pressus ex sacris paginis objicit Filii divini testimonium, qui Patrem se majorem testaretur (r). Adhæc Ambrosius Pauli verba reposuit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus:* ostendit igitur S. Præsul minorem utique filium secundùm formam servi, non Dei. Palladio cùm effugiendi locus nullus

(r) Ambros. Tom. II. Epp.

XANDER Dissert. 38. ad Sæc. IV. art. 2. apertè contrarium ostendit, quod etiam PAGIUS in Breviario Tom. I. p. 108. ita breviter probat, quia omnes Codices, & Collectiones omnes antiquæ mediæ ætatis, & posteriorum sæculorum illum continent: & præterea Socrates l. 5. c. 8. Sozomenus l. 7. c. 9. & Nicephorus l. 12. c. 13. illum conditum testantur. Neque dici potest, quod Canon tertius secundo adversetur; imò nec ab illo aliquid derogatum est juribus Ecclesiæ Alexandrinæ, ut videre est in Critica Baronii ad a. 381.: sed quidquid sit, patet Canonem illum ab Ecclesia Romana receptum non fuisse, nec disertè probatum ante Innocent. III., qui in Concilio Lateranensi IV. Can. 5. sedem Constantinopolitanam inter Patriarchicas secundo loco numerat, propriámque ei asserit secundam à Romana dignitatem.

nullus esset; ad generale Concilium provocat: sed hâc viâ quoque interclusâ, ad præsentes auditores deferri judicium petit. Conditio etsi iniqua esset, eoquòd Laicorum exspectaret sententiam, cùm magìs de Laicis Sacerdotes debeant judicare; indulsit tamen Ambrosius, ut ab Episcopis condemnatus, auditorum etiam suffragiis notaretur: ab omnibus itaque proscriptus & gradu suo dimotus est (s). Conciliatâ inter Occidentales Episcopos pace, Ambrosio, aliisque bonis inhærebat cura, ut schisma illud, quòd à Meletio & Paulino exortum fuerat, penitus aboleretur. Rogant itaque ab Imperatore Gratiano, ut Alexandriæ fiat conventus Episcoporum, qui integriore judicio malum inveteratum abscindant (t): probavit Gratianus Synodum petitam, sed non locum; neque enim in Ægypto sed Romæ in Italia concilium opportunè celebrandum rescripsit, ut, ubi una est communio, commune existat judicium, concórsque consensus (u). Hæc ubi Ambrosius jubente Gratiano ad Theodosium perscriberet; multa contra Constantinopolitanos Patres, eorúmque acta questus est: scilicet inconsultis Occidentalibus Constantinopoli Synodum coactam fuisse, & hâc finitâ nequidem Orientales (ùt Athanasius, Petrúsque Alexandrinus aliàs consuevissent) ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ & totius Occidentis confugisse judicium: prætereà contra Ecclesiasticum ordinem in defuncti Meletii locum Flavianum non tam subrogatum, quàm superpositum: Gregorium Nazianzenum nequaquam secundum traditionem Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium sibi vindicâsse, & hoc cedente, Nectarium non eo ordine, quo debuisset, electum fuisse.

(s) Idem ep. 9. 10. & 11.

(t) Idem ep. 12.

(u) Idem ep. 13.

Ambrosius Acta in Concilio Constantinopolitano improbat.

A. C. 382. 12. Orientales Episcopi Constantinopolim denuò negotiorum causâ confluxerant, cùm his literis acceptis intellexêre, se Romam vocari ad Synodum: collatis proinde consiliis, Oriente egredi abnuunt, Arianorum infestationes, Ecclesiarúmque discrimina causati (x); mittendos tamen censuerunt, qui formulâ fidei exhibitâ communionem precaturi, insuper rogitarent, ut ab Occidentalibus ordinationes Nectarii & Flaviani comprobarentur. Absentibus igitur Orientalibus Synodus Romæ celebrata est, in quâ pacem redintegratam cum Orientis Episcopis docet Ambrosius (y), ac proinde eorum fidei definitio admissa est, quæ deinceps ubique

(x) Theod. l. 5. c. 8.

Synodus Romana.

(y) Ambros. ep. 54.

que vim legis obtinuit, velut judicium totius Ecclesiæ: & quoniam Orientales de Canone illo, qui secundum honoris gradum Constantinopolitanæ sedi tribuerat, omnino conticuerant; ipsi quoque Occidentales hac de re siluêre (z). De Nectario apertior sermo fuit: sed huic de Episcopatu tricas deinceps movere nemo ausus est; postquàm de Maximi fraudibus patuit. In Flavianum, ut Antiochiæ Præsul esset præter Paulinum, nec Occidentalium quisquam, nec Damasus consensit; unde idem Pontifex non Flaviano, sed Synodicas misit literas Paulino (a), quibus hic acceptis paulò post Romam adiit comitante Epiphanio & Hieronymo jam presbytero (b), nam idem Paulinus duobus antè annis Hieronymum hoc gradu insigniverat eâ lege (c), ut nulli Ecclesiæ alligatus, Monasticam porrò vitam profiteri posset. In urbem ubi deventum est; Paulino cum Papa negotium transigente; Epiphanius tam insigne pietatis exemplum Romanis commonstravit, ut Paula (ad quam vir sanctus diverterat) ascesi ejusdem rapta, se reversuris subinde Epiphanio & Paulino itineris sociam dederit, in Oriente novam virtutum scholam quæsitura. Constitit intereà Hieronymus Romæ jubente Damaso, cui, utì alias absens à consiliis, sic nunc coràm ab Epistolis fuit: hos tamen labores aliis auxit; nam præterquam, quod expositione ac versione scripturarum Ecclesiæ universæ commodaret (d); Romanas matronas ad virginitatis institutum excolere, Luciferianorum schisma consanare, & demum Helvidii hæresin validiùs contundere aggressus est. Monumenta sacrarum paginarum eâ mente is corruperat, ut Deiparæ perpetuam virginitatem impugnaret, effutiens ipsam (postquam Christum ex Spiritu S. concepit, & virgo peperit) alios ex Josepho conjuge procreâsse filios, qui fratres Domini in Evangelio vocarentur. Impietatem hanc Romæ temerè sparsam quò tueretur; alterum errorem addidit, scilicet nuptias virginitati præferendo. Hieronymus hominis deliria primò contemnenda duxit; sed fratrum permotus precibus, tum ex traditione Apostolorum ac Patrum, tum ex Pauli Doctoris gentium epistolis librum concinnavit, qui utrumque aberrantis Hæresiarchæ dogma elideret (e).

(z) Leo ep. 53.

(a) Tom I. CC. p.

S. Hieronymus Romam abit.

(b) Hieron. ep. 96.

(c) Idem ep. 38.

(d) Hieron. Præf. in 4. Ev. & Apolog. adv. Rufin. & Præf. in Psal.

Idem Romæ scribit contra Helvidii hæresin.

(e) Hieron. adv. Helvid.

13. Eodem tempore Ariani in Oriente tumultuabantur; qui id maximè dolebant, quòd à Theodoſio Eccleſiæ eorum ad Catholicos transferrentur. Imperator ſeditionem molliore manu compreſſurus, deliberabat, utrum ſectas diſputationum publicarum methodo ad concordiam revocare conveniret (f)? Nectarius Principem monuit, ut fugeret diſceptationes cum Hæreticis, tanquam contentionum fomites: interrogandos illos eſſe potiùs, num admitterent Doctores illos, atque interpretes ſacrarum ſcripturarum, qui ante diſſidium in Eccleſia floruiſſent; an verò tanquam à Chriſtiana religione alienos eos rejicerent? Nam ſi illos rejiciunt, audeant igitur eos etiam anathemate damnare. Id verò ſi facere auſint, à multitudine vulgi protinus extrudentur; atque hoc facto manifeſta erit veritatis victoria. Quodſi priſcos Doctores minimè repudiabunt; noſtrum erit, libros eorum proferre, quorum teſtimonio ſententia noſtra confirmetur (g). Dictis ejusmodi mitigatus Theodoſius offerri ſibi duntaxat ſingulorum formulas voluit, quibus palàm diſcerptis, unam (quæ Conſubſtantialem Patri Filium confiteretur) integram reliquit. Arianis licèt poſthæc infenſus Imperator, Eunomii tamen Arii peſſimi Sectatoris famâ adhuc movebatur, ut & illum magni faceret, ſimúlque coràm loqui Hæretico deſideraret. Votis intempeſtivis primùm obſtitit Placilla pientiſſima conjux: & quoniam timebat, ne Eunomius arte ſuâ Theodoſio labem affricaret; Epiſcopos, qui tunc Conſtantinopoli morabantur, in Palatium advocat (h). Præ omnibus Amphilochius Iconienſis Antiſtes erga Imperatorem ſummâ officii ſignificatione ſe inclinat; dein ad Arcadium ſex annorum filium, atque ante ſex menſes Auguſti titulo honoratum converſus, eundem pueriliter, atque colludentis more demulcet: Imperator filio injuriam fieri indignatus, Amphilochium foribus expelli jubet. Erat hæc pœna, quâ S. Antiſtes caſtigari cupiebat, ut Theodoſium ab Eunomii æſtimatione avelleret; nam dum exturbabatur, vultum ad Cæſarem retorquens ajebat: pari igitur modo cœleſtem Patrem ſuccenſere iis puta, qui filium ſuum diſpari cultu venerantes, Genitore ſuo minorem appellare non dubitant. Compunctus hoc dicto Imperator, Epiſcopum revocat, petitáque veniâ recepit, ſe Hæreticorum deinceps nullam rationem eſſe habiturum.

14. An-

(f) Socrat. l. 5. c. 10.

Theodoſio Arianos per diſputationes publicas conciliare volenti obſiſtit Nectarius.

(g) Sozom. l. 7. c. 12.

(h) Theod. l. 5. c. 16.

Amphilochius Iconienſis à favore erga Arianos Theodoſium revocat.

14. Annus trecentesimus octogesimus tertius in mensem Augustum jam defluxerat; tum Maximus occiso Principe Gratiano, in Imperium, Gallicanásque Ecclesias summam Tyrannidem exercuit (* 10). Rabiem Parricidæ cùm omnes extimescerent, salutaris tamen aliquâ ratione illa visa est; cùm ferrum, quod in Innocentem Cæsarem strinxerat, jugulis posteà Priscilliani, sociorúmque intentaret. Ithacius Episcopus de his ad Maximum querelas protulerat; quibus permotus Imperator reos ad Synodum Burdegalensem deduci jubet (i): exauthorato illinc Instantio, Priscillianus Episcoporum judicium declinans ad Cæsarem provocat; nihil verò gratiæ fuit, quod Hæresiarcha à sæculari Magistratu impetraret, quin Idacio & Ithacio Episcopis (* 11) accusationem in civili foro urgentibus, Priscillianus cum suis capitali sententiæ subjectus est (* 12).

A.C. 383.

Maximus Tyrannus persequitur Priscillianistas.

(i) Severin. Sulpit. lib. 2. n. 63.

15. Se-

(* 10.) PAGIUS in Critica ad a. 383. n. 5. „Per hæc tempora ait sancta *Ursula* cum sociis Martyrii palma coronata est: sed ejus Historia multa fabulosa continet, nec legitima sunt Acta, quæ à Surio ad diem XXX. Octobris ex Authore Anonymo referuntur, sicut nec, quæ citantur à Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum, quæque in Breviariis plerisque leguntur. HERMANNUS quidem CROMBACH Soc. Jesu, Theologus Tomum integrum *de Ursula vindicata* composuit. Sed quam causam tuendam suscepit, magìs incredibilem reddidit. Licèt enim certissimum sit, *Pontianum* & *Antherum* Pontifices Romanos immediatè sibi successisse; Crombachius tamen *Cyricium* fictitium Pontificem Romanum interserit, qui undecim mille Virgines, relictâ sede, fuerit comitatus, Martyrii (cujus palmam in illarum societate sibi conferendam revelatione divinâ prænoverat) desiderio. „ ita *Pagius*. BUCHERIUS in Belg. Rom. L. XII. c. 5. n. 3. contrà Crombachii sententiam putat esse præferendam, utpote traditione antiquiore nixam: Nos hìc nostrum judicium quidem suspendentes, posteà ad annum 453. de tempore Passionis S. Ursulæ, ac de numero sociarum Martyrum liberiùs & latiùs loquemur.

(* 11.) SEVERUS SULPIT. l. 2. Hist. sacræ minimè approbat, quod Episcopi Idacius, & Ithacius, apud Imperatorem, & sæculares Magistratus Actores fuerint in Priscilliani causa: *Omnes*, inquit, *quos causa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi, plusquam oportuit, certâssent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos, quàm accusatores displicere. Certè Ithacium, nihil pensi, nihil sancti habuisse definio.... hic stultitiæ eò usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios, aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est, eâ tempestate Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palàm objectare Hæresis infamiam. Namque tum Martinus apud Treviros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut à sanguine infelicium abstineret; satis supérque sufficere, ut Episcopali sententiâ Hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur* &c.

(* 12.) IDEM l. c. *Cæterùm*, inquit, *Priscilliano occiso, non solùm non repressa est Hæresis, quæ illo authore proruperat, sed confirmata, & latiùs propagata est; námque* Secta-

A.C. 384. *Mors Damasi Papæ.*

15. Sequenti anno CCCLXXXIV. Reipublicæ Christianæ non minùs acerbum funus dedit octodecim annorum Pontifex Damasus: elegantes ab eodem compositi versus, ædes S. Laurentii picturis, atque suppellectile ex argento ornata, tum aliæ res pro fide gestæ totidem monumenta fuêre, qui tanti viri memoriam posteris transmiserunt. Nulli verò luctuosius fatum Pontificis extitit, quàm S. Hieronymo; qui mortuo Damaso à Romanis urbe abactus est. Monastica vivendi ratio, pluribus invisa, tum reprehensio acris, quâ vir sanctus Clericorum quorundam mulierum domos obeuntium, ac earum hæreditatibus insidiantium luxum, avaritiámque notaverat, procellam hanc in Hieronymi caput provocaverat: perstringebatur enim undique, & convitiis appetitus cùm præsidium non haberet; Bethlehemium in Orientem discessit, pacem ad præsepe Domini graviore in ætate reperturus: persolutis Damaso exequiis SIRICIUS supremæ sedi impositus est. Quàm aptus tanto honoris gradui foret, in prima ad Tarraconensem Episcopum epistola (*13) comprobavit; hujus namque argumento plurimas leges complexus, infantium baptismum præcipit: Apostatis, sacrilegis, intemperantibus Clericis, Monachísque debitas dictat pœnas; ætatem, ac tempora suscipiendorum ordinum definit. Digna proinde hæc Epistola erat, quæ prima ac genuina inter Decretales Romanorum Pontificum censeatur.

Hieronymus redit in Orientem.

A.C. 385. *Siricius Papa.*

§. VI. *Ju-*

Sectatores ejus, qui eum priùs ut sanctum honoraverant, posteà ut Martyrem colere cœperunt. &c. Benè hìc notat NATALIS ALEXANDER in Cap. III. ad Sæc. IV. §. I. p. 68. neminem inde inferre debere, Principes & sæculares Magistratus in Hæreticos pœnâ capitis advertere non posse; nam LEO epist 16. Priscillianistas à Maximo justè punitos fatetur: „ *Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut authorem ejus, ac discipulos plerósque legum publicarum ense prosternerent; videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simúlque divinum jus, humanúmque subverti; si bujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset* „ Episcopi tamen illo tempore ab Accusatorum communione abstinuerunt, quia putabant Ecclesiam cruentas refugere ultiones; & quia sententiam capitis urgeret in sæculari foro mansuetudini adversari censebant.

(* 13.) PETRUS COUSTANT. Tom. I. Epist. Rom. PP. p. 624. *Ex epistolis Decretalibus, quibus Romani Præsules ad diversarum Ecclesiarum consultationes respondent, licèt hæc prima sit, quæ ad nos pervenerit, non est tamen prima, quæ eâ de causa scripta sit. Neque enim Hieronymus in Epistola ad Ageruchiam se in responsionibus* ad Orientis, Occidentísque consultationes *Damasum juvare, nisi hoc anteà receptum fuisset usu, commemorâsset.* PAPEBROCHIUS in conatu Hist. ad Catal. PP. nihilominus hanc Siricii Epistolam ex eo impugnat, quia data dicitur. *III. Idus Februarii Arcadio & Bau-*

tone

§. VI. *Justina Augusta persequitur Ambrosium: hic declinat in causa Ecclesiastica Imperatoris judicium: SS. Gervasii & Protasii inventio: Augustini conversio, ejus Baptismus, S. Monicæ obitus: S. Chrysostomi initia. Cædes Thessalonicensium, Pœnitentia Theodosii publica. Nectarius Constantinopoli deponit Pœnitentiarium. Hæretici Messaliani, Aërius, Jovinianus. Schisma Antiochenum continuatur. Augustinus fit Presbyter, ejus labores contra HH.: controversia de Origenis libris, Joannes Hierosolymitanus Origenistarum fautor: Paganorum ritus à Theodosio proscribuntur.*

1. DEfuncto Gratiano Ethnici ætatem Valentiniani aspernantes, eò protulêre animos; ut aram Victoriæ, velut maximum Idololatriæ trophæum restitui Symmachus unà cum senatoribus gentilibus peteret (a). Quo minùs aliquid juniori Principi, quod religioni nefastum esset, excideret; Ambrosius obstitit, cujus studium in eo omne erat, ut Symmachi relatione confutatâ Imperatorem moneret (b); ne, quod Gratianus frater tot Rescriptis sublatum voluisset, ipse cum fidei Catholicæ probro cuperet redintegratum. Confecto feliciùs hoc certamine difficilior Ambrosio lucta fuit cum Justina Augusta (c): Arii hæresin hæc mater filio Valentiniano ita commendaverat, ut Imperator pro Hæreticorum usu præcipuam Mediolani Ecclesiam per Comites, Tribunósque deposceret; Ambrosius pernegans aliquid ex jure Principis peti, fundos, argentum (quamvis hoc quoque pauperum sit) repræsentat; & si hæc sufficiant minùs; corpus in vulnera & necem offert, dummodo parceretur iis, quæ non Cæsareæ, sed altiori potestati subjecta forent. Postridiè cùm miles Ecclesiæ se circumfunderet; multitudo Catholicorum vim prohibuit, Ambrosio

(a) Ambros. ep. 17.

(b) Idem ep. 18.

Ambrosius Symmacho restitutionem aræ Victoriæ petenti resistit.

(c) Idem ep. 20.

Ambrosii conflictus cum Justina Augusta.

A. C. 386. & 387.

tone VV. CC. Coss.; nam in reliquis ejusdem Pontificis, aliorúmque Episcoporum Epistolis Consules non scribuntur, prætereà eidem Authori suspectus videtur titulus; nam poni debuisset *Arcadio Aug. & Bautone V. Clar. Coss.* Sed PAGIUS in Critica ad a. 385. tanti non faciendas putat hes minutias, ut Epistolam supposititiam censeat. Quid si enim Siricius cœpisset primus signare literas Consulum nominibus? quem morem equidem posteà non adeò multi secuti sunt: Titulus verò à librariis fortè corruptus, cur obstaret Valori epistolæ? certè eam eruditi passim agnoscunt, éstque prima, quæ in antiquis Ecclesiæ latinæ collectionibus legitur. Neque ea in dubium revocanda, cùm sola in Dionysii exigui collectione reperiatur.

ſio intereà precibus contra Jezabelem novam (ita pro concione de Juſtina loquebatur) de cælo ſuppetias flagitante. Tum Auxentius Arianorum Mediolani Epiſcopus ardenti Auguſtæ ſuggerit, ut lege primùm publicâ fidem, olim in Ariminenſi Synodo recitatam, probet; dein Ambroſium ad Imperatoris tribunal evocet, cauſam ſuam peroraturum (d). Quàm temerè Juſtina utrique conſilio conſenſerat; tam facilè iniqua juſſa abnuit ſanctiſſimus Antiſtes: profitebatur enim ſe contemptis illius conventûs decretis, Nicænis dogmatis duntaxat adhærere, in quæ Theodoſius, utì & Galliæ ac Hiſpaniæ populi jurarent. Deinde ad Imperatorem Valentinianum libellum dirigens ſcripſit, alienum à ſuo & Patris Valentiniani inſtituto eſſe, ut in cauſa fidei ac Eccleſiaſtici ordinis Epiſcopus ejus ſiſtatur judicio, qui ſacerdotii munere impar ſit, aut jure diſſimilis: ex more Conſtantini, majorúmque ſe didiciſſe, cùm tractandum eſt, aut conferendum de fide, id in Eccleſia aut Synodo ſedentibus ſacerdotibus inſtitui oportere (*1). Neminem magis hæc Ambroſii Conſtantia pupugit, quàm Auxentium malorum omnium incentorem; quare is vexare cœpit per omnem Italiam Catholicos, in Ambroſii caput comparare inſidias (*2): & his quoque in irritum cadentibus, ſpargere calumnias, quaſi S. Antiſtes Tyrannide ac contumaciâ Majeſtatem, Cæſaris læſiſſet (e): Ambroſius contrà oſtendebat, ab omnibus equidem ſacerdotibus, à ſe tamen tantò longiùs abeſſe debere ferox Tyranni nomen,

(d) Sozom. l. 7. c. 13. Cod. Th. de fid. Cath. l. 4

Ambroſius in cauſa Eccleſiaſtica declinat Imperatoris tribunal.

(e) Ambroſ. ſerm. contra Auxent.

(* 1.) AMBROSIUS Epiſt. 21. aliàs 13. *Nec quiſquam*, inquit, *contumacem judicare me debet, cùm hoc adſeram, quod Auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit: in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis; hæc enim verba reſcripti ſunt: hoc eſt ſacerdotes de ſacerdotibus voluit judicare. Quin etiam ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hæc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere. .. Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei Laicos de Epiſcopo judicâſſe? ... At certè, ſi vel ſcripturarum ſeriem vel vetera tempora retractemus, quis eſt, qui abnuat in cauſa fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?*

(* 2.) PAULINUS in vita Ambroſii n. 12. inſidias, quorundam commemorat; & de Euthymio quidem ait, quod juxta Eccleſiam ſibi domum parârit, ut occaſionem haberet, Ambroſium carpento impoſitum ad exilium perducendi; ſed eâdem die poſt annum Euthymius carpento in exilium ductus eſt. Alius ſicarius cùm elevâſſet manum adverſus Ambroſium, dextera ejus exſerta, in aëre ſuſpenſa obriguit. Haruſpex incantationibus cùm nil proficeret; faſſus eſt, dæmonibus nullas eſſe vires contra virum S. quem inſuperabilis ignis communiret.

nomen, qui suæ legationis objectu Maximum ab Italiæ, ac vel inde ferrum à Valentiniani cervice prohibuisset. Prætereà Episcopum illum obstinationis insimulari non posse, qui Christi hæreditatem à prædecessoribus piissimis acceptam projicere nolit: tributa si exigantur, aut ea, quæ Cæsaris sunt, se Cæsari nunquam negaturum; atque hæc à se non arroganter, sed officiosè dicta tantò minus contumeliæ loco habenda, quantò honorificentius Imperatori est, quod Ecclesiæ filius audiat. Dum certamen in diem magis invalesceret; pax ejus manu data est, unde id minimè sperâsses (f). Nempe Maximus posito Tyrannidis animo, diribitoris sumpsit officium: hoc munere ut rite fungeretur, datis literis ad Valentinianum scribebat, audivisse se ab Imperatore Ecclesiis Catholicis illatam vim, obsideri in Basilicis Sacerdotes, mulctam esse propositam, pœnam capitis adjectam & legem sanctissimam sub nomine nescio cujus legis everti; id quàm grave sit reipublicæ, quámque exitiale fidei à tot Provinciis agnitæ, & à Valentiniano Patre fideliter sustentatæ, à quovis intelligi: nullo proinde obsequii genere se curam suam circa Principis salutem probare posse, quàm si hortetur ut à cœptis desinat. Metus Maximi ubi tempestatem aliquantùm discusserat; Deus prodigia addidit, quibus hæresis omnino confunderetur. Invenerat iisdem diebus Ambrosius corpora SS. Gervasii & Protasii, quæ cùm solenni pompâ ad Basilicam deportarentur; ex sacris reliquiis tanta virtus ad ægrorum incolumitatem emanavit, ut cæcis oculorum usus, Energumenis libertas, ac mortuis vita redderetur (g). Signa ejusmodi, quæ Catholicam fidem illustrabant, multos ad Ecclesiæ aditum deduxêre: alii verò in errorem ita obstinaverant animos, ut quæ à Deo edi prodigia viderant, præstigias dæmonum esse jactitarent. Unus tamen cæteris pertinacior hâc ratione veritati cessit (h): constitutus in Ecclesia viderat, Angelum ad aures disserentis Episcopi loquentem, ita ut quæ verba Ambrosius pro concione diceret, ea ab hoc cælesti nuntio dictata viderentur. Insolita imago Saulum illum ac hostem Catholicorum prostravit penitus: dein à lapsu resurgentem, melioribúsque dogmatis imbutum Paulum fecit, qui fidem, quam disputando impugnaverat, deinceps validiùs tueretur.

(f) Paulin. in vita Ambros. n. 12. & 13.

Maximus Tyrannus Valentinianum ad pacem cum Ambrosio cohortatur.

SS. Gervasii & Protasii inventio.

(g) Ambros. ep. 22.

(h) Paulin. in vit. Ambr. n. 16. & 17.

Ambrosio concionanti Angelus assistere conspicitur.

 2. Tan-

2. Tantæ Converſionis ac eorum, quæ Mediolani tunc agebantur ſpectator & teſtis erat Auguſtinus, dum errorum, carníſque laqueis adhuc arctiùs ligabatur; lux tamen ea aberranti ex iis, quæ vidit, audivítque, affuſa eſt, ut hâc duce, ſe ad Eccleſiæ ſinum, ádque vitæ ſanctioris leges impelli adverteret. Natalem Patriam is habuit Tagaſtam Africæ urbem, ubi à Parentibus Chriſtianis, nec infimi nominis natus eſt, (quippe qui de numero Curialium erant) Patre Patricio, matre Monicâ, ob pietatem ſingularem celeberrimâ (i). Grammaticæ tyrocinium in patria urbe, humaniorum verò diſciplinarum Madauris poſuit: inde Carthaginem ad Rhetoricæ ſtudium miſſus, Patrem amiſit (k); poſt hujus mortem in omnem licentiam effuſus Auguſtinus (l) ab Hortenſio Ciceronis, cùm illum legeret, aliquantùm ſe mutari ſenſit: & quoniam inde cupiditatum æſtum nonnihil infregerat, ex ſacris paginis plura melioris vitæ emolumenta diſcere decrevit; ſed homini à vana eloquentiæ ſpecie decepto nihil placuit, quod Verbum divinum ſimpliciore methodo propoſitum eloquebatur. In Manichæorum igitur conſortia (novitatis ſtudio incitante) abreptus, ea didicit, quæ Auguſtini ſaniora conſilia interruperunt (m): Hæreticorum deliriis imbutus, Grammaticam Tagaſtæ, dein Carthagine Rhetoricam docuit, & inter Cauſidicos in foro aliquamdiu licenter verſatus eſt. Monicam matrem peſſimum inſtitutum filii adeò anxiam habuit; ut Epiſcoporum quendam lachrymis continuis ſollicitaret ad monita filio ſuggerenda; at ſapientior Antiſtes ſementem terræ necdum ſubactæ committendam ratus, mulierem plorantem faceſſere juſſit, id duntaxat inculcans: *Vade à me, ita vivas; fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lachrymarum pereat* (n). Annum ætatis vigeſimum nonum agebat Auguſtinus, quando clam matre Africam deſerens Romam contendit, ibidem eloquentiæ laudem ampliorem captaturus (o): docendo vix annum exegerat, tunc à Manichæis (queis familiariter utebatur) Symmacho urbis Romanæ præfecto commendatus, ad pinguius Mediolanenſis Rhetoricæ Magiſterium transfertur (p). Venientem ubi Ambroſius paterno animo ſuſceperat; Auguſtinus viciſſim Antiſtiti ſuum amorem impendit: concionum ejus aſſiduus auditor argumento, quod tractabatur, contempto, verborum fucum

S. Auguſtini initia.

(i) Poſſidius in vita.

(k) Auguſt. conf. l. 1. c. 11.

(l) Idem conf. l. 3. c. 2. 4. & 5.

(m) Idem l. e. c. 11.

(n) Idem conf. l. 4. c. 2.

Auguſtinus Africam relinquens, Romam abit.

(o) Idem conf. l. 5. c. 8. 9. 10. & 11.

(p) Idem c. 12. & 13.

Transfertur Mediolanum

fucum venabatur, id maximè explorans, utrum Ambrosius famam eloquentiæ, quâ orbem implevisset, reipsâ comprobaret: verùm cum suavi dicendi genere, veritas audientis cor subibat, & Catholica fides jam quidem non victrix, nequaquam tamen Augustino abjicienda videbatur (q). Dum ab insania Manichæorum se nonnihil disjunxerat Augustinus; Monica de errantis salute sollicita Mediolanum venit: útque filium Dei regno vidit propiorem, maternas lachrymas satis fructuosas fuisse benè ominata est (r). Unum quod divinam lucem impediebat, erat Pellicis cujusdam amor, ex qua Adeodatum susceperat; sed hâc subinde in Africam discedente, Monicæ spes erat, ut Augustinus tandem vincula rumperet. Reflagrante nihilominus libidinum æstu, aliis denuò amoribus adhæsisset, nisi tardantem altior veritas fortiùs incitâsset (s): ex animo servitutis pertæso gemitus pœnitudinis indices sæpiùs prorumpebant, quibus ut poneret modum, ad S. Paulum legendum convertitur (t): verùm Animalis homo cùm non perciperet admodum ea, quæ sunt Spiritûs; Simplicianum Presbyterum adit (u). Hic hominem ad demissionem sapientibus absconditam cohortatus, proposito Victorini conversi exemplo languentem urget; sed perversâ suâ voluntate ligatus tenebatur Augustinus, nec tamen erat, quod responderet veritate convictus, nisi verba lenta & somnolenta; *modo, sine paululum.* Cunctanti subinde novos addidit stimulos Pontianus Afer; Augustinum namque & Alypium ejus socium invisens, multa de S. Antonio, de Ægypti monachis, ac de iis, qui subitò ex carnis cœno ad summam corporis integritatem emersissent, commemorabat (x); quibus compunctus Augustinus, & abeunte Pontiano in Alypium procumbens, exclamat: *Quid patimur? quid audisti? surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, Ecce ubi volutamur in carne & sanguine? An quia præcesserunt pudet sequi, & pudet saltem non sequi?* Hæc prolocutus cum Alypio in hortum se proripit (y); deinde à comite se longiùs disjungens, æstuantem animum his vocibus laxabat: *Quamdiu? Quamdiu? cras & cras? quare non modo? quare non in hac hora finis turpitudinis meæ?* ardentia ejusmodi vota vox de cælo allapsa interrupit: *Tolle lege, tolle lege.* Arrepto igitur codice, in locum Apostoli oculos conjicit: *Non in commessationibus*

(q) Idem c. 14.

(r) August. conf. l. 6. c. 1.

(s) Idem c. 6. 7. & 10.

(t) Idem conf. lib. 7. c. 22.

(u) Idem conf. l. 8. c. 1. 2. & 5. *Augustini conversio.*

(x) Idem l. c. c. 6. 7. & 8.

(y) Idem c. 11. 12.

nibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis .... sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam, ne feceritis in concupiscentiis (z). Obstupit tum audientis, tum legentis animus: & spiritu divino caliginem abstergente, veritati tandem cessit. Fidem meliorem amplexus, è scholis publicis in villam Cassiacam cum suis se (a) abscondebat, ubi præter commentationes alias Soliloquia composuit (b): inde Mediolanum redux & Catechumenorum ordini adscriptus (c), expleto biennio, anno ætatis tricesimo tertio unà cum Alypio & filio Adeodato (aquas sacras affundente Ambrosio) baptismum suscepit (†). Mutationem dexteræ excelsi nemo lætior aspexit, quàm Monica mater pientissima, cui nunc demum lachrymarum fructum percipere, non tamen diu frui in terris licuit; nam comite Augustino in Africam remeatura ad ostia Tiberina febri corripitur, quâ post novem dies ad extrema deducta (d), circumstantes rogat, ut ad *Domini altare sui* meminerint. Corpus defunctæ inter cantica elatum est, & *cùm pro ea offerretur sacrificium pretii nostri;* tum juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, Augustinus fontem lachrymarum resorbebat, quas tamen posteà copiosiùs effundens, non tantùm ipse apud Deum pro peccatis matris suæ deprecabatur; sed & quoscunque *hortatus est, ut meminerint ad altare Dei Monicæ famulæ cum Patricio quondam ejus conjuge.*

(z) Rom. c. 13.
(a) August. conf. l. 9. c. 3.
(b) L. 1. Retract. c. 2. 3. 4.
(c) August. conf. l. 9. c. 5.
(†) REFLEXIO X.
A.C. 389.
Mors S. Monicæ.
(d) August. conf. l. 9. c. 8. 10. 11. 12. & 13.
Sacrificium & oratio pro mortuis.

3. Dum Ecclesiæ universæ bono Augustinus renascebatur; intra paucorum annorum spatium duo maximi Patres denati sunt, nimirum Cyrillus Hierosolymitanus, & Gregorius Nazianzenus, ille à Catechesibus, quas scripsit, percelebris (e); hic verò à certaminibus contra Arii Sectatores, à pacis studio ac Ascesi non minùs commendatus (f). Sed utì post occasum quorundam syderum, alia oriuntur, lucémque suam orbi inferunt; ita decedentibus è vitâ viris tam illustribus, alius Orientali Ecclesiæ à Deo datus est, qui eandem virtutum, ac doctrinæ splendore excoleret. Erat is Joannes Chrysostomus hoc nomine ob insignem, quâ pollebat, facundiam compellatus: anno CCCLIV. primò lucem orbis aspexit, Antiochiæ ad Orontem fluvium utroque nobilis prosapiæ parente genitus (g). Positis primæ adolescentiæ rudimentis,

Mors Cyrilli Hierosolym. & Gregorii Naz.
(e) Hieron. de script.
(f) Pagi in Crit. ad an. 389.
S. Chrysostomi Primordia.
(g) Socrat. l. 6. c. 3. Palladius in V. Chrysost.

tis, Libanium in Rhetorica & Andragathium in Philosophia (h) in Theologicis verò studiis Carterium & Diodorum, tum maximè Meletium Antiochenum Antistites Magistros habuit; ab hoc postremo Lector Antiochenæ Ecclesiæ ordinatus (i), ne altioribus gradibus initiaretur, in solitudinem profugit: illinc Monasticâ ascesi per biennium excultus circa annum CCCLXXXI. Antiochiam revertitur, tunc à Meletio Diaconibus adnumeratus libros adversus Judæos, Gentiles, Anomœos, & volumina de Sacerdotio, de Providentia ad Stagirium Monachum edidit (k). Exacto inde quinquennio Flavianus Meletii successor anno CCCLXXXVI. Presbyterii ordinem Joanni contulit, quo insignitus pro concione dicere cœpit: nunquam magis Oratoris hujus sacri facundia opportunior fuit, quàm cùm anno CCCLXXXVIII. Antiochia ob dejectas Imperatoris Theodosii statuas seditione flagraret (l): urbem enim tunc, tumultu, strepitu, querelis, ac gemitibus refertam quotidianis Homiliis & sermonibus seu composuit seu erexit. His laboribus alios per sequentes duodecim annos adjecit, dum circa annum CCCXCVII. mortuo Nectario Constantinopolitano Episcopo ab Arcadio Imperatore regiæ urbis Antistes designaretur.

(h) Isidor. Pelusiot ep. 2.

(i) Chrysost. l. 1. de Sacerd. c. 1.

(k) Pallad. in vit. Chrysost. de Provid. l. 1. c. 1.

A. C. 388.

(l) Sozom. l. 7. c. 23.

4. Antequàm verò Chrysostomus hoc gradu potiretur, Ambrosius exempla magna fidei, pietatis & fortitudinis exempla dedit, quibus futuri deinceps Episcopi erudirentur, quâ ratione dignè munus suum obire possent. Jactaverat virus suum hoc tempore per omnes Italiæ agros Jovinianus, quem S. Hieronymus Christianorum Epicurum dixit (m): is postquàm Mediolanensi ex Monasterio circa annum CCCXCII. eruperat; mollem, voluptatísque sectatricem vitam cum Monachi nomine conjunxit. Quò ad simile institutum sanctimoniales, Monachósque cæteros pertraheret; non tantùm Virginitatem æquabat nuptiis, sed & Deiparæ Virgineos honores abnegans, simul exempla Angelicæ integritatis ac prærogativæ ex hominum animis ereptum ibat: dein frena carni & malitiæ hominum laxaturus, abstinentiam ciborum, ac jejunia contempsit; atque eos, qui plenâ fide in baptismo renati forent, à diabolo minimè subvertendos asseruit. Non stetit intra hos limites Hæresiarchæ impietas, sed eò prolapsa est,

Joviniani hæresis.

(m) Hieron. adv. Jovin. lib. 1. & 2.

ut

ut peccata omnia paria esse diceret, Baptizatis autem unam in cælis remunerationem, æqualémque gloriam tribui somniaret (n); quo duplici dogmate sceleratis peccandi pudorem minuere, & Piorum in conquirendis meritis negligentiam augere conabatur. Siricius Pontifex ubi hanc animorum pestem grassari per Italiam viderat; convocato Romæ Concilio hæresis infandæ authorem damnat, postea Ambrosium literis monet (o), ut Mediolanensem Ecclesiam ab hac lue salvam tueretur. S. Antistes Papæ judicio obsecutus illico cogit Synodum, proscriptóque Joviniano prospicit, ne quâ parte consistere, aut irrepere stygia ejusmodi dogmata valerent. Quemadmodum verò Ambrosius gregis sui, sic quoque aliarum Ecclesiarum curam gessit: nuntiatum Theodosio fuerat, Monachos Valentinianorum Hæreticorum fano injecisse faces (p), & recentiùs in Callinico Castro Osdroënæ (Authore Episcopo) Judæorum Synagogam abiisse in flammas. Imperator seditiosas has molitiones esse ratus, rescribit, ut de Monachis exigantur pœnæ; tum ut Episcopus ad Synagogam restaurandam compellatur. Ambrosius Imperatoris decreto obluctatus, libellum supplicem interponit, quo commonstrabat, nefas fore, si impiorum hominum ergò Christianus Princeps in Christianos sæviat; multas per Judæorum vim destructas orthodoxorum Basilicas, quin gens superstitiosa aliquid reddiderit; demum à piaculo non abfuturum, si Præsul ædificandæ Synagogæ, aut superstitionis Judaicæ potiùs trophæo erigendo sacratas manus, sumptúsque afferre debeat: fore igitur, ut Princeps consentientem Rescripto Episcopum prævaricatorem faciat; aut Martyrem, si Magistratuum vi obnitatur, quod utrumque, quàm alienum sit à temporibus piissimi Cæsaris, nemo non perspiceret. Theodosius cùm precibus his vix locum relinqueret; Ambrosius Imperatorem in aditu Ecclesiæ adortus, vota sua repetit, nec antè se sacris operaturum pronuntiabat, dum Christianis veniam Princeps condixisset (q): pollicenti tandem remissionem Theodosio Ambrosius Ecclesiam patefecit, in qua ei sacra ad aram obsequia gratus sæpe retribuit eâ tamen lege, ut nunquam de ordine Ecclesiastico à præsente tanti Cæsaris Majestate aliquid immutari pateretur. Assistentem aliquando propiùs altari Augustum S. Antistes interrogari fecit, ut quid intra cancellos

(n) August. de hær. c. 82.

(o) Ambros. ep. 42. aliàs 7.

Jovinianus damnatus à Siricio & Ambrosio.

(p) Ambros. ep. 40.

Ambrosius mitigat iram Theodosii.

(q) Ambros. ep. 41. aliàs 17.

cellos conſtitutus Imperator vellet (r)? cúmque Theodoſius reſpondiſſet, præſtolari ſe ſacrorum Myſteriorum perceptionem; hæc per Archidiaconum Cæſari renuntiari jubet: interiora loca, ſolis patere ſacerdotibus, abſcederet igitur & unà cum aliis conſiſteret; *nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.* Monitis adeò non indignabatur Princeps, ut etiam pro erroris correctione grates referens, hâc inſuper demiſſione factum purgaret, quòd ex more Conſtantinopoli recepto propiùs altari pedem admoviſſet. Utriusque tum Theodoſii, tum Ambroſii virtus poſtquam iſtâ ratione illuxiſſet; ſubinde occaſio data eſt, ubi eorundem & pietas & fortitudo inſolita totius orbis oculos in ſe raperent.

(r) Theod. l. 5. c. 18. Sozom. l. 7. c. 23.

S. Ambroſii fortitudo in tuendo more Eccleſiaſtico.

A. C. 390.

5. Buthericus per Illyricum militiæ Magiſter aurigam infamis criminis reum ad carcerem abſtraxerat: is quoniam ad ludos equeſtres (qui eo tempore edebantur) aptior videbatur; populus depopoſcit, ut hominis captivi cuſtodia laxaretur (s). Nihil cùm precibus daretur; in ſeditionem coorta plebs Magiſtratus cæteros ac Buthericum interficit. Excanduit ad facinoris nuncium Theodoſius eum in modum, ut ſuprema urbi Theſſalonicenſi decerneret; placatus tamen ab Ambroſio & aliis Epiſcopis Mediolani tunc agentibus impetum repreſſit: ſed inſtantibus Comitibus & Palatinis (quin Antiſtites id reſcirent) civitas internecioni addicta eſt. Atque ut lanienam pauci evaderent, populus ad ludorum Circenſium ſpectaculum invitatur: vix in certaminum ludicra cives, ac peregrini oculos arrexerant; tum ſubitò ſpectatoribus circumfuſus miles obvium quemque obtruncat: in nocentes, innocentésque pari furore in horam tertiam usque ſævitum eſt, dum ſeptem hominum millia profuſo ſanguine trucidantium rabiem reſtinxiſſent. Lachrymas non tenuit Ambroſius, quando de cruenta clade cognovit (t); repreſſo tamen dolore ad Theodoſium tunc Mediolano profectum ſcribit literas, quibus ab Imperatore publicam pœnitentiam exigebat (u): paucos poſt dies ubi Auguſtus Mediolanum rediiſſet, jámque ex more ſuo Eccleſiam ingredi pararet, obviàm proceſſit extra veſtibulum Ambroſius (x), & à ſacri liminis aditu eundem ſubmovens, facinoris commiſſi magnitudinem inde deducebat, quod cùm ejusdem naturæ homini-

(s) Sozom. l. 7. c. 25. Theodoret. l. 5. c. 17.

Cædes Theſſalonicenſium.

A. C. 390.

(t) Paulin. in v. Ambr.

(u) Ambroſ. ep. 51.

(x) Theod. l. 5. c. 18. Paulinus in V.

 bus

bus ac Dei conservis imperaret, in hos tantâ carnificinâ sæviisset: non esse igitur, ut jam oculis templum clementissimi & communis Domini aspicere, aut sacrosanctum Christi corpus manibus cruentis apprehendere, vel pretiosum sanguinem ori admovere sustineat, quo verbum furoris adversus tot hominum salutem & sanguinem effudisset. Imperator cùm adhæc paucis reponeret, & Davidem adulterium & homicidium perpetrâsse; retulit Ambrosius: qui *secutus es errantem, sequere corrigentem.* His verbis demum obsecutus Princeps labentes inter lachrymas in palatium revertitur. Post octo menses Salvatoris diem natalem Mediolanenses celebrabant; tum enimverò acriùs Imperatoris animum urgebat, quod cùm servis ac mendicis Dei pateret Ecclesia, sibi non tam sacrorum, quàm cæli fores occlusæ forent. Rufinus officiorum Magister solaturus Principem, suam spondet operam, quâ brevì Ambrosium ad solvenda vincula compellendum pollicebatur: præeuntem igitur sequebatur Imperator, sed postquàm Ambrosius Rufini preces minásque rejecerat; Theodosius facilè credidit, fortissimi Antistitis institutum esse, ut, nisi vivus Ecclesiam occludere posset, saltem mortuus cadavere suo, (siquidem vis inferatur) aditum esset retardaturus. Abjecto proinde omni noxio pudore, è foro (nam illuc Augustus jam pervenerat) ultro ad Ambrosium Pœnitentiæ suscipiendæ causâ progreditur. S. Antistiti quia Theodosii mens integra constabat, mitiore & tanto Principi conveniente modo præscribere placuit (y), ut quamprimùm lex palàm proponeretur, quâ triginta dierum spatio pendere jubeantur sententiæ scriptæ de cæde ac proscriptione bonorum, quod interjecti temporis spatium Imperatoris iram leniat, aut intereà locus clementiæ relinquatur. Hâc sanctione vulgatâ vinculis absolutus Imperator templum, pœnitentiúmque ordinem subiit, ubi non stans, non genibus flexus, sed deposito cultu Imperiali (z), illo brevi temporis intervallo, quod ipsi ad pœnitentiam præstitutum fuerat, & pronus humi jacens, Davidis hanc vocem emisit: *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum*, manibúsque comam vellens, frontémque percutiens, & lachrymarum manantibus guttis solum rigans, veniam sibi dari poscebat. Quódque privati erubescunt, non erubuit Im-

Fortitudo & zelus Ambrosii.

Pœnitentia publica Theodosii Imperatoris.

(y) Sozom. l. 7. c. 25. Theodoret. l. c.

(z) Ambrosius de obitu Theodosii.

Imperator, publicè agere pœnitentiam; neque ullus poſteà dies fuit, quo non illum doleret errorem.

6. Quantum virtutis odorem Theodoſii pœnitentis exemplum ſparſerat per Occidentis Provincias; tantum infamiæ, dedecoríſque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eodem tempore conſcivit Diaconi cujusdam facinus (a): nefandam is rem habuerat cum muliere, quæ inter Diaconiſſas non ignobilem locum ſortiebatur. Criminis conſcientiâ ſtimulata fœmina Presbytero Pœnitentiario vulnus inteſtinum exomologeſi ſolitâ aperit; dein per pœnitentiam publicam ſceleris gravitatem expiatura ſive ſpontè ſuâ, ſive ex ejusdem Presbyteri conſilio, id, quod nequiùs à ſe cum Diacono geſtum fuerat, palàm omnibus audientibus confitetur. Accuſationem ejusmodi populus indigniſſimè ferens, labem Eccleſiæ illatam ulciſci ſtatuit: Diaconus proinde ejicitur, & in cæteros Clericos reprehenſionum non minima pars defluxit. Eudæmon Presbyter, quò offenſionem civium deinceps averteret; Nectario Epiſcopo author erat, ut Presbyterum ſaltem Pœnitentiarium deponeret (*3): & multis perſuaſum eſt, eodem tempore Theodoſium honeſtati ac exiſtimationi Eccleſiarum illâ lege proſpicere voluiſſe, quâ cavebat, ne mulieres ad ſacrum miniſterium ad-

(a) Socrat. l. 5. c. 19.

Occaſio, in qua Pœnitentiarius publicus Conſtantinopoli depoſitus eſt.

(* 3.) Negant aliqui totam hanc Hiſtoriam, eoquòd putent Socratem Novatianum amore ſuæ Sectæ fabulatum fuiſſe. Alii tamen factum non diffitentur, nec abnuunt, abrogatum tunc eſſe Presbyterum illum Pœnitentiarium, qui ſcilicet ex commiſſione Epiſcopi imponendæ duntaxat publicæ Pœnitentiæ habebat poteſtatem; nam Socrates riſum orbis tuliſſet, ſi fictam omnino narrationem iis hominibus voluiſſet venditare, qui eo tempore (cùm Socrates ſcriberet) adhuc vivebant; & facto, quod ille adducit, interfuerant. A fraude tamen omni nequaquam abſolvendus eſt Socrates, dum veris falſa admiſcuit; poſtquàm enim expunctum Pœnitentiarium prædictum eſſe dixerat, ſubjungit, Eudæmonem Nectario authorem fuiſſe; „*ut unumquemque pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſineret accedere, neque aliter fieri poſſe, ut Eccleſia ab omni probro libera eſſet.* Hìc enimverò Socrates in omnibus verborum apicibus ſe verſipellem Novatianum oſtendit, cujus ſectæ malignum inſtitutum erat, ut pœnitentiam injunctam relaxaret nunquam, ſed gravium criminum reos ſuæ conſcientiæ, divinóque judicio permitteret. Quare Socrati, ut doloſè inſinuaret omnes Eccleſias ad Novatianorum ſententiam tranſiiſſe, hæc non ſine mendacio addere placuit. Cæterùm maximè illi decipiuntur, qui dum Presbyterum Pœnitentiarium depoſitum à Nectario legunt, falsò exiſtimant, Confeſſionem ſimul tunc Sacramentalem abrogatam fuiſſe. Non enim Presbyter ideò depoſitus eſt, quod confeſſionem privatam mulieris exceperit, ſed quod in ſatisfactionem peccatorum, eandem inconſultè ad hoc fortè impulerit, ut peccata, quorum evulgatio dein offendit totam Eccleſiam, palàm confiteretur. Nectarius itaque Presbyterum, cujus imprudentiâ id eveniſſet, ſemovendum ab officio voluit; quin tamen

mitterentur, nisi Sexagesimum ætatis annum implevissent, útque fœminæ, quæ comam totondissent, ab Ecclesia arcerentur (b). Præterea Imperator aliâ lege præcepit, ut qui Monasticam profitentur vitam, relictis urbibus ad solitudines pro instituto suo remearent.

(b) Sozom. l. 7. c. 16.

A.C. 391. 7. Circa annum CCCXCI. Theodosius ex Italia, ubi per triennium constiterat Constantinopolim rediit; novum hìc bellum molitus est contra Gentilium delubra; quibus ruentibus, dæmonum invidia nova hæreseon monstra excogitavit ad Ecclesiæ pacem conturbandam. Messaliani enim (quamvis sub Constantio jam delirare cœperint) hoc tempore per Syriam, Pamphyliámque præcipuè grassabantur. Repudiato baptismo manuum laborem, jejuniáque respuebant, orationi duntaxat suæ confisi (c), unde *Euchitarum*, seu precantium nomen obtinuerunt: his somniis, quia turpissimos mores jungebant, multâ arte impietas ex reconditis eorum animis tandem detecta est & profligata. Alter, qui lucem Ecclesiæ suis tenebris obfuscare adnitebatur, *Aërius* fuit, Eustathii Sebastiæ Episcopi Sodalis (d); Arii dogmatis hos errores is adjicere conabatur, quod Presbyteros Episcopis æquandos putaret, quódque orationes pro defunctis, ac stata Ecclesiæ jejunia, ac celebrationem paschatis exploderet: quantumcúnque ad Christi ovile fauces attolleret lupus rapax; tantùm tamen cladis non attulit, quantum à Schismate Antiocheno, quod in diem augebatur, profectum est. Decedente è vivis Paulino, Flavianus sperabat, sibi tandem totius Ecclesiæ Antiochenæ fasces demandandos: sed cùm idem Paulinus morti propior Evagrium successorem nominâsset, & Catholicorum complures Flavianum ægrè ferrent (e); jubente Capuanâ Synodo, Theophilo Alexandrino ac Ægypti Episcopis (utpote neutrius partis Patronis) sententia relicta est. Flavianus felicem eventum rei haud ominatus, conven-

Messaliani Hæretici.

(c) Epiph. hær. 80. Theodoret. l. 4. c. 11.

Hæresis Aërii.

(d) Epiph. hær. 75.

(e) Theod. l. 5. c. 23.

Pœnitentiam etiam publicam abrogatam vellet: sed uti anteà Episcopi hoc munere fungebantur, ut dictarent pro ratione Personarum, aut temporis publicam pœnitentiam; sic ille quoque utpote Episcopus Constantinopolitanus, abdicato Presbyteri adjutorio, hoc idem officium solus posteà obiret. Nam Pœnitentiam non tantùm sacramentalem, quæ divini juris est, nec ab Episcopo eliminari potest, sed & publicam in posteris sæculis post Nectarium mansisse, sequens decursus Historiæ docebit.

ventum Patrum primò detrectat; dein ad Papæ Syricii forum vocatus nedum quidem comparuit, quare agente Pontifice Theodosium adire compellitur. Cæsari liberè coràm respondit: se nec judicibus, nec sententiæ eorum adversaturum, si fortè habeant, ex quo fidem suam aut vitam sacerdotio indignam invenerint: ac nequidem de Cathedra sibi porrò litem fore, si haud iniquum videatur, ad eos, qui sedem ambiunt, prærogativam potiùs transferre. Hanc Flaviani Constantiam admiratus Imperator, in Patriam redire, commissamque sibi Ecclesiam regere eum jussit. Post breve tempus ubi Evagrius æmulus è vitâ, ac sede excessisset; Flavio annitente successorem huic dare non licuit: concordiæ igitur spes propior tunc ostensa, non tamen impleta est; nam qui ab Evagrio steterant, Flaviani communionem aspernati, tamdiu privatos conventus agitabant, dum sub annum CCCCXV. pax omnino coalesceret.

Schisma Antiochenum morte Paulini non extinguitur.

8. Intereà Imperium, Ecclesiámque universam mors inopina Valentiniani conterruit: fatum quia insidiis ac crudelitate Eugenii Tyranni paratum fuerat; omnium & maximè Ambrosii lachrymas ad miserationem: Theodosii autem arma ad ultionem provocabat. Hæc antequàm pius Imperator in Parricidam stringeret; stabilire religionem Legibus (f), ad Lipsanothecas Sanctorum opem deposcere, in curis habuit.

A. C. 392. *Theodosius bellum parat contra Eugenium Valentiniani Parricidam.*

(f) L. 1. Cod. Th. l. 15. August. ep. 268.

9. Quo verò tempore acuebat ferrum Theodosius; Augustinus in Africa confirmatus jam Christi miles contra Manichæos ac Donatistarum Duces depugnabat. Ab obitu matris Monicæ duos ille annos Romæ transegerat (g), ubi pius Neophytus jactantiæ Manichæorum, quâ se Orthodoxis præferebant, indignatus duos libros edidit unum de moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterum de institutis Manichæorum. His postquàm dialogum addidisset de quantitate animæ; opus quoque illud inchoavit de libero arbitrio, quod etsi contra Manichæos scripserit, hæresin tamen Palagianam hoc volumine ita impugnavit, ut antequam exoriretur, jam videretur profligata. Carthaginem ex Italia trajiciens magna ibidem vidit prodigia, quibus ad majus virtutis studium eruditus, Thagastam abiit cum popularibus aliquot & amicis

A. C. 387. & 388.

(g) L. 1. Retract. c. 7.

Augustini vita in Africa.

Alypio, & Evodio communem, piámque vitam peracturus (*4).
A. C. 389. & 390. Tres anni labebantur, dum in Thagaſtenſi ſolitudine die ac noĉte in lege Domini meditatus eſt; unde ea egit, ſcripſítque, quæ ad ſacrarum ſcripturarum expoſitionem, ac veræ Religionis agnitionem multùm lucis attulerunt. Tertio inſtituti ſui, ac vitæ ſocialis anno ſeu zeli, ſeu negotii alterius causâ Auguſtinus Hipponem regium venit, ubi eodem tempore Valerius Epiſcopus de
Auguſtinus fit Presbyter. ordinando Presbytero populum Dei alloquebatur; qui literis magìs (ac ipſe erat) inſtructus fideles ſalutari doctrinâ paſceret.
A. C. 391. Nemo omnium præ præſenti tunc Auguſtino dignior, aptiórque huic muneri viſus eſt, quare reluctanti nequicquam hoſpiti Valerius manus imponit: creatus jam Presbyter gratiæ loco id ſaltem ab Epiſcopo ſibi exorabat, ne ab inſtituto ſuo, cujus implen-
(h) Poſſid. in vita Aug. c. 4. & 5. di deſiderio dudum incitabatur (h), abſtinere cogeretur; ſed ut compares ſuos ac boni propoſiti fratres, qui venditis omnibus paupertatem profeſſi ad exemplum Auguſtini de communi viverent, colligere liceret. Valerius votis Auguſtini ſatisfacturus, ei hortum concedit, in quo mox ædificato Monaſterio cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub SS. Apoſtolis conſtitutam: maximè ut nemo quidquam proprium in illa
(i) Poſſid. in vit. S. Auguſt. c. 5. Societate haberet, ſed eis omnia eſſent communia (i): & diſtribueretur unicuique ſicut opus erat; quod jam ipſe prior fecerat, cùm

(* 4.) HAGIOGRAPHI ANTVERPIENSES Tom. VI. Auguſti ad diem 28. §. 14. n. 187. hìc notant: „*Ex hoc ſociali, pioque vivendi genere, Eremitæ Auguſtiniani deducunt Monaſticam S. Auguſtini Profeſſionem, & ad eam plerique referunt ordinis ſui primordia, quamvis aliqui ex iis velint, iſtud vitæ inſtitutum, & conſequenter Originem Eremitici ſui ordinis in Villa Verecundi, vel in ipſo ſancti Baptiſmo cœpiſſe, ſicut ex Monaſtico Auguſtiniano Nicolai Cruſenii, aliiſque eorum libris patet. Sed huic opinioni contradicunt Canonici regulares, & variis argumentis oſtendere nituntur,* S. AUGUSTINUM *nullo unquam tempore Monachum fuiſſe. Interim Eremitæ Auguſtiniani contendunt, hunc Monachatum ex ipſo S. Doctoris teſtimonio certum eſſe, & eundem confidenter ac ſtrenuè propugnant. Hæc quæſtio circa finem ſæculi decimi quinti tam acriter agitata fuit, ut anno Chriſti* 1484. *Sixtus IV. Pontifex utrique parti ſilentium indixerit.* „ n. 188. Iidem Bollandiſtæ Bullam recitant, quâ exhibitâ n. 193. monitum Gandolfi Eremitæ Auguſtiniani ſubjungunt, quod ita habet: ſciendum inſuper eſt, Innocent. VIII. vivæ vocis oraculo, Riario Cardinali Camerario facto, declarâſſe decretum Sixti IV. ut in Bullario ordinis p. 324. ſequentibus verbis: „*Poſſint publicè & privatè reſpondere & ſe defendere in judicio & extra judicium, & quod libri ac tractatus per eoſdem fratres ordinis Eremitarum & pro earum parte & defenſione contra eoſdem Canonicos regulares.* „ Similis aut eadem facultas poſtmodum conceſſa eſt Canonicis regularibus teſte PENNOTO in Præfatione ſua ad Hiſt. Tripart. Vide etiam dicta à nobis in Diſſert. II. de Hierarchia Regulari.

cùm de transmarinis ad sua remeâsset (k). Præter disciplinam Monasterii negotia Diœcesis ab hoc tempore curabat Augustinus; & quoniam Valerius latinæ linguæ ferè expers ad instituendas coram populo conciones minùs aptus erat; Presbytero ab eloquentia celebri hoc quoque officium demandatum est: his occupationibus adjungebat varias commentationes adversus Manichæos, quorum Ducem Fortunatum feliciore certamine superavit. In angustias redactus veternosus Hæreticus cùm nihil haberet ampliùs, quod reponeret; pollicebatur se cum suis consulturum, salutíque suæ provisurum: verùm rubore coopertus Hipponem continuò deseruit, ne ignominiæ suæ in eadem urbe porrò cogeretur meminisse. Intereà Aurelius in Cathedram Carthaginensem Genethio successerat: qui ubi Augustini consilium, precésque expeteret; hic redditis literis illud præcipuè monuit, ut commodaret manum Afrorum superstitioni abrogandæ, quâ in Cœmeteriis ac templis vinolenta convivia celebrantes, Martyrum festa abominandis ejusmodi ritibus profanarent (*5). Aurelius (quemadmodum suaserat Augustinus) anno CCCXCIII. Hippone plenarium totius Africæ concilium cogit, in quo statutum est; ut nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant. Populi etiam ab hujusmodi epulis, quantum fieri potest, prohibeantur. His peractis Augustinus ad imminuendam Donatistarum multitudinem se con-

(k) Idem l. c.

A.C. 392.

Disputatio Augustini cum Fortunato Hæretico.

Synodus Hipponensis.

A.C. 393.

A.C. 394.

(* 5.) SCHELSTRATE Dissert. II. Africanæ Ecclesiæ c. 3. ait: „In memoriis Martyrum epula speciali consuetudine apud Afros fiebant; nam Augustinus l. 6. Confess. c. 2. de matre sua Monica Mediolani secum demorante testatur: *Cum itaque ad memorias SS., sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum attulisset,* addit id fieri consuevisse, ut partim sumeret, partim aliis largiretur. Erat iste usus ex antiquo Agaparum more à temporibus Apostolorum introducto, de quo etiam JUDAS Apost. c. 1. & TERTULLIANUS in Apologet. c 39. Cæterùm quia Ambrosius id in sua Ecclesia prohibuerat; Monica quoque ab Ostiario illud Mediolani facere prohibita est. In Africa quoniam iste mos adhuc per tempus vigebat; Faustus Manichæus objecit (utì legere est apud Augustinum l. 20. contra Faustum c. 21.) *Nos vertisse idola in Martyres, quos votis, inquit, similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis & dapibus.* Secundò instabat, Agapas Christianorum similes fuisse sacrificiis mortuorum: Augustinus quidem ex eo hominem confutabat, quod *Agapæ pauperes pascant, sive frugibus sive carnibus ... & quoniam in Agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis mortuorum .. .. qui autem se in memoriis Martyrum inebriant, quomodo à nobis approbari possunt, cum eos etiam, si domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet;* ob multa nihilominus incommoda & scandala, quæ in Canone 60. Codicis Africani leguntur, Augustinus ad exemplum Ambrosii curavit, ut hæc quoque in Africa abrogarentur.

convertit: quadringenti enim cùm numerarentur per Africam hujus Sectæ Episcopi; hæresis Originem, vitiáque plebi modo vulgari exposuit: altiùs contendere nervum necesse non erat, eo quòd Donatistæ in varias posteà factiones divisi, sibi ipsis deinceps bellum acre intentârint.

Controversia de Origenis libris.

10. Dum contra varii generis Hæreticos in Africa sudabat Augustinus; in Orientali Ecclesia controversia de Origenis libris enata est, quæ multorum Patrum subinde operam, calamósque fatigavit. Multa ex Origenis dogmatis jam damnaverat Demetrius Alexandrinus (l): nec ipse author inficiatus est, se quandoque longiùs, ac fas esset, fuisse provectum. Et posteà Eustathius Antiochenus Episcopus eundem Origenem oppugnare cœpit, cui assensus est Pachomius, qui circa annum CCCXCIII. morti proximus Monachis suis lectione librorum Origenis interdixit. Non defuêre tamen intereà, qui ejusdem scriptoris sensa mitiùs exponerent, aut approbarent; & Eusebius Cæsareensis quidem in Origene laudando totus fuit: Didymus ejusdem dogmata palàm Rufino, Evagrio, aliísque Nitriæ Monachis explicavit. Basilius & Gregorius Nazianzenus ex Origenis operibus selectiora in unum volumen (*Philocalia* dictum) congessêre. Hilarius & Ambrosius non minùs Origenis libris usi sunt: Monachis verò Origenis volumina incautiùs legere fatale fuit; deprehensum quippe est, errores non paucos legentibus irrepsisse: à veritate autem tantò longiùs recedebant, quantò firmius iis perfugium dabat Joannes Hierosolymorum Episcopus; cujus omne in eo studium erat, ut Origenis opiniones per Palæstinam, Ægyptúmque propagatum iret. Obstitêre conatibus Epiphanius & Hieronymus, quorum ille Monachos monuit, ne cum Joanne communicarent; hic autem Apologiâ acerbiore eundem Episcopum Hierosolymitanum velut divisionis Ecclesiasticæ authorem depexuit.

(l) Hieron. l. 2. Apolog. adv. Ruf. c. 5.

Joannes Hierosolymitanus Origenistarum fautor, ab Epiphanio & Hieronymo oppugnatur.

11. Dissidii causa, ubi indies crevisset; exulcerata tandem est, quando Epiphanius Paulinianum (S. Hieronymi fratrem) Diaconum & Presbyterum in Monasterio, ubi tunc agebat, atque in parœcia Eleutheropolitana ordinaverat. Joannes inde novam litis occasionem nactus, Epiphanium accusabat primò, quòd in aliena Diœcesi imponere manus præsumpsisset; tum quòd idem

ad

ad aram ſacris operatus orâſſet: Domine da Joanni, ut rectè credat. Ad ſingula licèt reſponderetur à S. Epiſcopo, contentionum tamen finem minimè Joannes poſuit. Quare Theophilus Alexandrinus ad diſtractos inter ſe animos componendos, Legatum miſit Iſidorum Monachum: diſplicuit in hoc pacis diribitore, quod cùm neutrarum partium eſſe debuiſſet, palàm Origenem profeſſus ſit. Ab hoc igitur tempore Origenis Patroni longiùs ab orthodoxis quibusdam receſsêre: quod ferendum fuiſſet, niſi paulò poſt ab Eccleſia ſe planè disjunxiſſent.

12. Fervente adhuc inter Orientales certamine, Theodoſius in Occidente adverſus Eugenium Tyrannum felicius prælium abſolverat, cujus victoriæ eventum quia vero Numini in acceptis ferebat; novâ lege Imperator cavit, ut Gentilium Ritus non tantùm à templis urbium, ſed & Paganorum deinceps exularent (* 6). Subinde Conſtantinopoli Epiſcoporum Synodus convocata eſt ad dedicandam Eccleſiam SS. Petri & Pauli, quam Rufinus exædificârat. Solennitate peractâ quæſitum eſt, utrùm Bagadius Boſtrenſis legitimè depoſitus debeat cenſeri, eoquòd eundem duo duntaxat Epiſcopi exauthorâſſent? Nectarius unà cum Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, & Gregorio Nyſſeno, aliíſque Præſulibus in hunc Canonem convenit; ſcilicet *non licere in poſterum, nec à tribus quidem, nedum à duobus eum, qui reus examinatur, deponi; ſed majoris Synodi, & Provinciæ Epiſcoporum ſententiâ, ſicut Apoſtolici definiêre Canones.* Plura quæ ad Eccleſiæ utilitatem forent, Theodoſio nec in terris videre, nec exequi conceſſum eſt, mortali quippe vitâ & coronâ an. CCCXCV. exutus ad felicius regnum abiit, immortale rerum geſtarum præmium recepturus.

A.C. 395.

Paganorum ritus à Theodoſio proſcribuntur.

Synodus Conſtantinopolitana.

REFLE-

(* 6.) PAGIUS in Crit. Tom. I. p. 4. 74. n. V. cenſet PAGANORUM nomen inoleſcere cœpiſſe circa annum 365., cujus nominis Originem Gothofredus ad tit. 10. l. 16. Cod. Th. inde deſumit, quod Gentilium hoc ævo ſuperſtitio ultima ſteterit in Pagis, poſtquàm ab urbibus dudum Ethnicorum falſus cultus fuiſſet profligatus. Prætereà idem PAGIUS ad a. 392. n. XL ait, à Theodoſio legem evulgatam 12. Cod. Th. de Paganis, quâ ſacrificia omnia, omníſque alius Deorum cultus Perſonis omnibus & locis per Orientem univerſum interdicuntur: anno 381. templis primò indictum bellum: anno 382. & 385. lege 8. & 9. de Paganis ſacrificia inhibita; at nondum templorum aditus, & thurificatio; tandem anno 392. Ritus eorum omnes prohibiti.

REFLEXIONES HISTORICO-ECCLESIASTICÆ AD CAPUT II. LIBRI IV.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 5. p. 242.

De Veterum Ecclesiarum forma, & Consecratione.

1. QUamprimùm Religioni Christianæ à Constantino concessum est publicâ frui luce; cultus veri Numinis, qui intra domorum recessus, aut subterraneas cryptas anteà latebat, nunc in splendidissimis templis ac Basilicis celebrari cœpit. Harum Ecclesiarum formam interiorem priusquàm contemplemur, ea, quæ circa templorum muros erant, breviùs intueri juvabit.

Partes exteriores Ecclesiarum.

(a) Euseb. l. 10 hist. c. 4.

Catechumenea seu Catechumenorum mansiones.

(b) Synod. in Trull. c. 97.

(c) Concil. Carth. III. c. 30.

Area.

(d) Jacob Diacon. in V. S. Pelag. c. 1. & 7.

Atrium.

(e) Zonaras ad Concil. Ancyr. c. 9.

Baptisterium

(f) Cyrill. Catech. 1.

(g) Greg. Tur l 6. hist. c. 11.

Tres Portæ.

(h) Euseb. l. 10. c. 4.

2. CATECHUMENEA hic primò occurrunt, sive domus, in quibus Catechumeni ad percipiendum Baptismum excolebantur; nam Paulini Panegyristes ait (a): *Jam verò consequenter etiam exteriora templi molitus est, Sediliáque & ædes utrinque maximas artificiosè construxit, & lateri templi conjunxit, ac ingressibus medii templi adunavit, quæ & ipsa illis, qui adhuc expiatione, & aspersionibus, quæ per aquam & Spiritum S. sunt, opus habent, Salomon noster, pacis studiosissimus, templi hujus ædificator perfecit.* Quanta reverentia ædibus ejusmodi impensa sit, ex Canonibus illis intelligitur, quibus cavetur, ne *venerabiles domus* cum muliere cohabitantes, aut profana tractantes subire ac incolere audeant (b). Hùc quoque pertinet Canon Concilii Carthaginensis (c); *ut nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesia* (utique in Catechumeneis) *conviventur, nisi fortè hospitiorum necessitate illic reficiantur.* Ad Cathechumenorum enim tecta admissos olim sacros hospites, ac Episcopos fuisse, ibique ad tempus habitâsse ex Veterum Scriptis evolvimus (d). II. Juxta Catechumenea locus erat muro clausus subdivalis sive AREA, ubi Pœnitentes lugebant, III. ATRIUM vel vestibulum sequebatur, quod à situ Græci προαυλὸν, vel à figura νάρθηκα dixerunt; hoc in loco Catechumeni doctrinam Christianam excipiebant (e). IV. Extra templi murum denique visebatur in porticu BAPTISTERIUM, de quo S. Cyrillus ait: *Primùm ingressi estis in Porticum Baptisterii* (f) & S. Gregorius Turonensis (g) *ad Baptisterium foris muraneum egressus est.*

3. Exteriora templi postquam contemplati sumus; nunc propiùs intrò feramus pedem in domum Domini; ingressuris tres portæ patent (h), necessitatis gratiâ additæ; per alias enim valvas viri à Janitoribus

bus: per alias fœminæ à Diaconissis ad Ecclesiam admittebantur: inde Ædes ipsa *oblonga*, *Orientem versùs navi similis*: ea Navis oratorium præbebat populo, ita tamen, ut viri ad Australem partem locati, mulieres verò ad Borealem plagam dispositæ, ac muro depressiore interjecto discretæ precarentur. Eo scilicet more, quo in templo Hierosolymitano Judæorum fieri consueverat (i). *Oportet quidem vos*, (inquit D. Chrysostomus in Matth. h. 74.) *interiore parte separari: Verùm quoniam non vultis, necessarium Patres nostri putaverunt, saltem his ligneis parietibus vos separare. Audivi autem ego à senioribus, non fuisse hos parietes ab initio: in Christo enim JEsu non est mas, neque fœmina. Apostolorum tempore unà viri & mulieres orabant. Gnosticos, qui sacros conventus suis libidinibus polluebant, huic sapienti Oeconomiæ occasionem dedisse facilè putaverim.* Porrò ne populus sacra Adyti septa ingrederetur, cancellis præstructis prohibebatur.

Navis templi

(i) Joseph. l. 6. de Bello c. 6.

4. Cæterùm Sacrarium variis partibus absolvebatur, *primam* Veteres ABSIDEM à figurâ in hæmispherium curvatâ nominârunt, sive AMBONEM, propterea quod duplici ex latere eò per gradus interiores, exteriorésque ascendatur, aut ODÆUM à cantu, vel PULPITUM & SUGGESTUM, quia illinc eminentiore in loco posita sedes erat Episcopi (k): in eodem Ambone Episcopus vultu ad populum converso sermones instituebat, illinc Presbyter aut Antistes pœnitentibus imponebat manus (l). Diaconus Catechumenos ab eodem Ambone dimittebat in hæc verba profatus, *Exeant, qui non communicant.* Inibi Canonici Cantores concinebant sacra (m), & Ministri, quos Deputatos vocant, Mandyis induti Evangelium decantabant (n).

Interiores Partes Ecclesiarum.

Absis.

(k) August. Ep. 225.

(l) Concil. Carth. III. c. 32.

(m) Concil. Laod. c. 15.

(n) Joann. apud Gretf. in Codin. l. 1. c. 13.

5. Altera Pars Sacri adyti est SECRETARIUM duplex sive ut Constitutiones Apostolicæ loquuntur (o), *duo Pastophoria* aut duo Thalami, ac secretiora cubicula (p), quæ respondent facilè nostris Sacristiis, ut eas appellamus; in his sacrarum Reliquiarum thecæ servabantur (q) sæpe etiam idem locus Conciliis celebrandis destinabatur (r); de Synodo Quinisexta compertum est, eam *in Secretario Sacri Palatii*, *quod cognominatum est Trullus*, peractam fuisse. Erat enim, ut in cæteris Ecclesiis, sic in templo Palatino Constantinopoli, in quo Clerici Augustales Sacris operabantur, Secretarium Trullo sive erecto sursum & in orbem aperto fornice exornatum, unde Synodo posteà Trullanæ nomen accessit (s).

Secretarium.

(o) Const. Ap. l. 2. c. 57.

(p) Hier. in Ezech. c. 42.

(q) Evagr. l. 2. hist. c. 3.

(r) Liberat. Diac. in Brev. c. 13.

(s) Baron. ad a. 680. n. 45. T. VIII.

6. In Media Planitie, quæ ab Ambone ad Diaconicum pertingebat, visebatur CHORUS, de quo ait Eusebius (t): *Absoluto quoque templo, ac sedibus excelsissimis ad honorem præsidentium, deinde & subselliis ordine per omnia collocatis ornato, ac post omnia Sancto Sanctorum in medio constituto.* Codinus de templo Constantiniano loquens, novum Ecclesiæ locum adducit, qui SOLEAS dicitur: obscurum multis, quid hoc nomine significetur; Cellotius (u) sibi hæsisse aquam fatetur, cùm hoc vocabulum expo-

Chorus.

(t) Euseb. l. 10. hist. c. 4.

Soleas.

(u) Cellot. l. 6. c. 6. de Hierarch. ord.

exponere aggrederetur; locum tamen putat fuisse nobiliorem, & Ambone inferiorem ex eo, quòd Imperator à Patriarcha in Ambone coronetur, Imperatrix in Solea ab Imperatore; sic enim Codinus (x): *Nova Imperatrix sustentata utrinque descendit ex anabathra, & veniens stat ante Soleam, descendens igitur de Ambone Imperator maritus ejus, acceptum ex Patriarchæ manu priùs benedictum stemma imponit capiti uxoris suæ. At Patriarcha propè Soleam stans & ipse, recitat alteram orationem pro Imperatore, & Imperatrice omnique populo subdito.*

(x) Codin. in offic. Const. c. 17. n. 27.

7. Ab his gradibus, ut tandem ad eas Ecclesiæ partes propiùs veniamus, quæ ab augustissimis Ministeriis consecrantur; DIACONICUM primò considerandum est, quod alii antonomasticè Sacrarium dixêre: in medio illinc visere erat solium Episcopi, cui ex utroque latere assidebant Presbyteri, & Diaconi adstabant succincti & expediti; iidem Diaconi eodem in sacrario Antistiti sacra operanti assistebant (y). Atque ut sanctimonia loci omnibus inculcaretur; velum Diaconos à reliqua multitudine separabat, non aliter ac olim in templo Solymitano simile velum Sancta Sanctorum inumbrabat (z). Præter Diaconicum venerationem singularem habebat PROTHESIS, sive minus quoddam altare, cui consecrandæ species imponebantur. Huc quoque deducebatur coronandus Imperator à Diaconis, ut processionem cum viris Ecclesiasticis celebraret, quæ à Prothesi circumacto templo ad altare regrediebatur (a): *Quando igitur in magno introitu inchoatur hymnus, accedentes ex honoratioribus Ecclesiæ Diaconis, advocant Imperatorem* (videlicet ex Sacrario prodeunt, & velum transeunt, ut Imperatorem in Solea stantem accersant & comitentur) *ille cum illis se confert ad locum, qui Prothesis appellatur, ubi Sancta reposita sunt. Cæterùm adhuc extra Prothesin stans* (licet intra velum, nondum tamen usque ad Prothesin ingressus) *induit super sacrum & diadema, Mandyam aureum,* & dextrâ crucem, sinistrâ ferulam gerens, Ecclesiasticorum primus in locum Deputati procedit (b). Postremum est S. ALTARE, quo nihil augustius cælo, terrâque continetur, arca testamenti, novæ legis propitiatorium, Christi tribunal, non minùs profectò tremendum, quàm illud in occidentis mundi catastrophe aliquando futurum (c).

Diaconicum.

(y) Dionys. ep. 8 ad Demoph.

(z) Gregor. Nazianz. or. 20.

Prothesis.

(a) Codin. de offic. Const. c. 17.

(b) Cellotius l. 6. de Hier. Ord.

Altare.

(c) Idem l. c.

8. Exemplum eorum, quæ diximus, etsi ex multarum veterum Ecclesiarum Ichnographia desumere liceret; ex unâ tamen Tyriensis templi forma cæterarum Basilicarum structuram emetiemur, Eusebius compositionem Sacræ fabricæ ita describit (d): „ Paulinus . . . . multò ampliorem locum metatus, exteriorem ambitum muro undique communivit, qui totius operis tutissimum esset propugnaculum. Magnum deinde atque excelsum vestibulum ad ipsos Solis orientis radios extendit, iis, qui à sacro loci ambitu longiùs remoti sunt, conspectum quendam eorum, quæ intus reconduntur, abundè exhibens, & oculos eorum, qui à nostrâ fide

(d) Euseb. hist. l. 10. c. 4.

Forma Tyriensis templi ab Eusebio descripta.

fide alieni sunt, ad conspicienda limina quodammodo invitans. Inter templum & vestibulum maximo intervallo relicto, hoc spatium in quadrati speciem circumseptum quatuor obliquis porticibus, circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Inter-columnia porrò ipsa septis è ligno reticulatis, in mediocrem, & congruam altitudinem elatis circumclusit. Medium autem spacium patens & apertum reliquit, ut & cæli aspectum præberet, & aërem splendidum, Solísque radiis collustratum præstaret. Hìc sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Atque hoc primum intrantium diversorium est; iis verò, qui institutione adhuc opus habent, seu Catechumenis congruentem præbens mansionem. Jam verò hoc spectaculum prætervectus, pluribus aliis interioribus vestibulis aditus ad templum patentes effecit, rursus ad ipsos Solis orientis radios tribus ordine januis, uno, eodemque latere constructis. Quarum mediam, duabus aliis utrinque positis is altitudine & latitudine plurimùm præstare voluit, eandemque æreis tabulis ferro vinctis, & sculpturis variis præcipuè decoravit. Aditus per eam patebat ad primum templi interioris partem: aliæ duæ, cùm parem vestibulorum numerum dispostuisset, deducebant ad latera, seu ad porticus in utroque templi latere fabricatas. Diversos etiam aditus, quibus copiosum lumen supernè in ædem infunderetur, supra ipsas Porticus excogitavit, eásque fenestras variis è ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Ipsam verò ædem Regiam opulentioribus, magísque pretiosis speciebus instruxit. Contignatio fuit è lignis cedrinis, quæ ex monte Libano vicino facilè transvehebantur. . . . Sanctum Sanctorum, seu altare in medio constituit; útque hæe sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeò ut mirabile intuentibus spectaculum exhiberent, Thronísque altissimis in honorem præsidentium; ac præterea subselliis per universum templum ordine dipositis illud exornavit (*Laicis autem ante vel post divinum officium sedere licebat, non autem dum celebrabatur*) Solum marmore mirum in modum erat exornatum (e). Exteriùs exedræ & Oeci amplissimi (*scilicet Baptisterium, salutatorium &c.*) utrimque summa cum peritia fabricati videbantur, qui sibi invicem ad latera ipsius Basilicæ connexi sunt „.

(e) Optat. l. 4.

9. Equidem ante Constantini ætatem hinc inde Ecclesiæ ad Christianorum usum surgebant, sed Principe Christiano regnante, fideles *Priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruebant Ecclesias* (f) & ut alibi profitetur Eusebius (g) *Nobis incredibilis erat lætitia, cum loca cuncta, quæ Tyrannorum impietas paulò ante subruerat, reviviscere videremus; templaque rursus à solo in immensam altitudi-*

Magnificentia templorum.

(f) Eus. de Vit. Const. l. 2. c. 39.
(g) Idem l. 8. c. 1. & 2.

tudinem erigi, & longè majore cultu ac ſplendore, quàm illa, quæ priùs expugnata fuiſſent, niteſcere (h).

(h) Idem l. 10. c. 2. l. 9. c. 10.

10. Magnificentiæ & multitudini templorum in ſæculo quarto decoris ſupremi loco acceſſit Conſecrationis apparatus ſingularis, cujus facilè primum Prototypum in Dedicatione Eccleſiæ Hieroſolymitanæ contueri poſſumus. Mariano Imperatoris Conſtantini Notario in mandatis poſitum erat, ut ad Dedicationis hujus ſolennitatem operam, ſumptúsque conferret. Hic itaque cœtum Epiſcoporum, qui unà cum multitudine plurium Provinciarum, frequentes affluxerant, epulis, conviviiſque excipere, egentibus & nudis magnam pecuniæ vim & plurimas diſtribuere veſtes; poſtremò Baſilicæ penetralia Regio ornatu excolere inſtituit (i). Hæc decora dum ſtructuræ adhibebantur; Sacerdotes Dei partim precationibus, partim ſermonibus feſtos dies celebrabant: Aliorum enim erat, Theologiæ dogmatis ad præſentem celebritatem accommodatis, ſpiritale quoddam audientibus offerre epulum (k): Aliis ſervabatur cura exponendi ſacra volumina, aut ex eis arcanos, myſticóſque ſenſus proferendi. Qui verò ad hæc ſublimia ſtudia aſpirare non poterant, incruentis Sacrificiis, & myſticis immolationibus Deum placabant pro pace communi, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore tot bonorum authore, ejusque piiſſimis liberis, preces Deo ſuppliciter offerentes. Dedicatione peractâ lex lata eſt, ut ab iſto tempore ſolemnis quot annis memoria illius feſtivitatis eum in modum habeatur: ſcilicet ut Baptiſmi ſacramenta in Dedicationis commemoratione tradantur, dein per continuos ſeptem dies, collectæ fiant, demum omnium Provinciarum cives, queis ſacra loca perluſtrare animus ſit, hujus feſtivitatis præcipuè tempore conveniant (l).

(i) Euſeb. V. Conſt. l. 4. c. 44.

(k) Idem c. 45.

Conſecratio templorum & Dedicationis ſolennitas.

(l) Sozom. l. 2, c. 26.

REFLEXIO II. ad §. I. num. 12. pag. 253.

An Synodus Arelatenſis ſit Plenarium illud Concilium, in quo quæſtionem *de Baptiſmo Hæreticorum* abſolutam fuiſſe ſcribit S. Auguſtinus?

1. POſtquam alibi (a) controverſiam illam, quæ inter Stephanum Pontificem, ac Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum de Baptiſmo Hæreticorum agitabatur, conſideratione non unâ expendimus; ejusdem argumenti tractandi occaſionem hìc novam ſuggerit S. Auguſtinus, dum tempus deſcribit, quo lis tandem per plenarii Concilii Sanctionem finita ſit; ita enim contra Donatiſtas ſcribit (b): *Quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante Schiſma Donati magnos Viros & magnâ charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalvâ pace diſceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in quibusque regionibus diverſa ſtatuta nutarent*

(a) Tom. I. Libr. III. Cap. 2. Refl. 7. & 8. & 9. pag. 659. ad pag. 668.

(b) Auguſt. l. 1. de bapt. contra Donatiſt. c. 7. §. 9.

taverint, *donec* PLENARIO TOTIUS ORBIS CONCILIO, *quod saluberrimè sentiebatur*, *etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Lucem verbis suis majorem dare videtur alio loco; dum idem Concilium celebratum esse ait, *post Cypriani quidem Passionem*, *sed antequam ipse* (scilicet Augustinus) *natus esset* (c); quare cùm idem S. Doctor ante annum 355. orbi datus non sit; necesse est, ut absolutionem dictæ controversiæ tali Synodo adscribamus, quæ ante medium sæculi quarti dogma hoc definierit.

(c) Idem lib. 2. de Bapt. c. 9. §. 14.

Argumenta eorum, qui per Plenarium Concilium S. Augustini intelligunt, Synodum Arelatensem.

2. Inter Synodos verò, eo tempore celebratas duæ Authoribus potissimùm placent scilicet Arelatensis & Nicæna, ita tamen ut alii primam, alii alteram Synodum plenarii & ab Augustino descripti Concilii nomine venire velint. Qui in Arelatensi Patrum Cœtu definitam Rebaptizantium causam existimant, sequentibus rationibus suam opinionem stabiliunt. I. Canon octavus ejusdem Synodi apertè statuit; *ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum: Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur* (d). Quibus verbis cùm Patres Arelatenses anno 314. jam palàm profligarint errorem illorum, qui ab Hæreticis per legitimam quantumvis formam baptizatos, denuò eluendos dixêre; non est cur in posterioribus temporibus novam synodum inquiramus, à quâ tandem dogmatis hujus decisio exspectetur. II. Ac ne Arelatensi Synodo illum characterem deesse dicas, quod PLENARIA nullatenus extiterit; ipse S. Augustinus *ducentos* (e) & alii *plures* (f) etiam illinc judices eósque *ex locis diversis & prope infinitis* (g) collectos consedisse affirmat, quod Arelatense secundum posteà multò ampliùs asseruit (h); *Arelate*, ait *ex omnibus mundi partibus*, *præcipuè Gallicanis sub Sancti Marini tempore celebratum fuisse concilium.* III. Accedit, quod ab Augustino vox PLENARII nationalibus quandoque Africæ Conciliis adhibeatur (i): & si Bagajense à tercentis decem Episcopis sectæ Donatistarum celebratum, Plenarium ab eodem Doctore dici potuit (k); cur Arelatense non eodem nomine consignari posset?

3. Hæc sententia quantumcunque Sirmondo (l) & Launojo (m) probetur; displicet tamen aliis viris gravibus, Bellarmino (n), Christiano Lupo (o) Bailio (p), Thomæ Hauzeurio (q) & Pagio (r) qui omnes in Nicæno Concilio Rebaptizantium causam totius orbis; adeóque plenariâ consensione definitam affirmant. Ac PRIMO quod Nicæni Patres hoc de argumento tractârint, ex duobus Canonibus ejusdem Synodi, per necessariam consecutionem deducitur; nam Canon octavus ita habet: *De his qui se ipsos Catharos (id est mundos) vocant, si qui veniant ad Ecclesiam Catholicam placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneant in Clero* (s): nulla hìc baptismi repetitio exigitur; judicârunt igitur Patres bapti-

(d) T. I. cc. ap Hard. p. 264.
(e) S. Aug. l. 1. contra ep. Parm. c. 5.
(f) Ado in Chronic.
(g) Const. ep. ad Chrestum.
(h) Concil. Arel. II. c. 18.
(i) Cod. Afr. c. 19.
(k) l. 2. contr. ep. Parmen. c. 3. §. 7.
(l) Sirm. T. I. cc. Gall. in pr.
(m) Laun. in Dissert c. 4.
(n) Bell. l. 1. de Sacram. in gen. c. 26.
(o) Lup. P. I. ad can. 19. Nic.
(p) Bail ad Arel. Conc.
(q) Hauz. apud Natal.
(r) Pagi ad a. 314. n. 17.
(s) Conc. Nic c. 8. ap. Hard. T. I. cc. p.

baptiſmum Hæreticorum valere; ſicut & eorum ordinationem ibidem probârunt ſequentibus verbis: *ſicubi igitur vel in vicis vel in urbibus ſoli ipſi reperti fuerint ordinati, hi, qui inveniuntur in Clero, in eo permaneant. &c.* Decretum tamen hoc de Hæreticorum baptiſmo & ordinatione validâ ad Paulianiſtas minimè pertinere Patres declarârunt Canone decimo nono (t): *ſi qui confugerint ad Eccleſiam de Paulianiſtis, ſtatutum ſit rebaptizari eos omnino debere: ſi qui verò Clerici erant apud eos, ſiquidem inculpabiles inventi fuerint & irreprehenſibiles, rebaptizati etiam ordinentur ab Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ.* Cujus rationem dedit Innocentius I. Pontifex (u): *Quia Paulianiſtæ in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S. minimè baptizabant, & Novatiani, eisdem tremendis, venerandisque nominibus baptizabant.* Ex his nunc conſequitur, quod, licèt Nicænum Concilium quæſtionem generalem de non rebaptizandis Hæreticis minùs palàm propoſuerit; caſuum tamen particularium reſolutione theſin ipſam non obſcurè ſtabiliverit. Quid enim ex eo, quod Novatianos non rebaptizandos ſanxit, aliud conjicias, quàm S. Cypriani hìc errorem argui, ac elidi, qui omnium planè Hæreticorum & Schiſmaticorum, utpote extra Eccleſiam poſitorum, baptiſmata abjudicavit (x). SECUNDO de Concilio Nicæno multò potiùs dici poteſt, quod *Plenarius* fuerit ille *totius orbis* conventus, *Concilium cunctarum gentium*, & *Concilium Catholicum orbis terrarum* in quo tandem (teſte Auguſtino) *remotis dubitationibus* conſuetudo antiqua de non Rebaptizantis Hæreticis *firmata ſit* (y). Et quoniam TERTIO Hipponenſium Præſul ſcribit (z) S. Cyprianum *cum Concilio Provinciæ ſuæ, Univerſi orbis authoritati, patefactâ veritate ceſſurum fuiſſe*, ſi vitam ad tempus hujusmodi plenarii ſeu œcumenici Concilii prorogâſſet; nemo equidem expenſâ hâc unâ ratione, aliam Provincialem, aut nationalem Synodum adducat, à quâ Carthaginenſium Epiſcopum ſubigendum ſperaverit, qui ſuæ nationis Concilia iterata Romano Pontifici toties oppoſuerat.

Argumenta pro Concilio Niceno.

(t) Can. 19. Nic. apud Hard. T. I. pag. 332.

(u) Epiſt. 22. ad Ruf. Theſſalonic.

(x) Schelſtr. Differt. I. Antiq. illuſt. c. 5. a. 3. n. 72.

(y) l. 1. de bapt. contra donat. c. 7. §. 9. l. 2. c. 9. §. 14. c. 17. §. 23.

(z) l. 2. de Bapt. cont. don. c. 4. §. 5.

4. Rationum hæc momenta vim majorem accipient, ſi ea porrò commonſtrentur, quibus argumenta eorum, qui pro Arelatenſi militant Concilio, penitus profligantur. Ad I. Igitur ℞. in Arelatenſibus Patribus equidem non deſiderari propoſitum apertè definiendi Rebaptizantium cauſam; at inde his quarundam Provinciarum Epiſcopis authoritatem Oecumenicam minimè tribui oportere. Nam ſi Arelatenſis Synodus, in quâ Cæciliani cauſa finita eſt, Plenaria ac totius orbis fuiſſet; ut quid Auguſtinus eandem Cæciliani cauſam toti terrarum orbi incognitam dixiſſet? ſic enim habet (a): *licuerit Epiſcopis veſtris, neſcio quo Donatiano vel Numidico Privilegio, de ſuo ignorare Collega, quidquid Africa tota conclamabat. Cùm Afris ab Afris objecta crimina (nunquam probata, toties abſoluta) orientalibus terræ finibus ignota eſſe non ſinant. Valeat apud vos Baptiſmus ab Optato datus, quem ſic damnare noluiſti, ut non fueris auſus abſolvere: & non valeat Baptiſmus* in

Argumenta Adverſariorum confutantur.

(a) Aug. l. 4. cont. Creſc. c. 25.

in Ecclesiis Apostolico labore fundatis, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, cæterorúmque in sacris literis conscriptorum, ubi Cæciliani non falsum crimen, sed fortè nec verum nomen auditum est? & accusetur conscientia tot, tantarúmque gentium Christianarum, quia remotissimas lites ignoravit Afrorum. Ad II. ℞. Numerum Episcoporum Arelatensium etsi non satis tenuem Valesius (b), Sirmondus autem (c) multò ampliorem existimet; necdum tamen inde conficitur, quod Oecumenicum aut Plenarium totius orbis Concilium fuerit Arelatense, præsertim cùm ipsi Patres ejusdem Synodi testentur se *ex diversis*, non verò ex omnibus *Provinciis* convenisse (d); quare si *ex omnibus mundi partibus* congregati ab Arelatensi Concilio secundo dicuntur, id ὑπερβολικῶς prolatum debet existimari. Ad III. ℞. Cum Pagio (e), verum quidem esse, à Divo Augustino & in Codice Canonum Africanorum *Plenaria* alia quoque nationalia duntaxat Concilia vocari, sed ipsa Hipponensis Episcopi & Codicis prædicti verba id, quod res est, exponunt; nam Bagajense, de quo sermo erat, eatenus Plenarii nomine compellatum voluit, quatenus Donatistæ præcipui omnes ad illud convenissent; adeóque *plenaria Synodus* dici poterat *Donatistarum*, quo etiam sensu restricto Afrorum Concilia subinde Plenaria audiunt, nempe quod regionis illius Præsules omnes ad cœtum ejusmodi confluxerint. Hæc autem significatio quàm longissimè abest ab ea Universalitate, quam Augustinus tribuit illi Concilio, in quo definitam ait fuisse Rebaptizantium causam; latissimis quippe vocibus hic usus, Synodum istam Plenariam totius orbis, ac proinde universalis Ecclesiæ affirmat. *Neque dicas* Augustinum ne quidem Concilii Nicæni Acta aut Canones novisse: non esse igitur, cur S. Episcopus Plenarium Concilium memorando, mentem ad ignotam Synodum reflexerit; scribit enim (f) *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre, & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse, nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* VERUM Annus fortè nonagesimus quintus sæculi quarti fuerit, quo Augustinus ordinatus Episcopus ignorârit Canonem Nicæni Concilii: de sequentibus profectò annis id certè affirmare nemo ausit, cùm Possidius testetur (g), *quod in se posteà fieri non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit propter Concilii Universalis* (Nicæni) *vetitum*, sed de his plura agemus in libri sequentis cap. 2.

(b) Valef. in differtat. de Schifmat. Don. c. 9.
(c) T. I. CC. Labbei.
(d) Ep. Syn. ad Sylvestr.
(e) Pagi in Crit. T. I. ad a. 314. n. 19.
(f) Auguft. ep. 113. §. 4.
(g) Possid in Vit. c. 8.

5. Postremùm quæstionem expedire juvat, quam Schelstrate ait (h) „omnium difficillimam, à qua impossibile est se inoffenso pede extricare; cùm aut præcipuos Ecclesiæ Doctores imperitiæ, aut SS. Ecclesiæ Patres erroris arguere necesse sit: vel enim dicendum videbitur SS. Augustinum & Hieronymum non intellexisse Concilium Nicænum: aut Athanasium,

(h) Schelstr. P. II. Antiq. illustr. diss. I. c. 5. a. 4.

(i) Or. 3. cont. Arian.

nasium, & Basilium contra Nicænum errâsse. Nam I. ATHANASIUS (i) postquàm dixisset, Arianos minimè verum Patrem pronunciare, eoquod negent aliquid ex ipso existere simile esse illius substantiæ; tandem subjungit: *Quî quæso igitur, non planè vanum, ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit, & inane simulacbrum, ipsique eâ re nihil solidæ opis adferunt ad pietatem? non enim in Patre & filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore, & Creatura, in Factore & Factura. Sicut igitur Creatura diversum quiddam est à Filio: ita diversum quiddam à vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulant se nominare. Non enim, qui simpliciter, ait: Domine; is est, qui donat legitimum Baptismum, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet: ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcepit, sed primùm dixit, docete; ac deinde, baptizate in nomine Patris & Filii, & Spiritus S., ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum Fide Baptismatis integra initiatio perficeretur. Certè aliæ etiam hæreses, eæque numero non exiguæ nomine tenus ritum istum pronuntiant; sed non rectè sentientes, ut dictum est, neque sanam fidem retinentes: inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum numine & religione destitutam; adeo ut, qui ab illis asperguntur, sordescant potiùs pravâ religione, quàm redimantur. &c.* II. S. BASILIUS (k) Antiquorum de rebaptizatione dissensiones perscrutatus triplex Baptisma proponit, quorum unum est Fidelium ob peccata censuris Ecclesiæ innodatorum: aliud Schismaticorum; ut Novatianorum, quibus licèt hæresin docebant in materia de Pœnitentia; tamen quia in fide Trinitatis non errabant, inter Schismaticos eis locum dedit; & utrorumque horum Baptismata probavit Basilius: dein ad Hæreticorum utpote Pepuzenorum, eorúmque qui circa Trinitatem delirarent, Baptisma delapsus, hoc ipsum omnino rejicit; demum statuit (l) Encratitas, Saccophoros, & Apotactitas posse rebaptizari, neque rebaptizationi obesse (m), quòd Nicænum Concilium, aut Romana Ecclesia aliter ordinâsset, has enim leges dicebat spectare ad versatilem duntaxat regionem morem. *Nos autem unâ* (n), *eademque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis alicujus œconomiæ gratiâ: nostra tamen ratio vires obtineat, quia cùm veluti Marcionistarum germen sit eorum Encratitarum hæresis nuptias abhorrentium, & aversantium vinum, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim, in Patrem, & Filium & Spiritum S. baptizati sumus: qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis, & reliquarum hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fuit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsionem de his fide dignus habeatur.*

An Athanasius & Basilius post Nicænum Concilium docuerint, Hæreticos esse rebaptizandos?

Rationes affirmandi.

(k) Basil. Ep. I. Amphilochium. can. 1.

(l) Idem can. 47.

(m) Schellst. Diss. I. P. II. Antiq. illust. c. 5. a. 4. n. 78.

(n) Basil. ep. 1. ad Amphil. c. 47.

6. Qui

6. Qui S. Athanasium ab omni nævo hìc vindicant, variâ expositione solvere nodum allaborant; Alii enim ajunt, ab Alexandrino Episcopo eatenus Arianorum Baptisma fuisse rejectum, quatenus formam ab iis vitiatam intelligebat: *non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani* (ait), *sed in Creatore & Creatura.* Verùm huic obsunt, quæ Athanasius subdit; quod Ariani *recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina Patris & Filii &c.* Alii proinde opinantur D. Athanasium hìc non loqui de charactere, sed de effectu Baptismi; quia ab Arianis illicitè adultos baptizantibus unâ cum Baptismo non conferebatur simul gratia; unde etiam S. Doctor inquit, Arianos *inutilem possidere aquam, quam impertiunt.* Cæterùm hunc sensum Athanasii fuisse inde confirmatur, quod cùm teste (o) Siricio, & Epiphanio *totus oriens custodierit* (p) consuetudinem Romanæ Ecclesiæ de non rebaptizandis Arianis; nemini dubium esse possit, quin & Athanasius Arianorum Baptismum minimè invalidum, nec iterandum dixerit. Nisi fortè quis suspicari saltem malit, quod idem Athanasius eautè de Arianorum baptismo speculatus, ambigere cogitatu duntaxat suo cœperit, an pene eos legitima forma censeri debeat, à quibus per simulationem & Patrem & filium nominari credebat. Per hoc tamen dubium speculativum Athanasius nullatenus renovavit errorem Cypriani, qui & Schismaticos, & cujuscunque generis Hæreticos rejecerat, eoquòd eorum Baptisma extra Ecclesiæ Catholicæ gremium & unitatem collatum, foris esset, adeóque invalidum: nam interfuit Athanasius Nicæno Concilio, quod Baptisma Novatianorum admisit.

Rationes negandi Verosimiliores pro Athanasio.

(o) Siric. ep. ad Himmerium Tarrac.
(p) Epiphan. contra Luciferianos.

7. De Basilii opinione, ut nunc porrò loquamur, meminisse oportet eundem post exactum sæculum successorem Cæsareensis Metropolitæ Firmiliani fuisse, qui olim ad mentem Cypriani sanxerat, omnes Hæreticos Rebaptizari debere: Basilius itaque ex unâ parte videns inditam Cappadocum consuetudinem de rebaptizandis Hæreticis: ex alterâ verò parte scrutatus canonem Nicænum de Paulianistis, in eam sententiam tandem incidit, quod cùm Concilium Paulianistas rebaptizandos duntaxat dixisset, de reliquis Hæreticis liberum sit, pro regionum varia disciplina eos rebaptizare, aut iis tantummodo imponere manus; ita enim ad Amphilochium scripserat (q). *Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Displicuit meritò Amphilochio Iconiensi Episcopo Basilii opinio, quæ iterationem Baptismi Hæreticorum non ad dogma, sed ad versatilem regionum morem reducebat: Unde & Basilio paulò post è vivis erepto, controversiam S. Amphilochius detulit ad Synodum Generalem II. (r), cujus Patres definierunt: *Eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex Hæreticis servantur, recipimus secundùm subjectam hìc consequentiam & consuetudinem. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nova-*

S. Basilius ejusque doctrina de rebaptizatione Hæreticorum vindicatur.

(q) Basil. ep. 1. ad Amph.

(r) Constant. Concil. c. 7. versionis Isidori Merc. ap. Harduin. T. I. p. 811.

Novatianos, qui dicunt seipsos Catharos & Aristeros (hoc est mundos vel sinistros) & Thessaradecatitas . . . & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresin anathematizantes, quæ non sentit, ut Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & signatos sive unctos primùm sancto chrismate & frontem oculos & nares & os & aures, & eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritûs S. Ac ne quis cum Basilio porro sentiret, hanc quæstionem porrò pertinere duntaxat ad disciplinam; dogmatico symbolo hæc inseruit Synodus: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Id est, ut exponit Lupus; Baptisma legitimâ divini nominis invocatione sanctificatum, ubicunque sive intra, sive extra Ecclesiam detur, aut accipiatur, confiteor esse unum, nec salvâ Evangelicâ lege posse iterari. Et quamvis Cyrillus (qui Concilio eidem interfuit) posteà docuerit (s): *Soli Hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non erat Baptisma*; id non aliter intellige, quam de iis, qui formam Baptismi non observabant; in quam sententiam subinde quoque ivit Augustinus (t), inquiens, *illos, qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud Hæreticos Baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti juxta regulam à Domino positam tincti sunt: ut sunt Paulianistæ, Procliani, Borboritæ, Siphori; qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montani, & Manichæi, variaque impietatis germina, vel cæteræ istorum originis sive ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon, & Marcion: vel contraria, ut Manicheus: vel tria, & Barbara, ut Setianus, & Theodosius: vel multa ut Valentinus: vel Christum hominem fuisse absque Deo, ut Cerinthus, Hebion, Artemon, & Photinus. Ex istis inquam, si qui ad nos venerint, non requirendum ab eis, utrum baptizati sint, an non? sed hoc tantùm, si credant Ecclesiæ fidem? & baptizentur Ecclesiastico Baptismate.*

(s) Cyrill. Catech. 1.

(t) August. lib. de Eccl. dogm. c. 52. apud Schelstrate.

REFLEXIO III. ad §. 1. num. 15. p. 258.

De Chorepiscoporum origine, officio ac ordine.

Origo Chorepiscoporum.

1. POstquam Synodum suam Arelatenses Patres absolverant; Ancyræ novum Concilium coactum est, in cujus Canonibus quia prima mentio fit de Chorepiscopis; nos in horum institutum paulò altiùs indagabimus. Equidem si de tribus primis sæculis sermo sit, in Orientis annalibus, aut Synodicis decretis nullibi hoc Chorepiscoporum nomen occurret (a): at in sæculo quarto Ancyrana Synodus (b) de his agere, eorúmque munus exponere cœpit; paulò clariùs de iisdem disseruit subinde Concilium Neocæsariense, dum (c) ita præcipit: *Vicarii Episcoporum (quos Græci* CHOREPISCOPOS *vocant) constituti sunt quidam ad exemplum septua-*

(a) Thomass. de Vet. & N. discipl. T. I. l. 2. c. 1. n. 13.
(b) Ancyr. Syn. Can. 9.
(c) Neocæs. Syn. c. 13.

septuaginta Seniorum, sed tanquam consacerdotes propter sollicitudinem & studium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur. Post breve annorum intervallum Concilium Nicænum (d) Chorepiscoporum quoque meminit: *De his, qui se Catharos nominant, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam; placuit Sancto & magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes, sic in Clero permaneant. Is autem, qui apud eos nominatur Episcopus, honorem Presbyterii possidebit, nisi fortè placuerit Episcopo, nominis honore eum censeri: si verò hoc ei minimè placuerit: providebit ei aut* CHOREPISCOPATUS, *aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur: ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Quem Canonem Antiochena Synodus deinceps meliùs explicavit (e): *Qui in vicis vel Possessionibus* CHOREPISCOPI *nominantur, quamvis manûs impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint; tamen Sanctæ Synodo placuit, & modum proprium recognoscant.* Scilicet, ne juxta Canonem Ancyranum (f) *absque permissu Episcopi Presbyterum, aut Diaconum ordinare* præsumant. In Sæculo quinto ex Oriente ad Occidentales Ecclesias Chorepiscoporum nomen, institutúmque transiit: nam circa annum 439. in Gallia cùm in Rhegiensi Synodo Armentarius quidam Episcopatu suo abdicaretur, eo potissimùm ex capite, quòd sine Metropolitani consensu à duobus Episcopis se ordinari fecisset; id deposito Præsuli saltem indultum est, ut in una Parochiarum suarum Ecclesiam aliquam Chorepiscopi nomine moderari possit (g). Primo hoc exemplo ubi Patres Rhegienses Chorepiscopos probâssent; in Africa tamen adhuc nullus, & per alias Provincias Occidentis rarior Chorepiscoporum usus fuit, dum tandem regnante Carolo Magno tam ingens eorum numerus evaserit, ut ex suâ multitudine authoritatem majorem ambientes, Episcopis metum non vanum incuterent (h).

(d) Nicæn. Conc. can. 8. ad a. 325.

(e) Synod. Antiochen. ad a. 341. can. 10.

(f) Ancyr. Syn. c. 13.

(g) Thomass. de Vet. & N. Discipl. P. I. l. 2. c. 1. n. 13.

(h) Idem l. c. n. 14.

2. Ostensâ origine, nunc porrò Chorepiscoporum officium considerare juvat. Thomassinus (i) rem breviter complexus, Chorepiscopos vocat Episcoporum vicarios foraneos, qui in villis, vicísque instituebantur, ac in Parochiarum ruralium curam incumbentes, Tractum sibi ab Antistite assignatum visitabant. Potestas igitur Chorepiscoporum tota quanta agris continebatur, inde Jacobus Duarenus (k) de iis ita pronuntiat: *Antiquitus cùm Episcopi otio suo* (id est studio contemplationis, utì (l) Cellotius exponit) *consulere vellent, Vicarios quosdam Episcopos Ordinare soliti sunt, qui vulgò Chorepiscopi dicebantur: quasi* χωρικοὶ, *quia non in civitate, sed per vicos & pagos nomen Episcopi quadantenus gerebant.* Concilium Laodicenum eosdem (m) Periodeutas vocat à visitandi jure, quod foris extra urbes exercebant: modum autem & amplitudinem hujusce facultatis colligere licet ex Canonibus Arabicis (n); ubi in Electione Chorepiscopi proclamabatur: *Nos eligimus talem in Chorepiscopum, qui habeat*

(i) Idem l. c. n. 3. 10. 15. 16

(k) Duaren. l. 1. de sacris Eccl. Minist.

(l) Cellot. in Hierarch.

(m) Laod. Conc. c. 57.

(n) Canon. Arab. Nic. Conc. c. 54. & 55.

habeat totam potestatem in nos: Electus posteà & ordinatus, eligit *viros idoneos, quos Ecclesiis & Monasteriis præficiat.* Proficiscitur deinde *ad visitandas Ecclesias, & Monasteria, ut videat, an deficiant fratres & sorores? instituit ministros, distribuit pueros per Ecclesias & Monasteria, ac loca alia,* (o) Can. 60. *quæ eorum operâ indigebunt.* Et Infra (o). *Non licet, ut ullus è Clero ministret in Ecclesia* (puta Rusticana) *sine licentia Chorepiscopi, quandoquidem* *Officium Chorepiscoporum.* *ipse est caput illorum: nec Episcopus, nec ullus alius Sacerdotem ordinare debet* (intellige Ordinatum seu Consecratum certæ Ecclesiæ affigere,) *nec Religiosum facere, nisi præsente Chorepiscopo.* Antiocheni Patres porrò his Villanis Episcopis tribuerunt, ut formatas in aliam Diœcesin migrantibus dare possent (p). Provídebant quoque Pauperibus & peregrinis (q), quorum cùm ingens esset numerus, multi Chorepiscopi in una Diœcesi numerabantur. Gregorius Nazianzenus testatur S. Basilium subjectos sibi quinquaginta Chorepiscopos habuisse (r), quibus Pauperum & Prochodochiorum curam demandaverat (s). Ab hac officiorum Ecclesiæ perutilium dignitate Chorepiscopus unâ cum Archidiacono speciali eminebat prærogativâ; sedente quippe in Ecclesia Episcopo ante reliquum Clerum hi locum tenebant (t), *qui sunt tanquam duæ Manus & duæ Alæ, quibus Episcopus volat.*

(p) Antioch. Conc. can. 8.
(q) Concil. Neocæs. c. 13
(r) Gregor. Naz. in Carm
(s) Ep. Basil. 418.
(t) Concil. Nic. Canon 55. Arab.

3. Qui cætera adhucdum officia Chorepiscoporum percurrunt, majores & veros Episcopales honores iis adscribere non reformidant; nec paucas rationes habere se putant, quibus opinionem suam confirment. Ac *Primò* ex Conciliorum Canonibus id, quod proprium Episcoporum munus est, Ordinare Clerum, item Diaconos & Sacerdotes, Choriepiscopis quoque attribuitur; nam Synodus Antiochena (u) ita decernit: *Ii, qui sunt in vicis & pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem, manuumve impositionem perceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent: constituant autem Lectores, Hypodiaconos & Exorcistas, & eorum Promotionem sufficere existiment, nec Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse & regio.* Ex quo facilè consequitur: licèt Chorepiscoporum ordinandi potestas subjecta fuerit consensioni Episcoporum; hanc tamen verè habuerunt, quia Sacerdoti simplici, quantumcunque consentiat Antistes, ordinatio ejusmodi nequaquam vindicari aut tribui potest. *Secundò* Nicolaus I. Pontifex circa a. 864. à Rodulpho Archiepiscopo Bituricensi de Chorepiscoporum ordinationibus consultus rescripsit (x): *A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas, quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim septuaginta Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?*

(u) Antioch. Syn. c. 10.
An Chorepiscopi vi ordinationis ac officii sint veri Episcopi?
Rationes affirmandi.
(x) Epist. 39. Tom. II. CC. Galliæ.

cia? Sed quia sacri Canones vetant, ne omnes omnia sibi vendicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas effici. Et Præterquàm quod Nicolaus PP. hâc epistolâ ordinationes Chorepiscoporum validas declaret; tùm *tertiò* Synodus Chalcedonensis multò ante (y) Chorepiscoporum ordinem medium inter Episcopos & Presbyteros statuit, adeóque à simplicibus Sacerdotibus non tantùm officio sed & ordine longè discernit: *Si quis* (ait Synodus) *ordinaverit per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum; vel quemlibet ex iis, qui Connumerantur in Clero &c.*

(y) Synod. Chalc. c. 12.

4. Ex his monumentis si id duntaxat evincere propositum esset, quod veri Episcopi interdum ad Chorepiscoporum munus descenderint: aut hoc officio fungi jussi sint dependenter tamen ab ejus Episcopi arbitrio, cui Provincia suberat; nihil erit, quod ab hac sententia nos abstrahat. Verùm cùm Adversarii id urgere videantur, quod omnes sine discrimine Chorepiscopi Charactere Episcopali donati, & vi ordinationis sibi debitæ tales extiterint; aliter & veriùs statuere necesse est, nempe Chorepiscopos ordinatione suâ minimè fuisse Episcopos, sed meros Presbyteros aliquo jurisdictionis Episcopalis Privilegio adauctos; nam I. Episcopi non in Pagis sed in urbibus constituendi (z), succedunt Apostolorum Ordini (a), & à tribus saltem Episcopis ordinandi sunt: Chorepiscopi è diverso rura & agros incolunt, & creantur ad similitudinem tantùm septuaginta discipulorum (b): & unus aut duo Episcopi sufficiebant, ut Chorepiscopi ordinatio absolveretur (c). II. Concilium Hispalense omne discrimen Presbyteros inter & Chorepiscopos removet (d): *Quamvis*, inquit, *cum Episcopis plurima illis Mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen Auctoritate Veteris Legis, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi probibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum ac Virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio, vel unctio. Siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altaria consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizandis vel conversis ex Hæresi, Paracletum spiritum tradere, nec Chrisma conficere &c. Hæc omnia illicita esse Presbyteris, quia Pontificatûs apicem non habent, quod solis deberi Episcopis, authoritate Canonum præcipitur; ut per hoc & discretio graduum & dignitatis fastigium Summi Pontificis demonstretur.* Quod autem de Presbyteris decernit Synodus, idem statutum voluit de Chorepiscopis ex eâ potissimum ratione, *Quia Chorepiscopi & Presbyteri juxta Canones unum sunt.* III. Regnante Carolo M. cùm quæstio ageretur, an Chorepiscoporum ordinationes, aut Episcopales, quas præsumerent, functiones valerent? responsum est à Leone III. Pontifice: *Nullum fore Presbyterum vel Diaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam, quod Episcopali*

Rationes Negandi magis probantur.

(z) Laodicen. c. 57. Sard. c. 6.
(a) Isidor. l. 2. de offic. Ecc. c. 6.
(b) Neocæs. c. 13.
(c) Arauf. I. c. 21.
(d) Hispal. Conc. c. 7.

Mini-

Ministerio præsumpsêre, esse peractum: sed quidquid ex his ab eis erat illicitè præsumptum, omnia à Canonicè ordinatis Episcopis debere rite peragi, & in meliorem statum reformari, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Quo accepto responso Galliæ & Germaniæ Episcopi Ratisbonæ in Synodum congressi decrevêre. *Quidquid à Chorepiscopis Episcopaliter præsumptum est. Nam Episcopi non erant, quia nec Canonicè à tribus Episcopis ordinati, ideo de Episcopali Ministerio nihil agere potuerunt* (e). Plura de his monumenta occurrent in libris Capitularium (f) in Consilio Parisiensi (g) & Meldensi (h).

(e) In Select. Capitul. T. IV. c. 1. Tom. II. CC. Galliæ ad a. 800.

(f) l. 7. Capitular. c 328. & 329.

(g) Parisiense VI. c. 27. ad a. 829.

(h) Meldense c. 44.

Rationes Adversariorum dissolvuntur.

5. Jactis hujusmodi fundamentis ad rationes, quibus adversæ sententiæ Patroni se tueri conantur, nunc respondemus. Et ad *Primam* quidem reponimus: duplicis generis fuisse Chorepiscopos, alios verè & simpliciter sic dictos, qui nequaquam ordinati erant Episcopi, tum quia contra ipsos de institutione Episcoporum Canones, in vicis & agris disponebantur, tum quia plures in una civitate, ac Diœcesi esse poterant, quod de Episcopis leges prohibuerunt. Dein appellatio Visitatorum ruralium (qui titulus eis proprius erat) non decuisset Episcopi Majestatem: demum ab uno sæpè ordinati civitatis Episcopo, cui nimirum suberant, non ad aliam formam, quàm septuaginta discipulorum constituebantur (i). Præter hos tamen Chorepiscopos in rigore acceptos, quidam erant; qui anteà ordinem Episcopalem nacti, ob temporum necessitatem, aut ad tollenda schismata ad Chorepiscopatum adhibebantur; quod ex Canone octavo Concilii Nicæni supra citato (k) palàm fit: & de his Canon 10. Antiochenus intelligendus est, quod licèt quandoque contingat, ut Chorepiscopatûs sive Ecclesiarum, quæ in agris sunt, administratio exerceatur; sui tamen Ministerii (quod cæteroquin nudum est, & Consecrationis Episcopalis expers) modum non excedant, nisi fortè Episcopo placeat, ob susceptam ab iis anteà manûs impositionem, concedere, ut Diaconos & Presbyteros de ejus licentia ordinare valeant. *Ad secundam rationem* ℟. Nicolai Pontificis mentem esse non potuisse, ut omnium Chorepiscoporum ordinationes validas diceret, cur enim aliàs in eadem epistola Chorepiscopos septuaginta Christi discipulis comparâsset, inter quos utique multi erant, qui Episcoporum charactere non insigniebantur? de iis proinde Chorepiscopis loquitur, qui Episcopi jam creati suæ ordinationis potestatem alios ordinandi retinebant. Accedit, quod Thomassinus Nicolai epistolæ partem suppositam non vanis argumentis affirmet (l). *Ad 3tiam* ℟. *cum Natali Alexandro* (m), Chorepiscopatum vel ideo ordinem sacrum & à Christo institutum censeri haud posse, eoquod tribus primis sæculis in Ecclesia non fuerit, & nono sæculo cœperit abrogari: Concilium itaque Chalcedonense Chorepiscopatum utpote ministerium sacrum Episcopatui & Sacerdotio annumerare voluit; eoquòd is tam

(i) Thomass. P. I. l. 2. c. 1. n. 3. 4. 10. & c. 2. n. 11.

(k) Refl. III. n. 1.

(l) Thomass. c. 2. n. 5. 6.

(m) Natal. Alexand. Differt. 44. ad sæc. IV. p. 581.

parum

parum, ac reliqui ordines pretio dari aut vendi poſſet. Præterea idem officium à ſimplici ſacerdotio diſcrevit, quia ob jurisdictionem ab Epiſcopis demandatam Chorepiſcopi aliis Presbyteris ſuperiores erant.

6. In Oriente longiore tempore in honore & uſu fuerunt Chorepiſcopi, propterea quod conceſſam ſibi poteſtatem modeſtiùs exequerentur (n): Poſt annum tamen milleſimum (teſte Balſamone) ibidem Chorepiſcoporum gradus omnino exolevit (o), vel ad eos, qui tunc exarchi vocabantur, translatum eſt munus (p). Paulò citiùs per Occidentem Chorepiſcoporum conditio labefactari cœpit: cum enim plura agerent, ac poteſtas eorum ferret, neque tantùm confirmare, ac minores ordines unà cum Subdiaconatu conferre, ſed & Diaconos & Presbyteros creare, Virgines & Eccleſias conſecrare auderent; Lex tandem adverſus illos in ſæculo nono decreta eſt (q): *Placuit, ne Chorepiſcopi à quibusdam deinceps fiant. Quoniam hactenus à neſcientibus SS. Patrum, & maximè Apoſtolicorum Decreta, & qui ſuis quietibus & delectationibus inhærent, facti ſunt. Idcirco & olim perſæpe, & noſtro tempore à S. Apoſtolica ſede ſunt probibiti, & ne deinceps à quoquam tam ordinante, quam ordinari cupiente talis præſumptio aſſumatur, à cunctis Regni noſtri Epiſcopis eſt in Synodo* (ſcilicet Ratisbonenſi) *canonicè probibitum:* Synodali hâc ſanctione etſi Chorepiſcopi ad majorem ſint ſubacti modeſtiam; adeo tamen citò extingui non potuerunt, uti ex pluribus Conciliis ſcilicet Noviomenſi, Pariſienſi VI. Aquisgranenſi II. & aliis colligitur. Homines ſcilicet Laici ad Epiſcopalem dignitatem evecti, onera illa conjuncta ferre renuentes (r), Chorepiſcopos malebant, qui utcunque onus portarent. Sed quoniam occaſio inde arripiebatur à Magnatibus, Electiones Epiſcoporum retardandi, dum interea Chorepiſcopis modicâ mercede conductis, reditus Eccleſiaſtici in aulicorum ſtipendia transferebantur (s); viſis ejusmodi incommodis Epiſcopi tandem circa medium ſæculi decimi in abrogationem Chorepiſcopatûs omni operâ incumbentes, ſollicitudinem luſtrandi villanas Eccleſias (t) Archidiaconis & Decanis ruralibus committendam putârunt.

(n) Thomaſſ. P. I. l. 2. c. 2. n. 9.
(o) Balſam. in c. 13. Ancyr.
(p) Harmenopul. in epit. Can. Sect. I. tit. 9.
(q) L. 6. Capitul. c. 119.
Quando abrogari cœperint Chorepiſcopi?
(r) Natal. Alexand. ad ſæc. IV. Diſſ. 44. p. 582.
(s) Flodoard. l. 3. Hiſt. Eccl. Roman. c. 10.
(t) Sigebert. in Chronico ad a. 1048.

REFLEXIO IV. ad §. I. num. 26. pag. 272.

Quisnam Prima Oecumenica Concilia jure legitimo convocârit, iis præſederit, ac illa confirmârit?

1. Cùm ex Faſtis Veterum conſtet, quantam operam, quantósque ſumptus ad Synodorum conventus Principes ſemper attulerint; erronea inde opinio concepta eſt, quaſi in ſolis Imperatorum ac Regum Palatiis ſuprema Conciliorum poteſtas habiret, & à civili Cæſarum foro & legibus ad ſacros Epiſcoporum cœtus, Canonésque omnis autori-

thoritas proficiſcatur. Et quoniam hæc ipſa in tribus Partibus conſiſtit ſcilicet in Synodorum *convocatione*, *Præſidio*, & *confirmatione*; inſpicienda nunc eſt Primorum Conciliorum Oecumenicorum ratio, ut quid juris in iis ad Principes ſpectârit, propiùs & veriùs eruamus.

2. Adverſarii Pontificis authoritati hìc invidentes, Primò facultatem atque jus COGENDI OECUMENICAS SYNODOS eidem ereptum ad Imperatores transferunt; cujus monumenta quædam ex Euſebio ſe exſculpſiſſe putant: nam Is ipſe Biographus (a) Conſtantini Magni curam, ſtudiúmque in Concilio Nicæno convocando deſcribens ait: *Quomodo Nicææ Synodum fieri juſſit . . . Synodum Oecumenicam convocavit, honorificis literis Epiſcopos undique invitans, ut quantocyus adeſſent. Nec verò ſimplex & nuda erat juſſio, ſed benignitas &c.* Quo autem animo hæc molitus ſit Princeps, Euſebius alibi exponit (b): *Eccleſiæ Dei præcipuè curam gerens, cùm per diverſas Provincias quidam inter ſe diſſentirent; ipſe velut communis omnium Epiſcopus à Deo conſtitutus Miniſtrorum Dei, Concilia congregavit.* II. Cuſanus (c), ne uno Nicænæ Synodi exemplo rem confici putes, in cæteris quoque Conciliis Oecumenicis Imperatorum perpetuum arbitrium agnoſcit: *Ex ſuperioribus*, ait, *habetur*, *Imperatores ſanctas Congregationes Synodales Univerſalium Conciliorum totius Eccleſiæ ſemper feciſſe. Ita ego perluſtrans geſta omnium univerſalium Conciliorum usque ad octavum, verum eſſe reperi:* dein ſubjungit Heliæ Presbyteri, & Syncelli Throni Hieroſolymitani verba in octava Synodo: *Scitote quia in Præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos ex toto orbe terrarum* (d). III. Manſiſſe demum jus illud per tot ſæcula penes Imperatores argumento ſit, quod in Præfatione Synodi Auguſtanæ ad Carolum V. hæc præmittantur: *Cæſareæ majeſtati hanc Synodorum congregandarum facultatem Germanorum Eccleſiæ, veluti olim Conſtantino Imperatori totus ferè orbis acceptam ferunt.* Quæ etiam ratio fuiſſe videtur, cur Germanorum complures Tridentinam Synodum reſpuerint, eoquòd Pontificis, non verò Cæſaris edicto coacta fuerit (e).

(a) Euſeb. lib. 3. vit. Conſtantini c. 4.

(b) L. 1. in vit. c. 44.

(c) Cuſanus l. 2. de Concord. c. 2.

(d) Apud Thomaſſin. Tom. III. Dogmat. Theol. Diſſert. 3. in Synod. Nicæn.

(e) Palavicin. in Hiſt. Trid.

3. VERUM cùm penes Chriſti inſtitutum, & exempla Apoſtolorum regula Juris Eccleſiaſtici figenda ſit; cæleſtis Magiſtri verba omnino conſideranda ſunt, quibus monet: *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, ſe in medio eorum futurum. In ſacras ejusmodi Congregationes Apoſtoli aut diſcipuli Chriſti, poſteà Epiſcopi iverunt non per Imperatores vocati, ſed ſuâ ſponte, mutuâ invitatione, vel Metropolitanorum, Primatúmque juſſione acciti ſunt, ſive ab eâ poteſtate, quæ à Chriſto & ab Apoſtolis in ipſos, ut Chriſti vicarios ac Apoſtolorum ſucceſſores propagata erat. Trecentis annis eum in modum Synodorum etiam numeroſarum ratio ſeu in Africa, ſive in Oriente celebrabatur, quin Ethnici Imperatores hanc poteſtatem Epiſcopis eriperent, aut libertatem

tatem Ecclesiæ acciderent. Posteaquam verò Constantinus & Imperium, simúlque fidem Christianam suscepit, quis vel suspicari poterit, jus sacrum & claves regni cælorum, quæ tanto tempore penes Apostolorum successores Episcopos fuerant, subitò ad sæculare forum demigrâsse? aut quis credat, Constantinum, id quod nunquam ausi sunt Ethnici, arctiùs premere jura Ecclesiæ, aut in hæreditatem Apostolicam contra institutionem Christi involare voluisse? Neque enim Ecclesiæ Christus tam malè consuluit, ut supremum rerum Ecclesiasticarum arbitrium alligaret Imperatorum conditioni, inter quos Apostatas, Hæreticósque fore, & regnum eorum in plures aliquando dividendum, aut etiam sine capite subinde multas Provincias futuras prævidebat. Quo facto Oecumenicum Concilium quis congregaret ex omnibus orbis partibus, quæ non uni Principi per tam diversos Principatus diffusæ; sed diversis, & inter se pugnantibus subjacerent? Quis universali lege Ecclesiæ dogmata aut disciplinam curaret?

Rationes, cur Imperatores & Laici Principes Ecclesiasticas & Oecumenicas Synodos legitimâ & propriâ authoritate convocare nequeant.

4. Anteaquàm nunc porrò Adversariorum argumenta diluamus; præcipuè in id intendamus, oportet, ut non tam quid hinc inde factum, sed quo jure factum sit, æquâ lance ponderetur. Itaque si Christianis quibusdam Cæsaribus de Ecclesia bene meritis aliquid indulserint spontè Episcopi, vel ab aliis duriùs aliquid extortum sit; neque ab hac vi, neque à benignâ dispensatione Præsulum Ecclesiastico juri unquam detractum esse dicimus. Nam etiam tum jus proprium & summum penes Episcopos est, quando eodem jure sibi ex dispensatione Præsulum condonato alius utitur vel abutitur. Quo supposito ℞. ad I. licèt Constantino Magno eatenus plus indulserint Episcopi, quatenus Primus Christi nomen professus, Ecclesiam tot persecutionibus tamdiu jactatam liberâsset, ac ejus per orbem propagandæ spem fecisset; non obscurum tamen est aliunde, eundem Constantinum Nicænam Synodum non aliter *convocâsse*, nisi *ex sententia sacerdotum* (f): & Damasus Pontifex (g) fatetur, *factum esse Concilium cum ejus* (Sylvestri) *consensu in Nicæa Bithyniæ*; quo sensu posteà locuti sunt Patres sextæ Synodi (h): *Arius Divisor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus & Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Ex quibus conficitur, jus summum ac Apostolicum penes Episcoporum Episcopum; extrinsecam autem speciem & dignitatem penes Imperatorem hæsisse. Neque ex eo argumenti vis augetur, quod Eusebius Constantinum vocitet *Episcopum à Deo constitutum* (i); nam idem alibi inducit Constantinum hæc verba exponentem (k): *Vos quidem*, inquit, *in iis, quæ intra Ecclesiam, ego verò in iis, quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus.* Quod verò discriminis est inter animam & corpus, nempe ut illa dictet & præeat, hoc sequatur & exequatur; eo quoque differt Episcopatus

Argumenta Adversariorum solvuntur.

(f) Rufin. l. 1. c. 1.
(g) Damasus in vit. Sylv.
(h) In Prosphonetico VI. Synod. ad Constant. act. 16.
(i) Euseb. l. 1. in vit. Const. c. 44.
(k) Idem l. 4. c. 23. & 24.

patus interior ab exteriore. Possederunt interiorem Præsules trecentis fermè ante Constantinum annis, dum fide, legibus, Synodorum decretis pascebant Ecclesias, hæreses evertebant: exteriorem suscepit primò Constantinus, ut brachio suo gregem Domini protegeret, amoliretur simulachra, jussa Episcoporum executioni daret. Quare quicunque in exteriore hoc Constantini Episcopatu plus aliquid somniat, næ is quoque Constantium, Julianum, Valentem & alios hæreticos, desertores, fidei hostes, pueros, fœminas, & scisso Imperio nullos, aut pro uno plurimos hâc sacrâ donet potestate; quâ ejusmodi regum degeneres Nepotes aut filii armati Synodis, legibusque sanctis (quæ viscera Ecclesiæ sunt) immineant; non jam exteriores Episcopi, sed & interiores vel potiùs destructores. Hæreat animo hìc omnibus, quod altè Patrum veterum menti semper insedit, Episcopale à regio Imperio his maximè capitibus distare, quod illud in animas, hoc in corpora: illud in Ecclesiastica, hoc in sæcularia: illud intra, hoc extra Ecclesiam; hoc in cives, illud in Reges ipsos statuere valeat (l).

(l) Thomass. Diss. III. in Synod. Nic.

Ad II. ℞. cum eodem Cusano, qui paulò infra motam difficultatem ipse dissolvit (m): *Ad illud discutiendum*, ait, *dicamus, quod hoc interest inter utriusque* (scilicet Imperatoris & Pontificis) *convocationem, quoniam Papa ut primus & habens præceptivam potestatem ex Principatu Sacerdotii sui in omnes alios Episcopos, quoad eam Congregationem, respicientem Universalem Ecclesiæ statum, in qua ipse primam curam gerit: Ex qua credita potestate, præcipere habet Christi fidelibus, ut conveniant, maximè subjectis omnibus Sacerdotibus. Imperator verò exhortatur, & suadet Episcopis, ac præcipit Laicis.* Equidem, si priores Oecumenicas Synodos respiciamus obscura & rara existunt vestigia Sacerdotalis authoritatis; extant tamen aliqua: extabant tunc fortè plura, quæ sextæ Synodi Patribus non ignota fuêre, quando in publico cœtu exclamabant (n): *Arius Divisor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant .... Macedonius Spiritûs denegabat Deitatem, sed maximus Imperator Theodosius & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt. ... Gregorius & Nectarius in hac urbe conventum congregabant. ... iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus: ille quidem Christum dividebat, illi verò cum sceptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesus & ibidem gestorum tabulæ loquuntur. ... Deinde Eutychetis insania. ... Leonis tuba tanquam Leonis rugitus vehementer vociferans ex Roma archimandritam bestiam perterruit... Marcianus Imperator & Anatolius Constantinopolitanus Antistes cum omni Chalcedonensi à Christo congregata collectione ... sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonavit, & quintum Concilium constitutum est &c.* Et quamvis in quibusdam Synodis plus authoritatis ex Episcoporum conniventia sibi Imperatores sumpserint:

(m) Cusan. l. 2. de Concord. c. 15.

(n) Synod. VI. Act. 16.

rint; ex hoc tamen jus Pontificum non pessumdabitur. Episcopi enim & Pontifices, qui tunc silebant, posteà minimè tacuerunt: ita Pelagius II. etsi non ignoraret in secunda, tertia, & quinta Synodo Imperatores sibi aliquid plus licere voluisse; nihilominus scripsit (o): *Cùm Generalium Synodorum convocandi authoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari Privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolicâ authoritate non fuerit fulta. . . . Multis denuò Apostolicis, & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Unde (o) Pelag. II. ep. 8.

Ad III. ℞. ab orbe terrarum Carolo V. non aliam convocandarum Synodorum potestatem tribui potuisse, quàm quæ in Constantino ex hucusque dictis agnita est. Inspiciamus hâc super re exemplum aut etiam testimonium Ariani & ab Ecclesia cæteroquin alieni Regis Theodorici (p): *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto glor. Regis Theodorici diversis è regionibus congregata in Christi nomine dixit: Cùm ex diversis Provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes regia præcepisset authoritas. . . . Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum* (Symmachum Papam) *qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus sedi primum Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem . . . . sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrâsse significavit. Unde & à mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat.* Ex quibus colligimus quod, licet Patres se *ex Præcepto Regis* convocatos dicant, mox tamen affirment, ab ipso Pontifice quantumvis impetito se *convocari* debuisse. Ac ne sæculorum ultimorum præscriptione Imperatoribus aliquid adsertum dicas; Acta Florentinæ Synodi ab oculos ponamus: Græci (q) illinc postquam Privilegia Papæ, admittentes excepissent: *Ne convocet Synodum Oecumenicam absque Imperatore;* Pontifex statim obstitit jura sua sibi perpetuò tradita tuendo: *Authoritatem sibi esse*, reponebat, *ac facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, cùm opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.* (p) Synod. III. Roman. (q) Florent. Synod. Act. 25.

Ad IV. ℞. Idem iis, qui exceperunt contra Tridentinam Synodum, obmoveri posse, quod olim Athanasius de Synodo Romana scripsit (r). *Cæterùm Eusebiani, ubi semel audîssent Ecclesiasticum consessum fore, ubi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quæ Synodi sunt: quibus rationibus & non aliis Episcopos vicerant, imò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent; ita inhorruerunt, & metu contracti sunt &c.* & infra. *obtendit in speciem Episcoporum judicium, sed interim facit, quod illi volupe est. . . . Si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? quando judicium Ecclesiæ autho-* (r) Athanas. ep. ad Solit.

authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? .... plurimæ antehac Synodi fuêre, multa judicia habita ſunt. Sed neque Patres iſtiusmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris domo, & per eos ſalutabat in literis Philippenſes, non tamen eos in judicio ſocios aſſumpſit. Nunc autem novum quoddam ſpectaculum ab Ariana hæreſi editur. Convenerunt enim in unum hæretici & Conſtantius Imperator; ut ille quidem ſub prætextu Epiſcoporum, ſuâ poteſtate adverſus eos, quos velit, utatur: & tamen in perſecutione movenda Perſecutor non appelletur; illi verò ſuccincti Principis poteſtate faciant inſidias, quibus volunt &c. Plura videri poſſunt in opuſculo recentiùs Auguſtæ Vindelicorum à FRANC. XAV. PFIFFER S. J. edito, ubi quæſtionem illam dirimit, *cur Proteſtantes ſanctionibus Concilii Tridentini, ad quod ultro provocâſſent, ſe non ſubjecerint?*

5. Poſtquam Pontificis poteſtatem ſtabilivimus cogendi Synodos Oecumenicas; altera Pars examinanda reſtat: an penes Pontificem quoque Præſidium ac ſupremum judicium primorum Conciliorum fuerit? Qui hoc jus Imperatori vindicant, his ferè rationibus pugnant. I. Ab Euſebio Conſtantinum Nicænæ Synodi Præſidem palàm adſtrui, dum ait (s): *Nec dedignatus adeſſe, & conſidere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit, ea, quæ ad Dei pacem pertinent, cunctis procurans. Porrò ſedebat in medio, tanquam unus è multis. &c.* II. Idem Conſtantinus eodem tempore libellos ab Epiſcopis ſuſcepit, quibus injuriarum petebant remedia: Præſentibus in Concilio dat veniam conſultandi, normámque diſputandi præſcribit: demum Aceſium Epiſcopum Conſtantinopolitanum Sectæ Novatianorum addictum publicè examinat: literas dirigit ad Eccleſiam Alexandrinam, quibus cavet, ut ſcripta Arii ſub mortis pœna igni tradantur. &c. III. Synodo Primæ Conſtantinopolitanæ abſque Præſidio Pontificis, Oecumenicæ nomen tribuitur teſte Gregorio M. (t), qui ait: *Sicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Epheſinum &c.*

(s) Euſeb. l. 1. vit. Conſtant. c. 44.

(t) Gregor. M. l. 1. epiſt. 24.

6. Non eſt, quod longiùs opinionem ita hìc propoſitam, & alibi (u) jam confutatam evertamus; ſufficiat proinde hìc commemorâſſe, quod ait Ambroſius (x), Conſtantinum in Nicæno ſe judicem non feciſſe, ſed liberum feciſſe judicium Sacerdotibus: & profectò Chriſtianus Princeps utique ejusdem ſententiæ fuerit; cujus poſteà erat Valentinianus, cùm reſponderet Epiſcopis (y): *Sibi, qui unus è Laicorum numero erat, non licere, ſe ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Epiſcopi*, inquit, *quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, ubicunque ipſis lubitum fuerit, in unum conveniant.* E diverſo Theodoretus aſſerit (z): *Trecenti decem & octo Epi-*

(u) Reflex. X. ad C. I. §. 7.

(x) Ambroſ. epiſt. 32.

(y) Sozom. l. 6. c. 7.

(z) Theod. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 6.

Episcopi convenerant. Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed Presbyteros duos misit cum potestate actis assentiendi. Obstat hìc quidem Launojus (a) dicendo, quod adfuisse quidem memorentur Concilio nomine Pontificis nominati Presbyteri, non verò præsedisse. Sed Pagius (b) ex S. Leone probat, eum, qui in Concilio locum habet Pontificis, habere quoque jus præsidii; scribit enim dictus Papa ad Synodum Chalcedonensem (c): *Amplectendum clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias Diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus; quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere: tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere.* Igitur cum Vitus & Vincentius Sylvestri impleverint vices; non iis præsidendi authoritas poterat negari. Duobus Presbyteris tertius Episcopus accessit Hosius Cordubensis, de quo Gelasius Cyzicenus (d) hæc habet: *Ipse etiam Hosius ex Hispaniis, nominis & famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris, Vitone & Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit. Urbis autem illius, penes quam Imperium est, Episcopus, Metrophanes nomine, ingravescente ætate, sed presbyteri ejus, qui aderant illius locum suppleverunt.* At iterum cum Launojo instas, præfuisse quidem Hosium, non ob factam à Pontifice substitutionem, sed ob celebritatem nominis. Verùm dic sodes, unde illa celebritas peteretur? an ab Ecclesia Cordubensi? sed hæc mediocris erat & Hispalensi Metropolitæ subjecta: & si in privato Concilio, scilicet Eliberitano ex novendecim Episcopis coacto, potiorem locum Hosius non habuit, quàm secundum; quis credat tot Patriarchas Hosio cessuros fuisse, nisi ab altiore capite authoritatem in se derivâsset? An à meritis? sed Synodo intererant viri miraculis, Martyrum charactere insigniti: ab Eloquentiâ commendabatur Eustathius Antiochenus, qui etiam ideo primus in Concilio sermonem habuit: gratiâ apud Cæsarem pari vel etiam majore valebat Eusebius Cæsareensis, quin tamen præcipuas in cœtu vices obtinerent. Restat igitur, Hosio inde supremam Præsidii conditionem accessisse, quod Pontificis locum obiret. *Neque obstat* quod Eustathius primus à dextris sederit, Hosius & presbyteri à sinistris: nam apud Romanos (e) sinistra pars uti melioris auspicii habebatur teste Varrone; ita dignior existimata est: prætereà in sacris sinistra nostra numinis dextera vocabatur. Demum cùm in medio consessûs Episcoporum sacrosancta Evangelia in sublimi loco collocarentur, quæ typum Christi Domini gererent; ex eo intelligimus,

(a) Launoj. in Epist. ad Raymund. Formentin.
(b) Pagi in Critic. T. I. p. 406.
(c) Leo ep. 47.
(d) Gelas. Cyzic. l. 2. Hist. Concil. Nic. c. 5. vide etiam Photium l. de 7. Synod.
(e) Baron. ad a. 325. n. 56.

gimus, illos, qui à parte ſiniſtra ſederant, à dextris Chriſti fuiſſe: eos verò, qui in parte dextra, Chriſto fuiſſe à ſiniſtris. Quò etiam reſpicit vetus ordo Romanus, in quo hæc de conſeſſu in Eccleſia leguntur: *Sedebunt ea locali diſpoſitione, ut intrantibus Eccleſiam Epiſcopi ſint ad ſiniſtram, Presbyteri verò ad dexteram: ut quando Pontifex ſederit, & ad eos reſpexerit, Epiſcopos ad dextram, Presbyteros contueatur ad ſiniſtram.* Quâ ratione ſiniſtra honoratior dexterâ in Eccleſiaſticis conventibus habebatur; indeque Conciliorum Præſides non à dextris, ſed à ſiniſtris ſedebant (f).

(f) Pagius T. I. Critic. ad a. 325. n. 17.

7. Sententiæ noſtræ ut etiam Adverſariorum argumenta obſecundent; ea hunc in modum conciliamus. I. Sedit Conſtantinus in medio Concilii, ſed non antè conſedit, dum ab Epiſcopis juberetur. Vides hìc honoratam ſimul Cæſaris ac Protectoris perſonam; & ſimul colligis, credo, Epiſcoporum, utpote ſacrorum judicum prærogativam. II. Libellos Imperator ante aditum Concilii admiſit, non in Concilio: ac ne inde ſaltem judicem Præſulum vocites; Conſtantinus eodem tempore ad Epiſcopos converſus dixit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari* (g) poſteà in Concilio Patres ad pacem cohortatus, modum propoſuit, quo jurgia evitari poſſent; monuit tamen cunctos, ne à Cæſaris præſentia quiſquam territus meticuloſiùs ſua ſenſa proferret: non enim jam, quod ſequente tempeſtate Conſtantius fecit, Synodus armatis viris, aut Comitum ſæcularium terriculamentis obſepta erat. Demum Aceſium (utì objectabatur) privato duntaxat alloquio, non verò judicis nomine examinavit: cætera verò, quæ à Conſtantino acta perhibentur, executorem decretorum, nullatenus Præſidem demonſtrant (h). III. Fatemur Damaſum Conſtantinopolitanæ Synodo nec per ſe, neque per ſuos præfuiſſe; ſed Oecumenica antè non audiit; dum, quod ſine Pontificis voluntate geſtum erat, ejuſdem conſenſione penitus ſtabiliretur.

(g) Ruffin. hiſtor. Eccl. l. 10. c. 2.

(h) vid. Stapletonum in replica contra Hornum.

An jus Confirmandi Concilia Oecumenica ſit penes Pontifices?

8. Et quoniam vel ex ipſo hoc monumento tertia Romanæ ſedis prærogativa eluceſcit, quæ eſt de CONFIRMANDIS OECUMENICIS CONCILIIS; nos eandem materiem paulò latiùs hic commonſtrandam putamus. Qui cum Petro Aurelio (i) Pontificis authoritatem accidere hâc in parte allaborant, I. robur Canonum, Synodicarúmque definitionum ex Univerſali Eccleſiæ ſeu Epiſcoporum conſenſione deducunt; id enim eſt, quod Auguſtinum in gremio Eccleſiæ Catholicæ continuit (k): *tenet conſenſio populorum atque gentium.* Ita Chryſoſtomus ipſi Nicænæ Synodo robur acceſſiſſe ex conſenſione orbis univerſi docet: *At tu non illos tantùm condemnas Nicænos Patres, ſed & orbem terrarum Univerſum, qui illorum ſententiam comprobavit* (l). II. Subſcriptiones Epiſcoporum ac Monachorum, quæ accuratè exigebantur, Confirmationis loco

(i) Aurel. P. I. p. 98.

(k) Auguſt. lib. contra Ep. Fund. c. 4

(l) Chryſoſt. T. V. hom. 52. p. 707.

loco fuisse Martinus I. Papa profitetur: *Apostolico mucrone, Patrúmque definitionibus uno ore, unóque Spiritu condemnatam* (scilicet hæresin Monothelitarum in Lateranensi Synodo). *Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, & Synodali conventione scripta, unà cum subscriptionibus vestris, nobismet destinanda concelebrent, confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide statuta sunt* (m).

9. Verùm his adeò non movemur, ut nihilominus Principalem & legitimam potestatem confirmandarum Synodorum, etiam Generalium, penes sedem Petri esse asseramus; cujus prima ratio nobis esse debent tot Synodicæ epistolæ post celebrata Concilia ad Pontificem directæ; & Sardicenses quidem Patres in hæc verba ad Julium perscripsêre (n): *Hoc enim optimum, & valde congruentissimum esse videbitur; si ad Caput, id est ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* Et Orientales Episcopi hi ipsi (qui secundæ Synodo Generali interfuerunt) de Apollinari à se damnato ad Damasum retulerant, quibus & Damasus rescribit (o): *Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est.* Et Synodus ipsa CXV. Patrum ad Damasum retulit (p) damnationem Macedonii, Nectarii Constantinopolitani, & Flaviani Antiocheni electiones, dein subdit: *Quibus velut legitimè à nobis, & secundum Canones constitutis, vestram pietatem hortamur, ut congratuletur: Spiritali charitate nos mutuò devinciente .... sic enim doctrinâ fidei concorditer stabilitâ, & Christianâ charitate in nobis CONFIRMATA, cessabimus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est: Ego quidem sum Pauli &c.* Quod autem Damasus post hanc epistolam in Romana Synodo dederit robur Actis Concilii Constantinopolitani; sextæ Synodi Patres nobis significant, dum ajunt: *Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, sed maximus Imperator Theodosius & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt* (q). Concilium illud nec Damasum convocasse, nec ei per Legatos interfuisse constat; igitur restat, ut ratihabitione & confirmatione acta Synodi contra Macedonium fuerint comprobata. Atque hoc est, quod Julius Papa Episcopis Concilii Antiocheni inculcandum voluit (r): *Eos contra Canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsum ad Concilium non vocaverunt, Ecclesiastico Canone jubente, non oportere præter sententiam Episcopi Romani Canones condere Ecclesiis.* Idem aliis verbis Sozomenus exposuit (s): *Contra leges Ecclesiæ esse, quod ipsum ad Synodum non vocâssent .. esse enim legem Sacerdotalem, quod irrita declarentur, quæcunque fiunt præter sententiam Romani Episcopi.* Necessariam porrò esse consensionem Primæ sedis ad Conciliorum valorem, ex Synodica Concilii Romani sub Damaso colligitur; de Synodo enim Ariminensi perhibet (t): *Siquidem numerus Episcoporum, qui Arimini congregati fuerunt, præjudicii vim habere non debet.*

(m) Martin. PP. epist. ad Epp. Galliæ.

(n) Synod. Sard. ad Julium PP.

(o) Theod. l. 5. c. 10.

(p) Synod. Epl. ad Damas.

(q) Synod. VI. act. 16. in Prosphonetico ad Constantin.

(r) Socrat. l. 2. c. 13.

(s) Sozom. l. 2. c. 9.

(t) Theod. l. 2. c. 22.

Quandoquidem factum illud est, neque Romanorum Episcopo, cujas ante alios oportebat sententiam exspectare: neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat: neque aliis in res tales consentientibus. Neque Damasus solus fuit, qui hoc jus Apostolicæ sedi vindicavit, sed & Leo Papa, qui de quartæ Synodi Oecumenicæ confirmatione ita ait (u): *Et Fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui viam meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum unîsse sententiam.* Sed quemadmodum Chalcedonense Concilium authoritatem à consensu Leonis accepit, ita Ephesina secunda ex hoc capite reprobata est (x): *Dioscorum secundæ sedis Præsulem suâ authoritate damnavit Sedes Apostolica, & impiam Synodum non consentiendo submovit .... sicut id, quod prima sedes non probaverat, stare non potuit: sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.* Maneat itaque inviolatum, quod Gelasius Pontifex citato loco paulò antè præmiserat: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ authoritate confirmat, & continuâ moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet.*

(u) ap. Facund. Hermianens. l. 3. c. 4.

(x) Gelasius PP. ep. 13. ad Epp. Dardaniæ.

10. Postremùm nullâ ratione inficiamur minora etiam Ecclesiæ membra, & universali suâ fidei contestatione robur decretis addere posse: nam uti subditorum facta legum vigorem firmant; ita Conciliorum Canones tunc non parùm stabiliuntur, si usu fidelium comprobantur: sed firmitatem illam, quæ ex confirmandi jure atque authoritate proficiscitur, cum Cusano ei tribuimus, *qui Princeps est in Episcopatu fidei* (y); nam *nullum judicium* (ut prædictus author pergit) *cujuscunque Synodi, ubi non est authoritas Apostolicæ sedis, firmum est; quia semper appellari potest à judicio illius ad Apostolicam sedem.* Itaque Episcoporum, Monachorum, adeóque & Laicorum confessio, & expressa ad confessionis non ad confirmationis necessitatem subscriptio, aliquam quidem Confirmationis imaginem præ se fert; quia consensus iste Catholicorum Præsulum explicatissimus & à Monachis, Laicísque ad redundantiam veritatis elicitus repræsentat specimen divinæ omnipotentiæ, & pignus reddit luculentum illius promissionis, quâ Christo subjugandum orbem omnem prisca Vaticinia cecinerunt. Hoc ergo modo confirmatur fides ab iis, qui authoritatis supremæ cùm sint expertes; contestantur tamen hanc esse avitam & sibi à majoribus instillatam fidem (z). Ultimam proinde manum Apostolica sedes apponat necesse est; nam Concilia *quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent* (z).

(y) Cusanus de Concord. l. 2. c. 15.

(z) Thomass. Dissert. VI. in Synod. Const. n. 8.

(z) Ferrandus Diacon. Carthag. ad Pelag. & Anatol.

REFLE-

REFLEXIO V. ad §. 1. num. 37. p. 286.

De ſenſu Canonis ſexti Nicæni, ac de poteſtate Pontificis in Suburbicarias Provincias.

1. INter celebriores controverſias non minima videri poteſt illa, quam Canon ſextus Nicæni Concilii poſterioribus ſæculis agitandam reliquit. Juxta verſionem Dionyſii exigui verba Canonis ita habent: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin; ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt* (a). Canonis ejusdem argumentum paulò aliter interpretatus eſt Rufinus Presbyter Aquilejenſis. *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti vel hic Suburbicariarum ſolicitudinem gerat* (b). Anno 451. in Concilio Chalcedonenſi Act. 16. idem Canon publicè lectus eſt tum à Vicario ſedis Apoſtolicæ Paſchaſino, tum à Secretario Conſtantino Conſtantinopolitano; timebatur enim, ne fortè quidam civitatum ſuarum ſplendori confiſi, aliquid tentaverint uſurpare: ad Conſtantinopolitanorum igitur ambitionem retundendam, Paſchaſinus legit prædictum Canonem hiſce verbis conceptum (c): Trecentorum decem & octo SS. PP. Canon ſextus, *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt: & in cæteris Provinciis, Primatus habeant Eccleſiæ civitatum ampliorum. Per omnia autem manifeſtum ſit, quod ſi quis præter voluntatem Metropolitani Epiſcopi fuerit ordinatus, hunc ſtatuit hæc ſancta Synodus non debere eſſe Epiſcopum &c.* Paſchaſinus ubi ex Romano tabulario Canonem ſextum legerat; Conſtantinus Secretarius divini Conſiſtorii ex dato codice ab Aëtio Archidiacono Conſtantinopolitano SS. Eccleſiæ aliis verbis eundem recitavit, omiſſo nimirum Primatu Apoſtolicæ ſedis incipit: *Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt. Similiter autem & Antiocheno & in aliis Provinciis Primatus habeant Eccleſiæ civitatum. Univerſaliter autem illud manifeſtum eſt, quia qui ſiquis præter voluntatem Metropolitani fiat Epiſcopus, hunc ſancta Synodus definivit non debere eſſe Epiſcopum &c.* (d). In hoc Canone utùt variis verbis propoſito palam eſt, fieri comparationem inter jurisdictionem Epiſcopi Alexandrini & Romani: ſed quoniam Pontifex Romanus non uno titulo, nec unâ juris poteſtate pollet; obſcurum adhuc videtur, in quo demum capite Nicæni Patres

(a) Nicæn. Conc. can. 6. apud Harduin. in Coll. CC. Tom. I. p. 326.

(b) Ibid. p. 333.

(c) Concil. Chalced. act. 16. ap. Harduin. in T. II. CC. p. 638.

(d) Concil. Chalcedon. Act. 16. apud Hard. l. c.

tres parem Alexandrino parémque Romano Papæ juri communionem ac æquatos poteſtatis limites tribuerint.

Multiplex Jurisdictionis genus in Pontifice.

2. Hanc Quæſtionem antequam apertiùs in medium proferamus, in Romano Pontifice plures mente atque animo diſtinguimus jurisdictiones: ſicut enim in exercitu Imperator etſi peculiarem cohortis cujuspiam vel alæ præfecturam ſubeat, non eo fit, ut copiarum omnium Dux idem & Caput eſſe non poſſit; ſic in Eccleſia idem Pontifex ſupremas vices, ſimulque quatuor illos gradus ſuſtinet, qui à Synodo Chalcedonenſi deſcribuntur (e): eſt quippe *Epiſcopus* Romanus, *Metropolita* Romanæ Provinciæ, *Patriarcha* Occidentis; præſertim cum illi gradus ita ſint comparati, ut ſuperior inferiorem ſemper complectatur. Nam qui Metropolitanus eſt Provinciæ, idem Epiſcopus civitatis ſuæ: & qui Primas ſeu Exarchus Diœceſis vocatur; is quoque Metropolitanus Provinciæ ſuæ & ſuæ civitatis Epiſcopus & ſic deinceps (f). Atque ut paulò latiùs hæc explicemus *Primò* aſſerimus Pontificem eſſe URBIS ROMÆ EPISCOPUM peculiarem & privatum, quemadmodum urbs ipſa, una civitas eſt: ita enim Conſtantinus Melchiadem compellavit, dum ſcripſit *Conſtantin. Aug. Melchiadi Epiſcopo Romano, Hierarchæ.* Quo tamen nomine nullam habet in cæteros Epiſcopos & populum illis ſubditum Jurisdictionem; licèt illis emineat dignitate, utpote Rector Cathedræ à Principe Apoſtolorum conſtitutæ: & quia hic ipſe Romanus Epiſcopatus radix eſt omnis ejus poteſtatis, quam Petrus ſedi Romanæ affixit, quæque titulo Capitis, Metropolitæ ac Patriarchæ exponitur. *Secundò* Pontifex eſt METROPOLITA ſive Archiepiſcopus in Romana Provincia, in qua & Epiſcopos conſecrare & Concilia convocare & cauſarum appellationes excipere ſolet, cæteráque præſtare, quæ Metropolitanis in ſua cuique Provincia communi jure conveniunt. *Tertiò* PATRIARCHA OCCIDENTIS & quidem Patriarcharum primus honoris & dignitatis ordine, ut ipſi ſchiſmatici non abnuunt, quas quidem dictas poteſtates limitibus quibusdam arctatas quisque intelligit, idque non divino, ſed Eccleſiaſtico jure; nam quod Metropolita Romanus tot præcisè Suburbicarias contineat, quodque Eccleſiæ Romanæ Patriarchatus tot & non plures Diœceſes complectatur, ex determinatione Pontificum ac Conciliorum fuit: ita à Nicæno Alexandrinus, à Chalcedonenſi Conſtantinopolitanus, à quinta Synodo Hieroſolymitanus definitas Diœceſes accepêre, ex quâ limitatione minimè tamen tollitur *quarta* illa Pontificis jurisdictio ampliſſima, quæ non ab homine, ſed à Chriſto data eſt, ut ſucceſſores Petri ſint Caput Eccleſiæ totius, & primarium poſt Chriſtum fundamentum, de quo alibi plura & infra porrò dicturi ſumus.

(e) Chalced. Synod. c. 9. & 17.

(f) Sirmond. l. de Suburbicar. c. 5. contra Salmaſium.

3. Propoſitâ Jurisdictionis Pontificiæ variâ acceptione, indagandum nunc, quo ſenſu ſextus Canon Nicæni Concilii exponendus ſit.

An

Aut quâ conditione Nicæni PP. comparationem duorum Patriarcharum nimirum Alexandrini & Antiocheni cum Romano institutam voluerint? Novatores, ut Pontificis authoritatem restringant, hâc ratione æquiparatos illos tres Patriarchas asserunt, ut Primas quidem partes Romanus obtineret; cæterùm in sua Diœcesi quisque summo jure cum sua Synodo uteretur (g). Verùm errorem suum hi facilè perspicient, si verba Canonis expendere velint: cùm enim ibi caveatur, ut *Antiqua consuetudo Servetur*; nemo tam hebes erit, qui non intelligat, mores antiquos hoc Canone firmari, atque adeo totam, quantacunque erat, Romani Pontificis authoritatem. Accedit quod Rufinus suâ Canonis interpretatione veritati majorem affundat lucem, dum hic non in omnibus articulis, sed in eo juro Patriarchico, quod obtinebat in Diœcesi urbicaria, Romanum Pontificem cum Alexandrino Episcopo conferri adnotavit, & *ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.*

Sensu vario Canon sextus Concilii Nicæni à variis exponitur.

(g) v. Petrus de Marca de Concord. Sacerd & Imp. l. 1. c. 7. n. 6.

4. Dum autem ex Rufino expositionem petimus; rem novis tricis involvi contuemur: ex *Suburbicariarum* enim gubernatione ad Pontificem pertinente Molinæus Catholicæ Ecclesiæ desertor conclusit, multò angustiorem Pontificis jurisdictionem videri, qui à Nicænis Patribus diceretur *Suburbanis* tantùm Ecclesiis præfuisse (h). Absurda quamvis hæc foret vocum interpretatio; Salmasius tamen Calvini alumnus anno 1618. toto volumine maligniùs ostendere conatus est, Metropolim Romanam Rufini temporibus circa annum CCCC. iis Provinciis definitam esse (scilicet Piceno, Tusciâ, Latio veteri & Valeriâ) quæ suburbicariæ dicebantur, quòd à jurisdictione Præfecti urbis penderent, & ad centesimum ab urbe lapidem porrigerentur (i). Nodum hic scindunt potiùs, quàm solvunt illi, qui Rufinianam Canonis versionem corruptam affirmant, eoquòd teste Hieronymo (k) græcæ linguæ minùs peritus vel malè verba exposuerit, aut addiderit impertinentia, aut ex alia animi voluntate deleverit (l). Sed quoniam peritissimi scriptores utpote Schelstrate (m), aliíque cum Petro de Marca ex Rufino declarationem sexti Nicæni Canonis potiùs deducunt; responsio hæc nobis meritò displicet. Ex Sirmondo proinde non negativa, sed assertoria monumenta (n) depromimus, quibus Adversans Salmasius penitus profligetur: Ac *primò* ex Notitiâ Imperii tempore Theodosii Jun. conscriptâ certum est, post divisionem Imperii in tredecim Diœceses factam, Præfecto urbis nullibi Diœceseos gubernationem adsignari: & quâ ratione Diœcesis, quæ multas Provincias complectitur, intra spatium centesimi lapidis coarctaretur? Neque tamen ideo Italicis Provinciis minùs provisum est: duos quippe Vicarios unum Italiæ, alterum urbis Romæ dictum constitutos legimus: Primus Mediolani degens (o) Italicas regiones sive eas, quæ Galliæ Cisalpinæ nomine olim

Quid sint Suburbicariæ? & an per eas intelligatur parvus districtus circa Romam

(h) Apud Bailium in summa CC. T. I. p. 179.

(i) Salmasius apud Petr. de Marca l. 1. c. 3. n. 6.

(k) Hieron. Apolog. 3.

(l) Turrian. l. 3. ep Pont.

(m) Bailius l. c.

(n) Sirm. in conjectura Anonymi script. de Suburbicar. Paris. 1618.

(o) Paulin. in V. Ambr. Marcellin. l. 27.

olim veniebant, nempe *Venetiam*, & *Istriam*, *Æmiliam*, *Liguriam*, *Flaminiam* & *Picenum Annonarium* moderabatur: secundus Vicarius urbis Romanæ regebat eas Provincias, quæ Suburbicariæ sive sub moderamine urbis positæ dicebantur, erantque omnino decem, scilicet 1. Provincia *Campaniæ* 2. *Thusciæ & Umbriæ* 3. *Picenum Suburbicarium*, quod ideo hoc nomen accepit, quia altera Piceni pars ad Italiæ Vicarium pertinebat. 4. *Sicilia* 5. *Apulia & Calabria* 6. Provincia *Brutiorum & Lucaniæ* 7. *Samnii* 8. *Sardinia* 9. *Corsica* 10. *Valeria* (p); ex quibus conficitur, quàm malè Salmasius Diœcesin Romani Episcopi cum præfectura urbana confuderit. Idem confirmat Petrus de Marca ex Notitia illa Vaticana veteri (q), quæ 69. Episcopatus, ex quibus Romana Provincia conflata erat, nobis exhibet; qui quidem non solùm Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem ad Sinuessam, Marsos seu Valeriam, Picenum, & Thusciam Suburbicariam complectebantur; sed etiam Thusciam Annonariam, Umbriam, & Picenum Annonarium comprehendit. Demum Baronius (r) ex antiquo codice sacrorum rituum formam, quæ tempore Petri Damiani vigebat, describens, enumerat primò Ecclesias titulares Cardinalium, ac urbis Abbates: dein addit, suffraganeos Romani Pontificis nulli alteri Archiepiscopo subjectos fuisse; frequenter autem tales ad Romanas Synodos evocari ex *Campania* decem, ex *Marsis* sex, ex *Tuscia* viginti & unum, ex *Umbria* & *Marchia* viginti quatuor, qui sexaginta & unus Episcopi intra centesimum ab urbe Lapidem certè habitare non potuerunt.

(p) Notit. Imperii item Sirmond. in lib. cit. c. 4.

(q) vid. Baron. ad an. 1057.

(r) Idem Tom. XI. ad a. 1057.

An per Suburbicarias intelligatur totus Occidens?

5. Suburbicarias etsi latiore spatio contra Salmasium accipi oportere dicamus; minùs tamen Valesio & Schelstratejo aliísque (s) hìc assentiendum putamus, dum per Suburbicarias omnes Occidentales Ecclesias intelligunt; eoquòd speciali jure Patriarchæ Occidentis sive Episcopo Romano sint subjectæ. Nam hâc ratione Suburbicariarum nomen nimis per alienum sensum exponeretur, quæ ex propriâ significatione illas duntaxat urbes designant, quæ non longè ab urbe absunt, sicut Urbicariæ illæ dicebantur, quæ Vicario urbis parebant (t). Accedit, quod antiquior Canonum interpres, qui ætate Dionysium exiguum antecedit, sententiam Nicæni Canonis hunc in modum exprimat: *De Primatu Ecclesiæ Romanæ & aliarum civitatum Episcopis antiqui moris est, ut Suburbicaria loca & omnem sive Provinciam suâ solicitudine gubernet* (u), quibus verbis unam Provinciam (utique illam Romanam ex sexaginta & pluribus Episcopatibus conflatam) sive unam Diœcesin intelligat Urbicariam (nam Provinciæ vocabulum & Diœceseos (x) nomen sæpe confunduntur); certùm saltem est Provinciam unam non posse traduci ad tot Diœceses, quibus Patriarcha Occidentis suo jure præesse cognoscitur. Præest autem iis Diœcesibus, quibus Præfectus Prætorio Illyrici, Præfectus Prætorio Italiæ & Præfectus Prætorio Galliarum Imperabat; adeóque Diœcesibus septenis vel

(s) Valesius in observ. ad Hist. Socrat. vers. c. 2. Schelstrat. Antiq. P. 2. Diss. 2. c. 2.

(t) Petrus de Marca l. 1. cit. c. 7. n. 6.

(u) Codex MS. apud Petrum de Marca l. c.

(x) Concil. Const. c. 2. Chalcedon. c. 9. & 17.

vel octonis, & Provinciis sexaginta novem; qui totus Provinciarum numerus an unius Provinciæ nomine vel Diœcesis venire possit, tuum lector esto judicium.

6. His fundamenti loco præmissis (y), cum Petro de Marca statuimus, in Canone sexto Concilii Nicæni alio ex capite Alexandrini Antistitis cum Pontifice Romano comparationem nequaquam fieri, quàm quod sicut Pontifex Romanus velut Suburbicariarum Metropolita in illis supra memoratis Provinciis sine medio Episcopos Ordinet; ita eodem jure Alexandrinus Præsul, (prout jam ibidem more olim receptum erat) in tota Ægypto porrò gaudere pergat. Ex Christiano Lupo (z) quippe perdiscimus, „conditum esse hunc Canonem ad reparanda Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchica privilegia per Meletium Lycopolitanum Episcopum læsa & mutilata. Meletius (uti habemus in secunda Apologia S. Athanasii, ob Idololatricum in Diocletiani Augusti persecutione lapsum, & excessus alios à S. Petro Alexandrino Patriarcha Synodaliter damnatus, schisma fecit, neque tantùm excussit obedientiam, sed insuper teste Theodoreto (a) *exercuit tyrannidem contra Primatem* Alexandrinum, juxta Gelasium Cyzicenum *contra prærogativam sedis Alexandrinæ, ambitione* (inquit Athanasius) *ut rebus præesset*: Thebaidis, ac vicinæ Ægypti Provincias, omnéque illud jus Patriarchicum invasit, novum se illic ostendit Patriarcham; & firmandi sui causâ conjurationem iniit cum Arianis anteà inimicis. Graves hâc de re querelas ad Synodum deposuit Alexander Patriarcha, ideóque datus est præsens Canon, plenè restaurans illius Patriarchicam potestatem.„ Ut autem porrò palam fiat, ecquod jus Meletius Alexandrino Antistiti eripere conatus sit; Synodica Nicæni Concilii inspicienda est, cujus argumentum ostendit, ordinandorum Episcoporum potestatem ab homine novaturiente appetitam fuisse. Ita enim ibidem habetur (b): *Quæ per petulantiam Meletii gesta sunt, & eorum, qui ab eo sunt ordinati, etiam ex hac parte, quæ placuerunt Synodo*, ipsis insinuantur: *Meletium* (nimirum) *manere quidem in propriâ civitate . . . nullam verò omnimodis habere potestatem, neque eligendi, neque ordinandi, nec in Provinciâ, nec in qualibet civitate videri, purúmque nomen tantummodo possidere. Eos autem, qui ab ipso sunt constituti, mysticâ ordinatione firmatos habere honorem & Ministerium, ut tamen sequentes sint modis omnibus, universorum in singulis Parochiis & Ecclesiis à charissimo, & comministro nostro Alexandro consecratorum, & ut his nulla potestas sit, placitos sibi eligere aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem Ecclesiæ Catholicæ Præsulis Alexandri. . . . Hæc sunt præcipua & competentia Ægypto, & sanctissimæ Alexandrinorum Ecclesiæ.* In hac igitur Synodica cum de ordinandi potestate potissimùm agatur; benè concluditur similitudinem Alexandrini cum Romano ordinationes Episcoporum maximè respi-

(y) Petr. de Marca l. 1. c. 7. n. 3.

(z) Christ. Lupus P. I. ad hunc c. 6.

Nostra sententia de sensu Canonis sexti proponitur.

(a) Theod. l. 1. c. 4.

(b) Synod. Nicæni Concilii.

ſpicere. Nam uti certum eſſe ait Petrus de Marca, Romanum Epiſcopum non omnes per Occidentem ſibi uſurpâſſe ordinationes Epiſcoporum; ita ſaltem per Provincias Suburbicarias ſibi reſervâſſe hoc jus ordinandi Epiſcopos, nulli dubium eſſe poterit: præſertim cum ex veteris diſciplinæ ritu ordinati in iis Provinciis Antiſtites ad Romanas Synodos, velut ex Metropolitani juſſu confluere deberent; quia ii, qui ad conſecrationem pertinebant, pertinebant quoque ad Concilium. Atque ut exemplis res commonſtretur; Cæleſtinus Pontifex ex Apulia & Calabria (c), Damaſus ex Italia, univerſa Campania, Brutiis (d): Gregorius Magnus ex Sardinia & Sicilia Præſules evocâſſe legitur (e). Ex quibus tandem conficitur in Nicæno Canone ſexto eatenus componi Alexandrinum, Romanúmque Epiſcopum (f), quod ille Ægyptiacæ Diœceſeos ἐξουσίαν habere debeat eodem jure, quo Epiſcopus Romanus utebatur in Diœceſi Urbicaria, ſeu ut Rufinus ait *in Eccleſiis Suburbicariis* aut decem Provinciis prædictis. Earum enim Provinciarum & Synodus & ordinatio, & plena, liberáque adminiſtratio ad Epiſcopum Romanum pertinebat, ut Epiſcopo Alexandrino in Ægyptiaca Diœceſi, & Antiocheno in Orientali. Sapienter autem Rufinus, (ut porrò ait Marca) comparationem his finibus coercuit, quia ſcilicet uberiore jure fruebatur Romanus Pontifex, quàm cæteri Diœceſeon ſingularum Exarchi; etenim & plures, majoréſque Diœceſes tenebat; & (ut cum Synodo Arelatenſi loquar) Principatum totius Eccleſiæ gerebat, in quibus duobus capitibus duos illos Patriarchas cum Romano non componi Rufinus cenſuit, sed tantùm ratione habitâ Eccleſiarum Suburbicariarum.

(c) Epl. Cæleſtin. apud Schelſtr. P. I. Diſſ. II. c. 1.
(d) Athanaſ. in Epl. ad Solit.
(e) In Regiſtro. Gregor.
(f) Petrus de Marca l. 1. c. 7. n. 6.

Argumenta Adverſariorum proferuntur.

7. Adverſarii nihilominus contrà inſtant, & Alexandrinum cum Romano in Patriarchico, & latiùs diffuſo jure comparari, ſequentibus argumentis evincere conantur. I. Nicæna Synodus conſuetudinis in Ægypto firmatum nullo modo negotium ad nomen ordinationis reſtringit (g), eccur igitur hìc ſenſus Canonis ad poteſtatem ordinandi tantummodo arctaretur? quod ex Chalcedonenſi decreto majorem lucem accipit, dum ita ſtatuitur: *ut ſequatur omnis Ægyptiaca Diœceſis Archiepiſcopum magnæ urbis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo* (h). Quare ſi Alexandrino Antiſtiti non tantum ordinandi, ſed quælibet agendi poteſtas in Ægypto tribuitur; cur non eodem jure Romanus Patriarcha eidem per totum Occidentem quoad omnes partes compararetur? II. Alexandrinus Epiſcopus erat Metropolita Metropolitanorum; eoquod, ut ait Schelſtrate (i), nemo dubitare poteſt, plures Metropolitas Apoſtolico decreto in Provinciis Ægypti, Lybiæ & Pentapolis inſtitutos: firma igitur ratio inde profluit dicendi, quod Nicænum Concilium confirmârit inſtitutionem ſedis Alexandrinæ, tam ſupra Metropolitas, quàm plures Epiſcopos. III. Quoniam Nicæni Patres ad Antiquam

(g) Valeſius in Can. Nic. c. 2.
(h) Chalced. Synod. act. 4.
(i) Schelſtr. l. c. n. 71.

quam consuetudinem provocant, quæ in Ægypto fuit, utique ad primam institutionem respiciunt, quando ex Authoritate Petri Romani Episcopi S. Marcus Alexandriæ Cathedram erexerat ad exemplar Sedis Romanæ; quare dum decernunt: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*; nil aliud exponere voluerunt, quàm quod Sedes Patriarchalis Alexandrina ad exemplar Sedis Romanæ instituta æquè per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim suo Patriarchico juri subjectas, potestatem omnium habeat: sicut & Sedes Romana potestate latissimâ donata est super omnes Occidentis Provincias à jure Patriarchali ejusdem pendentes (k).

(k) Idem l. c. n. 73.

8. Rationibus hisce etsi non pauci moveantur; nos tamen primæ sententiæ inhærentes, difficultates objectas hoc modo dissolvimus. Ad I. ℞. nomen ordinationis equidem clarè in Canone non exprimi; colligi tamen ex Canonis à PP. decreti occasione, quam ita Epiphanius (l), & Theodoretus (m) in medium adducunt: nempe Meletiani schismatis causâ Canonem fuisse editum, qui Lycopolis Episcopus Clericos passim Episcopos, & Presbyteros ac Diaconos instituebat; quæ cùm adversus Episcopi Alexandrini jura tentari viderentur; morem antiquum retineri Synodus jussit, ut Episcopus Alexandriæ per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim summam habeat potestatem, paríque modo & Antiochiæ & cæteris in Provinciis sua Metropolitanis jura servari præcepit: ac ne jura omnia hìc attingi credas; Chalcedonensis ejusdem Concilii verba de Canone sexto Nicæno inspice (n), ubi ita habetur: *Quod si quis præter voluntatem Metropolitani Episcopi* (non ait Patriarchæ) *fuerit ordinatus, hunc statuit hæc sancta Synodus non debere esse Episcopum.*

Difficultates objectæ solvuntur.

(l) Epiphan. hær. 68.

(m) Theod. l. 1. c. 9. apud Sirmondum in Adventoriæ P. II. c. 1.

(n) Chalced. Synod. Act. 16. vide etiam Reflex. V. Num. 1.

Ad II. ℞. Si Schelstratejus probaret id, quod extra dubium esse supponit, nimirum tempore Nicænæ Synodi jam Metropolitas in Ægypto, ac Alexandrinos Episcopos institutos fuisse; palmam referret: sed cùm ex subscriptionibus Nicænorum Patrum nil ejusmodi constet (nam nullus Metropolita Ægypti nominatur, nec scribitur in toto syllabo) major probatio dicto Authori incumbit: neque enim vestigium in Chalcedonensi, aliísque Conciliis de Ægypti Metropolitis legere est; & licet cæterarum Diœceseon varii Metropolitæ adscribantur, de Ægypti tamen Metropolitanis altum silentium.

Ad III. ℞. Frustra aliam iniri rationem exponendi Canonis, cùm causam genuinam ejusdem ex Theodoreto & Epiphanio cognoscamus. Cæterùm uti Romanus Pontifex in Suburbicariis Provinciis sibi Synodos ordinationésque Episcoporum adsciscebat (o); ita Pontificis authoritas Patriarchica in eo versabatur, ut majores causas tractaret, leges ferret & relationes discuteret ad conservandam unitatem Ecclesiæ; quâ ratione

(o) Petrus de Marca l. 1. c. 7. n. 7.

Concilia Gallicanæ, Africanæ, & cæterarum Diœceseon cum Romanis Conciliis connectebantur; ita ut plena Synodus Occidentalium è Synodo Romana constaret, conjunctis cæterarum Diœceseon Synodis; quæ, si de causa communi ageretur, per Legatos decreta sua referebant. Hæc est sententia Concilii illius Romani, quod sub Agathone habitum est adversus hæresin Monothelitarum (p); cujus Epistola Synodica ad Constantinum Pogonatum Imperatorem missa, & actis sextæ Synodi inserta testatur, omnes illas Synodos, quæ per Occidentis & Septentrionis Provincias ad Oceanum usque porrectas coguntur ab Episcopis, qui apud Longobardos, Sclavos, Francos, Gothos atque Britannos degunt, ad Synodum Apostolicæ sedis pertinere.

(p) Epist. Agath. & Synod. Rom. Act. 4. Conc. VI.

REFLEXIO VI. ad §. 1. num. 38. p. 289.

An Canones, quos Arabicos vocant, à Patribus Nicænis sint editi?

1. Cùm non unius argumenti decreta in SS. Patrum voluminibus occurrant, quæ in vulgatis viginti Canonibus Nicænis non reperiuntur; controversa subinde quæstio exorta est, utrum præter dictos Canones illæ constitutiones, quas Arabicas appellant, quæque ingentem rerum copiam complectuntur, in Synodo Nicæna lucem viderint? Argumenta, quibus Authorum nonnullorum opinio stabiliri posset, hæc præcipua recensentur. I. Athanasius unà cum Ægypti Episcopis ad Marcum Pontificem perscripsit: *Præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt Synodo, scilicet 40. à Græcis, Græcâ edita linguâ, & quadraginta à Latinis, similiter Latinâ edita linguâ* (a). Neque Marcus Pontifex id inficiari ausus est; nam Athanasio rescribebat, se talia capitula unà cum inscriptionibus Nicænorum PP. in suo scrinio invenisse. II. Franciscus Turrianus postquam ex Alexandrini Patriarchæ Bibliotheca octoginta Nicænos Canones allatos accepisset; iis latino idiomate donatis & ab Alphonso Pisano editis hanc præfationem præmisit, *exemplar Arabicum ex Bibliotheca Pontificis Marcelli II. cum Alexandrino omnino convenire*: ex quo exemplarium consensu, quid aliud conjicias, nisi operis antiquitatem in quartum sæculum recedentem? III. Abrahamus Ecchelensis, natione Maronita, aliam versionem horum Canonum instituens, 84. Canones Nicænos ponit, quos quia multis linguis asserit diu circumferri; ideo opinatur Jacobum Nisibensem Episcopum (qui Nicæno Concilio interfuit) hos Canones collegisse. Præterea Abnalchassabus Ægyptius de his Canonibus hunc in modum præfatur: *Et posuerunt* (Nicæni Patres) *de judiciis Canones complures, ex quibus duæ in hoc libro sunt partes, quarum*

Argumenta, quibus probatur, Canones Arabicos pertinere ad Synodum Nicænam.

(a) Epist. Athan. apud Schelstrat. Antiq. illust. P. II. Diss. 2. c. 4. n. 165.

quarum una viginti Canones continet, quam Constitutiones sequuntur innumeræ, in quibus convenitur, quarum nota est Nicæn. Altera verò multiplicis utilitatis est, cujus versionem procurârunt Melchitæ, & Nestoriani, & rata habetur apud Jacobitas Syros, & illius Canonum numerus in Melchitarum editionibus est 84., quos complures subsequuntur etiam Constitutiones (b). Præter has versiones celebris est Æthiopiorum, & Maronitarum; nam Joannes Maro qui ineunte sæculo VII. scripsit, ex iis Canonibus citat Canonem 44. (c). IV. Multa acta PP. Nicænorum in iis Canonibus continentur, quæ aliunde vix eruere liceret: sic Julius Papa I. (d) ex iis probans, legitimè susceptam à Sede Apostolica causam, etiam post Concilii Tyrii judicium, ad decretum provocat Nicænum, quo conceditur, ut acta prioris Synodi in alia Synodo examinari valeant; cujus decreti *memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo.* Deinde Hieronymus (e) de rebaptizatione Hæreticorum agens scribit: *Nicæna Synodus omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis;* nam etsi Canon 19. Nicænus Paulianistas rebaptizari præcipiat; nil tamen effatur de susceptis cæteris hæreticis: id proinde ex Canone 3. & 32. Arabicis eruitur, ubi Ariani & ii qui baptismum & Ecclesiæ leges retinuerant, novo elui baptismate prohibentur. Denique Augustinus (f) ait: *Adhuc in corpore posito B. memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.* Quis autem ex 20. Nicænis Canonibus statutum ejusmodi exsculpet? confugiendum igitur denuò ad Arabicum Canonem nempe 48., ubi dicitur: *ut nullus Episcopus, dum vivit, alterum eligat, qui post mortem loco suo succedat.*

(b) Abnalchassab. de Canon. Nic. apud Schelstrat. p. 289.
(c) Maro de Sacerdot.
(d) Epist. ad Oriental.
(e) Hieron. Dialog. contra Lucifer.
(f) August. ep. 100.

Statuitur, Canones Arabicos nullatenus dici posse definitiones Patrum Nicænorum.

2. Verùm octoginta quatuor Canones ex Arabica versione profectos, minimè Nicænis Patribus tribui posse graviores rationes persuadent. Quantumcunque enim propiora Nicænæ Synodo tempora respicimus, præter viginti Canones nihil admodum investigabimus. Agitabatur olim apud Afros controversia de Canonum numero; eoquòd inter viginti statuta Canones illi non extarent, qui de appellationibus inscriberentur; quare Concilium Carthaginense VI. exemplaria Nicænæ Synodi à Cæciliano (qui Synodo interfuerat) allata inspici & legi voluit; & subdit Codex Ecclesiæ Africanæ: *Statuta quoque Nicæni Concilii in 20. capitulis similiter recitata sunt.* Et licet subinde legatio missa sit ex Africa Alexandriam ac Antiochiam, & sæpiùs Romam ad Zosimum, Bonifacium & Cælestinum; nunquam tamen aliquid ex tabulariis ultra vigesimum Canonum numerum indagari potuit (g). Quibus congruunt illa testimonia, quæ Theodoretus & Gelasius Cyzicenus nobis reliquerunt; nam ille (h) apertis verbis enuntiat: *Episcopi rursus in Concilium convenientes de administratione Ecclesiastica Canones viginti conscripserunt*, & alter ita tradidit (i): *Ediderunt*

(g) v. Concil. Afric. Syn. ad Cælestin.
(h) Theod. l. 1. c. 8.
(i) Cyzic. Gelas. l. 2. c. 30.

runt autem & Ecclesiasticos Canones viginti in Nicæna Synodo. Ex quâ testium nube nunc demum decernere licet cum Bailio Parisiensi Doctore, Arabicos Canones adeò ad Nicæna statuta non pertinere, ut inter supposita potiùs rejicienda videantur (k); cujus porrò rationem reddit, quòd lectio 36. Canonis Arabici plus statuat de Patriarcha Alexandrino, quàm statutum sit in missa ad Ecclesias Ægypti Synodica; in trigesimo sexto quippe Canone Alexandrino Episcopo Æthiopicus Antistes subjicitur, de quo Nicæni Patres nihil moliti sunt: sed tantùm, ut Alexandrini potestas intra Ægypti fines à Meletii conatibus deinceps non labefactaretur. Canon 37. Arabicus subjicit Cypri Archiepiscopum Antiocheno, de quo iterum silent Patres Nicæni, nec nisi Canone sexto velut generali lege voluêre, ut *suis Privilegia serventur Ecclesiis*, quare Ephesinum Concilium hujus Arabici Canonis nullam rationem habuit, quando è contrario Patriarchæ Antiocheno abjudicavit jus ordinandi Cypri Metropolitam, suffraganeisque reliquit. Suppositionem Arabicorum Canonum multò luculentiùs confirmat Canon 33. his verbis conceptus (l). *Patriarcha sit in civitate Regia, ut sit honori ipsi & Regi, & aliis simul Presbyteris: Honoretur etiam Episcopus Æliæ plusquam alii Episcopi, quia ipse resides in sancta civitate, unde Crux Domini Dei nostri cœpit, & ubi est locus judicii: Honoretur quoque similiter Sedes Seleuciæ &c.* Patriarchæ hìc nomen velut usitatum adhibetur, quod eo tempore necdum innotuerat; & quia Canon VIII. Nicænus salvam esse decernit Metropolitanorum authoritatem; non apparet, quâ ratione Concilium Hierosolymitanum Episcopum simul Cæsareensi Metropolitæ suo voluerit subjectum per citatum Canonem, & rursus per alium 33. ab omni Episcoporum subjectione decreverit esse exemptum. Maneat itaque Hincmari effatum inviolabile: *Veterum authoritas veraci attestatione confirmat, non plura fuisse Nicæni Concilii capitula, quàm illa, quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet, & veneratur Ecclesia.*

(k) Bail. T. I. summæ CC. p. 182.

(l) Ex vers. Turriani.

3. Ad Rationes Adversariorum ex ordine nunc Respondemus. Ad I. quidem reponimus, id quod de Athanasio & Marco Pontifice affertur, suppositium esse: cur enim aliàs Afrorum Legati ex Oriente, ac Romana urbe (cùm id maximè investigarent) non plures Canones, quam viginti ex tabulariis asportâssent? Ad II. ℞. nos hìc æquè parùm nimias Turriani curas in defendendis Arabicis Canonibus probare posse, ac rejicere nobis aliàs (m) necesse fuit ejusdem studium, quo Canones Apostolicos tueri conatus est. Interim Canones Arabicos à Nicæno Concilio adeò removent alii, ut etiam post Synodum Constantinopolitanam collectos putent; nam cùm anno 381. Ephesinus Constantinopolitano Patriarchæ subjici cœperit; non est dubium, Canones Arabicos ab eo tempore, quia hoc quoque jus novum asserunt, partim procusos esse: Alii porrò initium eorundem retrahunt ad ætatem, quæ subsecuta est Synodum Ephe-

(m) vid. T. I hist. N. Rom. Imp. p. 345.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

Ephesinam ex eo præcipuè capite, quòd Cypri Episcopi cum Antiocheno Patriarcha contendentes an. 430. necdum agnoverint illorum Canonùm authoritatem. Alii planè collectionem eorundem factam existimant finito Concilio Chalcedonensi; cùm enim *Patriarchatûs* Constantinopolitani fiat mentio in prædicto duntaxat Concilio, neque antè in usu fuerit hoc nomen; inde non paucis suspicio suboritur, ad illa tempora primò lucem decreta Arabica vidisse, quamvis non desint, qui ad tempora Justiniani sive ad sæculum VI. rejicienda illa statuta putent. Ad III. ℞. Abrahamum Ecchellensem decipi omnino, quod Acta Concilii Nicæni, quæ à schismaticis Græcis multis accessionibus interpolata & corrupta sunt, in modum Canonum habeat: & quia Jacobum Nisibitanum (qui Concilio interfuit) Collectorem fuisse Actorum jactitat; certè ex hoc ipso arguitur, Canones veros non esse; ut quid enim alias multa, quæ in Synodo præcipuè decreta sunt, tacerentur? Egerunt Patres Nicæni de Paschatis observatione, sed de hoc tacent Arabici Canones: Hieronymus (n) scribit de Catalogo librorum Canonicorum in Nicæna Synodo esse actum; Ambrosius innuit (o) Patres eosdem decrevisse, neque Clericum quenquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit: Innocentius I. (p) hanc ordinationem affert, ne quisquam, qui post Baptismum militaverit, ad ordinem debeat Clericatûs admitti, neque qui causas post susceptrum baptismum egerit. &c. Quæ omnia in Arabicis omissa sunt. Ad IV. ℞. Nullum diffiteri, quod Acta Concilii Nicæni (quæ à Gelasio Cyziceno in modum copiosi maris abundare dicit) magnam partem interciderint, quódque Arabicorum Canonum constructores multa ex Actis ejusmodi ad fidem faciendam suo partui inseruerint: sed fraus tamen inde deprehenditur, quia talia immiscuerunt, quæ contra omnem antiquitatem pugnant. Exemplo sit Canon 37. juxta versionem Abrahami Ecchellensis: *Et sicut Patriarchæ in universo mundo quatuor tantùm, quemadmodum sunt scriptores Evangelii quatuor, & flumina quatuor, & Elementa mundi quatuor..... Et sit Princeps ac præpositus ipsis Dominus sedis Divi Petri Romæ, sicut præceperunt. Post illum verò Dominus magnæ Alexandriæ, & est sedes Marci. Tertius verò Dominus Ephesi, & est sedes Joannis Theologi divina eloquentis. Quartus tandem Dominus Antiochiæ &c.* (q) Vides hìc secundum locum tribui Episcopo Ephesi, quem tota antiquitas semper Episcopo Alexandrino subjectum affirmavit; quare his omnibus, quæ allata sunt, examinatis, quisque prudenter dijudicabit, Canones ex Arabica versione Nicænis additos, inter Nicænorum Patrum decreta tantò minùs posse censeri, quantò apertius est; eosdem Canones Nicænis, vetustisque aliis Canonibus adversari.

(n) Hieron. in Prol. ad lib. Judith.

(o) Ambros. Epist. ad Vercell. Eccl.

(p) Innoc. I. ep. 23. ad Synod. Tolos.

(q) Canon Arab. 37.

REFLEXIO VII. ad §. II. num. 5. p. 323.

Quæ Authoritas, aut quanta poteſtatis amplitudo ſit penes Synodos Provinciales, & an confirmari eas neceſſe ſit ab Apoſtolica ſede?

Status Quæſtionis proponitur.

1. QUoniam Patres Antiochenâ in Synodo a. 341. Canone decimo quinto ſtatuerunt: *Si quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus condemnetur, ab omnibus Epiſcopis ejusdem Provinciæ, cunctiſque conſonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum Provinciæ manere ſententiam* (a); inde quidam concludere non dubitârunt, quaſi idem Concilium decreviſſet, ſupremum penes Synodos Provinciales ſtare judicium (b). Verùm alii ex Antiochenis Canonibus contrarium inferunt; cum enim Patres Canone duodecimo declaraverint à Synodo damnatum Epiſcopum oportere *ad majus converti Concilium;* ſufficienter oſtenderunt, tempore, quo Canones Antiocheni conditi ſunt, nondum excogitatum fuiſſe ab Euſebianis fundamentum, quod in Epiſtola ſua refellit Julius Papa: *Inconcuſſam habet authoritatem quælibet Synodus, & contumelioſè agitur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur.* Ulteriùs igitur decidendum reſtat, cujus demum authoritatis ſint Synodi Provinciales?

(a) Antioch. Synod. c. 15.

(b) Petr. de Marca apud Schelſtrat. Antiq. illuſt. P. II. Diſſ. 2. c. 5. n. 175.

Synodorum Provincialium uſus & frequentia.

2. Ante finem ſæculi ſecundi rariora, ac pene nulla Epiſcoporum Concilia fuiſſe, nemo ignorabit, qui primam Eccleſiæ ætatem ex Euſebio cognoverit; is quippe author nobis eſt, plurimas hæreſes Saturnini, Baſilidis, aliorúmque eſſe proſcriptas, quin Synodi tunc coaleſcerent (c); Synodorum inſtar proinde tunc erat ipſa Epiſcoporum inter ſeſe per Epiſtolas communio, dogmatúmque communicatio, & ultro citróque diſceptata deliberatio, & complurium Præſulum in unius dogmaticam epiſtolam ſubſcribentium conſenſio. Seneſcente ſæculo ſecundo tamen coactas fuiſſe Provinciales & locales Synodos, idem Euſebius memorat; nam adverſus Montaniſtarum hæreſin in plurimis Aſiæ locis fideles ſæpiùs conveniſſe, novámque illam doctrinam examinâſſe, & profanam atque impiam judicâſſe teſtatur (d). Florinum quoque hæreſiarcham convocato cœtu Presbyteri profligârunt (e): contra Novatum & Catharos Romæ congregata eſt Synodus, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, Presbyteri verò ac Diaconi multò plures convenerunt (f). Dionyſius Alexandrinus judaica ſomnia Nepotis in Ægypto Epiſcopi, convocatis Presbyteris & Doctoribus examinat atque opprimit (g); Paulum Samoſatenum duæ Synodi Antiochenæ contuderunt (h). Celebriora Concilia illa fuerunt, quæ Victoris Papæ tempore de celebratione Paſchatis ſub finem ſecundi

(c) Euſeb. l. 3. c. 26. 27. 28. 29. & l. 4. c. 7. 11. & 29.

(d) Euſeb. l. 5. c. 16.

(e) Idem c. 20.

(f) Idem c. 43.

(g) Idem l. 7. c. 24.

(h) Idem c. 27. 28. 29.

ſecundi ſæculi & poſtea in ſæculo tertio ſedente Stephano de Hæreticorum baptiſmo celebrata fuerunt in Oriente; quamvis hæ Synodi potiùs Nationales, utpote ex pluribus Provinciis coactæ, dici debuerint. Exeunte eodem tertio ſæculo bis in anno habebantur Concilia Provincialia, quem uſum in ſæculo quarto firmavit Concilium Nicænum jubens (i). *Annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter ſimul omnibus Epiſcopis congregatis Provinciæ, diſcutiantur hujusmodi quæſtiones.*

(i) Concil. Nicæn. c. 5.

3. Cauſæ, quæ in Provincialibus Synodis agitabantur, erant ſequentes nempe I. naſcentes hæreſes profligabantur, conſervababantur Eccleſiaſtici Canones, erántque velut prodromi Conciliorum Generalium. II. Vacante ſede Synodus Provincialis Epiſcopum eligebat, aut electum conſecrabat, Epiſcoporum audiebat ac judicabat cauſas, uti & Presbyterorum; quemadmodum ſupra ex Canone Antiocheno decimo quinto ſatis intellectum eſt. III. Prætereà Synodo Provinciali incumbebat, negotia illa, quæ majoris authoritatis remedio non indigent, ſuâ jurisdictione terminare; neque, ſi quid à Synodo deciſum fuerat, Metropolitano convellere licebat (k). Imò Adrianus Pontifex ad Angilramnum perſcripſit: *Si quis Metropolitanus Epiſcopus, ſi niſi, quod ad ſuam pertinet ſolummodo propriam parochiam, ſine Conſilio, & voluntate omnium Comprovincialium Epiſcoporum, extra aliquid agere tentaverit, gradûs ſui periculo ſubjaceat, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum.*

Cauſæ, quæ agitatæ ſint in Synodis Provincialibus.

(k) Concil. Arelat. II. c. 56.

4. Modus, quo actum eſt in Synodis Provincialibus, ad definiendos Canones iſte præſcriptus erat, quem Braccarenſes Patres poſteà clariùs expoſuerunt: *Illud nobis ſpecialiùs eſt agendum, ut ſiquid fortaſſe extra Apoſtolicam diſciplinam, aut negligentiam, reprehenſibile invenitur in nobis, recurrentes ad teſtimonia ſacrarum ſcripturarum, vel antiquorum Canonum inſtituta, adhibito communi conſenſu, omnia, quæ diſplicuerint, rationabili judicio corrigamus* (l). Et Concilii Moguntinenſis ordo ita habet: *Conſediſſe Epiſcopos legentes, atque tractantes ſanctum Evangelium, nec non Epiſtolas & Acta Apoſtolorum; Canones quoque, ac diverſa SS. PP. opuſcula, Paſtoralémque librum Gregorii cum cæteris dogmatibus* (m). Cellotius arbitratur his Conciliis præeſſe ſolitum in medio ævo Palatinum Archicapellanum, quando is Epiſcopali charactere fulgebat (n), eoquod Eccleſiaſticæ diſciplinæ potiſſimas tunc partes habuerit; unde Canonum præcipuus cuſtos, & Eccleſiaſtici ordinis conſervator audiebat; atque ideo Hilduinus eâdem dignitate præditus, ſacris negotiis a Deo prælatus dicitur (o), & Pontifices ad hos Archicapellanos decreta ſua primariò dirigebant (p): imò Hildeboldus Archiepiſcopus Colonienſis Regis Archicapellanus, Concilio Moguntino ſub Carolo M. præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis Antiſtite (q).

Modus agendi in Synodis Provincialibus uſitatus.

(l) Concil. Brac. II. n. 3. Tom. II. CC.

(m) Concil. Mogunt. ſub Carol. M. in Præf.

(n) Cellot. l. 4. de Hier. Jurisd. c. 11.

(o) Ep. Eccl. Senon. T. II. CC. Gallic.

(p) Capit. Adr. c. 3.

(q) Mogunt. ſub Carol. M. & Leone III. ap. Binium.

5. Po-

Unde authoritatem accipiant Synodi Provinciales.

5. Postremò inquirendum est, unde Synodi Provinciales suam accipiant authoritatem? Fons equidem primus est in divinis literis & in Universalium Synodorum Canonibus; sed & alterum Arausicani Patres manifestant, dum ajunt: se agere *secundùm admonitionem & authoritatem Sedis Apostolicæ & ab omnibus observanda proferre pauca capitula ab Apostolica Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus, de Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt* (r). De Victore & Stephano PP. Romanis compertum est, quâ authoritate toto orbe haberi Synodos jusserint & quâ ratione tuiti sint in omnibus particularibus Ecclesiis antiquitatem traditionum & dogmatum. Concilii adversus Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrati Synodica inscripta est Dionysio Papæ & Maximo & aliis per orbem universum Episcopis (s); ubi vides Orientales Synodos Romano Antistiti communicatas & per eum Occidentalibus omnibus; ratum enim est de omnibus Occidentis Episcopis, quod de Carthaginensi ait Augustinus (t): *ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet.* Quod ipsum Irenæus docuerat antè aliis verbis: *Ad hanc Ecclesiam* (scilicet Romanam) *propter potentiorem Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio* (u) Irenæo accensemus Tertullianum, qui ad propositum nostrum ita scribit (x): *Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est; felix Ecclesia, cui totam Doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*: vides ergo in Romana sede fontem illum, unde Synodis elucidandæ fidei genuina potestas atque authoritas accedere posset. Quis enim hâc cathedrâ repugnante fidem Provincialibus præbeat, quam Generalibus credunt abnegatam? Sic enim ratio cum mente jungitur, & ad centrum, unde lineæ profluunt, revertuntur (y). Atque ut porrò pateat, seu Provinciales seu Regionales Synodos non aliter, quàm sedi Apostolicæ probatas, invictum robur assequi; præ oculis habendum illud, quod Adrianus Pontifex declaravit: nempe *si aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur, quod egerint, nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habeat vires, quidquid ei obviaverit. Quoniam eadem sedes, testante veritatis voce, Primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam super se haberet* (z). Et Gregorius M. ad exarchum Africæ Gennadium queritur, *se non posse tolerare frequentes querelas, plura in Concilio Numidiæ contra Patrum tramitem atque Canonum statuta committi* (a), quod non eveniret, *si unde consecrationem honoris accepistis*, inquit S. Leo ad Siculos, *inde legem totius observantiæ sumeretis & B. Petri Apostoli sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ Magistra rationis.*

(r) Concil. Arauf. II. in Præf.

(s) Euseb. l. 7. c. 25.

(t) Augußt. l. 3. contra Crescon. c. 34.

(u) Irenæus l. 3. c. 3.

(x) Tertull. l. de præscr.

(y) Cellot. l. IV. Eccles. Hier. c. 11.

(z) Capit. Adr. c. 3.

(a) Gregor. l. 3. ep. 7. ind. 12.

6. Ne-

6. *Neque dicas: Ergo Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis legibus quot annis decreta per Provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* ita objicit Ennodius; sed simul (b) argumentum solvit: *Legite, ait, insanissimi, aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de majoribus negotiis ad collationem, siquid occurrit, præfatæ sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habet: si quis Episcoporum judicio Provinciali depositus fuerit, Romanum Papam rursus appellet; & ipse, si videbitur, reparet judicia in opitulatione damnati.* Maneat itaque fixum ratúmque, quod Ratramnus conclusit (c): „*Revera omnes Orientales Ecclesiæ, simul & Occidentales, Romanæ Ecclesiæ Præsulem semper quasi Caput Episcoporum venerati sunt, & ad ejus sententiam respexerunt: & de rebus dubiis, quæcunque decrevit, ejus judicium sustinuerunt, ipsiúsque decreto paruerunt. Quæcunque Concilia ejus sententiâ roborata sunt, rata manserunt; quæ verò damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec authoritatem ullam habere potuerunt.*„

(b) Ennod. in Apologet. pro Synod. Rom.

Objectio solvitur.

(c) Ratramnus l. 4. adv. opposita Græcorum.

REFLEXIO VIII. ad §. II. num. 13. p. 337.

An ex Canonibus Sardicensis Synodi primò ortum sit jus Appellationum ad Sedem Apostolicam?

1. CAnon tertius Sardicensis Concilii ex versione Dionysii exigui argumentum appellationum hisce verbis attingit: *Quodsi in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit; ne unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quodsi aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa: & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur; si vobis placet,* (dixit Hosius Cordubensis) *sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinârunt, Julio Romano Episcopo: & si judicaverit renovandum esse judicium; renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet.* Præterea Canon quartus decernit: *Ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma: alter Episcopus in ejus Cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur; nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* In his duobus Canonibus quoniam apertè de appellationibus ad Sedem Romanam agitur; duplicem arietem contrà obmovent Adversarii, ut Potestatem Pontificis vel ab Apostolicis temporibus retrahere, aut penitus infringere laborent. Nam duplici hoc Canone abutentes vel statuere præsumunt, jus novum, ac antè insolitum ejusmodi legibus decerni;

cerni; vel etiam eatenus aberrant; ut nequidem jus appellationum in hac Sardicensi Synodo vulgatum velint: sed sedi duntaxat Romanæ concessum esse jactitent, ut decernere possit retractationem causæ majoris, seu jus, ut ajunt, Revisorium. Utrúmque quia meritò displicet nobis; Adversantium rationes in medium proferemus, ut quantum roboris habeant, exploremus.

2. Inter eos, qui per Sardicensium PP. statuta jus appellationum *primò* Sedi Apostolicæ assertum dicunt, præcipui sunt Elias Du Pin (a), & Petrus de Marca (b), cujus postremi verba sunt: „Hujus juris novam esse institutionem probant verba Canonis: *Si placet vobis* (inquit Hosius Cordubensis Episcopus, qui Synodo præsidebat) *sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.* Non ait, confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consuevit in negotiis, quæ renovatione tantùm, aut explicatione antiqui juris indigent.„ Et nisi jus novum hìc procuderetur, cur Julii tunc sedentis nomen Canoni tertio insertum fuisset? II. Appellationes ad Pontificem Romanum minimè in sæculis prioribus probatas fuisse, testatur S. Cyprianus (c) in sæculo tertio: *Cùm statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum . . . oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare . . . . nisi si paucis desperatis ac perditis minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum.*

(a) Elias Du Pin Tract. de antiq. Eccl. Dissert. 2.

(b) Petrus de Marca l. 7. de Concord. Sac. & Imp. c. 3. n. 8.

(c) Cyprian. l. 1, ep. 3.

3. Verùm infirmiora hæc sunt monumenta, quàm ut ex iis solidè probetur, jus appellationum recentiùs esse inventum, ac in Sardicensi modò Concilio institutum. Quemadmodum enim claves Petro unà cum suprema in omnes fideles authoritate non in sæculo quarto, sed sub exordium nascentis Ecclesiæ datæ sunt; ita quoque ab hoc tempore Vicariis Christi jure divino cessit jurisdictio cæteris Episcopis ac Synodis superior; unde porrò legitimè consequitur, ut, si quis Episcopus injuriam passus sit, aut depositus à Concilio Provinciali aut Nationali, læso remedium id negari nequeat, quo ab inferiorum judicum sententiis ad supremum judicem valeat provocare. Prætereà Sedis Romanæ Principalitatem ab Irenæo, Tertulliano, alíisque agnitam is omnino minueret, & Pontificis Privilegia (Christi ore in B. Petro firmata) infringeret, qui jus appellationum ad Sedem Romanam tollere conaretur; hoc enim dempto exarmaretur supremus Canonum executor & universalis judex, quo minùs depellere injurias, & urgere observantiam legum posset. Demum, ut Privilegium hoc unà cum cæteris Capiti Ecclesiæ à Christo, & non à Synodo donatum agnoscas; ex primis sæculis pauca exempla appellationum ante Sardicense Concilium institutarum afferemus. *Primò* S. Cyprianus Marciani, qui ad Novatiani partes defecerat, causam defert ad Pontificem Stephanum; ab eoque rogat deponi hunc Novatianum & proditæ

Jus appellationum Apostolicæ Sedi asseritur, ex Primæva institutione, ac traditione.

ditæ fidei reum Episcopum (d). *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem, & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abstentus..... Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* *Secundò* postquam Basilides Episcopus in Hispania utpote Libellaticus vel depositus fuerat à Synodo Provinciæ Bæticæ: vel Cypriano teste (e) ob criminum conscientiam se Episcopatu spontè abdicârat; Comprovinciales Sabinum in locum Basilidis surrogavêre. Homo hic versipellis benè gnarus à Sede Romana summum rerum pendere arbitrium, ad Stephanum Pontificem appellat: & ubi Papam mendaciis plenâ narratione deceperat; restitutionis decretum elicuit. Obstitit huic facto S. Cyprianus; non quasi negaret, fas esse Episcopis ad Sedem Romanam provocare, sed quod Pontifici Basilides dolosè obrepsisset; unde scribit ad plebes in Hispania (f): *Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum &c.* Alii etiam hìc porrò advertunt, Cypriani sententiam, quâ Sabinum à Bæticis benè surrogatum, ac retinendum putabat, ab Afris posteà minùs probatam fuisse; nam Augustinus in simili causa Numidiæ Episcopos reprehendit (g), quòd post damnationem Cæciliani factam, statim Majorinum ordinâssent; & quidem antequam hæc damnatio confirmaretur per Romanam Ecclesiam. *Tertiò* Ad Dionysii Papæ judicium in causa Pauli Samosateni Provocârunt PP. Antiocheni (h); & ipse adeò Ethnicus Imperator Aurelianus eodem tempore Sedis Apostolicæ summam authoritatem apud Christianos agnoscere visus est: Paulus quippe à Synodo Antiochiæ condemnatus, & ab Episcopis excedere jussus cùm obluctaretur; interpellatus Cæsar statuit: illi domum Episcopalem tribuendam esse, cui eam urbis Romanæ Episcopus adjudicaret. *Quartò* Ad Julium Pontificem posteà in sæculo quarto (ante Sardicensem tamen Synodum) pariter provocatum est; nam an. 339. ut testatur Athanasius (i), *Eusebiani ad Julium literas miserunt; & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari: & Ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.* Ac ne ex voce *arbitrii* id exsculpas, quasi Pontifex Romanus non ut judex proprius tunc agnitus sit, sed ut merus arbiter, quem litigantes partes suâ sponte delegâssent; Socrates hìc porrò audiendus est (k), qui de eadem appellatione ita scribit: *Eusebius verò cùm, quæ voluerat, perfecisset, legationem misit ad Julium Romanum Episcopum, rogans, ut causæ Athanasii ipse judex* esse

(d) Cyprian. Ep. 67.

(e) Epist. 68.

(f) Cyprian. Ep. 68.

(g) August. Ep. 162.

(h) Euseb. l. 7. c. 23.

(i) Athanas. in Apolog.

(k) Socrat. l. 2. c. 11.

esse vellet, & cognitionem negotii ad se traheret. Quâ autem ratione hoc judicium executus sit Pontifex, commemorat Sozomenus (l). *Cùm per Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret; singulis suam Ecclesiam restituit, scripsítque ad Episcopos Orientis, eósque incusavit, quod inconsultò de his viris judicâssent.* Idem Historiographus Græcus prætereà Julii ejusdem literas describit (m), datas anno 341. ad Conventum Antiochenum, quibus hæc verba inserta sunt: *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Eadem autem, quæ Tyri & in Mareote adversus Athanasium decernebantur, iniqua esse. An ignari estis* (urget Pontifex) *hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut HINC quod justum est, definiri possit? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat; ad nostram Ecclesiam deferri debuit.* Eoquòd *Episcopi essent, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur.* Licèt igitur *quintò* Canon nullus scriptus, vel lex expressa ante Concilium Sardicense (anno 347. celebratum) edita sit de appellationibus ad Sedem Romanam; ex his tamen, quæ diximus, consequitur, tum ex ratione Capitis & summæ dignitatis penes Pontificem jus ejusmodi ab omni retro antiquitate proprium fuisse: neque primò datum à Patribus Sardicæ congregatis, juxta illud, quod posteà Nicolaus I. in sæculo nono perscripsit. *Ecclesiæ Romanæ Privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à SS. universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus* (n).

(l) Sozom. l. 3. hist. c. 7.

(m) Sozom. l. 3. c. 19.

(n) Epist. 8. Nicol. I. ad Michaël. Orient. Imp.

Argumenta Adversariorum eliduntur.

4. Adversariorum argumenta, quia levibus conjecturis ac nullo rationum pondere nituntur; ea dissolvere, haud ardui negotii erit. Ad I. itaque ℞. Synodorum veterum morem esse, ut cùm antiquas Ecclesiæ consuetudines, legésque non scriptas renovant; illas eo proponant modo, ac si de novo instituant: quod re ipsâ aliud non est, quàm communibus suffragiis vetus Institutum promulgare, vel potiùs executionem ejusdem decernere. Sic ab Apostolorum temporibus jam lex vigebat, ne quis ex uno Episcopatu ad alium transiret; quo non obstante Patres Sardicæ legem illam suis sententiis firmârunt. Quemadmodum verò ex verbis, *si vobis placet*, non novum jus; sic nec ex illis, *S. Petri Apostoli memoriam honoremus*, novus ac indebitus honor colligitur. Honorare enim Petri Sedem, quid aliud est, quam per novam appellationem ad Pontificem testari denuò, quod ipse sit caput Ecclesiæ; & vel inde jus appellationum Episcopalium judicandarum eidem (ut Petri successori) debeatur. Neque difficultatis quidquam habet, quod in Canone Sardicensi extet Julii duntaxat Pontificis nomen: quamvis enim Patres ibi specialiùs

appel-

appellationem illam probare velint, quæ ad Julium ubi facta fuisset; pro merito restituti sunt viri sancti exules, nempe S. Athanasius, Paulus Constantinopolitanus, aliique. Nihilominus quia Synodus Sardicensis rationes suas præcipuè desumit ex Petri Sede, ac Primatu; hinc omnibus Pontificibus jus appellationum proprium esse, Concilium decrevit. Ad II. ℞. in Africa, & in Provinciis aliis hoc discrimen viguisse inter appellationes Episcoporum & Clericorum: poterant illi provocare ad Sedem Romanam (o), neque hoc Cyprianus unquam improbavit, ut latiùs docuimus in Tomo I. Historiæ Universalis Lib. 3. cap. 2. Reflexione VII. pag. 659. Ex diverso Presbyteris ac Clericis damnatis ab Episcopo licebat appellare ad Concilium Provinciæ vel ad Primatem vel ab eo ad plenaria Africæ Concilia (p): Hincmarus quoque de Gallia testatur, quod Clericis inferioribus ad Provincialem Synodum duntaxat & non ultra provocare licuerit (q); idque iis potissimùm de causis, ne Clericis præbeatur ansa Episcopis insultandi, Ecclesiis & disciplinæ se subtrahendi, sive ut innumerarum litium semina maturiùs suffocentur; ac de his Cyprianus intelligendus est, si quando appellationum quoddam genus reprehendere notatur. Præterea Cyprianus reprehendit appellantes etiam Episcopos sicubi convicti antè, ac condemnati de manifestis criminibus fuerint: quare Basilidem in Hispania damnatum, & malâ fide appellantem objurgat; Pontificem tamen deceptum aliquâ ratione excusat, quem certè magis reprehensioni obnoxium dixisset, si citra jus ullum appellationem ad se attraxisset. Equidem (nisi aliter fieri temporis ratio exigat) verum quandoque erit illud, quod Cyprianus inculcat: *Illic causa audiatur, ubi est crimen admissum*; nam Episcopi loci non sunt *minoris*, sive (ut Bellarminus exponit) sufficientis *authoritatis* ob præsentia testimonia ad definiendam caussam; sed quando damnatus nihilominus se læsum hoc judicio putaret, quis negare vellet luctanti illud, quod naturalis æquitas omnibus permittit, nempe, ut ab inferiore ad superius tribunal suam dirigere causam possit?

(o) August. Ep. 162.

(p) Thomass. P. II. vet. & nov. discipl. l. 1. c. 15. n. 13. 14. 17.

(q) Idem c. 17. n. 10.

5. Postquam ex monumentis antiquissimis ostendimus, à Synodo Sardicensi minimè jus appellationum primò institutum, sed novâ declaratione solummodò firmatum fuisse; Adversarii partes suas aliunde restauraturi nodum non solvere, sed planè scindere audent negantes, quod per Canones Sardicenses Pontifici potestas ulla judicandi appellationes asseratur. Ita enim se evicturos credunt, quod nec simile jus ante Sardicensem Synodum, nec posteà penes Sedem Romanam extiterit. Petrus de Marca velut Antesignanus hujus opinionis (r) novam doctrinam à se excogitatam hoc modo proponit: „Fateor equidem hactenus universis persuasum fuisse, repertam esse in Synodo Sardicensi legem de appellationibus adversus Episcoporum judicia, easque à summo Pontifice

(r) Marca l. 7. c. 3. n. 6.

An Sardicensis Synodus confirmârit jus appellationum?

judicandas esse ex præscripto hujus Concilii: verùm, ut ab ea persuasione recedam, facit, quod à me observatum est, nempe jus tantùm concedendi revisionem à Synodo Sardicensi introductum esse in gratiam Sedis Apostolicæ, & in quoddam velut detrimentum authoritatis Imperatoriæ. Hæc interpretatio mea est, quam cùm aliquot viris doctis aperuissem; eam illi suffragio suo comprobârunt. Discrimen quippe est inter appellationem & revisionem: illa namque integram causæ cognitionem transfert ad judicem superiorem, qui quæstionem excutit, & definit in suo tribunali; at revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni eâ ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur, ùt constat ex quadam constitutione græca, quam Cujacius restituit in suis observationum libris.,, His præmissis docet, à Synodo voces *appellandi* & *provocandi* impropriè usurpari, eoquòd quæcunque retractatio vicem subeat appellationis; nihil autem à Sardicensibus Patribus Pontifici concessum, quàm ut decernere possit causæ retractationem. Quod ut probet, duo hæc argumenta in medium profert (s). I. Synodus statuit, ut si Episcopus damnatus Pontificem Romanum appellaverit, in potestate ejus sit appellationem respuendi, quo pacto (ait) sententia Episcoporum Provinciæ confirmabitur eam admittendi; quo etiam casu debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos Provinciæ & ad finitimos, ut illi causæ cognitionem suscipiant præsente Legato Pontificis, si is existimaverit mittendum esse. Ex quibus infertur Episcopum Romanum teneri vi Canonum Sardicensium ad committendam causæ retractationem prioribus judicibus, à quibus depositi Episcopi appellârunt, quibus alios è vicinis Provinciis adjungat; nihil autem per se judicet: quod idem est, ac habere potestatem concedendi simplicem causæ revisionem. II. Appellationis ea vis est, ut priore interim sententiâ supersedendum sit, quod aliter obtinet in revisione; atqui Canones Sardicenses decernunt non priore sententiâ esse supersedendum, ergo solum jus decernendi revisionem conceditur. Nam licèt Canones iidem velint executionem prioris judicii eatenus suspendi, quatenus interea novi Episcopi ordinationem fieri prohibeant; non tamen præcipiunt, ut sententia depositionis inhibeatur.

Sententia Petri de Marca.

(s) Idem l. c. n. 7.

Opinio Petri de Marca refellitur.

6. Contra hanc opinandi licentiam, Pontificiæ potestati infestam, nos palàm profitemur per Canones Sardicenses non tantùm asseri jus concedendi revisionem; sed & potestatem judicandi appellationes. Nam in Canone tertio de Pontifice statuitur: *& si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt* (t). Ex his nunc verbis colligitur, quod sicut confirmationes judiciorum, quæ Synodales cœtus fecêre, Papæ tribuuntur; ita & eidem adscribatur potestas

(t) Synod. Sardic. c. 3.

ſtas neceſſe eſt de latis judiciis cognoſcendi, ea diſcutiendi, ea finiendi, aut in irritum mittendi; uno quippe vinculo hæc omnia in confirmandi poteſtate colligantur. Præterea ex eodem Canone decernitur, ut Pontifex *det Judices*: poteſtatem igitur in Papa agnoſcit Synodus nominandi Epiſcopos ex vicinis Provinciis, qui cauſam diſcutiant & ſententiam priorem confirment, reſcindant aut temperent; nec non mittendi Legatos, qui nomine Sedis Apoſtolicæ cum aliis Epiſcopis judicent (u); quæ poteſtas utique non tantùm eſt reviſionis, ſed verum jus appellationis. Nam ſi judicandi authoritatem Romanus Pontifex demandare poteſt Legatis & vicinarum Provinciarum Epiſcopis; hoc ipſum judicium Papa per ſe exercere, aut à legatis, ſubſtitutiſque Epiſcopis factam ſententiam retractare, infirmare, aut roborare poterit. Demum clariſſimè Canon quartus Sardicenſis hoc ſupremum Papæ judicium exprimit: „Cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Urbe Roma; alter Epiſcopus in ejus Cathedra, poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, *niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata* (x).

(u) Synod. Sard. c. 7.

(x) Synod. Sard. c. 4.

Ejusdem argumenta adducta confutantur.

7. Sententiâ noſtrâ hunc in modum ſtabilitâ, ad argumenta Petri de Marca nunc Reſpondemus I. à Canonibus Sardicenſibus non relinqui cauſam prioribus Provinciæ judicibus; ſed eam totam ad judicium Pontificis transferri: ſive ut ipſe per ſe judicet, ſeu ut proximarum Provinciarum Præſules ſibi ſubſtituat, hoc enim verba indicant *ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices* (y). Ac ne hæreas in vocabulo, *renovetur*, quaſi eodem ſignificaretur, cauſam ſecundò ab iisdem judicibus per reviſorium judicium examinandam eſſe; certè planè alia renovatio, ac retractatio hìc intelligitur: nempe, ut aliud Concilium congregetur, ubi non priores, ſed alii Sedis Apoſtolicæ authoritate muniti judices ſententiam primam diſcutiant, & judicium inſtruant. Ad II. Rx. non tantùm appellatione factâ prohiberi, ut non novus damnato Epiſcopo ſurrogetur, ſed & totam ſententiam Synodi Provincialis ſuſpendi; dum *cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata* (z), Canon quippe ſeptimus nihil excipit, ſed univerſaliter decernit: *Scribere bis Epiſcopis dignetur* (Pontifex) *qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant.*

(y) Synod. Sard. c. 3.

(z) Synod. Sard. c. 4.

8. Profligatâ tam craſsâ opinione, reſtat ut tertium errorem Adverſariis eximamus, quo decepti jactitant, Canones Sardicenſes præcipuè de appellationibus ſeriùs receptos (a); ac proinde in Eccleſia græca non ante Trullanæ Synodi tempora (b): in Eccleſia verò latina ad octavum ſæculum (c); vel ſi fides eſſet recentiori (d), etiam in undecimo ſæculo, (quando ſedit Gregorius VII.) uſum appellationum ad Sedem Romanam cœpiſſe.

(a) Petr. de Marc. l. 7. c. 4
(b) Idem c. 5
(c) Id. c. 13.
(d) Eſtor. in Vind. contra appellat. ad Trib Rom. A. 1741.

Quod Canones Sardicenses fuerint recepti?

cœpisse. Rationes, quibus nituntur, non paucas in cumulum congerunt. I. ajunt. Si IN ORIENTE recepti Canones Sardicenses fuissent, cur Constantinopolitana Synodus prima jubet accusationem primùm persequi apud Provinciæ Episcopos, & dein accedere sive provocare ad majorem Synodum Diœcesis (e)? & cur Episcopis vetat ultra Diœcesin egredi super ordinandis quibuscunque Ecclesiasticis causis (f)? Ad hæc Synodus Chalcedonensis hunc judiciorum ordinem servari jubet: *Quodsi Clericus habet causam adversus Episcopum proprium vel adversus alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quodsi adversus, ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam; petat Primatem Diæceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ & apud ipsam judicetur* (g), quod supremum judicium posteà ita firmum esse voluit Justinianus, ut nulla Pars ejus sententiæ contradicere valeat (h). Et licèt anteà Cyrillus Hierosolymitanus ab Acacio Cæsareæ Episcopo depositus ad majores judices appellârit; insolens tamen hoc exemplum adeò visum est, ut Socrates scripserit: *A Cyrillo solo & primo, perinde, ac si res apud Laicos judices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem provocatum est* (i). II. Neque plus roboris invenerunt Canones Sardicenses apud OCCIDENTALES; nam Gratianus Imperator a. 378. ad postulata Romanæ Synodi planè novam, & à Sardicensium præscripto planè diversam formam judiciorum Ecclesiasticorum vulgavit: nempe ut Papa cum quinque aut septem Episcopis accusationes contra Episcopos factas judicet. *Secundò* ut in remotis Provinciis causæ cognitio penes Metropolitanum sit. *Tertiò* si Metropolitanus reus esset, ut is Romæ judicetur, vel à delegatis Episcopis. *Quartò* si Metropolitani suspecti essent accusatis, ut *ad Romanum Episcopum vel ad Concilium quindecim Episcoporum liceat provocare; modò ne post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur* (k). Denique Siricius Papa negat, se posse judicare de causa, quam Synodus Provincialis selectis Episcopis judicandam demandaverat: *Cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso* (hæretico) *atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent; advertimus, quod nobis judicandi forma competere non possit &c.* III. Sardicenses Canones non tantùm non receptos, sed & oppugnatos fuisse testantur acta ECCLESIÆ AFRICANÆ: miserat Zosimus PP. Legatos ad Carthaginensem Synodum cum mandatis, quorum primum erat de appellationibus Episcoporum ad Romanam sedem (l), quas niti dicebant decretis Concilii Nicæni (m). Reponebant Africæ Episcopi, inter Canones Nicænos à Cæciliano in Africam allatos nihil hujusmodi reperiri; ne tamen obstinati viderentur, missi Legati sunt ad Cyrillum Alexandrinum & Atticum Constantinopolitanum, ut ex authenticis Nicænæ Synodi exemplis, quid rei sit, veriùs inspicerent; rogatus quoque est Boni-

Argumenta eorum, qui dicunt, Canones seriùs esse admissos.

(e) Synod. Const. c. 6.
(f) Ibid. c. 2.
(g) Synod. Chalced. c. 9.
(h) Novell. 123. c. 22.
(i) Socrates l. 2. hist. Eccl. c. 40.
(k) Constitutio Gratiani in Appen. Cod. Theod.
(l) Cod. Eccles. Afric. cap. 134.
(m) Concil. Carth. VI. c. 3.

Bonifacius PP. Zosimi successor, ut in indagando hoc Canone curam haberet: verùm cùm nullibi aliquid investigari posset præter viginti Nicænos Canones, in quibus de appellationibus nil habebatur; jus appellationum dubium hæsit, donec Cælestinus Pontifex post Bonifacium Sedem obtinuisset. Is quippe non tantùm Episcoporum, sed & Apiarii Presbyteri appellationem accipiendam putavit: sed sententiæ latæ executionem urgens, adversantes ubique Africæ præsules invenit. Luctabantur autem hi non vanis ex rationibus; nam primò ajebant: decreta Nicæna sive inferioris ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos Metropolitanis suis apertissimè commiserunt (n). Secundò *Nullâ Patrum definitione Ecclesiæ derogatum est Africanæ* (o), tertiò *quia quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda.* Quartò *quia unicuique concessum est, si judicio fuerit offensus cognitorum, vel ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare* (p).

(n) Nicæn. Can. 4.
(o) Epistol. Afrorum ad Cælestin PP.
(p) Ibidem in Epist.

9. Hæ rationes utcunque ad speciem graves necdum nobis clypeum eripiunt; siquidem post Sardicensem Synodum benè multas tum in Oriente, tum in Occidente appellationes producere licebit; ex quarum usu ostendetur, frustrà negari, quod Canones Patrum Sardicensium in sæculo quarto & sequente ætate fuerint recepti. Atque ut *de Oriente* initium faciamus; primò illic Eustathius Sebastenus Episcopus occurrit, qui in Melitinensi Arianorum Concilio depositus, ad Liberium PP. appellavit. Depositio equidem (si merita causæ spectantur) justa erat, nam hæresi necdum tamen satis apertâ laborabat Eustathius: sed quia in sententia nec ordo juris, nec forma servata fuit, provocans ad Sedem Apostolicam, in integrum restitutus est; testante S. Basilio, qui ait (q): *Quæ verò sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est: nisi quod Epistolam attulit, per quam restitueretur. Hanc ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est.* Alterum exemplum appellationis nobis dedit S. Chrysostomus, qui ubi à Theophilo Alexandrino in Synodo ad Quercum damnatus fuerat; Innocentium I. Romanum Pontificem appellavit, non in Causa fidei, quam Adversarii deferri posse ad Papam facilè concedant, sed in negotio Ecclesiasticæ disciplinæ. Ex Palladio, qui vitam, causámque hanc maximè Chrysostomi dialogo complexus est, infra in libro V. c. 2. ad annum 404. latiùs totam rei seriem excutiemus; hìc tantùm notâsse sufficiet, quod Innocentius susceptæ appellationis se legitimum, & supremum judicem ostenderit, dum Theophili, cæterorúmque Episcoporum sententiam, quâ Chrysostomum abdicârant, rescindens, ipsum restitui jubebat: dein Theophilum citabat ad Synodum, in qua si causæ confideret suæ, peroraret adversus restitutum Papæ sententiâ Chrysostomum; *non* enim *oportere*, ajebat Innocentius, *Joannem* Chrysostomum *judicium ingredi*

Statuitur Canones Sardicenses per Orientem jam robur, vigorémque habuisse in sæculo quarto.

(q) Basilius epist. 74.

five Concilium, *nisi prius Ecclesia illi, communióque redderetur.* Tertius qui ad Sedem Romanam post Sardicense Concilium appellationem instituit, fuit S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus; à latrocinio quippe Ephesino pressus ad Leonem Pontificem se convertit, sive solum, sive cæteris Occidentis Episcopis præsidentem; ut testimonio est luculento *appellationis libellus*, quem teste Leone (r) Flavianus Pontificis Legatis consignavit. Quartus appellantium numero accenseri potest Theodoretus Cyri Episcopus, qui in Ephesiorum conciliabulo pariter exauthoratus ad ejusdem Leonis judicium supremum confugit (s). Et Synodus Chalcedonensis ideò præcisè recepit Theodoretum, quia judicio definitivo Pontifex eundem restituendum sedi volebat (t). Breviùs hæc complexi hìc sumus, quia infra in libro quinto de iisdem factis pertractandi amplior locus erit.

(r) Leo ep. 25. ad Theodosium.
(s) vid. Epistol. Theod. ad Leonem in ejus Hist.
(t) Act. 1. Chalcedon. Concil.

Quod in eodem sæculo quarto viguerint Sardicensia decreta per Occidentem, probatur.

10. Restat, ut nunc monumenta quædam subjiciamus, ex quibus palàm fiat, non minùs appellationum usum post Sardicensem Synodum *in Occidente* obtinuisse. Anno 412. Cælestius in Concilio Carthaginensi Pelagii sectator damnatus, ab Africanorum sententia ad Romani Episcopi examen appellandum esse credidit (u): & licèt Epistola Africanorum ad Cælestinum in causa Apiarii scripta testetur, non probari Episcoporum refugia ad Pontificem; à Ronsselio (x) tamen commonstratur Epistolam illam utpote suppositam parvi fieri debere. Anno 444. Chelidonius Episcopus Viennensis ab Hilario Arelatensi & Provinciali Synodo sede exuitur; eoquòd ante Episcopatum viduæ maritus fuisset, & aliquos capitali sententiâ condemnâsset: depositus Romæ causam agit, & à Leone restitutionem impetrat. Hilarius cùm pariter coram Pontifice appellationem istam oppugnaret; Leo Papa eandem hâc ratione tuitus est (y): *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia: adeò ut servatâ unitate Spiritûs in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati.* In eandem sententiam anno 450. scripsit Vigilius Pontifex ad Eutherum (z). *Ad quam* (Ecclesiam Romanam) *tam summa Episcoporum negotia & judicia atque querelæ, quàm & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referendæ sunt.... Unde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum judicia & cunctarum majorum negotia causarum eidem sanctæ Sedi reservata esse liquet.* Demum S. Gregorius Magnus Joannem Primæ Justinianæ Episcopum communione submovit anno 592., eoquòd Hadrianum Thebanum Præsulem nullo juris ordine depositum, & ad Romanum tribunal provocantem suo judicio porrò exagitare instituerent. Scribebat autem (a) Gregorius

(u) Marius Mercator in Commonit. Paulus Diac. in lib. ad Zosim. Zosim Epl. 3. ad African.
(y) Leon. epist. 10. aliàs 89.
(z) Vigili PP. Epist. ad Euther. c. 7.
(a) Gregor. M. l. 3. aliàs 2. epist. 6.

gorius Joanni Episcopo: *Cassatis priùs, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex Beati Petri Apostolorum authoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacrâ communione privatum. . . Præfatum verò Hadrianum . . . ex tua sententia damnatum, in suum locum atque ordinem reverti, Christo comitante disponimus.* Non est, quod hìc Adversarii nodum in scirpo quærentes, hæc testimonia eâ de causâ explodant; quòd à Pontificibus de suo jure certantibus prolata sint. Nam cùm fuerint viri integerrimi; quis eos in alienum jus involâsse, idque coram omnibus Orientis ac Occidentis Præsulibus, sibi propositis etiam in repugnantes pœnis vendicâsse suspicetur?

11. Sed ut Adversariorum opinio fortiùs elidatur; eorum munimenta (quibus se utcunque tuentur) nunc evertere aggrediemur. Ad I. proinde ℞. de Constantinopolitanis Canonibus etsi dici possit, quod præter tres Canones non fuerint plures editi: atque hi ne quidem multis sæculis ab Ecclesia Romana probati fuerint (b); nihilominus iis etiam admissis, nil affertur, quod nobis incommodet. Nam Synodus illa Exarchis præscribendo limites, nullos Romano Episcopo posuit (c): deinde cavet, ne celebratâ Synodo Provinciali statim immediatè accusatores Episcoporum, ad Imperatoris tribunal, vel ad Concilium Oecumenicum quasi cum contemptu omnium Episcoporum Diœceseos provolent (d); unde minimè prohibet, ne mediatè saltem scilicet à Concilio Diœcesano vel ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum fiat appellatio. Prætereà Chalcedonenses Canones quantumvis decernant, quinam sint judices immediati causarum Clericalium ac Ecclesiasticarum; de supremo tamen judice omnino silent (e). Sed quid constitutio Justiniani, utpote alienum in forum se intrudentis valeret? Quanquam nec Justinianus is fuit, qui Pontifici jus appellationum abnueret: nam cùm Anthimus Constantinopolitanam Sedem invasisset; Monachi Agapeto Papæ tunc Constantinopoli præsenti primò supplicârunt, ut manum interponeret: posteà simul testati sunt, se hujus gratiâ jam anteà ad absentem in urbem Romanam hâc super re supplices litras misisse; quo facto & Justinianus pollicitus est, se quidquid Pontifex statuisset, effecturum: & Anthimus pariter condixit, *se omnia facere, quæcunque Summus Pontifex magnæ Sedis Apostolicæ decerneret* (f). Quam verò vim habeat Socrates in narratione sua de appellatione Cyrilli, non videmus; cùm ne quidem exprimat literam, ex quâ suspicio esse possit, quod is ad Pontificem provocârit: improbat igitur nihil prædictus Author in Cyrillo, quàm quod Imperatorem appellans, libellum obtinere quæsiverit, quo illius causæ revisio in frequentiore Synodo decerneretur, uti ex contextu manifestum est (g).

Objectiones solvuntur.

(b) Leonis ep. 53. Gregor. M. l. 6 ep. 3.

(c) Constantinopol. Synod. c. 2.

(d) Can. 6.

(e) Epist. 8. Nicol. I. ad Michaël. Imper.

(f) Concil. Const. sub Menna. Act. 4.

(g) Socrat. l. 2. hist. Eccl. c. 40.

12. Ab Orientalium appellationibus nunc ad eas, quæ in Occidente nequaquam ante octavum sæculum factæ perhibentur, progredientes. ℟. ad II. quod Gratianus Imperator ordinem Judiciorum non universalem omnibus Episcoporum causis; sed particularem duntaxat & ab Ambrosio pro ratione temporum valde approbatum præscripserit; nempe pro iis, qui Schismati Ursini adhærentes, tumultibus omnia complebant (h), neque veteri attendentes disciplinæ singularibus remediis subigi necesse erat. Quantum demum ii à vero aberrent, qui Siricium fingunt, sibi veluti propriâ manu jus appellationum præcidisse, ex eo intelligitur, quod idem Pontifex pronuntiet, se appellationem recepturum fuisse, si causa adhuc integra foret (i): cùm verò Synodus Bonosi causam Macedoniæ quibusdam Episcopis demandâsset; è dignitate suæ Sedis haud fore testatus est, siquidem cognitionem litis susciperet; ne, quod videri poterat, non supremâ authoritate, sed demandatâ & à Synodo commissâ potestate uti diceretur.

(h) Natalis Alexander Diss. 28. ad sæc. IV. pag. 352.

(i) Epist. Siricii ad Anysf Thessalon.

13. Ultimus nunc Nervus incidendus est, quo afflictam cæteroquin causam ex Actis Africanæ Ecclesiæ se firmare denuò confidunt Adversarii. Ad III. itaque ℟. Africanos nequaquam usum appellationum Episcoporum ad Pontificem negâsse: cur enim aliàs S. Augustinus dixisset, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum à Donatistis damnatum ad Sedem Apostolicam appellare potuisse? En verba (k): *Erat Carthago civitas ampla & illustris, unde se per totum Africæ corpus malum, quod ibi esset exortum, tanquam à Vertice diffunderet. Erat etiam transmarinis vicina regionibus, & famâ celeberrimâ nobilis: unde non mediocris utique authoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere..... Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare.* Quod autem Africani in dubium subinde appellationes vocàrint; duplici ex causa extitit, nempe quia Zosimus jus appellationum ex Nicænis Canonibus adstruxisset, ubi tamen nihil ejusmodi repertum est, & quia Pontifices non tantum Episcoporum, sed & simplicium Sacerdotum negotia suscipiebant, uti in Apiarii causa patuit. Afros igitur priùs oportebat instrui, per Canones Nicænos à Zosimo citatos intelligi Sardicenses, sic dictos, quia Sardica Synodus appendix Nicæni Concilii dicitur, iidémque Patres ferè in utroque cœtu congregati, Sardicæ nil de fide novi statuerunt; nisi quod priora confirmârint. Prætereà Sardicenses Canones Nicænorum nomine veniebant, eoquòd juxta aliquorum suffra-

(k) August. ep. 162.

gium

gium Sardicæ editi, & Nicææ posteà promulgati fuerunt. Afros meliùs edoctos, & sublatâ appellationum licentiâ (quam Presbyteri flagitiosi, qualis Apiarius erat, instituebant) antiquum jus provocandi ad Sedem Romanam, quo semper valebant Episcopi, his denuò citra controversiam reliquisse, ex Augustino intelligimus: ordinaverat hic Monachum quendam Antonium nomine, in Fusalanum Episcopum: sed ob morum corruptelam ab eodem Augustino & Africæ Synodo exauthoratus fuit homo noxius. Rem suam redintegraturus provocat ad Bonifacium Pontificem, qui illum restitui jussit; quod judicium ejus successor Cælestinus comprobare visus est: in epistola, quam ad Pontificem dabat, licèt non parum obluctaretur S. Augustinus; eidem tamen epistolæ (quam & Basnagius genuinam esse asserit) simul ea inseruit, quæ satis ostendebant, Afros jam alterius esse sententiæ de appellationibus ad Pontificem instituì solitis. *Existat*, ajebat, *exemplo, ipsâ Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodè impunitos: quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia commemorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsareensis; & clamet alius ejusdem Provinciæ Victor; & clamet tertius ejusdem Provinciæ Laurentius Episcopus &c.* Copiosiùs hæc videri & legi poterunt apud Schelstrate de Ecclesia Africana Dissert. 1. c. 7. apud Perronium in replic. ad Jacob. Angliæ Regem, apud Natalem Alexandrum Dissert. 28. ad sæc. IV.

REFLEXIO IX. ad §. 4. num. 7. p. 398.

De Liturgiis Apostolorum, & S. Basilii.

Sacrificium Missæ à Christo institutum.

1. CHristus Redemptor noster immutabilè habens Sacerdotium, nec factitio oleo unctus, sed ante sæcula à Patre (a), postquam in ultima cœna se ipsum obtulisset Patri sub specie panis & vini; idem jussit fieri ab Apostolis, eorúmque successoribus, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem* (b). Hoc sacrificium seu Actio sacra quoniam duplicis generis partes complectitur, quarum aliæ ad Essentiam, aliæ ad integritatem ordinémque ceremoniarum spectant; variis olim nominibus consignata fuit. Nam vel *Dominicum* appellabatur, eoquòd ex Domini institutione ac præcepto hæc functio in Ecclesia peragebatur (c): dicebatur etiam *Telete* sive sacrificium Mysteriorum plenum (d), *oblatio* (e), *Mystagogia* (f), *Synaxis* sive collatio, quia nos in Christo simul adunat, & in iis, qui eâdem mensâ fruuntur, divinam efficit morum similitudinem, animum colligens & reducens in unum ac Deo conjungens (g): *Communio*; non quasi necesse sit plures in Missa communicare, sed quia in ea fit con-

Partes essentialiter Missæ

(a) Cyrill. Hierosl Catech. 10.
(b) Luc. c. 22
(c) S. Cypr. ep. 63. ad Cæcil. l. de oper. & Eleemos.
(d) Suidas.
(e) August. ep. 118.
(f) Dionys. c. 1. Eccl. Hier.
(g) Jo. Bona l. 1. Liturg. c. 3.

consecratio, & participatio corporis & sanguinis Christi; & ideo sine communione esse non potest (h). Atque hæc vocabula illas quidem partes explicant, in quibus omnes Ecclesiæ conveniunt, & sine quibus sacrificii ratio nullo modo subsistit, cujusmodi sunt panis & vini præparatio, oblatio, consecratio, consummatio, & ipsius Sacramenti communicare volentibus distributio. Præter illas essentiales partes, aliæ quoque spectant ritus, preces, ceremonias, quæ ab Apostolicis viris institutæ, & pro varietate Ecclesiarum diversæ reperiuntur: sunt autem hæ Partes psalmorum modulatio, lectio sacræ scripturæ, Ministrorum apparatus, thurificatio, Catechumenorum & aliorum profanorum exclusio, precatio pacis, preces diversæ, gratiarum actio &c. ordo, ac forma harum partium vocatur à Græcis *Liturgia*, quæ vox apud Juris Consultos olim quodcunque publicum munus denotabat (i); apud Christianos verò accipitur pro integro illo ritu, quo sacrificium corporis & sanguinis Domini peragitur; nulla siquidem functio est, nullum ministerium magìs publicum, quàm actio sacerdotis Deo Sacrificium offerentis (k).

(h) Damasc. l. 4. de fid. orth. c. 14.

Partes accidentales vel integrantes Missæ.

Quid sit Liturgia?

(i) ff. l. 50. t. 6.

(k) Jo. Bona l. c. p. 201.

2. Exposito Liturgiæ nomine, indagandum porrò, cur Liturgiarum, ac rituum tanta diversitas fuerit? Joannes Bona (l) inde illam varietatem profectam existimat, quòd dispares Nationum mores utì in Politicis; ita etiam in Ecclesiasticis diversas ceremonias exegerint: vel quia nullo extante de his Christi vel Apostolorum præcepto, libera facultas Episcopis relicta est id sentiendi & decernendi, quod unicuique salvâ fide magis expedire videbatur: vel quia sæviente in Christianos persecutione cœtus Episcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma sacrificii celebrandi ab omnibus custodienda stabiliretur. Sunt, qui existiment, Apostolos, cùm divisas in Provincias abirent; suis Gentibus, quibus prædicabant, specialem Liturgiæ modum tradidisse; inde enim hodie Romani Liturgiam quæ vocatur S. Petri, Hierosolymitanam Liturgiam, dictam S. Jacobi, Alexandrini Liturgiam appellatam S. Marci, Æthiopes Liturgiam vocatam S. Matthæi proferunt, quibus alii alias accumulant (m).

(l) Idem l. 1. rer. Liturg. c. 6.

Cur variæ apud varias Gentes Liturgiæ?

(m) Bona. l. 1. c. 8. n. 4.

3. Ex his Liturgiis dubiæ fidei esse eas, quæ Matthæi & Marci dicuntur, vix quisquam diffitetur. Balsamon sæculi XII. scriptor ait, Liturgiam S. Marci recipiendam non esse, quia nec sacra Scriptura, nec ulla Synodus testatur, Ministerium à S. Marco esse traditum (n): & quia multa tempori minùs convenientia complectitur; in ea quippe fit mentio S. Marci Martyris, patenarum, Regis Ægypti: & Pontifex ibidem vocatur Beatissimus Papa & Episcopus Reverendissimus. Nec minùs absurda continet Liturgia S. Matthæi; ibi enim de Christo legitur, quod Christus sit Filius Patris & Spiritûs S.: facit memoriam Patriarcharum & Archi-Episcoporum: nonaginta novem ordines Angelorum invocat: sacras primas

(n) Balsam. Resp. I. ad Marcum Patr. & ad Can. 32. Concil. Trull.

Quid sentiendum de Liturgiis, quæ dicuntur esse Apostolorum.

primas Synodos Oecumenicas enumerat &c. (o) Major difficultas est circa Liturgiam SS. Petri & Jacobi; ac de primâ quidem Isidorus (p) testatur: *Ordo Missæ vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno, eodémque modo universus peragit orbis.* Sed quia eadem Liturgia B. Virginem jam Θεοτόκον vocat, eo scilicet titulo, quo ad profligandum Nestorium primò usa est Synodus Ephesina: & quia Martyrum, Pontificúmque memoria ibi fit, qui multis sæculis posteà vixerunt; à suspicione suppositionis vel interpolationis abesse non potest. Quod verò S. Jacobi Liturgiam concernit, hæc pariter suis nævis non caret; nam cùm in ea legatur nomen Homousii ac Deiparæ: & Spiritum S. vivificantem, & consubstantialem Patri Liturgia illa prædicet, facilè quisque intelligit hunc ordinem Nicæno Ephesino & Constantinopolitano Concilio posteriorem esse. Quare Bellarminus (q): *Extat*, ait, *etiam Liturgia S. Jacobo attributa, quæ à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facilè dijudicare, quæ pars hujus Liturgiæ S. Jacobum habeat authorem.*

(o) Natalis Alexander ad sæc. I. c. 12.
(p) Isidor. l. 1. de Eccl. offic. c. 15.
(q) Bellarm. de script. Eccl.

Liturgia S. Basilii.

4. Post has Liturgias magis genuina censetur ea, quæ est S. Basilii, de hac tradit Proclus (r): *Magnus Basilius hominum socordiam & in deterius prolapsionem conspicatus, ac proinde longinquitate productæ Missæ pertæsos; non quod ipse supervacaneum quidquam, vel nimis longiùs productum in ea fore arbitraretur: sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo præcideret, breviorem recitandam tradidit.* Jacobus Goar scriptam esse ait à Basilio duplicem Liturgiam (s) unam prolixiorem, alteram breviorem, ne populo & ipsis sacris Ministris tædium pareret. Christus (uti perhibet (t) S. Hieronymus) docuerat Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant dicere; Pater noster, qui es in cælis: mos igitur Apostolorum erat, ut ad ipsam orationem duntaxat Dominicam, oblationis hostiam consecrarent (u). Alii divini Pastores his multas addiderunt preces, ritúsque, ex quibus S. Basilius præcidit nonnulla brevitatis causâ. Hâc Liturgiâ à Basilio digestâ Græci utuntur in Dominicis magnæ Quadragesimæ, demptâ Dominicâ Palmarum; in Feria quinta & Sabbato sacræ hebdomadæ, in vigilia Nativitatis Christi, & Epiphaniæ & in die Festo ipsius Basilii: & incipit, *Dominus Deus noster, qui cælestem panem &c.* reliquo anni tempore Liturgia Chrysostomi, in multò breviorem formam contracta apud Græcos in usu est.

(r) Apud Card. Bona l. c.
(s) Jacob Goar in Euchołog. pag. 185.
(t) Hieron. l. 1. adv. Pelag. c. 18.
(u) Gregor. M. l. 7 ep. 64.

Difficultas in Liturgia S. Basilii occurrens solvitur.

5. Sed antequàm de Liturgia S. Basilii disserendi finem facimus; hoc monendum venit, à Calvini Sectatoribus malè patrocinium quæri ex verbis, quæ suæ Liturgiæ S. Doctor inseruit; legitur quippe ibidem: *Confidentes, Sancto altari tuo appropinquamus, & propositis sancti Corporis & Sanguinis Christi tui antitypis, te rogamus ....*, quare concludunt Adver-

versarii, S. Basilium in Eucharistia non Dominum, sed Domini figuram agnovisse. Antequàm mentem Basilii exponamus, observandum I. ἀντίτυπον, significare id, quod vice typi & figuræ Substituitur; & hoc sensu verum est, quod Christi Corpus mille figuris adumbratum illisque lux umbris ac ἀντίτυπον succedat (x). II. Corpus Christi typus est æterni convivii, quo anima in cœlis uberrimè reficietur (y). III. Species Eucharisticæ etiam post consecrationem figuræ Corporis Christi præsentis dici possunt, quia sine his speciebus non offertur, nec immolatur (z). IV. Demum Corpus Christi in Eucharistia antitypon est sui ipsius in cruce oblati, quia mortis pro nobis oppetitæ memoriam renovat & se ipsum in cruce passum per se ipsum in sacramento obvelatum repræsentat (a): Eucharistia igitur est figura non inanis & vacua, sed realiter continens Corpus & Sanguinem Christi, quorum primum repræsentat, ùt mortuum, alterum ùt effusum. His prænotatis R. S. Basilium vocare Eucharistiam ἀντίτυπον Corporis Christi, spectando consecrationem præcedens & illa verba referendo ad statum donorum in Prothesi; nam cùm panis in primo Liturgiæ offertorio (ut Christi figura) fuerit in Prothesi Deo oblatus; eædem verò species post consecrationem maneant: ipsæ, ut panis loco superstites, affectiones, & denominationes, quæ pani poterant convenire, in se vel recipiunt, vel conservant; ideóque non minùs tunc ἀντίτυπα Corporis Christi nuncupari possunt, quàm priùs ipse panis denominationem hanc subiret (b). Eodem modo explicat rem Joannes Damascenus (c), & Epiphanius (d). Ut verò dignoscas, Basilium agnovisse, verè sub his antitypis Corpus Christi esse realiter præsens, inspice ejusdem homiliam secundam de baptismo Q. 2.

(x) Epiph. Hom. de resurr.
(y) Damasc. l. 4. de fide orth. c. 14.
(z) Andreas Cretens orat. in Ramis Palm.
(a) Chrysost. Hom. 17. in ep. ad Hebr.
(b) Natalis Alex. Hist. Eccl. ad sæc. IV. c. 6. n. 4.
(c) Damasc. l. 4. orth. fid. c. 4.
(d) Epiph. in VII. Syn. act. 6.

Liturgia S. Chrysostomi.

6. Per reliquum anni tempus Græci Liturgiam S. Chrysostomi adhibent, quæ magnam partem ex Basiliana desumpta est (e). His Græcorum ritibus adhærent Roxolani seu Moscovitæ, Christiani Tartari circa Tauricam Chersonesum, Circassi, aliæque Provinciæ: nationes scilicet Serviæ, Mysiæ, Bosniæ, Bulgariæ, Russiæ minoris, Volhiniæ, Podoliæ; in hoc tamen à Græcis differunt, quod in linguâ Sclavonicâ missam celebrent: pari modo Colchi & Iberi inter mare Caspium & Pontum Euxinum siti, nunc Mangrellenses & Georgiani dicti ad sacra sua idiomata adhibent: Armeni præter omnium Orientalium morem Eucharistiam in azymis conficiunt, & contra divinam atque Apostolicam traditionem aquam vino non miscent; in Liturgia tamen Græcanicum utcunque ritum sequuntur. Maronitæ sacras functiones peragunt linguâ Syriacâ; conficiúntque Eucharistiam in azymo more Armenorum. Græci Arabes sive Melchitæ Arabicâ, Nestoriani & Jacobitæ Chaldaicâ, demum Abyssini Æthiopicâ Linguâ Mysteria conficiunt. Erunt fortassis plures aliæ gentes, quæ suis singulæ ritibus adhærent, sed cum Nicephoro hic pro-

(e) Jo. Bona rer. Liturg. l. 1. c. 9.

Variæ Liturgiæ & ritus aliarum nationum, in quo differant?

profiteri liceat: *Valde mihi laboriosum & difficile esset, variantes per urbes & regiones omnes Ecclesiarum consuetudines enumerare & perscribere: id enim omnino fieri nequit* (f).

(f) Niceph. Callist. l. 12. c. 34.

7. Liturgiæ, de quibus hactenus mentio facta est, etsi ritibus nonnullis, ac linguâ discrepent; in divinis tamen Mysteriis tractandis penes veteres semper communis quædam forma servata est: Episcopo psalmodiam *primùm* inchoante Ecclesiasticus ordo cantum (& quidem ex Flaviani Episcopi Constantinopolitani instituto alternis vicibus) prosequebatur; *Secundò* recitato posteà Libro sacro, Episcopus aggressus est dicere homiliam, cui & Gentiles, & Hæretici intererant. *Tertiò* oratione factâ dimittebantur Catechumeni, ac pœnitentiæ publicæ subjecti post susceptam manuum impositionem excludebantur, proclamante Diacono; si quis non communicat, det locum! atque hæc Liturgiæ pars Missa, sive Missio Catechumenorum dicebatur. *Quartò* instituebantur fidelium orationes (g), post quas Diaconus dicebat, attendamus; Episcopus verò salutabat Ecclesiam his verbis: Pax Dei cum omnibus vobis; cui populus respondebat: & cum Spiritu tuo. *Quintò* Diacono monente Clerici osculabantur Episcopum, & viri Laici Laicos: hæc dum agebantur, Diaconi stabant ad januas ad prohibendum exitum, aut ingressum iis, qui tempore oblationis veniebant. *Sextò* Episcopi erat unà cum Ministris colligere oblationes, panem & vinum & aquam, quæ in altari posteà consecrabantur (h). Post panis & vini oblationem Episcopus thus adolebat, lavabàtque manus cum Presbyteris: *Septimò* sequebatur Præfatio (i), & Canon, de quo ait Ambrosius: oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, & pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos; sed utitur sermonibus Christi (k): scilicet hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum; quæ verba Græci altâ voce enuntiant. *Octavò* peractâ consecratione (teste Cyrillo) oratio fiebat pro Ecclesiæ pace, pro Regibus, & omnibus aliis fidelibus, item pro defunctis. Et Patriarcharum quidem, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum memoria instituebatur, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras: deinde pro mortuis SS. PP. & Episcopis; demum pro aliis defunctis orabant, credentes maximum esse animarum subsidium, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. *Nonò* legebantur à Diacono ex Diptychis nomina Romani Pontificis, & aliorum Patriarcharum, Metropolitæ & Episcopi illius Ecclesiæ, Imperatorum, benefactorum, & omnium offerentium, quam lectionem excipiebat oratio Dominica. *Decimò* Sacerdos pro Græcorum more ex hostia in quatuor partes divisa, portionem modicam sustol-

Quæ apud veteres in celebratione Missæ communiter observata fuerint?

(g) Gregor. M. l. 2. Dialog. c. 23.

(h) August. Serm. 12. 15. de temp.

(i) Cyrill. Catech. Myst. 5.

(k) Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4.

ſuſtollens dicebat: *Sancta Sanctis*, quâ elevatione peractâ populus in primis ſæculis ſub duplici ſpecie communicabat. *Undecimò* conſecrabantur ſubinde, ſcilicet in Quadrageſimæ Dominicis diebus alii quinque panes, qui in ſubſequentibus hebdomadæ Feriis à Sacerdote & populo ſumebantur; unde Miſſæ, quæ in ejusmodi diebus ſine nova conſecrtione peragebantur, Miſſæ præſanctificatorum appellabantur.

REFLEXIO X. ad §. 6. num. 2. p. 436.

De Catechumenorum claſſibus, inſtitutione & de Baptiſmi ſolennis Ritibus.

1. QUo tempore Ambroſius S. Auguſtinum ſacro baptiſmate eluerat, librum ſcripſit de Myſteriis, in quo uti cæterorum Sacramentorum doctrinam; ita quoque baptiſmi neceſſitatem, ejusque ritus exponit a), eo ferè modo, quo anteà Cyrillus latiùs (b), & Patres primæ Synodi Conſtantinopolitanæ breviùs eosdem deſcripſerant. Affirmant autem hi (c): *Primo die* Gentiles *Chriſtianos facimus*, quando cruce communitos, & invocato ſuper eos Chriſti nomine inter Audientes admittimus; *Secundo die Catechumenos* ſive Candidatos religionis Chriſtianæ propriè tales: *deinde tertio exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando*, ac hac ratione eos dæmone liberando. *Et ſic* (poſtquam baptizandorum voluntas luculentiùs probata eſt,) *eos Catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſiis & tunc eos baptizamus.*

(a) Ambroſ. l. de Myſt. c. 1. & 4.
(b) Cyrill. Hieroſ. Catech. 3.
(c) Concil. Conſtant. I. can. 7.

2. Spatiis nempe interpolatis opus erat ad explorandam conditionem eorum, queis januam Eccleſiæ ingredi animus erat; neque enim flagitioſâ vitâ infames aut obvios etiam quosque ad Catechumenorum ordinem aggregare fas erat (d); unde in Conſtitutionibus Apoſtolicis præcipitur: *Qui primò ad Myſterium pietatis adveniunt, adducant eos Diaconi ad Epiſcopum, aut ad Presbyteros, & cauſas exquirant, cur ad verbum Domini acceſſerunt. Et qui adduxerunt eos* (Diaconi) *tribuant eis teſtimonium, excuſſis, & diligenter examinatis iis omnibus, quæ ad eos pertinent* (e). Examine inſtituto ſi qui idonei judicabantur, hi inter Catechumenos obtinebant locum; poſtquam ab Epiſcopo vel à Sacerdote cruce ſignati & impoſitis manibus benedicti fuiſſent (f). Cæterùm Catechumenorum triplex genus erat: Alii quippe *Audientes* dicti, qui recens admiſſi ad Scripturæ ſacræ auſcultationem (g) & hi in Narthece Eccleſiæ ſeu in porticu poſiti fuêre; unde exaudire poterant lectiones aut conciones (h). Alii propriè appellabantur *Catechumeni*, qui baptiſmo dilato in Eccleſiam nondum penitus admiſſi erant; locum illi ſuum obtinebant in prima Eccleſiæ navi,

(d) Auguſt. l. de Catecheiz. rud.
(e) Conſtit. Apl. l. 8. c. 32
(f) Auguſt. l. 2. de pecc. merit. & remiſſ. c. 26
(g) Zonaras ad Concil. Neocæſar.
(h) Concil. Arauſic. I. c. 19.

navi, intra Dominicum, neque ex eâ ſtatione egrediebantur; dum perceptis rite fidei dogmatis, & oſtenſâ morum converſione, multis etiam precibus baptiſmi gratiam efflagitâſſent. Quare longiore tempore hoc in ordine complures ſtetêre; certè S. Auguſtinus de ſe profitetur: *Decreveram tamdiu eſſe Catechumenus in Eccleſia, cui traditus à parentibus eram; donec aut invenirem, quod vellem, aut mihi perſuaderem non eſſe quærendum* (i). Ex Catechumenorum numero ſelecti quidam *Competentes* vocabantur (k), qui unà ſimul fontis ſalutaris Sacramenta petebant, quósque S. Leo Papa *Electos* appellabat (l), Tertullianus (m) *Perfectos* dicebat, ſive maximè idoneos ad illius gratiæ baptiſmalis perceptionem.

(i) Auguſt. l. de utilit. credendi c. 8.
(k) Ordo Rom.
(l) S. Leo epiſt. 4. c. 5.
(m) Tertull. l. de præſcript. c. 4.

3. Hos eosdem Competentes accuratiore examine, & (ut cum S. Leone loquamur) exorciſmis ſcrutabantur veteres (n): ut ſi qua impuritas, ſi qua hypocriſis lateat, quæ cum dæmonis artibus Catechumeno inhæret; ſacris exorciſmis abigatur: & ne diabolus ſolitis præſtigiis à propoſito *Competentis* animum avertat. Vult igitur ordo Romanus inchoari talia ſcrutinia hebdomadâ tertiâ Quadrageſimæ, atque inde ad Sabbatum Sanctum ſeptem numero confici; ut per ea ſeptiformem Spiritûs S. gratiam conſequantur. Ritus, quo exorciſmi celebrabantur, ſequens erat: Nocte nudis pedibus, demiſsâ cervice, velatâ facie, in conſpectum omnium producti, & cilicio impoſiti fuerunt (o), manibus faces geſtâſſe (p) innuit Cyrillus monens: *Per ignem tranſi ad aquam, ut tranſeas & aquam &c.* exorciſmos comitabatur in Diabolum exſufflatio tum Miniſtri, tum Catechumeni: Sacerdos (ut habet Græcum Euchologium) inſufflat ter in faciem Catechumeni, & iterum poſt tertium exorciſmum inſufflat in os, frontem & pectus Catechumeni, & poſt abrenuntiationem jubet eum inſufflare, & conſpuere Satanam. Latini in ſolam faciem ter inſufflabant, adjectíſque exorciſmis, rurſus crucis ſigno munitum à ſe dimittebat Sacerdos, erudiendúmque tradebat Catechiſtæ.

(n) S. Leo ep. 4.
(o) Auguſt. l. 2. de Symb. ad Catech. c. 1.
(p) Cyrill. in Præf. ad Catech.

4. Catechumenis, qui *Audientes* dicebantur, unà cum Gentilibus & Judæis conciones audire licebat: ſed non Catecheſes; quia in illis Myſteria obſcuriùs, in his apertiùs exponebantur. Unde Cyrillus cavens, ne Catecheſes ad Catechumenos transferantur, rationem ſubdit: Quandoquidem *Catechumenus ſi audiat Myſteria à fideli, phreneſin patitur: neſcit enim quid audierit; & tamen arguit rem ignotam, dictáque deridet* (q). Prudentiores itaque & Sapientiores viri Catechizandis Catechumenis præficiebantur, quales olim fuêre Hippone S. Auguſtinus adhuc Presbyter, Alexandriæ Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclus, Dionyſius, Hieroſolymæ S. Cyrillus. Hi commiſſos ſibi Catechumenos inſtruebant de immortalitate animæ, & de vita futura, de æternitate pœnarum in malos, & Præmiorum in bonos. De exiſtentia unius Dei, ejúſque providentia, de mundi creatione, de Domini noſtri Jeſu Chriſti adventu &

(q) Ibidem.
Quinam Catechiſtæ celebriores olim fuerint?

de Mysterio Passionis illius & veritate Resurrectionis & gloria Ascensionis, de futuro ejus judicio ac de resurrectione Corporum nostrorum (r): reliqua Mysteria Catechumenis tunc modò exponebantur, quando ad Competentium & Electorum ordinem transferebantur, dicente Cyrillo. *Hæc Mysteria, Sacramentáque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis* (sive Audientium ordine) *excedit. Nec moris est Gentilibus exponere, neque palàm apud Catechumenos de Mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur* (s).

(r) August. l. de Catech. rud. Gregor. Nyssen. in Or. de non differendo bapt.

(s) Cyrill. Catech. 6.

Missa Catechumenorum

5. Sed quoniam ex Canone septimo Constantinopolitani Concilii jam docuimus, quòd post Catechesin cura adhuc de Catechumenis hæc habeatur, ut longo tempore versentur in Ecclesiis; dispiciendum porrò, quando Ecclesiæ interesse potuerint Catechumeni? Primò liberè admittebantur, dùm psalmi & lectiones ex scripturis, aut homilia post Evangelium (cujus explicatio erat) ab Episcopo recitabatur: His peractis fiebat missio seu dimissio Catechumenorum, solique fideles manebant, clamante Diacono: *ite Catechumeni in pace*, quia, utì Amalarius testatur (t), Sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur: itaque Missæ illa pars, quæ ante oblationem fiebat, Missa Catechumenorum dicebatur; constabat autem primis sæculis lectione & Evangelio; sicut & hodie in Vigilia paschæ Missa à lectione incipit: addidit tamen posteà officium Missæ sive introitum Cælestinus Papa, & constituit, ut ex psalmis antiphonæ præmitterentur (u).

(t) Amalar. for. l. 3. de offic. Eccl. c. 36.

(u) Alcuin. l. de divin. offic.

Quo sensu de Catechumenis dicatur, eos Sacramenta participâsse:

6. Dubium hìc quidam movent (x), an eodem tempore ante baptismum Sacramentorum quandam communionem habuerint Catechumeni? Quæstionis argumentum desumunt ex S. Augustino, qui Catechumenos *Sacramentorum societate devinctos* appellat (y). Verùm Sacramenti vox latiore sensu hìc accipi nemo non intelligit, cùm baptismus primum Sacramentum sit propriè tale, ante cujus susceptionem nemo hominem Mysteriorum reliquorum capacem dixerit. Itaque Symbolum Evangelicum, Sal & similia, quæ Catechumenorum ori inferebantur, *Sacramenta prima* ampliore intelligentià S. Doctor appellavit: nec minùs de Eulogiis, quæ post Missarum Solemnia necdum communicare paratis solebant diebus Dominicis & Festis distribui, Catechumenos quandoque participâsse colligitur ex S. Augustino dicente, *quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, Sanctum est tamen & Sanctius, quàm cibi, quibus alimur; quoniam Sacramentum est* (z). Dixi quandoque, nam fidelibus duntaxat, qui offerebant, & qui Missarum solemnibus intererant, Eulogiarum usus cæteroquin ordinariè concedebatur.

(x) Amalar. form. l. 1. de Eccl. offic. c. 5.

(y) August. l. de Catech. rud. c. 13.

(z) August. de pecc. merit. & remiss. l. 2. c. 26.

7. Postquam Catechumeni hâc ratione præparati ad baptismum fuerunt; ipsum tandem Sacramentum regenerationis illis conferebatur: sed

non

non finè ritibus, quorum originem non ex Scripturâ, ſed Traditione deduxit S. Baſilius ita profatus: *Conſecramus aquam baptiſmatis & oleum unctionis, præter ipſum, qui baptiſmum accipit. Ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita, ſecretâque traditione? ipſam quoque olei unctionem, quis ſermo ſcripto proditus docuit? jam ter immergi hominem, unde ex ſcriptura hauſtum? reliqua item, quæ ſunt in baptiſmo, velut renuntiare Satanæ & angelis ejus, ex qua ſcriptura habemus? Nonne ex minimè publicata, & arcana traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres noſtri ſilentio quieto, miniméque curioſo ſervârunt? &c.* (a)

Baptiſmus eſt Sacramentum.

(a) Baſilius l. de Spir. S. c. 27.

8. Atque ut ſpecialiùs de baptiſmi ritibus loquamur; tempus ſolenne erat, quo Catechumeni initiabantur, nempe pervigilium Paſchæ, ut nempe cum Chriſto in novam vitam reſurgerent, aut vigilia Pentecoſtes, ut cum Apoſtolis Spiritum S. acciperent. In vigilia Paſchæ ſeptimum habebatur ſcrutinium per conſignationem crucis, per impoſitionem manûs, ſputi, exorciſmi & per abrenunciationem (b), inde baptizandi recitato Symbolo (c) recedebant usque ad horam octavam, quo tempore fiebat cerei benedictio, & Epiſcopus procedebat ad baptiſterium, reverſi intereà Electi ſtabant exuti veſtibus; tum Epiſcopo dicenti (teſte Baſilio) *abrenuntias Satanæ*, ſinguli protensâ manu reſpondebant: *Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus?* Reſpondebant *abrenuntio*, *Et omni cultui ejus?* Reponebant tertiò, *Abrenuntio* (d). Poſteà inſufflare & in Satanam expuere juſſi ad Orientem convertebantur, utpote à Diabolo ad Chriſtum traducti (e). Demum Epiſcopus oleo exorcizato eos ungebat in fronte, in pectore & inter ſcapulas, efformando ſignum crucis: Eodem oleo Diaconi viros & Diaconiſſæ fœminas à capite ad pedes perungebant. Unctionem ſequebatur benedictio fontis, quem ubi Epiſcopus conſecrâſſet, excepiſſétque à Catechumenis profeſſionem SS. Trinitatis; is idem ſingulos à Diacono oblatos ter mergebat & educebat ex aqua, enuntians ſimul Perſonarum divinarum Trinitatem: & in latina quidem Eccleſia hæc adhibebatur forma, *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S.*: in Græca autem Eccleſia eadem forma alio duntaxat modo proferebatur: nempe *Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris Amen, & Filii Amen, & Spiritûs S. Amen; nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum Amen.* Quemadmodum verò viris Diaconi, ita Diaconiſſæ mulieribus baptizandis ſuam operam commodabant; hæ autem ſub noctis tenebras baptiſma percipiebant, ſolo cereo Paſchali illuceſcente: egredientes ex aqua in vertice chriſmate tingebant Presbyteri, quæ tamen unctio Græcis uſitata non fuit.

Per quos ritus baptiſmus fuerit collatus?

(b) Euchol. Græc.

(c) Ordo Roman.

(d) Baſilius l. de Spir. S. c. 27.

(e) Ambroſ. l. de Myſt. c. 2.

9. Poſt hæc veſtimentis albis induti Neophyti Sacramento confirmationis inſigniebantur; ita enim perhibet Tertullianus: *Egreſſi de lavacro perungimur benedictâ unctione. Dehinc manus imponitur per benedictionem*

Poſt Baptiſmum ſtatim conferebatur Confirmatio.

(f) Tertull. lib. de bapt. c. 7. & 8. *dictionem invocans Spiritum S. &c.* (f), cui consentit Cyprianus (g): *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Chrismate, id est Unctione,*
(g) Cyprian ep. 72. & 73. *esse unitus Deo, & habere in se gratiam Christi possit*; ac ne existimes hunc unius Ecclesiæ aut loci morem fuisse; Hieronymus testatur (h): *An*
(h) Hieron. adv. Lucifer. *nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis posteà manus imponantur; & ita invocatur Spiritûs S.?* Confortati signaculo fidei, sub idem tempus teste Ambrosio Eucharistico epulo reficiebantur. *His mysteriis abluta plebs, dives insignibus ad Christi currit altaria ... & cæleste illud festinat adire*
(i) Ambrof. l. de Myst. c. 8. *convivium* (i). In Occidente etiam lac & mel Neophytis porrigebatur ad significandam vitæ Christianæ infantiam.

REFLEXIO XI.

Scriptores Sacri in sæculo IV.

A. 303. I. CÆLIUS LACTANTIUS FIRMIANUS floruit circa an. CCCIII. natale habuisse dicitur Italiæ oppidum, cui Firmio nomen: sub Arnobio præceptore Christianis literis excultus Nicomediæ Rhetorem,
Lactantius. & Christianorum defensorem egit, à facundiâ singulari *Cicero Christianus* appellatus. Posteà Constantinus eum in Galliam evocavit, ut Crispum Imperatoris filium optimis disciplinis imbueret: sæviente Licinio scripsit *divinarum institutionum libros septem* adversus Gentes, quorum Analysin
(a) Natalis Alex. Hist. Eccl. sæc. IV. c. 6. art. 3. legere poteris apud Natalem Alexandrum (a), & apud Du Mesnil (b): libellum quoque alium composuit *De irâ Dei* adversus Epicureos & Stoicos; qui negabant Deum irasci posse legis transgressoribus: præterea
(b) Du Mesnil l. 9. n. 66. Providentiam divinam ostendit in libro *de opificio Dei:* editi hi denuò libri sunt Lipsiæ 1715. His accedit liber *de Persecutione seu de Morte Persecu-*
(c) Pet. Cave in sæc. Ariano p. 103. *torum* recusus Ultrajecti cum notis variorum a. 1692. Item *Epitome Institutionum* prodiit denuò Lutetiæ an. 1712.: reliqua opera, quæ nominata vide apud Petrum Cave (c), perierunt. Cæterùm Lactantius quàm vali-
(d) Hieron. de script. Eccles. c. 80. it. Epist. 13. ad Paulin. & 83. ad Magn. dus fuit ad convincendos Gentiles, tam imbecillis quandoque erat in Mysteriis fidei sublimioribus explicandis; quare S. Hieronymus (d) de eodem ait: *Lactantius, quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facilè aliena destruxit.* Nam 1. Spiritûs S. omnino negat substantiam: & errore Judaico dicit eum vel ad Pa-
(e) in Epist. ad Demetr. trem referri, vel ad Filium & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari (e). 2. Docet Angelos se mulierum contubernio
(f) L. 2. Instit. c. 15. inquinâsse, unde nati fuissent terreni dæmones (f). 3. Visionem beati-
(g) Lib. 7. c. 21. ficam Sanctis ante diem judicii non concedi (g). 4. Christum ante diem
(h) Ibid. c. 24. judicii cum SS. mille annis in terris regnaturum (h). 5. Pilatum sententiam non protulisse adversus Christum, sed tradidisse eum Judæis, ut ipsi de

de illo secundùm legem suam judicarent (i). 6. Censet militiam, & accusationem in causa capitali esse illicitam Christiano (k); ob hos errores Gelasius ejus opera in classem Apocryphorum rejecit: excusandus tamen aliquâ ratione videtur Lactantius, quod continua adversus Gentiles certamina illi spatium non reliquerint, ut Christiana dogmata penitiùs examinaret, quodque sub ejus sæculi exordium scripserit, in quo omnis necdum doctrina à Theologis ità dilucidè exposita, aut à Synodorum decretis definita fuerat.

(i) Lib. 4. c. 188.
(k) Lib. 6. c. 20.

Petrus Alexandrinus. A. 311.

2. PETRUS ALEXANDRINUS dictus ab Eusebio *divinum Episcoporum decus*, Theonæ Episcopo ac Magistro suo in sede Alexandrina successit sub initium sæculi IV. Sæviente Diocletiano, aut Galerio Maximiano in carcerem raptus, & sub Maximino demum Martyrio donatus est circa annum CCCXI. reliquit librum *de Pænitentia*, ex quo supersunt quindecim Canones (l), item librum *de Divinitate* (m), adscribitur quoque ei *Diatriba de Paschate:* sed Petavius (n), aliíque facilè probant, opus esse Anonymi & recentioris Authoris, qui etiam Chronicon paschale contexuit, ubi adducit varia Patrum Athanasii, Epiphanii Petro Alexandrino posteriorum testimonia: primo tamen libri loco quia Petrum Alexandrinum ponit; toti operi deinde ejus S. Doctoris nomen datum est (o). Quid *de visione S. Petri* Alexandrini circa Arium sentiendum sit, alibi jam monuimus: & videri hac super re poterit Natalis Alexander (p). Petrus successorem habuit ACHILLAM, cui circa annum CCCXIII. suffectus est ALEXANDER, qui anno CCCXXV. defunctus est; extant ejus literæ apud Socratem & Theodoretum.

(l) in T. I. CC.
(m) Concil. Ephes. Act. 1 & 7.
(n) Petav. in Uranologio p. 396.
(o) in Corp. Byz. Chron. Pasch.
(p) Natalis Alex. Diss. 10 in Hist. Eccl. ad sæcul. IV. p. 208.

A. 313.

Eusebius Cæsareensis.

3. EUSEBIUS postquam natus fuisset in Palæstina circa annum CCLXX., sub Dorotheo Antiochensi Presbytero doctus literas sacras (q), ab arctissimâ, quæ illi cum Pamphilo Martyre intercessit, amicitiâ, *Pamphili* cognomen sortitus est circa annum CCCVII. Post Phamphili Martyrium Tyrum abiit ad Paulinum Episcopum, ubi latitans multa Martyrum certamina vidit (r); dein Ægyptum petens à Tyrannis ibidem grassantibus in vincula conjectus est: in hac persecutione (si Potamoni in Tyria Synodo an. CCCXXXV. contra Eusebium peroranti fides est) idem defecit: sed Potamonis verba mitiùs explicant alii, qui aliud Eusebio oggerere noluit, quàm quod sinè notis Martyrii illæsus ex carcere, adeóque inglorius evaserit; nunquam enim futurum fuisset, ut Apostata ejusmodi tam facilè ad altiorem Cleri gradum, honorémque admitteretur. Legimus autem, Eusebium cessante Persecutione, & mortuo Agapio Cæsareensium Episcopo, in sedem ejusdem urbis ex omnium votis successisse, & posteà operam ejusdem ubique fuisse præ cæteris adhibitam. Nam Tyri in Encæniis orationem habuit: & ad Imperatorem in ejus Vicennalibus Panegyrin dixit anno CCCXXX. Vacans per Eustathii depositionem

(q) Eusеb. Hist. l. 7.
(r) Idem l. 8. c. 7.

Sedes

Sedes Antiochena Eusebio oblata est: sed hanc ipsam religiosè abnuens Constantini laudes, amicitiámque majorem meruit (s): obiit an. CCCXL. paulò ante Constantini junioris obitum (t). Scriptor sui ævi celeberrimus opera posteris dedit mirificæ eruditionis, qualia sunt: 1. *Chronicon* bipartitum, cujus prima pars hodiè mutila omnium gentium origines & res ab orbe condito memorabiles ex Chronographia Africani desumptas complectitur: altera Canonem Chronicum exhibet sive compendium prioris partis incipit ab ortu Abrahami & per decades provehitur usque ad annum 326. 2. *Libri quindecim de Evangelica præparatione*, in quibus ostensâ Ethnicorum insipientiâ, paganos præparat ad sequendam Christi legem. 3. *Libri viginti de Demonstratione Evangelica*, ex quibus decem supersunt, exhibéntque Evangelicæ doctrinæ rationem, cur nos Christiani, qui Patriis legibus Hebræorum oracula prætulimus, attamen Judæis simile vitæ genus, institutúmque non teneamus. In his libris immensam Authoris lectionem, & assiduitatem in excerpendis Philosophorum, Historicorum, Patrum & Scripturæ libris mirari licet: de multis Scriptoribus, quos adducit, hodie ferè nihil præter fragmenta restat. 4. *Historia Ecclesiastica* decem libris contenta incipit à Christi ortu, & in vigesimo anno Constantini desinit; multa Eusebius in his libris correxit, quæ minùs accuratè in Chronico posuerat. Opus egregium est, & primo Ecclesiasticæ Historiæ parente dignum; non desunt tamen, qui reprehendant, quod Eusebius de industria vitârit Nicæni Concilii & damnationis Arii mentionem, quódque Origenis egerit defensorem. Unde à Gelasio Historia eadem dicta est Apocrypha, quâ censurâ Pontifex omnem laudem minimè Historiographo optimè de Ecclesiæ monumentis merito abrogatam voluit; nam è diverso ita statuit: *Item Chronica Eusebii Cæsareensis, & ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus atque excusatione Origenis Schismatici unum conscripserit librum; propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequáque non dicimus renuendos* (u). Præterea Pelagius Papa II. Eusebio hoc elogium dicavit. *Quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? multa veterum monumenta in ea nobis conservavit* (x). 5. *Vita Constantini M.* quatuor libris comprehensa, de quibus suam crisin ita tulit Photius (y): in hoc etiam opere planè sui similis in dicendo Eusebius; nisi quod nonnihil ad splendorem adsurgit ejus oratio, & verbis interdum elegantioribus utitur. Cæterùm de Ariana hæresi nihil apertè commemorat, nec utrum ipse ei aliquando adhæserit, nec quod eam abjecerit, sed neque, recténe, an secus senserit Arius, nusquam refert: tametsi hæc à vita Constantini, ejúsque rebus gestis nequaquam secludenda videbantur. Ex his nunc porrò anceps quæstio cooritur, utrum Eusebius Orthodoxis, an verò Arianis debeat accenseri?

(s) Euseb. in V. Const. l. 3. c. 11.
(t) Socrat. l. 2. c. 4. & 5.
(u) Gelasius in decret.
(x) Pelag. II. ep. 3. ad Ep. Istr.
(y) Photius Bibl. Cod. 172.

Inter

Inter eos, qui Eusebium Arianæ hæresis damnant, præcipui sunt Baronius, Canus, Petavius, Natalis Alexander, Norisius & Tillemontius, qui ne suâ duntaxat authoritate maculam Eusebio impingere videantur, ad Athanasium coævum provocant, qui ita ait (z): *Eusebius ex Cæsarea Palæstines, cùm pridie* (in Nicæno Concilio) *abnegâsset, in eandem sententiam* (Nicænorum Patrum de homousio) *tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem & Patrum traditionem: omnibúsque manifestò apparuit, eum priùs & temerè errâsse .... licèt postmodum Eusebiani mutato animo tanquam canes ad vomitum regressi sint.* Ergo Eusebius ante Synodum Nicænam in errore Arii stetit, & post simulatam in Concilio abjurationem, posteà ad pristinum errorem rediit. Præterea S. Hieronymus Eusebium vocat *Arianæ factionis signiferum* (a). S. Hilarius eundem inter Arianarum blasphemiarum propugnatores numerat (b), inque hæc sensa plures ivêre, nempe Epiphanius (c), Theodoretus (d), Photius (e), Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus (f), Nicephorus Callistus (g). Ac ne alienâ authoritate scriptorem condemnent Adversarii; litem ex ore ac libris propriis eidem intentant: videas ibi inæqualitatem divinarum Personarum, non aliter ac solis & lunæ proponi (h); asseríque præstantiorem filium esse Angelis, sed primâ causâ inferiorem (i) & paternis Imperiis servientem (k), neque Patri coexistentem. Tertiò facta Eusebii comprobant, quòd Ario se totum transcripserit; nam Arianis perfamiliaris conciliabulo Antiocheno, Tyriensi, & cœtui in dedicatione templi Hierosolymitani congregato vel interfuit aut præfuit: silentio doloso involvit Nicæni Concilii acta, ne Arianæ sectæ damnationem recitare cogatur: & quamvis in vita Constantini de eadem Synodo mentionem faciat; convocandi tamen Concilii veram causam dissimulans, eam tantùm adducit, quæ Secundaria erat, scilicet de die paschali celebrando; unde septima Synodus Generalis authoritatem Eusebii utpote Ariani rejicit, & Tharasii Patriarchæ Epiphaniique Diaconi testimonia non improbat, quibus Eusebius Ariani erroris insimulatur.

Qui Eusebium ab Arii errore vindicare conati sunt, fuêre Trithemius, Genebrardus, Halloixius, Dupinius: Wilhelmus Cave in Apologia, & Cousinus. Hi primò ad veteres Socratem & Sozomenum confugiunt: & ille quidem commemorat Eusebium in Nicæno Concilio orthodoxæ sententiæ subscripsisse, ac publicâ epistolâ ad suos Cæsareenses datâ testatum esse, quod palàm professus sit Filium Patri consubstantialem, & Anathematis formulam contra Arianos scriptam approbârit. Itaque si Eusebius ante Concilium Nicænum duriùs hinc inde scripsit, vel verborum rigor benignâ explicatione emolliendus, vel Authoris minùs curiosæ, parúmque sollicitæ simplicitati condonandum, quòd more alio-

(z) Athanas. l. de Synodi Nic. decret.

(a) Hieron. l. 1. Apolog. adv. Ruf. c. 2.

(b) Hilarius l. ad Const.

(c) Epiph. hær. 68.

(d) Theod. l. 1. hist. Eccl. c. 21.

(e) Photius Cod. 19. & 127.

(f) Tom. IV. Bibl. PP.

(g) Niceph. l. 6. hist. Eccl. c. 37.

(h) Euseb. l. 7. Præpar. Evang. c. 15.

(i) Idem lib. 4. Demonstr. Ev. c. 2. 3. 11. & l. 1. Hist. Eccl. c. 2. l. 1. adv. Marcell. c. 1.

(k) Idem in Epist. ad Euphration.

(l) Gelasius Cyzic. lib. 2. c. 1.

aliorum, idque ante decisionem Concilii locutus sit (l): temporum fatalem necessitatem abstraxisse mentem Eusebii, ut politicas ob rationes familiariùs cum Arianis in aula potentioribus ageret: neque illud vitio verti posse, quod in Historia omiserit Nicænum Concilium, quodque in vita Constantini nil de Arii secta, nisi obiter, recenseat: nam historiam suam cùm finierit ante Synodi initium; non erat, cur argumentum sequentium modò temporum occuparet. Totam vitam Constantini posteà complexus, prætermittendam materiam tunc multis invisam putavit, sive quòd hæc ad Constantini laudem, quam meditabatur, parum pertineret, sive quod timeret, displicere Eusebianis. Ex hoc igitur dissimulationis studio Patres & Concilia ansam captârunt, Eusebium in suspicionem erroris adducendi, à quâ tamen eum palàm exemerunt Usuardus, Ado, Notkerus, qui in Martyrologiis suis Eusebium tanquam Sanctum recensent (m); talémque venerantur hodiedum quædam Gallicanæ Ecclesiæ (n).

(m) vide Sollerium ad 21. Junii.

(n) Missale Lemovicense A. 1484. Breviar. impress. 1587.

Argumenta equidem ejusmodi fuliginem Arianam ab Eusebio nonnihil detergere videntur; sed non omnino: nam altùm adhuc hæret illud, quòd post Concilium etiam Nicænum familiaritati Hæreticorum implexus manserit; amicitiæ autem aut quærunt aut faciunt pares. Præterea Epistola, quam post Synodum ad Cæsareenses scripsisse dicitur, Eusebii innocentiam obscurat; ibidem enim callidè subsignatam à se sententiam de consubstantialitate filii ita interpretatur, quod filius non sit similis creaturis, quæ per ipsum factæ sunt, & quod perfectam habeat cum Patre, per quem genitus est, substantiam; non verò sit unius cum Patre hypostasis & substantiæ. Neque postremùm inde Adversariorum opinioni robur accedit, quod Sanctus habeatur à particularibus, ac fallibilibus Ecclesiis; deprehenso itaque errore à Baronio meritò nomen Sancti sciente Pontifice expunctum est. Putant etiam alii Eusebium Cæsareensem in Cappadocia, aut Samosatenum esse, qui ita in Martyrologiis sanctitatis notâ fuerit insignitus (o). Hanckius *viâ tutissimâ*, ait, *videri illos incedere, qui post Synodum Nicænam Eusebium Arianum fuisse, neque negantibus, neque affirmantibus accedentes, judicium suum suspendunt* (p). Tot ambagibus hæc quæstio intricata est (q).

(o) vid. Florentinium in Differt. An Euseb. sanctitatis titulo sit exuendus? Natal. Alex. Differt. cit.

(p) Hanck. l. de Byzant. script. p. 1. c. 1.

(q) Pagi in Critic. ad an. 325. n. 32.

S. Athanasius.

A. 326.

4. S. ATHANASIUS Nicænæ Synodo adhuc Diaconus Alexandrinæ Ecclesiæ interfuit. Anno 326. creatus Episcopus ejusdem Sedis, quadraginta sex annis inter varias persecutiones præfuit, perpetuus assertor Divinitatis Jesu Christi obiit an. 373. regnante Valente Imperatore. Reliquit varia opera, scilicet 1. *Orationes varias*; unam contra Gentes, unam de Incarnatione Verbi, quatuor contra Arianos 2. *plures Epistolas*, duas ad Serapionem, unam ad Jovianum Imp., unam contra Eusebium de Synodi Nicænæ decretis, unam adversus Arianos de sententia Dionysii

Ale-

Alexandrini, unam ad Antiochenſes, unam ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, unam ad Adelphium Epiſcopum, unam ad Solitarios, unam de Synodis Arimini & Seleuciæ, unam ad Africanos Epiſcopos, unam ad omnes Orthodoxos, unam ad Dracontium Epiſcopatum fugientem 3. *tres* item ſcripſit *Apologias*, unam ad Conſtantium Imp. alteram de fuga ſua, tertiam contra Arianos. 4. His annumerant alii alia ſcripta, quæ (r) tamen genuina non ſunt, quibus nos quoque Symbolum S. Athanaſii accenſemus (s). Latiùs unà cum Analyſi operum hæc exequuntur Natalis Alexander in ſæc. IV. Hiſt. Eccl. c. 6. art. 8. Petrus Annatus in ſuo apparatu l. 4. art. 17. Du Pin Nouvelle Bibliotheque Tome Second. p. 35. . . . p. 60.

(r) vid. Petrum Cave in ſæc. Ariano pag. 123.

(s) vide ſupra p. 314.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus. A. 350.

5. S. CYRILLUS celebris Catechiſta, poſt Maximum Hieroſolymæ Antiſtitem creatus Epiſcopus ejuſdem urbis à Comprovincialibus, & ab Acacio Cæſareenſi Metropolitâ ordinatus eſt. Quibusdam opinari placuit, quaſi Arianorum ope ad Sedem hanc emerſiſſet (t); ſed Synodus ſecunda Generalis & Theodoretus contrarium docent (u). Multa Cyrillo lis fuit poſteà cum Acacio Cæſareenſi de jure Metropolitano, quod Cyrillus Eccleſiæ ſuæ veluti throno Apoſtolico aſſerere voluit: depoſitus eſt ob hanc, aliámque cauſam, quòd urgente fame ſtolam auream à Conſtantino Eccleſiæ donatam ad pauperum uſum vendidiſſet; ab iniquâ ſententia provocavit ad altius tribunal Cyrillus (x). Regnante Juliano ſuo Epiſcopatui redditus, riſit Judæorum templum reſtaurare volentium conatus, & quietè deinceps vixit usque ad an. 386., quo obiit. Scripſit *Epiſtolam ad Conſtantium Imperatorem* de crucis apparitione 2. *Catecheſes ad Illuminatos extemporaneas* ſive inſtitutiones eorum, qui accedebant ad regenerationis lavacrum 3. *Myſtagogicas Catecheſes quinque*, in quibus recens baptizatos accuratiùs inſtruit, & Myſteriorum cauſas exponit: Rivetus Calvini Alumnus S. Cyrillo non tantùm Catecheſes abnuit; ſed & Arianam doctrinam eidem affingere non dubitavit: ſed Natalis Alexander hominem depexuit (y), & Petrus Cave (licèt cum Riveto Calvinum ſequatur) hìc tamen ab errante adeo diſcedendum putavit, ut exceptiunculas ejus vix caſsâ nuce dignas pronunciet (z). Porrò Petrus Annato monet (a), aliqua in Cyrilli Catecheſibus reperiri, quæ minùs accuratè dicta ſint; tum quia Cyrillus adhuc adoleſcens ea ex tempore protulerat, aut quia à ſcribis fortè feſtinanter & non ſatis cautè retenta fuerant.

(t) Hieron. in Chronic. Rufin. l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 23.

(u) Ep. Synod. ad Damaſ. apud Theodoret. l. 5. c. 9.

(x) Socrates l. 2. c. 40.

(y) Natalis Alexand. ad ſæc. IV. Hiſt. Eccl. c. 6 a. 12

(z) Petrus Cave in ſæc. Arian. p. 134.

(a) Petrus Annato in Appar. l. 4. a. 21.

S. Hilarius Pictavienſis. A. 355.

6. S. HILARIUS Pictavienſis Epiſcopus ætate licèt provectâ ad Chriſtum converſus ſit; inſignem tamen apparatum librorum Galliæ, & Univerſæ Eccleſiæ dedit: à factione Saturnini fidei causâ in exilium expulſus in Phrygiam diſceſſit an. 356. poſteà gregi reſtitutus, Pictavis obiit an. 369. Opera Hilarii ſunt. 1. *Libri 12. de SS. Trinitate* 2. *Liber de Synodis* 3. *Libri duo ad Conſtantium & unus contra Conſtantium* 4. *Liber*

(b) Hieron. epist. ad Lætam.

(c) Hilar. l. 10. de Trinitat.

(d) Id. c. 33. in Matth.

(e) Id. c. 4. in Matth.

(f) Natalis Alexand. l. c. art. 13.

(g) D. Th. III. P. Q. 50. a. 2. ad I.

contra Auxentium. 5. *Epistola ad Abram* filiam missa (b). Quantumcunque ab Hieronymo scripta ista ab omni erroris suspicione pura celebrentur; acrem tamen hìc denuò dentem figit Rivetus cum Dallæo; quorum uterque hæc præcipuè in Hilarii scriptis vellicat, nempe eum docuisse, quòd Christus omnis doloris expers fuerit (c), quòd Divinitas à corpore morientis Christi recesserit (d), quódque matrimonium ob alterius conjugis fornicationem dissolvere fas sit &c. (e). Objectiones hujus generis quia Natalis Alexander multis confutavit (f), breviter tantùm hìc insinuamus, Hilarium *quoad primum* contra Arianos commonstrare voluisse, Christum verè Deum fuisse, cujus Divinitas nulli cruciatui aut dolori esset obnoxia. *Ad secundum* ℞. cum S. Thoma (g), derelictam fuisse humanitatem Christi à divinitate non per solutionem unionis personalis, sed quia Deus Pater Christum hominem exposuit Passioni. Ad *tertium* ℞. doctrinam de indissolubili matrimonii vinculo vel necdum ita tunc discussam & definitam fuisse: vel si fuit; S. Hilarius de separatione quoad thorum, non quoad vinculum locutus est.

S. Epiphanius.

A. 368.

7. S. EPIPHANIUS gente Palæstinus, primâ in ætate in Gnosticorum consortium delapsus, citra noxam tamen ex eorum illecebris evasit: vicesimo ætatis anno patriam repetens à Luciano ad fidem, & ad disciplinam Hilarionis traducitur. Sanctimoniæ famâ jam celebris anno 368. in Cypro Salaminæ (quæ deinceps Constantia dicta est) Episcopus præficitur; Hæreses, & Joannem Hierosolymorum Episcopum Origenis fautorem multis commentationibus impugnavit: ab Hieronymo dictus πεντάγλωττος, eoquòd Hebraicè, Syriacè, Ægyptiacè, Græcè & Latinè loqueretur & scriberet. Obiit in navi anno 403; dum ab Arcadii Imperatoris aula ad suam remeare pararet Ecclesiam. In Chronotaxi temporum licèt minùs accuratus, insignes libros elucubratus est, quorum præcipui sunt, 1. *Panarium adversus* 80. *hæreses* tribus comprehensum voluminibus, tomis septem: opus, inquit Photius (h), omnibus ante eum scriptis adversus hæreses lucubrationibus uberius atque utilius. Hæreseon Catalogum incipit à Barbarismo; & novem ante legem: post legem usque ad adventum Christi undecim: & à Christi ortu usque ad Messalianorum hæresin sexaginta recenset. 2. *Anchoratus* sive de fide sermo anno 373. scriptus rogantibus presbyteris, ut doctrinam Catholicam de SS. Trinitate, & de Spiritu S. contra Macedonianos exponeret. 3. *Panarii epitome* 4. *liber de mensuris & ponderibus & de asterisco & obolo*, ad intelligentiam eorum, quæ de iis in scripturis reperiuntur. 5. *Apologia ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum:* objecerat nimirum hic Epiphanio, quòd velum in Ecclesia Anablathæ discidisset, quódque Sedis Hierosolymitanæ jura violàsset, ordinando Paulinianum Hieronymi fratrem in Monasterio Joanni subjecto. Primam accusationis partem ab Icono-

(h) Photius Bibl. Cod. 122.

noma-

nomachis fuisse Epistolæ insutam contendunt Baronius & Bellarminus; alii verò factum confessi, Epiphanium minimè inde gravatum ostendunt, quia velum sciderat, in quo vel indecorè picta erat imago, vel superstitionis occasio rudi popello esse poterat; præsertim cùm in Ecclesia Cypri sacrarum imaginum usus necdum ullus esset. Ad alterum accusationis caput respondet ipse Epiphanius, se compulsum ordinationem istam fecisse, tum quòd cum ipso Joanne Monachi non communicarent.

Optatus Milevitanus. A. 368.

8. OPTATUS natione Afer, urbis Milevitanæ in Numidia Episcopus, Donatistarum acerrimus hostis claruit anno 368. scripsit contra Parmenianum Sectæ Donatisticæ apud Carthaginem Episcopum de schismate Donatistarum libros septem, quamvis de septimo libro, qui stylo à sex prioribus distat, quidam dubium moveant (i). Obiit an. 380. (k)

(i) v. Bellar. de scr. Eccl.
(k) Trithem. de scr. Eccl.

S. Ephrem. A. 370.

9. S. EPHREM Syrus natione, Patriâ Nisibitanus (l), Presbyter an. 370. à Basilio ordinatus, præ demissione animi à Mysteriis abstinuit, ab eruditionis famâ *orbis Magister* appellatus (m). De variis varia dedit opuscula, quæ à Gerardo Vossio Tungrensis Ecclesiæ Præposito in tres Tomos collecta sunt (n). Rivetus ideo Testamentum ab Ephremo conscriptum videtur abominari, quia Sanctus Doctor ibidem preces pro fidelibus defunctis asserit. Obiit die 1. Februarii an. 378. sub Valente Imperatore.

(l) Sozom. l. 3. hist. Eccl.
(m) Pet. Annat. in Appar
(n) v. Petr. Cave in sæc. Arian. p. 150.

S. Basilius. A. 370.

10. S. BASILIUS natione Græcus, regione Ponticus, frater SS. Gregorii Nazianzeni, & Petri Sebasteni, ac S. Macrinæ Virginis. Monasticen subinde professus, ejusdem vitæ alumnis Regulas præscripsit, Episcopus Cæsareæ Cappadocum creatus an. 362. ob eximias commentationes, quas edidit contra Eunomianos, Sabellianos, & Arianos, *Magni* nomen obtinuit (o). Obiit an. 380. Opera ejus sunt varii argumenti, quæ quia complura sunt, vide ea recensita apud Hieronymum, item apud Petrum Annatum l. 4. p. 441., demum apud Petrum Cave p. 152. Ex his libris Erasmus abnegare ausus est Basilio illud volumen, quod de Spiritu S. scripsit, sed rationes Erasmi confutat Casaubonus (p), imò hic liber Catholicis tantò magis probatur, quantò luculentius stabilit Traditiones, nam c. 27. ita ait Basilius: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripta prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in Mysterio, id est in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem &c.* Alii Liturgiam Basilii vellicant, sed hanc eidem Authori vindicat S. Proclus (q) & recentius Petrus Cave (r).

(o) Gregor. Nazianz. in laud. Basilii Theod. l. 4. Hist. Eccles. c. 19. Hieron. de script. c. 116.
(p) Casaub. exercit. 16. c. 43.
(q) Proclus de tradit. Liturg. in Tom. VI Bibl. PP.
(r) Pet. Cave l. c. p. 153.

S. Gregorius Nyssenus. A. 370.

11. S. GREGORIUS NYSSENUS gente Ponticus, Basilii M. frater, circa annum 370. Nyssæ in confinio Cappadociæ creatus Episcopus fidem Nicænam acerrimè propugnavit, à Valente in exilium ejectus; sed mortuo Tyranno revocatus, interfuit Concilio Antiocheno anno 377. & posteà Synodo Constantinopolitanæ an. 381., in qua cùm decessissent è

 vivis

vivis Meletius Antiochenus & Flaccilla Theodosii Imperatoris filia; Gregorius orationes funebres dicere jussus est. Annum 393. fatalem habuit, memoriam suî in plurimis libris relinquens, quos apud Petrum Annato (s) & Natalem Alexandrum fusiùs legere licebit (t).

(s) Annato in Appar. l. 4. n. 15. p. 399.

(t) Natalis Alex. Hist. Eccl. sæc. IV. c. 6. a. 20.

S. Gregorius Nazianzenus A. 375.

12. S. GREGORIUS NAZIANZENUS à Nazianzo obscuro secundæ Cappadociæ oppido compellatus, S. Basilii familiaris, Patrem habuit Gregorium, matrem Nonnam, cujus pietate conjux ab Hypsistariorum errore ad religionem Christianam traductus est; dein Episcopus Nazianzi per 45. annos perstitit. Gregorius interim filius Cæsareæ Cappadocum, Alexandriæ & Athenis omnibus literis excultus Monasticen ad tempus sequebatur: postea à Basilio presbyter, mox etiam Antistes Sasimorum in Cappadocia secunda creatus, nunquam Ecclesiam suam turbulentam adire sustinuit. Parentis Nazianzeni Episcopi curas Coadjutor subinde levavit; demum anno 378. à Synodo Antiochena Constantinopolim directus fidelium causam contra Arianos suscepit. Viri pietas & eruditio fecit, ut probante etiam Theodosio Præsul Regiæ urbis constitueretur: sed anno 381. ob turbas exortas Sede eâdem sponte cessit, & exactis inde octo annis mortuus. Scripta ejus *Theologi* (ita ob Theologiæ peritiam dicebatur) ad tria genera revocantur. I. Orationes varias edidit II. Epistolas 242. III. Poëmata multiplicis argumenti.

S. Ambrosius. A. 374.

13. S. AMBROSIUS Ambrosio Patre, cive Romano & Galliarum Præfecto in Galliis natus, post gestam Liguriæ & Æmiliæ præfecturam, Sedi Mediolanensi an. 374. imponitur Episcopus, Arianorum inde malleus, fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ fortissimus custos, Evangelicorum consiliorum propugnator, Pacificator Principum, & flagitiosorum terror. Obiit an. 397. Ejus opera varia Monachi Congregationis S. Mauri in tres Tomos collegerunt. In *primo Tomo* comprehenduntur ea, quæ Ambrosius scripsit in N. & V. Testamentum; cautè tamen exponas necesse est id, quod Lib. I. de Abraham c. 4. legitur: *Consideremus primùm, quia Abraham ante legem Moysis, & ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur;* nam S. Doctor ibidem tantùm vult, quòd adulterium lege positivâ necdum prohibitum fuerit, licèt lege naturali jam esset vetitum; adeóque tunc adulteri minore digni pœnâ videri poterant, quia ignorantiâ saltem vincibili laborabant, quæ non quidem excusat à toto, excusat tamen à tanto. *In secundo Tomo* habentur multa opera de officiis Clericorum, de Viduis, de Virginitate: quæ materies quia Riveto ac Dallæo displicet; expunctos hos libros ex Ambrosii voluminibus mallent. Prætereà nonnullis minùs probatur id, quod Ambrosius scripsit de lapsu Virginis consecratæ; quasi enim Novatianorum errorem profiteretur, ad Virginem lapsam ait (u): *Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec præsumas ab humanâ die posse veniam dari . . . quæ pro-*

(u) Ambros. l. de lapsu Virg. c. 8.

proprie contra Dominum peccâsti, ab illo solo te convenit in die judicii exspectare remedium. Verùm Ambrosius ex more Ecclesiarum quarundam loquitur, quæ etiam in morte pro gravioribus criminibus reconciliationem negâsse dicuntur; accedit, quòd Ambrosius patrati sceleris horrorem inde altiùs incutere voluerit, quò vehementius lapsam ad pœnitentiæ constantiam hortaretur. In eodem Tomo secundo enumerantur *libri sex de Sacramentis*, quos præter Ivonem Carnotensem, Gratianum, innumerósque alios (x) Magister sententiarum Ambrosio vindicat; in his multa, quæ Heterodoxi hodie controvertunt, deciduntur, præcipuè realis præsentia Christi in Eucharistia ac transubstantiatio: ita enim habet (y). *Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit Consecratio; de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus: quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur, quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia..... Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat Corpus Christi ante Consecrationem: sed post Consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi.* Et Capite 5. *Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus, & sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare?* Hæc Verba clarissima ita momorderunt Rivetum, aliosque Novatores, ut libros illos de Sacramentis Ambrosio abjudicandos putârint: ac ne odio doctrinæ orthodoxæ id facere videantur; ratiunculas quasdam excogitârunt, scilicet in his libris stylum esse diversum: quasi vero SS. PP. semper eodem tenore scripsissent; certè hoc argumentum despiciendum est, quia dudum à S. Augustino confutatum fuit (z). Præterea objiciunt, quod Author librorum de Sacramentis aliâ utatur versione ac Ambrosius: *sed* si inspiciantur cæteri quoque libri S. Ambrosii; in iis quoque deprehendes, variis verbis eosdem scripturæ textus à S. Doctore citari; cæteras leviusculas difficultates ab Heterodoxis his libris oppositas, solutas vide apud Natalem Alexandrum c. 6. ad sæc. IV. Hist. Eccl. §. 2. *In tertio Tomo* continentur S. Ambrosii opera supposititia, vel dubia; qualia sunt: 1. *Commentaria in Apocalypsin* 2. *Liber de vitiorum, virtutúmque conflictu* 3. *Libellus de fidei expositione* 4. *Tractatus de Concordia Matthæi & Lucæ in Genealogia Christi* 5. *Expositio in Cantica Canticorum* 6. *Liber unicus de Pœnitentia* 7. *Commentarii in Epistolas S. Pauli*, quos Hilarius Sardus Diaconus composuit (a), 8. *Libri de vocatione omnium Gentium*, quia Pelagianorum jam fit ibi mentio, qui post Am-

(x) vid. Natalis Alex. Hist. Eccles. sæc. IV. c. 6. p. 153.

(y) Ambros. l. 4. de Sacramentis c. 4.

(z) August. l. 4. de doctr. Christ. c. 19, & 21.

(a) Natalis Alex. Hist. Eccl. sæc. IV. c. 6. n. 9.

(b) Idem n. 13. Ambrosium orti sunt (b). 9. Canticum *Te Deum Laudamus* meliùs tribuitur Sisebuto Monacho ordinis S. Benedicti, ut patet ex Cassinensi vetere Breviario; dein ante regulas SS. Benedicti & Cæsarii, hujus Cantici nullibi fit mentio (c).

(c) Idem n. 12.

14. Patres, quos hucusque ex quarto sæculo adduximus, *majores* dici possunt, nunc alios *minores* hujus sæculi Scriptores breviter recitabimus.

Scriptores minores sacri in sæculo quarto.

An. 305. floruit *Commodianus* Poëta Christianus. An. 330. *Juvencus* Poëta Christianus & Presbyter Hispanus: scripsit Historiam Evangelicam, quæ est in Bibliotheca PP. A. 331. *Eustathius Antiochenus* Episcopus; hujus fragmenta contra Arianos exarata adhuc restant. A. 332. *S. Jacobus Nisibitanus* Episcopus in Mesopotamia: ejus Tractatus interierunt. A. 333. *Hosius* Episcopus Cordubensis, obiit a. 358., de quo in Historia supra: ex ejus scriptis una restat epistola. *Julius Firmicus* Maternus Episcopus Mediolanensis scripsit de errore profanarum religionum. A. 334. *S. Pachomius*, cujus Monastica Regula & undecim epistolæ habentur in Regulis Benedicti Anianensis. A. 336. *S. Antonius* vitæ Monasticæ institutor, obiit a. 386., in Bibliotheca PP. & in Codice regularum, ejus regula habetur & septem literæ. A. 337. *Basilius* Episcopus *Ancyranus* scripsit Tractatus Theologicos, ex quibus præter paucas epistolas nil superest. A. 341. *Eusebius* Episcopus *Emessenus* in Syria, cujus opera deperdita sunt, homiliæ autem quædam ipsi affinguntur. A. 355. *Lucifer* Episcopus *Calaritanus* in Sardinia, & *Marius Victorinus* Afer, quorum libri contra Arianos extant in Bibliotheca PP. A. 356. *S. Pacianus* Episcopus Barcellonensis, qui scripsit contra Novatianos de baptismo & pœnitentia; item *Phebadius* oppugnator Arianorum. A. 370. *Apollinaris* Episcopus *Antiochenus* in græcos versus psalmos Davidis transposuit: *Didymus* Alexandrinus (dictus *cæcus*) scripsit de Spiritu S. & in Epistolas Canonicas, quorum opera visuntur in Bibliotheca PP. A. 379. *Amphilochius* Episcopus *Iconiensis* in Asia, obiit a. 395. scripsit de SS. Trinitate & de S. Spiritu. *Eusebius Vercellensis* cujus fragmenta habentur in operibus Hilarii. A. 380. *Hilarius* Diaconus Romanæ Ecclesiæ scripsit in epistolas Pauli; ut videre est in operibus S. Ambrosii: & Quæstiones super N. & V. Testamentum, quæ habentur in operibus S. Augustini. A. 381. *Philastrius* Episcopus *Brixiensis*, tractavit de hæresibus, ut habetur in Bibl. PP. A. 392. *Evagrius* Ponticus, Archidiaconus Constantinopoli obiit a. 406. Edidit instructiones de re Monastica, quæ sunt in Bibl. PP.

De his latiùs consulantur *Suidas*, *Bellarminus* de Script. *Possevin* in Apparatu, *Natalis Alexander* in sæc. IV. c. 6. *Miræus* in Bibl. Eccl. *Petrus Annato* in Apparatu, *Dupin.* in Bibliotheca nova ad sæc. IV. & *Petrus Cave* in sæculo Ariano.

REFLE-

REFLEXIO XII. five ultima.

Quænam Doctrina, & Diſciplina Eccleſiæ fuerit in ſæculo quarto?

QUantum Doctrinam inter & Diſciplinam diſcrimen ſit, Gregorius Nazianzenus in ſæculo quarto docuit: Arianis enim objicientibus, Catholicos Meletiano aut Antiocheno ſchiſmate diſtractos, fidei unitatem ſcindere, ita repoſuit (a): *Non de Deitate diſſenſimus, ſed ordinis ac Diſciplinæ causâ certavimus, nec de eo inter nos diſſenſio extitit, utra pietas eſſet eligenda, anne, quæ Deum contrahit, an illa, quæ vel Spiritum S. duntaxat vel filium quoque ipſum cum Spiritu S. à divina eſſentia diſtrahit? .... Nam quoad divinitatem attinet, non minùs, quam ipſa ſecum divinitas, inter nos conſentimus .... verùm de aliis rebus inter nos contentio fuit*, nimirum de rebus diſciplinæ; quæ fidem immutabilem non concernunt.

(a) Gregor. Naz. or. 13.

§. I.

De Doctrina ac orthodoxia Eccleſiæ in ſæculo IV.

1. Etſi quarti ſæculi ætas ex dogmatis fidei nil novi protulerit, cujus fidem non habuerit Eccleſia tribus antecedentibus ſæculis (b); negari tamen non poteſt ſub Chriſtianis Imperatoribus, & à frequentiſſimo Doctorum numero majorem Myſteriis lucem affuſam fuiſſe. Ac primò MYSTERIUM SS. TRINITATIS inter tot Synodicas congreſſiones, tum inter SS. Athanaſii, Hilarii aliorúmque PP. cum Ario, Euſebianíſque certamina paulò clariùs eluxit. Quæ olim de Divinitate filii S. Joannes (c), & S. Paulus (d) enuntiaverant, quarti ſæculi Patres (e); uti & Nicæna Synodus apertiùs expoſuêre: uti videre eſt apud Natalem Alexandrum in Diſſert. XLII. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi IV. p. 508.

2. De eodem Divino filio à Nicænis Patribus declaratum eſt, quod non ſolùm ſit ſimilis Patri, ſed ejuſdem etiam cum illo naturæ & eſſentiæ: atque ut breviter dogma ejuſmodi comprehenderetur; contra Arianos fidei Symbolo appoſitè & prudenter addita vox eſt ὁμοούσιος, ſive *Conſubſtantialis*; cùm enim (ut ait (f) Athanaſius) *Synodus in hoc eſſet, ut Arianorum impia vocabula tolleret, & voces adhibere vellet, quæ ſinè controverſia ſacrarum literarum eſſent, nimirum eum filium eſſe, & nequaquam ex non entibus eſſe: ſed ex Deo, eúmque & Verbum eſſe & Sapientiam, & nequaquam creaturam, aut facturam; ſed germen proprium ſui Patris: Euſebiani pro inveteratæ ſua opinione, volebant illud ex Deo eſſe, commune eſſe, & ad homines quoque pertinere: neque Chriſtum eo nomine à nobis differre,* eoquòd

(b) Hilarius contra Conſt. num. 23.

(c) Ev. Joan. c. 1. 10. & 14. 1. Epiſt. Joan. c. 5. v. 20.

(d) Paul. Ep. ad Rom. c. 9. v. 5. Ep. ad Hebr. 1.

(e) Athanaſ. or. 4. Hilarius l. 7. de Trinit. Cyrillus l. 32. Theſaur. Ambroſ. l. 1. de fide ad Gratian.

(f) Athanaſ. in ep. de Nic. Syn. decretis.

eoquòd scriptum esset: unus Deus, ex quo omnia. Ibi Patres animadversâ illorum fraude & impietatis vafritie, coacti sunt clarioribus verbis exponere, quid sit ex Deo esse; & scribere, Filium ex substantia Dei esse.... creaturæ enim ideo ex Deo esse prædicantur, ne temerè & sponte extitisse videantur..... Verbum autem, cùm creatura non sit, verè ex Deo est... istius rei intellectus in vocibus concipitur, quibus dicitur, eum ex substantia Patris esse Id enim nulli creaturarum datum. Et quamvis Ariani hanc vocem velut tesseram fidei labefactaturi, perpetuò inclamarent, vocem ὁμοούσιον à scriptura alienam, & novam esse, imò in Synodo Antiochena damnatam; nil tamen immutandum Patres censuêre, & ad primum quidem abundè respondit Athanasius (g). *Quod si rursus,* inquit, *quia voces istæ in scripturis solemnes non sint, obmurmurationes faciant; æquum profectò est, ut ea de causa ipsi potissimùm rejiciantur, utpote logodædali novorum vocabulorum, & quod magìs est, sanis sententiis non utentes, seque ipsi in hoc negotio incusant; quòd primi hujus rei occasionem præbuerunt, dum ex non scriptis vocibus Deo bellum comparant. Sed tamen cognoscet, quisquis est studiosioris animi, has voces tametsi in scripturis non reperiantur; habere tamen eas eam sententiam, quam scripturæ volunt, & id ipsum eas sonare apud illos, quibus aures ad pietatem sunt integræ.... Unde enim alioqui filium intelligas esse Sapientiam & Verbum, in quo omnia sunt condita, nisi per has voces, quibus dicitur ex Deo esse? Rem certè ita se habere ex scripturis liquet, cum Pater ita per Davidem loquatur: eructavit cor meum verbum bonum: & ex utero ante Luciferum genui te.... jam & illud Ego & Pater unum sumus, & Pater in me est, & ego in Patre, idem est ac si dicat; ego ex Patre sum & indivisibilis ab illo.... si ergo simplex est Deus, ut revera est, certum est, cùm dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsorum substantiam significare.* Prætereà vocem Homousii novitatis argui posse negat Athanasius (h), eoquòd ante Synodum Nicænam Dionysius Alexandrinus jam affirmârit *Consubstantialem dici filium Patri ab antiquis* (i). Ad ultimum denique respondet solidè idem S. Doctor Athanasius: *Si igitur aliquis carpit Nicæenses, quòd non dixerint omnia, quæ ipsorum antecessoribus placuerunt: idem quoque meritò carpserit septuaginta Episcopos Pauli Samosatensis condemnatores, quòd ea, quæ antecessorum erant, non observaverint. Antecessores autem eorum fuêre duo isti Dionysii, cæterique, qui Romæ tum congregati fuêre. Verùm neque illos fas est culpare, omnes enim Christi curam gessère.... bene verò & hi & illi pro subjecta materia scribunt.... Qui enim Samosatensem sustulerunt, hanc vocem Consubstantiale corporaliter accepêre: cùm Paulus Sophisticari vellet & diceret; si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri, & necessariò sequitur tres esse substantias, unam quidem, quæ prior sit, ut Princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas; ideóque meritò vitantes illud Sophisma Pauli, dixêre*

(g) Athanas. de Syn. Nic. adv. Arian. decretis.

(h) Idem in decret. cit.

(i) Dionys. Alex. in Ep. ad Paul. Samosat.

dixère, Christum non esse Consubstantialem: non enim ita se habet filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi verò, qui Arianam hæresin anathemate notârunt, cognoscentes non creaturam, sed genitum quiddam ex substantia Patris, filium esse, & substantiam Patris originem, radicem, & fontem esse filii, & veram undequáque esse similitudinem Geniti cum Genitore, ... & pro se habentes Dionysii exempla, fontem scilicet & Consubstantialis assertionem .... his de causis meritò inducti sunt, ut Filium consubstantialem dicerent. Itaque *utraque Synodus justam* habuit *& rationabilem causam, cur illa ad illum, ista verò ad istum modum verba sua temperaverat. Quandoquidem enim & Samosatensis sentiebat filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse; ideo Episcopi tunc congregati hominem Hæreseos condemnatum abdicârunt, & de Divinitate filii simplicius scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis, Consubstantialis, ita locuti sunt: in eo enim omnem curam habebant, ut, quod Samosatensis excogitaverat, tollerent, & docerent ante omnia filium fuisse, eumque non ex homine Deum esse factum ... verùm quia Eusebius & Arius ante tempora quidem filium esse dicerent, sed tamen factum esse, & unum ex creaturis esse docere conarentur. Et dictum illud, ex Deo, non ita interpretarentur, ut filium genuinum ex Patre verè natum crederent; sed eum ita ex Deo, ut cætera creata affirmarent, & similitudinis unitatem filii cum Patre negarent, essentiâ aut naturâ constare ... ideo Nicææ congregati Episcopi, conspicati eorum hominum, qui ita sentiebant, vafritiem, collectis in unum, quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidiùs rem exponentes, filium Consubstantialem esse asseverârunt.* Quare autem ὁμοούσιον potiùs, quam ὁμοιούσιον sive similem filium dicere PP. voluerint, rationem apertam dedit Hilarius (k): *Multa sæpe*, inquit, *fallunt, quæ similia; timeo aurum bracteæ, quia me fallere possit interius: & tamen auro simile est, quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium sit, quia ei simile videatur & bubulum. Similitudo vera in veritate naturæ est: veritas autem in utroque naturæ, non negatur Homousio* (l).

3. Quemadmodum Ariani Divinitatem filii, ita Macedoniani Divinitatem Spiritûs S. impugnavêre: jactabant autem Spiritum S. nusquam Deum in scripturis legi; hunc non loqui à semetipso, sed instar divini Legati ab alio accipere, quæ loquatur (m): hunc gemere & orare, quæ divinitati non conveniunt. Ex diverso in scripturis, ubi de divinitate Spiritûs S. ageretur (n), ostendere Patrum intererat (o); ac præcipuè Gregorius Nazianzenus (p): *Vetus Testamentum*, ait, *Patrem apertè prædicabat, filium obscuriùs: Novum autem nobis filium perspicuè ostendit; & Spiritûs divinitatem subobscurè quodammodo indicavit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, seséque nobis apertiùs declarat.* Alterum solvit Ambrosius longiùs (q), quod idem brevioribus verbis postea edixit Augu-

(k) Hilarius in lib. de Synodis.

(l) vid. plura apud Natal. Alex. Diss. XV. in Hist. Eccl. sæc. IV. p. 228.

(m) Jo. c. 16.

(n) Actor. 5. 1. Cor. 3. & 12. Joan. 14. 15.

(o) Didymus l. 1. de Spir. S. Ambros. l. 1. de Spirit. S. à c. 7. ad 22.

(p) Gregor. Naz. or. 37. de Spirit. S.

(q) Ambrof. l. de Spirit. S. c. 12.

ſtinus (r): *Non ergo loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi ſcire eſt: ſcire verò eſſe. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo, à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil aliud eſt, quam ſcientia.* Tertium idem Hipponenenſis Præſul diſſolvit, dum ait (s): *Dictum eſt* de Spiritu S. *interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, ſicut dictum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat, an diligatis eum, hoc eſt, ut ſcire vos faciat. Interpellare itaque Sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inſpirans eis deſiderium etiam adbuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam exſpectamus &c.*

4. Denique poſt præcipuas has cum Hæreticis de Myſterio Trinitatis controverſias de aliis fidei articulis in ſæculo IV. ita tractatum eſt, ut eadem, quæ in tribus primis ſæculis vigebat, doctrina tunc quoque ſtabiliretur. Nam I. quod CERTA ſit ECCLESIÆ IN TRADITIONIBUS, ET DECRETIS AUTHORITAS, docuit hoc ævo S. Hieronymus (t), Ambroſius (u), Epiphanius (x), Cyrillus Hieroſolymitanus (y), quorum omnium nomine Baſilium audiamus: *Dogmata, quæ in Eccleſia ſervantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in Myſterio recipimus: quæ utraque ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet &c.* (z). II. PRIMATUS PETRI & Pontificis ſucceſſoris celebratur à S. Athanaſio (a), Baſilio (b), Epiphanio (c), Ambroſio (d), quibus addimus S. Hilarium ita differentem: *Cùm quædam de Paſſione ſua locutus ad Diſcipulos fuiſſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei Filio deteſtatus eſſet; Petrus, cui ſuperiùs Claves regni cælorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, adverſus quem portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris ſolviſſet, vel ligâſſet, ea in cælis vel ſoluta perſiſterent, vel ligata. Hunc itaque tali convicio deteſtantem hoc Sacramentum Paſſionis excepit, vade poſt me Satana .... tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis regni janitorem, & in terreno judicio judicem cæli, Satanæ convicio nuncuparet* (e). III. EUCHARISTIÆ VERITATEM & SACRIFICIUM comprobârunt SS. Hilarius (f), Baſilius (g), Cyrillus (h), Ambroſius (i), Athanaſium ultimo loco hìc ponendum duximus, quia Adverſarii eundem ſuæ erroneæ opinionis Patronum exiſtimant; dum ſcribit: *Verba, quæ ego* (Chriſtus) *locutus ſum vobis Spiritus ſunt & vita. Hìc enim de utroque, carne & Spiritu ſuo locutus eſt, & Spiritum à carne diſcriminavit; ut non ſolùm id, quod oculis apparebat, ſed naturam quoque inviſibilem credentes diſceremus ea, quæ loqueretur, non carnalia eſſe, ſed ſpiritualia. Quot enim hominibus corpus ejus ſuffeciſſet ad cibum, ut univerſis alimonia fieret?* (k) Verùm ſi quis ea, quæ ſequ-

(r) Auguſtin. Tractat. 99. in Joan.
(s) Idem Epiſt. 121.
(t) Hieron. Epiſt. 54. ad Marcell.
(u) Ambroſ. l. 3. de fide c. 7.
(x) Epiphan. Hær. 55.
(y) Cyrill. Catech. 5.
(z) Baſilius in lib. de Spir. S. c. 27.
(a) Athanaſ. Apol. de fuga.
(b) Baſilius in Eſaiæ c. 2.
(c) Epiphan. Hær. 51.
(d) Ambroſ. in c. 24. Lucæ.
(e) Hilarius in Pſal. 131.
(f) Idem l. 8. de Trinit.
(g) Baſilius in Liturg.
(h) Cyrillus Catech. 2. Myſtag.
(i) Ambroſ. in lib. de iis, qui Myſteriis init. c. 9.
(k) Athanaſ. in Homil. Evangelii. *Quicunque.*

ſequuntur, expendat; inveniet ab Athanaſio id duntaxat negari, quod Chriſti Corpus modo carnali adinſtar aliorum ciborum manducetur; quo necdum evincitur, S. Doctorem voluiſſe, fide tantum ſumi & manducari Corpus Chriſti; id enim ſi voluiſſet, cur verba Chriſti paulò poſt ita expoſuiſſet: *Quod proinde eſt, ac ſi diceret: Corpus meum, quod oſtenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur.* Plura de hoc argumento vide apud Natalem Alexandrum (l). IV. SOLAM FIDEM NON SUFFICERE docuerunt, qui bona opera divinæ gratiæ ſubnixa, digna eſſe & meritoria vitæ æternæ dixerunt, nimirum Hilarius (m), Cyrillus (n), Hieronymus (o), quibus addimus breve illud Ambroſii. *Nonne evidens meritorum, aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere* (p). V. POENITENTIÆ SACRAMENTUM Ambroſius aſſerit (q), dum ait: *Cùm ipſe Dominus in Evangelio ſuo dixerit; accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum detinueritis, detenta erunt. Quis eſt ergo, qui eum magis honoret, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum alliget & relaxet... Dominus enim par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit ... Eccleſiæ utrumque licet, hæreſi utrumque non licet, jus enim hoc ſolis permiſſum Sacerdotibus eſt.* VI. PURGATORIUM idem Ambroſius non obſcurè docet: in Oratione funebri de Morte Valentiniani ſub finem. VII. INVOCATIONEM SANCTORUM probatam videas apud Cyrillum Catech. 5. Myſtagog. & apud Hieronymum Epiſt. 25. de morte Blaſillæ. VIII. RELIQUIAS & CRUCEM IN HONORE fuiſſe oſtendunt Cyrillus Catech. 18. Ambroſ. l. de Iſaac c. 8. IX. COELIBATUM laudat Athanaſius in Apologia ad Conſtantium ſub finem, & Ambroſius de officiis l. 1. c. 30. X. ABSTINENTIAM A CIBIS commendat Baſilius de jejunii laudibus, quorum omnium textus, vide apud Gualterium in Tab. Chronograph. ad ſæc. IV.

(l) Natalis Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. IV. c. 6. a. 8. n. 20.
(m) Hilar. in Matth.
(n) Cyrill. Catech. 1. & 15.
(o) Hieron. l. 2. contra Jovin. c. 15.
(p) Ambroſ. lib. 1. offic. c. 15.
(q) Idem l. 1. de pœnit. c. 2.

§. II.

De Diſciplina Eccleſiæ in ſæculo IV.

1. Cùm Eccleſiaſtica Diſciplina tribus potiſſimùm capitibus abſolvatur, nempe *Gubernatione Hierarchicâ, ceremoniarum majeſtate, & morum culturâ*; nos breviter ea, quæ Thomaſſinus latiùs deduxit (a), in epitomen contrahemus. Ac primò OECONOMIA ECCLESIASTICA quantùm in ſæculo quarto legibus, atque decretis ſtabilita fuerit, ex tot Synodalibus cœtibus perſpicitur. Diſtinctio, partitio, ac ſubordinatio Eccleſiarum, ferè ad modum, formámque Provinciarum, urbiúmque Imperii diſponebatur: ubi tamen meminiſſe te volumus illorum, quæ ſupra obſervanda diximus (b): Epiſcopus *Metropolis* Civilis pri-

(a) Thomaſſ. de nova & antiqua Eccl. diſciplina.
(b) Lib. IV. c. 1. Refl. V. n. 6. 7. & 8. p. 176. 177.

primum in Provincia Ecclesiasticum locum, ac jurisdictionem tenebat; unde singulis annis per binas vices Provinciæ suæ Episcopos in Synodum convocabat: & si quando Episcoporum unus è vivis decessisset; successorem à Clero & populo electum unà cum duobus aliis Episcopis ordinabat.

2. Quemadmodum verò ex multis Provinciis civilibus *Diœcesis* civilis, sic eodem modo Ecclesiastica componebatur (c): cujus Diœcesis caput erat is, qui Episcopatum gerebat præcipuæ urbis. Huic præter alias honorum prærogativas facultas suprema erat ordinandi Metropolitanos, cogendi ex subjectis Provinciis Synodos, condendi leges, & Canonum observantiam per suam Diœcesin curandi. Patriarchæ nomen etsi hoc sæculo adhuc ignoraretur; rem tamen jam tenuêre Sedes tres Primariæ, nimirum *Romana*, *Alexandrina* & *Antiochena.* Episcopus *Romanus* velut successor S. Petri Principis Apostolorum Primatum à Christo concessum retinens, supremas in Ecclesia moderabatur vices simul fidei expositor, Canonúmque Universalis custos (d); confirmator Synodorum tum Oecumenicarum tum Provincialium (e), graviorúmque denique causarum supremus Judex & Suburbicariarum specialis Metropolita (f). *Alexandrinus* & *Antiochenus* Episcopi sua jura ex suarum Ecclesiarum tradito more tuebantur (g). *Hierosolymitanus* præter *honoris consequentiam* jurisdictionis admodum obtinebat nihil (h). Sedibus quoque Primariis & quidem secundo loco suam Regiam Metropolim seu novam Romam Episcopus Constantinopolitanus annumerare connisus est (i). *In Africa* nullâ habitâ ratione divisionis Provinciarum civilium Episcopus, qui erat consecratione antiquior, Primatis obtinebat dignitatem (k); Carthaginensi tamen per hoc minimè derogatum est, ut qui ex jure vetusto in totam Africam singulari jurisdictione gaudebat. Neque Episcopis Provincialibus (nisi necessitas legem infringi suaderet) ad aliam transire Ecclesiam (l), neque uni Episcopo alterius Diœcesis negotia tractare licebat: atque, ut Episcoporum dignitati consuleretur, cavebatur; ne in modicis oppidis cathedra Episcopalis defigeretur (m). Pagorum interim Ecclesias *Chorepiscopi* accisâ satis facultate moderabantur (n). Presbyteri Parochiis, quæ Romæ *Tituli* vocabantur, præerant: cum his minores Clerici id commune habebant, quod ab oneribus publicis (etiam ex legibus Imperatorum) essent immunes; demum Episcopi ubique, Presbyteri autem & Diaconi in Occidente abstinebant à conjugio (o).

Gubernatio Hierarchica Ecclesiæ.

(c) Thomass. P. I. l. 1. c. 3.
(d) Idem l. 1. c. 4. 5. 6. 8. & 11.
(e) vid. Reflex. IV. & VII. ad c. 2. l. IV. p. 463. & p. 484.
(f) vid. Reflex. V. ad c. 2 l. IV.
(g) vid. Reflex. V. p. 473
(h) Thomass. P. I. l. 1. c. 55. n. 12. 14.
(i) Idem l. 1. c. 7. 8. 9. 10. 12. & 16.
(k) Schelstr. de Afr. Eccl.
(l) Thomass. P. II. l. 2. c. 60
(m) Idem P. I. l. 1. c. 54.
(n) vid. Reflex. III. pag. 458.
(o) Thomass. P. I. l. 2. c. 61.

3. Ad forum Ecclesiasticum traducebatur id omne, quod Jus sacrorum complectitur (p). Episcopus (antequam ferret sententiam) cum Clero: aut Metropolitanus cum Provincialibus Episcopis causam agitabat: inde à latâ sententiâ Metropolitani Episcopis damnatis ad Romanam Sedem,

(p) vid. Reflex. X. ad c. 1. l. IV. p. 212.

Sedem; non item minoribus Clericis provocare licebat (q): ad curiam autem Cæsaris provocare, ibique longiùs morari omnibus interdicebatur. Ecclesiæ uniebantur communicatione literarum formatarum (r), aut transmissione Eulogiarum (s). Qui ab uno Episcopo exesse à grege Domini jussus fuerat; hunc aliis Episcopis admittere sine prioris Præsulis consensu nequaquam licebat.

(q) vid. Reflex. VI. ad c. 2. l. IV. p.
(r) Thomass. P. I. l. 1. c. 40. item P. II. l. 2. c. 8.
(s) Idem P. I. l. 2. c. 28.

4. Patrimonia Ecclesiæ multùm quarto sæculo auxit liberalitas Christianorum Imperatorum & fidelium charitas; ab eo enim tempore non tantùm aurea argenteáque vasa, sed Ecclesiis prædia accesserunt, uti testatur Anastasius Bibliothecarius (t). Horum bonorum Dominium, ac procuratio tota penes Episcopos erat (u), qui ad Ministrorum Ecclesiæ, Virginum, Viduarum, pauperúmque sustentationem ea distribuebat; ac vel inde bonorum Ecclesiasticorum necdum facta erat divisio, nihilque Clerici adhuc titulo Beneficii possidebant.

(t) v. Fleury de Disciplin. populi Dei.
(u) Concil. Antioch. c. 25.

Ceremoniarum in Ecclesia usus antiquus.

5. ALTERA PARS DISCIPLINÆ curat solennitatem illam, quâ Mysteriis per quendam Ceremoniarum apparatum major veneratio conciliatur. Licèt enim Christiana religio interiorem hominem, Spiritúmque præcipuè spectet; nihilo tamen minùs cùm esse homines non desinamus, externâ specie potissimùm excitamur, quâ sensus nostri plerumque moveri solent: itaque in sæculo quarto ad venerationem populo inculcandam, Ecclesiæ magnificè erigebantur, & singulari rituum splendore initiabantur (x): Sacramentorum administrationi suus erat specialis honos, scilicet baptismo, confirmationi, sacrificio Missæ ob tot ceremonias, ac liturgias, quas supra latiùs descripsimus (y): quibus addimus hìc, quod ad temporis faciendum compendium Presbyteri plures simul & semel Eucharistiam distribuerint adstantibus, & Diaconi sacrum calicem præbuerint libandum. Viri sacram hostiam manibus, fœminæ linteolis excipiebant, reliquiæ parvulis dabantur; domum referre sacrum epulum amplius non licebat. Officium Divinum peragebatur cantu aut psalmodiâ: hanc in Occidentem à S. Ambrosio ad Ecclesiarum Orientalium imitationem introductam fuisse S. Augustinus affirmat (z): collucebant maximè in Vigiliis nocturnis magno numero cerei ac lampades. Conciones erant commentationes in Scripturam, ac homiliæ dicebantur; quia in modum familiaris alloquii erant compositæ: munus concionandi primùm penes Episcopos, dein etiam penes Presbyteros fuit: sic S. Chrysostomo in Oriente, Augustino in Africa adhuc Presbyteris demandatæ sunt concionandi vices. In sæculo quarto necdum dividebantur SS. Martyrum Reliquiæ; nec nisi linteola sepulchris sanctorum imposita aliò mittebantur (a); unde evenit, ut Martyrum anniversariam memoriam celebraturi ad locum Passionis ex variis urbibus ac Provinciis confluerent: Peregrinationum itaque sacrarum (b) tanta frequentia fuit, ut Gregorius Nysse-

(x) vid. Reflex. I. ad c. 2. p. 448.
(y) vid. Reflex. IX. ad c. 2. l. IV.
(z) August. l. 9. Conf. c. 7 Thomassin. P. I. l. 2 à c. 71. ad c. 89.
(a) Gregor. 3. ep. 30.
(b) Thomass. P. II. l. 3. c. 36. ad 42.

Nyſſenus mulieres præſertim ab his itinerationibus abſterrendas putârit, eoquòd earum pudori periculum aliquod conſciſci poſſet. Conjugum Nuptiæ primæ, non item ſecundæ benedicebantur; quia in quibusdam Eccleſiis bigami quaſi minùs continentes ad tempus pœnitentiæ ſubjiciebantur. Signum crucis erat in veneratione: & imaginum uſus ſolennis ac religioſus habebatur in Eccleſiis. Verbo omnia decenter, ordinatè, & cum ſplendore ac dignitate peragebantur. *Latiùs hæc videri poſſunt apud Thomaſſinum, Dupinium in Novell. Bibl. & apud Fleury de Diſciplina populi Dei.*

Sanctimonia morum in Eccleſia veteri.

6. TERTIA PARS DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ pertinet ad mores: quales verò hi fuerint, in ſæculo quarto diſpicere dabitur; ſi varios hominum ordines perluſtrare lubeat. In Clericos primò oculum defigimus: horum complures vitam in communi ducentes eodem tecto & triclinio utebantur, quibus Epiſcopus Patris loco præerat: hujusmodi Inſtitutum ſequebantur Clerici S. Euſebii Vercellenſis, S. Martini & S. Auguſtini, qui *Clerici Canonici* dicebantur (c). Cæteri verò Clerici, qui non tantâ religione ad Canonum rigidiorum normam vitam inſtituebant, teſtes tamen ſuæ vitæ habuêre: inde ortum *Syncellorum* nomen, quod iis dabatur Diaconis, qui Epiſcoporum domeſtici, non tantùm Antiſtitum incolebant ædes, ſed & in eorum cubiculis, cellísque habitabant, velut *Oculi* Epiſcoporum, aut inſpectores. Ad arcenda pericula foribus Clericorum ſubmovebantur lege Eccleſiaſticâ mulieres *extraneæ*, ſive eæ, quæ ſanguine non eſſent conjunctæ (d): præſcribebatur quoque Clericis victus tenuis & modicus; ac ne is quidem minoribus Clericis in Africa, aliisque Provinciis diſpenſabatur, niſi manuum labore ad exemplum Pauli hunc ſibi pararent. In eodem ſæculo quarto Clerici cœpêre indui quibusdam ſignis ſtatum ſuum diſcernentibus; hæc tamen habitûs diverſitas tum maximè patuit, quando Barbari in Occidente rerum potiti ſunt: eo quippe tempore Clerici veſtitum Romanum, ſive tunicam talarem retinuerunt, quem Laici breviorem ex Barbarorum placito & inſtituto admittebant (e).

(c) Thomaſ. P.III.l.3.c.3. & P.I.l.3.c.9.

(d) Concil. Nicæn. c. 3. Eliberitan. c. 27.

(e) Thomaſ. P.I. l.2.c.46. n. 7.

7. Quemadmodum verò vita Clericalis per ſæculi hujus periodum admodùm culta eſt; ita & ſub Ducibus Antonio, Pachomio, & Hilarione Monaſteria, in quibus *Cœnobitæ* aut *Monachi* ad normam Evangelicæ perfectionis paupertatem, caſtámque vitam ſub Imperio Archimandritæ ducebant (f). Ex his, qui poſt transactam in Monaſterio vitam in interiora ſolitudinis ſe magìs abdebant, auſteriores leges dein ſecuturi, *Anachoretarum* nomen ſortiebantur (g). Aſceſis hæc Monaſtica tanti habita eſt in ſæculo quarto, ut præcipui Eccleſiæ Patres (antequam Epiſcopalia ſuſciperent munia) huic inſtituto ſe excolendos traderent (h). Præter virorum cœnobia, etiam eâ ætate frequentes viſebantur Parthenones, ubi

(f) Chryſoſt. hom. 14. in epiſt. 1. ad Timoth.

(g) Thomaſ. P.I. l.3. c.23.

(h) Idem c. 13. 15.

ubi Virgines unius matris ſeu Præpoſitæ juſſa ſequentes, in corporis integritate conſeneſcebant (i). Neque tamen perfectio virtutis intra clauſtra ſolùm conſtitit; ſed & in civitatibus, in aulis, atque in orbis luce habitabat. Macerabant quippe ſe Chriſtiani frequentibus jejuniis, & per annum feriâ quartâ & ſextâ, aut in Italia feriâ ſextâ & Sabbato à carne & vino abſtinebant. Hieroſolymam & loca Martyrum religionis causâ adire, inviſere ægrotos, redimere lytro oblato captivos, omnibúsque pauperibus ac egenis erigere miſericordiæ domicilia fidelibus ſolenne erat (k); inde evenit, ut in quarto ſæculo varia domorum ejusmodi nomina legerentur: ſcilicet *Brephotrophia*, ubi expoſiti infantes educabantur, *Orphanotrophia* pro pupillis, pro ægris *Noſocomia*, pro ſenibus *Gerontocomia*, pro omnis generis egenis *Prochotrophia*, aut *Xenodochia* vocabantur: cura autem eorum demandata erat Diaconis, quibus tamen plerumqne unus è Presbyteris præficiebatur.

(i) Idem P. I. l. 3. c. 42.

(k) Thomaſſ. P. I. l. 2. c. 89.

§. III.

De Conciliis Generalibus, Nationalibus, & Provincialibus, in quibus labente ſæculo quarto de Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ tractatum eſt.

Concilia celebrata regnante Conſtantino

1. *Alexandrinum* I. Concilium an. 308. ſub Petro Alexandriæ Epiſcopo adverſus Meletium Lycopolitanum (a). * *Carthaginenſe* I. Conciliabulum an. 311., in quo Donatiſtæ Cæcilianum Carthag. Epiſc. tanquam Traditorem damnârunt, eíque Majorinum ſurrogârunt (b). *Romanum* an. 313. in cauſa Cæciliani, qui ibidem abſolvitur, & Donatus ſchismatis reus damnatur (c). An. 314. *Arelatenſe* Donatiſtas damnavit (d). *Ancyranum* Ancyræ in Galatia lapſos ad pœnitentiam recipit. *Neocæſareenſe* apud Neocæſaream ad Lycum, ſtabilit Diſciplinam Eccleſiaſticam. An. 315. *Alexandrinum* II. ſub Alexandro Antiſtite adverſus Arii naſcentem hæreſin (e). A. 321. *Alexandrinum* III. ſub Hoſio Cordubenſi adverſus Arium Ægypti concitatorem. An. 325. NICÆNUM & PRIMUM OECUMENICUM CONCILIUM, in quo trecenti & octodecim Patres ex omnibus orbis Provinciis congregati definierunt contra Arianos, Verbum eſſe conſubſtantiale Patri æterno (f). An. 329. * *Antiochenum* Conciliabulum Arianorum contra Euſtathium. An. 334. * *Cæſareenſe* in Palæſtina adverſus Athanaſium. An. 335. * *Tyrienſe* adverſus Athanaſium (g): * *Hieroſolymitanum* ab Euſebianis celebratum. An. 336. * *Conſtantinopolitanum*; in quo congeſtæ ſunt novæ calumniæ in Athanaſium ab Euſebianis, quibus circumventus Imperator Conſtantinus in exilium ejicit virum ſanctum (h).

(a) Baluzius in Collect.

(b) Optatus l. 1. Auguſt. Ep. 162. & 163.

(c) Auguſt. in Brev. Coll. c. 3.

(d) Harduin. Tom. I. CC.

(e) Theod. l. 1. c. 4. & Epiphan. hær. 68. & 69.

(f) Harduin. Tom. I. CC.

(g) Labbe Tom. II. Harduin. T. I. Theodoret. l. 1. c. 29. 30. Socrat. l. 1. c. 28. 29.

(h) vid. Pagi Critic. Tom. I. ad a. 336. n. 6.

Concilia, quæ habita sunt regnante Constantio

2. An. 338. * *Constantinopolitanum* contra Paulum Episcopum ejusdem urbis Catholicum (i). An. 339. *Alexandrinum* in quo Athanasius ab exilio redux innocens declaratur. An. 341. *Antiochenum* II. occasione Encæniorum magnæ Ecclesiæ de disciplina Ecclesiastica (k). Aliud Concilium *Antiochenum* Arianorum * contra Athanasium. An. 342. *Romanum*, in quo vindicatur Athanasius à calumniis (l). An. 344. *Antiochenum* * Arianorum adversus fidem Nicænam (m): *Mediolanense* pro fide Nicæna. An. 346. *Agrippinense* deponit Euphratam Episcopum Ariano errori addictum (n). An. 347. *Sardicense* in Illyrico contra Arianos; ejus Canones de Disciplina sæpe appendix vocantur Canonum Nicænorum (o). Pseudo-Synodus *Sardicensis* * Arianorum: *Mediolanense* contra Ursacium & Valentem Episcopos Arianos, qui ad speciem tum fidem Nicænam sunt amplexi. A. 348. *Carthaginense* I. sic dictum, quia primò ejus Canones extant de disciplina Ecclesiastica (p). A. 349. *Sirmiense* I. contra Photinum, ubi Ursacius & Valens communionem fraudulenter impetrant (q). *Romanum* Ursacium & Valentem ficto animo Arium execrantes admittit (r). An. 350. *Hierosolymitanum* pro Athanasio (s). An. 351. * *Sirmiense* II. Semi-Arianorum contra Photinum (t). An. 353. * *Arelatense* II. in quo Vincentius Capuanus Liberii Pontificis Legatus prævaricatur (u). An. 354. * *Mediolanense* II. in quo Episcopi renuentes subscribere damnationi Athanasii in exilium ejecti sunt, præcipuè Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus &c. (x). An. 356. * *Biterrense* in quo Saturninus Arelatensis ad exilium damnat S. Hilarium Pictaviensem (y). Anno eodem *Antiochenum* * ab Arianis convocatum, in quo Georgius Arianus S. Athanasio ejecto substituitur (z). Demum à Pagio ad hunc annum revocatur *Synodus Gangrensis* de Disciplina Ecclesiastica. An. 357. * *Sirmiense* III. præsente Constantio habitum, in hoc nova formula fidei procuditur, eliminatâ voce homousii: cui subscripsisse Hosius dicitur Cordubensis (a). * *Antiochenum*, in quo Acacius Cæsareæ Palæstinæ, & Uranius Tyri Episcopi homousion & homæusion proscribunt, eoquòd jactarent, & Hosium illas voces abdicâsse (b). An. 358. * *Sirmiense* IV. novam formulam edit, ex Sirmiensis tertiæ Synodi & Antiochenæ formulis compositam; cui subscribit Liberius (c). An. 358. *Ancyranum* II. contra formulam hæreticam Sirmiensem (d). A. 359. * *Sirmiense* V. à Semi-Arianis celebratum contra Arianos (e). Anno eodem *Ariminense* in hoc primò Occidentales Episcopi damnant Ursacium & Valentem, dein probant Nicænam fidem, & eatenus erat legitima Synodus (f): post multos verò menses illatâ vi Legatis ad Constantium missis, & dolo eversis Episcopis formula stabilitur, quæ Arianis favebat omisso substantiæ vocabulo (g). * *Seleuciense* ex Orientalibus congregatum in Isauria, hic damnantur Acaciani, qui asserentes Christum omnis cum Patre substantiæ exper-

(i) Theodor. l. 2. c. 5.
(k) Harduin. Tom. I. CC. Athanas. lib. de Synod.
(l) Labbe Tom. II. CC. Athanasius Apol. de fuga.
(m) Harduin. Tom. I. CC. Soc. l. 2. c. 19.
(n) Idem l. c. Pag. in Crit. ad an. 346.
(o) Bevereg. in Pand. Can.
(p) Schelstr. Eccl. Afr. Dissert. 3. c. 3.
(q) Lab. T. II. Hilar. in frag.
(r) v. Petr. de Marc. Diatrib. de temp. Syn. Sirm.
(s) Ath. Ap. 2.
(t) Hil. de Syn.
(u) Hilar. lib. ad Constant.
(x) Athanas. ad Solit. Soz. l. 4. c. 9.
(y) Hilar. l. ad Const. & de Synod.
(z) Sozom. l. 4. c. 8.
(a) Hilar. de Synod. Athanas. Ep. ad Solit.
(b) Sozom. l. 4. c. 12.
(c) Id. c. 15.
(d) Id. c. 13.
(e) Socrat. l. 2. c. 37.
(f) Hard. T. I. Labbe T. II.
(g) Athanas. de Synod. Sozom. l. 4. c. 16. 17. 18. 19.

expertem, disceptabant adversus Semiarianos assertores divinæ substantiæ in Christo; sed suo sensu, scilicet absque consubstantialitatis mentione, tantùm ex similitudine (h). An. 360. * *Constantinopolitanum*, in quo Aëtius proscribitur, dicens filium esse dissimilem Patri: Ariminensis formula paucis additis stabilitur (i). An. 361. * *Antiochenum* sive ultima Synodus Arianorum sub Constantio (k): hìc Anomæorum confirmata hæresis, & Meletio Catholico Antiochenæ Sedis Episcopo Euzojus substituitur.

(h) Hieron. contra Lucifer
(i) Sever. Sulpit. l. 2.
(k) Socrat. l. 2. c. 31. 32. 33.

3. An. 362. *Concilium Alexandrinum*, in quo sub Athanasio definita controversia, an una vel tres hypostases admittendæ in Divinis: rectè enim utrumque anteà; quia unam hypostasin dicentes intelligebant *οὐσίαν* (l): *Parisiense* damnat formulam Ariminensem (m): *Laodicenum*. An. 363. de Ecclesiastica disciplina (n) tractavit.

Concilia habita Imperantibus Juliano & Joviano.

(l) Socrat. l. 3. c. 7.
(m) Hilar. in fragm.
(n) Pagi Critic. Tom. I.

4. An. 364. * *Concilium Lampsacenum* in Hellesponto habitum à Semiarianis contra Acacianos (o); unde errat Sozomenus, putans fuisse Catholicum (p), quamvis interfuerint aliqui saltem Catholici (q), quia in eo non agebatur contra fidem Nicænam præcisè, sed damnata est professio Ariminensis, latáque sententia in Acacium & Eudoxium; addita tamen est in hoc Concilio negatio divinitatis Spiritûs S. ex sententia Macedonii: missi demum Legati ad Liberium PP., qui ubi mentiti fuissent, se fidem Nicænam recepisse; dolo impetrârunt communionem (r). An. 370. *Romanum* sub Damaso contra Auxentium Mediolanensem. An. 372. *Illyricianum*, de quo vide Pagium in Critic. Tom. I. ad an. 365. An. 373. aliud *Romanum* contra Apollinaristas (Valesius hoc Concilium rejicit ad annum 378). An. 374. *Valentinum* apud Allobroges seu Pedemontanos de ordinationibus Ecclesiasticis; nota hìc, quod duplex sit Valentia, alia in Hispania Tarraconensi Regni Valentini Metropolis, alia in Gallia Narbonensi, in qua habita est hæc Synodus.

Concilia Regnantibus Valentiniano & Valente convocata.

(o) Socrat. l. 4. c. 4.
(p) Basilius Ep. 79.
(q) Socr. l. c.
(r) Idem l. 4. c. 11.

5. An. 380. *Antiochenum*, in quo stabilitur concordia inter Antiochiæ Episcopos, Meletium & Paulinum: firmatur fidei regula contra Apollinaristas (s); recepta etiam epistola Damasi de tribus in una Deitate Personis. Anno eodem *Cæsar-Augustanum* in Provincia Tarraconensi ad Iberum fl. contra Priscillianistas.

Concilia sub Gratiano & Theodosio Imp. celebrata.

(s) Theod. l. 5. c. 9.

An. 381. CONSTANTINOPOLITANUM sive OECUMENICUM II. Mense Majo Theodosii M. curâ convocatum; damnatur in eo Concilio Maximus: & Gregorius in sede confirmatur, quam paulò post spontè abdicat idem Gregorius. Stabilita quoque tunc est fides Nicæna: addita particula de Spiritu S.: damnantur variæ hæreses. Concilii hujus decreta solùm quoad Canones fidei à Damaso posteà confirmata sunt (t). Anno eodem habitum Concilium *Aquilejense* adversus Palladium Arianum. Anno 382. *Romanum* sub Damaso, cujus acta intercide-

(t) Greg. M. l. 6. ep. 126.


ciderunt; conſtat tamen aliunde de Paulini cauſa & Concilii Conſtantinopolitani confirmatione actum eſſe (u). * *Conſtantinopolitanum* Theodoſius convocat, & Hæreticos cum Catholicis componere conatur, Amphilochio Iconienſi conventum diſturbante. An. 385. *Burdegalenſe* adverſus Priſcillianiſtas (x). An. 386. *Romanum* ſub Siricio Papa de Diſciplina Eccleſiaſtica (y), *Trevirenſe* (in Belgicæ primæ Metropoli) ubi Ithacius ob animum ſanguinolentum anteà depoſitus, præſente Martino Turonenſi reſtituitur (z). An. 389. *Capuanum* ad Vulturnum fl., in quo contra Bonoſum Virginitatis B. Mariæ hoſtem, & de diſſidio Antiocheno actum eſt (a). An. 390. *Mediolanenſe* contra Jovinianum de Virginitate, de differentia ciborum, & de intemerata Deipara &c. actum, definitúmque eſt (b). *Carthaginenſe* II. ſub Genethlio de Diſciplina (c). A. 393. *Hipponenſe* de Diſciplina, in quo Auguſtinus adhuc Presbyter de fide & Symbolo diſputavit (d). An. 394. * *Cavernenſe* Suſis non procul à Carthagine celebratum, ubi Donatiſtæ Primiano Pſeudoepiſcopo Carthaginenſi exauthorato, Maximianum Pſeudoepiſcopum antehabent (e). *Conſtantinopolitanum*, in quo definitur, Epiſcopum deponi non poſſe, niſi à tribus ſaltem Epiſcopis (f). Anno eodem 394. * *Bagajenſe* in Numidia, ubi Primiani aſſeclæ Maximianum viciſſim damnârunt (g).

(u) Ambroſ. epiſt. 54. Photius l. de 7. Synodis.
(x) Sever. Sulpit. l. 2.
(y) Ep. Syn. Tom. II. CC. Labb. p. 1028.
(z) Sever. Sulpit. dial. 3. c. 15.
(a) Ambroſ. ep. 78. 79.
(b) Labbe Tom. II. CC. p. 1036.
(c) Schelſtr. Eccleſ. Afric. Diſſert. III. c. 4.
(d) Idem l. c. c. 6.
(e) Auguſt. in Pſ. 36.
(f) Labbe Tom. II. CC.
(g) Schelſtr. l. c. c. 5.

6. Cæteras Synodos, ſi quas omiſimus, videre poteris apud Harduinum Tom. I.: apud Baluzium, Fabricium in Synodico veteri. Conciliabula Aſteriſco * notavimus. Demum de authoritate Conciliorum Generalium hìc cùm S. Athanaſio concludere libet (h): *Enimverò ideo Oecumenica facta eſt Nicæna Synodus, trecentis decem & octo Epiſcopis coactis; ut de fide ageretur adverſus Arianam impietatem, ne particulares fidei obtentu variæ celebrarentur Synodi: imò ſi celebrari contingeret, ne prævalerent. Quid enim deeſt ipſi, ut novam quis requirat? Plena enim pietatis, dilecti, totum implevit orbem. Vanus certè conatus eorum, qui illam plerumque oppugnavêre. Tales enim viri jam decem, imò plures Synodos celebrârunt, mutatáque in ſingulis ſententiâ, quædam à prioribus detraxêre, in ſequentibus quædam immutârunt, alia addiderunt; nihîlque hactenus profuit illis, quod ſcribant, ſcripta deleant, vim inferant, ignorantes illud: omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Domini autem Verbum per Oecumenicam Nicænam Synodum prolatum in æternum manet.* Idem applicare poteris ad reliquas Oecumenicas Synodos, & præſertim ad Synodum Tridentinam.

(h) Athanaſ. epiſt. ad Afric. nov. edit. pag. 891.

LIBER



LIBER V.

MONARCHIÆ ROMANÆ
In Occidente deficientis
ET
ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ
Inter Tyrannos ac Hæreſes ubique proficientis
STATUS DIVERSUS.

CAPUT I.

ORIENTALIUM CÆSARUM VARIA SORS ET IMBECILLITAS: OCCIDENTALIS IMPERII PER BARBAROS DIREPTI INTERITUS.

Exordia novorum regnorum, ſcilicet Viſi-Gothorum & Suevorum in Hiſpania, Francorum in Gallia, Vandalorum in Africa, Anglo-Saxonum in Britannia.

Ab Anno 395. ad Annum 476.

§. I. *Stilico, & Rufinus Cæſarum* ARCADII *&* HONORII *tutores, Rufini exitium, Stiliconis expeditio contra Alaricum Gothorum Regem; Gildonis rebellio in Africa à Maſceldelo ejus fratre compeſcitur: Nuptiæ Honorii cum Maria Stiliconis filia, Eutropii interitus, Eudoxiæ Auguſtæ infelix obitus: Alarici & Radagaiſi expeditiones adverſus Italiam: Tyrannus Conſtantinus Galliæ & Hiſpaniæ Victor: ſecundæ Nuptiæ Honorii cum Thermantia altera Stiliconis filia; Mors Arcadii, cui ſuccedit*

THEODOSIUS *filius: Stiliconis supplicium, Alaricus obsidet Romam, eamque tandem ferro, flammáque diruit, mors Alarici. Irruptiones Barbarorum in Galliam & Hispaniam, & novorum regnorum quædam initia: varia fata Tyrannorum Constantini, Constantis, Gerontii, Maximi, Heracliani, Ataulphi, Jovini. Theodosii Junioris bellum in Oriente contra Persas: Constantius conjux Placidiæ sororis Honorii, &* VALENTINIANI III. *Pater, Placidiæ relegatio, mors Honorii.*

Partitio Imperii an utilis reipublicæ?

(a) Zosim. l. 4. p. 779. Socrat l. 6. c. 1.

(b) Socrat. l. 5. c. 12. Tillemont. ad v. Theod. n. 18.

(c) Claud. in Rufin. l. 2. in Consulat. Honor. III.

(d) Zosim. l. 4. p. 779.

I. POstquam Theodosius discretum in duas partes Imperium eâ lege diviserat (a), ut Arcadio Orientis, Honorio Occidentis Principatus obtingeret; incerta mens multorum, opiniöque fuit, utrum regni Partitio hæc privatæ potiùs, quam rei publicæ commoda spectaret. Qui mitiore sensu Consilium Theodosii ferebant, iis persuasum erat, Augustorum consortio jam assuevisse Imperium, & concordiâ fratrum fieri posse, ut dissitarum partium Principes arma propiùs, consiliáque conferrent: Honorium vix decem annos natum (b), & Arcadium à vigesimo anno (c) adhuc procul abesse; imbecillam proinde utriusvis ætatem integri Romani orbis mole haudquaquam opprimendam videri: ac ne quid detrimenti caperet respublica, illud quoque à Theodosio fuisse prospectum, ut Stilico (* 1) Vandalus, atque in Cæsaream familiam conjugii fide (* 2) traductus, Honorii res domi, militiæque curet (d); Ru-

(* 1.) OROSIUS l. 7. c. 38. de genere Stiliconis testatur: *Interea Comes Stilico Wandalorum imbellis, avaræ, perfidæ, & dolosæ gentis genere editus &c.* HIERONYMUS epist. 2. ad Ageruchiam de Monogamia, *Semibarbarum* vocat: *innumerabiles, & ferocissimæ nationes universas Gallias occupârunt .... quod non vitio Principum, qui vel religiosissimi sunt: sed scelere Semibarbari accidit*, scilicet Stiliconis; unde ab adulationis specie non abest, quando Claudianus perpetuus Stiliconis encomiastes eum à Regio Sanguine editum fingit in Consul. Honor. IV. v. 552.

(* 2.) CLAUDIANUS de Laude Serenæ Uxoris Stiliconis: erat illa Honorii cujusdam soror, qui Magni Theodosii frater fuisse dicitur, atque ideo Stilico sæpe vocatur Theodosii gener, ejúsque proles Cæsaris neptes audiunt. vide CLAUDIAN. in Stilicon. l. 2. v. 354. His adde inscriptiones GRUTERI pag. CCCCXII. n. 3. *Fl. Stilichoni Inlustrissimo Viro, Magistro equitum, Peditúmque, Comiti Domesticorum, Tribuno Pratoriano, & ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad columen gloriæ Sempiternæ, & Regiæ adfinitatis evecto „Progenero, Divi Theodosi Comiti, Divi Theodosi Augusti in omnibus bellis, atque Victoriis: & ab eo in adfinitatem Regiam cooptato, itémque Socero D. N. Honori Augusti, Africa Consiliis ejus, & Provisione liberata.* ex S. C.

Rufinus verò à rebus geſtis officiíſque percelebris adoleſcentiam Arcadii (e) moderetur. Alii contrà, quibus mens læva haud fuerat, in eam diſſerebant ſententiam: extimeſcendum omnino, ne diviſa inter plures Majeſtas ſplendorem exuat & vires; fratres quantâcunque ſanguinis communione junctos, faciliùs atque alios domeſticis ſimultatibus divelli: excubare intereà ad regni fines conjuncto robore Barbaros, atque id agere, ut ex corpore reipublicæ in partes diſſecto, ac regentium porrò animis diſtrahendo ſpolia certa ſibi deſignent: neque plus adjumenti à Cæſareæ Juventutis moderatoribus expetendum, quàm ut citiùs ſubditorum ſalus in ultimum adducatur diſcrimen (* 3): næ enim is à vero longiùs aberraverit, qui Stiliconi tantum modeſtiæ; Rufino autem tantum pietatis tribuat, ut, cùm poteſtatem Imperii rémque ipſam habeant, à quærendo Cæſaris nomine ſibi temperent. Eorum itaque privatis ſtudiis omnia convulſum iri, tempúſque fore, quo colliſa multis cladibus reſpublica ad Vicarios illos ſponte convolet, certius inde aliquid opis, quam nihil ab adoleſcentia rudi Principum expertura.

(e) Oroſius l. 7. p. 221. & Philoſtorg. l. 11. c. 3.

An ab Stilicone & Rufino moderatoribus Juventutis Cæſarum, ſperari ſalus publica poſſit?

2. Hæc dum trepidâ mente optimi quique ſecum volvebant; Rufinus in Oriente calamitatum earum, quæ poſteà copioſiùs eruperunt, initium fecit. Erat is origine Gallus (f), Patriâ Vaſco; & ſi ſpeciem externam ſpectes, religione Chriſtianus (g). Profectus ſubinde Conſtantinopolim à Theodoſio Palatii Magiſterium (h), dein Conſulatum (i), mox Prætorii Præfecturam obtinuit: demum Arcadii moderator (k), Orientis totius curam ſortitus eſt. In hoc honoris faſtigio vix pedem defixerat Rufinus; quaſi gradûs firmandi cauſâ, Arcadium ad filiæ ſuæ ſtabile connubium pellicere præſumit (l); jamque de nuptiis non vanus rumor evulgabatur; tum Rufinus fato quodam ſuo Antiochiam abire ac tumultus ibi à Luciano Comite ſuſcitatos componere cogitur

(f) Claud. in Rufin. l. 1. vide Tillemont. not. I. ad v. Arcadii

(g) Sozom. l. 8. c. 17.

(h) A. 390.

(i) A. 392.

(k) A. 394.

(l) Zoſim. l. 5. p. 780.

(* 3.) SUIDAS ex Eunapio, qui Rufino & Stiliconi æqualis vixit, in voce ῥουφῖνος ait: *Rufinus & Stilico erant tutores filiorum Theodoſii. Ambo omnia rapiebant, in divitiis Imperium ponentes. Nec quisquam quidquam habebat proprium, niſi his placuiſſet. Omnéſque cauſæ apud hos judicabantur, magnáque multitudo circumverſantium erat, ſi fortè alicui prædium aliquod fuiſſet locuples, & fertile. Nam ejus Dominus confeſtim corripiebatur, accuſatione ſpecioſâ & probabili adverſus ipſum confictâ per quorundam emiſſariorum ſubornatorum inſidias.*

(m) Idem p. 781.

Arcadius connubio jungitur Eudoxiæ è Francis oriundæ: contrà ac speraverat Rufinus

(n) Zosim. l. 5. p. 782.

(o) Philost. l. 11. c. 6.

A. 395.

(p) Zosim. l. 5. p. 782. Oros. l. 7. c. 37. Claudian. in Rufin. l. 2.

Rufinus ulturus existimatam injuriam, Barbaros in Græciam provocat.

(q) Socrat. l. 6. c. 1. Sozom. l. 8. c. 1. Hieronym. epist. 30.

gitur (m). Intereà dum abest, Eutropius Arcadii animum pertentat: dedecere enimverò ajebat Principem, ut in thorum Augustum transferat sobolem ejus Parentis, qui, cùm Privatus à diripiendis civium bonis nequaquam abstinuisset manum, dein Soceri authoritate munitus, fasces Imperii velut dignius spolium suæ domui sit illaturus: Honorium in Occidente Stiliconi hoc propinquitatis nomine servire; & quoniam is Serenæ Theodosii neptis conjugem sese jactitat, eò jam extulisse animos, ut in Orientem cogitet, quò citiùs (abdicato Rufino) sibi soli supremum arbitrium utriúsque Principis, idque ex sanguinis authoritate vendicet (n). Ut primùm Eutropius Arcadio alia sensa injecerat; alia ex Galliis oriunda sponsa repentè in medium affertur, scilicet Eudoxia Bautonis filia (* 4). Probabatur in fœmina peracris animus (o) & ardens omnino ingenium; nam volupe quibusdam erat, uxorem ejusmodi dare Arcadio, quæ Cæsaris subtimidam ac ignavam indolem acuere, aulicorum verò licentiæ ponere modum valeat. Peractâ nuptiarum solennitate Rufinus in Palatium revertitur: indignatus primò excidisse se præconceptâ spe; dein Eutropio sponsori infremens, dolorem impio ultionis genere explere statuit (p). Viderat is paulò antè Antiocheno agro infesta Hunnorum agmina; neque Rufinum latebat ægritudo Alarici Gothorum Ducis, qui post facta sub Theodosio stipendia injuriæ loco ducebat, se præter tenuem manipulorum quorundam præfecturam Præmii nihil accepisse: illos igitur prædæ avidos (q), hunc molestiâ animi æstuantem unà cum Gothis in Græciam, Thessaliámque copiis nudatam Rufinus provocat. Ex composito innoxium ubi irruentibus patuisset iter (* 5); utrumque Illyricum

&

(* 4.) PHILOSTORGIUS l. 11 c. 6. *Arcadius Imp. post Patris obitum filiam Bautonis duxit uxorem. Erat autem Bauto natione Barbarus, & Magisterio militum in Occidentis partibus perfunctus fuerat.* ZOSIMUS l. 4. p. 758. *Erat Bauto natione Francus, qui Consulatum gessit anno CCCLXXXV. vir ab avaritia, donisque capiendis prorsus immunis, bellicis in rebus prudentiâ pariter ac robore præstans.* VALES. rer. Fr. l. 2. vide etiam Tillemont. in not. 2. ad V. Arcadii m p. 1031.

(* 5.) ZOSIMUS Rufini insidias, & conjurationem cum Barbaris ita describit: l. 5. p. 782. & 783. *Antiochum* (Musonii Græci filium) *Rufinus idoneum instituto suo repertum pro Consule rebus Græciæ præficit. dam facilem irruentibus Barbaris Græciæ Vastationem efficere nititur: simúlque Gerontio præsidium ad Thermopylas tradit, qui & ipse Consiliis ejus adversus rempublicam subserviturus esset. His ò Rufino per summam nequi-*

ac quidquid Adriaticum mare inter & Pontum Euxinum eſt, continuò facibus hoſtilibus colluxit. Stilico, cui dudum propoſitum erat Rufino æmulo machinari exitium, hanc occaſionem nactus, totum exercitum adverſus Gothos, re ipsâ contra Rufinum movet. Quo minùs Gothi hoſtes tunc copiarum numero obtererentur, Rufinus obſtitit: huic enim ubi ſuboluerat, in ſe magis, ac in palantes Gothos tela procudi; Arcadio author eſt, ut copias, quas Theodoſius ex Oriente contra Eugenium deduxerat, protinus revocet (r): Stiliconem enim (ita mentiebatur) niſi exueretur his viribus, longiúsque à Conſtantinopoli ſubmoveretur, ſimul Orientem, ſimúlque caput Auguſti petiturum. Depoſcenti ſubinde ſuas ſibi legiones Arcadio Stilico è veſtigio (quin moram pro parata adverſus hoſtes victoria poſceret) obſequitur; & quoniam ita cupiebat Princeps, malebat regnum à Gothis, quàm ſe à convitio Rufini, aut ſuſpicione Cæſaris gravari. Ne tamen inultam ſuæ proditionis perfidiam calumniator auferret; Stilico Gainæ (* 6), remittendarum copiarum Duci clam inſinuat, ut Rufinum minimè incolumem eſſe ſinat, quo ſtante optimi quique caderent aut vexarentur (s). Gainas ubi Stiliconi fidem de delen-

(r) Zoſim. p. 785.

(s) Zoſim. p. 785. Philoſtorg. l. 11. c. 3.

---

nequitiam deſignatis, poſteaquam ſeditioſum eſſe, legibúsque ſemet eximere vidit Alarichum (qui permoleſtè ferebat, militum ſe copiis haud præfici, ſed eos duntaxat habere barbaros, quos ei tradiderat Theodoſius, quo tempore cum illo tyrannidem Eugenianam everterat) ſecretò ei ſignificat, ut quos ſecum haberet barbaros; alióſve collectitios diverſarum gentium milites, ulteriùs duceret, omnibus abſque labore potiturus. His fretus Alarichus è Thracia diſcedit, & in Macedoniam, Theſſaliámque progreditur, interjectis omnibus excidio datis. Prædictus author ſtragi ſuperſtites fuiſſe ait Thebas & Athenas, ubi tamen Gentilem ſuperſtitionem ſuam prodit, dum quædam prodigia fingit, quibus Athenas dicit eſſe ſervatas. p. 784. Quâ ratione Peloponeſum Alarichus porrò exciderit, ita refert: *Cúmque Gerontius Iſthmi transeundi copiam ei feciſſet, omnes ab eo deinceps urbes capi citra laborem & pugnam poterant; quod nullis eſſent munitæ mœnibus, velut Iſthmi præſidio ſecuræ. Confeſtim ergo prima Corinthus cum finitimis oppidis, vi capitur; & ſecundùm hanc Argos, unà cum iis locis, quæ inter hanc & Lacedæmonem interjacent: Ipſa quoque in ſocietatem captæ Græciæ Sparta venit, nec armis amplius, nec idoneis ad pugnam viris munita &c.*

(* 6.) THEODORETUS Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c. 32. *Gaina quidam natione Gothus ſed animo magis barbarus, & inſolentiâ, faſtúque Tyrannico præditus, eo tempore Magiſter erat militiæ, ex gente ſuâ quamplurimos ſub ſe habens, & pedeſtres atque equeſtres Romanorum copias ſub ſe ductans.* Similia vide apud SOCRATEM lib. 6. c. 6. apud SOZOMENUM l. 8. c. 4. qui id addit: *Erat Chriſtianus è ſecta Barbarorum, qui Arii opinionem ſectantur.*

delendo tot malorum incentore dediſſet; per iter cæteros Præfectos, juxta ac Gregarios iisdem conſiliis imbuit. Opportunè atque è re conjuratorum accidit, ut exercitui ad Conſtantinopolis mœnia usque progreſſo Rufinus cum Arcadio Cæſare procederet obviàm (t): pergebat ille alacri vultu in conſpectum tot militum, quòd beneficiorum quorundam memoriâ eos devinctos putaret; unde ſpes & cupido hominem ita credulum fecerat, ut eâdem die Imperium ſibi, conſortiúmque Auguſti ominaretur (u). Gainas primò Rufinum faſcibus inhiantem obſequii ſpecie deludit; dein conversâ veluti fabulâ ambitioſiſſimo ſervo globos armatos circumfundit (x), qui dato ſigno Rufinum in fruſta concidentes (* 7), inſpectantem Imperatorem docuêre, ſubditis magiſtratibus officium equidem, ac oneris publici partem, minimè verò Regnum, ac integram ſupremámque poteſtatem convenire (* 8).

(t) Zoſim. l. c. Socrat. l. 6. c. 1.

Exitium Rufini.

(u) Philoſtorg. l. c.

(x) Claud. in Rufin. l. 2. vid. Tillemont. in n. 4 ad v. Arcadii

Eutropius ſurrogatur Rufino.

3. A graviſſimo Rufini lapſu excitari denuò potuiſſet jacens Respublica, niſi Arcadii levior indoles curam Orientis in pejorem

(* 7.) ZOSIMUS l. 5. p. 785. *Datâ ab Gaina teſſerâ, ſimul univerſi Rufinum in medio interceptum gladiis feriunt: & hic quidem adimebat ei dextram, ille manum alteram præcidebat; alius capite diſcedebat à cervice revulſo, conſuetas Victoriis orationes accinens. Usque adeò verò ludibriis interemptum adſiciebant, ut & manum ejus ubique per urbem circumgeſtarent, & ab occurrentibus peterent, inſatiabili ſtipem darent..... Uxori verò, filiæque Rufini ad Eccleſiam Chriſtianorum confugientibus, ne cum illo perirent, Eutropius fide datâ permiſit, ut Hieroſolymorum ad urbem navigarent, quæ olim Judæorum domicilium fuit; ſed ab Imperio Conſtantini à Chriſtianis ornari ædificiis cœpit. Hic illæ reliquum vitæ tempus exegerunt.*

(* 8.) DIDACUS SAAVEDRA *in Ideæ Principis Politici Chriſtiani* Symbol. 49. *hortatur Principes, ut authoritatem Miniſtris veluti mutuò datam largiantur.* „Nam concurſus aliquis aulæ erigere ſolet, & adorare Idolum, cui certam quandam dignitatem, & Majeſtatis ſplendorem tribuit multorum cultus, qui flexo poplite illud venerantur, luminaria illi incendunt, & thura adolent, precibus ſuis ac votis auxilium illis implorantes. Quemadmodum verò induſtria immutat ſubinde curſum fluminis, & aliò verſum dirigit; ita fit interdum, ut qui negotia in aulis habent, relicto ordinario negotiorum alveo, hoc eſt Principe, ejúsque conſiliis per alium aliquem, qui Principi charior, & familiarior eſt, ea derivare ſoleant; cujus deinde artes gratiam ſic quaſi captivatam detinent, ut Prudentiſſimus etiam Princeps ab iis ſeſe expedire nequeat. Nemo cautior, nemo magis ſui Dominus, quam Tiberius, & tamen Sejano ſe ſubdidit.... Cor Principis nunquam ſine periculo eſt in manu ſubditi.... illud nunquam non erit perutile, ſi Princeps ſuam benevolentiam inter authoritatem ſuam, & Amici merita quaſi in æquilibrio conſervare noverit, in partem tantùm Gubernationis, quam ſolus ſuſtinere non poteſt, eum admittendo. Nam ſi totum illi committat, officio Principis ſe

rem Semivirum devolvisset; erat is Eutropius Eunuchus, natione Armenus (y), qui è mancipiorum grege dimissus ad vilia primùm, dein ad splendidiora aulæ officia prorepsit. Religionis, ac virtutis specie, quâ ambitionem, avaritiámque suam, & (si quibusdam fides est) Gentilem etiam animum texerat, ita Cæsarum æstimationem sibi conciliavit, ut à Theodosio legationibus adhibitus (z), subinde etiam præpositus regio cubiculo (a), tandem post Rufini necem cum Arcadio Orientis totius summam authoritatem diviserit (b). In Illyrici finibus adhuc dimidiato cum suo exercitu consistebat Stilico, otiosus & tristis spectator licentiæ, quâ Gothi omnino inulti per Græciam volitabant; tum novus dolor Duci accessit ex iis, quæ de Eutropio nunciabantur: nempe castratum vernam sibi viro, exterum affini Principis antehaberi. Hæc cùm revolveret, parum aberat, quin in ultima abiret consilia; impetu tamen mentis represso, ostensurum se ajebat Imperatori, quem ille virum neglexerit, oderítve. Quo dicto auctiores copias in Peleponesum traducit, hostem multò validiorem aggreditur, fusúmque in eas locorum angustias compellit, ut fame (quin ferro opus esset) Gothorum reliquias conficere & facili manu fomitem tot bellorum restinguere potuisset (c). Sed Stiliconi in medio victoriæ cursu aliter placuit: sive enim tunc acriùs injuriæ ab Arcadio acceptæ meminerit, sive hanc turbam servârit novandis rebus; certè captum Gothorum exercitum negligentiùs elabi passus est (d).

(y) Claud. in Eutrop. l. 1.

(z) Sozom. lib. 7. c. 22. vid. suprà l. IV. p. 142.

A. C. 396.

(a) Zosim. p. 781. Suidas.

(b) Philost. l. 11. c. 4.

Stiliconis expeditio contra Alaricum Gothorum regem.

(c) Claud. de Stilic. l. 1. Zosim. l. 5. p. 784. & 785

(d) Oros. l. 7. c. 37.

4. Ab eo tempore Eutropius Alaricum placare beneficiis, oblatísque conditionibus emere pacem instituit (e): hâc utcunque à Gothis impetratâ, intestinum in aula bellum cœpit, cujus causam insatiabilis avaritia Eutropii, ac impotens dominatus dedêre. Ut enim recentium muscarum morsus sunt acerrimi; ita Eutropius vix clavo applicitus vim eò omnem convertit, ut vacuam

(e) Claud. in Eutrop. l. 2.

Avaritia & crudelitas Eutropii.

 domum

se exuet, experietúrque incommoda, quæ Rex Assuerus quondam expertus fuit, postquam subditos suos omnes Amanis arbitrio permisisset. .... Qui gratiâ apud Principem pollet præ cæteris; umbram se esse credat, non corpus.... Momentum totum familiaritatis istius in eo consistat; ut uterque mensuram implere noverit: Princeps quidem ut sciat, quantum tribuere amico possit; hic verò quantum à Principe accipere: cætera quæ extra istam mensuram sunt, invidiam augent, æmulationes creant, & pericula.

domum suam continuis rapinis impleret. Direptionis impunitate ferocior (f), præcipuos viros quæstioni subjiciebat eâ lege, ut ne quidem ad aras & templa confugientibus solita securitas relinqueretur (g). Rufini itaque cùm superaret scelera; timendus omnibus, ipse quoque timebat, ne parem cum Rufino exitum sortiretur. Huic periculo occursurus, Arcadio pro eâ, quâ in Cæsarem valebat potestate, injungit, ut lege propositâ dictet, hujus caput nefastum diris & suppliciis sacrum fore, qui regiarum rerum gestoribus manum injiceret (h). Terrore ac metu ubi Eutropius Orientem totum in suum propè servitium inclinâsset; unum in Occidente Stiliconem suis commodis adversantem intelligit. Hunc igitur quò redderet molliorem, prædia ejus in Asia publicat, atque Ducem ipsum hostis loco habendum ex Arcadii mandato præcipit (i): & quoniam flagitia impetu valent; id quoque sceleris adjecit, ut armis inter se committeret fratres duos Cæsares, dum Honorius fastidio belli fractus Stiliconem potestate atque favore penitus exueret. Ad dissidii sementem jaciendam emitur Gildo Africæ comes (* 9); jussus Provincias (quas Honorii nomine regebat) in jus Arcadii traducere, tantò lubentiùs paruit, quantò cupidiùs homo à perfidia, & rerum novandarum studio aliunde notus (k) sperabat, se inter duos tertium fore, qui spolio Imperii gaudere aliquando posset: frumenta, quæ ex Africæ portubus, velut stata annona in Italiam devehebantur, primùm senatui poscenti denegat; tum Afrorum singulos ejurare Honorium, ac fidem Arcadio facere compellit (l). Masceldelus (Gildonis Pagani Christianus frater) unus erat, qui exulis potiùs, quàm Perfidi nomen vicésque habere maluit: fugien-

(f) Zosim. l. 5. p. 786. & 787.
(g) Sozom. l. 8. c. 7. Socrat. l. 6. c. 5.
(h) Cod. Theod. 9. t. 14. l. 3.
A. 397.
(i) Zosim. l. 5. p. 788. Claud. de Stilic. l. 1. in Eutrop. l. 1.
Gildonis rebellio in Africa.
(k) Claud. b. Gildon. Augustin. ep. 64.
(l) Orosius l. 7. c. 36. Claudian. de Stilic. l. 1.

(* 9.) ZOSIMUS l. 5. p. 788. Gildonem Comitem & Ducem vocat: *Quo facto Eutropius, mox sibi Gildonem totius ad Carthaginem pertinentes Africæ Ducem adjungit, & ejus operâ Provinciam Honorii Principis imperio subtractam, Arcadianæ ditioni subjicit.* Apud Theodosium Gildo magnæ fuerat authoritatis, eoquòd Nebridium propinquum Salvinæ ejus filiæ sponsum dederit anno 392. vel ut alii volunt 388. Hæc fœmina piissima literarum commercium habuit cum S. Hieronymo, utì patet ex epist. 9. Hieronym. Tempore, quo Eugenius Tyrannus confligebat cum Theodosio an. 394., Gildon quantumvis jussus, Imperatori legitimo suppetias non misit, sed è belli eventu res suas ordinaturus, neutri adhæsit; post mortem tamen Theodosii Honorium filium reveritus est, dum Eutropius eum ad defectionem impulisset. Vide Claudianum b. Gildon. Orosium l. 7. c. 36.

gientem Romam cùm Tyrannus retrahere non poſſet; à filiis, totáque familia Maſceldeli crudeliſſimas exegit pœnas. Atque hoc erat, quod Honorii rem afflictam in Africa reſtituit: credebat Stilico Parentem ejusmodi utì Prolium ſuarum, ita & Romanæ calamitatis ultorem fore; datis proinde quinque militum millibus Maſceldelo receperat (* 10), ſe claſſe aliâ ſecuturum. Verùm divini Conſilii fuit, innumerabilem Gildonis exercitum, Chriſtiani Ducis agmine tenui ac propè ſine ſanguine fundere. In Africæ litora appulſus Maſceldelus certis nuntiis docetur, ſeptuaginta millia virorum ei in occurſum, ac exitium properare: quo minus trepidaret, imago cæleſtis S. Ambroſii fecit; ab eo enim de referenda poſt triduum victoria omine quodam vel potiùs oraculo confirmatus (m), hoſtem invalidâ licèt manu excipere decernit. Illuceſcente Prælii die Maſceldelus in procurrentes velites movens, primus primo Duci haſtam intorquet, quo ictu ita turbavit virum, circumſtantésque manipulos, ut abjectis armis Victoris arbitrio ſeſe traderent: Barbari (quoniam ingens multitudo oppleverat campum) ex deditionis ſigno proditionem ſuſpicati aciem deſerunt: nec Gildoni, utùt animos fugientibus adderet, conſiſtere diu tutum fuit; quare inde in navim ſe proripiens, mari ſalutem ſuam, tabulíſque credit: ſed mox à tempeſtate ad litora rejectus in manus Victoris incidit. Luctabatur captivus tempore aliquo, furorem interque preces medius; dein ignominiæ ſenſum (qui feliciſſimo cuique acerrimus eſſe ſolet) ultra non ferens, ſibi fauces laqueo, & morte ſuâ conſilia Eutropii eliſit. Quamprimùm enim de Gildonis nece vulgatum eſt, illa, quæ inter utrumque Cæſarem amicitia deſierat, redintegrata eſt: neque importuna occaſio eadem fuiſſet, Stiliconem Eutropio conciliandi; niſi ſingulorum ambitio alterutrum ſuperiorem

Maſceldelus fratrem Gildonem non ſine prodigio vincit.

A.C. 398.

(m) Paulin. in v. Ambr. c. 52.

(* 10.) ZOSIMUS l. 5. p. 788. *Quippe cum Gildo fratrem, quem habebat nomine Maſceldelum* (alii Mazescelem vocant) *furore quodam barbarico adpeteret inſidiis: ad eam hunc neceſſitatem redegit, ut in Italiam ad Stelichonem navigaret, quæque perpeſſus à fratre fuiſſet, eidem exponeret. Is amplis illi copiis traditis, ſuppeditatóque navium idoneo numero, bellum adverſus Gildonem geſturum ablegat.* Gentilis hic author ideò amplas copias datas eſſe fingit Maſceldelo, ut obſcuret prodigium Victoriæ, quæ poſtea ſecuta eſt; quare hìc major fides habenda eſt Oroſio, qui anno ſequente in Africa fuit, cui adſtipulatur Chronicon Marcellini.

rem ferre aut æqualem dubitâsset. Masceldelus unus suæ victoriæ fructum pessimum retulit (n): venerat is Mediolanum expositurus Imperatori, quæ Romani nominis studio egisset, tulisséque; narrationem rerum gestarum ubi summa omnium comprobatio excepisset, ipsa virtus liventem Stiliconis animum pungere, mox in probrosum facinus prolicere visa est: suspicione quippe afflatus metuebat, ne uti anteà molestum Eutropium in Oriente medio orbe divisum; sic jam præsentem Masceldelum in Occidente suæ gloriæ æmulum haberet: sibi igitur prospecturus satellites comparat, qui virum insontem, & de republica optimè meritum è medio ejiciant. Hi ad præstandum Stiliconi deforme obsequium Masceldelum in Ponte extra urbem Mediolanensem comprehensum, in fluvii vorticem præcipitant, hauriendum aquis, qui paulò antè caverat, ne res Romana in Africa naufragaretur. Victima hæc seu perfidiæ sive invidiæ ubi cecidisset; Stiliconi tutiùs captivam gratiam Principis, ac affinitatem altero jam vinculo adstrictam firmare licuit: eodem quippe anno Maria Stiliconis filia Honorio tredecim annorum adolescenti conjuncta ipsam adeò Imperii spem ad suum genus, familiámque propagavit (* 11).

(n) Zosim. p. 788. & 789

Masceldeli insidiæ & exitium struitur à Stilicone.

5. Non minor Eutropio eodem tempore cura, studiúmque in affectandis honoribus fuit (o); dictus Patricius, Patérque Imperatoris consulatum quoque sibi in annum trecentesimum nonagesimum nonum depoposcit (* 12). Imago Consulis novi ubi ex more prostaret in foro, atque exinde per omnes Orientis urbes in signum accepti Magistratûs mittebatur (p); multos ad miratio subiit, quî fieri possit, ut, cùm à rei Romanæ Primordiis præstantissimi viri consulari purpurâ duntaxat fulserint, nunc Eunuchus in lacernâ, intérque mancipiorum servitia nutritus in tot titu-

Nuptiæ Honorii cum Maria Stiliconis filia.

A. 399.

(o) Claud. l. 1. & 2. in Eutrop.

(p) Zosim. p. 789.

Eutropius creatur Patricius & Consul.

(* 11.) CLAUDIANUS hîc videatur de Nuptiis Honorii & Mariæ. Cæterùm uti Honorius sponsus vix decimum tertium annum cum dimidio egerat, utpote an. 384. nonâ Septembris natus; ita Maria necdum nubilem ætatem obtinebat: & inde factum, ut plures dixerint, eam Virginem obiisse anno 408.

(* 12.) PAGIUS ad annum 399. notat duos hos fuisse Consules *Fl. Mallium Theodorum* ex Occidente, & *Eutropium* ex Oriente. Quia verò Eutropius nec unquam agnitus est in Italia, & post supplicium ejus, nomen quoque Eutropii è fastis erasum est; ideo error subrepsit in quosdam Authores, qui pro hoc anno eundem Consulem in duos dividere videntur, dum scribunt *Mallius & Theodorus*.

titulos, tantúmque apicem involare audeat (* 13)? Jocabantur verò alii, id minimè abs re esse, quod Eutropius olim verna, ac proinde ligna findendi & in fasciculos colligandi suetus, nunc sibi secures & fasces utpote insignia præferri faceret (q). Demum sapientiores conjectabantur hunc annum ei Consularem, simúlque fatalem fore; utì enim novitas insolens rarò in aula consenescit, ita creditum est à multis, quod Lictores, qui honoris causâ consulem jam antecederent, brevi hominem à tergo essent secuturi, ut elatam nimis cervicem securibus decuterent. Gainas Magister militiæ fuit (* 14), qui Rufino non ita pridem necem molitus, idem de perdendo Eutropio primus consilium cepit (r): indignatus nempe, neglecto se Eunuchum nascendi sorte multò inferiorem cum Arcadio commune habere Imperium; Tribigildem copiarum in Nacolia Ducem (* 15) pari accendit odio: dein cum eodem insidiarum modum partitus jubet, ut Asiam omnem latè rapinis exhauriat, dum ipse Constantinopoli propiùs excubet, quâ ratione inclinatus his malis Cæsar in Eutropii tandem exitium impelli valeat (s). Tribigilde igitur ex condicto Nacoliam (t) Phrygiámque depopulante, ne fraus suboleret, Gainas in iram præ cæteris cogere frontem (u); ac ubi de clade nunciatum est, inhorrescenti similis, duriùs audiente Cæsare contra Tribigildem decernere auditus est: dictabat enim perfido &

(q) Aster. or. 4.

(r) Zosim. l. 5. p. 789.

Gainæ cum Tribigilde conjuratio.

(s) Idem l. 5. p. 790. & 793.

(t) Philist. l. 11. c. 8.

(u) Sozom. l. 8. c. 4.

(* 13.) SOZOMENUS l. 8. c. 7. meritò admiratur Eutropio primùm insolitos honores esse delatos: *Hic cùm præpositus esset Imperatoris Cubicularius primus, ac solus ex omnibus, quos aut vidimus, aut auditione accepimus, Consulis ac Patricii nomen adeptus est.*

(* 14.) THEODORETUS Histor. Eccl. l. 5. c. 32. *Gaina quidam natione Gothus, sed animo magis barbarus, & insolentiâ, fastúque Tyrannico præditus, eo tempore Magister erat militiæ: ex gente sua quamplurimos sub se habens, & pedestres atque equestres Romanorum copias ductans. Metuebant autem illum non alii solùm omnes, sed ipse etiam Imperator, quippe qui tyrannidem eum moliri suspicaretur.* SOCRATES l. 6. c. 6. *Gaina quidem genere barbarus fuit, qui cùm ad Romanos confugisset, & militiæ nomen dedisset, paulatim ad altiorem, gradum evectus, tandem Magister utriusque militiæ tam peditum, quàm equitum constitutus est; ubi verò tantam adeptus est potestatem, nec semetipsum cognoscere, nec animum suum moderari potuit, sed omnem (ut vulgò dicitur) lapidem movere cœpit, ut Imperium Romanum sub ditionem suam redigeret.*

(* 15.) ZOSIM. l. 5. p. 789. *Gainas has ob causas indignatus, socium sibi consilii Tribigildum adjungit. Is periculis obeundis præsenti vir erat animo, & quodvis ad facinus audendum promptissimus, nec aliis equestribus Romanis, sed Barbaris in Phrygia collocatis praerat, quarum erat illi à Principe data cura.*

& rebelli objiciendas cum duce Leone selectas aulæ copias; se intereà Thraciam ac Hellesponti claustra defensurum (x). Arcadius sinceris (ùt credebat) consiliis deceptus, Leoni artis bellicæ non multùm perito agmen aulicis deliciis emollitum in Tribigildem movere imperat: & Gainas vicinas Constantinopoli regiones eatenus sibi tributas cupiebat, ut Tribigildi regiæ urbis ostium aperiret. Belli alea dolosis manibus jactata non poterat non favere hosti; jámque eò victoris metus pervaserat, ut, ni caveatur, Constantinopoli insidiaturus crederetur; extremæ calamitati Arcadius Gainam (quem integerrimum putaverat) occurrere jubet: ille velut in ancipiti discrimine celerrimo itinere raptat copias, dein inspecto cominus hoste obrigescentis in morem se animum abjicere simulat (y); demum Arcadio perscribit, suarum virium non esse, ut cum validissimo exercitu impares conserat manus: nec Tribigildem ita odisse copias Cæsaris, ut has perditas velit, eo tempore, quo Persæ Imperio nova & acerrima bella parant. Non multos, sed unum peti Eutropium Patriæ & bonorum omnium hostem, hoc tradito victorem & arma & iram positurum (z). Quo tempore Arcadius has acceperat literas, Eutropius alio se facinore obstringebat, ut hæsitantem adhuc Principem ad sui odium citiùs concitaret: jactabat scilicet minas in Augustam (a); diem fore, quo illam ab aula, Cæsarísque thoro depelleret. Eudoxia his servi injuriis adusta ad Arcadium pergit, & ad frangendum Cæsaris animum humi afflicta, interque concisos singultus duas filias Flacillam & Pulcheriam ostentans rogat, velit se prolium harum magìs Patrem, conjugémque Imperatricis, quam Eutropii amicum meminisse, qui suâ audaciâ Augustæ jam exilium auderet decernere, pari pòst scelere in Augustum ipsum sæviturus. Arcadius his permotus, continuò Eutropium aulâ exesse jubet: vix palatii limine pedem extulerat; illico patuit, sæpe in Magnatibus nil magni haberi præter favorem Principis: atque ideo facilè à nobis deseri, quos à fortuna deserendos scimus (b). Eutropius nempe, cui orbis universus anteà ad nutum erat, jam nec angulum habebat, ubi à plebis conviciis, lictorúmque insectante turba tutus lateret; S. Chrysostomus hominis vices miseratus, ei Ecclesiæ sacra-

(x) Zosim. p. 790. 791.

(y) Idem p. 793.

(z) Claud. in Eutrop. l. 2.

(a) Sozom. l. 8. c. 7. Philostorg. l. 11. c. 6.

(b) Chrysostom. in Eutrop. T. 3. & 4.

Eutropii interitus.

ſacrarium aperuit, illique aram dedit pro ſacro præſidio, cujus jura Eutropius ſacrilegè violaverat, reos etiam ex ſacro velo ad ſupplicia proripiens (c). Poſt malefacta igitur, ubi à Præſule mitiſſimo ſecuritatis beneficium aliquot diebus percepiſſet; temerè & quaſi periculi expers ab Eccleſiæ adytis egreditur, inde in paratos caſſes, vinculáque incidens, in Cyprum exul deportatur. Leviorem hanc eſſe pœnam putavit Gainas, quàm ut regni ambitus, cujus convictus erat Eutropius, dignè ſolo exilio expiaretur (d); eo proinde inſtante reus ad quæſtionem novam vocatus, ſanguine ſcelus ſuum eluere jubetur (* 16). Laudem zelus Gainæ à poſteris tuliſſet; niſi eodem crimine, quo Eutropium damna-

(c) Sozom. 8. c. 7.

(d) Zoſim. p. 793. & 794 Philoſtorg. l. 11. c. 6.

(* 16.) Cùm *Eutropius* ex apice gratiarum, atque authoritatis ſummæ in ima tam ſubitò delapſus ſit; juvat hìc apponere ſequentes cauſas, gradúſque (ex SAAVEDRA *Symb.* 50.) per quos ſæpe ejuſmodi fortunæ alumni in tam repentinum incurrant odium & exitium, 1. *incipiente adhuc potentiâ bonis conſiliis innoteſcere volunt*, ùt de Sejano Tacitus ait 4. Annal. At ubi jam gratiâ plenè potiti fuerint; clavum illum deſerunt, & ſolam favoris auram ſibi ſufficere putant: interim ſub initium enituntur ſedulò, ut in ſola commoda Principis intenti videantur, quo fit, ut falsò perſuaſus Princeps credat ſe in ejuſmodi aliquo homine fidelem laborum ſocium nactum eſſe & pro tali eum ubivis deprædicet. Quo nomine Tiberius Sejanum *non modo in ſermonibus, ſed apud Patres & populum celebrabat.* Porrò operam dant, ut inſigni aliquo, & Heroico facinore fidelitatem ſuam probent, quo animum Principis occupent: opinio autem de hominis fide ſi ſemel inhæſerit Principi; iſte velut ſecurior audit Miniſtri conſilia quantumvis exitioſa, viaque omnis obſtruitur ne errorem ſuum Imperator vel Princeps agnoſcere queat. 2. His præmiſſis ſequitur cultus plauſúſque populi, qui avaritiam & arrogantiam Miniſtri pariunt; unde fit, ut labantur paulatim eximiæ illæ dotes (ob quas initio amari cœpit) tanquam aſcititiæ, fortunâ proſperiore ſenſim in apertum vitia proferente, quæ ars tantiſper celaverat. Potentiâ interim nimiâ perturbatur ratio, & ad intimam admiſſus amicitiam facilè majora ſe audet, arrogando ſibi authoritatem Principis, ejúſque virtutes regias affectando, dum benignitatem & promptitudinem in audiendis ſubditorum querelis oſtentat; aliáque agit, quæ in ſe gratiam, in regem odium populi derivent. 3 Ut autem invidiæ vires, ac nervos incidat; domeſticis ac propinquis ſuis præcipua conferri facit officia: factione ſuâ firmatâ in conſanguineos Regum, ac alios Magnates audacior evadit; utì de *Eutropio* ſupra vidimus, qui nequidem Imperatrici, ejúſque prolibus pepercit. Nemo interim fortunæ alumnum poteſtate ſuâ ferè ebrium de periculo commonere audet; omnes enim ad nomen hominis, vultúmque contremiſcunt. 4. Cùm autem ſtabilitas ejus à conſtante affectu Principis pendeat; variis vel tricis aut cupiditatibus illum implicat: cavet, ne cui fidat, ne quem audiat; quin aſtutia Miniſtri eò devenit, ut ſiquando Juvenem nanciſcitur Principem; prohibeat, ne quid ipſe reſciſcat, intelligat, videat, neve circa ſe aliquos habeat, qui oculos ei aperiant: Curat item, ut negotia & labores deteſtetur, & ſiquando perſuadet Principi, ut ipſe cauſas audiat; id eo facit conſilio, ut Princeps fatigatus ac faſtidiens tetrica negotia, poſtea illa aliis, ſibique liberaliùs committat. 5. Præterea nil gratius homini ejuſmodi eſt, quàm fervere gemitus ſubditorum, obtrectationéſque; ita enim ſe præ Rege aut

damnaverat, sese obligâsset. Imperii quippe spe sibi injectâ, cum Tribigilde primùm Asiæ totius opes: dein integerrimis viris vitam exhaurit. Ne enim esset, qui suis porrò cœptis repugnaret, negabat se direptionibus abstiturum; nisi ii, qui Arcadio à consiliis forent, ad cædem traderentur (e). His sublatis, aut in exilium ejectis, in imbellem Cæsarem imperiosior illud porrò dictat, ut sibi & Tribigildi deinceps sit integrum, in urbe regiâ & consularibus uti ornamentis, & Romanis copiis præesse: id quoque furenti velut tot seditionum præmium concessum est. Gainas itaque tot oneratus beneficiis, cum septem Gothorum millibus non tam pacis, quàm novi belli specie Constantinopolim ingreditur: Prima illinc cura de templo suis Arianis construendo fuit; sed Chrysostomum urbis Præsulem multò fortiorem pro Ecclesia, atque Arcadium pro Imperio expertus, ad rem civilem turbandam denuò convertitur (f): designabat nempe Gothis suis tempus, quo tabernas mercatorum, simúlque palatium Principis invaderent (g). Quo minùs exitialis procella in Arcadium detonaret; Deus luculento prodigio prohibuit: quotiescunque enim globi militum de nocte Regiæ propinquabant, toties insignis militum (Angelos fuisse postea compertum est) corona Palatio circumfusa arcebat hostiles ausus. Gainas, de novis manipulis, & unde essent, incertus, suspicione tandem suâ eò trahitur, ac si nova auxilia urbi immissa sibi struant insidias. Ad periculi igitur aleam declinandam velut sani-

(e) Zosim. p. 794. & 795.

Gainæ novæ seditiones & ruina.

(f) Theod. l. 5. c. 32. Socrat. l. 6. c. 6. Sozom. l. 8. c. 4.

(g) Philost. l. 11. c. 8.

aut Principe in amoribus populi fore credit: sæpe etiam pericula graviora suo Principi depingit, ut hic vereatur manum admovere gubernaculo, & alterius operâ magis, veluti coortâ tempestate, indigeat; adeoque rimis omnibus veritati obstructis, Minister ille Imperii maneat arbiter & moderator. 6. Hoc ludo ubi diu, satisque illusum est Reipublicæ; Princeps sæpe expergiscenti similis, potentiam, quam Privato dedit, timere incipit, amórque in odium subitò convertitur; volat illico fama, quod gratiâ exciderit ille, quem omnes oderant, unde singuli ei insultant: Cognati, & amici animo ruinam ejus prævidentes, & periculum, quod inde sibi imminet; malè metuunt, ne & ipsi eidem ruinæ involvantur: Primi igitur hujus casum promovent, ut semet in tuto collocent: & deinde collaborant omnes, aliqui ùt amici, alii ùt hostes, nihil exoptantes aliud, quàm ut inclinatus ille paries penitus corruat. Princeps, quem suimet pudet, illud servitutis jugum excutere nititur, & suam sibi authoritatem restituere; unde culpam omnem malorum præteritorum in Ministrum conjicit. Quo tandem fit, ut hic fortunæ pullus suismet artibus irretiatur: nec quicquam prodest ei sua solertia; quantò enim magis se iis contendit eximere, tanto implicatiùs hærebit. Nam si gratia semel ægrotare incipiat, exspirat, nec ullum superest remedium, quo sanitatem pristinam recuperet.

ſanitatis cauſâ urbem relinquens ſuis Gothis imperat, ut inopinatâ vi domos civium adorti, ſeditionis paulùm firmatæ publicum poſteà edant ſignum (h): hoc enim dato & fervente jam tumultu ad portas auctiore cum numero ſe adfuturum; ſed antequam tempeſtas ingrueret, optimates de malo edocti, univerſos Gothos internecione repentinâ opprimunt (i), fremente in caſſum extra urbem Gaina, qui deſperatis rebus in Cherſoneſum, dein in Thraciam abiit, ubi ab Udini Hunnorum Regis barbarâ manu barbarus ipſe conciſus, perfidiæ maximæ exiguum ſupplicium, & graviſſimorum ſcelerum pœnas ſat leves exſolvit (k).

(h) Zoſim. l. 5. p. 795. Socrat. l. 6. c. 6.

(i) Zoſim. p. 796.

(k) Idem p. 798. & 799

6. Poſtquam humanis conſiliis in varias calamitates præcipitatum fuerat Orientis Imperium, à Deo vindice acerbiora vulnera accepit: provocaverat hujus iram Eudoxia Auguſta, quæ ab hoc tempore impotentiùs in Arcadii conjugis animum dominata (l), cupiditatibus ſuis fræna laxare cœpit: alienarum opum appetentior quæſtum nefarium cum hominibus peſſimis dividebat; dein avaritiæ inſolentem arrogantiam adjungens, ſuas ſtatuas, quod ſolis Imperatoribus conceſſum erat (m), per Orientem colendas miſit. Altero inde anno exacto, mulieris ſuperbia immenſùm aucta eſt; Auguſtæ quippe nomine jam ornata, & Theodoſii ſecundi nuper nati mater, ingenti ſupercilio altiſſimos honores affectabat. Placuit itaque fœminæ cupienti, ut eidem in foro prope templum S. Sophiæ (n) argentea ſtatua ſurgeret; nec improbabat, quod Præfectus urbis Paganis ritibus (Manichetis enim errorem homo ſectabatur) monumentum hoc ſuperbiæ celebraret. Non tulit Joannes Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Antiſtes ſacrilegam ſolennitatem; ſed eloquio potenti, armíſque ſacris Auguſtæ fortiter obluctatus, idem tandem ab Eudoxia, quod olim S. Joannes à proterva Herodiade, zeli ſui præmium accepit: ex urbe namque in exilii ærumnas ejectus, atque his conſumptus in cæleſtem Patriam abiit, S. Præcurſori aggregandus (o). Cauſæ hæ erant irarum, quibus Divina ultio in totum Orientem deinceps animadvertit: Conſtantinopolis incendiis ac terræ motibus (p), Aſia Iſaurorum, Thracia Hunnorum aſſultibus quaſſatæ ſunt (q): ac ne tot cladium parens Eudoxia à pœnis vacaret; anno

A. C. 400.

Eudoxiæ Auguſtæ cupiditas & arrogantia.

(l) Zoſim. p. 799. 800. & 802.

(m) Valeſ. rer. Franc. l. 2.

(n) Socrat. l. 6. c. 18.

(o) vide infra Eccleſiaſt. hiſtor. in c. 2.

(p) Chryſ. in Act. hom. 7. Marc. chron.

Mors Eudoxiæ aliáque mala Orienti à Deo irrogata.

(q) Sozom. l. 8. c. 25. Zoſim. p. 802

anno CCCCIV. sextâ Octobris ex partûs doloribus extincta est (r); felicior, si ante abortionem tot criminum doluisset.

(r) Chron. Alexandr.

Alaricus quis fuerit?

7. Quo tempore Orientis Imperium funestis tot cladibus affligebatur; Italiæ imminebat Alaricus, fatale Romanis nomen. Gothus genere, & ex familia Balthorum prognatus, ad Istri confinia adolevit (s): inde ab irruentibus Hunnis anno CCCLXXVI. unà cum gente suâ in Thraciam usque expulsus (t) à Valente, Romanísque injurias graviter tulit, & multò acerbiùs ultus est (u); coalescente posteà Gothos inter & Romanos pace, Alaricus Theodosii partes (x) secutus, in profligando Eugenio Tyranno opem strenuam commodavit. Ex stipendiis his cùm tenue duntaxat vel nullum commodum Alaricus percepisset; Romanos ita odisse cœpit, ut sibi quietos non fore dies diceret, dum Principem Italiæ sedem Romam diripuisset. Incensum fastidio virum Rufinus primò adhibuit ad expilandam Græciam; at spoliis, tum etiam aliis beneficiis ab Arcadio mitigatus, ab Oriente vexando abstinuit (y), in integras dein Occidentis Provincias grassaturus. Annus quadringentesimus labebatur, quando idem Romani nominis hostis juncto Radagaiso Hunnorum Rege, aditu sibi per Pannonum, Carnorúmque fines facto, Italiam invasit (z): plus formidinis, quam damni hæc prima tempestas habuit; nam accisis citerioris Italiæ finibus Barbari in patriam subitò reversi sunt. Opimam prædam ubi domi reliquis Gothis Alaricus ostenderat; omnium animi in novas rapinas exarsêre: neque occasio deerat, quâ hostes pluribus jam manipulis aucti citra negotium agros Italiæ reviserent (a). Distraxerunt anno CCCCII. aliæ ex Vindelicia Gentes Honorii vires; dúmque res Romana in Rhætia laborabat, Alaricus alterâ vice Alpium juga conscendit: iter mediâ hyeme (b) pérque montes nive rigentes tam fortiter susceptum subjectas Alpibus urbes ita terruit, ut venienti hosti inaccessa cæteroquin munimenta sponte recluderent. Romæ de reparandis mœnibus, in aliis oppidis ac Ravennæ à Cæsare de fuga cogitatum est. Stilico ut majorem Honorio animum injiceret, in Rhætiam continuò evolat, ac repressis ibidem Barbaris (c), munitis Rheni, Britanniæque claustris, in Italiam revertitur Romano exercitu accinctus: prope Polentiam Liguriæ ad Tanarum fluvium

(s) Jornand. rer. Gothic. c. 14.
(t) Ammian. l. 31.
(u) Claud. b. Get.
(x) Zosim. l. 5. p. 783.
(y) Claud. in Eutrop. l. 2.
(z) Prosper in Chron.
A. 402.
(a) Claud. b. Get.
(b) Idem Consul. Honor. VI.
Alarici irruptio altera in Italiam.
(c) Claud. b. Get.

vium magnâ utrinque virtute dimicatum eſt (d); ſed fortunâ (d) Prudent.
belli in Romanos tandem declinante, Alaricus in Apenninos mon- in Symm. l. 2.
tes ſalutis causâ exceſſit: obſidere his in anguſtiis hoſtem arctiùs,
periculo plenum putabant alii; ne deſperatio luctantibus vires
adderet. Stilico fame (ùt potuiſſet) hoſtem conficere haudqua-
quam è re ſua eſſe exiſtimavit, eoquòd jam tum non obſcuris
conſiliis ſuo filio quæritaret Imperium; alere proinde in armis
hoſtem neceſſe erat, cujus cladibus attritus Populus calamitoſum
Principem, aut Princeps populum purpurámque faſtidiret (e). (e) Oroſ.
Volente itaque Stilicone pax victo eâ lege data eſt, ut filios, quos l. 7. c. 37.
Romani in captivorum numero jam habebant, deinceps fœderis A. 403.
obſides relinqueret (f). Ultima neceſſitas Alarico ſuaſit, ut con- (f) Claud.
ditionem acerbam ſibi ad tempus admitteret; nam Pado ſupera- b. Get.
to, atque periculo defunctus vel referre in Italiam pedem, vel *Honorii*
providentiùs rem ſuam reſtituere, aut ſaltem factâ in Rhætiam *triumphus*
irruptione mitiores pacis leges extorquere adnitebatur: verùm *Romæ.*
undique repreſſus veluti amiſsâ ſpe fugam capeſſivit. Rejecto
ab Italiæ finibus hoſte, Honorius cum Stilicone Romæ triumphum
peregit (g), cujus ſolennitas hoc ſingulare habuit, quod Pompa (g) Prudent.
non ad curiam primò, ſed ad S. Petri ſepulchrum duceretur (h), l. 2. in Sym.
quódque non Senatus (ùt olim) ſed Eucherius cum Placidia Claud. Conſul. Hon. VI.
triumphalem currum proximè antecederent. Anno ſequente (h) Auguſt.
ſive ſuper quadringenteſimum quarto, quo ſextum Conſulatum in Pſal. 140.
Honorius geſſit, editâ lege Judæi ab officiis quibuſcunque exeſſe A. 404.
juſſi ſunt (i); quod monumentum multò jucundius Chriſtianis (i) Cod.
fuit, ac ſi Princeps (ùt ratio temporum monebat) ludos ſæcu- Theod. 16.
lares (* 17), aut gladiatorum ſpectacula eodem anno celebrâſ- c. 8. l. 16.
ſet.

(* 17.) BARONIUS ad annum 404. §. 1. & 2. aſſerit ludos ſæculares Honorio permittente editos Romæ fuiſſe, ſcilicet poſt duo ſæcula exacta à Severi Regnantis tempore, qui eos ludos celebravit anno 204. & videtur illud ſtabilire ex Claudiano in Conſul. VI Honorii n. 390.

- - - - jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces,
Spectandóſque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus ſæcula Conſul.

Verùm PAGI in Critic. Tom. II. p. 58. fruſtrà hic reprehendi Honorium ait, quia Imperator Chriſtianus ludos illos anno 304. jam omiſſos nullatenus reſtituit; nam Claudianus

Ravenna deligitur in sedem Cæsarum Occidentalium.

set (* 18). His peractis Imperator Ravennam deductus eandem urbem in Cæsarum sedem delegit; quamdiu enim umbra Romani nominis in Occidente constitit, ibidem Augustos posteà habitâsse compertum est (* 19).

A. 405.

8. A metu belli necdum Honorius omnino respiraverat; tum novus hostis, & quo infestiorem Imperium non habuit, cisalpinis instabat Provinciis: erat is Radagaisus idem, qui ante quatuor annos cum Alarico ex iisdem Italiæ agris spolia legerat (k), aspor-

(k) Oros. l. 7. c. 37. — Prosper Chronic.

dianus suis versibus, vel phrasi poëticâ significare vult, quod centesimus annus sit, quo juxta antiquam ordinationem ludi repræsentari debuissent; argutè autem Claudianus dicit *spectandos iterum nulli*, quia nec ultimo sæculo 304., in quem incidebant, visi fuerant, nec imposterum celebrandi erant. Quodsi illos Honorius restituisset (cùm jam ab anno C. 248. quo Philippus regnabat, editi non fuissent) Claudianus in illo Panegyrico non ita leviter eos attigisset, neque coævus scriptor Zosimus id dissimulâsset. Vide etiam Tillemont. in V. Honorii m. p. 1162.

(* 18.) BARONIUS l. c. pariter in Honorio reprehendit, quod eodem tempore Romæ exhiberi permiserit Gladiatorum cruenta spectacula, à Christianorum Imperatorum legibus vetita. Sed THEODORETUS l. 5. c. 24. contrarium docet, dum ait: *Honorius, qui Europæ partes regendas susceperat, Gladiatorum spectacula olim Romæ fieri solita sustulit ex bujusmodi occasione: erat quidam Telemachus Monasticæ vitæ deditus; hic ab Orientis partibus profectus, ejúsque rei causâ Romam ingressus, cùm detestandum illud spectaculum ederetur; ipse quoque in amphitheatrum venit, & in arenam descendens, Gladiatores, qui inter se pugnabant, compescere conabatur. Sed cruentæ cædis spectatores eam rem ægrè ferentes, & dæmonis, qui eorum sanguine oblectabatur, furorem animis suis concipientes, pacis auctorem lapidibus obruerunt. Quo cognito admirandus Imperator hunc quidem invictissimorum Martyrum numero adscripsit: tetrum verò illud spectaculum penitus abolevit.* Ad alterum verò, dum BARONIUS ab Imperatoribus pluribus ludos gladiatorios prohibitos dicit; GOTHOFREDUS contrà reponit, à Constantino equidem certamina ejusmodi in Oriente ad tempus sublata fuisse, *ut colligitur ex Cod. Th. l. 1. de Gladiatoribus*, sed Romæ adhuc viguisse, usque ad tempora Honorii, ùt videre est *leg. 2. Cod. Th. de Gladiat.* & AUGUSTINUS l. 2. Conf. c. 8. ait *Alypium gladiatorii spectaculi inhiatu incredibiliter abreptum*, ex quibus colligitur Honorio deberi hanc laudem, quod Christianis indigna spectacula primus sustulerit. Vide hìc PAGIUM in Critic. Tom. II. p. 59. & 60.

(* 19.) ZOSIMUS l. 5. p. 803. De Ravennatium urbe ita ait: *Ea Metropolis est Flaminiæ* (in Gallia cisalpina) *prisca sanè civitas, colonia Thessalorum, Rhene dicta, quòd eam aqua sive mare sive Padus, quem Augustus illuc per fossam deduxit sive lacus alii ab omni parte circumfluant: non autem propterea (velut Olympiodorus ille Thebanus ait) quod Remus* (*Romuli frater*) *bujus urbis Conditor fuerit; hoc enim Quadrato relinquere debuerat, qui de hac urbe in historia Marci Principis id commemoravit.* Plinius (ut habet Ughell. Tom. II.) eam nominat Coloniam Sabinorum. JORNANDES, qui fuit Ravennæ Episcopus circa annum 550. refert urbem in tres partes fuisse divisam: prima in editiore loco posita vocabatur *Ravenna*, altera tenebat Palatium Imperatoris dicta *Cæsarea*, tertia *classis* dicta est à portu: hanc urbem ideò delegit Honorius, quia hostium assultum aquarum circumfluentium copia avertebat, tum quia mari accipere annonam, & per idem mare tutò egredi in Orientem licebat.

asportatam autem prædam ubi in Patriam retulisset; tanta ad Istrum popularium concursus fuit, ut ducenta millia in numerosissimum exercitum, subque vexilla Radagaisi confluerent, quæ obruendæ magis, quam impugnandæ Italiæ sufficere poterant. Ad adventum multitudinis infinitæ Romam, Christianósque tremuisse; Paganos verò non parùm exultâsse ferunt, eoquòd Radagaisum Ethnicum devotum jactarent Jovi, qui horum agminum virtute tot Delubrorum eversorum ruinas & factas superstitioni suæ injurias vindicatum iret (l). Superatis cæteris urbibus Florentiæ jam propinquabant Radagaisi copiæ; tum Christiani Proceres urbis ex S. Ambrosii oraculo aut cælesti imagine accipiunt (m), diem posteram fore, quâ tantus hostium, atque ex Paganis magnam partem conflatus exercitus inspectante urbe funderetur. Ostenti veritatem continuò eventus probavit; nam Stilico eâdem die Florentinorum auxilio parvam militum manum adduxit (n), atque ut Prodigii vis ex ordine pateret (o); tenui numero dispersos primò hostium manipulos aggressus, posteà invectus in totam aciem centum millia cecidit, reliquis in eas montium angustias ejectis, ut queis ferrum pepercerat, hos durius telum, fames scilicet conficeret. Radagaisus seu cladis impatiens, seu fessus lentiore mortis genere in victoris legiones se rursus cum suis sponte miscet, citiùs periturus: infestis itaque spiculis dum configuntur multi, alii catenis onerantur captivi; ipse tandem Rex Hunnorum per latus transfossus, labentibus super corpus armis in terram defluit (p): cadente Radagaiso cecidit quoque ingens Ethnicorum supercilium, quod ad Christianorum contemptum audaciùs explicaverant: & Paganorum protervia, quæ erubescere amplius nesciebat, è fuso tot hostium sanguine ruborem recepit.

Radagaisi secunda expeditio adversus Italiam.

(l) August. serm. 105. item de civ. Dei l. 5. c. 23.

(m) Paulin. in v. Ambr. c. 50.

(n) Zosim. p. 803.

(o) August. serm. 105.

Stiliconis de Radagaiso mirabilis victoria.

(p) Marci Chronicon. Oros. l. 7. c. 37.

9. Quanta in defendenda nunc Italia Stiliconi fides fuerat, tantâ perfidiâ subinde universam Galliam prodidit; evocabat enim eodem tempore in has provincias Alanos, Vandalos, & Suevos, id meditatus, ut inter Barbarorum rapinas Imperium vel pars ejusdem Eucherio pro præda cederet (q). Goar & Respendial Alanorum Reges primi ex Stiliconis voto Rhenum citò trajecêre (r), hos ponè secutis Vandalis difficilius cum Francis Rheni acco-

A. 406.

(q) Oros. l. 7. c. 38. Hieronym. ep. 11.

(r) Greg. T. h Fr. l. 2. c. 9. Zosim. l. 6. p. 825. Prosp. Chr.

Stilico provocat Barbaros in Galliam.

accolis negotium fuit: negabant isti sibi fas esse, ut cognatis etiam populis aditum ad Galliam recludant, cujus tueri fines ex mandato, fidéque Romanorum suscepissent. Ut autem Vandalis vi perrumpere: Francis fortiter contrà obniti certum erat; concursu armorum subitò confligitur; invalescente posteà (ùt fit) ad vulnera & cædes furore, Vandalorum viginti millia cæsa sunt, atque internecionem Gens tota passa esset; nisi Alani spectatores primùm certaminis, dein in laborantium opem celerrimè advecti impetum victorum sustinuissent. Vandali erepti periculo atque superstites in Alanorum, Suevorúmque catervam simul unà congressi (s) primas iras in primæ Germaniæ Metropolim, Moguntiacum convertunt; hâc urbe atrociùs exhaustâ (*20), ad diripiendas cæteras Galliæ regiones dilabuntur. Magnam Provinciarum partem ad Pyrenæos usque montes iidem Barbari inter se jam diviserant; tum anno septimo supra quadringentesimum Burgundiones & Franci, illi scilicet, qui trans Rhenum agros adhuc sparsim colebant, in reliquas Galliæ portiones involârunt, seu prædâ opimâ, seu Stiliconis invitamento illecti (t): vastitas, quæ inde totam erasit Galliam, tantum terroris Britannis injecit (u); ut à Barbaris lacessiti, periculum non ab Honorii suppetiis, quas Im-

(s) Oros. l. 7. c. 40.

A. 407.

(t) Gregor. Tur. l. 2. c. 9.

(u) Zosim. l. 6. p. 825.

(* 20.) S. HIERONYMUS ad Ageruchiam de Monogamia epist. 9. *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes universas Gallias occupârunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & O lugenda respublica! hostes Pannonii vastârunt; etenim Assur venit cum illis. Moguntiacum nobilis quondam civitas capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremíque hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus, translatæ in Germaniam. Aquitania, Novémque populorum, Lugdunensis & Narbonensis Provinciæ, præter paucas urbes, populata sunt cuncta: quas & ipsas ferit gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacbrymis Tolosæ facere mentionem, quæ, ut hucusque non rueret, Sancti Episcopi Exuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ, jamjam perituræ, quotidiè contremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ, & quidquid alii semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur... Olim à mari Pontico, atque ad alpes Julias, quæ erant nostra, non nostra sunt: & per annos XXX. fracto Danubii limite, in mediis Imperii Romani regionibus pugnabatur. Præter paucos senes omnes in captivitate & obsidione generati, non desiderabant, quam non noverant, libertatem. Quis hoc credet, quæ digno sermone historiæ comprehendent? Romam in gremio suo, non pro gloria, sed pro salute pugnare? imò ne pugnare quidem, sed auro & cunctâ supellectile vitam redimere, quod non culpâ principum (qui religiosissimi sunt) sed scelere Semibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armavit inimicos.*

Imperium fere jam nullas habeat, sed suo ex consilio tempestivè profligandum decernerent. Duobus scilicet Marco primùm: dein Gratiano suprema Patriæ cura demandata est (x); sed his occisis in Constantinum quendam convenêre, seu quia res gestæ in eo fortem virum, aut quia nomen Constantino Magno affine felicem Principem spondebat (y). Nec vota suorum fefellit: diademate enim is accepto, ejicere Barbaros è Britanniæ finibus; deinde trajectu maris facto, Bononiæ claustrum præcipuum Galliæ, simúlque totius regni spem invadere cœpit. De defectione Britannorum, atque de civili bello ubi Romæ nunciatum est (z), Sarus Dux Gothus genere, & in paucis magnanimus cum delectis copiis Constantino objicitur (a); fundens ille primo impetu obvium hostilem exercitum, Valentiam properat, ubi Tyrannus jam suam defixerat sedem: & debellatum fuisset, nisi duo fortissimi Duces Edobincus & Gerontius alter è Francorum, alter è Britannorum gente oriundus Constantini rem restituissent; horum quippe fama Sari animum ita concusserat, ut eâ, quâ per Alpes venerat viâ, fugienti similis relaberetur (b).

Britanni à Romanis deficiunt.

(x) Sozom. l. 9. c. 11. Zos. p. 824.

(y) Prosper Chron. Oros. c. 40. Soz. c. 11.

(z) Zosim. l. 5. p. 803. & 804.

(a) Idem l. 6. p. 824. 825.

Constantinus Tyrannus Galliam invadit & subjugat.

(b) Idem l. 5. p. 806.

10. Constantinus submoto Romano exercitu, Galliæ jam penè devictæ arbiter Arelaten movit, inde dominatum in Hispanias usque prolaturus: mittebantur primò viri, qui Provinciarum à Romanis desertarum fidem, seu metu belli seu eo consilio inclinarent, quòd Hispani eandem semper cum Gallis fortunam, communémque simul Principem habuerint; pendentes multorum animos duo fratres Didymus & Verianus Honorii propinqui confirmârunt (c): volabant illi continuò per Hispaniæ urbes, & raptas inde copias præstruebant Alpium recessibus, ne quis aditus hosti relinqueretur. Multiplex inde Constantino periculum incubuit; nam tergum hâc ratione poterant premere, qui Alpinos montes obsederant: fronti imminebat Sarus cum suis copiis, latera fodicabant Bagaudæ, & Barbari per Galliam dispersi. Tot casibus cùm unus Tyrannus non sufficeret; duos filios adhibuit: & natumajorem quidem Constantem ex Monasterio, cui jam nomen dederat, extractum dimidiato exercitui (d) in Hispanias ituro præfecit; dum ipse Constantinus cum filio altero Juliano Narbonensem Galliam curaret. Constans vix vestem religiosam

A. 408.

Constantinus Arelaten pro sede sua designat.

(c) Sozom. l. 9. c. 11. Oros. l. 7. c. 40. Zosim. l. 6. p. 824. & 826

(d) Zosim. p. 826. Greg. Tur. h. Fr. l. 2. c. 9.

Constantinus in potestatem redigit Hispaniam.

cum galea ac thorace mutaverat; jam meliorem Ducem, ac antè Monachum professus, Alpium claustra perrumpit: dein Didymum & Verianum in Lusitaniam usque ejiciens, eosdem tandem copiis exutos in vincula compingit. Gratus adeò hic victoriæ nuncius Constantino accidit, ut duobus captivis necem, Constanti verò Augusti nomen decerneret (e). Hispaniâ domitâ Bagaudæ faciliùs sub jugum ivêre: cum Barbaris verò reliquis eâ lege fœdus sancitum est, ut (quod illi pro suo commeatu ac referendis aliquando ex Hispaniæ spoliis dudum speraverant) in Pyrenæorum montium præsidio disponerentur (f). His peractis Constantinus oratores pacis ad Honorium mittit, seu à militibus suis coactus, seu pacis spe Romanis impositurus (g). Legati ubi Ravennam devenerant; mentiebantur, Constantinum nihil ejusmodi, quod specie belli actum esset, suâ voluntate; sed militum adigente vi suscepisse (h): illum igitur necessitati obsecutum ab Honorio id duntaxat jure petere, ut, quem hostem odisset, nunc amicum habeat, consortióque Imperii adscriptum in Romanæ rei curas simul appositum velit. Honorio in has angustias redacto tergiversari tantò minùs licebat, quantò altiùs multis opinio insederat, Constantinum acceptâ purpurâ tum Romano sanguini, tum Didymo & Veriano (quos Honorii cognatos adhuc vivere putabant) parciturum: & primum quidem, utì spes erat, missis ad Tyrannum Imperii insignibus feliciùs evenit: at alterum cùm occisis jam duobus captivis impleri amplius non posset; à Cæsare & Constantino ab armis quidem tunc: non item à suspicione novi belli cessatum est.

(e) Sozom. l. 9. c. 11. Zos. p. 830.

(f) Oros. l. 7. c. 40.

(g) Zosim. l. 5. p. 818.

(h) Phot. p. 180.

Pacem petit & fœdus cum Honorio

Honorii nuptiæ cum Thermantia altera Stiliconis filia.

11. Intereà Maria Honorii uxor ac Stiliconis filia vivis excesserat (*21); huic Thermantiam sive sororem sorori surrogare placuit;

(* 21) ARINGHUS *in Roma Subterran.* l. 2. c. 9. §. 11. „Maria Stiliconis filia, & Honorii Imperatoris sponsa . . . . in eadem B. Petri Basilica sepulturæ locum consecuta est; cujus sepulchrum anno 1544. die 4. Februarii (dum sacrum B. Petronillæ templum ob novam Vaticani templi constructionem demoliri contigit) ingenti omnium gaudio ibidem repertum fuit. Extabat arca marmorea, altero circumdata marmore, ac circumsepta pariete, in qua ejus corpus aureis indutum vestibus inspicere dabatur: caput verò involucris pluribus, & aureo itidem velo obvolutum : consimili facies tegmine cooperta apparuit . . . aurea ornamenta igne conflata ad 40. auri pondo redacta sunt. Termantia quoque Augusta ejusdem Mariæ soror, & Stiliconis filia eidem Honorio Imperatori post Mariæ obitum nupta, sed Virgo etiam, paulo post decedens . . . in Vaticano condignâ funerum pompâ condita fuit.

placuit (i). Connubium ejusmodi etsi minus esset è Christianis legibus; non tamen à commodis privatis Stiliconis alienum fuit: is quippe altero jam titulo Honorii Socer, nunc demum de Imperio captando propiora agitabat consilia. Turbarum daturus initium causabatur, Arcadium Honorio fratri totum debere Illyricum, quod ex ultimis Theodosii tabulis, tum antiquo jure ad Occidentis Imperatorem pertineret (k): armis agendum, ut possessor iniquus direptâ hæreditatis parte exuatur. Fomite simultatis in medium projecto, Jovinum Stilico primò Illyrici præfectum creat; dein Alaricum Gothorum regem sollicitat, ut his terris hostilem admoveat manum id porrò pollicitus, militanti nec stipendia ampla, nec auxilia Romanorum defutura. Alaricus opum avidus, simúlque memor, quod sibi è tot præliis (cùm opprimi potuisset) per Stiliconis indulgentiam exire vivum licuisset (l): pro benefactis gratum facturus, in Illyricum suos Gothos effundit (m); & Stilico jam suis militibus profectionem indixerat, ut seditionis conatum adjuvaret, sed dum ex Italia efferre pedem parat; Honorius seu de insidiis edoctus, seu Constantini novas molitiones metuens, Stiliconem subsistere jubet (n). Alaricus igitur moras fastidii plenas cùm solus diu traxisset (o); ex Illyrico Apenninis montibus exercitum admovet, Legatósque Ravennam mittit, qui pecuniam pro stipendiis his promissam exigerent. Stilico quantumvis lætaretur de Alarici adventu, spémque non vanam conciperet, ab hoste in rem suam expeditiùs Italiam turbatum iri (p); timorem tamen studiosè simulans Romam pergit: Honorium, senatúmque in curiam evocat, & quid solvi Alarico debeat, anxiè proponit (q). Omnes in id consensêre, ut hosti propinquo quatuor millia librarum auri numerarentur; uno reclamante Lampadio, qui id non pacem, sed pactionem servitutis esse dicebat. Neque aliud spectabant Stiliconis consilia; tantæ enim summæ cùm ærarium ferè exhaustum par non esset, facilè prævidebat, Alaricum promissis ad tempus deliniri, non item à bello abstineri posse.

(i) Zosim. l. 5. p. 804. Phot. c. 80.

(k) Zosim. l. 5. p. 802. 803. & 805. Sozom. l. 8. c. 25.

Stilico novas ciet turbas in Imperio operâ Alarici.

(l) Oros. l. 7. c. 37.

(m) Zosim. l. c.

(n) Idem p. 803.

(o) Zosim. p. 804.

(p) Philost. l. 12. c. 2.

(q) Zosim. p. 805. 806.

Romani Alarico solutionem stipendiorum promittunt.

12. Hæc dum Romæ agebantur; ex Oriente Honorius nuncium de morte fratris Arcadii accepit (r): fato is suo functus erat Kalendis Maji Anno Christianæ æræ CCCCVIII. trigesimo primo ætatis,

A.C. 408.

(r) Zosim. l. 5. p. 806.

Mors Arcadii

ætatis, ac decimo quarto ſui Imperii; Princeps, in quo mireris unum, alterum doleas; admirationi quippe & gaudio fuêre tot ſanctiſſimæ leges, quibus fortiter Chriſtianitatem tuebatur (*22): ſed non minùs acerbum dolorem illud multis expreſſit, quod ſervis parùm fidis, ac Eudoxiæ uxoris arrogantiæ meticuloſiùs in- (s) Sozom. l. 9. c. 1. dulgens (s) unâ ferè manu deſtruxerit, quod alterâ erexiſſe videbatur; inde enim accidit, ut Eccleſiarum & Cleri favores ac immunitates decretorum vinculo conſtringere (* 23), & ſanctiſſimum

(* 22.) Leges, quas Arcadius anno C. 395. pro Religione tulit ſunt ſequentes: 1. Lege ad Rufinum datâ ſtatuit: *Cuncta ſupplicia, quæ ſanctionibus divæ recordationis Genitoris noſtri adverſus Hæreticorum ſunt pertinaces Spiritus conſtituta, noſtro etiam decreto reparantes decernimus.* 2. Contra Eunomianos aliâ lege decernit: *Ne quis memoratæ Sectæ militandi, aut teſtandi, vel ex Teſtamento ſumendi habeat facultatem.* 3. Juſſit, ne Hæretici illicitos cœtus congregarent: & ne quis eorum ſibi audeat nomen Epiſcopi uſurpare. 4. Aſſerit aliâ lege, Hæreticorum nomine eos eſſe comprehendendos, qui vel in levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare. 5. Confirmat Eccleſiæ Privilegia: *Quæcunque à Parentibus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias præcipimus: nihil igitur à Privilegiis immutetur, omnibúsque, qui Eccleſiis ſerviunt, tuitio deferatur; quia temporibus noſtris addi potiùs reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præſtita ſunt, immutari.* Has leges videre eſt in Cod. Theod. l. 25. & ſeq. Circa annum verò 398. contra Anomæos, Marcionitas & Valentinianos Arcadius ita ſtatuit: *Cuncti Hæretici procul noverint omnia ſibi loca hujus urbis adimenda eſſe; ſive ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſive in locis privatis Fiſco noſtro incorporandis. . . . Doctores, & authores Eunomianorum ex civitatibus expellantur extorres. . . . Codices eorum ſcelerum omnium doctrinam ac materiam continentes, ſummâ ſagacitate mox quæri, ac prodi mandamus ſub aſpectibus etiam judicantium mox cremandos.* vid. Cod. Theod. l. 6. vide etiam Tillemont in v. Arcadii Artic. 9. 11. 12.

(* 23.) Arcadius anno 398. inſtigante Eutropio contra Aſyla & immunitates Eccleſiaſticas hanc legem promulgavit: *Si . . . quilibet publicis, privatiſque rationibus involutus ad Eccleſiam confugiens vel Clericus ordinatur, vel quocunque modo à Clericis fuerit defenſatus, nec ſtatim conventione præmiſsâ priſtinæ conditioni reddatur; non ſolùm Clerici, ſed etiam ii, quos Oeconomos vocant, qui Eccleſiaſticas conſueverunt tractare rationes, ad eam debiti vel publici vel privati redhibitionem remotâ dilatione cogantur, in qua eos obnoxios eſſe conſtiterit, quos Clerici defenſandos receperint, niſi mox reddiderint exhibendos. . . . Adductos ſupplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum vel Monachorum, eorum etiam, quos Cœnobitas vocant, per vim, atque uſurpationem vindicare liceat, aut tenere. Quibus in cauſa criminali, humanitatis conſideratione, ſi tempora ſuffragantur, interponendæ provocationis copiam non negamus, ut ibi diligentiùs examinetur, ubi contra hominis ſalutem vel errore vel gratiâ cognitoris oppreſſa putatur eſſe juſtitia: eâ conditione, ut ſi Proconſul, Comes Orientis, Præfectus Auguſtalis Vicarii fuerint cognitores, non tam ad clementiam noſtram, quàm ad ampliſſimas poteſtates ſciant eſſe referendam. Reos etiam tempore provocationis emenſo, ad locum pœnæ ſub proſecutione pergentes nullus aut teneat aut defendat. Sed ſciat ſe cognitor triginta librarum auri mulctâ, primates officii capitali eſſe ſententiâ feriendos; niſi uſur-*

ſimum Præſulem Chryſoſtomum damnare exilio non dubitârit (t): à morte ejusdem Epiſcopi menſe ſeptimo ipſe quoque è vivis repentè ereptus, Symboli ſui veritatem comprobavit: *Maxima paulatim eſſe ex minimis*, & *Minima ſubitò fieri ex Maximis* (u). Præter tres filias (* 24) unum Imperii hæredem reliquit THEODOSIUM II., octo vix annos natum; vivere enim cœpit anno CCCCI. & anno inſequente in cunis adhuc vagiens Auguſti nomine appellatus eſt: imbecillioris infantiæ tutelam Isdegerdi Perſarum Regi ab Arcadio demandatam quidam credidêre (* 25); id ſaltem omnibus indubitatum eſt, Theodoſium Juniorem ſub Anthemii ſuæ ætatis prudentiſſimi viri moderatione & curâ adoleviſſe.

(t) vide infra Cap. II.

Theodoſius Junior ſuccedit Patri.

(u) Golzius in vit. Cæſar. Reuſner. in Symb. Imp.

Quis ejus tutor fuerit?

 13. No-

uſurpatio iſta aut protinus vindicetur: aut ſi tanta Clericorum & Monachorum audacia eſt, ut bellum potiùs, quàm judicium futurum eſſe exiſtimatur; ad Clementiam noſtram commiſſa referantur, ut noſtro mox ſeverior ultio procedat arbitrio. &c. vide SOCRATEM l. 6. c. 5.

(* 24.) SOZOMEN. l. 9. c. 1. tres Arcadii filias has fuiſſe teſtatur, *Pulcheriam, Arcadiam & Marinam*: his Tillemont in V. Arcadii artic. 36. quartam addit *Flaccillam* natumaximam, in tenera ætate jam defunctam ut habetur in *Byz. famil.* pag. 70. *Pulcheria* poſt quinque annos ſupra ætatem ſapiens, virginitatem ſuam Deo conſecravit, quod vitæ inſtitutum ſororibus pariter perſuaſit: ſacram menſam ex auro & lapidibus pretioſis in Eccleſia Conſtantinopolitana pro virginitate ſua & pro fratris Imperio dedicavit, vide SOZOMENUM l. 9. c. 3. Arcadia & Marina teſte Cangio de Conſtantinopol. l. 4. varias exſtruxêre Eccleſias.

(* 25.) PROCOPIUS de *bello Perſic.* L. I. c. 2. palàm affirmat, ab Arcadio ideo ab Isdegerde Perſarum Rege tutelam filii Theodoſii rogatam fuiſſe; quia Arcadium inter & Honorium fratrem ſimultas ſemper interceſſerat. Addit porrò Isdegerdem Magnanimum Principem acceptâ tutelâ ſenatui, Conſtantinopolitano caviſſe, ne quis Juniori Cæſari infeſtus exiſteret, hancque Regis Perſici curam (dum viveret) continuatam fuiſſe: idem confirmat THEOPHANES p. 69., qui addit, quod Isdegerdes, Antiochum virum ſapientiſſimum miſerit, qui ſuo nomine pueritiam Cæſaris moderaretur: ZONARAS, & CEDRENUS horum ſcriptorum authoritatem ſequuntur, quibus aſſentitur PAGIUS in Critic. Tom. II. ad an. 408. Sed TILLEMONT his omnibus ſequentia opponit, not. I. ad V. Theodoſii Junioris: coævos altùm de Isdegerdis tutela ſilere, ſcilicet Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Zoſimum, Philoſtorgium, duos Proſperos, Comitem Marcellinum: intervallo verò ab his centum quinquaginta annorum interpoſito, Procopium primum eſſe, & ex aliis figmentis, quæ quandoque ſuis inſerit, ſuſpectum, qui iſta referat. Porrò non facilè iſta opinio conciliatur cum iis, quæ ZOSIMUS dicit l. 5. p. 807. *Nam & Stelicho cupiebat in Orientem proficiſci, rêsque Theodoſii conſtituere, qui Arcadii filius erat adhuc adoleſcens, ac tutelæ indigus: & ipſe Princeps Honorius idem illud iter ſuſcipere cogitabat, & quæ ſtabiliendo pupilli hujus imperio facerent, ordinare;* hìc nihil de Isdegerde. SOZOMENUS l. 9. c. 4 addit quod Honorius Theodoſio velut filio ſuo voluerit conſtituere fidos præfectos: hoc autem non erat Honorii, ſed Isdegerdis; ſiquidem iſte tutor fuiſſet. Demum ſubjungit

(x) Sozom. l. 9. c. 4. Zos. p. 805.

(y) Philost. l. 12. c. 2.

Stiliconis seditiosa consilia contra Honorium.

(z) Zosim. p. 808.

13. Nova hæc Orientis conditio Honorio alia, Stiliconi alia sensa suggessit; ille ut pueritiæ Theodosii prospiceret, Constantinopolim maturabat ire (x): hic ne iret, atque ut sibi profectionis munus demandaretur; Cæsari author erat. Stilico nimirum, cujus in cura erat, anteà viventi adhuc Arcadio Imperium aperto bello succidere; nunc mortui filium per insidias seu per tutelæ speciem opprimere; ac vel inde in Eucherium suum transferre regnum adnitebatur (y). Sed (ùt fraudulenta ingenia sibi nunquam constant) Stilico mutato subinde animo insidiarum compendium se facturum credidit; si omisso ad Orientem itinere Italiæ adhæresceret, ne se absente illorum affectus languerent, quos adversus Honorium paulò ardentiùs concitâsset. Neque Constantino bello insistente occasio deerat, anxium curis Cæsarem ad ultima deducendi (*26). Conjuratio, quæ pridem gliscebat in latebris, palàm jam volitabat; tum Olympius, quo nemo à Christiana pietate sanctior, nemo ab inviolata fide integrior, Cæsarem de Stiliconis perfidia monet (z): Honorius expergiscenti similis etsi crimen, periculúmque adverteret; ut tamen homi-

jungit mentionem de bello, quod fuit sub initium Theodosiani Imperii inter Persas & Cæsarem, indeque sub Varane initam pacem centum annis duraturam, quæ omnia Tutoris officio non respondent. Adhæc THEOPHANES ait, Antiochum nomine Isdegerdis tutelam administrâsse, sed SOCRATES l. 7. c. 1. confirmat, Anthemium unum extitisse, qui reipublicæ negotia curârit, ab anno 405. ad annum 414. utì colligitur ex Codicis Theodosiani Chron.

(* 26) Utrùm Stilico tot scelerum reus fuerit? anceps multis quæstio videtur. ZOSIMUS l. 5. p. 808. & 810. omnia ejus facta extenuat, vel negat omnino, OLYMPIODORUS apud Photium p. 181. dicit Stiliconem *sanguinariâ, immonique Olympii operâ ... ferro mortem excepisse.* CLAUDIANUS *Stiliconis laudes* canendo, vitia quævis à Patrono suo amolitur. Verùm majoris momenti nobis esse debent illa, quæ contra Stiliconem scripsêre OROSIUS l. 7. c. 37. 38. SOZOMENUS l. 9 c. 4. MARCELLINUS in Chronico; quibus addi potest PHOTIUS, qui in excerptis PHILOSTORGII lib. 12. c. 2. ait, *omne insidiarum genus adversus Imperatorem struxisse Stiliconem, nec ob id saltem reveritum esse, quod generum illum haberet, datâ illi in matrimonium filiâ; sed potionem ei præbuisse, quâ sobolis facultas adimeretur: neque illud animadvertit; sed dum Eucherium filium Imperatorem contra jus, fásque renunciare studeret, nepotem, cui successionis jure Imperium debebatur, ante adultum florem succidere ac perdere. Porrò Stiliconem adeò manifestè ac sine ullo metu tyrannidem exercuisse scribit* (nempe Philostorgius) *ut etiam nummos percuteret, in quibus præter ipsius effigiem nihil deerat.* Cæterùm Zosimo utpote Gentili vel ideo fidem hìc abrogandam cum Tillemontio censemus, eoquòd ille unà cum aliis Ethnicis speraverat, per Eucherium Stiliconis filium (siquidem regnaret) superstitionem Idolorum in Imperium revehendam.

homini dictaret necem, vix poterat impelli; non rarò enim fit ut cùm Princeps in unum omnia congessit, sua deinceps beneficia in iis reformidet. Accidit subinde, ut Imperator Paviam ad lustrandum exercitum abiret, cui dum se comitem jungit Olympius; Stiliconis ille fidem per iter (ubi opportunum erat) accusare (a), dein in mediis castris sollicitare militum animos aggressus est: Stiliconis, ajebat, injuriâ fieri, ut ambitio unius multorum sanguine tamdiu expleatur, tótque iniquis modis regnum quæri (b) Eucherio ejus filio, qui idolomaniæ veneno ebrius, execrandum jam votum concepisset, se (siquidem rerum potiretur) ad Juliani exemplum Deorum templa restauraturum. Duces cum gregariis oratione concitati primò tumultum, mox cædem edunt eorum (c), qui è Stiliconis nefario fœdere pendebant. Honorius ex militum audacia fortior duas protinus scribit epistolas, quarum alterâ capi reum, alterâ necari jubet (d). Anteà quàm Primus nuncius Ravennam venerat; Stilico in suos cudi fulmina suspicatus, ad septa Ecclesiæ confugit: & sacram aram, cui olim Asyli jus sacrilegè abdixerat, tam arcto nunc complexu ipse tenuit, ut abstrahi se non pateretur; dum ex literis cognosceret adversus se non capitis, sed mitiorem carceris sententiam pronunciari (e). Postquam is, qui captivam penè habuerat gratiam Principis, hâc ratione in custodiam, vinculáque leviùs concesserat; ab altero, eóque funestiore nuncio defertur, Stiliconis damnati vitam, capútque peti: tum enimvero obrigescentis in morem faucibus hærere vox, dolore animus rabiéque confundi, & inter non profuturas lachrymas testari tandem Stilico cœpit: lentas quidem, sed gravissimas esse Principum iras, siquando sibi illudi sentiunt: neminem citiùs tangi fulmine, quàm cum in fastigio consistit; inde autem declinantibus facilem ad ultima esse casum (* 27). Vitam ubi posuerat miser,

(a) Zosim. l. 5. p. 809.

(b) Marcell. Chronic.

(c) Orosius l. 7. c. 38. Sozom. l. 9. c. 4.

(d) Zosim. p. 810.

(e) Idem p. 811.

Occasus Stiliconis, ejúsque generis ac sociorum ruina.

(* 27.) Quemadmodum ad Eutropii interitum supra not. 17. ex SAAVEDRA gradus ostendimus, per quos Aulici quidam subitò corruunt; ita nunc Stiliconis casui documenti loco ex eodem Politices Magistro pag. 405. subjungemus media, quibus Magnatum quisque se à ruina ejusmodi servare valeat; 1. *Circa seipsum* modestiæ comitatis, & humanitatis statum conservet, in quo fortuna eum reperit: dispellat à fronte illos singularis amicitiæ splendentes radios, quomodo faciebat Moyses populo locuturus

miser; in ejusdem fortunas decretum est: nempe, ut calamitosorum spolia, prædæque Provinciarum ærario publico inferantur (f). Sed ut procera arbor ex altissimo monte devoluta in præceps alias quoque arbores, quæ sub umbra illius erant, secum in ima trahit; ita post Stiliconis mortem multa hominum seu amicorum seu fœderatorum millia salutem, patriam, bona amisêre (g): Thermantia Augusta utpote seditiosi Patris filia ex Cæsaris thoro, auláque Romam ad Serenæ matris privatam domum digredi jussa est (h); ubi posteà ultimum supplicium vidit fratris sui Eucherii (i), cui eâdem in urbe regnum, Imperiúmque summum fuerat ominata.

(f) Cod. Theod. 9. t. 42. l. 20. 21. 22.

(g) Zosim. p. 811. 819.

(h) Marcell. Chron.

(i) Zosim. p. 810. 811. & 813. Philostorg. l. 12. c. 3.

14. In-

turus .... fugiat honores illos, qui aut ad Principem pertinent, aut Ministri sphœram videntur excedere: & si quis hos tales ei deferre paret; moneat ingenuè, æquè se, ac illum servum esse Principis. Ne affectus suos & passiones gratiæ, quâ valet, beneficio executioni det. ... 2. *Circa Principem* sequentes servet regulas: Primùm illud semper præ oculis habeat, affectum illius & favorem facillimè immutari posse: & si quam fortè mutationem notaverit; in causam ne curiosiùs inquirat, nec notitiam illius præ se ferat, ne Princeps ei subdiffidere, aut æmuli ruinam ejus sperare incipiant; quæ hoc ipso in proximo est, quòd putetur jam posse accidere. Deinde ne gratiam suam inniti faciat propensioni Principis, quæ facilè variari potest: sed merito potiùs; nisi enim hujus beneficio gratiæ aurum consolidatum fuerit, æmulationis malleo resistere nequaquam poterit. Zelum prudentiâ; suam intelligentiam judicio Principis moderetur: subditum se arbitretùr, non illius socium. Consilia ei suggerat cum libertate animi gratiosa, demissa & sincera, absque periculi ullius metu, & ambitione. Nullum negotium ita trahat ad se, ut illud sibi quasi proprium efficiat; neque in eo suam agi existimationem reputet, ut sua solùm consilia sequantur alii; ejusmodi enim conatus periculo non carent: & expedit propterea, ut ne in expediendis negotiis aut decernendis tam ardens sit, ut sese ipsum consumat, neque tam frigidus, ut congeletur, sed moderato incedat passu, munere cæteroquin suo fungatur citra affectationem aut jactantiam; nam qui eo solum nomine servit, ut famâ inclarescat, existimationem Principi suffuratur: sileat & loquatur prout tempus tulerit, Principis obsequium privatis commodis anteferat: Principi ne oculos claudat, nec aures obstruat, quin in eo laboret potiùs, ut ipse videat, tangat, prætentet omnia, & querelas audiat, quæ sæpe monita sunt ad errores evitandos. Demum de gratiæ stabilitate nec securus nimiùm, nec nimiùm meticulosus sit; reflexio enim periculi caput obturbat & sequitur vertigo prærupta cernentes. Adhæc caveat, ne privatæ rei studio plura conquirat media, quibus firmet favores Principis: nam uti ii, qui valetudinem nimis sollicitè curant, faciliùs eam destruunt, nihílque hac in re opportunius est, moderatione & abstinentiâ; ita si gratia languere cœperit, præstat omissâ medicinâ, sincero affectu atque animo à cupiditate libero servire, permittendo, ut interim meritum operetur. ... 3. *Circa æquales* socium se gerat potiùs, quam Dominum: nolit suam auctoritatem interponere, quando de eorum electione aut exauthoratione agitur; iis negotia permittat, ad quos ea pertinent. Consiliorum cursum in consultationibus ne impediat, neque aditum cuipiam ad Principem intercludat. 4. *Circa inferiores* id statuat, ut media incedat viâ, omnibus

14. Inteſtino bello compoſito ad Italiæ fines ſua denuò arma increpuit Alaricus: is enim quando de exceſſu Stiliconis acceperat, querebatur ſibi pro factis in Illyrico ſtipendiis inania adhuc dum verba dari; quare niſi promiſſorum continuò exſolvatur fides, ſe Romæ armatâ manu debita captaturum (k). Tergiverſante ad poſtulata Honorio, Alaricus Ataulphum uxoris ſuæ fratrem monet, ut ſe ad Romanæ urbis exitium properantem, cum Hunnis Gothíſque ex Pannonia citato itinere ſequatur (l). Quamprimùm Roma undique Barbaro fuerat concluſa milite; Senatus ſpem, intérque dolorem medius continuò Serenam Stiliconis conjugem mactari jubet, ſive quòd multi fremerent, hujus quoque fœminæ conſilio Barbaros in Italiam pellectos, ſeu quòd ſperarent, hâc victimâ cæsâ Alaricum Stiliconi infeſtum placari poſſe (m); ſed ſanguini imbellis mulieris haud acquievit, qui interitum omnium acerbâ mente jam conſtituerat. In diem igitur furente magis per urbem fame Ethnici cives maligniùs inſtabant, ut ad depellendam ab urbe calamitatis vim Diis ſolita olim ſacra fierent: at Chriſtiani reponebant, ex eorundem Deorum delubris amplum ſatis & hoſti gratius ſacrificium depromptum iri; ſiquidem aurea ſimulachra in partes diſcerpta Alarico in ſolutionis pretium offerrentur (n). Gothi ubi aurum hâc ratione congeſtum recepiſſent; id porrò poſtulatum eſt, ut obſides pacis ab Honorio darentur: hæſitante ad novam exactionem

Alarici Gothorum Regis bellum contra Honorium in Italia.

(k) Zoſim. p. 812.

(l) Idem p. 813.

(m) Idem p. 814. Sozom. l. 9. c. 6.

Obſidio prima Romæ.

(n) Idem p. 816. 817. Hieronym. ep. 11. & 16.

Obſidio altera Romæ.

bus amicus: det operam ut ſingulorum voluntati fiat ſatis; nam ſi eligit aliquos, odium & invidiam apud alios excitat. Nullum de gratiæ gradu, quem habet, deturbare conetur; ſæpe enim, qui luctatus cum alio, eum proſternere voluit, unà cum illo cecidit: & ſolet oppoſitio communiter favores magìs incendere. 5. *Circa populum* cogitet, populi amores ſæpe breves eſſe & quandoque infauſtos; unde quæ plauſum vulgi pariunt, ab iis invidiæ arcendæ causâ abſtineat, atque in eo totus ſit, ut pietate, liberalitate, æquanimitate & benevolentiâ bonam de ſe exiſtimationem concitet, in id duntaxat intentus, ut juſtitia adminiſtretur, ut rerum ubertate reſpublica floreat, ut ne pax & tranquillitas publica perturbetur, ne privilegia violentur; ante omnia verò, ut caveantur controverſiæ in rebus religionis & contentiones cum Eccleſiaſticis; nam populi furorem experietur, ſi pro impio eum habere cœperint. 6. *Circa exteros*: cultum horum ſingularem non admittat; ſed curet, ut ipſi intelligant, eum cortinam reducere, ſolum vero Principem edere oracula. Exteris proinde ſe non plus impendet, quàm Principis obſequium atque utilitas permiſerit; curabit denique, ut vir ſincerus, comis & humanus ipſe ab omnibus habeatur, qui Principis ſui amicitiam cum aliis fovere malit, quàm diſſolvere."

(o) Zosim. p. 818. 819. nem Cæsare (o), Roma opibus jam exhausta obsidione alterâ premitur, cujus ferociam subinde auxit Ataulphus, qui eodem tempore per infestos Romanorum militum cuneos eluctatus, majore irâ in Alarici tandem castra pervenerat (p). Equidem ex altiore consilio supremi numinis erat, Barbarorum ferro Italiæ vitia castigare: sed utì humanæ malitiæ est, ea, quæ culpâ suâ accidunt, in alias planè causas rejicere; ita tunc Olympium Ducem integerrimum complures seu dolo, seu invidiâ designavêre, in quem Romanarum ærumnarum ignominiam exonerarent. Accusabatur is (quantumcunque strenuus) ignaviæ, & ejus neglectu factum jactabatur, quod Ataulphus ad Alaricum incolumis pervasisset: vitia igitur Olympii, quæ nulla erant (q), acerbiùs, ac æquitas, aut religionis Christianæ honos ferebat, mulctata voluêre Ethnici, qui Duce (sceleris puro) ab castris auláque ejecto, id porrò impetrârunt, ut ex legis præscripto Jovinus Magisterium Palatii, Præfecturam Romæ Attalus, alia munera alii Pagani captarent, quorum anteà Gentiles iidem à sanctionibus Cæsareis inhabiles fuerant pronunciati (r). Ab his quia laboranti Christianitati parva spes Romæ erat; Innocentius Pontifex, & Senatorum nonnulli urbis nomine Ravennam abeunt, ut Honorium in eas, quæ Alarico placebant, conditiones impellerent (s). Non procul aberat, quin in sententiam Legatorum Augustus iret; tum Jovinus callidè negotium interrumpens, Honorio ampliter pollicetur, se cum Alarico, quem consuetudine antiquâ devinctum haberet, de re mitiùs consultaturum. Missis utrimque securitatis literis, Jovinus atque Alaricus Ariminum congressi, tandem in hoc caput consensêre; ut quisquis deinceps Principis nomine Gothis, is & Romanæ militiæ, castrísque cum supremo imperio præesset. Concepta conditio ad Honorium transcribitur: probanda facilè cùm crederetur; displicuit, quòd Cæsar timeret, ne Alaricus his gradibus ad servitutem Occidentis abuteretur (t). Jovinus de mente Honorii per occultas literas edoctus ad Alaricum advolat, & quasi fidem facturus ex epistola, cujus Imperator mentis sit, seu temerè, seu dolosè ostendit (u). Barbarus curiosiùs argumento literarum primò inhians, dein se in iis contemni indignatus, ferrum facésque minatur; revocato tamen impetu

(p) Idem p. 820.

Olympii Ducis ruina.

(q) Phot. a. 80.

(r) Zosim. p. 821.

(s) Idem l. 5. p. 820.

A.C. 409.

Consilia pacis inter Honorium & Alaricum dissolvuntur.

(t) Zosim. p. 822.

(u) Sozom. l. 9. c. 7. 8. Zos. p. 823

petu in mitiora consilia inclinat: & propè erat, ut pax temperatis legibus coalesceret; nisi Jovinus imprudentiæ suæ labem pejore errore expungendam voluisset. Dolebat is per aulam sibi imprudentiæ, aut perfidiæ maculam impingi: suo proinde honori potiùs consulturus, Imperatori quantumvis ignaro ac imparato suadet, ne quâcunque conditione ab hoste pacem deinceps emi sustineat: properare in suppetias militem Orientis & multa auxiliarium Hunnorum millia jam consistere in armis; hoc apparatu Cæsarem conatus hostiles levissimè difflaturum.

Jovini imprudentia & perfidia.

15. Alaricus spe fœderis sanciendi dejectus, ad arenam, sive ad Romanæ urbis mœnia redit, Honorio tamen magis, quàm civibus ægre facere meditatus. Ubi enim obsidioni se denuò accinxerat (x); senatui ac urbi imperat, ut ni pessum ire malint, ejurato Honorio, Attalum purpurâ ultrâ donent: creato repentè (necessitas quippe nullas indulgebat moras) Cæsari cives protinus dedêre fidem, atque ut injuriam Alaricus suam porrò ulcisceretur; novi Imperatoris se Ducem professus est. Attalus utprimùm manibus attrectaverat fasces; urbi annonâ exhaustæ prospecturus, paucos manipulos in Africam ablegat (y), qui simul Tyranno assererent illas Provincias, simúlque ex illis agris frumenti feracibus esurientis Italiæ remedia advectum irent. Heraclianus, qui Honorii nomine Africam regebat, Usurpatorem Imperii aspernatus, parvas ejus copias (quin navibus exeundi faceret potestatem) in portu trucidat (z). Vitio id Attalo datum est, quod de mittendo in Africam integro exercitu nequicquam monitus, despectis Gothis exiguam ac imbellem emissariorum manum periculo tam aperto objecerit. Alaricus hæc altiore animo versans, amicitiæ ac ingenio Attali diffidere cœpit (a); dein homini Imperii insignia detrahens (b), eundem in castris posteà habuit captivum; huic eodem tempore adjunxit Placidiam Honorii sororem (c), quæ à Gothis Romæ capta in Alarici potestatem venit: duo ista pacis futuræ pignora sæpiùs posteà Barbarus Imperatori ostentabat; dum Honorius mollior Alaricum Ravennam ad sanciendam pacem evocaret. Conditiones fœderis dum excutiunt sedulò, inopinus casus pacis consilia abrupit: Dux Ataulphus Alaricum fratrem Ravennam sequi jussus in Sarum Honorii Ducem

(x) Zosim. l. 6. p. 827. Sozom. l. 9. c. 8.

Attalus ab Alarico Imperator creatur.

(y) Zosim. l. 6. p. 828. Sozom. l. 9. c. 8.

(z) Zosim. p. 829. 830.

(a) Photius c 80.

(b) Sozom. l. 9. c. 8. Oros. l. 7. c. 42.

(c) Zosim. p. 830.

Nova spes pacis Alaricum inter & Honorium repentè difflatur.

cem fato quodam incidit (d): hic, quia cum Ataulpho inveteratas diu foverat iras; odio privato nunc magis, quàm publicis Cæsaris rebus indulgendum ratus, in hostem suum imparatum Gothósque socios arma stringit (e): ægrè periculo elapsus Ataulphus ubi fratri de strage suorum renunciâsset; Alarico ejusmodi facinus suspicionem insidiarum, summæque perfidiæ injecit: questus itaque se suosque specie redintegrandæ amicitiæ ad bellum potiùs, quàm ad pacem evocari, celeri itinere Romam revertitur. Quamprimùm ad Tiberim Gothorum classicum tertiò insonuit (f); Romanis civibus id omen fuit, urbem primò fame, dein opibus exhaustam, nunc tandem ferro, flammáque eversum iri. Proditione, aut per quassata ariete mœnia nono Kalendas Augusti in urbem sese infudêre hostes (g), quorum pars ad proximos vicos dilapsa toto agmine prædas agere, pars exhaustis ædibus injicere ignes, alii cruentis cædibus in obvios quosque grassari, alii debacchari in Virginum etiam sacrarum pudorem (h): ubique fuga, hostium fremitus, mulierum, puerorúmque ploratus, sonitus flammæ & fragor ruentium monumentorum, in quibus exstruendis Romanorum ambitio in duodecimum jam sæculum desudaverat (†). Ex Divino consilio urbem tot vitiis fœdatam in hanc ultimam calamitatem devenisse, inde posteà intellectum est (i), quòd Alaricus Ecclesias SS. Apostolis Petro & Paulo sacras ab injuria omni intactas vellet, simul cavens, ne quis illis manus temerè injiceret, qui ad hæc sacraria salutis causâ confugissent. Sex diebus postquam Alaricus urbem licentissimè evastâsset (k); ingentem opum vim unà cùm Placidia Honorii sorore secum deducens, in Campaniam suam sævitiem protulit: inde Nolâ dirutâ, & Rhegio incenso (l) in Siciliam quoque cogitabat; sed in aditu Insulæ Deus Tyranno metas posuit, extinctus enim subitò apud Brutios, atque in Basenti fluminis medio tumulatus (m), Ataulpho fratri Gothorum regnum, & Placidiam (utpote sponsam futuram, spemque Imperii) reliquit (n).

16. Per idem tempus, quo Gothi Italiam apertâ vi aggressi sunt, Constantinus è Gallia Provinciis cisalpinis occultas struebat insidias (o): fraudi ut locus esset, Jovium legatum Ravennam mittit (p), qui suo nomine laboranti Honorio condiceret auxilia;

(d) Sozom. c. 9.
(e) Zosim. l. 6. p. 831.
Ultima & fatalis obsidio Romæ.
(f) Orosius l. 7. c. 39.
(g) Hieron ep. 16.
(h) Sozom. l. 9. c. 9. August. excid. c. 2. Philostorg. l. 12. c. 3.
(†) REFLEXIO I.
(i) August. de Civ. Dei l. 1. c. 1. 7. l. 5. c. 3. Oros. lib. 7. c. 39.
Mortuo Alarico Gothorum Regi succedit ejus frater Ataulphus.
(k) Chron. Marcell.
(l) Philost. l. 12. c. 3. Oros. l. 7. c. 43.
(m) Jorn. r. Goth. c. 30.
(n) Orosius l. 7. c. 40.
(o) Sozom. l. 9. c. 12.
(p) Zosim. l. 6. p. 824.

lia; sed necessitas extrema Cæsari sensum omnem adeò non ademerat, ut, quid veneni sub hoc officiorum cortice lateret, minùs adverteret: abnuens proinde obtrusum obsequium, simul copiis Constantini Italiâ totâ interdicit. Pergratum id Tyranno causam belli quærenti: & jam posito fuco palàm pugnaturus per Alpes Cottianas cum suis irrumpere parabat (q); tum Constans filius ex Hispania advolans Patri anxiè nunciat, Gerontium in Tarraconensi, aliisque Provinciis rebellare (r), purpuráque Maximo cuidam injectâ (s) id porrò moliri, ut Barbaros per Galliam in sui, Patrísque exitium impellat. Constantinus ad hæc attonito similis repentè ab Italia revocat exercitum, Edobinchum Ducem ad Rheni mittit confinia, ut illinc copiosum legat militem (t): demum cum Constante belli partes dividens, sibi Arelaten, filio Viennam tuendam designat. Hæc Constantino agente, Gerontius cum exercitu per Hispanorum Alpes Galliæ se infundit (u): primò impetu vienna capta, Constánsque occisus est; tum Victor acriùs Arelatensi agro, ac præcipuè Constantino ibidem regnanti infestus fuit. Dum Romani hunc in modum in se ipsos verterant arma; Barbarorum licentia per Galliam invaluit. Nam Alani, Suevi & Vandali percursare urbes, agere ex iis prædas, vel totas regiones in potestatem redigere aggressi sunt. Hæc vastitatum exempla Britannos, Armoricósque ita exterruêre, ut Imperii viribus haudquaquam amplius confisi, sibi ex suis deligerent seu Reges, seu Duces (x), qui deinceps domesticâ curâ Patriam tuerentur. Barbari hâc ratione ex Britannia ejecti, atque ex iis, quæ proximè Oceano adjacent Galliæ Provinciis profligati in Hispaniam per claustra Alpium, quin ullus resisteret, contendunt (y). Gondericus Rex cum Vandalis (* 28), Ermericus cum Suevis & Alanis, ubi per Hispaniam latè se diffuderant; fuga omnium ordinum (z), tamque atrox populatio visa est, ut expilatâ annonâ, carnes humanæ, aut etiam fœtus recen-

Constantini insidiæ adversus Cæsarem.

(q) Sozom. l. 9. c. 12.

(r) Idem c. 13. Orof. l. 7. c. 42.

(s) Photius c. 80.

Gerontius in Hispania rebellat contra Constantinum Tyrannum.

(t) Gregor. Tur. p. 63.

(u) Sozom. l. 9. c. 13. Orof. l. 7. c. 42. Marcell. Chronic. A. C. 409. & 410.

(x) Zosim. p. 827.

Irruptio Barbarorum in Hispaniam

(y) Orosius l. 7. c. 40. Sozom. l. 9. c. 12.

(z) August. ep. 180.

(* 28.) IDATIUS Episcopus Hispaniæ in Fastis testatur Barbaros in Hispaniam irruisse anno 409. die martis, vigesimâ octavâ Septembris: SALVIANUS lib. 7. ait plura vitia Hispanorum fuisse, nam impudicitiam Priscillianistæ undique invehebant; atque ideo Deus eos Vandalorum potestati, qui inter cæteras gentes æquiores erant & castiores, tradidit.

recenter nati, aliæque immanes epulæ matrum, Patrúmque famem solarentur (a). Post tam diras calamitates, vacuas ferè Hispaniæ Provincias Barbari inter se (b) partiti, Vandalis & Suevis Gallæciam, Lusitaniam Alanis, Bæticam verò Silingis Vandalis dedêre, unde Provinciæ Andalusiæ sive Vandalusiæ nomen adhæsit.

(a) Idatius in Chron.
(b) Orosius l. 7. c. 41.

A.C. 411. 17. Honorius intereà ad conspectum tot cladium Ravennæ otiosus consederat (c); tum sensu quodam ignominiæ excitatus, Constantium præcipuum è suis Ducem mittere decernit, qui Tyrannis, tótque malis frontem objiciat (d). Viro quia natalis locus erat Naissum, adeóque cum Constantino Magno communionem nominis & Patriæ habebat; magnitudine rerum gerendarum Galliæ & Imperii vota æquaturus credebatur (e). Nec spem de se conceptam fefellit: Arelaten enim postquam cum paucis copiis pervenerat, ubi Gerontius Tyrannum Constantinum mœnibus adhuc inclusum detinebat; obsidionales manipuli viso Romano Duce repentè immutant animum, atque ejurato Gerontio in Constantii transeunt fidem (f). Exutus copiis Gerontius, quà data porta, in Hispaniæ latibula sese conjicit: sed ab inhærente vestigiis milite pressus undique, cùm in fuga salutem nuspiam inveniret, se ipsum ferro transigens mortem quæsivit (g). Uti Gerontius vitam, sic Maximus accepta à Gerontio insignia paulò post projecit, non tamen maculam sceleris; scenicus quippe Imperator à solio in exilium amandatus, id saltem honoris habuit, quod purpuratus alienam modico tempore personam gessisse diceretur (h). Duobus hostibus jam subactis, tertius intra Arelatenses muros adhuc vigebat Constantinus (i); & hic quoque Constantio arctiùs imminenti victas daturus erat manus, nisi Edobinchus novis ex Germania adductis auxiliis Constantini animum obstinâsset. Constantius propterea subveritus, ne hinc à præsidio urbis, inde ab Edobinchi irruente exercitu interceptus, anceps utrimque bellum experiretur; ultro laxatâ obsidione hostibus occurrit (k), & ad Rhodanum inopino adventu oppressos fundit, aut disjicit. Postquam unâ belli parte levari se sensit Constantius; Arelaten redit, urbi, & Constantino ultimam vim paraturus: sed dum arietem mœnibus admovet, aggeres, operáque

(c) Codic. Theodos. Chronol.
(d) Photius c. 80.
(e) Valesius rer. Fr. l. 3.
(f) Sozom. l. 9. c. 13.
Gerontii & Maximi interitus.
(g) Orosius l. 7. c. 42.
(h) Prosper. Chronic.
(i) Oros. l. 7. c. 42.
Constantinus obsidetur à Constantio.
(k) Gregor. Tur. h. Fr. l. 2. c. 9. Sozom. l. 9. c. 14.

que deſcribit (l); moleſtior fama tulit, Jovinum Moguntiæ in Germania prima regnare. Turbatâ nimirum Galliâ, hoc Duci eidem Conſilium dederant Goar Rex Alanorum & Gonticarus Dux Burgundionum, ut prehensâ purpurâ Alemannis, Francis, aliisque Barbaris ad ſubigendas Galliarum Provincias præiret (m). Antequam tempeſtas iſta ad Arelatenſem agrum pervaderet; Conſtantius non jam armis, ſed molliore paciſcendi genere Conſtantinum expugnandum ratus, Tyranno vitam, civibus incolumitatem pollicetur. His conditionibus ubi (n) deditio facta eſſet, fides urbi, non item Conſtantino ſervata eſt; is enim ex mandato Honorii in Italiam deductus, & in ipſo adhuc itinere (utpote propinquorum Cæſaris Didymi & Veriniani carnifex) perire juſſus eſt, cunctis perfidiam Imperatoris deteſtantibus (o).

(l) Sozom. l. 9. c. 15.

Jovinus ſumit purpuram Moguntiæ.

(m) Gregor. Tur. l. c.

(n) Sozom. l. 9. c. 15.

Conſtantini Tyranni exitium.

(o) Gregor. Tur. l. c.

18. Hic ſtatus Imperii, turbidarúmque rerum curſus erat, dum Viſigothorum Rex Ataulphus ex Italia penè exhauſta in Galliam movit, nova ſpolia ſeu ſedes novas quæſiturus (p). Qui votis Barbari obſiſtere poterat, unus Jovinus fuit, qui ſpe ſuâ toti jam Galliæ inhiabat; Agente tamen Attalo (quem Ataulphus anteà ab Alarico captivum, comitémque nunc expeditionis ſuſceperat) Viſigothi cum Jovino fœdus de dividendis Provinciis, ac ſocietatem armorum inivêre (q). Æmula utriúsque Tyranni cupiditas paſſa non eſt, ut pactionis conditio diu conſiſteret; nam Jovinus ægrè ferebat, Sarum ſibi amicum Ducem ab Ataulphi inſidiis periiſſe (r): Viſigothorum autem Regem magis urebat, fœderis palàm diffringi fidem ex eo, quòd Jovinus adoptato fratre Sebaſtiano, ac in conſortem regni adſcito, ſibi poteſtatem Galliæ eripere videretur (s). Pendentem animi Ataulphum Dardanus Romanus Galliarum Prætorii Præfectus in Honorii partes ita inclinavit, ut Legatos Ravennam mitteret de pace conſultaturos (t). Conventum eſt utrimque in has conditiones, ut Ataulphus Honorio rebellium cæſorum capita, & vivam ſororem Cæſaris (Placidiam) muneris loco ſubmitteret; Honorius contrà Ataulpho ejúsque copiis de annona provideret. Barbarus occiſo Sebaſtiano & Jovino primam equidem pactorum partem explevit (u); ſed quo minùs Placidiam redderet, cauſabatur, Honorium ſuis promiſſis non ſtetiſſe: id reipsâ moliebatur Ataulphus.

A.C. 412.

(p) Proſper in Chronic.

Ataulphus Galliam invadit.

(q) Oroſius l. 7. c. 42. Phot. c. 80.

(r) Zoſim. l. 6. p. 831.

(s) Olympiodorus.

(t) Proſper. Pith. p. 58.

Ataulphus conatur pacem inire cum Honorio.

(u) Idatius in faſt. ad a. Honorii 19.

phus, ut, quam captivam teneret in poteſtate, deinceps libertimè, annuente Honorio, conjugii vinculis devinctam haberet (x). Conſtantius, qui Placidiam velut Præmium tot pro Cæſare geſtarum rerum, ac ſponſam ſibi dudum deſignaverat, nihil omiſit, ut ſororem Honorii manibus Ataulphi extorqueret: verùm ille ad conatus ferocior, ruptâ pace Narbonenſem Galliam, aliáſque urbes præcipuas Toloſam ac Burdegalam diripuit, ut tot cladibus afflictus Imperator faciliùs in vota ſua concederet (y). Graſſanti Tyranno obniti tantò minùs licebat, quantò periculoſiùs eodem tempore variæ Provinciæ novis bellis ardebant. Heraclianus, qui fide integrâ hucusque Honorio Africam vindicaverat, nunc mutato conſilio rebellis claſſem ſeptingentarum navium ac tria armatorum millia in Italiam advehit (z): ultimum expilato latio ictum Tyrannus ejusmodi dediſſet; niſi Marinus Dux fortiſſimus perduelli catervæ obvius, Heraclianum ita profligâſſet, ut ægrè in ſcapham dilapſus, & Carthaginem repetens ferro Victoris caput, non tamen carnificis ſecuri ſubduxerit, à quo ſubinde in æde memoriæ cæſus monumentum ignominiæ reliquit, cujus fructuosè Poſteri poſſint meminiſſe (a). Per idem tempus Franci, & Burgundiones fervebant, ſive Galliarum cupidi, ſive Jovini acerbi ultores, cui anteà Pſeudo-Cæſari in Germania prima adhæſerant: Francorum æſtus in maximam Metropolim (Treviros ſcilicet) deſæviit; hanc enim ferro, flammáque iteratis vicibus populati, in rudera digniſſimam Cæſarum ſedem redegêre (b). Mitiùs à Burgundionibus actum eſt ad ſuperiores Rheni partes; propterea, quod Gonticarus Dux ejus Gentis in illis terris & domicilium & Principatum defigere conſtitutum habebat (c).

(x) Olympiodor. apud Phot. c. 80.
(y) Idatius in faſt. Rutil. l. 1.
A. C. 413.
Heraclianus rebellat in Africa
(z) Marcell. in Chronic.
Ejus interitus
(a) Oroſius l. 7. c. 42.
(b) Friger. apud Gregor. Tur. l. 2. c. 9.
Regnum Burgundionum.
(c) Proſper in Chronic. Valeſ. l. 3.

A. C. 414. 19. Dum Honorius in tot caſus ac diſcrimina diſtrahebatur; Ataulphus metu omni ſolutus Placidiam Narbonæ palàm ſibi connubio junxit, in quo Danielis (d) vaticinium impletum quidam putavêre (e), filiam ſcilicet Regis Auſtri ſociandam Regi Aquilonis, nullo tamen ejus ex ea ſemine ſubſiſtente (*29). Nuptiis maxi-

(d) Daniel. c. 11. v. 6.
(e) Idatius ad a. Honorii 20.

(* 29.) Ataulphus quidem filium ex Placidia ſuſceperat, ſed is Barcinone ante Patris cædem demortuus eſt. Vide *Phot.* c. 80.

maximâ ſolennitate celebratis (* 30), Conſtantius indignabatur Romanum cum Barbarico miſceri ſanguinem: quare ne Ataulpho crearetur periculum, Gothi ſubitò Attalum purpurâ rurſus veſtiunt (f); ſperabant enim hoc Imperatoris ſimulachro ad formidinem propoſito, Romanos citiùs ituros in leges pacis, quam Ataulphus nunquam magis, quàm hoc tempore anhelabat (g). Demiſerat enim jam altiùs in animum, quod Placidia eidem continuò inculcabat, fruſtra eum acturum; ſi porrò exſcindere Romanum Imperium, atque ejus ruinis Gothorum regnum imponere moliretur: Barbaros legum haudquaquam capaces eſſe, ſine quibus tumultuarium quidem latrocinium, minùs tamen ordinatam rempublicam congeras. Majorem itaque nominis famam inde quæri oportere, ut quæ arma in Romanorum cladem verterat, deinceps pro eorum ſalute miniſtret; malitque Imperii perpetui reſtaurator, quàm regni mox caſuri fundator apud poſteros audire. Hæc conſilia pacis, quo minùs exequi liceret, Conſtantius impedivit; hic enim collecto Romanarum legionum robore in Gothos irruens (h), Ataulphum, ejúſque gentem ex Narbonenſi Galliâ in Hiſpaniam ejecit: ſive injuriâ ſeu contemptu id fieri crederent Barbari; per iter populati Burdegalam, aliáſque urbes (*31), tandem in Tarraconenſem Provinciam tranſivêre.

Nuptiæ Ataulphi cum Placidia.

(f) Phot. p. 188.

(g) Oroſ. l. 7. c. 43.

Gothi ejiciuntur ex Gallia.

(h) Idat. in Chronic.

A. C. 415.

(* 30.) OLYMPIODORUS apud Phot. c. 80. *Ataulpho ſtudio ac conſilio Candidiani nuptiæ cum Placidia conveniunt. Januario menſe Nuptiis dictus dies Narbone Galliæ urbe, in domo Ingenii cujuſdam, Primarii ejus urbis viri. Hic digniore loco reſidente Placidiâ in atrio, Romano more adornato, habitúque regio aſſedit, & Ataulphus lænâ indutus, omnique alio amictu Romano. Inter alia Nuptiarum dona, donatur Ataulphus etiam quinquaginta formoſis pueris, ſericâ veſte indutis, ferentibus ſingulis utráque manu diſcos binos: quorum alter auri plenus, alter lapillis pretioſis, vel pretii potiùs inæſtimabilis, quæ ex Romanæ urbis direptione Gothi deprædati fuerant. Hinc verſus canantur Epithalamii, Attalo præcinente, dein Ruſtacio, atque Phœbadio: nuptiiſque finis datus, luſu, gaudióque ingenti barbarorum ſimul & Romanorum, qui cum iis erant.* GOTHOFREDUS VITERBIENSIS in Panthec. P. XVI. meminit *Palatii Gothorum*, in quo Ataulphus deinceps cum ſua uxore reliquo tempore regnavit: *Ataulphus verò Rex Gothorum, amore uxoris ſuæ Placidiæ, quæ erat ſoror Honorii Imperatoris, à finibus Romanorum diſcedit, & in Gallia prope civitatem Narbonenſem, ubi hodie villa S. Ægidii dicitur, in loco, qui uſque hodie* PALATIUM GOTHORUM *dicitur, conſedit ſupra Rhodanum fluvium.*

(* 31.) PAULINUS excidium hoc ipſe *Burdegalæ* expertus, illud amplo carmine deſcribit:

vêre. Funeſto id Ataulphi fato contigiſſe poſteà compertum eſt; nam Barcinone à Domeſticorum uno crudeliſſimè occiſus (*32), infeſtiſſimum ſuæ ſtirpi ſucceſſorem habuit: Sigericum hunc veteres dixêre, qui Sari olim ab Ataulpho perempti frater, nihil omittendum cenſuit, quo necem ejusmodi in ſex Parricidæ liberis ulciſceretur (i); illis proinde jugulatis in Placidiam ferociùs graſſaturus erat, niſi ſeptimus regni dies utì vivendi, ſic quoque furendi finem Tyranno deſcripſiſſet. Sigerico trucidato Walliam eâ lege ſuffecêre Gothi (k), ut aperto bello Romanorum injurias vindicaret: Africa aptior expeditioni viſa eſt; unde duodecim Gothorum millia navibus impoſita per fretum Gaditanum paſſis velis provehebantur: vix ſpatium aliquod emenſis Barbaris Procelloſa tempeſtas incubat, disjectáſque naves unà cum ſpe Africæ fluctibus haurit. Walliæ id cauſæ ſatis fuit, ut in Romanorum fœdus amplis votis urgeretur; miſſis igitur Legatis Honorio teſtatur, pro frumentorum dimenſo Placidiam tandem reddendam Romanis (l), Attalum quoque purpurâ nudatum in Honorii venturum manus, demum, cunctos in Hiſpaniis Barbaros non alio, quam ſuo periculo debellandos: ampla licèt hæc licitatio pacis foret; nihil tamen eorum, quæ Wallia pollicitus fuerat, omiſſum eſt, dum concordia penitùs coaleſceret. Attalum quippe Gothi Honorio obtulêre, in triumpho poſteà ducendum Romæ,

Mors Ataulphi.

(i) Oroſius l. 7. c. 43. Olympiod. p. 188.

(k) Oroſ. l. c.

Wallia ſucceſſor Ataulphi.

A.C. 416.

(l) Idatius in Chronic. Philoſtorg. l. 12. c. 4. Marc. Chr.

Pax firmatur inter Gothos & Romanos.

Namque profecturi Regis præcepto Ataulphi
Noſtra ex urbe Gothi, fuerant, qui in pace recepti,
Non aliter nobis, quam belli jure ſubactis
Aſpera quæque, omni urbe, irrogavêre crementa &c.

(* 32.) OLYMPIODORUS apud Photium. *Ataulphus, nato ſibi è Placidia filio, cui Theodoſio nomen dedit, Romanam amplius rempublicam amare videbatur. Verùm Conſtantio, ejúsque aſſeclis repugnantibus, ejus & Uxoris Placidiæ conatus fruſtra fuerunt. Extinctum autem poſteà infantem vehementer uterque parens luxit, argenteáque capsâ conditum, Barcinone in templo quodam ſepelierunt. Interficitur deinde & Ataulphus ipſe (dum equos ſuos in ſtabulo, de more contemplatur) à Gotho quodam ejus domeſtico, Dobbii nomine.. Moriens Ataulphus fratri ſuo injunxit, Placidia ut redderetur, útque, ſi quo modo poſſent, Romanæ ſibi gentis concordiam, ſocietatémque conciliarent. At qui ſucceſſit, Sari frater, Singerichus (ſtudio potiùs & vi, quàm ſucceſſione, aut lege creatus) Ataulphi e priori conjuge liberos, vi è ſinu Sigeſarii Epiſcopi abreptos, occidit, atque ipſam Placidiam Reginam, in Ataulphi ſcilicet contumeliam, pedibus ante equum, unà cum cæteris captivis ambulare coëgit, idque toto illo ſpatio, quod eſt ab urbe, ad duodecimum usque lapidem. Septem ille dies cùm imperâſſet, interemptus eſt, & Gothorum Dux Vallias conſtituitur.*

Romæ, unde in Liparam Inſulam exul abiit, ac manu duntaxat mutilatus, qui tot ſcelerum ergo caput amittere, ac acerbiore ſupplicio è vivis omnino emigrare debuerat (m). Eodem tempore reſtituta eſt Placidia, quam Ataulphi olim conjugem Conſtantius Patricius ac de Imperio optimè meritus ſibi nunc in ſponſam denuò repoſcebat (n): & verò ut dignum ſe porrò tanti conjugii competitorem oſtenderet; Fridibaldum Vandalorum Regem incruento certamine captum Honorio ſiſtit amoris ſui in Cæſarem argumentum (o). Unum adhuc erat, quo Wallia Romanis fidem datam ſolveret; nempe, ut extinctis in Hiſpania Barbaris Romanæ rei Principatum reſtauraret. Pactionis legem quoque hanc expleturus Wandalos ſilingos in Bætica delet: dein Atacem Suevorum Regem unà cum ſubdita gente ita concutit, ut abolito Regni nomine, Wandalorum, qui in Gallæcia conſederant, dominatui cæteri (qui ſupererant) ſeſe ſpontè ſubmitterent (p). Wallia poſtquam maximam Hiſpaniæ partem in poteſtatem Romanorum reduxerat; Honorius Gothis Aquitanniam ſecundam unà cum adjacentibus regionibus in præmii vicem dedit (* 33); ſimúlque indulſit, ut Gothici illius regni initium ſtrueretur, quod Toloſæ velut in Galliæ Metropoli per octoginta octo annos poſteà ſtetit. Hoc laborum, ac victoriarum fructu uti diu non licuit Walliæ; nam anno eodem extinctus, regnum Theodorico ſucceſſori, filiam verò unicam Ricimero funeſto Occidentis everſori ſponſam reliquit (q). Quo tempore

A.C. 417.

(m) Philoſt. c. 5. Proſper. in Chronic.

(n) Photius c. 80.

Placidia viduà deſponſatur Conſtantio.

(o) Idatius ad a. Honorii 22.

Conditiones pacis.

(p) Oroſius ad a. 417. Honor. Idatius ad a. 24. Proſp. Chr.

A.C. 418.

Gothorum regnum in Gallia.

(q) Idatius in Chron. Jornand. rer. Get. c. 32.

(* 33.) Valeſius rer. Franc. l. 3. exiſtimat, quod & *Aquitannia tertia* Gothis tunc data ſit, ſive Novempopulania, ubi hodie Vaſcones habitant. TILLEMONT in V. Honorii A. 60. opinatur has terras Romanos ideo conceſſiſſe Gothis, quia hi Honorio ditiones illas Hiſpaniæ, quas à Vandalis & Alanis armis extorſerant, ultrò obtulerunt; nam JORNANDES rer. Get. c. 33. meminit Comitis Hiſpaniæ circa annum 420., qui nomine Imperatoris in Hiſpania præfuit; IDATIUS porrò ad an. 456 aſſerit, quod Provincia Tarraconenſis proximo Galliæ Imperio ſubjecta fuerit. Cæterùm quâ conditione Gothi Galliarum quaſdam partes acceperint, obſcurius eſt; DUBOS *in Hiſtoria Critica de fundatione regni Francorum* in eam diſputat ſententiam, quaſi omnes Barbaræ gentes, queis locus in Gallia unquam fuit, eo pacto Provincias à Romanis conceſſas habuerint, ut ſe Romanorum moribus, legibúſque ſubjiciant; alii verò Barbaris, & primò Gothis iſtarum terrarum ſupremum Dominatum datum fuiſſe meliùs arbitrantur; quamvis hoc ſtante nemo inficietur, privatis Romanis civibus (qui agros in iſtis habebant ditionibus, ac prædia) iſta retinere vel vendere etiam Gothis potuerint; uti colligitur ex PAULINO v. 575. ſed de his alibi plura differemus.

Francici regni initia.

Gothi in ultimis Galliæ finibus regnare cœperunt, Francorum Gens in citeriore Rheni litore, regni ſui amplioris & longiùs duraturi fundamenta jecit. Pharamundum enim tunc in Francia Principatum tenuiſſe ferunt, quem ex ordine ſubſecuti Reges ſuam gentem in Galliæ ſinum eo conſilio tranſtulêre, ut profligatis Barbaris ſingulæ Provinciæ in unum tandem Francorum Imperium tum armis, tum legibus firmum conſtruerentur (r).

(r) vide infra § V. hujus Cap.

20. Quantùm acciſa Honorii poteſtas in Occidente languebat, tantâ integritate virium incolumis ſalus Orientis ſub Theodoſio ſtetit: ab anno enim hujus ſæculi octavo, quo Princeps regnum adierat octo vix annos natus, Anthemius legum prudentiâ ita admoderatus fuerat Imperium, ut ab internis, externíſque motibus reipublicæ compages minimè convelleretur (s): inde poſt quinque annos Orientales Provinciæ felicitate meliore donatæ ſunt, quando Pulcheria Theodoſii ſoror tutelam, Cæſaris ſuſcepit. Hæc licèt ætate fratrem non admodum excederet (*34); tantis tamen gratiæ, naturæque donis valebat, ut omnes ordines hanc digniſſimam judicarent, quæ Auguſtæ nomine ornata, Theodoſii mores ingeniúmque ad Gubernationem Imperii inſtitueret. Ab anno itaque hujus ſæculi CCCCXIV. Principis indoles virtute, ſcientiis aliiſque mediis efformata eſt (†). Poſt ſex annorum culturam cùm jam Theodoſius vigeſimum ætatis annum ageret; Pulcheriæ intererat eam fratri ſponſam jungere, quæ majus virtutis, quàm nobilitatis congenitæ, decus afferret; & hanc deligendi opportuna iis diebus occaſio fuit: venerat Conſtantinopolim Athenais Heracliti Philoſophi Athenienſis filia (*35), quam Parens ideo hæreditate herciscundâ

(s) Socrat. l. 7. c. 1. Tillemont. Tom. VI P. I. Hiſtoire des Empereurs a. 1. & 2.

Pulcheria tutrix Theodoſii II.

(†) Reflexio II.

A. C. 420.

(* 34.) Pulcheria nata eſt anno 399. 19. Januarii, ut habet CHRONICON ALEXANDRINUM: Theodoſius verò natus eſt an. 401. menſe Januario aut Aprili, adeoque duobus duntaxat annis excedebat ætatem fratris; ſedecim autem propè annorum erat, cùm inſtituendi fratris curam ſuſcepit.

(* 35.) CHRONICON ALEXANDRINUM hiſtoriam *Athenaidis* latiùs enarrat, Patrémque ejus vocat Heraclitum: *Heraclitus Philoſophus Pater Virginis duos habebat filios; moriturus teſtamentum condidit, quo duos filios Valerianum & Geſium ex aſſe ſcripſit hæredes: Athenaidi verò (ſcripſit in teſtamento) deſideratiſſimæ filiæ meæ volo dari tantùm centum numiſmata; ſufficit enim illi fortuna ſua, quâ univerſum genus, ac ſexum ſuum antecellit. Atque ita decedit Pater ejus Philoſophus Athenienſis.* SOCRATES l. 7. c. 21. unà cùm recentioribus Græcis Patrem Eudociæ vocat *Leontium* Sophiſtam

cundâ excluserat, quòd à forma, & literis, quibus probè imbuta erat, meliorem dotem nacta esset. Athenais contrà jura prolis persecutura, Pulcheriæ opem implorat: placidum fœminæ alloquium, ac eruditio ita Augustæ Cæsaris sorori placuêre, ut eam ipsam fore crederet, quæ tanto connubio dignam se præstaret posset: ab Attico igitur Episcopo sacris undis tincta, acceptóque Eudociæ nomine Theodosio uxor traditur. In Cæsareum thalamum admissa priùs ingenii partum quàm prolem edidit; nam subinde sponso suo Epinicion accinens, docto carmine gratatula est de victoria, quam de Persis Imperator eodem anno reportaverat. Bellum hoc primum Theodosius susceperat non Imperii, sed Christianorum causâ (t), qui intra Persiæ fines ab Isdegerde Rege primùm vexati, dein post ejus mortem à Varane filio multò crudelius oppressi, tandem ad ditionem Romanorum velut calamitatis suæ portum confugerant. Acre inde studium Cæsarem inter & Tyrannum extitit: repetebat hic ad jugum subditos, ille in clientelam receptos reddere suppliciis, ac ærumnis negabat: in bellum itaque & arma utrinque itum est. Narses Varanis Dux in Armeniam innumerabilem trahebat exercitum: & Constantinopoli excidium comminatus, in Romanorum terras ferro, flammáque grassabatur; tum Theodosius Episcoporum precibus, cælestique præsidio confisus (u) Ardaburium Alanum genere, sed virum in paucis strenuum hosti occurrere jubet. In certamen ubi convenerant, prodigio simile visum est, quod parva militum manus infinitam multitudinem omnino devictam ex Armeniæ finibus ejecerit. Narses se prælio quidem, non tamen toto bello profligatum ratus, novas in alteram pugnam colligit copias: trementibus Romanis tutelares genii adfuêre, qui subsultantem hostem tanto terrore concussêre, ut Persæ in

Eudocia conjux Theodosii.

(t) Socrat. l. 7. c. 18. 20.

Bellum Varanis Regis Persarum adversus Imperium.

(u) Idem c. 23.

 fugam

stam Atheniensem. Cæterùm CHRONICON ALEXANDRINUM de Nuptiis ita pergit: Hoc anno (421.) *Theodosius Aug. acceptâ in conjugem Athenaide, dictâ Eudociâ, celebravit nuptias mense Dæsio, VII. Idus Junias, iisdémque nuptiis Circenses ludi & scenici in theatro Circi acti sunt mense Dæsio, III. Idus Junias. Suscepit Theodosius ex Athenaide Eudocia filiam nomine Eudoxiam* (quæ posteà desponsata est anno 437. Valentiniano III.) *Augustæ fratres, cum regnare sororem Augustam intellexissent, metu percussi profugerunt in Helladem, quos per nuncios (sublatâ suspicione) ad honores provexit . . . & Gesium quidam dictum creavit præfectum Pratorii Illyrici populi, Valerianum autem Magistrum palatii &c.*

fugam, dein in Euphratem effusi, inter rapacis fluminis vortices necem, quam evadere parabant, invenerint (x). Centenis millibus hostium demersis, etsi integra Theodosio staret victoria; voluit tamen Deus hâc strage levandæ Christianitatis magis, quam Imperii amplificandi rationem haberi; unde cùm Romani Nisibi, aliisque Persarum arcibus subinde arma inferrent, nihil admodum successit. Theodosius hæc altiore animo volutans quantumvis victor pacem sibi, Christianísque libertatem petit (y); nec obluctatus est Consilio Cæsaris Varanes: sed pacto in centum annos fœdere, Christianos etiam se mitiùs habiturum promisit (*36).

(x) Socrat. l. 7. c. 18. 21.

(y) Theophanes p. 75.

Pax centenaria inter Persas & Romanos.

21. Postquam ab externorum hostium bello Theodosius respiraverat; propè abfuit, ut intestinâ simultate pejùs affligeretur. Constantius Placidiæ conjux Augusti nomine ab Honorio donatus (z), in signum acceptæ dignitatis Theodosio imagines sui laureatas miserat (a); at Orientis Imperator testimonia hæc honorum, datúmque regni consortium respuens (b), Constantium in atrocis belli cogitatus concitavit. Quo minus gliscens odium in flammas penè ageretur, præmaturum Constantii fatum prohibuit; post octo enim menses ex laterum dolore Ravennæ extinctus, simul secum fomitem incendii civilis in tumulum detraxit (c). Constantio mortuo Orienti quidem, sed non omnibus Occidentis provinciis pax integra fuit; nam Vandali in Bætica novis motibus efferabantur: Honorius, ne bellicosa gens in totam Hispaniam suam rabiem proferret, Castino copiarum suarum Duci imperat (d), ut adjuncto Bonifacio turbas vi, & arte restinguat (e): erat hic ipse, qui Gothorum assultum à Massiliæ mœnibus anno CCCCX. represserat, inde Africæ regendæ præpositus par semper robur, parémque fidem Cæsari præstitit; & quo-

A. C. 421.

(z) Idatius in Chron.

Constantii Augusti obitus

(a) Philost. l. 12. c. 12.

(b) Photius c. 80.

(c) Theophanes p. 72.

(d) Gregor. Tur. H. Fr. l. 2. c. 9.

(e) Photius c. 80.

(* 36.) SOZOMENUS l. 9. c. 4. dicit Persas inter & Romanos percussum fœdus fuisse in centum annos. EVAGRIUS l. 1. c. 19. ait, pacem durâsse usque ad duodecimum annum regnantis Anastasii sive ad annum 502. Persecutio Christianorum pace initâ interrupta quidem à Varane, sed non omnino sublata est; nam THEODORETUS l. 5. c. 39. testatur, eam durâsse 30. annis ab anno 414. Cæterùm Varanem ad pacem à charitate Acacii Amidæ Episcopi maximè impulsum fuisse, confirmat SOCRATES l. 7. c. 21., postquam idem præsul distractis Ecclesiæ vasis septem millia Persarum captivorum non à servitute modò, sed & ab extremâ fame, quâ premebantur, eripuit.

quoniam amplissima de prudentissimo viro opinio vigebat, nunc ad conficiendum Vandalorum bellum evocatus Castino consiliorum ac expeditionis socius apponitur: verùm consortium æmuli Castino unguis in ulcere fuit, qui hominem à latere divulsurus, superbo ineptóque imperio tamdiu Bonifacium exagitat (f); dum hic injuriarum satur in Africam referret pedem non sine Romanorum exitio. Vix enim soli Castino belli arbitrium obtigerat; à Gothis auxiliaribus deceptus, Vandalos benè munitos tumultuariè aggreditur: vincitur: fugatúrque amissis viginti millibus.

Castinus cæditur à Vandalis in Hispania.
A. C. 422.
(f) Prosper ad a. 422.

22. Eodem ferè tempore, quo ambitio unius Ducis Imperio tam funestam plagam attulerat; malignorum quorundam studio factum est, ut Imperator ipse intestino ac immedicabili vulnere affligeretur. Amaverat is ardentiùs, ac æmuli vellent, sororem Placidiam: invidiosa igitur animorum conjunctio quò citiùs solveretur; composito ad fraudem mendacio fingunt, à Cæsare viperam gestari in sinu, quam nisi excutiat brevi, salutem, fascésque Imperii in extremum discrimen adductum iri. Placidiam nempe Ataulphi olim conjugem, ac Gothorum Reginam à Barbaris adhuc ferri in oculis, omniúmque eò spectare consilia, ut sublato Honorio soror Principis gubernacula capessat. Hæc primùm in privatorum aures ingesta, dein ad aulam serpente rumore prolata Imperatoris animum ita succussêre, ut continuò sororem Palatio, Metropoli, ac toto Occidente proscriberet (g). Expulsa hunc in modum Placidia unà cum liberis Valentiniano & Honoria in Orientem confugit; ubi à Theodosio tam amicè suscepta est, ut fratris odium ei nunc magis, quàm illius anteà amor profuerit; Honorius Placidiæ exilio non diu superstes fuit (h), Ravennæ ex aqua intercute suffocatus anno ætatis supra trigesimum nono, Imperii à Theodosii obitu suscepti ac satis turbulenti vigesimo nono. Princeps erat religione, quàm armis major, inter medias tempestates in bonum Ecclesiæ intentus, cui legibus suis (* 37) plus dedis-

Honorius in exilium relegat sororem Placidiam ejúsque liberos.
(g) Photius c. 80. Prosper in Chron.
(h) Socrat. l. 7. c. 22. Philostorg. l. 12. c. 13.
A. C. 423.
Mors Honorii.

(* 37.) Leges, quas Honorius pro Ecclesia tulit, sunt sequentes. Anno 397 legem edidit 21. Cod. Theod. *de extraordinariis sive sordid. mun.* quâ nominatim Episcopi Romani, & Clericorum immunitatem ab omnibus extraordinariis & sordidis muneribus roborat. An. 399. lege 35. *de hæreticis* in Cod. Theod. prohibet, ne quis domibus suis Manichæos suscipiat: eodem anno ad Legationem Concilii Carthaginensis l. 34. Cod.

dediſſet commodi; niſi ſub tot Tyrannorum ac Barbarorum armis ſanctionum vis debilitata ſiluiſſet. Expertus infidos ſæpe Duces, victoriis tamen non caruit; pacatam proinde ſatis (utì optaverat) rempublicam relinquens, extorta rurſus ab hoſtium manu ſpolia vidit, ſuóque Symbolo docuit poſteros, *malè parta malè diſperire* (i).

(i) Reuſner. in Symbolis Imperat.

§. II. VALENTINIANUS III. *creatur Cæſar à Theodoſio & ſubinde Auguſtus: mirabilis de Joanne Tyranno victoria; Bonifacii rebellio, ac exitus, Vandalorum transmigratio in Africam, eorum vaſtationes. Aëtii victoriæ contra Francos, Pax cum Vandalis inita, Nuptiæ Valentiniani cum Eudoxia Theodoſii filia. Honoriæ ſororis Valentiniani impietas & turpitudo: Codicis Theodoſiani publicatio, Diſſidium inter Theodoſium & Eudociam, hujus profectio Hieroſolymam; Sicula clades à Vandalis, bellum infelix Theodoſii adverſus Africam: fœda pax cum Hunnis, Mors* THEODOSII II.; *cui ſuccedit Pulcheria cum* MARCIANO. *Attilæ direptiones in Gallia, ejus clades in Catalaunicis campis, iterata irruptio Hunnorum in Italiam. Mors Pulcheriæ, funeſta cædes Aëtii, mors Attilæ, Valentiniani III. obitus.*

A.C. 423. *Joannes Tyrannus in Occidente.*

I. PLacidia unà cum liberis procul in Orientis Metropoli adhuc conſederat, dum Honorius Ravennæ vacuum hærede reliquit Imperium: Joannis id cujusdam Primicerii animum in facinus inſolens impulit (a), ut rejectis nempe ſcriniis, tabulíſque, quæ curabat, deſertum penè regnum invaderet; audenti Caſtinus militiæ Magiſter adfuit; ſuáque operâ & conſilio effecit, ut

(a) Socrat. l. 7. c. 23. Proſper T. p. 51.

Cod Theod. *de Epiſcopis* vetuit, ne quis reos ab Eccleſiis abſtrahat. An 408. lex data eſt 19. Cod. Theod. *de Paganis*, quâ 1. *annonas templorum* ad annonam militarem transfert, ſimúlque tollit illa vectigalia, quæ epulis ac ludis Gentilium impendebantur, 2. ſimulachra reliqua ubique etiam extra delubra exſcindi jubet, & aras deſtrui, 3. templa publica Paganorum uſibus publicis vindicat. 4 Convivia & ludos Gentilium prohibet. An. 412. l. 56. Cod. Theod. *de hæreticis* prohibet cœtus hæreticorum per Africam. An. 414. Honorius lege 44. Cod. Theod. *de hæreticis* Donatiſtis ac cæteris hæreticis dictat pœnas 1. Jus teſtandi adimit 2. eorum loca, ubi conventicula habent, tranſcribit veræ Eccleſiæ, 3. Sacerdotes, & Miniſtros eorum bonis proſcriptis deportari vult. 4. Item eorum occultatores. 5. Mulctam irrogat Donatiſtis pertinacibus. 6. Mulctam quoque exigi mandat ab iis, qui loca præbent in alienis prædiis ad Myſteria celebranda &c. Cæteras ſanctiones, quas fecit contra Pelagianos, contra Schiſmaticos, & Papatum ambientes, infra in capite ſecundo tractabimus.

ut Ravenna cum pluribus Italiæ provinciis in Joannis fidem juraret (b). Sacramento dicto Tyrannus Constantinopolim quoque Legatos mittendos censuit, qui suo nomine Theodosii fœdus, consortiúmque Imperii deposcerent (c). Eodem tempore hi urbem Regiam ingressi sunt, quo Imperator Orientis jam designabat copias in Occidentem ituras, ut Patrui defuncti ditiones adversus vim atque tyrannidem tuerentur. Theodosius auditâ Legatorum oratione, cohorrescit primò ad Joannis scelus; dein irâ in emissarios præsentes conversâ, eos carcere ac exilio proditorum in morem puniri jubet; mitigatâ tandem sententiâ, opprobriis benè oppletos ad Tyrannum remittit (d), mandátque, ut in hæc verba renuncient: inter Dominum orbis, servúmque nihil posse intercedere fœderis, malè autem illum Regni Collegam auditurum, qui alienâ vestitus purpurâ Principatûs non sui insignia circumferret; ista ni ponat, fore arma, fore militem Orientis, qui raptori usurpata spolia, prædásque detrahat. Joannes ubi Theodosii mentem, minásque ex Legatis suis perceperat; obfirmatâ in perfidiam fronte, belli media conquirit: ac primò mancipia proposito libertatis præmio sub signa vocat (e), deinde Aëtium Hunnorum amicum in suas partes trahere conatur (f).

(b) Prosper in Chron.

(c) Philost. l. 12. c. 13.

Ejus legatio in Oriente malè accipitur.

(d) Gregor. Tur. hist. Fr. p. 57.

(e) Codic. Th. t. 3.

(f) Gregor. Tur. l. c.

2. Natalem eidem Aëtio Patriam dedit Dorostorus Mysiæ oppidum (* 1), ubi sub comitis Gaudentii paterna cura, & matris Italicæ studio ad varios honorum gradus adolevit (* 2); Magnanimus enim, & consilio potens Magisterium Romani equitatûs,

(* 1.) BAUDRAND in Lex. Geogr. Durostolon, seu Durostorus apud *Ammianum*, Dorostorum in *CC. libris*, Dorostena *Jornandi*, Dora teste *Lazio*, urbs Mysiæ inferioris, Episcopatus olim, nunc pagus Bulgariæ dictus Durosto.

(* 2.) RENATUS FRIGERIDUS apud *Gregorium Turonensem* Hist. l. 2. c. 8. p. 57. De Aëtio ita refert: *Et quia de hoc viro consequenter plura memoranda sunt; genus, morésque ordiri placet. Gaudentius Pater, Scythiæ Provinciæ Primoris loci, à domesticatu exorsus militiæ usque ad Magisterii equitum culmen provectus est. Mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Aëtius filius à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obses: dehinc Chunorum, post hæc Carpilionis gener, ex comite Domesticorum, & Joannis curam palatii gerere cœpit: medii corporis, virilis habitudinis decenter formatus, quo neque infirmitudini esset, neque oneri: animo alacer, membris vegetus, eques promptissimus, Sagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris, nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec impulsoribus quidem pravis ab insti-*

Aëtius quis fuerit?

(g) Prosper in Chron.

(h) Gregor. Tur. hist. l. 2. c. 8. p. 57.

tatûs, dein Comitatum Africæ sortitus; tandem sub Valentiniano universam Imperii molem sustentavit (g). Neque tantùm Romani fortitudinem, Sapientiámque viri suspexêre, sed & exteri hostes: Hunnorum certè amorem, cùm pacis obses iis daretur, ita sibi devinxerat, ut Gens tota ab ejus nutu, arbitrióque penderet (h): necessitudinem ejusmodi Joannes callidè in rem suam vertit; nam Aëtium honorum appetentem Curopalatis munere donabat (* 3), & beneficio constrictum tentabat precibus, ut in bellum præsens adduceret copias ab Hunnis, aut suppetias: nihil verò ille cunctatus in Barbarorum terras abscessit, benefactori obsequium majus relaturus (i).

Ejus legatio ad Hunnos.

(i) Prosper in Chron.

A.C. 424.

(k) Noris. hist. Pel. l. 2. c. 24.

(l) Socrat. l. 7. c. 23.

Theodosius Valentinianum creat Cæsarem, & exercitum mittit contra Joannem Tyrannum.

3. Non minorem per idem tempus operam Theodosius posuit in legendo exercitu, decernendísque Ducibus (k): ex omnibus placuêre Ardaburius à Persarum Victoriis jam celebratus, tum filius ejus Aspar & Candidianus (l). Hi dum in Italiam cum numeroso milite contendunt; deliberabat adhuc Imperator, utrùm Orienti Occidentem sibi adjungere, aut partem Valentiniano tradere consultius foret? Negotii gravitas quia longiorem cogitatum poscebat; id saltem tunc Theodosius statuit, ut Valentinianus Cæsaris nomine insignitus unà cum matre Placidia exercitum sequeretur (* 4). Superatis Pannoniæ, ac Illyrici Provinciis

instituto suo devians, injuriarum patientissimus, laboris adpetens, impavidus periculorum, famis, sitisque, atque vigiliarum tolerantissimus: cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ fatis destinaretur temporibus suis, locisque celebrandus.

(* 3.) CANGIUS in Glossario p. 1426. *Cura Palatii* dignitas palatina, cui Senator l. 7. Epist. 5. Palatinorum ædificiorum instaurandorum, & de novo exstruendorum curam potissimùm incubuisse ait: quâ qui donatus à Principe fuerat, *aureâ Virgâ decoratus inter obsequia numerosa ante pedes regios primus incedebat.* In CODICE THEODOSIANO curæ palatii mentio occurrit, jungitúrque Tribuno & Comiti stabulorum in *L. un. de Comit. & Trib. Schol.* sed quod illius munus potissimum fuerit, non omnino constat: etsi probabile sit, eosdem fuisse ejusmodi officiales, qui postmodum Curatores palatiorum, vel qui Præpositi Palatii appellati sunt. At ALAMANNUS existimat, eum, qui vulgò *Cura Palatii*, & postmodum *Curopalates* dictus est, esse, qui scriptoribus aliis Præfectus Prætorianorum indigitatur, quíque Prætorianis militibus præerat, quod ex Procopii Hist. Arcan. probat: qui ait, *Justinum Principem Custodem Palatii constitutum ab Anastasio Augusto*, quæ quidem dignitas eadem est, quæ *Curopalatæ;* nam cæteri scriptores Justinum hoc honore donatum passim tradunt.

(* 4.) IDATIUS affirmat, Valentinianum Constantinopoli Cæsaris titulum accepisse; sed PHILOSTORGIUS l. 12. c. 13. contrarium docet, nempe Thessalonicæ hanc inaugurationem fuisse factam ab Helione officiorum Magistro. Nam quia Placidia, &

vinciis (m), belli partes à Ducibus hâc ratione divisæ sunt: Candidianus & Aspar terrâ Aquilejam movebant, Ardaburius mari dabat vela (n); ut hostis utrinque interceptus tantò citius in cassès rueret. Sed vota, spémque conceptam subitò fluctus, ventíque dissipârunt; vix enim Adriam classis subierat, tum mare procellis inhorrescere, dein acriore concitatum turbine rapere, ac disjicere naves: scissis igitur triremium vinculis cùm vectorum, militúmque ingens numerus in profundum excuteretur; Ardaburius è periculo ad litus eluctatus, in hostium manus ac vincula incidit. Ravennam subinde ad Joannem delatus liberiore donatur custodiâ, eoquòd Tyrannus crederet, beneficio tanto Duci impenso se Theodosii pacem citiùs, quam vi armorum extorturum (o). Verùm Ardaburio inermi, ac intra muros recepto certum erat, validiùs in Tyrannum, quàm cùm foris esset, pugnare: privatis ille alloquiis sollicitabat præfectorum animos; atque his inclinatis, Asparem filium monebat, ut cito itinere in Italiam irrumperet. Hic ubi ex consilio parentis ad agrum Ravennatium pervenerat; palustre stagnum obstruebat viam, quo minùs ad urbem accessus propior pateret. Hæsitanti homo pastoris speciem ferens (p), nisi Angelum dicere malis, vadum ostendit, quo citra periculum transmisso, portas Ravennæ apertas improvisus Aspar cum suis ingreditur: leviore pugnâ urbem subactam, velut hostis sedem diripit (q): Ardaburium in libertatem, Joannem dat in vincula, quibus oneratus Aquilejam mittitur, ubi inspectantibus Placidiâ ac Valentiniano manu primùm, dein capite imminutus est (r). Postquam Tyrannus usurpati regni exsolverat pœnas; Aëtius cum sexaginta Hunnorum millibus Italiæ imminet (s); cruenta inde pugna, cladésque Romanos inter & Barbaros extitit, quâ utraque pars accisa in has pacis leges demum convenit, nempe ut Hunni auro donati remearent in Patriam (t), Aëtius verò auctus Comitis titulo à Placidia in gratiam reciperetur (u).

(m) Philost. l. 12. c. 13.
(n) Socrat. l. 7. c. 23.
A.C. 425.
Ardaburii Theodosii Ducis naufragium & captivitas.
(o) Philost. l. c.
(p) Socrat. l. 7. c. 23.
Joannis Tyranni cædes.
(q) Prosper Tyro.
(r) Philost. l. 12. c. 13. Procop. B. V. l. 1. c. 3.
(s) Prosper in Chron. Philostorg. c. 14.
(t) Cassiod. Chron.
(u) Philost. c. 14.

 4. Theo-

& Valentinianus cum exercitu illuc præiverant; Theodosius hunc Præfectum sequi jussit, ut Valentiniano vix quinque annorum infanti suo nomine hanc dignitatem impertiretur: ab eo etiam tempore Theodosius Eudoxiam filiam a. 422. natam, sponsam Valentiniani esse voluit, quam hic postea a. 437. in conjugem duxit.

4. Theodosius Constantinopoli Circi spectabat certamina, quando mirabilem de Joanne victoriam fama tulit (x): Imperator piissimus in altiorem tanti beneficii authorem animum reflectens, è vestigio populum à Circensibus spectaculis ad Ecclesiam deducit, intérque psalmos, ac hymnos triumphum Deo victori accinebat, qui solus hoc bellum & gerere, & profligare potuisset (* 5). Gratiarum actione persolutâ deliberatum Theodosio erat, in alium Occidentis curam rejicere (y): itaque Helionem è suis continuò in Italiam ablegat, ut Valentinianum purpurâ indutum suetâ solennitate Augustum pronunciet (* 6). Inaugurati Principis immaturam ætatem (nam septem vix annorum erat) alia media pensabant: Placidia mater Rempublicam legibus (z), & Duces fortissimi Provinciarum fidem contra Barbaros tuebantur; quæ felicitas Imperio salutem reddidisset pristinam, nisi Magnatum quorundam jacta calumnia maledico dente spem in herba virentem succidisset. Bonifacius Africæ Præfectus, à Placidia meritorum ergo Comitis domesticorum titulo auctus (a), Pelagiam duxerat uxorem opulentam & ùt quidam referunt, Vandalorum Regis affinem (b): tam multiplici, florentíque fortunæ invidia non defuit; ægerrimè enim ferebant Felix & Aëtius, Bonifacium ante cæteros evolare, timebantque, ne is æquabilitatem præstantiâ dignitatis ac opum transiret: itaque virum de gradu dejecturi, calumniam in innocentem instruunt, id maximè criminantes, quod Bonifacius Africæ regnum sibi vindicatum eat, nihílque esse propiùs, quam ut novi Dominatûs competitor legitimi Principis Imperium excutiat. Aspersa Bonifacio obtrectatio, ut Placidiam quoque (cui in amoribus erat) everteret; id porrò urgent, ut missis nunciis Comitem in Italiam revocet, hoc enim facto illum mandatis adeò non obtemperaturum,

(x) Socrat. l. 7. c. 23.

(y) Idem c. 24.

Valentinianus Romæ Augustus pronunciatur.

A. C. 426.

(z) Codic. Theod. t. 3. 4. 6.

(a) Procop. de Vand. l. 1. c. 3.

(b) Marcell. Chron.

A. C. 427.

Bonifacius Comes Africæ ad defectionem dolo Aëtii impellitur.

(* 5.) Similem Victoriam Deus Pietati Theodosii in Oriente concessit contra Roilam Scytharum Ducem; hunc enim hostem Constantinopoli excidium minantem cælum fulminibus, peste, ignibus adeò malè mulctavit, ut Paucæ reliquiæ cladem evaderent. Historiam vide apud Socratem l. 7. c. 24. apud Theodoretum l. 5. c. 36.

(* 6.) An Romæ, an verò Ravennæ Valentinianus Purpurâ ornatus sit, Critici inter se disputant. MARCELLINUS in Chronico & JORNANDES de R. G. affirmant Ravennæ id factum fuisse: verum Olympiodorus, Idatius, & Tyro Prosper docent apud Noris. l. 1. h. Pel. c. 24. hoc evenisse Romæ, in quam sententiam etiam ivit Tillemont; qui videri poterit in Not. 2. ad vitam Valentiniani III.

rum, ut potiùs palàm obluctando, non obscura consiliorum suorum indicia sit daturus. Placidiæ ubi suspicionem primò obtrectatores injecerant; Aëtius clàm ad Bonifacium exarat literas, quibus amicè, uti profitebatur, Comitem monebat, de ejus capite, ac fortunis in aula agi, in propinquo etiam nuncios adfore, qui eum arcessant; his si paruerit, ultimum illi impendere exitium (c). Bonifacius in singulos literarum apices veluti totidem monstra defixus, laudabat primò Aëtii integritatem; dein Placidiæ ingratam mentem multis accusans, cogitabat bella, quæ pro Imperio contra Barbaros ac Tyrannos intaminatâ semper fide confecisset: plura ejusmodi secum disceptaturo ad manus deferuntur alteræ ex Italia literæ, quibus ut actutum adesset Principi, severiùs injungebatur; tum enimverò dubitare nihil amplius de fato sibi parato: incusare proinde se, quod à Reipublicæ cervice Barbarorum ferrum toties avertisset, ut illa periculo exempta; fortiùs in libertatis, ac salutis assertorem grassari posset: infremere demùm acerrimè, quod ab Placidia sibi struantur insidiæ, cui sæpe unus providisset, ne ab Honorio fratre exagitata, exilio pressa, & à Joanne Tyranno vexata penitus interiret. Hæc præcipiti animo (ùt in supremo dolore solet) revolvens renunciari Placidiæ jubet: necdum sibi adeò mentem excidisse, ut insanientis in morem spontè supplicio occurrat; quin habere se adhuc illas vires, animósque, quibus intrepidus pro Romanis in acie sæpius stetisset; his adminiculis se vim (siquidem inferatur) propulsaturum. Nuncii ubi ista ex Comitis ore Placidiæ reddiderant; Augusti mater quasi de Bonifacii defectione certa, eidem utpote publico Imperii hosti bellum decernit (d): missi sunt cum exercitu Duces Mavortius, Galbion & Sinor, sed cùm hos partim privata simultas, partim Bonifacii fortitudo sustulisset (e); secundam expeditionem majore cum copiarum numero adire jussus est Segisvultus. Is, postquam militem ad Africæ litora applicuisset, feliciore impetu assiluit; nam Carthagine, Hipponéque captis (f), ita Bonifacii animum fregit, ut ad ultima adactus consilia, nullâ fidei, (ut olim) nullâ imperii, sed sui duntaxat habitâ ratione Vandalos ex Hispania deterrimos omnium Arianos arcesseret (g); cum Genserico, qui post Hernigarium fratrem Vandalico Regno præfuerat,

(c) Procop. l. c. p. 183. Paris. edit.

Bonifacius declaratur hostis Reipublicæ.

A. C. 428.

(d) Prosper in Chron.

(e) August. ep. 70.

(f) Prosper in Chron.

(g) Procop. B. Vand. l. 1. c. 3. p. 184. Paris. edit.

fuerat, in hæc ferè capita pactus, nempe ut Bonifacio pars una Africæ, cæteræ duæ Vandalis aut Alanis auxiliaribus relinquerentur. Fœdere icto in Mauritaniam octoginta ferè Barbarorum millia transivêre (h); intervallum deinde haud magnum populationibus fuit: Nullum calamitatis, contumeliæque genus non editum in Afros est; dúmque omnia internecinâ clade miscebantur, ea multos opinio rapuit, non homines, sed Dæmones humanam speciem ferentes Africam invasisse (i).

A.C. 429.

(h) Victor Vitens. l. 1.

Bonifacius ex Hispania Vandalos in Africam vocat.

(i) Vict. Vit. de Persec. Vand l. 1.

5. Ad inopinas tot Provinciarum clades tota Italia cohorruit, & Placidiæ facinus detestanti ab amicis persuasum est, non Bonifacii, sed Aëtii crimen esse (k); quod Africa hostibus expilanda objiciatur: hujus Ducis dolo testabantur turbatum adeò fuisse innocentis ingenium, ut Bonifacius extremis his remediis desperatam salutem sustentare cogeretur. Placidia de calumnia Aëtii, atque insidiis edocta, virum eundem Reipublicæ admodum necessarium in jus vocare ausa non est; nam eodem tempore bellum adversus Theodoricum Gothorum Regem in Arelatensi agro (l), & in Gallia adversus Francos, confecerat (m): Imperii igitur damna dum aliunde reparaturus credebatur; in Africam Comes Darius ablegatus est, qui Bonifacium in pristinam saltem fidem, honorésque revocaret. Propositam gratiam minimè Dux abnuit: quin ut ostenderet, se necessitate potiùs, quam voluntate in hæc delapsum consilia; Vandalis author est, ut receptâ auxiliorum mercede in Hispaniam remigrent: verùm his reditum palàm negantibus, Bonifacius tandem didicit, non esse in ejusdem manu ignem tectis injicere, & injecto spatium, modúmque definire. Ad prælium itaque acre deventum est, in quo attritus Bonifacius ægrè in Hipponis Regii mœnia se subduxit (n): in decimum quartum mensem circumsessus, & fame pressus à Barbaris in urbe hæsit; dum Româ, & ex Oriente nova advolarent auxilia. His auctus Bonifacius alteram belli aleam, sed non aliâ fortunâ jacit; à Vandalis quippe secundò jam victus excedere totâ Africâ, & ex Placidiæ Imperio in Italiam adire compellitur (o): illinc paucis suam rursùs innocentiam professus, in Aëtii, cui mali originem omnem tribuerat, locum, gradúmque surrogatur, simul militiæ Magisterio, simúlque Patritii dignitate orna-

(k) Idatius in Chron.

Aëtii fraudes adversus Bonifacium deteguntur.

(l) Prosper T.

(m) Jornand. R. Goth. c. 34

A. C. 430.

Bonifacius in gratiam receptus infeliciter confligit cum Vandalis.

A. C. 431.

(n) Possid. in v. Aug. c. 28.

(o) Procop. B. Vand. l. 1. c. 3. p. 185.

ornatus (*7). Aëtius subactis Noricis atque Juthungis (p), (p) Sidon. Carm. p. 131.
Francorum quoque genti ad Rhenum describebat limites (q); (q) Idatius p. 19.
tum de Bonifacii in Italiam adventu, déque ereptis sibi, ac in
æmulum translatis militiæ honoribus intelligit. Rerum vicissitu- A.C. 432.
dine perculsus, primò ad munitam arcem securitatis causâ perfuge-
re (r); dein cum Bonifacio armatâ manu concurrere decernit (s): (r) Prosper Tyro.
in suscepto conflictu Aëtius quantumvis succumberet; casu ta- (s) Marcell. in Chron.
men hoc suo Victorem prostravit, nam Bonifacio oblongo telo
vulnus tam altum impresserat, ut post aliquot mensium spatium *Bonifacii interitus.*
morituro & victoriæ fructum & nocendi vim adimeret. Placi-
dia quò mortui Bonifacii liberis aliquâ ratione prospiceret, Se-
bastianum generum socero succedere, Aëtium autem hostem
exulare jussit (t): hic, utì tempori servire noverat, apud Hun- (t) Idatius.
nos aliquantùm latuit, inde à Gentis Rege Roila novas nactus co-
pias, cum hoc belli apparatu Valentiniano se sistit, extorturus vi,
quod amicè retinere anteà non licuisset (u). Imperator in has an- (u) Prosper Tyro.
gustias redactus, abdicare Sebastianum (* 8); Aëtio verò primæ
authoritatis ornamenta reddere cogitur (x), quibus iste, quoad (x) Idatius in Chron.
vixit, tam dignum se posteà commonstravit, ut dextera Impe-
ratoris diceretur, quâ unâ abscisâ & Valentinianus vinci, & res-
publica vulnerari posset.

6. Post-

(* 7.) MARCELLINUS in Chronico ad a. 432. Bonifacio tribuit nomen Patricii: hæc dignitas à Constantino M. instituta, teste Zosimo lib. 2., quæ cæteras anteibat, etiam Præfectos Prætorio: conferebatur ab Augustis Byzantinis sæpe exteris Regibus, ac Principibus. Cæterùm Patricii Romanorum, Italiæ, Siciliæ &c. iidem erant, qui nomine Cæsarum præfecturam in his terris gerebant, similiter Patricii in Francia ii dicebantur, qui perinde ac Duces & Comites regebant Provincias, ac populis jus dicebant. Eodem tempore, quo Bonifacio Patriciatûs dignitas collata est, Placidia numisma edidit, ubi unâ ex parte repræsentatur Bonifacius triumphanti similis, ex alterâ Valentinianus juvenis 13. circiter annorum; quare hoc factum fuisse arguitur a. 432. vide CANGIUM de Numis. Byzant. p. 41. 42.

(* 8.) Sebastianus idem à Valentiniano abdicatus an. 433. fugit Constantinopolim ad Theodosium, utì habet IDATIUS in Chronico ad an. Abrahami 2450. sive CCCCXXXIII. dein ad an. CCCCXLIV. de ejus Sebastiani exitu ita agit: *Sebastianus illic* (nempe Constantinopoli) *quò confugerat, deprehensus sibi adversa moliri, è Constantinopoli fugit admonitus, & ad Theodorum Regem Gothorum veniens, conquæsitam sibi; quâ potuit, Barcinonam hostis ingreditur. Tum* (scilicet a. 444.) *de Barcinona fugatus migrat ad Wandalos* in Africam, demum (a. 449.) *Sebastianus exul factus ad perniciosam sibi, sicut pòst exitus docuit, Gaiserici confugit potestatem: parvo pòst tempore, quàm venerat, per eum jubetur occidi.* BARONIUS ex Victore Vitensi de Pers. Vand. caussam mortis hanc affert, quod Gensericus Sebastiani fortitudinem & sapientiam veritus, eum ad Arii sectam trahere conatus sit, ac renuentem interemerit.

A. C. 434.

Honoria Valentiniani soror in exilium amandatur.

(y) Marcell. in Chron.

6. Postquam inter æmulos aulæ Magnates litem mors unius diremerat, magìs intestinis mòtibus palatium Principis turbari cœpit. Honoria Valentiniani soror decimo sexto ætatis anno in tantam sese profuderat libidinem, ut à Procuratore suo pudicitiæ vitium passa (y), infamem maculam Regio sanguini inferret. Imperator opprobrium à domo sua ejecturus, intemperantem puellam Theodosio transmittit. Nemo erat, qui non speraret, piissimi hujus Principis curâ intemperantiam Honoriæ coërcendam; eoquòd is esset, qui domum privatam pietate, Rempublicam intaminatis legibus, Ecclesiam hæresibus liberam per celebrem Ephesi Synodum paulò antè voluisset (z). Verùm fœminæ immedicabile adeò ingenium evaserat, ut, qui hostibus, ac hæresiarchis modum ponere noverat, is anceps hæreret, quo tandem remedio lupæ petulanter diffluentis lascivia sanari posset, Monitis illa quippe & exemplis exulcerata potiùs ultricem fovebat animum, quo stimulante, Hunnorum Regi nuptiarum fœdus pollicita, misso insuper in fidei testimonium annulo Barbarum in fratris Valentiniani Provincias concitabat (a). Antequam turbo hic Imperium obrueret; cum Genserico pacis quædam species composita est, nempe ut Vandali clientelæ nomine Africæ partem, eámque Romanis vectigalem tenerent (b). Sed ut in mari fluctus fluctum trudit; ita in Republica turbulenta belli unius finem atrociora bella exceperunt. Tibaton concitatis per Galliam Bagaudis (*9) Præsidia Romana exagitabat (c), Armoricos (*10) raptabat in arma libertatis cupido (d), Burgundiones ditione, quam à Cæsare ad superiorem Rhenum acceperant, minùs contenti Belgicas Provincias populabantur (e), & Gothi suum, quod ab anno CCCCXIX. sub Theodorico Rege in Aquitania

(z) vide Caput II. infra

Eadem Attilam concitat contra Imperium.

(a) Priscus in excerpt.

A. C. 435.

(b) Prosper in Chron. Procop. B. V. l. 1. c. 1. p. 186

Variorum hostium motus adversus Imperium.

(c) Prosper Tyro.

(d) Sidon. Carm. 7. p. 338.

(e) Idatius in Chron.

(* 9.) Ex HIERONYMI Chronico palàm fit, *Bagaudas* rebellâsse jam tempore Diocletiani sub antesignanis Amando & Æliano; ad hos compescendos Maximianus Herculeus missus est; erant autem Bagaudæ secandum EUTROPIUM plebeji, qui ruri habitabant. Alii nomen Bagaudarum aliter derivant, de quibus videatur Tillemont ad V. Valentiniani III. art. XI. p. 386. Anno 435. sub Tibatone recruduit Bagaudarum seditio, item anno 445. neque tantùm in Gallia, sed & in Hispania agrestium ejusmodi catervæ funestæ fuerunt Provinciis & urbibus, a. 441. 443. 448. & 454.

(* 10.) BAUDRAND. Armoricæ civitates Regio Galliæ Celticæ extrema ad Oceanum in occasum & Boream extensa, quæ posteà Britannia dicta est, & Hermionis

tania fundaverant, regnum prolaturi, Narbonam, aliáque castella infestis armis (f) lacessebant. Tot hostibus Gallia tota succubuisset, nisi Aëtius unus multiplici obstitisset periculo. Hujus quippe consiliis Tibaton captus, Armorici à motibus cohibiti, Burgundiones magnam partem deleti, demum Gothi (eodem Duce jubente) per Litorium auxiliarésque Hunnos pluribus præliis accisi sunt, dum Theodoricus Rex è pugna Tolosam dilapsus, pacem per S. Orientium Ausciorum Episcopum enixis precibus oraret: flagitanti cùm Litorius homo asper daret nihil, sed in vincula Regem posceret; Arianus quantumvis Princeps cilicio coopertus ad Dei opem implorandam se convertit (g). Qui impium Achabum olim demissè precantem audivit: is quoque vota regis hæretici hâc vice non sprevit; post aliquot enim dies Theodoricus eruptione in obsidentes factâ, Romanis tantam attulit cladem; ut Litorius ipse unà cum ditionum magnâ parte in Gothorum traductus sit potestatem (h). Theodorico licèt arma longiùs proferre facile fuerit; moderatè tamen victoriâ à cælo acceptâ utendum ratus, victis Romanis pacem obtulit (i).

A.C. 436. & 437.

(f) Prosper in Chron. Valef. rer. Fr. l. 3.

(g) Salvian. de Gubern. l. 7. p. 164.

Pax inita inter Romanos & Visigothos.

(h) Salvian. l. 7. de Gub.

(i) Sidon. c. 7.

7. Inter hos armorum strepitus Valentinianus Constantinopolim ad Theodosium abiit, ut ejus filiam Eudoxiam, quam à tredecim annis desponsam habuerat, connubio stabili jungeret (k). Nuptiarum solennitate anno CCCCXXXVII. quarto Calendas Novembres peractâ (l), donatio illa confirmata est, quâ Placidia (Valentiniani nomine) Imperatori Orientis Occidentale Illyricum olim transcripserat (* 11). Theodosius postquam hâc ratione regni Provincias auxisset; Reipublicæ corpus magis nunc diffusum legum optimarum institutis attemperare exorsus est:

Prosp. Chr. A.C. 437.

(k) Socrat. l. 7. c. 44. Chronic. Alexandr.

(l) Cassiod. l. 1. Epist.

Nuptiæ inter Valentinianum & Eudoxiam.

(* 11.) JORNANDES l. de success. Regn. c. 97. *Post hæc tertio anno Valentinianus Imperator à Roma Constantinopolim ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosii Principis filiam venit, datâque pro munere socero suo tota Illyria, celebratis nuptiis ad sua regna cum uxore recessit.* Per Illyricum intellige *Occidentale*, quod complectebatur duas Pannonias superiorem & Inferiorem, Dalmatiam, & utrumque Noricum scilicet ripense & mediterraneum; nam Illyricum *Orientale* ab eo tempore pertinuerat ad Imperatores Orientis, ex quo Gratianus a. 379. Theodosium M. in consortium adsciscendo, huic quoque Illyricum Orientale dederat. Divisio itaque Illyrici in Orientale & Occidentale hìc denuò cessavit nempe post exactos 58. annos, & ad pristinam formam rediit. vide Pagium ad a. 437. in Critic. num. 3.

A.C. 438. est: quare anno ſubſequente Codicem illum (qui ab ejus nomine
Codex Theodoſianus. Theodoſianus dicitur) evulgavit (†).

(†) REFLEXIO III.

8. Quanta hoc tempore ad Orientis Imperium acceſſio facta eſt, tantam diminutionem Occidentales Provinciæ ſubinde paſſæ ſunt; nam Rechila Suevorum Rex Auguſtam Emeritam Luſitaniæ Metropolim invaſit (m): & Genſericus firmiſſimam Africæ urbem Carthaginem, in qua Romani quingentis octoginta quinque annis conſederant (n), armis ſuis ſubjugavit, inde inſtructâ claſſe in transmarinas etiam Provincias graſſaturus (o). Valentinianus cùm in Africa nil admodum præter ditiones penè exhauſtas teneret, jámque irruentem hoſtem in proximas Italiæ inſulas trepidus contueretur; ſummos infimóſque in arma vocabat (p). Nam ex Oriente claſſem; ab Aëtio Galliæ auxilia: à cæteris Barbaris fœderatis præſidia expetebat, quæ ſub Segisvulto Duce oras Italiæ defenderent. Singulis ad vota Valentiniani (quantum tempora ſinebant) affluentibus, millenæ, ac centum naves quoque Theodoſii aderant, quæ numeroſum vehebant militem (q). Genſericus vi obniti non auſus, ad dolos convertitur: ac primò Duces, quo minùs in Africam tenderent, ſpe pacis ſuſpendit (r); dein æſtate in longam deliberationem otioſè impenſâ, Hunnos inſuper ſollicitat (s), ut vacuum à copiis Orientem adorti ſpolia certa ſibi legant. His igitur bellum parantibus, aliunde etiam ſcilicet à Perſis ſævior tempeſtas Theodoſio ingruebat: Arſaces Armenorum Regni ultimus Princeps duobus filiis Arſaci filio & Tigrani ditiones eâ lege diviſerat (t); ut huic amplior, illi minor portio obtingeret. Arſaces id injuriæ loco habens, Theodoſii opem implorat: Tigranem ex adverſo Isdegerdes II. Varanis V. defuncti filius tuebatur; ſimultate fratrum in diem creſcente ſinguli tandem ſtatuunt toto ſe potiùs regno, quàm parte exuere. Hoc conſilio Tigranes ad Perſas; Arſaces ad Romanos ſuum quíſque jus, Provinciáſque Armeniæ transfert (u): Isdegerdes tam pingui hæreditatis parte donatus, alteram quoque ſibi capere parabat, dum Theodoſius copias ad frangendum Genſericum longiùs amandaverat (x). Periculi propinquitas Imperatorem impulit, ut domeſtico potiùs, quam externo incendio reſtinguendo manum applicitam vellet: revocatus igitur

Marginalia: A.C. 439. — (m) Idatius in Chronic. — (n) Chron. Alexandr. Victor. Vit. l. 5. — (o) Proſper in Chron. — A.C. 440. — (p) Codic. Theod. Novell. 20.-40. — *Bellum contra Genſericum Vandalorum Regem paratur.* — (q) Theophanes p. 87. — (r) Id. p. 88. — (s) Proſper in Chron. — A.C. 441. — (t) Procop. de ædif. Juſtin. l. 3. c. 1. — *Finis regni Armeniæ.* — (u) Procop. de B. Perſ. l. 2. c. 3. — (x) Theod. l. 5. c. 36.

igitur ſubitò ab Occidente exercitus, Perſis Armeniæ imminentibus objicitur: vix Romanorum agmina ab hoſte viſa ſunt, Isdegerdi magis paciſci, quàm confligere animus fuit; diviſo proinde Regno Armenorum inter Perſas atque Romanos, ſtabilitum rurſus fœdus eſt (y), quod Varanes cum Orientis Principe multò antè percuſſerat. Valentinianus ubi ſe magno copiarum Orientalium numero imminutum vidit; de pace cum Genſerico ita transegit: nempe ut Vandali deinceps Byzacenæ, Tripolitanæ & Zeugitanæ Proconſularis haberent Principatum; in Romanorum verò poteſtate remanerent reliquæ Africæ provinciæ, Mauritania utraque Cæſarienſis & Sitifenſis, Numidia, & veteris Mauritaniæ pars, poſteà Tingitanæ nomine appellata (z).

Theodoſius revocat claſſem ex Africa in Orientem.

(y) Agath. p. 137. Procop. de B. P. p. 8.

Valentiniani transactio cum Genſerico.

(z) Victor. Vit. l. 1. c. 4. Pagius ad a. 442. n. 2.

9. Quanto pacis ſtudio cæteræ gentes per idem tempus ab armis diſceſſerant; tanto impetu in bellum utrique orbi exitioſum ferebatur Attila Rex Hunnorum (a): natus is Patre Mundzucco, Patruum Roilam (* 12) anteceſſorem in regno habuit ambitioſum non minùs, quam rerum novarum cupidum; nam Theodoſium anno CCCCXXXIV. bello appetere (b) adnitebatur, eoquòd Barbarorum Regulis, quos Roilas ſuo jugo deſignaverat, perfugium præbuiſſet. Ne porrò Imperatori idem annus à Tyranni molitionibus funeſtus foret; Deus Roilæ eodem tempore vitam, armáque eripuit. Conquieviſſent poſt hoc Roilæ fatum Orientis Provinciæ, niſi Patruo feroci multò atrocior nepos Attila ſucceſſiſſet (c): hic cùm in corpore brevi magnum ad circumferendas ſtrages jactaret animum (* 13); primò varias Bar-

(a) Marcell. Chron.

(b) Priſcus in excerpt. p. 47.

Roilas Rex Hunnorum, ejúſque obitus.

(c) Priſcus p. 47.

Attila Roilæ ſucceſſor.

(* 12.) TILLEMONT *in Vita Attilæ Regis Hunnorum* a. 2. p. 220. notat, 1mò Reges Hunnorum (de quibus Jornandes mentionem facit) non toti nationi ſed parti, aut diviſis tribubus duntaxat imperâſſe 2dò advertit, quod Roilas varia ſortiatur nomina apud veteres; nam Priſcus eum appellat Ruam, alii Roam: & Tyro Proſper Rugulam, qui tamen confundi non debet cum Ruga Duce Hunnorum; quia hic fulmine tactus interiit in expeditione contra Theodoſium circa annum 426., uti notavimus ſupra.

(* 13.) Jornandes Rer. Getic. c. 35. De Attila ita ſcribit: *Vir in concuſſionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui neſcio, quâ ſorte terrebat cuncta, formidabili de ſe opinione vulgatâ. Erat namque ſuperbus inceſſu, huc atque illuc circumferens oculos; ut elati potentia ipſo quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fide ſemel receptis: formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus*

Barbarorum nationes ad Iſtrum, Pontíque Euxini confinia ſuo impotenti dominatui ſubjicere (d), dein in Romanas Provincias crudeli ferro ſævire aggreſſus eſt. Romani ad avertendas tempeſtivè injurias legatione miſsâ Attilæ fœdus in memoriam revocant, quod ab Hunnorum Regibus Theodoſius, aliique Orientis Cæſares centum quinquaginta auri libris in ſingulos annos redemiſſent (e). Orationem Legatorum aſpernatus Attila, aſperiore ſupercilio reponebat, non ſuæ gentis, ſed Romanorum facinus eſſe, dum innocuos Hunnos ſuarum opum ſecuros eſſe non ſinerent: Margi (* 14) nuper Epiſcopum in ſuos fines transgreſſum, ad Regios etiam loculos expilandos veniſſe, quin ullas ſceleris dederit pœnas. Hunc igitur niſi protinus dedant ad ſupplicium, ſimúlque reddant transfugas, penes ſe non ſtare, ut deinceps bello aperto injuriæ propulſentur. Ad Barbari dicta attoniti Legati, placido ſermone oſtendere conabantur: nihil ejusmodi ab Epiſcopo, nihil à Romanis ſuſceptum, quo fœderis aut amicitiæ fides læderetur; ſed quia bellum cupienti Principi falſitas magis placuerat, in arma itum eſt. Oppida, quæ Iſter alluebat, primæ irruptionis damna excepêre (f): poſteà Viminacium, quæ Myſorum urbs eſt in Illyrico, direptum; demum caſtellis benè multis expugnatis, in Cherſoneſo Thracica prælio acri Romani devicti & in ignominioſas pacis leges adacti ſunt: ſcilicet, ut reſtitutis transfugis ſexies millenas auri libras pro factis ſtipendiis, ac deinceps in quemvis annum tributi nomine bis millena ac centum ejusdem pretii pondo exſolvant: pro ſingulis verò è Romana gente captivis (ſiquidem citra numeratum redemptionis pretium effugerent) duodecim aureorum mulctam inferant (g). Sum-

(d) Jornan. r. Get. c. 35.

(e) Priſcus pag. 33.

infringit pacem cum Romanis & cur?

(f) Idem pag. 33. & 34.

Ignominioſa pax Romanorum cum Attila.

(g) Idem pag. 34.

rarus barbâ, canis aſperſus, ſimo naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna reſtituens. Qui quamvis hujus eſſet naturæ, ut ſemper magna conſideret; addebat tamen ei confidentiam gladius Martis inventus apud Scytharum Reges ſemper habitus. Quem Priſcus hiſtoricus tali refert occaſione detectum. „Cum Paſtor, *inquiens*, quidam gregis unam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inveniret; ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur: tandémque venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula incautè calcaverat, effoſsúmque protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus (ut erat magnanimus) arbitratur, ſe totius mundi Principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum.„

(* 14.) PAGIUS in Critic. T. II. ad a. 442. n. 3. *Margum erat urbs Epiſcopalis Mœſiæ primæ ſeu ſuperioris ad fluminis cognominis confluentes in Danubium ſita, ut ex Itinerario & Notitia Imperii apparet.*

Sumptibus tam immensis nec thesauri Regii, nec privatorum facultates suffecêre, quæ cùm magnam partem in absurda spectacula, in vanas delicias aut voluptates fuissent profusæ; alia ratio iniri debuit, ut, quod hosti condictum erat, congereretur. Nullâ itaque immunitatis cujuscunque habitâ ratione, auri magna vis ab omnium ordinum viris extorquebatur, quæ exactio tam acerba, tam contumeliosa fuit, ut alii, qui à majoribus acceptas divitias possidebant, mundum uxorum, & pretiosam suam suppellectilem in foro palàm venum exponerent, alii verò calamitatis facturi finem violentas sibi injicerent manus (h). Inter tot fortunæ ludibria gaudebat Attila: atque ut egenti non minùs, quàm debili Imperio porrò insultaret; sæpius Constantinopolim mittebat Legatos, qui vel repeterent transfugas vel alias belli causas confingerent, non redituri; nisi muneribus novis placarentur (i). Exsaturatus tot spoliis Attila ad gentium omnium Principatum aspirans (k), æqualem amplius ferre haud sustinuit: divisum adhuc habebat cum fratre Bleda Hunnorum Regnum; sed cupido dominandi Tyranni animum ita everterat, ut & occidere fratrem, & alteram Regni partem funesto parricidio ad se pertrahere nequaquam religioni duceret (l). Qui ne fraterno quidem sanguini pepercerat, multò crudelior subinde vicinis populis evasit; in hos eo nomine invectus, quòd Theodosii fœderati essent, cunctos versus septentrionem Barbarorum Regulos vel suis ditionibus exuit, aut sub jugum coëgit.

(h) Priscus in excerpt. p. 35.

(i) Idem p. 84.

(k) Jornand. rer. Get. c. 35

Attila Bledam fratrem occidit.

(l) Jornand. l. c. Prosp. Tyr. Marcell. in Chronic.

10. His terroribus ubi Oriens undique quassabatur; procella multò gravior Constantinopolim afflixit: ingens fames lui conjuncta domos implebat funeribus: urbis mœnia terræ motibus succussa collabebantur (* 15): ignes ab alto ruentes templum A. C. 446.

Calamitatum cumulus in Oriente.

(* 15.) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI duos terræ motus distinguit: *Eodem anno* (circa annum 446. aut 447.) *terræ tremores fuère, ut mœnia procumberent, (quæ alioqui vetustate fatiscebant) & nemo quisquam auderet domi suæ manere, sed omnes desertâ urbe foris dies ac noctes precibus ac litaniis vacarent.* De altero motu refert ad annum 450: *Hoc anno Constantinopolis magnam labem accepit: & terræ motu ....* PAGIUS existimat ad a. 446. n. 4. AUCTOREM CHRONICI ALEXANDRINI eundem terræ motum in duos perperam divisisse; nam EVAGRIUS l. 1. c. 17. THEOPHANES ad a. 18. Theodosii: NICEPHORUS l. 14. c. 47. de uno terræ motu loquuntur, *quatuor mensium spatio* continuato; & quoniam in hac succussione murorum ingens fuerat

(m) Marcell. in Chron.

præcipuum evaſtabant (m); ubique trepidatio tanta, ut cives urbe in agros effuſi, per dies, noctésque precibus & litaniis Numinis offenſi iram placare conarentur (* 16). Calamitatum ejusmodi cumulus etſi ab urbe condita non fuiſſet; tolerandus tamen aliquâ ratione videri poterat, quòd exteriora duntaxat Reipublicæ munimenta proſterneret: verùm poſterior annus pejora mala edidit, quæ Theodoſii aulam, ſive arcem Imperii inteſtinis motibus convellebant. Chryſapius Eunuchus magnam in Palatio aſſecutus dignitatem, majore in diem honorum cupiditate efferebatur: ſupremæ demum poteſtati inhians id moliebatur, ut Pulcheria (penes quam publicarum rerum adminiſtratio erat) palatio ejiceretur (n). Conatibus vim additurus Eudociam Theodoſii uxorem ambitionis ſtudio incendit; dein de Pulcheria multa queſtus, dedecere, ajebat, Principem, ut Dominus orbis ingenio mulieris ſerviat, conſiliorum communionem (quandoquidem neceſſitas poſtulat) ad thori & ſolii conſortem Eudociam pertinere, ut moderandis rebus dexteram commodet: optimè cætera actum iri cum Pulcheria; ſin illa à Flaviano Epiſcopo in Diaconiſſarum ordinem redacta, publicis deinceps negotiis abſtineat manum. Utì temerè ac callidè in Eudociæ, ac vel inde in Theodoſii aures ingeſta fuerant; ita facilè utrosque in Chryſapii ſententiam pertraxêre. Flavianus poſtquam mandatum à Cæſare periculo plenum acceperat; Chryſapii veteratoris dolum ſuſpicatus literis Pulcheriam monet, ne in ſuum conſpectum veniat. Illa igitur Flavianum declinans, ab aula in Hebdomon, à cura reipublicæ ad curandam animæ ſalutem ſeceſſit. Quamprimum è Palatio extulerat pedem; Eudocia ſive potiùs Chryſapius

A.C. 447.

(n) Theophan. ad a. 440. Nicephor. l. 14. c. 23.

Pulcheria ex aula Theodoſii diſcedere cogitur.

A.C. 448.

fuerat facta labes; Cyrus Panoplites Prætorii Præfectus eadem mœnia intra 60. dies refici curavit anno 448., quod ita placuit populo, ut audiente Imperatore exclamaret: *Conſtantinus condidit, Cyrus reſtauravit!* pupugit hoc ita Theodoſium, ut Cyro dignitates ademerit. Ne deterius quid in Cyrum cuderetur; ipſe clericali ordini ſe adſcribi fecit, quod ſubinde permovit Theodoſium, ut eidem Epiſcopatum Smyrnæ conferri juſſerit. vide THEOPHANEM ad a. 17. Theodoſii.

(* 16.) CEDRENUS & NICEPHORUS narrant, in medio terræ motu, adoleſcentulum in aera divinâ virtute ſublevatum, Proclo Conſtantinopolitano Antiſtiti renunciâſſe, ſe hæc verba audiviſſe: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis* miſerere noſtrî: Proclum verò populum, ut ita caneret, adhortatum eſſe, & confeſtim terræ motum quieviſſe. vide PAGIUM in Critic. Annal. Baron. T. II. p. 301.

ſapius Auguſtæ nomine ſummum jus in gerendis Imperii, Eccleſiæque negotiis arrogare cœpit: magna inde converſio rerum extitit. Nam cùm Chryſapius idem nefaſtum Eutychetis Patronum profiteretur (o); Theodoſio author erat, ut Theodoretum, aliósque per Syriam Catholicos Præſules velut hæreſis Neſtorianæ reſtauratores opprimeret: vexatorum injurias Deus fatali inter Auguſtos conjuges diſſidio paulò poſt ultus eſt. Paulinus filius Comitis Domeſticorum primas cum Theodoſio literas doctus, ſuâ conſuetudine ita rapuerat animum Principis; ut hunc primæ ætatis (p), ſtudiorúmque ſodalem Imperator poſteà officiorum Magiſtrum crearet: non minore apud Auguſtam gratiâ Paulinus valuit, ſive quòd miro viri ingenio delectaretur (q), ſive quòd is magna pars fuiſſet, cur à Theodoſio Eudociæ connubium deligeretur (r); gratitudinem proinde ſuam teſtatura, nihil omiſit, quo obſequium ejusmodi penſaret. Oblatum aliquando ab Auguſto conjuge exquiſitæ magnitudinis pomum ubi accepiſſet; idem munus ad amicum Paulinum dirigit (s): hic ignarus, à cujus manu primò illud eſſet profectum, ad Imperatorem officii præſtandi causâ remittit. Theodoſius viſo pomo ſtupens, conjugis pudicitiam in ſuſpicionem vocat; cujus ſubinde firmandæ illa occaſionem dedit, dum à Theodoſio de miſsâ donatione quæſita, iram Principis mendacio eludere conabatur. Imperator ſe nunc demum perfidiam Eudociæ deprehendiſſe ratus, Paulinum Cæſaream Cappadociæ ejicit, atque exulem ibidem trucidari jubet: ſubinde in conjugem animadvertens, eandem à thoro, atque palatio proſcribit (t). Eudociæ ad priſtinam denuò fortunam dejectæ calamitoſa conditio pietatem reddere viſa eſt; nam Hieroſolymam utpote in religioſum exilium digrediens (* 17), præter honorarium famulitium Severum Presbyte-

Chryſapii Eunuchi fraudes & ſcelera.

(o) Niceph. l. 14. c. 47. Conc. Chalc. Act. 1. edit. Hard.

Diſſidium inter Imp. & Auguſtam.

(p) Malela p. 850.

(q) Theophan. p. 85.

(r) Chron. Alexand.

(s) Theoph. ad a. 440. Nicephor. l. 14. c. 23. vid. Pagi ad a. 446. n. 12.

Paulini innocentis cædes, & Eudociæ Aug. exilium.

(t) Chron. Alexand.

A. C. 449.

(* 17.) PAGIUS ad a 450. n. 2. ex Hiſtoricis Byzantinis: *Fama eſt bis Eudociam Hieroſolyma perrexiſſe* (ſcilicet an. 438.) *ubi plurima ad Chriſti honorem peregit*, de ſecundâ profectione Hieroſolymam conſtat ex PRISCO de Legat. p. 69. non illam fuiſſe pòſt mortem Theodoſii, ſed adhuc illo vivente; item ex THEOPHANE, qui Eudociam circa annum 449. Hieroſolymam amandatam notat: *Hoc anno res proprias accuratiùs perpendens T.eodoſius, & ſe Chryſapii fraudibus circumventum agnoſcens, de impiis in Flavianum perpetratis ſceleribus & admiſſis in reliquos Epiſcopos injuriis ſummum animi concepit dolorem. In iram itaque prorumpens, primò Chryſapium in quandam*

(u) Theophan. p. 88. Marc. Chr. Theodor. Lect. p. 551. byterum & Joannem Diaconum secum comites deduxit (u): sed his quoque ob novas suspiciones Cæsaris exuta (* 18), privatam deinceps, meritísque plenam vitam exegit (* 19).

Pulcheria in aulam revocata restituit turbatam Rempublicam 11. Statione suâ atque gradu ubi Eudocia cesserat; in Palatium revocata Pulcheria solitas Imperii resumpsit curas (w): lachrymas illam fudisse ferunt, quando faciem Reipublicæ deformatæ, simúlque Chrysapii fraudes contuebatur, quibus in Episcoporum, civiúmque exitium incubuisset; justo igitur zelo incitata à Theodosio pares in scelerum authorem pœnas exposcit (x): mitissimum licèt omnium exilium Imperator homini (in quem necdum omnis amor refrixerat) dictaret; Pulcheria tamen paulò post fatum Cæsaris graviore capitis supplicio puniendum censuit, ne is usuram vitæ ampliùs habere diceretur, qui perpetuâ mortis, cruciatuúmque formidine tot Catholicos exanimâsset. Pulcheriâ hunc in modum res restituente, Theodosius novam fidei, virtutísque sementem spargi vidit: quo minùs succrescentem etiam fructum aspicere aliquando posset; mors inopina eidem oculos occlusit: ad venationem námque subinde egressus, cùm in Leucum fluvium non procul Constantinopoli decidisset; equo demum effusus spinæ vertebram laxavit (y): ultimum jam trahens spiritum, lecticâ ædi Regiæ illatus nocte sequente decessit quinto Kalendas Augusti, anno ætatis XLIX. Regni XLIII. Imperator erat, ùt Zonaras (z) perhibet; „*Literarum non imperitus*, *cùm*

(w) vid. Pagi ad a. 450. n. 4.
(x) Theoph. & Niceph. l. 14. c. 49.
A. C. 450.
Chrysapii exilium.
Obitus Theodosii Junioris
(y) Theod. L. in fin. l. 2.
(z) Zonaras T. III. p. 37.

dam Insulam ablegat, tum Eudociam graviter objurgatam, malorum omnium auctricem eam dicens, quæ Pulcheriam aulâ ejecisset, duriùs invehitur, & ea insuper, quæ circa Paulinum acciderant, cum probris objicit. Illa desperatis in rebus Hierosolymam se dimitti rogat. &c.

(* 18.) MARCELLINI CHRONICON ad Consulatum Theod. Aug. XVIII. *Severum Presbyterum, & Joannem Diaconum Eudociæ Reginæ apud Æliam urbem ministrantes missus ab Imp. Theodosio Saturninus Comes Domesticorum occidit. Eudocia nescio, quo excita dolore, Saturninum protinus obtruncavit: statimque Mariti Imp. nutu Regiis spoliata ministris apud Æliam civitatem moritura remansit.*

(* 19.) EVAGRIUS l. 1. c. 22. testatur Eudociam fundâsse ingentem numerum Monasteriorum & Laurarum (differebant autem *Lauræ* à Monasteriis, quod in his ducerent vitam communem, in Lauris verò habitabant Anachoretæ suis distincti cellis, habebantque vitam à congressione separatam & quietam) item exstruxit varia Xenodochia, vide BOLLAND. 20. Jan. & 13. Maji: Ecclesiam S. Stephani construxit propè Jerusalem, cujus urbis mœnia restauravit. vide EVAGRIUM l. 1. c. 21. 22. incidit equidem subinde in hæresin Eutychianam; sed Dei misericordia illam errore liberavit, utì alibi dicetur.

cùm autem leni esset ingenio, mollior ad res gerendas fuit; unde factum, ut Castrati apud illum gratiosi multa perperam agerent (*20).

12. Post Theodosii obitum, nemo fascibus Imperii dignior habita est, atque Pulcheria: ut quæ Augustæ nomine jam ornata, operam etiam suam ad Reipublicæ moderationem non modico tempore attulisset. Sed quia à majorum instituto alienum erat: fœminam solam supremo jure imperare Romanis (a); Pulcheriæ necesse fuit, eum sibi jungere virum, qui & caput Reipublicæ idoneum, & custos integer sacræ castimoniæ foret (b). Cùm enim illa sponso Jesu Christo pudorem illibatum diu devovisset; matrimonium non permixto sexu, sed mentis affectu perficiendum inire poterat, quo simul Romani Regni, simúlque æterni Regis jura inviolata servaret. Qui utrumque incorruptâ fide tueretur, Marcianus erat, in Thraciæ finibus familiâ mediocris fortunæ, sed Catholicâ natus (c) anno CCCXCI., inde à Patre milite armis assuefactus, dum Philippopoli nomen militiæ dare parabat, de homicidio suspectus in vincula rapitur: innocentem ubi Providentia numinis à ferali sententiâ vindicâsset (d); circa annum CCCCXXI. ad Persarum bellum in Orientem sequitur: illinc à nonnullis de futuro Marciani Imperio omen quoddam acceptum est; nam ei ad meridianum solem somnum captanti Aquila suspensis demissa leniter alis umbram offundebat, dein suo quasi functa ministerio magno cum clangore sublimis abiit (e). Alitem similem super Marciani caput posteà rursus pependisse veteres referunt, quando is anno CCCCXXXI. in Africa contra Vandalos infelici prælio confligens in captivorum numerum referebatur (*21). Victori Genserico prodigio non absimile illud

Pulcheria Augusta.

(a) Priscus in exc. p. 39.

(b) Theod. L. l. 1. p. 551. Theophan. p. 89.

(c) Theod. L. l. 1. Nicephor. l. 15. c. 1. Zonar. p. 38

(d) Evagr. l. 2. c. 1.

(e) Theoph. p. 89. & 90.

Marciani initia & Nuptiæ cum Pulcheria.

(* 20.) Græci Theodosii memoriam in suis Menæis celebrant die 29. Julii, in iis adscribitur illi nomen PII, quem titulum meruit, si posteriores Regni annos non respicias.

(* 21.) PROCOPIUS de Bello Vand. l. 1. c 4. edit Paris. p. 185. *Vandali ereptâ Romanis Africâ potiti sunt: hostibus autem, quos vivos ceperant, servitute injunctâ, illos custodiis asservârunt. In eo fortè numero Marcianus erat, is, qui deinde Theodosio Mortuo, Imperium adeptus est. Adesse tum in aula regia captivos jussit Gizericus, ut perspiceret, cui quisque hero infra dignitatem suam serviret. Illi sub dictum coacti, circiter meridiem, cùm à sole quippe æstivo languescerent, sederant: inter quos Marcianus, nullo habito delectu loci, negligenter stratus ducebat somnum; quâdam interim, ut perhibent,* aqui-

illud visum est, quare Marciano Barbarus libertatem eâ lege dedit, ut hujus beneficii (si eum regnare aliquando contingeret) benè memor Vandalis nusquam bellum, nusquam fœdus adversum moliretur. Vandalorum servitute manumissus Marcianus Constantinopolim revertitur: ubi primum sortitus connubium, Flaviam Marcianam filiam suscepit, Anthemio Occidentis Imperatori posteà jungendam (f); mortuâ conjuge secundas & feliciores anno supra quadringentesimum quinquagesimo nuptias adiit, à Pulcheria Augusta in sponsum, ac Imperatorem delectus (g): castum conjugium, dotémque Imperii Marciano allatam omnium ordinum viri probavêre, nec Valentinianus piis consiliis obluctatus est (h).

(f) Sidon. Carm. 2. p.295.& 304
(g) Theophan. p. 89.
(h) Evagr. l. 2. c. 1. Theod. l. 6. p. 31.

Marciani virtutes.

13. Gubernacula Reipublicæ utprimùm Marcianus tenuit; subditorum salutem ex fidei integritate æstimans, Eutychianam hæresin per Patrum suffragia eliminatam voluit (i): sacra tamen dum curabat, quid inter Imperatorem, ac sacerdotem intersit, sanctè prudentérque discrevit; unde in causis sacris Episcoporum sequi semper judicium, prævenire nunquam religioni habebat (k). Sed utì modestum Ecclesiæ Filium, ita quoque Reipublicæ ac civium Patrem eodem tempore professus est; abrogatis quippe exactionibus immensis, & sumptibus, qui in spectacula, luxúmque antè temerè profundebantur, delectari se ajebat magis opibus, quæ in manibus subditorum forent stabiles, quàm quæ ad breve tempus in ærarium Principis congestæ, per canales alienos subitò defluerent (l). Hâc ratione ubi sanabat vulnera, quæ Provinciis duorum Imperatorum socordia aut indulgentia sexaginta propè annis inflixerat; etiam id gratiæ multis tribuit,

(i) Evagr. l. 2. c. 1. Leo ep. 58. 78.
(k) Leo ep. 100.105.111 Facund. Herm. l. 12. c. 2. 3.
(l) Codic. Theod. nov. 3. T. 1.

aquilâ supervolante, quæ passis alis ita se librabat, eúmque in aere locum insistebat, ut umbra blandiretur uni Marciano. Rem Gizericus è superiori contemplatus ædium parte, atque, ut erat Sagacissimo vir ingenio, divinum ostentum interpretatus hominem ad se accitum, quis tandem sit, rogat. Hic se Aspari ab arcanis esse respondit (Domesticum suâ linguâ Romani vocant) quo Gizericus audito, avis omen conjecturâ pendens, atque animo reputans, quantis Aspar opibus Byzantii polleret, virum haberi strenuum Marcianum manifestò collegit: nec fas esse duxit, eum vitâ spoliare. . . . . Cæterùm jurejurando eum obstringit, ut si quando sui juris ac mancipii fuerit, nunquam Vandalos bello petat. Itaque dimissus Marcianus Byzantium venit, vitáque functo pòst Theodosio, cum Imperium suscepisset, præclarus cætera ac generosus Princeps res Africæ omnino neglexit.

buit, quod exules in Patriam, ac Præsules per Ephesinum antè latrocinium expulsos ad suos greges revocaret (m).

(m) Theophan. p. 89.

14. Dum Regnum Orientis sub suo Principe aureâ omnino ætate fruebatur; parum aberat, quin vigorem illum ferrea tempestas Attilæ repentè dirueret. Victis ille cunctis ad Septentrionem Gentibus, quingentorum millium trahebat exercitum (n): in quam verò mundi partem immensam Barbarorum colluviem infunderet, adhuc anceps, ad utrúmque Orientis ac Occidentis Cæsarem Legatos mittit: hi bellum atrox ubique crepantes, à Valentiniano primùm ejus sororem Honoriam, cúmque illa dimidiatas Imperii Provincias poscunt eo nomine, quod Attila hanc sponsam dudum suæ fidei transcriptam, ejúsque dotem jure vindicaret (o). Dein Marcianum de tributis à Theodosio condictis imperiosiùs ac impudentiùs postulant (p): hic ad Attilæ minas nequicquam territus, è vestigio Legatum mittit Barbaro, qui renunciet, sibi pro amicis aurum, pro hostibus ferrum esse. Aliquantò mitiùs à Valentiniano responsum est; ut enim Tyrannum emolliret, commonstrare per suos adnitebatur, Honoriam alterius conjugio jam implicitam exsolvere fidem inconsultiùs datam amplius haud posse: dein legibus Romanis adversari omnino, ut Imperium, quod marium tantùm esset, ex fœminæ jure deposcatur (q). Attila debiliorem Valentiniani animum suis conatibus opportuniorem ratus, omisso Oriente in Gallias immigrare decernit (r). Ne tamen ad Rhenum iter obstrueretur; vi dolum consocians simulat, se rationibus ab Imperatore adductis acquiescere: aliam nihilominus fingebat causam esse, cur per Gallias in Visigothorum terras contenderet (s); Genserico nimirum Vandalorum Regi se fœdere obstringi, ut intentatas ipsi à Visigothorum Rege Theodorico, ejúsque filia minas (*22) ulciscatur. Hunc

(n) Jornand. rer. Get. c. 35.

Attilæ legationes & minæ ad Valentinianum & Marcianum.

(o) Evagr. l. 2. c. 1.

(p) Priscus in exc. p. 39.

(q) Priscus de Leg. p. 39.

(r) Idem p. 40.

Attila in Occidentem adversus Valentinianum bellum movere decernit.

(s) Jornand. rer. Get. c. 36.

(* 22.) JORNANDES *de Rebus Geticis* c. 36. p. 662. ex edit. Hugonis Grotii: *Hujus* (Attilæ) *ergo mentem ad vastationem orbis paratam comperiens Gizericus* (sive Gensericus) *Rex Wandalorum ... multis muneribus ad Vesegotharum bella præcipitat, metuens, ne Theodoricus Vesegotharum Rex filiæ ulcisceretur injuriam, quæ Hunericho Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætarentur: sed posteà, ut erat ille & in sua pignora truculentus, ob suspicionem tantummodo veneni ab ea parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, Patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret, & crudelitas, quâ etiam moventur externi, vindictam Patris efficaciùs impetraret.*

Hunc fucum postquam Valentiniano objecisset; aliâ legatione Visigothos contra Cæsarem concitare instituit, eorum inquiens interesse, ut sibi in Romanos hostes pugnaturo vires jungant ad vindicandas tandem illas clades, quas ante non multos annos ab infesto Valentiniani exercitu pertulissent (t).

(t) Idem p. 262 & 263

A. C. 451.

15. Ex quo Attila Visigothos Romanósque hâc ratione inter se committere adnisus fuerat; ingenti Barbarorum multitudine (* 23) accinctus ad Rhenum movet, utrarúmque partium spolia lecturus. Prima Barbari rabies Francos illos pressit (u), quibus Aëtius Merovæum Clodionis mortui natuminorem filium neglecto Childerico imposuerat; causabatur enim se senioris filii venire vindicem, ut, cui regni jus Romani eripuissent, ipse restitueret. Ista commemorans magnâ Francorum parte cæsâ, Merovæi matrem, filiúmque captos obsidum loco abducit: subinde superato Germaniæ limite (x) in Galliarum urbes, quin ullus amicum fœdus adhuc mentito (y) resisteret, cum suis ingreditur; intra mœnia receptus in sacras, privatásque domos flammâ, ac ferro sævit (z): Metas interfectis civibus incendit (* 24): Treviros quintùm evastat (* 25); deinde eraso Tungrorum Remorúmque agro, in Cameracum, Vesontionem, Lingonas atque

(u) Valef. R. Franc. l. 4. Du Chesne T. I. p. 726

Irruptio Attilæ in Galliam.

(x) Bucher. Rom Belg. p. 511.

(y) Du chesne t. II. p. 521.

(z) Prosper in Chron. Idat. p. 28

(* 23.) SIDONIUS in Panegyri Avito dicta, Attilæ apparatum ita describit:

Subitò cum rapta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia: pugnacem Rugum, comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scotum Burgundio cogit,
Hunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Toringus,
Bructerus: ulvosâ quem Nicarus abluit undâ,
Prorumpit Francus; cedit citò secta bipenni
Hercynia in lintres, & Rhenum texuit alvo
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In Campos se Belga tuos.

(* 24.) GREGORIUS TURONENSIS Hist. l. 2. c. 7. p. 53. *Chuni è Pannoniis egressi, ut quidam ferunt, in ipsa Sanctæ Paschæ vigilia ad Metensem urbem, reliqua depopulando perveniunt, tradentes urbem incendio, & populum in ore gladii trucidantes, ipsósque Sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter oratorium B. Stephani. &c.*

(* 25.) BROWERUS Annal. Trevirenf. l. 5. p. 288. existimat quartam fuisse vastationem Trevirensis urbis, unde huc revocat verba Salviani de Trevirorum Augusta loquentis: *Quia tertia excidia non correxerunt, quartò perire meruisti.*

que Antiſiodorum ferociùs graſſatur (* 26). De hoſtili animo Attilæ ubi Cæſari nunciatum eſt, primum tempus habuiſſe fertur, quo Placidiæ matris anno CCCCL. defunctæ dolorem perceperit; ea enim uti in moderandis adverſis prudens, ita ad occurrendum iis expedita ſi ſupervixiſſet, ea conſilia dare trepido Principi poterat, quibus procellam undique incubantem diſpeſceret (a). Unus igitur Aëtius erat, in quo Valentiniani ſpes, ſalúsque verſabantur; ille ex Italia cito itinere ad Theodoricum abit, ut Viſigothos adverſus communem Galliæ hoſtem in fœdus pertrahat: agitante hæc cum Gothis Aëtio (b), Anianus Aurelianenſis Epiſcopus (c) Arelaten advolans, multa Theodorico de Attilæ populationibus, multa Aëtio de urbium ad Rhenum excidio verba facit: dein ad Ligerim usque hoſtem incruento pede pervaſiſſe queſtus, etiam Aurelianum (ni propediem ſuccurratur) in Tyranni poteſtate fore prænunciat (d); ſe tamen precibus (queis inermis Præſul duntaxat valeret) è cælo præſidium urbi ſuæ auxiliúmque rogaturum, dum Rex, atque Aëtius ſociatis armis de mœnibus & à Gallia hoſtiles copias abigant (e). His dictis Theodorico eam lucem affudit, ut nil dubitaret, Attilam ſubjugatis cæteris Provinciis ultimam demum prædam in Gothorum terris quæſiturum; quare è veſtigio, manus, armáque Aëtio ſociat; cogitúrque utriúsque operâ ingens è Romanis, Gothis, Burgundionibus & Francis exercitus (* 27).

Attila evaſtat urbes Galliæ.

(a) Gregor. Tur. H. F. l. 2. c. 7. Sidon. l. 8. epiſt. 15. Bolland. 3. Jan.

(b) Du Cheſne T. 1. p. 276.

(c) Idem p. 521. & 522.

(d) Sidon. Carm. 7. p. 341.

(e) Jornand. R. Get. c. 36.

Viſigothi Romanis junguntur contra Hunnos.

(* 26.) BUCHERIUS in Belg. Rom. l. 17. c. 4. p. 512. de aliis porrò urbibus evaſtatis refert ex PROSPERO dicente: *Tranſito Rheno, ſæviſſimos* Attilæ *impetus multæ Galliarum urbes exp rtæ ſunt.* Uti enim tanta hominum colluvies ſimul incedere non potuit; ita nec unum Rheni trajectum tenere ſeptingenta, vel (ut Jornandes ait) quingenta hominum millia eam Rheni partem facilè impleverint, quæ Germaniam ſaltem primam, & ſecundæ ſeu inferioris ſuperiora loca præterfluit. Nec ſuſpicari vereor ab Argentorato Coloniam fere usque Rhenum ab Hunnis tum inſeſſum: tametſi aciem mediam cum Attila circa Moguntiam trajeciſſe non negaverim; hinc SERARIUS Rer. Mog. l. 2. c. 17. ad hæc tempora revocat Martyrium S. Aurei & Juſtinæ, quorum corpora anno 1137. incorrupta, & ſanguine recenti perfuſa reperta ſunt. Similiter BROWERUS in Annal. Trev. l. 5. p. 290. eâdem tempeſtate contigiſſe affirmat Martyrium S. Urſulæ & Sociarum. Inter ruinas tot urbium multas tamen illæſas ſervârunt preces Epiſcoporum, & aliorum SS. Ita non tantùm S. Anianus Aurelianum liberavit, ſed & Tricaſſas S. Lupus, Pariſios S. Genovefa, &c.

(* 27.) JORNANDES R. G. c. 36. p. 664. *Producitur itaque à Rege Theoderico Veſegotharum innumerabilis multitudo: qui quatuor filiis domi dimiſſis, id eſt, Friderico &*

16. Intereà Anianus ad ſuos reverſus non parvum civibus ſolatium retulit, dum coràm teſtabatur, urbis libertatem magnis, celeribúsque auxiliis redemptum iri. Lætitiam recenter conceptam Attila ſubitò interrupit; ſuam enim Hunnorum colluviem urbi circumfundens, ita machinis aſſultibúsque premebat obſeſſos, ut in ſingulas horas penè irrupturus crederetur (f). Coortum inde trepidantium ploratum compoſiturus Anianus è cælo pluviam exorat, quo fatigati hoſtes triduum urbi à vi vacuum præſtitêre (g): tempore hoc exacto cùm Aëtius nusquam compareret; S. Præſul quaſi de eventu faturo certior Attilæ portas eâ lege recludi facit, ut miles ſpoliis contentus à ferro cædibúsque manum abſtineat (h). Hunni pro data fide in opes urbis duntaxat intenti, immenſos ſpoliorum comportant cumulos: in his dividundis ubi avida fervent ſtudia; Aëtius, ac Theodoricus magnis propinquant paſſibus, mox incautos neglectis vigiliis, ſtationibúsque adorti, priùs penè Hunnorum cepêre caſtra, quàm oppugnari hoſtes ſatis ſcirent (i). Circumagenti ſe ad diſſonos clamores, ſubitóſque tumultus Attilæ undique Aëtius objecerat victorem peditem, equitémque: inde in urbem prælium intulerat, tum abjici arma paſſim, ac dedi hoſtes cœpti, alii effuſo curſu in Ligerim necémque proruere: plurimi demum in fugam acti, ad Catalaunicos usque agros evaſerunt (* 28). Hic Attila

(f) Sidon. l. 8. ep. 11. & 15.

(g) Du Cheſne T. 1. p. 522.

(h) Valeſ. R. G. l. 4.

Aurelianum obſidione Attilæ liberatur.

(i) Du Cheſne pag. 276. Theophan. p. 92.

& Turico, Rotemero & Himmerit, ſecum tantùm Thoriſmund, & Theodoricum majores natu participes laboris aſſumit. . . A parte verò Romanorum tanta Patricii Aëtii providentia fuit, cui tunc innitebatur Heſperiæ potentia plagæ, ut undique bellatoribus congregatis, adverſus ferocem & infinitam multitudinem non impar occurreret. His enim adfuêre auxiliares FRANCI, *Sarmatæ Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, . . . aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes.* Hìc adverte, quod à Sidonio in notatione 23. ſupra dictum ſit: Francos etiam in exercitu Attilæ militâſſe, quia poſt Clodionis mortem in duas factiones Franci diviſi fuêre, utì obſervat PAGIUS ad a. 451. n. 20., quorum altera ejus filio ætate minori Merovæo appellato, altera Merovæi fratri natumajori adhæſit; adeóque Meroviani Franci ſtipendia faciebant ſub Aëtio; ſub Attila verò alii, qui Merovæi fratri adhæsêre.

(* 28.) De loco, ubi Attilæ, Romanorúmque conflictus fuerit, non conveniunt. JORNANDES c. 36. ait: *Convenitur itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauritii* (Mauriaci juxta Gregor. Turon. l. 2. c. 5.) *vocantur*, in quanam verò regione Galliarum ſiti ſint campi illi Catalaunici, diſceptatur. Pagius rem ita definit, nempe campos hic intelligi à Catalauno dictos, quod eſt oppidum ad Matronam fluvium (gallicè *chalons ſur Marne*) quod probat ex Idatio, ita ſcribente: *Gens Hunnorum pace ruptâ depradatur*

Attila in planitie per immenſum porrecta copias collectas in aciem dirigit, haud dubius facilem in æquo campi tantùm ſuperanti multitudini victoriam fore (k); fiduciâ loci conceptâ id quoque ſuis barbaro more inclamabat: „poſt victorias tantarum gentium, poſt orbem, ſi conſiſtatis, edomitum, ineptum judicaverim tanquam ignaros rei verbis acuere. Quærat hoc aut novus ductor, aut inexpertus exercitus. Nec mihi fas eſt aliquid vulgare dicere, nec vos oportet audire. Quid autem vos, quam bellare conſueti? aut quid forti ſuavius, quàm quærere vindictam manu? Magnum munus à natura, ſatiare ultione animum. Aggrediamur ergo hoſtem alacres; audaciores ſunt ſemper, qui inferunt bellum, quàm qui patiuntur. Aggregatas deſpicite gentes; Judicium enim pavoris eſt, ſocietate defendi. Nota nobis ſunt, quàm levia ſint Romanorum arma: primo etiam, non dico, vulnere, ſed ipſo pulvere gravantur; inde igitur victoriam quærite, unde ſe continet bellum. Victuros nulla tela convenient, morituros & in otio fata præcipitabunt. Det dies iſta, hícque campus, cur fortuna Hunnos tot Gentium victores ad certaminis tam felicis gaudia præparârit, nobíſque Majoribus quantumvis ignotum iter aperuerit ad tantam gloriam. Primus in hoſtes tela conjiciam, ac ſi quis potuerit veſtrûm, Attilâ pugnante, ferre otium; is hoſtili ferro acciſus inertiæ ſuæ, ac imbellis animi, ut ſpero, pœnas exſolvet (l). Hæc dicta ubi Barbarorum ululatus, tripudia & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus excepiſſet; Aëtius cum Gothis certaminis locum aſſecutus, exercitum quoque ſuum in ordines diſponit. Theodoricus Rex dexteram, alam ſiniſtram Aëtius cum Thoriſmundo Theodorici filio regendam ſumpsêre: mediam aciem ſtruere jubebatur Sangabanus cum Alanis, ne de fide ſuſpectus ingruente prælio defectionem moliri poſſet (m). Dum hunc

(k) Jornand. R. G. c. 39.

Romanorum atrox prælium cum Attila in Catalaunicis campis.

(l) Jornand. R. G c. 39. p. 667. & 668.

(m) Jorn. c. 38.

---

datur Provincias Galliarum: plurimæ civitates effractæ: in campis Catalaunicis HAUD LONGE DE CIVITATE, QUAM EFFREGERANT, METTIS, *Aëtio Duci & Regi Theodori, quibus erat in pace ſocietas, aperto Marte confligens, divino cæſa ſuperatur auxilio*: ex his concludit PAGIUS in Critic. ad a. 451. n. 25. in agris illis conflictum fuiſſe, quorum initium duabus leucis à Catalauno ponitur apud *Spinetum*, vide etiam hic TILLEMONT in V. Attilæ Tom. VI. P. I., item Valeſium in Notitia Galliarum. verb. *Mauriacum.*

hunc in modum infinitæ gentes aperto pectore in mutuas cædes expeditæ ſtabant; à velitationibus factum initium, quibus quindecim millia utrinque periêre: ſub quartam à meridie horam Attila lævum Hunnorum cornu cum dextero Romano, ſive cum Viſigothis committit (n); inde prælii acerbitas per omnes partes invaluit. Aëtius in ſiniſtro cornu rem partim vi, partim conſilio gerebat, hoc ſuis militibus identidem inculcans, ut animo reputent, eorum nunc intueri manus Senatum populúmque Romanum: & qualis virtus eorum fuerit, talem deinde fortunam Galliæ ac Romani Imperii fore. Thoriſmundus non minorem hoſtium ſtragem edidit ex modico colle, in quem obſtantibus nequicquam hoſtibus eniſus fuerat (o). Interea dextera ala Viſigothorum ſuo Duce, non tamen robore ac nocendi vi exuta eſt. Theodoricus enim cùm per omnes volitaret ordines; impactâ in latus haſtâ exanimis cecidit (p): turbationis inde aliquid, pavoris nihil exortum eſt, quin Gothi funere ſui Regis ardentiùs incenſi majoribus poſteà odiis, quàm viribus in Hunnos pugnavêre; nec ante ceſſatum à cædibus, dum nox ipſa conſpectum hoſtis eriperet. Attila ad ſuorum cladem ingemiſcens intra currus in modum valli conjunctos ſe recepit, & Romani labore, vulneribúſque feſſi eam noctem quietam habuêre; poſterâ die ubi illuxit, fœdum tot cadaverum ſpectaculum viſum eſt (q): jacebant duo ferè centum cæſorum millia, pedites paſſim, equitéſque, ut quemque cuique fors, aut pugna junxerat, aut fuga (* 29). Quare Attila ſua intra ſepta anxiè ſe continuit, id porrò profeſſus, ſe jam ex ſcutis pyram conſtruxiſſe, quâ vivus exureretur; ſi ad alterum conflictum, aut deditionem cogeretur. Thoriſmundo equidem Patris ulciſci necem novo certamine certum

(n) Jornand. c. 37. p. 665.

(o) Idem c. 38. 39. p. 667. & 668.

Theodorici Regis cædes.

(p) Idem c. 40.

Cæſorum in conflictu immenſus numerus.

(q) Idem c. 40. p. 670.

(* 29) JORNANDES R. G. c. 41. p. 671. *In hoc enim famoſiſſimo & fortiſſimarum gentium bello ab utriſque partibus CLXII. millia cæſa referuntur, exceptis XC.* (alii meliùs legunt XV.) *millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congreſſionem publicam noctu ſibi occurrentes mutuis concidêre vulneribus, Francis pro Romanorum: Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.* Idem AUTHOR p. 669. ait: *Si ſenioribus credere fas eſt; rivulus memorati campi humili ripâ prolabens, peremptorum vulneribus ſanguine multo provectus, non auctus imbribus, ut ſolebat, ſed liquore concitatus inſolito, torrens factus eſt cruoris augmento.* Demum IDATIUS in Chronico: *Rex illic Theodores proſtratus occubuit: CCC. ferme millia* (Pagius CC. fermè millia legenda putat) *hominum in eo certamine cæſa memorantur.*

tum erat, sed Aëtio consilium displicuit; subverebatur enim, ne Gothi secundùm victores post Hunnos omnino excisos in Romanos arma verterent, Galliámque totam sibi vindicarent (r). Quare Thorismundum in eam adducit sententiam, ut re benè gestâ ad captanda Regni auspicia Tolosam redeat: illo quippe absente facile fratribus fore in fasces irrepere, quos nonnisi civili ac periculosiore bello possidentium manibus esset extorturus. Visigothis igitur arenâ spontè digressis, cùm nec Romani satis accisi victoriâ suâ uti possent, Attila suo claustro securiùs elapsus versus Rhenum militum ducit reliquias, adjuncto sibi itineris duce S. Lupo Trecensis civitatis Episcopo, cujus viri sanctimoniæ tantum tribuit Barbarus, ut hujus viri fidei, precibúsque exercitûs sui salutem, incolumitatémque commendatam vellet (s).

(r) Jornand. c. 41. p. 671. & 672.

Attila ab Aëtio sine ulteriore clade dimittitur in Patriam.

(s) Sur. 29. Julii.

17. Postquam Attila ad Istri confinia sive in Hunnorum sedes redierat; ignominia perceptæ cladis passa non est, ut Romanis victoriæ decus diuturnum vellet (t). Extenuata proinde cædibus agmina ubi restaurabat, fuêre, qui metuerent, ne Orienti nova tempestas hæc ingrueret; at Marcianus Præcipuum Ducem, copiarúmque delectum in Illyricum jam miserat, qui limitem Imperii ab irruptione hostis intactum servarent (u): nec ipse, Imperator (licèt Chalcedonem ad Synodum Patrum abire constituisset) à Thracia aut Constantinopoli digredi ausus est, dum Attila aliò signa sua infesta movisset: mutato quippe paulò post consilio Barbarus Italiam ad rapinam, jugúmque designabat; hoc animo sub finem anni CCCCLI., per Pannoniam ad fauces Alpium Juliarum profectus est tanto strepitu, ut ad ejus adventum tota Italia tremisceret (x). Aëtius, qui ex Gallia modo Hunnorum victor redierat, quando aliâ viâ instare victos audivit; mentem sibi, artémque belli omnem ereptam credidit (y): meminerat is probè Thorismundum abdicatum tam citò in fœdus cogi non posse, & Galliæ copias, quæ paucæ restarent, nec tutò nec sat celeriter ad Italiæ præsidium deducendas: unam igitur in fuga salutem superesse rebatur; sed quia hoc medium Cæsari, tum etiam tanto Duci turpe omnino fuerat, in id tandem consensio facta est, ut legati seligerentur, qui pacem ab Attila exorarent. Interea Barbarorum assultum Aquileja Venetorum Metropolis

(t) Prosper Tyro Victor Tunun.

(u) Concil. T. IV. apud Labb. p. 73. & 76.

Attilæ irruptio in Italiam.

(x) Jornand. c. 42. p. 672.

(y) Prosper in Chron.

A. C. 452.

(z) Jornand. R. Get. c. 42. p. 672. Procop. B. Vand. l. 1. c. 4.

Obsidio Aquilejæ.

primò exceperat (z): Romani qui pro præsidio urbem defendebant, arma tantùm ferrúmque in dextris velut solas reliquias spei suæ intuentes experiri ultima, vímque summam quantâ vi possent, repellere decreverunt. Testudine factâ mœnia primò subire parabant hostes: at in medium eluctati obsistentium fortitudini succubuêre, his ubi alii recentésque successerant; Romani nihil temerè, nec trepidè stationibus firmabant aditus, & quà signa ferri videbant, eà robore virorum opposito fundunt Barbaros aut repellunt: de solvenda igitur obsidione dum cogitabatur, unus Attila omine quodam suis reddidit animos. Videns is ciconias fœtus suos ex urbe obsessa portare in agrum, acclamabat militibus: adspicite aves jam futurorum præscias, relinquere civitatem perituram (a). Hæc profatus postremùm in urbis mœnia suos assilire jubet: quo impetu facto Aquilejam subit hostis, confusámque flammis cædibúsque diripit. Inde per omnem latè agrum Venetorum populabundus hostis incessit (* 30); vastata Liguriæ Metropolis Mediolanum, Ticinum nudatum opibus, mœnibúsque: & terrarum, quod inter Apenninum & Alpes interjacet, omne solum fugâ, cæde, servitute ac incendio permistum squalebat. Exportata florentissimis urbibus spolia Attilæ cupidinem adeò necdum impleverant, ut ad Romam etiam expilandam porrò movere signa decerneret (b); erant tamen, qui abire parantem monerent: Alaricum Romanæ direptioni haudquaquam diu superfuisse; adhæc Hunnorum copias quotidie imminui luis contagio, Aëtii verò vires crescere acceptis ex Oriente auxiliis. Surdâ aure ubi hæc ambitiosus Princeps transmiserat; Leo Pontifex cum consulari Anieno & Trigecio urbis Præfecto ad fluvium Mincium usque Attilæ occurrit: illinc dum pro fracta metu Italia, pro Valentiniano intra latebras abdito,

(a) Procop. B. Vand. l. 1. c. 4. p. 188. Jornand. R. Get. c. 42. p. 672. & 673

Hunni evastant Italiæ Provincias.

(b) Jornand. p. 673.

S. Leonis Pontificis Legatio ad Attilam.

(* 30.) BARONIUS ad a. 452. §. 63. *Tradunt pariter, ex hâc invasione Attilæ, Venetiæ Provinciæ occasionem manâsse, ut Veneti in insulas transmigrârint atque Patavini occupaverint rivum altum, iidémque necessitate primùm impellente, posteà verò, & ratione suadente, ad evitandos frequentes Barbarorum incursus ibi habitare delegerint, ut paulatim crescentibus ædificiis amplissimæ Venetiarum civitatis condendæ ex ea infelicitate felicissima jacta fuerint fundamenta.* Idem innuit BRIETIUS ad eundem annum p. 491. sed alii ad alia tempora id reservant, & Cassiodorus l. 12. ep. 24. post 50. annos de Venetis modo loquitur, quod tunc incoluerint quasi conjunctas simul insulas &

abdito, ac populo, ſenatúque penè deſperante pacem, ſalutémque exorat; præſentia atque obſequium ſummi Sacerdotis ferociſſimum Regem ita rapuêre, ut Pontificiæ Majeſtatis fulgore perſtrictus præciperet bello abſtineri: quin altiore veluti vi adactus ultra Danubium, unde venerat, promiſsâ pace diſcederet (* 31). Vix ad Iſtri oras pervenerat, tum quietis atque otii impatiens novos ſibi deſignabat hoſtes, cum quibus manus conſereret (c): in Gothorum itaque terras Attila aliâ ac antè viâ immigrâſſe, ſed infeliciùs cum Thoriſmundo Rege rurſus conflixiſſe fertur: hujus prælii fides utì penes multos ambigua eſt (d); ita de bello illo inteſtino certiùs conſtat, quo fratres Theodoricus & Fredericus Thoriſmundum fratrem ac Gothorum Principem eodem tempore oppreſſerunt. Huic victis in Gallia Hunnis, dein domitis Alanis ubique per orbem arma circumferre propoſitum erat (e): ingenium Ducibus, militibúsque feſſis moleſtum quoniam mitioribus conſiliis ſanari nequibat, extinguendum putârunt (f): conjuratione proinde à Fratribus & Magnatibus initâ, arma clâm è Thoriſmundi cubiculo ſemoventur, ne quid eſſet, quo vulnera cædémque averteret: dein die, quâ ſectâ venâ Thoriſmundus mittebat ſanguinem, Parricidæ ſubornantur, qui in intectum Regis corpus ſævientes non uno ictu totum, qui ſupererat, cruorem vitámque exhausêre (g).

Attila excedit Italia.

(c) Jornand. c. 43. p. 674. & 675.

(d) Valeſ. R. Fr. l. 4.

(e) Proſper & Idat. in Chron.

(f) Gregor. Tur. l. 2. p 7.

Thoriſmundus Viſigothorum Rex occiditur à Theodorico fratre.

(g) Jornand. c. 43 p. 675.

18. Poſtquam Thoriſmundus Regni brevis crudeliter geſti pœnas dederat; Pulcheria de Eccleſia & Imperio tot annis optimè merita, præmium recepit; è mortali quippe corpore anno ætatis quinquageſimo quinto ad cæleſtem gloriam duodecimo Kalendas Martii tranſlata (h), tertio pôſt Idus Septembris in ſacris Diptychis nomen habere meruit, ut quæ duobus Oecumenicis Conciliis allaborârit, hæreticos fregerit, ac bonis ſuis Eccleſias ditârit (* 32). Diſpar omnino fatum fuit, quo Attila anno

A. C. 453.

Pius obitus Pulcheriæ

(h) Chron. Alex. Idat.

(* 31.) SUIDAS *Attila cùm Mediolanum urbem populoſam perveniſſet; & Romanorum Imperatores in aureis ſoliis ſedentes, Scythas verò ad eorum pedes depictos vidiſſet: ſe in ſolio ſedentem, Romanorum verò Imperatores, ſaccos ſuper humeros ferentes, & ante pedes ſuos aurum effundentes pingi juſſit.*

(* 32.) JORNANDES R G. c. 42. p. 673. *Igitur dum ejus* (Attilæ) *animus ancipiti negotio inter ire & non ire fluctuaret, ſecúmque deliberans tardaret, placita ei Legatio*

anno insequente interiit: is animo à belli laboribus ad molles voluptates traducto, puellam pulcherrimam in thorum adsciverat; sed primâ nuptiarum nocte sive ab hac ipsa sponsa (ut quidam perhibent) occisum, sive à sanguine per nares in guttur defluente suffocatum postridiè Duces invenêre (*33). Itaque flagellum illud, quo Deus ad castiganda orbis vitia usus fuerat, vel mulieris manu confractum est, aut qui omnium hominum sanguinem sitiverat, suo tandem cruore crudelem sitim omnino restinxit (i). Justis barbaro more persolutis (*34) inter filios Attilæ acris contentio coorta est (k): Ellacus jure ætatis, transcriptas sibi à Patre Provincias omnes unus hæres (l) adire contendebat; at

A.C. 454.

Mors funesta Attilæ.

(i) Jornand. c. 35. p. 661.
(k) Theophan. p. 93.
(l) Jornand. c. 50. p. 686

gatio Româ advenit. Nam Leo Papa per se ad eum accedit in Acroventu Mambolejo, ubi Mincius omnis commeantium frequentatione transitur. Qui mox deposito exercitûs furore, & rediens, quà venerat, id est ultra Danubium, promissâ pace discessit; illud præ omnibus denuncians, atque interminando discernens, graviora se in Italiam illaturum, nisi ad se Honoriam Valentiniani Principis Germanam, filiam Placidiæ Augustæ, cum portione sibi Regalium opum debita mitteret. PROSPER IN CHRONICO ad an. 452. ita scribit: *Nihilque inter omnia consilia Principis ac Senatûs, populique Romani salubrius visum est, quàm ut per Legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Abieno & viro Præfectorio Trigetio beatissimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret nunquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est, quam præsumpserat fides; nam totâ Legatione dignanter acceptâ, ita summi Sacerdotis præsentiâ Rex gavisus est, ut & bello abstineri præciperet, & ultra Danubium promissâ pace discederet.* His BARONIUS addenda putat sequentia T.V. ad annum 452. §. 57. & 58. „Dicam, quæ produnt Romanæ Ecclesiæ vetera monumenta in Ecclesiis publicè legi, & annis singulis repeti consueta, quæ sic se habent: *Cùm Romam ardenti furore Attila raperetur, jámque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet; occurrit ei Pontifex Leo malorum Italiæ impendentium misericordiâ motus: cujus divinâ eloquentiâ persuasum est Attilæ, ut regrederetur. Qui interrogatus à suis, cur præter consuetudinem inflexus esset, atque tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret? Respondit, & confessus quod verum esset: nimirum se vidisse, Leone loquente, astantem alium quemdam habitu Sacerdotali decorum, quid divinum præse ferentem, minantémque mortem, nisi Leonis jussa capesseret.*

(* 33.) MARTYROLOGIUM ROMANUM pridie Idus Septembris ita habet: *Commemoratio S. Pulcheriæ Reginæ in pace quiescentis: Hæc fuit soror Theodosii Junioris conjunx Marciani pietate præstantissimi Imperatoris, quæ cum Virginitatem ipsam ad senectutem usque servâsset, multáque præclara opera in templorum & hospitalium domorum ædificia contulisset & sanctæ Chalcedonensis Synodi Patres adjuvisset, in pace quievit.* De templis porrò ab ea constructis vide BARONIUM ad an. 453. §. 22. 23. & 25., ubi Numisma aureum Pulcheriæ inscriptum exhibet, in cujus postica crux coronâ cincta visitur, cujusmodi Christianæ Imperatrices super diadema gestare consueverant.

(* 34.) JORNANDES Rer. Get. c. 49. p. 683. & 684. *Attila, ut Priscus historicus refert, extinctionis suæ tempore puellam Ildico nomine, decoram valde sibi in matrimonium*

at cæteri in partes diſtrahendum Regnum pugnabant. Ab altercatione ad arma deventum eſt, quo tumultu fervente populi, quos Attila ſub jugum coëgerat, ſervitutem priſtinam palàm exuerunt: Ardaricus Gepidarum Dux primus erat, qui defectionis ſignum dedit, hunc Oſtrogothi, aliique Barbari ſecuti Hunnos internecino certamine ita attriverunt, ut iis præter tenuem tractum (quemiidem Hunni ad Iſtrum anno CCCLXXVI. Gothis extorſerant) deinceps admodum nihil relinquerent (m), quæ calamitas Herniacum Attilæ filium poſteà impulit, ut exemplo aliarum gentium Marciani fœdus, & terras quaſdam clientum more ab Imperatore expeteret (*35).

Attilæ Regnum diviſum deſtruitur.

(m) Idem p. 687.

19. Dum Marcianus in Oriente hoſtibus vitam, amicitiámque donabat; Valentinianus Occidentalis Imperii Cæſar maximum amicum hoſtili ferociâ peremit. Erat is Aëtius terror Attilæ, Imperiíque ac Cæſaris columen (n), cujus authoritas ac honor cùm Eunuchi Heraclæ (o) aliorúmque aulæ Magnatum animos non A.C. 454.

(n) Marcell. Chronic.

(o) Gregor. Tur. l. 2. c. 8.

monium poſt innumerabiles uxores (ut mos erat gentis illius) ſocians: ejúſque in nuptiis magnâ hilaritate reſolutus, vino, ſomnóque gravatus, reſupinus jacebat, redundánſque ſanguis, qui ei ſolitè de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali faucibus illapſus eum extinxit. MARCELLINUS contrà notat, hunc Tyrannum à fœmina fuiſſe trucidatum, non aliter ac olim Holofernes dexterâ Judithæ periit.

(* 35.) JORNANDES l. c. pag. 684. funeralia Attilæ ita deſcribit: *In mediis campis, & intra tentoria ſerica cadavere collocato, ſpectaculum admirandum & ſolenniter exhibetur. Nam de tota Gente Hunnorum electiſſimi equites in eo loco, quo erat poſitus, in modum Circenſium curſibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine referebant Præcipuus Hunnorum Rex Attila, Patre genitus Mundzucco, fortiſſimarum gentium Dominus, qui inauditâ ante ſe potentiâ, ſolus Scythica & Germanica Regna poſſedit, nec non utraque Romanæ urbis Imperia captis civitatibus terrarum; & ne præda reliqua ſubderent, placatus precibus annuum Vectigal accepit. Cúmque hæc omnia proventu felicitatis egerit; non vulnere hoſtium, non fraude ſuorum, ſed gente incolumi inter gaudia lætus ſine ſenſu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus æſtimavit vindicandum? Poſtquam talibus lamentis eſt defletus, ſtravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti commeſſatione concelebrant, & contraria ſibi invicem copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, noctúque ſecretò cadaver eſt terrâ reconditum. Cujus fercula primùm auro, ſecundò argento, tertiò ferri rigore communiunt ſignificantes tali argumento potentiſſimo Regi omnia conveniſſe: ferrum, quo gentes edomuit: aurum & argentum, quòd ornatum Reipublicæ utriuſque acceperit. Addunt arma hoſtium cædibus acquiſita, phaleras vario gemmarum fulgore precioſas & diverſi generis inſignia, quibus colitur aulicum decus. Et ut tot & tantis divitiis humana curioſitas arceretur, operi deputatos deteſtabili mercede trucidârunt, emerſitque momentanea mors ſepelientibus cum ſepulto.*

Maximi Petronii maligna consilia adversus Valentinianum.

(p) Procop. B. Vand. l. 1. c. 4. p. 186. & 187.

(q) Evagr. l. 2. c. 7.

Valentinianus occidit Aëtium.

(r) Idatius in Chron. Prosper in Chronic.

(s) Sidon. Carm. 5.

(t) Procop. B. Vand. l. 1. c. 4. p. 187.

(u) Marcell. in Chron.

A. C. 455.

(x) Prosper in Chron.

Idem Imperator ab Amicis Aëtii trucidatur.

(y) Idatius Evagr. l. c.

(z) Jornand. de Reg. Succ. p. 654.

non parum morderet, Maximus Petronius malevolorum consilia eò inclinabat, ut Valentinianum in Aëtii exitium impellerent (p); hoc quippe pereunte Maximo spes erat, vel se non procul ab Imperii gradu, aut Cæsarem propè interitum fore: quod quidem non Aëtii odio, sed ultionis ardenti studio agitatum fuisse, posteà compertum est. Discruciabat nimirum Maximum domesticus quidam dolor, quo uxori suæ ab intemperantia Cæsaris vim illatam meminerat (q); in authórem igitur delicti cùm vivente Aëtio furere non liceret, hunc antè à latere Cæsaris disjungendum putavit. Heraclæ proinde persuadet, Aëtium suæ sortis limites egressum Imperio insidiari: crimen ad Valentiniani aures usque evulgatum facilem fidem (utì cupido regnandi ad omnes questus mollis est) invenit: vocatur in aulam Aëtius cum Boëtio Prætorii præfecto, cæterisque amicis (r), atque his in atrio consistere jussis, soli Aëtio adire cubiculum Principis præcipitur: is ubi incautiùs ad eum sermonem delabebatur, quo filio Gaudentio addictas jam filiæ Regiæ nuptias urgeret; Valentinianus suspicione insidiarum recentiùs incensus viro fortissimo debili & effœminatâ manu (s) ferrum in viscera immergit, simúlque sinistrâ manu (quemadmodum Romanus quidam jocabatur) sibi dexteram præscindit (t); inde Boëtio aliisque Ducibus sublatis (u) id, quod primò de nece Imperatoris conceptum fuerat, tutiùs exequi licuit: Maximus Aëtii amicis obrepens, corpore exanimi ostenso scelus Cæsaris ac vim questus cunctis ciet lachrymas, dein quasi inertibus querelis castigatis author est, ut, quod viros, quod Romanos deceret, adversus purpuratum sicarium arma caperent (x): duo ferocissimi Optila & Transtilla cum armis voluntarii continuò adsunt (y); & Cæsarem undequaque secuti, in loco, cui à duabus lauris nomen est, ludentem aggrediuntur (z): ictibus cruentis postquam corpus Principis dilaniaverant; nullus inspectantium fuit, qui perituro Cæsari ferret opem. Extinctus itaque anno Regni trigesimo & quarto ætatis supra trigesimum, Ravennæ sepultus, ubi in tumulum secum Progenitoris Magni Theodosii gloriam inglorius nepos detraxit, stravítque infelix gradum, per quem distractum in partes Imperium ad ruinam quoque suam propè sequeretur.

§. III.

§. III. *In* OCCIDENTE MAXIMUS *ſibi purpuram, & Eudoxiæ Auguſtæ connubium arrogat: Vandali in Italiam ab Eudoxia vocati expilant Romam: cædes Maximi, cui ſuccedit* AVITUS. *Poſt Avitum regnat* MAJORIANUS, *bujus victoriæ contra Vandalos & Viſigothos, ac infelix obitus. Poſt hunc imperant* SEVERUS, *dein* ANTHEMIUS, OLYBRIUS, *&* GLYCERIUS, *demum* JULIUS NEPOS, *cui Oreſtes ablatum Imperium transfert in filium* AUGUSTULUM. *Odoacer Oreſte occiſo & Auguſtulo exauthorato ſe Regem Italiæ pronunciat, finítque Imperium Occidentale. In* ORIENTE *Marciano mortuo regnat* LEO THRAX, *cui gener* ZENO *ſurrogatur.*

I. QUamprimùm Valentinianus triſti fato deceſſerat, Maximus ejus Regnum, ſimúlque thalamum rapuit (a); natus is eâdem ſtirpe eſt, quæ anno CCCLXXXIII. alium jam Maximum dedit, qui regnante Gratiano purpuram invaſerat (b). Subinde poſt varios officiorum gradus (c) Imperii prehendens inſignia, honoris onere ſe premi magis, quàm refici ſenſit; nam coorti undique barbarorum motus diſturbabant viri quietem, quâ jucundiùs inter domeſticas delicias olim perfruebatur. Diviſurus igitur curas Avitum legionum Ducem deligit, mandátque, ut facto Toloſam itinere Theodoricum Viſigothorum Regem magìs eo tempore Italiæ infeſtum pacis conſiliis deliniat (d). Quantâcunque Providentiæ ſpecie hæc agerentur; multis tamen altiùs hæc opinio jam inſederat, Maximum nec ſub regno alterius fidelem fuiſſe ſervum, neque nunc in Regni apice utilem Dominum futurum (e). Antequam fama ejusmodi omnium corriperet animos, Eudoxiam Valentiniani viduam etiam invitam in connubium adigit (f): reluctantis Auguſtæ amorem ut tandem eliceret; incautiùs Eudoxiæ fatetur, ſe ejus ſtudio, ac cupidine, Imperatori necem conſciviſſe. Quo benevolum eblandiri animum Maximus conabatur, eo ſummum in fœmina odium accendit. Ægriùs illa tulerat antè ſe è Principis conjugio in amplexus ſervi pertractam: at modo edocta Parricidam omnino in ſuum thorum involâſſe, nihil omittendum cenſuit, ut injuriam criménque aboleret (g). Ex Oriente cùm auxilii nihil ſperaret; ad

(a) Marcell. Chron.
(b) Procop. B. Vand. l. 1. c. 4. p. 186.
(c) Sidon. l. 2. ep. 13.
Maximus Petronius rapit Imperium.
(d) Sidon. Carm. 7. p. 344. 345.
(e) Proſper in Chron.
Maximi nuptiæ cum Eudoxia Auguſta.
(f) Procop. B. Vand. l. 1. c. 4. p. 188. Evagr. l. 2. c. 7.
(g) Procop. p. 188.

Eudoxia Vandalos in Italiam vocat ad ulciscendam Valentiniani necem.

(h) Procop. l. 1. c. 5. p. 189.

(i) Victor Tunon.

ad Gensericum literas in Africam mittit, quibus Barbarum ad ultionem, ínque Maximi exitium provocabat: adfuit hic illico cum ingenti classe, dúmque ad portum Italiæ successit (h), Romanorum singuli in fugâ sibi subsidium posuêre. Qui fugientium metum reprimere, aut objectu corporis tutari urbem debuerat Maximus; is dilabentium per portas primus fuit (i). Quare à fremente populo lapidum, saxorúmque nimbo obrutus, tandem à Romano milite obtruncatur; inde in exanime cadaver quisque pejùs sæviit: tractum unco per urbem, dein in frustra discerptum, demum in Tyberim dejectum est, ne ejus memoria restaret, qui legitimo Imperatori necem, & duorum mensium tyrannide toti Italiæ exitium conscivisset (k). Triduo post cædem Maximi, scilicet decimo septimo Kalendas Julii Gensericus Romam nullo prohibente ingreditur (l): venienti occurrens Leo Pontifex orabat, ut civitas à funestis facibus, cives à cædibus servarentur (m): precibus Papæ ubi id Barbarus indulserat; licentissimo militi ædes saltem ac templa expilanda relinquuntur (n). Discurrunt ad prædam Vandali, fit auri, argentíque fœda direptio; nec à templis temperatum est: quidquid igitur Romanorum industria aut pietas huc multis annis attulerat, hoc intra quatuordecim dierum spatium, avara Barbarorum manus abripuit (o). Spoliis ad naves deportatis Magnatum præcipui catenis vincti abducebantur: silentium verò triste, ac tacita mœstitia omnium defixit animos, quando Eudoxia unà cum duabus prolibus Placidia & Eudocia in captivorum numerum referri visa est. Inter fœminarum ploratus virorum servituti adgementium Gensericus lætior in altum solvit, & felici cursu mare emensus jam ad Africæ litora pervenerat; tum tempestas subitò exorta naves illas potissimùm afflixit, fluctibúsque demersit (p), quæ statuas, & sacra vasa, vehebant; ut nempe in portu disceret Barbarus, nullum Romanæ urbis prædonem ex Italia opulentum exivisse.

Maximi cædes.

(k) Idatius in Chron. Jornand. R. G. c. 45. p. 677.

(l) Theoph. p. 93.

(m) Victor Tunun. Chr.

(n) Marcell. Idatius. Evagr. l. 2. c. 7.

Romam Vandali expilant.

(o) Prosper in Chron. Vict. Tun. Sidon. Car. 7. p. 345.

(p) Theophan p. 93. Procop. B. Vand. lib. 2. c. 9. p. 255.

2. Tolosæ apud Theodoricum Avitus pacis Orator adhuc constiterat; dum de morte Maximi fama percrebuit (q). Visigothorum Rex quoniam pacem Avito jam concesserat, plus se amico eidem huc occasione largiri posse credebat; si inito fœderi pur-

(q) Sidon. Carm. 7. p. 345.

purpuram adderet (r); itaque Tolosæ à Gothis Imperatorem renunciari facit: sed à barbarâ manu fasces accipere cùm periculi plenum opus foret; abstinendum Avitus nomine tantisper duxit, dum Romæ à populo senatúque dignus gubernaculis censeretur (s). Nemine refragante probatus ab omnibus Princeps, turbulenta nihilominus regni initia habuit: Rex Suevorum Riciarius in Hispania iis ditionibus insidiabatur, quas Romani in Carthaginensi ac Tarraconensi tractu adhucdum possederant (t). Theodoricus ardentibus bello Provinciis proximus, ex fide, quam Avito pactus fuerat, rebellantem Regem primò minis, dein armis in Gallæciam usque persequitur: illinc in fuga captum trucidat; ac ne cæteris ad novos tumultus animi crescerent, Lusitaniæ Gallæciæque urbes populando Regnum Suevorum ferè exscindit. Necdum omnis belli æstus in Hispania subsederat; tum in Africa pejora adversus Avitum incendia proruperunt. Gensericus exhaustæ Italiæ prædâ turgescens, illam Africæ partem vindicatum ibat, quæ post divisionem cum Valentiniano factam Romani adhucdum juris erat (u). Avitus Regi Vandalorum pristinas de divisa Africa leges commemorans (w), aliud nil impetravit, quàm ut Gensericus instructâ denuò classe ampliores etiam extra Africam provincias quæreret. Ricimerus Suevorum licèt genere oriundus, gloriâ tamen militari illustrior irruenti hosti obviàm ad sicula usque litora mittitur (x): declinantem ibi certamen Gensericum in Corsicam usque secutus, remigem, militémque ad pugnam expedit; dein dato signo rostris concurrit: jámque ferreâ hostium navibus injectâ manu, ex propinquo ita confligebatur, ut milites omissis missilibus gladios propè collato pede consererent; tum Vandalorum Prætoriâ nave captâ, aliæ fugientes passim in mari demersæ, aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela in portubus tantùm Africæ salutem invenerunt. Victoria de Vandalis reportata quantum Duci laudis, tantum opprobrii Imperatori attulit; hic enim cùm voluptates nimiùm: minus subditos respicere diceretur, spoliandum utrisque Avitum re gestâ superbior Ricimerus putavit (y): juncto igitur cum Majoriano fœdere Cæsarem decimo quarto Imperii mense Placentiæ purpurâ exuit (z), diriùs in eundem Avi-

Avitus creatur Imperator Occidentis.

Bellum Theodorici contra Suevos in Hispania.

Ricimeri Victoria de Vandalis.

Avitus & Ricimero purpurâ spoliatur.

(r) Idem p. 347.

(s) Idatius in Chron. A.C. 456.

(t) Jornand. R. G. c. 44. p. 675. 676.

(u) Victor Utic p. 34.

(w) Priscus legat. p. 63.

(x) Idatius in Chron.

(y) Gregor. Tur h. F. l. 2. c. 11. p. 280.

(z) Marcell. in Chron.

Avitum grassaturus, nisi ad suos Arvernos remeantem antè pestis sustulisset (a).

(a) Evagr. l. 2. c. 7 p. 299

A. C. 457. *Mors Marciani Imperatoris.*

3. Meliore fato sub idem tempus Principatum suum deposuit Marcianus Orientis Imperator, à regno terreno ad cæleste evocatus: is cùm septimo Calendas Januarii ad supplicationem publicam pedes etiam procederet (b); fractam jam valetudinem adeo prostravit, ut post triduum, sive pridie Calendas Februarias luctuosum omnibus daret funus anno ætatis sexagesimo tertio, Imperii septimo, Princeps optimus, in quo Pietas, Justitia, ac Religio æquis viribus certabant (c). Post Marcianum Orientis Imperium demandatum est Leoni Tribuno, quem alii à factorum gloria, aut à fide, virtute ac prudentia Magnum (d), alii à Patria natali Thracem appellant (e). Primus inter Græcos Cæsares fuit, qui à Patriarcha urbis Constantinopolitanæ unctionem, coronámque suscepit (f); atque inde ad Ecclesiam Dei protegendam confirmatus potissima bella adversus Eutychetis gregarios summâ fortitudine gessit. Sed utì ad modum terrifici Leonis quà voce, quà viribus Hæreticorum concutiebat animos; ità Agni mansuetudinem præferebat, siquando Catholicorum, ac Piorum gemitus paterno sinu excipere, vel opem laborantibus ubique præsentem suppeditare occasio monebat. Dum Orientis saluti hâc ratione prospiciebat, curas etiam non leves Occidentis Imperio commodavit. Senatu quippe Romano in undecimum jam mensem deliberante, quem Principem calamitosæ Reipublicæ imponeret? hujus Leonis Augusti consilio repentè factum est, ut Imperator ejusmodi deligeretur, qui validâ manu, ingenióque tot fluctibus opportuno clavum admoderari posset (g). Fuerat is Majorianus, quem cùm Aëtius pridem Regno dignum censuisset; aulâ ejectum voluit, ne filio Gaudentio fasces præriperet (h). Subinde à Valentiniano revocatus variis honoribus claruit (i); dum post trium Cæsarum fata Reipublicæ gubernaculis prope Ravennam admoveretur. Principatum sortitus collapsam Imperii disciplinam legum adminiculo restaurare cœpit (k): recisis vectigalium immensorum exactionibus (l), & delatorum licentiâ castigatâ, in adulteria (m), ínque avaritiam eorum Parentum severiùs animadvertendum voluit, qui vi, aut artibus nefastis filios ad sta-

(b) Theod. L. l. 1. p. 552.

(c) Evagr. l. 2. p. 299. Idat. in Chr. Marcell.

(d) Niceph. Chr. Cedren.

(e) Theod. L. l. 1. p. 552. Theophan. p. 95.

(f) Theod. L. p. 568.

Majorianus Imperator Occidentis. A. C. 457.

(g) Sidon. c. 5. Jornand. R. G. c. 46.

(h) Idem p. 318.

(i) Tillem. in vit. p. 542.

(k) Cod. Th. Novell. t. 3. *Leges Majoriani*

(l) Cod. Th. Novell. 4.

(m) Novell. t. 9.

tum

tum Ecclesiasticum cogerent (n): adhæc familiarum amplitudini consulturus, zelo ardentiore, ac sacra decreta permittebant, connubium viduis imperavit, proposito etiam pœnarum metu (* 1). Interiorem Reipublicæ formam postquam ex sanctionum suarum præscripto ordinaverat; externis hostibus occurrere decrevit, ne solitâ licentiâ deinceps Imperii Provincias diriperent. Per alpium nives durissimâ hyeme copias suas pedes in Galliam prævivit(o): illinc levi certamine Gothos victos (p) in idem fœdus compulit, quod cum Avito antecessore Augusto pepigerant (q); tum Majorianus novis inde Barbarorum auxiliis (r) auctus, copias in Africam trajecit. Gensericus ad tantum turbinem cohibendum, eas terras, per quas Romanus miles Carthaginem tendebat, annonâ exhaurit, fontes veneno inficit (s), & magnam navium partem proditione capit: tot casus impulêre Majorianum, ut in Galliam remearet, minimè tamen abjecto alterius expeditionis consilio. Vandali secundæ irruptionis eventui diffisi, missis Arelaten Legatis cum Majoriano in pacis leges convenêre (t). Vandalis atque Gothis fœdere delinitis, in Hispania adhucdum Suevi infestos Romanis tumultus ferebant; hos quoque suis rapinis, armisque exuere facile fuisset, nisi Ricimerus Magister militiæ victoriarum cursum; & homo Arianus vitam Catholici Cæsaris abrupisset. Idem Suevo Patre ac filiâ Valliæ Gothorum Regis oriundus, cùm suæ potiùs genti, quàm Imperio prospectum iret (u); eâdem perfidiâ, quâ Avitum regno dejecerat, Majorianum exauthorare præsumit: dein purpurâ spoliatum apud Dertonam ad fluvium Hyram trucidat anno Imperii quarto (x).

A.C. 458.
(n) Cod. Th. Nov. t. 2. & 8.
Expeditio Majoriani contra Visigothos.
A. C. 459. & 460.
(o) Sidon. Carm. 5. p. 325. 326 327
(p) Paul. v. Martin. l. 6.
(q) Idatius in Chron.
(r) Priscus p. 42.
(s) Procop. B. V. l. 1. c. 7. p. 194.
Expeditio irrita contra Vandalos.
(t) Priscus p. 74.
A. C. 461.
(u) Cuspin. in Fastis.
Mors Majoriani.
(x) Idatius p. 40. Evagr. l. 2. c. 7.

(* 1.) BARONIUS Tom. V. Annal. ad a. 458. § 4. hanc legem Majoriani ita excusavit, quod viduas illas tantùm exagitârit, quæ non amore continentiæ, sed ut liberiùs viverent, refugerent nuptias iterare. Præterea ait, alias leges tulisse Majorianum, authore S. Leone Pontifice Romano: nempe dum *constituit, ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate annis quadraginta*, quod edictum promulgatum est adversus Parentes, qui filias Virgines invitas cogebant sacrum velum accipere, ademptâ nubendi potestate. Cæterùm S. LEO de virginibus, quæ sponte habitum virginitatis susceperant, ad Rusticum Narbonensem epist. 92. c. 14. ita rescripsit: *Puellæ, quæ non coactæ Parentum Imperio, sed spontaneo judicio Virginitatis propositum, atque habitum susceperunt; si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi consecratio non accessit; cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.*

Severus Imperator Occidentis.
A. C. 462.

4. Parricida duorum Cæsarum quamvis poteſtate ſupremâ poriretur; per barbaram tamen ſuam progeniem prohibebatur, quo minùs eidem nomine Auguſti uti liceret: Severum igitur in Lucania natum poſt exactos tres menſes uſurpare Imperium juſſit (y), ut is titulum regni; rem verò ipſam Ricimerus teneret (z). Quamprimùm evulgabatur, Severum regnare; Galliarum Præfecti dare nomen Principi renuebant: quin Agrippinus Provincias ſuæ fidei commiſſas Barbaris potiùs prodere (a), & Ægidius odio Severi ditiones privato Dominatu moderari: Marcellinus (b) demum novum ſibi in Dalmatia ſtruere Regnum cœpit. Hos inteſtinos motus auxit inquies animus Genſerici, qui mortuo Majoriano inficiabatur, ſe porrò pacis legibus teneri (c): quare dum ſuetâ populatione Italiam rurſus, proximáſque inſulas invadit; à Romanis Leoni Auguſto ſupplicatum eſt, ut ad depellendum hoſtem validam claſſem ſubmitteret. Verùm Orientis Imperator cauſabatur, fœdus cum Vandalis initum obſtare, quo minùs Genſerico arma inferre jam ſibi fas ſit; Oratores tamen ſe miſſurum in Africam, qui cohibere vim pro viribus allaborent (d). Legatio ejusmodi Leoni magis, quam Italiæ profuit; quod enim Marcianus precibus, minísque extorquere à Barbaro fruſtra quæſiverat, id facili aſſenſu jam conceſſum eſt, nempe ut Eudoxia Valentiniani vidua, cum Placidia è poteſtate Vandalorum manumiſſa in Orientem iret (e): una duntaxat Eudocia, natumajor Eudoxiæ filia velut novarum turbarum fomes in Africa retenta eſt; cùm enim Genſericus hanc ſuo Hunerico filio uxorem junxiſſet, inde ſe Italiam jure perſequi contendebat, quòd Valentiniani Patris bona, ac hæreditas filiæ negaretur. Bellorum igitur cùm nullibi remedium, nec finis eſſet; Ricimerus calamitatis (quam ſanare non poterat) ſenſum novo ſaltem Principis fato obtundere conabatur: nempe ut eſſet, in quem culpa tot tumultuum innoxiè conjiceretur, Severum velut tertiam perfidiæ ſuæ victimam veneno ſuſtulit (f). Ab hoc tempore idem Ricimerus per duos annos authoritate Imperii, non tamen purpurâ uſus eſt: hoc intervallo exacto, cùm Reipublicæ moles ſine legitimo capite nutaret undique; Barbarus de alio ſurrogando Cæſare meditabatur. Deliberanti Genſericus Olybrium obtruſit eundem (g), qui Placidiæ

(y) Theophan. p. 97.
(z) Caſſiodor. in Chr.
(a) Idatius p. 41.
(b) Priſcus p. 42.
(c) Priſcus p. 74. Procop. B. V. l. 1. c. 6. p. 192.
(d) Priſcus p. 74.
Eudoxiam Genſericus remittit ex Africa.
(e) Idatius in Chron. Theophan. p. 94. Evagr. l. 2. c. 7.
A. C. 465.
Mors Severi
(f) Idatius p. 43. & 44.
A. C. 466.
(g) Procop. B. V. l. 1. c. 6. p. 191.

cidiæ Valentiniani filiæ, ac Eudociæ Hunerici uxoris sorori Constantinopoli paulò ante nupserat; sperabant inde Vandali non tenue rerum suarum emolumentum, siquidem talis in Occidente regnaret, qui utì affinitate, ita & animo Vandalico Regi conjunctus, ampliorem deinceps dominatum Genserico permitteret. At Senatus dudum Vandalorum rapinas detestatus ad Leonem Legatos direxit, ut è Græcis digniorem designaret, qui publica magis, quàm Vandalorum vota impleret (h). Leo rogatus Romanis Anthemium obtulit: erat is (si genus spectes) Procopii Patricii filius, ac Marciani Augusti gener: sin mores attendas (i), pietatis & integræ fidei laude insignis; hunc postquam Romanorum singuli amplis suffragiis accepissent, Ricimero ille adeo non displicuit, ut amicitiæ firmandæ causâ ejus filiam unicam in sponsam expeteret (k).

A.C. 467.

Anthemius Imperator Occidentis.

(h) Sidon. Carm. 2. p. 291. 293. Procop. B. V. l. 1. c. 6. p. 191.

(i) Theoph. p. 98.

(k) Evagr. l. 2. c 16.

5. Dum Anthemius idem in Italia Imperator salutabatur (l), Gensericus se negligi fremens, ultionis suæ ferociam in oras Græciæ & Italiæ diffundit: dein versâ in Orientem populatione Alexandriam penetrat, non quærens victoriam, sed prædam. Vagi hujusmodi cursus etsi magis essent ad vexandas regiones, quàm subigendas; tantum tamen sparsêre terrorem, ut Constantinopolis, quæ à funestissimo nuper incendio vix respiraverat (* 2), ad belli hujus flammam anxia denuò trepidaret. Leo Imperator, quò invisos prædones citiùs rejiceret in Africam, junctis cum Marcellino Dalmatiæ Regulo, & cum Anthemio Imperatore copiis (m) classem mille & centum navium adornat (n), cujus Ducem supremum fato quodam suo designabat Basiliscum, Verinæ conjugis Augustæ fratrem (o). Nihil equidem viro huic ad fortunam belli, ac scientiam deerat (p); tardo tamen utebatur ingenio (q), & fraudibus incauto: cùm enim geminâ Regni nimirum & argenti cupidine incenderetur, præcipitem sæpe, & venalem etiam aliis in scelera animum ostendit (r). Hominem ita comparatum Aspar Patritius opportunis artibus aggreditur: jactabat ille

(l) Cuspin. in Chron. Vict. Tun.

Leo Orientis Imperator decernit bellum contra Vandalos.

A. C. 468.

(m) Procop. l. 1. c. 6. p. 191 & 192.

(n) Theod. L. p 555.

(o) Procop. l. c. p. 191.

(p) Theoph. p. 99.

(q) Suidas.

(r) Suidas Procop. l. 1. c 6. p. 195.

(* 2.) Incendium, quo Constantinopolis maxima pars anno 465. deflagravit, describunt, SURIUS 11. Decembris in vita Danielis stylitæ: THEOPHANES pag. 99. EVAGRIUS l. 2. c. 13. p. 306. THEODORUS Lector p. 555. CEDRENUS p. 348.

A. C. 468. ille ſuo ſtudio confectum, ut duos jam Cæſares è ſuo ſervitio ad purpuram dimiſerit, Marcianum ſcilicet, & Leonem; horum poſtremum beneficii adeò immemorem nunc evaſiſſe, ut ſibi, ac Artaburio filio, quibus faſces Leo deberet, pro favoribus frigeſcentis benevolentiæ indicia, vel potiùs injurias reponat: conſtitutum proinde ſibi eſſe perdito Leone, alterum Orienti caput imponere (s), nec alium à ſe antehabitum iri Baſiliſco, ſi is claſſem, quam ex ejusdem Leonis mandato regendam ſuſcepiſſet, ita moveret adverſus Genſericum amicum ſuum, ut Vandali è bello integris viribus eluctati, potentiam porrò Leonis penitus diffringerent. Baſiliſcus oſtentatione Regni pertractus, in conſilia Aſparis tanto celeriùs conceſſit, quanto jucundiùs contuebatur ſimul cum ampliſſimâ honorum pollicitatione non minorem pecuniæ ſummam repræſentari (t). Dum doloſis ejusmodi inſidiis Dux belli imbuitur aut corrumpitur; Marcellinus fœderatus Leonis Sardiniam Vandalorum poteſtati eripit (u): & Heraclas ex Ægypto Imperatore jubente in Tripolitanam invectus Vandalos terrore percellit (x): tertius ſequebatur cum claſſe Baſiliſcus ad Carthaginis propè litora, facili negotio in urbem timore concuſſam irrupturus, niſi mens læva ei fuiſſet (y). Eâdem fraude curſum navium fixis anchoris ſuſpendens, Genſerico quinque dierum ſegnes inducias, vel potiùs ſpatium nefaſtum veterator indulſit, quo tempeſtatem meliorem opperiens hoſtis tutiùs deinde in Romanam claſſem irruit. Venti enim cùm ſubinde Vandalis adverſus Cæſareos faverent; Genſericus agili & nautico inſtrumento aptas naves in roſtratas Romanorum dirigit, indéque ignem ventorum adminiculo in totam illam navalem Sylvam, quæ conferto ordine mare oppleverat, propagat (z). Flammâ undique in Romanorum navigia graſſante, Vandalorum Rex alias naves ſubmittit, unde miſſilium ac telorum jactu incendii acerbitas augeretur: laborantibus ſubventum ibat è Sardinia Marcellinus (a); ſed eo quoque per inſidias perempto, clades penè ad ultimum exitium devenit. Reliquias funeſtas manibus Vandalorum, aut naufragio ſubductas Baſiliſcus Conſtantinopolim revexit (b): illinc Proditor repentino turbine conſcientiæ, aut pœnarum metu correptus ad templum S. Sophiæ provolat, quâ fugâ

(s) Theoph. p. 100. Theod. L. p. 555.

Aſparis contra Leonem Imperatorem conjuratio.

(t) Theoph. p. 100. Theod. L. p. 555.

(u) Procop. l. 1 c. 6. p. 192

(x) Theoph. p. 101.

(y) Procop. l. c.

Proditio Baſiliſci.

(z) Idem p. 193.

(a) Marcell. in Chron.

(b) Procop. B. V. p. 193.

fugâ ubi ſceleris ſui ſignum palàm edidiſſet; id quoque poſteà obſcurum non fuit, Aſpare incentore Leoni internecinam ejusmodi cladem eveniſſe. In Baſiliſcum operâ Verinæ Auguſtæ ejus ſororis mitior, ac meruerat, pœna nempe exilii decreta eſt (c): verùm Aſparem tot præſidiis adhuc vallatum invadere à periculo haud aberat; quare Leo, ut ſecuriùs virum perderet, Iſaurorum ſuppetias ſibi (d) conquirit, atque ut certò populus hic in fœdus iret, Zenoni gentis præcipuo (e) filiam ſuam Ariadnam connubio jungendam tradit (f). Aduſsêre Aſparem novæ hæ nuptiæ, ſpésque Imperii in peregrinum hominem translata, jámque deſperanti ſimilis ultima meditabatur; tum Leo ſeditionis vim repreſſurus, quaſi mutato ad ſpeciem animo Patriciolum Aſparis filium creat Cæſarem, huícque aliam filiam deſpondet. Quantùm hoc conſilii genere Aſpar deliniebatur, tanto tumultu Catholici propoſito Imperatoris obluctari viſi ſunt: convenerant hi in circum unà cum Gelladio Epiſcopo, ac inde Marcellum Abbatem, aliosque de ſuis in palatium ablegant, qui Auguſto denuncient: Senatum, totúmque cleri ordinem obſtitiſſe ſemper, quo minùs Aſpar (utùt dignus Imperio) ad ſolium eveheretur; propteреà quod Arii ſectatori in Conſtantini Magni ac Catholici ſede locus eſſe non poſſit (g): neque nunc civibus fortes animos excidiſſe, quibus à Purpura repellant Aſparis filium, æquè inviſæ ſtirpis, ac erroris hæredem (h). Leo ad comprimendos plebis motus Catholicæ rei geſtoribus iſta repoſuit: Pacis publicæ interfuiſſe, ut Patriciolus Cæſaris nomine impertiretur; cæterà ſibi non minori curæ futurum, ut regni candidatus non anteà faſcibus frueretur, dum Ario ejurato Catholicæ fidei Sacramentum dixiſſet. Imperator hâc ratione populo, non tamen Aſpari ſatisfecit; ſive enim huic diſpliceret Zeno filii ſui æmulus, aut quod Patriciolus paternam abdicare religionem juberetur, inſidias ex inſidiis Auguſto ſtruere adnititur: iſtæ ubi à præfecto militiæ, cui Martino nomen, detectæ fuerant (i); Leo ferociam hoſtis ſui occupandam ratus (k), Aſparem cum duobus filiis ad prandium invitat, ac vino bene oppletos ſpadonum enſibus concidi jubet (l). Artaburium ferunt viſo Patris cæſi capite de eo queſtum eſſe, quod aures occluſiſſet ſibi ſæpius in hæc verba

mo-

(c) Theoph. p. 100. Nicephor. l. 15. c. 17.
(d) Candid. p. 18.
(e) Agath. l. 4. p. 134.
(f) Evagr. l. 2. c. 15.
A.C. 471.
(g) Theoph. p. 100.
(h) Zonar. p. 41. Sur. 29. Dec.
Aſparis & Artaburii interitus.
(i) Candid. p. 18.
(k) Procop. B.V. l. 1. c. 6. p. 139.
(l) Niceph. l. 15. c. 27.

monenti: Priùs Leonem devoremus, quàm ille nos ſibi apponat in prandio. Occiſo Parenti & fratri unus Patricíolus ſuperſtes fuit, qui leviter vulneratus exilio poſteà vitam redemit (m).

(m) Candid. p. 18. Nicephor. l. c.

6. Quamprimùm de Aſparis fato intellectum eſt; fama ejuſmodi variis animis accepta eſt: fremebat Baſiliſcus, hujus viri potentiſſimi nece ſibi ſpem regni ereptam: Ariani & Gothi ſuum concidiſſe columen indignabantur (n), ac ne inultum ſinerent facinus, per Thraciam immenſas ſtrages circumferebant: quin Ricimerus in Occidente peſſimum inde de tollendo Anthemio conſilium cepit. Diſſidio ille divulſus ab Anthemio, Mediolanum ante tres annos ſeceſſerat, ut inde Imperatorem bello aperto perſequeretur (o); precibus, ac lachrymis tamen multorum emollitus arma ad tempus: minimè verò odium poſuit. Hoc ſubinde ſtimulante Euricum Gothorum Regem, qui fratre Theodorico occiſo ad Regnum graſſatus fuerat, in Romanas Galliæ Provincias provocat (p); aliáque molitur, quæ hoſtilem Ricimeri animum prodebant (q). Exultantem perfidis conſiliis hominem nuncius perterruit, qui ex Oriente referebat, Leonem, ne ab Aſpare periret, eundem cum filio perdidiſſe: pertimeſcebat inde non vano metu Ricimerus, ne cui ſcelere ſe feciſſet parem, pari quoque exitio (ni provideret) occuparetur; anxiam tandem mentem audaciâ firmans, ultimam belli aleam adverſus Imperatorem jacere ſtatuit (r): & quoniam Anthemius Romæ tunc agebat, raptas ſubitò copias ad obſidionem urbis traducit (s). Romani cives in partes diſtracti conſpectis ad Pontem Milvium caſtris trepidè conſultabant, quâ ratione hoſtis ira averti poſſet? Pluribus placuit, Olybrio (qui eodem tempore à Leone Romam ablegatus fuerat) deferre Purpuram (t). Dum hic novus Imperator à populo ſalutabatur; Bilimerus Romanæ Magiſter militiæ ex Gallia cum copiis ad vindicandum Anthemium accurrit: parum aberat, quin ferro ſibi per caſtra viam in urbem aperiret; ſed dum Tyberim trajicit, in ipſo ponte à Ricimero cæſus conditionem Anthemii pejorem reddidit; ſuperbior quippe victor jam ſummâ vi in urbem irrumpens, ædibus vaſtitatem, necem civibus afferebat: nec ante furor ceſſavit, donec Anthemius vivere deſineret. Quarti hujus parricidii pœnam poſt quadraginta dies

(n) Chron. Alex.

(o) Ennod. Ticin. in v. Epiphan.

A. C. 469.

(p) Sidon. l. 7. ep. 6.

(q) Jornan. R. G. c. 45. 47.

A. C. 470.

Ricimeri inſidiæ adverſus Anthemium.

(r) Valeſ. R. Fr. p. 114.

(s) Bucher. l. 17. c. 17. §. 5. & 6.

(t) Victor Tun. Evagr. l. 2. c. 16. Chronic. Alex.

Interitus Anthemii.

A. C. 472.

Mors Ricimeri.

dies Ricimer ſat levem exſolvit (u); hoc enim ſpatio evoluto in morbum incidens brevi interiit, violentâ morte perire dignus, qui vitam licentiſſimè quatuor jam Cæſaribus eripuerat (x).

(u) Caſſiodorus. (x) Onuph. Panvin. in Faſt. Conſ. Buch. p. 550

7. Olybrius poſtquam tribus menſibus guſtaverat Imperium (y); Glycerio idem relinquere cogitur: exemplo ſex prædeceſſorum hic ſapere debuiſſet, quorum in fatis erat aſcendere ſolium, ut citiùs dejicerentur. Verùm Gundibaldi hortatu periculum contemnens Glycerius Ravennæ regnum invaſit potiùs, quàm tenuit (z); inſequente enim anno Reſpublica uſurpatorem Imperii amplius non ferens, Julio Nepoti (Marcellini quondam Patricii ſororis filio) gubernacula demandat (a). Glycerius quò tempeſtati ſe ſubduceret, celeri navigio per mare elabi cogitat: at fugientem Nepos in portu Romano aſſecutus, ei purpuram detrahit (b), dein exauthorato Epiſcopi veſtes injiciens, repentè ex Occidentis Cæſare Salonæ Præſulem creari jubet; quo Glycerius munere feliciùs, at breviùs perfunctus eſt, ex Eccleſia ad cælorum regnum præmaturâ morte decedens (c).

Mors Olybrii (y) Ennod. in v. Epiph. Marc. Chr. A. C. 473. (z) Jornand. c. 45. Marc. Chr. *Glycerius Imp. ejúsque exitus.* (a) Jornand. Reg. p. 654. *Julius Nepos Imperat.* (b) Onuph. Panvin. Phot. c. 78. (c) Marcell. p. 477.

8. Per idem tempus, quo Roma tot malis opprimebatur, Conſtantinopolis ab omni calamitatis ſenſu vacua non fuit: anno CCCCLXXII. Veſuvius mons Campaniæ è ſuis viſceribus tantam cinerum ac crematæ materiæ copiam effudit (d), ut Europam ferè univerſam ſpiſsâ caligine obrueret. Nulli tamen loco periculum majus, quàm Conſtantinopoli accerſiri viſum eſt (e); octavo quippe Idus Novembris igniti cineres tanto cumulo urbem contexerant, ut reſpirantibus adimerent aërem, ſimúlque grande incendium minarentur. Numen ſupremum precibus populi dedit, ut civitas ſalva hoc diſcrimine exiret; quod beneficium tanti poſteà habitum eſt, ut quot annis ſynchariſticâ ſupplicatione recoleretur (f). Vix Conſtantinopolis à ſuo metu reſpiraverat; in novas turbas incidit: fractus ætate Imperator de ſucceſſore deligendo agitabat conſilia, eóque applicuerat animum, ut genero Zenoni regnum tranſcriberet (g). Peſſimè id conſilium ſubditos habuit; memores enim illarum cladium, quas ab Iſaurorum gente toties paſſi eſſent, Zenonem oderant, tam malignâ radice (h) natum: præterea idem Zeno deformi ſuo vultu tantum ſpargebat terrorem, ut ſinguli non hominem, ſed monſtrum faſcibus donatum iri

Veſuvii inſolitus æſtus. (d) Marcell. Chron. (e) Cedren. p. 350. Theod. L. p. 555. Theophan. p. 103. Zonar. p. 42 (f) Procop. l. 2 c. 4. A. C. 473. (g) Candid. p. 18. (h) Cedren. p. 351.

(i) Zon. p. 42. *Leo Leonem Nepotem creat Augustum.* (k) Candid. p. 18. *Mors Leonis Augusti.* A. C. 474. (l) Theoph. p. 102. Evagr. l. 1. c. 17. (m) Theoph. p. 103. Marc. Chr. (n) Cedren. p. 350.

dicerent (i): ista cùm jactarentur; Leo purpuram, quam genero dare non licebat, nepoti Leoni impertiit (k). Ut primùm Leo Junior (* 3) cunctis Augusti honoribus ornatus (l) velut sydus novum Orienti illucescere cœperat; alter Leo, isque senior (quasi Imperium nequaquam duos soles aut duos Leones ferret) in occasum declinavit (m), ex profluvio ventris (n) extinctus mense Januario, anno æræ Christianæ supra quadringentesimum septuagesimo quarto, Regni decimo septimo. Magnam hic Princeps in sacris ædificiis sui memoriam fundavit; majus etiam in posterorum animis monumentum positurus: si utì Ecclesias frequentes liberali sumptu (* 4) erexerat, ita Ecclesiarum hostes Hæreticos, eorúmque molitiones regiâ potestate animosiùs destruxisset.

Mors Junioris Leonis. (o) Theod. L. p. 666. Theophan. p. 103. (p) Evagr. l. 2. c. 17.

9. Post excessum Magni Leonis Zeno filii nomine per decem menses rexit Imperium, quo brevi spatio elapso nepos avum secutus vitæ, regníque initia præmaturâ morte conclusit (o). Zeno intereà demulserat Magnatum animos, & virtutis cujusdam conciliatriculâ specie ita odium sui emolliverat (p), ut purpuram à filio relictam, velut hæreditatem Parenti debitam palàm

---

(* 3.) NORISIUS in Dissert. III. de Epochis Syro-Macedonum c. 4. ex Chronicis JOANNIS MALELÆ hæc de Leone Juniore refert: *Indictione XII., mense sui Consulatus XI. in morbum incidens, è vivis excessit, mense Novembri, Indict. XIII., anno juxta Antiochenos DXXIII., anno ætatis septimo, utì scripsit Nestorianus sapientissimus Chronographus, qui ad Leonem Juniorem Historias suas perduxit.* PAGIUS ad a. 474. § III. putat legendum esse anno *ætatis decimo septimo.* SUIDAS enim in voce Ξήνων prodit, Imperatoris Proceres operam dedisse; *ut adolescens ille* (nempe Leo Junior) *Sybaritico more, crapulæ & fœdis voluptatibus indulgeret, & suis lenociniis conciliantes ipsi ejusdem ætatis puberes, quibuscum versabatur, ipsum turpiter instituerunt, ut in marium amores furore correptus ferretur,* quod de puero septenni explicari nequit. Equidem Cyrillus Monachus in vita S. Euthymii Abbatis scribit, quod *Imperator* (Leo) *è vita migrârit, Leone suo nepote admodum adbuc infante, successore relicto,* *λέοντα τὸν οἰκεῖον ἔκγονον ἔτι κομιδῆ νήπιον ὄντα*, sed PAGIUS porrò advertit, hanc vocem *κομιδῆ νήπιον* extendi usque ad trigesimum ætatis annum: sic EUSEBIUS in V. Const. l. 2. c. 51. dicit præsentem fuisse Constantinum, cum Imperatores ab Apolline oraculum peterent de decennali persecutione indicenda, quo tempore sive anno CCCII. Constantinus ait iisdem vocibus, se admodum infantem fuisse, licèt tunc ageret tricesimum ætatis annum.

(* 4.) TILLEMONT in Vita Imperatoris Leonis I. T. VI. 2. P. articl. XXVIII. p. 713. varias describit Ecclesias à Leone ædificatas, quas collegit ex NICEPHORO l. 15. c. 26. ex PROCOPIO de ædific. l. 1. c. 3. CANGIO de Constant. l. 4. & ex CODINO de Originibus Constantinopol. p. 39.

palàm, ac nemine obluctante adiret. Sed vix potitus rerum erat; ad monstrosæ indolis vitia reversus, crudelitate cuncta ac libidine complevit (q). Potestate quippe suâ ebrius errorem hunc altè combiberat: ut crederet, flagitium in Principibus nomen amittere sceleris, nihílque esse tam nefastum, quod si libeat, non simul necesse sit Imperatoribus licere. Quare integris pudorem, civibus æs eripere Zenoni volupe erat (r); has tamen rapinas adeò non inultas Deus tulit, ut eodem tempore totum Orientis Imperium aliis prædonibus expilandum objiceret. Mesopotamiam Sarraceni, Hunni Thraciam, & Vandali Insulas undique vastabant (s): demersus inter sordes Princeps ubi calamitatis sensum aliquem perceperat; pœnitentis more S. Severum rogat, ut suscepto in Africam itinere Gensericum ad pacem permoveat (t). Vir sanctissimus subditorum magìs, quam flagitiosi Cæsaris vices miseratus legatione persungitur, tantúmque à Barbaris impetrat; ut fœdus sancirent, quod ad ipsa Justiniani tempora inviolatum stetit. Dispulsis tam decumanis fluctibus, ac otio reddito, turpissimum Zeno rursus Lenonem professus est. Verina Socrus fœdissimi Tyranni institutum abominata (u), cum Basilisco fratre (x), Illo, ac Conone in caput Cæsaris conjurat eo tempore, quo ab urbe Chalcedonem Zeno abierat: dato igitur seditionis signo Basiliscus proclamatur Augustus (y); inde Isauris Constantinopoli occisis Zeno ad necem deposcitur, sed is Chalcedone in Isauriam cum Ariadna conjuge, prolibúsque jam profugerat (z).

10. Quàm lætis vocibus Constantinopolis ad novi Principis conspectum personabat, tam tristi gemitu paulò post urbs eadem cohorruit; quando pro Tyranno, hæreseos Patronum nunc regnare animadversum est. Quamprimùm enim Basiliscus induerat purpuram; Zenonidis turpis æquè, ac Eutychianum fœtorem redolentis fœminæ instinctu, Catholicis bellum indicere instituit (a): premebat passim Episcopos iniquis vectigalium exactionibus (b), & propinquis nuptias incestuosas indulgens, quæstum nefarium exercebat (c): ista ubi ad eversionem Ecclesiæ agebat; non minùs rempublicam id afflixit, quòd cum Principe talis uxor dominaretur, quæ nec Deo, nec marito servaret fidem; Armatium enim Procum petulanter in Basilisci thorum

(q) Evagr. l. 3. c. 1. 3.

A. C. 475.

Leonis Imperatoris maligna initia.

(r) Suidas Cedr. p. 351 Zonar. p. 43

(s) Evagr. l. 3. c. 1.

(t) Procop. B. V. l. 1. c. 7.

Basiliscus invadit Regnum.

(u) Evagr. l. 3. c. 3. Chr. Alex.

(x) Marcell. in Chron.

(y) Jornand. Reg. succ. c. 47.

(z) Theoph. p. 104. Theod. L. p. 556.

A. C. 476.

Basilisci scelera.

(a) Theod. L. p. 556. Cand. p. 14

(b) Suidas.

(c) Codic. Just. 5. t. 5. l. 8. 9.

pertrahens (d), civium integerrimorum, magis autem cæleſtis Numinis oculos offendit: flagrante itaque à domeſticis libidinibus palatio, & flammâ perſecutionis per Eccleſiam furente, tertium Deus incendium addidit, quo præter innumeras ædes pretioſa Bibliotheca Conſtantinopoli (* 5) abſumpta eſt (e). Nemo erat, qui pœnam divinam ſuſpiciens, non ſimul ad Zenonem reſpectaret (f); conflictatus hic in Iſauria per idem tempus cum exilii ſqualore, ſubinde mutabat latebras, & ſæpe, uti eidem vates ſanctus Daniel ſtylita prædixerat (g), herbarum radicibus famem extremam ſolabatur: tandem ad emiſſariorum declinandas inſidias in caſtrum colli impoſitum eniſus (h), à Baſiliſci Ducibus, copiiſque includitur (i), ad deditionem propè cogendus; niſi eodem tempore literæ à ſenatu ad illum Militiæ & obſidionis præfectum (k) perſcriptæ docuiſſent, omnium ſuffragiis Baſiliſcum ad necem, Zenonem ad Regnum poſtulari. Hâc epiſtolâ lectâ Duces mutant animos (l), & ex hoſtibus amici obſeſſo Zenoni arma, manúſque porrigunt. Inſperatis auxiliis inſtructus exul cum novo exercitu Conſtantinopolim properat; Baſiliſcus contrà venienti Armatium (quem copiarum omnium Magiſtrum creaverat) Nicæam uſque occurrere jubet (m). Ibat ille (n), ſed eâ fide, quâ Zenonidis pudorem, ac thalami Auguſti leges jam violaverat; vincere enim cùm hoſtem poſſet, præfecturæ militaris (o) & Cæſaris dignitate filio ejuſdem promiſsâ ita vinci ſe perfidè paſſus eſt, ut abdicato Baſiliſco palàm tranſiret in partes Zenonis, cui proinde per apertum iter (p), tótque Legionibus aucto inter plauſus populi urbem Regiam ingredi licuit. Ex quo Baſiliſcus ſe nudari milite, Zenonem verò jam tenere palatium intellexit; raptis cum Zenonide Uxore prolibus in Eccleſiam confugit: & poſitâ ſuper aram coronâ in magnum ſe Baptiſterium ſubducit (q). Aderat continuò ſatelles, qui ex Zenonis Imperio in-

(d) Candid. p. 19.
(e) Cedren. p. 351.
(f) Theoph. p. 106.
(g) Surius 11. Dec. §. 40.
A. C. 477.
(h) Suidas.
(i) Theoph. p. 104.
(k) Evagr. l. 3. c. 3.
(l) Niceph. l. 16. c. 2. Theophan. p. 106.
(m) Evagr. l. 3. c. 8.
(n) Chron. Alex. Cand. p. 19
(o) Theoph. p. 107.
(p) Chron. Alex.
Baſiliſci interitus.
(q) Theod. L. p. 557.

(* 5.) ZONARAS Annal. T. III. pag. 43. *Baſiliſco imperante maximum incendium Conſtantinopoli extitit, quod in foro ærario exortum, vicina loca omnia in cineres redegit, & publicorum viarum porticus, & ædes illis impoſitas abſumpſit, ipſámque Baſilicam unà cum Bibliotheca, in qua centum viginti millia librorum repoſita fuerunt. In ea fuiſſe perhibetur Draconis inteſtinum longitudine pedum centum viginti, cui aureis literis Homeri poëmata, tam Ilias, quam odyſſea, inſcripta eſſent . . . ſed & hoc conflagravit &c.*

insignia Basilisci abstulit (r): dein ipse Basiliscus à sacrario retractus in Castrum Cappadociæ, quod Limnarum nomen habet, exul ejicitur; ubi cum uxore & filiis, frigore & inediâ, aut (ùt alii malunt) ferro interiit (* 6). Restitutus fascibus Zeno Armatio promissum Prodititionis præmium persolvit (s); nam eundem militiæ Magistrum, filium autem Cæsarem creabat. His ad speciem peractis, Imperator se datam liberâsse fidem ratus, addubitare cœpit, utrum ei tutò regni curæ committi possent, qui in Cæsarem jam perfidus fuisset? & suspicio non levis erat, mobile ingenium mutato tempore Zenoni æquè ac Basilisco perniciosum fore: occultum itaque insidiarum genus (quod aliquo intervallo in simulatione officii latet) declinaturus, Armatium in gradibus, per quos ad visendos Circi ludos ascendebat, opprimi mandat (* 7); dein filium ejus attonsum in Cleri ordinem transferri facit (t),

(r) Chron. Alex.

Armatius proditor punitur.

(s) Theoph. p. 107. Cand. p. 19. Chr. Alex. Procop. l. 1. c. 7. Suidas

(t) Evagr. l. 3. c. 24. Cand. p. 19. Theophan. p. 107.

(* 6.) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI *Basiliscus Imperator cum accepisset à Zenone Palatium occupatum, & ab omnibus receptum, atque ab ipsa etiam sacra Domina Verina, assumptis uxore & liberis profugit ad Magnam Ecclesiam, atque Magnum Baptisterium. Religiosissimus autem Zeno, velo ad usum Circi dato statim ascendit Hippodromum & spectavit Circenses ludos, receptúsque est à Civitate. Misit idem Imperator quamprimùm ad magnam Ecclesiam, & abstulit à Basilisco & uxore ejus & filio omnia Imperatoria signa, & insignia, ejecitque illum cum conjuge & liberis, datâ cautione illos non plexum iri capitibus Amandavitque illum Zeno Imperat. cum suis in Limnarum Castrum, Cappadociam, ubi conjecti sunt in turrim quandam, cujus portam instauravit, custoditúmque est Castrum & turris à præsidio militari, & magnâ manu Isaurorum, faméque necatus interiit Basiliscus & uxor ejus & liberi, ibidémque in Limnarum turri sepulti.* THEOPHANES ad annum 469. secundùm computum Alexandr. interitum Basilisci sic refert: *Missis autem in Ecclesia, qui Basiliscum detinerent, nec ipsum, nec liberos ejus capite plectendos fidem dedit: Cucusum tamen Cappadociæ missum cum uxore & liberis sub custodia servari, & fame confici jussit. Alii, dum abduceretur, jugulatum narrant.* Basiliscus igitur 20. mensibus usurpavit Imperium, ut perhibent VICTOR TUNUNENSIS in Chronico, & PROCOPIUS l. 1. de bello Vandal. c. 7.

(* 7.) THEOPHANES l. c. pergit describere interitum Armatii: *Confestim verò Circensibus ludis celebratis, Armatium Basilisci filium* (lege: Basiliscum Armatii filium) *Zeno Cæsarem declarat: hic in Regia sella juxta Patri facta pollicita, ad Imperatoris latus adsedit, imo cum Imperatore præmia distribuit aurigantibus. Porro Zeno hæc secum volutans, ut Armatius jurejurando fidem oppignoratam Imperatori nullatenus liberavit; ita neque mihi servaturus est imposterum: imò si vires cum ætate sumpserit filius ejus Cæsar jam renunciatus, dubio procul in me insurget. Quod promiseram, implevi, Patrem militiæ Magistrum, Cæsarem filium institui. His perpensis, ipsum, ut perjurum in Palatii cochlea, quâ tenditur in Circum, obtruncari; Cæsarem autem ejus filium Lectorem præcepit ordinari. Ariadna quippe ipsum, ut consobrinum voluit servatum, & postmodum Cyzici Episcopatum optime gessit.*

unde dignior posteà delectus Antistes pro Regno Ecclesiam Cyzici sortitus est.

11. Intereà dum Basiliscus Zenonem Orientis exuerat imperio; Euricus Visigothorum Rex Julio Nepoti Provincias Galliæ detractum ibat (u): Arvernorum una virtus conatibus Barbari obstitit, quo minùs ad Ligerim, Rhodanúmque (utì optabat) regni limitem proferret. Eurico igitur obicem hunc omni armorum acerbitate perrumpere propositum erat: sed Eudicius vir fortissimus (x), qui gentis ac militiæ gerebat curam, hostium impetum ita excepit; ut Gothi nusquam incruenti recederent. Fames tandem cùm Eudicium, Arvernósque magis, quàm bellum premeret, nec medium imbecilli Cæsari esset, quo summâ cum calamitate conflictantem Ecdicium vindicaret; pacem ab Eurico licitari necesse fuit. Ibant subinde Romani Oratores, redibantque (y), quin paciscentibus aures daret Barbarus aut bello finem: conclamatum Negotium Epiphanius demum Ticinensis Episcopus (z) meliore sorte, at miserabili conditione absolvit; neque enim aliter, quàm pactâ Arvernorum deditione ac servitute Gothis arma eripere poterat: id quod Arvernis lachrymas elicuit, nempe se fortitudinis & fidei mercedem hanc tandem abstulisse, ut toleratis tot pro salute Imperii malis inviso hostium jugo subderentur (a). Ecdicius ne eos, cum quibus ad sanguinem usque pugnaverat, Eurico dedi cerneret; relictâ urbe Arvernate ad tutiores Burgundionum terras se recepit. Re ad Julium Nepotem perlatâ, in Orestem Gallicanæ militiæ præfectura translata est: erat is in Romano Pannonum solo Patre Tatulo natus (b), ubi literis excultus in Attilæ posteà obsequia transiit: legationibus pluribus pro Barbaro peractis (c), Romanorum partes amplexus adeò se probavit, ut primùm dignitatem Patricii (d), posteà à Julio Nepote militiæ Magisterium retulerit. Hæc copiarum præfectura ubi Oresti addidisset Imperii vires; has ille in benefactorem convertens, palàm Ravennam adversus Cæsarem movet (e). Strepitus rebellium Nepoti metum, simúlque fugæ consilium injecit; unde mare repentè trajecto Salonam in Dalmatiam se subducit, eumque locum exilii deligit, quorsum Glycerius à Nepote proscriptus ad Antistitis munus paulò antè præ-

(u) Sidon. l. 3. ep. 1. 2. & 3.

(x) Gregor. Tur. l. 2. c. 24. Jornand. R. Goth. c. 45.

Pax perniciosa cum Visigothis à Julio Nepote inita.

(y) Sidon. l. 3. ep. 7.

(z) Ennod. in V. Epiph.

(a) Jornand. c. 45.

(b) Priscus p. 37. & 49.

(c) Amian. Anon. p. 477

(d) Procop B. G. l. 1. c. 1.

Orestes fugato Nepote, filio suo Augustulo tradit Imperium.

(e) Jornan. R. G. c. 45.

præiverat. Principe fugato Oreſtes non ſibi, ſed filio arrogavit Imperium; ſuſceperat hunc ex filia Romuli Comitis Romani (f), à quo Cæſar idem Romulus deinceps audiit: additum ſubinde eſt nomen Auguſti, quod ſive ex convitio, ſive ob Juvenis ætatem in Auguſtuli vocem plures detorsêre (* 8).

(f) Evagr. l. 2. c. 16.

12. Diſciplina militaris Romanarúmque legionum virtus quâ olim in immenſum creverat Imperium, hoc tempore collapſa, ſolis ferè Barbarorum viribus, copiíſque nitebatur: itaque loco Fabiorum, Scipionum, præſtantiſſimorúmque olim Ducum ac militum, nunc Heruli, Scyrri, Alani, Rugii, aliæque, quas ſeptentrio effuderat, gentes in exercitu ac palatio Cæſaris viſebantur. Multitudo ac Numerus Barbaris tantos ingeſſit animos, ut ſtipendiis, ac exteris Provinciis, quas jam tenebant, non contenti, ipſam Italiam cum Imperatore dividere pararent (g). Oreſtes conſiliis ejusmodi obluctatus omnem Barbarorum vim in ſe, filiúmque provocat: Heruli ac Turcilingi exercitûs Attilæ reliquiæ, ac eorum populorum præcipui, qui Hernaco & Duritho Hunnorum Regulis ac Attilæ filiis devictis apud Danubii oras conſederant; hi ſublato primùm ſeditionis ſigno (h), ac Odoacre viro acris ingenii in Ducem delecto (* 9) Italiam invadunt: jámque Tarvaſinos, Vicentinóſque ſubegerant; tum Oreſtes collecta raptim auxilia hoſtibus objecit: nec Odoacer prælium abnuit; factâ

(g) Procop. de bello Got. l. 1. c. 1.

(h) Jornan. de Reg. ſucc. c. 47. Procop. l. c. Ennod. in v. Epiphan.

(* 8.) PAGIUS ad an. 475. Oreſtis filium Auguſtulum appellat ex AUTHORE CHRONICI à Cuſpiniano publicati, qui ad Conſulatum II. Zenonis ita habet: *Intravit Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias V. Kalendas Septembris. Eo anno levatus eſt* AUGUSTULUS *Imp. Ravennæ à Patricio Oreſte Patre ſuo, pridie Kalendas Novembris.* ANONYMUS à Valeſio editus in eandem ſententiam refert: AUGUSTULUS, *qui ante Regnum* ROMULUS *à Parentibus vocabatur, à Patre Oreſte Patricio, factus eſt Imperator.* Demum in Muſeo Farneſiano T. I. extat nummus aureus cum inſcriptione DN. FL. MOMYL. AUGUSTUL. P. F. AUG.; eodem nomine illum ſignat JORNAND. de R. G. c. 45. At BARONIUS illum *Auguſtum* vocatum ait ex Numiſmate alio, in quo legitur ... L. AUGUSTUS P. F. AUG. Optimè ad rem ſcribit PROCOPIUS de B. Goth. l. 1. p. 308. *Uno tempore Byzantii Zeno, in Occidente Imperavit* AUGUSTUS, *quem Romani diminuto blandè vocabulo appellaverunt* AUGUSTULUM, *propterea quod Imperium ſuſceperat adoleſcentulus.*

(* 9.) RUINART in notis putat *Odoacrium* eundem eſſe, quem GREGORIUS TURONENSIS Hiſt. l. 2. c. 18. *Adovacrium* nominat, *Adovacrius verò cum Saxonibus Andegavos venit ... mortuus eſt autem Ægidius &c.* dicitur in libris vitæ B. Severini Monachi, intra Pannoniam, quod eum admonuerit, & Regnum illi prædixerit, uti habet AMMIAN. ANON. p. 662., ibidem deſcribitur ùt vili conditione natus. vid. EUGIPP. vitæ Severin. c. 2. §. 14. apud Bollandum, item PAUL. DIACON. Hiſt. Miſc. L. XV. p. 99.

factâ verò pugnandi copiâ tanta apud Romanos trepidatio coorta est, ut auxiliis dilabentibus & solutis castris Orestes ipse Ticinum se proriperet: fugientis tergo Odoacer insistens, urbem munimentis A. C. 476. firmam cingit, dein ferocissimè expugnatam unà cum agro vicino diripit, quo irruptionis ardore tantam civium stragem Barbari edidêre, quanta nusquam alibi in Italia post Imperii inclinationem facta est (i). Orestes huic quidem lanienæ, at non diu superfuit; nam ab Odoacre captus propè Placentiam inspectante exercitu gladio suffossus periit: unus igitur restabat Augustulus, in quo adhucdum Ravennæ umbra quædam Imperii vigebat (k). Juvenilis ætas Cæsaris fecit, ut in manibus Barbari insignia ponere, non item vitam juberetur; hanc quippe precariam deinceps sumptu sex millium solidorum (quos in singulos annos Heruli misero suppeditabant) Lucullani (* 10) in Campaniæ oppido privatus exegit (l), ibique Majestatem Occidentalis Imperii (quam in his terris Augustus ante quingentos septem annos ceperat) ipse Augustulus finiit (†). Odoacer purpurâ, ac diademate jam potitus, ab insignium, nominísque Cæsarei usu abstinendum censuit (m), solo Regis Italiæ titulo contentus (n); eo tamen cæteris harum Provinciarum prædonibus felicior, quòd non tantùm Italiæ spolia legere, sed & novi ibidem seu Herulorum Regni (* 11) moliri fundamenta potuerit, quibus Ostrogothi, ac Longobardi posteà firmiora ac diuturniora Regna superimposuerunt.

(i) Ennod. l. c.

Mors Orestis & filii Augustuli exauthoratio.

(k) Amian. Anon. p. 477 Procop. l. c. p. 308.

(l) Jornand. R. G. c. 46.

Finis Occidentalis Imperii.

(†) REFLEXIO IV.

(m) Evagr. l. 2. c. 16.

Odoacer Rex Italiæ.

(n) Cassiod. in Chron.

§. IV.

(* 10.) MARCELLINUS ad a. 476. *Odoacer Rex Gothorum Romam obtinuit. Orestem Odoacer illico trucidavit, Augustulum filium Orestis, Odoacer in Lucullano Campaniæ Castello, exilii pœnâ damnavit*: putant multi Lucullanum idem fuisse, quod hodiè vocatur Capello d'Ovo prope Neapolim; item AMMIAN. ANON. p. 662. *Ingrediens autem Ravennam* (Odoacer) *deposuit Augustulum de regno, cujus infantiæ misertus, concessit ei sanguinem: & quia pulcher erat, tamen donavit ei reditum sex millia solidos, & misit eum intra Campaniam cum Parentibus suis liberè vivere.*

(* 11.) MARCELLINUS Odoacrem appellat *Regem Gothorum.* JORNANDES Regn. succ. c. 45. & VALESIUS R. Fr. p. 242. *Rugiorum Regem* vocant: JORNAND. de R. G. c. 45. Odoacrem dicit *Regem Turcilingorum* (quos aliqui Toringos esse putant) BARON. ad a. 486. §. 1. defendit, Odoacrem fuisse *Regem Herulorum.* Inter tot opiniones meliùs statuunt illi, qui existimant, eundem Barbarorum ex variis collectorum Regem in Italia extitisse; Gentium autem harum fortè *Heruli*, à quibus Regno nomen datum est, præcipui fuêre. Hoc tamen Regnum non diuturnum erat teste PROCOP. de B. G. l. 1. p. 308. *Inter ipsos* (Barbaros) *quidem erat Odoacer nomine, ... qui tyrannidem per annos decem firmavit.* AMMIAN. ANON. p. 663. Odoacer ... *mox deposito Augustulo de Imperio factus est Rex, mansitque in Regno annos XIII., cujus Pater Ædico dictus.*



Historia de Suevorum & Gothorum Regno in Hispania & Gallia Narbonensi.

§. IV. *Hispaniæ situs, divisio, ejus magnam partem exteri Carthaginenses primùm, dein Romani occupant: his verò in sæculo quinto Vandali, Alani, Silingi & demum Gothi Dominatûs vim eripiunt; unde varia in variis Hispaniæ Provinciis Regna extiterunt, inter quæ duo diuturniora & præcipua fuêre: Unum scilicet Regnum* SUEVORUM *in Gallæcia sub Regibus HERMERICO, RECHILA, RICIARIO, MASDRA, REMISMUNDUS. Alterum* GOTHORUM, *quod in hac periodo sive ab anno CCCCXI. ad annum CCCCLXXVI. septem numeravit Reges,* ATAULPHUM, SIGERICUM, WALLIAM, THEODORICUM I. THORISMUNDUM, THEODORICUM II. EURICUM, *omnes ferè victoriis, vel à propagato Gothorum Regno insignes.*

1. AD Solis occasum postrema terrarum est Hispania, quam mare undique ambit, nisi quà Pyrenæi montes eandem Galliæ conjungunt (a): longitudine milliaria centum nonaginta, latitudine verò, si à Narbonensi promontorio ad Gaditani freti fauces numerum ineas, quinquaginta supra centena milliaria complectitur (b). Iberi geminum litus apud veteres binas Hispaniæ citerioris ac ulterioris partes descripsit (c): utraque populum aluit armis aliquanto, quàm consiliis adversus hostes meliorem; nulla quippe huic eo tempore literarum cura: cæterà robustæ vires, & laborum, queis in bello opus, patientes; unde jam ab initiis Hispanorum gens destinatas spes animo obstinare, nec frangi periculis in virtute præcipua posuit (d). Felicitas rara agrorum est, metallorum tamen gemmarúmque ingens olim copia,

(a) Mela in Cosmog.
Hispaniæ situs ac divisio.
(b) Cluver. introd. Geogr. l. 2. c. 2.
(c) Mariana de reb. Hisp. l. 1. c. 4.
Hispanorum veterum mores ac divitiæ
(d) Idem c. 5. & 6.

copia Celtas, Rhodios, Aſſyrios ac Phœnices ex remotis oris in Hiſpaniam exciviſſe fertur (e). Qui genti prima dixerit jura, nemo facilè in tam longinqua temporum caligine ſcrutabitur; ſunt tamen, qui affirmare auſint, Primum Geryonem Hiſpaniæ Regem fuiſſe (f), cui ſubinde Hiſpalum, Herculem, Heſperum, Atlantémque ſubſtituunt. Veſtigio certiore per Hiſpaniæ veteris monumenta decurrere licet, ubi in eam ætatem incidimus, quâ Carthaginenſes ſuam claſſem extimis primùm Inſulis, dein oris Heſperiis applicuerunt (g) anno urbis conditæ CCXXXVI. inde per annos trecentos Pœnorum fraude, armíſque actum, dum Afrorum Dominatus in Hiſpania firmo pede conſiſteret. Amilcar Dux Carthaginienſium his incrementa quædam: majora Asdrubal adjunxit novæ Carthaginis conditor; unde in totam Hiſpaniam proferri poſſe Imperium credebat (h). Romani conatibus Pœnorum metas poſituri miſsâ legatione cavebant, ne Saguntinos laceſſere, aut ripas Iberi egredi Carthaginienſibus fas ſit. Hannibal, qui Asdrubali ſucceſſerat, minas ejuſmodi Sagunti excidio, aliiſque cladibus Romanorum internecinis ultus eſt (i). Eodem tamen tempore, quo in Italia ad Cannas victoria celebrabatur, Asdrubali Hannibalis fratri tota Hiſpania erepta eſt (k). Hic equidem duorum Scipionum Cnei & Publii Victor (l), tertio demum Scipioni Cornelio Publii filio victas dare manus cogitur: is enim Carthagine novâ velut Pœnorum arce deletâ, Asdrubalem cecidit, & totam gentem punicam Hiſpanico ſolo ejecit anno ab urbe condita quingenteſimo quadrageſimo octavo (m).

(e) Mariana de reb. Hiſp. l. 1. c. 1. 12. 14. 15.
(f) Idem c. 8. 9. 10 11.
Hiſpaniæ veteris Reges.
(g) Idem c. 18. p. 228.
A. M. 3770 ante C. 518
A. U. C. 236.
(h) Mariana l. 2. c. 7. 8.
Carthaginienſium Dominatus in Hiſpania.
A. U. C. 536. ante C. 218
(i) Idem c. 9. 10. 11. 13
(k) Id. c. 16
(l) Id. c. 18
A. U. C. 548. ante C. 206
(m) Idem c. 20. 21. 22. 23

2. A Carthaginienſibus ubi ad Romanos Hiſpaniæ Dominatus tranſierat; Proconſulum, ac Prætorum, qui eas provincias Reipublicæ Romanæ nomine regebant, acerbitas Hiſpanos ad recuperandæ libertatis conſilium adegit (n): Portius Cato Conſulari authoritate licèt primam ſeditionem componeret anno U. C. CCCCCLIX.; poſt annos tamen fere quadraginta anno DCI. apud Numantinos pertinacius bellum exarſit, quod non brevi ſpatio, ſed poſt viginti annos, non armis, ſed fame ídque à ſolo Scipione (cui à domitâ Africa jam Africani nomen acceſſerat) extingui potuit (o). Non minus periculi habuit molitio, quâ ... anno

Romani potiuntur rerum in Hiſpania.
(n) Idem c. 25. & 26.
A. U. C. 601.
(o) Mariana l. 3. c. 1. 2. 9. 10. 11.

an. DCIV. U. C. Viriathus Hiſpanæ gentis libertatem vindicatum ibat: in Luſitania natus humili loco, paſcendis gregibus, poſtea latrociniis operam dabat; in audaciam proinde obſirmatus cum peculiari latronum manu Romanorum arma laceſſere ac ferè annis quatuordecim jugum de ſuorum cervicibus decutere præſumpſit. Conſilio eventus reſpondiſſet; niſi Hiſpani quidam à Romanis ſubornati Viriathum oppreſſiſſent dormientem, non indecorâ tanto Patriæ vindici morte; propterea quod is, quem Vigilem Romanorum fortitudo perdere non valuit, ſopitus ac ſenſu carens duntaxat, non hoſtium, ſed domeſtico ſuorum ſcelere ac perfidiâ prodi poterat (p). Pacatiùs Romanorum jugum ab eo tempore Hiſpana gens tulit; dum poſt annos ſexaginta, ſive anno U. C. DCLXXIV. Sertorius Luſitanos, ac reliquos Heſperios populos ad amorem libertatis ſtimularet. Murſiæ ille in oppido Romæ vicino natus erat, magnis Imperatoribus (ſi militarem ſcientiam, civilémque prudentiam ſpectes) æquandus; factis pro Mario & Cinna ſtipendiis Victori Syllæ in Hiſpaniam cedere debuit; illinc à Luſitanis in Ducem delectus, paucis copiis multas urbes, quatuorque Romanorum Proconſules ſubigit. In Pompejum tandem arma vertens variâ fortunâ pugnat, & propiùs aberat, ut Tyrannidem Romanorum faſtumque deprimeret; tum Perpenna Socius domeſtico & à Romanis empto latrocinio libertatis aſſertorem trucidat anno U. C. DCLXXXI. (q) Revocata inde ad officium eſt Hiſpania, ac Conſulibus Romanis in pace per annos viginti quatuor ſerviit; hoc ſpatio exacto Julius Cæſar Galliæ, ac Italiæ Domitor expugnatis Pompeji viribus Hiſpaniam ſpecie quâdam Imperii occupavit potiùs, quàm poſſedit (r): nam inſequente anno in Senatu occiſus, Hiſpaniæ dominatum Conſulibus denuò reliquit, à quibus in Triumvirum Lepidum, & demum anno U. C. DCCXVI. ſub Conſulatu Domitii Calvini & Aſinii Pollionis in Octavianum Auguſtum tranſiit, cujus viciſſitudinis indicem, æram illam eſſe voluêre Hiſpani, quam ab eodem anno numeratam, Cæſaris aut Domini æram dicere conſueverunt (s). Hæreditatem Hiſpanarum Provinciarum à Julio magno avunculo acceptam Octavianus poſt relatam ad Actium victoriam firmâſſet magis, niſi Cantabros, Aſtures

A. U. C. 604.

A. U. C. 614. ante Æ. C. 140.

(p) Mariana l. 3. c. 3. 4. 5.

A. U. C. 674. ante Æ. C. 80.

Hiſpania ſub Reipublicæ Romanæ Dominatu.

A. U. C. 681. ante Æ. C. 73.

(q) Idem c. 13. 14. 15.

A. U. C. 709. ante Æ. C.

(r) Idem c. 18. 19. 23.

A. U. C. 716. ante Æ. C. 38.

(s) Id. c. 24.

Hiſpania ſub Imperatoribus Romanis.

A. U. C. 728. ante Æ. C. 76.

(t) Mariana l. 3. c. 25.

(u) Notit. Imperii. item vide T. II. p. 175.

A. C. 97.

A. C. 379. ... 395.

& Vaccæos libertatis recuperandæ ſtudium in acre rurſus bellum concitâſſet (t): æſtûs ardorem rebelles poſt quinque annos poſuêre; atque inde Univerſa Hiſpania, nunc in tres partes nempe Tarraconenſem, Bæticam atque Luſitaniam diviſa in Octaviani & ſucceſſorum Cæſarum poteſtatem conceſſit, qui novis coloniis tantam deinceps amplitudinem populis Heſperiis dedêre, ut quadringentis annis ferè elapſis in ſeptem Provincias Hiſpanorum ditiones dividerentur (u). Hiſpania utprimùm in Imperii Romani compagem hâc ratione coaluit; diſciplinis, ac armis populares ita aſſuevêre, ut poſt natos undecim in Italia Cæſares, primus Trajanus fuerit, qui ex Hiſpaniæ patrio ſolo ad regnum utpote dignior vocaretur. Nec minori gloriæ Hiſpanis erat Theodoſius magnus, eâdem terrâ natali oriundus, cujus maximæ pietati, ac virtuti Imperium ac Hiſpania ſummam demum fortunam debuit & honorem.

Irruptio Vandalorum Suevorum & Alanorum in Galliam.

(x) v. T. II. l. 5. c. 1. §. 1.

3. Sed uti funeſtâ ſæpe viciſſitudine rami à ſtirpibus alienam naturam ferunt; ita Honorius Theodoſii filius diverſum à Parente ingenium nactus, Occidentis res atque Hiſpaniæ ſubinde perdidit (x). Illo enim Imperatore Ravennæ ſegni in otio deſidente Stilico in ſuum Eucherium devolvere Principatum multis curis, adminiculíſque acerbiùs conabatur; multas proinde è longinquis terris, atque ab Iſtri confinibus gentes in Galliam exciverat, ut ſiquando viribus etiam contra Cæſarem opus eſſet, Barbarorum armis uteretur (* 1). Hi continuò ſeu Stiliconi neceſſitudine quâdam conjuncti (* 2), ſive proprii ſoli inediâ preſſi

(* 1.) PROSPER in Chronico ad A. Arcadii & Honorii XIII. *Diverſarum gentium rabies Gallias dilacerare exorſa, immiſſu quam maxime Stiliconis, indignè ferentis, filio ſuo regnum negatum.* MARCELLINUS COMES *Baſſo & Philippo Coſſ.* Stilicho, *comes . . . ſpreto Honorio, regnúmque ejus inhians. Alanorum, Suevorum, Vandalorúmque gentes donis, pecuniisque illectas contra Regnum Honorii excitavit.* Et L. 22. C. Theod. de bonis proſcriptorum, *Qui ſuas opes prædoni publico* (Stiliconi) *vel ejus filio, cæterisque ſatellitibus dederunt vel jure vel corpore, quibus ille uſus eſt, ad omnem ditandam, inquietandámque barbariem, his omnem repetendi viam jubemus excluſam.* Idem crimen proditionis in Stiliconem conjicit S. HIERONYMUS epiſt. 11. OROSIUS c. 38.

(* 2.) S. HIERONYMUS epiſt. ad Ageruchiam Stiliconem vocat *Semibarbarum.* OROSIUS lib. 7. c. 38: *Interea comes Stilico, Vandalorum, imbellis, avaræ, perfidæ & doloſæ gentis genere editus.*

pressi (* 3) ad vocantis nutum Rheno propinquant: tum supera- A.C. 406. & 407.
to flumine in Germania prima, ac Belgica Gallia spolia legunt:
demum in Aquitanniam eluctati, divitias ubique expilant (y). (y) Salvian. l. 7. p. 167.
Pyrenæis montibus jam proximi de Hispaniæ præda cogitabant;
sed popularium (qui claustra, aditúmque tuebantur) fides, amór-
que Patriæ fecit, ut Barbari assilientes repressi, in Galliam (unde
venerant) refunderentur (* 4). Quod minùs felici sorte tenta-
verat tumultuaria multitudo, id citra negotium executus est A.C. 408.
Constantinus: Britanniæ milites hunc purpurâ donaverant (z), (z) Orosius l. 7. c. 40. Sozom. l. 9. c. 11.
quâ indutus mare trajicit, atque Galliam ingressus, fugatis Ro-
manis Provincias plurimas in suam redigit potestatem (a): tum (a) Zosim. l. 6. p. 825.
de subigenda Hispania meditatus (b), à Bagaudis sive Pyrenæo- (b) Orosius l. c.
rum montium custodibus transeundi copiam mercatur; quâ da-
tâ, victísque Didymo & Veriniano Ducibus Romanis Hispanarum
Provinciarum Dominatum adivit. Eodem tamen paulo post à A.C. 409.
Gerontio exutus est (c): jussus is Constantini nomine moderari (c) Zosim. p. 826. Sozom. l. 9. c. 13.
Hispaniam, mutato leviter animo in Maximum Regni authorita-
tem transfert: cœptum proditionis scelus quò Gerontius tutò
exequeretur; submoto à Pyrenæis faucibus popularium præsidio,
Honoriacis sive fœderatis Barbaris aditum ejusmodi custodien-
dum demandat (* 5); deinde Arelaten usque Constantinum se-
Kkkk 3 qui-

(* 3.) PROCOPIUS l. 1. B. Vandal. c. 22. pag 227. *Initio cùm pressi fame Vandali è Patriis sedibus demigrarent, relicti sunt nonnulli, quibus obstitit blandiens inertia, ne sequi vellent Godigisclum. Procedente tempore, illi residui largam habere annonam visi sunt, & Gizericus cum suis Africam occupavit.*

(* 4.) OROSIUS l. 7. c. 40. *Interea ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, ut dixi, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt, directóque impetu Pyrenæum usque perveniunt: cujus obice ad tempus repulsæ per circumjacentes provincias refunduntur.*

(* 5.) OROSIUS l. 7. c. 40. *Adversus hos* (Didymum & Verinianum) *Constantinus Constantem filium suum, pro dolor, ex Monacho Cæsarem factum, cum barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus recepti, atque in militiam allecti*, HONORIACI *vocabantur, in Hispanias misit. Hinc apud Hispanias prima mali labes. Nam interfectis illis fratribus, qui tutari privato præsidio Pyrenæi Alpes moliebantur, his barbaris, quasi in pretium victoriæ, primum prædandi in palatinis campis licentia data: dehinc supra dicti montes, claustrorúmque ejus cura permissa est, remotâ Rusticanorum fideli & utili custodiâ.* Pro *Honoriacis* legendum aliqui putant *Honoriani*, de quo vocabulo in Notitia Imperii recurrit mentio: HONORIANI MARCOMANNI SENIORES, HONORIANI MARCOMANNI JUNIORES vide *Mascovium* l. 8. p. 350. not. 5. & pag. 372. not. 2. ad §. 33., qui scriptor existimat porrò Marcomannos per Honoriacos vel Honorianos intelligi.

Eædem gentes Hispaniam invadunt. quitur, cui urbi inclusum obsidione arctissimâ premit. Intereà Barbari facto cum Honoriacis fœdere (* 6) per angusta Alpium in Hispaniam illapsi cuncta diripiunt: Gundericus cum Vanda-

A. C. 410. lis & Silingis, Hermericus cum Suevis, Atax cum Alanis in modum torrentis quaquaversum effusi in Hispanorum æquè ac Romanorum fortunas involant: agros, urbes vastitate truculentâ exhauriunt (* 7); unde sæviente mox fame humanis carnibus vitam tolerare non homines modo cogebantur, sed & bestiæ eâ lanienâ efferatæ passim in homines irruebant. Famem, ut fit,

(d) Idatius in Chron. Mariana de reb. Hisp. l. 3. c. 4. lues gravissima excepit (d), quâ per omnes regiones ferociter grassante Barbaris mitior de pace animus injectus est (* 8): hæc eâ lege firmabatur, ut Suevis & Vandalorum parti Gallæcia cederet latioribus, quàm nostrâ ætate, finibus, sive totius Castellæ

A. C. 411. *Partitio Provinciarum Hispaniæ inter Vandalos, Suevos & Alanos.* veteris limitibus comprehensa. Lusitaniam & Carthaginensem Provinciam Alani sibi vendicârunt: Bætica reliquis Vandalis & Silingis relicta est. Subacti tot ærumnis Hispani licet ultrò Dominatum, novámque serviendi conditionem amplecterentur (e); pauci tamen adhuc in Gallæcia fuêre, qui Suevorum jugum abo-

(e) Orosius l. 7. c. 41. minati, libertatem armis, ultimísque viribus tuebantur.

4. Postquam Vandali, Suevi atque Alani in Hispaniæ Pro-

(f) Sozom. l. 9. c. 13. Oros. c. 42. (g) Gregor. Turon. h. F. l. 2. c. 9. vinciis velut totidem Regnis consederant; Honorio in Gallia sors melior affulsit. Gerontio quippe fugato (f), & Constantino Tyranno occiso (g) per Constantium Ducem non tantùm ereptas

(* 6.) OROSIUS l. c. *Igitur Honoriaci, imbuti prædâ, & illecti abundantiâ, quo magis scelus impunitum foret, atque ipsis plus sceleris liceret, proditâ Pyrenæi custodiâ, claustrisque patefactis, cunctas gentes, quæ per Gallias vagabantur, Hispaniarum Provinciis immittunt, iisdémque ipsi adjunguntur, ubi actis aliquamdiu magnis, cruentisque discursibus, post graves rerum atque hominum vastationes, quarum ipsos quoque modò pœnitet, habitâ sorte, & distributâ usque nunc possessione consistunt.*

(* 7.) AUGUSTINUS epist. 111. ad Victorianum: *Totus quippe mundus tantis affligitur cladibus, ut penè pars nulla terrarum sit, ubi non talia, qualia scripsisti, committantur, atque plangantur. . . .* De HISPANIS *quoque tot Provinciis, quæ ab his malis diu videbantur intactæ, cœperunt jam talia nuntiari:*

(* 8.) IDATIUS in Chronico ad A. XVII. Honorii: *Subversis memoratâ plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad habitandum sibi Provinciarum dividunt Regiones: Gallæciam Vandali occupant & Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua: Alani Lusitaniam, & Carthaginensem Provincias & Vandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur. Hispani per civitates & castella residui à plagis barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.*

ptas ditiones receperat; sed & spes erat, fore, ut Jovinus, qui tunc Moguntiaci bellum moliebatur, eodem fato pessumdetur. Hæc agitanti Imperatori Visigothi repentè consilium, pacísque spem eripuêre. Florebat gens ejusmodi bello & armis, quibus ab eo tempore feliciùs didicerant uti, ex quo à Romanis in Mœsiam recepti, stipendia pro Orientis Imperio meruêre (h). Athanarico primo Visigothorum Rege Constantinopoli mortuo, Alaricus Gentem eandem alio tamen animo moderari cœpit; quas enim Visigothi vires anteà saluti publicæ regnante Theodosio impenderant, has deinceps in vastitatem Imperii convertentes, Illyricum, Thraciam, Italiam; ipsámque (orbis caput) Romam diripuerunt (i). Alaricus ubi immensam prædam ex urbe abstulerat (k); cogitabat in Siciliam (l), ut opulentum tot spoliis Regnum ibidem defigeret; sed raptori importuno mors inopina opes, símúlque vitam uno ictu excussit (m). Justis Alarico persolutis in ATAULPHUM potestas regia devenit: mitiore hic licèt ingenio ageret; per aliquot tamen annos Italiam reliquam ferè erasit (n). Annona igitur cùm suis nequaquam sufficeret, in Galliam eo tempore Visigothos transvehit, quo Jovinus illas regiones motibus infestis implicitas tenuit (o). Quo minùs Ataulphus cum Jovino (ut volebat) coiret in fœdus, suborta quædam simultas obstitit (* 9), hâc utrique incensi privatis rationibus sibi consuluêre. Et Ataulpho quidem propositum erat, Honorium sibi beneficii nomine conciliare (p), quo consilio Jovinum, ejúsque fratrem Sebastianum Cæsaris hostes interemit; sublata duorum Tyrannorum capita doni loco Honorio mittit (* 10), atque inde ipsum Imperator amicitiâ Romanorum, non tamen eâ, quam Ataul-

(h) Zosim. l. 4. p. 741.

A. C. 410.

(i) Orosius l. 7. c. 39.

(k) Id. c. 40. Marc. Chr.

(l) Orosius c. 43.

(m) Jornan. r. Goth. c. 30.

A. C. 412.

(n) Gregor. Tur. p. 63.

Ataulphus Rex Visigothorum.

(o) Prosper T.

(p) Phot. c. 80.

(* 9.) PROSPER in Chron. ad A. Honorii XIX. *Jovinus tyrannidem post Constantinum invadit. Industriâ viri strenui (qui solus Tyranno non cessit) Dardani, Ataulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, à societate Jovini avertitur. Sallustius quoque & Sebastianus occisi. Valentia nobilissima Galliarum civitas à Gothis effringitur, ad quam fugiens Jovinus se contulerat.*

(* 10.) OLYMPIODORUS pag. 7. *Jovinus fratrem suum Sebastianum invito Ataulpho Imperatorem creans in ejus odium incurrit. Ataulphus itaque per internuntios capita se tyrannorum missurum, pacémque initurum, Honorio pollicetur. Hi domum ubi redierunt, & jusjurandum præstitum est; Sebastiani mox caput imperatori mittitur. Jovinus etiam ipse ab Ataulpho obsessus se dedit, missúsque ad Imperatorem est, quem Dardanus præfectus suâ manu percutiens interemit.*

Ataulphus ſperaverat, dignum putavit: contendebat enim ſuæ fidei deberi, ut Placidiam Honorii ſororem, quàm ab Alarico captivam accepiſſet, ab Imperatore jam ſponſam cum adjuncta Regni cujusdam dote nanciſceretur. Neutrum quia Principi placebat, Ataulphus non jam alieno, ſed ſuo arbitratu vivendum ratus, Placidiam Narbone in connubium aſſumit (q); tum occupatis per omnem latè vicinam urbibus, Heracleæ demum velut dotalis Regni ſedem conſtituit (* 11). Efferavit hoc facinus adeo

A.C. 413. & 414.

(q) Idatii Chronic. ad a. XX. Honorii Chriſti 414.

(* 11.) OTTO FRISINGENSIS in Chronic. l. 4. c. 21. *Sed Ataulphus amore Uxoris Placidiæ à finibus Romanorum ſecedit, ac in Galliis juxta Provinciam Narbonenſem, quam poſtea vir Dei Ægidius inhabitans Metropoli ex nomine ſuo, ut villa S. Ægidii dicatur, dedit: in loco, qui usque hodie* PALATIUM GOTHORUM *vocatur, conſedit.* GOTFRIDUS VITERBIENSIS adducit inſcriptionem multis ſæculis (ut ait) inviolatam, quæ olim Ataulpho & Placidiæ poſita fuiſſe dicitur: ATAULPHO FLAVIO POTENTISSIMO REGI REGUM RECTISSIMO, VICTORI VICTORUM INVICTISSIMO, VANDALICÆ BARBARIEI DEPULSORI, & CÆSAREÆ PLACIDIÆ ANIMÆ SUÆ, DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS ANATILII, NARBONENSES, ARECOMICI OPTIMIS PRINCIPIBUS IN PALATIO POSUERUNT OB ELECTAM A SE HERACLEAM IN REGIÆ MAJESTATIS SEDEM. De hac Inſcriptione P. *Gariel* in ſerie Præſulum Megalonenſium ita ait: *Hæc omnia à Romanorum ritu in ſignandis lapidibus, figendisque poſteritati monumentis minimè abhorrentia his potiſſimùm inſcripta temporibus crediderim, quibus Sebaſtiano & Jovino de medio ſublatis, magnifico apparatu Ataulphum inter & Placidiam nuptialis Narbonæ peracta celebritas eſt.* His non attentis Criticus peritus in Hiſtoria Aquitaniæ not. 46. oſtendit inſcriptionem illam omnino ſuppoſitam eſſe. 1. Quia Authores de loco, ubi poſita ſit, non conveniunt: BOUCHE in Hiſtoria Provinciæ eam inventam ait ſub Carolo V. Rege Franciæ in agro proximo villæ S. Ægidii ſive ad Rhodanum. SPONIUS in Miſcell. eam erutam ait in ipſa villa: HARDUINUS in notis ad Plinium, Rhemos in oppidum parvum Provinciæ transfert. TILLEMONT a. 52. in V. Honorii ſaltem de inſcriptionis antiquitate genuina dubitat. 2. In inſcriptione tribuitur Ataulpho nomen *Flavii*, quo vocabulo ante Reccaredum nullus Regum Viſigothorum uſus eſt, & inter Oſtrogothos Theodoricus primus erat qui hoc nomen adhibuit, quem poſtea alii ſecuti ſunt. 3. Ataulphus in inſcriptione vocatur *victor victorum, invictiſſimus*, qui ſtylus recentius redolet ſæculum; accedit, quod Narbonenſes à Viſigothis exhauſti in tantam adulationem tam ſubitò prorumpere non potuerint: vocatur porrò *Vandalicæ Barbariei depulſor.* Sed ex quo intraverat Galliam Ataulphus, nullus Vandalorum ibidem ſuperfuit, quia Gens illa cum Suevis multò antè in Hiſpaniam ſponte abierat. 4. In eadem inſcriptione porrò habetur: *Et Cæſareæ Placidiæ animæ ſuæ Dominis ſuis Clementiſſimis.* Quis autem unquam notavit *Cæſareæ* nomen fœminæ tribui, aut ullibi illud *animæ ſuæ* apponi ſponſæ? Ex eâdem ratione recentior loquendi forma eſt, dum legitur: ob electam à ſe Heracleam *in Regiæ Majeſtatis ſedem* 5. *Anatilii, Narbonenſes, Arecomici* dicuntur inſcriptionem poſuiſſe, quibus vocibus illi populi appellabantur ætate Julii Cæſaris, hæc autem nomina in ſæculo V. poſteà exoleverant; eoquod Gallia in novam formam compoſita aliâ quoque nomenclatione Provincias, ac populos ſignabat. Plura hâc de re vide apud Maſcovium in obſervationibus à p. 77. ad p. 86., ubi prædicti Authoris Criſin Gallico idiomate ſcriptam exhibet.

adeo Romanorum animos, ut collectis undequaque auxiliis in Visigothos debacchati non antè arma abjicerent; donec Ataulphus cum suis ex Gallia in Tarraconensem Hispaniam discederet (r). Provincia ista cùm Romani adhuc juris esset; faciliùs indultum est, ut Barcinone Visigothi deinceps positum longinquiùs dominatum exercerent. Proscriptionem ejusmodi aliter Ataulphus, aliter gregarii tulêre; ille enim sive suopte ingenio, sive novâ affinitate delinitus ad pacem, quàm ad bellum propensiùs ferebatur (s): at Barbarorum non pauci in Rege suo hunc injuriæ neglectum detestati, conjuratione factâ eundem occidunt (* 12). A.C. 415.

(r) Paulin. Euch. p. 288.

(s) Orosius l. 7. c. 43.

5. Parricidio ex insidiis perpetrato, SIGERICUS in Ataulphi fortunam, fatúmque brevi tempore successit. Utprimùm tumultuantium votis ad regnum raptabatur, Sari sui fratris ab Ataulpho interfecti necem, in hujus filiis crudelissimè ultus est (t); quantumcunque enim ad Ariani Episcopi Sigesari sinum securitatis causâ confugerent, à Sigerico inde protinus in lanienam cruentam abstracti periêre: nec Placidiæ conjugi parcitum est (u), quam homo truculentus cum cæteris captivis ante equum, cui insederat, longo spatio currere compulit; ut hâc ratione non minùs vindictam explere, quàm Romanorum Cæsarum sanguini illudere videretur. Cæterùm Barbaro inerat bellóque & pace spectata virtus; hoc tamen tempore pacisci magis, quàm

Sigericus Rex Visigothorum.

(t) Sozom. l. 9. c. 9.

(u) Photius c. 80.

(* 12.) PROSPER in Chronico: *Honorio X. & Theodosio VI. Coss. Ataulphus à quodam suorum vulneratus interiit.* LUDOVICUS NONIUS in Hispania c. 88. *Sublatus est hic per Insidias Gothorum Rex Ataulphus, unà cum sex filiis teste Paulo Orosio,* (l. 7. c. 43.) *cujus adhuc aliqua sepulchri vestigia extant, unà cum Epitaphio: licet imperitæ plebi, vel Herculis vel Regis Hispani persuasum sit:* Epitaphium sic habet:

Bellipotens valida natus de gente Gothorum,
Hic cum sex natis Rex Ataulphe jaces.
Ausus es Hispanas primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virûm
Gens tua tunc natos, & te invidiosa peremit:
Quem post amplexa est Barcino magna gemens.

De hoc Epitaphio MARIANA de reb. Hisp. l. 5. c. 2. ait: *Sex Ataulphi filios una cum Patre periisse sepulchri inscriptio, carmine concepta, declarat, cujus hodie sepulchri pars Barcinone extat. Ei inscriptioni quanta fides sit arroganda, aliorum esto judicium: nobis recentior visa est, quam pro horum temporum antiquitate.*

quàm manus cum Romanis conferere, opportunius duxit. Quod à prudentia consilium proficiscebatur, id Visigothi tanquam mentis minùs excelsæ testimonium accepêre; unde Sigerico, ne gentem à bello avidiùs expetito deinceps abstraheret, septimo regni die suprema vis illata est (x).

6. Post cædem Sigerici WALLIA seditiosorum suffragium pro captando regno tulit (y); propterea quod ferociorem adversus Romanos animum ostentaret. Hujus igitur ut specimen ab initio Principatûs ederet; illico copias sub signa vocat, quæ armorum strepitu à vicinis gentibus regni augmenta abriperent: dein pro expugnanda Mauritania (eò enim jam novi Regis spes ac consilia ferebantur) classem mari imponit. Sed naves in altum provectæ repentino turbine ita miscebantur, ut Visigothi artis nauticæ parum periti cum fractorum navigiorum aut demersorum reliquiis anxiè ad portum, unde solverant, remearent (z). Wallia ubi militem tempestate fessum terræ applicuerat; novo nuncio percellitur, qui referebat, eodem tempore & terrâ & mari Visigothorum sortem cecidisse. Nam Vandali eos, qui in Hispania ex gente illa supererant, ita attriverant, ut dubitarent, utrum in Romanorum, an in aliorum hostium manus potiùs concederent. Walliæ id causæ satis fuit, ut suorum questus haudquaquam moratus, pacem cum Romanis ferire statueret (a). Leges fœderis hæ fuêre: Placidia Ataulphi olim uxor ac Honorii soror Cæsari redditor: Nationes barbaræ, quæ obtinent Hispaniam, conjunctis armis fatigantor: quidquid ereptum iis fuerit, Romano Imperio cedito: nec fines Visigothorum extra Tarraconense spatium & Narbonense protenduntor (b). Pactis conditionibus Wallia in Alanos, primo belli impetu incubuit; horum pluribus cum Rege Atace occisis, ii, qui cladem evaserant, è Lusitania in Gallæciam confugiunt; ubi amisso Regno in Suevorum jus noménque omnino transiêrunt (c). Eâdem fortunâ in Tartessiacis campis Silingi vexati, domitíque sunt: atque ista cùm Visigothi præstitissent, Romano rei incremento, suo verò periculo & armis; Honorius Imperator genti gratum facturus, eidem ultro Aquitaniam secundam concessit Garumnâ flumine & Pyrenæis montibus comprehensam (d). Wallia his per-

(x) Orosius l. 7. c. 43. Phot. c. 80. Olympiod. p. 188.
(y) Orosius l. c. Jornand. r. G. c. 32.
Wallia Rex Visigothorum.
(z) Orosius l. 7. c. 43.
(a) Photius c. 80 p. 189. Orof. l. c.
(b) Idatius in Chron. Prosper Aquit. Marc. Chr.
(c) Orosius l. 7. c. 43. Isidor. in Chr. Goth.
(d) Idatius in Chron. Prosp. Pith. Valef. r. F. l. 3. p. 115.

peractis & collocata Tolosæ regni sede, quasi gloriæ suæ vixisset satis, eodem anno extremum diem obiit (e).

(e) Isidor. Chr. Goth. Idat. Chr.

7. Walliæ extincto alter in Narbonensi Gallia Rex Visigothorum suffectus est THEODERICUS: extra Hispaniam ubi is pacata regni auspicia cœperat; Vandalorum Princeps Gundericus Hermericum Suevorum Regem spe amplioris Dominatûs bello adoritur (f): jámque intra montes, qui Legionem inter & Ovetum sunt, Suevos conclusos tenebat; tum Asterius Romanæ Hispaniæ Comes in Vandalos irruens, eos in Bæticam ejicit: hostes Gallæciâ depulsi in Baleares insulas ferro ignéque sæviunt, dein Carthaginem spartariam (quæ Imperii Punici arx ante sexcentos ferè annos surrexerat) penitus exscindunt: demum Hispali captâ, dum Gundericus S. Vincentii in ea urbe templum diripere cogitat; in ipso limine morte oppressus violatæ religionis pœnas exsolvit (g). In Gunderici locum Vandali surrogârunt Gensericum defuncti ex impari matre fratrem, Romanis paulò magis infestum: bellum igitur cùm sub novo Principe Vandali prosequerentur; Honorius Castinum militiæ Magistrum in Hispaniam ire jubet (h), atque ut expeditionis alea providentiùs jaceretur, Bonifacium Africæ Præfectum belli dat comitem. Potestas in duos divisa Duces dissidii scintillas jecit, quibus adustus Bonifacius Castinum suis improvidis conatibus, Cæsareum verò exercitum Vandalorum ferro concidendum reliquit. Cladem Romanorum in Hispania acceptam idem Bonifacius post quinque annos altero vulnere exacerbavit, dum per Aëtii insidias ad perfidiæ crimen compulsus Vandalorum gentem in Africæ exitium evocavit (i). Egressis ab Hispania Vandalis, Hermerico Suevorum Regi latiùs Dominatum proferre licuit; nec minore animo ejus filius Rechila, ex quo regnare cœperat, Provincias singulas sibi subjugare aggressus est; nam Andeboto Romano Duce devicto, Bætica unà cum Hispali expugnata, Lusitaniæ caput Emerita Alanorum reliquiis erepta, Carpetania & Carthaginensis Provinciæ domitæ sub jugum Suevorum concessêre (k): nec minore belli famâ Riciarius Rechilæ filius postea floruit. Theodoricus Rex Visigothorum etsi Romanorum exterminium haud ægrè ferret; indignabatur tamen unam Suevorum gentem tot

Theodoricus I. Rex Visigothorum.

(f) Idat. in Chron.

(g) Marian. R. Hisp. l. 5. c. 3.

(h) Photius c 80. Prosp. Pith.

A. C. 422.

A. C. 427.

(i) Procop. B. V. l. 1. c. 3.

A. C. 440.

(k) Idatius in Chron.

Rechila & Riciarius Reges Suevorum

tot Provinciarum spoliis augeri: quare ut sibi quoque prædam decerperet, fœdere (quod inter Suevos, Romanósque decem annis inviolatum steterat) omnino sublato, cùm Cæsareis bella ex
A. C. 448. bellis serere instituit. His victoriis, ubi incrementa nonnulla sibi per Galliam adjecerat; repentè occasio subnata est, quâ diffidentium partes in concordiam, armorúmque societatem redirent. Theodorico præter sex filios, duæ filiæ erant, quarum altera Riciario Suevorum Regi (l), altera Hunerico Genserici filio in sponsam data est. Vandalus Princeps suspicione veneni sibi parati
A. C. 450. inductus, paulò post thoro & palatio uxorem non tantùm suam depulit; sed & præcisis naribus deformatam ad Patrem remisit (m): ferox spectaculum Theodoricum adeò accendit, ut ab hac die Tyranni sanguinem anhelaret. Vindictam criminis declinaturus Gensericus Attilam in Galliam accersit: jámque innumerabilis Hunnorum exercitus præcipuas urbes exhauserat; tum novum inter Romanos & Visigothos fœdus, armáque sociantur (n): nempe ut communem hostem conjunctis viribus opprimendum curent. Ab Aureliani obsidione primò Attilam abegère (o); dein in Catalaunicos campos fugientem eo ordine aggressi sunt: Alanis in media acie collocatis, Theodoricus dextram, sinistram alam Aëtius Dux Romanus moderabatur: signo demum ad pugnam dato Visigothorum Rex ardentiùs, ac ejus gravis ætas ferebat, in Hunnos rapitur; spiculo itaque ferali transactus dum concidit, à suorum pedibus obteritur (p). Parentis fatum Thorismundo filio, qui in eodem certamine fortissimè depugnabat, animum adeò non eripuit, ut in majores Hunnorum strages æstuans & Ducis & Ultoris ferocissimi officio fungeretur: ex equo
A. C. 451. tandem præcipitatus & vulnere in capite accepto, ne alterum daret funus, suorum virtute evasit.

(l) Idat. in Chron.

(m) Jornan. r. Goth. c. 36.

(n) Prosper in Chron. Jornand. p. 664.

(o) Du Chesne T. I. p. 276. 522.

(p) Jornan. r. 37. & 40.

Thorismundus Rex Visigothorum.

8. THORISMUNDUS postridie in eadem arena, ubi Attilæ vires debellatæ jacebant, Visigothorum Rex pronunciatus est (q); quâ solennitate peractâ & Paternæ necis dolore recrudescente Princeps Hunnorum internecionem urgebat: Aëtius contrà Visigothorum potentiam veritus Thorismundo persuasit, ut omisso Attilâ ad suos suumque regnum protinus moveret, ne fratribus absens, novandarum rerum spatium ansámque præberet

(q) Jornan. r. G. c. 41.

ret (r). Consilium ejusmodi ex vana suspicione conceptum Thorismundo ingratum postea, & Consultori pessimum accidit; nam subinde Attila redintegratis copiis Italiam populatus, pro fugæ ac incolumitatis beneficio Romanis deterrimam mercedem exsolvit (s). Non minùs Thorismundum affligebat illud, quod Aëtii dolo talis elapsus esset hostis, cui detrahere spolia, palmásque volupe fuisset: insita quippe animi ferocia Regem in turbas, cruentásque pugnas stimulabat; unde Theodoricus & Fridericus fratrem oppresserunt, ne quod ferrum in exteros agitare nequiret, in suos tandem converteret (t).

(r) Idatii Continuator apud Canis. T. 2. p. 646. A.C. 452. (s) Jornan. c. 42. Prosper P. Procop. B. V. l. 1. c. 4. A.C. 453. (t) Gregor. Tur. h.F. l. 2. c. 7. Isidor. H. Chron. Jorn. c. 43.

9. Occiso Thorismundo mitius ingenium ad regni gubernacula attulit frater THEODORICUS, Princeps Prudentiæ singularis, venusti oris, robusti corporis, ac modici victûs, in audiendis suorum querelis patiens, omníque virtutis specie donatus, & fortè optimus (u); nisi cæde germani fratris probitatem, & religionem errore Arii obfuscâsset. Idem Theodoricus author, adjutórque fuit ut Avito Imperio Occidentis præficeretur: regnantis postea studio totam belli molem contra Suevos in Hispania sustinuit. His quoniam Romanos Hesperiis provinciis exuere certum erat; grassantium ardorem monitis priùs compescere è re visum est. Sed Riciarius Rex Suevorum Theodorici verbis verba, & minas minis reposuit; quare Visigothorum Rex contempto etiam affinitatis vinculo, collectas ex variis gentibus copias per pyrenæos aditus in Hispaniam educit: ad Urbicum flumen in Gallæciæ finibus cum hoste congreditur, territos fundit, fugátque (x): Riciarius è prælio dilapsus ad Durii ostia periit. Inde Visigothis victoribus ditiones Suevorum patuêre: Bætica sine sanguine recepta: Gallæcia aliquot præliis accisa: & quo minùs pertinax eadem Provincia exscinderetur, supplices impetrârunt Episcopi à Theodorico, qui precantibus id porrò gratiæ addidit, ut Suevis alium ex gente sua regem deligendi faceret potestatem. Ricimerus ex Walliæ Gothi Regis filia & suevo Patre natus sub idem tempus redintegrando Regno Suevorum profuit (y). Verùm hujus operâ quantumvis Gothi, ac Romani ab Suevorum ditione abstinerent manus; ipsi tamen Suevi inter se in partes scissi, non sine suo periculo varios Reges sequebantur: alii enim Frantam, alii Mal-


(u) Sidon. l. 1. ep. 2. Carm. 23. *Theodoricus II. Rex Visigothorum.* A.C. 456. & 457. (x) Idatius Isidor. Chr. (y) Cuspinii p. 452.

(z) Idatius p. 37. *Maldra & Remismundus Reges Suevorum.* A. C. 459. A. C. 466. (a) Isidor. H. Chron. *Euricus Rex Visigothorum.* A. C. 467. (b) Jornan. r. G. c. 45.

dram coluêre (z). Dissidium illud tenuit, dum Remismundus Maldræ filius sublatis regni competitoribus cunctas Suevorum colonias ac regiones sub unum cogeret Imperium. Regni hujus firmitati eatenus consuluit: quòd cum præter Theodoricum haberet neminem, quem timeret; hujus filiam sibi expeteret in uxorem, adeóque Socero amicam injiceret vim, quo minus Regni amplitudinem cohiberet. Stetit enim verò hâc affinitate Suevorum Rex incolumis, sed modico admodum intervallo; nam Theodoricus paulò post Eurici fratris insidiis Tolosæ peremptus est (a). EURICUS ubi pro sceleris mercede Regnum Visigothorum acceperat; generi Remismundi vindictam reformidans, prolato in hunc omni armorum apparatu, id maximè spe sua devoraverat, fore, ut toties Hispaniæ Dominatum suis fascibus submitteret (b). Trifariam hæc eâ ætate erat divisa: Gallæcia cum Lusitaniæ parte Suevis, Bætica & Catalaunia Gothis parebant: Romanos Carthaginenses, Carpetani, ac paucæ aliæ Provinciæ coluêre. Euricus maximum robur in eas ditiones invehendas primò putavit, quæ resistendo minùs pares forent: itaque Lusitaniâ vastatâ, expugnatâ Cæsaraugustâ, & tandem in citeriori Hispaniâ captâ Tarracone, Romanos toto hoc regno exegit, in quo septingentis ferme annis habuerant principatum; nihilque jam erat præter Gallæciam Suevorum, quod non potentiam Gothorum revereretur (c). Euricus domitâ Hispaniâ, Duces Romanos in Gallia Arvandum & Seronatum eò inclinaverat, ut in Gothorum manus ditiones imbellium Cæsarum transferre cogitarent (d): verùm consiliis tempestivè oppressis, spes augendi Regni evanuit; hanc tamen subinde Euricus recepit, ubi à Theodorico Ostrogothorum Rege auxiliis è Pannonia submissis auctus (e), Ecdicio Romano Duci Ruthenos, Cadurcos, Lemovices, Gabalitanos & demum Arvernos eripuit (f); plurésque posteà urbes subegit, quando Orestes Gothus intestinum Julio Nepoti bellum, & Odoacer Augustulo exitium moliti sunt: hâc enim tempestate uti Imperium Occidentale cecidit; ita Gothorum Regnum ad majorem amplitudinem assurrexit.

(c) Marian. R. Hisp. l. 5. c. 5. A. C. 470. & 471. (d) Sidon. lib. 1. ep. 7. & l. 5. ep. 13. A. C. 473. (e) Jornan. r. G. c. 56. (f) Ennod. in V. Epiph. A. C. 476.

Histo-



Hiſtoria de Regno Burgundionum & Francorum in Gallia.

§. V. *Galliæ ſitus & diviſio; ejusdem conditio, ac ſtatus ſub Romanis Magiſtratibus ac Imperatoribus. Irruptio Borealium gentium:* BURGUNDIONUM *ibidem* REGNUM *ſub Regibus GUNDICARIO, GUNDIACO, CHILPERICO, GUNDOBALDO, ejúsque Fratribus. In* REGNO FRANCORUM *qui primus Rex fuerit, incertum eſt: alii* PHARAMUNDUM, *alii* CLODIONEM, *plures* MEROVÆUM *hoc loco numerant, cui ultimo* CHILDERICUS *in Regno ſucceſſit.*

1. GAllia nobilior Europæ portio utì Hiſpaniæ finibus propinqua; ita ejusdem fortunæ fatiſque conjuncta olim fuit (a). Divitem frugum ubertate agrum amnis Rhenus ac Alpium juga ab ortu: ab Auſtro mare internum, pyrenæíque montes: à Borea & occaſu uterque Oceanus conſtringunt; extra has tamen metas gens ſæpius effuſa Galatiam in Aſia (b), in Italia Galliam Ciſalpinam condidit: inde armis Romam mundi Dominam, atque ipſam Capitolii ſedem armis terrere aggreſſa eſt (c), fuerátque hoc ad Gallorum celebritatem ſingulare, quod Romani ultro faterentur (d), ſe cum aliis populis pro gloria: cum illa verò natione pro ſalute ſervanda decertâſſe. Julio tandem Cæſari poſt novem annorum cruentas dimicationes feliciùs evenit, ut victores cæteroquin Galli eidem Duci victas darent manus (e). Ab hoc igitur tempore Gallia primò trifariam, & ſubinde ab Auguſto Cæſare in quatuor partes; nempe Belgicam, Celticam, Aquitanicam & Narbonenſem (f) diſcreta, ſub Romanorum jura, moréſque conceſſit. Conſtantinus Magnus Comites in civitatibus, Duces in locis limitaneis, & in tota Diœceſi Prætorio præfectum conſtituit (g); ſub quibus Romanis Magiſtratibus ubi Gallia per quingentos ferè annos ſteterat; regnante Hono-

(a) Cluver in introd. Geogr. c. 8.
(b) Livius l. 38. Juſtin. l. 25. c. 2.
(c) Livius lib. 5.
(d) Salluſt. in H.
Status Galliæ ſub Romanis.
(e) Cæſar in Comment. de B. Gall. Plutarchus in Cæſare.
(f) vid. T. I. Hiſt. Univ. p. 70. n. 18.
(g) v. Refl. V ad C. I. §. I. p. 172. T. I. Hiſt. Univ.

Honorio in Borealium gentium prædam aut Dominatum pervenit.

Irruptio variarum gentium in Galliam.

2. Quo tempore innumerabiles Germaniæ populi examinum inſtar Europam invasêre, Gallia majore Provinciarum numero, quàm viribus valebat; non enim in quatuor, ut antè, ſed in ſeptendecim omnino Provincias diviſa (* 1), centum & quindecim nobiliſſimas civitates ferè inermes hoſtibus aperuit (* 2), quas

(* 1.) *Ex Notitia Imperii Occidentis* in ſæculo V. apud Labbe SUB DISPOSITIONE VIRI ILLUSTRIS PRÆFECTI PRÆTORIO GALLIARUM Provinciæ Galliarum XVII. *Viennenſis, Lugdunenſis prima, Germania prima, Germania ſecunda, Belgica prima, Belgica ſecunda, Alpes Maritimæ, Alpes Penninæ & Grajæ, Maxima Sequanorum, Aquitania prima, Aquitania ſecunda, Novem populi, Narbonenſis prima, Narbonenſis ſecunda, Lugdunenſis tertia, Lugdunenſis ſenonia.*

(* 2.) *Ex Notitia Provinciarum & civitatum Galliæ*, apud Sirmondum ex T. I. Cl. Galliæ civitates ſequentes enumerantur: *IN PROVINCIA LUGDUNENSI I.* METROPOLIS CIVITAS LUGDUNENSIUM, *civitas Æduorum, civitas Lingonum, Caſtrum Cabilonenſe, Caſtrum Matiſconenſe. IN LUGD. II.* METROPOLIS CIVITAS ROTOMAGENSIUM, *civitas Bajocaſſium, civitas Abrincatum, civitas Ebroicorum, civitas Sagiorum, civitas Lexoviorum, civitas Conſtantia. IN LUGDUN III.* METROPOLIS CIVITAS TURONUM, *civitas Cenomannorum, civitas Redonum, civitas Andicavorum, civitas Namnetum, civitas Coriuſopitum, civitas Venetum, civitas Oſſiſmorum, civitas Diablintum. IN LUGD. SENONIA* METROPOLIS CIVITAS SENONUM, *civitas Carnotum, civitas Antiſiodorum, civitas Tricaſſium, civitas Aurelianorum, civitas Pariſiorum, civitas Melduorum. IN BELGIA I.* METROPOLIS CIVITAS TREVERORUM, *civitas Mediomatricorum Mettis, civitas Leucorum Tullo, civitas Verodunenſium. IN BELG II.* METROPOLIS CIVITAS REMORUM, *civitas Sueſſionum, civitas Catuellannorum, civitas Veromanduorum, civitas Atrebatum, civitas Camaracenſium, civitas Turnacenſium, civitas Silvanectum, civitas Bellovacorum, civitas Ambianenſium, civitas Morinorum, civitas Bononenſium. IN GERMANIA I.* METROPOLIS CIVITAS MOGUNCIACENSIUM, *civitas Argentoratenſium, civitas Nemetum, civitas Vangionum. IN GERM. II* METROPOLIS CIVITAS AGRIPPINENSIUM, *civitas Tungrorum. IN PROVINCIA MAXIMA SEQUANORUM* METROPOLIS CIVITAS VESONCIENSIUM, *civitas equeſtrium Nojodunus, civitas Helvetiorum Aventicus, civitas Baſilienſium, Caſtrum Vindoniſſenſe, Caſtrum Ebredunenſe, caſtrum Rauracenſe, Portus Abucini. IN PROVINCIA ALPIUM GRAJARUM & PENNINARUM, civitas Centronum Darantaſia, civitas Valenſium octodoro.* Item in Provinciis ſeptem de quibus videatur Pagi in Crit. Tom. I. pag. 539. *IN PROVINCIA VIENNENSI* METROPOLIS CIVITAS VIENNENSIUM, *civitas Genavenſium, civitas Gratianopolitana, civitas Albenſium, civitas Deenſium, civitas Valentinorum, civitas Tricaſtinorum, civitas Vaſienſium, civitas Arauſicorum, civitas Cabellicorum, civitas Avennicorum, civitas Arelatenſium, civitas Maſſilienſium. IN AQUITAN. I.* METROPOLIS CIVITAS BITURIGUM, *civitas Arvernorum, civitas Rutenorum, civitas Albienſium, civitas Cadurcorum, civitas Lemovicum, civitas Gabalum, civitas Vellavorum. IN AQUITAN. II.* METROPOLIS CIVITAS BURDIGALENSIUM, *civitas Agennenſium, civitas Ecoliſmenſium, civitas Santonum, civitas Picta-*

quas populabundi exhaurirent penitus, aut in iis novorum Regnorum fundamenta molirentur (h). Præter Visigothos primò BURGUNDIONES fuêre, qui stabilem in Gallia pedem posuêrunt: nam Vandali, Alani ac Suevi, postquam Provincias has populando duntaxat emensi, in Hispaniam demum transierant (i); Rex Burgundionum Gundicarius Moguntiaci adhucdum considens, Jovinum ad usurpandum Imperium (* 3), & ad bellum adversus Romanos incitabat (k): inde Tyranni penè regnantis conatum ita adjuvit, ut à Rheni limite ad Rhodanum exercitum, Regnúmque proferret. Ataulphus Visigothorum Princeps sive Romanorum studio, sive Narbonensis Galliæ amittendæ metu fœdus cum Constantio Duce Romano pactus (l), Jovinum terris, purpuráque; non tamen Burgundiones (Tyranni amicos) armis exuit. Hi igitur cùm copias infestas per Galliam traherent, in unum potiùs locum gentem pellicere placuit, ubi defixis domiciliis, & regni novi specie pro Romanis deinceps bella gererent (m); quo consilio Honorius Imperator Burgundionibus in Germania prima habitationem impertitus, id beneficii retulit, ut aliorum populorum incursus ab aditu Galliæ aliquo saltem intervallo arcerentur (n).

3. Quæ

A. C. 407.
(h) Orosius l. 7. c. 40. Salvian. l. 7.
A. C. 409.
(i) Procop. B. G l. 1. c. 12.
A. C. 412.
Burgundionum Regnum in Gallia.
(k) Zosim. l. 6. p. 128. Phot. c. 80. p. 181.
(l) Prosper Pith. Sozom. l. 9. c. 15. Idat. Chr.
A. C. 413.
(m) Friger. apud Greg. Tur. l. 2. c. 9. Cassiodor. in Chron.
(n) Bucher. B R. l. 14. c. 4. §. 1...

Pictavorum, civitas Petrocoriorum. IN PROV. NOVEMPOPUL. METROPOLIS CIVITAS ELUSATIUM, *civitas Aquensium, civitas Lactoratium, civitas Convennarum, civitas Consorannorum, civitas Boatium, civitas Benarnensium, civitas Aturensium, civitas Vasatica, civitas Turba, ubi castrum Bigorra, civitas Elloronensium, civitas Ausciorum. IN NARBONENSI* METROPOLIS CIVITAS NARBONENSIUM, *civitas Tolosatium, civitas Beterrensium, civitas Nemausensium, civitas Lutevensium, civitas Ucecienfium. IN NARB. II.* METROPOLIS CIVITAS AQUENSIUM, *civitas Aptensium, civitas Rejensium, civitas Forojulienensium, civitas Vappincensium, civitas Segestiorum, civitas Antipolitana. IN PROV. ALPIUM MARITIM.* METROPOLIS CIVITAS EBRODUNENSIUM, *civitas Diniensium, civitas Rigomagensium, civitas Sollinienfium, civitas Sanitiensium, civitas Glannatina, civitas Semelenensium, civitas Vinciensium.*

(* 3.) OLYMPIODORUS in excerpt. p. 7. *Jovinus apud Mundiacum, Germaniæ alterius urbem, studio Goaris Alani & Guntiarii, Burgundionum præfecti, tyrannus creatus est, cui ut sese adjungeret, Ataulpho author fuit Attalus.* FRIGERIDUS apud Gregor. Turon. l. 2. c. 9. *Vix dum quartus obsidionis Constantini Mensis agebatur, cum repente ex alteriori Gallia nuntii veniunt, Jovinum assumpsisse ornatus Regios, & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obsidentibus.*

Francorum initia in Gallia.

3. Quæ altero loco in Gallia firmam sedem, Regnumque expetiit, Gens Francorum erat; hæc ex Frisiis, Saliis, Bructeris, Angrivariis, Chamavis, Sicambris, Cattis, aliisque populis collecta (o), & in Tribus varias divisa sub diversis Ducibus aut Regulis eas terras colebat, quæ inter Mœni ripas, intérque Rheni defluentis ostia porriguntur (p). Solum ejusmodi uti Galliæ proximum, ita Francis pergratum fuit; quoties enim libebat, superato Rheno agebant prædam: aut sub signis Romanis fœderatorum more stipendia merebantur: quin virtute suâ eò emerserant, ut in Romanorum exercitu Franci Duces, ínque Cæsarum aulâ Franci Comites, ac præcipui Magnates viserentur (q). Ducentis ferè annis vectigalem eâ ratione Galliam soli Franci habuerant; tum Vandali, Alani cum Suevis à Stilicone acciti, ad agrum tam pinguem quoque advolavêre (r). Irruentibus Franci seu aliquâ adhuc fide Romanis obstricti, seu invidiæ stimulo concitati obsistunt (s); at gentes numero validiores impetu facto Francos proterunt, & per stratorum corpora in alteram Rheni ripam eluctantur: illinc Germaniæ primæ civitatibus exhaustis, Belgicam Provinciam, aliósque agros ad Ligerim usque populantur (t). Intereà Franci collectis ac restauratis viribus dolebant maximè, à novis prædonibus sibi præripi spolia; quare ne erasis omnibus prædæ spes elaberetur, citò Rhenum inferiorem trajiciunt: dein Belgicæ Metropolim & Imperatorum sedem, Treviros scilicet, aggressi (u) reliquias à Vandalis relictas expilant. Per idem tempus Armorici (* 4) Romanorum excusserant jugum, & Rempublicam novam ad Britannorum exemplum moliti (x), vicinam jam Francorum gentem in fœdus pertraxerant. Societas hæc armorum ut citiùs divelleretur, Castinus Domesticorum Comes expeditionem in Francos suscipere cogitur (y); ferox inde bellum utrinque exarsit, quod tantâ acerbitate gestum est, ut Romani

A.C. 407.

A.C. 411.

A.C. 413.

A.C. 414.

(o) vid. T. I. Hist. Univ. p. 555.

(p) Dubos Hist. Critiq. de la Monar. Franc. T. I. l. 1. c. 17.

(q) Idem p. 224.

(r) Orosius l. 7. c. 38.

(s) Bucher. l. 13. c. 4. Vales. §. 3. l. 3. p. 198.

(t) Gregor. Tur. l. 2. c. 2.

(u) Hieron. ep. 11. Salv. lib. 6. & l. 7.

(x) v. Dubos in Crit. T. I. l. 2. c. 2.

(y) Gregor Tur. l. 2. c. 9.

(* 4.) BUCHERIUS in Belgio Rom. l. 13. c. 8. sect. 4. n. 31. Antiqua quidem *Armoricorum* acceptio, Britonum Gallicorum, ac Normannorum hodiernorum, seu secundæ, tertiæque ferè Lugdunensis tractum omnem significat, nullius contradictione: CÆSAR tamen l. 7. & ZOSIMUS l. 6., latiùs fines *Armoricorum* extendere videntur, ita ut horum nomine omnes ii veniant, qui ad mare habitant, quare Bucherius Bononienses, Morinos, & Menapios, *Armoricis* quoque accensendos putat.

mani Theodemirem Regem Francorum, filium Richimeris quondam, & Ascilam matrem ejus trucidarent (z). Castino victoria ista tantos injecerat animos, ut contempto hoste, & copiarum suarum parte Constantio Comiti Arelaten missâ, moneret, vellet iis sibi minùs necessariis ipse deinceps opportuniùs contra Ataulphum Gothorum Regem uti (a). Diminuto Romanorum exercitu Franci resumebunt vires, & ex insidiis in Trevirorum Augustam velut hostium suorum sedem, sive exitiale armamentarium tertiò vertunt iras (* 5), quibus urbis dignitatem, ac ferè etiam nomen delevêre (*6); plura efferata gens meditabatur, sed Honorius eâdem arte Francorum, quâ Burgundionum, æstum componere, noverat. Utì enim his anteà Germaniam primam, ita nunc his partem Galliæ Rheno inferiori propinquam, quæ Ripuariæ nomen dein obtinuit (* 7), elargiendam duxit.

(z) Gregor. Tur. l. 2. c. 9. Fredegar. c. 8.

(a) Bucher. l. 14. c. 6. n. 1.

A. C. 415.

Ripuaria à Francis obtenta.

A. C. 416.

Mmmm 2 4. Pace

(* 5.) Bucherius quatuor Trevirensis urbis vastationes enumerat, *prima* erat illata à Vandalis an. 410. *secundam* fecêre Franci eodem anno exspirante, *tertia* iisdem Francis adscribitur an. 411., qui & *quartam* ac ultimam urbi invexêre an. 415. de secunda & tertia intelligendum illud juxta VALESIUM, quod Gregor. Turon. lib. 2. c. 9. ait; *Trevirorum civitas à Francis direpta, incensáque est secundâ irruptione*, huc quoque refert Valesius illud; quod SALVIANUS l. 6. oculatus testis perhibet de urbis ejusdem excidio: *Excisa est ter continuatis eversionibus summa urbs Galliarum, omnísque civitas bustum fuit, malis & post excidia crescentibus. Nam quos hostis in excidio non occiderat, post excidium calamitas obruebat... Quæ urbis pars, ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum corpora lacerata? ubique facies captæ urbis.... lugent cuncta, & eam tamen* (urbem) *tria excidia non correxerunt .... pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio Circenses ludos ab Imperatoribus postulabant.* Ob vitia igitur quartam eversionem urbis Deus decreverat, de qua Salvianus ita profatur: *Denique expugnata est quater urbs Gallorum Trever opulentissima .... sufficere utique debuerat emendatione prima captivitas: ut instauratio peccatorum non instaurâsset excidium. Sed quid plura? incredibile est, quod loquor, assiduitas illic calamitatum augmentum criminum fuit.*

(* 6.) SIRMONDUS in not. ad Sidonium exhibet Constitutionem an. 418. editam, quâ Honorius Imperator jubet, ut Treviris jam destructis, Arelatum in caput Galliarum erigatur: nempe Præfectus Prætorio, qui Treviris antè consederat, deinceps Arelati habitaret, huicque urbi septem Provinciæ subjicerentur, scilicet Aquitania I. & II. Novempopulania, Narbonensis I. & II. Viennensis, ac demum Alpes Maritimæ de quibus vide BUCHERIUM in Belg. Rom. l. 15. c. 1. item PAGIUM in Critic. T. II. ad an. 401. n. 33. 34. 35. 36.

(* 7.) BUCHERIUS l. 14. c. 8. ex Cassiodoro postquam sequentia verba descripserat: *Felice, Tauróque Coss. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aëtii Comitis armis recepta*: concludit per Ripuariam intelligi eam Germaniæ secundæ partem, quæ Mosæ, Rhenique fluxibus ferè interclusa est, quod ex eo confirmatur, quod licèt in Notitia Imperii tota œconomia Politica tum Belgicæ primæ, tum

A. C. 417. & 418. *Pharamundus primus Rex Francorum à multis existimatus.*

4. Pace aliquot Provinciarum damno partâ, Honorius Romæ triumphum: PHARAMUNDUS autem in Francia hac nova sive Ripuaria agitâsse primò regnum dicitur. De Regis hujus nomine (*8), stirpe (*9), Imperio (*10), ac Regni tem-

tum secundæ cum suis Præfectis designetur; in Germania tamen secunda diminutio ditionum Romanarum deprehendatur, eoquòd ibidem *Lagium prope Tungros* Romanorum præsidiis duntaxat insessum legatur.

(* 8.) SCALIGER apud Bucherium l. 14. c. 9. n. 8. ait: *Quod Faramundus, non Waramundus scribendum sit; non monerem, nisi viderem Germanos quosdam doctos viros ita censuisse, quod in illis ferendum non est.* Docti isti Germani Waramundum ab *War* id est *verum* & *mund* id est *os* deducunt. In Vopisci Aureliano c. 11. legimus: *Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Carioviscus*, ubi Salmasius *pro Hartomundus*, ait, *in palatino Codice & veteri editione Harimundus scribitur & Harimundum puto idem nomen esse cum Farimundo & Faramundo.* Hæret tamen in suâ sententia Scaliger: *Et quomodo*, inquit, *W potuit in F degenerare? Quid sit Fara, unde nomen Faramundi compositum pete ex Paulo Longobardo. Francorum enim, Gothorum, Longobardorum, Wandalorum eadem dialectus fuit, nempe Teutonica.* Fara igitur Teutonicum etiam verbum esse vult, quod generationem significat, uti ex Warnefridi l. 2. c. 9. ostendit, ita ut Faramundus idem sit, atque *os* & *caput Familiæ* &c.

(* 9.) EPITOME Gregor. Turon. c. 4. *Franci Faramundum filium* MARCHOMIRI *super se Regem Crinitum levaverunt.* Quod & AUTHOR DE GESTIS FRANCORUM confirmat: *Tunc defuncto Sunnone, & accepto consilio, in uno Primatu eorum unum habere Principem, petierunt consilium à Marchomiro, ut Regem unum haberent, sicut & Ceteræ gentes. At ille eis dedit consilium, & elegerant Faramundum filium ipsius Marchomiri.* ORDERICUS VITALIS illum SUNNONIS filium facit: *Cum Galli priùs contra Romanos rebellâssent, Franci iis Sociati sunt; & pariter juncti Francum* FERRAMUNDUM *Sunnonis Ducis filium sibi Regem præfecerunt.*

(* 10.) Qui Pharamundum Imperâsse in Francia tuentur adducunt PITHOEANI PROSPERI suffragium, dum in exemplari quodem Scaligeri ita scribit: *Faramundus regnat in Francia.* Sed HENSCHENIUS in exegesi de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi Tom. VII. SS. Mensis Maji præfixa c. 10. existimavit citata verba intrusa fuisse in Chronicon: „Præter Auctoris mentem quia, inquit, habemus illud in duobus codicibus MSS., quorum antiquior est exaratus anno Chr. DCXXIII. & in hoc desunt omnia illa, quæ de Francorum Regibus alibi leguntur. Continet hic vetustissimus Codex Chronicon Eusebii à S. Hieronymo interprete continuatum, tum dictum Prosperi Chronicon, eisque subjunctum Chronicon Marii. Habemus præterea aliud Chronicon, in quo iterum est Chronicon Eusebii à S. Hieronymo interprete continuatum, dein hoc ipsum Chronicon Prosperi, tum Sigeberti Gemblacensis, denique inter alia quædam leguntur etiam Nomina & Origo Regum Francorum.„ Addit Henschenius porrò Gregorium Turonensem, non modo non habuisse sic interpolatum Chronicon Prosperi, sed nec Sigebertum totis sæculis sex Juniorem Turonensi, illud sic habuisse videri; certè ipsum non sequi: sed quæ primos Francorum Reges attinent omnia, videri ex propria ac nuda conjectura scripsisse. 2. Antiquissimi scriptores rerum Francicarum, utpote Gregorius Turonensis & post illam Fredegarius, nullam de Pharamundo mentionem faciunt. 3. Dubium etiam relinquitur ubi illa Francia fuerit, in quâ Pharamundus regnâsse dicitur, & an uni Tribui Francorum vel pluribus imperârit?

tempore (* 11) etsi caligini altissimæ involuta ac incerta omnia multis videantur; sunt tamen, qui Pithœi Chronico confisi, ab hoc Principe Francicorum Regum exordia deducere non vereantur (* 12): & quoniam regna faciliùs legibus coalescunt; Pharamundum sapientissimos Gentis suæ adhibuisse ferunt (b), ut legem Salicam sive à Saliis Francis sive à Sala, quæ vox aulam significat, cognominatam in capita digererent, ex cujus præscripto posteà Franci regerentur (* 13). His captis auspiciis castra in Ripua-

(b) LL. Sal. in Prolog. apud Eccard. p. 4.

(* 11.) De tempore, quo incepit regnare Pharamundus, non minor difficultas emergit; nam alii ab anno 417., alii ab anno 418, & plures ab anno 420. initium Monarchiæ Franciæ desumunt: Tricas has ipsum Pithœi Chronicon in medium projecit; in ejus quippe editionibus variè legitur I. ad annum XXVI. Honorii *Solis hoc anno defectio. Tricesimus nonus: Sixtus Romanam Ecclesiam Regit. Faramundus regnat in Francia.* In duobus Codicibus MSS. Colbertinis ad eum annum Honorii sic habetur: *Solis defectio; Pharamund regnat in Francia.* In editione Scaligeri dicitur: XXV. *Faramundus regnat in Francia.* XXVI. *Solis facta defectio hoc anno.* In editione Labbei ad annum XXIV. de Sixto sermo est. Annus XXV. vacuus & ad an. XXVI. refertur Solis Eclipsis & Pharamundi initium. Inde PAGIUS concludit: Quare eò minùs aliquid certi ex eo Chronico deduci potest, quò nullam Faramundi mentionem Gregorius Turonensis faciat. Quia tamen nihil aliud suppetit, in quo vel simplex conjectura fundari possit, hoc anno (418.) quo ingens illa Eclipsis contigit, initium Pharamundi consignare visum. Videatur etiam hic BUCHERIUS l. 14. c. 9. n. 6. p. 453.

(* 12.) Pro Pharamundo stant BUCHERIUS, VALESIUS, PAGIUS; quorum postremus primò ab HENSCHENIO objectas difficultates ita solvere conatur: verba in Pithœi Chronico citata cùm in aliis codicibus legantur, vero similius videri, ista potiùs in Antverpiensibus exemplaribus fuisse prætermissa: adhæc Sigebertum sincerè transcripsisse Chronicon sinè interpolatione. Denique ex eo, quod Marii Chronicon Antverpiensibus exemplaribus adjunctum sit, minimè sequi, quod cuncta Chronica ibidem scripta sint eodem anno exarata. II. Ad Gregorii Turonensis silentium ita respondent omnes cum BUCHERIO l. 14. c. 9. n. 9: scriptorem illum non adeò accuratum, & quæ narrat, negligenter & confusè esse digesta, ut sæpe caliginem potiùs, quàm lucem offundant; ideo hoc silentio nequaquam territus AIMOINUS in sæc. XI. l. 1. c. 4 inquit: *Regem cæterarum more nationum Franci sibi eligentes, Faramundum Marchomiri filium solio sublimant Regio.* Similiter & prior EPITOME Greg. Tur. c 5. *Mortuo Faramundo Chlodionem filium ejus crinitum in Regnum Patris elevaverunt.* ADO VIENNENSIS in sæc. IX *Post Pharamundum Franci Chlodionem ejus filium sibi Regem statuunt*, quibus accedit SIGEBERTUS GEMBLACENSIS. An autem recentiores hi Authores evincant id, quod disputatur, tuum Lector esto judicium.

(* 13.) AUTHOR de rebus gestis Francorum: *Tunc & legem habere cœperunt, quam Consiliarii eorum priores gentiles, his nominibus WISOVAST, WISOGAST, AROGAST, SALEGAST in villabus Germaniæ, ea sunt BODECHEIM, SALECHEIM & WILDECHEIM tractaverunt.* Item SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad an. 422. *Franci uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis suæ Proceres Electos ex pluribus, his appellatos nominibus* USOGAST, BOSOGAST, SALAGAST, WIDAGAST; *in villis Germaniæ* SALECHEIM, BODACHEIM, WINGEHEIM.

Ripuariâ sita, scilicet Coloniam Trajanam, Ascibugium, aliásque Romanas stationes eversas fuisse quidam suspicantur, eoquòd (c) Bucher. B.R.l.14.c.9. n. 12. Pharimundus iis se obsideri, premíque crederet (c). Non minus momenti habere illud existimant, quod Pharamundo regnante, vel etiam jubente Catti (Francorum pars trans Rhenum) in Alemannos vicinos ad Mœnum irruperint, & terræ à se partæ eodem tempore FRANCONIÆ indiderint nomen (* 14). Transactis igitur decem vel undecim annis, vigesimus octavus supra (d) Usser. rer. Britan. p. 402. 403. quadringentesimum Pharamundo fatalis fuit (d), cujus tumulum in fastigio Alpium (quæ Alsatiam, ac Lotharingam hodie dirimunt) posteri quidam se deprehendisse somniârunt (* 15).

Chlodio Rex Francorum. A.C. 428. 5. Pharamundo annales quidam CHLODIONEM sive Chlogionem sufficiunt; alii tamen cum Gregorio rerum Francicarum scriptore primas eidem deferunt vices (e): utilis erat is (e) Gregor. Tur. l.2. c.9. ac nobilissimus in gente sua Princeps, cui Comati, sive Criniti agnomen datum est (* 16), non quod primus effusam Francorum

---

HEIM. *Hi quatuor Proceres per tres Mallos convenientes, causarum origines sollicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut* LEX SALICA *declarat, judicare decreverunt.* Valesius Rer. Franc. T. I. contrà insinuat: *Mihi quidem similitudo nominum cùm latorum legis, tum locorum, in quibus condita dicitur, suspecta semper fuit. &c.* Reliqua, quæ de LEGE SALICA dici possunt, alibi latiùs differemus.

(* 14.) BUCHERIUS in B. R. l. 14. c. 9. n. 11. De Pharamundo ait: „Cætera Faramundi gesta prorsus ævum aboluit, nisi fortè gustatæ semel pacis retinentior, nunquam deinde cis Rhenum in Romanos moverit; sed trans Rhenum duntaxat contra Alemannos, quos & Borealibus terris Franciæ conterminis exuerit: si fortè necdum exuti fuerint; ut supra putavi: iisque in jus suum translatis novum FRANCONIÆ nomen, quod hucusque tenet, aut imposuerit, aut firmaverit. De quo tamen, quia alio tempore contingere potuit, magis inquirendum censeo. Nec enim aliena à ratione suspicio esset, Francorum gentem tunc diversas sub diversis Regibus expeditiones occepisse, fortunæ blandientis illecebris invitatam. Adeò, ut Hattuarii, Ansibarii & maximè Bructeri Rheno vicini, Chamavíque Duce tunc Faramundo Germaniam secundam ex parte, seu Ripuariam obtinuerint. Reliqui verò, ut Chatti à Thoringis jam antè arctati in vicinos Alemannos ad Mœnum irruperint; & terræ à se partæ FRANCONIÆ quoque nomen indiderint; maximè cùm Burgundiones & Alemanni cis Rhenum à Romanis admissi, eum terræ tractum ferè vacuum reliquerint. Ita BUCHERIUS suspicatur: simili conjecturâ alia gesta Pharamundi describit VALESIUS rer. Franc. T. I. p. 120. quando ait: Pharamundi ductu Francos in Galliam irruptionem fecisse, & Augustam Trevirorum tertiùm captam diripuisse & incendisse.

(* 15.) MABILLONIUS tumulum existimatum Pharamundi scrutatus, fabulam detexit. Videri possunt MEMOIRES DE LITERATURE T. IV. p. 370.

(* 16.) AIMOINUS l. 1. c. 4. *Regem cæterarum more nationum Franci sibi eligentes, Faramundum Marchomiri filium solio sublimant Regio. Cui filius successit Clodio*

CRI-

rum more comam aleret (* 17), ſed quod Cæſariem in permiſſam duntaxat Regibus amplitudinem nutriret (* 18). Domicilium ac Regni ſedem ubi Chlodio ſuam defixerit, nemini adhucdum aſſequi ſatis licuit. Nam etſi veteres Faſti referant eundem DISPARGI IN FINIBUS THORINGORUM habitâſſe; hæ tamen ipſæ voces ita implexæ ſunt, ut divinare hìc magis, quàm definire neceſſe ſit (* 19). Chlodio quamprimùm Franciæ præeſſe cœpit, à Gal-

CRINITUS. Et EPITOME Greg. Tur. c. 5. *Mortuo Faramundo Chlodionem filium ejus CRINITUM in Regnum Patris ejus elevaverunt. Tunc temporis Crinitos Reges in initium ſublimaverunt.* Quin CLAUDIANUS ad antiquiora tempora Regum Crinitorum initia revocat: l. 1. de laudibus Stilic. . .

- - - & pax à fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis, ingentia quondam
Nomina Crinigero flaventes Vertice Reges.

(* 17.) IDEM CLAUDIANUS Cæſariem in uſu Francorum fuiſſe docet lib. 3. de L. Stilic.

- - - illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.

Alius tamen mos ſubditis erat in alendâ comâ: alius Regibus, ut colligitur ex SIDONIO in Paneg. Majoriani; ibidem enim v. 240. communem Francorum uſum deſcribens commemorat, plebejis, & ſubditis pependiſſe in frontem capillos, tonſo occipite, & paucos eminuiſſe barbæ pilos.

- - - - Rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet; nudatáque cervix
Setarum per damna nitet. Tum lumine glauco
Albet aquoſa acies: ac vultibus undique raſis
Pro barbâ tenues perarantur pectine Criſtæ,
Strictius aſſutæ veſtes procera coërcent
Membra virûm, patet in altato tegmine poples,
Latus & anguſtum ſuſpendit baltheus alvum.

(* 18.) Reges Francorum duplici crinium formandorum modo ſe olim à ſubditis diſtinxêre. 1. Non raſum ullâ in parte caput plenè regebat Cæſaries in humeros longiùs promiſſa. 2 Implectebant comis cirrhos, aut cincinnos faſciolis adſtrictos, quaſi ſerpentatos, quos granos vocabant, aut flagella. Sic GREGOR. TURON. l. 6. c. 24. de Gundebaldo, qui ſe Chlotarii I. filium jactabat: *Hic*, ait, *cùm natus eſſet in Galliis, & diligenti curâ nutritus, ut Regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga dimiſſis, literis eruditur, Childeberto Regi à matre repræſentatur.* AGATHIAS l. 1. in Chlodomeri Francorum Regis à Chlodovæo Magno geniti cæde: *Eo cadente, Burgundiones comâ animadversâ profuſiore, quæ illi ad tergum protendebatur, ſensêre hoſtium Ducem ſe occidiſſe. Neque enim fas erat, Francorum Imperatoribus comam tondere; ſed à pueris intonſi manent: atque adeò, ut à tergo his defluant crines: nam à fronte diſcriminati utrimque feruntur. . . . Idque proinde præcipuum & Regium Decus conſtitutum eſt; ſolis ut Regibus permittatur. Nam ſubditi circumtonſi ſunt omnes, nec prolixior his coma conceditur.*

(* 19.) GREGOR. TUR. l. 2. c. 9. *Ferunt tunc Chlogionem utilem ac nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud* DISPARGUM *caſtrum habitabat, quod eſt*

à Gallia plures sibi decerpere partes meditabatur: & consiliis favisset temporum ratio; nisi Aëtius Dux Romanus rem Romanam adversus hostes multò fortiùs sustinuisset. Perdiderat ille proditione Africam; at nunc vulnus Imperio inflictum aliunde sanaturus in Galliam provolabat: illinc Burgundiones primo impetu victos in Sabaudiam transtulit (f), ne cæteris gentibus juncti deinceps majus negotium facesserent. Posteà in Francos invectus alterâ jam clade attritos trans Rhenum ejecit. Steterat inde sex fere annis beata & dives bonis omnibus tranquillitas (g); tum Romani variis bellis impliciti ferè fatiscebant: nam Vandali in Africa, Siciliáque, Suevi in Hispania, & Hunni in Thracia & Illyrico arma virésque Imperii distrahebant; Chlodio igitur hâc occasione arreptâ rursus ad Rheni fluenta selectum militem (h) admovet, mox amne transmisso, disjectísque oppositæ ripæ præsidiis, Belgium pervagatus, firmiorem Regno gentíque suæ locum constituit: inde Carbonariam Sylvam (quæ Arduennæ pars est inter Mosam & Scaldim) Tornacum & Cameracum Regni deinceps sedem capit (i): demum ad Somonam amnem prolato limite, Atrebatum etiam terras licenter exhaurit. Aëtii quantumvis manum bella graviora sibi vendicarent; Chlodionis tamen incremento territus, in Belgium cum Majoriano juvene, postea Imperatore, repentè accurrit. Neque ferocem victorem justo prælio aggredi ausus, ex insidiis, opprimendum decernit (k). Consederat Chlodio apud Atrebates non procul à vico Hedena

A.C. 431.

(f) Prosper Pith. Bucher. B. R. l. 16. c. 4. n. 8.

A.C. 437.

(g) Salvian. l. 6. de prov.

(h) Sidon. Apollinar. Carm. 5. Majoriani Panegyr. v. 212.

A.C. 442. & 443.

(i) Gregor. Tur. l. 2. c. 9. Epit. I. c. 5. Epit. II. c. 9.

(k) Sidon. in Panegyr. Maj. v. 212.

est in TERMINO THORINGORUM. Duplex inde dubitationis caput emergere ait: BUCHERIUS l. 15. c. 10. nempe quodnam illud *Dispargum?* & quænam *Thoringia?* Idem Author respondet, per Thoringiam non posse intelligi Thoringiam Germaniæ, quia Gregorius ait: *Tradunt multi Francos de Pannonia fuisse digressos, & primùm quidem litora Rheni amnis incoluisse; dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeâsse.* Ubi autem Rhenus trajiciendus, siquidem è Pannonia in Germaniæ Thoringiam venire velis? accedit quod in quibusdam MSS. Gregorii legatur *in termino Tongrorum*, quod confirmant illa Gregorii dicta; quæ subnectit: *In his autem partibus, id est ad meridionalem plagam habitabant Romani usque Ligerim fluvium; ultra Ligerim Gothi: ad Rhodanum & Lugdunum Burgundiones*, quæ omnia de Tongria potiùs, quam de Germanorum Thoringia fidem faciunt: unde Bucherius porrò concludit cum Vendelino, per Dispargum intelligi *Diestemium* in Brabantia ad Demeram fluvium. Non desunt tamen aliorum Authorum adversæ opiniones, qui Francis hoc tempore cis Rhenum stabilem sedem fuisse negant; quare pro Dispargo potiùs Duesburgum in Westphaliâ ad amnem Ruram indagandum censent. vide ADAM. BREM. Hist. l. 3. c. 30. SCHATEN. Hist. Westph. l. 5. p. 270.

na (l), ubi uno è Francis Ducibus nuptias celebrante, Princeps cum toto exercitu in epulas, ac nuptialem licentiam solvebatur; in lætam igitur ac tumultuantem Francorum turbam improvisus Aëtius irruit, & castra conturbata invadens, gaudium victoriámque interrumpit (ll): plura tunc Aëtius tentare non valuit, sive aliò vocatus, sive Gentis post cladem ferociùs pugnaturæ vires reformidans: quare conciliatâ cum Francis pace Chlodio occupatam regionem retinuit, quâ per viginti annos (m) possessâ tum exutus est, quando idem gloriosus Regni Francici in Gallia conditor anno CCCCXLVII. (n) è vivis decessit.

(l) v. Buch. l. 16. c. 8. n. 5.

A. C. 444.

(ll) Sidon. in Panegyr. Maj. v. 218.

(m) Greg. Tur. epit. c. 5.

A. C. 447.

(n) Pag. in Critic. ad a. 447. n. 12.

Merovæus Rex Francorum.

6. Post Chlodionem fasces Francicos adeptus est Merovæus: utrum prædecessoris affinis, tutórque Chlodianæ prosapiæ (* 20), an filius natuminor fuerit, multorum varia est opinio. Qui Chlodionem Merovæi Parentem fuisse docent, illi Juniorem eundem Regis filium ex Aëtii consilio, Romæ pro Francorum pace legationem obiisse testantur (* 21); ubi lanugine

(* 20.) BUCHERIUS B. R. l. 16. c. 9. n. 3. Merovæum negat fuisse filium Chlodionis 1. quia de Chlogionis stirpe duntaxat eundem fuisse scribit Gregorius, adeóque affinem tantùm, ut perhibet Aimoinus. 2. Quia Posteri Francorum Reges Merovingi dicti Chlogionem stirpis alterius originem habuisse indicant. 3. Qui Merovæus suppar ætate erat Chlodioni, cum ejus Magister militiæ dicatur, & tutor liberorum Chlodionis, uti ostendit Guisius: *Cùm extranei*, ait, *Regna Francorum*, *Thoringorum*, *& Austriorum ad dictos tres pueros* (Chlodionis filios) *pertinentia invasissent; civitates, castra & oppida cepissent, atque plebs communis ad Merovæum, tanquam ad tutorem puerorum, pro succursu & auxilio confugissent. Merovæus fertur respondisse: se Regem eorum non esse, tutorem se puerorum, non Regni: prætendendo nimirum, se nimiùm gravatum de dispendio Regnorum. Quid plura? Populus Gallicanus elegit eum in Regem, qui statim stipendiarios licentiatos remandans, contra adversantes magnificè triumphavit. Uxor autem Clodii sibi timens cum tribus filiis versus Thoringiam & Austriam, quàm citiùs properavit.* 4. DU CHESNE alium Merovæum nostri Merovæi Parentem assignat. 5. Posterior Epitome Greg. c. 9. refert, Clodionis uxorem in maris littore se lavantem à quodam Merovæo imprægnatam, filium Merovæum peperisse, adeóque aliquâ ratione dici potuisse, quod esset *de stirpe Chlogionis.*

(* 21.) PAGIUS in Critic. T. II. ad an. 428. n. 10. fidenter contrarium statuit, nempe Merovæum filium fuisse Chlodionis & Juniorem quidem, ídque ex PRISCI verbis eruit: *At Francos bello lacessendi, illi causa fuit Regum ipsorum obitus, & de Regno inter Liberos controversia. Seniori Attila studebat: Juniorem* (Merovæum) *Aëtius tuebatur, quem Romæ vidimus, legationem obeuntem, nondum lanugine efflorescere incipiente, flavâ coma, & capillis propter densitatem, & magnitudinem super humeros effusis. Hunc etiam Aëtius in filium adoptaverat, & plurimis donis ornatum, ad Imperatorem, ut amicitiam, & societatem cum eo faceret, miserat.* Prisco oculato testi major pro-

gine primâ adhuc tinctus, flavâ comâ & capillis super humeros diffusis decorus, Valentiniani amicitiam ac societatem meruit. Majorem subinde Aëtii gratiam expertus, ab eodem Duce filii loco habebatur; cujus etiam operâ factum est, ut mortuo Chlodione præ natumajore regnum sortiretur: inter fratres ab hoc
A.C. 450. tempore non levis discordia gliscebat, Aëtio minorem, majorem Attilâ tuentibus (o). Merovæo tamen ad stabilitatem regni non parum profuit victoria contra Hunnos in Catalaunicis campis relata: hujus enim cùm & ipse adjutor, & magna pars cum suis Francis fuisset; Attilâ eum in modum cadente integra deinceps Merovæi res consistere cœpit. De eo, quid postea egerit, conjecturâ potiùs, quàm ex veterum monumentis assequi licet: sunt, qui Merovæum Parisios usque prorogâsse fines dicant, ibique regni sedem posuisse; id certius est, Principem tanti habitum à priscâ ætate, ut ab hoc primæ stirpis Reges, & nominis &
A.C. 456. originis gloriam deduxisse constet. Obiit anno regni decimo (p), spatio, si tempus spectes, minùs amplo: si factorum numerum, haudquaquam angusto.

(o) Pagius in Crit. T. II. ad a. 451. n. 20. Prisc. Rh. p. 40.

(p) Sigebert. Gemblac.

Childericus Rex Francorum.

7. A Patre ad Childericum Merovæi filium Regnum delatum est eâ lege, quæ jam Francis tunc altè insederat: nempe ut succedendi ratio ab ortu & natalibus Regiis, in quibus Deus sceptrum ac diadema reposuisset, desumeretur. Quantacunque verò spes de novo Rege concepta animos singulorum recreaverat, tanto subinde in Principem furore populus exarsit, quando Childericus se in omne libidinum genus adeò profuderat (* 22), ut nec pudorem Virginum, nec thoros Conjugum inviolatos sineret.

proinde fides, quàm posterioribus scriptoribus habenda. Unde etiam Ado & Sigebertus Merovæum filium agnoscunt, quibus Tillem. in V. Valent. III. Art. VIII. p. 371. subscribit.

(* 22.) GREGOR. TURON. l. 2. c. 12. *Cùm esset nimiâ in luxuriâ dissolutus, ut regnaret supra Francorum gentem; cœpit filias eorum stuprosè detrahere, illique ob hoc indignantes de regno eum ejiciunt. Comperto autem, quod eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi earum, qui Virorum furentium animos verbis mollibus mollire possit, dans etiam signum, quando redire possit in Patriam: id est diviserant sibi aureum, & unam quidem partem secum detulit Childericus, aliam verò partem amicus ejus retinuit dicens; quandoquidem hanc partem tibi misero, partisque conjunctæ unum fecerint solidum; tunc tu securo animo in Patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam apud Regem Bisinum, uxorémque ejus Basinam latuit: denique Franci hoc ejecto Ægidium sibi, quem superiùs Magistrum militum à Republica missum diximus, unanimiter Regem adsciscunt.*

ret. Parisiis igitur, ubi Rex fœdam rem agebat, ad palatium Childerici concurritur, jámque arma, & faces ad occlusas fores ostentabantur; tum Viomadus Regi author est: furenti tempestati se celeri subducat fugâ, lapsu temporis sanari odia, quæ primo tantùm impetu valida forent: interim curis suis se effecturum, ut post brevem exilii moram, in regnum majore amoris vi revocetur. Pollicitationis vadimonium, signúmque daturus, nummum aureum bifariam secans (* 23), unâ parte sibi servatâ, alteram Regi consignat eo pacto, ut si suam partem ad Childericum miserit, illáque cum Regia conveniat, testimonii id loco futurum (q), quod denuò locus rationi & amori existat. Ita Childericus per posticum Palatii emissus, declinatâ plebejorum rabie ad Thoringiæ Regem Bisinum profugit, nihil ex amisso Regno, nisi amicissimi Viomadi fidem, promissáque deportans (r).

Ægidius Rex Francorum.

(q) Gregor. Tur. l. 2. c. 12.

(r) Epitom. Franc. c. 7. & 11. Aimoinus l. 1. c. 7.

8. Per idem tempus, quo Childericus ex Gallia excesserat, eandem Ægidius ingressus est, Magister militum à Majoriano Imperatore dictus, quíque Romanorum nomine iis copiis, urbibúsque præesse jubebatur, quæ Cæsarei juris erant. Franci ad viri tanti ingenium defixi, repentino consilio eidem Principatum Rege vacuum deferunt (s); quem ubi Parisiis suscepisset, Viomado ferè omnis spes excidit restituendi Childerici: resumpto tamen animo in artes novas intendit, quibus Ægidium dejiceret. Benevolentiam primò Regis aucupare conatus, dein assentandi studio penitus in Ægidium dominabatur: ergo dum sua consilia coli, æstimaríque advertit; Regi suadet, ut Francorum nimiam libertatem tributis ac vectigalibus constringat, exagitet pœnis contumaces, séque talem exhibeat, quem si gens amare nolit, saltem extimescat. Regnandi acerbitas non modò populi questus, sed & Magnatibus alia sensa elicuit, quibus ad Childericum respectarent. Viomadus, cujus dolo hæc acta fuerant, inclinatis animis irrepit, illud amicè exprobans, quod cùm Majores tot bellis Romanorum excussissent jugum, ipsi sponte in servitutem nunc, ac

(s) Gregor. Tur. l. 2. c. 12.

Restitutio Childerici.

(* 23.) IDEM l. 2. c. 12. *Cum octavo anno regnaret* (Ægidius) *amicus ille fidelis pacatis occulte Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa divisa solidi, quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognosceus indi ia, quod à Francis desideraretur, ipsis etiam Rogantibus à Toringia regressus, in Regnum suum est restitutus.*

A.C. 464. ac in vincula dedissent manus: sanari malum hoc ut possit, ab ipso
crimine petendam medicinam, revocandúmque eum, quem na-
(t) Aimoin. tura, lex, vota omnium throno evexerant (t). His facibus arden-
l. 1. c 7. tes jam Francos omnino succenderat, nullúsque erat, qui non
Epitom. 2. Childerici desiderio non flagraret; tum Viomadus misso ad Chil-
c. 11. dericum redintegratæ concordiæ symbolo, nempe aurei nummi
parte, eundem ad reditum, Regnúmque reposcit. Nihil ille cun-
A.C. 465. ctatus octavo exilii anno in Galliam properat, & post abactum Ægi-
(u) Gregor. dium regno reponitur (u). Childericus equidem cum fortuna in-
Tur. l. 2 c. 12. dolem, mentémque mutâsse credebatur; sed latentis fomitis scin-
tillæ necdum ita sopitæ erant, ut non novis incitamentis in flam-
mas rursus agi possent. Basina Regis Thoringiorum conjux,
præter hospitii obsequia, nefandos etiam amores exuli Childerico
ministrârat: at ubi è Thoringia, simúlque ex Basinæ complexi-
bus Rex Francorum revocabatur; illa deserto viro Principem in-
secuta, eum, quem adulterum foverat, nunc Maritum quæ-
ritabat. Amori illicito ut fucum aspergeret, causabatur, se
Childerici dignitate tractam & merito, quo sicubi nosset dignio-
rem, hunc ipsum à se, quovis neglecto periculo indagatum iri.
Dictorum seu adulatio, sive reflagrans æstus amoris propositum
(w) Gregor. Regis subitò ita evertêre (w), ut, quæ criminis anteà socia,
l. c. nunc thalami consors admitteretur. Sed ut Numinis Providentiæ
Epit. 1. c 7. ludus est, ex pessimis elicere optima: sic ex radice maligna posteà
Epit. 2. c 12. fructus is enatus est, qui Galliam, ac Ecclesiam reficeret; nam
A.C. 467. Clodovæus his parentibus subinde ortus Francorum Regno ma-
Clodovæus nascitur. ximam gloriam, gentíque toti salutarem fidem adduxit.

9. Interea in Burgundionum Regno Gundicarius Hunnorum
A.C. 475. ferociâ perierat an. CCCCL. (x), cujus ditiones filii Gundeuchus
(x) Prosper & Chilpericus inter se divisêre; locum tamen regni à Romanis
Pith. mutare jussi, in Sabaudia Gundeuchus: alter Augustoduni se-
Burgundionum Reges. dem accepit. Post triginta sex annorum Imperium in quaternos
Gundeuchi filios Gundibaldum, Godegisilum, Chilpericum &
(y) Sidon. Godomarum Burgundionum Dominatus distractus est (y), magno
l. 5. ep. 7. Regni, & majore Regulorum periculo; inde enim arma, quæ in
(z) Gregor. hostes stringere debuerant, in se mutuò convertentes, se quoque
T. l. 2. c. 28. ipsos sustulerunt (z), Parricidis, quàm Regibus similiores.
Epit. I. c. 11.
Epit. II. c. 17

Histo-

Historia de Regno Vandalorum in Africa.

§. VI. *Africæ divisio; Carthaginensium potentia, subjugatur à Romanis: Horum Dominatui Vandalorum Rex* GENSERICUS *finem imponit; reliqua facinora Genserici.*

Africæ divisio antiqua

1. AFrica maxima orbis terrarum peninsula, Asiæ Isthmo exiguo conjuncta in universum vasta magis est, quam frequens (a): de terra ipsa, nisi quà interno mari accedit, præter obscuram notionem apud veteres vix quidquam deprehendas. Claudius Ptolomæus eandem in undecim Regiones (* 1), Plinius in octo Provincias divisit (* 2). Inter omnes Afrorum urbes una Carthago eminuit, quæ à Phœnicum origine (b) orta, per tenuia primordia paulatim in tantam potentiam evasit; ut non modò Lybiam sed & insulas, Hispaniæque magnam partem in suam redegerit potestatem. Romæ igitur cùm æmula esset; ambitio inter Pœnos, Romanósque triplex bellum excitabat. Primum viginti quatuor annis gestum Carthaginenses Insulis exuit (c). At altero Pœni sub Duce Hannibale rem restituerunt: triumphantem is exercitum per Italiam octodecim ferè annis trahebat; dum Scipio apud Zamam terrorem hunc Romanorum internecinâ clade protereret (d). Ab hoc tempore res Carthaginiensium eò recidit, ut Victoris acerbas pacis conditiones accipere cogerentur: liber-

(a) Cluverc. in introd. Geogr. l. 6. c. 1.

(b) Serv. in Virg. Æneid. l. 1. v. 306.

A. U. C. 490.-513.

(c) Polyb. l. 1.

A. U. C. 536-552.

(d) Idem lib. 21... 30. Polyb. l. 15

(* 1.) PTOLOMÆUS l. 4. Geograph. enumerat XI. Satrapias sequentes: *Mauritaniam, Tinganicam, Mauritaniam Cæsariensem, Numidiam, Africam, Cyrenaicam, Marmaricam, quæ proprie Lybia est, Ægyptum inferiorem & superiorem, Lybiam interiorem, Æthiopiam, quæ sub Ægypto est, Æthiopiam interiorem.* SCHELSTRATE Dissert. I. de Eccl. Afric. c. 3. n. 1. hic notat Ptolomæum agere de Africa, prout est tertia orbis nostri Pars, quam tamen integram non cognovit, omissâ scilicet Æthiopiâ inferiore & terrâ australi ultra 20. gradum latitudinis sitâ.

(* 2.) PLINIUS Hist. natur. l. 5. octo Provincias Africæ ita refert: *Mauritaniam Tingitaniam, Numidiam, Africanam, Cyrenaicam, Lybiam Mareotis, insulas circa Africam, & ex adverso Africæ, demum Æthiopes*: ubi adverte Strabonem Ægyptum non adnumerare Africæ, uti fecerat Ptolomæus.

A. U. C. 605 - 608. *Ejus status sub Carthaginiensibus.*

libertatis accisæ notas, legésque adeò non tulit bello & Imperio assueta gens, ut arma rursus anhelans in tertium bellum Punicum prorumperet. Audacia ista Romanorum animos ad ultima deduxit consilia: Authore nimirum Catone Carthaginem velut hostium arcem infestam Scipio Æmilianus oppugnare, ac si liceret, evertere jubebatur (e); brevi itaque urbs potentissima solo æquata, circumjectúsque ager in Provinciæ formam à Romanis redactus est. Altera subinde huic accessit Numidia; nam Rege ejusdem Jugurthâ à C. Mario Proconsule debellato, anno post urbem conditam DCXCIX. ex decem Legatorum sententia, Provinciæ fidem, juráque recepit. Atque has quidem ditiones Romani armorum & belli gloriosis viribus sibi adjecerant: verùm posteà turpi proditione ac perfidiâ unius Imperatoris effectum est, ut Mauritania sub jugum iret. Obtinuerat hanc ex paterna hæreditate Ptolomæi Regis Jubæ filius, Caji Caligulæ consobrinus, ac Romanis fide obstrictus: tot tituli cùm nusquam paterentur, innocenti sua bello eripere; Cæsar proculcato propinquitatis jure ex insidiis Principem interfecit (f), ut mortuo tam pingue spolium detraheret. Hâc ratione nefastâ ubi Mauritania Romanis Provinciis aggregata erat; Imperatores eandem in Tingitanam & Cæsariensem divisêre eâ conditione, ut geminæ uni Præsidi parerent (* 3). Triplicem intra Provinciarum numerum inde Africa Imperio Romanorum subdita continebatur, donec sub Constantini Magni auspiciis (g) tota Regio à freto Gaditano ad Cyrenaicam Regionem, Ægypto contributam, porrecta & ad oram Mediterraneam sita in sex Provincias dispesceretur, quæ erant Provincia Proconsularis & Numidia, Byzacium ac Tripolis, itémque Mau-

(e) Vellej. Paterc. l. 1. Eutropius Histor. Rom. l. 4.

Africanarum Provinciarum conditio sub Romanis.

A. U. C. 699.

(f) Tacit. in Annal.

(g) Aurel. Victor.

(* 3.) ONUPHRIUS apud Schelstrat. l. c. n. 2. *In Africa duæ Provinciæ factæ sunt: Africa, ubi erat Carthago & Numidia.* De Mauritania porrò ait: „Cum Caligula Ptolomæum Regis Jubæ filium consobrinum suum interfecisset; Mauritaniam, quæ regnum ejus fuerat, in Provinciæ formam redegit, atque in duas Provincias divisit Tingitanam & Cæsariensem ut Auctores sunt Tacitus, Plinius l. 5. c. 1. Dio. l. 58.„ verùm, quod Caligulæ Plinius, hoc Claudio potiùs tribuit Dio l. 60: *Claudius*, inquit, *Mauros divisit in eos, qui ad Tingin, & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent: & duobus equitibus præpositis eos permisit.* Addit PETRUS DE MARCA in Dissert. ad Concil. Clarom; subinde duas Mauritanias uni Præsidi commissas fuisse à Galba, ut perhibet TACITUS l. 2. hist. *Lucejus Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus additâ per Gallam Tingitanæ Provinciæ administratione haud spernendis viribus agebat.*

Mauritania Sitifensis & Cæsariensis (* 4). Compages Africæ talem in modum ordinata stetit usque ad tempora Valentiniani III. quâ infelici ac turbulentâ ætate tot Metropoles à Romanorum potestate abstractæ, unà cum Ecclesiis in Barbarorum ac Arianorum manus truculentas cecidêre.

2. Funestæ hujusmodi servitutis, & aliarum calamitatum causam dederat Bonifacius Africæ Comes; hic enim ab invidente Aëtio in suspicionem perfidiæ adductus (* 5), cùm nec criminis, cujus purus erat, purgandi locus esset: nec sufficerent vires ad profligandam pœnam; à Vandalis, qui in Hispania non ita pridem sedem defixerant, præsidium, auxiliúmque petere decrevit

A. C. 427. *In Africam irrumpunt Vandali, & novum ibi fundant Regnum.*

(* 4.) L. ARADIUS VALERIUS PROCULUS in inscriptione antiquâ apud Schelstrat.: *Proconsuli Africæ vice sacra judicandi, eidémque judicio sacro per Provincias Proconsularem, & Numidiam, Byzacium ac Tripolim, itémque Mauritaniam Sitifensem & Cæsariensem perfuncto officio Præfecto Prætorio.* Similia habentur in Epist. Constantini ad Ablavium, ubi mandat, ut ex parte Cæciliani & Donati ad Synodum Arelatensem se conferent Episcopi non solùm Provinciæ Proconsularis; *sed & Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum & Mauritaniarum.* Ipsa demum Notitia Imperii: *Sub Diœcesi Africæ Provinciæ sex: Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis, Africa Proconsularis.* PETRUS DE MARCA Ecclesiasticas in Africa Provincias putat tantum post Nicænum fuisse quinque, omissâ Sitifensi, quam ait in Concilio VI. Carthaginiensi modò accessisse. SCHOLIASTES Græcus ex Codice Amerbachiano per Beveregium edito in Notis ad VI. Concil. Carthag. plures admittere videtur: *Sciendum est, quod octo sunt partes Africæ, prima quidem est, quam Alexandria & Pentapolis Lybiæ, & desertum Tripolitanum dictum compleat: secunda est Byzacena: Tertia Carthaginiensis, quæ etiam Proconsularis dicitur. Deinde Numidiæ duæ vetus & nova: posteà Mauritaniæ tres, Cæsariensia, quæ & Cæsariana dicitur, à Metropoli ipsius nomine Cæsarea: Sitifensia, cujus Metropolis est Sitifensa, & Tingitana, quæ Metropolim habet Tingin.* Sed SCHELSTRATE hìc advertit, in recentiorum scripta errorem irrepsisse; Tingitana enim Provincia Imperii tempore ad Hispaniæ administrationem spectabat. Mauritania verò Sitifensis eadem est cum una Numidiaram, ideóque Numidiæ quondam Primati paruit.

(* 5.) PROCOPIUS de B. Vand. l. 1. c. 3. *Duo Romani duces erant, Aëtius & Bonifacius, validi ambo, bellique rerum peritiâ secundi ætatis suæ nemini. . . . Horum alterum Bonifacium Placidia toti præfecit Africæ: dolebat id Aëtio. . . . . Profectum jam in Africam Bonifacium criminari apud Placidiam Aëtius cœpit, ut Regni appetitorem, & ipsi & Imperatori Africam erepturum. Nec rem exploratu difficilem. Si enim Romam Bonifacium vocaret, non venturum. Hæc ut audiit fœmina, laudatum Aëtii consilium sequitur. At occupârat jam Aëtius clam scribere Bonifacio, matrem Imperatoris insidias ipsius in exitium struere, ejus rei indicium prædixit; fore ut sine causa subitò revocaretur. Hæc erant, quæ literis ipsius continebantur. Quibus neutiquam spretis Bonifacius, (simul aderant qui ipsum ad Imperatorem accirent) negavit se aut Imperatori aut matri ejus pariturum, Aëtii monita silentio premens. His Placidia intellectis, tam Aëtium fidissimum Principi credidit, quàm suspectum habuit Bonifacium.*

(h) Procop. Vand. B. l. 1. c. 3. vit (h). Gentem illam ſibi jam ex eo devinctam habebat, quòd ex Vandalorum genere oriundam ſponſam, contrà ac boni omnes
(i) Auguſt. Epiſt. 220. ſperaverant (i), delegiſſet; Amico proinde, & prædam inſuper totius Africæ oſtentanti nihil negatum iri credidit. Genſericus Vandalorum Rex poſt fratrem Gonthariçum (* 6) in Bætica tunc regnabat, quando Bonifacius Barbarorum depopoſcit fœdus, cujus leges hæ fuêre: ut amandato Romanorum Dominatu, Vandali auxiliares in Provinciis quibusdam; in cæteris verò Comes Africæ ſuo deinceps nomine gereret Imperium. Pacti impietas poſtquam evulgata eſt, orthodoxorum quisque exhorruit: cùm enim Bonifacius anteà ſummâ in Rempublicam fide, & ſingulari in Eccleſiam ſtudio excelluiſſet; admiratio multos, plures etiam indignatio commovit, quòd fidelis Arianis tot Eccleſias, & Dux
A.C. 428. Romanorum maximam Imperii partem hoſtibus leviſſimè proderet: fuêre etiam magnanimi Præſules, qui literis, monitíſque
(k) Auguſt. Epiſt. 70. hominem à nefandis conſiliis deterrere aggrediebantur (k). Sed vindictæ æſtus labenti tantam vim impreſſerat, ut receptus jam impetus ferè nolentem etiam impelleret in ſcelus. Interea Genſericus Africæ ſubjugandæ cupidine incenſus, Hiſpaniam (cujus ditiones ſpe ſuâ jam devoraverat) facilè neglexit, & adminiculo navium, quas Bonifacius miſerat, cum octoginta Vandalorum
(l) vid. Procop. l. 1. c. 3. Idatius in Chron. p. 22. millibus Mauritaniam ingreſſus eſt (l): illinc Barbari aliquo intervallo fœderis fidem implevêre; communi enim marte, junctíſque cum Bonifacio armis, Romanos urbibus, Provinciíſque depellebant. At poſtquam ſors belli Genſericum inflaverat, non jam fœderatus, ſed totius Africæ Princeps videri voluit. Gen-
A.C. 429. ſerici perfidia Bonifacium ad fidem Romanorum & ad ſaniorem
(m) Procop. l. c. p. 12. mentem reduxit (m): receptus à Placidia Auguſta in gratiam, id agebat, ut primò Vandalis ſuaderet reditum in Hiſpaniam, obluctantes verò armis ejiceret. At quod Provinciarum ſaluti & paci reparandæ eſſe debebat, hoc totam Africam demum perdidit

(* 6.) GREGOR. TUR. l. 2. c. 9. & PROCOPIUS l. 1 de B Vand. c. 3. Godigiſclum non obſcurè indicant, primum fuiſſe, qui Vandalos in Galliam adduxerit, ubi à Francis in certamine peremptus duos reliquit filios Guntharicum & Geiſericum ſive Genſericum; ex IDATIO porrò patet, Gontharicum in Hiſpania periiſſe, quo mortuo Genſericus Vandalos in Africam deportavit. Conf. MASCOV. in obſerv. VIII. p. 32. 33.

didit (n); nam Bonifacius à Genferico victus nil retinuit, nisi tria munimenta Cyrtham, Carthaginem & Hipponem, cui postremæ urbi se injiciens trium annorum obsidionem perpessus est (o): ad ultima tandem redactus, & tot præliis domitus relictâ hostibus urbe in Italiam discessit. A Vandalorum ferro licèt integer evasisset; paulò post tamen in Aëtii manus incidit, à quo ictu lethali prostratus, pœnas dedit tot vulnerum, quæ Ecclesiis, quæque corpori Imperii penè dilacerato inflixerat (p). (n) Prosper Pith. A.C. 431. (o) Possid. in V. Augusti. c. 28. A.C. 432. (p) Marcell. in Chron.

3. Post Bonifacii cædem Dux Trigetius rem Romanorum in Africa omnino collapsam restitutum ibat; accisos quippe aliquot inde dimicationibus Vandalos ad inducias compulit, quæ in ea verba conceptæ erant, ut præter Hipponem Mauritaniæ duntaxat Principatum Gensericus obtineret. Pacem Reipublicæ vix dederat Barbarus; jam aliò, nempe in Ecclesiam bellum vertit (q): itaque Hæretici Ariani ferrum non militum Romanorum amplius, sed Martyrum sanguine calebat. Tribus annis exactis carnificinâ crudelissimâ Barbarus truculentum animum satiaverat; tum rursus ad legenda Imperii spolia anhelans (r), Carthaginem, Siculásque oras erasit. Calamitatum cumulus Theodosium Orientis Imperatorem permovit, ut instructam classem insultanti hosti objiceret (s): affligere hæc Vandalorum vires poterat, nisi ii, quibus navium moderationem dederat, navalem apparatum ignavas inter moras otiosi per ventos & undas trahere maluissent (t): elapsâ hunc in modum æstate, Theodosius Hunnorum assultu petitus ad Orientis præsidium suos revocare debuit. Valentinianus igitur Imperator Occidentis auxiliis exutus, in illam pacem tandem adigebatur, quæ plurimarum Provinciarum jacturâ, modicam Africæ portionem Romanis attinebat (u). A.C. 435. (q) Prosper Chr. Histor. Miscell. l. 14. A.C. 437. 438. 439. (r) Procop. l. 1. c. 3. 4. 5. A.C. 441. (s) Theoph. p. 87. (t) Prosper in Chron. A.C. 442. (u) Procop. B.V. l. 1. c. 3. 4. p. 13. 14.

4. Gensericus felicem victoriarum cursum nactus non tantum Romanos, sed exteros etiam Reges contemptui habebat; quare Theodorici Visigothorum Regis filiam, & conjugem sui filii Hunerici, levi de causa auribus, naribúsque deformatam non sine ludibrio Patri remisit. Injuria equidem gentem omnem in ultionem concitabat, sed Tyrannus non minùs crudelis, quàm astutus Hunnos in Galliam, Gothósque jam armaverat (x), ut omissâ Africâ cum propiore hoste congredi cogerentur (y). Attilâ victo A.C. 450. (x) Jornan. R. G. c. 36. (y) Id. c. 39.

quò minùs Gothi in Vandalos arma movere poſſent, domeſtica (z) Idatius in Chron. A. C. 452. mala prohibuêre; nam Theodoricus in acie ceciderat (z), & fratres Regni hæredes ſe inteſtino bello adeò attriverant, ut contra (a) Proſper in Chron. Gregorius Tur. l. 2. c. 7. exterum movere copias non liceret (a). Vandali interea integri & otioſi ſpectatores fuerant tot cruentorum certaminum, quæ Galliæ atque Italiæ ſanguinem, opéſque exhausêre; tum poſt aliquod intervallum occaſio nata eſt, ut citra pugnam etiam invitati, A. C. 455. Romanæ urbis prædam exportarent. Maximus Valentiniano Au- (b) Idatius in Chron. guſto machinatus necem (b), id porrò ſceleris addidit, ut Eudo- Evag. l. 2. c. 7 xiam Imperatoris conjugem in ferale connubium traheret (c): (c) Proſper in Chron. vidua quanto mariti occiſi amore, tanto odio Parricidæ æſtuans, (d) Procop. B. V. l. 1. c. 5. Genſericum ex Africa ultorem vocat (d), quo intempeſtivo conſilio mulier urbem, ſe ipſam, filiáſque perdidit; nam continuò advolans prædo nil Romæ intactum reliquit: dein præter innumeros captivos ipſam quoque Eudoxiam cum geminis filiabus (e) Victor Tun. Eudoxia, & Placidia in ſervitutem abripuit (e).

5. Majorianus potitus rerum in Occidente, maximè doluit, A. C. 458. Africam jam Barbarorum potentiæ ſervire, gemere ſub jugo Auguſtam, & minorem Eudoxiam ad Hunerici thorum damnatam cum Barbarico ſanguine Cæſaream dignitatem confundere: repa- (f) Idatius in Chron. Procop. B. V. l. 1. c. 7. raturus tot damna claſſe multoties in hoſtes movet (f); ſed Deus, qui Imperio ob æquatam ſcelerum menſuram exitium decreverat, tot conatus irritos eſſe voluit. Leo Orientis Imperator pacem qua- A. C. 461. & 462. lemcunque reſtituit, quâ Eudoxiæ Auguſtæ ejúſque filiæ Placidiæ libertas conceſſa eſt (g). Pacis induciis non diu inquies Barbarus (g) Priſcus p. 74. ſtetit, quin effractis repagulis in proximas inſulas, demum in Orientem effuſus, ubique arma circumferebat. Leo metas hoſti poſiturus, (h) Procop. l. 1. c. 6. navigiis in claſſem compoſitis (h) Carthaginem expugnandam ſumit; & certa Africæ ſpes navali apparatu vehebatur, niſi Baſiliſcus A. C. 467. tot copiarum Proditor ab Aſpare Ariano inclinatus, in hoſtium ma- (i) Theoph. p. 99. Theodor. L. p. 555. nus petulanter victoriam projeciſſet (i). Tot caſibus eruditus Leo abſtinuit manum, pace datâ tertia Valentiniani filia Eudoxia opportunitatem nacta, poſt quindecim tandem annos ex thoro Hæretici A. C. 470. Hunerici & ex Africa tota elapſa Hieroſolymam contendit, ubi inter A. C. 471. virtutum ſtudia ultimos vitæ dies poſuit. Genſericus, qui ab hu- A. C. 477. manâ arte aut vi devinci non poterat, anno demum CCCCLXXVII. *communi victorum fato*, ac morti ſuccubuit. Hi-



Historia de Regno Anglo-Saxonum in Britannia.

§. VII. *Britanniæ veteris divisio; Romanorum in eadem Insula Dominatus: Britonum à Romanis defectio, Pictorum, & aliorum Barbarorum incursus, Saxonum & Anglorum in Britanniam adventus, & Regni Anglo-Saxonici initia.*

1. QUæ Gallico litori, Rhenique ostiis imminent Insulæ, ab antiqua Britonum gente obtinuerunt nomen: duæ earum Albion & Ibernia magnitudine cæteras antecellunt, ac vel ideo in fastis nobiliorem locum habent (a). Albion anteà ab albis ad litus Petris appellata, subinde ob sedis præstantiam Britannia audiit. Hanc mari undique circumfusam & à Tarvidio, seu Orcade Promontorio ad Dubrim portum per centum quinquaginta milliaria porrectam veteres in geminas partes discrevêre, quarum altera major Britonum Insula, altera Caledonia, eáque minor dicta est: Illam agri ubertas, ac divitiæ commendant; ista asperioris cæli solique, quò longiùs in Boream recedit, saxo sterili ac lacubus horrida gentem incultam ac immanibus moribus ferocem aluit (b).

(a) Cluver. in introd. Geograph. l. 2. c. 20.

Britannicarum Insularum situs & divisio.

(b) Idem c. 20. & 21.

2. Quæ olim populo eidem jura, qui Magistratus, ac bella fuerint, rudis ac obsoleta ætas nos ignorare voluit. Primum omnium Romanorum Julium Cæsarem cum exercitu in Britanniam trajecisse, certiore testimonio nobis Tacitus palam fecit (c); præter superati tamen Oceani laborem & vanæ ostentationis argumentum, nec sibi, nec Reipublicæ Romanæ Julii expeditio profuit (d). Uno, alteróque prælio fractus faciliorem didicit terrâ, quàm mari esse victoriam: tertiò demum assiliens meliore fortunâ hostes terruit, & potitus litore potest videri insulam ostendisse posteris, non tradidisse (e). Inde longa oblivio Britanniæ etiam in pace; nam Augusti consilium erat coërcere intra terminos Imperium, duósque limites à natura fixos, Euphratem scili-

Quibus gradibus Britannia à Romanis subjugata sit?

(c) Tacitus in v. Agricol. A. Æ. C. 55.

(d) Dio l. 39

(e) Tacit. l. c.

A. Æ. C. 40. ſcilicet, & Iſtrum ſtatuit, ne ſi Legiones in diſcretas mari terras mitteret; ipſa incrementa minuerent vires, aut majora onera ſumptúsque in Rempublicam inveherent (f). Cajum posteà Caligulam rurſus agitâſſe de intranda Britannia memorant: ſed belli apparatus ejusmodi erat, ut pro victoria riſum ferret (g). Feliciùs easdem in Britonum terras eniſus eſt Claudius Imperator, & ſub Duce Aulo Plautio multis præliis ſtationem in Inſula firmavit (h): majora his ſubinde augmenta acceſſerunt Regnantibus Veſpaſiano & Domitiano; nam Julius Agricola in interiores Caledoniæ receſſus eluctatus, utrámque Britanniam ferè totam ad Orcades usque inſulas ditioni Romanæ ſubjecit (i). Domitianus ubi Julium Agricolam unum Britanniæ Domitorem ex Inſula Romam, ſeu metu ſive per invidiam evocaverat (k); ſimul fortunam Romanorum amoviſſe viſus eſt. Nam Borealium populorum celebriores Picti, Caledonii & Meatæ pro libertate avita acerrimè dimicantes, in eos non minore odio pugnabant, qui ad exemplum illorum exterorum jugum abjicere renuerent. Itaque calamitas Britonum geminâ ex parte acris erat, dum ab Oriente, aut meridie Saxones, aliique Barbari oras Inſulæ carpebant: alii verò inteſtini hoſtes, quoties libebat, vicinorum terras licenter populabantur (l). A tergo ſaltem ut pernicioſius bellum arceretur; Borealibus aſſultibus murus objectus eſt, quem tueri Britonibus, infeſtare autem Barbaris perpetuus labor fuit.

(f) Tacitus l. 1. Annal. Strabo l. 4. Jul. in Cæſ.
(g) Sueton. in Calig. l. 4. c. 47. Dio l. 59.
A. Æ. C. 43.
(h) Dio l. 60 Sueton. in Claud. c. 17.
A. Æ. C. 83.
(i) Tacit. in Agric. c. 10. & c. 36.
A. Æ. C. 84.
(k) Tacit. in Agric. c. 39.
(l) Tillem. Hiſtoir. des Bretons.

A. C. 408. 3. Hâc viciſſitudine, hísque fatis Britannorum res agebantur, dum regnantis Honorii ſocordia preſſos à Barbaris Britones desereret; aut penè cogeret alium ſibi deligere Principem, qui licentiam hoſtium, quíque ſpeciali nomine ac curâ terras trans A. C. 410. Oceanum ſitas moderaretur (* 1). Ab eo igitur tempore Britanni à Romanorum legibus veluti divulſi (* 2) ſua habebant jura,

(* 1.) ZOSIMUS l. 6. p. 824. &c. *Tum* (ſcilicet an. 409. quando Barbari contra Conſtantinum Tyrannum rebellaverant) *incolas Inſulæ Britanniæ, tum quasdam Celticas nationes redegerunt, ut ab Imperio Romano deficerent, & Romanorum Legibus non amplius obedientes, arbitratu ſuo viverent. Itaque Britanni, ſumptis armis, & quovis edito pro ſalute ſua diſcrimine, civitates ſuas à Barbaris imminentibus liberârunt &c.*

(* 2.) BEDA l. 1. c. 11. *Fracta eſt autem Roma à Gothis anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto ſuæ conditionis. Ex quo tempore Romani in Britannia Regnare ceſſârunt, poſt ferme annos quadringentos ſeptuaginta, ex quo Cajus Julius Cæſar eandem Inſu-*

jura, ſuámque Rempublicam (m), cujus limites invadere tamdiu auſa non eſt Barbarorum colluvies, quamdiu Conſtantinus in Britannia præſens arbiter, exercitúque accinctus hoſtiles molitiones longiùs avertit. At ubi idem ad ampliorem Principatum, aſpirans, ſecum ex Britannia in Galliam vires regni, robúrque militum deduxerat; Pictis, Scotíſque (†), quàm vicinis, tam infeſtis gentibus animus rediit, quo terras Britonum multò acerbiùs, ac anteà, exhauſerunt (n). Calamitate in diem auctâ cives à Conſtantino repetebant copias, quas hoc tempore meliùs ſuorum præſidio, quàm exterorum terrori in peregrinis Provinciis fore monebant. At Conſtantino à Gothis, Romaníſque undique appetito tantum otii non fuit, ut Britanniam quantumcunque afflictam reſpectaret (o); quin brevì à Conſtantio oppreſſus unà cum vita amiſit vires, quas ſuis decernere potuiſſet (p). Novem inde annis adhuc Inſula Pictorum furori patebat; tum Britones ad eum, à quo deſciverant, Honorium reverſi per nuncios Romam miſſos adverſus acerbam vim auxilium efflagitant, pollicitatione amplâ teſtati, ſe (ſiquidem hoſti eriperentur) perpetuam Imperii fidem recepturos (q). Utprimùm Imperator accepit mutatos Britonum animos; eorum, quæ acta erant, oblitus legionem mittit, quæ cum Pictis congreſſa, civium depulit ſervitutem (r). Ad cohibendos verò hoſtium aſſultus murum interjicere placuit, qui recedentibus Romanis, artificum imperitiâ malè conſtructus illexit hoſtes potiùs, quàm ſubmovit. Vix enim Præſidium Cæſaris Inſulâ exceſſerat; Barbari lemborum ſubſidio advecti, effracto leviſſimo opere in omnem evagati Provinciam cædibus, flammíſque graſſantur: tempeſtatis acerbitas Britones denuò in preces, gemitúſque; Imperatorem verò in miſerationem commovit, ut bellis licèt aliunde laceſſitus copias deſignaret, quæ calamitoſorum fortunis aliquâ ratione conſulerent. Romanis cùm longo intervallo in Britannia morari haud liceret; id ſaltem moliti ſunt, ut non jam foſſa aut vallum ex ceſpite, ſicut antè: ſed murus ex ſolido lapide compoſitus Pictis opponeretur.

Oooo 3 Præ-

(m) Procop. B.V. l. 1. c. 2. Beda l. 1. c. 11.

(†) Reflexio V.

(n) Beda l. 1. c. 12.

A. C. 411.

(o) Gregor. Tur. l. 2. c. 9.

(p) Idem.

A. C. 420.

A. C. 421.

(q) Florileg. ad an. 420. Gildas in excid. Britan.

(r) Gildas in excid. Britanniæ c. 13.

Pictorum & Scotorum variæ irruptiones in Britanniam.

Inſulam adiit. vide PAGIUM in T. II. ad an. 410. n. 42. Cæterùm BEDA l. 1. c. 12. poſt captam Romam Britanniam militaribus copiis ſpoliatam prædæ patuiſſe, ait, *Duabus Gentibus tranſmarinis vehementer ſævis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone.*

Prætereà ad meridiem, adversus Saxones, aliósque exteros collocabantur turres, quibus dispositis ad tempus rem sibi suam fortiter habere Britones jussi sunt (s). Gens non unâ Tribu, nec uno populo comprehensa diversis inde Regulorum studiis distrahebatur, quo minùs in sociale fœdus, communionémque virium jungerentur: divisos igitur, & imbelles muri custodes abigere, aut vincere Barbarorum sæpe negotium erat (t).

(s) Gildas c. 14.

A. C. 430.

(t) Idem c. 15. 16. 17. 18. 19.

A. C. 446.

4. Annus demum supra quadringentesimum quadragesimus sextus Britannorum salutem in extremum discrimen adduxit; nam præter pestilentis auræ malum, quo Insula vastabatur, Scoti pejore impetu & carnificinâ gravabant Britones: unde pro suppetiis ad Aëtium, qui in Galliis fortissimè rem pro Romanis tunc agebat, supplices dedêre literas, quibus Dux aliud reposuit nihil, quam extremis membris curam adhiberi haud posse, cùm præcordia Imperii munimen, defensionémque poscerent. Relicta igitur sibi Britannia ad tempus furori Barbarorum objecta est, dum populi prædando, cædendóque fessi ultro quiescerent (u). Pacis quædam species Britanniæ non tantùm ubertatem reddidit, sed & vitia, quæ novos hostes, ultorésque ex Germania provocabant. Vortigernus Britonum Rex motus Pictorum compressurus id cum suis decreverat, ut missis Legatis Saxonum Gens acciretur, quæ imbellem Britannorum turbam adversus intestinos hostes tueretur (x). Sequente anno sive quadringentesimo quadragesimo nono (* 3) de tribus Germaniæ populis fortiores, sive Saxo-

A. C. 447. & 448.

(u) Beda l. 1. c. 14.

Saxonum & Anglorum in Britanniam adventus.

(x) Bed. l. c. Herman. Cont. in Chr. ad an. 448. Witikind. l. 1. de Reb. Saxon.

(* 3.) BEDA in Recapitilat. Hist. Gent. Angl.: *Anno CCCCXLVIIII. Marcianus cum Valentiniano Imperium suscipiens septem annos tenuit: quorum tempore Angli à Britonibus accersiti Britanniam adierant* Conferatur PAGIUS ad an. 449. T. II. p. 314. n. 21. Prætereà BEDA Hist. l. 1. c. 15. ait: *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo nono* (adde quadragesimo nono, ut benè monet Pagius l. c.) *Marcianus cum Valentiniano XLVI. ab Augusto regnum adeptus septem annis tenuit. Tunc Anglorum, sive Saxonum gens invitata à Rege Præfato* (Wortigerno) *in Britanniam tribus longis navibus advehitur, & in Orientali parte insulæ jubente eodem Rege locum manendi (quasi pro Patria pugnatura, re autem verâ hanc expugnatura) suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsêre Saxones. . . . Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Vitis. De Vitarum origine sunt Cantuarii & Vectuarii; hoc est ea gens, quæ Vectam tenet insulam, & ea, quæ usque hodie in Provincia Occidentalium Saxonum, Vitarum natio nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam. De Saxonibus, id est, eâ regione, quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venêre Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxo-*

Saxonés, Angli, & Viti tribus navibus majoribus advehuntur in Britanniam, in cujus Orientali parte ubi primùm consedissent; insignem operam in domandis Scotis Vortigerno Regi posuêre (y). Pro victoriæ præmio Hengisto Saxoni amplior ager ac sedes in Lindescia obtigit (z). Hengistus porrò gratum facturus Regi auctiores ex Germania de gente suâ accersit copias, quæ decem & octo navibus in Britanniam deportatæ simul Rowenam Hengisti filiam adduxerunt: colonis novis seu militibus sedes data est eâ lege, ut hi pro Patriæ salute contra Pictos pugnarent; Britanni militantibus debita stipendia conferrent (a). Dum strenuè Saxones hoste pulso pacem Britanniæ reddebant; in Palatio Regis nova belli intestini sementis jacta est. Rowena, quæ paulò antè cum navibus Britanniam ingressa est, subinde in Vortigerni animum tota subiit; nam Rex puellæ peregrinæ formâ adustus, ab Hengisto Patre filiæ nuptias, oblato pro dote Cantio, extorquebat. In facinore uno multa fuêre, quæ Britannis displicebant: improbabant cives, Regem abdicatâ fideli conjuge, exteram ac infidelem fœminam sibi junxisse: Regia proles Vortimerus, Catigernus atque Pascentius ægerrimè ferebant paternum non modò thalamum inficí, sed Saxoni quoque falsorum Numinum cultori aperiri viam ad Imperium Insulæ, quod ille ambitiosiùs, quàm Picti, Scotive procaretur; multóque facilius nancisci posset, quòd in Britanniæ sinu degens, in Cantio Provinciam dono acceptam, & matrimonii jure firmatam teneret (b). A Proposito cùm Vortigernus discedere nollet, lascivus quippe amor mentem hebetaverat; Magnates Britanniæ exauthorato Vortigerno filium ejus Vortimerum sufficiunt (c). Hengistus hâc Generi injuriâ in arma rapitur: pugnatum utrimque acerrimè, majore tamen cladis, quàm victoriæ famâ: ceciderat eo in prælio Horsa Hengisti frater, quo mortuo Saxones primam sibi in Britannia Regem creârunt (d). Hengistus enim, vivente fratre, Ducis duntaxat officio

(y) Florileg. ad an. 450.

(z) Camdenus in Corit.

A. C. 450.

(a) Huntin. hist. l. 2. init.

Vortigerni nuptiæ cum Hengisti Saxonis filia.

A. C. 454.

(b) Alfordi in Annal. Eccles. Brit. ad an. 454. n. 1.

(c) Florileg. ad h. a.

A. C. 455.

A. C. 456.

(d) Florileg. ad h. a.

Saxones. Porrè de Anglis, hoc est de illa Patria, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore usque hodie manere desertus inter Provincias Vitarum, & Saxonum perhibetur, Orientales Angli, Merici, tota Nordanymbrorum progenies, id est illarum gentium, quæ ad Boream Humbri fluminis inhabitant, cæterique Anglorum populi orti sunt. Duces fuisse perhibentur eorum primi, duo fratres HENGIST & HORSA.

officio functus, hoc demum anno CCCCLVI. ex Gentis suæ suffragio Regium nomen suscepit; quod ut diuturnum esset, Romanorum more Esbam filium in Regni societatem legit. Vortimero hic novus unguis in ulcere erat, nempe externos & stipendiarios Barbaros præsumere Regnum; quare Britannos suos rursus in arma vocat, qui protinus Cantium populati, Hengistum tribus præliis afflictum in Tanatum Insulam ejiciunt: prostratus hâc strage Saxo, Gentilium suorum magnam copiam, non tamen regnandi animum amisit; anno quippe sequenti è Britannia solvens, in Germania recentem conscribit militem, quem ubi ingenti numero in Insulam revexisset; Britonum quatuor millibus cæsis & reliquis Lundoniam fugatis, Cantium recipit, non jam cujuscunque, sed stabilis deinceps Regni sedem (e). Non sine Britannorum fato contigit, ut eodem tempore Vortimerus è vivis decederet, simúlque in filii locum Pater Vortigernus restitueretur. Nam Hengistus ignavum Generi ingenium despiciens, majora Regni sui incrementa non jam armis, ut antè, sed dolo meditabatur: pacis ineundæ negotium simulans, Britones inermes cum Rege ad congressum, epulásque evocat, dein madentes vino oratores obtruncans, Regem capit, nec is antè servitutem exuit, dum datis tribus Provinciis, quas Orientales & Australes Saxones, & Orientales Angli postea obtinuerunt, libertatem redimeret (f). Calamitatis remedium in Gallia Britones quæsivêre; inde enim Aurelium regio, Romanóque sanguine in Britannia natum (g) arcessunt, eíque fasces abjecto pigro Vortigerno, deferunt (h): „*Hoc ergo Duce vires capessunt Britones, & victores provocantes ad prælium, victoriam ipsi, Deo favente suscipiunt: & ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum Badonici montis obsessionis; quando non minimas eisdem hostibus strages dabant, quadragesimo circiter & quarto adventûs eorum anno.*

Saxonum & Anglorum Regnum in Cantio.

A.C. 457.


(e) Huntin. l. 2. Alfordi in Annal. T.I. p. 603.

A.C. 461. & 462.

(f) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 1.

(g) Gild. in excid. Brit.

(h) Beda l. 1. c. 16.



REFLE-

REFLEXIONES HISTORICO-POLITICÆ IN CAPUT I. LIBRI V.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 15. pag. 562.

Quo tempore, quóve modo Alaricus Romam expugnârit, & an inde Ecclesiis par clades atque urbi illata sit?

1. POstquam urbs Romana diu servierat vitiis; orbis Domina tandem esse desiit, ac Barbarorum subdita jugo, uno tempore prædam illam ex omnibus Provinciis congestam in Alarici sinum effudit. Mutationem hujusmodi sæculi quinti ætas vidit, sed quo anno tam insolens procella in Romani Imperii sedem grassata sit, non una Criticorum opinio est. Baronius (a) & Bucherius (b) eam Romæ captivitatem affigunt an. CCCCX., in quam sententiam non tantùm recentiores sed & veteres convenisse, testatur Tillemontius (c); nam Chronica Prosperi & Marcellini apertis verbis ad dictum annum provocant, nec dissentit Orosius (d): quin cum iis, quæ Philostorgius refert, facilè hæc opinio conciliatur, nempe urbis vastitatem accidisse post annum, ex quo Alaricus Romanos coëgerat ad deferendam Attalo Purpuram (e). Quantâcunque verò consensione hæc supputatio recepta sit; Labbeus tamen contrà nisus est revocare Romæ direptionem ad annum CCCCIX. (f); cui Pagius subscripsit, calculúmque quinque rationibus stabiliendum sumpsit (g), eoquòd, ut ipse asserit, ab hac Epocha hucusque incerta multa magni momenti pendeant. *Primum argumentum* inde eruit, quod Jovius anno quadringentesimo nono Præfectus Prætorio fuerit, & non anno sequente (h): ac insuper de pace cum Alarico egerit proximè ante ultimam irruptionem Visigothorum (i); pacis quippe conditiones respuente Honorio, Alaricus continuò Romæ vim intentavit. Quare cum tractatio pacis ad annum præcedentem revocari debeat; necesse est, ut & ultima Romæ obsidio eidem anno adsignetur. *Secundum argumentum* mutuatur ex Tertulli nominatione pro Consulatu in annum CCCCX. nam designaverat hunc Consulem Attalus postridie, quàm à Romanis Imperator creatus fuerat (k), hoc est anno CCCCIX., nempe ut sequente anno gereret Consulatum ex ritu apud Romanos usitato, juxta Chronicon Prosperi & Idatii Fastos: si igitur Tertullus hoc anno duntaxat Consul designatus erat, & Tertulli consulatum direptio urbis antecessit; hæc ipsa ad annum CCCCIX. referenda est. *Tertium argumentum* deducitur à legibus anno CCCCX. datis, quarum unam recitat Codex Theodosianus VI. Idus

Tempus & annus captæ urbis.

(a) Baron. Tom. V. ad an. 410.
(b) Bucher. in B. Rom. l. 13. c. 8. sect. 2.
(c) Tillem. in not. ad V. Hon. not. 29.
(d) Orosius l. 7. c. 40.
(e) Philost. l. 12. c. 3.
(f) Labbe Chr. p. 248.
(g) Pagius in Crit. T. II. ad an. 410.
(h) Codic. Theod. l. 19. de judæis & 47. de Hæret.
(i) Zosim. l. 5. p. 822. Sozom. l. 9. c. 9.
(k) Zosim. p. 827.

(l) Codic. Theod. l. 20. de Tyronib. (m) L. 11. de indulg. criminum. (n) Orosius l. 7. c. 29. (o) Codic. Theod. l. de terris limit. (p) Codic. Theod. l. 47. de Hæreticis.

Argumenta Pagii pro an. 409.

Februar. datam (l), alteram verò evulgatam Idibus Febr. (m): in his decretis quia tum vastatio urbis, tum etiam profligata Attali Tyrannis memoratur; benè concluditur, ab Alarico vastitatem Romanis anno præcedente illatam fuisse. *Quartum argumentum* asserta confirmat ex Legibus anno CCCCIX. editis: Heraclianus ad Africam missus est, cùm Attalus umbram gestaret Imperii, ut inquit Orosius (n); quando enim hic Tyrannus Africæ insidiabatur, Comes ille Attalo fortiter ibidem restitit anno CCCCIX.; eo quippe anno de terris limitaneis lex data est, cujus in fine de timore ob exercitûs Attali adventum mentio fit (o). Tandem quia ex Zosimo constat, hos tumultus in Africa excitatos in secunda urbis obsidione; Pagius infert, hanc quoque anno CCCCIX. extitisse. Præterea indignabantur Gentiles & Ariani dejectum esse Regno Attalum, quódque eodem anno, & regnum acceperit & amiserit is, à cujus præsidio multum commodi suæ sectæ accessurum sperabant. Quare Honorius legem dedit, quâ vota Hæreticorum comprimeret (p), quæ lex VI. Kal. Julias prodiit an. CCCCIX., ex quibus Pagius confici putat, Romam primùm anno CCCCVIII., & secundùm anno sequente ab Alarico obsidione pressam & direptam fuisse. *Quintum argumentum* nititur authoritate Isidori & Idatii, quorum prior urbem direptam scribit *anno Imperii Honorii quinto decimo*, *Ærâ quadringentesimâ quadragesimâ septimâ*, sive anno CCCCIX. Posterior *anno Abrahami bis millesimo quadringentesimo vicesimo quinto*, qui Kalendis Octobris anni CCCCVIII. inchoatus urbis ultimam obsidionem consignat. His Pagius addit Orosium, cujus ex verbis constat Romam hostibus in prædam cessisse anno U. C. *millesimo centesimo sexagesimo quarto*: multùm hic refert discernere, quam putationem Orosius sequatur; nam si Varronis calculum Orosius adhibuisset, annus descriptus ab eo foret annus CCCCXI.: cùm autem idem author (ùt quidem putat Pagius) plerúmque eam numerationem ineat, quæ Varronianam biennio antecedit, inde colligit, ab Orosio hìc annum CCCCIX. denotari.

Aliorum responsa & contraria argumenta pro anno 410.

(q) Zosim. l. 5. (r) Bucher. in B. Rom. l. 13. c. VIII. sect. 2. n. 11. Tillemont. in V. Honor.

2. Hæc Argumenta etsi suo pondere gravia videantur; Prioris tamen sententiæ Patronis palmam necdum eripiunt. Utì enim duas obsidiones Pagius tantummodo statuit, ita ad rem suam Adversarii tres obsidiones Romæ admittunt hoc ordine: nempe anno CCCCVIII. Romam *primò* obsedit Alaricus statim à Stiliconis cæde, quam obsidionem Romani auro ex Idolis conflato redemerunt (q). *Secundò* eandem CCCCIX. Visigothi obsidione cinxerunt, eoquòd prævias pacis conditiones, nec obsides promissos ab Honorio Alaricus recepisset, nec eam obsidionem, nisi Attalo novo Imperatore in opprobrium Honorii creato, solvit. *Tertiò* anno CCCCX. ob Sari in suos inopinatam irruptionem, & ad Honorium, Romanósque transgressionem rursum obsedit & expugnavit (r).

Ex

Ex quibus nunc porrò manifestum fit, multa, quæ Pagius ad ultimam obsidionem refert, hæc commodè ab aliis ad secundam referri; unde *primi* argumenti vis non parum enervatur. Ad *alterum* respondent: Cassiodorus unà cum Prospero urbis direptionem sub Varanis & Tertulli Consulatu recenset, adeóque cum Tertullus, teste Pagio, Consul fuerit an. CCCCX., ad hunc annum ajunt meliùs adscribi ultimam urbis ruinam. Prætereà unde probat Idem author Consulatum & Romæ vastationem simul stare non posse? cur asserit, in tam tumultuario Attali Imperio multo antè designatum tantummodo Consulem Tertullum pro anno sequente? certè Romanæ leges de electione Consulum inter Visigothorum arma tunc silebant. Accedit, quod abdicato Attalo direpta urbs sit: qui cùm annuum habuerit Regnum, meliùs ex mente Philostorgii Romæ exitium ad annum sequentem rejicitur. Ad *tertium* & *quartum* reponunt, leges de se obscuras, & ambigui sensûs ad secundam obsidionem benè referri. *Quinto* argumento opponunt authores suos, nempe Prosperum, Cassiodorum & Marcellinum, qui in Chronicis annum CCCCX. pro funesto urbis fato connumerant. Pagius equidem ait, postremos duos falli in ratione temporum; sed Adversarii magis fidem elevant Idatii, cujus tanta brevitas est, ut sæpe eventus rerum diversis annis proprios in unam summam conjiciat (s). Denique Orosii supputatio cùm obscura sit; Petavius dicere audet, nihil certi ex ejus verbis deduci posse: imò confirmat Orosium in annis urbis numerandis varias numerationes sequi, raróque sibi constare. His præmissis nulli vim inferimus, ut paucorum potiùs, quam communem sententiam amplectatur; quin liberum cuivis esto, velítne cum Pagio direptionem urbis anno CCCCIX., aut cum aliis anno CCCCX. affigere.

(s) Tillem. not. 29. ad V. Honorii.

Mensis & Dies captæ urbis.

3. Agitatâ de anno captæ urbis controversiâ, de Mense & Die quoque breviùs disceptandum: sunt qui mense Aprili vel ejus Kalendis expilatam Romam dicant, quod ut ratione quâdam tueantur, afferunt sermonem S. Augustini in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli habitam, adeoque 29. Junii; hic autem sermo cùm institutus dicatur post urbis excidium, sequitur ante Augustum mensem Romæ captivitatem accidisse (t). Sed quoniam alii in alia tempora differunt hanc Augustini orationem, non est, quod multùm inde conficias. Quare potiùs cum pluribus statuendum, quod septimo Kalendas Septembris urbis direptio facta sit, cùm Auctor Miscellæ, Theophanes (u), & Sigebertus id confirment (x). His accedit Chronicon à Ruinarto editum, nec de hac opinione dubitant Baronius, Labbeus, Pagius (y), quibus Cedrenus aliquâ ratione subscribit (z).

4. Tertium circa præsentem Materiem dubium emergit de modo, quo Alaricus urbem ceperit: Egnatius proditionem intercessisse memorat

(t) Vid. Tillemont. in not. 29. ad V. Honorii.
(u) Baron. ad an. 410. §. 19. Tillem. l. c. p. 1437.
(x) Theoph. p. 70.
(y) Pagi ad an. 410.
(z) Cedren. p. 335.

(a) Egnat. Rom. Princ. l. 1.

An urbs proditione capta sit?

rat ex Procopio (a): *Astu autem*, ait, *Barbarico capta urbs traditur in hunc fermè modum, quem Procopius solus ex omnibus, quos legi, tradat; ut mirer ab interprete vel rem totam dissimulatam, vel cum in mutilum græcum codicem incidisset, non animadversam. Ille igitur in hanc sententiam: obsederat Romam Alaricus jam biennium, nec Honorius, qui Ravennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. Nam cùm nihil minùs, quàm de urbis salute sollicitus esset, Stilichone interfecto, Ducem exercitui minimè præfecerat, qui rem adversus Gothos ministraret. Unde Gothis obsidendæ urbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem gerente. Verùm eam frustra obsessam cùm vi expugnare non possent; ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in Patriam simulat, trecentos Juvenes corporis & animi vi præstantes deligit, quos Romanis Principibus dono det, instructos priùs ut omni obsequio dominos suos promereri studeant, ad certam diem circa meridiem, cùm Romani Principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam advolent, interfectisque improviso insultu custodibus, portam sibi præsto futuro aperiant. Intereà Gothi cùm reditum, alia atque alia deesse sibi simulantes, differrent; trecenti illi Juvenes occasione egregiè usi, portam stato die suis aperiunt, & intromissus Gothus majori ignominiâ, quam damno urbem omnem populatur.* Modus sive insidiæ, queis oppressa urbs fertur, ex istâ narratione palam forent; nisi Baronius (b) horum, quæ Egnatius recitat, fidem elevaret. Quâ enim ratione arguas, Procopii interpretem fragmentum hoc latuisse? cur contra Zosimum statuminat, nullos post Stiliconem Exercitûs Romani Duces fuisse (c)? quare demum pro expugnatione urbis meridiem designat contra Hieronymi apertam sententiam, qui Romam noctu captam affirmat (d). Standum itaque potiùs authoritate Orosii (e), qui ait, Alaricum trepidam obsedisse Romam, eam repentino adventu turbâsse, ac demum, cùm timor civibus arma excussisset, irrupisse. His tamen non obstat, quo minùs vi dolus & proditionis quoddam genus accesserit ab Attalo aut ejus amicis, qui Gothis favebant (f).

(b) Baron. ad an. 410. §. 17.

(c) Zosim. l. 5.

(d) Hieron. epist. 16.

(e) Orosius l. 7. c. 39.

(f) Prosper in Chron. Baron. ad an. 410. §. 21.

V.

Vastatio ædificiorum Romanorum

5. In urbem ubi irruperant hostes, clades non parva extitit ædificiorum, opum ac civium. Hieronymus ista breviter complexus est (g): *Dum hæc aguntur in Jebus, terribilis de Occidente Rumor affertur, obsideri Romam & auro salutem civium redimi, spoliatósque rursum circumdari, ut post substantiam vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quæ totum cepit orbem: imò fame perit antè, quam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniârunt, dum mater non parcit lactanti infantiæ, & recipit utero, quem paulò antè effuderat.* NOCTE MOAB CAPTA EST, NOCTE CECIDIT MURUS EJUS. Ex Olympiodoro (h) accepimus; *Romanæ urbis mœnia eodem tempore ad viginti & unius milliaris spatium in circuitu crevisse. Atque è magnis Ro-*

(g) Hieron. epist. 96. in Epitaph. Marcell. vid ad Princip.

(h) Olympiod. p. 64.

manæ

manæ urbis domibus omnia intra se unamquamque habuisse, quæcunque etiam mediocris urbs habere potuit; Hippodromum, fora, delubra, fontes, varia balnea .... est urbs una domus, mille oppida continet una urbs. Sed & lavacra publica ingenti prorsus fuêre magnitudine, è quibus, quæ Antonianæ dicuntur Thermæ ad commodiorem lavantium usum, mille sexcenta habuerunt sedilia, è marmore polito fabricata: Diocletianæ duplo ferè plura; in tantam ædificiorum sylvam Barbarorum rabies ferro, flammáque sæviit (i). Nec minùs opibus suam refersêre ingluviem, nam idem Olympiodorus testatur, *Multas Romæ familias annuos reditus è bonis accepisse, quadraginta circiter auri centenarios, absque frumento & vino, aliisque ejus generis, quæ tertiam æquabant auri partem, si venderentur. Alteras verò post has, decem aut quindecim centenarios in censu habuisse. &c.* Tam opulentas ædes populatus hostis (k), in vitam quoque civium grassabatur: calamitatem ejusmodi Augustinus nobis posteris descripsit (l): *Multi, inquiunt, in excidio urbis variis tormentis excruciati sunt, strages facta, incendia, rapinæ, interfectiones, excruciationes hominum. Verum est, multa audivimus, omnia gemuimus, sæpe flevimus, vix consolati sumus,* & alibi (m): *Quidam etiam boni Christiani tormentis excruciati sunt, ut bona sua hostibus proderent. Sed illi nec prodere, nec perdere potuerunt bonum, quo & ipsi boni erant. Si autem torqueri, quam mammona prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo.* Fuerant hi obsidionis tempore eâ inediâ pressi, ut carnibus humanis famem truculentam satiarent (n): exsucci igitur & vix ossibus hærentes multi Barbarorum ultro ferrum excepêre; alii è media carnificinâ in proximas Tyrrheni maris insulas (o), alii in Africam dilapsi (p): aliis feliciùs in Oriente Hierosolyma urbs fidei nostræ natalis ad fugam patuit; *Nulláque erat Regio, quæ non exules Romanos habeat* (q).

(i) Philost. l. 12. c. 3. Procop. de B. Vand. l. 1. p. 180.

Direptio opum & carnificina

(k) Idem p. 68.

(l) August. de excid. c. 2.

(m) Idem T. VII. de civit. Dei l. 1. c. 10.

(n) Idem p. 69.

(o) Rutil. itiner. l. 1.

(p) Hieron. epist. 8.

(q) Idem epist. 98.

6. Equidem, si Hieronymum audiamus, tempestas illa non minùs Ecclesiam, quàm urbem afflixit; nam ubi Trojæ ardenti Romam comparaverat (r), eodem loco exclamavit *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum* (s)! His accedebant tot convitia, quæ Gentiles in Christianos utpote tantorum malorum authores jactabant: sed ista, utùt acerba fuêre, ab Augustino repressa sunt libris viginti duobus de civitate Dei, quos hac occasione contra Ethnicos conscripsit. Atque ista amplissima apologia quemadmodum ora adversariorum obstruxit; ita Orosius (t) calamitosi temporis oculatus testis nobis exhibuit, in media urbis strage Ecclesiam adeò non oppressam, ut potiùs contra Paganorum superstitionem eâdem ætate triumphârit: *Adest Alaricus trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto priùs, ut, si qui in sancta loca, præcipuéque ad SS. Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inviolatos, securósque esse sinerent. Tum deinde,* in

(r) Idem epist. 96. ex Virgil. Æneid. l. 2.

(s) Psal. 78.

(t) Orosius l. 7. c. 39.

in quantum possent, prædæ inhiantes, à sanguine temperarent. Accidit quoque, quo magis illa urbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine probaretur; ut beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tanquam justus Loth subtractus fuerit à Sodomis, occultâ providentiâ Dei apud Ravennam tunc positus peccatoris populi non videret excidium. Discurrentibus per urbem Barbaris fortè unus Gothorum, idémque potens & Christianus sacram Deo Virginem jam ætate provectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit. Cúmque ab ea aurum, argentúmque honestè exposceret: illa fideli constantiâ esse apud se plurimum & mox proferendum spopondit, ac protulit. Dúmque expositis opibus, attonitum Barbarum magnitudine & pondere, ac pulchritudine, ignotâ etiam vasorum qualitate, intelligeret: Virgo Christi ad Barbarum ait: Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes: de facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus ad reverentiam religionis timore Dei, & fide Virginis permotus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit. Qui continuò reportari ad Apostoli Basilicam Universa, ùt erant, vasa imperavit: Virginem etiam, simúlque omnes, qui se adjungerent, Christianos eodem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis sedibus longo, (ut ferunt) & medio interjectu urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita elata palàm aurea atque argentea vasa portantur: exertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur: hymnis Deo Romanis, barbarísque concinentibus publicè canitur: personat latè in excidio urbis salutis tuba &c. „Quantâ hæc admiratione atque stupore digna, hìc exclamat Baronius (u): in ipso grassationis impetu furentes barbaros mites esse redditos & obsequentes? Sed (quod omnem excedit humanum captum) iidem ipsi Gothi Arianâ imbuti perfidiâ, Orthodoxorum implacabiles hostes, cùm jam liberum nacti essent Imperium in Sedem illam, à qua scirent sæpe se fuisse damnatos, tanto honore ex insperato ejus Ecclesias cumulârunt, ut non tantùm ipsas illæsas esse jusserint, sed omnes ad eas confugientes esse securos; quin etiam vasa sacra inventa, quantumlibet rabidâ fame inhiarent auro, illæsa tamen illa reliquerint, & custodita, religioséque servata voluerint, exhibentes illis, quod Religioni deberetur, obsequium, Veritati servitium, Numini cultum, & Principatui famulatum.„ &c.

Ecclesia ac Religio Catholica in medio urbis exitio triumphat.

(u) Baron. ad an. 410. §. 27. & 28.

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 20. pag. 570.

De Institutione Junioris Theodosii.

Quanti interſit benè Principem educari?

1. QUemadmodum à delineatione prima ultima picturæ pendet perfectio; ita vitæ adultioris disciplina in eas penè leges subsequitur, quas tenera ætas hausit; antequam affectus valeant viribus, aut rationis alienæ

alienæ detrectent Imperium. Nam licèt omnibus natura fundamenta dederit, seménque virtutum; illa tamen animi bona velut sopita tunc excitantur, cùm irritator accesserit (a), sive is, qui informem infantiam doli adhuc ac simulationis expertem excolere noverit ac moderari. Quàm felici igitur fato evenit, ut Theodosius Junior à morte Parentis vix octo annos natus in Anthemium incideret, qui simul Imperium, simúlque parvum Imperatorem regeret. Nam si eorum, qui Principum vitam efformant, maximus delectus habendus est: propterea quod his præparare incumbat instrumenta felicitatis politicæ, & publicæ salutis; certe majorem Anthemio ea ætas non tulit. Consulari dignitate functus summam in consiliis prudentiam (b), summam mansuetudinem in foro, domi vitam compositam ostentabat (c): submovebat ille aulicos illos à Principe, quorum voces aut facta docilem pueritiam ad obscœna impellerent, aut qui licentiâ indolem vitiarent, formis fusoriis persimiles, talem ideam imprimentes animo, prout benè vel malè affecti fuerint: citiùs ad distortam regulam rectam ducas lineam, quàm ab iis bonum formari Principem cures, qui adulatione amorem deliciarum atque libertatem nocivam tenellæ pueritiæ insinuant. Profanis hisce proinde abesse jussis, Anthemius Theodosium docebat talem agere Regem, qui Deum timeret, petentibus concederet aures, mandata daret, puniret, largiretur præmia, pugnas umbratiles strueret (d).

(a) Seneca Epist. 10.

(b) Chrys. in Ep. p. 780. Socrat. l. 7. c. 1.

(c) Synesius Ep. 79.

Anthemius Theodosii primam curam gerit.

(d) Sozom. l. 9. c. 1.

2. Completo hunc in modum primæ ætatis Tyrocinio, Pulcheria Theodosii soror, ac nobilior Magistra fratrem tredecim jam annis natum, adeóque solidioris disciplinæ capacem instituere cœpit (e). Nam etsi apud Persas cautum esset, ne Principum juventus Fœminarum culturæ committeretur (f); Pulcheriæ tamen supra sexum, ac ætatem suam tanta Prudentia erat Pietati conjuncta, ut dotibus hisce maximorum virorum gloriam superaret (g). Hæc ubi Theodosii ad Imperium erudiendi curam sumpserat; ingenium ejusdem primò optimis scientiis, atque artibus excolendum voluit. Cùm enim difficiliùs nihil sit, quàm benè Imperare; nihil quoque majorem exigit scientiam, quàm Imperium (h): regendi equidem peritia quosdam sæpe impetus à natura sumit; at tunc absolutionem suam ista tenet, siquando doctrinâ perficitur (i). Per eruditionem quippe Princeps suorum consilia intelligit, de rebus dubiis feliciùs & certiùs ipse statuit, & quandam experientiam etiam ante ætatem acquirit (k). Fuerit aliquando ignorantis cujusdam vox, literas haudquaquam decere Principem; at nunc omnibus Alphonsi illud persuasum est, istam vocem bovis fuisse, non hominis (l). Etsi enim compertum sit, aliquos literarum expertes non imperitâ manu torsisse Reipublicæ clavum; hoc tamen in iis duntaxat ingeniis locum habet, quæ longus rerum usus erudiit, aut certè à naturâ ipsa tanto pollent judicii acumine, ut de unaquaque

Pulcheria secundas curas sumit circa Theodosium.

(e) Theoph. p. 69.

(f) Plutarch. in Alcib.

(g) Sozom. l. 9. c. 1. Socrat. l. 7. c. 22.

(h) Vernul. Instit. polit. l. 1. T. 9.

(i) Quintil. l. 12. c. 12.

Cur expediat Principem excoli scientiis?

(k) Vernul. p. 54.

(l) Alphons. Panorm. l. 4

quaque re ratiocinium inire valeant. Cæterùm aliis arte variâ opus est atque scientiâ, ut noverint bona deligere, rejicere contraria, útque ex libris & arma & armorum jura perdiscant.

3. Antequam Pulcheria Theodosium admoveret studiis, duplicis generis instrumenta adhibuit, quibus sedulitas Principis ac discendi ardor foveretur: Primò Antiochus, aliíque idonei Præceptores delecti sunt (m), qui non indigestâ disciplinâ & verborum volubilitate discentem obruant, sed qui gratiam doctrinæ admiscentes suaviter & moderatè regium animum sapientiæ præceptis Politicis æquè ac Christianis imbuant; quíque cùm possideant literas, non ab his possideantur, sed eas mirâ, agilíque brevitate à se in discipulum transfundant: quod tunc oppidò fit, si quæ plurima legerint, in Prudentiam Sapientiámque quâdam ingenii sui distillatione convertant, ac deinceps in Principis animum instillent. Tum si eas habeant in se virtutes: quas in Principem conferri oportet: nec tantùm Justitiæ, aut Temperantiæ, aut Fortitudinis definitiones tradant; sed eas etiam usu & exercitio teneant, ac ad earum imitationem Principem heroicis exemplis inflamment (n). Altera Pulcheriæ cura erat, ut Theodosio studiorum sodales adjungeret Paulinum (o) & Placitum (p), qui posteà ejusdem Imperatoris beneficio ad maximos honoris evaserunt; ùt enim prunæ collectæ prohibent, quo minùs ardor sopiatur, ita literarum comites studendi æstum vel provocant, aut conservant.

(m) Theoph. p. 83.

Quales Præceptores ac studiorum comites dati sint Theodosio?

(n) Vernul. p. 56.

(o) Malela p. 850.

(p) Concil. T. IV. Labb. p. 574.

4. Præceptorum æquè ac sodalium delectu facto Pulcheria porrò eas scientias, artésque discendas præscripsit, quibus Principem imbui conveniebat (q). *Linguarum peritia* primò necessaria visa est; ut Legatis exteris respondere ipse, quin fallacem interpretum operam adhiberet, aliquando posset. Nec minus gratum subditis fore censebatur, si singulis suo idiomate in Principis sinu suas posteà querelas deponere, indéque oretenus eâdem linguâ levamen accipere liceret. Secundo loco *Rhetoricæ* præcepta Theodosius adiit, in quibus ita profecit, ut non tantùm facundiâ voluntates hominum suaviter traheret; sed & Panegyrum, quæ benè multæ ipsi adornabantur, artem probè discernens, dignis præmiis oratorum præcellentem vim remuneraretur (r). Noverat ille, Principem, qui alterius eget operâ, ut, quæ secum ipse reputat, eloquatur, statuam elinguem esse potiùs, quam Cæsaris dignum nomine (s), quod vitium Tacitus in Nerone reprehendit, dum ait, *Primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienâ facundiâ eguisse* (t). Et quoniam *verissima disciplina, exercitatióque ad politicas actiones historia est* (u); ab hac veritatis politicæ Magistra documenta Regni Theodosius quoque accepit: in *Historia* velut in speculo eidem affulgebat experientia ac prudentia tot Antecessorum, hominúmque multorum mens in unum collecta, dum ad lampadem perpetuam (x) Historicorum fastos evolvebat; quod quidem Sozomeno causæ

(q) Socrat. l. 7. c. 22.

Scientiæ & artes, quibus Regius Theodosii animus informatus est.

(r) Sozom. l. 9. c. 1.

(s) Saavedr. in Symb. Politic. 4. p. 33.

(t) Tacit. l. 13. Annal.

(u) Polyb. l. 1.

(x) Malela p. 850.

causæ satis fuit, ut tanto Principi suam Historiam inscriptam vellet (y). Ex *Jurisprudentia* illam potissimùm partem combibebat Theodosius, quæ ad gubernandum pertinet: itaque Constitutiones Imperatorum sæpius evolvebat, quas demum collectas in famosum illum Theodosianum Codicem congessit (z). *Dialecticæ* regulas istas assumpsit, quæ docerent verum à falso separare; argutias inutiles aliis relinquens. A *Cosmographia* & *Geometria* & *Astronomia* accipiebat mundi, ejúsque partium notionem, Provinciarum situm, locorum intervalla, marium portus, cæli motus, accessum, discessúmque Solis, vicissitudines dierum, ac noctium. His omnibus accedebat *Philosophia moralis* & *Politica*, quarum altera virtutum, altera officiorum rationes atque ipsam Imperandi scientiam clariùs exponebat (a). Fuerant hæ scientiæ, ad quas Theodosius animum intendebat: verùm ne literarum intemperantia vires frangeret; dabatur aliquid etiam iis artibus, quæ ingenium ferè nihil, manum autem magis, ídque ad corporis refocillationem exercent. Cùm enim ipsa ratio Principatûs suadeat, ut Rectores à gravioribus curis aliquando vacent; Pulcheria jussit, ut Theodosius arte pingendi, sculpendi (b), canendi, equos domandi, aliísque disciplinis distraheretur (c).

(y) Sozom. in præf. ad Hist.

(z) Prosper Tyro. Cod. Theod. nov. 1. p. 1.

(a) Manass. p. 55. Sozom. in præf.

(b) Joel p. 170.

(c) Cedren. an. 1. p. 338.

5. Quemadmodum verò in excolendo Theodosii ingenio multum laboris Pulcheria posuit; ita ampliorem culturam ad formandos ejusdem Principis mores adhibuit: his verò cùm nihil magis obsit, quam pravarum affectionum intemperies, istas admoderari omnibus viribus aggressa est. Facilem nimis ac indulgentem in fratre Augusta soror deprehenderat indolem ex eo, quod quascunque oblatas literas, antequàm earum argumentum inspiceret, subscriptione levissimâ consignaret. Pulcheria igitur Theodosium monebat eum ferè in modum, quo olim fratrem Quintium, Asiæ minoris Rectorem Cicero correxit: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse Tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ* (d). Negligentiùs sororis prudens monitum Theodosius accepit; causabatur enim à nemine sibi fraudem strui, nec literas à se signari alias, quàm quas antè perlustrâsset. Pulcheria igitur dolo utendum rata, nomine Theodosii Syngrapham componit, quâ Cæsar suam conjugem Pulcheriæ servituti perpetuò mancipabat: hanc chartam pro more oblatam, & eàdem facilitate signatam ubi posteà Pulcheria Theodosio prælegerat; pudore coopertus Imperator graviùs tandem in animum induxit, ut levitatem ejusmodi sibi in omnem vitam deinceps interdictam vellet (e). Nihil Majestati, & Principis Imperio repugnat magis, quam pusilli animi timiditas; hæc enim populi obtrectationibus cedit, rumore quovis sternitur, & impedit; ut pressa infamibus libellis, vel scissa calumniis ad generosos ausus vix assurgat. Pulchèria è diverso firmabat Theodosii pectus propositis majorum exemplis, quibus proprium erat, in modum Solis

Quâ ratione Pulcheria affectiones animi in Theodosio composuerit.

(d) Cicero in Epist. ad Quintium fr.

(e) Theoph. p. 87. Zonar. p. 36. 37. Suidas.

offusas despicere nebulas, quin inde maculam traherent. Adversus invidiam non minùs muniebat Principem illo documento: *Ars prima Regni est posse invidiam pati* (f). Tumorem animi, quo Purpura excelsa ingenia inflare solet, eatenus Magistra morum expugnabat, quatenus sæpe inculcabat fratri, plus in regnandi onere splendoris, quàm felicitatis esse. Iracundiæ demum non minore dexteritate medebatur, cùm doceret, iram ab insania & furore nonnisi temporis brevitate differre; inde objici tenebras rationi, quæ clarissima sit oportet in iis, qui aliis imperant: atque ut domestica iræ mala commonstraret; Theodosii Magni funestos casus recitabat, quibus à tantâ Reipublicæ peste quàm longissimè Theodosius Junior retraheretur (g).

(f) Seneca.

(g) Malela p. 85. Socrat. l. 7. c. 22. Theodoret. l. 5. c. 36. Sozom. l. 9. c. 1.

Virtutes Regiæ Theodosio instillatæ.

6. Exciso lolio Pulcheria eò ultimas vertit curas, ut pulcherrima virtutum Sementis Theodosii animo injiceretur; ejus enim omnes Imperium æquo animo ferunt, qui uti subditis major, ita & melior: quíque non tantùm dignitate cæteros, sed & virtute antecedit. Duplex virtutum Regiarum genus est, quarum unum Deum spectat, alterum subditos; ex primâ classe præcipuæ sunt *Pietas & Religio:* illa in recta de Deo opinione, firmóque de divinis judicio; hæc in vero, debitóque cultu consistit: rectam fidem sanúmque de divinis judicium Reges ab Ecclesia habent, dum, quæ illa credenda proponit, piè credunt, nec credunt modò, sed & ore, ac exteriore testificatione profitentur. Religio certis legibus ac ceremoniis devincta est, quas in Regnis suis tueri; definire autem sive arbitrio quodam decidere Regibus minimè concessum est. Huc ergo Pulcheria suam conferebat operam, ut Theodosius probè condisceret, quàm ingens sui Principatûs & arcanum columen esset in Pietate (h); ùt enim virtutes cæteræ admirationis multum, tum id amoris plurimum habet, siquidem Princeps apud subditos Pius ac Religiosus audiat. Geminâ quippe hâc virtute non modò in corpora, sed & in animos dominabitur; eoquòd utraque præter leges temporaneas legis æternæ timorem, ac reverentiam vindicis numinis dictet: quâ subditi & palàm & in intimis etiam recessibus integri, ac suis Regibus ubique velut vices Dei gerentibus fideles evadunt. Theodosius ità à Pulcheria condocefactus, aulam suam velut scholam Pietatis instituit (i), in quâ veræ fidei dogmata, & verus Dei cultus inter psalmos & hymnos divisis spatiis celebrabatur (k): Princeps ipse orationibus & jejuniis macerabat corpus, nec sacrorum librorum meditationem noctes ipsæ interrumpebant, quem in finem lucernam adhibebat, machinâ quâdam movente, sibíque ipsi sponte suâ oleum infundente comparatam, ne quis Ministrorum in laboribus ejusmodi molestiam quampiam subiret (l). Nil arduum pro Reipublicæ salute aggrediebatur, nisi opem cælestem antè publicis precibus implorâsset (m): hostes Ecclesiæ, & Dei contemptores persequebatur, atque

(h) Sozom. l. c.

Pietas & Religio.

(i) Socrat. l. 7. c. 22.

(k) Theod. l. 5. c. 36.

(l) Chron. Alex. p. 720. Malel. p. 850

(m) Socrat. l. 7. c. 22.

atque inde eò contendit, ut Episcoporum è Synodis sana doctrina in gregem profluerct (n): Hierosolymam, aliásque urbes templis, templa divitiis ornabat (o).

(n) Theod. l. c. Leo ep. 21.
(o) Paulus Diacon. §. 18.

Clementia & Mansuetudo

7. Inter virtutes Regis, quæ ad civium salutem atque incolumitatem pertinent, palmam præripiunt *Clementia*, & *Mansuetudo*. Quod inter apes Rex est sine aculeo, hoc Princeps Clemens inter suos, qui beneficiis potiùs, quam pœnarum rigore subditorum ingenia exercet (p): Pulcheria igitur fel nocivum Theodosio eximere parabat, ídque præcipiebat maximè, ne quem puniret, nisi ut, qui deliquit, corrigatur, sive ut hoc exemplo meliores reddantur cæteri, atque ut per facinorosorum supplicia illis, qui boni sunt, sua salus, tranquillitásque integra consistat. Reliquis quos confidentia veniæ minùs audaces faceret, indulgendum plerúmque ostendit; unde paucos morte condemnâsse, quosdam damnatos ex ipsis mortis suppliciíque confinibus revocâsse legitur (q). Erat hic Clementiæ modus in puniendis delictis singularis: major ille, quo vindictam comprimebat, cùm injuriis privatis Imperator lacesseretur: silentio has scintillas intus urentes velut affusâ aquâ sopiebat, ratus iram Principum non motum animi esse debere, sed utilitatis publicæ. Interrogatus à quodam familiarium, cur nullum se lædentium morti subjiceret, dignam mitissimo Principe vocem reddidit: utinam mihi possibile foret, ad vitam mortuos revocare! scilicet generosa mens injurias vultu tegit, nec pœnæ alium modum exoptat, quam ut maledicentiam præmiis (optimo & heroico vindicandi genere) ulciscatur (r).

(p) Isidor. Pelusiot. ep. 35. Socrat. l. 7. c. 41.
(q) Sozom. in præf. ad hist.
(r) Socrat. lib. 7. Theod. l. 5. Nicephor. l. 14.

8. His virtutibus aliæ velut comites adjungebantur, quo præsidio obvallatus Theodosius hostibus terrori, civibus amori fuit. Sed dum in Chrysapium, aliósque Eunuchos pessimos incidit, sceleratâ hi manu ab innocuo animo principia olim hausta deterserunt, inque eos nævos egêre præcipitem, quorum ingentem merito sub vitæ exitum dolorem concepit; nam ab his pessimis Ministris deceptus Eutychianis favere cœpit, ac mitissimus cæteroquin Princeps in Paulini amicissimi vitam (s) ex levi suspicione: in Cyrum Architectum ex invidia (t): in Episcopos orthodoxos ex temerariâ iracundia sæviebat (u). Equidem, quâ semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu; sed tamen aliquando, si alii liquores vel venenatæ opiniones infundantur, etiam amittit: útque non rarò accidit, ut ii, qui in juventute pessimi, evadant senescente ætate meliores; ita serum tempus multorum innocentum virtutem exhausit. Multi enim, à prima statim infantia ab honesto deflectunt, quòd debilior ratio educationem defugiens, perversis naturæ affectibus succumbat: at ubi adoleverint; excelsior jam mens suos erubescit errores & ad frugem redit. E diverso, qui nutriebantur tunc in Croceis, dum velut plantæ inclusæ colebantur, illi laxatâ libertate, & submotis correptoribus, stercora ample-

(s) Chron. Alex. §. 8. Zonaras in V. p. 37.
(t) Theoph. p. 83.
(u) Marcell. Chronic. Zonar. p. 36.

plexantur. Educationis nihilominus primæ vis quædam in Theodosio semper remansit; unde Pulcheriam ab exilio ad corrigendæ aulæ suæ vitia revocabat (x): & plura fuisset meditatus, nisi conantem mors oppressisset (y). De Institutione Principis vide latiùs *Guevarram in Horologio Principum.*

(x) Niceph. l. 14. c. 49.
(y) Theod. L. in fin. l. 2.

REFLEXIO III. ad §. 2. num. 7. pag. 584.

De Codice Theodosiano.

1. TAmetsi verum sit illud Politicorum Magistri (a): nullam esse Rempublicam, ubi leges non tenent Imperium; huic tamen ipsi Imperio grande nonnunquam creatur periculum, si quando leges aut ultra metas prosiliunt, aut justum numerum excedunt. Nam dum nimiùm multiplicantur, pariunt confusionem, vel oblivioni traduntur, aut certè, si servari omnes nequeunt, abeunt in contemptum (b). Ex plurimis legibus corruptissima erat Respublica, dum Caligula innocentiæ structurus insidias, Romanos gravabat edictis infinitis, minuto scriptis charactere, ut difficulter legi possent: & Claudius die uno viginti populum legibus obruebat, ut memoria non minùs in iis perdiscendis, ac voluntas in explendis laboraret (c). Neque tantùm prima Cæsarum initia ab hoc malo vitiata fuêre: sed multò magis legum congeries in sæculo quinto invaluit, eâ quippe tempestate, cùm in duas partes scinderetur Imperium, jámque Barbari æquè in viscera Regnorum, atque Hæretici in penetralia Ecclesiæ sævirent; ad moderandas res tam diversas, ac instabiles, visum est Principibus totidem momentaneis eventibus novas accommodare leges, quæ proinde suâ multitudine totum Jurisprudentiæ ordinem permiscebant. Facilè enim accidit, ut ex tot pugnantium legum dissidiis malitiosi captarent ansam subruendi integros, & flagitiosos defendendi (d). Qui verò meliore animo juri dabant operam, hi animum despondebant; ne in tam inæquali & vasto legum, interpretationum seu opinionum mari navigantes, citiùs vitæ cursum conficerent, quàm in turbata ejusmodi Jurisprudentia ultro moverent gradum (e).

(a) Aristot. Politic. l. 4. c. 4.
(b) Saaved. in Symbol. Polit. p. 162.
Multitudo legum quantùm obsit Reipublicæ?
(c) Sueton. in Claudio.
Quo tempore numerus legum auctus & turbatus sit?
(d) Amian Marcell. l. 30
(e) Gothofred. in Proleg. ad Cod. Theodos.

2. Malo duplici validis remediis duo Imperatores Valentinianus III. & Theodosius Junior occurrendum statuerunt: ac primò quidem Valentinianus *Rescriptis* quocunque modo impetratis ademit vim; deinde ad tollendum perperam opinantium Authorum conflictum sequenti Constitutione definivit, quorum Jurisconsultorum authoritate in judiciis niti, & quorum scriptis ad definiendas causas uti conveniat (f): *Papiniani, Pauli, Caji, Ulpiani, atque modestini scripta Universa* (Imperator inquit) *firmamus, ita ut Cajum, atque Paulum, Ulpianum, & cæteros comitetur authori-*

Remedium, quo Valentinianus Imp. legum dissidia castigavit.
(f) Lib. 1. Cod. Theod. de respons. Prud.

thoritas lectionis, quæ ex omni opere recitatur. Eorum quoque scientiam, quorum sententias prædicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scævolæ, Sabini, Juliani, atque Marcelli, omnésque, quos illi celebrârunt. Si tamen eorum libri propter antiquitatis incertum, Codicum collatione firmentur. Ubi autem diversæ sententiæ proferuntur; potiùs numerus vincat Authorum: vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat Authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat: qui ùt singulos vincit, ita cedit duobus. Notas etiam Pauli, atque Ulpiani in Papiniani corpus factas (sicut dudum statutum est) præcipimus infirmari. Ubi autem pares eorum sententiæ recitantur, quorum par censetur authoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio judicantis. Pauli quoque sententias semper valere præcipimus & cætera. Dat VII. Id. Nov. Ravennæ DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. COSS. (426.)

3. Alterum restaurandæ Jurisprudentiæ remedium adhibuit Theodosius: qui, ut Constitutiones Imperatorum à Constantino M. ejúsque successoribus editas ab obscuritatis injuriâ vindicaret, & emendatas ordine & brevitate ad meliorem intelligentiam donaret, ope doctorum virorum anno CCCCXXXVIII. leges cunctas in unum Corpus collectas evulgavit, quod deinceps Codicis Theodosiani nomine compellatum voluit (g). Quæ omnia nusquam meliùs cognoveris, quàm ex *Novella de Theodosiani Codicis authoritate*; illinc enim *primò* Theodosius propositum suum manifestum facit, cùm ait: *Sæpe nostra Clementia dubitavit, quæ causa faceret, ut tantis propositis præmiis, quibus artes & studia nutriuntur, tam pauci, raríque extiterint; qui planè juris civilis scientiâ ditarentur: & in tanto lucubrationum tristi pallore vix unus aut alter receperit soliditatem perfectæ doctrinæ: quod nequaquam ulterius sedulâ ambiguitate tractetur, si copia immensa librorum, si actionum diversitas, difficultásque causarum animis nostris occurrat, si denique moles Constitutionum divalium, quæ velut suppressa demersæ caliginis, & obscuritatis vallo sui notitiam humanis ingeniis interclusit. Verùm aginus negotium temporis nostri, & discussis tenebris compendio brevitatis lumen legibus dedimus, electis viris nobilibus exploratæ fidei, famosæ doctrinæ, quibus delegata causa civilis officii, purgatâ interpretatione, retro Principum scita vulgavimus: ne Jurisperitorum ulterius severitate mentitâ, dissimulatâ scientiâ, velut ab ipsis adytis expectarentur formidanda responsa* (h). Quos verò viros ad confectionem laboriosi voluminis adhibuerit, *secundò* Imperator ibidem exponit: *Longum est memorare, quid in hujus consummationem negotii contulerit vigiliis suis* ANTIOCHUS, *cuncta sublimis ex Præfecto, & Consule. Quid* MAXIMINUS *vir illustris, ex Quæstore nostri Palatii, eminens omni genere literarum. Quid* MARTYRIUS *vir illustris, Comes & Quæstor nostræ Clementiæ, fide interpres. Quid etiam* SPERANTIUS, APOLLODORUS, THEODORUS *viri spectabiles, Comi-*

Codex Theodosianus, alterum corrigendæ Jurisprudentiæ remedium.

(g) Isidorus Orig. l. 5. c. 1. Gothofred. ad Cod. Th.

Causa, cur Theodosius Codicem suum concinnari & evulgari fecerit?

(h) Novell. de Theodos. Cod. author.

Viri Illustres, quorum operâ usus est Theodosius ad Collectionem Codicis.

tes sacri nostri Consistorii. Quid EPIGENIUS *vir spectabilis, Comes & Magister memoriæ. Quid* PROCOPIUS *vir spectabilis, Comes ex Magistro libellorum, jure omnibus veteribus comparandi* (i). Et quoniam *tertiò* hanc ipsam Novellam Theodosius FLORENTIO Præfecto Prætorio Orientis inscribit; dubium nullum esse potest, Codicem Theodosianum lucem aspexisse anno CCCCXXXVIII.; nam licèt librariorum errore promulgatus legatur *Theodosio Aug. XV. Cos.*, qui esset annus CCCCXXXV; idem tamen error corrigi facilè potest tum ex melioribus autographis, in quibus habetur *Theodosius Aug. XVI. Cons.*, adeoque annus CCCCXXXVIII. indicatur; tum ex eo, quod Florentius non ante annum prædictum trigesimum octavum Præfectus Prætorio in Oriente fuerit, ad quem Promulgationis constitutio dirigitur; annis quippe duobus præcedentibus Isidorus, & Darius Præfecturam Prætorii per Orientem administrabant (k).

(i) Ibidem.

Quo tempore Codex Theodosianus publicatus sit?

(k) Pagius in Crit. T. II. ad an. 435. n. 41. Tillemont. in V. Theod. art. 22. p. 123. item not. 18. p. 308.

4. Modum, quem Author Codicis observatum voluit, breviter Isidorus commonstrat, dum inquit: *Leges novæ à Constantino Cæsare cœperunt, & reliquis succedentibus, erántque permixtæ & inordinatæ, posteà Theodosius minor eas ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani, Codice facto Constitutionum à Constantini temporibus sub proprio cujusque Imperatoris titulo disposuit* (l). Complectitur itaque Codex hic Constitutiones Constantini M. & filiorum ejus Constantini, Constantii & Constantis: Juliani, Joviani, Valentiniani Junioris, Theodosii M. Arcadii, Honorii, Theodosii Junioris, Constantii, Valentiniani III. (m), quas compilatores in sedecim libros congesserunt hoc ordine (n): Liber I. agit de Constitutionibus Principum, de diversis Rescriptis, de Mandatis Principum & de Responsis prudentum. II. De ordine judiciorum & actionibus. III. De his, quæ descendunt ex obligationibus ex consensu, puta de emptione, venditione, de nuptiis ac tutelis. IV. De Prætoriis successionibus, testamentis, naturalibus filiis, manumissionibus, vectigalibus, præscriptionibus, de re judicata, cessione bonorum & de interdictis. V. De legitimis successionibus, de causa statûs & vi consuetudinis VI. De notitia & ordine dignitatum. VII. De re militari VIII. De executione rerum ad utilitatem publicam pertinentium, puta de officialibus & cursu publico, de donationibus, ingrati vitio, de securitate Provincialium circa bona, de juribus maritorum & liberorum. IX. De Persecutione criminum. X. De Juribus Fisci. XI: De annonis, tributis & appellationibus. XII. De Senatoribus & muneribus municipalibus. XIII. De professionibus publicis civitatum, annonam & mores publicos, salutémque juvantibus. XIV. De Corporatis & Collegiis, & de Politia præcipuarum in orbe Romano civitatum. XV. De operibus publicis, de spectaculis, & armorum usu. XVI. De Constitutionibus circa res Ecclesiasticas. Oeconomia ejusmodi quantumcunque à viris octo gravibus limata, nævos tamen quosdam retinuit.

In quam formam Codex Theodosii digestus sit?

(l) Isidorus Orig. l. 5. c. 1.

(m) Prosper Aquitan.

(n) Anton. Marvilius in Comm. Jac. Gothofred. apud Hoffmann. p. 465.

Libri sedecim Codicis Theodosiani, & quodnam singulorum argumentum?

nuit. Nam præterquam quod Gothofredus notet, Constitutiones alibi occurrentes vel ibidem esse omissas, vel ob brevitatem obscuratas vel ad nauseam de eodem argumento repetitas; tum magis reprehendit, quod Theodosiani Codicis fabricatores, paganorum impias leges admiscuerint, nec longiores Constitutiones discreverint in numeros, neque ad titulos convenientes aptas leges revocârint: demum quod neglectâ Imperatorum ac Consulum serie inscriptiones ac subscriptiones vitiosas sæpe, ac temerè sanctionibus apposuerint (o).

Nævi Codicis Theodosiani.

(o) Jacob. Gothofred. in Prolegom. ad Codicis Theod. c. 2.

5. Post Codicem Theodosianum ipse porrò Theodosius Junior, utì & sequentes Imperatores usque ad Justinianum novas edidêre Constitutiones, quæ proinde NOVELLARUM nomine compellatæ Codici Theodosiano interdum adjiciuntur (p); quandoque etiam separato volumine evulgantur (q). De his Novellis Theodosius mentionem facit, dum Valentiniano novarum Constitutionum publicationem in occiduis partibus commendat. *Quia igitur*, inquit, *diversis emergentibus causis, per hoc transacti temporis intervallum ferre leges alias emergentium rerum necessitas persuasit, quæ nobis perpetua rerum publicarum occupatione districtis ad scientiam perferri tuæ majestatis minimè potuerunt; necessarium duximus, has nunc saltem universas tuæ Serenitati cum nostræ Majestatis subnotatione transmittere: quo subjectis & Provinciis, & populis solenniter innotescant, earúmque vis etiam in occiduis partibus incipiat observari* (r). Novellis THEODOSII, quarum *libro primo* XLVIII. continentur, aliorum Imperatorum accedunt novæ Constitutiones, scilicet in *libro secundo* VALENTINIANI. In *tertio* MARTIANI. In *quarto* MAJORIANI. In *quinto* SEVERI Constitutiones, quibus tres Novellæ ANTHEMII distincto libro apponuntur (s).

(p) In Gothofred. editione.

(q) Roberti Stephani editio apud Pithæum.

Novellæ Codici Theodosiano appositæ.

(r) Lib. 1. Nov. tit. 2.

(s) v. Hoffmann. l. 1. c. 2. de Collect. Jur. Romani ante Justin. Sect. III. p. 484.

6. Promulgatione Codicis factâ, in *Oriente* Tribunalia ejus authoritatem ita accepêre, ut continuò ex eodem actiones, ac litium instrumenta conciperentur: inde autem Juris hujus notio mirùm amplificata est, quòd Theodosius Constantinopoli in Academia publica duos Magistros constitueret, qui legum formulas Jurisprudentiæ Candidatis interpretarentur (t). In *Occidente* Codicis Theodosiani authoritas si non major, certè diuturnior fuit; nam ubi apud Orientales post nonaginta annos regnante Justiniano Theodosiana collectio vim amiserat, in Italia, Gallia, aliisque occiduis partibus adhuc integer istius vigor constitit. Et Valentinianus primò in suis Constitutionibus ad Theodosianum corpus velut ad nomotheticam regulam provocabat (u), quam posteà alii Imperatores secuti, perpetuo Codicis Theodosiani usu eidem inviolatum robur tribuerunt (x).

Authoritas Cod. Theod. in Oriente & Occidente sub Imperat.

(t) L. unic. Cod. Theod. de Professf., qui in urbe Constf. doc.

(u) Nov. 12. de Episc. jud. Novell. 13. de Conf. leg Nov.

(x) Gothofr. in Proleg. c. 3.

7. Theodoricus Gothorum Princeps, in Italia post extinctos Romanos Cæsares Regni potestate potitus, Romanas saltem leges vigere præcepit,

Authoritas Cod. Theod. apud cæteras ita Gentes.

ita quidem, ut Gothi suo, Romani Romano jure uterentur (y), quin idem Rex vetuit, ne *Præcepta conculcentur intra Provincias, quæ ex Novellis legibus, ac veteris juris sanctimonia* collegisset (z). Apud Burgundiones non minoris ponderis Romanæ leges fuêre; quod ipsum lex illa Burgundionum testatur (a). *Quodsi enim Romanus, h. e. hospes ipsius adhibere præsumpserit, utrumque 12. solidos jubemus exsolvere & causam Romanis legibus terminari.* Ataulphus, & Euricus Visigothorum Reges etsi Romanis provincias detraherent; jura tamen sua adimere non potuerunt (b). Quare Alaricus Eurici filius cùm adverteret Aquitanos & Provinciales legum Romanorum methodo addictos, nec unquam commissuros, ut in Gothici juris formam jurarent; id saltem egit, ut Breviarium legum ex veteribus Jurisconsultis, tum præcipuè ex Codice Theodosiano, doctorum virorum studio conflaretur (c), quod ab Aniano ex mandato Alarici editum, & signatum, posteà BREVIARIUM ANIANI & sæpe etiam LEX ROMANA (d) appellabatur; quam ob rem in formulis, ac antiquis Germanorum legibus, item in Capitularibus Regum Francorum atque apud Collectores Canonum tam crebra mentio fit Legis Romanæ, non ejus, quam Justinianus posteà: sed quam Theodosius publicavit (e), hanc enim utì noverant omnes; ita Codex Justiniani Germanis, ac Francis seriùs, scilicet circa Sæculum XIII. cognitus, & usitatus fuit.

(y) Ennod. in V. Epiphan. Anon. Vales.
(z) Lindenbrog. in Leg. antiq. p. 241.
(a) Leg. Burgund. tit. 55. l. 2 apud Hoffmann. p. 472.
(b) Osor. l. 7. c. 43.
(c) Alaricus in præf. apud Gothofred. in proleg. c. 5.
(d) Du Cange in glossar.
(e) Baluz. in not. ad Capitular. Reg. Fr. p. 995. Hoffmann. in Hist. Jur. l. 1. c. 2. sect. 3. §. 8. & 9.

8. Codex Theodosianus ubi in Breviarium redactus, ac satis accisus in lucem, forúmque prodierat; duplex inde incommodum enatum est. Nam brevitas obscura novis *interpretationibus* emendanda erat, quæ ipsæ Interpretationes vim legis accepêre, & legum Theodosianarum nomine laudabantur (f): alterum damnum multò gravius tulit docta posteritas, nempè, quod Gothi tam violentas manus injecerint Theodosano Corpori, ut multis legibus mutilum opus ad nos pervenerit. In ipso Codice Justinianeo hodiè adhuc viginti supra trecentas Constitutiones è Codice dicto desumptæ allegantur, quæ ab illo hodie exulant. Nec minorem Theodosiani operis diminutionem fecêre Juris Justinianei Collectores; postquam mille & quadringentas citati Codicis Constitutiones penitus abdicatas posterorum multorum oculis eripuêre (g). Meritò igitur periti viri sæpe scrinia, & tabularia excussêre, ut angulum indagarent, in quo monumentum illud antiquitatis integrum lateret.

(f) Gothofred. in Proleg. c. 6.
Breviarium Aniani.
(g) Hoffmann. in histor. Juris l. c. p. 481.

9. Pretiosum sanè ejusmodi thesaurum in sua Bibliotheca reconditum habet, Ecclesia Cathedralis Wirceburgensis, de quo ita scribit ECKHARTUS (h): *Extant adhuc in Ecclesiæ Cathedralis Bibliotheca Codices complures Characteribus Anglo-Saxonicis scripti, Canonum præsertim Collectiones, Homiliæ variæ, & Patrum Tractatus non uni, quos partim ipsâ Burchardi manu conscriptos, partim ab illo collectos verosimile est. Homines Ecclesiastici legibus Romanis vivebant, quæ Codice Theodosiano comprehendebantur;* nam

(h) Eckhart. in Comment. de reb. Franc. Orient. & Epis. Wirceb. T. I. l. 23. p. 522. n. 144. ad annum 753.

nam Justiniani legum Collectio nondum in Occidentem penetraverat. Hinc puto, BURCHARDUM *Roma attulisse* RARISSIMUM ILLUD CODICIS THEODOSIANI EXEMPLAR, *Pandectis Florentinis ætate si non superius, saltem æquale.* Adeóque in sæculo sexto vel septimo conscriptum. Exteri ac viri docti tanti habuerunt hoc insigne vetustatis monumentum, ut gratiæ summæ loco duxerint, quod sibi licuerit, cum hoc antiquissimo autographo sua exemplaria conferre, indéque errores corrigere aut omissa supplere.

Codicis Theodosiani antiquissimum exemplar in Bibliotheca Wirceburg.

REFLEXIO IV. ad §. 3. num. 12. pag. 622.

De Interitu Occidentalis Imperii & de hujus inclinationis ac exitii causis.

1. ANnus septuagesimus sextus supra quadringentesimum fatale tandem illud tempus erat, quo Romanum in Occidente Imperium tot labefactatum ruinis in ultimum exitium desiit, ac penè collapsum est. Nam etsi anno hujus sæculi decimo Alaricus (a), & Gensericus (b) anno quinquagesimo quinto urbis Romanæ opes, & ædificiorum magnam partem ferro, flammáque exhauserint; stabat tamen adhuc qualiscunque honor Romani Imperii, quo Cæsares Ravennæ suam Majestatem utcunque tuebantur. At hoc anno scilicet septuagesimo sexto Imperatorum quoque nomen è fastis erasum est, & grande illud ædificium Monarchiæ Romanæ, quod ab Augusto quinque ferè sæculis steterat, omnino corruit (c). Neque tamen hic casus repentinus aut si causas interitûs spectemus, improvisus dici poterat. Uti enim ex tignorum, parietum & columnarum vitio domûs malè fultæ ruinam ominamur; ita Rempublicam Romanam ab occasu non procul abesse, nemo non conjiciebat, qui fulcra Regni hujus convulsa, atque attrita intuebatur.

(a) Sozom. l. 9. c. 9.
(b) Jornan. R. G. c. 45.
Annus, quo Occidentale Imperium defecit.
(c) Evagr. l. 2. c. 16. Jornand. R. G. c. 46.

2. *Primum*, quo Romanorum res parvæ in immensum crevêre, fuit, quod ad unum & Orientalis & Occidentalis Imperii summa pertineret; inde enim unitæ vires totum terrebant orbem, & ad unius arbitrium ultima Orientis auxilia in Occidentem infundebantur. At divisione Imperii utriusque factâ impletum illud est Servatoris nostri Oraculum, *Regnum in se ipsum divisum desolabitur* (d), nam hâc ratione exercituum ac ærarii publici minuebantur vires, Italiam clausis jam Ægypti granariis dira fames divexabat, quin Orientales Provinciæ, quæ cum Occidentalibus in unam compagem anteà coaluerant, nunc non tam regno, quàm invidiâ, & æmulatione divulsæ in Romanorum exitium vel armabantur ipsæ (e), vel certè hostibus propulsandis parca admodum auxilia subministrabant. *Alterum*, quo Respublica Romana olim florebat, erant Magistra-

Causæ, cur inclinatum & extinctum sit Occidentale Imperium.
(d) Lucæ c. 11. v. 17.
(e) Claud. in Rufin. Idem in Eutrop.

gistratus sive Cæsarum vicarii, qui summâ fide, & prudentiâ singulari mandata Principum exequebantur: aut si hi desidentes aut impii fuerant; amore Romani nominis Provincias consiliis opportunis ad pacem, prosperitatémque excolebant (f). Verùm quàm planè diverso ingenio usi sunt rerum, officiorúmque Magistri in sæculo quinto; alii enim ad clavum indormiscente Principe, ipsi quoque ad depellendam tempestatem fessas aut ignavas manus ostentabant: alii turbulentum statum in suum commodum vertentes iniquis legibus opprimebant subditos (g); aut sacrâ auri fame adacti in civium bona, vitámque adeò grassabantur, ut Romani Barbarorum mitius jugum (h), crudelissimorum exactorum servituti antehaberent. *Tertium*, quod Romanam potentiam validissimè sustentaverat, meritò dixeris fuisse Legionum robur, ac maximi nominis Duces, qui victoriis terrâ, maríque insignes in utriusque orbis finibus sua trophæa defixerunt. His etiam Præsidiis hoc funesto tempore Romana Respublica nudabatur; nam militum, eorúmque effœminatorum ac debilium tam tenuis numerus inibatur, ut pressæ à Barbarorum assultibus Provinciæ pro auxiliis frigida solatia, aut nulla reciperent (i): quin pro interioribus Imperii penetralibus defendendis vix pauci manipuli, iique disciplinæ militaris expertes cogi poterant; unde ex Germaniâ, atque ab exteris Gentibus vectigali censu copiæ emi debebant, quæ saltem Imperii fines ad tempus tuerentur (k). Verùm hi ipsi populi gustatis Romanarum Provinciarum opibus, jam non auxiliares aut fœderati, sed terrarum earundem Domini, ac incolæ esse malebant. Nam quid nunc de Ducibus Romanis agam, quorum fortitudo ac experientia longissimè aberat à Corbulonis, Julii Agricolæ, aliorúmque Heroum factis: & siqui erant, hi ab æmulis infestati simultatibus privatis eò adigebantur, ut totas hostibus proderent Provincias (l): alii Purpuram quærentes confundebant omnia, ut turbatis rebus faciliùs in Augustorum fastigium adreperent (m): alii fronte obduratâ atque abjectâ fide Tyrannidem professi adversus legitimum Principem arma movebant (n). Nihil igitur restabat Imperatoribus præsidii, nisi in alienis, aut exteris Ducibus & Præfectis, qui ex Gothorum, Suevorum, atque Francorum sanguine nati, tantum afferebant fidei, quantum privata utilitas posceret: tantum de Imperio suis dispensabant, quantum vellent; quique Cæsarum salutem & vitam suâ manu, suísque consiliis versabant (o). De Republica Romana hunc in modum inclinata, divisa, atque prodita quid sperari, quid potiùs timeri poterat, nisi illud, brevi scilicet fore, ut tandem postremo fato succumberet.

3. Vitia hæc fuêre Politica, quæ arrosis aut destructis columnis distortam Imperii fabricam ad lapsum præparabant: at gravior morum labes erat, quæ superioribus ædificii partibus jam destructis, ipsa adeò fundamen-

(f) Dio l. 60. Tacit. l. 13. c. 54. Idem in V. Agric.

(g) Salvian. l. 4. p. 190.

(h) Idem l. 3. p. 95.

Vitia Politica Reipublicæ Romanæ.

(i) Zosim. l. 6. p. 825.

(k) Zosim. l. 5. p. 803. 812. Jornand. R. G. c. 36.

(l) Procop. B. Vand. l. 1. c. 3.

(m) Greg. Tur. l. 2 c. 9. Philostorg. l. 12. c. 2.

(n) Sozom. l. 9. c. 8. Zosim. l. 6. p. 824.

(o) Philost. l. 12. c. 3. Sidon. carm. 2.

Vitia morum in Civibus Reipublicæ Romanæ.

damenta eruit, ac demolita est. Religio orthodoxa ac pietas Imperii basis esse cœpit, ex quo tempore Constantinus Magnus Christo nomen dederat (p); inde enim in pactis solidior fides, in administrandis officiis securior integritas, Magistratuum major reverentia, propterea quod in animum suum jam inducerent Christiani cives, aliud supremum esse tribunal pro solis animi cogitatibus, quos vel suppliciis æternis puniat, vel bonis immortalibus remuneretur. Neque tantum efflorescente Religione res civilis florebat; sed & militaris. Quam jucundum est meminisse victoriarum, quas Idem Constantinus (q), quas Theodosius M. (r) prælato Crucis vexillo retulerunt; Domino quippe exercituum sufficiente vires & animos pauci manipuli innumerabiles profligabant hostes, & *per fidem devicerunt Regna, fortes facti sunt bello, castra verterunt exterorum* (s). Felicitas tamen hæc imminuta est, dum Constantius (t) & Valens blasphemiam Arii professi, hanc ipsam hæresin subditis, dein etiam vicinis Barbaris nempe Gothis ingesserunt (u), ídque non sinè Imperii exitio. Nam præter turbas, quæ Reipublicæ viscera ideo convellebant; Gens Gothorum & Vandalorum hanc pestem per Galliam, Hispaniam, atque Africam circumtulerunt, quâ infecti cives Romani vel desierunt esse subditi, vel Christianitatis orthodoxæ nomen amisêre.

(p) Euseb. V. Constant. l. 2.
(q) Euseb. V. Constant. l. 1. c. 38. item l. 2. c. 7. 8. 9.
(r) Theod. l. 5. c. 24. Socrat. l. 5. c. 25.
(s) Hebr. 11. v. 33. 34.
(t) vide in l. 4. c. 2. vitam Constantii.
(u) Theod. l. 4. c. 37.

Vitia & peccata peculiaria Provinciarum.

4. Equidem de omnibus his populis dicere id non ausim, quod in errorem deflexerint: at quàm multos reperire fuit, qui fide languescente in stupendam vitiorum colluviem cæci ruebant. Salvianus Massiliensis Episcopus & hujus sæculi Jeremias, occasione labentis Imperii aureos illos de Dei gubernatione, Providentiáque libros composuit, simúlque longâ threnodia exhibuit scelera, quæ eo tempore per Galliam, Hispaniam, Africam, & totum Occidentem invaluerant. Ac primò GALLORUM flagitia his verbis deplorat (x): *In tantum vitiosè ab omnibus vivitur, ut propè nullus Christianorum sit, qui non jugiter naufragare videatur. . . .* (y) *Videamus, si in illis saltem religiosæ devotionis obsequiis, quæ minora, atque communia in summa quiete & omni tempore omnes Christiani obire possumus, præceptis dominicis reddere tentamus. Jubet Christus, ne litigemus: quis jubenti obtemperat? Tam procul abest, ut cum tunicis etiam alia relinquamus, ut si quo modo possumus, pallium simul adversariis, tunicásque tollamus. . . Quotusquisque est, qui si ictum unum acceperit, non multos pro uno reddat? . . . . jussit Salvator noster, ut Christiani homines non jurarent. Plures invenias, qui sæpius pejerent, quàm qui omnino non jurent.* & infra (z). *Grave & luctuosum est, quod dicturus sum. Ipsa Dei Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud, quàm exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam, qui male fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies in Ecclesia, aut non ebriosum, aut belluonem, aut adulterum, aut fornicatorem,* aut

(x) Salvian. l. 3. p. 73.
(y) Idem p. 74.
Vitia in Gallia.
(z) Idem p. 85.

aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam? & quod his omnibus pejus est, propè hæc cuncta sine fine.... (a) *In hanc morum probrositatem prope omnis Ecclesiastica plebs redacta est; ut in cuncto populo Christiano genus quodammodo sanctitatis sit, minùs esse vitiosum. Itaque Ecclesias vel potiùs templa, atque altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent, quàm cujuslibet minimi ac municipalis Judicis domum.... in altaria atque sacraria Dei passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitus reverentia sacri honoris irrumpunt. Consummatis solennibus sacris, statim ad consuetudinaria omnes studia discurrunt, alii scilicet, ut furentur, alii ut inebrientur, fornicentur: ut evidenter appareat, hoc eos intra templum esse meditatos, quod, postquam egressi fuerint, exequuntur.* Posteà in libro quarto hominum avaritiam describens ita queritur (b): *Quid enim omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio civitatum? aut quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quàm præda? nulla siquidem major pauperculorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur...* Et infra (c). *Inveniuntur plurimi divites, quorum tributa pauperes ferunt... Ecce enim remedia nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt, quàm ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent? ut illis demerentur vectigalia, istis ut adderentur nova.* Et alibi (d): *Video hoc malum* (avaritiæ) *non ad Mundiales tantùm homines, sed etiam ad Pœnitentes atque conversos, ad viduas quoque jam continentiam professas, atque ad puellas in sacris altaribus consecratas; quódque propè inter monstra reputandum, ad Levitas etiam atque Presbyteros, & quod his feralius multo est, etiam ad Episcopos pervenisse.* Quantis vitiis HISPANIA redundârit, ex paucis Salviani verbis cognosces, *Quid*, ait, *Hispanias nonne vel eadem vel majora forsitan vitia perdiderunt* (e)? Idem dictus Episcopus judicium de AFRIS tulit: *Unde &, quod Vandali ad Africam transierunt, non est divinæ severitati, sed Afrorum sceleri deputandum* (f). Ut autem specimen communis improbitatis depingeret, Metropolim Carthaginem proponit, ex cujus moribus cæterarum urbium statum conjicias: *Video enim, quasi scaturientem vitiis civitatem: video urbem omnium iniquitatum genere ferventem, plenam quidem turbis, sed magis turpitudinibus, plenam divitiis, sed magis vitiis, vincentes se invicem homines nequitiâ flagitiorum suorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate distentos; hos sertis redimitos, illos unguentis oblitos, cunctos varios luxûs marcore perditos, sed penè omnes unâ errorum morte prostratos, non omnes vinolentiâ temulentos, sed omnes peccatis ebrios &c.* Sed *esto hæc omnia prætermittantur*, QUIA ET IN TOTO FERME AGUNTUR ORBE ROMANO (g).

(a) Salvian. l. 3. p. 86.
(b) Idem l. 4. p. 104.
(c) Idem pag. 190.
(d) Salvian. in Præf. ad Eccl. Dei p. 322.
Vitia in Hispania.
(e) Salvian. l. 7. p. 137.
(f) Idem p. 145. vide lib. 8. p. 163.
(g) Idem pag. 149.

Obstinatio Romanorum in peccatis.

5. Postquam Occidentales Provinciæ hunc in modum peccatorum mensuram impleverant; Deus flagitiorum ultor flagellum primò ad terrorem incussit, dum regiones Barbaris expilandas dedit: pœna verò ista obsti-

obſtinatos adeò non emendavit, ut pejores etiam redderet: certè Romani è media Gothorum rabie in Africam dilapſi, continuò ad ſpectacula & lenocinia accurrebant (h). Trevirenſes repetitis vicibus exhauſti, & Barbarorum ferro incendiiſque vaſtati, ex ipſa cæde cùm vix caput ſubduxiſſent; poſt cladem poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, ludicra & Circenſes ludos deſiderabant (i). In aliis urbibus ac locis ad tempus quidem abſtinebatur à turpitudine, quia præ miſeria temporis atque egeſtate peccare non poterant, non quòd non liberet, ſed quòd per neceſſitatem flagitioſum eſſe non liceret (k). Quare ultimum tandem ictum divina Juſtitia inflixit, quo Babylon illa Magna ac confuſio ſcelerum, ſive totum Occidentale Imperium concideret: & quemadmodum Deus olim ad ignominiam regni Perſarum ordinaverat, ut ſicut Monarchia iſta à Dario Aſtyagis filio cœperat, ſic in Dario ejuſdem nominis deſineret; ita Providum numen voluit, ut Monarchia Romana, quæ in Occidente ſub Auguſto nata erat, ab Auguſtulo acciperet finem.

(h) Auguſt. de Civit. Dei l. 1. c. 32. 33.

(i) Salvian. l. 6. p. 216.

(k) Idem l. 6. p. 197.

Regnum Occidentis transfertur ad Barbaros, & cur?

6. Neque in hoc accenſus Dei furor conquievit: quin ablatum à Romanis Regni honorem in Boreales populos tranſtulit. Hæ enim gentes licèt gentiles aut Arii hæreſi infectæ eſſent; morales tamen Barbarorum virtutes hâc ratione Chriſtianorum vitiis ſe antehabere Deus oſtendit: Salvianum hìc denuò audiamus. *Quid? Hiſpanias nonne vel eadem vel majora forſitan vitia perdiderunt, quas quidem cæleſtis ira etiamſi aliis quibuslibet barbaris tradidiſſet, digna flagitiorum tormenta toleraverant puritatis inimici. Sed acceſſit ad hoc ad manifeſtandam illic impudicitiæ damnationem, ut Vandalis potiſſimùm, id eſt pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate oſtendere Deus voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem & diligeret caſtitatem, cùm & Vandalos ob ſolam maximè pudicitiam ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maximè impudicitiam ſubjugaret* (l). Et alibi (m): *Porrò autem quantum ad converſationem Gothorum & Vandalorum pertinet, quid eſt, in quo eis aut præponere nos, aut etiam comparare poſſimus?* .... (n) *Ubi enim aut in quibus ſunt, niſi in Romanis tantùm hæc mala? quorum injuſtitia tanta, niſi noſtra? Franci enim hoc ſcelus neſciunt. Chuni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Vandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longè enim eſt, ut hæc inter Gothos barbari tolerent, ut ne Romani quidam, qui inter eos vivunt, iſta patiantur.*

(l) Salvian. l. 7. p. 137.

(m) Lib. 3. p. 88.

(n) Idem p. 90.

Parænesis ad alias Respublicas.

7. Eſt igitur, cur poſtremùm Regna, ac Reſpublicæ hìc ad inane cadaver Occidentalis Imperii pedem figant, auſculténtque ſimul cauſas tam exitialis funeris ex Salviani threnodia; ne, dum eâdem vitiorum menſurâ gravantur, idem Servatoris ac judicis fulmen damno ſuo experiantur: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* (o).

(o) Matth. c. 21. v. 43.

REFLEXIO V. ad §. 7. num. 3. pag. 659.

De Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis, & Jutis.

Picti & Scoti Britanniæ intestini hostes.

1. QUoniam Britannia à Romanorum auxiliis destituta, tum ab intestinis, tum ab externis hostibus hoc sæculo maximè infestari ac subjugari cœpit; non inutilem operam nos facturos credimus, si de singulorum origine, ac eorum novis in eadem insula sedibus pauca disseramus. Ac primò Gentium earum, quæ intra Britonum confinia jam domicilium fixerant, nomen Beda nobis descripsit, dum ait Britanniam militaribus copiis spoliatam prædæ patuisse *duabus Gentibus transmarinis vehementer sævis*, SCOTORUM *à Circio*, PICTORUM *ab Aquilone* (a), ac ne populos exteros credas, idem Author confestim seipsum exponit: *Transmarinas dicimus has gentes, non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus sinibus maris interjacentibus, quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali Britanniæ terras longè latéque irrumpit, quamvis ad se invicem pertingere non possint* (b). Habitabant itaque ultra sinum Glottæ (c) & sinum Bodotriæ, quorum ille in Occidente, alter in Oriente situs est, ísque non longè ab Edimburgo civitate primariâ hodiernæ Scotiæ (d). Pars autem magnæ Britanniæ ad Septentrionem posita cum altera conjungitur Isthmo adeò angusto, ut videatur insula à reliqua Britannia divisa (e).

Pictorum origo sedes & Regnum.

2. De sedibus Pictorum, & Scotorum postquam diximus, restat, ut & de eorum origine pauca loquamur: Camdenus (f) PICTOS è Britonum progenie deducit; eoquòd vocula *Brit* linguâ Cambricâ *hominem picturatum* significet. Verùm alii ex hoc nomine, quod Picti dicantur, planè aliud concludunt, nempe illos ex Scythia oriundos fuisse (g), ubi mos pingendi variis figuris corpora receptus erat, unde Gelonos & Agathyrsos, qui Scythæ sunt, à Virgilio Pictos vocari ajunt (h). Quo tempore Picti relicto natali solo, aut primis sedibus in Britanniam trajecerint, obscurius est, quàm ut quis certò definiat: Polydorus eos Britanniæ majoris partem Borealem Regnante Domitiano invasisse & circa annum Christi LXXXVIII. victis incolis ibidem domicilium fixisse perhibet (i): at quoniam Tacitus historiographus Britonum res satis amplè exponens (k), id prætermittit; non est, quod multum huic temporum putationi tribuamus: Pictorum tamen postea frequens apud Romanos mentio occurrit, dum memorant, quantas clades, quotque difficultates hæc gens (quæ sæpe Caledoniorum aut Meatarum etiam nomine venit) Romanorum Ducibus facessiverit; egestis aggeribus, constructis vallis, imò interjecto muro (l) hostilis eorum incursus retardari non potuit: nec antè à bello cessatum est, dum Romani Britanniâ totâ excesserunt; teste enim

(a) Beda l. 1. c. 12.

(b) Idem l. c.

(c) Tacitus in V. Agric.

(d) Pagius in Crit. T. II. ad an. 421. n. XV.

(e) v. Tacit. in V. Agric.

(f) Camden. in descr. M. Brit.

(g) Bed. c. 1. Usser. rer. Brit. p. 578.

(h) Taubmañ ad Virgil. p. 178.

(i) Polydor. lib. 2.

(k) Tacitus in V. Agric.

(l) Spartian. in V. Adriani c. 11. Oros. l. 7. c. 17.

enim Gilda *Picti in extrema parte insulæ tunc primùm & deinceps requieverunt* (m). Ab hoc tempore iidem Picti stabilem sedem prope Bodotriensem sinum nacti (n) vixêre sub suis Regibus Christianis; dum in sæculo nono cum vicinis Scotis infeliciùs confligentes circa annum DCCCXL. deleti sunt (o).

3. Qui primam Scotorum Patriam inquirunt, non unâ opinione ducuntur: Ammianus Marcellinus (p) eos ex Hispaniæ Cantabria, Buchananus à Celtis, Camdenus à Scythis voce paululum imminutâ Scotos oriundos commemorat: id certius est Scotos in Hibernia, unde aliquamdiu Scotia audiit, longiùs consedisse; inde in Borealem Britanniæ partem transgressi unà cum Pictis in Romanos, Britonésque Romanis devinctos ferocissimè pugnârunt; erat enim, uti Hieronymus testatur (q), gens omnino sæva, quæ humanis vesci carnibus in deliciis habebat. Britones ubi satis afflixerant; in fœderatos Pictos vertêre arma, iisque in sæculo nono deletis soli rerum potiti, amplificato suo Regno nomen Scotiæ indidêre: postremùm hìc brevissimè notamus, duplicem controversiam fervere inter Hiberniæ, Scotiæque scriptores, ad quod scilicet tempus Scotorum in Britanniam adventus revocari debeat, & quo anno Scoti Reges habere cœperint? Candidus Eblanius pro Hibernia sua pugnans, Scotos in Britanniam seriùs sive anno CCCCXLVI. venisse contendit (r); at Scoti ad altiora sæcula illud proferunt, iisque etiam adstipulantur, qui neutrarum sunt partium, scilicet Angli (s) & Galli (t); nam cum teste Ammiano (u) Scoti cum Pictis jam anno CCCLX. Romanorum in Britannia terras expilàrint, necesse est, ut jam pedem ibi gens ista fixerit. Alterum dubium est, de Scotorum Regibus, horum seriem alii trecentis ante Christum annis ordiuntur à Fergusio primo; docéntque Fergusium II. anno post Christum CCCCXXII. Regnum idem instaurâsse (x). Verùm etsi concedant plures, Scotis multò antè obtigisse viros præcipuos, quibus domi, militiæque subessent; negant tamen hos Reges fuisse; hinc, ut non diffitetur Gordonus, certa apud omnes epocha Scotorum Regni habetur annus vigesimus secundus supra quadringentesimum; meliúsque Fergusius II. institutor, quàm instaurator regni dici debet (y).

4. Inter Gentes exteras, quæ Britanniam primò infestârunt, dein in eadem insula sedes stabiles obtinuerunt, tres à Beda connumerantur (z): *Advenerant*, ait, *de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Vitis* sive Jutis. SAXONES cæteris celebriores fuêre, ut qui à Zosimo dicuntur *Gens bellicosissima, corporis viribus, animi magnitudine, laborum tolerantiâ, habiti Germanorum fortissimi* (a). *Romanis maximè formidati, quia repentini* (b). FOSOS eosdem olim appellabat Tacitus (c), sed cum Ptolomæus quadraginta post annis scriberet, Saxonum illos nomine ex-

(m) Gildas ad an. 446.
(n) Paulus Diac. miscell. l. 14. c. 18.
(o) Boëtius lib. 10.
(p) Marcell. lib. 26. c. 4. l. 27. c. 8.
Veterum Scotorum origo transmigratio & Regnum.
(q) Hieron. l. 2. contra Jovinian.
(r) Eblan. controv. de nom. Scot. c. 2.
(s) Alfordi in Annal. T. I. p. 520.
(t) Tillem. Histoir. des Bret. p. 820.
(u) Amian. ap. Alfordi.
(x) Gordon. ad an. 422. p. 159. & 161.
(y) Alfordi in Annal. Brit. T. I. ad a. 422. n. 9.
(z) Beda l. 1. c. 15.
Saxones.
(a) Zosim. l. 3. p. 44.
(b) Marcell. ap. Camden.
(c) Tacitus de M. G.

expreſſit. Poſt Friſios, Cauchos ad Albim usque productos, *Deinde*, ait, *ſuper cervicem Cimbricæ peninſulæ Saxones.... Poſt Saxonas à chaluſo amne ad Suevum usque flumen*, *Farodeni* (d); ex quo colligitur Saxones olim hodiernæ Holſatiæ & Ditmarſiæ tractum incoluiſſe, propterea quòd per *chaluſum* intelligant plerumque *Travam*, qui infra Lubecam in ſinum Codanicum effunditur. Ab hoc Boreali ſolo ad Oceanum progreſſi, Francis depulſis, in hodiernæ Friſiæ, Hollandiæ & Zelandiæ terras ſe intulerunt. Quâ occaſione Hieronymus ſcripſit, *Inter Saxones & Alemannos gens eſt non tam lata, quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur* (e). Piratarum ſubinde more Galliarum litora infeſtabant, ac ſub Carauſio, Magnentio, aliíſque Tyrannis ſtipendia meruêre. Poſt mortem Juliani (cujus arma non parùm hebetaverant) *Britannos ærumnis vexavêre continuis* teſte Ammiano, dum tandem Vortigernus à Pictis & Scotis preſſùs, Saxonum auxilia in inſulam evocaret; eoquòd *virtute atque agilitate terribiles* forent (f). Ab anno igitur CCCCXLIX., quo in Britanniam venêre Saxones, ſedes primùm, dein Regnum accepêre, quod ob diſcrimen Natalis Saxoniæ, *transmarina Saxonia* maximè tempore S. Bonifacii Germaniæ Apoſtoli appellata eſt (g).

(d) Ptolom. l. 2. c. 11.

(e) Hieron. in vita Hilarionis.

(f) Paulus Diacon. ap. Alforti.

(g) In Epiſtolis S. Bonifacii.

5. Saxonum comites in Britanniam trajecêre Angli: horum originem aliqui in Weſtphalia (ubi Angaria ſive Engeren viſitur, & ubi Suevo-Anglos conſediſſe memorat Ptolomæus) inquirunt: nec minùs acris eorum labor eſt, qui Anglos ex Angloe Pomeraniæ oppido educere conati ſunt: Beda verò alias longè terras natales Anglorum nobis deſcribere videtur, dum ait: *Angli de illa Patria, quæ Angulus dicitur: & ab eo tempore usque hodie manere deſertus inter provincias Jutarum & Saxonum perhibetur* (h), quaſi provinciolam illam juxta Daniæ regnum inſinuaret citatus ſcriptor, quæ *Angel* hodiedum compellatur. Atque ut huic opinioni fidem adſtruamus, facit Ethelwerdus Regius Author decimi ſæculi, qui in hanc ſententiam pronuntiat: *Anglica vetus ſita eſt inter Saxones & Giotos habens oppidum capitale, quod ſermone Saxonico Sleſvvic, ſecundum verò Danos Haithy: ideóque Britannia nunc Anglia appellatur, aſſumens nomen Victorum* (i): nempe poſterioribus ſæculis Britannia obliterato Saxonum nomine in Angliæ nomen conceſſit, niſi fortè conjecturæ Bucherii aſſentiri malis, qui ſuſpicatur, quod uti Francorum; ſic quoque Saxonum generale nomen multarum gentium ſcilicet Jutarum, Anglorum & Varnorum extiterit, quare cùm in his populis Anglos putet fuiſſe potentiores; ideo ab his Britanniam Angliæ ſuſcepiſſe appellationem arguit, quin tamen probet.

(h) Beda l. 1. c. 15.

(i) Ethelw. l. 1. in Chr.

6. Tertio loco Beda & itineris Saxonici & Patriæ ſocios *Vitas* adducit (k); quos Ethelwerdus (l) Giotos, tu verò meliùs JUTAS dixeris: nomen hujus gentis in Britannia omnino exolevit; nam licet idem Beda ſcri-

(k) Beda l. 1. c. 15.

(l) Ethelw. l. c.

ſcribat: *De Jutarum origine ſunt Cantuarii & Vectuarii: hoc eſt, ea gens, quæ Vectam tenet Inſulam: & ea, quæ usque hodie in Provincia Occidentalium Saxonum, Jutarum natio nominatur, poſita contra Inſulam Vectam* (m); tamen Alfordi Anglus ſcriptor teſtatur, nihil appellationis ejusmodi amplius obtinere in Britañia (n). De Religione & Heptarchia harum Gentium alibi diſſeremus.

(m) Beda l. 1. c. 15. (n) Alfordi in Annal. Brit. T. I. ad a. 449. n. 4.

REFLEXIO VI. ad CAP. I. LIBRI V.

De Scriptoribus Profanis ſæculi V.

1. SUb *Honorio & Arcadio Imperatoribus* CLAUDIANI Poëſis celebrata eſt: natus is Alexandriæ in Ægypto (a) primùm græcè ſcripſit (b), dein latinè de Conſulatu duorum fratrum Olybrii & Probini ſcribere cœpit, eâdemque linguâ diverſa Poëmata poſtea compoſuit, inter quæ raptus Proſerpinæ, item contra Rufinum & Eutropium flos carminum ejus; hos autem inſectabatur velut hoſtes Stiliconis, cui eâ de cauſa addixerat operam, quòd ſtudio Serenæ Stiliconis uxoris matrimonium pingue ſortitus eſſet. Cæterum inſigni ingenio à Senatu Romano ſtatuam in foro Trajani meruit (c) cum hac inſcriptione, *Tribunus, Notarius, inter cæteras ingentes artes prægloriosiſſimus Poëtarum.* Felix in eo calor, cultus non inviſus, temperatum judicium, acutè dicta multa (d): Chriſtianum fuiſſe affirmat Chriſtoph. Lundinus ineptè; nam Auguſtinus (e) & Oroſius (f) tempore æquales eum Jovis ac idolorum cultorem *pervicaciſſimum* fuiſſe tradunt: & ne ex operibus (quæ ſub ejus nomine circumferuntur, ſcilicet *carmen Paſchale, laus Chriſti, miracula Chriſti*) aliquid Chriſtianitatis eruas; Tillemont (g), aliique Critici (h) oſtendunt, hæc carmina juniorem quendam, ſive Claudianum Mamertum Authorem habuiſſe. Circa eadem tempora vixit RUTILIUS CLAUDIUS NUMANTIANUS Gallus, dignitate Conſulari, urbis & Prætorii præfecturâ clarus, varia monumenta antiquitatis duobus carminum libris, quos *Itinerarium* ſuum vocat, orbi reliquit (i); ſecundi tamen libri pars interiit, non ſine numinis conſilio, ne poſteri legerent acres calumnias, quas contra Chriſtianos ingens ille Paganiſmi hyperaſpiſtes ſuis verſibus illigavit (k). Non minorem famam ſub ſæculi quarti finem, aut quinti initium habuit MACROBIUS AURELIUS à *ſuis Saturnalibus*, quos libros omni eruditione refertos paganus Author in gratiam ſui filii Euſtathii edidit (l): his addidit commentarios latinè ſcriptos *in ſomnium ſcipionis*, quos Planudes græcè vertit; nam licèt in Græcia natus eſſet, mori tamen & idiomati urbis Romanæ, ubi volumina edidit, ſe accommodare Macrobius voluit (m). Ad ætatem Theodoſii I. vel filiorum ejus Tillemontius & Valeſius (n), referendum exiſtimant *itinerarium* illud antiquum, quod à Conrado Peutingero Auguſtano, JC. & Caroli V. conſiliario repertum, curâ M. Vel-

A. C. 396.
(a) Claudian. in epigram. ad Gennad.
(b) Idem epiſt. 4.
Claudianus Poëta.
(c) Get. pag. 156.
(d) Jul. Scalig. Poët. l. 6. p. 834.
(e) Auguſt. de Civitat. Dei l. 5. c. 26.
(f) Oroſius l. 7. c. 35.
(g) Tillem. in V. Hon. a. 66
(h) Pet. Cave in ſæc. Ariano p. 221.
Rutilius.
(i) Voſſ. Hiſt. Latin. l. 2. c. 15. l. 3. c. 2.
(k) Rutilius p. 137. apud Tillem. ad V. Hon. a. 47
Macrobius
(l) Macrob. Saturn. l. 1. c. 1.
(m) Idem c. 5.
(n) Tillem. ad V. Honor. a. 69.

ſeri in lucem prodiit; adeóque *tabularum Peutingerianarum* nomine hodie venit. Concinnaverat illud, quantum ſuſpicari licet, præfectus Caſtrorum, & illa loca potiſſimum deſignavit, quæ caſtris, legionibúsque diſponendis per orbem opportuniora forent (o): cæterùm Itinerarium hoc vel tabulæ mendis innumeris ſcatent, quibus eas repurgare præter Ortelium (p), multi viri conati ſunt; extant in orbis antiqui delineatione *Sanſonii* & in theatro Geogr. Vet. *Bertii*. Conſulatur hìc etiam M. *Lotteri* Hiſtoria tab. Peutingerianæ edita an. 1732.

Tabula Peutingeriana.

(o) Anonym. Hiſt. orb. Geogr. c. 1.

(p) Ortel. in Parergo Geogr. Vet.

Olympiodorus

2. Sub *Honorio & Theodoſio Juniore & Valentin. III.* OLYMPIODORUS Thebis Ægypti oriundus & Gentilis ſcripſit Hiſtoriarum libros viginti duos ad Theodoſium Juniorem, quibus res geſtas maximè in Occidente ab anno 407. ad annum 425. comprehendit, quod opus Photius tali cenſurâ perſequitur: *Dictio illi* (Olympiodoro) *clara; remiſſa tamen ac diſſoluta, & in protritam devoluta verborum affluentiam. Oratio itaque indigna, ut Hiſtoriæ adnumeretur, cujus fortaſſe conſcius, non Hiſtoriam*, ſed *Sylvam* & Hiſtoriæ potiùs materiam dici voluit (q). Ex iſtis libris nihil reſtat, præter excerpta, quæ Photius in ſua Bibliotheca nobis aſſervavit (r). RENATUS PROFUTURUS FRIGERIDUS idem fortè argumentum tractavit latinè, quod Olympiodorus græcè: pauca ejus fragmenta citata à Gregorio Turonenſi id oſtendunt (s). Poſt Olympiodorum claruit ZOSIMUS Comes & Advocatus Fiſci, qui ſex Hiſtoriarum libris (in quibus Olympiodorum citat, ac Eunapii commentationibus utitur) Cæſarum res geſtas complexus eſt: primo libro Imperatores ab Auguſto usque ad Diocletianum percurrit; dein quinque reliquis latiùs pertractat Hiſtoriam Romanam imprimis ſub Theodoſio M. ejúsque filiis usque ad annum 410., quo urbs Roma ab Alarico capta eſt. De ſtylo ejus ita cenſet Photius, *brevis eſt, dictione perſpicuus ac purus, nec ſuavitatis expers* (t), ſuavitatem tamen hanc felle corrupit, quod ſuperſtitioſæ Gentilitatis ſuæ deliriis agitatus in Chriſtianos Principes acerbè evomuit (u), quâ maculâ Zoſimum fruſtra Leunclavius Apologiâ ſuâ hominem Ethnicum vindicare conatus eſt (x). PRISCUS Panites ſive Panione in Thraciæ oppido natus (y), Rhetoricam ac Sophiſticen profeſſus (z), poſt multas legationes pro Theodoſio Jun. ſuſceptas Hiſtoriam ejusdem Cæſaris, uti & reliquorum ſequentium Cæſarum ſcripſit (a). Suidas ei tribuit octo libros Hiſtoriæ Byzantinæ & belli contra Attilam: excerpta varia præſertim de legationibus habentur in Corpore Scriptorum Byzantinorum Pariſiis edito.

(q) Photius cod. 80.

(r) Idem l. c.

Renatus Frigeridus

(s) Gregor. Turon. h. Fr. l. 2. c. 8. & 9.

Zoſimus

(t) Photius Cod. 98.

(u) Evagrius l. 3. c. 40. 41. Niceph. Call. l. 16. c. 41. 42.

(x) Pet. Cave in ſæc. Neſtoriano p. 302.

Priſcus

(y) Theoph. p. 100.

(z) Evagrius l. 1. c. 17.

(a) Voſſ. Hiſt. Græc. l. 4. c. 18.

3. Poſtremo loco ponimus libellum Regnante Theodoſio ſcriptum (b), cui titulus NOTITIA IMPERII, ſive Breviarium; quo quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum ſociorum, civiúmque, quantum auxiliarium Barbarorum in armis, quæ claſſes, quæ Provinciæ ſupereſſent, continetur. De anno, quo hæc Notitia lucem viderit, latiùs tractant Bucherius (c) & Tillemontius (d).


(b) Tillem. in v. Val. III. a. 33

Notitia Imp.

(c) Buch. in Belg. Rom. l. 16 c. 5. ſect. 1. p. 492. & 493.

(d) Tillem. ad v. Val. III. n. 13

CAPUT



CAPUT II.

SACER ECCLESIÆ PRINCIPATUS QUI IN SÆCULO QUINTO

Nihil diminutus est à Persecutione Vandalorum, neque jacturam passus à Pelagianorum, Nestorianorum ac Eutychianorum hæresibus: incrementa verò majora sumpsit à duobus Conciliis Oecumenicis, Patrúmque sapientissimorum firmis præsidiis.

Ab anno 395. ad annum 476.

§. I. *Augustinus creatur Episcopus Hipponensis vivente adhuc Valerio, ejus Zelus in CC. Carthaginensibus III. IV. V. Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi studia pro fide & moribus: Origenis errores à Rufino Aquilejensi in Occidente publicantur, à successore Siricii Papæ Anastasio damnantur, ab Hieronymo excgitantur. S. Martini obitus. Joannis Chrysostomi iteratum exilium & mors: Innocentius Papa Chrysostomi defuncti causam agit.*

I. QUantas Imperium ærumnas tulit à Barbaris, tantas calamitates Ecclesia à Tyrannis Hæreticisque in sæculo quinto perpessa est: hoc tamen inter utriusque cladem interfuit, quod Imperio deessent fidi Duces, qui possent aut vellent Reipublicæ imminentem arcere interitum; at Regno sacro Jesu Christi Providum numen ejusmodi semper sufficiebat viros, quorum doctrina ac virtus integra contra hostium vim ac insidias id moliebatur, ut Ecclesia cùm se consumptam putaret, ad modum splendidioris luciferi novâ luce, majoribúsque incrementis exoreretur (a). Primum facilè locum inter strenuos Ecclesiæ propugnatores hoc tempore obtinuit S. Augustinus, qui Sacerdotum duntaxat ordini adscriptus, ubi frequenti ad populum sermone quosdam à sa-

Sancti Doctores & Episcopi firmum præsidium Ecclesiæ.

(a) Jobi c. II. v. 17.

A.C. 395.

à sacris cœtibus abusus radicitus extirpârat (* 1); arma sua in Paganos, Donatistas, ac præcipuè in Adimantum Manichæorum antesignanum distringens (b), ostendit, *minimè quæri oportere Religionem veram in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici vel orthodoxi nominantur* (* 2). Cæterùm Sectarum diversitatem Ecclesiæ Catholicæ nihil obesse, eoquòd *hæc ipsa per totum orbem validè, latéque diffusa, omnibus errantibus utatur ad profectus suos, & eorum correctionem, cùm evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ* (c): quos quidem fructus continuò Africa tota percepit, cùm Hæretici ac Gentiles orthodoxis permixti turmatim ad Augustini conciones affluerent, ac audita in tabulas referentes, aliis quoque transcriberent; inde enim effectum est, ut res Catholica, quæ multo tempore ab invalescentibus fidei hostibus oppressa jacebat, ad bonorum omnium solatium caput rursus levaret. Neminem magis hi fructuosi labores, atque Valerium Hipponensem Præsulem recreabant, qui decrepitæ suæ ætati timens, Augustinum nondum quadraginta duos annos natum, adeóque vegetum ad onus virum non tam Cathedræ successo-

S. Augustini Zelus.

(b) Possid. in Vit. August. c. 7.

(c) August. l. de vera Relig.

S. Augustinus vivente adhuc Valerio creatur Hipponensis Episcopus.

(* 1.) Inter cæteros abusus is erat, quod in Sanctorum Natalitiis convivia in ipsis Ecclesiis celebrarent; permiserant ista olim Episcopi ob infirmitatem Gentilium, qui dum ad Christi sacra transibant, non poterant statim avelli ab illo more, quo antea dies Festos Deorum in abundantia epularum consumpserant: ut igitur falsorum Numinum celebritatem faciliùs in sanctiorem cultum Cælitum mutarent, quædam in hac parte iis indulgebantur; Scandala tamen quia inde nascebantur, Augustinus ea facundiâ suâ exterminavit ex Hipponensi Ecclesia, in aliis verò Ecclesiis diutius convivia perstitêre usque ad sæc. VII. nam GREGORIUS Papa I. Melito Abbati in Britanniam proficiscenti sic scribit l. 9. Epist. 71: *Et quia boves solent in Sacrificio dæmonum multos occidere, debet etiam eis hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitiis SS. Martyrum .... religiosis conviviis solemnitatem celebrent ... ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire faciliùs valeant.*

(* 2.) AUGUSTINUS l. de vera Religione: *Tenenda nobis est Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ* CATHOLICA EST, *&* CATHOLICA NOMINATUR, *non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim ipsi quoque Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur; Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc etiam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

cessorem, quàm Hipponensis Episcopatûs adjutorem maluit (d). Probante igitur Antistite Carthaginensi, totóque plaudente populo Megalius Numidiæ Primas ac Calamensis Episcopus etiam reluctanti Augustino manus imposuit: quibus nunquam se subdidisset; si id, quod ordinatus posteà modo resciverat, antè habuisset compertum: scilicet Canonibus Nicænis adversari, ut quis vivente Episcopo Præsul novus eidem Ecclesiæ præficiatur (* 3).

(d) Possid. c. 8.

2. Dum Africæ Augustinus illucescere cœpit, per Italiam Augustini Magister Ambrosius ad modum Solis eò clariores doctrinæ, virtutúmque radios spargebat, quò propior occasui fuerat. Nactus in afflata divinitus libertate ac pietate animum immobilem (e) vigiliis, perpetuóque jejunio corpus macerabat: inde prandendi, si Sabbatum, Dominicam, Festósque dies exceperis (f), usum nullum habens, Ecclesiarum curis tantò studiosiùs inhærebat. Virtutum, suarum summam ut in Clerum transfunderet, libros tres utilium præceptionum plenos scripsit de officiis (g): eâdem operâ complures instruebat discipulos, qui variis posteà Ecclesiis præfuerunt (* 4). Neque intra Italiam Zelus Ambrosii constringebatur; sed fama viri, qui ab omnibus arx fidei, Oratórque Catholicus audiebat (h), Persas Mediolanum exciverat (i): & Fritigilla Marcomannorum Regina per Legatos ab eodem rudimenta fidei flagitare non dubitavit (k); quibus obtentis, Sapientiam novi Salomonis coràm ipsa oculis visura in Italiam venit; & majora, quàm animo conceperat, mirata fuisset, nisi paulò antè Præsulem Sanctum mors inopina conspectui hominum ereptum ad beatorum sedes transtulisset; quorum cultum in

(e) Photius in Bibl. Cod. 231.
(f) Paulin. Vit. Ambros. n. 38.
(g) Ambros. de offic. l. 1.
Ambrosii pro Ecclesia labores.
(h) Marcell. in Chron.
(i) Paulin. in V. Ambr. n. 25.
(k) Idem n. 36.
A. C. 397.

(* 3.) AUGUSTINUS ep. 110. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Unde quæri potest, quinam Canon inter viginti Nicænos hoc prohibuerit? ℞. *Canone octavo* sancitum esse, ut Novatiani Episcopi in civitatibus, quibus præerat Catholicæ Ecclesiæ Episcopus vel solùm Episcopalis nominis honorem vel Chorepiscopatûs aut Presbyterii locum obtinerent, rationémque sui decreti Concilium addit: *Ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.*

(* 4.) Episcopi, qui è disciplina S. Ambrosii variis dati sunt Ecclesiis, fuêre sequentes: S. Augustinus Hipponensis, S. Alypius Tagastensis, S. Paulinus Nolanus, S. Venerius, qui post Simplicianum Mediolani sedit, S. Felix Bononiensis, Theodulus Mutinensis, Constantius ad forum Cornelii, S. Gaudentius Brixiensis, S. Felix Comensis, S. Honoratus Vercellensis.

in terris augere ſemper ſtuduerat. Nam anno, qui fatalem præcedebat, SS. Martyrum Nazarii & Celſi corpora adhuc ſanguine recenti perfuſa ac per cæleſtem imaginem monſtrata triumphantis in morem in Apoſtolorum Baſilicam transferre viſus eſt (l), Populo piis canticis, orco invidis ululatibus ſolennem pompam proſequente. Tot laboribus, meritiſque cælo maturus Ambroſius in lectum decidit: Stilico Comes ad extrema deductum rogitabat, ut pro Italiæ bono ſibi à Domino vitæ moram poſceret. Verùm abdicatis terræ curis ille ſuadentibus reponebat (m): *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus.* Quàm verò ſub vitæ finem profanarum rerum negligens, tam ſollicitus de Mediolanenſis Eccleſiæ ſalute fuit: Simpliciani *ſenis* quidem ſed *boni* virtute, quæ rebus tuendis par foret, Clericis commendatâ, ab Honorato Vercellenſi Sacerdote corpus Domini viatici loco accepit (n), hócque præſidio ad agonem munitus, expanſis in formam crucis brachiis Spiritum occurrenti Servatori dedit pridie nonas Aprilis, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo, muneris Epiſcopalis vigeſimo tertio: poſt mortem æquè ac in vita prodigiis celebratus; Tyrannis ac Imperatoribus verò ſuâ ſanctitate metuendus, quod eſt omni miraculo mirabilius.

(l) Paulin. in V. Ambr. n. 32.

Mors S. Ambroſii.

(m) Idem n. 45. 46.

(n) Idem n. 47.

S. Simplicianus ſucceſſor Ambroſii.

3. S. Simplicianus ubi Mediolanenſem ſedem adiverat; eum ſibi conſiliorum arbitrum delegit, qui ab Ambroſio totum Spiritum hauſerat, ſcilicet Auguſtinum: hujus ille libros legere, huic quæſtiones dubias proponere in more poſuit. Nec votis Simpliciani defuit Præſul Hipponenſis (o); nam duobus libris argumentum, quod de gratiæ auxiliis potiſſimùm inſtituebatur, eidem omnino expoſuit. Solertiâ ingenti ubi Auguſtinus exteris Epiſcopis ſatisfecerat; etiam Aurelius Carthaginenſis Antiſtes illum adhibuit, ut ſecum de componenda Africanarum Eccleſiarum diſciplina altiùs meditaretur: collatis conſiliis Carthaginem Synodus evocata eſt (* 5), quæ quinquaginta ſtatutis Canonum rem penè totam

(o) Auguſt. epiſt. 37.

Concil. III. Carthag.

(* 5.) In Præfat. Synodi: *Cæſario & Attico VV. COSS. V. Kal. Septembr. Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ cum Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis conſediſſet.* Inde tempus, Præſéſque concilii colligitur; ut autem Numerus Epiſcoporum pateat, ſub finem Concilii legendæ ſubſcriptiones: ſcilicet *Aurelius Ep. Eccl. Carthag.* *hoic*

totam definivit ex his præcipui sunt: I. qui ita decernit: *Placuit... propter errorem, qui sæpe solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere* (p). II. *Ut propter causas Ecclesiasticas... singulis annis concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ... binos vel plures Episcopos mittant, ... de Tripoli autem propter inopiam Episcoporum,* (nam quinque tantùm in ea erant Episcopi) *Episcopus unus veniat.* III. *Placuit* (q), *ut ordinandis Episcopis vel Clericis priùs ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant* (*6). IV. (r) *Ut ante 25. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec Virgines consecrentur, & ut Lectores populum non salutent* (*7). V. Ut per solemnissimos Paschæ dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum Sal (*8). VI. Ut Corporibus defunctorum Eucharistia non in gera-

(p) Codic. Can. Afric. c. 18.

(q) Dist. 38. c. 7. *Canones Concilii Carthag. III.*

(r) Dist. 77. c. 5.

huic decreto consensi, & relecto subscripsi. Epigonius Ep. Bullensium Regionum subscripsi, Augustinus Ep. plebis Hippone-regionis subscripsi, similiter & omnes Episcopi 44. numero subscripserunt.

(* 6.) Augustinus hujus Canonis edendi author præcipuus fuit, ne & alii contra præscripta Canonum ordinarentur: sicut dolebat se contra Nicænum octavum Canonem, quem ignoraverat, Episcopatum vivente Valerio suscepisse.

(* 7.) S. OPTATUS l. 3. memorat tractatum Episcopalem seu sermonem ab Episcopo haberi *cum geminata Salutatione.* ALBASPINÆUS porrò ad hujus Synodi Can. 3. notat, Lectores pariter in lectione Epistolarum & Evangeliorum (nam hæc quoque ex introducto tunc usu non à Diaconis sed Lectoribus legebantur) adhibuisse Salutationem *Pax vobis.* Quia verò antiqui PP. hanc ceremoniam Salutationem vocabant divinam; statutum est, ut hâc Salutatione Lectores abstineant, & tantùm Episcopi eâdem utantur.

(* 8) ALBASPINÆUS ad c. 4. hujus Synodi advertit: quod olim fideles obtulerint panem, vinum, lac, mel, sal & oleum, ex quibus quædam in corpus & sanguinem Christi consecrabantur, ut panis & vinum: alia in Eulogias, ut reliquiæ panis, quæ benedictæ porrigebantur fidelibus in signum communionis; alia demum *Sacramenta Catechumenorum*, ut vocant D. Innocentius & S. Augustinus: qualia erant mel, lac & præcipuè sal, quo Catechumeni initiabantur, & quod ipsis benedictum dari solebat, ut eo refecti paulatim ad Eucharistiæ fidem erigerentur „Volunt igitur Patres (ut ait Albaspinæus) præter talis solitum Sacramentum, nihil aliud per illos octo solemnissimos Paschales dies Catechumenis dari, quòd scilicet illis diebus mel aut lac non offerretur à fidelibus, sed solùm panis & vinum: Sal autem reservatum ex aliis anterioribus oblationibus tunc dabatur.„ MENARDUS contrà paulò aliter Canonem exponit „unicum erat Catechumenorum Sacramentum, nempe Sal, quod nunquam mutari debet, neque per solemnissimos Paschæ dies, quia fideles, id est, baptizati per dies illos nos mutant Sacramentum: neque hoc Concilio panis benedictus prohibitus est Catechumenis; sed ne mutetur eorum Sacramentum etiam per dies Paschales, quia etiam his diebus baptizati non mutant.„

geratur (*9). Sequentes quatuor Canones agunt *de judiciis Ecclesiasticis*, queis proinde ſtatuitur, ubi Epiſcopus accuſari, & intra quod tempus examinari debeat (s): à quot Epiſcopis Presbyteros & Diaconos audiri conveniat (t): ne Clerici publica appellent judicia (u): & ſi à quoquam ab aliis judicibus Eccleſiaſticis ad alios judices, & Eccleſiaſticos majoris authoritatis provocatum fuerit; non obeſſe prioribus diverſas ſententias proferentibus (x). A Canone XI. ad XIX. agitur *de vita & honeſtate Clericorum*, itaque præcipitur, ut filii Clericorum ad ſpectacula non accedant, neque ea exhibeant (* 10): ut Clerici non habeant conjuges infideles: neque ſint conductores aut negotiatores, quia *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus* (y): ne extraneis fœminis cohabitent (z), *utque nullus Clericorum amplius recipiat, quam quod cuiquam commodaverit: ſi pecuniam, pecuniam recipiat: ſi ſpeciem, eandem ſpeciem, quantam dederit, accipiat; & ſiquid aliud, tantum quantum dederit* (a). His addendi Canones XXVII. & XXXVII., qui cavent, ne Clerici tabernas ingrediantur (b), neve in aliena civitate ſine neceſſitate immorentur. XXV. & XXXIII. *De Virginibus ſacris* ſtatuunt, ſcilicet ne Clerici ad viduas vel virgines ſoli atque incomitati acceſſum habeant (c), unde eædem etiam virgines extra cuſtodiam aut Parthenonem vagari prohibentur (d). *De Epiſcopis, eorumque poteſtate* plures Canones hujus Synodi varia decernunt, nempe XX. ut plebes alienas alius Epiſcopus non uſurpet (e). XXI. Ut nullus Epiſcopus alienum Clericum audeat retinere vel ordinare (f). XXII. Ut nullus Clericus ordinetur, niſi probatus ſit vel Epiſcoporum examine vel populi teſtimonio. XXVIII. Ne Epiſcopus ſine formata Epiſcopi primæ ſedis longiùs proficiſcatur

(s) Cauſ. IV. Q. 5. c. 1.
(t) Cauſ. XV Q. 7. c. 5.
(u) Cauſ. XI. Q. 1. c. 43.
(x) Cauſ. II. Q. 6. c. 9.
(y) Cauſ. XII Q. 3. c. 1.
(z) Diſt. 81. c. 27.
(a) C. XIV. Q. 4. c. 6.
(b) Diſt. 44. c. 4.
(c) Diſt. 81. c. 32.
(d) Diſt. 4. de Conſecr. c. 75.
(e) Cauſ. VII Q. 1. c. 27.
(f) Diſt. 72. c. 2.

(* 9.) Ex ſimplicitate quidam crediđere, quod mortui excommunicati, ſi Euchariſtia ori eorum ingereretur, communioni Eccleſiæ redderentur; & ex hoc eodem errore mortuos quoque baptizabant, ut Eccleſiæ adſcriberentur. Sed ratio Canonis hæc elidit omnia: *Dictum eſt enim à Domino: accipite & edite; cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere.*

(* 10.) CYPRIANUS l. de ſpectaculis, *hæc omnia inventa dæmoniorum* eſſe ait: cæterùm Canon ſpecialiter ſpectacula prohibet filiis Clericorum, quia Eccleſia in illos ſemper ſibi majorem authoritatem attribuit, ùt advertit LUPUS in Can 24. Trull. Cur autem addat Canon, *ne ſpectacula exhibeant*, ſciendum eſt, fuiſſe olim, ut equi & beſtiæ ad ſpectacula alerentur in quodam loco, cui civis aliquis præfici ſolebat: *Rerum igitur hujusmodi curatores eſſe ſacerdotum filiis ſuis Canon vetat*, ita ZONARAS in Can. 15. Ferraginis græcæ.

tur (g). XXXII. Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Pœnitentem (* 11), nisi Episcopo absente vel *necessitate rogente;* atque ob hanc ipsam necessitatem XXXIV. jubet, *ut ægrotantes si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, proprio periculo dixerint, baptizentur* (* 12). XXXVI. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret, Chrisma verò nunquam conficiat* (h), XXXVIII. vetat fieri translationes Episcoporum (i). XXXIX. Cavet, ne præsumant duo Episcopi ordinare Pontificem. XLII. Interdicit, ut non accipiat alium Episcopum plebs, quæ in Diœcesi semper subjacuit (k); cæteri Canones agunt contra convivia in Ecclesiis (l), de missa à jejunis celebranda (* 13), atque de Canone sacræ scripturæ (* 14).

4. De-

(g) Dist. 2. de Consecr. c. 49.
(h) Caus. XXXI. Q. 6. c. 2.
(i) Dist. 4. de Consecr. c. 107.
(k) C. XVI. Q. 1. c. 51.
(l) Dist. 42. c. 5.

(* 11.) ALBASPINÆUS ad h. Can. in toto Pœnitentiæ decursu per quatuor gradus distincto fuisse duplex reconciliationis genus, minus nimirum, quòd in fine *tertii* gradûs: & majus, quod in fine *quarti* concedebatur, & quo ultimo communioni & Sacramentis omnino restituebantur; & quia hæc absolutio nunquam fiebat à Presbyteris, reconciliationem minorem Presbyteris Canon tribuit.

(* 12.) CONCILIUM ARAUSICANUM Can. 12. idem statuit: *Subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet Sacerdos, aut præsentis in nutu suo.* Simile PAULUS V. jubet in Rituali Romano: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

(* 13.) GREGOR. NAZIANZ. or. 40. docet non omnem Christi actionem imitandam esse; unde ait: *Ille paschatis Mysterium discipulis in Cænaculo tradidit, & post cœnam; nos in templis & ante cœnam.* AUGUSTIN. ep. 118. *Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipitur? & hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi, &c.* Et hæc quidem vetus institutio fuit: sed non semper, ùt notat Card. BONA Rer. Lit. l. 1. c. 21. mos enim quidam prævaluerat in Africa, ut die anniversariâ, quâ cœna Domini recolitur, Sacramenta altaris vespere, sumpto cibo, celebrarentur; hinc idem Canon 41. Synodi Carth. III. *Ut Sacramenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto die uno anniversario, quo cæna Dominica celebratur:* eosdem abusus invaluisse in Ægypto testatur SOCRATES l. 5. c. 21., & in Gallia simile quid viguisse colligitur ex Can. 9. Concilii Matisconensis, quæ postea omnia emendata fuerunt per subsequentes Synodos. Africanorum morem correxêre PP. Trullani c. 29. ubi dicitur. „ SS. Patres tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles eâ dispensatione usos fuisse: cæterùm oportere deinceps Apostolicas & paternas traditiones sequi. „

(* 14.) Canone 47. Patres Africani tradunt sacræ scripturæ librorum Catalogum, qui Tridentino conformis est. *Item placuit, ut præter scripturas Canonicas nihil in*

4. Decreta ejusmodi Africæ salutaria fuissent, nisi Gildo Tyrannus (m) hoc tempore Donati sectatoribus dedisset animos, quibus insolentiùs in orthodoxos grassabantur. Gildone paulò post extincto Augustinus lenioribus remediis Donatistarum ferociam compescuit; nam Glorio cæterorum Duci commonstrabat, Acta ea, in queis triumpharent, quæque contra Cæcilianum, ac Felicem Aptungitanum confingerent, ex purioribus Synodorum Romanæ & Arelatensis fontibus dilui (n): dein Fortunium Tubursici oppidi Præsulem, ac Donati defensorem conveniens, ex eo maximè premebat, ut suam Donatistarum Ecclesiam toto orbe sparsam sive Catholicam ostenderet (o); quod telum acriùs torsit adversus Honoratum ejusdem Sectæ Episcopum (p), dum ad hoc sibi responsum poscebat: quâ causâ factum sit, ut Christus amitteret hæreditatem suam per orbem terrarum diffusam, & subitò in solis Afris, nec ipsis omnibus remaneret? silentium itaque cùm Donatistis à sapientissimo Augustino impositum esset; cæteri Catholici Episcopi rursus venisse Carthaginem, ibique de excolenda orthodoxorum disciplina centum & quatuor Canones, qui postea *statuta Ecclesiæ antiqua* dicti sunt, edidisse perhibentur (q). Ordinationum veteres ritus inde primò nobis palàm fiunt; nam Canon II. ita habet: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eam fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput tangant* (r). III. *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant* (s). IV. *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* De ejusdem Diaconi veste quoque statuit Canon

(m) Orosius l. 7. c. 36.

Augustini studia in compescendis Donatistis.

(n) August. ep. 43.

(o) Idem ep. 44.

(p) Idem ep. 49.

A. C. 398.

Concilium Carthag. IV.

(q) V. Schelstrat. Eccles. Afric. Dis. III. c. 8. Harduin. Tom. I. CC. p. 975.

(r) Dist. 23. c. 7.

(s) Ibid. c. 8.

Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem Canonicæ scripturæ: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum minorum: Item Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel: Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. NOVI AUTEM TESTAMENTI *Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Paulì Apostoli Epistolæ tredecim: ejusdem ad Hebræos una: Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres: Judæ Apostoli una & Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus.*

Canon XLI. (t), *ut Diaconus tempore oblationis tantùm vel lectionis, albâ utatur* (†). V. *Subdiaconus cùm ordinatur, qui manûs impositionem non accipit* (u), *patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi urceolum, aquimanile ac manutergium* (‡). LI. Clerico cuicunque (x), quantumlibet Dei verbo sit eruditus, præcipit, ut artificio victum quærat (* 15).

(t) Dist. 23. c. 11.
(†) Reflexio I.
(u) Ibid. c. 15.
(‡) Reflexio II.
(x) Dist. 91. c. 4.

S. Joannes Chrysostomus creatur Episcopus Constantinopol.

5. Cultura hæc insignis morum, rituumque erat, quam Aurelius cum Augustino Africæ impendebant: non minor illa, cujus initium in Oriente hoc tempore fecit S. Joannes Chrysostomus. Nectario mortuo sedis Constantinopolitanæ Episcopo, Eutropius, qui rerum summam tunc gerebat, Joannem præ cæteris optabat, ut regiæ urbi præponeretur (y): quare literis ab Arcadio signatis Comiti Orientis in mandatis datur, ut eundem clàm Antiochenis ereptum Constantinopolim deducat: advecto Theophilus Alexandrinus manus imposuit. Joannes jam ordinatus primùm eloquio, quo valebat, exagitavit Hæreticos, dein eosdem, scilicet Anomæos, Marcionitas & Valentinianos Arcadii Imperatoris legibus comprimi fecit (z). Hostibus fidei submotis centum Christianorum millia (tot enim Constantinopoli numerabat) virtutibus imbuere atque à vitiis avocare exorsus est (a): his subinde è Gentilibus (b) multos prodigiorum etiam vi adlegit (* 16); inde in Thraciam (c), mox in Scythiam (d) suos

(y) Socrat. l. 6. c. 2. Pallad. in V. Chrys. p. 42.

A. C. 399.

(z) Codic. Theod. l. 6.
(a) Pallad. in V. Chrys. p. 45.
(b) Sozom. l. 8. c. 5.
(c) Theod. hist. l. 5 c. 28.
(d) Idem c. 30. 31.

(* 15.) BARONIUS & PERRONIUS putârunt, hunc Canonem editum occasione quorundam Monachorum, qui ex schola Euchitarum & Massilianorum docebant, Monachos & Clericos manibus operari non posse; contra hos scripsit AUGUSTINUS *de opere Monachorum*, ubi ait: *Cùm apud Carthaginem Monasteria esse cœpissent; alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo: alii verò ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde necessaria vel haberent vel supplerent, sed p̄ius supplere præceptum Evangelicum existimarent, atque jactarent, ubi Dominus ait: respicite volatilia cæli & lilia agri. Unde etiam inter laicos inferioris propositi, sed tamen studio ferventes existere cœperant tumultuosa certamina, quibus Ecclesia turbaretur.* Augustinus itaque ibi defendit: *Qui non laborat, non manducet*, de labore manuum intelligenda esse, de tali labore inquam, qui à cogitatione rerum spiritualium non avertat.

(* 16.) SOZOMENUS l. 8. c. 5. de converso Hæretico è Macedonianorum secta refert, quod uxorem hæreticam ad fidem, communionémque Mysteriorum impulerit; mulier astu eludendum fidelem maritum rata, tempore communionis loco Eucharistiæ acceptæ alium panem ab ancilla subministratum ori ingerere parabat, sed dum dentibus admovet, hic ipse panis in lapidem induratur. Tum fœmina, ne quid sibi graviùs eveniret,

suos labores proferens, excisis ibidem delubris novas construxit Ecclesias, ut Ethnicorum vaticinia ex his ipsis incrementis mendacii arguerentur; dum paulò antè vulgaverant, tempus nunc tandem adesse, quo Christiana Religio ultimo exitio esset obruenda (* 17). Neque salutem animarum tantùm, sed & Ecclesiarum immunitatem constanter propugnabat: suadente Eutropio Arcadius legem dederat, quâ reos à templis abstrahere licebat (†); edicti vim Joannes infregit tunc, cùm lex ista vigere maximè debuisset. Eutropius enim idem ac Consultor pessimus cùm favore Principis subinde nudatus in Ecclesia perfugium saltem vitæ quæreret; hominem Episcopus adeò non ejecit, ut etiam oppositu corporis Ecclesiæ limina adversus ingruentem militum copiam tueretur (e).

(†) Reflexio III.

(e) Socrat. l. 6. c. 5. Sozom. l. 8. c. 7.

6. Quando Chrysostomus Orientem in novos virtutum fructus animabat; progressa de ejusdem Orientis partibus Hæreticorum tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, per Occidentem polluere & labefactare conata est (f). Redierat anno CCCXCVII. ex Palæstina in Italiam Rufinus Aquilejensis Presbyter unà cum Melania (* 18), cujus opibus ac authoritate nixus errores Origenis, quos à Didymo Alexandrino altè combiberat (g), in multorum animos temerè ingessit. Apologiâ primò Origenis, cujus authorem Pamphilum Martyrem falsò jactabat, Macario viro Catholico & Vicariâ urbis Romanæ præfecturâ functo imposuit; nam hujus Doctoris ille prædicatione nimiâ raptus ultrò rogabat Rufinum, ut libros περὶ ἀρχῶν sive

(f) Hieron. epist. 8. ad Demetriad.

(g) Rufin. l. 2. Invectiv. contra Hieronym.

niret, Chrysostomo factum aperit, simúlque ostendit lapidem, qui præter morsûs vestigia, exhibebat materiam quandam prorsus ignotam & colore inusitato præditam.

(* 17.) Ex AUGUSTINO de Civ. Dei l. 8. c. 33. colligitur, à Gentilibus græcos versus fuisse excogitatos, quibus jactabant: Petrum maleficia fecisse, ut coleretur Christi nomen per annos 365. à Christi morte numeratos, quâ annorum summâ impletâ cessaret Christianorum Religio; sed ruentibus passim Gentilium templis, ídque ex mandato Cæsarum, falsitas vaticinii constabat.

(* 18). NORISIUS Hist. Pelag. l. 1. c. 2. p. 9. reditum Rufini ac Melaniæ refert ad annum 396. sed PAGIUS adventum eorum in Italiam assignat anno 398. & ratio hujus gravior est, quia Paulinus Nolanus Episcopus, qui illos hospites Nolæ excepit, testatur *ex Jerusalem post quinque lustra* remeâsse, ídque hyeme decedente, quare cum Melania & Rufinus anno 371. exeunte peregrinationem illam susceperint, eam hoc anno post 25. annos absolverunt. &c.

five *de Principiis* in latinum sermonem verteret (* 19). Interpretatio igitur ut Romanis auribus venena faciliùs infunderet; Rufinus libri errores suis erroribus cumulans (* 20), mentiebatur nihilominus Origenem fide integrum, cujus voluminibus aliorum duntaxat fraude menda quædam irrepsissent; atque hujus commenti testis ut esset, S. Hieronymum laudabat, quasi idem scriptis in rem istam libris magnam Origenis æstimationem semper habuisset (* 21). Veterator cùm hamo ejusmodi non tantùm

Rufinus disseminat, errores Origenis per Occidentem.

(* 19.) NORISIUS Hist. Pelag. l. 1. c. 1. docet ex libris *Periarchon* præcipuos Pelagianorum errores derivatos fuisse. I. GRATIAM DEI SECUNDUM MERITA DARI ait l. 2. Periarch. c. 9., ubi Angelos non ex divina gratia, sed ex propriis meritis in excellentiore Hierarchia positos fingit; imò non dubitat asserere, dæmones posse converti ad meliorem frugem, si velint: porro l. 1. c. 7. comminiscitur Joannem Baptistam in utero matris sanctificatum ex suis meritis, quid? quod plus, quàm Pelagius, delirarit Origenes hâc in re, dum unionem hypostaticam ait datam fuisse ex præcedentibus hominis assumpti meritis. II. POSSE HOMINEM VIVERE SINE QUOCUNQUE PECCATO doctrina quoque Origenis fuit, de quâ Hieronym. Epl. ad Ctesiphontem; & Origenes ipse non obscurè asserit l. 3 Periarch. c. 2. liberum arbitrium facit authorem boni absque Deo; inque eo consistere vult indifferentiam liberi arbitrii, ut posse velle, seu potentia ipsa volitiva sit à Deo; non autem ipse actus volendi, quod ipsum posteà Pelagius docuit: ùt habet S. Thomas l. de grat. Christi c. 4. *Quod possumus*, ait, *omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse adjuvat: quod verò benè vel agimus vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est.* III. NULLUM ESSE ORIGINIS PECCATUM, quod pessimum dogma eruitur ex Origenis principiis l. 3. Periarch. initio & l. 2. c. 9. *Justitia debet creatoris in omnibus apparere, quæ, ùt mihi videtur, ita demum lucidiùs ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel cælestium vel terrestrium vel infernorum in semetipso præcedentes nativitatem corpoream habere dicatur.* Ubi Origenes ad hujus vitæ miserias citra divinæ Justitiæ reprehensionem defendendas, non ad originalis peccati demeritum recurrit: sed animas antè peccâsse fingit, quorum criminum proinde natæ recens animæ meritò pœnas darent.

(* 20.) NORISIUS l. 1. Hist. Pelag. c. 2. p. 10. errores Rufini hos commemorat: *Nempe Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moreretur; nullum item à Parentibus originale peccatum traduci.*

(* 21.) RUFINUS in Præf. ad lib. Periarch: *Scio quamplurimos fratrum scientiæ scripturarum desiderio provocatos poposcisse ab aliquantis eruditis viris & Græcorum literarum peritis, ut Origenem Romanum facerent, & latinis auribus eum donarent, in quo & Frater & Collega noster Hieronymus ab Episcopo Damaso deprecatus, cum homilias duas de Cantico Canticorum in latinum transtulisset ex Græco; ita in illo opere ornatè, magnificéque præfatus est, ut cuivis legendi Origenem, & avidissimè perquirendi desiderium commoveret . . . interpretando sequar regulam præcessorum* (scilicet HIERONYMI) *qui cùm ultra septuaginta libellos Origenis, quos Homeliticos appellavit, aliquantos etiam de tomis in Apostolum scriptis transtulisset in latinum, in quibus cùm aliquanta offendicula inveniantur in græco; ita elimavit omnia interpretando atque purgavit, ut nihil in illis, quod à fide nostra discrepet, latinus lector inveniat . . . sic ubi ergo nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab eo cæteris locis fideliter, piéque de Trinitate fuerat defini-*

tum cives; ſed & Monachos, ac Sacerdotes complures deciperet; cauſæ nihilominus ſuæ malè metuens, à Siricio Pontifice Eccleſiaſticas Epiſtolas impetrare adnitebatur, ut (ſi error, dolúsque aliquando erumperet) hoc communionis teſtimonium urbe Romanâ in alias provincias exportare ſaltem liceret (h). Siricius, quoniam de ſuo ingenio æſtimabat cæteros, homini conciliatriculâ virtutis ſpecie veſtito, & necdum à quopiam erroris accuſato, nimis properâ (ut quidam credidêre) manu impertiit literas (* 22), quæ tamen Rufino haud diu præſidio fuêre. Nam in Siricii (anno CCCXCVIII. mortui) locum (i) ubi ANASTASIUS ſucceſſerat; malitia Rufini apertiùs evoluta eſt (k): prima errorum, fraudúmque veſtigia Marcella vidua notaverat (l), quæ tantas fidei corruptelas non ferens, Paulinianum Hieronymi fratrem, aliósque amicos incendebat, ut Pontificis opem implorarent citiùs, quàm ſcintillæ gliſcentes funeſtiore incendio Italiam univerſam corriperent. Anaſtaſius accepto teſtimonio, & visâ malefidi interpretis commentatione, Rufinum, qui tunc Aquilejæ in Patria ſua aberat, ad cauſam dicendam evocat: patere fraudes ſuas cùm Rufinus adverteret; cunctationis faſtidio accuſationum vim frangere nitebatur: ſed dum nectendo moras periculum declinat, in fortiorem adverſarium incidit. Eodem quippe tempore Pammachius

(h) Hieron. Apolog. adv. Rufin. l. 3.

A.C. 398.

(i) Pagius ad an. 398. n. 2.

(k) Hieron. epiſt. 16. ad Principiam.

(l) Idem ep. 96.

Anaſtaſius Pontifex.

---

definitum: veluti adulteratum aut prætermiſimus, aut ſecundùm eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus affirmatam. Hìc Rufinus 1. Hieronymum dolosè in Origeniſtarum numerum traducit 2. Origenis errores, ſi qui reperiantur in libris Periarchon, in falſarios transfert 3. à ſe omnis erroris ſuſpicionem avertere conatur.

(* 22.) BARONIUS ad an. 397. n. 21. arbitratur Siricium, maturiùs extinctum, quòd Rufino communicatorias literas dederit, & negligentiùs contra Origeniſtas rem geſſerit, ſed præterquam NORISIUS librum *de Sanctitate Siricii* ſcripſerit; tum Florentinius ad Martyrologium Hieronymianum ad diem 26. Nov. ait: Siricius, qui annos ferè quindecim (juxta Pagium *annos tredecim, menſes undecim, dies quinque*) ſedit, plures in diuturnitate Cathedræ Pontifices Romanos æquavit, plures ſuperavit: cùmque Liberio extra urbem ab Arianis creato Diaconus miniſtraverit, ſeptuagenario major è vivis exceſſit. Accedit, quod Anaſtaſius ſucceſſor, qui teſte Hieronymo *vir ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit*, nihilominus brevi intervallo obtinuerit ſedem. „Quid facilius erat, ut ait PAGIUS, quàm Rufinum Romam Hieroſolymis cum illuſtri Melania redeuntem famâ morum & doctrinâ clarum tolerare, & Origenem nondum apud Latinos malè audientem, quin etiam ipſius Hieronymi licèt falsâ authoritate illuſtratum, non ſtatim explodere, præſertim cùm Romani Presbyteri, & nonnulli Monachi aſſenſum Rufino præberent, & apud Siricium laudarent.

chius & Oceanus in ſchedis libros Periarchon, malignâ Rufini ver-
ſione perperam donatos, ad Hieronymum in Bethlehemitico mo-
naſterio degentem transmittendos curaverant (m), additâ etiam (m) Hieron. epiſt. 40.
Præfatione interpretis, in qua Hieronymi Patrocinium non ob-
ſcurè quæritans, ejusdem in vertendis Origenis libris ſtudium
mirificè prædicabat (n). Hieronymus quantumvis Rufino olim (n) Idem ep. 40. & 41.
familiariter fuiſſet uſus; acceptis amicorum literis hominem in- A.C. 399.
ſectari cœpit: ac primò quidem delatas ſibi laudes deſpectans, *Hieronymus impugnat Rufinum.*
redditâ epiſtolâ (* 23) oſtendit ſe nunquam Origenis fidem, in-
terdum autem ingenium commendâſſe (o); tum inſidias Rufini (o) Idem ep. 41.
palàm facturus Pammachium inſtruxit de iis, quos errores de
divinis Perſonis ab Origene impiè ſcriptos in ſuâ verſione omitte-
re, quæ è diverſo dogmata de Angelorum ruina, de animarum
lapſu, de reſurrectionis præſtigiis, de mundo & intermundiis
Epicuri in latinum ſermonem translata & in pejorem amplifica-
tionem exaggerata Romanorum manibus ingerere (p): atque (p) Idem Apol. 1. adv. Rufin.
ut incautè animis etiam acciperentur, Apologiam pro Origene
ab Ariano Euſebio procuſam S. Pamphili Martyris titulo veſtire
præſumpſiſſet (q). Porrò ut fraudum fabricatorem utrâque au- (q) Idem Apol. 2.
re S. Hieronymus teneret; quatuor Origenis libros de Principiis
ſinceriùs in latinam linguam transpoſuit, ut in queis capitibus
deliraret Origenes: in quibus ejus interpres græcum ſenſum mu-
tilâſſet, aut auxiſſet, Romanis conſtaret (r). Rufinus cùm hâc ra- (r) Idem ep. 94.
tione larvam ſibi detractam doleret; in Hieronymum duobus
libris Apologeticis ſævire aggreſſus eſt.

7. Quas turbas Origenis ſectatores per Italiam; has ſubinde A. C. 400.
pejùs conſcivêre per Hiſpaniam Priſcillianiſtæ: docebant hi duo
Prin-

(* 23.) HIERONYMUS epiſt. 41. *Laudavi*, inquit, *interpretem*, (Origenem) *non Dogmatiſten: ingenium, non fidem: Philoſophum, non Apoſtolum. Quodſi volunt ſuper Origene mecum ſcire judicium, legant in Eccleſiaſten meos Commentarios, replicent in Epiſtolam ad Epheſeos tria volumina, & intelligent me ſemper ejus dogmatibus contraiſſe.* Addit prætereà à ſe eo modo laudatum Origenem; ſicut à Cypriano Tertullianus, & Apollinaris ſcripta contra Porphyrium, item Euſebii Cæſareenſis hiſtoria laudata fuiſſent. Cæterùm ſe vertiſſe multa de Origene, ad exemplum Ambroſii & Hilarii, fatetur Apol. 2. hoc tamen non attento epiſt. 41. citatâ pergit: *Et ideo errores non ſequor, quia ſcio univerſa; quæ ſcripſit ... venenata ſunt illius dogmata, aliena à ſcripturis ſanctis, vim ſcripturis facientia, ſi mihi creditis, Origeniſtes nunquam fui: ſi non creditis, nunc eſſe ceſſavi.*

Concilium Toletanum primum.

Principia, filium Dei minimè genitum, unámque Dei & hominis esse naturam, adhæc insertum naturæ malum non prævaricatione sed creatione. Errores hujusmodi ubi libro Olympius compresserat; Hispaniæ Episcopi Toletum convenêre (s), offensiones quascunque sublaturi, quæ in tam turbulenta tempestate Ecclesiæ intaminatæ Christi sponsæ carnis vitia affricuissent. Unde stabilitâ Nicænâ fide viginti canonibus castimoniam Clericorum maximè urgent; inter quos I. ita definit: *Placuit, ut Diacones ... qui incontinenter cum uxoribus suis vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis verò ex Presbyteris filios susceperit, ad Episcopatum non admittatur* (t). XVII. *Si quis habens uxorem fidelem, si concubinam habeat* (u); *non communicet. Cæterùm qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur* (* 24). Eodem pietatis studio S. Martinus Turonensis in Gallia per idem tempus Cleri vitia purgare studuit: lustratis cæteris parœciis, in Condatensi Ecclesia zelo suo & vitæ metas ponere coactus est; nam octogenario major & febri fractus, dum ad Monasterium reduci volebat, succubuit (x). Magistri ægritudo discipulos adeò anxios habuit, ut omnes unâ voce aggemerent: *Cur nos Pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? invadent gregem tuum lupi rapaces.* Martinus suorum lachrymis emollitus, vitæ & mortis arbitrum precabatur: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua.* Quantumcunque febrilis æstus membra exhauriret; humi nihilominus & in cilicio recubans, mollius stratum detrectabat, *non decere*, inquiens, *Christianum, nisi in cinere mori.* Intentis igitur in cælum oculis eò levabat spiritum, quò illum brevi dirigendum sperabat; quare dæmonis insidias deridens, his postremis vocibus ei insultabat: quid hìc adstas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies; Abrahæ me sinus recepit, quibus dictis animam cælo dedit anno ætatis octogesimo primo, sedis

Pius obitus S. Martini Turonensis.

(s) vid. T. I. CC. apud Harduin. pag. 990. Idatius in Chron.

(t) In Decreto Ivonis l. 3.

(u) Dist. 4. c. 2.

(x) Gregor. Tur. l. 1 c. 47. Sulpit. Sev. ep. 3.

(* 24.) TURRIANUS l. 1. pro Canon. Apostol. c. 13. per concubinam intelligi ait, non mulierem fornicariam, sed eam; quæ secundùm legem matrimonii, infra dignitatem tamen uxoris ducitur: quales concubinas habuêre Patriarchæ in V. T. Præterea leges Romanæ cavebant, ne civis Romanus non civi nuberet: itaque si uxorem non liberam vel alienigenam accepisset, valebat quidem conjugium in foro conscientiæ, quoad effectus tamen civiles erat irritum. Vide etiam DU CANGE *in Glossario*.

ſedis Turonenſis vigeſimo ſexto (* 25). In obſequium funeris non tantùm plebs, ſed & Virginum chori, ac duo Monachorum millia, quæ hujus ſancti ſtudio ſervitutem Domini amplexi fuerant, affluxêre (* 26).

8. Rufinus interea à Chromatio Aquilejæ Antiſtite impeditus fuerat, quo minùs in Hieronymum ſuas invectivas ſtatim effunderet; nam græcam Euſebii Hiſtoriam latio donare juſſus, interrupit acerbum laborem; at verſione Hiſtoriæ factâ, acriùs manum operi applicuit (y); ut demum hoc anno, quod animo congeſtum tenebat, virus in Hieronymum evomeret. Reſpondit hic Grunnio & Scorpio (ita Rufinum ſæpe vocat) non modò graviore argumentorum pondere, ſed & vehementiâ; quam unam in viro ſancto Augu- A.C. 401.

(y) Norifius l. 1. hiſt. Pelag. c. 2. p. 11.

Auguſtini methodus ſcribendi modeſta contra Adverſarios.

(* 25.) Inter Epochas Gallorum olim uſitatior fuit illa, quæ ab obitu Martini Turonenſis ſumebatur: inde Critici non parùm laborant, ut annum ejusmodi obitûs certò deſigant. GREGORIUS TURONENSIS l. 1. hiſt. c. 48. & l. 1. mir. S. Martini c. 5. ait; mortem Sancti eveniſſe *Attico & Cæſario Coſſ.* qui conſulatus convenit cum anno 397. non placet aliis iſta chronotaxis, eoquòd Greg. Turonenſis non modo ſibi, ſed & Severo Sulpitio S. Martini diſcipulo ac oculato teſti omnino adverſetur; & ipſe quidem ſcribit l. 1. hiſt. Franc. c. ult. *Tranſiiſſe*, S. Martinum, *mediâ nocte, quæ Dominica habebatur.* SEVERUS autem *in Dialogis* ex Maximi Tyranni primordiis ad Martini mortem numerat *ſedecim annos.* Ex his characteribus nihil competit anno 397., nam ab anno 397. tot anni minimè ad illud tempus fluxerunt: dein anni prædicti dies undecima Novembris, quâ juxta traditionem perpetuam Martyrologiorum Galliæ obiit S. Martinus, non in Dominicam, ſed in Feriam quartam incidebat. BARONIUS Annal. Eccl. T. IV. ſe punctum chronotacticum meliùs attigiſſe credit, dum mortem S. Martini prorogat ad an. 402. ſedecim autem annos numerat à Trevirenſi Pſeudo-Synodo, & Evodii conſulatu, qui Conſul fuit anno 386.; evinceret aliquid hæc opinio, niſi deficeret illud, quod anno 402. XI. Nov. concurriſſet cum Feria tertia. Quare Bucherius in B. R. l. 12. c. 16. mortem S. Martini anno 400. affigit, ex ea primùm ratione, quòd hoc anno undecima dies Novembris & mortualis S. Martini dies Dominica fuerit: ut autem ſedecim annos eruat à Severo dictatos; illos numerandos exiſtimat ab an. 384. ſeneſcente, eo enim tempore ait poſtremùm fuiſſe S. Martinum Treviris, & Itacianis in Synodo congregatis communicâſſe, imò Severus Sulpitius tunc Evodium (quem Conſulem vocat) cum S. Martino menſæ Maximi Tyranni accubuiſſe ſcribit: & licet Evodius factâ cum Valentiniano pace an. 386., Romæ modò ab omnibus agnitus ſit Conſul; anno tamen 384. jam à Maximo Tyranno tali titulo fuerat honoratus. Huic ſententiæ ſubſcribit PAGIUS in libro, quem de morte S. Martini exaravit.

(* 26.) CARDINAL. BONA Rer. Liturgic. l. 1. c. 11. n. 1. ait: *S. Martinus primus ex Confeſſoribus, paulò poſt obitum publico cultu cœpit honorari*, & de hoc eodem in officio vel Miſſa Mozarabica legitur: *Hunc virum* (S. Martinum) *quem ætatis noſtræ tempora protulerant, jubeas auxilium noſtris ferre temporibus.* S. Martini feſtum jam celebratam in Gallia eſt anno 460., adeóque ferè ſexaginta annis poſt ejus obitum, ùt colligitur ex Synodo Turonenſi.

Augustinus probare noluit (* 27). Huic enim eodem tempore contra Donatistas scilicet Tichonium (z) & adversus Petiliani literas scribenti ea lex proposita erat, ut criminationibus etiam contumeliosis lacessitus; frænatis tamen, atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori vel lectori consulens, non ageret, ut efficeretur homini conviciando superior, sed errorem convincendo salubrior (a): quâ quidem mansuetudine plus, ac felle amaro circa annum quadringentesimum superavit Fausti Manichæi facundas contra Vetus Testamentum calumnias (b), & Joviniano Virginei pudoris hosti toto de bono conjugali volumine (c) palmam extorsit. Virginitatis modesta commendatio ab Augustino solidè probata, Aurelio occasionem dedit, ut eodem anno Carthagine cum septuaginta Episcopis (d) congregatis inter quindecim editos Canones *tertio* denuò inculcaret: *Placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio* (e). Et quoniam Afrorum Ecclesiæ paucissimos ministros numerabant; iidem Episcopi Cleri ordinem aucturi, decretum paulò post stabilivêre: *ut hi, qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, & postea quam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnitâ veritate ... ad Ecclesiam Dei Catholicam confugientes ... per manus impositionem recepti sunt, debeat talibus suscipiendum munus Clericatûs non impedire nomen erroris* (f). Hæc ubi definita ex omnium placito fuerant; altiore indagine examinandum venit: utrum Clericos ejusdem Sectæ (siquidem cum plebe sua, ad Ecclesiam redire cuperent) suis porrò honoribus uti conveniat? Patres quo minùs aliquid certò concluderent, fecit, quod in transmarino Concilio contraria planè lex edita fuisset. Itaque ad Anastasium Pontificem Legatos mittunt (g), qui pro-

(z) August. l. 1. adv. ep. Parmen.

(a) August. adv. lit. Petil. l. 3. c. 1. *Concilium Carthag V.*

(b) Idem retract. l. 2. c. 6. 7. & l. 5. adv. Faust

(c) Idem de bono conjugali c. 22.

(d) v. T. I. CC. p. 987.

(e) Dist. 4. c. 84. Cod. CC. Afric. c. 25.

(f) Codex Can. Afric. c. 57. apud Harduin. in Tom. I. CC. p. 895.

(g) Ibidem can. 68. in Tom I. CC. p. 902.

(* 27) AUGUSTINUS Epist. 15. ad Hieronym. *Quis denique amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum & Rufinum hoc, quod plangimus, exoriri.* Et Epist. 13. *Ne de vobis ea conscribendo spargatis, quæ quandoque concordantes delere non poteritis, qui nunc concordare nolitis, aut quæ concordes legere timeatis, ne iterum litigetis. ... Veruntamen illum* (Rufinum) *maluerim aliquo modo mitiorem, quam te isto modo armatiorem. Hoc magnum & triste miraculum est, ex amicitiis talibus ad has inimicitias pervenisse: lætum erit, & multò amplius ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse.*

propositâ Africanæ Ecclesiæ necessitate Apostolicam sedem in sua sensa inclinarent. Anastasius etsi primò à regula Ecclesiastica minimè recedendum putaret; postulatis tamen tandem annuit (*28). Qui Pœnitentibus Donatistis pro temporum ratione aliquid dandum censebat, is idem Pontifex nihil Origenis Sectatoribus concedendum amplius putavit: exspectaverat toto biennio Anastasius Rufinum, quin hic jussis pareret; quare simul Origenem, simúlque hujus interpretem contumacem Apostolico fulmine profligat. Quam damnationis sententiam ubi Venerius Mediolanensis, sive Simpliciani successor: & Chromatius Aquilejensis accepissent; omni studio in id incubuêre, ut Origenis libri omnium manibus eximerentur.

A. C. 401. *Anastasius Pontifex damnat, Origenem & Rufinum.*

9. Bellum, quod in Occidente adversus Origenem citra strepitum ferè confectum fuerat, in Oriente majore deinceps tumultu geri debuit. Theophilus Alexandrinus ad arma Origeni inferenda ab Epiphanio & Hieronymo continuò impellebatur (h): at is paucorum pœnitentiam præstolando, audaciam multorum nutriebat; dum hæsitanti nova causa novos quoque suggereret animos (i). Monachorum complures incautiùs exponentes illud, quod sacræ paginæ de Adamo ad Dei imaginem creato referunt, Deo affingere corpus ac membra non dubitabant; Theophilus crassum horum *Anthropomorphitarum* (*29) errorem non ferens, epistolâ paschali palàm pro more editâ, quantum divina perfectio à rebus corporeis absit, commonstrat. Quod medicinæ loco Cœnobitis porrigebatur, in eo hæresin, ac venena suspicati prohibebant, ne in eremo Sceti, ac in aliis Ægypti monasteriis Theophili literæ legerentur (k): alii verò Monachi velut œstro per-

(h) Hieron. ep. 58.

(i) Sozom. l. 8. c. 11.

Anthropomorphitæ.

(k) Cassian. coll. 10. c. 2. & 3.

(* 28.) AUGUSTIN. ep. 61. aliàs 223. *Cùm ad nos veniunt ex parte Donati, mala illorum non suscipimus, id est dissensionem & errorem, sed ipsa tollantur de medio tanquam impedimenta concordiæ ... & ideo dilectissime frater, quoscunque illorum viderìs fortè dubitantes, ... testem Deum facio super animam meam, sic eos me suscepturum, ut non solum baptismum Christi, quem acceperunt, ipsum habeant etiam honorem sanctimonii & continentiæ.* Ex quibus colligitur Pontificem huic instituto nequaquam hoc tempore amplius obluctatum fuisse.

(* 29.) Anthropomorphitarum Ducem alii Seleucium & Hermiam, alii Audæum faciunt, utì videre est apud DAMASCENUM l. de hæres: error ille posteà decimo seculo in Italia recruduit, sed varii Episcopi hæresin repressère, ut refert SIGEBERTUS ad an. 934.

perciti in Alexandrinam urbem provolabant, ut nisi alia emendandi Antistitis via inveniretur, eundem è medio tollerent (l). Theophilus de periculo admonitus, tumultuantibus ultro occurrit, paucísque his verbis præferoces affatus, perinde vos aspexi ac vultum Dei, seditionem componit. Nam Eremi cultores rati, aliter jam sapere Theophilum, eoquòd vultum humanum Deo tribueret; mutatæ sententiæ testimonium petunt, nempe ut Origenem, ejúsque libros, in quibus is Deum corporis expertem docuisset, proscriberet. Episcopus proinde Alexandrinus, cui dudum propositum fuerat exterminare Origenis memoriam, hâc occasione arreptâ, Concilium Alexandriam convocat, in quo Episcopi congregati haudquaquam erratico Monachorum sensui obsecundantes, ex aliis planè & legitimis causis interdixerunt (m), ne quis deinceps Origenis libros legere, aut habere præsumeret. Theophilus postquam paschali Epistolâ omnibus per Orientem decretum Synodi evulgâsset; vim omnem adversus Origenis Sectatores convertit. Et primò Isidorum Presbyterum olim familiarem Ecclesiæ adytis ejicit (* 30), qui protinus ad Nitriæ cœnobia confugiens, omnes fere ibi Monachos reperit, qui uti Origeni, ita sibi faventes communionem causæ postea habuêre. Theophilum acerbè afflixit, tum quod cum cæteris Monachis Ammonius, Eusebius atque Euthymius, olim amicissimi tam parvam sui mandati rationem haberent: tum quod Dioscorus singulari beneficio, quo illum Hermopolis Episcopum creaverat, has rependeret vices; ut Isidori à se proscripti consuetudinem suæ amicitiæ & paucas Origenis libellos multorum Patrum authoritati antehaberet. Ultioni igitur justè indulgens, hos omnes unà cum Monachis Ecclesiâ primùm: dein Eremo Nitriensi: demum totâ Ægypto excludi curat. Erant equidem, qui exulum causam his rationibus tuerentur, quod cùm Orige-

(l) Sozom. l. 8. c. 11.

(m) Hieron. ep. 87.

Theophilus Alexandrinus Origenis scripta, ejúsque fautores damnat, ac proscribit.

(* 30.) PALLADIUS Dial. p. 53. ubique carpit Theophilum Origenistarum persecutorem, ut dum scribit vitam Chrysostomi, ostendat eum aliunde virum iniquum fuisse, qui Chrysostomum dein exagitâsset: unde EPIPHANIUS epist. ad Joannem Hierosolym.: *Palladium Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordiâ Dei indiget, cave, quia Origenis hæresim prædicat & docet, ne forte aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris.* Non minùs *Sozomenus* & *Socrates* suspectæ fidei hìc arguuntur, cùm de Origenistis agunt.

Origenes peritissimus sacri codicis Commentator semper audierit; nefas omnino sit (n), ut quæ Hæretici perperam assuissent, authori tribuerentur: adhæc multa pro re Catholicâ libris inesse, quæ si damnare vellent cum omnibus apicibus, injuriam Ecclesiæ irrogatum irent (* 31). At Hieronymus Theophilo applaudens, Origenis hæresin & turbulentos in Monasterio Nitriæ homines propheticâ falce esse succisos, id porrò gratulabatur, quod totus jam mundus exultet, inque Episcopi tanti victoriis glorietur, simúlque erectum Alexandriæ vexillum Crucis & adversus hæresin trophæa fulgentia gaudens populorum turba prospectet (o).

(n) Sulpit. Sever. Dialog. 1. c. 3. Pallad. in V. Chrysost.

(o) Hieron. ep. 60. & 59.

Functiones Patriarchales S. Chrysostomi.

10. Theophilus postquam ex Ægypto trecentos Monachos submoverat; hi Scythopolim in Palæstinam concessêre: sed inde quoque ab Episcopis abacti, Constantinopolim ad Joannem Chrysostomum sua vota, iterque direxerunt. Antequam in Regiam moverent urbem, eidem S. Antistiti superstitionis Arianæ licentiam fortiter constringere (* 32), Episcopatuum emptores deponere (* 33), Idololatrarum reliquias extinguere (* 34), Potentium & Clericorum vitia magnâ loquendi libertate persequi, laudabilis cura fuit. Quibus functionibus cùm Magnatum odium incurrisset; Monachi ex Ægypto mox occasionem dedêre, quâ etiam S. Joannes cum Episcopis, tum maximè cum Theophilo Alexan- A. C. 402.

(* 31.) Origenis sectatores fragili argumento se tuebantur: nolebant damnari Origenem quia præter errores, Catholica saltem dogmata proponeret. Nam si hæc ratio valeret, nullus Hæresiarcharum damnari debuisset; quia nullus ita frontem perfricuit, ut non saltem aliqua Catholicæ fidei consentanea doceret.

(* 32.) SOZOM. l. 8. c. 4. item THEOD. l. 5. c. 32. referunt, quâ ratione Gainas Tyrannidem affectans ab Imperatore petierit suis Arianis Ecclesiam Constantinopoli: sed Chrysostomus Arcadio reposuerat: *Noli ista promittere, Imperator, nec sancta canibus dari jube; neque enim unquam adduci possum, ut eos quidem, qui Deum verbum palàm prædicant, & laudant, ejiciam . . iis verò, qui illum blasphemant, Ecclesiam Dei tradam.* Legem quoque à Theodosio datam proferens, quâ vetuerat, ne Hæretici intra urbis mœnia collectas haberent, ajebat: *Satius est Imperio cedere, quàm proditâ Dei domo piaculum admittere.*

(* 33.) PALLADIUS refert latiùs Historiam de accusato Antonio Episcopo Ephesino, & Eusebio Episcopo Valentinopolitano, quorum ille multis pecuniâ vendiderat Episcopatus. Chrysostomus verò omnes deposuit.

(* 34.) SOCRATES l. 6. c. 6. narrat, quâ ratione hoc tempore Gazæ delubra præcipua destructa fuerint, scilicet fana Marnæ seu Jovis, occasione nati Jun. Theodosii.

(p) Pallad. in V. Chrysostom.

S. Chrysostomus expulsos ex Ægypto Monachos suscipit.

xandrino committeretur (p). Constantinopolim ingressi Monachorum quinquaginta, omnes canitie respersi, ad Chrysostomi genua se provolvebant, ut is adversus Theophilum auxiliatricem porrigeret manum. Antistes Constantinopolitanus misellæ turbæ miseratus, negatâ quidem peregrinis communione, sed factâ tamen in Ecclesia orandi potestate, Theophilum literis placare studet. At Episcopus Alexandrinus missis Legatis Joanni palàm faciebat, cur hos præstigiatores exterminari decuisset. Monachi invidiam eorum, quæ Theophilus scripserat, declinaturi, multò acerbiores querelas adversus Præsulem suum deferunt (q), quas ubi Constantinopolitanus Episcopus rursus accepisset; monetur à Theophilo, ne Nicæni Canonis (r) oblitus, litem extra fines suos judicare præsumat. Origenis igitur discipuli cùm è curâ Chrysostomi quoque dimitterentur; ad Eudoxiam Augustam conversi, precibus impetrant, ut Theophilus Constantinopolim ad dicendam causam arcessatur (s): pupugit hæc injuria adeò Theophilum, ut ab hac die Chrysostomo, quem acerbitatis istius authorem suspicabatur, vices pro viribus rependere decerneret. Scripserat primùm S. Epiphanio Cypri Episcopo, ut Origenis columbros de cavernis suis egressos & à se Evangelico ense truncatos ipse quoque unà cum Isauriæ & Pamphyliæ Episcopis persequi non cessaret (t). His literis invidia contumacibus Nitriæ Monachis præcipuè conflata est: dein offensæ quoque pars in Chrysostomum velut eorum patronum redundabat; unde Epiphanius Theophili consiliis imbutus, ubi Constantinopolim paulò post pervenit, adduci non potuit, ut sacrorum communionem anteà cum Joanne haberet (u); quàm is Monachis expulsis palàm Origenem damnaret. Chrysostomus se id facturum promisit, siquidem causa plurium examine discussa foret: parum igitur aberat, quin Epiphanius in Ecclesia etiam cum dedecore Chrysostomi sectatores Origenis denuntiaret proscriptos; monitus tamen à Joanne de tumultu periculosiùs ciendo abstinuit, & in Cyprum fastidienti similis relegit iter, quod tamen non absolvit, in ipso mari, antequam suos reviseret, extinctus (x).

(q) Pallad. in V. Chrysostomi.

(r) Nicæn. Concil. c.

(s) Sozom. l. 8. c. 13.

Chrysostomi simultas cum Theophilo Alexandrino & Epiphanio

(t) apud Hieronym. ep. 111.

(u) Sozom. c. 14.

(x) Hieron. de script. Eccles.

A. C. 403. 11. Post hæc Chrysostomus seu zelo incensus, seu subiratus Eudoxiæ, à quâ in se iniquiùs concitatum Ephanium credebat, ora-

oratione vehementi mulierum vitia perſtrinxit (y). Auguſta invectivæ acerbitate exulcerata, indulgente Arcadio, Theophilum urgere cœpit, ut Conſtantinopolim citiùs veniat non à Joanne judicandus, ſed ejusdem jam judex futurus (z). Mandatum gratius nullum Epiſcopo cum Joanne diſſidenti injungi poterat; quare celeriore viâ Theophilus Conſtantinopolim properat non ad judicandum, ſed planè ad deponendum, ut ajebat, Chryſoſtomum. Quamprimum Regiam urbem ſubierat, cum Paulo Heracleæ Metropolita, ac aliis triginta quatuor Epiſcopis (* 35) Joanni infenſis in Rufini ſuburbano trans mare ſito, ſive in loco *ad Quercum* dicto in Synodum congreditur: illinc licèt de Nitriæ Monachis cauſa mitiùs ageretur (* 36); maligniore tamen odio Joannem petebant variæ criminationes, quibus falsò de ferocia, de venditis Eccleſiæ bonis, de calumniis in Clerum projectis, ac de intemperantia accuſabatur (a). Ad hæc diluenda crimina cùm Chryſoſtomus evocaretur; indignum duxit ſe Theophili ſiſtere judicio, à quo antè ipſe monitus fuiſſet, quod juxta Nicæni Canonis præſcripta in aliena Provincia extero Antiſtiti judicare nullatenus liceret. Nec minùs illud æquitati adverſari viſum eſt; ſi Joannes quadraginta ſeu Epiſcoporum ſeu Metropolitarum coronâ accinctus inferiori Præſulum infenſorum numero ſubderetur (b). Ac ne falſo jactata convitia quorundam inhærerent animis; Joannes iſta in Eccleſia palàm confutanda ſumpſit: quo quidem ſermone etſi ſe ſceleris purum probaret; æſtu tamen, ut quidam ajunt, longiùs provectus in ſcopulum impegit. Nam Eudoxiam Jezabeli cum Elia certanti, aut Herodiadi caput Joannis petenti compararet (* 37), id à multis velut Majeſtatis violatæ

(y) Pallad. in V. Chryſoſtom.

(z) Sozom. c. 16.

Synodus ad Quercum.

(a) Photius c. 39.

(b) Sozom. c. 17.

Chryſoſtomus in eadem Synodo depoſitus urbe ejicitur.

(* 35.) PHOTIUS in Bibl. Cod. 59. memorat Chryſoſtomum à quadraginta quinque Epiſcopis fuiſſe condemnatum, quare plures Theophilus ſubinde accerſivit, ut numero etiam validior eſſet contra 40. Epiſcopos, qui ſtabant pro Chryſoſtomo, inter quos etiam ſeptem Metropolitæ erant.

(* 36.) SOZOM. l. 8. c. 17. refert à Theophilo Monachos Scetienſes ad Pœnitentiam fuiſſe invitatos & receptos in communionem; unus tamen ex his jam vitâ deceſſerat, nempe *Dioſcorus*; quin Eccleſiaſticæ communioni fuiſſet redditus.

(* 37.) CHRYSOSTOMUS T. IV. in homil., antequam iret in exilium ſub fin. *Filii filiorum aſpidis refloruêre adhuc, & ſemen Jezabelis derelictum eſt: è regione gratia certat cum Elia, eúmque propugnat. Preinde in medium mihi expremito admirabilem*

latæ crimen acceptum eſt, unde judices jam audaciores in abſentem etiam depoſitionis ſententiam pronunciant (c), dein Imperatorem rogant, ut exauthoratum Joannem quantocyus urbe ejiciat. Arcadius de Chryſoſtomi damnatione certior Comitem cum militari manu ad ejus ædes dirigit, qui Præſulem in exilium deportet. Joannes adhæc intrepidus, & conſcientiæ fiduciâ ad generalem Synodum provocat (d), tum à Comite per vim abreptus ac eâdem nocte injectus navi Prænetum Bithyniæ abducitur. Vix urbe Joannes exceſſerat; tumultuari plebs, Regia motibus concuti, & cælum, terráque miſceri viſa ſunt (e). Eudoxia irati Numinis manum reverita, nunciis, literiſque Joannem Conſtantinopolim protinus revocat. De hujus reditu ubi vulgatum eſt; cives lembis, navigiiſque in occurſum ſui Antiſtitis effuſi, eundem triumphantium in morem Suburbano, quod Marianæ appellabatur, inferunt: negabat Chryſoſtomus ſe ultra procedere poſſe, niſi majore judicum Concilio ejus innocentia probaretur (f). Verùm plebs moræ omnis impatiens Joanni alia conſilia ingeſſit: ingredienti igitur in urbem multitudo ingens cereas præferebat faces; ipſe Imperator & triginta Epiſcopi comites Baſilicæ Joannem reſtituunt: redditus Eccleſiæ ſedere in Epiſcopali Cathedra, populóque benedicere jubebatur; detrectabat ille jam alterâ vice Epiſcopi officium, quo tunc ſe functurum dicebat, ſi mutatâ ſententiâ judices impacta falsò crimina ſuſtuliſſent. Sed tergiverſantem amicæ preces & pia fidelium vota compulerunt, ut in ſolio ſedem capiens præſentibus pacem largiretur. Hâc datâ de Rege Ægypti perorare inſtituit, qui olim uxori Abrahami inferre vitium tentaverat: dein arte quâdam ad Theo-

(c) Pallad. in V. Chryſ. Phot. Cod. 59.

A. C. 403.

(d) Socrat. l. 6. c. 14.

(e) Theod. l. 5. c. 34.

In exilium ducitur Chryſoſtomus, ſed mox reducitur.

(f) Epiſt. Chryſoſt. ad Innoc.

lem illum, ac prædivitem vitæ præconem, Joannem dico . . . . cujus caput expetivit operatrix, & comminiſtra Evæ. . . . Atqui cùm caput accepiſſet, non prævaluit . . . illegitimam quidem ſuam cupiditatem avidiſſimè explevit accepto capite in diſco. Vide ſimul & demirare ſolertem Dei omnipotentiam . . . , inſons alioqui, nec ulli obnoxius culpæ, præciſione capitis imminutus eſt: atque is ita præfectus in dextera eſt Chriſti; illa è diverſo inevitabile luit ſupplicium. Rurſus ille, qui ſemen eſt, & qui Sator ſpinæ in morem aculeatus, velut altera Herodias ſedulò inquirit, ac feſtinat, quo artificio petat caput Joannis: iterum ſaltatoriam choream haud ſecus geſticulando in omnium proſpectum deducit . . . clamat rurſus Joannes: non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ecquid dicam? tempeſtivum eſt, ut erumpamus in lachrymas. Nihil horum non ad ignominiam, græcè adoxiam ſpectat & excurrit, ſed & omnia indicat tempus &c.

Theophilum delapſus oſtendere conabatur, quod hujus adverſus Eccleſiam (Chryſoſtomi ſponſam) non abſimilis molitio fuiſſet; Theophilus inde non modicè aduſtus, novam contra Joannem accuſationem proferebat, quòd Heraclidem in furto deprehenſum Epheſiorum Eccleſiæ præfeciſſet (g); at cùm Joannes contrà luctaretur, nequaquam de abſente judicari oportere: ac populus undique obſtreperet; fugientibus cæteris à Suburbano ad Quercum Epiſcopis, ipſe quoque Theophilus celeri in Ægyptum itinere remigrandum putavit.

Oratio Chryſoſtomi in reditu

(g) Sozom. l. 8. c. 15. Phot. c. 59.

12. Interea in Occidente Anaſtaſius Papa anno CCCCI. defunctus, Eccleſiæ curam reliquerat Innocentio, ad quem proinde Chryſoſtomus & Theophilus ſuos Legatos miſerunt, ut de ſententia in Joannem pronunciata ſedis Apoſtolicæ judicium exquirerent. Pontifex Synodi ad Quercum decreta reſcindens (* 38), Theophilo repoſuit, momenti nihil ab eodem afferri, cur à Joannis communione diſcederet (* 39). Chryſoſtomus licèt hâc ratione firmatus conſiſteret; aliunde tamen occaſio nata eſt, quâ eidem Epiſcopo Conſtantinopolitano exitium crearetur. Dedicabatur ſubinde argentea Eudoxiæ Auguſtæ ſtatua (* 40) ad meridianam

Dedicatio ſtatuæ Imperatricis Eudoxiæ.

(* 38.) PALLADIUS in V. Chryſoſtomi refert, quâ ratione Chryſoſtomus totam ſeriem Innocentio perſcripſerit, & mox *Biographus* ſubjicit Joannis epiſtolam, ubi is teſtatur ſe Epiſcopos miſiſſe, *qui ad charitatem veſtram currerent, omnibúsque lucidè expoſitis, maturè tantæ cladi remedium dari ſalubre poſtularent . . . . nobis aſſerentibus, paratos nos eſſe præſentibus & centum & mille Epiſcopis crimina objecta refellere . . . violenter abductus, injectúsque in navim, noctu navigabam, quia Synodum ad juſtum judicium vocare volueram.* PALLADIUS his ſubjungit: *Ad hæc reſcripſit B. Innocentius, communióque utriusque partis admiſſa: Theophili judicium caſſum atque irritum eſſe decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehenſibilem Synodum Orientalium & Occidentalium Sacerdotum &c.*

(* 39.) INNOCENTIUS in Epiſt. 31. ad Theophilum apud *Palladium: Frater Theophile*, inquit, *nos & te & fratrem noſtrum Joannem, communionis noſtræ eſſe decrevimus; ſicuti & in prioribus literis apertè ſatis expreſſimus, & nunc in ſententia noſtra & voluntate perdurantes, rurſus eadem ſcribimus. Et quotiescunque ſcripſeris, niſi debitum ſequatur, conveniénsque judicium, propter ea, quæ magno cum dedecore geſta ſunt, poſſibile non eſt, nos a Joannis communione diſcedere.*

(* 40.) THEOPHANES poſtquam dixerat, *ad Sanctæ Irenes templum, loco, qui Pittacia, dicitur*, Auguſtæ juſſu collocatam eſſe ſtatuam; ſubjungit: *Præfectus autem urbi Manichæorum hæreſi vitiatus, & adhuc Gentilium ritibus addictus, ex plauſibus, Choreis, & Saltationibus ibidem loci actis tumultum & ſtrepitum ciens immodicum, Pontificem angebat, nec pacatè & cum animi quiete, cantoribus frequenter interruptis,*

dianam Ecclesiæ (quæ Sophia dicitur) plagam: & quoniam strepitus Saltatorum ac Mimorum mysteria divina turbabat (h); Chrysostomus contumeliam Ecclesiæ vindicandam ratus, spectacula ejusmodi salso sermone castigavit, simúlque Eudoxiæ pristinarum offensarum bene memoris vulnus refricuit. Nihil igitur erat, quod Augusta non meditaretur ad Præsulis exterminium: quod ubi Chrysostomus non obscuris vestigiis indagâsset; æstu quodam impulsus pro concione dixit, in hæc verba exorsus: rursus Herodias furit, rursus saltat, rursum Joannis caput in disco gestit accipere. Non tantùm Eudoxiam, sed & Arcadium hæ voces adeò afflixêre, ut Propinquante Domini natali die Imperator Chrysostomo renuntiari faceret, sibi nequaquam cum illo communionem fore, nisi quorum criminum reus perhiberetur, eorum conscientiam amoveret (i). Per idem tempus Augusta Theophilum monuerat, ut rursus ad comprimendum Chrysostomum advolaret; sed is tum prioribus fastidiis fractus, tum locorum longinqua intervalla, (nam Alexandria septuaginta quinque dierum itinere ab urbe regia aberat) causatus, venire renuit. Ne tamen omnino Adversario suo indulgeret, tres Episcopos ac sui Vicarios misit, qui in Synodo contra Joannem ex Canone Concilii Antiocheni olim anno CCCXLI. celebrati causam conficerent; conceptus autem ille, aut immutatus his verbis erat (k): *Si quis Episcopus, aut Presbyter injustè sive justè depositus, ex se ipso absque Synodo in Ecclesiam redierit: hic jam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur.* Chrysostomus contrà ostendere conabatur, se in Canonem Antiochenum minimè peccâsse, eoquòd absens; & quin audiretur, condemnatus, jubente Imperatore duntaxat ab Ecclesia in exilium secesserit, & eodem revocante fuerit reversus (l): deinde cùm nec sic quidem adversariorum effugeret calumniam, respondit, objectum Canonem non ad Ecclesiam Catholi-

(h) Socrat. l. 6. c. 18. Sozom. l. 8. c. 20.

Chrysostomus rursus offendit Eudoxiam & Arcadium.

(i) Sozom. l. c.

A. C. 444.

Nova Synodus contra Chrysostomum cogitur

(k) Pallad. in Dial.

(l) Gregor. Alexand. in V. Chrysost. Theodoret. l. 5. c. 34.

Divina Mysteria permittebat eum celebrare. Quare Sacer Joannes verbis in ipsum vehementer invectus est: is autem Eudoxiam in Joannem, quasi ejus imaginem communi populi cultu honorari indignaretur, commovit: inde rursus odia in Joannem, inde rursus iræ. Ipse pariter subinde orationem habuit, cujus principium: rursus Herodias furit. Cæterùm GOTHOFREDUS in Comment. leg. 1. Cod. Th. *de Imag. Imp.* docet in Oriente sumptuosam Pompam & Venerationem ferè superstitiosam statuarum Imperialium fuisse, quæ à Theodosio Juniore postea correcta sunt.

tholicorum, ſed ad Arianorum Pſeudo-Synodum pertinere (* 41). Poſt acerbam luctam incenſi magis Epiſcopi Joannem turpi judicio denuò proſcribunt. Imperator igitur damnatum Eccleſiâ exire jubet; ille verò Principi renuntiabat: hanc ego à Deo accepi Eccleſiam, ut curam geram ſalutis populi, nec poſſum eam relinquere; ſi autem vis, me ejicito, ut deſerti ordinis excuſationem habeam tuam authoritatem (m). Populus ubi audiit ea, quæ Epiſcopo ſuo accidiſſent; extra Eccleſiam variis in locis ſeparatos cœtus inſtituit (n). Quadraginta Epiſcopi, qui cum Joanne erant, precabantur enixè Principem, ne Paſchatis tempore Catechumenis, totique gregi Paſtorem eriperet; at inſtantibus Adverſariis, Imperator legum ac armorum vi contra Joannitas (ita vocabantur, qui Chryſoſtomo adhærebant) agere cœpit: ſubornabantur quoque Sicarii, qui Joannem confoderent. Tumultus cùm hunc in modum quotidie invaleſceret; quintâ die à Pentecoſte Arcadius Lucium virum audacem mittit, qui Joannem expellat: quare S. Præſul commendatâ ſuis Eccleſiæ curâ, clàm urbe egreditur, parvóque impoſitus navigio in Bithyniam transportatur (o). Dum hæc aguntur, ignis repentè exortus Conſtantinianam Eccleſiam, ampliſſimámque Senatûs curiam corripit: incendii invidia quia falsò in Joannitas jactabatur; acerbiſſimæ quæſtioni Clerici, ac piiſſimæ Virgines ſubjectæ ſunt (p).

(m) Pallad. in Vita.

(n) Socrat. l. 6 c. 18.

Chryſoſtomus ſecundo ejicitur in exilium.

(o) Sozom. l. 8 c. 22. Pallad. in V.

(p) Sozom. l. 8. c. 22. 23. & 24.

(* 41.) PAGIUS in Crit. T. II. ad an. 404. n. 11. ex Schelſtrati Diſſert. 5. de Concil. Antioch. c. 6 ſequentia notat: „ Addidit Chryſoſtomus Canonem à Theophilo transmiſſum non eſſe Catholicorum, ſed in hac re à ſe ipſo non diſſenſit. Nam alius omnino Canon à Theophilo productus, quàm quartus, aut duodecimus Antiochenus: Canon enim Theophili, *Palladio & Georgio Alexandrino* teſtibus, tanquam peſſimus & à nequiſſimis Euſebianis editus, rejectus fuit à ſacro Sardicenſi Concilio; Canon autem quartus admiſſus fuit à Chalcedonenſi Concilio tanquam ſacra PP. regula, & Canon XII. etiam in authoritatem receptus fuit à ſede Apoſtolicâ & cum cæteris Antiochenis ab univerſa Eccleſia. Canon Chryſoſtomo objectus ſupradictis verbis conceptus erat, ut præter Palladium docent Georgius Alex. & Metaphraſtes in V. Chryſoſt. Cum itaque Canonem à Theophilo transmiſſum Arianorum fuiſſe dixit Chryſoſtomus, non rejecit, quod ante in auctoritatem admiſerat; cum juxta Canones Antiochenos ſe omnia feciſſe uſque ad finem ſuſtinuerit. At ubi Adverſarii inſtabant cum Canone à Theophilo transmiſſo; hunc Arianorum commentum fuiſſe contendit: & rectè quidem, cùm Canon ille non ſit ex Antiochenis poſt Chryſoſtomum in Eccleſia receptis, ſed unus ex illis, qui poſt Synodum Antiochenam à ſolis Euſebianis conſtituti erant in odium S. Athanaſii „ vide etiam dicta à nobis hâc de re & de Concilio Antiocheno ſuprà p. 323. not. 5.

Arſacius Nectarii frater æſtum perſecutionis auxit; nam is Chryſoſtomo ſuffectus, id, quod molliore viâ impetrare nequibat, ſuppliciorum diritate extorquere adnitebatur, nempe ut ſecum populus in ſacrorum uſu communicaret; ſed conſtantia Clericorum, ac Virginum effecit, ut Arcadius ipſe vexatos libertati redderet; ac ne porro ſeditio fieret, cavit, ne Epiſcopi, aut Clerici peregrini in urbe deinceps conſiſterent (q). Interea Chryſoſtomus Nicæam pervenerat (r), ubi aliquantùm moratus, Gentilibus in Phœnicia lucem fidei accendit: juſſus inde migrare Cucuſum, ex itineris difficultate in febrim tertianam incidit, quo periculo ac languore non attento diu noctúque iter facere cogebatur. Cæſaream Cappadociæ progreſſus (s), multum ſolatii à Monachis Virginibusque occurrentibus: plus verò moleſtiæ ab Epiſcopo Pharetrio accepit (t); hic enim Iſaurorum incurſum cauſatus, hoſpitium exuli negabat: importuno proinde Præſuli morem geſturus vir ſanctus, per mille vitæ diſcrimina Cucuſum abiit (u). Adelphius loci ejus Epiſcopus Pharetrio multò humanior, omni charitatis officio venientem amplexus eſt, perque integrum annum hoſpitem omni ſolatio refecit (x): & quoniam Chryſoſtomi virtus jam in Orientis finibus propiùs illuceſcebat; Maruthas Meſopotamiæ Epiſcopus opinionis ſimultate, quam in Synodo ad Quercum foverat, depoſitâ, totus conceſſit in partes Chryſoſtomi, & huic ſubinde lætandi in ſuo exilio materiam dedit, quando in Perſidem miſſus, Isdegerdi author erat, ut Chriſtianis Eccleſiæ ibidem conſtruerentur (y).

(q) Codic. Theod. l. 37. de Epiſc.
(r) Chryſoſtom. ep. 146.
(s) Idem ep. 122. & ep. 143.
(t) Idem epiſt. 14. ad Olympiad.
(u) Idem epiſt. 13.
(x) Idem epiſt. ad Cyriac.
(y) Socrat. l. 7. c. 8.

Ultio Divina Innocentiam Chryſoſtomi vindicat.

13. Antequam pietate ſuâ exul Chryſoſtomus alienos à ſe Epiſcopos in pacis vinculum traheret; Deus Conſtantinopoli jam virtute potentiore, ac pœnis Joannis hoſtes vel ulciſci, aut emollire ſuſceperat (z). Tertio enim menſe, ex quo urbe Chryſoſtomus ejectus fuit; terrifica grandinis Procella pridie Calendas Octobris Conſtantinopolim quaſſabat: inde quatuor poſt dies nempe pridie Nonas Octobres Eudoxia malorum incentrix abortiendo periit: demum Cyrinus Chalcedonis Antiſtes & Joannis acerrimus Adverſarius diram medicorum lanienam perpeſſus, & crure altero exſecto miſerabili mortis genere deceſſit. Hoſtium ſuorum fata ùt Chryſoſtomus in ſuo exilio perceperat; magis

(z) Socrat. l. 6. c. 19. Sozom. l. 8. c. 27.

magis eorum, quàm suas doluit vices: nec minùs virum sanctum anxium habuit, quòd cæteri his exemplis admoniti adeò dissidii fomitem non ponerent, ut cùm se præsentem persequi non possent, majore sævitie in suos debaccharentur (a). Ipse igitur afflictis solatium literis frequentibus afferens (b), id præterea agebat, ut Ecclesiæ, cujus curam nullatenus deposuerat, Pontificis supremi potestate redderetur. Provocaverat ille jam alterâ vice ad Innocentii tribunal (* 42), qui tum Joannis epistolâ, tum ab aliis nunciis Romam confugientibus edoctus de iis, quæ Constantinopoli accidissent, deliberabat, utrum suo solius, aut totius Synodi judicio pronunciatam ab Orientalibus adversus Joannem sententiam proscriberet, aut suffectum Chrysostomo Arsacium redigeret in ordinem? placuit tandem prudentissimo Pontifici causam istam potiùs in Concilio definire. Cùm enim Orientalium non minima pars (* 43), unà cum Augustis Arsacium velut legitimum Præsulem venerarentur; timendum erat, ne, si quid unus duntaxat Pontifex contrà decerneret, Orientis Ecclesia communio-

(a) Sozom. l. 8. c. 23. & 24.
(b) Chrysost. ep. 14. 176. ad Olympiad.

Appellatio Chrysostomi altera ad Pontificem.

(* 42.) PALLADIUS in V. Chrysostomi, refert verba ex epistola ad Innocentium data: *Scribite precor, & auctoritate vestrâ decernite, hujusmodi iniquè gesta, nobis absentibus & judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porrò, qui talia gessêre, eos Ecclesiæ censuræ subjicite. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, Ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate frui, & pace cum fratribus nostris consuetâ possimus.* Vide etiam, quæ dicta sunt suprà in Reflexione VIII. ad C. II. L. IV. p. 495. N. 9.

(* 43.) S. Hieronymus inter eos fuit, qui Chrysostomum justè damnatum existimabant, hinc epist. 88. Theophilo scribit: *Nos Joannem, qui dudum Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Deo placere semper optavimus, & causas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere voluimus. Sed ille, ut cætera ejus flagitia taceam, Origenistas in suam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in Sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus, beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Episcopos clarum in orbe Sydus effulsit, non parvo mœrore contristans, meruit audire: cecidit, cecidit Babylon.* Nihil, nisi erronea opinio ex multitudinis Chrysostomo adversantis fontibus hausta, tam severa sensa Hieronymo suggerere potuit; nam planè aliter judicavit *Innocentius Papa* in epist. ad Clerum Constant. uti habet SOZOM. l. 8. c. 26. *Quis ferre possit ea, quæ ab illis admissa sunt, quos præ cæteris decebat tranquillitatis ac pacis & concordiæ esse studiosos. Nunc præpostero more ex sedibus Ecclesiarum suarum exturbantur innoxii Sacerdotes. Quod quidem primus, ac præcipuus injustè perpessus est frater & comminister noster Joannes, Episcopus Vester, qui in judicio auditus non est. Nullum crimen profertur, nullum auditur: & quodnam est perditum hoc consilium? ne fit, aut quæratur ulla species judicii, in locum viventium Sacerdotum alii substituuntur: quasi qui ab hoc facinore auspicati sunt, aliquid boni habere, aut aliquid rectè egisse à quocunque judicari possint. &c.*

munionem cum Occidentali penitus abrumperet: cogitanti autem Innocentio, quâ ratione Synodus colligi posset, alia obvenêre negotia, quo minùs citò propositum exequeretur.

A. C. 404. & 405. *Vigilantii hæresis.*

14. Vigilantius námque Patriâ Calagurritanus (*44) liberiùs jam os fœtidum solvebat contra Sanctorum reliquias, cinerarios eos compellans & idololatras, qui mortuorum ossa Martyrum colerent; adhæc accensorum cereorum in Ecclesiis usum, vigiliásque sacras detestatus, virulento magis insuper calamo invehebatur in Clericorum, Virginúmque continentiam. Error hic cùm eò proserpsisset, ut Episcopi quidam religioni sibi ducerent, ordinare Diaconos, qui uxoribus abstinerent; Innocentius hæresin compressurus, in suis ad Victricium Rothomagensem (c) & Exuperium Tolosæ Episcopum (d) decretalibus epistolis nil fortiùs urgebat, quàm ut Clerici castimoniæ perpetuis vinculis adstringerentur (*45), propositis etiam pœnis (*46), qui complexibus carna-

(c) S. Hieronymus l. adv. Vigil. CC. T. I. n. edit. p. 999.
(d) Ibid. p. 1003.

(* 44.) Calagurrim hanc in Aquitania indagat PETRUS DE MARCA *in opusculis posthumis de Patria Vigilantii*. & Pagius Tom. II. Crit. ad an. 406. cum Valesio consentit; sed ab aliis Calagurris ista ad Hispaniam refertur, unde non Gallum, sed Hispanum esse voluêre.

(* 45.) INNOCENTIUS in Capitulis ad Victric. IX. & Dist. 4. c. 31. *Quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia debet; ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur* .... item capitul. XII. quod habetur C. XXVII. Q. 1. c. 10. *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si posteà vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam; nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera: nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi fuerit defunctus; quantò & illa magis tenenda est, quæ immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit. Hæc verò, quæ needum sacro velamine tectæ, tamen in proposito Virginali semper manere promiserant, licet velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Deo tenebatur.* Ubi inter Professionem virginitatis solemnem & promissionem simplicem hoc discrimen ab Innocentio fieri adverte, quod illa, non hæc dirimat matrimonium.

(* 46.) INNOCENTIUS in Decretali ad Exuperium c. 1. de Diaconis & Presbyteris statuit, eo ferè modo, sicut Siricius scripserat ad Himerium c. 7. *Ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priventur: nec admittantur accedere ad ministerium, quod solâ continentiâ oportet impleri ... si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur; ita ut de cætero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere ... si qui autem scisse formam vivendi missam à Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi* in cap. 2. epistolæ Innocentius decer-

carnalibus ſe illigare præſumerent. Succenturiatus ſubinde Pontifici S. Hieronymus, eundem Hæreſiarcham toto libro ita premebat, ut tot ſomniorum author non Vigilantius, ſed Dormitantius dicendus eſſe videretur (* 47). Non minùs feliciter in Africa per idem tempus contra Manichæos, ac Donatiſtas pugnatum eſt: & Auguſtinus quidem Felici Manetis præcipuo Sectatori palmam (e) concertatione validâ extorſit; unde victus ejuratâ hæreſi, ac cæteros exemplo ſuo in Eccleſiæ ſinum pertrahens, Hipponem omnino hâc deinceps ſectâ liberavit. Pervicaciam Donatiſtarum paulò aliter conſanandam Afrorum Epiſcopi cenſuêre (f): junxerant hi infeſtas cum Paganis vires & ad Catholicorum exitium non diſſimulanter anhelabant; tum Legatione ad Honorium à congregatis PP. decretâ armatam Imperatoris authori-

S. Auguſtini Victoria contra Felicem Manich.

(e) Auguſt. l. 1. & 2. de act. cum Fel.

(f) Schelſtrat. de Afr. Eccl. Diſſert. III c. 10.

Legatio ad Cæſarem contra Donatiſtas.

decernit, ut, licèt olim talibus è vita deceſſuris Euchariſtia ſeu communio negata etiam ſit; hoc tamen tempore illis hæc communio ſive viaticum ſacrum detur.

(* 47.) HIERONYMUS epiſt. 75. adv. Vigilant. confutat I. quod Catholici adorent Martyres: *Quis o inſanum caput aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Honorem tamen eis deberi ſic probat: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt? Sacrilegus Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis de Judæa tranſtulit in Thraciam? omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portaverunt? ſtulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquiis: & tantâ lætitiâ, quaſi præſentem, viventémque Prophetam cernerent, ſuſceperunt; ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina: & in Chriſti laudes unâ voce reſonarent? videlicet adorabant Samuelem & non Chriſtum, cujus Samuel & Prophetes & Levita fuit.* Etenim (utì ad Riparium alibi ſcribit) *Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* Dein in eadem epiſt. 75. negantibus, quod Martyres pro nobis orent, ita occurrit: *Dicis in libello tuo, quod, poſtquam mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda oratio ... ſi Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos?* ... non minùs evertit illud, quod dicebat Vigilantius, quaſi cereos Catholici accenderent ad Martyres illuſtrandos. *Cereos autem non clarâ luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris: ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus & vigilemus ad lucem ... Quod ſi qui per imperitiam ... hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? ... hi ſecundùm fidem ſuam habent mercedem... Nam per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante .. ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Demum ad id; quod quidam tunc (ùt exprobabat Catholicis) Vigiliis in Eccleſia ſolitis abuſi fuerint, ita reſpondet Hieronymus, ut hoc reſponſo multas Novatorum objectiones hodiedum contundere poſſimus; ſcribit enim: PAUCORUM CULPAM NON PRÆJUDICARE RELIGIONI, *qui & abſque Vigiliis errare poſſunt, vel in ſuis, vel in alienis domibus.*

thoritatem excire placuit, ut Ecclesiasticam mansuetudinem asper-nati, rigore legum ac terro Cæsaris subigerentur (* 48).

Innocentius Papa agit causam Chrysostomi.

(g) Pallad. in Dialog. p. 27.

A. C. 405.

15. Innocentius interea Orientalium precibus pulsabatur, ut tot acerbitatibus, quibus Joannitæ vexabantur, modum poneret (g): quare Pontifex rerum summam Honorio transcribens, illud ex cæterorum Episcoporum sententia ab Imperatore rogabat, ut fratris Arcadii operâ Thessalonicæ Synodum fieri curaret, ubi Alexandrinus Theophilus tum reliqui Joannis adversarii, eorum, quæ ad hanc diem egissent, rationem redderent. Honorius lectis literis continuò sibi à Pontifice jubet mitti quinque Episcopos, qui cum duobus Presbyteris & uno Diacono Legatorum nomine Epistolam ad Arcadium deferant. Hujus argumentum cùm in eo versaretur, ut frater fratrem ad Synodum congregandam impelleret (h); illud porrò à Pontifice monitum abituris injunctum est: ne Joannes judicium, nisi communioni priùs & Ecclesiæ restitutus, ingrederetur; tum verò sublatâ causâ detrectandi judicii, suâ sponte consessum subiret. Anteà quàm Legati in Orientem propiùs moverent; Arsacius fato suo functus est an. CCCCV. (i): sed ne Joannis restituendi spes foret, ejus infestus hostis Atticus sedem obtinuit: Sebastiæ in Armenia natus Macedonianorum virus primâ in ætate hauserat, dein ad Catholicam Ecclesiam translatus, versuto ingenio suos delinire, alienos verò potestatis quodam impetu obruere noverat: atrox ille primò mandatum ab Arcadio extorserat, quo Clerici aut Præsules, qui secum communicare renuerent, suis Ecclesiis: Laici dignitatibus

(h) Idem p. 31.

Arsacio Constantinopolitano surrogatur Atticus.

(i) Socrat. l. 6. c. 20. Sozom. l. 8. c. 27.

(* 48.) AUGUSTINUS epist. 93. probat non tantùm verbo Dei, sed quandóque etiam vi cum hæreticis agi posse: *O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circumcellionibus, quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quidquid inquietâ temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vinculis tanquam phrenetici ligarentur. Quid illud alterum genus morbi gravissimi eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, sed quâdam vetustâ socordiâ premebantur, dicentes nobis, verum quidem dicitis, non est, quod respondeatur; sed durum est nobis traditionem parentum relinquere: nonne salubriter regulâ temporariarum molestiarum excutiendi erant, ut tanquam de somno lethargico emergerent, & in salutem unitatis evigilarent? Quàm multi ex ipsis nunc nobiscum gaudentes, pristinum pondus perniciosi sui operis accusant, & fatentur nos sibi molestos esse debuisse, ut tanquam mortifero somno, ita morbo veternosæ consuetudinis interirent.*

tatibus, plebeji opibus & Patriâ exuebantur (k). Novâ hâc tempestate contra Joannis amicos furente, Orientis Provinciis imminebant octo Pontificis Legati: quem quidem adventum quia factiosi contumeliæ loco ducebant; omne molestiarum genus adhuc proficiscentibus illatum est: dein Constantinopolim deductos maritimo Thraciæ castello includunt, quin literas Honorii ad Arcadii manus deferre liceret. Legationis jus cùm citra fas violari occlamitarent; missus est Valerianus Tribunus, qui post ereptas nefastâ vi Honorii literas, Legatos ad Attici communionem cogeret. In renuentes injuriosiùs animadversum est; quatuor enim Episcopi in desertas Persiæ aut Ægypti oras commigrare jussi: cæteri deterrimâ navi Lampsacum usque deportati sunt, unde post innumeras difficultates in Occidentem remeârunt (l).

(k) Pallad. in Dialog. p. 95.

A.C. 406.

Legatis Pontificiis variæ injuriæ illatæ.

(l) Sozom. c. 28. Pallad. in Dial. p. 194.

16. Legati utprimùm hoc modo Constantinopoli ejecti fuerant; dirior laniena adversus eos suscipiebatur, qui cum Attico rem sacram habere detrectabant (m): neque cum Chrysostomo mitiùs actum est (n); ab hoc enim tempore Pityuntem, sive in locum regionis Tzanorum ad litus Pontici maris situm, & crudelissimorum Barbarorum sedem transferebatur. Comanam primò à duobus militibus raptatus, ad Martyrium haud procul dissitum divertit: illinc pernoctantem ejus loci Martyr D. Basiliscus & Comanorum olim Episcopus, ex exilio ad æternam Patriam his verbis invitabat: *Macte animo frater Joannes crastinâ enim die unà erimus.* Die sequenti ad iter rursus à feroci milite adactus post confecta triginta stadia viribus defecit, quare ad idem Martyrium relatus, & candidis vestibus indutus inter solitas preces exspiravit anno ætatis sexagesimo, Episcopatûs decimo, exilii verò quarto. Corpus ejus juxta loculum S. Basilisci depositum est octavo decimo Kalendas Octobris: & pias exequias innumerabiles Virgines Monachíque, qui ex Syria, Cilicia, Ponto, atque Armenia quasi dato signo convenerant, solenni pompâ celebrârunt. Os aureum etsi tandem (ùt dudum optabant adversarii) conticuisset; ejus innocentiam tamen omnes Occidentis Præsules facundiùs loquebantur, qui Orientalibus antè se communicaturos, pernegabant; dum divini illius viri nomen unà cum reliquis defunctis Episcopis in sacras tabulas referretur (o).

(m) Theod. hist. l. 5. c. 34.

(n) Pallad. in Dial. p. 97.

Obitus S. Chrysostomi.

A.C. 407.

(o) Theod. l. 5. c. 34.

§. II. *Collatio Carthaginiensis inter Catholicos & Donatistas: mors Rufini, Pelagianæ hæresis exordia, Magistrum errorum Pelagium, ejúsque discipulum Cælestium confutant Hieronymus & Augustinus; Synodus Diospolitana & plura Concilia Afrorum in causa Pelagianorum. Cælestii appellatio ad Romanum Pontificem Zosimum, finis schismatis Antiocheni, memoria Chrysostomi in diptycha relata, Inventio reliquiarum S. Stephani miraculis probata: Schisma Eulalii Antipapæ adversus Bonifacium PP. Concilium Carthag. de Nicænis Canonibus, mors S. Hieronymi, & Bonifacii Pontificis.*

A. C. 408. & 409.

I. ANnus quadringentesimus octavus utrique orbi & rei Catholicæ funestus fuit; uti enim hoc tempore Arcadius in Oriente vivere & regnare desiit, ita cœpit initium earum calamitatum, quibus urbs Romana Occidentalis Regni sedes direpta, ac cæteræ Provinciæ omnino vastatæ, tandem exterarum gentium jugum subierunt. In tanta igitur tempestate cùm ubique trepidatio ingens foret, ac dispersio gregis; tum Catholicorum conditio inde afflicta magis est, quòd Pagani ac Hæretici inter armorum strepitum ad omne scelus audaciores tanta exercerent latrocinia, ut Barbarorum fortassis facta mitiora fuerint (a). Unde verò auxilium orthodoxi sperarent, nihil admodum erat: Honorius ruente Imperio quasi necessitate compulsus abrogatum ibat legem illam, quâ Pagani aliàs in Palatio militare prohibebantur; & quoniam verebatur, ne Donatistæ tot legibus Cæsareis jam exacerbati partes Attali Tyranni in Africa sequerentur; his quoque, alíisque Hæreticis rituum suorum exercendorum & conveniendi potestatem fecit. Attalo subinde exauthorato, cùm securior esset Africæ status; Honorius rogantibus Episcopis Catholicis, Hæreticos edixit plectendos pœnâ proscriptionis & sanguinis: si ultra convenire per publicum execrandâ sceleris sui temeritate tentaverint (b). Huic edicto protinus aliud decretum Imperator adjunxit, quo Marcellino Tribuno præcipiebat, ut Catholicos inter & Donatistas intra quatuor menses collationem de religione institui curaret (c). Marcellinus ubi mandatum Principis receperat; continuò utriusque partis Episcopos ex omni

Donatistarum rabies in Catholicos.

(a) Possid. in V. August. Augustin. epl. 111.

A. C. 410.

Collatio inter Donatist. & Catholic. indicitur.

(b) Codic. Theod. l. 51. de Hæret.

(c) CC. T. I. n. edit. à p. 1043. ad p. 1190.

omni Africa Carthaginem vocat, illósque, qui statuto tempore cœtui se subduxerint, tanquam victos habitum iri comminatur. Decimo quinto Calendas Júnii (d) ducenti septuaginta ex Donatistarum secta Præsules affluxêre: hos ex Catholicis ducenti octoginta sex Episcopi secuti sunt (e). Congregatis à Marcellino Collationis leges sequentes impositæ sunt, nempe ut in loco Thermarum Gargilianarum Calendis Junii Collationis initium fieret: dein ut septeni tantùm ambarum Episcopi partium mutuæ inter se disceptationis habeant colloquium, & quaterni utrinque Notarii disputata fidâ manu excipiant; quibus peractis se pro illa parte pronunciaturum affirmabat, à quâ victoria stetisset. Donatistæ contra luctabantur & in hoc toti erant, ut omnibus suis Collationis locum ingredi liceret (f); at Catholici Marcellini præscripto acquiescentes, non majorem quàm septem Episcoporum de suis numerum interesse Disceptationi voluêre; ne si turbas multitudo conscisceret, eas non à Catholicis, sed à Donatistis factas esse constaret (g). Septem hos autem Episcopos è cæteris delegerunt, scilicet Aurelium, Alypium, Augustinum, Vincentium, Fortunatum, Fortunatianum, & Possidium, quibus cæteri ducenti sexaginta sex Catholici his conditionibus disputationem peragendam demandârunt, „ut causa Ecclesiæ, quæ toto, sicut promissa est, terrarum orbe diffunditur, à causa Cæciliani, qualiscunque illa fuisset, sic distinguatur, ut malos in Ecclesia, qui vel ignoranter, vel pro unitate pacis tolerantur à bonis, non eis ad mala consentientibus obesse non posse ostendatur... Deinde ipsius Cæciliani causa non mala fuisse demonstretur„ (h). His præmissis Calendis Juniis anno CCCCXI. in secretario Thermarum Gargilianarum conventum est: & locum Collationis omnes Donatistarum quidem Episcopi ingressi sunt; verùm ex Catholicis septeni duntaxat subibant, qui causam agerent, tum alii totidem, qui prioribus essent à consiliis, demum quatuor, qui Notariorum fidem observarent: contendentibus interim Donatistis, ut Catholici etiam omnes Collationi interessent, voluntati eorum cedendum fuit (i). Tertio Nonas Junias altera Collatio habita est, in quâ rursus turbas movere Donatistæ: & ne quid disceptaretur, cavere conabantur (k). Quarto Idus Junii idem in

(d) August. post Collat. ad Donatist. c. 24. & 25.

(e) Idem in Brevic. Coll. c. 11.

Collationis Leges.

A.C. 411.

(f) August. in Brevicul. c. 4.

(g) Idem l. c. c. 7.

(h) August. in Brevicul. Collat. c. 10.

Collationis prima dies.

(i) August. in Brevicul. Collat. c. 11.

Collationis secunda dies.

(k) August. Brev. Coll. 2. & Coll. 2. n. 13.

Collationis tertia dies.

in tertia Collatione propositum Adversariis erat; nam ut difficultatem causæ fugerent, de qualitate litigantium & accusantium longis sermonibus garriebant (l): Augustinus igitur ad summam rei descensurus, Ecclesiam ajebat Catholicam eam esse, quæ testimoniis scripturarum promissa, toto orbe diffusa est, omnibus nota, in monte, sicut scriptum est, constituta, ad quam veniunt omnes gentes, & ad hanc Ecclesiam se pertinere, demonstratum iri. Controversiâ tam insigni ubi se premi cernebant Donatistæ; diverticulum quærentes, causam Cæciliani & Donati rursus examinari petunt: occasione hâc Augustinus ostendebat, Ecclesiam in hac vita ex bonis pariter & malis consistere (m); quare, licèt daretur Adversariis, Cæcilianum vitio non caruisse, nullum exinde posse Ecclesiæ Catholicæ præjudicium oboriri. Diu ubi certatum fuisset, perpensis rite omnibus Marcellinus Collationis Præses pro Catholicis sententiam dixit (* 1), quam anno sequente Honorius lege publicâ firmavit (n).

(l) August. Brev. Coll. 3. n. 91.

(m) Coll. 3. n. 265.

(n) Codic. Theod. l. 52.

Pelagianæ hæresis initia

2. Dum Donatistarum Schisma, quod annos circiter centum implevit, ex Collatione lethalem ictum acceperat; novus error ac magis pestilens scilicet Pelagianorum erupit. Sectæ ejusmodi nomen & originem dedit Pelagius è Gente Britonum natus (o): is ubi in Patria Insula Monachum induerat (* 2); vagan-

(o) Oros. in Apologet. Augustin. ep. 106. ad Paulin.

(* 1.) AUGUSTINUS (qui acta Collationis valdè prolixa in compendium sive ut vocat *Brevieulum Collationis* tribus libris distinctum congessit) *Coll. 3. c. ultimo* Marcellini sententiam exponit: scilicet Universalis Ecclesiæ statum Cæciliani insimulatione, de quo nihil reprehensibile potuit approbari, non debere subverti, nec etiam eorum, qui se à Corpore Ecclesiæ separârunt, latam adversus eum præjudicare valuisse sententiam, tot judiciis patefactâ Donato authore schismatis comprobatione, Cæciliani Innocentiâ, & Felicis ejus ordinatoris purgatione. „ *Unde*, inquit, *Universos ordinis viros, Dominos etiam fundorum, authores, conductores tam domûs divinæ, quam etiam Privatarum possessionum, senioresque omnium locorum hujus edicti authoritate commoneo, quatenus memores legum, dignitatum, æstimationis, salutisque propriæ, Donatistarum conventicula in omnibus civitatibus & locis probibere contendant, ita ut Ecclesias, quas eis humanitate meâ absque Imperiali præcepto usque ad diem sententiæ constat indultas, Catholicis tradere sine ullo dilatione festinent ... quas quidem si unitati Catholicæ consentire voluerint, eorum esse sat certum est... Hi autem, qui post vetita legum eorum se cœtibus miscuerint, indubitanter intelligant, pœnam se imperiali arbitrio præstitutam alteriùs vitare non posse &c.*

(* 2.) De *Pelagio* notandum, quod non fuerit Monachorum Abbas, nec dignitate Ecclesiæ insignitus; nam licet USSERIUS c. 8. asserat eum Bangorensis Cœnobii prope Cestriam (ubi bis mille & centum Monachi vixère) Abbatem extitisse; nihilominùs

vagandi cupidine instigatus, sedente Damaso Romam venit, ubi cum S. Hieronymo primùm amicam necessitudinem iniit (p): sed hoc in Palæstinam digresso, post annum CCCCXCVII. in Rufinum ex Orientis Partibus reversum incidit, à cujus ore illos errores excepit, quos ille à Didymo Origenis Commentatore, & à Theodoro Mopsvesteno haustos attulerat (* 3). Deceptus Pelagius, ac penè corruptus non uno tempore virus omne evomuit; unde adnitente Rufino, Nolensi Paulino, ac præcipuè Augustino commendatus fuit, qui eum appellabat bonum & prædicandum, acerrimíque ingenii virum (q). Sed pudore tandem posito animi delirantis vitia ita aperuit, ut palàm seu linguâ seu calamo doceret, *nullum esse Originis peccatum, neque mortem ex primi Parentis reatu derivari.* His sectæ suæ fundamentis majorem errorum molem impositurus anno CCCCV. omnia liberi arbitrii viribus, nihil supernæ gratiæ tribuere, imò hujus necessitatem exterminare non dubitavit; unde cùm eodem anno Episcoporum quidam hæc Augustini verba recitaret: da, quod jubes, & jube, quod vis, Pelagius ista inaudiens in rixas penè efferbuit (r): atque ut Paulino suum errorem affricaret, eodem anno viro sancto de Dei gratia ita scribere ausus est, ut hanc in facultate duntaxat & possibilitate naturæ constitutam vellet (s). Circa annum CCCCIX. antequàm Roma à Gothis expugnaretur; multò

(p) Hieron. in 4. l. Comment. in Jerem.

(q) August. de gest. Pelag. c. 22.

Errores Pelagii.

(r) August. l. de dono perseverant. c. 20.

(s) Idem l. de grat. Chr. c. 35.

minùs NORISIUS H. Pelag. l. 1. c. 3. id ex eo refellit, quòd Zosimus Papa id dissimulet in Ep. ad Aurelium, dum Pelagium describit *Laicum virum* (quia Monachi tunc ad ordines non promovebantur) *ad bonam frugem longâ erga Deum servitute intentum.* Tum quia Vossius hanc fabulam apertè esse dicit. 2. Pelagium natum esse ajunt eodem anno, qui Augustino natalis fuit, quod DEMPSTERUS l. 15. Hist. Scot. ex *Walfila* probat: an verò eâdem etiam die utriusque nativitas convenerit, dubitat meritò Norisius.

(* 3.) MARIUS MERCATOR in Commonitorio ad Pintam: *Quæstio contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsvesteni jam dudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodum occulte roditur, nec ea palàm profertur, Progenitores videlicet humani generis Adam & Evam mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum sui prævaricatione transgressi læsisse, sed sibi tantùm nocuisse . . . hanc impiam, & non minùs inimicam rectæ fidei quæstionem sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice Rufinus natione Syrus, vel potiùs Aquilejensis, ùt vult Hieronymus, Romam priùs invexit: & ut erat argutus, se pridem ab ejus invidiâ muniens, & per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eúmque ad prædictam apprimè imbuit, atque instituit impiam vanitatem.*

nocentius Hæresiarcha suos in Pauli epistolas commentarios composuit (t); in his enim summam errorum complexus tum Originis peccatum, tum actuale Dei auxilium pernegare haudquaquam erubuit (*4).

3. In Pelagii dogmata primus juravit Cælestius natione Scotus (* 5) vir acutissimus, qui si potuisset corrigi, plurimis profuisset (u); antequam enim Patriâ exiret (x), ingenii vim scriptis jam libris probaverat: inde Romam facto itinere, in Rufini ac Pelagii consuetudinem (*6) traductus, recti dogmatis naufragium fecit. Alarico posteà Gothorum Rege Italiam populante Pelagius & Cælestius Rufinum (y) in Siciliam sequuntur: sed dum tranquilliorem hæresi suæ stationem in Insula firmare parant; Amicus eorum Rufinus apud Messanam fato fungitur (z): utrùm hic errores sub vitæ exitum abdicârit, aut iis nominibus manserit obnoxius, quibus eum Hieronymus oneraverat, variis sententiis controvertitur (*7). Intervallo paucorum mensium à Rufini

(t) August. l. 3. de Pecc. merit. & remiss. Item l. de gestis Pelag. c. 16.
(u) August. l. 2. contra duas Epp. Pelag. c. 3.
(x) Gennad. de Scriptur. Eccl. c. 44.
(y) Rufin. ep. ad Ursac.
Mors Rufini.
(z) Hieron. in præf. ad lib. Ezech.

(* 4.) VOSSIUS lib. 1. hist. Pelag. c. 4. putavit, hos Pelagii commentarios eosdem esse, qui libris Hieronymi vulgò subjungi solent: ibidem c. 5. habet: *Quomodo potest unius delicto Adæ omnes homines condemnare, cum nec unius Christi justitiâ omnes homines justificati sint?* quare illud ad Romanos c. 5. „propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit„ ita exponit; *dum ita peccant & similiter moriuntur*, quasi diceret, Adamum posteris nocuisse exemplo tantùm, ac formâ, quâ mors animæ, non verò Gorporis Adami culpam imitantibus intimatur. In cap. 8. Epl. ad Rõm ad illa verba „Lex enim spiritus vitæ in Christo„ ait: *Notandum, quia gratiam legem appellat.* & in c. 11. ad versum 7. ita Commentatur: *Divina scriptura hoc habet, cum unusquisque habeat libertatem faciendi bonum vel malum, Deum dicat tradere aut dare; propterea, quia ipse est, qui dedit libertatem.* Plura S. Augustin. l. 3. de Pecc. mer. & remiss. ex his commentariis profert, quæ in Commentariis editis non leguntur; *Norisius* putat ea posteà à Cælestio, *Jansenius Yprensis* verò opinatur, illa à Pelagio successu temporis addita fuisse.

(* 5.) HIERONYMUS in Procem. l. 3. in Jeremiam, ubi carpens Pelagium ait: *Ipseque mutus latrat per Albinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire, quàm dentibus; habet enim progeniem Scoticæ Gentis de Britannorum vicinia*, quibus verbis Cælestium describit.

(* 6.) MARIUS MERCATOR in Commonit ad Pintam: *Huic Pelagio adhæsit Cælestius nobilis natus quidem, & illius temporis auditorialis Scholasticus, sed naturæ vitio Eunuchus matris utero editus.* Inde NORISIUS l. 1. Hist. Pelag c. 3. colligit Pelagium Romæ rexisse scholam, ubi inter cæteros discipulos, Cælestium quoque numeravit.

(* 7.) NORISIUS H. Pelag. l. 1. c. 3. *Hæretici* maculam, quâ Rufinum Hieronymus notaverat, ita depellit. 1. Quia S. Paulinus tam religiosam cum eo amicitiam non coluisset, neque Pinianus & Melania illum secum in Siciliam adduxissent; neque

in

A. C. 411.

Pelagius & Cælestius in Africam veniunt.

Rufini morte elapso fama percrebuit, Carthagine celebrem inter Catholicorum & Donatistarum Episcopos Collationem fore: Pelagius igitur, ejúsque discipulus Cælestius illuc continuò Syracusis solvunt, quò suæ rei in tam frequenti Præsulum corona callidiùs consulant, aut hæresis sementem faciliùs propagent (a). In Africam ubi novarum mercium venditores appulerant; novo consilio operam suam ita divisêre, ut Pelagius ad Orientis Provincias evertendas abiret: Cælestius verò in Afrorum terris figeret pedem. Digresso igitur Hierosolymam Pelagio, Cælestii intererat per Carthaginis scholas contra peccatum Originis maligniùs garrire: doctrinæ novitas cùm non paucis placeret, parùm aberat, quin æstimatus hæresis Magister ad Presbyterii dignitatem subdolè irreperet (b). Sed Paulinus Ambrosii olim Diaconus virulenta dogmata propiùs inspiciens, Novatorem primò apud Aurelium Primatem Carthaginiensem, dein in Episcoporum Synodo de erroribus accusat (c). Accitus ille in judicium minimè inficiabatur se originariam negare labem, hancque doctrinam se ab Rufino accepisse testabatur: istud palam professus, de sex aliis circa gratiam & liberum arbitrium perversis opinionibus quoque convincitur (* 8); quare Patres maturè lolium ejusmodi ex agro

(a) August. de gest. Pelag. c. 22.

Pelagius pergit in Palæstinam.

(b) Idem epist. 89. ad Hilar. in sol. 3. Quæst.

(c) Marius Mercat. in Commonit.

A. C. 412.

Cælestii errores deteguntur & damnantur.

in Suburbano Pineti Monasterio degere potuisset; si palàm hæresi infectus fuisset. 2. Apologiam Rufini se prædictus author ait in Bibliotheca vaticana invenisse, in qua majori ex parte Origenis errores damnantur. 3. A Rufino inquit quædam fuisse asserta, quæ non ad dogma fidei pertinere, sed inter adiaphora duxit esse reponenda. Confirmat ista HONORIUS Augustodunensis de Script. Eccl.; dum asserit: Rufinus Aquilejensis presbyter, non minima pars Doctorum Ecclesiæ, in transferendo de græco in latinum elegans habens ingenium &c. GENNADIUS Massiliensis c. 17. laudato Rufino, inquit. *Hieronymum æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse.* Verùm Alii reponunt etiam Pelagii cum SS. viris antè necessitudinem fuisse, Apologiam vel palinodiam incerti authoris esse, quia post mortem Rufini Hieronymus illum insequi non destitit, demum Gennadium iniquiorem Hieronymo videri, aliis demum Authoribus illud GELASII Pontificis in Romano Concilio opponi posse: *Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus, & non solùm de Rufino, sed etiam de Universis, quos vir sæpiùs memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit.*

(* 8.) Errores, quorum *Paulinus Cælestium* accusavit, recitat AUGUSTINUS l. de gestis Pelagii c. 11. 1. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* 2. *Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum.* 3. *Quoniam lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium.* 4. *Quod ante*

agro Domini ſublaturi, publico anathemate hominem proſcribunt (d). Cæleſtius ne Hæretici maculam ex Africa auferret; adverſus ſententiam ab Epiſcopis latam ad Romanæ ſedis judicium provocat: dein cauſæ diffidens ſuæ captâ fugâ Epheſum Aſiæ urbem contendit; ubi rurſus in Presbyterorum ordinem novis tricis ſeſe ingerere præſumpſit (e).

(d) Auguſt. l. 2. retract. c. 33.

Cæleſtius abit in Aſiam

(e) Marius Mercat. l. c.

4. Hæreſeos diſſeminator etſi hâc ratione Africâ exceſſerit, error tamen altiore radice jam defixus in multorum animis remanſit. Carthago enim tota novis ab hoc tempore de gratia & libero arbitrio quæſtionibus miſcebatur; & malum invaluiſſet, ſi Marcellinum rei Catholicæ in Africa protectorem ſuas in partes impellere factioſis licuiſſet. Quæſtionum ille farragine fatigatus ab Auguſtino poſtulabat, ut ad retundendos Cæleſtii Patronos difficultatum nodos ſibi ſcripto ſolveret. Hipponenſis præſul, qui hucusque facundo eloquio vim Pelagianorum duntaxat infregerat, Amico obſecutus primò adverſus Pelagii errores tres ad Marcellinum libros edidit, quos de peccatorum meritis & remiſſione inſcripſit. In horum primo Adamum, niſi peccâſſet, nequaquam fuiſſe moriturum, ejúsque poſteros originariâ labe infectos adhucdum naſci oſtendit (* 9). In altero verò quatuor haſce

Auguſtinus ſcribit libros tres de peccatorum meritis & remiſſione.

ante adventum Chriſti fuerunt homines ſine peccato. 5. *Quoniam infantes nuper nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 6. *Quoniam neque per mortem vel per prævaricationem Adæ omne genus hominum moritur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit.* His addit OROSIUS in Apologetico 7. *Hominem poſſe eſſe ſine peccato & mandata Dei facilè cuſtodire, ſi velit.* Scribit autem AUGUSTINUS ad Aurelium, *hæc ita objecta ſunt*, (nempe Pelagio in Synodo Dioſpolitana) *ut etiam apud Carthaginem à Sanctitate tua & ab aliis tecum Epiſcopis dicerentur audita atque damnata.*

(* 9.) AUGUSTINUS l. 1. de pecc. merit. & remiſſ. c. 2. urget maximè illud Gen. 2. & 3. *Quocunque die comederis, morte morieris ... terra es & in terram ibis*, ubi non tantùm mors animæ, ſed & corporis intentatur. item 1. Cor. 15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio*: demum illud Apoſtoli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur*, in quæ verba ita S. Doctor ait: „*Sicut ergo ille, in quo omnes vivificabuntur, præter quod ſe ad juſtitiæ exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritûs occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis: ſic & ille in quo omnes moriuntur, præter quod eis, qui præceptum Domini voluntate tranſgrediuntur, imitationis exemplum eſt, occultâ etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificavit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes.* Objecerat Pelagius: ſi Adæ peccatum etiam non peccantibus nocet, & Chriſti juſtitia etiam non credentibus prodeſt; unde reſpondet Auguſtinus etiam Pelagianos, ni Eccleſiæ contradicere velint, baptizatos parvu-

hasce quæstiones solvit: possítne esse homo sine peccato? an sit? si non est; cùm possit esse, cur non sit? utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solùm quisquam sit; verùm etiam potuerit aliquando esse, vel possit (* 10)? In postremo libro argumentationibus nonnullis, quæ in Pelagii super D. Pauli epistolas commentariis legebantur, S. Doctor respondet. Marcellinus absolutos libros evolvens, hæsitabat nonnihil; ubi in secundo volumine in illud incidit, quod possit homo divinâ gratiâ adjutus esse sine peccato: quærenti igitur, quâ id ratione fieri posset? Augustinus responsi loco librum totum *de spiritu & litera* inscriptum remisit, in quo docebat, fieri posse multa ab homine Deo auxiliante, quæ tamen nusquam facta à quoquam legantur. Prætereà ibidem S. Doctor tradit, legem sine Dei gratia ad vitanda peccata non sufficere (* 11), sed legi

Liber Augustini de spiritu & litera.

parvulos in credentium numero deputari debere, tum subjungit: *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione suâ in eos trajicit fidem, quam voluntate propriâ nondum habere potuerunt; sic eorùm per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vitâ propriâ contraxerunt: & sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles; sic eos corpus mortis in Adam generat peccatores.*

(* 10.) AUGUSTINUS l. 2. de peccat. merit. & rem., postquam c. 2. egerat contra eos, qui libero humanæ voluntatis arbitrio tantùm tribuunt, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur: c. 4. gratiæ necessitatem sic adstruit: *Concupiscentia tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relinquitur ... non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura. ... Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet ... ut autem non ei consentiamus, deprecamur adjutorium dicentes: & ne nos inducas in tentationem* ... c. 5. *justa autem agere, vel justitiæ præceptum ex omni parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo ...* c. 12. *cùm & illud ipsum, quod condelectatur legi Dei, non habeat, nisi ex gratia Dei ...* c. 17. Peccati causis ostensis gratiæ necessitatem probat: *Cùm voluntatem humanam gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit? possem facillimè, ac veracissimè respondere; quia homines nolunt ... nolunt autem homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat ... ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat; gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qui ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo ...* c. 18. *quòd à Deo nos avertimus nostrum est, & hæc est voluntas mala. Quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus & hæc est voluntas bona.*

(* 11.) AUGUSTINUS in l. *de spiritu & litera* c. 20. 21. &c. probat gratiam Dei adjuvantem in Lege & Doctrina constitui non posse, sed necessariam esse subministrationem virtutis interioris, per quam Deus legem suam scribat in nostris cordibus, & operetur in nobis velle & perficere opus salutare pro sua bona voluntate, quæ gratia est propria novi Testamenti; dein insinuans c. 25. hanc legem sine ista gratia observari non posse,

legi ſociandum Dei adjutorium, cui poſtremo Chriſtiana fides tribuatur neceſſe eſt (* 12). Marcellinus tot documentis imbutus, orthodoxis magno fuiſſet præſidio; niſi Marinus Dona-

poſſe, c. 26. proponit Pelagianorum objectionem ex Paulo ſumptam ad Rom. 2. *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Difficultati autem ita occurrit: *Fiunt*, ait, *quæ legis ſunt naturaliter, non quòd per naturam negata ſit gratia; ſed potiùs per gratiam reparata natura.* Præterea *hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondum habendi ſunt in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia; ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, juſtéque colentium: quædam tamen facta vel legimus vel novimus vel audimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectéque laudamus. Quanquam ſi diſcutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ laudem, defenſionémve mereantur. . . . Sed Pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur . . ., renovari autem niſi gratiâ Chriſtianâ, hoc eſt niſi Mediatoris interceſſione non poſſunt.*

(* 12.) AUGUSTINUS l. c. c. 33. commonſtraturus, UNDE SIT CREDENDI VOLUNTAS, tria ſupponit I. *Quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem vel inclinare ad infidelitatem poteſt: & ideo nec iſtam voluntatem, quâ credit Deo, dici poteſt habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cùm crearetur, accepit.* II. Supponit tanquam certum, *velle ſincerè Deum omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur; quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt; cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* III. Et quoniam Deum in donis contemni ait Auguſtinus, ſatis ſupponit dari gratias ſufficientes reprobis, quas tamen hi reſiſtendo inutiles & infructuoſas reddunt; ne tamen fruſtratione hâc effectûs dici poſſit, quod Deus à reſiſtentibus gratiæ peccatoribus vincatur, pergit: *ita voluntas Dei ſemper invicta eſt: vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit.* His ſuppoſitis credendi voluntatem venire à gratia probat: *attendat & videat non ideò tantùm illam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam, quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus & credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis; quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt . . . jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſolùm occurrunt, interim quæ mihi reſpondere placeat: O altitudo divitiarum! & nunquid iniquitas eſt apud Deum?*

Donatiſtarum artibus deceptus eidem anno ſequente vitam eripuiſſet (* 13).

5. Dum hæc agebantur in Africa; Pelagius Joanni Hierosolymitano (S. Hieronymi adverſario) ſe jam conjunxerat: amico præſuli quò ſuam probaret operam; Hieronymo bellum indixit: at hic provocatus Novatorem ex eo capite impugnabat, quod is Stoicos imitatus, apathiam hominis docendo gratiæ neceſſitatem omnino amandaret (f). Pelagius ab Hieronymo repreſſus, ne gravem quoque ſibi Auguſtini manum ſentiret, huic datâ epiſtolâ adulatus, impetrare ſilentium Præſulis conabatur (g). Suboluit Auguſtino Veteratoris dolus; ac proinde eum in modum Hæretico reſpondit, quo ſcribenti humanitatem, ac ſimul erranti redderet medicinam (* 14). Hanc tamen Hæreſiarchæ minùs ſalutarem fuiſſe ſubinde intellectum eſt, ubi præter complures diſcipulos, queis venena ſua propinabat, etiam Demetriadem nobiliſſimam Virginem Romanam ſcriptâ epiſtolâ (* 15) vitiare tentaverat. Hieronymus de Pelagii artibus à Cteſiphonte monitus, elucubratione validâ fraudes hominis contudit (h). Non parùm hæc

A. C. 413.
Hieronymus ſcribit adverſus Pelagium.

(f) Hieron. l. 2. in Jeremiam in Procemio & l. 4. in Procem.

(g) Noriſ. l. 1. Hiſt. Pelag. c. 5. p. 37.

Pelagius Demetriadem hæreſi inficere conatur.

A. C. 414.

(h) Hieron. Ep. 43. ad Cteſiph.

(* 13.) S. Marcellinus Martyrum faſtis adſcriptus eſt, ſic enim habetur in Martyrologio Rom. *VIII. Idus Aprilis Carthagine S. Marcellini Martyris, qui ob Catholicæ fidei defenſionem ab hæreticis occiſus eſt.* vide NORISIUM Hiſt. Pelag. l. 1. c. 5.

(* 14.) LUDOVICUS AB ANGELIS l. 5. de Vit. S. Aug. c. 14. Epiſtolam illam primò protulit ex MS. Bibliothecæ Canonicorum Reg. Feſulenſium, ſiceque habet: *Domino dilectiſſimo & deſideratiſſimo fratri Pelagio Auguſtinus in Domino ſalutem.* "*Gratias ago plurimùm, quòd me literis tuis exhilarare dignatus es, & certum facere de ſalute veſtra: retribuat tibi Dominus bona, quibus ſemper ſis bonus, & cum illo vivas in æternum . . . ſimul admonens ut potiùs ores pro me, quò talis à Domino fiam, qualem me jam eſſe arbitraris.*

(* 15.) Epiſtolæ Pelagianæ ab Oroſio publicatæ fragmentum NORISIUS l. 1. Hiſt. Pelag. p. 39. refert: *Quoties mihi de inſtitutione morum, & ſanctæ vitæ converſatione dicendum eſt, ſoleo priùs humanæ naturæ vim, qualitatémque monſtrare, & quid efficere poſſit, oſtendere, ac jam inde audientis animum ad ſpecies incitare virtutum; ne nihil profit ad ea vocari, quæ fortè ſibi impoſſibilia eſſe præſumpſerit. . . Hæc igitur prima ſanctæ ac ſpiritalis vitæ fundamenta jaciantur, ut vires ſuas Virgo agnoſcat, quas demum benè exercere poterit, cùm eas ſe habere didicerit. . . . Nam ſi etiam ante legem, ut diximus, & multò ante Domini noſtri Salvatoris adventum juſtè quidam vixiſſe, & ſanctè referantur; quantò magis poſt illuſtrationem adventûs ejus nos id poſſe, credendum eſt, qui inſtructi per Chriſti gratiam & in meliorem hominem retracti ſumus.* Quid autem per GRATIAM intelligat, exponit porrò: *Corporalis nobilitas atque opulentia tuorum intelliguntur eſſe, non tua; ſpiritales verò divitias, nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es . . . quæ niſi ex te & in te eſſe non poſſunt. .*

hæc ſcriptio Pelagium oppreſſit; veritus tamen, ne ſi quid reſponſi ederet in lucem, hæreſeos damnaretur, aut ſi taceret, convictus à ſuis haberetur, id conſilii cœpit: Hieronymo ita reſpondendum duxit, ut volumen ſuum nemini, niſi ſectatoribus legendum daret. Inter obſtinatos autem diſcipulos præcipuè fuêre, Timaſius & Jacobus adoleſcentes ex Pelagii conſilio Monaſticam vitam profeſſi (i): in his revocandis poſtquam diuturnam Auguſtinus operam collocâſſet; emendati tandem Hipponenſi Præſuli ſecretum Pelagii librum misêre. Ex hoc quia apertiùs Auguſtinus cognovit, quàm monſtroſam hæreſin ſuis Pelagius venditaret; libro perverſo librum meliorem *de natura & gratia* reponit, in eo maximè deſudans, ut antidoto præſenti Juvenum animos adverſus Pelagii virus communiret (* 16). Commentationes ejuſmodi

(i) Ep. 168. ap. Auguſt.

Liber Auguſtini de natura & gratia.

(* 16.) AUGUSTINUS oſtenſurus naturam humanam (quæ ſana condita eſt) per peccatum corruptam Chriſto medico indigere, ita ſcribit l. de nat. & grat. c. 3. 4. *Hæc autem Chriſti gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes ſalvi fieri poſſunt, non meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod & gratia nominatur: juſtificati, inquit, gratis per ſanguinem ipſius. Unde ii, qui non per illam liberantur, ſive quia audire nondum potuerunt, ſive quia obedire noluerunt, ſive etiam, cùm per ætatem audire non poſſent, lavacrum generationis, quod accipere poſſent, per quod ſalvi fierent, non acceperunt, juſtè utique damnantur, quia ſinè peccato non ſunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, ſive in Adam, ſive in ſeipſis, & egent gloriâ Dei...* Infra objectionem à Pelagio factam commemorat, his verbis: *Nos de poſſibilitate tractamus; ego dico hominem poſſe eſſe ſine peccato ... neque ego hominem eſſe ſine peccato ... de poſſe & non poſſe: non de eſſe & non eſſe contendimus* Auguſtinus verò reponit: *Contra quos vult, agat, dummodo hoc confiteatur, quod impietate ſceleratiſſimâ negatur, ſine gratia Dei hominem ſine peccato eſſe non poſſe.* Adverte, Pelagianos intellexiſſe per nomen poſſibilitatis nihil aliud, quam liberum arbitrium. Præterea quia Pelagius admittebat culpabilem ignorantiam; vel ex hoc ipſo Auguſtinus neceſſitatem gratiæ inferebat, nam ignorantia vincibilis depelli non poteſt per cognitionem, qualis requiritur ad ſalutariter operandum, abſque ope gratiæ: denum Auguſtinus in eodem libro de nat. & gr. c. 26. oſtenſurus homini juſtificato à Deo non negari gratiam; *ipſe autem Deus*, inquit, *cùm per mediatorem Dei, & hominum Jeſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium & cùm ad perfectam ſanitatem, hoc eſt ad perfectam vitam, juſtitiámque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic etiam homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus. Gratia verò, quâ Deus præſtat, ne peccemus, & ut piè, juſtéque vivamus, eſt gratia actualis: quam proinde Deus juſto non ſubtrahit, nec eum deſerit, ſi non deſeratur.* Poſtremùm contra Pelagium probat, paucos, vel nullos fuiſſe, qui ſine peccato vixerint, vel ſi fuerint, eos à peccato gratiæ ſingulari auxilio ſervatos fuiſſe; ubi tamen

modi Augustini famam per omnes terras adeo circumtulerant (k); ut Orosius Tarraconensis Presbyter ex ultima Hispania Hipponem ad expetendum contra hæreses remedium procurreret. Augustinus licèt ab aliis Episcopis rogatus componeret eodem tempore librum *de perfectione Justitiæ* adversus Cælestium (* 17); arduus tamen ille labor non obfuit, quo minùs consultanti quoque Orosio satisfaceret: exaravit proinde volumen integrum, quo Priscillianistarum atque Origenistarum deliria confutavit, & in fine libri capitalem Pelagii errorem suffocaturus; assertione peccati originalis opus conclusit (l). Orosius porrò Originem animæ sibi aliquanto certiùs exponi petierat, sed cùm Augustinus quoque in hac quæstione fluctuaret, ad Hieronymum difficultatis solutionem rejecit (* 18). Mutuum quippe demissionis genus inter utrumque S. Doctorem vigebat, ut unus alteri sæpe primas deferret vices; unde S. Hieronymus per idem tempus, cùm libros tres dialogorum adversus Pelagium mitteret in lucem, in fine libri tertii de originali peccato longiùs differere noluit, ne in

(k) August. ep. 169. aliàs 102. & 166. aliàs 28.

Liber Augustini de perfectione Justitiæ.

(l) Noris. in H. Pelag. l. 1. c. 6. p. 43.

Orosius ex Hispania ad Augustinum venit.

 sylvam

tamen Notanda Augustini sententia c. 36. *Exceptâ sanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccato agitur, haberi volo quæstionem. Unde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat, nullum habuisse peccatum?*

(* 17.) Argumentum libri *de perfectione Justitiæ* ita constringit NORISIUS Hist. Pelag. l. 1. c. 6. "In hoc volumine Cælestii ratiocinationes diluit (sexdecim illæ numerantur) quibus probare hæreticus nitebatur, hominem solis ingenitis arbitrio viribus posse esse sine peccato. Augustinus verò constanter docet, vitari posse peccatum, si gratiâ Dei per Jesum Christum natura vitiata sanetur, quæ in tantum sana non est, in quantum id, quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet: non esse opus liberis liberatore, sed servis, ut eis dicat gratulatio libertatis: salvâsti de necessitatibus animam meam."

(* 18.) AUGUSTINUS ep. 166., aliàs 28. Hieronymo ita scribit: *Anima hominis immortalis est; non est pars Dei ... incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum... Certus etiam sum, animam nullâ Dei culpâ, nulla Dei necessitate vel suâ, sed propriâ voluntate in peccatum esse collapsam: nec liberari posse de corpore mortis hujus suæ voluntatis virtute ... sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Nunc quæro, ubi contraxerit anima reatum, quo trahitur in condemnationem, etiam infantis morte præventi, si ei per Sacramentum, quo etiam parvuli baptizantur, Christi gratia non subvenerit.* Proponit dein Hipponensis Doctor quatuor opiniones de Origine animæ: aliqui enim sentiebant, ex anima, quæ primò creata est, cæteras propagari, atque per hanc traducem se feliciùs originalis peccati diffusionem exponere contendebant; alii in singulis hominibus singulas creari asserebant; alii eas alicubi jam existentes mitti divinitus, vel demum sponte labi in corpora opinabantur. Augustinus primæ sententiæ videbatur adhærere; petit tamen dubium sibi ab Hieronymo resolvi.

ſylvam ligna ferret: aut enim dicturum ſe, inquiebat, eadem, quæ Auguſtinus, ex ſuperfluo; aut ſi nova, à clariſſimo ingenio occupata eſſe meliora (m).

(m) Hieron. l. 3. Dialog. ſub fin.

A.C. 415.

Synodus Hieroſolymitana in cauſa Pelagii.

6. Anno ſequente Bethlehemium Palæſtinæ ad eundem Hieronymum profectus Oroſius, adduxit ſecum Auguſtini literas ac libros, quibus Cæleſtii ac Pelagii fides penitus profligabatur. Joannes Hieroſolymitanus ægerrimè ferens Pelagium ſibi amiciſſimum in ſuſpicionem hæreſis vocari, Hieroſolymæ in Urbanam Synodum Oroſium accerſit (n): illinc poſtquam idem Hiſpanus Presbyter palàm in os præſentis Pelagii ingeſſerat, quæ in Africa contra erroris Magiſtrum ſeu acta ſeu ſcripta fuiſſent; Hæreſiarcha primò authoritatem Auguſtini arrogantiùs deſpicere, dein ad motus populi componendos erroribus ſuis fucum affingere conabatur. Nec Joannes, Pelagio favens, fraudibus abſtinuit; græcè enim locutus latino Oroſio, at æquè infeliciter per interpretem malè fidum dicta ſua exponi fecerat; quâ causâ factum, ut longis ſermonibus efficeretur nihil, niſi ut omnibus tandem rem totam ad Innocentium Papam deferri placeret. Multò fortiùs ſubinde, Pelagium aggreſſi ſunt Eros ac Lazarus Galliarum Epiſcopi; hi à ſedibus ſuis pulſi cùm in Palæſtinam appuliſſent (* 19); doctrinâ novâ offenſi, errores unum & triginta tum ex Pelagii, ac Cæleſtii libellis, tum ex aliis monumentis colligunt, quos latino ſermone conſcriptos Eulogio Cæſarienſi Metropolitæ eâ de causâ transmisêre, ut in Synodo errorum ſummam magis diſcuteret (o). Liddam igitur (quæ tunc Dioſpolis dicebatur) jubente Eulogio quatuordecim Epiſcopi convenêre (p). Hæreſiarchæ fraudes deprehendere facile fuerat in tot Patrum corona, ſed in fatis erat, ut Eros & Lazarus propter unius ægritudinem, ſimúlque Oroſius ob maturatum in Africam reditum à Concilio abeſſent. Pelagius igitur ubi ſe ſolum extra Actorum ictum in arena luctari gaudebat; congregatorum Epiſcoporum ſententiam ludificatione ſuâ cohibuit (q). Ac primò Auguſtini, aliorúmque ad ſe bene multis

(n) Coll. CC. apud Hard. T. I. p. 1207.

Joannis Hieroſolymitani favor erga Pelagium.

(o) Hard. in Coll. CC. T. I. p. 1208.

Synodus Dioſpolitana

(p) Auguſt. l. 1. contra Jul c. 5. Noriſius h. Pel. l. 1. c. 8.

(q) Innoc. PP. epiſt. ad Afric. apud Auguſt. 96.

(* 19.) PAGIUS ad a. 415. in Crit. T. II. "Pelagii accuſatores fuêre *Heros* Arelatenſis & *Lazarus* Aquenſis Epiſcopi, qui ſuis ſedibus tunc pulſi erant, quosque *Zoſimus* Papa, quo tempore Pelagii ac Cæleſtii contra eosdem calumniis fallendum ſe præbebat, duriſſimè prorſus habuit. Proſper tamen in Chronico ad a. 412. *Herotem virum ſanctum* appellat B. Martini diſcipulum."

multis epiſtolis prolatis velut ſuæ æſtimationis ac integritatis teſtibus, objectos poſteà errores vel vitando ſuppreſſit, aut tot verborum ambagibus veſtivit, ut Græcis Patribus hæreſis ex latino libello per interpretem ſeu imperitum ſeu corruptum propoſita, tam deformis minimè videretur, ut publico anathemati adhucdum ſubjiceretur. Decepti præſules etſi hâc ratione judicium ſuſpenderent, haudquaquam tamen Veteratorem crimine ſuo abſolverunt (r); nam quia proprio ore errores ſuos deteſtatus, ſe ipſum recantatione ſuâ damnaverat, nec ille abſolutus eſt, qui damnanda tenuit, ſed illud abſolutum eſt, quod tenere debuit (s). Necdum Dioſpoli Patres abierant, tum Joanni Hieroſolymitano, qui Synodo intererat, nuntiatur, Luciano Presbytero in ſomnis à S. Gamaliele oſtenſum eſſe locum reliquiarum S. Stephani (t); ad hunc igitur theſaurum dignâ pompâ excipiendum protinus Joannes Epiſcopus abiit, & prodigia tot à Proto-Martyris exuviis edi vidit, ad quorum vel narrationem totus Oriens atque Occidens poſteà ſtupeſcere viſus eſt (*20).

(r) Auguſt. l. de geſtis Pelagii.

(s) Auguſt. l. 1. adv. Jul. c. 5. & 7. & l. de pec. Orig. c. 16.

Inventio Reliquiarum S. Stephani.

(t) Sozom. l. 9. c. 16.

A. C. 416.

7. Pelagius ſubinde à Dioſpolitanis Patribus ſua ſenſa comprobata fuiſſe mentiebatur (u): & quaſi victoriâ tumidus in Hieronymum ſæviit. Connivente enim nimiùm Joanne Hieroſolymitano, Pelagianorum manipuli in Monaſteria ferro & facibus graſſabantur, quorum Hieronymus gerebat curam; quin in ipſum S. Doctorem procella hæc eum in modum detonabat, ut, ni in munitiorem ſe ſubduxiſſet turrim, hoſtium victima cecidiſſet (w). Intereà Oroſius ex Oriente in Africam appulerat (x): cujus reditus

(u) Auguſt. l. de geſtis Pelag. c. 30.

Pelagii furor in Hieronymum.

(w) Auguſt. l. c. ſub fin.

Oroſii reditus in Afric.

(x) Severi Epiſt.

(* 20.) LUCIANI PRESBYTERI epiſtola de inventione corporis S. Stephani apud *Marcellinum* in Chronico & *Sozomenum* l. 9. c. 16. ita habet: *Gamaliel apparuit Nygetio Monacho innocenti, & Simplici viro, & dixit ad eum: vade, dic Luciano Presbytero .... & fodientes invenimus tres thecas* (in prima nempe erant reliquiæ S. Stephani, in altera corpus Nicodemi, in tertia Abibi, qui erat filius Gamalielis) ... *ſtatim ego renuntiavi Epiſcopo Joanni, cum eſſet in Lydda, quæ eſt Dioſpolis, Synodum agens ... ubi ad S. Stephani thecam ventum eſt, eamque aperuiſſent, eâdem ipſâ horâ terræ motus ingens factus eſt, quaſi S Stephani corpus reſiliret, & reviviſceret: odórque immenſus ex illius urna effuſus eſt. Sanatæque ſunt illo die animæ tres & ſeptuaginta, quæ ibi convenerant, ex variis morbis; exoſculantéſque ſanctas reliquias iterum clauſerunt; & octavo Calendas Januarii eas cum pſalmis & hymnis portaverunt in ſanctam Eccleſiam Sion, derelinquentes nobis de membris ejus parvos articulos, & terram cum pulvere, ubi omnis caro ejus conſumpta eſt, cumque eſſet ingens ſiccitas, eâdem horâ pluvia magna deſcendit.*

ditus Africæ Episcopis, ac præcipuè Augustino acceptus fuit; tum quòd sacras & Thaumaturgas S. Stephani reliquias beneficio Episcopi Hierosolymitani donatas adduceret (* 21); tum quòd ex ejus ore accipi posset, quæ Diospoli in causa Pelagii gesta fuissent. Ne verò quid Orosius per invidiam addere videretur; Erotis & Lazari Episcoporum Galliæ literas Aurelio Primati, & sexaginta octo Patribus tunc Carthagine congregatis exhibuit (y). Ex quibus postquam Orientales Antistites Hæretici arte fuisse deceptos intellectum est; repetitis iis, quæ ante quinque ferme annos contra Cælestium Carthaginiensis Synodus decreverat, errores Pelagii & Cælestii iteratò profligant. Carthaginensium exemplo Milevi Numidiæ urbe unus & sexaginta Episcopi (z) Pelagianorum causam discusserе; utraque tamen Synodus hæreseos authoribus parcendum duxit, dum Innocentius Papa, ad quem suas Synodicas direxêre, de novorum dogmatum fabricatoribus pleniùs

Carthaginense Concilium.

(y) August. epist. 175. aliàs 90.

Synodus Milevitana.

(z) August. epist. 176.

(* 21.) AUGUSTINUS *l.* 22. *de civ. Dei c.* 8. refert miracula, quæ ad Aquas Tibilitanas ad præsentiam Reliquiarum S. Stephani factæ sunt. Similiter *sermone* 323. & 324. n. e. alia prodigia enumerat apud Uzalim patrata. Atque ut miraculorum numerum quendam significet l. 22. de civ. Dei c. 8. sic ait: *Non possum omnia commemorare, quæ scio, & procul dubio plerique nostrûm, cùm hæc legent, dolebunt, me tam multa prætermisisse, quæ utique mecum sciunt. Quos jam nunc, ut ignoscant, rogo, & cogitent, quàm prolixi laboris sit . . . si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc Martyrem* (Stephanum) *facta sunt in Colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantùm, de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis . . .* & c. 9. subjungit, dignum illud, quod ab oculato miraculorum teste Augustino multi Ecclesiæ veræ irrisores, aut increduli altâ mente excipiant: *Cui nisi huic fidei, attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne? Nunquid & verè addiderim, hæc etiam attestari ei fidei, quæ prædicatur in sola Ecclesia Catholica, in qua tantùm hæc mira fiunt, & quæ nunquam apud alias sectas ab ea separatas facta sunt. Quia & ipsi Martyres hujus fidei Martyres, id est, hujus fidei testes fuerunt . . . pro ipsa fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit mira eorum patientia, ut in his miraculis tanta potentia sequeretur . . . faciunt autem ista Martyres, vel potius Deus vel orantibus vel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus. Denique illi nempe Gentiles, talibus Diis suis & templa ædificaverunt, & statuerunt aras, & Sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro; ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo & loco & ordine nominantur &c.*

pleniùs statueret (* 22). His Augustinus privatas ad Innocentium literas adjunxit, in quibus suo & Alypii, Evodii, ac Possidii nomine Pontifici Pelagii fraudes aptis coloribus depingit: atque ut error multis eximeretur, quo vulgabatur, multa affingi Pelagio hæresiarchæ; librum ab ejusdem discipulis sibi proditum Romam mittit: demum Augustinus Pelagium, unà cum suis libris apologeticis à Pontifice in urbem accersiri rogat, ut Veterator suomet ore palàm sine ambagibus divinæ gratiæ testimonium proferat (a). (a) August. epist. 177.

8. Innocentius Pontifex acceptis Africanorum Patrum literis, ac re maturè expensâ, Pelagii hæresin unà cum authoribus damnat (* 23). Noluit enim Papa Hæresiarcham evocare Romam, aut cum eo per literas agere, uti monuerat Augustinus: sed suo ipsius libro convictum (b) communione privavit; "qui si confidit, A. C. 417. (b) August. epist. 162. alias 93.

(* 22.) SYNODICA CARTHAGINENSIS CONCILII ad Innocentium PP. missa habetur apud *Harduinum* T. I. CC. p. 1215. ubi sub finem ita scribunt: *Unde etiamsi Pelagius, Cælestiúsque correcti sunt, vel si ista nunquam se sensisse dicunt, & quæcunque scripta contra eos prolata fuerunt, sua esse negabunt; nec est, quemadmodum de mendacio convincuntur: generaliter tamen qui dogmatizat, & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & commodo gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adversarius invenitur; & quicunque negat, parvulos per baptismum Christi à proditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* SYNODICA MILEVITANORUM PP. duos errores Pelagii accusat, ut habetur apud Harduinum T. I. CC. p. 1223. *Ut ergo alia omittamus, quæ contra sacras scripturas plurima disserunt; hæc interim duo, quibus omnino totum, quod Christiani sumus, nituntur evertere, quæ fidelia corda sustinent, non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam sit noster adjutor, & non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacramentum.* Addidêre quidam Milevitano Concilio septem & viginti Canones, sed hi ad diversa Africana Concilia pertinent, de quo videri poterit NORISIUS l. 1. hist. Pelag. c. 10. & DU MESNIL l. 20. n. 21.

(* 23.) INNOCENTIUS PP. (ùt habetur in epist. 181. aliàs 91. *Augustini*) in decreto damnationis laudat Afros, quòd Apostolicæ sedi referendo de HH. erroribus, debitam reverentiam exhibuerint: *Antiquæ traditionis exempla servâstis*, inquit ... *ut qui ad nostrum referendum approbâstis esse judicium, scientes, quid debeatur Apostolicæ sedi: cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, à quo ipse Episcopatûs, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tam mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda. Vel id verò, quod Patrum instituta Sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda, quod illi non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ, ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad ejus Sedis notitiam perveniret: ut tota hujus authoritate justa, quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur. &c.*

fidit, (ajebat Innocentius) novítque non noſtrâ dignum eſſe damnatione, quòd dicat jam hoc totum ſe refutâſſe, quod dixerat; non à nobis accerſiri, ſed ipſe debet potiùs feſtinare, ut poſſit abſolvi.„ Innocentio id Italia in acceptis ferebat, quod Novatianis templa ademerit (c): nec minùs alii Præſules firmatam ab eodem diſciplinam prædicabant (* 24); quin Antiochena Eccleſia (eodem ſedente ac comprobante Pontifice) ſe diuturno ſchiſmate tandem liberatam gloriabatur (d). At ubi hoc quoque beneficii Innocentius Catholico orbi appoſuit, ut mucrone Apoſtolico Pelagianam jugularet hæreſin; quaſi nil reliquum foret, unde plus gloriæ eidem accedere poſſet (e), ad ſuperos evocatur quarto Idus Martias, poſtquam in decimum ſextum annum vicarium Chriſti munus in terris geſſerat. Pelagium & Cæleſtium nil magis perculit, quam Apoſtolici fulminis fragor, qui in ipſum usque Orientem perſonuit. Utérque rem ſuam utcunque reſtauraturus Pontificem diverſo tamen modo convenire decernit; & Cæleſtius quidem coràm Romæ cauſam dicere: Pelagius verò literis (nam Italiæ pedem inferre prohibitus erat) litem perſequi aggreſſus eſt (f): hic itaque apud Innocentium, quem vivere adhuc putabat, datâ epiſtola querebatur, ſe adverſus judicium Dioſpolitanorum PP., & fraude duorum Erotis & Lazari, ab Afris damnatum: atque ut ſententiæ adverſus ſe latæ vim infringeret, libellum amplâ teſtificatione ſuæ fidei, ſive compoſitum vafro ingenio Symbolum Papæ transmiſit (* 25), unà cum epiſtolâ, quam Praylus

(c) Socrat. l. 7. c. 9.

(d) Pagius T. II. Crit.

(e) Noriſ. hiſt. Pelag. c. 10.

Mors Innocentii Papæ.

(f) Auguſt. l. de gratia c. 3.

Pelagius ſe purgare conatur Pontifici.

(* 24.) INNOCENTIUS epiſt. ad Victricium c. 3. conſtituit, *ut ſi majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur.* Epiſt. ad Decentium Eugubin c. 1. *abuſum emendavit, qui irrepſerat, ut contra uſum Romanæ Eccleſiæ pax aliubi* ante confecta myſteria *traderetur*, cùm neceſſariò indicenda ſit *poſt conſecrationem, ut pacis oſculo demonſtretur*, populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur, præbuiſſe conſenſum. c. 4. Probavit jejunium Sabbati jam pridem Romæ receptum.

(* 25.) PELAGIUS (utì habetur apud Auguſtin. l. de pecc. Orig. c. 18. 19. 20.) impactos querebatur ſibi eſſe quosdam errores, nempe quod negaret parvulis Baptiſmi Sacramentum, & absque Chriſti redemptione aliquibus Regna Cælorum promittat. 2dò Quod ita dicat poſſe hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium. Hæc igitur confutaturus ait: *Nunquam vel impium aliquem hæreticum audivi, qui hæc de parvulis diceret. Quis enim ille tam impius eſt, qui cujuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemptionem, & in perpetuam, certámque vitam renaſci vetet eum, qui natus ſit ad incertam?*

Praylus Epiſcopus Hieroſolymitanus & Joannis mortui ſucceſſor pro Pelagii commendatione adjunxerat. Anteaquam hæc hæretici epiſtola Romam deferretur; Cælestio renunciatum eſt, defuncti Innocentii locum à Zoſimo teneri, quare continuò in urbem advolans (g), Pontifici profitebatur, ſe ad Apoſtolicam veniſſe ſedem, ut ex appellatione prima judicium ſubiret, aut accuſationes factas propulſaret. De fidei dogmatis multa impertinenter, perverſa obiter, alia dubitantis aut ſciſcitantis more garriebat: interrogatus tandem, utrum Innocentii literis obſiſteret? repoſuit ſe omnia, quæ ſedes illa damnaret, pariter damnaturum (h). Zoſimus Cæleſtio obedientiam tam promptam teſtanti anathema quidem novum non infligendum putavit; minimè tamen eo abſolvendum Cæleſtium duxit, quo in Africæ duabus Synodis ante quinque annos proſcriptus fuerat. Zoſimo interea curæ erat certiora ex Afris cognoſcere: miſſis igitur literis, quæ Romæ agerentur, ſignificat; tum in accuſatores Cæleſtii invectus, eoſdem ut rerum perturbatores ad ſuum evocat tribunal (i). Paulò poſt ſupervenit Pelagii epiſtola, quâ Hæreſiarcha ambiguis de Dei gratia vocibus ita Romanis impoſuit, ut cùm palàm literæ ejus unà cum commendatitiis Prayli legerentur; præſentes ſibi à lachrymis vix temperarent: & Zoſimus multò acrius accuſato-

(g) Marius Mercat. in Commonit. c. 1.

Cæleſtii doloſa profeſſio fidei ad Zoſimum PP.

(h) Auguſt. l. de peccat. orig. c. 6.

(i) Zoſimi Epiſt. 3. ad Afric. apud Garnerium.

certam? Dein de adjutorio gratiæ ait: *Ecce ad beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpliciter ad peccandum & non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper juvatur auxilio .... quam liberi arbitrii poteſtatem dicimus in omnibus eſſe generaliter in Chriſtianis, Judæis atque Gentilibus: ſed in ſolis Chriſtianis juvatur gratiâ.* AUGUSTINUS l. de pecc. Orig. c. 17. 18. 19. his fallaciis Pelagii reſpondet: PRIMO *hæc illis non ſic objiciuntur, ut poſuit: nam neque parvulis negant baptiſmi Sacramentum, nec abs redemptione Chriſti aliquibus cælorum Regna promittunt. Objicitur autem illis, quod non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos tranſiſſe originale peccatum regeneratione purgandum, quoniam propter accipiendum Regnum cælorum tantummodo eos baptizandos eſſe contendunt.* SECUNDO Pelagius in voce gratiæ ſemper ludebat, ut poſſet pro libitu eodem verbo accipere legem atque doctrinam Aug. l. 1. de grat. Chriſti c. 30. & l. 2. c. 7. TERTIO ſaltem illud eruebatur ex Pelagii epiſtola, quod Judæi, atque Gentiles nullum à Chriſto influxum accipiant; quódque primam gratiam poſſint mereri: *Illi* (Judæi & Gentiles) *ideo judicandi & atque damnandi ſunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire poſſent & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate conceſſâ. Hi verò* (Chriſtiani) *remunerandi ſunt, qui benè libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata cuſtodiunt.*

(k) August. l. 2. ad Bonifac. c. 3.

ribus indignatus, eò ferebatur, ut nomina damnanda eorum; ac pudenda facinora dictitaret (k).

A. C. 418.

Synodus Africana prima.

(l) Norisius hist. Pelag. l. 1. c. 13.

(m) August. l. 2. ad Bonifac. c. 3. 4.

(n) Possid. vit. August. c. 8.

(o) Hard. in Coll. CC. T. I. p. 1230.

9. Africani Præsules Zosimi literis acceptis statim obtestati sunt Pontificem, ne de Pelagii ac Cælestii causa ultra quid statuendum sumeret; dum quid decerni oporteret, veriùs aliunde cognosceretur. Hunc in finem jubente Aurelio Carthaginem ducenti ac quatuordecim Episcopi ex Africa tota affluxêre: illinc primò actis Pelagianorum accuratiùs examinatis, censuêre omnes standum esse Innocentii decreto, quæ sententia Synodalis cùm Romam Marcellino Subdiacono deferenda traderetur (l); Paulinus Diaconus primus in Africa Cælestii accusator libellum adjecit, quo Pontifici rationes suas exponebat, cur Romam vocatus, hoc tempore non venerit (* 26). Zosimus tot testimoniis edoctus, mutato animo Cælestio diem dicit: dein latebras & ambages quærenti, utì & Pelagio anathema infligit (m); demum proscriptionis peractæ testes literas ad omnes orbis Ecclesias, & ad Honorium Imperatorem Ravennam transmisit, id maximè rogans, ut quia Pelagianorum motus non parvi adversus sententiam suam gliscerent, hos Augustus fortiore brachio constringeret (n). Honorius desiderari operam suam minimè passus est, quin publico edicto ad Palladium Præfectum Prætorio Italiæ dato præcepit, ut damnati Pelagius & Cælestius Imperiali authoritate Romano Imperio pellerentur (o). De hoc Principis mandato ubi rescitum est; Episcopi Africæ in plenarium (* 27) Concilium

(* 26) PAULINUS DIACONUS primus in Africa Cælestii accusator citatus à Zosimo Romam fuerat; sed libello tantùm misso sic se purgat, cur Romam vocatus non venerit: nempe quia Zosimus videretur vadimonii remissionem inde fecisse, quòd Pontifex præceperit Cælestio, ut ea damnaret, quæ Paulinus eidem objecerat. *Secundò* quia Ecclesiæ totius, & non sua tantùm Paulini scilicet causa ageretur. vide Tom. II. CC. edit. Labb.

(* 27.) Quia duo Concilia Carthagine sunt celebrata sub Zosimo contra Pelagianos, controversia oritur: an primum *Provinciale*, alterum *plenarium*, vel an *utrumque plenarium* dici debeat? NORISIUS l. 1. c. 44. utramque Synodum plenariam fuisse contendit, quia juxta PROSPERUM primæ Synodo interfuêre ducenti quatuordecim Episcopi, qui numerus non erat ex sola Provincia Proconsulari, sed ex universa Africa; sicut & in secundo Concilio, quod *plenarium* dicunt, interfuêre ducenti septendecim Præsules; adeoque idem ferè ubique numerus. QUESNELLUS in Differt. de CC. Afric. contra Pelag. Primum horum CC. de queis agimus nec *Provinciale* nec *plenarium* dici posse pugnat: non Provinciale, quia ex diversis collectum ab Augustino non aliter

lium ex omnibus provinciis convenêre. Anteà tamen quàm cœtum ſubirent tertio Kalendas Majas allatæ ſunt à Zoſimo Pontifice literæ, quæ, quod Romæ contra Pelagianos actum eſſet, apertiùs denunciârunt: his igitur in Synodi initio prælectis, Patres adverſus Pelagianam hæreſin Canones octo (* 28), item alios de diſciplina edidêre, inter quos celebrior ille eſt, qui de appellationibus ita ſtatuit: *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos, quidquid eſt, finiant*

Synodus ſecunda Africana, quæ ab Auguſtino plenaria dicitur.

Aaaaa 3

aliter atque *Africanum* appellatur: non *plenarium*, quia non ex omnibus Africæ Provinciis congregatum. PAGIUS T. II. Crit. ad a. 418. n. 11. putat litem eſſe de nomine; nam ut GARNERIUS in Diſſert. de Synod. contra Pelag. Syn. 2. obſervat, Primatem unius integræ Provinciæ Epiſcopos per Tractoriam aliquando vocâſſe: ex pluribus verò Provinciis aliquando conveniſſe Epiſcopos propter commune negotium; non tamen ex omnibus, cujusmodi fuit *Byzacenum*, ad quod ex Provincia Proconſulari miſſi ſunt Epiſcopi Legati: denique aliquando ex tota Africæ Diœceſi, id eſt, ex omnibus Africanis Provinciis accitu Carthaginenſis Epiſcopi, conventus celebratos eſſe. Quare ſecunda Synodus Carthaginenſis anno 418. congregata *plenaria* dicitur tertio illo ſenſu, quia nempe ad eam ex omnibus Africæ Provinciis Epiſcopi convenêre; prima verò rectè *Africana* ab Auguſtino ſemper dicta, quia eidem Epiſcopi variarum Provinciarum interfuêre. Et ſicut veteres Plenaria Concilia aliquando appellant ipſa quoque Provincialia, prout nimirum Epiſcopi vel omnes unius Provinciæ apud Seniorem ſuum, vel ex omnibus Provinciis ad locum ab Epiſcopo Carthaginenſi conſtitutum congregabantur; ſic Concilia, in quibus Epiſcopi variarum Provinciarum adfuêre, *Plenaria* dici poſſunt.

(* 28.) HARDUINUS in T. I. CC. pag. 926. in Codice Canonum Eccleſ. Afric. Canones ita refert: 1. *Ut quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* 2. *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde ſit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit...* 3. *Item placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ juſtificatur homo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit...* 4. *Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* 5. *Placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.* 6. 7. 8. Damnantur ii, qui dixerint, quod ſancti *humiliter tantùm, non veraciter orent: dimitte nobis debita noſtra, & cum Apoſtolo Joanne confiteantur: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quodsi & ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur (* 29). Ad mensem Julium usque jam Synodus protracta fuerat; tum ne diutiùs singuli Episcopi à suis abstraherentur Ecclesiis, terni de singulis Provinciis electi sunt, qui cum Aurelio Carthaginiensi universa Ecclesiarum negotia plenâ authoritate discuterent (p).

(p) Prosper in Carm. de ingratis c. 2. & 3.

10. Inter selectos hos Præsules Augustinus erat, qui Carthagine cum Alypio Tagastensi, ac Restituto Numidarum legatum agebat (q). Laboribus igitur benè multis occupatus alia nihilominus curare non destitit: literas eodem tempore ab amicis ex Palæstina, scilicet ab Albina, Piniano, ejúsque uxore Melania àcceperat, quibus significabant, Pelagium nunc demum de gratia, & Originaria labe Catholicè sentire (r); pronunciâsse illum *anathema* ei, *qui sentit, aut dicit gratiam Dei, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam* (s). Prætereà de peccato originali hanc Pelagio stare sententiam, *iisdem Sacramenti verbis debere baptizari infantes, quibus & majores.* Augustinus fucum versipellis hominis advertens, Carthagine continuò duobus libris, quid fraudis subsit, declarat: & primò quidem, quem de Gratia Christi scripsit, demonstrabat, à Pelagio Gratiam, quam Christi nominat, à libero arbitrio, lege, doctrinâ Evangelicâ aut Christi exemplo haud distingui, eâdem Gratiâ (si sensa hæretici spectes) solam possibilitatem juvari, minimè verò donari virtutum actus: dari illam ex meritis, & ad hoc, ut faciliùs tantùm pravis suggestionibus resistamus (* 30). In altero libro docet, Pelagium aliis licèt verbis idem

(q) Prosper lib. adversus Collat. c. 5.

(r) August. l. 2. retract. c. 50.

(s) August. l. de gratia Christi c. 2.

Augustinus fraudes Pelagii detegit, & confutat.

(* 29.) Quâ ratione citatus Canon Synodi plenariæ de appellationibus ad sedem Romanam, minimè repugnet Synodi Sardicensis Canonibus, diximus supra lib. 6. Historiæ nostræ Cap. 2. Reflex. 8. n. 13. p. 498.

(* 30.) AUGUSTINUS l. de gratia Christi c. 3. ostendit, quam Pelagius gratiam agnoverit. *Non est hic apertum, quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sen-*

idem tamen de culpa originali negare (t), quod Cæleſtius Romæ & Carthagine damnatus abnuiſſet: ab Hæreſiarcha proinde impeti fidei fundamenta, quæ in eo conſiſtunt, quod vitiata naſcatur hominum natura, nec ſanari poſſit lege Moyſis vel Chriſti exemplo, ſed ſolâ gratiâ, & fide à Deo homini infuſis. Deinde reſpondet objectis difficultatibus, nempe non inde ſequi malas

(t) Auguſt. lib. de pecc. Orig.

ſentiat adjuvari: ſed ſicut aliis locis, in quibus evidentiùs loquitur, intelligi poteſt, non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam, quâ naturalis poſſibilitas adjuvetur. Nam quodam loco ait: hìc nos imperitiſſimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam ſine voluntate noſtra nequaquam in nobis perficere ſanctitatem: quaſi Deus gratiæ ſuæ aliquid imperaverit, & non illis, quibus imperavit, etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs poſſent implere per gratiam. Et tanquam explicaturus, quam dicat gratiam, adjunxit dicens: Quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur. Quis hìc non deſideret, ut oſtendat, quam velit intelligi gratiam? . . . Sed nobis hâc exſpectatione ſuſpenſis, quid addiderit, intuemini: adjuvat enim nos Deus, inquit per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum Diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat . . . in his omnibus non receſſit à commendatione legis, atque doctrinæ: hanc eſſe adjuvantem gratiam diligenter inculcans & hoc exequens, quod propoſuerat, cùm diceret, ſed in Dei eſſe adjutorio confitemur. . . . c. 10. *Nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & amatur; nec ſolùm ſuadetur omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.* ADVERTE I. Auguſtinum hìc plerumque agere de gratia efficaci, ut nimirum interioris gratiæ (quæ ſit ſubminiſtratio virtutis) neceſſitatem, gratuitatem & efficaciam oſtendat. Ne tamen efficaciâ ejuſmodi libertatem offendi Pelagius oggerat; c. 47. tria diſcernit juxta Pelagii methodum, poſſe, velle, eſſe; ſive poſſibilitatem, voluntatem, actionem: *Si ergo conſenſerit nobis* (Pelagius) *non ſolùm poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus & agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando benè vult, & benè agit, ſicut dixi, conſentit, etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eámque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſuâ, non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror inter nos controverſiæ relinquetur.* ADVERTE II. Dum Auguſtinus EFFICACEM GRATIAM plerumque in medium contra Pelagianos adducit ad neceſſitatem ejus efficaciæ ad opus ſalutare commonſtrandam; non ideo rejicit GRATIAM SUFFICIENTEM, nam præterquam citatis jam verbis à Pelagio depoſcebat, ut fateretur poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene, divinitus adjuvari, tum l. 83. Quæſtionum q. 68. exemplo vocatorum ad cœnam uſus, pergit: *Itaque neque illi debent ſibi tribuere, quia venerunt, neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum liberâ voluntate.* Quod Proſper l. 1. de voc Gent. c. 9. aliis tantum verbis expreſſit: *magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellit aut negligit.*

malas nuptias, quarum bonum eſt proles, pudicitia, Sacramentum (* 31).

11. Poſtquam Auguſtinus Carthagine in Eccleſiæ univerſæ, tum Privatorum negotiis ſatis operosè ſudaverat; repentè Zoſimi Pontificis literis Cæſaream Mauritaniæ abire jubetur (u): hìc dum demandatas multiplicis officii rationes exequitur; ſimul occaſio orta eſt, concertatione publicâ Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum ac Principem ſubigendi (x). Victoriæ hujus fructum vix guſtaverat; Optatus Epiſcopus Auguſtinum rurſus ad aliam ſcriptionem coegit: per Mureſſem enim Epiſcopum & Renatum Monachum exponi ſibi volebat, quid de animæ origine ſtatuere conveniret. Auguſtino id tantò difficillius viſum eſt, quantò ardentiùs ipſe hac ſuper re hæſitans reſponſionem ab Hieronymo expetiiſſet; at hâc necdum impetratâ, reponebat Optato, ſive anima immediatè à Deo crearetur, ſive per traducem à parentibus in filios (ùt quidam opinabantur) deſcenderet (y); Originariam tamen labem negari nequaquam poſſe, propterea quod Zoſimus Pontifex hujus exiſtentiam definiens, Pelagii inſuper argumentationem proſcripſiſſet, quâ Originis peccatum ex animarum creatione tolli contendebat. Rebus Cæſareæ confectis Auguſtinus Hipponem, vel potiùs ad novos labores rediit: invenerat domi ſuæ literas Sixti Presbyteri Romani, qui Pelagianorum partibus falsò adſcriptus, maculam hanc datâ ad Auguſtinum epiſtolâ (z) excutere voluit: huic itaque gratulatus, reſponſi loco uni-

(u) Poſſid. in V. Aug. c. 14.

Auguſtini victoria contra Emeritum Donatiſtam.

(x) Auguſt. l. 2. contra Gaud. c. 6.

(y) Auguſt. epiſt. 190. aliàs 157.

A. C. 418.

(z) Auguſt. Ep. 105. ad Sixtum.

(* 31.) AUGUSTINUS l. de pecc. Orig.: *In cauſa duorum hominum, quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato; per alterum redimimur à peccatis: per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam, quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam, non ejus, à quo factus eſt; iſte in ſe nos ſalvos fecit, non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus à quo miſſus eſt: in horum ergo duorum hominum cauſa proprie fides Chriſtiana conſiſtit. Unus eſt enim Deus, & unus mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus. Quoniam non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri: & in illo definivit Deus fidem omnibus, ſuſcitans illum à mortuis. Itaque ſine iſta fide, hoc eſt ſine fide unius mediatoris Dei & hominum Hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam reſurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine incarnatione ejus ac morte non poteſt veraciter credi: ſine fide ergo incarnationis, & mortis, & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat.* Ex his patet Auguſtino certum fuiſſe, quod fides Incarnationis mortis & reſurrectionis Chriſti ad ſalutem ſit neceſſaria.

universæ Catholicæ doctrinæ contra Pelagianos assertæ compendium remisit (* 32). Annum quadringentesimum decimum octavum clausit pius obitus Zosimi Pontificis, qui licet uno duntaxat anno, novem mensibus, totidémque diebus clavum tenuerit (a); optimè tamen de divina gratia, ac de disciplina Ecclesiastica meritus multitudine factorum temporis brevitatem pensavit: utì enim prostravit valido ictu Pelagii hæresin, ita Arelatensium Metropolim specialibus prærogativis erexit (* 33). Aliis verò Ecclesiis præscripsit, ut Cereus paschalis, qui solùm in majoribus Basilicis incendi solebat, deinceps in reliquis minoribus quoque templis adhiberetur (b); præterea constituit, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostinis (* 34).

Obitus Zosimi Pontificis.

(a) Pagius T. II. Crit. ad an. 418. n. 71.

(b) Baron. ad an. 418. §. 76.

12. Nec-

(* 32.) NORISIUS Hist. Pelag. l. 1. c. 15. p. 96. Epistolæ ad Sixtum compendium ita refert "ostendit ex eadem massa originali peccato infecta alios misericorditer liberari, aliis justè in eadem perditionis massa relictis; Pelagianos conclamantium piorum vocibus pressos gratiæ auxilium jam tandem fateri, sed ex humanis meritis illud suspendere, ad gratiam nulla merita supponi, debitam reddi pœnam damnatis, indebitam gratiam liberatis. Pelagianos gratiam sine meritis datam perperam contendere esse humanam naturam: fidem sine ullis meritis à Deo homini donari, ídque pluribus sacrarum literarum testimoniis comprobat: orationem ipsam inter gratiæ munera computandam: nullam peccatoribus adversus Dei judicia inscrutabilia excusationem suppetere; nam si excusatio illa justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. Qui Deum in gratuitæ gratiæ largitione Personarum acceptorem objiciunt, in parvulis omnes argumentationis vires perdere, quorum tam plurimi sinè meritis salvantur: Jacob sinè meritis à Deo electum, Esau ob peccati demeritum reprobatum; non damnari parvulos ob peccata, quæ, si viverent, perpetrarent, cùm non commissorum delictorum minimè sit ultor Deus. Originalis peccati per fideles genitores transfusionem exemplo oleæ & oleastri explicari, illúdque ex Ecclesiæ ceremoniis in exsufflandis & exorcizandis infantibus in baptismo evidenter convinci.„

(* 33.) ZOSIMUS in Ep. 5. ad Episcopos Galliæ: *Placuit Apostolicæ sedi, ut si quis ex qualibet parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit... non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit.... jussimus autem præcipuam, sicut semper habuit Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis, in ordinandis Sacerdotibus teneat authoritatem: Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam, Provincias ad Pontificium suum revocet.... Ad cujus* (scilicet Arelatensis) *notitiam, si quid illic* (in Provinciis aliis) *negotiorum emerserit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum* nempe Papæ *requirat examen.* ADVERTE majores causas Pontifici reservari, vide hìc NATALEM ALEXANDRUM Dissert. 15. in Hist. Eccl. sæc. I.

(* 34.) PAGIUS in Brev. T. I. p. 151. "nomine Pallæ intelligi vult stolam Diaconalem ex lana & lino contextam, quam Diaconi in sinistro humero deferunt.. Hic autem usus jam à tempore Concilii Laodiceni anno 363. celebrati invaluerat, ut Diaconi stolâ uterentur in sacris ministeriis. Canone enim 22. statuitur, Subdiaconos cum orariis

Bonifacius Papa.

12. Necdum exequiæ Zoſimo perſolutæ erant; tum ingens turbo Romam concuſſit. Eulalius Archidiaconus paucis Presbyteris & Diaconis, ac promiſcuâ etiam plebe accinctus Lateranenſem obſidebat Eccleſiam: verùm major pars Cleri his molitionibus adeò non terrebatur, ut poſtridie Bonifacium virum ſenio & meritis gravem, magnâ conſenſione civium, ſubſcribentibus ſeptuaginta fere Presbyteris, & adſtantibus novem diverſarum Provinciarum Epiſcopis ſedi ſurrogarent (c). Electionem ejuſmodi Eulalius ambitioſo & ſævo impetu; Symmachus autem Præfectus urbis ſuâ authoritate elidere conabantur: commendabat hic literis Honorio Eulalium (d), & quaſi hic legitimus, alter intruſus Pontifex cenſeri debeat, Imperatori perſuadebat. Princeps cognito urbano diſſidio Bonifacium jubet quantocyus Româ ſubmoveri; quo facto Romani Presbyteri ad Honorium ſupplicem libellum misêre, ſive ut Auguſtum de iis, quæ geſta eſſent, meliore fide inſtruerent, ſive ut rogarent, ne Eulalio in locum alienum irrepere liceret; dum Ravennam Clerici Romani affluerent, coràm electionis utrinque factæ negotium, aut Dei judicium procuturi. Honorius (e) his mitigatus decrevit, ut in Synodo cauſa ab iis tractaretur, qui neutrarum partium eſſent. Tumultus inde cùm non parvi enaſcerentur; Imperatori placuit ad compeſcendas turbas Concilium amplius cogere: dirigebantur eo conſilio literæ in Campaniam, in Africam, aliáſque Provincias, quibus Præſules intra diem Iduum Juniarum Spoletum ire jubebantur. Interea Paſchalis ſolennitas, quæ Romæ ſinè Antiſtite peragi non poterat, motus novos conſcivit, alterâ factione pro Eulalio, alterâ pro Bonifacio pugnante: ſed Honorius ſacrorum curam Achilleo Spoletinæ Eccleſiæ Epiſcopo demandans, utrumque ſedis Pontificiæ competitorem ab urbe dimitti præcepit (f). Paruit mandato Principis Bonifacius, cauſæ confiſus ſuæ: at Eulalius etſi pulſus Româ, hanc ipſam paulò poſt repetit, ac feſta Paſchalia in Baſi-

(c) Libell. Suppl. Presbyt. Rom. ad Honorium apud Baron. ad a. 419. §. 8.

(d) Symachi lit. ad Hon.

Eulalii Schiſma.

A. C. 419.

(e) Honorii Commonit.

(f) Epiſt. Honorii ad Symachum.

riis aſſiſtere non debere & C. 23. Lectores, Cantoréſque cum orariis agere officium ſuum non debere. Orarium autem idem fuiſſe ac ſtolam, ſeu ut alii volunt, quo os abſtergeretur, quod tandem in manipulum evaſit. Veroſimilius tamen eſſe orarium hìc ſumi pro ſtola, quæ olìm latitudine ſuâ humeros tegebat, & cujus oram tantùm retinuimus, quæ circa collum defertur: græcis in hoc à latinis diſcrepantibus, quod apud illos ante pectus & retro Crucis in modum, orarium illud decuſſetur.»

Basilica Constantiniana concelebrat (g): contumacia illa hominis animum Honorii adeo emovit, ut è vestigio decretum ad Symmachum daret, quo Eulalius exilio: Bonifacius autem Pontificiâ sede dignus judicabatur; ex cujus moderatione pateret, quòd & Cleri Romani, & populi frequentiora suffragia minimè indignum delegissent. Bonifacio ubi (Eulalio expulso) Cathedra Petri obtigerat; apud Imperatorem præcipuè egit, ut edicto ea præscriberet, quæ vacanre sede omne schismatis periculum prohiberent: Honorius proinde Ecclesiæ paci prospecturus statuit (h), si duo per ambitum electi fuissent, nullum ex his fore Pontificem: *Sed illum solum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum, novâ ordinatione, divinum judicium, & universitatis consensus eligeret* (* 35).

(g) Relatio Symmachi ad Honor.

(h) Dist. 79. c. si duo 8.

A. C. 419.

13. Fine schismati imposito, Honorius mandatum de habenda Synodo revocans, Largum Proconsulem monuit, ne confecto negotio navigationis injuriam Afrorum Episcopi paterentur (i). Verùm iidem Præsules unâ itineris molestiâ liberati hoc anno in graviorem controversiam incidêre, ob quam deinceps non tantùm Italia sæpiùs; sed & Orientis partes percursandæ fuerunt. Urbanus Siccensis Episcopus anno CCCCXVIII. Apiarium Presbyterum quorundam criminum reum gradu suo & Ecclesiæ communione ejecerat (k); hic rem suam utcunque restituturus, interjectâ ad Zosimum appellatione Romæ impetrabat, ut Faustinus Potentinæ in Piceno Episcopus cum Asello & Philippo Presbyteris Legatorum nomine in Africam ire juberentur. Pessimè habuit Africanos Antistites, quod contrà, ac mos earum Provinciarum ferret, Clerici damnati ad transmarina judicia provocarent: instantibus Legatis, id per Nicænos Canones licere, reponebant Afri, inter statuta Nicææ nihil ejusmodi legi; quare obtestabantur, ut causa tantisper prorogaretur, dum de legibus Patrum Nicæno-

(i) Honorii epist. ad Largum.

(k) Apud Harduin. T. I Coll. CC. in Codice Canon. Afric. Eccl. c. 134. sive epistol. Synod. ad Bonifacium.

(* 35.) PROSPER contra Collatorem c. 21. de Bonifacio ait: *Piissimorum Imperatorum Catholicâ devotione gaudebat . . . non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis est usus edictis.* Ex hoc Schismate porrò PAGIUS factum ait T. II. Critic. ad an. 419. n. 2. "ut primùm Honorius, dein Italiæ Reges, alii aliis temporibus sese Romani Pontificis electioni immiscuerint, quod malum à parvis profectum initiis, in grande Romanæ Ecclesiæ dedecus degeneravit." vide *nostram Dissertationem primam* de *Hierarchia Ecclesiastica editam anno* 1745. Cap. I. Sect. I. à pag. 44. ad pag. 57.

A.C. 419. rum certiùs conſtaret. Mortuo paulò poſt Zoſimo, ac Bonifacio ſuccedente lis de appellationibus acriùs efferbuit: octavo Kalendas Junii Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ delecti ex omnibus Provinciis Epiſcopi conſidebant: præſentibus illinc Romanis Legatis, cùm ex Zoſimi commonitorio duo rurſus Canones tanquam à Nicæna Synodo ſtatuti laudarentur, quorum altero Epiſcopos ad Pontificem, altero Presbyteros à Diœceſano Præſule damnatos ad finitimos Antiſtites provocare poſſe decernebatur; obluctati iteratâ vice Africani pernegabant, ſimile quid in græcis aut latinis exemplaribus haberi: quare in eam ivêre ſententiam, ut quidam ad Antiſtites Alexandriæ & Antiochiæ mitterentur, qui ſinceriores ibidem Nicænæ Synodi Codices inſpicerent (l). Legati dum ex Synodi mandato in Orientem abeunt; Canones omnium Conciliorum ab Aurelio habitorum breviter recitati & comprobati ſunt; ex qua Synodicorum decretorum congerie famoſus ille Codex Canonum Africanorum poſteà emerſit (m). Antequam Synodus ſolveretur, Fauſtino Epiſcopo Potentino adnitente Apiarius eum in modum reſtitutus eſt; ut procul à Siccenſi tractu alibi, nempe in Trabacena Eccleſia Presbyterii munere fungeretur. His peractis octavo ab adventu menſe Legati Romani in Italiam, & cæteri Præſules ad ſuos greges reverſi ſunt. Subinde Africanorum Patrum Legati ab Attico Antiocheno & à Cyrillo Alexandrino exemplaria Canonum Nicænorum ex antiquioribus Codicibus exſcripta unà cum utriusque literis (n) Carthaginem attulêre. In his quia nuſpiam illi duo Canones legebantur, quos utì à Nicæna Synodo editos Apoſtolici Legati publicaverant; decrevêre Epiſcopi Africani ad cauſam ſuam comprobandam, deſcriptos Codices ſine morâ interpoſita ad Bonifacium Pontificem Romam dirigi oportere (* 36).

Proviſionale judicium Afrorum de appellationibus ad ſedem Romanam.

(l) Ibidem pag. 492. & 493.

(m) Schelſtrat Tract. de Afric. Eccl.

Autographa Canonum Nicænorum mittuntur ab Orientalibus.

(n) Ibid. in Cod. Afric Eccl. c. 135. 136. & 137.

14. Per

(* 36.) M. ANTONIUS de DOMINIS l. 4. de Republic. Eccl. c. 8. n. 28. hìc criminatur: *Africana*, inquit, *Eccleſia Romano Papatui vehementer reſtitit tempore Auguſtini.* NORISIUS in Hiſt. Pelag. l. 1. c. 17. m. pag. 111. hanc calumniam latiùs depellit, pauca ex eo hìc afferemus: "Pro Africanis, ait, ſtabat antiquiſſima conſuetudo, quâ nullus Presbyter, Diaconus, aut inferioris ordinis Clericus ad transmarina judicia unquam provocaverat, quæ etiam Canone Synodali confirmata fuerat; ignorabant Africani Canones Sardicenſes, unde duo illi Canones, quos Legati Apoſtolici pro Romanæ Cathedræ privilegiis aſſerendis proferebant, nusquam ab Africanis inventi fuerant: non

in

14. Per idem tempus, quo Catholici Episcopi inter se certabant, Pelagiani quoque novos conflictus meditabantur: primam aciem eduxit Julianus, sectæ ejus audacissimus propugnator. Apuliam is natalem habuerat, piissimi Memorii Capuani Episcopi ac matris Julianæ degener filius: Hæreticæ labis adhuc expers ab Innocentio Pontifice *Eclanensi* (* 37) Ecclesiæ Præsul datus est (o). Quamdiu Innocentius vixit, Julianus integrâ mente Pelagio bellum indixit: at paulò post corruptus, cùm sub Zosimo in urbe de peccato originali disputaretur, liberè pro hæresi loqui cœpit, quin ejusdem Pontificis tractoriæ epistolæ, quâ orbis Episcopos damnationi Pelagii subscribere jubebat, palàm obsistens, ad generale Concilium provocabat (p). Zosimus inaudito hactenus appellandi genere contempto, Julianum, & septendecim alios Episcopos contumaces deposuit. Ictus fulmine Apostolico Julianus siluit; conflato tamen posteà inter Bonifacium & Eulalium schismate, ad audaciam confirmatus scribendi & furendi initium fecit.

(o) Marius Mercat. in commonit.

Juliani Pelagiani initia

(p) Idem in commonitorio p. 6. & 7.

in Sardicensi, quam ignorabant; inde ergo orta dissensio inter Africanam & Romanam Ecclesiam, in qua quidem Africani Pontificio Primatui minimè restitêre, imò Augustinus (utì ostendimus) Zosimi decreta insolitæ apud Afros consuetudini præponenda esse censuit. Etiamnum ex Adriani IV. Pontificis per Innocentium III. roborato Privilegio inferior Siciliæ Clerus Romam appellare non potest, & tamen non dubitat de Primatu Romano; Profectò, utì superiùs observavimus, Africani appellationes in rebus fidei admisêre. EPISCOPIS tamen AFRICANIS licitum fuisse ad Romanam sedem appellare tradit disertè Augustinus epist. 163., ubi agens de sententia lata contra Cæcilianum à Secundo Tigisitano Numidarum Primate ait: *Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum causam suam integram reservare.* Præterea cum Antonius Fussalensis in Numidiæ Synodo damnatus Romanum Pontificem Bonifacium appellâsset: isto verò interim defuncto Cælestinus eandem appellationem admisisset; Augustinus epistolam 261. ad Cælestinum dedit, quâ enixè eundem deprecatus est, ne Antonius, si in illius favorem judicaret, cum militari apparitura Fussalæ restitueretur; non enim se pati posse dicebat, *publicas potestates & militares impetus tanquam executuros Apostolicæ sedis sententiam* Appellationes verò Episcoporum in eadem epistolâ palàm admisit: *Existat*, inquiens, *exemplo ipsâ sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos.* vide plura apud dictum Authorem; consule etiam, quæ diximus suprà in Reflexione 8. ad L. IV. C. II.

(* 37.) NORISIUS Hist. Pelag. l. 1. c. 18. plures commemorat, qui variâ opinione varias Patrias adscribunt Juliano; ex *Mario Mercatore* tamen patet, eundem Eclanensem Episcopum fuisse, cui consentit PAGIUS in Critic. T. I. ad a. 418. n. 8. cæterùm Noris tradit, *Eclanum* fuisse antiquam Hirpinorum urbem, distantem Benevento ex Itinerario Antonini Pii P. XV. &c. vide plura in Norisio p. 113. & 114.

fecit. Comitis Valerii animum epiſtolâ primò tentavit, ut potentis viri patrocinium Catholicis eriperet (q): dein calumnias acres Clero Romano, Catholicíſque alia epiſtolâ aſpergebat; quaſi Manichæorum more, malam hominum eſſe naturam jactitarent, quódque ſub nomine gratiæ ita aſſererent factum, ut niſi Deus reluctanti etiam homini boni aut imperfecti cupiditatem inſpiraverit, nemo à malo declinare, nemo bonum arripere valeat (r). Atque inde concludebat, Deum Perſonarum acceptorem à Catholicis fingi, qui legem non ad tollenda, ſed ad augenda peccata dediſſet: adhæc falsò criminabatur Romanos docere, quod Adæ peccato liberum arbitrium perierit, & nemo jam habeat poteſtatem vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur. Demum in libro quodam Auguſtini legi mentiebatur, nuptias à Deo inſtitutas non eſſe. Valerius ne veritas defenſione careret; Auguſtinum rogabat, ut tot mendaciis elucubratione ſuâ occurreret: provocatus his precibus S. Doctor ſcripſit *librum primum de nuptiis & concupiſcentia*, in quo docet bonas eſſe nuptias, malam verò concupiſcentiam, quâ benè utuntur nuptiæ: Originis reatum tolli per baptiſmum: hominem à Creatore factum, ſed à deceptore ſubverſum, ut proinde Redemptore indigeat, & filii ob originariam maculam naſcantur Peccatores à mundis & ſanctis Parentibus. Julianus in Auguſtinum infremens quatuor libros repoſuit, in quibus non alia venditabat, quam quæ Theodorus Mopsveſtenus in quinque contra Hieronymum & Auguſtinum voluminibus dudum ſcripſerat. Nempe (s) Auguſtinum nuptias damnare, filios recens natos Diaboli opus aſſerere, liberum arbitrium fato ſubdere, mali naturam à Manichæis fictam iterum in Eccleſiam invehere, concupiſcentiam eſſe bonam, neque ex peccato ortam; naturales verò eſſe miſerias, ipsámque mortem. Sub finem anni CCCCXIX. Romam venerat Alypius, cui cùm Juliani quatuor libri obvenirent; excerpta ex iisdem ad Auguſtinum retulit: quæ ut citiùs confutarentur, Hipponenſis Præſul ſecundum librum de nuptiis & concupiſcentia exaravit. Præterea quatuor alios libros Bonifacio Pontifici inſcripſit: tribus primis voluminibus complectebatur, quæ contra Pelagianos acta fuiſſent; poſteà in quarto libro inſidias ejuſdem Sectæ ad quinque capita revo-

(q) Auguſt. l. 1. de nupt. & conc. c. 1.

Scripta Juliani contra Catholicos.

(r) Auguſt. l. 1. ad Bonif. c. 2. & 5.

Liber Auguſtini de nuptiis & concupiſcentia.

(s) Auguſt. l. 6. c. 8. contra Julian.

A. C. 420.

Alia ſcripta Auguſtini contra Julianum.

revocabat, quibus nimiùm extollerent creaturam, nuptias, legem, liberum arbitrium & Sanctos: atque ad hos errores proscribendos Universali Concilio haudquaquam opus esse asserebat, præterquam enim quod plures hæreses particularibus judiciis extinctæ sint; tum Hæreticorum superbiæ tantum tribui minimè oportere, ut propter eos totus orbis commoveatur (t).

(t) Augustl. 1.4. ad Bonif. c. 12.

15. Dum in Occidente calamo & scriptis adversus hæreses certabatur; in Perside contra Christianos ferro, omníque suppliciorum acerbitate pugnatum est (u). Persecutioni huic occasionem dederat Abdas Episcopus, qui immoderato zelo impulsus, Pyreum sive templum igni Persarum Deo consecratum destruxerat: quod cùm restaurare abnuisset Abdas; Isdegerdes Rex, occiso Abda eversísque Christianorum Ecclesiis, gravissimos, ac sævissimos fluctus (ùt Theodoretus ait) adversus alumnos pietatis excitavit (x): ac triginta jam elapsis annis permansit tempestas, à Magis tanquam quibusdam ventis, ac turbinibus suscitata; Isdegerdis quippe filius Vararane Patri succedens persecutionem auxit (y). Eodem anno scilicet CCCCXX., quo tantus Martyrum numerus in sacras tabulas referebatur; sacris dipthychis Chrysostomus inseri cœpit. Romana Ecclesia dudum cum Orientalibus communicare detrectabat, quòd tanti viri memoriam ab Episcoporum sanctorum syllabo proscriberent: Theodotus Antiochenus Alexandri successor primus à populo cogebatur, ut nomen Joannis in fastos referret (z); hoc exemplum secutus est Atticus Constantinopolitanus, monuítque simul Cyrillum Alexandrinum (a), ut duorum Antistitum vestigiis insisteret. At factum Attici Alexandrinensium Præsuli, duplici ex causa displicuit; tum quòd hac ratione Arsacius gradu suo, Ecclesiâ autem totâ ejiceretur omnis Ægyptus, Lybia & Pentapolis, queis persuasum esset, Chrysostomum legitimè depositum fuisse: neque minùs à se, reponebat, honorem habendum Theophilo Alexandrino prædecessori, ac avunculo suo, cujus scripta, & facta omnis Oriens concelebraret (b): durior etsi adhuc dum visus sit Cyrillus, quàm ut Chrysostomo in Ecclesiasticis tabulis locum daret; paulò post tamen sententiam mutavit, Isidoro Pelusiensi Abbate Presbytero hortante, qui monebat identidem, ut Ecclesiæ paci potiùs, quàm avun-

(u) Theod. hist. l. 5. c. 39. *Persecutio in Perside.*

(x) Marcell. in Chron. Socrat. l. 7. c. 18. Cyrill. Monach. in V. S. Euthymii.

(y) Theod. hist. l. 5. c. 39.

(z) Theod. hist. l. 5. c. 38.

(a) apud Baron. ad a. 412. ep. Attici ad Cyrill. Theophan. ad an. 419.

(b) Cyrill. ep. ad Attic. T. 5.

avunculi sui simultati consultum iret (c). Quantâ difficultate actum est in asserenda dipthychis memoriâ S. Chrysostomi; tantâ celebritate repentè sanctimonia Hieronymi hoc anno, quo è vita decessit, per Occidentem atque Orientem inclaruit (d); Martyrologium Romanum ejus memoriam ita adnotavit: *In Bethlehem Judæ depositio S. Hieronymi Presbyteri & Ecclesiæ Doctoris, qui omnium studia literarum adeptus, ac proborum Monachorum imitator factus, multa hæresum monstra gladio suæ doctrinæ confodit. Sepultus est ad præsepe Domini, cujus corpus posteà Romam delatum in Basilica S. Mariæ majoris digno honore servatur* (e).

Chrysostomi nomen in diptycha refertur.
(c) Pagius ad a. 420.
(d) Gennad. de vir ill. Sulpit. Sever. dial. 1.
Sancta mors S. Hieronymi
(e) Martyrol. Rom. 30. Sept.

16. Anno CCCCXXI. Alypius iterum in Italiam profectus *secundum* Augustini librum *de nuptiis & concupiscentia* ad Comitem Valerium, aliáque quatuor ad Bonifacium Papam volumina (f) detulit: verùm idem Tagastinus Episcopus eodem tempore non tantùm Augustini scriptis, sed & Imperatoris legibus Pelagianos profligari volebat; unde à Constantio in Honorii consortium assumpto Rescriptum accepit, quo novus Imperii collega jubebat, Cælestium, ejúsque Sectatores ab urbis pomærio ita propulsari, ut nec intra centesimum lapidem iis, nisi capitali pœnæ subjici mallent, consistere liceret (g). Hæc agente in Italia Alypio, Augustinus suos Hippone labores adversus Pelagianos in Gratiam amici Dulcitii urgebat: fuerat is ab Honorio in Marcellini locum in Africam delegatus, & strepentibus undíque Pelagianis movebatur, ut ab Augustino non paucarum quæstionum capita evolvi peteret (h). Responsum quando dabat Hipponensis Doctor; ad Enchiridion provocabat, quod Dulcitii fratri Laurentio ac Ecclesiæ primicerio Romam paulò antè transmisisset: in hoc probat (i), nasci hominem originali maculâ infectum, neque reparari amissum nitorem meritis, sed gratiâ Dei: fidem à nobis ortum non habere, sed esse donum Dei; totum illi dandum, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam: Deum prævenire nolentem, ut velit, subsequi volentem, ne frustra velit (k). Et quoniam in libello hoc velut credendorum omnium compendio cæteras quoque impugnabat hæreses; fidelium suffragia, quibus defunctorum animæ juvantur (l), & bonorum operum necessitatem asserebat; tum præcipuè ea, quibus

A. C. 421.
(f) Thom. de Herrera in MS. Bibl. Aug.
(g) Noris. hist. Pelag. l. 1. c. 20.
Liber Augustini de octo Q Q. Dulcitii.
(h) vid. Pagi ad a. 422. T. II. Crit.
(i) Enchir. c. 25.
Augustini Enchiridion.
(k) Enchir. c. 26. ... 34.
(l) August. Ench. c. 109. item l. 2. retract. c. 64.

Nestorii

Nestorii error ante ortum suum damnaretur. Interea Claudii Episcopi industriâ quatuor libri à Juliano compositi in Augustini manus pervenerant, quos cùm evolveret; facilè intellexit, in excerptis (à Valerio antè submissis) vix mediam veneni partem exhiberi, quod Julianus in confectis voluminibus pleniùs propinâsset. Pugnam igitur restaurandam putavit, sex illos contra Julianum libros scribendo, in quibus seipsum penè vicit; nam in reliquis lucubrationibus mirabilis, in hoc verò opere penè divinus apparebat (m). *In duobus prioribus* siquidem *libris* ex contextis Patrum sententiis ostendit, quantum Catholica fides à Manichæorum secta absit. *In tertio* commonstrat, bonas nuptias ab optimo hominum conditore Deo institutas; malam tamen esse concupiscentiam carnis, quo malo benè utatur pudicitia conjugalis, quamvis continentia sanctior eâ abstineat: illud porrò malum per inobedientiam Adæ exortum, ac in posteros traductum Baptismi gratiâ expiari. *In quarto* tradit, Gentilium virtutes morales non quidem esse vitia; deficiente tamen fide ad salutem inutiles: gratiam neque ex meritis dari, neque necessitatem homini inferre; nullum ex concupiscentia pudorem, nisi Adamus peccâsset, oriturum fuisse. *In libro quinto* docet, ex eadem massa humani generis alios gratìs prædestinari ad gloriam, alios nolentes in damnatione relinqui. *In ultimo* totus est in asserendâ Originis labe; ac in salutari omnibus hominibus morte Servatoris.

(m) August. epist. 107. & l. 2. retr. c. 62.

Libri sex Augustini adversus Julianum.

17. Anno CCCCXXII. Bonifacius Pontifex antiquam Apostolici Patriarchatûs per Illyricas Provincias jurisdictionem stabilivit: vindicare hanc sibi paulò ante conatus fuerat Atticus Episcopus Constantinopolitanus (n), qui Præsulibus Illyrici quoddam Theodosii Imperatoris rescriptum exhibens, eosdem ita permoverat, ut à Patriarcha Romano ad Constantinopolitanum defectionem meditarentur. Itaque Rufi Thessalonicensis Episcopi & sanctæ Sedis per Illyricum Vicarii mandata negligere, atque illo nullatenus consulto indicere Concilia, imò sententiam Romani Antistitis retractare præsumebant; id cùm Rufus Bonifacio nunciaret; addidit recentius injuriæ exemplum, scilicet Perigenem olim Patrensem Episcopum, nunc à summo Pontifice Metropolitam Corinthi constitutum, citra Vicarii consensum vocari in Corin-

A. C. 422.

(n) Baluzius in supplem. ad l. 5. Marcæ de Concord. c. 24.

Divisio Illyrici à Patriarchatu Occidentis tentata.

thiacam Synodum, parúmque abesse, quin causâ rursus discussâ judicium sanctæ Sedis elidatur. Bonifacius ægrè ferens ab Illyrici Episcopis ea agi, quibus jura Apostolici Patriarchatûs convellerentur, amplâ epistolâ iis commonstrat (o) potestatis suæ, multis documentis confirmatæ, vetustatem (†); dein Honorio Occidentis Principi persuadet, ut apud Theodosium Thessalonicensis Vicarii patrocinium suscipiat. Quod ubi piissimus Imperator præstitisset; Theodosius latam anteà legem revocans ad Præfectum Prætorio Illyrici scripsit: ut cessantibus Episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri; ne venerabilis Ecclesia sanctissima urbis privilegia à Veteribus constituta amittat, quæ, perenne nobis sui nominis consecravit Imperium (p).

Bonifac. Papa jura suæ sedis vindicat

(o) Ep. Bonifac. ad Epp. Thessalon. apud Holst.

(†) Reflexio V.

(p) Holstenius p. 83.

A.C. 423.

Mors Bonifacii Pontific.

18. Annus sequens CCCCXXIII. duplex ac luctuosum Imperio & Ecclesiæ funus dedit; Honorio enim decimâ quintâ Augusti mortuo (q), vigesimâ quintâ Octobris Bonifacius quoque è vitâ ac Petri Cathedrâ decessit (r): annis tribus, mensibus octo, ac septem diebus, quibus clavum Ecclesiæ rexerat, Imperatorum Catholicâ devotione gaudebat, & contra inimicos fidei non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur edictis.

(q) Socrat. l. 7. c. 22.

(r) Pagi T. II. Crit. ad an. 423. n. 6.

§. III. *Sub* CÆLESTINO *Pontifice variæ ad Sedem Romanam appellationes instituuntur, Augustinus Monasterium suum excolit: Adrumetinis Monachis dissensionem & Massiliensibus Semipelagianis errores suos scriptis libris adimere conatur: ejus pius obitus. Cyrillus duodecim Anathematismos Nestorianæ hæresi opponit:* CONCILIUM GENERALE EPHESINUM *Nestorium damnat, & Joannem Antiochenum, aliósque fautores Nestorii. Cælestino Papæ succedit* SIXTUS III., *Nestorio Episcopo Constantinopolitano deposito sufficitur Maximianus, & huic Proclus, quem demum Flavianus secutus est. Persecutio Vandalica: Synodi Rejensis, Arausicana I., & Vasensis.* LEONIS M. *Pontificis zelus contra Manichæos, & Priscillianistas; ejus dissidium, cum Hilario Arelatensi: Synodus Constantinopolitana contra Eutychetem, pseudo-Synodus Ephesina pro Eutychete: hujus acta Leo Pontifex rescindit.*

1. POst fatum Honorii ob Joannis Tyrannidem Imperium turbarum aliquid, nihil tamen incommodi Ecclesia habuit; nam Cælestinus natione Campanus Bonifacio sine ulla plebis discissione successit (a). Decessorum is vestigia secutus Pelagii sectatores ab Italiæ finibus prorsus ejecit (b); quare Julianus iram Pontificis non ferens unà cùm alumnis suis in Ciliciam se recipit, apud Theodorum Mopsvestenum ampliorem seu convitiorum seu errorum farraginem collecturus (c). Florebat hoc tempore idem Theodorus apud Orientales non tenui doctrinæ famâ, quam in Patria sive Antiochena in urbe (d) comparaverat, sive cùm Rhetoricam sub Librario Sophista, aut Philosophiam sub Andragathio profiteretur. Ad multiplicem eruditionem efformatus, suadente Chrysostomo, qui ejus Sodalis fuerat, Monachum ad breve tempus induit (e): hujus propositi tamen subinde pœnitens ad sæculum respectabat: & carnalibus vinculis implicitus fuisset; nisi Chrysostomus homini mentem reddidisset saniorem. Posthæc ad Monasticam vitam regressus, sub Diodoro & Carterio (qui Monasteriis præerant) sacras didicit literas: iisdem Magistris adnitentibus in Olympii Mopsvestiæ Episcopi locum anno CCCXCIV. surrogatus est (f); dignitate Præsulis refulgens, à voluminibus contra Arii & Apollinaris dogmata exaratis magis in orbis oculis resplenduit (g). Sed dum plus, ac fas erat, ingenio indulget; in eos errores abripitur, quibus Pelagianæ hæresis sternere fundamenta visus est: docebat enim Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, erat moriturus (h). Hæresis ejusmodi ubi posteà à Pelagio spargebatur; suam porrò manum Theodorus laboranti errori adeò commodavit, ut eum adversus Hieronymum atque Augustinum non unâ lucubratione infestâ tueretur (i). Ad hunc igitur Pelagianorum Patronum Julianus quoque confugit; quando ab Italia proscriptus, Hipponensis Doctoris librum secundum de nuptiis & concupiscentia rabido calamo invadere decreverat: & suggerente Theodoro materies cavillandi ita excrevit, ut Julianus uni Augustini libro octo libros opponeret (k), in quibus præter acerrima convitia, perperam docebat concupiscentiam inter bona naturalia reputandam, ex peccato originali (cujusmodi nullum esset) nihil miseriarum in Adæ pro-

A. C. 423.
Cælestinus Papa.
(a) Prosper adv. Collat. c. 41.
(b) Idem l. c.
(c) Marius Mercat. contra Julian.
(d) Syn. V. Coll. 5.
Theodorus Mopsvestenus.
(e) Socrat. l. 6. c. 3. Sozom. l. 8. c. 2.
(f) Pagius ad an. 423. n. 16.
(g) Liberatus in Brev. fine.
(h) Marius Mercator in Commonit. p. 3.
(i) Photius Cod. 177.
(k) Noris. l. 1. c. 22.

progeniem, nil in liberum arbitrium infirmitatis derivari. Gratiam quidem per baptismum infundi, sed quæ adoptionem ad Regnum cælorum largiatur, non quæ primigeniam labem à pueris contractam in baptismo amoveat. Julianus ex tot molitionibus nihil admodum beneficii retulit, quàm ut omnium Orientalium vocibus Pelagiana hæresis damnaretur; nam Syriæ Synodus (agente Praylo Hierosolymorum Episcopo) Pelagium Palæstinâ deturbavit. Neque cum Juliano mitiùs actum est, sequente enim anno in Provinciali Ciliciæ Concilio toto Cilicum agro tantâ consensione exesse jubebatur (l); ut nequidem Theodoro Mopsvestino contrà hiscere licuerit: eâdem fortitudine Atticus Constantinopolitanus, & post eundem Sisinnius errorum Magistros à Regia urbe exclusos voluêre.

Damnatur ubique Pelagiana hæresis

A. C. 424. & 425.

(l) Marius Mercator in præf. ad Symbol. Theod.

2. Dum Augustinus Pelagianorum naufragia de securo conscientiæ portu lætus contuebatur; domestico dolore affligi cœpit: crescente fidelium numero per Hipponensem Ecclesiam, Augustini intererat, novum in villa Diœcesis instituere Episcopum, qui à Numidiæ Primate ordinatus, Præsuli tamen Hipponis subjectus, in laborum suorum partem veniret: delegit autem præ cæteris Antonium adolescentem, cujus virtuti ideo confidendum duxit, quòd eum ab infantiâ nutrivisset (m). Sed Juvenis ad Episcopatum Fessulanensem subvectus alium se, ac sperabatur, præbuit; in varia quippe crimina prolapsus eo devenit, ut communione tantisper (dum corrigeretur) separandus videretur: obrepebat nihilominus idem Numidiæ Primati, idque dolosis precibus ab eo exsculpebat, ut preces apud Pontificem interponeret, quibus ipse scilicet Fessulanensi Ecclesiæ omnino restitui juberetur. Antonius ubi furtivâ hâc ad Papam appellatione sententiam mitiorem extorserat; Augustinus ad Cælestium dedit literas, in quibus ea, quæ reticuerat Antonius exponit, hoc maximè precatus, ut si Papa in Antonii favorem judicaret, cum militari apparitura (ut Antonius minabatur) nequaquam restitueretur; non enim pati se posse scribebat, publicas potestates & militares impetus tanquam executuros Apostolicæ sedis sententiam. Cælestinus ista edoctus Antonio causam abjudicavit. Non feliciorem eventum habuit altera Apiarii ad sedem Romanam provocatio, huic agente Faustino Zosimi Legato

(m) August. epist. 209. aliàs 261.

Antonii Fessulanensis appellatio ad sedem Romanam.

Apiarii altera appellatio ad sedem Romanam.

Legato in Tabracensium Ecclesia Presbyterii munere fungi concessum fuerat; sed majorum criminum reatu ibidem contracto novo anathemati subjicitur. Damnatus ad Cælestini judicium rursus appellat, à quo cùm Faustinus denuò in Africam mitteretur, ut cum Episcopis Apiarii causam retractaret (n); accidit, ut homo nefarius conscientiæ stimulis actus ea, quæ obstinatâ fronte negaverat, in publicâ Synodo confiteretur: quare in Synodica ad Pontificem urgebant Afrorum Antistites, ut deinceps Romam venientes tam facilè non admittat, neve communioni adsertos velit, quos Patrum sententia proscripsisset.

(n) Harduin. in T. I. CC. pag. 947.

3. Augustinus interea Pelagianis ubique prostratis, vacuas ferè manus liberiùs adhibebat ad domum suam, atque Hipponensem Ecclesiam excolendam: & domui quidem fuæ ut bene præpositus esset (o); Clericos sociali vitâ conjunctos votorum Paupertatis, ac castimoniæ arctiore nexu adstringebat (p). Quod ut præstarent faciliùs, iisdem ipse virtutibus ubique præibat: & licèt unus aliquando in Monasterio Hipponensi fuerit, qui cum pecuniâ sibi retenta obiisset; S. tamen Præsul brevi hanc offensionem populi inde amovit, quòd repertam pecuniam Ecclesiæ ab eo relictam velut sacrilegum munus respueret, tum quod ab hoc tempore frequentiùs suis comminaretur, ni proprium omne abjicerent, singulos quosque Clero ejectum iri (q). Adhæc Parthenoni, cui anteà Augustini soror, dein Felicitas virgo præfuit, certum vitæ institutum datis legibus præscripsit (r): demum in Ecclesia sua forma gregis factus ex animo, veste utebatur non nimiùm nitidâ, nec tamen nimis vili: moderati erat victûs, quem lectio sacra interpolabat, inter mensam rodere alterius famam nemini indulsit: demum in controversiis suorum citra forensem strepitum componendis totus erat. Laboribus ejusmodi fractus cùm jam septuagesimum annum Augustinus superâsset, coram Clero & populo congregato successorem Eradium petiit, quem virtute, ac collatis in Ecclesiam beneficiis digniorem omnium suffragia meritò comprobârunt (s).

A. C. 426.

Augustini vita privata ac virtutes.

(o) Possid. in V. c. 19.

(p) August. de diversis serm. 353. & 356.

Monasterium S. Augustini.

(q) Sermo de diversis 353. aliàs 49. & 356. aliàs 50.

(r) August. epist. 211. aliàs 109.

Eradius successor S. Augustini designatus.

(s) August. epist. 213. aliàs 110.

4. Quantumcúmque senio & lucubrationibus fessus Præsul Hipponensis ad quietem anhelaret; Adrumeti tamen (in Metropoli Provinciæ Byzacenæ) Monachorum quorundam exortæ conten-

A. C. 427.

(t) Norisius Hist. Pelag. l. 1. c. 23.

Adrumetinorum Monachorum de gratia & libero arbitrio dissensio.

tentiones ad repetendum laborem coëgêre (t): Florus unus ex Adrumetinis Monachis Uzalam (in urbem Provinciæ Proconsularis) profectus, incidit in epistolam Augustini ad Sixtum Presbyterum, eámque descriptam misit ad suos. Hi acceptas literas, & quæ in iis continebantur de divina gratia & prædestinatione recondita Mysteria, curiosiùs scrutati, in alienos plane sensus, & subinde in non obscura dissidia abierunt; quidam enim eorum gratiam sic prædicabant, ut negarent liberum hominis esse arbitrium, quódque in die judicii Deus non sit redditurus cuíque secundum opera ejus: alii tamen rectè sentientes fatebantur liberum arbitrium adjuvari per gratiæ auxilium, ut recta sapiamus & faciamus (u). Valentinus Cœnobiarcha altercationum finem facturus ab Evodio Uzalensi Episcopo instrui petiit, qui rescribens docebat, in homine lapso esse quidem liberum arbitrium, sed infirmatum egere Medico & Salvatore Christo. Præterea suasit, ut Hipponensem Doctorem consulerent, eoquòd præter Augustinum Augustinianæ sententiæ melior interpres esse vix queat (x). Indulgente igitur Valentino, duo Monachi Cresconius & Felix Hipponem moverunt, dúmque litis causam S. Doctori referunt; Augustinus ad compescendam discordiam librum *de gratia & libero arbitrio* elucubrando, docebat ex sacris literis primò hominis libertatem: dein ad præcepta Dei implenda necessitatem gratiæ commonstrabat; quæ præ lege id habeat, quòd bonos faciat adjuvando, desideriúmque omne bonum præcedat: atque ut gratiam sine meritis dari porrò ostenderet; parvulorum statim post baptismum decedentium exemplo usus, id porrò, cur eorum unus salvetur, damnetur alter, in occultis Dei judiciis reponebat. Addidit libro huic Hipponensium Antistes alia Conciliorum, Pontificúmque eam in rem decreta (y), quæ ubi ad Monachos Adrumetinos relata fuissent, novum inde errorem arripuêre; uno enim illorum legente bona opera esse dona dei, eò aberravit, ut diceret illum, qui divina præcepta non impleret, minimè corripi oportere, quin potiùs orandum Deum, ut hoc donante faciat, quod jubeatur. Cœnobiarcha Valentinus de novo errore literis Augustinum instruens, à S. Doctore secundum & plenum divinæ authoritatis librum impetravit, *de correptione &*

(u) August. epist. 214. aliàs 46.

(x) August. epist. 256.

Liber S. Augustini de gratia & libero arbitrio.

(y) August. epist. 215. aliàs 47.

Liber S. Augustini de correptione & gratia.

& gratia inſcriptum, quo ſapientiſſimus Epiſcopus tradebat, non penes lutum ſed figulum ſtare, ut in eadem maſſa perditionis unum vas fiat ad honorem, alterum ad contumeliam: perſeverantiam in bono eſſe donum Dei, homines prædeſtinari ad gloriam & gratiam non ſecundum eorundem propoſitum, ſed Dei: voluntatem hominis non libertate gratiam conſequi, ſed gratiâ libertatem: diverſam eſſe gratiam hominis innocentis & reparati (* 38), eſſe illam adjutorium, quo fit, ut poſſimus bene agere, ſi volumus; hanc verò reapſe facere, ut velimus; unde una eſt adjutorium *ſine quo*, altera adjutorium *quo*; iſtâ enim humana voluntas *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter* agitur (* 39).

5. Scri-

(* 38.) AUGUSTINUS libr. de corr. & grat. c. 10. 11. & 12. de finali perſeverantia docet: I. Quod Adam rectus & fortis præter dona à Deo conditore accepta, habuerit inſuper gratiæ actualis adjutorium ſufficiens, cum quo in ſtatu innocentiæ perſeverare potuiſſet, à quo ſtatu ſuo dein liberi arbitrii abuſu excidit. II. Quod ſancti, & prædeſtinati quamvis infirmi habeant gratiam efficacem, quâ re ipsâ perſeverent: *Primò rectiſſimè*, inquit, *credimus Deum, Dominúmque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiam, bonitatémque pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere . . . ſic ordinâſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, juſtitiæque judicium. . . Hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis futuri ſui casûs ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto, ac ſinè vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profectò ſine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito hujuſmodi permanſionis, beatitudinis plenitudinem, quâ & ſancti Angeli ſunt beati, id eſt, ut cadere non poſſet ulteriùs, & hoc certiſſimè ſciret. . . Quia verò per liberum arbitrium Deum deſeruit, juſtum judicium Dei expertus eſt, ut cum tota ſuâ ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratiâ Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, quâ jam tenentur obſtricti. . . Quid ergo! Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat. Sancti verò in hac vita . . . in malis ſunt. . . Ille in illis bonis, Chriſti morte non eguit: iſtos à reatu & hæreditario, & proprio: illius Agni ſanguis abſolvit. Ille opus non habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cùm dicunt:* video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. *. . Proinde etſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent iſti. . . Iſtam gratiam non habuit homo primus, quâ nunquam vellet eſſe malus, ſed ſanè habuit, in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. . . Nunc verò ſanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.*

(* 39.) Duo hìc notanda veniunt. I. Quod AUGUSTINUS l. de correp. & gr. c. 8. gratiam, quæ Adamo data eſt ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ, appellet AUXI-

A. C. 428. *Libri Retractationum S. Augustini*

5. Scripserat hucusque Augustinus adversus Pelagianorum lucubrationes; at hoc anno ipse in sua scripta stylum censorium vertit: duobus proinde retractationum libris edita à se opera nonaginta tria in ducentos triginta duos libros digesta ad limam revocabat, ut, quæ Pelagianis favere in illis à minùs intelligente fortè putari poterant, corrigerentur. Adhuc fervebat opus, tum ad ejus manus quinque libri Juliani perveniunt, quibus acceptis sanctissimus senex velut à devicto toties hoste rursus provocatus, quartâ jam vice in arenam regreditur: opus tamen, quod Juliano opposuerat, absolvere per alia negotia non licuit; nam error eorum, qui Semipelagiani posteà dicti sunt, paulatim erupit, ad quorum initia suffocanda Augustini opera sollicitè implorabatur. Vitalis vir eruditus in Ecclesia Carthaginiensi cùm in eadem, quæ Adrumetinos Monachos distraxerat, quæstione laboraret; existimabat haud aliâ ratione liberum posse arbitrium, simúlque Dei Justi-

AUXILIUM SINE QUO, sive tale, sine quo perseverare non potuisset. II. Quod gratiam, quâ prædestinati perseverant finaliter, nominet AUXILIUM QUO: fieri enim non potest stante hoc adjutorio, quo quis perseverans redditur, ut peccet, & non perseveret. Quare cap. 12. in eodem libro ait: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur... fortissimo scilicet Adamo dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quæ verba ne in præjudicium libertatis detorqueas, scito, quod Deus peccatores ex purâ misericordia per gratias efficaces perducat ad justitiam, illósque in eo statu servatos è vivis rapiat, & glorificet. Neque enim perseverantia finalis aliud includit, quàm *primò* multas gratias actuales efficaces, quarum ope Deus electos ducit ad fidem & justificationem; ac ne postea graviter peccent, prohibet, vel lapsos erigit, atque in statu justitiæ conservat usque ad præfinitum tempus. *Secundò* eadem perseverantia adjunctam habet specialem providentiam, quâ Deus prædestinatos è vivis rapit, dum sunt in statu justitiæ, ne scilicet malitia mutet eorum intellectum. vide c. 8. in lib. de corr. & gr. Cæterùm adverte, Augustinum tantùm semel meminisse illius divisionis de *adjutorio quo*, & de *adjutorio sine quo*, quando disputabat de gratia finalis perseverantiæ: quæ cùm præter gratias actuales alia Dei benificia includat; malè is ageret, qui his characteribus & integri & lapsi hominis gratiam actualem discernere vellet; neque enim in statu naturæ integræ Adam solummodo habuit adjutorium *sine quo*, seu gratiam sufficientem, sed & *adjutorium, quo* fit bonum opus, eoquod neminem lateat, quod Adamus ante prævaricationem suam jam Deo crediderit, ipsúmque amârit. Cæterùm gratia actualis, quæ data est in statu naturæ integræ, differt à gratia actuali, quæ nunc datur in statu naturæ lapsæ per hoc, quod illa fuerit *latior*, & gratia sanitatis, hæc modò sit *potentior*, quia medicinalis; necesse est enim, ut lapsi hominis cæcitati & infirmitati, quas originale induxit, medeatur.

Juſtitiam defendi, niſi dicatur, initium fidei à nobis, non verò ex Deo exiſtere; quo ſemel poſito religioſæ aut Chriſtianæ vitæ fundamento, nullatenus abnuebat, cætera bona per Dei gratiam jam ex fide petentibus, quærentibus, ac pulſantibus donari. Vitalem à veritatis ſemita ubi eum in modum aberrare, Auguſtinus audiit; hominem ex ſolitis Eccleſiæ precibus primò confutat: dein duodecim regulas proponit, quæ fidem Eccleſiæ circa gratiam breviùs complecterentur (* 40). Volumine ſubinde ampliore opus fuit, quando errorem à Vitale in medium projectum pejùs in Gallia graſſari intellectum eſt. Joannes Caſſianus (quem alii Patriâ Romanum ſeu Latinum, alii meliùs Gallum, ac in Provincia natum dixêre) græcis, latiníſque literis eruditus, in conſuetudinem Germani monachi devenerat, cum quo in Ægyptum ſecedens, Aſceſin Anachoretarum ibidem degentium mirari, & æmulari didicit. Exemplis SS. benè imbutus, circa an. CCCXCVIII. Clero adſcribitur à Chryſoſtomo (a), qui Præſul cùm anno CCCCIV. ſede Conſtantinopolitanâ ejiceretur; pro exule Epiſcopo ipſe Caſſianus legatione apud Innocentium Papam perfunctus eſt (b). Dein mortuo Chryſoſtomo anno CCCCVII. Conſtantinopoli Maſſiliam profectus, ſuſcepto Sacerdotio duo Monaſteria

Caſſianus Semipelagianorum Anteſignanus.

(a) Caſſian. l. 7. de incarn. c. ult.

(b) Innoc. ep. ad Cler. Conſt.

(* 40.) Regulæ fidei de gratia ab AUGUSTINO epiſt. 217. aliàs 107. ſic proponuntur: 1. *Scimus nondum natos nihil egiſſe in vita propria boni ſeu mali, nec ſecundùm merita prioris alicujus vitæ . . in hujus vitæ venire miſerias: ſed tamen ſecundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere, nec liberari à ſupplicio mortis æterno, quod trahit ex uno in omnes tranſiens juſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto.* 2. *Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus ſecundùm merita noſtra dari.* 3. *Scimus majoribus ad ſingulos actus, ſcilicet Salutares dari.* 4. *Scimus non omnibus hominibus dari*, (ſcilicet ſecundùm propoſitum & vocationem efficacem ad fidem, de qua hìc agit) *& quibus datur, non ſolùm ſecundùm merita operum non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.* 5. *Scimus eis, quibus non datur*, (ſcilicet gratia efficax) *juſto Dei judicio non dari.* 6. *Scimus, quod omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unusquisque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit; non ſecundùm ea, quæ ſi diutius viveret, geſturus fuit ſive bonum ſive malum.* 7. *Scimus etiam parvulos ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, recepturos. . .* 8. *Scimus felices eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere, quidquid acturi fuerant.* 9. *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſuâ id facere voluntate ac libero arbitrio.* 10. *Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui jam credimus, rectâ fide agere, cùm Deum oramus, ut velint.* 11. *Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, rectè atque veraciter & debere nos Deo agere gratias & ſolere.*

(c) Guesnajus c. 44. & Castor epist. apud Cassian.

(d) Cassian. lib. 12. c. 14. *Cassiani error.*

(e) Cassian. Coll. 13.

(f) Noris. Hist. Pelag. l. 2. c. 1.

(g) Cassian. in præfat. ante Coll. 18.

(h) Cassian. Coll. 13. à c. 11. ad 22.

steria condidit Virginum alterum, alterum Virorum (c): de his quia virtutis non vulgaris opinio concipiebatur; Castor Aptensium Antistes anno CCCCXIX. per literas cum Cassiano egit, ut ad culturam sui quoque Monasterii, quod Aptæ exstruxerat, commentarios quosdam de institutis Monachorum Ægypti sibi transmitteret. Cassianus petenti morem gessit, ac duodecim de eodem argumento libros exaravit, in quibus disciplinam Monachorum Orientalium benè describens, pessimum tamen Semipelagianorum errorem admiscuit (d). Etsi enim à Pelagio in eo discederet, quod negaret, gratiam Dei secundùm merita dari; in veritatis nihilominus semita non stetit: dum docebat, posse nos bona opera humanis quidem viribus inchoare, at non sine divina gratia perficere (e). Post tres annos Castore è vivis sublato, idem Cassianus Leontio Episcopo Forojuliensi Castoris fratri, uti & Helladio Aptensis Cœnobii Abbati decem priores Collationes inscripsit (f): in iis pertractans de interioris hominis statu, modum tradebat purgandi vitia, virtutésque consectandi. Florebat eodem tempore in insula Provinciæ adjacente aliud Lerinensium Monasterium sub Honorato Abbate: ex hujus consilio cùm Cœnobitæ Cassiani scripta pervolverent, unus eorum Eucherius apud authorem institit, ut Collationibus jam editis novas adderet: Cassianus igitur anno CCCCXXVI. (g) quatuordecim alias apposuit, inter quas famosior Collatio decima tertia, utpote aperta Semipelagiani erroris epitome (h): in hac postquam professus esset, à labe Originis infirmatum fuisse liberum arbitrium; inde concludit, nullum ab eo salutare opus nunc inchoari, aut perfici posse, nisi divinâ adjuvetur gratiâ, atque hanc à Deo ita dispensari, ut quandoque à nobis exspectet initium quoddam bonæ voluntatis, quam adjuvet & perducat ad consummationem, quo non obstante gratiam gratìs dari asserebat, eoquod ejus conatus tantæ retributioni omnino impar existeret: & quanquam à libero arbitrio ortum bonæ voluntatis initium inter salutaria opera, (quorum principium utique Deum solum agnoscit) nullatenus recenseat; in eo tamen capite prorsus aberrat, quod statuat naturale desiderium supernaturalis gratiæ à nobis esse, illúdque à Deo exspectari, imò exigi, ut ad opus salutare nos

per-

Maſſilienſes aliique per Galliam Caſſianum ſequuntur.

perducat (* 41). Probitas & eruditio tanti viri fecit, ut Maſſilienſes, aliique per Galliam docti viri, ſententiam Auguſtini de gratuita prædeſtinatione tum ad fidem, tum ad gloriam aſpernati (i), in erroneas opiniones ſe induerent: quare præterquam quod primam gratiam aut fidei initium in deſiderio ſalutis aut voluntate credendi conſtituerent, ſubderéntque humanæ voluntati adjutorium divinum (* 42), aberrantes porrò docebant, nullam eſſe Electorum vocationem ſecundùm propoſitum; nam licèt *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, ac Deum velle omnes homines ſalvos fieri*, Catholica quoque doctrina ſit; id tamen Semipelagianis proprium, quòd dicerent Deum ſingulari voluntate, conſilio & propoſito nolle Prædeſtinatorum ſalutem, & Redemptionis ſuæ fructum his non magis efficaciter, quàm aliis applicare. Preſſi ſubinde eo argumento, quo oſtendebatur parvulorum alios, qui voluntate ſuâ minimè peccârint ad regenerationis lavacrum, adque hæreditatem cæleſtem pertingere, alios contra ejuſdem conditionis citra hoc medium morti perpetuæ ſubjacere, reponebant: tales ſive perdi, ſive ſalvari, quales futuros

(i) Noriſ. Hiſt. Pelag. l. 2. c. 2.

Alii errores Semipelagianorum.

(* 41.) CASSIAN. Collat. 13. *Propoſitum namque Dei, quo non ob hoc hominem fecerat, ut periret, manet immobile. Cujus benignitas cùm bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque ſcintillam emicuiſſe perſpexerit, vel quam ipſe de dura ſilice noſtri cordis excuſſerit, confovet eam, & exſuſcitat; ſuâque inſpiratione confortat, volens omnes homines ſalvos fieri...* & c. 8. *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis reſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quem vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe..* c 9. *ut autem evidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum (quod beneficio Creatoris indultum eſt) nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, niſi à Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum venire non poſſunt; Apoſtolus teſtis eſt dicens: velle adjacet mihi, perficere non invenio...* c. 10. & 11. *Prævenit ergo hominis voluntatem miſericordia divina, de qua dicitur: Deus meus, miſericordia ejus præveniet me: & rurſus Dominum remorantem, atque utiliter quodammodo ſubſiſtentem, ut noſtrum experiatur arbitrium, voluntas prævenit noſtra, cum dicitur: & manè oratio mea præveniet te...* & c. 12. *Si enim dixerimus noſtrum eſſe bonæ principium voluntatis, quid fuit in perſecutore Paulo?.... Sin verò gratiâ Dei ſemper inſpirari bonæ principia voluntatis dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce orationis pietate dicemus?... quomodo oramus: confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis...* c. 13. *Et ita ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel exſpectet... & nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeveret, dum exiguis quibusdam, parviſque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona ineſtimabili tribuit largitate.*

(* 42.) Ex PROSPERI Epiſt. ad Auguſtin. colligitur, Semipelagianorum errorem præcipuum fuiſſe eum, quo docebant, deſiderium ſalutis & voluntatem credendi, quam

A. C. 429. ros illos in annis majoribus ſcientia divina prævidiſſet. Inde prædeſtinatorum certum numerum inficiati, perſeverantiæ finalis inſuper donum purè gratuitum (quod electis tantùm daretur) pervicaciter abnegabant (k). Congeries tanta errorum cùm per Galliam pullularet, Proſper & Hilarius datâ ad Auguſtinum epiſtolâ cuncta renunciant, dein beneficii loco Proſper exorabat ſibi, ut S. Doctor exponeret; quâ ratione per gratiam præoperantem & cooperantem liberum non impediatur arbitrium, & quis demum modus in prædeſtinationis myſteriis exponendis tenendus ſit? Auguſtinus his literis permotus ad utrumque miſit libros, *de prædeſtinatione Sanctorum*, & *de dono perſeverantiæ*: in Priore commonſtrat Semipelagianos in quæſtione de prædeſtinatione SS. à Pelagii ſententia non recedere, ſiquidem humani arbitrii viribus initia fidei adſcribant; poſtremas proinde Deo, homini primas in operatione ſalutis partes tribui, qui præpoſterus ordo ex eo redarguitur, quod Apoſtolus dixerit: quid autem habes, quod non accepiſti? gratiâ duritiam cordis auferri, & ad Chriſtum pervenire eos, qui à Patre docentur, ut veniant: denique quod prædeſtinatio ſine meritis detur, deduci ex ſacris paginis; tum maximè à Chriſto gratuitæ prædeſtinationis exemplari (*43). Non

(k) Proſper in epiſt. ad Auguſtin.

Liber Auguſtini de prædeſtinatione SS. & de dono perſeverantiæ.

quam fidei initium vocabant, eſſe à nobis per ſolas vires liberi arbitrii, in quo conſiſtit initialis gratia, cui per naturalem facultatem petenti, ac pulſanti gratiam ſuam retribuit Deus: ſine qua opus ſalutare nec inchoare, nec perficere poteſt homo; nam illud ſalutis initium inter opera ſalutaria non eſt numerandum. Hinc exiſtit propoſitio iſta ab Innocentio X velut falſa & hæretica damnata: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent gratiam eam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare* Damnatio propoſitionis æquè tangit primam atque ſecundam partem; falſum quippe eſt, Semipelagianos admiſiſſe gratiæ prævenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, dicente PROSPERO: volunt Semipelagiani hominem *ad hanc gratiam, quâ in Chriſto renaſcimur, pervenire, per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Falſum quoque eſt, quod Semipelagiani intrinſecè efficacem gratiam admiſerint, more Janſenii. Demum hæreticum eſt, dicere gratiam adeò à ſe ipſa efficacem eſſe, ut neque reſiſtere humana voluntas pro ſuo arbitrio eidem poſſit: vel ſi velit, illi etiam nequeat obtemperare; nam TRIDENTINUM CONC. ſeſſ. 6. c. 4. definit: *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Plura de his in ſequentibus Tomis agemus, eo loco præcipuè, ubi de Janſenii erroribus tractabimus.

(* 43.) AUGUSTIN. l. de prædeſt SS. c. 8. *Quid eſt omnis, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me? niſi quia nullus eſt, qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat*

Non minùs fortiter in Posteriore libro Augustinus contendit perseverantiam esse donum Dei: hanc aliis citra meritum, sed ex misericordia dispensari; aliis justo Dei judicio negari confirmat (l).

6. Dum adversùs hostes fidei luctabatur Augustinus; Bonifacius Comes Vandalos pejores Africanarum Ecclesiarum eversores ex Hispania accivit. Augustinus à proposito frustra deterruit hominem aliàs amicum (m); quare hic se ipsum in exitium, simúlque quadringentas triginta Ecclesias in ruinam impulit (n). Cædibus ac rapinis cùm omnis Africa misceretur; in tanta turbatione præcipui Episcopi consumpti sunt, scilicet Aurelius Carthaginiensis & (o) Alypius Tagastensis, quorum funera cumulavit quinto Kalendas Septembris S. Augustinus Hipponensis. Hanc enim urbem postquam Vandalorum exercitus terrâ maríque in tertium mensem obsidione conclusisset; S. Antistes composito de hæresibus libro, & confutatis sex Juliani libris ad duos reliquos refellendos se accingens (* 44), graviore febri corripitur, cui paucos intra dies succumbens, vivendi & scribendi finem fecit (p); Vandalico proinde simul & Pelagiano bello immortuus anno vitæ se-

(l) Aug. de dono persev. c. 6. 7. 9. 12.

Augustinus Bonifacium Comitem à proditione Africæ dehortatur.

(m) August. epist. 220. aliàs 70.

(n) Procop. lib. 1. hist. Vand. c. 3.

(o) Noris. hist. Pelag. l. 2. c. 3.

A. C. 430.

Pius obitus S. Augustini.

(p) Prosper in Chronic.

veniat ad me; si enim omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis, qui non venit; non audivit à Patre meo, nec didicit: nam si audivisset & didicisset, veniret... hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo corde duro respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Adverte Augustinum hìc loqui de vocatione efficaci, quæ semper & infallibiliter obtinet effectum, nec omnibus datur. De eadem vocatione loquitur c. 16., quâ fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur, ut credant. Sed inde ne arguas, aliis negari gratiam, cujus ope possent credere vel pœnitere; nam hanc cùm habeant, illam rejiciendo fiunt reprobi. *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filii sui, non eâ vocatione, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illâ quippe vocatione, & Judæi vocati sunt .. sed eâ vocatione prædestinatos vocat, quam distinguit Apostolus dicens: ipsis vocatis Judæis & Græcis, prædicare se Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam: sic enim ait; ipsis autem vocatis, sciens quandam esse certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes imagines filii sui.*

(* 44.) *Opus* hoc *imperfectum* vocatur AUGUSTINI, quia morte præventus contra Julianum illud absolvere non potuit: *in primo libro* & *secundo* docet originale peccatum verè existere. *In tertio* ostendit, à Pelagianis negari gratiam interiorem & adjuvantem, quare falsum est, quod comminiscitur JANSENIUS l. 6. de hæres. Pelag. c. 1. & 2. l. 5. c. 11., nempe Pelagianos à Zosimo Pontifice damnatos tandem admisisse gratiam supernaturalem interiorem adjuvantem, & in eo fuisse hæreticos, quod vellent eam esse talem, ut esset in libera hominis voluntate ei consentire vel dissentire. *In quarto* commonstrat Juliano Augustinus ex Ambrosio, quod parvuli verè peccârint in Adam

(q) Possid. vit. August. c. 28. 29. 31.

ptuagesimo sexto, Episcopatûs sexto supra trigesimum (q). Præsuli tanto non diu superstes stetit Hippo Regius, à Vandalorum flammis absumptus: numinis itaque providæ curæ tribuendum, quod inter media urbis busta Augustini scripta volumina servata sint posteris, qui utì sanctimoniam piissimi Antistitis colunt, ita sapientissimi Doctoris acumen, rationum pondus, & gravem contra Manichæos, Donatistas, & Pelagianos disputationis impetum hodiedum demirantur (r).

(r) vide Fulgent. lib. de veritate prædestinat.

Mors Theodori Mopsvesteni.

(s) Pagi T. II. Crit. ad a. 427. n. 12.

(t) S. Pelag. PP. epist. ad Episc. Istriæ.

(u) Nor. h. Pel. l. 2. c. 4.

Nestorii initia.

(x) Liberat. Breviar. c. 4.

7. Antequam tam insignes viri ac Ecclesiæ columina è vivis decederent; secta Pelagiana anno superiore CCCCXXIX. magnum erroris sui patronum amiserat, Theodorum Mopsvestenum (s): ingenio is tam fœcundo fuit, ut decem annis, quibus Mopsvestiæ Præsul erat, decem millia librorum procuderit (t); quibus vivus multùm, plus autem mortuus Ecclesiæ nocuit (u). Nam præterquam quod fundamenta Pelagianæ hæresis jecerit, alium quoque discipulum reliquit, ex cujus ore pejus venenum adversùs divini verbi incarnationem in orbem difflatum est. Nestorio huic nomen erat, qui Germaniciæ in oppido Syriæ natus & subinde (x) in Laura S. Euprepii prope Antiochiam Monasticæ vitæ, studiorúmque sodales habuit Joannem posteà Patriarcham Antiochenum, & Theodoretum posteà Cyrensem Episcopum. Diodori Tarsensis dogmata, & Pauli Samosateni hæresin secutus (y), sub Theodori Mopsvesteni Magisterio ad exitium Ecclesiæ adolevit (z): exterior affectatæ virtutis species fecit, ut Theodotus Antiochenus Antistes homini nefario manus imponeret. Presbyter jam creatus inde captabat famam, quod eloquentiâ, quâ multùm valebat, Arii, Apollinaris, atque Origenis sectatores validè affligeret: quare cùm anno CCCCXXVIII. Constantinopolitana sedes in tertium

(y) Cyrill. ep. 1. ad succes.

(z) Evagr. Epiphanien. l. 1. c. 2. Cyrill. ep. ad Acacium Melitenum.

ob Originem, secundum quam omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in se ipsis nulli adhuc erant . . . etiam Levi in lumbis Patris sui Abraham fuisse dicitur; quando à Melchisedech decimatus est Abraham, unde & ipse Levi tunc decimatus ostenditur. Eodem loco Augustinus Conceptionem B. V. immaculatam insinuat; dum Juliano objicienti: *Tu ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis.* Ita respondet *non transcribimus Mariam Diabolo conditione nascendi, sed ideo, quia conditio solvitur gratia renascendi.* Quare si juxta Augustinum B. V. sub diaboli potestate non fuit, omni momento eam ab originali peccato immunem fatetur, qui illius contrahendi debitum agnoscit, cujus effectum gratia sanctificans impedivit.

tium menſem poſt mortem Siſinnii vacaret; Neſtorius præ reliquis competitoribus dignior viſus eſt, qui Antiochiâ adductus, urbis Regiæ curam deinceps ſuſciperet (a). Kalendis Aprilis ſive eâdem die, quâ ordinabatur Epiſcopus, non ſine jactantia ad Theodoſium dixiſſe fertur: da mihi Imperator terram Hæreticis purgatam, & ego tibi cælum retribuam; mecum Hæreticos debella, ego Perſas tecum debellabo (b). A verbis ut mentem minimè abeſſe oſtenderet; Arianos inde, Quartadecimanos atque Novatianos exagitare aggreſſus eſt: atque ne cæteri Hæretici impunè elaberentur, lege à Theodoſio exoratâ, viginti tres ſectas comprimendas voluit (c). Zelum ejusmodi in ſummo beneficio numerâſſet Eccleſia, niſi Neſtorius tot hæreſes opprimendo ampliorem locum quæſiviſſet, in quo una ipſius hæreſis deinceps ſeſe oſtentaret (d): hanc ſubinde Anaſtaſius Presbyter, quo cum Neſtorio conſiliorum fidus arbiter, ac itineris Comes Conſtantinopolim iverat, in Eccleſia urbis Regiæ venditabat; nempe varia diſſerens tandem eò delabebatur, ut diceret: nemo Mariam vocet Deiparam, Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus naſci non poteſt. Blaſphemæ voces ubi populum, Clerúmque non parum perturbaverant; Neſtorius ſuppetias Anaſtaſio laturus vocem Deiparæ rejiciendam palàm affirmabat: & quod brevibus verbis temerè oggeſſerat, in natali poſteà Domini ſermone integro de incarnatione Dominica apertiùs evomuit (e). Ex eo ſiquidem negabat in Chriſto verbi divini ſecundùm hypoſtaſin cum humana natura veram ac ſubſtantialem unionem, dividens proinde hominem in Chriſto à Perſona Verbi, à B. Virgine non Deum, ſed hominem natum docebat (* 45). Hoc non obſtante verbum divinum incarnatum; & ſummo honore dignum profitebatur, eoquòd verbum in humana natura velut templo habitaret, aut carnem eo ſenſu induiſſet, ſicut Rex veſtes regiæ dignitatis indi-

Neſtorius creatus Epiſcopus Conſtantinop.

(a) Socrat. l. 7. c. 29.

(b) Liberat. in Brev. c. 4.

(c) Codic. Theod. l.65. de Hæretic.

(d) Socrat. l. 7. c. 32.

Neſtorii hæreſis.

(e) Marius Mercator apud Garner. Tom. II.

(* 45.) NESTORIUS in ſermone de Incarnatione Dominica, quæ extat apud Garnerium Tom. II. operum Mercatoris p. 5. ita habetur: *Habet matrem Deus: ergo excuſabilis gentilitas matrem Diis ſubintroducens. Non vir optime, Maria peperit Deum… peperit hominem Deitatis inſtrumentum, hominem* θεοφόρον, adverte SOCRATEM l. 7. c. 32. ineptè & erroneè ſcribere, "Neſtorium rectè ſenſiſſe de Chriſto, ſed ex imperitia de ſola voce Theotocos malè diſputâſſe." Erràſſe enim graviſſimè Neſtorium tota tunc judicavit Eccleſia.

indices ſibi applicat, quin inter indumenta & Regem unio phyſica intercedat (f). Audacia hæc Hæreſiarchæ omnium adeò emovit animos, ut à Synaxi quivis abſtinendum duceret; Cyrillus etiam Alexandrinus cùm anno ſequente CCCCXXIX. pro more in die Theophaniæ paſcha indiceret, homiliâ compoſitâ fidei dogma de incarnatione verbi ſic explicuit, ut ſermonem primum Neſtorii *de Virgineo partu* anno ſuperiori habitum omnino refelleret (g). Neſtorius confutatione ejuſmodi accenſus, altero ſermone ſua firmare inſtituit; ſed ſilentibus Presbyteris unus Laicus Euſebius (qui poſtea Dorylæi Epiſcopus fuit) voce elatâ concionantis dictionem interrumpens (h), fortiter proclamabat, ipſum ante ſæcula Verbum etiam alteram, ſive illam, quæ ſecundùm carnem & ex muliere eſt, generationem ſubiiſſe. Neſtorius injuriam hanc (ut rebatur) tertio ſermone abſtergendam ſumpſit, quo licèt Apollinariſtas aggredi videretur, qui naturas in Chriſto confundebant; reipſa Catholicos perſtringens, dogma ſuum de Chriſto puro homine, nec niſi dignitate quâdam à cæteris hominibus diverſo regerebat: dicenti Euſebius denuò obteſtationem oppoſuit, quâ cùm ab Epiſcopo hæretica Pauli Samoſateni dogmata renovari quereretur (* 46); omnium ſtudia inflammavit: & Presbyteri quidem in Eccleſia Irene maritima adverſus errorem declamare exorſi ſunt. At his authoritate frendentis Epiſcopi mox ſilere juſſis (i), populus fidei tuendæ partes ſuſcepit; dicendi enim facultatem pro Presbyteris ſinguli requirentes, illud identidem inclamabant: Imperatorem habemus, Epiſcopum non habemus. Neque tantùm querelis egêre, ſed & minis, ac publicâ exprobratione ſcelerum, quæ ſpecie pietatis Neſtorius tegeret, minis

(f) V. Concil. Epheſin. apud Hard. T. I.

(g) Cyrill. hom. 17. Paſchal.

(h) Cyrill. adv. Neſtor. L. 1. c. 14.

Tumultus ex eadem hæreſi oriuntur Conſtantinopoli.

(i) Epheſin. Conc. P. I. c. 17.

(* 46.) GARNERIUS Tom. II. oper. Marii Mercatoris p. 306. .. oſtendit, in quo hæreſis *Neſtoriana* cum hæreſi *Ebionis & Pauli Samoſateni* convenerit, aut diſſenſerit: PRIMO convenit Neſtorius cum Ebione, docendo, Chriſtum nudum fuiſſe hominem, ſed eximiè Sanctum, ut in ipſum plenitudo efficientiæ divinæ deſcenderit, adeóque adoptione ſingulari filius Dei factus ſit. SECUNDO conſentiebat Neſtorius etiam *Paulo Samoſateno*, quòd diceret cum eodem, Chriſtum non ſemper extitiſſe, ſed ex Virgine ſumpſiſſe initium, & nil niſi hominem fuiſſe. TERTIO ex *Diodoro Tarſenſi* aliud virus hauſerat, quo deinde imbutus delirabat jam ſenex, duos in Chriſto ineſſe filios Dei; eum, qui ex Maria, non eſſe niſi filium niſi adoptione ſeu gratiâ: verbum neque duas habuiſſe nativitates, neque natum ex Maria: verbum non eſſe Chriſtum, ſed Chriſti Dominum: Deum dici non poſſe paſſum ſeu crucifixum, in quos errores, quoque juravit Neſtorius.

minis facta addidissent, nisi Imperatoris Nestorio faventis metus eos à proposito retardâsset. Inter medios hos strepitus Proclus Cyzicenorum Episcopus pergebat (ùt antè solitus fuerat) Constantinopoli Catechistæ munere perfungi: cúmque in die Annunciationis frequentior esset Synaxis; extemporaneam de *Domina Deipara* orationem, audiente etiam Nestorio, pronunciavit (k). Applaudentibus Catholicis, unus Hæresiarcha obstrepuit, qui è medio populi assurgens impudenter non minùs, quàm impiè dicta Procli carpens, quædam etiam blasphemiæ damnare præsumpsit. Neque contentus Nestorius semel infestâsse *Deiparæ* laudatorem, tribus consequentibus post Pascha Synaxibus totidem sermonibus, Procli (quem conviciis acribus onerabat) tres sententias virulento ore reprehendit, nempe quod Deum passum & mortuum, quódque Deum nostrum Pontificem diceret, demum quod B. Virginem *Theotocon* seu Deiparam compellaret (l). Eosdem adversus Proclum sermones quia unà cum tractatu de Incarnatione Nestorius in varias Provincias miserat; Cyrillus Alexandrinus ad prohibendam ab Ægypto pestem literis Monachos in vetere fide de divinitate Christi, ac Deiparæ nomine instruit: dein quædam exempla literarum Constantinopolim direxit (m), quæ quantum adjumenti attulêre Catholicis, tantum odii in Nestorio concitârunt. Authorem literarum cùm necdum palàm invadere securum esset; nonnullos subornavit, qui apud Cæsarem Cyrillo calumniam struerent (n). Interea Cælestinus Papa multa de Orientis motibus perceperat, legerátque jam Nestorii sermones; de quibus quia in Occidente dubitabatur, utrùm Constantinopolitanus Præsul eos edidisset? de tota re à Cyrillo certior fieri petiit (o). Alexandrinus Antistes Pontificis epistolá confirmatus Nestorium monet, Cælestinum ab ejus tractatibus esse offensum, se verò fidei periculo compulsum scripsisse Monachis, ut errantes revocaret: augeri turbas, & tandem, ni communionem sibi Nestorius negatam velit, tempus poscere, ut citiùs à perversa doctrina recedat. Nestorius his adustus literis breviter, sed non sine gravi Cyrilli accusatione respondit; criminabatur enim, quod Alexandrinus prior ad se intemperantiùs scripsisset: atque hoc fuit inter eos apertæ contentionis initium (p).

(k) Marius Mercat. apud Garner. P. II. p. 19.

(l) Nestor. serm. 4. apud Garner.

Cyrillus agere incipit contra Nestorium.

(m) Epist. Cyrilli ad Cælest.

(n) Apolog. Cyrilli ad Theod.

(o) Cyrill. epist. 1. ad Nestor apud Hard. T. I. CC. p. 1273.

(p) Cyrill. ep. ad Cælest. 1. P. Concil. Ephes.

8. Dum Constantinopolitanum inter & Alexandrinum Antistites res magno animorum æstu agi cœpit; Nestorius in eos, qui Cyrillo adhæserunt, variis cruciatibus desæviit: furentem ut cohiberet Imperator, Monachi cum Archimandrita Basilio supplices Theodosio fuêre, simul precati Synodum œcumenicam, quæ dissidiis modum poneret. Nestorii crudelitas postquam plures ab ejus partibus sejunxerat; Præsidium saltem non leve se habiturum sperabat in Pelagianis, quos in suam admiserat communionem. Marius Mercator ne factio ista & erroris & sceleris societate conjuncta invalesceret; *Commonitorium* obtulit Theodosio contra Julianum & Cælestium, cæterósque Pelagianos, in quo patefactâ horum hæreticorum causâ id evincere conabatur, ut Imperator non ignoraret, quos homines amicitiâ suâ Nestorius foveret. Hæc cùm ægerrimè ferret Constantinopolitanus Episcopus; illud porrò timebat, ne ad Occidentales Episcopos fama vulgaret, quod ab iis damnatos Pelagii alumnos ipse in Ecclesiam suam suscepisset. Cælestini itaque animum occupaturus scripsit ad eundem Pontificem: Julianum cum suis multùm conqueri apud Imperatorem de illatis injuriis, non esse, cur illos minùs orthodoxos crederet, qui sibi per singulos dies instarent; quare perinde ac damnationem eorum ignoraret, orabat ut de istis, quæ adversus hos acta fuissent, edoceretur (q): penes se enim non stare, ut sectarum novitati defensionem impertiat. Tum artificio quodam ad ea transgressus, quæ maximè dicta cupiebat, demonstrare adnititur, quod ii, qui orthodoxam de incarnatione fidem tuebantur, Apollinaris & Arii dogmata sectarentur; unde addebat tres sermones suos, quorum primus de incarnatione, alter in speciem contra Macedonianos & Arianos, tertius adversus Apollinarem, reipsâ contra Catholicos congestus fuerat.

Commonitorium Marii Mercatoris.

Nestorius conatur obrepere Pontifici.

(q) Concil. Ephes. 1. P c. 9. & 10. apud Hard. pag. 1308.

A. C. 430.

9. Anno CCCCXXX. literarum bellum adhuc fervebat Nestorium inter & Cyrillum; tum hic idem Alexandrinus Episcopus eò incubuit, ut insidiis Hæresiarchæ ubique occurreret: constitutus is in medio urbis Regiæ facilem viam captare poterat, quâ virus in Principis palatium infunderet. Duos igitur tractatus de fide alterum ad Theodosium (r), alterum ad Reginas Cyrillus destinavit, quibus laqueos Veteratoris omnino contrivit (s): & quo-

Nestorius in aulam & in Orientem errorem suum propagat

(r) Cyrill. de recta fide ad Theod.

(s) Cyrill. tr. 2. de recta fide ad Reginas.

quoniam obſcurum haud erat, Cæleſtinum Papam iteratis jam literis à Neſtorio pulſatum fuiſſe; Alexandrinenſium Antiſtes ſubverebatur, ne Pontifici fucus obtenderetur. Ad dolos hos quoque evertendos, errores Neſtorii, tum etiam quæ adverſus Hæreſiarcham hucúsque molitus eſſet, longâ ſerie Cæleſtino exponit. Diſtulerat ſtudio Pontifex reſponſum dare Neſtorio; at ubi à Cyrillo perſpecta quævis habuerat, Synodum Romæ convocat, in quâ damnatus primò Neſtorius, juſsúsque eſt (ne depoſitionis ſententiâ puniretur) intra decimum diem Alexandrinæ confeſſioni ſubſcribere: dein fœderati ejusdem, ſcilicet Pelagiani à Patribus Synodi profligabantur: demum præter alias literas ad præcipuarum in Oriente ſedium Epiſcopos perſcriptas, ad Neſtorium Epiſtolam dedit Pontifex (t), quibus eum ad Pœnitentiam invitabat; totus autem literarum faſciculus ad Cyrillum transmiſſus eſt unà cum poteſtate, quâ is ſedis Apoſtolicæ nomine Neſtorianæ cauſæ præficiebatur. Cyrillus acceptis Cæleſtini Papæ literis Epiſtolas continuò iis Epiſcopis tradi fecit, queis inſcriptæ erant, monuítque Joannem Antiochenum, ut amicum ſibi Neſtorium, à Cæleſtino, bonísque omnibus damnandum ad frugem reducat. Neſtorius cùm pervicax in ſententia ſtaret; Cyrillus Alexandriæ Synodum cogit, quæ ab Hæreſiarcha de incarnatione fidei expoſitionem exegit (u): dein ſpecialiùs duodecim capita propoſuit, quæ Neſtorius interpoſito anathemate ejuraret (* 47): demum

Cæleſtinus Pontifex agit contra Neſtorium.

(t) Cæleſt. ep. ad Neſt. apud Hard. in T. I. CC. pag. 1299.

Synodus Alexandrina & Cyrilli 12. Anathematiſmi.

(u) C. Coll. apud Hard. T. I. p. 1283.

(* 47.) CYRILLUS contra Neſtorium Anathematiſmos in Synodica ita proponit, utì videre eſt in T. I. CC. apud Hard. pag. 1291. & 1294. "Quæ verò religionem tuam anathematizare neceſſe eſt, huic noſtræ epiſtolæ ſubjecta ſunt.„ 1. *Si quis non confitetur Deum eſſe veraciter Emmanuel, & propter hoc ipſum Dei Genitricem ſanctam Virginem; peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo eſt, carnem factum, anathema ſit.* 2. *Si quis non confitetur carni ſecundùm ſubſiſtentiam unitum Dei Patris Verbum, unúmque eſſe Chriſtum cum propriâ carne, eundem ſcilicet Deum ſimul & hominem, anathema ſit.* 3. *Si quis in uno Chriſto dividit hypoſtaſes poſt unitionem: ſola eas connexione conjungens, quæ ſecundùm dignitatem eſt, vel etiam authoritatem, & poteſtatem, & non magis conventu ſecundùm Unionem naturalem, anathema ſit.* 4. *Si quis duabus Perſonis vel ſubſiſtentiis dividit eas voces, quæ tam in Apoſtolicis, quàm Evangelicis ſcriptis continentur, & de Chriſto à Sanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſe ipſo; & has quidem, ut homini præter Dei verbum ſpecialiter intellecto applicat; illas verò ut Deo dignas ſoli verbo, quod ex Patre eſt, anathema ſit.* 5. *Si quis audet Chriſtum dicere hominem Deiferum, anathema ſit.* .... 8. *Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & connuncupari Deum, tanquam alterum cum altero ... & non potiùs unâ adora-*

demum quia mos erat, ut, si quando majorum sedium Episcopi vocarentur ad judicium, plures Episcopi diem reo dicerent; quatuor Præsules ad Nestorium cum Cælestini, ac Cyrilli Synodicis Epistolis ablegati sunt. Anteà quàm hi Constantinopolim subirent, Theodosius ex Consilio Nestorii Generalem Synodum indixerat (†), quæ causa Nestorio fuit, cur tum Cælestino, tum aliis accusatoribus insultârit (x), definitioni futuri Concilii confisus: ab audacia concepta non destitit, licèt Synodorum Romanæ & Alexandrinæ literas acciperet; quin adversus eas animum obfirmans, ex Joannis Antiocheni consilio (* 48), operam Andreæ Episcopi Samosateni, & Theodoreti Episcopi Cyrensis adhibuit, quâ duodecim anathematismos Cyrilli, quos velut regulam fidei omnes sequebantur, confutaret. A Cyrillo, ne veritas pessum iret, utrique authori duobus libris abundè responsum est (y): quare Nestorius ultimum tentaturus ictum duodecim Cyrilli anathematismis totidem alios sub sequentis anni initium opposuit (z).

Indictio Concilii Generalis Ephesini.

(†) Reflexio V.

(x) Nestor. epist. 3. ad Cælest.

(y) Marius Mercator apud Garner. p. 133.

(z) Concil. T. I. apud Hard. p. 1297

A. C. 431.

10. Anno CCCCXXXI Cælestinus Pontifex Theodosii sacram epistolam accepit, quâ Imperator præter alios majorum sedium Episcopos, Romanum Antistitem Ephesum invitabat ad Concilium hoc anno circa diem Pentecostes celebrandum (a): Papa ne tanto religionis negotio obesset; sub initium Maji congregatis Episcopis Occidentis rectam denuò de fide sententiam stabilit (b): dein Legatos decernit Arcadium & Projectum Episcopos ac Philippum Presbyterum Romanum. His id demandatum fuisse annales referunt, scilicet, ut Vicarias Pontificis vices obeundo nil novi statuant, sed ut, quæ statuta Romæ à Cælestino fuerant, in præsentia tot Orientalium Episcoporum exequantur (c). Affluebant

Pontificis Cælestini Legati ad Synodum Ephesinam.

(a) Concil. Ephes. P. I. c. 19. apud Harduin.

(b) Baron. ad an. 430. n. 12.

(c) Coftron. Cælest. apud Baluz. & Pag. ad an. 431. n. 4. 5. 6.

adoratione veneratur Emmanuelem, unámque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. In 9. 10. 11. damnat eos, qui dicunt Christum non per proprium spiritum, sed alienâ virtute fecisse miracula, vel pro se obtulisse semetipsum oblationem, & non magis pro nobis solis; vel qui negârit Domini carnem vivificatricem, quia facta est propria verbi, quod cuncta vivificat. 12. *Si quis non confitetur Dei verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustâsse, factúmque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est, & vivificator ut Deus, anathema sit.*

(* 48.) JOANNES ANTIOCHENUS, uti liquet ex ejus ep. ad Firm. falsò putaverat Cyrillum immoderatiùs scribendo contra Nestorium, in sectam Apollinaris incidisse, & docuisse tantùm unam esse naturam Deitatis & humanitatis.

bant ex aliis quoque Provinciis ducenti ferè Episcopi ante septimam Junii, quæ isto anno Pentecostali festo sacra erat: unus Joannes Antiochenus cum Orientalibus ex composito per viam trahebat moras (d); sive ut Nestorii, qui in ejus Clero olim fuerat, proscriptionem retardaret, aut ante Orientalium adventum factam rescinderet. Ne tamen fraudis, quam animo meditabatur, suspicionem moveret, dolosè causatus longinquitatem itineris, per duos Episcopos Cyrillo renunciari fecit: sex dierum spatio se ab Epheso adhuc abesse, quo tempore evoluto, penes se non fore, ut Synodus prorogetur (e). Sedecim jam dies à septima Junii, quæ ab Imperatore pro Concilii aditu signata fuerat, inter Patrum exspectantium fastidia, morbósque inaniter defluxerant; tum absente etiamnum Joanne (f); die vigesimâ secundâ Junii in Synodum ire placuit. Pridie verò ejus diei, quæ conventui solenni datura erat initium, per quatuor Episcopos Nestorius ad Patrum consessum vocabatur: at is se deliberaturum reposuit, utrùm sibi venire expediat (g)? plus tricarum obmoverunt eodem tempore octo & sexaginta Episcopi Syriæ, Asiæ & Thraciæ, qui moras facturi exigebant, ut Synodus Nicæna, quam Cyrillus suis Capitulis violâsset, anteà vindicetur; dein à Nestorio ejecti Clerici suum gradum locúmque teneant: demum ut ante adventum Joannis, aut citra consensionem Comitis Candidiani Synodus non habeatur. Erat hic idem Comes domesticorum, quem Theodosius ad Concilii defensionem miserat, nec dissimulanter Nestorii partibus devinctus: postridie ubi is audierat, Patres congregari; in medium eorum provolans obtestabatur cunctos, ne sine Joannis, Orientaliúmque præsentia Synodi authoritatem minuerent. Verùm Episcopi congregati lectâ Imperatoris epistolâ (h), reclamante quantumvis Candidiano, consedêre. Cyrillus Alexandrinus Cælestini Pontificis gerens vices primum obtinuit locum, quem Juvenalis Hierosolymorum, Memnon Ephesiorum, Flavianus Philippensium Episcopi cum aliis centum quinquaginta secuti sunt: in medio throno sublimis eminebat Evangeliorum liber, ut Christo Mediatori & Synodi arbitro honor suus tribueretur. Inde pro actionis primæ exordio Nestorius alterâ vice & per syngrapham in judicium vocabatur: sed post varias tergiversandi causas id

Joannis Antiocheni serus ad Concilium adventus & quæ hujus causa?

(d) Concil. Ephes. act. 5. Relatio ad Cælestin.

(e) Joan. ep. ad Cyrill. I. P. Concil. Ephes.

(f) Synod. adv Tragœd. Irenæi c. 7. apud Pagium n. 19.

(g) Synod. c. 7. apud Baluzium.

Aliorum Episcoporum tergiversationes.

(h) Concil. Ephes. I. P. apud Hard. pag. 1351.

Citatio Nestorii ad Concilium.

id tandem renunciari fecit, se tum jussis pariturum, si quando integer Episcoporum vocatorum numerus Concilii œcumenici formam repræsentaret. Patres congregati, ut ex præscripto Canonum homini litem moverent, tertiâ vice eundem per missos Clericos citant, terréntque simul fulmine, quo etiam absens percutiendus foret. Quominus istud nuncium Nestorio in os oggeri posset, idem prospexerat; nam militum manu domûs suæ aditum ita occlusum tenebat, ut nemo esset, qui comminationes Concilii ad aures Nestorii deferret. His non attentis cœpta Synodus est à Professione Symboli Nicæni: dein probabatur Cyrilli epistola ad Nestorium secunda; hujus verò responsio ad Cyrillum blasphemiæ & hæresis damnabatur. De orthodoxia duodecim Anathematismorum cùm quæstio subinde inferretur; Synodus nullum tulit judicium: cæterùm ex Patribus agente Cyrillo genuina Patrum de incarnatione Domini sensa Cælestini, ac Alexandrinæ Synodi literæ ita depromebantur, ut iis ex adverso blasphema Nestorii doctrina opponeretur, quibus omnibus perpensis & examinatis Patres *se coactos* inquiunt *per sacros Canones & Epistolam sanctissimi Patris & Comministri Cælestini Romani Episcopi*, ut Nestorium hæreseos nefariæ convictum, atque authorem anathematis & exauthorationis sententiâ profligatum enuncient. Synodi decretum ad manus Nestorii delatum varios motus concivit; nam Candidianus invidiosiùs rem ad Imperatorem perscribens, hunc quoque dolum addidit, ut Synodum talem fieri curaret, in qua duo selecti cum Metropolitano ad consessum admitterentur (i): fraus facilè oboluit Patribus Synodi, advertebant enim id agi, ut cùm Pauci in Patriarchatu Alexandrino Metropolitani reperiantur, minor orthodoxorum numerus in Concilium deinceps admittatur. Ad Imperatorem itaque Synodicam suam direxêre Episcopi congregati, quâ causas referebant, cur Joannem diutiùs exspectare non potuerint: dein orabant, ut damnati à Concilio Nestorii doctrinam undique ab Ecclesiis submoveat, ejusdémque libros, ubicunque repertos, flammis jubeat aboleri (k).

Initium & Prima sessio Synodi Ephesinæ.

Deponitur & damnatur Nestorius.

(i) Concil. Ephes. P. II. Nestorii relatio. p. 1438.

(k) P. II. Conc. Ephes. pag. 1439.

11. Quintâ die post depositionem Nestorii Joannes Antiochenus cum Orientalibus Episcopis Ephesum ingreditur: venienti obviàm missi sunt Clerici, qui damnatum Nestorium nunciarent,

rent, at officium hujusmodi adeò Joanni displicuit, ut nuncios impositis plagis malè mulctatos ad Synodum remitteret (l): Candidianus subinde Joanni novos subjecit stimulos, quibus ad Pseudo-Synodum congregandam incitatus; continuò cum suarum partium Episcopis Cyrillo & Memnoni Ephesino, tum toti Concilio anathematis contumeliam inflixit (ll). Duo jam hæc vulnera erant, quibus sanctissimi Patres se affectos querebantur; tertium addidit Theodosius Imperator, qui lectâ Candidiani falsâ relatione deceptus, Acta Synodi velut vitio gesta rescindi jubet, simúlque vetat, ne cui Epheso exire liceat, dum communi sententiâ dogmata discuterentur. Patres orthodoxi Principi rescripserunt, Candidiani iniquis artibus veritatem premi, quare anxiè Theodosium obtestabantur, ut è tot Catholicorum Præsulum numero quinque saltem deligeret, qui quid ab utraque parte & quâ ratione gestum esset, coràm sinceriùs exponerent.

(l) Epist. Memnon. ad Cler. Const.

Pseudo-Synodus Joannis Antiocheni.

(ll) Concil. T. I. p. 1450.

Theodosii favor erga Nestorianos.

12. Intereà sexto Idus Julii Legati Pontificis Ephesum appulêre; eâdemque die habita est *Actio secunda*, in quâ solenni ritu Cælestini literæ recitabantur (m), dein Pontifici omnium ore acclamatum est: *Novo Paulo Cælestino, Cælestino Custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi: Cælestino universa Synodus gratias agit.* Postridie in *tertia Actione* relecta sunt ea coram Legatis, quæ ante illorum adventum de Nestorio Patres Orientales decreverant (n): & quoniam tres Occidentales Oratores suâ sententiâ eadem quoque, simúlque damnationem Nestorii comprobabant; Synodus hanc utriúsque Ecclesiæ consensionem tanti habuit, ut Patres quasi re jam peractâ discedendi Epheso facultatem ab Imperatore literis flagitarent. Decimo septimo Kalendas Augusti cùm *Actio quarta* celebraretur; Cyrillus & Memnon paulò antè à Nestorii patronis damnati libellum obtulêre, in quo de injuria sibi facta conquesti diem dixerunt Joanni Antiocheno: sed hoc nusquam comparente, pronunciatum est, irrita esse cuncta, quæ Joannes in Pseudo-Synodo adversus Cyrillum & Memnonem statuisset. Atque ut porrò jure etiam in Joannem agi posset; die sequente tertiâ vice per Legatos Episcopos vocatus, cùm jussa denuò renueret, idem cum reliquis Nestorii fautoribus à communione Ecclesiæ amandatus est. His peractis propositi sunt Synodo Commentarii de

Adventus Legatorum Romanorum ad Actionem secundum.

(m) Ephesin. Conc. P. II. pag. 1467.

Confirmatur damnatio Nestorii.

(n) Ibid. p. 1475.

Damnatur Joannes Antiochenus, ejúsque acta.

de Pelagianorum erroribus, déque prolata adversus eosdem anathematis sententia: Patribus Ephesi congregatis causæ huic contra Pelagium & Cælestium nihil aliud addere è re visum est, nisi ut trium summorum Pontificum decreta iteratis totius Synodi suffragiis stabilirent. In *Actione quinta* (o) ubi Joannes Antiochenus se, suósque damnatos audiverat; literis animum Imperatoris occupaturus, perscripsit Cyrillum & Memnonem anteà meritò à se depositos: ac illum quidem, quod Apollinarii dogmatis suos anathematismos refersisset; hunc verò, quod Cyrilli partes secutus, turbas undique disseminet. Principem proinde interpellabat Episcopus Antiochenus, ut hac de re Synodus seu Constantinopoli seu Nicomediæ constituatur. Ibat eodem tempore Irenæus Comes & Joannis Antiocheni Amicus in urbem Regiam ad Cyrilli damnationem publicandam: verùm adveniente Joanne Medico & Syncello Cyrilli, aula in duas partes scissa est, aliis pro Nestorio, aliis pro Cyrillo & Memnone depugnantibus; vicit tandem sententia eorum, qui per Joannem Largitionum Comitem Episcopos utriúsque partis in novam Synodum congregandos censebant. Antequàm idem Comes Ephesum perveniret, undecimo Kalendas Augusti ad *sextam Actionem* Patres convenêre (p): hujus negotium illud potissimum fuit, ut Nestorianorum Symbolum temerè evulgatum configeretur; nam Charisius Presbyter orthodoxus ad Synodum retulerat, hæreticos quosdam Lydios errore, quo tenebantur, deserto ad Ecclesiæ sinum aspirare: at à Jacobo & Antonio (de Nestorii sectâ Presbyteris) Symbolum adulterinum redeuntibus obtrudi, quo minùs ad veritatis lucem omnino revertantur. Patres igitur proscriptâ tam impiæ fidei formulâ statuerunt, *alteram fidem nemini licere proferre aut conscribere, aut componere, præter definitam à SS. Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt.* Pridie Kalendas Augusti *septima Actio* præsenti Synodo finem imposuit, in qua varia circa disciplinam, atque Hæreticorum exterminium pertractata sunt; & primò quidem à Rhegino Constantiæ Cypri Antistite, alíisque ejusdem Insulæ Episcopis adversus Antiochenum Præsulem libellus oblatus est, quo querebantur, ab eodem Antiocheno (contra ac antiqua jura Cypriorum ferrent) ordinationes Episcoporum usurpari, ex-

(o) Ibid. pag. 1493.

Variæ molitiones Nestorianorum.

(p) Ibid. pag. 1510.

Privilegia Cypriorum Ecclesiæ stabiliuntur.

excuſſis igitur rerum momentis Epheſina Synodus decrevit, Cypriorum Eccleſiis jus ſuum Epiſcopos per ſe ipſos ordinandi (Canonibus & conſuetudine veteri quæſitum) ſervari debere, vetitúmque inſuper(q); ne, dum regionum aliarum Epiſcopi alienas invadunt Provincias, *ſub Sacerdotii prætextu mundanæ poteſtatis faſtus irrepat, & ne clam paulatim libertas amitteretur, quam nobis donavit ſanguine ſuo Dominus Jeſus Chriſtus.* Hoc ſtatuto Synodus Epiſcopos, qui cum Joanne Antiocheno Pſeudo-Synodum Epheſinam inſtituerant, non tantùm functione ſuâ, ſed & communione Eccleſiaſticâ privandos cenſuit: quam in rem ſex conditi ſunt Canones, quibus cauſa Neſtorianorum præcipuè profligabatur(r). Poſt hæc Epheſini Patres Euſtathio Pamphiliæ Metropolitæ conceſſerunt, ut (quoniam ob ſenium, & exiguum rerum gerendarum uſum ſe ſponte Epiſcopatu abdicâſſet) nomine ſaltem, honore ac communione Epiſcopali ſervatis, cæterùm ab ordinandi poteſtate in nulla Eccleſia propriâ authoritate exercendâ abſtineret(s). Subinde petentibus Valeriano & Amphilochio Pamphiliæ & Lycaoniæ Epiſcopis, definivit Synodus: Meſſalianos ita conveniendos; ut niſi ad frugem redeant, Clerici eorum à gradu, Laici à communione dejiciantur(ſſ). Denique Euprepius Epiſcopus Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillus Antiſtes Cœlenſis à Synodo impetravêre, ut quandoquidem in more poſitum eſt, quibusdam Europæ Epiſcopatibus, plures ſub ſe civitates habere; in iisdem Eccleſiis uni Epiſcopo duabus civitatibus præeſſe fas ſit, tum ob receptam conſuetudinem, tum ne in vacuas has ſedes Neſtorianæ partis Epiſcopi involarent(ſt).

(q) Apud Hard. T. I. CC. p. 1619.

Canones varii de diſciplina Eccleſiaſtica.

(r) Ibid. pag. 1622.

(s) L. c. pag. 1626.

(ſſ) p. 1627.

(ſt) p. 1628.

13. Per idem tempus Joannes Largitionum ſacrarum Comes Epheſum ingreſſus fuerat, quò partium concordiam tentaret; tum Joannem Antiochenum, Neſtorium cum ſuis, ac etiam Cyrillum cum aliis Epiſcopis ad ſuum diverſorium citat. Inter præſentes ubi nova altercatio gliſcebat; Comes Neſtorium & Cyrillum in cuſtodiam tradi jubet. Patres Synodi tam graviter Comitis factum tulêre; ut primùm querelis ad Imperatorem delatis teſtarentur, falsò fingi, quæ de Cyrilli & Memnonis damnatione vulgarentur: dein libertati ùt innocentes reſtituerentur, omnino contendebant. Theodoſius undique arctatus Neſtorium

(t) Evagr. l. 1. c. 7. Pagi ad an. 431. n. 39.

Exilium Nestorii.

(tt) Baluz. in CC. Coll. p. 653.

Epheso excedere jubet (t): qui dum in S. Euprepii Monasterium (in Suburbanis Antiochiæ situm) exulis more reditum parabat; Princeps alterâ sanctione jussit, ut utraque pars Episcopos mitteret, qui rerum gestarum rationem coram se exponerent. Legatos proinde suos misit Catholica Synodus, qui pro Cyrillo & Memnone adhuc in custodia detentis peterent libertatem (tt). Orientalium contrà factio suis septem Legatis injunxerat, ut formam judicii contra Nestorium susceptam eliderent, & Cyrilli anathematismos velut ab Ecclesia alienos rejiciendos curarent. Legati ubi Chalcedonem venerant, subsistere jussi sunt; eoquod Imperator illuc ad villam Rufinianam divertens, in eodem loco Legatorum causam cognoscere decreverat: Schismaticorum Episcopi quinquies & satis benevolè in speciem à Theodosio audiebantur; inde his magna spes victoriæ afflata est. Sed dum subinde Imperator solos Catholicos Constantinopolim accersit ad alium Episcopum Nestorio surrogandum; facile à factiosis adversum est, aliam de profligato Nestorio mentem Theodosii fore: oblato igitur libello sibi Imperatorem conciliare protinus laborabant: verùm is aliud Schismaticis nihil dedit, quàm ut Epheso egredi & ad Ecclesias remeare suas illis liceret (u): quo beneficio eodem tempore donatus est Cyrillus, quem reducem Alexandria velut hostis infensissimi Victorem recepit. Interea Catholicorum Legati Episcopi Maximianum Regiæ urbis Antistitem creârunt (v), erat iste ex Monacho Presbyter, non excultus quidem literis, sed probatæ vir fidei ac pietatis: ab ordinato jam Episcopo in Synodo Constantinopolitana datæ de more literæ ad primas sedes scilicet ad Cælestinum Pontificem & ad Cyrillum Alexandrinum, atque etiam ad Episcopos veteris Epiri perscriptum est, quos Schismatici fallere tentabant: demum depositio contra Schismaticos anteà Ephesi decreta, rursus per eandem Synodum firmata est.

(u) Synod. apud Pagi n. 43.

(v) Socrat. l. 7. c. 35.

Maximianus creatur Episcopus Constantinopolitanus.

A. C. 432.

Cælestinus PP decretum Patrum Ephesinor. contra Nestorianos admoderatur

14. Cælestinus postquam à Maximiano, & Ephesinis Patribus Synodicas acceperat; anno sequente idibus Martii rescribens, Concilii decretum ita admoderatus est, ut ex Canone Ecclesiæ recepto illos duntaxat Episcopos suis sedibus expulsos vellet, quos propriè cum auctoribus hæresis constaret omnium fratrum subscriptione fuisse damnatos (w): cupiebat itaque Pontifex, ut cæ-

(w) Hard. in T. I. CC.

teris Neſtorii Patronis (ſiquidem Hæreſiarchæ ejúſque dogmatis ſolenni deteſtatione præmiſsâ ad Eccleſiam reverterentur) nequaquam ſpes veniæ aut reſtitutionis præcideretur. Alteras literas Cæleſtinus ad Theodoſium reddidit, quibus Auguſto tum ob præſtitum cauſæ fidei patrocinium, tum ob Neſtorii abdicationem illius legibus confirmatam, denique propter ordinationem Maximiani juſſu Principis factam gratulabatur (x). Quemadmodum verò in ſanandâ Neſtorii hæreſi Cæleſtinus multam ponebat operam; ita Auguſtini authoritatem contra Semipelagianorum criminationes vindicabat (* 49). Hibernos per Patricium Apoſtolum reduxit ad fidem (* 50), demum (utì Pontificalis libri author perhibet) conſtituit, ut pſalmi Davidis per anni decurſum ante ſacrificium, ſive in matutino decantarentur (* 51); quibus

(x) Ibid. pag 1674.

Fffff 2 præ-

(* 49.) NORISIUS Hiſt. Pelag. l. 2. c. 10. "Semipelagianorum factio in Galliis indies augebatur. Horum petulantiam poſtremi duo libri ab Auguſtino paulò ante obitum ad Proſperum & Hilarium transmiſſi non modò non repreſſerant, ſed inſolentiores quoque in S. Doctorem longè reddiderunt; nam paſſim Auguſtinum traducere illis familiare erat, quaſi nimio diſputandi fervore contra Pelagium abreptus in periculoſos exceſſus exorbitâſſet. Quare Proſper & Hilarius, qui Auguſtini libros adverſus calumniantium inſultationes defendendos ſuſceperant, non magis de ejusdem, quàm de Eccleſiæ totius authoritate ſolliciti, cùm per ſe validiſſimo tot hoſtium impetui obviam ire diffiderent, Romam ad Cæleſtinum Papam profecti novorum S. Auguſtini hoſtium conatus expoſuêre. Cæleſtinus de ſui quondam amiciſſimi Antiſtitis honore anxius gravi reſcripto hominum audaciam compreſſit datis ad Galliæ Epiſcopos literis,,, quæ extant apud Harduin. T. I. CC. Huic Epiſtolæ ſubjiciuntur decem articuli, quorum titulus eſt, *Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum authoritates de gratia Dei, & libero voluntatis arbitrio.* Veteres ea capitula adſcripsère Cæleſtino, ſed Noriſius ita arguit, "ſi capita illa Cæleſtini eſſent, & à Sede Apoſtolica emanâſſent, non video, quâ ratione Fauſtus Rejorum, Vincentius Lirinenſis, Hilarius Arelatenſis Epiſcopus (ſi in ſententiâ perſtitêre) ac alii Galliarum Epiſcopi ab hæreſi excuſari poſſint, atque inter Divos erectis aris connumerari. Si enim S. Cæleſtinus opiniones Semipelagianorum Apoſtolico decreto damnâſſet; Vincentius, aliique eaſdem poſtea aſſerentes, hæreſes jam confixas defendiſſent. Vide PAGIUM Crit. T. II. ad an. 431. n. 46. 47. 48. & 49. qui cum Noriſio in eam ſententiam inclinat, quod Proſper ea ex variis collegerit.

(* 50.) *Vita Patricii* extat apud BOLLAND. menſe Martio, qui Palladio defuncto ſuffectus eſt à Cæleſtino, & circa Dunum fundavit Sabellenſe Monaſterium: Hibernos literas edocuit: Armachanam fundavit Eccleſiam totius inſulæ Metropolim, obiit 460.

(* 51.) Cardinalis THOMASIUS apud Blanchinum in notis ad Anaſtaſ. Biblioth. T. III. "Primi, qui pſalmos binis choris concinendos inſtituêre, fuerunt Flavianus & Diodorus S. Athanaſio æquales, qui hoc Antiochiæ primitus fieri curarunt; unde mos in reliquas Eccleſias profluxit.,, Vide etiam Cardinal. BONA l. 2. rer. Liturg. c. 3. § I. & Walafridum STRABONEM de rebus Eccleſiaſtic. c. 22.

præclarè peractis obiit decimo quarto Kalendas Augusti, anno Pontificii muneris decimo (y). Sex inde diebus vacavit Sedes, tum SIXTUS III. gubernacula Ecclesiæ adeptus de pace inter Cyrillum & Joannem Antiochenum agere cœpit: at hic in dissensionem animum adeo obstinaverat (z), ut Antiochiam reversus convocato suorum cœtu Cyrillum denuò damnaret. Nec minùs se acerbum Alexandrino Episcopo præstitit Theodoretus, qui eodem tempore quinque de Incarnatione libros adversus Cyrilli capitula evulgavit. Tumultus eum in modum jam increbuerat; tum Maximianus Constantinopolitanus Præsul Schismaticis novos subjecit stimulos: cùm enim se ab illis illegitimum Episcopum jactari ægriùs ferret: in Nestorii Patronos acerrimè animadvertit. Ad sananda tot dissidia aliud remedium haud supererat, nisi ut Nestorius, ejúsque dogmata omnium ore proscriberentur (a). Imperator pacis restituendæ cupidus Cyrillum, ac Joannem Nicomediam vocat (b); his enim partium capitibus subactis, credebat spem fore, ut cætera quoque membra in concordiam sequerentur. Joannes acceptis Imperatoris literis primus Antiochiæ, tum Berœæ cum suis in Synodum congregatis de pacis conditionibus consultat: visa est hæc communionis redintegrandæ forma opportunior; siquidem unâ fide Nicænâ servatâ eliminarentur illa, quæ Cyrillus sive per epistolas sive per nova capitula adjecisset. Acacius Berœensis Episcopus velut pacis sequester Cyrillo protinus Synodi postulata transmisit (c); qui perlectâ Synodicâ eidem Acacio rescripsit: sibi cordi semper fuisse singula, quæ Nicæni Patres statuissent, non posse autem non se detestari tum Nestorii, tum Apollinarii errores, unde minimè inanimatum Christi corpus, sed animâ rationali animatum à se asseri, seque confusionem, aut confermentationem factam respuere omnino profitebatur (d). Acacius ubi acceptum hoc Cyrilli testimonium Orientalibus tradiderat; Alexander Hierapolitanus, & Theodoretus præcipui negârunt, cum Hæretico (ita Cyrillum falsò appellabant) pacis negotium susceptum iri, nisi ejusdem capitula eliderentur; his enim cùm rectè repugnâsset Nestorius, citra culpam condemnatum fuisse criminabantur (e). Joannes Antiochenus è diverso aliam jam mentem nactus, Paulum

(y) Pagius ad a. 432. n. 5.

Mors Cælestini Papæ, cui Sixtus III. succedit.

(z) Liberatus c. 5.

Tumultus novi in Oriente.

(a) Liberat. in Brev. c. 6.

(b) Epist. Theodosii ad Joann. Antioch. apud Harduin. T. I. CC. p. 1683.

(c) Synod. c. 50. apud Baluzium in Coll. CC p. 153.

Cum Cyrillo de pace agitur.

(d) Cyrilli Ep. ad Acacium ibid.

(e) Epist. Alexandri & Theodoreti ad Acacium l. c.

lum Emeſenum Alexandriam miſit, ut Cyrillum in pacis fœdus inclinaret (f): ſed Joannis literæ ad Cyrillum acriores erant, quàm ut Alexandrini Epiſcopi ab Orientalibus exagitati vulnera ſanarent; parùm igitur aberat, quin Cyrillus alteram Joannis Legationem reſpueret (ff). Paulus ne operam perderet, factum excuſans, jurejurando affirmabat: non eſſe hoc Orientalium Epiſcoporum propoſitum, ut Cyrillo inſultarent, ſed ut apertiùs & ſimpliciùs ſenſa animi aperirent. Cyrillus itaque privatas injurias ſtudio reſarciendæ pacis negligens, à Paulo confeſſionem fidei ab Orientalibus compoſitam admiſit: hâc probatâ in conditiones has cum Emeſeno Epiſcopo pacis ſequeſtro convenit, nempe ut Orientales Neſtorium deteſtati in ejus depoſitionem, ordinationémque Maximiani conſentirent. Præterea rogabat, ut, quod Paulus omnium nomine ſignabat, ſingulorum & Joannis præcipuè nomine ſubſcriberetur (g): atque hoc conſilio Cyrillus duos è ſuis Diaconos Antiochiam direxit, cum fidei ſuæ formula, pacíſque legibus, queis cum Paulo concordiam pepigiſſet; nec aliter potuit Joannes, mandato Imperatoris compulſus, quin in ſententiam Cyrilli ac poſtulata ultro concederet (* 52). Paulus Emeſenus interea rebus Alexandriæ compoſitis, non tantùm communione, ſed & poteſtate habendi in publica Eccleſia ſermonis impartitus eſt: in hujus decurſu quoniam docebat Dei Genitricis ac Deiparæ nomen, & duarum naturarum perfectarum in Chriſto concurſum, ac unitatem perſonæ affirmabat; geſtientis populi acclamationes feſtivæ perorantem proſecuti ſunt.

(f) V. Harduin. in Coll. CC. Tom. I. pag. 1659.

(ff) Liberatus in Brev. c. 8.

(g) V. Harduin. in Coll. CC. Tom. I. pag. 1690. & 1691.

Pax inita inter Joannem Antiochenum & Cyrillum.

(* 52.) PAGIUS in Crit. T. II. ad a. 432. n. 15. "Utì Joannes Cyrillum Apollinarii atque Eunomii; ita hic Joannem Neſtorii Sectatorem aſſerebat. Quare dum inter utrumque pax eſt inita, admiſſa quidem Epheſina fidei definitio (*ſive Nicænæ comprobatio*) Neſtorii damnatio, ac Maximiani ordinatio, ſed neuter voluit erràſſe in dogmate, ſed tantùm alterius acta & opinionem non plenè intellexiſſe. Hinc quemadmodum Cyrillus ſua capitula anathematizare conſtantiſſimè detrectavit; ita & Joannes in nullo à prioribus ſuis ſcriptis recedere voluit; eámque ob rem ipſam fidei profeſſionem, quam anno ſuperiore ad Imperatorem miſerat, intra pacis articulos contineri, & à Cyrillo confirmari voluit, ùt rectè caput iſtud Synodici exponit Lupus. Cyrillus verò propter ſtudium pacis in omnes conditiones conſenſit; indéque poſteà Orientales occaſionem ſumpsêre ſpargendi in vulgus mendacii, quaſi ſua capitula retractâſſet, & in Orientalium ſententiam veniſſet. Cæterùm licèt Joannes cum Cyrillo fraudulenter ſe geſſerit; nunquàm tamen blaſphemiæ Neſtorii favit, ſed tantùm ejus Perſonæ, quòd eum injuſtè depoſitum exiſtimaret." &c.

A. C. 433.

Paci obstrepunt multi Orientales.

15. Quantum Cyrillus & Sixtus Pontifex de pace factâ, & de revocatâ inter Cyrillum atque plures Orientales concordia lætabantur (* 53), tantùm contra fremuêre Schismatici; horum enim alii Joanni vitio dabant, quod duodecim capitulorum damnationem à Cyrillo non exegisset: Alexandro Hierapolitano verbum *Theotocos* displicuit, ægerriméque ferebat in Ecclesiis divulgari, quod carne Deus verbum sit passus & mortuus; tales enim sententias ab Apollinarii hæresi non abesse convitiabatur (h). Qui nec Nestorio, nec Cyrillo adhæserant, hi improbabant, quod Cyrillus duarum confessionem naturarum ab Orientalibus suscepisset; eo usque enim error popularis invaluerat, ut qui duas naturas assereret, Nestorii: qui unam, Cyrilli partes sequi censeretur. Præter has causas alia adhuc erat, quæ Metropolitis duobus Helladio Tarsensi & Eutherio Tyanensi pacem illam invisam fecit; depositi quippe in Synodo Ephesina speraverant se hoc pacis negotio sedibus restituendos: at hac spe exclusi, ad Sixtum Pontificem appellantes, Nestorium Innocentem, Joannem Antiochenum proditorem, Cyrillum hæreticum profitebantur. Provocantes ad se Episcopos Sixtus Papa adeò non audivit, ut etiam Synodi Ephesinæ acta, quæ pariter ab illis proscindebantur, novo robore stabilitum iret. Eâdem fortitudine sub idem tempus in Galliis Semipelagianorum quorundam alienas de Doctrina Augustini sententias confutavit S. Prosper Aquitanus: neque tamen unâ scriptione controversias absolvit. Nam postquam Gallis nonnullis ostenderat, justis non subtrahi gratiæ auxilia (* 54), neque ullum

(h) Synod. c. 86. apud Baluzium.

(* 53.) CYRILLUS in suis literis ad Joannem Antiochenum suum gaudium de pace initâ expressit: *Lætentur*, ait, *cæli & exultet terra, solutus est enim medius Paries maceriæ ... & omne genus dissidiorum sublatum est, omnium nostrum Salvatore Christo pacem Ecclesiis suis tribuente.* &c.

(* 54.) S. PROSPER in responsione ad Capit. Gall. ad object. 12. ita respondet. *Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & injustè punit, quod ut fiat, impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas ejus nunquam velit nisi bona; præscientia autem noverit & bona & mala: sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam, ut nos faciamus, impertit; mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit.*

ullum eâ de causâ cadere (* 55), quòd in prædeſtinatorum numero non eſſet; adverſus Caſſianum Collatorem alio opere commonſtravit, ſalutis appetentiam, inquiſitionem aut poſtulationem à gratia: non verò à ſolo voluntatis arbitrio pendere (* 56). Tertium his volumen addidit, quo Vincentium Lirinenſem Monachum ac Presbyterum ad ſaniorem doctrinam reduceret. Itaque ad ejusdem ſedecim objectas difficultates reſpondens, id urgebat maximè, in quo Vincentius hæſitâre viſus eſt: nempe Chriſtum pro omnibus mortuum, nec hominum quenquam exiſtere, quem ſalvum Deus nollet. Certamini ejùsmodi, de quo Eccleſia nondum quid definierat, nec Caſſianus, nec Vincentius diu ſuperfuit; ille enim anno trigeſimo tertio ſupra quadringenteſimum, alter anno ſequente, non tamen ſine ſanctimoniæ fama deceſsêre (i).

Scripta Proſperi Aquitani contra Semipelagianos

(i) Baron. ad an. 433. Gregor. M. lib. 6. ep 12.

A.C. 434.

Proclus Epiſcopus Conſtantinopol.

16. Virorum duorum in Galliis defunctorum funeri acceſſit Maximianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus (ii), cui continuò Theodoſius Imperator Proclum ſurrogatum voluit, ne Neſtorii ab exilio reditus à Schiſmaticis poſceretur. Cyzici is equidem anteà ordinatus erat Epiſcopus: ſed cùm Epiſcopatum adire ſuum ei nunquam licuerit, & Pontificis authoritate jam indultum eſſet, ut

(ii) Socrat. l. 7. c. 40.

(* 55.) S. PROSPER l. c. object. 3 ſic redarguit: *A Juſtitia ad iniquitatem pleroſque tranſire non dubium eſt: & tales ad prædeſtinationem filiorum Dei, cohæredum Chriſti, non pertinere certiſſimum eſt, ... quod ergo hujusmodi in hæc prolapſi mala, ſinè correctione Pœnitentiæ defecerunt, non ex eo pereundi neceſſitatem habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt. Quod autem illos non eo tempore, quo in fide recta & bonis moribus erant, ab hac vita Deus abſtulit; ad occulta ejus judicia, quæ tamen nunquam ſunt injuſta, referendum eſt. . . . Non itaque rectè opinantur, qui putant prorogatorem vitæ lapſuris authorem eſſe peccati. . . Sicut bona opera ad inſpiratorem eorum Deum; ita mala ſunt ad eos referenda, qui peccant. Non enim relicti ſunt, ut relinquerent Deum: ſed reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propriâ voluntate mutati ſunt: atque ab hoc licèt fuerint renati, fuerint juſtificati; ab eo tamen, qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati.*

(* 56) S. PROSPER adverſus Collatorem ſive Caſſianum n. 10. *Ecce hic etiamſi bonis cœptis neceſſarium fateris Dei auxilium; ipſos tamen laudabiles motus, appetitúsque virtutum, remotâ gratiâ Dei, nudæ libertati adſcribis arbitrii: ut boni, ſalubrésque conatus nequeant quidem proficere, niſi Deus adjuvet; poſſint tamen (etiamſi à Deo non inſpirentur) incipere. . . Doces ergo non poſſe quidem hominem per ſemetipſum adprehendere ſanitatem, ſed habere eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis, & ſuâ tantùm ſponte venire ad medicum, non etiam hoc ipſum medici eſſe, quod veniat.*

ut ob necessitatem Ecclesiæ etiam constitutus alibi Episcopus Constantinopolitanæ sedi præficeretur; omnes Orientales Proclum acceptârunt. Theodosio subinde curæ erat, legem sacram edere quâ pax omnium tandem ita coalesceret, ut qui Joannis Antiocheni communionem detrectarent, ab Ecclesiis ejicerentur (k). Pulsis jam in exilium pluribus, Helladius Tarsensis & Alexander Hieropolitanus, Maximianus secundæ Ciliciæ Metropolita ac Theodoretus Cyrensis cogi non poterant, ut exemplis pœnarum ad pacem mitiore animo concederent; quare Princeps alterâ lege his quoque indixit exilium (l). Theodoretus inde conturbatus monebat Alexandrum, ne conditiones pacis porrò respueret: at ille pervicacior negavit se, nisi Nestorio recepto, damnatísque Cyrilli capitulis, paci consensurum (ll). Theodoretus nihilominùs cum Joanne Antiocheno communionem hunc in modum pactus est, ut nullus ad subscribendam Nestorii (m), ejúsque dogmatum damnationem, neque ad admittendum Maximianum adigeretur.

(k) Synod. c. 124.

Pax denuò inter Orientales urgetur

(l) L. c. c. 129. & c. 137.

(ll) Ibid. c. 160.

(m) Ibid. c. 182.

A. C. 435.

17. Ab hoc tempore Joannes Antiochenus paci quæsitæ inhians, mitiùs ac oportebat cum Schismaticis agere, cúmque iis communicare cœpit: quæ mollis indulgentia quia in errore firmabat plurimos; Theodosius legem alteram proposuit, quâ scripta Nestorii comburi mandabat (n). Hoc Augusti edictum licèt in Synodo Tarsensi (Helladio authore) non pauci amplecterentur; Alexander tamen cum Meletio Mopsvesteno Episcopo, cúmque paucis aliis conciliandæ pacis conatibus omnem moram objicere tentârunt: motibus infestis finem impositurus Imperator Alexandrum aliósque contumaces sedibus ejicit. Quantùm ejusmodi exilium profuit quibusdam Ecclesiis, tantùm obfuit aliis; proscripti enim Nestorii fautores dum per alias Provincias vagabantur; Diodori Tarsensis & Theodori Mopsvesteni Episcopi volumina circumferebant (o), id maximè criminati, quòd Nestorius minimè novam, sed horum antiquorum Patrum doctrinam fuisset prosecutus. Acacius Melitinensis & Rabulas Edessenus Episcopi errori latiùs per Armeniam & Persiam serpenti obstitêre; ídque Ciliciæ Episcopis adversantibus commonstrare adnisi sunt: à piaculo abesse illum haud posse, qui Theodori Mopsvesteni libros Nestorianâ

(n) V. Part. III. Concil. Ephes. c. 45.

Refragantes paci in exilium amandantur.

(o) Liberat. in Brev. c. 10.

rianâ hæreſi infectos legere præſumeret. Rabulæ contradixit Ibas Presbyter & major pars Cleri Edeſſeni, qui in eo toti erant, ut Theodorum magni per Orientem nominis virum & in communione Eccleſiæ (ùt ajebant) defunctum ab hæreſis macula vindicarent (p): Rabulas igitur cæcus quidem, ſed mente oculatiſſimus, ſuorum Clericorum vexationem fortiter perpeſſus paulò poſt diem ſupremum obiit, habuítque in Edeſſenâ ſede Ibam ſucceſſorem, qui ab Anteceſſoris fide deflectens in veritate non ſtetit. Interea Armeniæ Epiſcopi à Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo certiores fieri voluêre, utrum Rabulæ de Theodoro Mopsveſteno ſententia integra foret? Proclus Theodori volumine examinato Tomum Armenis remiſit, in quo licèt à Theodori Mopsveſteni nomine abſtineret, ejus tamen doctrinam apertè configebat (q). Idem Epiſcopus Conſtantinopolitanus Tomo ſuo capitula quædam ſubjecit ex Theodori codicibus collecta, quæ Joanni Antiocheno eo conſilio tranſmiſit; ut is cum cæteris Epiſcopis eoſdem articulos velut ſpurios ingenii hæretici partus deteſtaretur. Joannes Antiochenus etſi in Synodo Tomum Procli probaret; adduci tamen non potuit, ut capitula à Proclo ſubjuncta damnaret. His enim cùm præter Procli voluntatem Maximus Archimandrita Theodori Mopsveſteni nomen inſeruiſſet; verebatur Synodus, ne damnando capitula, eodem anathemate ſimul & doctrinam, & Theodori Mopsveſteni perſonam (cui benè cupiebant Patres Antiocheni) proſcriberet (r). Ad diſſidium novum avertendum Joannes facti rationem Cyrillo expoſuit, qui ad exemplum Epheſinæ Synodi judicabat, è re Eccleſiæ omnino eſſe, ut diſſimulatâ Theodori damnatione, anathema duntaxat capitulis ejusdem infligeretur (s). Vix Cyrillus tantum Joanni dederat; tum non ſine dolore intelligit, id nunc agi à Joanne, aliíſque Theodori patronis, ut non modò author anathemate, ſed & capitula liberentur. Nec minùs Cyrillum afflixerant Joannis literæ, quibus hic præſumebat Theodorum conferre cum Magno Athanaſio, aliíſque Eccleſiæ Patribus: item illius capitula quibusdam ipſorum hinc inde non rectè ſonantibus articulis comparare (t): audaciam Joannis ubi redditis literis Cyrillus repreſſerat (u); contra Theodorum & Diodorum ejus Magiſtrum libros edidit, in quibus dictorum capitulorum origi-

Cauſa Theodori Mopsveſteni novorum tumultuum occaſio.

(p) Cyrillus epiſt. ad Proclum.

(q) Synod. c. 222. apud Baluzium Liberat. c. 10.

Theodorum Mopsveſtenum damnare renuunt Orientales.

(r) Facund. l. 8. c. 2.

(s) Cyrillus epiſt. ad Proclum apud Pagium ad an. 435. n. 23. & 24.

(t) Joann. ep. ad Cyrill. apud Facundum l. 8. c. 4.

(u) Cyrilli ep. ad Joan. Antiochen. apud Pagium ad an. 435. n. 27.

(x) Synodus V. coll. 4.

originem & ſcopum exponens (x), Orientalium inſtabile ingenium perſtrinxit, quibus Theodorus adeo in amoribus erat, ut ubique inviſæ acclamationes perſonarent: *creſcat Fides Theodori! ſic credimus, ſicut Theodorus.* Ad reſcindendas tandem tot tricas, Armeniæ, Perſidis & aliarum Gentium Epiſcopi ad Proclum & Imperatorem legârunt Epiſcopos, qui cum libello ſupplici (y) eodem tempore Regiam urbem ingrediebantur, quo Eccleſiæ Edeſſenæ, Clerici ac Monachi Conſtantinopolim venerant, Ibam Epiſcopum Theodori defenſorem accuſaturi. Proclus equidem Edeſſenorum cauſam ad Metropolitam Joannem Antiochenum remiſit cavens, ne ſuo contra Ibam officio negligentiùs deinceps, ac feciſſet, uteretur: poſteà Principi Auguſto author erat, ut legem illam conderet, quâ Theodori non tantùm dogma (uti aliàs) ſed & Perſona damnaretur (z).

(y) Vide Synodum V. coll. 5.

Damnatur Theodorus Mopsveſtenus, ejúsque doctrina.

(z) Facundus l. 8. c. 2.

A. C. 436. 18. Dum in Theodorum Neſtorii amicum hæc fulmina procudebantur; Neſtorius tandem ipſe quoque telo extremo confixus eſt: quatuor annis is jam in Monaſterio S. Euprepii clauſus hæſerat (a); tum in Oaſin (Marmaricæ urbem) circa fines Thebaidis deportatus (b), vermibus exeſâ linguâ (c), totóque corpore computreſcente (d) interiit, ut quàm turpiter dixiſſet, ex pœnâ intelligerent poſteri; ſimúlque exemplo eſſet, Deum Patrem, qui honorem filii ab Arii injuriâ vindicaret, Deiparæ nomen æquè in blaſphemo Neſtorio ulciſci voluiſſe. Neque ſupplicii divini terror eventu caruit; nam inde tota Antiochena Diœceſis in pacis ivit conſilia (e).

Mors impii Neſtorii.

(a) Evagrius l. 1. c. 7.

(b) Socrates lib. 7. c. 34.

(c) Evagrius l. 1. c. 7.

(d) Theodor. L. c. 2.

(e) Ep. Joan. Antiochen. ad Proclum.

Turbis aliquantùm in Oriente compoſitis à Vandalis in Afrorum Eccleſias ingens tempeſtas exorta eſt: Genſericus enim Arii partibus obſtrictus, poſtquam Valentiniano magnam Africæ partem, atque ipſam ſubinde Carthaginem eripuerat; Deo & orthodoxis ſuas adimere Eccleſias inſtituit: his direptis vel profanatis in fidelium corpora debacchatus eſt (f), quæ perſecutio tantò atrocior cæteris fuit, quantò Hæretici præ Ethnicis in orthodoxos ſolent eſſe crudeliores. Genſerico Ariano per Africam hunc in modum piorum corpora divexante, in Oriente major honos Martyrum, Sanctorúmque exuviis adhiberi cœpit: S. Chryſoſtomi corpus ſub idem tempus Conſtantinopolim (g) Comanis (ubi vir ſanctus obierat) translatum eſt; ad lætiſſimam pompam, ſimúlque

A.C. 437. *Perſecutio Vandalica.*

(f) Proſper in Chronic. Baron. ad an. 437.

A.C. 438.

(g) Socrates . 7. c. 44.

que ad unitatem Ecclesiæ ii quoque affluxerunt, qui ob depositionem Joannis separatos conventus agere per triginta quinque annos in more habuerant. Imperator verò sacro tumulo chlamyde tecto & fronte atque oculis urnæ impositis, communem supplex precationem pro Parentibus interposuit, id maximè exorans, ut illis, qui per imprudentiam peccâssent, Deus veniam indulgeret. Non minore apparatu eodem anno Proclus Constantinopolitanus Antistes extulit inventas reliquias quadraginta Martyrum, qui sub Tyranno Licinio vitam pro Christo posuerant (h). His demum accessit singularis Eudociæ Augustæ pietas, quæ anno CCCCXXXVIII. Hierosolymis in urbem Regiam reversa, adductas inde S. Stephani reliquias in Martyrio S. Laurentii deposuit (i).

Reliquiæ S. Chrysostomi Constantinopolim transferuntur.

(h) Chron. Alexandr. Sozom. l. 9. c. 2. v. Bolland. ad 10. Mart.

(i) Marcell. in Chronic.

19. Anno CCCCXXXIX. Synodus apud Rejos in Gallia ab Hilario Arelatensi coacta est, in quâ Armentarius Episcopus Ebredunensis subire pœnam jubebatur; eoquòd contra Canonum decreta à duobus tantùm Episcopis consecratus fuisset: statuebatur autem eundem posse cum Episcopi facultate in aliqua parochia (si Provinciam Alpinam maritimam exceperis) Choriepiscopi implere munus, neque Presbyteris licere deinceps ei imponere manus (k). Ebredunensis Provincia postquam ab dissidio ejusmodi respiraverat; funesto planè metu Romana ac universa Ecclesia concuti cœpit: sequente enim anno CCCCXL. Sixtus Pontifex è mortalitate communi fato abreptus orthodoxorum eò magis afflixit animos (l), quò certius omnibus erat, Virum sanctum toto pectore in HH. exterminium incubuisse. Et Pelagianorum quidem osorem fuisse vel inde conjicias, quod illa opuscula, quæ sub ejus nomine de divitiis, de castitate, ac de malis Doctoribus circumferuntur, ex hoc ipso capite ei à saniorum calculo abjudicentur, quòd Pelagii errorem sapiant (m). Sixto post intervallum duorum & quadraginta dierum LEO Archidiaconus natione Thuscus successit, à rerum posteà gestarum gloria MAGNUS nuncupatus, unus sanè Ecclesiasticæ navi ingruentibus undique tempestatibus regendæ par. Quamprimùm Apostolicam sedem tenuit; eodem zelo, quo anteà Julianum Eclanensem Episcopum ab Ecclesia submoveri fecerat (n), in cæteros Pelagii sectatores inve-

A. C. 439.

Synodus Rejensis.

(k) CC. T. I. apud Hard.

A. C. 440.

Mors Sixti Pontificis.

(l) Prosper in Chronico.

(m) v. Pagium T. II. ad an. 440. n. 3.

Leo Magnus Pontifex.

(n) Prosper in Chronico.

invectus est: nec minorem disciplinæ curam habuit; unde ejus exemplo inflammati cæterarum Provinciarum Episcopi varias instituerunt Synodos, ut abusibus nonnullis mederentur.

A. C. 441. *Arausicanum I. Concilium.*

(o) Concil. T. I. apud Hard. p. 1784

Anno CCCCXLI. in Diœcesi Arausicana sub Præside Hilario Arelatensi septendecim ex Gallia Præsules congregati triginta de disciplina ediderunt Canones (o), quorum *primus* hæreticos in mortis periculo conversos à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari permittit, si absint Episcopi (* 57). Et quoniam in prioribus sæculis post baptismum statim confirmatio conferebatur; altero Canone Ministri jubentur paratum semper habere chrisma, quo Baptizati liniantur: at si quem chrismate eo tempore privari contigerit, Patres Episcopum commoneri voluêre; ut, antequam confirmationem, deinceps separatam adhibeat, ceremoniam illam, quâ baptizati in fronte ungebantur (siquidem visum illi fuerit) suppleat (* 58). *Sextus* Canon laudat Epistolam Clementis ad Jacobum, quam alii meliùs suppositam affirmant.

(* 57.) CANON I. ARAUSICANÆ SYNODI ita habet: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placuit.* Per chrismationem intellige hìc Reconciliatoriam, non Confirmatoriam; nam cùm Episcoporum judicio priùs determinari deberet, quàm Hæreticus ad Ecclesiam admitteretur; his absentibus statuit Canon, ut Presbyteri Hæreticis ad extrema deductis, & conversis chrismationem possint conferre in vertice, etiam prævio Episcopali judicio omisso.

(* 58.) CANONEM II. qui & refertur Dist. 4. de Consecr. c. 125. ex Manuscriptis Parisiensibus emendatum ita legit SIRMONDUS: *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usque debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate quâcunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut* NON *necessaria habeatur repetita chrismatio.* AURELIUS licèt cum multis Gallis velit ex Canone particulam NON omitti; alii tamen cum SIRMONDO hanc addendam putant, sicque notant: *Sacerdos commonebitur*, nempe Sacerdos Episcopus ad ea verba *nonnisi una benedictio est*, quia idem chrisma inservit chrismationi baptismi in vertice, & chrismationi confirmationis in fronte. Ad istud, *non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*, quia omissâ chrismatione in vertice, non absolutè necesse est hanc repetere, si postea ab Episcopo chrismetur in fronte. NATALIS ALEXANDER paulò aliter rem exponit: Primis tribus Ecclesiæ sæculis, cùm post Baptismum confirmatio mox conferebatur, unica in usu erat unctio chrismatis, quâ Episcopus baptizatos consignabat. Innocentius I. in ep. ad Decentium Presbyteris permisit, ut chrismate baptizatos ungerent in vertice, non in fronte: quod & anteà permisisse dicitur Silvester. Unctio itaque licita erat Presbyteris ex decreto Innocentii, sed non erat præcepta. Quare opus fuit in Galliis hoc Canone Arausicano, ut Ministri unà cum Baptis-

mant (* 59). Cæteri Canones Synodi vel postulantibus Clericis pœnitentiam publicam concedunt: aut de Ecclesiarum Asylo, de Episcoporum restricta jurisdictione, de Diaconorum continentia, & bigamia, ac de Diaconissarum benedictione decernunt. Anno A. C. 442. sequente CCCCXLII. Vasione Synodus celebrata est (p), cujus Canonum summa hæc erat: nempe ut Presbyteri ab Episcopis suis tempore paschatis chrisma petant, útque communione segregentur, qui fidelium defunctorum oblationes retinent. Cæterorum Canonum præscripta tractant de correptione in criminibus occultis, & consulunt quieti seu famæ eorum, qui infantes à Parentibus vel Dominis expositos colligebant & ex misericordia educabant (* 60).

Concilium Vasense.

(p) Harduin. in Coll. CC. T. I. p. 1787.

20. Quàm benè Præsules in Gallia hoc tempore restaurabant A. C. 443. disciplinam, tam sapienter Leo Pontifex in Italia integritatem fidei tuebatur. Africâ à Vandalis devastatâ (q), ingens hominum turba in Italiam se infundebat: ex iis licèt non pauci essent Manetis sectatores, qui in honorem Solis & Lunæ die Dominica ac secunda feriâ jejunabant; infidelitatem tamen hi suam eatenus occultavêre, quatenus orthodoxorum Mysteriis sese ultro ingerebant. Verùm fraudem Veteratorum S. Pontifex inde eruit, quòd cùm Christi corpus acciperent, ex superstitionis suæ instituto ab hauriendo sacro sanguine abstinerent (r): itaque agniti Manichæi primò porrigere libros jubebantur, quibus exustis vel ad ejurandum errorem, aut ad vertendum solum compulsi sunt. Eâdem forti-

(q) Victor. l. 1.

Leo Pontifex Manichæos & Pelagianos persequitur.

(r) Leo serm. 4. de quadrages. item epist. 8. Prosper in Chronic.

Baptismo chrisma adhibere in vertice ex officio tenerentur. *Placuit inter nos semel chrismari*, id est necessarium esse duximus, ut chrismatis delibutio non pendeat imposterum ex arbitrio Presbyterorum, sed simul & semel cum Baptismo administretur.

(* 59.) SEXTUS CANON Vasensis Synodi citat epistolam D. Clementis ad fratrem Domini Jacobum, & approbat tanquam legitimam; nos supposititiam autem esse alibi probavimus. Vide T. I. Historiæ Universalis nostræ Reflex. 7. in C. II. lib. 1. pag. 343. n. 3.

(* 60.) CONSTANTINUS leg. 1. Codic. Theod. *de expositis* jussit, expositos pueros eorum fieri, à quibus colligebantur, & educabantur, quæ lex postea ab Honorio eâ conditione confirmata est, ut apud Episcopum contestatus esset, qui collegerat. Verùm cùm plerique calumniatorum metu sic expositos colligere detrectarent; Vasione in Synodo decretum est, ut in Ecclesia die Dominico denunciaretur, & omnibus patefieret facta collectio: ut, nisi intra decem dies ab expositionis die agnitus, ac repetitus fuisset expositus, qui eum postea repeteret, Ecclesiasticis legibus velut homicida plecteretur.

fortitudine in finibus Italiæ Pelagianorum ſecta repreſſa eſt: nam monente Septimio Altini Epiſcopo, Pelagianos in Provincia Veneta paſſim in Eccleſias recipi; S. Leo continuò Hæreticos ejuſmodi orthodoxorum ſacris interdixit, ſimúlque præſcripſit leges, quibus Pelagiani converſi ad orthodoxorum conſortium deinceps admitti deberent (s). Poſtquam pro pace Eccleſiarum ſervanda contra Hæreticos S. Leo pugnaverat; ipſe in bellum contentionémque incidit, quæ Papam ſanctum alio cum ſancto Epiſcopo validè commiſit (t). Hilarius Arelatenſis Antiſtes dum comite S. Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo ſubjectas ſibi luſtrabat Eccleſias; de Chelidonio Veſontionenſi Præſule querelas audit: nempe eundem internuptam ſuo adhibuiſſe conſortio, ſimúlque aliquos capitali pœnâ condemnâſſe. Hilario tam gravis hæc cauſa viſa eſt, ut convocatis Sacerdotibus veritatem teſtium altiùs ſcrutatus, demum Chelidonium utpote reum deponeret: depoſitus ad Pontificem provocat, quod ubi Hilarius compertum habuit; Romam ſæviente etiam hyeme contendit, ſententiam latam defenſurus. Sed à Leone impetravit admodum nihil, ſive quòd Pontifex falſis adverſus Hilarium delationibus circumventus Chelidonio palàm faveret, ſive quod Veſontionenſis ex alterâ parte Epiſcopus, criminum ſe purum omnino oſtenderet (u). Invidiam majorem Hilario conflaverat Projecti Epiſcopi querela, quâ hic Præſul Leoni teſtabatur, ſe in alieni juris Provincia, cùm æger decumberet, ab Hilario exauthoratum, ſibíque militari manu ſucceſſorem datum fuiſſe. Improbavit enimvero Pontifex, vim ei Epiſcopo adhibitam, qui extra poteſtatem Hilarii foret: pugnabat equidem Hilarius à Zoſimo Pontifice jura Primatûs deceſſori ſuo conceſſa; atque inde ſedi ſuæ Arelatenſi nunc propriam in dictum Epiſcopum jurisdictionem eſſe affirmabat: at Leo contendebat privilegia hæc revocata fuiſſe; quare Projectus non tantùm, ſed etiam Chelidonius reſtituendi decernebantur. Hilarius, antequam ferretur ſententia, clam Româ egreſſus Arelaten ſe recepit: ne quid tamen durius Pontifex ſtatueret, aut ut diſſidia tandem ceſſarent; placare animum Leonis omni officio ſtuduit, functúsque multis pro ſua Eccleſia laboribus anno Chriſti CCCCXLIX., ætatis XLVIII. piiſſimè obiit. Compoſitâ Galliâ Hiſpaniam Priſcillianiſtarum motus

(s) Leo epiſt. 6. & 7.

A.C. 444.

(t) Honoratus in Vita S. Hilarii.

Leonis cum Arelatenſi Hilario diſſidium & cauſa ejusdem.

(u) Leo ep. 10. aliàs 89.

A.C. 445.

Mors S. Hilarii Arelatenſis.

motus perturbavêre; quo minùs malum invalesceret, S. Leo à S. Turribio Asturicensi Episcopo monitus opem continuò attulit; nam ad Turribium rescribens primùm septendecim Priscillianistarum errores (quorum plures cum Manichæis communes, paucos etiam proprios habebant) in lucem produxit & confutavit: dein ad conterendam omnino hæresin generale per Hispaniam indixit concilium, cui Pontificis præscripto eâ ratione obsecundatum est, ut, quoniam Suevi Galliciam, alias Provincias Gothi divisas tenebant; Episcopi in discretis quidem Synodis: concordi tamen sensu adversus Priscillianistarum errores statuerent (w). A. C. 447. *Leo indicit Concilium contra Priscillianistas in Hispania.* (w) Leo epist. 15.

21. Dum in Occidente hunc in modum hæresis profligabatur; in Oriente novus error, Nestorii errori quidem oppositus, sed non minùs pestilens, erupit. Anno CCCCXLI. Joanni Antiocheno defuncto Domnus successerat, qui ubi ad exemplum sui Antecessoris Theodorum Mopsvestiæ olim Episcopum (quem plerique hæreticum fuisse existimabant) defendebat; hoc Patrocinii genus adeò abominatus est Eutyches Presbyter & Archimandrita sive Abbas celeberrimi cujusdam in urbe Constantinopolitana Monasterii (x), ut zelo importuno abreptus, aut concepto in Theodorum, aliósque Nestorii fautores odio, ejusdem Hæresiarchæ errorem impiâ Apollinaris blasphemiâ corrigendum sumeret (y), *Mysterii incarnationis dogma corrumpens, & divinitatem unigeniti & humanitatem vocans unam naturam, commixtionémque & confusionem asserens factam, & salutarem passionem ipsi incommutabili Deitati adnectens.* Domnus hâc doctrinâ offensus Theodosio Imperatori literis perscribit, Eutychetem utrámque in Christo miscere naturam, coalitámque in unam asserere; sive Christum esse ex duabus naturis, sed non in duabus, id est, duas fuisse ante unitionem naturas, unicam postea; unde illud consectarium, Christum consubstantialem nobis non esse secundùm carnem (z). Imperatorem, quo minùs is ad erroris novitatem aures adverteret, alia causa aliò avocabat: fervebat adhucdum inter Orientales Episcopos, intérque Cyrillum ingens dissidium de duodecimo capitulo, cui hæc verba idem Alexandrinus Episcopus inseruerat: *Deus verbum est passus*; cùm enim inde timerent orthodoxi, ne in talibus vocibus Apollinaris doctrina lateret, Theodoretus

Eutychetis Hæresiarchæ initia.
(x) Liberat. Breviar. c. 11.
(y) Facund. l. 8. c. 5.
Errores Eutychetis.
(z) Prosper in Chronic. Theodoret. in Dialog.

Orientales duodecimum Cyrilli capitulum exagitant.

(a) Epist. Theodoreti ad Domnum

doretus palàm Cyrillo bellum indixit: atque ut adversarium vinceret, iis sententiis utebatur, quibus dividere Christum in duos filios videri poterat, quorum alter sit crucifixus, alter mortuum suscitaverit; præsente quippe Domno dixisse ferebatur, *non Deus crucifixus est, sed Jesus Christus homo* (a). Cyrillus contrà capituli sui orthodoxum sensum vindicaturus, exponebat Deum Verbum non in sua Deitate, sed in assumpta in propriam hypostasin carne fuisse passum. Cyrillo subinde mortuo anno scilicet CCCCXLIV. Theodoretus magis efferbuit, & Antiochiæ in publica concione Cyrillum perstringens in hæc verba dicere auditus est: ubinam sunt, qui dicunt Deum esse mortuum? non Deus mortuus est, sed Dominus noster Jesus Christus (b). Qui ægrè ferebant à Theodoreto tam malignè Cyrilli integerrimæ fidei insultari, suspicabantur Theodoretum in partes Nestorii discessisse (c), neque veram in Christo inter utramque naturam unionem admittere; alii verò mitiùs dicentis impotentiam interpretati, affirmabant, ab ipso unionis, quam concederet, vim & effectus non satis percipi. Re ad Theodosium delatâ, Theodoretus Antiochiâ excedere, & suis parochiis velut honesto carcere se continere jussus est; minimè tamen in hoc domestico exilio pugnandi animum Theodoretus continuit: sed literis scriptis, quod coram aliis non poterat, Cyrillum insectatus est. Imperator igitur turbationem validiùs compressurus, libros contra Cyrilli scripta editos, & diligenter conquisitos comburi jussit, decrevítque etiam, ut qui ex Clericis Nestorio subscriberent, Ecclesiasticis gradibus, Laici verò Ecclesiæ communione expellantur (d).

(b) Theod. epist. 79. ad Anatolium.

(c) Theod. Dialog. III.

S. Cyrillus suam doctrinam vindicat & ab Imperatore vindicatur.

A.C. 448.

(d) Theod. ep. 110.

22. Fulmina ejusmodi in Nestorianos vibrata læto vultu spectabat Eutyches, tantóque jucundiùs sibi plaudebat, quantò longiùs ab hoc errore discederet: ab amico Eusebio Dorylæi in Phrygia Episcopo sæpè monitus adeò non cessit (e), ut alios porrò familiares Monachos hæresi suâ inficere allaboraret. Eusebius quò luem tempestivè restingueret, ad Constantinopolitanum Antistitem causam refert: erat is Flavianus, qui S. Proclo anno CCCCXLVII. è vivis decedenti successerat, dignissimus, qui hoc turbulento tempore sedem caperet: fortitudinem, pietatémque viri vel ex eo conjicias, quod Chrysaphio Eunucho benedictionis loco aureum munus

(e) Liberat. c. 11. Concil. Chalcedon. Act. 1. apud Hard. T. II.

Flavianus Procli Episcopi Constantin. successor.

munus poſcenti, ſacratos nonniſi panes miſerit, illud ſubjungens, non eſſe ſibi talium rerum copiam, niſi fortè ad hoc ſacris templi donariis uteretur, ſatiſque ſcire Chryſaphium, Eccleſiæ vaſa Dei, pauperúmque eſſe (f). His virtutibus inſignis Flavianus, legum vim, Epiſcoporum cœtus conſiliáque ad Eccleſiarum incolumitatem adhibere cœpit: inter primas ejusdem Synodos erat Conſtantinopolitana, in quâ cùm litem Florentii Sardenſium Epiſcopi, ac Lydiæ Metropolitani adverſus duos ſuffraganeos dirimere pararet; ecce gravius negotium de diſcutienda Eutychetis doctrina ab Euſebio defertur (g). Patres equidem rogabant Dorylæi Epiſcopum, ut amicè, privatímque hominem antè conveniret: at ab Euſebio edocti, nihil officii ſecreti prætermiſſum, tótque monitionibus nihil agi; Eutychetem per Joannem Presbyterum ad Synodum evocandum curârunt. Finitâ igitur causâ Epiſcopi Sardenſis, de novo errore *Actio instituta* eſt pridie Idus Novembris: lectæ primùm ac probatæ ſunt duæ Epiſtolæ S. Cyrilli, una ad Neſtorium, altera ad Joannem Antiochenum tempore initæ pacis perſcripta. Harum argumento ubi ſatis confutabatur hæreſis Eutychiana; providè Euſebius petiit, ut & cæteri Conſtantinopoli præſentes Epiſcopi ſuas hâc de re ſententias exponerent (h). Decimâ quintâ menſis Novembris Joannes Presbyter in *tertio* Patrum conventu renunciavit, Eutychetem, quo minùs ad Synodum citatus veniret, cauſari, quòd Monaſterio ſuo nunquam exire decreviſſet: Euſebii ſibi infenſi accuſationem falſam & injurioſam meritò cenſeri, propterea quod ſcripturæ firmiter adhærens, & Nicænis ac Epheſinis ſanctionibus facilè ſubſcripturus, quædam duntaxat Patrum placita, in quibus errâſſent, detrectaret: unam proinde ſe agnoſcere naturam Dei incarnati & humanati; innoxium ſe eſſe à Valentini errore, nec docuiſſe unquam, quod Deus verbum carnem de cælo detuliſſet (i). Eutyches ſecundò & tertiò vocatus tandem Abraamium Archimandritam cum quibusdam Monachis ad Concilium direxit, qui primò Eutychetem ægrotum mentiti, poſteà ſe ejus nomine reſponſuros profitebantur. Flaviano placuit, ut reus non aliorum, ſed ſuo ore cauſam in Concilio diceret: & quoniam inducias ſeptem dierum Eutyches petierat; hæ ipſæ, obnitente quantumvis Euſebio, conceſſæ

(f) Nicephorus l. 14. c. 45.

(g) Act. 1. Concil. Conſtantinopol. apud Hard. T. II. p. 111. Liberat. c. 11. Evagr. lib. 1. c. 9.

A.C. 448.

Synodus Conſtantinopolitana contra Eutychetem.

(h) Hard. in Coll. CC. T. II. Act. 1. Conc. Chalc. p. 114.

Eutychetis tergiverſatio

(i) Act. 1. Conc. Chalc.

cessæ sunt. Ex prorogatione temporis etsi id emolumenti profluxerit, quod Patres quintò ac sextò considentes apertiùs errorem Eutychetis, simúlque seditionis crimen velut dato intervallo evolverent; lucri tamen plus ad Hæresiarcham inde manavit: nam induciis is abusus, protinus ad Chrysaphium confugit potentissimum in aula Eunuchum, sibi utì vetere amicitiæ jure devinctum, ita Flaviano Episcopo ex novis simultatibus infensum. Hujus operâ effectum est, ut Eutyches Imperatoris militibus accinctus, magnáque catervâ Monachorum circumsessus eo tempore Concilii locum subiret, quando septimâ jam vice congressi Patres anathema Eutycheti parabant (k). Aderant quoque jubente Theodosio Florentius Patricius, ac Magnus Silentiarius, quibus præsentibus cùm Acta Concilii relegerentur; adeò absterriti Patres non sunt, ut Hæreticum in novas quæstiones adigerent, hæsitantem urgerent, dum tandem palàm errorem ediceret: nempe Christum ante adunationem ex duabus naturis esse, post incarnationem verò non jam duas, sed unam naturam in Christo existere; quâ blasphemiâ palàm auditâ de Valentini & Apollinaris erroribus convictus, officio Sacerdotis, & Archimandritæ tum totâ communione Ecclesiæ exesse jussus est à congregatis Episcopis, quorum duo supra triginta unà cum viginti tribus Archimandritis sanctioni Synodicæ subscripserunt (l). Eutyches quoniam nec in authoritate Chrysaphii, nec in tutela Theodosii Augusti satis præsidii invenerat; ad Romanum Pontificem confugit (m), ratus absentem circumveniri eum posse, cui jam semel anteà falsis literis imposuerat (* 61). Leonem Papam anxium habebat, quod

(k) L. c. pag. 159.

Eutyches à Concilio damnatus ad Pontificem provocat.

(l) L. c. pag. 167.

(m) Lupus in Coll. c. 222.

(* 61.) Eutychis literas ad Pontificem refert LUPUS in Coll. c. 222. *Et quidem* (inquit Eutyches) *libellum statim subscriptione meâ additâ obtuli, ostendens de S. fide professionem meam. Flaviano autem, neque libellum suscipiente, neque ut legeretur, jubente, audiente tamen, & respondente me ipsis verbis fidem, quæ Nicææ exposita est, & confirmata apud Ephesum, exspectabar duas naturas fateri, & anathematizare eos, qui hoc negarent Ego autem metuens definitionem Synodi, nec adimere, nec addere verbum contra expositam fidem à Synodo Nicæna, sciens verò & Sanctos Patres nostros, Julium, Felicem, Athanasium, Gregorium, Episcopos refutantes duarum naturarum vocabulum; & non audens de natura tractare Dei verbi, qui in carnem venit ultimis diebus S. V. Mariæ immutabiliter, quomodo voluit, & scit, in veritate, non in Phantasmate homo factus, nolebam anathematizare supradictos Patres, rogabam, ut innotescerent ista Sanctitati vestræ, & quod vobis videretur, judicaretis &c.*

quod Flavianus nihil de iis, quæ ad Ecclesiæ offensionem Constantinopoli evenissent, Apostolicæ sedi denunciâsset (n); ne tamen Eutychetem vel innocentem condemnaret, vel reum absolveret, ad Theodosium, Flavianúmque dedit literas (o). Flavianus voluntati Pontificis obsecuturus acta Synodi extemplo misit (* 62), quibus jam informatus Papa epistolâ (prolixâ fidei sincerioris indice) testatus est Constantinopolitano Præsuli, sibi decretum esse, omnes eò vires intendere, ut tam noxius Hæresiarcha subigatur.

(n) Leonis epist. 20.

A.C. 449.

(o) Leonis ep. 20. & 21.

Eutyches ubique convictus & detectus repellitur

23. Interea Eutyches proposito libello apud Theodosium querebatur, acta Synodi Constantinopolitanæ non sine sui injuria diminuta ac vitiata circumferri: agente itaque Chrysaphio Princeps in altera Synodo, cui Thalassium Cæsareæ Episcopum præfecerat, examinari acta jubet. Quinto Idus Aprilis ubi hæc ipsa discuti cœpta sunt; nihil vitii, fraudísve in Actorum descriptione commissum judices deprehenderunt (p); unum erat, quod Monachi & Eutychetis Procuratores oggerebant, nempe appellationem Eutychetis ad majorum sedium Episcopos factam in actis non reperiri: at difficultas hæc inde diluebatur, quod, cùm Eutyches non in Concilio, sed posteà ad altius tribunal provocârit, nihil ista causa ad acta Synodi præsentis pertineret. Eutyches hunc in modum repressus, in Dioscori Alexandrini artibus spem

(p) Hard. in Coll. CC. T. II. Act. ultima Concil. Const. p. 195...

 unam

(* 62.) FLAVIANI epistola (posita post 21. Leonis) ad Pontificem: *Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens . . . impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens: ante incarnationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse divinitatis & humanitatis, post unionem verò unam naturam factam: sciens, quod dicit, neque de quibus affirmat. Neque enim unio duarum naturarum in Christo convenientium, quemadmodum & vestra novit pietas, proprietatem earum in unione confudit, sed manent etiam in unione integræ duarum naturarum proprietates. Adjecit autem & aliam impietatem, dicens, quod ex Maria ortum est Corpus Domini, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ materiæ: sed humanum quidem illud appellat, non tamen consubstantiale nobis, nec ei, quæ illum peperit secundum carnem. Impietatem hanc ab Ephesina Synodo damnatam probat ex literis ad Nestorium datis, in quibus sic legitur. Quod diversæ quidem, quæ ad unitatem veram convenerunt, naturæ, unus autem ex ambabus Christus & filius. Non quasi naturarum discrimen sublatum fuerit per unionem, sed potiùs quia nobis perfecerunt unum Dominum Jesum Christum eædem naturæ divinitatis & humanitatis, per ineffabilem & incomprehensibilem ad unitatem concursum. . . . Quæ nihil pendens Eutyches putat se non daturum pœnas per sanctam illam & œcumenicam Synodum definitas. Itaque propter hæc, cùm multi è simplicioribus læderentur in doctrina fidei, eum accusatum ab Episcopo Eusebio & occurrentem ad S. Concilium, propriáque voce, quid ipse sentiret, Patribus Synodi detegentem, ut qui alienus sit à rectâ fide, deposuimus &c.*

unam reposuit; vir hic namque nefarius ab anno CCCCXLIV. ex quo Cyrillo Sanctissimo suffectus fuerat, bonos persequi, protegere malos in votis habebat: imploratus ab Hæresiarcha ita operam suam commodabat, ut ad cogendam alteram Synodum Theodosium induceret (q). Imperator in Dioscori consilium inclinatus postquam Concilium apud Ephesum celebrandum indixerat; Principem Chrysapius in duo adhuc capita impulit, quæ toti Ecclesiæ luctuosa fuêre: primò enim Imperator optimis Episcopis, qui Eutychetem damnaverant, à Synodo amandatis, Barsumam scelere & perfidiâ notum Archimandritam contra Ecclesiasticas regulas suffragandi jure donavit; dein Præsidendi munus, quod ad Romanum semper Pontificem pertinebat, ad Dioscorum transtulit (r). Invitatus equidem Leo à Theodosio Ephesum fuerat, ne omnino sedes Apostolica neglecta videretur; at Pontifex negans ob imminens Romæ ab Hunnis periculum se Italiâ exire posse, tres legatos misit Julium Puteolanum Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum. Hi ubi Ephesum venerant, fraude Dioscori factum est, ut Leonis epistola ad Synodum directa non legeretur; centum triginta Episcopis interea unà cum Dioscoro præside considentibus (s). Eutyches introductus continuò cœpit diluere labem hæreseos, formulámque simul proposuit falsitatis & simulationis plenam: vix eam prælegerat; non auditis iis, quæ Diogenes Cyzicenus, Flavianus ac Basilius Seleuciensis interponebant, Eutyches in Sacerdotii gradum & Monasterii regendi officium restitutus est (t). In Flavianum & Eusebium è diverso Dorylæi sententia depositionis proferebatur, cui alii subscripsêre metu adacti, alios verò reluctantes jubente Dioscoro, milites ac factiosi Monachi gladiis & fustibus abegerunt (u). Flavianus, qui ad summum Pontificem provocârat, plagis affectus, Epipam Lydiæ urbem in triste abiit exilium, ubi seu superveniente seu ingestâ morte spiritum Deo reddidit: Legati posteà Leonis in custodiam raptati, aliique Episcopi, qui obsistere porrò religioni ducebant, proscripti sunt.

(q) Act. 1. Conc. Chalc. apud Hard. T. II. CC.

(r) Ibid. pag. 71. 75. & 79.

Pseudo-Synodus Ephesina, quæ latrocinalis & prædatoria dicitur.

(s) Liberat. in Breviario c. 12.

Eutyches restituitur.

(t) Act. 1. Conc. Chalc. l. c. pag. 98.

(u) Ibid. pag. 253.

Furor in orthodoxos Episcopos.

24. Inter condemnatos ejusmodi Episcopos fuêre Theodoretus Cyrensis & Ibas Edessenus, idem scilicet, qui sub hujus anni initium à suo Clero apud Domnum Antiochenum accusatus fuerat

A.C. 449.

rat de inſano dogmate, quo dixiſſe ferebatur: *non invideo Christo facto Deo, in quantum enim ipſe factus eſt, & ego factus ſum* (x). Actoribus cauſæ ſubinde Antiochiâ dilapſis abſolutus Ibas fuiſſet; niſi Imperator juſſiſſet, ut Epiſcopi Uranius Hymeriæ, Photius Tyri & Euſtachius Beryti cauſam reſumerent. Beryti itaque quatuor accuſatores Presbyteri denuò contra Ibam prodeunt, & commemoratis aliis criminibus, demum dictam ab Edeſſeno Epiſcopo blaſphemiam teſtibus confirmare nituntur (y): at Ibas fidem, numerúmque teſtium ex eo elevabat, quod anathemati ſubjecti & non diſſimulanter irati dolos necterent. Maras porrò unus accuſatorum Ibæ objecit, quod Beatæ memoriæ Cyrillum in epiſtola ad Marin Perſam (* 63) appellârit Hæreticum: ſed cùm plures ex Clero Edeſſeno negârent à ſe quidpiam hujusmodi unquam auditum; deprecantibus pluribus Presbyteris atque Diaconis hoc datum eſt, ut Ibas ejurato palàm Neſtorio, & profeſſione fidei factâ ad ſuam Edeſſenam Eccleſiam redire poſſet: beneficio tamen illo diu frui non licuit; eodem enim anno ab Eutychianis de Neſtorii dogmate rurſus in judicium vocatus, Epheſi in latrocinali illa Synodo cum aliis deponitur, & in exilium propulſatur. Theodoretus Cyrenſis ut primùm audiit ſe Epheſi condemnatum; Romanum Pontificem appellavit (* 64), qui appel-

(x) Liberat. c. 12.

Theodoretus Cyrenſis & Ibas Edeſſenus deponuntur.

(y) Act. 9. Conc. Chalc. apud Hard.

(* 63.) Literæ IBÆ ad Marin Perſam habentur. Act. 10. Concil. Chalced. p. 530. & ſic habent: *Contentio facta eſt, his duobus hominibus Neſtorio & Cyrillo, & conſcripſerunt adverſum ſe nocivos & pernicioſos libros, qui audientibus fuerunt ſcandalum. Neſtorius enim dixit in ſuis libris, quia beata Maria Dei Genitrix non eſt: ita ut multi putarent, ex hæreſi Pauli Samoſateni hunc eſſe, qui dixit, hominem purum eſſe Chriſtum. Cyrillus autem libros Neſtorii volens deſtruere, lapſus eſt, & inventus in Apollinarii dogma incidens. Conſcripſit enim & iſte ſimiliter illi, quia ipſe Deus Verbum homo factus eſt, ut non eſſet differentia inter templum & inhabitantem in eo. Conſcripſit enim duodecim capitula: quia una natura eſt Divinitatis & Humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti: & quia, ſicut dicit, non oportet dividere voces dictas, quas vel ipſe Dominus de ſemetipſo dixit, vel Evangeliſtæ de eo. Hæc omni impietate plena ſunt....* Poſteà in Rabulam & Cyrillum ſuppreſſo tamen hujus nomine invectus, tandem ſic pergit: *Contentio jam quievit... & qui ſeditioſè adverſus vivos & mortuos* (ſcilicet Theodorum Mopſveſtenum) *irruerant, in confuſione ſunt, ſatisfacientes pro ſuis exceſſibus, & contraria docentes ſuæ priori doctrinæ. Non enim quisquam audet dicere: quia una eſt natura Divinitatis & Humanitatis, ſed confitentur ſe credere in templum & in eum, qui in hoc habitat, qui eſt unus filius Jeſus Chriſtus.*

(* 64.) THEODORETUS ep. 113. ad Leonem: *Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritûs S. ad magnum Petrum ſe contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali converſatione* dubi-

pellantis negotium ultro susceptum tandem feliciter confecit. Clausi interea Ephesino in carcere adhuc hærebant duo Legati Pontificis; tum tertius Hilarus Diaconus fugâ elapsus Romam pervenit, tristis nuncius eorum, quæ in Latrocinali Synodo Ephesi per Eutychianorum vim ac impiè gesta fuerant (z). Leo ad hæc cohorrescens coacto Romæ Concilio, prædatorii conventûs Ephesini acta proscribit: crebris etiam ad Theodosium, ac Pulcheriam Augustam literis institit, ut Synodum alteram fieri in Italiæ finibus curarent, quâ Ephesina ignominia, labésque deleretur. Valentiniano Imperatore ejúsque matri Gallæ Placidiæ & conjugi Eudoxiæ subinde Romam profectis Pontifex Episcoporum coronâ accinctus obviam procedit; dúmque Augusti Apostolorum limina religionis causâ invisebant, singulos in vota sua adigere laborabat, ut Theodosium ad permittendam aliam Synodum inflecterent (z). Verùm Chrysaphii dolis, & Eutychianorum fabulis adeò irretita mens Theodosii tenebatur, ut nec propinquorum precibus, nec Episcoporum literis daret locum: quin potiùs inde acerbior, publicis legibus Flavianum damnare, Ephesinum contrà Latrocinium tueri, & Nicænorum Patrum decretis æquare non reformidavit; quorum tamen factorum alium fructum non tulit, quàm ut anno CCCCL. nullo hærede relicto extinctus, nec leves, nec feras pœnas solvisse crederetur.

(z) CC. Coll. T. II.

Leo Pontifex Acta Pseudo-Synodi rescindit, & novam Synodum à Theodosio vult convocari.

(z) Liberat. c. 14.

§. IV. *Concilium Chalcedonense; Dioscori impietas, Molitiones Monachorum & Eutychianorum contra Concilium Chalcedonense. Synodi particulares Andegavensis Venetica, Arelatensis II. & III. Persecutio Vandalica. Timotheus Ælurus invadit Episcopatum Alexandrinum, & dejicitur. Leoni Pontifici succedit* HILARUS: *Simeonis Stylitæ vita & obitus. Turonense & Romanum Concilium:* SIMPLICIUS *Papa. Hæreticorum tam in Oriente, quam in Occidente infestus dominatus.*

1. Quan-

ambigebant, explicationem ab illo referret: multò magis humiles & pusilli ad Apostolicam sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit..... Ego Apostolicæ sedis vestræ exspecto sententiam, & oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi rectum, atque justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, &c.

1. QUanto favore Theodosius Heterodoxos foverat, tanto odio Marcianus Theodosii successor, conjúxque Pulcheriæ Augustæ eosdem persecutus est; vix enim fasces cœperat moderari, Constantinopoli in Synodo epistola orthodoxa Leonis ad Flavianum omnium consensione probata est (a): anathema dictum Nestorio & Eutycheti, quorum proscriptio ut universalis foret; Concilium generale non quidem in Italiam, uti Pontifex voluerat, sed Nicæam in annum sequentem CCCCLI. convocare placuit. Leo acceptis de habendo Concilio literis, redditâ ad Imperatorem epistolâ spopondit se Legatos missurum, qui in Synodo suas implerent vices. Legationis hujusmodi munere fungi jussi sunt, Paschasinus Lylibætanus & Lucentius Asculanus Episcopi: Bonifacius Presbyter, quibus Julianus Coensis postea adjunctus est. Interea Attila Hunnorum Rex in Galliis victus & à clade perceptâ ferocior in Illyricum, Orientémque sua arma feliciùs movere parabat; quare terror ac periculum imminens haud permisit, ut in Bithyniæ loco magis dissito Concilium cogeretur: cùm enim Legati Pontificis id maximè urgerent, ne Marcianus à Synodo abesset; omissâ Nicæâ Patres Chalcedonem (quæ Constantinopoli propinquat, & vix septem stadiis abest) adire jubebantur. Congregatis igitur sexcentis ferè Episcopis, Chalcedone cœpta Synodus est octavo Idus Octobris anno CCCCLI. Adstante pro Synodi præsidio magnâ Procerum coronâ, considentibúsque Episcopis Legati Apostolici sive Concilii Præsides primò petierunt, ut Dioscorus ex ordine judicum amotus, in medio sedens personam rei susciperet, quo facto Eusebius Dorylæi Episcopus omnia Acta tum Constantinopolitani Concilii, tum Pseudo-Synodi Ephesinæ recitari voluit: quibus perlectis Flavianus & Eusebius à labe hæreseos vindicati sunt, pronunciatúmque omnium ore, præter jus, æquúmque exauctoratos & communione privatos fuisse; quin è diverso decernebatur, ut Dioscorus cum aliis Latrocinii Ephesini auctoribus talionis pœnam subiret; siquidem id Marciano tunc adhuc absenti probaretur.

A. C. 450.

Synodus Constantinopolitana

(a) Apud Hard. T. II.

Convocatur Concilium Chalcedonense.

A. C. 451.

2. IN SECUNDA ACTIONE, præmisso Nicæno, ac Constantinopolitano Symbolo, lectæ sunt duæ epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium atque ad Joannem Antiochenum: prolata etiam Hilarii,

Concilii Chalcedonensis Actio secunda.

larii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii testimonia, quibus duæ in Christo naturæ post unitionem asseruntur. Demum epistola Leonis ad Flavianum recitata est, cujus dogmata cùm singulæ approbatæ essent & firmatæ à Synodo; tum Pontificis Leonis authoritas tanti habita est, ut Episcopi acclamarent: *Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt* (* 1). IN TERTIA ACTIONE Dioscori causa in judicium vocata est: aberat is jam à priore conventu Patrum, & doctrinæ diffisus suæ latibulum quærebat; verùm tertiò citatus postquam parere jussis contempserat, tum scelerum (b), quorum convictus erat, tum contumaciæ ergo deponitur (c). IN ACTIONE QUARTA decimo sexto Kalendas Novembris ubi quædam difficultates, quæ nonnullos à Leonis epistolâ subscribenda retardaverant, diremptæ sunt; nullus fuit, qui eam doctrinam utpote Nicæno & Constantinopolitano

Actio tertia.

(b) Act. 3. Conc. Chalc. in Coll. CC. T. II. p. 311.

(c) Ibid. p. 343. &c.

Actio quarta.

(* 1.) PAGIUS in Brev. PP. T. I. p. 193: "Fuit illa celebrata adeò ad Flavianum epistola aliàs ordine X., nunc XXIV. laudata Chalcedone, Patribus approbata, & retenta ad fidem Ecclesiæ de incarnatione Christi explicandam, ut eâ, quasi Lydio lapide, sincera, adulterináque fides probetur. Ea epistola olim integra in Ecclesia Romana legebatur tempore Adventûs, quod etiam in Ecclesiis Galliarum factitatum esse eruit Quesnellus ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ.„ Synopsis epistolæ hæc est: postquam Leo Eutychen ex imperitia sacrarum literarum lapsum dixit; docet Dei Filium esse consubstantialem Patri, natúmque posteà de Spiritu S. & Maria Virgine: addit, nativitatem hanc temporaneam divinæ nativitati nihil abstulisse, contulisse nihil; Christúmque habere materni corporis veritatem, & nostræ esse naturæ. Dein Incarnationem dogmaticè ita exponit: *Salvâ igitur proprietate utriusque naturæ, & substantiæ, & in unam coeunte personam, suscepta est à Majestate humilitas ... & ad persolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut quod nostris remediis congruebat, unus idem atque mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus & mori posset ex uno, & non mori posset ex altero. In integra ergo veri hominis, perfectáque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris ... Assumpsit formam servi sine sorde peccati ... Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura: & sicut formam servi Dei forma non ademit; ita formam Dei servi forma non minuit ... Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi proprium est, & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis ... Et sicut Verbum ab æqualitate Paternæ gloriæ non recedit: ita Caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim, idémque est verè Dei filius, & verè hominis filius ... propter hanc ergo Unitatem Personæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei Carnem de ea Virgine, de qua natus est, assumpserit. Et rursus filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in divinitate ipsa, quæ Unigenitus consempiternus & consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Unde Unigenitum filium Dei crucifixum & sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur &c.* Vide plura apud Harduinum in Coll. CC. T. II. pag. 291. & 294. ...

tano Symbolo consentaneam, non putaret suâ manu signandam: & quoniam inter hos quoque Dioscori fautores sua nomina addebant; hoc ipso melioris animi indicio meruerunt, ut in sacro Concilio locum obtinerent. Sed dum his ingredi Synodum, communionémque licebat; parum aberat, quin tredecim Ægyptiorum Episcopi excluderentur: pugnabant hi pertinaciùs, nefas suæ genti esse, subscribere dogmati, nisi antè cæteris Alexandriæ Episcopus præivisset (d): petierunt proinde, ut in Dioscori locum alius surrogaretur Antistes, cujus illi nutum sequerentur: id cùm molliter satis datum esset petentibus; Archimandritæ Eutychetis Patroni (e) oblato libello insolentiùs aliud Concilium poposcêre, cui Dioscorus interesset: quod ni fieret, comminabantur, se communione abstenturos. Patres vix libelli verba perceperant; Monachorum rebellium superbiæ indignati, probabant Canonem quintum Concilii Antiocheni, quem ad rem ipsam Aëtius Archidiaconus eodem tempore prælegebat, & quo sancitum fuerat ut is, qui semetipsum à communione suspenderit Ecclesiæ, & noluerit evocanti Episcopo obedire, omnino damnetur: si verò turbas in Ecclesia movere non destiterit, per extraneam potestatem coërceatur. Magistratuum deprecatio intercessit, quo minùs PP. legis rigore continuò uterentur; placebat enim Monachis triginta dierum dare inducias, quibus evolutis, si moniti minùs saperent, omni gradu, dignitate ac communione per authoritatem etiam civilem submoverentur (f). Dum QUINTUM Patres congrediebantur undecimo Kalendas Novembris; definitio fidei lecta est: quæ eâ de causa displicuit, quòd in eadem Christus ex duabus naturis simpliciter diceretur. Post longam altercationem decretum est, ut delecti quidam Præsules cum Legatis Apostolicis, atque Anatolio de dogmate statuerent. Verùm cùm nec hâc ratione conquiescerent plures; Imperator ipse misso mandato formulam fidei conscribi ab Episcopis fecit, quæ unà cum Symbolo Nicæno & Constantinopolitano Synodicas Cyrilli, & Leonis epistolam ad Flavianum complexa, illa verba quoque, de quibus tanta extiterat contentio, exhibebat: *Unum, eundémque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum* (g).

(d) Ibid. pag. 418. 419.

(e) Ibid. pag. 426.

(f) Ibid. pag. 427. *Actio quinta.*

(g) Act. 5. Conc. Chalc. pag. 455.

3. Postquàm Marciano Augusto de sententiâ Patrum renunciatum est; confestim octavo Kalendas Novembris Chalcedonem
Actio sexta. Princeps venit, ACTIONI SEXTÆ interfuturus. Oratione
(h) Act. 6. pag. 463. benevolâ ubi Princeps (h) Patres salutâsset, & vicissim Patres lætissimis Imperatorem, Augustámque acclamationibus honorâssent; Marcianus velut disciplinæ Ecclesiasticæ protector quædam capi-
(i) Ibid. pag. 490. tula Synodo probanda proposuit (i): scilicet ne Monachis præter voluntatem Episcopi construere monasteria, nec servos absque dominorum consensu ad cœnobia recipere liceat; dein cavebat, ne Clerici possessionibus conducendis, aut Procurationibus distinerentur; demum volebat transitum ab una Ecclesia in aliam Anathematis fulmine castigandum. His definitis, Imperator ad Concilii memoriam monumento quodam illustrandam, Chalcedonensem civitatem Metropoleos nomine adauxit; salvâ tamen
Actio septima Nicomediæ propriâ dignitate. IN SEPTIMO CONSESSU causa Juvenalis Hierosolymitani & Maximi Antiocheni composita
(k) Concil. Chalcedon. pag. 491. est (k): fervebat inter hos Episcopos controversia de quibusdam Provinciis; sed postquam privatim rem ita transegerant, ut Antistes Antiochiæ duas Phœnices & Arabiam: Hierosolymitanus verò tres Palæstinas sedi suæ subjectas haberet; pactam divisionem
(†) Reflexio VI. *Actio octava.* Synodus approbavit (†). IN OCTAVA SESSIONE Theodoretus Cyrensis tandem se suspicione hæresis, quâ laborabat, exsolvit: is licèt à Leone jam ad communionem fuisset admissus, Ecclesiæque Cyrensi, quâ Conventus Ephesinus eum abdicârat, restitutus; Patres tamen publicum fidei testimonium ab illo requirentes postulârunt, ut palàm in Synodo Nestorio, atque Euty-
(l) Ibid. pag. 498. cheti anathema diceret (l): quod ubi implexis nonnihil verbis primò præstabat; parum aberat, quin hæresis damnatus ex Concilio ejiceretur. At postquam apertiùs Nestorium detestatus fuerat, simúlque eum, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium unigenitum; omnium ore probata est Theodoreti restitutio (* 2). Non dissimili ratione ab

(* 2.) De restitutione Theodoreti à Synodo facta hæc porrò notanda sunt: I. Quod Patres ad communionem Theodoreto dandam & ad reddendam Ecclesiam inde etiam impulsi sint, quia Paschasinus, aliíque Vicarii Sedis Apostolicæ dixerunt: *S. Theodoretum S. Universæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit.* II. Quod in Synodo nullatenus de Theodoreti libris actum sit.

ab errore ſe purgare debuit Ibas Edeſſenus in duabus ſequentibus Actionibus NONA, & DECIMA: Ibas querebatur ſe à *Actio nona & decima.* Dioſcoro in Pſeudo-Synodo Epheſina etiam abſentem eſſe depoſitum; Accuſatores contrà in locum Synodi vocati relegi volebant ea, quæ Tyri, ac Beryti in cauſa Ibæ pertractata fuiſſent (m). (m) Ibid. p. 510. & 511. His recitatis epiſtola quoque, quam ad Marim Perſam perſcripſerat, prolata eſt (n); ex iis verò, quæ legebantur, plerique Pa- (n) Ibid. Pag. 527. triarchæ & Metropolitæ unà cum Legatis Apoſtolicis Ibam ſedi ſuæ reſtituendum putarunt, tum quod in Synodo Tyrienſi abſolutus fuiſſet, tum quod hæreſis nihil in eo deprehenderetur: cujus teſtimonium ut porrò Ibas manifeſtius daret, Neſtorium atque Eutychetem iteratò execrari juſſus eſt (* 3). In eadem Actione de Domno Antiocheno quæſtionem agitatam ferunt (o): erat is (o) Ibid. Pag. 543. inter eos Præſules, quos Epheſinus conventus ſedibus depulerat; ſed hoc Domno funeſtius acciderat, quod, cùm Pontifex exauthoratos Antiſtites voluerit reſtituendos, de hoc tacuerit: itaque Chalcedonenſes Patres Maximum, qui in ejus locum ſurrogatus fuerat, confirmandum dixerunt hâc tamen lege, ut is Domno

(* 3.) Synodus Chalcedon. Act. 10. pag. 539. Judices dixerunt: Quid placet ei de Iba Epiſcopo, ſancta Synodus doceat. *Vicarii Sedis Apoſtolicæ per Paſchaſinum dixerunt: relectis chartis agnovimus ex ſententia Reverend. Epiſcoporum Ibam innoxium probari. Relectâ enim ejus epiſtolâ agnovimus eum eſſe orthodoxum. Et ob hoc decernimus & honorem Epiſcopatûs, & Eccleſiam, à quâ injuſte & abſens expulſus eſt, ei reſtituendam.* ADVERTE, quod cùm primam partem epiſtolæ ab Iba conſcriptæ meritò Synodus V. ob contentos errores damnarit poſteà; difficultas oriatur, quâ ratione Legati Chalcedonenſis Concilii affirmare potuerint, *relectis chartis Ibam innoxium & relectâ epiſtolâ orthodoxum eſſe*: Reſpondemus itaque Ibam in primâ epiſtolæ parte recitare errores ſuos, quos ante ſublatum diſſidium inter Joannem Antiochenum & Cyrillum ſequebatur, & ob hæc dicta Hæretica recitativè in literis expreſſa, minimè innoxius aut orthodoxus dici poterat: ſed quia in ſecunda parte epiſtolæ indicat, pacem jam compoſitam: *communicantibus invicem contentio de medio eſt ablata, & pax in Eccleſia facta eſt, & non eſt in ea jam ſchiſma, ſed pax, ſicut pridem fuit;* ideo tacitè illa revocat Ibas, quæ in primâ parte narrativè adduxerat, & cum pace aliam ſe de Cyrillo & de fide mentem induiſſe teſtatur, atque ideo à Patribus relectâ totâ epiſtolâ orthodoxus viſus eſt. Præſertim cùm adderet apertam Neſtorii & Eutychis deteſtationem, & in Concilii Chalcedonenſis ſenſa omnino juraret. *Demum Ibas dixit: & jam in ſcriptis Anathematizavi Neſtorium, ejúſque dogma & nunc anathematizo eum decies millies ... Anathema & ipſi Neſtorio & Eutychi & unam dicenti naturam: & omnem eum, qui non ſapit, ſicut hac ſancta Synodus, anathematizo. Judices dixerunt: quæ judicata ſunt à S. Concilio de Iba, propriam vim retinebunt.*

Actio undecima & duodecima. annuos proventus ex Ecclesiæ facultatibus pensitaret (* 4). IN ACTIONE UNDECIMA & DUODECIMA controversia Bassiani & Stephani dirempta est (p): primus Evasenorum Episcopus ordinatus Ephesinam Metropolim dolo invaserat, alter in Bassiani sedem se subinde intrudens non minore maculâ laborabat, quare statuerunt Patres, ut utroque amoto ordinaretur tertius; depositis tamen ex Ephesinæ Ecclesiæ ærario pensio annua subministraretur (* 5). *Actio decima tertia.* IN ACTIONE DECIMA TERTIA Patres de lite cognovêre, quæ Eunomium Nicomediensem inter & Nicænum Anastasium intercedebat: Julianus in honorem suæ matris jura civitatis concesserat Basilinopoli, oppido Parœciæ Nicæni Episcopi; Valens postea Metropolis civilis honorem Nicææ impertiit, sed salvis Nicomediæ juribus (q). Anastasius igitur Nicænus Metropolitæ facultatem sibi vindicans, Basilinopolis Clericos ex eo capite privabat communione, quod Basilinopolitanum Episcopum recens electum à Nicomediensi fecissent consecrari. Eunomius Nicomediæ Episcopus, ne suo juri Canonibúsque hâc ratione derogaretur, primùm apud Imperatorem, dein apud Synodum questus est (r). Monumentis partium expensis, ex Canone quarto Nicæno Patres intulêre: Nicomediensi (jure aliorum Metropolitarum recepto) ordinationum omnium in sua Provincia tribui oportere potestatem; Imperatorum Leges civilibus duntaxat Nicææ rebus, non Ecclesiasticis prospexisse. *Actio decima quarta.* In ACTIONE DECIMA QUARTA finem accepit contentio, quam Athanasius Perrhenorum in Provincia Euphratesia Episcopus contra Sabinianum apud Synodum moverat: variorum ille criminum accusatus, à Domno Antiocheno ad causam dicendam evocabatur; sed cùm se Metropolitæ sistere renueret, sedem Sabiniano relinquere debuit (s). Ephesinorum postea fervente Latrocinio per Dioscori favo-

(p) Ibid. pag. 559.

(q) Ibid. p. 567. 570.

(r) pag. 563

(s) Concil. Chalcedon. pag. 574.

(* 4.) Actionem de Domno Antiocheno omisêre Evagrius & Liberatus accurati cæteroquin Concilii Chalcedonensis scriptores; unde eam expungendam etiam putat NATALIS ALEXANDER Dissertatione XVII. ad sæculum V. Actio nihilominus ista legitur in antiquissimis MSS. nullam verò Actionis istius executionem fuisse inde patet, quia Domnus in suum Monasterium secesserat.

(* 5.) Synodus Chalcedonensis depositis tum Stephano, tum Bassiano alimenti gratiâ annis singulis solidos aureos ducentos assignârunt; quos ex Ecclesiæ reditibus acciperent, ex quo colligitur primum exemplum Pensionum Ecclesiasticarum.

favorem Athanaſius in ſuum gradum officiúmque regreditur: Sabiniano igitur pulſo ita Patres Synodi ſubveniendum putârunt, ut, ni Athanaſius intra octo menſes criminum intentatorum convinci poſſet; Sabinianus ſaltem eo caſu eſſet ſubſtitutus Epiſcopus, & velut Coadjutor ſumptibus Perrhenſis Eccleſiæ aleretur (t). (t) Ibid. pag. 598.

4. In ACTIONE DECIMA QUINTA Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clerici petierunt, ut de ſede Conſtantinopolitana Patres aliqua conſtituerent: Legati Apoſtolici conſilio huic quantumvis obluctarentur, palámque à Synodi loco unà cum judicibus diſcederent; Patres nihilominus iis abſentibus complures edidêre Canones (u), quorum vigeſimus octavus confirmat Patriarchica privilegia, à Concilio I. Conſtantinopolitano Eccleſiæ ejusdem urbis conceſſa, ut ſcilicet primo poſt ſedem Romanam honore frueretur; júsque & poteſtatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Aſiæ Diœceſes, earúmque Metropolitas & Barbarorum inſuper Epiſcopos ordinaret. Legatis Pontificis poſtquam de conatibus hujusmodi renunciatum eſt; ad ACTIONEM DECIMAM SEXTAM regreſſi poſtulârunt, ut Canon ultimus relegeretur; eo recitato Lucentius Legatus commonſtrare nitebatur (w): ab hoc Canone non modò everti Nicænum Canonem ſextum, ſed & falsò aſſeri, Romanam Eccleſiam nonniſi accepto à Patribus potiri primatûs Privilegio (†). Adverſa verò pars quoniam contrà luctabatur ex Canone tertio Conſtantinopolitano, Patres iteratâ ſubſcriptione Synodi poſtremum ſtabiliunt Canonem (x); ſubinde geſtarum rerum ſeriem Synodicâ epiſtolâ contentam Leoni Pontifici transmittunt (y), quibus acceſsêre aliæ literæ, à Marciano Imperatore, Anatolio, aliíſque perſcriptæ, quarum argumentum erat, ut Papa pacis ſtudio Canonem de prærogativis Sedis Conſtantinopolitanæ ratum haberet. Verùm S. Leo etſi ea, quæ adverſus Hæreticos Synodus condiderat, approbaret; ambitionis tamen ſe acerrimum præbuit vindicem, haudquaquam paſſus, ut Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ jura contra Nicænorum Patrum leges commutarentur (z): quare poſtremo ſive vigeſimo octavo Canone rejecto, Marcianum monuit, ut Anatolii, aliorúmque Conſtantinopolitanorum infeſtam cupiditatem comprimeret.

Actio decima quinta.

(u) Concil. Chalc. apud Hard. T. II. pag. 601.

A.C. 451.

Actio decima sexta.

(w) Ibid. pag. 626.

(†) Reflexio VII.

(x) Ibid. pag. 627.

(y) Ibid. pag. 655.

A.C. 452.

(z) Leo ep. 78. olim 54.

Leo Pontifex rejicit Canonem vigeſimum octavum.

 5. Dio-

Proterius Episcopus Alexandrinus.

(a) Evagr. hist. l. 2. c. 5. Liberatus c. 14. & 15.

A. C. 453.

(b) Concil. Chalc. P. III. pag. 676.

5. Dioſcorus Alexandrinus poſtquam in Synodo ſuâ ſede & gradu ejectus fuerat; reverſi Alexandriam Epiſcopi unà cum Clero Proterium ejusdem Eccleſiæ Archi-Presbyterum ſurrogant, non paucis è plebe Electioni ejusmodi infrementibus (a), qui Dioſcorum porrò requirentes Synodum Chalcedone habitam inſanis molitionibus proſcindebant. Marcianus ſeditioſorum æſtui primò militarem manum; dein Legum robur oppoſuit (b), quibus id maximè cavebat, ne privatas de Chalcedonenſi Synodo contentiones miſcerent. Principis præſcripto paruêre multi, non item Monachi, qui à Theodoſio præſtigiatore decepti circa Hieroſolymæ confinia ſpargebant, à Synodo Chalcedonenſi revocatum ab inferis Neſtorii errorem fuiſſe: factioſorum vis inde aucta eſt, quod Juvenali Hieroſolymorum Antiſtiti (qui paulò ante ſedi reſtitutus erat) iterum expulſo Theodoſium turbarum Ducem ſufficerent (c). Dum Ægyptus atque Palæſtina tot tumultibus dividebatur; Attilæ furor Occidentis Imperium (d) turbavit, nam anno ſuperiore Galliæ vaſtitatem inferens, cruenta ubique reliquit veſtigia barbaræ crudelitatis, cui ſub idem tempus (ſi quibusdam Authoribus fides eſt) S. Urſula unà cum numeroſo Virginum Sodalitio fertur ſuccubuiſſe. Subinde Barbarus Italiam populaturus à S. Leone reprimitur, qui Tyrannum Imperii finibus non ferro ſed divino ſuo eloquio abegit (* 6).

(c) Concil. Chalc. P. III. c. 9.

(d) Proſper in Chron.

6. Quem-

(* 6.) AUTHOR CHRONICI COLONIENSIS tempus Paſſionis Urſulæ revocat ad annum 238; ſed BARONIUS ad a. 237. hanc ſententiam inde confutat, quod Author Cyriaci Papæ mentionem faciat, cujus tamen nulla prorſus extat memoria, & quia Hunnorum nomen adducit, eo tempore Italis, Germaníſque adhuc incognitum. Probabilior altera ſententia eſt Galfridi, Polydori Virgilii, Joannis Trithemii &c. qui Urſulam paſſam dicunt anno 383. cum Maximus Tyrannus è Britannia ſolvens invaſit Gallias. Huic opinioni etſi ſubſcribat Papebrochius inter Criticos celebrior; ALFORDI tamen hìc audiendus eſt ad a. 453. qui apertè ait Martyrium Urſulæ cum Maximi Tyranni ætate ſtare non poſſe; nam Maximus idem breviſſimo regno uſus tantum temporis non habuit, ut tot curas ſuſcipere potuerit, quæ in Hiſtoria S. Urſulæ commemorantur de diſpenſatis inter milites agris, de multiplicanda Britanniæ ſobole &c. Præterea de Armoricæ Regno ibidem fit mentio, cujus initium ad tardiora tempora ſcriptores referunt; demum Dionotus Urſulæ Parens (ut ajunt *Hector Boëtius*, *Joannes Leslaus & Buchananus*) diu poſt Maximum vixit. Meliùs igitur ALFORDI ſe futurum putavit, ſi cum *Godefredo Viterbienſi*, *Antonio Bonfinio*, *Carolo Sigonio*, *& Hermanno Flejen Canonico Colonienſi* Martyrii annum deſignet ad quadringenteſimum quinquageſimum tertium; ad hunc quippe annum Sigebertus in Chronico annotat Urſulæ cruentam pugnam: & fugam Virginum è Britannia factam facilè perſuadet Saxonum tunc in Britannia ſævien-

6. Quemadmodum S. Leo incolumitati Italiæ proſpexerat, ita Procellæ ingenti in Oriente metas ponere allaborabat: Juliano namque Epiſcopo Coenſi vices ſuas delegans, id (*7) monebat, ut in aula Marciani Principis ſummâ curâ omnes conatus fidei ac Eccleſiaſticæ paci contrarios compeſceret; viderat enim S. Pontifex multos in Oriente ne quidem Conciliorum acquieſcere legibus, & ab Antiſtite Conſtantinopolitano ambiri poteſtatis eam amplitudinem, quâ majores non modo ſibi Primates ſubjicere; ſed & de minuenda pariter Romanæ ſedis authoritate non obſcuris ſtudiis cogitare videatur: Julianum itaque Nuncium Apo-

Julianus Coenſis Epiſcopus Primus Nuncius Apoſtolicus.

ſævientium crudelitas, neque Hunnorum, ſub quibus Virgineæ victimæ cecidêre, nomen in Galliis atque Rheni confinibus ignotum erat, uti ex Hiſtoriæ decurſu ſupra intellectum eſt; ut proinde huic ætati optimè conveniant illa, quæ ſcriptores circa Martyrium Urſulæ annotârunt. Duo adhuc ſunt, quæ difficultatem ingerunt. *Primò* quis ergo MAXIMUS ille tyrannus in Urſulæ hiſtoria toties nominatus? *Reſpondet* ALFORDI, ſimilitudinem nominis, errandi anſam præbuiſſe. Fuit autem hoc etiam tempore Maximus quidam Senatorii ordinis, qui mortuo Valentiniano poſt alterum annum factus eſt Imperator, de quo plura commemorat *Sidonius* Panegyr. carm. 7. *Secundò* numerus Virginum, qui ad undecim millia extenditur, captum multorum adeò ſuperat, ut omiſſis cæteris unam duntaxat fuiſſe putent, quæ nomine *Undecimilla* vocata ſit, atque inde arguunt, Amanuenſes Martyrologiorum disjunctis vocis hujus partibus, *undecim mille* affirmâſſe. Licentior ejusmodi conjectura diſplicet aliis meritò, quæ traditionem tot monumentis firmatam perperam evertit. Alfordi etſi de numero ſtatuere certi quid non audeat; ingentem tamen Virginum comitatum fuiſſe pronunciat, ídque probat tum ex crudelitate Saxonum Virgines ad fugam compellentium, tum ex eo, quod Colonia novi Regni foris pararetur; quæ utique à paucis Virginibus fieri non potuiſſet. Præterea Virginum Reliquiæ per omnem orbem in Eccleſiis ad cultum expoſitæ opinioni huic ſuffragium opponunt; de quibus pluribus tractat ALFORDI Tomo I. Annalium Eccleſiæ Britannicæ à p. 584.

(* 7.) PAGIUS in Breviario PP. T. I. p. 202. n. 38. ita advertit. S. Leo ſcripſit ad Julianum Epiſcopum Coënſem, ut vice ſuâ functus aſſumeret ſpecialem curam, *ne hæreſis vel Neſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte reviviſceret.* Et de eodem in epiſtola ad Marcianum 84 ait: *Vicem ipſi meam contra temporis noſtri hæreticos delegavi; atque propter Eccleſiarum, pacisque cuſtodiam, ut à Comitatu veſtro non abeſſet, exegi.* Inde MARCA l. 5 de Concord. c. 15. Vicariorum, ſeu, ut nunc loquimur, Nunciorum ſedis Apoſtolicæ originem deducit. Qua in inſtitutione, Orientalium Patriarcharum morem ſecutus eſt Leo; illi enim Apocriſiarios ad Imperatores Orientis deſtinârunt ab eo tempore, quo ſedes Imperii Byzantium translata. In multis tamen Leo ſe ab eisdem pro ſua prærogativa diſcrevit: ... Clericis aut Presbyteris Apocriſiariorum munus creditum fuit priori ævo, eámque ob cauſam imprimis inſtitutum, edictiſque Imperatorum Sancitum, ne ad Comitatum venirent Epiſcopi, quod ex Juſtiniani Novella 6. c. 11. manifeſtum eſt: nunc ſæpe Epiſcopis munus illud committitur. De Legatis, Apocriſiariis, & Reſponſalibus Romanorum Pontificum ad Imperatores, pro negotiis univerſalis Eccleſiæ procurandis legendus *Marca* laudatus; & plura de iisdem Nunciis Apoſtolicis in decurſu à nobis dicentur.

Apostolicum apud Imperatorem designavit, ut præsens Constantinopoli negotiorum gestor malis occurreret (e). Per eundem Julianum subinde effectum est, ut Leonis epistola, quâ fidei expositionem Chalcedone editam confirmaverat, Orientalibus publicaretur (f); quo facto Theodoretus, qui hucusque fluctuaverat, Nestorii ac Eutychetis vesaniam detestatus est: & placati per Palæstinam Monachi Juvenalem antea sede Hierosolymitanâ ejectum recepêre (g): demum inter Leonem & Anatolium concordia redintegrata est, cujus pacis etiam per Ægyptum proferendæ causâ Marcianus Imperator legem dedit (h); quâ Hæreticorum pœnis subjiciebat Eutychis sectatores, eis jus dandi vel accipiendi legata interdicens: præterea exilii, bonorúmque proscriptione eos multandos voluit, qui Synodo Chalcedonensi palàm obloqui præsumerent.

(e) Leonis ep. ad Marcian. 84.
A. C. 453.
(f) Ibid. epist. 87.
& 454.
(g) Ibid. epist. 99.
(h) Codic. L. 8. de Hæret.

Synodus Andegavensis.

7. Eodem tempore, quo Orientales Ecclesiæ pro tuendâ fide laborârunt, in Occidente de disciplina instauranda multoties agitatum est: ac primò *Andegavi* anno CCCCLIII. celebrata Synodus est (i) in ordinatione Talasii, cujus occasione duodecim præscribebantur Canones, quibus Apostatis, Sanctimonialibus lapsis ac pœnitentibus venia decernitur. Ad eundem annum revocant Concilium *Veneticum* (k), quod Perpetuus tertiæ Lugdunensis Provinciæ Metropolita Venetiæ in Aremorica convocârat: sedecim regulis illinc Patres Monasticæ solitudini, juxta ac Clericali vitæ, tum castimoniæ maximè consuluêre, Presbyteros & Diaconos à conviviis mulierum, consortio, spectaculis, ac ebrietate (eoquòd *omnium vitiorum fomes* sit) longiùs arcendo; porrò ut Dei laudibus se piè occuparent Clerici, præcipiendum putârunt, ut ii, qui citra ægritudinis causam, à matutina hymnodia emanerent, septem diebus à communione extranei habeantur. Atque ista licèt Patres piè statuerint; in eo tamen aberrârunt, quod Evangelium perperam interpretati censerent, dimissis uxoribus adulteris, alias illis superstitibus duci posse; id quippe ex Canone secundo colligitur, ubi à communione arcendos definiunt, *qui relictis uxoribus, sicut in Evangelio dicitur, exceptâ causâ fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint.* His Synodis annumeranda veniunt duo Concilia *Arelate* (l) celebrata, quorum argumentum quidem ex legibus

(i) Harduin. in Coll. CC. T. II. p. 777.
Synodus Venetica.
(k) Ibid. pag. 795.
A. C. 455.
(l) Ibid. pag. 779.
Arelatensis Synodus II. & III.

legibus disciplinam concernentibus intelligas; non tamen tempus, quod à diversis diversum pro peractis his conventibus adsignatur.

8. Dum Gallicanæ Ecclesiæ, ac Monasteria his regulis Ecclesiasticis colebantur; ager Afrorum à Vandalis omnino evastatus est. Gensericus enim Ario addictus Princeps Catholicum gregem dispersurus, defuncto Deogratias Episcopo Carthaginensi(m), prohibuerat, ne quis Antistes eidem surrogaretur. Eâdem impietate per Zeugitanam & Proconsularem Provinciam ordinari Episcopos vetuit; unde accidisse ferunt, ut elapso triginta annorum spatio vix unus ex centum quinquaginta Præsulibus superesset, qui rem Catholicam sustentaret. Dejectis Ecclesiarum columnis in reliquas partes ferociter sævitum est: qui Martyrum numerum inivêre, inter tot fidei pugiles præcipuè commendant Armogastem, Archiminum, Saturum, illúmque Lectorem, qui cùm tempore paschali Alleluja decantaret; jaculo in gutture transfixus, in humum cadente corpore ad meliorem cælestémque anastasin resurrexit.

Persecutio Catholicorum in Africa.

(m) Victor. Utic. l. 1. c. 6.

A. C. 456.

9. Quod Ariani furore suo in Africa, id perfidiâ & insidiis non paucis contra Catholicos Eutychiani in Ægypto moliti sunt(n). Primus, qui seditioni præferret faces, fuit Timotheus Ælurus; ordinatus is à Dioscoro Presbyter repudiatâ Synodi Chalcedonensis fide; communionem Proterii sui Antistitis deseruerat: ad officium nequicquam revocatus ab Imperatore Marciano expellitur in exilium: verùm auditâ Principis morte in spes novas erigitur (o). Præstigiator quippe Angelum mentitus nocte Monachorum cellas circuire, & fictis vocibus adversus Proterium concitare singulos; tum persuadere cunctis, ne alium, quàm Timotheum Ælurum Alexandrini Episcopum habeant. His fraudibus inducti complures à factiosis Episcopis Timotheo imponi curant manus: dein Alexandriam progressi Proterio in ipso Baptisterio bellum cruentum indicunt; circa Paschæ enim tempus facto in Ecclesiam impetu, Proterium cum sex aliis trucidant: dein tractum per Alexandriæ vias cadaver Antistitis impiè exurunt. Cineribus in ventos dispersis, hoc quoque sceleris Timotheus adjecit, ut eraso è dipthychis Proterio, tum suum, tum Dioscori damnati nomen substitueret; ac Concilii Chalcedonensis autori-

A. C. 457.

(n) Theod. L. l. 1.

Timotheus Ælurus invadit sedem Alexandrinam.

(o) In Concil. Chalced. P. 3. epist. Epp. Ægypt.

Timothei Æluri crudelis impietas.

thoritatem apertis vexationibus insectaretur. Hæc ubi octodecim Ægypti Præsules libello supplici ad Imperatorem dato testati fuerant; aliâ epistolâ Anatolium Constantinopolitanum Episcopum orabant, ut Leoni Papæ, aliisque Primariis sedibus scelera Timothei describeret (p): vix S. Pontifici de Alexandrinæ Ecclesiæ statu ab Anatolio renunciatum est; rumor etiam Romam pervasit de Concilio, quod Eutychiani novum flagitarent. Leo itaque primò scriptis ad Imperatorem literis rogabat, ne præter Chalcedonensem Synodum aliud Concilium fineret congregari: prævidebat nimirum sapienter Pontifex, Hæreticorum hoc ingenium esse, ut, dum causas ad secundum examen revocant, simul Ecclesiam erroris arguere adnitantur, & pronunciatâ alterâ sententiâ, nisi hæc altercantibus arrideat, minimè fore, ut repetitæ definitioni acquiescant (q). Quod Imperatori, id quoque Basilio Antiocheno aliisque Metropolitis Pontifex perscripsit, nempe ut sceleratis conatibus invictum animi robur objiciant (r); atque in Synodos eundo decernant, quid fidei, quidve temporum rationi conveniat. Anatolius præ cæteris reposuit, Ecclesiæ paci ita consuli posse: siquidem spe Concilii convocandi præcisâ, Timotheus litium incentor potestate & gradu suo exuatur. Interea idem Anatolius quindecim Episcopos è Timothei insidiis elapsos Constantinopoli singulari officiorum significatione exceperat; quod Leoni adeò placuit, ut iteratis literis eidem rependendas duceret grates (s): unum tamen monuit, ne Attico Presbytero in Ecclesia contra fidem & Synodi Chalcedonensis acta impudenter differenti oscitanter indulgeret (t). Ne porrò Atticus ludificare posset, aliâ epistolâ Pontifex per Anatolium exigebat, ut non modò Eutychetem ille execraretur, sed & damnatâ palam ejusdem hæresi, Chalcedonensium Patrum definitioni subscriberet (u).

Hæreticis novum Concilium negatur, & cur?

(p) Leonis epist. 125.

(q) Leonis epist. 125. & 132.

(r) Ibid. epist. 118.

(s) Ep. 124.

(t) Ep. 126.

(u) Ep. 128.

A. C. 458.

10. Eutychiani quoniam spem obtinendæ novæ Synodi amiserant; postulavêre saltem, ut suas sibi rationes in conventu exponere liceret: Imperator proinde Pontificem interpellans rogabat, ut Episcopos mitteret disceptationi interfuturos. S. Leo verò astutiam Hæreticorum inde suspicatus, de mittendis Legatis ejusmodi condixit, qui non ad confligendum cum hostibus fidei præsto sint, sed qui rem jam satis Nicææ ac Chalcedone expositam

Legati Pontificis abeunt Constantinopolim.

positam denuò Hæreticis proponant (* 8). Legatorum seu Episcoporum, quos Leo post quatuor menses Constantinopolim direxit, duo fuêre Domitianus & Geminianus (x): causam hi suam profectionis attulêre in literis à Pontifice conscriptis, quarum argumentum in eo versabatur, ut pateret, Incarnationis fidem ex Patrum testimoniis dudum assertam, simúlque olim jam Eutychetis errorem damnatum fuisse. Imperator Legatorum, tum etiam aliorum Metropolitarum literis inclinatus Timotheum Ælurum Alexandriâ è vestigio depelli jubet: antequam in exilium is abiret, è mortali vita decessit Basilius Antiochenus, cui primùm Acacius, & huic rursus post annum defuncto Martyrius suffectus est. Eodem tempore Juvenalis Hierosolymitanus & Anatolius Constantinopolitanus Patriarchæ humanis rebus exempti sunt; quare illius locum Anastasius: hujus verò sedem Gennadius obtinuêre. Alexandria tandem ne expulso jam Timotheo Æluro Antistitis curâ destitueretur; melior eidem Metropoli Timotheus, scilicet Solofaciolus in Episcopum datus est. Inter tot Episcoporum fata ac vicissitudines Leo quoque Pontifex ad Christum commigravit, postquam supra annos viginti & unum, ac alterum ferè mensem Ecclesiam sanctissimè gubernârat (y); nam præter exempla virtutum, quibus velut Sol in templo Dei refulsit, scripsit multa magnificè & eleganter, in quibus profundioris judicii sapientia, & magna animi firmitas elucet (z). Funus Leonis tantò gloriosius erat, quòd illum ad æternitatem præcursorem haberet, quem in vita sanctitatis socium habuerat, Simeonem

(x) Leonis epist. 133.

Exauthoratio Timothei Æluri, cui succedit Timotheus Solofaciolus.

A. C. 460.

Mors Leonis Pontificis.

(y) Pagius ad an. 461. n. 3.

(z) Adrian. ep. ad Carol. M.

(* 8.) LEO in epistola 132: *Detestandum nobis est, perseverantérque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem piè & plene definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum, ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est, per omnia Propheticis & Evangelicis & Apostolicis authoritatibus consonare. Unde si qui sunt, qui ab his, quæ cœlitus sunt constituta, dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, & ab unitate Ecclesiæ cum ea, quam elegerunt, perversitate discedant. Nam nullo modo fieri potest, ut qui divinis audent contradicere Sacramentis, aliquâ nobis communione socientur. ... Præceptioni tamen vestræ in eo adnitor obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, & quid sit Apostolicæ fidei regula ... demonstrent .... prænoscat igitur Pietas tua, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos à sede Apostolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, & infirma sint, quæ tanta per Spiritum S. fixit authoritas.*

Simeonis Stylitæ vita & obitus.

(a) Theod. Hiſt. Rel. c. 21. 26.

nem Stylitam; erat is ex vico Siſan, in finibus Cilicum ortus (a); à paſtoritia vita Evangelicâ illâ voce, *Beati qui lugent ... & beati mundo corde*, ad Monaſticam aſceſin vocatus, ſub Theodoro initia virtutum tam ſevera poſuit, ut alii imbecilliores auſterum vivendi modum non ferentes eum Monaſterio exegerint. Ab hoc tempore in ciſterna, dein in tenui caſa inter perpetua & ſtupenda jejunia latuit: poſtea in lucem proditurus, columnam ſex & triginta cubitorum aſcendit, ubi ſine tecto in trigeſimum annum tam mirabilem transegit vitam; ut, niſi demiſſione animi, promptâ ad ſuperiorum nutum voluntate, zelo pro Catholica fidë, miraculiſque inſtitutum comprobâſſet, deliranti potiùs, quàm ſapienti ſimilis potuiſſet videri (b). Anno ætatis quinquageſimo ſexto defuncti funus Antiochenus Epiſcopus cum tribus aliis Præſulibus in ſuam Metropolim deduxit, civitatibus non paucis, ac Imperatore tam ſacrum pignus Antiochenis invidente.

(b) Evagr. hiſt. lib. 1. c. 13.

A.C. 461.

Turonenſe Concilium I.

(c) Pagius in Crit. T. II. ad an. 461. n. 14.

Rogationes ante feſtum Aſcenſionis.

11. Depoſitis in S. Petri æde S. Leonis exuviis, HILARO Romanæ Eccleſiæ Archidiacono Apoſtolica ſedes oblata eſt (c); quo Eccleſiam gubernante Turonibus convenêre Patres, ut diſciplina de continentia Clericorum ac ordinationibus in aliis Synodis jam præſcripta, ingruentibus autem Barbaris relaxata denuò ſtabiliretur (* 9). Viennæ quoque in Gallia Mamertus Antiſtes ſub idem tempus ordinavit, ut Rogationes, ac tridui jejunium cum publicis litaniis & ſupplicationibus ante aſcendentis Domini feſtum celebrarentur (* 10); quod exemplum poſtea cæteræ Eccleſiæ ſecutæ ſunt (* 11). 12. An-

(* 9.) Canone 2do mitiùs ſic ſtatuunt: *Licèt à Patribus noſtris emiſsâ authoritate id fuerit conſtitutum, ut quicunque Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineretur. Nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſtam conſtitutionem mollientes id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens, ad altiorem gradum non aſcendat, neque ſacrificium Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantùm, ut à communione non efficiantur alieni.*

(* 10.) AVITUS VIENNENSIS Epiſcopus hom. de rogationibus: *In paſchæ Pervigilio ædes publica flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit. Perſtitit altaribus Mamertus* (Aviti Anteceſſor ſanctiſſimus) *qui flumine lachrymarum permiſſam ignibus poteſtatem compeſcuit. Et cùm multæ calamitates præceſſiſſent, tum conceptis animo rogationibus elegit triduum, quod inter Aſcenſionis ſacræ cultum, diémque Dominicum interjicitur, atque ad Baſilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ Proceſſionis indixit.* SIDON. l. 5. ep. 104. notat, priùs jam fuiſſe vagas & repentes, infrequentésque ſupplicationes; ſed quæ multorum ſæpe interpellantium prandiorum obicibus habetabantur: quas verò Mamertus inſtituit, in his eſt, jejunari, orari, pſalli &c.

12. Anno sexagesimo quinto supra quadringentesimum Hilarus Pontifex in Synodo Romæ convocatâ definiit causam Irenæi & Sylvani: ille à Nundinario Episcopo Barcinonensis Ecclesiæ successor fuerat designatus; hic verò indebitas ordinationes usurpaverat; quare consentientibus Patribus Papa statuit Irenæo excluso alium eligendum Episcopum, ne hæreditaria succedendi ratio in Ecclesias irreperet. De Sylvano vero ob preces multarum Hispaniæ civitatum indulgentiùs decrevit, nempe, ne ullum ordinare deinceps citra consensum Metropolitæ præsumat: quibus autem jam imposuisset manus, hi functione suâ non prohibeantur; si irregularitatis vitio careant, scilicet si nec viduæ maritus fuit quisquam, nec in secundæ conjugis nuptias convenerit (e). Et quoniam ex Conciliorum celebratione Christianitatis vigor quàm maximè pendet, id Episcopis Galliæ Hilarus in mandatis dedit, ne singulis annis tam conveniens remedium adhibere negligant; ita tamen, ut in dirimendis gravioribus causis & quæ illic, sive in Provinciis non possent terminari, Apostolicæ sedis sententia consuleretur. Dum Episcoporum studio in Occidente disciplina Cleri curabatur, in Oriente Monastica Ascesis admodum effloruit; nam Daniel quidam Simeonis Stylitæ asperam vitam æmulaturus, in Ponto Euxino regione frigidissimâ ad octogesimum ætatis annum in columna stationem habuit, ubi corpore, juxta animóque supra terram eminens, ex communi illius ævi sensu columna fuit Orientis salutem sustentans (f). Non minus admirationis hoc tempore habuit Institutum Monachorum Accœmetarum, qui ideo *insomnes* dicti sunt, quòd divina in eorum Ecclesiis hymnologia non intercideret, nulláque hora à divinis laudibus vacaret (g): tam præclara virtutum exempla ubi septem annis Hilarus è Cathedra

A.C. 465.
Concilium Romanum sub Hilaro PP.
(d) Lupus in fine T. I. ep. Casinens.
Bigami irregulares.
(e) Coll. CC. apud Hard. T. II. p. 799. & 800.
Daniel Stylita.
(f) vita Daniel. apud Surium 11. Dec.
Accœmetæ Monachi.
A. C. 468.
(g) Ducang. lib. 4. Const. Christ. c. 4.
Obitus Hilari Pontificis.

(* 11) AVITUS l. c. ait cæteras quoque Ecclesias Gallicanas exemplum ejusmodi æmulatas fuisse, de quibus ORDO ROMANUS sic habet: "Tres dies rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini juxta morem Gallicanæ Ecclesiæ, instituit S. Mamertus Viennensis Episcopus. Quæ consuetudo apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus diversè recolitur. Nullus autem his diebus vestimenta pretiosa induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & commessationes. Nemo ibi equitare præsumat ... sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulieres ducant choros, sed omnes in commune *Kyrie eleison* decantent. Quoniam verò quinquaginta diebus Pentecostes jejunium non indicebatur, hinc rogationum diebus sola servatur à carnibus abstinentia."

Perturbatus Imperii ſtatus ſub Pontifico Simplicio.

(h) Baron. ad a. 476. n. 6 Pagius n. 4.

Petri læto animo viderat, & foverat; anno Chriſti CCCCLXVIII. ad Dominum tranſiit. Simplicius in vacantem ſedem paulò poſt ſuffectus totum orbem bellis, vitiis, erroribúsque agitari vidit: nam præterquam quod in Occidente plerique Principes hæreſin profiterentur (h); ſcelerum colluvies omnes has Provincias inundaverat, nec niſi pauci viri Sancti erant, qui ſceleſtis auſibus contrairent. Unus eorum, qui id & poſſet & vellet, erat S. Severinus Noricorum Apoſtolus, qui in Monaſterio, quod in Ripenſi Norico condiderat (i), Evangelicam, Apoſtolicámque doctrinam ſecutus, rejecto Epiſcopatûs honore, prodigiis, ac prophetiæ dono inſignis, caſtella & oppida verbo Dei, pauperes ſumptu pecuniario aluit, infimis æquè ac ſummis charus. Odoacer quippe Italiæ Rex, cui tredecim annorum Regnum prædixerat, omnia concedenda putabat, quæ Severinus peteret: vivus & mortuus Occidenti profuit, nam poſtquam obierat anno 482., Reliquiæ ejus integræ (utì monuerat) ſexto inde anno in Italiam translatæ perfugium multis afflictis, valentibus ſolatio fuêre (k). Quemadmodum verò Severinus Noricos agros; ita hoc tempore Remigius Francorum Apoſtolus Remenſem Eccleſiam coluit: Parentibus ætate provectis Lauduni natus, Bennadio Præſule defuncto, & vigeſimo ſecundo anno ætatis ſuæ Remenſi Gregi Antiſtes præficitur, virtute annos reliquos, quos ad Epiſcopi gradum Canones requirunt, ſupplente. Nam voluptatis oſor, laboris appetens, dejectionem ultrò quæritabat, "pauper in pecunia, dives in conſcientia humilis ad merita, ſuperbus ad vitia„ (l). Verùm Apoſtolorum duorum iſtorum integritas plurimorum vitiorum effuſo torrenti adeò obſiſtere non potuit, ut Imperium tanto flagitiorum ac errorum impetu actum ad lapſum præparatum & ultimum fatum ſponte prorueret. Orientis Regno licèt benignior ſors affulſerit; turbas tamen non leves Baſiliſcus Tyrannus Provinciis machinatus eſt (m); Hæreticorum is quippe, & Schiſmaticorum inſolens Patronus totam ab Oriente ſalutem profligatum ibat, cui provida Dei manus (Zenone maturè reſtituto) eatenus adverſari viſa eſt, ut collapſo Occidentis Imperio, in Monarchiæ Romanæ parte altera ſpes aliqua nomenque Regni maneret, unde reſtitui Reſpublica Occidentis, aut reviviſcere ejusdem gloria ſuo tempore valeret.

(i) vid. Pagi T. II. Critic. ad an. 454. n. 11.

S. Severinus Apoſtolus Noricorum.

(k) vid. Bollandum ad 8. Januarii.

S. Remigius Apoſtolus Francorum.

(l) Flodoardus Hiſt. l. 1. c. 11.

A. C. 476.

(m) Evagr. l. c. c. 3. Jornand. Reg. c. 47. Theophan. p. 106.

REFLE-

REFLEXIONES HISTORICO-ECCLESIASTICÆ AD CAPUT II. LIBRI V.

REFLEXIO I. ad §. 1. num. 4. p. 697.

De Sacris vestibus Sacerdotum, ac Ministrorum.

1. CUm Canon Concilii Carthaginiensis (a) præcipiat Diaconis, ut tempore oblationis vel lectionis *Albâ* utantur; ad unius sacræ vestis mentionem reliquarum quoque meminisse juvat, quibus Ministri induti sacris operari debent. Antequàm tamen de singulis indumentis pertractemus, confutandæ sunt levissimæ illæ rationes, quibus decepti Heterodoxi vestes ejusmodi velut histrionicos amictus in risum traducunt; sunt enim, qui à superstitioso Ethnicorum ritu hunc usum vestium mutuatum velint: alii initia sacrarum vestium omnino recentia & primis sæculis ignota dicunt: alii planè à legitimo Dei cultu & Christianæ legis puriore conditione indumentorum varietatem ac splendorem abhorrere criminantur.

(a) Can. 41. Concil. Carthag. IV.

Quid Novatores contra sacrarum vestium ritum obmoveant?

2. Ad difflandas tot, quæ in adversum moventur, argutias asserimus primò, ex Ethnicorum ingenio minimè profectam esse sacrarum vestium originem; nam licèt fateri necesse sit, quod falsorum Numinum sacrificuli nitentibus gemmis (b), sericis togis, varióque claruerint ornatu (c); Ethnici tamen nostrorum rituum authores adeò perhiberi nequeunt, ut isti suum ornatum ex veræ Religionis legibus arripuisse potiùs manifestum fit. Numa Pompilius sacrorum ritus à Judæorum exemplo, Pythagoras, Plato ex Moysis libris desumpsêre id, quod Deus dudum antè Pontifici, Sacerdotibúsque ac Levitis de vestibus (d) sacris præscripserat. Diaboli proinde astutiâ factum est, ut Gentiles idololatriæ cultui dediti simiarum more sacrum ornatum ex divinis paginis delectum ad suæ superstitionis usum detorquerent. Si verò Ethnicis ex Mosaicis codicibus eruere aliquid licuit ad cultum Idololatriæ digniùs peragendum; cur non Christiana Religio (Mosaicæ hæres) ad sancta sanctè celebranda jure suo externum vestium splendorem sibi vindicaret? ita enim Præsul Hipponensis olim disserebat, inquiens, *si qua forte Ethnici Scriptores affinia rebus nostris prodiderunt, non solùm formidanda non esse, sed ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum vindicanda* (e). Quid? quod Christi Ecclesia meliore jure, quàm Moysis Synagoga sacris suis talia vestium ornamenta adhibeat; siquidem teste Hieronymo (f) *omnia indumentorum Prisci Pontificatûs insignia*

Vestium sacrarum usus non est ex Ethnicorum penu.

(b) Philostrat. in vit. Apollon. l. 2. & 3.

(c) Prudent. in Romani M. Epinic.

(d) Exod. c. 28.

Exemplum Synagogæ Ecclesia sequitur in vestium sacrarum ritu & cur?

(e) August. l. 2. de doctr. Christ. sub fin.

(f) Hieron. ep. 128.

signia in Christo perfectiùs consummata sunt, quàm fuerant prægestata ab Aarone. Præterea si juxta effatum Apostoli (g) lex habeat umbram futurorum; quis mirabitur, si Sacerdotes Novi Testamenti aris ac sacrificio divino digniore amictu accinctos videat, cùm ad legales tantùm victimas olim Sacerdotes & Levitæ vestimenta certis ritibus consecrata legantur adhibuisse. Nam etsi nostrum hoc Sacerdotium supra Veteris umbras longè antecellat; nudam tamen in se & apertam nondum veritatem habet, sed signis adhuc sensibilibus obvelatum est.

(g) Ep. ad Hebr. c. 10.

In primæva Ecclesia Sacerdotes & Ministri habuerunt vestes sacras.

3. Ex his etsi jam palam fiat, quàm indigna sit criminatio eorum, qui vestimentorum sacrorum originem ludicram, nuperam, ac sacræ scripturæ repugnantem mentiuntur; apertiùs tamen nunc commonstrandum ducimus ex nascentis Ecclesiæ ætate, hodiernam Christianitatem minimè vestium sacrarum ritum invenisse, sed primorum sæculorum morem traditum suo quoque usu comprobare. Ac primò Apostolos certa insignia habuisse, cùm sacris operarentur, inde conficimus, quòd Polycrates de Joanne Evangelista (h), Epiphanius de Jacobo fratre Domini (i) testentur: ab iis laminam Pontificiam fronti appensam in signum Sacerdotii & regni Spiritualis gestatam fuisse. Præter ornamentum capitis aliæ quoque erant vestes, quibus Ministri Ecclesiarum induebantur: Eusebius, quam ad Episcopos in Dedicatione Ecclesiæ Tyri habuit, oratione ita loquitur: *Amici Dei, & Sacerdotes, qui sacrâ tunicâ talari induti, & cælesti gloriæ coronâ decorati, & Sacerdotali S. Spiritûs veste amicti estis* (k). Et Gregorius Nazianzenus ubi de sui consecratione disserit, vestium sacrarum mentionem facit: *Idcirco me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitíque cidarim imponis* (l). Ne pro Episcopis tantùm vestium sacrarum usum extitisse opineris, de Ministris porrò pronunciat: *Ministri in splendidis vestibus astabant fulgoris Angelici imagines.* Clariùs de Diaconorum vestitu egit Chrysostomus (m); quando inquit: *Recordamini tremendorum Mysteriorum, & Ministrorum divini sacrificii, tenuibus linteis super sinistros humeros impositis Angelorum alas imitantium, & per Ecclesias discurrentium.*

(h) apud Euseb. l. 3. hist. c. 31.
(i) Epiph. hæres. 29.
(k) Euseb. l. 10. c. 4.
(l) apud Thomassin. P. I. l. 2. c. 45.
(m) Homil. de fil. prodigo.

4. Sunt equidem, qui cum Thomassino altiorem Ecclesiæ originem scrutati asserant (n), Christum in habitu fuisse communi, cùm sacrificium N. L. instituit; cujus exemplum Apostoli secuti sunt, quamdiu saltem sacra mensa cum communi fuit conjuncta. Verùm posteà mutatâ hâc disciplinâ, Christi discipulos alia ad sacri Ministerii honorem insignia, vestésque usurpâsse tum ex dictis intelliges, tum ex iis, quæ propiores primæ ætati Scriptores nobis reliquerunt. His non attentis si porrò paucis adstipulari præsumas, qui opinabantur, eisdem olim sacras fuisse vestes atque civiles; legesis S. Hieronymi sententiam, dum ait: *Religio divina alterum habitum habet in Ministerio altaris, alterum in usu, vitáque communi* (o). Ac ne dissimulemus aliquid; illud etiam fatemur, adhiberi in sacris

(n) Thomass. l. c. n. 1.

Vestes civiles à sacris olim distinguebantur.

(o) Hieron. in cap. 44. Ezech.

ſacris quædam veſtium genera, quæ antè in profano ac civili uſu fuêre; neque enim obſcurum eſt, quod Thomaſſinus latiùs oſtendit (p), *Stolam, Manipulum* & *Albam* ad profanas veſtes pertinuiſſe. At negligendum illud minimè eſt, quod idem Author ſubjungit, veſtes civiles, ubi ſacris adhibentur altaribus, jam ſacras & ipſas fieri; nec ad uſum ampliùs vulgarem poſſe revocari: cujus aſſerti firmitatem ex decreto Stephani Papæ deſumit, qui *conſtituit Sacerdotes & Levitas veſtibus ſacratis in uſu quotidiano non uti, & niſi in Eccleſia tantùm* (q). Huic adde pœnas illas, quibus Deus in veſtium ſacrarum violatores animadvertit: Victor Proclum nobis exhibet, corpus linguámque propriam cruentis dentibus dilaniantem, cujus ſupplicii ſe reum fecerat, quòd ſacrilego ritu Eccleſiæ ornamenta profanâſſet (r): alteri Thymelico Saltatori ſacra veſtis, quam ludibrii causâ in theatrum intulerat, repentinam mortem conſcivit (s).

Veſtimenta ſacra ſpeciatim recenſentur.

5. Poſtquam generatim oſtendimus, alium in foro, alium in altaris Miniſterio veſtium uſum fuiſſe; deſcendendum nunc eſt ad indumenta ſingula, ut quæ eorum forma olim extiterit, particulatim exponamus. Primis quinque ſæculis inter ſacras veſtes ALBA à colore albo dicta, quámque Græci *Poderem* (t), ordo Romanus verò *lineam Dalmaticam* (quia in Dalmatia veſtis hæc inventa fuerat) nominant (u), antiquiſſimum locum obtinet; de hoc enim indumento Euſebius jam loquebatur, cùm ad Clerum peroraret: *Amici & Sacerdotes Dei, qui* PODERE (ſive tunicâ talari) *induti eſtis* (x): & Concilium Carthaginenſe ſub Anaſtaſio I. præcipit, ut *Diaconus tempore tantùm oblationis vel lectionis* ALBA *utatur* (y). A communi & civili uſu Albas accepit Eccleſia (z); nam Aurelianus Imperator tunicas albas Romanis donâſſe apud Vopiſcum legitur: quare cùm ejusmodi donum Magnatibus dignum cenſeretur; Sacerdotibus quoque candida veſtis ab Eccleſia imperata eſt ad ſingularem cultûs divini celebritatem: unde S. Hieronymus decere, ait, in Dei honorem, ut *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte procedant* (a). Et quoniam veſtis alba ad pedes usque defluebat; cingulo illa ſtringebatur, ſive baltheo (b): inferioribus autem Miniſtris ſuperpelliceum pro Alba datum eſt, ut expeditiùs officiis ſuis fungi poſſent (c). II. ORARIUM ſive mappula, quæ in ſiniſtra parte geſtabatur, quâ pituitam oculorum & narium Miniſtri detergebant (d), à Saxonicâ poſteà linguâ *Fanonis* nomen accepit (e). Sudarioli hujusmodi ſive orarii uſus olim erat rarior; nam Romanæ Eccleſiæ Clerici ſibi tantùm eo uti licere contendebant (f): frequentior tamen poſteà mappulam talem geſtandi mos invaluit, dum tandem vel ſæculo octavo aut decimo (g) manipulus ſubſtitueretur, utpote ornamentum manûs ex eadem materia, quâ Planeta & Stola conficiebantur, contextum (h). Presbyteri olim (more Epiſcopis adhuc hodie uſitato) poſt con-

(p) Thomaſſ. T. I. l. 2. c. 46. & c. 47.
(q) Baron. ad 160. n. 6.
(r) Vict. l. 1. de Vand. Perſecut.
(s) Theodor. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 27.
(t) Alcuin. l. de div. offic.
(u) Ordo Rom. item Act. Proconſ. S. Cypriani apud Ruinart.
(x) Euſebius l. 10. c. 4.
(y) Concil. Carth. c. 41.
(z) Thomaſſ. l. c. n. 17.
(a) Hieron. l. 1. adverſ. Pelagian.
(b) Sauſſajus l. 3. Panopliæ Cleric.
(c) Idem P. I. 1505.
(d) Alcuin. l. de div. offic.
(e) Voſſius l. 2. de vitiis ſermonis c. 7.
(f) Gregor. M. Epp. l. 2. Ep. 54.
(g) Meratus T. I. P. I. p. 321.
(h) Cardinal Bona rer. lit. l. 1. c. 24.

feſſionem factam manipulum manui applicabant; eoquòd Planeta illo ævo nondum erat ſub brachiis aperta veſtis, quæ cùm recitatâ confeſſione complicaretur, & brachium impedimento liberum relinqueret, huic manipulus facilè tunc poterat alligari: Græci non tantùm unam, ſed duas manus totidem manipulis, quos epimanicia vocant, inſtruunt. III. Tertium veſtimenti ſacri genus à primis Eccleſiæ ſæculis receptum erat Stola, quæ vox licèt veſtem integram ſignificare videatur (i); appellationem tamen illam ſortita eſt faſcia, quæ circa oram totius veſtis maximè muliebris aſſuta erat, ac vocabatur ſtola (k): quare apud aliquos etiam Orarii nomine interdum venit, quaſi ab ora aut veſtis extrema lacinia dicta foret (l). *Sacram Stolam aureis filis contextam Imperator Conſtantinus Macario Epiſcopo Hieroſolymitano dedit* (m), cujus uſus tam frequens penes Eccleſiaſticos evaſit, ut ubique Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi ſtolam circumferrent (n); poſtremis tamen temporibus denuò conſuetudo iſta exolevit: nec quis extra ſacras functiones (ſi Pontificem Romanum exceperis) ſtolam perpetuam geſtandi morem habet. Cæterùm ſtolæ formam aliam apud veteres fuiſſe, ex Parietinis Eccleſiæ S. Mariæ trans Tyberim colligimus; illinc enim S. Calepodius Presbyter depictus exhibetur cum ſtola ad pedes uſque demiſſa (o). IV. Planeta græcè & latinè caſula totum hominis corpus tegit (p): indumentum hoc antè Laicis commune fuit (q); dein in uſum ſacrum tranſiit Planeta, quæ quaſi parva caſa totum Presbyterum includebat. Profluentia veſtis tam laxæ fecit, ut Miniſter Sacerdotis eo tempore, quo ſacra Euchariſtia elevabatur, caſulam complicaret, aut extolleret, ne Sacerdoti genua flectenti impedimento eſſet (r), cujus ritûs veſtigium hodie reciſâ etiam undique caſulâ habemus. Quo verò ſæculo Planetæ forma ac longitudo reſecta ſit, nobis obſcurum eſt: licèt quidam id ad ſæculum decimum deſignare audeant; cujus rationem aliquam in Lateranenſi Baſilica ex effigie Joannis XII. cum breviore caſula depicti ſe deprehendiſſe putant (s). Serarius (t) teſtatur, quod Moguntiæ in Eccleſia Collegiata *S. Stephani ſervetur caſula campanæ inſtar è materia ſerica, ei ſimilis, quæ Ratiſponæ aſſervatur à S.* WOLPHGANGO *relicta.* Et alibi (u) carmina adducit, queis Caſula S. Willigiſi deſcribitur

MXI. Chriſte, deceſſit Epiſcopus iſte
Matthiæ feſto tumulatus erat memor eſto.
Hic eſt tumbatus penes altare ille beatus
Stephanico templo requieſcit & ipſe memento,
Nunc ſunt effoſſa ſua dignanter ſatis oſſa,
Casula *de tumba relevata fuit benè munda,*
Presbyter ornatur, quâ, quando Miſſa paratur. &c.

ſcilicet

(i) Geneſ. c. 14. & 45.
(k) Ferrar. de re veſt. l. 3. c. 37.
(l) le Brun. T. I. p. 326.
(m) Theod. l. 2. c. 27.
(n) Joann. Sarisber. in vit. S. Thom. Concil. Mogunt. cap. 28.
(o) Georg. de lit. Rom Part. I. l. c. 20
(p) Iſidorus l. 19. c. 24.
(q) Joann. Diac. l. 4. de vit. Greg. M.
(r) Joccenin de Sacr. diſſ. 5. de Sacr. Euch Q. 8. c. 5.
(s) Cardin. Raſpon. l. 1. c. 14.
(t) Serarius Mogunt. rer. l. 1. c. 31. n. 4.
(u) Idem l. 5. p. 722.

ſcilicet hæc caſula amplioris & veteris formæ, quâ S. Willigiſi corpus indutum, & per trecentos annos incorruptum permanſit, in feſtis ſolennioribus adhibebatur: unde porrò illud adverte, quod & in undecimo ſæculo (in quo Willigiſus obiit nempe juxta alios anno 1006., juxta alios 1011.) necdum mos illarum veterum Caſularum exoleverit. V. His omnibus poſteà circa ſæculum octavum acceſſit Amictus, qui collo tegendo ſerviebat (x); nam à Laicis nudo collo procedentibus, Miniſtros eatenus diſcernere placuit, præſertim tunc, quando altari aſſiſtebant: veſtimentum hoc quia cervicem, ſimúlque humeros cingebat, HUMERALE & à quibusdam etiam *Anobaladium* appellari conſuevit (y).

(x) Amalar. l. 2. de Eccl. offic. c. 18.

(y) vide Sauſſay in Panopl. Sacerdot. P. I. l. 1. c. 2.

6. Atque hæ ſunt illæ ſacræ Miniſtrorum veſtes, quæ antiquitas uſu ſuo probavit, quibus ſimiles ſacræ paginæ pro Sacerdotibus faciendas olim præſcripsêre. Ne verò exiſtimes hoc veſtium apparatu in Dei cultum, aut Chriſtianæ legis puritatem peccari; tibi affirmare poſſumus, nihil in his ritibus eſſe, quod Deo, qui colitur, placeat minùs, aut quod ſacrorum reverentiam Dei cultoribus non ingerat magìs (z). Aberraret is profectò longiſſimè, qui Principem à Magiſtratibus offendi crederet, ſi qui eorum in publicis actionibus auguſtiore veſtitu, certísque inſignibus uterentur, quo & reverentia ipſis conciliaretur, & ſimul poteſtas repræſentaretur ac imperium: eâdem ratione non poterit non à Deo probari, ſi Eccleſiæ Miniſtri in publicis, ſacríſque actionibus peculiarem uſurpent habitum, tum ad honorem adſciſcendum ſuo officio, tum ad Myſteriorum quæ tractant, dignitatem populo altiùs inculcandam. Neque enim plebs opportuniùs, quàm externis ſignis ad cæleſtem ſenſum perducitur; unde candor veſtium puritatem: rubeus color Martyrum pro fide usque ad ſanguinem decertantium agonem: viridis ſpem: violaceus demiſſionem: niger luctum Eccleſiæ docet; quid? quod ipſa veſtimenta Symbola quædam ſint, quæ tum Miniſtros, tum populum de Chriſti veſtibus in Paſſione ac Virtutibus commonefaciant, de quo vide D. Thomam in IV. ſentent. Diſt. 24. Q. 3. a. 4. Titelmannum in Tractatu de expoſitione Myſteriorum Miſſæ, Natalem Alexandrum Theol. dogmat. & Moral. T. I. l. 2. de Euchariſtia, Merbeſium in III. Parte ſummæ Chriſtianæ &c. Ex pumice aquam copioſam potiùs elicies; quàm ut ſuperſtitionis aliquid in tam piis ritibus inveſtiges.

(z) Bellarmin. l. 2. de Miſſa c. 14.

REFLEXIO II. ad §. 1. num. 4. pag. 697.

De Vaſis ſacris in Primæva Eccleſia adhiberi ſolitis.

1. QUoniam ex Concilii Carthaginienſis IV. ſtatutis non tantùm Veſtium ſacrarum ſed & Vaſorum ad Miniſterium altaris adhibitorum antiquus mos, ritúsque nobis palàm fit; argumentum idem de Vaſis

(a) Calvin. in Præf. Inst.
(b) Socrat. l. 7. hist. c. 21.
(c) Ambros. l. 2. de offic. c. 28.
Objectiones Novatorum contra Vasorum sacrorum usum.

ſacris hìc altero loco tractandum suſcepimus, ut Novatorum quorundam ora obſtruantur (a), qui cujusdam Acacii dictum identidem occlamant; *Deum neque diſcis, neque calicibus egere* (b), aut ex Ambroſio oggerunt, *Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur* (c). Ex bina hac ſententia etſi ſanum ingenium nil aliud arguere poſſit, quàm Vaſa aurea de ſe nullam Deo afferre utilitatem: neque Sacramenta eâ de causâ præcipuè placere Deo, quia in auro miniſtrantur; vertigine tamen erroris acti plus inde ſe exſculpturos exiſtimant, nempe ut Vaſorum pretioſorum uſus ab Eccleſia omnino amoveatur. His igitur ut caliginem abſtergamus, ex tota antiquitate lucem accipere neceſſe eſt.

(d) Auctor libri Pontif. apud Pagi. in Breviar. PP. T. I. p. 38
Uſus Vaſorum ſacrorum ab Antiquitate probatus.
(e) Cardin. Bona rer. lit. l. 1. c. 25. n. 2.
(f) Prudent. hymn. 2. de corona.

2. Equidem ſi ea attendas, quæ circa annum CCXXII. de Urbano Pontifice leguntur (d), quod Miniſteria ſacra ex argento fieri curârit; ſuſpicari poſſes, Vaſorum ſacrorum ac pretioſorum uſum primordia Eccleſiæ nequaquam attingere: verùm Cardinalis Bona facilè ab illa ſuſpicione nos revocat, dum ait; referri quidem à libri Pontificalis authore, quid Urbanus fecerit; diſſimulari autem, quæ ad cultûs divini celebritatem hanc in rem ab aliis anteceſſoribus fuerint ordinata (e). Quare utì ritum Vaſorum ſacrorum inde ante Urbanum initium habuiſſe conjicis; ita poſt ipſum multis incrementis auctum deprehendes. Tyrannus certè Valerianus à S. Laurentio eodem adhuc *ſæculo labente tertio* ad annum CCLVIII. Vaſa ſacra exegit hiſce à Prudentio conceptis verbis (f):

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moreḿque & artem proditum eſt:
Hanc diſciplinam fœderis
Litent ut auro Antiſtites.
Argenteis Scyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auróque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos. &c.

(g) vid. Baronii Annal. ad an. 303. item Auguſtin. ep. 165.
(h) Optatus Milevit. l. 6. contra Parmenian.

Quæ verò Valerianus Gentilis ſpolia feriùs (nam in pauperes jam erogata fuerant) ſibi deſignaverat, ea *in ſæculo quarto* certiùs expilârunt Hæretici & Schiſmatici. Præterquam enim quod Acta Proconſularia adverſus Traditores ſub Diocletiano & Maximiano perhibeant (g), à Donatiſtis multos aureos calices & argenteos Tyrannis proditos fuiſſe; tum Optatus Milevitanus (h) iiſdem Donati Sectatoribus in faciem oggerit: *Fregiſtis*, inquit, *calices, Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies revocâſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes.* Non mitiùs in Vaſa ſacra debacchati ſunt ii, qui ex Arii hara prodierunt: Gregorius Nazianzenus eosdem Nabuzardano & Balthaſari comparare non dubitavit; utì enim hi templi Hieroſolymitani ſacra Vaſa vel diripuerunt, aut profanârunt; ita Ariani

multoties sacrilegis manibus in opes Ecclesiæ sacratas debacchati sunt (i). Quantam Vasorum sacrorum varietatem ac pretium Antiochenum templum in eodem sæculo quarto possederit, testimonio nobis sit, viri istius convitium, quem cùm Julianus Apostata ad expilandas Ecclesiæ thesauros Antiochiam misisset; Magnificentiâ & copiâ rerum defixus exclamâsse dicitur, *En cujus Vasis filio Mariæ ministratur.* Quo numero, quove pretio Basilica Principis Apostolorum supellectilem sacram Romæ in *sæculum quintum* usque auxerit; Alaricus Rex Gothorum palàm fecit (k), qui cùm in eandem urbem circa annum 410., furentes prædantésque immitteret milites; unus eorum in Virginem sacrorum Vasorum custodem incidit: territa nequaquam fœmina ultro exposuit opes, earum magnitudinem, pondus, pulchritudinem, & ignotam Vasorum conditionem; quibus attonito primùm Barbaro reverentiam porrò injecit, quando dicebat: *Hæc Petri Apostoli Ministeria sunt* (l).

(i) Gregor. Naz. in orat. adv. Arian.

(k) Orosius l. 7. c. 39.

(l) vide Baron. ad a. 410. §. 27. & 28.

3. Neque causæ desunt, ex quibus tam magnifica accessio Ecclesiis facta sit: primi Christiani ad pedes Apostolorum comportabant (m) parata ex venditis possessionibus pretia, quibus & fratrum necessitatibus communi dispensatione prospiceretur, simúlque curarentur illa, quæ ad sacrorum usum pertinebant; unde teste Gregorio Turonensi in Cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu Persecutionis sacris operabantur, varia Ministeria argentea reperta sunt (n). Posteà in sæculo IV. primus Imperator Christianus Constantinus Ecclesias publicas non tantùm erexit, sed & donariis amplificavit; cujus exemplum æmulati alii Principes, bona Martyrum, & delubrorum possessiones in fabricam Ecclesiarum, ac supellectilem transferendas voluerunt: tandem ipsi subditi ad fidem conversi oblationes tam amplas præstabant Ecclesiis, ut suos thesauros cum Sacerdotibus dividere viderentur; quare mirari nemo poterit, si in sæculo quinto de Hilaro Pontifice perhibeat libri Pontificalis Auctor (o), " tria eum oratoria struxisse in Basilicæ Constantinianæ Baptisterio, S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangelistæ, & S. Crucis, omniáque ex argento & lapidibus pretiosis ornâsse. Et confessionem S. Joannis Evangelistæ fecisse ex argento pensantem libras centum, & crucem auream. Et in ambobus oratoriis januas æreas argento clusas; in oratorio verò S. Crucis fecisse confessionem, ubi lignum posuit Dominicum & crucem auream cum gemmis pensantem pondo librarum viginti. In Confessione fecisse januas ex argento pensantes libras quinquaginta: supra Confessionem arcum aureum pensantem libras quatuor, quem portant columnæ onychinæ & ubi stat agnus aureus pensans libras duas. &c. „ Non minores sumptus cæteri Pontifices in sacra Vasa expenderunt, quorum pretium, & usus in antiqua Ecclesia perpetuus ut magis explicetur, de singulis nunc agere instituemus.

(m) Act. Apost. c. 4.

Quibus ex fontibus vasorum sacrorum pretium desumptum sit?

(n) Gregor. Turon. l. 1. de gloria Martyr. c. 38.

(o) Auctor libri Pontif. apud Pagi in Breviar. PP. T. I. p. 213.

Inter Vasa sacra præcipuus Calix Eucharisticus

4. Inter Vasa sacra primas vices sibi meritò vendicat Calix Eucharisticus, in quo sanguis Christi, redemptionis nostræ pretium consecratur: & Calix quidem ille, quem Servator in institutione sacrificii adhibuit, quíque adhuc Bedæ temporibus Hierosolymis visus est (p), fueritne ex argento, ut vult idem Beda (q): an verò ex viliore materia, uti statuit Chrysostomus (r), haud satis compertum habemus; certius nobis est, post Christi & Apostolorum tempora varii æris, metalli, aut materiæ calices fuisse. De *ligneorum* calicum usu in Primitiva Ecclesia, testes nobis sunt Honorius Augustodunensis (s), & Bonifacius Episcopus Moguntinus; nam hic (ùt fertur) interrogatus, *Utrùm liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere? respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtrà lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus* (t). Præterea de *lapideis* sive *marmoreis* calicibus monumentum habemus in vita S. Theodori Archimandritæ; de *onychinis* mentionem faciunt acta S. Bernencardi Episcopi Hildesheimensis & Leo Ostiensis (u): *corneos calices* nobis commonstrat Thomas Bartholinus (w) & Synodus Calcutiensis (x). Demum calicibus *è vitro* factis gravissimi Authores testimonium perhibent; ab Irenæo quippe accepimus (y), Marcum hæreticum circa annum Christi 174. in vitreo & pellucente calice album vini colorem (cùm more Catholicorum Mysteria conficeret) in rubrum arte magicâ convertisse, & D. Hieronymus de S. Exuperio Episcopo Tolosano loquens, ait (z): *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro.*

cujus materiæ olim Calices fuerint?

(p) Beda lib. de locis sanctis c. 2.
(q) Idem l. c.
(r) Hom. 60. ad pop. Antiochen.
(s) Concil. Tribur. sub Formoso c. 18.
(t) apud Surium 22. Apr.
(u) Leo Ost. in fine lib. 3. Chron. Cassin.
(w) Barthol. l. de med. Danor. domest.
(x) Concil. Calcut. in Ang. sub Adr. I. c. 10
(y) Irenæus l. 1. c. 9.
(z) Hieron. in fine Ep. 4. ad Rusticum.

5. Neque tamen dissimulandum est, hos è tam varia materia formatos calices minimè à lege Ecclesiastica uspiam præscribi, quia Canones omnino contrarios habemus in Anglia sub Edgaro Rege editos (a), qui præcipiunt, calices nonnisi fusiles esse debere & Concilium Triburiense (b) ab altaris sacrificio ligneos calices omnino proscripsit. Itaque penuriæ fidelium, aut incuriæ Sacerdotum potiùs tribuendum est, quod alicubi olim ex viliore materia, aut etiam suppare quocunque metallo conflati calices in usum deducti sint; præsertim cùm ex auro, argentóve factos ubique ab antiquitate probari videas. Ut quid enim Vasa sacra Antiochiæ Juliani emissarium, aut Romæ Ministeria S. Petri Gothorum oculos adeo rapuissent? nisi aurum, quod solum æstimabant, aut argentum ex illis Vasis resplenduisset. Calicum horum pretium sæpe augebant uniones ac gemmis distinctæ figuræ; Chrysostomus namque gemmati calicis meminit (c): & Tertullianus postquam in eum errorem inciderat, ut lapsis pœnitentiam pernegaret, indignabatur, quod Catholici inter cæteras figuras Vasis appositas, hoc quoque misericordiæ divinæ Symbolum, nempe Pastorem ovem perditam gestantem in calicibus depingerent (d).

(a) Concil. Anglic. sub Edgaro c. 41.
(b) Concil. Tribur. c. 18.

Calices aurei & argentei; item gemmati & figuris ornati.

(c) Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch.
(d) Tertull. lib. de pudicit. c. 7.

Alia Calicum genera.

6. Præter Calices istos sacros, alia adhuc in antiquis Ecclesiis erant Calicum genera; alii quippe dicebantur *Calices Baptismi*, quibus mysticum

cum poculum lactis & mellis recens baptizatis porrigebatur (e): alii *Ministeriales* scyphi, qui non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant (f); tales erant grandiores, cujusmodi videre est in Thesauro Moguntino (g), & *ansulis* instructos, ut facilè sustentari à porrigentibus sacerdotibus possent. Ubi porrò adverte ea, quæ Mabillonius notavit (h): Pontifex, dum in Missa communicabat, partem hostiæ indebat in Calicem, ... ei deinde Archidiaconus præbebat Calicem, ex quo pars sanguinis in Calicem Ministerialem invergebatur, quod alibi ex ordine Romano probat (i). *Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice Sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, sive in Scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur Populus, quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per omnem modum.* Populum autem *confirmare* est ipsum Dominico sanguine reficere; sicut enim baptizatos unctione chrismatis & manûs impositione Episcopi acceptâ perfici dicebatur (k); ita qui acceperant corpus Domini, accepto etiam calice, phrasi olim usitatâ confirmari dicebantur, ac si sanguinis potus communionis complementum esset (l). Denique ad Calicem Ministerialem pertinebat Fistula, quæ aliis nominibus interdum vocatur *Siphon* (m), *Pipa aurea* sive cannula, aut calamus ad hauriendum sanguinem. De quo ritu Lindanus (n) ait: quia sanguinis effusio propter incultioris populi rusticitatem meritò timebatur; Calicibus Canna est ferruminata, affabréque inserta, unde populus sanguinem Christi non tam biberet, quàm sugeret. Hodiè fistulâ adhuc utitur summus Pontifex cùm solemniter celebrat: idem usus adhuc manet in Monasterio S. Dionysii in Gallia (o).

(e) Anastas. in V. Innoc. I.
(f) Cassand. in oper. Lit. c. 31.
(g) Lib. Vetust. de veter. thesaur. Eccl. Mogunt. apud Card. Bona.
(h) Mabill. in Musæo Italic. T. II. p. 50.
(i) Idem pag. 59.
(k) Concil. Illiberitan. c. 38. & 77.
(l) Micrologus c. 19. Albaspin. ad c. 77. Illiberit.

Instrumenta ad Calicem pertinentia.

(m) Anastas. in Adriano.
(n) Lindan. lib. 4. Panopl. Evang. c. 46.
(o) Card. Bona rer. liturg. l. 1. c. 25. §. 4.

7. Calici annexa Patena est, quæ reponendæ hostiæ inservit: Patenas magni ponderis gemmísque ornatas sæpe memorat Anastasius inter donaria Pontificum, pensantes 25. aut 30. libras: erant & *Ministeriales patenæ* profundiores, & ansulis munitæ, quæ distribuendæ populo Eucharistiæ deserviebant. Cæterùm tum Calix, tum patenæ unctione chrismatis, certísque precibus consecrantur ab Episcopo (p), unde hæc sacrata Vasa contingere Diaconis duntaxat licebat (q), quod tamen postea & Subdiaconis à Bracarensi Concilio (r) concessum est.

Patenæ varii generis.

(p) Sacram. Vetus Gallic. apud Mabill. T. I. Mus. Ital. p. 389.
(q) Concil. Laodic. c. 21.
(r) Bracarense Conc. c. 28.

8. Post sacrata Vasa, alia adhuc commemoranda veniunt, quæ sive ad Ministerium altaris seu ornatum adhibebantur: inter Vasa hæc fuêre Ampullæ, *Amæ*, aut *Amulæ*, *gemelliones*, sive parvula vascula, quæ vino & aquæ in Missa ministrandis serviebant (s): Priscâ ætate in usum sacrificii fideles in poculis, sive etiam lagenis offerebant: unde Diaconus tantum vini in Calicem infundebat, quantum sacrificanti Sacerdoti, & cæteris communicantibus satis esset; ac proinde ad vinum fæcibus pur-

gandum

Amulæ

(s) Ordo Romanus. Bulenger de donariis PP.

Colatorium & Aquimanile.

(t) Anastas. in Sergio II. & Benedicto III.

(u) Card. Bona l. c. §. 5.

Candelabra & thuribula.

(x) Concil. Carthag. IV.

(y) Micrologus c. 11.

gandum *Colatorio* (t) utebatur, quod instar cochlearis cum prælongo manubrio, aut instar scutellæ reticulatæ efformatum erat (u). Et quoniam tempore sacrificii lavare subinde manus necesse fuit, AQUIMANILE & MANUTERGIUM à Subdiaconis subministrabatur, quæ etiam insignia in ordinatione suâ ab Archidiacono ea de causa accipiunt (x). His annumerari possunt CANDELABRA, & THURIBULA: de Candelabris, eorúmque pretio frequens memoria apud Anastasium est, quia, utì ait Micrologus (y), *juxta Romanum ordinem nunquam missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cùm sit clara dies, sed potiùs in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpamus, sicut in nocte.* Nos enim non tangit reprehensio Lactantii Firmiani, quâ Ethnicos perstringebat, quòd Diis suis velut in tenebris degentibus, & luce indigentibus cereos accendant (z). Non minùs frequens, atque laudabilis in Ecclesia veteri usus Thuribulorum fuit, quæ subinde *Thymiamateria*, aut *suffitoria* vocantur; id est, talia vasa, in quibus thura & varii odores incenduntur in solemni oblatione, ídque ex Apostolica traditione & Mosaicæ legis exemplo: monendum tamen ex Tertulliano (a), thus nos quidem incendere, *sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola*; unde quando Arnobius (b), & Athenagoras (c), tales suffitus improbant, explicandi sunt, nos Deo tanquam indigenti talia minimè offerre, ac planè credere, cultum internum esse præcipuum, quo Deo placere possimus.

(z) Lactant. Firmian. lib. 6. div. instit. c. 2.

(a) Tertull. lib. de corona c. 10.

(b) Arnob. lib. 7. adv. gentes.

(c) Athenag. in Legat. pro Christian.

Instrumenta & vasa Græcorum usui propria.

(d) Card. Bona rer. liturg. c. 25. §. 6.

9. Atque hæc sunt Vasa illa, quæ nostræ Occidentali Ecclesiæ cum Orientali communia sunt; habent tamen Græci instrumenta quædam latinis ignota: habent, inquam (d), *lanceam* sive gladiolum lanceæ non absimilem, quo hostiam consecrandam ab integra panis Massa secant: *Asteriscum*, qui duobus arcubus constat, radiis ad instar stellæ fultis, quo hostias consecratas cooperiunt, ne vela eas tangant, & ordinem particularum turbent. *Dicerion*, quod est cereus bisulcus, *Tricerion*, quod est cereus trisulcus, quibus Episcopus celebrans populo sæpe benedicit. Cochlear, *Labida*, dictum, expeditúmque ad communionem dandam, *Ripidia* sive flabella, quibus duo Diaconi ex utroque altaris latere muscas & bestiolas abigebant.

10. Postremùm locus, ubi tùm Vasa sacra, tum Vestes asservabantur, *Diaconicum*, *Scevophylacium*, *Pastophorion* à Græcis: à Latinis *Vestiarium*, *Secretarium*, *Sacrarium* vocabatur. Extra hunc locum Cimeliarchæ Vasa sacra efferre non licebat; quare Athanasius Apol. 2. à calumnia confracti calicis se satis purgabat (e), eoquòd locus, in quo confractum poculum Ariani fingebant, nec Ecclesia, nec locus sacer fuisset.

(e) Athanas. Apol. 2. Vet. edit. p. 728.

REFLE-

REFLEXIO III. ad §. 1. num. 5. pag. 698.

De jure Asyli, & locali immunitate Ecclesiis concessa.

1. QUemadmodum Constitutiones Principum à Constantini Magni ætate Ecclesiarum Ministros (velut Personas Deo sacras) oneribus publicis liberos esse voluerunt; ita ipsis quoque Ecclesiis, templis ac aris, in quibus sacra fiunt, libertatem ac immunitatem eam potissimùm impertiri placuit, quâ illi in vitâ & membris tuti esse juberentur, qui ad Ecclesias vel locorum sacrorum Asylum confugissent. Cùm enim Pagani & Gentiles delubris suis: ac Mosaici instituti Reges templo Salomonis privilegium ejusmodi vel donare aut conservare Religioni sibi omnino duxerint (a); non satis piè egissent Christiani Imperatores, si Christi Ecclesiam hoc immunitatis genere privatam voluissent. Equidem id, quod paucis placet, definire nobis animus non est: quasi naturâ duce, immunitas talis ad Ecclesias devenerit; id tamen ratione Magistrâ porrò arguimus: quodsi olim à Principibus clementer indultum legimus, ipsorum ut statuæ miseris & oppressis omnibus confugio, & tutelæ forent; multò æquius esse, ut eodem Asyli jure utantur Regis Regum Christi palatia. Neque à nobis primùm hæc consecutio facta est; sed Patres in Matisconensi Synodo dudum eum in modum conclusêre: *Si enim*, ajunt, *mundani Principes suis legibus censuerunt, ut quicunque ad eorum statuas fugerit, illæsus habeatur: quantò magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis Regni & cælestis adepti sunt* (b).

Rationes, cur Ecclesiis concessa sit localis immunitas.

(a) Thomass. de Veter. & Nov. discipl. P. II. l. 3. c. 95. n. 9.

(b) Matisconense Concil. II. can. 8.

2. Si quando leges afferre nobis incumberet, ex quarum præscripto Imperatores immunitatem Ecclesiis adjudicârint; antiquiorem de Asylis legem nos non invenire fatemur, quàm Theodosii Magni (c): indubium tamen est, jam antè diu eâ immunitate gavisas fuisse Ecclesias, & quidem probabiliter à temporibus Constantini, quod exempla à Zosimo, & Ammiano Marcellino adducta abundè testantur (d). At si temporis cursum paulò longiùs proferas ad sæculum quintum; in Codice Justiniani multas leges reperire erit (e), quæ Reis ad Ecclesias confugientibus certum spondeant perfugium. Antequam verò ex iis quasdam recitemus; ad sæculi quarti finem respicientes, legem illam exhibebimus (f), quam Asylis omnino contrariam Arcadius (authore & impulsore Eutropio) promulgavit: *Si quis inposterum servus, ancilla, Curialis, debitor, publicus Procurator, murilegulus, quilibet postremò publicis, privatísve rationibus involutus ad Ecclesiam confugiens, vel Clericus ordinatus, vel quocunque modo à Clericis fuerit defensatus, nec statim conventione præmissâ pristinæ conditioni reddatur: Decuriones quidem, & omnes, quos sola ad debitum munus functio vocat, vigore & solertiâ judicantium, ad pristinam sortem velut manu mox injectâ revocentur.*

A quo tempore immunitas Ecclesiarum vigeat?

(c) Codic. Theodos. de Episc. & Cleric. l. 34. Tit. *de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

(d) Thomass. P. II. l. 3. c. 95. n. 9.

(e) Cod. Justinian. tit. *de his, qui &c.*

(f) vide hìc Baron. T. V. ad a. 398 §. II

Lex Arcadii contra Ecclesiæ immunitatem lata. tur. *Quibus ulteriùs legem prodesse non patimur, quæ cessione patrimonii subsecutâ, Decuriones esse Clericos non vetabat. Sed etiam ii, quos Oeconomos vocant, hoc est, eos, qui Ecclesiasticas consueverunt tractare rationes, ad eam debiti vel publici, vel privati redhibitionem, remotâ dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos Clerici defensandos receperint, nec mox crediderint exhibendos* (g). Legis hujus ferendæ occasionem sequentibus verbis à Sozomeno accepimus (h): *Sed quia neque præsenti potentiæ impendentia, neque contingentes humanarum rerum vicissitudines considerabat* (Eutropius), *eos extrahere templis aggrediebatur, qui propter ipsum in his ad Deum confugæ supplices hærebant; inprimis verò Pentadiam Timasii conjugem, quem quidem potentem, ac strenuum Ducem ille tyrannidis affectatæ condemnatum perpetuo apud Oasim Ægypti exilio mulctârat. Sed ille quidem, sive quod sibi defecerit, sicut à quodam accepi; sive quod veritus sit, ne quid sibi gravius accideret, arenis illis involutus repertus est mortuus: Eutropii verò curâ sancitur Lex præcipiens, ne quis omnino ad Ecclesiam confugeret, & ut expellerentur etiam illi, qui ad eam jam confugerant*, oppressam nimirum volebat Pentadiam hoc legis rigore, eoquòd illa inter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconissas recepta fuerat. Sed quos casses Pentadiæ objecerat Eutropius, sequenti anno ipse induere coactus est; pergit enim Sozomenus: *Non multò post autem ipse* (Eutropius), *quasi Imperatoris conjugem contumeliosè tractâsset, ex insidiis impetitus, primus ipse legem suam prævaricatus est, & ex Palatio profugus ad Ecclesiam supplex accurrit.* S. Chrysostomus Episcopus Regiæ urbis hominem ita intra Ecclesiæ adyta excepit, ut primò de criminibus aliis acriter objurgatum, dein Eutropium pungeret ex eo, quòd in se primùm sævientem experiri legem divinâ indignatione compulsus sit (i): *Præclusit* (Eutropius) *hujus loci refugium legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est. At nunc reipsâ didicit, quale sit, quod fecit, & suomet facto legem suam primus abrogavit, factus orbis totius spectaculum: & sileat licèt, omnes tamen admonet. Nolite hæc facere, ne qualia ego, patiamini suâ calamitate alios docet: & altare hoc ipso illustrem ex se splendorem emittit, ac venerationem sibi comparat, quod Leonem vinctum continet.* Chrysostomi diligenti operâ per idem tempus factum est, ut legem Arcadius abrogatam & tabulariis erasam vellet (k).

Quâ occasione hæc lex infesta edita sit?

Eutropius legis contra Ecclesiæ immunitatem author, cogitur ipse confugere ad Ecclesiam.

Lex Arcadii abrogata.

(g) L. 3. Cod. Theodos. *de his, qui confugiunt.*

(h) Sozom. l. 8. c. 7. item Socrat. l. 6. c. 5.

(i) S. Chrysostom. hom. in Eutrop.

(k) Baron. ad 389. § 89.

3. Postquam ab exemplo Arcadii meliora documenta acceperant Principes; inter præcipuas illi numerabant curas, ut æquum non minùs, ac vetustum immunitatis Ecclesiasticæ usum confirmarent. HONORIUS eum Majestatis crimine obligatum haberi præcepit, qui confugientes ad Ecclesias abducere aniteretur (l). THEODOSIUS JUNIOR, & VALENTINIANUS III. immunitatis limites posteà præscripsêre: *Pateant summi Dei templa timentibus: nec sola altaria, & oratorium templi circumjectum, qui Ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem*

(l) Cod. Justin. l. 1. Tit. *de his, qui ad Eccl. confug.* leg. 2. data anno 414.

nem confugientium ſancimus eſſe propoſita: ſed usque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus: ut inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & januas primas Eccleſiæ, quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam ſacrilegas manus immittere: ne qui hoc auſus ſit, cùm diſcrimen ſuum videat, ad expetendam opem ipſi quoque confugiant. Hanc autem ſpatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipſo Dei templo, & SS. altaribus confugientium quenquam manè vel veſpere cubare vel pernoctare liceat: ipſis hoc Clericis, Religionis causâ vetantibus, ipſos, qui confugiunt, pietatis ratione ſervantibus &c. (m) Jus Aſyli ut pro Eccleſiis firmaret LEO Imperator, cæleſti planè prodigio permotus eſt: perſequebatur Ardaburius Patricius hominem ſibi inviſum, & Monaſterio Acœmetarum, in quod iſte confugerat, manipulos Gothorum circumfundens, extrema minabatur, ni redderetur (n). Sed extremâ nocte ignis in ſuperiore Monaſterii parte viſus eſt, ex eóque fulmina prodibant; conterriti milites abjectis armis veniam à Deo ſupplicitér precabantur, Ardaburius parcebat hoſti, & Leo Imperator his auditis legem ſequentem edidit (o): *Exceptâ hac urbe regiâ, ... nullos penitus, cujuscunque conditionis ſint, de Sacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ fidei expelli, extrahi vel protrahi confugas. Nec pro eis Venerabiles Epiſcopos, vel Religioſos Oeconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur. His, qui hoc moliri, aut facere, aut nudâ ſaltem cogitatione aut tractatu auſi fuerint tentare, capitali & ultimi ſupplicii animadverſione plectendis.... Nec patimur in ipſis Eccleſiis ita quenquam detineri, ut ei aliquid victualium rerum, aut veſtis negetur aut requies. Sed ſi refugæ ſe in ſacris locis offerant, quærentibus conveniendos. Ipſis, (ſervatâ loci reverentiâ) Judicum, quibus ſubjacent, ſententiis moneantur, reſponſum daturi, quale ſibi quisque perſpexerit convenire.... Cùm autem monitus fuerit in publico, privatóque contractu actione civili, in ejus ſit arbitrio, ſive per ſe, ſive inſtructo ſolemniter Procuratore directo, in ejus judiciis, cujus pulſatur ſententiis, examine reſpondere. Sed ſi hoc facere detrectet, aut differat; judiciorum, legúmque ſolitus ordo ſervetur &c.*

Imperatorum ſequentium decreta pro immunitate locali Eccleſiarum.

(m) Codic. Juſt. Tit. cit. leg. 3. data an. 431.

(n) Marcell. vit. apud Sur. 29. Decemb.

(o) Codic. Juſtin. l. 1. Tit. 12. leg. 6. data an. 466.

4. Imperatorum verò uti magni intererat, legibus ac gladio juſtitiæ Eccleſias adverſus omnem vim tueri; ita Epiſcoporum perpetua fuerat cura, immunitatem locorum ſacrorum, religiosâ libertate inviolatam ſervare. Gregorius Nazianzenus in S. Baſilio vigorem ejusmodi incredibilem ac zelum deprædicat (p). Cùm enim vidua nobilis potentis Proci, qui ſimul judicis munere fungebatur, inſidiis oppreſſa ad ſacram menſam confugeret; *Baſilius* confugientis tutelam ita in ſe recepit, ut, ni judex Altaribus, ni legibus, ni Dei clementiæ vim illatam vellet, miſella à templi complexu abſtrahi nullatenus poſſet. Verùm homine in-

(p) Gregor. Naz. or. 20.

Quid pro jure Aſyli egerint veteres Epiſcopi?

ſano jam iras in Baſilium vertente, populus ad arma proſiliit, nec potuit præfractæ impudentiæ judex declinare iras furentium, niſi ſuâ ad Aſylum atque ad Baſilium fugâ; qui nihil beatius ſibi duxit, quàm ut vexatorem anteà atrociſſimum, nunc ſupplicem à periculo liberaret. Quid pro Aſylis egerit *Chryſoſtomus* jam ſupra notatum eſt, quibus Proſperi vel alterius hoc nomine ſignati ſcriptoris ſenſa apponimus (q): *Eutropius cùm in contumeliam Eccleſiæ edictum obreptitiè ab Arcadio Chriſtiano Imperatore exſculperet, ut ſi quis ad eam confugeret, etiam ab Altari ſublatus, pœnas lueret ampliores; divino judicio ſuæ ſententiæ prior ipſe eſt propinatus. Offenſam quippe prædicti Regis incurrens, ad ejus refugium, quam oderat, convolavit: quæ ſancta mater pietatis gremio ſuum excepit inimicum; quia per Venerabilem Sacerdotem Joannem impetrans veniam, oſori & ſuperbo vitam contulit & ſalutem.* Demum *Gregorius Magnus* Epiſcopo Ravennati id maximè inculcabat, ut Maurilionem, qui in Aſylum ſe receperat Eccleſiæ, intra hujus ſepta inſontem & adverſus Georgii præfecti minas ſecurum protegeret (r).

(q) Proſper de Promiſſ. & prædict. P. III. c. 33.

(r) Greg. M. l. 1. ep. 35.

Quid de hoc jure ſtatuerint Concilia?

5. Neque tantùm Epiſcopi ſigillatim accepti, hujus immunitatis vades, tutoréſque fuêre; ſed & integræ Epiſcoporum Synodi. Nam Concilium *Epaonenſe* ſervos ob reverentiam Aſyli ſacri capitalibus pœnis minimè obnoxios voluit (s). *Aurelianenſe* IV. & V. anathemati ac pœnitentiæ publicæ eos ſubjiciunt (t), qui Eccleſiis abſtraxiſſent miſellos, qui in ſacra penetralia ſalutis causâ convolâſſent; idem poſtea *Matiſconenſe* II. (u) & *Remenſe* (x), *Moguntinum* (y) ſuis decretis ſtabiliendum ſumpsêre.

(s) Epaonen. Conc. can. 39.

(t) Aurelian. c. 21. & 22.

(u) Matiſconenſe II. c. 8.

(x) Concil. Remenſ. c. 7.

(y) Mogunt. c. 39.

Ex jure Aſyli non dabatur olim ſceleratis anſa peccandi.

6. Ex his mitioribus ſtatutis ſi quis Eccleſiam nimiæ indulgentiæ arguere audeat; conſideret ille ſecum, nunquam à benigna etiam antiquitate illam diſciplinæ partem fuiſſe neglectam, quæ Protervis fræna injiceret: quin cautum ſemper, ne ſceleſti impunitate integrâ peccandi occaſionem captarent. Epiſcopi quippe in Eccleſiæ ſinu ac præſidio receptos non antè ex hac ſacra cuſtodia emittebant, dum Pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur; id, quod ex Canone ſeptimo Remenſis Concilii circa annum 625. celebrati colligere licet: *Ille verò*, ait Synodus, *qui ſanctæ Eccleſiæ beneficio liberatur à morte, non priùs egrediendi habeat libertatem, quàm pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi canonicè imponetur, impleturum* (z). Alterum, quod Epiſcopi curabant, erat, ut iis, quos Rei confugientes ad Eccleſiam læſiſſent, pro viribus ſatisfieret; unde Aurelianenſis Canon ita habet: *de homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſervandum, quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi eos abſtrahi omnino non liceat, ſed nec aliter conſignari, niſi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, de debitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri: ita ut ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conveniat.* Eandem ſatisfactionem

(z) Synod. Remen. c. 7.

Quâ Providentiâ Eccleſia reorum pœnas quandoque mitigârit?

nem urgebat Theodoricus Rex Italiæ in edicto ſolenni (a): *Si quis in cauſa publici debiti ad Eccleſiam quamlibet convolaverit, Archidiaconus eum compellat egredi ad edenda legibus ratiocinia ſua: aut ſi hoc facere noluerit, ejus ſubſtantiam, quam ad Eccleſiam detulit, ſine mora contradat, quod niſi fecerit, quanti intereſt utilitatis publicæ, Archidiaconus cogitur exſolvere.* Et quoniam Eccleſia ita cupit ſervire clementiæ, ut tamen non officiat æquitati, Reorum majora, quæ meruerunt, ſupplicia in minores pœnas mutabantur: cujus exemplum denuò habemus apud Caſſiodorum in memorato Theodorico Italiæ Rege, qui homicidam ad Aſylum Eccleſiæ confugientem, in Inſulam Vulcaniam deportari ideo juſſit, *ut & ſancto templo reverentiam habuiſſe videatur, nec vindictam criminoſus evadat in totum, qui innocenti non credidit eſſe parcendum.* Subinde cùm Epiſcopis à Juſtiniano demandaretur cura prævertendi judicum acerbitatem (b), ac poſteà planè Præſules in tribunalia admitterentur (c); mitiùs ſæpe actum, &, capitalia ſupplicia pecuniariis ferè mulctis expuncta, quod quidem Sacerdotali manſuetudine ideo præſtabant Antiſtites, ut dum pœna necandis corporibus parciùs adhibebatur, longiores, & ſeveriores pœnitentiæ ex Canonica Regula ad perſanandos animarum morbos poſſent expleri: & quamvis non neſcirent Epiſcopi breves, ac infucatas nec infructuoſas eſſe pœnitentias; malebant tamen Reos macerari diuturniùs, eoquod ſaltem quandoque timendum ſit, ne ii, qui citiùs ſuppliciis addicuntur, pœnitentias præcipites nimìs & metu pœnarum extortas, adeóque ſubinde & dubias & incertas deproperent (d).

(a) Caſſiod. l. 3. c. 70. 71.

(b) Nov. 1.

(c) Thomaſ. Vet. & Nov. diſcipl. Eccl. P. II. l. 3. c. 97. n. 12.

Cauſa clementiæ ac indulgentiæ Eccleſiaſticæ.

(d) Thomaſ. l. c. c. 96. n. 6.

7. Indulgentia tamen hæc tam promiſcua, aut univerſalis haudquaquam erat, ut quibusvis tutela, aut Eccleſiæ Aſylum pateret. Certè Gregorius M. non ſinebat, ut Epiſcopi defenſione Eccleſiæ eos complecterentur, qui ejusmodi criminibus implicati erant, quorum poterat in Eccleſiam infamia redundare: *Quibus valetis* (monebat), *ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ Eccleſiæ non inquinetis* (e). Itaque ſubdit: *Qui in furtis publicis deprehenſi ſunt, à nobis non videantur injuſtè defendi.* Græci quoque nonnulla excipiebant crimina, uti & Carolus Magnus, præſertim homicidia, de quibus in Capitulari anno 779. ita legitur: *Ut homicidæ, & cæteri rei, qui legibus mori debent, ſi ad Eccleſiam confugerint, non excuſentur, neque eis ibi victus detur* (f), ut ſcilicet neceſſitate famis compulſi exeant, ac intercipiantur. His ſtatutis recentiorem adde Bullam Gregorii XIV. (g) & decreta Benedicti XIII. (h), qui jure Aſyli privatos voluère publicos latrones, viarum graſſatores, depopulatores agrorum, ac vinearum, demum reos homicidii proditorii, læſæ Majeſtatis, aſſaſſinii, hæreſeos, atque eos, qui in Eccleſia aliquem occiderunt vel mutilârunt.

Quæ crimina reos excludant ab Aſylo?

(e) Greg. M. l. 1. ep. 35.

(f) Capitul. l. 5. c. 122.

(g) Gregor. XIV. Bulla cùm aliàs.

(h) Bened. XIII. B. in Conc. Rom. an. jub. 1725.

REFLEXIO IV. ad §. II. num. 17. pag. 752.

De Patriarchatu Romano, ejúsque finibus.

Numerus sedium Apostolicarum.

1. CONsiderantibus nobis Veterum Ecclesiarum originem, tres præcipuæ occurrunt, quæ Petrum Apostolum authorem habent, quæque velut tot Christianarum coloniarum matres jus quoddam eximium in cæteras Ecclesias adeptæ sunt. Ut enim in civili dispositione tres civitates Imperii Roma orbis Domina, Alexandria Ægyptiaci Regni Princeps, & Antiochia Regina Orientis juris specialis possessione in plerasque Provincias conspicuæ erant; ita harum civitatum Episcopi secundùm Politiæ Ecclesiasticæ ordinem ac usum illustriore nomine insignioribus officiis, privilegiis ac limitum amplitudine gaudebant: si nomen spectes; in Nicæno Concilio tres illi Antistites *Episcopi* (a) duntaxat audiunt, at Synodus Ephesina eosdem *Archiepiscoporum* titulo, subsequens ætas *Exarchorum Diæceseos* dignitate illos auxit, demum à plerisque (b) novitiâ dictione *Patriarchæ* appellati sunt. Placuit enim vocis hujus usus, propterea quod Patriarchæ appellatio Patrum & Regionis Universæ seu Diœceseos præfectum exprimeret, adeóque unâ voce & Archiepiscopi, & Exarchi Diœceseos significationem complecteretur. Quod verò ad *officia*, & *Privilegia* talium Patriarcharum spectat, id Synodus Generalis Prima obscuriùs, apertiùs octava declaravit (c), nempe, ut Præsules ejusmodi universis sibi subjectis Metropolitis sive per manûs impositionem, sive per dispensationem Pallii Episcopalis dignitatis firmitatem tribuant; & ad convocandos eos urgente necessitate in Synodicos conventus potestatem habeant: demum in majoribus causis judicium ferant. Tandem terrarum spatia & finium, quibus amplissimi Pastores suam curam impenderent, non modicis intervallis definita sunt; neque enim uni Provinciæ, sed pluribus imponebantur, ita ex Nicæna Synodo novimus (d), Antiocheno Episcopo Orientis Provincias sive totius Diœcesis Orientalis gubernacula demandata fuisse; Alexandrini Antistitis jurisdictio non solùm per Ægyptum, quæ ab Augusto in Provinciam fuerat redacta, sed & per Pentapolim & Lybiam, quæ Regno Cyreneorum auctæ Ægypto advenerant, quaquaversum porrigebatur (e); atque hâc distributione factâ cùm Orientales Ecclesiæ Orientalibus Episcopis designarentur (f), Ecclesiæ Occidentales unius Pontificis Romani curæ relictæ sunt (g). De singulis Alexandrini, & Antiocheni Episcoporum finibus deinceps agemus latiùs; hìc tantummodò illas, quæ ad Patriarchatum Romanum pertinent, Provincias indagabimus.

Patriarcharum nomen quando cœperit?

Officia Patriarcharum

Patriarcharum singulorum limites

(a) Nicæn. Conc c. 6.

(b) Marca l. 1. c. 3. n. 5.

(c) Synod. Gener. VIII. c. 17. Marca de Concord. l. 1. c. 6. §. 2.

(d) Concil. Nicæn. c. 6. Innoc. ep. ad Alex. Ant.

(e) Nic. l. c.

(f) Concil. Sardicen.

(g) Marca l. 1. c. 4. §. 1.

Romanus Ep. Patriarcha Occidentis.

2. Ac primò Episcopum Romanum, quatenus Patriarchatum specialem habet à cæteris distinctum, amplissimis potiri Provinciis, nemo nega-

negabit, qui inspexerit verba Arelatensis Concilii I.; cujus Patres Silvestrum Papam ita scripsêre, *qui majores Diœceses tenes* (h); neque obscurum porrò erit, quæ illæ Diœceses sint, sin Basilio fidem habeamus, dum Romanum Episcopum *Occidentalium Coripheum* appellat (i), aut si sensum Hieronymi in epistola ad Marcum expendamus (k), ubi scribit: *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petróque condemnent*; certè inde eruemus, quod utì Ægyptum tanquam specialem Alexandrini Patriarchæ Diœcesin Petro Alexandrino Episcopo tribuit Hieronymus, ita & Damaso Episcopo Romæ solum Occidentem (l). Non minùs id ex libro S. Augustini, quem contra Julianum edidit, eruitur (m): *An ideo* ait, *contemnendos putas, quia Occidentales Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare, cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* His SS. Patribus adde Imperatorem Justinianum, qui Romanum Pontificem inter cæteros Patriarchas primo loco recensens, ait: *Totius orbis terrarum Patriarchæ, scilicet* HESPERIÆ *& Romæ & hujus Regiæ civitatis & Alexandriæ* &c. (n). Quid hìc per Hesperiam intelliges, nisi Occidentem; nam cùm cæteras quatuor partes orbis subdat aliis Patriarchis Imperator, necesse est, ut Occidentis gubernationem Pontifici Romano tribuat; pluribus hæc exequeremur, nisi teste Allatio ipsi adeò schismatici Græci huic veritati communi consensione darent suffragium (o), quibus licèt Romani Pontificis in totum orbem Primatus displicuerit, & certis ideo Provinciarum terminis ejus jurisdictionem voluerint circumscriptam; Patriarchalem tamen in Occidentis Provinciis dignitatem nequaquam abnegârunt.

(h) Concil. Arelat. I. an. 314. in Syn.
(i) Basilius Epist. 10.
(k) Hieron. Epl. ad Marc.
(l) Petrus de Marca l. 1. c. 4. §. 2.
(m) August. l. 1. contra Julian. c. 2.
(n) Novell. 109.
(o) Leo Allatius lib. 1. c. 9. n. 3.

3. Quæ de Occidentis Patriarchatu generatim diximus, specialiùs nunc eundo per singulas Provincias commonstrare opportunum ducimus, in quo præeuntem Innocentium I. sequemur, qui ait (p): *Cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulásque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi, aut quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint Sacerdotes: aut legant, si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Qui, si non legunt, quia nusquam inveniunt; oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos Principium accepisse non dubium est.* &c.

(p) Innoc. I. Ep. ad Decent. Eugubin.

Provinciæ Romano Patriarchatui subditæ speciatim recensentur.

4. Et quoniam ab perpetuo jurisdictionis usu certiùs dignoscitur, quæ Provinciæ ad quemque Patriarcham pertineant; id quoque addendum censemus, Pontificem Romanum in toto Occidente semper omnes Patriarchalis muneris partes explevisse. Nam si Patriarchici juris munus est,

eſt, ordinare Præſules; Pontifex id in Suburbicariis Provinciis ſolito more, in aliis rariùs quidem: ſed tamen ita inſtituit, ut vel per ſubſtitutos Vicarios rem ageret, vel ordinatos jam Epiſcopos judicio ſuo firmaret. Arcta quippe turbulentorum temporum neceſſitas eò diſciplinam Eccleſiaſticam deduxerat, aut itinerum longinquitas perſuaſerat, ut daretur poteſtas Metropolitæ, cum ſuæ Provinciæ Epiſcopis deligendi Antiſtitem (q); & præſentibus ſaltem tribus Epiſcopis (cæteris per ſcripta adſenſionem præſtantibus) conſecrationem peragendi (r). Neque tamen per hoc jus omne ita abdicavit Patriarcha Occidentis; ut non ordinandos vel decerneret ipſe, vel mitteret, aut Vicarios ſedis Apoſtolicæ in diſſitis Provinciis conſtitueret, quorum judicio Epiſcopi ordinarentur, aut excluderentur. Quare in Illyrico legimus à Siricio Papa datas eſſe vices Anyſio Theſſalonicenſi Metropolitæ, hiſce verbis: *Etiam dudum frater cariſſime per Candidianum Epiſcopum, qui nos præceſſit ad Dominum, hujusmodi literas dederamus, ut nulla licentia eſſet, ſine conſenſu tuo in Illyrico Epiſcopos ordinare præſumere* (s). Ad Bulgaros Nicolaus I. poſteà perſcripſit: *Vos ſive Patriarcham, ſive Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum vobis ordinari poſtulatis, à nemine nunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice ſedis B. Petri, à quo & Epiſcopatûs & Apoſtolatûs ſumpſit initium, hunc ordinari voletis, in quo hic eſt ordo ſervandus: ut videlicet à ſedis Apoſtolicæ Præſule ſit nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui ſi Chriſti plebs ipſo præſtante creſcit, Archiepiſcopatûs Privilegia per nos accipiat, & ſic demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant, & propter itineris longitudinem non jam huc, qui electus eſt, veniat; ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: ſanè interim in throno non ſedentem, & præter corpus Chriſti non conſecrantem, priusquam pallium à ſede Romana percipiat, ſicut Galliarum, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiſcopos agere comprobatur* (t). Qui nunc porrò negaret, iſtâ juris Patriarchici parte Pontifices uſos eſſe in Anglia, legat is decretum Gregorii I. ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, cui præſcribit formam inſtituendi duos in Eboracenſi & Londonienſi civitatibus Metropolitas, qui ſinguli duodenos ſuffraganeos haberent: *Quatenus* (inquit) *Londonienſis Epiſcopus civitatis ſemper in poſterum à Synodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſanctâ & Apoſtolica . . . ſede percipiat.* Demum, ſi quibusdam fides eſt, quædam etiam hanc in rem monumenta in Africa detegere licet (u).

5. Alter juris Patriarchici character eſt, ex ſubjectis Provinciis vel potiùs Diœceſibus cogere Concilium; non equidem toties Pontifex totius Occidentis Metropolitas ac Epiſcopos in Patriarchicum evocavit Concilium, quoties ab initio Eccleſiæ Suburbicariarum Provinciarum, immediatè ſubjectos Antiſtites Romam ad annuas aut etiam ſemeſtres Synodos accerſivit (x). At affirmare tamen poſſumus, non deeſſe tales conventus, ex

Quâ ratione ordinationes Metropolitarum in Occidente à Pontifice profluxerint?

(q) Cyprian. l. 1. ep. 4.


(r) Nicæn. Conc. c. 4.

(s) Ep. Siricii ad Anyſium Theſſal.

(t) Nicol. I. in ep. 71. c. 73 vid. etiam ep. Bonif. 105. ad Cudbert.

(u) Lupus P. I. ad can. 6. Nicæn. Albaſpineus in Comm. ad Opt. Milevit. l. 1. contra Parm.

(x) v. Diſſ. II c. 4. a. 2. in Antiquit. illuſtr. P. I. Schelſtrate.



Seb. Dorn sculp. Norib.

ex quibus Pontificis in totum Occidentem poteſtas ſpecialis oſtendatur; certè Sardicæ cùm Occidentales Epiſcopi in Synodo ſoli conſiſterent, & Euſebiani Philippopolim ſecedentes in conciliabulo ſeparato Occidentalibus anathema impium infligerent; Julium Pontificem, utpote Congregatorum Occidentalium Epiſcoporum *Principem & Ducem* primò proſcribendum putavêre. Ariminenſis Synodus ex Patriarchatu Romano coacta fuerat, nam Sulpitius Severus ait (y): *Miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliáſque Magiſtris Officialibus, acciti, atque tracti quadringenti, & aliquot amplius Occidentales Epiſcopi Ariminum convenêre.* Ut verò colligas, quis legitimus Occidentalium omnium præſes eſſe debuiſſet; adverte irritum iſtius Concilii decretum fuiſſe, eâ de causâ, quam Damaſus Pontifex cum Romana Synodo ad Orientales perſcripſit: *cùm conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia, neque Vincentium ... hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodâſſe* (z). Neque ipſi Orientales hoc jus Patriarchicum per Occidentem abnegârunt; ſed ex hoc ipſo capite, quòd ad Occidentem Orientales non pertinerent, ideo ad Occidentales Synodos venire detrectabant (a). Cæterùm ipſe *Marca* fatetur ex Gallia ſæpe citatos veniſſe Epiſcopos Romam (b); id enim Theodoretus habet, agens de Synodica Damaſi pro Ariminenſis Concilii defectione: *Inter eos verò*, ait, *qui hanc epiſtolam* (in Synodo Romana) *ſcripſerunt, Principem locum obtinet Damaſus, qui tunc temporis poſt Liberium Romanæ Eccleſiæ præſidebat, ... ſcripſerunt autem unà cum illo eas literas 90. Epiſcopi Romæ congregati ex Italia & Gallia* (c). Ex pluribus Occidentis Provinciis confluxêre 502. ſub Symmacho Papa, ſed dum ibant in conventum, legitimum fore concilium abnuebant; eoquòd Theodoricus Concilium indixiſſet: *Symmachum verò, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare* (d). Plurimos demum Epiſcopos ex Gallia, Germania, Francia, Britannia, Illyrico congregavit Papa Agatho contra Monothelitas, ùt ex ejusdem Pontificis Synodica legere licebit (e) & ex ſubſcriptionibus Romani Concilii: *Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis Inſulæ Britanniæ, & legatus Synodi per Britannias conſtitutæ: Adeodatus Epiſcopus Eccleſiæ Leucorum, legatus Synodi per Galliarum Provincias.*

(y) Sulpit. Severus l. 2.

Poteſtas Romani Patriarchæ in Occidentalibus Synodis.

(z) Synod. Damaſi ad Oriental. apud Theod. l. 2. c. 22.

(a) Ambroſ. ad Concil. Aquilej.

(b) Marca l. 1. c. 7. §. 8.

(c) Theod. l. 2. c. 22.

(d) vid. Marcam lib. 6. c. 28. §. 13.

(e) Synod. Agathon. vide & Lupum P. V. Diſſert. de Rom. Epiſc. conſecrat.

6. Tertia denique Jurisdictionis Patriarchicæ & præcipua Pars fuit, quod ex omnibus Occidentis Provinciis ad Romanum Epiſcopum relationes & judicia majorum cauſarum ſpectârint: exempla hìc tantùm pauca ex omni antiquitate propoſita adducemus. Euſtathius Lugdunenſis & alii GALLIARUM Epiſcopi Stephano Romano Pontifici cauſam Martiani fraterno Epiſcoporum Collegio inſultantis judicandam obtulêre conceptis hiſce verbis: *Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te literæ, quibus abſente Martiano alius in locum ejus ſubſtituatur* (f). Quo teſtimonio ex Gallorum & Africanorum Epiſcoporum ſenſu, ſuperior cau-

(f) Cyprian. in epiſt. ad Stephan. vid. Petrum de Marca l. 1. c. 10. §. 8.

ſam graviorem decidendi & exequendi poteſtas declaratur. In HISPANIA quantùm valuerit Pontificis arbitrium, argumento ſit reſtitutio Baſilidis & Martialis, quos Hiſpanica Epiſcoporum Concilia depoſuerant. De BRITANNIA quid Patriarcha Occidentis diſpoſuerit, ex ſcriptis Gregorii Magni intelliges; unde B. Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus (g) in literis ſuis ad Papam Alexandrum teſtatus eſt, ex Bedæ Hiſtoria conſtare: *Epiſcopos quosdam, quoque exigentibus culpis, ab eis cum* ROMANÆ SEDIS AUTHORITATE *depoſitos.* ILLYRICUM quâ reverentiâ ſtatuta ſui Occidentalis Patriarchæ obſervârit, Stephanus per Illyricum Metropolita expreſſurus, aſſerebat: *In omnibus quidem Eccleſiis, præcipuè autem in veſtra Illyricana Provincia* leges ejusmodi *cuſtodiri*; & à Stephano eodem miſſus Theodoſius Echinienſis civitatis Epiſcopus Theſſaliæ Provinciæ ajebat: *Conſtat venerandos Sedis Apoſtolicæ Pontifices*, præter curam Univerſalis Eccleſiæ, *ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicâſſe.* Illyrici Provinciæ etſi his aliisque rationibus Patriarchatui Romano inſertæ conſtarent; in ſæculo tamen quinto Conſtantinopolitanus Antiſtes dubium movere cœpit: utrum Illyricum ad Patriarcham Occidentis, an verò ad Orientis Provincias, quas Conſtantinopolitanus ſibi aggregatum ibat, pertineret? de lite ut conſtet, cauſam altiùs hìc repetimus.

(g) Lanfrancus ep. 3. ad Alexand. PP.

7. Theſſalonica (quæ Primatis totius Illyrici ac Vicarii Apoſtolici ſedes erat) ab eo tempore ad Occidentis Imperium accenſebatur, ex quo Conſtantini M. filii hæreditatem Paternam, ſive orbem Romanum partiti, Illyrici Provincias ab Oriente omnino ſeparârunt. Harum itaque uti & Theſſalonicenſis Metropoleos poſſeſſio tamdiu citra controverſiam Pontifici adjudicata eſt; dum Conſtans, Valentinianus I. & II. Occidentis Imperatores illas terras obtinuêre. Sed poſtquam Gratianus anno CCCLXXIX. Theodoſium in Collegam & Orientis Principem adoptaverat; Illyricum in *Orientale & Occidentale* diviſit, eâ lege, ut pars Illyrici *Orientalis* duas Macedonias, Theſſaliam, Achajam & utramque Epirum contineret: altera verò *Occidentalis* Pannoniam, utrumque Noricum, & quasdam alias Provincias Italiæ vicinas complecteretur. Ex his illam, quæ vergebat ad Occidentem, Gratianus ſervavit ſibi; illam, quæ Orienti propinquabat, Theodoſio diſpenſans (h). Partitio hæc Provinciarum Politica animum quoque & cupiditatem Conſtantinopolitano Epiſcopo injecit, Illyricum Orientale ſuæ ſedi ſubjiciendi. Verùm Romani Pontifices adverſantem Epiſcopum ex duplici capite repreſsêre: primò, quòd Civilis Provinciarum diviſio neceſſariâ nullatenus conſecutione aliquid in Oeconomia Eccleſiaſtica immutet: dein quod Pontificum ſpecialis authoritas in toto Illyrico perpetuo uſu firmata ſit; Damaſi quippe, & Siricii, Innocentii & Bonifacii temporibus conſtabat jurisdictionem in his Provinciis viguiſ-

(h) vide Paginum in Critica T. I. ad annum 379.

viguisse. S. Innocentius Rufo Episcopo Thessalonicensi suas vices committens in Provinciis *Achajæ, Thessaliæ, Epiri Veteris & Novæ, Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mæsiæ, Dardaniæ & Prævalis* ita porrò scribit (i): *non primitus hæc ita statuentes, sed prædecessores nostros Apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt*; eadem ad eundem repetiit Bonifacius I. (k). Neque aliter in suis ad Illyrici Episcopos literis rem suam prosecuti sunt Cælestinus (l) & Xistus III. (m), quibus Leonis M. verba apponimus, quæ ad Anastasium Thessalonicensem perscripsit: *Sicut Prædecessores mei*, inquit, *præcessoribus tuis; ita etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum vices moderaminis mei delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ magnitudinis effectus adjuvares, & longinquis ab Apostolica sede Provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes* (n).

8. Contra tot monumenta cùm infeliciùs luctarentur Antistites Constantinopolitani; à Theodosio Juniore, legem impetrant, quâ jussit Imperator, jura Episcopatûs Constantinopolitani ad Illyricum quoque prorogari: verùm alienari à sua Patriarchali potestate tot Provincias adeò passi non sunt Pontifices, ut cum suâ, tum Honorii Augusti & Cæsaris Orientis Patrui operâ in id incumberent, quo citiùs, nempe anno sequente Lex illa infesta tolleretur (o). Exinde pax Occidentalibus Patriarchis per decem annos in Illyrico toto pax fuit; his elapsis sedente Bonifacio II. Episcopum Constantinopolitanum denuò cupido attrahendi Illyrici invasit circa annum DXXXI., de quo Lucas Holstenius (p) ita refert: „Stephanus Larissensis Episcopus Thessaliæ Metropolita legitimè ac regulariter electus, & ordinatus, mox Probiani Suffraganei sui, aliorúmque improborum factione irregulariter Episcopatu privatus ab Epiphanio Patriarcha Constantinopolitano sedem Apostolicam appellat", in hæc verba Pontificis Patriarchalem authoritatem juxta consuetudinem ab omni tempore observatam testatus: *Apostolicam sedem, causas nostræ Provinciæ & audire convenit & finire*; excepit igitur causam Bonifacius II. & composuit. Ab hoc tempore Thessalonicensium potiùs dignitati, quàm Pontificis jurisdictioni à Justiniano lis illata est: cùm enim Thessalonicensis Episcopus non tantùm Primas esset Illyrici, sed & Apostolicæ sedis Vicarius; utramque prærogativam Imperator ad Patriam suam Achridam sive primam Justinianam (quæ civitas est in Dardania Europæa) transferri fecit. Agapetus Papa quamvis primùm proposito Cæsaris obsisteret; quia tamen juri Pontificis, sive in hac, sive in illa urbe Primatis dignitas & Vicaria potestas Pontificiæ jurisdictionis defigatur, nihil admodum derogabat: inde, quod Justinianus multis conatibus impetratum ibat, concessum est. Stetit itaque in Illyrico & toto Occidente contra Adversario-

(i) Innoc. epist. 4. & 5. ad Anysium Thessal.

(k) Bonifac. ep. 7 ad Ruf. Thessal.

(l) Cælestin. ep 13. ad Episcop. Illyrici

(m) Xisti III. ep. 15. & 17. ad Episcopos Illyrici.

(n) Leonis ep. 24. & 25. ad Anastas. Thessal.

(o) Rescriptum extat apud Holstenium in Collect. Romana p. 81.

(p) Holstenius in actis Concilii.

rum molitiones inviolata semper Patriarchalis authoritas, usque ad infaustam tempestatem Leonis Isaurici, qui Iconomachus Cæsar cùm veræ fidei, & imaginum defensori Gregorio III. ægriùs facere cuperet; ex ejusdem Pontificis Patriarchatu Illyricum, Calabriam & Siciliam, & reliquas Provincias usque ad Thraciam per summam Tyrannidem abstraxit.

9. Sed antequam ad illam temporis Procellam nos Historia nostra deducat; Patriarchatûs Romani (qui in sæculo V. adhuc integer effloruit) Majores Diœceses, Provincias, harumque Metropoles exhibebimus: atque ut Lectori porrò Consulamus, Metropolibus singulis subjiciemus suos Episcopatus, non quidem omnes; horum enim numerus brevitatis quæsitæ limites egrederetur: sed paucos & præcipuos duntaxat, quorum frequens in Historia mentio occurrit, tam etiam illa Episcopia, in quibus Veterum Concilia celebrata sunt, quæ postrema proinde Asteriscis * notabimus.

PATRIARCHATUS ROMANUS.

ROMA URBS,* SEDES S. PETRI APOSTOLI.

Civitates Episcopales viciniores

Ostia, Velitræ, Albanum, Tusculum, Præneste, Sabini, Signia, Anagnia, Tarracina. Item Portus, Silva candida, Sutrium, Centumcellæ &c.

Sub Patriarchatu Romano Diœceses octo: Italiæ, Illyrici Occidentalis, Africæ; Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum & in Illyrico Orientali; Macedoniæ & Daciæ.

IN DIOECESI ITALIÆ PROVINCIÆ XVII.

Provinciæ Suburbicariæ X.

I. TUSCIA & UMBRIA.

Civit. Episcop. Senæ, Suana, Perusia, Florentia, Fesulæ, Pisa &c. Ameria, Narnia, Interamna, Tudertum, Spoletum, Assisum &c.

II. PICENUM SUBURBICARIUM.

Civ. Ep. Pisaurum, Fanum, Senogallia, Eugubium, Ancona, Camerinum, Firmum, Asculum Picenum &c.

III. CAMPANIA.

Civ. Ep. Capua,* Fundi, Sora, Aquinum, Nola, Cumæ, Misenum, Puteoli, Neapolis, Salernum &c.

IV. VALERIA.

Civ. Episc. Tibur. Reate, Amiternum Marsi.

V. SAMNIUM.

Civ. Episc. Beneventum, Abellinum. Alifa, &c.

VI. APULIA & CALABRIA.

Civ. Ep. Sipontum, Barium, Venusium, Tarentum, Brundusium, Hydruntum &c.

VII. LUCANIA & BRUTII.

Civ. Ep. Acherontia, Potentia, Consentia,* Croton, Rhegium, Scylacium &c.

VIII. SICILIA.

Civ. Ep Messana, Catana, Syracusæ, Agrigentum, Panormus, Lipara, Melita &c.

IX. SARDINIA.

Civ. Ep. Calaris*, Turris, &c.

X. CORSICA.

Civ. Ep. Mariana, Adiacium &c.

PRO-


PATRIARCHATVS ROMANVS.
Sedes Patriarchalis.
Metropol. Eccles.
Locus Concilii.
ATLANTICVS OCEANVS
OCEANVS BRITANNICVS
OCEANVS GALLICVS
OCEANVS GERMANICVS
Scandinavia quæ et SCANDIA
SVEVICVS MARE VENEDICVS SINVS
Androphagi Populi
VENEDI
GERMANIA
SARMATIA
DACIA
HIBERNIA
BALEARIDES INSVLÆ
Minorica
MARE MEDITERRANEVM
MARE SICVLVM
SICILIA I.
Fretum Gaditanum
MAVRITANIA
TINGITANA
CÆSARIENSIS
SITIFENSIS
NVMIDIA
TRIPOLITANA
SYRTIS MINOR
SYRTIS major
Cyrenaica
LIBYA PATRIARCHATVS ALEXANDRINI Pars
CRETA I.
Melita
MARE ÆGEVM
Rhodus I.
Carthago
Burdegala
Ravenna

PROVINCIÆ ALIÆ VII.

XI. FLAMINIA.

Metropolis, Ravenna.

Civ. Ep. Ariminum *, Cæsena, Forum Livii, Ferraria &c.

XII. ÆMILIA.

Civ. Ep. Bononia, Mutina, Regium, Parma, Placentia &c.

XIII. LIGURIA.

Metropol. Mediolanum.*

Civ. Ep. Cremona, Brixia *, Bergomum, Comum, Laus, Ticinum *, Novaria, Vercellæ.*

XIV. ALPES COTTIÆ.

Sub Metropol. Mediolan.

Civ. Ep. Taurinum *, Eporedia, Dertona, Genua, Alba, Asta, Aquæ &c.

XV. VENETIA & ISTRIA.

Metropol. Aquileja.*

Civ. Ep. Tarvisium, Patavium, Vicentia, Verona, Altinum &c. Tergestum, Parentia, Pola &c.

XVI. RHÆTIA PRIMA.

Civ. Ep. Curia, Augusta Vindelicorum.

XVII. RHÆTIA SECUNDA.

Civ. Ep. Tridentum, Sabiona.

IN DIOECESI ILLYRICI OCCIDENTALIS.

Provinciæ VI.

I. NORICUM RIPENSE.

Metropolis. Laureacum.

II. NORICUM MEDITERRANEUM.

Metropol. Tiburnia *forte.*

III. PANNONIA PRIMA.

IV. PANNONIA SECUNDA.

Valeria.

V. SAVIA.

Metropol. Sirmium.*

VI. DALMATIA.

Metropol. Salona.

IN DIOECESI AFRICÆ.

Provinciæ VI.

I. AFRICA PROCONSULARIS.

Metropol. Carthago.*

Civ. Episc. Utica, Curubis, Tuburbis, Baga,* Tebeste.

Metropolitanus Carthaginensis utebatur jure convocandi Synodos ex omnibus Provinciis Africæ, & iis præsidendi. &c. *In reliquis Provinciis non erat Metropolis Ecclesiastica, sed antiquior ordinatione Episcopus agebat curam Provinciæ, vocabat ad Synodum.* &c.

II. NUMIDIA. Prima sedes.

Civ. Ep. Constantina sive Cirta *, Hipporegius, Tagaste, Milevum,* Lambese * &c.

III. MAURITANIA SITIPHENSIS. Prima sedes.

Civ. Ep. Sitifis, Igilgilis.

IV. MAURITANIA CÆSAREENSIS. Prima sedes.

Civ. Ep. Cæsarea, Tigis, Saldæ.

V. BYZACENA. Prima sedes.

Civ. Ep. Byzacium,* Adrumetum,* Suffetula,* Telepte,* Capsa.

VI. TRIPOLITANA. Prima sedes.

Civ. Episc. Tripolis, Tacape, Leptis magna * &c.

IN DIOECESI GALLIARUM.

Provinciæ XVII.

I. LUGDUNENSIS PRIMA.

Metropolis. Lugdunum.*

Civ. Ep. Augustodunum,* Cabilonum,* Matiscona *, Lingones.

II. LUGDUNENSIS SECUNDA.

Metropol. Rotomagum.*

Civ. Ep. Bajocasses *, Abrincæ *, Ebroici, Sagii, Lexovii, Constantia.

III. LUGDUNENSIS TERTIA.

Metropol. Turones.*

Civ. Ep. Andegavum *, Cenomani, Redones, Namnetes,* Coriosopiti, Veneti, Offismi, Diablintes.

IV. LUGDUNENSIS SENONIA

Metropol. Senones.*

Civ. Ep. Carnutes,* Parisii,* Aurelianum,* Antisiodorum,* Tricasses,* Meldi.*

V. BELGICA PRIMA.

Metropol. Treviri.*

Civ. Ep. Mediomatrices, Tullum Leucorum,* Virodunum.

VI. BELGICA SECUNDA.

Metropol. Remi.*

Civ. Episc. Suessiones,* Catalaunum,* Veromandui, Atrebatum,* Cameracum, Tornacum,* Silvanectum,* Bellovacum,* Ambianum, Morini, Bononia. Item Laudunum.

VII. GERMANICA PRIMA.

Metropol. Moguntiacum.*

Civ. Ep. Vangiones, Nemetes, Argentoratum.

VIII. GERMANICA SECUNDA.

Metropol. Agrippina.*

Civ. Ep. Tungri.

IX. MAXIMA SEQUANORUM.

Metropol. Vesontio.*

Civ. Ep. Basilea.

X. ALPES GRAJÆ & PENNINÆ

Civ. Ep. Tarantasia, Octodurum, & *postea loco Octoduri*, Sedunum.

SEPTEM PROVINCIÆ.

XI. VIENNENSIS.

Metropol. Vienna.*

Civ. Ep. Geneva, Gratianopolis, Dia, Alba, Valentia.

Metropol. Arelate.*

Tricastini,* Arausica,* Vasio,* Cabellicum, Avenio,* Massilia.

XII. NARBONENSIS PRIMA.

Metropol. Narbo.*

Civ. Ep. Tolosa, Biterræ,* Nemausum, Luteva, Vcetia.

XIII. NARBONENS. SECUNDA

Metropol. Aquæ.*

Civ. Ep. Apta, Regium, Forojulium,* Vapincum, Segestoricum, Antipolis.

XIV. ALPES MARITIMÆ.

Metropol. Ebrodunum.*

Civ. Ep. Dinia, Sanitium, Glandeva, Viricium.* Item Nicea.*

XV. AQUITANICA PRIMA.

Metropol. Bituriges.*

Civ. Ep. Arverni,* Ruteni, Albia, Cadurci,* Lemovices,* Gabales, Velauni, al. Vellavi.

XVI. AQUITANIA SECUNDA.

Metropol. Burdegala.*

Civ. Ep. Pictavi,* Engolisma,* Santones,* Agenna, Petrocorii.

XVII. NOVEMPOPULANIA.

Metropol. Elusa.*

Civ. Episc. Aquæ, Lactora, Convenæ, Consoranni, Auscii,* Benarnia, Aturus, Vasatica, Tarba, Olero, Boates.

IN DIOECESI HISPANIARUM.

Provinciæ VII.

I. TARRACONENSIS.

Metropol. Tarraco.*

Civ. Ep. Barcino,* Gerunda,* Dertusa,* Orgella,* Cæsaraugusta,* Ilerda,* Pompelo,* Turiaso,* Calaguris.

II. CARTHAGINIENSIS.

Metropol. Carthago; *postea* Toletum.*

Civ. Ep. Valentia,* Segobriga, Toletum, Segontia, Oxoma, Segovia, Palentia &c.

III. GALLÆCIA.

Metropol. Bracara.*

Civ. Ep. Portus Calensis, Tude, Auria, Iria, Lucus,* Asturica,* Britonia.

IV. BÆTICA.

Metropol. Hispalis.*

Civ. Ep. Malaca, Eliberis,* Corduba* &c.

V. LU-

V. LUSITANIA.

Metropol. Emerita.*

Civ. Ep. Salmantica, Abula, Caurium, Conimbrica, Olyssippo, Lamecum, Veseum, Egitania, Ebora. &c.

VI. MAURITANIA TINGITANA.

Tingis. Septa.

VII. BALEARES INSULÆ.

Civ. Ep. Majorica, Minorica, Evusus.

IN DIOECESI BRITANNIARUM.

Provinciæ V.

I. MAXIMA CÆSAREENSIS.

Metropol. Londinium.

II. BRITANNIA PRIMA.

Metropol. Eboracum.

III. BRITANNIA SECUNDA.

IV. FLAVIA CÆSAREENSIS.

V. VALENTIA.

Sæculo septimo & deinceps sub Anglis & Saxonibus, Provinciæ Ecclesiis duæ.

I. *Metropol.* Cantuaria.

Civ. Ep. Londinium, Wintonia, Cicestrium, Sariberia, Exonia, Lincolnia, Oxonium, Wigornia, Herefordia &c. Item in Wallia, Landavum, Meneva, S. David, S. Asaph, Bangorium.

II. *Metropol.* Eboracum.

Civ. Ep. Lindisfarne &c.

IN ILLYRICO ORIENTALI.

IN DIOECESI MACEDONIÆ.

Provinciæ VI.

I. MACEDONIA.

Metropol. Thessalonica.

Civ. Ep. Heraclea, Philippi, Amphipolis, Berrhoea &c.

II. ACHAIA.

Metropol. Corinthus.

Civ. Ep. Megara, Opûs, Argos, Messene, Naupactus, Athenæ, Patræ, Thebæ, Lacedæmon, Chalcis, Megalopolis &c.

III. THESSALIA.

Metropol. Larissa.

Civ. Ep. Demetrias, Lamia, Thebæ Thessalicæ, Echineum, Gomphi &c.

IV. EPIRUS VETUS.

Metropol. Nicopolis.

Civ. Ep. Euroea, Hadrianopolis, Corcyra, Dodone, Buthrotus &c.

V. EPIRUS NOVA.

Metropol. Dyrrachium.

Civ. Ep. Apollonia, Bullis, Scampa, Lychnidium, Aulon &c.

VI. CRETA INSULA.

Metropol. Gortyna.

Civ. Episc. Subritus, Gnossus, Lappa, Eleutherna, Cantana, Cydonia &c.

IN DIOECESI DACIÆ.

Provinciæ V.

I. DACIA MEDITERRANEA.

Metropol. Sardica.*

Civ. Ep. Naissum, Remessiana &c.

II. DACIA RIPENSIS.

Metropol. . . .

Civ. Ep. Aquæ &c.

III. MOESIA PRIMA.

Metropol. . . .

Singiduuum.

IV. DARDANIA.

Metropol. Scupi.

Civ. Ep. Ulpianum, Neutina, Diocletiana &c.

V. PRÆVALITANA.

Metropol. Justiniana prima, *olim* Achris.

Civ. Ep. Stalia, Zappara &c.

REFLE-

REFLEXIO V. ad §. III. num. 9. pag. 770.

De supremo jure indicendi, moderandi, ac firmandi Concilia Oecumenica in sæculo V.

Controversia circa jus sacrorum in sæculo V. & præsertim circa Conciliorum præsidium.

1. QUi Cæsarei, Regiíque juris amplificandi studio ducti, omnes antiquitatis angulos anxiè excutiunt; illi sæculum quintum sollicito non minùs oculo perlustrant, si forte ex ætatis hujus actis Synodicis erui aliquid valeat, quo jus sacrorum mutilare, aut planè iis, ad quos pertinet, subtrahere perdiscant. Duo autem Concilia Oecumenica hìc occurrunt alterum Ephesi, alterum Chalcedone congregatum, in quibus se multiplex civilis potestatis in Synodos argumentum indagâsse opinantur.

(a) Relat. ad Cælestin. Theodos. in sacra ad Cyrill. & ad Metrop.
(b) Sacra Theodosii ad Synodum.
(c) Ephesin. Synod. Act. 1.
Argumenta, quæ ex Ephes. Synodo probare ad speciem videntur, penes Imperatores esse supremum arbitrium Conciliorum.
(d) Relatio ad Imperat.
(e) Ephesin. Synod. P. III. c. 14.

2. Ac *Primò* DE SYNODO EPHESINA GENERALI ajunt, Theodosium diem & locum Concilio indixisse (a), mandâsse, qui adesse debeant, qui abesse (b): vetuisse abire quenquam è Synodo priùs, vel quamcunque aliam agitari controversiam, quàm proposita fidei quæstio fidem, lucémque Synodali consensione accipiat. *Secundò* postquam ordinem judiciorum aut materiam, seriémque rerum in Synodo pertractandarum præscripserat, obsequium jussis sponte præstant Episcopi; unde Juvenalis Hierosolymorum Episcopus dicebat (c): *Legatur pium Piissimorum Imperatorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum, rebúsque, quas nunc tractare incipimus, veluti fax præluceat;* quin ambiebant Præsules Theodosii in causis controversis arbitrium: *Etiam atque etiam Majestatem vestram rogamus, ut sanctæ Synodi studium erga Deum agnoscat, Magnificentissimúmque Candidianum accersat, & quinque è dicta Synodo, qui ea, quæ gesta sunt, coram vestra Pietate exponant, ac defendant* (d). Demum sententiæ Imperatoris omnes acquiescunt, *cùm septem & septem Episcopi ex utraque parte Constantinopolim venissent; Imperator certò comperit sanctam & Oecumenicam Synodum omnia Canonico, legitimóque ordine fecisse, ac Nestorium deposuisse. Itaque Legatorum Synodi sententiâ approbatâ, Orientales condemnavit* (e). *Tertiò* Imperator Theodosius Regio Diplomate Synodalia statuta vel infirmavit, aut stabilivit; nam ubi idem Princeps falsò acceperat, contra ordinem Canonicum in Ephesina Synodo Patres processisse; per Palladium Magistrianum rescripsit, gesta Synodi rescindens: *Neque enim, quæ de fide sunt, modo, quo oportebat, vel prout continebatur sacris literis nostris, quas subinde misimus, examinârunt: proinde placuit sacræ Majestati nostræ, talem procedendi modum nullum habere locum, aut momentum: his verò, quæ ineptè & citra ordinem gesta sunt, cessantibus, doctrinam de pietate priùs, sicuti decretum fuit, discuti, eámque juxta communem totius Synodi sententiam obtinere* (f). Atque ut porrò authoritatem non minùs irritandi, quàm stabiliendi Synodica gesta Imperatori asserant; Episcoporum testimonium

(f) Rescript. Theodos. Jun. ad Synod.

in medium afferunt, quo hi genuinam eam demum Synodum agnoſcunt, cui Princeps ſuffragatur (g): *Veſtram Majeſtatem iterum, atque iterum rogatam cupimus, ut univerſam illius* (Neſtorii) *doctrinam à ſanctiſſimis Eccleſiis ſubmoveri, ejúsque libros flammis dare jubeat ... quod ſi quis veſtras ſanctiones ſpreverit, ille veſtræ Dominationis indignationem formidet.*

(g) Synod. Epheſ. Act. 1. in relat. de depoſitione Neſtorii.

3. Altera, quæ CHALCEDONE celebrata fuit, Synodus æquè ferax argumentorum eſt, quorum vi recentiores quidam confiſi, Regias credunt ſe in rebus Eccleſiaſticis vires, concretáque Imperio ſacra, ac penè ſacerdotalia jura affirmare poſſe. Nam eadem ferè hìc congruunt, quæ de Epheſi Concilio dicta ſunt, nempe, quod Marcianus Synodum convocârit, eíque præſederit, uti breviter legitur Collatione I. Concilii V., ubi Juſtinianus ait: *Marcianus congregavit Chalcedone SS. Patres, & magnâ contentione inter Epiſcopos factâ, non ſolùm per ſuos judices, ſed etiam per ſe ipſum in Concilium pervenit, & ad concordiam omnes perduxit* (h). Prætereà Marciano Imperatori acclamatum eſt (i): *Sacerdoti, Imperatori, multos annos, Eccleſias tu erexiſti hoſtium victor, Doctor fidei!* & in Parte tertia ejusdem Concilii Agapitus Rodius Epiſcopus ad Leonem Imperatorem in hæc verba perſcripſiſſe fertur: *Verè namque Sacerdos, & naturâ Imperator exiſtis* (k).

Argumenta deducta ex Concil. Chalcedonenſi pro ſupremo Imperatorum in ſacris jure.

(h) Synod. V. Oecum. Coll. 1.

(i) Act. 6. Conc. Chalc.

(k) Chalced. Synod. P. III. ep. Agapiti ad Leonem Imper.

4. Ex his monumentis etſi Adverſarii ſe eviciſſe putent, Theodoſium in Epheſina: Marcianum in Chalcedonenſi Synodo jus omne ſacrorum ſibi vendicâſſe; à veritate tamen adhuc longiùs abſunt, propterea quod digitis commonſtrari valeant illi Pontifices, quibus meliore ratione ac jure Conciliorum admoderatio tribuatur. Primò qui Acta Synodi Epheſinæ perlegit, dubitare deſinet, utrum Imperator Theodoſius, an verò Cæleſtinus Pontifex in hoc Conventu Patrum potiorem habuerit præfecturam? Antequam hæc pluribus exponamus; fatemur ultro noſtri propoſiti non eſſe, ut cum Bellarmino (l) aſſeramus, Cæleſtinum primum de indicenda Synodo conſilium Imperatori dediſſe. Nam ex hiſtoriæ decurſu patet, Theodoſium à Neſtorio inclinatum antè datis ad majorum ſedium Antiſtites literis Concilium evocâſſe, quàm Pontifici de iis, quæ agerentur, quidquam conſtaret: & ſi Cæleſtinus ſciens, volénsque cum Imperatore cauſam Neſtorii novo Concilio committere meditabatur; ut quid Pontifex ſententiæ adverſus Neſtorium latæ, executionem Cyrillo Alexandrino demandâſſet (m)? cur non ſcripſiſſet potiùs, damnationem ejusmodi ſuſpenſam, & in novo Concilio denuò examinandam eſſe? Reſcripſit Cæleſtinus ad Cyrillum quarto Idus Auguſti Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Conſulibus id eſt anno 430. *Noſtram* (Neſtorius) *communionem habere ſe non poſſe noverit, ſi in hoc perverſitatis ſuæ tramite Apoſtolicæ doctrinæ contrarius perdurârit. Auctoritate igitur tecum noſtræ ſedis adſcitâ, vice noſtrâ uſus, hanc exſequeris diſtricto vigore ſententiam, ut aut*

(l) Bellarm. l. 1. de Conciliis c. 13.

Concilium Epheſ. I. ſine conſilio Cæleſtini ab Imp. convocatur, ſed non ſine Pontificis conſenſu & authoritate celebratur.

(m) vid. Pagium in Critic. T. II. ad a. 430. n. 25. it. Launoj. ep. ad Voell.

aut infra decem dies ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scriptâ professione condemnet &c. Nestorius de his literis missis ubi obscuriùs audierat, procellam impendentem declinaturus, à Theodosio Generalis Concilii convocationem astutè elicuit: quam promulgavit Imperator XIII. Kal. Decembris. Nestorio autem Cælestini literæ modò traditæ sunt XXX. die Novembris, duodecim scilicet diebus, postquàm Synodus indicta fuerat; pugnantes enim alioquin sententias eodem tempore habuisset Cælestinus, cùm hinc damnationis sententiam decretoriam ferret in Nestorium: inde Concilio futuro causam permitteret. Rescivit verò Cælestinus posteà ex literis Cæsaris, se ad Concilium cùm majoribus aliis Episcopis evocari: in quo etsi Imperator potestatis suæ limites esset transgressus; noluit tamen obluctari Pontifex, ne hæresiarchæ Nestorio ex interjectâ mora commodum accederet. Consensione itaque subsecutâ Cælestinus firmavit id, quod minùs legitimè à solo Theodosio antè susceptum videri poterat: cæterùm per hanc præviam & à Cæsare factam Patrum citationem nihil Authoritati Pontificiæ decessisse ex eo intelliges; quòd Cælestinus per Legatos Ephesino Concilio præfuerit, quódque maxima ratio habita sit literarum ipsius, ac sententiæ ab eo contra Nestorium pronunciatæ, cui decretum quoque suum Ephesini Patres conformârunt (n).

(n) Natalis Alex. Diss. VII. ad sæc. V. Q. 1. p. 227.

Pontifex Cælestinus per suos Legatos præsedit Concilio Ephesino.

5. Inter Legatos verò, qui Cælestini nomine Synodo Ephesinæ præfuerunt, Cyrillus Alexandriæ Antistes primas habuit vices: quod assertum in actis Concilii clarissimè expressum, nullâ ratione firmandum porrò duceremus; nisi Launojus nodum in scirpo quæritans, etiam Cyrillum Cælestini locum hac in Synodo tenuisse pervicaciter abnegaret. Itaque ad confutandum convitium duo tempora spectanda sunt: primum, quod adventum Legatorum Romanorum antecessit, alterum, quod præsentibus jam aliis Legatis subsequebatur; in utroque proinde tempore Cyrillum Pontificis vicibus functum esse affirmamus. In Actione prima, cui Romani Legati non interfuêre, legitur: *Considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ; qui & Cælestini quoque sanctissimi, sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archi-Episcopi locum obtinebat, & Juvenale Hierosolymorum &c.* (o). Præterea Liberatus (p) testatur eâdem delegatâ authoritate Cyrillum in Synodo potitum fuisse, quam ante Synodum ad executionem sententiæ contra Nestorium in Romano Concilio latæ acceperat: *Cælestinus Papa, Romanus scripsit Nestorio,* ait, *increpationis epistolam, tribuens ei decem dierum spatium: ut si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, cognosceret se ab ejus Collegio, & omnium SS. Episcoporum consortio esse separatum; insinuans, dedisse vicem suam in Concilio Cyrillo per epistolam suam.... Porrò Cyrillus cum suis habens vices sedis Apostolicæ.* Neque hìc nos movet opinio Natalis Alexandri,

(o) Act. 1. Conc. Ephes.

(p) Liberat. in Breviar. c. 5.

dri, quâ defendere conatur, Cyrillum ante Legatorum adventum jure Alexandrinæ ſedis primum locum occupâſſe; non verò Vicario nomine, eoquòd Alexandrino ſecundus locus in Eccleſia competat ſecundùm Canones, & abſente Pontifice etiam primus (q). Nam Petrus de Marca opinionem iſtam jam antè eliſerat, dum ajebat (r), "conjuncti quidem erant duo illi (Præſulis Alexandrini & Vicarii Pontificii) gradus in Perſona Cyrilli, ſed confuſi non erant, quia Synodus Oecumenica Pontificis Romani præſentiam & authoritatem exigebat, quæ à Cyrillo ſupplebatur. Is itaque ſe ipſo prior erat & poſterior, ratione habitâ utriusque ſedis. Unde in inſcriptione epiſtolæ ad Synodum Epheſinam datæ ab Epiſcopis Conſtantinopoli repertis Cæleſtinus Cyrillo præfertur, id eſt Cyrillus ipſe agens Vicario nomine, antecedit Patriarcham Alexandrinum. &c.„ Neque poſtea Cyrillo vicaria poteſtas adempta eſt, quando Româ ad Synodum Legati pervenerant; uti enim Baluzius notat (s): in monumentis, *quæ geſta ſunt in Epheſo ſub præſentia eorum, qui de Roma venerunt, Epiſcoporum atque Presbyterorum* de Cyrillo dicitur, *regente etiam locum ſanctiſſimi & beatiſſimi Archiepiſcopi Romanorum Eccleſiæ Cæleſtini.* Delegaverat Pontifex Cyrillo ſedis Apoſtolicæ authoritatem ad executionem ſententiæ contra Neſtorium in Romana Synodo decretæ: *Quamobrem noſtræ ſedis authoritate adſcitâ, noſtráque vice & loco cum poteſtate uſus, ejusmodi, non abſque exquiſita ſeveritate, ſententiam exequaris* (t); re autem non ampliùs integrâ & lite jam conteſtatâ, qui Procuratorem dedit, eum mutare non poteſt, niſi causâ cognitâ (u). Si quis nunc porrò quærat, cur Pontifex Cyrillo tres alios Legatos voluerit adjunctos? quæſtioni Petrus de Marca ſatisfacit inde (x), quòd Theodoſius Imperator à Neſtorii fautoribus circumventus diſſidium in Eccleſiam invectum Cyrillo imputarit, adeóque aliis opus fuerit Oratoribus, qui ſuſpicionem partium Imperatori eximerent, & in Concilio generali ſimul Occidentis cauſas coràm proponerent; præcipuè autem urgerent ſententiæ executionem, quam Occidentales Epiſcopi Romæ adverſus Neſtorium conceperant.

(q) Natalis Alexander.

(r) Petr. de Marca l. 5. de Concord. c. 4

Cyrillus Alexandrinus an Legatus fuerit ſedis Apoſtolicæ in Synodo Epheſina?

(s) Baluzius in Nov. Collect. CC. pag. 482.

(t) Epiſtol. Cæleſtin. ad Cyrill.

(u) L. 31. ſi quis §. ultra ff. de Procur. l. 17. ff. Cod. l. 3. Cod. mandat.

(x) Petr. de Marca l. 5. c. 4. n. 7.

6. Cæterùm quantâcunque poteſtate, ac prærogativâ Legatorum ſinguli in Epheſino Concilio utebantur; ea omnis præſidendi, ac judicandi altior authoritas ab Apoſtolica ſede velut fonte profecta eſt. Ita enim de Cyrillo loquitur Græcus Balſamon (y): *Habuit hanc facultatem S. Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cæleſtino, quando facta eſt Epheſina Synodus contra Neſtorium, cùm non poſſet Cæleſtinus adeſſe Epheſi, & judicare Neſtorium: viſum eſt, ut S. Cyrillo à Cæleſtino permitteretur præſidere huic Synodo. Ut itaque conſtaret eum habere jus & auctoritatem Papæ, ſedit cum Phrygio, & condemnavit Neſtorium: ab eo tempore cum eodem Phrygio ſacrificant, & procedunt Patriarchæ Alexandrini.* Idem in Actis Concilii Epheſini profitentur de ſe Legati cæteri; nam Projectus Epiſcopus ajebat (z): *pro-*

Alii Legati Pontificis in Synodo Epheſina.

(y) Balſam. in Photii Romo Canon. T. 8.

(z) Concil. Epheſ. P. II. act. 3.

pterea & ego quoque auctoritate Legationis Apostolicæ sedis, unà cum fratribus sententiæ executor existens, definio memoratum Nestorium .... à gradu Episcopalis honoris .. & .. orthodoxorum communione remotum esse: similiter alii teste Cyrillo *supplentes locum sedis Apostolicæ* (a), quæ à Pontifice in mandatis acceperant, executi sunt. Vide plura apud Thomassinum Dissert. X. in Synodum Ephesin. I. item Petrum de Marca de Concordia L. V. c. 4.

(a) Cyrill. Conc. Ephes. P. II. act. 3.

Leo Pontifex per suos Legatos præsedit Concilio Chalcedonen.

7. Postquam ostensa est suprema Pontificis authoritas, quæ in Legatis Cælestini effulgens Concilium Ephesinum moderata est; restat, ut porrò eandem Papæ potestatem in CONCILIO ALTERO CHALCEDONENSI commonstremus. Quamprimùm Marcianus & Pulcheria humanissimis literis ad Concilium generale Pontificem Leonem invitaverant; hic idem epistolam ad Synodi Patres dedit in hæc verba conceptam (b): *Amplectendum est Clementissimi Principis plenum Religione Consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias Diaboli & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire,* BEATISSIMI PETRI APOSTOLI JURE, ATQUE HONORE SERVATO, *adeò ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut Venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere; nec sejunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jamdudum fidei Catholicæ prædicatione non desini:* ex his duo arguimus, *primò*, Concilium Chalcedonense nullatenus ignorante, imò volente Pontifice celebratum esse; eoquòd Marcianus propositis rationibus Leonem ad Synodi convocandæ consilium inclinaverat (c); *secundò*, verba illa Lectoris Theodori: *Marcianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, illique cunctam authoritatem tribuerunt* (d), eâ ratione intelligi oportere, ut jus præsidendi non collatum recentiùs, sed conservatum dicatur: *beatissimi Petri jure atque honore servato*, præsertim cùm Valentinianus Theodosio ante perscripserit, Principatum Sacerdotii super omnes ab antiquitate Episcopo Romano concessum (e): *Quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum super omnes antiquitas contulit, locum haberet, ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare.*

(b) Leo ep. 47. ad Syn. Chalced.

(c) Leonis Epl. ad Marcianum 43. 47. & 50.

(d) Theod. L. I. Collect.

(e) Ep. Valentin. P. I. Conc. Chalced. c. 25.

Argumenta Adversariorum dissolvuntur.

8. Assertâ Pontificum in Conciliis Oecumenicis potestate, superest, ut oppositiones Adversariorum diluamus. ℞. itaque ad I., Theodosii facta à jure secernenda esse, unde si sexcenties legis etiam in ipsa Conciliorum fronte convocatas ab Imperatore Synodos, hæc facta quidem, sed non statim jura interpretare: aut si jura, non stricta & primæva, sed indulgentiæ & Oeconomiæ plurimæ accommodata (f): certè Theodosii Junioris Ephesinam Synodum & secundam colligentis consilia sponte suscepta, exitialia Ecclesiæ extitêre, quia Sacerdotalis chori Principem Impera-

(f) Thomass. Dissert. III. in Syn. Nic. n. 5.

perator non consuluit, imò rogantem posteà, ac dehortantem neglexit; in eâ quippe Synodo, quæ ab Imperatoris solo arbitrio pendebat, omnia scelere, hæresi ac crudelitate confusa sunt: totúsque orbis hanc Synodum velut Latrocinium exhorruit. Hinc in Chalcedonensi concilio Legati Pontificis fidenter pronunciârunt, *Synodum dici non, in qua illa nefaria delicta, relecta sunt... A beatissimo & Apostolico Romanæ sedis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana esse habita.* Demum Marcianus Imperator ipsius Theodosii Constitutionem de Ephesino conciliabulo lege publicatâ rescindens ait: *Aboleatur illa Constitutio, quæ sceleratorum subreptione ... lata cognoscitur, cessêntque in totum ea, quorum initium fuit iniquum... Quoniam non possunt Sacerdotes Constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum.* Adverte, quantum authoritatis Marcianus legitimæ Synodo tribuat, & quàm è diverso cassas vires Imperatoriæ Constitutionis esse agnoscat in disponendis ac judicandis rebus sacris. Chalcedonensis Synodus feliciùs cessit, quòd Marcianus eam totam commiserit authoritati Leonis Papæ (g) velut *Principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentis* (h). Unde & Episcopi Mœsiæ secundæ Eutychetis hæresin peremptam ajunt *in Chalcedonensium civitate multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum, & Venerabilis Sacerdotis & Patriarchæ Anatolii Concilio celebrato* (i). Præterea Lucentius Legatus Pontificis Dioscorum in Synodo eadem damnandum putavit: *quia cùm Personam judicandi non haberet, præsumpsit: & Synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet* (k). Ad II. ℞. potestas quidem hìc eminet Principis; sed quæ executori, defensori ac vindici Canonum tribui solet: neque altiùs se suâ jurisdictione eniti profitetur Theodosius, quàm *ut turbæ rite secundum Ecclesiasticos Canones consopiantur* (l). Quod paulò ante Idem clariùs testatus est in sacra ad Cyrillum: *Etenim Religionem jam inde à primis usque temporibus, non imperantis cujusquam, aut certè imperium usurpantis interminationes vel proterviæ, sed sanctorum Patrum, sacraríumque Synodorum decreta nobis constituerunt* (m). Ex quibus quid colligas, nisi Principem Canonibus, ac vel ideo Ecclesiæ sive Episcopis talia decreta ferentibus subesse; commodare tamen manum, ut legibus sacris sua vis consistat: & ubi judiciorum ordinem dictat Synodis: ubi de eo servato vel everso judicat; nihil aliud quàm Canones servare præcipit, servatos agnoscit, calcatos ulciscitur, regulis per Episcopos Synodósque constitutis & morem gerit ipse, & ab omnibus morem geri compellit (n). Ad III. ℞. etsi placita Ecclesiæ, utpote divina, & à Spiritu S. dictata, plus satis per sese virium habeant; conducit tamen humano generi, & domandæ contumacium superbiæ confirmatione Principum terrenorum fulciri; ut divinis humana serviant, ut cælestibus obsecundent terrena, ut Reges Regi Christo, & Reginæ Ecclesiæ se obnoxios agnoscant,

(g) Marcian. ep. ad Leon. Pulcher. ep. I. P. Concil. Chalc. c. 34.

(h) Ep. Sacra Marciani ad Leonem.

(i) Parte III. Conc. Chalced. c. 32.

(k) Act. I. Conc. Chalcedon.

(l) Theodosii Sacra ad Cyrill. & Metrop.

(m) Theodosii I, Sacra ad Cyrill.

(n) Thomass. Dissert. X. in Syn Ephes. I. n. 21.

ſcant, ut corpus famuletur animæ, brachium capiti obaudiat. Principum, ſiquidem legitimè agere velint, idem in firmandis Synodis animus eſſe debet, qui Valentiniano III. in legibus Papæ ſtabiliendis fuerat; reſcripſerat autem is (o): *Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias etiam ſine imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, nec rurſus &c. Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obviare.*

(o) Concil. Gall. T. I. & apud Thomaſſin. Diſſ. X. n. 32.

Argumenta deſumpta ex Concil. Chalcedonenſi confutantur.

9. Ad *ultimum*, quod ex Chalcedonenſi Concilio oggerebatur, jam ſatis reſponſum eſt in Reflexione IV. ad Caput II. L. IV. pag. 470. Hic tantum duo ſubjungimus: nempe Synodis fidei arcana diſputantibus adfuiſſe Imperatores; non ut dicerent, ſed ut diſcerent: non ut dictarent, ſed ut dictatam ab Epiſcopis fidem confirmarent, defenderéntque adverſus obtrectatores, aut turbulentos ſatores contentionum. Præterea cauſas Eccleſiaſticas minimè poſcere præſentiam Principis, ex Actione tertia ejuſdem Concilii conſtat; quando enim Dioſcorus citatus ſiſtere ſe recuſabat Epiſcopis congregatis, niſi (uti cauſabatur) cognitioni cauſæ judices & Senatus intereſſet; Cecropius Epiſcopus inſolens poſtulatum rejecit: *Quando*, inquiebat, *Canonicæ quæſtiones examinantur, neque judices, neque alios Laïcos intereſſe oportet, niſi tantummodo tuam ſanctitatem, quæ in propria accuſatur perſona* (p). Alterum eſt, quod monendum putamus, attemperandas eſſe aut mitiùs explicandas appellationes illas, quas Imperatori Patres Chalcedonenſis acclamavêre; neque enim aliâ ſignificatione *Sacerdotium* tribuitur Marciano, quàm Conſtantino *Epiſcopatus* adſerebatur; de quo vide dicta pag. 466. Nec Synodus *Doctorem* fidei Cæſarem propriè vocabat, ſed cuſtodem & defenſorem: nec diſciplinæ viſcera illi ſtatim aperiebat, neque cauſarum, aut judiciorum examini intereſſe patiebatur; ſed ſolis tractatibus fidei, quia hujus integritas cordi quoque Imperatoribus eſſe debebat. Quare Marcianus ad Synodum ita proloquitur (q): *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam exemplo Religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, ne vel ulteriùs populi pravis ſuaſionibus ſeparentur.*

(p) Act. 3. Conc. Chalced.

(q) Act. 4. Conc. Chalcedon.

REFLEXIO VI. ad §. IV. num. 3. pag. 800.

De Patriarchatu Alexandrino, & Antiocheno, item de Patriarchatûs Hieroſolymitani initiis.

I. PRæter Patriarchatum Occidentis, de quo ſupra egimus (a), duæ ſunt in Oriente & Ægypto ſedes Alexandrina, ſcilicet & Antiochena, quæ cum ſede Romana tum originis, tum dignitatis ac poteſtatis ampliſſimæ communionem habent. *Originem* ſi ſpectas, eam Gelaſius Papa in Synodo

(a) vid. Reflex. IV. pag. 828.

Synodo Romana ita descripsit (b): *Est ergo prima Petri Apostoli sedes* ROMANA *Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud* ALEXANDRIAM *beati Petri nomine à Marco & ejus Discipulo, & Evangelista consecrata est, ipséque à Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia verò sedes apud* ANTIOCHIAM *ejusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eoquòd illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis enatum est.* Et quoniam à S. Petro tres Patriarchatus idem sumpsêre exordium, Gregorius M. triplicem civitatem Patriarchalem unam Petri Metropolim dicere non dubitavit: *Itaque cùm multi sint Apostoli; pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est* (c). Et alibi: *Sicut omnibus liquet, quod B. Evangelista Marcus à S. Petro Apostolo Magistro suo Alexandriam fuit transmissus; sic nos hujus Magistri & Discipuli unitate constringimur, ut & ego sedi Discipuli præesse videar propter Magistrum, & vos sedi Magistri propter Discipulum* (d).

(b) Gelasius in Syn. Rom. an. 494.

Origo duorum Patriarchatuum Alexandrini & Antiocheni.

(c) Gregor. M. l. 6. epist. 37. ad Eulogium Ep. Alexandrin.

(d) Gregor. M. ep. cit.

2. Ex unitate originis profluit nunc porrò Similitudo DIGNITATIS, quæ duplici ratione spectari potest: sive uti tres illæ Apostolicæ sedes posterioribus Patriarchatibus antecellunt; sive quatenus inter se comparatæ ordinem quendam sui honoris aut Proœdriæ repræsentant. Primum caput facilè ex Nicolai Papæ ad Bulgaros rescribentis verbis intelligere licet: *Desideratis nôsse*, ait, *quot sint veraciter Patriarchæ? veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur Romanam videlicet, & Alexandrinam & Antiochenam* (e). Alterum scrupulo apud Criticos non caret: nempe, quod dum Patriarchatus inter se conferuntur, Alexandrinus Romanum immediatè subsequatur; esset enim, cur Antiochia Alexandriæ anteponeretur, propterea quòd Antiochenæ Ecclesiæ ipse Petrus toto septennio præses fuerit: Alexandrinam verò Marcus duntaxat Petri discipulus gubernârit (f). Qui ejus sententiæ sunt, quod Petrus post prænuntiatum Judæis Evangelium in Palæstina, eos deinde, qui erant per orbem dispersi, erudiens epistolam Babylone in Ægypto scripserit, respondent ex hoc ipso monumento ab Alexandrinis conversionis factum fuisse exordium, jactúmque simul prærogativæ fundamentum. Aliis verò, quibus hæc sententia meritò displicet (g), difficultatem declinare inde conantur, quod Alexandria, quæ secundas post Romam partes nacta erat (h) in Politia civili, etiam in Ecclesiastica jure antehabeatur. Verùm responsio iis non satisfacit, quibus benè persuasum est, quod aliquæ dignitates Ecclesiasticæ ita constitutæ sint, ut non cujuscunque Politiæ, sed ejus ordinis habita sit ratio, quem Apostoli à Christo probè instructi constituerant. Nicæna Synodus ordinatam digni-

Dignitas & Proedria dictorum Patriarchatuum.

(e) Epist. Nicolai PP. ad Bulgaros n. 92.

(f) vide Thomassin. Vet. & Nov. Discipl. T. I. l. 1. c. 8.

(g) vid. T. I. Hist. N. Rest. IV. ad C. I. L. 1. p. 324.

(h) Thomassin. l. c.

dignitatis seriem nullis legibus, sed vetusto Ecclesiæ usu acceptam promulgavit, dum ait (i): *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut* ALEXANDRINUS *Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ parilis mos est similiter & apud* ANTIOCHIAM.


(i) Canon. 6. Concil. Nic.

3. Tertia Prærogativa, quâ super cæteras Metropoles atque Ecclesias minores sedes Alexandrina & Antiochena eminent, est JURISDICTIONIS amplitudo. Nam cùm utraque à Petri Principatu profluxerit, & ab eodem institutore acceperit Apostolicam plenitudinem; potestas illarum in plures exporrigebatur Provincias, quæ aliis singulis singulæ cæteroquin tribuuntur. Atque ut speciatim disseramus: ab Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo per ejusdem Provincias immediatè res Ecclesiasticas amplissimo jure tractari, adeò omnibus persuasum erat; ut quidam etiam opinati sint, præter Alexandriæ Antistitem, nullos in Ægypto Episcopos ab Eutychii tempore usque ad Demetrium (qui undecimo loco sedem Marci tenuit) extitisse (k). Hæc sententia, quamvis alibi jam à nobis confutata sit, indéque falsa satis appareat, quòd ante Concilium Nicænum contra Arium centum Episcopi ex Provinciis Ægypti & Lybiæ ab Alexandro fuerint convocati; id tamen ex errore etiam ad rem nostram infertur, apud veteres de Alexandrini Episcopi singulari jurisdictione magnam existimationem viguisse. Cùm enim cæteri Apostoli proprias Ecclesias genuerint, quæ ad eos speciali semper aliquo jure pertinerent; cur Patriarchica hæc major Ecclesia (à Petro Apostolorum Principe condita) aliis à se genitis Ecclesiis non debebat eodem imperitare jure? Equidem Romanus Episcopus in Suburbicarias duntaxat Provincias sibi immediatam potestatem Patriarchicam reservârat: & in Antiochena Ecclesia Metropolitæ inventi sunt, qui Provinciarum suarum ordinarent Episcopos; sed Alexandrinus juri suo & mori tradito institit. Neque exemplum Romani Pontificis omninò sequi conveniebat, eoquod Provinciæ sex, quas subjectas Alexandrinus habebat, tantâ amplitudine non pollerent, sicut extendebatur longè numerosior copia Provinciarum Occidentalium, quibus omnibus Romanus Episcopus ob locorum intervalla propriam commodare curam solus haud poterat. Itaque hic mos inviolatus stetit penes Alexandrinos: in sæculo jam tertio Origenes à Demetrio & Heracla offensus invectus est in ejusmodi Præsules, quòd Ecclesias & munia Ecclesiastica summo cum imperio conferrent (l). Unus Meletius Lycopolis Antistes ausus est aliquid, quo usum, in aliarum Diœceseon Provinciis receptum ad Ægyptum quoque traducere conabatur; jus quippe, quod ad Petrum Alexandrinum solum pertinebat, Metropolitarum more usurpans, varias per Provincias Episcopos, ac Presbyteros ordinabat, cujus facti præsumptio adeò displicuit postea Nicænis Patribus, ut legem publicam darent his verbis

Jurisdictio specialis Episcoporum Alexandrinorum.

(k) Chronicon. Alexandrinum.

(l) Origenes in Commentar. super Matthæum.


PATRIARCHATVS ALEXANDRINVS.
Sedes Patriarchalis.
Locus Concilii.
Cellæ Solitariorum.
LIBYCVM MARE
AEGYPTIVM PELAGVS
LIBYAE PENTAPOLIS
LIBYA MARMARICA
CYRENAICA
HAMMONIACA REGIO
DESERTUM NITRIÆ
Desertum Celluloru
ÆTHIOPIÆ sub ÆGYPTO PARS
Sinus Arabici Pars
Libyci Montes
Berenice
Ptolemais
Darnis
Cyrene
Barce
Olbia
Sozusa
Hydrax
Antipyrgus
Zygris
Zagylis
Parætonium
Antiphra
Alexandria
Mareotis
Babylon
Oxyrinchus
Antinoe
Ptolemais
Coptus
Latopolis
Hermonthes
Ombi
Philæ
Pnups
Velpi Montes
Bæcotius M.
Anagombri Mons
Aspis Mons
Ogdamus Mons
Mons Nitriæ
Solis Fons
Magnus Oasis
Arenosus M.
Cellæ S. Abraham
Cella S. Theodori
Sepulchrum S. Pauli
Maximianopolis
Diospolis magna
Thereuunthis
Panopolis
Lycopolis
Hermopolis Magna
Cynopolis Superior
Heracleopolis
Theodosiopolis
Arsinoe
Parallus
Nitria

verbis conceptam (m): *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ parilis mos est*, scilicet in Suburbicariis Provinciis immediatè Episcopos sine interpositâ operâ Metropolitarum initiandi. Alexandrinis proinde stetit ab hoc tempore Jurisdictionis immediatæ integritas; nam post sæculi quarti medium testabatur Epiphanius (n): *Hinc enim mos est, ait, Alexandrinorum* ARCHIEPISCOPORUM, *ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammonitidem, ac Pentapolim Ecclesiastica negotia administrentur.* Neque juri huic aliquid decessit, quando subinde Hæretici Patriarchæ Dioscorus, Ælurus Eutychiani erroris Patroni, ac Petrus Moggus Henotici à Zenone editi defensor, neque anteà diminutio juris finiúmque facta est, dum anno 616. defuncto Patriarcharum orthodoxorum ultimo S. Joanne Eleemosynario, & expugnatâ posteà à Saracenis urbe Alexandriâ, Patriarchatûs dignitas in manus Jacobitarum, Coptorum & Habessinorum cecidit. Pristinos saltem florentis adhuc Patriarchatûs fines hìc adnotare juvabit.

(m) Nicæn. Canon. 6.

(n) Epiph. hæres. 78. c. 1. 2. 7.

PATRIARCHATUS ALEXANDRINUS.

ALEXANDRIA URBS,* SEDES PATRIARCHÆ.

Sub Patriarchatu Alexandrino Provinciæ VI.

Sine Metropoli Ecclesiasticâ.

I. ÆGYPTUS.

Civ. Episc. Phragonia, Onuphis, Sais, Leontopolis, Cabasa, Sebennytus, Hermopolis parva, Nicia, Schedia &c.

II. AUGUSTAMNICA.

Civ. Ep. Pelusium, Rhinocorura, Ostracine, Panephysis, Tamiathis, Tanis, Athribis, Thmuis, Heliopolis, Babylon &c.

III. ARCADIA.

Civ. Ep. Oxyrynchus, Aphrodites, Arsinoë, Nilopolis, Heraclea superior, Hermopolis magna, Cynopolis, Memphis,* Clysma &c.

IV. THEBAIS.

Civ. Ep. Lycopolis, Antinoopolis, Tentyra, Apollonia, Coptus, Panopolis, Antæum &c.

V. LIBYA superior, PENTAPOLIS.

Civ. Ep. Cyrene, Beronice, Ptolemais, Barce, Teuchira sive Arsinoë, Darnis &c.

VI. LIBYA inferior, MARMARICA.

Civ. Ep. Parætonium, Zygris, Zagylis, Antipyrgos, Antiphra &c.

4. Quo diuturniùs inviolata stetit Jurisdictio Alexandrinorum in sex suas Provincias; tam sæpè, támque citò Antiochenorum jura unà cum Provinciis appetita, ac tandem accisa sunt. Joannes Antiochenus Episcopus in sua ad Proclum Epistola, ut doceret pacem cum Cyrillo per totum suum Patriarchatum esse susceptam, Nestoriúmque per omnes subditas sibi Provincias jam damnari; undecim earum Provinciarum enumerat (o): scilicet *duas Syrias*, *Paraliam* id est Phœnicen Maritimam & *Phœnicen secundam Libani*, *duas Cilicias*, *Arabiam*, *Mesopotamiam*, *Osrhoënam*, *Euphratesiam*, &

Antiochenæ Ecclesiæ jurisdictio & limites.

(o) Epist. Jo. Antioch. ad Proclum.

& Isauriam. CYPRII id temporis (ob impetratum ab Synodo Ephesina autocephaliæ Privilegium, in favorem Episcopi Constantiæ) juri Patriarchæ Antiocheni sese subtraxerunt; unde idem Constantiensis Episcopus totius Insulæ Exarchum Ecclesiasticum agebat (p). Præterea ex eadem Joannis epistola discimus etiam TRES PALÆSTINAS tunc à Patriarchatu isto fuisse divulsas, cùm illarum Antiochenus Joannes mentionem nullam faciat: ex quarum Palæstinarum separatione, quia fundamenta quædam Hierosolymitani Patriarchatûs jacta sunt; rem paulò altiùs examinandam putamus.

(p) Lupus T. I. Concil. in notis ad Syn. Ephes. pag. 367.

Primævus status Episcopatûs Hierosolymitani.

5. Anteaquàm Hierosolyma per Titum & Vespasianum destrueretur; loci sanctitas meruit, ut præ aliis velut mater Christianitatis honoraretur: at postea urbs funditus excisa dignitatem illam amisit. Ab Ælio Adriano sub nomine Æliæ rursus ædificata, & à Constantino & Helena Ecclesiis aucta, dignitatis pristinæ characterem ita recepit; ut tamen Metropoli alteri subdita maneret. Quare Nicæna Synodus licèt Hierosolymitanum Episcopum specialiter honorari vellet; non tamen permisit, ut is Jurisdictione Cæsareensis Metropolitæ eximeretur: *Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur; habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli propriâ dignitate* (q). Non acquievêre nudo honori Hierosolymitani Præsules, nisi & Metropolitanorum simul jure donarentur: nihil igitur omisêre, ut ad illum sibi gradum sternerent. Cyrillus Hierosolymorum Episcopus primus aleam jecit, dum contra Acacium de jure Metropolitano litem exorsus est; à Seleuciensi tamen Synodo aliam suarum molitionum mercedem non tulit, quàm ut exauthoratus conticescere juberetur (r). Fulmen ejusmodi adeò non terruit Joannem Cyrilli successorem, ut potiùs palàm jactaret, se habere Cathedram Apostolicam, ideóque nec Cæsareensi, nec Antiocheno velle subjici: ambitionis studium S. Hieronymus acri scriptione suppressit quidem tunc, sed non extinxit. Nam in Ephesino Concilio Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus multò astutiùs causam urgebat, quòd Concilii Præsidem Cyrillum Alexandrinum à Joanne Antiocheno offensum nôsset. Verùm Cyrillus inter delicta Antistitum intérque jura sedium distinguens, Juvenalis conatum rejecit, usus etiam auxilio S. Leonis tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi. Ex eâdem ratione Gennadius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter Proclo Episcopo restitit, quòd cum Juvenale (Oeconomiam Ecclesiæ novante) communionem habere vellet. In Pseudo-Synodo Ephesina quantumvis in causa sua Juvenalis ope Chrysapii triumphare, & præter tres Palæstinas Arabiam etiam, duasque Phœnices suis gubernaculis inseruisse crederet; damnato tamen subinde eodem latrocinio Ephesino, Orientales Episcopi è Chalcedonensi Concilio Principem rogârunt, ut ambitioni Juvenalis nequaquam obsecundaret: *è nobis quidam à pientissimo Juvenali Jero-*

(q) Can. 7. Concil. Nic.

(r) Sozom. l. 2. c. 24.

Jerosolymorum Episcopo olim ordinati siluimus, quamvis pro Canonibus certandum esset, ne videremur gloriæ nostræ causâ dolere. Et nunc quoque illius studia, & præstigias tales per Phœnicem secundam & Arabiam non ignoramus (s). Arabiæ & duæ Phœnices illo igitur tempore manus, insidiásque Juvenalis evaserunt; non tamen hic spem abjecit, fore ut in Chalcedonensi Concilio feliciore eventu negotium conficeret. Sed cùm in Actione quartâ ejusdem Synodi Eustathius Berytensis Episcopus in simili causâ ob ambitum ex regulis Patrum Nicænorum damnatus esset; nihil fuit, quod Juvenalis sibi mitiùs, opportuniúsque speraret; quare vela vertens & sepositâ contentione, Maximum Antiochenum Adversarium mitigare studuit, & extra consessum Patrum privatim convenit in sequentem pactionem, quam retulit Maximus ad eandem Synodum Chalcedonensem (t): *Placuit mihi, & Reverendissimo Juvenali post multam contentionem per consensum, ut sedes quidem Antiochensium Maximæ civitatis Beati Petri habeat duas Phœnices & Arabiam: sedes autem Jerosolymorum habeat tres Palæstinas; & rogamus ex decreto Magnificentiæ vestræ, & sancti Concilii confirmare.* Neque judices robur pactioni negârunt, dum ajebant: *Per placitum igitur Maximi sanctissimi Antiochensium civitatis Episcopi, & Juvenalis sanctissimi Hierosolymorum Episcopi facta consensio, sicut utriusque attestatio declaravit, firma etiam per nostrum decretum & sententiam sancti Concilii in omni tempore permanebit.*

(s) Epist. Orient. Episcop. Concil. Chalc. P. II.

Patriarchatûs Hierosolymitani initia in Concilio Chalcedonensi.

(t) Concil. Chalcedon. Act. 7.

6. Decreto Synodi facto nemo refragari ausus est, nisi Pontifex Leo, cujus unius erat acta Patrum approbare. Nam utì is Juvenalem reprehendebat, quòd *ad obtinendum Palæstinæ Principatum crediderit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare* (u); ita pariter Maximo Antiocheno, inculcatum ibat: *Privilegia tertiæ sedis agnoscere, ut in nullo cujusquam ambitione minuantur* (x). Quod ipsum aliâ epistolâ idem Pontifex Juvenali perscripsit: *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jam Ecclesiarum, sicut ab illis 318. Patribus divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum* (y).

(u) Leonis in epist. 62. ad Maxim. Antioch.

(x) Leonis epist. ibid.

(y) Ejusd. Epist. 61. ad Juvenalem.

7. Nihilominus monumenta Ecclesiastica Episcopum Hierosolymitanum nobis exhibent utpote Metropolitam Palæstinæ primæ; sive ejus Patriarcham Diœceseos, quæ tres Palæstinas complectebatur, queis anno 518. in Concilio publico jam præsedit (z). Status hujus Ecclesiæ collapsus est in sæculo VII., circa annum 637.; quando Barbari Antiochiam & Hierosolymam occupârunt, à qua servitute exiit rursus in sæculo XI., dum Hierosolymam primam Christianitatis sedem, & Protothronum olim dignissimum Dux Godefridus Bullionius à Turcarum manibus eripuit,

(z) Thomass. Vet. & Nov. Discipl. T. I. l. 1. c. 7.

puit, & anno 1099. Daymbertus Episcopus Pisanus ex Latinis primus Patriarcha hujus sedis electus est.

PATRIARCHATUS ANTIOCHENUS.

Sub Patriarchatu Antiocheno, in Diœcesi Orientis, Provinciæ XI.

I. SYRIA PRIMA.

Metropolis. ANTIOCHIA MAGNA & THEOPOLIS,* SEDES PATRIARCHÆ.

Civ. Ep. Berrhoea, Seleucia, Chalcis, Anasartha, Gabeni, Laodicea, Paltos, Gabala.

II. SYRIA SECUNDA.

Metropol. Apamea.

Civ. Ep. Larissa, Arethusa, Balanea, Seleucobelus, Epiphania, Mariamne, Raphanea.

III. AUGUSTA EUPHRATESIA.

Metropol. Hierapolis.

Civ. Ep. Neocæsarea, Cyrus vel Cyrrhus,* Samosata, Germanicia, Doliche, Zeugma, Sergiopolis, Marianopolis, Europus, Amphipolis.

IV. PHOENICE MARITIMA.

Metropol. Tyrus.*

Civ. Episc. Berytus,* Byblus, Sidon,* Tripolis, Paneas, Ptolemais, Aradus, Porphyrion, Botrys, Antaradus &c.

V. PHOENICE LIBANI.

Metropol. Damascus.

Civ. Ep. Emesa, Heliopolis, Abila, Laodicea, Evaria, Palmyra, Danaba &c.

VI. CILICIA PRIMA.

Metropol. Tarsus.

Civ. Ep. Sebasta, Adana, Zephyrium, Augusta, Mallus, Corycus, Pompejopolis.

VII. CILICIA SECUNDA.

Metropol. Anazarbus.

Civ. Ep. Epiphania, Flavias, Irenopolis, Rhosus, Mopsuestia,* Castabala, Alexandria minor, Aegeæ.

VIII. ISAURIA.

Metropol. Seleucia.*

Civ. Ep. Claudiopolis, Celenderis, Germanicopolis, Diocæsarea, Selinûs, Philadelphia, Anemurium, Olbi, Lamus &c.

IX. OSRHOENA.

Metropol. Edessa.

Civ. Episc. Constantina, Marcopolis, Carrhæ, Circesium, Callinicum, Himeria, Macedonopolis &c.

X. MESOPOTAMIA.

Metropol. Amida.

Civ. Ep. Martyropolis, Cepha castellum &c.

XI. ARABIA.

Metropol. Bostra.*

Civ. Ep. Philadelphia, Canotha, Philippopolis, Chrysopolis, Geraza, Esbus, Medaba, Maximianopolis, Anitha, Constantina &c.

PATRIARCHATUS HIEROSOLYMITANUS

HIEROSOLYMA,* SEDES PATRIARCHÆ.

Sub Patriarchatu Hierosolymitano in Diœcesi Orientis, Provinciæ tres Palæstinæ.

I. PALÆSTINA PRIMA.

Metropol. Cæsarea Palæstinæ.*

Civ. Ep. Sebaste, Neapolis,* Nicopolis, Eleutheropolis, Hierichus, Lydda, al. Diospolis,* Joppe, Dora, Zamnia, Azotus, Ascalon, Gaza, Libias &c.

II. PA-

II. PALÆSTINA SECUNDA.
Metropol. Scythopolis.
Civ. Ep. Capitolias, Pella, Tiberias, Gadara, Maximianopolis, Hippos, Diocæsarea, Abila &c.

III. PALÆSTINA TERTIA.
Metropol. Petra.
Civ. Ep. Aila, Elusa, Zoara sive Segor, Zotape, Augustopolis, Areopolis, Arindela &c.

Ad Diœcesim Orientis in civilibus refertur etiam Cyprus insula, quæ tamen non subest alicui Patriarchæ.

CYPRUS INSULA.
Metropol. Constantia, al. Salamis.
Civ. Episc. Tamasus, Theodosia, Amathus, Lapethos, Soli, Paphos, Curium, Trimithus.

REFLEXIO VII. ad §. IV. num. 4. pag. 803.

De Patriarchatûs Constantinopolitani Institutione.

1. QUi Oeconomiam Ecclesiasticam ædificio benè coordinato persimilem dixerunt, nihil à vero alienum arbitrati sunt: utì enim ædificii compages si aliquâ parte luxetur, in pluribus subinde locis rimas agit; ita Politia Ecclesiæ, nisi omnes partes suas pristinis & juxta Veterum placita fixis sedibus insertas habeat, aut si quædam Diœceses, Episcopatúsque suæ Proœdriæ, ac potestatis ordine finibúsque emoveri sinat, majorem, quàm quæ prævisa fuerat, labem, idque non in una Provincia aut loco patietur. Exemplum ejusmodi perniciosum vidimus in Juvenale Hierosolymorum Episcopo, qui cùm molitionibus plurimis ac demum stipulatione privatâ Maximo Antiochensium Episcopo (a) tres Palæstinas consentientibus in Synodo Chalcedonensi judicibus abstraxisset; Anatolio Constantinopolitano mollior hic Patrum, judicúmque modus novos animos, spémque addidit, ex facili nunc demum fore, ut, quas tres autocephalas Diœceses nimirum Thraciæ, Asiæ & Ponti ejus prædecessores multis votis, pluribúsque factis appetiverant, nunc ex publico Concilii decreto vindicare, sibique in perpetuum submittere liceret.

Quantum noceat in Oeconomia Ecclesiastica à pristino more deflectere.

(a) Concil. Chalc. Act. 4.

2. Atque ut insolentiam facti, quo Constantinopolitani Ecclesiasticam Politiam confundere nitebantur, perspectam magis habeas; meminisse oportet ejus, quod supra ex Notitia Imperii citata retulimus (b), sub Præfecto Prætorio Orientis quinque Diœceses paruisse, nempe, *Orientem*, *Ægyptum*, *Asianam*, *Ponticam & Thraciam*, quas amplissimas Imperii Portiones Vicarii, vel Proconsules moderabantur. Ad eum igitur modum civilem quoniam Ecclesiastica quoque divisio instituta est; duabus Diœcesibus duo Patriarchæ nimirum Ægypto Alexandrinus, Orienti Antiochenus præerant: tres aliæ Diœceses Provinciarum numero insignes relinquebantur Episcopis illustrioribus, qui ad modum Patriarcharum, nullíusque jurisdictioni obnoxii ordinarent Episcopos, & ubi necessitas Ecclesiastica id posceret, ad concilium reliquos vocarent.

Tres Diœceses Autocephalæ.

(b) vid. Reflex. V. ad § 1. C. I. L. IV. p. 171.

Diœcesis Asiana.

3. Inter Autocephalas Diœceses prima erat ASIA, quæ quia ex Regno Attali Pergameni in Provinciæ formam à Romanis redacta fuerat, subdebatur *Proconsuli:* cæterùm cùm solidæ Proconsularis Asiæ Metropolis politica existeret Ephesus (c); Ephesino quoque Antistiti Metropolitica dignitas in Ecclesiasticis & Autocephala quidem (Patriarchicæ similis) data est. Epheso majore cum amplitudine primò præfuit S. Joannes Apostolus; nam *totas Asiæ fundavit, rexítque Ecclesias* (d), cujus vestigia secutus est eâdem cum authoritate Polycrates. De eo quippe perhibet Eusebius: *Episcopis per Asiam . . . præerat Polycrates* (e); neque tenue testimonium hujus superioris, ac sacræ præfecturæ testimonium protulit ipse Polycrates eo tempore, quo cum Victore Pontifice de Paschatis celebratione contendens, suam authoritatem convocandi concilia per Asiam apertissimè profitebatur: *Possem*, inquit, *etiam Episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis, ut convocarem, sicut & feci* (f).

(c) vide Petrum de Marca de institut. Patriarchatûs Const.
(d) Hieron. in Catalogo Vir. Illustr.
(e) Euseb. l. 5. Histor. c. 23.
(f) Ep. Polycratis ad Victorem PP. apud Eusebium l. c.

Diœcesis Pontica.

4. Alteram prædictarum Diœceseon fuisse PONTICAM Notitia Imperii pronunciat; hæc ubi adhuc Regibus Cappadociæ serviebat, iidem Principes hìc Palatium fixêre (g): nec Romanis postquam subegerant armis Provinciam ab hoc more desciscendum putavêre; nam perpetuò *Vicarius* Prætorianæ potestatis hìc considere ab Imperatoribus jubebatur. Non minùs Ecclesiastica Politia Cæsaream Cappadociæ pro suarum Ecclesiarum capite designavit: præterquam enim quod ex testimonio Gregorii Nazianzeni manifestum sit Cæsareenses Præsules toti Diœcesi Ponticæ præfuisse; Firmilianus (h) & Basilius (i) ejusdem Ecclesiæ Episcopi plures Synodos Cæsareæ Cappadociæ celebrârunt, ad quas Ponticæ Diœcesis Antistites evocâsse leguntur utique jure suo ac recepto; unde Petrus de Marca ait (k): "Basilii conciliatum Archiepiscopi Cæsareæ nomen, & Alipio apud Photium in Bibl. Tit. 51. quare Ponticæ Diœceseos Synodum Tyanis sub Eusebio Episcopo Cæsareæ celebratam refert Sozomenus l. 6. c. 12.„ Addit porrò idem de Marca Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuisse ab Helladio Cæsareæ Episcopo. Audiatur hìc etiam Christianus Lupus (l), qui rem urget ex eo, quod Neocæsareensis in Ponto Ecclesia à Thaumaturgi tempore semper respexerit Cæsareensem in Cappadocia Cathedram, teste etiam S. Basilio „ (m).

(g) Strabo l. 12.
(h) Firmil. epist. ad Cyprian. de rebaptizat. HH.
(i) Epistolæ plures S. Basilii.
(k) Dissert. de instit. Patr. Const. §. 11.
(l) Lupus P. IV. ad C. 20. dict. Greg. VII.
(m) Basilius Epist. 75. ad Neocæsareens.

5. Tertio loco venit Diœcesis THRACIA, in quâ Heracleensis Episcopus quando autocephali jus atque honorem obtinuerit, ex Annalibus obscurum est; nisi cum Petro de Marca (n) statuere velis, quod illâ ætate, quâ Byzantio destructo Severus Imperator in urbem Heracleæ præcipuam civilem dignitatem intulit (o), Ecclesiastica quoque prærogativa cœperit fundari. Cæterùm sufficit Nicænos Patres in memoratis tribus Episcopis specialia jura agnovisse; nam cùm Alexandrino juxta modum

(n) Marca l. c.
(o) Herodianus in Severo it. Procopius l. 4. de ædificiis illustr.

Romani

Romani Patriarchæ jus suum attribuissent; *similiter*, inquiunt, & *apud Antiochiam*, CÆTERASQUE PROVINCIAS, *suis privilegia serventur Ecclesiis* (p). Per cæteras Provincias Canonum interpretes intelligunt tres Diœceses Autocephalas ab omni Patriarchali potestate liberas & exemptas, habentésque Primatem potestate pari gaudentem in subjectas sibi Provincias (q): neque ab hac explicatione abludit sensus Constantinopolitanæ Synodi, dum eundem Nicænum Canonem ita exponit (r): *Secundum Regulas Constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto, tantùm gubernet; Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus Primatûs Ecclesiæ Antiochenæ, quæ in Regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo Diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi Ponticæ tantùm Diœcesis habeant curam: Thraciæ verò, ipsius tantummodo Thraciæ.* Præterea authoritatis autocephalicæ documenta legimus ex sessionibus ac subscriptionibus Conciliorum; in Synodo siquidem Ephesina post Legatos Apostolicæ sedis deprehendimus nomina sua dedisse Firmum Episcopum Cæsareæ, & Memnonem Episcopum Ephesinum (s): eâdem prærogativâ locum superiorem occupârunt in Concilio Chalcedonensi Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Stephanus Ephesinus, & Lucianus Byziæ, Vicarius Heracleensis Episcopi (t).

(p) Can. 6. Nic. Concil.
(q) Lup. ad Can. 6. Nic. it. Marca l. 1. c. 3. §. 8.
(r) Concil. Constantinopol. I.
(s) vid. Acta Conc. Ephes. ap. Harduin. T. I.
(t) vid. Concilii Chalcedon. Act. 1. ap. Harduin. T. II.

6. Quoniam verò hi Præsules autocephali nempe Ephesinus, Cæsareensis & Heracleensis tot prærogativis, juribúsque amplissimis eminebant; tres eorum Diœceses velut totidem pinguia spolia videri poterant, quæ nullius magis, quàm Constantinopolitanorum Episcoporum cupiditatem provocabant. Ægerrimè hi dudum ferebant, quod cùm à tempore Constantini Magni Constantinopolis Regia sedes esset Imperatoris & in civilibus prærogativis Romæ Veteris æmula omnibus Provinciis Orientis dominaretur; nihilominus in Ecclesiasticâ politia tam tenuem haberet locum, ut Episcopus Constantinopolitanus non tantùm Alexandrino & Antiocheno posthaberetur; sed & potestate omni exutus more aliorum minorum Episcoporum alterius Antistitis scilicet Heracleensis Imperio subjaceret: uterque igitur gradus tum Proœdriæ, tum Jurisdictionis amplioris ut obtineri certiùs posset, non impetu, sed laneo pede incedendum putavêre. Primum, quod exsculpserant ad rem suam, erat Canon ille, qui in Constantinopolitana I. Synodo editus nil nisi nudam honoris prærogativam Constantinopolitanis Episcopis asserere videbatur his omnino verbis: *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet Primatûs honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma* (u). Agebant studio de privilegio honoris, ut ambitioni suæ fucum aspergere possent, se scilicet id agere exemplo Nicænorum Patrum, qui Hierosolymitano Episcopo consequentiam honoris dare non dubitâssent (x).

(u) Concil. Constantinop. Can. 3.
(x) Can. 6. Nic. Concil.

Patres

Patres Constantinopolitani nihilominus latæ de Primatu sententiæ adeò confisi non sunt, ut eam in facta ad Damasum relatione potiùs dissimulandam judicârint. Theodosio contrà Imperatori novus hic conatus probari ex eo visus est, quòd suis civilibus legibus multoties eundem stabiliverit; nam l. 3. *de fide Catholica* Nectario quasi possessionem novi juris & honoris tradit, & Timotheo Alexandrino præponit: *Episcopis*, inquit, *tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius Majestatis atque virtutis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitentur ejusdem gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum profanâ divisione facientes. . . . Quos constabit communione* NECTARIO *Episcopo* CONSTANTINOPOLITANÆ *Ecclesiæ*, TIMOTHEO, *nec non intra Ægyptum* ALEXANDRINÆ *urbis Episcopo esse sociatos* &c (y). Eundem ordinem servat inter Constantinopolitanam atque Alexandrinam Ecclesiam lex altera, ubi Princeps statuit *de Patrociniis Vicorum* (z). Neque in foro civili tantùm hic mos ab eo tempore percrebuit; sed & in sacro; nam Synodus sub Domno Antiocheno celebrata in causa Athanasii Pertheni Episcopi, perpetuò Archiepiscopum Constantinopoleos Proclum Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino anteponit: imò in Chalcedonensi Synodo, cùm Acta Latrocinii Ephesini relegerentur; Orientales Episcopi infremuêre, quòd Flavianus Constantinopolitanus Domno Antiocheno & Juvenali Hierosolymitano postponeretur (a): *Flavianus, exclamabant, quare in proprio loco non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?*

(y) L. 3. de fide Cathol. Cod. Theod.

(z) L. 6. l. 11. Tit. 24. Cod. Theodos. de Patrociniis Vicorum.

(a) Concil. Chalcedon. Act. 1.

7. Sunt, qui existimant, per Constantinopolitani I. Concilii Canonem non tantùm Constantinopolitanis Episcopis nudam honoris prærogativam, sed & jurisdictionem in Diœceses autocephalas Asianam, Ponticam atque Thracicam obtigisse (b), cujus opinionis argumenta inde deducunt, quod in citato Canone Constantinopolitanus Romano omnino comparetur; ac vel ideo non minùs potestatis amplitudo (qualis ad Pontificem Romanum spectat) atque dignitatis significatio Constantinopolitano tribuatur; quod ipsum ex Socrate palam fieri videtur, qui Canones Constantinopolitanos expositurus ait: *Sed & Patriarchas constituerunt, Provinciarum divisione factâ, ita ut nullus Episcopus ultra propriam Diœcesim alienas Ecclesias invaderet. Id enim anteà propter persecutiones promiscuè factum fuerat. At Nectarius quidem Regiam urbem & Thraciæ Provincias sortitus est.* In eadem sensa posteà inclinata est Synodus Chalcedonensis (c), Canonem secundi Concilii hunc in modum exponens: Sanctorum Patrum Decreta, ubique sequentes, & *qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de Privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eâdem consideratione moti CL. Dei amantissimi Epi-*

(b) Natalis Alexander Differt. 38. ad sæc. IV. p. 398.

(c) Socrat. l. 5. c. 8.

Episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno, æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli, ac magnifieri, secundam post illam existentem: ut & Ponticæ, & Asianæ & Thracicæ Diœcesis Metropolitani soli: præterea Episcopi prædictarum Diœceseon, quæ sunt inter Barbaros, à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur.

Sententia illorum, qui docent, in Constantinop Syn. Episcopo Regiæ urbis Primatum solum honoris concessum fuisse.

8. Verùm his argumentis alii forsan firmiora opponunt, dum provocant ad ejusdem Constantinopolitanæ Synodi Canonem secundum, quo Patres (antequam Primatum honoris pro Regia urbe sequente Canone decernerent) jus in tres Diœceses autocephalas suis Episcopis priùs confirmant, eo modo, quo id sanxerat ante sexaginta annos Synodus Nicæna; statuunt autem (d): *Qui sunt super Diœcesin Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant; nec eas hâc præsumptione confundant: sed juxta Canones Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto, regat solummodò; & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt.* ASIANÆ *quoque Diœceseos Episcopi ea solùm, quæ sunt in Asiana Diœcesi dispensent: nec non &* PONTI *Episcopi ea tantùm, quæ sunt in Ponto; &* THRACIARUM, *quæ in Thraciis sunt, gubernent.* .... (e). *Veruntamen* CONSTANTINOPOLITANUS *Episcopus habeat* HONORIS PRIMATUM *post Romanum Episcopum, propterea, quod urbs ipsa sit junior Roma.* His clarissimis verbis nil derogat authoritas Socratis vel erroneè, vel obscurè scribentis; ab errore quippe non abest, quod Socrates Patriarchas ibidem à Synodo II. Generali institutas dicat, quódque Ponticæ Diœceseos Primatum in tres Episcopos Cæsareensem, Nicænum & Melitinensem æquo jure dispertitum fuisse commemoret (f). Non minus obscuritatis illud habet, quod Theodosii Augusti legem *de restituendis Basilicis* (g) incautè confuderit idem Historiographus cum Canone Constantinopolitano: lex autem Imperatoris nil aliud volebat, quàm ut inter serpentes tot hæreses quosdam designaret Episcopos à fidei integritate & probitate commendatos, cum quibus cæteri fideles habere communionem juberentur; unde & Nectarius eodem tempore caput communionis constitutus est, testante id in hæc verba Sozomeno (h): *Legem tulit* (Theodosius) *ut fides eorum, qui Nicææ olim convenerant, rata esset: utque omnibus in locis Ecclesiæ iis traderentur, qui in trium Personarum subsistentia, honore atque potestate æqualium, unam eandémque Deitatem confiterentur Patris, ac Filii & Spiritus S. Hos autem esse definivit, qui Constantinopoli quidem communicarent cum Nectario; in Ægypto verò cum Timotheo &c.* Ex his etsi talium Episcoporum (Ecclesias suas religiosè moderantium) vitam & famam probari intelligas; nulla tamen de jurisdictione istic mentio: quod ut dilucidè

(d) Can. 2. Constant. I. Concil. ex versione Dionysii.

(e) Can. 3. apud quosdam.

(f) Socrates l. 5. c. 8.

(g) V. Cod. Theodos. l. 3. de fide Catholica.

(h) Sozom. l. 7. Histor. Eccl. c. 9.

magis appareat; verba advertas necesse est, queis Socrates & Sozomenus inter se pugnant. *Nectarium*, ait ille, *Sortitum* esse *Thraciæ Provincias* (i): hic verò Nectario ne quidem id tribuit, ut Thracibus Nectario communicare fuerit imperatum; *nam*, inquit, *in urbibus denique Thraciæ, ac Scythiæ, eos, qui cum Terentio Tomitano & Martyrio Episcopo Marcianopolis communicarent*, approbatos esse orthodoxos ab Imperatore (k). Si autem Nectarius ne quidem per Thraciam communionis caput constitutus est; quâ ratione nobis affirmabit Socrates, ei plenam potestatem *in Thracias* obtigisse? Demum quia jura nova cupienti nullum medium excidit, quo is finem consequatur; mirari nemo debet, Anatolium Chalcedonensis Concilii Patribus persuasisse, ut id crederent, quod & Canone 28. professi sunt, nempe Patres Constantinopolitanos novæ Romæ throno æqualia cum Romano Privilegia & jura confirmâsse.

(i) Socrat. l. c.

(k) Sozom. l. c.

Post Synodum I. Constantinopolit. Episc. ejusdem urbis potestatem ampliorem usurparunt.

9. Canonis Constantinopolitani sensu ad exactam crisin considerato, nullatenus inficiamur, ab hoc tempore Constantinopolitanæ Synodi, Præsules novæ Romæ adnitentibus Imperatoribus latiorem convocandi Synodos & ordinandi Episcopos facultatem sibi vendicâsse. Ac primò Episcopi aliarum Provinciarum in conventus cum Constantinopolitano Antistite ex eo congredi cœperunt; quòd, cùm negotiorum aut obsequiorum causâ aulam Imperatoris frequentes accederent, ab urbis Regiæ Episcopo vel consulerentur singuli de Ecclesiasticis difficultatibus: aut volente Imperatore, etiam congregati responsa darent. Atque ab initio quidem hi cœtus consultationum: dein etiam Synodorum publicarum nomen obtinuerunt; cujus monumentum apertum habemus in Concilio Chalcedonensi (l). Theodosius Imperator Berytensi urbi & Ecclesiæ jus Metropoleos dederat, adjunctis sex Phœniciæ primæ oppidis, quæ antea ad Photium Tyri Antistitem pertinebant: donationi Cæsareæ ut firmamentum accederet; Anatolius conventum ejusmodi Episcoporum Constantinopoli collegit, quorum suffragia Berytensi Præsuli nova Metropolitæ jura stabiliverunt. Causâ posteà ad Synodum Chalcedonensem perductâ, hujus Constantinopolitani cœtûs parva ratio habita est; nam Photio Tyriensi cuncta restituta sunt: & Judices addubitare cœperunt, *an Synodum appellare oporteat Conventum Episcoporum, qui in Regia civitate diversantur?* Anatolius hunc in modum pressus, reposuit: *Tenuit pridem consuetudo, ut qui in magna hac civitate morantur sanctissimi Episcopi, cùm eos temporis occasio vocat, de emergentibus quibusdam Ecclesiasticis causis conveniant, ac singula definiant, responsoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo à me factum est, quod Novitati sit affine: nec sanctissimi, qui in civitate erant Episcopi, novam formam protulerunt, ac ostendit præsentiam Episcoporum actio, quæ facta est.* Similem Synodum Constantinopoli factam legimus, quando S. Chrysostomus in exilium abiturus à Præneto emporio in urbem revo-

(l) Concil. Chalcedon. Act. 4.

Quibus initiis & quâ ratione jure congregandarum Synodorum Episcopi Constantinopolitani potiti sunt?

revocabatur; Decreto quippe ſexaginta quinque Epiſcoporum (qui eo tempore Conſtantinopolim convenerant) acta ad Quercum in irritum miſſa leguntur. Neque tantùm de diſciplina, ſed & de fide ſubinde in Conſtantinopolitanis ejusmodi conventibus judicatum eſt: adverſus Eutychem quid Flavianus cum variarum Provinciarum Præſulibus (qui tunc in urbe morabantur) ſtatuerit, Actio prima Chalcedonenſis Concilii nobis apertè refert. Verùm Hæreticus authoritati Synodi opponebat, quod ex iis fuiſſet Epiſcopis, qui tunc pro privatis cauſis in urbem Regiam veniſſent; quíque non è Provinciis per Tractorias vocati, ſed fortè fortunâ Conſtantinopoli reperti non Concilium legitimum, ſed ἐνδημοῦσαν Σύνοδον repræſentâſſent. Ab his Endimuſis ſeu domeſticis conventibus Conſtantinopolitani Antiſtites pedetentim eò progreſſi ſunt, ut ex omnibus Provinciis, ac tribus Diœceſibus quaſi jure ſuo Concilia congregârint.

Quomodo Antiſtites Conſtantinopolitani jus ordinationum per tres Diœceſes quæſiverint?

10. Et quoniam altera pars Patriarchicæ juriſdictionis ordinationum jus complectitur; commonſtrandum porrò eſt, quibus gradibus Conſtantinopolitani Antiſtites id quoque per Thraciam, Pontum & Aſiam conſecuti ſint. Urbis Regiæ ſplendor, Imperatorum voluntas, ac Synodi I. Oecumenicæ Canon tertius tantam Conſtantinopolitanis Epiſcopis authoritatem tribuerat, ut vel ipſi ſæpe rogati ad ambitus coërcendos, & ad cohibendas pecuniarias nundinationes luſtrarent Provincias, aut ad reſcindendos civitatum tumultus Metropolitas vel deponerent vel novos ordinarent. Nectarius Gerontium Nicomedienſem in Bithynia Epiſcopum (quæ Ponticæ Diœceſis Provincia erat) deponere conatus eſt; Conantis verò operam poſteà fortiùs proſecutus eſt ſucceſſor S. Joannes Chryſoſtomus, qui virum à Nectario jam exagitatum omnino gradu ſuo dejecit (m). Præterea Sozomenus de eodem Chryſoſtomo refert (n), tredecim Epiſcopos ab illo in Aſia exauthoratos, hiſque novos Præſules ſubſtitutos fuiſſe; quod ipſum in Chalcedonenſi Synodo palàm pronunciavit Philippus Presbyter (o). Non defuêre quidem, qui hæc acta Chryſoſtomi in Synodo ad Quercum impugnarent, ex eo capite, quòd ordinando Epiſcopos extra fines ſuos, alienas Provincias invaſiſſe videretur; ſed aliunde tamen Præſulis Conſtantinopolitani conſilium, inſtitutúmque probabatur, eo quòd Aſianarum Eccleſiarum neceſſitas id exigeret, dum ob collapſam ferè diſciplinam ſacerdotia licitationis quâdam ſpecie emptoribus ſacrilegis addicebantur. Antoninus certè Epheſi Antiſtes ubi hoc crimine gravatus vivis exceſſerat, jámque Epiſcopi Provinciales Epheſum profecti de ſurrogando Epiſcopo non ſine turbis agitabant; Chryſoſtomus ad diſſipandas contentiones, & ne electioni nundinatio ſe immiſceret, ſive rogatus, ſive publico Eccleſiæ commodo incitatus Epheſum adiit, ibíque altercantibus adhuc Epiſcopis Heraclidem Diaconum ſuum præpoſuit (p).

(m) vid. Sozomen. l. 8. Hiſt. Eccl. c. 6 Theodoret. l. 5. c. 28.

(n) Sozom. l. c.

(o) Act. 11. Conc. Chalcedon.

(p) Socrat. l. 6. c. 10.

Non absimili authoritate Idem Constantinopolitanus Antistes Serapionem Heracleæ in Thracia (q): & posteà Atticus successor ibidem Silvanum Philippolis Episcopos creârunt. Addidit his subinde Theodosius edictum, quo jubebat, *ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Episcopi Constantinopolitani* (r); & aliâ lege *per omnes Illyrici Provincias servari præcepit, ut si quid dubietatis emerserit, id oporteat (non absque scientia viri reverendissimi Sacrosanctæ Legis Antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur) Conventui Sacerdotali, sanctóque judicio reservari* (s). Exempla tot Episcoporum Constantinopolitanorum, ac Imperatoris sanctiones ita inclinavêre tandem multorum animos, ut Cæsareenses Cappadoces post obitum Firmi Cæsareæ Archiepiscopi de successore deliberantes, totius Ponticæ Synodi suffragiis causam ad Proclum Constantinopolitanum deferrent (t): indéque Thalassium ex Expræfecto Prætorio Illyrici nunc Episcopum acciperent.

(q) Idem c. 15. Sozom. l. 8. c. 19.
(r) Socrat. l. 7. c. 28.
(s) Codic. Theod. l. 45. t. 16. de Episc. Item apud Justinian. l. 6 C. de SS Eccl.
(t) Socrat. l. 7. c. ultimo

Difficultates, quæ Constantinopolitanis Episcopis contra eorum adscititiam jurisdictionem sunt oppositæ.

11. Verùm quantumvis his, alíisque factis jus Constantinopoleos ad perpetuitatem quandam crevisse putaretur; non pauca tamen obstacula fuêre, quæ existimati robur juris infringerent. Nam præterquàm quod Synodus ad Quercum Chrysostomi ordinationes alienis in Provinciis peractas utpote illegitimas accusârit (u); tum paulò pòst Valentiniani operâ exolevit Theodosii lex, quæ Constantinopolitanis ampliorem tribuebat potestatem. Adhæc Cyziceni alterum Theodosii edictum adeò neglexêre, ut protinus alium, ac qui à Sisinnio Constantinopoleos Præsule propositus fuerat, Episcopum nempe Dalmatium Monachum sibi delegerint (x). Multò acriùs tandem jus illud in dubium vocatum est in Concilio Chalcedonensi (y): Bassianus tumultuario plebis studio creatus Episcopus Ephesi & à Theodosio approbatus, post quatuor annos exactos ob ordinationis violentæ vitium sede ejicitur à Stephano: causâ ad Pontificem delata eâ ratione definita est, ut utroque abdicato novus eligeretur; quod ipsum cùm urgeret in Synodo Chalcedonensi Eusebius Episcopus Dorylæi, Asiani Episcopi prostrati coram Patribus orârunt, ne ordinatio extra Ephesum Constantinopoli institueretur: *Miserrimi nostri*, inquiunt, *si Bassiano successorem suadeat aliquis hîc* (Constantinopoli) *ordinari, & filii nostri moriuntur, & civitas* (ob exorituros tumultus) *perit.* Quæstio igitur cùm in medium adduceretur, ubi ordinationem fieri conveniret? Diogenes Episcopus Cyzici in eam partem luctatus est, ut *Constantinopoli* ordinaretur novus Ephesi Antistes; at Episcopi cæteri, ut *in Provincia* ordinatio institueretur, decreverunt, quam Patrum sententiam stabilitum ibat Leontius Magnesiæ Episcopus: *A sancto Timotheo usque nunc*, inquiebat, *viginti septem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati, solus Basilius violenter hîc* (Constantinopoli) *factus est, & multæ cædes hinc ortæ sunt.* Ex adverso Philippus Presbyter Constantinopolitanus partes Regiæ

(u) Socrat. l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. c. 6.
(x) Socrat. l. 7. c. ultimo
(y) Concil. Chalcedon. Act. 11.

Regiæ urbis acturus contrariam omnino consuetudinem asserere nitebatur; quam in rem primò ab eo ostentatæ sunt depositiones quindecim Episcoporum, quas in Asia Chrysostomus suscepisset: Philippo Archidiaconus Aëtius suam addebat Symbolam, affirmans Castinum Constantinopoli, item Heraclidem, ac demum Basilium à Proclo Regiæ urbis Episcopo ordinatos fuisse; his propositis, in Actione sequente XIII. idem Aëtius evincere præsumebat, non tantùm Metropolitarum, sed & secundi gradûs Episcoporum ordinationes ad Regiæ urbis Præsules spectâsse. Argumentum subministrabat controversia, quæ inter Nicænum & Nicomediensem agitabatur: pugnabant hi in Bithynia Ponticæ Diœcesis Provincia, cui ex duobus his Metropolitis Ecclesia Basilinopolis subderetur? uterque postquam pro defensione sui juris Constantinopolitanorum Episcoporum rescripta protulisset; Aëtius in suæ Constantinopolitanæ rei commodum Judices ita allocutus est: *Suggerimus vestræ Magnificentiæ, rogantes, ut nullum præjudicium Constantinopolitanæ sanctissimæ sedi fiat ex his, quæ nunc proferuntur à sanctissimis Archiepiscopis, vel quæ moventur inter Dei amantissimum Episcopum Nicænum Anastasium, aut quæ inter eos ordinantur. Sanctissima enim Constantinopolitana sedes, aut ordinationem ipsa facit in Basilinopoli cum reliquis, aut eam permittit fieri, sicut literis, quæ fiunt, vel facta sunt sæpius, ostendere possumus* (z).

(z) Concilii Chalcedon. Act. 13.

12. Ex his literis qualiscunque authoritatis, tum etiam ex factis etsi quædam consuetudinis species colligeretur; id tamen Constantinopolitanis adhuc probare incumbebat, an consuetudo vinceret Canones legitimos? certè hic scrupulus tam altè insederat multorum Patrum animis, ut proclamarent: *Canones serventur, Canonibus satisfiat!* Anatolium porrò dejiciebat, quod Berytensis Episcopus à Metropolitani dignitate, Hierosolymitanus à Patriarchici juris spe suspensus esset, ne Canonum Nicænorum vis pessumdaretur. Sed quo minùs animum desponderet, unius Hierosolymitani Juvenalis exemplum habebat præ oculis: is ubi viâ juris parùm se effecturum crediderat; privatim Maximum Antiochenum in sua vota inclinare studuit, quo facto confirmationem trium Palæstinarum etiam à Synodi indulgentia accepit. Eâdem igitur ratione Anatolius tentandos singulos, quorum intererat, putavit: Imperatoris potentia, illustrissimorum Magistratuum novam Romam ornari cupientium gratia, tum utilitas quorumcunque propria in sententiam Anatolii trium Diœceseon Præsules ita impulit, ut Nunechius Episcopus Laodiceæ in aperto confessu profiteri non dubitârit (a): *Gloria sedes Constantinopolitanæ, gloria nostra est. Hujus enim honoris nos sumus quoque participes, quoniam sollicitudines nostras suscipit; & diligimus, ut uniuscujuscunque Provinciæ Metropolis à sede hac ordinetur.* Alii etiam fuêre, qui cum Eusebio Ancyræ Galatiæ Episcopo litis & molestiæ fugiendæ causâ, ac fastidientibus similes

Quæ demum causæ impulerint Episcopos Asiæ, Ponti & Thraciæ ad cedendum jure suo?

(a) Concil. Chalcedon. Act. 16. apud Hard. T. II. p. 639.

(b) Ibid. pag. 642.

penitus desistebant à desiderio ordinationis (b). Adhæc peropportunum erat Anatolio, quòd Alexandrina sedes, quæ secundo loco movenda erat, simúlque Ephesina (de cujus jurisdictione agebatur) tunc vacarent. Præparatis igitur cæterorum animis Canonem pro sede Constantinopolitana eliciendi tempus arripitur: sed quoniam omnium sensus necdum exploratus habebatur, imò Legati Apostolicæ sedis conatui repugnaturi videbantur; ideo post Legatorum, judicúmque è Concilio, quod ex composito finitum dicebatur, discessionem in Beatæ Euphemiæ Basilica Canon XXVIII. est editus (c): *Definitiones Sanctorum Patrum sequentes ubique, & Canonem, qui nuper lectus est, centum quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt piæ memoriæ Imperatore Magno Theodosio in Regia civitate Constantinopoli nova Roma, agnoscentes, nos quoque eadem definimus & statuimus de Privilegiis ejusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ. (Etenim sedi senioris Romæ, quod urbs illa imperaret, Patres jure Privilegia tribuerunt, & eâdem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, æqua privilegia tribuerunt, sanctissimæ sedi novæ Romæ rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu bonorata sit, & æqualibus Privilegiis cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli, ac magni fieri secundam post illam existentem.) Et ut Ponticæ, & Asianæ & Thracicæ Diœceseos Metropolitani soli; præterea & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur à prædicto sanctissimo throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Nimirum Unoquoque Metropolitâ earum ipsarum Diœceseon unà cum Episcopis Provinciæ ordinante Provinciæ Episcopos, ut divinis Canonibus promulgatum est. Metropolitas verò earum Diœceseon ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo electionibus convenientibus secundùm morem factis & ad eum perlatis.* Huic Canoni minima Episcoporum pars subscripsit, eoquòd ex sexcentis ducenti duntaxat suum dederant nomen: inter quos nec Alexandrinus, nec Ephesinus (utpote sede vacante) numerabantur; imò nequidem Thalassius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus & Ponticæ Diœceseos autocephalus Antistes locum inter illos habebat. Hæc ubi Legatis Apostolicæ sedis renunciata sunt; postridie in Synodum regressi à judicibus postulabant, ut quæ Cognitoribus absentibus, contra morem judiciorum, & adversus Leonis Papæ mandatum, per vim, metum, dolúmque practa essent, palàm relegerentur. Aëtius Archidiaconus adhæc paucis reposuit, rogatos Romanos Episcopos noluisse gestis interesse: præsentes autem Episcopos ista fieri poposcisse; ac vel ideo clàm & per insidias gestum dici non posse, quod tot viri uno ore comprobâssent. Relecto statim Canone Lucentius porrò opposuit, definitionem eam regulis Nicænis contraire, ac Constitutionem in Constantinopolitano Concilio editam & in Canone dicto citatam, nequaquam inter Canones Synodicos rela-

(c) Act. 16. Conc. Chalc. apud Hard. T. II. p. 614.

Canon vigesimus octavus Chalced. PP. quo Constantinopolitano Episcopo, ejusque successoribus secundus locus post Romanum simúlque jurisdictio in tres autocephalas Diœceses asseritur.

Protestatio solennis Legatorum Romanæ sedis.

relatam fuisse: meritò itaque dubitari, utrum Patres in tam adversa sensa citra fraudem venire voluerint (d)? Aëtius ubi in suo Codice Canonem Synodi secundæ haberi ostenderat; in eo judices pedem desigendum putavêre: an Asianæ & Ponticæ Diœceseos Episcopi (de Thracibus enim non adeo ambigebatur amplius) scientes, volentésque subscripserint? Responsio Episcoporum alia planè, ac Lucentius exspectaverat, fuit. Nam singuli se nullatenus deceptos, imò liberè ac citra dolum, metúmque consensisse profitebantur (e); appositis etiam sui instituti causis, videlicet, quòd æquum duxerint, prospicere paci Provinciarum; tum Synodi secundæ, ac consuetudinis rationem habere, quæ hucusque per Synnadorum, Amaseæ, Gangrorum, Myrorum, Aphrodisiadis, aliásque Ecclesias viguisset (f). Ad eos Episcopos, qui necdum Canonem signaverant, quando ordo devenit; Eusebius Episcopus Ancyranus quidem testabatur ingenuè, se jure suo ordinandi Gangrorum Episcopum, in Procli Constantinopolitani gratiam, idque ad lites vitandas cessisse: sed Thalassius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus (de cujus jure altiore in Diœcesi Pontica validiùs agebatur) suffragio suo omnem scrupulum dimovit, dum Anatolium *Archiepiscopum* vocabat, illíque judicium supremum tribuebat: *Pergimus*, ajebat, *ad Dominum Anatolium Archiepiscopum, & statuimus illud.* Conclamatâ jam re, & sponte sub jugum euntibus autocephalis Episcopis, Lucentius hoc saltem petiit, ut intercessio, quam objecisset, Actis insereretur; ut si quando Pontifici ista referrentur, is de suæ sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam. Judicum frigescens responsio Synodi quidem, sed controversiæ finem non fecit (g).

(d) Concil. Chalcedon. Act. 16. apud Hard. T.II. p. 626. & 635.-638.

(e) Ibid. pag. 639.

(f) Ibid. pag. 642.

Episcopi Synodi Chalcedonensis quantumvis impugnati perstant in sententia de edito Canone.

(g) Ibid. pag. 643.

13. Ad Pontificem igitur quoniam ex Legatorum provocatione causa devoluta erat; Episcopi Orientis Synodicam epistolam (h) molli manu scriptam ad Leonem dirigunt: primò, ut in Papæ animum irrepant, amplis verbis commemorant, quæ contra Eutychetem sub ejus præsidio ac Legatorum præsentia effecissent, dein ad controversum Canonem delapsi subjungunt: *Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem: scientes quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum tam Asianæ, quàm Ponticæ & Thracicæ, & nunc Synodali decreto firmavimus: non tam sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quàm Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes; eoquòd frequenter Episcopis vitam finientibus multæ turbæ nascuntur, Clericis ac populis, qui per easdem sunt civitates absque Rectore remanentibus, & Ecclesiasticum ordinem confundentibus.... Confirmavimus autem & centum quinquaginta SS. Patrum Regulam, qui in Constantinopoli congregati sunt sub piæ memoriæ Majore Theo-*

(h) Relatio Synodi Chalced. ad Leonem. apud Hard. T.II. p. 655.

Epistola Synodica PP. Chalcedonensium ad Leonem Pontificem.

Theodosio; quæ præcepit, post vestram sanctissimam & Apostolicam sedem honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est ordinata; confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio & usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam, consuetè gubernando, illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eoquod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.... Nos enim curantes tam piissimos, & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarissimum Senatum, & totam (sicut dicere convenit) Imperii civitatem; opportunum credidimus esse honoris ejus confirmationem ab Universali Concilio celebrari, & velut hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eoquod fovere semper studeas, roboravimus, præsumentes dum noverimus, quia quidquid rectitudinis à filiis fit, ad Patres recurrit, facientes hoc sibi proprium. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat &c. (i). Leo Pontifex tot verbis delinitus, credebatur facilè pertrahendus in partes; sed fortis Canonum & traditionum antiquarum Custos, assertor & executor, tum etiam Conciliorum supremus judex se nullâ ratione inflecti passus est, ut in Nicænos Canones peccaretur; quare ad Anatolium scripsit (k): *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta (ùt jactas) annos facta conscriptio, nequaquam à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudúmque collapsæ sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per sanctum verè spiritum ordinata conditio in aliqua unquam parte sit solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat vel præferre; cùm tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus authoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Et ad Marcianum Augustum (l): *His autem* (inquit Pontifex) *propter quæ facta est tanta congregatio Sacerdotum, bono & optabili fine compositis, miror & doleo, quod Pacem universalis Ecclesiæ divinitus reformatam, ambitionis rursus spiritus inquietat ... satis sit Anatolio, quod vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu Episcopatum tantæ urbis obtinuit; non dedignetur Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem; nec ullo speret modo, quod per aliorum offensas possit augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, & SS. Patrum Canonibus instituta, & Venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nullâ possunt improbitate convelli ... in quo opere, auxiliante Christo, fideliter & exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum Regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, spiritu Dei instruente sunt conditæ,*

(i) Concil. Chalcedon. P. III. c. 2. pag. 658. & 659.

(k) Epist. Leonis 53. ad Anatolium.

Quâ fortitudine Leo Pontifex Canoni vigesimo octavo restiterit?

(l) Epist. Leonis 54.

me (quod absit) connivente violentur. Et profectò Leo Pontifex arma Apostolica jam præparaverat, ut siquidem Anatolius cœptis desistere nollet, ipsum ab Ecclesiæ communione segregaret; unde eidem ita comminabatur: *Nam si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere, atque judicio Universalis Ecclesiæ pace privabis.*

14. Ab invicta Leonis Papæ fortitudine obtentum esse credunt plures, ut Anatolius ab ambitûs æstu decederet; id quippe se colligere ajunt ex Anatolii epistola, quâ Idem Leoni rescribens, omnem culpam à se amoliri, inque Clerum Constantinopolitanum conjicere adnitebatur; tum ex epistola Leonis ad Anatolium (m): *Illam autem culpam*, ait, *quam de augenda potestate, alienâ (ut asseris) adhortatione contraxeras, efficaciùs, atque sinceriùs tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses . . . sed gratum mihi, Frater charissime, est, quod Dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod etiam tunc placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio Dilectionis tuæ, & Attestatio Principis Christiani.* Marcianus nimirum se expromissorem ac vadem pro Anatolio exhibuerat; unde, quamdiu Marcianus vixit, nihil roboris admodum Canon XXVIII. obtinuit, quem ex Codice Canonum Ecclesiæ Orientalis omnino expunctum fuisse, argumento est antiqua Collectio Græca à Dionysio exiguo Latinè reddita, ubi viginti septem duntaxat Canones recensentur, quem numerum pari calculo legere est apud Theodoretum, qui Concilio Chalcedonensi interfuit. Non diu acquievit Constantinopolitanorum ambitio, quin tempore Acacii, ac sedente Pontifice Simplicio pejùs accensa, in posteros successores Constantinopolitanos propagata est; quare Simplicio, Gelasio, Gregorio M., Nicolao I. aliisque Pontificibus usque ad Innocentium III. (teste Petro Damiani) sæpius cum novæ Romæ Episcopis de secundæ sedis prærogativa, ac de jurisdictione in tres autocephalas Diœceses decertandum fuit; quibus sudoribus id solum impetrârunt, ut à nomine abstinentes, rem Constantinopolitani tenerent. Liberatus quippe de Canone XXVIII. loquens, inquit (n): *Et licet sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris Patrocinio permanet quoque modo;* inde enim factum, ut in quinta, sexta, septima & octava Generalibus Synodis secundum locum occuparent Constantinopolitani Antistites, & trium Diœceseon administrationem usurparent. Tandem labente tempore frontem exuentes eò protulere animos, ut Canonem de secundæ sedis dignitate, ac de jure in tres Diœceses non tantùm Græci palàm inter Canones Chalcedonenses recenserent (o); sed & plures Provincias præter tres Exarchatus sibi adjicerent. Ex Nilo Doxo-Patrio (p) perdiscimus, Græcos suis augmentis non contentos, alios Archiepiscopatus triginta quinque de Patriarchatu Romano absorbuisse. Fragmentum de Episcopatibus

(m) Epist. Leonis ad Anatolium 71.

(n) Liberat. in Breviario.

(o) in Collect. Photii & Zonaræ.

(p) Nilus DoxoPatrius Tract. de 5. thronis Patriarchalibus ad Roger. Siciliæ Regem.

patibus Orientis ex prædicto Authore & ex Leone Allatio desumpsit Schelstrate (q): verùm quia sine ordine & lege permiscentur Provinciæ, Metropoles ac Episcopatus; meliore methodo eosdem Episcopatus, Diœceses, Provincias, & Metropoles Constantinopolitano Patriarchatui olim subjectas, & ex subscriptionibus Conciliorum excerptas hìc ad Lectoris usum subjiciemus

(q) Schelstrate Antiquit. Illustr. P. I. Diss. I. c. 3. Art. 4.

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS.

CONSTANTINOPOL. URBS, * SEDES PATRIARCHÆ.

Sub Patriarchatu Constantinopol. Diœceses tres: Thracia, Pontus, Asia.

IN DIOECESI THRACIÆ.

Provinciæ VI.

I. EUROPA.

Metropol. Heraclea Thraciæ.

Civitates Episcopales. Bizya, Eudoxiopolis sive Selymbria, Cœla, Aphrodisias, Arcadiopolis, Drusipara &c.

II. RHODOPE.

Metropol. Trajanopolis.

Civ. Episc. Maximianopolis, Maronea, Aenos, Toperus, Cypsela.

III. THRACIA.

Metropol. Philippopolis.*

Civ. Ep. Berœa vel Berrhœa, Diocletianopolis.

IV. HÆMUS MONS.

Metropol. Hadrianopolis.

Civ. Ep. Develtum, Sozopolis, Anchialus.

V. MOESIA SECUNDA.

Metropol. Marcianopolis.

Civ. Ep. Dorostorum, Achrytus, Apiaria, Nicopolis, Novæ, Odessus.

VI. SCYTHIA.

Tomi.

Item. Chersona.

IN DIOECESI PONTI.

Provinciæ XI.

I. BITHYNIA.

Metropol. Nicomedia.

Nicæa, * *Metropolis.*

Chalcedon, * *Metropolis.*

Civ. Episc. Apamea, Prusa, Apollonias, Cius, Cæsarea, Basilinopolis, Hadrianopolis, Helenopolis &c.

II. HONORIAS.

Metropol. Claudiopolis.

Civ. Ep. Tion, Heraclea Ponti, Cratia, Hadrianopolis.

III. PAPHLAGONIA.

Metropol. Gangra.*

Civ. Episc. Pompejopolis, Jonopolis, Amastris, Dadybra, Sora.

IV. GALATIA PRIMA.

Metropol. Ancyra.*

Civ. Ep. Tabia, Aspone, Cinna, Lagania, Mnizus &c.

V. GALATIA SECUNDA.

Metropol. Pesinûs.

Civ. Ep. Thermæ, Eudoxias, Amorium, Trocmi, Orsistus &c.

VI. CAPPADOCIA PRIMA.

Metropol. Cæsarea.

Civ. Episc. Nyssa, Thermæ imperiales, Camuliana.

VII. CAPPADOCIA SECUNDA.

Metropol. Tyana.

Civ. Ep. Nazianzus, Colonia, Cybistra, Parnasus, Sasima, Faustinopolis, Doara, Justinianopolis, al. Mocisus.

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS.

Sedes Patriarchalis.
Metropolis Ecclesiæ.
Locus Concilii Generalis.
Locus Concilii Provincialis.

PONTUS EUXINUS

MARE ÆGIUM

MARE MEDITERRANEUM

MARE CILICIUM

MARE PAMPHYLIUM

MARE RHODIUM

MARE SYRIACUM

DACIÆ ANTIQUÆ PARS

TAURICA CHERSONESUS

SCYTHIA

MOESIA INFER.

THRACIA

MACEDONIÆ PARS

PROPONTIS

CONSTANTINOPOLIS

PAPHLAGONIA

HELLENOPONTUS

PONTUS POLEMONIACUS

CAPPADOCIA

ARMENIA

LAZICA

GALATIA

PHRYGIA SALUTARIS

PHRYGIA PACATIANA

BITHYNIA

LYCAONIA

PISIDIA

PAMPHYLIA

ISAURIA

CILICIA

LYCIA

CARIA

ASIA MINOR

HELLESPONTUS

CRETA INS.

CYPRUS INS.

ACHAIÆ PARS.

PELOPONNESI PARS

Lesbos Ins.

Chios Ins. et v.

Andros I. et v.

Tenos Ins. et v.

Myconus I.

Icaria I.

Samos I. et v.

Leria I.

Cos I. et v.

Rhodus I. et v.

Amorgus I.

Astypalæa I.

Melos I. et v.

Rhena I.

Cythnus I.

Thera I. et v.

Ephesus

Smyrna

Sardis

Chalcedon

Nicæa

Nicomedia

Ancyra

Amasia

Sebastia

Cæsarea

Iconium

Tarsus

Salamis sive Constantia

Sinope

Trapezus

Melitene

Euphrates Fl.

Bosphorus

Chersonesus

Odessus

Marcianopolis

Philippopolis

Heraclea

Laodicea

Miletus

Halicarnassus

Antiochia

Side

VIII. HELENOPONTUS.

Metropol. Amasia.

Civ. Ep. Zela, Sinope, Andrapa, Ibora, Amisum.

IX. PONTUS POLEMONIACUS.

Metropol. Neocæsarea.*

Civ. Ep. Trapezûs, Polemonium, Cerasûs, Comana Ponti.

X. ARMENIA PRIMA.

Metropol. Sebastia.

Civ. Ep. Sebastopolis, Nicopolis, Satala, Verissa, Colonia, Heracleopolis.

XI. ARMENIA SECUNDA.

Metropol. Melitene.

Civ. Ep. Ariarathia, Comana Armeniæ, Arabissus, Cucusus, Arce.

APPENDIX.

ARMENIA MAGNA.

Civ. Ep. Theodosiopolis Armeniæ, Sophena, Belabitena, Justinianopolis, Ingilôn Cannorum Persarmeniæ &c.

REGIO LAZICA.

Civ. Ep. Phasis, Petræ.

BOSPHORUS, & REGIO ZECCHIA.

Civ. Ep. Bosphorus, Zecchia.

IN DIOECESI ASIÆ.

Provinciæ XI.

I. ASIA.

Metropol. Ephesus. *

Civ. Episc. Smyrna, Pergamum, Assus, Colophon, Priene, Tralles, Clazomenæ, Ilium &c.

II. HELLESPONTUS.

Metropol. Cyzicus.

Civ. Episc. Dardanus, Parium, Troas, Ilium, Abydum, Lampsacum,* Prœconnesus &c.

III. INSULÆ.

Metropol. Rhodus.

Civ. Ep. Côs, Chios, Mitylene Lesbi, Tenedus, Lemnos, Naxia, Paros, Samus &c.

IV. LYDIA.

Metropol. Sardes.

Civ. Episc. Hierocæsarea, Philadelphia, Thyatira, Attalia, Tripolis, Mæonia &c.

V. CARIA.

Metropolis. Aphrodisias, al. Stauropolis.

Civ. Ep. Miletus, Antiochia, Heraclea Lathmi, Amyzon, Gnidus, Halicarnassus, Myndus &c.

VI. PHRYGIA PACATIANA.

Metropol. Laodicea.

Civ. Episc. Hierapolis, Cadi, Mossyni, Colossæ, Themisonium, Synnaus, Azana, Trajanopolis &c.

VII. PHRYGIA SALUTARIS.

Metropol. Synnada.*

Civ. Ep. Dorylæum, Cotyæum, Eucarpia, Nacolia, Polybotus, Prymnesia, Augustopolis &c.

VIII. LYCIA.

Metropol. Myra.

Civ. Ep. Patara, Limyra, Xanthus, Sidyma, Antiphellus, Phellus &c.

IX. PAMPHYLIA.

Metropol. Side.*

Metropol. Perge.

Civ. Ep. Syllæum, Magydus, Carallia, Coracesium, Syedra, Hadrianopolis, Termessus, Primopolis (al. Aspendus) Lyrba, Orymnus &c.

X. PISIDIA.

Metropol. Antiochia.

Civ. Episc. Philomelium, Apamea Pisidiæ, Siniandus, Parlaos, Seleucia, Sozopos, Laodicea,* Hadrianopolis &c.

XI. LYCAONIA.

Metropol. Iconium.*

Civ. Ep. Derbe, Lystra, Hyde, Homonades, Baratha, Amblada, Isauropolis, Vasada &c.

REFLEXIO VIII.

Scriptores sacri in sæculo V.

1. INter illustriores quinti sæculi Scriptores primus ordine venit S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, de cujus vita, rebúsque gestis, quia satis supra in Historiæ decursu dictum est (a); restat, ut quæ, & quo modo scripserit, pauca hìc addamus: Diaconus constitutus circa annum CCCLXXXI. ad scribendum se accinxit, librósque *adversus Judæos Gentiles, Anomæos, de Sacerdotio, de Providentia*, aliósque aliquot edidit. Anno CCCLXXXVI. in Ecclesia Antiochena Presbyterio initiatus, jubente Flaviano frequentes ad populum conciones habuit, præsertim eo tempore, quando Antiochia seditionis tumultibus ob dejectas Imperatoris statuas fervebat; cujus argumenti sunt celebriores *illæ 21. homiliæ ad populum Antiochenum.* Ab anno CCCXCVII. Constantinopolitanæ sedi impositus usque ad annum obitûs scilicet CCCCVII. infinita penè, & quæ Deus solus noverit (b), conscripsit: totam Scripturam commentariis ab illo expositam commemorat Cassiodorus (c). Nicephorus se lucubrationes ejus supra mille legisse asserit (d). Cæterùm scribendi methodum Photius in sua Bibliotheca ita deprædicat (e): *Dictio illius de more perspicua & pura, splendida insuper ac fluens apparet, multam interim tum sensuum varietatem, tum gratissimorum exemplorum copiam exhibens.* Inde authoritas Chrysostomi tanta apud Veteres fuit, ut S. Augustinus (f), Theodoretus (g), qui illum *Doctorem orbis terrarum* vocat, aliique Ecclesiastici authores ad illius sententias in libris suis provocent. Non minor Chrysostomi operum æstimatio apud posteriora sæcula extitit; nam sæpe sudatum est, ut thesaurus aurearum lucubrationum tum linguâ Græcâ, tum versione Latinâ evulgaretur. Græcam editionem magno studio congessit Henricus Savilius *Etonæ* in Anglia a. 1613. Latinè opera prodiêrunt primò *Venetiis* a. 1503. in duobus Tomis: & postea in Tomis quinque a. 1574., quâ editione adhuc minùs perfectâ usus est Bellarminus (h). *Basileæ* quoque multoties Prælum subierunt, scilicet a. 1522. 1530. 1547. 1558. *Parisiis* viderunt lucem a. 1524. 1543. 1546. 1556. 1576. 1581. 1588. Demum curâ P. Frontonis Ducæi accuratior Parisiis editio perfecta est sex Tomis, quibus Labbeus jungendos putavit quatuor Tomos Commelianos, 1603. *Heidelbergæ* impressos, qui Chrysostomi commentarios in Novum Testamentum continent; quam Græco latinam editionem recudit Parisiis Morellus, inque undecim Tomos distinxit, ac recentiùs Bernardus Montfaucon è Congreg. S. Mauri. Nos ordinem Commentariorum à Frontone Ducæo S. J. observatum hìc sequemur. IN TOMO itaque PRIMO a. 1609. impresso *Fronto* collocat *Homilias 21.* ad *populum Antiochenum*, & 56. *alios sermo-*

(a) vide supra pag. 436. item 697. & à 707. . . . ad 715.

S. Joannes Chrysostomus floruit ab anno 381. ad an. 407.

(b) Suidas in voce Ἰωάννης.

(c) Cassiod. div. lect. Præf.

(d) Niceph. l. 13. c. 2.

(e) Photius Cod. 172.

(f) August. l. adv. Pelagianos.

(g) Theod. in Dialog.

(h) Bellarmin. de script. Eccl.

sermones de variis virtutibus & *de Sanctis*: inter hos penultimus est *de Anathemate*, quem aliqui abjudicant Chrysostomo; eoquòd in eo videatur Ecclesiæ Præsulibus negare excommunicandi potestatem. Verùm ratio non subsistit; nam S. Pater ibi loquitur tantùm de populo, & de Laicis Antiochenis, qui post Meletii obitum per Flaviani & Paulini schisma distracti, sibi invicem sine Ecclesiasticâ authoritate anathema infligebant (i). IN TOMO II. habentur 75. *homiliæ in Genesin*, 5. *sermones De Anna & Samuele*, *tres homiliæ De Saule & Davide*, *sermo contra Ignaviam*, *Dialogus de vita S. Joannis Chrysostomi inter Palladium Ep. Helenop. & Theodorum Diacon. Rom.*, *homilia ad Neophytos*, ex qua Augustinus l. 1. contra Julian. c. 2. fragmentum citat &c. IN TOMO III. anno 1614. impresso continentur *homiliæ & sermones in Psalmos*, & *Commentarius in Esaiam.* IN TOMO IV. extant *libri 6. de Sacerdotio*, de quibus Sigebertus ait (k): Joannes sub sua, & sui Amici Basilii Persona scripsit Dialogum de honore & onere Sacerdotii, & quanta sit dignitas & potestas vel gravitas Sacerdotum. *De Providentia libri tres*; *De Virginitate*, *Adversus vitæ Monasticæ Vituperatores*, *In Eutropium Eunuchum*, cùm Asylum apud altare sacrum quæreret: *Liturgia*, de qua, quod genuinum sit opus Chrysostomi contra Rivetum, testimonium afferimus (l) ex Guilielmo Cave Anglo, qui ita ait: "Eadem hujus, quæ & Basilii Liturgiæ ratio, composita videtur in usum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, sed variis sæculis pro cujúsque genio interpretata, communi tamen usu apud Græcos etiam hodie habetur.„ *Sermo Chrysostomi, antequam iret in exilium; item sermo post reditum: variæque Epistolæ ejusdem.* TOMUS V. a. 1616. impressos complectitur 70. *sermones in varia loca V. & N. Testamenti, ínque alias materias.* VI. TOMUS exhibet 73. sermones, quos Fronto Ducæus abjudicat Chrysostomo, quia stylo ab aliis Chrysostomi operibus diverso conscripti sunt: cùm tota dramatica sit oratio, & ex Prosopopœiis conflata, sæpe commatica & concisa, atque ad allegorias traducta, collationibus carens, alíisque leporibus, qui Chrysostomo sunt familiares. Auctorum tamen sunt (inquit) vel Chrysostomo coævorum, vel ex erudita illa antiquitate, quæ ab ejus ætate non multùm abfuit (m).

(i) Vide hic Sixtum Senens. in Biblioth. l. 6. item Natal. Alexand. in sæc. IV. c. 6. p. 160. 161.

(k) Sigebertus c. 36. Catalogi.

(l) Guiliel. Cave in sæc. Arian. p. 189.

(m) Labbe in Tom. I. in V. Chrysost.

Opera dubia ab aliis coævis composita, & Chrysostomo supposita.

1. *Unum & eundem esse Legislatorem utriusque Testamenti.*
2. *In illud Genes.* 1. Vidit Deus cuncta.
3. *In illud*: Faciamus hominem.
4. *In Dictum Abrahami*: Pone manum tuam. *Gen.* 24. *v.* 10.
5. *De serpente Æneo. Num.* 21.
6. *De Justo & B. Job sermones IV.* . . .
10. *In illud Psalmi* 58. Veruntamen frustra. . . .
11. *In Psalmum* 83. Et turtur nidum.
12. *In Eliam Prophetam sermo.*
13. *De Joseph & Castitate sermo.*
14. *De Susanna. Dan.* 13.
15. *De tribus pueris.*
16. *De sigillis librorum. Esai.* 46.
17. *De fide & lege naturæ.*
18. *De SS. Trinitate.*
19. *De S. & adorando Spiritu.*
20. *De Pentecoste.*

21. *In illud Joan.* 1. In principio erat Verbum.
22. *De occursu & Simeone.*
23. *In Theophania Domini.*
24. *De Nuptiis. Joan.* 2.
25. *De Christo Pastore & ove. Joan.* 10.
26. *In decollationem Joannis Bapt.*
27. *In Venerabilem Crucem & de transgressione Adami.*
28. *In Dimissionem Cananaeæ. Matth.* 15.
29. *In præcursorem Domini.*
30. *In SS. Apost. Petrum & Paulum.*
31. *In duodecim Apostolos.*
32. *In S. Thomam Apostolum.* Citatur tamen hic sermo sub Chrysostomi nomine à Concilio Lateranensi a. 650. celebrato, & à Synodo VI. Act. 10.
33. *In Stephanum Protomartyrem.*
34. *In illud* 1. *Cor.* 2. Sufficit tibi gratia.
35. *In Annuntiatione Deiparæ*, habetur hic sermo etiam inter opera Gregorii Neocæsareensis.
36. *In Theophaniam & Joann. Baptistam.*
37. *In Parabolam de filio prodigo.*
38. *In Saltationem Herodiadis.*
39. *In illud Matth.* 13. Collegerunt Judæi Concilium.
40. *In decem Virgines. Matth.* 25.
41. *In Meretideam & Pharisæum. Luc.* 7.
42. *In Parasceve.*
43. *In Samaritanam. Joan.* 4.
44. *De cæco à Nativitate. Joan.* 9.
45. *In triduanam Christi resurrectionem.*
46. *In Ascensionem Christi sermones IV.* ...
50. *Bonum Christi discipulum benignum esse.*
51. *De Pseudo-Prophetis.*
52. *De Circo oratio.*
53. *In Salvatoris Nativitatem.* Citatur tamen à Cyrillo Alex. in Concil. Ephesinam in libro ad Reginas scripto ex hac oratione profertur testimonium.
54. *In illud Lucæ* 2. Exiit edictum à Cæsare.
55. *In oraculum Zachariæ redditam.*
56. *In Conceptionem Joannis Bapt.*
57. *In illud Matth.* 6. Attendite, ne Eleemosynam.
58. *De fugienda simulata specie.*
59. *De Muliere, quæ sanguinis fluxum passa.*
60. *De Patrefamilias & operariis. Math.* 20.
61. *In Parabolam de ficu arefacta. Math.* 21.
62. *De Pharisæo & Convivio. Luc.* 11.
63. *De Lazaro & Divite. Luc.* 16.
64. *De Publicano & Pharisæo. Luc.* 18.
65. *De Cæco & Zachæo.* ibid.
66. *Religiosum facetiis uti non debere.*
67. *De S. Joanne Theologo.*
68. *De Adoratione S. Crucis.*
69. *De Confessione S. Crucis.*
70. *De Negatione Petri.*
71. *De jejunio & Eleemosyna.*
72. *In sacrum Pascha.*
73. *In secundum Domini Adventum.*

His omnibus dum suas notas apposuit Fronto Ducæus; id quoque cautè subjunxit: neque verò, inquit, mirum quosdam ex illis in antiquis etiam Synodis sub nomine Chrysostomi citari, cùm jam in usu essent in Ecclesiis; neque soleant Concilia, dum testimonia proferunt, in auctores inquirere, aut alias quæstiones excutere ab ea diversas, quàm præ manibus habent, sed quæ passim offeruntur, usurpare, & quâcunque ratione receptos scriptores Hæreticorum commentis opponere, quemadmodum & Apostoli, ac reliqui Patres apocryphos libros, ut Hermæ Pastoris, & Evangelium Hebræorum ac Nazaræorum citârunt. Præterea monet Ducæus, se non ita stare suo judicio, ut non simul Lectori erudito relinquat optionem, quâ vera & genuina à suppostitiis distinguat. Nam uti diversa sunt ingenia, affectionésque; ita varias crises reperias atque censuras; & quod opus uni est genuinum, alteri supposititium videtur: ita ex Savilii & Ducæi sententia *sermo de uno & eodem Legislatore utriusque Testamenti* est alterius à Chrysostomo; Pearsonus econtra contendit, esse fœtum proprium S. Doctoris. Photius homiliam secundam In decollationem Baptistæ & de Herodiade propter styli discrepantiam, & humilitatem rejicit: verùm Savilius Homiliam In dimissionem Cananææ ab aliis rejectam probat, licèt languidiusculè scripta sit; quia dicit plurimas Chrysostomi homilias genuinas etiam stylo ab aliis differre. Nam cùm Chrysostomus sæpe ex tempore dicere, & præmissis duntaxat ad Deum precibus verba ad populum facere debuerit; æquabili ratione ac tenore semper perorare haud potuit, quæ tamen dicta à Notariis illico exce-

excepta, & transcripta ad posteros æquè; ac aliæ lucubrationes studio singulari elaboratæ pervenerunt. Unde Montfauconii censura nobis displicet, quam tulit de homilia in Psalmum XCIV.; dum hanc inter spurias rejectans ait: *Est inficetum opusculum, puerilibus exclamationibus, interrogationibus aliisque tropis ad nauseam usque refertum, nihilque habens Chrysostomo dignum.* Ac ne ex suâ penu crisin solus afferre videatur, ad Savilium provocat. Equidem Etonensis Savilii editio ad manum modò nobis non est; Guilielmus tamen Cave (itidem Anglus) Savilianas Censuras Morellianis tomis annectens, nil adducit, quo Psalmus nonagesimus quartus à Savilio in suspicionem vocaretur; ibi enim tantùm homiliæ in eos Psalmos dubiæ pronunciantur, quos Fronto Ducæus putavit esse Theodoreti Commentarios, nempe homilia in Psal. 38. 83. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. & 118., quibus Guilielmus Cave ex Savilii censura duas homilias addit in Psalmum 92. *sustulerunt flumina* & in Psal. 75. *vovete & reddite.* At quia Dupinius in Bibliotheca sua hanc homiliam quoque in Psalmum 94. inter supposititias collocat, citátque pro se Etonensis editionis Tom. VII. pag. 561.; ideo plus aliquid largiemur, nempe forsan Savilium hanc homiliam Chrysostomo abjudicâsse: ex hoc nihilominus homilia illa jure suo, quod Veteres & Recentiores doctissimi Viri Fronto Ducæus & Cotelerius, Sixtus Senensis, aliíque tribuerunt, necdum excidit. Idem esto judicium de Psalmo 95. & de aliis operibus, quæ ex Chrysostomi Catalogo Dupinius & Montfauconius amandant. Cùm enim Savilius (teste Guilielmo Cave pag. 201.) ipse affirmârit, Chrysostomum quandóque *languidiusculè* scripsisse: & Pearsonus (ut videre est in Vindiciis Ignatianis P. I. c. 9.) in hanc partem pugnet, libros non ex quacunque styli diversitate discerni oportere; facilè concludimus, moderatâ crisi ad voluminum genuinorum examen opus esse: non asperâ & præacutâ securi, quâ quis totam lucubrationum sylvam pro affectione aut ingenio suo exscindat. Sed si quis tamen sibi largiùs indulgens, aut unius authoritate nixus aliquid ejusmodi attentaret; non est tamen, cur alium reprehendat, qui ad dogmata stabilienda Veteris Ecclesiæ ad ejusmodi scripta, quæ unus ancipitis styli accusat, provocet: ùt enim Ducæus asserit, scripta illa, etsi Chrysostomo abnuantur, ab authoribus tamen coævis & in doctrina sanis conscripta sunt; quæ ratio olim fuit, cur Synodus Lateranensis, & Synodus sexta Oecumenica etiam teste Savilio (apud Guilielmum Cave pag. 201.) quædam citârint, quæ à Ducæo, Savilio, Sixto Senensi & aliis supposita habentur.

Dum Fronto Ducæus in VI. Tomos opera Chrysostomi congerebat; reliqua, quæ ad novum Testamentum Pater scripserat, edenda non putavit; quia Heidelbergæ operâ Commelii a. 1603. quatuor Tomis evulgata jam fuerant: inde igitur laborem suppleri suum Ducæus voluit. PRIMUS TOMUS COMMELIANUS ex his complectitur *Homilias 91. in Matthæum* & *Opus* aliud, quod *imperfectum* dicitur *in Matthæum*, eoquòd solum ad 25. Matthæi caput perducitur: citatur illud sub Chrysostomi nomine in Ecclesiasticis officiis, in Decreto Gratiani, in Glossa ordinaria, in Catena aurea, & in summa S. Thomæ; nihilominus Critici omnes meritò negant hoc opus esse Chrysostomi. Dogmata enim hæretica, & sancto ac orthodoxo Antistiti contraria venditat: nimirum in Hom. 3. negat animam aquæ baptismo sanctificari, & Hom. 4. vocat Spiritum S. Filii Ministrum. Hom. 7. inficiatur Hæreticorum baptismum valere, Hom. 25. docet solam animam & non corpus esse de substantia hominis. Hom. 48. Homousianos Hæreticis adnumerat. Ultimus hic error Authorem

Quatuor Tomi Commelianæ editionis de operibus S. Chrysostomi in N. Test.

Quis Author operis imperfecti in Matthæum?

rem MALDONATO suspectum de Arii hæresi fecit, qui in c. 8. Matthæi Auctorem Arianum fuisse censet; citari autem eundem, quia illi antiquitas & eruditio & subtilitas interpretandi authoritatem tribuerunt; nam sic Tertullianum & alios nonnullos, quos Hæreticos fuisse scimus, sæpe adducimus in testimonium. SIXTUS verò SENENSIS putat opus non ab Hæretico authore compositum, sed ab Hæreticis interpolatoribus corruptum, quia exemplaria quædam vetustissima nihil continent hujusmodi errorum; vel aliâ manu sententias illas adscriptas ad marginem habent. *Secundò* quia expunctis quibusdam additamentis, integra adhuc & sana fluit oratio. *Tertiò* quia idem Author Hæreticis hom. 44. exprobrat, quòd ex perversa interpretatione *filium omnino Patre minorem* dicant, *cùm secundum dispensationem carnis dicatur minor*. SECUNDUS TOMUS continet Homilias 87. in Joannem. TERTIUS Homilias 53. in Acta Apostolorum. QUARTUS Homilias plures in varias Pauli Epistolas, quibus additur sub finem Andreæ Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ commentarius in Apocalypsim. Ad Calcem operum Chrysostomi notat Fronto Ducæus, quod *expositio in Marcum* sit opus Monachi cujusdam, ídque ex authoritate Sixti Senensis, Bellarmini, aliorúmque confirmatur. In eandem suppositorum librorum massam *Epistolam ad Cæsarium*, congerunt plures non tantùm Catholici, sed & contrariarum partium Gesnerus, Simlerus, & Frisius, tum quia Author contra Eutychem agit Chrysostomo posteriorem, tum quia in nullis MSS. reperitur: nec antè visa est, dum in Anglia adversus Catholicam fidem de transubstantiatione panis & vini in corpus Christi & sanguinem disputarent; eo enim tempore primò Epistolam illam publicatam ajunt Catholici, quâ contra Eutychianos probatur manere duplicem naturam divinam & humanam in Christo neque confundi; hoc exemplo ab Eucharistia accepto, nempe panem post Consecrationem amittere quidem nomen panis, vocaríque corpus Christi, sed nihilominus manere in natura tum panem: licet duo corpora ibi esse non dicantur, sed unum Corpus Christi. Hic error, si quidem Chrysostomi foret, absterrere deberet Catholicos, quo minùs illam Epistolam assererent genuinam; sunt nihilominus cum Frontone Ducæo & Dupinio, & Natali Alexandro, qui eam vindicent: neque enim inquiunt realem Christi præsentiam in Eucharistia ita everti, sed stabiliri. Epistola quippe affirmat corpus esse Christi post Consecrationem: panem autem manere in natura, hoc est in naturalibus quibusdam accidentibus & speciebus (n). Præterea Natalis Alexander testatur eam Epistolam inventam esse ab Emerico Bigotio in Bibliotheca Florentina, citaríque à Græcis Anastasio & Nicephoro (o).

An expositio in Marcum S. Chrysostomo tribuenda?

An S. Chrysostomus scripserit Epistolam ad Cæsarium?

2. S. HIERONYMUS (cujus vitam in Historia (p) jam sparsim exposuimus) Stridone in Dalmatiæ, Pannoniæque confinio, Patre Eusebio Chri-

(n) vide Dupinium in Biblioth. T.III. p.38.

(o) Natal. Alex. Hist. Eccl. sæc. IV. c 4. a. 29. n. 8.

(p) vide supra Hist. sæc. V. Eccl. in c. 2

Christiano natus est circa annum CCCXXIX. Romæ sub Donato & Victorino literas humaniores professus, ac baptizatus comite Bonoso abiit in Galliam, & perlustratis variis Bibliothecis aliquantùm Treviris moratus, Hilarii ibidem de Synodis librum descripsit: relecto subinde Aquilejam itinere in Rufini ejus urbis Presbyteri consuetudinem venit; Monastici demum studii amore cum sociis Heliodoro, Innocentio & Hyla Evagrium Antiochenum in Orientem secutus est, ubi circa an. CCCLXVII. in solitudine horrida Syros inter & Agarenos per quadriennium Ascesi sacrâ, simúlque Hebraicis literis se excoluit. Tantis laboribus debilitatus Antiochiam contendens, Ecclesiam invenit Meletii & Paulini schismate divisam: ignarus, cui se Episcopo jungeret, ex mandato Damasi Pontificis accedit partibus Paulini, à quo sub annum CCCLXXVIII. Hieronymus presbyterium eâ duntaxat conditione suscepit, ne simul uni alligatus Ecclesiæ, monasticam mutare vitam teneretur. Paulò ante Concilium Oecumenicum Constantinopolim profectus, Gregorio Nazianzeno in Theologicis dogmatis præceptore usus est: dein circa annum CCCLXXXII., quo Epiphanius & Paulinus Romam evocabantur, ipse quoque comes Italiam petiit. Eruditio viri fecit, ut Damasus ejus operam ad scribendas Epistolas, & ad transigenda alia Ecclesiæ negotia adhiberet; hi tamen labores adeò non totum occupârunt Hieronymum, ut lucubrationum etiam variarum studium eodem tempore absolveret. Nam hortante Damaso scripsit libellum *de visione Isaiæ* & *de filio prodigo*; *Origenísque duas homilias in Cantica* Latinè reddidit, *Psalterium* juxta versionem septuaginta interpretum emendavit, & Helvidium Deiparæ Virginitati injuriosum scripto volumine repressit: multorum etiam opinio est Hieronymum Romæ tunc scripsisse *Dialogum adversus Luciferianos*, quorum Antesignanus Arianos quantumvis pœnitentes recipi posse negabat: fuêre etiam piæ fœminæ, Albina & filia ejus Asella, Marcella, Paula, cúmque tribus filiabus Blesilla, Paulina & Eustochio, Prætextata, Læa, Fabiola, quas sanctus Doctor, Epistolis, expositione Scripturæ ad sanctioris vitæ propositum vel traduxit, vel in eo firmavit. Mortuo Damaso sub annum CCCLXXXV. injuriis Romanorum pressus Hieronymus cum Pauliniano fratre in Orientem rediit: Epiphanium Cypri, Paulinum Antiochiæ Episcopos invisens, demum ad Hierosolymæ sacra loca pervenit; inde anno sequente Alexandriam digressus Didymum audiit & Monasteriis Nitriæ lustratis, offensus à noxiis erroribus Origenis (quos solitarii altùm sibi inculcatos habebant) Bethlehemium posthac pro asceseos & studiorum domicilio delegit (p); ubi scripsit adversus Jovinianum an. CCCXCII., *Eusebii Chronicon* continuavit an. CCCXCV. oppugnavit interpretationem librorum Periarchon an. CCCXCIX., Rufinum Origenis Patronum duplici Apologiâ contrivit an. CCCCI. Vigilantio in Martyrum reliquias & Sacerdotum castitatem

S. Hieronymus floruit ab anno 378. ad a. 420.

Scripta Hieronymi secundùm Chronotaxin digesta.

(p) vide Pagii Tom. II. Critic. in Annal. Baronii.

tem debachanti librum oppoſuit a. CCCCVI.: ſcripſit Commentarios in Eſaiam a. CCCCIX., in Ezechielem a. CCCCX., in Jeremiam a. CCCCXII. Pelagianos inſectatus eſt tribus Dialogorum libris a. CCCCXV. poſt hos alioſque labores è vivis deceſſit Bethlehemii anno Chriſti CCCCXX., ætatis XC. *Philoſophus* erat, *Rhetor*, *Grammaticus*, *Dialecticus*, *Hebræus*, *Græcus*, *Latinus*, *Trilinguis*, utì de ſe adverſus Rufinum loquitur (q). De ejus eloquentia Eraſmus ita tulit ſententiam: *In illo quæ phraſis! quod dicendi artificium! quo non Chriſtianos modò omnes longo poſt ſe intervallo reliquit, verùm etiam cum ipſo Cicerone certare videtur* (r). Præterea *Theologorum Princeps* vocatus, conſulebatur à Pontifice Damaſo & Auguſtino, aliiſque Occidentis viris doctiſſimis. Prodierunt opera Hieronymi, curâ Eraſmi *Baſileæ* 1516. 1526. 1553. *Romæ* 1566. 1572., quam editionem ab erroribus Eraſmi purgatam commendat Bellarminus (s): *Pariſiis* 1533. 1546. 1579. 1602. 1623. *Antuerpiæ* curâ Marii Victorini 1578., quibus editionibus addidit aliam Joannes Martianay Congregationis S. Mauri Monachus ab anno 1693. ad a. 1706. in V. Tomis. Nos cum Dupinio Marii Victorini diviſionem ſequimur, IX. Tomis contentam.

(q) Adv. Rufin. Apolog. 2.

(r) Eraſm. Epiſt. lib. 5. ep. 19.

Editiones operum S. Hieronymi.

(s) Bellarm. de ſcript. Eccleſ. p. 40.

TOMUS I. complectitur PANEGYRICA, & PARÆNETICA, ſcilicet Epiſt. 49. ad Heliodorum, Nepotianum, Ruſticum, Gaudentium, Oceanum, Pammachium: ad Lætam, Salvinam, Furiam, Ageruchiam, Marcellam, Principiam, Euſtochium & ad Paulam, quibus Hieronymus vel ſolitariæ vitæ, vel caſtitatis, aliarúmque virtutum ſtudium commendat; Epiſtola tamen 14. ad Celantiam (quæ immiſcetur) non Hieronymi, ſed Paulini eſt Nolani Epiſcopi (t): item Epiſtola 40. ad Auguſtinum dubia eſt. Poſt Epiſtolas collocantur vitæ SS. Pauli Eremitæ, Hilarionis, & Malchi Monachi, cum Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, de quo ipſe Hieronymus ita ſcribit: *Scripſi librum de illuſtribus viris ab Apoſtolis usque ad noſtram ætatem, imitatus Tranquillum, Græcúmque Apollonium, & poſt Catalogum plurimorum me quoque in calce voluminis quaſi abortivum & minimum omnium Chriſtianorum poſui, ubi mihi neceſſe fuit, usque ad decimum quartum annum Theodoſii Principis, quæ ſcripſerim, breviter annotare.*

(t) Fronto Ducæus Guilielmus Cave &c.

IN SECUNDO TOMO continentur POLEMICA ſcripta, ſeu Epiſtolæ, ſeu libri contra Hæreticos vel calumniatores editi. I. Liber unus ſcriptus Romæ a. 383. *contra Helvidium*, qui ex Matth. c. 1. „Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens . . . Non cognovit eam Joſeph donec peperit filium ſuum primogenitum,“ inferebat B. Virginem poſt Chriſtum genitum alios ex Joſepho peperiſſe filios, qui Matth. 12. fratres Domini dicebantur. Sed Hieronymus oſtendit ex traditione perpetuam Virginitatem Deiparæ, & ſcripturam eos appellare fratres, qui ſunt de eâdem familia: porrò ex variis ſcripturæ locis probat, per *τὸ donec* non ſignificari ceſſationem, ſed ſæpe continuationem, dicíque hìc, quid ante par-

partum factum non ſit: non verò quid poſteà factum ſit enuntiari; hoc enim impertinens erat. II. Libri duo *adverſus Jovinianum*, delirantem, quod Virginitas non præſtet matrimonio, quódque baptizati in peccatum relabi nequeant. III. *Apologia ad Pammachium pro his adverſus Jovinianum libris*, in quâ mitigat, quæ duriùs antè in matrimonium dicta videbantur. IV. *Apologeticum ad Domnionem* eſt ejusdem argumenti & inter epiſtolas quinquageſima prima. V. *Epiſtola* 110. *ad Pammachium* de eadem materia. VI. *Adverſus Vigilantium epiſtola* 53. *ad Riparium Presbyterum*, ſcripta an. 406., in qua Hieronymus indignatur erroribus Hæretici, negantis cultum SS. & Reliquiarum. VII. Accepto Vigilantii libro per Riparium, *librum* oppoſuit integrum *adverſus Vigilantium*, in quo urget acerbiore ſtylo Adverſarium, ſimúlque tuetur Feſta SS., Vigilias, Peregrinationes, ſtatum Monaſticum, uſum Cereorum in Eccleſia, quibus Vigilantius contradicebat. VIII. *Epiſt.* 54. ſcripta an. 400. *ad Marcellam adverſus Montanum*, cujus errores ibi exponit. IX. *Epiſtola* 55. *ad Riparium*, quâ ſignificat Rufinum Palæſtinâ eſſe ejectum, item *duæ epiſtolæ ad Damaſum* de ſignificatione *hypoſtaſis*, item *de ſchiſmate Antiocheno*, ubi notanda ſunt verba Hieronymi, quæ in ep. 57. adhibet: *Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit ... ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* X. *Dialogus adverſus Luciferianos*, in quo Hieronymus ſub nomine orthodoxi probat Epiſcopos (qui cum Ario ſenſerant, aut Arimini lapſi fuerant) præſtitâ ſatisfactione recipiendos, neque hæreticos rebaptizandos eſſe. In hoc Dialogo occaſione Ariminenſis Concilii iſta verba ſcribit: tunc *abolitum eſt uſiæ nomen* pro ſarcienda pace, quando nimirum in cæteris ſe conſentire cum Catholicis Ariani finxerant; tunc *Nicænæ fidei conclamata damnatio, & totus ingemuit orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.* XI. *Epiſtola* 59. *ad Avitum*, ubi declarat, quæ in libris Origenis περὶ ἀρχῶν continentur. XII. *Epiſtola* 60. *Epiphanii* ab Hieronymo verſa, in qua Epiphanius ſe *Joanni Hieroſolymitano* excuſat, quod Presbyterum ordinârit in ejus Diœceſi, ipſo non conſulto: dein, ut Origenis errores deponat, hortatur. XIII. *Epiſt.* 61. *ad Pammachium adverſus errores Joannis Hieroſolymitani*, quam Apologiæ Joannis opponit, huncque trium præcipuè errorum reum convincit, ſcilicet de cognitione filii Dei, de præexiſtentia animarum, & de reſurrectione corporum. XIV. *Epiſt.* 62. *ad Theophilum Alexandrinum adverſus Joannem Hieroſolymitanum*, in quâ Hieronymus ſe ad pacem cum Joanne ineundam promptum exhibet; ſi is vi, & comminationibus abſtinuerit: defendit ibidem latinam ſuam Origenis Verſio-

nem, & Pauliani fratris ordinationem. XV. *Præfatio Rufini in libros περὶ ἀρχῶν Origenis*, quæ dissidii totius inter Hieronymum & Rufinum causa fuit: cùm enim hic Origenem ab erroribus purgaret, & ejusdem secum esse sententiæ Hieronymum fingeret; ab hac macula Hieronymus se multis lucubrationibus vindicare studuit. Itaque XVI. hujus argumenti Ep. 65. dedit *ad Pammachium & Oceanum*, & subinde *ad Rufinum* Ep. 66. XVII. *Apologia Hieronymi adversus Rufinum* tribus libris contenta. XVIII. *Ep.* 68. *ad Ctesiphontem adversus Pelagium*, in qua a. 411. incepit confutare tria dogmata Pelagii, nempe de hominis Apathia, de solis liberi arbitrii viribus, & de immunitate hominis à peccato sine gratia; hæc eadem latiùs executus est anno 415. in *Dialogo*, in quo sub nomine Critobuli, & Attici Catholici omnino Pelagii errores elidit. XIX. His sub finem adduntur variæ Epistolæ, inter quas præcipuæ S. Augustini ad Hieronymum, quibus ille hunc a. 395. monebat, ut factam in ep. ad Galat. 2. expositionem de simulatione Petri & Pauli corrigeret; eoquòd à mendacio illa simulatio abesse non posset. Præterea rogabat Augustinus, ut, cùm Hieronymus verteret in latinum scripturas, septuaginta potiùs interpretum versionem, quam textum Hebræum sequeretur: vel saltem signa apponeret, ut quid inter Hieronymi, & septuaginta interpretum versionem distet, appareat. Hieronymus primùm Augustino respondens sua tuitus est; ad alteras tamen Hipponensis Præsulis literas siluit, quare videtur mentem de simulatione Petri (uti urgebat Augustinus) mutâsse.

IN TOMO III. habentur EXEGETICA sive expositiones scripturarum. I. *Ep.* 103. *ad Paulinum de singulis scripturæ libris.* II. *Ep.* 104. *ad Desiderium*, sive præfatio in versionem Pentateuchi, ubi simul ostendit mancam 70. interpretum editionem esse. III. Sequuntur variæ Præfationes in varios libros sacræ Scripturæ diversis inscriptæ. IV. *Epist.* 123. & *Ep.* 124. *ad Damasum*: prima est præfatio in 4. Evangelia, altera quæstiones quasdam difficiles ex Genesi resolvit. V. *Ep.* 125. *ad Evagrium*, ubi agit de eo, quis Melchisedech fuerit. VI. *Ep.* 126. & 128. *prima ad Fabiolam* tractat de mansionibus Israëlitarum, altera de vestitu Sacerdotum. VII. *Epist.* 130. *ad Marcellam*, cui Ephod & Theraphim exponit. VIII. *Ep.* 131. *ad Rufinum*, continet explicationem allegoricam duarum mulierum coram Salomone litigantium, quas ait esse figuram Ecclesiæ & Synagogæ. IX. In *Ep.* 132. *ad Vitalem*, difficultatem evolvens de annis Salomonis & Achaz notat: *Multa & alia dicuntur in scripturis, quæ videntur incredibilia, & tamen vera sunt.* X. *Ep.* 133. *ad Marcellam* est crisis in Commentarium Reticii in Cantica Canticorum. XI. *Ep.* 134. *ad Sophronium* continet notas in Psalmos. XII. *Ep.* 135. *ad Suniam & Fretellam* loca difficiliora ex Psalmis explicat. XIII. In *Ep.* 136. *Marcellæ* exponit decem nomina, quæ Deo Hebræi tribuunt. XIV. *Ad Cyprianum Ep.* 139. com-

complectitur Exegesin Psalmi 89. XV. Sequuntur adhuc aliæ Epistolæ plures variis inscriptæ, in quibus difficiliora scripturæ loca rogatus interpretatur & exponit. *Adverte* huic Tomo includi etiam *Traditiones Hebraicas in libros Regum*, quas non esse Hieronymi inde conficies, quia in Catalogo de scriptoribus enumerans sua scripta, de his silet.

IN TOMO IV. sunt *Commentarii in quatuor majores Prophetas*, nimirum 16. libri in Esaiam, sex libri in Jeremiam, quatuor libri in Ezechielem, & unus liber in Danielem. *Commentarii in Threnos* hìc quoque reperti, sunt Rabani; quia ex Gregorio M. ibi quædam citantur.

IN TOMO V. habentur *Commentarii in Ecclesiasten* & *in duodecim minores Prophetas*.

IN TOMO VI. continentur expositiones in libros N. Testamenti, ubi quoque habetur Tabula *concordantiæ quatuor Evangelistarum*, quatuor Commentarii *in Evangelium S. Matthæi*, in quibus eleganter explicat sensum literalem, cui quandóque moralem admiscet, quâ methodo etiam utitur; dum scribit *in Epistolas Pauli ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Titum & Philemonem*, quibus in hoc Tomo VI. subjungitur liber Didymi de Spiritu S. latinitate donatus à S. Hieronymo.

De VERSIONE V. TESTAMENTI à S. Hieronymo facta notanda sunt sequentia: I. Inter complures Latinas versiones, quæ jam olim fuerant in usu potissimùm erat apud Occidentales illa, quam Augustinus *Italam*, Hieronymus *communem* & *vulgatam*, Gregorius M. *Veterem* appellant: hæc ex septuaginta interpretum Græca versione in Latinam translata, primùm correcta est ab Hieronymo juxta Hexapla Origenis: dein aliam correctionem apposuit, in qua per duas cruculas signabat illos textus septuaginta interpretum, qui in textu Hebraico non inveniebantur, simúlque addidit è diverso ea, quæ ultra versionem septuaginta interpretum in Hebraicis Codicibus legebantur, quæ proinde Asterisco notabat: II. Labore hoc primo perfunctus ubi Hebraicæ linguæ pauló fructuosiùs se impenderat; rem Ecclesiæ utilem se facturum existimavit, si novam versionem ex Hebraico fonte exprimeret: causæ autem cur opus hoc aggrederetur, erant, tum quia variæ in Græcam 70. interpret. versionem corruptelæ irrepserant, tum quia reliquæ versiones factæ fuerant à Semichristianis & Judæis Apostatis, qui in odium fidei Christianæ multa Scripturæ loca vitiaverant: itaque his rationibus impulsus omnes libros, quos Hebræi in Canone ponunt, & libros Judith & Tobiæ in Latinum transposuit. Nova hæc versio malè sub initium accepta est; neque enim nisi ægrè Occidentales patiebantur septuaginta interpretum authoritatem (quæ semper in Ecclesia latina plurimùm valuerat) impugnari, unde Augustinus Ep. 10. & Ep. 19. Hieronymum ab hoc labore revocare studebat; Rufinus autem & alii Adversarii, Hieronymum velut corruptorem Scripturæ accusabant. III. Post S. Hieronymi obitum paulatim ejus versio authoritatem obtinuit apud multos; nam S. Augustinus eâ usus est in *speculo*: Gregorius M. posteà novam veteri planè antetulit l. 20. moral. c. 3.: tandem quasi per gradus prævaluit tacito potiùs usu, quam ullo (ante Concilium Tridentinum) decreto. Causæ autem, quæ persuaserunt, ut acciperetur versio nova, ex Sixto Senensi l. 8. Biblioth. 5. ita nobis redduntur: 1. quia necessarium erat habere translationem ex Hebræo immediatè factam, *ne Judæi de falsitate scripturarum Ecclesiis diutiùs insultarent*, uti ipse Hieronymus ait in Præf. in Isaiam. 2. Quia versio 70. in multis Paraphrasis potiùs erat, quam versio. 3. Ut hoc modo Latini *exultantem Græciam* compescerent, cederétque ille Græcorum fastus (sicut Hieronymus ait in

Præf. ad Esdram,) qui se Latinis ideo præferebant, quòd dicerent, nihil divinarum scripturarum habere Latinos, quod non à Græcis accepissent.

IN RELIQUIS TRIBUS TOMIS exhibentur OPERA DUBIA, & SUPPOSITITIA, quæ aliàs perperam sub Hieronymi nomine citantur: præcipua hìc adducemus

Supposititia. Ex T. VII. *Commentarii in Psalmos omnes* vide Sixtum Senensem & Bellarminum.

Ex T. VIII. *Commentarii in Job ad Vecterium* sunt Bedæ, vide Possevin. Bellarmin. Labbe.

Commentarii in Proverbia Salomonis sunt Bedæ.

Commentarii in omnes S. Pauli Epistolas, vide Sixtum Senens. Marium Labbe. Dupin.

IN T. IX. PARTE I. *Epistola ad Demetriadem* est Pelagii v. Dupin. Labbe., Natal. Alex.

Ep. *Ad Gerontii filias de contemnenda hæreditate* est Pelagiana v. Bellarm.

Ep. 8. *De cognitione divinæ legis* est Pelagiana: vid. Bellarm.

Ep. 10. *Ad Paulam & Eustochium de Assumptione B. V.*, eidem multa inserta sunt ex Epist. Leonis ad Flavianum scripta a. 448.

Ep. 16. & 17. *Damasi Symbolum & ejus explanatio* est Libellus Pelagii ad Innocentium Papam, vide Bellarmin. & Natal. Alexandr. p. 170.

Ep. 40. *De filio prodigo* est Pelagiana.

IN EJUSD. TOMI P. II. Sunt varia opera aliorum Authorum, utì Epistola *Paulini ad Sebastianum Eremit. Apologia Eusebii pro Origene, Tractatus Rufini de adulteratione librorum Origenis &c.*

IN EJUSD T. P. III. Habentur varia opera, de quibus dubitat Marius Victorinus, an sint Hieronymi ob styli diversitatem.

Regula Monachorum 41. capitibus contenta.

De Nativitate B. V. vide Baron. ad an. 388. § 101. qui Authorem dicunt antiquum esse, sed non Hieronymum.

De vitis SS. Patrum Antuerpiæ 1628. impressus curâ P. Rosweidi S. J. & collectus partim ex Hieronymo, partim ex aliis.

Indiculus de hæresibus Parisiis 1617. editus: vide Labbe.

Utì supposita opera & genuina discrevimus: sic nunc postremùm quorundam locorum (quæ in genuinis habentur) sensum proprium ab alieno distinguere necesse est: sunt, qui cum Dallæo ex Commentario in Sophoniam c. 3. malignè intelligunt, quasi Hieronymus ad Sacramentorum confectionem Ministri sanctitatem exegisset, dum ait: *Sacerdotes quoque, qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam, & necessariam esse tantùm solemnem orationem, & non Sacerdotum merita.* Verùm, qui sine acerbitate hæc eadem verba ponderant, invenient hìc agi non de confectione Sacramenti, sed hujus fructu & effectu assequendo. Alii indignantur Hieronymo, quod secundas Nuptias rebus fœdis comparet, Epist. 10. ad Furiam, ad Ageruchiam &c. At se ipsum ab hac crisi vindicavit in Apologia pro libris adversus Jovinianum. Alii siquando alios errores in genuinis operibus S. Hieronymi inveniunt, sciant S. Hieronymum multa non ex sua, sed aliorum mente referre; de hoc enim suorum operum Lectores monitos ipse voluit Apol. 1. adv. Rufin. *Ego*, inquit, *in Commentario ad Ephesios sic Origenem, Didymum & Apollinarium secutus sum, qui certè contraria inter se habent dogmata, ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt; quæ obscurè scripta sunt, plano sermone manifestant; multorum sententias replicant, & dicunt: hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur: illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis, & hâc nituntur ratione firmare; ut prudens Lector, cùm diversas expositiones legerit, & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet, quid verius sit, & quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet.*

3. S.

3. S. AURELIUS AUGUSTINUS natione Afer, Tagastæ in Numidia vivere cœpit an. CCCLIV. in natali urbe Grammaticum, dein Rhetorem & Causidicum Carthagine professus est. Anno CCCLXXXIII. Romam & inde post annum elapsum Mediolanum abiit ibidem eloquentiæ Magister futurus. A Manichæorum errore ad veram fidem ab Ambrosio conversus circa an. CCCLXXXV. ac biennio inter Catechumenos transacto baptizatus fuit an. ætatis trigesimo tertio, Christi CCCLXXXVII. Presbyter, utì fertur, ordinatus est circa Pascha anni CCCXCI. Demum Valerio Hipponensi Episcopo Coepiscopus adjunctus an. CCCXCV. tandem post oppugnatos Donatistas, debellatos Pelagianos & Manichæos, aliósque Hæreticos, Vandalis Hipponem obsidione prementibus obdormivit in pace an. Christi CCCCXXX. ætatis LXXVI., Episcopatus gesti XXXV. qui plura de vita, rebúsque gestis videre vult, consulat libros Confessionem ipsius Augustini & Possidium ejus biographum, tum ea, quæ supra sparsim in Historia Ecclesiastica de eodem S. Doctore prolata sunt. Cæterùm *ingenio* (a) felicissimus erat S. Augustinus sive si acumen spectes vel obscurissima facilè penetrans, sive capacis memoriæ fidem, sive vim quandam mentis haud fatigandam: erat in docendo sedulus, in redarguendo nervosus, in exhortando fervidus, in consolando blandus, *in resolvendis Theologicis quæstionibus* omnium *Princeps* (b), unde non tantùm Pontifices Ecclesiæ, Conciliáque ad hujus sententias provocârunt; sed & Petrus Lombardus in sæculo XII. Theologiam in Epitomen coacturus nihil ferè egit, quàm ut S. Augustini loca excerperet. Fuerunt quidem, qui dentem in ejus scripta infigere auderent: verùm impudentiam tenebrionum contuderunt SS. Hilarius, Prosper, Fulgentius & Remigius. *De stylo* ita arguit Erasmus (c): Habet Augustinus suum quoddam dicendi genus, argutum, & periodis in longum productis multa convolvens; quod Lectorem & familiarem, & acutum & attentum, & benè memorem requirit. *Editiones* operum S. Augustini, quæ plurima reliquit, insigniores olim fuêre Basileensis Frobeniana an. 1529. Antuerpiensis Plantiniana an. 1577. & Parisiensis sub signo magnæ navis 1586.; recentiùs tamen meliore methodo eadem opera digesserunt PP. Benedictini Monachi è Congregatione S. Mauri, & an. 1679.... 1701. Parisiis impressa sunt (d). In hac editione cujusvis Tomi initio vel fini Codicum, quibus usi sunt, & variantium lectionum syllabus subjicitur 2.) in cujusvis Tomi appendice recensentur suppositiria, quæ ad Voluminis istius argumentum pertinent: suppositiria autem se discrevisse profitentur in Præfatione ad T. V. ex doctrina, dicendi formulis, exordiis, clausulis, singularibus factis, ex adjunctis personarum, temporum & locorum, 3.) ut quisque Augustini scripta cum majore fructu legere possit, tempora discernuntur ibidem, quibus ea opera S. Doctor edidit: alia enim scripsit *Catechumenus* sæcula-

S. Augustinus floruit ab anno 387. ad annum 430.

(a) Prosper Aquitan. l. 2. de V. contempl. c. 31.

(b) Erasm. l. 19. Ep. 35.

(c) Præf. ad opera Augustini.

(d) Guilielmus Cave in sæc. Ariano p. 191. Dupin. in Bibliothec. Tom. III. in August.

rium

rium literarum uſu inflatus: alia ſcripſit *baptizatus*; rudis tamen adhuc & ſacræ doctrinæ Tyro: alia *Presbyter* ad dogmata magis eruditus: alia demum *Epiſcopus* in Theologia Chriſtiana penè conſummatus. Antequam verò ſcripta præcipua ex ordine X. Tomorum enumeremus; monitum Lectorem volumus, ineunte hoc ſæculo typis Hollandicis Amſtelodami apud Fratres Huguetanos & Petrum Mortier eadem opera (à PP. Benedictinis digeſta) prælum rurſum ſubiiſſe. Fingebatur hæc editio eſſe facta *Antuerpiæ ſumptibus Societatis cum privilegio*; ſed fraudem detexit primò Caſimirus Oudinus Apoſtata ex cœnobio ſuo in Hollandiam profugus, in Commentario ſuo, quem vulgavit de ſcriptoribus Eccleſiaſticis (e). Qui autem errores huic editioni irrepſerint, prodidit Joannes Baptiſta Clarelli Bibliopola Venetus, qui novum Auguſtinianorum operum typum promittens an. 1707., Hollandicam editionem ita accuſat (f): *Quoad Amſtelodamenſem verò editionem, Antuerpiæ nomine pervulgatam, undequaque reprobatur, non tantùm propter duodecimum Tomum, multam non ſanæ doctrinæ copiam continentem; verùm etiam propter tranſcriptionis infidelitatem ipſius Divi Patris textûs, quem non ſolùm adulterati ſunt, multa verba demendo, ſed etiam mutilum reddiderunt, integras periodos auferendo, præter innumeros errores* (à Joanne Clerico) *paſſim inſertos.* His præmiſſis decem Tomorum ordinem à PP. Benedictinis inſtitutum aggredimur.

(e) vid. Hagiographor. Antuerp. Commentar in V. Auguſt. §. 1. n. 6. p. 214.

(f) Lipſienſ. in Actis Eruditorum ad a. 1707. p. 94.

TOMUS I.

Sub initium præmittuntur quaſi PRÆFATIONIS loco *Retractationum libri duo*, ſcripti an. 427., in quibus ipſe Auguſtinus de ſuis libris fert cenſuram, ſimúlque, quæ duriùs alibi dicta fuerant, exponit vel emendat, redditque cauſas & occaſiones, ob quas hunc vel illum librum ſcripſerit. 2. *Confeſſionum libri tredecim* (g); in horum decem prioribus ſuam vitam & vitia ita exhibet, ut ſimul prædicet Dei miſericordiam: in tribus poſterioribus ſunt animadverſiones in initium Geneſis. Hos libros ſequuntur opera genuina, quæ S. Auguſtinus JUVENIS & NONDUM PRESBYTER compoſuit.

(g) 2. Retract. c. 6.

PRIMO LOCO veniunt *libri tres contra Academicos*, qui ab homine nil certò ſciri poſſe contendebant, ſcripti an. 386.: in eorum libro primo corpoream Angelis tribuit naturam; ſed Tyroni & CATECHUMENO hoc donandum, tum etiam, quia eo tempore variabant PP. ſententiæ, & cuivis licebat abundare in ſenſu ſuo, quod hâc ſuper re hodiè temerarium foret. II. *L. unus de Beata vita*, quam ait conſiſtere in ſola & perfecta Dei cogitatione. III. *L. 2. de Ordine*, in quibus inquirit utrùm omnia bona & mala divinæ providentiæ ordo contineat an. 386. IV. *L. 2. Soliloquiorum* ſcripti an. 387.: in horum primo oſtendit, qualis eſſe debeat, qui vult percipere Sapientiam; in altero tractat de immortalitate animæ. V. *Liber de Immortalitate animæ*, quem ſcripſit velut commonitorium ſibi,

quando

quando ex ſeceſſu Mediolanum rediit an. 387. VI. *L. de quantitate animæ*, in quo per modum Dialogi cum Evodio tractat, unde ſit anima, qualis ſit, quanta ſit, cur corpori fuerit data? &c. an. 388. VII. *L. 6. de Muſica* abſolvit 389. JAM BAPTIZATUS, jámque regreſſus ex Italia in Africam; in his connitebatur per corporea ad incorporea aſcendere. VIII. *L. de Magiſtro* ad formam Dialogi inter Auguſtinum & filium ejus Adeodatum, ubi exponitur illud: *Unus eſt Magiſter veſter Chriſtus.* IX. *L. 3. de libero arbitrio*, quos incepit an. 388. & in Africa a. 389. terminavit; agit autem contra Manichæos, immutabilem quandam, & Deo coæternam mali naturam introducere volentes. X. *L. 2. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum* a. 388., in primo ſtatuit ſummum bonum, ad quod mores noſtros referri oportet: in ſecundo confutat Manichæorum errorem de origine & natura mali. XI. *L. 1. de vera Religione* a. 390., ubi oſtendit unum verum Deum & Trinum in perſonis. XII. *Regula ad ſervos Dei.*

PSEUDEPIGRAPHA OPERA ad appendicem Tom. I. *De Grammatica*: *Principia Dialecticæ; Categoriæ decem*: *Principia Rhetoricæ.* Nam licèt iſti Diſciplinarum libri l. 1. Retract. c. 6. citentur, ſunt tamen diverſi ab iis, quos ibi à ſe ſcriptos ait Auguſtinus; illi enim erant compoſiti per modum dialogi & eo fine, ut per corporea ad incorporea homo aſcenderet. Dein Author libri Categoriarum Antipodes ſtatuit, quos Auguſtinus negat l. 16. de civ. Dei c. 9. *Regulæ Clericis traditæ fragmentum* : *Regula ſecunda* : *De vita Eremetica ad Sororem.*

TOMUS II.

Continet EPISTOLAS 270. S. Auguſtini, ordine Chronologico diſpoſitas, in quibus tum dogmata, tum diſciplinam & aſceſin concernentia exhibentur quadruplici ordine. I. CLASSIS habet Epiſtolas, quas Auguſtinus dedit ab anno 386. ad 395. ante Epiſcopatum, inter has priores tredecim ſunt de argumento philoſophico, cæteræ ad 30. Nebridio vel aliis inſcriptæ, ſunt varii argumenti: de *quibus videatur Dupinius in Bibliotheca.* II. CLASSIS complectitur Epiſtolas ab Epiſcopatu ſuſcepto ſcriptas usque ad Collationem Carthaginenſem, ſive ab anno 395. ad 410. antequam hæreſis Pelagiana lucem ſubiret in Africa, ſcilicet ab Ep. 30. ad Ep. 123. III. CLASSIS includit Epiſtolam 124. ad 231., quas ſcripſit Auguſtinus ab an. 411. usque ad finem vitæ. IV. CLASSIS habet Epiſtolas, de quarum chronotaxi non conſtat, nimirum ab Ep. 232. ad Ep. 270.

PSEUDEPIGRAPHA 1. *Ad Bonifacium & Epiſtolæ breviores ſedecim.* 2. *Epiſtola ad Demetriadem* hæc eſt Pelagii, ùt Auguſtinus docet l. de gratia Chriſti c. 20. & ſequentibus. 3. *Ad Cyrillum & de laudibus Hieronymi.* 4. *Altercatio cum Paſcentio.*

TOMUS III.

Comprehendit duabus partibus omnes libros, quos S. Auguſtinus in SACRAM SCRIPTURAM edidit. IN I. PARTE extant *libri quatuor de Doctrina Chriſtianâ* (h) inchoati an. 397. abſoluti 426.: primi tres adjuvant, ut Scri-

(h) 2. Retract. c. 4.

Scripturæ intelligantur; quartus autem, quomodo, quæ intelligimus, proferenda sint. II. *De Genesi ad literam liber imperfectus* (i), ubi non secundùm allegoricam expositionem Scripturæ verba tractat, sed secundùm historicam proprietatem. III. *De Genesi ad literam libri duodecim* inchoati 401. absoluti 415. abruperat primum opus de Genesi ob laboris difficultatem; sed postea 12. alios addidit, qui imperfectum primum librum magno pondere superârunt (k). IV. *Locutionum libri septem* (l) circa annum 419., in quibus proprium divinis eloquiis locutionum genus detegit, quia (uti ait) multa in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. V. *Quæstionum in Heptateuchum libri septem* a. 419. non tam verba, quàm rem exponunt: & tantò utiliores, quantò magis proprium sensum sequitur Augustinus in difficultatibus evolvendis, quæ in Pentateucho, ínque libris Josue & Judicum occurrunt. VI. *Liber annotationum in Job* an. 400. (m) est paraphrasis vel expositio literalis libri Job, sed brevis & imperfecta; nam ex notis ad textum prædicti Prophetæ ab Augustino adscriptis collecta est. VII. *Speculum* est epitome variorum locorum V. & N. Testamenti continens præcepta morum (n).

(i) 1. Retr. c. 18.
(k) 2. Retr. c. 24.
(l) 2. Retr. c. 54.
(m) 2. Retr. c. 13.
(n) Possid. in vita Aug.

PSEUDEPIGRAPHA in Appendice primæ Partis I. *De Mirabilibus S. Scripturæ libri III.* nec in Retract., nec in Indiculo memorantur, nec Augustini sapiunt stylum, & suppositit ios agnoscit S. Thomas 3. P. q. 45. a. 3. II. *De benedictionibus Patriarchæ Jacob* opusculum ex Hieronymo, Gregorio, alíisque forsan ab Alcuino excerptum. III. *Quæstiones Veteris & N. Testamenti* videntur esse viri Hæretici opus, quia Q. 2. mundum propter Diaboli præsumptionem factum fuisse ait, & mulierem non ad Dei imaginem dicit esse creatam Q. 21. & Q. 80. homines non nasci filios Diaboli. Q. 109. Melchisedech docet esse Spiritum S. IV. *In Apocalypsin Joannis expositio*, quæ Tichonio vulgò tributa, re ipsâ ex Victorini, Tichonii, Primasii, ac Bedæ Commentariis est consarcinata; dein Author c. 21. de statu præsentis Ecclesiæ exponit, quod S. Augustinus l. 20. de civitate Dei c. 17. nimiæ impudentiæ esse asserit.

IN PARTE II. genuina opera Augustini sunt. I. *De consensu Evangelistarum l.* 4. an. 400., in quibus Christi Evangelium defendit contra Paganos; qui opponebant Christianis Evangelistarum inter se dissensum (o). II. *De sermone in monte Domini libri duo* in primo libro sunt variæ instructiones morum ex Cap. Matth. 5. 6. 7. dein quædam loca difficilia solvere conatus est; sententias tamen propositas quasdam postea retractavit: nempe, quòd ob quodcunque crimen, quod à Deo nos removet, divortium facere liceat: revocavit quoque, quod in hoc libro dixerat, Christum esse *hominem Dominicum.* In secundo libro explicat Orationem Dominicam. III. *Quæstionum Evangelicarum libri duo* an. 400. primus liber est in Evang. S. Matthæi, alter in Evang. S. Lucæ, continéntque potissimùm expositiones textuum Mysticas. IV. *Quæstionum XVII. in Matthæum liber.* V. *In Joannem Tractatus* 124. anno 416. hi fuêre homiliæ, quas ad populum dixerat Augustinus, in quibus Arianos & Pelagianos necessitatem gratiæ oppu-

(o) vide hìc Dupin. in Bibliothec. Tom. III. pag. m. 215.

oppugnantes adoritur, cæteræ præcepta morum habent. VI. *In Epistolam Joannis Tractatus decem*, ubi specialiter agit de Amore Dei, & de timore, quem duplicem distinguit, quorum unus concipitur ex pœnarum metu, præcedítque charitatem, alter timet, ne charitatem amittat. &c. VII. *Expositiones ex Epistolis ad Romanos & ad Galatas.*

TOMUS IV.

Constat *ex* PSALMORUM *explanationibus*, in quibus S. Augustinus, textum 70. interpretum sequitur.

TOMUS V.

Exhibet SERMONES AD POPULUM 314., in classes quinque distinctos: I. *Sermones de scripturis Veteris & Novi Testamenti.* II. *Sermones de tempore.* III. *Sermones de SS.* IV. *Sermones de diversis.* V. *Sermones dubios*, de quibus quæstio anceps est, an sint Augustini?

In hoc Tomo sub finem habentur SERMONES SUPPOSITI aut DUBII 317. quinque quoque classibus discreti: I. *Sermones in loca V. & N. Test.* II *Sermones de tempore.* III. *Sermones de SS.* IV. *Sermones de diversis.* V. *Sermones ad Fratres in Eremo*, his Sermonibus omnes Cæsarii Arelatensis Sermones inserti sunt.

TOMUS VI.

Opera MORALIA hoc ordine complectitur: I. L. *de diversis Quæstionibus* 83. (p). II. L. 2. *de diversis Quæstionibus ad Simplicianum* successorem Ambrosii, quos primâ curâ Episcopatum adeptus elaboravit (q): in priore commentatur in c. 7. & 9. *ad Romanos*, ostendítque necessitatem gratiæ & vocationem gratuitam: in secundo libro resolvit 5. quæstiones ex V. T. III. L. *de octo quæstionibus Dulcitii:* in responsione negat, morientes in peccato salvari; preces & oblationes mortuis prodesse &c. IV. L. *de fide & symbolo*, quod an. 393. in Concilio Hipponensi exposuit. V. *De fide & operibus* (r) in hoc libro an. 413. disputat, quemadmodum vivere debeant gratiâ Dei regenerati, & quales ad lavacrum regenerationis debeant admitti. VI. *Enchiridion ad Laurentium* (s) an. 420., in quo tractans de fide, spe, & charitate, docet, quomodo colendus sit Deus. VII. L. *de Agone Christiano* (t) continet fidei regulam & præcepta vivendi. VIII. L. *de Catechizandis rudibus* (u) scriptus circa an. 400., in quo artem Catechizandi docet quendam Deogratias, qui erat Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ. IX. L. *de continentia* (x) an. 395., ubi ex Psalmo 140. increpat Manichæos sua peccata excusantes, quasi orerentur à mala natura. X. L. *de bono conjugali* (y) & L. *de Virginitate* (z), uterque an. 401. scriptus est contra Jovinianum, qui Virginum meritum æquabat pudicitiæ conjugali. XI. L. *de bono viduitatis* (a) an. 414. non rejicit ibi secundas nuptias, sed viduas graviter peccare docet & pœnitentiæ subjiciendas pro more Ecclesiæ tunc recepto (b), quæ post votum castitatis secundò nuberent; inficiatur tamen contractas cum peccato has nuptias esse nullas. XII. *De adulterinis con-*

(p) 1. Retract. c. 26.
(q) 2. Retr. c. 1.
(r) 2. Retr. c. 38.
(s) 2. Retr. c. 63.
(t) 2. Retr. c. 3.
(u) 2. Retr. c. 14.
(x) Epist. S. Aug. 262.
(y) 2. Retr. c. 22.
(z) 2. Retr. c. 23.
(a) Possid. in Catalog.
(b) Concil. Chalc. can. 16.

jugiis an. 419., ubi primo expedit quæstionem, an liceat post conjugis fornicationem facere divortium, simúlque alteri nubere? XIII. *De mendacio* (c) & L. *contra mendacium* (d) an. 420., primus est oppugnatio aperta mendacii: alterius occasionem dedit Consentius, qui sciscitabatur, an ad Priscillianistas detegendos, Catholicis liceat se simulare esse de eorum secta? XIV. L. *de opere Monachorum* (e) an. 400., in quo libro exemplo & authoritate Pauli, Monachos ad laborem teneri probat. XV. *De divinatione dæmonum* (f) circa an. 411., in hoc libello ostendit, impiè eos agere, qui dæmones consulunt, quia divinationes rarò veras & nonnisi Deo sinente faciunt. XVI. *De cura gerenda pro mortuis ad Paulinum* (g) an. 421., ubi ex libris Machabæorum & traditione Ecclesiæ probat utiles esse preces pro mortuis; item agit de sepulturis in loco Martyris. XVII. His accedunt aliquot libri *de patientia*, *de Symbolo*, item sermones aliquot *de Disciplina Christiana*, *de Feria quarta*, *de Cataclysmo*, *de utilitate jejunii*, *de urbis excidio*:

(c) 1. Retract. c. 27.
(d) 2. Retr. c. 60.
(e) 2. Retr. c. 21.
(f) 2. Retr. c. 30.
(g) 2. Retr. c. 64.

PSEUDEPIGRAPHA sunt *Speculum sive Manuale*, & *Speculum Peccatoris*: *Scala Paradisi*: *De conflictu vitiorum & virtutum*: *De vera & falsa pœnitentia*: *De Antichristo*: *De Assumptione B. V.*, *Sermones 76. ad fratres in Eremo* &c. De quibus vide Dupinium & Natalem Alexandrum.

TOMUS VII.

Constat ferè integer ex 22. libris, quos DE CIVITATE DEI (h) inscripsit, in primis decem confutat Gentiles, criminantes, quod Roma perierit ob neglectum Deorum cultum: in aliis 12. contexit Historiam ortûs progressûs, & finis duarum civitatum *Dei & Mundi*; his accedunt opuscula quædam alia de inventione reliquiarum S. Stephani, & de miraculis ejusdem, de quibus agit l. 22. c. 8.

(h) 2. Retr. c. 43.

TOMUS VIII.

Tractat Polemica contra MANICHÆOS, aliósque Hæreticos: I. L. *de Hæresibus ad quod vult Deum*, post libros Retract. conscriptas (i), ubi recenset hæreses à Christo ad sua tempora exortas. II. *Tractatus contra Judæos*. III. Post hæc sequuntur ea, quæ sunt contra Manichæos: nempe liber *de utilitate credendi* (k) an. 391., ubi impugnat Manichæos dicentes, quod Catholici jubeantur credere, non autem quid esset verum, certissimâ ratione doceantur. IV. L. *de duabus animabus* (l), quarum unum bonam, alteram malam in homine esse somniabant Manichæi. V. *Acta contra Fortunatum Manichæum* (m) an. 392., quæstio erat, unde sit malum? Fortunatus naturam mali Deo coæternam ajebat: Augustinus verò evicit, malum fuisse ex libero hominis arbitrio. VI. L. *contra Adimantum* (n), ubi respondens probat legi & Prophetis contraria non esse Evangelica & Apostolica scripta, an. 394. VII. L. *contra Epistolam fundamenti* (o), in quo principia Manichæi redarguit. VIII. *Contra Faustum Manichæum*

(i) Possid. in Indiculo.
(k) 1. Retr. c. 14.
(l) 1. Retr. c. 15.
(m) 1. Retr. c. 16.
(n) 1. Retr. c. 22.
(o) 2. Retr. c. 2.

nichæum Disputationes sive libri 33. an. 400. (p) huic respondet, postquam legem & Propheras & eorum Deum, & incarnationem Christi criminatus, blasphemaverat simul, Novum Testamentum esse corruptum. IX. L. 2. *de Actis cum Felice Manichæo* an. 404. (q), cum quo in Ecclesia biduo disputavit de libero voluntatis arbitrio sive ad malum operandum sive ad bonum. X. *De natura boni adversus Manichæos* (r), ostendit naturam incommutabilem, Deum esse summum bonum, atque ab hoc cæteras naturas esse sive spiritales sive corporeas; atque omnes, in quantum naturæ sunt, bonas esse. XI. *Contra Epistolam Secundini Manichæi* (s), qui unus erat ex iis, quos Auditores Manichæi vocabant: huic roganti, ne Manetis sectam Augustinus oppugnaret, respondet. XII. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, qui dogmatizabat, Deum non condidisse Mundum, nec dedisse legem L. scriptus an. 420. XIII. *Contra Priscillianistas & Origenistas* (t), ubi rogante Orosio an. 415. confutavit illorum errores, queis docebant, quod animæ sint naturæ divinæ, quod damnatorum pœnæ sint habituræ finem, quódque Christi regnum non sit æternum &c. XIV. Reliqui Tractatus sunt contra Arianos nempe L. *unus contra Sermones Arianorum* an. 418.: *Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo de Trinitate* libri 15. (u) inchoati an. 400., absoluti 416.

(p) 2. Retract. c. 7.
(q) 2. Retr. c. 8.
(r) 2. Retr. c. 9.
(s) 2. Retr. c. 10.
(t) 2. Retr. c. 14.
(u) 2. Retr. c. 15.

PSEUDEPIGRAPHA *de Altercatione Ecclesiæ & Synagogæ: Commonitorium de modo admittendi Manichæos: Contra Fulgentium Arianum l. 1. De Incarnatione Verbi; De Dogmatis Eccl.* &c.

TOMUS IX.

Includit opuscula Polemica contra DONATISTAS. I. *Psalmus contra Donatistas*, quo rudibus persuadet unionem cum Ecclesia. II. L. 3. *contra Epistolam Parmeniani* an. 400. (x), qui erat successor Donati Episcopi Carthag., hìc disputatur: utrum in unitate, & eorundem communione Sacramentorum mali contaminent bonos, & quemadmodum non contaminent? III. L. 7. *de Baptismo contra Donatistas* (y), isti cùm provocârent ad Cyprianum, quod baptismum HH. validum esse negârit, opponit illis literas, factúmque Cypriani, quo nusquam ab Ecclesiæ communione discessit. IV. L. 3. *contra literas Petiliani* (z) an. 402.: per hos ostendit in Catholicorum Ecclesia esse veras notas genuinæ Ecclesiæ. V. *Contra Cresconium Grammaticum Donatistam* (a) an. 406., qui pro Petiliano apologiam scripserat; hunc proinde confutat quatuor libris. VI. *De unico Baptismo* contra Petilianum (b) an. 411.: in illo libro urget Augustinus valorem Baptismi ab HH. collati. VII. *Breviculus Collationum* (c), sive tres libri, in quibus refert Acta Collationis triduanæ, quæ Carthagine inter Catholicos & Donatistas instituta est. VIII. *Ad Donatistas* post Collat. Carthag. *lib.* 1. an. 413. IX. L. 1. de gestis cum Emerito Donatista (d) a. 418. X. L. 2. *contra Gaudentium Donatistam* an. 420.

(x) 2. Retr. c. 17.
(y) 2. Retr. c. 18.
(z) 2. Retr. c. 25.
Possid. in Indic. a. 3.
(a) 2. Retr. c. 26.
(b) 2. Retr. c. 34.
(c) 2. Retr. c. 39.
(d) 2. Retr. c. 51.

Inter PSEUDEPIGRAPHA aut dubia opera T. IX. PP. Benedictini numerare videntur *librum contra literas Petiliani; primò* quia cùm Augustinus aliorum operum contra Petilianum in suis Retractationum libris mentionem faciat, hujus non meminit. *Secundò* salutatio, à quâ incipit Epistola: *Salus, quæ in Christo est*, inusitata Augustino est; putant quoque se hic invenire in contextu tales transitiones, figuras, & loquendi modos, qui non sapiant stylum Augustini. *Tertiò* Author libri c. 24. dubitat, an aqua, quæ ex latere Christi profluxit, fuerit figura Baptismi, quod tamen Augustinus multis in locis asserit. Verùm *ad I. Respondetur* Augustinum non facere in libris Retractationum mentionem eorum operum, quæ in modum Epistolæ scripta sunt: sufficit igitur ea in Indiculo Possidii reperiri. *Ad II.* ℞. salutationem talem quod alibi S. Doctor non adhibuerit, non sequitur, quod non potuerit eâ hic uti: cæterùm teste Dupinio in Tom. III. Biblioth. p. 244. stylus elegans est; imò elegantior, quàm qui habetur *in Psalmo contra Donatistas*, unde si hic PP. Benedictinis adhuc probatur, cur non & dicta Epistola? *Ad III.* ℞. minimè infrequens esse, ut Augustinus quædam loca Scripturæ aliter isthic ac alibi exponat: aliam etiam interdum versionem sequatur; aut quod in uno loco more dubitantis proponit, alibi certò affirmet.

TOMUS X.

Inserta scripta servat Augustini contra PELAGIANOS & SEMIPELAGIANOS, in quibus Peccati originalis diffusionem in Adæ posteros, simúlque necessitatem gratiæ probat. I. *De meritis & remissione peccatorum, & de parvulorum Baptismo ad Marcellinum* lib. 3. (e) an. 412. differit præcipuè hic de Baptismo parvulis necessario ad remissionem peccati originalis, & de necessitate gratiæ Christi ad nostram Justificationem. II. L. *de spiritu & litera ad Marcellinum* (f) an. 413. in hoc libro aggreditur illos, qui dicebant sine gratia posse impleri omnia Dei præcepta, fundátque ratiocinium in illo textu Pauli, *litera occidit, spiritus vivificat*: per literam intelligit legem & præcepta reipsâ inutilia sine gratia, quæ sola radix est fidei, justitiæ, sanctitatis & virtutum supernaturalium. III. L. *de natura & gratia ad Timasium & Jacobum contra Pelagium* (g) an. 414. in hoc libro defendit gratiam, quæ non est contra naturam; sed per quam natura liberatur & regitur. IV. *Ad Episc. Utropium & Paulum Epistola, seu liber de perfectione Justitiæ hominis* (h) an. 418. scriptus contra Cælestium, qui objecerat, quod Catholici docerent, non fuisse, nec fore hominem, qui possit vivere sine peccato, aut qui perfectam assequi valeat justitiam. S. Augustinus licèt concedat hanc gratiam paucis à Deo dari; inde tamen validiùs Pelagianos impugnat, quod illi absurdè delirent jactando, hominem etiam viribus liberi arbitrii eò emergere posse. V. L. *de Gestis Pelagii ad Aurel. Ep.* (i) an. 416. postquam Diospoli in Palæstina fuerat absolutus Pelagius absentibus accusatoribus: & quia simulaverat Hæreticus, se suos ejurare errores, quorum accusabatur; ideo Augustinus timens, ne Pelagio absoluto, ejus quoque dogmata putarentur judices approbâsse, scripsit hunc librum. VI. L. 1. *de gratia Christi & de peccato Originali contra Pelag. & Cælestium* (k), propterea quod decipere Cælestius conabatur Zosimum Pontificem fraudulentâ professione fidei; ideo ejusmodi fraudes Pelagianorum detegit Augustinus.

(e) 2. Retr. c. 33.

(f) 2. Retr. c. 37.

(g) 2. Retr. c. 42.

(h) S. Prosper apud Dupin.

(i) 2. Retr. c. 47.

(k) 2. Retr. c. 50.

ſtinus. VII. L. 2. *de Nuptiis & Concupiſcentia ad Valerium Comitem* (l) a. 418. dum Pelagiani fingebant, à Catholicis aſſerentibus peccatum originale; Auguſtinus defendit bonitatem Nuptiarum, ne putaretur, earum eſſe vitium concupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans Legi mentis, quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. VIII. L. 4. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam* ſunt ejusdem argumenti, uti & *contra Julianum libri ſex. De Gratia & libero arbitrio ad Valentinum & Monachos Adrumetinos lib. unus.* L. *De Correptione & gratia. De Prædeſtinatione SS. ad Proſperum & Hilarium, de dono perſeverantiæ*, de quibus libris jam ſupra in Hiſtoria mentionem fecimus. Poſtremo loco numeramus L. 4. *de origine animæ ad Victorem Vincentium* in Mauritania Cæſarienſi Presbyterum, quia ad Pelagianorum cauſam propriè hi libri non pertinent. De quibus longiorem expoſitionem, vide apud DUPINIUM l. c. ubi licèt confutet ſolidè errores Vincentii; dubius tamen ipſe Auguſtinus circa aliam quæſtionem hæſit: utrum anima eſſet ex traduce? Petierat ab Hieronymo difficultatis expoſitionem; ſed aliud reſponſum non tulit tunc, niſi ut unusquisque in ſuo ſenſu abundaret: erat quippe in Occidente illo tempore adeo recepta de traduce ſententia, ut eodem in ſæculo Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus in c. 3. Geneſis anceps ſcripſerit: „utrum ſicut caro naſcentium ex carne, ſic animæ ex animabus procreentur, an novæ ſemper creentur à Deo ex nihilo? quæ quæſtio in definiendo difficilis eſt, quia nihil à SS. viris vel ſcripturarum authoritate manifeſtiùs pronunciatum eſt„: nec quæſtioni antè factum ſatis, dum poſt Lateranenſis Synodi decreta ab omnibus aſſeri jam debeat, animas à Deo creari, & creando corporibus infundi.

(l) 2. Retr. c. 53.

PSEUDEPIGRAPHIS Tomi X. accenſent PP. Benedictini Hypomneſticon contra Pelagianos, L. *de Prædeſtinatione & gratia*, quem Sirmondus Fulgentio tribuit, item alterum *libellum de Prædeſtinatione* incerti Authoris, de quibus vide Natal. Alex. in ſæc. V. c. 4. §. 7. p. 113., apud quem etiam p. 128. ſolutionem accipies eorum nævorum, quos genuinis etiam operibus S. Auguſtini affricare Hæretici adnituntur. Qui Heterodoxi porrò ad ſtabiliendos ſuos errores de Euchariſtia, de juſtificatione, de gratia & libero arbitrio eodem Auguſtino peſſimè abutuntur; ſicut & abuſus eſt Janſenius Epiſcopus Ypreniſs ad quinque propoſitiones ſuas probandas ab Innoc. X. & Alexandro VII. poſteà damnatas; ac ne id fieri mireris, verba Facundi Hermianenſis adverte dicentis: *Non meliùs loqui potuit Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Apoſtoli & Evangeliſtæ, quorum mentibus ſimiliter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi ſuos defendere conantur errores.*

4. AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS Tarracone, aut Cæſarauguſtæ natus an. 348., primùm Cauſidici, dein judicis, demum milites Palatini partes egit (m): ubi ætas licentior deferbuit, ſacris verſibus ſcribendis operam addixit. Præcipua ejus ſcripta ſunt, *Pſychomachia* ſive pugna vitiorum & virtutum: Διττοχαῖον ſive Enchiridium N. & V. Teſtamenti: *Cathemerinon* hoc eſt diurnarum rerum opus, L. περὶ ϛεφανῶν hoc

Aurel. Prudent. floruit ab an. 405. ad 410.

(m) Poſſevin. in App. ſacro. Aldus Manutius in vita.

hoc est de coronis Martyrum, *Apotheosis* sive de Divinitate, *Hamartigenia* de origine peccatorum: *contra Symmachum libri duo*, quibus Deorum vano cultui Crucis potentiam opponit. Editio insignior operum Christiani hujus Poëtæ facta est à Stephano Chamillard an. 1687.

Rufinus ab an. 372. *ad an.* 410.

5. RUFINUS TORANIUS, Patriâ Aquilejensis, Presbyterio suscepto ad Monasticam ascesin aspirans, cum Melaniâ seniore anno 371. in Ægyptum abit; ubi cum Monachis Nitriensibus & Didymo Alexandrino (Origenis expositore) aliquamdiu non sine fato suo versatus est: postea in Palæstinam facto itinere, diuturnius sibi ibidem domicilium sive Monasterium Melaniæ opibus construxit (n). Dissidio subinde Epiphanium inter & Joannem Hierosolymitanum gliscente, Rufinus postremi partes tueri cœpit, qui Origenis errores à Didymo haustos defenderat: Patrocinium malignum S. Hieronymo causa fuit, cur hominem aliàs sibi amicum insectaretur. Lis per Theophilum Alexandrinum nonnihil sopita, post annum 397. pejùs recruduit, quo tempore Rufinus cum Melania in Occidentem reversus, simul Romæ intulit libros Origenis περὶ ἀρχῶν malâ fide à se versos: in his quia velut (o) in aureo calice Italis errores Origenis propinabat, ab Hieronymo graviùs lacessitus, ab Anastasio autem Pontifice proscriptus in Patria aliquamdiu latuit; sed Alarico Aquilejam vastante in Siciliam secedere coactus circa annum 410. è vivis decessit. Opera ejus sunt: L. 2. *de benedictionibus Judæ, & reliquorum XI. Patriarcharum. Commentarii in Oseam, Amos & Joel, & 75. Psalmos: Expositio Symboli ad Laurentium Episcopum. Historiæ Ecclesiasticæ libri duo*, in quibus incipit ab Arianæ hæresis initio, pergítque ad mortem usque Theodosii M. In ista Historia concinnanda multos errores commisit Rufinus; incertos quippe plebis rumores captans, fabulas sæpe obtrudit, & temporum ordinem confundit, utì pluribus exhibet Possevinus (p). Unde Socrates, cùm ad ejus fidem primum & secundum librum Historiæ suæ formâsset; meliores postea nactus Authores, libros istos ex integro ordiri necesse habuit (q). Interpretatus quoque est Rufinus non paucos libros græcos, sed non meliore fide: scilicet *opera* plura *Origenis*, *opera Josephi & Eusebii Cæsariensis Historiæ Ecclesiasticæ libros IX.*, in quibus multa contraxit, multa de suo addidit, dimidium libri octavi omisit, decimum vix attigit. Demum *sexti Phytagorei Philosophi Enchiridion*, quod sub Xysti Pontificis Martyris nomine edidit, ut erroribus conciliaret authoritatem (r). Gennadius Massiliensis & Semipelagianus mirificè cuncta Rufini opera deprædicat, reprehendítque ideo Hieronymi invectivas tanquam plus æquo eidem acerbas (s). Nos verò hìc stamus judicio Gelasii Papæ: *Rufinus vir Religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullos etiam Scriptores interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit; illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus* (t).

(n) vide supra Histor. in c. 2.

(o) Baron. T. V. Annal. ad an. 420.

(p) Possevinus in Apparatu sacro in v. Rufinus.

(q) Socrat. in Præf. ad lib. 2.

(r) Hieron. l. 4. in Jerem. in Præf. c. 22. August. l. 2. Retr. c. 40.

(s) Gennad. in Rufin. c. 17.

(t) Dist. 15. c. *Sancta Roman. Eccl.*

6. SE-

6. SEVERUS SULPITIUS Aquitanus, genere literísque nobilis, uxore orbatus Clero nomen dedit: ab hoc tempore S. Martini Turonensis discipulus, simúlque Paulino Nolano familiaris, scripsit *Historiæ sacræ libros duos*, quos stylo supra illam ætatem elegante & polito à Mundi primordiis ad an. C. 400. continuavit: digessit quoque *vitam S. Martini, tres Epistolas & Dialogos duos de ejusdem Sancti virtutibus*; his alium Dialogum addidit de virtutibus Orientalium Monachorum. Si Gennadio (u) fides est, Severus in ætatem provectiorem declinans, à Pelagianis deceptus est; cujus facti pœnitens, perpetuo deinceps silentio errorem in se ipso castigâsse fertur. Cæterùm in Historia non admodum exactus, de Arianis pauca, plura de Priscillianistis commemorat: credulus etiam rumusculis, & ad errores facilis fuisse dicitur; hinc teste Hieronymo (x), in Dialogo suo Millenariorum deliria visus est approbâsse, atque ideo Gelasius Papa eundem Dialogum inter apocrypha retulit. Postremò monendus lector, ne hunc Severum Presbyterum Primuliacensem cum Severo Bituricensi Episcopo confundat (y).

Severus Sulpitius ab an. 380. ad an. 420.

(u) Gennad. in Catalog.

(x) Hieron. in Ezech. c. 36.

(y) Natal. Alex. sæc. V. c. 4. a. 2.

7. PAULUS OROSIUS gente Hispanus, Presbyter Tarraconensis, anno 413. ab Eutropio & Paulo Hispaniæ Episcopis ad Augustinum mittitur; ut remedium exposceret contra Priscillianistas & Origenis errores (z). Apud Augustinum aliquamdiu commoratus, Historiam suam inchoavit ab exordio Mundi cœptam, & ad an. 416. continuatam: in eo opere omnes calamitates publicas, quæ anteactis temporibus evenerant, describit; ut sic confundat Gentiles, qui fingebant mala tot Imperio, vastationémque Romæ ab iratis Diis irrogari (a). An. 415. jubente Augustino in Palæstinam abiit ad S. Hieronymum, exquisiturus sententiam ejusdem de Origine animæ: in Concilio Diospolitano fidei, & subinde suam causam egit Apologetico opere, quo calumnias sibi à Pelagianis impactas refellit. Reversus in Africam S. Stephani reliquias secum asportavit (b): demum in Patriam profectus obiit, quo anno nescitur.

Orosius sub init. sæc. V.

(z) vide supra Histor. Eccl. in c. 2. l. 5.

(a) Gelasius Papa in Synod. Rom.

(b) Gennad. in script. Catalog.

8. PONTIUS PAULINUS natus Burdigalæ in Gallia an. 353., præceptorem habuit Ausonium Poëtam: subinde Romæ à causis forensibus adeò inclaruit, ut anno 375. consulatûs honorem adhuc juvenis consequeretur; inde per quindecim annos varias obiit Provincias, ínque consuetudinem venit cum SS. Martino, Ambrosio, aliísque. Anno 391. baptizatus, arctiori postea vitæ se applicuit: Barcinone an. 393. Presbyterio initiatus, demum Nolæ in Campania Episcopus creatus est. Nolâ à Gothis captâ an. 410. (c) ad Dominum decessit anno sequente 411. Scripsit *multas Epistolas*, aliáque opera Poëtica, quæ in 4. Tomos digesta cum notis Frontonis Ducæi Parisiis prodierunt an. 1685. extant etiam in Biblioth. PP. T. VI.

S. Paulinus Nolanus floruit ab an. 375. ad an. 431.

(c) Augus. de civit. Dei l. 1. c. 10.

S. Isidorus Pelusiota claruit circa an. 412.

9. ISIDORUS gente Alexandrinus, S. Chrysostomi discipulus, vitam professus monasticam (d), juxta Pelusium ex septem Nili ostiis maximum; inde nomen PELUSIOTÆ accepit: Presbyter fuit apud Episcopos ipsos venerabilis (e). De operibus ejus ita loquitur Nicephorus Callistus: *Scripsit Epistolarum omnis generis divinâ simul & humanâ gratiâ refertarum propè Chiliades decem, in quibus scripturam omnem clariùs exponit, & omnes omnium mores instituit ... multùm præterea in lucubrationibus suis invehitur in eos, qui non rectè Episcopali, Sacerdotalíque munere fungerentur. Et quòd apertè Chrysostomum defenderet; vehementer Arcadium, & Cyrillum, atque hujus Patronum Theophilum perstringit* (f). Adverte 2013. Epistolas tantùm impressas extare, unde cæteræ vel deperditæ sunt: vel ùt Sixtus Senensis credit, in Bibliotheca Veneta latent (g).

(d) Evagr. l. 1. c. 15.
(e) Ephrem. Ep Antioch. in Ep. ad Zenobium.
(f) Niceph. Callist. l. 14. c. 53.
(g) vid. Guil. Cave in sæc. Nest. p. 250.

Cyrillus Alexandrinus ab a. 412. *ad an.* 444.

10. CYRILLUS Patriâ Alexandrinus, mortuo Theophilo Patruo an. 412. in sede Alexandrina successit: Nestorii errori in Synodo Alexandrina an. 429. duodecim Anathematismos opposuit; dein an. 431. Ephesino Concilio œcumenico nomine Pontificis Cælestini præsidens, eundem Hæresiarcham condemnavit: obiit anno 444. *Studio veritatis ardens, doctus, pius, miniméque vacillans* (h). Opera genuina sunt *Glaphyra in Pentateuchum, de adoratione & cultu in spiritu & veritate l.* 17. *Commentarii in Esaiam, in minores Prophetas & S. Joannem: Thesaurus sive de sancta & consubstantiali Trinitate*, quem vindicat Natalis Alexander (i): *variæ Epistolæ:* 12. *Anathematismi: Apologiæ*, in quibus genuina Ecclesiæ Doctrina de incarnatione profertur; ab his genuinis operibus excludendus est *liber de Sacrosancta Trinitate*, in quo tractatur de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus, de quo argumento in sæculo quinto non controvertebatur. *Deperdita opera* Cyrilli sunt: adversus Diodori & Theodori excerpta (k) à Proclo Constantinopol. collecta, extant fragmenta in Actis Syn. V. Coll. 5. Memorat præterea Gennadius (l) à Cyrillo scriptos libros de Synagogæ defectu, & de fide adversus HH. Fragmentum porrò *ex Cyrilli oratione adversus eos, qui dicunt, non offerendum esse pro iis, qui in fide obdormierunt* citat Eustratius Constantinopol. de statu animarum post hanc vitam, quod à Leone Allatio l. *de purgatorio* editum est p. 571. (m)

(h) Eulog. Alexandrin. apud Photium in Bibl. c. 213.
(i) Natal. Alex. Hist. Eccl. sæc. V. c. 4. a. 14.
(k) Liberat. in Brev. c. 10.
(l) Gennad. c. 57.
(m) vide Guiliel. Cave p. 252.

Marius Mercator ab an. 418. *ad an.* 451.

11. MARIUS MERCATOR Laicus, S. Augustino familiaris, claruit ab an. 418., quo Augustinum *de quibusdam Q Q. Pelagianorum* consuluit. An. 429. *Commonitorium* Theodosio Imp. adversus Cælestianos obtulit. An. 431. *librum subnotationum* adversus Julianum & *Contradictiones* adversus Nestorii Anathematismos composuit. An. 449. scripsit adversus Theodoretum. Alia quoque opera, scilicet Nestorii sermones, Theodori Mopsvesteni fragmenta ex græco in latinum transtulit: post annum 451. defunctus est. Prodierunt libri Marii Mercatoris cum notis Joannis Garnerii Parisiis an. 1673. & à Stephano Baluzio ibidem 1684.

12. S.

12. S. MAXIMUS Augustæ Taurinorum in Gallia subalpina Episcopus, Synodo Arausicanæ interfuit an. 441.: in Concilio Mediolanensi an. 452. cum Coëpiscopis formam Epistolæ S. Leonis ad Flavianum secutus, Eutychis hæresin damnavit; demum in Romana Synodo an. 465. primus post Pontificem subscripsit, paulò post mortuus. Opera ejus sunt *Homiliæ hyemales & æstivales, item de SS. & de diversis*, quæ inter opera SS. Ambrosii & Augustini vagantur: describit eadem Gennadius (n), & extant in Bibliotheca PP. T. VI.

S. Maximus Taurinensis floruit ab an. 422. ad an. 466.

(n) Gennad. in Catalog. illustr. viror.

13. THEODORETUS natione Syrus, piis Parentibus circa annum 386. (o) per preces Macedonii Monachi à Deo datus: post primam ætatem ad Monasterium S. Euprepii Antiochiæ confine secessit; ubi cum Nestorio & Joanne Antiocheno (posteà Episcopis) amicitiam iniit. Sub Magisterio Theodori Mopsvesteni, & Joannis Chrysostomi tantùm profecit, ut an. 420. (p) à Theodoro Antiocheno Cyri in Euphratesia Episcopus crearetur. Hæreticorum hostis cùm esset; Nestorio tamen ob antiquam consuetudinem favens, Cyrilli 12. Anathematismos impugnavit, Apollinaris errorem ex iis extundere conatus. An. 431. ad conciliabulum Joannis Antiocheni deflectens, non minùs ægrè Nestorii damnationem tulit, quàm conditiones pacis postea initæ inter Joannem & Cyrillum; huic enim ita infestus erat, ut & vivum, & mortuum declamationibus suis insectaretur. Dioscorus Alexandrinus Eutychis Patronus inde Theodoretum Nestorianum suspicatus, ab Imperatore impetravit, ut Cyrensis Episcopatûs limite egredi eidem haud fas esset: quin in Synodo latrocinali Ephesi depositus est; dum ad Leonem Papam confugiens, edito fidei suæ testimonio sedi restituendus decerneretur, & post mortem Theodosii reipsâ suo gregi (regnante Marciano) redderetur. Anno 451. Theodoretus ad Chalcedonense Concilium vocatus, locum suum (reclamantibus tamen Ægyptiis) occupavit; in sessione demum octava non tantùm Catholicam fidem (uti antea jam fecerat) professus, sed & palam Nestorio anathema infligens, omnium consensione acceptus est. Chalcedone reversus se libris scribendis impendit, mortuus circa annum 457. Opera ejus sunt à P. Sirmondo S. J. quatuor Tomis collecta Parisiis an. 1642. & postea à Garnerio ejusdem Soc. aucta 1681.

Theodoretus ab anno 423. ad an. 457.

(o) Garner. in Dissert. ad Theodoreti opera.

(p) Idem l. c.

I. Præcipua opera sunt *Commentarii varii in V. & N. Testamentum.* II. Historiæ Ecclesiasticæ libri quinque: incipit ibi, ubi Eusebius desierat, nempe à Constantini regno, & deducit usque ad Theodosii Junioris tempora res quinque & centum annorum spatio gestas; unde errat Gennadius, qui eum decem libris composuisse historiam fingit ad Leonis Imperatoris ætatem (q). Post Socratem licèt & Sozomenum sua ediderit (r); Synodi tamen Ephesinæ Historiam declinavit, ne perturbationes, quarum ipse pars magna fuerat, enarrare cogeretur (s). Præterea suspicionem de

(q) Gennad. in Catal. & ap. Possevin.

(r) Theod. Ep. ad Euseb.

(s) Valesius in Præf.

de Nestoriana hæresi, quâ eum laborare multi putaverant, inde auxit, quod Theodorum Mopsvestenum nimiis laudibus extulerit. Cæterùm de stylo ita censet Photius (t): *Omnium, quos proximè nominavi*, convenientem magis Historiæ stylum adhibet; clarus enim & grandis est, miniméque redundans:

(t) Photius Cod. 31.

III. *Historia Religiosa* (sive Philotheus) 30. Ascetarum sanctissimorum elogia continens an. 444. scripta. IV. Epistolæ 146. scriptæ post susceptum Episcopatum. V. *Eranistes* seu *Polymorphus*, hoc est liber in tres Dialogos distinctus an. 446.; in quibus collocutores sunt *orthodoxus*, qui Ecclesiæ: & *Eranistes*, qui Eutychis causam tuetur, dictus ideo Eranistes sive mendicus; eoquòd Eutychianorum hæresis à multis emendicata sit. *Primus* Dialogus dicitur IMMUTABILIS, quia Dei filii divinitatem immutabilem ex PP. authoritate ostendit. *Secundus* inscribitur INCONFUSUS, quia duarum in una Christi persona naturarum unionem inconfusam esse probat. *Tertius* appellatur *impatibilis*, quia Verbum prorsus impatibile & nullis passionibus obnoxium esse docet. Liber totus sanctione Theodosii, qui Eutychianis tunc favebat, sanctione an. 449. flammis datus est. VI. *Hæreticarum fabularum libri* 5. an. 453. scripti: quatuor priores libri hæresum prætteritarum ad eam ætatem errores exhibent; quintus veritatem genuinæ doctrinæ tot mendaciis opponit. VII. De curandis affectionibus Græcorum libri 12. an. 427. scripti contra Julianum Imperatorem; in his contra Gentiles veritatem Christianæ fidei defendit. VIII. *De Providentia orationes decem* an. 430. IX. *Reprehensio XII. Anathematismorum seu capitum S. Cyrilli* an. 429.: sed hæc duodecim capitula Theodoreti, totidem Cyrilli Anathematismis opposita, in quinta Synodo damnata sunt; eoquòd Nestorio nimiùm favere viderentur. Multa etiam opera Theodoreti deperdita sunt: scilicet *Epistolæ quamplurimæ*, de quibus mentionem facit Nicephorus (u), *Pentalogium* sive libri 5. *de Incarnatione Verbi adversus Cyrillum* (x), *opus Mysticum seu de Mysteriorum fidei expositione* l. 12. *De theologia & incarnatione libri aliquot.* (y) &c. vide plura apud Guilielm. Cave in sæc. Nestor. p. 263.

(u) Nicephor. Hist. Eccl. l. 14. c. 54.
(x) Garner. P. 2. p. 267.
(y) Garner. in Auctario.

Joannes Cassianus ab an. 424. ad an. 448.

14. JOANNES CASSIANUS genere Scytha, Athenis natus, primam ætatem Bethlehemii in Monastica ascesi posuit; Constantinopolim posteà profectus à S. Joanne Chrysostomo Diaconus ordinatur: anno 404. pro exule Patriarcha legatione perfunctus apud Innocentium Papam, ab hoc Presbyterium accepit. Devastatâ Româ post annum 410., Massiliam digressus, duo Monasteria condidit, virorum unum, mulierum alterum. Anno 424. scribendi fecit initium; deditque posteris *libros* 12., quorum quatuor anteriores *de institutis Cœnobiorum*, octo posteriores de octo capitalibus vitiis tractant, quod opus miris laudibus prosequitur Photius (z). II. 24. *Collationes Patrum.* III. *De Incarnatione adversus Nestorium libros septem*

(z) Photius Cod. 197.

ſeptem, qui extant in Bibl. PP. Tom. VII. & Duaci in ſeparato volumine an. 1616. Ab his lucubrationibus inclaruiſſet magìs; niſi Maſſilienſibus ad Semipelagianiſmum præiviſſet. Aliorum etiam à Proſpero accuſatus errorum eſt (a): obiit an. 448. ætatis ſuæ 97.

(a) vid. Caſſiodor. divꝛ lect. c. 29.

15. PHILOSTORGIUS in Cappadocia an. 368. natus, poſt vigeſimum ætatis annum omni eruditionis genere Conſtantinopoli excultus, libros 12. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcripſit ab Arii exortu ad Honorii Imperatoris mortem deductæ. Ario vel potius Anomæorum ſectæ cum pertinax adhæreret; Hæreticos hos ubíque deprædicat: fragmenta ejus (b) à Photio edita Joannes Gothofredus Genevæ an. 1643. notis illuſtravit, melioremque manum iisdem appoſuit Valeſius Pariſiis 1673.

Philoſtorgius Hiſtoricus circa an. 425.

(b) Photius in Bibl. c. 40.

16. POSSIDIUS Natione Afer, in Monaſterio S. Auguſtini enutritus, Megalio in Epiſcopatu Calamenſi ſucceſſit an. 397. Interfuit Collationi Carthaginienſi contra Donatiſtas an. 411. & Concilio Milevitano an. 416. contra Pelagianos celebrato: ſcripſit vitam S. Auguſtini, & Indiculum omnium ejus librorum, quæ opera extant paſſim in operibus S. Auguſtini.

Poſſidius biographus S. Auguſt. an. 430.

17. S. HILARIUS ARELATENSIS è nobili ſtirpe in Gallia prodiit: hunc S. Honoratus primus Lerinenſium Abbas ſui Monaſterii religioſum, dein in Epiſcopatu Arelatenſi ſucceſſorem habuit an. 430. Chelidonium in Provincia Epiſcopum cùm præcipiti conſilio deponeret; evocatus Romam ad Leonem, causâ cecidit: notatus etiam à Proſpero eſt ob Semipelagianorum errorem (c): obiit an. 449. Opera ejus ſunt *vita S. Honorati deceſſoris ſuis*, *Homiliæ pro totius anni feſtivitatibus*, *variæ Epiſtolæ*. Adverte hìc à nonnullis malè hunc Hilarium Arelatenſem confundi cum altero Hilario S. Auguſtini diſcipulo, de quo vide Natalem Alexandrum. Hiſt. Eccl. ſæc. V. c. 4. a. 19.

S. Hilarius Arelatenſis ab an. 430. *ad an.* 449.

(c) Proſper. ep. ad S. Aug.

18. S. PATRICIUS origine Britannus, natus eſt an. 371. à Germano Antiſſiodorenſi an. 432. Romam mittitur, & à Cæleſtino Pontifice Hibernorum Apoſtolus & Archiepiſcopus conſtitutus in Patriam rediit, ubi omnes ferè Inſulæ Regulos ad fidem Chriſti convertit miraculis illuſtris: obiit an. 493. ætatis 122.; poſtquam (ùt fertur) Eccleſias 365. condidiſſet, & totidem Epiſcopos, cum 3000. Presbyteris ordinâſſet. Scripta varia à variis illi adſcribuntur (d), quæ tamen an verè S. Patricii opera ſint, dubitatur (e).

S. Patricius an. 432. *ad an.* 493.

(d) vid. Guilielm. Cave in ſæc. Neſt. p. 271.

(e) Natal. Alex. l. c. a. 32. p. 155.

19. S. PETRUS CHRYSOLOGUS in foro Cornelii (quod hodiè Imola dicitur) natus, anno 433. à Sixto III. Romano Pontifice Ravennæ Epiſcopatum accepit, obiit ante annum 451. Eloquentiâ ſingulari vir ſanctus potens erat; unde nomen Chryſologi ſortitus eſt: reliquit Homilias 176., quæ recentiùs editæ ſunt Coloniæ 1678. & extant in T. VII. Biblioth. PP.

S. Petrus Chryſologus an. 433. *ad an.* 450.

S. Proclus an. 434.

20. S. PROCLUS S. Chryſoſtomi in prima ætate familiaris, ab Attico Conſtantinopol. Epiſcopo Diaconis, & ab ejus ſucceſſore Siſinnio Presbyteris annumeratur: ſubinde licèt Cyzicenorum Antiſtes deſignaretur; ſedem tamen non obtinuit, ab æmulo Dalmatio excluſus. Penſavit jacturam ejusmodi nobilior Epiſcopatus, ad quem an. 434. (mortuo Maximiano) Conſtantinopoli evectus eſt. Anno 435. datâ ad Armenos Epiſtolâ Neſtorii & Theodori Mopsveſteni errores damnavit, ſuppreſſo tamen Theodori nomine, ne Armenis, quibus iſte in paucis charus fuerat, offenſam poneret. An. 438. Chryſoſtomi exuvias Comanis tumulatas in urbem & in Eccleſiam Apoſtolorum deportari fecit: obiit an. 446. vir à pacifica indole ſummoperè commendatus, cujus etiam authoritate adverſus Hæreticos Eccleſia uſa eſt in Synodo Chalcedonenſi. Inter opera, quæ Romæ cum notis Vincentii Riccardi an. 1630. evulgata ſunt, præcipua ſunt, *Homiliæ tres in laudem S. Dei Genitricis*, *homiliæ duæ de Incarnatione*, *homilia in laudem Chryſoſtomi* &c. *Epiſtola ad Armenos de fide. Epiſt. ad Joannem Antiochenum de Theodoro & Iba.* vide Labbe, Guilielmum Cave, Poſſevinum.

Eucherius ſenior Lugdunenſis Ep. an. 434.

21. EUCHERIUS natione Gallus in Inſula prope Lerinam Monaſticam aſceſin coluit; inde ad Lugdunenſem Epiſcopatum translatus an. 434. inſigni doctrinâ ſuo gregi præfulſit. Nam commentatus varia opuſcula, nempe *Epiſtolas de contemptu mundi*, *de laude Eremi*, item *librum formularum ſpiritalis intelligentiæ*, & 2. *L. inſtructionum*, quos duobus ſuis filiis inſcripſit: demum *Commentarios in Geneſin & libros Regum*, his peractis obiit an. 454.

Vincentius Lerinenſis ab an. 434. ad an. 450.

22. VINCENTIUS eadem in Gallia Tulli Leucorum (primæ Belgicæ oppidi) natus, & frater Germanus Lupi (Trecenſis poſtea Epiſcopi) militiæ primùm: dein Lerinenſium Monachorum regulæ nomen dedit. Presbyterio initiatus triennio poſt Epheſinam Synodum ſub alieno Peregrini nomine Commonitorium edidit adverſus profanas vocum novitates an. 434., quod extat in Bibl. PP. T. VII. Multi etiam ei tribuunt objectiones adverſus Auguſtini ſcripta & doctrinam de prædeſtinatione & libero arbitrio, quas capitulis 16. ſummatim comprehenſas confutavit; unde Vincentium Semipelagianis multi accenſent (f), maximè ob illa ejusdem verba: *Jam verò illis, quæ ſequuntur, promiſſionibus miro modo incautos homines hæretici decipere conſueverunt: audent enim polliceri, & docere, quod in Eccleſia ſua, id eſt in communionis ſuæ conventiculo, magna & ſpecialis, ac planè perſonalis quædam ſit gratia Dei, adeò, ut ſine labore, ſine ullo ſtudio ſinè ulla induſtria, etiamſi nec petant, nec quærant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent; tamen ita divinitus diſpenſentur, ut Angelicis erecti manibus ſervati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum.* Quibus verbis alii putant à Vincentio reprehendi doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione

(f) vid. Natal. Alex.

natione & de dono perſeverantiæ. Alii è diverſo judicant, Vincentium hìc agere contra Prædeſtinatianos; quia aliàs Cæleſtini non laudâſſet Epiſtolam: obiit circa annum 450., & Eccleſia ejus ſanctitatem veneratur.

23. SOCRATES Conſtantinopolim natalem habuit circa annum 380. (g): ab Helladio & Ammonio paganis in Grammatica, à Troilo Sophiſta in Rhetoricæ præceptis inſtitutus eſt. In virum ubi adoleverat, in foro cauſas egit; unde nomine tunc Cauſidicis communi *Scholaſticus* audiit (h). Circa annum 440. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribendæ ſe applicuit, quam ab anno 306. exorſus eſt; & 7. libris continuavit ad annum 439., ſcilicet ab initio regnantis Conſtantini usque ad XVII. Conſulatum Theodoſii Junioris: in ea explicatiùs illa ſcripſit, quæ ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſpectant, utpote harum rerum magìs gnarus. Rufinum primò in pluribus ſecutus eſt: ſed cùm Athanaſii opera, tum alias Epiſtolas legiſſet; Rufini hallucinationibus deprehenſis, duos priores libros jam compoſitos ab ipſo limine recudit (i). Ex Theodori etiam Presbyteri (cui ſua opera Socrates dicaverat) conſilio literas Imperatorum, & Acta Conciliorum, & alia autographa ad faciendam fidem Hiſtoriæ ſuæ inſeruit. *Stylus*, ut ait Photius (k), *illi non admodum ſplendidus, ſed nec in dogmatibus valde accuratus eſt*; hæc Photii cenſura facit, ut plurimi Socratem de Novatianorum ſecta fuiſſe judicent: Valeſius, qui Pariſiis an. 1668. opera Socratis vertit & notationibus illuſtravit, eum ab hac labe vindicare conatus eſt (l); dum verba Photii ita exponit, quaſi Socrates imperitè de rebus Eccleſiaſticis quandóque & ad modum Judicum aut Cenſorum ſcripſiſſet: id verò ſacræ diſciplinæ non admodum perito Laico condonandum. Cæterùm æquè honorificè idem loquitur de Catholicis ac de Novatianis; hos non Catharos ſive puros, ſed Novatianos & ab Eccleſia ſeparatos appellat (m), imò alibi Catholicorum Eccleſiam ſimpliciter & Antonomaſticè *Eccleſiam* dicit: de Novatianis verò agens ait, *eorum Eccleſia* (n). Tillemont (o) ex his aliísque concludit, Socratem inter eos Politicos fuiſſe, qui ad morem ſæculi, utrarumvis partium amici nullum oderunt, quem non exterior agendi ratio infeſtum facit; ac vel ideo à Socrate Proclus tantoperè laudatur, quod comis & manſuetus etiam erga Hæreticos fuerit, ut ſic eos ad ſinum Eccleſiæ revocaret (p). Verùm gravioris ponderis videntur contraria argumenta, quàm ut mitiùs explicentur verba Photii; nam Nicephorus eum Novatianum fuiſſe ſæpe confirmat (q): neque negare poſſunt Adverſarii, Socratem honorificentiùs & latiùs de Novatianis ac de Catholicis loqui, Novatum ſectæ authorem numerare inter Martyres (r), & miraculum affingere precibus Pauli Novatiani (s). Demum ſi Socrates Dogmatum Eccleſiaſticorum minùs peritus fuit, cur igitur Siſinnii orationem tantoperè commendat habitam adverſus dictum Chryſoſtomi: *Etiamſi millies pœnitentiam egerit, accede?*

Socrates Hiſtoricus an. 439.

(g) Socrat. l. 5. c. 24.

(h) vid. Tillemont in V. Theodoſ. II. a. 37.

(i) Socrat. l. 2. c. 1.

(k) Photius c. 28.

(l) Valeſius in Prol. p. 7. .. 10.

(m) Socrat. l. 2. c. 38.

(n) Idem l. 5. c. 19. 21.

(o) Tillemont in V. Theodoſ. II. a. 38.

(p) Socrat. l. 7. c. 41.

(q) Niceph. in Præf. Hiſt. item lib. 11. c. 14.

(r) Socrat. l. 4. c. 28.

(s) Idem Prol. p. 8.

24. HER-

Sozomenus Historicus an. 443. 24. HERMIAS SOZOMENUS ex Bethelia (Palæstinæ juxta Gazam vico) oriundus, *Salaminii* nomen accepit à Salamane discipulo S. Hilarionis (t). Constantinopoli postea in causis agendis versatus est (u): Historiæ Ecclesiasticæ initium daturus, epitomen brevem præmisit duobus libris contentam, ab Ascensione Christi ad an. 323., quæ interiit; deinde exorsus ab an. 324. ad an. 440. Historiam Ecclesiasticam composuit novem libris, qui monumenta 115. annorum proferunt. Historia igitur tota hodie præ manibus non est, cùm præsens nonnisi ad an. 415. deducatur; vel certè Author ante operis absolutionem decessit. Gregorius M. (x) *in Historia autem Sozomeni*, inquit, *de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur: sed ipsam quoque Historiam sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsvestiæ nimiùm laudat.* Sed de Theodoro hujusmodi nil apud Sozomenum apparet: quin apud Theodoretum solum (y) res illa tractatur; hinc fortè pro Sozomeno Theodoretus legendus est in textu Gregorii (z). At esto, defecerit Sozomenus alicubi (a); non tamen omnino abjiciendus est, ni Historicos omnes (nam nullus nævo caret) relinquendos velis. Post Socratem, Sozomenum scripsisse id argumento sit, quod narrationibus illius quædam addat, emendet alia, & in multis dissentiat (b): hinc Photius de Sozomeno in hæc verba censuram tulit, *Socrate est in stylo præstantior, à quo etiam in narrationibus quibusdam dissentit* (c). Editio optima est, quam Valesius cum notis vulgavit Parisiis an. 1668., quæ recusa est Cantabrigiæ an. 1720. in Anglia.

(t) Sozom. l. 6 c. 32.
(u) Photius c. 30.
(x) Greg. M. ep. 31. l. 6.
(y) Theodoret. lib. 5. c. 39.
(z) Canus. l. 2. locor. Theolog.
(a) Anast. Bibl. in Præf. Miscell.
(b) vid. Labbe. de script. Eccl. T. II.
(c) Photius Cod. 30.

S. Nilus floruit an. 440. 25. S. NILUS S. Chrysostomi discipulus, ex Præfecto urbis Constantinopolitanæ (in qua natus erat) Monachus Nitriensis in Ægypto: posteà presbyter ab Episcopo Elusæ ordinatus, obiit regnante Marciano. Scripta varia edidit, *quæ*, ut loquitur Photius (d), *non tantùm operum perfectionem insignem, sed & in dicendo quoque facultatem ejus testantur.* Præcipua sunt *expositio in Cantica Canticorum. L. de octo vitiosis cogitationibus* &c. quæ opera vide unà cum crisi in Diatriba L. Allatii De Nilis & eorum scriptis, Romæ 1668. editis.

(d) Photius Cod. 201.

S. Leo M. an. 440. 26. S. LEO M. Pontifex (de cujus rebus gestis vide plura in Historia) scripsit varias Homilias, Epistolas 141., inter quas illa, quæ de Choriepiscoporum privilegio est, non est Leonis Papæ, sed Leonis Bituricensis Episcopi (e). Editio operum plenior est Quesnelli, quam Parisiis adornavit an. 1675. 2. volum., cui adjecit antiquum Canonum Ecclesiæ Romanæ Codicem, & Dissertationes 16.

(e) v. Natal. Alex. Hist. Eccl. sæc. V. c. 4. a. 29.

Salvianus an. 440. 27. SALVIANUS Presbyter Massiliensis (f) Patriam dicitur habuisse Coloniam Agrippinam (g): claruit ab an. 440. & postea Treviris diu vixit. Connubio junctus ex Palladia Hypatii Gentilis filia prolem Auspiciolam suscepit: relicto tandem natali solo in Viennensi Provincia

(f) Gennad. de script. c. 67.
(g) Ep. 1. Salv. ap. Baluzium.

Clero

Clero adjunctus est; scripsit *libros septem de Providentia & Gubernatione Dei*, *Epistolas novem* ad Salonium Episcopum, & *L. adversus avaritiam Clericorum.*

28. TIRO PROSPER Aquitanus, fuerítne Episcopus, an Laicus, dubitant nonnulli (h). S. Augustinum hortatus est an. 426., ut Massiliensium errores comprimeret: an. 431. ejusdem Augustini causam propugnavit Romæ contra HH.: an. 433. nobile opus edidit contra Cassianum, quem *Collatorem* vocat. Post an. 440. evocatus Romam est à Leone Pontifice, ut illi esset ab Epistolis: an. 443. jubente Leone in Campania contra Julianum, aliósque Pelagianos egregiè decertavit. Præter alia opera, (quæ Lugduni 1639. edita sunt, & extant *in Biblioth. PP. T. VIII.*) scripsit quoque *Chronicon*, quod ad an. 455. perduxit, quódque quadruplici editione diversâ vulgatum est, nempe una est *Scaligeri*, altera *Pithœi*, tertia *Duschesnii*, quarta perfectior *Labbei*, qui integrum Prosperi Chronicon, quale à Gennadio describitur, exhibet; à mundi enim Principio exorsus ad an. 455. telam Historicam pertexit: ac illa, quæ à librariorum negligentia omissa fuerant, supplet.

Tiro Prosper Hist. an. 444.

(h) vid. Labbe. Tom. II. p. 247.

29. IDATIUS natione Hispanus, Patriâ Lemicensis an. 445. Episcopus Aquæflaviensis in Gallæcia creatus est. Suevis Gallæciam vastantibus, postquam variam fortunam fortiter tulisset; obiit an. 468. Scripsit *Chronicon* ab an. 379. (quo desiit Hieronymus) ad an. 428., ídque postea ad an. 467. continuavit; excerpta illius edidêre Scaliger (i) & Canisius (k): integrum verò edidit Sirmondus Parisiis 1619.

Idatius Hist. flor. an. 445.

(i) Scaliger ad Calum. Chr. Euseb.

(k) Canisius in antiq. Lect.

30. VICTOR AQUITANUS Patriâ Lemovicensis an. 457. ad Hilarium Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum scripsit *Canonem Paschalem*, quem Ægidius Bucherius S. J. edidit Antuerpiæ 1634.: in *prima* ejus parte traditur methodus supputandi paschatis; in *secunda* exhibetur supputatio annorum 430. per tabulas, cum Consulibus adjunctis, nempe ab an. Christi 28. ad 457.

Victor Aquitanus a. 457.

31. PAULINUS Patriâ Pericorius sive Vesunnicus, natione Gallus, claruit circa an. 461., quo tempore vulgavit *vitam S. Martini*, quam Perpetuo Turonensi Episcopo dedicavit, qui Antistes præsedit an. 461. Concilio Turonensi I.

Paulinus an. 461.

32. C. SOLLIUS, APOLLINARIS SIDONIUS Gente Gallus, Patriâ Lugdunensis, natus circa an. 431.: literis benè imbutus, stipendia sub signis meruit: conjugium subinde iniit cum Papianilla, Aviti posteà Imperatoris filia an. 458. Majoriano Imperatori Panegyricum dixit; ac vel ideo statuâ in ejus honorem in foro Trajani positâ donatus. Arvernorum an. 472. Episcopus electus, cum grege suo varias calamitates à Gothis sustinuit: obiit circa annum 482. non sine dolore Coepiscoporum, qui eum in dogmatis Theologicis passim consuluêre. Scripsit *Epistolarum*

Sidonius an. 472.

(l) Guiliel. Cave in sæc. Nest. p. 292.

libros novem, & *carmina* 24. &c. His Guilielmus Cave annumerat opera multa deperdita, quæ apud dictum Authorem (l) videre poteris.

Gelasius Cyzicenus an. 476.

(m) Photius 15. & 88.

33. GELASIUS CYZICENUS Patriâ, posteà Cæsareæ in Palæstina Episcopus, circa an. 476. *scripsit Historiam Sermone vili & humili Actorum Nicænæ* (m) *Synodi*, tribus libris contentam & ex Dalmatii olim Archiepiscopi Cyziceni, Eusebii, Rufini, & aliorum codicibus excerptam. *Primus liber* ea, quæ antecesserant Synodum, recitat. *Liber secundus* Acta Concilii Nicæni, præsertim disputationes PP. cum Philosophis & Arianis exhibet. *Liber tertius* (qui jam desideratur) reliqua Constantini gesta ad obitum usque enarrat; in quo libro maximè asseri dicitur id, quod supra in l. 4. Historiæ diximus (n), nempe Constantinum sub finem vitæ baptizatum esse.

(n) Histor. nostræ univ. L. IV. c. 1. Reflex. 8. ad §. 1. à p. 197. ad pag. 208.

34. Frequentiores usu, & authoritate *Majores* Scriptores dici possunt, quos hucusque ex ordine recensuimus; sunt tamen adhuc alii, quos in *Minorum* numero positos, brevissimum in syllabum cogemus.

Alii Scriptores minores in sæculo quinto.

Sub initium sæculi quinti *Fl. L. Dexter* gente Hispanus, Historiam composuit, quæ interiit; circumfertur hodie quidem sub ejus nomine Chronicon, sed suppositum est. An. 401. *Asterius* Episcopus Amaseæ in Ponto, edidit plures Homilias, quæ sunt in Auctario Bibl. PP. 1624. & in monumentis Cottelerii Tom. III. An. 401. *Marcus exercitator* Monachus Nitriensis scripsit Ascetica, de quibus Photius Cod. 200. agit: extant in Biblioth. PP. S. Gaudentius Episcopus Brixiensis, cujus sermones & tractatus habentur ibid. in Bibl. PP. An. 404. *Theophilus* Alexandrinus scripsit tres literas Paschales, quæ sunt apud Balsamonem. An. 407. *Palladius* Episcopus Helenopolitanus scripsit Historiam Lausiacam, quæ est in vitis PP. in folio Antuerpiæ: dicitur etiam composuisse de vita S. Chrysostomi Dialogum, qui est inter Palladium & Theodorum. An. 410. *Polychronius* natione Syrus Theodori Mopsvesteni frater, Apameæ Episcopus scripsit expositionem in Canticum Canticorum, in Job, & Ezechielem. Lond. 1637. & in operibus Damasceni. *Nonnus* gente Ægyptius scripsit græcè Poëmata plura, Paraphrasin Evangelii S. Joannis: Collectionem & explicationem Historiarum, item libros 48. Διονυσιακῶν, quos composuit adhuc Gentilis. An. 410. *Synesius* ex Philosopho Platonico Ptolemaidis in Ægypto Episcopus scripsit librum de insomniis, de Regno ad Arcadium, lib. 2. de Providentia, Epistolas 155., Hymnos varios & Homilias: Paris. habentur 1633. in fol. An. 420. *Philippus Sidetes* scripsit Historiam Christianam 36. libris contentam apud Photium Cod. 37. videatur etiam Lambecii Commentar. l. 5. p. 137. An. 418. *Severus* Minoricensis scripsit de conversione Judæorum & de miraculis S. Stephani in dicta Insula factis. An. 420. *Fastidius Priscus* scripsit de vita Christiana, de viduitate servanda, de Doctrina spiritûs &c. vide Gennadium de scriptor. c. 56. An. 420. Paulinus S. Am-

S. Ambrosii Mediolanensis anteà Diaconus & Notarius, postea Presbyter: scripsit vitam S. Ambrosii, quæ operibus S. Augustini inseritur. *Evodius* Uzalensis in Africa Episcopus dedit varias Epistolas ad Augustinum, quæ extant inter Augustinianas. *Vigilius* Diaconus Regulam Monachorum edidit: apud Lucam Holstenium est Parisf. 1663. Isidorus Episc. Cordubensis scripsit l. 4. Allegoriarum in omnes libros Regum, quos Paulo Orosio Tarraconensi dedicavit. An. 425. *Sabinus* Heracleæ Episcopus, sectâ Macedonianus, composuit Collectionem gestorum Synodalium, in qua suppressis aliis, illa tantùm commemorat, quæ ad ejus Sectæ gloriam spectant. An. 430. *Olympius* Hispanus scripsit librum adversus eos, qui naturam & non arbitrium in culpam vocant. vide Gennad. c. 23. An. 431. *Capreolus* Carthag. Episcopus scripsit Tractatum de Incarnatione; habetur apud Sirmondum inter opuscula Veterum Parisf. 1630. in 8vo. An. 440. *Victor* Antiochenus Commentarium reliquit in Marcum, qui est in Bibl. PP. *Victorinus* Massiliensis concinnavit Poëma super Genesin: est in Bibl. PP. *Sedulius* versibus complexus vitam Christi: extat in Bibl. PP. *Nicæas* scripsit Tractatum ad Virginem: inter opera S. Hieronymi habetur. An. 450. *Euthalius* Diaconus Alexandrinus scripsit in Epist. Pauli: vide in Zacayni monumentis Ecclesiæ græcæ. An. 457. S. Basilius Seleuciensis scripsit 40. Homilias: sunt in Bibl. PP. An. 460. *Dracontius* Hispanus scripsit Poëma de creatione mundi: est in Bibl. PP. An. 465. S. Simeon Stylita Sermones de morte & Epistolas varias dedit, qui sunt in Bibl. PP. An. 466. *Claudianus Mamertus* de statu animæ scripsit: est in Bibl. PP. Vide plures Authores apud Gennadium in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, item apud Guilielmum Cave in sæculo Nestoriano, apud Dupinium in Bibliotheca Scriptorum.

REFLEXIO ULTIMA.

De Doctrina & Disciplina Ecclesiæ in sæculo V.

§. I.

De Doctrina Orthodoxa Ecclesiæ ejusdem sæculi.

1. Fidei orthodoxæ veritas hoc à Deo divinorum eloquiorum sponsore proprium accepit, ut, cùm res cæteræ ob caducam sui conditionem intereant facilè, illa inter medias Regnorum, Mundíque ruinas invicta ac inexpugnabilis consistat. Amiserat in sæculo quinto Occidentale Imperium Augustorum nomen, legúmque robur: at Ecclesia firmiore fundamento nixa adeò nullam patiebatur vicissitudinem; ut nec Barbarorum incursus interrumpere potuerint Pontificum seriem, nec Hæreticorum molitiones labefactare valuerint dogmatum integritatem. Qui orthodoxiam Ecclesiæ jam feliciore eventu se debellaturos speraverant, erant MANI-

Orthodoxæ doctrinæ firmitas & constantia.

CHÆI; hi quippe in duobus præcedentibus sæculis votis frustrati turbulentum hac ætate repetebant conflictum: sed post plures disputationes obtinuerunt nihil, quàm ut duo potissimùm dogmata Catholica firmiùs stabilirentur. S. Augustinus quippe, qui olim miseræ illi sectæ implicatus hæserat (a), nunc disruptis Manichæorum laqueis Ecclesiæ veræ restitutus, concertationibus ac libris conscriptis effecit, ut omnes UNUM duntaxat RERUM OMNIUM PRINCIPIUM agnoscere, & LIBERTATEM arbitrii cuivis HOMINI adserere cogerentur. Primum, ut cætera prætermittamus, ineluctabili hâc ratione evicit (b): *Quia ergo bona omnia sive magna, sive parva, per quoslibet rerum gradus non possunt esse, nisi à Deo: omnis enim natura non potest esse, nisi à summo & Vero Deo: quia omnia etiam non summa bona, quæ longe sunt à summo bono, non possunt esse nisi ab ipso summo bono. Omnis ergo spiritus, etiam mutabilis, & omne corpus à Deo: & hæc omnia facta naturâ. Omnis quippe natura, aut spiritus, aut corpus est.* Similia urget contra Adversarium Legis & Prophetarum, & contra Adimantum. Alterum dogma orthodoxum de libero hominis arbitrio S. Augustinus ita instaurabat (c): *Peccatum,* ajebat, *est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quanquam si liberum non sit, non est voluntas. Sed malui crassiùs, quàm scrupulosiùs definire eam rem. Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, supplicióve dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quodsi nemo vituperatione vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest, non faciens; omne autem peccatum vel vituperandum est, vel damnandum, quis dubitet tunc esse peccatum, cum & velle injustum est, & liberum nolle? ... Dicere animas & esse malas & nihil peccare, plenum est dementiæ* (d): *dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si naturâ, non voluntate faciunt: id est, si libero ad faciendum & non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Hos errores, ut Hipponensis Doctor Manichæis faciliùs eximeret, quasi miseratione motus Ecclesiam illis ostendit veritatis Magistram, ad quam ipse præivisset, subjungens simul causas, cur in tali Ecclesia duceret perseverandum (e): "*Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis incoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli,*

Existentia unius Principii summi asserta contra Manichæos.

(a) August. lib. de duabus animabus sub init.

(b) Idem l. de natura boni c. 1.

(c) August. l. de duabus animabus c. 11.

Libertas hominis probata contra Manichæos.

(d) Idem l. c. c. 12. vide etiam l. de Actis cum Felice Manichæo c. 3. 4.

(e) August. in l. contra Epl. Fundamenti c. 4.

stoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit; ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit; præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur & non exhibetur; nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.

Motiva credibilitatis, ut vocant, pro discernenda vera Ecclesia contra Manichæos.

2. Fuêre quidem eodem adhuc in sæculo DONATISTÆ, qui ob conficta Cæciliani crimina quasi cramben recoquentes, jactabant Ecclesiam puram in sola Donatistarum secta remansisse; sed Ecclesiam Catholicam non in Africæ angulo latere, imò per orbem diffundi totum, adeoque *Ecclesiæ Universalitatem* orthodoxorum nomine affirmabat Augustinus. Ex multis locis quædam afferimus (f): *Alii quippe*, ait, *hìc, alii verò alibi, atque alibi Hæretici, diffusâ ubique Catholicâ unitate confligunt: ubique enim est illa, de qua exierunt, qui esse ubique minimè potuerunt, dicentes, secundum id, quod de illo prædictum est: Ecce hìc est Christus, Ecce illic, alii hoc loco; alii alias variarum præsumptionum, vel potiùs amputationum proprias particulas ostendentes, atque impiâ superbiâ radicem, unde fracti sunt, abnegantes. Huic ergo Ecclesiæ, quæ copiosis successibus cum dilatatur toto orbe terrarum, ex omni gente, tribu & lingua, parit multitudinem Candidatorum & Palmatorum, sicut in Apocalypsi scriptum est, quam nemo numerare potest. Huic inquam Ecclesiæ, cui partem Donati non communicare manifestum est, majores vestri probare debuerunt, quæcunque vera documenta de Traditoribus habuerunt.* Et in Psalmum 56. *Qualem vesaniam patiantur Hæretici, quæso, ut attendatis. Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quò diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Christi diffusa est* &c. (g). *Secundò* errabant Donatistæ in eo, quod in Ecclesia tantùm bonos esse & non malos dicerent; imò per malos corruptam periisse Ecclesiam somniabant. Huic errori S. Augustinus opponit Parabolas Evangelicas, quibus Regnum cælorum comparatur *Sagenæ* missæ in mare, & ex omni genere Piscium congreganti; quam, cùm impleta esset, educentes & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt (h). Item *Ovili* concludenti simul oves &

Universalitas Ecclesiæ probata contra Donatistas.

(f) L. 3. contra Crescon. Donatist. c. 67.

(g) August. in Psal. 56. ad illa verba, *exaltare super cælos Deus.*

(h) Matthæi c. 13. v. 47.

(i) Matth. c. 13.

(k) 2. ad Timoth. 2. v. 20

(l) August. l. de unic. bapt. contra Petil. c. 16.

(m) August. in libro contra Donatist. post Collat. c. 10.

(n) Idem c. 4.

In Ecclesia boni & mali existunt.

(o) Idem c. 5.

& hœdos (i): *Domui*, in qua non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam (k). Donatistæ porrò oggerebant, occultos quidem malos esse in Ecclesia, non manifestos; & propterea Reti comparari Ecclesiam sub aquis pisces latenter congreganti: sed instabat Augustinus aliam afferens similitudinem de area (l), quæ paleam non latentem, verùm trituratoribus conspicuam unà cum tritico simul concludit (m). Recitatis pluribus aliis parabolis S. Doctor hæc subjungit (n): "quibus parabolis & figuris Ecclesia prænuntiata est usque ad finem sæculi, bonos & malos simul habitura: ita ut nec mali bonis obesse possint, cùm vel ignorantur, vel pro pace & tranquillitate Ecclesiæ tolerantur, si eos prodi, aut accusari non oportuerit, aut aliis bonis non potuerit demonstrari; ita sanè ut nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coërcitionibus licitis atque concessis, quæ salvâ unitatis pace in Ecclesia quotidiè fiunt... (o). Ista cum fiunt à bonis, non inquinantur à malis, quia nec eorum peccatis consentientes communicant, & ab eis, etsi non corporali segregatione; tamen spiritali vitæ dissimilitudine & morum diversitate discedunt.„ *Alteram* verò partem hujus erroris, quo judicabant corruptam malorum consortio fuisse & periisse Ecclesiam; ita oppugnat Augustinus (p): *Quid eis prodest*, inquit, *quod avaros & rapaces, cum quibus cibum sumi vetat Apostolus, modò se vel non habere in congregatione sua, vel incognitos sibi esse mentiuntur: quandoquidem fuerunt tales in illa unitatis Ecclesia, unde isti exortos sic se jactitant, ut eam in sola sua Societate, id est in communione Donati remansisse persuadere conentur? Si enim dicunt per talium communionem perire Ecclesiam, cur eam non dicunt jam Cypriani periisse temporibus? Ac sic per se ipsos, unde existerent, non invenientes, dicere desinent apud se Ecclesiam remansisse, quam totam prioribus periisse temporibus dicunt. Si autem in bonis; quibus talia displicent, semper mansit, & manet & manebit Ecclesia, discant isti aliquando non sic intelligere, quod ait Apostolus: Auferte malum ex vobis ipsis; ut per schismata conantes colligere Zizania; erudicent simul, & triticum.* vide plura lib. de Unit. Eccl. c. 14. in Breviculo Collat. diei 3. c. 8. 9. & 10. &c. *Tertiò* Donatistæ ex eo, quo puram Ecclesiam in sola Donati parte reliquam esse falsò existimabant, novum errorem concepêre: nempe penes suum conventum legitimum tantummodò baptismum reperiri; ac vel ideo rebaptizandos esse, qui ad Donatistas à Catholicorum Ecclesia transirent. Augustinus verò solidè commonstrabat baptismum semel receptum, secundò suscipi non posse (q): *Scripturas*, ajebat, *divinas nusquam præcepisse, ut hæretici apud hæreticos baptizati denuò baptizentur; sed multis locis ostendisse, alienos esse ab Ecclesia omnes, qui non sunt in Petra, nec ad columbæ illius membra pertinent, & tamen baptizare & baptizari, & habere sine salute Sacramentum salutis;*

(p) August. l. 3. contra epist. Parmeniani c. 1.

Ecclesia incorrupta & perpetuò duratura.

(q) August. l. 6. de baptismo contra Donat. c. 35.

si

ſi autem Hæretici, qui foris ſunt baptizare & baptizari poſſunt, quantò magìs ii, qui in Ecclesia ſunt, ſcilicet Catholici, quantumvis mali, cùm ad Sacramenti valorem non requiratur ſanctitas Miniſtri conferentis Sacramentum, ut in primo Tomo de cauſa rebaptizantium dictum eſt.

3. Donatiſtarum inſania poſtquam S. Doctoris Hipponenſis diſputationibus, & præcipuè Collatione Carthaginienſi fracta fuerat; novus orthodoxæ doctrinæ hoſtis PELAGIUS unà cum CÆLESTIO & JULIANO validius bellum movit. Negabant hi dari ullum peccatum originale: nullam Dei prorſus gratiam requiri; tantáſque eſſe liberi arbitrii vires, ut poſſit homo ſolis naturæ viribus omnia implere mandata Dei, juſtificari, & ſalutem ſine gratia conſequi. Aſſeruerunt Catholicam doctrinam adverſus hæreſin ejusmodi Pontifices, variæ Synodi: Dioſpolitana, Africanæ & Gallicanæ; nec minore robore orthodoxiam tuiti ſunt SS. Auguſtinus, Hieronymus, Proſper, aliíque. Atque ut particulatim de dogmatis, quæ Pelagianorum heterodoxiæ oppoſita ſunt, agamus; *Primò* aſſertum eſt, labem originariam verè talem ab Adamo in omnes homines propagari juxta illud: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* (r) Et: *In peccatis concepit me mater mea* (s). Præterea ex Pauli Epiſtola ad Romanos: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors* (t) ... *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi* (u): demum *eramus naturâ filii iræ* (x). Cùm enim naturæ humanæ in Adamum, velut totius generis humani caput refunderetur poteſtas; ideò ex Adami culpa avertente naturam habitualiter à Deo, & convertente illam ad bonum commutabile, ſumus omnes & ſinguli peccatores verè intrinſecè & habitualiter conſtituti (y); hinc licèt peccantes non dicamur: & licèt actus peccati originalis à nobis peractus propriâ voluntate non ſit; habitus tamen ejusdem culpæ nobis inſitus eſt, aſſeríque hoc ſenſu verè debet illud: *in quo omnes peccaverunt* (z). Cæterùm eadem originaria labes eatenus propagatur, quatenus poſteri Adæ ex ejusdem lumbis exorti contrahunt debitum culpæ, quam in Adamo commiſêre; eoquod de tali debito contrahendo ad omnibus per ſeminalem propagationem ab Adamo deſcendentibus, (ſi quidem is peccaret) Deus pactum inierat cum eodem generis humani Patriarcha: latiùs de hoc argumento agitat S. Auguſtinus contra Pelagianos variis in libris (a), in quibus ſequentes pro labe originaria rationes adducit 1. ex forma Baptiſmi, ſive verbo *Baptizo*, quod idem eſt, ac *Mundo lavacro aquæ in verbo vitæ*: cur enim infantibus baptiſmus confertur in remiſſionem peccatorum, ſi nullo peccato ſunt obſtricti? Quorſum exorciſmi & exſufflationes, & abrenuntiatio Satanæ, ſi Diabolus eis non dominatur (b)? 2. Comminatur Servator: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in Regnum cælorum*; quâ ratione autem Deus homines ad ſui imagi-

Originale peccatum ejúsque ab Adamo in poſteros propagatio contra Pelag.

(r) Job. c. 14.
(s) Pſal. 50.
(t) Ep. Pauli ad Rom. c. 5. v. 12.
(u) Ibid. v. 19
(x) ad Epheſ. c. 2.
(y) vide D. Thom. 1. 2. q. 81. a. 1.
(z) Rom. c. 5.
(a) LL. de peccator. meritis & remiſſ. L. de peccat. Orig. contra Cæleſtium. LL. de Nupt. & Concupiſc. LL. contra Julian. LL ad Bonif. contra 2. Ep. Pelagian.
(b) Auguſt. l. de pecc. Orig. c. 40. l. 6. contra Julian. c. 5.

(c) Idem l. 3. contra Jul. c. 3... 12.

(d) L. 4. contra Jul. c. 13. Item lib. 6. c. 5.

(e) August. lib. 6. contra Jul. c. 24.

(f) August. Sermone 14. de verbis Apostoli c. 3.

(g) Apocal. c. 18.

(h) Joannis c. 6.

imaginem conditos à cælo excluderet, ſiquidem hi inſontes forent (c)? Confirmabat porrò Auguſtinus Catholicum dogma ex miſeriis corporis, ex graviſſimâ & pellectrice concupiſcentia, quæ velut pœnæ culpam aliquam ſupponunt (d). Atque ut porrò evadendi locum præcluderet Pelagianis dicentibus "per inobedientiam unius hominis peccatores conſtitutos eſſe *multos*, non verò omnes, eósque tantùm, qui non generatione, ſed imitatione peccato Adæ ſe obſtrinxiſſent; Parvulos ſine baptiſmo decedentes à regno quidem Dei, non tamen ab æternâ vita & felicitate proſcribendos„ Auguſtinus his ita occurrit (e): *Cùm verò multos,... non vis intelligi omnes ... poteris hoc dicere, & de ſemine Abrahæ, cui promiſſæ ſunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuiſſe promiſſas, quia dictum eſt alio loco: Patrem multarum gentium poſui te. Eſt autem ſanus intellectus, ideo ſic locutam Scripturam, quia poſſunt eſſe aliqua omnia, quæ non ſunt multa. Sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id eſt quaternario continentur. Et rurſus poſſunt aliqua eſſe multa, non tamen omnia. Sicut multos dicimus credere in Chriſtum, nec tamen omnes credunt.... Quod autem dictum eſt, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & Patrem multarum gentium poſui te: eaſdem omnes, multas, & eaſdem multas, omnes eſſe demonſtratum eſt. Ita etiam cùm dictum eſt, per unum in omnes tranſiſſe peccatum; & poſtea per unius inobedientiam peccatores conſtitutos multos: ipſi ſunt multi, qui & omnes &c.* Ad alterum reſpondet Auguſtinus (f): *Venturus eſt dominus & judicaturus de vivis & mortuis ſicut Evangelium loquitur; duas partes facturus eſt, dexteram & ſiniſtram. Siniſtris dicturus: ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus: Dexteris dicturus: venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ob origine mundi. Hanc Regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes:* ubi tamen adverte, per ignem æternum univerſaliter non neceſſariò (ùt multi probabiliùs hodie docent) intelligi pœnam ſenſûs; nam cùm alibi ſcriptura dicat, *quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum* (g): parvuli autem in deliciis non fuerint; probabile eſt, eos non puniri pœnâ ſenſûs, ſed damni, utpote filios iræ, à quibus peccatum originale ſuſtulit juſtitiam originariam, reddidítque proinde incapaces viſionis beatificæ. Vide plura de hoc argumento apud Natalem Alexandrum in Panoplia adverſus Hæreſes ſæculi V. Diſſert. 21.

4. Alteri errori Pelagii gratiæ neceſſitatem negantis Eccleſia Catholica ſequentem orthodoxam doctrinam oppoſuit I. quod nullus homo poſſit propriis viribus, & ſine auxilio ſupernaturali velle, aut perficere ullum bonum opus, quod æternam ſalutem mereatur: *Nemo enim* (ut ait Servator) *poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* (h)... *omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quem locum ita commen-

mentatur S. Augustinus: *Valde*, inquit, *remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Christum; sed ubi, & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimirùm gratia ista secreta est: gratiam verò esse quis ambigat?* Præterea Paulus (i) apertè testatur: *Deus est enim*, ait, *qui operatur in nobis & velle & perficere.* Quibus accedit ratio: quia omnis actus tandem in vitam æternam est ultra vires humanas, ideóque opus habet homo roborari medio auxilio gratiæ, ad hoc, ut possit exire in similes actus; & ut sit proportio inter potentiam & actum. Pelagius his, aliísque argumentis exagitatus, vestire tantisper errorem conabatur; unde ipsam naturam & liberum arbitrium (cui ingenitas ad omne opus bonum vires sufficere propugnaverat) alio jam nomine scilicet *gratiæ* compellabat; eoquòd gratia esset, nos à Deo conditore naturam, liberúmque arbitrium accepisse (k). At hunc in modum Dei gratiæ tribuebat non peccandi possibilitatem; quia ejus naturæ Deus author est, cui possibilitatem non peccandi, inseparabiliter insitam Pelagius dicebat (l). Verùm cùm Augustinus solidè probaret, naturam & liberum arbitrium (quam Hæreticus generalem illam & omnibus communem gratiam prædicabat) infirmatum, saucium, & captivum esse: ac nisi gratiâ aliâ Salvatoris sanetur, & liberetur; nec ex infirmitate convalescere, nec ex servitute eripi posse; ideo Pelagius gratiam aliam alio quoque dolo admittebat, quam dicebat esse positam in lege ac doctrina, tum etiam in exemplo Christi. Sed facilè Hæresiarcha ab Augustino convincebatur, quòd hoc novo gratiæ genere, nihil naturæ infirmæ viribus adderet; cùm doctrina Christi, & quod in ea continetur, ipsius exemplum, forinsecus (quemadmodum & lex) auribus insonent, cor non tangant intrinsecus, ac immutent. Ludificationem postquam S. Doctor rursus in lucem protulisset; sub aliis phrasibus novas tenebras Pelagius quæsivit. Nam teste eodem S. Augustino, *tria* (Pelagius) *constituit atque distinguit, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem & actionem: possibilitatem scilicet, quâ potest homo esse justus; voluntatem, quâ vult esse justus: actionem, quâ justus est: horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à Creatore naturæ, nec esse in nostra potestate; sed eam nos habere, etiamsi nolimus: duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem, nostra esse asserit; atque ita nobis tribuit, ut nonnisi à nobis esse contendat. Denique gratiâ Dei, non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem & actionem; sed illam, quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem perhibet adjuvari: tanquam illa, quæ nostra sunt, hoc est voluntas & actio tam sint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant: illud verò, quod nobis ex Deo est, hoc est, possibilitas, tam sit invalidum, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio* (m). His confutatis S. Doctor tandem exponit gratiam in

(i) Epist. ad Philipp. 2. v. 12.

(k) August. Serm. 11. de verb. Apost. c. 7.

(l) August. l. de natura & Gratia c. 51.

(m) Augustin. lib. de gratia Christi c. 3.

ſenſu Catholicorum: *Sed nos eam gratiam*, ait, *volumus iſte* (Pelagius) *aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur; verùm etiam creditur & ſperatur: nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur* (n). Pelagius hanc veram gratiam admittere noluit, quia cum arbitrio humano eam componi poſſe negabat. Verùm nihil erat, cur hìc tergiverſaretur Hæreticus; primò enim libertati nihil ſubtrahitur, cùm omnibus gratia ſufficiens detur: nec Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis (o). Et hinc Deus queritur de peccatoribus in Scriptura, quod non convertantur: quod vocati obturent aures ſuas; fruſtra autem Deus ita quereretur, ſi peccatores ob defectum virium à Dei gratia provenientium ad converſionem progredi non poſſent. Præterea licèt omnis ſufficientia voluntatis ad benè operandum ex Deo ſit; fit tamen, ut eadem voluntas ex vitio originalis peccati vulnerata, & ad delectabilia aut utilia ſecundùm ſenſum inclinata, ductum Dei illuminantis & excitantis ad bonum reſpuat, adeóque fœdiùs cadat, ac indigniorem ſe reddat adjutoriis gratiæ Dei, quibus juſtiſſimè privabitur, niſi ſuperabundanti ex Dei miſericordia deinceps iſta proveniant. Quare ex culpabili receſſu à gratia Dei, Peccator ejusmodi impotens redditur actu multoties ad præceptorum impletionem; ſemper tamen poteſt, ſaltem remotè, quia poteſt orare; hanc enim gratiam Deus nemini negat, etſi nemini debeat: oranti autem ex corde prompta eſt Dei miſericordia (p).

(n) Idem c. 10.

(o) Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.

(p) Sianda in Lexic. Polem. T. II. p. 79.

5. Ex his verò cum Semipelagianis noli in illum errorem abripi, quaſi initium ſaltem ſalutis noſtræ à ſolis pendeat naturæ viribus, quódque deſiderium obtinendæ ſalutis à nobis queat concipi; & tum poſt hunc conatum noſtrum ad Chriſti gratiam promoveamur: *Omne* quippe *donum*, (quale etiam eſt initium fidei, juſtitiæ, aut ſalutis) *de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* (q); *non quod ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* (r), in quæ verba ita commentatur S. Auguſtinus (s): "*Nullus credit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum ... & ipſum credere nihil aliud eſt, quàm cum attentione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit*; inde infert: *Non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobismetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.... Unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendum, vel perficiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, quoniam fides, ſi non cogitetur, nulla eſt; & non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobismetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Atque ut argumentum illud proferamus, quo Auguſtinus (t) (qui aliàs cum errantibus ſe erràſſe fatetur) convictus tandem eſt: Paulus ad Corinthios ſcribit: *Quis*

(q) Jacobi 1.

(r) 2. ad Corinth. 3.

(s) Auguſt. l. de prædeſt. SS. c. 2.

(t) Idem l. c. c. 3.

Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis (u)? Sin verò fidei initium à nobis esset; possset, qui crederet, se ipsum à non credente discernere: posset & de sua fide tanquam proprio bono gloriari; adeóque gratia (quæ planè gratuita est) gratiæ nomen amitteret, ut quæ meritis humanis rependeretur. Quin si basis salutis, qualis est initium fidei, aut pius credulitatis affectus à nobis sit; non tantùm falsa foret Apostoli sententia (w) dicentis: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei? quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Sed etiam parvuli (quia nec desiderare fidem ob impotentiam rationis, nec gratiam ad se trahere suo actu possent, aut mereri) à salutis spe omninò excludi deberent. Denique Prædestinatio non fieret secundùm electionem, uti tamen docet Apostolus (x); sed juxta meritum naturæ. Locus hìc foret adjungendi quædam de *Prædestinatianis*, sed hoc argumentum alio loco opportuniùs tractandum putavimus.

(u) 1. ad Corinth. c. 4.

(w) Ad Roman. c. 11.

(x) Ad Roman. c. 4.

6. Postquam doctrina Catholica de originali peccato & de necessitate gratiæ stabilita fuerat; Nestorius blasphemo ore dogmata orthodoxa de Domini Incarnatione impugnare cœpit: docebat autem duas esse in Christo personas, & duos esse filios; unum filium Dei, alterum hominis filium, sive purum hominem, cui Verbum unitum sit non unione hypostaticâ; sed unione quâdam morali, ita ut Christus sit quasi Dei templum: & hâc ratione solummodo Christum vocari hominem Deum; ac proinde B. Virginem Mariam non Dei, sed hominis matrem esse, dicíque debere non Θεοτόκον, sed Χριςοτόκον. Verùm Ecclesia blasphemias Hæresiarchæ contundens docebat, Unam esse in Christo personam, naturis constantem duabus, unúmque Dei & hominis filium; ídque probabat ex Scriptura S.: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos* (y). *Qui & splendor sit gloriæ, & figura substantiæ Patris* (z), *per quem & sæcula facta sunt* (a). *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (b). Ecce Apostolus hic eundem esse ait, qui descendit & ascendit, & eum, qui se exinanivit, esse illum ipsum, qui anteà Deo Patri erat æqualis. Accedit, quod Christus de se ipso sæpe loquatur tanquam de Deo, & sæpe tanquam de homine, quod verè asserere non potuisset, si duæ essent in Christo personæ; actiones enim sunt suppositorum. Cùm autem eadem actio in Christo; tribuatur Christo tanquam Deo & tanquam homini; sequitur communicari idiomata seu proprietatum nomina in Christo ratione suppositi: nempe, quia unum est suppositum in utraque natura, & unicam tantùm esse Personam in Christo, in qua per unionem hypostaticam uniuntur duæ naturæ divina & humana. Neque tantùm ex Scriptura, sed & ex Traditione hoc dogma Ecclesia accepit; nam idem docuerat Ignatius (c), Irenæus (d), Tertullianus (e), Athanasius (f), omnés-

(y) ad Ephes. c. 4.

(z) ad Hebr. c. 1.

(a) ad Hebr. c. 2.

(b) ad Philip. c. 2.

(c) Ignat. Ep. ad Ephes.

(d) Irenæus l. 3. c. 18.

(e) Tertull. l. de carne Christi.

(f) Athanas. l. de Incarn.

(g) Symbol. Nicæn. (h) Gregor. Naz. or. 31. Hilarius l. 9 de Trinit. Ambros. l. de Incarn. c. 5 (i) Cyrill. in Anath. Epist. hom. (k) v. Acta Syn. Ephes. apud Hard. (l) Leo Sermon. 7. de Nativitate.

omnésque Patres Nicæni (g), Patres sæculi quarti (h), in sæculo V. Cyrillus (i), omnésque Patres Ephesi Congregati (k), quibus postremo loco addimus Pontificem Leonem, qui in illa verba Joan. 1. *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*, ita disserit: *Quod enim verbum caro factum est, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata: sed quod à verbo in unitatem personæ sit caro suscepta, cujus utique nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera, sancto Spiritu fœcundata, & nunquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei filius unitur, ut qui erat intemporaliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus* (l).

(m) 1 ad Corinth. c. 2. (n) ad Galatas c. 4. (o) Ignat. Ep. ad Ephes. (p) Justin. in Dialog. cum Tryph. (q) Irenæus l. 3. c. 31. (r) S. Leo Epist. 24. ad Flavianum.

7. Ex his nunc porrò sequitur. *Primò* B. V. Mariam, quæ Christum peperit, dici debere matrem Dei sive *Deiparam*, quia genuit Christum Deum simul & hominem, cujus asserti veritatem habemus ex ipso testimonio Elisabethæ B. Virginem ita alloquentis: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Erat autem hic Dominus verè Deus, nam de hoc S. Thomas pronuntiaverat: *Dominus meus & Deus meus*; & Paulus: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (m). De cætero idem Apostolus alibi maternitatem Virginis hisce verbis expressit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere* (n), ubi græcè habetur γενόμενον, quæ vox generationem significat. Non aliter docuerunt PP. primorum sæculorum Ignatius (o), Justinus (p), Irenæus (q), aliíque Ecclesiæ Doctores, ex quibus unum S. Leonem proferemus: *Sicut Nestorius*, inquit, *non est toleratus, affirmans, beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, qui postmodum sit à verbo Deitatis susceptus, duabus scilicet personis distinctis, atque divisis, ut non esset filius hominis, qui filius Dei, neque unus Christus in utraque natura, sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre: cùm Evangelica authoritas ita verbum carnem prædicet factum, ut non duos Christos, nec duos filios, sed in uno Domino nostro Jesu Christo, & Dei & hominis nobis insinuet veritatem: ut utriusque substantiæ, id est salvantis atque salvatæ, nec proprietas possit confundi, nec Persona geminari* (r). His Theologica accedat ratio: cum terminus actionis generativæ fuerit Deus homo, sive Christus in utraque natura divinâ hypostasi subsistens; non est cur matri Dei-hominis nomen Deiparæ negemus. Licèt enim à matre solam humanam naturam assumpserit; tamen natura filii non generatur à Parentibus, sed Persona filii: itaque sicut est filius æterni Patris non generatione naturæ, sed personæ in natura divina; ita etiam est filius temporalis matris, non generatione naturæ, sed ejusdem personæ in natura humana. Quare sicut Christus verè est filius Dei & hominis; ita B. Virgo verè est mater Dei, qui homo factus est non in confusione substantiæ, sed in unitate Personæ: non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; quia humana natura subsistit per hypostasin verbi.

8. Hæc

8. Hæc eadem argumenta præcipuâ ex parte EUTYCHIS quoque hæresin prostraverunt: declinans is in adversam omnino sententiam, duas in Christo negabat esse naturas, fingebátque carnem in ipso Incarnationis articulo in divinitatem fuisse commutatam: & postquam ex utraque natura divina & humana substantia coaluisset una; Christum etiam ut Deum passum esse docebat. Cohorruêre orthodoxi ad novum blasphemiæ genus; & ex ratione primùm ostendebant, repugnare intrinsecis principiis, ut tam paradoxa conversio humanitatis in divinitatem concipi, aut asseri queat. Nam unus Gelasius (s) ita differit: "si aliquid (quod absit) vel divinitatis vel humanitatis inde decesserit; sequitur ineffabilis resolutio Sacramenti: & quod dictu, auditúque fugiendum est; vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam Deitas perseverat: vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita permaneat: nec glorificata videatur nostra conditio unitione Deitatis, sed potiùs consumpta, si non eadem subsistit in gloria &c.„ Ex quibus etiam sequitur, quod utì illa tertia natura foret ex duabus commixta, adeoque Christus nec Deus nec homo; sic quoque negari tunc deberet, quod filius Patri æterno, aut matri esset consubstantialis (t). Atque ut porrò ex verbo scripto Catholici hæresin profligarent; ad plures Scripturæ S. sententias provocabant, ubi duplicis naturæ proprietates clarissimè exprimuntur (u): naturæ autem simplici contrariæ proprietates convenire nequeunt. Adhæc Patres ante Chalcedonense Concilium omnes duas in Christo naturas agnoverunt (x); omnium loco Cyrillum Alexandrinum audiamus: *Non enim dicimus*, inquit, *quod Dei natura conversa vel immutata, facta sit caro; nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed illud magis, quòd carnem animatam animâ rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter & ineffabiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nudâ tantummodo voluntate, sed nec assumptione solâ personæ; sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus & Filius, non evacuatâ aut sublatâ diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum & Christum & Filium, id est, divinitas & humanitas per arcanam illam, ineffabilémque copulationem ad unitatem* (y): ex his apertis verbis explicari debent illa, quæ alibi obscuriùs idem S. Pater dixit, nempe *unam naturam Verbi incarnatam* (z), aut naturarum differentiam post unitionem solâ cogitatione dividi; nam *primùm* hìc responderi potest, quod ipse Cyrillus alio loco (a) ajebat cùm apud Tertullianum (b) legeret: *Nascitur homo Deo mixtus*, aut apud Augustinum Personam Christi *Mixturam esse Dei & hominis* (c), scilicet, *quod eâ voce abusi sint, cùm summam unionem ostenderent. Secundò* Cyrillus vel per unam naturam significat Personæ unitatem, aut in proprio sensu loquitur, nempe unam Divinam duntaxat naturam, (non verò hu-

Duæ naturæ sunt in Christo inconfusæ contra Eutychianos.

(s) Gelasius lib. contra Eutychem.

(t) Leontius apud Euthymium in Panoplia P. 2. Tit. 15.

(u) Joan. c. 1. it. 1. Joan. 5. Ad Rom. c. 1. 9. Ad Philipp. c. 2.

(x) Ignat. in Ep. ad Ephes. Justin. Apolog. 2. Irenæus l. 5. c. 14. Origen. hom. 1. in Ezech. &c.

(y) Cyrillus Alexandr. in Ep. ad Nestor.

(z) Cyrillus Alex. in Ep. ad Acac. Melitin.

(a) Idem l. 1. adversus Nestor. c. 3.

(b) Tertull. Apol. c. 21.

(c) Augustin. Epist. ad Volusianum.

 manam,

manam, ut patet) incarnatam fuisse. Dein naturas post unitionem divisas, aut separatim subsistentes negat: quo sensu animam & corpus, licèt distincta post unitionem, quia seorsim non subsistunt, dicit pariter solâ ratione divisa esse (d).

(d) Cyrillus in Epist. ad Successum.

9. Quemadmodum verò Nestorius in sæculo V. maternitatem Dei Beatæ Mariæ eripere tentavit; ita Helvidius eidem Virginitatem auferre præsumpsit: fuerat is Auxentii Ariani discipulus, qui ex stolido ingenio suo docuit, B. Mariam (postquam Christum ex Spiritu S. concepit & Virgo peperit) alios ex Josepho conjuge procreâsse filios; eundem errorem in sæculo IV. cœptum propagavit Jovinianus per suos in sæculum V. Sed S. Hieronymus utrique larvam detraxit, & B. Mariæ Virginitatem stabilivit (e). *Secundò* docuerunt hi duo Hæretici Virginitatem non esse apud Deum majoris meriti, quàm conjugium: at Ecclesia orthodoxa Pauli (f) sententiam secuta, conjugii vinculum dignitati & merito Virginitatis postposuit; quod ipsum Hieronymus contra Helvidium latiùs defendit (g).

(e) Hieron. l. contra Helvid. & l. advers. Jovin.
(f) 1. ad Corinth. 5.
(g) Hieron l. c.

10. Postremo loco commemoramus eum, qui utì ætate multos HH. hoc in sæculo antecessit; ita pluribus erroribus doctrinam Christianam confundere adnisus est: erat is Vigilantius, Patriâ Calaguritanus, Ecclesiæ Barcinonensis Presbyter, qui nominis famam aucupaturus, primò Hieronymum adortus est, eumque vocavit in suspicionem errorum, quos Origenes docuisset: inde à S. Doctore apologetico opere repulsus, in pejora deliria prolapsus est, dedítque occasionem, ut Ecclesia in sæculo quinto ea dogmata jam velut Catholica firmaret, quæ posterioribus temporibus adversus Heterodoxorum quorumcunque conatus summo præsidio fuêre. Impudente ore reprehendebat & allatrabat Vigilantius cultum SS., Reliquiarum, Miracula, Vigilias in Basilicis Martyrum celebrari solitas, Eleemosynæ dispensationem, & Monasticum institutum. Contra tam audacem Hæresiarcham varia dogmata Catholica Patres sæc. V. propugnârunt: I. Sanctorum, & præsertim Martyrum corpora, cineres, ossa sive RELIQUIAS in honore ac pretio habendas esse; quod ipsum docuêre *S. Joannes Chrysostomus* in orat. de S. Ignatio Martyre, S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 55. ad Hieracem gentilem, *S. Hieronymus* Ep. 53. ad Riparium Presbyterum, *S. Ambrosius* Ep. 22. ad Marcellinam. II. MIRACULA comprobat Augustinus l. 9. Conf. c. 7. l. 22. de civ. Dei, ubi agit de reliquiis S. Stephani. III. VIGILIAS vindicat S. Hieronymus in libro adversus Vigilantium. IV. ELEEMOSYNAS, BONA OPERA & MERITA tuetur *Augustinus* Ep. 46. ad Valentinum sub medium; *Chrysostomus* adversus vituperatores vitæ Monast. l. 3. item ad Theodor. lapsum Paræn. 2. *Hieronymus* l. c. V. VITAM MONASTICAM, & CÆLIBATUM defendit Chrysostomus Hom. 2. in Job post medium. *Augustinus* Sermon. 18. de verbis Apostoli sub finem. Item l. de bono viduitatis c. 4. & in Psal. 99. circa medium.

11. Sunt

11. Sunt & alia Religionis orthodoxæ dogmata, quæ quamvis ab Hæreticis non admodum in hoc sæculo oppugnata fuerint; exposita tamen sunt à SS. Patribus: & meritò hic à nobis citantur, ut inde colligas eandem, quæ hodie in Ecclesia Catholica est, doctrinam in primis quinque sæculis extitisse. I. ECCLESIÆ AUTHORITAS & TRADITIO: *Augustinus* Ep. 86. *Leo M.* Sermone de jejunio Pentecost. II. PRIMATUS Romanæ Ecclesiæ *Augustin.* in QQ. N. Test. q. 75. in fine. *Chrysostomus* orat. Encom. in SS. Petr. & Paul. III. SOLA FIDES NON SALVAT: *Augustinus* de fide & operibus c. 14. *Cyrillus Alexandrinus* l. 10. in Joan. c. 14. IV. PURGATORIUM: *Augustin.* l. 21. de civ. Dei c. 24. ante med. item Serm. 32. *Hoc à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro iis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur: ac pro illis quoque id offerri commemoratur*; & l. 2. in Genes. contra Manich. c. 20. *Chrysostomus* hom. 41. post med. in 1. ad Cor. V. ABSTINENTIA à CIBIS: *Augustin.* agens de Quadrages. l. 1. QQ. in Genes. c. 169. & *Chrysostomus* hom. 1. in Genesin. VI. EUCHARISTIA & SACRIFICIUM: *Chrysostomus* Hom. 17. in Epist. ad Hebr. & Hom. 2. in Epist. ad Timoth. *Augustin.* in Psal. 98. ad illa verba: *adorate scabellum pedum*, & Psal. 33. & l. 3. de Trinit. c. 14. VII. POENITENTIA & CONFESSIO SACRAMENTALIS: *Cyrillus Alexandrinus* l. 12. in Joan. c. 56. sub fin. *Augustin.* in Psal. 101. *Chrysostomus* l. 2. de Sacerdotio c. 3. *Quî igitur*, inquit, *pharmacum adhibere quis possit morbo ei, cujus genus nequaquam intelligat? ... quamobrem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsis prosuadeant, Sacerdotum curationibus sese submittere oportere, neque id solùm; sed ut etiam curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant* &c. Et Hom. 31. in c. 12. ad Hebræos: *Quomodo dic, quæso, de peccatis assequi veniam poteris, si ea nondum sis confessus? ... peccatum autem ita maculat, ut nulli fontes, nulla flumina, sed lachrymæ solùm atque confessio mundare queat.* Quare si Chrysostomus alibi hom. 2. in Psal. 5. dicat: *Non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret: dicito Deo*, non de Sacramentali, sed publica confessione locutus est; sciebat enim S. Doctor Sacerdotem, cui Sacramentalis & secreta fit confessio, nec secretum violare, nec peccata extra confessionem pœnitentibus exprobrare posse, eoquòd ista aperiantur homini non ut conservo, sed ut Dei vices gerenti; ideo alibi homil. de muliere Samarit. dicit: *In peccatis igitur, quæ commisimus, confitendis neminem vereamur, Deum duntaxat (ùt decet) formidemus ... jam verò contrarium fieri video; nam eum, qui nos judicaturus est, non reformidamus: eos verò, qui nullatenus nos læserunt perhorrescimus, & ignominiam ab ipsis incurrendam reformidamus; quapropter in iis, quæ timemus, pœnam sustinemus; qui enim peccata homini detegere erubescit, Deo verò cernente facere non erubescit, neque confiteri vult & pœnitentiam agere, in die*

illa

illa extremi judicii, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. VIII. POTESTAS SACERDOTUM IN CORPUS CHRISTI VERUM & MYSTICUM, sive potestas conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, & absolvendi à peccatis asseritur ab eodem *Chrysostomo* lib. 3. de Sacerdotio c. 3. *Sacerdotium quidem*, inquit, *in terris peragitur, sed in rerum Cælestium classem, ordinémque referendum est... ipse quidem Paracletus ordinem sic disposuit.... Terribilia atque honorifica fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesserunt... at verò si quis ea, quæ gratiæ tempus advexit, examinet; terribilia hæc judicabit levia: ac quod de lege Paulus dixit, hìc demum verum esse comperiet; quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte propter supereminentem ipsius gloriam. Nam dum conspicis Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotum sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubefieri... O Miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus eum excipere ac complecti.... Nam si quis consideret, quantum id sit Mysterium, ut is scilicet, qui homo ipse sit, beatæ atque immortali naturæ illi fieri propior queat: tum probè intelliget, quanto Sacerdotes honore, quantâ dignitate Spiritûs S. gratia dignata fuerit. Operantibus enim illis, tum sacra hæc, quæ dico, initiantur, perficiuntúrque, tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis, salutísque nostræ rationem spectant. Etenim, qui terram incolunt, iis commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: quæcunque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo; & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit; usque adeò, ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat.... Quænam, obsecro, potestas hâc unâ major esse queat? Pater omne judicium filio dedit: cæterùm ipsum omne judicium à filio illis traditum.* vide de Dogmatis fidei plura apud Jacobum Gualterium in Chronologia Eccles. ad sæc. V.

§. II.

De Disciplina Ecclesiæ in sæculo V.

I. QUoniam in Ecclesia Catholica est Hierarchia divinâ ordinatione instituta, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris (a); de singulis ex ordine agemus, ut quæ circa eosdem in sæculo V. viguerit Disciplina, clariùs intelligatur. Ac primò Episcoporum supremus Hierarcha PONTIFEX sedis suæ primam dignitatem atque authoritatem adversus omnes molitiones fortiter tuebatur; nam ubi Bonifacius Papa cognoverat Constantinopolitanum Episcopum latiùs suam protendere juris-

(a) Concil. Trident. sess. 23. can. 6.

jurisdictionem; ita rescripsit (b): *Quoniam locus exigit, si placet, recensete Canonum Sanctiones; reperietis, quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæve sit tertia? A quibus ideo ita rerum videtur ordo adstructus, ut se Ecclesiarum Pontifices cæterarum, sub uno tamen, eodémque Sacerdotio habere cognoscant, quibus charitate servatâ propter Ecclesiasticam Disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem hæc sententia Canonum à vetustate duravit; & nunc usque Christo nostro favente perdurat. Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari: servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per Canones dignitates, Alexandrina, & Antiochena, habentes Ecclesiastici juris notitiam: servant, inquam, instituta majorum, in omnibus deferentes, & ejus vicissitudinem recipientes gratiæ, quam se in Domino (quæ pax nostra est) nobis debere cognoscant.... Sed quia res postulat, approbandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse Romanam, & quoties usus exegit, ejus auxilium postulâsse. Sanctæ memoriæ Athanasius, & Petrus Alexandrinæ Sacerdotes Ecclesiæ, hujus sedis auxilium postulârunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum sæpe discursus, primò sub Meletio, posteà sub Flaviano Apostolicam sedem manifestum est esse consultam, ad cujus authoritatem post multa, quæ ab Ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est, Flavianum communionis gratiam recepisse, quâ in perpetuum caruerat, nisi hinc super hoc scripta manâssent. Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo aulicis cum Episcopis, formatam huic à sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret. Ante breve tempus, id est, sub Prædecessore meo beatæ recordationis Innocentio, Orientalium Ecclesiarum Pontifices dolentes se à beati Petri communione sejunctos, per Legatos pacem poposcerunt.* Cæterùm inter Orientales Præsules, qui ad Romanam sedem confugiendum duxêre, facilè præcipuus est S. Chrysostomus; hic enim Theophili Alexandrini judicio exagitatus ad authoritatem Pontificis provolavit; à quo & vivus (c) & mortuus (d) opem, auxiliúmque expertus est. Quid? quod omnes PP. Chalcedone congregati hanc supremam Pontificis potestatem reverebantur, Theodoretum enim ad Synodum admisêre, eoquòd sanctissimus Leo ei communionem impertiisset (e). Dioscorum Alexandrinum in judicium vocant hoc quoque de crimine, quod Synodum ausus sit *facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Verùm licet penes Pontificem summa cogendarum Synodorum generalium authoritas foret; ipse tamen his Conciliis interesse non solebat. Unde Pascha-

(b) Bonifacii Ep. apud Holstenium p. 69...75.

Sedis Romanæ jura inviolata servantur.

(c) Pallad. in Dialogo de vita S. Chrysost.

(d) Theod. l. 5. Histor. Eccl. c. 34.

(e) Synod. Chalcedon. Act. 1.

ſchaſinus Legatus ajebat: *Notum eſt nempe huic Deo amabili Concilio, & ad Beatum & Apoſtolicum & Catholicum Papam Leonem ſacras eſſe literas deſtinatas, quatenus huic S. Concilio ſe præſentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit conſuetudo, neque generalis temporis neceſſitas permittere videbatur, noſtram parvitatem huic S. Concilio pro ſe præſidere præcepit.* Decreta tamen in Concilio facta per Synodicam relationem ad Pontificem mittebantur, ut is ea ſuo judicio confirmaret: ita iidem PP. Chalcedonenſes ſcripsêre; poſtquam omnes Synodi ſanctiones amplâ epiſtolâ Leoni expoſuerant; ita concludunt: *Rogamus igitur & tuis Decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos* CAPITI *in bonis adjecimus conſonantiam; ſic & Summitas tua filiis (quod decet) adimpleat* (f).

(f) Synod. Ep. Chalced. Concil. apud Hard. T. II.

Quinque Patriarchatus in ſæc. V.

2. Poſt Romanam ſedem equidem olim inviolato jure *Alexandrina* Eccleſia ſecundum locum: tertium *Antiochena* obtinebant; at hoc maximè ſæculo *Conſtantinopolitana* ſe inter Romanam atque Alexandrinam mediam interjecit, hancque prærogativam ſibi deberi pugnabat; quòd Regia civitas, & altera Roma foret. Præter locum honoris etiam tres Diœceſes Thraciæ, Ponti & Aſiæ ſibi vindicabat; unde Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui ſuffraganeus anteà Antiſtitis Heracleenſis erat, nunc ſubitò PATRIARCHICA poteſtate refulgebat (g). Quinta ſedes Patriarchalis eodem tempore inde excitata eſt; quod Hieroſolymitanus Epiſcopus nudâ Protothroni dignitate non contentus, Diœceſin quæreret, cui ſuperiore cum jure præeſſet: obtinuit hanc tandem ab Antiocheno Epiſcopo, poſtquam hic ultro, ſive pacis causâ Hieroſolymitano tres Palæſtinas abdicaverat.

(g) vide ſupra Reflex. VIII. ad C. II. L. V.

Primates.

3. Præter Diœceſeon altiores Antiſtites, qui poſteà Patriarchæ dicti ſunt, amplâ etiam poteſtate prædìti erant PRIMATES: hoc nomine apud Afros veniebant illi, qui Primæ ſedis aut primæ cathedræ erant Epiſcopi; quæ tamen dignitas non Eccleſiæ, ſed Præſulum antiquitati affigebatur, ita ut is, qui cæteris Epiſcopis ſenior, is quoque Primas: & ejus Eccleſia Prima ſedes appellaretur (h). Ab hac tamen lege Carthaginienſis eximebatur; eoquod huic Eccleſiæ Primatis authoritas ex recepto uſu adhæreſceret. Cæterùm in Occidente *Primates* etiam illi dicebantur, quibus ſummus Pontifex ſuas vices, authoritatémque ſuam in certas Provincias delegabat; quorum officium erat, curare, ut ab omnibus ſervarentur Canones, tum dicere jus iis Epiſcopis, ac Provinciis, ad quas demandata ejus poteſtas porrigebatur (i). Hanc Primatûs dignitatem unà cum juriſdictione in Illyricum, in ſæculo V. adhucdum Epiſcopus Theſſalonicenſis eo modo poſſidebat, quo Damaſus olim hanc facultatem Theſſalonicenſi Cathedræ conceſſerat; ac Bonifacius I. providit, ne Conſtantinopoleos, aut Corinthiorum Epiſcopi hæc jura infringere auderent. Major controverſia exarſit hoc in ſæculo de Primatu inter Arelatenſem

(h) Thomaſſin. de Vet. & N. Diſciplin. Eccl.

(i) Thomaſſ. de Vet. & N. Eccl. Diſcipl. T. I.

&

& Viennensem: Zosimus quia Patroclo Arelatensi Episcopo Vicarias per Galliam vices commiserat, successores ejus putârunt, potestatem ejusmodi non Personæ, sed Ecclesiæ fuisse annexam; ídque eâ de causâ potissimùm, quod prima inter Gallias Arelatensis civitas esset, & prima etiam missum à beatissimo Petro S. Trophimum habere meruerit Sacerdotem, & ab hoc rivo in cæteras Gallias Apostolicæ institutionis fluenta profluxerint; inde enim factum dicebant, ut Arelatenses in Viennensi & Narbonensi gemina Provincia legitimè ordinare, harúmque curam proprio jure gerere; cæteras autem Galliæ regiones tanquam Vicarii Pontificis sub Ecclesiastica regula continere possint (k). At Viennensis Metropolita his argumentis hunc in modum occurrebat: id, quod Patroclo sedes Apostolica ad tempus concessisset, meliore Pontificis Bonifacii I. & Cælestini sententiâ nunc esse sublatum; cæterum Zosimo fuisse obreptum, & obstare decreta Concilii Taurinensis: demum utramque civitatem & Arelatem & Viennam Metropolim esse (l), & quarundam causarum alternâ ratione nunc illam in Ecclesiasticis privilegiis, nunc istam præcellere; imò eisdem commune (si popularium traditione standum sit) jus quoddam fuisse. Causam pro Arelatensibus primò instruxit S. Hilarius, sed cùm causâ cecidisset; Hilarii successor Ravennius precibus apud Leonem Papam, quod jure non poterat, impetratum ibat: Leo igitur litem ita diremit an. 450.: nempe ut Viennensis vicinis sibi quatuor oppidis præsideat, id est Valentiæ, Tharantasiæ, Genevæ, & Gratianopoli, útque cum eis ipsa Vienna sit quinta, ad cujus Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat. Reliquæ verò civitates ejusdem Provinciæ sub Arelatensis Antistitis authoritate & ordinatione consistant (m).

Primas Arelatensis ejúsque controversia cum Viennensi.

(k) Leonis Epist. 49.

(l) Leonis Ep. 50. aliàs 109.

(m) Leonis Ep. 51. aliàs 110.

4. A Primatibus ad EPISCOPOS digredimur: quorum I. ELECTIO fiebat Clericorum votis & consensu, testimonio plebis, tum demum suffragiis Comprovincialium Episcoporum; præceperat hunc eligendi modum Cælestinus Papa dum ajebat (n): *Nullus invitis detur Episcopus: Cleri, plebis, & ordinis consensus ac desiderium requiratur.... Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus; Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussâ, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur.* Ex quo Pontificis decreto id porrò cognoscitur, Episcopum ex Clero Ecclesiæ vacantis eligi oportere; cujus rationem subjungit: *Habet unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem* (o). Excipit tamen casum sequentem Pontifex: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri* (p). Cæterùm Electionis negotio se quandóque Principes immiscebant, ut Hæreticorum conatus,

Electio Episcoporum à quibus facta sit in sæc. V.?

(n) Cælest. in Ep. 2.

Quinam eligi debuerit?

(o) Idem cit. Ep. c. 5.

(p) Idem ibid. c. 5.

(q) Socrates l. 7. c. 29. *Electionibus interdum se immiscebant Principes.* (r) Act. 11. Conc. Chalcedonensis. *Ordinatio Episcoporum* (s) Innoc. I. Epist. 2. Bonifac. I. Epist. 3. (t) Leo Ep. 1. *Ordinationum tempus.* (u) Can. 2. Concilii Carthag IV. apud Harduin. in CC. Collect. T. I. *Obligationes Episcoporum* (x) Gregor. Naz. or. 32. (x) Theod. L. lib. 1. (z) August. Ep. 261. ad Cælestin. I. (a) August. Epist. 138. it. Synesius Epist. 67. ad Theophil. (b) Concil. Chalcedon. Can. 5. (c) Concil. African. c. 15.

tus, tum etiam schismata prohiberent; nam Socrates de Theodosio refert (q): *Visum est Imperatori propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia ad Episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochiâ accersere*, sive Nestorium; quo iterum ob hæresin abdicato, electus est Maximianus curante Theodosio: similiter cùm Bassianus de Ephesino Episcopatu cum Stephano contenderet; palàm ille professus est in Synodo Chalcedonensi se Imperatoris edicto in sede confirmatum fuisse (r). II. Ordinatio Episcoporum institui non poterat absque Metropolitani *notitiâ, consensu* & *judicio* (s). Quo autem tempore fieri debuerint ordinationes, ex Leonis decreto (t) percipiamus: *Quod à Patribus novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati, ejúsque noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur. ... Jejunis, & à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit; si manè ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur: à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis pertinere non dubium est. ... Ut his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur* &c. Ritum demum ordinandi Episcopum Carthaginiense quartum Concilium, ita declarat (u): *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput tangant.* IV. Obligationes Episcoporum: conjunctus suæ sponsæ, sive Ecclesiæ Episcopus hanc abdicare nequit; nisi gravior causa vinculum rumpere suaserit: ita Gregorius Nazianzenus dissidia urbis Regiæ compositurus, ultro cessit Episcopatu Constantinopolitano (x), inquiens: *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare:* sic Martyrius Antiochenus ob Cleri, populíque contumaciam sedem dimisit (y): & Augustinus de abdicando Episcopatu meditabatur ob scandala Antonii Fussalensis Episcopi (z). *Secundò* Episcopus ad residendum perpetuò in sua Ecclesia obligabatur; nec absentia Præsulum ab Ecclesiis excusari poterat tunc aliâ ratione, quàm necessariâ servitute, seu utilitatis ipsius Ecclesiæ procurandæ gratiâ (a). Hinc *tertiò* Migrationes & Translationes de uno Episcopatu ad alterum tantò magis novo Canone cohibuêre Chalcedonenses Patres (b): *De his, qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit Canones, qui de hac re à SS. PP. constituti sunt, habeant propriam firmitatem*; nimirum Canones *Nicænus* 15. *Sardicenses* 1. & 2. *Antiochenus* 21. &c. Ne tamen sub vasto onere suo Episcopi exhausti omnino fatiscerent; in Parœciis amplioribus quibus præerant, novum Episcopatum ex consensione Metropolitæ ac Comprovincialium erigere (c) poterant: uti ab Augustino in Fussalensi castello factum

factum legimus (d). Præterea senio & morbis confecti, sibi Coadjutores adoptabant: sic Valerius Hipponensis (Carthaginiensi Primate consentiente) Augustinum assumpsit (e), & Hipponis Episcopum ordinari curavit; quod in se ipso factum esse postea Augustinus doluit, propter Concilii Nicæni aut Sardicensis Canonem, quem modò ordinatus didicit. Alii Episcopi morti proximi, ut Ecclesiæ suæ consulerent, ex consensione Cleri & plebis designabant sibi successorem (f); quâ ratione Augustinus Eradium sibi succedere voluit. Hujusmodi tamen disciplinam posteà correctam voluerat Hilarus Pontifex (g): *Ne Episcopatûs honor hæreditarium jus putaretur*; & idem hæreditariæ successionis genus omnibus viribus S. Leo Papa, ab Ecclesiis (h) proscribendum putavit. V. Officium & dignitas Episcoporum, de quibus Hieronymus ita ait: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent* (i). Et alibi: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ Parentem suscipe* (k). Demum adversus Luciferianos idem adstruit: *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas; tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi* &c. (l). . . . *Si quæramus, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum S.? disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus S. ad Apostolos descendit.* Quæ quidem ex solo hoc Doctore adducere placuit, quia non desunt, qui eundem accusare audeant, quasi Aërium secutus, & Hierarchiæ serie destructâ, Episcopos Sacerdotibus æquârit, cùm scriberet in Cap. 1. Ep. ad Tit.: 1. *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus*: 2. *Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent . . . communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur* (m)... 3. *Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii; relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus, gratia vobis & Pax. Philippi una est urbs Macedoniæ; & certè in una civitate plures (ùt nuncupantur) Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus* (n)... 4. *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere &c.* 5. Idem Hieronymus porrò ad Evagrium (postquam scripserat,

(d) August. Ep. 261.
(e) Possid. in V. August. c. 8.
(f) August. Ep. 110.
(g) Roman. Synod.
(h) Leo Sermon. 2. in Anniv. die Assump. suæ ad Pontific.
Officium & dignitas Episcoporum.
(i) Hieron. Epist. 54. ad Marcellam.
(k) Hieron. Ep. 2. ad Nepotian.
(l) Hieron. in Dialogo adv. Lucif.
(m) Hieron. in Cap. 1. Ep. ad Titum.
(n) Paulus ad Hebr. c. 13. item 1. Petr. 5. & Actor. 20.

pſerat, Apoſtolum diſertè docere (o), eosdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos) ſubjungit: *Quod autem poſteà unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt: ne unusquisque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta usque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum, Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent* (p). Ex his quia dignitas Epiſcoporum ac poteſtas vel peſſumdari, aut à communi Sacerdotum authoritate minimè ſecerni videtur; mens S. Hieronymi paulò clariùs exponenda eſt. Quare ad *primum* ℞. nomine olim eosdem Presbyteros cum Epiſcopis fuiſſe: non verò ſi officium ſpectes & poteſtatem (q); quod inde eruitur, quia S. Doctor alibi ſcribit, Presbyterum in Epiſcopo contineri, plures in una Eccleſia numerari Presbyteros, quod de Epiſcopis verè talibus dici nequit (r); item Aaronem & ejus filios, Levitasque (utique inter ſe diverſos) cum Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis comparat: & ſicut Epiphanius Epiſcoporum ordinem inde diſcernit (s), quod hi Magiſtros & Patres conſecratione, Presbyteri verò tantùm filios lavacro regenerationis producant; ita Hieronymus teſtatur aliqua fieri ab Epiſcopis, quæ Presbyteris tractare non licet, nempe ordinationes; imò fatetur Epiſcopis, utì Apoſtolis, per manuum impoſitionem Spiritum ſanctum dari (t). Ad *ſecundum* ℞. duplici ratione ſpectari poſſe Epiſcoporum prærogativam, quâ ſupra Presbyteros eminent: primò enim antecelluêre ſemper neceſſariò per interiorem ordinem & per poteſtatem Patres Eccleſiæ gignendi, utì ex Epiphanio diſcimus: dein inſigniores ſunt jurisdictione, quâ gubernant Eccleſiam; hanc ſecundam poteſtatem jurisdictionis putavit Hieronymus non eſſe immediatè à Chriſto, ſed mediantibus Apoſtolis conceſſam: ſive hunc in modum ſentiebat, nempe primò Apoſtolos omnes pari auctoritate ad fundandam Eccleſiam præditos fuiſſe ex inſtituto Servatoris; dein ſingulos eorum, fundatarum Eccleſiarum aliquamdiu ſupremam curam ita penes ſe retinuiſſe, ut tamen (cùm longiùs abeſſent) ſeniores Presbyteri, aut Sacerdotes diſciplinam Eccleſiæ adminiſtrarent. Verùm cum hâc occaſione aut ex Presbyterorum regimine ſchiſmata orerentur: & unusquisque eos, quos baptizaverat, ſuos putaret eſſe non Chriſti; decretum eſt ad abſcindenda ſchiſmatum ſemina, ut unus de Presbyteris electus cæteris ſuperponeretur, ad quem (ut ſingularem planè Epiſcopum) omnis Eccleſiæ cura, atque jurisdictio pertineret. Ad *tertium* ℞. ex hoc ipſo Hieronymi ſenſu mentem ejusdem inveſtigari poſſe: negat enim plures in una Eccleſia Epiſcopos fuiſſe; non tamen inficiatur plures Presbyteros eidem Eccleſiæ ſerviiſſe. Nomen igitur *Presbyterorum* licèt tum Epiſcopis, tum Sacerdotibus ſenioribus commune

exti-

(o) Ad Philipp. c. 1. 1. ad Timoth. c. 4.

(p) Hieron. Epiſtol. ad Evagrium.

(q) Turrecremata in ſumma Eccleſiæ l. 1. c. 79.

(r) Hieron. in Ep. ad Evagrium.

(s) Epiph. hæreſi 75.

(t) Hieron. in Dialogo adv. Lucif.

extitiſſe aſſerat; Epiſcopum tamen re ipsâ & ordinis poteſtate ac charactere diſtinguit. Ad *quartum* ℞. quia ex reſponſione ad ſecundum ſupra patuit, S. Hieronymum ejus ſententiæ fuiſſe, quod jurisdictio externa non ſit immediatè juris divini; ideo conſequenter hìc dicit: externam illam Eccleſiæ gubernationem (quâ ſolus & unus Epiſcopus absque Presbyterii conſiliis & ſuffragiis regit Eccleſiam,) magis eſſe ab Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate. Præterea ſunt, qui dicant (u), hos ipſos de Jurisdictione Epiſcopali locos, hæreticorum, & fortâſſe Aërianorum dolo & manu fuiſſe corruptos; nam leges ab Apoſtolo (in epiſtola ad Titum, in quam Hieronymus ſcripſit,) præſcribuntur, quales tandem Presbyteros à Tito velit ordinari: anſam inde arripit S. Hieronymus reprehendendi, qui gradum Eccleſiaſticum non merito deferunt, ſed favore & gratiâ. Id, qui agunt, ait, contra Chriſtum facere, & Apoſtoli legem contemnere, qui, qualis Presbyter debeat ordinari, in conſequentibus diſſerens, hoc ait: *Si quis eſt ſine crimine* &c. Poſtulabat ſeries Commentarii, ut dotes requiſitas enucleatè monſtraret; verùm ſubdit alia omnia: *Idem eſt ergo Presbyter, qui eſt Epiſcopus* &c. Hæc conſecutio unde fluit? quid tandem præceſſit, ex quo propoſitio iſta commodâ connexione colligeretur? quid verò ad Apoſtoli mentem pertinet diſputare, ſítne humano jure prælatus Epiſcopus Presbytero? Alii Hieronymum iſta ſenſa exarâſſe putant, contra Joannem Hieroſolymitanum, cui ob Origenis Patrocinium, quod Epiſcopus iſte gerebat, ægrè facere volebat S. Doctor, non diſſimulanter iratus (x). Alii demum exiſtimant, propoſitum fuiſſe S. Hieronymo, in quendam hominem invehi, qui Diaconos Presbyteris anteferebat; ideo ait: *Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicuè doceat, eosdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos; quis patiatur, menſarum & viduarum Miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguisque conficitur?* &c. Sed his omiſſis ℞. ad *quintum*: præter deſignationem ac electionem, quam Alexandrini de futuro Epiſcopo fecerant, ordinationem neceſſariam fuiſſe, ídque eo magis, quòd Hieronymus ipſe ſingularem ad quædam effecta poteſtatem agnoſcat in Epiſcopis, quæ Presbyteris non convenit; ſicut ex ejus verbis colligitur: *Quid enim facit exceptâ* ORDINATIONE *Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* alibi etiam Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos agnoſcit, & unum tantùm in una Eccleſia eſſe poſſe, quæ ſingula de Presbyteris non dicit; unde comparatio à S. Hieronymo porrò inſtituta eatenus eſt, quod uti ex corpore exercitûs Imperatores, & ex Diaconorum ſocietate Archidiaconi eligebantur; ita ex Presbyterorum Collegio creati ſint Epiſcopi, quos S. Doctor proinde ſemper agnovit ordinatione, charactere & poteſtate ſuperiores: licèt aliquando nomen cum Epiſcopis habuerint commune.

5. Pres-

(u) vid. Celllotium in Hierarchia l. 4. c. 16.

(x) Natalis Alexander Diſſert. 44. in Hiſt. Eccl. ſæcul. IV. pag. 564.

Presbyterorum & Diaconorum continentia.

5. Presbyteri Diaconi, cæteríque Miniſtri uti Epiſcopos gradu & dignitate ſubſequuntur; ita ſub cura ſuorum Præſulum in ſæculo quinto ad magnum virtutis apicem eluctabantur. Innocentius Pontifex iis continentiam denuò inculcabat: *Quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, tenere Eccleſia debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia Miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur* (y). Concilium Carthaginenſe IV. variis Canonibus vetuit, ne Clerici barbam aut comam nutrirent: ne cum extraneis mulieribus habitarent: ne Simoniæ & uſuræ vitiis ſe implicarent: ne multùm oberrarent plateas; ſed labore manuum ad exemplum Pauli victum conquirerent (z). Veſtitu Clerici in ſæculo quinto adhuc communi cum laicis utebantur, quod colligitur ex Epiſtola Cæleſtini Papæ, quam Provinciarum Viennenſis & Narbonenſis Epiſcopis perſcripſit: *Didicimus quosdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potiùs cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati.... Amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe Scripturæ fidem, non per ſpiritum, ſed per literam completuros... Unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorúmque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcreti à plebe vel cæteris ſumus doctrinâ, non veſte; converſatione, non habitu, mentis puritate, non cultu* (a). S. Auguſtinus quâcunque Clericorum virtute non contentus, eos ad altius & Apoſtolicæ vitæ genus deducere conatus eſt (b): *Factus Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & Regulam ſub SS. Apoſtolis conſtitutam. Maximè, ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed ut eis omnia eſſent communia...* (c) *& ideo cum ipſo ſemper Clerici unâ etiam domo ac menſâ, ſumptibúsque communibus alebantur & veſtiebantur.* Quod ipſum ſe feciſſe teſtatur Hipponenſis Epiſcopus (d): *Certè ego ſum, qui ſtatueram (ſicut nôſtis) nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere, ut ſi vellet diſcedere à propoſito, rectè illi tollerem Clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum, cœptúmque conſortium.* Et Sermone 50. idem ait: *Modò quia placuit illis hæc ſocialis vita, quisquis cum hypocriſi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium; non illi permitto, ut inde faciat teſtamentum, ſed delebo eum de tabula Clericorum* (e).

Mores & veſtes Clericorum in ſæculo quinto.

Clerici ſub S. Auguſtino paupertatis voto adſtricti

(y) Innoc. I. in Decretali ad Victricium. in Concilior. Tom. I. apud Harduinum.

(z) Concil. Carthag. IV. T. I. CC.

(a) Epiſtol. Cæleſtini ad Epiſc. Vienn. & Narbon. in Concilior. Tom. I. apud Harduin.

(b) Poſſidius in vita Auguſtini c. 5.

(c) Idem c. 25.

(d) Auguſtin. Serm. 49. de diverſis.

(e) Idem Serm. 50.

Bona Clericorum & quæ eorum immunitas fuerit?

6. Neque tamen quis ex his concludat, omnes Clericos hoc in ſæculo ad Paupertatis profeſſionem adactos fuiſſe; nam Julianus Pomerius eodem in ſæculo de Clericis loquens (qui ſe bonis non abdicaverant) id evincere adnitebatur, ne tales percipiant reditus Eccleſiaſticos (f): & Salvianus docet Clericos ejusmodi abſque filiis aut propinquis morientes, bona ſua Eccleſiæ, vel Pauperibus relinquere debere (g). Hos quoque Clericos ſiquidem ex pagis oriundi forent, Arcadius Imperator oneri Capitationis (ſive tributo, quod viritim ſolvebatur) ſubjectos declaravit (h); ab oneribus tamen publicis ratione negotii, ex quo victum lucrabantur, item

(f) Jul. Pomer. l. 2. de vit. contempl. c. 10

(g) Salv. in Ep. ad Salon.

(h) Codic. Theod. l. 16. Tit. 2. l. 33.

item ab extraordinariis contributionibus (i) immunes esse jubebantur; quamvis Valentinianus III. hanc immunitatis speciem sustulerit (k), quod mirum videri non debet; cùm & Ecclesiæ sub Theodosii Junioris Imperio ordinariis tributis gravarentur, à quibus Ecclesias duntaxat paucas (scilicet Romanam, Constantinopolitanam, Alexandrinam & Thessalonicensem,) exceptas Imperator voluit. Cæterùm bonorum ad Ecclesiam pertinentium dispensatio, ac administratio in sæculo quinto adhuc penes Episcopos erat (l); aut penes eorum Oeconomos (m): quod ipsum confirmari videtur ex epistola Simplicii, in qua Pontifex Gaudentium Aufiniensem Episcopum ob illicitas ordinationes, ordinandi jure, & triplici parte redituum Ecclesiæ & oblationis fidelium privat (n); quæ pœna argumento esse potest, bonorum omnium Ecclesiasticorum dispensationem etiamnum in Episcopi potestate fuisse.

(i) Cod. Th. l. 16. tit. 2. l. 38.
(k) Novell. 21. inter Theodosianas.
(l) Chrysost. homil. 86. in Matth. Possid. in vit. S. August. c. 22.
(m) Concil. Chalced. c. 26.
(n) Epist. 3. Simplicii data an. 475.

7. Quemadmodum verò Clerus tot virtutibus insignibus hâc ætate eminebat; ita Monasticum Institutum eodem tempore per Orientem atque Occidentem celebratum est. Cassianum testem, ac etiam spectatorem habemus eorum virorum, qui in Ægypto, ac Palæstinæ desertis recessibus ad Evangelicæ perfectionis apicem pervenerant. Horum præcipui erant Moyses, Paphnutius, Daniel, Serapion, Theodorus, Serenus & Isaac; sub quorum cura multi Monachi aut Solitarii charismata meliora æmulati sunt. Atque ut cætera dissimulemus, quæ Cassianus suis Collationibus longiùs inseruit; pauca, quæ ad exteriorem duntaxat disciplinam pertinent delibamus, ex libro primo, qui est de HABITU MONACHI (o): *Vestis Monachi*, inquit, *quæ corpus contegat tantùm, & frigoris retundat injuriam, non quæ seminaria vanitatis aut elationis enutriat. Quamobrem Cilicinam vestem exteriorem velut notabilem refutârunt seniores. Cucullis perparvis ad humerorum confinia dimissis, quibus capita contegebant, diebus utuntur ac noctibus, Collobiisque lineis induti, seu tunicâ manicis defectâ, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt; nudas de reliquo circumferunt manus. Gestant etiam resticulas duplices, laneo plexas subtegmine, quæ descendentes per summa cervicis, & è lateribus colli divisæ, utrarúmque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, vestimentíque latitudinem ad corpus contrahunt. . . . Post hæc angusto palliolo colla pariter atque humeros tegunt. Ultimus eorum habitus erat pellis caprina, quæ Melotes vel Pera appellabatur. Calceamenta verò recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, seu meridiani æstus fervor exegerit, tantummodò caligis suos muniunt pedes.* De CIBO MONACHORUM Orientalium ita scribit Collator (p): Equidem erant, *qui vel solis leguminibus vel oleribus tantùm, vel pomis vitam jugiter exigebant: sed præposuêre cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum modum in duobus paximaciis statuerunt, quos parvulos panes vix libræ unius Romanæ, seu duodecim unciarum pondus habuisse certissimum est. Horâ nonâ, seu tertiâ*

Monachorum Ascesis

(o) Cassian. Institut. l. 1. c. 3. 4. 5. 6. .. 10.

Vestimenta Monachorum Orientalium.

(p) Cassian. Coll. 2. c. 19.

Monachorum Orientalium abstinentia.

post meridiem primùm comedebant, aliud in Vesperam reservabant. In Tabennensi Monasterio summæ reputabantur deliciæ, si herba sale condita (quam lapsanium vocant) aqua diluta ad refectionem fratribus apponatur. Refectionis tempore summum ab omnibus exhibetur silentium, sacræque lectiones supra mensam recitantur; sed summâ cautione servatur, ne extra mensam, quidquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat. Quis modus fuerit PSALMODIÆ apud Orientales Monachos, ita Cassianus refert (q): *Per universam Ægyptum & Thebaidem duodenarius Psalmorum numerus tam in vespertinis, quàm in nocturnis solemnitatibus custoditur. Post hunc duæ lectiones Veteris ac Novi Testamenti singulæ subsequuntur. Qui modus* ... dicitur *cœlitus Angeli Magisterio Patribus fuisse datus. In die verò Sabbati vel Dominico utrasque de novo recitant Testamento, id est unam de Apostolo vel Actibus Apostolorum; & aliam de Evangelio. Tantum à cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat; præter illum, qui consurgens Psalmum decantabat in medio, nullus hominum penitus adesse crederetur. Ut verò vitent mentis evagationes vel tædium; ne Psalmos quidem ipsos continuâ student pronunciatione concludere: sed eos pro numero versuum duabus vel tribus intercisionibus, cum orationum interjectione divisos, distinctim, particulatímque consummant.* Post orationem quivis redibat ad cellam, *quam solus aut cum alio tantùm habitare permittitur....*(r) *Præterea die Sabbati & Dominicâ horâ tertiâ sacræ communionis obtentu conveniebant. Per omnem autem Orientem solemnitas tertiæ, sextæ, & nonæ tribus tantùm Psalmis & orationibus finiebatur.* MULTITUDINEM MONACHORUM inde colligas, quod in Monte S. Antonii quinque eorum millia numerarentur: S. Apollonius in monte Nitriæ præerat Monachis quingentis, quibus quotidie Sacramentis communicare suadebat (s). In Thebaide Isidorus Abbas regebat mille Monachos: Oxirinchus inferioris Thebaidis civitas & ejus vicina regio repleta erat Monachis (t); decem millia Monachorum illinc Deo serviebant. In Tabennesi Monasterium (à S. Pachomio dictum) incolebant mille quadringenti viri; in aliis circumjectis cœnobiis recensebantur septem millia virorum (u). Quinquaginta ferè millia Monachorum ex Monasteriis (quæ Pachomii regulam receperant) singulis annis conveniebant die festo Paschæ, ad celebritatem simul peragendam & mense Augusto ad superiorum & officialium electionem, & fratrum reprehensionem & reconciliationem. Idem posteà exemplum in Occidente æmulati sunt complures: per Gallias plura Monasteria numerabantur, scilicet cœnobia à Cassiano instituta: Massiliæ, Lerinense, Agaunense, Monasteria Surensia in Episcopatu Lugdunensi, Grinniacensia, Reomaense, de quibus latiùs agit Natalis Alexander (x).

(q) Cassian. Institut. l. 2. c. 3. 4.

Modus divini officii in Monasteriis.

(r) Idem l. 3. c. 2. 3.

Multitudo Monachorum in Oriente.

(s) Pallad. de v. PP. l. 8.

(t) Vit. PP. l. 2. c. 5.

(u) Ibid. l. 8. c. 3.

Congregationes Monachorum primævæ.

(x) Natalis Alex. Hist. Eccl. sæc. V. c. 6. a. 4.

Parthenones

8. Præter virorum Asceteria, Parthenones quoque in sæculo V. floruêre; nam prope Oxirinchum in Ægypto viginti millia Virginum Deo sacram

ſacram egiſſe vitam accepimus(y): & in vitis Patrum Monaſterium mulierum fuiſſe legitur in quadam civitate, habens cellas centum triginta; eadem verò cella tribus erat communis. In eo monaſterio nemo guſtabat vinum, nulla illarum pomum... edebat. Unaquaque verò earum ſtratum in terra habebat cilicium parvulum, unius cubito latitudinis, & longitudinis trium; & paululum in ipſo requieſcebat: erant autem & veſtes earum de cilicio usque deorſum &c. (z). In Occidente regulam fœminis à S. Auguſtino datam eſſe, multi intelligunt ex quadam ejus Epiſtola (a), ubi illis totum vivendi modum præſcribit: *Capillos ex nulla parte*, ait, *nudos habeatis.... Præpoſitæ tanquam matri obediatur.... Ad præpoſitam præcipuè pertinet, ita ut ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat, quod modum vel vires ejus excedit.* Demum Puellarum, quæ in ſæculo Virginitatem voverant, matrimonia illicita quidem & ſacrilega habebantur; non verò irrita cenſebantur in ſæculo quinto (b). Poſtremùm huic argumento addimus legem, quam Theodoſius Junior an. CCCCXXXIV. ſuggerente Tauro Præfecto Prætorio Orientis edidit: *Siquis Epiſcopus, aut Presbyter; aut Diaconus, aut Diaconiſſa, aut Subdiaconus vel cujuslibet alterius loci Clericus aut Monachus, aut mulier, quæ ſolitariæ vitæ dedita eſt, nullo condito Teſtamento deceſſerit, nec ei Parentes utriusque ſexûs, vel liberi &c.* Bona, quæ ad eum pertinuerint, *non Fiſco, (ut antea) ſed Sacroſanctæ Eccleſiæ, vel Monaſterio, cui fuerat deſtinatus, omnifariàm ſocientur* (c). Ex qua lege patet Imperatoris ſtudium in Eccleſias & Monaſteria; tum etiam id, quod Clerici & Monachi in ſæculo V. jus Teſtamentum condendi habuerint.

(y) Vit. PP. l. 2. c. 5.

(z) Ibid. l. 8.

(a) Auguſt. Epiſt. 109.

(b) Innoc. I. in Epiſt. ad Victricium. item Concil. Chalced. c. 16.

(c) Codic. Theod. l. V. T. 3. c. 1. item in Cod. Juſtinian. l. I. T. 3. c. 20.

9. Poſtquam ea, quæ ad Diſciplinam Perſonarum ſpectant, expoſuimus; ſupereſt, ut quædam de aliis Eccleſiæ ritibus adjiciamus: ac *primùm* in ſæculo V. Miſſa fidelium non aliâ linguâ, quàm quæ recepta ab Eccleſia fuerat, celebrabatur: idiomate verò vulgari uti licebat in orationibus duntaxat & in Miſſâ Catechumenorum; cujus exemplum habemus in S. Niceta Romatianæ in Dacia Epiſcopo (d), qui quatuor Eccleſias intra ſepta Monaſterii conſtruxerat: unam quidem, in qua Patrum numeroſus cœtus ſeorſim linguâ græcâ Deo immolabat ſacrificium laudis; alteram, in qua Beſſi propriâ ipſorum linguâ vota & preces reddebant Deo; tertiam, in qua Armeni linguâ Patriâ Domino litabant: quartam, in qua Fratres ab immundo ſpiritu vexati unà cum Magiſtris (illorum obſequiis deditis) Salvatori Chriſto gratiarum actiones referebant. Cum verò ſacra communionis collecta peragenda erat; Miſſæ officium ab initio ad divinorum Evangeliorum lectionem ſinguli in propria ipſorum Eccleſia facientes: ſic omnes (exceptis duntaxat Energumenis) in magna utentium linguâ græcâ Eccleſia congregabantur, ibique divinis Myſteriis impertiebantur (e). His ſubjungimus Innocentii I. Pontificis decreta, quæ de diſciplina Eccleſiæ ad Eugubinum circa annum 416. perſcripſit.

Miſſa quâ linguâ celebrata ſit in ſæc. V.?

(d) Pagi. in Critic. T. II. ad an. 397.

(e) Cardin. Bona rer. liturg. l. 1. c. 5.

I. Sta-

Innocentii decretalis ad Eugubinum, in quâ multa capita etiam de Disciplina sæc. V. continentur.

I. Statuit, ne pacis osculum detur ante confecta Mysteria. II. Ne fidelium nomina recitentur, priusquam Deo eorum oblationes offerantur. III. Ne baptizati à Presbyteris confirmationis Sacramentum accipiant, sed ab Episcopo: *Manifestum est*, inquit, *non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent: hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat; verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. Nam Presbyteris (seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant) chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit conseeratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare; quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt spiritum Paracletum. Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere* &c.

Disciplina Arcani in sæc. V.

Ex his colligitur pariter, quod Arcani disciplina adhuc viguerit in sæculo quinto. IV. Statuit Pontifex, ut omni Sabbato jejunetur, sicut feriâ sextâ, quia illo biduo in mœrore fuerunt Apostoli. V. *De fermento verò*, inquit, *quod die Dominicâ per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti: cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem nobiscum sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia ipsi die propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt; idcirco fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maximè illâ die, non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta: nec per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus; cùm Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Dubitant hìc quidam, an per *fermentum* intelligantur Eulogiæ? verùm cùm Augustinus ex ipsa adeo Africa hujusmodi panes benedictos ad Paulinum Nolanum miserit; non videtur hìc detorquenda explicatio: meliùs itaque *fermenti* nomine Eucharistia declaratur; præsertim quia Pontifex ait, *non longè portanda esse Sacramenta.* Neque tamen inde statuas Eucharistiam ex fermentato confectam: sed potiùs hic Mysticus latet sensus; quia scilicet missa ad alias Ecclesias Eucharistia sequenti sacrificio miscebatur, erátque signum unionis inter fideles, & unitatis sacrificii; atque ideo fermenti nomine Pontifex illud appellavit.

Quid per fermentum intelligatur, quod mittebatur olim ad Ecclesias.

Quando publice pœnitentes absoluti?

VI. De Pœnitentibus docet: si nulla interveniat ægritudo; quintâ feriâ ante pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.

§. III.

De Conciliis Generalibus & Provincialibus, in quibus de Doctrina & Disciplina in sæculo quinto tractatum est.

Concilia varia de Disciplina.

1. ANtequam Concilia sæculi quinti recenseamus, quasdam adhuc Synodos memorare juvat, quæ sub finem sæculi quarti celebratæ sunt.

ſunt. An. 397. *Carthaginienſe III.* ſub Aurelio præſide edidit Canones de Diſciplina & Regimine Eccleſiæ (a). An. 398. *Carthaginienſe IV.* egit de reſtauranda Diſciplina per quaternos ſuper centum Canones: ſunt, qui hanc Synodum ſuppoſitam velint, eoquòd nullibi apud antiquiores Latinos, nec ab Authore Concilii vulgò Africani appellatur, nec à Ferrando & Dionyſio, nec ab iis, qui Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ in Græcum tranſtulerunt, ulla ſit mentio de Canonibus his centum & quatuor; verùm genuinam Synodum fuiſſe probant, Petrus de Marca (b), Perronius (c), Schelſtrate (d). An. 399. *Africanum*, in quo decreta eſt Legatio ad Honorium Imperatorem, ut auctoritate ſuâ Eccleſiæ Africanæ neceſſitatibus ſubveniret, & immunitatem Eccleſiarum tueretur (e). An. 400. *Carthaginienſe V.* tractat de Diſciplina per Canones quindecim (f). An. 400. *Taurinenſe*, in quo actum de Primatu Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ, & ſedes Metropolitana in ſecunda Narbonenſi Maſſilienſi Epiſcopo adjudicata eſt (g).

(a) Schelſtrat. Differtat. III. Eccl. Afric. Pagius ad an. 397. n. 12. 13.
(b) Petr. de Marca in Vet. Coll. Canon.
(c) Perron. in reſp. ad Regem Angliæ c. 48.
(d) Schelſtrat. Differt. III. de Eccl. Afr. c. 8.
(e) Harduin. in Coll. Tom. I. pag. 953.
(f) Schelſtrat. l. c. c. 9.
(g) Ibidem pag. 955.

Concilia contra Origeniſt. & Donatiſtas

2. *Alexandrinum*, quod *ſeptimum* vocant, an. 401. ſub Theophilo Origenem ejúſque ſectatores damnavit (h). An. 401. *Cyprium* ſub Epiphanio Metropolita contra Origenem ſtatuit (i). *Africanum II.*, in quo de ſublevanda Clericorum inopiâ, de parvulis ab Hæreticis baptizatis, déque idolorum reliquiis agebatur per Canones 32. (k). *Africanum III.*, decrevit de unione facienda cum Donatiſtis: Canones extant 20. (l). An. 402. *Milevitanum I.* plenarium ſub Aurelio, in quo firmantur partim decreta præterita, partim Epiſcoporum variæ cauſæ examinantur (m). An. 403. *Synodus ad Quercum*, in qua Chryſoſtomum Theophilus Alexandrinus & 45. Epiſcopi depoſuêre (n). *Africanum III.* pro reconciliandis Donatiſtis (o). An. 404. *Carthaginienſe* ſub Aurelio *nonum*. In hac Synodo Honorii Imperatoris auxilium implorandum decernitur contra Donatiſtas, quia hi armis Catholicos invaſerant (p). An. 405. *Carthaginienſe* ſub Aurelio X.; ex quo PP. Imperatorem certiorem faciunt, de Donatiſtarum converſione (q). *Toletanum* tractat de ordinationibus perperam factis, ad quod Concilium ſcripſit Innocentius Epiſtolam n. 23. (r). An. 407. *Africanum* IV. ex quo mittuntur denuò Legati ad Imperatorem ad reprimendos Donatiſtas & Paganos (s). An. 408. *Africanum* V. & VI. contra Donatiſtas (t). An. 409. *Africanum* VII. in quo de cognitione Epiſcoporum tractabatur (u). An. 410. *Africanum* VIII. mittit rurſus Legationem ad Honorium contra Donatiſtarum vim (x). An. 411. *Synodus Ptolemaidenſis*, in qua Syneſius coacto Presbyterio, Andronicum Pentapolitanæ Provinciæ Epiſcopum communione ejecit (y). An. 411. *Collatio Carthaginienſis* inter Epiſcopos Catholicos & Donatiſtas (z). *Bracarenſe* Concilium apud Bracaram inter Durium, Miniúmque, Præſide Pancratiano Bracarenſi Epiſcopo habitum contra Arianos & Gentiles (a).

(h) Pagius ad an. 401.
(i) Baluzius in Nov. Coll.
(k) in Collect. Canon. Afr. à Can. 34. ad 65.
(l) in Coll. Can. à Can. 32. ad 52.
(m) Ibid. à Can. 85. ad 90.
(n) in Collect. CC. Harduin. T. I. p. 1038.
(o) Ibid. pag. 911. . . 915.
(p) Ibid. . . . ad pag. 918.
(q) Ibid. à p. 918. ad 919.
(r) Harduin. CC. Coll. T. I. p. 1019.
(s) Ibid. à p. 919. ad 926.
(t) Ib. p. 926.
(u) Cod. Eccl. Afr. c. 107.
(x) ap. Hard. T. I. p. 926.
(y) Epiſt. Syneſii 58.
(z) Baluz. in N. Coll. p. 107.
(a) ap. Hard. T. I. p. 1190.

Concilia contra Pelagianos.

3. An. 412. *Carthaginiense* ſub Aurelio XV. & I. contra Pelagianos, in quo Cæleſtius Pelagii diſcipulus convincitur & damnatur; eoquòd peccatum originale negaret: extant fragmenta hujus Synodi apud Auguſtinum l. 2. de Gratia & peccato originali c. 2. 3. 4 (b). *Cirtenſe Concilium* in Numidia, contra Donatiſtarum calumnias, quas effuderant contra Acta Collationis (c). An. 415. *Hieroſolymitanum* ſub Joanne Epiſcopo celebratum, in quo Pelagium Oroſius accuſabat, quod inter alia aſſeruiſſet, hominem ſine peccato poſſe vivere: Joannes Epiſcopus Pelagii fraudibus deceptus nil ſtatuit, ſed cauſam ad Innocentium Papam deferendam cenſuit (d). An. 415. *Dioſpolitanum* apud Dioſpolim Palæſtinæ urbem, in quo Oroſius contra Pelagium præſentem libellum obtulit; verùm Hæreſiarcha callidis vocibus fidei orthodoxæ ſpeciem ſimulans abſolvitur (e). An. 416. *Carthaginienſe* II. contra Pelagianos in eo 67. Epiſcopi Pelagium (quantumvis Dioſpoli abſolutum) damnant (f). An. 416. *Milevitanum* II. contra Pelagium & Cæleſtium celebratum: extat epiſtola ejus Synodalis ad Papam Innocentium de cohibendis Pelagianis (g). An. 418. *Carthaginenſe* contra Pelagianos III. ex quo Epiſcopi decreta ſua contra Pelagium & Cæleſtium facta mittunt ad Zoſimum Pontificem (h). *Teleptenſe* vel *Telenſe* in Provincia Byzacena; in hoc Siricii Papæ literæ recitatæ ſunt: cæterùm Synodus eſt vel dubia vel obſcura (i). *Carthaginenſe* ſub Aurelio XVII. de cauſa Apiarii Siccenſis in Mauritania Presbyteri, qui ob illegitimam ordinationem, aliáque crimina ab Urbano Epiſcopo & Synodo Provinciali depoſitus fuerat: reſtitutus poſteà à Zoſimo Pontifice; Carthaginenſes verò Patres Apiarii cauſam rurſus examinàrunt: & quoniam Zoſimus in ſuo commonitorio appellationes ad ſedem Apoſtolicam ex Canonibus Nicænis tuebatur; Patres Africani, hos reipsâ Concilii Sardicenſis eſſe neſcientes, ſe eos tamdiu obſervaturos pollicebantur; dum autographa Nicænorum Canonum inſpecta fuiſſent. Eodem anno *Carthaginenſe* ſub Aurelio XVIII. ſive Africanum, in quo facta inquiſitio in Canones Nicænos: ſcripta Epiſtola ad Bonifacium Papam (k). An. 419. *Ravennatenſe*, in quo jubente Honorio diſcuſſa controverſia eſt Bonifacii & Eulalii: quinam eorum legitimè electus eſſet Pontifex? diſſentiente Synodo nihil deciſum; quare alius Conventus circa Paſcha cogendus videbatur, quod tamen factum non eſt (l). An. 425. *Cilicienſe* contra Julianum Pelagianum (m). *Carthaginienſe* ſub Aurelio XIX., in quo actum de primæ ſedis honore (n). An. 426. *Africanum* Univerſale ſub Aurelio XX. in quo Leporius Presbyter & Monachus Maſſilienſis, ob Pelagianam & Neſtorianam hæreſin anteà Galliâ ejectus, ſuæ converſionis libellum obtulit, & cum commendatitiis in Galliam remiſſus eſt (o). *Hipponenſe*, ſub Auguſtino celebratum, tractat de Eradio poſt Auguſtinum ſurrogando (p). An. 426. *Conſtantinopolitanum* pro ordinatione Siſinnii Epiſcopi, & damnatione Meſſalianorum (q).

(b) Harduin. T. I. p. 1201.
(c) Auguſtin. in Epiſt. 152. Harduin. T. I. p. 1201.
(d) apud Harduin. CC. T. I. pag. 1207.
(e) Ibidem pag. 1209.
(f) Auguſtin. Epiſt. 90. & apud Hard. T. I. p. 1214.
(g) Auguſtin. Epiſt. 97. apud Hard. p. 1221.
(h) Coll. Can. Afric. à n. 86. ad 94.
(i) Queſnell. Diſſertat. XV. ad operis S. Leonis T. II.
(k) apud Harduin. Tom. I. p. 1241. & 1249.
(l) Baronius ad an. 419.
(m) Marius Mercator in Præf. ad Symb. Theod. Mopsveſt. oper. P. I. apud Garner.
(n) apud Holſtenium.
(o) ap. Hard. T. I. CC. p. 1261
(p) Auguſtin. Epiſt. 110.
(q) Photius Cod. 52.

4. An.

4. An. 430. *Romanum* I., cujus præses Cælestinus Papa damnat Nestorium, monétque Hæresiarcham literis (r). Eodem anno *Alexandrinum* sub Cyrillo, ex quâ Synodo Legati cum Cælestini literis & 12. Anathematismis Constantinopolim ad Nestorium directi sunt, præscriptúmque Hæretico decem dierum spatium, quo hæresin ejuraret (s). An. 431. *Romanum* II., in quo Cælestinus decernit Legatos mittendos Ephesum ad Concilium Generale, quibus etiam dat Commonitorium (t). An. 431. EPHESINUM I. OECUMENICUM, cujus ordinem ac statuta vide in Historia supra C. II. L. V.; cæterùm Harduinus omnia Acta ejusdem Concilii quatuor partibus complexus est. *In prima parte* refert, quæ Synodum antecesserunt, Epistolæ scilicet Cælestini, Cyrilli, aliorúmque Episcoporum, & Imperatoris de eadem causa (u). *In secunda parte* Acta septenarum Actionum Concilii recenset (x). *In tertia* gesta post Concilium adducit (y). *In quarta* alia adduntur decreta, Apologiæ, ac Epistolæ &c., quæ pertinent ad causas Concilii (z). An. 435. *Armenum*, in quo Nestorii libri damnantur. Liberat. in Brev. c. 10.

Concilia contra Nestorianos.

(r) ap. Hard. T. I. p. 1299. 1307. 1309.
(s) Ibidem pag. 1283.
(t) apud Baluzium Nov. Coll. p. 381.
(u) Harduin. in T. I. CC. à pag. 1271. ad pag. 1351.
(x) Ibidem à pag. 1354. ad pag. 1629.
(y) Ibid. à p. 1631. ad 1635.
(z) Ibid. à p. 1639. ad 1721.

5. An. 439. *Rejense*, in quo ordinatio Armentarii Ebredunensis, facta à duobus tantùm Episcopis, irrita declaratur: extant Canones octo (a). An. 440. *Ephesinum* II. sub Basilio Episcopo, qui Bassianum Wazorum præsulem à Memnone Ephesino ordinatum, & sedem adire renuentem, ad communionem saltem & Episcopatûs honorem recepit (b). An. 441. *Arausicanum* de disciplina Canones 30. statuit (c). An. 442. *Vasense* dedit Canones decem de disciplina (d). *Antiochenum* in causa Athanasii Perrhenorum Episcopi, qui cùm criminibus sibi objectis respondere nollet, depositus est (e). An. 444. *Romanum* adversus Manichæos (f). Eodem anno *Hierapolitanum* in Phrygia Pacatiana, Sabinianum in locum depositi Perrhensis Athanasii substituit, quem subinde deposuit Dioscorus restituto Athanasio; sed in Concilio Chalcedonensi Sabinianus in sede Perrhenorum posteà confirmatus est (g). An. 446. *Asturicense* in Gallæcia adversus Priscillianistas (h). Eodem anno *Verolamiense* in Britannia adversus Pelagianos congregatum (i). An. 447. *Antiochenum*, & an. 448. *Tyrium* & *Berytense*, in causa Ibæ Episcopi Edesseni, Hæresis Nestorianæ accusati; de quo plura in Historia supra (k). An. 449. *Britannicum* sub Germano Antisiodorensi contra Pelagii hæresin (l).

Concilia de Disciplina & contra varios Hæreticos.

(a) ap. Hard. T. I. p. 1747.
(b) Concil. Chalc. Act. 11.
(c) ap. Hard. l. c. p. 1783.
(d) Ib. p. 1787
(e) Concil. Chalc. Act. 14.
(f) Leo Ep. 2. ad Episc. Itariæ
(g) Concil. Chalc. Act. 14.
(h) Idatius in Chronico.
(i) Beda Hist. Eccl. l. 1. c. 17.
(k) vide Act. 9. & 10. Concil. Chalced.
(l) Beda l. 1. c. 21.

6. An. 448. *Constantinopolitana* Synodus ἐνδημοῦσα, hoc est Episcoporum, qui ibi inventi fuerant; in qua Eutyches damnatus & depositus est à Flaviano Episcopo (m). An. 449. * Conciliabulum Constantinopol. in causa Eutycheris, quæ dolis undique conquisitis ibidem propugnata est (n). Eodem anno *Latrocinium Ephesinum*, in quo à centum viginti Episcopis, & Præside Dioscoro Alexandrino absolutus Eutyches, ejúsque hæresis confirmata est: Catholici è diverso Episcopi cum Flaviano

Concilia adversus Eutychianos.

(m) vide Act. 1. Concil. Chalced.
(n) Ibidem.


damnati sunt (o). Eodem anno *Romanum* sub Leone M. coactum, quod reprobavit Latrocinalis Synodi Acta (p). An. 450. *Constantinopolitanum* in quo præsentibus Pontificis Legatis, Anatolius C.P. aliique Episcopi confessionem fidei Catholicam ediderunt, damnantes hæresin Eutychianam. Ad eundem annum refertur duplex Synodus Hibernica sub S. Patricio celebrata: ex prima restant Canones 34. de disciplina; ex altera Canones 31. (q). An. 451. CONCILIUM OECUMENICUM IV. sive CHALCEDONENSE contra Eutychetis hæresin convocatum: Acta hujus Concilii invenies in Tomo II. Conciliorum novissimæ editionis, in quatuor Partes distributa. *Prima* Pars complectitur Epistolas huc pertinentes & ante Synodum scriptas (r). *Secunda* Acta refert Concilii, sive quæ in sedecim Actionibus gesta sunt (s). *Tertia* continet nonnulla ad Concilium spectantia, & quæ post Concilium (t) Acta fuêre. *Quarta* (u) addit Codicem Encyclium Epistolarum pro defensione Concilii Chalcedonensis.

Varia Concilia de Disciplina.


7. An. 452. *Arelatense* II. ad Rhodanum: supersunt Canones 56. de disciplina (x). An. 453. *Andegavense* in Gallia Lugdunensi, pro reformanda disciplina dedit Canones 12. (y). An. 455. *Arelatense* III. in causa Fausti Abbatis Lerinensis & Episcoporum (z). An. 459. *Constantinopolitanum* sub Gennadio Patriarcha confirmat decretum Synodi Chalcedonensis contra Eutychem (a). An. 461. *Turonicum* I. in Provincia tertia Lugdunensi ad Ligerim, edidit Canones 12. de disciplina (b). An. 465. *Veneticum* in Aremorica, sive Britannia minore ad *Maris vada* celebratum pro disciplina (c). An. 465. *Romanum*, in quo 48. Episcopi sub Hilaro Papa de ordinationibus Episcoporum egerunt: extant Canones 5.; & ex Synodali Epistola Hilari Papæ multa confirmantur de suprema & infallibili authoritate Pontificis (d). An. 471. *Arelatense* III. à Leontio Episcopo ad condemnandum Prædestinatianorum errorem convocatum, & à præsentibus undecim Episcopis celebratum (e): eodem tempore habita est *Synodus Lugdunensis* (f), cujus in Epistola ad Leontium unus meminit Faustus Rejensis.

(o) vid. Act. 1. Concil. Chalc.
(p) Leonis Epist. 22. 24. 27. 28. item Concil. Chalc. Act. 3.
(q) ap. Hard. T. I. CC. pag. 1790. & 1793.
(r) ap. Hard. Tom. II. CC. à p. 1. ad 51.
(s) Ibidem à p. 70. ad 627.
(t) Ibidem à p. 643. ad 690.
(u) Ibidem à p. 689. ad 768.
(x) Ibidem pag. 771.
(y) Ibidem pag. 777.
(z) Ibidem pag. 779.
(a) Ibidem pag. 781.
(b) Ibidem pag. 793.
(c) Ibidem pag. 795.
(d) vid. Card. Aguirre Conc. Hisp. Tom. I. & Harduin. T. II. p. 799.
(e) Ib. p. 806.
(f) Ib. p. 810.

FINIS.



SYLLA-



SYLLABUS

REFLEXIONUM HISTORICO-POLITICARUM

REFLEXIONES AD LIB. IV. HISTORIÆ ROMANI IMPERII.

REFLEXIO I. QUâ Patriâ, quibúsve Parentibus oriundus fuerit Constantinus? *pag.* 151

II. An & ubi vera Crux à Constantino visa sit, item quæ ejus forma, ac veneratio? 157

III. Quo tempore cœperint Indictiones, & quam suæ Institutionis, atque Originis causam habuerint? 163

IV. Quæ nova juris, Legúmque ratio fuerit sub Constantino M.? 166

V. Quos novos Magistratus creârit Constantinus, & in quas Provincias partitus sit Imperium? 171

VI. Quid veriùs statuatur de Donatione Constantini Magni? 177

VII. De Origine urbis Constantinopolitanæ? 189

VIII. Quo tempore Constantinus Magnus fuerit baptizatus? 197

IX. Cujus authoritatis & ponderis esse debeant Calumniæ, quas olim in Constantinum Magnum Zosimus projecit? 208

X. An Christiani Imperatores in sæculo IV. sibi jus sacrorum vendicârint, aut vendicare potuerint? 212

XI. An Imperatores Christiani ante Gratianum Augustum Pontificis Maximi titulum sibi arrogârint? 223

XII. De Hunnorum, & Alanorum Origine. 227

XIII. De Scriptoribus Profanis sæculi IV. 230

REFLEXIONES AD LIB. V. HISTORIÆ ROMANI IMPERII.

REFLEXIO I. QUo tempore, quóve modo Alaricus Romam expugnârit, & an inde Ecclesiis par clades atque Urbi illata sit? *pag.* 663

II. De Institutione Junioris Theodosii. 668

III. De Codice Theodosiano, hujus condendi causis, tempore publicationis, & de authoritate ejusdem per Occidentem. 674

IV. De interitu Occidentalis Imperii, & quæ hujus inclinationis ac exitii causæ fuerint? 679

V. De Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis, Jutis, & de singulorum prima Origine ac Transmigrationibus. 684

VI. De Scriptoribus profanis sæculi V. 687

SYLLABUS
REFLEXIONUM HISTORICO-ECCLESIASTICARUM
REFLEXIONES AD L. IV. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

REFLEX. I. DE Veterum Ecclesiarum forma & Consecratione. pag. 448
II. An Synodus Arelatensis sit plenarium illud Concilium, in quo quæstionem *de Baptismo Hæreticorum* absolutam fuisse scribit S. Augustinus? 452
III. De Choriepiscoporum origine, officio, ac ordine. 458
IV. Quisnam prima Oecumenica Concilia jure legitimo convocârit, iis præsederit, ac illa confirmârit? 463
V. De sensu Canonis sexti Nicæni, ac de potestate Pontificis in Suburbicarias Provincias. 473
VI. An Canones, quos Arabicos vocant, à Patribus Nicænis sint editi? 480
VII. Quæ Authoritas, aut quanta potestatis amplitudo sit penes Synodos Provinciales, & an confirmari eas necesse sit ab Apostolica sede? 484
VIII. An ex Canonibus Sardicensis Synodi primò ortum sit jus Appellationum ad sedem Apostolicam? 487
IX. De Liturgiis Apostolorum & S. Basilii. 499
X. De Catechumenorum classibus, institutione, & de Baptismi solennis ritibus. 504
XI. De Scriptoribus sacris in sæculo quarto. 508
XII. Quænam Doctrina & Disciplina Ecclesiæ fuerit in sæculo quarto?
§. I. De orthodoxia Doctrinæ. 519
§. II. De Disciplina Ecclesiæ. 523
§. III. De Conciliis Generalibus, Nationalibus & Provincialibus, quæ eodem in sæculo de Doctrina & Disciplina tractarunt. 527

REFLEXIONES AD L. V. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

REFLEX. I. DE sacris vestibus Sacerdotum ac Ministrorum. pag. 813
II. De vasis sacris in Primæva Ecclesia adhiberi solitis. 817
III. De Jure Asyli & locali immunitate Ecclesiis concessa. 823
IV. De Patriarchatu Romano, ejúsque finibus. 828
V. De supremo jure indicendi, moderandi, ac firmandi Concilia Oecumenica in sæculo quinto. 838
VI. De Patriarchatu Alexandrino & Antiocheno, item de Patriarchatûs Hierosolymitani initiis. 844
VII. De Patriarchatûs Constantinopolitani Institutione. 851
VIII. De Scriptoribus Ecclesiasticis in sæculo quinto. 866
IX. Quænam fuerit Doctrina & Disciplina in sæculo quinto?
§. I. De orthodoxa Doctrina. 897
§. II. De Disciplina Ecclesiæ ejusdem sæculi. 910
§. III. De Conciliis Generalibus & Provincialibus, in quibus de Doctrina & Disciplina Ecclesiæ tractatum est in sæculo quinto. 922

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS
Sacræ & Civilis Historiæ, quæ hoc Volumine Secundo comprehenditur.

Anni Chron. Æ. C. | Anni Imperatorum. | *Anni Pontificum.*

SÆCULUM IV. ÆRÆ CHRISTIANÆ.

306 CONSTANTINUS ex aula Galerii clàm fugit in Britanniam pag. 5. post mortem Patris Constantii salutatur Augustus, p. 6. Galerius *Severum* creat Augustum ibid. *Maxentius* eundem titulum sibi arrogat, pag. 7.

Galerius & Maxentius persequuntur Christianos p. 236.

307 Severus Ravennæ occiditur p. 7. Constantinus nubit Faustæ filiæ Herculei p. 8. Herculeus rursus quærit Imperium p. 9. *Licinius* à Galerio accipit Augusti nomen p. 10.

Licinius exagitat Christianos p. 236.

308 *Maximinus* in Oriente, *Alexander* in Africa Augustorum dignitatem usurpant p. 10. Herculeus sui Generi Constantini Regno insidiatur pag. 10. Massiliæ captus exuitur rursus purpurâ p. 11.

Quarto anno Sedis Vacantis MARCELLUS *Pontifex eligitur* p. 237.

309 Hormisda II. Rex Persarum moritur, cui Sapor II. surrogatur p. 25.

310 Fausta conjux Constantini aperit insidias Parentis Herculei, quibus hic alterâ vice exitium Constantino machinabatur p. 11. Herculei infamis exitus p. 12.

Marcello Pontifici succedit EUSEBIUS p. 238. *cui paulò post mortuo surrogatur* MELCHIADES p. 239

311 Galerius crudelitatis suæ acres pœnas luit & moritur p. 12. Maximinus & Licinius ejus regnum dividunt p. 13. Maxentius ab Alexandro recipit Africam ibid. molitur bellum contra Constantinum p. 13. & 14. Constantino Crux è cælo apparet p. 14. & 157., cujus ostenti expositione acceptâ, Christianæ fidei se addicit p. 14. Crucem inseri Labaro jubet p. 15.

Annus hic demum decimus & ultimus Persecutionis à Diocletiano cœptæ p. 239. *Persecutio nova Maximini ibid. Mensurio Carthaginensi Episcopo succedit Cæcilianus* p. 244. *septuaginta Numidiæ Episcopi Carthagine in Conciliabulo deponunt Mensurium, & eligunt Majorinum, unde schisma Donatistarum cœpit* p. 245. *S. Petri Alexandrini Martyrium* p. 262., *huic sufficitur Achillas.*

Marcellus sedit a. 1. mens. 6. dieb 20. Eusebius sedit m. 4 d. 16. Melchiades sed. a. 3. m. 6. d. 9

312 Constantinus superatis Alpibus, prope Taurinos, & Veronam Maxentii copias vincit p. 15. 16. demum Romæ profligat penitus p. 17 Maxentii interitus p. 18. Senatus Romanus reveretur Victorem Constantinum, & simul in Labaro crucem adorare cogitur p. 18. Moderatio Constantini post Victoriam ibid. Prætorianorum exauthoratio ibid. Alia monumenta Victori Constantino Romæ posita p. 19. Indictionum initium p. 19. & p. 163.

Achillas Alexandrinus Arium à S. Petro communione ejectum recipit ad Ecclesiam, & Presbyterum creat p. 263.

313 Constantinus Mediolani Constantiam sororem suam jungit Licinio p. 20. novum edictum promulgat pro Christianis p. 240. Ecclesiasticis dat immunitatem à functionibus civilibus p. 169. 243. Distribui jubet Eleemosynas

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	mosynas Catholico Clero in Africa p. 242. 246. Diocletianus moritur p. 20. n. 36. Maximinus vincitur à Licinio non sine prodigio p. 20. Idem miserabili morte Tarsi extinguitur p. 20. Licinius legem Nicomediæ evulgat pro Christianis p. 21. & p. 168. *Donatistæ à Constantino petunt contra Cæcilianum & accipiunt è Gallia Episcopos judices* p. 246., *qui tandem Romam vocati causam sub Melchiade examinant* p. 247. 248.: *& absoluto Cæciliano damnant Donatum à Casis nigris incentorem factionis schismaticæ* p. 249. *hanc sententiam & Melchiadem Donatistæ criminantur* p. 249.		
314	Licinius perfidiâ plenum bellum movet in Constantinum, sed ab hoc bis victus, ex Provinciis duntaxat retinet Thraciam, Asiam & Ægyptum p. 21. *Sub initium hujus anni moritur Melchiades Papa, succedit* SYLVESTER p. 252. *Ælianus Africæ Proconsul, jubente Constantino, denuo examinat causam Felicis Aptungitani; à quo ordinatus fuerat Cæcilianus: & Felix non Traditor Codicum sed innocens declaratur* p. 250. *Eodem anno celebratur Concilium Arelatense* p. 252., *& rursus Donatistæ damnantur ibid. Donatistæ à Concilio ad Imperatorem appellant, indignè hoc ferentem* p. 253. *Concilium Ancyranum in Galatia lapsos ad pœnitentiam recipit* p. 257. *Concilium Neocæsareense* p. 258. *Lactantius scribit librum de morte persecutorum.*		*Sylvester sedit an. 21. m. 11.*
315	Constantinus abrogat Crucis supplicium p. 22. & 169., sancit ut desertæ proles ab ærario publico nutriantur ibid. *Eusebius Pamphili scribit libros* 15. *de Præparatione Evangelica, item* 4. *de demonstratione Evang.* p. 255. *Florent in deserto SS. Antonius, Ammon, Pachomius, Hilarion* p. 256. 257. *Eodem anno Arii Hæresis prorupit in lucem* p. 263. *oppugnatur ab Alexandro & Clero Alexandrino* ibid.		
316	*Constantinus Mediolani examinat Donatistarum causam, illósque rejicit & pœnis addicit* p. 255. *Idem Imperator concedit Episcopis, ut possint manumittere; & sic manumissi erant cives Romani* p. 170.		
317	Crispus & Constantinus filii Constantini M. creantur Cæsares Sardicæ pag. 29.		
318	Varias leges fert Constantinus, & ordinat Magistratus p. 171. & 167		
319	*Arius variis artibus Presbyteros Episcopos & Virgines suæ factioni implicat* pag. 264. *Incipit persecutio Licinii, in quâ multi Martyres occubuêre* p. 260.		
320	Constantinus abrogat leges Juliam & Papiam, utpote cœlibatui inimicas pag. 169.		
321	Idem Imperator jubet celebrari Dominicam & honorem haberi feriæ sextæ p. 169. *Arius in Concilio Episcoporum Ægypti & Lybiæ deponitur* pag. 265. *Constantinus Donatistas ab exilio revocat, & indulgentiùs cum iis agit* p. 255.		
322	*Depositi & ab Ecclesia Alexandrina ejecti Arii patrocinium multi suscipiunt, & præcipuè Eusebius Nicomediensis* p. 265. 266. 267.		
323	Licinius secundum bellum movet adversus Constantinum p. 22. vincitur p. 23. *Arius ab Episcopis nonnullis in communionem admissus, in errore obstinatur* p. 269. Licinius		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
324	Licinius resumit arma, sed denuò cæsus, Thessalonicæ exulare jubetur p. 24. ubi de novis molitionibus suspectus occiditur p. 25. *Constantinus scriptis ad Alexandrum & ad Arium literis, Ægypti tumultus componere conatur* p. 269. & 270.		
325	Constantinus hoc anno sua Vicennalia celebrat p. 28. & p. 165. 289. CONCILIUM GENERALE NICÆNUM *declarat filium esse Homousion sive consubstantialem Patri* p. 278. 279. *& damnat Arium* p. 280. *Meletianorum causam decidit* p. 281. *Definit controversiam de celebratione Paschatis* p. 282. *restaurat disciplinam per 20. Canones* p. 283. &c. *Finito Concilio Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus ab Imperatore in exilium amandantur* p. 290.		
326	Crispus Constantini filius ob calumniam Novercæ perit p. 29. Post mortem ejus innocentiâ deprehensâ, Fausta supplicio addicitur ibid. *Meletius Lycopolitanus morti proximus alium Joannem & schismatis propagatorem substituit* p. 290. *Athanasius Alexandro defuncto creatur Episcopus Alexandrinus* p. 291. *S. Helena mater invenit S. Crucem Hierosolymæ* p. 293., *ubi post multa pietatis officia hoc vel sequente anno obiit* p. 294.		
327	*Evangelium ad Indos usque propagatur* p. 294. *Donatistarum & Circumcellionum nefariæ & crudeles molitiones in Africa* p. 295. *Arius, operâ Constantiæ sororis Constantini, revocatur ab exilio* p. 296.		
328	*Post trium annorum exilium restituuntur sedibus suis Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus* p. 297. *Hi persequi incipiunt Athanasium* p. 297. *allatas à Meletianis calumnias contra S. Athanasium rejicit Constantinus* pag. 298.		
329	Constantinopolis ædificatur velut nova Roma p. 30. item 190., ejus amplitudo, ædificia, privilegia, divisio, p. 192. ad p. 196. *Eustathius Antochenus Episcopus Homousion propugnat contra Arianos* pag. 298.		
330	Dedicatur urbs Constantinopolitana pag. 31. *Hoc vel præcedente anno fuit conciliabulum Antiochenum contra Eustathium* pag. 298. & 299.		
331	Variæ Legationes ad Constantinum veniunt p. 31. & 32. *Agente Eusebio Nicomediensi, Eustathius ejicitur in exilium* p. 32. & p. 299. *Eusebio Cæsareensi oblatam sedem Antiochenam recusante, Euphronius Arianus eligitur* p. 300. *Aliorum Catholicorum Episcoporum exilium* pag. 300.		
332	Gothi, Sarmatis opem Constantini implorantibus, vincuntur ab exercitu Romano p. 31. *S. Athanasius accusatur à Meletianis de confracto Calice & de occiso Arsenio* p. 301. *fraudes accusatorum deteguntur* p. 302.		
333	Constantinus leges condit, quibus jubet everti templa & idola Gentilium celeberrima, opésque ac reditus templis detrahi p. 27. *S. Athanasius visitat solitudines Ægypti, ubi Pachomii virtutem præcipuè miratus est* pag. 303.		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
334	Sarmatæ à suis servis expulsi sedibus, accipiunt à Constantino locum & præsidium pag. 31. *Eusebiani novis in Athanasium procusis consiliis, rogant Cæsareæ Synodum congregari, & impetrant* p. 305. *At S. Athanasius vocatus venire renuit ibid.*		
335	Constantinus celebrat Tricennalia p. 33. *Dalmatius* Junior fit Cæsar ibid. *Annibalianus* creatur Rex Ponti & Armeniæ pag. 33. filiis adhuc vivens *Constantinus* regni administrationem impertit: *Constantino* Galliam: *Constantio* Orientem, *Constanti* Africam, Illyricum & Italiam p. 33. *Conciliabulum Tyri in Phœnicia agitur contra Athanasium, ubi omnia vi & calumniis confictis agebantur contra Athanasium* p. 305. 306. 307. 308. 309., *qui tandem injustâ sententiâ conjuratorum deponitur* p. 310. *Eodem anno, & ab iisdem Episcopis celebratur Hierosolymæ Dedicatio, & Concilium, ubi recipitur Arius* p. 310. & 311. *Athanasius Constantinopolim pergit ad Imperatorem & causam suam agit* p. 311. *Sylvester Pontifex exeunte anno moritur* p. 312.		
336	S. MARCUS *creatur Pontifex* p. 312. *evocati Tyro Episcopi Constantinopolim, novis calumniis obruunt Athanasium, hisque efficiunt, ut Treviros in exilium mittatur* p. 313. *Mors turpis, & repentina Arii* p. 315. *obitus pius S. Marci Papæ* p. 316.		*S. Marcus sedit m. 8. d. 20.*
337	Sapori Regi Persarum bellum molienti occurrere parat Constantinus p. 34. incidit in morbum, ibid. Nicomediæ baptizatur p. 35. 197. & paulò post moritur p. 35. Corpus ejus Constantinopoli tumulatur p. 36. ejus merita in Ecclesiam p. 37. Apologia contra Zosimi Gentilis convitia p. 208. Mortem Constantini sequitur internecio fratrum & Nepotum defuncti Imperatoris p. 38. Ab hac laniena superfuêre duo, Gallus & Julianus p. 39. Filii Constantini, CONSTANTINUS Junior, CONSTANTIUS & CONSTANS inter se partiuntur Imperium p. 39 *Marco Pontifici surrogatur* JULIUS p. 316. *Ariani in Constantii animum irrepunt per artes hæretici Presbyteri* p. 317.	Constantin. Junior reg. a. 3. Constantius reg. a. 24 Constans reg. a. 10	*Julius sedit ann. 15. m. 2. d. 6*
338	Constantii infelix expeditio contra Persas p. 39. *S. Athanasius, agente Constantino Juniore, restituitur Alexandrinæ Ecclesiæ* p. 317.		
339	*Calumniis rursus appetitur Athanasius; & causa ad Pontificem Julium devolvitur* p. 318.		
340	Occisus est hoc anno Constantinus Junior prope Aquilejam, bellum inferens Constanti fratri; ad quem deinde summa Occidentalis Imperii translata est p. 40. *Moritur Eusebius Cæsariensis, & Alexander Episcopus Constantinopolitanus, cujus successorem Paulum Ariani relegant in Pontum* p. 319. *& Eusebium Nicomediensem substituunt ibid.*		
341	Franci vastant Gallias p. 41. *Synodus Antiochena, in qua Ariani Catholicam, ad speciem, formulam edunt* p. 320., *dein varii à Patribus Canones de Disciplina compositi sunt* p. 321. *Eodem anno celebravêre Ariani Antiochiæ Conciliabulum, in quo damnatus Athanasius* p. 325., *cui surrogatur Gregorius Cappadox Arianus* p. 326. *Athanasius venit Romam* p. 327. *declinant Ariani Syno-*		

Anni Chron. Æ. C.	Sæculum IV. Æra Christianæ.	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
	Synodum & judicium Romani Pontificis ibid. mors S. Pauli Eremitæ pag. 328.		
342	Constans cum Francis paciscitur p. 42. *S. Athanasius Institutum Monasticum propagat in Occidente* p. 329. *Julius Pontifex in Synodo Romana Athanasium, aliósque exules Episcopos Catholicos sedibus restituit* p. 330. *Mors Eusebii Nicomediensis* ibid. *certant Catholici cum Arianis de successore: illi Paulum, hi Macedonium expetunt* p. 331. *Paulo pulso, Constantius nihilominus differt admittere Macedonium* ibid.		
343	Constans Scotos reprimit in Britannia p. 42., reversus in Galliam varias dat leges pro Ecclesiastica immunitate & religione ibid. *Incipit Persecutio in Perside adversus Christianos* p. 331.		
344	*Invalescit exagitatio Christianorum sub Sapore Persarum Rege* p. 331. *Sabæi seu Homeritæ ad Arianam religionem operâ Constantii traducuntur* p. 332.		
345	*Ariani in Synodo Antiochena damnant Marcellum Ancyranum, & Photinum Syrmii Episcopum* p. 332. *edunt novam fidei formulam* ibid. *Hæc quia supprimebat verbum* CONSUBSTANTIALIS; *à Catholicis rejicitur* p. 333.		
346	*Constans Imperator Mediolanum evocat S. Athanasium, ejúsque apud fratrem causam agit* p. 42. & p 333. *Indicitur Synodus Sardicensis* ibid.		
347	*In Synodo Sardicensi de dogmatis nihil actum, declaratúmque est sufficere professionem fidei Nicænam* p. 335. *Athanasius & Marcellus Ancyranus absolvuntur omni crimine* ibid. *Ursacius & Valens Ariani damnantur* ibid. *Canones 21. de disciplina sanciuntur* p. 336. *Eodem tempore Philippopoli Ariani celebrant Concilium sive Pseudo-Synodum Sardicensem* p. 337. *in hoc conciliabulo edunt novam formulam sine verbo consubstantialis* p. 337., *dicti posteà Semi-Ariani, quia aliquas Arii positiones damnabant* ibid. *Legati à Synodo Sardicensi ad Constantium destinantur* p. 338.		
348	Romani cædunt Persas ad Singaram, & iterum à Persis cæduntur p. 43. *Euphratæ Agrippinæ Episcopo, & Sardicensis Synodi Legato Ariani Antiochiæ calumniam machinantur per subornatam meretricem* p. 338., *fraus impia detegitur* p. 339. *Concilium Carthaginense (quod primum dicitur) celebratur à Grato Cæciliani successore* p. 339., *in eo errores Donatistarum profligantur, & Disciplina restauratur* p. 340.		
349	*Constans pro restitutione Athanasii agit apud fratrem* p. 341. *Ursacius & Valens in Synodo Romana pœnitentiam profitentur* p. 341., *& in communionem irrepunt* p. 342.		
350	Constans Imperator à Magnentio Tyranno necatur p. 44. Vetranion purpurâ, quam in Illyrico sumpserat, rursus exuitur p. 46. *Athanasius hoc anno redit Alexandriam* pag. 341. *negat Arianis dare Ecclesiam* ibid.		
351	Constantius, quòd nullos liberos haberet, Gallum creat Cæsarem, qui mittitur contra Persas p. 47. Bellum Constantii contra Tyrannum Magnentium, & ejus ad Mursam Victoria ibid. *Synodus Syrmiensis, in qua damnatur Photinus; & nova ab Arianis & prima Syrmiensis procusa est formula omisso verbo consubstantialis* p. 342. *Athanasius Marcellum Ancyranum dimovet communione* p. 343.		

Con-

Anni Chron. Æ. C.	*Saculum IV. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
352	Constantius ejicit Magnentium in Galliam p. 48. *Julius Papa moritur* p. 344., *cui succedit* LIBERIUS. *Nova persecutio adversus Athanasium, & Catholicos Episcopos* p. 344.		*Liberius sedit ann.14. m.3.d.3.*
353	Magnentius ubique profligatus se, suósque perimit Lugduni p. 48. variæ calamitates irrogantur Imperio p. 49. *In Arelatensi Concilio Constantius à Legatis Pontificis extorquet damnationis sententiam contra Athanasium* p. 345.		
354	Gallus Cæsar ob scelera in judicium vocatus, Petrobione occiditur p. 49. & p. 50. *Synodus Mediolanensis, agente Liberio Pontifice, convocatur* p. 346.		
355	Sylvanus à perfido Dynamio conjurationis falsò accusatus, purpuram sumit Coloniæ Agrippinæ, & paulò post occiditur p. 52. Julianus Galli frater Cæsar creatus, imponitur Galliæ p. 55. *Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, aliique Episcopi damnationi Athanasii subscribere renuentes in exilium ejiciuntur* pag. 348. *subinde exulare quoque cogitur Liberius Pontifex* p. 349 & 350., *cui Felix substituitur* p. 350., *exilio quoque multatus est Hosius Cordubensis* p. 352.		
356	Julianus cum Alemannis bellum gerit pag. 56. *Exagitatur rursus & exire cogitur suâ Ecclesiâ Athanasius* p. 353., *cui Georgius Cappadox substituitur* ibid. *Athanasius inter Solitarios latet* p. 358. *Hilarius Pictaviensis in Orientem relegatur* pag. 355. & 356.: *mors S. Antonii Abbatis* p. 354.		
357	Constantius Romam invisit, & tollit aram Victoriæ p. 56. inde in Illyricum pergit contra Barbaros p. 57. Julianus vincit Alemannos pag. 57. Idem tres Tabernas in Alsatia restaurat p. 58. Altera victoria Juliani de Alemannis ibid. Rheno trajecto populatur Germaniam p. 59. *Matronæ Romanæ supplicant Constantio pro restitutione Liberii* p. 356. *Pseudo-Synodus Syrmii celebratur, in qua impia sive secunda formula Syrmiensis evulgatur* p. 357., *cui postquam Hosius subscripserat, se liberat exilio* p. 358. *Liberius ad lapsum sollicitatur* p. 359., *damnat Athanasium, communicat cum Arianis, non tamen subscribit secundæ formulæ Syrmiensi* p. 360.		
358	Persæ novis consiliis ardentius bellum parant contra Romanos p. 59. Juliani varia cum Alemannis certamina p. 61. *Aëtiani, aut Anomæi in Pseudo-Synodo Antiochena statuunt filium divinum esse dissimilem Patri* p. 362. *Semiariani è diverso in Concilio Ancyrano admittebant filium esse Homæusion sive similem Patri* p. 362. *Eodem tempore agebatur alia Synodus Syrmii, in qua proponebatur formula ad speciem Catholica, suppressâ tamen voce consubstantialis* p. 363., *cui Liberius subscripsit* ibid. *quo facto suæ sedi Pontifex restituitur* ibid. *tumultuosæ factiones Romæ contra Liberium* p. 364. *mors Felicis Antipapæ* p. 364.		
359	Julianus iterum transgressus Rhenum Alemannos obruit, & ad petendam pacem cogit p. 61. Ingravescente Persarum bello Constantius Syrmio Constantinopolim movet p. 62.		

Anni Chron. Æ. C.	Sæculum IV. Æra Christianæ.	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
	In nova Syrmiensi Synodo hoc anno Semiariani cum Anomæis in hanc formulam conveniunt, quâ filius per omnia similis Patri diceretur p. 365. *Concilium Ariminense ex Occidentalibus Episcopis congregatum, etsi comprobârit primò fidem Nicænam, & Arianos damnet* p. 367.; *Legati tamen Ariminensis Concilii cum Arianis dein communicârunt* p. 368 *posteà etiam Patres vi & dolo ad Syrmiensis formulæ subscriptionem coacti sunt* p. 369. 370.		
	In Concilio Seleuciensi in Isauria eodem tempore Semiariani prævalentes contra Anomæos p. 372., *statuunt filium esse Patri in substantia similem; quin tamen consubstantialem profiteantur* ibid. *Subinde tamen à Constantio pariter compelluntur ad subscribendam formulam Syrmiensem* p. 374.		
360	Constantius à Juliano poscit auxilia ex Gallia pro bello Persico p. 62. seditio cooritur Parisiis p. 63. & Julianus Augustus proclamatur ibid. jussus deponere purpuram, tergiversatur: dein renuit p. 66. bellum parat adversus Constantium p. 67.		
	Pseudo-Synodus Constantinopolitana, in qua aliis Episcopis Orientis Syrmiensis fidei professio inculcatur p. 374., *unus S. Hilarius se opponit* ibid. *quare remittitur in Galliam*, ibid. *ubi multos ad fidei Nicænæ integritatem reducit* p. 376., *S. Martinum Turonensem in suam admittit disciplinam* p. 377. *Lucifer Calaritanus scribit adversus Constantium* pag. 377. *Eunomius suam hæresin spargit* pag. 377. *Macedonius Pneumatomachiæ suæ nefarium initium facit* p. 378. *Meletius datur Episcopus Antiochiæ ab Arianis & iterum ejicitur* p. 379.		
361	Julianus occupat Italiam & Illyricum p. 67. Constantius moritur in Cilicia p. 67. JULIANUS Constantinopoli Augustus salutatur p. 68. palàm Idololatriam profitetur, Christianorum hostis posteà acerrimus p. 69.	Julianus regnavit post Constantium ann. 1. m. 8.	
	Ad turbandas Ecclesias Christianorum, à Juliano omnes exules Hæretici revocantur p. 380. *Ecclesiam Antiochenam dividit schisma Meletianorum & Eustathianorum* p. 379.		
362	*Persecutio Juliani contra Christianos incipit Constantinopoli* pag. 381. *dein propagatur in Provincias* p. 382. *scholæ Christianorum prohibentur* p. 383 *Juliani crudelitas & rabies adversus Virgines, sacras imagines & reliquias* p. 385. *Donatistarum sacrilegia in Africa* p. 387. *Post Meletii mortem Lucifer Calaritanus surrogat Paulinum, & schisma Antiochenum auget* p. 386. *Synodus Alexandrina sub S. Athanasio, in qua stabilita fides Nicæna, sopita controversia de significatione hypostasis, & recepti lapsi sunt.* p. 385. *incipit Luciferianum schisma* p. 386. *Athanasius vexatus à Juliano, Alexandriâ excedere cogitur* p. 387.		
363	Julianus scribit *Misopogon* p. 71. movet contra Persas p. 72. nefanda ejus sacrificia p. 73. combustâ classe in interiora Persidis penetrat p. 74. exercitum ducit in periculum extremæ famis p. 75. decretoria pugna Juliani cum Persis p. 75. vulnere accepto Julianus extinguitur p. 76. tumulatur Tarsi pag. 77.		
	JOVIANUS eligitur Imperator p. 78. paciscitur cum Persis p. 79. reducit exercitum p. 80. tumultus in Gallia Jovinus Dux componit p. 84.	Jovianus regnavit m. 8.	
	Julianus in odium Christianorum templum Hierosolymitanum restaurare incipit, sed prodigiis impeditur p. 388. *S. Athanasius Nicænâ doctrinâ im-*		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	imbuit Jovianum p. 389., *qui Ecclesiæ proinde vigorem restituit, rejectis Hæreticis* p. 389. *Synodus Laodicæna de disciplina* p. 390. 391. & 392.		
364	Jovianus mense Februario nocturno & improviso casu moritur Dadastanæ in Bithynia p. 85. VALENTINIANUS I. eidem surrogatur Nicææ p. 88., is VALENTEM fratrem sibi Collegam associat p. 89. eíque Imperio Orientis tradito, sibi Occidentem servat p. 91. *Synodus Lampsacena à Semiarianis celebrata contra Acacianos, Macedonii quoque blasphemia contra divinitatem Spiritûs S. hìc probata est* p. 393. *Auxentius Mediolanensis Episcopus Arianus in gratiam Valentiniani se insinuat* p. 394.	Valentinianus regnavit an. 12. Valens regnavit annis 14.	
365	Procopius Tyrannus Orientis Imperium invadit p. 92. & præliis multis exagitat Valentem p. 93. *Valens Arianæ favet perfidiæ* p. 393. *è Lampsaceno Conciliabulo Legati veniunt ad Liberium, mentientes se fidem Nicænam recepisse, & sic dolosè communionem impetrant* p. 395.		
366	Alemanni Valentinianum trajecto Rheno bello lacessunt p. 97. Jovinus Dux rem Romanam aliquantùm restituit p. 98. Procopius à Valente debellatur & occiditur p. 96. *Mors Liberii Pontificis, cui succedit* DAMASUS p. 395. *Ursicinus Antipapa & schismatis Author in Galliam proscribitur* ibid.		*Damasus sedit annis 18. mens. 2. dieb. 10.*
367	Valens cum Gothis bellum suscipit p. 99. quod tribus annis gestum est, ibid. Valentinianus GRATIANUM filium Augustum creat ac Socium Imperii p. 100. mittit Theodosium comitem contra Scotos & Pictos, qui Britanniam interea occupatam, denuò deserere cogebantur p. 101. *Eudoxius Arianus baptizat Valentem, eúmque simul Christianum, simúlque Persecutorem Ecclesiæ facit* p. 396.	Gratianus regnavit an. 16. m. 6.	
368	Valentinianus Moguntiaci direptionem ab Alemannis factam vindicat p. 102. *Athanasius Valentis vim declinaturus, in monumento se abscondit* p. 396. *mortuo Donato Episc. Carthag. Parmenianus succedit.*		
369	Ambrosius à Probo Aniceto Prætorii Præfecto Proconsul datur Liguriæ & Æmiliæ p. 401., expeditio nova Valentiniani ad Niccarum contra Alemannos p. 102. & 103. Munimenta inter Niccarum & Rhenum à Valentiniano exstructa p. 103. & 104. Athanaricus Rex Gothorum hoc anno pacem constituit cum Valente p. 99. *Valens Catholicos Episcopos exilio, aliisque pœnis addicit* pag. 396. 397. *Athanasius tamen revocatur Alexandriam, ubi deinceps in pace egit* p. 396.		
370	Saxones invadunt Gallias p. 105. latrocinio nefasto, non bello à Romanis vincuntur ibid. Valentinianus ad Macrianum Alemannorum Regem opprimendum Burgundiones sollicitat: sed dum in arena comparent, ab Imperatore destituuntur p. 106 *S. Basilius adhuc Presbyter ad Arianas partes pellicitur à Valente promisso Episcopatu, quod præmium iniquitatis Vir S. generosè repudiat* p. 398.		
371	Valentinianus irritis consiliis Macriano Alemannorum Regi insidias struit p. 106. & 107. leges Valentinianus edit parùm æquas p. 107. *S. Basilius mortuo Eusebio, creatur Neocæsareensis Episcopus* p. 398.		
372	Firmus rebellat in Africa ob injustitiam Romanorum p. 107. & 108. *Antiochiæ Valens novam Persecutionem meditatus, mitigatur à Philosopho Gentili Themistio* p. 398.		

Theo

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
373	Theodosius Comes Firmum in Africa domat & pacem restituit p. 108. 109. *Mors S. Athanasii* pag. 399. *cui succedit Lucius Arianus* ibid. *Saracenorum prima conversio* p. 400.		
374	Valentinianus paciscitur cum Macriano Rege Alemannorum p. 110. Irruptio Quadorum in Valeriam p. 109. *Apollinaris Hæretici initia* pag 400. *Parmenianum Donatistam Optatus Milevitanus aggreditur* p. 401. *S. Ambrosius eligitur in Episcopum Mediolanensem* ibid. *Concilium Valentinum apud Allobroges, de ordinationibus Ecclesiasticis* p. 402. *S. Martinus creatur Episcopus Turonensis* p. 403. *ejus Monasterium* p. 404.		
375	Valentinianus, relicto Treviris Gratiano, Quados in Illyrico oppugnat p. 110. moritur subitò Bregetione ad Danubium. VALENTINIANUS II. filius Junior Imperatoris defuncti, Acinci salutatur Imperator pag. 113. Gratianus renuit habitum Pontificium Gentilium ibid. Idem Galliam, Hispaniam, & Britanniam obtinet, reliquis Occidentis Provinciis Valentiniano relictis. Valens à Persis bello appetitur p. 114. *S. Basilii (jam Episcopi Cæsareensis) fortissimus conflictus cum Valente* p. 405. & 406. *Idem Basilius Eustathii Sebasteni magis cogniti amicitiam repudiat* p. 407. *dissidet ab Anthimo Tyanensi Episcopo ob limites Provinciæ Ecclesiasticæ* ibid. *Gregorium Nazianzenum Zazimensi præficit Ecclesiæ* ibid. *Ascesin Monasticam propagat* p. 408. *S. Ephrem Monasticen exercet* ibid. *& S. Hieronymus* p. 409.	Valentinianus Junior regnavit an. 17. mens. 4 d. 16.	
376	Hunni expellunt ex suis sedibus Gothos p. 115. Gothi vero, permittente Valente, in Thracia locum obtinent p. 116. *Floret S. Epiphanius Salaminæ Episcopus* p. 410. *qui, uti alias hæreses, sic quoque Antidicomaritas & Collyridianos hoc tempore emergentes oppugnavit* p. 410. *Consilia varia de extinguendo schismate Antiocheno in irritum cadunt* p. 411. *Gothi ad Arianam hæresin traducuntur* p. 412.		
377	Gothi in Thracia à Ducibus Valentis duriter habiti, ad arma convolant, Romanósque multis præliis fundunt p. 117. & 118.		
378	Gratianus Alemannos in Galliam irrumpentes cædit apud Argentariam p. 119. properat in auxilium Valentis contra Gothos p. 120. Valens non exspectatis copiis Gratiani confligit cum Gothis, à quibus vincitur prope Adrianopolim p. 121. & vivus concrematur p. 122. Gothi obsidentes Constantinopolim repelluntur à Saracenis p. 123. *Gratianus restituit exules Episcopos* p. 413. *Ambrosii pietas erga eos, qui à Gothis in servitutem abstrahebantur* p. 414. *Ursicini Antipapæ molitiones novæ à Gratiano Imperatore comprimuntur* ibid. *Justinæ Valentiniani Junioris matri & Arianæ Ambrosius resistit* p. 416.		
379	Hoc anno Gratianus Magistrum suum Ausonium Consulatûs honore afficit p. 124. Theodosium orthodoxum creat Imperatorem ibid. aram Victoriæ alterâ vice Romæ abolet p. 125. Vestalibus Virginibus adimit bona ibid. Theodosius Gothos irrumpentes in Imperii fines vincit p. 125. & p. 126. *Mors Satyri fratris S. Ambrosii* p. 417. *Meletius ab exilio reversus pacis conditiones constituit cum Paulino* ibid. *Gregorius Nazianzenus suscipit Episcopatum Constantinopolitanum* p. 418. *hunc Gregorio eripere*		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	conatur Maximus Alexandrinus ibid. *S. Hieronymus ordinatus Presbyter à Paulino, Constantinopolim pergit ad Gregorium.* p. 418.		
380	Theodosius Thessalonicæ morbo afflictus, baptizatur ab Ascholio Episcopo ejusdem urbis p. 126. Theodosius jubet, ut Hæretici Ecclesias reddant Catholicis pag. 126. Sapor Rex Persarum septuagesimo Regni sui anno moritur. *Mors SS. Basilii & Ephrem* p. 419. *Antiochena Synodus contra Apollinaristas* ibid. *Synodus Cæsaraugustana contra hæresin Priscilliani* p. 420.		
381	Athanaricus Rex Gothorum honorificè Constantinopoli excipitur p. 126. subinde mortuus ibidem regio apparatu sepelitur p. 127. CONCILIUM II. OECUMENICUM CONSTANTINOPOLITANUM *convocatur* p. 422. *Ante initium Synodi moritur Meletius: & Flavianus minùs consultè surrogatur* p. 422. *Gregorius Constantinopolitanâ sede ultro decedit* ibid. *Nectarius in ejus locum accipitur* p. 423. *Symbolum Constantinopolitanum* p. 424. *Primatus honoris post Romanum Episcopum tribuitur Constantinopolitano Antistiti* ibid. *Concilium Aquilejense adversus Palladium Arianum* p. 425.		
382	Theodosius Gothos recipit in Thraciam p. 127. Seditio Maximi Tyranni adversus Gratianum in Britannia pag. 129. interitus Gratiani pag. 130. Valentinianus Junior mittit S. Ambrosium ad Maximum, ut corpus Gratiani deposcat ad sepulturam p. 131. *S. Hieronymus cum Paulino & Epiphanio abit Romam* pag. 427. *scribit contra Helvidium* ibid.		
383	Maximus Hispanus in Britannia occupat Imperium in Britannia & Gallia, p. 129. interitus Gratiani, pag. 130. Valentinianus Junior mittit S. Ambrosium Legatum ad Maximum pro pace, p. 131. Theodosius filium Arcadium creat Augustum, p. 128. *Amphilochius Iconiensis Theodosium à favore erga Arianos pio commento revocat*, p. 428. *Priscillianistæ à Maximo Tyranno exagitantur* p. 429. *Augustinus venit Romam.* p. 434.		
384	Variæ leges à Theodosio evulgantur pro bono Ecclesiæ pag. 131. & 132. Honorius nascitur p. 132. *Mors Damasi Papæ* pag. 430. *post quem sedere cœpit* SIRICIUS ibid. *Augustinus à Symmacho mittitur Romam Mediolanum ad docendam Rhetoricam.* p. 434.		*Siricius sedit ann. 15.*
385	Moritur Placilla mater Arcadii & Honorii, cui Theodosius surrogat alteram conjugem Gallam, p. 133. *S. Hieronymus redit in Orientem*, p. 430.		
386	*Justina Augusta mater Valentiniani Junioris persequitur Ambrosium*, p. 432. *Maximus Tyrannus apud Valentinianum pro Ambrosio agit*, p. 433. *SS. Gervasii & Protasii inventio*, ibid. *conversionis initia S. Augustini*, p. 435.		
387	Seditio Antiochenorum p. 133. & 134., quæstio acerba in authores suscipitur, p. 134. Flavianus Antiochenus Episcopus exorat gratiam Cæsaris, ibid. Maximum Valentinianus regno suo expellit, p. 135. *Baptismus S. Augustini* p. 436. *Chrysostomus habet homilias ad populum Antiochenum*, p. 437. *moritur S. Monica S. Augustini mater, ad ostia Tiberina* p. 436.		

Theo-

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
388	Theodosius exulem Valentinianum cum matre Justina suscipit p. 135. parat bellum contra Maximum Tyrannum, p. 136. mors funesta Maximi ibid. *Augustinus Romæ varios libros scribit contra Manichæos* p. 443.		
389	Theodosius venit Romam, p. 137. & leges dat de delubris Gentilium evertendis, ibid. *Ambrosius Theodosium mitigat, quo minùs durius quid statuat in Monachos, qui fanum quoddam Hæreticorum concremârant*, p. 438. *Ambrosii fortitudo in tuendo more Ecclesiastico*, p. 439. *S. Augustinus in solitudine Tagastensi, Ascesi vacat* p. 444.		
390	Hoc anno accidit clades Thessalonicensium civium à Theodosio imperata p. 138. & p. 439. lex lata est postea de differenda executione sententiæ de cæde ad 30. dies, p. 440. *Ambrosius Theodosium ab Ecclesiæ aditu & communione probibet, dum expleverit pœnitentiam publicam* p. 440. *Jovinianus hæreticus in Concilio Mediolanensi damnatur Præsentibus Siricii Legatis*, p. 438. *Eodem anno Nectarius Constantinopolitanus Pœnitentiarium imprudentem hominem ob propalatum grande peccatum Diaconissæ gradu & officio dimovit* p. 441.		
391	Theodosius compositis in Occidente rebus, & restituto Valentiniano redit in Orientem, p. 138. *S. Augustinus à Valerio Episcopo Hipponensi initiatur Presbyterio*, p. 444. *ejus Monasterium* ibid. *Messaliani Hæretici, & Aëriani magis invalescunt* p. 442. *Moritur Paulinus Antiochenus, quin tamen schisma extinguatur* p. 443.		
392	Arbogastes Comes è Gente Francorum & Magister militum imperiosiùs & iniquiùs dominatur in Valentinianum p. 139. eundem per subornatos sicarios interficit p. 140. funus Catechumeni Valentiniani panegyri celebrat Ambrosius p. 140. & 141. Arbogastes Eugenium ignobilem hominem evehit ad Imperium, p. 141. Theodosius consilia agitat de bello adversus Eugenium p. 142. *S. Augustinus habet Disputationem publicam Hippone contra Fortunatum Manichæum*, p. 445.		
393	Theodosius antequam procederet ad bellum contra Eugenium; Honorium filium creat Augustum, p. 143. *Hipponense Concilium & Africæ plenarium sub Aurelio habetur de restauranda disciplina, cui etiam Augustinus adhuc Presbyter interfuit*, p. 445.		
394	Theodosius superatis Juliarum Alpium angustiis, pugnat prope Aquilejam ad ripam, amnis nomine Frigidi, p. 144. & 145. obsecundantibus Theodosio ventis victoriam non sine prodigiis cælestibus reportat, pag. 146. Eugenius à militibus perductus ad Theodosium obtruncatur, pag. 147. Arbogastes quærens latibula, tandem seipsum interficit, p. 148. Theodosius filiis partitus Imperium, ARCADIO Orientem, HONORIO Occidentem adsignat, p. 149. *Incipit controversia de Origenis libris*, p. 446. *Joannes Hierosolymitanus Origenistarum fautor ab Epiphanio & Hieronymo oppugnatur*, pag. 446. & 447.	Arcadius reg. a. 13. m. 5. d. 14. Honorius reg. post mortem Patris ann. 28.	

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum IV. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
395	Theodosius Paganorum ritus proscribit, p. 447. moritur, p. 149. funebrem orationem habuit S. Ambrosius pag. 149. Arcadii nuptiæ cum Eudoxia p. 534. Rufinus affectat Imperium p. 535. ejus ruina p. 536. Alaricus Rex Gothorum vastitatem infert Græciæ p. 536. floret Claudianus Poëta, pag. 687. *Synodus Constantinopolitana, vel potiùs solennitas Dedicationis Ecclesiæ SS. Petri & Pauli peragitur*, p. 447. *S. Augustinus creatur vivente Valerio Episcopus Hipponensis* p. 691.		
396	Rufino Eutropius Eunuchus succedit hoc est Ministro malo, Minister pessimus p. 536. Stiliconis cum Eutropio inimicitia, Imperio funesta, p. 537. *S. Ambrosius operam suam impendit ad conversionem Marcomannorum* pag. 691.		
397	Gildo rebellat in Africa, p. 538. *Rufinus cum Melania ex Oriente hoc tempore regreditur, & scripta Origenis commendare Romæ conatur* p. 699. *Moritur S. Ambrosius*, p. 692. *cui S. Simplicianus succedit*, ibid. *Concilium Carthaginiense III. ejúsque varii Canones* p. 693. 694. 695. *Augustinus Donatistas oppugnat*, p. 696.		
398	Nuptiæ Honorii cum Maria filia Stiliconis pag. 540. Masceldelus fratrem Gildonem in Africa non sine prodigio debellat, p. 539. Victor idem à Stilicone pro præmio fert exitium; p. 540. *Mortuo Siricio substituitur* ANASTASIUS, p. 700. *Chrysostomus Antiochenis dolo subtractus, ordinatur Episcopus Constantinopolitanus*, p. 697. *qui schisma Antiochenum componit. Concilium Carthaginiense IV. de ordinationibus* p. 696. & 697.		*Anastasius sedit a.3. d.10.*
399	Tribigildis cum Gaina conjurat adversus Eutropium, p. 541. artes dolosæ Gainæ, quibus tandem Eutropium perdidit, p. 542. & 543. Regnum & Imperatoris exitium frustra molitur Gainas p. 544. 545. *Homiliam habet S. Chrysostomus contra Eutropium, qui Asyli Ecclesiastici violator antea, nunc ipse ad aram confugere compellebatur* pag. 698. & 824. *S. Hieronymus scribit contra Rufinum*, p. 701.		
400	Gainas interficitur, pag. 545. Alaricus, postquam sex ferè annis Græciam & Peleponesum populatus fuerat; venit in Pannoniam, inde in Italiam transiturus p. 546. *Concilium Toletanum I. contra Priscillianistas*, p. 702. *obitus S. Martini Turonensis*, ibid. *Carthaginiense V. Concilium de disciplina* p. 704.		
	SÆCULUM V. ÆRÆ CHRISTIANÆ.		
401	Theodosius Junior nascitur, pag. 555. *Anastasius Pontifex damnat Rufinum & Origenis errores*, p. 705. *Idem in Oriente, agit Theophilus Alexandrinus*, p. 706. *Monachos reluctantes totâ Ægypto ejici curat*, ibid. *moritur Anastasius Papa, & succedit* INNOCENTIUS p. 711.		*Innocentius sedit a.15. m. 2 d.20.*
402	Alaricus gustatis semel Italiæ opibus, hoc anno redit, p. 546. Stilico eum quidem ex Italia ejicit, sed non insequitur p. 547. Theodosius Junior creatur Augustus. p. 555.		

S. Chry-

Anni Chron Æ. C.	*Sæculum V. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	S. Chrysostomus expulsos ex Ægypto Monachos suscipit, p. 708. *simúlque offendit Theophilum Alexandrinum & Epiphanium*, ibid.		
403	Honorius Romæ triumphat unà cum Stilicone, p. 547. *S. Chrysostomus, agente Eudoxiâ, à Theophilo Alexandrino, aliisque Episcopis infensis in Synodo ad Quercum deponitur, in exilium ducitur, sed mox restituitur* p. 710. & 711.		
404	Honorius noluit nunc celebrari ludos sæculares, quod aliàs perperam quidam asserunt, p. 547. Ravenna fit sedes Imperatorum Occidentalium p. 548. moritur Eudoxia Augusta p. 714. *Dedicatur Constantinopoli Eudoxiæ Augustæ statua*, p. 711. *solemnitatem impiam Chrysostomus arguit*, p. 712. *accusatur secundo, & pellitur in exilium apud Cucusum Ciliciæ oppidum*, p. 712. & 713. *appellat ad summum Pontificem*, p. 715. *Persecutio in amicos Chrysostomi*, p. 714. *Deus ulciscitur innocentiam S. Chrysostomi exulis*, ibid. *Arsacius sedem Constantinopolitanam obtinet*, p. 715.		
405	Radagaisum Italiam populantem Stilico mirabili victoriâ profligat p. 549. Honorius legibus comprimit Donatistarum licentiam, p. 718. *Vigilantius Hæreticus suos errores per Galliam disseminat*, p. 716. *S. Hieronymus Hæreticum confutat* p. 717. *S. Augustinus Felicem è Manichæo Catholicum facit*, ibid. *Innocentius Papa causam acturus Chrysostomi, Legatos mittit in Orientem* p. 718. *Arsacio mortuo in sedem Constantinopolitanam succedere jubetur Atticus homo Chrysostomo maxime infestus* p. 718.		
406	Stilico Romanum Imperium turbat, immissis Vandalis, Alanis, aliisque Barbaris, p. 550. *Legati Pontificis in Oriente variis injuriis afficiuntur*, p. 719.		
407	Barbari evastant Galliam, p. 550. Stilico Alaricum instigat ad bellum in Illyrico contra Arcadium p. 553. Britanni deficiunt ab Honorio p. 551. Constantinus in Insula sumit purpuram p. 551. *Moritur S. Chrysostomus in suo exilio* pag. 715.		
408	Moritur Arcadius, p. 554. succedit THEODOSIUS JUNIOR pag. 555. Constantinus Gallias percurrens Arelate Regni sui sedem figit pag. 551. inde Hispaniam quoque subjugat p. 552. Stilico ex Consilio Olympii Ducis velut tot turbarum incentor neci datur ab Honorio pag. 557. occiditur & ejus filius Eucherius, omnésque Stiliconis fœderati p. 558. Alaricus obsidet primò urbem Romanam p. 559. & p. 663. 664. Romani obsidionem hanc auro redimunt p. 559.	Theodosius Junior regnavit cum Patre a.6.m.3	
409	Alterâ vice Alaricus Romanam urbem obsidione premit p. 560. Innocentius Pontifex Honorium ad pacis consilia inclinat, pag. 560. à Jovino pax dissuadetur, p. 561. Attalus ab Alarico Imperator Romanus renunciatur p. 561. Constantinus conatur dolosè irrumpere in Italiam p. 563. redire cogitur à Gerontio per Hispaniam tunc rebellante, ibid. Vandali, Alani Suevi irrumpunt in Hispaniam, p. 563. *Pelagius suam hæresin scriptis commentariis propugnare incipit*, p. 723. & 724.	Regnavit verò solus an. 42. m.3	
410	Alaricus Attalum purpurâ rursus exuit, p. 561. nova agitat cum Honorio pacis consilia, ibid.; sed ex inopino casu spes pacis evanescit, ibid. tertiò		

Anni Chron. Æ.C.	*Sæculum V. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	tertiò Romam obsidet Alaricus; captámque diripit: secum Placidiam captivam abducit, p. 562. moritur in confinibus Siciliæ Alaricus, cui frater Ataulphus in regno Visigothorum succedit, ibid. Gerontius Arelaten obsidet & Constantinum Tyrannum p. 564. *Pelagius & Cælestius cum Rufino fugiunt in Siciliam*, pag. 724. *Mors Rufini* ibid. *Donatistæ in Africa pejùs grassantur, quos legibus reprimit Honorius*, p. 720. *Dein collationem inter Catholicos & Donatistas sequente anno habendam decernit*, p. 720.		
411	Honorius Ducem Constantium mittit in Galliam, p. 564. hic primò Gerontium fugat, & Maximum Hispaniæ Tyrannum redigit in ordinem p. 564. demum Constantinum Tyrannum ad deditionem cogit p. 565. Jovinus Tyrannidem Moguntiæ arripit, ibid. Vandali, Suevi, & Alani partiuntur Hispaniæ provincias p. 628. *Collatio Carthaginiensis in Africa, quæ Donatistas domuit*, p. 721. 722. *Pelagius & Cælestius in Africam veniunt*, p. 725. *Pelagius solus pergit in Asiam*, ibid.		
412	Ataulphus invadit Galliam Narbonensem & Aquitaniam, p. 565. Jovinum occidit ibid. *Cælestii errores in Africa deteguntur, & in Synodo Carthaginiensi sub Aurelio damnantur*, p. 725. *Augustinus scribit libros tres de peccatorum meritis & remissione*, pag. 726. *item librum de spiritu & litera*, p. 727.		
413	Heracliani Tyranni interitus in Africa pag. 566. Franci & Burgundiones Galliam diripiunt ibid. Burgundiones sedem in Germania prima ab Honorio obtinent, p. 639. & p. 567. *S. Hieronymus scribit adversus Pelagium* p. 729.		
414	Ataulphus Rex celebrat nuptias cum Placidia invito fratre Honorio, p. 567. & p. 630. Constantius adoritur bello Gothos, & ex Gallia ejicit, p. 567. *Augustinus scribit librum de natura & gratia*, p. 730. *item librum de perfectione justitiæ*, p. 731. *Orosius ex Hispania ad Augustinum venit*, p. 731.		
415	Mors Ataulphi p. 568. & p. 631. cui Sigericus succedit, homo crudelis & Placidiæ infestus p. 568. & 631. *Orosius pergit in Palæstinam, Synodus Hierosolymitana in causa Pelagii habetur* p. 732. *Joannes Hierosolymitanus favet Pelagio*, ibid. *Synodus Diospolitana, ubi Pelagius damnans suas hæreses dolosè absolvitur*, p. 732. *S. Stephani reliquiæ hoc tempore inventæ* p. 733.		
416	Wallia Rex Visigothorum firmat pacem cum Honorio, redditâ Imperatori Placidiâ sorore p. 568. traditur quoque Attalus Tyrannus ad exilium & supplicium, p. 569. *Orosius redit in Africam* pag. 733. *Carthaginense Concilium Pelagium quantumvis Diospoli absolutum damnat*, p. 734. *Idem præstitit Concilium Milevitanum*, ibid. *moritur Joannes Hierosolymitanus, cui succedit Praylius.*		
417	Placidia datur uxor Constantio cum titulo Cæsaris, pag. 569. Provincias multas Hispaniæ à Barbaris captas Wallia in potestatem Romanorum reducit ibid.		

Inno-

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum V. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	Innocentius Papa damnat Pelagianos, p. 735. *moritur subinde idem Pontifex, cui succedit* ZOSIMUS, ibid. *Cælestius obrepere conatur Zosimo*, p. 737.		*Zosimus sedit a. 1. m. 9. d. 9.*
418	Honorius Visigothis donat Aquitaniam secundam cum adjacentibus regionibus, Wallia Rex Visigothorum moritur, cui surrogatur Theodoricus Rex, quorum Tolosa dein sedes regia fuit p. 569. Ad hunc annum multi referunt Francici regni initia sub Pharamundo Rege p. 570. & p. 642. 643. *Synodus Carthaginiensis II. contra Pelagianos*, p. 738. *Synodus Africana, sive plenaria contra eosdem HH. in ea quoque actum de appellationibus* p. 739. *Augustinus scribit librum de gratia Christi* p. 740. *& de peccato originali* p. 741. *mors Zosimi Pontificis* p. 743. , *schisma Eulalii adversus Bonifacium Zosimi successorem* p. 744.		
419	*Honorius audito judicio Episcoporum Eulalium removet, & probat* BONIFACIUM, p. 745. *Synodus Carthaginensis in causa Apiarii Siccensis, in qua denuò de appellationibus, & de canonibus Nicænis actum est*, p. 746. *Julianus Pelagii partes sumit, & scribit contra Catholicos*, pag. 748. *Augustinus scribit librum de Nuptiis & Concupiscentia*, ibid.		*Bonifacius sedit a. 3. m. 8. d. 7.*
420	Theodosii Junioris nuptiæ cum Athenaide sive Eudocia, p. 571. Bellum Varanis Regis Persarum adversus Theodosium, ibid. Pax centenaria inter Romanos, & Persas p. 572. Constantius Placidiæ conjux ex Cæsare creatur Augustus p. 572. *Persecutio in Perside concitatur adversus Christianos*, p. 749. *S. Chrysostomus in Oriente Dipthychis inseritur*, p. 749. *Mors S. Hieronymi*, p. 750.		
421	Constantius Augustus Ravennæ moritur, dolore confectus; quòd ejus electionem non probaret Theodosius, p. 572. simultas inter Duces Castinum & Bonifacium, p. 573. *Varios libros scribit S. Augustinus, præsertim contra Julianum*, p. 750. 751.		
422	Castinus à Vandalis vincitur in Hispania, p. 573. Honorius Placidiam cum liberis in Orientem amandat, p. 573. *Divisio Illyrici à Patriarchatu Occidentis tentatur*, p. 751. *Bonifacius Papa consiliis ejusmodi resistit*, p. 752.		
423	Moritur Honorius Imperator, p. 573. Joannes occupat Imperium vacuum in Occidente p. 574. mittit Legatos ad Theodosium, qui malè accipiuntur, p. 575. Aëtii operâ Joannes procurat Hunnorum auxilia, p. 576. *Obitus Bonifacii Pontificis*, p. 752., *cui succedit pacatè* CÆLESTINUS p. 753. *Theodorus Mopsvestenus Patronus Pelagianorum* p. 753. & 754.		*Cælestinus sedit a. 9. m. 10. d. 9.*
424	Theodosius Valentinianum (Constantii Augusti filium) creat Cæsarem: & exercitum mittit contra Joannem Tyrannum p. 576. Ardaburius Dux expeditionis naufragium passus, in manus Joannis incidit p. 577. *Pelagiani in Syria damnantur* p. 754.		
425	Aspar filius Ardaburii divinâ ope Ravennam ingressus, Joannem Tyrannum opprimit, & Patrem liberat p. 577. VALENTINIANUS Romæ Augustus pronunciatur p. 578. *Synodus in Cilicia proscribit Julianum* p. 754. *Antonius Fessulanensis & Apiarius appellant ad sedem Romanam*, ibid.	Valentinianus III. regnavit a. 30	

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum V. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
426	*Augustinus jam septuagenario major Eradium sibi Coadjutorem assumit*, p. 755. *Sisinnius mortuo Attico Constantinopolitano Episcopo ordinatur pro eadem Ecclesia* p. 924. *Cassianus scribit collationes suas* p. 760.		
427	Bonifacius Dux Africæ ab Aëtio, aliisque falsò & per dolum de ambitu Imperii apud Imperatorem accusatus, perduellis Reipublicæ declaratur, p. 579. *Adrumetinorum Monachorum de gratia & libero arbitrio dissensio*, p. 756. *scribit S. Augustinus l. de gratia & libero arbitrio, item l. de correptione & gratia* p. 756. 757.		
428	Bonifacius misso ab Imperatore exercitu vincitur: & adactus in ultima consilia, Vandalos ex Hispania advocat p. 579. *S. Augustinus scribit libros Retractationum*, p. 758. *Cassianus Massiliensium Semipelagianorum Antesignanus* p. 760. & 761. *Nestorius eligitur Episcopus Constantinopolitanus* p. 764.		
429	Vandali in Africam invehuntur, p. 580. Aëtii perfidia & dolus contra Bonifacium detegitur, ibid. *Augustinus scribit librum de prædestinatione SS. & de perseverantia* p. 762. *Bonifacium dehortatur à cœptis*, p. 763. *mors Theodori Mopsvesteni* p. 764. *Nestorius hæresin suam spargit* p. 765. 766. 767. *Cyrillus se opponit Nestorio*, p. 767. *Commonitorium Marii Mercatoris*, p. 768. *Nestorius conatur obrepere Pontifici* p. 768. *moritur Praylus Episcopus Hierosolymorum, cui substituitur Juvenalis.*		
430	Bonifacius receptus in gratiam Imperatoris, deficit à Vandalis: sed ab iis victus, obsidetur in civitate Hipponensi, p. 580. *Vandalis Hipponem obsidentibus, moritur S. Augustinus*, pag. 763. *item Aurelius Carthaginiensis*, ibid. *& Alypius Tagastensis*, ibid. *Romana Synodus, in quâ Cælestinus damnat Nestorii errorem, viginti diebus datis Hæresiarchæ ad resipiscendum*, p. 769. *Synodus Alexandrina & Cyrilli duodecim Anathematismi contra Nestorium* p. 769. *Indictio Generalis Concilii Ephesini*, p. 770.		
431	CONCILIUM III. OECUMENICUM EPHESINUM, *ad quod mittuntur legati Pontificis* p. 770. *Joannes Antiochenus ex composito cum suis differt adventum* p. 771. *renuit quoque comparere Nestorius* pag. 772. *damnatur in Concilio Nestorius* ibid. *damnatur Joannes Antiochenus, ejúsque Pseudo-Synodus*, p. 773. *Privilegia Ecclesiæ Cypriorum stabiliuntur* p. 774. *Canones de disciplina* p. 775. *exilium Nestorii*, p. 776. *Maximianus creatur Episcopus Constantinopolitanus* ibid.		
432	Bonifacius postquam regressus fuerat Romam, ab Aëtio inimicitiæ causâ perimitur p. 581. *Moritur Cælestinus Papa, cui subrogatur* SIXTUS III., *hic agit de pace restituenda inter Cyrillum & Joannem Antiochenum* pag. 778. & 779. *quæ etiam secuta est* p. 779.		*Sixtus III sedit a. 8. d. 19.*
433	Aëtius confugit ad Hunnos, quorum auxilio in pristinos honores restituitur p. 581. *Nestoriani turbas varias & calumnias movent contra Sixtum Papam & Cyrillum*, p. 780. *Prosper Aquitanus confutat Semipelagianos* p. 781.		

Honoria

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum V. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
434	Honoria Valentiniani soror ob vitia in ordinem redacta, Attilam contra Imperium concitat p. 582. *Proclus, Chrysostomi olim discipulus, Maximiano mortuo substituitur Episcopus Constantinopolitanus* p. 781. *pax inter Orientales rursus urgetur*, p. 782.		
435	Vandalis Numidiam & Hipponem Imperator pacis conciliandæ causâ tradit p. 582. Bagaudæ, Armorici, Burgundiones & Gothi, turbant Galliam, ibid. *De pace inter Orientales, etiam propositis pœnis agitur*, pag. 782. *examinatur Doctrina Theodori Mopsvesteni* pag. 783. *& damnatur* ibid. & pag. 784.		
436	Theodoricus Visigothorum Rex obsidet Narbonem, p. 583. Aëtii victoriæ contra Barbaros, ibid. *Mors impii Nestorii* p. 784.		
437	Pax inita inter Romanos & Visigothos, p. 583. Nuptiæ inter Valentinianum Occidentis Imperatorem, & Eudoxiam Theodosii filiam, ibid. *Persecutio Vandalica in Africa*, p. 784.		
438	Codex Theodosianus publicatur pag. 584. & 676. condendi ejus occasio, p. 675. ejus authoritas in Oriente & Occidente p. 677. *Reliquiæ S. Chrysostomi Constantinopolim transferuntur* pag. 785. *inveniuntur in suburbio Constantinopolitano reliquiæ XL. Martyrum* ibid.		
439	Gensericus capit in Africa Carthaginem p. 584. *Synodus Rejensis* p. 785. *Socrates hic suam finit Historiam; uti & Sozomenus.*		
440	Gensericus Rex Vandalorum expeditionem meditatur adversus Siciliam, aliásque insulas p. 584. & 655. Attila Rex Hunnorum vastat Græciam & Orientis Provincias p. 586. *Moritur Sixtus III. Pontifex, cui succedit* LEO MAGNUS, p. 785.		*Leo Magnus sedit ann. 21. mens. 1. d. 13.*
441	Theodosius Imperator mittit classem in Africam contra Vandalos, sed Ducis cunctatio expeditionis vim infregit p. 584. Persæ & Romani inter se dividunt Regnum Armeniæ p. 584. *Concilium Arausicanum I. in Gallia Narbonensi, de Disciplina* p. 786.		
442	Theodosius revocat classem in Orientem ex Sicilia contra Attilam p. 585. Idem Imperator ab Hunnis vincitur, p. 586. tributo pacem redimit ibid. Valentinianus pacem constituit cum Genserico p. 585. *Concilium Vasense in Gallia Narbonensi*, p. 787.		
443	Chlodio Rex Francorum regni sui fines propagat p. 646. *Leo Pontifex Manichæos & Pelagianos persequitur* p. 787.		
444	Chlodionis bellum cum Aëtio Duce Romano p. 647. Attila Bledam fratrem occidit p. 587. *Concilium Romanum adversus Manichæos* p. 925. *Leonis Pontificis cum Arelatensi Hilario dissidium*, p. 788.		
445	*Leo Pontifex sententiam pronunciat contra Hilarium*, p. 788.		
446	Terræ motus, aliæque calamitates affligunt Orientem, p. 587. Scoti & Picti desertos à Romanis Britannos tributarios faciunt p. 660. *Trisagium nunc usurpari cæptum* p. 588.		

Anni Chron. Æ.C.	*Sæculum V. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
447	Pulcheria soror Theodosii dimovetur ab aula, & administratione Imperii dolo Chrysapii, p. 588. Chlodio Rex Francorum moritur p. 647. cui succedit Merovæus ibid. *Leo indicit Concilium contra Priscillianistas in Hispania habendum*, p. 789. *Concilium Verolamiense in Britannia contra Pelagianos*, p. 925.		
448	Mortuo Rechila Suevorum Rege in Hispania, succedit filius Riciarius, p. 633. Chrysapii potentia in aula Theodosii p. 589. ejus scelera & fraudes ibid. Dissidium inter Theodosium & Eudoxiam conjugem, ibid. Paulini innocentis cædes & Eudoxiæ exilium p. 589. Vortigernus Rex Britonum consulturus genti suæ à Pictis & Scotis vexatæ, advocat in suppetias Anglos & Saxones, p. 660. *S. Cyrillus suam doctrinam contra Theodoretum & alios Adversarios vindicat*, pag. 790. *Theodosius scripta, quæ edebantur contra Cyrillum, exuri mandat* ibid. *Causa Ibæ Edesseni, qui Nestorianismi accusabatur, Beryti, & Tyri examinatur.* p. 795. *Synodus Constantinopolitana contra Eutychem* p. 791. *Eutyches damnatus ad Pontificem appellat*, p. 792. *sed paulò post repellitur* p. 793.		
449	Hoc anno Britanniam ingrediuntur Angli, Saxones & Jutæ Hengisto Duce, qui posteà Regnum sibi ibidem construxerunt p. 661. Pulcheria soror Theodosii in aulam revocatur p. 590. *Eutyches per Dioscorum Alexandrinum Episcopum, & aulicos quosdam impetrat Synodum Ephesinam, quæ Latrocinalis aut prædatoria deinceps dicta est* pag. 794. *in hac Eutyches restituitur à Dioscoro præside Concilii* ibid. *Episcopi orthodoxi in exilium aguntur* ibid. *Flavianus Episcopus Constantinopolitanus deponitur* p. 794. *Theodoretus Cyrensis, & Ibas Edessenus, quantumvis absoluti in Tyriensi & Berytensi Synodo, exauthorantur à Dioscoro*, p. 795. *Leo Pontifex in Synodo Romana acta Latrocinii Ephesini rescindit* p. 796.		
450	Moritur Theodosius Imperator p. 590., post quem Pulcheria MARCIANUM sibi deligit in conjugem, ac Imperatorem p. 591. 592. Attila adversus Valentinianum bellum decernit, p. 593. *Synodus Constantinopolitana adversus Eutychem* p. 797.	Marcianus regnavit in Oriente an. 6. m. 6.	
451	Attila Hunnorum Rex irrumpit in Galliam p. 594. urbes totas evastat p. 595. Theodoricus Rex Visigothorum arma jungit Duci Romanorum Aëtio, ibid Attila cogitur obsidionem Aurelianensem solvere, p. 596. Romani cum Visigothis in Catalaunicis campis Attilam internecinâ clade cædunt p. 597. 598 Theodoricus Rex Visigothorum cadit in prælio, & Thorismundus filius eidem surrogatur pag. 398. Aëtius non sine dolo suadet Thorismundo abstinere à prosecutione victoriæ p. 599. Attila fugit ex Gallia, ibid. Idem eodem anno parat alteram irruptionem in Italiam p. 599. CONCILIUM IV. OECUMENICUM CHALCEDONENSE *celebratur tum contra Eutychem & Dioscorum, tum ad decidendas causas Episcoporum* p. 797. 798. 799. 800. 801. 802. *Canones quoque editi sunt à Patribus Chalcedonensibus, quorum ultimo asseritur Anatolio Constantinopolitano prima sedium dignitas & jurisdictio* p. 803.		

Hunni

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum V. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
452	Hunni obsident Aquilejam, p. 600. dein Italiam populantur ibid. Attila à Leone Pontifice persuasus excedit Italiâ pag. 601. 602. Thorismundus Visigothorum Rex occiditur à fratre, qui nomine Theodorici II. succedit, p. 601. *Leo Pontifex rejicit Canonem de Primatu Constantinopolitani Episcopi,* p. 803. *Proterius Alexandriæ surrogatur in locum depositi Dioscori* p. 804. *Synodus Arelatensis II.* p. 806.		
453	Pius obitus Pulcheriæ Augustæ, p. 601. opinio quorundam est, Attilam hoc anno rursus manipulos quosdam suorum in Galliam immisisse. *Martyrium SS. Ursulæ & Sociarum ad hunc annum probati Authores revocant.* p. 804. n. 6. *Julianus Coënsis Episcopus in aula Marciani à Leone constituitur Nuncius Apostolicus*, p. 805. n. 7. *Synodus Andegavensis de disciplina* p. 806. *Synodus Venetica in Aremorica* ibid.		
454	Mors Attilæ p. 602. ejus Regnum dividitur & perit p. 603. Ex malignis consiliis Maximi Petronii, Valentinianus Aëtium Occidentalis Imperii unicum fulcrum occidit p. 604. Saxones aspirant ad Imperium Britanniæ p. 661. *Arelatensis Synodus III. de disciplina* p. 806.		
455	Valentinianus Imperator in campo Martio ab Amicis Aëtii, & dolo Maximi interficitur p. 604. Hic idem Maximus rapit Imperium p. 605., cogit viduam Valentiniani Eudoxiam in connubium, ibid. Eudoxia ultura injuriam, Gensericum in Italiam evocat p. 606. Expilatio Romæ à Vandalis facta, ibid. Maximi cædes ibid. Eudoxia cum filiabus in Africam captiva abducitur, ibid. AVITUS deligitur Imperator Occidentis operâ Theodorici Visigothorum Regis p. 607. *Vexatio Catholicorum in Africa* p. 807.	Avitus regnavit in Occidente m. 10. d. 8.	
456	Bellum & Victoria Theodorici II. contra Suevorum Regem Riciarium in Hispania p. 607. Felix expeditio navalis Romanorum contra Vandalos ibid. Saxones à Britonibus cæsi, fugatique p. 662. Avitus à Ricimero spoliatur purpurâ, ibid. vacat Imperium Occidentis decem mensibus. Moritur Merovæus Rex Francorum, cui surrogatur Chiidericus, p. 648. *Gensericus in Africa prohibet, ordinari Episcopos Catholicos* pag. 807. *Martyres gloriosi in hac persecutione Vandalica* p. 807.		
457	Moritur Marcianus Imperator Orientis, cui sufficitur LEO genere Thrax p 608. in Occidente creatur Imperator eodem anno MAJORIANUS, ibid. Hengistus regnum Saxonum in Britannia firmat p. 662. Childericus Rex Francorum ob scelera regno ejicitur, octavo posteà anno restituendus p. 649. Ægidius Romanus in ejus locum deligitur, ibid. *Timotheus Ælurus invadit sedem Alexandrinam*, pag. 807. *ejus dolus ac crudelitas* ibid.	Leo in Oriente regnavit an. 17. Majorianus in Occidente regnavit a. 4. m. 5.	
458	Majorianus Gothos domat, & bellum parat in Vandalos p. 609. *Anatolio Constantinopolitano succedit Gennadius. Juvenali Hierosolymitano Anastasius* p. 809.		
459	*Concilium Constantinopolitanum sub Gennadio, in quo præsentibus Legatis Apostolicis confirmatum est decretum Concilii Chalcedonensis contra Eutychem* p. 809.		

Anni Chron. Æ. C.	*Sæculum V. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
460	Majorianus Gensericum ad pacem compellit p. 609. *Timotheus Ælurus Episcopatu Alexandrino dejicitur* p. 809. *cui succedit Timotheus Solofaciolus* ibid. *moritur S. Simeon Stylita* p. 810.		
461	Majorianus à Ricimero occiditur apud Dertonam Hispaniæ civitatem, p. 609. substituitur SEVERUS p. 610. *Obitus S. Leonis Papæ*, p. 809. HILARUS *sedem inde obtinet* p. 810. *Concilium Turonense I. de disciplina* p. 810.	Severus regnavit in Occidente ann. 3. m. 10.	*Hilarus sedit a 6.m.3. d. 10.*
462	Gensericus remittit Eudoxiam ex Africa Leoni Imperatori Orientis, p. 610.		
463	*Hoc anno Petrus Fullo Ecclesiam Antiochenam turbare cœpit.*		
464	Childericus, abdicato Ægidio, regno Francorum restituitur, p. 649.		
465	Occiditur à Ricimero Severus Occidentis Imperator p. 610., Childericus nubit Basinæ filiæ regis Thoringorum p. 650. *Concilium Romanum sub Hilaro Pontifice* p. 811.		
466	Arvernum obsidetur à Visigothis. p. 620. Aurelius Ambrosius Rex à Britonibus eligitur p. 662. ex Childerico & Basina nascitur Clodoveus, Rex postea Magnus Francorum p. 650.		
467	ANTHEMIUS creatur Imperator Occidentis p. 611. Euricus occiso fratre Theodorico II., regnum Visigothorum invadens, Hispanias, Galliásque aggreditur p. 636. *Daniel Stylita* p. 811. *Acoëmetæ Monachi hoc tempore florent* ibid.	Anthemius in Occidente regnavit a. 5. m. 3.	
468	Leo Imperator Orientis mittit classem contra Vandalos in Africam, p. 611. huic præficit Basiliscum Augustæ fratrem, ibid.; qui ab Aspare Ariano corruptus prodidit hosti victoriam, p. 612. Basiliscus re infectâ reversus, operâ Augustæ mitem exilii pœnam patitur p. 613.		
469	Aspar incentor perfidiæ insidias novas struit Leoni p. 613.		
470	Leo Imperator insigni arte delusurus Asparem, ejus filium Cæsarem creat: & mox Patrem & filium Arianos, jámque securos è medio tollit p. 613.		
471	*Moritur Gennadius Episcopus Constantinopol. Acacius ei succedit. S. Remigius fit Episcopus Remensis.*		
472	Anthemio occiso succedit OLYBRIUS p. 614.	Olybrius in Occid. reg. m. 3	
473	GLYCERIUS creatur Imperator Occidentis p. 615. Leo Junior filius Zenonis fit Imperator Orientis.		
474	Mors Leonis Imperatoris, & Leonis Junioris p. 616. Glycerius deponitur à Julio Nepote, futurus dein Episcopus Salonæ in Dalmatia p. 615.	Glycerius in Occid. regn. a. 1.	
475	Zeno Pater succedit filio in Imperio p. 617. Basiliscus invadit Regnum ibid.		
476	Orestes, fugato Nepote Imperatore, Augustulo suo filio tradit Imperium Occidentis p. 620.		
477	Mors Orestis, & filii Augustuli exauthoratio p. 612. Odoacer Rex Italiæ ibidem.		
	Finis Occidentalis Imperii.		



INDEX
RERUM & VERBORUM.
p. indicat paginam, N. numerum Paragraphi, n. notationem minoribus literis subjectam.

A.

Abdas urbis Susæ Episcopus in Perside accendit pyreum p. 749 N. 15. oritur inde Persecutio Christianorum ibid.

Absolvendi potestas à Christo data est Sacerdotibus p. 910.

Acaciani ab Imperatore impetrant, ut omnes Ariminensi formulæ subscribere cogantur p. 373. deponunt tum Catholicos, tum Semiarianos Episcopos, p. 375.

Acœmetæ Monachi, eorúmque institutum, p. 812. N. 12.

Adrumetinorum Monachorum contentio de gratia & libero arbitrio p. 756.

Ægidius comes Romanus Francorum Rex eligitur. p. 649. N. 7. Viomadi dolo rursus deponitur, p. 649. N. 8. n. 23.

Aerii hæresis p. 442.

Aetius Dux Romanus cujus Patriæ fuerit? p. 575. n. 2. Hunnos in auxilium Joannis Tyranni vocat, p. 576. Bonifacium Africæ Comitem dolo ad defectionem impellit, p. 578. N 4. & p. 579. Bonifacium interimit, ibid. è gratia Imperatoris excidit, & paulò post in eandem redit, p. 581. Theodoricum Visigothorum Regem in Romanorum societatem trahit. p. 595. Attilam cædit p. 598. occiditur à Valentiniano p. 604.

Aetius Hæresiarcha & Anomæorum antesignanus p. 361.

Africa occupatur à Vandalis pag. 580. & p. 654. inter Valentinianum & Gensericum dividitur. p. 583. N. 8.

Africæ divisio antiqua p. 651. N. 1. ejus status sub Carthaginensibus & Romanis p. 652. sub Vandalis, p. 653. N. 2.

Afri controversiam instituunt de appellationibus ad sedem Romanam, p. 745. N. 13. & p. 746. n. 36. Nicænorum Canonum autographa hac de causa inspiciunt, p. 746.

Africana Synodus damnat Pelagii errores, p. 738.

Alanorum genus & mores, p. 229. N. 3. eorum Religio, ibid. irrumpunt in Galliam pag. 550. posteà in Hispaniam, p. 563. ubi Lusitaniam occupant; p. 564. Alanorum finis p. 633. N. 7.

Alarici Gothorum Regis initia p. 546. N. 7. vastat Græciam à Rufino incitatus p. 534. & 535. invadit Italiam, p. 546. repellitur p. 547. Stiliconi suam addicit operam p. 553. obsidet Romam pag. 559. N. 14. Attalum Imperatorem creat, & deponit rursus p. 561. Romam expilat p. 562. 666. 667. parcit Ecclesiæ S. Petri & supellectilem sacram tuetur, licèt Arianus p. 668. moritur. p. 562.

Alemannorum bellum contra Romanos p. 96. N. 7. eorum Victoria p. 97.

Alexander Alexandrinus ab Ario exagitatur p. 263. N. 19. Arium deponit p. 265. ejus constantia in repellendo Ario à communione pag. 265. N. 21. & p. 268. N. 23. ab Eusebio Nicomediensi Constantino Imperatori de seditione suspectus redditur. p. 269. N. 25. n. 40. ad Concilium Nicænum secum adducit Athanasium Diaconum p. 272. N. 26. jura suæ Patriarchalis jurisdictionis Canone sexto Nicæno firmari facit contra Meletium Lycopolitanum, p. 284. moritur p. 290.

Alexander Constantinopolitanus precibus à Deo exorat, ne Arius in Ecclesiam introducatur p. 315. moritur p. 319.

Alexandrina Synodus sub Alexandro contra Arium p. 265. N. 20. sub Athanasio p. 385. sub Theophilo contra Origenistas p. 706.
Alypius familiaris S. Augustini p. 435. baptizatur à S. Ambrosio p. 436. fit Episcopus Tagastæ. p. 691. n. 4.
S. Ambrosius eligitur in Episcopum Mediolanensem pag. 401. ejus tergiversatio in acceptando Episcopatu p. 402. Pietas erga captivos, p. 414. laudat Virginitatis studium idque propagat, p. 416. præest Aquilejensi Synodo contra Palladium Arianum p. 425. N. 10. Acta in Concilio Constantinopolitano improbat, pag. 426. Symmacho restitutionem Aræ *Victoriæ* petenti resistit, p. 431. Justinæ Augustæ negat Ecclesiam pro Arianis ibid. In causa Ecclesiastica declinat Imperatoris tribunal p. 432. Concionanti Angelus assistere conspicitur p. 433. Legationem suscipit ad Maximum Tyrannum p. 130. mitigat iram Theodosii, Monachis quibusdam pœnas dictantis, p. 438. ejus fortitudo in tuendo more Ecclesiastico, p. 439. Theodosium excludit à communione & foribus Ecclesiæ p. 440. eundem publicæ subjicit pœnitentiæ ibid. Valentiniano mortuo funebrem orationem habet pag. 140. n. 16. & p. 141. n. 17. pro mortuo eodem preces offert & sacrificium pag. 141. n. 17. Ambrosii labores pro Ecclesia p. 691. N. 2. ex Discipulis ejus multi creati sunt Episcopi p. 691. n. 4. mors S. Ambrosii p. 692. N. 2. scripta S. Ambrosii tribus Tomis distincta p. 516. N. 13. quædam ex his contra Novatores vindicantur p. 517.
Anastasius Pontifex p. 700. N. 6. damnat Origegem & Rufinum pag. 705. N. 8. ejus obitus, p. 711. N. 12
Anathematismi duodecim Cyrilli contra Nestorium p. 769. n. 47.
Ancyranum Concilium p. 257.
Andegavensis Synodus p. 806. N. 7.
Aniani Breviarium p. 678. N. 8.
Anobaladium quid sit? p. 817.
Animæ origo dubium habet Augustinum, p. 731. n. 18.
Anomæorum Hæresin fovent Eudoxius Antiochenus & Basilius Ancyranus p. 362. Anomæorum fraudulenta fidei professio pag. 365. n. 36. eorum conflictus cum Semiarianis in Synodo Seleuciensi p. 371. & 372. fraude tandem apud Constantium Imp. prævalent Anomæi p. 373.
Anthemius Occidentis Imperator p. 611. ejus interitus p. 614.
Anthropomorphitæ, p. 705. eorum quis author fuerit? p. 705. n. 29.
Antidicomaritæ Hæretici p. 410.
Antiochena seditio p. 133.
Antiochenum Arianorum conciliabulum contra Eustathium p. 298. & 299.
Antiochena Pseudo-Synodus I. *sub Constantio*, in qua Ariani novam edunt formulam p. 320. II. Arianorum contra Athanasium pag. 325. III. in qua damnant Ariani Marcellum Ancyranum p. 332. IV. Anomæorum, qui statuerunt filium esse dissimilem Patri p. 362.
Antiochena Synodus *sub Theodosio*, in qua agitur contra Apollinaristas p. 419.
Antiochenæ Ecclesiæ schisma p. 378. & p. 379. N. 37.
Antiochenus Patriarchatus. vide Patriarchatus.
Antonius Eremitarum antesignanus p. 256. ejus reverentia erga Episcopos & Presbyteros, ibid. osor Hæreticorum ibid. agit apud Constantinum M. pro restitutione Athanasii p. 314. invisit S. Paulum in Eremo p. 328. ejusdem obitus p. 354. cur humari corpus suum petierit? p. 314 n. 27.
Antonius Fessulanensis Episcopus p. 754. N. 2. ob vitia depositus, appellat ad Pontificem, ibid.
Apiarii Presbyteri causa judicata & composita, p. 745. N. 13. & p. 755.
Apollinaris Hæreticus p. 400. N. 10. ejus errores, ibid. illius doctrina damnatur, ibid.
Appellationum jus ad sedem Apostolicam an primam originem ducat à Synodo Sardicensi? p. 487. Id Pontifici asseritur ex Primæva institutione, & traditione, p. 488. Argumenta contraria refutantur. p. 490. N. 4. Utrùm hoc jus appellandi Synodus Sardicensis duntaxat confirmârit? p. 492. opinio Petri de Marca refellitur ibid. N. 6. & p. 493. N. 7. 8.
Aquilejensis Synodus contra Palladium Arianum p. 425. N. 11.
Arausicana I. Synodus p. 786. ejus Canones ibid. n. 57. Canon secundus de chrismatione quo sensu accipiendus sit? n. 58.
Arbogastes insidias struit Valentiniano II. p. 139. n. 13. 14. seipsum interficit, p. 148.
Arcadius Orientis Imperator p. 149. connubio jungitur Eudoxiæ pag. 534. nimiùm indulget Rufino p. 536. n. 8. Eutropii licentiam & avaritiam fovet p. 538. legem evulgat contra immunitatem Ecclesiasticam p. 554. n. 23. Eutropium tandem serò ex aulâ amandat pag. 542.

S. Chrysostomum ejicit in exilium p. 710. & revocat, ibid. Secundò eundem ex urbe deportari facit. p. 713. Adhærentes Chrysostomo sive Joannitas persequitur p. 713. moritur p. 553. N. 12. ejus leges pro religione p. 554. n. 22. Arcadii filius unicus Theodosius p. 555. quem tutorem huic reliquerit? ibid. n. 25. Quot filias habuerit? p. 555. n. 24.

Ardaburius cum Aspare filio à Theodosio Imp. mittitur contra Joannem Tyrannum, pag. 576. N. 3. ejus naufragium & captivitas pag. 577. libertas. ibid.

Arelatense Concilium I. contra Donatistas p. 251. N. 17. ejusdem Canones p. 253. N. 13. Quomodo Canon decimus hujus Concilii exponendus? p. 253. n. 18.

Arelatense II. & III. Concilium quo tempore celebrata? p. 806. N. 7.

Arelatem inter & Viennam dissidium de jure Primatûs p. 913. N. 3.

Arianorum insidiæ & Machinationes, pag. 265. Arianorum Synodus. pag. 269. N. 24. fraudes Arianorum & tergiversationes in Concilio Nicæno p. 277. N. 32. Arianorum præcipui in exilium mittuntur p. 290. N. 40. revocantur. p. 297. N. 46. Homousion oppugnant p. 298. N. 47. calumniam struunt Eustathio & eum deponunt p. 299. Athanasium Alexandrinum falsò criminantur, p. 301. deteguntur fraudes Arianorum, p. 302. Tyri conciliabulum celebrant contra Athanasium p. 305. N. 51. p. 306. 307. 308. 309. & deponunt p. 310. novæ Arianorum formulæ, p. 320. N. 4. n. 2. à Julio Pontifice ad Synodum Romanam evocantur p. 327. eorundem responsoriæ ad Julium ibid. formula Arianorum à Mediolanensi Synodo rejecta p. 333. n. 12. Arianorum Pseudo-Synodus Sardicensis seu Philippopolitana p. 337. N. 14. n. 17. Euphratæ Agrippinæ Episcopo labem adsciscere conantur p. 338. impugnant Synodum Sardicensem, & cur? p. 343. N. 18. secunda eorum fidei formula Syrmiensis p. 357. n. 29. eorum in varias Sectas divisio p. 377. N. 36. Arianus Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ imponitur p. 399.

Ariminense Concilium p. 366. novam fidei professionem ab Arianis propositam rejicit, & Nicænam confirmat p. 367. Synodica dirigitur ad Constantium ibid. Legatorum Synodi Ariminensis prævaricatio, p. 368. Patres Ariminenses subdolæ fidei formulæ subscribere coguntur. p. 368. n. 38. & p. 369. 370. non fuit Concilium Oecumenicum, p. 370. & 371. n. 39.

Arius Hæresiarcha. p. 261. N. 18. obrepit S. Petro Alexandrino p. 262. ejus fraudes deteguntur, ibid. recipitur ab Achilla & Sacerdos creatur. p. 263. N. 19. Alexandrum Petri successorem exagitat, ibid. error Arii, ibid. artes quibus disseminavit hæresin p. 264. N. 20. Quinam Ario præcipuè adhæserint? p. 264. & 265. n. 32. & 34. Arii adversarii p. 265. n. 33. deponitur ab Alexandro. pag. 265. literæ Arii ad Eusebium Nicomediensem, pag. 266. n. 36. & 37. literæ ejusdem ad Alexandrum Alexandrinum dolosæ p. 268. N. 23. Thaliam componit p. 268. n. 39. invocationem SS. Trinitatis eliminare conatur. p. 269. N. 24. damnatur & in exilium ejicitur. p. 280. N. 34. Constantia Constantini soror patrocinium suscipit Arii, p. 296. N. 45. ideo revocatur ab exilio ibid. recipitur in communionem ab Eusebianis pag. 311. excluditur ab Alexandro Constantinopolitano, p. 315. ejusdem ignominiosa & repentina mors p. 315.

Armenia inter Persas & Romanos dividitur: pag. 584. N. 8.

Armorici quinam fuerint? p. 640. n. 4. à Romanis deficiunt. p. 640.

Arvernum ab Eurico Visigothorum Rege subjugatur. p. 620. N. 11.

Arsacius succedit S. Chrysostomo, p. 714. N. 12. Arsacii ferocia adversus Joannitas, ibid. mors p. 718. N. 15.

S. Arsenius an Præceptor Arcadii & Honorii fuerit? p. 128. n. 33.

Arsenius Hypseladis Episcopus se dolosè occultat, quem ideo Ariani fingebant esse occisum ab Athanasio p. 301. n. 35. ex latibulo suo vivus extrahitur p. 302.

Ascholius Thessalonicensis baptizat Theodosium. p. 126. Primus Vicarius sedis Apostolicæ constituitur in Illyrico Orientali p. 421. n. 7.

Aspar filius Ardaburii Ravennam occupat, & Joannem Tyrannum opprimit, p. 577. Asparis authoritas pag. 612. ejus conjuratio contra Leonem ibid. ejus filium Arianum Constantinopolitani nolunt habere Cæsarem, pag. 613. Asparis & ejus filii funestus interitus pag. 613. & 614.

Asterius Episcopus Amaseæ in Ponto & ejus scripta p. 896. N. 34.

Asyli jus cur Ecclesiis datum sit? pag. 823. N. 1. à quo tempore hoc jure donatæ sint Ecclesiæ? ibid.

ibid. N. 2. Eutropius hujus juris violator, cogitur ipse ad Ecclesiam confugere, pag. 543. & p. 824. Aliorum Imperatorum de immunitate Ecclesiastica decreta, p. 825. N. 3. Episcoporum pro jure Asyli studia p. 825. N. 4. Conciliorum hac de re Sanctiones pag. 826. N. 5. non dabatur inde sceleratis ansa peccandi, & cur? p. 826. N. 6. Quæ crimina reos excludant ab Asylo? p. 827. N. 7.

Ataulphus frater Alarici Visigothorum Regis, & Successor. pag. 562. & 629. Galliam invadit p. 565. N. 18. conatur pacem inire cum Honorio p. 565. & p. 629. n. 10. Tolosam & Burdegalam diripit pag. 566. Placidiam sororem Honorii, invito etiam Imperatore, ducit uxorem p. 566. N. 19. & p. 630. n. 11. Nuptiarum solennitas, p. 567. n. 30. ex Placidia Ataulphus filium suscipit, pag. 568. n. 32. qui paulò post moritur ibid. ejicitur Ataulphus cum Gothis ex Gallia in Hispaniam pag. 567. occiditur à suis p. 568. n. 32. & p. 631. n. 12. Epitaphium ejus an genuinum sit? ibid.

Athanaricus Rex Gothorum bellum gerit cum Valente Imperat. p. 99. pacem initurus cum eodem, negat se religionis causâ posse contingere pedibus solum Romanum p. 99. n. 25. posteà ad Theodosium ultro venit Constantinopolim pag. 126. & 127. N. 12. moritur, ibid. regio apparatu tumulatur, ibid.

Atax Rex Alanorum irrumpit in Hispaniam, p. 628.

S. Athanasius sub cura Alexandri Episcopi Alexandrini adolescit. p. 291. an fides habenda sit Historiæ, quâ refertur, Athanasium in primis annis alios ludentes pueros baptizâsse? p. 291. n. 65. creatus Diaconus Alexandrum sequitur ad Concilium Nicænum, pag. 272. Disputat contra Arii errores in Synodo pag. 275. n. 47. ab Alexandro successor designatur pag. 292. negat Arium admittere ad communionem Ecclesiæ p. 297. Meletianorum calumnia contra Athanasium jactata de novo tributi genere p. 297. de confracto calice p. 298. & p. 301. 306. De occiso Arsenio p. 301. Constantinus innocentiam Athanasii agnoscit p. 298. Aliæ quoque calumniæ difflantur pag. 302. Athanasius visitat solitudines Ægypti p. 303. n. 77. ad Tyriense conciliabulum ire compellitur p. 305. N. 51. Idem criminationes ibidem objectas elidit p. 307. calumniam à muliercula S. Athanasio impactam dissipat Timotheus Presbyter p. 308. N. 52. Acta in Mareotide contra Athanasium p. 307. n. 80. & p. 309. N. 53. Athanasius deponitur in Tyriensi conciliabulo p. 310. apud Constantinum causam suam agit p. 311. N. 55. Treviros in exilium relegatur à Constantino p. 313. redit Alexandriam p. 317. N. 2. rursus accusatur ab Eusebianis p. 318. causa ejus devolvitur ad Julium Pontificem, ibid. In conciliabulo Antiocheno deponitur p. 325. n. 8. venit Romam p. 327. Institutum Monasticum propagat in Occidente p. 329. à Julio Pontifice in Synodo Romana restituendus decernitur p. 330. absolvitur omni crimine in Synodo Sardicensi p. 335. redit secundò ad suam Ecclesiam p. 340. N. 16. Palæstinæ Episcopi cum eo communicant p. 341. Marcellum Ancyranum à sua communione removet & cur? pag. 343. N. 18. In Athanasii damnationem à Constantio Imp. coguntur Legati Pontificis Arelate, p. 345. & PP. in Synodo Mediolanensi p. 347. N. 20. Athanasius vivit inter Solitarios p. 354. Alexandriam redit sub Juliano p. 385. N. 6. rursus fugit, & dein Alexandriæ latet p. 387. N. 8. Joviano Imperatori mittit Symbolum Nicænum, quo omnium temporum & Ecclesiarum fidem contineri testatur pag. 389. n. 8. sub Valente Alexandriâ postremùm excedit, & revocatur sub Valente p. 396. Mors S. Athanasii p. 399. N. 9. Athanasii scripta p. 512. & 513. Symbolum Athanasii dictum, an verè hujus authoris fuerit? p. 313. & 314. n. 83.

Attalus creatur Imperator ab Alarico p. 591. N. 15. deponitur, ibid.

Atticus Episcopus Constantinopol. p. 718. N. 15. Quis fuerit? ibid.

Attila Hunnorum Rex p. 585. N. 13. infringit pacem cum Romanis & cur? pag. 586. pacem condicit, sed Romanis injuriosam, ibid. Bledam fratrem occidit p. 587. Legationes mittit ad Valentinianum & Marcianum p. 593. bellum in Occidentem movet & cur? p. 593. n. 22. irrumpit in Galliam, p. 594. eandem evastat pag. 595. N. 26. internecinâ clade afficitur in campis Catalaunicis, p. 597. ab Aëtio dimittitur sine ulteriore clade in Patriam p. 599. invadit rursus Italiam p. 599. expugnat Aquilejam p. 600. excedit Italiâ p. 601. n. 32. Mors ejus funesta p. 602. n. 34. ejus sepultura p. 603. n. 35. Regnum illius dividitur p. 603.

Avaritia dat initium Donatistarum Schismati pag. 244. N. 7.

S. Augustinus, ejus initia p. 434. ex Africa Romam abit, ibid. illius conversio p. 435. ejus Baptismus p. 436. Vita in Africa p. 443. N. 9. fit Presbyter p. 444. Monasterium p. 444. n. 4. Disputat cum Fortunato Manichæo pag. 445. interest Concilio Hipponensi sub Aurelio ibid. n. 5. vivente adhuc Valerio Hipponensi Episcopo ejusdem Ecclesiæ Episcopus creatur p. 691. vincit Felicem Manichæum pag. 717. causam Ecclesiæ evincit contra Donatistas in Collatione Carthaginiensi p. 722. scribit breviculum Collationis p. 722. n. 1. componit librum ad Marcellinum de Peccatorum meritis & remissione p. 726. N. 4. ejus argumentum p. 726. n. 12. edit librum de spiritu & litera p. 727. ejus argumentum, ibid. n. 11. item p. 728. n. 12. Epistola Augustini ad Pelagium p. 729. n. 14. liber de natura & gratia, p. 730. liber de perfectione justitiæ p. 731. ejus argumentum n. 17. Consulit Hieronymum de Origine animæ pag. 731. n. 18. detegit fallacias Pelagii p. 737. n. 25. p. 740. N. 10. Liber de gratia Christi p. 740. N. 10. Liber I. & II. de Nuptiis & Concupiscentia, p. 748. Liber de octo QQ. Dulcitii, p. 750. Enchiridion, ibid. sex Libri adversus Julianum, p. 751. Privatæ virtutes S. Augustini, p. 755. N. 3. Quâ ratione suos instituerit? ibid. Eradium constituit sibi successorem, ibid. Liber de gratia & libero arbitrio p. 756. Liber de correptione & gratia ibid. Libri Retractationum, p. 758. N. 5. Liber de Prædestinatione & dono perseverantiæ p. 762. opus imperfectum contra Julianum pag. 763. n. 44. mors S. Augustini p. 763. N. 6. Editiones operum S. Augustini p. 877. N. 3. melioris methodi est illa, quam adornârunt PP. Benedictini Congreg. S. Mauri ibid. hanc editionem vitiavit Joannes Clericus, p. 878. Opera S. Augustini in decem Tomos digesta recensentur unà cum brevi expositione, & adjunctis ad calcem cujusvis Tomi libris dubiis aut apocryphis, à p. 878. ad p. 885. Doctrina S. Augustini defenditur à SS. Prospero, Hilario & à Cælestino Pontifice p. 777. n. 49.

Augustulus ultimus Occidentis Imperator, p. 620. exauthoratur p. 612.

Avitus Imp. Occidentis creatur p. 607. spoliatur purpurâ rursus à Ricimero p. 662.

Aurelianum obsidione Attilæ liberatur p. 596.

Aurelius Carthaginiensis creatur Episcopus, p. 445. in Hipponensi Synodo abusus quosdam in Africa receptos abolet, p. 445. n. 5. alia plura Concilia habita sub Aurelio vide p. 922. 923. 924. moritur p. 763. N. 6.

Aurelius Victor Historicus p. 231.

Ausonius Decimus Magnus, orator & Poëta p. 233. an fuerit Gentilis aut Christianus, controvertitur p. 233. N. 5.

Auxentius Episcopus Mediolanensis Ario addictus, oppugnatur ab Eusebio Vercellensi & Hilario, p. 394. in Gratiam Valentiniani Imp. se dolosè insinuat, ibid. moritur p. 401. N. 11.

B.

BAptismus est Sacramentum p. 507. N. 7. per quos ritus fuerit collatus? p. 507. N. 8. Post Baptismum statim conferebatur Confirmatio p. 507. N. 9. ejus necessitas quo sensu erroneo admissa sit à Pelagianis? p. 736. & 737. n. 25. cur aliqui in Primæva Ecclesia baptismum suscipere distulerint? p. 206. N. 6. An Constantinus à Sylvestro sub initium conversionis fuerit baptizatus? p. 197. N. 1. An verò sub finem vitæ? p. 199. N. 2. & 3. An demum quod pauci credunt, bis baptizatus fuerit? p. 205. N. 4. p. 206. N. 5. & 6. Baptismus Constantii Imp. sub vitæ finem p. 67. N. 16. Baptismus Valentis Imp. p. 393. N. 1. Baptismus Theodosii M. Imp. p. 126.

Baptismus Hæreticorum probatur in Concilio Arelatensi p. 252. N. 12. an hæc Synodus fuerit illud plenarium Concilium, in quo Quæstionem de Baptismo HH. absolutam fuisse scribit S. Augustinus? p. 452. & 453. N. 12. probabiliùs ea Quæstio plenariè definita dicitur in Concilio Nicæno p. 453. 454. 455. N. 3. & 4. An Athanasius & Basilius post Nicænum Concilium docuerint Hæreticos esse rebaptizandos? p. 456. & 457. N. 5. 6. Quinam Hæretici secundùm Augustinum rebaptizandi sint, & quinam non? p. 458. N. 7.

S. Basiliscus Comanorum Episcopus prædicit Chrysostomo diem obitûs p. 719.

Basiliscus Augustæ Verinæ frater, pag. 611. N. 5. ejus vitia ibid. præficitur classi mittendæ in Africam à Theodosio pag. 612. eandem hosti prodit, p. 612. ope sororis capitali pœnæ subducitur p. 613. Tyrannidem arripit pag. 617. opprimit Catholicos ibid. N. 10. ejus interitus p. 618.

Basilius Ancyranus Anomæorum patronus pag. 362.

S. Basilius Cappadox, Gregorii Nazianzeni frater, p. 515. N. 10. ejus studia pag. 383. vitam Monasticam profitetur p 384. n. 4. ejus Regula p. 384. ab Eusebio Episcopo Cæsareensi ad Presbyterium promovetur p. 384. Valenti resistit p. 398. scribit Liturgiam ibid. & p. 501. N. 4. difficultas ex Liturgia S. Basilii à Novatoribus mota dissolvitur p. 501. N. 5. creatur Episcopus Cæsareensis pag. 398. N. 7. secundâ vice fortiter pugnat contra Valentem Imp. p. 405. n. 6. ejus exilium Deus impedit p. 406. aliquamdiu deceptus hypocrisi Eustathii Sebasteni, ejus errores detegit p. 407. cum Anthimo Tyanensi dissidet ob limites Provinciæ, ibid. Gregorium Nazianzenum Zazimis præficere conatur, ibid. Ascesin Monasticam propagat, p. 408. Meletii causam defendit p. 411. & cur? p. 412. Moritur p. 419. N. 7. ejus scripta p. 515.

Bassiani Evasenorum Episcopi & Stephani causa dirempta in Concilio Chalcedonensi pag. 802. n. 5.

Berytensis Synodus causam Ibæ Edesseni Episcopi disquirit p. 795.

Bigami irregulares p. 811.

Bonifacius Pontifex Romanus p. 744. Eulalius Antipapa ei adversatur, ibid. legem obtinet ab Honorio Imp. ad excludendum ambitum in electione Papæ p. 745. inde Imperatores & posteà Italiæ Reges se electioni Pontificis immiscuerunt pag. 745. n. 35. sedis suæ jura contra Constantinopolitanorum molitiones tuetur p. 451. N. 17. moritur p. 752. N. 18.

Bonifacius Comes Africæ æmulationis studio premitur à Castino Duce pag. 572. & 573. N. 21. Aëtii dolo ad defectionem à Romanis impellitur pag. 578. N. 4. declaratur hostis Reipublicæ p. 579. ex Hispania Vandalos in Africam vocat p. 580. ab Augustino à proposito frustra revocatur p. 763. N. 6. receptus in Romanorum gratiam, Vandalos hostes experitur p. 580. N. 5. ex Africa reversus occiditur ab Aëtio, p. 581.

Britannia, ejus nomen, situs, & divisio p. 657. N. 1. subjugatur à Romanis ibid. N. 2. an in ea Insula natus sit Constantinus? p. 153. evastatur à Pictis & Scotis, pag. 659. Saxonum & Anglorum in Britanniam adventus pag. 660. N. 4 n. 3.

Britones à Romanis deficiunt p. 551. redeunt in jus Honorii p. 659. à Romanis deseruntur ibid. pressi ab hostibus Saxones & Anglos in suppetias vocant p. 660. Vortigerno Regi substituunt Vortimerum & cur? p. 661. eorum bellum intestinum cum Saxonibus, p. 662.

Burgundiones à Valentiniano minùs sincerè pelliciuntur in fœdus & arma p. 106. n. 36. eorum Regnum in Gallia p. 566. 639. 650.

Byzantium, ejus antiqua conditio, & situs p. 190. N. 1. Quando Constantinus hanc urbem sibi pro sede Imperii delegerit & ædificârit? p. 30. n. 50.

C.

CÆcilianus Carthaginiensis Episcopus p. 244. à Donatistis in conciliabulo deponitur pag. 245. N. 1. tuetur causam suam in Synodo Romana p. 247. restituitur p. 248. ejusdem causa in Synodo Arelatensi denuò examinatur, & rursus absolvitur p. 252. N. 12. tertiò innocens declaratur à Constantino Imp. p. 254. interest Concilio Nicæno pag. 272. Gratus ei succedit p. 339. N. 15.

Cælestinus Papa p. 753. N. 1. in Synodo Romana damnat Nestorium pag. 769. eundem hortatur ad Pœnitentiam ibid. Indulgentia Cælestini erga Episcopos lapsos p. 776. N. 14. moritur p. 778.

Cælestius Pelagii discipulus, pag. 724. N. 3. ejus origo & ingenium p. 724. n. 5. & 6. Carthagine hæresin Pelagii spargit p. 725. à Paulino accusatur ibid. n. 8. & damnatur p. 726. abit in Asiam ibid. Zosimo Papæ subdolâ fidei confessione fucum facit p. 737. fraude compertâ à Pontifice proscribitur p. 738. Imperiali authoritate toto Imperio depellitur ibid.

Calices sacri ex qua materia fuerint in Primitiva Ecclesia? p. 820. N. 4. & 5. quàm varius eorum usus? p. 821.

Candidianus Comes Patronus Nestorianorum in Concilio Ephesino p. 771. ejus falsa relatio ad Imperatorem p. 772.

Canon S. Scripturæ in Synodo Laodicæna p. 392. n. 15. in Concil. III. Carthag. pag. 697 n. 14.

Canon sextus Nicæni Concilii de Suburbicariis Provinciis quâ ratione exponendus? à p. 473. ad p. 477. Argumenta solvuntur p. 478. 479.

Canones Arabici, non sunt à Patribus Nicænis editi. p. 480. & 481. Argumenta solvuntur p. 482. & 483.

Carthaginienie Concilium I. sub Grato Ep. p. 339. & 340. cur dicatur primum? ibid. n. 19. Carthag.

thag. Concil. II. ſub Genethlio p. 530. III. ſub Aurelio p. 692. 693. 694. 695. N. 3. IV. p. 696. N. 4. V. p. 704.

Carthaginenſe Concilium contra Pelagium p. 734. dat Synodicam ad Innocentium Papam p. 735. n. 22.

Caſſianus, ejus Patria, ſtudia, profectio in Ægyptum, p. 759. Clero à S. Chryſoſtomo adſcribitur, ibid. ex Oriente venit Maſſiliam pag. 759. ſcribit libros de Inſtit. Monach. Orient. p. 760. componit Collationes Patrum ibid. docet errorem Semipelagianorum p. 760. & 761. n. 41. moritur p. 781. N. 15.

Catechiſtæ celebriores in Primitiva Eccleſia pag. 505. N. 4.

Catechumeni quinam ſint? p. 504. N. 1. eorum inſtitutio ibid. N. 2. in quot claſſes fuerint diſtincti p. 505.

Catechumenorum Miſſa quid ſit? p. 506. N. 5. quid dicatur Sacramentum Catechumenorum? p. 693. n. 8. An reliqua Sacramenta participare poſſint? p. 506. N. 6.

S. Catharina Martyr, quæ nomina apud Veteres obtinuerit? p. 237. n. 2. ejus cultus ibid.

Cereus Paſchalis, ejúſque ritus quando ad omnes Eccleſias propagatus ſit? p. 743.

Chalcedonenſis Synodus convocatur in cauſa Eutychis p. 797. N. 1. An Marcianus Imperator illud convocârit, aut ejus præſidium habuerit? pag. 839. N. 3. & p. 642. N. 7. & p. 844. ubi argumenta Adverſariorum diſſolvuntur. Concilium idem Flaviani Conſtantinopolitani Epiſtolam admittit p. 798. n. 1. Dioſcorum deponit, ibid. Leonis Papæ Epiſtolam probat, p. 799. Theodoretum ad Synodum admittit p. 800. Ibam etiam Edeſſenum pag. 801. Epiſcoporum variorum cauſas dijudicat, pag. 802. Pro Epiſcopo Conſtantinopolitano decernit (abſentibus Legatis Papæ) ſpecialem Primatum honoris & jurisdictionis p. 803. cui Legati & Pontifex reclamant ibid. In eodem Concilio Epiſcopus Hieroſolymitanus Patriarchalem jurisdictionem ſortitur p. 849.

Childericus Rex Francorum p. 688. ejicitur Regno p. 649. reſtituitur, ibid. ex Baſina Chlodovæum ſuſcipit p. 650.

Chlodio Rex Francorum ſucceſſor Pharamundi p. 644. N. 5. ubi ſedem ſuam habuerit? p. 645. n. 19. cur dicatur Crinitus? ibid. n. 18. propagat Regni fines p. 646. moritur p. 647.

Chorepiſcopi, eorum origo p. 458. N. 1. officium p. 459. N. 2. An vi ordinationis ac officii ſint veri Epiſcopi? p. 460. N. 3. ſententia negans probatur p. 461. N. 4. & argumenta ſolvuntur p. 462. N. 5. quandò abrogari cœperint Chorepiſcopi? p. 463. N. 6.

Chriſmatio qualis conferri poſſit à Presbyteris? p. 786. n. 57. difficultas de Chriſmatione iterata (de quâ in Can. 2. Arauſic. Concilii) exponitur p. 786. n. 58.

Chriſti Divinitas oſtenditur p. 519. & 520.

S. Chryſoſtomus, ejus origo pag. 436. & ſtudia p. 437. Monaſticen exercet ibid. creatur à Meletio Diaconus ibid. ſcribit libros de Sacerdotio ibid. à Flaviano Meletii ſucceſſore ordinatur Presbyter ibid. ſedem obtinet Conſtantinopolitanam pag. 697. N. 5. Aſyli jus propugnat p. 698. N. 5. negat Arianis Eccleſiam p. 707. n. 32. deponit Simoniacos p. 707. n. 33. ſuſcipit Conſtantinopoli Monachos Origeniſtas Exules p. 708. N. 10. offendit inde Epiphanium & Theophilum Alexandrinum ibid. Auguſtæ Eudoxiæ odium incurrit p. 709. In Synodo ad Quercum deponitur, ibid. urbe ejicitur p. 710. oratio ejus ante exilium p. 709. n. 37. revocatur ab exilio p. 710 alterâ vice offendit Eudoxiam p. 712. ſecundò ejicitur in exilium, p. 713. ejus diſcipuli ac amici quæſtioni ſubjiciuntur p. 713. Innocentiam Chryſoſtomi Deus ulciſcitur p. 714. N. 13. morbus Chryſoſtomi in exilium abeuntis, p. 714. Appellat ad Pontificem, p. 715. n. 42. mutat exilii locum, p. 719. N. 16. obitus ejus & glorioſum funus ibid. ejus nomen Dipthychis inſeritur p. 749. N. 15. illius Reliquiæ deducuntur Conſtantinopolim, p. 785. N. 18. S. Chryſoſtomi ſcripta, eorúmque editio varia p. 866. & 867. Apocrypha & falsò ei attributa p. 868. Quid de expoſitione in Marcum, & de epiſtola ad Cæſarium ſentiendum? p. 870.

Circumcelliones, eorum origo p. 295. N. 44. illorum vitia & errores p. 296. rabies Circumcellionum pœnis comprimitur p. 340.

Claudianus Poëta p. 687. N. 1. ejus ſcripta ibid. an fuerit Gentilis? ibid.

Clericis ſcilicet Sacerdotibus & Diaconis continentia præſcribitur p. 253. n. 18. pag. 704. & 716. illis habere non licet mulieres extraneas p. 283. n. 55. eorum immunitas à functionibus civilibus pag. 169. 243. Clericorum perfectio in ſæculo IV. p. 526. mores & veſtes Clericorum

p. 526 N. 6. & p. 918. Bona Clericorum, & quæ eorum immunitas fuerit? ibid. Clerici sub S. Augustino Paupertatis voto adstricti ibid.

Codex Theodosianus quâ occasione, & quibus ex causis conditus sit? p. 764. & 765. viri illustres, quorum operâ usus est Theodosius ad Collectionem Codicis? p. 675. N. 3. quo tempore Codex Theodosianus publicatus sit? pag. 676. In quam formam idem Codex sit digestus? ibid. N. 4. Libri sedecim Codicis Theodosiani & quodnam singulorum argumentum? pag. 676. N. 4. Nævi Codicis Theodosiani p. 677. Novellæ Codici Theodosiano appositæ p. 677. N. 5. Authoritas Cod. Theodosiani in Oriente & Occidente N. 6. ejus authoritas apud exteras Gentes pag. 677. N. 7. quo nomine venerint olim Codicis Theodosiani leges? p. 678. N. 7. epitome ejusdem Codicis facta ab Aniano ibid. N. 8. Codicis Theodosiani antiquissimum exemplar in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis, p. 679. N. 9.

Cœnobitæ in Ægyptô p. 256. 257. p. 303. n. 78. p. 304. & 526. N. 7.

Collatio Carthaginiensis inter Catholicos & Donatistas p. 720. N. 1. Collationis leges p. 721. Acta triduana ibid. & p. 722.

Collyridiani HH. p. 410. N. 18.

Commemoratio defunctorum p. 419. N. 7. p. 436. & p. 909. N. 11.

Commodianus Scriptor Christianus p. 230.

Commonitorium Marii Mercatoris p. 768. N. 8.

Conceptio immaculata B. Virginis asseritur à S. Augustino p. 764. n. 44.

Concilia generalia, Provincialia & Congregationes particulares in sæculo IV. secundùm chronotaxin recensentur pag. 527. 528. 529. & 530. Item Chronologica series eorundem in sæculo V. p. 923. 924. 925. 926.

Concilium Oecumenicum an convocare Imperatores possint legitimâ & propriâ authoritate? pag. 464. N. 2. 3. & p. 465. N. 4. p. 466. 467. Uti convocandi; ita quoque præsidendi Concilio jus est penes Pontificem pag. 468. N. 5. & 6. p. 469. argumenta solvuntur pag. 470. N. 7. item p. 839. N. 4. p. 840. N. 5. 6. p. 842. N. 7. Pontificis demum est confirmare quoque Concilium Oecumenicum p. 471. N. 9. & p. 472. N. 10.

Concubinæ nomine an semper apud veteres fornicaria fœmina intellecta sit? p. 702. n. 24.

Confessio auricularis non est abrogata à Nectario, p. 441. N. 6. n. 3. neque unquam ejus necessitatem negavit Chrysostomus p. 909.

Constans Imperator filius Constantini M. in partitione Imperii obtinet Illyricum, Italiam & Africam, p. 33. à Constantino fratre per insidias appetitur p. 40. occiso Constantino potitur toto Occidente pag. 41. bellum gerit cum Francis pag. 42. n. 6. 7. sacrificia Ethnicorum prohibet ibid. n. 8. Athanasii causam agit apud fratrem p. 42. n. 9. Magnentii Tyranni artibus trucidatur pag. 44. cur Ethnici scriptores Constantis vitia exaggerent? p. 44. n. 11.

Constantinopolis, sive nova Roma, olim Byzantium p. 190. N. 1. & p. 192. N. 6. quomodo Byzantium amplificârit Constantinus M.? p. 190. N. 2. Fabula Græcorum exploditur pag. 191. Annona urbis p. 191. N. 3. Ecclesiæ p. 192. N. 4. Annus conditæ Constantinopolis p. 192. N. 5. Dedicatio N. 6. Magistratus novi ibid. in quatuordecim regiones urbs divisa p. 193. 194. 195. 196. N. 7. Monumenta præcipua Constantinopolis p. 196.

Constantinopolitanum I. Concilium Orientalium Episcoporum à Theodosio convocatur p. 422. quomodo factum sit Oecumenicum? pag. 426. N. 12. ejus Symbolum, pag. 423. n. 8. & 424. Canones p. 424. N. 10. Episcopo CP. secundum honoris gradum attribuit p. 424. n. 10. non tamen jurisdictionem ampliorem p. 854. N. 8. p. 856. N. 9. quamvis hanc postea quoque usurpârint, p. 856. N. 9. p. 857. N. 10. quibus factis multi reclamant p. 858. N. 11.

Constantinopolitana Synodus damnat Eutychem p. 791. 792.

Constantinus Magnus Imperator p. 2. quæ ei Patria fuerit? p. 151. ejus Parentes p. 155. 156. Institutio primæ ætatis p. 2. N. 2. n. 1 2. commoratio in aula Galerii p. 5. eligitur in Cæsarem p. 6. n. 12. vincit Francos & Alemannos p. 8. n. 14. monumenta disponit ad Rhenum p. 8. n. 15. Pontem Rheno imponit ibid. insidias Herculei detegit & punit p. 11. n. 20. p. 12. n. 21. bello appetitur à Maxentio p. 13. n. 23. conversio ejus ad Christi fidem pag. 240. N. 4. Labaro crucem inserit p. 15. superat Alpes ibid. in crucis signo vincit Maxentium p. 17. n. 28. 29. 30. 31. homagium accipit à Senatu Romano p. 18. n. 33. monumenta Victori posita p. 19. n. 34. edictum Constantini pro Christianis p. 168. & 240. Licinium vincit & ad paçem compellit

pellit p. 21. n. 37. Altera victoria Constantini de Licinio p. 23. tertio bello lacessitus à Licinio, tertiò quoque eundem profligat p. 24 n. 39. quando Monarcha esse cœperit? p. 26. n. 42. Delubra Idolorum exscindit in Oriente pag. 27. cur id facere non potuerit Romæ? p. 28. Templa Christianis ædificat p. 242. N. 5. Reverentia ejus erga Episcopos & Sacerdotes p. 242. & 276. N. 31. munificentia erga Clericos p. 169. N. 6. & p. 243 n. 7. causam Cæciliani remittit ad Episcopos p. 246. Crispum filium criminis falsò insimulatum neci addicit, pag. 29. n. 46. & subinde conjugem Faustam ibid. n. 47. Constantinopolim ædificat p. 30. N. 21. p. 190. quæ jura dederit urbi, & quâ ratione eam diviserit? p. 192. & 193. Legationes variæ ad Constantinum p. 32 ejus incautus favor erga Arianos p. 32. N. 23. interest Concilio Nicæno p. 276. N. 31. Vicennalia Constantini p. 289. N. 39. Arium revocat ab exilio p. 296. N. 45. & ejus fœderatos pag. 297. N. 46. relegat in exilium Athanasium p. 313. partitur inter suos Imperium p. 33. Constantini Genealogia ibid. n. 54. Morbus Constantini p. 34. N. 25. ejus Baptismus p. 35. Quo tempore baptizatus sit? p. 197. 198. 199. 200. 201. Mors Constantini & funus, pag. 35. 36. n. 57. 58. memoria ejus posthuma p. 37. An sanctis adnumerari debeat? p. 37. n. 60. & 61. Leges civiles Constantini M. p. 166. 167. Leges ab eo latæ in favorem Ecclesiæ p. 168. 169. 170. Leges contra Judæos & Hæreticos ac adulteros, pag. 171. Magistratus novi sub Constantino p. 172. 173. Partitio nova Provinciarum p. 173. N. 4. p. 174. 175. Quid sentiendum de Donatione famosa Constantini Magni? vide Donatio. Refutantur calumniæ Zosimi Ethnici contra Constantinum pag. 208. 209. 210. 211. An jus sacrorum sibi arrogârit, pag. 220. & 253. n. 20.

Constantinus Junior sive filius Constantini Imperator obtinet Galliam & Britanniam, p. 33. 39. bellum movet contra Constantem & cur? p. 40. N. 3. ejus prope Aquilejam interitus ibid.

Constantinus Tyrannus Galliam invadit p. 551. Arelate sedem suam defigit ibid. N. 10. inde profert regnum in Hispaniam p. 552. parat ex insidiis irrumpere in Italiam p. 563 Gerontius contra eum rebellat in Hispania ibid. à Constantio Romano Duce ad deditionem pellicitur p. 565. obtruncatur ibid.

Constantinianæ familiæ internecina clades p. 38.

Constantius Imp. Orientis p. 33. & 39. infelix expeditio contra Persas p. 39. deficit ad Arii sectam & cur? p. 317. Paulum ejicit ex Constantipolitana sede p. 319. Homeritas ad Arianam sectam traducit p. 332. à Constante fratre cogitur restituere Athanasium p. 341. bellum ejus contra Magnentium Tyrannum p. 46. 47. n. 15. & vincit ibid. & p. 48. n. 16. Gallum Cæsarem creat pag. 47. Legatos Pontificis Arelate ad prævaricationem cogit p. 345. Mediolani Episcopos Catholicos, & Liberium Pontificem in exilium ejicit p. 348. 349. 350. & 352. Athanasium è sua Ecclesia rursus abigit p. 353. Gallum Cæsarem Petobione occidi imperat p. 50. Julianum Galli fratrem creatum Cæsarem imponit Galliæ pag. 55. invisit Romam & tollit aram Victoriæ p. 56. premitur fortiùs bello à Persis, p. 59. Ariminensis Concilii legatos malè excipit, & Patres per vim detinet p. 368. 369. 370. A Juliano bello impetitur p. 67. moritur ibid.

Constantius Dux Romanus mittitur contra Constantinum p. 564. N. 17. ejicit Ataulphum Visigothorum Regem ex Gallia p. 567. Ataulphi relictæ viduæ nubit p. 569. Augustus renuntiatur ab Honorio p. 572. N. 21. ejus obitus, ibid.

Consubstantialis vox, velut tessera fidei à Concilio Nicæno dictata p. 278. & cur? p. 519. N. 2. quo sensu hanc vocem rejecerit anteà Synodus Antiochena in sæculo III.? p. 279. & 521. an ob novitatem hæc vox rejicienda sit? pag. 520. an à scripturis aliena? ibid. impugnatur ab Arianis p. 298. N. 47. Illam tuetur Eustathius Antiochenus p. 298. in Concilio Antiocheno ab Arianis proscribitur p. 320. n. 2. & in conciliabulo Philippopolitano p. 337. N. 14. Athanasius reprobat primam formulam Syrmiensem ob suppressam Consubstantialis vocem p. 342. N. 17.

Convivia in Cœmeteriis agi solita abolentur, p. 690. n. 1.

Crisis qualis esse debeat circa Authorum libros discernendos p. 868. & 869.

Crispus Constantini M. filius ex Minervina p. 29. ejus studia, victoriæ, ibid. ob calumniam Novercæ Faustæ perit, ibid. n. 46. aurea statua in illius honorem à Constantino posita p. 30.

Crux à Constantino visa, an fuerit phænomenon aut fabula vel somnium? p. 157. 158. & 159. N. 1. 2. 3. Quo in loco eam viderit Constantinus?

tinus? pag. 159. N. 4. quæ forma ejusdem? p. 160. N. 6. An apud Romanos ante Constantinum crucis forma usitata fuerit in vexillis? p. 160 N. 7. An in virtute crucis hostes devicerit Constantinus? pag. 161. N. 8. Quantùm hac in re Magdeburgenses Centuriatores hallucinentur? pag. 162. An Constantinus coluerit crucem & quâ veneratione? pag. 162. N. 9. 10. Quâ ratione Senatus Romanus primùm in labaro crucem adorârit? p. 18. n. 33. & p. 163. N. 10. Crucis supplicium lege abrogat Constantinus p. 169.

Cypri Episcopus à jurisdictione Antiocheni Antistitis eximitur p. 774. & 775.

Cyrillus Alexandrinus agit contra Nestorium p. 767. Cælestino Papæ denunciat errorem Nestorii p. 767. & 769. duodecim Anathematismi ejusdem contra Nestorium p. 769. n. 47. à Joanne Antiocheno vocatur in suspicionem Arianismi & Apollinarismi, p. 775. n 52. duodecimum capitulum Cyrilli ab Orientalibus exagitatur, p. 790. init pacem cum Joanne Antiocheno p. 779. Imperator ea, quæ contra Cyrillum scribebantur, jubet exuri p. 790.

Cyrillus Hierosolymitanus p. 343. N. 18. p. 513. N. 5. deponitur, ibid. restituitur, ibid. ejus scripta, ibid. An Catecheses ipsi abjudicari queant? ibid. moritur p. 436. N. 3.

D.

Damasus Pontifex p. 395. Ursicinus Antipapa ejus electioni adversatur ibid. Maximi ordinationem pro sede Constantinopolitana rejicit, & improbat promotionem Gregorii Nazianzeni pag. 419. in Synodo Romana confirmâsse dicitur acta Constantinopolitanæ Synodi p. 426. Synodicam mittit ad Paulinum p. 427. Hieronymum adhibet ad sua negotia pag. 427. ejus opera & mors p. 430.

Daniel Stylita p. 811.

Decretum de Paschate celebrando p. 282. n 52.

Deipara rectè dicitur Θεοτόκος sive mater Dei p. 906. N. 7.

Demetrias Virgo pellicitur ad hæresin Pelagianam à Pelagio p. 729. N. 5. n. 15.

Diaconicum, quæ pars interior antiquarum Ecclesiarum fuerit? p. 450. N. 7.

Diaconorum continentia pag. 702. 918. ordinatio p. 696.

Didymus explanator Origenis p. 408. Rufino errores Origenis infundit ibid. & p. 698. 699.

Diei Dominicæ & Feriæ sextæ celebratio à Constantino M. omnibus præcipitur p. 169. N. 5.

Diœceses tres autocephalæ, Thraciæ, Asiæ, & Ponti p. 851. N. 2. p. 852. N. 3. 4. 5. quando cœperint esse sub Episcopo Constantinopolitano? p. 854. N. 7.

Dioscorus Cyrilli Alexandrini successor pag. 794. præsidet Pseudo-Synodo Ephesinæ p. 794. restituendum curat Eutychem ibid. orthodoxos Episcopos in exilium abigit ibid. & pag. 795. deponitur in Concilio Chalcedonensi pag. 798. Proterius ei surrogatur p. 804. N. 5.

Diospolitana Synodus Pelagii causam examinat p. 732. sed Hæresiarcha fraude evadit anathema p. 733.

Disciplina Ecclesiæ *sæculi quarti* in gubernatione Ecclesiæ, pag. 524. in ritibus p. 525. N. 5. in moribus p. 526. & 527. *sæculi quinti* Hierarchicum systema pag. 911. 912. 913. 914. 915. Clericalis vita pag. 918. Monachorum Ascesis p. 919. 920.

Dissidium inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum p. 779. n. 52. componitur p. 779.

Doctrina Catholica in sæculo IV. contra Arium p. 519. 520. & 521. contra Macedonium p. 521. & 522. Alia dogmata contra alios HH. p. 522. & 523.

Dogmata orthodoxa in sæc. V. opposita Manichæis pag. 898. item contra Donatistas posita p. 899. N. 2. p. 900. contra Pelagianos pag. 901. N. 3. p. 902. 903. N. 4. contra Semipelagianos p. 904. N. 5. contra Nestorium p. 905. N. 6. p. 906. N. 7. contra Eutychianos p. 907. N. 8. contra Helvidium pag. 908. N. 9. contra Vigilantium aliosque HH. p. 908. 909. 910. N. 10. & 11.

Donatio Constantini M. an sit supposititia? p. 177. N. 1. an valeat saltem quoad substantiam? p. 185. & 186. N 9. Edictum Donationis: vide Edictum.

Donatistæ quando cœperint? p. 243. N. 6. cur in schisma proruperint? p. 244. eorum conciliabulum contra Cæcilianum p. 245. in Synodo Romana causa eorum agitur p. 246. 247. appellant ad Cæsarem p. 249. N. 10. Melchiadem, Marcellinum, & Sylvestrum Pontifices falsò inter Traditores numerant pag. 249. n. 14. In Concilio Arelatensi damnantur p. 252. N. 12. Clericis eorum ad Ecclesiam redeuntibus gradus servatur ibid. & p. 704. à Concilio provocant ad Constantinum pag. 253. N. 13. qui appellantium audaciam improbat p. 253. n. 20.

dam

damnantur à Constantino p. 255. Donatistarum novi tumultus p. 295. junguntur Circumcellionibus ibid. Donatistarum rabies brachio sæculari comprimi debet p. 720. N. 1. Collationem Carthagine cum Catholicis instituere coguntur p. 720. N. 1. causâ cadunt p. 722.

Donatus Ælius Hieronymi præceptor p. 230. N. 2.

Donatus à casis nigris incentor schismatis Africani p. 245. N. 8. ejus vitia accusantur in Synodo Romana p. 247. damnatur à Melchiade p. 249.

Donatus Episcopus Schismaticus Carthaginensis succedit Majorino p. 295. N. 44. ejus vitia ibid. n. 69. ab hoc schismatici primùm Donatistæ appellati sunt p. 247. n. 13.

E.

Ecclesia vera debet esse Universalis pag. 899. N. 2. Catholica ibid. N. 1. & 2. incorrupta & perpetuò duratura p. 900. alia signa veræ Ecclesiæ p. 899. N. 1. bonos & malos complectitur p. 900. ejusdem certa in Traditionibus & Decretis authoritas p. 522. N. 4. p. 909. N. 11. ejusdem gloria in sæculo IV. pag. 235. 236. N. 1. & n. 1. illius status efflorescens pag. 242. N. 5.

Ecclesiarum Veterum forma pag. 448. N. 1. &c. partes exteriores Ecclesiarum N. 2. partes interiores p. 448. N. 3. p. 449. 450. N. 4. 5. 6. 7. Tyriensis Ecclesiæ forma p. 450. N. 8. Magnificentia Ecclesiarum p. 451. N. 9. Consecratio Ecclesiæ Hierosolymitanæ p. 294. N. 43. p. 310. N. 54. & p. 452. N. 10.

Ecclesiasticæ Provinciæ constitutæ sunt ad modum Provinciarum Imperii p. 176. cum harum tamen mutatione non semper & necessariò illæ mutantur p. 177. n. 8. p. 422. n. 7.

Edictum Constantinianæ Donationis p. 178. an sit supposititium? p. 179. N. 2. p. 180. Censura critica hujus Edicti p. 181. N. 3. argumenta in contrarium solvuntur pag. 181. & 182. N. 4. Quo tempore hoc Edictum procusum sit? p. 183. N. 5. an sit à Græcis malignè excogitatum? ibid. An author hujus Edicti sit Joannes Diaconus? p. 183. & 184. N. 6. Quàm falsò dicatur, Edictum hoc esse suppositum à Pontificibus? pag. 184. N. 7.

Electioni Pontificis à quo tempore se immiscere cœperint Imperatores? p. 745. n. 35. etiam aliis Episcoporum Electionibus se ingerebant Principes p. 914. Electio Patriarcharum confirmabatur à Pontifice p. 423. & 427. vel infirmabatur p. 419.

Ephesina Synodus III. Oecumenica convocatur p. 770. à Sectatoribus Nestorii variis impeditur tricis, p. 771. damnat Nestorium p. 772. Legati Pontificis damnationem comprobant, p. 773. N. 12. Antiochenus Joannes damnatur, ibid. Canones ejusdem Concilii de Disciplina p. 775.

Ephesina Pseudo-Synodus, sive Latrocinium Ephesinum, Eutychem restituit p. 794. sævit in orthodoxos Episcopos ibid. N. 24. Theodoretum & Ibam deponit, pag. 795. Acta Conciliabuli à Leone Papa rescinduntur p. 796.

S. Ephrem Syrus Monasticæ Disciplinæ amantissimus p. 408. ad extrema deductus pro se mortuo petit preces fieri p. 419. ejus obitus, ibid. Ephremii scripta p. 515. N. 9.

S. Epiphanius Episcopus Salaminæ p. 410. N. 18. Hæreticorum malleus, ibid. Antidico-Maritas & Collyridianos oppugnat ibid. adhæret Paulino Episcopo Antiocheno pag. 411. oppugnat Joannem Antiochenum & cur? pag. 446. non vult communicare Constantinopoli S. Chrysostomo & cur? pag. 708. ejus obitus ibid. ejus scripta p. 514. & 515. N. 7.

Episcoporum electio à quibus facta sit in sæc. IV. & V. pag. 913. N. 4. Quinam eligi debuerint? ibid. ordinatio Episcoporum p. 914. tempus ordinationum ibid. obligationes Episcoporum p. 914. officium & dignitas Episcoporum p. 915. Episcopi sunt superiores Sacerdotibus ibid. Hieronymi ad speciem contraria sententia conciliatur p. 915. 916. 917.

Eradius S. Augustini successor constituitur p. 755. N. 3.

Eros & Lazarus accusant Pelagium p. 732. N. 6. n. 19.

Eucharistia quo sensu dicatur Antitypon? p. 502. N. 5. ejus fides orthodoxa p. 522. N. 4. in ea vera fit transsubstantiatio p. 517. est verum sacrificium p. 910. Eucharistiam cur mortuorum ori quidam ingesserint? p. 694. n 9. à jejunis sumenda est, pag. 695. n. 13. fermenti nomine quandoque exprimebatur p. 922. ejus veritas miraculo comprobata p. 697. n. 16. Ritus accipiendi Eucharistiam p. 525. N. 5. post baptismum statim conferebatur p. 506.

Eucherius Stiliconis filius Paganis addictus p. 556. n. 26. pro eo Parens quærit Imperium ibid. occiditur p. 558.

Eucherius Lugdunensis scriptor Asceticus p. 892.
Eudocia (alias Athenais) eligitur in uxorem à Theodosio Juniore p. 570. n. 35. & p. 571. ejus eruditio, ibid. ex aula ejicitur, & cur? p. 589. Hierosolymam discedit p. 589. n. 17. ejusdem bona opera & Ecclesiarum fundationes p. 590. n. 19.
Eudoxia Arcadii uxor. p. 534. ejus origo ibid. n. 4. infensa S. Chrysostomo, & cur? p. 709. N. 11. & n. 37. p. 712. N. 12. ejusdem Augustæ statua dedicatur p. 711. n. 40. funestus Eudoxiæ exitus p. 545. N. 6. p. 714. N. 13.
Eudoxia Theodosii Junioris filia Valentiniani III. uxor p. 553. n. 11. post Valentiniani necem à Maximo Tyranno cogitur ad conjugium p. 605. vocat Vandalos in Italiam & cur? p. 606. cum duabus filiabus à Genserico ducitur captiva in Africam ibid. Ad Leonis Imperatoris preces redditur libertati p. 610.
Eudoxius fit Antiochenus Episcopus pag. 361. Acacianorum dogma fovet p. 362. & 373. ejus fraudes ibid. idem Valentis favorem sibi conciliat p. 393.
Eugenius Tyrannus ab Arbogaste creatur Imperator p. 141. Paganorum ritibus addictus, ibid. p. 143. n. 23. bellum parat adversus Theodosium M. pag. 142. N. 9. & p. 143. N. 11. ejus conflictus cum Theodosii copiis p. 145. vincitur non sinè prodigio pag. 146. n. 27. ejus exitium p. 147.
Eulalii Schisma p. 744. N. 12.
Eulogiæ quid sint? p. 390. n. 10.
Eunapius Historicus p. 234.
Euphratas Agrippinensis Episcopus damnatur p. 338. n. 17 an idem fuerit Legatus Sardicensis Concilii ad Constantium? ibid. ab Arianis Euphratæ calumnia struitur, p. 338. N. 14.
Euricus Rex Visigothorum p. 636.
Eusebia uxor Constantis p. 48.
Eusebiani HH. novam Synodum petunt à Constantino contra Athanasium p. 305. Arium in communionem palàm recipiunt p. 311. Eusebianorum motus contra Athanasium, p. 318.
Eusebius Cæsariensis Episcopus p. 509. cur Pamphili dicatur? ibid. scribit libros de præparatione Evangelica p. 255. & de demonstratione Evang. ibid. n. 21. ejus subdola formula in Concilio Nicæno p. 277. & 278. in Vicennalibus Constantini M. orationem dicit p. 289. abnuit Episcopatum Antiochenum p. 299. ejus reliqua scripta p. 510. Quid censendum de ejus Historia? ibid. An Arianus fuerit? pag. 319. n. 1. p. 511. & 512. moritur p. 319.
Eusebius Dorylæi Episc. adhuc Laicus se opponit Nestorio p. 766.
Eusebius Emessenus p. 325. n. 9. ejus scripta p. 518.
Eusebius Nicomediensis Ep. Arii Patronus p. 266. n. 36. & p. 267. n. 37. ejus errores p. 267. n. 38. Constantinum M. in odium Alexandri Alexandrini vocare conatur p. 269. N. 5. n. 40. cum Theognio Nicæno in exilium amandatur p. 290. N. 40. revocatur pag. 297. N. 46. Eustathium oppugnat & deponit pag. 298. 299. ejusdem operâ in Tyriensi conciliabulo deponitur Athanasius p. 310. intrudit se in Episcopatum Constantinopolitanum p. 319. & 320. N. 4.
Eusebius Pontifex, p. 238. N. 2. ejus decreta ibid. ejus obitus ibid.
S. Eusebii Vercellensis institutum p. 346. pio dolo idem Dionysium Mediolanensem è numero lapsorum expungit p. 347. ejusdem fortitudo & constantia, p. 348. cum aliis Episcopis proscribitur ibid.
S. Eustathius Antiochenus Episc. calumniâ Arianorum evertitur & deponitur p. 298. 299.
Eustathianorum origo p. 300.
Euthalius scriptor sacer p. 897.
Eutropius Eunuchus & Minister supremus in aula Arcadii p. 536. N. 3. ejus avaritia & crudelitas p. 537. N. 4. ejus interitus p. 542.
Eutropius Historicus p. 233. an Christianus fuerit? ibid.
Eutyches quis fuerit? pag. 789. Hæresis suæ facit initium, ibid. propagat errorem p. 790. N. 22. causam suam agere cogitur in Concilio Constantinopol. p. 791. damnatur à Synodo p. 792. Ad Pontificem provocat, p. 792. n. 61. ubique detectus & convictus repellitur p. 795. N. 23. & n. 62.
Evagrius Ponticus scriptor sacer in sæculo IV. p. 518.
Evodius Uzalensis Ep. p. 756. ejus scripta p. 897.
Expositi Infantes eorum esse jubentur, qui illos alunt p. 787. n. 60.

F.

FAusta conjux Constantini M. pag. 29. *calumniam machinatur Crispo & necem ibid.* n. 46. occiditur p. 29. n. 47.
Felix Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ in locum Liberii exulis à Constantio surrogatur p. 350. N. 22. an legitimus fuerit Pontifex? pag. 350.

n. 25. verentur Romani cum eo communicare p. 356. N. 25. ejus obitus p. 364.
Felix Aptungitanus confecrat Cæcilianum Epifcopum p. 244. N. 7. n. 8. accufatur à Donatiftis tanquam Traditor p. 245. N. 8. & p. 248. caufa examinatur pag. 250. & purgatur à crimine impacto ibid. n. 15.
Felix Manichæorum Primipilus ab Auguftino converfus p. 717.
Fermentum idem quandoque fignificavit olim, quod Euchariftia p. 922.
Fides fola non fufficit ad falutem p. 523. & 909. fidei initium eft à Deo vocante p. 761. n. 42. p. 762. n. 43. p. 904. 905. N. 5. Fides incarnationis, mortis & refurrectionis Chrifti an fit neceffaria ad falutem? p. 742. n. 31. Fidei propagatio per Romanum Imperium, p. 294. n. 68. Fidei Regula de gratia Chrifti, p. 759. n. 40.
Filium Dei Patri fimilem fecundum fubftantiam confiteri non fufficit p. 278. & 521.
Firmi Mauritaniæ Regis feditio contra Valentinianum p. 108. fufpendio perit p. 109. n. 40.
Firmicus Maternus fcriptor p. 231.
Flavianus Antiochenus Epifc. fchifma auget p. 422.
Flavianus Conftantinopolitanus Ep. p. 790. N. 22. ejus epiftola orthodoxa, p. 798. n. 1. hæc ipfa approbatur in Concilio Conftantinop. p. 797. N. 1. & in Concilio Chalcedonenfi, p. 798. N. 2.
Formulæ Hæreticæ & falfæ fidei ab Ario concinnatæ p. 268. N. 23. ante initium Concilii Nicæni pag. 275. n. 47. poft reditum ab exilio, p. 297. n. 70.
Formula Arianorum Antiochena I. p. 320. N. 4. n. 2. Antiochena II. pag. 333. n. 12. formula Philippopolitana five Pfeudo-Sardicenfis p. 337. formula I. Syrmienfis p. 342. n. 20. & p. 343. n. 21. Syrmienfis II. p. 357. n. 29. cui fubfcripfit Hofius pag. 358. n. 30. non tamen Liberius Pontifex p. 360. n. 34. & p. 363. n. 35. formula Eufebii Cæfareenfis fubdola pag. 277. N. 32. Syrmienfis III. à Marco Arethufio compofita, pag. 365. n. 36. formula Arianorum in oppido Nice excogitata & Legatis Ariminenfis Concilii ad fubfcribendum propofita p. 368. n. 38. formula, cui Ariminenfes PP. fubfcribere debuerunt p. 369. & 370. n. 39.
Fortunatus Hæreticus vincitur ab Auguftino p. 445.
Franci ubi ante occupatam Galliam habitârint? p. 640. N. 3. eorum ftipendia apud Romanos ibid. fuperant Rhenum & evaftant Treviros pag. 640. & 641. n. 5. 6. cum Caftino Romano Duce confligunt p. 641. Ripuariam ab Honorio obtinent p. 641. n. 7. pars eorum Attilæ, pars Romanis adhæret p. 594. N. 15. n. 23. p. 648.
Francici Regni initia pag. 570. & 642. N. 4. an Pharamundus primus Rex fuerit hujus Regni? p. 642. n. 8. 9. 10. & p. 643. n. 11. 12. Regni hujus leges Salicæ p. 642. n. 13. Reges Francorum cur Criniti dicantur? p. 645. n. 18.
Franconia unde originem & nomen acceperit? p. 644. n. 14.
Frigeridus Renatus Hiftorius p. 688. N. 2.
Fritigilla Marcomannorum Regina Chriftiana, p. 691. N. 2.

G.

GAinas turbat Imperium Orientis p. 541. Quis fuerit? ibid. n. 14. conjurat cum Tribigilde contra Arcadium & Eutropium p. 541. n. 15. ejus fraudes p. 542. Eutropii caput petit p. 542. & 543. infidiatur Arcadii Imperio p. 544. ejus interitus p. 545.
Galerius Auguftus captivum detinet Conftantinum p. 5. huic infidias ftruit ibid. n. 7. 8. Conftantinum agnofcere Imperatorem renuit p. 6. n. 12. Cæfaris ei titulum duntaxat tribuit invitus p. 7. n. 13. perfequitur Chriftianos pag. 236. N. 2. Galerii clades prope urbem Romanam pag. 9. ejus Edictum pro Chriftianis p. 12. è vivis rapitur ibid. N. 8.
Gallus (Juliani Apoftatæ frater) fuperftes cædi fuorum, & cur? p. 39. ejus educatio p. 53. creatur Cæfar à Conftantio p. 47. N. 7. ejus crudelitas ac fcelera p. 49. illius exitium, ibid. & p. 50. n. 21.
Galliæ ftatus fub Romanis pag. 637. N. 1. Stilico Barbaros vocat in Galliam p. 550. variis Gentibus in prædam cedit p. 638. N. 2. Conftantinus Tyrannus eam occupat p. 551.
Gangrenfis Synodus p. 528.
Genealogia Conftantiniana p. 33. n. 54. Valentiniana p. 86. n. 1. Theodofiana p. 128. n. 32.
Gennadius Epifcopus Conftantinopolitanus fuccedit Anatolio p. 809.
Genfericus Rex Vandalorum p. 579. invitante Bonifacio Comite, in Africam cum fuis ingreditur p. 580. & 654. cæfis Romanis Regnum occupat p. 580. Theodofii apparatum bellicum fraude declinat p. 584. N. 8. cum Valentiniano tranfigit de Africæ Provinciis p. 585. offendit Theodoricum Vifigothorum Regem pag. 593. n. 22. vocatur in Italiam ab Eudoxia & Romam expilat pag. 606. à Majoriano fruftra oppugnatur, p. 609.

p. 609. Eudoxiam captivam remittit ex Africa Leoni Orientis Imperatori p. 610. Bellum Leonis contra Gensericum proditione Basilisci irritum redditur p. 611. 612.

Gentilium Idololatria destructa p. 26. 27. & 707.

Gerontius in Hispania rebellat contra Constantinum Tyrannum p. 563. Gerontii exitium p. 564.

SS. Gervasii & Protasii inventio p. 433.

Gildo Comes rebellat in Africa p. 538. N. 9.

Glycerius Imperator Occidentis, ejúsque exitus p. 615. N. 7.

Gothi belli initium faciunt in Oriente p. 99. admittuntur ad solum Romanum p. 116. ad Arii sectam trahuntur p. 412. eorum seditio & bellum contra Romanos p. 117. expilant Thraciam pag. 118. N. 6. obsident Hadrianopolim p. 123. N. 9. Provincias Imperii evastant ibid. stipendia merentur sub Theodosio & contra Eugenium confligunt p. 144. n. 25.

Gratia necessaria ad opus salutare p. 727. n. 10. p. 728. n. 12. p. 731. n. 17. quid sit vera gratia supernaturalis? pag. 727. n. 11. p. 730. n. 16. gratiæ nomine quid Pelagiani intellexerint? p. 740. N. 10. n. 30. p. 737. n. 25. à gratia venit initium fidei vel credendi voluntas p. 728. n. 12. p. 761. & 762. n. 42. gratia est gratuita p. 743. n. 32. in quo sit discrimen inter gratiam homini innocenti & reparato concessam? p. 757. n. 38. gratia non tollit libertatem p. 762. n. 42. Regulæ duodecim de doctrina orthodoxa gratiæ p. 759. n. 40.

Gratia sufficiens omnibus datur pag. 728. n. 12. Gratiam solùm sufficientem S. Augustinus admisit p. 741. n. 30.

Gratia efficax, pag. 741. n. 30. cur de hac sæpius agat Augustinus? ibid.

Gratia Perseverantiæ p. 757. n. 38.

Gratianus Valentiniani filius creatur Augustus p. 100. renuit habitum Pontificium Gentilium, p. 113. ejus bellum & Victoria contra Germanos, pag. 119. properat in auxilium Valentis pag. 120. Monarcha utriusque Imperii p. 123. revocat ab exilio orthodoxos Præsules p. 413. N. 1. ejusdem sententia adversus Antipapam pag. 414. N. 1. ejus Leges pro Clericis p. 415. eundem perdidit Barbarorum amor p. 129. N. 14. Gratiani cædes p. 130. N. 16.

Gregorius Alexandrinus Pseudo-Episcopus vi surrogatur S. Athanasio p. 326. n. 10. ejus ferox agendi modus ibid. crudelitas pag. 328. alterâ vice succedit Athanasio expulso p. 353.

S. Gregorius Nazianzenus, ejus studia pag. 383. ascetica vita p. 383. Ecclesiæ Zazimensi præficitur p. 407. est coadjutor sui Parentis Episc. Nazianzeni ibid. obtinet sedem Constantinopolitanam p. 418. N. 6. hanc ei eripere conatur Maximus Alexandrinus pag. 418. electionem Gregorii improbat Pontifex p. 419. ultro sede Constantinopolitanâ cedit pag. 422. moritur pag. 436. ejus scripta p. 516. N. 12.

S. Gregorius Nyssenus p. 515. N. 11.

H.

HÆretici an non tantùm verbo Dei, sed etiam vi quandóque ad agnoscendam veritatem compelli possint? p. 718. n. 48.

Hebraica lingua quanto labore steterit S. Hieronymo? p. 410. n. 10.

S. Helena, quam originem & conditionem natalium habuerit? p. 2. n. 1. p. 155. N. 7. diluuntur Zosimi criminationes ibid. N. 8. & p. 156. quando eadem mater Constantinum M. mundo dederit? p. 1. n. 2. an Christi fidem amplexa sit ante Constantini conversionem? pag. 15. n. 25. varias fundat Ecclesias p. 30. n. 48. obitus ejusdem, ibid. funus, ibid. monumenta in illius honorem constructa p. 30. n. 29. & p. 156. N. 8.

Helvidii hæresis p. 427. & p. 908. N. 7. eam confutat S. Hieronymus ibid. & p. 908. N. 7.

Heraclianus rebellat in Africa, & occiditur p. 556.

Herculeus Augustus cogitur à Galerio deponere Imperium p. 4. n. 5. 6. pro Maxentio filio pugnat contra Severum Cæsarem p. 7. Constantinum pertrahit in fœdus & cur? p. 8. n. 14. 15. dissidium Herculei cum filio Maxentio p. 9. insidiatur Regno Constantini, p. 11. n. 20. infamis exitus Herculei p. 12. ejus tumulus p. 12. n. 21.

S. Hieronymus, ejus prima ætas & studia p. 408. & 409. N. 17. ex Occidente abit in Orientem p. 409. adhæret Paulino Antiocheno ibid. ejus vita Monastica ibid. n. 9. creatur Presbyter à Paulino p. 27. fit discipulus Gregorii Nazianzeni p. 418. abit Romam pag. 427. ubi contra Helvidii errores scribit, ibid. Joannem Hierosolymitanum Origenis fautorem oppugnat pag. 446. confutat Rufinum & Origenistas p. 701. N. 6. n. 23. vehementiorem redarguendi modum illi exprobrat S. Augustinus p. 704. n. 27. fuit inter eos, qui S. Chrysostomum justè damnatum putârunt p. 715. n. 43. scribit adversus Pelagium p. 729. N. 5. ejus obitus pag. 750. Sanctitas ibid. Scripta secundùm chronotaxin

digesta, p. 871. quid de versione N. T. ab eodem factâ notandum? pag. 875. Apocrypha & dubia opera illius p. 876. vindicatur ab impactis quibusdam erroribus ibid. Aëriani erroris insimulari nequit p. 915. 916. 917. cur tempore Ariminensis Concilii dixerit, totum orbem Arianum esse factum? p. 370. n. 39.

Hierosolymitani Episcopatûs primævus status p. 848. quando cœperit esse Patriarchatus? p. 849.

S. Hilarion. & ejus vita p. 257.

Hilarius Arelatensis Ep. Chelidonium deponit p. 788. defendere conatur sententiam suam Romæ, ibid. sed causâ cadit ibid. moritur ibid.

S. Hilarius Pictaviensis, ejus conversio pag. 355. n. 28. Episcopatus ibid. contra Saturninum Arelatensem Arianum propugnat decreta Sardicensis Synodi p. 356. ejicitur à Constantio in exilium, ibid. ejus liber de Synodis p. 366 in Galliam remittitur ex Oriente & cur? p. 374. N. 34. lapsos in Concilio Ariminensi revocat ad veritatis viam, p. 376. liber illius contra Constantium ibid. Magister S. Martini Turonensis, ibid. Auxentium Arianum Ep. Mediolan. oppugnat pag. 394. moritur ibid. ejus scripta p. 513. N. 6. ab erroribus illis, qui à Riveto perperam Hilario adscribuntur, vindicatur p. 514.

Hilarus Pontifex, p. 810. N. 11. hæreditariam succedendi rationem proscribit ab Ecclesia, ibid. moritur p. 811. N. 12.

Hispaniæ situs ac divisio p. 623. N. 1. incolarum veterum mores, ac divitiæ, ibid. Antiqui eorum Reges ibid. A Carthaginiensibus primùm, dein à Romanis Hispania occupatur p. 624. status ejusdem sub Consulibus & Imperatoribus Romanis pag. 625. subjugatur à Vandalis, Suevis & Alanis p. 626. N. 3.

Homæusion, quâ ratione differat ab Homousio? p. 371. N. 32.

Homeritæ quinam fuerint? pag. 532. eorum conversio ibid.

Homousion pro tessera fidei contra Arianos à Nicæno Concilio decernitur pag. 278. N. 33. quo sensu Verbum dicatur homousion? pag. 279. Idem propugnat Eustathius Antiochenus p. 298. N. 47. S. Athanasius pag. 519. N. 2. ubi etiam contraria argumenta Arianorum solvit p. 520. & 521.

Honoria Valentiniani III. soror in exilium amandatur & cur? p. 582. N. 2. Eadem Attilam concitat contra Imperium ibid.

Honorius filius Theodosii M. nascitur pag. 132. n. 2. 3. creatur Augustus p. 143. n. 21. à Parente in Italiam arcessitur p. 148. & S. Ambrosii curæ commendatur p. 149. obtinet in partitione Imperii Occidentem p. 532. à Stilicone velut tutore regitur ibid. cum Maria Stiliconis filia nuptias celebrat p. 540. n. 11. cum Stilicone triumphum de victis Barbaris agit Romæ pag. 547. non permisit ludos sæculares institui p. 547. n. 17. nec gladiatorum spectacula p. 548. n. 18. Ravennam in sedem Imperii deligit p. 548. n. 19. cum Constantino Tyranno paciscitur p. 552. nuptias alteras cum altera Stiliconis filia Thermantia peragit pag 552. N. 11. Stiliconis seditiosa Consilia contra Honorium pag. 556. n. 26 Imperator Stiliconem unà cum Eucherio filio extinguit p. 557. & 558. Hæreticis ad tempus libertatem suæ religionis indulget & cur? p. 720. N. 1. indicit Collationem inter Catholicos & Donatistas p. 720. N. 1. proscribit toto Imperio Pelagium & Cælestium p. 738. N. 9. pacem ferit cum Visigothis pag. 568. Constantium creat Augustum p. 572. Placidiam sororem amandat ex aula pag. 573. moritur ibid. ejus Leges pro Ecclesia p. 573. n. 37.

Hormisda Persarum Princeps confugit ad Romanos p. 25. N. 17. n. 41. Romam venit cum Constantio Imperatore pag. 57. n. 33. ejus ad Constantium de Romana urbe sententia ibid. à Juliano præficitur exercitui Romano contra Persas p. 71. n. 8.

Hosius Constantino M. explicat prima elementa fidei Christianæ p. 14. n. 24. Donatistæ Hosium criminantur p. 255. à Constantino mittitur in Ægyptum ad componendas Arii turbas p. 270. nomine Pontificis præsedit Concilio Nicæno? pag. 469. argumenta contraria solvuntur ibid. Constantius eundem in exilium ejicit p. 352. subscribit formulæ secundæ Syrmiensi p. 358. n. 30. invitus tamen ibid. n. 31. revocat errorem ante mortem p. 359. n. 32.

Hunericus filius Genserici nubit filiæ Theodorici Regis Visigothorum p. 593. n. 22. eandem injuriâ affectam remittit Patri ibid. Eudociam Valentiniani III. filiam sibi altero connubio jungit & cur? p. 610. N. 4.

Hunnorum Patria & mores p. 227. N. 1. eorum domicilia & vestes, ibid. modus bellandi & Religio p. 228. eorundem irruptiones pag. 115. Hunnis resistit Athanaricus, & quo eventu? p. 115. evastant Galliam p. 595. internecinâ clade cædun-

cæduntur in Catalaunicis campis p. 597. & 598. n. 29. diripiunt Italiam p. 600. n. 30.

Hypostasis vocabulum olim à diversis diversimodè acceptum est p. 412. n. 11. sed postea eorum sententia prævaluit, quibus hypostasis idem significat, quod subsistentia ibid.

I.

S. JAcobus Nisibitanus hanc urbem suis apud Deum precibus servat p. 45. & 46. n. 13.

Ibas Edessenus Episcopus accusatur à suo Clero de doctrina p. 795. ejus Epistola ad Marin Persam pag. 795. n. 63. Tyri & Beryti ejus causa agitur p. 798. In Latrocinali Synodo Ephesi deponitur, ibid. restituitur in Concilio Chalcedonensi p. 801. n. 3.

Idatius Historicus quinti sæculi pag. 895. ejus Chronicon, ibid. N. 29.

Idiomatum communicatio in Christo p. 770. n. 47. p. 906. & 907. N. 8.

Idololatria destructa p. 26. N. 18. p. 27. n. 43. 44. p. 42. n. 8. p. 46. p. 149. N. 13. p. 707. n. 34.

Jejunia in Ecclesia constituta observanda p. 352. n. 26.

Illyricum discerpitur in Orientale & Occidentale p. 124. n. 25. Orientale in hac divisione obtinuit Theodosius, ibid. post hanc divisionem civilem Patriarchæ Occidentis permansit jus suum, quod in Illyricum habuerat p. 422. n. 7. quod etiam Pontifices contra molitiones Constantinopolitanorum Episcoporum tuentur pag. 832. N. 7. & p. 833. N. 8.

Imperium Romanum varias calamitatibus affligitur p. 70. N. 3. n. 4. dividitur à Theodosio in Orientale & Occidentale p. 149. N. 13. p. 532. & 533. N. 1. Annus, quo Occidentale Imperium defecit p. 679. causæ hujus exitii politicæ p. 679. N. 2. & p. 680. causæ morales p. 681. & 682. Imperii Occidentalis Provinciæ cur translatæ sint ad Barbaros? p. 683.

Indictiones, & earum origo p. 163. N. 1. à quo tempore & anno Indictiones suum initium sumant? pag. 164. & 165. quâ ex causa Indictionum numeratio introducta sit? p. 166. N. 5.

Indorum Legatio ad Constantinum p. 31. N. 22. in Indiam usque fides profertur p. 295.

Infantium Baptismus pag. 726. & 727. n. 9. quo sensu Pelagius admiserit, baptismum infantibus esse necessarium? p. 736. & 737. n. 25.

Innocentius I. Papa eligitur p. 711. N. 12. rescindit Acta Synodi ad Quercum pag. 711. n. 38. communicat cum Chrysostomo p. 711. n. 39. Innocentiam Chrysostomi declarat p. 715. n. 43. continentiam Clericis, propositis etiam pœnis præcipit p. 716. n. 45. 46. agit causam Chrysostomi, p. 718. N. 15. Ad eundem causam Pelagii transfert Synodus Hierosolymitana p. 732. N. 6. damnat Pelagium, ejúsque hæresin p. 735. mors Innocentii, p. 736. ejusdem Decretalis ad Decentium Eugubinum de disciplina Ecclesiæ p. 922.

Inscriptio Ataulpho & Placidiæ olim facta, examinatur secundum historicam crisin p. 630. n. 11.

Institutio Principis, aut eorum qui gubernaturi sunt Rempublicam, p. 669. quàm necessaria? ibid. cur expediat Principem excoli scientiis? p. 669. quales Præceptores ei præficiendi? p. 670. N. 3. quibus scientiis & artibus imbui debeat parvus Princeps? ibid. N. 4. quomodo affectiones animi moderandæ pag. 671. N. 5. quæ Principales virtutes implantandæ? p. 672. N. 6. p. 673. N. 7.

Inventio S. Crucis p. 292. N. 42. an historia hæc in dubium meritò trahatur à Novatoribus? p. 293. n. 67.

Inventio Reliquiarum S. Stephani pag. 733. n. 20. prodigia ab iisdem facta, ibid. & p. 734. n. 21.

Joannes Antiochenus Ep. Nestorii fautor, p. 770. Cyrillum Alexandrinum de errore Apollinaris suspectum habet pag. 770. n. 48. Ex composito tardiùs ad Concilium Ephesinum venit, p. 771. & 773. N. 11. damnatur p. 773. N. 12. redit in amicitiam & pacem Cyrilli p. 779. & 780. n. 53.

S. Joannes Ægypti Monachus Victoriam prædicit Theodosio M. contra Eugenium, & simul mortem p. 142.

Joannes Hierosolymitanus Episcopus Origenista p. 446. N. 10. ejus dissidium cum SS. Hieronymo & Epiphanio p. 446. N. 11. favet Pelagio, p. 732. N. 6.

Joannes Tyrannus post Honorii mortem Imperium Occidentale invadit p. 574. N. 1. ejus Legatio à Theodosio Juniore malè accipitur p. 575. Hunnorum invocat auxilia pag. 576. ejus exitium p. 377.

Jovianus Imperator pag. 78. N. 9. ejus zelus pro Christiana Religione p. 79. N. 10. pacem damnosam sed necessariam ferit cum Persis, p. 79. reprehenditur ideo à scriptoribus Gentilibus pag. 80. 81. n. 21. 24. 25. 26. reducit exercitum ex Perside p. 80. pacem reddit Ecclesiæ p. 82. revocat ab exilio Episcopos, ibid. an libertatem Religionis omnibus permiserit? p. 83. n. 28. repen-

repentinus ejus obitus p. 85. quo mortis genere fuerit extinctus? p. 85. n. 33.
Joviniani hæresis p. 437. N. 4. à Siricio & Ambrosio damnatur p. 438.
Jovini perfidia p. 561. Tyrannidem arripit p. 565.
Isaacus Eremita Valenti resistit & à bello Gothorum dehortatur p. 121. n. 18.
Ischyras accusator Athanasii p. 200. an Presbyter fuerit? p. 300. n. 73. fit Pseudo-Episcopus p. 310.
Isdegerdes Rex Persarum an fuerit tutor ab Arcadio datus Theodosio II. filio? p. 555. n. 25. persequitur Christianos p. 571.
Isidorus Pelusiota p. 888. ejus scripta ibid. N. 9.
Julianus Apostata, ejus studia, p. 53. mores p. 55. creatur Cæsar pag. 53. bello vincit Alemannos p. 57. Augustus salutatur Parisiis p. 63. Legatos mittit ad Constantium p. 64. n. 47. ejusdem responsa ad mandata Constantii p. 66. n. 49. bellum parat contra Constantium p. 67. Constantinopoli post mortem Constantii Imperator salutatur p. 68. palàm à Religione deficiscit p. 69. N. 2. ab Antiochenis traducitur p. 71. componit Misopogon ibid. ejus artes infestæ, & Persecutiones malignæ contra Christianos p. 73. pag. 380. 381. 382. Idem adimit jura Romana Christianis p. 382. Scholas habere Christianis vetat pag. 383. sævit in Virgines & Episcopos p. 385. templum Hierosolymitanum restaurare conatur p. 388. Juliani iter contra Persas p. 72. deluditur ab oraculis dæmonum pag. 72. n. 9. omina prævia expeditionis infelicis p. 75. n. 13. p. 77. n. 17. expeditio ejusdem infausta p. 74. n. 12. conflictus ultimus cum Persis p. 75. vulnus lethale pag. 75. n. 14. mors p. 76. 77. N. 8. n. 15. 16. ejus sepultura pag. 77. n. 18. p. 83. & 84. n. 30.
Julianus Eclanensis p. 747. n. 37. fit Pelagii discipulus p. 747. N. 14. provocat ad Generale Concilium ibid. deponitur, ibid. impugnat Catholicos p. 748. scribit quatuor libros contra Augustinum, ibid. scribit octo libros adversus Augustini librum secundum de Nupt. & Concup. p. 753. ejicitur Ciliciâ p. 754. N. 1.
Julius Nepos Imperator, p. 615. pacem perniciosam ferit cum Visigothis p. 620.
Julius Papa p. 316. indicit Synodum pro causa Athanasii p. 327. Arianos ad Synodum evocat, ibid. qui palàm declinant Pontificis judicium ibid. Absolvit Athanasium, & alios Episcopos ab Arianis ejectos, quibus priores sedes adjudicat pag. 330. ejusdem literæ ad Arianos, ibid. mors Julii Papæ p. 344.
Jurare per Genium Imp. quid fuerit? p. 27. n. 45.
Jus sacrorum quâ ratione à jure civilium rerum distinguatur? p. 212. an idem jus sacrorum sibi Imperatores per fas vindicârint? p. 213. N. 2. p. 214. respondetur negando & argumenta solvuntur p. 219. 220. 221. 222. N. 7. utrum sibi jus saltem arrogare potuerint? pag. 215. N. 4. affirmans sententia confutatur ex lege Naturæ, pag 215. ex Veteri Test. p. 217. N. 5. p. 218. & ex Testamento Novo p. 219. N. 6.
Justina Imperatrix Valentiniani Junioris mater Arianis favet pag 416. persequitur Ambrosium p. 432. fugere cogitur cum filio in Orientem p. 135.

L.

LActantius Firmianus p. 508. ejus scripta, eorúmque crisis ibid.
Lampsacena Synodus Semiarianorum pag. 393. N. 1.
Lateranensis Ecclesia quando ædificata? p. 294. n. 68.
Legati Sylvestri Pontificis præsident Concilio Nicæno p. 469. obtinent latus sinistrum in sessione & cur? p. 272. Legati Cælestini Papæ ad Synodum Ephesinam p. 770. N. 10. seriùs advenientes confirmant Acta primæ sessionis, scilicet damnationem Nestorii pag. 773. Legati Leonis Papæ in Concilio Chalcedonensi contra Canonem vigesimum octavum de Constantinopolitano Primatu reclamant p. 803. p. 860. & 861.
Leges multas civiles cur *Constantinus M.* abrogârit? p. 166. N. 1. ab eodem Leges cœlibatui & Virginitati odiosæ sublatæ pag. 166. N. 2. Lex illius de Testamentis correcta p. 167. N. 3. Aliæ leges Constantini ibid. Lex prima Constantini in favorem Christianæ Religionis p. 168. abrogat legem Papiam p. 169. N. 5. Leges Constantini contra HH. & Judæos p. 170. 171. N. 8. Lex contra Adulteros ibid. N. 9. Leges *Constantii* contra Gentiles p. 42. n. 7. ejusdem Leges pro Ecclesiasticis Personis, & Virginum præsidio p. 50. 51. n. 22. prohibet connubia inter propinquos ibid. Lex *Valentiniani* contra Ecclesiasticam immunitatem p. 404. n. 5.
Leges *Theodosii* contra Nuptias inter Patrueles p. 132. n. 1. contra Apostatas, quos Testamenti condendi facit incapaces p. 138. n. 12. Leges aliæ ejusdem p. 142. n. 19 p. 150. n. 29. Leges *Arcadii* pro bono Religionis p. 554. n. 22. Lex ejusdem infesta immunitati Ecclesiasticæ p. 554. n. 23. Leges *Honorii* in favorem Ecclesiæ p. 573. n. 37.

n. 37. Lex Romana quid sit? p. 678. Novellæ in Codice *Theodosiano* p. 677. Lex *Majoriani*, quâ viduas ad nuptias cogere videtur, explicatur p. 609. n. 1.

Legum multitudo quantum obsit Reipublicæ? p. 674. N. 1. Quo tempore numerus legum auctus & turbatus sit? p. 674. remedium primum, quo Valentinianus Legum dissidia castigavit, p. 674. N. 2. Alterum remedium, quod Theodosius adhibuit p. 675. N. 3.

Leo Imperator succedit Marciano p. 608. N. 3. Primus suscepit unctionem & coronationem ab Episcopo Constantinop. ibid. ejus consilio Majorianus & Anthemius Occidenti præficiuntur ibid. impetrat à Genserico Vandalorum Rege ut captiva Eudoxia reddatur libertati pag. 810. N. 4. mittit classem contra Vandalos p. 611. quæ proditur à Basilisco p. 612. Asparem ejúsque filium dat neci p. 613. Leonem nepotem creat Augustum pag. 616. n. 3. moritur, ibid. variæ Ecclesiæ ab illo ædificatæ p. 616. n. 4.

Leo Papa eligitur pag. 785. N. 19. Manichæos & Pelagianos persequitur p. 787. N. 20. ejus dissidium cum Hilario Arelatensi pag. 788. indicit Concilium contra Priscillianistas, p. 789. Theodoreti appellationem accipit p. 796. Conciliabuli Ephesini acta rescindit p. 796. petit novam convocari Synodum, ibid. mittit Legatos ad Concilium Ephesinum, p. 797. ejus ad Synodum epistola, probatur & subscribitur p. 799. rejicit Canonem 28. Concilii Chalcedonensis, p. 803. Attilæ in Italiam irruenti discessionem persuadet p. 804. N. 5. dissuadet, ne Hæreticis nova Synodus concedatur pag. 808, 809. n. 8. moritur p. 809.

Leontius Presbyter, p. 283. an ob hujus castrationem editus sit Canon 1. Nicænus? p. 283. n. 53.

Libanius Sophista & hostis Christianorum p. 232. ejus scripta ibid.

Liberius Papa communicat cum Athanasio p. 346. n. 23. petit Concilium institui Aquilejæ in causa Athanasii p. 345. ejus Legati prævaricantur in Conciliabulo Arelatensi ibid. consolatur Episcopos in Mediolanensi Synodo proscriptos p. 348. n. 24. ducitur Mediolanum jussu Constantii p. 349. ejus fortitudo, ibid. in exilium ejicitur p. 350. cui Felix substituitur Arianorum auxilio ibid. n. 25. Matronæ Romanæ pro Liberii restitutione supplicant Constantio p. 356. Demophilus & Fortunatianus eundem sollicitant ad lapsum pag. 359. labitur & Athanasii damnationi consentit p. 360. n. 33. subscribit formulæ primæ Syrmiensi p. 360. n. 34. non verò secundæ formulæ p. 363. n. 35. restituitur pag. 363. Ariminensis Synodi decretis non consentit p. 371. n. 39. & p. 375. Semiariani coram Liberio edunt professionem fidei p. 395. moritur Liberius ibid.

Libertas hominis pag. 898.

Licinius Imperator Constantiam Constantini sororem in uxorem ducit p. 20, vincit Maximinum, ibid. bellum primum ejus cum Constantino p. 21. cur hoc bellum susceperit? ibid. n. 37. Alterum bellum molitur contra Constantinum p. 22. n. 38. vincitur alterâ vice Licinius p. 23. tertium ejusdem contra Constantinum bellum p. 24. Licinii exitium p. 25. n. 40.

Literæ pacificæ, aut communicantes, p. 289. n. 64. p. 322. n. 3. cur formatæ subinde dicantur? p. 289. n. 64. an modus formatarum dictatus sit à Nicænis PP.? p. 289. n. 64.

Liturgia quid sit? pag. 500. cur variæ apud varias gentes Liturgiæ? p. 500. N. 2. Quid sentiendum de Liturgiis, quæ Apostolorum nomine circumferuntur? p. 500. N. 3. Liturgia S. Basilii p. 501. N. 4. difficultas in Liturgia S. Basilii occurrens solvitur pag. 501. N. 5. Liturgia S. Chrysostomi, p. 502. N. 6. variæ Liturgiæ & ritus aliarum nationum in quo differant? p. 502. N. 6. in quo conveniant? p. 503. N. 7.

Lucifer Calaritanus scribit ad Constantium, p. 377. Paulinum Antiochiæ Episcopum creat, & schisma inducit pag. 386. Dissidium ejusdem cum Eusebio Vercellensi, p. 386.

Lucii Dexteri Chronicon p. 896. N. 34.

Lucilla à Cæciliano Archidiacono increpatur p. 245. hujus fœmina ira eundem postea Carthaginensem Episcopum infestat ibid. & Donatistarum schismati dat occasionem ibid.

Lumina benè adhibentur in Ecclesiis p. 717. n. 47.

M.

MAcarius Episcopus Hierosolymitanus p. 293. Macedonius Constantinopol. Ep. persequitur orthodoxos p. 356. iram Constantii in se provocat ibid. ejus hæresis p. 378. confutatur p. 521. N. 3. damnatur in Concilio Constantinop. I. p. 423 N. 9. & p. 424.

Macrina soror S. Basilii, ejus virtus p. 383. n. 3.

Macrobius Aurelius scriptor saturnalium, p. 687.

Magistratus sæculares acerbè urgere non licet Episcopis in causis criminalibus p. 429. n. 11.

Magistri militiæ p. 172.
Magnentius Augusti titulum usurpat p. 44. ejusdem bellum contra Constantium p. 46. mors funesta p. 48.
Majorianus Imperator Occidentis p. 608. Leges ejusdem ibid. N. 3. & p. 609. n. 1. expeditio contra Visigothos p. 609. contra Vandalos ibid. mors Majoriani p. 609.
Maldra Rex Suevorum p. 636.
Mannhemii initia p. 104. n. 33.
Manualem laborem urget Augustinus tum apud Clericos, tum apud Monachos & quare? p. 697. n. 15.
Manumittendi potestas concessa Ecclesiis p. 170. N. 7.
Marcellini Comitis edictum pro Collatione Carthaginensi, p. 721. pro fide occumbit p. 729. n. 13.
Marcellinus Ammonius Historicus p. 233. N. 4.
Marcellus Pontifex p. 237. N. 2.
Marcellus Ancyranus absolvitur & cur? pag. 335. ab Athanasio proscribitur & quare? p. 343.
Marcianus Imp. p. 592. omina de ejus Imperio p. 591. n. 21. ejus virtutes p. 592. N. 13. conjux Pulcheriæ, ibid. fortiter resistit minis Attilæ, p. 593. N. 14. interest Concilio Chalcedonensi, pag. 800. N. 3., quod cum consensu Pontificis convocavit p. 842. N. 7. Attilæ filium in fœdus recipit p. 603. obitus p. 608. N. 3.
Marcomannorum conversio per S. Ambrosium p. 691. N. 2.
Marcus exercitator, & ejus scripta pag. 896. N. 34.
Marcus Pontifex p. 312. ejusdem obitus p. 316.
Maria Stiliconis filia p. 552 n. 12. funus ibid.
Maria Virgo est immaculatè concepta, p. est verè mater Dei p. 906.
Marius Mercator p. 888. N. 11.
S. Martinus Turonensis pag. 376. N. 35. ejusdem conversio ibid. fuit S. Hilarii discipulus p. 377. ejus Episcopatus, pag. 403. illius Monasterium p. 404. ejus obitus p. 702. quo anno obierit? p. 703. n. 25. quando ejus festum in Gallia celebrari cœperit? p. 703. n. 26.
Martyres sub Maxentio p. 237. n. 2. sub Licinio p. 260. n 27. 28. sub Juliano p. 385. n 5. sub Isdegerde p. 331. n. 11. sub Genserico Vandalorum Rege p. 784. & 807.
Martyrum bona à Constantino Ecclesiis transcribuntur pag. 261. n. 30. cultus pag. 391. n. 12. p. 717. n. 47. orant pro nobis ibid. Ad Martyrum memoriam celebrandam adhibentur Agapæ in Africa & cur? pag. 445. n. 5. abolentur p. 690. n. 1.
Maruthas Mesopotamiæ Episcopus, ejus humanitas erga exulem Chrysostomum p. 714. N. 12. Christianam Religionem propagat in Perside, p. 714.
Masceldelus fratrem Gildonem non sine prodigio vincit, pag. 539. n. 10. cui insidias & exitium struit Stilico p. 540.
Maxentius Augusti titulum arripit p. 7. Severum vincit ibid. à Patre Herculeo insidiis appetitur p. 9. ejus crudelitas & libido in urbe Romana p. 13. bellum movet contra Constantinum ibid. n. 23. conflictus illius cum Constantino p. 17. n. 28. 29. 30. ejus interitus p. 18. n. 31.
Maximianus constituitur successor Nestorii & Ep. CSt. p. 776.
Maximinus Cæsar sumit titulum Augusti in Oriente p. 10. vincitur à Licinio p. 20. ejusdem exitus ibid.
Maximus Petronius agitat maligna consilia adversus Valentinianum III. p. 604. rapit Imperium, p. 605. nubit Eudoxiæ Augustæ Valentiniani viduæ, ibid. ejus cædes p. 606.
Maximus rebellat contra Gratianum Imp. in Britannia p. 129. ejus exitium p. 136.
S. Maximus sacer scriptor p. 889. N. 12.
Maximus scriptor profanus p. 232.
Mediolanensis Synodus sub Constantio contra Athanasium p. 347. N. 20. & p. 348.
Melania cum Rufino in Orientem abit pag. 408. redit ex Palæstina in Italiam p. 698. n. 18.
Melchiades Papa p. 239. N. 2. celebrat Concilium Romæ contra Donatistas p. 146. n. 12. ejus Prudens dispositio in eodem Concilio p. 248. Donatum à Casis nigris damnat p. 249. à Donatistis perperam & malignè numeratus postea est inter Traditores p. 249 n. 14. moritur p. 252.
Meletius Lycopolitanus in Patriarchæ Alexandrini jura involat p. 281. N. 35. causa mitiùs deciditur in Nicæno Concilio p. 281. n. 49. quid statutum sit de Episcopis à Meletio ordinatis? p. 281. n 50.
Meletianorum iniquæ artes & calumniæ contra Athanasium p. 301. 302. & 306.
Meletius Ep. Sebastenus ab Arianis deligitur Antiochenus Episcopus p. 378. & in exilium ejicitur ab iisdem ibid. Meletius redit ex suo exilio pag. 417. N. 5. pax agitatur inter Meletium & Paulinum p. 417. Meletius moritur p. 422.

Meletianum schisma Antiochiæ pag. 379. crescit per ordinationem Paulini p. 386. consilia de hoc schismate extinguendo in irritum cadunt & cur? p. 411. & 412. post mortem Meletii per Flaviani ordinationem propagatur p. 422.

Mensurius Carthaginensis Episcopus ex Africa vocatur Romam ad Maxentium p. 244. N. 7. supellectilem Ecclesiasticam senioribus tradit, Indicem verò Aniculæ ibid. moritur ibid.

Merovæus Rex Francorum p. 647. an fuerit filius Chlodionis vel tantùm affinis? p. 647. n. 20. 21. ejus obitus & res gestæ, p. 648.

Messaliani HH. p. 442.

Methodus confutandi Adversarios qualis esse debeat secundùm Augustinum? p. 704 n. 27.

Metropoles Ecclesiasticæ earúmque forma p. 176. & 177. non mutantur mutatis Metropolibus civilibus p. 177. & 832.

Metropolitanorum jura p. 302. p. 76. p. 322. n. 4.

Milevitanum Concilium damnat Pelagium p. 734. ejus Synodica ad Innocent. Papam p. 735. n. 22.

Ministris Regum, quæ & quanta potestas dari debeat? p. 536. n. 8. causæ, gradúsque, per quos tales labi possunt in repentinum exitium p. 543. n. 16. remedia, quibus se à lapsu & ruina servare valent p. 557. n. 27.

Miracula patrata per reliquias S. Stephani p. 733. n. 20. pag. 734. n. 21. miraculo usus antiquus Chrismatis comprobatur p. 387 N. 7.

Missæ sacrificium à Christo institutum pag. 499. N. 1. partes essentiales Missæ, ibid. partes accidentales p. 500. Missa olim variis nominibus compellabatur p. 499. Missa Præsanctificatorum p. 392. n. 13. Missæ privatæ an olim licitæ fuerint? ibid. Missa Catechumenorum qualis fuerit? pag. 506. N. 5. Missa olim celebrata linguis tantùm in Ecclesia receptis p. 921. N. 9.

Mitræ Virginum quales fuerint? p. 387. n. 7.

Moguntiaci direptio p. 102. n. 29.

Monachi in Oriente pag. 258. 257. 329. 354. p. 526. N. 7. Asceesis Monastica quanti habita in primitiva Ecclesia p. 384. n. 4. p. 526. N. 7. p. 919. N. 7. vestimenta Monachorum Orientalium ibid. eorum abstinentia ibid. ordo divini officii p. 920. Multitudo Monachorum in Oriente ibid. Congregationes Monachorum ibid. Monachi fuerunt capaces olim condendi testamenti p. 921.

Monachi Origenistæ, vide Origenistæ.

Monasteria varia in Gallia pag. 920. Monasteriis Monachorum sine testamento morientium bono jure successionis ad eos pertinentia relinquit Theodosius II. p. 921.

Monasticæ vitæ utilitates p. 384. n. 4. Monastica vita S. Hieronymi p. 409. n. 9.

Moniales, earum multitudo in Oriente pag. 921. vivendi modus ibid. in Occidente pro Monialibus scripsit Regulam S. Augustinus pag. 921. Moniales cur Canonicæ dictæ olim fuerint? p. 48. n. 8.

S. Monica mater S. Augustini p. 434. N. 2. ejus pietas & Religio ibid. & p. 435. pius obitus p. 436.

Moriturientibus danda est absolutio p. 695. quod signum sufficiat in obmutescentibus? ibid. n. 12.

Mulier extranea aut sub introducta quænam sit? p. 283. n. 55. cum tali non licet habitare Clericis ibid.

N.

NEctarius Neophytus, creatur Episcopus Constantinop. p. 423. pro eodem petuntur formatæ à Pontifice ibid. quâ occasione publicum Pœnitentiarium deposuerit? pag. 441. n. 3. an etiam tunc Pœnitentiæ Sacramentum abrogârit? ibid. mortuo succedit Chrysostomus p. 697.

Neocæsariense Concilium p. 258. N. 16.

Neophyti non sunt statim promovendi ad gradus superiores Ecclesiasticos pag. 283. quam exceptionem hæc lex patiatur? ibid. n. 54.

Nestorius quis fuerit pag. 764. N. 7. discipulus Theodori Mopsvesteni, ibid. creatur Episcopus Constantinopolitanus p. 765. hæresin suam palàm prodit p. 765. n. 45. & p. 766. unde virus suum hauserit? pag. 766. n. 46. oppugnatur à Cyrillo p. 767. suscipit Pelagianos p. 768. N. 8. Catholicos Apollinarismi & Arianismi accusat, ibid. in aulam, dein in Orientem errorem propagat ibid. N. 9. damnatur à Cælestino Pontifice p. 769. damnatur quoque in Concilio Ephesino p. 772. N. 10. p. 773. N. 12. ejus exilium p. 776. mors impii Nestorii p. 784. N. 17.

Nestorianorum errores confutantur p. 905. N. 6. & p. 906. N. 6. Nestorianorum fraudes & molitiones p. 774. Cælestinus Papa decretum PP. Ephesinorum contra Nestorianos admoderatur p. 776. Nestorianorum Novi tumultus p. 778. & p. 780. N. 15. refragantes paci in exilium amandantur pag. 782. duodecimum Cyrilli capitulum exagitant p. 790.

Nicæas sacer scriptor p. 897.

S. Nilus pag. 894. N. 25.

Nisibis

Nisibis defenditur precibus. S. Jacobi Episcopi contra Persas p. 45. 46. n. 13. cur demum urbs ista erepta Romanis? p. 81. n. 23.
Nobilissimi quinam olim dicti sint? p. 173.
Nonnius Marcellus scriptor p. 230.
Nonnus sacer scriptor p. 896. N. 34.
Notitia Imperii quo tempore scripta? p. 688. N. 3.
Novemdecennalis Cyclus pro ordinatione Paschatis an in Nicæno Concilio conditus fuerit? p. 283. n. 52.
Nuncius Apostolicus quinam primus fuerit? pag. 805. n. 7.
Nuptias secundas non improbavit S Hieronymus pag. 876. Nuptiæ inter Patrueles à Theodosio prohibitæ & cur? p. 132. n. 1.

O.

OBlatio una Missæ olim facta in diebus Dominicis p. 336. n. 16.
Oblationes fidelium quænam fuerint? pag. 336. n. 16. & quis ritus earum? ibid.
Occidentis Imperium corruit, & quibus de caussis? p. 679. 680. 681. 682. & 683.
Odoacer Rex Italiæ p. 622.
Oecumenicum Concilium quisnam jure convocare possit? p. 463. rationes cur Imperatores & Principes Laici illud nec convocare, nec ei præsidere valeant, p. 465. argumenta Adversariorum solvuntur pag. 465. N. 4. an id confirmandi jus quoque sit penes Pontificem? p. 470. N. 8. Oecumenici Concilii authoritas p. 530. vide Concilium.
Olybrius Imperator, ejus obitus p. 615. N. 7.
Olympiodorus scriptor p. 688. N. 2.
Olympius Dux Romanus Honorio author est, ut Stiliconis proditoria consilia plectantur p. 556. & 557. ejusdem exitium p. 560.
Olympius sacer scriptor p. 897.
Oppidis in parvis non debent habitare Episcopi p. 524. N. 2.
S. Optatus Milevitanus & ejus scripta p. 515.
Orarium quale vestimenti sacri genus fuerit? pag. 815. N 5.
Ordinationum ritus p. 696. & 697.
Ordo divini officii apud Monachos p. 920.
Orestes fugato Julio Nepote Imp., ad filium suum Augustulum traducit Imperium p. 620. ejusdem exitus p. 622.
Oribasus scriptor p. 232.
Origenes, ejus libri in controversiam adducuntur p. 446. N. 10. ab Italiæ Episcopis hi proscribuntur p. 705. falsæ rationes, ex quibus quidam nolebant libros eos damnari p. 707 n. 31. Origenis liber de Principiis versus à Rufino dat initium Pelagianæ hæresi p. 699. n. 19. Origenes, in quo laudari possit & in quo non? pag. 701. N. 23.
Origenistæ defenduntur à Joanne Hierosolymitano p. 446. N. 10. & 11. ab Epiphanio & Hieronymo oppugnantur p. 446. damnantur à Theophilo Alexandrino p. 706. Monachi Nitrienses ejiciuntur, aliique Origenis fautores totâ Ægypto eliminantur, ibid. & p. 707. Palladio, Sozomeno & Socrati minor fides habenda, quando scribunt de Origenistis p. 706. n. 30. recipiuntur à S. Chrysostomo pag. 708. quo facto offenduntur Theophilus & Epiphanius ibid.
Originale peccatum probatur p. 726. n. 9. p. 763. n. 44. ejus ab Adamo in posteros propagatio p. 901. & 902. N. 3.
Orosius Presbyter ex Hispania mittitur ad Augustinum, p. 731. abit in Palæstinam ad S. Hieronymum, p. 732. N. 6. in Synodo Hierosolymitana accusat Pelagii errores, ibid. circumvenitur Joannis Hierosolymitani dolo, ibid. redit in Africam pag. 733 secum asportat Reliquias thaumaturgas S. Stephani p. 734.
Ostiensis Episcopus primus Pallium accepit pag. 313. n. 82.

P.

S. PAchomius cœnobiarcha pag. 304. & 518. ejus regula, quam pro Monachis ab Angelo dictatam accepit p. 303. n. 78.
Pacificæ literæ p. 322. n. 3.
Paganorum nomen cur Ethnicis datum sit? p. 447. n. 6.
Palatii Regii cura, quale officium? p. 576. n. 3.
Palæstinæ tres, quando ab Antiocheno Patriarchatu primùm abstractæ sint? p. 849.
Palla linostina quid fuerit? p. 743. n. 34.
Palladius scribit vitam Chrysostomi p. 896. fides ei in causa Origenistarum parva habenda est p. 706. n. 30.
Para Rex Armenorum ex perfidis consiliis Valentis Imperatoris interimitur p. 114.
Parmenianus Donatista oppugnatur ab Optato Milevitano p. 401.
Parthenones p. 304. p. 416. n. 3. & p. 920. N. 8.
Paschatis annua celebratio ordinatur in Concilio Nicæno p. 282. n. 52.

Patriarcharum nomen quando cœperit? p. 828. N. 1. eorum numerus ibid. officium ibid. limites ibid.

Patriarcha Occidentis est Romanus Pontifex p. 829. N. 2. Provinciæ illius Patriarchico juri subditæ p. 829. 834 835. 836. & 837. Jurisdictio ejusdem Patriarchalis in ordinationibus p. 830. N. 4. in cogendis Conciliis ibid. N. 5. in judicandis majoribus causis N. 6. & pag 831. controversia inter Pontificem & Constantinopolitanos Episcopos de Thessalonicensi Vicariatu exponitur, p. 832. & 833.

Patriarchatus Alexandrinus p. 845. N. 1. ejus origo, ibid. Dignitas & Procœdria ibid. N. 2. Patriarcharum Alexandrinorum specialis jurisdictio per Ægyptum p. 846. N. 3. p. 847. Provinciæ ad Patriarchatum pertinentes, p. 847.

Patriarchatus Antiochenus p. 845. N. 1. ejus Procœdria ibid. N. 2. Jurisdictio & limites, p. 847. N. 4. Provinciæ subditæ p. 850.

Patriarchatus Constantinopolitanus p. 853. N. 2. & 6. p. 854. N. 2. p. 855. N. 8. firmatur suffragiis Episcoporum Orientis pag. 859. N. 12. & per Canonem vigesimum octavum Concilii Chalcedonensis p. 860. Decreto huic reclamant Pontificis Legati ibid. & Pontifex ipse p. 862. N. 13. Constantinopolitani tamen Episcopi ab usurpatione juris non decedunt p. 863.

Patriarchatus Hierosolymitanus pag. 848. & 849. N. 5. 6. 7. Provinciæ illi subditæ p. 850. & 851.

Patriciatus quæ dignitas fuerit tempore Constantini M.? p. 172. N. 2.

S. Patricius Hiberniæ Apostolus p. 777. n. 50.

Patrimonium Ecclesiarum curabatur olim ab Episcopis p. 324. & 525. quâ ratione illud curare debuerint? p. 324. n. 7.

Paulianistæ HH. cur rebaptizandi sint? pag. 288. n. 60.

Paulinus Antiochenus creatur Episcopus à Lucifero Calaritano pag. 386. unde schisma Antiochenum augetur p. 411. Paulino favet S. Hieronymus p. 409. & Pontifex Damasus p 411. contradicit S. Basilius & quare? p. 412. Paulinus init pacis conditiones cum altero Antiochiæ Episcopo Meletio p. 417. Paulino mortuo surrogatur Flavianus, & schisma recrudescit p. 422.

Paulinus Diaconus scribit vitam S. Martini p. 895. citatus Romam venire recusat, & quare? p. 738. n. 26.

S. Paulinus Nolanus discipulus S. Ambrosii p. 691. n. 4.

Paulinus Magister officiorum jussu Theodosii, & innocens quidem occiditur p. 589.

Paulus Constantinopolitanus pro fide exul p. 319.

S. Paulus Eremita invisitur à S. Antonio pag. 328. pius obitus ejusdem ibid.

S. Pauphnutius p. 272. interest Concilio Nicæno ibid. an verum sit, quod contradixerit tertio Canoni Nicæno præcipienti castimoniam Sacerdotum? p. 284. n. 56.

Pax Joviniani Imp. cum Persis p. 29. Valentiniani cum Visigothis pag. 583. Pax perniciosa Julii Nepotis Imp. cum Visigothis p. 620. Pax redintegrata inter Orientales & Occidentales pag. 426. N. 12. Pax Nestorianorum cum orthodoxis sancitur p. 779.

Pelagiani Romanâ urbe proscribuntur pag. 750. N. 16. eorum errores confutantur de originali peccato p. 901. de baptismo parvulorum p 92. de Gratia p. 903. & 904.

Pelagius Hæresiarcha p. 772. N. 2. ejus origo ibid. an Abbas fuerit? p. 722. n. 2. imbuitur Romæ erroribus Rufini p. 723. n. 3. hæresin suam evulgat, ibid. scribit in epistolas Pauli Commentarios hæresi refertos p. 724. n. 4. cum Cælestio pergit Carthaginem p. 725. inde abit in Orientem, ibid. Demetriadem Virginem suo errore inficere conatur p. 729. n. 15. accusatur Hierosolymæ ab Orosio p. 732. N. 6. ab Erote, item & Lazaro, ibid. simulatio Pelagii & fraudes in Synodo Diospolitana, p. 733. furit in S. Hieronymum p. 733. N. 7. damnatur ejus error in Concilio Carthaginensi & Milevitano, p. 734. epistolâ dolosè se purgat apud Pontificem pag. 736. n. 25. damnatur à Zosimo p. 738. ab Honorio Imperatore proscribitur toto Imperio ibid. ejicitur Palæstinâ p. 754.

Pensionum Ecclesiasticarum origo p. 802. n. 5.

Persarum bellum contra Constantinum M. p. 34. N. 25. contra Constantium p. 39. N. 2. p. 62. contra Julianum p. 74. 75. 76. contra Theodosium Juniorem p. 585.

Persecutio Maxentii & Galerii contra Christianos p. 236. & 237. N. 2. n. 2. Persecutio Maximini p. 239. N. 3. Persecutio Licinii p. 24. & 259. n. 26. Persecutio adversus Christianos in Perside pag. 331. n. 11. & p. 749 de Persecutione præmonentur fideles visione crucis p. 344. n. 22. Persecutio Juliani p. 385. n. 5. Persecutio Donatistarum contra Catholicos p. 387. n. 7. Persecutio Vandalica p. 784. N. 18. p. 807. N. 8.

Personæ unitas in Christo p. 905. & 906.

Petrus Alexandrinus pag. 509. N. 2. deceptus ab Ario eundem Diaconum creat pag. 262. quid sentiendum sit de visione, quæ eidem Petro exhibita dicitur de Ario Hæresiarcha futuro? p. 262. n. 31.
Peutingerianæ tabulæ quid sint? p. 688.
Pharamundus (ùt dicitur) Rex Primus Francorum, p. 642. controvertitur ejus nomen ibid. n. 8. ejus origo n. 9. Regnum n. 10. tempus, quo cœperit regnare p. 643. n. 11 objectiones contra Pharamundi Regnum factæ solvuntur pag. 643. n. 12.
Pharetrii Episcopi duritiès contra exulem S. Chrysostomum p. 714.
Philostorgius scriptor p. 891. N. 15.
Photinus Hæresiarcha p. 332. N. 10. damnatur in Mediolanensi Synodo p. 333. deponitur p. 343. N. 18.
Picti, eorum origo p. 684. N. 1. & 2. illorum variæ irruptiones contra Britones p. 659.
Pilati Acta ad corruptelam Juventutis à Maximino evulgantur p. 240. n. 5.
Placidia soror Honorii capitur ab Alarico p. 562. & 630. nubit Ataulpho successori Alarici p. 566. & 630. n. 11. post mortem Ataulphi redditur Honorio à Visigothis p. 632. desponsatur Constantio Duci Romano & postea Augusto p. 569. post hujus mortem ejicitur ex aula Honorii p. 573.
Planeta Vestis sacra & qualis? p. 816.
Plenaria Synodus, quid hâc voce intelligatur? p. 453. & 455.
Pœnitentiarius Presbyter abrogatur Constantinopoli p. 441. n. 3.
Pœnitentiæ Sacramentum p. 909. & 910.
Pons à Constantino prope Agrippinam constructus p. 8. n. 15.
Pontifex Romanus, ejus Primatum malè deducit Molineus à tempore Phocæ p. 286. n. 57. ejus authoritas Rescripto Gratiani defenditur p. 415. n. 1. 2. habet jus supremum ac legitimum convocandi Concilia Oecumenica p. 465. 466. 467. Item iis præsidendi p. 468. 469. demum confirmandi p. 470. N. 8 & p. 471. 472 multiplex Jurisdictionis genus est in Pontifice, quatenus diversam Personam aut officium gerit p. 474. N. 2. Canone sexto Nicæno exponitur Pontificis potestas immediatè ordinandi Episcopos, colligendi Synodos in Provinciis Suburbicariis p. 477. 478. 479. Synodis Provincialibus Pontifex tribuit authoritatem p. 486. N. 5. Appellationum jus, & antiquitas ad Pontificem p. 489. 490. 491. non id jus primò deducitur à Synodo Sardicensi p. 492. 493. quâ ratione ordinationes Metropolitanorum in Occidente à Pontifice profluxerint? pag. 830. Potestas Romani Pontificis in Occidentalibus Synodis pag 831. Pontificis controversia cum Constantinopolitanis Episcopis de Vicariatu Thessalonicensi in Illyrico Orientali p. 832. 833. Primatus jurisdictionis Pontificiæ p. 911. Synodica post Concilium semper mittebatur ad Pontificem p. 912.
Pontificis nomen & origo apud Gentiles p. 223. N. 1. Imperatores Ethnici dicti sunt Pontifices ibid. Idem dicit Zosimus de Christianis Imperatoribus ibid. quod & Baronius aliíque asserere videntur ex ratione non improbabili p. 224. N. 3. Goldastum cum aliis Novatoribus hìc insigniter errare, ostenditur p. 224. N. 4. p. 225. N. 5. sententia Tillemontii & Pagii proponitur, qui negant, Principes Christianos titulum Pontificis à Gentilibus acceptâsse p. 226. N. 6. difficultates contra hanc sententiam solvuntur p. 227. N. 7.
Pontificum decretales Epistolæ, quænam possit dici prima genuina inter illas & omnibus probata? p. 430. n. 13.
Pontius Paulinus scriptor sacer p. 887. N. 8.
Possidius scriptor vitæ S. Augustini p. 891. N. 16.
Preces pro mortuis p. 419. & p. 417. n. 4.
Presbyter non debet habere secum mulierem extraneam p. 283. n. 55. continentiam de novo Presbyteris & Diaconis præcipit Innocentius pag. 716. n. 45. pœnis Ecclesiasticis coërcet incontinentes ibid. n. 46. Presbyteris Pœnitentiariis quando licuerit reconciliare publicè pœnitentes? p. 695. n. 11. an Presbyteri sint æquales Episcopis? p. 915. mens Hieronymi examinatur & negativa ex eodem Patre sententia asseritur p. 916. 917. in Presbyterorum officium non licet se ingerere Diaconis pag. 287.
Primates apud Afros quinam fuerint? p. 912. N. 3. Alii Primates per Occidentem ibid. Primas Arelatensis, ejúsque controversia cum Viennensi p. 913.
Primitiæ olim datæ fuerunt Ecclesiis p. 352. n. 26.
Principis institutio qualis esse debeat? p. 669. 670. quas scientias debeat possidere? p. 670. 671. quæ sint potissimæ Principales Virtutes? p. 672. 675. Principes bonos cur Deus quandoque citiùs subtrahat? p. 85. & 86. n. 34.
Priscillianistæ p. 420. eorum errores, ibid. n. 5.

Priscillianus p. 420. ejectus è sede sua restituitur per decretum Gratiani p. 421.
Priscus Sophista p. 688.
Proæresius orator p. 231. N. 3.
Proclus p. 892. N. 20.
Procopius Tyrannus in Oriente sumit purpuram p. 91. ejusdem origo & studia p. 92. quâ ratione venerit ad Imperium? p. 92. 93. n. 12. 13. Valentis bellum contra Procopium p. 94. Procopius proditur à suis & neci datur p. 96.
Prosper pag. 895.
Proterius in locum Dioscori substitutus p. 804. N. 5.
Provinciarum sub Constantino nova partitio in Diœceses p. 173. & 174.
Provinciæ quinque Galliæ p. 403. n. 4.
Prudentius Aurelius Christianus Poëta p. 885. N. 4.
Psalmodia quando cœperit alternis versibus cantari? p. 777. n. 51.
Pulcheria soror & tutrix Theodosii II. pag. 570. quâ ratione hunc Principem in scientiis & moribus institui fecerit? p. 668. 669. 670. ex aula Chrysapii fraudibus abigitur p. 588. in aulam revocata rempublicam turbatam restituit p. 590. Ad illam post mortem Theodosii devolvitur Imperium p. 591. N. 12. cum Marciano contrahit matrimonium n. 21. ejus obitus p. 601. N. 18. n. 32.

Q.

Quadorum in Valeriam irruptio p. 109. N. 18.
Quartadecimani p. 288. n. 61.

R.

Radagaisus Rex Gothorum Italiam vastat, & repellitur pag. 546. 547. in Italiam irruptio p. 549. vincitur secundâ vice non sine prodigio à Stilicone p. 549.
Ravenna deligitur in sedem Imperii Occidentalis p. 548. n. 18. & 19.
Rechila & Riciarius Reges Suevorum p. 633.
Rejensis Synodus p. 785. N. 19.
Religio vera est in sola Ecclesia Catholica p. 690. n. 2.
Reliquiæ S. Stephani p. 733. prodigia ab his facta ibid. n. 20. & p. 734. n. 21.
S. Remigius Francorum Apostolus p. 812.
Resectis & profligatis à communione per unum Episcopum alter Episcopus communionem dare nequit p. 525.
Ricimeri origo pag. 607. ejus victoria de Vandalis ibid. Avitum Imperatorem spoliat purpurâ p. 607. item Majorianum Imp. trucidat p. 609. Severum Imp. occidit p. 610. Anthemio Imp. insidiatur pag. 614. & eundem interficit ibid. ejus mors p. 615.
Ripuaria, quæ regio fuerit? p. 641. n. 7.
Rogationes ante festum Ascensionis quando cœperint? p. 810. n. 10.
Roma, ejus afflictus status sub Maxentio pag. 13. n. 22. à Visigothis capitur pag. 663. N. 1. quo anno Roma capta fuerit à Barbaris? pag. 664. mensis & dies captæ urbis p. 665. an proditione Visigothi ceperint urbem? p. 666. Vastatio illata urbi pag. 667. N. 5. quibus Ecclesiis jussu Alarici parcitum? p. 668. Roma secundò expilatur à Genserico p. 606.
Romanæ sedis prærogativæ vide Pontifex. Concilium.
Romana Synodus contra Donatistas p. 426.
Rufinus Aquilejensis abit cum Melania in Orientem p. 408. audit Didymum Origenis expositorem, ibid. Hierosolymæ vivit ibid. quando ex Oriente redierit in Occidentem? p. 698. n. 18. vertit libros Periarchon Origenis p. 699. n. 19. disseminat errores Origenis in Occidente p. 699. n. 20. S. Hieronymum in partes Origenistarum trahere conatur p. 699. n. 21. vertit historiam Eusebii p. 703. scribit contra Hieronymum ibid. citatur Romam ab Anastasio Papa pag. 700. & damnatur p. 705. ejusdem obitus pag. 724. N. 3. Rufinus an hæreticus fuerit? p. 724. n. 7.
Rufinus ab Honorio tutelæ Arcadii præficitur, p. 533. n. 3. filiam suam frustra conatur jungere Arcadio p. 534. ulturus sui contemptum Barbaros in Græciam provocat, pag. 534. n. 5. ejus simultas cum Stilicone & æmulatio p. 535. exitium Rufini p. 536. n. 7. causa ruinæ ibid. n. 8.
Rutilius scriptor pag. 687.

S.

Sacerdotii dignitas p. 910.
Sacramentum Catechumenorum quale fuerit? p. 693. n. 8. ad Sacramentorum valorem non requiritur Ministri sanctitas p. 876.
Sacrificium Eucharistiæ p. 522. N. 4. Sacrificium pro mortuis p. 436.
Sacrificium Missæ à Christo institutum p. 499. N. 1.
Salicæ leges pag. 643. n. 13.
Salvianus Presbyter deplorat vitia sui temporis scilicet sæculi V. pag. 681. 682. 683. opera ejus p. 894. N. 27.

Salutationem, quæ Dominica dicebatur, facere non licet Lectoribus aut Diaconis p. 693. n. 7.

Sanctorum cultus pag. 391. n. 12. cur Laodicena Synodus quædam præscripserit ratione cultûs Angelorum? ibid.

Saraceni p. 399. n. 3.

Sardicensis Synodus p. 333. Patres, qui huic Concilio interfuerunt ibid. n. 13. Ariani detrectant interesse Synodo p. 334. & Philippopoli Pseudo-Synodum celebrant p. 334. & 337. Sardicenses Patres nullam fidei Professionem edidêre p. 335. n. 15. absolvunt Athanasium & Marcellum Ancyranum p. 335. n. 14. ejusdem Concilii Canones p. 336. N. 13. jus appellationum ad Pontificem in hac Synodo non primò est introductum p. 488. N. 2. 3. p. 489. 490. sed confirmatum tantùm p. 492. opinio Petri de Marca refellitur p. 492. N. 6. & p. 493. N. 7. An Canones Sardicenses seriùs in Ecclesia sint recepti? p. 494. quo tempore in Oriente robur & vigorem acceperint? p. 495. N. 9. quando in Occidente? pag. 496. N. 10. objectiones solvuntur p. 497. N. 11 quid speciale hac in re Africanæ Ecclesiæ habuerint? p. 498. N. 13.

Satyrus S. Ambrosii frater in naufragio collo alligat Eucharistiam sub unâ specie p. 417. baptizatur ibid. moritur & pro mortuo funduntur preces p. 417. n. 4.

Saxones, eorum origo & fortitudo p. 685. N. 4. quæ eorum prima Patria? p. 686. Transmigrationes illorum ibid. an Saxonum nomen fuerit generale complectens Anglos & Jutas &c? p. 686. N. 5. Saxones à Vortigerno Britonum Rege vocantur in Britanniam pag. 660. n. 3. Saxonum & Anglorum Regnum in Cantio p. 662.

Schisma Donatistarum p. 245. Schisma Antiochenum incipit p. 379. augetur p. 386. magis invalescit p. 411. consilia de extinguendo eodem schismate in irritum cadunt, ibid. propagatur post mortem Meletii p. 422. nec post mortem Paulini extinguitur p. 443. quo tempore defierit? ibid.

Schisma Ursicini Antipapæ contra Damasum p. 395. Schisma Eulalii Antipapæ contra Bonifacium, p. 744.

Scoti, eorum origo transmigratio & Regnum pag. 685. N. 3. eorum variæ irruptiones in Britanniam p. 659. 660.

Seleuciensis Synodus in suas factiones nempe Anomæorum & Semiarianorum divisa pag. 371. & 372.

Semiariani, eorum initia & error p. 362. Antesignanus eorum Basilius Ancyranus pag. 362. prævalent in Synodo Seleuciensi p. 372. Semiariani Episcopi Nicæno Symbolo subscribunt coram Liberio & in communionem admittuntur p. 395.

Semipelagiani, eorum errores p. 759. confutantur à S. Prospero pag. 780. n. 54. p. 781. n. 55. 56. Item p. 904. N. 5.

Serapidis origo & ejus delubrum p. 137. n. 11.

S. Severinus Noricorum Apostolus p. 812.

Severus Imperator Occidentis pag. 610. N. 4. ejus mors ibid.

Sextus Pompejus Festus scriptor p. 231.

Sextus Aurelius Victor, p. 231. alter ejusdem nominis p. 234.

Sideres Philippus Historicus p. 896. N. 34.

Sidonius Apollinaris p. 895.

Sigericus Rex Visigothorum p. 631. illius crudelitas in Placidiam & ejus filios ibid. & p. 632.

Simeonis Stylitæ vita & obitus p. 810.

Simplicianus Episcopus & successor S. Ambrosii p. 692. N. 3.

Simplicius Pontifex p. 812.

Siricius Papa creatur p. 430. ejus prima epistola decretalis genuina ibid. n. 13. literas formatas concedit Rufino Aquilejensi, à quo deceptus fuerat, p. 700. moritur ibid. n. 22.

Sixtus III. Pontifex pag. 778. conciliare conatur dissidium Orientalium in causâ Nestorii p. 778. 779. moritur p. 785. N. 19.

Socrates Historicus p. 893. N. 23. quanta fides illi habenda in causa Origenistarum? p. 706. n. 30. an de Novatianorum sectâ fuerit? ibid. ejus Historia, & quid de hac sentiendum? p. 893.

Solicinium quis locus fuerit? p. 102. n. 30.

Sozomenus Hermas Historicus p. 894. N. 24. ejus Historia ibid. Censura istius operis à Gregorio M. lata declaratur ibid.

Spectaculorum editio cur & quo sensu Clericorum filiis prohibita sit? p. 694. n. 10.

S. Spiridion Episcopus Trimithuntis pag. 272. in quadragesima suillas carnes apponit hospiti & cur? ibid. n. 44. vincit doctissimum Philosophum fidei suæ simplicitate p. 274.

Spiritus S. divinitas p. 423. 424. p. 521. N. 3. p. 522.

Stilico tutor filiorum Theodosii constituitur p. 149. ejus simultas cum Rufino pag. 535. illius expeditio contra Alaricum Gothorum Regem p. 537. Radagaisum mirabiliter vincit p. 549. provocat Barbaros in Galliam p. 550. novas ciet turbas

in

in Imperio operâ Alarici p. 553. Stiliconis seditiosa consilia contra Honorium p. 556. an etiam criminum horum reipsâ reus fuerit? ibid. n. 26. Stiliconis & familiæ ejus exitium p. 557. n. 27.

Stola vestis sacra & ejus origo p. 816.

Styli diversitas non semper arguit diversum Authorem p. 869.

Suburbicariæ Provinciæ quænam fuerint? p. 475. N. 4. an per eas intelligatur parvus districtus Romanus? ibid. an totus Occidens? p. 476. N. 5. verior sententia proponitur & probatur p. 477. N. 6.

Successor Episcopo viventi dandus non est p. 289. n. 62.

Suevi se Vandalis jungunt p. 550. evastant Gallias ibid. n. 20. & p. 626 irrumpunt in Hispaniam p. 563. & 628. obtinent pro parte sua Gallæciam p. 564. Carthaginensem Provinciam subjugant pag. 633. eorum bellum cum Visigothis p. 635.

Sulpitius Severus p. 887. N. 6.

Supellex sacra unde olim comparata sit pro Ecclesiis? p. 819. N. 3.

Symbolum Nicænum pag. 280. n. 48. Constantinopolitanum, p. 423. & 424. n. 8. Symbolum S. Athanasii, an hunc ipsum authorem habuerit? p. 313. n. 83. item p. 814.

Symmachus Aurelius p. 234. N. 6.

Syncelli quinam ita dicti? p. 526. N. 6.

Synodi Provinciales bis in anno celebrabantur p. 323. earundem usus & frequentia pag. 484. & 485. N. 2. causæ quæ agitatæ sint in Synodis Provincialibus p. 485. N. 3. Modus agendi in Synodis Provincialibus usitatus pag. 485. N. 4. unde authoritatem accipiant Synodi Provinciales

Synodi Antiochenæ Canon duodecimus legitimus p. 323. n. 5. talem non allegavit Theophilus Alexandrinus, sed alium ab Arianis editum, ibid. unde meritò à Chrysostomo hic postremus Canon utpote Hæreticorum rejectus est, p. 713. n. 41.

Synodus Alexandrina p. 385. Antiochena p. 320. Arelatensis p. 251. Cæsaraugustana & ejus Canones p. 420. Carthaginensis prima p 340. n. 19. plenaria p. 738. 739. n. 7. Hipponensis p. 445. Lampsacena p. 393. Laodicena pag. 389. ejus Canones ibid. Mediolanensis p. 347. Romana p. 426. Sardicensis p. 333. n. 13. ejusdem Canones p. 336. N. 13.

Synodus plenaria pag. 738. 739. n. 27. quo sensu Carthaginenses Synodi plenariæ dicantur? ibid.

Synodus Romana p. 426. comprobavit acta Synodi Constantinopolitanæ, ibid. N. 12.

T.

Tarsus urbs pag. 83. n. 29.

Templa Idolorum omnino destructa p. 447. n. 6.

Theodoretus Episcopus Cyrensis pag. 889. N. 13. scribit contra Cyrillum pag. 770. N. 9. p. 778. negat cum Cyrillo pacem iniri posse ibid. pertinax in dissidio ejicitur in exilium pag. 782. Negat subscribere damnationi Nestorii ibid. deponitur in Conciliabulo Ephesino pag. 794. N. 24. Ad Pontificem provocat pag. 795. ad Concilium Chalcedonense admittitur & restituitur; facto tamen priùs testimonio fidei p. 800. detestatur palam Nestorium & Eutychetem p. 806. opera ejus, operúmque editio p. 889. N. 13. & p. 890. quare in sua historia nil scripserit de Ephesinâ Synodo? p. 889.

Theodoricus I. Rex Visigothorum, fœderatus Romanorum contra Attilam p. 595. occumbit in Catalaunico conflictu p. 598.

Theodoricus II. p. 635.

Theodorus Mopsvestenus p. 753. ejus Monachatus & Episcopatus ibid. jacit fundamenta Pelagianorum p. 753. moritur p. 764.

Theodosius Parens Theodosii M. in Africa pacem restituit p. 108.

Theodosius M. à Gratiano in Collegam Imperii adsciscitur p. 124. n. 24. 25. & 26. baptizatur ab Ascholio p. 126. n. 31. ejus cura circa Ecclesiam p. 126. Theodosio Magno Arianos per disputationes publicas conciliare Volenti obsistit Nectarius pag. 428. N. 13. Item Amphilochius Iconiensis à favore erga Arianos illum revocat p. 428. Gothos recipit in Thraciam p. 127. sollicitudo pro Ecclesiis p. 132. n. 1. mansuetudo p. 132. bellum contra Maximum p. 136. venit Romam p. 137. Thessalonicensium cædes p. 439. Pœnitentia publica p. 138. & 440. decernit bellum contra Eugenium p. 142. apparatus ad hoc ipsum bellum pag. 142. & 443. conflictus cum Eugenio p. 144. Victoria p. 146. morbus mors, & funus pag. 149. ejus virtutes pag. 150. Paganorum ritus proscribit p. 447. Imperium inter filios partitur p. 149. & 532.

Theodosius Junior Imp., quis ejus tutor fuerit? p. 555. n. 24. ejus Institutio ad scientias & virtutes

tutes p. 669. 670. 671. 672. & 673. creat Valentinianum III. Cæsarem, & exercitum mittit contra Joannem Tyrannum p. 576. n. 4. Codex Theodosianus p. 584. item pag. 674. 675. 676. 677. & 678. bellum parat contra Gensericum Vandalorum Regem p. 584. revocat classem ex Africa in Orientem p. 585. ejus obitus p. 590. nimiùm indulgenter cum Nestorianis agit pag. 773. N. 11.

Theophilus Alexandrinus oppugnat Anthropomorphitas p. 705. N. 9. à Monachis Origenistis infestatur ibid. damnat scripta Origenis & proscribit p. 706. pertinaces Monachos Ægypto eliminat ibid. factum id probat S. Hieronymus, p. 707. simultatem gerit cum Chrysostomo & cur? p. 708. vocatur Constantinopolim ab Eudoxia Augusta: præest Synodo ad Quercum & deponit Chrysostomum p. 709. recedit in Ægyptum, p. 711. N. 11. Canonem Antiochenum citat contra Chrysostomum, sed qui erat Arianorum p. 713. n. 41.

Thermantia Stiliconis filia altera uxor Honorii p. 552. n. 21.

Thessalonicensium cædes pag. 439.

Thessalonicensis Ecclesiæ Privilegia & Vicariatus Apostolicus p. 832. N. 7.

Thorismundus Rex Visigothorum occiditur à fratre Theodorico p. 601. & 634. N. 8.

Thracia à Gothis expilatur pag. 118. in eandem à Theodosio recipiuntur Gothi p. 127 N. 13.

Timotheus Ælurus Proterio occiso invadit sedem Alexandrinam p. 807. N. 9. deponitur p. 809.

Tituli Romæ quid significârint? p. 524.

Tractoriæ literæ p. 220.

Translationes Episcoporum illicitæ p. 324. n. 6.

Trevirensis urbis evastatio triplex à Francis aliisque Barbaris p. 641. n. 5. 6.

Tribunal politicum non debent interpellare Ecclesiastici p. 432. n. 1.

Tyriensis Ecclesiæ forma ab Eusebio descripta p. 450.

Tyriensis Synodus p. 305. ejus sententia contra Athanasium p. 310.

U.

VAlens Basilium ad Arianam sectam trahere conatur p. 405. n. 6.

Valens, ejus bellum infelix contra Procopium p. 94. cum Gothis paciscitur p. 99. sævities ejus in Catholicos p. 113. n. 2. p. 395. N. 5. orthodoxis hæreticos Episcopos surrogat p. 396. à Themistio Gentili Philosopho absterretur à persecutione Catholicorum p. 398. Valentis prælium cum Gothis p. 121. vivus exuritur pag. 122. n. 20. virtutes ejus & vitia p. 122.

Valens Episcopus Arianus p. 307. ejus ficta pœnitentia p. 341. perfidia pag. 344. dolosa fidei professio p. 369.

Valens subscripturus decreto exilii contra Basilium, divinitus absterretur p. 406.

Valentiniani lex Ecclesiasticæ immunitati contraria p. 404. n. 5.

Valentinianus I. Imperator, ejus gestæ res ante Imperium p. 87. Genealogia p. 86. n. 1. illius electio & coronatio p. 88. n. 4. fratrem Valentem sibi associat, p. 89. n. 7. profitetur jus sacrorum ad Sacerdotes pertinere p. 90. cum Valente partitur Imperium p. 91. N. 4. abit Treviros p. 103. n. 31. Macriano Alemannorum Regi in cassum struit insidias, p. 106., ejus Leges illaudatæ p. 107. pax Valentiniani cum Macriano pag. 110. movet contra Quados, ibid. ejus mors repentina p. 111. n. 42. vitia & virtutes p. 111. N. 21.

Valentinianus II. Augustus creatur p. 113. à Maximo Regno suo expellitur p. 135. n. 8 incurrit odium Gentilium p. 138. mors ejusdem adhuc Catechumeni & funus p. 140. n. 16.

Valentinianus III. Romæ Augustus pronunciatur, p. 578 n. 6. nubit Eudoxiæ p. 583. N. 7. transigit cum Genserico p. 585. occidit Aëtium p. 604. Idem trucidatur ab Aëtii amicis ibid.

Vandali vocantur in Africam, pag. 580. 654. n. 5. eam invito Bonifacio sibi occupant p. 580. Persecutio Vandalica contra Christianos, pag. 784. N. 18. eorum irruptiones in proximas insulas, & in Orientem p. 584. expilant Romam p. 606.

Varanis bellum adversus Imperium p. 571.

Vasa sacra adhibita in primitiva Ecclesia p. 818. N. 1. 2. eorum varietas p. 820. 821. 822. vasa & instrumenta apud Græcos usitata p. 822. N. 9.

Vasense Concilium p. 787. n. 59.

Venetica Synodus p. 806. N. 7.

Versio sacræ Scripturæ Latina quænam apud Occidentales antiquior fuerit? pag. 875. Versio S Hieronymi facta ex Hebraicis fontibus ibid. quando hæc authoritatem apud Occidentales obtinuerit? ibid. rationes, cur hæc versio recepta sit? p. 875. & 876.

Vestales Virgines inferiores multò Virginibus Christianis p. 125. n. 29.

Vestes sacræ usitatæ fuerunt in T. V. p. 813. & in Primitiva Ecclesia p. 814. N. 2. non sunt de-

sumptæ ab Ethnicis p. 813. N. 2. distinguebantur à civilibus vestibus p. 814. N. 4. vestes sacræ specialiùs recensentur pag. 815. 816. 817. objectiones Novatorum solvuntur pag. 817. N.6.
Vesuvii insolitus æstus p. 615. N. 8.
Victor Aquitanus p. 895. N. 30.
Victoriæ Ara p. 125. n. 28.
Victorinus, ejus Poëma p. 897.
Victoris commonitorium p. 897.
Vigilantius cujas fuerit? p. 716. n. 44. Vigilantii hæresis p. 716. N. 14. oppugnatur à S. Hieronymo p. 717. n. 47.
Vigiliæ & hymni sacri in Ecclesia bene adhibentur p. 717. n. 47.
Vigilius Diaconus scripsit regulam Monasticam pag. 897.
Vincentius Lerinensis p. 892. N. 22.
Virginitatis prærogativa p. 416. n. 3. Virginitatis speciale insigne olim p. 237. n. 2.
Virginitatis studium ab Ambrosio laudatur p. 416. earum prærogativa in Ecclesiis n. 3. quas Virgines Synodus Cæsar-Augustana velit velari in anno ætatis 40. & cur? p. 421. n. 6.
Virginum variæ classes, pag. 416. n. 3. Virgines quando velandæ? p. 421. n. 6.
Visigothi, expilant Romam p. 562. fundant Regnum in Gallia pag. 630. contra Hunnos pugnant p. 596. & 597. contra Suevos agunt in Hispania p. 607.
Vitia Politica Reipublicæ Romanæ in sæculo V. p. 680. vitia morum in civibus Reipublicæ Romanæ ibid. N. 3. & p. 681. vitia & peccata peculiarium singularum Provinciarum p. 681. 682. ob vitia eadem ad Barbaros translatæ sunt Provinciæ & Regnum Occidentis p. 683.
Ulphila Gothorum Episcopus legatione fungitur pro suis apud Valentem Imp. pag. 412. N. 20. Gothos traducit ad Arianismum, ibid.
Unctio extrema an infirmis aliquando collata sit ante Eucharistiæ administrationem? pag. 238. n. 4.
Universalitas fidei orthodoxæ per totum orbem p. 389. n. 8.
Vortigernus Britanniæ Rex vocat Saxones in Angliam pag. 660. nubit Hengisti Saxonis filiæ p. 661. deponitur p. 661.
Ursacius Arianus Episcopus ejus fraudes & perfidia p. 341. & 344.
Ursicini schisma p. 395. n. 1. novæ ejus molitiones coërcentur p. 414.
S. Ursulæ & Sociarum Martyrium quando evenerit? p. 804. n. 6. & p. 429. n. 10.
Usiæ significatio & hypostasis nomen varii sententiis olim acceptum est p. 412. n. 11.

W.

Wallia Rex Visigothorum succedit Sigerico p. 632. N. 6. fœdus ejus cum Romanis ibid.

Z.

Zeno Imp. ejus Imperii maligna initia p. 617. à Basilisco regno ejicitur pag. 617. restituitur pag. 618. Armatium Basilisci proditorem punit & cur? p. 619.
Zosimus Historicus Gentilis & osor Christianorum Principum p. 208. N. 1. & p. 688. eundem an benè vindicârit Leunclavius? pag. 208. falsò Constantinum avaritiæ & vilissimi quæstûs accusat p. 209. mentitur exactiones crudeles à Constantino factas p. 209. N. 3. fingit Constantinum negligentem Imperii fuisse p. 210. N. 5. perperam Ethnicas superstitiones primo Christiano Imperatori impingit p. 211. N. 6.
Zosimus Pontifex decipitur à Cælestio Pelagii discipulo p. 737. ab Afris certior factus de dolo, damnat Cælestium p. 738. moritur p. 743.



Emendanda in hoc ſecundo Volumine.

pag. 33.	fratres	fratre
92.	Juliano	Julianus
93.	Conſtantinoli	Conſtantinopoli
95.	exmeplo	exemplo
110.	immunitas	immanitas
123.	ſolis orthodoxis	ſoli orthodoxi
144.	militæ	militiæ
163.	Prudentis	Prudentius
212.	animubus	animabus
233.	lapido	lepido
238.	ugnatque	ungatque
324.	Epiſcopos	Epiſcopus
330.	Gregorium	Gregorius
333.	78.	178.
369.	orthodorum	orthodoxorum
562.	Auguſti	Septembris
601.	(*) 32.	31.
602.	(*) 33. 34.	32. 33.
603.	(*) 35.	34. 35. omittatur.
623.	Remiſmundus	Remiſmundo
641.	reſumebunt	reſumebant
646.	flavium	fluvium
703.	celebratam	celebratum
706.	paucas	paucos
708.	Ephanium	Epiphanium
709.	condemnatam	condemnatum
712.	*ad marginem* 444.	404.
729.	CCCCXLVII.	CCCXLVII.
749.	Varane	Varani
In Indice lit. B.	Baſilius Ancyranus Anomæorum	Semiarianorum

Cætera benevolus Lector corriget.

DAUDE
HISTORIA
UNIVERSALIS


BUS



HISTORIA
NIVERSALIS
ET
PRAGMATICA
MANI IMPERII,
GNORUM, PROVINCIARUM,
Unà
M INSIGNIORIBUS MONUMENTIS
ARCHIÆ ECCLESIASTICÆ
PROBATIS SCRIPTORIBUS CONGESTA,
RVATIONIBUS CRITICIS AUCTA
ATQUE
EOLOGIÆ POSITIVÆ, JURISPRUDENTIÆ,
C PHILOLOGIÆ PECULIAREM USUM,
XIONIBUS DOGMATICIS, POLITICIS,
& CHRONOLOGICIS ILLUSTRATA.

AUTHORE
ADRIANO DAUDE S. J.
logiæ Doctore, & in Alma Universitate Wirceburgensi
Historiarum Professore Publico & Ordinario.

TOMUS II.
PARS SECUNDA
tur Historiam sæculi sexti, septimi & octavi deductam à lapsu
talis Imperii ad initia Caroli M. Imperii ejusdem Restauratoris.

Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.
* *
RGI, Sumptibus LOCHNERI & MAYERI Bibliopol. Norimbergens.
is Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Univ. Typogr. 1754.

HISTORIA UNIVERSALIS ET PRAGMATICA ROMANI IMPERII, REGNORUM, PROVINCIARUM,

Unà

CUM INSIGNIORIBUS MONUMENTIS
HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ
EX PROBATIS SCRIPTORIBUS CONGESTA,
OBSERVATIONIBUS CRITICIS AUCTA
ATQUE
AD THEOLOGIÆ POSITIVÆ, JURISPRUDENTIÆ,
AC PHILOLOGIÆ PECULIAREM USUM,
REFLEXIONIBUS DOGMATICIS, POLITICIS,
& CHRONOLOGICIS ILLUSTRATA.

AUTHORE
P. ADRIANO DAUDE S. J.
Ss. Theologiæ Doctore, & in Alma Universitate Wirceburgensi
Historiarum Professore Publico & Ordinario.

TOMUS II.

PARS SECUNDA


Complectitur Historiam sæculi sexti, septimi & octavi deductam à lapsu Occidentalis Imperii ad initia Caroli M. Imperii ejusdem Restauratoris.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

* *

WIRCEBURGI, Sumptibus LOCHNERI & MAYERI Bibliopol. Norimbergens.
Typis Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Univ. Typogr. 1754.

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO
CONRADO,
IMPERIALIS & IMMEDIATÆ
ECCLESIÆ BAMBERGENSIS
EPISCOPO,
ECCLESIÆ CATHEDRALIS WIRCEBURGENSIS,
ET INSIGNIS COLLEGIATÆ AD UTRUMQUE S. JOAN. IN HAUGIS
PRÆPOSITO, &c. &c.



DOMINO DOMINO NOSTRO
CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.

UT primùm Anno Superiore, *REVERENDISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS!* non ſine cæleſti Providi Numinis conſilio Principatûs Bambergenſis Gubernacula ſuſceperas; non tantùm Patriam, Eccleſiámque Tuam, ſed & Univerſitatem noſtram Wirceburgenſem maximâ exſpectatione, ſummáque lætitiâ implevisti. Nam præterquam quòd jucundiſſimo ſenſu recordaremur, Te ad id feliciſſimum Inaugurationis Tuæ tempus jam per annos XXIV. Cancellarii ſupremi munere apud nos digniſſimè functum; tum illud longè honorificentius nobis accidebat,

bat, quòd ad Principale fastigium evocatus, adeò Universitatis nostræ protegendæ ac conservandæ curam non seposueris, ut eam altissimis Tuis negotiis porrò adjungere clementissimè fueris dignatus. Insignis ejusmodi gratia, quam quisque suam existimabat, utì affectus omnium rapuit, ita singulos incitabat, ut literis & quasi scripto homagio sua vota persolventes, Tibi multos annos ac diuturnam incolumitatem tum ad publicæ, tum ad literariæ reì incrementum precarentur. His precibus quantum Cælites dederint, inde compertum est, quòd ab exordio gloriosissimi Tui regiminis ad Anniversariam consecrationis Tuæ solennitatem omnium conceptas spes quàm longissimè superâris. Equidem, non diffiteor, affecta nuper valetudo Tua votis nostris ægrè facere videbatur: at timor ille, qualiscunque erat, in amorem, communéque gaudium conversus est, ubi eum, quem cælesti dispensatione primò datum agnoscebamus, nunc altero Dei beneficio restitutum lætabamur. In hanc lætitiæ partem etsi nostra quoque Universitas venire cupiat; mihi tamen velut Historico has vices videtur relinquere, ut, dum illa incolumitatem Tuam, Primúmque Tui regiminis annum tot rebus gestis memorabilem toto affectu ve-

neratur, ego Tua tam multa, támque exiguo tempore parta merita in brevem Synopsin digererem, quò ii, qui præsentes vivunt, ex his Auspiciis metiri possint, quantæ accessiones per sequentia tempora sint futuræ, cùm unius anni periodus tanta effecisset. Nec minùs Posteritas omnis inde intelliget, non tantùm veterum ætatem, sed & nostram fuisse, quæ Magnos Antistites tulerit, Magnósque Principes, qui tantis virtutibus Domum Dei, ac Patriam suffulserint, ut cum pristinis meritò in comparationem venire valeant. Atque ut hoc magis palàm facerem, opportunè cecidit, ut eo tempore, quo Celsissime Princeps primum annum diebus ac meritis absolutum coronabas, ego volumini meo tertio Historiæ Universalis coronidem imponerem; cujus argumentum dum Caroli Magni ac Sapientissimi Occidentalis Imperii Restauratoris felicia initia, Justiniani Justitiam, multorúmque aliorum Clementiam orbi exponit, simul Tui Regiminis modum, virtutésque, quas cum tantis Principibus simillimas habes, repræsentat; ut proinde omnes in hac Historica imagine, quam Tibi Celsissime Princeps nunc propriam devoveo, Tua merita latiùs legere; quid? quod Tu Teipsum, qualis sis, in hoc speculo possis contemplari.

Et

Et quoniam Sapientia præcipuè veterum virtus fuit, unde semper Reipublicæ prima felicitatis origo nata est; id, quod nec livor inficiari ausit, affirmare possum, Te Auspicato omine Sapientiam non primis duntaxat lineis ductam, sed planè rerum omnium usu consummatam ad Principale solium attulisse. Equidem à teneris Sapientia hæc Tibi cor docile dederat, ut populum *aliquando* tuum judicare posses, & discernere inter malum & bonum (a); *hujus tamen vis frequenti Historicorum lectione ad varios casus erudita, & sub Magisterio Sapientissimi & in rebus Imperii publicis versatissimi Parentis magis firmata eò assurgebat, ut* prudentiam *caperes* multam nimis (b): *quam cùm Cathedralia Capitula, Principésque in Te suspicerent, nullus erat, qui in Tuam sententiam non iret, nihilque ferè in arduis negotiis, ínque arcanis consiliis decernebatur, quod Te authore aut consultore perfectum non fuisset. Hi igitur Sapientiæ Tuæ gradus erant, per quos non Tu ad dignitatem, sed ad Te summa quæque dignitas venit:* Venerunt *namque & quasi sponte occurrebant Tibi* omnia pariter cum illa *Sapientia*, & innumerabilis honestas

(a) 3. Reg. c. 3. (b) 3. Reg. c. 14.

ſtas per manus illius (c). *Poſt altiores quippe Eccleſiarum Cathedralium præfecturas ac vicariam Principum Bambergenſium dignitatem, Principatus ipſe ad Te deferebatur; cui honori, dicam, an oneri? ubi pares Tua Sapientia ſubjecerat humeros, non aliter ac anima in corpore una & actionibus multiplex ſe in Patriæ, Eccleſiæ ac Imperii negotia ita diffundebat, ut ii, qui Tua conſilia audirent, Tua decreta exciperent, quamvis dudum in ejusmodi negotiis verſati, ſe tyrones nihilominus tanti politicarum rerum Magiſtri profiterentur &* Beatos *ſe crederent, qui* ſtarent coram Te ſemper & audirent Sapientiam Tuam (d). *Neque tantùm in cauſis altiſſimis, ac publicis, ſed & in privatis Te Sapientiſſimum arbitrum geris; omnes namque libellos ipſe perlegis, cuncta ſuis rationum ponderibus librata, & ad conſcientiæ trutinam examinata definis; unde omnes, qui propiùs Tibi aſſiſtunt, quotidie mirantur Tuam patientiam in audiendo, prudentiam in conſultando, ingenii vim in diſcernendo: à quibus continuis laboribus adeò non ceſſas, ut nec diem, nec moram curando, recreandóque corpori conceſſam velis. Certè cùm nuper valetudo adverſa Te tentaret; adeò*

(c) Sap. c. 7. (d) 3. Reg. c. 10.

adeò nihil ſanitati recuperandæ dabas, ut juberes de graviſſimis negotiis quotidie ad Te referri, ac de iis expediendis cum præcipuis Miniſtris conſilia ſæpius inires. Imò cùm iſti infirmitate tentati Aulam accedere prohiberentur, totam negotiorum molem unus ipſe, afflictis quantumvìs viribus ſuſtinebas, ſalutis publicæ memor, Tuæ oblitus; ita ut illud elogium Magni Principis Tibi tribui debeat: omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium quietem illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio (e).

Altera virtus, quâ ad exemplum Juſtiniani, Rempublicam inſtauras, eſt Juſtitia, quâ duce ſua cuique jura diſpenſas: & quoniam fori lenta tabes corpus Reipublicæ abſumere ſolet; inde ad reſcindendas cunctationes, brevem litium inſtituendarum formam præſcripſiſti; quæ ubi nunc in Tuis Tribunalibus viget, illud Tuæ æquitatis monumentum tam ii, qui citiùs vincunt, quàm qui citiùs cadunt, meritò venerantur. Præterea afflictas Pupillorum res quàm altè in animum demiſeris, ex eo intellectum eſt, quòd ſpecialem Senatum ſedere juſſeris, qui de tam ſancta cauſa æquiſſimè ſtatuat. Atque ut cives ab eorum, qui utilitati publicæ ſerviunt, fraudibus inviola-

(e) Seneca Conſ. ad Polyb.

violatos præstes, omne Authoritatis Tuæ Principalis robur huc expromis. Non minus Justitiæ Tuæ trophæum est ædificium illud, quod ad flagitiosam hominum fæcem coercendam erigere paras; hujus quippe structura exterior, utì bonis est admirationi; ita ejusdem interior disciplina malis non potest non esse formidini. Cæterùm in capitalibus criminibus puniendis ita modum tenes, ut ne rei diuturno carcerum squalore velut lento supplicio antè enecentur, quàm ultimum supplicium ipsi patiantur. Quare certos judices designâsti, qui hanc Justitiam vindicem maturiùs curent; quo æquissimo decreto id effecisti, ut etiam improbi Te metuendo habeant, quod diligant.

Sed si Justitia Tua amatur, multò potiùs Clementia, quâ præmia dispensas, súntque hæc tantò omnibus chariora, quòd sciant ista non venalia esse in Tuo palatio, nec Personis sed meritis dari: haud minoribus beneficiis devinctos habes Pauperes & afflictos, quibus concessum est, suas querelas in Tuum sinum infundere, aperire vulnera, & medelam promptam exspectare; unde ille communis subditorum sensus est, te curare Rempublicam, ut ea opibus sit firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta (f); *Te id agere, ut profitearis, non Rempublicam Tuam esse*

(f) Cicero v. de Republ.

ſe, ſed Te Reipublicæ. Nunquam tamen ſe latiùs explicârunt Paternæ Tuæ Clementiæ viſcera, quàm cùm anno ſuperiore annonæ caritas Patriam premeret: ne enim cives eſurirent, ſollicitè curabas, adeò ut reſeratis horreis publicis, tum privatis, frumenti copia omnibus miti, tolerabilíque pretio proſtaret; quin ipſis indigentibus in ſingulas hebdomadas certum pecuniæ, panúmque dimenſum diſpenſabas, Beneficio certè tam grandi, quo nec majus Ægyptus olim à ſuo Prorege Joſepho exſpectaverat.

Sed utì Rempublicam etiam fluctuantem tribus Tuis virtutibus Principalibus Sapientiâ, Juſtitiâ & Clementiâ, velut ternis Gentilitiis Tuis anchoris firmam, ſalvámque præſtabas; ita Eccleſiam quoque Tuam hoc anno Doctrinâ & Sanctitate excoluiſti, Epiſcoporum pariter Magnorum exempla æmulatus; ex quibus unum Gregorium M. ex hoc volumine Hiſtorico adducam. Officiis ille omnibus functus, rerúmque uſu præter cæteros inſignis, cùm ad Antiſtitis munus poſceretur; honorem fugiens non antè ceſſit, dum amicorum vi neceſſariam Eccleſiæ operam condicere compelleretur: inde Paſtoris officio ſuſcepto, Clerum legibus ſive Paſtorali inſtruere, juventutem præcipuè imbuere fidei dogmatis, egentes ſolari

eleemosynis, populos etiam longinquè positos Missionibus Apostolicis excolere, totam Ecclesiam pietatis exemplo ædificare cœpit. En hæc initia sancta tam Magni Præsulis! quantam verò Tui Episcopatûs exordia cum his similitudinem habeant, quis non videt? Experientia Tua, officiorum, rerúmque longissimo usu comprobata, cùm Ecclesiæ Bambergensi utilissima ac penè necessaria videretur; non pauci erant, qui Te amicè rogitarent, ut cùm Ecclesiæ regendæ officium, vicariúmque Episcopi munus multoties gessisses, nunc nomen etiam atque dignitatem tandem acciperes. Demissio verò Tua induci haud poterat, ut monentibus aut precantibus locum dares: fugientem itaque honor sequebatur; dum tandem vocanti Deo obsecutus, simul cælesti consilio, simúlque oneri te submittere cogereris: quod quidem Electionis genus tanti fecit nostra ætas, ut ejusdem memoriam, annúmque in numismate hâc epigraphe expresserit: hæC est eLeCtIo DoMInI. Episcopalibus insignibus in Festo Caroli Borromæi non sine sanctissimi propositi omine consecratus, ubi Ecclesiæ primas commodâsti curas, ab iis, qui in Tuam sollicitudinis, pascendíque gregis partem veniunt, initia fecisti; nam visitari Diœcesin volebas, ut quod confractum fuerat,

alliga-

alligares, pascerésque deinceps gregem tuum in judicio (g): *inde sub Celsitudinis Tuæ manu jam Pastorale conscribitur, ex cujus instituto animarum postea salus sedulò curetur. Adhæc in eorum, quibus gregis pars commissa est, subsidium Missionem Franconicam zeli Tui Magnitudo fundavit, cujus ab operâ ac semente jactâ quot conversiones animarum fiunt, tot meritorum manipuli Tibi in agro Domini succrescunt. A Pastoribus in tenellam juventutem eò magis vigilem oculum conjecisti, quò certiùs est ex his germinibus, si negligantur, Reipublicæ scelera: aut si colantur, virtutes nasci. Itaque primò Parentibus aut parvulorum tutoribus cautum volebas, ne cuicunque proli à publicis scholis, quas triviales vocant, abesse liceat: atque ut fidei rudimenta cum literis pueri tantò citiùs, solidiúsque imbiberent, Catechismum sacris Scripturæ textibus interpolatum ac in quæstiones faciles redactum typo evulgari & vicies mille exempla in Parœcias mitti jussisti, ut hac methodo mitigatâ pueri jam balbutirent, quod aliàs senes ignoraverant. Utì autem zelus tuus spiritualem animabus parvulorum panem frangit; ita charitas corpora pauperum vitæ mediis curat, optimè ex Canonum legibus statuens,*

(g) Ezech. c. 34.

Patri-

Patrimonium Christi nullibi meliùs, quàm in fratrum Christi manibus collocari. Itaque æquè singulis, ac totis familiis prospicis; sed dum templa viva munificentiâ Tuâ ædificas, minimè manufacta templa prætermittis. Nam ut ornamenta, & reditus annuos, variis Ecclesiis impensos & præcipuè solennem apparatum in festivitate Ss. Henrici & Cunegundis à Te liberalissimè fundatum omittam; certè hoc anno tales symbolas non tantùm templis Tuæ Diœcesis, sed & externis apposuisti, ut Limbacensis unius Ecclesiæ fabricæ mille florenos adjeceris, decorem Domûs Dei ubique diligens. Postremùm, ut qualis Tuæ Diœcesis Gubernatio sit, posteris obversetur, ea duobus capitibus seu cardinibus continetur, nempe ut eam suaviter efficacitérque regas. Suavitatem inde capis, quòd Præsidibus membrísque Ecclesiæ Cathedralis, cujus jura jam olim Decanus toto virium, sumptuúmque propriorum nisu defenderas, nunc amico fœdere conjunctus, Rempublicam in alta pace moderaris: & quoniam forma gregis factus es ex animo, efficaciam etiam addit Tua omnis labis expers vita & pulcherrimum Pietatis exemplum. Verùm hæc ipsa Pietas, quæ salutaris Patriæ esse debuerat, ferè salutem tibi exhausit; nam in supplicatione publica

cùm

cùm alios fervore & religionis zelo antecederes, hæc ipsa Tibi lethale vix non vulnus inflixiſſe credebatur; ſanavit tamen illa, quod piè peccaverat, novâ pietate, ſeu ſubditorum precibus, quas ubi Deus exaudîſſet, reſtitutum Te Patria accepit & Te beatum *talemque Principem prædicans*, qui invenit Sapientiam, & affluit prudentiâ; *hinc* melior eſt acquiſitio ejus (*utì & recuperatio*) negotiatione argenti & auri primi & puriſſimi fructus ejus. Pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari: Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra illius divitiæ & gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ (h). *Huic omnium bonorum affectui ac elogio ſubſcribens id precor, ut Celſiſſime & ex illuſtriſſima Comitum familia de Stadion oriunde Princeps, in his viis pulchris ac pacificis ſemitis, ſeu potiùs in Stadio Tuæ æquitatis decurras, nec arctentur greſſus Tui & currens non habeas offendiculum, donec poſt longitudinem dierum conſummato curſu, bravium gloriæ immortalis conſequaris. Ita vovet*

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Servorum infimus
ADRIANUS DAUDE, S. J.

(h) Proverb. c. 3.

FACULTAS
Reverendiſſimi & Celſiſſimi D. ORDINARII.

Cùm præſens hæc Pars ſecunda Tomi II. Operis Hiſtorici, cui Titulus: *Hiſtoria Univerſalis & Pragmatica Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum, unà cum inſignioribus monumentis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ex probatis Scriptoribus congeſta, obſervationibus criticis aucta, & reflexionibus Dogmaticis, Politicis, & Chronologicis illuſtrata*, à R. P. Adriano Daude, S. J. Ss. Theol. Doctore, & in Alma Univerſitate Wirceburgenſi Hiſtoriarum Profeſſore Publico & Ordinario concinnata, nihil contineat Fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium, hinc eandem Partem ſecundam imprimendi licentiam authoritate Reverendiſſimi & Celſiſſimi D. Ordinarii hiſce impertior. Wirceburgi die 18. Novembris 1754.

MICHAEL JOSEPHUS ARMBRUSTER,
Ss. Theol. Doctor, Rdmi & Celſiſs. Epiſcopi & Principis Wirceburg. ac Franciæ Or. Ducis Conſil. Intim. & Eccleſiaſticus, Inſign. Eccl. Colleg. Novi Monaſt. Can. Cap. & Scholaſticus, Libr. Cenſor, Mpria.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS Societatis Jesu
ad Rhenum Superiorem.

Ego infraſcriptus Societatis Jesu per Provinciam Rheni Superioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factà ab Admodùm Reverendo Patre Noſtro, IGNATIO VICECOMITE, Societatis Jesu Præpoſito Generali, facultatem concedo D. Lochner-Mayer Bibliopolæ Norimbergenſi Tomi II. Partem Secundam, cui titulus: *Hiſtoria Univerſalis & Pragmatica Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum, unà cum inſignioribus monumentis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ex probatis Scriptoribus congeſta, obſervationibus criticis aucta, & Reflexionibus Dogmaticis, Politicis, & Chronologicis illuſtrata &c.* à P. Adriano Daude ejusdem Societatis concinnatam, & à deputatis ad id Patribus lectam & approbatam imprimendi; eíque Jus Privilegii Cæſarei eatenùs indulgeo, ut librum hunc nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. I. fines & hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem literas has manu propriâ ſubſcriptas, & officii mei ſigillo munitas dedi.

Moguntiæ 3. *Novembris* 1754.

(L.S.) THEODORUS WEBER, S. J.

PRÆFATIO.

I. IMperii Occidentalis ruinam vel potiùs funus postquam antecedens Volumen nostræ Historiæ descripsit; superest, ut præsenti Volumine Tertio, quod Secundi Tomi Partem Alteram dicimus, Provinciarum de tanto cadavere avulsarum direptiones ac vicissitudines ostendamus. Quod enim in destructione magnarum ædium fieri solet, ut cadentis domûs fragmenta, trabes lapidésque alii aliò transferant, atque inde novas sibi struant sedes; ita occasum Imperii aliæ Nationes suum in lucrum eâ ratione vertebant, ut ex tam amplæ Monarchiæ ruderibus sibi nova Regna molirentur. Heruli primi fuerant, qui sub Odoacre Rege direptæ vel extinctæ Dominationis Romanæ spolia legentes suæ genti in Italia domicilium regnúmque excitavêre; at paulò pòst ab Ostrogothis suâ statione depulsi didicerunt, rarò vi capta Imperia diuturna fore. Ostrogothis tamen aliquantò longiùs regnare concessum est; sive quòd Orientales Cæsares rerum negligentes otio vel vitiis indulgerent, vel quòd etiam suam ipsi jacturam probarent, eâ spe freti, ut cùm hostes ejusmodi se Occidentis opibus satiarent, procul ab Oriente Persarum finitimorúmque bellis turbato abstraherentur. Ne tamen omnem pristinæ potestatis speciem Imperatores viderentur projecisse, ad Reges Consulatûs Romani insignia mittebant, ut cùm rem ampliùs non haberent, quibusdam ritibus aut honorum vocabulis sibi aliísque illuderent. Justinianus equidem paulò majora conatus, post devictam & Vandalis ereptam Africam Italiæ arma inferebat; sed Gothorum animi adeò imbelles non erant, ut tam citò victas darent manus. Post diuturnum tamen & anceps bellum Narseti Duci feliciter evenit, ut Italiam,

Argumentum Historiæ Civilis.

Belisarius primo victoriarum cursu peragraverat, penitus Imperatori subjugaret. Verùm qui Italos in fidem Cæsaris adduxerat, is ipse paulò pòst Imperio perfidus Longobardos in Italiam excivit, quorum armis ab hoc tempore Cæsaris copiæ adeò attritæ sunt, ut undique victæ vel fugatæ unam duntaxat Ravennam paucáque oppida habuerint, quò se reciperent. Neque quod his ausibus objicerent, Orientis Principes habebant, Persarum continuis motibus fatigati vel exhausti: & de Imperio Occidentis recuperando tantò minùs postea cogitatum est, quantò acriores subinde hostes, Saraceni scilicet, Orientis etiam Imperio instabant. Hi namque Provincias ferè omnes populati, & Persarum regno ac viribus aucti, Syriam, Ægyptum, Africam, Hispaniam ac partem Galliæ sub jugum suum coegêre; quid? quod ipsa Regia Orientis Sedes, Constantinopolis in Barbarorum cecidisset manus, nisi cœlestia subsidia infestam Mahometanorum vim abegissent. Multò minorem restituendi Imperii spem dedêre Sæculi VIII. initia; cùm enim eâ tempestate Cæsares contra Deum Cælitésque sive contra sacras eorum imagines triste & sacrilegum moverent bellum, ipsi Principes Iconomachi Divinâ ope destituti adeò difficulter ubique luctabantur, ut Italiæ omnis memoriam abjicerent, quin ipsi Itali ac Græci suorum Principum Iconoclastiam detestati eò prorumpebant, ut publicâ defectione fidem iis abnegandam censerent, qui Deo perfidi fuissent. Post tot conversiones Regnorum tandem sub Sæculi VIII. finem Providum Numen, quod in humanarum rerum vicissitudine ludere solet, Carolum Magnum delegit, qui Longobardorum Regno exciso, & fragmenta dispersarum Provinciarum in unius corporis compagem colligens, sepultum dudum Imperii Occidentalis nomen dignitatémque ad Anastasin meliorem excitaret.

2. Vides hìc, Lector Benevole! ingentem materiarum sylvam, quam ne levi solùm oculo percurras, in ipso Historiæ decursu tibi, sæpe quasi cunctatione injectâ, gressum tuum retardabimus, ut ad ea non tantùm, quæ jucunda, sed & ad ea, quæ utilia, opportunè reflectas: nec te istius moræ pœnitebit, dum, quæcunque civilis politia poscit, hâc interpositâ morâ observabis; nam quæ Rerumpublicarum capita spectant, hìc doceberis; causas inspicies tam eas, quibus Regna servantur & augentur, quàm quibus evertuntur. Adhæc benè discernere poteris potestatem Regum, & qui-

& quibus limitibus Sacerdotii jura ab Imperii juribus disterminentur; quid Imperator Ecclesiæ, quid Ecclesia Imperatori debeat. Et quoniam Magistratus Statutáque Legum instrumenta Reipublicæ servandæ sunt vel vincula; de Regnorum etiam novorum, quæ his Sæculis nata sunt, ortu & progressu notio suppeditabitur. Inde Magistratuum novam formam, Leges Imperii omniúmque Gentium præcipuarum Statuta, usúsque hìc expositos habes: præterea cùm ad Reipublicæ adminiculum quoque pertineant Ærarium & Monetæ, de his etiam aliquis sermo erit. Demum Literarum cultum, Belliducum artes & stratagemata, belli pacísque rationes hìc ita notatas invenies, ut inde documenta capere possis, quæ te ad Reipublicæ commodum aut præsidium haud tenuiter erudiant.

3. Quemadmodum verò Imperium in tribus illis sæculis non unâ procellâ jactatum est; ita Ecclesia per eadem tempora suis hostibus non caruit: & in *Sæculo* quidem *sexto* Euthychetis sectatores aut Acephali in varias cohortes ac turmas succenturiati diversa circumferebant nomina, scilicet *Severianorum*, *Theodosianorum*, *Jacobitarum*, *Theopaschitarum*, *Aphtartodocitarum*, *Corrupticolarum*, *Agnoëtarum*, qui licèt aliis erroribus partibúsque divisi, in generali tamen Eutychis dogmate tuendo, ac propugnando simul in unum exercitum conjuncti, contra Ecclesiam in armis stabant. Multò ferociùs per Italiam, Hispaniam & Africam Ariana hæresis sanguinolenta grassabatur: neque tantùm foris pugnæ erant, sed & intus timores; propterea quòd in ipsa Ecclesia intestinæ quædam lites ac Schismata turbas cierent; nam ut Acacii causam omittamus, quæ Orientem ab Occidente tantisper alienabat, diuturniores certè motus fuêre, quos famosa *tria Capitula* concitârunt: & quamvis hæc quoque lis per Concilium Generale quintum à Vigilio Papa confirmatum componeretur, multis tamen Episcopis adhucdum scrupulus altùm inhæserat, an illa Synodus inter Oecumenicas recenseri posset, à quâ Chalcedonensis Concilii decreta penitus convulsa perperam arbitrabantur. Post hæc *Sæculi septimi* Periodus non minùs turbulenta fuit, tum à Mahomete capitali Christianorum hoste, quàm ab hæresi Monothelitarum, novâ Eutychianorum sobole. Sed dum hi majora movebant certamina, velitationes quoque non leves fuêre de Ecthesi Heraclii, de Typo Constantis, de Scriptis Honorii Ponti-

Argumentum Historiæ Ecclesiasticæ.

tificis, ac de Canonibus Trullanis. *In Sæculo octavo* Longobardorum furor in Ecclesiam præcipuè Romanam desæviit: per Orientem luctuosa admodum rerum facies erat, dum Saraceni tribus Patriarchatibus sub suæ tyrannidis jugum coactis, in loco etiam sancto abominationem desolationis ponerent. Neque intra Ecclesiam dissidia deerant; nam præter Felicis & Elipandi errorem celebrior inibatur controversia de cultu imaginum, quas Iconoclastæ suppliciis & sacrilegis molitionibus perditas cupiebant; tempestati tamen huic finem imposuit Generalis Synodus VII. sive Nicæna II., cui nemo Catholicus, nisi errore facti deceptus, repugnavit.

4. Sed inter tot adversitates nec Petræ imposita Ecclesia, nec ejus doctrina eversa est: quin Fides Orthodoxa his Sæculis per varia Regna latiores propagines misit; nam post Franciam sub Sæculi V. finem à S. Remigio conversam, Hispani à S. Leandro, Bajoarii à Ruperto Wormatiæ Episcopo, Britanni à S. Augustino salutis verba iu Sæculo VI. accepêre. In Sæculo inde VII. & VIII. Apostolorum Zelus apud Francos Orientales, Frisones, Hassos, Thuringos & Saxones colonias sacras Fidei fundârunt, & suo sudore ac sanguine ad fœcundiorem messem rigârunt. Quibus illud ad Ecclesiæ splendorem quoque accessit, quòd per hæc tempora Romani Pontifices à Francorum Regibus Donationibus ac Ditionibus aucti suorum etiam hostium vim exteriore quâdam potentiâ terrere potuerint. Alia de Disciplina, Canonum Decretis, Episcopatibus ac Monasticis Institutis, quæ per Historiæ decursum exponentur, hìc porrò præfari omittimus, ne, antequam agamus, agere, & ex fumo ignem, ùt ajunt, vendere videamur.



LIBER



LIBER VI.

IMPERII ROMANI ET ECCLESIÆ TURBULENTUM ÆVUM SUB IMPERATORIBUS ORIENTIS.

CAPUT I.

Bella in Oriente & Occidente vario Marte gesta, Africa unà cum Insulis ad jura Romani Imperii revocata, & Vandalis erepta; Italia Ostrogothorum, dein Longobardorum jugo submissa; Regni Francorum per Gallias, & Visi-Gothorum per Hispanias incrementa: Heptarchia Anglo-Saxonum in Britannia, ab Anno 476. ad Annum 602.

§. I. *ZENO exul, & Regno subinde redditus, bellis variis affligitur à Theodorico Strabone, à Theodorico Amalo, à Marciano, ab Illo & Leontio: vitia Zenonis, & obitus. ANASTASIUS Ariadnæ studio creatur Imperator: ejus animus à Catholica fide alienus, bellum contra Isauros, Bulgaros, & Cabadem Persarum Regem: Vitaliani rebellio contra Anastasium: mors Ariadnæ Augustæ: Anastasii Imperatoris funestus exitus.*

1. QUando in Occidente Romani Pars maxima Imperii Barbarorum viribus prostrata, tum Principes, tum Orbis Principatum amiserat; in Oriente Pars Regni altera Dominatu suo non modò incolumis adhucdum stetit: sed velut accessione ex Italiæ ruinis factâ, ambitiosiùs suum

extulit caput. Româ quippe vetere penitùs jacente, Constantinopolis (utpote nova Roma, ac sola Augustorum deinceps sedes) totam Romani nominis, juriúmque amplitudinem in se transferens, sublimes illas porrò spes agitabat, quibus & Occidentis Provincias Barbaro hosti rursus eripi, ereptásque Orientis Imperio consociari posse confidebat. His consiliis terrâ, maríque ingentes ducebantur exercitus: effundebantur in omnem latè Africam, Siciliam, Italiámque non tenues copiæ, quibus uti Vandalorum jugum ab Africæ cervicibus primò depulsum est; ita Gothorum, aliorúmque Barbarorum, qui Italiam premebant, servitus profligari potuisset; nisi acerbior belli Ducum fœdè inter se certantium æmulatio, aut proditio Magnatum privatas injurias publico Patriæ exitio ulciscentium, sive Cæsarum ad clavum Reipublicæ turpiter languentium ignavia, sive quorundam etiam Principum solers ad vexandam Ecclesiam improbitas effecisset, ut victoriarum cursus, qui adversùs Vandalos in Africa feliciter cœptus fuerat, in Italia modum, finémque acciperet. Numine nimirum supremo tantis vitiis irato per humanas molitiones tentari nihil, aut agi poterat; quàm ut Barbari toties bello petiti, toties armis frustrà lacessiti, fortiùs in Romano solo figerent pedem. Neque alium ex immensis sumptibus, bellísque fructum Orientis Imperatores hoc toto sæculo retulêre; nisi ut à fronte in raptores Occidentis pugnantes, nuda hostibus aliunde instantibus terga cædenda objicerent: aut errorum suorum, ac scelerum perpetuâ quasi vertigine circumacti, unà cum Orientis Imperio ad præcipitem usque casum sæpè nutarent.

Conspectus Sæculi sexti.

2. Inter Principes, qui post cladem Romanæ Urbis soli in Oriente regnârunt, Zeno primum locum sortitus est. Hic Leonis Augusti Pater in jura Regni, quod filius Anno CCCCLXXIV. vacuum morte suâ reliquerat, more hæredis successit: sed capessere fasces eo tempore Zenoni, non item tenere licuit; ob impietatem namque suam ex Urbe Regia in Isauriæ montes subinde ejectus, purpuram (quam scelestus anno integro gesserat) mœrens, profugúsque in exilio rursus deposuit. Proscripto Cæsari id unum auspicatum erat, quod malo pessimus, sive Zenoni Basiliscus succederet. Immane hoc monstrum, ubi hæresi suâ, ac

Zeno Imperator Orientis. A. 474. A. 475. *Zeno exul.* A. 476.

ac tyrannide Rempublicam ferè omnem confuderat; mitigari, ac penè obrui cœpit memoria illorum ſcelerum, quibus invidiam orbis, ac odium in ſe Zeno provocârat. Conciliatis hunc in modum animis, & abdicato Baſiliſco, Zeno licèt non probus, minùs tamen improbus inſignia Principatûs vice alterâ recepit. Revocatus ad Gubernacula, beneficium illud Deo, Viríſque Ss. in acceptis retulit (*1): dein cautior (nam ab ærumnarum ſqualore, ad omnem periculi metum eruditus erat) omiſit nihil, quo gratiam à cunctis iniret (a). Fama mutati in melius Cæſaris intra Orientem adeò ſe non continuit, ut & inter jucundiſſima omnium ordinum vota in Italiam celerrimè provolaret. Simplicius Pontifex, quantumvis Zenoni in exilium abeunti precatus eſſet, ne unquam talis Eccleſiæ hoſtis in urbem Regiam rediret; nunc tamen velut filio ad frugem non minùs, quàm ad Regnum reverſo, paterno animo occurrens id porrò miſſis ad eundem literis flagitabat: daret operam relatus in ſolium Princeps, ut, quâ hucuſque Eccleſiam oppugnâſſet manu, hâc poſtea ſaniora edoctus, pro Præſulum, Gregíſque præſidio uteretur: exueret latrociniis, atque contagiis cœtus fidelium, & exempla piiſſimorum Cæſarum Marciani, atque Leonis ſecutus, nuſpiam ſineret, ut legitimi Paſtores Eccleſiis, Eccleſiæ Paſtoribus deeſſent Præterea ſancta illi ea eſſe juſſit, quæcunque tum Chalcedonenſium Patrum Synodus, tum Leo Pontifex ad fidei incolumitatem decreviſſent; hoc facto futurum ſpondebat, ut Princeps Gubernaculis ad tempus ſubtractus, non ſine emolumento tamen reſtitutus cenſeretur (*2). Pontificis monita penes

Zeno in Regnum reſtituitur.

(a) Evagr. l. 3. c. 8.

Initia Zenonis ſecundò regnantis.

(*1) EVAGRIUS l. 3. c. 8. *Zeno verò per viſionem (ùt fertur) conſpicatus ſanctam, ſtrenuam, & eximiam Martyrem Theclam, non ipſum ſolùm impellentem; verùm etiam pollicentem reſtitutionem, versùs Conſtantinopolim exercitum dedit. Atque viris, qui illum obſidebant, muneribus inductis, Baſiliſcum, cùm jam biennio regnaverat, Imperio exturbat, & ad ſacri templi adyta confugientem hoſtibus auferendum tradit. Quam ob cauſam Zeno egregiæ Martyri Theclæ ampliſſimum templum ſplendore, & pulchritudine eximium Seleuciæ urbis Iſauriæ dedicavit, pluribúſque ac planè regalibus monumentis, quæ ad noſtram uſque ætatem ſervata ſunt, exornavit.*

(*2) SIMPLICIUS in epiſt. 7. ad Zenonem T. I. Epl. PP. *Inter opera divinæ Providentiæ, quæ pia ſemper & juſta ſunt, noſtris quoque temporibus eloqui potentias Domini, vix quælibet humana lingua ſufficiet. Quis enim valeat vel cogitatione complecti, vel voce depromere, quod in ipſo utriuſque rei laborantis articulo, & votis publicis religio-*

nes Zenonem tanto loco fuêre, ut Basilisci Hæretici legibus quamprimùm abrogatis (*3), Pseudoepiscopos errore Eutychis infectos, non aliter ac lupos ab ovili submoveret (*4). Lætissima

ligionis sanctæ reddidit vos quieti; nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum Propheta: Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, quæ exaltantes semetipsos potenter humiliat, & humiliantes se clementer exaltat. In quibus etiam si dispensationis supernæ sagaciùs mensura libretur; profectò evidenter apparet; ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiæ tuæ etiam inter adversa probaretur... Respicite, quæso, Augustæ memoriæ Marciani, atque Leonis omni modo conspicuam Catholicâ devotione constantiam; & salubri consideratione perpendite, cùm in eodem loco stare nequierint, qui ab eorum rectitudine deviârunt, Successorem Regiæ Potestatis legitimum, ac divinitùs attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator.... Ante omnia precor, ut Alexandrinam Ecclesiam non minùs à funesto, quàm ab hæretico perversore clementiæ vestræ dispositionibus liberatam, Catholico ac legitimo restitui censeatis Antistiti, eísque etiam, quos temeritate diabolicâ diversis Ecclesiis ordinâsse perhibetur, ejectis, rectæ fidei subrogari constituatis Episcopos: ut sicut Rempublicam vestram à tyrannica dominatione purgâstis; ita ubique Ecclesiam Dei ab hæreticorum latrociniis, atque contagiis exuatis..... Chalcedonis Synodi constituta, vel ea, quæ beatæ memoriæ prædecessor meus Leo Apostolicâ eruditione perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatur. Ipsa est quippe (sicut experti estis) Catholica fides, quæ potentes de sede læsa deposuit, & exaltandos humiles custodita servavit. Quare satagendum est pietati tuæ, ut, qui hujus tibi auctor est doni, sit ipse etiam propagator. Data septimo Idus Octobris post Consulatum Basilisci & Armati. Vide Baronium ad An. 477. §§. 7. 8. 9. 10.

(*3) L. 16. Cod. *de sacrosanctis Ecclesiis* L. 1. Tit. 2. *Decernimus, ut antiquatis, ac infirmatis funditùs his, quæ contra ipsum orthodoxæ religionis Deum quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa, & ad suum ordinem revocentur, quæ ante professionem nostræ mansuetudinis de orthodoxæ Religionis fide, & sanctissimarum Ecclesiarum & Martyriorum statu firmiter obtinebant: his, quæ contra hæc tempore Tyrannidis innovata sunt, tam contra venerabiles Ecclesias, quarum Sacerdotium gerit beatissimus ac religiosissimus Episcopus Patriarcha nostræ pietatis Pater Acacius, quàm contra cæteras, quæ per diversas Provincias collocatæ sunt, nec non & Reverendissimos earum Antistites, seu de jure sacerdotalium creationum, seu de expulsione cujusquam Episcopi à quolibet his temporibus facta, seu de prærogativa in Episcoporum Concilio, vel extra Concilium ante alios residendi, vel de Privilegio Metropolitano, vel Patriarchico sub iisdem impiis temporibus, penitùs antiquandis: ut cassatis & rescissis, quæ per hujusmodi sceleratas jussiones, aut pragmaticas sanctiones, aut constitutiones impias sive formas subsecuta sunt, quæ à divæ recordationis retro Principibus ante nostrum imperium, & deinceps à nostra mansuetudine indulta vel constituta sunt, super sanctis Ecclesiis, & Martyriis, & religiosis Episcopis, & Clericis, aut Monachis, inviolata serventur* &c. Adverte, quòd, licèt lex ista in Codice Leoni & Anthemio AA. tribuatur; nulli tamen, nisi Zenoni, conveniat: præterquam enim, quòd hoc ex Evagrio l. 3. c. 8. apertè colligatur; tum in Codice lex hæc data perhibetur A. 476, quo tempore nec Leo, nec Anthemius ampliùs vixerunt; accedit, quòd inscribatur Constitutio ista Sebastiano Præfecto Prætorii, ad quem idem Zeno paulò post anno 477. legem dedisse memoratur in Cod. L. 1. t. 23. l. 7. quâ jubet, ut Rescripta hanc clausulam habeant: *Si preces veritate nitantur.*

(*4) EVAGRIUS l. 3. c. 8. *Zeno autem legem sancit, quâ decreta Basilisci Tyranni*

ſima Regni initia, poſtquam omnium Orthodoxorum animos ad ſpes altiores erexerant; Deus cordium, ſecretorúmque arbiter unius oſtenſione prodigii vota, lætitiámque Orientis ferè proſtravit (b). Pacatam ſatis Urbem Regiam repentè validiſſimus terræ motus eo tempore invaſerat, qui cùm in omnem ætatem, & præcipuè in ſacraria ac templa terrificâ vi (*5) graſſaretur; Viri ſanctiſſimi id ita accepêre, ut Zenonis futurum Imperium, ejúsque modum in hoc turbulento omine præmonſtrari confirmarent. Nam licèt idem Princeps Catholici nomen mentitus, largâ etiam pietatis ſibi ad diem impoſitâ, tranquillitatem ingentem nunc promitteret; fore tamen tempus inquiebant, quo ſubitis motibus, & agitatione non unâ exitium fidelibus, labem Eccleſiis multò graviorem eſſet illaturus. Tempeſtas ejuſmodi ne è nubibus, in quibus altùm adhuc latebat, citiùs ſe evolveret, externi, inteſtiníque hoſtes prohibuêre; horum quippe armis ſuſpenſus, diſtractúsque Cæſar tenebatur, ut ſcelerato ingenio nec locus, nec ſpatium fuerit, ſua vitia ad maturitatem excoquendi.

Zenonis ſimulatio. A. 477.

(b) Cedrenus p. 351. 353. Theophan. p. 108.

Omina infauſta de Regno Zenonis.

A. 478.

3. Theodoricus filius Triarii, cui etiam Straboni nomen, eorum Gothorum, quibus in Thracia ſedes obtigit, Princeps ardens in Imperatorem odium inde hauſerat; quod Leo M. Aſpari Triarii propinquo machinatus necem, omne parricidii conſilium à Zenone accepiſſet (c). Hic igitur Zeno faſces poſtea adeptus, eundem Theodoricum acerbiſſimum hoſtem, ſimúlque Baſiliſci Tyranni adversùs ſe incentorem (d) ſenſit: & licèt Zeno poſt multas ærumnas Baſiliſcum victor oppreſſerit, is tamen, qui ademerat æmulo vitam, Regnúmque; minimè iras, armáque Theo-

Bellum Theodorici Strabonis contra Zenonem.

(c) Procop. B.V. l. 1 c. 6. Jornand. Regn. p. 654. Evagr. l. 2. c. 16.

(d) Theophan. p. 108. Evagr. l. 3. c. 25.

ranni in literis generatim ad omnes perſcriptis comprebenſa, abrogata fuêre: & Petrus cognomine Cnapheus, Eccleſiâ Antiochenâ, & Paulus Epheſianâ expellitur. c. 9. *Epiſcopi Aſiâ, quo Acacium placarent, deprecari culpam, veniámque petere cœperunt: mittunt quoque ad eum pœnitentiæ libellos, quibus aſſerebant, ſe non ſuâ ſponte, ſed vi ac neceſſitate coactos literis Baſiliſci generatim ad omnes datis ſubſcripſiſſe.*

(*5) THEOPHANES in Chronographia editionis Pariſ. p. 108. *Hoc anno horrendus terræ motus Conſtantinopoli contigit, menſis Septembris die quinto ac vigeſimo, Indictione primâ, quo plures Eccleſiæ, domus & porticus ad ſolum uſque funditùs everſæ. Ruinis innumera hominum multitudo oppreſſa. Globus quoque è manu ſtatuæ, quæ eſt in foro, ſtatua pariter Magni Theodoſii in Tauri columna poſita, & interiora Urbis mœnia ad amplum ſpatium conciderunt. Invaluit terræ motus in adeò longum tempus, ut fœtor ex eo erumpens urbem invaſerit.* De aliis terræ motibus vide CHRONICON ALEXANDRINUM, & CHRONICON MARCELLINI.

Theodorico adimere potuit. Inflectendi hostilem Theodorici animum cùm remedium aliud haud foret; Gothum Gotho, sive Theodorico Straboni, alterum Theodoricum, qui Amalus dictus est, opponere placuit (e): secutus iste jam antea Zenonis partes, neque nunc petenti Cæsari negabat operam, dummodo is contra Strabonem pugnaturo suas in Thracia copias jungeret. Zeno pollicitus omnia, implevit nihil; quare Amalus perfidiam Cæsaris pari proditionis crimine vindicandam ratus, abrumpit fœdus, sociatísque cum Strabone viribus (f) Zenonem compellit, ut hic in angustias redactus, mercari turpiter pacem, &, quidquid Strabo juberet, ultrò profundere cogeretur (g).

(e) Malch. p. 83.

Theodoricus Amalus relinquit fædus Zenonis, & cur?

(f) Idem p. 89. 90.

(g) Idem p. 91.

A. 479. 4. Multum ignominiæ ista seditio; sequens plus etiam periculi habuit: Marcianus ejus, qui Occidenti Cæsar præfuerat, Anthemii filius, & Leonis in Oriente Principis gener, his titulis pugnabat sibi præ Zenone deberi Imperium (h). Zenoni equidem eo ex capite jus aliquod Regni enascebatur, quod ex gemina Leonis filia illi natumajor Ariadna; Marciano autem annis minor Leontia pro conjuge oblata esset. At Marcianus contendebat, de prærogativa ætatis quæstionem haud haberi posse, ubi à Natalium splendore suæ causæ pondus aliunde accederet: Ariadnam à Leone adhuc privato, Leontiam ab eodem jam Cæsare genitam; adeóque Ariadnæ à Patre primò vitam, Leontiæ verò ab imperante postea Parente simul cum vita Imperium obtigisse. Causa verbis primùm, dein etiam armis peracta est; quibus cùm Marcianus Zenonem multò fortiùs urgeret, parùm aberat, quin hunc ipsum in palatio obsessum, purpurâ, Regnóque exueret (i). Una nox, quæ intercessit, militum, qui in Marciani fidem juraverant, animos in adversa omninò consilia inclinavit; postridie namque Marcianus se non tantùm sueto militari suo præsidio nudatum, sed & proditum vidit (k): de Regno itaque minùs, plùs de salute sua anxius, in Ecclesiam, quæ Apostolorum honoribus sacra erat, confugit: fugientem Zeno ab aris divelli, & sacris initiari jubet (l); atque, ut Marcianum quàm longissimè à cupidine Imperii arceret, captivum intra castellum Isauriæ (m), vel (ùt alii volunt) Ciliciæ (n) compingi curat.

Seditio Marciani adversùs Zenonem.

(h) Evagr. l. 3. c. 26. Theodor. L. p. 557.

(i) Candid. p. 19. 20.

(k) Theophan. p. 109.

Marciani exauthoratio.

(l) Evagr. l. c.

(m) Candid. p. 20.

(n) Evagr. l. 3. c. 26.

5. Dum

5. Dum Constantinopolis intestino bello convellebatur; extra mœnia ejusdem urbis arma ciebat rursus Theodoricus Strabo: sperabat is, turbatis rebus fieri posse, ut Zenonis ac Isaurorum servitute fessi cives Gothorum jugum faciliùs admitterent: rogatus per Fecialem Strabo, cur pacis vix initæ violator armatorum manum portis civitatis regiæ denuò inferret? dissimulanter ille, & non sine dolo sciscitanti reponebat, suâ utpote amici interesse, ne Cæsar cum suis ægerrimè conflictatus, præsenti careret auxilio. Zeno contrà (nam Imperatori fraus subolebat) gratiis pro ficto obsequio actis monebat, sedato jam tumultu armis nequaquam opus esse: optimè facturum Strabonem, si in alia tempora suppetias, officiúmque reservet (o). Theodoricus, licèt fraudem suam in aprico stare adverteret; cunctari tamen, & qui urbis dominatum spe suâ devorare ampliùs non poterat, saltem pensum pecuniarium extorquere instituit: tergiversanti itaque cùm verba non sufficerent, largitio ingens discessionem persuasit.

Theodoricus Strabo insidiatur Constantinopoli.

(o) Malch. p. 78. 5.

6. Intereà alter Theodoricus, sive Amalus, expilatâ Thraciâ in Macedoniam usque suas populationes protulerat; quæ ne cæteras eraderent penè Provincias, rapinas ejusmodi tributo solito redimere propositum erat (p). Sabinianus Illyrici Præfectus ignaviæ Cæsaris indignatus (q), commonere seriò Zenonem cœpit: nolit Princeps Gothorum ingluviem tot urbium spoliis saturatam thesauris etiam regiis explere, non subigi auro licentiam hostis, sed foveri: Orientis Ducibus necdum ita excidisse animos, ut frontem prædonibus objicere timeant. His dictis ubi emendatus Cæsar meliora jussa Sabiniano dederat; Dux idem collectum raptim militem in insidiis locat: dein palantes undique, ac onustos Macedonum opibus Gothos aggressus, diripit, direptos cædit, fugátque. Clades luculenta postquam Amalo fatis acciso supercilium detraxerat; è re Cæsaris porrò erat, siquidem victo potiùs insistere, quàm confligere cum integro & recente hoste maluisset: sed improvidum Zenonis ingenium eò jam rapiebatur (r), ut omissis ac neglectis Amali reliquiis, Strabonem adhuc viribus subsultantem potiùs novo bello exagitare præsumeret. Theodoricus Strabo, utprimùm

Theodoricus Amalus expilat Thraciam

(p) Malch. p. 79.

(q) Marcellin. a. 481.

Victoria contra Theodoricum Amalum

(r) Malch. p. 88. 89.

Redintegratur bellum inter Cæſarem & Theodoricum Strabonem.

(s) Jornand. Reg. c. 47. Theophan. p. 108.

mùm ſe in arenam vocari cognovit; cæteris, quibus jam valebat, copiis auctiores adlegit: jámque cum validiore exercitu Conſtantinopolim movebat (s), daturus cruentæ tempeſtati initium; nî inopinus caſus procellæ penè furentis finem ſubitò feciſſet (*6). Conjuraverant ex Gothis aliqui in Theodorici caput eâ lege, ut, quem ſatìs acerbum Principem tempore pacis experti eſſent, hunc inter belli turbas (velut datâ occaſione) vitâ, acríque Regno amandarent. Fœdus iniquum ubi ex dubiis rumoribus Theodoricus perceperat; quaſi caſſes inſidiantium declinaturus, reditum ſuis in Illyricum imperat: dein ſtativis aliquando per iter poſitis, ut otium equeſtri ludo falleret, temerè & medio corpore in equum inſilit. Animal ferocitate exultans ubi ſeſſorem malè tergo hærentem ſenſit; anterioribus pedibus inſiſtens, onus indignantis in morem excutere parat: & erat in fatis Theodorici, ut corpus ejectum in extantem propè lanceæ cuſpidem deflueret, quâ transfoſſus Princeps vivere, & bellum gerere deſiit (*7).

Mors funeſta Theodorici Strabonis.

A. 482. 7. Zeno unius Theodorici periculo defunctus, ſuperſtitem adhuc alterum ejusdem nominis numerabat hoſtem, eóque timendum magìs; quòd hic Theodoricus Amalus priſtinæ cladis à Sabiniano nuper acceptæ memor, tantum jam haberet virium ad vindicandam injuriam, quantum voluntatis olim ad nocendum

(*6) EVAGRIUS Lib. III. c. 25. *Per idem tempus Theodoricus, Scytha genere, contra Zenonem arma ferre parat, & copiis ſuis in Thracia collectis, bellum gerit adversùs Zenonem: agrísque omnibus, qui ante pedes jacebant, uſque ad oſtium Ponti vaſtatis, parum aberat, quin Conſtantinopolim cepiſſet, niſi quidam ex illius maxime neceſſariis vehementer erga eum offenſi concilium de illo interimendo iniviſſent: qui, cùm ſuorum intellexiſſet malevolentiam, retulit pedem, atque adeò multò poſt in mortuorum numerum adſcriptus eſt.*

(*7) EVAGRIUS l. c. *Quo genere mortis occubuerit* (Theodoricus) *dicam: quod ita habet. Pro caſtris ejus haſta cuſpide bifida in ſublimi ſuſpenſa fuit more barbarico. Deinde corpus ſuum agitare, exercerέque cupiens, equum ſibi adduci jubet. Tum abſque mora (cujus etiam in aliis rebus gerendis impatiens eſſe ſolet) in equum inſilit. Equus autem, utpote indomitus & ferox, cùm nondum Theodoricus, pedibus utrinque ritè diſpoſitis, firmè inſideret, pedes anteriores tollit in ſublime, ac poſterioribus ſolùm inſiſtit erectus, adeò, ut Theodoricus cum magna contentione cum eo luctaretur, & neque auderet eum fræno, ne in ipſum caderet, retrahere: neque adhuc in ſella firmè ſederet, huc, illúcque ſic volutaretur, ut haſtæ ſuſpenſæ cuſpidem vehementer agitaret, qui in eum impactus, latus graviter vulneravit; inde igitur in lecto coactus decumbere, paucis poſt diebus ex vulnere periit.*

dum habuiſſet (t); præter ſuas enim copias, quas ab ultimo conflictu benè refecerat, totum Theodorici Strabonis exercitum ſub ſua ſigna vocaverat. His accinctus in Macedoniam rurſus irruit, ſparsóque per agros terrore belli, Lariſſam Provinciæ Caput expugnat. Trepidi nuncii ubi certius quid de hoſte per urbem regiam divulgârunt; Zeno inops conſilii ſollicitè ex ſuis quærebat, quæ demum ratio, quis utilior modus foret hanc flammam comprimendi? Quibus fortior mens inerat, Authores Cæſari fuêre: Prædones Regnorum non auro, ſed ferro coercendos: inducias, non pacem ab hoſte emi; nec ante perpetuum fœdus conſtiturum, niſi armata manus id firmârit: adhæc providendum Principi, ne plures deinceps ſint, qui putent, plus illos demum in Imperium poſſe, qui plus audaciæ ac licentiæ oſtentarent. Alii verò ignavo Cæſari blandientes ſuadebant, invaleſcentes Gothos meliùs præmiis, quàm inimicâ vi deliniri: eſſe in poteſtate Imperatoris magnos honorum titulos, quibus Theodoricus capiatur: eſſe & in Imperio amplas ſedes, ex quibus ſi Gothi dimenſum acceperint; poſito hoſtili animo nomen Romanæ militiæ, auxilia laboranti Regno daturos. Poſtremum quia Zeno maximè cupiebat; cum Theodorico Amalo in has leges Pax ſancita eſt (u): nempe ut Gothis ad Iſtrum Daciæ & Mœſiæ inferioris partem colere liceat; Theodoricus autem Palatinorum & Thraciæ Præfecturâ donatus (x), anno ſequente CCCCLXXXIV. Conſulatûs inſuper Romani ferat inſignia: quibus Zeno cumuli loco appoſitam voluit ſtatuam equeſtrem, quæ cùm ante Palatium Theodorici, jubente Cæſare, ad gloriam barbaræ gentis erigeretur (y); dubitârunt boni omnes, utrùm in hoc ſimulachro fuerit Gothici honoris, aut Romanæ ignominiæ illuſtrius monumentum?

(t) Marcellin. a. 482.

Theodorici Amali contra Macedoniam & Cæſarem novæ molitiones.

(u) Marcellin. l. c.

Pax inita inter Cæſarem Zenonem, & Theodoricum Amalum.

(x) Theophan. p. 112.

A. 483.

(y) Jornand. Regn. Goth. c. 57.

8. Eodem tempore, quo Orienti fœdam pacem reddere Imperator feſtinabat, Eccleſiam periculoſiore bello involvit: extulerat Zeno in Sedem Conſtantinopolitanam Acacium, virum (ùt poſtea compertum eſt) tanto officio minimè dignum. In hoc crimine quidquid piaculi erat, Deus eum in modum ultus eſt; ut, cui malè merenti Zeno ad ſacros honores ſuffragium dediſſet, idem inſtrumentum foret multorum ſcelerum, quibus

A. 482.

 Cæſaris,

(z) Auctor Breviar. Hist. Eutych.

Zeno promulgat Henoticum.

A. 483.

(a) Gelasius PP. in Ep. ad Episc. Dardan.

Cæsaris, Orientisque salus pessumdaretur (z). Nam eodem Acacio Authore, Imperator subinde nefastam illam legem edidit, quæ *Henotici* nomine veniebat: hujus decreti iniquitas in eo potissimùm versabatur, quòd per illud proponeretur vinculum, quo Catholicorum sana fides cum Eutychiana fraude commisceretur (*8). Institutum sacrilegum urgenti Cæsari Legati Pontificis, tum boni omnes, at non impunè, obstiterunt; in illos quippe multis injuriis (a): in hos pluribus pœnis severissimè animadversum est. Displicuerat supremo Numini æquè hæc impietas, ac illa, quâ olim Quidam è Regibus Israël in Sacerdotum jura involare, & nefariâ manu, aut profano thure sacrarium violare præsumpserat; quare ad exemplum veteris prævaricationis non minùs

(*8) PAGIUS in T. II. Criticæ ad An. 482. §. 21. & 22. „ Soliti erant Imperatores annis suis decennalibus, aut id genus festis addictis bonum, aut pacem Ecclesiæ procurare. Quare Zeno occasione Decennalium suorum usus, *Henoticum* seu Unitivum Edictum, vel suadente, vel dictante Acacio, emisit, & ad Ægyptiacæ Diœceseos Antistites, Monachos, plebémque Christianam direxit animo conciliandæ pacis, & procurandæ Ecclesiarum unitatis. In eo non aliud Symbolum admittendum decernit, quàm Nicænum: approbat duodecim S. Cyrilli Capitula. *Nestorium* & *Eutychem* damnat anathemate: De *Dioscoro* silet, ne Alexandrinos offendat: Synodum Chalcedonensem, & fidei definitionem in eâ editam, ac Epistolam S. Leonis ad *Flavianum* silentio premit: imò damnat anathemate S. Synodum, si expositæ in hoc suo Edicto fidei contraria sit. Cæterùm fidem Concilii Chalcedonensis reipsâ profitetur, & anathema iterat in Hæreticos omnes, præsertim in Nestorium, & in Eutychem. Edictum illud causæ fidei nocuit, fovítque hæresin, silendo tum de S. Leonis Epistola, tum de Synodi Chalcedonensis definitione, tum denique de his vocabulis: *Ex duabus, & in duabus naturis*; quæ Catholicæ fidei contra Eutychianam perfidiam nota singularis erat. Hinc Baronius ait, Zenonem Hæreticum fuisse, evertisse Catholica dogmata, & pessumdedisse funditùs Christianam Religionem; Natalis tamen Alexander in §. 4. p. 90. Sæc. V. c. 3. & in Differt. XVIII. tam ex ipsius Henotici verbis, quàm ex Epistola Zenonis ad Felicem Papam, cujus fragmentum refert Evagrius l. 3. c. 20, illud nullam hæresin continere ostendit. Verba Epistolæ Zenonis post Edictum Henoticum datæ, hæc sunt: *Pro certo habere debes, & Pietatem nostram, & suprà memoratum Sanctissimum Petrum, & universas sacrosanctas Ecclesias, sanctissimum Chalcedonense Concilium amplecti, atque venerari, quod cum fide Nicæni Concilii prorsus consentit.* Quamvis autem *Henoticum* nullam hæresin contineret; communiter tamen ab Orthodoxis rejectum fuit. Neque enim Laïci Principes decernere de fide possunt, & Zeno definitionem Synodi Chalcedonensis, & Epistolam S. Leonis ad Flavianum, summo totius Synodi consensu receptam, silentio premendo suâ œconomiâ condescendit Hæreticis, qui illas execrabantur. Quare sicut *Ecthesim* Heraclii, & *Typum* Constantis Imperatoris rejecit Ecclesia ob suppressas *duarum operationum* voces, quibus Monothelitarum hæresis profligabatur; ita & *Henoticum* ob suppressam sancti Chalcedonensis Concilii, & Epistolæ S. Leonis memoriam, obrutásque silentio voces, *ex duabus, & in duabus Naturis*, quibus hæresim Eutychianam jugulârunt. „ *De his plura videbis in Historia Ecclesiastica.*

minùs iste & paria ausus tum Ecclesiâ, tum etiam Regno suo ejiciendus videbatur. Tempestatis hujus ab ira Dei in Zenonem effusæ quia multiplex causa erat; rem ab initiis ordiri juvat. Illus æquè à gesto Magistratu, ac arte militari clarus (b), pars magna fuerat, cur Zenoni Regnum redderetur: beneficio ingenti ne se ingratum primò præstaret Cæsar; Illum ipse ferre in oculis, cumulare honoribus Ducem, totámque Regni curam ei committere studuit: officiis maximis hisce Illus tantò dignior visus est, quantò moderatiùs & fortunâ suâ, & potestate utebatur; defluxit tamen brevì illa virtus, dum subinde Illi communio cum Pamprepio esse cœpit (c). Grammaticus hic Thebanus & Gentilitatis veneno, & magicis præstigiis tumebat (d), quam totam improbitatis sentinam ubi in animum Illi, Leontii, aliorúmque Magnatum profuderat; parùm abfuit, quin in Urbe Regia tum diabolicis artibus, tum Idolomaniæ locus, sedésque daretur. Quantocunque inde conatu Zeno Pamprepium tot malorum incentorem Constantinopoli exterminare pararet (e); præsidium tamen iste certum habebat in Illo, cujus potentia etiam Cæsari formidini erat. Verina Augusta muliebri audaciâ ardentior, quò certiùs Pamprepio exitium conscisceret; Alanum subornat, qui Illum ex insidiis aggressus, eundem Imperii hostem conficiat (f): meditatus ille facinus est, sed casso vulnere: cùm enim in cervicem ferrum distringeret; fallente ictu auriculæ partem resecans, vivum Illum reliquit. Sicarius comprehensus, & in quæstionem adductus, nihil dissimulat eorum, quæ Verina suggesserat: tota itaque criminis invidia quia in solam Augustam rejiciebatur; Illus & injuriâ, & periculo suo incensus, à Cæsare pœnas in Verinam exposcit. Zeno sive ad conscientiam paratæ cædis à se amoliendam, sive quòd Verinam ex propinquitate sanguinis (quem utpote soror cum hoste Basilisco communem habebat) sibi dudum invisam, nunc demum amandandi ab aula causam captaret (g); eandem in Castellum Ciliciæ, ubi jam Marcianus ejus gener cum Leontia Verinæ filia tenebatur, captivam duci jubet. Ariadna Imperatoris Conjux, simúlque altera exulantis matris soboles, quò sortem afflictæ Verinæ restitueret (h), precibus, lachrymísque Cæsaris continuò pulsabat animum,

A. 484.

(b) Jornand. Regn. Goth. c. 47. Codin. or. C. p. 43. Cedren. p. 354. Theophan. p. 109.

Illus quis fuerit?

(c) Candid. p. 19. Suidas πα p. 413.

(d) Photius c. 242.

Pervertitur à Mago.

(e) Suidas p. 414. Theophan. p. 110.

(f) Candid. p. 19.

Illo agente Verina in exilium amandatur.

(g) Evagr. l. 3. c. 27. Theodor. L. p. 558.

(h) Theophan. p. 159.

mum, id maximè questa, regnare in Palatio hostem æquè sibi, ac suis infestum; sæviisse eundem in matrem, filiámque, demum in Zenonem acres vires expropturum: nî exigatur aulâ hostis, sibi tutius fore, si extra palatium ac thorum regium in exilio lentâ morte tabescat, quàm si cum sicario ejusmodi sub eodem tecto diu luctata, subitò discrimen capitis patiatur. Zeno Conjugis questibus mollior, ultrò Illum Ariadnæ potestati permittit. Non tam hebetis ingenii Illus erat, ut non citiùs, quid rerum ageretur, ex mutata temporum facie exsculperet (i); scrutatus proinde Ariadnæ sensa, insidiásque, Nicæam protinus demigrat, quasi copias, quibus Dux præerat, lustraturus: re ipsâ, ut, quas animo coquebat iras, celeriùs effunderet (k). Vix enim urbe extulerat pedem; adscitis in consilium duobus amicis, scilicet Leontio Thraciæ Præfecto, & Marso, septuaginta millium exercitum cogit (l): deinde velut signo conjurationis dato, in Syria & Isauria populationum facit initium (m). Ex agrestium, nobiliúmque fuga ubi de Provinciæ vastitate Cæsar cognovit; Longinum fratrem è vestigio mittit, qui hostis impetum cohibeat. Venienti Conjuratorum agmen propè Antiochiam occurrit: &, antequam Longinus explicaret aciem, tumultuario ejus exercitu ad internecionem cæso vivus Dux capitur; mox Illus Isauris largitione quâdam delinitis, citra vim Papyrio Castello, opibúsque regiis potitur. Inter hos verò thesauros, quos illud claustrum servabat, gratissima erat Verina: posteaquam enim hæc mulier à Zenone in hunc carcerem amandata fuerat (n); eadem nunc subactâ arce in hostium quoque manus pervenit, velut pignus Imperii, & novarum rerum instrumentum. Conjurati, ut fœminam certiùs haberent sub potestate, eandem Tarsum Ciliciæ deportari curant. Verina arctiori custodiæ inclusa, muliebri primùm cœpit planctu suum incusare fatum: dein mœrore in iram verso contra Zenonem tot calamitatum authorem furere; demum acerba adversùs Cæsarem meditari consilia. Ista astutè ubi conceperat, sensa hunc in modum Conjuratis aperuit: quandoquidem Leonis Magni Imperatoris filia & Regni hæres foret; se olim, quidquid ad Imperium habuisset juris, in Zenonem eo tempore optimum transtulisse (o): at honos

Insidiæ Illo parantur.

(i) Jornand. Reg. c. 47. Suidas p. 414.

(k) Theophan. p. 110.

(l) Codin. or. Con. p. 43.

(m) Jornand. c. 47.

Illi seditio & bellum adversùs Zenonem.

(n) Theodor. L. p. 558. Theophan. p. 110.

(o) Evagr. Lib. 3. c. 27. Cand. p. 20. Theophan. p. 110.

nos insolitus quia hominis ingenium ita corrupisset, ut nec se ei, quæ benefecerat, gratum, nec Reipublicæ utilem præstaret; sibi adhuc integrum esse, ut eâ manu, quâ antea Zenoni, nunc Leontio Conjuratorum Primipilo coronam Imperii dispensaret. Placuit vel ideò cunctis consilium, eoquòd hâc ratione non vi raptum Imperium, sed Augustæ fœminæ dono datum acciperetur. Verina igitur Leontio ex aliorum etiam sententia Regnum impertita, pro beneficio libertatem nacta est; quâ tamen diu frui non potuit, paulò pòst è vivis erepta (p).

Leontius à Verina coronatur.

(p) Theophan. p. 111.

9. Zenonem interea non paucæ curæ anxium habuêre: afflixerat nimirum Principis animum tum ultima suorum clades, tum Fratris Longini sub hoste servitus (q); dolorem verò altissimum exulceraverat omninò Verinæ facinus, quo legitimum Cæsarem exuere Regno, illúdque in nefastum Leontii caput transferre ausa esset. Congestam his fastidiis bilem quia in defunctam jam socrum effundere non licebat; Conjuratis saltem pares reddere vices Cæsar decernit. Conscribitur illicò exercitus ex Scythia & Macedonia, unà cum Gothorum auxiliis: his copiis numero validis duo Duces imponuntur, quorum alter à Patria Joannes Scytha, alter à corporis vitio Joannes Gibbosus dicebatur (r): duo fulmina belli dixisses, quorum celeritas & fortitudo hostilem turbam primâ adhuc felicitate ebriam, ac in otio hærentem propè Seleuciam Isauriæ oppressit. Leontius Regni Usurpator, & Illus Tyrannidis socius ex media internecina clade cum parva fugientium manu Papyrium evasêre; insequens ponè Victor inclusos arctè circumsidet, & ad deditionem cogit: sed desperatio veniæ, ac conscientia scelerum obsessos ad ultima perpetienda obstinaverat, Pamprejo etiam subinde trepidis animos addente. Pertinacia ejusmodi in quartum annum obsidionem extraxit; quo spatio elapso, quia nec fami intùs furenti, nec forìs armis invalentibus resistendi locus erat; Cæsareus demum miles in urbem eluctatur. Pamprejus seditiosorum incentor primo impetu in frusta concisus, extra mœnia canibus devorandus objicitur (s); mitius supplicium (scilicet capitis) postea Leontius

(q) Cod. or. C. p. 43.

(r) Theophan. p. 112. Liberatus c. 18.

A. 485.

Illus & Leontius ab exercitu Zenonis vincuntur.

Interitus Illi & Leontii.

(s) Theophan. p. 112.

A. 486. tius (*9) & Illus tulêre. Longinus Cæſaris Frater ubi hâc ratione libertati redditus, victi hoſtis & pacis nuncius Conſtantinopolim venit (*10); à turbis Urbs Regia reſpirâſſet, niſi belli aliunde ingruentis initia tranquillitatis ſpem præcidiſſent.

Theodorici Amali bellum contra Zenonem, ejúsque cauſa.

(t) Marcell. an. 485. Ennodius V. Theod. Evagr. l. 3. c. 27.

10. Theodoricus Amalus (quem beneficia Zenonis refecerant quidem; non tamen omninò expleverant) eo tempore defectionis dederat ſignum, quo hominis fidem ſibi multis titulis obſtrictam Zeno putaverat (t). Increpuerant nempe populares Gothi hunc Principem ſuum, quòd Conſtantinopoli alia agens, commiſſam ſibi negligeret gentem, nec ad quærendas terras pro ampliore domicilio curam haberet. Quamdiu ſenſu gratitudinis tangebatur Theodoricus, ſuorum poſtulatis obſtitit; at iſto ſubinde (ùt fit) evaneſcente, injuriæ etiam loco duxit, quòd, cùm multa à Cæſare accepiſſet, plura accipere potueri. Querebatur itaque, alios Duces circumferre per Orientem victorias, his committi exercitus, ſe vanis duntaxat nominibus paſci. Iſta faſtidiorum plenus agitans, negotia quædam cauſatus, in Mœſiam
A. 487. Gothorum ſedem digreditur; dein apparatu ad bellum facto, populabundas copias in conſpectum Urbis Regiæ ſubitò adducit (*11). Zeno utprimùm ex villarum incendiis hoſtis adventum cognoverat (u); ad ſueta emendæ pacis media reſpectans, largitione Gothorum licentiam compeſcendam putat: verùm hi ſuccla-

(u) Theophan. p. 112. Procop. B. G. l. 2. c. 6.

(*9) MARCELLINUS in Chronico ad An. 488. *Leontius interea Rex, & Illus Tyrannus in Papyrio Iſauriæ Caſtello capti, decollatique ſunt. Capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixa haſtilibus tabuêre.* Ad eundem annum mortem utriuſque Tyranni refert THEOPHANES, quia annus Incarnati ſecundùm Alexandrinorum numerationem 480, idem eſt, ac qui à nobis dicitur annus 488.

(*10) MARCELLINUS ad An. 485. *Longinus Zenonis frater Auguſti poſt DECENNALEM cuſtodiam, quam eidem Illus apud Iſauriam inflixerat, ad Germanum ſuum Conſtantinopolim advenit.* PAGIUS monet in verbo *Decennalem* mendum eſſe, ac debere legi annalem, eoquòd Marcellinus teſtetur, A. 484. Illum modò rebellare cœpiſſe adversùs Zenonem.

(*11) MARCELLINUS ad An. 487. *Theodoricus Gothorum Rex Zenonis Aug. nunquam beneficiis ſatiatus, magnâ ſuorum manu uſque ad Regiam Civitatem, & Melentiadem oppidum infeſtus acceſſit, plurimiſque locis igne crematis ad Navenſem Mœſiæ civitatem, unde advenerat, remeavit.* Erat Melantias *Thraciæ pagus, CII. ſtadiis Byzantio diſtans*, inquit SUIDAS in Hiſtoria. *Nova* verò oppidum Mœſiæ inferioris ad Danubium, ubi Theodoricus habitabat. Vide PAGIUM *in Critica* ad An. 488. §. II, ubi porrò notat, ingratitudinem Theodorici erga Zenonem diſſimulari à Jornande, Gothicæ rei nimis ſtudioſo.

ſucclamantes offerenti reponebant, non ſibi ſpolia, non parcam opum numerationem; ſed ſolidas terras in votis eſſe: ſatis diu & graviter ſe hæſiſſe arcto in limite, qui creſcenti in dies genti haud ſufficeret: auctum in immenſum Gothorum populum novas colonias, aliásque ſpectare ſedes; in quibus non mancipiorum more, aut aliorum beneficio, ſed ſuo ingenio, ſuóque ſub Rege viverent. Imperator, quia nec aliter placari gens, nec ardens belli ira averti poterat; Theodorico author eſt (x), ut, ſiquidem Regnum ambiat, in Italiam educat ſuos: illinc Odoacrem eſſe, qui nec ſtabilem in Romano agro fixerit pedem, nec militem alat Gothis parem: per ſe non ſtare, ut ſuperato ejusmodi debili hoſte, terrarum ditiſſimarum Dominatum deinceps Victor teneat (* 12). Qui conſilium hoc Zenonis altiùs inveſtigârunt, non uno ſenſu Cæſaris mentem expoſuêre. Sunt enim alii, qui putant, hoc iter ab Imperatore Gothis ideò eſſe perſuaſum, ut Theodorico cum Odoacre commiſſo, ipſe Zeno tertius accederet, & clade mutuâ attritis Italiæ eriperet Regnum. Alii verò ita divinant, à Zenone eâ de causâ Theodoricum longè ab Oriente amandatum eſſe, ut vitia ſua, quæ bellorum metus tardaverat, tandem pleniùs profundendi occaſionem captaret; ſaltem id certius eſt, Zenonem poſt Gothorum in Italiam profectionem, licentiùs ſcelera peregiſſe (* 13).

Zeno Theodorico Author eſt, ut contra Odoacrem in Italiam moveat.

(x) Procop. l. 2. c. 6. Evagr. l. 3. c. 27. Jornandes R. G. c. 57.

A. 488.

Variæ cauſæ, cur Zeno Theodorico iter in Italiam perſuaſerit.

A. 489.

II. Ac

(* 12) ANONYMUS VALESIANUS: *Mittens* (Zeno) *Theodoricum ad Italiam, pactitatus eſt, ut, ſi victus fuiſſet Odoachar pro merito laborum ſuorum, loco ejus, dum adveniret, tantùm præregnaret. Ergo ſuperveniente Theodorico Patritio de civitate Nova, cum gente Gothica, miſſus ab Imperatore Zenone de partibus Orientis ad defendendam ſibi Italiam.* Ex his colligitur, quòd nec Odoacrem Zeno agnoverit Italiæ Regem, nec quòd ex integro Gothis illud Regnum donârit. Sed in Procopii L. 1. de B. G. c. 1. contrarium aſſeritur p. 308. *Sub idem tempus Gothi, qui Imperatoris permiſſu Thraciam incolebant, in Romanos rebellavêre, Duce Theodorico, qui vir erat Patricius, & Byzantii ſellam Conſularem aſcenderat. At Zeno Aug. rationem optimam è re nata inire callens, Theodorico ſuaſit, ut Italiam peteret, & cum Odoacro collatâ manu, ſibi, Gothiſque Imperium Occidentis pararet: cùm eſſet convenientius præſertim Senatori Tyrannum exigere, & Romanis, atque Italis præeſſe omnibus, quàm armis cum Imperatore contendere, & in tantum venire diſcrimen. Eo delectatus conſilio, Theodoricus in Italiam proficiſcitur, Gothi ſe comites adjunxerant, parvulis, fœminiſque in plauſtra impoſitis cum ſupellectile quantacunque deferri potuit* &c.

(* 13) PAGIUS in Critic. T. II. pag. 431. Theodorici ingreſſum in Italiam refert ad annum 489, quod probat ex MARCELLINO, & MARIO AVENTICENSI, qui

Vitia Zenonis

11. Ac primo extra ictum Gothorum positus alius ingenio, alius indole apparuit: qui enim anteà hebes satis torpuerat ad curandam Rempublicam; is nunc acerbam omnem sollicitudinem acuebat, quâ Ecclesiam, ejúsque Præsules maligniùs exerceret. Abominatus Zeno pridem fuerat omne bellandi genus; at nunc mutatum animum in nova acuebat certamina, quibus non robur hostium, sed pudor castissimarum fœminarum expugnaretur (y); in hoc scilicet supremæ suæ potestatis prærogativam, sive licentiam constituens, quòd opera tenebrarum palàm in luce perpetrare, ídque sine metu cujusquam posset. Libidine promiscuâ postquam Cæsar bonorum odium, & violatarum virginum lachrymas sæpè concitaverat; monstri ejusdem vanitas fecit, ut quandoque risus etiam Viris sapientissimis eliceretur (z). Nam morem illum, quem olim Philippus Macedo in Judice quodam salso joco castigaverat, ipse solus ex posteris imitari non erubuit: dum supercilium, capillos, faciémque totam fucatis coloribus expingebat, joculari Mimo, quám Cæsari similior. His vitiis adjungebat insatiabilem avaritiam atque crudelitatem; alterâ subditorum opes (a), Magnatum vitam alterâ hauriens (b): devictis nempe Leontio & Illo, Conjuratorum in numerum referebat eos, quorum opulentior fortuna spem amplioris rapinæ fecerat. Utì autem hâc ratione auri famem explebat; ita sitire sanguinem innocentûm cœpit (c): per diabolicas præstigias de Successore suo multa scrutatus, à Mauriano mago responsum accepit, unum ex iis, quos Silentiarios vocant (*14), post Zenonem

(y) Evagr. l. 3. c. 3.

(z) Suidas p. 22.

(a) Suidas & p. 1028. Malch. p. 88

(b) Zonar. p. 43.

(c) Cedren. p. 354. Chronic. Alexandr. Theophan. p. 116.

qui ait in Chronico, Probino & Eusebio Coss. (A. 489.) *His Consulibus ingressus est Theodoricus, Rex Gothorum, in Italiam, Ponte Isonti.* Quod idem asserit CASSIODORUS in Chron. Probino & Eusebio Coss. *His Coss. felicissimus, atque fortissimus D. N. Rex Theodericus intravit Italiam, cui Odoacer ad Isontium pugnam parans, victus cum tota gente fugatus est. Eodem anno, repetito conflictu, Veronæ vincitur Odoacer.*

(*14) THEOPHYLACTUS SIMOCATTA l. 8. c. 9. *Silentiarii* officium inter honoratiores Palatii dignitates reponit; hinc Silentiarii vocantur *Clarissimi* L. 5. Cod. J. de Silentiariis. Officium eorum erat, ut Palatio vel alibi silentium indicerent, teste UGOTIONE, vel ut ad cubiculum Principis excubias agerent, caveréntque, ne quodpiam murmur excitaretur, vide MARCIANUM CAPELLAM l. 7. PROCOPIUM l. 2. de B. Persic. c. 2; Silentiariorum erant complures, qui in tres decurias divisi, Decurionem habebant, ùt colligere licet ex Codice Theodosiano & Justinianæo; in quibus extat

nonem regnaturum. Communis & obſcura Succeſſoris appellatio pluribus conſcivit periculum; nam Zeno præter ſolum Longinum Candidatos alios Imperii haudquaquam ferens, Magnates præcipuos, ne quis fratri Regnum præriperet, è medio tollendos curabat (d). Inter tot furoris inſani victimas Pelagius quoque cecidit vir magnæ virtutis & fidei; at ne inultus periret, eâ die, quâ ad necem raptabatur, ad tribunal æterni Judicis, pœnásque meritas Cæſarem evocat (*15). Neque tardabat Juſtitia divina ultrix à Tyranni tergo ſequi: oppreſſus quippe ſubitò acutiſſimis doloribus eſt, de quorum cauſa quia nec ars medica ſuſpicari, multò minùs mederi malo valebat; Zeno in pejorem inde, ſive in comitialem morbum incidens, ingeminato ſæpiùs Pelagii à ſe occiſi nomine, è deformi corpore deformiorem ſpiritum ejecit (*16) anno CCCCXCI; poſtquam per annos ſepten-

Crudelitas Zenonis.

A. 490.

(d) Cedren. p. 354.

Mors infauſta Zenonis.

A. 491.

extat titulus *de Silentiariis, & Decurionibus eorum.* In Concilio Chalcedon. Act. 10. mentio etiam fit de *Primicerio Silentiariorum.* Vide plura apud DU CANGE in Gloſſario.

(*15) CEDRENUS p. 354. *Interfecit etiam Zeno Imperator Pelagium Patricium, virum præclarum, & carminum inſcriptione inſignem; quòd is pro ſua prudentia & juſtitia libertatem dicendi ſibi ſumens, Zenonis nefanda facinora palàm inceſſebat. Moriturus autem, manibus ad altum erectis, Deum omnium Gubernatorem ſic eſt precatus: O juſtiſſime Deus, mihi quidem injuſtiſſimè mors infertur, propterea, quòd libero ore Zenonis multa facinora violenta repreſſi, & quòd fatuum ejus fratrem nolui Cæſarem deſignari. Tu autem Domine omnipotens, qui juſtitiæ rationem habes, quamprimùm eorum ſcelerata homicidia punito.*

(*16) De mortis genere Authores non conveniunt; nam JOANNES MALELA in Chronico ab Anglis primùm luci dato aſſerit: *Imperator Zeno dyſenteriâ correptus, fatis conceſſit.* EVAGRIUS l. 3. c. 29. *Cùm autem Zeno abſque liberis decimo ſeptimo Regni ſui anno confecto eſſet; comitiali morbo extinctus eſt.* Inde fortè recentiores Græci occaſionem captârunt ſcribendi, quòd, cùm comitiali morbo extinctus crederetur, vivus fuerit ſepultus. CEDRENUS p. 355: *Itaque uxorem & cubicularios propriæ ſaluti conſulentes mortuum in aſſere jacentem reliquiſſe; diluculo tandem quendam eum nullâ neceſſitudine attingentem ſindonem cadaveri injeciſſe. Satellites porrò, qui ad ſepulchrum, in quo repoſitus fuit, cuſtodiendum erant collocati, retulerunt, ſe per duas noctes lamentabilem vocem audiviſſe ex ſepulchro elatam: Miſeremini, & aperite mihi. Cùm illi dicerent, alium jam imperare. Nihil, inquit, curo: in monaſterium me adducite. Sed cùm non aperirent; ferunt, aliquantò pòſt monumentum fuiſſe recluſum, inventúmque in eo Zenonem, qui præ fame ſuos ipſe lacertos mandiderat, & caligas, quas geſtabat. Quia crebrò comitiali corripiebatur morbo, & ipſo adhuc vivente Ariadna Zenonem amabat. Ea itaque mandaverat cuſtodiis regii ſepulchri, ne aperirent.* ZONARAS l. III. Ann. p. 44. paulò aliter rem commemorat: *Tradunt enim quidam, eum gulæ, & ebrietati indulgentem errore mentis affici ſolitum, & prolapſum à mortuo nihil deſtitiſſe. Cùm verò* ipſi

ſeptendecim variis, peſſimis tamen plerumque moribus Imperium rexerat (*17).

Longinus frater Zenonis fruſtrà inhiat Imperio.

12. Funere elato Longinus ſeu fraterno jure, ſive quòd Iſauros, totúmque exercitum in poteſtate haberet, ad ſe Regnum trahere adnititur (e): verùm in homine primùm diſplicuit, quòd privatam adhuc agens vitam, comeſſando, aliíſque vitiis ſe Zenoni non abſimilem præſtitiſſet; deinde quòd publicis admotus muneribus, impunitatem ſceleri, & officia ſceleratis, ídque pretio immani vendere fuiſſet ſolitus (f). Ariadnæ igitur Zenonis viduæ dum eligendi Succeſſoris fit copia; illa Anaſtaſium Silentiarium ſimul Conjugem, ſimúlque Imperatorem deſignat (g). Oriundus is erat Durazio Illyrici Metropoli (h), à bicoloribus pupillis Dicorus appellatus (i): ab hæretica matre quia amare hæreſin, & fovere à teneris inſueverat (k); Senatui poſtea & Silentiariorum ordini adſcriptus, omnem officii authoritatem eò convertit, ut erroribus omnibus nefaſtum patrocinium, & Eutychianorum factioni etiam nomen daret (l). Veneno hoc imbutus illicò Palladium errore ſibi ſimilem Antiochenæ Sedi præfici curavit, quin in Regia adeò Urbe Author erat illorum conventuum, in quibus Eutychis doctrina palàm ex cathedra exponebatur (m). Talia auſus, protervâ fronte nihilominus ſe Catholicum mentiebatur, & in Synaxin fidelium aſtutè ſe ingerens, non paucos decepit. Euphemius Conſtantinopo-

Anaſtaſius Ariadnæ ſtudio Imperator creatur.

Qualis Anaſtaſius fuerit.

(e) Theophan. p. 116. Evagr. l. 3. c. 29.
(f) Suidas p. 52.
(g) Theodor. L. p. 558. Evagr. l. 3. c. 32.
(h) Theophan. p. 117. Evagr. l. 3. c. 29.
(i) Chron. Alexandr. Zonar. p. 44
(k) Theod. L. p. 558. Theophan. p. 117.
(l) Evagr. l. 3. c. 32. Suidas
(m) Suidas αὐτ. Theophan. p. 115.

ipſi etiam Conjugi Ariadnæ inviſus eſſet, ſic inebriatum, pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa conjectum, lapide maximo, qui pro operculo eſſet, impoſito: factúmque ſobrium, vociferatum quidem eſſe lamentabiliter; ſed nemine curante, miſerè periiſſe. Alii dicunt, cùm ægrotus acerbiſſimis doloribus urgeretur, pro mortuo habitum, & in ſepulchro poſitum, ibique exſpiràſſe, lamentantem, & domeſticos implorantem, cùm Ariadna prohiberet, ne quis monumentum aperiret, &c. TILLEMONT in Hiſtoria Imp. T. VI. 3. P. p. 921. fabulis hæc non abſimilia judicat, & ad infringendam fidem ait ſufficere, quòd à Græcis tantùm recentioribus hæc ſcripta ſint.

(*17) MARCELLINUS in Chronico ad Olybrii Conſulatum ſcribit: *Zeno Aug, vitâ deceſſit, tam ſui Imperii annis, quàm Baſiliſci tyrannidis computatis, Anno XVII, menſe VI.* BARONIUS loco *menſe VI.* habet *menſe V.* Sed PAGIUS ad A. 491. § IV. illum corrigit, aítque, eundem mendoſo Marcellini Codice uſum eſſe. Itaque cùm Zeno anno 474. menſe Februario à Leone Juniore filio in conſortium Imperii adſcitus ſit, & die 9. menſis Aprilis currentis anni 491. perierit; imperavit annos XVII. ac menſes tres, utroque extremo menſe pro integro numerato. Neque aliter Marcellinus ſcripſerat; ſed Librarii duas priores unitates in infima earum parte, quod ſæpè contigit, copulârunt, & loco, menſes III., ſcripsêre, menſes VI. Ita *Pagius*.

nopolitanus Episcopus ne lupo in medio grege concederet locum; eum ab Ecclesia quantocyùs abigendum minabatur, nî ejurato errore rediret ad frugem (n). Anastasius inde ab impendente fulmine cautior, non tamen melior evasit. In libidinem namque effusus, illicitis Ariadnæ erroribus serviisse, illúdque ab Augusta turpi obsequio impetrâsse fertur, ut defuncto Zenone ad Imperium vocaretur (o). Euphemius hæreticum non minùs, quàm scelestissimum Caput aspernatus, Constantinopolitanis testabatur, fas haud esse, ut Ecclesiæ hostis illud solium macularet, in quo Professores Catholicæ fidei perpetuo jure consedissent; accessuram etiam sceleri authoritatem, si, quod in Zenone boni omnes detestati fuerant, alterâ jam vice nefarium Principem piissimorum Antecessorum purpura ornaret (p). Difficillimum aliquamdiu certamen tenuit, hinc Præsule contra Anastasium; illinc Ariadnâ cum exercitu pro eodem depugnantibus (*18). Senatus ubi subinde in Ariadnæ vota, partésque concesserat; unus Euphemius tot Adversariis frangendis impar, eâ saltem, quâ adhuc licebat, ratione Catholicis prospectum ivit: exigebat à designato Cæsare formulam scriptam, quâ juratus ediceret, sibi regnaturo statam legem fore, ne uspiam Catholicæ Ecclesiæ, Chalcedonensis Synodi decretis, aut mori recepto adversetur (q). Charta Profitentis postquam in tabulario Ecclesiæ vadimonii loco reposita fuerat; Anastasius in Circo coronatus, primò in Solium Cæsareum, & post aliquod intervallum Ariadnæ connubium amplexus, in thorum etiam Zenonis successit (r).

13. De Anastasio, postquàm fasces acceperat, apud plebem opinio

(n) Suidas l. c.

(o) Baron. ad a. 491. §. VI.

Anastasius ab Ariadna in Conjugem & Imperatorem deligitur.

(p) Theodor L. p. 558.

Euphemius Ep. Anastasii electioni frustra resistit.

(q) Theoph. p. 117. Theodor. L. l. c.

Anastasius coronatur.

Victor. Tun. Cedren. p. 357.

(r) Jornand. de Reg. c. 48. Zonar. p. 45

Initia bona Imperatoris Anastasii.

(*18) THEODORUS L. Collect. l. 2. *Ei* (Anastasio) *resistit Euphemius Episcopus, vocans eum hæreticum, & indignum, qui Christianis imperaret: Ariadna verò & Senatores vi tractum cogunt. Ille verò consentire noluit, nisi scriptam ab eo confessionem retulisset, quâ Chalcedonensis Synodi decreta determinatione fidei insertâ comprobaret; quod ille fecit. Manichæi & Ariani lætabantur propter inaugurationem Imperii Anastasii: Manichæi, quòd mater illius zelo ac studio ipsorum prædita erat; Ariani verò, quòd Clearchum avunculum Anastasii consentientem haberent.*

opinio quædam virtutis (*19), Juſtitiæ laus, & Clementiæ (*20) etiam amor fuit; nam abolito Chryſargyro, ferox illud exactionum genus ſuſtulit, quo omnes Orientis opes hauriebantur (†): inde factum, ut nemo, niſi Longinus ac Iſauri Anaſtaſii Regnum abominarentur. Ad hos quoque compeſcendos Longinus à militiæ Magiſterio, Iſauri populares ex Urbe Regia in Patriam expulſi ſunt (s). Iſauriam vix repetierat exulum turba; adnitentibus etiam Præſulibus (*21), centum & quinquaginta millium virorum in validiſſimum exercitum, qui injuriæ factæ ultor eſſet, coivêre. Apparatus inſolitus belli non modicè Ana-

(†) Reflexio I.

(s) Evagr. l. 3. c. 35. Jornand. l. c.

Iſaurorum bellum contra Anaſtaſium.

(*19) CEDRENUS in Compend. p. 357. inſinuat, Anaſtaſium tum in privata vita, tum ſub initium Imperii quâdam virtutum ſpecie decepiſſe populum: *Cùm autem Anaſtaſius*, inquit, *habitu ſumpto Imperatorio, in Circo ſederet: omnis populus uno ore directo inclamavit: Sicut vixiſti, ita etiam impera, Domine! Quippe qui ante galli cantum templum adire ſolebat, ibique, dum concio dimitteretur, ſtabat Deum precans, frequenter jejunabat, & ſua pauperibus & mendicis erogabat.*

(*20) Sub initium Imperii Anaſtaſius anno 491, quo ſolus Olybrius Conſulatum geſſit, de PRÆSCRIPTIONE varias edidit leges. PRIMA extat in Codic. Juſt. l. 14. *de fundis patrimonialibus* L. XI. T. 61, & Matroniano Prætorii Præfecto inſcribitur: quâ ſancit, *ut omnibus ad excludendam omnem quolibet modo ex publico movendam quæſtionem nuda ex quocunque titulo, vel etiam ſine titulo corporalis quadraginta annorum jugis poſſeſſionis exceptio poſſit ſufficere; hoc etiam adjiciendo, ut illi quoque, qui adempto Canone hujuſmodi fundos ab initio Principali juſſione datos ſibi fuiſſe confirmant; ſi per quadraginta annos adempti Canonis beneficium jugiter poſſederunt, nec Canonem, cujus ademptionem quadraginta (ſicut dictum eſt) annorum poſſeſſio teſtatur, poſſint penitus profligari* &c. ALTERA Lex in Cod. Juſtin. leg. 1. *ut nemini liceat in emptione.* L. X. T. 27. excipit, nempe *quoties urgente neceſſitate comparationes frumenti vel olei, aliarúmque ſpecierum quibuslibet Provinciis indicuntur, nulli penitùs poſſidentium ſeſe ſub cujuſcunque Privilegii occaſione excuſandi tribuit facultatem.* Annus Legi ſubjectus 494. vitiatus eſt, & legi debet 491, quo Olybrius Junior Conſulatum geſſit. TERTIA Lex habetur in Cod. Juſtinian. Leg. 4. *de præſcriptione XXX. vel XL. annorum.* L. VII. T. 39, & confirmat, quadraginta annorum præſcriptione extingui omnem actionem, *nullúmque jus privatum vel publicum in quacunque cauſa, vel quacunque perſona, quod prædictorum quadraginta annorum extinctum eſt jugi ſilentio, moveri debere*, niſi fortè tales res ſint, quæ ſint poſitivè *ex vetere jure, vel ex Principalibus Decretis* exceptæ. QUARTA Lex hoc anno 491. data eſt; quæ legitur in Cod. Juſt. l. 6. *ſi contra jus vel utilitatem publicam.* L. I. T. 22, in qua monet Anaſtaſius *Judices, ut nullum Reſcriptum, nullam ſacram adnotationem, quæ generali juri, vel utilitati publicæ adverſa eſſe videatur, in diſceptationem cujuslibet litigii patiantur proferri.*

(*21) THEOPHANES ad ann. Incarn. Dom. ſecundùm Alexandrinos 484, qui juxta noſtram Chronotaxin incipit Kalendis Septembris anni 491, ita ait: *Ninilingis Iſauriæ Præfectus à Zenone olim conſtitutus vir audaciſſimus aciem regebat, & Athenodorus vir ſimpliciſſimus ex ordine Senatorio, & Conon Apameæ Epiſcopus, qui, relictâ ſede, ab Epiſcopo in militem armatum mutatus, inter copiarum Ductores expeditionem ſuſceperat.*

Anaſtaſium perculit; confiſus tamen ſcientiæ & virtuti Joannis Scythæ, & Joannis Gibboſi, ſub Ducis utriuſque cura in Phrygiam (eò enim jam hoſtis proceſſerat) copias mittit (t). Cotycæ primò concurſum eſt atroci, ſed felici Romanis prælio; hoſtium quippe ingenti ſtrage editâ, cæteros anxia in Iſauriæ montes fuga abſtulit (u). Debellatum eâ die fuiſſet, niſi vincere magìs Cæſarei, quàm victoriâ aptè uti maluiſſent: hi namque cupidiùs legendo ſpolia dum moras trahunt; Iſauris ſpatium fuit, intra Tauri inacceſſi montis præſidia & animum, & vires reficiendi, quibus ſex omninò pòſt annis Cæſaris arma fatigârunt (x).

A. 492.

(t) Theophan. p. 118. Marcell. Chronic.

(u) Theodor. L. p. 559. Jornand. c. 48.

Iſauri vincuntur.

(x) Theophan. p. 119. Marcell. Chronic.

14. Interea, dum Anaſtaſius lento cum Iſauris bello atterebatur, Theodoricus Odoacre cæſo (y), Italiæ Regnum celeriore curſu ſibi rapuit; nihílque lucri admodùm inde Imperatori acceſſit, quàm ut Rex novus pro mittendis inſignibus Cæſari ſe ſupplicem fingeret (*22). Honoris genus illud verius erat, quo ſub idem tempus Anaſtaſium Indorum Oratores affecêre, quando ab ultimis terrarum finibus Conſtantinopolim profecti, fœdus Anaſtaſii oblatis muneribus efflagitârunt (z). At exigua forſan felicitatis pars erat iſta, fervente cum Iſauris bello inteſtino, pacem cum poſtremis Orbis incolis inire: intra Imperii fines igitur ut tranquillitas quoque redderetur; ſimultatem cum Iſaurorum

(y) Ammian. Anon. p. 480. p. 482.

A. 493.

Theodoricus obtinet Italiæ Regnum.

A. 494. & 495.

(z) Marcellin. ad a. 496.

 Genre

(*22) CHRONOGRAPHUS CUSPINIANEUS ad Albini Conſulatum 493. ſcribit: *Hoc Conſule quoque facta eſt pax inter Theodoricum Regem & Odoacrem, III. Kal. Martias, & ingreſſus eſt Ravennam Rex Theodoricus, III. Nonas Martias, & occiſus eſt Odoacer Rex à Rege Theodorico in Palatio cum commilitonibus ſuis.* AMMIANUS VALESIANUS p. 482. ait, Theodoricum ad Zenonem miſiſſe legationem, ut ab Imperatore acciperet inſignia dignitatis Regiæ: *At ubi cognitâ morte ejus* (Zenonis) *antequam Legatio reverteretur, ùt ingreſſus eſt Ravennam, & occidit Odoacrem, Gothi ſibi confirmaverunt Theodoricum Regem, non exſpectantes juſſionem novi Principis.* Excuſavit tamen poſtea factum Theodoricus apud Anaſtaſium, qui protinùs ipſi miſit habitum Regium; unde conjicitur, Theodoricum æquè ac Odoacrem Imperatori quâdam ratione ſubjectum fuiſſe, quin Oratores Gothorum apud Procopium l. 2. B. G. c. 6. p. 402. teſtantur: *Præterea civiles omnes Magiſtratus geſſêre ipſi* (Romani) *neque illos cum Gothorum quopiam communicârunt.... Accedit huc, quòd Romanis per Gothos licuit ab Orientis Imperatore Conſulatum quotannis petere.* Iidem dicebant hanc in rem, ſe nullas leges edidiſſe: *Hoc igitur Italiæ Regnum adepti, leges, ac Regiminis formam haud minori ſtudio, quàm quivis Imperatorum veterum conſervavimus.* Huic poſtremo tamen contradicit VALESIUS R. Fr. l. 5. TILLEMONT in V. Anaſt. Artic. 7. fatetur, Reges Burgundiæ Clientûm more beneficiario nexu Imperatoribus obſtrictos fuiſſe.

Gente ponere placuit. Quo verò id modo fieret, ancipitis erat consilii; obstinatiores quippè Isauri, nec pacem petere, nec Anastasius Victor Victis eandem offerre sustinebat. Fastidium tamen belli cùm esset; Euphemium Urbis Regiæ Episcopum Imperator jussit, ut Præsulum cœtu facto indiceret preces, quibus ab Anastasio cuncti pacem pro Isauris rogitarent (a); ita enim fore credebat Cæsar, ut nonnisi exoratus, pacem hostibus indulgere videretur. Euphemius propositum Anastasii in aures cujusdam, qui Isauris obstringebatur, temerè effundit; tum is ipse secreti commissi proditor Præsulem proditionis apud Cæsarem insimulat. Nihil gratius nunciari Anastasio poterat, quàm id, ex quo ansam se capturum sperabat perdendi invisum sibi dudum Euphemium: odium hoc capitale Anastasius jam illo tempore hauserat, quo olim privatus ob mala fidei dogmata ab eodem Præsule reprehendebatur; parúmque tunc aberat, quin palàm sacris arceretur. Animus Principis hâc injuriâ (ùt rebatur) adustus, majores subinde ignes concepit, dum, antequam Augustus crearetur, fidei formulam in tabulario Ecclesiæ reponendam dare cogebatur. Itaque ubi primò in perfidiæ suspicionem Euphemius vocabatur, virum in ordinem redactum relegare (b), imò hæreticum posteà in eandem sedem intrudere instituit; ut error deinceps in utroque foro licentiùs grassandi copiam haberet.

Anastasius conatur pacem inire cum Isauris.

(a) Theoph. p. 119. 120. Theod. L. p. 559.

A. 496.

Euphemii Constantinopolit. Ep. exauthoratio, hujúsque causa.

(b) Theod. L. p. 559. Theoph. p. 119. & p. 120

15. Postquam Anastasius belli fomitem per Ecclesias Orientis accenderat, in Imperio Pax vigere cœpit. Nam Joannes Scytha sexto anno, ex quo cum Isauris conflixerat, deletis internecione hostibus, præcipua Rebellium (scilicet Athenodori & Longini) capita decussit, quæ Constantinopoli posteà hastilibus imposita, spectaculo fuêre (c). Victori Duci pro rerum gestarum præmio tum Consulatus, tum etiam triumphi honos decretus est: in medio triumphalis pompæ visebantur opes in Isauria captæ, tum etiam Nobiles quique manibus revincti; his victimis ferro jugulatis, reliqua captivorum caterva in Thraciæ agros ejecta est (d). Necdum annus verterat, dum Anastasius in eodem Circo, ubi hostes catenis onustos paulò antè devoverat neci; suorum rabie ferè vitam amisit: postulatum à plebe erat, ut captivorum nonnullos Cæsar è carcere in libertatem dimitteret: precibus,

A. 497.

Belli Isaurici finis.

(c) Evagr. l. 3. c. 35. Theophan. p. 120. Victor Tun.

A. 498.

(d) Jornand. Reg. c. 48. Theophan. p. 120. Evagr. l. c.

precibus, minísque ubi diu certatum; tandem factiosi ad vim & saxa provolantes, militem, aliósque Proceres ferociter invadunt: ac Cæsari adeò parcitum non est, ut seditiosorum unus reliquis audacior in Anastasii caput distringeret ferrum. Primum ictum Imperator averso nonnihil corpore declinabat: sed altero, eóque certiore cecidisset exanimis; nisi ex adverso occurrens militum globus Sicario impetum, vitámque sustulisset (e). Cæde unius factâ, plebs in majores tumultus accensa, faces & tela per urbem jactabat; his ignibus brevì Hippodromus, vicináque loca arserunt: nec malo remedium erat, dum fuso multorum sanguine & ardor incendii, & animorum æstus refrixisset.

Seditio Constantinopolitanæ plebis contra Anastasium.

(e) Chron. Alexandrin.

16. Motus intestinos externi excepêre: Arabes & Saraceni (quos Persarum seu fœderatos, seu subditos alii Scenos aut Scenitas vocant) Palæstinam, Syriam Euphratesiam, & Anachoretarum deserta incursabant (f); motibus tamen ejusmodi facilè repressis, insequente anno Bulgarorum primò nomen, simúlque gravius eorundem bellum in Oriente personuit. Habitaverat populus ille regiones Mæotidi Paludi vicinas ad Volgam fluvium, ex quo etiam gentem nominatam esse, multorum opinio est (*23); inde labente tempore Bulgari sedibus ad Istrum usque prolatis, in Illyrico circa annum CCCCXCIX. Cæsareum exer-

Bellum Saracenorum.

(f) Theophan. p. 121. Evagr. l. 3. c. 36.

A. 499.

Bulgari primùm innotescunt.

(*23) PAGIUS in Critic. ad an. 499. §. IV. *Bulgarorum* in Oriente nomen sub Anastasio Imp primùm auditum, ídque hoc anno, quo (ùt Baronius ex Marcellino in Chronico narrat) Romanorum exercitus ab eis fusus ac deletus est in Thracia. Tum anno DII. Thracia rursus ab eisdem deprædata, ùt ex eodem Marcellino eo anno N. 39. narrat Baronius. Sed anno DIV. (utì Baronius ibidem N. I. ex Cassiodoro in Chronico habet) Theodoricus Italiæ Rex Sirmium Bulgaris eripuit, quod in Illyricum transeuntes expugnârant. Nicephorus Patriarcha in Breviario, & Theophanes in Chronico p. 297 docent, *Bulgaros* primùm incoluisse Regiones Mæotidi Paludi conterminas juxta Cophinum fluvium, Tanai proximum. Adjacens Regio ad ortum *Magna Bulgaria* vocabatur, ídque nominis inde consecuta est; quod se circa Volgam fluvium porrigeret. *Patzinacitis* vicinos fuisse Bulgaros, Auctor est Porphyrogeneta l. de Administr. Imp. c. 5. 8. & 37, & *Patzinaciti* eos tractus incolebant, quos *Danapris* & *Danastris* fluvii permeant, quorum alter est, quem *Dnieper* vocant, seu Borysthenes. Verùm progressu temporis prolatâ dominatione, armorúmque vi & fortitudine Imperium ad Danubium usque perduxerunt.„ Idem PAGIUS ad an. 502. ex Theophane scribit: *Hoc anno, qui vocantur Bulgari, excursionem in Illyricum & Thraciam fecerunt: cùm nondum eorum natio audiretur de nomine.* Marcellinus tamen in Chronico ad Consulatum Joannis Gibbi, seu ad an. 499. primam Bulgarorum in Thraciam irruptionem memorat.„ Hucusque *Pagius.*

exercitum percellunt armis, vincúntque: cœptis felicibus animosiores, sæpiùs deinceps in Thraciæ, ac Illyrici agros rediêre, prædandi magìs, quàm bellum inferendi specie (g). Anastasius palantibus nequicquam obmovebat copias; quamprimùm enim in acie Romanus consistebat miles, Bulgari citis equis prædam in nota latibula revehentes, prælium celeri fugâ eludebant. Nunquam Provinciis exitialior, nec Cæsari molestior modus belligerandi visus est. Anastasius igitur & fastidii, & damni facturus finem, ne quidem consertâ cum hoste manu, pacem (h) ab Aretha Bulgarorum Rege emere coactus est.

(g) Theophan. p. 123. Marcell. Chronic.

A. 500. & 501.

Anastasius pacem emit à Bulgaris.

(h) Theophan. p. 124.

A. 502.

17. Thracia vix à tumultibus suis quieverat, tum altera Orientis Provincia (Mesopotamia nimirum) à Cabade Persarum Principe infestari cœpit: Perozii is filius erat, qui cum Hunnis Nephtalitis (in Borealibus Persiæ partibus hi domicilia colunt) frequens bellum; sed minùs prosperam belli fortunam habuit. Nam regnante adhuc Zenone, ab hostibus iisdem captus, non aliter ac promisso in singulos annos tributo libertatem obtinuit (i). Servitutis in se receptæ subinde pœnitens, resumit arma, seu promissionis ignominiam, seu damnum depulsurus. Unum moras injiciebat Principi, nempe Sacramenti Religio, quâ juraverat, se commissurum nunquam, ut pacis frangendæ causâ vel primum lapidem in finibus hostium erectum transiret. Quod itaque jure non poterat, fraude id censuit agendum; saxum idem namque è terra erutum, ac impositum currui provehi ante exercitûs primos ordines jussit, ut hunc in modum & datæ fidei, & vindictæ simul suæ faceret satis. Nephtalitarum Rex Achanuar utprimùm rumpi perfidè pacem vidit; scriptam jurati fœderis formulam ex hastili suspendi, & copiis suis adversùs Cabadem moventibus præferri curavit; stante hoc fidei signo ante Hunnorum aciem, sors Persarum adeò cecidit, ut hi in insidias pellecti, ad unum omnes internecionem subirent (k). Perierant cum Ducibus milites, atque ipse Rex cum filiis non paucis; ex his unus Cabades domi ad magnam Reipublicæ spem servatus, vota suorum posteà quàm maximè fefellit. Regni quippè fasces adeptus, primâ lege promiscuam libidinem licere voluit (l): quod nefastum decretum ubi suo pessimo exemplo probare notabatur; Magnatum

Persarum infelix bellum cum Nephtalitis.

(i) Procop. B. Pers. l. 1. c. 3. Eutych. t. 2. Theophan. p. 104 & 105

(k) Procop. B. P. l. 1. c. 4. Agathias l. 4 p. 137.

Cabadis Regis Persarum varia fata.

(l) Procop. c. 5. Theophan. p. 106.

tum integri animi monſtrum hoc in oculis adeò ferre non potuerunt, ut Cabade protinùs in carcerem amandato, Obalum Perozi fratrem regnare juſſerint. Regnum iſte quatuor annis tenuit, quo ſpatio evoluto defunctus, Poteſtatem Regiam rurſus Cabadi reliquit Anno CCCCLXXXVI (m). Emendatus is ſuis ærumnis aliquamdiu apparebat; ſed utì ſimulata virtus deterſo fuco ſpeciem amittit ſuam; ita Cabades poſt breve tempus, ex quo in modeſtiæ leges frontem coëgerat, ſimulatione poſitâ ſe æquè deformem, ac minimè ab illo mutatum oſtendit. Cauſæ id ſatìs erat Perſis, ut eundem alterâ vice è throno in carcerem, eúmque pejorem raptarent: Cuſtodiæ eidem Veteres nomen Lethes impoſuêre, tum quòd ii, qui in hoc ergaſtulum compacti eſſent, è memoria hominum eraſi dicerentur, ſive quòd grande nefas haberetur eorum, qui de ejusmodi liberando Reo mentionem induxiſſent (n). Cabades quantumcunque in tenebras abjectus, in libertatis lucem tamen prodiit arte fœminæ; atque ut porrò ad Regnum rediret, ad Nephtalitas profugus, promiſſo ingenti pretio militem conduxit (o). His ſubſidiis poſtquam Gubernacula receperat; inter primas habuit curas, ut, quod in emendis auxiliaribus copiis contraxerat æs alienum, citò expungeret: fidem proinde liberaturus, mutuam ab Anaſtaſio pecuniam poſtulat (p); ſed Imperatori multa de hoc hoſte ſuſpicanti fixum erat, vel Cabadi nihil, vel nonniſi repræſentatis uſuris commodare (q). Regem novum Perſarum quoniam id peſſimè habuit; fœdere, quod Perſas inter & Romanos à Theodoſii Junioris ætate inviolatum ſteterat (*24), quamprimùm rupto (r), hoſtiles in Armeniam infundit copias: deinde Theodoſiopoli, ac Martyropoli captis, in Meſopotamiæ arcem præcipuam (ſcilicet Amidam arma convertit. Munimenta iſtius urbis inacceſſa, & reſiſtentium vigiles curæ Cabadis ita animum fregêre, ut ſolvere obſidionem pararet (s): abeuntem cives, fœminæque riſu, injuriíſque

(m) Procop. B.P. l. 1. c. 6. Agathias l. 4. p. 138.

(n) Agathias l. 4. p. 138.

(o) Cedren. p. 356. Agathias l. c. Theod. L. p. 567.

(p) Procop. B.P. l. 1. c. 7.

(q) Theod. L. p. 566. Theophan. p. 124. A. 502.

(r) Agathias l. 4. p. 138. Evagr. l. 6. c. 37.

(s) Procop. l. 1. c. 7.

(*24) Perſæ anno 422. pacem cum Romanis ad annos centum pepigerant, ùt ait SOZOMENUS l. 9. c. 4: *Perſæ quidem, cùm ad bellum prorupiſſent, centum annorum inducias cum Romanis pepigêre.* Et EVAGRIUS l. 1. c. 19. *Perſas inſolentiâ elatos uſque adeò ſuperavit, ut pacem ipſis per Legatos poſcentibus concederet, quæ ad duodecimum annum Imperatoris Anaſtaſii* (qui eſt annus 502.) *permanſit.*

Cabades Rex Persarum Amidam expugnat.

juriísque persequuntur. Si unquam, certè eo tempore patuit, desperantium iram non succendi magis, ac quando casibus malignis exprobrantium levitas insultat; Cabades quippè opprobriis adustus, subitò gradum ad mœnia penè jam deserta revocat, & stimulante in dies animi æstu quatit muros (t); nec antè ab infesto opere cessatum est, dum vi ultimâ, aut (ùt quidam volunt) (u), proditione in Castellum eluctaretur (*25).

(t) Idem l. c.
(u) Theoph. p. 124. 125. Marcell. Chron.

A. 503.

18. Anastasius de expugnata Amida certior, ad dandum malo remedium, continuò tres Duces mittit, Areobindum, Appionem, & Hippatium (x): horum ingenio restitui res Romana potuisset; nisi trium Præfectorum æmulatio post divisa consilia, vires etiam dissipâsset. Disjunctas eum in modum copias Cabades per vices adortus, singulas vel oppressit, vel fugavit. Mesopotamia quia Persarum, ac Saracenorum incursionibus inde obnoxia erat (*26); damno suo Anastasius didicit, non minùs exercitui, quàm corpori unum convenire Caput. Celerem igitur solum Cæsareis copiis præficiendum curat (y): cujus ex nutu cùm integrum militiæ robur penderet, strages hostium multiplicata est (z). Opportunum eo tempore illud quoque accidit, quod Hunni à Borealibus partibus in Persidem invecti, Cabadis copias aliò distraherent (a): spes Amidam recipiendi etsi inde subnata sit; seriùs tamen arx recepta est. Hanc enim cùm præsidiarius miles majore, ac Duces prospexerant, robore tueretur; Cæsarei ad hoc Castellum, velut ad scopulum suæ fortunæ adhæsêre. Fastidium tandem moræ, aut metus supervenientium

(x) Procop. B. P. l. 1. c. 8. Theophan. p. 125.

Cædes Cæsarei exercitûs.

A. 504.

(y) Marcell. Chron.
(z) Theoph. p. 127.
(a) Procop. B. P. l. 1. c. 8.

(*25) THEOPHANES in Chronographia p. 124. edit Paris. *Nonnullo temporis spatio interim lapso, privatísque certaminibus inter Persas, Romanósque commissis, quibus nonnunquam inferiores, & aliquando Gentilium Victores pro varia belli fortuna recesserant Romani: tandem Amida post trimestrem obsidionem à Barbaris bello fatigata, ab turrium una, quam propugnandam susceperant Monachi, cujusdam proditione, noctu in hostium (scalis autem ad invasionem utebantur) potestatem venit.* Idem dicit MARCELLINUS in Chronico. Erat Amida ad fluvium Tigrim. Vide & PROCOPIUM l. 1. de B. P. c. 7, ubi pluribus obsidionem Amidæ describit.

(*26) TILLEMONT in V. Anast. artic. 16. refert illud, quod Theophanes de Alamundaro Saracenorum Rege commemorat: *Alamundarus Zizices Saracenorum Regulus irruptione factâ primam Syriam depopulatus est.* Ex quo factum, ut Anachoretæ in tutiora loca confugerent. Vide BOLLAND. 19. Febr., & HENSCHENIUM ad XIII. Maji. De Alamundari aliis irruptionibus, quæ 50 annis durârunt, vide PROCOPIUM l. 1, de B. P. c. 17.

tium ex Perſia auxiliorum Anaſtaſium induxêre, ut Amidam auro citiùs, quàm tardiùs ferro expugnatam vellet (b). Deditionis emptionem Cæſari parùm honorificam exſtitiſſe, illud poſteà argumento fuit, quòd apertis portis vix tantum annonæ inventum ſit, quantum præſidiario militi in paucos dies ſuffecisſet (c). Damnum tamen, quod ex ſumptuoſa Caſtelli nundinatione contraxerat Cæſar, pactio alia, eáque utilior reſtituit. Hunni Perſas felici præliorum curſu eò jam adegerant, ut hi nil magis timerent, quàm ne unâ parte victos, aliunde Anaſtaſius victricibus quoque armis premeret. Ad alterum igitur hoſtem conciliandum pax Cæſari ultrò oblata eſt: Provinciæ, quas Perſæ abſtulerant, redditæ, percuſſum denique fœdus Imperium inter & Perſas per viginti annos duraturum (d).

(b) Procop. c. 9.

(c) Theoph. p. 127.

Pax inter Romanos & Perſas.

(d) Procop. l. 1. c. 9. p. 27.

19. Compoſito Oriente, in Illyrico nova belli ſpecies exarſit: Pannoniam primùm Bulgari (e), deinde his pulſis Gothi inſederant, tandem Getæ (Scythiæ populus) circa annum DV. in his Imperii Provinciis ſibi quoque ſedem, domiciliúmque quæritabant. Anaſtaſius indignè ferens ſe Illyrico, aut potiùs Orientis propugnaculo exui, Sabinianum cum lecta militum manu Prædonibus ire obviam jubet: Ducis virtus qualicunque operâ conniteretur, inviſos exigere hoſpites; multitudo tamen Barbarorum fecit, ut numero, quo inferior erat, ſuccumberet. Nam laborantibus Getis dum Gothi jungebant manus; Cæſaris exiguæ vires facilè profligatæ ſunt: nec aliud Imperator lucrum ex hac expeditione accepit, quàm ut datâ Imperii parte reliquum corpus intactum ſervaret. Qui hoſtium ingenium noverant, factâ etiam pace id perſuaſerunt Cæſari: provideret, ne inſtabiles Barbari limite conceſſo egreſſi, brevì in Urbis Regiæ pomæria procederent. Monitus Anaſtaſius quò aſſultibus improviſis, ac ſubitis obicem poneret; à Ponto Euxino ad Propontidem uſque murum erexit quadringentis ſtadiis longum (f): deinde in ultimis Orientis finibus Daras Caſtrum Meſopotamiæ (*27) mœnibus

(e) Jornand. Regn. Goth. c. 58.

A. 506.

Bellum Barbarorum contra Anaſtaſium.

A. 507.

Monumenta ab Anaſtaſio exſtructa.

(f) Evagr. l. 3. c. 38. Chronic. Alexandr. Procop. æd. l. 4. c. 9.

(*27) THEOPHANES ad an. Inc. Dom. ſecund. Alexand. D, ſive an 507. ſecundùm Chronotaxin noſtram ait: *Hoc anno Anaſtaſius Imp. Daras Caſtrum Meſopotamiæ magnum, atque firmum in Romanæ ac Perſicæ ditionis finibus ſitum mœnibus cinxit: & Eccleſias, horreáque reponendis frumentis, ac ciſternas recipiendis aquis, nec non*

(g) Procop. ædif. l. 1, c. 10. bus cinxit, suóque nomine Anastasiopolim appellavit (g). Quantum præsidii Provinciæ citeriores habebant in primo opere adversùs Bulgaros, Gothos, Getásque, tantum detrimenti Cæsari
A. 508. impendebat ex altero, quod in Romanæ ditionis termino Persis objecerat; querebantur hi violari pacis cum Theodosio II. olim
(h) Procop. ædif. l. 2, c. 2. initæ conditionem (h), quâ cautum erat, ne cuicunque deinceps paciscentium fas sit, in Regni limite arcem aut urbem munire: Persæ igitur hoc munimento, velut finitimorum terrore offensi, jactabant minas, nî invisam Romani molitionem destruerent, se verbis vim addituros. Atque ut id, quod maximè volebant, etiam facilè possent; cum Hunnis eodem tempore sanxerant pacem, fœdúsque (i): quò minùs tamen citò armis causam persequerentur,
(i) Idem c. 10. Anastasius largitione profusâ, sive iis armis, quibus hostes hâc turbulentâ ætate tantummodò placabantur, liberaliter magìs, quàm fortiter præstitit.

20. Per Orientem ubi æquè sumptuoso, ac infelici bello res Cæsaris sæpiùs acta fuerat; Anastasius ex Occidentis Provinciis sua damna reparare constituit. Latiùs ibidem, ac per Illyricum
Anastasii copiæ expilant oras Italiæ. Theodoricus Gothorum Rex suam potentiam explicabat, & multarum regionum spoliis ditatus, formidolosum Imperatori gerebat Regnum; Anastasius seu ampliorem Theodorici potestatem metuens, seu thesauros à locupletissimo hoste recipiendi cupidus, Principem ejusmodi vel evertere armis, aut spoliare de-
(k) Marcell. Chronic. cernit (k). In Illyrico tamen Theodorico movere bellum, res plena periculi erat: propterea quòd is ad Istrum fœderatos Barbaros haberet; omissis ergò his Provinciis, Italiam à solis Gothis defensam tentare placebat. Eodem consilio ducentis navibus octo millia virorum Tarentum usque provehuntur; sed dum arma expedienda erant, miles bello in populationem verso vicinas mari oras expilat: inde prædâ in Orientem deductâ, alius expeditionis fructus non exstitit, quàm quòd navalis exercitus Italiæ littora duntaxat stringens, intactis Gothis, Piraticam potiùs, quàm militiam egisse diceretur. Anastasius suâ spe frustratus, aliunde, quò

non porticus in eo constituit, & nuncupavit Anastasiopolim: sed & publicæ commoditati duo balnea dicavit, & loco Civitatis concessit jura. Vide & PROCOPIUM l. 1. B. P. cap. 10.

quò Theodorico ægrè faceret, auxilium petiit. Clodovæi Francorum Regis res geſtæ ſub idem tempus in Orientem ferebantur: & ubique vulgabantur victoriæ, quibus idem Viſigothos in Gallia afflixiſſet (l); hic itaque omnium aptior viſus eſt, qui ſociatis viribus Oſtrogothos quoque contereret: munera, quibus Principem in amicum fœdus pertrahere Cæſar adnitebatur, erant Conſulatûs inſignia, quæ ab Anaſtaſio in Galliam miſſa, tanti Clodovæus fecit, ut illa in Eccleſia S. Martini Turonenſis unà cum diademate non ſine ſacra pompa acciperet.

(l) Gregor. Turon. H.F. l. 2. c. 38. Valeſ. l. 6. p. 299.

Imperator Anaſtaſius Clodovæo Regi Francorum mittit Conſulatûs inſignia.

A. 509.

21. Imperator ex quo reſpiraverat à varia bellorum cúra, in ipſa pace Princeps belligerare adversùs Eccleſiam cœpit. Simulatione quâdam ille ab Regni ſui initiis uſus (m), nil aliud, quàm Zenonis ſanctionem urgebat, cujus decreto omnibus poteſtatem faciebat ſuas, eáſque diverſas circa Synodum Chalcedonenſem ſententias palàm profitendi (n). Catholici tolerantiæ ejusmodi primò obſtrepuerunt: & mox etiam ii, qui Acephalorum nomine in ſua duntaxat placita ibant, refragati ſunt; hi quippe ubi per malitiam Cæſaris ex opinandi libertate in Eutychetis non tantùm doctrinam, ſed & ad novam blaſphemiam, quâ naturam divinam paſſam eſſe profiterentur, propoſitis etiam pœnis ſe adigi dolebant, conjunctâ cum Catholicis causâ Cæſari in faciem obſtiterunt (o). Anaſtaſius reluctantibus dabat nihil, niſi ut acriùs fidem, Eccleſiámque vexaret. Bonorum inde direptiones, & Epiſcoporum orthodoxorum exilia viſebantur, & (quod multò triſtius fidelium oculis ſpectaculum erat) Pſeudo-Epiſcopi velut totidem lupi in vicem Paſtorum ad ovile (p) aperto oſtio admittebantur, ut Eutychianam luem, & Theopaſſitarum rabiem in medio gregis jactitarent. Calamitatum plurium ſe unum vindicem Vitalianus tandem obtulit (*28): erat is Patricioli Fœderatorum Comitis filius, qui utprimùm à Scythiæ, Myſiæque civibus, hoc eſt, popularibus ſuis ad impietatem Anaſtaſii impugnan-

(m) Liberatus in Brev. c. 18.

(n) Theophan. ad an. 509. p. 133.

A. 510. & 511.

(o) Liberatus in Brev. c. 18.

Anaſtaſius perſequitur Eccleſiam.

(p) Evagr. l. 3 c. 44.

A. 512.

(*28) VICTOR TUNUNENSIs ad Conſulatum Boëtii ſcribit: *Vitalianus Patricioli filius fidei Catholicæ ſubverſionem, & Synodi Chalcedonenſis damnationem, remotionésque orthodoxorum Epiſcoporum, atque ſucceſſiones Hæreticorum cognoſcens, virorum fortium validam manum congregat, & Imperio Anaſtaſii rebellat.* JORNANDES in lib. de Succeſs. Reg. c. 109. aſſerit, Vitalianum *per ſex annos* bellum civile, quod an. 516. extinctum eſt, cieviſſe.

Vitalianus contra Hæreticum Imperatorem rebellat.

pugnandam incitabatur, illicò auri copiam immenſam, quam Cæſar ad elargienda ſtipendia miſerat, intercipit: dein eodem ſubſidio arma, commeatum, lectúmque militem inſtruit; nihil verò majores vires Vitaliani copiis addebat, quàm ira & odium, quo cuncti adversùs Hæreticum Imperatorem ardebant (q). Quare dum poſteà coivêre in prælium, uno conflictu cæſa ſexaginta quinque millia ex Anaſtaſii exercitu interiêre, atque ipſe adeò Dux Hypatius Cæſaris Conſobrinæ filius captus, vivúſque in cuſtodiam datus eſt (*29)

(q) Theophan. p. 134.

Vitalianus Imperator proclamatur.

22. Clades ſanguinolenta Anaſtaſio nocendi vim, populo verò metum ademit: unde blaſphemas illas voces, quas Triſagio addi Cæſar præceperat, omnes jam fidentiùs execrabantur; & cùm ſubinde nonnulli adulandi ſtudio easdem occinerent, plebs ſigno ſeditionis elato, cædes truculentas, incendiáque per urbem ſpargere, dejicere Anaſtaſii ſtatuas, & Vitalianum ingenti vociferatione clamitare Cæſarem cœpit (r). Anaſtaſius, ne ultima experiretur; Celerem & Patricium Senatores mittit, qui precibus, & amplis promiſſis furorem populi deliniant: necdum uterque in forum venerat, tum ſeditioſorum globi obviam factos primò convitiis, dein lapidum imbre repellunt. Regni ſpe undique acciſâ, Cæſari in fuga vitæ, ſalutíſque unum remedium erat; è palatio proinde clàm ſe proripiens Imperator, dum tempeſtas deferveſceret, Blachernis in ſuburbio latuit: ex hoc angulo alterâ vice ablegabat Præcones, qui nunciarent plebi; ſiquidem aliud à ſe caput optare liberet, penes ſe nihil eſſe, quod eligentium vota retardet. Hæc prolocutis acerbos inter clamores obſtrepebatur, non decere, ut Cæſar Interpretum operâ uſus, à publico abſtineat: cives Principis poſtulare præſentiam, qui, ſive reus ſit, ſive abſolvendus, ſua coràm enunciet. Anaſtaſius hoc neceſſi-

(r) Theoph. ad an. 512. p. 136. Marcell. in Chronic.

Anaſtaſius à populo exagitatur.

A. 513.

(*29) THEOPHANES p. 134, ſive ad an. 505. ſecundùm Alexandr. (qui juxta nos eſt annus 512) notat: *Hoc anno Vitalianum Patricioli Fœderatorum Comitis filium, Scythiæ, Myſiæque, cæterarúmque regionum incolæ ad arma adversùs impium Anaſtaſium ſumenda concitabant. Is ita provocatus, infinitam prorſus exercituum, qui ſub Anaſtaſio merebantur, multitudinem concidit, & auri immenſam copiam ad elargienda ſtipendia miſſam, arma ad ſubſidium, commeatum, cateráque omnia deprædatus eſt. Uno conflictu ſolo ſexaginta quinque hominum millia ex Imperatoris exercitu cum Hypatio Anaſtaſii conſobrinæ, & Secundini Patricii filio* (PAGIUS legi vult: Hypatio Anaſtaſii ex ſorore nepote) *eorum Duce proſtravit, vivúmque acceptum ſub cuſtodia tenuit* &c.

necessitatis telo confixus, è vestigio sequitur: atque, ut miserabili habitu commoveret suorum animos; coronâ depositâ, ferè nudus in circum, seditiosorum sedem progreditur (s). Principis viso squalente vultu, omnes primò urebat pristina in fidem injuria; tum verò etiam subobscurus pudor singulos versabat. Cùm enim veteri odio æstuarent; hymnum SS. Triadis juxta morem Catholicorum concinentes, aures Hæretici obtundere gestiebant. At ubi Imperator molli (ùt reum decet) sermone, blandóque risu commonstrâsset, sibi non modò hanc fidem probari; sed & se longè alia à prioribus sensa tueri, veneratio erga Principem quasi stimulante verecundiâ in cunctos rediit: affirmabant autem meliora pollicito, subditos non Cæsarem, sed vitia Cæsaris persequi voluisse; his mutatis aut correctis, obstaculo nihil fore, quò minùs ipse resumptâ purpurâ omnibus imperet.

(s) Auctor Chronici Alexandr.

Anastasius rebellem populum mitigat.

23. Discrimen supremum etsi hâc fraude evasisset Cæsar; periculo tamen omni necdum elapsus est. Vitalianus ingentem adhuc Hunnorum & Bulgarorum trahens turbam, Thraciæ, Scythiæ & Mysiæ agros in potestatem suam redegerat (t), & subinde occupatis Anchialo ac Odyssiopoli, Cæsareæ militiæ quoque Magistrum Cyrillum intercipit: inde, quin ullus facesseret moras, ad Regiæ urbis portas usque hosti prædas agere licuit. Imperatoris quia unius caput hoc bello petebatur, Constantinopoli Vitalianus vim nullam intulit; sed ad Sosthenium pro Castris considens, ista per Fecialem Anastasio denunciari jubet: in bellum se æquè ac in pacem paratum; sin illud placeret, sibi cum exercitûs, quem jam cruentâ strage attrivisset, reliquiis breve certamen fore: sin alterum; esse duo pacis capita, quibus interposito sacramento firmatis sanari discordia valeat. Nempe gemere in exilio legitimos Pastores; hi sedibus restituuntor: volitare per Orientem insanos Eutychis & Theopassitarum errores; isti congregatâ Synodo, & junctâ Pontificis Summi authoritate comprimuntor. Anastasius hostem faciliùs perjurio, quàm armis depellendum ratus, datâ dexterâ, & facto juramento id, quod postulabatur, per Oratores mendaciter condicit (u): fefellisse utriusque promissi fidem, posteà ubi compertum est; plebs in perfidum impostorem stomachata, Anastasium multis convitiis impe-

(t) Theoph. p. 137.

Vitalianus conditiones pacis Anastasio sacramento firmandas proponit.

(u) Theophan. ibid.

Anastasius perjurus. impetebat; ad quæ nefarius ille impudenti ore reposuisse fertur; haberi legem, quæ Imperatorem cogente necessitate & pejerare & mentiri jubeat (x).

(x) Idem p. 138.

A. 514. 24. Quemadmodum verò malitia Principum faciliùs tunc in casum declinat, cùm in summo est; ita Anastasius ab eo tempore citiùs in fatum ruebat suum, quò altiùs supra hominum vires, ingeniúmque, se crediderat impietatem suam extulisse. Divina quippe Justitia monstrum tot Fidelium lachrymis, ac sanguine pastum ultrà non ferens, Anastasio parabat exitium: atque, ut perire se sentiret; per varios pœnarum gradus excruciatum fatali tandem ictu confecit. A. 515. Augusta primò Ariadna à latere Principis in tumulum detrahebatur (y): sive ut incentrice (*30) malorum sublatâ, tempestas Ecclesiæ mitesceret; sive ut Conjux Conjugem exemplo suo moneret, quem tandem finem impietas sortiretur. *Mors Ariadnæ Augustæ.* Dolorem funeris recentem aliæ auxêre calamitates: micabant è cælo ignea portenta, & tellus motibus terrificis succussa, tristia omina prodebat (*31); his accedebant infesti hostes, qui hoc tempore omne id, cui Elementorum permixtio pepercerat, erasum atque convulsum ibant (z): Heruli Macedoniam, Getæ Illyricum, Hunni Sabires Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Pontum, atque extremos fines Lycaoniæ funditùs evastabant. *Omina mortem Cæsaris Anastasii antecedentia.* A. 516. Ærumnæ hæ extremæ fuerunt, cum quibus

(y) Theophan. p. 139. edit. Paris. Jornand. c. 48.

(z) Theoph. p. 138. Marcellin. Chronicon.

(*30) MARCELLINUS in Chronico ait: *Hoc anno impia Ariadna Augusta defuncta est annis sexaginta in Palatio exactis.* Similia habet VICTOR TUN. BARONIUS quoque illam ad 515. n. 48. *nequissimam* vocat *fœminam*, *malorum omnium conciliatricem*; sed PAGIUS ad eundem annum nil ejusmodi se invenire in Authoribus Byzantinis affirmat, quin contrà ex *Theophane* contrarium eruitur, qui pag. 134. ait, quòd Anastasium *velut multorum auctorem malorum convitiis usa Ariadna corripuerit*: item ad an. 21. Anastasii Theophanes dicit, quòd vexatio Macedonii Episcopi *Ariadnam & Ordinis Senatorii Præcipuos afflixerit.* Vide PAGIUM in Critic. T. II. ad an. 515. §. IV. TILLEMONT in V. Anast. non diffitetur, illam participem videri posse criminum, quæ à Zenone & Anastasio commissa sunt, quem postremum in Solium Imperiale extulit; de cætero erga fidem Catholicam benè affectam fuisse, utpote quam ejus Parens Leo M. semper defenderat.

(*31) Omina infausta & prodigia Authores sub Anastasio varia recensent; nam 1. Byzantii ædificia ab incendiis & terræ motibus labefactata, ùt ait *Zonaras.* 2. Antiochia penè tota collapsa. 3. In Dardania anno 518. viginti quatuor Castella paucis horis penitùs à terræ hiatu absorpta. 4. Mons Vesuvius tantum ignis, ac crematæ materiæ evomuit, ut vicinos agros & regiones cum fructibus exusserit. *Theodorici Ep. ad Faustum.* 5. In Urbe Alexandrina varii generis & conditionis homines à dæmonibus obsessi, repentè ùt canes latrârunt. *Paulus Diaconus.*

bus acerbè ſatìs Anaſtaſius antè luctabatur; dum graviora illa venirent, quæ inteſtina poſteà Imperatoris viſcera exedebant. Per ſomni imaginem aliquando viderat formam viri humanâ auguſtiorem, cujus in manibus explicatum volumen annos Cæſarum, tum etiam Anaſtaſii deſcriptos continens exhibebatur; habitu inſolito territus Princeps cogitat, quis vir eſſet? At ille reponebat: Ecce, propter perverſitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo (*32). Tempus breve, quod inde Cæſar placandæ iræ divinæ, ac deteſtationi criminum dare debuiſſet, id omne vanis curis conſumpſit: ſollicitus nimirum de ſucceſſore ſuo, ſuperſtitioſiùs explorabat, quiſnam ex tribus nepotibus, quos ex ſua progenie numerabat, poſt ſe moderaturus eſſet Imperium? Sciſcitanti adverſum omen redditur, nullum ex his, ſed alium, qui diverſi generis, morûmque ſit, gubernacula capturum (a). Stimulatus invidioſo ſigno Imperator, in quoſdam Magnates cruentam procellam decernit (b). Terriculamenta tamen nova fecêre, quò minùs furorem expleret (c): per Vates quippe monitus, fatale ipſi eſſe, ut fulmine intereat; omiſſis aliis molitionibus, ſuæque ſaluti duntaxat intentus, operâ Procli Philoſophi Tholotum ſive ædificium fornicibus ſubſtructum parari curavit, ut in fornicatis his receſſibus contra aëreum ignem præſens præſidium haberet (d). Sed paulò pòſt didicit miſer, nec munimenta tam fortia, nec abyſſos tam profundas reperiri, quæ fulminantis Juſtitiæ impetum ſiſtere, aut intercludere viam valeant: tonante namque ſubinde cælo, cùm ex latebra una in latebram fugiens,

Anaſtaſius ſuperſtitioſus in explorando ſucceſſore.

(a) Amm. Anon. p. 483. 484.

(b) Zonar. p. 47. Cedren. p. 362.

(c) Marcell. Chronic. Theophan. p. 140.

(d) Zonar. p. 47.

Mors repentina Anaſtaſii.

(*32) THEOPHANES ad an. Incarn. Dom. 510, ſive ſecundùm nos, an. 517. p. 140. ait: *Hoc anno Anaſtaſius Imperator virum terribilem in viſione conſpexit, codicem manu geſtantem, quem cùm aperuiſſet, & comperiſſet Imperatoris nomen, dixit ei: Ecce ob fidei tuæ perverſitatem annos quatuordecim deleo: totidémque delevit. Experrectus, Amantium Præpoſitum vocat, & narrat ei viſionem. Dicit ille: Ego quoque cernebam hâc nocte aſtare me Majeſtati tuæ, porcúmque magnum irruentem, chlamidémque meam prehendentem, in terram me proſtraviſſe, ac devorâſſe penitùs. Advocato itaque Proclo ſomniorum conjectori res viſas enarrant. Refert ille: Brevi ſpatio uterque veſtrûm conſummatur.* Similia habet CHRONICON ALEXANDR. CEDRENUS p. 362, ZONARAS p. 47. Aliis fabulis, quas recentiores Græci adducunt, TILLEMONTIUS non habet fidem.

fugiens, continuò mutaret locum; seu fulguris vi (*33), seu fragore tonitruum exanimis cecidit anno vigesimo octavo gesti Imperii (*34). Corpus ex Tholoto extractum, tenui apparatu in Ecclesia SS. Apostolorum tumulatum est, nec aliam suî memoriam reliquit, quàm quòd nomen ejus è piorum Cæsarum albo erasum, in numerum illorum Tyrannorum relatum sit, qui exemplo Neronis & Diocletiani Ecclesiam Dei diris modis exagitârunt (*35).

(*33) CHRONICON ALEXANDR., VICTOR TUNUNENSIS, & THEODORUS L. p. 595. perhibent, Anastasium terrore fulguris aut tonitrui exanimatum esse. ZONARAS Annal. T. III. p. 47. ait: *Et quia fatale sibi esse ex oraculo* (Anastasius) *didicerat, ut fulmine interiret: Tholotum ædificium construxit, in eóque degit, sed frustra. Nam cùm aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipse perterritus è cœnaculo in cœnaculum descenderet, & alios atque alios thalamos subiret: in quodam Regio cubiculo mortuus est inventus.* THEOPHANES p. 141. dubitantis more scribit: *Quidam autem autumant, Anastasium fulmine de cælo tactum mentis stupore è vivis excessisse*; unde factum putat TILLEMONT in V. Anast. art. 26, quod CEDRENUS p. 363, ADO in Chronico, MANASSES p. 62, Zonaras l. c. id affirmârint positivè. Apud Valesium ANONYMUS notat, Anastasium periisse ex infirmitate, & EUTYCH. T. II. p. 147. opinatur, eundem extinctum dolore capitis, quem ex fragore tonitrui contraxisset.

(*34) THEOPHANES p. 140. ad an. 518. secundùm nostrum computum, annum mortis indicat: *Hoc eodem anno, Indictione undecimâ, mensis Aprilis nono, Anastasius impius Imperator occubuit: exegit in Imperio annos septem & viginti, mensésque septem, trigesimo quarto supra ducentesimum anno à Diocletiani Imperio.* Imperare cœperat die undecimâ Aprilis an. 491; ideóque (ùt advertit PAGIUS ad an. 518. §. II.) supra annos 27. ac duos menses, dies 29. imperavit, quodipsum notavit MARCELLINUS in Chronico; Theophanes igitur menses quatuor plus, quàm par est, numeravit. Secundò idem Author aberravit in eo, quòd Anastasium dicat obiisse nono Aprilis, cùm defunctus sit IX. mensis Julii, utì ostendit Cyrillus in V. S. Sabæ à Cotelerio Tom. III. Monum. Eccl. edita c. 60. BOLLANDUS ad 20. Januarii, diem mortis fuisse ait primam Julii. Implevit Anastasii ætas octoginta annos; nam Marcellino teste, & Jornande de Reg. succ. c. 109. *Octogenario major* fuit.

(*35) NICOLAUS I. in Epl. ad Michaëlem Imp.: *Cogitate, quid Imperatores, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, & maximè Ecclesiam Romanam, id est, Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius, & cæteri moris eorum pertulerint, & ubi modò sint, attendite diligenter, & quantum sit in Ecclesia Dei execrabilis fama eorum, & nomen detestabile, sapienter advertite.* Vide hìc etiam Baronium, ejúsque Commentationes ad vitam Anastasii Tom. VI. ad an. 518. N. 21. 22. 25.

§. II.

§. II. *JUSTINUS Imperator Anaſtaſio ſuccedit, bellum movet contra Perſas, Tzatum Regem Lazorum Chriſti ſacra amplexum protegit, Eleesbaani Æthiopum Regi Author eſt, ut Homeritas Chriſtianitatis hoſtes comprimat: coercet edictis Hæreticos, erga Joannem Pontificem, ac Sedem Apoſtolicam devotiſſimus moritur. JUSTINIANI Imperatoris initia, ejusdem Genealogia, Regni atque Eccleſiaſticarum rerum cura: Codicis Juſtinianei publicatio: Bellum contra Samaritas & Perſas: Occaſus Regni Vandalici in Africa: Bellum Italicum à Beliſario & Narſete novendecim annis vario Marte geſtum contra Theodatum, Vitigem Totilam, ac Tejam, Gothorum Reges: Ruina Regni Gothici: Bellum contra Francos & Hunnos: Seditio Conſtantinopolitana multorum civium cædibus cruenta: Conjuratio Ablavii contra Cæſarem: Juſtiniani error in fide: Ejus vitia & obitus.*

1. PRovidentia æterni Numinis, quæ ſcelere potentem Anaſtaſium depoſuerat de Imperii ſede, eadem Juſtinum humilem planè, ac de infima ſorte pauperem exaltavit (a), collocavítque illum cum Principibus populi, ut ſolium gloriæ teneat. In Illyrico is, vel (ùt alii volunt) in Thracia (*1) egenis Parentibus natus, primam ætatem inter pecorum viles curas poſuit (*2): dein dato militiæ nomine, poſt intervallum ob egregiam formam, robúrque Regii corporis cuſtodibus adlectus,

(a) Luc. 1. pſal. 112.

A. 518.

Juſtini Imperatoris initia

(*1) THEOPHANES p. 141: ***In cujus*** (Anaſtaſii) ***locum Juſtinus pius Imperator, vir ætatis provectæ, & expertus rerum, à militiæ cingulo exorſus, & ad Senatûs uſque ordinem promotus, Illyricus genere ſuſpectus eſt.*** In Illyrico natum eſſe Juſtinum, aſſerunt pariter THEODORUS L., & VICTOR TUNUNENSIS. At Thraciam eidem Patriam fuiſſe, perhibent ii, qui poſt Procopium ſcripſerant, ſcilicet EVAGRIUS l. 4. c. 1., BASILIUS CILIX apud Photium in Bibliotheca, AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI, quos ita Conciliat Alemannus in notis ad Hiſtor. Arcan. Procopii c. 6: *Bederiana*, quæ, teſte Procopio, Juſtino Patria fuit, in limitaneis Illyriæ, Thraciæque agris ſita erat; ſæpiſſiméque fit, ut, quæ urbes duarum Provinciarum fines terminant, in ambarum partes aliquando admittantur.

(*2) ZONARAS Annal. T. III. p. 48: ***Imperator autem creatus eſt Juſtinus Thrax, parentibus ortus ignobilibus & obſcuris, atque ipſe Principis Operarius fuit, aut Armentarius & Porcarius***; quæ POMPONIUS LÆTUS ita exponit: ***Juſtinus Thrax ſine imaginibus, ſine tribu, utroque Parente ignobilis, à teneris annis Suum Cuſtos, dein boum, pòſt Lignarii cujusdam Miniſter, natus annos ſedecim militare cœpit.***

lectus, demum toti Prætorio præficitur (*3). His gradibus ubi fortunam suam paulò altiùs extulerat; in Aniciorum familiam (*4), & in album Senatorum cooptatus, ipsum Regni fastigium postremò tenuit. Equidem post mortem Anastasii multi & præstantes viri erant cognatione Cæsari conjuncti, qui, cùm omnibus rebus, quas prosper & beatus vitæ status postulat, abundare videbantur, tum eam consecuti potentiam, quæ homines in tam amplo honoris gradu locare posset (b): verùm recens populi fastidium non permisit, ut ad talem stirpem Regni honos rediret; unde tantum dedecus in Ecclesiam atque Rempublicam paulò antè profluxerat. Inter plures, qui negligebantur, Amantius unus, Eunuchorum in aula Princeps, moliri saltem aliquid ausus est (c): dominatum is planè impotentem tum in Cæsarem, tum in populum exercuerat, ejúsque acerbo in Catholicos ingenio tribuebatur, quòd Anastasius Ecclesiam magnoperè afflixisset. Ad hanc potestatem porrò usurpandam, cùm Semiviro Regnum ipsum appetere per Leges Romanas haud liceret; Theocritum, sibi errore ac scelere similem, dignitatis supremæ compotem facere constituit: scilicet, ut ille Imperatoris nomen,

(b) Evagr. l. 4. c. 1. Baron. T. VII. Ann. ad a. 518. §. 1, 2.

(c) Idem c. 2

Amantius pro Theocrito quærit Imperium.

(*3) PROCOPIUS in Histor. Arcana c. 6: *Byzantii Leo summam habebat Imperii, cùm tres in Illyria nati, exercendisque agris assueti adolescentes, Zimarchus, Ditybistus, & Justinus (cujus Bederiana Patria fuit) summæ, quâ domi premebantur, egestatis vitandæ causâ militiam sequuntur, pedibúsque Byzantium veniunt, rejectis post terga sagis, in quibus, præter secundarios panes, nihil eis, quod reconderent, ex re domestica fuit. Numeris militaribus inscripti ab Imperatore, utpote egregiâ corporis formâ conspicui; ad Regiæ custodiam seliguntur..... Tempore deinde procedente magnam is* (Justinus) *consequitur potentiam, Prætorianis militibus Præfectus ab Anastasio Principe; qui ubi fato concessit, eâ fretus Justinus Præfecturâ, capessivit Imperium.*

(*4) JORNANDES l. rer. Goth. c. ult. nomen *Anicii* tribuit Justino, item ARNOLDUS WION in vita S. Benedicti; inde orta fabula, quasi Justinus ex Aniciorum stemmate ortus fuisset: erant autem Anicii eorum, qui Christo nomen dederant, antiquitate & nobilitate præstantissimi, ùt *Prudentius* ait lib. 1. contra Symmach. ALEMANNUS verò in notis ad Procopium c. 6. p. 99. edit. Paris. postquam Justinum humili & sordido loco natum commemoraverat, pergit: „ Parum refert, quòd in antiquis nummis Justinus, ANICIUS habeatur; nam illum, ùt ex milite gregario palatii curam accepit, & (quemadmodùm Theodorus Lector ait) Patricii honorem consecutus, & in albo Senatorum conscriptus fuit; verosimile est, ab Anicianis in familiam fuisse cooptatum, vel tandem sibi id nominis adscivisse, cùm Imperator est appellatus; sicut etiam in iisdem nummis se FLAVIUM inscribit, & Lupicinam Conjugem ex serva FLAVIAM nuncupat. „ Anicii deinde nomen in totam Justini progeniem transiit.

nomen; Amantius autem Imperium gereret. Hoc igitur consilio ingentem pecuniæ vim Justino Castrorum Duci tradit inter milites distribuendam. Justinus, cujus animo fides integra, & Reipublicæ gravior cura insederat, indignum ratus, pro Eutychianorum Patrono fasces emere, dissimulato donantis nomine pecuniam partitur (*5); tum enimverò omnium clamor subitò cooritur, Justinum Principem salutantium: resistit aliquantùm Dux; dum Senatûs consensio accederet: hâc ultrò datâ Catholicus maluit Hæretico succedere (d), quàm publicam rem in hostium rursus conjicere discrimen. (d) Paulus Diac. l. 7.

2. Justinus aditi Imperii initia à pietate exorsus, coronam à Joanne Patriarcha primus accepit: dein Conjugem suam Lupicinam (*6) nomine Euphemiæ illustris Martyris compellari antè jussit, quàm Augusta diceretur. Lætissima hæc primordia tantum animi addidêre Catholicis, ut impatientes moræ, continuò novi Regni fructum experiri percuperent. Die igitur Dominicâ insequente, ex quo coronatus Imperator erat, Joannem Patriarcham in Ecclesia sacris operantem precibus importunis urgent (e), vellet tandem orthodoxæ rei vires palàm reddere, quas unà cum Amantio Anastasius abstulisset: approbandam, non ùt antè animis, sed publicis etiam vocibus Chalcedonensium Synodum, hosti ejus Severo Ecclesiasticas diras denunciandas, ídque curandum maximè, ut Euphemio, Macedonio, Leone, aliísque Catholicis Episcopis in Dipthycha sacra relatis (f), cæteri exules ad gregem suum revocentur. His magnas inter acclamationes populi peractis, Amantius & Theocritus fremebant, sibi præreptum

Coronatio Justini.

(e) Hardain. in CC. T.II.&T.IV

Fides orthodoxa sub novo Principe stabilitur.

(f) Cyrillus in vit. S. Sabæ c. 60. 61.

(*5) BARONIUS Tom. VII. Annal. ad an. 518. §. 2. fidem abnuit Evagrio, dicenti, quòd Justinus dispensatione pecuniæ quæsiverit Imperium; nam invitum ait, ac renitentem Justinum creatum fuisse Imperatorem, probat ex literis Justini ad Hormistam Pontificem, & hujus ad eundem Principem.

(*6) DUCANGIUS *in Familiis Byzantinis*, nummum aureum Imperatricis hujus exhibet cum hac inscriptione: DN AEL. MARC. EUPHEMIÆ PP. AUG.; unde Augustam deinceps *Æliam Marciam Euphemiam* dictam fuisse constat. De hac Augusta infesto satìs stylo scribit PROCOPIUS in Historia arcana c. 6: *Conjux verò ejus* (Justini) *cui nomen Lupicinæ fuit*) *Serva, atque Barbara, sui pellex emptoris Justini, & ad usque vitæ exitum Imperii socia. Neque malo subjectis, neque bono esse Justinus quidem potuit, insignis homo stoliditatis, summa cum infantia, summáque cum rusticitate conjuncta.* Adverte, quòd Procopius infensus Justiniano, non tantùm hunc, sed & totam ejus familiam acerbè in Arcana Historia perstringat.

Amantius & Theocritus occiduntur.

(g) Evagr. l. 4. c. 2.

ptum fuiſſe Imperium, útque exiſtimatam injuriam ulciſci poſſent, multa in Cæſarem, plura in Joannem Præſulem moliebantur. Juſtinus gliſcentis jam ſeditionis ſcintillas intuens (g), factioſorum duorum ſanguine incendium reſtinguendum, aut paucorum cæde ſibi incolumitatem, Eccleſiæ ſalutem præſtandam putavit (*7).

Juſtinus Proclum & Juſtinianum ad res Imperii tractandas adhibet.

(h) Procop. in Hiſt. arc. c. 6. p. 20.

3. Occiſis Amantio & Theocrito, nova cura Juſtinum tenuit, quibus adjutoribus cœptum regeret Imperium: Rempublicam enim navem non parvæ magnitudinis dixeris, in qua licèt unus ad clavum ſedeat; opus tamen eſt multiplici remigum manu, ut fluctuans machina felici curſu propellatur. Itaque Imperator à literis ſibi primò delegit Proclum Philoſophum, qui ſuâ eruditione Juſtini bellicarum tantùm rerum ſueti rudem ſcientiam fulciret (*8). Acceſſit Juſtinianus (h), qui in Illyrica civitate natus, Patrem habuit Sabbatium, Matrem Biglenizam, Avunculum verò Juſtinum Auguſtum, à quo omnis obſcuræ gentis ſplendor & dignitas in nepotem deſcendit (*9). Trigeſimum


(*7) PROCOPIUS in Hiſt. Arcan. c. 6. paulò aliter caſum Amantii refert: *Vix decimus dies abierat, ex quo cum poteſtate fuit, & Amantium Eunuchorum Aulæ Principem nonnullis cum aliis interfecit; in crimen illum eâ tantùm de re ducens; quod neſcio quam vocem petulantiùs in Joannem jactârit urbis Antiſtitem* &c.

(*8) IDEM l. c. p. 20: Juſtinus *ſenex jam licèt capularis, & quod Romanis antehac non evenit, adeò literarum expers, & quòd dicitur Analphabetus, ut cum ſui ſoleat nominis apices tabellis indere Princeps, cùm quid imperat faciundum; ipſe neque imperare, neque compos eſſe poſſet rerum gerendarum; ſed Proculus, qui officio Quæſtoris fungebatur, eíque aſſidebat, omnia faceret pro arbitrio.*

(*9) ALEMANNUS in notis ad Hiſt. arc. Procopii p. 138. Genealogiam exhibet Juſtiniani, quam ex antiquioribus & coævis Authoribus ſe collegiſſe, & proinde errores, quos in eadem Genealogia texenda Arnoldus, Panvinius, & Trithemius commiſerunt, correxiſſe affirmat.

ſimum agens annum, literis ſub Theophilo Præceptore (*10), poſteà militiæ operam dedit, Regnante ſubinde Juſtino, idem Juſtinianus ob propinquitatem ſanguinis, tum fidei Catholicæ zelum

Juſtiniani progenies & gradus ad honores.



(*10) Quod SUIDAS dixerat de *Juſtino*, nempe eum Analphabetum fuiſſe, hoc Chalcondyliana editio de Juſtiniano expreſſit perperam, qui lapſus Librariorum non infrequens eſt, dum ſæpè Juſtini & Juſtiniani vocabula commutant; ſic Caſſiodori Epiſtola 1. legitur ſcripta in Vaticano Codice ad Juſtinianum, quæ tamen ad Juſtinum exarata eſt. Vide hìc Alemannum in not. ad Arc. h. c. 6. p. 102. edit. Pariſ. PAGIUS Tom. II. Critic. ad an. 528. §. III: Antequam Imperium Juſtinianus caperet, à *Theophilo Abbate* Præceptore ſuo ſtudiis Philoſophicis & Theologicis imbutus fuerat, ùt de ſtudiis Philoſophiæ teſtis eſt Agapetus Juſtiniani Contubernalis, & Eccleſiæ Conſtantinop. Diaconus in Parænesi, Baronius integram recitat anno 527. N. 12, ubi Agapetus ait; *Noſtris temporibus oſtenſum eſt proſperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex Veteribus futurum, cùm vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur. Nam philoſophando digni habiti Regno eſtis, & regnando à Philoſophia non deſciviſtis....* Architecturam

zelum comes Domesticorum creatus est (*11). Sed quoniam annis minori exiguus adhuc rerum publicarum usus erat; tertius addi debuit, quem diuturnior labor in civilibus æquè ac bellicis artibus exercuisset. Vitaliano itaque Scythâ (i) nemo aptior visus est; is enim contra Anastasium bellum agere, & ab eodem pati fortiter exilium fidei causâ didicerat (k). Quò minùs tamen Vitalianus in Imperatoris obsequium citò concederet, mens fati futuri præsagiens retrahebat: ex hoc ipso quippe conflictu, quem cum Anastasio tentaverat, labe se quâdam Tyrannidis notatum credebat, & datâ occasione ab æmulis fieri posse (l), ut rebellionis cujuscunque suspicio de se apud Principem concitaretur. Timenti animos addidit Imperator, & securitatem pollicitus, Justiniano porrò præcepit, ut supra sacram mensam (ritu Christianis tunc consueto) fidem publicam Vitaliano sanciret (*12). Hâc ratione in palatium vocatus Vitalianus Magisterium militiæ adiit, simúlque præcipuas restituendæ pacis curas unà cum Principe aggressus est (m).

(i) Marcell. Procop. l. 1. B. P. c. 8.

(k) Marcell. in Chronico ad an. 516.

Vitalianus militiæ Magisterium obtinet.

(l) Procop. Hist. arc. c. 6.

(m) Liberatus in Brev. c. 19.

4. Diviserat Imperium Orientis tum Eutychiana hæresis, tum etiam schisma illud funestum, quo Chalcedonensis Synodi authoritas impugnabatur; Orthodoxi Vitaliani (n) ex consilio Justinus malo ita mederi cœpit, ut Catholicis incolumitate, Hæreticis terrore consuleret; itaque primo edicto Chalcedonensibus decre-

(n) Theoph. Cedren. in Comp. Zonar. p. 50

Vitaliani studia pro Religione.

tecturam ita callebat, ut multorum ædificiorum Ichnographias & Sciographias ipse delineârit, uti habemus ex PROCOPIO *de Ædificiis Justiniani.* De Jurisprudentia pariter testatur Procopius in Hist. arc. c. 14. De *Theologicis* Commentationibus perhibet Isidorus apud Pagium l. c. N. 4., & Eustathius in V. S. Eutychii Episcopi Constantinop. apud Bollandum VI. Aprilis.

(*11) *Comes Domesticorum* erat, qui equitibus vel peditibus Prætorianis præerat; hâc dignitate functi Diocletianus (ùt auctor est Zonaras, & Aurelius Victor) Justinianus & Michael Balbus, antequam imperarent. Vide DU CANGE *in Glossario.*

(*12) PROCOPIUS in Hist. arc. c. 6: *Illicò vocatum mittit Vitalianum Tyrannum fide publicâ, impunitate promissâ, & unà susceptis Christianorum mysteriis.* Justinianus nimirum, ut suspicionem pœnæ eximeret Vitaliano, super sacram mensam ritu Christianis solito, sive *juratâ mutuò fraternâ fide* (qui ritus apud Græcos ἀδελφοποιΐα nominatur) eundem Vitalianum sibi devinxit. Cæterùm antiquissimi PP. hunc dictum ritum hausto Christi poculo sacrum fecerunt, quibus curæ fuit, abolere illas humani cruoris potiones, quas teste LUCIANO *l. 1. de amicitia*, non solùm Barbari, sed & Romani ad stabilienda fœdera, atque conjurationes adhibebant. Vide Pagium ad an. 520. §. 2.

decretis ſuus honos, & exulibus Orthodoxis ſua patria, gradúsque reddebantur (o); alterâ verò lege cavebat Princeps, ne Severi Sectatoribus, aut aliis Heterodoxis ſeu domi, ſeu militiæ fungi munere publico deinceps fas ſit (p). Dum membra inter ſe pari fidei vinculo conſociare Cæſar adnitebatur; eâdem operâ conjunctos in religionis unitatem Chriſtianos Eccleſiæ Capiti tum verbis, tum exemplo ſubmittere laborabat. Ad offenſionem multorum erat, vidiſſe regnantibus Zenone & Anaſtaſio neglectam Sedem Apoſtolicam, contempta ejuſdem conſilia vel præcepta, injuriis violatos Pontificis Legatos (q): hæc verò Juſtinus ita emendabat, ut integra inter Occidentalem & Orientalem Eccleſiam concordia reſtitueretur. Quamprimùm enim ſolium Auguſtus conſcenderat, datis de ſua electione ad Hormisdam Papam literis, debitas Petro Apoſtolo Imperii ſui primitias reddebat (r); inde inter Pontificem & Imperatorem frequentior epiſtolarum ac conſiliorum communio (s): Oratoribus demum abs Hormisda Conſtantinopolim directis tantum honorem Princeps habuit, ut proficiſcentibus ad extremos Regni fines occurrere juſſerit nobiliſſimos viros (t): urbem verò poſteà ingreſſos præſente Senatu, & magno apparatu amplexus, quidquid peterent, aut juberent, promptiſſimâ manu exequebatur (u). Poſtulabant illi Acacii, aliorúmque Hæreticorum memoriam aboleri, abolebatur: rogabant Schiſmaticorum quorundam nomina ex Dipthychis expungi; hæc quoque expuncta & eraſa ſtudio Cæſaris fuêre (x). „Gloria hæc itaque ingens, Juſtini ſingularis erat (ut verbis Hormisdæ utar) quòd prima ſui fundamenta Principatûs eſſe voluerit, Deum placâſſe juſtitiâ, & aſciviſſe ſibi divinæ Majeſtatis auxilia (y), dum adverſarios ejus velut proprios compreſſit inimicos,„ quódque primum non contra Barbaros aut Perſas, ſed contra Hæreticos bellum geſſerit. “ Nam cæterorum natura præliorum diſtincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta eſt; hæc omne genus humanum complectitur: hic omnibus regionibus importatur triumphus; & quod divinæ proximum pietati eſt, qui paulò antè inſtinctu diaboli graſſabantur, nunc ad propriæ ſalutis efficientiam ſine ſanguine vincuntur (z).„ Quemadmodùm verò hæc laudum materies ad Juſti-

(o) Cyrill. in V. S. Sabæ c. 60. & 61.

(p) Baron. T. VII Ann. ad an. 518.

Juſtinus obſervantiſſimus Sedis Apoſtolicæ.

(q) Vide dicta ſupra in V. Zenonis & Anaſtaſii

A. 519.

(r) Epiſt. PP. T. I. Ep. ad Hormisd.

(s) Hormisdæ Epiſt. 22. T. I. PP.

(t) Baron. ad an. 519.

(u) Hormisd. Ep. 27.

(x) Vide Pagium ad an. 519. §. IV

(y) Hormisdæ ad Juſtin. Ep. 23. T. I. Epp. PP.

(z) Hormisdæ ad Juſtin. Imper. Ep. 24.

Juſtinum pertinebat; ita Auguſta Euphemia, quæ hortatu Pontificis ſtudia Imperatoris adjuverat, partem aliquam gloriæ ſibi vindicavit: major itaque Helenâ ab Hormisda prædicabatur, eo, quòd per illam Eccleſiæ unitas ſuum invenerit ſignum; per hanc Imperatricem verò Fideles nacti ſint diſcordiæ remedium (* 13).

Vitalianus Conſul creatur. A. 520.

5. Vitalianus intereà ſuâ factorum conſcientiâ fretus, etſi præmio magnoperè non inhiaret; Juſtinus tamen rei tantæ adjutorem ſine mercede eſſe haudquaquam paſſus eſt: Conſulatum proinde viro orthodoxo decernens, ſtrenuè res ſuas gerentem ad majorem etiam Reipublicæ curam accendit (a). Sed vix Conſularis dignitatis primordia Vitalianus adierat; jam invidia aliena eidem honoris ſimul & vitæ terminum poſuit (b). Juſtinianus, cui ſumma cum Vitaliano neceſſitudo hactenus interceſſerat (c), novis hominis honoribus aduſtus, metu quodam percelli cœpit; ne poſt Juſtini exceſſum exterus ille ſibi propinquo, utì Conſulatum præripuiſſet: ſic quoque auferret Imperium (d). Rebus igitur quò conſuleret ſuis, Juſtino varias de Vitaliano ſuſpiciones ingerit, eò maximè connixus, ut Princeps crederet; qualis Vitalianus in Anaſtaſium fuiſſet, talem deinceps adversùs Juſtinum fore: nec alterius generis eſſe hos demandatos honores, quàm qui ad perfidiam gradum ſternerent. Imperatorem ubi Juſtinianus frigore primò perfuſum, poſteà etiam in odium Vitaliani adduxerat; ſibi jam licere omnia ratus, amicum aliàs, nunc ambitionis causâ inimicum (* 14), contrà ac jurejurando olim

(a) Chron. Alexandrin.
(b) Marcell. in Chronic.
(c) Juſtinian. in Epiſt. ad Hormisd. apud Baron. & T. II. CC. Harduini.
(d) Procop. in H. arc. c. 6.

Vitaliano interitus accerſitur operâ Juſtiniani.

(* 13) HORMISDA Epiſt. 23. ad Euphemiam Aug.: *Eccleſiarum pax jam cœleſti ordinatione componitur; cùm vos ad Imperium Deus elegit, apud quos eſſe integrum ſemper Religionis ſuæ cognovit affectum.... Magna etiam veſtro ſexui parata eſt laudis occaſio, ſi vobis inſtantibus, Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, quæ diviſa fuerant, membra conjungat. Nec ejus* (nempe S. Helenæ) *major eſt gloria, quæ humanæ ſalutis ſignum ſcrutata eſt, & ſola Crucem, quam omnis veneratur mundus, invenit. Superabitis quinimò illius merita: quia Eccleſiæ Unitas per illam ſuum invenit ſignum, per vos eſt habitura remedium.*

(* 14) Cauſam, cur Vitalianus peremptus ſit, aliam PROCOPIUS, aliam BARONIUS refert: ille *in Hiſtor. arc. c. 6.* Juſtiniani ambitioni tribuit Vitaliani cædem, dum ait: *Deinde pòſt dato ſuſpicioni atque offenſioni loco, eum ac neceſſarios in Aula impiè contrucidavit, nihil veritus, fidem fallere tam formidandam.* BARONIUS contrà Tom. VII. Annal. ita ait: *Vitalianus luit pœnas de Patrocinio Eutychianis Monachis præſtito adversùs Apoſtolicæ Sedis Legatos.* At PAGIUS corrigendum hìc putavit Baronium ex Cardinali NORISIO, qui L. 2. Hiſt. Pelag. c. 19. oſtendit, de Vitaliani fide nunquam

olim promiserat, truculenter interficit (e). Justiniano pro facinore, etsi is pœnam merebat, merces ampla, indignantibus bonis omnibus, persoluta est. Nam post Vitaliani cædem, in ejus gradum subvectus, & Magisterium militiæ, & Consulatûs prærogativam anno sequente obtinuit (f). A nemine eorum, qui Consules fuêre, officii primordia tantis sumptibus, atque à Justiniano celebrata sunt: effusis in populum ducentis triginta octo solidorum millibus, spectacula edebantur, in quibus viginti Leones, triginta Leopardi, aliáque belluarum genera pugnârunt (g). Lætitiam ejusmodi turbulenti Persarum motus excepêre (h), cujus belli causa, quia jam multò antè data fuerat, à primis initiis repetenda est.

(e) Evagr. l. 4. c. 3.
A. 521.
(f) Vide Pag ad a. 521 *Consulatus Justiniani.*
(g) Marcell. in Chronic.
(h) Theoph in Chronogr. p. 143.

6. Justino Imperium auspicante, Cabadem Persarum Regem invasit metus, ne quid novi in domum suam (i), statim ùt abiisset è vita, Persæ molirentur. Neque vana seditionum intestinarum hæc suspicio erat; nam præterquàm, quòd subditi infestum Cabadis dominatum odissent, Romanis etiam acceptæ injuriæ necdum exciderant (*15): nihil igitur faciliùs futurum credebat, quàm ut ardente foras bello, factiosi intùs à suo genere Regiam potestatem auferrent. Malo utrique remedium daturus Cabades, ex tribus filiis natuminorem Chosroen sibi in consortem Regni associat: atque ut ætas juvenis (siquid Patri humanitùs contingeret) imbecillitatis suæ haberet præsidium, fœdus cum Romanis inire statuit.

(i) Procop. B. Pers. l. 1. c. 11. p. 29.
Bellum Persarum contra Romanos.

nunquam ullum dubitâsse, ut quem Zonaras, Cedrenus, & Liberatus sæpè *Virum maxime orthodoxum* ac Religiosum vocant: nec Monachos Scythas Eutychianos fuisse, neque à Vitaliano Legatos Pontificis esse offensos. Vide Pagium Tom. 2. Critic. ad a. 520. §. III & IV.

(*15) PROCOPIUS de B. Persico l. 1. c. 11. edit. Paris. p. 29. & 30. apertiùs causas exponit, cur de Successore sollicitus fuerit Cabades Rex Persarum: *Neque enim,* ait, *filiorum suorum quenquam Regni scribere hæredem poterat, quin ipsi offerret se adversum aliquid. Ac Lex quidem Caosem ob ætatis prærogativam ad Regnum vocabat: sed ab eo voluntas Cabadis abhorrebat, & cùm patriæ, tum naturæ leges ac jura perfringebat. Zamen, qui ortu succedebat proximè Caosi, quòd altero oculo orbatus esset, Lex à Principatu arcebat. Nam hoc, alióve vitio notatum nefas est, Persis Regem creare. Tertius ex Aspebedis sorore susceptus Chosroes unicè diligebatur à Patre: qui tamen, cùm Persas fere omnes videret Zamis fortitudinem demirari,.... verebatur, ne conflatâ in Chosroem rebellione, domum Regiam, Regnúmque convellerent. Igitur factu optimum duxit bellum, omnésque belli causas Romanis eâ lege remittere, ut Justinus Chosroem adoptaret. Nam in hoc uno firmum præsidium ad servandum ipsi Regnum esse situm putabat.*

(k) Procop. l. 1. B. P. c. 11. p. 30.

Cabades Rex Persarum offert Justino Chosroen adoptandum.

ſtatuit (k). Mittuntur confeſtim Legati Conſtantinopolim, qui Cabadis nomine rogent Cæſarem: vellet obliteratis iis, quos belli fortuna tuliſſet, adverſis caſibus, nunc demùm amici & Patris potiùs, quàm hoſtis nomen accipere: Regem Perſarum, cùm ob ſenium fato ſuo ſuperſtes diu eſſe non poſſit, pro Chosroe filio id à Juſtino flagitare, ut juventam adoleſcentem alter Parens ac tutor in fidem ſuam adoptet, ac moderetur; Perſis eſſe multas adhuc belli cauſas; at Cabadis intereſſe magìs, ut neceſſitudinis lenitate, quàm armorum ferociâ pacem ſanciat. Hæc ubi à Perſiæ Legatis in medium afferebantur; Proclus Philoſophus interceſſit, negans ex inſidiis agenti hoſti beneficium periculo plenum dari oportere (*16). Juſtinus contrà aliquid ſaltem tribuendum ratus, eoquòd hoſtes Imperatoris fidem plus ament, quàm potentiam timeant; continuò Oratores in Perſiam ire jubet, qui præſente etiam Choſroe, de tutelæ conditionibus decernant. In locum deſignatum poſtquam utrinque convenerant; diſputatis anteà multis, tandem Romanis vox acerbior excidit, quæ euntes in concordiam animos, in iras, atque implacabile odium conjecit. Agitabatur nimirum, quis modus, quæ ratio Regium Perſarum Principem adoptandi expediret? Tum enimverò Juſtini Oratores incautiùs affirmabant: Choſroen non Romanorum more per tabulas, ſed per arma utpote Barbarum adoptari debere. Verbum tam atrociter prolatum adeò intolerabile Perſis viſum eſt, ut Choſroes pacis negotium aſpernatus

tus

(*16) PROCOP. l. 1. B. P. c. 11. p. 31, ubi Proclum Quæſtorem ad Juſtinum ita diſſerentem adducit: *Id unum jam nobis propoſitum videtur eſſe, ut honeſto nomine rem Romanam Perſis tradamus. Neque illi conſilium ſuum occultant: ſed dum nudè exponunt, perfrictâ fronte id agunt, ut nos Imperio ſpolient, apertæ fraudi ſimplicitatem, impudentique poſtulatui nihil machinantium ſpeciem obtendentes. Hanc verò Barbarorum molitionem repellere totis viribus vos ambo potiſſimùm, quorum maximè intereſt, debetis: tu quidem, Auguſte, ne Romanorum ultimus Imperator ſis; tu verò, Magiſter militum* (Juſtiniane) *ne aditum ad Imperium tibi intercludas. Aliæ utplurimùm fallaciæ gravi quâdam honeſtate orationis involutæ, ſolertem Interpretem requirunt: iſthæc autem legatio eò rectà palàm vel ab ipſo orſu intendit, ut Choſroem illum, quicunque eſt, Imperatori Romano hæredem adoptione obtrudat. Sic enim mecum ratiocinemini velim. Naturæ jure bona Patrum debentur filiis: & quamvis Gentium omnium leges atque inſtituta cæteris in rebus diſcrepent; in hoc tamen tùm inter Romanos, tum apud Barbaros etiam omnes conveniunt, concinúntque, ut filios paternæ Dominos hæreditatis declarent. Quod ſi primum amplectemini, conſequens erit, ut cætera concedatis.*

tus (l), ac exulceratum animum ad Patrem referens, Romanis è vestigio contumeliæ ultionem denunciaret. Quamdiu Vitalianus in vivis erat; viri authoritas consilium inferendi belli avertit: at posteà Justiniano in mortui locum succêdente, Persæ jam metu soluti, ac licentiores in agros Romanos irrumpunt (m). De infestis Cabadis motibus quamprimùm Constantinopoli cognitum est; Justinus copiis, quæ hostem cohibeant, iter imperat: his Sittam & Belisarium (nam Justinianum Consulem ab Urbe Regia abesse nolebat) expeditionis Duces præficit (n). Uterque, si ætatem spectes, Adolescens erat vix lanugine tinctus: si animum, & rei militaris scientiam, multorum annosum senium ambo superabant. Belisarius tamen altero promptior vigorem ferebat in vultu, vímque in oculis, & habitus oris loquebatur, majora juvenem, quàm quod gereret, agitare in animo bella. Originem hic ducebat ex Germania (*17), quæ inter Thraces & Illyricos sita est: inter militaris disciplinæ rudimenta in eo plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; cæterùm gloriæ appetens, & patiens laborum talis apparebat, quali nec meliorem Imperator suis præesse mallet, nec miles alio Duce plus confidere, aut audere. In Persidem progressus, primùm scientiâ & viribus, dein etiam famâ nominis fugavit hostes (*18); quantumcunque tamen Belisarius conaretur, primo hoc tempore repressit, non restrinxit bellum. A. 522.

(l) Procop. p. 32.

Adoptionis causa & pax dissolvitur inter Romanos & Persas.

(m) Procop. p. 33.

(n) Idem p. 34.

Belisarii initia.

7. Annus insequens Cabadi acriores ad dissidium stimulos, novásque belli, irarúmque causas dedit (o). Tzathus beneficio

(o) Theophanes in Chronogr. ad h. annum p. 144.

(*17) PROCOPIUS l. 1. B. Vand. de Belisarii ortu ita scribit: *Ducebat originem ex Germania, quæ inter Thraces & Illyrios sita est.* Nomen *Germaniæ* LEUNCLAVIUM decepit, ut Belisarium è natione Germanorum fuisse crediderit, ùt videre est in Dedicatione Operis ejus ad Sambucum; HUBERTUS verò GIPHANIUS *in Commentar. de Justiniano* id falsum esse probat. Eandem Leunclavii hallucinationem corrigit VELSERUS l. 4. *rer. August.*, dum ait: *Sic eum locum accepit, ut Belisarium Germanum crediderit. Rationes, quibus id adstruere conatur, ingeniosæ sunt, non veræ. Nam Germania, quæ inter Thraciam & Illyricum jacet, non sunt Quadi in Austria, sed urbs Thraciæ & alibi nota, & in sanctionibus Orientalium Antistitum, eáque Metropolis est.*

(*18) PROCOPIUS, qui (ùt ipse *l. 1. B. P. c. 12. sub finem p. 35.* testatur) Belisarii Consiliarius delectus est, in *sua Historia de Bello Vandalico & Gothico* deprædicat Belisarii facta; sed in Historia arcana, & Anecdotis ita virum perstringit, ut Authori tam varia vario modo scribenti putent fidem esse abrogandam. Sed de his *in Reflexione IV. ad Historiam profanam* plura dicemus.

cio olim Cabadis Lazorum Regnum adeptus, hoc tempore Constantinopolim abiit: id ſive fecerit Princeps, ut è Perſarum jugo in Romanorum clientelam ſecuriùs tranſiret, ſive ut Chriſtiana ſacra, quibus jam addixerat animum, ſolenniùs amplecteretur (p); certè Juſtinus venientem ſummo amore excepit, &, quod Choſroi negatum fuerat, in filii loco deinceps etiam habuit. Tzatho ſalutis aquâ tincto poſtquam Valeriana & Romana & Chriſtiana Conjux data eſt; eidem, ne quâ priſtinæ ſervitutis notâ porrò premeretur, Regia inſignia alterâ vice, & majore cum apparatu impertiri placuit. Diſceſſit igitur ille ex Regia Urbe in Lazorum Patriam, redimitus coronâ & chlamide, qualis eſt Imperatoris, candidâ ornatus: atque ut Patris & novi Patroni ſignum aliquod oſtentaret, chlamidi adſutam ex auro tabulam ferebat, in qua effigiem Juſtini Imperatoris acus phrygia depinxerat. Cabades vix iſta acceperat, tum in uno facinore multas fieri ſibi injurias queſtus, primùm in perfidiam Tzathi, dein in perfidiæ patronum ſtomachabatur, divina, humanáque jura hâc ratione convelli inquiens, ſiquidem Regem ſuis ſubditis, ſubditos avitâ religione ſolvere, atque ad alienum jugum malis artibus pellicere integrum Romanis eſſet. Ad quæ Juſtinus fortior reponebat, nunquam ſe induxiſſe in animum, ut, quem Perſarum Regi obſtringi nôſſet, hunc ab exteri obſequio Principis abſtraheret, aut abſtractum ſervituti illigaret ſuæ: Regem Lazorum ſuâ ſponte in Cæſaris Regiam veniſſe, quem hoſpitem admittere uti humanitatis lex poſcebat; ita Chriſtianitatis jubebat officium, volenti, & pro Regia libertate cupienti ſalutis maximum beneficium impertiri: fraude nihil, nihil vi actum; niſi ingenio improbo Cabades pietatem, clementiámque Principis violentiæ, aut artis doloſæ nomine compellare velit. Juſtinus etſi calumniam Cabadis aliquantùm à ſe depelleret; ab eo tamen tempore graviores in diem diſcordiæ Romanos inter & Perſas invaluêre (q).

(p) Theoph. p. 144.

Nova cauſa ſimultatum Romanos inter & Perſas.

Lazorum Rex Religionem Chriſtianam amplectitur.

(q) Theophanes l. c. p. 144. ſub fin.

8. Sub idem tempus in Homeritarum finibus ex eadem Religionis cauſa gravius exarſit bellum (r). Dunaan Rex Homeritidis Hebrææ ſuperſtitionis ſtudio ferè ebrius, in ſubditos, qui Chriſto dediſſent nomen, primò pœnas acuit: deinde in finitimos,

(r) Theoph. p. 145. Nicephor. l. 17. c. 6.

mos, nisi ejurare Christum malint, infesta expedit arma. Negra (*19) Urbs recentiùs orthodoxam fidem amplexa, è præcipuis erat, quæ Tyranni impetum strenuè exceperat. Circumfusus mœnibus hostis jam valla, jam portas assultu vario tentabat (s): tum Arethas urbis Præfectus simul Christianum militem, Ducémque professus, unà cum civibus assilienti militi magnanimus occurrit, tantóque robore undique retundit hostem, ut obsidionales copiæ minore semper numero, contemptæque in castra redirent. Dunaan tandem damno suo expertus, acriùs à cive pro aris, quàm pro mœnibus certari, à vi ad dolum convertitur; Religionis libertatem, quam cuncti arderent, amplis votis addicit: dein promissi facturus fidem, jurejurando pactionem obstringit suam, quibus peractis, in mutui fœderis signum urbem dedi postulat. Arethas seu quòd lætaretur, fractam esse Tyranni pertinaciam, seu quòd nesciret, lupum, antequam ad ovile invenerit viam, blanditiis; hâc repertâ cruentis faucibus uti: certè pollicitatione liberali deceptus, intra urbem hostem admittit. Quamprimùm Dunaanus Negrensium portas subierat (t); alia eum ore, alia animo antè agitâsse compertum est. Prostabat illicò funesta lex, quâ Tyrannus dictabat, nî Christo singuli repudium darent, ad unum omnes pessimâ morte extinctum iri. Gravius tunc, & dissimile planè belli genus intra urbem apparuit; qui enim fortiter agendo, armísque libertatem defenderant, hi nunc inermes, & toleranter patiendo fidem tueri cogebantur: Virgines primùm ac Sacerdotes, dein Arethas cum benè multis Christianis, legi impiæ refragati, vel inter ignes, aut alios cruciatus victrices animas posuêre (u). Non inultam Martyrum cædem tulit Eleesbaan Rex Æthiopum: in Arabia

Dunaan Judaicæ superstitioni addictus, persequitur Christianos in Homeritide.

(s) Acta S. Arethæ apud Metaphrasten ad diem 24. Octobris.

Dunaan dolo urbem Negram capit.

(t) Acta S. Arethæ. Nicephorus l. c.

Martyrium multorum Christianorum sub Dunaane.

(u) Theophanes ad an. Incarn. secundùm Alexandr. DXV. Cedren. ad an. 5. Justin.

A. 523.

(*19) *Negra* (uti eam appellat NICEPHORUS l. 17. c. 6) aut *Nagran* (quemadmodùm nominatur in *Actis S. Arethæ*) Auxumitis Æthiopibus finitima est, & sita ad fines Arabiæ felicis. Vide PROCOPIUM *l. 1. de B. Persico c. 20. Homeritarum* præcipuum Castellum: cæterùm Homeritæ licèt sub Constantio Imperatore Arianâ hæresi imbuti sint, teste Philostorgio; subinde tamen ad orthodoxam fidem traducti fuêre, quam hoc tempore sub Dunaane sanguine signârunt. Præterea PAGIUS ad an. 522. §. 8. ex THEOPHANE ostendit, Homeritas Æthiopes fuisse; nam idem Scriptor ad an. 566. ait: *Quamobrem etiam Chosroes in Æthiopes, amicos populi Romani (olim Macrobios, nunc Homeritas appellatos) expeditionem suscepit.* Homeritæ etiam *Indi* quandoque dicuntur, eoquòd Æthiopia à Veteribus *Indiæ* nomen acceperit.

Elesbaan Rex Auxumitarum bellum movet contra Homeritas.

Arabia felice felicioribus armis Hebræorum eorundem vires, Christianus iste Princeps non ita pridem fregerat; at nunc cognitâ Tyranni molitione majora ausurus, gentem invisam juxta ac crudelem omninò exscindere parabat. Hostem ut medium intercíperet; geminum terrâ, maríque exercitum dirigit: quarum tamen copiarum primùm anceps & varia fortuna fuit; iis enim, quibus per terrarum invia ac deserta iter erat, morbis & fame consumptis, palàm factum est, aliter hominum, aliter Dei consilio bella geri. Non minore periculo laborabant illi, quibus maritimo cursu citiùs in Homeritidem penetrare propositum fuit: jam legebant oras, jam læti imminebant littori; tum catena ferrea, quam ex composito Dunaan præstruxerat, subitò aditum interclusit (x). Adhæserat hìc fluctuans exercitus, &, antequam vidisset hostem, ægerrimè cum mari, ventis & fame conflictabatur. Desperatis in rebus, ac ne in portu Dei causa naufragaretur, Eleesbaan ad preces conversus, Numinis auxilium deposcit; precanti, quia clarior prodigio locus erat, cælum indulsit opem: tumescebant namque repentè in altum procellæ, & elatâ aquarum vi naves subsidente jam ferreo vinculo, aut diffracto ad terram applicuêre. Quamprimùm classis è periculo emerserat; milites novo robore afflati, in Hebræos irruunt, & eodem impetu castra diripiunt, cædúntque hostem. Ex internecina suorum strage velut cædis nuncius Dunaan cum paucis in urbem Taphar elabitur: fugientem Eleesbaan sequitur; & tandem assecutus, infesto Tyranno Regnum, vitámque eripit. Insignia Principatûs inde in meliorem virum, eúmque Christianum Abraamum translata sunt (y); quo moderante Regnum, Gregentius Episcopus Homeritarum Ecclesiam primò curare cœpit. Compositâ re tum sacrâ, tum civili, Eleesbaan spoliis onustus, ac triumphanti similis, in urbem suam Regiam Auxumen (*20) reversus est (z). Magna hæc erat victoria Elees-

(x) Acta S. Arethæ apud Baron. T. VII. ad a. C. 523.

Victoria Elesbaani de Rege Homeritarum.

(y) Menolog. Græcor. MS. apud Lambertum l. 5. p. 133.

(z) Baron. T. VII. Ann. ad a. 23. § 28.

(*20) PROCOPIUS l 1. de B. Persico c. 20: *E regione Homeritarum ulteriorem continentem habent Æthiopes Auxomitæ, ita dicti de nomine urbis Auxomidis, ubi Regia ipsorum est. Porrò interfusum mare* (sinum scilicet Arabicum) *ferente mediocriter vento, trajicitur diebus quinque ac noctibus totidem.* Auxuma (teste Scaligero l. 7. de Emend. Temp. p. 682.) hodie vastata jacet; exhibet tamen adhuc monumenta ignorabilibus

Eleesbani, quam de hostibus; major illa, & ante hanc ætatem inaudita, quam de seipso reportavit: Anno enim insequente felicioris Regni cupidine incensus, Æthiopum Regnum deposuit. Misso Hierosolymam diademate, postquam purpuram cum cilicio commutâsset; è palatio in vastam solitudinem digreditur: illinc Monachum, ùt voverat, professus, nihil ex Regia supellectile, nisi stoream, & vile ad hauriendam aquam poculum retinuit: asperrimam proinde extra consuetudinem hominum vitam transigens, in se severiùs ac diutiùs posteà, quàm in Christi hostes animadvertit (*21).

Elesbaan sponte abdicato Regno, monasticam vitam sectatur.

9. Dum extra Imperii fines Ecclesiæ inimici armis profligabantur; Justinus Religioni sibi duxit, si Hæretici porrò intra Imperium impunitate suâ ac licentiâ fruerentur. Itaque iteratis, & gravioribus legibus Nestorii, Eutychis ac Manetis sectatores urgere aggressus (*22), Arianis etiam, quibus metu Theodorici Italiæ Regis hucusque pepercerat, majore nunc animo templa, libertatémque ademit (a). Vulnere hoc icti Arii discipuli, ad suæ sectæ Patronum Theodoricum perfugiunt; iste suos in Oriente premi fremens, scriptis continuò literis Cæsarem monebat:

Justini Aug. edicta contra Manichæos & Hæreticos.

(a) Baron. ad an. 523. Pagius ad an. 524. §. 2. AuthorMiscellæ l. 15.

bilibus literis signata, & cruces Æthiopicas Christianitatis indices. A tempore Augusti Primi Monarchæ Auxumitæ Romanos Imperatores colere cœperunt. Sub Constantino Magno amplexi sunt fidem Christianam; quæ probata latiùs vide apud Pagium in Critic. ad an. 522. §. 7. & 8. & ad an. 327.

(*21) Ex PHOTIO in Biblioth. C. III. deprehenditur, quòd Eleesbaan adhuc sub initium Justiniani Imperatoris Regiam habuerit dignitatem; nam ibidem legationem *Nonnosi* ad Æthiopes Justiniani jussu susceptam exhibens, addit Nonnosum missum esse *ad Auxumitarum Regem (cui genti Eleesbaas tunc præerat) itémque ad Homeritas.* Ergo Eleesbaan, si *Regulam suscepit monasticam* (ùt habent Acta S. Arethæ) illam nonnisi Justiniano regnante suscepit. Cæterùm obiter hìc adverte, Acta S. Arethæ multis etiam falsis narrationibus misceri, quodipsum Pagius ad an. 523. §. V. notat.

(*22) In Cod Just. L. I. tit. 5. l. 12: *Manichæi undique expelluntor, & capite puniuntor. Reliqui autem Hæretici (Hæreticus est omnis non orthodoxus) & Græci* (nempe Gentiles) *seu Pagani & Judæi & Samaritani probibentur Magistratum gerere.... Excipiuntur Gothi, qui fiunt FOEDERATI, & aliter, prout visum Imperatori fuerit, honorantur.* Fœderatorum nomine non hìc intelliguntur illi Gothi, qui Theodorico suberant in Italia: in hos enim Justinus non habebat potestatem; sed illi, qui à Malcho Rhetore in Excerptis Legationum p. 94. Fœderati Romanorum vocantur. Vide Pagium ad an. 523. §. IV.

Theodoricus Rex Italiæ pro Arianis agit apud Cæsarem.

nebat: ex quo in Italia Arianis juxta ac Catholicis præesset Princeps, minimè acerbum aut alienum se animum præstitisse iis, quos Religionis diversitas à suo ritu divideret: inter cives, cujuscunque fidei forent, nihil discriminis fuisse; quin Catholicorum incolumitati ita semper prospectum, ut majora à se, quàm quæ à Justino sperare potuissent, beneficia, favorésque acceperint. Videret proinde Cæsar, ne, dum infestas in Arianos pœnas statuit, se quoque ad pares vices Catholicis reddendas provocet; sibi præsentem vim, sibi arma esse, quibus Catholicos, eorúmque fidem ab Italia exigat. Justinus, cùm minis ejusmodi haudquaquam territus, cuncta Religioni posthabenda duceret; cœ-

A. 524.

ptis insistit, ratus illud esse maximum regnandi præsidium, si intestinâ Hæreticorum seditione depulsâ, tranquillitati Ecclesiæ quàm maximè consulatur. Parum aberat, quin res apertum bellum spectaret; sed quia minor Principum, major Tyrannorum timor esse solet, Theodoricus mitiore remedio causam evi-

(b) Theoph. ad an. 6. Justini p. 145. Marcellin. in Chronico.

cturus, Joanni Pontifici legationem imperat (b), quâ velut pacis mutuæ sequester apud Imperatorem functurus, conditiones fœderis geminas dictare jubebatur, nempe ut Arianis Justini lege ad Catholicorum partes compulsis, redire ad suos ritus fas sit: dein ut Ecclesias, quibus Cæsar eos in Oriente exuisset, volens, lubénsque redderet. Cohorruit ad negotii iniquitatem Sanctus Pontifex, ídque precabatur, ne, ùt olim malefaustus Propheta ad maledicendum Dei populo; ita ille ad probra ejusmodi inferenda Catholicis mitteretur (c). Reluctantem quantumvis Papam cum paucis Nobilibus in navim compingi, & Constantinopolim deportari Theodoricus facit (d): ægrum animi Pontificem per iter, & in aditu Regiæ urbis refecit multiplex hominum genus, quo summi, infimíque Ordines Præsidem Apostolicæ Sedis prosecuti sunt. A Principe Orientis tandem summâ veneratione exceptus, suæ legationis capita eo modo proposuit, ut, quæ probanda, quæ contemnenda, notaret simul. Alterum igitur (quòd animarum saluti obesset; siquidem fidem veram amplexi, redire ad vomitum adigerentur) omnium votis rejectum est: dein alterum eâ ratione concedebatur, ut redditis paucis ædificiis, omnes per Italiam Ecclesiæ ab Hæreticorum manibus, atque à ruina intactæ servaren-

Joannes Pontifex ad legationem obeundam cogitur.

(c) Anastas. Bibl. in V.

(d) Anon. apud Pag. ad an. 525. § 6.

A. 525.

Honorificè Pontifex Constantinopoli excipitur.



varentur (*23). Juſtinus ubi hoc volenti Pontifici indulſerat; in vicem mutuam expetiit, ut coronam, quam Joannes Patriarcha ſibi primò impoſuerat, nunc ſecundò à ſacris Joannis Papæ manibus excipere liceret. Hujus rei etſi exemplum in præterlapſa ætate haud extitiſſet; credebat tamen Cæſar, id apertius indicium multis fore, quòd in Romanum Imperium poteſtatem, eámque à Deo ordinatam teneret, ſi à Romano Pontifice, & Dei Vicario coronatus diceretur (e). Intereà Theodoricus, ſive Joannis diuturniorem abſentiam, ſive legationis fidem ſuſpectam haberet; fraudes, dolósque redeunti parabat (f): in quos caſſes, utprimùm in Italiam Papa venerat, incidit, intérque carceris vincula enectus, pretioſa religionis & virtutis victima acceſſit iis, qui paulò antè Tyranni ferociâ perierunt (g).

Joannes Pontifex coronat Juſtinum.

(e) Anaſtaſ. Bibl. in V. AuthorMiſcellæ l. 15.

(f) Author Chronici Vet.PP.apud Pag. ad an. 525. §. 8.

(g) Anon. Valeſ.

10. Poſtquam Juſtinus à vexandis Hæreticis (utì Legatis promiſſum fuerat) manum retrahebat; Divina dextera gravius flagellum intorſit iis urbibus, quæ hæreſi unquam perfugium aut locum dediſſent. Antiochenſium civitas ex eo, quòd Neſtorianorum latibulum olim fuiſſet: dein Eutychianorum ſchola, ac Theopaſchitarum ſedes, hoc tandem tempore calicem furoris uſque ad fæces haurire debuit. Nam Anno DXXVI. menſe Majo tam inſolens terræ motus urbem concuſſit, ut non moveri, ſed everti omnia crederentur: hinc corruentibus ædificiis, illinc dehiſcentibus templis publicis, alibi trementibus vaſtis turribus, cùm

A. 526.

Antiochia motu terræ concutitur, & incendio vaſtatur.

(*23) BARONIUS ad an. 526. N. 2. adducit Epiſtolam Joannis Pontificis *ad omnes Italiæ Epiſcopos* ſcriptam, in qua aſſerit, quòd, cùm Conſtantinopoli verſaretur, Arianorum conſecrâſſet Eccleſias, ſimúlque monet, ut idem in Italia præſtent. PAGIUS ad an. 526. in Critic. §. III. ait, hanc Epiſtolam ab Iſidoro Mercatore eſſe ſuppoſitam; proptereà quòd Veteres contrarium teſtentur, & AUCTOR CHRONICI VETERUM PP. quidam ita ſcribit: *Juſtinus autem Auguſtus omnem conceſſit petitionem; & propter ſanguinem Romanorum reddidit Hæreticis Eccleſias, ſecundùm voluntatem Theodorici Regis Hæretici; ne Chriſtiani, maximè Sacerdotes, ad gladium mitterentur.* Similia habentur in MISCELLA lib. 15. ad an VI. Juſtini. Et licèt Gregorius Turonenſis rerum extra Galliam geſtarum parum gnarus, ex rumore quodam ſcripſerit L. de mirac. & gloria Martyrum c. 40, *Joannem*, cùm ad Epiſcopatum veniſſet, Eccleſias HH. in Catholicas dedicâſſe; non tamen dicit, id factum eſſe poſt legationem ſuſceptam Conſtantinopoli: demum hæc Epiſtola exarata à Joanne dicitur *III. Idus Junii*, ad quem diem Pontifex iſte non vixit, *mortuus 18. Maji.* Additur etiam, ſcriptam eſſe Epiſtolam *Maximo & Olybrio Coſſ.*, qui tamen duobus diverſis annis Conſulatum geſſêre.

cùm jam pectora hominum ancipiti agitationi magis intremiscerent (h); maximum adhuc malum accessit: luxatis nempe trabium, tignorúmque vinculis ligna decidentia subjecto ardenti foco miscebantur; unde validissimum incendium per sex dies ad totius civitatis ruinam flagravit: nam dum venti per cava terræ citati ima ædium rumpebant; suprema earundem fastigia flamma vorax depascebatur, vix paucis ab exitio domibus relictis. Sub idem tempus seu errorum, seu vitiorum suorum pœnas exsolverunt Edessa & Anazarbus Ciliciæ minoris urbs præcipua (i); quæ tempestatis hujus vi in acervum lapidum redactæ sunt. Justinus ad tot clades depellendas commutatâ cum sacco purpurâ, aspersúsque cinere, Deo vindici supplex fuit: dein, ut afflictos paterno subsidio erigeret, Edessæ & Anazarbi ruinas restaurans, utrique urbi nomen *Justinopolis* impertitus est. His meritis, quæ Imperator tum Religionis, tum Reipublicæ causâ egerat, *Dexter* & *Strenuus* Cæsar, simúlque *Prudens rectæ fidei Zelotes* apud suos audiit (k). Quibus moribus, aut quâ integritate extiterit, vel illa tessera familiaris argumento sit, quâ sæpiùs dicebat: *Quod pudet, hoc pigeat:* digna vox, quam posteri non æquè æri ac animis inscribant (l).

(h) Marcell. in Chronico. Theophan. ad an. Inc. D. 518. & 519. sive ad a. 526. p. 147. Evagr. l. 4. c. 5.

(i) Evagr. l. 4. c. 8.

Aliarum urbium ruina & restauratio.

(k) Theodor. L.

(l) Reusner. in Sym. Imp.

A. 527.

II. Qui Justino annus erat ætatis septuagesimus septimus, idem eidem nonus & postremus Regni fuit. Magnates, ubi deficientis Principis vires, & rerum, quæ post fata Cæsarum accidunt, funestos exitus perpenderent; rogabant Imperatorem, ne consortem Regni adsciscere gravaretur, qui curas cum illo partitus, cœptum à Justino gloriæ cursum prosequeretur. Neminem ad hoc videri digniorem, atque Justinianum Cæsaris ex sorore nepotem, cujus fidem Pontifices, cujus fortitudinem exercitus celebrâsset: & hanc spem altè omnibus insidere, nequaquam eum, qui cum avunculo sanguinem eundem habeat, diverso erga Rempublicam animo esse posse. Justinus seu porrò precibus urgeri cuperet, seu quod morosum senium sit, suarúmque rerum tenax, prensans purpuram suadentibus reponebat: optandum vobis est, ne Juvenis hanc purpuram post me induat (m). Instante subinde Senatu, & non obscuris comminationibus

Justinus Justinianum successorem creat.

(m) Zonar. T. III. p. 50.

tionibus urgente (n), Justiniano primùm Nobilissimi (*24), dein etiam Augusti nomen (*25) Justinus concessit: quatuor mensium intervallo hæc potestatis communio inter duos viguit (o), tum idem Justinus ex vulnere, quod ex ictu sagittæ in bello vel venatione acceperat, indies magìs recrudescente (p), post annos novem & dies viginti tres in Imperio gestos, Kalendis Augusti extinctus est (q).

(n) Procop. in H.arc. c. 9.

(o) Theophan. p. 148.

Mors Justini.

(p) Auctor Chronici Alexandrini

(q) Pag. ad an. 527. §. 3.

12. Annum quadragesimum quintum JUSTINIANUS agebat; dum Justino mortuo, solus regnare cœpit. Hoc in fastigio constitutus, tria potissimùm animo volvebat (r), quânam ratione Ecclesia ad majorem concordiam: res civilis ad meliorem juris ordinem redigi; & quibus demum mediis Provinciæ Occidentis ab Imperio divulsæ sub unum Caput revocari valeant (*26). Anteà quàm vastissimam, quam conceperat, rerum molem construeret, duo fundamenta Temperantiæ & Pietatis substravit; ab altera vires ingenio, ab altera cæleste præsidium viribus accessurum credebat. Itaque somnum nocturnis vigiliis, ciborum appetentiam continuis ferè jejuniis admoderabatur: & si quando fames, sitísque urgeret Principem; hanc agrestibus herbis, illam solâ frigidâ aquâ solabatur. Frugalitate ejusmodi ubi se

(r) Baron. ad an. 527. N. 42

Justiniani solùm Regnantis exordia.

Ejus sobrietas & pietas.

(*24) ZONARAS Tom. III. Annal. p. 50: *Illi verò* (Principes & Magistratus) *parvo tempore interjecto, NOBILISSIMI titulum Justiniano decreverunt, & ab Imperatore impetrârunt, ut id decretum suis literis comprobaret.* Similia habet MARCELLINUS *in Chronico.* BARONIUS inde arguit, Justinianum quoque Cæsarem fuisse nominatum; sed contradicit Pagius ad an. 527. § IV., eoquòd Constantinus Magnus Nobilissimi dignitatem à Cæsarea distinxerit, utì videre est adud *Zosimum* l. 2, ubi Constantium fratrem, & Annabalianum ex fratre nepotem Nobilissimos creâsse dicitur Constantinus, quin Cæsarum dignitatem illis dederit. Atque inde *Marcellinus Comes* ait: *Justinus Imperator Justinianum ex sorore nepotem, jamdudum à se nobilissimum designatum, Regni quoque sui successorem creavit.* Vide DU CANGE in Glossario.

(*25) EVAGR. l. 4. c. 9. ait, circa Pascha Augusti dignitatem obtigisse Justiniano: *Qui Imperator declaratus fuit primo die Mensis Xanthici*, id est, *Kalendis Aprilis, anno 575. post nomen Antiochiæ impositum;* cùm autem Pascha secundùm PAGIUM hoc anno inciderit in diem quartam Aprilis; ideò die primâ ejusdem, ac feriâ quintâ in Cœna Domini Justinianus Augustus nuncupatus est; à qua die (utì notat BARONIUS) idem Imperator posteà annos Imperii in suis Rescriptis deduxit.

(*26) JUSTINIANUS in Novella XXX. in fine: *Sed & bonam spem habemus (quod Deus nobis annuat) ut & cæteras Gentes, quas socordiâ suâ Romani amiserunt, cùm utriusque Oceani terminos tenerent, iterum ditioni nostræ adjungamus: quas nos divino*

ſe pluribus negotiis tractandis parem præſtitiſſet (*27); nihil virtutis prætermiſit, quâ Cælitum etiam opem ſibi conciliaret (s). Utprimùm cum Theodora Conjuge Auguſtorum dignitatem adeptus fuerat, eâ, quæ privatus olim bona poſſederat, SS. Apoſtolorum, & SS. Sergii & Bachi honoribus ſacravit, maximum divitiarum fructum eſſe ratus, ſi opes Regiæ in Martyrum, ac Reliquiarum cultum, in Eccleſiarum, ac Xenodochiorum ædificia, quàm in quemvis luxum expendantur (t). Poſtquam piis muneribus Primitias Imperii Deo, Superíſque dicaverat; hoſtes Catholicæ fidei comprimere aggreſſus eſt. Eo conſilio ſub ſui Principatûs initium, Edictum promulgabat, quo *traditioni & confeſſioni ſanctæ Dei & Catholicæ Eccleſiæ (quæ nullo modo innovationem recipit) ſe adhærere* (*28) teſtatus, Hæreticorum (Neſtorii præcipuè & Eutychis) inſana deliria execrabatur, propoſitis etiam pœnis, qui blaſphemias ſuas porrò venditare, aut etiam heterodoxè ſentire præſumerent (*29).

(s) Baron. N. 44.

(t) Cedren. in Comp. pag. 147.

Ejus Orthodoxia.

13. Exem-

vino freti auxilio ad meliorem ſtatum redigere properamus: neque quicquam detrectamus eorum, quæ vel ad extremam pertingant difficultatem, vigiliis ſimul & inediis, cæteriſque laboribus jugiter pro ſubditis noſtris ultra, quam naturæ modus patitur, utentes &c.

(*27) PROCOPIUS de ædificiis Juſtiniani l. 1. c. 7. p. 19: *Toto eo tempore, quod Paſchali feſto ſuperius, appellatur jejunium, victum colere ſolitus aſperum, nec ſolum à Principe, ſed ab homine etiam rerum civilium utcunque participe abhorrentem. Biduum enim traducebat impaſtus, quamvis e lecto pro more ſuo corpus moliretur primo diluculo, invigilans Reipublicæ, in cujus negotiis & re & voce tractandis nocturnum æquè ut matutinum ac meridianum tempus ponere conſueverat. Cum enim multâ jam nocte cubitum iviſſet, confeſtim ſurgebat, quaſi ſtrato offenderetur. Ad menſam vino, pane, cæteriſque abſtinebat edulibus, nec niſi oleribus, iiſque agreſtibus, ſale & aceto diu maceratis veſcebatur: ejusdem potus mera aqua. Ac ne his quidem ſeſe explebat; ſed cùm cibum caperet, ſua illi fercula leviter delibata priùs remittebat, quàm neceſſitati ſatisfeciſſet.*

(*28) JUSTINIANUS in Cod. L. I. Tit. I. de Summa Trinitate & fide Catholica L. 5: *Cùm recta atque irreprehenſibilis fides, quam prædicat ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, nullo modo innovationem recipiat: nos ſequentes ſanctorum Apoſtolorum, & eorum, qui poſt eos in ſanctis Dei Eccleſiis converſati ſunt, dogmata, juſtum fore exiſtimavimus, cunctis manifeſtum facere, qualiter de fide, quæ in nobis eſt, ſentiamus, inſiſtentes & adhærentes TRADITIONI & CONFESSIONI SANCTÆ DEI ECCLESIÆ CATHOLICÆ, credentes enim in Patrem* &c.

(*29) IDEM l. 1: *Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quámque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicámque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritûs S. unam Deitatem*

13. Exemplum Religiosi Cæsaris non tantùm eos, qui in Oriente erroribus rapiebantur; sed & illos, qui in barbaris terris Gentilium cultu imbuti fuerunt, adduxit ad fidem; nam Gretas Herulorum, Gordas Hunnorum Reges hoc tempore Constantinopolim profecti, levante Imperatore salutis fontem suscepêre (u): nec minùs Tzani (Armeniæ populi) ejuratâ idolomaniâ translati sunt ejusdem operâ in Ecclesiæ sinum. Conversionis factæ ne quem pœnitudo tangeret; omnes Cæsar vel amicitiâ, vel publico fœdere aut stipendiis devinxit, dubites, an majore cum Ecclesiæ aut Imperii emolumento. Quàm verò liberalem se præstabat Justinianus illis, qui facilitate quâdam, & ad modum evulgatæ legis in Catholicorum castra transibant; ita severo ingenio utebatur, cùm in errore obstinari quosdam, aut contemni sanctionem suam adverteret. Ad pertinaciam cunctorum, quam pœnarum metus non fregerat, nunc pœnis ipsis mitigandam, Justinianus Hæreticis omnes Ecclesias abstulit (x): & bonis eorum publicatis, aut ærario civili illatis, solos Christianos in recta fide probatos, aliis exclusis, Rempublicam gerere posse decrevit (* 30). Fulmen tam validè impressum adeò quosdam

Gentes exteras ad fidem traducit.

(u) Cedren. in Comp. Hist. p. 367. Theophan. p. 148. 149.

Justinianus Hæreticos persequitur.

Theophan. p. 149.

(x) Cedren. p. 368.

A. 528.

tatem sub pari Majestate, & sub pia Trinitate credamus. Hanc legem sequentes Christianorum CATHOLICORUM *nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes, vesanósque judicamus, hæretici dogmatis infamiam sustinere....* L. 2: *Nullus Hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio.... Qui verò non iisdem inserviunt, desinant affectatis dolis alienum veræ Religionis nomen assumere, & suis apertis criminibus denotentur, atque ab omnium submoti Ecclesiarum limine penitùs arceantur* &c.

(* 30) PROCOPIUS in Hist. arcana c. 11. conatus ab Justiniano contra HH. susceptos malè dijudicat: *Sunt* (inquit) *in universo Romano Imperio complures Christianorum sectæ minimè probatæ, quas Hæreses vulgò dicunt. Montanistarum, Sabbatianorum, aliorúmque complurium, quæ hominum mentes transversas agunt: hos omnes priori sententiâ decedere jussit; protervis tum alia minatus, tum & ne liberis, & propinquis bona relinquerent, interdicens. In horum, quos vocant, Hæreticorum fanis, ac iis præsertim, in quibus Arii secta celebraretur, opes recondebantur, planè supra quam credibile cuiquam sit. Neque enim Senatus universus, aut alia Romani præcipua pars Imperii de divitiis cum his delubris conferri potest. Nam in iis omnibus erat sacra supellex ex auro, argentóque, pretiosis lapidibus omni opulentiâ & copiâ major; domus & pagi refertissimæ; possessiones ubique Gentium, etsi quid aliud est mortalibus opum genus..... Horum ergo templorum publicata bona prædæ fuerunt Justiniano Aug. Exinde vitæ usus quamplurimis præclusus. Huc atque illuc patentes alii obvium quemquam patriam cogebant mutare sententiam. Id homines agrestes impium rati, suadentibus hæc se opponere deliberant: sed*

quosdam in Phrygia exterruit, ut ne citiùs sectæ, quàm sibi vis inferretur, se vivos unà cum suis Ecclesiis exurerent (y). Qui suppliciis hâc ratione singulos fidei hostes domuerat, is subinde Samaritanos Christianis maximè infestos aperto bello conterendos censuit. Regnantibus Zenone & Anastasio, superstitiosa hæc gens Christi cultores infestare inde connitebatur; quòd montem Garizim ab iis sibi vindicatum iret: militari manu repressi Samaritani quievêre ad tempus, dum Justiniani sub Imperio Anno DXXIX. pleno impetu in cædem & incendia prorumpentes, ejuratâ Cæsaris fide Julianum è suo grege Principem salutarent (z). Justinianus non tam suî, quàm Dei injuriam ulturus, Theodotum & Joannem Duces cum exercitu mittit, qui nefariorum molitiones cohibeant; certamen inde initum est, quod quia odio æquè ac viribus gerebatur, plurimi hostium cum factitio Rege suo Juliano occubuerunt: nec ulli cædem evadere tunc datum est; nisi qui ad tempus Christiana sacra mentitus, perfidiam dolo occultaret (*31).

(y) Procop. in H.arc. c 11

A. 529.

(z) Procop. in H.arc. c. 11.

Bellum Justiniani contra Samaritanos.

A. 530.

14. Submotis ab Ecclesiæ Pomærio externis hostibus, altera Justiniani cura fuit, ut, quæ intùs Ecclesiam deformarent vitia, arctiore disciplinâ constringeret. Episcoporum nonnulli seu levitatis studio ducti, seu negotiorum causâ sæpiùs in urbem Regiam provolabant: inde cùm non exiguus gregis neglectus, ac ingens Ecclesiæ periculum crearetur, Imperator lege datâ præcepit, ne cui Præsulum extra Parœciæ fines efferre pedem liceat; quin, si quid causæ sit, id per submissos Clericos apud Cæsarem

Variæ ordinationes ac leges Justiniani circa Oeconomiam Ecclesiasticam.

sed à seditionum popularibus passim mactati, alii superstitiosâ, & insanâ religione sibi manus intulerunt: Pars occupatâ fugâ, patrio solo sese populatim ejecit: qui erant in Phrygia Montani Sectatores, templis, in quæ se coegerant, occlusis, atque succensis, unà cum iis temerè conflagrârunt. Atque ex hoc tempore ubique in Romano Imperio fuga, cædésque.

(*31) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI ad an. 530: *Hoc anno Samaritanis tumultuantibus, sibique Regem & Cæsarem creantibus, Irenæus Pentadias Dux exercitûs missus est, qui multos interfecit Quidam ex illis sibi metuentes, urgente necessitate se ad Christianam Religionem contulerunt, qui recepti sacro fonte tincti sunt, hodiéque utramque Religionem consectantur: in speciem quidem propter severitatem Præsidum, se subdole & perfide Christianos mentiuntur; nacti verò Magistratus avaros, & in Religione remissos, Samaritæ sunt, pessiméque oderunt Christianos, itáque vivunt, atque si Christum nescirent, & Provinciarum Procuratores pecuniâ corrumpunt, ut Samaritis faveant.*

Cæſarem conficiant (a). Præterea ut probi Antiſtites populo præficerentur; aliâ lege ſtatuit: à civibus tres rectæ fidei & honeſtæ vitæ viros, quíque aliorum bonorum & virtutum teſtimonium haberent, proponi debere, ex quibus demum idoneus ad Epiſcopatum promoveatur (b). Et quoniam penes Epiſcopos de patrimonio Eccleſiarum decernendi facultas erat; ad omnem quæſtûs occaſionem reſcindendam, eos ordinari nolebat, qui largitione munus ejuſmodi venarentur, aut quibus liberi forent aut nepotes; iis verò, qui jam ad hanc dignitatem eſſent ſubvecti, ne Eccleſiarum bona in ſuos uſus converterent, de illis tantùm, quæ ante Epiſcopatum poſſediſſent, bonis teſtandi, aut donandi copiam fecit: & ſiquidem diminutionem rerum ab Epiſcopis factam notarent Oeconomi, hanc ab hæredibus reſtitui placuit (c). Demum de officio divino Imperator ita ſanxit, " ut omnes Clerici in Eccleſiis conſtituti per ſeipſos pſallant nocturna, matutina & veſpertina; nam qui conſtituerunt vel fundârunt Eccleſias pro ſua ſalute, & communis Reipublicæ, reliquerunt illis ſubſtantias, ut per eas debeant ſacræ liturgiæ fieri, & ut in illis à miniſtrantibus piis Clericis Deus colatur. "

(a) L. 41. C. de Epiſc. & Cler.

(b) L. 42. C. de Epiſc. & Cler.

(c) ibid. apud Baron. ad an. 523. N. 14. & 15.

15. Inter vitia, quæ ab Eccleſia longiſſimè amovere Princeps conabatur, vitium carnis erat: ad hanc Orthodoxorum labem exterminandam lupanaria Conſtantinopoli ſuſtulit (d): dein pœnitentibus mulierculis intra monaſterium compactis (e), pœnam quoque capitis dictavit iis, qui virginem rapere præſumerent (f). Et quoniam hæc impudicitiæ macula, cùm Præſulum vitam afficit, plurimum habet offenſionis; in gemino Antiſtite ſuæ vindictæ exemplum Cæſar edidit: nempe Eſaias & Alexander, Rhodi alter, alter Dioſpolis in Thracia Epiſcopus, infames agitâſſe libidines notabantur. Quod ubi Princeps compertum habuit, dignitate motos gravi ſubjecit ſupplicio: atque ut ſpectantium animis altiùs ſceleris timor inſideret; Rei anteà per urbem ignominioſè traducebantur, vociferante Præcone: Epiſcopi venerandam dignitatem ne turpificatote (g)! His edictis Juſtinianus per reliquum Regni tempus alias de Eccleſiæ ſtatu leges addidit; quas ſi ex arbitrio, hortatúque Epiphanii Patriarchæ Conſtantinopolitani tulit, aut velut Canonum ab Zenone ac Anaſtaſio neglectorum

(d) Novell 14. & auth. de lenon. col. 2.

(e) Procop. de ædif. Juſtinian. orat. 1.

(f) L. 1. C. de rapt. virg.

Juſtinianus eliminat vitia.

(g) Theophanes in Chronogr. p. 151. Cedren. in Hiſt. Comp. p. 368.

Leges Justiniani de rebus Ecclesiasticis.

(h) Vide Baronium ad an. 528. N. 5. 6. 7. 8. Pagi. ad h. a. §. 5. 6. 7.

(†) REFLEXIO II.

rum accuratior Custos strenuè executus est; immunis erit à convitio eorum, qui Justinianum civilis fori limites perperam transiliisse ferunt (h): sin verò suo solius ingenio (utì multorum opinio est) Sacerdotum, sacrásque causas ad profanum tribunal pertraxerit; meritò arguendus est, propterea quòd præter jus, fásque altiorem potestatem usurpando, humana visus sit divinis miscuisse (†).

Collectio Juris à Justiniano facta.

(i) Novella Justiniani 86.

(k) Vide dicta in Reflex. 3. ad c. 1. L. I. in T. I. p. 177

(l) Vid. Refl. 3. ad c. 1. L. V. in T. II. p. 674.

16. Quàm anceps plurium sententia est de iis, quæ Justinianus circa Ecclesiam sancienda putavit; tam certo omnes judicio celebrant illud, quòd Res Civilis ab hoc Cæsare meliorem justitiæ, æquitatísque modum acceperit. Ad damnum ac fastidium non paucorum erat, à causarum arbitris vel negligentiùs trahi moras, aut suspectos sæpè Judices in controversiis suâ magìs voluntate, quàm jure uti. His ùt contrairet Imperator; Præsidum forensium incuriam ab Episcopis emendari eum in modum jubet, ut Judicem primò de officio, tum Cæsarem de prorogata lite moneant; ac ubi injuriæ suspicio sit, causam ipsi Antistites ex æquo, breviterque definiant (i). Justinianus postquam sapienter prospexerat, ut suum cuique jus tribueretur; Jurisprudentibus etiam faciliorem judicandi ac decernendi usum suppeditavit. Tenebris admodùm obscuris eos, qui in foro agunt, indigesta legum moles involvere solet; lucem proinde primam Jurisconsultis attulêre Gregorius & Hermogenes, quorum operâ Constitutiones Gentilium Imperatorum ab Hadriano ad Diocletiani ætatem editæ in duo volumina digestæ sunt (k): integro fermè pòst sæculo Theodosius Christianorum Cæsarum Decreta in ordinem redigi curavit (l); Justinianus tandem exactis inde nonaginta annis, è tribus illis Codicibus suum concinnavit, in quo & Novellæ post Theodosianum Codicem promulgatæ, & reliqua, quæ ad causas forenses spectant, meliore methodo com-
A. 528. prehenduntur (*32). Initium operi datum est anno DXXVIII. Idibus

(*32) ALEMANNUS in notis ad Histor. arcan. Procopii: *Constitutiones ab eo sapientissimè conditæ, vel veterum Imperatorum leges uno in Codice ordine distributa, vel antiquorum Sapientûm responsa ex immensa congerie summâ studiorum facilitate ac brevitate digesta; vel hæc eadem ad Institutionis modum enucleata, eam JUSTINIANO gloriam pepererunt, ut undecim jam & ampliùs hominum ætates eandem quasi per manus*

Idibus Februarii, quo tempore Decemviros delegit, & curâ iis congerendarum legum impositâ, simul pro sua in omnibus Facultatibus eruditione (m) modum voluminis, partésque præscripsit. Itaque in libros duodecim Constitutiones Cæsarum referebantur, qui *Codicis Justinianei* nomen obtinuêre. Dein quinquaginta libris *digerebantur* præcipua Jurisconsultorum placita: demum Elementa juris, sive *Institutiones* diversis tamen vicibus prodierunt in lucem (†). Decemvirorum seu nimia festinatio, seu Triboniani Gentilis, qui laboris maxima pars fuit, alienus à Religione animus sinceræ legum expositioni aliquid detraxerit (n); nævis tamen ejusmodi lectione repetitâ, aut Novellarum, ac Authenticarum adjectione correctis, volumen istud multis ætatibus adeò utile visum est, ut Academiæ inde legum normam (o), Historici facem, notionémque temporum acceperint (p). Qui enim Codicem tanti Cæsaris evolverit, citra negotium inveniet, quæ illâ ætate extiterit ratio Provinciarum, qui hostes, qui amici Imperii, quæ Magistratuum aut Dignitatum norma & series, quæ officia Domûs Augustæ, quæ urbium præcipua Corpora & Collegia, qui denique Operum publicorum ornatus (†).

Partes Corporis Juris Justinianei.

(m) Pagius ad an. 528. §. 3.4.

A. 529. 530.

(†) Reflexio III.

(n) Pagius ad an. 529. §. 18.

Utilitas ejusdem.

(o) Aleman. in notis ad Hist. Procop.

(p) Pagius ad an. 529. §. 16.

(†) Reflexio IV.

17. Quemadmodum verò Justinianus Imperatoris Majestatem legibus armatam; ita etiam armis ac triumphis decoratam esse voluit (q). Gloriæ hujus messem ex agris Occidentis sperare Imperator poterat, nisi Persarum infesti motus conanti moram injecissent. Regnante Justino dimicationum harum quædam sunt facta initia, & sub Imperio Justiniani in apertius bellum desiêre (r). Querebantur cum Cabade Rege Persarum Primores, Daram oppidum Romanum, contrà ac pacis leges olim initæ ferrent, in finibus Persidis exstructum, Mindonem autem adhuc-

(q) Justin. in Procem. Instit. sub init.

Bellum Justiniani contra Persas.

(r) Procop. de B. Pers. l. 1. p. 34. & 35.

nus acceperint, foverint, & magis ac magis ampliaverint; nec sanè facilius Justiniano quicquam fuit, quàm vel hanc solùm ob rem, gloriæ ac nominis laude reliquos omnes Romanos Principes infra se ponere; cùm illi pro suorum quisque facinorum præstantia, in Romana Republica, velut in theatro, alios alio vel humiliore, vel editiore loco titulos, noménque sibi statuisse videantur; ipse verò, qui Romanis Legibus suum præfixit, eminentissimum locum, atque æternum invenerit. Quanquam in confesso sit apud omnes, neque ullâ excusatione defendi queat, ejus ad Religionis dogmata definiendi, Ecclesiasticásque sanciendas leges effusa licentia.

adhucdum recentiùs munimentis firmari. Qui gliſcentibus turbis modum poneret, Beliſarius militiæ per Orientem Magiſter delectus eſt: is ne legationis apud Cabadem officio proficeret, Dux Perſarum Mirrhanes obſtitit: commemorabat iſte fractam toties à Romanis fidem; nec unquam hos induciis alio conſilio dediſſe locum, quàm ut redintegratis viribus, quanto in Perſas ferrentur odio, ſeriùs acerbiúſque commonſtrarent (s). Beliſarius ubi vidit, Perſarum Magnates toto pectore in bellum proruere; adducto Niſibin uſque exercitu, opperiri hoſtem decernit: impar tamen viribus cùm eſſet, vallo munit caſtra; dein ſuos, quorum millia quindecim contra quadraginta Perſarum millia pugnam inibant, monebat, eos propè campum Arbelæ conſiſtere, ubi Alexander Magnus non multitudine, ſed ingenio, ac animi firmitate viciſſet. Ex adverſo Mirrhanes ſuos vehementer cohortatus, id maximè inculcabat; foſſam caſtris objectam, precéſque pro pace ſupplices argumentum eſſe imbecillitatis, quâ contemptâ, fortiùs invaderent hoſtem (t). Hæc præfatus quaſi dato pugnæ ſigno, telorum ſpargere nubem imperat; magna inde Romanorum clades, major Perſarum fuit; nam vento reflante, ac ſagittas in Perſas retrò agente, vis maxima in Mirrhanis copias incubuit. Exhauſtis pharetris, ad haſtas deventum eſt, quo certamine cùm Romanorum cornu ſiniſtrum aliquantùm inclinaretur; Pharas Dux Romanus, qui in colle cum Herulis ad ardorem uſque pugnæ otioſus conſtiterat, facto à tergo Perſarum impetu, averſos telis petitos disjicit. Mirrhanes quantumcunque certamen novis copiis redintegraret; Beliſarii tamen eques ordines hoſtium obliquo aſſultu ita turbaverat, ut cæſis quinque millibus, cæteri in fugam effunderentur (u). Eâdem felicitate ſub idem tempus Sittas Beliſarii Sodalis in Perſarmenia (x) quatiebat Barbaros. Romani nihilominùs ſive cædendo feſſi, ſive veriti fuerint, ne fortuna tandem ad multitudinem, quâ unâ Perſæ ſuperabant, declinaret; Rufinum pacis Oratorem ad Cabadem mittunt: Legationis is argumentum in eo poſuerat, quòd, cùm publici boni ſtudio, & diſcordiæ terminandæ causâ venerit, Regem omninò deceat, ut pace potiùs bellum finiat, quàm bello utrinque funeſto pacem interturbet.

(s) Idem p. 39.

(t) Procop. B.P.l.1.c.14. p. 39. 40.

A. 530.

Conflictus Romanos inter & Perſas.

(u) Idem p. 42.

(x) Procop. B.P.l.1 c.15. p. 43.

bet (y). Cabades, qui à clade poſtrema ictus, Mirrhanem à militiæ præfectura jam dimoverat (*33), novis conſiliis ab Alamundaro (*34) Saracenorum Principe acceptis (a), nihil Rufino Legato, nihil Romanis dandum cenſuit (*35).

(y) Idem c. 16. p. 46.
(a) Idem p. 50.

18. Anno ſequente, ſive DXXXI. in Comagenam, quæ Euphrateſia dicitur, Perſæ per ignotas vias irrumpunt, ſpolia pinguiora, quibus inanes è Meſopotamia (*36) receſſerant, ex An-

A. 531. *Perſarum irruptio in Comagenem.*

H 3

(*33) PROCOPIUS B. P. L. I. c. 17. p. 49: *Verùm cùm acie victus Mirrhanes amiſsâ copiarum parte maximâ in Perſidem rediiſſet, primùm quidem pœnâ acerbiſſimâ in eum Cabades animadvertit; ipſum enim comæ redimiculo privavit, auro, unionibúsque contexto, quod apud Perſas honoris eſt inſigne eximii, ſecundùm dignitatem Regis, à quo illud tribuitur. Nulli enim, niſi quem dignatus Rex fuerit, nec annulum aureum, nec zonam, nec fibulam, nec tale quidquam geſtare fas eſt.*

(*34) PROCOPIUS de B. P. L. I. c. 17. §. 50. de Alamundaro ita ſcribit: *Per annos is quinquaginta rem peſſum Romanam dedit, & in genua (ùt ajunt) coegit ſuccidere. Etenim ab Ægypti finibus excurſiones inceptans, totum illum continenter tractum uſque in Meſopotamiam pervolabat prædabundus, agebat, ferebátque omnia, ædificia quæque obvia delebat igni, Myriadas multas abripiebat hominum; quorum maximam partem necabat ex tempore, reliquos magnâ pecuniâ commutabat. Nec offendebat venientem ex adverſo quemquam; ſed tam repentè,... ut plerumque cum præda jam ſe recepiſſet, quando Duces & milites primo rei acceptæ nuncio, contrà tendere inſtituebant.,... In ſumma, moleſtiorem illo hoſtem paſſi nullum Romani ſunt; idque eò fiebat, quia Regio cum Imperio unus omnibus præerat Saracenis, qui Regni Perſici finibus continentur.*

(*35) PROCOPIUS de Bello Perſico L. I. c. 16. p. 46. Cabadis ad Rufinum Legatum orationem ita refert: *Ego verò ad regerendas querelas nullam adhibeo animi contentionem, quippe qui ſciam omnium optimè, vos Romanos, quidquid turbarum fuit, maximè excitâſſe. Nos portas Caſpias in Romanorum æquè ac Perſarum commodum occupavimus; exactis inde Barbaris, poſteaquam (ùt ipſe ſcis) Anaſtaſius Rom. Imperator eas emere, cùm poſſet, noluit, ne in ſtipendium aſſidui illic militis magnos ſumptus rei causâ communis facere cogeretur. Nos ibi præſidium impoſuimus numeroſiſſimum: nos ad hanc diem aluimus: nos vobis de re veſtra parum ſollicitis id beneficium præſtitimus, ut ſaltem à Barbaris, qui illic degunt, intactam hactenus regionem incolueritis. Vos autem, quaſi levius eſſet illud, Daram urbem magnam ad oppugnandos Perſas exſtruxiſtis; contra quam diſertè cautum eſt inſtrumento pacis ab Anatolio cum illis compoſitæ. Atque ex eo tempore neceſſe fuit, rem Perſicam non ſolùm præliis, verùm etiam ſumptu minui in duos exercitus facto; quorum alterum objecimus Maſſagetis, ne in utroque Regno raperent impunè, ac ferrent omnia; alterum vobis, quo excurſiones veſtras cohiberemus. Ac de his non ita pridem expoſtulantes, cùm à vobis peteremus alterutrum; aut ut miles utrinque mitteretur ad Portas Caſpias, aut ut Dara dirueretur; vos dicta reſpuentes, conſilium perdendi Perſas majori firmari injuriâ voluiſtis. Enimverò nondum animo excidit Caſtelli Mindonenſis ædificatio. At nunc Romani pacem accipere poſſunt, vel bellum eligere: illam quidem, ſi modò præſtent, quod æquum eſt: hoc verò, ſi ſecus agant. Nam arma Perſæ non priùs ponent, quàm cum ipſis (ùt par eſt) Romani coierint ad Portarum Caſpiarum cuſtodiam, vel urbem Daram everterint.*

(*36) IDEM p. 49: „ Porrò plagam, quæ à Samoſatis trans Euphratem eſt, vocârunt Veteres Comagenem: nunc à fluvio ductâ appellatione dicitur Euphrateſia.
„ Ea

(z) Procop. c. 18. p. 52.

(a) Idem p. 53.

(b) Idem p. 54.

Pugna Romanorum cum Persis.

Antiochena urbe collecturi (z). Belisarius utprimùm de molitione hostili cognovit, communitis præsidio Mesopotamiæ Castellis, Chalcidem usque Persis cum viginti millibus occurrit. Magna illinc luctatio Belisario non cum hoste, sed cum suo milite fuit (a); hoc enim certamen ardentiùs anhelante, Ducis operosum studium erat, ut intempestivum militis æstum cohiberet, ratus id loco victoriæ insignis fore; siquidem hostis viso duntaxat victore exercitu, vacuus capesseret fugam: instantibus reponebat, non committendum, ut fessus itinere exercitus, nec numero par, fugientes jam penè Persas in conflictum impellat; desperationem rerum timidis etiam addere vires; & superatos Romanos id convitii relaturos, quòd victoriâ è manibus temerè projectâ, Provincias hostium direptioni permisissent. Libido pugnandi cùm ne ita quidem frigesceret; Belisarius quantumvis invitus dirigit aciem (b). Azarethas utì rem propiùs geri vidit, tumultuariè (ùt arcta temporis ferebat ratio) suos cohortatus, jacto sagittarum nimbo Romanos aggreditur: his majore damno dato, quàm accepto tela reddentibus in multas horas protracta pugna

„ Ea verò, quam Tigris & Euphrates includunt, Mesopotamia est nominata à suo illo
„ (ùt consentaneum erat) inter amnes positu. Quamquam ejus parti præter commune
„ istud vocabulum, alia quædam tributa sunt. Nonnulli enim tractum illum, qui us-
„ que Amidam pertinet, Armeniam appellant. Edessa item cum vicinitate Osroënes
„ nomen habet ab Osroë, qui ibi quondam regnavit; nimirum quando illa civitas fœ-
„ dere Persis conjuncta erat. Ex quo autem Persæ Nisibin, aliáque Mesopotamiæ lo-
„ ca Romanis eripuerunt, quoties in eos expeditionem suscipiebant, regione, quam
„ Euphrates excludit, per contemptum relictâ, quoniam siti longè latéque deserta est,
„ ex illa Mesopotamiæ parte erumpebant, in qua, utpote & suâ & vicinâ hostili Pro-
„ vinciæ, quæ est incolis frequens, facilè exercitum cogunt. ▪ Alamundarus verò hoc tempore Cabadi suasit, non in Mesopotamia, ùt antè; sed in Comagene contra Romanos movendum esse bellum ex sequentibus rationibus: *Mesopotamiæ quidem oppida*, inquiebat, *& Osroënes, quia limites tuos fere contingunt, & omnium munitissima, & præsidiis jam tantis instructa sunt, quanta nunquam habuerunt; itaque si illuc intendimus, nos prælia manent periculosa. At in regione, quæ est ultra Euphratem, ipsique contigua Syria, nec propugnacula urbium, nec præsidia aliquo ducenda numero sunt. Hæc enim sæpè à Saracenis exploratoribus accepi. Insuper ferunt ibi esse Antiochiam & divitiis, & magnitudine, & hominum frequentiâ, urbium, quæ in Oriente Romanis parent, omnium facilè Principem, quæ incustodita, & militibus nuda sibi non caveat. Cives enim aliud nihil, nisi genium curant, toti in celebritatibus festorum, ac theatralibus inter se contentionibus. Quamobrem si illos aggrediamur improvisò; proximum verò est, nos cursim capturos urbem, ac fore, ut nullo usquam facto obviam hostili exercitu, reduces in Persidem nos priùs videas, quàm vel nuntius rei gestæ ad præsidiarium Mesopotamiæ militem pervenerit* &c.

pugna est. Saraceni tandem à cornu dextero Romanorum non sine perfidiæ scelere in fugam spontè conceptam effusi, Persis victoriam prodiderunt (c): dilapsis licèt in proximas Insulas Cæsaris copiis, unus tamen Belisarius cum parva peditum manu totam belli molem sustinens, tamdiu pugnare non destitit; dum nox honestiùs ex prælio evadendi locum, tempúsque concederet (d). Azarethas postridie lectis spoliis, suos in Persidem reduxit. A Cabade redeunti etiam Victori haud aliud præmium, quàm quod Mirrhani obtigerat, persolutum est: nam Persarum Rex ex militum, qui prælio supererant, numero magnitudinem cladis, cruentámque victoriam dimensus, Azaretham posteà gradu dejectum despicatui habuit (*37). Paulò decentiùs subinde Imperator Belisarium suo à militiæ Magisterio deposuit: utprimùm enim de iis, quæ infeliciùs ad Euphratem acciderant, nunciatum est; eundem Ducem Constantinopolim evocavit, causatus Occidentis bellum, ad quod ejus opera, ingeniúmque deposceretur (e).

Clades Romanorum.

(c) Idem p. 55.

(d) Procop. p. 56.

Azarethas post Victor à Cabade Rege malè acceptus.

Belisarius Constantinopolim revocatur.

(e) Procop. c. 21. p. 62.

19. Ab hoc tempore Sitta Romanorum (f), Chanaranges Persarum exercitui (g) præfuerunt. In Mesopotamia ad Martyropolim ubi à novis Ducibus nova belli alea jactabatur; fama de morte Cabadis Regis Persarum totum expeditionis cursum subitò interrupit: Persæ enim tum de intestino magìs, quod gliscebat, quàm de externo bello solliciti, acceptis obsidibus in patriam recessêre (h). Ex Persidis finibus postquam Romanis spes tranquillitatis aliqua illuxerat; Urbs Regia Constantinopolis infestis ac civilibus motibus convelli cœpit. Seditioni causam dederat gemina factio, cui à diversis coloribus, studiísque Venetæ, Prasi-

(f) Idem l. c.

(g) Idem p. 62. 63.

Mors Cabadis Persarum Regis.

(h) Procop. c. 21. p. 64.

A. 532.

(*37) PROCOPIUS L. 1. B. P. c. 18. p. 56. causam, cur Azarethas re etiam benè gestâ, depositus sit à Cabade, referens ait: *Est in more positum apud Persas, ut in expeditionis procinctu Regali solio Rex considat; multis propè dispositis cophinis, atque astante Duce, cui belli Imperium destinatur. Sub Regis oculos prætereunt milites singuli, ac sagittam jacit quisque unam in corbes, qui deinde sigillo Regio obsignati servantur. Post reditum ab expeditione singuli singulas è corbibus sagittas extrahunt: tum recensioni præpositi ex earum, quæ eductæ non sunt, subductione numerum colligentes militum, qui non redierint, Regi significant, atque ita, quot desiderati in bello sint, planum fit..... Procedere tum porrò Cabades cum Azarethe copias jubet; sagittam quisque è cophinis de more eripit: cúmque residuæ complures essent; victoriâ Azarethi exprobratâ, eum Rex posthac habuit inter despicatissimos, maximéque ignobiles.*

Seditio Conſtantinopoli à factione Veneta & Praſina excitata.

(i) Procop. c. 24. p. 70.

(k) Idem p. 70. & 71.

Hypatius Anaſtaſii nepos ſumit Imperium.

(l) Idem p. 72.

Praſinæque nomen acceſſit (*38): ut qui alii aliis hujuſmodi partibus nomen adſcripſerant, in mutuas cædes armati ex majore ferocia, æmulationis maleſanæ præmium, laudémque captabant. Crudelis ludus cùm legibus Imperatoris nequicquam cohiberetur; Præfectus urbis ad cæterorum terrorem quoſdam è factioſis ad carcerem abſtrahit (i). Quod compeſcere inteſtinum malum debuerat, id malè feriatorum inſaniam ita accendit, ut, quos ſtudia partium antè disjunxerant, nunc conſociato impetu, Reos è vinculis raperent. Inde per urbem telis, facibúsque caterva rabioſa ſæviit, id continuò inclamans: *Vince*, à qua teſſera popello familiari ſeditionis poſteà nomen relictum eſt. Eadem procella ſubinde in Joannem Prætorii Præfectum, ac in Tribonianum ab avaritia infames detonuit (k): nec Juſtinianus intra Palatii clauſtra ſuæ dignitatis ac ſalutis ſecurus erat; quare ne propiùs hic adſtantium inſidiis pateret, duos ex Anaſtaſii ſorore nepotes (Hypatium & Pompejum) continuò aulâ exire jubet. Quamprimùm vulgaverat fama, amandatum eſſe à palatii foribus Hypatium; eundem poſtridiè plebs amplexa, Cæſarem ſalutat (l). De uno adhucdum dubia multorum hæſerat ſententia: utrùm electo novo Imperatore, Juſtinianum citâ vi obruere, aut poteſtatem ejus viribus nudatam deſpicere præſtaret? Collatis conſiliis è re viſum eſt; ſiquidem Hypatius in circo coronam, palámque Imperium acciperet. Dum hæc peragebantur à factioſis, in palatio conſultabatur de Cæſaris ſalute; pluribus fugam ſuadentibus, Theodora Auguſta ita obniſa eſt: In ſummo

(*38) PROCOPIUS L. 1. B. P. c. 24. p. 69: *Pervetus quidem eſt in civitatibus ſingulis factionum Venetæ, Praſinæque diſcrimen: haud tamen ita vetus inſania, quæ nominibus his & coloribus, quibus conſpicui ludis interſunt, ita ſunt dediti, ut eorum gratiâ fortunas profundant, corpora cruciatibus acerbiſſimis offerant, nec mortem defugiant vel turpiſſimam. Cum adverſariis digladiantur, ignari cauſæ, cur in periculum ſe ac dimicationem conjiciant; at non ignari paratæ pœnæ, cùm probè ſciant, ſe quamvis victores ſub ipſam ſtatim pugnam raptum iri in carcerem, indéque ad extremum ſupplicium. Alter ab altero nullâ injuriâ provocati, odium inter ſe ſuſcipiunt adeò inexpiabile, ut licèt Germanitatis, aut alio hujuſcemodi vinculo juncti ſint, qui colorum iſtorum diverſis invicem ſtudiis diſſident; nulli tamen neceſſitudini, non conſanguinitati, non legibus amicitiæ concedat. Præ victoria, quam in his ambiunt, divina æque apud illos, humanáque jacent omnia.... Eos nec rei familiaris anguſtia, nec ſumma injuria, quæ in maximis neceſſitatibus infertur Patriæ, movet; dummodò* PARS (*ita vocant ſocios factionis*) *bellè ſe habeat. Neque ipſæ fœminæ hoc piaculo vacant* &c.

summo discrimine à privato homine servandæ vitæ medium à fuga, non item à Principe quæri oportere; nam fatum lege communi licèt oppetendum sit; haud fas tamen erit, ut, qui Regnum semel obtinuit, amisso Imperio exul, atque inter ærumnas extremas dignitati suæ superstes vivat; discessurum equidem ad tempus ab urbe Cæsarem, at tantò citiùs in ferrum, insidiásque hostium ultrò provolaturum. A se rationes hunc in modum initas esse, ut vitâ malit, quàm purpurâ spoliari (m). His dictis ubi trepidantium animos Theodora confirmârat; Belisario & Mundo Ducibus negotium datur, ut raptis copiis, ferróque sibi ad Circum viam aperiant. Primus tentato sæpiùs ad Hypatium aditu, semper repulsus, tandem repetito assultu in multitudinem inermem atque confertam arma infert: inde clamore sublato Dux alter (scilicet Mundus) ex obliquo irrumpens, quinque supra triginta millia sternit (n); tum aliis aliò dilapsis Hypatius è solio, quod insederat, rapitur in vincula: ac posterâ die cum fratre Pompejo hastis confossus, in mare dejicitur: publicatis demum Reorum bonis seditio finem accepit.

(m) Procop. l. 1. c. 24. p. 73

(n) Idem p. 74.

Hypatii funestus exitus.

20. Pacatâ Constantinopoli, pax quoque Orientis cum Perside vigere cœpit: Rufini officiis id maximè debebatur, quòd, cùm Chosroen Cabadis successorem mirificâ suavitate demulsisset (o), ex Justiniani voluntate, in has tandem conditiones convenerit: nempe ut solutis centum auri pondo, Romani regiones Persis abstractas redderent; ac Darâ Ducis Mesopotamiæ Metropoli munimentis exutâ, Iberibus porrò, qui Constantinopoli degerent, optio fieret: utrùm in urbe Regia, aut in patria deinceps domicilium, sedémque habere malint. Hoc icto fœdere, Justinianus res Lybicas in deliberationem adduxit. Hildericus Genserici nepos, post Patrem Hunericum septem annos Africæ Regno potitus, mitiore, ac Vandali solebant, ingenio & suos, & præcipuè Christianos moderabatur (p): quod beneficium Justinianus tanti fecit, ut, anteaquam hic adeptus esset Imperium, jam Hildericum arctissimâ necessitudine complecteretur. Neminem magìs, quàm Gelimerem hæc pacis studia urebant; is enim cùm Gelaridis filius, Genzonis nepos, ac pronepos Genserici foret; non dissimulanter ad Principatum anhelans, turbulenta exspectabat

A. 533.

Pax Romanos inter & Persas.

(o) Procop. l. 1. B. P. c. 22. p. 64. & 65.

Initium belli Vandalici.

(p) Procop. l. 1. de B. V. c. 9. p. 199.

Gelimeris consilia contra Hildericum.

ctabat tempora, quorum adminiculo in Regiam potestatem irre- (q) Idem p. 100. peret (q). Mauri tandem Byzaceni ejus consiliis obsecundârunt; inermem quippe Hildericum adorti, ac Vandalis ingenti clade fusis, Gelimeri criminandi causam obtulerunt, ex qua ille jam audaciùs jactare audebat: ignaviâ Hilderici factum, ut, qui virtute Genserici toties repressi hostes fuissent, nunc in Vandalorum libertatem liberiùs grassarentur: se Principem ac Propaginem esse Regiæ ejusdem stirpis, & grandem natu: quem etsi ætas uni Hilderico postponeret; scientia tamen militaris, & Reipublicæ amor aliis longè antetulissent. Adhæc suspicione non carere amicitiam, quæ Justinianum inter & Hildericum intercederet: mitti Legatos ultrò citróque, daríque mutua munera, quibus id demum conficiatur; ut Hilderici successor opibus, viribúsque nudus, in potentioris ac locupletati Cæsaris manus totam projicere Africam necesse habeat. His rationibus ubi Gelimer Magnatum inclinâsset animos; Hildericus cum proximè propinquis carceri datur. Constantinopoli posteaquam de Gelimeris tyrannide nunciatum est; Imperator eundem literis monet de ultimis Genserici tabulis, quarum argumentum dictabat, ut, qui ex stirpe major natu, idem & propiore ad fasces jure uteretur: hanc legem quicunque rapto Regno temerè infregisset, Tyranni, non Regis legitimi, nomen habiturum: paucos Hilderici annos ex gravi ætate superesse, quibus paulò pòst exactis, Regnum ultrò, ac beneficio quodam temporis ad Gelimerem perventurum (r). Gelimer monitis ejusmodi adeò non cessit, ut nonnullos ex iis, quos tenebat in vinculis, oculorum lumine; Hildericum verò arctiore custodiâ constrictum omni libertatis usu privaret. Quare Justinianus alterâ, eâque mitiore epistolâ scribebat: Si Gelimeri propositum esset, regnare, nihil penes se futurum, quominùs purpuram, quam fortuna dedisset, habeat; id duntaxat nunc postulari, ut cæcos, miserúmque Hildericum Africâ dimissos, Constantinopoli solatio refici sinat, quo illi maximè egent, qui ex summa sorte in extremam calamitatem sunt prolapsi. Precibus Imperator addebat belli minas, quòd non Regno Africæ, contrà ac cum Genserico pactum esset; sed illegitimo Afrorum Regi esset illaturus. Gelimer

Gelimer Regnum sibi rapit exauthorato Hilderico.

(r) Procop. l. c.

Justinianus causam Hilderici apud Gelimerem agit.

Epistola Gelimeris ad Justinianum.

mer cuncta, quæ Cæſar ſcripſerat, aſpernatus, paucis reponebat: Hildericum nova molientem excidiſſe Regno, atque hoc exauthorato, ſe ætatis jure, non injuriâ faſces capeſſere: cæterà Cæſarem non abs re facturum (s); ſi Provinciis ſuis intentus, alienis curis abſtineat. Poſt hæc minas minis eludens, ſe hoſti, inquiebat, qui fœdus à Zenone initum rumperet, paribus viribus, & meliore causâ contrà iturum.

(s) Procop. l. 1. de B. V. c. 9. p. 201.

21. Juſtinianus mordaci reſponſo incenſus, è veſtigio expeditionem ſuis imperat (t); multus inde inter milites, frequentior inter Duces ſermo; ac illi quidem queri audiebantur, ſe ab diuturno, quod in terris deſertis contra Perſas geſſiſſent, bello nunc in gravius (quale ſcilicet maritimum eſſe ſolet) conjici, atque ab Orientis ultimo fine deduci in poſtremum Solis occaſum. Hi verò expoſtulabant de diſtantia hoſtilis ſoli, unde rarior nunciorum ad Cæſarem commeatus: de incerta maris tempeſtate, quæ ſpes operosè conceptas uno turbine demergere poſſet. Agitabantur hæc primò in privatis congreſſibus: poſteà palàm etiam à Joanne Prætorii Præfecto Cæſari in os ingerebantur (u). A periculorum magnitudine perculſus Princeps, ſuſpendit belli animum: quominùs eundem planè abjiceret; Præſulum aliquis, qui Conſtantinopolim ex Oriente advenerat, admodùm obniſus eſt. Pollicebatur is ex divino, ùt ajebat, Oraculo incitatus, arma moturo Cæſari cæleſtia præſidia: ac ſi laborantibus in Africa Catholicis ſuccurreret, integrum etiam Gentis dominatum. Ad hæc ubi reſpiraverat Imperator; aliunde etiam quædam felicis belli omina, ſive potiùs victoriarum futurarum initia acceſſerunt (x). Prudentius quidam Tripolim à Vandalorum poteſtate ſejunxerat; atque hoc tempore miſſis nunciis à Juſtiniano paucos rogabat manipulos, quibus abſtractam penè ab Barbaris regionem omninò in manus Cæſaris traduceret. Sardinia eâdem ferè fortunâ, ac ſub idem tempus in Juſtiniani jura tranſiit; nam Godas natione Gothus, cui Gelimer Inſulam commiſerat, literis ad Imperatorem datis teſtabatur, ſe deinceps non Africæ Tyranno, ſed legitimo Principi ſerviturum (y). Hâc ratione cùm jam undique ſive terrâ, ſive mari facilior ad ſubjugandam Africam pateret aditus; Beliſario ſupremo expeditionis Duci iter indicitur,

(t) Idem l. c.

Juſtinianus bellum Vandalicum meditatur.

Belli hujus difficultates.

(u) Procop. l. c. p. 202. & 203.

(x) Idem p. 203.

Tripolis & Sardinia à Vandalis deficiunt.

(y) Idem p. 204.

Claſſis Imperatoris in Siciliam movet,

(z) Procop. l.1.B.V.c.10. p.204.205. (a) Procop. c.12.p.207. (b) Idem c.14.p.211. & p.212.

tur (z), qui benè precante Epiphanio Archi-Episcopo (a) protinùs classem quingentarum navium in Siciliam deduxit. Ad oras Insulæ utprimùm appulerat; Procopium Syracusas præmittit, exploraturum (b), quis Siculorum erga Cæsarem animus, ubi stativa hostium,& quâ demum viâ accessus in Africam tentari possit? Hæc agitanti Procopio se nuncius offert, qui paucis antè diebus Carthagine in Insulam reversus, id omne, quod ad rem erat, proloquebatur: nempe Vandalorum potissimas vires in Sardinia Godæ proditori ac rebelli movere bellum; cæteras cum Rege copias in Provincia Byzacena degere, periculi omnis securas. Itaque cùm ii, qui venientibus obstare valeant, quatuor admodùm dierum itinere ab Africæ littore absint, quocunque ventus impelleret, haud impeditam exscensionem è navibus fore. Belisarius ita de conditione hostium edoctus, Captuadam in primum Africæ portum ingreditur: variis illinc sententiis deliberatum est (c), cui claustro, dum in terram evaderet miles, navigiorum multitudo committenda, aut quorsum se copiæ reciperent, si Romani belli forte caderent? præterquam enim, quòd omnia oppida à Genserico mœnibus nudata præsidii vix locum darent; tum in mari Africæ minimè portuoso ajebant, exercitui haud unquam classem præsto esse posse; quâ proinde à Barbaris interceptâ, aut à tempestatibus disjectâ, receptûs omnis spes Cæsareo militi præcideretur (*39). Belisarius contra hæc, copias in terram celeriùs exponendas censuit; ne serò volentibus Gelimer aditum omninò intercludat: audentes à fortuna juvari, illósque opportuniùs decernere de belli cursu, qui fidentiùs præsentia commoda arripiunt, quàm qui futura pericula, quæ fortè nunquam evenient,

Belisarius classem ducit in Africam.

(c) Procop. c.15.p.213.

De exscensione in terram deliberatur.

(*39) PROCOPIUS de Bello Vand. L. 1. c. 15. p. 213. adducit rationes Archelai, quibus hic refert difficultates exscensionis: *Igitur, Duces! in terram hostilem facere exscensum vultis: at cui tandem portui classem credere, aut cujus urbis mœnibus tueri vos cogitatis? An non audistis, quod fertur, littus hoc per novem dierum iter, à Carthagine scilicet ad Jucam, omninò importuosum esse, & omnibus ventis patere, neque urbis illius muros, nisi Carthaginis restare, ex quo ita visum est Gizerico? Accedit aquæ penuria, quâ (ùt audio) laborat hic locus. Age verò, ponamus, si placet, sinistrum casum aliquem intervenire, eóque posito judicemus.... nobis in terram expositis, si tempestas oriatur, nonne horum alterum navibus contingere necesse est; aut ut longissimè dissipentur, aut pereant ad hoc littus allisæ? Deinde unde nobis commeatus? ubi arma ac vasa superflua, aut res etiam necessarias reponetis, ut impetum Barbari expeditè sustineatis.*

nient, meticulosiùs declinant (*40). Eo consilio postquam Dux militem à navibus in castra vallo palísque munita transtulerat; emissarios in vicinas propè regiones ablegat, qui propositâ libertatis spe (*41), & quâdam disciplinæ militaris temperantiâ, jucundiorem Romanorum dominatum præ Gelimeris tyrannide etiam Vandalis persuaderent (d). Conciliatis hunc in modum Afrorum animis (e), Illectum, Leptis ac Adrumetum Belisarii copias ultrò exceperunt; atque ut longiùs victoriæ initia proferrentur, Carthaginem eo ordine itum est: ut, cùm terrestri itinere moveret exercitus, ad oras maris, quantum curvatus littorum flexus permittebat, navalis apparatus (unum Romanorum perfugium) sequeretur.

(d) Procop. l.1.B.V.c.16. p.215.& 216
(e) Idem c.17.p.218.

Belisarius captis multis oppidis, exercitum movet Carthaginem

22. Intereà Gelimeri nunciatum est, magnam Africæ partem tenere hostes: is rei suæ consulturus, non minùs citò, quàm opportunè de legibus, ac ordine belli ita statuit: Gibamundum ex fratre nepotem cum bis mille viris ad lævam, quæ mare spe-

 ctat,

(*40) IDEM p. 214. recenset orationem Belisarii, quâ exercitum terræ applicandum commonstrat: *Primum quidem meminisse id vos oportet, quod nuper milites apertè denunciârunt; timere se maritima prælia, & fugam capturos, si classis hostium ipsos peteret. Nos verò Deum precabamur, ut nobis pacaret Africam, & facilem in ejus oram exscensum daret. Quæ cùm ita sint, levitatis esse duco, meliora à Deo petere, eadémque impetrata respuere & aversari. Quodsi nobis rectà Carthaginem navigantibus classis hostilis occurrerit; non erit culpandi locus effusam nostri militis fugam; peccatum enim, quod quis, nisi caveretur, se admissurum prædixerat, defensionem adjunctam habet: nos autem, ubi incolumes evaserimus, nullam veniam consequemur. Cùm verò multa incommoda sese nobis offerunt, si nos intra naves continearnus, unum est, meo quidem judicio, illúdque commemorare sufficit, quo nos maximè terrere volunt, qui tempestatem minantur. Enimverò si qua oriatur, alterum, ùt ajunt, contingere navibus necesse est, ut aut longè ab Africa dispellantur, aut in hoc litore pereant. Utrùm igitur, factâ è re præsenti opinione, magis expediet solas perire naves? an cum vectoribus omnia? Prætereà si hostem jam imparatum adoriamur, ex sententia, ut proximum vero est, debellabimus; hostiles enim opes improvisâ vi frangi solent. At morâ, quamvis brevi, spatium hosti dabimus parandi sese, & æquis viribus decernemus. Quid quod etiam fortè exscensionis copia armis extorquenda erit.... Quodsi intereà, dum vehemur navigiis, procella (ùt sæpè fit in mari) ingruerit; tum pugna cum Vandalis simul, fluctibúsque sustinenda ad sanum consilium serò nos revocabit* &c.

(*41) PROCOPIUS c. 16. p. 217. exhibet literas Justiniani ad Vandalos scriptas: *Nec Vandalis bellum indicimus, nec pacem solvimus à Gizerico factam; sed vestrum tollere Tyrannum aggredimur, qui testamento Gizerici spreto, Regem vestrum asservat in vinculis, atque è propinquis, quos quidem maximè oderat, ipso statim initio interfecit; reliquos verò luminibus orbatos custodia attinet, ærumnas letho finire vetans. Igitur juvate vos, & conjunctâ operâ tam impiæ tyrannidis jugum excutite, ut pace & libertate fruamini. Nos enim vobis hæc præstituros, teste Deo, pollicemur.*

(f) Idem c. 18. p. 220.
(g) Idem c. 17. p. 218.
Gelimeris molitiones contra Belisarium.
(h) Idem c. 18. p. 219.

ctat, collocabat (f); tum Ammatani fratri, ac Carthaginis Præfecto dat in mandatis, ut Hilderico, cæterísque captivis occisis, ex urbe dato signo erumpat in hostem (g): sibi, atque exercitui Vandalorum ultimas sumebat partes, ut, cùm à fronte & sinistra Romani lacesserentur, ipse à tergo pressos penitùs concideret. Et profectò consilium ejusmodi cladem Romanis internecinam attulisset; nisi Ammatan citiùs, longiúsque ab urbe proruens, se in dimicationem, suósque manipulos in exitium conjecisset (h). Dum enim tumultuariè adoriebantur hostem, primùm cæsi: dein in fugam acti densâ multitudine adeò obstruebant viam; ut Cæsareis ponè insequentibus amplioris cædis copiam suppeditarent. Ammatane unà cum Vandalorum parte occiso, in Gibamundum Hunni Romanorum fœderati ferociùs involârunt; & hoc quoque depulso, in Gelimeris exercitu postrema spes Vandalis fuit (i). Belisarius jam binis victoriis exultans, ut suis porrò animos adderet, nihil omisit, quo commonstratâ pugnandi necessitate, etiam rei benè gestæ præmia ostentaret (*42): exemplo demum magìs, quàm verbis rem acturus, primus ipse cum equitatu procedit in pugnam (k). Non procul à Decimo, quod oppidum est à Carthagine non longè dissitum, cum Gelimere primæ velitationis erat initium (l): collis illinc eminebat, quem ùt quisque partium occupâsset, ita arbiter conflictûs, Victórque credebatur. Romanis igitur in clivi fastigium eluctari conantibus, Gelimer jam citiùs illuc evaserat; tum facto impetu Belisarii equitem adeò propellebat, ut scissis ordinibus, & palantium more retrò acti totam, quæ sequebatur, aciem turbarent. In tanta trepidatione penes Vandalos victoria stetisset; sin Gelimer vel terga hostium cædere, aut deletis, quæ Carthaginem præ-

(i) Idem c. 18. p. 220.
(k) Idem c. 19. p. 221.
(l) Idem c. 19. p. 222.
Gelimeris imprudentia.

(*42) IDEM c. 17. L. 1. de B. V. p. 220. & 221. descripsit Belisarii orationem ad suos: *Adest, Commilitones! adest dimicationis tempus: hostem audio appropinquare, dum situs loci classem à nobis longissime amotam distinet. Quare in manibus nostris residet salutis spes: urbs enim nulla amica nobis, nullum est munimentum, cujus fiduciâ freti simus. At si rem fortiter geramus; adversarias, ùt proximum vero est, debellabimus: sin remissè ac molliter; nos a Vandalis victos miserrimus interitus manet. Quanquam nobis multa ad victoriam instrumenta suppeditant; in primis æquitas causæ, quâ nixi, hostem invadimus, nostra videlicet recepturi: deinde odium, quo Vandali a suo Tyranno dissident.... Prætereà cum Scythis & Persis rem semper habuimus: Vandali, ex quo Africam obtinuêre, hostem (præter Mauros nudos) nullum viderunt* &c.

præiverant, copiis, Romanorum classem in vicino littore consistentem sibi vindicare maluisset (m). Sed in fatis Barbari Regis erat, ut de monte lentiùs digressus, in fratris Ammatanis cadaver incideret; tum enimverò repentinus mœror hominis mentem adeò emovit, ut, quod tempus subigendo hosti dari debuerat, illud in vanos, nec profuturos gemitus profunderet. Mora hæc quàm noxia Vandalis, tam commoda Romanis fuit; nam dispersas inde copias colligere aut reficere exercitum licebat. Reparatâ acie Belisarius Regem ægrum animi, turbatósque funere Vandalos adoritur: maximâ Barbarorum strage editâ, ab internecione Gentis propè res aberat, tum nox decretorium ferè prælium diremit (n). Gelimer accisus viribus, cùm altero conflictu fortunam belli tentare non auderet; suorum reliquias fugâ citissimâ in Numidiam rapit. Postridiè verò, quàm Belisarius vicerat, is cum toto exercitu ad ipsa usque Carthaginis mœnia contendit. Gratius nihil urbi fuisset, quàm sub vesperam; nam eo tempore advenerat, accensis ad pompam lampadibus libertatis assertorem excipere (o): verùm Dux seu insidiarum metu, seu disciplinæ militaris causâ suos extra pomæria pernoctare jussit. Ubi illuxerat, sub idem ferè tempus urbem pacatus exercitus, simúlque Romanæ classis urbis portum subivit; tum Belisarius in una Metropoli totius Africæ possessionem capturus, conscenso Gelimeris solio (p), civium poposcit fidem, quâ jurejurando sancitâ, Dux velut alter Scipio celebrabatur, qui Africam Romanæ potestati reddidisset (*43).

(m) Idem p. 222.

Belisarius vincit, fugátque Gelimerem.

(n) Procop. l. 1. B. V. c. 19. p. 222. & 223

(o) Idem c. 20. p. 224.

Ingreditur Carthaginem

(p) Idem p. 225.

23. Dum Carthagine Romani de pace agebant; Vandali in Numidia ad res suas restituendas novum moliebantur bellum. In hujus societatem Gelimer Visigothos ex Hispania (q), ac plebem

(q) Idem c. 24. p. 231.

(*43) IDEM c. 21. p. 225. commemorat, Belisarium in *Delphica* convivio fuisse exceptum, sive in ea parte Romani Palatii, ubi epulares tori Imperatoris erant; stabat ibi ab ævo Tripus, in quo Cæsarei Pincernæ calices reponebant; & quia Tripodem primùm Delphi dicuntur vidisse; ideò Romani Cœnaculum Cæsaris, ubi Tripus ejusmodi prostat, Delphicam vocant: illinc ergo dum Belisarius epulabatur cum tota exercitûs nobilitate, Gelimeris Ministris fercula eadem, quæ Vandalo Regi parata pridie fuerant, suppeditantibus. Procopius, qui interfuit, hæc subjungit: *Hic certè videre erat gloriantem fortunam, ac docentem, se rerum esse omnium Dominam; hominem nihil, nisi precariò possidere. Quo die Belisarius laudem consecutus est tantam, ut gloriam non eorum modò, qui tum vivebant, sed Veterum etiam obscuraverit* &c.

bem Africanam propoſito in ſingulorum Romanorum capita pretio (r) pellicere ſtuduit: ſed quia nec Viſigothis perituri Regis fortunæ conjungi, nec Afris in futuros Dominos latrocinio ſævire placebat; tandem Hunnos, qui in exercitu Romano merebant ſtipendia, in ſuas partes inclinavit (s). Gens inſatiabilis cupiditatis turpi proditionis præmio empta in id convenerat, ut redintegrato prælio arma, quæ pro Cæſare hucuſque geſſiſſet, in Romanam aciem verteret: Gelimer hâc fiduciâ nixus, ex Sardinia revocat copias (t), quarum robore Tzazo Regis frater à Goda eandem Inſulam paulò antè (*44) receperat: dein in Carthaginenſem agrum profectus, meditatur conflictum. Perfidia Hunnorum non ita latuerat, ut eam ſagax Beliſarii ingenium non indagaret; quare venale hominum genus majoribus præmiis ita obruit, ut ſatiata avaritia ampliùs aliam ſceleris mercedem clàm non cuperet, imò poſt detectum proditionis facinus & cupidam & ſceleratam eſſe puderet (u). Beliſario quantò minor ſpes in Hunnorum ancipiti auxilio erat, tantò graviùs hortabatur Romanum militem, ut nunc æquas ad finiendam, atque antè ad cœptam victoriam vires afferret: hùc omnibus connitendum, ut proxima dies uno decretorio certamine & ſpebus Vandalicis, & Romano bello finem imponat (x). Dux iſta prolocutus, Tricamarum uſque, quod oppidum centum quadraginta ſtadiis Carthagine aberat, in Vandalos movet (z). Gelimer tum ſuos pudore præteritorum facinorum incendere, aut metu eorum, quæ amiſſuri eſſent, incitare inſtitit (a): Tzazo verò Regis frater flammantibus oculis per omnium volabat ordines, id maximè cunctis inclamans, ut jam rei Vandalicæ ſummam, libertatem ac ſalutem in manibus armíſque ferre ſe cogitent, nec minùs fortiter pro Regno ſervando, ac Majores pro obtinendo depugnent (b). Inter hæc partium ſtudia diſpoſita utrinque acies, nec niſi modico amne diviſa conſtitit: ſilentio moroſo, ac torvis obtutibus prælufum

(r) Procop. c. 23. p. 229.

Gelimer res ſuas reſtituere conatur.

(s) Procop. l. 2. B. V. c. 1. p. 236. 237.

(t) Idem l. 1. B. V. c. 25. p. 232.

(u) Idem l. 2. B. V. c. 1. p. 236.

Hunnorum fœderatorum proditio

(x) Idem p. 237.

(z) Procop. c. 2. p. 238.

(a) Idem c. 2. p. 238. & 239.

(b) Idem p. 239. & p. 240. 241.

(*44) IDEM c. 24. p. 230. Tzazonis ad Gelimerem literas recitat: *Godam Tyrannum in poteſtatem noſtram redactum interiiſſe, & in ditionem tuam, Vandalorum, Alanorúmque Rex, Inſulam* (Sardiniam) *rediiſſe pro certo habe, & feſto die victoriam for[...] ut eandem fortunam experiantur, quâ quondam uſi ſunt, qui in Majores noſtros expeditionem ſuſceperant.* Hæ literæ à Beliſario interceptæ ſunt.

lusum est; tum Belisarius moras fastidiens, Joannem Ducem superato flumine invadere hostem jubet: primâ ille ac alterâ impressione nequicquam molitus, tertio assultu, & majore copiarum vi signa Vandalorum ordinibus infert; mox perruptâ acie promiscuam spargit cædem (c). Belisarius tandem cum toto exercitu secutus, multò graviùs irruit: vix tantum Vandali impetum tulêre, sed ad castra dilapsi, intra vallum se adversùs vim aliquantùm tuebantur (d). Romani victoriæ absolutionem in celeritate positam rati, eâdem vesperâ arma castrorum munimentis applicant: quod ubi Gelimer trepidus audiit; confestim, & quin mandata suis daret, cum paucis sociis in Numidiam se proripit: compertâ Regis fugâ, Vandali inter fremitus voluntati hostis se, suáque permittunt (e). Belisarius castris potitus, ut Gelimerem quoque in potestatem redigeret, Joanni Duci negotium injungit. Regis ille vestigia propè insequitur; at quò minùs fugientem assequeretur, casus obstabat, qui instanti Joanni & viæ & vitæ cursum interrupit (f). Uliaris vir fortis & Prætorianus cùm vino caleret, in avem telum ejecturus, aberrante ictu, cervicem Joannis transverberat, è quo vulnere cùm paulò pòst animam efflâsset (g); Gelimeri spatium fuit in montem Numidiæ, cui Pappuæ nomen est, evadendi. Belisario quamprimùm de morte Joannis, ac de incolumitate Regis nunciabatur; Pharam Herulum substituit, de eo Ducem abeuntem admonens, ut, quoniam in Pappuæ jugum scopulis præruptis, ac Maurorum præsidio munitum eluctari tempestas hyemis non sineret, obsidionali coronâ tantisper montem inclusum teneret, dum annonæ penuriâ pressus Rex ad deditionem sui cogeretur (h).

Pugna inter Vandalos & Romanos.

(c) Idem c. 3. p. 241.

(d) Idem c. 3. p. 241. & 242.

Fuga Gelimeris, & Vandalorum strages.

(e) Idem p. 242.

(f) Procop. l. 2. B.V. c. 4. p. 243.

(g) Idem p. 244.

Pharas Gelimerem obsidet in monte Pappua.

(h) Idem p. 245.

24. Eâdem adhuc hyeme Romanis curæ erat, ut reliqua, quæ ad subjugandam Africam facerent, maturè exequerentur. Cyrillus secum abscissum Tzazonis caput velut monumentum Romanæ victoriæ in Sardiniam, Corsicámque asportans, utramque Insulam in Cæsaris fidem recepit (i): nec aliæ urbes per Africam mœnibus nudatæ obsistere poterant, quò minùs in Justiniani jura concederent. Occupatis igitur omnibus Provinciis, unus Gelimer expugnandus erat: & vi quidem id moliri cùm Pharæ nec tutum, nec facile esset; Regem promissis in casses

A. 534.

Romani cæteras Africæ regiones & urbes occupant.

(i) Procop. l. 2. c. 5, p. 246

(k) Idem c. 6. p. 249.

agere aggreditur (k): scriptis autem literis cavebat obsesso, nollet amplius clementiam ejus Imperatoris fugere, qui Gelimeri opes immensas ac prædia, tum etiam summam Senatorum ac Patriciorum dignitatem amicâ manu offerret; neminem Regi, sed Regem sibi inimicum fore, si modum suæ fortunæ, cùm posset, nollet statuere (l).

(l) Idem p. 250.

Gelimer citharam, panem & spongiam petit.

Gelimer his nihil motus, servitute morti posthabitâ, ad durissima obstinaverat animum: ac ne benignitatem Cæsaris omninò aspernari videretur; tria sibi dari rogabat, panem scilicet, spongiam ac citharam. Cùm enim à toto obsidionis tempore alimenti expetiti copiam nullam habuisset; voluptatem cibi ejusmodi experiri modicè volebat: dein spongiâ sibi opus esse dixit, ad eluendam oculorum à fletu tumentium illuviem; atque à citharæ cantu ajebat fore, ut sensum calamitatis suæ lenimine quodam minueret (m).

(m) Procop. l. 2. B. V. c. 6. p. 250.

Postulata etsi indulgeret Pharas, simul tamen arctiore custodiâ pertinaciam Gelimeris adeò infregit, ut fame victus, se Pharæ manibus, ac Cæsaris arbitrio permitteret (n).

(n) Idem p. 251.

Dedit se Gelimer.

Belisarius Carthaginem deductum (o) unà cum cæteris Primoribus Vandalis honorificè habuit, dum mari meliùs navigabili classis captivos Constantinopolim deportaret.

(o) Idem p. 252.

Gloria Belisarii Victoris.

Plura in una Belisarii victoria sunt, quæ ætas ista, quæque posteri admirentur: si enim celeritatem rei gestæ spectes; intra tres menses in Africam venit, vicítque: sin commoda victoriæ; maxima terrarum pars per nonaginta quinque annos Cæsaribus abrepta, in Imperii compagem rediit: si fortitudinem Ducis & felicitatem; quinis duntaxat millibus Gelimerem Genserici abnepotem tot opibus, copiísque florentem, ejúsque Regnum evertit (p).

(p) Procop. p. 252.

Instruitur calumnia Belisario, & detegitur.

Quò verò illustrius erat hoc fortunæ, virtutísque opus, eò acerbiùs multorum accendit invidiam: hâc stimulante obtrectatores Belisarium de Tyrannidis & Ambitûs crimine apud Cæsarem insimulabant (q).

(q) Idem c. 8. d. 253.

Justinianus quò certiùs suspicionem injectam exploraret; Duci optionem facit, malítne Africam à se devictam ipse regere, aut ab alio deinceps regi? Dux non ignarus fidem suam in dubium vocari, continuò reponit, sibi gratius nil futurum, quàm si cum classe, quâ venerat, in Orientem regredi liceret. Responsum uti Imperatori optatum; ita utile Belisario fuit;

Triumphus Belisarii.

is enim ubi ex Africa Gelimerem, Vandalósque captos

ptos unà cum ſpoliis Conſtantinopolim adduxerat: tales triumphi honores ſortitus eſt, quales olim Tito ac Trajano obtigiſſe leguntur (r). A ſuis ædibus in Circum progreſſus, bis, ſive de obtrectatoribus, ſive de hoſtibus victis triumphare videbatur; nam illis ad erecti vultûs firmitatem pudore ſuffuſis, horum ſpolia (*45), & captivi civibus ſpectandi ducebantur, inter quos Gelimer Rex Vandalorum magnitudine corporis non minùs, quàm animi præſtabat; is enim inter catenas cum ſuis incedens, ubi primò in Imperatorem ſolio ſublimem, dein in circumfuſam turbam conjecerat oculos, ridente ore, & explodenti ſimilis in has voces prorumpebat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* (s)! Excelſitas viri, tum etiam calamitoſum Regis fatum adeo Cæſaris emollivêre pectus, ut ad fortunam Gelimeris aliquatenus erigendam, ei in Galatia fundos ampliſſimos adſignaret: & Patricii nomen, honorémque eſſet adeptus; ſi, quod juſſus fuerat, Arii errorem ejurare voluiſſet.

(r) Procop. l. 2. B. V. c. 9. p. 255.

(s) Idem p. 256.

Initia belli Gothici in Italia.

25. Quemadmodùm verò Africa brevi victoriarum curſu Romanæ poteſtati ſubacta eſt; ita Italia deinceps diuturniore, ac ancipiti Marte tentari debuit. Juſtiniano ex eo ſpes illas Provincias recipiendi propiùs affulgebat, quòd Amalaſuntha eidem dudum fœdere obſtricta poſt filii Athalarici mortem deliberaret (t): utrùm Imperatori Italiæ Regnum reddere, aut novo connubio ſibi dominatum, quem nomine Athalarici hucuſque geſſerat, ſtabilire expediret? Primum quia odio Gentis, multiſque turbis obnoxium putabat; alteram partem amplexa, Theodatum Sponſum, Regémque ex ſua Gente, ac ſanguine delegit: Theodorici iſte ex ſorore Amalefrida nepos, ac Amalaſunthæ conſobrinus (u), cùm in Thuſcia privatus ageret, vitiorum

(t) Procop. l. 1. de B. G. c. 3. p. 314. & 315.

(u) Procop. l. 1. B. G. c. 3.

(*45) IDEM L. 2. de Bello Vand. c. 9. p 255: *Triumpham* (Beliſarius) *per urbem mediam duxit; non veteri tamen more. Siquidem à ſuis ædibus in circum uſque proceſſit; ibique à carceribus ad ſolium Imperatoris. In ſpoliis videre erat, quæcunque Regiis uſibus addici ſolent: ſellas aureas,... magnam Regiorum vaſorum copiam, quæ Zizericus in Romano palatio compilaverat. In his vaſa Judæorum erant, quæ Titus Veſpaſiani filius poſt Hieroſolymorum excidium, Romam cum aliis aſportârunt.* Metus tamen Religionis in cauſa fuit, ut Juſtinianus illa in *Hieroſolymitana Chriſtianorum templa deferri juſſerit.* Alterum triumphum à Beliſario more veteri geſtum eſſe, Procopius addit: *Nam illum Conſulem captivi portârunt: idémque è curuli illas ipſas Belli Vandalici manubias populo ſparſit.*

tiorum ergo à Regina vexatus, captabat tempus, quo injurias (ùt rebatur) ulcisceretur (x). His cogitatibus ferè tumebat, dum nuncii adsunt, qui hominem ad nuptialem Amalasunthæ thorum evocent (x). Nunquam summum odium citiùs in maximum amorem desiit, quàm quando hostis anteà infensus in amicissimum ac Regium connubium pertrahebatur. Beneficii magnitudo certè Theodato ita mentem eripuerat, ut jurejurando ediceret, penes se nomen potestatis Regiæ, penes Amalasuntham potestatem reipsâ fore: nec minùs Regina, quò pristina sanaret vulnera, ostendere conabatur, suâ interfuisse, ut à propinquo acerbis etiam remediis scelerum istorum invidiam depelleret, quæ sola obstare poterant, quominùs regnaret; at nunc tantò gratiorem subditis venturum Regem, sibíque conjugem, quantò melior cunctis appareret. Theodatus, sive tunc verè amârit, sive servierit tempori: os, vultúmque amantis tamdiu sustinuit; dum celebratis nuptiis, repositas altâ mente injurias nova suspicio irritaret. Theodato repentè se anxia illa sollicitudo ingesserat, ne instabile fœminæ ingenium (utì olim (z) induxisset in animum) Gothorum Regnum Imperatori proderet: sibi igitur prospecturus, Amalasuntham vinculis oneratam Ravennâ ex Palatio in Castellum à Vulsinensi lacu satìs defensum deduci curat: illinc planctu muliebri multùm de sorte sua, plùs de Theodati ingrata mente questa, dum de invocanda etiam Cæsaris ope statuit (a); Conjurati (Theodato authore vel conscio) in carcerem irrumpunt, ac misellæ mortalium opem nequicquam invocantis fauces obtortâ gulâ elidunt (b). Quoniam nihil eorum, quæ in Italia fiebant, Imperator cognoverat; Petrum Legatum ad Amalasuntham dirigit, ut clàm cum Regina de tradendo (c) Regno consilia agitet. Is ubi per iter primùm de Theodati Regno, dein de Amalasunthæ captivitate, ac mox etiam de facta nece intellexit; confestim cuncta perscribit Cæsari. Justinianus ad tot monstra ferè inhorruit: posteà mœrore in iram verso, Theodato denunciari ultionem, armáque jussit (d). Atque inde enascebatur famosum illud bellum, quod per novemdecim annos à Ducibus Romanis contra potentissimos Gothorum Reges vario Marte, & mutuas inter clades gestum est.

(x) Idem l. c. p. 314. & c. 4. p. 316.

(y) Idem p. 317.

Amalasuntha Theodatum ad Regnum & connubium vocat

(z) Procop. l. 1. B.G. c. 3. p. 315.

Amalasuntha mittitur in carcerem, & necatur.

(a) Idem c. 4. p. 318.

(b) Jornand R. Get. c. 59.

(c) Procop. l. 1. B.G. c. 4. p. 318.

Justinianus bellum Gothicum suscipit.

(d) Procop. l. 1. B. G. c. 5. p. 319.

26. An-

26. Anteà quàm Justiniani exercitus in Italiam moveret; Imperator ordinem, modúmque expeditionis ita suis præscripsit, ut non uno loco, nec uno agmine lacesserent hostem. Ut enim ea incendia plus terroris, discriminísque habent, quæ simul diversas urbis partes in flammas agunt; ita Augustus Gothorum vires ancipiti metu distrahendas, aut opem omnem eorum exhauriendam putavit, siquidem multiplicatâ aggressione Provinciæ intervallo quodam distinctæ, ac eodem tempore à subditis belli facibus arderent. Ergo dum pars Cæsarei exercitûs in Dalmatiam clàm adrepebat; Belisarius cum classe in Siciliam apertis quidem velis, tacitis tamen consiliis solvit; nam ne quid suboleret hosti, profectionem diu in Africam simulans, posteà repentè inflexo navium cursu, non aliter ac temerè à ventis ad Siculum littus ejectus (e), obsistente nemine Catanam, aliásque urbes primo impetu capit: & continuò secundis rebus totam subegisset Insulam; nisi Panormus suis munimentis confisa moras Victori injecisset. Post multos assultus cùm terrâ nihil admodùm ageretur; Belisarius in naves Suos retrahens, mari in proximum urbi portum subvehitur. Auspicatum illinc Duci erat, quòd mali navigiorum se altitudine suâ supra humiles murorum pinnas attollerent; quare lembos, tabulásque è malorum fastigiis suspensas subitò conferti sagittariorum globi conscendunt: atque ex hoc insolito æquè ac sublimi munimento integram telorum nubem tam validis, támque certis ictibus ejaculantur; ut urbs, quæ soli vi non cesserat, nunc ingenio Victoris cedendum ultrò decerneret (f). Siciliâ omni subactâ, Belisarius triumphanti similis Syracusas ingreditur, erátque hoc ad posterorum memoriam singulare, quòd dies, quæ annui Consulatûs à Belisario gesti, ac in peregrino quidem solo finem fecerat, eadem Cæsarei in Siculos dominatûs initium dedisse perhibeatur (*46).

Belisarius Siciliâ potitur.

(e) Procop. l. 1. B.G. c. 5. p. 320.

(f) Procop. l. c. p. 320.

Finis Consulatûs à Belisario gesti quando fuerit?

 27. Theo-

(*46) PROCOPIUS L. 1. de bello Gothico c. 5. p. 320. edit. Paris.: *Ex eo tempore Siciliam universam vectigalem habuit Imperator: quando cum Belisario felicius, quàm dici possit, actum est. Consulatum enim, quem post victoriam Vandalicam susceperat, adhuc gerens; cùm Siciliam omnem subegit, extremo illius die Syracusas ingressus est, cum exercitûs ac Siculorum ingenti plausu, nummos aureos omnibus spargens. Id quod non ex composito fecit, sed casu quodam evenit; ut totâ Insulâ jam Romanis recuperatâ, eo die Syracusas inveheretur: & Consulatu, non ùt mos erat in Byzantii Curia, sed ibi deposito, vir Consularis evaderet.*

A. 536.

27. Theodatus, ubi hæc acceperat, non aliter ac mente dejectus, Petrum Justiniani Legatum rogat, ut amplis conditionibus Cæsarem in pacem inclinet (g): spondebat autem, se cessione Siciliæ factâ, in singulos annos coronam insuper auream, quæ ter centum pondo appenderet: & tria auxiliarium millia, ubicunque Cæsar poposcerit, daturum; Sacerdotum deinceps aut Senatorum neminem bonis seu vitâ se judice privandum; nec nisi penes Cæsarem staturum, ut quis Patriciorum ordini accenseatur: inter acclamationes demum solennes, aut monumenta publica (siquidem talia exigerentur) Imperatori primas, sibi secundas vices tributum iri. Has pactionis leges dum anxiè dictabat, dubius adhuc hæsit, utrùm Justiniano ita fieret satìs (*47); quare ad turbas planè rescindendas alias clàm addebat literas, quas tum demum resignari volebat, dum priora pacis capita Imperator abnuisset (h). Quamprimùm Legati (Petrus & Rusticus) inde Constantinopolim profecti, Justiniano Theodati de concordia mentem exposuerant; nihil ab Augusto admodùm obtinuêre: Epistolam itaque alteram adhuc clausam scrutari necesse erat, si fortè gratiùs de pacis conditionibus statueret. Ex argumento in medium adducto postquam intellectum est (*48), Theodatum pro abdicando spontè Regno annuos

(g) Procop. l. 1. de B. G. c. 6. p. 321.

Theodatus cum Petro Legato paciscitur.

Conditiones pacis variæ.

(h) Idem p. 322.

Theodati ad Justinianum epistola.

(*47) PROCOP. L. 1. B. G. c. 6. p. 321. & 322: "Confestim igitur (Theodatus) Petrum, cùm jam apud Albanos esset, ad colloquium revocat, ac seorsum rogat, *num Imperatori gratam fore existimet pactionem confectam?* Atque illi affirmanti se ita conjicere: *Quid verò posteà fiet*, inquit, *si non placuerit?* Cui Petrus: *Tibi*, ait, præclare vir! gerendum deinceps bellum. *Quid?* subjicit Theodatus, *idne æquum est, Legate charissime?* Tum ita Petrus suscipit: *Quidni æquum, ô bone! ut ingenio quisque sua consentanea sectetur studia?* Hic quærenti Theodato, *quid hoc sibi vellet*, respondit: *Tu quidem vehementer amas philosophari; Justinianus verò generosum præbere se Romanorum Imperatorem. Hoc demum ab illo differt, quòd hominibus, præsertim tot numero, interitum afferre Philosophum minimè deceat, idque ex disciplina Platonis. Cujus tu cùm sis consultus, ab omni utique cæde puram agere vitam debes. At illum nihil vetat sibi armis vendicare Provincias, jure veteri ad ipsius Imperium pertinentes.*

(*48) PROCOP. l. c. p. 322. sententiam literarum Theodati ad Justinianum ita exponit: *Equidem in aula non sum extraneus: cùm & in avunculi Regia natus sim, & pro dignitate generis educatus: at bella, eorúmque tumultus non plane didici usu. Quippe cùm à puero Musarum amore captus, rationem cum illis semper habuerim, longissimè ab infesto strepitu Martis hactenus absui: ita ut nihil sit, cur armorum aleâ plenam nunc sequar vitam, gloriæ regnandi cupidus, quando amoliri utrumque licet (bellum, inquam, &*

nuos duntaxat sumptus poscere, quibus vitam dignè toleret: & fœdus, & fœderis leges Cæsar ratas habuit, amplissimos fundos Theodato, honorésque pollicitus (*49). Dum ex Oriente Legati & pacis nuncii remeant; Theodati mens fortunâ novâ belli intereà in diversum abrepta est: Salonas nimirum Gothorum agmen per idem tempus invaserat, & occisis Romanis Ducibus, Dalmatiæ magnam partem sub Barbarorum reduxerat jugum (i); inde Theodatus ad majores spes accensus, Legatos Justiniani vel contemptui habuit, vel custodiâ, aliísque injuriis maceravit. Ad Imperatorem vix ea, quæ in Dalmatia à Gothis, quæque à Theodato contra fidei ac legationis jura infestiùs acta fuerant, renunciata sunt; tum extemplo classem in Dalmatiam & numero & armis valentem mittit (k): atque ut geminâ ex parte Gothorum vires premerentur; Belisarium eodem tempore ex Sicilia in ultimas Italiæ oras tendere jubet. Ducem Regno imminentem omnes, velut Tyrannide Gothorum fessi, lætissimis animis excepêre; inde per Brutiorum ac Lucanorum oras in Campaniam deducto milite Neapolim perventum est (l). Belisarius extra urbem præsidio Gothorum validam castra metatus,

(i) Procop. l. c. p 323.

Theodati perfida inconstantia.

(k) Idem L. 1. B. G. c. 7. p. 325.

(l) Idem c. 8. p. 327.

& Regnum) mihi certè neutrum arridet: hoc quidem, quoniam satietate mulctatur, atque fastidio, suasibus omnibus moveri solito; illud verò, quia rerum insolentia perturbationem parit. Si modò habeam prædia, unde mihi quot annis auri pondo saltem mille & ducenta proveniant, Regnum his posthabebo, ac tibi statim Gothorum, Italorúmque Imperium tradam: ut qui terram animo vacuo colere malim, quàm Regales inter sollicitudines vivere, quæ me in alia ex aliis pericula mittant Age, eum ocyùs huc virum destina, cui conveniat, à me Italiam, & quidquid ad Regnum spectat, accipere.

(*49) IDEM p. 322. & 323. exhibet epistolam, quam Justinianus rescripsit Theodato: *Te virum cordatum esse famâ pridem acceperam: nunc verò etiam experientiâ doctus, talem agnosco; dum statuis non exspectare exitum belli, quæ demens exspectatio jam quosdam in summi momenti rebus fefellit. At te nunquam pœnitebit, quòd nos ex hostibus amicos feceris. Verùm concessis iis, quæ postulas, illud accedet, ut amplissimis Romanorum Magistratibus adscribaris. In præsenti Athanasium ac Petrum destino, rem ita composituros, ut ea præclarè stet utrique nostrûm. Belisarius quoque propediem te conveniet; omnibus, quæcunque inter nos pepigerimus, extremam impositurus manum.* Aliam epistolam Justiniani ad Primores Gothorum datam refert IDEM L. 1. B. G. c. 7. p. 325: *Id nobis cordi est, ut vos in nostræ Rei corpus publicæ recipiamus; quod vobis jucundissimum esse debet. Venturos enim ad nos, non imminutio dignitatis, sed accessio manet & cumulus. In primis valeat, quòd Gothos non ad externa & ignota ipsis domicilia invitamus: verùm familiares accimus nostros, post interruptam aliquanto spatio consuetudinem. Quamobrem Athanasium & Petrum misimus, quorum operam juvare vos in omnibus decet.*

(m)Procop. p. 327. *Belisarius obsidet Neapolim.*

tus (m), pollicitatione libertatis pristinæ cives ad deditionem provocat; deinde Gothorum animos emollliturus, optionem cunctis facit, ut, nisi positis armis Neapoli sedem sub dominatu Cæsaris habere malint, incolumi cum securitate ad suos redeundi facultate fruerentur (*50). Pluribus jam ad aperiendas portas ruentibus, Pastor & Asclepiodotus (Gothi Duces) obstitêre, quin metu alios, alios spe obstinantes arma contra Cæsareos persuaserunt (*51). Circumsessa inde urbs est, & quassata tormentis muralibus mœnia: verùm cùm obsidio in vigesimam jam diem extracta pertinaciam Gothorum confirmaret; parùm aberat,

De solvenda obsidione Belisarius cogitat.

(*50) PROCOP. L. 1. B. G. c. 8. p. 327. & 328. Stephanus Neapolitanorum Legatus ad Belisarium ita disserebat: *Iniquè facis, Magister militum! cùm bellum infers Romanis insontibus, & urbis parvæ incolis, ita constrictis Barbarorum Dominorum præsidio, ut, si libeat repugnare, non liceat. Accedit, quòd isti præsidium apud nos agitaturi venerunt, relictis sub Theodati manu liberis, uxoribus, rebúsque pretiosissimis. Quare si quid in eum moliti nobiscum fuerint, se ipsi potiùs prodidisse videbuntur, quàm urbem. Ac si verum liberè fatendum est, vestris rationibus adversatur susceptum à vobis consilium nos invadendi. Vos quidem, ubi Romam ceperitis, Neapoli quoque nullo negotio potiemini: ab illa autem repulsi, neque hanc, ùt patet, obtinebitis tutò. Itaque tempus in hac obsidione inutiliter consumetis.* Ad hæc Belisarius reponebat: *Rectène, an secus consultâ ac provisâ re huc venerimus, considerandum Neapolitanis non proponemus: sed quæ à nobis institutam modò consultationem merentur, ea volumus, ut expendatis, & quidquid è re vestra futurum est, amplectamini. Ergo missum ad vos, cæterósque Italos in libertatem vindicandos exercitum Imperatoris accipite, nec bona deterrimis omnium præoptate. Qui ne servitium, aliúdve dedecus patiantur, bellum suscipiunt; ii sanè, si rem prospere gesserint, fructum inde duplicem referunt, victores utique, & malis liberi redeuntes: sin victi fuerint; hoc saltem reportant solatium, quòd inviti fortunam infestam sequantur. Quibus verò, cùm citra pugnam excutere jugum liceat, ut firmiùs id retineant, pugnare libet; illis vel ipsa victoria, si forte cesserit, in rebus maximè necessariis fraudi est: pejùs autem, quàm optabant, certamine perfunctis, ad cæteras ærumnas calamitas cladis accedit. Atque hæc Neapolitanis dicta sunto. Gothis verò hìc degentibus optionem facimus, utrùm malint nobiscum deinceps Imperatori magno parere, an redire domum incolumes?*

(*51) PROCOP. L. 1. c. 8. p. 329. Pastoris & Asclepiodoti orationem recitat: *Ergo cives omni, ùt videmus, ope contenditis vos, urbémque permittere Belisario, montes vobis pollicenti aureos, ac jusjurandum sanctissimum offerenti. Ista quidem vobis conducere nemo non fateatur, si id quoque promittere Belisarius possit, se bello potiturum. Summæ enim esset dementiæ, non quidlibet gratificari futuro Domino. Verùm si hæc in incerto posita sunt, nec mortalium quisquam idoneus est fidejussor fortunæ; videte, quas calamitates accersere studeatis. Nam si Gothi bello superiores evaserint; pœnam vobis irrogabunt, ùt hostibus infensissimis: quippe qui nullâ adacti necessitate, sed perfidâ adducti segnitie, in proditionem incubueritis. Ex quo etiam fiet, ut ipse Belisarius, si fortè vicerit, nos infidos, & nostrorum proditores Principum judicet &c.*

erat, quin moras fastidiens Belisarius à cœptis abiret (*52). Desperatâ urbe, miles, genere Isaurus, aquæductum mœnibus adsitum curiosiùs inspicit, reperítque fortuitò locum, qui si structorum ope paululùm laxaretur, admittendi in urbem militis capax foret (*53). Id ubi à Belisario rescitum est, eodem authore hiatum clandestinâ operâ latiùs excisum quadringenti viri subeunt, & per subterraneas fossas ægrè tandem in medium urbis eluctati, trucidatis custodibus portas imminenti ac parato jam cum copiis reliquis Duci aperiunt (*54). Quamprimùm intra

Via, quâ urbs capi poterat, detegitur.

(*52) IDEM L. 1. c. 8. p. 330: *At ille* (Belisarius) *in obsidionem incubuit. Tentato sæpè muro repulsus est, multis amissis militibus, iisque generosissimis. Ad muros enim Neapolis quà mare, quà derupta loca negabant aditum, & cùm ob alia, tum propter acclivitatem, insuperabiles erant aggredientibus. Nec multum Belisarius Neapolitanos turbavit, aquæductu urbis inciso: nam cùm intra murorum ambitum essent putei, qui sufficerent usibus necessariis, vix jactura illa sentiebatur.* Et c. 9. p. 331. pergit: *At Belisarius, Neapolitanos terrâ marique obsidens, æstuabat. Nam illos nec in deditionem voluntariam concessuros unquam putabat, nec fore sperabat, ut vi caperet, repugnante maximè difficultate loci. Nec parùm dolebat, quòd ibi tempus consumeret, reputans, se coactum iri Theodatum, & Romam aggredi hyeme, jámque copiis, ut convasarent, edixerat, inde mox discessurus* &c.

(*53) PROCOPIUS L. 1. B. G. c. 9. p. 331. & 332: *Isaurum quendam cupido cepit inspiciendæ structuræ aquæductûs, & quo is modo civibus aquæ usum præberet. Ingressus procul ab urbe, ubi illam Belisarius ruperat, expeditissimè processit; cùm propter labem nihil aquæ inesset. Proxime mœnia saxum ingens offendit, ibi ipsa loci natura, non hominum manibus positum: cui aquæductum continuaverant veteres ejus structores, sic perforato, ut transitum satis laxum daret aquæ, negaret viro. Itaque non æqualem ubique habebat latitudinem aquæductus; sed in eo saxo occurrebant angustiæ, viro, præsertim loricato, scutatóque imperviæ. Isauro, re perspectâ, visum est, fieri posse, ut in urbem penetraret exercitus, si meatus ille paululùm laxaretur. Et quoniam homo erat obscurus, nec sermonem cum ullo Duce unquam habuerat; Paucaridi Isauro, inter Belisarii Scutarios inclyto, rem aperuit: extemplò indicavit Paucaris Belisario: qui præ nuntii voluptate respirans, hominem ad manum operi admovendam, promissâ grandi pecuniâ, impulit: jussit assumere Isauros aliquos, & rupem quamprimùm exscindere, eâ cautione adbibitâ, ut nemo persentisceret. Paucaris cum Isauris, quos delegit in cœpto huic omninò idoneos, aquæductum occultè subiit. Ad locum, quem arctabat cautes, progressi, opus inchoant, urgéntque non asciis, nec securibus cædentes saxum, ne sonitus rem hosti proderet; sed acutis quibusdam ferramentis illud radentes sinè ulla intermissione, brevi tempore tantùm effecerunt, ut indutus loricâ vir, & clypeum ferens, transire posset.*

(*54) PROCOP. L. 1. B. G. c. 10. p. 333: Belisarius, *adultâ nocte Magno & Enni, quò jam res deducta esset, aperuit, ac monstrans locum, ubi priùs aquæductum inciderat, præcepit, ut sumptis lucernis, quadringentos illos in urbem inducerent. Comites addidit tubicines duos; qui urbem ingressi, eam clangore turbarent, suisque significarent eventum rei. Ipse scalas quamplurimas, jam antè fabricatas habebat in expedito.....*

tra ſepta civitatis ſe exercitus furore ardens infuderat, nulli ætati parcitum (n), atque ipſis adeò templis à fœderatis Barbaris vaſtitas illata eſt: cædibus ac rapinis ut Beliſarius modum, finémque poneret (o), Aſclepiodoto in fruſta conciſo procellam compoſuit.

(n) Procop. l. 1. B.G. c. 10. p. 335.
Capta Neapolis.
(o) Idem p. 335. & 336.

28. Inter has clades cùm Theodatus otioſus ferè calamitatum ſpectator procul conſideret; apud Gothos ſuſpicio invaluit, ab Rege ignavo vel negligi, aut à perfido prodi Regnum (p). Regetæ itaque, quod oppidum ducentis octoginta ſtadiis Româ diſtat, de novo Principe deliberant, ac Vitigem, humili licèt loco natum, præliis tamen clariſſimum, ſibi, Italiæque alterum Regem depoſcunt. His Theodatus auditis, præcipiti fugâ Ravennam petit; & propè evolaverat (q), tum Optaris unus è Gothorum Primoribus, & Theodato ob veteres injurias non parùm infenſus, fugientem intercipit, afflictúmque humi, ac reſupinum inſtar victimæ trucidat, tertio, à quo regnaverat, anno. Vitiges, utprimùm de Theodati exitu cognovit, Theogiſclo defuncti Regis filio in cuſtodiam dato, Pontificem Silverium, totúmque Romanum Senatum in fidei ſacramentum adigit;

Inviſus Gothis Theodatus.
(p) Procop. l. 1. B.G. c. 11. p. 337.
Vitiges creatur Rex Gothorum.
(q) Idem p. 338.

---

dito...... P. 334: *Cùm autem Neapolis aquæductus non ſolùm ad muros uſque tectus ſit; ſed in urbem etiam longè excurrat, altum habens fornicem è coctili latere; hinc factum eſt, ut intra murum urbis progreſſi omnes, quos Magnus & Ennes ducebant. Nec ubi terrarum eſſent, conjicere, nec uſpiam exire potuerint: donec primi devenêre in locum, ubi cælo canalis patebat, erátque domus admodum neglecta; quam alia, eáque pauperrima muliercula incolebat: ibidem ſuper aquæductu enata olea in arborem creverat. Simul ac videre cælum, & in urbe media ſe eſſe intellexerunt, erumpere conſilium fuit: ſed nulla ars ſuppetebat, quâ, præſertim cum armis, canali egrederentur. Erant enim alti parietes, nec aſcenſum præbebant. Militibus valdè animo fluctuantibus, & anguſtiori in ſpatio ſe comprimentibus (jam enim ponè ſequentium magnus numerus confluebat) cuidam in mentem venit, aſcenſum tentare. Itaque poſitis confeſtim armis, manibus, pedibúſque enitens, ad mulieris domum evaſit, eámque ibi nactus, ipſi mortem, nî taceret, minatus eſt. Illa præ ingenti metu obmutuit. Is verò, cùm ex oleæ caudice lorum validum religâſſet, alteram ejus partem extremam in aquæductum demiſit: quâ ſinguli milites apprehenſâ, foràs ægrè ſe ſuſtulerunt. Quarta pars noctis adhuc ſupererat; cùm ſuggreſſi omnes ad mœnia ſuccedunt, ac turrium duarum cuſtodes incautos trucidant, ad illam murorum partem, quæ Septentrionem ſpectat: ubi Beliſarius cum Beſſa ac Photio ſtabat, incœpti ſucceſſum cupidiſſimè exſpectans. Illi tubis vocârunt ipſos ad murum: cui ſcalas cùm applicuiſſet Beliſarius,.... binis invicem colligatis, per utraſque ſcandendo, milites pinnas ſuperavêre.*

git (*55); mox impoſito urbi præſidio Ravennam cum non exiguo obſidum numero profectus, feſtivas ibidem cum Mataſuntha nuptias celebrat (*56); quo connubio utì nobilitatem Regii ſtemmatis ſibi conciliavit; ita Suis ſubinde Regni incolumitatem conſilio & fortitudine, quâ valebat, præſtare aggreſſus eſt. Francorum clariſſima bello gens quæque Viſigothis ac Burgundionibus multas terras rapuerat (r), proximè tunc ad Gothorum quoque agebat fines, ac vel ideò magìs timenda, quod eo tempore Italiæ immineret, quo Beliſarius per easdem Regiones arma circumferebat. Duplicis belli periculum ne ſimul Gothorum vires diſtraheret, aut interciperet; Rex Vitiges Francis finitimam Galliam, ac duo millia auri pondo ultrò dare decernit (*57), quâ

(r) Procop. l. 1. B. G. c. 12. & 13.

Vitiges cum Francis pangit fœdus.

(*55) IDEM L. 1. c. 11. p. 339: *Silverium urbis Antiſtitem, Senatum, populúmque Romanum multis idem commonefecit, reductóque in memoriam Regno Theoderici, omnes hortatus eſt, ut Gothorum præſtarent benevolentiam, ſibique eorum fidem graviſſimo ſacramento devinxit. Delectis minimùm quatuor millibus virorum, qui Romam Gothis cuſtodirent, Leuderin provectâ ætate virum, ac prudentiæ laude celebrem præfecit tum reliquo ſtipatus exercitu, Ravennam petiit, obſides ſecum habens Senatores quamplurimos.*

(*56) IDEM L. c: *Mathaſuntham Amalaſunthæ filiam, maturam jam viro virginem, invotam duxit in matrimonium, ut certiùs ſibi Regnum aſſereret, hoc intimo nexu cum ſtirpe Theoderici.* Ex eadem connubii ratione Vitiges perſuadebat Juſtiniano, ut arma deponeret; ùt videre licet apud CASSIODORUM var. X 22: *Nam ſi vindicta Regis Theodebaldi* (Theodati) *quæritur, mereor diligi: ſi commendatio divæ memoriæ Amalaſunthæ Reginæ præ oculis habetur, ejus debet filia cogitari, quam niſu veſtrorum omnium perducere decuiſſet ad Regnum; ut cunctæ gentes potuiſſent agnoſcere, viciſſitudinem vos gratiæ tanto pignori reddidiſſe. Illud etiam debuit vos permovere, quod diſtributione mirabili ante Regni faſtidia invicem nos devincta veſtra fecit habere notitiam, ut amoris cauſam tribueret, quibus gratia contuliſſet. Quali enim reverentiâ Principem colere potui, quem adhuc in illa fortuna poſitum conſpexi?* Similia habet Epiſtola ibid. ad Magiſtrum officiorum, & Epiſt. 24. & 25.

(*57) IDEM L. 1. B. G. c. 13. ſub finem: *Ergo mittuntur ſtatim ad Germanos Legati, qui illis Galliam cedant, datóque auro componant ſocietatem. Tunc Reges Francorum erant Childebertus, Theodebertus & Clotharius: qui traditam ſibi Galliam, ac pecuniam inter ſe pro cujuſque Regni portione diviſerunt, promiſerúntque ſe Gothis amiciſſimos fore, & auxilia miſſuros clàm, non Francorum, ſed nationum, quibus imperarent.* PAGIUS in Tom. II. Critic. ad an. 537. N. 3.: " Ex Vitigis Regis ceſſione Francis anno ſuperiore acceſſit omnis Oſtrogothorum Ditio cis Alpes poſita. Hæc autem Italiam ad Ortum, Rhodanum ad Occaſum; Mare Mediterraneum ad Meridiem, & nuperrimos Burgundiæ fines ad Septentrionem reſpiciebat, & quatuor Provincias Galliarum integras comprehendebat, Narbonenſem ſecundam, Alpes Maritimas, Alpes Grajas, & Viennenſem ſecundam, exceptis Deenſium & Vivarienſium Civitatibus in eadem ſecunda Viennenſi, cujus Metropolis Arelatum. Hoc modo Francorum Reges; qui

quâ donatione Gentis meruit fœdus eâ lege ictum, ut non Francicus miles (hic enim fidem Justiniano jam condixerat) sed populi Francis subditi Gothis in auxilium, ac societatem armorum venirent. Intereà Romanos Neapolitanorum excidium adeò concusserat, ut Belisario ad urbis mœnia subinde venienti, ultrò portas aperirent (s), quas cùm exercitus Cæsaris ingrederetur, ad facti hujus memoriam id insigne fuit, quòd eodem mense, scilicet quarto Idus Decembris (t), ex quo sexaginta antè annis urbem Gothi insederant, Roma ab hoste recepta sit (*58). Belisarius intra muros Romanos, contra ac Duces suaserant, consistendum ratus (u), varias emisit copias, quæ plura per Tusciam, ac ad sinum Jonium posita castella in potestatem redegêre (x). Ad hæc damna protinùs reparanda, Vitiges suum exercitum

(s) Procop. l. 1. c. 14. p. 347.

Belisarius recuperat Romam.

(t) Anastasius in V. Silverii. Pagi. ad an. 537. n. 4.

(u) Procop. l.1.B.G.c.14. p. 348.

A. 537.

(x) Idem c. 15. & c. 16.

qui alias omnes Galliarum Provincias armis occupaverant, totam Galliam præter Septimaniam, quæ Visigothorum erat, & præter Britanniam Armoricam, quæ suos Comites habebat, obtinuère. „

(*58) PAGIUS in T. II. Critic. ad an. 537. N. 4: " Capta est à Barbaris Roma anno quadringentesimo septuagesimo sexto, ideóque anno superiori (536) recuperata; perperámque Baronius ejus deditionem in præsentem annum differt. „ Procopius ait L. 1. B. G. c. 14. p.   : *Receptáque est Roma sexagesimo anno, mense eodem, postquam à Barbaris insessa fuerat, ... cùm UNDECIMUM imperandi annum haberet Justinianus.* Pagius vult ultimum numerum esse à sciolo corruptum; annus enim XI. Justiniani, nec cum anno belli Gothici secundo, quo Belisarius Romam ex Procopii calculo ingressus est, nec cum anno post captam primùm à Gothis Romam sexagesimo convenit; quare idem Author Evagrium, qui L. 4. c. 19. idem ait, corrigendum putat. Similiter emendandam Procopii editionem putat Pagius ad an. 538. N. 2. & 3, quando in L. ■. post Caput secundum dicitur: *Tum pariter cum hyeme alter annus exiit hujusce belli, cujus Historiam conscripsit Procopius;* nam cùm in ultimis Capitibus Libri primi, & in duobus prioribus Libri secundi Procopius recenseat ea, quæ post Belisarii introitum in urbem Gothos inter & Romanos contigêre, non potest Caput secundum hâc finiri clausulâ: aliàs sequeretur, quòd Vitiges eo anno Romam obsedisset, quo adhuc Urbs ista in ejus potestate fuerat. Nam Belisarius eâ potitus est mense Decembri anni belli secundi Gothici, sive anno 536; Vitiges autem eam obsedisset eodem anno 536. mense Martio, quo utique Roma sub dominatu Gothorum erat. Conjectura proinde Pagii est, quòd Exscriptor prædictam clausulam, quæ poni debuisset post Caput decimum quintum Libri I, transposuerit ad finem Capitis secundi L. II; quod inde confirmat, quia idem Procopius L. 2. c. 2. scribit: *Circiter Solstitium æstivum Euthalius stipendia militibus ab Imperatore debita tulit*; ideóque mense circiter Junio. Tum subdit, exiisse cum hyeme secundum annum belli Gothici, & Caput tertium, seu initium anni belli Gothici III. his verbis exorditur: *Jam æstivo Solstitio ineunte, cum fame pestis urbem invasit.* Quare si Procopius hoc scripsisset, non cum Hyeme, sed cum Vere annum belli Gothici II. finem accepisse asseruisset; cùm tamen à verno tempore annum semper auspicetur. De hac transpositione textûs Procopii aliter sentit COINTIUS, & NORISIUS; sed hos confutat PAGIUS ad an. 538. N. 4. & 5.

citum partitus, parte alterâ Dalmatiæ caput (y), alterâ Italiæ Metropolim tentandam decernit: Uligisalo igitur & Asinario Ducibus Salonas terrâ maríque obsidentibus, Rex ipse cum centum quinquaginta millibus festino itinere contendit Romam (z). Quantuscunque hic fuerit Barbarorum numerus, minor tamen erat, quàm ut amplissimum Romanæ urbis ambitum coronâ obsidionali omninò concluderet; quare sex castris cis Tiberim dispositis illa potissimùm spatia à totidem turmis captata sunt, quæ fortuitis assultibus, ac toti armorum apparatui opportuniora fuerunt (a). Applicatâ ad mœnia vi intra urbem calamitosior status erat; nam præterquam, quòd quinque millia cum centum quinquaginta millibus pugnarent, fames etiam civibus, vigilias inter se dividentibus animum ademit (*59). Belisarius nihilominùs belli molem, cùm viribus non posset, ingenio sustinuit (*60); nam, ubicunque impetum facerent Gothi, ita arte suâ

Gothi Romam obsident

(y) Idem c. 16. p. 351.

(z) Idem c. 16. p. 353. & c. 17. p. 354.

(a) Idem c. 19. p. 359.

(*59) PROCOPIUS L. 1. B. G. C. XIX. p. 359. & 360: *Hoc dispositi modo Gothi, aquæductus omnes incidunt, ut inde urbs nihil aquæ accipiat. Sunt Aquæductus Romæ XIV. numero è coctili latere structi quondam adeò lati, altíque, ut eques intra illos equitare possit..... Aquæductibus incisis, aqua molas non versabat ampliùs, neque jumentorum operâ id fieri poterat, re cibariâ penitùs, ùt fit in obsidione, defectis Romanis, qui vix habebant, quo equos sibi necessarios sustentarent.* Et Cap. XX. p. 361: *Populus verò Romanus incommodorum belli, obsidionisque omninò insolens, cùm & illuvie, & annonæ penuriâ premeretur, atque in muris cogeretur excubare pervigil, ac venturam brevì urbem putaret in potestatem hostium, à quibus intereà agros, cæteráque omnia vastari videbatur; graviter commotus indignabatur, quòd immerens obsideretur, & in tantum discrimen veniret. Quare collecti cives apertè Belisario maledicebant; quòd ab Imperatore minoribus, quàm par esset, copiis instructus, non dubitâsset bellum suscipere Gothicum.*

(*60) PROCOPIUS L. 1. B. G. c. 19. p. 360: *Aquæductibus (utì dixi) incisis,.... artem hanc Belisarius excogitavit. Pro ponte, quem mœnibus commissum dicebam modò, aptatis funibus, & ab utraque fluminis ripa validissimè tentis, binos lembos colligavit, bipedali inter utrumque relicto spatio, quâ majori impetu è Pontis fornice aqua decurrebat. Tum duabus molis utrique lembo impositis, in medio machinam, quâ molæ volvi solent, suspendit. Alios continenter lenunculos ad eorum rationem, qui ponè erant, connexuit, ac machinas eodem modo immisit: quæ omnes ordine, profluentis aquæ vi, circumactæ, appositas sibi molas ciebant, & quantum urbi opus erat, molebant. Quæ cùm hostes ex transfugis cognovissent, hâc arte machinas everterunt. Magnas arbores, & Romanorum nuper occisorum cadavera ad fluvium comportantes, mittebant in profluentem. Horum pars maxima, secundo amne in medias devecta scaphas, machinam fregit. Re Belisarius animadversâ, priori hæc invento addidit. Latè per totum Tiberis alveum, oblongas prætendit Ponti catenas ferreas, in quas omnia, quæ deferebat flumen, sic incurrebant, ut ibi colligerentur, nec ultra procederent. Ea verò indesinenter trahentes, qui hoc munus susceperant, in terram subducebant &c.* Qualia armorum genera invenerit

suâ retundere hostes noverat, ut unâ die triginta Gothorum millia ceciderint (b). His remediis etsi Vitiges aliquantùm repressus sit; Belisarium tamen id maximè sollicitum habuit, ne parvus Romanorum manipulus innumerabili Barbarorum multitudini succumberet, aut certè egens Roma ultimo famis telo expugnaretur (c). Quare primò turbam (d) consumendæ duntaxat annonæ natam urbe submovet (*61): dein literis Imperatori nunciat, nî præsidium novis auxiliis augeatur, nec militum parvam manum hosti innumerabili parem, nec Civem Romanum deinceps in data Cæsari fide constantem futurum (*62). Justi-

(b) Procop. l. 1. B. G. c. 23. p. 370.

(c) Idem c. 24.

(d) Idem c. 25. p. 373.

Belisarii ad Imperatorem epistola.

nerit Belisarius ad retundendos Gothos, habet Procopius L. 1. B. G. c. 21. p. 364. & c. 22. p. 365. De stratagematis aliis hujus Ducis ingenio confectis alibi latiùs dicemus.

(*61) IDEM p. 374. inter Româ ejectos numerat etiam Silverium Papam: *Cùm autem esset suspicio, Silverium urbis Antistitem cum Gothis proditionem moliri; confestim eum relegavit in Græciam, ac Vigilium paulò pòst ad Pontificatum provexit.* BARONIUS ad hæc verba Procopii T. VII. ad an. 538. N. 8. ita commentatur: " Dolosæ fraudis iste prætextus fuit; ejusmodi enim velamento obtegebatur, quod impia Theodora (ùt dictum est ex Liberato Diacono *Brev. c. 22.*) cum Vigilio ab Urbe Constantinopolim accersito molita fuerat: nempe se effecturam, ut ipse Pontifex, expulso Silverio, crearetur, dummodò, quod spoponderat insanâ cupiditate flagrans ambitione Vigilius, Anthimum ab Agapeto damnatum in Constantinopolitanam Sedem restitueret. „ De his plura infrà *in Historia Eccles.*

(*62) PROCOP. L. 1. B. G. c. 24. p. 370. & 371. refert Epistolam à Belisario ad Cæsarem datam: *In Italiam pervenimus, utì jusseras, & magnâ potiti illius parte, Romam etiam recepimus, exactis hinc Barbaris, quorum Præfectum Leuderin ad vos misi non ita pridem. Postquam autem præsidia militaria imposuimus locis validis, quæ in Sicilia atque Italia occupavimus; exercitus ad quinque millia redactus superfuit: hostium verò centum & quinquaginta millia nos invaserunt. Ac primùm cùm ad fluvium Tiberim ivissemus exploraturi, prætérque opinionem in necessitatem confligendi incidissemus, parùm abfuit, quin hastarum vis nos obrueret. Deinde muros copiis omnibus, ac machinis undique aggressi Barbari, tantùm non primò nos urbemque cepêre aditu; fecisséntque, nisi fortuna prospera ex periculo nos eripuisset. Etenim quæ naturam rerum excedunt; ea meritò, non humanæ virtuti ac fortitudini, sed Deo sunt adscribenda. Quæ hactenus, seu fortunæ munere, seu virtute propriâ gessimus, optimo certè loco sunt: quæ verò consequentur, tuam ut rem augeant, velim. Quare quidquid, & à me dici, & à vobis fieri convenit, non celabo; haud ignarus, Dei quidem arbitrio res humanas fluere; operum verò omnium Duces vituperium vel laudem ex iis, quæ ipsi fecerint, reportare consuevisse. Itaque arma nobis mittantur ac milites, eo numero, ut in posterum paribus cum hoste viribus bellum hoc geramus. Neque enim reponenda sunt omnia in cura ac fide Fortunæ: quippe quæ eundem semper cursum tenere minimè solent. Tecum illud, Auguste! cogita, nos, si jam hostis vicerit, ex Italia tua deturbatum iri, simúlque exercitum amissuros, cum ingenti ob rem male gestam dedecore. Omitto, quòd Romanos, quibus fides in Majestatem tuam antiquior salute fuit, in exitium conjecisse videbimur, & lati*

Justinianus his acceptis, confestim Ducibus (Valeriano & Martino) imperat, ut navibus recentes copias in Italiam adducant (e). (e) Procop. l. 1. B. G. c. 24. p. 371.

A. 538.

29. Antequam suppetiæ in Italiam appellerent, Vitiges ægrè facturus urbi, Magnates, quos è Romana nobilitate obsides servabat, ad unum omnes trucidat (f): dein occupato Tiberis portu, quemcunque annonæ aditum intercludit (g). Quantum verò doloris Roma ex Suorum funere acceperat, tantum bilis à civibus in Belisarium effundebatur. Indignabantur hi, tam parvo copiarum, támque tenui annonæ apparatu à Duce bellum contra Gothos temerè fuisse susceptum: Romanos postquam nomen dedissent Cæsari, nullam fidei suæ mercedem referre; nisi ut fame enecti, telis etiam hostium objiciantur, ac proinde non uno mortis genere intereant (h). Vitiges, ubi simultates in urbe gliscere audiit; legatione ad Senatum missâ, Belisarii molitiones majorem in invidiam adducere conabatur. Necessitas ultima desperantibus civibus jam postrema consilia dictaverat; tum post exactam hyemem mille & sexcenti equites in subsidium urbis ex Oriente venêre (i). His Belisarius auctior, multis velitationibus plura Gothorum millia confecit: successus ejusmodi tantum animorum reddiderunt Romanis, ut non ampliùs divisis manipulis, sed integro exercitu cum Gothis decernere arderent (k). Restitit primò intempestivo æstui Belisarius, & contrà obluctando inculcabat, leviore semper periculo rem agi, cùm à minore velitum numero hostis carpitur: Hunnos sagittarum jactu antecellere Gothos, cum quibus si in acie pedem pedi conferre libuerit, eosdem hastis suis & gladiis multò potiores præ Hunnis

(f) Idem c. 26. p. 375. *Vitiges obsides necat.* (g) Idem l. c. p. 376.

(h) Procop. l. 1. B. G. c. 20. p. 362.

(i) Idem c. 27. p. 377. & 378. *Auxilia Romani accipiunt, & vincunt Gothos.* (k) Procop. l. 1. B. G. c. 28. p. 379.

---

læti successus, quos ad hanc diem habuimus, nihil denique, nisi doloris materiam, relinquent nobis. Etenim si ab urbe Roma & Campania, multóque antè à Sicilia repulsi fortè fuissemus; id nos omnium ubique malorum levissimum morderet, quòd bonis in aliena manu positis non potuissemus ditari. Hoc etiam vobis perpendendum est, ne multarum quidem Myriadum præsidio potuisse unquam conservari Romam diutiùs, cùm ob amplitudinem, tum quòd à mari remota, rebus omnibus necessariis intercludatur. Ac Romani quidem jam nobis student; si tamen ærumnæ protrahantur, apparet eos meliora prio quoque tempore amplexuros. Nam qui recèns amicitiam junxêre, non duris rebus exerciti, sed beneficiis affecti, in fide manere solent. In primis fames Romanos ad multa, quæ admittere nollent, subiget. Me verò, qui vitam Majestati tuæ meam deberi scio, me, inquam, vivum nemo hinc dejicere poterit; sed vide, quid tandem laudis allaturus tibi sit ejusmodi exitus Belisarii.

Romani acie integrâ decernere cupiunt.

(l) Idem c. 27. p. 379.

(m) Idem c. 29. p. 383. & 384.

Romani Gothos vincunt, & ab his rursus vincuntur

(n) Idem c. 29. p. 384. & 385.

(o) Procop. l. 2. B. G. c. 1. p. 387.

Romani fame coacti novum prælium frustrà petunt.

(p) Idem c. 3. p. 394.

Hunnis fore: Adhæc in patente campo justum prælium iniri oportere, ubi penes multitudinem victoria inde constitura sit, quòd recens semper miles alteri suffectus strenuos etiam luctatores tandem fatiget, aut penè exhauriat (l). His monitis adeò non cesserant Romani, ut cæco impetu in commune certamen proruerent. Belisarii itaque consilio à Seditiosorum votis superato, in Campo Neronis cum hoste concurritur: Virtus equidem Romanorum primam belli difficultatem tam fortiter sustinuit, ut Gothi pugnantium robur non ferentes, in proximos clivos dilaberentur (m); at ubi trepidos insequi Victor debuisset, in spoliis legendis tempus terens, Barbaris spatium dedit, in palantes prædatores repentè cruentam procellam refundendi (n). Eodem tempore Belisarius cis Tiberim ab equestribus Gothorum turmis ita accisus est, ut Cæsareus miles aperti Martis deinceps oblitus, levioribus duntaxat procursionibus infestandum hostem existimaret (o). Inducias has brevì famis per urbem invalescentis rabies, ac inde suborta pestis interruperunt; nam cùm Romani mortem vitæ miserrimæ antehabendam ducerent (*63); rogabant Belisarium, ut in novi prælii societatem & ipsi acciti cives vel victoriam, vel ærumnarum reportarent finem (p). Belisarius, qui jam semel ex præcipiti Suorum consilio rei summam uni aleæ jactui commiserat; is damno satìs edoctus reponebat, ex

(*63) PROCOP. L. 2. B. Goth. c. 3. p. 394. Populi Romani querelas ad Belisarium factas hunc in modum refert: *Exspectationi, quâ tenebamur, Magister militum, rerum hæc nostrarum fortuna minimè respondet: sed spei planè contrarium exitum reperimus. Id enim consecuti, quod prius in votis erat, in hanc modò calamitatem devenimus, jámque insania mera est, ac nobis ærumnas maximas parit injecta antè opinio, quæ nobis à pristina conditione avertit præclaro studio gaudendi Cæsareâ providentiâ. Unde eò necessitatis adducti sumus, ut jam etiam uti vi audemus, & in Barbaros arma sumere. Ac nobis detur venia, si apud Belisarium fidentiùs loquimur: Jejunus enim & inops venter erubescere nescit. Fortunâ quoque, quâ premimur, nostram hanc excuset licentiam: siquidem vita omnium miserrima videtur esse, quæ infelicibus prorogatur: vides. quæ nobis acciderint. En agros, atque omnem latè regionem hostis tenet: cunctis vitæ commodis urbs hæc interclusa est, idque tamdiu, ut spatium temporis vix animo complectamur. Jam Romanorum pars jacet insepulta: nos vero superstites, ut, quæ patimur, uno omnia verbo comprehendamus, in numerum vel sic jacentium venire cupimus. Quos enim fames occupat, his mala quævis suadet esse tolerabilia, aliarúmque ærumnarum oblivionem suâ præsentiâ inducit, & quodlibet mortis genus, præter illud, quod ipsa infert, homini suave reddit. Quamobrem patere, ut malo hoc necdum fracti, pro nobis ipsi pugnemus, vel victoriam, vel ærumnarum finem consecuturi.*

ex occaſionum, non privatorum inſtinctuum momentis agi oportere, propinquare ex Oriente exercitum, junctáſque naves, quæ copioſam annonam vehant (q); iſtorum remediorum ſpe ſatius futurum, ſi lento dein pede victoriam proſequi, quàm temeritate inconſultâ ſalutem communem projicere in animis habeant. His dictis Procopium in Campaniam ire, indéque militem, ac frumenta advehere jubet (r): poſteà Martino & Trajano Ducibus imperat, ut Tarracinam profecti, Gothorum commeatum prohibeant (s); quo facto non unum periculum fuit, quod hoſtes turbaret. Nam præterquàm quòd fames & peſtis in Gothorum agmina ſævirent (t), tum infeſtus etiam iis rumor erat, quo exercitum novum ex Conſtantinopolitana urbe Italiæ imminere ferebatur (u): id enim ubi per caſtra Gothorum vulgatum eſt; Vitiges de maturanda profectione cogitans, ad Beliſarium mittit nuncium (*64), qui oblatâ non tantùm Siciliâ & Campaniâ, ſed & repræſentato annuo tributo pacem redimeret (x). Beliſarius licèt negaret, ſe, niſi totâ Italiâ deditâ, fœdus initurum; inducias tamen conceſſit, dum Vitiges cum Imperatore ipſo de re per Legatos tranſegiſſet (y). Intereà terrâ, maríque

(q) Idem c. 3 p. 395.
Curæ variæ Beliſarii de reſtituenda re Romanorum.
(r) Idem c. 4. p. 395.
(s) Idem p. 396.
Gothi fame & peſte laborant.
(t) Idem p. 397.
(u) Procop. l. 2. B. G. c. 5. p. 398.
Gothi conantur paciſci cum Romanis
(x) Idem c. 6. p. 402.
Induciæ Gothos inter & Romanos.
(y) Idem p. 403.

(*64) IDEM c. 6. p. 401. & 402. de legatione Gothorum ad Romanos agens, cauſas affert, cur Legati repetierint Italiam tanquam ſuam: *Iniquè egiſtis* (inquiebant Oratores Gothorum) *Romani, cùm in nos, amicos licèt, Sociósque veſtros, arma, contrà quàm fas erat, ſumpſiſtis. In eam rem proferre ſatìs habebimus, quæ cuique veſtrûm nota eſſe exiſtimamus. Non ita Gothi Italiâ potiti ſunt, ut eâ Romanos per vim ſpoliaverint. Sed olim Odoacer, ſublato Imperatore, rei adminiſtrationem publicæ, hic Tyrannide mutatam, obtinuit. Tunc temporis Zeno Orientis Imperator in animo habens ei, qui conſors Principatûs fuerat; factam à Tyranno injuriam ulciſci, atque has oras in libertatem reſtituere; cùm Odoacri potentiam evertere non poſſet, Theodorico Principi noſtro paranti ipſum, ac Byzantium obſidere perſuaſit, ut in gratiam ſecum rediret, bonorum memor, quos ab ipſo conſecutus jam eſſet (quippe adſcriptus Patriciis, & factus Conſul Romæ fuerat) Auguſtulo illatam ab Odoacro injuriam ultum iret, ac Provincias ipſe & Gothi deinceps jure optimo poſſiderent. Hoc igitur pacto Italiæ Regnum adepti, leges ac* Regiminis *formam haud minori ſtudio, quàm quivis Imperatorum veterum, conſecravimus* &c. BELISARIUS refutaturus Legatorum dicta ita repoſuit: *Bellum quidem in Odoacrum Zeno Aug. Theoderico dedit, non ut Regnum Italiæ occuparet ipſe: Quid enim erat, cur Tyrannum Tyranno Imperator mutaret? verùm ut eam in libertatem, & Cæſaream ditionem vindicaret. Is verò, initi adversùs Tyrannum conſilii Victor, ſe poſtmodum haud mediocriter ingratum præbuit, cùm recuſavit Italiam ſuo reſtituere Domino. Meâ certè ſententiâ, par ſcelus eſt, quæ vicini ſunt, ei ſpontè non reddere, & per vim auferre.*

(z) Idem c. 7. p. 403. & 404.
(a) Idem l. 2. B. G. c. 7. p. 405.
Gothi iterum tentant Romam.

maríque vitæ & militiæ ſubſidiis Romam adductis (z) Beliſarius in vicina circùm loca, pérque Picenum agrum varias turmas divi- vidit, quæ abſciſſo commeatu, Gothos ad ultima adigerent (a). Quod ſpiritum hoſti eripere debuerat, id (ùt in deſperatis rebus ſolet) conſilium Gothis dedit; poſt miſſum enim in Provincias militem, nudatam præſidio Romam eſſe rati, hanc ipſam urbem ſeu vi, ſeu arte occupare conſtituunt: ac primò per aquæductum clàm ſubire nequicquam conati (b), mox proditione urbis portas aperire nituntur; at acrius Beliſarii ingenium erat, quàm ut dolus quicunque Ducem falleret (*65): quin ad Romanorum fortunam hoc acceſſerat, quòd per idem tempus Mataſuntha Vitigis Conjux tradito Arimino, Cæſareo militi patefecerit iter, quo Ravennam uſque inoffenſo pede procurreret (*66). Vitiges, quamprimùm Regiæ ſuæ urbi imminere bellum vidit, ab Romanis mœnibus, quibus per annum & novem dies citra commodum adhæſerat, profectionem Suis indicit (c). Gothorum vix pars media Tiberim trajecerat; tum Beliſarius in poſtrema agmina, quæ cis flumen erant, validâ manu erumpens, alios cædit, alios in undarum vortices agit præcipites (d).

(b) Idem c. 9. p. 408. & 409.
Vitiges ſolvit obſidionem urbis Romanæ.
(c) Idem c. 10. p. 411.
(d) Idem p. 412.

Beliſarius Arimino providet.

30. Reliquias exercitûs à fame & vulneribus attritas dum Vitiges lento gradu Ariminum trahebat; Beliſarius breviore via in

(*65) PROCOPIUS dolum, quo Vitiges capere urbem nitebatur, ita deſcribit L. 2. B. G. c. 9. p. 409: *Ergo Romanos duos, qui ad Petri Apoſtoli ædem habitabant, pecuniâ inducit, ut cum utre vini pleno cuſtodes illic poſitos primis tenebris adeant, ac vino donent cum omni benevolentiæ ſignificatione: deinde, adultâ nocte, ſedentes una perpotent, injecto in cujuſque ſcyphum medicamine ſoporifero, quod ipſe dedit. In ulteriore ripa* (Tiberis) *ſcaphas clàm paratas habuit; ut ſimul ac ſomnus cuſtodias complexus eſſet, primo dato ſigno, Barbarorum manus flumen tranſiret, ac ſcalis inſtructa muros invaderet. Totum etiam exercitum ad urbem vi penitùs occupandam expediit. His ita compoſitis, quoniam Deo fixum erat, ut Romanos iſte Gothorum exercitus non expugnaret, virorum, quos ad navandam cœpto operam Vitiges adornaverat, alter ſpontè rem omnem enunciavit Beliſario, ac ſocium indicavit: qui tortus in lucem protulit, quidquid erat facturus, & medicamentum, quod Vitiges dederat, prompſit. Hunc Beliſarius naſo atque auribus truncis ad caſtra hoſtium miſit aſino vectum, quo viſo intellexêre Barbari ſua conſilia, vetante Deo, non procedere* &c.

(*66) IDEM c 10. p. 411: *Mataſuntha verò Vitigis uxor cùm graviter marito eſſet offenſa, quòd principio per vim ei juncta tori conſortio fuiſſet, ùt Joannem Ariminum venisse reſciit, gaudio cumulata, per occultum internuncium de nuptiis & proditione colloqui cum eo cœpit.*

in caſtellum Ariminenſe copias præmittit (e), Joanni Romano Duci ſcriptis literis cavens, ut peditatus arcis intùs mœnia, ipſe verò cum equitatu pomæria foràs tueretur: quod Beliſarii mandatum duplici periculo mederi poterat, ſi Joannes ei obaudire voluiſſet. Nam paucioribus præſidiariis intra muros modica annona in longius tempus ſufficiebat, neque conſidente in extimis caſtris equite hoſtis antè propinquaturus Arimino credebatur; quàm Beliſarius cum exercitu ponè ſecutus, hoſtilem vim ab urbe in ſe avertiſſet. Sed Joannes ambitioni ſuæ Beliſarii Imperium poſthabendum duxit; ſuâ enim intereſſe ratus, ut caſtellum idem, quod primus occupaverat, ultimis quoque viribus ipſe ſervaret, in urbe cum omnibus copiis perſtitit (f). Vitiges proinde vacuum milite campum nactus, Arimino propiùs arma, obſidionémque admovet. Aſſultibus repetitis, ac morâ quâdam factum eſt, ut Joannis copiæ primùm, dein etiam annona abſumeretur (g). Poſtrema tandem neceſſitas cùm Joannem urgeret; temeritatis ſuæ pœnitens, Beliſario ſcribit, ſeptem adhuc dies eſſe, quibus famelicus miles arma, eſuriémque ferre poſſit: his exactis, de deditione Arimini actum iri. Beliſarius acceptis literis deliberabat, utrùm Joannis facinus à Gothorum armis caſtigari, aut Arimini laborantis majorem rationem haberi oporteret? Auſpicatum Ariminenſibus fuerat, quòd eodem tempore Narſes (*67) Conſtantinopoli in Italiam quinque armatorum millia adduxiſſet (h): is enim pro ſuo in Joannem ſtudio Beliſarium monebat, ne deſertam urbem vellet, ob culpam unius, qui, ſi neglecti mandati dare pœnas debuerat, has inde ſatìs ab eo perſolvi, quòd ex Beliſarii arbitrio ſuam ſalutem jam pendere noverit. Demum projecto in hoſtium manus munimento, id Gothis acceſſurum ajebat, ut non multitudine tantùm, ſed & animis potiores infeſtius Cæſareis deinceps bellum gerant (i). Ad Narſetis dicta mollior Beliſarius, Ariminum versùs iter, ſup-

(e) Procop. l.2.B.G.c.11. p.412.413.

Joannes Dux Beliſarii mandatis adverſatur.

(f) Idem p. 414.

(g) Idem c.16.p.426.

Narſes auxilia ex Oriente adducit.

(h) Procop. l.2.B.G.c.16. p.425.

(i) Idem p.426.

M 2 petia-

(*67) IDEM L. II. B. G. c. 13. p. 419: *Tunc temporis nunciatum eſt Beliſario, Narſetem veniſſe Byzantio cum multis copiis, & apud Picentes eſſe. Erat hic Narſes Eunuchus, Gazæ Præfectus Imperatoriæ, animo vir acerrimo, & ſupra naturam Spadonis ſtrenuo. Eum ſequebantur militum quina millia,.... eidem ſe adjunxerant Herculi ad duo ſummum millia* &c.

petiarúmque ordinem ita diſpoſuit: Aratio cum mille viris ad arcendum à tergo hoſtem propè Auximum relicto, peditem ad maris oras, comitante propiùs claſſe, ire jubet; tum ipſe per juga montium aliunde irrumpens, Gothos ita exterruit, ut ne omninò à partito Cæſaris exercitu cingerentur, effusâ fugâ, Ravennam contenderent (*68). Arimino liberato, Joannes quoque in libertatem aſſertus eſt: beneficium ejuſmodi cùm is Beliſario maximè deberet, ſoli Narſeti ſe in acceptis referre palàm teſtabatur (k); quâ animi pervicaciâ duos Duces ad rei Romanæ exitium inter ſe commiſit. Narſeti multa ab acri ingenio, multa ab animo ſtrenuo ſubſidia erant, quibus damna naturæ exciſæ ita rependebat, ut Cæſar eundem, quantumvis Eunuchum ſuo primùm ærario præficeret, poſteà etiam legatum belli atque conſiliorum adjutorem Beliſario mittendum cenſeret (l). In Italiam profectus Narſes, res à Beliſario geſtas mirari quidem, ſed & gloriæ tantæ invidere cœpit; quod æmulationis genus à Joannis, cæterorúmque Ducum ſimultate ſeu ſtudio ſuſtentatum, eò tandem prorupit, ut Narſes ſubinde collecto ex Herulis, aliíſque factioſis copiis exercitu extra Imperium Beliſarii agere auſus ſit (m).

Beliſarius Ariminum obſidione liberat.

(k) Idem c. 18. p. 429. & 430.

Narſetis & Beliſarii diſſidium.

(l) Idem c. 13. p. 419.

(m) Idem c. 19. p. 433.

31. Di-

(*68) IDEM c. 16. p. 427: *Rem ita diſpoſuit* (Beliſarius) *Aratium ibi* (ad Auximum) *reliquit cum viris mille, eo conſilio, ut caſtra ad mare ponerent, quæ ab urbe Auximo ducentis abeſſent ſtadiis: vetuítque inde movere, & cum hoſtibus congredi, niſi ut illos, ſi quando facerent impetum, à caſtris probiberent. Quo factum iri maximè ſperabat, ut, cùm Romanos caſtra in proximo habere ſcirent Barbari, Auximi tenerent ſeſe, nec Romanum exercitum à tergo infeſti premerent. Cum navibus validiſſima miſit agmina, Ducibus Herodiano, Uliare & Narſete fratre Aratii. Claſſi præerat Ildiger: cui mandavit, rectà Ariminum navigaret; dando operam, ne tentaretur appulſus ad oram illam, ſi rematior eſſet pedeſtris exercitus. Nam iter eos facere voluit non procul à littore. Alia item caterva, ducente Martino, maris oram legebat, claſſem aſſectans, & juſſa à Beliſario, cùm proximè boſtes ventum eſſet, plures, quàm pro modo, numeróque exercitûs, ignes accendere, & hoſtibus longè majoris multitudinis præbere ſpeciem. Diverſam ipſe viam longiſſimè à littore ingreſſus.* Et c. 17. p. 428: *Beliſarius verò per hujus regionis montes iter faciebat, quòd boſtes apertè aggredi nollet numero illis longè inferior .... Viſis Gothi Beliſarii vexillis, eas ab ipſo duci copias intellexerunt. Mox illi ad pugnam ſe compararunt ad latus aquilonare urbis Arimini. Pòſt obortâ nocte armis depoſitis quieſcentes, cum ignes à Martini copiis accenſos, ſexaginta procul ſtadiis quâ ſpectat urbs Orientem, vidiſſent, in metum graviſſimum adducti ſunt. Rebantur enim ab boſtibus ſe circumcluſum iri. Poſtridie primo Sole claſſem adversùs ſe tendere ingentem cernunt. Tum obſtupefacti in fugam ruere &c.*

31. Divisis Romanorum viribus, nec Æmilia, quæ Victori ferè cesserat, à jugo hostium eximi, nec Liguria ab extremo, quod toti Provinciæ tunc instabat, exitio vindicari potuit (n). Datius Mediolanensium Antistes cum primoribus civibus sub finem anni DXXXVII. Romam ad Belisarium venerat, modicúmque precatus pro urbe sua præsidium Duci spem faciebat, post aliquantum tempus fore, ut obtento Mediolano, partes Cæsaris universa Liguria amplecteretur (o). Ex eodem proposito Mundilas cum mille viris sequenti anno in Liguriam missus, Mediolanum, reliquásque urbes cepit: quod ubi Vitigi nunciatum est; Vrajam ex sorore nepotem Burgundionum auxiliis succinctum Mediolanensium civitati intentare arma, ejúsque perfidiam castigare jubet (p). Utprimùm Barbari Liguriæ Metropolim obsederant; Belisarius confestim Martinum & Uliarem Romanæ militiæ Præfectos de advehendis illuc suppetiis monet (q): hi ad Padum usque progressi, subitò seu hostium metu, seu ex Narsetis consilio hæsitant, id ad speciem causati, quòd, nisi Joannes & Justinus ab Æmilia suas etiam adjungant copias, imparem cum Barbaris sortem, conflictúmque subire cogantur (r). Belisarius nil operæ, quantum in se erat, desiderari passus, factiosos infimis precibus rogat, ut posthabitis privatis simultatibus, commune rei Romanæ bonum in Liguria adjuvare velint. At illi alto supercilio pernegabant, se pedem loco moturos, nisi à Narsete, cujus unius Imperium jam audirent, ad expeditionem evocentur (s). Intereà dum inter Romanos utrinque de auxiliis deliberatur, Mediolanum cum tota Liguria perit; nam Mundilas furente per urbem fame fractus, Vrajæ deditionem sui, civiúmque facere constituit. In ea capita pactio concepta erat, ut præsidiario militi liber commeatus, ac Mediolanensibus incolumitas præstaretur (t): primum licèt Barbarus jurejurando addiceret; alterum dare noluit, ne, quod Vitiges præceperat, perfidiæ multandæ copiam sibi adimeret. Portæ ubi primùm patuêre; Gothi non aliter ac lupi in ovile insilientes obvium quemque virum concidunt: inde in Liguriæ oppida effusi, tantam lanienam edidêre, ut uno impetu trecenta millia periisse proditum sit. In fœminas aliquantò mitiùs, iniquiùs tamen actum est; quas

(n) Idem c. 18. p. 431.

Mediolanenses à Belisario petunt auxilia.

(o) Procop. l. 2. B. G. c. 7. p. 406.

A. 539.

(p) Idem l. 2. B. G. c. 18. p. 431.

Martini & Uliaris cunctatio.

(q) Idem c. 21. p. 436. 437.

(r) Idem p. 437.

Belisarii pro conciliandis animis studia

(s) Idem p. 438.

(t) Idem p. 438.

Stupenda Mediolanensium strages.

quas enim libertate ac pudore immaniter exuerant, Burgundionibus posteà captivas, velut præstiti auxilii pretium transcripserunt (u). Cruenta Mediolanensium clades, tum etiam Liguriæ totius jactura neminem magìs, quàm Belisarium afflixêre (x); atque ut dolori simul suo, salutíque publicæ deinceps consuleret, in factiosos, ac rei Romanæ proditores à Justiniano pœnas exposcit. Arctior temporum status erat, quàm ut Cæsari in singulorum Præfectorum crimina animadvertere licuerit: itaque fontem malorum duntaxat obstructurus Imperator, Narsetem factionis Caput ex Italia in Orientem vocat; quo semoto reliquos Duces rursus Imperio Belisarii submisit. Res Romana inde, quæ discordiâ dilapsa fuerat, consociatis Præfectorum ac militum animis, maxima incrementa accepit; nam Æmiliæ castellis omnibus sub idem tempus (y) ferè captis, Ravenna ipsa ultima Regni Gothici spes petebatur. Vitiges in has angustias redactus, Vacem Longobardorum Regem ad Istrum tunc agentem in societatem armorum, repræsentato etiam pretio impellere adnitebatur; sed Longobardis, quibus Cæsaris adjumento adversùs Gepidas hoc tempore opus erat, in fœdere Justiniani stare, opportunius visum est (z). Vota Regis postquam in irritum cuncta ceciderant; duos Ligures (Sacerdotes fuisse ajunt) vi & pollicitatione amplâ adactos ad Chosroen Persarum Regem dirigit (a). Argumentum literarum, quod hi ferebant, in hanc sententiam perscribebatur: Justinianum, ex quo Persarum bello integer exiisset, Africam primò, dein Italiam invasisse; nec antè licentissimæ grassationi finem fore, dum Occidente everso, Orientis etiam Regna ultima sub jugum cogat: Rem itaque ac tempus poscere, ut disseminato per varias Orbis Provincias bello, Justiniani vires, curæque distrahantur, ne, quod paucos jam premit malum, Universis posteà impendeat (b). Chosroes, quem Justiniani fortuna pessimè dudum habuerat, novis suspicionibus exagitatus, ictum cum Romanis fœdus rumpere maturavit. Gliscente ad Orientis fines bello, Justinianus timuit, ne victus armis Vitiges, consilio demum suo Cæsaris sortem vinceret: ab exitiali igitur proposito ut Gothorum Regem aliquantùm

(u) Idem p. 439

(x) Procop. l. 2. B. G c. 22. p. 440.

Narses Constantinopolim revocatur.

(y) Idem c. 23. 24.

Longobardi negant auxilia Gothis.

(z) Idem c. 22. p. 441.

(a) Idem p. 441.

Vitiges Persas contra Cæsarem in bellum provocat.

(b) Procop. l. 2. de B. P. c. 2. p. 89. 90.

Bellum Persæ in Romanos decernunt.

tùm submoveret, spem pacis eidem facit, quam missis Legatis se proximè daturum pollicebatur (c). (c) Idem de B. P. l. 2. c. 3. p. 94.

32. Dum Romanorum ac Gothorum certamina in Italia nonnihil refrixerant; Franci in novum bellum exarsêre: ægrè hi ferebant, de Dominatu adeò vicinæ Regionis alios tamdiu contendere, dum ipsi in otio considentes, vim nullam interposuissent (d). Ergo proculcatâ fide, quam & Cæsari, & Vitigi jurejurando sanxerant, centum millia (præeunte Austrasiæ Rege Theodeberto) per Alpes in Liguriam se effundunt: venienti hosti tantò securiùs proferre pedem licuit, quantò certiùs Gothi credebant, hanc multitudinem in suæ Gentis auxilium properare. Neque deceptis opinio ejusmodi excidit, dum Franci superato Pado, Gothorum vigilias, dein tota agmina infestâ vi invaderent; tum enimverò Gothi errorem suum detestati, in tumultuariam fugam se conjiciunt: & quoniam insequens urgebat hostis, per ipsa Romanorum castra elapsi, Ravennam petunt (e). Meticulosus fugitantium cursus Romanos quoque in errorem, atque discrimen induxit; nam hi Gothos ab instante Belisario victos, & in fugam compulsos opinati, raptis armis ad absolutionem victoriæ Duci suo occurrere festinant. Sed dum Belisario se jungere manus putant, à Gothis irruentibus repentè circumdati, inimicam vim antè senserunt, quàm hostem agnoscerent: luctati aliquamdiu, in Tusciam salutis causâ se proripuêre. Belisarius Theodeberto scriptis inde literis (*69) violatam fœderis fidem exprobrans, irritâsset Regem magìs; nisi Francos aliud malum ad reditum adegisset: cibariis nimirum ab innumerabili hominum colluvie ibidem brevì absumptis, præter carnem bubulam, & aquam Padi locus incolis vacuus præbebat nihil (f); frigidæ autem

Theodeberti Francorum Regis in Italiam expeditio.

(d) Procop. l. 2. de B. G. c. 25. p. 447.

Franci Gothos & Romanos castris exuunt.

(e) Idem p. 448.

Belisarii ad Theodebertum epistola.

(f) Idem p. 448.

(*69) PROCOPIUS L. 2. de B. G. c. 25. p. 449 recitat Epistolam Belisarii ad Theodebertum Francorum Regem: *Sic sentio, eximie Theodeberte! virum virtute præditum, eúmque in primis, qui tot nationibus imperet, dedecere mendacium; pactorum autem contemptum cum jurisjurandi, quod literis testatum sit, violatione conjunctum, ne infimæ quidem sortis hominibus convenire. Hæc certe scis à te peccari: qui socia in Gothos arma non ita pridem nobis pollicitus, nunc à neutra stare parte haud satìs habes; sed contra nos adeò inconsideratè armatus venis. Absit, ô præclarissime! ut indignum scelus in magnum admittas Imperatorem; qui in rebus maximis vicem reddere, & injuriam graviter ulcisci poterit. Porrò sua quemque tutò possidere præstat, quàm aliena usurpando, sua & quidem maxime necessaria in discrimen adducere.*

tem epotæ vi calorem ſtomachi extinguente, Francorum maxima pars ex alvi profluvio interiit. Quare Theodebertus multiplici Suorum funere turbatus, ne in Italia totum exercitum

Franci in Galliam remeant.

(g) Idem p. 449.

tumularet, mutáto conſilio in Galliam, unde venerat, quàm celerrimè reverſus eſt (g). Poſt diſceſſionem Francorum Romani equidem, non item Gothi à periculo reſpirârunt; nam, ut primùm Theodebertus Italiâ pedem extulerat, Beliſarii acris cura fuit, ut caſtellis Æmiliæ uno impetu captis (h), ultimum in Ravenna expugnanda laborem poneret.

(h) Procop. l. 2. B. G. c. 27.

Ravennæ obſidio.

(i) Idem c. 28. p. 455.

Obſidionis æſtu extra muros fervente, intra urbem durius telum, nempe fames, corpora configebat (i): jámque Vitiges à deditionis propoſito parùm aberat; tum deliberanti Francorum Legati adſunt, Regi auxilium ſuum pollicentes, ſi cum Theodeberto Italiæ Regnum dividere animus eſſet (*70).

Legatio Francorum ad Vitigem.

Beliſarium cùm hæc, quæ in urbe agerentur, minimè laterent, miſſis pariter ad Vitigen Oratoribus teſtabatur, Gothorum rationibus utilius futurum, ſi poſthabitis Francis cum Imperatore ſciſcerent pacem; ſolenne enim hoc Genti eſſe, ut fœderum fidem ex commodorum opportunitate æquè facilè accipiat, quàm deponat: ut cætera taceantur, exemplum hujus nuper Theodebertum dediſſe, quando Italiæ opes anhelans, nec ab amicitiæ legibus, quibus Vitigi devinctus erat, nec à ſacramenti religione, quod Regem ſtringebat, ab inimiciſſima irruptione poterat prohiberi; caveret proinde Gothorum

Beliſarius Gothis cavet, ne cum Francis ineant fœdus.

(*70) PROCOPIUS L. 2. B. G. c. 28. p. 456. & 457. Legatorum Francicorum orationem ad Vitigen ita refert: *Hac nos miſerant Germanorum Principes, graviter ex eo ſolliciti, quod à Beliſario obſideri vos audierunt, & nihil non agentes, ut vobis pro ſociali officio quamprimùm opitulentur. Jam certè non minùs quingenta millia virorum fortium ſuperâſſe Alpes credimus, de quibus hoc jactamus verè, primo illos congreſſu Romanum omnem exercitum ſecuribus obruturos. Vos autem decet ſententiam ſequi, non eorum, qui vobis jugum ſervitutis imponent; ſed qui in dimicationem veniunt, ſummo in Gothos adducti ſtudio. Accedit inprimis, quòdſi nobiſcum arma ceperitis, Romanis nulla ſpes reliqua futura eſt, utramque exercitum ſuſtinendi; ſed eos illicò labore nullo debellabimus. Sin Gothi cum Romanis vires ſociabunt; nec ſic quidem Francorum Genti reſiſtent (iniquus enim congreſſus erit) at certò tandem cum natione vobis inimiciſſima profligabimini. Extremæ autem dementiæ eſt, in exitium manifeſtum ruere, cùm abſque ullo belli diſcrimine offertur ſalus. Præterea Romana Gens planè infida eſt Barbaris, odio, à natura inſito, intercedente: Cæterùm univerſæ Italiæ vobiſcum, ſi vultis, imperabimus, & Regiminis formam, quæ videbitur optima, ſequemur. Jam tuum eſt, & Gothorum amplecti, quæ vobis conducent.*

thorum Princeps, ne ſe Suóſque in Francorum ſinum projiciens, citiùs libertatem cum Regno exuat: ex adverſo Cæſari animum eſſe non minùs ad paciſcendum facilem, atque in ſervanda pactorum fide conſtantem; hujus clementiæ ſi confidere malint, in propinquo fore arbitros, qui de pace tranſigant (k). Vitiges ſeu Theodeberti perfidiam teneriore ſenſu jam perciperet, ſive Juſtinianum & Maurorum, & Perſarum bello occupatum multò mitiorem ſperaret; cum hoc ſolo in fœdus, legéſque pacis ire ſtatuit (l). Digreſſis Francorum Legatis, paulò pòſt ex urbe Regia Orientis duo Senatores adſunt, qui pacem hiſce conditionibus licitentur, ſcilicet, ut Vitiges unâ Regiarum opum parte retentâ, trans Padum regnaret; Imperator verò in Ciſpadanis Regionibus rerum potiretur (m). Poſtquam hæc capita à Gothis approbata fuerant, porrò ad firmitatem pactionis poſtulatum eſt, ut Beliſarius tabulis fœderis peracti teſtibus ſuum ſubſcriberet nomen. Id verò cùm ſe facturum pernegaret; varius inter varios ſermo, ſuſpicióque fuit: Gothis ſe ludificari querentibus, Romanorum complures jactabant, Beliſarium his tricis ſibi Italiæ Regnum ambire. Qui verò propiùs ejuſdem Ducis ſenſa inſpexerant, eidem ajebant eſſe propoſitum, ut ex compoſito obſidionem, calamitatéſque Ravennæ longiùs extrahens, fractum tandem Vitigem, urbémque Cæſari citra arctos pactionis limites vendicaret. Nec aliud Beliſarii conſilium fuiſſe, brevì compertum eſt; nam Gothi famis rabie ultimâ compulſi, duos ex urbe nuncios in Romana caſtra ablegant, qui Regis, Regníque deditionem ſponderent tum, ſi Beliſarius in poſtrema hæc capita conveniſſet. In ſolius Ducis, utì rogabant, alloquium admiſſi, ſecuritati Gothorum, & ne cui vis aut injuria fieret, à Romanis primò cautum voluêre: dein multa de Vitigis infelici dominatu locuti, poſteà poſcebant, ut Beliſarius accepto in ſe Regno Italiæ, Gothorum fortunam reſtitueret (n); Primores enim, quominùs Cæſari ſubeſſe velint, ab illo ſe metu retrahi aſſerebant, ne in jura Juſtiniani tranſlati (o), ab Italia, in cujus complexu totam ætatem tranſegiſſent, in alienas terras more exulum amandarentur. Beliſarius etſi ſpeciem annuentis præ ſe ferret, inſtabant nihilominùs, ut, cujus propoſiti eſſet, jureju-

(k) Idem p. 456.

(l) Idem p. 457.

Pacis conditiones ab Imperatore Gothis propoſitæ.

(m) Procop. l. 2. B. G. c. 29. p. 458.

Beliſarius ſubſcribere conditionibus renuit.

Gothi Regnum Italiæ deferunt Beliſario.

(n) Idem p. 460.

(o) Idem p. 45?.

Beliſarius ſimulatâ ambitione fallit Gothos.

A. 540. rando notaret. Dux, ut incautos porrò falleret, primum caput de abſtinendis à Gente injuriis ſacramento firmat: at de altero ſe juraturum recepit; ubi Ravennam ingreſſus, cum Regni Magnatibus coràm diſſeruiſſet (*71). Utprimùm Beliſarius unà cum Suis Ravennæ mœnia ſubierat (*72); Vitige Rege in ho-
(p) Procop. l.2.B.G.c.29. p. 461. neſtam cuſtodiam dato (p), magnam Gothorum multitudinem in proximas Pado Provincias cibariorum causâ dimittit: re ipsâ, ut citra tumultum ea, quæ meditabatur animo, poſteà exequeretur.
Ravennam cum Vitige capit. His dilapſis Caſtellorum Præfecti Ravennam certatim venêre, ut Beliſario (quem futurum propediem Gothorum Regem credebant) fidem ſuam, ſubditorúmque exponerent (*73). At

(*71) IDEM L. 2. B. G. c. 29. p. 460: *Cùm autem fames rem in aliud differri tempus non ſineret; ſed ingraveſcens ad id ſtimularet; Legatos ad Rom. caſtra iterum* (Gothi) *mittunt, juſſos nihil multitudini aperire, ſèd remotis arbitris fidem accipere à Beliſario, eum nihil mali ipſorum cuiquam irrogaturum, & Italorum,* Gothorúmque *in poſterum futurum Regem: his ita compoſitis, Ravennam cum ipſo ac Romano exercitu venire. Cætera Beliſarius omninò ita, ùt Legati poſtulabant, ſè præſtiturum juravit: quod ad Regnum attinebat, ſe Vitigi ipſi, & Gothorum Proceribus jusjurandum daturum dixit. Hic Oratores ipſum rati nunquam repudiaturum Imperium, at id maximé omnium concupiſcere hortantur, ut ſecum è veſtigio Ravennam intret. Tum Beliſarius Beſſam, Joannem, Narſeten, & Aratium, quos ſibi infenſiſſimos putabat, alium aliò cum turmis, quibus præerant, dimittit, ac ſibi quemque commeatus providere.*

(*72) PROCOPIUS L. 2. B. G. c 29. de felici ſucceſſu eorum, quæ Beliſarius conceperat, ita tunc præſens ſuum judicium tulit: *Mihi verò tunc temporis Romanum exercitum Ravennam ingredientem ſpectanti inſidebat hæc cogitatio, non generoſitate hominum, non multitudine, non animi vi procedere, perficique incœpta: ſed Numen eſſe, quod eorum mentes ſic flectat, ut eò ſemper inducat, ubi nullus erit eventis obex. Cum enim Gothi & numero, & viribus longè eſſent hoſtibus ſuperiores, neque armis decreviſſent, ex quo Ravennam intraverant, nihílque appareret, quod terrore diſtringeret eorum animos; jugum acceperunt à paucioribus, nec ſervitutis nomini infamiam ineſſe ullam duxerunt. Certè fœminæ, quæ à maritis audierant Romanos mole corporis valere, & hoſtibus præſtare numero, cunctæ conſpectabant virorum ora, quos omnes in urbe ſedere viderant, & Victores monſtrantes manibus ignaviam exprobrabant.*

(*73) IDEM c. 29. p. 461: *Poſtquam Barbaris, qui in locis munitiſſimis præſidium agitabant, fama nunciavit, Ravennam & Vitigin in poteſtate Romanorum eſſe; Legatos miſerunt ad Beliſarium, ut ſe, & quæ obtinebant, loca ipſi dederent. Ille omnibus animo propenſiſſimo datâ fide, Tarviſium, & alia quæque ſibi ſubdidit Venetorum munimenta. Cæſenam, quæ in Æmilia reſtabat ſola, priùs, eodem nimirum tempore, quo Ravennam ſubegerat. At Gothi quidem omnes horum locorum Præfecti, ſtatim poſt acceptam fidem, contulêre ſe ad Beliſarium, & cum eo manſêre. Ildibaldus verò vir primarius, qui præſidio Veronenſi præerat, cum eadem, quâ cæteri ratione ad Beliſarium Legatos ideò miſiſſet, quia Beliſarius ipſius filios, quos Ravennæ invenerat, retinebat; Ravennam ipſe non petiit, neque in Beliſarii poteſtatem venit.*

At ille ſimulationis moras eò prorogatum ibat; dum Juſtiniani literis in Orientem ad Perſarum bellum vocaretur (q); tum enimverò vaſa, opéſque Regias colligere, atque Proceres Gothorum cum Rege Vitige navibus imponere cœpit: quod ubi ad Padum uſque, Gothicæ Gentis præcipuam ſedem, vulgatum eſt; indignabantur Principem ſuum, ſuóſque Primores, contrà ac Beliſarius paciſci viſus erat, Conſtantinopolim in ſervitutem abripi: mox dolis Romanorum ac vi infremendo Ticinum convolantes, Vrajam Regem ſibi depoſcunt (*74). Hic verò ad Regni invidiam pavidus, author erat, ut Ildibaldum Viſigothorum Regis propinquum ſibi præpoſitum vellent (*75). Fortuna quippe ac calamitas Gothicæ Gentis pejor erat, quàm ut Ildibaldo aliqua cupiditas Regni ingereretur; ſuadebat ille potiùs tentandum infimis ac poſtremis precibus Beliſarii animum, ne, quod diſſimulando fortè declinâſſet, explorato nunc integro Gothorum ſenſu, regnare abnueret (r). Verùm Dux facto magìs, quàm verbis commonſtraturus, quantum præ ſe cuperet Cæſari,

(q) Idem c. 30. p. 462. *Beliſarius Conſtantinopolim revocatur.*

Vrajas delatum ſibi à Gothis Regnum abnuit.

(r) Idem l. 2 c. ult. p. 463.

(*74) IDEM c. 30. p. 462. Gothorum orationem recitat, quâ Vrajæ Regnum deferre conabantur: *Calamitatis, quâ modò premitur Gothorum natio, nemo, præter te, præcipua cauſa extitit. Nos enim avunculum tuum, inertem adeò & infelicem Principem jamdiu Regno, ut Theodatum ſororis Theoderici filium, detruſiſſemus, niſi illum, quem prodis, ſtrenuum animum reveriti, ſtatuiſſemus, relicto Vitigi Regis nomine, poteſtatem ipſam in te unum transferre. Sed quæ tunc videbatur eſſe benignitas, nunc eò recidit, ut pateat inſaniam fuiſſe, exitiique noſtri originem. Gothorum enim (ùt ipſe ſcis, dilecte Vraja!) plurimos, eóſque fortiſſimos vis Martis ſuſtulit: ac ſi qui inter Gentis reliquias egregii bellatores ſuperſunt, eos cum Vitige & cunctis opibus hinc Beliſarius avehet. Ac nemo eſt, qui neget, brevì tempus adfore, quo ad exiguum numerum, magnámque miſeriam redacti, idem patiamur. Cùm igitur ejuſmodi mala nos circumveniant; honeſtè mori præſtat, quàm liberos & uxores ab hoſtibus in extremum orbem abductos cernere. Porrò ſi te cœptorum Ducem habebimus; procul dubio patrabimus aliquid viris fortibus dignum.*

(*75) IDEM c. 30. p. 463. recenſet rationes, cur Vrajas Regnum à Gothis delatum detrectârit: *Equidem vobis illud aſſentior* (Vrajas ait) *in hac calamitate nobis aleam belli ſubeundam potiùs eſſe, quàm ſervitutem. Quòd autem me Gothorum Regem creare vultis; id à communi utilitate omninò alienum judico. Nam primò, cùm ex ſorore ſim nepos Vitigis, viri, qui rem adeò infeliciter geſſit, hoſtibus eſſem deſpicatiſſimus: ſiquidem vulgaris opinio eſt, ad propinquos infortunia propagari. Deinde, ſi Regnum occuparem avunculi, viderer ſcelus admittere; quod à me pleroſque veſtrûm meritò alienaret. Ego verò ſic ſtatuo, Gothorum Regem in extremum iſtud diſcrimen deligendum eſſe Ildibaldum, ſummâ virum fortitudine & navitate ſingulari: qui (ùt apparet) in belli ſocietatem Theudin avunculum, Viſigothorum Regem, propinquitatis vinculo pertrahet. Itaque meliori cum ſpe hoſtem armis petemus.*

ſari, conſcensâ navi, Vitigem, Gothorum obſides, ac Regias opes Conſtantinopolim deportat. Vix Italiæ conſpectui proficiſcentes citatus navium curſus eripuerat; tum magna inter Gothos comploratio, major inter Romanos Duces pudor fuit (s); nam qui Beliſario perfidiæ, aut tyrannidis quæſitæ labem infeſto rumore affricuerant, hi conſiliorum exitu jam defixi aut convicti errorem ſuum damnare cogebantur. In urbem Regiam postquam Beliſarius pervenerat; jucundum populo ſpectaculum erat, alterum jam contueri Regem, quem Dux idem Conſtantinopolim inter catenas adduxiſſet: non minus admirationis habuêre theſauri, qui à Theodorico collecti, amplum Cæſaris ærario incrementum dabant; demum omnium ore celebrabatur, unius Ducis ingenio ac brevi tempore eveniſſe, ut maxima terræ marísque portio ad Imperii integritatem rediiſſet (*76).

Beliſarius Vitigem deportat Conſtantinopolim.

(s) Idem l. 2. c. 30. p. 462.

Beliſarii ingens nomen & gloria.

A. 541.

33. Lætitiæ communis ſigna, quæ hoc tempore Conſtantinopoli edebantur, Perſarum bellum interrupit; Choſroes namque violato ſuperioris anni fœdere, Edeſſam (t), Darámque (u) nobilia Romanorum caſtella in poteſtatem cogere adniſus, non ante infeſtam vim poſuit, dum numeratâ ingenti ſummâ tantiſper placatus in Perſidem remigraret. Juſtinianus inde conjectans, Perſas pro futura æſtate pejora moliri, Beliſarium ſub vernum tempus in Meſopotamiam properare jubet: accepto illinc ab exploratoribus nuncio, Choſroen cum Hunnis alibi graviter luctari, continuò Niſibi exercitum admovet; hujus verò quanta alacritas in oppugnando, tanta præſidiarii militis in defendendo

(t) Procop. de B. P. l. 2. c. 12. p. 119.

(u) Idem c. 13. p. 120.

Choſroes Rex Perſarum tentat Edeſſam & Daram.

(*76) PROCOPIUS L. 3. B. G. c. 1. p. 465. edit. Pariſ.: Juſtinianus, *poſtquam Theoderici Gazam, ſpectatu ſanè dignam, in palatium accepit; Senatui quidem contemplandam propoſuit apud ſe, rerum geſtarum magnitudine glorians; at neque illam exhibuit multitudini, nec triumphum Beliſario decrevit, uti fecerat, cùm ille ex Africa rediit, Gelimeris & Vandalorum Victor. Nihilominùs tamen in ore omnium vigebat Beliſarius, duas adeptus victorias, quales nemo unquam anteà retuliſſet: quippe qui captivos Reges duos advexiſſet Byzantium; præter opinionem in Romanorum manus adduxiſſet progeniem, ac theſauros Gizerici & Theoderici, quibus Regibus inter Barbaros nemo unquam fuit illuſtrior; receptas ex hoſtibus divitias Reipublicæ reſtituiſſet: atque exiguo tempore dimidiam ferè & terræ & maris partem Imperio recuperâſſet. Byzantii civibus jucundum quotidiè præbebat ſpectaculum Beliſarius, ſive in forum prodiret domo, ſive domum rediret; nec videndi ſatietas quenquam capiebat. Nam illius in publicum egreſſus pompæ erat magnificentiſſimæ ſimilis; cùm ingens Vandalorum, Gothorum, ac Maurorum caterva ipſum uſque comitaretur.*

fendendo fuit (x). Unde, ne mora frustrà absumeretur, Sisauranum felicioribus armis itum est (y); hoc enim post breve certamen capto, in Persiam longius iter patuit: ac fuêre inter Cæsareos Duces, qui vellent, ut omissis reliquis urbibus, Ctesiphontem usque agmina procurrerent. Belisarius imprudentiam consilii ostensurus, rem ajebat esse periculorum plenam, si quis relictis à tergo munitionibus, in hostile solum temerè irruat: itinera sæpè per angusta viarum tam arctè trahi, ut ægrè eluctantem exercitum pauci hostium manipuli & à fronte ac tergo simul intercipere, aut planè delere valeant (z): adhæc æstum Solis, quo Mesopotamia ferveret, tertiam copiarum partem exanimâsse; ut proinde reliquias peditum, equitúmque in tutiora ac salubriora loca reducere necesse sit (a). Dum ista in Mesopotamia agebantur; Chosroes à Lazis in Colchidem vocatus, Petram urbem ad Pontum Euxinum municissimam Romanis ademerat. Sed ubi de irruptione Belisarii in Persidem, déque Sisaurano expugnato certiùs cognoverat; imposito Petræ præsidio, remeat in sui Regni fines. Quò minùs ultra in Romanos procederet, tempestas anni elabentis prohibuit; quare & Belisarius, sepositâ belli curâ, Constantinopolim reversus, ibidem hyemem exegit (b).

(x) Idem c. 18. p. 130.

(y) Idem c. 19. p. 133.

Belisarius Sisauranum castellum expugnat.

(z) Idem c. 19. p. 132. 133.

(a) Idem p. 134. 135.

Redit Chosroes in Persidem, Belisarius Byzantium.

(b) Idem p. 135.

34. Appetente Vere, Rex Persarum superioris anni injurias ulturus, proximis Romanorum oppidis ingentem pecuniæ vim imperat: deinde secundùm Euphratem innumerabilem trahens exercitum, propè Sergiopolim castra metatur. Candidum urbis Episcopum improvisus Chosrois adventus non parùm perculit, propterea quòd cives exactioni factæ necdum fecissent satìs: ad mitigandam tamen hostis iram in castra Antistes solus egreditur; posteà inopiam suam, urbísque causatus, remitti, aut minui tributi acerbitatem rogat: quo inviso orationis genere Regis iram in se ita accendit, ut is Præsulem excarnificare suppliciis non cessaret; dum præter opes civitatis, etiam Ecclesiæ thesauros à Candido extorsisset (c). Sergiopolitanorum argentum ubi Chosroes propè omne hunc in modum receperat; etiam urbem seu insidiis, seu apertâ vi capere aggressus est: sed utroque conatu in irritum cadente, adustum Sole militem ad mitiores Co-

A. 542.

Chosrois sævitia in Candidum Ep. Sergiopol.

(c) Procop. de B. P. l. 2. c. 20. p. 136.

Chosroes Comagenam expilat.

magenæ agros transtulit. Nihil illinc denuò rapinis suis intactum inviolatúmque relinquens, cuncta penitùs eradebat; quibus tamen spoliis adeò non suam auri famem expleverat, ut & de auferendis Hierosolymorum thesauris cogitaret (d). Ex Ducibus Romanis, trepidè ad munimenta dilapsis, cùm nullus esset, qui manum cum hoste conserere, aut vagantem Chosroen ab infestis itineribus palàm retardare auderet; Belisarius Constantinopoli ad rem restituendam in Euphratesiam anxius accurrit: castigato ille Præfectorum timore, dispersas copias propè Europum in unum agmen colligit, collectásque in aperta castra rursus educit (e). Chosroi utprimùm de Belisarii adventu nunciatum est; Abandanem mittit, qui legationis specie Ducis ingenium, vírésque exploret. Belisarius cognitâ Persarum fraude, deligit sex mille viros corporis proceritate præstantes, quorum comitatu stipatus, venandi studium simulans, sub tentorio tumultuariè composito Legatum neglectim excipit (f): iste, quo profectioni suæ causam prætexeret, Romanis exprobrabat, nullos de pace sancienda (contrà ac promissum esset) Oratores in Persidem mitti; ac proinde hoc neglectu occasionem turbarum studiosè quæri. At Belisarius, quàm parùm timens, tam suprà vires audax, Emissario prædationes Imperii objectabat, quibus dum alia acerba, quæque ad rem essent, adjunxerat, oratione falsâ ac brevi territum dimisit. Abandanes inde confestim ad Suos se proripiens, Regi, cunctísque reditum tempestivum in Persidem persuadere conabatur; affirmabat enim se cum eo Duce egisse, qui mortalibus omnibus fortitudine & prudentiâ antecelleret, quíque eo circumdatus fuisset milite, cujus compositio ac forma Persarum vires, dimicandíque habilitatem longissimè superaret. Accedere porrò, ajebat, illud ad sortem Romanorum, quòd his, siquidem belli aleâ caderent, facilis in propinqua castella receptus sit: quódque victoriâ potiti Persæ aliam laudem haud ferre possint, quàm quâ servum Cæsaris vicisse fortuitò dicantur. Verùm si Chosroes vel cæsus, vel fugatus bello exiret; probrum (inquiebat) Regi Gentis totius, ac exercitui internecinam in peregrino solo cladem impendere. Monitis ejusmodi postquam Abandanes Chosroem subegisset; idem, seu fortunam Belisarii

(d) Idem p. 137.

Chosroes Hierosolymorum thesauris inhiat.

(e) Idem c. 21. p. 138.

Belisarius in Euphratesiam venit.

(f) Idem p. 139.

Abandanes Chosroi reditum persuadet.

lisarii, seu virtutem veritus, citato cursu per Euphratis fluenta relegit iter (*77): fugienti Belisarius nihil obmovendum ratus, in castris perstitit; operæ enim pretium se facturum existimabat, si terrore nominis, ac vitatâ aleâ certaminis à militibus oppidò paucis ineundi, ingentem Barbarorum multitudinem extra Imperii fines depelleret. Neque alterius sententiæ omnes boni fuêre, per quorum ora volitabat, Belisarium hâc re gestâ seipsum superâsse (g), majúsque nunc gloriæ decus adeptum, quando Chosroes callidis inventis circumscriptus, captâsset fugam, quàm dum Ducis ejusdem operâ duo Vandalorum ac Gothorum Reges Constantinopolim deportari videbantur. Quemadmodum omnis virtutis comites invidia ac livor esse solent; ita non defuêre, qui vitio verterent, Belisarium ignavis oculis, manibúsque effugium Chosrois aspexisse: Callinicum inde porrò, criminabantur, in manus incidisse Persarum; quæ damna adductus in terga hostium exercitus profligare potuisset (*78). Obtrectatio ejusmodi primò inimicorum sermonibus jactata, posteà etiam à Theodora Augusta Cæsaris auribus ingesta, Justiniani animum ita evertit (h), ut, qui Ducis gloriæ invidebant, nunc demum tempus viri exitio opportunum crederent; atque ut citiùs caderet, novam

Chosroes Euphratem trajicit.

Laus Belisarii ex re gesta

(g) Procop. l.2.B.P. c.21. p.140.&141.

Criminationes à malevolis adversùs Belisarium jactatæ.

A. 543.

(h) Procop. in H.arc. c.4.

(*77) IDEM L. 2. B. P. c. 21. p. 139. & 140: *Chosroës admonitione pervictus, optabat sanè reditum; hærebat tamen inops consilii, cùm ab hoste transitum fluminis obsideri putaret, neque eâdem viâ reverti idcircò posset, quòd illa humano cultu prorsus vacabat, résque cibaria jam omninò Persas defecerat, quâ antè instructi Romanorum terras intrârant. Re diu multúmque cogitatâ, visum tandem est optimum factu, tentare ferro & vi viam sibi facere in oram oppositam, pérque regionem commodis omnibus affluentem habere iter. Nec Belisarium prateribat, ne centena quidem hominum millia ad Chosroen transmissione probibendum sufficere. Nam ibi fluvius per longissimum tractum pluribus in locis trajici navigiis potest Sed hæc præcipua causa, quòd exercitus Chosrois validior erat, quàm ut hostiles copiolæ illi transitum intercluderent. Quare Diogeni & Adolio per literas mandavit, quamprimùm cum illis suis mille adversâ ripâ decederent, ut incerti consilii obscuritate turbarent Barbarum: quem cùm, ùt dicebam, terruisset, ne quid eum in Romano solo teneret, verebatur. Enimverò operæ pretium esse judicabat, exercitum depulisse vitatâ certaminis aleâ* &c.

(*78) PROCOPIUS in Hist. arcan c. 3: *Paulò pòst adversùm Persas & Chosroen tertiò jam in Provincias Romanorum grassantes ducere jussus exercitus; quamquam inde cum laude hostem abegerit, sceleris tamen notam subivit. Cùm etenim Chosroen, qui Euphrate transmisso, Urbe frequentissimâ Callinico omnibus destitutâ præsidiis potitus erat, infinitâ Romanorum multitudine in suam potestatem redactâ, Belisarius insequi nihil curaverit; sed in castris se continuerit, suspicionem de se excitavit, quasi vel rem de industria male gereret, vel ignaviter hostibus concederet.*

vam accuſationem Beliſario impingunt, nempe eundem ægrotante nuper Imperatore æquanimiter tuliſſe, ut per caſtra in Principem probra, aliáque contemptûs indicia impunè volitarent. His auditis, Juſtinianus ſe tenere ampliùs non potuit, quin Beliſarium bonis, honoribúſque exutum per duos omninò annos (i) extra omnem Reipublicæ curam amandaret (*79). Exauthorato Magiſtro militum, Martinus Dux deinceps bellum in Oriente, ſed infelicibus armis geſſit (k); nam in Perſarmeniam tumultuariè & fidentiùs, ac tempora ferebant, invectus, repentè in inſidias hoſtium incidit, tum tantâ ſtrage afflictus eſt, ut cæſis multis, & pluribus ab hoſte captis, eâ die res Romana ferè internecionem paſſa ſit; peſtis tamen, quæ tunc in Oriente ſæviebat (80), fecit, ut uterque exercitus in quinquennales inducias convenerit (*81).

Beliſarius in offenſionem Juſtiniani incidit.

(i) Pagius in Critic. T. II. ad an. 542. N. IV.

(k) Procop. l. 2. B. P. c. 25. p. 150.

Romanorum clades.

A. 544.

A. 545.

Peſtis in Oriente.

35. Non

(*79) IDEM in Hiſt. arcan. c. 4: *Beliſarium* (inquit) *nulli licèt crimini obnoxium; Auguſtâ tamen inſtante, Imperator exauctoravit, Martino ejus loco exercitui Orientis Duce deſignato. Miſerum ſanè & acerbum ſpectaculum, etſi viſum, haud tamen facìle creditu, Beliſarium hominem jam privatum, urbem obire ſolum, nunquam non cogitabundum, ac triſtem, ſibi timentem inſidias, cædémque.* In eodem Capite 4to Procopius mox ſubjungit, quâ ratione Beliſarius reſtiturus fuerit gratiæ Imperatoris: *At ubi trepidantem illum Auguſta* (Theodora) *deprehendit, & animum penitùs deſpondentem, uno effecit conatu, ut omnium ejus fortunarum* (Beliſarii ſcilicet, cujus bonis eadem Auguſta inhiabat) *adiret poſſeſſionem, contractâ ſtatim affinitate. Nam Joanninam Beliſarii filiam, quæ una illi fuit, Anaſtaſio ex filia nepoti ſpondendam curat.*

(*80) PROCOPIUS L. 2. B. P. c. 22. agit de Peſtilentia, quæ annos quinquaginta & ampliùs graſſata eſt: *Sub idem tempus* (nempe ſecundam & tertiam Choſrois in Romanos expeditionem) *orta eſt peſtilentia, quæ cultum, & genus humanum tantùm non abolevit omninò..... ab Ægyptiis orta, Peluſii incolis: indéque hàc Alexandriam, & reliquam Ægyptum pervaſit; illàc in Palæſtinam Ægypto conterminam diffuſa, inde totum orbem occupavit..... Altero demum anno, adulto Vere, Byzantium pervenit: ubi fortè eodem ego, quo illa, tempore verſatus ſum.* Ex Procopio proinde oculato teſte, corrigendus hìc eſt THEOPHANES, qui ad an. Incarnationis ſecundùm Alexandr. DXXXIV., ſive anno 541. ait, *menſe Octobri* peſtem Byzantii cœpiſſe. EVAGRIUS L. 4. c. 29. de ejuſdem peſtis diuturnitate ita loquitur: *Peſtis duobus jam & quinquaginta annis* (qui cœpti fuerant ab anno 541) *quod nunquam antea accidiſſe legitur, graſſata eſt*, occaſione hujus luis. *Eodem quoque anno* (ùt ait THEOPHANES) *Hypapante, ſive occurſus Domini menſis Februarii die II. celebrari cœpit;* ſed de iſtius feſti initio plura dicemus infrà in C. 2., ſive in Hiſt. Eccleſiaſtica.

(*81) PAGIUS ad an. 545. contra CONTINUATOREM MARCELLINI oſtendit, inducias primas quinquennales inter Perſas & Romanos pactas eſſe anno DXLV; ídque probat ex PROCOPIO, qui L. 2. B. P. c. 28. ait: *Romanos inter ac Perſas pactæ ſunt quinquennales induciæ, Juſtiniano Aug. Imperii annum agente XIX;* nam

35. Non feliciore sorte per idem tempus à Cæsaris Ducibus in Italia pugnatum est; nam ex quo Belisarius Constantinopolim cum captivis abierat; reliqui Præfecti, omisso bello, ad expilanda Gothorum bona duntaxat studium, vímque omnem converterunt (l). Inter omnes verò acerbior erat Alexander Quæstor, cujus emungendi, ac rapiendi modus tam insolens erat, ut, quicunque Gothi jam Romanorum jugum admiserant, hoc protinùs excusso, cum Ildebaldo novo Rege in arma ruerent. Neque præeunte tam provido Principe, Gentis Gothicæ conatibus fortuna defuisset; nisi eodem anno, quo Ildebaldus fasces ceperat, suorum insidiis esset extinctus (m). Post hujus fatum quies aliqua Cæsareis data est, Rugiis & Gothis de Successore Regni disceptantibus. Nam dum illi popularem Euraricum: hi verò ex genere suo oriundum Totilam designabant, domi hunc in modum ardente bello, foràs certare non licuit. Intestina illa æmulationum certamina tamdiu tenuêre, dum occiso tandem Eurarico (n), Totila vota omnium, Regnúmque sibi vendicaret; quo facto interna Gothorum pax restitui, ac simul bellum contra Romanos recrudescere cœpit. In Veronensi agro primò utrinque acies æquis viribus concurrebat (p); at Cæsareus miles Totilæ ingenio mox succubuit, dum hic manipulos suorum ex insidiis locatos tam valido, támque subito impetu in terga Romanorum immisit, ut circumventos scissis ordinibus turbaret, turbatósque in probrosam ejiceret fugam (q). Victoriæ hujus fructum Totila non modicum habuit; præterquam enim, quòd Tusciam, Campaniam, ac Samnium palando percurreret, Beneventum quoque, & Neapolim in potestatem recepit (r). Rex Gothorum his successibus inflatus, Romanam urbem postremùm invadere cogitat: & subjugandi illam eò major spes hoc tempore affulgebat, quò diriùs vexati à Cæsareis (*82) cives mitio-

Negligentia & avaritia Romanorum Ducum in Italia.

(l) Procop. l. 3. B. G. c. 1. p. 468.

A. 540.

(m) Idem c. 1. p. 470.

Ildebaldus interficitur.

A. 541.

(n) Idem p. 471.

Totila Rex Gothorum.

(p) Idem c. 3. p. 472.

A. 542.

Romanorum clades & fuga

(q) Procop. l. 3. B. G. c. 4. p. 476.

A. 543.

(r) Idem c. 6. p. 478.

Totila multas urbes expugnat.

nam secundæ induciæ cùm initæ sint anno XXV. Justiniani, & inter has & priores intercesserit spatium octodecim mensium, facilè sequitur, quòd, sicut alteræ induciæ compositæ fuerunt anno DLI; ita priores initium habuêre ab anno DXLV.

(*82) PROCOPIUS L. 3. de B. G. c. 9. p. 485: *Intereà exercitûs Romani Duces, ac milites subditorum fortunas diripiunt, séque incontinentiæ & libidini penitùs dedunt. Ac Duces quidem in munitionibus habebant apud se scorta, & comessabantur: milites verò,*

mitiorem dominatum reſpectabant (*83). Quamprimùm de ſupremo urbis, ac exercitûs ſui periculo Juſtinianus nuncium accepit (s), inops conſilii in omnem partem verſabat animum; Perſarum quippè bellum non ſinebat, ut inde avocarentur copiæ: & peſtis Conſtantinopoli infeſta obſtabat (t), quò minùs nova pro Occidente auxilia legerentur. Deſperatæ rei ex ſumma mali cauſa remedium tandem aliquod calamitatis venit; nam cùm in Perſas æquè, ac in Cæſareum exercitum lues graviſſima ſub idem tempus graſſaretur, utrique parti à manibus arma non tantùm defluxêre (u); ſed & Choſroes cum Martino Romano Duce in quinquennium de induciis iniit fœdus. Poſtquam in Perſidis finibus à bello aliquantùm ceſſabatur; de Italiæ ſtatu meditari ſubinde licuit. Qui verò hanc expeditionem ſuſcipere meliùs poſſet, nemo erat, quàm Beliſarius (x), qui Gothorum anteà Victor, nunc terrore nominis, quod viribus alii non valuerant, confectum daturus credebatur: eo conſilio repentè ad honores priſtinos, & in amicitiam Cæſaris evocatus, ad reſtituendam Romanorum fortunam in Italiam citiſſimo itinere pergere jubetur. Ibat ille, non (ùt olim) copiarum multitudine, ſed quatuor armatorum millibus, quæ per Illyricum ægrè coëgerat, tenuiter accinctus (y). Ravennam ubi hanc parvam militum manum navibus deduxerat; doluit enimverò vir fortiſſimus, res ſuâ virtute partas Ducum negli-

(s) Idem c. 9. p. 487.

(t) Idem l. 2 de B. P. c. 23.

(u) Idem l. 2 de B. P. c. 28.

(x) Idem l. 3 de B. G. c. 10. p. 487.

A. 544. *Beliſarius redit in gratiam Juſtiniani, & mittitur in Italiam.*

(y) Idem p. 487.

verò, corroboratâ adversùs ipſos contumaciâ, in omne inſolentiæ genus prolabebantur. Itali univerſi acerbiſſimè ab utroque vexabantur exercitu: hinc agris à Gothis, inde cunctâ ſupellectili à Cæſarianis exuti. Præterea nullâ de causâ vapulabant, & inediâ necabantur. Cúmque ab illis injurias hoſtium probibere non poſſent milites; adeò non præſentem rerum ſtatum erubeſcebant, ut ſceleribus ſuis deſiderium Barbarorum in eorum animis excitarent.

(*83) IDEM L. 3. B. G. c. 9. refert epiſtolam Totilæ ad Romanos, cujus argumentum multos ad Gothorum partes inclinavit: *Videte jam, quo pacto excuſaturi ſitis, quæ admiſiſtis in Gotbos. Parúmne vobis cognita dicetis Theoderici, & Amalaſunthæ beneficia? An temporis longinquitate & oblivione deleta ex animis? Neutrum ſanè verum. Neque enim eorum beneficentia in rebus quibusdam levibus ac mediocribus patuit, idque prioribus ſæculis.... Præclarè Græcos (ùt opinor) excepiſtis hoſpitio: quales autem nacti ſitis hoſpites & amicos, non ignoratis; ſiqua manet memoria rationum, quas Alexander inſtituit. Silentio milites prætermitto, ac militum Duces; quorum ſcilicet benignitas, & animi magnitudo cùm vos juvêre plurimùm, tum ipſos in hunc rerum ſtatum adduxêre.... Vobis igitur locum purgandi vos apud Gothos, & nobis cauſam aliquam date parcendi vobis. Dabitis autem, ſi non exſpectato belli exitu, dum vobis exigua, ac vana ſpes quædam ſupereſt, conſilia referatis in melius, & quæ peccâſtis in nos, emendetis.*

negligentiâ, aut vitio in poteſtatem hoſtium recidiſſe: conſultanti de mediis, quibus curſum belli proveheret, arcta omnia erant & impedita; nam Tiberis à Gothis undique obſeſſus, commeatus Romam inter & Ravennam interclusus, ſubacta Campania conatibus quibuſcunque moras aut obſtacula oppoſuêre. Ad difficultatum cumulum id etiam acceſſit, quòd Illyrii auxiliares (z) in Patriam clàm ſe ſubducere, Iſauri ſtipendia Gothorum præoptare, atque ipſi adeò Romani ad Totilam apertâ defectione transfugere haudquaquam vererentur (a). Beliſarius, maximis periculis obſeptus, cùm omnia viribus non poſſet, ſaltem aliquid ingenio moliri exorſus eſt. Mittit itaque Duces alios aliò, ut hoſtem velitum more laceſſentes (b), tamdiu eundem à Romæ mœnibus ac obſidione retrahant, dum à Juſtiniano validiora laborantibus auxilia ſubvenirent (*84). Emiſſariæ cohortes, etſi per Provincias brevi tempore Gothis obluctarentur; multitudine tamen aut inſidiis hoſtium, aut, quod acerbius erat, proditione vincebantur (c).

Quantis cum difficultatibus luctari debuerit Beliſarius.

(z) Idem c. 11. p. 490

(a) Idem p. 489.

(b) Idem c. 11. p 490. 491.

(c) Idem c. 12.

36. Quantum per levia certamina Cæſareus miles minuebatur, tantum in diem Gothorum creſcebat animus (85): captis hi A. 545.

(*84) IDEM c. 12. p. 492. exhibet literas Beliſarii, quibus à Juſtiniano auxilia nova poſcebat: *In Italiam pervenimus, Imperatorum optime! à militibus, equis, armis, pecuniâ imperati: quæ ſi cui, quantum ſatis eſt, non ſuppetant; nequaquam is (ùt equidem ſentio) bello gerendo par eſſe poterit. Thraciâ atque Illyrico continenter peragratis, milites coëgimus perquam paucos: quos miſellos, inermes, & ad pugnam omninò rudes videmus; eos autem, qui hìc remanſerant, parùm ſorte contentos ſuâ, hoſtium metuentes, & crebris perculſos cladibus, qui congreſſum hoſtilem conſultò vitant, dimiſſis equis, armiſque in terram projectis. Nec pecuniæ quidquam redire nobis ex Italia poteſt, jam ab hoſtibus recepta. Quo fit, ut ſtipendiis die præſtitutâ non perſolutis militi, non ſit integrum nobis illi imperare: nos enim loquendi libertate debitum privat. Id etiam, Domine! pro certo habe, eorum, qui tibi militabant, maximam partem ad hoſtes deſciviſſe. Itaque ſi nihil aliud oportuit fieri, quàm venire in Italiam Beliſarium; ne ſibi bellum optimè inſtructum eſt; jam enim medios inter Italos dego. At ſi bello vis hoſtes vincere; alia parari neceſſe eſt: nam belli Imperator, meâ quidem ſententiâ, nemo fuerit, niſi militare miniſterium adſit. Quare haſtatos Stipatores & Scutarios meos huc mitti inprimis convenit; tum plurimas Hunnorum, aliorúmque Barbarorum catervas, quibus jam nunc pecunia repræſentanda eſt.*

(*85) IDEM c. 13. p. 405. de tota Beliſarii expeditione acre fert judicium: *Ac mihi videtur Beliſarius vel minùs ſanum iniiſſe conſilium* (cùm primò Ravennam tenderet, ubi incluſus belli momenta in hoſtis manu poſuit) *quòd tunc Romanis calamitas impenderet ineluctabilis: vel optâſſe quidem potiora, ſed illi Deum obſtitiſſe, volentem Totilæ, Gothiſque opitulari; eóque factum, ut optima conſilia in contrarium ceciderint in*

(d) Idem c. 12. p. 493.

Totilæ obsidioni urbis Romanæ intendit.

(e) Idem c. 15. p. 500.

Ignavia Bessæ urbis Romanæ Præfecti.

(f) Idem c. 15. p. 500.

hi plurimis arcibus (d), Romanæ etiam urbi propinquare cogi- tabant; tum Belisarius duos Duces fortissimos (Valentinum & Phocam) cum selectarum copiarum robore antevertere iter, & Tiberis portum occupare citiùs jubet, quàm hostis Romæ exercitum circumfundat; inde enim facilè futurum ominabatur, ut ex Sicilia in urbem annona invehi posset: & si conjunctis consiliis Bessas Præfectus urbis sæpiùs in Gothos erumperet, Duces verò terga hostium cæderent, obsidionis æstus vel frigesceret, aut eò distraheretur, dum ex Dalmatia exspectatæ diu Justiniani cohortes in auxilium Romæ adducerentur. Equidem Valentino & ejus comiti hæc Belisarii mandata curæ fuerunt: at Bessas nunquam induci potuit, ut extra urbis mœnia vel pedem moveret, itaque hujus solius ignaviâ tum duorum Ducum, tum urbis salus profligata est (e); nam Valentinus & Phocas cùm à Bessa nequicquam monito expeditionis suæ nullum haberent subsidium, à Gothis obruti unà cum suis ita perierunt (*86), ut casu suo spem servandæ urbis simul præcipitarent. Ab eo enim tempore occupato à Gothis Tiberis portu, quæcunque anteà ex Insula Sicula res frumentaria in urbem advecta fuerat (f), jam occlusis ostiis longissimè arcebatur. Invalescente proinde fame, Romani de induciis petendis multùm meditati, harum Oratorem tandem

---

in Belisario..... Rursus hominem infelicem prudentia, opinor, deserit; intelligentiam, & veri notitiam ipsi auferente patiendi necessitate. Ac si quando appositè deliberaverit, continuò fortunæ reflatus sapienter initam rationem in pessimos exitus demutat.

(*86) IDEM c. 15. p. 499. & 500: *Belisarius Valentinum & Phocam, è suis unum Protectoribus, virum bello egregium, cum copiis ad Portum Romanum misit, ut castellum Portuense cum ejus præsidio, cui præerat Innocentius, tuerentur, & pro virili parte castra hostium fatigarent excursionibus. Itaque Valentinus & Phocas, submisso Romam nuncio, Bessæ significant, se continuò in Gothorum castra inopinatum facturus impetum: proinde necessè esse, ut ex militibus, quos haberet Romæ, pugnacissimorum delectu habito, cùm videret incursum fieri, subsidio curreret. Id Bessæ non placuit, quamvis militum tria secum haberet millia. Quare Valentinus & Phocas cum quingentis castra hostium aggressi de improviso, nonnullos conficiunt: unde statim tumultus ad obsessorum aures pervenit. Cùm autem ex urbe nemo erumperet, omninò incolumes ad Portum se celeriter receperunt. Ad Bessam iterum mittunt, déque illius præpostera cunctatione expostulant: & asserentes se alteram brevì impressionem daturos; hortantur, ut ipse in tempore viribus omnibus in Barbaros irruat. Nihilo is minùs renuit, cum hoste extra muros armis decernere. Valentino autem & Phocæ deliberatum erat, hostem invadere cum majoribus copiis..... Ille viros ad pugnam impigros in insidiis posuit: quas delapsi postridiè Valentinus & Phocas cum suis, amissâ parte eorum maximâ, ipsi quoque appetunt.*

tandem Pelagium Diaconum (*87) in caſtra Totilæ ablegare decreverunt. Legationem etſi Rex officio quodam probari ſibi oſtenderet (g); monebat tamen, ne pro transfugis reſtituendis, aut de reficiendis mœnibus Romæ fierent preces: tum ne ſibi Siculos, qui primi à Gothis defeciſſent (*88), puniendi facultatem extorquere quiſquam conaretur. Pelagius, antequam feciſſet verba, intra has anguſtias compactus, ferè obmutuit, nec alium legationis fructum retulit, niſi ut nudi honoris beneficio ornatus, ad ſuos celerrimè rediret (h). Cives poſtquam hâc ratione ſe vel fame, vel ferro hoſtis perituros cognoverant (i); Beſſam circumſiſtunt, & hiantes famelico ore, conciſis (ùt luctantes cum morte ſolent) verbis interpellant, velit eam cunctis adimere vitam, quam cibariis alere non poſſet. Beſſas deſperanti turbæ pro re verba daturus, ad urticas ac inſolitas dapes (*89) cunctos remiſit, quibus famem tolerarent, quoad naves

Pelagii Diaconi ad Totilam legatio.

(g) Idem c. 16. p. 502

(h) Idem c. 16. p. 503.

Fames vexat Romanos.

(i) Idem c. 17. p. 504.

(*87) IDEM c. 16. p. 501: *Erat in Clero Romano Pelagius Diaconus, Romam haud ita pridem cum magnis opibus reverſus Byzantio: ubi diu moratus, in Juſtiniani Auguſti amicitiam ſeſe penitus inſinuaverat. Obſeſsâ urbe, maximam pecuniæ partem largitus inopibus, ſuâ illâ benignitate, ad priſtinum nominis ſplendorem, quem apud Italos omnes obtinuerat, meritum adjecit cumulum. Romani in ſummas anguſtias adducti fame, huic Pelagio perſuadent, ut Totilam adeat, & paucorum dierum inducias eâ conditione paciſcatur, ut, ſi intra id tempus Byzantio ſubſidii nihil acceperint, ſecum urbem Gothis permittant.*

(*88) IDEM c. 16. p. 502. refert orationem Totilæ ad Pelagium, in qua cauſas dat, cur Siculis Gothorum Rex parcere nolit: *Fuit Inſula illa jam inde olim fortunatiſſima cùm proventu pecuniæ, tum frugum, quas parit, copia: ita ut non ſuos modò incolas benignè alat; ſed vos etiam Romani annonam inde, quantâ opus eſt, quot annis exportetis. Quamobrem Romani Theodoricum ipſo initio rogârunt, Inſulæ frequens Gothorum præſidium imponere nollet, ne ipſorum libertati, felicitatique officeret. Eò loci res erat, quando hoſtilis exercitus in Siciliam appulit, numero, rebúsque omnibus nobis impar. Siculi conſpectâ claſſe, non id Gothis renunciârunt, non ſe commiſerunt munitionibus, non hoſtem propellere decreverunt; ſed promptiſſimè patefactis urbium portis, inimicas nobis copias porrectis manibus acceperunt; jamdiu infideliſſimorum mancipiorum ritu, aucupati (ùt opinor) occaſionem evadendi fugâ ex herili manu, & novos, ignotósque ſibi Dominos nanciſcendi. Inde hoſtes, tanquam ex propugnaculo erumpentes, univerſam labore nullo occupârunt Italiam, & hâc potiti urbe, tantum ex Sicilia advexerunt frumenti numerum, ut Romanis omnibus anno integro, quo obſeſſi fuêre, ſufficerit.*

(*89) IDEM c. 17. p. 505. vim famis in urbem Romanam graſſantis deſcribit: *Intereà fames, longâ morâ invaleſcens, in magnum malum evadebat, cibos ſuggerens à communi uſu, naturáque hominum abhorrentes.... Si cui Romano mortuus equus, aliúdve quidpiam ſuppeditabat, is inter feliciſſimos numerabatur; quòd carnibus extinctæ pendis*

naves ex Oriente & militem, & annonam meliorem brevì adveherent. Afflictissimæ urbi hoc extremum solatium unum supererat, quòd Belisarius eodem tempore cum commeatu numerosas copias ex Dalmatia in Calabriam transferret (k). Quamprimùm enim is ad Hydruntis littus applicuerat; Joannem Ducem cum Herulis per Brutiorum, Lucanorúmque agros tendere, Gothósque undequaque abigere jussit (l): quo iter felix movente, ipse quoque Belisarius reliquum militem navibus, citissimísque velis ad Tiberis ostia deduxit (m). Exscensione factâ Herulorum præsidium portui occupato imponit, Isaaci Præfecto paucis inculcans, ne sparso quocunque adverso rumore locum desereret. His dispositis altera Belisarii cura fuit, quâ demum viâ egenti Romæ annonam, auxiliáque inferret (n). Nam cùm Tiberis fluenta turribus, catenis, trabibúsque Gothi obsepsissent; vix navi aut militi liber commeatus erat. Hæc igitur impedimenta ingenio seu vi ita Belisarius amovere adnisus est (o), ut machinas machinis opponens, totum demum apparatum hostilem igne, ac ferramentis labefactaret, Gothísque vel fugatis, vel cæsis apertum Romam recluderet iter (*90). Sublato omni obice

(k) Idem c. 18. p. 506.

(l) Idem p. 507.

(m) Idem ibid.

Belisarius in Calabriam, & ad Tiberis ostia nova auxilia adducit.

(n) Idem c. 19. p. 509.

(o) Idem c. 19. p. 510.

Belisarius Tiberi adverso Romam cum classe contendit.

cudis curare genium posset. Vulgus omne nihil edebat aliud, nisi urticas, quæ passim circa urbis mœnia, atque in ruderibus copiosissimè nascuntur..... Jam & stercore mutuo vescebantur, nec pauci violentas manus sibi inferebant, urgente fame: cùm neque canes ampliùs reperirent, nec mures, nec aliud quodpiam animal, quo cibarentur. Romanus tum quidam erat liberorum quinque Pater. Hic illis circumfusis, & dapem succussâ veste petentibus, non ingemiscens, nec turbatum præ se animum ferens, sed corde penitùs premens dolorem, imperavit; venirent secum, quasi escam accepturi. Ut venit ad pontem Tiberis, reductâ ad vultum veste, eáque velatis oculis de ponte in fluvium se præcipitem dedit, rem spectantibus filiis ac Romanis..... En quò fortuna Senatum, populúmque Romanum adduxerat!

(*90) PROCOPIUS L. III. B. G. c. 19. p. 510: *Ergo Belisarius ac Romana classis, cum sudore multo, adverso flumine navigantes, pergebant: Gothi nusquam obsistebant obviàm, séque continebant in castris. Romani, jam ponti proximi, præsidium offendunt hostium: qui ad fluvium hinc inde locati fuerant, custodiendæ causâ catenæ ferreæ, quam ibi Totilas paulò ante ab altera ripa ad alteram tetenderat, ut hostibus facultas omnis ad pontem subeundi præcluderetur. Telis Barbaros partim conficiunt: aliis dissipatis, ac sublatâ catenâ, ad pontem rectà contendunt; quem simul ùt attigêre, res geri cœpta est. E turribus Barbari fortissimè resistebant; jámque alii castris egressi ad pontem properabant Tum Belisarius scaphis, quibus turrim superstruxerat, ad alteram applicitis hostium turrim, quæ propter viam Portuensem flumini imminebat, lembum incensum supra turrim hostilem devolvi jussit. Imperata Romani faciunt. Illapsus turri*

obice ovans exercitus ad libertatem urbi reddendam ibat; tum ſubito caſu evenit, ut, quæ ſpes Romæ illuxerat, ex civium oculis repentè eriperetur. Victos à Beliſario Gothos eſſe ad portum Tiberis ubi fama tulerat; Iſaaces portûs Gubernator in partem victoriæ venturus (contrà ac mandata Ducis caverant) relictâ ſtatione exercitum ſequitur (p): ſed antequam Beliſarii contingeret copias, à Gothis undique circumfuſus in pugnam, ſuprémúmque periculum prolicitur; quantocunque autem animo in arena luctaretur, hoſtium tamen multitudini impar, ſe, ſuóſque temerè in cædem internecinam conjecit. Beliſario utprimùm de Iſaacis facinore nunciatum eſt; Herulis trucidatis portum quoque ab hoſte captum eſſe ratus, quaſi rebus deſperatis obtorpuit: cùm enim in hoc munimento Conjugem, opéſque omnes reliquiſſet (q); hoc adempto & perdita ſua, & ſe à receptu excluſum immodicè dolebat. Admirationis non parum hæc Beliſarii imbecillitas poſteà habuit; qui enim virum ſumma inter pericula intrepidum toties viderant, nunc ad unum certaminis minùs fauſti eventum adeò mente titubare ſtupeſcebant (r): ut, qui anteà totos exercitus uno corporis objectu ſuſtinuiſſet, nunc quâ datâ viâ, ad Tiberis oſtium confugiens, ſpem Italiæ, ſalutémque Romæ diſceſſione ſuâ in hoſtium manus ultrò tradere non dubitaret. Equidem Romam adhuc tria Cæſareorum millia inſederant, tutum ad tempus urbi præſidium, niſi Beſſæ Gubernatori mens læva fuiſſet: monitus iſte ſæpiùs, ut eruptione fortuitâ vel terreret, aut fatigaret hoſtem, nihil agebat, quàm ut ſolito more modica, quæ ſupererant, cibaria Romanis immenſo pretio venum exponens turpiſſimum ab extrema calamitate quæſtum (s) exigeret. Iſaurorum nonnulli monſtroſam otioſi, ac ſordidi Euclionis indolem aſpernati, ut ſibi, civiúmque ærumnis conſulant, deditionem urbis Totilæ condicunt. De proditione Beſſas monitus, nihil à vigiliarum, nihil ab aliarum curarum neglectu remiſit;

(p) Idem c. 19. p. 511.

Iſaacis temeritate turbatus Beliſarius cœpto abſiſtit

(q) Idem c. 19. p. 509.

(r) Idem c. 19. p. 511.

Beſſæ avaritia, & in Romano præſidio excitando negligentia.

(s) Idem c. 20. p. 512.

---

turri lembus puncto temporis eam igni corrupit: quo Gothi unà arſerunt omnes, ad ducentos ferè, ... jam Romani fidenti animo Barbaros, qui è caſtris ſubſidio venerant, telis magis ac magis impetere: illi caſu perculſi terga dare..... Pontem contingebant Romani, ac parabant, eo protinùs rupto progredi, & abſque ullo impedimento Romam petere.

misit; quare cùm iidem Isauri ad portam Asinariam excubitorum obirent munus; de composito Totila mœnibus sub vesperam exercitum (t) admovens, per murorum pinnas quosdam è suis sublevat, qui portis intùs diffractis, Gothorum agminibus facilem in urbem viam aperiant. Recluso aditu ubi Totila suos Romæ intulerat; tumultuario ingredientium strepitu excitatus Bessas relictis omnibus, quæ avarè clepserat, cúmque parvâ militum manu citus elabitur; alii verò in templorum septa se abscondunt. Nullus igitur cùm esset, qui obsisteret; Totilas insidias suspicatus, neminem suorum, donec illuxerat, ab armis dimisit; tum appetente die gregariis Gothis in obvios ferro sævientibus, ipse Gothorum Rex in templum S. Petri Apostoli precandi causâ se contulit (u). Ut venit in Ecclesiam Totila; Pelagius Diaconus Regi cum Evangeliorum prætenso codice occurrens, id à Barbaro precibus tantùm impetravit, ut Romanorum sanguini deinceps parceretur; neque enim adduci poterat, ut direptione urbis istius abstineret suos, quæ multis Theodorici ac Alarici beneficiis ingrata (x), Græcis Italiam prodidisset: & quoniam hujus perfidiæ Senatum Romanum maximè insimulabat, parum abfuit, quin opibus exhaustos Magnates Magistratu quoque abdicaret; sed spes pacis Primorum operâ seu à Cæsare, sive à Belisario obtinendæ fecit, ut æstui concepto modus quidam à Rege poneretur (y).

(t) Idem p. 513.

Totilas proditione Isaurorum Romam capit.

(u) Idem c. 20. p. 514.

(x) Procop. l. 3. B. G. c. 21. p. 515.

Totilas pœnas exigit à Senatu Romano.

(y) Idem p. 516.

37. Compressa vix Totilæ ira fuerat; tum nova occasio subnata est, quâ in exitium Romæ pejus Rex incitaretur. Ex Lucania ferebant nuncii, Joannem Ducem Gothis acerbâ undique dimicatione instare (z): laborantibus ut citra periculum unà cum suo auxiliari exercitu præsto esse posset; priùs Romam exuere mœnibus, ac ædificia delere flammis statuit: jámque tertiam murorum partem destruxerat (a); tum Belisarius Totilam literis monet, nolit apud posteros hanc sibi conflare invidiam, ut Romam Imperatorum sedem, tótque monumenta antiquitatis ex Orbis oculis subtraxisse, ac funditùs delevisse dicatur. Prætereà cavebat, ne meminisse respuat, ancipitem esse aleam belli, quæ si Gothis cadat feliciter; Gentis ac Regni Gothici præcipuam sedem perituram: si contrà deteriore fortunâ Totila exiret bello; servatâ

(z) Idem c. 22. p. 517.

Totilas muros Romæ destruere incipit.

Belisarius dehortatur Totilam è destructione urbis.

ſervatâ urbe non parvam gratiam Regi apud Victorem, eâ deſtructâ, vix ullum clementiæ locum fore (b). Hanc epiſtolam Totila altiùs revolvens, vim à mœnibus, civibúſque abſtinuit; hos tamen, ne poſt diſceſſionem Gothorum nova cum hoſte conſilia agitarent, in Campaniam, & in circumjectas Provincias expellendos cenſebat. Poſtquam urbs incolis nudata fuerat; Totila cum exercitu ſuo in Calabriam movens, in monte tandem Gargano caſtra fixit (*91). Joannes, ex quo ſe peti armis cognovit; Gothorum numero diffiſus, intra Hydruntem ſe incluſit eo conſilio, ut eruptionibus ſubitis fatigandi hoſtem, ſimúlque regionum vicinarum dominatu potiundi retineret copiam (c). Velitationibus poſtquam temporis aliquid datum erat, Totila moras faſtidiens, Ravennam abit (d). Gothi vix agro Romano, viciníſque locis exceſſerant; tum Beliſarius ex portu, quem inſederat, Romam remeans, continuò urbem occupat, & refectis brevi tempore mœnibus, in ſedem priſtinam re frumentariâ magìs auctam revocat cives (e). Dum Ravennæ percrebreſcit rumor, Beliſarium rurſus potiri Româ; Totila primo turbatus nuncio, quin cunctaretur, raptis copiis ſubitò advolat: ſed dum nec per murorum jam reparatas labes, nec per portas oſtiis nondum munitas irrumpere, ob reſiſtentium Romanorum vim licebat (*92); in Joannem Lucaniæ Victorem feliciùs arma expedit (f). Hic enim quantò negligentior belli ſuas per Campaniam

(b) Idem p. 518.

A. 547.

(c) Idem c. 22. p. 518.

(d) Idem c. 23 p. 520.

Beliſarius recuperat Romam, & munit.

(e) Idem c. 24. p. 521.

(f) Idem c. 26.

Totilas Joannem in Lucania obruit, & cadit.

(*91) PROCOPIUS L. III. B. G. c. 22. p. 519: *Totilas affectus metu ſuos omnes colligit, & ad Montem Garganum, mediâ ſurgentem Apuliâ, metatus in caſtris Annibalis Poeni, ſtativa habet.*

(*92) IDEM L. III. B. G. c. 24. p. 523: *Tum Primores Gothorum omnes convenêre Totilam, eique convitia ingerentes, ore duriſſimo exprobrârunt imprudentiam: quòd Româ potitus, nec ſolo totam æquâſſet, ne ampliùs ab hoſte poſſet occupari; neque ipſe retinuiſſet: at temerè corrupiſſet laboris ſui, ac diuturni temporis fructum.* " Nimirum hoc ſunt homines ingenio (pergit PROCOPIUS) ſententiam eventis rerum ſemper accommodant, & mente ad fortunam fluctuantem appulsâ, reciproco judiciorum æſtu jactantur. Itaque Gothi, quamdiu Totilæ benè proceſſerunt incœpta, illum tanquam Deum ſuſpexerunt, invictum & inexpugnabilem prædicantes, cùm urbes captas parte murorum aliquâ nudari ſineret. Semel autem re malè geſtâ, eundem convitiis (ùt dictum eſt) proſcindere non ſunt veriti, pauló antè dictorum immemores, vel ea potiùs retexentes. Verùm fieri non poteſt, quin his & ſimilibus peccatis obnoxii ſint ſemper homines, cùm ingenito vitio committi ſoleant. "

paniam copias vagari tunc ſinebat, tantò maturior inferendæ cladi viſus eſt: tenebrarum itaque ſubſidio, & tacitis itineribus Gothicus miles palantibus imminet, ac cruentam procellam in imparatos effundens, multis cæſis, caſtra ac militarem apparatum abſtulit. Jacturam plurium rerum aliquantùm reſarſerunt auxilia, quæ eodem tempore à Juſtiniano miſſa ad Calabriæ littora appulerant (g); modicus tamen cùm eſſet auxiliarium numerus, à Cæſare Beliſario cautum eſt, ut is ingenio ſuo, ac imperio præſens, multiplicaret militum vires (h). Dux etſi doleret, ſe eo tempore evocari Româ, quo urbs iſta ipſius virtute unâ niteretur; mandato tamen Juſtiniani obſecutus, cum peditum, equitúmque robore in ultimas Italiæ oras tendit. Crotonem ubi (*93) advenit; vidit ea, quæ ad rem intererant, tum uno impetu obrutos hoſtes celerrimè vicit (i). Victoria tamen ejuſmodi victis magìs, quàm Victoribus profuit; nam Cæſareus miles fugatis Gothis ad diripienda caſtra dilapſus, atque extra aciem, curámque belli vagabatur: unde hoſtis reſumptis viribus clàm, ac ingruentibus tenebris improvidos pejore clade oppreſſit (k). De internecione ſuorum ubi Beliſarius audierat, velociſſimâ nave Meſſanam Siciliæ urbem trajicit: illinc conſilii, atque auxilii inops fortunæ adverſos caſus ſecum revolvens, non ſine multo gemitu querebatur, ſe Ducem eſſe ſine copiis, ſine ære, ac annona; ac proinde eum, qui, cùm anteà palmas, laurósque meſſuiſſet, nunc perpetua legeret ſortis acerbæ ludibria. His fatis ſuis ferè illachrymatus uxori ſuæ Antoninæ author eſt, ut Conſtantinopolim profecta, Theodoram Auguſtam pro ea, quâ apud illam

Imperator copias in Italiam mittit.

(g) Procop. l. 3. B. G. c. 27. p. 529.

(h) Idem l. c.

(i) Idem c. 28. p. 531.

Romani vincunt Gothos, & rurſus vincuntur.

(k) Idem p. 531.

Beliſarius in Siciliam fugit.

Antonina Beliſarii Conjux abit Conſtantinopolim.

(*93) IDEM L. III. B. G. c. 28. p. 530: *Ergo Beliſarius Tarentum quamprimùm appellere ſatagebat. Eſt autem in illis partibus lunatum littus; cujus receſſu, tanquam ſinu, exceptum mare, longiſſimè in continentem infunditur. Patet illius oræ tranſmiſſio ſtadia mille. Extremis duobus, ubi inſinuatio maris incipit, deſinitque, duo adjacent oppida: quorum alterum, Croto, ad Solem occidentem ſpectat; alterum, Tarentum, ad Orientem: Thuriorum urbs medium littus obtinet. Adversâ in eo tractu tempeſtate, & venti cum fluctibus graviter luctantis vi repreſſo navium curſu, ad Crotoniatarum portum applicuerunt. Ibi nec munitionem ullam, nec militis alendi copiam nactus Beliſarius, ipſe quidem eò loci ſubſtitit cum uxore & peditatu, ut eò evocare Joannis exercitum, & ordinare poſſet: equites verò omnes procedere longiùs, & caſtra metari juſſit ad regionis illius fauces &c.*

illam valeret, gratiâ vel de mittendis ſuppetiis, aut de revocando in Orientem Marito interpellet (l). (l) Idem c. 30. p. 534.

A. 548.

38. Verùm anteà, quàm Beliſarii conjux urbem Regiam ſubiret; Theodora jam exceſſerat vitâ (94), breviore illâ quidem, ſi Eutychianorum (quibus apprimè favebat) ſtudia ſpectes: at nimis diuturnâ, ſi Catholicorum vota attendas, quos per unum ac viginti annos ſui Regni peſſimè habuit. Perſolutis Auguſtæ exequiis, Antonina Conſtantinopolim ingreditur, ancipite quidem ſpe, meliore nihilominùs eventu; nam, quia Theodoræ defunctæ beneficio uti ampliùs non poterat, ad Principem ipſum converſa, id, quod à Beliſario in mandatis acceperat, muliebres inter planctus exponit. Non ingratum auditu Cæſari erat, Beliſarium hoc tempore Italiam faſtidire, & aſpirare in Orientem, quorſum etiam invitus ob varias Regni cauſas revocari debebat (m); Choſroë enim elapſis quinque annorum induciis gravius in Meſopotamia bellum moliente, etiam in palatio inteſtinos contra Cæſarem motus Artabanes & Arſaces concitaverant (n): & quamvis horum conjuratio maturè fuiſſet reſtincta;

Theodoræ Auguſtæ mors.

Antonina impetrat à Cæſare revocationem Beliſarii.

(m) Idem c. 30. p. 536.

(n) Idem c. 31. & 32.

(*94) PROCOPIUS L. III. B. G. c. 30: *Theodora Auguſta jam morbo obierat exactis in Principatu annis XXI, ac menſibus tribus.* VICTOR TUNUNENSIS in Chronico, qui hoc tempore vivebat, indicat, quo morbo obierit, dum ait: *Theodora Auguſta, Chalcedonenſis Synodi inimica, Canceris plagâ corpore toto perfuſa, vitam prodigiosè finivit.* Theophanes & Cedrenus ſcribunt, eam *cum pietate obdormiviſſe*; incertum autem, an ex conſueta Imperii ac Principum reverentia; an verò, quòd pœnitentiam malè factorum egerit, dicant, eam *piè defunctam* eſſe. PROCOPIUS *in Hiſtoria arcana* turpiſſimam ejus vitam, ac ſcelera latiùs exagitat; nam cap 9. oſtendit, eam adoleſcentulam ſcenæ ſerviiſſe, & pudicitiam proſtituiſſe. Unde cap. 10. improbat, quòd Juſtinianus cum tam turpi fœmina connubium celebrârit; ibidem depingit ejus formam p. 31: *Erat Theodora venuſta facie, & alioqui pergrata, ſtaturâ brevi, pallore ſuffuſa modico ac temperato, acribus oculis, & huc atque illuc incitato aſpectu.* In eodem capite indicat p. 32, eandem Chriſtianos adverſis inter ſe circa fidem ſtudiis concitâſſe. Deinde c. 16. p. 47. & c. 17. p. 49. 50. ejus crudelia homicidia recenſet, & quâ ratione mulieribus adulteris (inter quas etiam numerat Antoninam Beliſarii uxorem) fuerit patrocinata; poſtremùm c 15. ſuperbiam Theodoræ deſcribit: *Apud Auguſtam ſerò ac difficilè Summatibus ipſis aditus patebat, qui tanquam mancipia gregatim ſingulis diebus in anguſto & æſtuoſo cubiculo aſſidebant, ne abſentes graviter periclitarentur. Adſtabant verò ſummis pedibus innixi, erectis cervicibus, extante facie, ut egredientibus Eunuchis eſſent conſpicui. Accerſebantur autem certi quidam, iique vix & diebus pòſt multis. Ad illam ingreſſi perpavidi ſtatim ſe ſubducebant, eam venerati duntaxat, ſummiſque labiis utrumque pedem oſculati. Nam loqui, vel aliquid petere nemo injuſſus audebat. Degeneraverat in ſervilem hanc adulationem Senatus Theodorâ Magiſtrâ* &c. Similia habet cap. 30. in arcana Hiſtoria.

Conjuratio in Justiniani vitam.

(o) Idem p. 542.

Indecorus Belisarii reditus ex Italia.

(p) Procop. l. 3. B. G. c. 35. p. 548.

Totilas rursus Romam obsidet.

(q) Procop. l. 3. B G. c. 36. p. 550.

(r) Idem p. 551.

Isauri denuò Gothis urbem produnt.

A. 549.

Pauli Cilicis magnanimitas.

stincta (o); metus tamen erat, ne exemplum paucorum, licentiam multorum deinceps provocaret. Itaque Justiniano vel perito contra Persas Duce, vel fido Corporis Regii custode opus erat: alterutrum quia Cæsar à Belisario sperabat, confestim eundem arcessit. Citatus hunc in modum Belisarius Italiâ exiit, non utì olim captivorum numero accinctus, neque aliâ rerum gestarum famâ illustris, quàm quòd per quinque annos ultimos Italiâ ita fuerit exclusus (p), ut nec certis itineribus progredi, nec palàm ostentare copias ausus, fugientis more aut ab uno maritimo præsidio ad aliud navigârit, aut oram duntaxat continentis legerit. Totilas, utprimùm percepit, Belisarium abiisse Italiâ; de reliquiis Cæsarei exercitûs conclamatum esse ratus, contento cursu Romam properat (q). Quò minùs primo impetu caperet urbem, Diogenes Dux Romanus optimè providerat (r); acerrimis is vigiliis hostem à mœnibus, & annonæ penuriam à civitate prohibebat, sato intra urbis muros frumento; neque post longæ obsidionis labores Totila deditionem extorsisset, nisi Isauri (venale hominum genus) alterâ vice urbem Gothis prodidissent. Patefactâ dolo (*95) portâ, postquam hostes irruerant; ingens civium, militúmque data strages est: Præfectorum unus (Paulus Cilix) cum quadringentis viris è media laniena in Adriani arcem elapsus, grave subinde Gothis negotium fecit; nam fortissimè cum suis ex castello depugnans, memorabilem hostium numerum

(*95) PROCOPIUS L. III. B. G. c. 36. p. 551: *Obsidio Romæ ducta longiùs fuerat, cùm Isauri quidam, Custodes portæ, quæ Pauli Apostoli nomine insignis est, expostulantes, nihil sibi per annos plures ab Imperatore datum, atque eodem videntes tempore Isauros, qui Romam Gothis antè prodiderant, magnis opibus gloriosos; Totilæ in clandestino colloquio promittunt, urbem se tradituros, ac tempus rei peragendæ constituunt. Cùm dicta dies affuit, sic fraudem instruxit Totilas. Primâ noctis vigiliâ in fluvium Tiberim navigiola duo induxit, cum totidem tubicinibus; quibus præcepit, ut remis transmisso Tiberi sub mœnibus, quoad possent, clangerent. Ipse Gothorum exercitum ad portam, quam Pauli Apostoli nomine insignem esse dixi, nihil hoste persentiente, disposuit: ac præcavens, ne qua pars Romani præsidii noctis beneficio clàm ex urbe se reciperet Centumcellas, cùm in locis circumjacentibus alia nulla munitio Romanis esset reliqua; viam, quæ eò ducit, valida caterva insedit, jussa fugientes conficere. Ergo qui in lintribus erant, cùm ad urbem accessissent, ex præscripto tubas inflârunt. Attoniti Romani trepidare metu, ac tumultuari, temerè de sua quisque statione decedere, & accurrere illuc auxilio, eam tentari rati murorum partem. Soli Isauri proditores, in statione manentes, portâ liberè patefactâ, in urbem hostes accipiunt.*

rum peremit. Cibariis tandem absumptis cum fame pejùs, quàm cum Gothis conflictatus, suis author est, ut se Duce, præcipiti audaciâ in medias hostium catervas invecti, post promiscuas cædes vel pauci innumeros vincant, vel saltem non occumbant inulti (s). Totila, cognito Pauli consilio, veritus, ne Cæsareorum iste manipulus amore mortis, ac desperatione salutis insaniens, magnam Gothis plagam inferat, misit, qui cunctis optionem daret, utrùm mallent, positis armis abire incolumes, aut pari deinceps cum Gothis jure sub Totilæ signis stipendia mereri? Paulo primum eligente, Gregarii metu insidiarum, ac aviditate pecuniæ barbaro Regi nomina dederunt. Reparatis post hæc Romæ mœnibus (t) Totila in Siculorum movit Insulam, quæ præter Ravennam adhuc una Græcorum Imperio devincta erat.

(s) Idem p. 552.

(t) Idem c. 37. p. 553.

39. Intereà de capta rursus à Gothis Roma, ac de impendente Siculis vastitate Constantinopoli compertum est; his malis consanandis qui Dux idoneus foret, anxius Cæsar hæsitabat. In Germanum tandem fratris filium Justiniani animus inclinavit (u); præterquam enim, quòd vir iste inter bellicas artes nutritus, militare ingenium contra Porzam Africæ Tyrannum abundè jam probâsset, tum spes erat non vana, Gothos in Ducem ejusmodi haud hostiliter acturos, qui Matasuntham Theodorici Regis filiam & consortem thori, ac itineris periculorúmque comitem haberet (x). Hic igitur Germanus, Sardicæ collecto exercitu, in Italiam jam maturabat abitum; tum Sclavenorum motus in Illyrico expeditionis cursum omninò abruperunt (y). Barbara illa gens superiore anno cum tribus millibus Istrum superaverat, & evastatâ Thraciâ ingentem prædæ vim retulerat domum (*96). Spoliis

(u) Idem p. 554. & c. 39. p. 557.

Justinianus Germanum bello Italico præficit.

(x) Idem c. 39. p. 558. & 559.

A. 550.

(y) Procop. l. 3. B. G. c. 40. p. 560.

(*96) IDEM L. III. B. G. c. 38. p. 556. & 557. describit Sclavenorum crudelitatem: *Ex quo in fines Romanorum irruperant, obvios quosque sine ullo ætatis discrimine de medio sustulerunt; ita ut in Illyrico, Thraciáque insepultis cadaveribus solum longè ac latè constratum esset. Obvios autem non ense, non hastâ, non alio quodam usitato necis genere conficiebant, sed depactis validè in terram sudibus præacutis, miserorum sedes multâ vi impingebant, & infixas inter nates palorum cuspides adigentes adusque viscera, illis vitam extorquebant. Престereà defossis humi lignis quatuor crassioribus alligabant hi Barbari eorum, quos ceperant, manus ac pedes: deinde capita, fustibus assiduè tundendo, veluti canes, aut serpentes mactabant. Alios cum bobus & ovibus, quas in Patriam abducere non poterant, in tuguria compactos, immisericorditer cremabant.*

Sclavenorum irruptio in Romanum Imperium.

Spoliis illecti cæteri populares majore subinde numero in Imperii fines Naissum usque sequuntur: jámque Thessalonicæ, ac aliis urbibus malum intentabant; tum Germanus subitò consistere, & antequam inde moveret, Sclavenorum æstum comprimere jussus est.

Fugantur à Germano.

Barbari ad notissimi sibi Ducis famam trepidi, continuò in Dalmatiam se proripiunt: ergo securus ab hoste Germanus, copiis suis profectionem imperat, quibus vasa colligentibus Dux ipse (quod nullus ominabatur) repentè ex vita decessit, vir æquè fortis ac strenuus, qui utì terrore nominis Gothis bellandi ademerat animum, ita pristinam Romanis reddidisset fortunam, nisi cum maximo Duce non minor Italiæ spes citiùs, ac boni omnes voluerant, in tumulum decidisset (z). Imperator postquam summo dolore ac apparatu, Germano parentaverat; Joannem Germani generum exercitui præficit (a): ille, dum in Dalmatiam cum copiis digreditur, in Sclavenos, qui illuc prævolaverant, incidit non sine suorum clade; Romani enim partim cæsi, partim fugati hosti spatium dedêre, ut latè factâ populatione ad agros Constantinopoli finitimos pervenerint.

Obitus repentinus Germani.

(z) Procop. l. 3. B. G. c. 40. p. 561.

(a) Idem p. 561.

Sclaveni Romanos cædunt in Dalmatia.

Quo tempore Cæsareus miles in Dalmatia à Barbaris ferè subactus est, eodem Siculorum in Imperatorem fides ultimum ictum à Gothis excepit; vastatâ quippe Insulâ, Totila maligno odio, quo in Siciliæ primam (ùt ajebat) perfidiam ferebatur, Syracusis sese applicat. Obsessæ urbi levamentum aliquod tulêre auxilia, quæ Liberius sub idem tempus in portum advehebat, & Syracusani omninò respirâssent, si (utì sperabatur) Artabanis classis accessisset; sed in fatis Siculorum erat, ut universum illud navale subsidium ad Calabriæ oras fluctibus hauriretur (b), paucis cum Artabane in Melitam Insulam è naufragio prorepentibus: Liberius itaque modicis suis copiis haud confisus, è Syracusano portu Panormum discessit. Post hujus fugam tota Sicilia furori ac direptioni relicta est. Gothi ubi Insulam opibus, frumentísque exuerant; Totila comportari citò in naves prædam, ac remigrare exercitum in Italiam jussit; providendum enim esse ajebat, ne, dum longiùs à Romanis Provinciis Rex cum milite abesset, Cæsarea classis exscensionem tentaret, aut terrestri itinere

Totilas vastat Siciliam.

(b) Idem p. 562.

Liberius & Artabanes Siculis adducere opem frustrà conantur.

Gothi Siciliâ excedunt.

nere Imperatoris Præfectus cum copiarum parte in superiores Italiæ regiones irrumperet (*97).

40. Neque vanus Totilæ timor erat; exactâ quippe hyeme Joanni Duci deliberatum erat, in Italiam transferre exercitum (c): maturanti verò iter moram injecerant literæ Justiniani, quibus monebatur, ne ante Narsetis adventum è Dalmatia solveret. Placuerat Cæsari semiviro summum dare Imperium, qui conditione naturæ cæteris quidem inferior, omnes tamen authoritate, consilio ac felicitate superaret (*98). Ergò Narses cum numeroso agmine per Thraciam profectus aliquamdiu Philippopoli hæsit, intercluso ab Hunnis itinere: quibus tandem fugatis, expeditiùs Salonas movit. Intereà dum Joannes Narsetem opperitur; Totila Romanis Anconam eripere festinat (d). Hoc

A. 551.

(c) Procop. l.4.B.G.c.81. p.625.&626

Justinianus Narseti exercitum, bellúmque Italicum demandat.

(d) Idem c.23. p.630.

(*97) PROCOPIUS L. III. B. G. c. 40. p. 562: *Non ita pridem Totilas Romanum quemdam, Spinum nomine, ortu Spoletinum Quæstorem suum creaverat. Hic vir, dum in urbe Catana, mœnibus exuta, moraretur; casu quodam in manus hostium venit. Liberandi illius cupidissimus Totilas, captivam nobilem fœminam Romanis pro ipso obtulit. Negârunt Romani virum, Quæstoris dignitate insignem, benè cum fœmina commutari. Hinc veritus Spinus, ne ab hostibus neci daretur, Romanis promisit, se statim Totilæ persuasurum, ut relictâ Siciliâ, universum Gothorum exercitum trajiceret in Italiam. Eum Romani jurejurando, quo promissum firmavit, sibi obstrictum, Gothis reddiderunt, receptâ illius loco muliere. Is, utprimùm Totilam revisit, dixit, non bellè rebus consulere suis Gothos, qui, Siciliâ ferè omni direptâ, paucorum præsidiorum cupiditate ibi tenerentur: affirmavitque, se modò, cùm inter hostes versaretur, audiisse, Germanum Imperatoris nepotem migrâsse ex vita, ac Joannem illius generum, Justinianúmque ejusdem filium, cum exercitu, quem Germanus collegerat, esse jam in Dalmatia, & primo quoque tempore collectis sarcinis, inde rectà petituros Liguriam, at subito incursu Gothorum liberos & conjuges caperent, opésque omnes prædarentur. Atque* (inquit) *satius esset, eorum consilio ire obviam, tutò cum nostris hyemantes. Nam si illos vicerimus, nobis ab hoste securis licebit iterum Siciliam invadere liberiùs.* Commonitione ejusmodi inductus Totilas, in locis quatuor firmioribus præsidia reliquit, & cum omni præda, cæterísque copiis in Italiam transfretavit.

(*98) IDEM L. IV. B. G. c. 21. p. 626: *Videbat* (ajunt) *Justinianus Augustus Joannis Imperium detrectaturos exercitûs Romani, cæteros Duces, honore illi cedere recusantes, vel per invidiam remissiùs agentes, omnia miscerent.* Tum omen victoriarum Narsetis aliquod commemorat, quod tamen fabulæ potiùs simile videtur; verò propiùs loquitur L. IV. B. G. c. 26. p. 461: *Narses munificentissimus erat, & ad levandos indigentes promptissimus; cúmque ab Imperatore septus magnis fuisset opibus, ea, quæ ipsi erant in studio, pleniori arbitrio exercebat. Et quoniam multi Duces, juxta ac milites, liberalitatem ejus jam antè experti fuerant; simul expeditionis in Totilam & Gothos Dux est summus renunciatus; certatim singuli ad militandum sub ipso paratissimos se ostenderunt; partim studio pensandi pristina beneficia; partim spe, procul dubio, inducti, ab ipso magna consequendi. Inprimis Erulos, caterósque Barbaros sibi ille devinxerat singulari munificentiâ.*

Hoc enim castello expugnato, ab Hydruntis ora Ravennam usque nullus Cæsareis locus supererat, ad quem appellerent, aut ubi tutò impedimenta, commeatúmque reponerent (e). Valerianus Ravennæ Præfectus Joannem de Anconæ periculo monens (f) instabat, ut citra cunctationem tempestivum laboranti castello auxilium allatum iret: lectis is literis necessitati magis hoc tempore, quàm mandato Cæsaris obsecundandum arbitratus, instructas duas supra quadraginta naves ad oppidum continenti oppositum (cui Senogalliæ nomen est) appellit (g). Gothorum Duces ubi de classis accessione intellexerant, mox & ipsi cum quadraginta septem navibus portu exeunt (h). Intra teli jactum oppositæ utrinque proræ steterant; tum missilia pugnæ dedêre initium: dein consertis propiùs navigiis è foris miscebatur conflictus; tandem non secus atque in campo collato pede, ensibúsque atque hastis acerrimè certatum est. Post aliquam prælii nautici moram, Barbaros navium, militúmque turbatio perdidit; cùm enim jam raro, jam nimis denso ordine stantes pugnandi spatium, agilitatémque sibi invicem adimerent: simúlque confertos manipulos Cæsareus miles ex adverso certis ictibus peteret; etiam ipsæ naves & remigum imperitiâ, & negligentiâ ita hærebant immobiles, ut sex supra triginta tormentis hostilibus depressæ subitò interirent; perpaucæ militum reliquiæ cum undecim carinis ad littus eluctatæ, solutâ Anconæ obsidione unà cum aliis Gothis Auximum provolârunt (i). Joannes partâ victoriâ maritimâ, & spoliis hostium propè Anconam collectis, Salonas in Dalmatiam rediit. Eodem tempore in Sicilia Artabanes (huic enim post Liberium res Siculæ demandatæ fuerant) superstites per Insulam Gothos seu fame, seu ferro delevit (k).

(e) Idem p. 631.
(f) Idem p. 630.
(g) Idem p. 631.
(h) Idem p. 632.
Navale prælium inter Romanos & Gothos.
(i) Idem p. 633.
Gothorum clades & fuga.
Artabanes rem bene in Sicilia gerit.
(k) Idem c. 24. p. 634.

A. 552.

41. Non minore felicitate anno insequente Calabria ab hostibus purgata in potestatem Imperatoris rediit (l); quibus victoriis paulò pòst in superiore Italia multò insigniora augmenta adjecta sunt. Narses per idem tempus exercitum ex variis terrarum populis collectum Joannis copiis junxerat: atque ut terrestri itinere multitudinem tantam Italiæ immitteret; per agrum Venetum ire meditabatur. Anteà quàm tamen alieno solo inferret copias,

(l) Procop. L.4.B.G c.26. p. 640.

copias, à Francorum Ducibus, qui locorum illorum tenebant præſidium, commeatûs copiam rogat: at hi, quominùs beneficium iſtud Cæſareis indulgerent, ad ſpeciem cauſabantur (m), ad Gentis ſuæ incolumitatem pertinere, ne Longobardis, quales in exercitu Narſetis complures eſſent; utpote capitalibus Francorum hoſtibus per ſuas terras liberè tranſire liceat. Quod precibus occluſum iter fuerat, id Narſes ferro aperire aggreſſus eſt: ſed vim paranti novi nuncii adſunt, qui ferebant, Tejam Totilæ Legatum omnes ad Italiam aditus ſeu foſſis, ſeu abruptis molibus ac hiatibus intercluſiſſe (n); quare mutato conſilio ad oram Jonii maris anguſto tramite, & pontium factitiorum qualicunque adminiculo immenſus exercitus Ravennam prorepſit potiùs, quàm apertâ militari viâ profectus eſt. Luctantem cum arctis difficultatibus Narſetem Usdrila Dux Gothorum convitiis, ac amaro riſu proſequebatur (o), cujus immodicæ petulantiæ ſubinde pœnas dedit, propè Ariminum ab eodem Narſete victus, ac cæſus. Poſt velitares ejuſmodi conflictus Cæſareæ copiæ cum Totila integrâ acie pugnare, & in Apennini montis confinia, ubi hoſtis pro caſtris conſederat, movere decreverant (*99); tum, priuſquam contererent manus, Narſes Totilam interpellans, miſſis Fecialibus monet, ut, ſi adhucdum pacem amet, poſitis armis conditiones accipiat; ſin bellum, diem certaminis deſignet. Nihil ad hæc Barbarus repoſuit, quàm Gothos elapſo octiduo prælium ſubituros. Narſes id agi ſuſpicatus, ut de mora ſecuros Totila faciliùs obruat (p); è veſtigio ſtruit aciem: nec ab hoſtis propoſito Dux aberraverat; nam ſequente jam die Gothorum imminebat exercitus minimè tamen imparatis. De colle modico, quia is in victoriæ adjumentum certantibus futurus

(m) Idem p. 642.

Franci in agro Veneto Narſeti tranſitum negant.

(n) Idem p. 642.

Difficile iter exercitûs Romani.

(o) Idem c. 28. p. 646.

Narſes Totilam provocat

Dolus Totilæ.

(p) Procop. B. G. l. 4. c. 29. p. 648.

(*99) IDEM L. IV. B. G. c. 29. p. 647: *Nec multò pòſt Romanus quoque exercitus, Narſete Duce, caſtra in Apennino metatus eſt, centum ad ſummum ſtadiis procul à caſtris hoſtium, plano quidem in loco, ſed multis cincto tumulis propè extantibus: ubi quondam à Camillo, Romani Duce exercitûs, victas acie, & cæſas ferunt Gallorum copias: id quod ſuo locus nomine etiamnum teſtatur, & memoriam cladis Gallorum ſervat,* BUSTA GALLORUM *dictus. Buſta enim Latini vocant rogi reliquias, & plurimi viſuntur hìc mortuorum illorum tumuli, terrâ aggeſtâ editi.*

rus credebatur (*100), prima conflictatio fuit; hanc ſtationem
à. Cæſareis primò occupatam Narſes tueri fortiter, & Totilæ
poſſeſſores multiplici impreſſione deturbare adniſus eſt, dum
prævalente Romanorum virtute, Barbari recederent, ea, quæ ad
commune prælium pertinent, providentiùs paraturi (q). Cer-
taminibus ſingularibus, ac ludis quibuſdam equeſtribus pugnæ
præluſum eſt (*101); dein poſt meridiem Gothorum equites
omiſſo

Initium pugnæ Romanos inter & Gothos.

(q) Idem p. 649.

(*100) IDEM c. 29. p. 648: *Ibi collis erat modicus, quem occupare utrique vehe-
menter optabant, tum quòd commodus videbatur feriendis ex edito hoſtibus: tum quia
cùm ager (ùt dixi) tumuloſus eſſet; à tergo circumveniri non poterat Romanus exercitus
niſi per tramitem ſubjectum colli. Quare erat, cur utrique multum in eo ponerent; Go-
thi quidem, ut inter pugnandum circumventis hoſtibus, eos telis hinc inde peterent; Ro-
mani verò, ne id paterentur. Eò Narſes pedites quinquaginta ex cohorte delectos, in-
tempeſtâ nocte mittere occupat, locúmque obtinere, ac tueri jubet. Ad quem illi cùm eva-
ſiſſent, nemine hoſtium prohibente, ibi quierunt. Colli præjacet torrens, prætextus tra-
mite.... Erant autem Gothorum caſtra loco oppoſita, in quo ſtabant quinquageni illi,
adeò denſi, ut ſe contingerent, aciéque compoſiti, quantum per anguſtias loci licebat.
Simul Totilæ id lux aperuit, omne eò ſtudium contulit, ut inde illos dejiceret. Itaque
turmam equitum confeſtim mittit, jubétque eos quamprimum deturbare. Tum equites
multo cum fremitu, & clamore invehi, quaſi ipſos primo impetu everſuri eſſent. Hi verò
denſatis ordinibus, protecti clypeis ſtabant, cùm Gothi admiſſis equis, confusè impreſſio-
nem fecerunt. At illam quinquageni viri ſcuta collidendo, crebróque & appoſitè vibran-
do haſtas validiſſimè exceperunt; ſic, ut equos de induſtria concrepantium clypeorum aſ-
ſiduo ſonitu, & viros intentarum cuſpidibus haſtarum terrerent. Retrò equi cedebant,
loci iniquitate, & ſcutorum crepitu efferati, penitúſque excluſi tranſitu: equites, quò ſe
verterent, neſciebant, cum hominibus adeò munitis, minimeque cedentibus pugnantes,
fruſtráque imperitantes equis contumacibus. Hâc primâ repulſi conflictione, viam conver-
tunt. Adorti iterum, eodémque modo excepti, pedem iterum referunt. Ita ſæpè digreſſi
irriti, abſiſtunt eos laceſſere. In idem auſum ſubmiſſo à Totila altero agmine, & ſimi-
liter pulſo, tertium ſubit. Sic Totilas multis per vices ſuffectis turmis, operâque à con-
ctis perditâ, tandem cœpto abiit.*

(*101) PROCOPIUS L. IV. B. G. c. 31. p. 653, poſtquam certamen ſingulare
Cocæ Gothi, & Anzalæ Romani deſcripſerat; ſubjungit: *Unus admodùm Totilas inter
aciem utramque prodit, non ad ſingulare certamen; ſed ducendi, eximendique temporis
gratiâ. Cùm enim bis mille Gothos, quos deſiderabat, in proximo eſſe audiret; prælium
in eorum adventum extrahens, hæc palàm egit. Primùm hoſtibus oſtendere voluit, qui
vir eſſet. Armis auro plurimo illitis indutus erat. Ex ejus pilo atque haſta pendebant
phaleræ, purpurâ adeò ardenti inſignes, ut Regi planè conveniret mirificus hic ornatus.
Ipſe equo eximio vectus, inter geminas acies armorum ludum ſcitè ludebat. Equum enim
circumagens, ac reflectens utroque verſum orbes orbibus impediebat: ſic equitans, haſtam
in manus jaculabatur, eámque, cùm tremula relaberetur, arripiebat mediam, & ex al-
tera manu in alteram ſæpè trajiciens, ac dexterè mutans, operam huic arti feliciter na-
vatam oſtentabat: reſupinabat ſeſe, & flexu multiplici nunc huc, nunc illuc ita incli-
nabat, ut appareret diligenter ipſum à pueritia didiciſſe ſaltare. In hac ludicra exerci-
tatione tempus omne matutinum contrivit, habénſque in animo longiùs pugnam proferre,
procul*

omiſſo ſagittarum uſu, lanceis (uti juſſi fuerant) adoriuntur hoſtem, id quod Cæſareis victoriam, Barbaris cladem ultimam attulit; nam cùm haſtati non aliter, ac cominùs confligere poſſent; cæco impetu in medios Romanorum ordines longiùs provecti, ac ſubinde ob circumfuſas Cæſareas copias à reditu etiam anxiè quæſito prohibiti, inter ſagittarum undique in eos jactatarum imbres perierunt (r). Turbatio inde aliqua extitit, necdum tamen debellatum eſt; utraque quippe acies pari fortitudine in veſperam ferè ſtetit, quâ appetente, Romani majore numero ac arte (* 102) Gothos impellunt, cædunt alios, aliósque in fugam ejiciunt. Dilapſis plurimis Totila quoque faventibus tenebris cum parvo comitatu ſe protinùs abſtulit (s); Asbadus Gæpes fugientem inſecutus, in humeros ejusdem hominis, quem Totilam eſſe ignorabat, haſtam dirigit; tum adoleſcens Gothus Regi ſuo exitium intentari indignatus, clamore ad terrorem ſublato invadentem increpat: *Quò agis* (inquit) *ô Canis! cur ictu petis*

(r) Procop. l.4.B.G.c.32. p. 655.

Gothorum fuga & clades.

(s) Procop. l.4.B.G.c.32. p. 656.

Totila cadet.

miſit ad Romanum exercitum, & ſermonem velle ſe conferre ſignificavit. Abnuit Narſes, nugari ipſum aſſerens, ac dare verba, qui priùs bellandi fuiſſet cupidus, cùm offerri colloquium poſſet; nunc autem id peteret in medio certaminis campo.

(* 102) IDEM L. IV. B. G. c. 32. p. 654. oſtendit cauſas, cur Gothi à Romanis debellati fuerint: *Id verò Gothis præceptum commune erat, ne ſagittis, alióve quopiam telo, niſi lanceis, in hoc prælio uterentur. Hic certè ſuâ Totilas imprudentiâ deceptus eſt: qui in pugna hac ineunda, neſcio quâ ratione inductus, copias ſuas objecit hoſti, armis, rebúsque cæteris impares: cùm Romani ſingulis perappoſitò uterentur in dimicando; ſive ſagittas mitterent, ſive haſtas impellerent, ſive gladios, aliúdve quidpiam, quod ad manum, vel ex uſu eſſet, tractarent; partim equis, partim pedibus pro re nata pugnarent: jámque hoſtes circumvenirent, jam exciperent irruentes, & impetum ſcutis propellerent. At Gothorum equites, relictis à tergo peditibus, ſolis confiſi lanceis, cæcóque impetu abrepti, ubi cœpta eſt pugna, temeritatis ſuæ fructum ceperunt. Nam facto in medios hoſtes impetu, ſe ab octo millibus peditum interceptos non adverterunt. Statim autem contraxêre animum ſagittis hinc atque inde appetiti,..... peſſiméque accepti, vix tandem ad eorum aciem pervenerunt.... Jam dies declinabat in veſperam, cùm utraque acies ſe loco repentè movit; ſed ita, ut Gothica referret pedem, Romana inſtaret. Hanc enim adorti Gothi non reſtiterunt: at ceſsêre contrà ruentibus, effuséque recurrerunt, eorum ingenti numero, atque aptâ diſpoſitione attoniti..... Brevì ad peditatum ſuum reverſis* (Gothis) *increvit, ac multò longiùs proceſſit malum. Neque enim eò ſe retulerunt compoſitè, ut receptâ animâ, junctisque viribus pugnam redintegrarent, vel fugam injicerent perſequentibus..... Quocirca ipſos peditatus Gothicus non excepit diductâ acie, nec partâ illius ſalute ſubſtitit: at unà fugerunt citato curſu: tum, quaſi in tenebris digladiarentur, ita invicem ſe concidebant. Romanæ copiæ arreptâ, quam illorum conſternatio dabat, opportunitate, obvios quoſque immiſericorditer mactabant.... Congreſſu illo ceciderunt ſex Gothorum millia* &c.

petis Dominum tuum? Asbadus verò nequicquam territus, impacto totis viribus haſtili Totilam perfodit. Scipuar æquè è Gothorum Gente, ac comes Regis, cædem immanem ulturus, Asbado non leve reddit vulnus, atque ita ſpatium ſociis dedit, quo ſeminecem Principem Capras, in oppidum ignobile octoginta inde ſtadiis diſſitum, deportarent: curato ibidem aliquantùm vulnere, Rex paulò pòſt extinctus, fatum, tumulúmque ſubiit tanto viro minimè dignum (*103).

42. Gothi prælio ſuperſtites poſtquam mortem Totilæ certis nunciis acceperant; Ticino, circumjectíſque locis ſubitò captis, Tejam Regem ſalutant (t): hic dum acerrimo, quo pollebat, ingenio Gothorum ruinas reparare inſtituit; Narſes ad abſcindenda Regni media præcipua caſtella præripit: dein Romam contendens per aliquot dierum certamina, immiſſis per ſcalas Ducibus recludit portas (u), & veniâ vitæ præſidiariis factâ, urbem ingreditur, quæ ſub eodem Juſtiniano Cæſare ſextùm jam à variis obſeſſa, captáque fuerat (*104). Gothi poſt hanc viciſſitudinem de Italiæ dominatu deſperantes, adeò in rabiem agebantur, ut Gothi obvios quoſque Romanos (x), Tejas autem trecentos Magnatum filios (y), quos obſides habebat, unâ die trucidaret, ſummo Nobilium ſtemmatum exitio, quorum complura ad ſtirpes uſque exciſa fructum cum propagine ſimul amiſe-

(t) Idem c. 3. p. 658. *Tejas Rex Gothorum creatur.*

(u) Idem p. 659. *Roma à Cæſareis recipitur.*

(x) Idem p. 660. *Crudelitas Gothorum in Primores Romanos.*

(y) Idem p. 661.

(*103) IDEM L. c. C. 32. p. 656: *Annos undecim Gothis Totilas imperaverat, cùm hunc Regni ac vitæ finem habuit, indignum rebus, quas antè geſſerat. Cùm enim priora incœpta benè illi proceſſiſſent, actis non reſpondit exitus vitæ: ſed tunc etiam fortuna ſeſe palàm oſtentans, & humana obterens, prodidit ſuam inopinatò agendi vim, poteſtatémque decernendi indictâ causâ: ſiquidem abs re diuturnam Totilæ largita ultrò felicitatem, morti adeò miſeræ ipſum authoritate ſuâ addixit, nullâ causâ tunc apparente. Quæ meo quidem judicio ſunt ejuſmodi, ut nondum potuerint, nec poſſint unquam humanâ capi intelligentiâ.* Quæ fortunæ adſcribit Procopius, meliùs Deo, victoriarum Arbitro, & Largitori tribuiſſet, cujus judicia utique ſunt inſcrutabilia.

(*104) IDEM L. c. C. 33. p. 660: *Annum Imperii XXVI. agente Juſtiniano Auguſto, ſic Roma ſextùm capta eſt illo Principe.* THEOPHANES anno Incarn. secundùm Alexandr. DXLIV., ſive an. 551. in 552. ait: *Auguſto menſe triumphales Nuncii, & victoriæ monumenta Romæ Conſtantinopolim delata, Narſe nimirum Cubiculario, & Romanorum Exarcho Victore. Pugna ſiquidem cum Totila Gothorum Rege conſerta ſummam ſibi ſuâ virtute peperit victoriam, Romam recepit, Totilam interfecit, veſtimentáque ejus adhuc ſanguine tincta, pileolúmque ejus gemmis ornatum Conſtantinopolim miſit, quæ ad Imperatoris pedes in Secreto projecta ſunt.* Secretum (ùt ait PAGIUS ad annum 552. N. IX.) pro foro ſeu loco, in quo judicia exercentur, vulgò accipitur.

amiſerant. Narſes, quò citiùs ferocem hoſtium animum compeſceret; eos opibus, quibus immoderatiùs efferebantur, planè exuere cogitat: & quoniam Cumis Totila præcipuum Gothorum theſaurum, ac belli nervum depoſuerat, ingens ſuorum agmen ad caſtelli direptionem (z), ſimúlque ad expugnandas alias urbes, varios manipulos mittit, ut Tejam tot expeditionibus imparem faceret, aut (quod maximè Romani volebant) opum negligentem. Rex Gothorum, etſi ſibi hâc bellandi ratione infeſtas ſtrui inſidias nôſſet; ſuis tamen utcunque proſpecturus rebus, Theobaldum Francorum Regem in armorum ſocietatem vocat. At Franci ſuis potiùs, quàm aliorum commodis ſervientes, & Gothos & Romanos mutuis cladibus malebant perditos, ut poſtremùm ipſi partibus utriſque bello feſſis totum Italiæ Principatum eriperent (a). Teja igitur à Francis deſertus, cùm ubique opem ferre ſuis non poſſet; Ærarium tamen Cumis reconditum ſuæ Genti vindicare ultimis viribus præſumpſit: eo conſilio vias, quas Romani obſederant, cautè declinans, ad littus Jonii maris in Campaniam demigrat (b); proficiſcentem Narſes vigil ac experrectus, cum toto exercitu ad radices Veſuvii montis ſequitur (c). Diſpoſita ibidem utrinque acies ſine certamine per duos menſes, ſive tamdiu ſtetit, dum Gothos annona deficeret; hujus enim penuriâ preſſi, honeſtiùs putabant, occumbere in acie, quàm diriore fame abſumi. Illuceſcente die ipſi Romanos nil tale opinantes adoriuntur: turbationis inde aliquid penes Narſetem; Ducis nihilominùs fortitudo par irruentibus erat, Romanis ſcilicet laudem victoriæ, Gothis mortis quæſitæ gloriam appetentibus (d). Inter præclariſſima pugnantium ſtudia Teja Rex Gothorum ipſo miraculo audaciæ obſtupefecit hoſtes: conſpicuus ille clypeo, haſtámque agitans primus ante aciem cum paucis primam periculi procellam, & quod tumultuoſiſſimum pugnæ erat, diu ſuſtinuit, circumferens inde minaciter oculos, nunc ſingulos provocare, nunc increpare omnes viſus; tum Romani infeſtum caput hoſtium petituri, in unum Regem ſagittas, & omnem infeſtam vim convertunt. Teja perpetuâ telorum volantium nube circumdatus, alterâ jam vice ſcutum infixis miſſilibus gravatum mutare cogebatur,

(z) Idem p. 662.

Cumas Romani obſident.

Tejas Francorum opem fruſtrà implorat.

(a) Idem p. 661.

Tejas & Narſes in Campaniam abeunt.

(b) Idem p. 762.

(c) Idem l. 4. B. G. c. 36. p. 663.

Prælium Gothos inter & Romanos.

(d) Idem p. 664.

batur, & tertium clypeum arrepturus, ubi per moram nudaverat pectus, contorto validè jaculi ictu repentè perfossus, momento efflavit animam (e). Capur mortui Regis amputatum, atque ex hastili suffixum adeò non dejecit Gothorum animos, ut hoc inviso spectaculo commoti magìs, atque in rabiem acti, posterâ die multò ferociùs pugnam redintegrârint, quâ nonnisi sub vesperam seram diremptâ, in hanc tandem conditionem Gothi cum Romanis convenerunt (f), ut barbaræ nationi, sumpto commeatu, innoxio pede Italiâ egredi, & quò cuncti vellent, singulis abire liceret (*105).

(e) Procop. l.4.B.G.c.36. p.664.

(f) Idem p.665.

A. 553. 43. Dum Gothorum pars magna ex Italiæ Provinciis discedere parabat; alii ejusdem Gentis, qui ad Padum fluvium consederant, suorum popularium consilio non parùm obluctati, non antè emigrandum censuerunt, donec ad consanandas calamitates suas ultima remedia tentâssent (g). Itaque primò Theobaldum Francorum Regem rogant, ut afflictorum misereri, ac tot Parentes cum liberis in Patria, ubi sanguinem, vitámque hausissent, servatos velit; néve sinat, ut eos, qui cum Francis primâ origine nationis, & nunc proximis Regnorum finitimorum limitibus conjungerentur, proscriptione atque exilio licentia & vis Cæsaris divideret (h). Theobaldo, quò minùs se in belli turbas conjiceret, infirmam valetudinem causante, Leutharis & Butilinus fratres, ac Alemannorum fortissimi Duces suas Gothis

(g) Agathias l.1.p.11. *Gothi Francorum auxilia flagitant.*

(h) Agathias l.1.p.16.

(*105) PROCOPII hìc desinit *Historia* de *Bello Gothico*, quam continuavit AGATHIAS; nam idem in Præfatione ait, *Procopium* Gothorum res narrâsse ad *annum usque sextum & vicesimum Regni Justiniani*, subdítque: *Ego verò his proxima & consequentia, ùt initio mihi propositum fuit, persequens, res ipsas aggredior.* Cæterùm Agathias in Libro I. quædam, quæ Procopius jam scripserat, utpote de Tejæ morte, & de Gothorum cum Romanis pace, repetit: dein telam Gothicæ Historiæ prosequitur: ut verò Chronotaxin ejus intelligas, ex *Pagio* adverte, quòd in Libro primo describat ea, quæ ante vernum tempus sequentis anni gesta sunt, non verò anno Christi sequente (ùt Cointius, aliíque passim recentiores Scriptores perperàm ajunt) neque anno DLV, utì Baronius docuit ad annum prædictum N. XI; nam quemadmodum PROCOPIUS annorum militarium (sive quando militia commodè geri potest) initium tantùm à Vere exorditur; ita etiam AGATHIAS ab eodem tempore verno bellorum chronologicos annos dimensus est. Itaque cùm Librum secundum ab his verbis incipit: ineunte Vere, nulliúsque anteà *Veris* meminerit, præterquam illius, quod L. I. p. 31. *Ver proximum* appellat; manifestum est, eum continuationem suam à *Vere* illo, ac Libro secundo auspicari, & antecedentia ea esse, quæ ipsemet in sua Præfatione citata præcedentibus *proxima* appellat.

Gothis ſuppetias promittunt (i), & inſequente Vere abſque mora)nam ſpes potiundi Italiâ eos rapiebat) exercitum ſeptuaginta millium ex Alemannis & Francis conflatum per Alpes deducunt. Narſes, quò hoſtium conatus anteverteret; Tuſciæ pluribus captis urbibus, & Cumano caſtello obſidionali coronâ concluſo, adversùs Francos movet (k). Pado ſuperato hi Parmam poteſtati ſuæ jam ſubjecerant, & Æmiliæ brevì ſe idem jugum impoſituros ſperabant; tum Narſes Joannem & Artabanem cum agmine præire, Fulcarem cum Herulis ponè ſequi jubet, id cunctis præcipuè inculcans, ut, niſi hoſtem profligare viribus valeant, poſitis ſaltem Tuſciam inter & Æmiliam caſtris iter hoſtium tamdiu cohibeant, dum ipſe reliqua Italiæ munimenta, quæ ad rem eſſent, penitùs ſubegiſſet (l). Romanis fortuna ubique primùm favere viſa eſt; nam & præmiſſi contra Francos Duces irrumpenti hoſti moram injicere, Narſes cum ſuis oppida quæcunque citrà laborem capere cœperat: ſed dum à Lucenſibus pro eo, ac cum iis pactum fuerat, deditio urbis exigitur, riſum, ſannáſque à Gothis Romani tulerunt: illi enim Francorum auxiliis jam fidentiores, initas pacis leges infringere haudquaquam dubitabant (m). Narſes, ut aliquo terrore Lucenſium pertinaciam expugnaret, obſides, quos anteà urbs dederat, inſpicientibus de murorum vallo Patribus, intentatis ad ſpeciem gladiis mactari jubet (*106): hi quamvis ferro minimè tacti, dum

(i) Idem p. 17.

Leutharis & Batilinus cum Gothis ſocietatem ineunt.

(k) Idem p. 19. 20.

(l) Idem p. 22.

Lucenſium pertinacia adversùs Narſetem.

(m) Idem p. 23.

Stratagema Narſetis.

(*106) AGATHIAS SCHOLASTICUS L. I. Hiſtoriæ p. 23. & 24. ſtratagema Narſetis ad expugnandos Lucenſes excogitatum ita latè exponit: *Narſes* (à Lucenſibus) *illuſus, moleſtè id (ùt par erat) ferens, ad murorum oppugnationem ſe comparabat. Nonnulli verò ex ſuis interficiendos eſſe obſides cenſebant, útque ita oppidani mœrore confecti perfidiæ ſuæ pœnas luerent. Sed Narſes prudenter omnia gerebat, neque ita irâ ſe abripi patiebatur, ut crudeliter eos, qui nihil planè deliquerant, ob aliorum delictum necaret: hujuſmodi verò aſtum excogitavit. Adduxit enim eos in medium manibus complicatim ad lumbos revinctis, capitibus deorſum depreſſis; atque ita eos oppidanis miſerando in ſtatu conſtitutos oſtendebat, comminatus jamjam illos obtruncatum iri, niſi confeſtim, quæcunque pacti erant, præſtarent. Ligna verò quædam brevia ex interſcapilio ad tendines ſuppacta erant, pannis obtecta, ne hoſtes eminùs dolum proſpicere poſſent. Cùm itaque non parerent oppidani, neque vellent pacta præſtare; ſtatim omnes ex ordine obtruncari juſſit. Lictores itaque ſtrictis enſibus maximâ vi ferierunt, tanquam colla præciſuri. Ictus verò lignis impactus eos illæſos reliquit; proni nihilominùs (ùt ipſis imperatum erat) in terram prolapſi, ſuâ ſponte palpitabant, séque vibrabant, ſimulantes ſe jam mortuos. Quod cùm vidiſſent oppidani,...., confeſtim ad luctum,... ſe converterunt,....*

dum more occisorum in terram corruunt; simulatio ista fecit, ut Lucenses filios suos trucidatos crederent: itaque non viribus tantùm, sed & implacabili odio in Parricidas pugnandum esse

(n) Idem p. 24.

conclamabant (n). Comploratio adhuc fervebat dolore & rabie mixta, tum Narses beneficio minùs exspectato cives devincturus, obsides in urbem, quasi è morte ad vitam excitatos remittit. In Romanos inde mitior Lucensium animus fuit; & fortè citiùs portas reclusissent; nisi eodem tempore funestus casus obsessis novos animos, Narseti metum injecisset. Fulcaris pro

(o) Idem p. 25.

Fulcaris & Herulorum cædes.

barbaro suo ingenio otii in castris propè Æmiliam pertæsus (o), cum Herulis suis Parmam usque temerè provolat: Butilinus accedentem ex insidiis adortus, cum Duce palantem militem opprimit. Cladis internecinæ nuncius vix in castra Joannis pervenerat; hic ad periculum trepidus, unà cum Artabane Faventiam fugit: Lucenses inde ominati hostem à nemine impeditum

(p) Idem p. 26.

sibi auxilio fore, supercilium altiùs erigunt (p). Narses obstinationis ejusmodi causam suspicatus, Stephanum ad Romano-

(q) Idem p. 29.

rum, qui fugam captaverant, castra ablegat (q), ut molli reprehensione Ducum factâ, Faventiæ copias ad priora stativa reducat. Hoc agmine hostibus rursus, ne longiùs procurrerent, opposito, Lucense obsidium acriùs impellitur: at Gothi non

Luca se Narseti dedit.

minùs audaces in prælium erumpunt, quod Marte primùm æquo cœptum, inclinante posteà in Romanos belli fortunâ, sinistro adeò eventu desiit, ut Narses deditam urbem nactus, Ravennam

(r) Idem p. 30.

triumphantis in morem ad hyberna subinde transiverit (r).

44. Dux, ubi cum suis Ravennæ à laboribus aliquantùm respiraverat; in illo otio illustriorem, quàm anteà in bello, vi-

(s) Idem p. 31.

ctoriam reportavit (s). Aligernus à Teja fratre Cumarum præsidium sibi demandatum habebat, & castellum cum opibus ibidem depositis contra Romanorum qualescunque conatus tamdiu tueri

runt;..... omnes verò apertè Narsetem convitiis incessebant..... Hæc illis inclamantibus: An non (inquit Narses) vos hisce causa necis fuistis, qui iis neglectis ac proditis, neque vobis ipsis rectè consulentes, perjurum jusjurandum curâstis, pactáque turpiter violâstis? Verùm enimverò si vel nunc velitis, quoad expedit, cognoscere, réque ipsâ pacta præstare, nihil mali accipietis. Nam & obsides vestri reviviscent, & urbi vestræ nihil damni inferemus &c.

tueri fortiter ſtuduit (t), dum de Francorum fide ac auxiliis, quæ ſubinde adfutura crediderat, diffidere cœpit. Deſperato ſubſidio, in alia conſilia Aligernus diſcedens, claves urbis ac theſaurorum ad Narſetem ipſe defert (u). Perfidiæ id loco habentibus Francis reponebat: non eos Gothorum, ſed Regni causâ in Italiam veniſſe, neque aliud ſibi à Butilino beneficium obventurum fuiſſe, quàm quod Polyphemus Ulyſſi olim addixiſſet, nempe illum cæſis cæteris ultimum fore, qui mactaretur. Franci Cumarum ſpe quantumvis amiſsâ, nihilominùs in ultimas Italiæ oras movent: per iter prope Ariminum à Narſetis inſidiis circumventi (x), ægrè venerunt in Samnium, ubi Butilinus & Leutharis bipartito exercitu per varias tetendêre vias (y): & ille quidem ad littus Tyrrheni maris Campaniam atque Lucaniam evaſtabat; hic verò cum altero agmine ſiniſtrorſum flectens, Apuliam & Calabriam tam acerbè depopulatus eſt, ut nec theſauri Eccleſiarum ab Alemannis intacti relinquerentur (*107). Leutharis, poſtquam nefandam prædam ſollicitè comportaverat, eandem in tutiora loca relaturus, citò reditum maturabat, Butilinum monens, ne diutiùs morando ſpoliorum ingentem vim ab incertis belli eventibus ſibi rurſus eripi patiatur. At Butilinus, quò minùs fratrem tunc in patriam ſequi poſſet, datâ à ſe Gothis fide retrahi inquiebat (z): hâc enim Genti promiſerat, ſe antè hinc non diſceſſurum, dum totis copiis cum Romanis de rei ſumma deçertâſſet. Leutharis igitur ſolus cum ſuis eo conſilio abibat, ut, poſtquam prædam ſepoſuiſſet, novas Butilino ſuppetias mitteret. Ad Picenum agrum jam is citra periculum

(t) Idem p. 20.

Aligernus Tejæ frater Cumannum caſtellum tradit Narſeti.

(u) Idem p. 32.

Franci in poſtremam Italiam tendunt.

(x) Idem p. 34.

(y) Agathias l. 2. p. 36

Francorum depopulationes.

(z) Idem p. 37.

(*107) AGATHIAS L. II. Hiſt. p. 36: *Quotquot itaque eorum Franci erant indigenæ, multam reverentiam, pietatémque circa templa exercebant, utpote rectam de Deo ſententiam amplexi, eadémque cum Romanis ſacra colentes. Alemannica verò Gens univerſa (aliter enim hi circa Religionem ſunt affecti) templa irreverenter diripiebant, ſuiſque ornamentis ſpoliabant, multas quidem amulas ſacras, ſive vaſa luſtralia & aſpergilla ex puro auro, quamplurimos etiam calices & acerras, & quæcunque myſticis ceremoniis peragendis erant conſecrata, ſpoliantes, propriis ſuis poſſeſſionibus adſcribebant. Sed ne his quidem rebus contenti, tecta ipſa ſacrorum templorum diruebant, & fundamenta ſubvertebant; cruoréque & ſanie delubra circumfluebant, arva etiam, ſegetéſque polluebantur, cùm per eas paſſim cadavera inſepulta ſparſa jacerent. Sed non multò pòſt Divina vindicta eſt ſubſecuta.*

Ultio divina ſacrilegiorum, quæ ab Alemannis & Leuthari commiſſa fuerant.

(a) Idem p. 38.

riculum venerat; tum Artabanes Dux Romanus cum Uldacho Hunnorum Præfecto proficiſcentem in inſidias pellicit, ac oppreſſis tribus Francorum millibus, captivos ſimul & ſpolia hoſti ademit: Barbari inde inopes & nudi (a) in Venetorum terras dilapſi, tandem Cenedæ in oppido Francis ſubdito conſiſtunt. Leuthari hunc in modum fugienti etſi nullus Romanorum inſiſteret, eundem tamen ſacrilegiorum ultor Deus graviore pœnâ inſequebatur; nam vix à fuga collegerant corpora, omnis Francorum & Alemannorum turba lue ſubitâ, aliiſque morbis periit; quæ ultima clades poſt rapta anteà ſpolia nunc quoque Leuthari mentem ita eripuit, ut in rabiem actus, & infixis in ſeipſum dentibus ſæviens, calamitoſiſſimo fato ſibi ſpiritum impium extorqueret. Butilinus adhuc ignarus eorum, quæ fratri acciderant, in non abſimile exitium paulò pòſt ruebat. Vergente quippe in autumnum æſtate ejusdem exercitus famis, quâ premebatur, impatiens (b), recentium uvarum ſucco ſolari inediam aliquantùm conabatur: hic immaturus liquor ubi viſcera laxaverat; magna pars profluvio ventris extincta eſt. Priuſquam verò hic morbus in omnes pervaderet, Butilinus committendum ſibi quocunque eventu prælium putavit. In Campaniam cum triginta, quæ ſupererant, millibus profectus, ad ripas Caſulini fluminis poſitis caſtris opperitur hoſtem (c): Narſes, ne ſibi Barbari inſultarent, minus quidem agmen (nam octodecim duntaxat millia numerabat) ſed viribus, animíſque magìs validum ex urbe Romana in locum Barbaris vicinum ingenti ad terrorem ſtrepitu educit (d). Velites Romani procurſatione felici poſtquam ſubmoverant hoſtem (e), utrinque acies ſtrui cœpit; & Narſes quidem peditatûs latera equeſtribus alis claudebat: Butilinus verò cuneato (* 108) agmine procedens, in pedites adverſos

Leutharis infelix exitus.

(b) Agathias l. 2. p. 39

Morbus Butilini copias minuit.

(c) Idem p. 40.

(d) Idem p. 41.

(e) Idem p. 42.

Prælium inter Francos & Romanos.

(* 108) IDEM p. 44: *Hiſce ita dictis Butilinus..... confeſtim copias in hoſtem eduxit..... Erat autem ipſis forma aciei inſtar cunei, Δ literæ figuram præ ſe ferens, anteriore quidem ſuî parte in acutum deſinens; preſſa enim erat & denſa, ſcutis inter ſe conſertis munita; dixiſſes ſuis caput ſuâ ſtructurâ efformare. Alæ verò utrinque ex centuriis & decuriis in longum compoſitæ, & utplurimùm in obliquum protenſæ, paulatim ab ſe dilatabantur, & dirimebantur, in maximam latitudinem deſinentes; adeò ut locus intermedius vacuus relinqueretur, & nudata militum terga ſeriatim conſpicerentur.*

versos primum dedit impetum: rarior horum ordo, ac tenuis alicubi acies erat, eoquòd Hunni ob simultatem quandam à Romanis disjuncti, locum suum necdum impleverant (*109). Assilientibus proinde Barbaris feliciter evenit, ut per spatium milite vacuum ultra ultimos ordines provecti, in Romanorum quoque castra ferè illaberentur (f). Dum Butilinus hâc ratione à victoria pugnam auspicatur; Hunni mutato consilio in serum quidem, at opportunum auxilium veniunt (*110); nam Barbaris, qui aciem perruperant, quasi de composito occurrentes, acri certamine cunctos fundunt: dein ad Romanorum exercitum festino gradu provolantes, rem Romanam omninò restituunt. (f) Idem. p. 44.

R 2 Narsetis

rentur. Aversi enim inter se stabant, ut hostibus adversi essent, & ex tuto confligerent, scutis protecti; terga verò mutua illa inter se contraposita tuerentur.

(*109) IDEM p. 42. causam ostendit, cur Heruli à Narsete discesserint: *Intereà verò, dum exercitus movet, & jam Prætor equum conscenderat; nunciatur ipsi, Herulum quemdam non è multis inter ipsos, neque obscurum, sed nobilem inprimis, illustrémque virum quemdam è domesticis suis servis, quòd aliquâ in re deliquisset, miserrimè interfecisse. Statim itaque adductis habenis equum sistens, homicidam in medium producit, tanquam fas non esset prælium adire, nisi cæde expiatâ. Interrogatus ergo ab eo Barbarus, cùm factum fateretur, neque inficias iret, imò è contrario assereret, liberam Dominis esse potestatem de servis suis pro suo arbitrio decernendi, ut & alii scirent, nisi officium facerent, similiter secum actum iri. Cùm itaque veluti nullâ cædis perpetratæ pœnitudine ductus, pervicax & jactabundus, & cædem spiranti similis permaneret, Narses lictoribus, ut eum interficiant, mandat, atque is quidem ense ilia perfossus, interiit. Herulorum verò turba (utpote Barbari) dolebant, molestéque id ferebant, & à prælio se subducere statuebant. Narses verò hoc pacto cæde expiatâ, & de Herulis parùm sollicitus, in aciem progressus* &c. Hujusmodi desertioni confisus Butilinus, citiùs in hostem movit.

(*110) IDEM L. II. ostendit Herulos resipuisse, & seriùs quidem, opportunè tamen ad certamen venisse; nam pag. 48. ait: *Sindual autem Herulorum Dux turpe quiddam, & generoso animo indignum censebat, si tanto prælio utrinque instructo, ipse pariter & sui defectionis insimularentur..... Nequaquam itaque conquiescere sustinens, Narseti significat, operiatur se, utpote jamjam cum suis adventurum. Narses verò, se quidem non præstolaturum, respondit; curaturum tamen, ut & ipsi suo in acie loco ordinentur; etiamsi paulò seriùs advenerint.* Dein, postquam descripserat, quâ ratione Franci locum ab Herulis vacuum perruperint, subjungit pag. 45: *Sindual & Heruli, cùm prælio appropinquâssent, in hostes incurrunt, qui perfractâ, penetratâque Romanorum acie, reliquos præverterant: statim itaque atque ad manus ventum est, pugnam cum eis conserunt. At illi inopinato rei eventu perculsi, imò potiùs insidias esse suspicati, confestim in fugam sunt versi; transfugas insimulantes, quòd ab eis essent decepti. Sindual verò acriter eis absque ulla intermissione instabat, donec alios quosdam prostravit; alios verò in verticosum flumen adegit. Atque ita Herulis in locum suum receptis, vacuitas illa in medio exercitûs suppleta est, & phalanx clausa: Francique deinceps velut retibus involuti, omni ex parte cædebantur.*

Narſetis pedeſtres copiæ, ubi ab Hunnorum multitudine auctæ ſteterant, coëuntibus equitum turmis, jam continenti agmine armatorum ſepti Barbari (g), quò magìs Romanus miles ſe inferebat, cogebantur breviore ſpatio & ipſi orbem colligere, unde certiſſimis ictibus à tergo & fronte appetiti, poſt paucas horas ſimul unà cum Butilino ferè omnes (ſi quinque fugâ elapſos cladis acerbæ nuncios exceperis) ceciderunt (*111). Quàm fœda hæc victoria cruore hoſtium, ac exitialis Francis fuit; ita Romanis Victoribus non potuit non eſſe glorioſa, quorum in exercitu poſt exactam pugnam octoginta tantùm viri, nec alii deſiderati ſunt, quàm qui primum hoſtilem impetum exceperant (h).

(g) Idem p. 45. & 46.

Clades internecina Francorum.

(h) Idem p. 46. & 47.

A. 554.

45. Debellatum ubi à Cæſareis in Italia fuerat; in ſequentem uſque annum ſeptem Gothorum millia Narſeti negotium faceſſiverunt (i). Regnare, qui è Hunnorum Gente erat, (*112) authore hæc minuta armatorum portio caſtello (cui Capſas nomen) ſe incluſerat, & hoc in angulo totius rei Gothicæ ſpes ultimas majoribus animis, quàm viribus ſuſtentabat. Narſes rebellium audaciæ indignatus, cum toto exercitu arci imminet (k); ſed hæc aſperi & prærupti montis jugo velut vallo defenſa Romanorum

(i) Idem p. 49.

Gothicarum reliquiarum motus.

(k) Idem p. 59.

(*111) IDEM p. 46: *Ipſe itaque Dux Butilinus cum univerſo exercitu ad internecionem periit* &c. Alii etiam hunc Butilinum *Bucelini* nomine vocant; unde quidam merâ ex conjecturâ varios Duces, & viros egregios ejuſdem ex familia ortos deducunt. Vide *Hiſtor. Joann. Joſeph. Pock, P. XI. p. 734.* De victoria Narſetis autem ita ait AGATHIAS: *Adeò illuſtrem, ac ſplendidam, adeóque excellentem victoriam non facile crediderim prioribus ſæculis cuiquam obtigiſſe.* Et p. 47. carmen Author ſubjicit, quod an ſaxo inſculptum, aut ſermonibus hominum vulgatum fuerit, dubitat;

Denſa Caſulino raptata cadavera ab amne
Tyrrheni accepit vaſta crepido maris,
Auſonius Francos quo tempore ſtraverat enſis,
Quotquot Butilino paruerant miſero,
Felicem ô fluvium! fuerit vice namque trophæi,
Barbarico tingi poſſe cruore diu.

(*112) IDEM p. 49: *Eo itaque loci* (ſive in Campſenſi propugnaculo) *collecti Gothi, in tuto ſe futuros putabant, & Romanis quidem ſe dedere nequaquam ſtatuerant; ſed omnibus potiùs viribus reſiſtere, ſi quis in ipſos iret. Incitabat enim ipſos, impellebátque ad hoc barbarus quidam vir, eorum Dux Regnares nomine, tametſi neque ejuſdem cum eis nationis aut Gentis (erat enim ille ex iis, qui Vitgores appellantur, Gente Hunnicâ) ſed quòd ſolers maximè, verſatiſſimúſque eſſet, & peritus quocunque modo conciliandæ ſibi multitudinis, eis & imperabat, & bellum inſtaurandum ſibi cenſebat, ut ex eo celebrior fieret.*

manorum vim facilè elusit. Gothos igitur, quibus Narses inferre propiùs arma non poterat, obsidionali coronâ coërcere placuit. Insolens obsessorum superbia hoc angusto ambitu se circumscribi adeò non est passa, ut per hyemem non tamen sine clade frequentes in hostem excurrerent (l). Regnares amissis multis suorum, suæ causæ tandem malè metuens, cum Narsete se pacturum condicit; ac subinde in locum castello & exercitui Romano medium progressus, tantam in petendo, ac agendo proterviam jactabat, ut Narses os impudens hominis non ferens, sermonem, pactionémque abrumperet. Regnares hanc (ùt putabat) injuriam ulturus, ubi suæ arcis mœnibus propiùs successerat, clàm tenso arcu, sagittam in Narsetem subito, sed irrito jactu retorquet. Ad perfidum Sicarii facinus ii, qui Ducem suum circumsteterant, non parùm inhorruêre, mox irritati in scelestum, ingentem telorum nubem explodunt, quorum uno confixus, & post aliquot dies extinctus, seditionis temerè cœptæ pœnas dedit. Factionis Antesignano sublato, cæteri Gothi oratâ vitæ veniâ deditionem suî fecerunt; quibus, ne imposterum novis studerent rebus (m), Constantinopolim deportatis, Narses totam Italiam Cæsari reddidit (*113).

(l) Agathias l. 2. p. 50.

Regnaris Gothorum Antesignani audacia.

Ejusdem cædes.

(m) Agathias l. 2. p. 51.

46. Quo tempore Occidentis Provinciæ optato pacis otio uti cœperunt, in Oriente adhuc vigebant induciæ, quas cum Imperatore Chosroës in quinque annos eâ lege iniverat, ut pacatâ Armeniâ, aliísque regionibus à bello vacantibus, in Colchide sola, & in Lazorum Regno inter Persas, Cæsareósque dimicaretur (n). Utprimùm enim Chosroës à Lazis ad subsidium vocatus, has regiones ingressus fuerat; nullâ pacis conditione impelli potuit, ut rursus iis locis pedem efferret, quæ Persarum commerciis, ac procursionibus in vicinos Barbaros non tantùm aptissima, sed & spem facerent, Galatiâ, Bythiniâ, ac Constantino-

Chosrois Regis Persarum bellum in Lazica.

(n) Agathias l. 2. p. 55.

Chosroës in Gubazem Lazorum Regem acerba statuit.

(*113) PAGIUS in T. II. Critic. ad an. 554. N. VI: " Agathias, qui de hyeme & Vere currentis Christi anni verba facit, ùt sequentia demonstrant. Quare hoc anno (554) *Bellum Gothicum* ab anno 535. inchoatum finem accepit. Marius quidem in Chronico Bellum Gothicum usque in annum 556. protrahit, & recentiores passim Historici in annum sequentem (555) sed errare ex Agathia, quem se sequi profitentur, nunc constat. "

(o) Procop. l. 2. B. P. c. 28. p. 161.

A. 551.

(p) Procop. l. 2. B. P. c. 29. p. 163.

Gubazes Justiniani auxilia implorat.

(q) Idem p. 164.

(r) Idem p. 166.

Obsidio Petræ neglectim acta.

(s) Procop. l. 2. B. P. c. 30. p. 167.

(t) Idem p. 168. & 169.

(u) Procop. l. 4. B. G. c. 9. p. 586.

tinopoli Cæsaris sede potiundi (*114). Lazi tamen cùm Christiana sacra amplexi longissimè à Persarum superstitione abhorrerent; malè metuebat Chosroës (o), ne Lazorum Gens ad Cæsaris, unde defecisset, fidem, clientelámque rediret. Rebus proinde suis prospecturus, Gubazem eorum Regem è medio tollere, & translatis aliò incolis, regionem illam novis Persarum coloniis occupare decernit. Consilium ejusmodi utprimùm Gubazes cognovit, à Justiniano Imperatore rursus auxilia sibi, suísque rogat (p): Augustus hoc nuncio lætus, Romanorum septem millia Dagisthæo Duce cum Tzanis mille suppetias Lazis afferre jubet (q). Hi castris ad Petræ mœnia cum Lazis & Gubaze conjunctis, obsidionem urbis aggressi sunt. Jámque cuniculis magna murorum pars dejecta Romanum ferè admiserat militem, tum Dagisthæus, ùt adolescens erat, bellóque impar, extractâ negligentiùs irruptione (r), Mirmeroi Duci Persarum spatium reliquit, quo per incustoditas montium fauces propiùs Petræ cum triginta suorum millibus posset succedere (s). Vix de adventu hostis Dagisthæus audivit, à Petræ obsidione ad Phasin fluvium continuò discessit: Gubazis fortitudo una tunc Persis terrori fuit; nam & à Lazico limite eos arcebat, & palantem subinde hostem vi omni ex insidiis oppressit (t). Dagisthæo posteà, poscente id Lazorum Rege, à militiæ præfectura dimoto (u), Bessas

(*114) PROCOPIUS L. II. de B. P. c. 28. p. 160. exponit causas, cur Chosroës in subjuganda ac retinenda Lazica tantam operam posuerit; *Et verò si Colchidem, quam ditioni suæ adjecerat* (Chosroës) *firmè possideret, lucrum insperatum ac luculentum ipsi esse videbatur, id Regno Persico in multas partes fore commodum reputanti. Nam in posterum sub manu futuram Iberiam videbat; quando non haberent ampliùs Iberes, ad quos salvi transfugerent. Ex quo sanè præcipua Barbarorum istorum Nobilitas cum suo Rege Gurgene ad Romanos desciverat; . . . . ipsos Persæ creandi sibi Regis potestate privârant. Nec Persis parebant Iberes voluntate suâ: at suspicione, diffidentiâque incensi mutuâ diffidebant. Neque obscurum erat secum Iberes gravissimè indignari, ac brevì res novaturos, si quam arripere occasionem possent. Addebat his, Regnum Persicum ab infestis incursibus Hunnorum, qui Lazicam accolunt, tutum fore; eósque, si, quando luberet, in Rom. Imperium faciliùs immissurum; cùm Lazica propugnaculum sit adversùs Barbaros degentes in Caucaso. Et quod caput erat, Lazicæ possessionem ad hoc Persis opportunissimam futuram sperabat, ut inde erumpentes, & in Provincias, quibus Pontus Euxinus prætexitur, nullo negotio excurrentes terrâ ac mari, Cappadoces, hisque contiguas Galatas ac Bithynos subigerent, atque impetu subito Byzantium caperent.* Similia habet PROCOPIUS L. IV. de B. Goth. c. 7. p. 582.

Beſſas reſtituendæ rei adhibitus eſt; de viro hoc tantò minor ſpes erat, quantò natu grandior, & negligentior fuerat, cùm Italiæ Metropolim Romam olim in Gothorum manus projiceret (*115). Sed Perſarum bello nunc præpoſitus, quaſi in novum hoſtem novas quoque, & majores ſupra ætatem vires induiſſet, pro Romanorum gloria ea egit, tulítque, ut omnem Cæſaris exſpectationem impleret. Nam Petram arcem Dagiſthæi inertiâ relictam multò fortiùs invaſit (x): cuniculo & ariete muris labefactatis mox per ſcalas Dux ſeptuaginta annorum ante ſuos in murorum pinnas eniſus, primus cum Perſis ſuſcepit prælium (y); cujus tantus ardor fuit, ut nec ii, qui ex ſcalarum gradibus pugnabant in Perſas, nec hi, qui Romanos repellere conabantur, ſine vulnere à conflictu excederent. Beſſas tandem dejectus humi, & Barbarorum telis petitus, ubi ſuorum operâ ſe periculo nonnihil ſubduxerat; ita repentè revocavit animum, ut rurſus ad muros advolans, & pede ſcalis impoſito, aſcenſum denuò molitus, Romanos ſequi, & pleniore impetu in urbem irruere juberet. Hâc audaciâ Urbs brevì ſubacta eſt (z), & quingentis Perſis, qui ad arcem confugerant, injecto igne crematis (a), maximum Lazicæ propugnaculum in Imperatoris poteſtatem rediit. Mirmeroës Dux Perſarum quamprimùm audiit, Petram à Romanis captam (b), Archæopolim aliam Lazicæ præcipuam urbem obſidet (c): poſt irritam operam inde profligatus, in uberrimum Colchidis agrum, qui Muchireſis dicitur, ſecedit, Uchimerio Lazorum validiſſimo caſtello inſidias ſtructurus (d). Intereà Isdiguna Choſrois Legatus Conſtantinopoli cum Juſtiniano Cæſare agebat (e); hic ſive bellorum ob ætatis debilitatem pertæſus, ſive alio metu adactus, in conditiones Romanæ rei admodùm probroſas convenit, nempe ut induciis utrum-

(x) Idem c. 11. p. 592. 593.

Romani in Lazica ſecundò Petram obſident & expugnant.

(y) Idem p. 594. & 595.

(z) Idem p. 597.

(a) Idem l. 4. B. G. c. 12. p. 598.

Mirmerois Ducis Perſarum molitiones.

(b) Idem c. 13. p. 601.

(c) Idem c. 14. p. 603.

(d) Idem p. 607.

(e) Idem c. 11. p. 591. & c. 15. p. 607

(*115) PROCOPIUS L. IV. B. G. c. 12. p. 600: *Is* (Beſſas) *certè, cùm Romæ præſidio præfectus eſſet, Romanis priſtinâ fortitudine magnam de ſe ſpem concitaverat. Ibi verò malè bello adminiſtrato, itáque (ùt in ſuperioribus libris narravi) capta à Gothis Roma, & extinctâ parte maximâ civium; cùm Byzantium rediiſſet, nihilominùs Juſtinianus Auguſtus ipſi in Perſas belli imperium eſſe juſſit. Nemo ferè erat, quin id culparet, riderétque Imperatoris conſilium, quod Beſſæ à Gothis fœdè victo, ac ſeni capulari, jam ſub occaſum vitæ, bellum Perſicum dediſſet. Hæc erat communis ferè opinio, cùm ſe feliciter animoſum Magiſter ille militum præbuit.*

utrumque Regnum quinqennio gauderet, pérque idem tempus Oratores controversiam, quæ de Lazica ac Saracenis esset, omninò componerent (f). Antequam tamen cessaretur à bello, pro pacis beneficio Persis ab Imperatore viginti auri centenaria solverentur, itémque alia sex pro octodecim mensibus, qui inter priores inducias & istas intercurrissent; quod spatium cùm mutuis legationibus, multísque sumptibus Chosrois exactum fuerit, hoc quoque æs impensum sibi restitui impudenter poscebant (g). Porrò Isdigunâ urgente, ut ipse viginti auri centenaria jam tum ad Chosroem asportaret, Imperator in eo adhuc hæsitabat, an non expediret, divisis vicibus aliquid de condicto pretio repræsentare, ita enim futurum credebatur, ut pignus, quo teneretur Chosrois in pactione servanda fides, semper in Romanorum esset potestate. Deliberatione factâ plures simul integram summam dandam putârunt, ne, dum singulis annis debiti portio solvitur, tributum annuum Persis pendi videretur; sic ferente hominum more, ut indignis plerumque erubescant vocabulis, non rebus ipsis.

(f) Idem l.4. c.15. sub init.

(g) Procop. l.4. B G. c.15. p. 608.

Justinianus à Persis quinquennales inducias turpiter emit.

A. 552. 47. Pactionis fœditas Romanis æquè, ac Lazicæ Genti displicuit (*116), & hujus quidem Primores nonnulli Cæsareorum (*117) vitia, ac imbecillas vires jamdudum aspernati, palàm nunc exuere Romanorum fidem, atque ad Chosrois validius præsidium reverti statuebant, cujus propositi indicium subinde

(*116) IDEM c. 15. p. 608. exhibet querelas publicas, quibus inducias pactas à Cæsare carpebant: *Hæc autem vulgò jactabantur, firmato jam Persarum dominatu in Lazica, factam hanc esse pactionem, ne quis eos quinquennio interpellaret; sed toto illo tempore optima quaque Colchidis loca liberiùs atque otiosiùs incolerent: unde posteà è Romanis nullo unquam modo ejici possent: quin etiam ipsis Byzantium aditu facile deinceps foret. Multos ejusmodi consideratio torquebat, distringebátque indignabundos. Fremebant etiam, quòd rem, ad quam Persæ jam inde olim aspiraverant, nec bello, aliâve quapiam ratione consequi se posse duxerant, nimirum ut Romanos vectigales haberent; firmissimè jam induciarum nomine sibi asseruissent. Etenim Chosroës, quod apertè antè concupiverat, annuo Centenariorum quatuor tributo Romanis irrogato, jam spatio annorum undecim & mensium sex, Centenaria 46. specioso induciarum obtentu accepit, tributo nomen imponens pacificæ compositionis.*

(*117) IDEM L. IV. B. G. c. 16. p. 610: *Cæterorum autem Lazorum bona pars à Romanis militibus malè habita, ac præsertim exercitûs Ducibus offensa, jamdiu inclinabat ad Persas, non propensâ in eos voluntate; sed eo animo, ut à Romano dominatu se vindicaret, præsentibus malis futura præoptans.*

ſubinde datum eſt, cùm Theophobius Uchimerium caſtellum, & Lazicæ Regionis clavem Choſrois manibus conſignaret (h). Gubazes Rex Lazorum, ubi ab hoſte præcipuam ſuæ Provinciæ arcem teneri, ſuóſque moliri defectionem viderat; Imperatorem monuit, ut, ni Lazicam ſibi omninò eripi vellet, eos ſubmitteret Duces, qui bello Perſas, non verò populares privatis direptionibus infeſtarent. Juſtinianus his acceptis, Beſſam (*118) ab exercitûs imperio continuò ſubmovet: dein Martinum & Ruſticum Duces ad rem meliùs, ac fortiùs gerendam hortatur. Utrique horum ſive ob veteres ſimultates cum Gubaze malè convenerit, ſive timuerint, ne eodem Actore apud Cæſarem accuſati, in offenſam pœnámque pertraherentur (i); de tollendo Rege conſilium ineunt, cujus hæc ſumma erat: non antè interficiendum, quàm Imperatoris animum tentâſſent. Joannes itaque (Ruſtici frater) Conſtantinopolim mittitur, qui Juſtiniano ſignificet, Gubazem Medorum partibus addictum, de Provincia Perſis tradenda cogitare: criminatione ejuſmodi deceptus Cæſar, facilè Emiſſario indulſit, ut, niſi Gubazes propoſito abſtinere, aut obaudire mandatis velit, Tyrannorum peſſimâ morte pereat (k). Reſponſum Joannes in rem ſuam vertens, ad Conjuratos revolat, ac ſubinde Gubazem in inſidias pellectum junctâ cæterorum operâ trucidat. Parricidii fama poſtquam ad Lazos pervenerat, ſceleris immanitate attoniti obriguêre; tum Aëtes unus è popularibus rupto triſti ſilentio primus loqui exorſus eſt: facinus hoc poſtremum videri ejuſmodi, quod reliquis injuriis ſanè maximum cumulum addat; cùm enim anteà Romani vi ac odio pugnâſſent in ſubditorum bona ac ſalutem, nunc inauditâ ferociâ in Principem innocentem ſæviiſſe (l): & quod negli-

(h) Procop. l. 4. B. G. c. 16. p. 610.

Lazi offenſi à Romanis.

(i) Agathias l. 3. p. 74.

(k) Idem p. 75.

A Martino & Ruſtico Gubazes Rex Lazorum interficitur.

(l) Idem p. 81.

(*118) AGATHIAS L. 3. p. 74: *Juſtinianus verò etiam anteà Beſſæ erat infenſus; quod Petræ propugnaculo capto, ante Mirmerois adventum, cùm oportuiſſet eum omnes ex Iberia aditus fortiſſimè obſtruere, juvante ipſum naturâ locorum, efficeréque, ut eâ ex parte Lazicos montes Barbaris inacceſſibiles redderet: ipſe verò id præ vecordia neglexerat, urbibus, quæ ipſi creditæ erant, obeundis, & pecuniæ ex iis corrogandæ intentus. Illa itaque in animum revocans Imperator, cùm & hæc de eo adferrentur, facilè eſt perſuaſus. Quocirca confeſtim Beſſam exauctoratum, ac prætereà bonis ſuis exutum in Abaſcos relegavit, illic manſurum, donec aliud quid de eo ſtatueretur.*

negligentiùs contra hostes adhibuissent ferrum; jugulo id amici Regis infixisse: Gubazis manantia cruore membra id demum loqui omnibus, ut, nî triste idem fidei præmium aliquando cuncti malint (m), confestim ad meliorem Persarum dominatum transfugiant. His dictis ferè plebem inclinaverat; tum Phartazes præcipuæ cujusdam inter Colchos authoritatis contrà infit: A patriis institutis ac legibus optimis illos aberrare, qui quorundam crimen in multorum conscientiam, pœnámque traducere cupiunt; haudquaquam committendum, ut, cùm pauci è Romanis flagitio ac perfidiâ laborare cœperint, omnes Lazi rebelles ac perfidi esse gestiant. Adhæc, si desertio facienda sit ad Persas; non jam opum ac vitæ, sed Religionis (quæ certè maximum bonum est) jacturam in propinquo fore (n): se authore, Legatos ad Cæsarem abituros, qui ultionem in præcipuos cædis machinatores exposcant, ut paucorum sanguine communis simultatis fomes restinguatur (o). Oratione factâ postquam placaverat animos, missi sunt, qui Justiniano Gubazis innocentiam, Sicariorum dolos ac crudelitatem testati, & debitas Parricidis pœnas, & novum Lazis Regem à Cæsare flagitarent. Justinianus ad Legatorum dicta non parùm cohorruit; atque ut gentem subito beneficio sibi attineret, Tzathem Gubazis fratrem, qui tunc temporis Constantinopoli degebat, veteri (*119) ritu inauguratum Regem Lazis dedit: dein Judicem ablegavit in Colchidem, qui de crimine Reorum propiùs cognosceret (p). Athanasius (id Judici nomen erat) postquam in terras Lazorum venerat, utrin-

(m) Idem p. 82. & 83. 84. *Deliberatur, an Lazi ad Persas deficere debeant.*

(n) Idem p. 85. 86. 87. 88.

(o) Idem p. 89.

Tzathes Regno Lazorum inauguratur.

(p) Idem p. 90.

(*119) AGATHIAS L. 3 p. 90: *Jam verò etiam Tzathes unà cum Sotericho Byzantio advenerat, paterno Regno, ejúsque insigniis à Romanorum Imperatore veteri more, ac ritu acceptis. Sunt autem hæc, corona aurea pretiosis distincta lapidibus, & palla ad talos demissa, auro intertexta, calcei murice tincti, & mitra similiter auro & lapidibus variata. Chlamydem verò purpuream Lazorum Regibus gestare fas non est; sed tantùm albam, non tamen omnibus communem, & consuetam. Circa medium enim illius, aureum quoddam textum utrinque resplendet; Regia autem fibula Chlamydis lapidibus etiam aureis inde pendulis, alióque apparatu est insignis. Ingredientem itaque jam suam ditionem Tzathem & Regio habitu ornatum, confestim Præfecti & universus exercitus Romanus salutantes, debitísque honoribus afficientes, ei præibant splendidissimis armis induti, & equis plerique vecti. Lazi verò ad lætitiam conversi, ægrè tandem deposito mœrore seriatim ipsum deducebant, tubis omni ex parte clangentibus, & signis in altum sublatis; erátque pompa splendida admodùm, atque magnifica, & magis, quàm Lazorum Regnum, erat fastuosa.*

utrinque causâ peroratâ (q), fraudem hinc Parricidarum & vim: *Parricidæ* inde innocentiam Gubazis patefecit. Quare præcipui è Sicariis ac *Gubazis à* parricidii Authores infami morte; alii aliis pœnis mulctati *Justiniano* sunt (r). Justitia Cæsaris etsi Colchos hâc ratione sibi devin- *capitis damnantur.* xisset; Misimiani tamen (pars ejusdem gentis) ad Nachoraganum Persarum Ducem, sive eundem, qui Mirmeroi defuncto successerat (s), palàm defecerunt. Hic promissis amplissimis A. 553. Misimianos pelliciens, rebellium animos adeò efferavit, ut, cùm Romani subinde Legatos de pace ineunda mitterent, illos (contrà ac jura gentium permittunt) occidere, ac ultima se audere præsumerent (t). Romani insolens Misimianorum ingenium domituri, Rhodopolim obsidione cingunt, & arce eâdem rebellium præcipuâ paulò pòst expugnatâ (u), in seditiosorum exer- *Misimianorum defectio* citum tantâ vi irruerunt, ut maximam Gentis partem ea dies de- *à Romanis.* leverit: reliqui, quorum pauci cladi supererant, ad gratiam A. 554. Cæsaris, fidémque rediêre (x). Exitium Misimianorum Nacho- & 555. ragano quoque fatale fuit: laborabat is non parvâ apud Persas invidiâ ab illo tempore, quo à Phaside urbe Romanorum paulò *Misimiani* antè in fugam turpissimam rejectus, duodecim suorum millia *victi redeant* unà cum spoliorum ingenti numero amiserat (y); at nunc, post- *ad Romanos.* quam vulgabatur, ejusdem negligentiâ factum, ut Misimiani opportunis Persarum auxiliis destituti, internecinam cladem acceperint (z), Chosroës se tenere non potuit, quin Nachoraganum improvidum æquè, ac meticulosum Ducem ex Iberia ad se protinùs revocaret. Infelicissimus hominum vix Regi se stiterat; tum non simplici mortis genere, sed crudelissimo supplicio per- *Nachoragani* ire jussus est (a): à summis námque ejus cervicibus ad imos pedes *dirum supplicium.* cutis detracta, atque eum in modum à carnibus avulsa est, ut formæ membrorum inversæ conspicerentur, quæ ubi posteà instar utris sensim inflata, è scopulo quodam suspensa est, miserabile & fœdum rursus spectaculum illud cernere licuit, cujus primus Sapores apud Persas infamis Author erat (b). Equidem Chosroës hoc severitatis exemplo prospexerat, ne quis Ducum suorum in Colchide deinceps ignavè rem gereret; verùm aliæ A. 556. adhuc belli difficultates obversabantur, quibus Rex nec vi, nec arte mederi poterat. Quamdiu enim Romani potestate maris po-

(q) Agath. l. 4. à p. 109. ad p. 118.

(r) Idem p. 120.

(s) Idem l. 3. p. 73.

(t) Idem l. 4. p. 124.

(u) Idem l. 4. p. 123.

(x) Idem p. 129. 130.

(y) Agath. l. 3. p. 104. & 105.

(z) Idem l. 4. p. 128. & 129.

(a) Idem l. 4. p. 132.

(b) Idem p. 133.

Chosrois consilium de pace, & legatio ad Justinianum.

tiebantur, inferendis subsidiis, ac cibariis curandis amplus iis locus patuit, dum intereà Persæ longis, desertísque itineribus in castra sua exiguum commeatum nonnisi per bajulos & jumenta oneraria tardiùs ac ægrè mittere cogebantur, quibus molestiis Chosroës victus, bellum in eadem Regione deponendum censuit (c): Constantinopolim ergo cum legatione mittit Persam, cui Zichi nomen erat, virum magnæ authoritatis. Is, cùm ad Justinianum Imperatorem venisset, post agitatos multos de præsenti statu sermones, in has pacis leges cum Cæsare convenit: nempe ut Romani & Persæ in Lazica omnia retinerent, quæcunque belli jure obtinuissent; ipsi verò inter se quietem agerent, dum arctius fœdus Principes utrinque inirent. Quæ ubi Præfectis fuerant renunciata, bini exercitus ad multum tempus ab omni bello abstinuerunt (d).

(c) Idem p. 141.

Romani & Persæ certis conditionibus arma deponunt.

(d) Idem p. 142.

A. 557.

48. Justinianus nondum omninò à motibus hostium conquieverat, ipsa urbs Regia, sedésque Principis validiore, ac antè Orientis oppida experta fuerant (*120), templorum ac ædificiorum agitatione, ac non modicâ ruinâ commoveri cœpit: nullus erat, qui non irascente Deo hoc evenire crederet, propterea, quòd Imperatorem his demum calamitatibus intestinis frangendum aut turbandum crederent, qui Reipublicæ ac civilis

(120) AGATHIAS varios terræ motus extitisse describit, regnante Justiniano, & primùm L. 2. p. 51. & 52. refert eos, qui acciderunt ad an. 554: *Sub idem ferè tempus, vigente æstate, Byzantii, aliisque compluribus Romani Imperii locis ingens terræ motus est factus, adeò, ut multæ urbes tam insulares, quàm in continenti sitæ confestim subversæ fuerint, incolæque penitùs absumpti. Berytus itaque, pulcherrimus ille tum temporis Phœniciæ ocellus, tum quidem tota deformata fuit..... Commigrârunt itaque tum temporis Legum Interpretes Sidonem urbem vicinam, scholæque eò translatæ tantisper, dum Berytus instauraretur.... Erat enim hoc urbi patrium,... quòd ejusmodi scholæ ei essent dicatæ.* Et p. 52: *Per idem quoque tempus in magna illa Alexandria ad Nilum flumen sita (cùm tamen illud oppidum terræ motui obnoxium esse non soleret) sensus etiam quidam motus perexiguus quidem ille ac brevis, neque omninò manifestus, factus est tamen. Omnibus itaque incolis, & potissimùm valdè senibus magno miraculo ea res fuit.* Postea Lib. 5. p. 145. validissimum terræ motum describit, qui quassavit Constantinopolim an. 557. *Non multo verò anteà tempore rursus Byzantii ingens terræ motus fuit, adeò, ut parùm abfuerit, quin tota urbs subversa corruerit. Nam & per se maximus fuit, & qualis antè, ùt arbitror nullus, cum vehementia successionis, tum durationе agitationis, multóque adhuc horribiliorem eum reddebat tempus ipsum, & eorum, quæ coincidebat necessitas* &c. Eadem ferè refert Theophanes ad an. 550. secund. Alexand.

lis ferè oblitus, in sacrarium Numinis temerè manum injicere, aut ultra potestatis concessæ limites Ecclesiam Dei Sponsam turbare, ac premere aggressus fuisset (*121). Constantinopolim in rudera à terræ motibus ferè redactam (e) pestifera lues eadem, quæ anno quinto regnantis Justiniani urbem afflixerat, malignio-re vi invasit, ut post domorum ac habitationum labem, ipsorum quoque incolarum corpora (f) labefactarentur (*122). Duplici huic flagello, quod ira Divina Cæsari intorserat, eodem anno tertium accessit; dum Hunni (*123) trajecto Istro in Thraciam, ac Chersonesum Thracicam, tum ad ipsas Constantinopolis portas magno strepitu armorum, ac vastitate (*124) per-

A. 558.
(e) Agath. l. 5. p. 146.
(f) Idem p. 153.
Pestis sævit Constantinopoli.

(*121) PAGIUS in Critic. T. II. ad an. 555. N. 10. refert, quâ ratione Justinianus novum morem in electione Pontificum introduxerit, & confirmandi Papæ sibi suísque successoribus arrogârit. Quas tricas moverit Justinianus in causa trium capitulorum, non sine injuria Episcoporum & Apostolicæ Sedis, infrà videbis in Hist. Eccl.

(*122) AGATHIAS L. 5. p. 153: *Eodem verò anno statim ineunte Vere pestilentia iterum urbem invasit, & infinitam multitudinem sustulit; quæ quidem nunquam penitùs cessârat, ex quo primùm, circa quintum (inquam) Imperii Justinianei annum, in nostrum orbem irrepserat; frequenter verò aliò, atque aliò se transferens, & locum è loco infestans, atque ita reliquis veluti inducias quasdam concedens, tum rursus Byzantium rediit,.... mortui itaque sunt repentè veluti gravi quâdam apoplexiâ correpti. Qui verò plurimùm vim morbi sustinebant, ultra quintum diem non supervivebant. Morbi autem species veteri erat persimilis. Febres enim cum bubonibus accendebantur continuæ, & non quotidianæ, neque vel modicùm remittentes, sed solo ejus, quem corripuerant, interitu cessantes. Nonnulli verò neque æstu febrili, neque alio dolore præcedente, sed quæ consueverant, agentes & domi, & in plateis ita cogente necessitate corruebant repentè exanimes facti.... Fœminæ non perinde hisce malis erant obnoxiæ.*

(*123) PAGIUS in Critic. T. II. ad an. 558. N. 7. ait: "Isti Hunni diversi non sunt à Bulgaris, ùt liquet ex THEOPHANE ad annum XI. Constantini Pogonati, ubi & eos *Hunnogundo-Bulgares* & *Contragos* etiam appellat, & ex NICEPHORO in Breviario p. 22, ex quo THEOPHANES desumpsit, quæ de illis narrat. AGATHIAS loco laudato (l. 5. p. 154.) ubi eorum cladem refert, Hunnos *Cotriguros* vocat.... Post hæc toto hoc sæculo nulla fermè apud Scriptores *Bulgarorum* mentio occurrit.

(*124) AGATHIAS L. 5. p. 156. Hunnorum sævitiem & libidinem describit: *Hi itaque, cùm nemo ipsis obsisteret, aut propulsaturus obviam iret, atrociter populabundi regionem vastârunt, ingenti prædâ, maximâque captivorum multitudine abductâ, in quibus etiam mulieres multæ nobiles, & castam vitam degentes crudelissimè rapiebantur, malo omnium gravissimo obnoxiæ; quòd immoderatæ Barbarorum libidini inservire cogebantur; nonnullas verò, quæ jam inde à pueris & nuptiis, & mundanis desideriis, & curis, occupationibúsque hujus vitæ renunciârant, & in remota aliqua, divinóque cultui dicata domuncula delitescebant, liberam planè & immunem ab omni virorum contubernio, consuetudinéque vitam summo studio colentes; etiam hi sacris Virginum cœnobiis ereptas con-*

Hunnorum irruptio in Thraciam.

pervaſerunt. Quod multitudini cædes ac libidines impias ſpiranti objiceretur, vix quidquam erat; nam Imperii res militaris hoc tempore attenuata admodùm, aut ad Provinciarum aliarum præſidium diviſa erat (†), & contagio peſtis præcipuos Duces, qui mitti poſſent, jam antè abſtulerat. Unus è pluribus reſtabat Beliſarius (g), in quo urbis, Cæſaríſque ſalus continebatur. Senex ille in exhauſto corpore vegetum circumferens animum, reſumpto ſago cum trecentis fortiſſimis viris (exiguus enim militum numerus Conſtantinopoli ſupererat) adversùs immenſum Barbarorum exercitum proceſſit (*125): metatus ad Chetti vicum caſtra Dux in ſpeculis longè latéque per agrum ſparſis ignes accendit (h), ut hoſti fidem, metúmque majoris ſui, atque fuerat, agminis injiceret. Suſpenſi hoc militari aſtu ad tempus ſtetêre Barbari, dum ab Emiſſariis veriora de Romanorum viribus cognoſcerent; tum enimverò aggreſſionem meditati aliquot velitum millia ad pugnæ initium præmittunt (i). In tanto periculo Beliſarius priſtino ſuo ingenio confiſus, rem ita diſpoſuit: ſelectos equites ducentos ſcutatos, & jaculatores in ſylva utrinque in inſidiis collocat, quâ parte Barbaros impetum facturos præviderat; dein monet, ut ſimul atque ipſe ſigno dato mandâſſet, confeſtim in hoſtile agmen jaculantes proruerent. Acceſſerat

(†) Reflexio V.

(g) Idem l. 5. p. 160. *Beliſarius mittitur adversùs Hunnos.*

(h) Idem p. 161.

(i) Idem p. 164. *Stratagema Beliſarii.*

---

contumeliâ afficiebant, turpiter eas per vim conſtuprantes. Aliæ verò multæ, quæ à conſuetudine virorum nequaquam abhorruerant, & gravidæ tum temporis rapiebantur, cùm jam pariendi neceſſitas urgeret; ita in medio itinere in propatulo pariebant, cùm nec verecundos partûs dolores obtegere poſſent, neque complecti, faſciiſque involvere infantes (utì fas eſt) & ſuſtollere; ſed hæ quidem etiam ita pertrahebantur, & ne dolere quidem ipſis (immane dictu!) permittebatur. Miſeri verò illi infantes in ſolitudine relinquebantur à canibus pariter, & carnivoris avibus diſcerpendi, perinde ac ſi eam tantùm ob cauſam in lucem editi eſſent, & fruſtrà ortûs ſui primordia deguſtâſſent.

(*125) AGATHIAS L. 5. p. 160: *Tales itaque viri inopiâ veteranorum militum muris inſidentes, cuſtodiam eorum agere videbantur. Cùm verò jam per multos dies urbs in hoc tumultu verſaretur, neque Barbari obvia quæque vaſtare deſiſterent; tum demum Beliſarius Dux jam fractus ſenio, mandato tamen Imperatoris in eos mittitur. Hic itaque ſenex loricam multo jam tempore deſitam reſumens, galeámque capiti adaptans, & omnem, cui à puero aſſueverat, habitum capeſſens, præteritorum memoriam redintegrabat, priſtinámque animi alacritatem ac virtutem revocabat. Hoc enim ultimo in vita ſua bello confecto non minorem gloriam conſequebatur, quàm cùm de Vandalis & Gothis victis trophæa erexit. Nam & eorum, quæ jam acciderant, immanitas, & ſumma de futuro deſperatio rem ipſam, quam aggrediebatur, majorem, illuſtriorémque efficiebant, & victoriam jucundiſſimam.*

ceſſerat quoque ſub idem tempus ingens agreſtium turba, quæ licèt inermis ſpectandi potiùs, quàm confligendi causâ affluxiſſet (k); Beliſarius tamen hâc multitudine opportunè uſus, juſſit, ut (*126) alii clamore ſublato, & comploſione lignorum frequenti ſtrepitum ederent, alii ad ciendum pulverem per terram ramos arborum tractarent. Hæc dum agebantur, duo ex Barbaris equitum millia à reliquo exercitu ſeparata, ultra locatas inſidias procurrerant; Beliſarius inde cum ſuis, qui ipſi aderant, adversâ fronte occurrens, validiſſimum in Barbaros impetum fecit, agreſtibus ponè ſequentibus, qui fragore pugnantibus addebant animos, vel verrendo humum excitabant pulverulentam nubem: quâ Hunni decepti, cùm maximas inſtare copias exiſtimarent, jam reſpectabant fugam; tum dato ſigno etiam alii ex ſylva proſilientes utrinque tranſverſim in hoſtes irrumpunt (l); clamórque & tumultus major, quàm pro prælii magnitudine ciebatur. Barbari mox omni ex parte jaculis petiti (id, quod Beliſarius præcogitârat) in ſe ipſos, ac in ſpatium tam arctum redigebantur, ut nec emittendis telis, neque excurſionibus equorum, aut alarum mutationibus locus foret. Multis igitur ex adverſa acie cæſis ac profligatis, reliquos Beliſarius in fugam compulit. Fugientes poſtquam in caſtra ac munitiones ſuas præcipiti ſtrepitu illapſi fuerant, repentina trepidatio in toto Barbarorum exercitu ſuborta eſt, & quaſi (m) clades ultima immineret motis è veſtigio caſtris, retrorſum timidi receſsêre (*127). Quantum

(k) Idem p. 160.

(l) Idem l. 5. p. 264.

Hunnorum ſtrages à Beliſario facta.

(m) Idem p. 165.

(*126) THEOPHANES anno Incarn. ſecundùm Alexandr. DLI, qui incepit ſecundùm noſtram Chronotaxin Kalendis Septembris anno 558: *Porrò Beliſarius ſumptis omnibus equis, tam Imperatoris, quàm Circi, ſed & ſacrarum domorum, nec non unius cujuſque hominis privati, cui fuit equus in poteſtate, populóque armis inſtructo ad Chitti pagum profectus eſt, ibique aciem omnem compoſuit: tum quosdam ex Barbaris capere & interficere cœpit: quin etiam arbores cædi, & ponè exercitum in terram trahi imperavit; ex quo pulvis ingens vento excitatus, & in Barbaros delatus ſuper eos incubuit: qui cùm maximas copias inde adeſſe exiſtimarent, in fugam verſi ad Regionem S. Stratonici ad Decatum receſsêre.*

(*127) Idem THEOPHANES l. c. deſcribit Bulgarorum ſive Hunnorum ad proprias ſedes reditum: *Peracto feſto paſchali Imperator cum univerſis civibus urbe relictâ ad reparandas muri longi* (quem Barbari perruperant in Cherſoneſo Thracica, ùt Agathias L. 5. refert) *ruinas Selymbriam perrexit; quare pedem retulerunt Barbari* (nimirum pars illa, quæ Cherſoneſum invaſerat) *& trans murum abierunt. Ibi manſit Imperator*

(n) Idem p. 166.

Belisarii laus ab invidis imminuta.

(o) Idem p. 166.

Quantum laudis Belisarius ex hac victoria apud plebem habuit, tantum invidiæ (n) apud Primores consecutus est: calumniabantur hi in Duce ambitionem, cujus afflatu alias spes animo agitaret; ista quò acerbiùs evulgabantur, eò obscuriùs de Ducis laude, ac de proemio victoriæ silentium apud Cæsarem fuit (o). Neglectus ejusmodi non parùm Belisarii excelsum animum momordit: & si recentioribus fides est (*128), eò demum adegit, ut illorum numero post aliquot annos nomen dederit, qui Justinianum Ecclesiæ æquè ac Imperio infestum è vita, solióque extundere decreverant.

A. 563.

(p) Theoph. ad an. 564. secund. Alexand. p. 201.

Conjuratio adversùs Justinianum.

49. Annum nimirum Imperii trigesimum septimum Justinianus agebat, dum Conjuratorum nonnulli de interficiendo Principe captârunt consilium (p): ex his præcipuus erat Marcellus Argentarius, qui pretio Ablabium ac Sergium ad facinus conducens, hunc in modum insidiarum ordinem, tempúsque præscripsit: ferro accinctos adesse in palatio jusserat mensis Augusti die vigesimâ quintâ sub vesperam: & si quando cœnâsset Imperator, priusquam ex Triclinio abeundi copia fieret, irruentes

perator ad Augustum usque mensem: similiter & Barbari usque ad mensem Augustum extra urbem circumvagabantur. Cæterùm Imperator bipuppes naves confici, iisque in Danubio adversùs Hunnos, si quando transfretarent, excipere, & cum eis jussit manus conserere. His auditis Barbari, missis Legatis petiverunt, ut sibi reditus tutò permitteretur, & Danubium trajicerent. Misit ergo Imperator Justinum nepotem suum, & Curopalatem, eósque dimisit incolumes. AGATHIAS L. 5. p. 170. & 171. refert, quòd Justinianus posteà prudentissimo consilio Hunnos inter se commiserit, qui proinde se mutuis cladibus attriverunt, *donec fractis, collapsisque utrimque viribus, penitùs subversi, deletique fuerunt, adeò, ut patriam etiam appellationem amiserint.*

(*128) ZONARAS L. XIV c 9. p. 69 Belisarium inter Conjuratos numerat, dum ait: *Cùm autem Justiniano multorum insidiæ nunciarentur, quarum etiam Belisarius Patricius esset particeps: satellites ei omnes ademit* &c. Hunc sequuntur VOLATERRAN. PONTANUS CRINITUS de honestat. discipl. L. 15. & alii recentiores. AGATHIAS verò L. V. p. 561. suspicionem & accusationem de conjuratione ex una invidia obtrectatorum ortam insinuat; quod multò clariùs THEOPHANES p. 201. testatur hisce verbis: *Ætherii verò nepos Sergius* (unus ex Conjuratis) *surripiens se in Blachernarum ædem confugit: eundémque vi eductum hortati sunt fateri Isaacium argentarium, & clarissimum Patricium Belisarium cum eo conjurationis hujusmodi participes.* CEDRENUS demum affirmat de Belisario, *qui XIX. Julii innocentiâ suâ detectâ prodiit, & sua recuperavit.* BARONIUS Tom. VII. Ann ad an. 561. N. 7. aliam causam casûs Belisarii ex justitia divina arcessit, quæ punire serò volebat peccata, quibus Dux se olim obstrinxerat, dum in gratiam Theodoræ Augustæ Romano Pontifici Silverio acerbus & injuriosus fuit.

tes ſubitò Cæſarem interficerent: Prætereà ut cædis authoribus elabendi eſſet occaſio, homines Indos ad hoc facinus adjutores per varia loca diſpoſuit, qui concitato tumultu urbem permiſcentes, faciliorem fugientibus viam, ſpatiúmque pararent. Antequam verò concepti ſceleris tela pertexeretur, Ablabius ſeu conſilii pœnitens, ſeu temerè id, quod à conjuratis ageretur, Joanni Logothetæ aperuit: ille re ad Imperatorem nunciatâ, ubi Marcellus & Sergius in palatium venerant, utrumque detinuit, & interiora ſcrutatus, gladios occultè ferentes deprehendit (q). Marcellus, quamprimùm ſua, ſuorúmque conſilia patere vidit, in ipſo cœnaculo, in quo ſcelus meditabatur, ſe ferro tranſegit. Sergius per turbam elapſus in Blachernarum ædem ſe proripit; at vi inde ad quæſtionem retractus, hortantibus illis, qui Beliſario exitium minitabantur, hunc quoque Ducem conjurationis ſocium profitebatur: atque ut aliquorum teſtimonio dicta comprobaret; Argentarium Vitum, Paulúmque Beliſarii curatorem parricidii intentati conſcios ajebat. Comprehenſus igitur uterque, & Procopio Præfecto traditus, inſidias omnes detulit, & Patricium Beliſarium accuſavit. Imperator iſta inaudiens, in Beliſarium acerba quæque ſtatuerat; quare multi, qui Duci faverant, eidem fugam ſuadere conabantur. Verùm ipſe conſcientiâ ſuâ fretus perſtitit, dum paulò pòſt à Juſtiniano in palatium vocatus, præſente Patriarchâ Eutychio ſuî accuſationem coràm audiret (r): confeſſionibus reorum palàm recitatis, dolebat Beliſarius, ſe, poſtquam binis jam vicibus de ambitu poſtulatus eſſet (*129), nunc tertiò etiam perfidiæ ac conjurationis inſimulari; ira Imperatoris non permiſit, ut integritatis ſuæ rationes exponeret; quare domeſticis ejus omnibus carceri datis, Beliſarius

(q) Theoph. ad an 554. juxta computum Alexandr. ſecundùm noſtrum ad an. 563.

Beliſarius conjurationis particeps creditur.

(r) Idem p. 202.

Beliſarius exauthoratus in cuſtodiam datur.

(*129) ALEMANNUS in notis ad Procopii C. XVIII. in Hiſt. arcan. ait: "Falſa perduellionis ſuſpicio ter in Beliſarium ſparſa eſt. Semel cùm in Perſide contineret exercitum, Juſtiniano graviter ægrotante, ùt eſt ſupra c. 4. MARCELLINUS *Beliſarius de Oriente evocatus in offenſam, periculúmque incurrens grave & invidiæ ſubjacens, rurſus remittitur ad Italiam.* 2. *Iterum* in Africa poſt devictum Gelimerem; quod hìc indicat, & uberiùs docet PROCOPIUS Lib. 2. B. V. 3*tiò* cùm jam ſenex ageret Conſtantinopoli. *Suaſerunt Sergio, ut Iſaacium Nummularium & Beliſarium glorioſiſſimum Patricium conſcios conjurationis indicaret* &c.

rius quoque (quin tamen aliam vim (*130), corporísve vitium pateretur) domi ſub arctiſſima militum cuſtodia detentus eſt. Necdum is annum in egeſtatis ac opprobrii plena captivitate exegerat (s), tum Juſtinianus de innocentia Beliſarii, ac de accuſatorum calumniis certior (t), eundem cunctis dignitatum honoribus reſtitutum in ſuam etiam gratiam recepit: his tamen Beliſario frui diu non licuit; tædiis namque & ærumnis fractus, anno ſupra quingenteſimum ſexageſimo quarto menſem Martium fatalem habuit (u). Defuncti facultates Juſtinianus, ſive quòd Beliſarius legitimâ careret prole, ſive quòd obtrectatores novos Cæſari ad iram ſtimulos ſubdiderint, tum ærario Principis, tum Marinæ ædibus illatæ ſunt (*131).

(s) Idem p. 203.
Reſtituitur Beliſarius.
A. 564.
(t) Cedren. in Hiſtor. Comp. p. 387.
Mors Beliſarii.
(u) Theoph. ad an. 556. ſecund. Alex. qui nobis eſt an. 565.

50. Fato Ducis Beliſarii ſeptem adhuc menſibus Imperator ſuperfuit: quibus exactis, Idibus Novembris diem ſupremum obiit; cùm regnâſſet annos triginta octo, menſes ſeptem (x). Funeris hujus prænuncius videri poterat morbus ille, à quo Cælitum

Ejus bona Fiſco adduntur.
(x) Pagius ad an. 565. N. 3.
A. 565.

(*130) JOANNES TZETZES Poëta Græcus, qui vixit in Sæculo XII., & exigui nominis erat, refert in ſuis verſibus Hiſt. 86. apud Baronium ad an. 561. N. 4. quòd Beliſarius & lumine oculorum privatus, & ad mendicitatem redactus fuerit:

Iſte Beliſarius Imperator magnus
Juſtinianeis exiſtens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cùm explicuiſſet victorias,
Poſteà invidiâ excæcatus (ô fortunam inſtabilem!)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in ſtadio:
Beliſario obolum date Imperatori!
Quem Fortuna quidem clarum fecit, excæcavit invidia.

Pagius Tom. II. Critic. ad an. 561. N. 7. ait, iſta fabuloſa Poëtæ commenta eſſe, quibus reclamante antiquitate nulla fides habenda ſit. Præterea neque Zonaras, neque Michaël Glycas, neque Conſtantinus Manaſſes; multò minùs Veteres, utpote Theophanes & Agathias aliquid habent, quod huic fabellæ ſuffragetur. Quid? quod ipſe Tzetzes fateatur in ſubjunctis verſibus id, quod Veteres ſolùm teſtantur:

Alii dicunt Chronici, non excæcatum fuiſſe hunc,
Ex honoratis autem infamem profectò factum eſſe,
Et iterum ad revocationem æſtimationis veniſſe prioris.

(*131) PAGIUS ad an. 561. N. 5.: " Tres erant Conſtantinopoli *Domus nobiliſſimæ*, ſeu Imperatorum filiabus potiſſimùm addictæ: ex quarum una erat Domus nobiliſſimæ Marinæ, quam exſtruxit Marina Arcadii Imperatoris ex Eudoxia filia, quæ hoc tempore (ùt ex laudatis Theophanis verbis intelligitur) recondendis Imperatorum divitiis deſtinata erat. "

litum ope ante quatuor annos exiverat (*132). Reſtitutâ tamen incolumitate in pejora deflectens animum, debitum, quod ſoſpitatrici Numinis manui debebat, minimè exſolvit. Edicto quippe publico, ac fidei orthodoxæ infeſto definiebat, ne quis à Chriſto ſuſceptam fuiſſe carnem corruptioni obnoxiam profiteatur. Antequam verò error ille Auguſti poteſtate armatus Provincias pervaderet; improviſa & importuna mors ſenem ac delirantem Cæſarem è vita rapuit (*133). Princeps erat, in quo magnarum virtutum, vitiorúmque, ac proinde varia etiam fortunæ adverſæ aut proſperæ viciſſitudo fuit. Sub Regni initia Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæ, ac moderatæ Juſtitiæ (*134) cultor, Regni ſui modum ad ſacras Servatoris leges accommodavit; cujus teſtimonium nummi ab eo excuſi Epigraphe referebat: *JEſus Chriſtus Rex Regum.* At ubi medios Imperii annos attigit, alius ab illo, qui fuerat, viſus eſt; Silverium namque Pontificem in carcere fame enecuit: poſteà Vigilium ergaſtulo maceratum, in exilium ejecit; & in ſacras cauſas tam temerè, támque protervè manum immiſit, ut Agapetus eidem in faciem oggeſſerit, ſe in Chriſtiano Principe Conſtantinopoli inveniſſe ferocem Diocletianum. Aggeſto tandem aliorum vitiorum cumulo (*135), cùm & à fide aberrare ſenſu ſuo vellet, ſubitò à vita abreptus, dubiam de ſalute ſua multis opinionem reliquit (*136).

Mors Juſtiniani.

Ejus vitæ varia mutatio.

T 2 §. III.

(*132) THEOPHANES ad an Incarn. ſecundùm Alexandr. DLIII., ſecundùm nos 560.: *Hoc anno menſis Septembris die nono, hebdomadis quinto, Indictione nonâ, Imperatorem obiiſſe, per Conſtantinop. rumor ſparſus eſt. E Thracia quippe in urbem redux conſpicuum nemini ſe fecerat* &c PROCOPIUS L. I. de ædificiis cap. 6. notat, valetudinem redditam fuiſſe ope SS. Coſmæ & Damiani, in quorum honorem exſtructum jam olim templum Imperator meliore nitore ac magnitudine illuſtrius fecit.

(*133) EVAGRIUS L. 4. c. ult: *Verùm oratio illa* (de incorruptibilitate Corporis Chriſti edictum) *haudquaquam publicata eſt, eoquòd Deus nobis proſpiciens, res noſtras in melius commutavit*; quibus ſtatim mortem ſubjungit Imperatoris.

(*134) Symbolum Juſtiniani fuerat: *Summum jus, ſumma injuria*, ùt perhibent REUSNERUS & GOLTZIUS in Symb. Imperatorum.

(*135) Vitia varia Juſtiniani recenſet acerbiùs PROCOPIUS in arcana Hiſtoria; quæ ALCIATUS perpetuus defenſor ejusdem diluere conatur L. 4. Parerg. c. 24. BARONIUS verò contra Alciati Apologiam Juſtiniano applicat illud Jeremiæ cap. 2: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitatibus tuis.*

(*136) EVAGRIUS L. 4. c. ult.: *Juſtinianus, cùm omnia omninò turbâ, ac tumultu compleviſſet, mercedémque his rebus debitam in extremo vitæ ſuæ tempore reportâſſet, ad ſupplicia, juſto Dei judicio apud inferos luenda, profectus eſt.*

§. III. *JUSTINI II. Natales & Imperium: Ejus Edicta, Avaritia & crudelitas: Longobardorum à Narsete vocatorum in Italiam adventus: Belli Persici origo. TIBERIUS creatus Cæsar post mortem Justini adit supremum Principatum, turbulenta ejusdem initia, felicior inde Regni cursus. MAURITIUS Tiberio Augusto, Chosroi Persarum Regi Hormisdas, & huic Junior Chosroës succedit. Varami Persæ rebellio, & bellum civile componitur à Mauritio. Bellum Longobardorum in Italia pacis aut induciarum potiùs specie Gregorii Pontificis operâ sopitur. Bellum Avarum Romanis infestum, proditione Commentioli acerbius redditur. Mauritius captivos redimere vilissimo etiam pretio renuit: Ejus, ac liberorum funestus exitus.*

Justini Natales.

(a) Procop. l. 2. de B. V. Victor Tunun. in Chronico.

(b) Victor Tunun. l. c. Corippus in Epic. de Justino. Apud Baron. ad an. 565. N. 12.

I. QUæ hora Justiniano suprema ac fatalis fuerat, eadem prima Justino ad Imperii gradum illuxit. In Thracia is natus Patre Dulcissimo & Matre Vigilantiâ (a), Justiniani sorore, postquam Sophiam insuper Theodoræ Augustæ neptem sibi connubio sociaverat (b); gemino & propinquitatis, & affinitatis titulo meruit, ut Imperator Justino, proximum Regiæ dignitati Curopalatis munus (*1): & post Justiniani obitum, Magistratus

(*1) Ex DUCANGII *Glossario* Curopalates idem erat, ac qui palatii habebat curam: itaque palatinis ædificiis instaurandis aut exstruendis præponebatur, & in signum dignitatis *aureâ virgâ decoratus inter obsequia numerosa ante pedes Regios primus incedebat*, ùt perhibet Senator L. 7. Ep. 5. ALEMANNUS ad c. 6. Hist. arcan. Procopii, ait p. 101, Curopalatæ dignitatem olim communem pluribus fuisse, sed, posteaquàm Justinus senior ex eo gradu ad Imperium ascendit, primùm cœpit inolere, ut officium *Curopalatæ* gradus proximus esset ad Imperii fastigium perveniendi; unde Theophylactus & Nicephorus *primam post Imperatorem dignitatem Curopalatæ* vocant; & qui anteà *Præfecti Prætorianorum* dicebantur, posteà *Curopalatæ* dicti sunt, utì habet ALEMANNUS ad c. 21. arcan. Hist. Procopii. De Justino specialiter CORIPPUS Poëta ita canit:

Te Dominum sacræ quis non prædixerat aulæ,
Cùm magni regeres divina palatia Patris,
Par extant curis, solo diademate dispar,
Ordine pro verum vocitatus cura palatî
Dispositus jam Cæsar eras. Cùm sceptra teneret
Fortis adhuc senior, Regni tu summa regebas
Consilio moderata gravi. Nil ille peregit
Te sine &c.

Ex

ſtratus cæteri eidem Imperii Romani Principatum deferrent. Utprimùm enim Juſtinianus ſpirare deſierat; Callinicus Excubitorum Præfectus mediâ nocte ad ædes Juſtini provolat, & excitatum de ſomno monet, ne qui prior jure ad captanda Avunculi gubernacula foret, in iis vindicandis poſterior adeſſe velit. Hæſitabat ad dicta Juſtinus, & velut nocturnâ imagine illuſus, vix affirmanti habebat fidem, dum fuſis ad Deum precibus (*2) magìs ſuî compos, & ad palatium ultrò ſecutus, poſtridiè abnuente nemine, acciperet Imperium (*3). Inde pompâ funebri Juſtiniani peractâ (*4), Juſtinus à Joanne Patriarcha benedi-

Juſtinus vocatur ad Imperium.

A. 565.

Ex his verſibus BARONIUS in errorem inductus eſt, quòd putârit, Juſtinum â Juſtiniano vivente jam Cæſarem ac Succeſſorem deſignatum fuiſſe; nam PAGIUS in Critica ad an. 565. N. 7. ait: â Corippo tantùm indicari Curopalatis dignitatem, utpote Imperatoriæ proximam; imò Corippus idem ſolennes ritus inaugurationis ejus deſcribit, & nonniſi extincto Juſtiniano, illum Imperatorem fuiſſe manifeſtè indicat. Vide etiam ALEMANNUM in notis ad c. 6. arc. Hiſt. Procopii.

(*2) CORIPPUS refert, Juſtinum recipere noluiſſe Imperium, niſi orato priùs Numine, & Religionis officiis perſolutis.

Ipſe autem Procerum magnis oratibus actus,
Non primùm Imperii regalia ſigna recepit;
Nî ſacrata priùs ſupplex oracula poſcens,
Effuſis precibus Chriſto ſua vota dicaret.
Ilicet Angelici pergens in limina templi,
Impoſuit pia thura focis, cerâſque micantes
Obtulit, & ſupplex lacbrymis ita cœpit obortis:
Omnipotens Princeps &c.

(*3) EUSTACHIUS apud Surium die 6. Aprilis T. II. refert viſionem Eutychii Conſtantinop. Patriarchæ de Imperio futuro Juſtini: *Tribus circiter annis ante Imperium Juſtini futura proſpicienti, & magno Pontifici patefactum fuit, ipſum imperaturum: qui nullâ interpoſitâ morâ, ut eum in Dei timore confirmaret, tutiúſque vitam ejus ad pietatem incenderet, cùm in jucundianis quodam die Senatus haberetur, in remotum quendam locum Dei Servus Juſtinum deduxit,.... & audi, inquit, ampliſſime Vir! quamvis ego humilis ſim ſervus & Sacerdos Dei; ſignificavit mibi Deus, te poſt avunculum tuum fore Imperatorem. Quare vide, ne huc illuc occupationibus diſtrabaris: ſed attende tibi, & operam da, ut dignus evadas, qui Dei perficias voluntatem* &c.

(*4) CORIPPUS L. 1. de Juſtini laudibus memorat Juſtini ſtudium in ornando funere Juſtiniani; inter cætera autem ornamenta funeris deſcribit veſtem, quæ à Sophia Auguſta cadaveri Juſtiniani inſtrata erat:

Exequiis addit ſolito plus dona paternis:
Iréque contractas denſo jubet agmine turbas:
Et tulit intextam pretioſo murice veſtem,
Juſtinianorum ſeris ubi tota laborum

Nego

(c)Corippus l.1.de Justini laudibus.

Edictum Justini pro Ecclesiæ pace. Ejusdem cura in levandis oneribus populi.

nedicente coronatus (c), ad redintegrandam Ecclesiæ pacem publicâ lege cavit, ne quis deinceps aut ob personas, aut ob syllabas altercari, aut infestas tranquillitati rixas movere præsumeret (*5). Tum in civilem rem curas, oculósque convertens, id, quod Justinianus antè æs contraxerat, aut acerbiùs ex subditorum opibus extorserat, vel expunxit, aut remisit (*6). Atque

Nexo auro insignita fuit, gemmisque corusca.
Illic barbaricas flexâ cervice Phalanges,
Occisos Reges, subjectásque ex ordine gentes
Pictor acu tenui multâ formaverat arte,
Fecerat, & fulvum distare coloribus aurum,
Omnis ut aspiciens ceu corpora vera putaret.
Effigies auro, sanguis depingitur ostro.
Ipsum autem in media Victorem pinxerat aula,
Effera Vandalici calcantem colla Tyranni,
Plaudentem Lybiam fruges, laurúmque ferentem:
Addidit antiquam tendentem brachia Romam
Exerto, & nudo gestantem pectore mammam
Altricem Imperii, libertatisque parentem.
Hoc ideò fieri vivax sapientia jussit,
Ornatum ut propriis funus regale triumphis
Augustum in tumulum fatalis duceret hora.

Luminaria in funere adhibita fuisse testatur idem Corippus:

- - - - - - - - Vasa aurea mille,
Mille columnarum species, argentea mille,
Quæ super impositis implebant atria ceris.

(*5) EVAGRIUS L. 5. c. 4. refert *Edictum* Justini, in quo mysteria Trinitatis & Incarnationis exponit orthodoxè, sed simul de Nestoriano & Eutychiano dogmate, ac de personis, qui horum errorum rei dicerentur, ampliùs disputare prohibuit; ex quo tamen Edicto nullam utilitatem consecuta est Ecclesia, propterea quòd Imperator orthodoxâ fide propositâ, simul disertis verbis affirmaverat, ut firmus atque immotus Ecclesiarum status in posterum servaretur, sicut antè servatus fuerat, adeóque nullum ex membris Ecclesiæ, quæ discissa fuerant, ad pristinam rediit unitatem.

(*6) EVAGRIUS L. 4. c. 29: *In Justiniano verò tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis, atque adeò absurda rerum alienarum appetitio, ut omnia subjectorum bona bis, qui Magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, imò innumerabiles, qui bona multa possidebant, causâ falsâ, commentitiáque confectâ, omnibus fortunis multavit* &c. Hæc quia subditi querebantur apud Justinum, ille rem definivit, ùt CORIPPUS descripsit:

Flere diu tantis lachrymis non passus acerbis,
Cùm doluit miserans, & se pietate subegit
Legibus ultrò suis: aliena pecunia, dixit,
Reddenda est. Vivus Patri, qui substitit hæres
Thesauros fidis privatos ferre Ministris

Imperii.

que ut tributa, quæ cives gravare possent, omninò aboleret, eodem tempore Chagano Avarum Regi pecuniarium pensum, à Justiniano in singulos annos condictum, penitùs abdixit, comminatus belli vim, ni Barbari importunâ exactione confestim abstinerent (*7).

Avaribus dare tributum renuit.

2. Auspicata hæc initia postquam spem fecerant felicioris Imperii; Justinus repentè in alium mutatus est; aut in ea recidit vitia, quibus Justinianus Regnum, vitámque fœdaverat. Purpuræ nimirum ab Avunculo gestæ non minùs, quàm flagitiorum sanguini insitorum hæres (*8) deliciis ac mollitie adeò diffluere

Imperat. Innumeræ mox advenêre catervæ,
Fortia centenis, oneratáque brachia libris
Deposuêre humeris: turmæ glomerantur in unum,
Et totus fuso Circus resplenduit auro.
Tunc positâ ratione palàm, populóque vidente,
Debita persolvit genitoris cauta, recepit.

(*7) MENANDER in excerptis p. 102. & p. 103: *Tunc Abari, voluntatis Imperatoris periculum facere statuerunt, siquidem ampliora munera caperent, quibus per Romanorum pusillanimitatem sua sibi compararent commoda;.... verùm enimverò cùm Imperator nihil aliud, quàm suî contumeliam & ludibrium continere existimaret, ad eam, quam Abarorum Legati habuerant, orationem sic respondit: Vos quidem humiles preces magna cum arrogantia profertis, & in spem adducimini, hâc sermonis mixturâ facilè, quod concupitis, consequi. Ab utraque spe, ut verum apertè dicam, excidistis.... Abite igitur, qui magni pretii rem à nobis obtinetis, quod vobis salvis incolumibus licet vitam peragere, & pecuniarum loco, quas à Romanis accipere vultis, nostrî timorem & metum ad salutem vestram convertite & reportate. Neque enim nos unquam vestro eguimus auxilio, neque quicquam à nobis accipietis, nisi quantum nobis visum fuerit, idque tanquam mercedem & auctoramentum servitutis, non quoddam tributi genus, ùt vos falsò existimatis.* Cæterùm, qui Avares fuerint, ita exponit EVAGRIUS L. 5. c. 1: *Isti Abari sunt ex Gente Scytharum, qui Amaxobii dicuntur, quique agros ultra Caucasum jacentes accolunt, oriundi. Qui Turcas vicinos suos ab illis gravibus affecti incommodis cum omnibus suis fugientes, primùm ad Bosphorum venerunt; deinde Ponti Euxini littoribus relictis (ubi multæ Gentes barbaræ habitant illæ quidem, sed urbes & castella à Romanis incolebantur, atque eo tum nonnulli milites rude donati advenerant, tum coloniæ erant de sententia Imperatorum deductæ) recto itinere contenderunt, omnibus Barbaris, qui ante pedes erant, usque eò expugnatis, quoad Danubii ad littora pervenirent; unde Legatos miserunt ad Justinianum.*

(*8) PROCOPIUS in Hist. arc. c. 19. p. 57. de Justiniano Justini Avunculo ita ait: *Quantam enim pecuniam, quoad vixit, contra jus, fásque rapuit.... Multos prædivites cùm Byzantii, tum alibi, eorum substantiis per vim direptis, falsorum criminum reos egit,... vel demortuis, aut etiam superstitibus hæredem inopinatum se scripsit. Hæc nempe egregiorum ejus facinorum summa fuit.* PAGIUS in T. II. Critic. ad an. 565. N. 6. de Anecdotis Procopii loquens, confirmat in hoc probroso in *Justinianum* & *Theodoram* ejus uxorem libello: "Adeò fœda & obscœna lego, quæ ab eâ (Theodorâ) ante matrimonium

(d) Evagr. l. 5. c. 1.

A. 566.

Edictum Justini de dissolvendo matrimonio.

diffluere cœpit (d), ut voluptatibus fræna laxaturus deteſtandâ lege ſtatuerit, communi conjugum conſenſu diſſolvi matrimonium poſſe (*9). Immodicâ libidine ubi valetudinem exhauſerat; lecto affixus, plebem rapacibus Præfectorum manibus diripiendam reliquit: inde cùm querentium primò, dein etiam ſeditioſorum voces perſonarent; quidam ex Optimatibus quæſito ad Cæſarem aditu, ſibi poteſtatem fieri petiit, quâ tempeſtivè imminens malum reprimere valeat. Hâc datâ, in unius Præfecti avaritiam ſeveriùs animadvertens, reliquos à ſcelere, & plebes à tumultu tantiſper cohibuit (*10); neque enim civibus recru-

nium in ipſo etiam Theatro, ac ſpectantibus omnibus ſæpè patrata fuiſſe Procopius dicit, ut incredibile videatur, Virum non mente captum, aut ad ſummam egeſtatem non redactum, cum Lupa, quæ omnes naturæ leges publicè perfregiſſet, conjugio ſociari voluiſſe, aut ab ea jam ſibi conjuncta tandem non abhorruiſſe. „

(*9) NOVELLA *Ut conſenſu matrimonium ſolvi poſſit.* CXL: *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum eſt, atque matrimonium; quippe ex quo liberi, omniſque deinceps ſobolis ſeries exiſtat,.... quocirca conjugibus matrimonia adeò fortunata optamus, ut nunquam adverſo Numine inita eſſe videri queant, neque illi citra juſtam diſſolvendi matrimonii cauſam à ſe invicem recedant. Verùm quoniam ut in omnibus hoc ſervetur, perquam id difficile eſt, (ut enim in tanta multitudine non aliquæ atroces, irreconciliabilésque inimicitiæ incidant, prorſus impoſſibile eſt) par eſſe putavimus, ut hujus rei remedium aliquod comminiſceremur..... Itaque.... ſtatuimus, ut (prout olim juris fuit) matrimoniorum ſolutiones ex conſenſu fieri liceant, & ne ampliùs Patris noſtri ſanctione in eos, qui conſenſu matrimonia dirimunt, conſtitutæ pœnæ in uſu ſint. Si namque mutua affectio matrimonia conficit, meritò diverſa voluntas eadem per conſenſum dirimit, modò hanc miſſi repudii libelli ſatis declarent* &c. Conſtitutio hæc ſacri Evangelii legibus contraria, malè refertur inter Novellas Juſtiniani, cùm (ùt notat Baronius ad an. 566. N. XI.) ipſe Juſtinus in eâ teſtetur, diverſam Juſtiniani de ea re fuiſſe ſententiam, & apud Pithæum ſubſcriptio Novellæ ſic habet: *Data decimo octavo Kal. Octobr. Chalcedone Imp. D. N. Juſtino PP. Aug. anno primo, Indictione quintâ decimâ.*

(*10) CEDRENUS in Comp. Hiſtor. p. 389. edit. Pariſ., poſtquam indulgentiam Juſtini nimiam erga avaros Præfectos deſcripſerat, ſubdit: *Ibi quidam Procerum, libertate dicendi ſumptâ, ita Imperatorem alloquitur, Conſtitue me coram omnibus Præfectum urbis, mandáque, ne cujuſquam rationem potiorem Juſtitiâ habeam, útque mihi te de rebus neceſſariis udmituro ſemper aditus pateat: recipio in me, effecturum me intra menſem, ne ulla ſit vel illata in urbe, vel accepta injuria. Quodſi quis proferet culpam, quam ego mihi indicatam non puniverim, capite me plecti jubeo. Pergratum hoc Imperatori fuit, eúmque Præfectum urbis conſtituit. Is ergo cùm manè pro tribunali ſederet, & quædam vidua quereretur, ſe à Magiſtro quodam omnibus ſuis facultatibus ſpoliatam; mittit eam cum ſigillo ad Magiſtrum illum, jubétque eum ad dicendam cauſam venire. Cùm eum Magiſter verberibus malè mulctatam remiſiſſet; mittit Præfectus ad eum de curſoribus ſuis unum: hunc quoque is verbis deluſum dimiſit. Interim dum Præfectus in Circo ſedet, Magiſtrúmque opperitur, hic ad convivium ab Imperatore vocatur.*

recrudescente pejùs quæstu pax diu esse potuit: recreatus quippe à valetudine Cæsar cùm ad frugem minùs, plùs ad vitia, & vexationem subditorum revixisset; in sordida lucra proruens, omnia iniqui quæstûs causâ divendere, imò etiam Sacerdotia fæci hominum venalia exponere nequaquam dubitavit (e). Displicuit hæc improba agendi ratio non tantùm omnibus, sed & nonnulli ex Senatorio ordine insolenti Principis ingenio irritati, Justinum veneno tollere, ínque ejus locum alium surrogare Cæsarem decernebant (f). Metus inde aliquis Imperatorem turbavit, quem ubi paulò pòst incredibili audaciâ subegerat, in sanguinolentam crudelitatem descivit (g). Qui primus Justini sævientis vim atque insidias exciperet, ejusdem nominis ac sanguinis Justinus erat; hic Justiniani pronepos, ac Germani filius (h) ob res in Perside gestas celeberrimus, dum pari ad Imperium jure utebatur, cum consobrino suo Justino eum in modum convenerat, ut uter illorum ad Regni honorem ascenderet, alteri deferret secundas, eatenus quidem, ut, licèt secundas ab Imperatore, præ cæteris tamen omnibus primas obtineret. Post mortem avunculi, quia propior Regni sors Justino Sophiæ Conjugi affulserat, alter suo gradu contentus acquievit (i); quin ut fidem suam testaretur, protinus contra Avares Imperatoris hostes ad Istrum movens, tantâ fortitudine eos obtrivit (k), ut sparso ad vicinos Barbaros terrore Turcorum Gens (cujus nomen ad ea tempora ignorabatur) fœdus Romanum, & auxilia contra eosdem Avares sibi infestos legatione missâ expetierit (*11). A ma-

Avaritia Justini.

(e) Evagr. l. 5. c. 1.

(f) Idem c. 3 Eustath. in vita S. Eutychii c. 8.

(g) Evagr. l. 5. c. 2.

(h) Abb. Biclariensis in Chronico.

Justinus Dux Justini Imperatoris cognatus, ejúsque virtus.

(i) Evagr. l. 5. c. 1.

(k) Idem ib.

Turcorum prima legatio ad Justinum Imperatorem

catur. Eòdem se Præfectus quoque confert, aitque Imperatori: Si in eo, Imperator! persistis, quod mihi mandâsti, ne cui eorum, qui pauperes concutiunt, parcam, scito, me promissis meis satisfacturum. Sin eos tu pœnitentiâ ductus, amicos potiùs habes, & conviviis adhibes, scias me quoque detrectare ea, quæ in me recepi. Imperatore respondente, uti se ipsum potiùs solio detraheret, si fontem talis criminis sciret: Præfectus illicò Magistrum vi abripuit, & in curiam, quæ Ærea dicitur, cum eo abiit Ibi diligenter utriusque sermone considerato, cùm haud levibus injuriis ab eo affectam mulierem comperisset, verberibus impositis homini caput rasit, asinóque nudum impositum per mediam urbem veluti in triumpho duxit, & omnes ejus opes mulieri addixit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit, ut ubique in summa pace viveretur &c.

(*11) MENANDER in excerptis de legationibus p. 106: *Initio quarti anni Imperii Justini, Legatio Turcorum Byzantium accessit.* Et pag. 151: *Justinus, cùm Turci (qui Saræ antiquitus vocabantur) Legatos ad eum de pace misissent, consilium cepit, legationem*

A maxima igitur rerum geſtarum gloria cùm Juſtinus Dux ubique celebraretur; Imperator timebat, ne is eſſet, in quem offenſi Primores ablatum ſibi Regnum devolverent: ſuſpicionem, invidiámque Conjugis penè ardentem magìs accendit Sophia ambitioſiſſima fœmina, è cujus conſilio Juſtinum Cæſar ab Iſtri finibus Conſtantinopolim repentè evocabat, ac venientem ultrò coactâ in benevolentiæ ſpeciem fronte complexus, ſubinde criminum confictorum à ſubornatis obtrectatoribus inſimulari fecit (l).

(l) Evagr. l. 5. c. 2.

Integritatis ſuæ rationes etſi bene multas afferret Juſtinus; ſatellitio tamen ſuo exutus, ac domi in modum captivi ſe continere juſſus eſt.

Juſtini Ducis funeſtus interitus.

Ad conſciſcendam porrò viro innocenti necem, Urbs Alexandria magno intervallo diſſita, & ad arcendum tumultum opportunior deligebatur, in quam deportaretur; illinc nocte intempeſtâ, ac in lectulo ſicariorum pugionibus confoſſus, miſerabilem ſuæ in Rempublicam fidei, tum rerum à ſe pro Cæſare geſtarum mercedem recepit (m).

(m) Evagr. l. 5. c. 2.

Juſtini Imperatoris & Sophiæ Auguſtæ in Juſtinum Ducem crudelitas.

Peracto parricidio Auguſtorum furor adeò non quievit, ut etiam in mortuum ſævire pergerent; caput enim Juſtini cervicibus abſciſſum ubi Imperatori ac Sophiæ allatum eſt, in illud calcibus inſultârunt, majore conculcantium, quàm calcati ac protriti ignominiâ. Ut primùm præcipuum in Imperio virum Imperator dejecerat, Ætherium & Addæum conjurationis (n) accuſatos è medio Senatu ad ſupplicium abripuit (*12), atque ut omnes, qui authori-

(n) Theophan. p. 204.

A. 567.

---

gationem quoque ad eos mittere. Et pag. 108: *Ad hunc modum Gens Turcica, quæ nunquam anteà ſeſe ad noſtram Rempublicam applicuerat, Romanis amica eſt facta.* De Turcorum origine infrà plura dicentur.

(*12) EVAGRIUS L. 5. c 3.: *Non longo tempore pòſt Ætherium & Addæum utrumque ex ordine Senatorio, qui principem locum apud Juſtinianum diu tenuerant, in judicium ob piaculum quoddam adducit Juſtinus, quorum alter, Ætherium dico, confeſſus eſt, ſe animo inſtituiſſe, Imperatorem veneno conficere, habuiſſéque Addæum illius conatûs Socium, & in omnibus adjutorem. Verùm Addæus gravi cum jurejurando affirmat, ſe iſtius rei prorſus ignarum eſſe. At uterque tamen ſecuri percuſſus eſt: atque Addæus, cùm jam caput abſcinderetur, dixit ingenuè, ſe licet falsò de iis rebus eſſet accuſatus, juſta tamen, debitáque à Deo facinoris cujuſque contemplatore & vindice ſibi inflicta ſupplicia; Theodotum namque aulæ Præfectum ſe præſtigiis quibusdam e medio ſuſtuliſſe* THEOPHANES ad an DLIX. ita idem paucis refert: *Hoc anno Ætherius & Abdius, & unà cum eis Medicus Juſtini Imperatoris vitæ ſtruxerunt inſidias; deprehenſi verò, gladio perierunt.*

thoritate Consulari valuerant, nocendi vi exueret, Consulatum à privatis cæteroquin etiam geri solitum ad Imperatores transtulit (*13).

Aliorum Magnatum cædes.

3. Quæ muliebri ingenio Cæsarem instigaverat, ut Orientem Magnatum cædibus funestaret; eadem Sophia Augusta subinde suo ipsius ore in Virum Maximum Occidentis convitium evomuit, à quo tota Italia vulnus, exitiúmque passa est (o). Narses is erat Gothorum ac Francorum Victor, qui receptas à Barbaris Provincias cùm multis annis Imperatoris nomine gubernâsset; à Romanis inivit invidiam, quâ indies magìs stimulante apud Justinum querebantur: mutâsse Italos servitutem, non deposuisse: subditos (quamdiu Narsetis impotens dominatus staret) jacere opibus exhaustos, & miseriarum plenos; cunctis proinde propositum esse, ni avarissimo homini mitiorem Cæsar sufficiat, Barbarorum potiùs partes, quàm Justini jugum amplecti. His minis perculsus Cæsar Longinum continuò mittit, qui supremas in Italia vices gerat (*14). Narses, ubi ex literis à

(o) Paulus Diaconus l. 2. c. 5.

Narses ex Italia à Justino revocatur.

U 2 Longino

(*13) ONUPHRIUS Lib. 3. Fastorum ait, annum DLXVII. hâc formulâ notari: *Justino Augusto solo Consule*, ubi PAGIUS porrò advertit, à Justino Consulatum ordinarium tam ab Imperatoribus, quàm à privatis geri solitum abrogatum, & eandem Consulatûs dignitatem à solis Augustis sine Collega ita geri solitum esse, ut Cæsares æquè à Consulatu deinceps, atque ab Imperio annos suos dinumerârint. Unde CORIPPUS Lib. 1. de laudibus Justini, hunc Principem sic populum alloquentem inducit:

- - - - - - - - noménque negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta novabo,
Gaudeat ut totus Justini munere mundus,
Dona Kalendarum properant vicina mearum.

Quæ dona Kalendis Januariis distributa his verbis commemorat THEOPHANES ad an. secundùm Alexandr. DLIX: *Consulum more munus dedit Justinus, multásque pecunias, quibus etiamnum plures ditati, sparsit in populum.* Postremùm PAGIUS addit N. II, *Consulatus honorarios* nequaquam tamen ideò abolitos fuisse, sed etiam, postquam perpetui intermissi sunt, adhuc per aliquod tempus obtinuisse, ùt patere dicit ex Novella XCIV. Leonis Philosophi, quâ Novellam CV. Justiniani, quæ de Consulatu agit, rescindit.

(*14) PAULUS DIACONUS L. II. cap. 5. de gestis Longobardorum: *Deletâ (ùt dictum est) vel superatâ Narses omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo devictis, dum multum auri, sive argenti, seu cæterarum specierum divitias adquisisset, magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit, qui contra eum Justino Augusto, & ejus conjugi Sophiæ, in hæc verba suggesserunt, dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potiùs servire, quàm Græcis,* tibi

Longino traditis, se abdicatum, & nunc Constantinopolim ad dicendam causam evocari acceperat; infremuit, quòd Italia jam reum dimitteret, quem paulò antè libertatis vindicem, ovantémque victoriis Ducem ac Patrem suspexisset (*15): cæterùm verbo ea objici, quæ verbo negare fas sit. Hæc metuenti, quàm irascenti similior postquam dixerat; altera ejusdem manibus consignatur epistola, quâ Sophia Augusta Narsetem utpote Eunuchum ridens (*16), & salsâ contumeliâ pungens, ita perscripserat,

Sophia Augusta convitio Narsetem pungit.

ubi Narses imperat Eunuchus, & nos servitio premit, & hæc noster pi ssimus Princeps ignorat: Aut libera nos de manu ejus, aut certe & urbem Romam & nosmetipsos Gentibus trademus. Cúmque hæc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: Si malè feci cum Romanis, male inveniam. Tunc Augustus in tantum adversùs Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum mitteret Præfectum, qui Narsetis locum obtineret.

(*15) Ex Authoribus multa eruuntur, quæ vel Narsetis innocentiam vindicant, vel saltem crimen minuunt. PROCOPIUS L. IV. de B. G. c. 24. p. 641. DOTES ejus ac VIRTUTES enumerat: *Porrò Narses munificentissimus erat, & ad levandos indigentes promptissimus: cúmque ab Imperatore septus magnis fuisset opibus, ea, quæ ipsi erant in studio, pleniori arbitrio exercebat.* Item AGATHIAS: *Erat enim Narses imprimis mente validus, acer, solérsque aptare se temporibus, quanquam literis tinctus non erat, nec ad eloquentiam exercitus; compensabat hæc ingenii felicitate, nec consiliis exprimendis verba deerant, mirum in spadone, intérque aulæ delicias educato. Corpus illi naturâ breve, curaturâ etiam gracile, sed fortior & celsior, quàm credi posset, animus.* EVAGRIUS L. IV. c. 23. laudat Narsetis PIETATEM: *De Narsete, qui familiariter cum illo vixêre, illud perhibent, ita ipsum ex divino Numine pependisse, atque id omnis generis pietate coluisse, & Virginem, eandémque Dei Genitricem ita veneratum esse, ut illa manifestò illi apparens, quando prælium committendum esset, præciperet, neque illum facile prius in aciem descendisse, quàm tempus opportunum ab ea cognovisset.* OFFICIA Narsetis, & RES GESTAS complectitur MARIUS AVENTICENSIS ad annum II. Justini: *Hoc anno Narses, ex Præposito & Patricio, post tantos prostratos Tyrannos, id est, Baduilam & Tejam, Reges Gothorum, & Buccelenum Ducem Francorum, nec non & Sindevalem Erolum, Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi destruxerant, laudabiliter reparatas, de ipsa Italia à suprascripto Augusto remotus est.* Similia eloquitur posteris inscriptio, quæ extat in Ponte Salario: IMPERANTE DN. PIISSIMO, AC TRIUMPHALI SEMPER JUSTINIANO PP. AUG. ANN. XXXVIIII. NARSES VIR GLORIOSISSIMUS. EX PRÆPOSITO SACRI PALATII. EX CONS. ATQUE PATRICIUS. POST VICTORIAM GOTHICAM IPSIS EORUM REGIBUS CELERITATE MIRABILI, CONFLICTU PUBLICO SUPERATIS, ATQUE PROSTRATIS LIBERTATE URBIS ROMÆ AC TOTIUS ITALIÆ RESTITUTA PONTEM VIÆ SALARIÆ USQUE AD AQUAM A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DISTRUCTUM PURGATO FLUMINIS ALVEO IN MELIOREM STATUM, QUAM QUONDAM FUERAT, RENOVAVIT.

(*16) IDEM L. c.: *Narses verò his cognitis valde pertimuit; & in tantum maximè ab eadem Sophia Augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia Eunuchus erat, hæc fertur mandâsse, ut eum in Gynæceo lanarum*

ſcripſerat, ut militiâ, faſcibúſque (qui ſemiviro minùs convenirent) depoſitis, Conſtantinopolim rediret, cum puellis in Gynæceo deinceps lanarum penſa diviſurus. Cujus invictum pectus innumera Barbarorum tela anteà haud perfregerant, in hujus animum infixus iſte verborum aculeus adeò altùm deſcenderat, ut raptim (nam ſtabilem vocem ira haud permittebat) iſta reponeret: talem ſe telam exorſurum, qualem Auguſta, dum viveret, deponere aut retexere non poſſet (p). Tum traditis Longino gubernaculis è veſtigio Neapolim ſe proripit; illinc multa in Cæſaris ingratitudinem, plura in Sophiæ inſipiens ac acerbum ingenium ſtomachatus, ultionem injuriæ, quam viribus ipſe ſuis perſequi ampliùs non poterat, Longobardorum armis explere ſtatuit (*17). Pannoniam Gens illa ac Noricum eo tempore colebat; unde paulò antè à Narſete in ſocietatem belli vocata, tamdiu contra Gothos ſtipendia fecit, dum Longobardorum impietas ac ferox libido Romanos cogeret, infeſtam ejuſmodi catervam ab exercitu in patriam procul amandare (*18). Ab anno igitur DLIII. ad annum DLXVII. intra Pannoniæ fines quievêre, inculti ſoli tenuibus opibus contenti. Hoc intervallo exacto Narſes, Sophiæ Auguſtæ iratum, ac hoſtilem animum gerens,

(p) Paulus Diaconus l. 2. c. 5. Fredegarius Epit. 65. Anaſtaſius in Joanne III Mellitus in Chronico.

Narſes Longobardos in Italiam acceſſit.

U 3

narum faceret penſa dividere. Ad quæ verba Narſes dicitur hæc reſponſa dediſſe: Talem ſe eidem telam orditurum, qualem ipſa, dum viveret, deponere non poſſet.

(*17) PAULUS DIACONUS L. 2. de reb. Longob. c. 2: *Itaque odio, metúque* (NARSES) *exagitatus, in Neapolitanam civitatem ſecedens, Legatos mox ad Longobardorum Gentem dirigit, mandans, ut paupertina Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis poſſidendam venirent. Simúlque multimoda pomorum genera, aliarúmque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos poſſet illicere.* Eadem refert FREDEGARIUS Epit. 65. *Narſis Patricius minis Juſtini Imperatoris, ejúſque Auguſtæ Sophiæ perterritus, eoquòd Auguſta ei adparatum ex auro factum muliebre, eoquòd Eunuchus erat, cum quo filaret, direxit, & penſilarios regeret, non populos. At ille reſpondit: Filum filabo, de quo Juſtinus Imperator, nec Auguſta ad caput venire non poſſunt. Tunc Longobardos e Pannoniis invitans, cum Albino Rege Italiam introduxit.* His ſubſcribunt ferè iiſdem verbis ANASTASIUS in Joanne III., MELLITUS in Chronico apud Pagium ad an. 567. N. 7., ISIDORUS, AUTHOR COÆTANEUS veteris Chronici apud Schelſtrate, SIGEBERTUS, & HERMANNUS CONTRACTUS.

(*18) PROCOPIUS L. IV. de B. G. c. 33. p. 658: *Narſes ſucceſſu lætus ad Deum omnia, verum utique Auctorem referebat perpetuò, atque inſtantia digerebat. Ac primum redimere pretio voluit indignam licentiam Longobardorum, quos ſecum duxerat; cùm præter alia inquinatiſſimæ vitæ ſcelera obvias domos delerent igni, & fœminis, quæ ſacris*

gerens, ad Alboinum Longobardorum Principem dat literas, quarum argumentum, Cæsari æquè, ac Italiæ funestum, immoderata Ducis vindicta conceperat; Barbaros namque non ad legenda spolia, utì antè, sed ad possessionem Regni invitans, ex Italicis agris addebat fructus (q), quibus muneribus de ubertate ac divitiis Regionis & fidem facere, & ad accelerandum iter impellere conabatur (*19).

(q) Paulus Diac. l. 2. c. 5.

4. Al-

---

sacris ædibus se commiserant, turpem vim afferrent. Quare magnâ pecuniâ donatos remisit in Patriam; Valeriano ac Damiano nepoti suo, eorúmque copiis demandata cura, eos ad Romani Imperii limitem deducendi, ut in via ab injuria & maleficio temperarent.

(*19) BARONIUS ad an. 568. N. 10. totam illam historiam de Narsete, ejúsque proditione in dubium trahit, vúltque Græcis hìc majorem, quàm Latinis habendam esse fidem. Ex Græcis autem Corippus asserit, Narsetem ante annum rediisse Constantinopolim, illícque mirificè cultum, nec ampliùs in Italiam, misso illuc Longino, esse reversum. Verùm Pagius ad an. 567. N. 5. & 6. Latinorum authoritatem, historiæque veritatem ita vindicat, dum ait: " Imperante Justino tres Narsetes claruêre, iique Persarmeni. De duobus prioribus loquitur Procopius L. 2. de B. G. c. 13.: *Erat is* (inquit) *Narses Spado, & sacrarum largitionum Comes* &c. *Justinus Dux Illyricorum, & Narses alter, qui ex Armeniis Persæ subditis ad Romanos transfugerat cum Aratio fratre.* Primus Præfectus Italiæ fuerat, & de eo loquitur Marius Aventicensis (suprà in not. 15. citatus sub finem.) Secundus, qui frater erat Aratii & Isaacii, periit in bello Persico, imperante Justino, gesto; ùt refert Procopius L. 2. de B. P. cap. 25. Tertius Narses ille est, de quo Corippus loquitur, & hæc à Baronio N. XI. recitata cecinit:

Armiger intereà, Domini vestigia lustrans
Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, & Augustam cultu præfulgurat Aulam
Comptus Cæsarie, formâque insignis & ore.

At Narses iste, de quo loquitur Poëta, non est is, qui tantas res in Italia gessit, quique in offensionem Sophiæ Augustæ incurrit. Neque enim Narses Eunuchus formâ insignis fuit & ore; neque etiam juvenis, sed senex. Narses itaque (de quo Corippus) sub Mauritio Dux militum fuit, & triginta circiter annis post priorem adhuc floruit, tantóque Persis terrori fuit, ut Persarum infantes audito solo nomine *Narsetis* tremerent. Præterea *Narses*, de quo Theophanes ad annum VI. Justini Jun. scribit: *Hoc anno Narses Cubicularius & Protospatharius, qui Justino Imperatori adeò charus fuit, ut ejus gratiâ ludibriis respergeretur* &c. Iste idem est, de quo verba facit Corippus, qui Cubiculariis & Eunuchis præsidebat.... Cæterùm (pergit Pagius) an *Narses* Eunuchus Longobardos in Italiam accersiverit, ab Authoribus Græcis discere non possumus, ex quibus nec Theophanes, nec Cedrenus, nec Zonaras nequidem irruptionis Longobardorum in Italiam mentionem faciunt; cùm contrà plerique Historici Latini, apud quos res gesta, ejus disertè meminerint. Inter hos MELLITUS in *sua brevi temporum expositione* historiam Narsetis adstruit, qui opus suum absolvit anno Christi DCXIV.; habemus itaque Authorem coævum, qui testatur, se nihil scripsisse, quod ab Antiquioribus non acceperit.

A. 568.

Longobardorum in exercitu quàm variæ nationes fuerint.

4. Alboinus, utprimùm Narsetis acceperat literas, Primores Gentis in consilium, dein cunctos populares in arma vocat: atque ut numero non minùs, quàm viribus valeret; ex Gepidis, Bulgaris, Sclavenis, Turcis atque Saxonibus copias suas auxit, quorum populorum accessione exercitus ducentorum millium conflabatur (r). Antequam verò ex Pannonia Alboinus moveret; sedes proprias (*20) amicis Hunnis (qui Avares dicti Daciam habitabant) eâ lege tradidit, ut, si quo tempore Longobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repetere illis integrum foret (s). Intereà dum hæc agebantur, dies, tempúsque Narsetis lenierat iras, & post discussum furoris impetum, quod malum Italiæ paraverat, saniore mente dispicere cœpit: occurrebant nimirum tot Provinciæ, atque ipsa vetus Imperatorum Sedes Roma, quas cùm antè objectu corporis ac sanguine tutatus esset, nunc hosti implacabili velut spolium temerè objiceret: prævidebat, Religionem Christianam ab Ethnicis subvertendam, expugnandum Virginum pudorem, Sacerdotum futuras cædes, quódque horum scelerum ipse Author, non jam in Italiæ annalibus ac monumentis, utì olim, defensoris, sed proditoris infame nomen apud posteros sit habiturus. Ista altiùs secum meditatus, manu eâdem, quâ vulnus fatale Reipublicæ paraverat, avertere ictum tempestivè nitebatur. Alteram itaque epistolam ad Alboinum misit, quâ varia causatus, Longobardos ab aditu Italiæ

(r) Paulus Diaconus l. 2. c. 26.

Hunni Longobardorum terras occupant.

(s) Idem l. 2. c. 7.

Narses frustrà conatur Longobardos revocare ab ingressu Italiæ.

(*20) PAULUS DIACONUS L. 2. c. 7.: *Tunc Alboin sedes proprias, hoc est, Pannoniam amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut, si quo tempore Longobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeteret*: unde Hunni post discessum Longobardorum sedes suas protulerunt ad *Anisum* fluvium, indéque *Bojoaria* & *Laureatensis Ecclesia* ex Hunnorum vicinia valde afflicta est. VELSERUS L. 4. rer. Boic. ad an. DLXVIII ita ait: " *Hunni* sive Avares; nam duo sunt unius Gentis vocabula, *Anasso* dein eatenus coluêre, & quòd fluminis tantùm alveus distineret, occasionem secuti, *Boicam* multis sæculis, quà justo bello, quà perpetuis excursionibus & latrociniis per omnia barbaræ & immanis crudelitatis exempla infestam habuêre; sed vice crebrò relatâ, cum nullo accolarum manus sæpiùs consertæ, nec plura invicem damna aut data, aut accepta sunt. Prima hostilem impetum situ proxima *Laureacum* excepit, & urbes circa fines ex improviso invasit, multi mortales necati, multi cum pecore atque aliâ prædâ capti, agri vastati, ædificia incensa, nulla denique res incolumis relicta, cui ferro, aut igni noceri potuit. Auctores sunt, Episcopum tantâ calamitate admonitum, Sedem ad Batava transtulisse: quod sive tum statim, sive aliquot pòst annis contigit.

Italiæ cohibere laborabat; sed seriùs malo medicinam attulit, exercitus enim Barbarorum Pannoniâ egressus, magnis passibus ad Alpium confinia properabat. Quare Narses cum surdis, ac cupiditate opum Italiæ incensis se canere doleret; ægritudine correptus, paulò pòst Romæ obiit: & corpus in loculo plumbeo, unà cum thesauris Constantinopolim deportatum est (*21).

Obitus Narsetis.

5. Inter Tyrannos, intérque eos, qui Patriam produnt, id discriminis est, quòd illi ferro, dum vivunt, duntaxat sæviant; hi verò consilio, aut semente turbarum jactâ etiam post funera grassentur. Quare licèt mors Narsetem incendii authorem extinxerit, non tamen ideò flamma, cui fomitem Dux imprudens dederat, simul oppressa est. Nam Alboinus eodem tempore in Alpium fastigia eluctatus (t), lætissimo oculo totam Italiam velut ingen-

Longobardi irrumpunt in Italiam.

(t) Idem l. 2. c. 8.

(*21) PAULUS WARNEFRIDUS DIACONUS L. 2. c. 11.: *Narses verò de Campania Romam regressus, ibidem non post multum tempus, ex hac luce subtractus est. Cujus corpus positum in locello plumbeo cum omnibus ejus divitiis Constantinopolim est perlatum.* BARONIUS ad an. 568. N. XI. Pauli Diaconi authoritatem in dubium trahit, dum ait: " Nec illud asseri, vel conjecturâ existimari potest, quod ajunt, post tam immane facinus Narsetis, quo Italiam Barbaris prodidit, cùm justissimam Imperatoris iram commeruisset, ejus tamen corpus (ubi ipse defunctus est) cum honore esse translatum Constantinopolim &c. ,, *Verum* quia Narses in scelus summâ Sophiæ injuriâ adductus fuerat, & subinde etiam, nempe post primum æstum facti pœnitens, hostes ab Italia avertere conabatur; apud Magnates Constantinopoli, quos plerosque amicos habebat, & apud plebem pristinæ fortitudinis & gloriæ ejus monumenta adeò non exolevêre, ut etiam rerum gestarum memoria criminis ex præcipiti ira concepti infamiam, pœnámque minueret. Alterum, cui Baronius in hac historia adversatur, est, quòd Paulus dicat, Narsetem, statim ùt reversus est in urbem, mortuum esse; nam Anastasius in vita Joannis III ita perhibet: *Ut cognovit Joannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem contra Narsetem Senatorem misissent Romani, festinus venit Neapolim, cœpit eum Papa Joannes rogare, ut reverteretur Romam. Tunc Narses dixit ei: Dii Sanctissime Papa! quid male feci Romanis? Vadam ad pedes ejus, qui me misit, ut cognoscat Italia, quomodo totis viribus laboravi pro ea. Respondit Joannes Papa dicens: Citiùs ego vadam, quàm tu de hac terra egressus fueris. Reversus ergo est Narses cum Joanne Sanctissimo Papa. Hinc Sanctissimus Papa retinuit se in cœmiterio SS. Tiburtii & Valeriani, & habitavit ibi multum temporis, ut etiam Episcopos ibi consecraret. Narses verò ingressus Romam, non post multum temporis mortuus est, cujus corpus positum est in locello plumbeo, & reductæ sunt omnes divitiæ ejus Constantinopolim.* Ex his cùm pateat, Narsetem ferè eodem tempore mortuum esse, quo obiit Joannes Pontifex; non potest dici, quòd Narses, statim ùt reversus est in urbem, è vivis excesserit; nam Joannes Pontifex adhuc per quatuor annos vixit. *Sed* rem claré definit PAGIUS ad an. 568. N. 7., dum ex HERMANNO CONTRACTO ostendit ad an. 571. utique post 4. annos mortem Narsetis referri.

ingentis prædæ ſpem aſpectabat: mox inde deſcendens Aquilejam, ibidem funeſti belli initium fecit (u). Urbs iſta olim arx & propugnaculum munitiſſimum fuerat, quæ hoſtium irruentium impetum ſæpè vel fregit, aut retardavit; at ab Attilæ tempeſtate mœnibus ac munimentis exuta, Longobardis facilem nunc præbebat aditum, civibus (ne lanienæ involverentur) ad Venetorum paludes: Patriarchâ cum Clero ad Inſulam Gradenſem confugientibus (x). Captâ Aquilejâ Alboinus prope Forum Julii (*22) in hybernis conſedit. Poſt exactam verò hyemem impoſito Regioni Duce (*23), Tarviſium movit (y), quâ urbe expugnatâ, Marchiæ Tarviſinæ fundamenta jacta ſunt, ſimúlque complures civitates ſub Longobardorum jugum ivêre (*24). Neque enim, quo Barbarorum curſus ſiſteretur, quidquam erat: peſtis, aliíque morbi magnam præſidiorum partem abſumpſerant (z), & tenuis copiarum numerus, qui ſupererat, mutuis ſimultatibus & Romanorum adversùs Græcos odio inutilis expeditioni reddebatur. Cæſarem, quò minùs de novis auxiliis mittendis deliberare poſſet, tam infeſtus morbus diſtinebat, ut ſæpè à

(u) Paulus Diac. l. 2. c. 10

A. 568.

Longobardorum curſus per Italiam.

(x) Idem l. c.

A. 569.

(y) Idem c. 12.

(z) Idem l. 4. c. 5.

Calamitoſus ſtatus Italiæ.

(*22) PAULUS DIACONUS L. 2. c. 14.: *Igitur Alboin Vincentiam Veronámque, & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio, & Monteſilicis, & Mantuâ, cepit. Venetia enim non ſolùm in paucis Inſulis, quas nunc Venetias dicimus, conſtat, ſed ejus terminus à Pannoniæ finibus uſque Adduam fluvium protelatur...... Venetiæ etiam Hiſtria connectitur, & utræque pro una Provincia habentur. Hiſtria ab Hiſtro flumine cognominatur, quæ ſecundùm Romanam Hiſtoriam amplior, quàm nunc eſt, fuiſſe perhibetur. Hujus Venetiæ Aquileja civitas extitit caput, pro qua nunc Forum Julii ita dictum, quod Julius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat, habetur.*

(*23) Inter Ducatus, quos Longobardi per vices in Italia fundârunt, tres præcipui ſunt, Forojulienſis, Spoletinus, & Beneventanus. De primo PAULUS DIACONUS L. 2. c. 9. ita ſcribit: *Dum Alboin animum intenderet, quem in his locis DUCEM conſtituere deberet, Giſulphum (ùt fertur) ſuum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem STRATOR* (ſive equorum Curator, aut caſtrorum Metator juxta DU CANGE in Gloſſario) *erat, quem linguâ propriâ MARPAHIS appellant, Forojulianæ civitati & toti Regioni illius præficere ſtatuit. Qui Giſulphus non priùs ſe regimen ejuſdem civitatis & populi ſuſcepturum edixit, niſi ei, quas ipſe eligere voluiſſet, Longobardorum Faras, hoc eſt, generationes vel lineas tribueret. Factúmque eſt & annuente ſibi Rege, quas optaverat. Longobardorum præcipuas Proſapias, ut cum eo habitarent, accepit, & ita demum Ductoris honorem adeptus eſt.*

(*24) PAULUS DIACONUS L. 2. c. 14.: *Igitur Alboin Vincentiam, Veronámque, & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio, & Monteſilicis, & Mantuâ, cepit.*

pè à mente etiam aberraret: demum Longinus Dux æquè regendo militi ineptus, atque Exarchus moderandæ Reipublicæ impar, Ravennæ turpi in otio latebat, quin conſilium rebus afflictis, aut opem afferre conaretur. In tanto calamitatum cumulo univerſa Italia ad modum grandis navigii ſine gubernatore, ſine remigum manibus, quaſi excuſſo clavo, turbulentæ tempeſtati ac procellarum vi expoſita aliud ſperare non poterat, quàm ut poſt brevem luctam divulſa atque confracta communi naufragio

A. 570.

obrueretur. Certè miſerrimus hic Italorum ſtatus tantum animi Alboino injecit, ut inſequente anno Liguriam, totúmque tractum, cui poſteà Longobardiæ inditum nomen, in poteſtatem

(a) Idem l. 2. c. 25.

Liguria à Longobardis occupata.

redegerit (a). Mediolano potitus Alboinus, acceptis Regiis inſignibus, Regno Longobardico initium dedit, quod deinde per ducentos annos propagatum, non ab alio, quàm à Carolo Magno deſtrui potuit. Fundato Regno cùm digna Longobardorum

A. 571.

Regibus ſedes quæreretur; Ticino Barbari arma admoverunt: ſed præſidium ac munimenta urbis hoſtium conatibus diutiùs, ac

(b) Idem l. 2. c. 26.

hi conceperant, reſtitêre (b). Extracta in tertium annum obſidio ne otioſa, ac citra commodum omninò ſuſcepta videretur; luſtrabantur intereà victoriis Æmilia, Tuſcia, ac Umbria, dein Spoletano agro atque Hetruriæ è Longobardorum Gente Duces dati ſunt. His peractis Alboinum adhuc urebat Ticinenſium

A. 572.

pertinacia, quâ tribus ferè annis ſuas ſpes eluderent, votúmque crudele prolocutus dicebat, civium nulli, ſiquidem urbe potiretur, caput, vitámque ſalvam fore. Deditione mox ſecutâ (c),

(c) Idem l. 2. c. 27.

Ticinum expugnatur à Longobardis.

Alboinus eques, & ad cædem Ticinenſium paratus, per civitatis portas ſe inferebat; tum equus, quo vehebatur, ſub Rege concidit, neque calcaribus, aut aliâ ratione ad ſurgendum compelli poterat, donec Alboinus propoſiti pœnitens, mitiorem erga cives animum induiſſet, quo facto animal in primores pedes

Ticinum Regni Gothici ſedes deligitur.

ſe protinùs erigens, Regem inter acclamantium voces in ædes illas deportavit (*25), quæ utì olim fuêre Theodorici Gothorum

(*25) IDEM L. 2. c. 27.: *At verò Ticinenſis civitas poſt tres annos & aliquot menſes obſidionem perferens, tandem ſe Alboin & Longobardis obſidentibus tradidit. In quam cùm Alboin per portam, quæ dicitur S. Joannis, ab Orientali urbis parte introiret, equus*

rum Regis palatium; ita nunc in Longobardorum Regum præcipuam ſedem adoptabantur. Ab hoc tempore Alboinus ſive rerum geſtarum gloriâ inflatus, ſive Religionis Catholicæ odio incenſus, in multorum vitam debacchari cœpit (d): & Italiam totam funeribus, ac ſacrilegiis exhauſiſſet; niſi Roſimunda à mariti ſui crudeliſſimi feroci ingenio aliunde offenſa, Helmingis Sicarii conducti operâ eundem ſuſtuliſſet (e). In locum Alboini ſuffectus eſt Clephis non diu regnaturus; nam is ſceleſto Anteceſſore multò flagitioſior pudori virginum, ac ſaluti Romanorum infeſtius bellum indixit (f): & ſæviendi ratio eò truculentior cunctis viſa eſt, quò ſegniore oculo Longinus unà cum Græcis hæc monſtra contuebatur. Tandem Clephis ſuis quoque inviſus, à ſervo interemptus eſt, dignus tali morte, qui anno integro & ſex menſibus ſervilem potiùs, quàm Regium animum oſtentârat (g). Poſt Clephis cædem Regni forma quidem, ſed non eorum, qui deinceps præfuerunt, vitia mutationem accepêre: Longobardis Regia unius poteſtas hoc tempore ideò diſplicebat, ne, dum ad unum Principatus defertur, unius ſæpè præcipiti furore aut libidine multorum fortuna in diſcrimen veniat. Ad triginta Duces Gentis proinde ſupremæ rei cura devoluta eſt (h): hi quamprimùm gubernacula adepti ſunt, ſpem conceptam non parùm fefellerunt; ut quiſque enim eorum alterum in expilandis bonis, trucidandis ſubditis præveniret, ſingulorum acerbum ſtudium erat, quâ malignâ æmulatione evenit, ut, qui antè ad unius Principis leges expaveſcebant, hi multorum jam graviſſimas ac rapaciſſimas manus experirentur. Nulli tamen Præfectorum ejuſmodi multitudo periculoſior fuit, quàm rei Catho-

(d) Gregor. Turon. l. 4. c. 35.

(e) Marius in Chron. Greg. Tur. l. 4. c. 35. Paul. Diac. l. 2. c. 28.

A. 574.

Alboini Longobardorum Regis interitus.

(f) Paulus Diaconus l. 2. c. 31.

Clephis Rex Longobard. ejúsque cædes.

(g) Sigebertus in Chronic.

A. 576.

Ariſtocratia Longobardorum decennalis.

(h) Paulus Diaconus l. 2. c. 32.

equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus ſtimulatus, quamvis hinc inde ab Stratore verberibus cæſus, non poterat elevari. Tunc unus ex eisdem Longobardis taliter Regem allocutus eſt, dicens: Memento, Domine mi Rex! quale votum voviſti. Frange tam durum votum, & ingredieris urbem. Verè enim Chriſtianus eſt populus in hac civitate. Siquidem Alboin voverat, quòd univerſum populum, quia ſe tradere noluiſſet, gladio extingueret. Qui, poſtquam tale votum dirumpens, civibus indulgentiam promiſit, mox equus ejus conſurgens ipſe civitatem ingreſſus, nulli læſionem inferens, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theodericus conſtruxerat, concurrens, poſt tot & tantas animum miſerias, de ſpe jam fixus futura, cœpit relevare.

Status Italiæ sub Ducibus Longobardorum.

Catholicæ (*26). Cùm enim iidem Duces Gentilium superstitione, aut Arii erroribus essent imbuti; in Ecclesiarum exitium, ínque Sacerdotum exterminium decem annorum spatio (quo furebant magìs, quàm regebant) omnem vim, artémque contulerunt.

(i) Theophyl. l. 3. c. 9. p. 74.

Origo belli Persici.

(k) Abbas Biclariens. ad an. Justini primum.

(l) Theophanes in excerpt. de legat.

6. Quàm ignavè Græci in Occidente illatas à Longobardis clades tolerabant; tam infeliciter subinde in Oriente ab iis bellum contra Persas gestum est (i), cujus causam & initium annus DLXX. dedit: Armeniæ majoris accolæ, qui & Persarmenii dicuntur, ab Apostolorum ætate ad Christi fidem traducti (k), cùm hoc tempore à Persis sua sacra pejùs ac acerbiùs turbari frustrà quererentur; occisis Præfectis (malorum incentoribus) ad Romanos palàm transivêre (*27). Id defectionis exemplum quoniam Dux Gorgonius cum suis Iberibus (l) sequebatur; anno sequente DLXXI. Chosroës Sebochtem Legatum ad Cæsarem misit, ut expostulatione factâ de iis, quæ injuriosè ab Armenis acta essent, simul quingentas auri libras à Justino exigeret, quam quidem pecuniam ab Imperatore deberi eo nomine dicebat, quòd Persæ suis præsidiis castella Imperii Barbaris finitima

(*26) IDEM L. 2. c. 32.: *Post cujus* (Clephis occisi) *mortem Longobardi per annos decem Regem non habentes sub Ducibus fuerunt. Unusquisque enim Ducum suam civitatem obtinebat. Zaban Ticinum: Vualliari Bergamum: Alachis Brixiam: Euin Tridentum; Gisulfus Forum Julii. Sed & alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt. His diebus multi nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti sunt; reliqui verò per hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Longobardis persolverent, Tributarii efficiuntur. Per hos Longobardorum Duces septimo anno ab adventu Albuin & totius Gentis, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his Regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia maxima ex parte capta, & à Longobardis subjugata est.*

(*27) EVAGRIUS L. 7. c. 5.: *Primo anno, quo iste* (Gregorius Antiochenus, nempe anno DLXXI.) *Episcopatum administravit, qui majorem accolebant Armeniam (sic enim olim appellata est, posteà tamen Persarmenia, quæ anteà fuerat Romanis subjecta, & à Philippo, qui Gordiano successit, Saporæ prodita: atque ut Armenia, quæ minor dicitur, fuit in ditione Romanorum, sic reliqua tota Persis paruit) qui, inquam, majorem accolebant, fidem Christianam professi, quoniam à cæteris Persis miserè, & potissimùm religionis suæ gratiâ vexabantur, clandestinam ad Justinum misêre legationem, supplicaturi, ut Romanorum subjicerentur Imperio, quo liberè, nemine impediente, divinos cultus exequerentur. Quam legationem cùm Justinus admisisset, & quædam conditiones in literis, quas ad eos dabat, explicatæ essent, & sacrosancto ac solenni jurejurando confirmatæ, Armenii suos ipsorum Principes trucidant, & se cum suis omnibus Romano adjungunt Imperio.*

tima adversùs omnem irrumpentium aſſultum tueri, in curis (m) habeant. Juſtinus etſi primò ſibi de Armenorum molitionibus haud conſtare fingeret: poſteà tamen, ubi ſermonem de tributo in decem annos pendi ſolito afferri audiit; hominem omninò aſpernatus repoſuit, amicitiam pecuniariis præſtationibus devinctam nequaquam ſibi probari (n). Sebochtes ad mitigandum Cæſaris animum molliter inferebat: ſaltem integrum Regi ſuo fore, ſubditos ad officium revocare; tum Juſtinus ſimulatione poſitâ, ſuâ intereſſe pronunciabat, ut Perſarmenios in tutelam ſuſceptos ab injuriis vindicaret: quod ſi contrà audere Choſroës præſumeret, ſe, eodem ſublato, Regem alium Perſis daturum. Hæc poſtquam contentioſiùs dixerat; fœdus Romanos inter & Perſas diſruptum eſt. Utraque inde pars alteri cauſam belli exprobrabat; nam Romani objectabant Perſis, ab iis multoties in pacis leges peccatum fuiſſe, quibus anno DLXI. Juſtinianum inter & Choſroën initis cautum erat, ne quis ulli in Religionis negotio moleſtias faceſſeret; Perſarmenios autem Chriſtianos (contrà ac fœderis ratio poſcebat) tam dira à Perſis tuliſſe, ut, nî perire mallent, perfugium ſalutis apud Romanos quærere debuerint (o). Prætereà à perfidiæ crimine illud quoque non abeſſe, quòd Perſæ Homeritas (Gentem Indicam, ſive potiùs Æthiopiæ cultricem) tum à ſacris Chriſtianis, tum à Cæſaris fide abſtrahere: Alanos verò adversùs Turcos Juſtini amicos concitare adniſi ſint, ut his, ſiquidem legationis ad Cæſarem ſuſceptæ causâ illorum terras tranſirent, vim, necémque afferrent. Tribus accuſationis capitibus duo reponebant Perſæ, nempe non poſſe non ſummo Romanorum vitio verti, quòd, cùm pro caſtellorum cuſtodia cum Perſis decennale ſtipendium pacti ſint, id perfrictâ fronte non tantùm pernegent, ſed & Perſarmenios Perſarum ſubditos, nunc rebelles in ſeditione fovere non perhorreſcant (p): breviùs iſta controverſia verbis, dein vicennali bello multò longiùs pertractata eſt. Anno ſequente DLXXIII. prima ad Sargathum (q) pugna commiſſa eſt, in qua Marcianus Romanorum Dux Perſarum ſorte ſuperior, tantum animi cepit, ut Niſibin obſidione cingere maturaret (r). Choſroës à caſtello Marcianum avocaturus, alio itinere in Syriam Adarmanem

(m) Theophanes ad a. ſecundùm Alexand. 563 Theophyl. l. 3. c. 9.

(n) Menander in excerptis.

Romani cauſam belli in Perſas conjiciunt.

(o) Theophyl. l. 3. c. 9. Evagrius l. 5. c. 7. Theophanes ad an. ſecund. Alex. 563.

Perſæ viciſſim belli auctores Romanos accuſant.

(p) Menander in excerptis.

A. 573.

(q) Theophylactus l. 3. c. 10. p. 75

Prima Romanorum adverſus Perſas expeditio.

(r) Idem l. c.

armanem cum copiis mittit, qui vaſtato Antiocheno agro, &
(s) Idem p. 76. Apameâ exuſtâ (s) in Meſopotamiam reverſus, Choſroi ibidem
Daras caſtellum oppugnanti junxit copias, quarum viribus poſt
ſextum menſem hoc ultimum Romanorum perfugium Cæſari
(t) Evagr. l. 5. c. 10. Theophylactus l. 3. c. 11. ereptum eſt (t). Juſtinus cladis iſtius cauſam dederat, quòd
Marcianum referre pedem, ſimúlque (u) anteà præfecturâ abſcedere
juſſerit. Perſa Victor Daras caſtello expugnato, cæteris
Imperii arcibus jam imminebat; tum neceſſitas ſuaſit, ut nume-
(u) Evagr. l. 5. c. 9. ratis quadraginta quinque aureorum millibus à Choſroë annales
(x) Menander in excerptis p. 156. induciæ emerentur (x). Cohibita quidem hunc in modum tempeſtas
fuerat in Orientis finibus; ſed intra Imperii ſinum omnia
turbabantur (*28). Cùm enim vitio mentis Juſtinus in diem
Tiberius fit Cæſar. magìs agitaretur; invaleſcente morbo nil ſani conſilii capi poterat,
quo Reipublicæ, aut belli futuri caſibus proſpiceretur. Sophia
igitur Conjux Auguſta ad præſentis periculi metum intendens,
Principi ad rationis uſum per intervalla redeunti perſua-
(y) Evagr. l. 5. c. 13. debat, ut Tiberium in Regni conſortium admitteret (y). Thrax
(z) Idem c. 11. is genere, corpore maximè procero erat & robuſto; cui miram
formæ dignitatem, & egregias mentis dotes inſitas habebat (z).
A. 574. His primò inter cuſtodes Imperatoris præfecturam, deinde to-
(a) Theophylactus l. 3. c. 11. tius Reipublicæ dignitatem meruit (a). Nam ex uxoris hortatu
Juſtinus Tiberium in filium ſibi adoptans, Regníque ſocium adlegens,
Cæſarem renunciabat (*29): quos honores cùm ei ſimul

(*28) EVAGRIUS L. 5. c. 9. Imperii calamitates adſcribit *vitiis*, quibus Juſtinus immerſus erat: *At verò ille in conſuetarum voluptatum ſordibus volutatus, Gregorii litteris neque animum attendere, neque fidem habere voluit; illud duntaxat verum arbitratus, quod ipſe in animum induxerat.* THEOPHYLACTUS L. 3. c. 11. verò *vitiis mentis* externa & interna Imperii mala tribuit, quod & EVAGRIUS tandem fatetur c. 11.. *His rebus auditis, Juſtinus præ nimia inſolentia ac ſuperbia, ſanitate animi & prudentiâ ex mentis domicilio exturbatâ, caſum, qui accideret, multò acerbiùs, quàm humana fert conſuetudo, tulit: indéque in morbum, quem Φρενιτίδα vocant, id eſt, mentis alienationem & inſaniam incidit, adeò, ut de cætero rerum, quæ gerebantur, nullum omninò ſenſum haberet.*

(*29) PAGIUS in Critic. T. II. ad an. 574. N. IV. notat, quòd hæc dignitas in Tiberium collata ſit veluti index & cardo temporum uſque ad Imperium Phocæ, ſive ad annum DCII., quod BARONIUS agnovit, dum ait, in hac Chronotaxi ſtandum eſſe *Evagrio* rerum præſentium inſpectore. Hic autem L. 5. c. 23. ſcribit: *Porrò, ut tempora accuratiſſimè diſtinguantur, ſciendum eſt, Juſtinum Juniorem ſolum quidem imperâſſe*

mul impertiretur; accito Senatu & Clero, Imperator ceu pro concione dicens, Tiberio hæc monita dedit: nempe ut Sophiam velut matrem filii charitate deinceps diligeret, cui more servi hucusque paruisset: dein mitis ac liberalis in subditos, ac conditionis pristinæ minimè oblitus, meliora regnandi exempla, quàm quæ in Antecessore vidisset, imitaretur (*30). Monenti obsecundâsse Tiberium inde posteà intellectum est, quòd fasces amplexus, mansuetudine & clementiâ institutum suum ita temperaverit, ut ipso aspectu subditorum amorem trahere videretur (b). Divitiarum minimè appetens, & ad largiendum promptus, non istud modò considerandum censebat, quòd, qui opes indigent,

Monita Justini ad Tiberium.

(b) Evagr. l. 5. c. 13.

Tiberii virtutes.

râsse annis duodecim, & mensibus decem cum dimidio; cum Tiberio autem Collega annis tribus, ac mensibus undecim. Fiunt itaque in universum anni Imperii Justini sedecim cum mensibus, novem ac dimidio. Tiberius verò imperavit solus annos quatuor, cum Justino autem tres, & menses undecim. Ex hoc canone temporis infert Baronius sequentia: Si anno DLXV. & diei XIV. Novemb addas annos septendecim minùs mense uno cum dimidio, quibus imperavit Justinus, pervenies ad annum DLXXXII. His jungas quatuor, quibus solum regnâsse Tiberium idem Evagrius tradit, pervenies ad annum DLXXXVI., quo tempore incipe numerare annos Mauritii usque ad præsentem annum DCII., utique non ampliùs, quàm annos sedecim, & tres menses, quibus Mauritius imperavit, reperies. Hæc BARONIUS. At cùm Idem posteà errorem quendam in Chronotaxi eadem deprehenderet, in appendice T. XII. ad an. Chr. DLXXXVI. scripsit, Evagrium errâsse in recensendis annis Imperii *Justini*, *Tiberii* & *Mauritii*. Sed PAGIUS Evagrium non errâsse, sed Baronium in corruptum exemplar incidisse affirmat. Dein ad an. 574. N. IX. probat, quòd inde Chronologiæ vitium enascatur, eoquòd Baronius nuncupationem Tiberii anno DLXXXV. affigat; atque ut errores inde provenientes corrigat, Tiberium Cæsarem adoptatum dicit anno DLXXIV. Idem etiam affirmant AUTHOR MISCELLÆ, THEOPHANES & CEDRENUS, qui Tiberium anno Justini X. sive hoc anno DLXXIV. nuncupatum esse Cæsarem asserunt, & non anno DLXXVIII., ùt vult Baronius, cujus argumenta Pagius loco citato dissolvit.

(*30) THEOPHYLACTUS L. 3. Histor. c. 11. p. 77. edit. Paris. orationem Justini ad Tiberium Cæsarem ita refert: *En! Deus beneficium in te confert. Hæc insignia Deus tibi donat: quæ honora, ut illa vicissim te honorent. Matrem tuam (Sophiam Augustam) aliquando Dominam tuam venerare. Scis te nunc ejus esse filium, cujus anteà servus fuisti. Noli gaudere sanguine, nec cædibus communica. Ne malum malo compensa. Ne te imitatione meî odiosum redde. Ego enim ùt homo ingressus sum, ad peccandum proclivis, & secundùm peccata mea recepi. Veruntamen apud tribunal Christi Judicis cum his contendam, qui hoc mihi fecerunt. Ne te habitus iste, ùt me, extollat. Omnibus perinde, ut tibimetipsi, attende. Nosce, quid nuper fueris, & qui in præsentiarum sis. Ne superbus esto, & non peccabis. Quid fuerim, & quid factus sim, vides. Universi isti, & servi & filii tui sunt. Nôsti, quomodo te plùs visceribus meis dilexerim. Hos cùm vides, Rempublicam totam vides. Studiose prospice militi tuo. Obtrectatores aversare. Ne eò tibi quidam persuadeant, quia decessor tuus his moribus fuerit; hoc enim edoctus malo meo te hortor. Quibus suppeditant facultates, iis fruuntor: quibus desunt, tute largitor.*

indigent, illis beneficia accipienda ſint: ſed quòd Imperatorem Romanum deceat liberaliter dare. Ab auro, quod cum ſubditorum lachrymis colligitur, velut ab adulterino ære abhorruit, quin condonatis integri anni vectigalibus, & agris tributorum onere levatis non aliter, ac optimus Patriæ Parens lege publicâ vetuit, ne deinceps Magiſtratus divendere, aut ſubditos avaritiæ Magiſtratuum ac libidini ullâ ratione objicere fas ſit (*31).

A. 575. *Tiberius legationem mittit ad Choſroën.* (c) Menander p. 157. Theophyl. l. 3. c. 12. Evagrius l. 5. c. 12.

7. Quemadmodum verò Tiberius idoneas rei civili curas adhibebat; ita ſollicitudinem ſuam deſiderari paſſus non eſt in iis, quæ belli, pacíſque negotium ſpectabant. Anno quippe DLXXV. ſub Veris initium Zachariam & Trajanum Legatos in Perſidem miſit (c), qui Choſroën rogarent, ne Sophiæ Auguſtæ ferè viduæ, & Imperatori extra mortalium conſortium amandato, aut potiùs Reipublicæ deſertæ inſultaret: eſſe, cur Rex meminerit ejus temporis, quo & ipſe morbo divexatus, tantam Imperatoris humanitatem ſit expertus, ut & optimos quoſque Medicos ex Republica Romana eidem ſubmiſerit, qui Choſroën morbo ac calamitate levarent. Priſtini beneficii memoria

(*31) Quinque ſuperſunt Conſtitutiones Tiberii, quas Agylæus è Græco in Latinum tranſtulit, & Novellis Juſtiniani ſubjecit; ex his Principis Tiberii Juſtitia & Clementia conſpicitur: nam prima eſt *de Juribus Domuum Auguſti*, quâ ſtatuit, ne Curatores, aut Chartularii, aut Proviſores, aut Conductores Domuum Imperatoris, & Auguſtæ privatorum ædes obſignent, vel aliorum ruſticas ſuſcipiant: vetat etiam, ne quis res ſuas, in quibus alteri cuidam jus hypothecæ competit, vendat Domibus Auguſtis doloſè, ad intervertendum, vel difficilius reddendum pignoris jus, néve immunes ſint ædes Auguſtæ à metatis, angariis, viarum & pontium inſtaurationibus &c. & ſi contributio fiat ob Imperatorii exercitûs in Barbaros tranſitum, aut ob annonam. IIda eſt *de non turbandis aliorum hæreditatibus*, in qua prohibet, ne quis patrimonia aliena incendat, ſed liberæ omnimodè ſint ex teſtamento & ab inteſtato ſucceſſiones, *hæc Conſtitutio legitur inter Novellas Juſtiniani ordine CLXIV.* IIItia Conſtitutio *de officiorum nundinatione prohibita* decernit, ut ii tantum, qui bonâ exiſtimatione ſunt, nec à quoquam (niſi velint quadruplum rependere) aut ipſi, aut per ſuos accipiant. Ut iidem, ſimul ac Magiſtratu abierint, in publico, ut conveniri poſſint, verſentur; qui verò aufugerint, bona amittant. Extat hæc Novella inter Nov. Juſtiniani ordine CLXI. IVta deſideratur. Vta eſt *de filiis colonorum & Liberarum*; Latinè tantùm extat, quia ad Afros perſcripta, eſt ultima inter Conſtitutiones Juſtiniani, Juſtini & Tiberii in Corpore Juris. Vide HOFFMANNUM L. 3. de Juriſprud. Rom. poſt Juſtinian. in Imp. Orient. c. 2. p. 639. & 640.

moria apud Regem id evicit, ut trium annorum inducias pro Oriente pactas in Armenia sola bellum deinceps gerere statuerit (d). Tiberius, quò maturè Chosrois molitiones hac in Provincia anteverteret, Justinianum Germani filium, ac exercitûs Romani Ducem in Armeniæ campos ire jubet; nec diu Rex Persarum distulit præeuntem sequi. Euphrate superato, ubi cum multis copiis Romano agmini frontem objecerat, crebro sagittarum jactu pugnæ dat initium: Romanorum acies densitate suâ firmior, ut hostium tela eluderet, cominùs conflictura in laxatos Persarum ordines sese infert, hastísque ac gladiis ita sævit, ut Chosroën in turpissimam fugam ejiceret (e), qui dolore incitatus, in itinere Melitenen urbem pulcherrimam incendit, & trajecto Euphrate per Arzanenam regionem reversus, lege latâ velut in columna inscriptam cladis suæ ignominiam omnibus prodidit. Tulit autem, ut ne quis de cætero Persarum Rex Romanis arma inferre vellet. Hoc edicto infeliciter triumphans Chosroës, quid consilii caperet, nesciebat, cùm Romani fugientium terga prementes in interiora Persidis penetrarent, & subinde per Hircanum mare vagati, ubique funestas ederent clades (f). Malorum cumulus Persas primò in querelas, dein in seditionem concitavêre. Chosroës ad tumultus abscindendos cum Tiberio de pace agere instituit; jámque Legati utrinque coibant de conditionibus acturi, tùm inter Tamchosrum Persarum, intérque Justinianum Romanorum Duces multò atrocius prælium redintegratum est: ex hoc, quia Romani victi excesserant (g), Persæ novâ fortunâ ebrii, subitò cuncta pacis consilia abruperunt. Neque in Armenia tantùm, sed & in reliquis Orientis partibus (contrà ac triennales induciæ poscebant) bellum increbuit; nam Constantina & Theodosiopolis (h), tum etiam vici juxta exusti aut direpti sunt. Mauritius Dux Barbaris per Orientem volitantibus parem cladem illaturus, totis copiis in Persidem ruit, & Aphumos castello subjugato, alias quoque evertit urbes; inde ex Arzanena in Arabiam incursans, vastitatémque undique circumferens, captis decem millibus in hyberna concedit (i).

(d) Theophylactus l. 3 c. 12. p. 78.

Induciæ triennales inter Persas & Romanos initæ.

Insignis victoria à Romanis in Armenia reportata.

(e) Abbas Biclar. ad an. IX. Justini. Theophylactus l. 3. c. 14. p. 81. & 82. Theophan. ad an. sec. Alex. 573.

(f) Theophyl. c. 15.

A. 576. & 577.

Romani à Persis victi.

(g) Theophyl. l. 3. c. 15 Menander in excerptis p. 119. 158.

(h) Menander p. 158.

A. 578.

Mauritius Persidem evastat.

(i) Theophylactus l. 3. c. 15. p. 84 Menander p. 124. 125.

8. Eodem anno DLXXVIII. tertio Nonas Octobris Justinus Augustus tabe confectus è vivis excessit (*32); postquam annos duodecim, menses decem, & dies duos supra viginti turbatum non minùs à vitiis ac deliriis, quàm à cladibus portentísque funestum gesserat Imperium (*33). Unum, quo Cæsar ille infelix famam, laudémque apud posteros meruit, erat, quòd paulò antè, quàm Regno defungeretur, Tiberium ab Eutychio Patriarcha coronari, eúmque optimum Principem Reipublicæ præponi fecerit. Hic, utprimùm solus regnare exorsus est, Anastasiam Conjugem (quæ hucusque latuerat) in medium adductam purpurâ induit (k). Spectaculum ejusmodi utì Sophiæ Augustæ minùs exspectatum, ita sanè quàm peracerbum fuit (l); cùm enim Tiberio, quem conjugii expertem crediderat, eâ de causâ potissimùm Regnum procurâsset, ut post Justini fatum alterum cum novo eodem Imperatore uxor Augusta adiret; jam spe suâ se exclusam fremens, nihil non egit, quo Tiberium perderet. Ac primò Sicarios ad scelus emptos ita subornârat, ut Imperatore (siquidem in Circo pro more sedens, vota populi exciperet) protinùs & palàm trucidato, Justinianum Justini nepotem Augustum proclamarent: sed Tiberius die Parricidis destinatâ

Obitus Justini Jun. Augusti.

(k) Zonaras P.III. Annal. p. 59.

(l) Cedren. p. 392.

Causa dissidii inter Sophiam Aug. & Tiberium.

(*32) BARONIUS mortem Justini refert ad annum 582., ubi N. I. secutus *Evagrium* ait, eundem obiisse mense Augusto post annos in Imperio sexdecim, mensésque novem cum dimidio. PAGIUS verò obitum Justini contigisse affirmat an. 578., quod ad hunc annum N. III. probat ex CHRONICO ALEXANDRINO: *Hoc anno XII. Justini Imperatoris, mense Septembri XXVI., XII. Indictione coronatus ab ipso est Tiberius Junior Constantinus, & quinto die mensis Octobris Justinus Augustus vitâ excessit, & Tiberius Constantinus solus imperavit alios annos quatuor.* Advertit tamen *Pagius*, quòd Author Chronici annum illum Justini malè *duodecimum* appellet, ex eo, quia scilicet alibi ejus initium perperàm anno uno tardiùs collocaverat. Cæterùm quando Zonaras & Theophanes ajunt, Justinum annis *tredecim* regnâsse, utuntur numero rotundo pro mensibus duodecim, & diebus XXII., quibus supra duodecim annos imperavit.

(*33) AUTHOR MISCELLÆ L. 16. Justini mores ita describit: *Hic Justinus in initio Imperii sui bonus fuit, pòst in omnem avaritiam incidit, contemptor pauperum, Senatorum spoliator: cui tanta cupiditatis fuit rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus, quæcunque rapiebat, auri talenta congregaret.* BARONIUS ad an. 582. N. II. addit, à *Gregorio* tradi, quòd & in hæresin Pelagianam Justinus inciderit, quod tamen negat Baronius esse receptum.

ſtinatâ à publico abſtinens, facilè inſidias eluſit (*34). Qui ſuâ providentiâ aut præſidio Numinis fatalem ictum ſemel declinaverat, alio tempore, quo in ſuburbanum conceſſerat, opportuniùs ferrum excepturus credebatur. Id cùm multis verbis Sophia conjuratos moneret, & inter conſcios de flagitii occaſione ac modo ampliùs diſceptaretur; rumor aliquis de eo, quid ageretur, ad Imperatorem proſerpit: quare è veſtigio in urbem remeans, rebelles in quæſtionem vocat, qui ubi uno ore Sophiam criminis incentricem profeſſi fuerant; hanc in ordinem redactam, ac famulitio exutam in Mœſiæ inferioris oppidum deduci curat, cui loco ab exulante Sophia poſteà nomen acceſſit (*35).

Sophiæ Auguſtæ exauthoratio.

A. 579.

Mors Choſrois Perſarum Regis.

9. Rebus domi in hunc modum compoſitis, Tiberius etiam in Orientis finibus conſtituere pacem aggreſſus eſt, nec Choſroës à feriendo fœdere abhorrebat; ſed dum Legati utrinque de conditionibus acturi commeabant (m), ipſe Perſarum Rex poſt octo annos & quadraginta Regno & vitâ mortali exivit (n). Conſilia pacis Choſroës ſecum in tumulum abſtuliſſe viſus eſt; nam Hormisdas filius, qui Patri ſucceſſerat, turbulenti & ferocis ingenii Prin-

(m) Menander Protector in excerpt. de Legat. p. 166.

(n) Theophyl. l. 3. c. 16. p. 84. Agathias l. 4. p. 140.

(*34) GREGORIUS TURONENSIS Hiſt. Franc. L. 5. c. 30.: *Cùm eum* (Tiberium) *ſecundùm conſuetudinem loci ad ſpectaculum Circi præſtolaretur populus proceſſurum, parare ei cogitans pro parte Juſtiniani inſidias, qui tunc nepos Juſtini habebatur; ille per loca ſancta proceſſit: completâque oratione, vocato ad ſe urbis Papa cum Conſulibus & Præfectis, Palatium eſt ingreſſus. Dehinc indutus purpurâ, diademate coronatus, throno Imperiali impoſitus cum immenſis laudibus Imperium confirmavit. Factionarii quoque opperientes ad Circum; cùm cognoviſſent, quæ facta fuerant, pudore confuſi, ſine effectu regreſſi ſunt, nihil homini, qui in Deo ſpem poſuerat, adverſari volentes. Tranſactis autem paucis diebus, adveniens Juſtinianus, pedibus ſe projecit Imperatoris, quindecim ei centenaria deferens ob meritum gratiæ; quem ille ſecundùm patientiæ ſuæ ritum colligens in palatium juſſit aſſiſtere.*

(*35) IDEM Author ſubdit L. c.: *Sophia verò immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tentavit intendere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta diebus jucundaretur ad vindemiam: vocato clàm Juſtiniano Sophia voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius curſu veloci ad Conſtantinopolitanam regreditur urbem, apprehenſámque Auguſtam omnibus theſauris ſpoliavit, ſolùm ei victûs quotidiani alimentum relinquens. Segregatiſque pueris ejus ab ea, alios poſuit de fidelibus ſuis; mandans prorſus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Juſtinianum verò objurgatum tanto in poſterum amore dilexit, ut filio ejus filiam ſuam promitteret, rurſúmque filio ſuo filiam ejus expeteret; ſed res non eſt ſortita effectum.*

Princeps (*36) Legatos Tiberii elato ſupercilio, & contumaci ore deſpectans, hæc pauca Cæſari referre juſſit: Sciant Romani, non antè paci locum fore, nec coaliturum fœdus, dum tributum, quod Juſtinianus in annos ſingulos nobis pendere erat ſolitus, præſenti numeratione æris perſolvant (o). De arrogantia Hormiſdæ ubi Tiberius comperit, Mauritium cum exercitu æſtate proximâ in Perſidem invehi juſſit: is confecto difficili itinere ad confinia Tigris profectus, Duces præcipuos ad interiora Regni divexanda dimittit: tota itaque æſtas depopulatione agrorum, ac promiſcuis Perſarum cædibus peracta eſt, quâ vaſtitate cùm Mauritius hoſtium ſuperbiam caſtigâſſet, in hyberna Cæſaream Cappadociæ diſceſſit (p). Poſt exactum tempus hyemis Dux idem refectis viribus in Orientem rurſus & Circeſium Euphrati vicinum oppidum caſtra tranſtulit; inde per Arabiæ ſolitudines in Perſidem ducturus copias, Alamundarum Nomadum Barbarorum Principem habuit comitem, ſimúlque rei Romanæ proditorem (q). Nam hic homo perfidus clàm monebat Hormiſdam de Romanorum adventu, ne imparatus ab iis obrueretur. Rex Perſarum, ubi Mauritium inſtare ſuo Regno acceperat, ut eundem aliò avocaret, ad Euphratem prope Callinicum oppidum belli molem vertit. Romani itaque ſua arcana conſilia Perſis communicata eſſe frementes, re infectâ mutare curſum, & hoſtium caſtra ſequi cogebantur. Quamprimùm Mauritius Callinico propinquaverat, alacrem & furentem militem in pugnam educit; hic copiam confligendi nactus, odio magìs, quàm viribus in Perſarum aciem irrumpit, tantámque ſciſſis ordinibus ſtragem infert, ut ultima agmina hoſtium cum Duce Adarmane primò referrent pedem, dein pavore aucto in effuſam fugam pro-

(o) Menander p. 168. Theophyl. c. 17.

A. 580.

Hormiſdas ſucceſſor Choſrois bellum contra Romanos proſequitur. Mauritius Dux Romanus in Perſidem irrumpit & vaſtat.

A. 581.

(p) Theophylact. l. 3. c. 17. p. 86.

(q) Idem l. c.

Nomadum Principis Alamundari perfidia adversùs Romanos.

Ad Callinicum oppidum Romanorum victoria.

(*36) THEOPHYLACTUS L. 3. c. 16.: *Veris autem principio Choſroës Perſarum Rex morbo irretitus, vitæ modum impoſuit, Hormisda filio ſucceſſore appellato, qui morum ſævitiâ paternam impietatem ſuperavit: homo violentus ac furens & inexplebilis avaritiæ. Qui nullam juſti rationem ducens, gaudebat fallaciis, & ſcatebat mendaciis: nec ex pace, ſed bello voluptatem capiebat. Ac malevolentiſſimus in ſubditos, potentiſſimorum quosdam æternis vinculis ac cippo mandabat: quosdam gladio trucidabat, nonnullos in Tigrim demergebat, erátque ſepulchrum fluvius, quod non indueretur, atque coopriret: neque enim ob Rege injectos non publicabat* &c. Et cap. 17. p. 85.: *Suſcepto igitur diademate Regio Hormisdas ſuperbiâ & contumaciâ elatus, conſuetudinem ſignificandæ inaugurationis negligit, ut qui Tiberium honore hoc non dignaretur.*

prorueręnt (r). Profligatâ unâ exercitûs parte, altera adhuc ſub Duce Tamchoſro incolumis reſtabat, quæ ad eluendam Perſarum maculam ſubſequente anno juxta eundem Euphratem non procul à Conſtantina urbe Romanos in prælium adegit, infeliciore tamen (ac opinio hoſtium erat) eventu. Nam poſtquam acies utraque in arma & acre prælium venerat, ipſe Dux Tamchoſrus in primo ordine pugnans occubuit, tantúmque fato ſuo Perſis terrorem injecit, ut concitatâ fugâ non ſine novo dedecore in ſedes proprias anxiè ſe reciperent (s). Mauritius altero jam certamine victor, poſtquam caſtella finitima, quæ præſidiis egebant, communiverat, Conſtantinopolim reverſus eſt. Eodem autem tempore ſubibat urbem, quo Tiberius Auguſtus ad iter æternitatis ſe accingebat. Atrâ namque bile corpus aggravante Cæſar ad extrema deductus non procul à die aberat (t), quâ commune naturæ debitum perſolveret.

(r) Theophylact. l. 3. c. 17. p. 85.
A. 582.
Ad Conſtantinam Romani Perſas cædunt.
(s) Theophylactus l. 3. c. 18.
Tiberii Aug. morbus.
(t) Idem l. 3. c. 18. p. 87. & l. 1. c. 1. p. 8.

10. Quemadmodum verò paternam ſemper curam, quoad Princeps regnaverat, Reipublicæ impertitus eſt; ita cùm Regnum deponeret, id velut quandam hæreditatem vivus adhuc, non alii ſucceſſori tranſcribere volebat, quàm qui rei Romanæ, liberíſque ſuis ſapienter proſpicere, quíque virtute & conſilio velut firmiſſimo fundamento univerſam Imperii molem ſuſtentare poſſet (u). Hæc altâ mente verſanti Tiberio præter Mauritium nemo gerendo Regno, nemo præſentibus bellorum difficultatibus aptior, opportuniórque viſus eſt. Arabiſſi enim is in Cappadocia natus, Progenitores habebat Romano ſanguine oriundos (x), à quibus ad omnem artem virtutémque excultus (*37), Juſtino

(u) Theophyl. l. 1. c. 1. p. 9.
(x) Evagr. l. 5. c. 19.

(*37) MENANDER PROTECTOR HISTORICUS apud Suidam ita de ſe ſcribit: *Poſteaquàm verò Mauritius Imperatoriam poteſtatem ſuſceperat, cùm ſollicitus maximè de populo, tum Muſarum amator, & poëmatum atque hiſtoriarum avidus auditor, ut qui & magnam partem noctis in iis ſtudiis conſumeret, & pecuniis uberiora ingenia acueret, & excitaret: perlibenter ego tum oberrans, & æger animo, quòd non ea, quibus eſſet opus, haberem, reputabam, non decere me, fruſtrà oberrare; itaque ne prorſus nihil agerem, hanc hiſtoriam* (de Abaris) *ſcribendam ſuſcepi, ab obitu Agathiæ auſpicatus.* EVAGRIUS L. 5. c. 19.: *Vir erat* (Mauritius) *prudens, ingenioſus, in rebus quibuſque diligens, animo conſtans ac ſtabilis: ipsâ vitæ ratione & moribus compoſitus, benéque cultus. Ventris etiam cupiditates ſic coërcuit, ut non modò rebus neceſſariis, & facile parabilibus, verum etiam aliis omnibus, quibus vita intemperans ſe inſo-*

Tiberius Mauritium successorem eligit.

(y) Theophyl. l. 3. c. 15

(z) Evagr. l. 5. c. 19.

(a) Theophyl. l. 1. c. 1. p. 9.

Justino posteà à secretis literis, dein Regii Satellitii Præfectus (y), demum totius exercitûs contra Persas Moderator evasit (z). Laboribus itaque suis, ac recentibus adversùs hostes victoriis cùm futuræ erga cives sollicitudinis ac providentiæ suæ quasi quoddam pignus deposuisset (a); Tiberius eundem simul suum Generum (*38), simúlque Imperatorem creare decernit. Atque ut hujus negotii pulcherrimè constituti testes publicos haberet, convocatis ad atrium palatii Regni Primoribus, & toto Clero, Imperator ad eundem locum foràs deportatus, sensa animi de creando Successore Mauritio, déque nuptiis ejusdem cum sua filia Constantina aperuit (*39). Consilium Tiberii ut quisque secundâ

lenter efferre solet, abstinuerit. Vulgus hominum non facilè admisit ad colloquium, neque aures cujusque sermonibus patefecit, quippe si sciret alterum contemptum, alterum assentationem parare. Raro se adeundi concessit potestatem, eámque nonnisi vehementer oratus, largitus est. Aures sermoni supervacaneo obturavit non cerâ (ùt est apud Poëtam) sed ratione, ut illa pro clavi existeret, quæ eas hominum sermonibus commode tum aperiret, tum occluderet. Inscitiam autem matrem audaciæ, & timiditatem, quæ ei vicina & finitima est, sic ab se depulit, ut in temeritate periculum, in cunctatione securitatem esse censeret. Quippe fortitudo & prudentia, quæ in ejus animo insidebant, sic ferebantur ad res gerendas, sicut temporum momenta postulabant, habenásque appetitionis ita direxerunt, utì usus rerum requirebat, adeò ut in eâ tum remittendâ, tum intendendâ modus quidam & moderatio conservaretur.

(*38) DU CANGE in Familiis Byzantinis p. 85. liberos Tiberii Augusti refert; ex quibus Constantina filia Mauritio in uxorem data est

FLAVIUS ANICIUS TIBERIUS CONSTANTINUS ⚭ ANASTASIA

CONSTANTINA *Augusta* ⚭ Mauritius Imp. CHARITO ⚭ Germanus.

(*39) EVAGRIUS Lib. 6. c. 1. Mauritii & Constantinæ nuptias ita describit: *Mauritius susceptis Imperii gubernaculis, primùm ea, quæ ad nuptias spectabant, apparavit: deinde Augustam alio nomine Constantinam appellatam, ritibus, quos decus exigit Imperii, solenniter celebratis, vinculo matrimonii sibi copulavit: tum pompam magnificè ac splendidè egit nuptiarum. Postremò convivia publica cum summo splendore per totam urbem agitanda curavit. Aderant autem his nuptiis vera pietas, & Regia magnificentia, quæ eas & præclarissimo comitatu, & muneribus honorificentissimis adornavêre. Nam altera non solùm utrumque Mauritii Parentem (quod nulli antè Imperatori evenisse aliquando traditum est) nuptias decorâ canitie, & rugis planè venerandis cohonestaturum, verùm etiam fratres pulchritudine & formâ eximios, ea solennia exornaturos adduxit. Altera verò vestem auro intertextam, purpurâ & lapidibus Indicis collustratam, coronas multo auro, & magnâ lapidum pretiosorum varietate ac splendore illuminatas, & omnes Nobiles, tam qui in militiam, quàm qui in aulam adscripti erant, attulit,... sic*

ſecundâ admurmuratione probaverat; tum Auguſtus ad promulgatum Imperii adjutorem converſus, hæc monita regnaturo Mauritio dedit: nempe ut poſthumam Cæſaris defuncti memoriam ſuis virtutibus condecoret, nec ſpes illorum fallat, qui ſe totos ejus fidei, atque authoritati permiſiſſent: cæterùm præſtantiæ, ac nobilitatis ita memor ſit, ut rationis tamen fræno in poteſtatis magnitudine ſuperbiam cohibens, Principatûs ſui clavum ex ſanioribus Philoſophiæ præceptionibus dirigat; quare conetur à civibus & ſubditis diligi potiùs, quàm timeri, atque licèt opibus vincat omnes, omnibus tamen ſe prudentiâ eminere minimè putet. A reprehenſione ut magiſtrâ optimâ, & aſſentationibus quibuſvis meliore poteſtatem ſuam admoneri & condocefieri haud ægrè patiatur. Purpuram non aliter, ac vilis pretii pannum, coronam gemmis illuſtratam nihil à calculis & lapillis in littore maris diſperſis differre ratus, ab his inſignibus fluxarum rerum & officii ſui, tum etiam ſplendidæ ſervitutis, quam in ſolio profeſſurus ſit, documenta potiùs, quàm elatæ mentis incitamenta accipiat. Iram manſuetudo, prudentiam timor regat, propterea quòd & apibus natura ejuſmodi Regem impoſitum voluerit, qui aculeo indito armatus, immorigeros emendet, non tamen facultate eâdem naturali in quoſvis ferociter graſſetur. Poſtremùm Mauritio inculcabat, ne omittat meminiſſe, cohortationis hujus aliquando judicem altiorem & exactorem fore, qui nihil muneribus tranſverſim agi, ſed aut virtuti honorem & gloriam, aut improbitati dedecus & contemptum non poſſit non remetiri (b). Dictio ejuſmodi vario animorum motu excepta eſt; nam aliis ad immaturum fatum Tiberii illachrymantibus, aliis verò ad conſpectum novi Principis, qui tanto Imperio parem animi virtutem afferret, quàm maximè geſtientibus, Mauritius tandem gratiſſimo juxta ac promptiſſimo corporis habitu ſe velut filium Patri inclinans coronam, purpurámque inter populi lætas acclamationes ſuſcepit. Relatus inde in lectulum Tiberius poſtridiè, quaſi nihil officii Reipublicæ

Oratio Tiberii ad Mauritium.

A. 582.

(b) Theophyl. l. 1. c. 1. p. 10.

ſic, ut pompâ illâ nihil inter homines vel illuſtrius vel beatius unquam factum eſſe memoriæ proditum ſit. Easdem nuptias exponit THEOPHYLACTUS Lib. 1. c. 10.

(c) Idem l. 1. c. 2. p. 11.

Mors Tiberii, ejúsque virtutes.

publicæ ampliùs deberet (c), inter homines esse desiit decimo nono Kalendas Septembris (*40), postquam supra mensem & dies octo, tres annos regnaverat. Princeps erat ad salutem Imperii & Ecclesiæ, tum maximè ad pauperum (*41) solatium datus,

(*40) BARONIUS T. VII. Annal. ad annum 586. N. 10. revocat mortem Tiberii; sed PAGIUS eundem meritò corrigit T. II. Critic. ad annum 582. N. 8. 9. & 10., quo etiam anno obiisse Tiberium probat sequentibus argumentis: 1. Ex anno mortis S. Eutychii, etiam testante id Baronio, pendet annus mortis Tiberii Augusti; Eustathius enim in vita Sancti cap. 9. asserit, Eutychium cursum suum consummâsse, postquam à reditu suo, & in Cathedram Paschalem restitutione, transactis quatuor annis & sex mensibus, annos universim vixisset septuaginta, & c. 10. affirmat, eum paulò ante obitum *Tiberio* Augusto mortem prænunciâsse: *quam prædictionem* (inquit) *comprobavit eventus; nam Christi amantissimus Imperator quatuor post menses è vivis abiit.* A die autem tertia Octob. anni 577., quo Eutychius in sedem restitutus est, ad diem sextam Aprilis hujus anni (quo certissimi temporum characteres eum obiisse demonstrant) anni quatuor & menses sex intercurrunt, ac præterea dies tres, quos Eustathius, numerum rotundum secutus, neglexit. 2. Author Chronici Alexandrini anno post Consulatum Tiberii IIItio, & Indictione IV. hoc anno 582. scribit de Tiberio: *Hoc quarto Imperii ejusdem anno Tiberius Cæsar, quinto Augusti, XV. Indictionis præsentis creatus est Cæsar Mauritius Tiberius, & XIII. Augusti coronatus Augustus.* 3. Subscriptio sacræ Pragmaticæ Tiberii, quâ paulò ante mortem Justini Junioris Decessoris Constitutiones confirmavit, his verbis concepta est: *Data tertio Idus Augusti, Constantinopoli Imperatoris Domini Nostri Tiberii Constantini Augusti anno VIII., & post Consulatum ejus anno tertio, & Nobilissimi Flavii Tiberii Mauritii Felicissimi Cæsaris anno primo.* Inde Pagius infert; die undecimâ igitur Augusti hujus anni 582. jam Mauritius Cæsar erat, & hic annus tertius erat post Consulatum Tiberii, quem anno 579. capessiverat. 4. Theophanes anno Incarn. secundùm Alexandrin. 574. Kalendis Septembris an. 581. inchoato, ait: Indictione XV. mensis Augusti die XIV., *Tiberium* in tabem incidisse, & letho vicinum *Mauritium* proprium Generum, renunciâsse Imperatorem, & exspirâsse; cùm annos tres, menses decem, & dies octo imperâsset. 5. DUCANGIUS in Familiis Byzantinis profert nummum Tiberii, cui inscribitur: DN. TIB. CONSTAN PP. AVG. in postica ANNO VIII. ejus nempe Imperii Cæsarei. Ex quo sic concludit Pagius: quodsi Tiberius anno 575. Cæsar dictus fuisset (ùt communis fert sententia) octavum Imperii Cæsarei numerare non potuisset, cùm mense Decembri eam dignitatem adeptus sit, & anno 582. è vivis excesserit.

(*41) GREGORIUS TURONENSIS L. 5. c. 19.: Cùm Tiberius multa de thesauris, quos Justinus aggregavit, pauperibus erogaret, & Augusta illa eum frequentiùs increparet, quòd Rempublicam redegisset in paupertatem, dicerétque: Quod ego multis annis congregavi, tu intra parvum tempus prodigè dispergis. Ajebat ille: Non deerit Fisco nostro: tantùm pauperes eleëmosynam accipiant, & captivi redimantur; hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* His subjungit Author narrationem de invento thesauro, quem dicit à Narsete in cisterna quadam depositum fuisse; quod & AUTHOR MISCELLÆ habet L. 17., & PAULUS DIAC. L. 3. c. 11., & BARONIUS ad an. 582. N. VI. affirmat; sed negat PAGIUS ad an. 568. N. VII. ex eo, quòd à Paulo L. 2. c. 11. Narses Romæ dicatur mortuus

tus, in quo proinde omnes nihil, nisi longiores Regni annos desiderârunt.

11. MAURITIO fasces Imperii jam tenenti triplex, ídque difficillimum belli genus obversabatur. Italiam multò licentiùs Longobardi jam direptum ibant, propterea quòd recenti fœdere Francis conjuncti Exarchi Longini ignaviam, exiguásque Cæsaris copias palàm & fidentissimè contemnerent (d). Ad Istrum Abares Sirmio capto, & aliis urbibus Singidone, Viminacio, & Anchialo evastatis, toti Illyrico exitium intentabant (e). In Orientis finibus exercitus novum poscebat Ducem, qui in locum Mauritii suffectus, pari fortitudine, majoribúsque auxiliis cœptum contra Persas bellum prosequeretur (f). Singulis hostibus justas objicere vires cùm in facultate Cæsaris non esset; rem ita admoderatus est, ut Italiæ ac Illyrico aliquantùm, Orienti autem omninò prospiceret, dum devictis Persis copiosiorem militem ad alias Occidentis expeditiones transferre liceret. Itaque Abarum Principi Chagano præter octoginta aureorum millia, quæ Imperatores in singulos annos his Barbaris pendere solebant, alia viginti auri millia adjecit, ut tam pingui bolo satiati, saltem ad tempus arma ponerent (g). Et quoniam Mauritius ex Pelagii Pontificis literis abundè cognoverat, Longinum Exarchum flagitioso non minùs, quàm imbecilli animo Italiæ salutem projecisse (*42); hoc amoto Smaragdum misit, qui meliore ingenio ac curâ deinceps pro Romanorum fortunis excubaret.

Mauritii initia triplici bello turbantur.

(c) Pelag. in Epl. ad Gregor.

(e) Theophan an Inc. secund. Alexandr. 575. Theophyl. L. 103.

(f) Theophylactus l. 1. c. 12.

A. 583.

(g) Theophyl. l. 1, c. 3.

12. Post-

tuus, *& ejus corpus positum in locello plumbeo cum omnibus ejus divitiis Constantinopolim* esse perlatum; nam si Romæ Narses mortuus est, quomodo verum est illud, quod idem Paulus L. 3. c. 12. scribit: Cum multis thesauris Narses Constantinopolim advenit, ibíque occultè cisternam magnam fodit, in qua thesaurum suum reposuit, ac in ea urbe defunctus est. Ob liberalitatem tamen in pauperes Tiberius meritò sibi tesseram adscivit: *Stips Pauperum*, *Thesaurus Divitum.*

(*42) PELAGIUS Pontifex ad Gregorium, quem Constantinopolim legatum miserat, de Longobardis hanc dedit epistolam Num. 5.: *Omnia quidem, quæ necessaria fuerunt, per honoratum Notarium tibi curavimus indicare: quem cum fratre & Coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus; ut, quia in illis partibus ad Ravennam usque nunc cum Viro glorioso Domino Decio Patricio fuit, ipse relatione suâ studeat te de omnibus informare, vel si necessaria judicaveris, possis Domino Imperatori suggerere, quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidia Longobardorum illatæ sunt contra propriam jusjurandum, ut nullus possit ad referendum sufficere.... Loquimini*

12. Postquam Occidenti hunc in modum Imperator providerat; Joannem mystaconem cum lectis copiis in Orientem dirigit: Persidis ille fines transgressus, eo loco castra metabatur, ubi Nymphius fluvius in Tigridis rapidissimas undas se evolvit; subinde primam certaminis aleam jacturus, cum Persis congreditur (h). Initium pugnæ equidem Romanus miles viribus suis fortiter sustinebat; sed dum prudentia Ducis pugnantium robori minùs adminiculabatur, conflictus in turpem Romanorum cædem, fugámque desiit. Mauritius, ubi ex infelici eventu Joannis bello impar ingenium cognoverat (i); Philippicum, qui Imperatoris sororem Gordiam habebat conjugem, in ejusdem locum substituit (k). Philippicus, quamprimùm exercitûs regendi curam susceperat; cunctando potiùs, quàm temerariâ celeritate agendum ratus, toto anno ad Tigrim pro castris consedit: unde miles in Persidis agros manipulatim procurrens, ingentem undique prædam abegit (*43). Insequentis anni æstate ea, quæ Philippicus animo conceperat, multóque majora exequi moliebatur, tum morbi vis, quæ repentè Ducem prostraverat, consilia, cursúmque belli interrupit; nam Philippico Constantinopolim valetudinis causâ redeunte, exercitus in hyberna dimissus

(h) Theophyl. l. 1. c. 9. p. 19. 20.

Infelix Romanorum certamen cum Persis ad Nymphium.

A. 584.

(i) Idem l. 1. c. 12. sub finem.

(k) Idem c. 13. p. 25.

Philippicus exercitui Orientis præficitur.

---

mini ergo, & tractate pariter, quomodo nostris celeriter possitis subvenire periculis: quia ita hìc coangustata est Respublica, ut, nisi Deus piissimi in corde Principis inspiraverit, ut insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam Diacoposin vel unum Magistrum militum, vel unum Ducem dignetur concedere, in omni sumus angustia destituti; quia maximè partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur. Et Exarchus scribit, nullum se posse nobis remedium facere; quippe qui nec ad illas partes (Ravennæ) *custodiendas se testetur posse sufficere. Imperet ergo illi* (Imperatori) *Deus, nostris velociter periculis subvenire, antequam nefandissimæ Gentis exercitus loca, quæ adhuc à Republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) prævaleant occupare.*

(*43) THEOPHYLACTUS L. 1. c. 14.: *Philippicus excelso animo anno deinceps sequenti Arzanenæ Regioni arma intulit, opulentámque, & ad memoriam insignem prædam abstulit. Fama tenuit, Ducem hunc discendi cupidissimum, artes bellicas ex veterum Scriptorum monumentis hausisse, & ex solertia Publii Scipionis, belli Ducis omnium præstantissimi hanc sibi sapienter regendi exercitûs industriam comparâsse. Nam ùt tradiderunt, qui historias scribendo, in mentibus nostris tanquam divina quædam simulachra in sacris ædibus collocârunt. Scipio, is qui primus Africanus est appellatus, bello cum Pœnis in Italia intermisso, Carthaginensium fines invasit: nec qualibuscunque cladibus hostes mactavit. Annibalem, ubi de afflictis Patriæ fortunis audîsset, domum revertisse, atque ita rerum mutabilitatem è suis casibus didicisse. Hæc de Philippico omnium jactata sermonibus iis respondere videbantur, quæ de Scipione annalium monumentis commendata leguntur.*

missus est (l). Quam victoriam annus superior negaverat, hanc A. 585.
succedentis anni expeditio opportuniùs pensavit, Philippicus (l) Idem
namque refectis Constantinopoli viribus, in Mesopotamiam re- c. 14 p. 27. A. 586.
versus tantum Persis terrorem injecit, ut Hormisdas in occursum
Ducis Legatos mitteret, qui à Rege redintegratum iri fœdus pol-
licerentur (m); siquidem Romani vicissim in animum induce- (m) Idem
rent, quandam auri summam vicissim Persis impertiri. At Phi- l. 1. c. ult.
lippico cùm fixum esset, pacem non auro, sed ferro redimere,
in arma utrinque discessum est (n). Ad Arzamonis fluenta ubi (n) Idem
ex pulverea nube hostium adventus cognitus est (o); Philippi- l. c. p. 29.
cus Christi eam effigiem per Romani exercitûs ordines circum- (o) Theophyl. l. 2. c. 3.
tulisse fertur, quam non texentis, nec pictoris manu, sed divi-
nitùs efformatam Veteres tradidêre (*44). Inspectâ hâc icone, *Mirabilis victoria Romanorum contra Persas.*
velut victoriæ futuræ omine ac vade, miles tantâ alacritate in
Persas irruit, ut primo impetu cæsis multis, cætera Hormisdæ
agmina in probrosam fugam compellerentur (p). In Persidem (p) Idem c.
inde latè vagandi, diripiendíque copia facta est (q); verùm quò 4 p. 35. & 36.
minùs Dux ipse Victor insistere cœptis posset, eodem corporis (q) Idem c. 6. p. 39.
malo tentatus, prohibitúsque est (r). Ne tamen decumbente A. 587.
Philippico hostis in majores animos assurgeret, Heraclium in Per- (r) Idem
sidem c. 9. & c. 10.

(*44) THEOPHYLACTUS L. 2. c. 3.: *Ubi hostes appropinquare pulverea nubes indicio fuit; Philippicus Dei, hominísque (Jesu Christi) effigiem circumfert. Jam olim fama emanavit, & usque hodie durat, eam effigiem non texentis manu comparatam, aut pictoris arte, coloribúsque variatam, sed divinitùs efformatam esse. Quocirca etiam apud Romanos, ut ἀχειροποίητος, id est, non hominis manu confecta celebratur, & sacris divinisque honoribus colitur. Habent enim Archetypum Romani, & ut sacrosanctum quiddam venerantur. Hanc effigiem sacrâ veste nudatam gestans exercitum obibat, indéque audendi generosam & inexpugnabilem militibus alacritatem injiciebat.* GRETSERUS Syntagma *de imaginibus non manu factis* composuit, quas dicit sacratissimum Christi vultum exhibere, ipsúmque linteis seu sudariis admotu faciei suæ impressisse. Harum tres potissimùm celebrantur: PRIMA *Edessena*, quæ creditur missa à Christo ad *Abgarum* Edessæ Regem. ALTERA est *Camulianensis* à civitate Cappadociæ hoc nomen sortita, ùt docet Cedrenus in Chronico ad annum nonum Justini II. TERTIA (quam vulgò *Veronicam* vocant) à Philippico in dicto prælio circumlata fuit. Græci festum in imaginis *Edessenæ* honorem instituerunt, cujus mentio ad diem XVI. Aug. in eorum Menologio, ob ejus nempe translationem ex urbe Edessena Constantinopolim. *Camulianensis* imaginis Christi mentio fit in II. Synodo Nicæna Act. 5., quam Constantinopolim allatam esse ait Cedrenus ad annum IV. Mauritii. In hujus honorem festum die IX. Aug. institutum est, ùt in Menæo Græcorum legitur; eáque ab *Heraclio* Imperatore anno Imperii sui decimo in bello contra Persas suscepto circumlata. Denique, Sudarium Veronicæ colitur Romæ &c. Ita PAGIUS ad an. 586. N. XI.

ſidem ire juſſit, quam latè populatus, ac Mazaro inſuper in Romanorum poteſtatem redacto, à Philippico ſummam belli præfecturam obtinuit (s).

(s) Idem l. 2. c. 9. 10. & 18.

A. 588.

Priſcus Philippico ſurrogatur.

13. Ut primùm Philippicus abdicârat exercitûs Imperium, copias Priſco potiùs, quàm Heraclio demandare Cæſari placuit; ſimultatum inde ac turbarum initia non obſcura gliſcebant (g): invidebat Philippicus novo Duci honores, atque ut ægrè homini faceret, Heraclium monebat, ut per exercitum evulgaret venturum in caſtra Priſcum, qui annonam imminutam arctiore deinceps manu diſtribuat. Militum animos ubi hoc rumore Heraclius concitaverat, illud quoque acceſſit, quòd Priſci adventus ſuetæ humanitatis nihil, multum autem ſuperbiæ, aſperitatíſque habuerit; neque enim ille de equo deſcendere, aut obvium militem ſalutare dignabatur (*45). Tum enimverò res ad ultimum ſeditionis erupit, aliis Duci vim, necémque minantibus, alii Germanum in locum Priſci ſubſtituunt. Nec Crucis effigies per caſtra circumducta, nec ampliora promiſſa procellam compoſuêre (h); quâ adhuc magìs in diem ferveſcente (i) Perſæ ex Romanorum miſeriis voluptatem capientes, fines Imperii multis calamitatibus divexabant (k). Ad Cæſarem ubi de tumultu relatum eſt; avocato Priſco Philippicum rurſus in Orientem

(g) Idem l. 3. c. 1.

Seditio militum adversùs Priſcum.

(h) Theophyl l. 3. c. 1. ſub finem.

(i) Idem c. 2.

(k) Idem c. 2. p. 64. & c. 3. p. 65.

(*45) THEOPHYLACTUS L. 3. c. 1.: *Caſtrenſis quædam conſuetudo vigebat, eáque vetus & laudabilis, ut, qui ad exercitum regendum ſubveniret, occurrentibus ſibi honoris causâ militibus, equo deſcendens, armatorum medius graderetur, totúmque exercitum comiter ſalutaret. Quod cùm Priſcus facere omitteret, & morem hunc planè contemneret, ea contumelia apud milites graviter offendit. Ac primo quidem feſtorum ſolennium* (Paſchæ) *die in pace fuit. Tertio elapſo, cum jam de demenſi ſeu victûs diminutione conſtaret inter omnes, contumaciâ & licentiâ adversùs Ducem magìs amplificata, ad tentorium ejus turmatim ruunt, pars lapides jactantes, pars gladios diſtringentes, ut cuique telum occaſio miniſtrabat, Dux fremitum ac tumultum auribus accipit: quid ſibi iſtuc velit, percunctatur. Illis ad interrogata nihil reſpondentibus, niſi hoc unum, omnis ordinis quaſi concentum quendam nunc periiſſe; cùm exercitus Imperatore careat: Priſco ſudor ire per corpus, & artus occupare tremor cœpit animo hæſitanti, quid ageret. Ergo Glipbredæ Dei atque hominis effigiem, quam* ἀχειροποίητον (*hoc eſt, non mortali manu confectam*) *Romani appellant, involucro nudatam, per caſtra circumferendam committit: quo ad aſpectum Rei adorandæ excitata reverentia furorem comprimeret, & in modeſtiam, quietémque rerum perturbatio tranſiret. Verùm enimverò, cùm multitudo nihilo hinc modeſtior, ſaniórque evaderet, quin potiùs ſacroſanctam imaginem lapidibus appeteret; Dux equum cujusdam è ſatellitibus Imperatoris nactus, haud immeritò ſeſe in fugam tradidit.*

tem ablegat (l). Hic, antequam ad turbulentum exercitum abiret, Hierapoli Syriæ considens, Ariſtobulum Domûs Regiæ Procuratorem præmisit, qui quà muneribus, quà cohortationibus implacabiles animos emolliret (m). Poſt multas altercationes ab Ariſtobulo milites in pacem inclinati in Perſas moverunt: cúmque odia, queis antè in Cæſarem ardebant, jam in hoſtes converterent; prope Martyropolim tantâ ſtrage fuderunt Perſas, ut Duce Maruzâ cæſo, captísque ter mille Primoribus multa ſigna victis abſtulerint (n). Hæc victoriæ non minùs, quàm melioris in Cæſarem fidei teſtimonia ubi ſubinde ad Mauritium tranſmiſſa ſunt; Imperator ab exercitu in novas ſpes erectus, Gregorio Antiocheno Antiſtiti injunxit, ut legiones compoſitas ſuâ eloquentiâ eò nunc quoque inflecteret, ut, quod Mauritius maximè cupiebat, Philippici Ducis Imperium rurſus acciperent (o). Iſta longiùs pro concione dicenti Epiſcopo cuncti oggerebant jurisjurandi Religionem, quâ ſe vinciri cauſabantur, quominùs Philippico parere poſſent (*46). At cùm Gregorius contrà palàm teſtaretur, ſe ab eo vinculo ſacerdotali authoritate eosdem abſolvere, manus tandem dederunt: atque ut fidei factæ ſacrum pignus extaret; ſacer Antiſtes ſingulis immaculatum Chriſti Corpus

(l) Idem c. 3.

Philippicus in Orientem ab Imperatore remittitur.

(m) Theophyl. l. 3. c. 3. ſub finem.

(n) Idem c. 4.

A. 589.

(o) Evagr. l. 6. c. 11.

 pus

(*46) EVAGRIUS, poſtquam L. 6. c. 11. expoſuiſſet amplam Gregorii Antiocheni ad milites orationem, tum c. 12. ſubjungit: *Cùm hæc dixiſſet Gregorius, magnámque vim lacbrymarum profudiſſet, omnium illorum mentes, velut divinâ quâdam vi, ac virtute momento temporis mutatæ ſunt; adeò ut poſtularent poteſtatem e conſeſſu exeundi, quo ſeparatim ipſi inter ſe, quid agendum eſſet, deliberarent. Itaque haud diu pòſt veniunt, ſe Epiſcopi voluntati atque arbitrio dedituros. Ac cùm Gregorius Philippicum illis nominaret, quem voluit, ut ſibi Ducem peterent; reſpondent, tum ſe, tum reliquum univerſum exercitum ſancte juraſſe, nunquam ſe illud facturum. Tum ille ſine mora, aut ulla omninò cunctatione: Epiſcopo* (inquit) *conceſſum eſt, & poteſtas data ſolvendi, & ligandi in cælo & in terra, ſententiámque Evangelii illis citavit. Cùm verò illi etiam in hac re ejus arbitrio cederent; Deum idcircò precibus & obſecrationibus placare cœpit. Atque immaculato Chriſti Corpore eis diſtributo (erat enim ſacroſancta illa dies, quæ ſanctæ Domini Paſſioni proxima eſt) cùm omnes, qui circiter duo millia erant, toris in herba ad eam rem confectis accumbentes, cœnâ excepiſſet, poſtridiè domum rediit: decrevitque, ut illi, quo loco vellent, in unum convenirent. Itaque Philippicum interim Tarſi Ciliciæ* (Theophylactus habet: Hierapoli) *ætatem degentem accerſit; .... milites autem Philippico poſteà Antiochiam profecto occurrunt, & hominibus, qui lavacro divinæ regenerationis tincti erant, ſibi, ut pro eis deprecarentur, aſcitis ad genua Philippici accidunt. Qui cùm dextram illis dediſſet, ſe prateritæ culpæ memoriam oblivione penitùs deleturum, cum eo denuò in militiam proficiſcuntur.*

Seditio militaris componitur.

pus diſpertitus, & de oblivione præteritorum cavens, Philippici obedientiæ exercitum rurſus ſubmiſit.

A. 590.

Commentiolus ſuccedit Philippico.

(p) Evagr. l. 6. c 13. Theophyl. l. 3. c. 5. p. 67.

Varamus à Romanis victus ab Rege Hormisda contemptim habetur.

(q) Theophyl. l. 3. c. 8.

(r) Idem l. c. p. 72.

Varami rebellio adverſùs Hormisdam.

(s) Idem l. 4. c. 1. & c. 2

(t) Idem c. 8.

(u) Theophyl, l. 4. c. 7.

14. Quantùm diſcordia hucuſque Romanæ rei vires minuerat, tantum roboris ac fortunæ à concordi animorum nexu deinceps eidem acceſſit; ſequente namque anno Philippicus primùm ad Martyropolim Perſas peſſimè habuit (p): dein Commentiolus (qui Philippico in Magiſterii poteſtate interim ſucceſſerat) plagam inſanabilem, & toti Perſidi fatalem hoſtibus inflixit (*47). Varamus Dux Perſarum tot cladibus attritus, cùm ſibi malè metueret; jam media ad declinandum ſupplicium circumſpiciebat; tum trepidanti ab Hormisda veniunt literæ, quibus Rex ignominiæ causâ veſtem muliebrem adjecerat (q), ut & verbis & facto Varami imbecillem animum, ingeniúmque perſtringeret. Momordit primò virum rei acerbitas, dein timorem majore audaciâ excutiens, ſalſam Regi reddit epiſtolam (r), demum quaſi ſalute deſperatâ Præfectos legionum in civile bellum vocatos, ad capiendas Regni arces & munimenta impellit (s). Hormisdas, poſtquam de nefario ſuorum fœdere acceperat; Perockanem Ducem rebellium molitionibus occurrere jubet. Sed eo (t) à ſuis occiſo, miſſæ copiæ palàm ad rebelles deficiunt. Varamus inde nudatum milite Regem Hormisdam aggreſſus, purpurâ ſpoliat, & Choſroë filio ejus juniore in ſolium ſublato (u), Patrem orbatum

(*47) EVAGRIUS L. 6. c. 14.: *Commentiolus autem genere Thrax, mittitur in Orientem ad Philippicum in Ducatu ſuccedendum: qui tametſi bello feliciſſimè contra Perſas depugnabat, parùm tamen abfuit, quin ipſe præceps unà cum equo delapſus, vitam amiſiſſet; niſi unus ex Satellitibus, equo vectario conſcenſo, eum è prælio ſubduxiſſet. Perſæ verò, qui ſupererant, omnibus ſuis Ducibus amiſſis, terga dant, & Niſibin confugiunt. Ac quoniam ad Regem ſuum redire extimeſcebant (mortem enim illis minatus fuerat, niſi Duces ſalvos & incolumes reducerent) ibi contra Hormisdam conjurare inſtituunt, atque etiam Barames* (Varamus) *Dux Perſarum, qui jam cum ſuis ex prælio contra Turcos commiſſo reverterat, idem ipſum ſuaſit* &c. THEOPHYLACTUS L. 3. c. 7. p. 72.: *Sed cùm Varamus belli furta tentaret, Romanus callidè ejus aſtui obviam ivit. Die quintâ ambo ſe prælio accingunt, ac in tres ordines, aciéſve digeruntur. Mediam hoſtium Romana oppoſita premebat. Inde Varamus metuens, ne Romani, quantum poſſent, ad eam delendam incumberent, à ſiniſtro cornu ſupplementum aſſumit. Ex quo lævo cornu infirmiore, propter eos, qui contrà dimicabant, cùm & ingenti ſtrage Perſæ conciderentur, & Varami res loco peſſimo eſſent, totúſque exercitus fugam capeſſeret, & Romani magnâ, atque eximiâ perſecutione fugientibus inſtarent; Varami felicitas cum ejus faſtu & inſolentia extincta eſt.*

batum luminibus in carcerem detrudit (*48). Chosroës paternam calamitatem mitigaturus, nihil officii equidem prætermisit, quo captivo custodia tolerabilis videretur (x). At Hormisda beneficia injuriarum loco habens, filium diris incessere ac lacerare non cessabat; id verò scintillam omnem amoris in Chosrois animo extinxit, ut se filium oblitus, Parenti dirissimè ad mortem usque fustibus cæso vitam, quam ille ab eodem hauserat, eripi imperârit (*49). Defuncto Hormisdâ, sive oppresso simultatum fomite, Chosroës Varamum monuit, ut & ipse posito hostili spiritu nunc demum in pacis consilia iret (y); verùm sive Varamus ingenio feroci Chosrois minùs fideret, sive Regnum ipse novis studiis ambiret, ab armis ac tyrannide non discessit (*50): procursionibus itaque primùm, dein apertis ac integris

Hormisdæ surrogatur Chosroës.

(x) Idem l. c. p. 99.

Chosroës Patrem Hormisdam crudeliter occidit.

(y) Idem c. 7. p. 100.

(*48) THEOPHYLACTUS L. 4. c. 6.: *Concilium igitur contra Hormisdam tumultuari,.... deinde filium ipsius adolescentulum illum sanè miserum, certatim capto illudentes, in medium adducunt, & omnimode furori suo gratificantes in conspectu Patris morte afficiunt, ultráque sævitiâ progressi, conjugem producunt, & ab imo ventre in partes haud æquas licet dissecant. Ita mulier cum miserando filio in celebri theatro vitâ cum sanguine finitâ, tragœdiæ argumentum præbuit. Hormisdas postquam calamitosi spectaculi testis omni exceptione major factus est, utroque lumine orbatus, hoc suorum casuum auctarium habuit. Nam acus ferreas in mediam prunam conjectas, & ignitas, pupillis cum cruciamento intruserunt, noctéque perpetuâ illum damnaverunt. Timebant enim, ne forte aufugiens, Persarum Reipublicæ negotium facesseret; cùm adhuc altâ mente repostum maneret, quid Cabades sceptrum Persicum deponere coactus perpetrâsset* &c.

(*49) IDEM L. 4. c. 7.: *Chosroës in Thronum Regium extollitur.... Hic aliquamdiu Patrem in carcere solatiis mulcet amanter, & Regio victu sustentat, mittens ad eum intrita in patinis aureis, ac de venatione Regia, bubulorúmque, caprearum, & agrestium asinorum partes præcipuas, vina item odorata, & propinamenta variorum generum. Panes præterea exquisitè coctos, lac, olera, & quæcunque demum alia Regibus ventri & abdomini deditis ad mensam panegyricam subserviunt. Cæterùm Hormisdas studium Regis erga se contemnens, ùt Centaurus aliquis (id est, ferum & agrestem in modum) quæ sibi ministrabantur, vituperabat. Non immeritò autem misericordiam illaudabilem aversabatur, & simulatam pietatem, ùt apertam injuriam excludebat: id quod etiam exitium ei peperit. Fustibus enim in Ilia impactis, & collo ictibus clavarum confracto acerbissimè vitam exuit.*

(*50) IDEM c. 7. p. 100. Varami insolens ingenium ostensurus, ejus ad Chosroën epistolam recitat, quæ incipit: *Varamus Deorum Amicus, Victor insignis, Tyrannorum Inimicus, Satrapa Megistanum sive Procerum, Persicarum copiarum Imperator: Sapiens Princeps* &c. *Chosroæ Hormisdæ filio. Quæ ab imperfectione, parvissimáque prudentia tua mihi scripta sunt, recepi: munera confidenter abs te missa, repudiavi. Nam neque literas, neque dona Regalia ad nos mittere conveniebat: cùm præsertim te Rege creando tanta sit in Rempublicam Persarum invecta perturbatio, & neque Nobiles, neque alicujus pretii homines cum turbulentis illis ac plebejis societatem coiverint. Ne igitur paterna te calamitas*

Bellum civile inter Chosroën & Varamum.

(z) Idem c. 9.

(a) Idem c. 10. 11.

Chosroës à Mauritio opem rogat, & impetrat.

(b) Idem c. 14.

(c) Idem c. 10. p. 103. & l. 5. c. 1. p. 120.

gris præliis fortuna belli utrinque tamdiu tentata est, dum defectio multorum, qui ad Varamum transfugerant (z), Chosroën viribus ac exercitu justo destitueret. In fuga proinde Rex salutem, posteà etiam auxilia à Mauritio Imperatore quæsivit (a): Legatos Cæsar benignè complexus, ad Regem duos Episcopos Melitinensem & Antiochenum remisit, qui de fœdere novo transigentes, suppetias luctanti cum suis Principi condicerent (b). Anteà, quàm verò Romanorum adessent copiæ, Chosroës angore & Varami metu plenus, ad Deum Christianorum se convertit, ac (c) S. Sergium Martyrem, quem colere etiam barbaræ nationes consueverant, rogat, ne sibi desit, pollicetúrque, Crucem ex auro puro confectam, & margaritis variatam victoriæ suæ primitias oblaturum (*51). Audiisse Deum Barbari

---

calamitas excipiat, deposito in sacris locis diademate, Regiâ excedes. Qui porrò deliquisse convicti sunt, qui (inquam) paria tuis sceleribus ausi sunt, eos de integro in carcerem trudi oportet. Non enim potestatis tuæ est, homines maleficos citra discrimen legum pœnis eximere. Hæc ubi feceris, te ad nos confer, & statim Climatarcha (Regionis alicujus Præfectus) *creabere. Vale, & conducibilia fac cogites. Sin minùs, cum Patre tuo malè peri.*

(*51) EVAGRIUS L. 6. c. 20. describit, quo modo Chosroës posteà Regno restitutus se gratum præstiterit S. Sergio: *Chosroës.... mittit ad Gregorium crucem multo auro, & lapidibus pretiosis exquisitè laboratam, quâ honorem Sergii Martyris inclyti illustrari voluit. Hanc Crucem primò Theodora Conjux Justiniani ei dedicaverat: deinde Chosroës Senior cum aliis monumentis.... inde abripuerat. Mittit quoque aliam Crucem auream, in qua literis Græcis ista curavit inscribenda: Hanc Crucem ego Chosroës, Rex Regum, Filius Hormisdæ misi. Cùm enim diabolico conatu & veteratorio infelicissimi Baramis & suorum Caballariorum in Romaniam confugere eramus compulsi,.... Caballarios cum Duce ad Charchas usque miseramus, ope & præsidio communiti S. Sergii, Martyris honoratissimi, & in primis memorabilis, quoniam acceperamus, eum res ab se postulatas solere largiri, primo anno Regni nostri* &c. THEOPHYLACTUS L. 5. cap. 13. addit breviter, quod Evagrius L. c. latiùs habet: Anno dehinc proximo Chosroën Syram, genere Romanam, & Religione Christianam, quam ætate florentem connubio sibi copulârat, Reginam publicitùs appellâsse, & tertio anno sancto Sergio pro filio suscipiendo supplicâsse, & donis Sanctum honorâsse cum epistola apposita, quam recitat idem AUTHOR c. 14., & EVAGRIUS L. 6. c. 20. Existimârunt inde nonnulli cum Abbate Biclariensi, quòd (ùt is Author Coævus habet ad an. 590.) Rex Persarum Christi susceperit fidem, & FREDEGARIUS in Chronico c. 9 multa fabulis similia de conversione Chosrois memorat; sed nullibi vestigium invenitur de ejusdem Baptismo, imò ex L. 2. Epist. 63. Gregorii perspicitur, quòd Domitianus Episcopus Melitinæ ad Gregorium Papam apertè scripserit, Chosroën Christianam fidem amplecti noluisse. PAGIUS ad an. 593. N. 3. judicat, Chosroën in hac re nil aliud agere voluisse, quàm ut Mauritii Christiani Imperatoris auxilia simulatione quâdam mereri studuerit.

Barbari preces inde cognitum eſt, quòd Zadeſpratæ rebellium præcipui caput (d) Choſroi paulò pòſt afferretur velut omen mutandæ in melius fortunæ; Narſes quippe Mauritii Imperatoris Dux anno ſequente Perſidem Regi ſuo reddidit (e). Collecto is ſexaginta millium exercitu ad Canzagam Perſarmeniæ oppidum rebellium copias (quadraginta millium fuiſſe perhibent) aſſecutus (f), tam atroci dimicatione diſſipavit hoſtes (*52), ut cæſis multis, & Varamo cum pluribus conjuratis in fugam actis, ſex mille viros vivos ceperit (*53), quos Choſroës ad ſe adductos pro feroci ſuo ingenio haſtis omnes confecit (g). Romani poſtquam Regno ſuo Choſroëm reſtituerant; hic blandè Narſetem rogabat, ut re confectâ cum ſuis in Imperii recederet fines (h); mille tamen ſatellites ad corporis ſui cuſtodiam à Duce poſtulabat, quibus accinctus cùm Babylonem in urbem Regiam abiret, nihil admodùm Cæſari pro ingenti beneficio remenſus eſt (i), niſi quod Martyropoli Romanis redditâ, (*54) vicennali bello,

Choſroës Dei veri & S. Sergii Martyris auxilium invocat.

(d) Idem Lib. 5. c. 2.

A. 591.

Choſroës à Cæſare Regno reſtituitur.

(e) Theophyl. l. 5. c. 3. Evagrius l. 6. c. 18.

(f) Theophyl. l. 5. c. 9.

(g) Idem c. 10.

(h) Idem c. 11.

Choſroës parùm gratus Romanos domum remittit.

(i) Idem l. c. p. 134.

(*52) THEOPHYLACTUS L. 5. c. 10. p. 132.: *Illic Duces Romani acie trifariam ad prælium conſerendum inſtructâ, multis & præclaris hortatibus militum animos exſuſcitant. Pro ſymbolo autem Romani ſocios etiam barbaros ſalutationem Dei Matris ac Virginis docent* (XAIPE MARIA) *ne propter generis diſcretionem ſocios pro hoſtibus cæderent, quandoquidem pugnâ confuſâ, maximè proprios diſtinctè internoſcere nequirent. Contigitque admirabile quidquam. Nam & Perſis MARIÆ nomen ſalutare fuit* &c.

(*53) THEOPHANES ad an. 581. Incarn. Dom. ſecund. Alexandrin.: *Narſes laxatis habenis fugientes inſecutus, Perſarum maximam edidit ſtragem. Ad ſex mille verò viros captos, & vinculis obſtrictos ad Choſroën adduxit: quos ille haſtis tranſverberatos neci tradidit.* Theophylactus L. 5. c. 10. ait, eos partim enſibus mactatos, partim Elephantorum pedibus conculcatos: *Narſes, quos reperit Turcos, ad Imperatorem Byzantium tranſmiſit. Porrò Turci Crucis figuram nigris punctionibus effigiatam cùm gerant in frontibus, quâ ratione ſignum illud præferant, ab Imperatore interrogati reſponderunt: Multos ante annos cùm peſtis per Turciam graſſaretur, quosdam ex ſuis Chriſtianos Auctores fuiſſe, ut id fieret, ex quo priſtina ſalubritas in regionem reducta eſt.*

(*54) THEOPHYLACTUS L. 4. c. 15. docet, Martyropolim majoris Armeniæ urbem ad Nymphium fluvium, in Meſopotamiæ confinibus poſitam Romanis rurſus (*Choſroë immutato*) ceſſiſſe. Et c. 16. ſubjungit orationem Euchariſticam, quam S. Domitianus Melitinenſis Epiſcopus habuit ad populum, tum *Antiſtes pane & vino ſolemni ritu conſecratis, myſteriis Dei, hominisque conventum per communionem ſanctificabat: & hunc in modum civitas dies ſeptem cum oblectamento in feriis conſumpſit.*

bello, quod Perſas inter & Cæſareos varias inter clades geſtum erat, finem impoſuerit (*55).

Status rerum in Italia ſub Longobardis.

15. Quantò majoribus viribus, ac feliciore ſorte in Perſidis finibus pugnabatur, tantò minore numero, & adverſante ubivis belli fortunâ in Italia res Cæſaris intereà peracta eſt. Longobardorum terror cùm à modicis Imperatoris copiis reprimi non poſſet, Pelagius Pontifex datâ epiſtolâ (k), & Mauritius magnâ pecuniarum largitione Childebertum Francorum Regem in ſocietatem armorum inclinare conabatur (l): Longobardi fœderis novi metu perculſi, nihil omisêre, quo Francos ab expeditione Italicâ averterent, aut retardarent, atque ut futuris periculis providentiùs occurreretur, à triginta Ducibus, qui decem annis rem Longobardicam adminiſtraverant, in ſolum Autharim virum audaciſſimum Regni ſummam rurſus tranſtulerunt (m). Purpuram is Regiam adeptus, vota ſuorum omninò implevit; nam Romanorum reliquias repetitis dimicationibus atterebat: dein Coinam Ducem mittebat in Iſtriam (n), qui Inſulâ hâc Cæſari ereptâ, quibuſcunque auxiliaribus iter, aditúmque intercluderet. Smaragdo, qui Exarchi munere fungebatur, ad tot funeſtos caſus ingemiſcere, non verò præſentem rebus opem ferre licuit; miſeriarum harum tandem finem hoc anno conſequebatur, quando Conſtantinopolim à Mauritio revocatus, ſucceſſori (cui Romano nomen) turbatæ Italiæ curam reliquit (o). Utprimùm iſte Ravennam ſubierat, Imperatorem multis precibus obteſtabatur, ut, ſiquidem vana ſine viribus ſpes, ac irrita belli fortuna foret, de auxiliis egenti, ac ferè pereunti Italiæ proſpiceret. Mauritius verò de Oriente magìs, quàm de Occidente ſollicitus, id ſaltem agebat, ut, quoniam Perſia ejus copias diſtinebat, Childebertum Francorum Regem multò fortiùs ad

(k) Epiſt. Gregorii ad Auxanium apud Baron. ad an. 584. N. 18.
(l) Paulus Diaconus l. 3. c. 17. Greg. Tur. l. 6. c. 42.
Autharis creatur Rex Longobardorum.
A. 586.
(m) Abbas Biclarienſ. ad an. IV. Mauritii. Sigebertus in Chron.
A. 587.
(n) Paulus Diaconus l. 3. c. 18.
Romanus Smaragdo in Exarchi locum ſuccedit.
(o) Paulus Diaconus l. 3. c. 27.

(*55) THEOPHYLACTUS L. 5. c. 15.: *Fœdera inter Romanos & Perſas pari æquitate coli cœpta: Hoc tandem modo acre illud & Perſicum bellum à Romanis non ſine gloria finitum, atque compoſitum eſt.* Idem AUTHOR L. 3. c. 8. ſcribit, bellum hoc viginti annis duràſſe; nam teſte PAGIO ad an. 593. N. IV. cœpit anno ſeptimo Juſtini Junioris, ſive DLXXI., & deſiit anno DLXCI., ùt perhibet AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI, qui anno IX. poſt Conſulatum Mauritii, ſive anno 591. notat: *Hoc anno Choſroës Perſarum Rex à Varamo contribuli ſuo Regno pulſus, ad Romanos confugit, & initâ cum illis ſocietate & amicitiâ in Regnum eſt reſtitutus.*

ad dandas ſuppetias impelleret. Franci, ubi in vota Cæſaris concesserant, mox magno numero in Italiam ſuo & Romanorum fato ivêre (p). Nam vix ex Alpibus pedem protulerant, à Longobardis oppreſſi, calamitatem Italorum acerbiorem reddiderunt. *Childebertus Rex Francorum condicit auxilia contra Longobardos.* Autharis quippe victoriâ inflatus, ſequente anno Beneventum expugnavit (q); A. 588. poſteà ad ultimos uſque Italiæ fines evagatus, propè Rhegium columnam haſtâ tetigit, inquiens: *Hic terminus Longobardici Regni eſto!* (p) Paulus Diaconus l. 3. c. 30. Quò latiùs hunc in modum fines Barbarorum creſcebant, eò arctiùs conſtringebatur Græcorum dominatus, *Clades Francorum.* quibus proinde poſt raptas ingentes Provincias nil, niſi Ravennatibus & Romanæ urbi adſiti agri, unà cum Venetorum terris velut tenues laciniæ ſuperfuêre. A. 589. (q) Idem l. 3. c. 33. Urebat interea Childebertum clades nuper accepta, ac opperiebatur tempus, quo refectum exercitum ad hoſtium ultionem reducere poſſet. *Longobardici Regni incrementa.* A. 590. Annus DXC. expeditioni locum dedit; Franci namque in oppida Bojoariæ vicina, ac in Tridentinum agrum effuſi, omnia igne, ferróque miſcebant (r); *Irruptio ſecunda Francorum in Italiam.* ardentibus circumquaque urbibus, & hominibus in ſervitutem abſtractis, Autharis ſe intra Ticinum, alii Longobardi in alia caſtella ſe receperunt. (r) Paulus Diaconus l. 3. c. 32. Fugâ hâc id obtinuêre hoſtes, ut Francos non cum milite, ſed cum exhauſtis agris duntaxat luctatos extrema annonæ penuria denuò ad reditum compelleret. *Re infectâ Franci recedunt.* Egentes ac nudi ubi ſubinde Franci totâ Italiâ abſceſſerant (s); Autharis digreſſos miſsâ legatione placare, ac ad pacem inflectere nititur; (s) Idem c. 32. Gregorius Turon. l. 10. N. 3. ſed antequam de conditionibus penitùs tranſigeretur, Rex Autharis apud Ticinum Nonis Septembris veneno (ùt tradunt) ſublatus eſt (t), ſexto, ex quo Regnum nactus erat, anno (u). *Mors Autharis Regis Longobardorum.* Fatum adeò inopinum pacis conſilia interrupit quidem, non extinxit; nam Childebertus iteratâ legatione poſtulatus, in concordiam, fœdúſque cum Longobardis acceſſit, cujus conſtantia ac fides ea fuit, ut ab hoc tempore uſque ad Pipini ætatem Francorum nullus Italiæ ſeu arma, ſeu pedem inferre auſus ſit. (t) Paulus Diaconus l. 3. c. 36. (u) Sigebertus in Chronico.

16. Poſt mortem Autharis Longobardorum Gens Theodelindæ viduæ optionem eligendi Conjugis & Regis dedit, quæ ubi in Agilulfum Taurinatium Ducem, ac defuncti mariti propinquum vota ſua inclinaverat, idem Mediolani mirificâ omnium A. 591.

Agilulfus successor Autharis in Regno Longobardico.

(x) Paulus Diaconus l. 3. c. ult.

(y) Sigonius de Regno Italiæ.

(z) Gregor. l. 2. ep. 32. l. 4. ep. 31.

Gregorius Pontifex frustrà rogat auxilia à Mauritio.

A. 592.

(a) Gregor. l. 4. ep. 29. ep. ad Sabinian.

Gregorius præoptat pacem cum Longobardis.

A. 593.

(b) Paulus Diaconus l. 4. c. 8.

Romanus Exarchus insidiis quædam castella capit.

A. 594.

Longobardi Romæ insidiantur.

(c) Paulus Diaconus l. 4. c. 8. Gregor. in Præf. ad l. 2. ad Ezechielẽ.

consensione in thorum Regium ac Regnum levatus est (x). Prima inde Agilulfi cura fuit, quâ ratione Romanos tota Italia exigeret; & quoniam ad rem fore existimabat, siquidem præcipuæ urbes (Neapolis & Roma) in quibus Græci se adhuc jactitabant, in potestatem redigerentur, sequentem annum his molitionibus destinavit (y). Gregorium Pontificem, qui Romanorum anima ac unum perfugium erat, consilia ejusmodi non parùm perturbârunt: egerat is quidem apud Cæsarem de auxiliis, eáque tantò faciliùs nunc mittenda credebat (z), quantò securiùs Oriens initâ cum Persis pace à bello vacaret; verùm Mauritius infestas Avarum in Illyrico & Thracia populationes causatus, non in Italiam, sed ad Istrum redeuntem à Persidis finibus exercitum traduxit. Desperatis igitur suppetiis, Romano Exarcho saltem Pontifex author erat, ut, cùm armis vim propulsare non posset, ad pacis remedia respiceret (a). Pertinacior sanè quàm Romani animus erat, quàm qui optimis Gregorii monitis cederet; unde Reipublicæ vulnera non tantùm non sanata, sed acerbiore etiam facinore magìs exulcerata sunt. Exarcho quippe propositum erat, non aperto deinceps Marte, sed proditione hostibus urbes eripere: & ad fortunæ cujusdam speciem fuerat, quòd Romanus Mauritionem quendam largitione ingenti ad Perusium, ádque alia castella prodenda impulerit (b), quæ hunc in modum turpiter empta ubi præsidiis ex Romana urbe acceptis Exarchus firmaverat, Agilulfi dolorem, ac furorem simul accendit: fremebat is sibi Romam tendenti occludi iter, & Romano exprobrabat, imbecillitatis hoc demum ultimum esse signum, auro & scelere furari urbes, quas ferro & fortitudine expugnare non auderet. Longobardorum Rex posteriore anno spolia ablata recuperaturus, Perusio exercitum admovet, & castello post multos assultus capto, Mauritioni proditionis acerrimas rependit pœnas. Inde omissis cæteris oppidis, Romam copiis vacuam aggreditur: Longobardorum multitudo magnos inter strepitus eo tempore se mœnibus applicuerat, quo Gregorius commentationes suas in Ezechielem meditabatur (c). His igitur laboribus sepositis, Pontifex ea suscipiebat, quibus civibus animos addere, & orbis Metropolim ab hostibus tueri valeret. Gregorio cuncta

(quantum

(quantum Pontifici fas erat) accurante (d), ſummi, infimíque Ordines urbis in arma volant, & licèt militaribus ſubſidiis deſtituti, tanto robore à mœnibus retundebant Barbaros, ut Agilulfus pejora veritus, poſt aliquot dierum obſidionem receptui cantaret. Procella, quæ mitiùs in Romanos cives ſævierat, ſubinde in Latium atque Campaniam graviùs detonuit; nihil enim erat per hos agros, quod ab igne, aut ferro intactum relinqueret. Imperator, qui funeſtarum cladium cauſam aut ſuæ incuriæ, aut Exarchi negligentiæ tribuere debebat, is in Gregorium Pontificem velut malorum authorem faſtidium omne perperàm conjecit. Vitio enim ſancto Antiſtiti Mauritius dabat, quòd ab hoſtibus pacem petere immodicis ſtudiis ſuaderet, quódque nimiâ credulitate, aut providentiâ minûs circumſpectâ negotia pertractaret (e). Gregorius non ignarus, quid contra ſe obtrectatores in aula garrirent, epiſtolam reddebat Cæſari, eum in modum perſcriptam, ut ſe æquè Auguſtæ dignitatis minimè oblitum, ac ſui ſupremi Sacerdotii non immemorem oſtenderet (f). Commonſtrabat autem ſe eo tempore in pacem inclinâſſe, quo ab Exarchis nulla ſpes auxilii fuerat, ac proinde tunc in animum induxiſſe, ad Reipublicæ bonum pertinere, ſiquidem pro Italiæ parte reliquarum Provinciarum incolumitas opportunâ pactione redimeretur: totam intereà Italiam gemere ſub jugo hoſtium; nutare Romam, & cives urbis ejuſdem complures ſervorum more vendi, ac proinde compingi in vincula illos, qui, cùm cuncta devoviſſent bona Cæſari, jam habeant neminem, qui pro recuperanda libertate obolum porrigat, aut vi, armíſque ſervitutem depellat (g). Exarchi quippe malitiam ejuſmodi eſſe, ut Longobardorum gladios dudum vicerit, jámque benigniores videantur hoſtes, qui Romanos interimunt, quàm Reipublicæ inimici, qui cives rapinis ſuis, atque fallaciis in cogitatione conſumunt. Atque ut porrò Pontifex doceret modum, quo malo imponi finis poſſet, Theodelindam ajebat eſſe Chriſtianam barbari Regis conjugem (h), hujus parato officio ac operâ ſe effecturum, ut, ſi Longobardis urbes paulò antè ab Exarcho doloſè ereptæ redderentur, paci integer locus ſit.

(d) Gregor. in Ezechiel. hom. 18. Idem l. 4. ep. 35. & 38.

A. 595.

(e) Gregor. l. 4. ep. 29.

(f) Gregor. l. 4. ep. 31.

Apologia Gregorii Pontificis ad Mauritium Imperatorem

(g) Gregor. l. 4 ep. 35. ad Sebaſt. Serinienſ. Ep.

Theodelinda Regina Longobardorum.

(h) Paulus Diac. l. 4. c. 6.

Pax à Gregorio quæritur, & ab Exarchis impeditur.

A. 596.

17. Consilia, quantumvis opportuna postquam surdâ aure ubique excipiebantur; Agilulfus in Calabriam movet, Crotoni ultimo Italiæ castello obsidionem intentaturus, tum Gregorius ad supremum Romanorum, & proximarum Insularum periculum trepidus, Secundinum ad Exarchum mittit, qui hominem nunc tandem novo ingruente discrimine emolliat, atque ad unum pactionis remedium inflectat (i). At durior Exarchi animus erat, aut negligentior, quàm ut à torpore semel concepto discederet. Humanâ igitur ope cùm pertinacia Exarchi expugnari haud posset, Deus eundem Romanum è vivis rapuit, qui præter nomen Romanæ nihil virtutis habuit, nisi fortè hoc in ejus laudibus reponere quis velit, quòd Romanam Rempublicam, quam suâ desidiâ & rapacitate oppresserat, meliori Callinico deinceps administrandam reliquerit. Hic, ubi ad extrema cuncta delabi vidit, monenti Gregorio promptiorem animum accommodabat (k). Pontifice itaque adnitente, Theodelinda Agilulfo subinde persuadebat, plus commodi à Longobardis obtentum iri (l), si pace, quàm si bello cum Romanis deinceps ageretur. Agilulfus hoc Conjugis sermone evictus, paci manum eâ lege dedit, ut possidentes sua retinerent: rogatus verò, ut solenni jurisjurandi formulâ firmaret fœdus, id aliâ ratione se facturum negabat, quàm si pacis conditiones nil comprehenderent, quo Longobardorum jura offenderentur. Anceps responsum fecit, ut Gregorius (m) dolum suspicatus, Callinicum hortaretur, ne providere Romæ, & in media pace cogitare bellum omitteret; sed unde copiæ, ac nova subsidia arcesserentur, difficilioris curæ erat, eo tempore, quo Chaganus Avarum Rex gravius Cæsari bellum moliebatur.

(i) Gregor. l. 5. ep. 29. ad Secundin. & ep. 30.

Mors Romani Exarchi.

A. 598.

(k) Gregor. in Ep. ad Januarium.

A. 599.

(l) Paulus Diaconus l. 4. c. 8. 9. 10.

Pax Romanos inter & Longobardos.

(m) Gregor. in epist. ad Theodor. Sigon. de Regno Italiæ l. 1. p. 25. 26.

18. Turbarum ejusmodi initia barbara Gens jam anno DLXXXVII. fecerat, cùm Thraciam depopulata, Cæsarem Persarum bello distentum minimè timeret (n); pace verò in Oriente compositâ, melior Thracibus, Illyriisque spes inde affulsit, quòd Mauritius simul Imperatoris ac Ducis officio functurus, revocatas à Perside copias ipse adversùs Chaganum duceret.

(n) Theophyl. l. 2. c. 10. 11. &c.

Mauritius copias ex Oriente in Thraciam reducit.

ret (*56). Ad terrorem Barbarorum Crucis vexillum ante exercitûs ordines in hastili aureo portabatur, & Imperator ponè secutus, itineris difficultates fortitudine ingenti, ac singulari in Superos pietate ita leniebat (o), ut militum quisque non se ad prælium, sed ad victoriam procedere existimaret. Alacritas tamen quæcunque cunctis subinde excidit, ubi Imperator à variis portentis exagitatus, adversæ sortis omina acceperat. Ad Septimium quippe urbem movens, unà cum exercitu vidit solem obscurâ ferrugine ita tegi, ut lumen penè omne mundo negaret, non minore terrore turbulenta ventorum rabies eodem tempore terram, ac mare ab imis veluti sedibus evertebat (p): inde Romphos progressus Cæsar, periculum multò gravius subiit; nam sus vastæ magnitudinis in Mauritium irruens, simul equo, cui Imperator insederat, vim intentabat (q). Equus impetu repentino territus, ut fugæ libertatem extorqueret, sessorem excutere luctatur: à fatali casu propè Princeps aberat, tum belluâ subitò evanescente, habenis rursus obedire equus, & sessor reddi vitæ cœpit. Terriculamentum postquam oculis excesserat, Imperator (ùt consuetudo Christiana in rebus inopinatis ac horribilibus fieri amat) signum crucis in fronte exprimens, iter continuat, támque inexspectatos eventus secum anxiè revolvit (*57). Intervallo quodam interjecto Selybriam tenuit (r); unde Perinthum navigio transire cupiens, naufragio proximus fuit: ùt enim altum ascendit, procellæ concitatæ atrocitas nautis clavum, remósque, ac iis, qui vehebantur, vitam ferè eripuit, post jactationem

A. 592.

(o) Theophylactus l. 5. c. 16.

Varia portenta sortis sinistræ prænuncia.

(p) Theophyl. l. c. p. 140.

(q) Idem p. 141.

(r) Idem l. 6. c. 1. p. 144.

(*56) THEOPHYLACTUS L. 5. c. 16.: *Copias Imperator quamprimùm in Europam transfert, & Anchialum advenire parat, quo Abares irruptionem denuò cogitare acceperat. Dum ergo Barbari exspectantur, apparatum bellicum adornat. Caterùm honoratiores de consilio magnoperè orant, utì expeditionem Duci committat: ipse per se in hostem ne eat. Cùm non flecterent, sacrorum Ordinum Princeps* (Patriarcha) *eundem obsecrat, ne Ducis officio fungi, sed eas partes alteri mandare velit. Sed cùm nec hujus preces velut cantu quodam iis delinitus reveretur, Augusta una cum liberis suppliciter instat, utì sententiam mutet. Verùm nec horum obtestatione quidquam commotus, è Regia egreditur, Parasangam unam & semis, usque in Septimum procedit. Eo die Sol penè totus est obscuratus.*

(*57) IDEM L. 5. c. 16. sub finem: *Imperator, ubi bellua evanuit, pro consuetudine Christiana in rebus inopinatis & horribilibus SIGNUM CRUCIS in fronte exprimit: iter continuat, támque inexspectatos eventus secum admiratur.*

tionem periculorum plenam ad Daonii littus tandem ejectus Cæsar, præter omnium opinionem incolumis evasit: cujus beneficii memor, cùm in templo S. Glyceriæ Eucharisticon persolvisset, ecce! novum monstrum mulier enititur: partus informis erat sine oculis & brachiis, ad coxendices agnatam piscis caudam ferens, quo viso, Imperator præcepit, ut occideretur (s). Die insequente Enatum (loci nomen est) pervenit exercitus, tum Regius Cæsaris equus, ac aureis ornamentis decorus rupto repentè ventre collabitur (t). Territis omnibus, velut fœdo omine incipiendæ rei, Constantinopoli submissi in castra Nuncii adsunt (u), qui ad transigenda cum Persarum Legatis negotia reditum Cæsaris urgeant. Mauritius infausta & peratrocia ex tot monstrosis portentis sibi præsagiens, ultrò relegebat iter. Constantinopoli vix ea, quæ ad Chosroën Persarum Regem pertinebant, absolverat; alii à Childeberto Francorum Rege Legati palatium Cæsaris accedunt: horum institutum erat, tributum pro societate cum Romanis ineunda, & pretium pro bello adversùs Chaganum gerendo ab Imperatore elicere; sed cùm tenacior rerum Mauritius, nec venale fœdus emere, nec Franci citra vectigal arma jungere cuperent, infectâ re discessum est (x). Chagano intereà vel pacta tributa, aut bellum urgente, Imperator aliunde militiæ suæ prospecturus, legem minimè æquam dedit, quâ cavebat, ne quis miles, siquidem annos stipendiorum necdum explevisset, sagum aut thoracem cum monastico habitu commutaret (*58). Deinde novas copias conscribens, Priscum Europæ

(s) Idem l. c.

(t) Theophyl. l. 6. c. 2. p. 145.

(u) Idem c. 3. p. 146.

Mauritius ab exercitu redit Constantinopolim

(x) Theophyl. l. 6. c. 3. p. 147.

Legatio Francorum ad Mauritium irrita.

A. 593.

(*58) Constitutio ferè una est MAURITII, quâ anno 592. prohibuit, ne Curiales sive publicis rationibus obnoxii in Clerum vel in Monasteria reciperentur, & ne milites ad monasticam admitterentur Professionem. Hæc lex etsi in Jure Græco non extet, missa tamen est ad Gregorium M. Pontificem, qui anno sequente Imperatori respondit, quia præcedente anno morbo impeditus erat: cæterùm ejusdem Constitutionis *primum Caput* laudat. *Alterum* mitigandum putat; *tertium* verò, quo milites à vita monastica arcebantur, prorsus improbavit. Habetur illa epistola Pontificis in *L. II. Registri Epistolarum* ordine 62., & data est Indictione XI., sive anno 593., quam nos alibi recitabimus. Hìc tamen adverte, quòd in epistola illa Gregorius numero plurali non tantùm Mauritium, sed & ejus filium Theodosium (qui anno 590. Augustus creatus fuerat) alloquatur. Aliam huic epistolæ Papa adjecit Theodosio Medico inscriptam, quâ rogabat hunc, ut suis manibus tutò & secretè literas Cæsari porrigeret: *Quanta bona omnipotentis Dei & Serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit*

Europæ Prætorem cum hac extemporali manu Barbaris occurrere jubet (y): copiæ Priſci tenuiores erant, quàm ut innumerabilem Avarum, Sclavorúmque multitudinem profligarent, itaque hoc ſaltem actum eſt, ut hoſtis tardiùs ſe in Thraciam liberè effunderet; aperto autem ſemel aditu, nulla urbs fuit, cui non minas aut vim Barbari afferrent. Priſcum jam neceſſitas ultima intra Zuruli mœnia compegerat (z); tum Imperator deſperatis rebus conſilium, quibus opem præſtare non poterat, laturus, literas ad Priſcum ſcribit, quarum argumentum non ſine dolo confictum, Romano Duci de toleranda obſidione ex eo injiciebat animum, quòd Cæſar jam claſſem in Barbarorum Patriam miſiſſet, quæ familias eorum invadat, & abductos in ſervitutem redigat. Clauſa epiſtola emiſſario de compoſito tradita per Avarum caſtra ferebatur, ut faciliùs intercipi, & legi à Chagano poſſet: nec votis eventus defuit. Utprimùm enim Tabellarius perſonatus in hoſtiles ſtationes inciderat; captus literas Imperatoris libens porrigit: ex his Chaganus in metum conjectus, è veſtigio in ſedes ſuas datâ pace remeare conſtituit (*59).

Priſcus

(y) Idem c. 4. p. 148.

Priſco belli adminiſtratio defertur.

(z) Idem c. 5. p. 150.

Zuruli à Chagano obſidetur, & Mauritii dolo liberatur.

ſufficit explere. Pro quibus bonis quid eſt meum retribuere, niſi eorum veſtigia premere? Peccatis autem meis facientibus (ex quorum ſuggeſtione vel conſilio, neſcio, an veſtro) tranſacto anno talem in Republica ſua legem protulit, ut, quiſquis eum purè amat, flere vehementer debeat. Ad quam legem tunc reſpondere non potui, quia ægrotus fui: modò autem eidem Domino aliqua ſuggeſſi. Præcepit enim, ut nullus, qui actionem publicam egit; nullus, qui officio & manu ſignatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monaſterio converti liceat, niſi fortè, ſi militia ejus fuerit expleta. Quam legem primùm (ſicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt) Julianus protulit, de quo ſcimus omnes, quantùm Deo adverſus fuerit. Quod ſi ideò Sereniſſimus Dominus noſter fecit, quia fortè multi milites convertebantur, & exercitus decreſcebat: nunquid per virtutem militum ſubjugavit ei omnipotens Deus Imperium Perſarum? Nunquid non ſolæ lachrymæ illius auditæ ſunt, & eo ordine, quem ipſe neſcivit, ejus Imperio Regnum Perſarum ſubdidit? Valdè autem mihi durum videtur, ut ab ejus ſervitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolùm militibus, ſed & Sacerdotibus conceſſit (quæ ultima verba Gregorii ne quis in perverſum ſenſum accipiat, lege Baronium ad an. 593. N. 15.) *Nunquid, ſi intentio eſt ſervandarum rerum, non poterant ea ipſa monaſteria, quæ milites ſuſcepiſſent, alienas res reddere, atque ad converſionem homines tantummodò habere? Hæc quia mihi valdè dolent, eidem Domino ſuggeſſi: ſed veſtra gloria opportuno tempore ſecretè ſuggeſtionem meam ei offerat* &c.

(*59) THEOPHYLACTUS L. 6. c. 5. p. 150. recitat Mauritii literas ad Priſcum: *Nefandorum Barbarorum conatus nihil penitùs pietatem noſtram conturbavit; quin contrà potiùs ad eos diſperdendos diligentiores reddidit. Sciat hoc tua gloria, Chaganum infeliciter*

Acta alia bellica Prisci. Priscus inde bellum contra Getas simulans, Istri obsidet littora, ne Avares pro licentia sua ad Thraciæ agros deinceps evastandos reverti valeant (a). (a) Idem c. 6. p. 151. Cladibus ibidem ultrò citróque datis & acceptis, Cæsar Prisco dat in mandatis, ut exercitum trans Istrum in hybernis habeat; A. 594. quod ut miles comperit, non parva per castra seditio prorupit (b). (b) Idem c. 10. p. 157. Hâc rursus compositâ, Mauritius fratrem suum Petrum Prisco substituit (c), *Petrus Mauritii frater Prisco surrogatur.* cujus deterior, ac Antecessoris, fortuna erat; nam cùm vulgaretur, ab eo Imperatoris afferri legem, quæ formam reddendæ militaris annonæ complexa id contra morem pristinum recenter præscriberet, ut trifariam in veste, in armis, ac auro stipendia solverentur (d); (c) Idem c. 11. p. 159. (d) Idem l. 7. c. 1. p. 166 tanta animorum commotio exorta est, ut palàm omnes ad quartam leucam à Duce & castris secederent. Motibus intestinis postquam Petrus tempestivo consilio medelam tulerat; ipse ægrotare, atque ad bellicos labores inutilis reddi cœpit. Vix enim Sclavos certamine uno fregerat; in densum nemus venationis causâ dilapsus, sinistrum pedem excelsæ arbori illisum comminuit (e): (e) Idem c. 2. p. 168. dolore inde intolerabili tabescens, & à Barbarorum cladibus accisus, in Priscum rursus exercitûs curam devolvere jussus est (f). *Priscus exauthorato Petro gradum, & Præfecturam recipit.* (f) Idem c. 5. p. 172. Ab eo tempore Chaganus civili inter suos bello per aliquot annos distinebatur, tum placatis domi rebus Istriam, ac extremas Italiæ partes (*60) invasit. Ex quibus regionibus ubi opimam prædam

feliciter cum dedecore, multis suorum desideratis in Provinciam sibi à Romanis definitam velit, nolit, reversurum. Quocirca Zuruli cum fortunatissimo exercitu tua gloria perseverabit, & execrabiles Abares circumvagari faciet, Classem enim, & Classiarios per mare misimus, qui familias eorum invadant, & captivos inducant, ut sic detestandus Abarum Dux è solo nostro in terras suas recedere compellatur.

(*60) PAULUS DIACONUS de reb. Longobard. L. 4. c. 38.: *Circa hæc tempora Rex Avarum, quem suâ linguâ Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est. Huic Gisulfus Forojulianus Dux cum Longobardis, quos habere poterat, audacter occurrit. Sed quamvis forti animositate contra immensam multitudinem bellum cum paucis gereret, undique tamen circumseptus, cum omnibus suis penè extinctus est. Uxor verò ejusdem Gisulfi, nomine Romilda, cum Longobardis, qui bello evaserant, intra murorum Forojuliani castri munivit septa.... Avares verò per omnes Forojulianorum fines discurrentes, omnia incendiis & rapinis vastantes, Forojulianum oppidum obsidione claudunt.... Horum Rex (id est, Cacanus) dum circa muros armatus, cum magno equitatu perambularet, ut, quâ ex parte urbem faciliùs expugnare posset, inquireret, hunc Romilda de muris prospiciens, cùm eum cerneret juvenili ætate florentem, meretrix nefaria concupivit, eique mox per nuncium mandavit,*

prædam legerat; in inferiorem Pannoniam reducto exercitu, Singidonem civibus ac mœnibus exuit (g). Priscus de vi Avarum utprimùm cognovit; in Mœsiam properat: venienti Chaganus exprobrabat, quod cùm Romani multis donis pacem nuper mercati sint, nunc præcipiti temeritate fœderis initi sacramentum violare non vereantur: Istrum, ejúsque confines oras ad Avares jure belli pertinere, in has qui furtivo pede irrepit, aut hostiliter suas copias infundit, illum non quietem publicam, sed arma Avarum petere, quorum causa utrùm melior sit, judicet Deus inter Chaganum & Imperatorem Mauritium, & is aliquando retribuat (h)! Priscus hunc in modum furenti Barbaro non minore animo reponebat, ut quid Singidonem toties ab Avaribus afflictam, nunc tandem citra datam injuriam mœnibus nudâsset? Cives inde pulsos ac exules adversùs insatiabilem avaritiam Chagani meritò à Romanis auxilium poposcisse, se autem Ducem in præsens colloquium venire, ut Regis cupidinem ad æquam mediocritatem revocet: quod nisi faxit, instabilem belli fortunam, quæ Avaribus hucusque favit, terriculamento deinceps Barbaris fore (i). Dictio invisa Chagani iram adeò accendit, ut urbis unius eversionem se plurium deinceps excidio cumulaturum minitaretur. At Priscus minis nequaquam infractus, Singidonensium

A. 598.

(g) Idem l. 7. c. 10.

Chagani contra Romanos oratio expostulatoria.

(h) Theophyl. l. 7. c. 10. p. 178.

Responsio Prisci Ducis Romani.

(i) Idem c. 11. p. 179.

ut, si se in matrimonium sumeret, ipsa eidem civitatem cum omnibus, qui aderant, traderet. Quod Rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo, quod mandaverat, se facturum promisit. Illa verò nihil morata, portas Forojuliensis castri aperuit, & ad suam, cunctorúmque, qui aderant, perniciem hostem introduxit. Ingressi verò Avares cum Rege suo Forumjulii, universa, quæ invenire poterant, rapinis diripiunt, ipsámque urbem flammis concremant:.... Longobardos, qui jam in virili ætate erant, gladio perimunt; mulieres verò & parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam verò, quæ totius malitiæ caput extitit, Rex Avarum propter jusjurandum, sicut ei spoponderat, nocte unâ quasi in matrimonio habuit;.... postmodùm quoque palàm in medio campo configi præcipiens, eandem in ejusdem acumine inseri mandavit, hæc insuper exprobrando inquiens, talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix Patriæ tali exitio periit, quæ ampliùs suæ libidini, quàm civium & consanguineorum saluti prospexit. Filiæ verò ejus non matris libidinem secutæ,.... ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cúmque eas vellent Avares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes, omnes Longobardas fœtidas esse. Hâc igitur arte Avarum libidinem puellæ nobiles evadentes, & ipsæ castæ servatæ sunt.... Quæ posteà per diversas regiones venumdatæ, juxta nobilitatem suam dignis sunt nuptiis potitæ. Nam una earum Alemannorum Regi; alia verò dicitur Bajoariorum Principi nupsisse.

ſium libertatem, ac mœnia reſtituit. Atque hæc cauſa erat, cur Avares poſteà aperto bello Romanos infeſtare aggreſſi ſint (k). Priſco adhuc ad Savum Singidoni reparandæ intento, Chaganus in inferiorem Mœſiam irrumpens, Tomoſiam obſidet (l): Dux Romanus, ut afflictæ urbi auxilio eſſet, magnis paſſibus hoſtem ſequitur, eóque tempore in agrum Tomoſiæ vicinum venit, quo Paſchæ ſolennitas à Chriſtianis celebranda proximè inſtabat. Feſtino itinere, tum etiam fame exhauſtus miles cùm nec vires ad arma tractanda, nec ad inediam depellendam annonam haberet; Chaganus (quod in hoſte mireris) quadraginta currus cibis probè refertos in Romanorum caſtra ſubmittit, ut non tantùm ad neceſſitatem, ſed & ad delicias in feſto Chriſtianis proprio ſe reficerent (m). Priſcus donis dona redditurus, Regi Avarum aromata Indica remiſit, quæ ubi Barbarus gratâ mentis ſignificatione acceperat, per Paſchæ ſolennes dies Avares inter & Romanos pacis quædam ſpecies fuit; induciis verò his peractis, uterque exercitus ad arma rediit (n).

(k) Idem c. 11. l. c.

Bellum Avarum recrudeſcit.

A. 599.

(l) Theophyl. l. 7. c. 13. p. 181.

Induciæ inter Avares & Romanos.

(m) Theophanes ad a. ſecundùm Alexandrin.

(n) Theophyl. l. 7. c. 13. p. 181.

19. Intereà Mauritius, cognitis iis, quæ in Thraciæ finibus agerentur, anceps animi hærebat, quò conſilia verteret; auxiliis quippe novis ſi exercitum Priſci firmandum curaret, timebat, ne milites victoriâ potiti pejùs deinceps Cæſari, ac anteà, inſultarent: ſin verò negaret ſuppetias; convitia, populíque tumultum ſubverebatur. Re multùm ſecum agitatâ, Commentiolo pedeſtrem auxiliarium manum in Mœſiam ducendam tradit (o): hic antequam Conſtantinopoli abiret, ab Imperatore in mandatis ſecretis tuliſſe fertur, ut exercitum Romanum hoſtibus proderet; ſperabat enim Mauritius, tum demum Gregarios ſupercilium poſituros, ſiquidem à Barbaris cæſi, vulneribus manſuefactos animos domum referrent. Commentiolus clàm ad dolos comparatus, ubi in Mœſiam ad Jatrum urbem uſque proceſſiſſet; Chaganus Romanis occurrens ſuos ad certamen poſtridiè futurum hortatur. Commentiolus contrà mandata Cæſaris exequi certus, mediâ nocte ſecretò nuncium ad Chaganum ablegat: deinde obiter & alia agenti ſimilis militem arma capere jubet. Romani, cùm de prælio ineundo nulla fieret mentio, exercitationis duntaxat causâ ſe arma capeſſere juſſos arbitrati, omiſsâ

Commentiolus Dux à Mauritio adversùs Chaganum mittitur.

(o) Idem c. 13. p. 182.

Commentioli doloſa proditio.

omissâ eâ, quâ ad sustinendum conflictum opus est, armaturâ, levibus tantisper tunicis corpora communiunt. Sub primum lucis exortum quando Barbarorum ordines adversùs se tendere conspexêre, in Ducem frementes, eum perfidiæ, ac quæsitæ cladis authorem palàm convitiantur. Tumultu igitur ingenti excitato, Barbarus altero lapide à Romanis constitit. Mora hostis militi locum, spatiúmque opportunum dedit, ut (quod malè neglectum fuerat) ferro sese quisque instrueret (p). Vix Romana acies Gregariorum potiùs, quàm Ducis studio aliquantùm composita fuerat; tum Commentiolus deditâ operâ perturbare rursus ordines & omnia confundere adnisus est. Nam præterquam, quòd è media phalange tota agmina in sinistrum cornu, nunc è sinistro in dexterum transferret, eos quoque, qui dexteram alam tenebant, occùltè monuit, ut vasis collectis repentè in fugam se ejicerent; quo novo ac inopino eventu, etsi reliquis copiis caderet animus; hosti tamen adversæ in vesperam stetêre. At insequente die postquam vulgabatur, Commentiolum etiam Ducem per tenebras se proripuisse; tum veluti deserti ipsi quoque deserere castra, & effusè tuta loca petere certabant. Chaganus cum Barbaris terga fugientium premens, aliunde magna agmina præmiserat, qui transitûs munimenta, sive angustas viarum fauces circumsiderent (q); hi in arctum iter redactos Romanos ita attrivêre, ut, qui incruenti prælio se subduxerant, in ipsa fuga acerbiorem cladem paterentur, partim capti, partim atrocissimè trucidati: Commentiolus per id tempus Drusiparum elapsus, parùm perfugii apud cives habuit; hi namque proditorem, ùt urbem subierat, contumeliis affectum, subinde ingenti lapidum imbre contusum mœnibus extruserunt (r). Commentiolo Drusiparensium civitate expulso, eandem urbem cum exercitu petiit Rex Avarum, qui, ubi cuncta crudeli direptione populatus fuerat, in S. Alexandri templum tandem, ejúsque Reliquias sacrilegè (*61), sed non impunè grassatus est; nam Deus

(p) Theophyl. l. 7. c. 14.

Commentiolus ex composito turbat ordines.

Romanorum cædes & fuga.

(q) Idem l. c. p. 183.

Commentiolus tanquam proditor Drusiparo ejicitur.

(r) Idem p. 183.

(*61) THEOPHANES ad annum Incarn. Dom. 592. p. 235.: *Tum verò Barbari Drizipera profecti, civitate direptioni traditâ, in S. Alexandri templum incendio grassati sunt; cúmque sepulcbri thecam argento ornatam reperissent, illusis priùs Martyris reli-*

Barbarorum impietas in reliquias S. Alexandri Martyris à Deo pestilentiâ punitur.

Deus injurias S. Martyri illatas ulturus, morbum pestilentem in Barbaros immisit, qui uno die (febri ex bubonibus ortâ) septem Chagani liberos cum innumera Avarum multitudine extinxit (s). Quo tempore Chaganus victoriarum finem, & fati sui initium multas inter lachrymas complorabat; Commentiolus Constantinopolim adventu suo, & tristissimarum rerum nuncio adeò exterruit, ut de citimis Propontidis partibus deserendis, ac de domiciliis in Asiam transferendis cives cogitarent (t): Imperator excubitorum satellitio stipatus, armatorum cogebat globum, qui, utì populi factiones urbem, sic illi longum murum defenderent. Senatus verò adhuc ignarus eorum, quæ Chagano ex ira cælesti acciderant, multis precibus rogabat Cæsarem, ut Drusiparum ad Regem Avarum missâ legatione oraret pacem. Mauritius à votis suorum minimè alienus, Hartamonem virum eloquio potentem cum muneribus ad Chaganum dirigit. Decem dies fluxêre, dum Barbarus dolore ac funere suorum liberorum adhuc amens, Legatum admitteret; subacto aliquantùm dolore, ubi coràm introductum Hartamonem Rex audierat; Dei æquissimum judicium interpellans, Mauritium ruptæ pacis, omniúmque cladium, quæ Avares, Romanósque afflixissent, temerarium authorem accusabat (u). Muneribus Legati subinde placatus, in ea pacis capita convenit, ut præter annuum tributum Avaribus pendi solitum alia vicena aureorum millia deinceps adderentur, in quibus solvendis quoad fidem præstiterit Cæsar; Ister Avarum, Romanorúmque fines dirimeret (x). Pactione ejusmodi postquam Provinciarum tranquillitati cautum fuerat, Hartamon postremùm de captivorum (quorum duodecim millia anceps belli fortuna in Avarum manus, ac vincula conjecerat) libertate agere cœpit: Neque Chaganus hoc quoque postulatum abnuebat, dummodò in singula capita nummus unus persolveretur (y). Mauritio in eam pecuniæ summam haudquaquam consentiente, Rex Avarum dimidium nummum, & tandem quatuor

(s) Theophylactus l. 7. c. 15.

(t) Idem l. c. p. 184.

Constantinopolis ob adventum hostis trepidat.

Legati ad Chaganum mittuntur.

(u) Theophanes

Pax inter Romanos & Avares.

(x) Theophyl. l. 7. c. 15. p. 184.

(y) Theophanes ad a. 592. p. 225.

Mauritius vilissimo lytro redimere captivos detrectat.

reliquiis, ornamentum omne sacrilegè spoliavêre: inde coactâ per totam Thraciam prædâ, collectisque captivis, ipsi multitudine armis, ordine, necessariis benè instructâ in Romanos insultabant. Similia habet THEOPHYLACTUS L. 6. c. 5.

quatuor Ceratia (*62) viliſſimum pro cujuſque captivi capite redimendo pretium conſtituit; ſed cùm Imperator avaritiæ ſuæ vitam hominum poſthabendam duceret, Chaganus ſordidam Mauritii tenacitatem mulctaturus, captivos omnes ad unum interfecit (*63). Carnificina crudeliſſima maximum cunctorum odium in Cæſarem provocavit; quod ſubinde magìs invaleſcebat, poſtquam ſuſpicio militibus injecta eſt, eundem Imperatorem, qui commilitonum diræ lanienæ dediſſet cauſam, totum exercitum anteà Barbarorum ferro concidendum tradere voluiſſe (z). Ibant ad Mauritium exercitûs nomine Legati quidam, qui apud Cæſarem Commentiolo diem dicerent, séque ab eodem in prælio proditos quererentur. Adfuit inter Legatos præcipuus Phocas, qui ſeu dolore, ſeu indignatione concitatior, ubi audiente etiam Senatu in probra ac ſannas prorumperet (a), pugnis os inſolens contundi, & barbam convitianti evelli Imperator juſſit; cujus acceptæ injuriæ Phocas poſteà benè memor atrociſſimam ultionem à Cæſare, atque à tota ejuſdem ſtirpe exegit (b).

Captivi à Chagano trucidantur.

(z) Theophyl. l. 8. c. 1.

Commentiolus apud Cæſarem proditionis poſtulatur.

(a) Theophan. p. 236.

Phocas à Cæſare injurioſè habitus.

(b) Idem ad an. Inc. Dom. ſec. Alex. 594. p. 243. & 244. A. 600.

20. Cæterùm rejectâ delatione, Imperator Commentiolum velut ſceleris purum (c) ad Iſtrum rurſus cum copiis mittit: Priſcus, qui tunc contra Chaganum belli ſummam gerebat, ægerrimè tulit, quòd expeditionis ſocium habere eum cogeretur, quem offenſus miles dudum perditum maluiſſet. Neque con-

(c) Theophanes ad an. 592. ſec. Alex. p. 226. Theophyl. l. 8. c. 1.

(*62) DUCANGIUS in Diſſert. de infer. ævi Numiſm. N. LXXXIX.: *Ceratium* conſtat duodecim follibus æreis, ùt eſt in Legibus Georgicis Tit. 2. §. 1., & apud Cedrenum anno XXIV. Leonis Iſauri. Duo prætereà Ceratia Miliarenſem confeciſſe, atque inde *δικέρατον* dici Scriptoribus, mox innuimus. Quod firmat idem Cedrenus an. XVIII. Mauritii, qui quatuor Ceratia duos Miliarenſes confeciſſe ſcribit; Miliarenſes verò duodecim conficiebant ſolidum.

(*63) THEOPHYLACTUS *libris octo hiſtoriam Mauritii* accuratiſſimè perſcripſit, ex quibus Theophanes, Paulus Diaconus in Miſcella, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, Calliſtus narrationes ſuas de Mauritio derivârunt. Theophanes tamen ad annum Incarn. Dom. ſecundùm Alexandrin. 592., & poſt eum Nicephorus L. 18. c. 38. quædam addiderunt, quæ THEOPHYLACTUS ſtudio quodam, aut aliâ ex cauſâ, quam indagare non licet, omiſit, nimirum crudelitatem Mauritii in captivorum duodecim millia, quos Imperator idem viliſſimo pretio redimere potuiſſet; item ſuſpicionem Tyrannidis, quam de Philippico ſororis marito malè conceperat: demum Chriſti judicium, in quo Mauritius Phocæ cum uxore & liberis tradendus decernebatur. Vide Præfationem ad Hiſtoriam Theophylacti Simocattæ ab Interprete factam.

Commentiolus à Cæsare exercitui rursus præficitur.

(d) Theophyl. l. 8. c. 2. p. 198.

Romanorum sub Duce Prisco victoriæ.

(e) Idem c. 3. p 200.

(f) Idem c. 3. p. 201.

(g) Idem c. 4. p. 201.

Theodosius Mauritii filius Germani filiam ducit.

(h) Idem c. 4. p. 202.

Tumultus in Imperatorem ob caritatem rei frumentariæ.

(i) Theophylact. l. 8. c. 4. p. 202.

conscientia factorum Commentiolo permisit, ut suos in prælium antecederet; itaque morbum simulans Viminacii in Insula constitit (d). Priscus, utprimùm suo solius imperio rem, fortunámque belli agitari vidit, trajecto Istro hostes aggressus, quatuor præliis viginti Barbarorum millia unà cum Chagani liberis partim ferro sustulit, partim in undarum vortices demersit (e). In quintum demum certamen â Chagano provocatus, captis quinque millibus Sclavorum, maximam partem internecione delevit (f). Chaganus hâc plagâ satìs accisus, ad infestandum Imperium non facilè convaluisset, nisi Mauritius improvidè Barbaro captivos ultrò reddidisset (g). Compositis foris & magis secundis Illyrici rebus, Imperator ad domestica negotia animum applicuit: Theodosium itaque filium, cui quinque annis nato Imperii coronam jam dederat (*64), ubi decimum quartum ætatis agebat annum, Germani nobilissimi Senatoris filiæ legitimo connubio conjunxit (h). Nuptialem hanc lætitiam luctu plenus tumultus contaminavit; nam plebs ob annonæ gravitatem cum fame pessimè conflictata, urbem questibus primò, dein etiam seditione turbabat, quâ paulò pòst invalescente adeò multorum audacia firmata est, ut Cæsarem natale Domini festum in templo palàm celebrantem maledictis lacerarent, ac lapidibus etiam insectarentur: quò minùs procellæ sævienti Imperator succumberet, affluentes subitò militum globi distria sive clavos ferreos jactabant, quibus dum grassantium impetum à Mauritio cohibebant, Germanus Theodosium chlamyde suâ protectum per Hilaras (locus est urbis) incolumem è templo deduxit (i).

21. Im-

(*64) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI: *Hoc anno* (nimirum sexto post Consulatum Mauritii, & anno 590.) *festis paschalibus Mauritius Tiberius inauguravit filium suum Theodosium Imperatorem, sed non in societatem administrationis, nec aliud quid sub ipso gestum, quod in cognitionem Imperatoris esset, sed tantùm coronatus est.* Et THEOPHANES ad annum Incarn. Dom. secundùm Alexandrin. DLXXXII., qui Kalendis Septembris superioris anni 589. inchoatur, ait.: *Hoc anno mensis Martii die sexto supra vigesimum, Indictione octavâ, Theodosius Mauritii Imp. supremi filius, die Paschali sancto, à Joanne Patriarcha, quatuor solis annis cum medio natus coronam Imperii accepit.* Quare (ùt notat Pagius) Theodosius natus est anno 585. circa finem mensis Septembris, & non anno 588., quod perperàm BARONIUS statuit ad prædictum annum N. 6.

21. Imperator, poſtquam ope militari plebis furorem declinaverat; in novi periculi metum incidit: nam cùm ex vaticinio quodam acceperat, ſibi ab initialibus literis *Ph.* inſtare fatum (k); in omnem partem animum anxiè verſans, ſuſpicari cœpit, Philippicum ſororis ſuæ maritum eſſe, qui propinquus propinquo exitium machinetur: & quamvis Philippicus interpoſitâ jurisjurandi religione integram ſuam teſtaretur fidem, adeò tamen falſam opinionem Mauritio non exemit, ut potiùs ab aula pulſus, exiſtimati facinoris pœnam exſpectare cogeretur. Proſcripto Philippico, nova portenta atque omina mentem Cæſaris exagitavêre (*65); quare offenſa, quâ captivorum vitam crudelitati Chagani objecerat, in animum rediit, ac inde divinam iram ſe accendiſſe ratus, omnium rogavit preces, quibus illud maximè impetratum irent, ut, ſiquidem vindex Numinis manus à ſe ſupplicium exigeret, id in hac potiùs vita, quàm futurâ ſubiret (l). Precibus apud mitigatum Numen locum fuiſſe inde Imperator intellexit, quòd per ſomni imaginem ad Chriſti tribunal pertractus, Judicis vocem audire videretur, quâ Mauritio fiebat optio, utrùm temporaneâ, an æternâ pœnâ maculam, flagi-

A. 601.

(k) Cedrenus.

Philippicus in Tyrannidis ſuſpicionem perperàm adducitur.

(l) Theophan. p. 239.

Mauritius in hac potiùs vita, quàm in altera pœnas ſolvere cupit.

(65) THEOPHANES ad annum Incarn. Dom. ſecundùm Alexandrin. DXC.: *Cæterùm ad Nilum Ægypti fluvium cùm Menas Præfectus unà cum exercitu ad locum, qui Delta vocatur, iter faceret; Sole oriente, viſa ſunt in flumine animalia ſpecie humanâ, vir & fœmina. Vir erat benè compoſitus, pectore amplo, terribilis aſpectu, fulvo crine, cui tamen inerant cani, & uſque ad lumbos nudus naturam exhibebat ſpectandam, & nullâ re tectus, cunctorum oculis manifeſtus erat; cæteras verò corporis partes aqua obtegebat. Hunc Præfectus adjuravit, ne priùs à conſpectu diſcederet, quàm omnes ſe raro adeò exſaturâſſent ſpectaculo. Mulier & mammas habebat, & faciem levem, prolixósque crines. Ad horam itaque nonam univerſus exercitus animalia cum admiratione ſpectavit; horâ verò nonâ fluvium ſubiêre. Quod demum Menas Imperatori ſcriptis enarravit.* IDEM ad an. DXCIII. ſecund. Alexand.: *Eodem anno* (ſive juxta nos anno 600.) *vir quidam Monachorum habitu indutus, & continuis religioſæ vitæ exercitationibus inſignis, à foro ad Chalcen uſque nudatum gladium manu intentans, morte gladio inferendâ Imperatorem ex hominibus exceſſurum prænunciavit.* THEOPHYLACTUS L. 8. c. 6.: *Petrus ab iis* (ſive ab exercitu) *viginti leucis abſens indignatur;.... tertio die Gundui narrat, per quietem viſam ſibi epiſtolam mitti cum hac inſcriptione ad verbum: (Dominus noſter JEſus Chriſtus verus Deus divinâ gratiâ, qui Eccleſiis præſidet, & quæ deſunt, ſupplet ad omnium utilitatem, in præſens hunc novæ (Romæ) Dominum præficit.) Hærebat igitur incertus, & triſtabatur, & angebatur, & cruciabatur, perturbatus undique, quiſnam hujus viſi per ſomnium futurus eſſet exitus.*

flagitiúmque eluere mallet (*66)? At Principe, quod in ipsius votis erat, brevem corporis potiùs, quàm animæ perpetuum cruciatum eligente; Phocæ Duci, quidquid porrò ultionis erat, relictum est. Excitus à somno Mauritius errore, quo in Philippici innocentiam injuriosus fuerat, deposito (*67), tempus fatale opperiebatur, quo Phocas (divinæ justitiæ instrumentum) necem Cæsari, ejúsque stirpi esset paraturus,

A. 602. 22. Neque diu illud abfuit; nam recrudescente ad fines Thraciæ Avarum bello, periculosior in Cæsareo exercitu seditio coorta est, quæ Principi, ejúsque liberis Regnum, vitámque ademit.

(*66) THEOPHANES p. 239.: *Mauritius porrò continuis precibus Deum interpellans, ut erga animam clementem eum experiatur; quâdam nocte somno sopitus, per visum imaginatus est, se astare coram imagine Servatoris, quæ ad Portam æream, & turbam maximam circa se collectam; vocem verò ex magni Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi effigie prodeuntem, audiri: Producite Mauritium: mox Porphyreticum Umbilicum ibidem positum stetisse. Tum ad eum divina vox: Ubi vis (inquit) tibi pro operibus retribui? Num hìc, vel in futuro sæculo? His auditis, respondet: Humanissime Domine, Judex æquissime! hìc certè potiùs, quàm in futuro sæculo. Illa itaque divina vox Mauritium, & ejus uxorem, liberos, & omnem ejus prosapiam Phocæ militi tradi jussit.* IDEM p. 240.: *Eâ nocte astrum, cui nomen Cometes, in cælo visum est sequenti porrò luce, Magistrianus ad sanctos Eremi Patres delegatus, responsum istiusmodi ab eis ferens, rediit: Pœnitentiam tuam* (Mauriti!) *Deus approbat, & anima tua à damnationis pœnâ servata, cum omni familia tua in Sanctorum album te adscribit: Imperii verò dignitate cum dedecore & vitæ periculo excides. His auditis, Mauritius totis viribus laudes Deo retulit.*

(*67) THEOPHANES ad an. DXCIV. secundùm Alexandrin.: *Excitus à somno Mauritius vocatum ad se Accubitorem, Philippicum generum quantocyùs accersendum imperat. Profectus Accubitor virum vocat. Ille somno excusso, conjugem etiam excitat, & salutem osculo precatus: Vale, inquit, Conjux, nunc ultimò me vides. Illa magni ejulatûs voce ad Accubitorem exclamans: Obtestor te, ait, per Deum, quidnam rei est, quòd virum hâc horâ quærit Imperator? Affirmat ille jurejurando se nescium: tantùm derepentè à somno liber Imperator exsurrexit, & me huc misit. Philippicus Eucharistiæ recipiendæ facultate petitâ, eâ instructus ad Imperatorem pergit. Uxor autem ejus Gordila querula, plorans, & divini Numinis opem suis precibus advocans, in humum projecta jacebat. Philippicus Imperatoris cubiculum ingressus, ad ejus pedes provolvitur. Ad quem Imperator: Per Deum immortalem (inquit) ignosce, quod in te peccavi. Ad hanc siquidem horam te suspectum & invisum habui. Et Accubitore secedere jusso, exurgens è lecto ad Philippici pedes procidens, ignosce mihi, subjunxit: Te namque nihil in me peccâsse, certus sum. Verùm si quempiam inter legiones nostras Phocam nomine noveris, edissere. Tum Philippicus secum aliquamdiu cogitans, unum (inquit) ejusmodi nominis novi, qui nuper Missi munere apud te ab exercitu fungens, Imperio tuo verbis audacioribus se opponebat. Rogat Imperator: Cujus indolis est & naturæ? Subinfert Philippicus: Junior est adhuc, temerarius, & timidus. Ait Mauritius: Si timidus, cædium amans est & sanguinis: suíque insomnii enarrationem ad Philippicum instituit.*

ademit. Mauritius nimirum post exactam sexcentesimi secundi anni æstatem Petro fratri, quem superiore anno Prætorem Europæ, ac supremum copiarum Ducem creaverat, id maximè injungebat, ut ad reprimendas à Thracia Sclavorum populationes trans Istrum in hostili solo hyberna figeret (m). Durius nihil, neque acerbius quidquam militi imperari poterat; præterquam enim, quòd ex hostico prædam vix ullam speraret, tum adversus innumerabiles barbarorum equitum turmas, pedestribus ac tenuioribus Romanorum copiis difficilior, & continua pugna imminebat. Hæc itaque cùm tumultuantium more Petro oggererent; iste Cæsaris mandatum causatus, ne in seditionis, quæ jam serpebat, æstum tandem incideret, ab exercitu viginti leucis discessit. Ducis seu fuga, seu indignatio Præfectorum curas stimulavit, ut pertinaciâ multorum infractâ, cunctis trajectum Istri persuaderent: pudore aliquo subactus miles segniter arma capit, segniter è castris egreditur, & longo agmine, nec continenti mœstus ad ripas fluminis procedit. Illinc jungendis navibus vix dederat operam, tum ingentibus procellis fusus imber languentium quoscunque conatus ita elisit, ut è vestigio cum Phoca alios septem viros ad Petrum mitterent, qui omnium nomine id rogarent, ut sibi domum in hyberna redire fas sit; confectum dicerent multis præliis peditem, qui pro viribus reficiendis tecto indigeat, nec roboris quidquam, nec sanguinis superesse; majorem multitudinem hostium trans Istrum apparere, quàm in Thracia fuerit (n). Utprimùm Petrus de novis motibus cognovit, Cæsarem interpellabat literis, ut mutato tempestivè consilio mitiora concitato militi jussa impertiri velit; dein subdebat, fervere tumultibus castra, ídque omnibus propositum esse, ferro, si necesse est, per virtutem aliquando pro Imperii salute, quàm fame & frigore in barbaris terris per ignominiam mori: Adhæc Imperator nihil mollior, frequentibus literis monebat Petrum, ne furentibus cederet, quin cunctantes propositis pœnis ad transitum fluminis impelleret; ita enim fore sperabat, ut alimentis ex hostico in militem comparatis, ipse è Prytaneo annonam præbere haud cogeretur (o). Petrus ad literarum ejusmodi argumentum non parùm ingemuit, & sinistra omnia ominatus,

Seditio militum, & causa ejusdem.

(m) Theophan. p. 40. Theophylact. l. 8. c. 6. p. 204.

Seditio aliquantùm componitur.

Rebellio militaris recrudescit.

(n) Theophylact. l. 8. c. 6. & 7. Theophan. ad an. 594. secund. Alex. p. 240.

Mauritii avaritia.

(o) Theophylact. l. 8. c. 6. sub fin.

natus,

natus, Legatis accerſitis pauca (nam plura dolore confuſa mens loqui non ſinebat) ſignificat, & ſe poſtridiè ad eos venturum pollicetur. Noctem totam ubi inter ſuſpiria, & non dubios metus exegerat; in caſtra profectus, omnibus Centurionibus

(p) Idem c. 7.

Petrus ultima mandata Cæſaris militibus exponit.

congregatis, quid Princeps jubeat, exponit (p). Illis difficultatem parendi oſtendentibus, Petrus contrà obtemperandi neceſſitatem graviorem commonſtrabat. Atrox inde irarum procella in exercitum incubuit: periculo ſe ſubducunt Primores, & ad Ducem palantes ſe conferunt. Quamobrem agmina in unum collecta Phocam Centurionem Exarchum creant, ac clypeo ſublatum fauſtis gratulationibus proſequuntur (q). His auditis, Petrus fugâ effuſâ Conſtantinopolim elapſus, ea, quæ acciderant, Mauritio renunciat. Imperator, etſi anxiè ad monſtra rerum trepidaret, ſuppreſſo tamen timore nihil à Circo, nihil à ludorum equeſtrium, qui tunc agebantur, ſpectaculis abſtinendum duxit (r). Firmitudinem animi cùm hâc ratione ſimularet; Phocas Regiæ urbi propinquabat: cujus ferociam placaturus Princeps, venienti in occurſum Legatos mittit. At Tyrannus novis honoribus inſaniens, altiore ſupercilio deſpectos abegit (s).

(q) Idem p. 205.

Phocas ab exercitu Imperator ſalutatur.

Mauritius metum diſſimulat.

(r) Idem l. c.

Phocas Mauritii Legatos deſpicit.

(s) Theophyl. l. 8. c. 8

Unum igitur adhuc Cæſari præſidium erat in paucis civibus, quos urbis ac Regni ſalus in arma vocaverat (*68). Inter hæc ab exercitu nuncius adeſt, qui ſcriptâ epiſtolâ Theodoſium Mauritii filium, aut (ſi is cunctaretur) Germanum Theodoſii ſocerum, ad captanda Principatûs inſignia invitaret (t). Germano literæ illæ magnam apud Cæſarem invidiam, ſuſpicionémque tyrannidis concitavêre: jámque Mauritius funeſtum ſupplicium in eundem conceperat; niſi à Theodoſio Germanus admonitus, ad

(t) Idem l. c. p. 207.

Germanus Cæſari de tyrannide invadenda ſuſpectus.

(*68) THEOPHYLACTUS L. 8. c. 7.: *Populum* (Mauritius) *voce Præconum in Circo monet, ne quid ipſe ex temeraria militum ſeditione turbetur. Qui igitur Venetæ factionis erant; ita ad verbum Imperatori accinebant. (Deus, Imperator! cujus juſſu imperas, omnes Imperio tuo adverſantes tibi ſubjiciat. Quodſi Romanus eſt, illi benefac, & improbum in poteſtatem tuam rediges citra ſanguinem.) Die quarto Tribunis (quos populi Adminiſtratores vulgus nominare ſolitum eſt) ad ſe in palatium accitis, Sergio (inquam) & Coſma, popularium numerum ſubtiliter exquirit. Sergius in Charta numerum Praſinorum exaratum tradit mille quingentos; Coſmas contrariæ factionis nongentos,* Similia habet THEOPHANES ad an. DXCIV. ſecund. Alex. p. 241.

ad Eccleſiæ aras immunitatem (*69), & ſalutem quæſiviſſet. Imperator, quoniam obſiſtente populo Germanum à templi complexu avellere non poterat; in Theodoſium filium, velut paterni conſilii proditorem, rabiem effundens, eundem fuſtibus, virgíſque cædi juſſit (u). Quod quidem indigniſſimum facinus adeò omnium in Mauritium amorem, fidémque extinxit, ut nullus eſſet, qui excubare pro mœnibus, aut arcere hoſtem ab urbe vellet; quin jactis in Imperatorem conviciis omnes Phocam præ Mauritio adoptaverunt (x). Mauritius proinde ab omnibus deſertus, depoſitâ purpurâ navi ſe cum ſuis injiciens, ſub conticinium noctis ad ædem Martyris Autonomi (qui locus Conſtantinopoli circiter centum & quinquaginta ſtadiis abeſt) ægrè evaſit (*70); ultra perrecturo morbus articularis, ne Cæſar

(u) Theophan. p. 242.

Populus Conſtantinopolitanus Mauritium deſerit.

(x) Theophyl. l. 8. c. 9. p. 208.

Mauritius cum ſuis fugit.

(*69) THEOPHYLACTUS L. 8. c. 8. p. 207.: *Mauritius die ſequenti benè manè Germanum in palatium accerſit, & multis cum lacbrymis ipſum horum malorum caput & cauſam aſſerit. Hujus ſuſpicionis duo erant argumenta: quòd exercitus eum per literas ad imperium capeſſendum invitârat: & quòd tyranni copiæ, cùm quidquid equorum ante urbem paſceret, abegiſſent, ejus duntaxat equis pepercerant. Cùm pro ſe Germanus abundè reſpondiſſet, nec tamen Imperator dolorem lenire potuiſſet, ad extremum adjeciſſe Mauritium ajunt: Parce, Germane! plura loqui: nibil jucundius, quàm per gladium emori. Poſt bæc ſecretò (ùt Romani appellant) egreditur. Quoniam autem Theodoſius irato Patri aderat, ſoceri in diſcrimen dati miſericordiâ captus, paulùm de loco ſecutus, exeunti in aurem inſuſurrat, fugeret bunc virum (Imperatorem) ni occidi vellet. Germanus viâ publicâ domum ſuam concedit. Veſperi coactis ſatellitibus ſuis ſacrum Deiparæ templum petit.... Diei crepuſculo cognoſcit Mauritius Germanum, cornua altaris apprebendiſſe. Quare Stepbanum Eunucbum, eum convenire, & perſuaſum è ſacris ſeptis educere jubet. Comites Germani videntes, quid Eunucbus conaretur, reſiſtunt, ipsúmque convitiis turpiſſimis opertum templo expellunt. Noctu Germanus ſe ſubducit, & ampliſſimum urbis templum à Juſtiniano.... ædificatum porrò tranſit.* IDEM c. 9.: *Imperator complures de excubitoribus ſuis ad eum educendum mittit. Unde civitatem ira pervadit* &c.

(*70) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI ad annum Mauritii XX.: *Sexto Julii quintæ Indictionis, Edicto propoſito ſcriptum eſt reliquâ parte anni uſque ad Januarium, nempe: ſextâ Indictione. Ita & ſecundo Conſulatu ejusdem Religioſiſſimi Principis noſtri Novembri menſe ejusdem Indictionis, Phocas cum exercitu contra Mauritium ſeditionem movit: & Mauritius Tiberius cum uxore Conſtantina & novem liberis, ſex maribus, nempe Theodoſio, Tiberio, Petro, Paulo, Juſtino, & Juſtiniano, & tribus virginibus, Anaſtaſiâ, Theoctiſte, & Cleopatrâ XXII. menſis Dii, qui Romanis eſt November, noctu illuceſcente jam XXIII. die, qui fuit feria ſexta, fugit; Phocas autem XXIII. ejusdem menſis, feriâ ſextâ à Cyriaco Patriarcba Conſtantinopolitano in æde veneranda S. Joannis, quæ eſt in Hebdomo, inauguratus, XXV. die dicti menſis die Dominico ab Hebdomo per Auream & Troadeſias porticus, mediámque urbem totam, uſque*

(y) Theophan. p. 242.

(z) Theophyl. p. 209.

(a) Theophyl. p. 209.

Phocæ Imperatoris inauguratio.

longiùs iret, moram injecit (y). Rebus hunc in modum desperatis, quo sibi Imperator consuleret, Theodosium filium ad Persas ablegat, repetiturum à Chosroë pares beneficii vices, quas Mauritius eidem Regi à suis expulso paulò antè impenderat (z). Per idem tempus Germanus in urbe vacuum jam ambiebat Imperium, sed votis Prasinorum factio obsistebat (a), qui palàm Phocam faustis salutationibus excipientes, ei, ut ad Hebdomum accederet, suadebant. Illinc convocatis Primoribus, Cyriacus Patriarcha sponsionem à Tyranno exegit, quâ se orthodoxam fidem retenturum, Ecclesiámque à turbis immunem conservaturum promitteret; quâ factâ ex omnium sententia Phocas Imperatoris nomen, & Principatûs subinde insignia in templo S. Joannis Baptistæ suscepit (b). Quinto inde die Leontia Phocæ uxor coronata est; cujus inauguratio novis turbis occasionem dedit. Nam cùm Prasini & Veneti de stationum locis inter se dissiderent, & Alexander à Phoca ad componendos motus submissus, Prasinorum partes Venetæ factioni etiam vi illatâ anteponere conaretur; Venetorum Tribunus injuriâ offensus exclamabat: Discede, disce modestè agere: nondum Mauritius periit (c)! Voces ejusmodi incautiùs prolatæ subitò Tyranni animum ad Augustæ stirpis exterminium impulerunt: Lilium quippe cum militum manu in portum Eutropii Chalcedoni vicinum properare imperat, ac Cæsari, ejúsque liberis confestim afferre necem (d). In designatum cædi locum ubi satellites pervenerant; primò Mauritium, dein filios (*71) è latebris rapiunt: in hos tamen antè expeditas sicas implacabili manu immergunt, ut Pater suorum cædi-

(b) Theophan. p. 243. Theophyl. l. 8. c. 10.

Leontia uxor Phocæ coronatur.

(c) Theophyl. p. 211.

Phocas stirpem Mauritii omninò exscindere parat.

(d) Idem l. 8. c. 11.

Mauritius unà cum filiis quinque interficitur.

---

ad palatium, nemine resistente, sed cunctis applaudentibus curru vectus, Constantinopolim ingressus est. Pagius hìc ad annum 602. N. 7. advertit verba priora (*sexto Julii*) corrupta esse, quia mense Julio adhuc currebat Indictio quinta, præterea emendari quoque debere contendit illud, dum scribitur *secundo Consulatu*, quia secundum Consulatum Mauritius nunquam gessit; unde sub anni initium Auctor Chronici hos ponit characteres: *Indict. V. Mauritii XX., post ejusd. Consul. XVIII.*

(*71) IDEM L. c.: *Comprehensus verò Mauritius Tiberius cum uxore & octo liberis in æde S. Autonomi juxta Prænetum, & XXVII. die ejusdem mensis feriâ tertiâ occiditur ad Chalcedonem ipse Mauritius Tiberius, ac Petrus, Justinus, & Justinianus & Petr*

cædibus ſuperſtes non unâ morte periret. Itaque quoties carnifex in cujuſvis ſobolis pectus, aut jugulum ferrum tranſigebat; toties Mauritius truculentiſſimæ lanienæ triſtis ſpectator, paterna viſcera fatali vulnere confodi ſentiebat; quos tamen prævios mentis cruciatûs memoriâ peccatorum, & ſpe mitioris in altera vita pœnæ leniebat, in hæc verba identidem prolocutus: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum* (e)! Quartus filius jam victima ceciderat; tum Imperator ſe ipſo excelſior, Patrem ferè exuiſſe viſus eſt, ut benè Chriſtianus videretur. Nam cùm nutrix unum de filiis ſuffurata, ſuum adhuc lactentem pro eo jugulandum ſubjeciſſet; negavit Mauritius hunc ferro immolandum: quin ſi ex ſe Patre oriundum eſſe, ſcelus ſit, alium latere, qui hoc mortis genus mereatur (f). Hoc demum mactato, Mauritius (g) poſtremùm enſi caput ſubjecit, dum vigeſimum primum Regni annum ageret (*72); Princeps meliore ſorte dignus, niſi temporaneâ æternam pœnam eluere maluiſſet. Occiſorum corpora, velut flebile ludibrium, fluctibus marinis objecta ſunt: licebátque videre recèns neci data, nunc ad littus quaſi datâ operâ appelli: nunc reciproco fluctu reſorpta in mare abripi; in quo proinde theatro humanæ viciſſitudinis caſus ſpectabantur à plebe, quæ in Chalcedonis ripas effuſa tandem dolebat, quid populari inſaniâ effeciſſet (h).

(e) Theophyl. l. 8. c. 11. p. 211. Theophan. p. 243.

(f) Theophylact. l. c. p. 212.

(g) Theophan. p. 244.

Occiſorum corpora in mare ejiciuntur.

(h) Theophyl. l. 8. c. 12

23. Lilius mandatum crudele Tyranni executus, ad Phocam peremptorum capita continuò apportat: quæ ubi jubente Phoca, in haſtilibus ad militum, civiúmque ſpectaculum per plures

Capita in campo militibus ſpectanda exponuntur.

& Petrus Mauritii Germanus Curopalata captus & ipſe &c. Pro quorum meliore notitia ex DUCANGIO hìc ſtirpem genealogicam Mauritii ſubjicimus:

PAULUS ⚭ Joanna

MAURITIUS ⚭ Conſtantina *uxor.* PETRUS, GORDIA, THEOCTISTA, DAMIANA.
Imperator. | *Tiberii filia.* *Dux Thraciæ.* *Uxor Philippici.*

THEODOSIUS, TIBERIUS. PETRUS. PAULUS. JUSTINUS. JUSTINIANUS.
Auguſtus.
ANASTASIA.
THEOCTISTE.
CLEOPATRA.

(*72) PAGIUS ad an. 602. N. IX. notat, *Mauritium* die XIV. menſis Auguſti anni DLXXXII. *Tiberio* ſucceſſiſſe, & exeunte menſe Novembri hujus Chriſti anni trucidatum eſſe, ideóque & imperâſſe annos viginti, menſes tres, dies aliquot; unde cùm alii Authores & Numiſmata annum vigeſimum tantùm exprimunt, utì apud DUCANGIUM in familiis Byzantinis videre eſt, completos tantùm annos numerant.

(i) Idem c. 12. p. 214. *Phocas in proqinquos Mauritii & amicos sævit.* (k) Idem l. 8. c. 13. *Constantinæ Augustæ & trium filiarum captivitas.* (l) Theophan. ad an. 595. secund. Alex. p. 244. (m) Theophyl. l. 8. c. 11. p. 211. *Theodosius Augustus, & natu major Mauritii filius postremus occiditur.* (n) Theophan. ad an. 595. p. 244. *Exercitus rebellis, & cædium authores divinitùs puniuntur.* (o) Theophylact. l. 8. c. 12. p. 214.

res dies; dum omninò fœterent, prostitissent (i); Vitellii illud atrox verbum in memoriam rediit: optimè olere occisum hostem. Hausto semel sanguine ferocior Phocas, furorem in Petrum Mauritii fratrem, Commentiolum, aliósque propinquos vertit (k): quibus è medio sublatis, pudor Principem subiit, quò minùs in Constantinam Mauritii uxorem, trésque filias pari sævitie grassaretur. Has igitur intra custodiam tamdiu teneri voluit (l), donec frontem ad exercendum facinus magìs perfricuisset (*73). Imperium postquam Tyrannus cæde multorum ac sanguine firmaverat, unius adhuc Theodosii vita Phocam in ancipites conjecit curas: missus ille à Mauritio ad Chosrois imploranda auxilia, vix Nicæam superaverat, tum ab eodem Patre, nescio quo fato, revocatus (m), ferè in eandem, quam fratres tolerabant, carnificinam involâsset; nisi propinquantem immanitatis institutæ fama in alias vias avertisset. Sed dum per itinerum errores dubio pede vagatur, ex insidiis interceptus, suâ morte fratrum, Patrísque fatum cumulavit. Authores tot cædium, ac milites, qui seditione suâ exscindendæ funditùs stirpis Regiæ causam dederant, etsi seram, tardámque Numinis pœnam tulerint, gravissimam tamen subinde sunt experti (n). Nam ab hoc tempore Chosroës Rex Persarum Mauritii amici injurias difficillimo bello ultus est: Avares multò pejùs vexandæ Thraciæ incubuerunt: & uterque Romanus exercitus tum in Oriente, tum in Occidente cladibus pluribus adeò minuebatur, ut, cùm Heraclius posteà Imperator militum numerum, conditionémque lustraret, de universa multitudine, quæ in Mauritii caput juraverat, duos tantùm homines superstites reperiret (o): Deo utique eos ad internecionem usque deprimente, qui ad Imperii labem Tyrannum evexerant. HISTO-

(*73) THEOPHANES ad annum DXCV. secund. Alexandrin., qui anno Christi 603. desinit. scribit: *Imperatricem Constantinam cum filiabus tribus in domo privata, cui Leonis nomen, Tyrannus inclusit.* Et AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI ad annum 603. ait: *Hoc anno Constantina Eximperatrix conjecta est in monasterium. Philippicus Patricius & Comes Excubitorum, & Germanus Patricius Theodosii Mauritii filii socer in Clericos attonsi sunt.* De tempore, quo tandem Phocas è medio Augustas fœminas sustulerit, Authores non conveniunt; nam Theophanes illud ad annum 607. referre videtur: at Chronici Alexandrini Author meliùs illud adscribit anno 605., ubi ait: *Eodem anno Constantina Imperatrix trans urbem in portu Eutropii ad Chalcedonem plexa est, & reliqui Mauritii liberi muliebris stirpis.*



Historia de Herulorum, & Ostrogothorum Regno in Italia.

§. IV. *ODOACER Rex Herulorum Regnum Italiæ sibi firmat, Rugios vincit, ab Ostrogothis invaditur, & bello superatus, cum Principatu vitam amittit. THEODORICUS devictis Herulis, & Ravennâ potitus, primus ex Ostrogothis in Italia regnat; ejus in captivos, & Catholicos studia, justitia & clementia, tum vita privata Regni initia commendant. Finem verò detestabilem reddidêre tum crudelitas in Symmachum, Boëtium, & Joannem Papam, tum funestus Tyranni exitus. ATHALARICUS Theodorici ex filia Amalasuntha nepos sub tutela matris constitutus breve regnum habuit, vitæ licentiâ maturè absumptus. THEODATUS ab Amalasuntha Regina ad thorum & Regnum vocatus, conjugem improbè occidit: bello à Justiniano Imperatore appetitur, & à fastidientibus Gothis necatur. VITIGES cum Matasuntha Amalasunthæ filia celebrat nuptias, & post varia cum Belisario suscepta certamina Ravennæ captus, Constantinopolim deportatur. ILDIBALDUS perbrevi tempore gustavit Regnum, ob intentatam Vrajæ cœdem, ipse quoque in convivio sublatus. ERARICUS, quia ex Rugiorum Gente erat, à Gothis interficitur. TOTILA post subjugatam ferè totam Italiam, uno fatali conflictu vitam, Regnúmque perdit. TEJA ultimus Ostrogothorum Rex ad Draconem fluvium victus cadit, finítque Gothorum in Italia Regnum.*

1. POstquam ODOACER Herulorum Rex Momyllum ultimum Occidentis Cæsarem Imperii dignitate exuerat; facile illi quidem fuit, vacuum Principe Dominatum invadere (a): sed Regni semel cœpti fundamenta ad diuturnitatem quandam firmare, plus negotii, difficultatísque habuit. Romani quippe Senatûs, ac Urbis Majestas utì à Barbari servitute abhorrebat (b); ita Orthodoxorum Religio ægerrimè ejus ferebat jugum,

Herulorum Regni initia.

(a) Jornand. Get. c. 6. Procop. de B. G. l. 1. p. 308. Ammian. Anon. p. 662. & 663.

(b) Ennod. in Panegyr. Theodorici.

Difficultates variæ, quæ Odoacri in aditu Regni adversabantur.

gum, cujus animum Arii ſuperſtitio infatuâſſet. Adhæc Gothi, quibus à Valentiniani temporibus in Italia ſedes obtigerat, ob negata ſtipendia inteſtinum minabantur bellum, quo Regni novi ſcintilla primo in ortu comprimeretur (c). Demum repentina Odoacris fortuna vicinorum Regum non minùs invidiam, quàm longè diſſiti Orientis ultionem, ac armorum vim provocatura credebatur. Implicatos ejuſmodi nodos expedire, etſi magni operis, conſiliíque foret; Odoacer tamen variis his ex periculis felici ingenio ſeſe undique evolvit: & Romanorum quidem feroces ſpiritus inde contundebat, quòd Senatûs authoritate aliquantùm imminutâ, & Conſulum dignitate demptâ (d), ſedem Regiam procul Româ Ravennæ figeret, ſimúlque urbem cogeret, priſtinæ ſuæ magnitudinis obliviſci. Cæterùm vetera Reipublicæ inſtituta retenta ſunt, & ab Hæretico quantumvis Principe ſuus Eccleſiis, Epiſcopíſque ſervatus honos (e): tandem Gothis rebellibus tertia agrorum pars (quam promiſſam ab Oreſte obtinere non potuerant) perſoluta (f). Quibus de rebus cùm Odoacer non ſolùm metui, ſed etiam coli ab Italis cœpiſſet; exterorum quoque Regum animos ad ſuum ſtudium convertit. Eurico namque Viſigothorum Regi Galliam, quæ ab Alpibus ad Rhodanum ſita hucuſque Romanorum in poteſtate fuerat, pacis habendæ causâ remittere (g); deinde cum Gundobaldo Rege Burgundiorum fœdus percutere aggreſſus, paulò pòſt Genſericum Africæ Principem etiam amicum habuit. Hic enim in admirationem tum virtutis, tum fortunæ Odoacris adductus, Oratores ad eum de pace miſit, atque hujus impetrandæ gratiâ Siciliam Herulis tributario jure conceſſit (h). Conciliatis hunc in modum vicinis Regibus, Zeno Imperator unus erat, cui iſta Regni novitas diſplicebat: ab exilio is ad Principatum revocatus, multùm indignabatur extra conſcientiam Orientis, & ex inſidiis factum eſſe, ut alius, ac debebat, Occidentem tyrannide oppreſſerit. Hæc ſecum agitanti Zenoni Legati adſunt, qui rogabant, ut Julius Nepos, quem purpurâ ſpoliatum Oreſtes olim in Dalmatiam ejeciſſet, Imperio nunc ſuo redderetur; hunc enim ajebant, eſſe Leonis Magni generum, & Zenonis affinem: ex propinquitatis proinde jure, & ob fatorum ſimilitudinem exulem

(c) Sigon de Imp. Occid. Lib. 15.

Odoacer inteſtinos Reipublicæ motus componit.

(d) Idem l. c.

(e) Ennod. Ticin. in vita Epiphanii. Baron. ad a. 476. N. II.

(f) Sigon. de Imper. Occid. L. 15.

A. 477.

Odoacer in fœdus adſciſcit exteros Reges.

(g) Procop. l. 1. de B. G. c. 12.

(h) Victor Vitenſis l. 1. c. 4.

Julius Nepos rurſus aſpirat ad Imperium.

exulem Julium poſcere, ut, quod beneficium Imperator gubernaculis reſtitutus ab aliis accepiſſet, ipſe pari favore eidem impenderet (i). Dum hæc Conſtantinopoli agebantur, Odoacer ancipiti cauſæ occurſurus, ſuos quoque Legatos in Orientem confeſtim dirigit: depoſitis hi ad pedes Auguſti ornamentis Regiis (k), Zenoni teſtabantur, Odoacrem nunquam eo animo Italiam ſubiiſſe, ut in inſignia ejuſmodi, quæ dare vel abnuere Imperatoris eſſet, ſuopte ingenio involaret: Unum, eúmque Zenonem orbi utrique Cæſarem ſufficere, quin altero ad dividendum Imperium opus ſit: Cæterùm Senatûs Romani hanc curam, precéſque fuiſſe, ut Odoacer curandis negotiis manum dederit; nec Italiam, quæ per ejus providentiam meliore fortunâ jam gauderet, alia vota concepiſſe, quàm ut Zeno Principis tam ſolliciti labores dignitate Patricii remunerari, & Italiæ gubernationem, Cæſaris nomine gerendam, porrò committere eidem velit (*1). Oratorum humile obſequium ſive Cæſaris iram exhauſerit, ſive turbæ domeſticæ in externum bellum diſtrahere vires non permiſerint, certè à Zenone Herulorum conatibus non admodùm, nec niſi verbis repugnatum eſt (*2). Odoacer,

(i) Malchus Rhetor de Legat. p. 93. Candidus p. 19.

A. 478.

(k) Valeſ. Rer. Franc. p. 231. Ammian. Anon. p. 482.

Odoacer mittit Legatos ad Zenonem.

(*1) MALCHUS RHETOR p. 93. memorat, legationem ejuſmodi ab Auguſtulo Oreſtis filio ſubornatam fuiſſe: *Auguſtus Oreſtis filius, ùt audivit, Zenonem iterum Orientis Imperium, expulſo Baſiliſco, recuperâſſe; Senatum veteris Romæ legationem ad Zenonem mittere coëgit, quæ illi ſignificaret, urbem proprio Imperatore non indigere. Unum quidem Imperatorem, ſed communiter illi utriuſque Imperii fines tutandos eſſe: Odoacrum ſibi propoſitum aſſumpſiſſe idoneum, qui ſalvas res faceret. Ille enim & ſcientiâ Reipublicæ adminiſtrandæ, & rei militaris peritiâ præſtat. Itaque orare, ut illum Zeno Patriciatûs dignitate ornet, & Italicam Diœceſin regendam committat. Profecti ſunt igitur ex Senatu Veteris Romæ viri, qui hos ſermones Byzantium deferrent.*

(*2) IDEM p. 94.: *At Zeno his, qui venerant, hæc reſponſa dedit: Et Senatoribus: illos ex duobus, qui ab Oriente Imperium ſuſceperant, unum expuliſſe, & Anthemium occidiſſe. Nunc quid ſibi facto opus eſſet, illos dixit proſpicere. Imperatore enim* (Julio) *ſuperſtite non aliam debere valere ſententiam, quàm illum amplecti & adhærere. Ad ea verò, quæ Barbarus nunciârat, rectè & juſtè facturum, ſi à Nepote Imperatore Odoacer Patriciatûs dignitatem ſuſciperet; eam illi miſſurum, niſi Nepos præveniret. Hortari, ſimul atque eam adeptus fuerit, ut cultum Romanis convenientem aſſumat, & uſurpet. Se quoque confidere, fore, ut Imperatorem, qui illum hoc honore affecerit, ſiquidem juſta facere voluerit, obſervet & colat. Sed tamen in literis Regiis, quibus Odoacro eam dignitatem mittere renuit, eum Patricium nominavit. Quæ Zeno cùm Nepoti ſtudebat, ex ſuis, Nepotis malorum commiſeratione duci, & proprio caſu communi hominum caſui ingemiſcere edoctus, faciebat. Eò quoque illum impulit Verina, quæ Nepotis uxori, cujus erat conſanguinea, favebat.*

cer, utprimùm ſe Regni ſecurum cognovit, in Romanum Magiſtratum mitior, illi Conſularem, quam abrogârat, Præfecturam rurſus impertitus eſt (*3).

A. 480.

Non minorem benevolentiam Adverſario ſuo Julio exhibuit: cùm enim hoſtem beneficio ſæpè citiùs, quàm vi ſubegeris; Odoacer ſalutem Julii adeò amicè curabat, ut is jam extra populares procellas in Dalmatia, quàm inter publicos Regni tumultus vivere exoptaret (l). Ne verò Julius pergrato otio diutiùs frueretur, nefariâ quorundam hominum improbitate perfectum eſt. Viator ſiquidem & Ovida Comites ſive privatis (ùt ferunt) odiis incitati, ſive avaritiæ ſtudio inflammati, inſidias Julio primùm ſtruere, dein in villa ſua quieſcenti vitam crudeliter eripere aggreſſi ſunt (m). Facinus indignum nemo moleſtiùs tulit, quàm Odoacer, cujus conſcientia quantum ab hoc parricidii ſcelere abfuerit, inde palàm fecit, quòd ſicariorum audaciam armis compreſſam, ultimo etiam ſupplicio caſtigandam decreverit (n).

(l) Sigon. de Imper. Occid. l. 15. p. 400. edit. Bonon.

Funeſtus exitus Julii Nepotis.

(m) Marcellinus in Chronico. Candidus in excerptis.

A. 481.

Semente diſſidiorum domeſticorum protinùs extinctâ, foris poſt aliquod intervallum in Norici finibus nova belli materia ſuborta eſt (o). Rugiorum Gens, quæ hoc tempore citimam Iſtri ripam propè Noricum inſederat, nefaſtas ex vicino agro abigebat prædas: cladium acerbitas cùm non tantùm rei Romanæ, ſed & ſacræ multùm eſſet infeſta; S. Severinus novelli ibidem gregis Apoſtolus Febanum (*4) Barbarorum Regem monuit, ut, ni cæleſtis Numinis

(n) Caſſiod. in Chronic. Chronic. Cuſpinian. p. 457.

(o) Cuſpinian. Anon. ad Boet. Conſulat.

(*3) PAGIUS in Critic. ad an. 480. N. 1.: *Baſilius Junior* (ùt in Lege Juſtin. 21. *de Teſtamentis*, & in Chronicis Caſſiodori, Mariani Scoti &c. vocatur) ſine collega in Occidente Conſul creatus eſt. De hoc Baſilio refert BARONIUS ad annum 483. N. XI., quòd immiſcere ſe conatus ſit in electione Pontificis Romani: utì conſtat ex Actis tertiæ Romanæ Synodi ſub Symmacho c. 12.: *Cùm in unum apud beatum Petrum Apoſtolum reſediſſent: Sublimis & Eminentiſſimus Vir Præfectus Prætorio atque Patricius, agens etiam vices Præcellentiſſimi Regis Odoacris, Baſilius dixit: Quanquam ſtudii noſtri & religionis interſit, ut in Epiſcopatûs electione concordia principaliter ſervetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis ſtatus civitatis vocetur in dubium: tamen admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri Simplicii, quam ſemper ante oculos habere debemus, hoc vobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & Venerabilis Eccleſiæ detrimentum, cùm de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebraretur electio.* Idem edixit, ne fas ſit alienare aliquid de donatis Eccleſiæ fundis. Sed edicta illius à Symmacho Pontifice anno 502. abrogata ſunt.

(*4) PAGIUS ad annum 487. N. III., quem Caſſiodorus in Chronico *Febam* aut *Febanum* appellat, Eugippus in vita S. Severini *Flacciteum* vocat, teſtatùrque ſalutaribus

nis iras experiri vellet, crudelem suorum licentiam, ac sacrilegas grassationes coërceret (p). At verba non profectura virum sanctum perdidisse subinde intellectum est; nam Gisâ scelestissimâ uxore Conjugem Febanum in pejores ausus incitante, post mortem S. Severini, Rugii monasterium ejusdem (ablatis insuper vasis Deo dicatis) omninò diripuerunt (q). Odoacer, ubi inaudiit & Noricos premi, & S. Severino, quo Rex Herulorum ob beneficia familiarissimè utebatur (*5), atrocem injuriam esse illatam; continuò suis copiis profectionem imperat: mox superatis Alpibus Rugiorum terras ingressus, tanto impetu Barbaros invasit, ut Rugiis magnam partem deletis, Febanum vivum unà cum uxore cœperit (r). Captos triumphans in urbem deduxit suetâ olim Victoribus pompâ; quâ exactâ, & Febanus, & Gisa captivorum more ad necem raptati sunt. Quò minùs unâ clade tota Regis stirps interiret, Fridericum Febani filium ex media strage fuga abstulerat; is post Herulorum ex Norico discessionem ad reliquias colligendas reversus, breve admodùm Regni spatium habuit; Aonulphus quippe ex Odoacris Germani fratris imperio alterâ expeditione in Fridericum invectus, quidquid vitæ ac virium Rugiis supererat, extinxit, ac deleto Regni nomine, Fridericum subditis vacuum in exilium profligavit (*6).

Odoacer contra Rugios molitur bellum in Norico

(p) Eugippus in vita S. Severini apud Bolland. VIII. Jan. c. 11. N. 48.

A. 482.

(q) Paulus Diac. l. 1. de reb. Longob. c. 19. Bolland. in vit. S. Severini N. 45.

A. 486.

A. 487.

(r) Bolland. in vita S. Severini c. 12. N. 54. Ennodius in Panegyr.

Rugiorum Regnum extinguitur.

A. 488.

Regnum Rugiorum in Germania extinctum.

tàribus ejus monitis instructum fuisse, ac *Felectheum* sive *Favam* aut Favum filium successorem nactum esse. Vide etiam BOLLANDUM ad VIII. Januarii c. 2. in notis.

(*5) EUGIPPUS in vita S. Severini apud Bollandum VIII. Januar. p. 488.: *Quâ devotione etiam ante hoc factum quidam Barbari, cùm ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum* (S. Severinum) *intuitu diverterunt: inter quos & Odouachar* (qui à Jornande Odouacer, Odobagar & Otachar, vulgò Odoacer dicitur) *qui posteà regnavit Italiæ, vilissimo tunc habitu, Juvenis staturâ procerus advenerat. Qui, dum se, ne humile tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinâsset, à viro Dei gloriosum se fore cognovit. Cui etiam valedicenti: Vade* (inquit) *ad Italiam, vade vilissimis nunc pellibus coopertus, sed multis citò plurima largiturus.* Similia habet AMMIANUS ANONYMUS p. 662. & seq. PETRUS DIACONUS Hist. Miscell. L. 15.

(*6) Longobardos in terras Rugiorum vacuas successisse, author est PAULUS DIACONUS de gestis Longob. L. 1. c. 19.: *Adunatis ergo Odoachar gentibus, quæ ejus ditioni parebant*, id est, *Turcilingis, & Herulis, Rugorúmque parte, quos jamdudum possederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnavitque cum Rugis, ultimâque eos clade conficiens, vastatâque omni Provinciâ, Italiam repetens, copiosam captivorum multitudinem abduxit. Tunc Longobardi de suis regionibus egressi venerunt in Rugiland, quæ latino eloquio Rugorum Patria dicitur, atque in eâ, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt annis.*

(s) Ennod. in Panegyr. Theodorici.
(t) Eugippus in V. S. Sever. N. 45.

Verùm exulantis calamitas plus nocumenti Herulis, quàm regnantis incolumitas attulit (s); elapſus enim Novam Mœſiæ, ſive in Oſtrogothorum ſedem (t) multa de ſua, ſuorúmque conditione queſtus, plura ad invidiam Odoacris ac Zenonis Imperatoris commemorabat: ab hoc (ajebat) Herulos Italiæ terris donatos ad aliorum perniciem ſaginari, nempe ut ſorte ſuâ inflati, proximos quoſque conterant, aut egentes ſuperbiùs aſpernentur. His dictis ubi ad miſerationem ſuî Gothos inflexerat, eorundem æquè iram inde accendit, quod probè meminiſſent; Odoacre peregrino ampliſſimis terris aucto, Theodoricum Regem cum ſuis poſt plura domi, & militiæ facta ſtipendia beneficii nihil præter quosdam honorum fucos à Cæſare accepiſſe (u): miſſis proinde Conſtantinopolim literis, Theodorico Gothi ſubditi cavebant, ne porrò luxu, inaníque otio apud Imperatorem diffiueret, quin armatus tandem ſuos præiret ad quærendas alibi ſedes. Theodoricus, quò Gothorum querelis, ac egeſtati conſuleret, aperto bello primùm in Thracia (x), dein ſuadente Zenone Cæſare, in Italia amplius Regnum, & melioris ſoli (y) annonam quæſivit. Odoacer utprimùm cognovit, à Gothis adversùs ſe vim parari; Tranſillam Gepidarum, & Buſam Bulgarorum Reges interpellat, ne integrum Theodoricum ex Mœſia in Italiam tranſire ſinant (*7). Hi quantiſcunque copiis ad Ulcam fluvium obſeptum tenerent iter; Gothi tamen perruptis clauſtris, ac fugato hoſte per Alpes Julias unà cum liberis & uxoribus, totóque armorum & ſupellectilis apparatu ad Sontium Aquilejæ vicinum amnem eluctati ſunt (z). Illinc dum muniendis

(u) Evagr. l. 3. c. 27. Marcellin. in Chronic.
(x) Procop. de B. Goth. l. 2. c. 6. Jornandes c. 27.
(y) Idem Get. l. c. Paul. Diac. in Miſc. l. 15.
A. 489.
Expeditio Theodorici Gothorum Regis adverſus Italiam.
(z) Marius in Chronic. ad Coſ. Probin. & Euſeb. Caſſiodor. in Chron.

(*7) ENNODIUS in Panegyr. Theoderici, hujus victoriam deſcribit: *Ulca fluvius eſt tutela Gepidarum, quæ vice aggerum munit audaces, & in jugorum morem latus Provinciæ quibusdam muris complectitur, nullo ariete fruſtrandis.* (Per Ulcam fluvium intellige Paludes Volceas, ſive Lacum Balattonium in Pannonia ſuperiore apud Albam Regalem) *Ad hunc te callis tui rigor adduxit: ubi pro legatis, & gratiæ poſtulatione, obſiſtendi animo gens diu invicta properavit. Cùm penè cohortes tuas ante inimicos famis neceſſitas obſideret. Dic, quæſo, Clementiſſime Domine! quid præter te ſpei erat reſiduum, in populo arenæ, aut ſideribus comparando? Inſtantibus Gepidis, amne, peſtilentia, iter, quod declinâſſet fugiens, contra nudatos vaginâ gladios tranſvolâſti. Nullius inſcii merſa cœno hæsêre veſtigia. Nullus vitæ prodigus periculum ignarus incurrit.... Cæſa eſt multitudo adverſaria, donec paucos eriperet nox vicina: dum ad vaga horrea copiis urbium referta veniretur* &c.

niendis castris dant operam; Odoacer ingentem post se trahens Herulorum, Rugiorum, aliorúmque Barbarorum multitudinem in obversa fluminis ripa hostibus sese objicit (a). Dierum aliquot intervallo utrinque acies constitit, non iisdem tamen spebus, neque viribus nixa; nam quantùm numero diversarum Gentium Heruli, tantùm Gothi robore, & populi unius concordiâ superaturi credebantur in illis Regionis angustiis, in quibus paucis duntaxat pugnandi, reliquis verò nonnisi spectandi certaminis copia dari poterat. Theodoricus igitur opportunitate loci ad victoriam usus, transmisso Sontii vado in Herulos irruit, quo impetu tam validum hostibus terrorem incussit, ut cæsis plurimis, alii prælio pulsi trepidâ fugâ in castra se reciperent (b). His pariter subinde exuti, Veronam (nam receptui ibidem ab Attilæ ætate nec alius locus munitionibus obseptus, nec validum mœnibus castellum erat) contento cursu evaserunt. In colligendis ex fuga copiis aliquid temporis datum est, tum Odoacer insequenti per vestigia Theodorico majore alacritate occurrit (c): verùm neque tum virtuti fortuna respondit; nam magnâ militum parte amissâ, aliísque pluribus, qui pugnæ superarant, rapido Athesis gurgite haustis, ipse Rex cum paucis non sine periculo Ravennam se proripuit (*8). Victori Theodorico cùm hâc ratione tota pateret Italia, Mediolanum abiit; quâ urbe captâ, Tufa Dux Odoacris Ticinum, in quo Herulorum præsidia regebat, Gothis tradidit (*9). Theodoricus proditoris scelus in rem suam vertens, Tufam protinùs cum validâ

(a) Ammian. Anonym.

Prima Theodorici victoria ad Sontium.

(b) Cassiod. in Chronic. ad Coss. Probin. & Eusebi. Chronographus Cuspin. Jornandes Get. c. 57.

(c) Chronograph. Cusp.

Altera victoria Theodorici prope Veronam.

A. 490.

Ticinum Gothis à Tufa proditur.

(*8) JORNANDES Get. c. 57.: *Theodericus indeque Venetorum fines ingressus, ad Pontem Sontium nuncupatum castra metatus est. Cúmque ibi ad reficienda corpora hominum, jumentorúmque aliquanto tempore resedisset: Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille, ad campos Veronenses occurrens, magnâ strage delevit, castrísque solutis, fines Italiæ cum potiori audacia intrat; transactóque Pado amne, ad Ravennam, Regiam urbem castra componit, tertio ferè milliario ab urbe, loco, qui appellatur Pineta.*

(*9) ANONYMUS VALESII: *Et ambulavit Theodericus Mediolanum, & tradiderunt se ipsi maxima pars exercitûs Odoacris, nec non & Tufa, Magister militum, quem ordinaverat Odoachar cum Optimatibus suis Cal. Aprilis. Eo anno missus est Tufa Magister militum à Theodorico contra Odoacrem Ravennam. Veniens Faventiam Tufa obsedit Odoacrem cum exercitu, cum quo directus fuerat. Et exiit Odoachar de Ravenna, & venit Faventiam, & Tufa tradidit Odoacri Comitem Patricii Theoderici, & missi sunt in ferro, & adducti Ravennam.*

Idem Tufa alterâ proditione perdit Gothos.

(d) Anon. Valesii.

(e) Ennod. in Panegyr. Theodorici.

(f) Idem l.c.

Ager Mediolanensis ab Herulis & Burgundionibus exscinditur.

A. 491. *Theodoricus ab Odoacre intra Ticinum obsidetur.*

(g) Paulus Diaconus in Miscell. l. 15.

valida militum manu Odoacrem premere, & si quid robore valeat, etiam in deditionem cogere jubet. Faventiam usque jam Tufa moverat; tum indignè ferens, sibi proditionis nullum dari præmium, mutato consilio in ejus, quem oppugnatum venerat, potestatem se, & Theodorici militem committit (d). Gothorum Princeps, utprimùm de perfidia Tufæ, déque captivitate suorum cognoverat; veluti in extremo rerum discrimine Ticinum advolans, intra urbis hujus munimenta salutem quæsivit (e). Theodorico postquam aperti belli exciderat animus; Heruli submoto hoste, evagandi licentiam nacti, Liguriam, ac Mediolanum potissimùm atrocibus populationibus fœdârunt (f): hanc enim civitatem quoniam defectionis ac violatæ fidei accusabant; in omnem ætatem, atque in ipsos etiam Præsules sacros crudelissimis suppliciis sævitum est. Atque hæc clades inde acerbior reddebatur, quòd Burgundiones auxilii Theodorico ferendi speciem mentiti, abstractis in servitutem innumeris captivis, ultimas reliquias opum, quibus tumultuarius Herulorum furor pepercerat, funditùs eraserint (*10). Odoacer Mediolanensium prædâ animosior, ut Theodoricum ceu feram in cassibus tutiùs teneret, Ticinum obsidet: inclusos inde Gothos arcta sors, ac necessitas ferè postrema urgebat, quòd præsidium, si urbis angustias, annonæque penuriam spectes, numero paulò majus: si vincendis hostibus compares, multò minus, ac omninò impar intra mœnia consideret (g). Theodoricus exitiali calamitate interce-

(*10) BARONIUS ad annum 489. §. 13. ait: " Cùm autem ejusmodi malis vehementer affligerentur Ecclesiæ; coëgit tunc necessitas, ut Episcopi, quibus facultas suppeteret, ne paterent greges, quibus præerant, hostium frequentibus incursionibus, ædificarent castella munita: inter alios enim id præstitisse Honoratum Episcopum Novariensem, ENNODII eidem inscriptum epigramma declarat his versibus:

Pontificis castrum spes est fidissima vitæ,
Qui tutor sanctus, quæ nocitura petant.
Hic clypeus: votum est, procul hinc Bellona recede.
Quod meritis constat, prælia nulla gravant.
Conditor hic muros solidat, munimina factor.
Nil metuat, quisquis huc properat metuens.

Scias insuper, fuisse etiam & Episcopis milites pro defendendis Ecclesiæ juribus: nam de his idem ENNODIUS in epist. ad Faustum his verbis meminit: *Ille mancipia sua à me sublata deslevit, & contra potentiam Ecclesiastici militis advocandam credidit Regiam defensionem.*

terceptus, ad Alaricum Visigothorum Regem confugit, atque, ut suppetias Gothicæ Genti, quæ cum eodem communionem sanguinis atque natalium habeat, continuò submitteret, infimis precibus orat (h). Supplicationi etsi id daretur, ut è vestigio ad incolumitatem Theodorici auxilia abirent; hæc tamen intercapedine locorum disjuncta longiùs adhuc aberant, quàm ut ingruens in dies discrimen maturiùs depellerent: & conclamatum de Regis capite, ac de Gothorum vita fuisset, nisi quem hostem arma amovere ab instituta vi non poterant, ipsa cæli tempestas perpetuis imbribus fœta, fractum, ac penè fastidientem à Ticini mœnibus abegisset. A proposito, & ab urbe vix decesserant Heruli, tum magnis passibus auxiliaria Visigothorum agmina ad Theodoricum contendebant; quibus demum auctus extra Ticinum ad Adduam usque educit copias, & paulò pòst cum hostili acie congressus, tertio jam prælio (*11), non tamen toto bello Odoacrem vicit; is enim è media suorum strage Ravennam elapsus, in tertium adhuc annum Theodorici arma, virésque fatigabat (i). Ad oppugnandam urbem quantumcunque calerent Gothorum animi; ipsa tamen loci natura obsidionem difficillimam reddebat (k). Quà enim mari proximè Ravenna adjacet, confragosa littora non facilè admittebant naves, aut si quando alicubi minùs aspera forent, languescens undarum vis & super ripas nonnisi lenibus stagnis effusa appellendæ propiùs classi haud sufficiebat; quà verò urbs continentem spectat, præcinctæ paludes perpetuis amnibus rigatæ longiùs à mœnibus arcebant militem: labor arduus cùm inde Gothos exerceret; aliunde etiam discrimen minimè contemnendum ab Odoacre imminebat, qui crebris eruptionibus ferè vires obsidentium hebetavit (l). Theodoricus, ne obsidionis fastidiosâ morâ lucra sua interverteret, parte exercitûs ad urbis obsidionem relictâ, ac navali apparatu ad ostium amnis Ravennatis, ne quid annonæ invehi mari possit, dispo-

(h) Ammian. Anonym.

Visigothi mittunt auxilia Ostrogothis.

Tertia Theodorici victoria ad Adduam.

(i) Cassiod. in Chronico.

(k) Sigon. de Imp. Occident. l. 15. p. 411. edit. Bonon. Procop. de B Goth. Lib 1 c. 1.

Obsidio triennalis urbis Ravennæ.

A. 492.

(l) Anon. Valesii Cassiodor. in Chronic. ad an. 491.

(*11) ANONYMUS VALESII *Fausto & Longino Coss. Odoachar Rex exiit de Cremona, & ambulavit Mediolanum. Tunc venerunt Wisigothæ in auxilium Theoderici, & facta est pugna super Addam, & ceciderunt populi ab utraque parte: & occisus est Pierius Comes Domesticorum III. Idus Augustas, & fugit Odoachar Ravennam.*

dispoſito, ad alia Italiæ caſtella expugnanda, ſimúlque ad Siciliam à Vandalorum populationibus vindicandam (m) pergit. Quibus confectis, jam alacrior Theodoricus ad urgendam Ravennæ deditionem redit: ſive ardor oppugnantium, ſive abſumpta per tempus civium cibaria obſeſſos inclinârint, certè paulò pòst Joannis Ravennatenſium Epiſcopi hortatu impetratum eſt (n), ut utraque pars in conditiones pacis convenerit; inter quas hanc fuiſſe memorant, ut Theodoricus cum Odoacre Ravennam, Italicúmque Regnum æquo imperio obtineret (*12). Ita icto fœdere Theodorico urbis patuêre portæ, ſimúlque communio Regni data eſt: quæ, ubi per breve ſpatium ſteterat, ab ambitione, quæ inter duos Regni competitores fidam ſocietatem eſſe haud ſinit, citiùs dejecta ac diſſipata eſt. Poſt aliquot enim inde dies Odoacri Theodoricus fatale convivium apparat, in quo cùm ille ex pacto fœdere partem Italiæ ſibi attribui importuniùs poſtularet: hic viciſſim inſidias ſibi ab Odoacre paratas criminatus (o), eundem mox immiſſis ſicariis unà cum filio Thelane, alíſque propinquis interfecit (p); ac proinde Herulorum Regno, quod decimum ſeptimum annum vix ætate ſuâ attigerat, maturiùs extincto (*13), in ſe, atque in Oſtrogothos (Gentem ſuam) Principatûs Regii honores tranſtulit.

2. Ex

(m) Caſſiod. ad an. 491.

(n) Procop. de B. G. l. 1. c. 1. p. 309.

Odoacer Theodorico ſe certis conditionibus cum Ravennatium urbe tradit.

A. 493.

(o) Caſſiod. in Chronic. ad Conſulat. Albini. Ennod. in Panegyr. Theod.

Theodoricus Odoacrem occidit.

(p) Anon. Valeſ.

(*12) PROCOPIUS de B. Goth. L. 1. p. 309: *Jam annos tres Theodericus & Gothi Ravennam circumſederant fruſtrà: cùm hinc Gothos obſidionis tædium, inde Odoacri defenſores penuria cibariorum ad hanc perpulit pactionem, cujus conciliator fuit Antiſtes Ravennæ, ut in ea urbe Theodericus atque Odoacer ex æquo viverent. Aliquamdiu quidem manſêre pacta: poſteà verò Theodericus detectâ (ut perhibent) fraude, quam Odoacer ipſi ſtruebat, eum doloſè ad epulas invitatum occidit.* MARCELLINUS in Chronico ait, Odoacrum perfido perjurio deceptum eſſe à Theodorico, & Tillemont in vita Odoacris an. 15. putat, Jornandi Gotho aliter hìc ſcribenti parvam fidem eſſe habendam.

(*13) Ex EUGIPPO Biographo S. Severini N. 40. colligitur, quot annis Odoacer regnaverit: *Quodam tempore, dum memoratum Regem* (Odogabarum) *multi Nobiles coram ſancto viro* (Severino) *humanâ, ùt fieri ſolet, adulatione laudarent; interrogat, quem Regem tantis præconiis prætuliſſent? Reſpondentibus, Odobagarum Regem. Odobagar, inquit, inter tredecim, & quatuordecim annos* (videlicet integros) *regnabit;* nam uſque ad decimum quartum Regni annum intactus ab hoſtili Gothorum incurſione manſerat; inter turbas verò bellicas adhuc vixit uſque ad diem tertium Nonas Martii anno 493. unde regnavit ſedecim annos & medium.

Theodoricus primus Rex Ostrogothorum in Italia.

A. 493.

2. Ex Amalorum propagine THEODORICUS oriundus erat (*14), Theodemiris & Eralievæ pellicis filius: primam ætatem is in aula Leonis Thracis obses exegerat (q): dein sub Zenone Ducis & Consulis præcipuis muneribus domi, militiæque (r) perfunctus, eam regnandi artem didicit, quâ non modò ad exemplum Odoacris alienas ditiones acquirere, sed & partas tueri per omnem deinceps vitam novit. Italiæ Principatu namque potitus (s), primas inter curas numerabat, & propinquitatis nexu potentiorum Regum fœdus, & subditorum amorem paternâ beneficentiâ sibi devincire, quorum alterum commerciis, pacique publicæ, alterum privatorum tranquillitati & commodis expediebat. Theodoricus duas, antequam in Italiam demigrâsset, filias ex concubina susceperat; harum unam, Theudichusam Alarico Visigothorum Regi: aliam, Ostrogotham nomine, Sigismundo, Gundebaldi Regis Burgundionum filio despondit (t); atque ut ipse Ostrogothorum Rex Clodovei quoque Fran-

Theodoricus conquirit externorum Principum amicitiam & fœdus.

(q) Jornand. Get. c. 52. &c.

(r) Idem c. 56. Hist. Miscell. p. 99. Marcell. Chronic.

(s) Cassiod. in Chronic.

(t) Procop. de B. G. L. I. c. 12. Jornandes Get. c. 58. Ammian. Anonym. p. 511.


Ee 2

(*14) CASSIODORUS Var. VIII. ep. 2. stirpem Amalorum ab Amala Genearcha sic dictam commendat Senatui Romano occasione Regni ab Athalarico suscepti: *Præclara est ergo spes nostra cunctorum meritis; & certius fuit de nobis credi, quàm quod de aliis potuit approbari, nec injuria: quoniam quævis claritas generis Amalis cedit, & sicut, qui ex vobis nascitur, origo senatoria nuncupatur; ita, qui ex hac familia progreditur, Regno dignissimus approbatur.* Et epist. 5. Gothis ita scribit: *Recipite itaque prosperum vobis semper nomen Amalorum, Regalem prosapiam, Baltheum germen, infantiam purpuratam.* Cæterùm in Genealogia Amalorum multa fabulosa esse, ipse Jornandes fatetur c. 14.: *Horum ergo (ùt ipsi suis fabulis ferunt) primus fuit Gapt, qui genuit Halmal: Halmal verò genuit Augis: Augis genuit eum, qui dictus est AMALA, à quo & origo AMALORUM decurrit. Et AMALA genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Unilt; Unilt genuit Athal. Athal genuit Achiulf, Achiulf genuit Ansilam, & Ediulf, Vuldulf & Hermerich: Vuldulf verò genuit Valaravans, Valaravans autem genuit Winitharium, Winitharius quoque genuit Theodomir* (Parentem Theodorici) *& Walamir, & Widemir* &c. CASSIODORUS, qui duodecim libris Gothorum historiam condidit (ùt colligitur ex Lib. XII. Var. ep. 20. & Lib. IX. Var. ep. 25.) meliore fide Amalorum stemma nobis exhibuisset, nisi libri illi interiissent, de qua proinde historia nihil restat, nisi Jornandis ex ea contracta epitome, utì ipse Jornandes testatur in præfat. ad Castalium. Pauca tamen adhuc eruere licet ex epist. 1., quam Lib. XI. Var. legimus de Amalasuntha scriptam: *Ordo flagitat* (inquit Cassiodorus) *dictionis, Augustarum veterum pompam modernâ comparatione discutere. Sed quemadmodum illi sufficere poterunt exempla fœminea, cui virorum laus cedit universa? Hanc si Parentum cohors illa Regalis aspiceret, tanquam in speculum purissimum, sua præconia mox videret. Enituit enim AMALUS felicitate, OSTROGOTHA patientiâ, ATHALA mansuetudine, WINITHARIUS æquitate, HUNIMUNDUS formâ,*

THO-

Francorum Principis bellicosissimi arma eo tempore ab Italiæ finibus averteret; Audofledam ejusdem sororem (*15) velut pignus amicitiæ in thorum suum deduxit. Eodem consilio Amalfrida Theodorici soror Thrasamundo Vandalorum, & Amalberga neptis Hermanfrido Thuringorum Regibus in uxores datæ sunt (*16). Maximis vinculis tum sanguinis, tum affinitatis ubi

THORISMUTH castitate, WALAMER fide, THEUDIMER pietate, patientiâ, ut jam vidistis, inclitus Pater.



(*15) JORNANDES Get. c. 58.: Theodoricus *missâ legatione ad LODOIN Francorum Regem, filiam ejus Audefledem sibi in matrimonio petit. Quam ille gratè, libentérque concessit, suos filios, ILDEBERTUM, & CHELDEBERTUM, & THUIDEBERTUM, credens hâc societate cum Gente Gothorum, inito fœdere, sociari. Sed non adeò pacis ad concordiam profuit ista conjunctio.* Quam JORDANES dicit filiam Clodovei fuisse, hanc *Audofledam* GREGORIUS TURONENSIS L. 3. c. 31. *sororem* Clodovei vocat: *& quia Theodoricus Rex Italiæ Clodovechi Regis sororem in matrimonio habuit, mortuus parvulam filiam cum uxore reliquit.* Idem asserit AIMOINUS L. 2. c. 1.: *Huic fuit in conjugio juncta soror Clodovæi Francorum Regis, nomine Audefleda.*

(*16) JORNANDES Get. c. 58: *Antequam ergo de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quæ genuisset adhuc in Mœsia, filias habuit, unam nomine Theo-*

ubi Theodoricus cæterorum Regnorum neceſſitudinem prudentiſſimè ſibi conjunxerat; non minore providentiâ Regni ſui, quod moliebatur, initia moderari cœpit. Literarum ipſe expers (* 17), virum ad conſilia adhibuit, quo ſcientiorem ætas iſta non ferebat, nempe Aurelium Caſſiodorum (* 18); cui Lucania Patriam, Senatoria Romanorum familia originem dederat. Eloquentia Caſſiodori, & ſumma morum gravitas Odoacrem adeò rapuerant, ut rerum privatarum, deinde ſacrarum largitionum Comitem eſſe juſſerit (u): quæ dignitates poſt Herulorum extinctum Regnum, minimè exoleverunt. Cùm enim ſub Theodorici exordia novi jugi impatientes Siculos nemo citiùs, quàm Caſſiodorus conſilii vi compeſcuiſſet (x); Theodoricus expensâ viri habilitate, eundem Brutiorum ac Lucaniæ Correctorem, dein Palatinæ quæſturæ, ac demum (poſt officiorum Magiſterium) Prætorii Præfectum conſtituens, in regiminis adminiſtrandi ſocietatem adhibuit. Hoc ſapientiſſimo rerum agendarum adjutore Regnum Italiæ (* 19) tam felicibus incrementis refloruit, ut

Theodoricus Caſſiodorum ad varias dignitates evectum in partem gubernationis adſciſcit.

(u) Caſſiod. Var. L. 1. ep. 4

(x) Idem ep. 3.

Theodorici regnantis felicia initia.

Theodicodo (ſive Theudicuſam, juxta Procopium) *& aliam Oſtrogotho. Quas mox (ut in Italiam venit) Regibus vicinis in conjugio copulavit, id eſt, unam Alarico Viſigothorum, & aliam Sigiſmundo Burgundionum.*

(* 17) AMMIAN. ANONYM. p. 510.: *Hic* (Theodoricus) *dum inliteratus eſſet, tantæ ſapientiæ fuit, ut aliqua, quæ locutus eſt, in vulgo uſque nunc pro ſententia habeantur.* IDEM p. 512.: *Igitur Rex Theodoricus inliteratus erat, & ſic obruto ſenſu, ut in decem annos Regni ſui quatuor literas ſubſcriptionis edicti ſui diſcere nullatenus potuiſſet. De qua re laminam auream juſſit interraſilem fieri, quatuor literas Regis habentem: THEOD, ut, ſi ſubſcribere voluiſſet, poſitâ laminâ ſuper chartam, per eam penna duceret, & ſubſcriptio tantùm ejus videretur.*

(* 18) CASSIODORUS Var. L. 1. ep. 4., quæ nomine Theodorici ſcripta eſt, exhibet omnes virtutes Caſſiodori, tum maximè ejus familiam; quare ſubdit: *Verùm hæc in illo jure mirentur, qui patris atque avi mores nobiliſſimos neſcierunt. Caſſiodorus ſiquidem præcedentes fama concelebrat. Quod vocabulum etſi per alios videatur currere, proprium tamen ejus conſtat eſſe familiæ. Antiqua proles, laudata proſapies, cum togatis clari, inter viros fortes eximii: quando & valetudine membrorum, & corporis proceritate floruerunt. Pater enim Candidati ſub Valentiniano Principe geſſit Tribuni & Notarii laudabiliter dignitatem* &c. Vitam Caſſiodori P. DE SAINTE MARTHE ſpeciali opere deſcripſit.

(* 19) PROCOPIUS L. 1. de B. G. c. 1.: *Ac licèt Romani Imperatoris nec inſignia, nec nomen uſurpare voluerit; ſed vixerit contentus Regis appellatione, quâ Barbari ſupremos Principes ſuos donare conſueverunt; tamen ſubditis ita præfuit, ut ipſi nihil defuerit eorum, quæ ſunt Auguſtorum moribus conſentanea. Nam & juſtitiæ cultor fuit eximius, & auctoritatis legum aſſertor. Provincias ſuas à vicinis Barbaris intactas cuſtodiit,*

(y) Rubeus l. 3. in Histor. Ravenn.

(z) Procop. de B. G. L. 1. c. 1.

Theodorici æquale in omnes studium.

ut Theodoricus apud Ravennates collocatâ sede (y) Regis duntaxat nomen professus, re ipsâ Imperator eorum nemini postponendus videretur, qui ab ortu Imperii in illo honoris gradu excelluerunt (z). Portio terrarum ejusdem dignitati non impar erat; nam Italiæ atque Siciliæ Alpes, partem Provinciæ in Gallia, Rhætiam, Vindeliciam, ac Noricum, unà cum magna parte Dalmatiæ atque Pannoniæ conjungebat (*20); in quibus ingentibus tractibus cùm varias gentes, populósque ritu & moribus discretos aleret: non uno ingenio (*21), neque uno instituto singulos regendos censuit. Lites in Provinciis à Comitibus cognosci volebat, hoc tamen discrimine, ut eædem, siquidem inter Gothos ferverent, à Gotho Judice: si inter Romanos, à Romano

stodiit, ad apicem provectus non prudentiæ modò, verùm etiam fortitudinis. Nullâ ferè injuriâ subditos affecit ipse, neque ulli, qui talia admisisset, indulsit; nisi quod partem agrorum, quos Odoacer factioni suæ concesserat, inter se Gothi diviserant.

(*20) De terris, quas possidebat Theodoricus, notitia habetur ex CASSIODORO. Is enim in Chronico ad an 451. de SICILIA ait: *Tum etiam Vandali pace supplicitur postulatâ à Siciliæ deprædatione cessârunt.* Idem ait ENNODIUS in Paneg.: *Quid castigatas Vandalorum, ventis parentibus, eloquar deprædationes, quibus pro annua pensione satis est amicitia tua. Evagari ultra possibilitatem nesciunt, duce sapientiâ, affines esse meruerunt, quia obedire non abnuunt.* Lilybæum tamen Theodoricus Thrasamundo reliquit, quod indicat inscriptio lapidis apud Reinesium: FINES INTER GOTHOS & VANDALOS. De cæteris Provinciis perhibent formulæ in L. VI. 13. formula Ducis RÆTIARUM, formula Principis DALMATIARUM, & de NORICO testatur epist. 50. L. III. Var., quæ Provincialibus Noricis inscribitur. Adde, quod epist. 49. Var. L. IV. Suevorum pars subdita dicatur Theodorico; scribit enim ibi, *Universis Provincialibus, CAPILLATIS, Defensoribus & Curialibus in SUEVIA constitutis* De his Suevis audiendus PROCOPIUS de B. G. L. 1. c. 13.; *Hinc se aperit Prebulis regio: sequitur, cui Dalmatia nomen est, & quæ cum ipsa Occidentalis Imperii finibus comprehenduntur, proxima Liburnia, hinc Istria, deinde Regio Venetorum ad Ravennam urbem porrecta. Atque hi sunt maris accolæ; supra quos Siscii, & SUABI, non illi, qui Francis parent, sed ab iis diversi, interiores terræ tractus obtinent. Ultra hos Carnii siti sunt, Noricique: ad quorum dexteram Dacæ & Pannones habitant.*

(*21) AMMIAN. ANONYM. p. 510.: *Ergo præclarus & bonæ voluntatis in omnibus, qui regnavit annos XXXIII., cujus temporibus felicitas est secuta Italiam per annos XXX., ita ut etiam pax pergentibus esset. Nihil enim perperè gessit Sic gubernavit duas gentes in uno Romanorum & Gothorum, dum ipse quidem Arianæ sectæ esset, tamen militia Romanis sicut sub Principes esse præcepit. Dona & annonas largitus: quanquam ærarium publicum ex toto feneum invenisset, suo labore recuperavit, & opulentum fecit: nihil contra Religionem Catholicam tentans; exhibens ludos Circensium & Amphitheatrum, ut etiam à Romanis Trajanus vel Valentinianus, quorum tempora sectatus est, appellaretur, & à Gothis secundùm edictum suum, quem eis constituit, Rex fortissimus in omnibus judicaretur.*

Romano definirentur. Popularibus suis utpote Barbaris armorum (*22), Romanis literarum usum commendabat (*23): atque ut porrò omnium cupiditatibus se accommodaret Primoribus Romæ solis pristinas dignitates (a); suis verò (nempe Gothis) immunitates à tributis elargitus est (b). Cæterùm onerum subditis imponendorum æquam mensuram Præfectis dictabat, cùm diceret: Providentissimi Principis esse, graviter imminutos tributorum necessitate exsolvere, propterea quòd meliùs præsentia ærarii damna contemnas, quàm exiguo quæstu perpetua commoda omninò extirpes (c). Munera publica dispensabat nemini, nisi quem virtus aut meritum aliis prætulisset; nam ita hi, qui donabantur, dignum laboris capiebant fructum: nec eum, qui donabat, beneficii temerè dati memoria arguebat (d). Bonis civium etsi nullâ ratione strueret insidias; negligentiam tamen eorum, qui pro ratione officii, ærario Principis inferre vectigalia omittebant, nolebat esse impunitam; uti enim perniciosa res est Regnantis tenacitas, ita indigentiam justè declinat Princeps, quæ in socordiam Præfectorum invehitur (e). Quantùm verò Romanorum commodis, ac gratiæ deditus erat, tantùm adver-

(a) Cassiod. Var. L. II. ep. 3. Lib. VI. form. 1. 2. &c.

(b) Idem L. V. ep. 30. *Theodorici clementia.*

(c) Idem L. IV. ep. 36.

(d) Idem L. I. ep. 3.

(e) Idem L. I. ep. 19. *Theodorici justitia.*

(*22) PROCOPIUS de B. Goth. L. 1. c. 2. rationes affert, cur Gothi armis suos potiùs, quàm literis assuefieri voluerint: *Subinde collecti spectatissimi quique Amalasuntham adeunt, & queruntur nec honestè Regem* (Athalaricum) *nec commodè sibi educari: literas à fortitudine longè esse disjunctas, traditámque à Senibus institutionem in timiditatem, & animi humilitatem plerumque verti; itaque oportere, ut in re bellica futurus animosus, gloriâque insignis, amoto Doctorum metu, armis exerceatur. Theodoricum allegant, nunquam passum Gothorum liberos ad Ludimagistros mitti; cùm diceret omnibus, eos nunquam hastam aut gladium despecturos mente intrepidâ, si scuticam tremuissent.*

(*23) CASSIODORUS Var. L. 1. ep. 39., ubi nomine Theodorici scribit ad Festum Patricium: *Rationabiles petitiones supplicum libenter amplectimur, qui etiam non rogati justa cogitamus. Quid est enim dignius, quod die, noctúque assiduâ deliberatione volvamus, nisi ut Rempublicam nostram, sicut arma protegunt, æquitas quoque inviolata custodiat? Spectabilis itaque Filagrius in Syracusana civitate consistens, palatii nostri longâ observatione dilatus, reverti se ad lares proprios supplicavit: qui studiorum causâ fratris filios ad Romanam exhibuit civitatem. Quos illustris Magnificentia tua ex nostra continens jussione, in supradicta urbe constituant; nec illis liceat antè discedere, nisi hoc secundâ decernamus iterum jussione. Ita enim & illis ingenii provectus acquiritur, & nostræ utilitatis ratio custoditur. Non ergo sibi impositum putet, quod debuit esse votivum. Nulli sit ingrata Roma, quæ dici non potest aliena. Illa eloquentiæ fœcunda mater: illa virtutum omnium latissimum templum: sentiatur planè, quod clarum est. Non enim sine gratia creditur, cui habitatio tanta præstatur: quibus mora potest esse proficua, dum interdum expedit, Patriam negligere, ut sapientiam quis possit acquirere.*

adverſabatur iis, qui ſtudio ſuo Herulorum antè pertinaciam obfirmâſſent. Hi metu pœnarum ſuperiores Italiæ terras pervagati, invenerunt tandem Epiphanium Ticinenſem Præſulem, qui reorum ac exulum miſeratione motus, Theodoricum coràm monebat, ut ad exemplum cœleſtis Numinis, à quo victoriam aliáque beneficia accepiſſet, pari beneficentiâ in ſubditos uteretur (f): útque meminiſſet ex præterita Principum ætate, Regna rarò diu illorum geſta eſſe manibus, quos iræ ac ultionis intemperantia in nimiam ſeveritatem abripuiſſet. Theodoricus oratione Epiſcopi mollior, etſi precantis voluntati multum dare conſtitueret; levitatis tamen eſſe putabat, ſiquidem ſub Regni initium criminum audaciam impunitatis ſpecie donaret (*24), præſertim cùm vitia is tranſmittat ad poſteros, qui præſentibus culpis indulget. Modum itaque pœnæ hunc Rex adhibuit, ut veniâ minùs nocentibus factâ, ſeditionum incentoribus jus Romanæ libertatis ac Patriæ adimeret, ne (ùt ajebat) eruptura rurſus diſſenſio inteſtinos habeat concitatores, & bella factioſorum ſucceſſibus adjuta pernicioſiùs invaleſcant. Theodoricus, poſtquam hanc gratiam ſupplicanti Epiphanio fecerat; ſibi viciſſim ab eodem Epiſcopo poſtulabat (g), ut ad Gundebaldum Burgun-

(f) Sigon. de Occid. Imp. L. 16. ad an. 495. Item Ennodius Ticin. in V. S. Epiphanii.

A. 494.

S. Epiphanius Epiſcopus pro Liguribus ſupplicat, & auditur.

(g) Ennod. in V. Epiph. apud Baron. ad hunc an. N. XI.

(*24) ENNODIUS TICINENSIS in vita Epiphanii apud Baronium ad annum CDXCIV. N. 38. ita recenſet reſponſum Theodorici. *Quamvis te, Venerabilis Epiſcope! pro meritorum luce ſuſpiciam, & multa apud me confuſionis tempore repoſuiſſes beneficia, quibus frui te convenit, tranquillitate revocatâ; regnandi tamen neceſſitas quâ concludimur, miſericordiæ, quam ſuades; non ubique pandit acceſſum. Et inter res duas naſcentis Imperii, pietatis dulcedinem cenſuræ pellit utilitas. Exemplorum cæleſtium teſtimonio* (1. Reg. 15.) *aſſertio mea nititur. Offendiſſe legimus Principem, qui cælitùs deſtinatum, nec inimicum ſubduxit exitio. Pœnam meruit levitas, quam potuit intuliſſe diſtrictio. Ultionem ſuſcepit, qui detrectat inferre. Locum divini judicii aut attenuat, aut contemnit, quod hoſti ſuo, cùm potitur, indulget. Juſtitiâ coërcendi ſunt, quos conſtat gratiam non ſecutos. Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. Nam quod de Redemptoris noſtri patientia loqueris: illos verè amplectitur hæc gratia, quos auctoritas legis informat. Nunquam à medico ad pleniſſimam curationem æger adductus eſt, niſi ab illo, qui primùm putrida ferro membra deſecuit, & latentem ſaniem penitùs è ſinu viſcerum produxit in lucem. Qui crimincſos patitur impune tranſire, ad crimina hortatur inſontes. Tamen quia precibus veſtris, quibus ſuperna aſſentiuntur, obſiſtere terrena non poſſunt: omnibus generaliter errorem dimittimus: nullius caput noxa proſternet: quoniam poteſtis & apud Deum noſtrum agere, ut ſceleratæ mentes à propoſiti ſui perverſitate diſcedant. Paucos tamen, quos malorum incentores fuiſſe cognovi, locorum ſuorum tantummodò habitatione privabo, ne fortè exurgens neceſſitas vicinos inveniat nutritores, & malorum adjuta ſucceſſibus bella conſurgant.*

gundionum Regem profectus, prece aut pretio reddi Italiæ curaret illos, quos colonos ab agrorum cultura, quósque milites vis belli à Patria in servitutem abstraxisset. Epiphanius senio quantumvis attritus, ad jussa Regis unà cum Victore Taurinatium Antistite per Alpes nivibus & gelu rigentes Lugdunum in Burgundici Regni sedem properat (h). Ad Gundebaldi eloquium admissus, exponebat Italiæ calamitatem, quæ ob colonorum captivitatem penè inculta jaceret, & commemoratione factâ eorum, quæ à Burgundionibus cives, tum maximè virgines essent passæ, Theodorici tandem nomine rogabat, ut miserabilem captivorum turbam vinculis solutam Regi, Italiæque redderet; ita enim Clementiæ præmium cum Theodorico æquâ lance divisurum: si quod hic misericordiâ permotus deposcit, ipse clementer, ac etiam citra pretium indulgeat. Nam licèt captivos vendere ad utilitatem sit, ad insigniorem tamen gloriam, & opum cælestium cumulum fore spondebat, contemptâ pecuniâ miseros libertate donare. Hæc magnâ eloquentiæ vi prolata ubi Gundebaldus audiverat; à temporum ratione excusabat, quæ Burgundiones paulò antè Italiæ mala intulissent. Hæc quippe ajebat esse belligerantium statuta, ut, quidquid non licet, sibi tunc licere velint: quíque inter arma hostem non læserit, nec ejus vires, aut radicem Imperii amputârit, hunc sibi exitium, hosti licentiam subministrare. Ista subatroci vultu prolocutus, mox ad mitiorem de captivis restituendis deliberationem venit, quam ubi per varias suorum sententias agitâsset, in hunc modum demum pronunciavit, nempe ut illi, quos necessitas, aut periculorum timor in has catenas conjecisset, absque æris numeratione; alii verò ex armis ad servitutem rapti, non aliter, ac dato lytro captivitate exirent. Itaque tertio mense, præter eos, qui auro redempti sunt, sex captivorum millia Episcopus in Patriam reduxit (*25). Beneficium præstitum æquè Gundebaldo,

Theodoricus eundem Episcopum mittit ad Regem Burgundiæ pro redimendis captivis.

(h) Ennod. Ticin. in vita S. Epiphanii c. 11. 12. &c.

Epiphanius & Victor legatione funguntur apud Gundebaldum Burgundionum Regem.

Solvuntur captivi, & dimittuntur diversâ conditione.

A. 495.

(*25) ENNODIUS TICINENSIS in vita Epiphanii, qui hujus Præsulis in legatione comes & minister erat, addit, quòd, sicut *Lugduni* Gundebaldus captivos condixerat, ita & *Genevæ* Regis frater *Godegisclus* idem præstiterit: *Fuit Genevæ, ubi Godegisclus Germanus Regis larem statuerat: qui formam fraternæ deliberationis secutus, bonis*

do, atque Epiphanio profuit. Nam Theodoricus, postquam Burgundionum Regem amico fœdere (*26), ac pretiosis muneribus in gratitudinis vicem submissis (*27) honoraverat; S. Præsuli hunc deinde favorem impendit, ut, quoties Epiphanius pro populo supplex Regem interpellaret, toties Oratori pio nihil negandum censeret (*28). Episcoporum inde non tantùm authoritas, sed & Orthodoxorum omnium æstimatio aucta est; quin Theodoricus, etsi Arii errorem professus, Catholicos tamen vario officiorum genere prosequebatur, & indignissimè ferebat, si quis in Regis gratiam à Catholica fide ad Arianorum sectam transiret, negans, eum Principi, qui homo est, conscientiam

A. 496. A. 497. *Theodorici erga Catholicos benevolentia.*

bonis operibus ejus se socium dedit. Brevì tamen tantæ liberatorum phalanges remissæ sunt, ut videres, longè, latèque agminibus ferventia itinera cum laude Dei nostri, tum etiam splendidissimi Sacerdotis Epiphanii, cujus ministerio atque labore erepti fuerant, redeuntium.

(*26) Legatio Epiphanii, quam ENNODIUS in ejus vita describit, captivos simúlque pacem evicit, quæ, ut deinceps stabilior foret, Gundobaldi filio Sigismundo in uxorem data est Ostrogotha Theodorici ex pellice filia.

(*27) BARONIUS ad an. CDXCIV. N. LVI. " His planè officiis idem Burgundionum Rex demeruit Theodoricum: à quo, sumptâ fiduciâ, petiit horologia ejus generis, quæ Romæ aliquando vidisset, nempe tùm ad aquæ fluxum attemperata, quæ Clepsydras vocant, tum etiam, quibus Sol umbra gnomonis diei horas edocet. Impertitus est Theodoricus, quæ ille petiisset, Boëtio Severino, viro in omnibus scientiis, & mathematicis præcipuè facultatibus callentissimo, in ejusmodi curandum opus incumbente." Epistolæ, quam Theodoricus ad Boëtium hâc super re dedit, initium hìc referemus: *Spernenda non sunt, quæ à vicinis Regibus præsumptionis gratiâ postulantur: dum plerumque res parvæ plus prævalent præstare, quàm magnæ possunt obtinere divitiæ. Frequenter enim, quod arma explere nequeunt, oblectamina suavitatis imponunt* &c. Vide Cassiodor. ep. 45. & 46. in Lib. I. Var.

(*28) ENNODIUS in vita Epiphanii: *Dum ergo tertio mense cum tali trophæo Ticinum remearet Antistes;... ad Regem Theodoricum per se mox ire noluit; ne fortè laboris sui vicissitudinem in relatione gratiarum, aut in exhibitione munerum coràm positus videretur exigere; flagitat enim quasi debitam retributionem, qui pro flagitatis Principum jussionibus ipse, quid actum sit, auctor annunciat. Hoc ergò ille totius acuminis vir perspiciens, declinare gestiebat. Scripsit tamen; & quæ gesta sunt, loqui commisit epistolis: ne aut tacendo contemptor, aut occurrendo per arrogantiam pronunciaretur intemperans. Quantum tum, admirande Pontifex! tua plus egit absentia, quantum impetravit humilitas deprehensa; dicant illi, quos de exulibus ditissimos reddidisti; igitur omnia, quæ à piissimo Rege pro miseris per paginam petiit, singularis Antistes incunctanter obtinuit.* De alia legatione, quam Epiphanius, qui duobus pòst annis obiit, refert Ennodius, per quam à Theodorico cuncta pro Liguribus impetravit. Tum regressurus in Patriam ægrotare cœpit, ac Ticinum perveniens, septimo die decessit, anno ætatis suæ 58. Vide Baronium ad an. CDXCVI. N. LIX.

ſcientiam ſanam præſtare poſſe, qui Deo fidem ſinceram non ſervaret (*29).

3. Nullus igitur cùm eſſet in Occidente, qui inſtituta Theodorici non probaret; unus adhuc Anaſtaſius Orientis Imperator ejusdem cœptis adverſabatur. Damnaverat hic dudum ea, quæ Zeno Gothis de occupanda Italia conceſſiſſet: & nunc magis inde offenſa acerbior reddebatur, quòd in Italorum Regnum ſuopte ingenio, quin ad exemplum Odoacris inſignia à Cæſare peteret, Theodoricus involâſſet. Ad diſcordiam ejuſmodi dirimendam Feſtus Exconſul Conſtantinopolim mittitur, qui, ubi comi verborum ſuavitate, & demiſſo legationis officio Anaſtaſium Imperatorem deliniverat, quidquid tricarum erat, facilè exhauſit (*30). Reverſus itaque in Occidentem Feſtus eſt, icti fœderis pacíſque nuncius: ſed qui unâ manu Theodorico ferebat ornamenta Regia, ac rei civilis tranquillitatem; is manu alterâ reportabat turbarum fomitem, quibus Eccleſia paulò pòſt non parùm convulſa eſt. Condixerat nempe anteà Imperatori, ſe effecturum, ut, qui pacis vinculo jam eſſent conjuncti, fide deinceps non diſſiderent: cúmque Orientales ad Henotici legem ſua ſacra profiterentur, ſibi curæ fore, ut Anaſtaſius Papa eidem edicto ſubſcriberet. At quò minùs impietatem promiſſi exequi Legatus poſſet, idem Anaſtaſius jam ad beatiorem vitam abierat.

A. 498.

A. 498. *Anaſtaſius Imperator Orientis legatione conciliatur.*

(*29) NICEPHORUS L. 16. c. 35. factum ita deſcribit: *De Theodorico quiddam hujuſmodi hiſtoriæ tradunt. Miniſtrum is quendam ſaniorem fidem ſectantem vehementer inſano amore proſequebatur, & ad voluptatem eo abutebatur. Et ille, ut quæ grata, placitáque ei eſſent, faceret, à Conſubſtantialis fide deſcivit ad Arianiſmum. Quod ubi Theodoricus comperit, caput illi, quem tantopere amaverat, reſecuit, inquiens: Si Deo fidem ſinceram non ſervâſti, quomodo mihi, qui homo ſum, conſcientiam ſanam præſtabis?* Eadem habet ZONARAS.

(*30) CASSIODORUS Var. L. I. ep. 1. refert, quæ Theodoricus de pace ſcripſerat Anaſtaſio: *Oportet nos, Clementiſſime Imperator! pacem quærere, qui cauſas iracundiæ noſcimur non habere,... & ideò, piiſſime Princeps! potentiæ Veſtræ convenit & honori, ut concordiam Veſtram quærere debeamus, cujus adhuc amore proficimus. Vos enim eſtis Regnorum omnium pulcherrimum decus..... Proinde illum* (Feſtum) *etiam legationis officio ad Sereniſſimam pietatem Veſtram credidimus deſtinandos: ut ſinceritas pacis, quæ cauſis emergentibus cognoſcitur vitiata, deterſis conditionibus, in ſua deinceps firmitate reſtituta permaneat.... Cætera verò per labores præſentium pietati Veſtræ verbo ſuggerenda commiſimus* &c. PAGIUS putat, hanc pacem initam eſſe anno 499. Idque conjicit ex Theophane, qui ad hunc annum ait: *Hoc anno Feſtus Senator Romanus ob publica quædam negotia Conſtantinopolim ad Anaſtaſium Româ miſſus.*

(i) Theodorus L. Collect. L. 2. Nicephor. L. 16. c. 35. *Theodoricus ad extinguendum schisma Romanum operam confert.* A. 499.

rat (i). Festus spe suâ frustratus, ad illam aliunde reparandam, hominem ejusmodi factiosis consiliis in sedem sanctam intrudere constituit, qui pollicitationi à se factæ faceret satis. Duo igitur Pontifices eodem tempore à diversis delecti sunt: & Symmachus quidem priore loco, & à majori parte in Basilica Constantiniana ordinabatur; alii verò numero admodùm inferiores, & pecuniâ ad scelus empti Laurentium Papam subinde in æde S. Mariæ pronunciârunt. Ut singuli Cathedræ Petri competitores suis nitebantur patronis; ita altercationibus primùm, dein rapinis ac cædibus lis peracta est. Tumultus quia eorum, quorum intererat, facultate comprimi haud poterat, ad arbitrium Theodorici Regis provocabatur (*31). Ravennam in Regiam urbem ubi deventum est; Theodoricus cognitâ causâ, hanc æquissimam sententiam tulit, ut, qui primò ordinatus, & à maxima suffragantium parte electus fuisset, is præ alio Sedem Apostolicam obtineret: quare excluso Laurentio & Symmacho ad clavum Ecclesiæ admisso, illa ad tempus conquievit; donec post aliquot annorum intervallum recrudescens per vices malum Regis operâ, & Episcoporum authoritate penitùs profligaretur (*32).

A. 500. (k) Vales. Anonym. apud Pagi, ad an. 500. *Theodoricus Romanam urbem invisit*

4. Octavus jam Theodorici annus agebatur, quo illi Italiæ imperare, Romam tamen adire necdum licuerat: sive enim factiosorum turbæ id prohibuerint, sive sine ornamentis Regiis ab Imperatore seriùs concessis intrare urbem Rex noluerit (k); certè his impedimentis aliquantùm sublatis, anno æræ Christianæ quingentesimo Romanorum Metropolim totâ fermè citeriore comitante

(*31) ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS ad annum 498.: *Factâ contentione, hoc construxerunt Partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introivissent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt: ut, qui primò ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica; quod tandem æquitas in Symmacho invenit, & cognitio veritatis, & factus est Præsul Symmachus.*

(*32) BARONIUS ad annum DII. N. XV. refert verba Theodorici in causa Ecclesiastica modestè agentis: *In Synodali* (ajebat) *esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere: committens etiam potestati Pontificum, ut, sive propositum vellent, audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodò venerandi provisione Concilii pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur.*

mitante Italiâ ingressus est (*33). Adveniente Rege, nemo erat, quem non officii cura, quem non visendi studium acueret (l): tanto igitur comitatu accinctus, cùm pristinam pomparum ac triumphorum speciem referre visus esset; salutato intra Circum Senatu, populóque, Primoribus solenne epulum, plebejis congiarium dedit (m). Inde ad inspicienda urbis monumenta conversus, quantò magìs Trajani forum, & Capitolii fastigium velut humani ingenii miracula considerabat; tantò dolentiùs ingemiscebat ad eas labes & ruinas, quas tum ædificiis, tum mœnibus Romanis repetitæ vastationes intulissent. Romæ itaque non tantùm, sed & Italiæ universæ decorem pristinum redditurus præcepit, ut, quod sive in urbe, sive in castellis per Italiam positis hostium vis perdidisset, vel reficeretur penitùs, aut ex fundamentis excitaretur (*34). Author tantorum operum

(l) Cassiod. Chronic. ad Coss. Hypatium & Patricium.

(m) Histor. Miscell. p. 100.

Theodoricus reparat Romanæ urbis & Italiæ ruinas.

(*33) ANONYM. VALES.: *Factâ pace cum Anastasio Imperatore per Festum de præsumptione Regni, & omnia ornamenta Palatii, quæ Odoachar Constantinopolim miserat, remittit. Eodem tempore intentio* (contentio) *orta est in urbe Roma inter Symmachum & Laurentium; consecrati enim fuerant ambo: ordinante Deo, qui eo dignus fuit, superavit Symmachus. Post factâ pace in urbe Ecclesiæ, ambulavit Rex Theodoricus Romam, & occurrit B. Petro devotissimus, ac si Catholicus. Cui Papa Symmachus, & cunctus Senatus vel populus Romanus communi gaudio extra urbem occurrentes; deinde veniens ingressus urbem venit ad Senatum, & ad Palmam populo adlocutus, se omnia, Deo juvante, quod retrò Principes Romani ordinaverunt, inviolabiliter servaturum promittit.*

(*34) IDEM pergit: *Per tricennalem triumphans* (decennalem legunt Valesius & Pagius) *ingressus Palatium, exhibens Romanis ludos Circensium: donavitque populo Romano & pauperibus, annonas singulis annis, centum viginti millia modios, & ad restaurationem palatii, seu recuperationem mœniorum civitatis, singulis annis libras ducentas de arca Vinaria dari præcepit.* CASSIODORUS in Chronico ad annum 500.: *Hoc anno D. N. Rex Theodoricus Romam cunctorum votis expetitus, advenit, & Senatum suum mirâ affabilitate tractans, Romanæ plebi donavit annonas, atque admirandis mœnibus deputata per annos singulos maximâ pecuniæ quantitate subvenit. Sub cujus felici imperio plurimæ renovantur urbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur.* Inter palatia erecta est quoque memorabile illud, quod Ravennæ posuit, de quo RUBEUS in Histor. Ravenn. L. III. p. 127. ita notat: *In hac urbe ædes sibi* (Theodoricus) *magnificas, ac planè Regias exstruxit eo loco, quem inter D. Martini in cælo aureo, sive* (ùt aliis placet) *ad sacellum Arrii, ab se itidem ædificati, & muros urbis ad Orientem nunc in hortos degenerâsse videmus. Portas domûs ferunt ac porticus, carbaseis velis intentis obductas, magnum securitatis publicæ exemplum præbuisse. Harum imaginem vermiculato pictam opere, in D. Martini* (*quod Apollinaris novi vocant*) *dextro pariete videre quisque, templum ingrediens, potest.* CIAMPINI tamen in veter. Monim. T. II. cap. 12. existimat, hoc palatium non primò à Theodorico, sed à Cæsaribus fuisse exstructum; dein à Rege Ostrogothorum renovatum.

rum æquè apud vivos famam, atque apud posteros memoriam habuit; nam cùm ars ædificandi ad Architecturæ, quam Gothicam vocant, leges componeretur; facilè à sera ætate intellectum est, cujus demum gentis aut originis is Princeps fuerit, qui tam grande beneficium Italiæ impendisset (*35).

Theodorici reditus in Ravennatium civitatem.

Theodoricus Romæ de ædificiis civium reparandis multùm meditatus, relecto eodem anno Ravennam itinere, de restituendis Italorum moribus cogitabat: quod ut confectum daret, leges quasdam præscribere fas putavit, quibus tum Barbari, tum Romani deinceps obstringerentur (n).

(n) Cassiod. Var. L. IX. ep. 14.

Edictum Theodorici.

Ex novellis nimirum statutis, tum ex jure veteri quinquaginta quatuor super centum capita, quibus *Edicti* indidit nomen, evulgabat, propositâ Magistratibus ultionis pœnâ, qui contraire decretis, aut neglectu suo ea violare præsumpserint (†).

(†) Reflexio VI.

Et quoniam Justitiæ vigor in Judicum integritate ac prudentia velut opportunis cardinibus versatur; hos multoties commonebat, ut Reginam procacium vitiorum avaritiam fugiant, ad utilitates publicas adhibeant curam (o), útque meminerint, se, dum tribunalia conscendunt, morum quoque gradibus evehi: nil vile, nil cupidum decere Judicem; claras quippe suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliquâ reprehensione sordescant (p). A sceleratis probari se nolint, sed timeri, neque tamen ideò, quia eosdem multorum humilitas pertimescit, assumere superbiam velint; propterea quòd viri sit, in fastigio fortunæ etiam modestiam (q) profiteri. Denique sicut ægris non una causa salutis est; ità Theodoricus cautum

(o) Cassiod. Var. L. 12. ep. 1.

(p) Idem l. c. ep. 2.

(q) Idem L. 12. ep. 3.

(*35) ENNODIUS in Panegyr. Theodorici: *Video insperatum decorem urbium cineribus evenisse, & sub civilitatis plenitudine palatina ubique tecta rutilare. Video antè perfecta ædificia, quàm videre contigisset, disposita. Illa ipsa civitatum mater Roma juvenescit, marcida senectutis membra resecando.* Et CASSIODORUS Var. L. I. ep. 6. nomine Theodorici scribit ad Agapitum Præfectum urbis: *Decet Principem curare, quæ ad Rempublicam spectat agendam: & verè dignum est, Regem ædificii palatia decorare. Absit enim, ut ornatui cedamus Veterum, qui impares non sumus beatitudine sæculorum. Quapropter in Ravennate urbe Basilicæ Herculis amplum opus aggressi, cujus nomini Antiquitas congruè tribuit, quidquid in aula prædicabili admiratione fundavit, magnitudini tuæ studiosissimè delegamus: ut secundum Breve subter annexum, de urbe nobis marmorarios peritissimos destinetis, qui eximiè divisa conjungant, & venis colludentibus illigata naturalem faciem laudabiliter mentiantur. De arte veniet, quod vincat naturam. Discolor crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur* &c.

cautum ibat Magistratibus, ne subditorum affectiones aut morbos eodem consilio curarent: quare feroces premerent duriter, mansuetos civiliter, dolosos cautè, & lenitate quâdam simplices moderarentur. Neque verbis tantùm suos Præfectos Rex, sed & exemplo instruebat; nam negotiorum ordinem per tempora partitus, plura Regni curis, pauca concessis etiam voluptatibus dabat. Ante primam lucem postquam Sacerdotum suorum cœtus inviserat; reliquum tempus matutinum legationibus audiendis, cognoscendísque Provinciarum ac subditorum causis exigebat (r). Sub horam secundam animum levabat venationum aut aucupii studio, quam exercitationem frugalis mensa excipiebat, in qua cibi ab arte & nitore, non à pretio aut pondere placebant: breve epulum sermo gravis interpolabat, & scyphorum, paterarúmque raras oblationes potiùs accusabat sitis, quàm recusabat ebrietas. Refecto tantisper corpore, gravissima publici regiminis moles resumebatur; quare litigantium causas in seram tunc noctem cognoscebat, ordinabat Provinciarum tributa, & subditorum commoda tam paternâ sollicitudine accurabat, ut alii Theodoricum Justitiæ magnum cultorem (s), alii gloriosissimum Regem, & bono Reipublicæ natum, libertatis demum Custodem amplis inscriptionibus (*36), & pretiosis numismatis celebrârint (*37).

Variæ leges ac dispositiones Theodorici Regis.

(r) Sidonius Apollin. in epist. ad Agricol.

Theodorici vita frugalis & laboriosa.

(s) Procop. L. 1. de B. G. c. 1.

5. Quem-

(*36) Inscriptiones, quas RAPHAEL FABRETTI ex lapidibus Romæ positis collegit, encomia Theodorici exhibent; talis est 1. REG. DN. THEODERICO FELIX ROMA. 2. REG DN. THEODERICO BONO ROMÆ. 3. SALVO D. N. THEODERICO REGE GLORIOSISSIMO. Præter has aliæ inscriptiones notatæ sunt à GRUTERO; unde pag. 1082. 14. REGNANTE D. N. THEODERICO CONSTANTIUS. VC. PV. DIC. Prætereà insignis epigraphe est illa, quam habet GRUTERUS pag. 152. N. 8., quæque inventa est Anxuri in Cæsarii templo: DN. GLORIOSISSIMO, ATQ. INCLVTVS REX THEODORICUS VICT. AC TRIT. SEMPER AUG. BONO REIP. NATUS, CUSTOS LIBERTATIS, ET PROPAGATOR ROMANI NOMINIS, DOMITOR GENTIUM &c.

(*37) CASSIODORUS Var. Lib. VII. ep. 32. ostendit, in monetis quoque aureis, argenteis, & æreis gloriam Theodorici expressam fuisse; dum ait: *Omninò moneta debet integritas quæri, ubi & vultus vester imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie, & quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilegâ violare festinat?... Si vultus cujuslibet sincero colore depingitur, multò justiùs metallorum puritate Principalis gratia custoditur. Auri flamma nullæ injuriâ permixtionis albescat: argenti color gratiâ candoris arrideat: æris ruber in nativâ qualitate permaneat.*

Ejus gloria. Ars militaris Theodorici. (t) Cassiod. Var. L. V. ep. 27. A. 503. (u) Theophan. ad an. Inc. secund. Alex. 494. Marcellin. in Chronico. *Ejus victoria adversùs Bulgaros.* A. 504. (x) Cassiod. in Chron. Idem Var. L. III. ep. 23. A. 505. *Alarici Visigothorum Regis causam contra Francos suscipit Theodoricus.* A. 506. (y) Fredegar. in epit. c. 25. Aimoinus L. 1. c. 20. (z) Cassiod. Var. l. 3 ep. 4. (a) Cassiod. Var. l. 3. ep. 2. (b) Idem l. c. ep. 3.

5. Quemadmodùm verò Theodoricus legum subsidio firmabat Regnum; ita hujus fines armis felicibus propagavit. Bello Gens Gothorum inde assueverat, quòd primam ætatem in arte jactandi hastas, aut librandi sagittas poneret (*38). Tyrocinio ad fortitudinem, & futuram virtutem eruditi, singuli Millenarii singulis Ducibus subdebantur (t): quâ ratione cùm & disciplinam militarem pati, & agere in hostes fortiter didicissent; Barbaris cæteris posteà non exiguo terrori fuêre. Bulgari anno tertio supra quingentesimum in Thraciam atque Illyricum irruperant, & occupato Sirmio, ipsi adeò Italiæ propinquaturi credebantur (u); tum Theodoricus Petzam Comitem cum exercitu prædatoribus occurrere jubet, quos ille collatis signis non tantùm repulit, sed & Sirmio, ac universæ Provinciæ receptis, Præfectum, qui eas terras Gothorum nomine regeret, imposuit (x). Theodoricus itaque, præter Italiam, Siciliámque, Rhætiâ ac Vindeliciâ potitus, ultrà in Dalmatiam ac Pannoniam suum dominatum protulerat, cujus amplitudini ut ex Gallia etiam pinguis portio accederet, bellum, quod inter Alaricum Visigothorum, & Clodovæum Francorum Reges tunc fervebat (y), occasionem dedit. Nam cùm Rex Ostrogothorum hujus sororius, alterius verò socer esset; Patris veluti jure ad pacem utrosque hortatus, illi arma comminabatur, qui sua monita contemnenda putaret (z). Misit etiam Legatos ad Gundebaldum Burgundionum (a), aliarúmque nationum Principes (b), qui dissidentes propinquos fœdere aut metu componerent. Sed Clo-

(*38) ENNODIUS in Panegyr. Theodorici: *Jam illud, quo ore celebrandum est, quod Getici instrumenta roboris, dum provides, ne interpellentur otia nostra, custodis, & pubem indomitam sub oculis tuis, inter bona tranquillitatis, facis bella procedere? Adbuc manent in soliditate virium victricia agmina, & alia jam creverunt. Durantur lacerti missilibus, ut impleant actionem fortium, dum jocantur: agitur in vicem spectaculi, quod sequenti tempore poterit satis esse virtuti. Dum armis puerilibus hastilia lenta torquentur, dum arcus quotidianæ capitum neces dirigunt, urbis omne pomærium simulacbro congressionis atteritur. Agit figura certaminum, ne cum periculo vera nascantur.* Quâ ratione Gothi se in domandis & circumagendis equis, in librandis hastis exercuerint. Hujus exempla legere poteris apud Procopium L. III. de B. G. c. 4. & Lib. IV. c. 31.

Clodoveus Theodorici consiliis adeò non cessit, ut in campo A. 507.
Vogladensi cum Alarico in prælium iret, ac exercitu Visigotho-
rum cæso, eorum quoque Regem interficeret (c). A victori- (c) Gregor.
bus inde Francis non tantùm duæ Aquitaniæ, ac Novempopu- Turon. l. 2.
lania, sed & Tolosa Visigothici Regni sedes subacta est. Duo c. 37.
adhuc fortissima castella expugnanda erant, nempe Carcasso ad A. 508.
Atacem fluvium, & Arelatum ad Rhodanum, quibus ubi Clo- A. 509.
doveus obsidionis vim applicuerat; Theodoricus premi Gotho-
rum reliquias minimè ferens, exercitum in Galliam Narbonen-
sem ducit, & pulsis ab urbe Arelatensi Francis, Ostrogothici
Regni limites in Druentiæ fluminis ripa defixit. Intereà Visigo-
thi, qui cladem evaserant, in locum Alarici defuncti Regis
(Athalarico filio ejusdem ob imbecillitatem ætatis neglecto) Ge- (d) Procop.
salicum delegêre (d). Theodoricus, postquam Visigothos à de B. G. l. 1.
Rhodano aliquantùm submoverat; Athalaricum, qui illius ex c. 12. A. 510.
filia nepos erat, in Regni jus restituturus, copias suas contra Ty- (e) Isidor.
rannum pugnare jubet, quæ primâ congressione fugatum ho- Chron. Got.
stem in eas angustias compulêre, ut per Africam ad reparandas Æra 521. A. 511.
vires frustrà vagatus, & tandem in Hispania vel captus, vel victus (f) Procop.
cum vita breve regnum concluserit (e). Ab eo tempore Theodori- de B. G. l. 1.
cus Amalarici juventam & subjectam ei Hispaniam tutoris simul, c. 12. A. 515.
simúlque Principis nomine moderari cœpit (f). Secundiore *Theodoricus*
inde cursu tum Visigothorum, tum Ostrogothorum res prove- *Eutharicum*
ctæ sunt, nisi quòd Theodoricum domestica quædam cura de *successorem,*
sui in Italia Regni successore anxium, dubiúmque teneret: equi- *& maritum*
dem ille unicam ex conjuge ac Clodovei sorore filiam Ama- *filiæ Amala-*
lasuntham susceperat: sed cùm Gentis mos non ferret, ad fœ- *sunthæ con-*
minas devolvere fasces; virum investigabat, qui & Gothorum *stituit.*
genere, & Amalorum cognatâ stirpe natus, vel Regem post se (g) Jor-
agere, aut ex conjugio filiæ talem dare posset. Hæc agitanti nandes Get.
nunciatur, in Hispania Eutharicum quendam degere, qui & c. 58.
ipse ex Amalis oriundus, præter conditionem sanguinis insignem Vide Tab.
quoque tum prudentiæ, tum formæ dotes habeat (g); eum geneal. supra
igitur in aulam, & ad connubium Amalasunthæ evocare Regi in not. 14.
placuit (h): magnis subinde honoribus, & præcipuè Consulatu A. 518. 519.
(h) Cassiod. in Chron. ad Coss. Florentin. & Anthem.

 ornatus

ornatus (*39) Eutharicus, ſpem Theodorici auxit, quòd ex filia Regni optatiſſimum hæredem Athalaricum procrearet (*40).

A. 522. 6. Poſtquam Theodoricum aſpirans fortūna per tot gradus ad faſtigium uſque deduxerat; à ſemetipſo rurſus deficere, & priſtinam illam æquitatis ac ſapientiæ laudem vitioſâ indulgentiâ, dein præcipiti temeritate fœdare cœpit. Rege enim ad clavum Reipublicæ magìs in dies langueſcente, Magnatum complures imbecillium fortunas invadebant: eóque Gothorum avaritia jam invaleſcebat, ut Palatini Provincialium opes privatis rapinis, & publicis vectigalibus vel peſſumdarent, aut ſpe ac ambitione de-

Theodoricus ingenium mutat ac mores.

A. 523. vorarent (*41). Immodicæ aliquantùm cupiditati tum injuriis Sena-

(*39) CASSIODORUS ad annum 519. ita Faſtos Conſulares ſuos concludit: D. N. EUTHARICUS CILLACA, ET JUSTINUS AUG. COSS.: *Eo anno multa vidit Roma miracula editionibus ſingulis, ſtupente etiam Symmacho, Orientis Legato..... Muneribus amphitheatralibus diverſi generis feras, quas præſens ætas pro novitate miraretur, exhibuit. Cujus ſpectaculi voluptates etiam exquiſitas Africa ſub devotione tranſmiſit. Cunctis itaque eximiâ laude completis, tanto amore civibus Romanis inſederat, ejus adhuc præſentiam deſiderantibus, Ravennam ad glorioſi Patris remearet aſpectus, ubi iteratis editionibus, tanta Gothis, Romaniſque dona largitus eſt, ut ſolus potuerit ſuperare, quem Romæ celebraverat Conſulatum.* IDEM Variar. Lib. VIII. ep. 1. affert verba Athalarici Juſtinianum Imperatorem alloquentis: *Perpendite, quid à vobis mereatur ſucceſſor bonorum. Vos avum noſtrum* (Theodoricum) *in veſtra civitate celſis curulibus extuliſtis: vos genitorem meum* (Eutharicum) *in Italia Palmatæ claritate decorâſtis: deſiderio quoque concordiæ factus eſt per arma filius, quamvis vobis penè videbatur æquævus.* Unde colligitur, Eutharicum Athalarici Patrem ab Imperatore Orientis in filium quoque adoptatum fuiſſe.

(*40) ENNODIUS in Panegyri Theodorici ſuam orationem voto eodem abſolvit, nempe ut filius & hæres tandem Theodorico naſcatur; *Utinam aurei bona ſæculi purpuratum ex te germen amplificet! Utinam hæres Regni in tuis finibus laudat! ut hæc, quæ tibi offerimus verborum libamina, ſacer parvulus à nobis exigat ſimilium adteſtatione gaudiorum.*

(*41) Ex BOETII Lib. I. de Conſolatione Proſâ IV. vitia, vitiorúmque authores, qui tunc graſſabantur, deprehendere licet; ita autem vir integer Sapientiam pro more alloquitur: *Tu ejuſdem viri* (Platonis) *ore hanc ſapientibus capeſſendæ Reipublicæ neceſſariam cauſam eſſe monuiſti, ne impuris, flagitioſiſque civibus urbium relicta gubernacula, peſtem bonis ac perniciem inferrent,... inde cum improbis graves, inexorabileſque diſcordiæ fuêre.... Quoties ego CONIGASTUM in imbecillis cujuſque fortunas impetum facientem, obvius excepi. Quoties TRIGUILLAM Regiæ Præpoſitum Domûs, ab incepta & perpetrata jam prorſus injuria dejeci? Quoties miſeros, quos infinitis calumniis impunita Barbarorum ſemper avaritia vexabat, objectâ periculis auctoritate protexi? Nunquam me à jure ad injuriam quiſquam detraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus peſſumdari, non aliter, quàm qui patiebantur, indolui.*

Senatores integri, & maximè Albinus vir Conſularis, obſiſtebant: ſed Conigaſtus, & Triguilla Regiæ Domûs Præpoſitus, aliíque ſcelerum rei Cyprianum jam ſubornaverant, qui Senatui, & Albino de conjuratione diem diceret (*42). Cùm enim paulò ante Juſtinus Orientis Imperator adversùs Arii ſectatores infeſtam edidiſſet legem (i); Romanos id jam agere criminabatur, ut exterminatis Gothis Arium ſequentibus, Juſtino Italiam reſtituant: eam in rem Albini epiſtolam proferebat, ex qua is cum Imperatore clandeſtina miſcuiſſe conſilia perhibebatur. Qui flagitioſorum poteſtati obluctari ampliùs vellet, quíque contra ſummam malitiam ſummæ authoritatis vires opponere poſſet, nemo (præter Severinum Boëtium) erat; hic enim illuſtriſſimâ Aniciorum familiâ natus (k), ac omnium ſui ævi literatorum Princeps Senatorio ac Patriciorum ordini (l) adlectus, anno DX. Conſulatum geſſit (m), quâ dignitate ejus duo quoque filii, Patricius & Hipatius, ex Ruſticiana Aurelii Symmachi filia ſuſcepti, poſteà donati ſunt (*43). Poſt annum quingenteſimum ubi

Ejus indulgentia nimia in tolerandis Præfectorum vitiis.

(i) Anaſtaſ. in V.S. Joannis Papæ.

Albinus & Boëtius ſceleratis obſiſtunt non ſine ſuo periculo.

(k) Sirmondus in notis ad Ennod.

(l) Marius Aventic. in Chronico.

(m) Pag. ad an. 410. & 522. N. 1.

indolui. Cùm acerbæ famis tempore gravis atque inexplicabilis indicta coëmptio profligatura inopiâ Campaniam Provinciam videretur; certamen adversùs Præfectum Prætorii, communis commodi ratione ſuſcepi, Rege Cognoſcente contendi: & ne coëmptio exigeretur, evici. Paulinum Conſularem virum, cujus opes Palatini canes jam ſpe, atque ambitione devorâſſent, ab ipſis hiantium faucibus retraxi.

(*42) ANONYMUS à VALESIO EDITUS: *Cyprianus, qui tunc Referendarius erat, poſteà Comes Sacrarum & Magiſter, actus cupiditate, inſinuavit de Albino Patricio, eoquòd literas adversùs Regnum ejus Imperatori Juſtino miſiſſet.*

(*43) PAGIUS in Critica duo hìc in Baronio corrigenda putavit: & *primò* quidem ad annum 410., quo Boëtius abſque Collega Conſul dicitur, Annalium Author perhibet unà cum Papebrochio ad diem 27. Maji in vita S. Joannis Papæ c. 2, quòd Boëtius eodem anno ſecundum Conſulatum geſſerit, adeóque anno 522. tertiùm fuerit Conſul cum Symmacho, propterea quòd anno 487. jam Boëtius in Conſulum numero habeatur. Sed Pagius alium hunc poſtremum Boëtium, & diverſum à Philoſopho fuiſſe oſtendit, qui primum modò Conſulatum egit anno 510., adeóque nonniſi ſecundum anno 522. *Secundò* emendandum dicit in Baronio id, quod de Boëtii filiis exponit, nempe eos *Conſulares* fuiſſe, id eſt, quemadmodum interpretatur, *Conſulis filios*: ſive, ut Boëtii verbis utamur L. 2. de Conſol. Proſ. IV.: *Quid dicam liberos Conſulares, quorum jam, ùt in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti ſpecimen elucet ingenii.* Sed PAGIUS alium ſenſum hìc eruit, ſcilicet per id, quòd *Conſulares* dicantur, Conſules fuiſſe oſtendi. Nam qui Boëtius Conſul fuerat anno 487., Pater fuerat Boëtii Philoſophi, cui anno 510. Conſulatus adſcribitur, quíque duos filios genuit, Symmachum & Boëtium, qui ad annum 522. numero plurali Conſules exhibentur. Vide Boëtium de Conſolat. L. III. Proſâ IV.

Quis Boëtius fuerit? ubi Theodoricum Regem Romam ingressum panegyricâ oratione exceperat (n); ab eodem Principe secretioribus consiliis admotus, & paulò pòst Magister Palatii, atque officiorum constitutus est (o). Tantam authoritatem in commoda Reipublicæ hoc tempore postremo convertens, spretâ Potentûm offensione, impetus sceleratorum obvius repressit, vel objecto periculis capite protexit miseros, vel subditorum fortunas ab ipsis hiantium faucibus retraxit (p); denique ne Albinum consularem virum, præjudicatæ accusationis pœna corriperet: aut ne impactum Albino Majestatis crimen ad cunctum Senatûs ordinem transferretur; odiis se Cypriani delatoris opposuit (*44). *Boëtius Albinum defendit.* Sed quemadmodum ii, qui naufragantibus tendunt manus, in eandem voraginem, ex qua alterum ereptum ibant, rapiuntur; ita Boëtius defensionis suæ, quâ Senatum salvum volebat, præmium aliud non tulit, quàm ut accusatus perfidiæ, in discrimen salutis propriæ adduceretur (*45). *Boëtius à falsis testibus accusatur.* Crimen, cujus conscientiam vir integerrimus non habebat, facilè diluebatur (*46): sed Theo-

(n) Boëtius de Consol. l.2.Prosâ III.

(o) Anon. Valesii.

(p) Boëtius de Consol. l.1.Prosâ IV.

A. 523.

(*44) BOETIUS L. I. de Consol. Pros. IV.: *Meministi* (inquam) *Veronæ cùm Rex avidus communis exitii, Majestatis crimen, in Albinum delatum, ad cunctum Senatûs ordinem transferre moliretur, universi innocentiam Senatûs, quantâ mei periculi securitate defenderim.*

(45) ANONYM. VALESIANUS: *Quod factum dum vocatus* (Albinus) *negaret: tunc Boëtius* (*Patricius*) *qui Magister officiorum erat, in conspectu Regis dixit: Falsa est insinuatio Cypriani: sed si Albinus fecit, & ego, & cunctus Senatus uno consilio fecimus. Falsum est, Domine Rex. Tunc Cyprianus hæsitans, non solùm adversùs Albinum, sed & adversùs Boëtium, ejus defensorem deducit falsos testes.... Sed Rex dolum Romanis tendebat, & quærebat, quomodo eos interficeret, plus credidit falsis testibus, quàm Senatoribus. Tunc Albinus & Boëtius ducti in custodia ad Baptisterium Ecclesiæ*, scilicet Ticinensis, ubi Baptisterium sub turri est, ita exponit Pagius ad annum 526. N. VI.

(*46) IDEM L. II. de Consol. Pros. III. crimina objecta diluit: *At cujus criminis arguimur, summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse. Modum desideras? delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum læsæ Majestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, ô Magistra! censes? inficiabimur crimen, ne tibi pudori simus? At volui, nec unquam desistam. Fatebimur? sed impediendi delatoris opera cessabit. An optâsse illius ordinis salutem nefas vocabo? Ille quidem suis de me decretis, utì hoc nefas esset, effecerat. Sed sibi semper mentiens imprudentia rerum merita non potest immutare: nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium.... De compositis falsò literis, quibus libertatem arguor sperâsse Romanam, quid attinet dicere? quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod in omnibus negotiis maximas vires habet, uti licuisset.*

Theodoricus potentiam ac virtutem Boëtii metuens, ut eundem repentè opprimeret, eos teſtes in judicium admiſit, quos ob nefanda flagitia Rex paulò antè proſcribendos, & eâdem die, quâ Boëtium accuſabant, frontibus inuſtis expellendos edixerat (*47). Ex illorum igitur, qui minimè debebant, teſtimonio Boëtius quingentis ferè paſſuum millibus procul motus atque indefenſus ob ſtudium propenſius in Senatum, morti, proſcriptioníque damnabatur. Dum verò catenæ Captivi membra vinciebant, animus liberior Sapientiæ cæleſtis ſenſa excipere, eáque in librum digerere gaudebat, quæ deinceps omnes, quos mendax rumor, aut malitia iniquis fortunæ telis exponit, altiore ſolatio recreare valent (q). Ticini in carcere, ſive in ſua ſchola virtutum adhuc ſpirabat Boëtius; tum ejusdem ſocer Symmachus (*48) Raven-

A. 524. *Boëtius mancipatur carceri, & damnatur.*

(q) Boëtius de Conſolat. Philoſophiæ Libri 5.

ſet. Nam quæ ſperari reliqua libertas poteſt? Atque utinam poſſet ulla! Reſpondiſſem Canii verbo: qui cùm à C. Cæſare, Germanici filio, conſcius contra ſe factæ conjurationis fuiſſe diceretur: Si ego (inquit) ſciſſem, tu neſciſſes. Quâ in re non ita ſenſus noſtros mæror hebetavit, ut impios ſcelerata contra virtutem querar molitos: ſed quæ ſperaverint, effeciſſe vehementer admiror.

(*47) BOETIUS L. II. de Conſol. Proſ. III.: *Quibus autem deferentibus perculſi ſumus? quorum Baſilius olim Regio miniſterio depulſus, in delationem noſtri nominis, alieni æris neceſſitate compulſus eſt; Opilionem verò atque Gaudentium, cùm ob injurias, atque multiplices fraudes ire in exilium Regia cenſura decreviſſet, cúmque illi parere nolentes ſacrarum ſeſe ædium defenſione tuerentur, compertúmque id Regi foret, edixit, ut, niſi infra præſcriptum diem Ravennâ urbe decederent, notas inſigniti frontibus pellerentur. Quid huic ſeveritati poſſe adſtrui videtur? Atqui eodem die deferentibus iisdem nominis noſtri delatio ſuſcepta eſt....* Et infrà injuſtam Judicum ſententiam ex eo commonſtrat, quòd abſentem & inauditum damnârint: *Pro vera virtutis præmiis falſi ſceleris pœnas ſubimus. Et cujus unquam facinoris manifeſta confeſſio ita Judices habuit in ſeveritate concordes, ut non aliquos vel ipſe humani error ingenii, vel fortunæ conditio, cunctis mortalibus incerta, ſummitteret? Si inflammare ſacras ædes voluiſſe, ſi Sacerdotes impio jugulare gladio, ſi bonis omnibus necem ſtruxiſſe diceremur; præſentem tamen ſententia confeſſum, convictúmque puniſſet. Nunc quingentis ferè paſſuum millibus procul moti, atque indefenſi ob ſtudium propenſius in Senatum, morti, proſcriptionique damnamur. O Meritos, de ſimili crimine neminem poſſe convinci! cujus dignitatem reatus ipſi etiam, qui detulêre, viderunt: quam utì alicujus ſceleris admiſſione fuſcarent, ob ambitum dignitatis ſacrilegio me conſcientiam polluiſſe mentiti ſunt.*

(*48) ENNODIUS in Parænesi didaſcalica: *Patricii Feſtus & SYMMACHUS omnium diſciplinarum materia, & conſtantes formâ ſapientiæ, ab urbe ſacratiſſima non recedunt. In ipſis eſt mobilis curia Principatus: quos vidiſſe, erudiri eſt. Non apud eos ſermo de ludicris, nec Pantomimorum vix ignoſcenda commemoratio. Illi auram popularem per pudoris detrimenta non capiunt: contenti rectis magìs placere, quàm pluribus, ſortiuntur de innocenti actione teſtimonium. Iſtorum quamvis in omnibus juſſa ſequenda ſint; eſt tamen in illis & Magiſtra taciturnitas, & eruditi forma ſilentii.* SIRMONDUS

Boëtii & Symmachi soceri supplicium.

A. 525.

Ravennam in custodiam quoque abreptus est. Cùm enim Theodoricus timeret, ne is, qui caput Senatus haberetur, Generi dolore permotus, adversùs Regnum Gothorum quæpiam moliretur; conficti criminis insimulatum è medio tolli jussit. Sententia tamen improba ac fatalis priùs Boëtii (*49) caput abstulit: deinde anno sequenti, interfecto Symmacho, tertiam demum victimam furori suo Tyrannus immolavit: Joannes nimirum Pontifex, qui anno DXXIV. ad legationem apud Cæsarem pro Arianis obeundam coactus fuerat (r), hoc tempore in Italiam reversus, bilem Theodorico inde moverat, quod cùm in mandatis accepisset, ut Arianos, qui ad Catholicos transiissent, ad sectam suam redire compelleret; Papa neglecto impii Regis imperio, eosdem potiùs in orthodoxa religione retinendos Justino persuaserit (s). Itaque Theodoricus ad pertinaciam (uti criminabatur) Pontificis castigandam, illum Ravennæ ergastulo includit, in quo sanctus vir multis ærumnis maceratus, quinto Kalendas Junii mortalem vitam exuit (t). Post triplex Reipublicæ

(r) Anon. Valesii.

(s) Anastas. in V. Joan. Auctor Miscell. l. 15.

A. 526.

Joannes Papa carceris squalore extinguitur.

(t) Anon. Valesianus. Gregorius Turon. de Martin. L. I. c. 40. AuthorMiscellæ p. 103.

MONDUS in not. ad Lib. 7. epist. ENNODII, familiam exhibet *Symmachorum.* PROCOPIUS etiam de Symmacho, & ejus genero Boëtio ita scribit de B. G. L. I. cap. 1.: *Symmachus, ejúsque gener Boëtius, nobilissimo loco nati, iidémque viri Consulares in Senatu eminebant. A Philosophia nemo illis erat instructior, nemo studiosior æquitatis. Accedebat benignitas, quâ inopiam cùm civium, tum peregrinorum levabant. Hinc magnam adepti gloriam, sibi invidiam cumulârunt apud homines acerbissimos: quorum calumniis inductus Theodericus, ambos studii novarum rerum insimulatos morte affecit, eorúmque bona publicavit.*

(*49) ANONYMUS VALESII *genus mortis*, quo Boëtius periit, nobis describit: *Rex verò vocavit Eusebium Præfectum urbis Ticini, & inaudito Boëtio, protulit in eum sententiam. Qui mox in agro Calventiano, ubi in custodia habebatur, misit Rex, & fecit occidi: qui acceptâ chordâ in fronte diutissimè tortus, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur. Tempus*, quo Boëtius extinctus est, Pagius refert ad annum DXXIV., quem vide ad hunc annum N. III., & ad an. DXXVI. N. VI. VII. *Locus* demum, ubi obiit, non adeò certus est, quia ANONYMUS VALESII designat *agrum Calventianum.* MARIUS AVENTICENSIS ad an. DXXIV. ait: *Interfectus est Boëtius in territorio Mediolanensi.* BARONIUS ad annum DXXVI. N. XVI.: " Ostenditur hodie Ticini turris, in qua Boëtius detentus est in vinculis, olim quidem ob reos in eâ detentos horribilis, óbque facinora detestabilis, sed ejus (Boëtii) habitatione, sanguinísque aspersione redditâ quovis fornice triumphali clarior. „ Cætera, quæ addit N. XVII. ex Julio Martiano (quem futilem Authorem Pagius vocat) de miraculo, quod in obitu Boëtii contigerit, nempe quòd utrâque manu avulsum caput sustinuerit, & interrogatus responderit, se ab impiis percussum esse, fabulis simile est. Pariter *Epitaphium* Boëtio positum, & ex eodem Martiano depromptum, ultimis sæculis editum dicit Pagius, quem vide ad an. 526. N. VII.

blicæ ac Ecclesiæ luctuosum funus Tyrannus adhuc tribus mensibus supererat (u); quo intervallo exacto, cùm cœnanti Regi grandis piscis caput apponeretur; is caput Symmachi in eodem ostento sibi objici credidit, quod eminentibus inferiore è labio dentibus, & torvùm oculis intuentibus factum ultimum sibi parricidæ atrociter comminaretur (*50). Concepta spectaculi fœditas Principem in horrorem primò, dein in exitialem morbum conjecit. At ne mors citiùs inopinantem, & necdum compositis Regni rebus extingueret (x), Athalaricum (Amalasunthâ filiâ & Eutharico non ita pridem mortuo natum) successorem suis Gothis proposuit; quo facto Rex inter non profuturos Symmachum à se occisum continuò dolentis gemitus, intérque desperantis voces miserabiles infelicem animam exhalavit anno ab ingressu Italiæ septimo supra trigesimum (y); Regni verò tertio & trigesimo, majore apud posteros memoriâ dignus, nisi (uti benè cœperat) pessimè finiisset (*51).

(u) Anastas. in vita Joan. Papæ. Author Miscellæ l. c.

(x) Anon. Valeſ. Jornand. Get. c. 59.

Funestus exitus Theodorici Regis.

(y) Pagius in Critic. ad an. 526. N. X.

7. Funere

(*50) PROCOPIUS de B. G. L. I. c. 1.: *Paucis pòst diebus cœnanti ipsi* (Theodorico) *cùm piscis grandioris caput Ministri apposuissent, visum est, id Symmachi caput esse, recèns obtruncati, quod dentibus inferiori labro impressis, & oculis torvè, truculentérque tuentibus, graviter minantis haberet speciem. Ingenti prodigio territus, rigénsque frigore extra modum ad cubile properat, complures imponi sibi lacernas jubet, ac sub iis tenet sese; deinde expositâ rei serie Elpidio Medico, commissum in Symmachum ac Boëtium scelus deflevit. Id lamentatus, & animi dolore pressus, quem calamitas afferebat, paulò pòst obiit.* ANONYMUS VALESIANUS paulò aliter mortem Theodorici recenset: *Igitur Symmachus Scholasticus Judæus, jubente non Rege, sed Tyranno* (Theodorico) *dictavit præcepta die quartâ feriâ, septimo Kalendas Septembris, Indictione quartâ, Olybrio Consule, ut die dominico adveniente* (30. Augusti) *Ariani Basilicas Catholicas invaderent. Sed qui non patitur fideles cultores suos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum sententiam Arii Auctoris Religionis ejus. Fluxum ventris incurrit, & dum intra triduum evacuatus fuisset, eâdem die* (30. Augusti) *quâ se gaudebat Ecclesias invadere, simul Regnum & animam amisit. Ergo antequam exhalaret, nepotem suum Athalaricum in Regnum constituit; se autem vivo fecit sibi monumentum ex lapide quadrato, miræ magnitudinis opus, & saxum ingentem, quam superponeret, requisivit.* Quibus verbis egregiam suam epitomen stylo barbaro scriptam Anonymus claudit, quam hoc tempore edidisse, dubium non est Pagio, quem vide ad an. 526. N. IX.

(*51) AUTHOR MISCELLÆ de Theodorici exitio hæc subjungit: *Post hoc facinus nonagesimo nono die subitaneâ morte defunctus est. Cujus animam solitarius quidam apud Liparam Insulam vir magnæ virtutis aspexit inter Joannem Papam & Symmachum deduci, & in ollam Vulcani, quæ ei loco proxima est, demergi.* GREGORIUS TURON. de Martin. L. I. c. 40.: Domini autem misericordia statim ultionem super Regem improbum irrogavit; nam subitò à Deo percussus, plagis magnis exinanitus interiit,

(z) Procop. de B. G. l. 1. c. 2.
Athalaricus ex Ostrogothis Rex secundus Italiæ
(a) Jornand. de Regn. succeſs.
(b) Procop. de B. G. l. 1. c. 2.
(c) ibidem.
Amalaſuntha mater filii Athalarici nomine regit.
(d) Procop. de B. G. l. 1. c. 13.
Caſſiodor. Var. L. VIII. ep. 6. & L. XI. ep. 1.
Amalaſuntha curat Athalaricum literis inſtrui
A. 527.

7. Funere elato, ATHALARICUS puer (z), nam octo vix annorum erat: ſive potiùs *Amalaſuntha* mater filii nomine gubernacula capeſſivit (a). Tutelæ Regiæ ſive regimini hæc tantò aptior erat, quantò ad intuentium admirationem venuſtior, aut ad perſuadendum eloquentior videbatur (*52): græcis, latinìſque literis imbuta, ingenio pollebat virili, ac prudentiâ majore, quàm quæ ſexui conveniret (b). Itaque Romanorum nemini vitam, bonáque ademit, quin etiam liberis Symmachi & Boëtii erepta reſtituens (c), cum Amalarico Hiſpaniæ Rege eum in modum convenit, ut inter Alpes & Rhodanum Oſtrogothi, ultra fluvium Viſigothi regnarent (d). Cæteris ſubinde, quæ ad publicam pacem erant, compoſitis, id inter primas curas numerabat Amalaſuntha, ut filius Athalaricus non more apud Gothos recepto ad rudem armorum uſum; ſed & Præceptorum arte ad omnem humanitatem literis excoleretur (*53): quod ut impetraret, Magiſtrorum diligentiam largis ſtipendiis, & ſcholarum publicarum vigorem amplis beneficiis

---

interiit, ſuſcepítque protinùs perpetuum gehennæ flammantis incendium. GREGORIUS M. Lib. IV. Dialog. c. 30. latiùs iſta de damnatione Theodorici enarrat; cujus verba videſis apud BARONIUM ad an. DXXVI. N. XXVIII.

(*52) Apud CASSIODORUM Var. L. X. ep. 4. Theodatus de Amalaſuntha ita loquitur: *In ipſa eſt enim decus Regnorum omnium: in ipſa noſtræ originis flos bonorum.. Quis poſſit ſufficienter edicere, quantâ pietate, quanto morum pondere decoretur? Diſcerent profectò nova Philoſophi, ſi viverent; & minora libris ſuis faterentur condita, quàm huic cognoſcerent attributa. In tractatibus acuta, ſed ad loquendum ſummâ moderatione graviſſima. Hæc eſt Regalis procul dubio virtus, celeriùs neceſſaria ſentire, & tardiùs in verba prorumpere. Neſcit enim pœnitenda loqui, qui proferenda priùs ſuo tradidit examini.... Beata Reſpublica, quæ tantæ Dominæ gubernatione gloriatur.* IDEM Var. L. XI. ep. 1.: *Tantus eſt genius maternus, cui etiam jure Princeps ſervire debuiſſet extraneus. Hanc enim digniſſimè omnia Regna venerantur; quam videre, reverentia eſt: loquentem audire, miraculum. Quâ enim linguâ non probatur eſſe doctiſſima? Atticæ facundiæ claritate diſerta eſt: Romani eloquii pompâ reſplendet: nativi ſermonis ubertate gloriatur: excellit cunctos in propriis, cùm æqualiter ſit ubique mirabilis.... Jungitur his rebus quaſi diadema eximium, impretiabilis notitia literarum; per quam dum Veterum prudentia diſcitur, Regalis dignitas ſemper augetur. Sed cùm tantâ gaudeat perfectione linguarum, in actu publico ſic tacita eſt, ut credatur otioſa. Paucis litigia nodoſa diſſolvit: bella ferventia ſub quiete diſponit: ſilentioſè geritur publicum bonum.*

(*53) PROCOPIUS de B. G. L. 1. c. 2.: *Filium autem ad Romanorum Principum vitam, & mores inſtitui voluit, adegitque ludum literarium frequentare. Eundem ad tres viros applicuit, è ſenibus Gothis delectos, quos omnium intelligentiſſimos ac moderatiſſimos noverat. Hæc Gothis minimè placebant, more magis barbaro gubernari volentibus ab Athalarico, quò licentiùs injurias imponerent ſubditis.*

ficiis ſuſtentabat (* 54). Intereà ex Oriente de Juſtini morte, ac de Juſtiniani Imperio renunciabatur: quod ubi Regina perceperat, ſtatim Regis nomine Legatos ad Juſtinianum miſit, qui Orientis cum Occidente pacem exorarent (e). Nam licèt Juſtinum inter & Theodoricum ſimultates nonnullæ exarſerant; Gothorum tamen Princeps ad ultima deductus, mutatâ mente id ſuis inculcabat, ne deinceps fœdus cum Romanis neglectum vellent (* 55). Juſtinianus eorum, quæ amicitiæ ſigna inter utramque gentem priſtinis temporibus viguiſſent, æquè memor, quàm injuriæ ab uno ſeriùs irrogatæ oblitus, amicitiæ redintegrandæ manum dedit. Nondum hæc pax publica aliquot annorum ſpatium obtinuerat; tum ſeditiones domeſticæ Gothorum Rempublicam exagitavêre: Athalaricum nempe Regem jam decem annos natum jampridem Gothi ſeverâ ſeniorum diſciplinâ educari moleſtè ferentes, id potiſſimùm criminabantur (f), quod indoles Regia, ac avita virtus literarum otio, ac ſtudiorum cultu in muliebrem planè animum degeneret. Iſta cùm non obſcuris vocibus increparent; ſubinde occaſio etiam palàm fremendi data eſt: Athalaricum immodeſtiùs aut licentiùs agentem inflictâ manu emendare mater aggreſſa fuerat (g); tum juvenis pœnæ irrogatæ impatiens, importuno fletu Gothorum, ad quos querendi causâ confugerat, animos adeò emovit, ut dicere non dubitarent multi, Amalaſuntham ætati tenellæ Regis inſidiari: quo

(e) Caſſiod. Var. L. VIII. ep. 1.

Amalaſuntha pacem impetrat à Juſtiniano.

A. 529.

(f) Procop. de B. G. l. 1. c. 2.

(g) Idem ibid. p. 312. edit. Pariſ.

Factioſorum conſilia contra Amalaſuntham.

(* 54) CASSIODORUS Var. L. IX. ep. 21. nomine Athalarici & Amalaſunthæ ad Senatum ſcribit: *Nuper cognovimus, Doctores eloquentiæ Rom. laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut ſcholarum Magiſtris attributa ſumma dematur. Quapropter cùm perſpicuum ſit, præmium artes nutrire, nefas judicavimus, Doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahi, qui ſunt potiùs commodorum incrementis ad glorioſa ſtudia provocandi. Prima enim Grammaticorum ſchola fundamentum eſt literarum, mater facundiæ, Magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum nos cognoſcitur juvare conſiliis.... Quâ de re P. C. hanc vobis curam, hanc authoritatem largimur, ut ſucceſſor ſcholæ liberalium literarum tam Grammaticus, quàm Orator, & Juris expoſitor commoda ſui deceſſoris ab eis, quorum intereſt, ſine aliqua imminutione percipiat, ne cogantur de alieno pendere faſtidio, cui piaculum eſt, vel horarum vacâſſe momento.*

(* 55) JORNANDES Get. c. 59.: *Eisque* (Theodoricus) *in mandatis dedit, ac ſi teſtamentali voce denuncians, ut Regem colerent, Senatum, populúmque Romanum amarent, Princ pémque Orientalium placatum ſemper, propitiúmque haberent.*

quo demum perdito ſecundas cum altero proco nuptias iniret. Qui mitiore factum ſenſu interpretabantur, ii in matre reprehendebant, quòd Regiam juventutem non ad virilem fortitudinem, ſed ad anxiæ pietatis ſupplicium initiaret: formidoloſâ Præceptorum diſciplinâ id tandem aiebant confici, ut obtuſis gloriæ ſtimulis, meticuloſus planè animus nemini deinceps formidini eſſe poſſit. Ad exemplum proinde Theodorici avi, qui ignoraverit literas, quíque pueritiæ tyrocinium cum æqualibus in campo, atque inter arma poſuerit, Principem formari oportere.

Amalaſuntha cogitur Athalaricum à literarum cultura ad licentiorem vitam tradere.

Amalaſuntha etſi Procerum dicta minimè probaret; Athalaricum tamen à ſcholarum cultura ad licentiorem juvenum ſodalitatem dimiſit, ne Magnatum ſententias deſpicatui habere videretur. Ab hoc tempore Athalaricus extra mentis curas in temulentiam atque libidinem effuſus, poſt aliquot annos valetudinis, ac vitæ periculum ſubiit (h): quo fato Regina admonita, facilè intellexit,

A. 530.

A. 531.

eò demum factioſorum ſpectâſſe conſilia, ut perdito maturè filio, matrem quoque Regno exuerent, Quare rebus ſuis proſpectura, ſeditioſis decernit necem: atque ut ſecuriùs propoſitum exequi poſſet, continuò à Juſtiniano Imperatore impetratum ibat, ut, ſiquidem conſiliis non reſponderet eventus, in Orientem ad Cæſarem confugere liceret.

(h) Procop. de B. G. L. 1. c. 2.

A. 532.

A. 533.

Amalaſuntha in Orientem fugere cogitat.

Juſtinianus nuncio ejuſmodi lætus, Epidamni domum pro recipienda Amalaſuntha ornari jubet, unde poſteà Conſtantinopolim ſecura deducatur (i). Regina his acceptis, amicorum nonnullis demandat cædem eorum, quos magìs infenſos experta fuerat. Tum præter alias opes quadraginta millibus auri pondo in navem impoſitis, aliis familiaribus imperat, ut Epidamnum theſauros tranſvehant. Eò cùm pervenerint, ad portum quidem applicent: illorum verò, quæ navi commiſſa ſint, nihil exponant (k); donec ipſa, quid porrò fieri velit, apertiùs præcipiat. Quod eo conſilio maximè agebat, ut, ſi ſeditionum authores è medio ſublatos ſciret, non moveret ſe loco, & navim revocaret, ſecura jam ab inimicis: ſin cuiquam ipſorum vita ſupereſſet, ſibíque adeò nihil bonæ eſſet reliquum ſpei, celeri navigatione in Cæſareæ ditionis oras cum auro ſe reciperet, evaderétque. Peractis autem ex animi ſententia cædibus, quas juſſerat, navi revocatâ, Ravennæ conſiſtens,

(i) Idem l. c. p. 313.

(k) Idem pag. 313.

A. 534.

ſiſtens, ad mortem Athalarici filii Gothorum Rempublicam citra metum admoderata eſt. Defuncto ſubinde Rege (*56), formido Reginæ animum tentabat, ne à muliebri Regno virorum duntaxat Regum ſueta Gens abhorreret (l). Ad offenſionem hanc declinandam haud promptius quidquam erat, quàm ut vel Italiam (utì antè conceperat) Juſtiniano traderet, vel ut conjugem ſibi adoptaret, cujus nomine Principatûs adminiſtratio cohoneſtaretur.

Mors prematura Athalarici.

(l) Idem c. 3 p. 314. & 315 Jornand. c. 59.

8. Expenſis omnibus, quia poſtremum magìs è re præſenti viſum eſt, THEODATUM in Regni, thorique conſortium vocat: ex Theodorici ſorore is natus, ſive Amalafredæ olim Reginæ filius, Hetruriæ tunc præerat (m): Hominis literis egregiè eruditi ingenium utì Tuſci admirabantur; ita ejusdem avaritiam inexplebilem adeò oderant, ut aſſiduis rapinis exacerbati, Theodatum de repetundis apud Amalaſuntham poſtularent (n). A Regina, ut ſua cuique ablata redderet, compulſus Theodatus, de prodenda Juſtiniano Tuſcia cum Legatis Imperatoris agit (o). Sed vixdum acerba iſtiuſmodi conſilia volutare cœperat; tum Amalaſuntha amiciſſimis literis Theodatum ad purpuræ & nuptiarum ſpem invitat: quod beneficium ubi omnem ſimultatis priſtinæ ſcintillam extinxerat, verſo in benevolentiam odio, facti conjuges ſimul regnandi, ſimúlque amandi initium fecerunt (p). Quemadmodum verò ignis, qui citiùs flammam agit, celeriùs conſumitur; ita repentinus ille duorum amor eodem, quo exarſerat, anno refrixit (*57). Recrudeſcente quippe ſimultatis malo Theodatus Amalaſuntham in lacûs Vulſinienſis Inſulam relegatam,

Theodatus tertius ex Oſtrogothis Italiæ Rex.

(m) Procop. de B. G. L. 1. c. 3. p. 314.

Amalaſuntha Theodatum ad Regnum vocat.

(n) Idem c. 4. p. 316.

(o) Procop. l. 1. c. 3. p. 314

(p) Idem c. 4. p. 317.

Amalaſuntha ex Theodati mandato occiditur.

(*56) PROCOPIUS de B. G. L. I. c. 2. p. 314. edit. Pariſ.: *Hoc interim ſpatio Athalaricus, cùm in crapulam effusè ſe immerſiſſet, tabe confici cœpit.* IDEM cap. 4. p. 316.: *Sub idem tempus tabe exeſus obiit, cùm in Regno annos octo vixiſſet.*

(*57) GREGORIUS TURONENSIS L. III. c. 31. fabulæ ſimilem cauſam profert, cur Theodatus Amalaſuntham inſectatus fuerit: *Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem, Theodatum Regem Tuſciæ invitantes, ſuper ſe Regem ſtatuunt. Hic verò cùm didiciſſet, quæ meretrix iſta commiſerat, qualiter propter ſervum, quem acceperat, in matrem extiterat parricida, ſuccenſo vehementer balneo, eam in eodem unà cum puella includi præcepit. Quæ nec mora, inter arduos vapores ingreſſa, in pavimento corruens, mortua atque conſumpta eſt.* Narrationem Gregorii fabulis permixtam ſolidè confutavit P. LE COINTE ad annum 534. n. 42....49. Cæterùm cauſam veram hujus perſecutionis ex Procopii L. I. c. 2. dedimus ſuprà N. 7.

(q) Idem c. 4. p. 318. Histor. Miscell. p. 104.

tam, paulò pòst neci dedit (q). Justinianus parricidii pœnas à Theodato repetiturus, sive potiùs Italiam, cui dudum inhiaverat, subjugaturus, bipartito exercitu Dalmatiam, Siciliámque aggreditur (r).

A. 535. *Belli Italiæ initia.*

Belli multiplicis incendium Theodato mentem tam validè eripuit, ut Regni onus in Justiniani manus ultrò projicere, aut magno ære vendere pararet (s): jámque ad pactionis firmandas leges Legati commeabant, tum cladis, quam Romani à Gothis in Dalmatia passi fuerant, felicior nuncius desperanti Regi animum reddidit (t). Nam ubi Mundum & filium Mauritium cum robore exercitûs Romani secundo prælio obtritos audierat; Oratores, qui à Justiniano missi, cum acceptis conditionibus venerant, negligere cœpit, vel naturali ingenii instabilitate motus, vel novâ à suis Italiæ retinendæ spe inflatus (u).

(r) Idem c. 5 Marcellin. Chronic. Jornand. c. 60.

(s) Procop. c. 6.

(t) Idem c. 7

A. 536. *Theodati inconstantia.*

(u) Procop. de B. G. l. 1. c. 7. p. 327.

Intereà Imperator iis æquè, quæ in Sicilia felici, quæque infelici Marte in Dalmatia gesta fuerant, cognitis, Belisarium confestim è Siculorum Insula capta, relicto præsidio in Italiam transire jubet: dein Constantianum adversùs Gothos in Dalmatiam mittit, qui novarum copiarum adminiculo rem Romanam restituat (x). Quàm facilè verò huic erat Gothis, Dalmatarum terras eripere, tam auspicatum fuit Belisario, primas Italiæ oras ingredi (y): utprimùm enim Siciliæ victor cum milite suo Messanâ evectus, Rhegium navigaverat; captis proximis quibusque oppidis, Ebrimius (*58) Theodati gener ultrò cum suis omnibus ad Belisarium transiit, qui statim ad Justinianum missus, præter cætera præmia etiam Patriciatûs dignitate affectus est. Hinc exercitu Romano per Brutios in Lucaniam, & Campaniam deducto, Neapolis moras quasdam injecit; sed, quæ urbs in vigesimum diem Romanorum vi restiterat (z), eorundem ingenio in potestatem tandem

(x) Idem c. 7. p. 325. 326.

(y) Idem c. 8. *Belisarius ingreditur Italiam.*

(z) Idem c. 9. 10.

(*58) JORNANDES Get. c. 60.: *Quumque ergo Romanus Ductor Siciliam pervasisset, Theodatus comperiens, EVERMOR generum suum cum exercitu ad fretum, quod inter Campaniam, Siciliámque interjacet, & de Tyrrheni maris sinu vastissimus Hadriaticus æstus evolvitur, custodiendum dirigit. Ubi cùm Evermor accessisset, ad Rhegium oppidum castra composuit. Nec mora, deterioratam causam cernens suorum, ad partes Victoris cum paucis & fidelissimis famulis consciis movit, ultróque se Belisarii pedibus advolvens, Romani Regni optat servire Principibus. Quod Gothorum exercitus sentiens, suspectum Theodatum clamitat Regno pellendum, & sibi Ductorem suum Witigim, qui armiger ejus fuerat, in Regnum levandum, quod & factum est.* Similia habet IDEM de Regn. succ.

tandem redigebatur. Quo nuncio Gothi, qui circum Romam erant, exterriti, poſt jactas in Theodati ignaviam innumeras criminationes, Vitigem Regem ſibi depoſcunt, virum non ſummo loco natum, ſed rebus militiæ benè geſtis celebrem (a).

Capitur Neapolis.

(a) Idem c. 11.

9. VITIGES ſublato Theodato, & Theodegiſclo ejus filio, qui Romæ erat, in cuſtodiam dato, regnare cœpit (*59): atque ut provida regiminis firmaret exordia, Ravennam convocatis in conſilium Gothorum Primoribus, de componendo cum Francis fœdere egit (b): Conditiones, quibus Gens in ſocietatem citiùs impelleretur, hæ fuêre: ut præter pecuniam Francorum Regibus à Theodato promiſſam illa Galliæ portio daretur, quæ à Romanis antè poſſeſſa, nunc ad Gothorum jura tranſiiſſet; hâc enim largitione Vitiges credebat Francorum auxilia emi poſſe, & militem inſuper numeroſum, qui in remota illa Provincia longiùs abſuiſſet, in Italiam revocatum magno adjumento contra Beliſarii irruptiones futurum (c). Hæc ubi omnes collatis ſententiis ſtatuerant; Legati ad Childebertum, Theodebertum, & Clotharium Francorum Reges abeunt, & numerato ære, traditâque Provinciâ id evincunt, ut Franci clàm ſe ſubmiſſuros ex aliis Gentibus ſubſidia dicerent. Nam apertè arma adversùs Romanos ſociare, haudquaquam ſibi fas eſſe, qui paulò antè Imperatori de præſtandis auxiliis manum, fidémque dediſſent. Vitiges porrò, ut Imperium magìs ſtabiliret (d), Mataſuntham Amalaſunthæ filiam uxorem ſibi deſpondit (*60), & Go-

Vitiges quartus ex Oſtrogothis Italiæ Rex.

(b) Idem c. 11. p. 338.

A. 537.

Vitiges Francorum fœdus atque auxilia rogat.

(c) Idem c. 13. p. 346.

Nuptiæ Vitigis cum Malaſuntha.

(d) Idem c. 11. p. 339.

(*59) CASSIODORUS Var. L. X. ep. 31. ritum nobis exhibet, quo Gothi Reges ſuos inaugurare ſolebant; loquitur autem Vitigis nomine: *Unde Auctori noſtro Chriſto gratias humillimâ ſatisfactione referentes, indicamus, Parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios, more Majorum, ſcuto ſuppoſito, Regalem nobis contuliſſe, præſtante Deo, dignitatem; ut honorem arma darent, cujus opinionem bella pepererant. Non enim in cubilis anguſtiis, ſed in campis latè patentibus electum me eſſe noveritis: nec inter blandientium delicata colloquia, ſed tubis concrepantibus ſum quæſitus; ut tali fremitu concitatus, deſiderio virtutis ingenitæ, Regem ſibi Martium Geticus populus inveniret.*

(*60) MARCELLINUS in Chronico: *Ravennámque ingreſſus* (Vitiges) *Mateſuentham neptem Theoderici ſibi ſociam in Regno plus vi copulat, quàm amore.* HISTOR. MISCELL. L. XVI. pag. 106.: *Hujus* (Theodati) *in locum Vitiges ſucceſſit, qui mox, ùt Regnum invaſit, Ravennam profectus, Amalaſuintæ Reginæ filiam per vim auferens, ſibi in matrimonium junxit; atque ideò, quia nullo amore in Vitigem Mataſuntha ferebatur*

& Gothos ex omni Italia coactos armis instruxit. Intereà dum hæc à Gothorum Rege aguntur, Belisarius Neapoli & Cumis subactis, Romæ imminebat (e); venienti portam Asinariam ultrò Senatus reclusit, & Gothos coëgit, ut per Flaminiam portam citâ profectione elapsi, Ravennam profugerent. Româ potitus Belisarius, post breve intervallum totam Italiam, quæ à freto Romam usque porrigitur, Cæsarei juris fecit (f). Vitigem tot erepta castella, tum maximè urbis Romanæ jactura sollicitum habebat, atque ut prædam certiùs reciperet, cum centum quinquaginta millium exercitu Romam (g) contendit. Multa inde inter Gothos, Cæsareósque increbuerunt prælia (h); quibus tamen Vitiges fractus, & ob ingruentia aliunde pericula anxius obsidione Romæ cedere, & Ravennam reducere exercitum maturavit (i). Eodem quippe tempore audiverat, Ariminum Regiæ suæ urbi proximum à Cæsareis captum esse, & Mediolanenses unà cum plurimis Liguriæ castellis ad Græcorum dominatum defecisse (k). Quare Rex Gothorum exercitum partitus, unam copiarum partem prope Ariminum consistere, alteram sub Vrajæ Ducis imperio Mediolanensibus vim & arma intentare jussit. Vrajam ubi Burgundionum auxilia non parùm firmaverant (l); Mediolanum in ultimas angustias adegit. Belisarius equidem laboranti urbi destinaverat suppetias, quæ si accelerâssent iter, Liguriæ, totiúsque agri Mediolanensis salus servari potuisset (m). At cùm Ducum Romanorum ignavia, aut aperta dissidia multorum animos adversùs Belisarium obstinarent; Mediolanenses unà cum Liguribus in Barbarorum crudelissimas manus inciderunt (n). Discordia, quæ aliquot Provincias hunc in modum hosti permiserat, eadem in Æmilia ac Flaminia fecit, ut bellum adversùs Gothos omninò languesceret (o): hâc verò peste tandem consanatâ (p), victoriarum cursus tam felicibus armis redintegratus est, ut receptis multis arcibus, Ravenna postremùm impeteretur. Vitiges Regiæ suæ urbi à circumsidente milite inclusus, Longobardorum rogabat subsidium:

(e) Procop. de B. G. L. I. c. 14.
Belisarius occupat Romam.
(f) Idem c. 15. 16.
Gothi Romam obsident.
(g) Idem c. 16. p. 351. Jornandes c. 60.
A. 538.
(h) Procop. l. I. c. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 27. 29. & in Lib. II de B. G. c. I. 3. 5. 9.
(i) Idem in L. II. c. 10.
Solvunt obsidionem.
(k) Idem c. 7. p. 406.
A. 539.
(l) Idem c. 12. p. 417
(m) Idem c. 21.
Mediolanensium excidium.
(n) Idem c. 21. p. 439
(o) Idem L. II. B. G. c. 18. 20.
(p) Idem c. 22. 23. 24.

tur, Romanis posteà quasi ultura injariam Ariminum prodidit, uti PROCOPIUS refert de B. G. L. II. c. 10.

dium: ſed his fœdus cum Cæſare initum cauſantibus (q), Theodebertus adeſt cum ingenti Francorum exercitu. Gothi lætiſſimo oculo tantæ multitudinis adventum primò aſpexêre, & Francorum fidem, quam nunc demum in præſtandis auxiliis exſolverent, magnis laudibus excipiebant. Spes illa tamdiu Gothicæ Genti blandiebatur, dum Theodebertus trans Padum progreſſus, ſuum militem æquè in Gothorum, ac Romanorum cædes immitteret (r): inde enim cognitum eſt, Francos non alio veniſſe conſilio, quàm ut bello feſſis Italiam eriperent. Neque eventus à Francorum propoſito abfuiſſet, niſi peſtis, aliique morbi in exercitûs exitium peſſimè graſſati, copiarum reliquias extra funeſtam ſibi Italiam citiùs redire coëgiſſent (s). Digreſſis Francorum copiis, Beliſarius Vitigem arctiùs intra Ravennæ mœnia obſeſſum, ob annonæ anguſtias eò demum compulit, ut ſuî deditionem & urbis, propoſitis conditionibus, ſe facturum pollicere-tur (t). Pactionis partem poſtquam Beliſarius ſacramenti religione firmaverat; reliqua involutis vocibus, & ancipite condicens fide, vivum in urbe capta Regem, cum Primoribus Gothorum in poteſtatem accepit (u), & Conſtantinopolim ſubinde deportatos in belli à ſe gloriosè peracti teſtimonium Cæſari, populóque ſtitit (x). Vitiges in Oriente Regis dignitate cum Patricii honore permutatâ, poſt aliquot annorum intervallum è vivis deceſſit (y), nihil è ſuis opibus admodùm relinquens, niſi conjugem Mataſuntham, quam Juſtinianus Germano ſuo ex fratre nepoti in connubium dedit (z).

(q) Idem c. 22. p. 441.
Francorum in Italia graſſationes.
(r) Idem c. 25.
(s) Idem c. 25. p. 449. Mar. Aventic. in Chron. Gregor. Turon. L. III. c. 32.
(t) Procop. L. II. de B. G. c. 28. 29.
A. 540.
(u) Idem c. 29. p. 461.
Beliſarius Ravennam cum Vitige capit.
(x) Procop. L. III. de B. G. c. 1.
(y) Jornandes Get. c. 60. Hiſtor. Miſcell. l. 167.
(z) Jornandes de Regn. ſucceſs.

10. Gothi, quibus Beliſarius opinionem de captando Italiæ Regno injecerat, ubi ab eodem Duce diſceſſionem parari, & ſe deſtitui ſpe ſuâ cognoverunt, in Picenum congreſſi, Vrajæ Vitigis ex ſorore nepoti Regium deferunt Principatum (a): at is, ſive odium, quo infelix Vitigis familia tunc premebatur, extimeſceret; ſive impietatis crimen horreret (ſiquidem viventis adhuc avunculi invaderet Regnum) honorem oblatum detrectans, author Gothis fuit, ut in ILDIBALDUM Veronæ Præfectum, & Theudæ Viſigothorum Regis ex ſorore filium ſua vota transferrent: quem proinde evocatum, continuò magnâ con-

Gothi Vrajæ Regnum fruſtrà deferunt
(a) Procop. L. II. de B. G. c. 30. p. 462.
Ildibaldus quintus Rex Gothorum in Italia.

confensione Regem salutârunt (*61). Vixdum Ildibaldus se purpurâ induerat, tum novis precibus Belisarium urgendum suasit (b), ut pactionis illam legem, quâ se Gothorum gubernacula admissurum promisisset, meliore fide impleret: quod si velit, Ildibaldo deliberatum adhucdum esse, veste Regiâ positâ Belisario velut Italiæ Regi servire. Hæc cùm surdo Duci omninò occinerentur, jámque is accelerato itinere Regios honores longiùs declinâsset; Ildibaldus Regni curas strenuè agitare exorsus est (c): dispersos quoque Gothos in exercitum colligere, omniáque sedulò tractare studuit, quæ ad firmandum imperium, quæque ad dominationem Italiæ Gothis recuperandam pertinebant. Vitalis Dux Romanus hæc barbaræ Gentis incrementa ægerrimè tulit: atque ut Gothorum vires, antequam auctiores evaderent, tempestivè opprimeret, apud Tarvisium cum Ildibaldo signa, manúsque confert (d). Prælii initium magnis utrinque animis sustentabatur, dum tandem Rex Gothorum suos in hostilem aciem verbis & exemplo incitans, Romanos omninò victos in fugam ejiceret. Insigne hoc Ildibaldi facinus velut in semente plurium victoriarum messem ostentabat, & major utique rerum à tanto viro gerendarum gloria accumulanda fuisset, nisi inimicitiæ inter Vrajam & Ildibaldum temerè concitatæ, quidquid præclaræ spei affulgebat, in herba maturiùs succidissent. Uxor nimirum Vrajæ mundo ornata splendidissimo & ingenti famulantium agmine stipata ad balneum præcesserat; tum ibi in uxorem Ildibaldi viliori cultu vestitam incidens, paupertatem Reginæ hujus supercilio quodam, & amaro neglectu despectare

(b) Idem l. c. p. 463.

(c) Procop. L. III. de B. G. c. 1. p. 468.

Vitalem Romanorum Ducem vincit.

(d) Idem l. c. p. 469.

Ildibaldus Vrajam necat.

(*61) PROCOPIUS de B. G. L. II. c. 29. in fine: *Ildibaldus verò vir primarius, qui præsidio Veronensi præerat, cum eâdem, quâ cæteri ratione ad Belisarium Legatos ideò misisset, quia Belisarius ipsius filios, quos Ravennæ invenerat, retinebat, Ravennam ipse non petiit, neque in Belisarii potestatem venit.* IDEM c. 30. p 463. ornatum Regium indicat, quo Gothorum Reges utebantur: *Protinùs Veronâ accitus Ildibaldus affuit: quem cùm induissent purpurâ, Regem salutârunt.* Et videtur Purpura non tantùm Gothorum, sed & Francorum Regibus communis fuisse; nam FAUSTUS in vita Mauri Abbatis de Rege Theodeberto scribit, quòd in monasterium Glandafolium venerit *Regali indutus purpurâ.* Gothis purpuram ejusmodi primò datam fuisse à Zenone Imperatore, ex JORNANDE colligitur, qui Get. c. 59. ita ait de Theodorico: *Zenonis Imperatoris consulto, privatum habitum, suæque Gentis vestitum reponens, insigne Regii amictûs, quasi jam Gothorum, Romanorúmque Regnator adsumit.*

ſpectare viſa eſt; quod cùm contumeliæ loco haberetur, Ildibaldus Vrajam de Majeſtate poſtulatum ultimo ſupplicio affecit (*62). Gothorum inde Rex incurrit odium, qui palàm in os Ildibaldi parricidii ſcelus oggerere non dubitabant. Vilas natione Gepes offenſionem communem Gentis in ſuum lucrum vertens, oblatum ſibi tempus putabat, quo injuriam à Principe ſibi paulò antè illatam impunitate ſecurâ ulciſci poſſet (*63). Protectorum è numero erat, qui Regem undique circumſiſtunt; quare dum Regi cum Gothorum Proceribus prandenti aliquando propiùs adſtabat, inflicto repentè gladio cervicem ejus percuſſit; ita ut cibum tenentibus adhuc digitis, demeſſum, lapſúmque in menſam caput, omnes, qui aderant, ſtupore defixerit (e).

Ildibaldus in convivio interficitur.

(e) Procop. l. c. p. 470.

11. Poſt Ildibaldi mortem Gothorum Gens exterorum hoſtium adverſis molitionibus multùm acciſa, inteſtinâ ſimultate ferè interiit; nam ex quo victos ad Iſtrum Rugios Theodoricus in Italiam traduxerat, idem populus per intervalla temporum adeò accrevit, ut, ſicut propriis quibusdam legibus, popularíque A. 541.

(*62) PROCOPIUS de B. G. L. III. c. 1.: *In Ildibaldi offenſionem Vrajas ex hoc incurrit. Erat Vrajæ conjux inter hos Barbaros cùm divitiis, tum corporis formâ omnium facilè princeps. Aliquando ad balneum proceſſit, mundo ornata ſplendidiſſimo, & ingenti famulantium agmine ſtipata. Ibi uxorem Ildibaldi conſpicata, vilibus indutam veſtibus, non demiſsè, ùt Regiam conjugem ſalutavit; at ſuperbiùs deſpectam affecit contumeliâ. Et verò res domi anguſta adhuc erat Ildibaldo, utpote cui opes Regiæ non obtigerant. Indignitatem injuriæ non ferens uxor Ildibaldi, dolore exarſit: mox virum adit lachrymans, rogátque, ut ſibi ab Vrajæ conjuge indigniſſimis modis habitæ ultor adſit. Quare Ildibaldus Vrajam primò apud Barbaros criminatus, transfugium ad hoſtes parare, paulò pòſt occidit.*

(*63) IDEM l. c.: *Hinc* (Ildibaldus) *Gothorum collegit odium, ægrè ferentium tam inconſideratè è medio ſublatum Vrajam, jámque inter ſe multi coitione factâ admiſſum ſcelus exprobrabant Ildibaldo; nemo tamen cædis hujus pœnas ab ipſo petere volebat. Erat in eorum numero Vilas, natione Gepas, Protectoribus Regis adſcriptus, & ſponſus fœminæ, cujus amore deperibat. Illo adverſùs hoſtes profecto, ut in eos cum aliis nonnullis incurſionem aliquam faceret, ſponſam Ildibaldus cum alio quodam Barbaro, ſive per imprudentiam, ſive alia ex cauſa, matrimonio junxit. Reverſus è caſtris Vilas, ubi hæc audiit, ùt erat naturâ fervidus, factum indignum minimè tulit: ſed ſtatim cum animo conſtituit, Ildibaldum interimere, rem ſe facturum ratus Gothis univerſis gratiſſimam. Cogitatum facinus aggreſſus eſt* &c.

que instituto utebantur (*64); ita etiam ex sua natione Regem aliquando cuperet (f). Sublato itaque Ildibaldo, Rugii occasionem captantes, ERARICUM suâ propagine ortum palàm Italiæ Principem (invitis etiam Gothis) pronunciant (g). Baduillam (cognomento Totilam) factum ejusmodi pessimè habuit, cúmque è re Gothorum utilius fore censeret, siquidem Cæsaris antè, quàm Erarici dominatum admitterent; Ravennam mittebat nuncios, qui Duci Justiniani propositum aperirent. His cum Romanorum Præfecto agentibus, Gothi Tarvisium ad Totilam Legatos ire jubent, illíque velut Ildibaldi (*65) nepoti deferre Regnum, quibus Totila reponebat, se equidem defectionem ad Romanos constituisse (h): verùm consilia eo adhucdum loco esse, ut, si Eraricum in tempore sustulerint, popularium voluntati satisfieri valeat. Quo cognito, Gothi Erarico struunt insidias: Rex Rugiorum, ut periculo incolume subduceret caput, legatione Constantinopolim missâ, Cæsarem ad conditiones illas confirmandas inclinare studebat, quibus Justinianus Vitigi pridem pacem obtulisset (i); nempe ut Gothi trans Padum, Romani in citimis ejus fluminis Provinciis regnarent. Id si impetrari minùs posset; porrò spondebat, se pro annuo ære daturum Italiam, & Regis dignitatem cum Patricii honore permutaturum. Antequam verò Legati Constantinopolim venerant; Gothi, Erarico per dolum extincto, Regnum ad Totilam transtulerunt.

(f) Idem c. 2.

Eraricus ex Rugiorum Gente sextus Rex in Italia.

(g) Idem loc. cit.

Gothi Totilam ad Regnum invitant.

(h) Idem c. 2. p. 471.

Eraricus Legatos ad Imperatorem mittit.

(i) Idem l. c.

Eraricus occiditur à Gothis.

A. 541. 12. Utprimùm TOTILA vir manu, consilióque promptus regnare cœperat; Romanorum Præfecti, quo præcipuum Gothis castellum eriperent, duodecim armatorum millia Veronam adducunt (k). Artabazi Armenio id feliciter cessit, ut, cùm Romanum

Totila septimus Ostrogothorum Rex in Italia.

(k) Procop. L. III. de B. G. c. 3.

(*64) PROCOPIUS L. III. c. 2. : *Quidam erat in Gothorum exercitu Eraricus, natione Rugus, inter hos Barbaros præpotens. Rugi autem (Gens Gothica) suis olim vivebant legibus. Aggregati verò cum nonnullis aliis populis ad Theodericum ipsius Regni primordia, in unum corpus coaluerunt, atque ex eo rem bellicam in commune semper tractârunt. Vitatis tamen mulierum alienarum connubiis, nationis suæ nomen purâ sobolis successione apud se conservârunt.*

(*65) PROCOPIUS L. III. c. 2. Totilam vocat *Ildibaldi ex fratre nepotem*, & *Theudis Visigothorum Regis ex sorore nepotem.* Vide DU FRESNE in Histor. Byzant. famil. p. 273.

Romanum exercitum citiore itinere prævertiſſet, urbem proditione caperet: ſed quàm levi pede Veronam ſubierat, tam citò inde exire compulſus eſt. Ducibus quippe de præda altercantibus, Gothis ſpatium dabatur, quo per easdem portas, unde ſe ejecerant, in urbem remearent (l). His ſucceſſu parùm proſpero actis, Romani trajecto Pado ſeſe Faventiam retulêre: fugientes Totila cum quinque millibus ſecutus, per aliam viam trecentos Gothos præmiſerat, qui in inſidiis locati, ubi tempus poſceret, Romanorum tergis inſiſterent (m). Acies utrinque instructa jam ſteterat; tum Uliaris Gothus equo inſidens, atque armatus in loco utrique exercitui medio, Romanorum quemvis oſtentandi roboris causâ ad ſingulare certamen provocabat: cæteris periculo territis, unus Artabazes arenam, pugnámque ſubiit: equis mox concitatis ubi præliaturi in ſe infeſtas quoque verterant haſtas; prior Artabazes dextrum Uliaris latus transfixit, atque equo labentem adacto ſæpiùs in viſcera ferro confecit: ſed dum incautiùs ferit; cuſpide occumbentis in faucibus perſtrictus etiam victor poſt triduum obiit (n). A duorum certamine ad commune omnibus prælium deventum eſt, quod ubi paulò magìs exarſerat, trecenti Gothi ex inſidiis coorti, poſt terga Romanorum apparuêre, & majoris multitudinis opinione allatâ tantum terroris ſpargebant, ut Græci, quâ data via, prorumperent in fugam (o). Totila majores rei geſtæ fructus lecturus, ad occupandam Florentiam confeſtim mittit copias. Juſtino urbis Præfecto precanti Joannes Dux Romanus in ſubſidium ibat: & profligatos ab urbe Gothos paulò pòſt etiam prælio contriviſſet; niſi falſo rumore de Joannis nece per certantium ordines temerè evulgato, cœpta jam victoria rurſus in fugam turpem deſiiſſet (p). Intereà Rex Gothorum Cæſenâ & Petrâ occupatis, progreſſus in Tuſciam, cùm multis locis tentatis neminem ad ſe traducere potuiſſet (q); Tiberi tranſmiſſo, neque finibus Romæ tactis in Samnium profectus, Beneventum nullo negotio captum muris exuit: ne fortè Græci ex hoc munito oppido infeſtius aliquando Gothis gererent bellum (r). Inde Neapolim obſidione tantiſper concludens, Cumas, aliáque loca in ſuam poteſtatem redegit (s). Totila ſuperiore Italiâ potitus, ſimul ærarii

(l) Idem c. 3. p. 473.

(m) Idem c. 4. p. 475.

Singulare certamen inter Gothum & Romanum.

(n) Idem l. c. p. 475.

Totila victor Græcos in fugam ejicit.

(o) Idem ibidem.

Obſidet Florentiam.

(p) Idem c. 5. p. 477.

A. 542.

(q) Idem c. 6.

Totila Beneventum occupat.

(r) Idem ibid. p. 478.

(s) Idem c. 7

Ducum ac militum Romanorum improbitas. Cæsarei venam obstruxit; unde in milites, Ducésque Romanos stipendia solita affatim profluxerant. Hi verò damna sua reparaturi, pecuniam, quæ ex vectigalibus ampliùs cogi non poterat, (t)Idem c.9. expilationibus subditorum atrocissimis extorquebant (t). Querelæ ingentes postquam ex eo agendi modo Constantinopolim usque prolatæ fuerant; Justinianus Maximinum Præfectum Prætorio Italiæ misit, qui militibus stipendia solveret, & Ducum *Auxiliarium à Cæsare missorum cunctatio.* avaritiam coërceret: at is cum classe in Epirum appulsus, idoneum rei gerendæ tempus contrivit; nisi quod Demetrium militiæ Magistrum in Siciliam antecedere juberet (u). Quamprimùm hic in Insulam exscenderat; de Neapolitanorum obsessorum periculo edoctus, multas naves, sed exiguo militum numero instructas ad obsidionem depellendam deducit. Totila propinquanti majore roboré atque impetu occurrens (x), cæsis multis atque dispersis, totum ferè navalem apparatum in potestatem accepit. Tandem Maximinus classem quoque suam appulit Syracusas, eámque inde, Conone Neapolis Præfecto rogante, in urbis laborantis auxilium ab Herodiano ac Demetrio transferri fecit. Verùm huic classi mare procellosum exitialem æquè interitum conscivit; nam hyeme sæviente, & ventorum vi ejecta ad littus, hostibus illinc propè excubantibus remigum, militúmque turbam vel ferro, vel captivitati obtulit. Subsidiis itaque omnibus perditis, Neapolis tandem post pactum trium mensium intervallum Totilam cum Gothis (y) admisit. Humanitatis studia in captivos, tum cæteræ Totilæ virtutes fecêre, ut, quantò majus odium adversùs Romanorum Ducum rapinas in diem augebatur, tantò suavior dominatus Gothorum Italis videretur: horum fastidia non parùm inde alebantur, quòd Totila eodem tempore affixis Romæ literis Senatui, civibúsque suos favores testaretur (z); quo facto exercitûs partem in Calabriam misit, quæ Hydruntem tentaret, aut obsidione premeret; ipse verò cum reliquis copiis ad Romanæ urbis confinia movere instituit. Justinianus, utprimùm de extrema Italiæ calamitate cognovit; Belisarium adversùs Gothos in Occidentem rursus ablegat (a). Coactis ille per Thraciam quatuor virorum millibus, Salonem in Dalmatiam venit, unde primò Hydrunti obsessæ de præsidiariis pro-

(u) Procop de B. G. L. III, c. 7.

(x) Idem p. 481.

Eorundem serò advenientium profligatio.

Neapolis deditio.

(y) Idem c. 7. p. 482.

A. 543.

(z) Idem c. 9.

Totila Romam tentat.

Belisarius rursus in Italiam mittitur

(a) Idem c. 10.

prospicere, deinde Ravennam cum reliquis agminibus contendere maturabat. Sed quò minùs hoc itinere proficeret, Totila omnem ei ad expeditiones aditum non modò occlusit, sed & compluribus castellis (b) occupatis, idem urbi Romanæ tandem arma admovit (c); quam à Bessæ Præfecti avaritia exhaustam, & ab Isauris proditam (luctante nequicquam contrà Belisario) Gothi anno insequente ingressi sunt (d). Dum Totila antiquam Imperatorum sedem tenebat, parùm aberat, quin ejus mœnia, ac quidquid ex monumentis, ædificiisque pretiosum extabat, omninò destrueret. Audiverat ille Gothos in Lucania à Cæsareis premi, quibus ut protinùs citra periculum succurreret, Româ non antè exire statuebat, dum urbem profligatis incolis, & solo æquatis mœnibus desertam, & recipiendis hostibus imparem fecisset. Jámque vim, facésque ædificiis injecerat, tum Belisarius missis literis id saltem impetrabat (e), ut à tot sumptuosis antiquitatis avitæ trophæis infestam manum abstineret. Patriciis itaque solis, ac civibus in Campaniam amandatis, Rex Gothorum Lucaniam composuit, & relictis ubique præsidiis, Ravennam quietis causâ discessit. Necdum Totila apud Ravennates consederat; tum Belisarius denuò Romæ suas intulit copias (f): & intra viginti quinque dies reparatis ruinis, adductâque annonâ vacuam urbem civibus implevit. Totilæ id non tantùm à Gothis, sed ab exteris tanto vitio datum est (g), ut, cùm à Rege Francorum connubium filiæ peteret, is prolem suam ejus fidei committere dubitaverit, qui levissimo consilio Romam reliquisset (h). Totila, etsi è vestigio maculam eluere conniteretur, non tamen antè urbem à Cæsareis recepit (i), quàm Belisarius ex Italia in Orientem evocatus, Romam suo ingenio (quod instar validi exercitûs erat) destituisset. Ab hoc tempore Totila Italiam universam triumphantis in morem peragravit: præterquam enim, quòd Romam dominationi suæ rursus subjiceret, Perusiam etiam, Tarentum & Rhegium in postremis finibus expugnavit (k): tum in Siciliam digressus, summâ licentiâ & odio Insulam depopulabatur; dum imminens Italiæ Græcorum exercitus Gothos ad relegendum iter compelleret (l). Reversos diversa penitùs belli fortuna excepit; nam navali subinde prælio à Joanne

A. 544.
Roma obsidetur, & capitur à Gothis.
A. 545.
(b) Idem c. 12.
(c) Idem c. 13.
A. 546.
(d) Idem c. 20.
(e) Idem c. 22.
Belisarius Totilam ab exscindenda Roma dehortatur.
Romam recipit Belisarius.
A. 547.
(f) Procop. L. III de B.G. c. 24.
(g) Idem l. c. p. 523.
(h) Idem c. 37.
(i) Idem c. 34.
Belisarius redit in Orientem.
A. 548.
(k) Idem c. 39.
Totila totam Italiam ferè subjugat.
A. 549.
(l) Idem l. c. p. 557.

A. 550. Joanne Romano Duce victi (m), ab obsidione Anconæ depulsi,
(m) Procop. L. IV. de B. G. c. 23. imò totâ Siciliâ ejecti (n), ubique clades & sinistros eventus patiebantur. His fatis ultimum tandem Narses adjecit, quando
A. 551. cum universo Romanorum exercitu post superatas mille difficul-
(n) Idem c. 24. tates in Italiam ægrè eluctatus, cum Totila ad Apenninos montes, sive eo in loco, ubi Camillus olim Gallos occisione deleverat, atrocissimè conflixit (o). Sex quippe Gothorum millibus
(o) Idem c. 32. cæsis, alii in latibulis, aut in fugâ salutem quæsiverunt: appeten-
A. 552. Totilæ cædes. te nocte Totila quoque cum quinque militibus evadere conatus, in Asbadi Gepidæ manus incidit (p), qui ubi Regi fugienti ha-
(p) Idem c. 32. p. 656. stam intorserat; Totila lethali hoc vulnere affectus, stadiis octoginta quatuor confectis, propè Capras moritur (*66). Hic Regis magni, & Theodorico gloriosissimo nominis famâ, rebúsque gestis minimè dissimilis, obscurus exitus fuit (*67), quem út repentè

(*66) PROCOPIUS c. 32.: *Quidam aliter casum Totilæ, & hoc prælium narrant.... Ajunt, Gothici exercitûs fugam non sine causa, nec temere contigisse, sed quodam Romanorum agmine velitante, confixum esse sagittâ Totilam ex improviso, ac præter propositum Sagittarii; cùm Totilas militis ritu armatus, atque instructus temerè, & sine ullo delectu loci staret in acie, notescere nolens hostibus, nec se præcipuè noscendum offerens: verùm hæc agente fortunâ, & in ipsius corpus sagittam dirigente, plagam eum lethiferam accepisse, victúmque acerbissimo doloris sensu excessisse acie, & pedetentim cum paucis retrò commeâsse: cùm autem Capras venisset, invectus equo, ac dolore ibi prævalente, cœpisset animo linqui, haud multò post adhibitum vulneri medicamentum, supremum diem obiisse* &c.

(*67) MARCELLINUS in Chronico synopsin brevem exhibet rerum à Totila gestarum: *Gothi, Erarico Rege occiso, Totilam in Regnum mancipârunt. Qui malo Italiæ mox Padum transit, & ad Faventiam Æmiliæ civitatem Romanorum exercitum superat, Duces effugat, Cæsenam & Urbinum, Montem Feretris & Petrapertusa occupat, huc illúcque discurrens devastat Italiam. Rursus in annonaria Tuscia ad Mucellos per Ruderit, & Viliarid, Bledámque Duces suos Romanum exercitum superat. Quo prælio Bessa Patricius vulneratus evadit; cæteri verò fugientes per quaqua salvati sunt. Totila devastat Campaniam, urbésque muratas evertens, per suos Tiburim obsidet.... Totila obsidet Firmum & Asculum, invasámque Neapolin desolat & Tibur. Roma verò obsidetur à longè, in qua præerat Joannes Magister militum.... Totila Firmum & Asculum sub juramento ingressus est: milite Romano cum rebus suis dimisso, crudelitatem suam in Romanos exercuit, eósque omnes nudat & necat.... Totilas vastato Piceno, pugnántque ad Auximum vincit. Indéque discurrens per Tusciam, Spoletium destruit & Assisum, Clusiúmque oppida tenuit, & obsidet Perusiam.... Totila occupatâ Lucaniâ, & Brutiis, Neapolim subvertit, Romam obsidet.... Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam die XVI. Kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit, hos ipsos Romanos in Campaniam captivos abduxit.*

repentè ſors ſecunda extulerat, ita poſt undecim Regiminis annos inopinato ictu in vilem tumulum depreſſit.

13. Gothi inde, qui è prælio evaſerant, Pado trajecto, cum iis, qui in Piceno erant, TEJAM ſibi Regem aſciverunt, virum non uno facinore celebrem. Is, ut vires ſuorum augeret repræſentato ære Francos in armorum ſocietatem invitabat; ſed hi ſuis commodis ampliùs intenti, malebant Gothos perditos, quàm auxiliis adjutos id demum ſtabilire Regnum, quod Franci ſuæ cupiditati jam deſignaverant (q). Narſes, poſtquam cognoverat, Tejam Francorum ope deſtitui; Româ captâ, etiam Cumis velut Gothorum Gazophylacio inſidiabatur, ratus in iis theſauris totam belli ſummam verti, & quos quiſque rapuerit, Italiæ Dominum fore (r). Sed Teja non ita hebetis ingenii erat, ut, in quo ſpes Gothorum maxima verſabatur, id neglectum vellet: per vias quippe abditas, & longo circuitu per minùs impeditam Jonici ſinûs oram hoſtes fruſtratus, in Campaniam venit (s): ſteterat illinc ad Veſuvii montis radicem, amne Dracone à Græcis diviſus; dum deficiente annonâ in Narſetis exercitum ſubitò irrumperet. Pugnabat Teja prælato clypeo, vibratóque telo primus ante omnium ordines, & ad hoſtium ſtuporem diu luctatus, ſagittâ tandem exanimis (t) ſternitur. Occumbente Rege, necdum ceciderat Gothorum animus, quin audentior quiſque in diem alterum contrà certabat: hoc ſpatio cruentas inter clades exacto Gothi ſe victos profeſſi, liberum ex Italia commeatum petiêre (u). Antequam verò pax concluderetur; Indulfus cum mille viris Ticinum abiit, & populares Padum accolentes in tam adverſa paci conſilia incitare ſtudebat, ut continuò Francorum ſubſidia imploratum irent. Theodebaldo Rege valetudinem cauſante, Leutharis & Bucelinus cum ſeptuaginta millibus Alpes, dein Padum tranſibant (x): qui ubi obvias Narſetis

Teja octavus ex Oſtrogothis Rex Italiæ.

(q) Procop. de B. G. L. IV. c. 34. p. 641.

Teja Francorum auxilia fruſtrà implorat.

(r) Idem l. c. p. 662.

(s) Procop. l. c.

Conflictus ad Draconem fluvium.

(t) Idem c. 35. p. 665.

Tejæ occaſus.

(u) Idem l. c.

(x) Agathias L. I. p. 17.

---

duxit. Poſt quam devaſtationem XL. aut ampliùs dies Roma fuit ita deſolata, ut nemo ibi hominum, niſi beſtiæ morarentur. Hinc veniens Beliſarius murorum partem reſtaurat, venientéque Totilâ ad pugnam reſiſtit.... Hoc tempore Juſtinianus Auguſtus Narſem Eunuchum Chartularium & Cubicularium ſuum, Principem militiæ fecit, & in Italiam miſit. Qui commiſſâ pugnâ, Dei gratiâ, Victor Totilam occidit, & Gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit.

Narsetis copias ex insidiis oppresserant; cæteri Gothi, qui fœderi Romanorum subscripserant, veluti receptis animis se Græcis opponere aggressi sunt. Post hæc Leutharis rapta ex Italiâ spolia in Patriam reducturus, vel ferro Græcorum (y), vel peste cum suis periit (*68). Bucelinus verò in Campania ad Casilinum fluvium internecinam cladem passus, reliquit Narseti integrum Italiæ Dominatum (z), quem idem Dux Romanus, contritis rebellium Gothorum reliquiis (*69), in Cæsaris jura omninò translatum regere, & Justiniani nomine coordinare cœpit.

(y) Idem L. II. p. 37.
A. 554.
(z) Idem L. II. p. 46. & 50.

(*68) AGATHIAS L. II. p. 38.: *Paulò pòst pestilens quidam morbus repentè incidens multitudinem absumpsit; & nonnulli quidem illorum ambientis aëris pravitatem incusabant;.... at ipsam reverà originem, necessariámque causam mali planè non intelligebant, quæ profectò erat injustitia, & divina pariter atque humana jura ab ipsis proculcata. Ipsum itaque Ducem videre erat evidenter pœnis divinitùs immissis obnoxium: insaniâ enim, manifestâque rabie, instar eorum, qui mente capti furere solent, corripiebatur, multâque vertigine agitabatur, gravésque ejulatus edebat, modò pronus, modò in alterutrum latus in solum procidens, multámque ex ore spumam ciens; oculi etiam ipsi erant torvi, horrendúmque in modum inversi: eò denique insaniæ venerat miser, ut ne à suis quidem membris degustandis abstineret. Assiduè enim mordicùs brachiis suis inhærens, & carnes dentibus convellens, saniem lambens, atque ita suî ipsius satur, paulatímque contabescens miserè periit.*

(*69) PROCOPIUS L. IV. c. 34. p. 665.: *Pacto convenit* (Narses) *ut, qui superant, Barbari cum rebus suis omni Italiâ confestim excederent, neque ullâ ratione cum Romanis bellum ampliùs gererent.* Inde quæstio Criticorum oritur, quorsum Gothi superstites dilapsi sint? NICOLAUS PETREJUS de originibus Cimbrorum & Gothorum sequentia docet: *Confecto igitur bello Gothico Principes, Concilio convocato, quid porrò agendum sit, deliberant. Pronunciatis itaque liberè sententiis, statuunt, non indecorum fore, si sub Romana militia, quibus ita fert animus, stipendia facerent; reliquis autem, quo patrius servetur honos, libertásque, tentare consulant; si quâ ratione, quâve viâ in Gothlandiam, & primævas sedes pervenire queant. Dimisso Concilio, in duas partes Gothorum exercitus divisus est, quarum altera Romanæ militiæ adscripta, in Italia remansit: altera occasionem captans, quâ sese tutò itineri mandare poterat, non destitit, donec Gothlandiam, solúmque, ex quo natales traxit, denuò ingressa est.* Sed Petreji sententia inde confutatur, quòd Gothi tot præliis ferè exhausti, aut cum Vitige magnam partem Constantinopolim abducti, aut Cæsari subjecti fuerint; Tejâ verò cadente, attenuatæ multùm nationis nomen omninò concidit, adeóque illi, qui se Cæsari spontè subdiderunt, in pace perstitêre per Italiam dispersi, & ex aliis fortè pauci Longobardis Italiæ prædatoribus se aggregârunt.

Historia



Historia de Regno Italiæ sub Longobardis.

§. V. *ALBOINUS primus ex Longobardis Italiæ Rex, vocante Narsete, cum suis popularibus Regni possessionem capit; & hâc aliquantùm firmatâ, à Rosimunda conjuge perimitur. CLEPHO Rex secundus brevi tempore crudeliter Regnum gerit; huic per decem annos Aristocratia XXX. DUCUM succedit. Hoc intervallo elapso, Rex tertius eligitur à Longobardorum Gente, nimirum AUTHARIS, qui victis Francis, aliísque rebus benè gestis, veneno extinctus est. AGILULFUS Rex quartus cum Francis icit fœdus: Romanos atrociter affligit. Pax tamen post aliquod tempus, pietate Theodelindæ Reginæ, & Gregorii Magni Pontificis studio conciliatur.*

1. QUamdiu Justinianus summam rerum gessit; Narses rei civili æquè, ac militari præpositus, Italiam per delectos Provinciarum Præfectos pro suo arbitrio administrabat (a): at ubi Justinus Minor Imperium excepit; ingens Regiminis & Dominatûs Italici conversio facta est. Nam sive Romani novâ Narsetis præsentiâ libertatem urbis pristinam imminui putârint, sive immodicis fortassè (ùt fit in victoria) Ducis ejusdem imperiis irritati, exactorem severum amandari cuperent; certè in Justino nec belli, nec pacis artibus instructo, se Principem ejusmodi habituros ominabantur, qui querelis importunis in vota facilè inflecti posset (b). Itaque sequente anno ad Augustos dabant literas in hanc sententiam perscriptas: Præsenti fortunâ suâ miserius nihil, nihil calamitosius unquam fuisse; divexatione populi id demum agi, ut is Gothorum servitutem Græcorum Cæsarum regimini antehabeat: Narsetem nimirum Eunuchum Regnum in tyrannidem vertisse, qui Romanos, ignorante Imperatore, durissimo jugo oppressos teneat: quare omnibus precibus obtestabantur, ut aut Justinus afflictos mitiori ingenio committat,

A. 565.

(a) Sigon. de Regno Italiæ L. I.

Itali contra Narsetis Imperium apud Cæsarem conqueruntur.

(b) Paulus Diacon. l. 2. c. 5. de gest. Longob.

A. 566.

Narses Constantinopolim evocatur ex Italiâ. tat, aut Romanos antiquæ virtutis & gloriæ memores, sibi consulere novis quærendis imperiis patiatur. Literas ubi Sophia perlegerat; Justinus ex conjugis consilio Narsetem Constantinopolim evocat (c): atque ut eò studiosiùs maturaret iter, Augusta peracerbum hoc convitium adjecit, quòd illius operam Ancillarum greges pro distribuendis lanarum pensis sibi citò deposcerent. Narses, postquam verbis verba non minùs acria addiderat; re ipsâ etiam injuriam ulturus, Longobardos ab Istri confinibus in Italiæ exitium accersivit (d): ac proinde universum illud Regnum, quod à Barbarorum servitute paulò antè exemerat, uno impetu non sine nominis sui ignominiâ in manus ferocissimæ Gentis rursus projecit (e).

Convitium Augustæ in Narsetem.

(c) Marius Aventic. in Chronico.

(d) Paulus Diaconus l. 2. de gest. Longob. c. 5.

A. 567.

Narses vocat Longobardos in Italiam.

(e) Anastas. in vita Joan. III. PP. Fredegar. in epit. c. 65. Sigebertus in Chron. Marianus Scotus &c.

2. Antequam verò barbaræ hujus multitudinis profectionem in Italiam prosequi instituimus; ad avitam ejus originem breviter respicere juvabit. Longobardi primùm ex Suevorum Gente oriundi (*1). Chaucis vicinas sedes ad Albis littora tenebant; unde regnante Tiberio in Romanos gessêre bellum (*2). Circa

(*1) TACITUS Lib Annalium c 40. 44. &c., & Lib. XI. c. 17., STRABO Lib. VI., VELLEJUS Lib. II., PTOLOMÆUS Lib. II. c. 11. Longobardos in Suevorum numero recensent: quin mores, lingua, aliáque instituta, quæ posteà in Italiam attulêre, satis testantur, Longobardicam Gentem à Germanis originem habuisse. Idem scribit PAULUS WARNEFRIDUS de gestis Longobard. L. I. c. 1.: *Ab hac ergo populosa Germania sæpè innumerabiles captivorum turmæ deductæ meridianis populis pretio distrahuntur; multæ quoque ex ea, pro eo, quòd tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, sæpè Gentes egressæ sunt, quæ nihilominùs & partes Asiæ, sed maximè sibi contiguam Europam afflixerunt. Testantur hoc ubique urbes erutæ per totum Illyricum, Galliámque. Sed maximè misera Italia, quæ penè omnium illarum Gentium est experta sævitiam. Gothi siquidem, Vandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes* (inter quos utique Longobardi sunt) *è Germania prodierunt.*

(*2) VELLEJUS PATERCULUS Lib. II. c. 106.: *Prô Dii boni! quanta voluminis opera insequente æstate sub Duce Tiberio Cæsare gessimus. Perlustrata armis tota Germania est. Victæ Gentes penè nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorum nationes. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum Ducibus suis, septa fulgenti, armatóque militum nostrorum agmine ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti LONGOBARDI, Gens etiam Germanâ feritate ferocior: denique, quod nunquam anteà spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium à Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum, Hermundurorúmque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* Circa annum 170. magna pars Longobardorum Danubio trajecto contra Romanos gessêre bellum; ita enim PETRUS PATRICIUS de Legat. p. 24. in Corpore Histor. Byzant.:

Circa annum trecentesimum octogesimum ab extremis Germaniæ finibus eluctati, sub Ducibus Iborea & Ajone in Scoringa, dein in Mauringia, demum in Golandia domicilia fixêre (*3), dum tandem ad Danubii oras propiùs progressi (*4) armis, rebúsque gestis magìs inclarescerent. Tato quippe (*5) Rex Lon- *Longobardorum ortus & migrationes.*

rant.: *Sex millia LONGOBARDORUM & Obiorum Istrum trajecerunt, in quos Vindicis equites & pedites, quorum Dux erat Candidus, irruerunt, & in fugam versi sunt. Primâ statim invasione terrore Barbari perculsi, Legatos ad Ælium Bassum, qui Pannoniam Provinciam obtinebat, mittunt, Ballomarium, Regem Marcomannorum unà cum aliis decem, ex unaquaque Gente uno electo. Sic pace jurejurando firmatâ, Legati domum redierunt.*

(*3) PROSPER AQUITAN. apud Scalig. in Thesauro temp. p. 188. ad annum 380.: *Longobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinùs littore, Scandiáque Insula magna egressi, & novarum sedium avidi, Iborea & Ajone Ducibus, Vandalos primùm vicerunt.* Similia habet FREDEGARIUS epit. Greg. c. 65.: *Longobardorum Gens, priusquam hoc nomen adsumeret, exientes de Schatanavia, quæ est inter Danubium & mare Oceanum, cum uxoribus & liberis Danubium transmeant* &c. PAULUS DIACONUS de gestis Longobard. L. I. c. 2.: *Pari etiam modo & Winilorum, hoc est, Longobardorum Gens, quæ posteà in Italia feliciter regnavit, à Germanorum populis originem ducens, licèt & aliæ causæ aggressionis eorum asseverentur, ab Insula, quæ Scandinavia dicitur, adventavit.* Et cap. 7.: *Igitur egressi de Scandinavia Winili cum Ibor & Ayone Ducibus, in regionem, quæ appellatur Scoringa, venientes, per annos aliquot ibi consederunt,-----* Cap. 11.: *De qua egredientes dum in Mauringam transire disponerent*, & c. 13.: *Egressi Longobardi de Mauringa applicuerunt in Golande, ubi aliquanto tempore commorati dicuntur. Post hæc Antehabet, Bathaib, pari modo & Vargundaib per annos aliquot possedisse.* Authoritati Pauli Diaconi tantùm HUGO GROTIUS tribuit in Proleg. ad Histor. Goth. & Vandal. ut opinetur Longobardos primò è Scandinavia egressos fuisse; sed cùm ex supradictis not. 1. & 2. pateat, eosdem jam in primo & secundo sæculo ab Albim habitâsse, ídque ex Authoribus majore fide dignis, non pauci ideò sunt, qui Paulo Diacono nil tribuendum putent; præsertim cùm ipse Author cap. 8. ea, quæ de origine Longobardorum refert, fabulis permixta esse scribat. Adhæc Scandinaviam ita describit, ut istarum regionum ignarum se satìs ostendat. Cæterùm obscura vocabula locorum, etsi Eckardus in not. ad Leibniz. de origine Francor. evolvere conetur, nil tamen affert, quod conjecturas incertas superet. Certiora testimonia præ manibus & oculis essent his de rebus, si SECUNDI TRIDENTINI Historia Longobardorum, quam in sæculo sexto Coævus conscripsit, non intercidisset. Vide etiam dicta in T. I. p. 560. & 561.

(*4) PROCOPIUS Lib. II. de B. G. c. 14. p. 420: *Heruli, qui trans fluvium Istrum olim habitabant,----- Longobardos, jamtum Christianos, & quasdam alias Gentes sibi vectigales fecerunt.----* (Herulorum Rex) *Rodulfus in Longobardos planè insontes expeditionem suscipit.--- Ubi ad manus ventum est, magna fit Herulorum cædes, eâque Rodulfus ipse involvitur.* Similia, quamvis aliis narrationibus confusa, legere est apud PAULUM DIACONUM L. I. c. 20.

(*5) PAUL. DIAC. de gestis Longob. ante Tatonem alios adhuc Reges commemorat, qui extra Italiam Genti eidem præfuerunt. IBOR & AJO duo erant *Duces* an. 380. *Prosper Aquit.* ad hunc an. *Paul. Diac.* L. I. c. 7. Sequentes autem *Reges* dicuntur I. AGELMUNDUS

(f) Procop. l. 2. de B. G. c. 14. Paul. Diac. l. 1. c. 20.

Varii eorundem Reges ante ingressum in Italiam.

Longobardorum ubi Rodulfum Herulorum Regem (f) vicerat, potentia Gentis adeò aucta est, ut Justinianus Vacis Regis subinde fœdus: & Vitiges Rex Gothorum ejusdem auxilia efflagitârint. Majora his incrementa apposuit Audoinus (*6), præterquam

DUS *Primus Rex* Longobardorum an. 390. à Bulgaris cæsus anno 423. *Prosper Aquit.* ad an. 390. *Paulus Diac.* L. I. c. 14. & 16. II. LAMISSUS Bulgarorum Victor moritur anno 425. *Paulus Diac.* L. I. c. 17. III. LECHU, sive LETHUS regnâsse dicitur 40. annis. *Idem Paul.* c. 18. IV. HILDEHOC sive GILDECH filius Lethi moritur anno 473. V. GUDEHOC 12. annis regnavit, quo tempore Rugi ab Odoacre suis sedibus pulsi sunt, quas proinde terras, sive Rugilandiam, aut (si Eckardo fides) tractum inter Bohemiam & Moraviam usque ad Danubium Longobardi occupârunt. *Paul. Diac.* L. I. c. 19. VI. CLAFFO filius Gudeoci regnavit 5. annis. *Paul. Diac.* c. 20. Pater TATONIS & Zuchilonis. *Adverte*, quòd ab hoc tempore Historia Longobardorum majorem lucem accipiat ab aliis quoque Scriptoribus, præsertim à *Procopio.* VII. TATO filius Claffonis, victoriam hujus contra Herulos describit *Procop.* L. II. de B. G. c. 14. , *Paulus Diaconus* c. 20. etiam adnotat spolia, quæ Herulorum Regi Victor abstulerit: *Tato verò Rodulfi vexillum, quod BANDUM appellant, ejúsque galeam, quam in bello gestare consueverat, abstulit; atque jam ex illo tempore ita omnis Herulorum virtus concidit, ut ultrà supra se Regem non haberent, - - - - jam hinc Longobardi ditiores effecti, aucto de diversis Gentibus, quas superaverant, exercitu, ultrò cœperunt bella expetere.* VIII. WACHO sive VACES filius Zuchilonis fugato Tatonis filio, accipit Regnum. Suevos vicit *Paul. Diac.* c. 21. cum Justiniano fœdus habuit; ita enim ait *Procopius* L. II. c. 22. : *Tum* (Gothi, sive Vitiges Rex) *ad Vacin Longobardorum Regem, legatione missâ, grandique oblatâ pecuniâ, ad societatem invitant. Ubi verò illum arcto amicitiæ & fœderis vinculo Imperatori conjunctum esse perspexerunt Legati; re infectâ redierunt.* *Paulus Diaconus* c. 21. VACIS uxores & filios ita describit: *Habuit autem Wacho uxores tres, hoc est, Primam Ranicundam, filiam Regis Thuringorum. Deinde duxit Austrigosam, filiam Regis Gepidorum, de qua habuit filias duas. Nomen uni Wisegarda, quam tradidit in matrimonium Theodeberto Regi Francorum. Secunda autem dicta est Walderada, quæ sociata est Cuswald* (Theodebaldo) *alii Regi Francorum, quam ipse odio habens, uni ex suis, qui dicebatur Garipald* (Duci Bojoariorum) *in conjugium tradidit. Tertiam verò Waccho uxorem habuit, Herulorum Regis filiam, nomine Salingam Ex ipsa natus est filius, quem Waltari appellavit.* IX. WALTARIS *Paul. Diac.* c. 22. de hoc ait: *Wacchone mortuo, super Longobardos jam octavus regnavit.* Quem numerum fortè ideò Paulus illi adsignat, quia Wacchonem velut Tyrannum in syllabo Regum non habet.

(*6) De AUDOINO Rege Decimo Longobardorum ita refert PAULUS DIAC. c. 22. : *Waltari ergo, cùm per septem annos Regnum tenuisset, ab hac luce subtractus est, post quem NONUS Audoin Regnum adeptus est, qui non multò pòst tempore Longobardos in Pannoniam adduxit.* PAGIUS ad annum 568. N. 6. ait, Paulus accuratè quidem Longobardorum Historiam elucubravit; sed cùm regnante Carolo Magno, extinctâ jam Longobardorum Regum dominatione, vixerit, non semel lapsus est, indéque ejus errores ex Sigeberto, qui tamen diu post illum floruit, sed qui optima documenta nactus erat, quandoque corrigi possunt, licèt & Sigebertus aliquando in Chronologiam peccet. Paulus 13. L. 1. c. 22. *Audoinum* supradictum *nonum* Longobardorum Regem appellat; qui tamen *decimus* fuit: alioquin Rotharis non XVII., sed XVI. esset,

terquam enim, quòd is Sirmium, partémque Pannoniæ Gepidis ereptam à Longobardis vindicaret (*7), tum Genti suæ inde maximè profuit, quòd Alboinum filium successorem reliquerit, qui non tantùm Gepidarum Regnum penitùs extinxit (*8); sed & Regni novi initia in Italiâ molitus est. Longobardis ad hæc tempora inviolatum cum Cæsare fœdus, societásque armorum fuerat (*9). At ubi Alboinus Narsetis accepe- *Alboini Longobardorum Regis res gestæ.*

 rat

esset, contrà ac ipse in Prologo legum Longobard. profitetur: *Ego Rotharis Rex septimus decimus Gentis Longobard.* &c.

(*7) PROCOPIUS L. III. c. 38.: *Gepædes, qui olim urbem Sirmium, Daciámque omnem obtinuerunt, utprimùm Justinianus Augustus ditioni Gothicæ regionem illam eripuit, agentes ibi Romanos abduxerunt in servitutem, & continenter progressi, vim, vastitatémque Imperio Romano attulerunt. Quare Imperator illis in posterum stipendia negavit, quæ jam inde olim à Romanis accipere consueverant. Cùm autem urbem* (fortè tractum) *Noricam, & Pannoniæ munitiones, aliáque loca, ac pecuniam insuper maximam Justinianus Augustus Longobardis donâsset, eam illi ob causam, patriis sedibus relictis, in adversa Istri fluminis ripa consederant, haud procul à Gepædibus. At ipsi quoque Dalmatiam & Illyricum ad limitem usque Epidamni pervagando, prædas abigebant, & captivos: quorum nonnullis fugâ elapsis, ac reversis domum, Romanum hi Barbari Imperium obibant, tanquam Romanis conjuncti fœdere; ibique si quos eorum, qui evaserant, agnoscerent, perinde ac sua mancipia fugitiva recipiebant, atque abstractos è parentum sinu domum redacebant, nemine repugnante.*

(*8) PROCOPIUS L. IV. c. 25. primum certamen describit, in quo antè Audoinus Gepidarum vires fregit: *Ergo Longobardi cum omnibus copiis, & Amalefrido Gepædum fines ingressi, factos sibi obvios acerrimo fundunt prælio, eorúmque (ùt perhibent) partem maximam cædunt.* PAGIUS ad annum 552. hoc prælium decretorium putat, quo Gepædes penitùs oppressi sint. Sed PAULUS DIACONUS Lib. I. c. 27. contradicit: *Obiit intereà Turisendus Rex Gepidorum, cui successit Cunimundus in Regno. Qui vindicare veteres Gepidorum injurias cupiens, rupto cum Longobardis* (quod ad breve tempus post primam pugnam iniverant) *fœdere, bellum potiùs, quàm pacem elegit. Alboin verò cum Avaribus, qui primùm Hunni, posteà à Regis proprii nomine Avares appellati sunt, fœdus perpetuum iniit, dehinc ad præparatum à Gepidis bellum profectus est.---- Committitur ergo prælium, pugnatúmque est totis viribus. Longobardi victores effecti sunt, tantâ in Gepidos irâ sævientes, ut eos ad internecionem usque delerent, atque ex copiosa multitudine vix nuncius superesset. In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, capútque illius sublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos Schala dicitur; linguâ verò latinâ patera vocitatur. Cujus filiam, nomine Rosimundam, cum magna simul multitudine diversi sexûs & ætatis ducit captivam. Quam, quia Clotsvinda obierat, in suam (ùt pòst patuit) perniciem duxit uxorem. Tunc Longobardi tantam adepti sunt prædam, ut jam ad amplissimas pervenirent divitias.--- Alboin verò ita præclarum longè, latèque nomen percrebuit, ut hactenus etiam tam apud Bajoariorum Gentem, quàm & Saxonum, sed alios ejusdem linguæ homines, ejus liberalitas & gloria, bellorúmque felicitas & virtus in eorum carminibus celebretur.*

(*9) PROCOPIUS L. IV. c. 21.: *Auduinus Longobardorum Rex à Justiniano Augusto multâ pecuniâ, & fœderis sanctione inductus, delectu suorum habito, bis mille ducentos*

rat literas, convocatis popularibus suis, consilium relinquendæ Pannoniæ, & adeundæ Italiæ aperit (g); hi tum sedis feracissimæ avidi, tum victoriis, quibus Hunnorum, Gepidarúmque vires fregerant, confisi, ex sententia Regis ad iter se accingunt. Rumoribus ejusmodi in Italiam perlatis, omnes subitò novarum cladium metus incessit (*10): nam Romani barbararum nationum immanitate multoties accisi, eò magìs ad Longobardorum nomen expavescebant, quò ferocior Gens hæc, & fœdiùs gentilitatis erroribus affecta trucem ipso etiam habitu speciem præ se ferebat (h). Equidem Longinus Patricius, ex quo in Italiam venerat, pro suo, quo fungebatur, Exarchi munere, Ravennam, Romámque, & multa Venetiæ oppida adversùs hostilem tempe-

(g) Paulus Diac. l. 2. c. 5. A. 568.

Longobardi se ad occupandam Italiam accingunt.

(h) Sigon. de Regno Italiæ ad an. 567.

---

centos bellatores egregios auxilio miserat, bisque in famulatum addiderat ampliùs tria pugnatorum millia. Equitum quoque Erulorum plus tria millia sequebantur, Duce cum nonnullis aliis Philemutho, & Hunni quamplurimi. Hæc tamen auxilia Narses ob eorum nimiam grassationem remittere cogebatur, utì idem AUTHOR refert L. IV. c. 33.: *Ac primùm redimere pretio voluit indignam licentiam Longobardorum, quos secum duxerat, cùm præter alia inquinatissimæ vitæ scelera obvias domos delerent igni, & fœminis, quæ sacris ædibus se commiserant, turpem vim afferrent. Quare magnâ pecuniâ donatos remisit in Patriam, Valeriano ac Damiano, nepoti suo, eorúmque copiis, demandatâ curâ, eos ad Romani Imperii limitem deducendi, ut in via ab injuria ac maleficio temperarent.* PAULUS DIACONUS L. II. c. 1. per errorem idem factum esse, sub Alboino scribit; addit tamen postremùm, quod hìc ad rem nostram est: *Omnique tempore, quo Longobardi Pannoniam possederunt, Romanæ Reipublicæ adversùs æmulos adjutores fuerunt.*

(*10) AUTHOR VITÆ S. SABINI c. 4. refert vaticinium hujus Sancti de irruptione Longobardorum: *Luporum scio nimiùm vos post funeris mei tempora graviter dentibus lacerandos. Nam Italia gentium direptione non paucis temporum curriculis premetur; ita ut rura absque agricolis ob gentium terrorem relicta videantur. Quâ cautâ membrorum meorum tumba incognita relinquetur diuturno tempore, & absque adminiculo Pastorum hæc Ecclesia inculta retinebitur. Nullus clangor laudantium sive canentium sonorâ in ea voce audietur. Relicta ab omnibus loca hæc tantummodò bestiæ tenebunt.... Quis enim ignorat, Alboin Longobardorum Regis adventu cunctam Italiam devastatam?* His addit SIGONIUS de Regno Italiæ ad annum 567.: " Hunc autem terrorem dira auxerunt etiam cælestia oculis objecta prodigia, nimirum hastæ, atque acies igneæ assiduè à Septentrionis partibus apparentes, quæ (ùt D. prodit Gregorius) ingentem instare mortalium stragem, & fœdam sanguinis effusionem ab ea parte haud obscurè denunciabant. „ Vide hìc GREGORIUM homil. 1. in Evang., & in Dialog. L. III. c. 38. Cæterùm admonendus Lector, quòd PAULUS DIACONUS Lib. II. c. 10. valdè hallucinetur, dum scribit: *Hoc etiam tempore* (quando Longobardi adibant Italiam) *Romanam Ecclesiam vir sanctissimus Benedictus Papa regebat*, eoquòd Joannes III. sederit eâ ætate, nimirum ab anno 560. usque ad annum 573., & Benedictus modò Ecclesiam gubernare cœpit anno 574., quo tempore XXX. Duces Italiam expilârunt; unde unum cum alio confundit.

tempestatem præsidiis muniverat: sed providentia ejusmodi Longobardos parùm cohibuit. Nam cùm cuncta Italia (i) paulò antè funeribus, bellísque esset exhausta, tum ea etiam regio, quæ Aquilejæ vicina fuerat, munimentis nudaretur; Alboinus primo ingressu amplissimum hunc agrum, dein etiam Forum Julium cepit (k). Dum autem in hac Provinciæ Metropoli hyemem exigebat, Forojuliensem Ducem primum constituit Gisulphum, quibus jactis initiis Tarvisium profectus (l), datâ civibus, ac Episcopo veniâ, urbem subiit. Patavio inde, Monte Silicis, Mantuâ ob locorum longinquitatem, aut propter valida præsidia omissis, Vincentiam, Veronam, Tridentum, aliáque Venetiæ oppida celeriùs occupavit (m). Captis hunc in modum urbibus ubi Alboinus firmam Longobardorum manum imposuerat; anno sequente Adduam amnem transgressus, Liguriæ fines invasit: fugientibus trepidè incolis, Barbari Brixiam, Bergomum, Laudem, Comum, aliáque Liguriæ ad Alpes usque oppida eodem armorum impetu subegêre (n): tum demum Mediolano Provinciæ capiti vis intentata est, quò paulò pòst in potestatem adducto, Longobardi continuò Alboinum salutârunt Italiæ Regem (o): atque ut ex more Gentis solenni inauguratione Regni initia consecrarentur; eidem hastam, insigne Regium porrexerunt. Rebus aliquantùm (utì in præsens licuit) ordinatis, Ticinum belli moles translata est (p). A Gothorum tempore urbs hæc inclaruerat, tum quòd Theodorico Regiam sedem dedisset, tum quòd munimentis instructa, & allapsu fluminis præcincta hostiles conatus facilè eluderet. Alboinus itaque Ticino militem circumfundens, totâ hyeme nihil admodùm profecit: quare, ne fortunæ belli moras injiceret, parte exercitûs in obsidione relictâ, ipse cum reliquis agminibus Æmiliam, Tusciam atque Umbriam peragravit. Ex Æmiliâ, Derthona, Placentina, Parma & Brixillum in potestatem venerunt, subinde Rhegium & Mutina, unà cum Hetruria citeriore accessêre: huic, utì & Spoleto mox occupato Duces impositi; reliquæ urbes singulis Præfectis commendatæ. Romanis cùm præter Alpes Cottias, & urbes ad mare sitas, tum etiam præter Hetruriam ulteriorem ferè nihil in his regionibus superesset; tertio ab obsidione

anno

Eorundem in Italiam irruptio.

(i) Paulus Diacon. l. 2. c. 14.

(k) Idem c. 9.

A. 569.

(l) Idem c. 12. Hermann. Contract. ad an. 568.

(m) Paulus Diac. l. c. c. 14.

Alboinus varias Italiæ urbes capit.

A. 570.

Alboinus Rex Italiæ proclamatur.

(n) Idem c. 25.

(o) Sigon. de Regn. Ital. L. I.

Alboinus Rex Italiæ inauguratur.

A. 571.

(p) Paulus Diac. L. II. de gest. Longob. c. 26.

Triennali obsidione Ticinum expugnatur.

(q) Herm. Contract. ad an. 571. Sigebert. Gembl. ad an. 572. Anonymus apud Murat. T. X. N. 97.

A. 574.

Alboini funestus exitus, ejúsque causa

(r) Paulus Diacon. L. I. c. 27. Greg. Tur. L. IV. c. 41. Aimoinus L. III. c. 17.

anno Ticinum quoque Longobardorum armis cessit (q). Alboinus validissimo monumento expugnato, de Regno jam securus, Veronam ibat, de Longobardorum sorte meliora consilia capturus: sed dum opus urget, in medio rerum conatu, ùt sunt res humanæ instabiles, è vivis abripitur. Fatum repentinum hæc initia, hásque causas habuisse ferunt: Rosimunda Chunimundi Regis ultimi Gepidarum, & ante aliquot annos in pugna occisi filia, & subinde Alboini parricidæ conjux (r), diu altum in pectore tegebat vulnus, quod aliquando exulceratum magìs est, cùm Alboinus in medio convivio Rosimundæ poculum, quod de cranio Patris ejus condiderat (*11), mero refertum haurire juberet; vocis namque fœditas mulierem adeò turbabat, ut contumeliam nece mariti ulcisci decerneret. Eo consilio Helmingem in spem nuptiarum, simúlque in facinus vocat; qui promissis illectus, confestim Regem somno sopitum oppressit (*12), postquam is felici, ac mitiore, quàm Barbari solent, ingenio

(*11) PAULUS DIACONUS L. II. c. 28.: *Causa autem interfectionis ejus* (Alboini) *hæc fuit. Cùm in convivio, ultra quam oportuerat, apud Veronam lætus resideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi Regis, sui soceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit* &c. Ejusmodi pocula ex mortuorum hominum craniis facta apud multos Barbaros olim in usu fuêre; nam SILIUS ITAL. L. XIII. de *Celtis* ait;

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.

PLINIUS Lib. VII. c. 11. de *Scythis* idem asserit, & Ammian. Marcellin. L. XXVII. de *Scordiscis*, LIVIUS Lib. XXIII. c. 24. de *Bojis* ita refert: *Spolia corporis, capútque Ducis* (posthumii) *præcisum Boji ovantes templo, quod sanctissimum est apud eos, intulêre: purgato inde capite* (*ùt mos iis est*) *calvam auro cælavêre; ídque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent, poculúmque idem Sacerdoti esse ac templi Antistitibus.* Plura exempla vide apud BARTHOLINUM in Antiquitatibus Danicis L. II. c. 12.

(*12) Authores, qui mortem Alboini describunt, minimè in adjunctis, aut in modo conveniunt; nam MARIUS AVENTICENSIS ait: *Albuenus Rex Longobardorum à suis, id est, Helmigis, cum reliquis, consentiente uxore suâ, Veronæ interfectus est, & suprascriptus Helmigis cum antedicta uxore ipsius, quam sibi in matrimonium sociaverat, & omni thesauro, tam quod de Pannonia exhibuerat, quàm quod de Italia congregaverat, cum parte exercitûs, Ravennæ se Reipublicæ tradidit.* GREGORIUS TURONENSIS Lib. IV. c. 35. verò rem ita proponit: *Mortuâ autem Clotosindâ uxore Alboini, aliam duxit conjugem: cujus patrem ante paucum tempus interfecerat. Quâ de causâ mulier in odio virum habens, locum operiebatur, in quo posset injurias patris ulcisci. Unde factum est, ut unum ex famulis concupiscens, virum veneno necaret.* PAULUS DIACONUS Lib. II. c. 28. Historiam fabulosis narrationibus permiscere videtur, quibus rejectis SIGONIUS de Regno Italiæ L. I. ea tantùm exhibet velut verosimiliora, quæ suprà in Historiæ decursu notavimus.

ingenio tribus annis & ſex menſibus Longobardorum Regnum geſſerat (*13). Tumultuantibus ad mortis nuncium Longobardis, Helminges cum Roſimunda & univerſo Regis theſauro Ravennam fugit (s): Longinus Exarchus de hoſpitum opulentorum adventu gaviſus, nihil omiſit, quo Roſimundæ alterum Helmingis parricidium ſpe novi matrimonii ſecum ineundi perſuaderet. Nec facinus abnuit fœmina, oſtentatâ nuptiarum ſpe incenſa: exeunti quippe è balneo Helmingi quaſi gratum factura, illitum veneno poculum propinat, quo magnâ ex parte jam hauſto, ubi citò virulentum malum Helminges in viſcera ſua graſſari perſenſit, in Roſimundam fremens, intentato in ſceleſtæ pectus mucrone, eandem, quod reliquum virus erat, bibere compellit; ſícque in authorem recidit ſcelus, quóſque una Regii parricidii conſcientia premebat, una quoque hora ac momentum extinxit (*14).

(s) Paulus Diac. L. II. c. 29.

A. 574.

Roſimundæ Alboini conjugis interitus.

3. Intereà dum Longinus Conſtantinopolim opes eum in modum acceptas, velut lenimen tot cladium in Italia à Longobardis factarum, mittebat (t); Primores barbaræ Gentis Ticinum conveniunt: & deliberatione initâ, CLEPHONEM virum eximiæ

(t) Paulus Diaconus L. II. c. 30.

(*13) PAULUS DIACONUS Lib. II. c. 28. ita ait: *Qui Rex, poſtquam in Italia tres annos & ſex menſes regnaverat, inſidiis ſuæ conjugis interemptus eſt.* BARONIUS hos tres annos computat à primo ingreſſu in Italiam, adeóque Alboinum dicit obiiſſe anno 571. ABBAS BICLARIENSIS mortem Alboini rejicit in annum 572., qui Regnum Juſtini ab anno 566. incipiens, tradit, eum anno VII. Juſtini occiſum eſſe. SIGEBERTUS & HERMANNUS CONTRACTUS in Chronicis ſex annos Alboini regimini adſignant, & ita ejus mortem collocant ad annum 574., cui anno etiam PAGIUS obitum Alboini affigit, & tres illos annos & ſex menſes à Ticini expugnatione numerat, Hermanno Contracto confiſus, qui ad annum 571. ait, Alboinum Papiam occupâſſe, & ſedem Regni ibi ſtatuentem III. annos & VI. menſes in Italia regnâſſe. Sed difficultas non parva inde oritur, quòd triennalis obſidio Ticini ex hac chronotaxi erui nequeat, vel dici deberet, quòd Alboinus Regnum ſuum uſque ad annum 576. prorogârit. Tenenda proinde eſt ſententia Sigonii, qui tres illos annos & ſex menſes ab expugnatione Mediolani deducit. Hæc (juxta Sigonium) evenit anno 570., adeóque ſi inde numerare pergas tres annos & ſex menſes, incides in annum 569. Hic quippe Author in Chronotaxi ſæpè fallitur.

(*14) Roſimundæ ac Helmingis fatum aliter, ac PAULUS DIACONUS protulit, à FREDEGARIO epit. Greg. c. 66. refertur: *Ipſe verò ejuſdem mulieris fraude veneno periit, ipſáque poſteà cum aliquo Longobardo, apud quem Ravennam fugaciter de civitate Verona, ubi virum occiderat, adgrediebatur, pariter in itinere adprehenſi & interfecti ſunt.* Idem ait GREGOR. TURON. Lib. IV. c. 41.

Clepho secundus ex Longobardis Italiæ Rex.
(u) Idem c. 31.
Marius Avent. in Chron.
Sigebertus ad an. 575.
A. 575.
Clephonis fatum.
(x) Sigon. de Regno Italiæ L. I.
XXX. Duces Longobard. per decennium regnantes.
A. 576.
Ducum sævities per Italiam.

miæ inter Longobardos prosapiæ, Regem pronunciant (u). Insita homini superbia cum crudelitate conjuncta pejùs ab hoc tempore Romanos afflixit. Quibus enim nobilibus Alboini humanitas pepercerat, hos aut ex urbibus expulit, aut siquidem opum etiam potentes forent, morte affecit. Prosecuturus porrò belli cursum, Tanetum oppidum cispadanum subegit. Dein anno sequente captum forum Cornelii (x) arce, cui Imolæ posteà nomen erat, ad debellandos Ravennates opportunâ communivit. Plura conantem mors repentina sustulit: pueri enim familiaris manu percussus, decimo octavo Regni sui mense efflavit animam (*15).

4. Clephonis funere elato, Regium etiam nomen ad tempus esse desiit; inde enim ad TRIGINTA DUCES Reipublicæ delata ita cura est atque potestas, ut singulis urbibus singuli Duces imperarent (*16). Regni hæc in tot capita divisio Italorum non parùm auxit calamitatem; nam Primoribus Romanis vel exilium, aut exactionum immensa vis indicebatur: dein Basilicis, templis ac monasteriis expilatis, in Episcopos, Abbates, Presbyteros, Monachos ac Moniales, universâ mœrente Italiâ, exempla crudelitatis tanta expromebantur (*17), ut Saxones Longo-

(*15) PAULUS DIACONUS Lib. II. c. 31. ait: *Clephum, cùm annum unum & sex menses Regnum obtinuisset, interfectum esse.* SIGEBERTUS ad annum 575.: *Cleb subrogatus, Regno Longobardorum, regnat annis duobus* (scilicet incompletis). Neque obstat, quod HERMANNUS CONTRACTUS ad annum 575. dicat: *In Italia Clep Longobardorum Rex, qui pro Alboino electus fuerat, cùm anno & mense uno crudeliter regnâsset, & multos Romanorum peremisset, à proprio servo suo peremptus est.* Nam vel Author deferendus est, vel intelligendus de tempore, quo crudeliter sæviit.

(*16) PAULUS DIACONUS Lib. II. c. 32.: *Post cujus* (Clephonis) *mortem Longobardi per annos decem Regem non habentes sub Ducibus fuerunt. Unusquisque enim Ducum suam civitatem obtinebat. ZABAN Ticinum: WAILLARI Bergamum: ALACHIS Brixiam: EVIN Tridentum: GISULFUS Forum Julii. Sed & alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt.* Eadem habent HERMANNUS CONTRACTUS ad annum 575., AIMOINUS Lib. III. c. 17.

(*17) IDEM l. c.: *Per hos Longobardorum Duces septimo anno ab adventu Albuvin, & totius gentis, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quis Albuvin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Longobardis subjugata est.* Eadem desumpsisse PAULUS videtur ex GREGORII TURONENSIS Lib. IV. c. 41.: *Quam regionem* (Italiam) *ingressi* (Longobardi) *maximè per septem annos pervagantes, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem.* Baronius putavit corrigendum

Longobardorum fœderati ſpectaculum impium non ferentes, palàm à ſocietate armorum, & Italiâ totâ abſceſſerint (y). Poſt vexatam Italiam Longobardi Francorum terris inferre bellum tentavêre (*18); ſed à Rege Guntramno, poſtquam hoſtes aliquid prædæ ſuperbiùs extorſerant, alterâ vice victi, animum ad res Italicas retulerunt (z). Ravennam à præſidiis maximè inſtructam quia aggredi à periculo non aberat, Claſſis (eſt oppidum à Ravenna non procul diſſitum) hoſtilibus armis ſubjugata eſt. Deinde Hetruriæ ulterioris oppidis ereptis (*19), in agrum Romanum, atque ad ipſa urbis mœnia populantium in morem progreſſi ſunt. Circumſidentes Barbari tantò ægriùs civibus fecêre, quantò arctiùs Romam cum ſuprema inedia luctantem concludebant (*20). Neceſſitati tamen modum Providentia Tiberii Imperatoris attulit, dum frumenta ex Ægypto coëmpta ad oſtia Tiberis, atque inde, obſiſtentibus nequicquam Longobardis, in urbem adduxit (a). Revixêre ad annonæ copiam fame enecti cives, & ho-

Ll 2 ſtium

(y) Sigon. de Regno Ital. L. I.
A. 577.
Duces Francis inferunt bellum.
A. 578.
(z) Idem c. 3. & 4. Hermann. Contract. ad an. 575. Fredegar. epit. 67. 68.
A. 579.
A. 580.
(a Sigebert. Gemblac. ad an. 577. Hermann. Contract. ad an. 581. Menander de Legat. p. 124.

rigendum videri textum hunc Gregorii, ut qui præter omnium ſententiam traderet, Alboinum in Italia *annos ſeptem* regnâſſe; verùm criſin ſuam hìc interponit Pagius ad annum 571. N. III., qui ait, non Gregorium de Alboini Regno, ſed de iis loqui, quæ Alboino & Clepho ejus ſucceſſore jam extinctis acciderunt ſub Ducibus. GREGORIUS MAGNUS Dialog. L. I. c. 4. refert Longobardorum crudelitatem, quam in Monachos S. Equitii exercuerunt. Et L. III. c. 27. ait, quadraginta ruſticos, quia immolatitias carnes edere nolebant, eſſe occiſos. Et c. 28. commemorat, 400. captivos, qui caput Capræ adorare nolebant, atrociter interfectos. Plura addit c. 38. & L. V. epiſt. 21. & Lib. XIII. ep. 38.

(*18) Varias vario tempore Longobardorum irruptiones in Galliam fuiſſe, perhibent PAULUS DIACONUS L. III. c. 1. 3. 4. 8. 9., HERMANNUS CONTRACTUS ad an. 575. 576. 579., AIMOINUS L. III. c. 17. & L. IV. c. 42. & 43., FREDEGARIUS c. 67. 68., MARIUS AVENTICENSIS ad annum VIII. Juſtini Jun. Aug., GREGOR. TUR. L. IV. c. 45. SIGEBERTUS ad an 581.

(*19) JOANNES BICLARIENSIS ad annum II. Tiberii: *Romani contra Longobardos in Italia lachrymabile bellum gerunt.* SIGON. de Regno Italiæ L. I.: *Eo impetu Sutrium, Polimartium, Orta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceoli, & alia vix oſtentatâ oppugnatione ad deditionem adducta.*

(*20) MARIAN. SCOT. ad annum 579.: *Gens Longobardorum comitante fame, mortalitate & peſte, omnem invadit Italiam, ipſámque Romam vaſtatura obſidet urbem.* ANASTAS. in vita Pelagii II.: *Pelagius natione Germanus.... Hic ordinatur abſque juſſione Principis, eoquòd Longobardi obſiderent civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italia fieret.* Eadem habet PAULUS DIACONUS L. III. c. 20., SIGEBERTUS GEMBLAC. ad annum 576. Neapolim quoque poſteà ad annum 582. à Longobardis obſidione preſſam fuiſſe, docet MABILLONIUS Tom. II. Vet. Analect. p. 11. Conferatur PAGIUS ad hunc annum N. XVI.

A. 582. ſtium animi alacritate obſeſſæ civitatis adeò terrebantur, ut continuò à Romæ finitimis agris decederent, in fuga tamen, quàm cùm ad Romæ portas infeſti ſtarent, crudeliores (b). Poſt Tiberii præmaturum fatum Mauritius rei Romanæ præpoſitus, Italiam laborantem aliquantò meliùs curavit; nam in locum Longini Exarchi rerum negligentis, Smaragdum virum impigrum ſuccedere jubebat: cujus ingenio ſubinde evenit, ut Brixillum in Cæſaris poteſtatem reciperetur (c). Mauritius quò benè cœptis inſiſteret, Francorum à Childeberto popoſcit auxilia (d). Longobardi Legatorum miſſorum officio etſi Mauritii conatus labefactare contenderent; largitio tamen aurea Cæſaris Barbarorum obſequia facilè ſuperavit. Childebertus poſtquam Imperatori fœdus condixerat; Longobardi rebus ſuis timentes, tranſacto Ducum decennio, Regium Dominatum reſtitui petunt: quam enim ſalutem multorum ſententiis convulſam credebant; hanc ſperavêre unius Capitis imperio revocatum iri (e).

(b) Sigon. de Regno Italiæ L. I.

A. 583.

(c) Paulus Diac. L. III. c. 18.

A. 584.

(d) Sigon. de Regno Italiæ L. I. Greg. Tur. L. VI. c. 42.

A. 585.

Longobardi abrogato Ducum Imperio, Regem denuò poſcunt.

(e) Paulus Diac. L. III. c. 36.

5. AUTHARIS (*21) igitur Clephonis filius tum ob opinionem paternæ virtutis, tum ob rei militaris ſcientiam regnare juſſus eſt. Spem conceptam ne Rex falleret, Brixillum tum vi, tum inſidiis Romanis eripuit (f): & quoniam Longobardorum Regnum eâ adhuc ætate viribus æquè, ac honoribus tenue videbatur; ad amplitudinem quandam duo inſtituit, nempe ut Reges *Flavii* nomine antiquo Imperatorum exemplo appellarentur (g): atque ut ſinguli Duces, qui urbibus proprio veluti jure tunc dominabantur, vectigalium dimidium tertio anno palatio inferendum ad tuendam Regis magnitudinem conferrent (h). Intereà Childebertus impellente Mauritio cum maximis Francorum copiis adversùs Longobardos movebat, prædatori tamen potiùs, quàm hoſti perſimilis; nam agros ubi Italiæ eraſerat, acceptâ quoque ab Authari pecuniâ, per Alpes, unde venerat, reverſus eſt (i). Mauritium levitas ejuſmodi adeò afflixit, ut miſſis ad Childebertum nunciis, vel datam ſolvi fidem, aut numeratum

Autharis tertius ex Longobardis Rex Italiæ.

(f) Paulus Diac. L. III. c. 18.

(g) Idem c. 16.

(h) Idem ibid.

A. 586.

(i) Gregor. Turon. L. VI. c. 42. Fredegar. epit. c. 92. Abb. Biclar. Aimoinus ad an. II. Mauritii. Paul. Diac. L. III. c. 17.

(*21) *Autharis* non uno nomine apud Veteres appellatur; nam in PROOEMIO ROTHARIS vocatur *Hutari*, à GREGORIO TURONENSI L. X. c. 3. *Aptacharias*, & à JOANNE BICLARIENSI *Anthane* & *Antarich*, à PAULO DIACONO *Autharis* nominatur; quem SIGEBERTUS & HERMANNUS CONTRACTUS ſequuntur.

meratum æs reddi poſtularet. Childebertus his minis adactus, A. 587.
alteram ſequente anno profectionem in Italiam imperat; ſed Alemannorum, Francorúmque diſſidia, quæ per iter gliſcebant, expeditionis quamcunque ſpem abruperunt (k). Tertio tandem anno majore fide, minùs tamen felici fortunâ Longobardis arma illata ſunt. Nam cùm Autharis Childeberti ſororem in conjugem fruſtrà expetiiſſet (l): & Orientis Imperator arma Francorum urgeret; Gens ſive Longobardorum odio, ſive Cæſaris precibus emota, tentare fortiùs aleam belli decrevit. Autharis venientibus hoſtibus aciem protinùs objectabat; quare ſigno prælii dato exercitus utrinque convenit: æquata primò pugna eſt, poſtremò inclinatâ & fusâ Francorum acie, victoria penes Longobardos ſtetit (m). His rebus proſperè geſtis inflatus Autharis, cùm citeriorem Italiam jam haberet in poteſtate; ulteriorem porrò ſubacturus, diſſimulanter in Samnium pergit: ac Capite Provinciæ citra certamen occupato, ad duos Ducatus, Forojulienſem & Spoletanum, tertium Beneventi conſtituit (*22); tum Rhegium uſque ad ultimas Italiæ oras provolans (n), ibidem Regni, quod meditabatur amplius, terminum deſignâſſe fertur (*23). Rex Longobardorum ubi Reipublicæ ſatìs pro-

(k) Idem c. 22.

(l) Idem c. 29.

A. 588. *Longobardi Victores Francorum.*

(m) Idem c. 30.

A. 589. *Ducatus Beneventanus.*

(n) Paulus Diac. L. III. de geſt. Longob. c. 33.

A. 590.

 ſpexe-

(*22) PAULUS DIACONUS L. III. c. 33.: *Circa hæc tempora putatur eſſe factum, quod de Authari Rege refertur. Fama eſt enim, tunc eundem Regem per Spoletium, Beneventum perveniſſe, eandémque regionem cepiſſe.* --- C. 34.: *Fuit autem primus Longobardorum Dux in Benevento, nomine ZOTTO, qui in ea principatus eſt per curricula viginti annorum.* Ex his SIGONIUS L. I. pag. 15. editionis Wechelianæ ait: "Reverſus inde Beneventum Zotonem Ducem ibi inſtituit, ac reliquâ omiſsâ Italiâ, Samnium in formulam Ducatûs redegit. Ita ad duos Ducatus inſignes Forojulienſem & Spoletanum tertius *Beneventanus* eſt additus." Idem adſtruit WOLFFGANG. LAZIUS de migr. Gent. L. XII. p. 657. Conferatur etiam CAMILLUS PEREGRINUS in Diſſert. I. de Ducatu Benev. apud Murat. T. II. P. I.

(*23) PAULUS DIACONUS c. 33. ait, famam eſſe, *Autharim uſque etiam Regium extremam Italiæ civitatem, vicinam Siciliæ perambulâſſe. Et quia ibidem intra maris undas columna quædam eſſe poſita dicitur, uſque ad eam equo ſedentem acceſſiſſe, eámque de haſtæ ſuæ cuſpide tetigiſſe dicentem: Uſque hic erunt Longobardorum fines. Quæ columna uſque hodie dicitur perſiſtere, & COLUMNA AUTHARI appellari.* CAMILLUS PEREGRINUS in Diſs. de Duc. Benev. hanc narrationem inter fabulas numerat, dicitque commentum inde ortum eſſe, quòd, cùm fines Regnorum columnis ſignarentur olim (uti apud *Strabonem* videre eſt Lib. VI.) eum locum quoque ad fretum Siculum, quod Longobardi nunquam trajecerant, columnâ quâpiam velut Longobardorum

ſpexerat; domeſticas etiam res curare aggreſſus eſt. Quare ſponſam, quam ex Francide impetrare non poterat, ex Bojoaria accepit (o): erat hæc Theodelinda Garibaldi Bojorum Ducis filia, cum qua dum nuptiarum ſolennia Autharis celebrabat; triſtibus nunciis affertur: Francos Bojoariæ infeſtum exercitum immiſiſſe, jámque id agere, ut regione ſubactâ, in Italiam continuato belli curſu deſcendant (p). Longobardis intra caſtella ſe recipientibus nihil admodùm erat, quod Franci molirentur; niſi quòd oppidis quibusdam in Tridentino agro exciſis, moræ faſtidio & morbis fracti in Patriam redirent (q). Hoc cognito, Autharis locum nunc demum paci fore ratus, illicò Legatos ad Guntramnum Regem miſit, qui concordiam à Francorum Gente precarentur (r). Antequam verò pax iſta omninò coaleſceret, Autharis veneno hauſto repentè vitâ exceſſit (*24).

(o) Idem c. 31.

(p) Paulus Diac. c. 32. *Franci vaſtatâ Italiâ in Patriam redeunt.* A. 590.

(q) Idem ibid. Aimoinus L. III. c. 83. Hermann. Contract. ad an. 591.

(r) Paulus Diac. L. III. c. 35. *Autharis mors.*

6. Morte Autharis evulgatâ, Longobardi Duces Ticinum conveniunt, & comitiis habitis pacis negotium (utì cœptum erat) urgere novâ legatione decernunt: dein ubi de novo ſufficiendo Rege diverſis inter ſe ſententiis diſceptaverant; eò mens omnium inclinabat, ut, quem Theodelinda ſibi conjugem deligeret, is cum thoro Regio Principatum quoque ſortiretur (s). AGILULFUS itaque Taurinatium Dux, & Authari propinquitate conjunctus, à Regina primùm in vitæ conſortium, dein in Regni communionem vocabatur. Nuptiis circa initium Novembris anno DXC. peractis, ſequente anno XVII. Kalendas Maji Regis

(s) Paulus Diac. c. 36. Sigebertus ad an. 592. Hermann. Contr. ibid. *Agilulfus quartus ex Longobardis Italiæ Rex.* A. 591.

bardorum terminum dici notatum. Accedit, quòd alius in Chorograph. Ital. medii ævi apud Murator. Tom. X. apertè inficietur, ultimam hanc Calabriæ partem ad Longobardos pertinuiſſe.

(*24) PAULUS DIACONUS Lib. III. c. 36.: *Interim, dum Legati Authari Regis in Francia morarentur, Rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, ùt tradunt, accepto moritur, poſtquam ſex regnaverat annos.* PAGIUS ad annum 590. N. XVI. notat, hos annos eſſe incompletos; Sigebertus in Chronico, ubi ſex etiam annos ei aſſignat, mortem *Autharis* uſque ad annum DXCII. differt; ſed is error ei ex alio natus, quòd ſcilicet Divi Gregorii Magni exordium eidem anno perperàm illiget. A currenti porrò ad annum DCLXII., quo tardiùs *Grimoaldi* Longobardorum Regis initium contingere non potuit. Paulus Diaconus annos ſeptuaginta octo aut circiter, Principibus Longobardorum, qui per illud intervallum regnârunt, attribuit; Sigebertus verò annos tantùm ſeptuaginta, qui veritatem aſſecutus eſſet, niſi mortem Autharis biennio diſtuliſſet, & Grimoaldi initium anno uno anticipâſſet. Hucuſque *Pagius.*

Regis inauguratio ſuſcepta eſt (*25). Agilulfus utprimùm gubernacula votis omnium firmata acceperat; Agnellum Tridenti Epiſcopum, & ejusdem urbis Ducem Evinum ad Francos pro pace, atque redimendis captivis ablegavit (t); quorum dexteritate fœdus Longobardos inter & Francos legibus ſancitum eſt (u): neque antè amicitiæ fides infringebatur, dum ſero tempore Pipinus Rex à Pontifice ad defendendam Eccleſiæ ditionem accerſeretur. Poſtquam Agilulfus Francorum metu ſe liberaverat; inteſtinum Ducum bellum cœpit (x). Hi namque ſive novi Regis invidiâ urerentur: ſive oppidorum, quæ regebant, poteſtatem ambirent; conatibus non obſcuris Agilulfo obluctabantur. Alter ferè annus trahebatur, dum procelloſus turbo omninò diſcuteretur (y). Conſanatis internis diſſidiis, Romanus Exarchus Cæſaris externas tricas, inſidiásque Longobardis obmovit. Poſt quintum enim annum in otio traductum, operæ pretium aliquando facturus, Romam iter ſimulabat, exercitu nihilominùs accinctus, qui Exarcho in urbem deflectente, varias dolo ac proditione urbes intercipere jubebatur (z). Agilulfus jacturæ dolore accenſus, Peruſiam rurſus extorquet hoſti: tum Romano agro populabundas infert copias; demum urbi præſidiis vacuæ caſtra admovet eo tempore, quo Gregorius expoſitionem Ezechielis elaborabat (a). Pontifex de ſuorum ſalute ſollicitus, Romanorum acuebat induſtriam, quâ tandem effectum eſt, ut civitatis deditione deſperatâ, Longobardi abſcederent. Ne tamen prædâ inanes abirent, captivos Romanos ſecum abduxêre (*26), quaſi canes funibus collo implicitis tractos, quos

(t) Paulus Diac. L. IV. c. 1.

Pax Francorum cum Longobardis.

(u) Fredegar. c. 45.

(x) Paulus Diac. L. IV. c. 14.

A. 592.

(y) Idem c. 28. Paul. Diac. L. IV. c. 8.

A. 593.

(z) Herm. Contract. ad an. 598.

A. 594.

(a) Paulus Diac. L. IV. c. 8.

Agilulfus Romam obſidet.

(*25) PAULUS DIAC. L. III. c. 34.: *Congregatis in unum Longobardis, poſteà menſe Majo ab omnibus in Regnum apud Mediolanum levatus eſt.* SIGONIUS de Regno Italiæ L. I. p. 20. ait: "Scriptores Mediolanenſes patrios ſecuti Annales aſſerunt, coronam Agilulfo impoſitam fuiſſe, à Theodelinda Regina inſtitutam, auream illam quidem, verùm circulo ferreo interiore intextam; unde pòſt ferreæ coronæ nomen Italico Longobardorum in Regno enituit. Vide BARTH. ZUCHIUM apud Muratorium de *Corona ferrea* c. 2., HORAT. BLANC in notis ad Paulum Diac. Lib. IV. cap. 22. Num. 79.

(*26) Calamitates, quas Longobardi tunc Italiæ irrogabant, GREGORIUS M. deſcribit in Præfat. *in Ezechielem*; dein Homil. 6. *in Ezech.* ait: *Quid eſt jam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Ubique luctus aſpicimus, undique gemitus audimus. Deſtructæ urbes,*

quos inde in Franciam vendendi causâ transmiserunt. Gregorius Pontifex quò malis tot remedium, sive pacem communem inveniret; Theodelindæ (*27) favores omni officio sibi attinere studebat: & quoniam eodem tempore Dialogum de vitis eorum, qui in Italia cum sanctimoniæ laude vixerant, absolvebat; hoc ipsum opus Reginæ inscripsit (b). Quantumcunque verò conniteretur Gregorius malis imponere finem (c); Romanus tamen Exarchus (bellum sine viribus spirans) eò jam Mauritium Imperatorem inclinaverat, ut is consilia Pontificis vel imprudentiæ vel levitatis accusaret (d). Quò minùs cœptis Gregorius absisteret, calamitates Italorum prohibuêre; his quippe plùs, quàm calumniis perperàm objectis dandum arbitratus (e), Theodelindæ auxilio Agilulfi animum ita emollivit, ut, siquidem Romanus Exarchus judicium constitui de rebus utrinque per pactas inducias ablatis vellet, cuncta, quæ ad pacem essent, se facturum protinùs commonstraret. At Romani ingenium ferocius erat, quàm ut tot cladibus præteritis, & Crotonis oppidi, quæ subinde evenit, jacturâ ad mitiora sensa inflecteretur (f). Ad Italorum sortem mors opportuna insanabilis hominis paulò pòst accidit, cui cùm mansuetior Callinicus successisset, propiùs de pace

(b) Paulus Diac. L. IV. c. 5.

A. 595.

(c) Gregor. L. V. ep. 29.

(d) Idem ep. 31.

(e) Idem ep. 39.

A Gregorio frustrà de pace agitur.

A. 596.

(f) Idem ep. 60.

Induciarum pactio.

---

urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in urbibus habitator remansit: & tamen ipsæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidiè, & sine cessatione feriuntur. Et finem non habent flagella cœlestis Justitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus &c. Et Homil. 10. in Ezechielem sub finem: *Undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interempti nunciantur* &c. Lib. V. epist. 40. ad Mauritium Imp.: *Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum, quod mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine ullo Reipublicæ dispendio feceram. Deinde corruptâ pace, de Romana civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi, alii verò Narniis & Perusii positi; & ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga gravior fuit adventus Agilulfi, ita ut oculis meis cernerem, Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales* &c.

(*27) PAULUS DIACONUS L. IV. c. 6.: *Per hanc quoque Reginam* (Theodelindam) *multum utilitatis Dei Ecclesia consecuta est. Nam penè omnes Ecclesiarum substantias Longobardi, dum adhuc Gentilitatis errore tenebantur, invaserunt. Sed hujus salubri supplicatione Rex permotus, & Catholicam fidem tenuit, & multas possessiones Ecclesiæ Christi largitus est, atque Episcopos, qui in depressione atque objectione erant, ad dignitatis solitæ honorem reduxit.*

pace actum est (g). Unum in pactione scripta Gregorio displicuit, quòd Legati Agilulfi jurisjurandi formulam vel exceptione quâdam temperâssent, aut jurare planè abnuissent (h). Callinicus inde de infido fœdere monitus, etsi per annum ab armis cessaret; hoc tamen elapso, bellum potiùs inferendum, quàm exspectandum putavit. Parmæ mœnia primus impetus subruit, quo oppido expugnato, Exarchus Godeschalcum Regis Agilulfi generum unà cum uxore comprehensum Ravennam abducit (i). Injuria ejusmodi Longobardorum iram adeo accendit, ut majore deinceps mole bellum gerendum decernerent. Patavium Longini Exarchi diligentiâ communitum primò tentatum, & post parvum obsidionis intervallum, captum, exustúmque est (k). Inde Montemsilicis pari furore Agilulfus invasit, pertinere non ad animi dolorem solùm, sed etiam ad nominis sui gloriam existimans, si quæ oppida ferox Alboini victoria dimisisset, ea ipse Longobardorum ditioni adjungeret. Cremonam & Mantuam eodem consilio Rex Barbarus petebat (l), tum Imperator Smaragdum alterâ vice ex Oriente misit, ut in locum Callinici suffectus, Longobardorum cursum sisteret (m). Sed Smaragdo venienti aliæ vices non relinquebantur, quàm ut Cremonensium ac Mantuanorum excidium tristibus oculis coràm spectaret. Post tot urbium funestas clades Ravenna ferè una superarat, quæ ne pari fato subjiceretur, Smaragdus ad pacis consilia animum advertens, se Regi Parmam, & filiam ac generum cum bonis eorum omnibus redditurum condicit (n). Conditiones Agilulfus tantò lubentiùs admisit, quantò difficilior Ravennæ expugnatio apparebat: ad hunc igitur scopulum ne Longobardorum fortuna naufragaretur: quódque rebus prosperè gestis tum gloriæ, tum iræ suæ cumulatè satisfactum putaret, IX. Kalendas Julias in die SS. Gervasii & Protasii in pacis leges ivit (o). Quod beneficium à Superis Italiæ datum tanti Gregorius Pontifex fecit, ut in solemni eorundem Martyrum festo Missarum initium à pacis ipsius commemoratione duci voluerit.

(g) Gregor. l. 8. ep. 37. 41. 42.

A. 598.

(h) Idem L. 7. ep. 102.

A. 599.

A. 600.

(i) Paulus Diac. L. IV. c. 21.

A. 601.

(k) Idem c. 24.

Recrudescit bellum.

(l) Idem c. 29.

A. 602.

(m) Paulus Diac. L. IV. p. 26.

(n) Idem c. 29.

A. 603.

Pax inter Longobardos & Romanos

(o) Sigon. de Regn. Ital. L. I. p. 29. ad an. 603.



Hiſtoria de Regno Viſigothorum in Hiſpania.

§. VI. *EURICUS auget Regnum Viſigothorum. ALARICUS Codicem Legum Gothicarum promulgat: ejus in Vogladenſi pugna infelix exitus. GESALICUS arreptum per tyrannidem Regnum poſt breve tempus amittit. ATHALARICUS primò ſub tutela Theodorici Oſtrogothorum Regis, dein ſolus regnat: ob injurias Catholicæ conjugi illatas à Francis occiditur. THEUDIS, Arianus licèt, favet Catholicis: à Francis bello petitur, trucidatur ab homine furioſo. THEUDISCLUS ob effuſas libidines inter epulas jugulatur; cui AGILA ſufficitur: hunc ſequitur ATHANAGILDUS: poſteà LIUVA & LEOVIGILDUS rem Gothicam moderantur; hic filium Hermenigildum ad Catholicam fidem converſum interfici jubet, & Suevorum extinguit Regnum. RECCAREDUS ſubinde Principatum gerens, Hiſpaniam Arii errore exuit. LIUVA II. Reccaredi ſucceſſor à Tyranno Witterico vitâ & Regno deturbatur.*

1. QUamprimùm Italia Odoacri Herulorum Regi ſervire cœperat; magna pars Galliæ ab EURICO Viſigothorum Principe in poteſtatem redacta eſt. Imperii quippe rebus omninò turbatis cùm nemo obſiſteret, atque Genſericus Vandalus, tum Odoacer ipſe Viſigothos ad rapiendas ejuſmodi terras invitaret; Euricus occaſionem opportunam nactus, Maſſiliâ (a), aliíſque urbibus, & omni uſque ad Rhodanum occupatâ Provinciâ, Regni ſedem Arelati collocavit. Ab eo itaque tempore Gallis æquè, ac Burgundionibus, tum etiam aliis populis timendus (b), *Gothiam* (hoc Viſigothorum Regno tunc nomen erat) in tantam amplitudinem auxit, ut trans Pyreneos montes Hiſpaniæ

A. 476. & 477.

(a) Jornand. R. G. c. 47.

Euricus auget Regnum Viſigothorum.

(b) Sidon. L. VIII. ep. 9.

ſpaniæ Tarraconenſi & Bæticæ, & per Galliam illis ditionibus dominaretur, quas Ligeris, Rhodanúsque ſuo curſu definiunt, aut complectuntur (*1). Sed quoniam vaſta Regni moles, niſi legum vinculis contineatur, facilè diſſolvitur, aut à magnitudine ſua ruinam trahit; Eurico etiam id in curis præcipuis fuit, ut barbaram Gothorum Gentem (quæ receptis duntaxat moribus, aut Magiſtratuum arbitrio hucuſque regebatur) ſcriptis porrò legibus ad melioris vitæ culturam confirmaret (c). Tantâ rerum geſtarum gloriâ inſolentior Euricus, cùm hoſtes deeſſent, arma in Religionem vertit, Arianæ ſectæ, cui erat addictus, amplificandæ ſtudio incenſus. Exigebantur proinde ſuis ſedibus, quin alii ſuccederent (d), Catholici Præſules: minoribus Sacerdotibus vis; templis vaſtitas inferebatur (*2), jumenta nihil

Ejuſdem leges.

(c) Iſidorus in Chronico Æra 504.

(d) Sidon. L. VII. ep. 6. & L. VIII. ep. 3. Greg. Tur. L. II. c. 25.

Mm 2

(*1) JORNANDES Lib. de Reb. Get. c. 47.: *Euricus Rex Veſegotharum Romani Regni vaſtationem cernens, Arelatum & Maſſiliam propriæ ſubdidit ditioni. Giſericus etenim Vandalorum Rex ſuis eum muneribus ad iſta committenda illexit, quatenùs ipſe Leonis vel Zenonis inſidias, quas contra eum direxerant, præcaveret, egitque, ut Orientale Imperium Oſtrogothæ, Heſperium Veſegothæ vaſtarent; ut in utraque Republica hoſtibus decernentibus, ipſe in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato ſuſcipiens animo, totas Hiſpanias, Galliáſque ſibi jam jure proprio tenens, ſimul quoque & Burgundiones ſubegit.* PROCOPIUS Lib. 1. de B. G. c. 12.: *Ubi illam* (Galliam) *Odoacer in tyrannidem mutavit; hinc Tyranni conceſſu, Galliam omnem ad Alpes uſque, quibus Gallorum & Ligurum fines terminantur, Viſigothi obtinuerunt.*

(*2) SIDONIUS Lib. VII. ep. 6.: *Sed quod fatendum eſt, præfatum Regem Gothorum, quanquam ſit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quàm legibus Chriſtianis inſidiaturum paveſco: tantum (ùt ferunt) ori, tantum pectori ſuo, Catholici mentio nominis acet, ut ambigas ampliùs, ne ſuæ Gentis, an ſuæ ſectæ teneat Principatum...... Burdegala, Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Heluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multóque jam major numerus civitatum (ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum Ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit, quam ferè conſtat ſic per ſingulos dies morientûm Patrum proficere defectu, ut non ſolùm quoslibet Hæreticos præſentum, verùm etiam Hæreſiarchas primorum temporum potuerit inflectere: ita populos exceſſu Pontificum orbatos, triſtis interciſæ fidei deſperatio premit, nulla in deſolatis cura Diœceſibus, Parochiiſque. Videas in Eccleſiis, aut putres culminum lapſus, aut valvarum cardinibus avulſis, Baſilicarum aditus biſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa, prô dolor! videas armenta non modò ſemipatentibus jacere veſtibulis; ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci. Sed jam nec per ruſticas ſolùm ſolitudo parochias, ipſa inſuper urbanarum Eccleſiarum conventicula rareſcunt. Quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando clericalis non modò diſciplina, verùm etiam memoria perit? Equidem cùm Clericus quiſque defungitur, ſi benedictione ſucciduâ non accipiat dignitatis hæredem, in illa Eccleſia Sacerdotium moritur, non Sacerdos.* Ad hanc epiſtolam GREGORIUS TURONENSIS Lib. II.

ta nihil prohibente locorum ſanctitate ſolita illinc pabula carpebant. Ad annum quintum ſupra quadringenteſimum octogeſimum crudelis hæc impietas graſſata eſt; tum Deus ſuorum vices miſeratus, Eurico vitam, Regnúmque, quod octodecim integris annis geſſerat, protinùs abſtulit (*3).

Obitus Eurici A. 584.

2. Defuncto Parenti ALARICUS ex Ragnachilde (e) filius ſucceſſit: mitius is ingenium ſortitus (f), à vexatione, quam Euricus adversùs Catholicos acerrimam inſtituerat, omninò abſtinendum duxit (g). Turbarum oſor bello pacem præferebat, neque uſquam laceſſere hoſtem viſus eſt, quàm cùm à Theodorico Oſtrogothorum Rege rogatus, auxilia contra Odoacrem in Italiam mitteret (*4). Qui armis igitur ſuum proferre Regnum minùs ſtudebat, aliunde magìs tamen inclaruit, eoquòd partam Patris fortitudine Rempublicam ſapientiâ legum ordinare ac ſervare impenſiùs moliretur (h). Equidem Euricus ſtatuta quædam ad Gothorum uſum jam ediderat (i); ſed Alaricus eum Juris Codicem congeri volebat, qui leges tum Gothis, tum Gallis communes complecteretur (k): eo conſilio Epiſcopos ac Regni Primores convocabat, ut, quid cuique Genti conveniret (l), diſpicerent. Auditis omnium ſententiis ex variis legum voluminibus, tum præcipuè ex illo Codice, quem Theodoſius Junior anno CCCCXXXVIII. vulgaverat, Conſtitutionum maxima pars deprompta eſt, Aniano potiſſimùm opus curante vel publi-

(e) Sidon. L. 4. ep. 8.
A. 585.
(f) Iſidorus in Chron.
(g) Acta Synodi Agath. apud Sirmond. in CC. Gall. T. I
Alaricus Eurici filius, & Rex Viſigothorum.
(h) Sigebert. Gembl. de Script. Eccl. c. 70.
(i) Iſidorus in Chron.
(k) Gothofredus in Prolegom. Cod. Theod. c. 5.
(l) in Commonitorio Brev. Aniani
Codex Alaricianus, ſive Breviarium Aniani.

Lib. II. c. 25. provocat, dum eaſdem Eccleſiæ calamitates breviter deſcribit. Cæterùm VALESIUS Franc. Lib. V. p. 240. notat, quòd inter expulſos Epiſcopos etiam fuerit ipſe Sidonius, qui Claromontanus Præſul tunc in Caſtrum Livianum (inter Narbonem & Carcaſſonem ſitum) velut in exilium amandabatur, uti colligitur ex ep. 3. & 9. Sidonii Lib. III.

(*3) ANONYMI CHRONICON apud PAGIUM ad annum 484. N. XXIV.: *Poſt Conſulatum Theodorici*, ſive anno CCCCLXXXV. ſcribit: *His diebus Euricus Rex moritur, & Alaricus filius pro eo Rex efficitur.* Prætereà JORNANDES Lib. de Reb. Get. c. 47 ait: Euricum obiiſſe *decimo nono anno Regni ſui.* Quare cùm ineunte anno CCCCLXVII. regnare cœperit, ad annum 485. vitam propagavit; neque obſtat, quòd ISIDORUS Eurici regno tantùm ſeptendecim annos tribuat; nam ille Author (teſte Pagio) annos nonniſi completos hìc numerat.

(*4) ANONYMUS VALESII FAUSTO & LONGINO COSS. ſive an. 490.: *Odoachar Rex exiit de Cremona, & ambulavit Mediolanum. Tunc venerunt Wiſigothæ in auxilium Theodorici, & facta eſt pugna ſuper Addam,.... & fugit Odoachar Ravennam.*

publicante, qui, ut legum veterum obſcuritati lucem quandam apponeret, ſingulis argumenti ſummam præfixit. Digeſtus ubi in ordinem Codex Alaricianus fuerat; ejusdem Regis authoritate circa annum DVI. promulgatus eſt (†). Quemadmodùm verò Alaricus internam Reipublicæ compagem hiſce inſtitutis firmiorem reddiderat: ita adversùs externam vim Regno ſuo ſatìs inde proſpectum exiſtimabat; quòd ipſe Theodorici Oſtrogothorum Regis gener, ſimul Francorum, Burgundionúmque Principes affinitate proximè haberet conjunctos (*5). Neque ſpes Alaricum fefellit, quamdiu Clodoveus in eliminandis à Gallia Romanis totus erat: his autem ſubactis, & finibus Francorum ad ipſas uſque Gothorum terras prolatis, finitima Regna diu pacata eſſe non poterant. Clodoveus enim ſive Viſigothos Arii veſaniâ pollutos odiſſet (*6): ſive ei acerbum eſſet, quòd non tantùm

A. 506.

(†) Repetexio VII.

Initium & cauſa belli, quod Alaricus cum Francis geſſit

A. 507.

Mm 3

(*5) Vide Tabulam Genealogicam Regum Oſtrogothorum ſuprà p. 220. not. 14., cui adde hìc Genealogiam Alarici:

EURICUS Rex Viſig. ⊐⊏ *Ragnachildis*

Alaricus

Ex N. Concub. — GESALICUS.

Ex Theodichuſa filia Regis Oſtrog. — Amalaricus ⊐⊏ *Clotildis Clodovei filia.*

Conferatur BUCHERIUS in Belgio Romano L. XIX. c. 9. N. 5.

(*6) GREGORIUS TURONENSIS Lib. 2. c. 37. zelum Chriſtianæ Religionis pro cauſa belli adducit: *Clodovechus Rex ait ſuis: Valdè moleſtè fero, quòd hi Ariani partem teneant Galliarum;.... cúmque placuiſſet omnibus hic ſermo, commoto exercitu Pictavis dirigit. Ibi tunc Alaricus commorabatur.* Confutat PAGIUS ad annum 507. N. V. hanc rationem; nam ſi Clodoveus tantùm adversùs hæreſin Arianam, quâ Alaricus infectus erat, bellare voluiſſet, omnes Principes Arianos procul dubio in ſe concitâſſet, nec Gundobaldum itidem Arianum Burgundiæ Regem pertraxiſſet in fœdus. FREDEGARIUS in epit. c. 25., & AIMOINUS Lib. 1. c. 20. inde ortum ajunt eſſe bellum, quòd Alaricus Clodovei Legatum (ſcilicet Paternum) pacis causâ ad Viſigothos miſſum injurioſè tractâſſet, & fraude circumveniſſet. Prætereà ex epiſt. Lib. III. apud Caſſiod. colligitur, Amalaricum verba contumelioſa in Clodoveum protuliſſe: demum BUCHERIUS in Belg. Rom. Lib. XX. c. 7. N. VI. ex S. Remigii epiſtola oſtendit, huic Epiſcopo bellum hoc non diſplicuiſſe; ſcribebat enim S. Antiſtes ad Clodoveum hoc tempore: *Rumor ad nos magnus pervenit, adminiſtrationem vos ſecundam rei bellicæ ſuſcepiſſe. Non eſt novum, ut cœperis eſſe, ſicut Parentes tui fuerunt. Hoc imprimis agendum, ut Domini judicium à te non vacillet, ubi tui meriti, qui per indu-*

tantùm ſibi ab Alarico parari inſidias, ſed & recipi ab illo exules, hoſtéſque Francorum audiret: ſive demum propagandi Regni causâ id ageret; Viſigothis bellum intentabat. Theodorico cùm quid ſimultatis foret, ex fama priùs, deinde frequentibus nunciis eſſet exploratum; miſsâ ad utrumque legatione, diſſidentes ad concordiam animos revocabat (*7), ſuum dolorem teſtatus, quem tantò majorem caperet, quantò dirius eſſet, alterum in alterius, qui mutuæ cognationis vinculo tenerentur, exitium armari. Adhæc commonſtrabat triſtes incertóſque bellorum exitus, ac ſubditorum calamitates, quorum periculo, malóque hâc ratione Reges peccarent. Quodſi neque ſocerum Alaricus reſpiceret, nec Clodoveus propinqui aut fratris amore moveretur: ſe ùt ſocerum, & ùt fratrem monere, eum hoſtis loco futurum, quicunque ſe à pacis ſtudio alienum præſtitiſſet (*8). Alaricus monitis magìs, ac Clodoveus, ceſſit: neque aliorum

Theodoricus Rex Oſtrogothorum eos epiſtolis fruſtrà conciliare nititur.

induſtriam humilitatis tuæ ad ſummum culminis pervenit, quia (quod vulgò dicitur) ex fine actus hominis probatur. Conſiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam poſſint ornare. Et beneficium tuum caſtum & honeſtum eſſe debet, & ad eorum conſilia ſemper recurrere. Quodſi tibi benè cum illis convenerit, Provincia tua meliùs poteſt conſtare. Cives tuos erige, afflictos, viduas fove, orphanos nutri &c. In hac epiſtola præſcribit S. Remigius in bello præſtanda, non tamen ullo verbo bellum improbat.

(*7) Theodorici epiſtola ad *Alaricum* habetur apud CASSIODORUM Lib. 3. Variar. ep. 1.: *Quamvis fortitudini veſtræ confidentiam tribuat Parentum veſtrorum innumerabilis multitudo; & Attilam potentem reminiſcamini Viſigothorum viribus inclinatum: tamen quia populorum ferocia corda longâ pace molleſcunt; cavete ſubitò in aleam mittere, quos conſtat tantis temporibus exercitia non habere. Suſtinete, donec ad Francorum Regem Legatos noſtros mittamus, & litem veſtram amicorum judicia amputent.... Adhuc de verbis parva contentio eſt, facillimè tranſigetis, ſi non per arma veſtros animos irritetis.* Idem ep. 4. ad Clodoveum:.... *Quæ cùm ita ſint, miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, ut cum filio noſtro Alarico Rege duriſſimum velitis ſubire conflictum;.... impatiens ſenſus eſt, ad primam legationem protinùs arma commovere. A Parentibus, quod quæritur, electis judicibus expetitur.... Abjicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. Jure Patris vobis interminor, & amantis* &c.

(*8) Theodoricus, ne quid intentatum relinqueret, ſocios armorum & inſtrumenta augendi metûs quæſivit. Epiſtolâ itaque apud CASSIODORUM 2. L. 3. Var. *Gundobaldum Burgundionum Regem* provocabat ad litem componendam. Et quoniam Francis trans Rhenum à Septentrione *Warni ſeu Guarni & Heruli*, ad Orientem *Thuringi* confines erant; hos quoque incitavit ad Clodoveum armis terrendum. Epiſt. 3. l. c. ita ſcribit ad eosdem: *Legatos veſtros unà cum meis & fratris noſtri Gundibaldi Regis ad Francorum Regem Ludovicum deſtinate, ut aut ſe de Viſigothorum conflictu, conſideratâ æquitate ſuſpendat, & leges Gentium quærat, aut omnium patiatur incurſum, qui tantorum arbitrium judicat eſſe temnendum* &c. P. DANIEL has epiſtolas in alia

aliorum Principum (quos interpellaverat Theodoricus) appoſita opera impedire potuit, quò minùs res ad arma ſpectaret (m). In Pictavii agro decimo ab urbe lapide, in campis Vogladenſibus Francorum, Gothorúmque acies pugnavit acriter (n), exæquato primùm periculo, pari ſpe: at ubi certaminis æſtu Gothi in fugam impellebantur, Alaricus fugientium poſtremus, Clodovei impetu in primo agmine pugnantis ex equo dejectus, & à Franco pedite anno Regni vigeſimo tertio confoſſus eſt (o). Dilapſis in proximas urbes Gothorum reliquiis, alii ex eadem Gente, qui à prælio abfuerant, altero conflictu in Burdigalæ finibus cum Francis concurrendum putavêre: verùm certaminis alea rurſus adeò infeliciter cecidit, ut ab internecina clade campus Arianus diceretur, Religione Gothorum loco nominis notionem ſuppeditante (p).

(m) Procop. B. G. L. 2. c. 12

(n) Gregor. Turon. L. 2. c. 36.

Pugna in campo Vogladenſi.

(o) Greg. l. c. Rorico p. 512. Freculph. Chron. T. II. L. V. c. 22.

Cædes Alarici.

A. 508.

3. Itaque cùm Gothis in Gallia ferè nihil reliquum eſſet (*9); ii, qui ab excidio integri Narbonem evaſerant, malo extremo remedium daturi, GESALICUM collatis ſuffragiis ad Regnum depoſcunt (*10): erat is Alarici ex pellice ſuſceptus filius, quem Amalarico (legitimo quamvis Regni hæredi) antehabere hoc tempore placuit; eoquòd hic vix quinque annorum puer ob ætatis imbecillitatem, graviſſimæ Imperii bellici moli ſuſtentandæ haudquaquam par videretur (q). Geſalicus necdum in Viſigothorum ſolio tutus conſederat; tum Theodoricus ſuum ex filia nepotem prætermiſſum eſſe fremens, exercitum parabat, quo

(p) Mariana de reb. Hiſp. L. V. c. 6. p. 205.

Geſalicus Rex Viſigothorum.

(q) Procop. de B. G. L. I. c. 12.

in alia cauſa ſcriptas eſſe ſuſpicatur; verùm VALESIUS, MARIANA, LE COINTE & PAGIUS easdem ad initium hujus belli referunt.

(*9) ISIDORUS in Chronico: *Rexit Alaricus annis* 23. *Cúmque à pueritia vitam in otio & convivio peregiſſet; tandem provocatus à Francis, in regione Pictavienſis urbis, prælio inito, extinguitur. Eo interfecto, Regnum Toloſanum occupantibus Francis deſtruitur.* Ex his emendandus eſt JORNANDES rer. Get. c. 47., dum ſcribit: *Pari tenore (ùt de Auguſtulo ſuperiùs diximus, & in Alaricis proveniſſe cognoſcitur) in eis ſæpè Regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant.* Nam nequaquam *Viſigothorum* Regnum, quod Jornandes innuere videtur, ſed tantùm *Toloſanum* hâc pugnâ interiit. Cæterum Toloſæ Regnum Viſigothorum ſteterat annis 88., ſcilicet ab anno 419., quo Wallia illinc ſedere cœpit, ad annum 507.

(*10) ISIDORUS in Chronico: *Anno decimo ſeptimo Anaſtaſii GISALCICUS ſuperioris Regis filius ex concubina creatus, Narbonæ Princeps efficitur. Sicut genere viliſſimus, ita in felicitate & ignavia ſummus.* CASSIODORUS Lib. V. Var. ep. 43. eum vocat *Giſolecum.*

quo eripere Francis Provinciarum rapinas, & Amalarico suo reddere Regnum posset (r): erant & aliæ non minoris ponderis causæ, quæ Ostrogothos ad bellum incitabant. Nam præterquam quòd Theodorico deliberatum esset, ulcisci æquè Generi occisi mortem, ac Gundebaldi, qui intereà ad Francos defecerat, perfidiam; tum Italiæ providendum censebat, ne captâ Visigothorum dominatione, Franci in Ostrogothorum Provincias se quoque ingererent: & quoniam in turbido piscari facile est, in tanta tempestate is demum animus accessit & consilium, ut vacillante Visigothorum fortunâ, Ostrogothorum Principatus novis ditionibus pro belli mercede acceptis augeretur (s). Itaque Ilba Gepidarum Comes cum octoginta armatorum millibus in Galliam ire jussus est (t). Antequam is Alpes superaverat; Gesalicus periculi metu turbatus, Barcinonem provocavit (u): Ilba verò, utprimùm Galliæ intulerat pedem, magnis passibus Carcassonem, posteà Arelatum (quam urbem eo tempore Franci obsidebant) contendit. Cæsis illinc viginti hostium millibus, Visigothis Aquitania restituta est (x), & Provincia Phocæensis ad Ostrogothos velut navatæ operæ pretium venit (*11). Hi postquam Narbonem quoque receperant, per Pyreneos montes eluctaturi in Hispaniam credebantur; tum Gesalicus, qui illuc fugerat, seu rerum desperatione actus, sive fidei suorum, qui Tyranni ignaviam, ac crudelitatem ferre amplius non poterant, diffisus, in Africam trajecit (*12). Thrasimundus Rex Vandalorum

(r) Cassiod. in Chron. ad an. 508.

Theodoricus Rex Italiæ exercitum mittit in Galliam.

A. 509.

(s) Mariana L. V. c. 7.

(t) Victor Tunun. in Chronico.

(u) Procop. de B. G. L. I. c. 12.

A. 510.

(x) Cassiod. L. VIII. Var. ep. 10.

Theodoricus devictis Francis, Gallo-Provinciam sibi retinet.

(*11) Ostrogothos urbes ad Durentiam fluvium accepisse, inde conjicias, quòd Theodoricus de iis specialem curam in suis epistolis ostendat, apud CASSIODORUM Lib. III. Variar. ep. 41.: *Tritici speciem ob exercituales expensas nostra providentia de Italia destinavit, ne fatigata Provincia hujusmodi læderetur. Ad castella supra Durentiam constituta de Massiliensium horreis constat esse portandum.* ARELATEM venisse in ditionem Theodorici, testatur Cyprianus in vita S. Cæsarii, & ep. 44. Lib. III. Var. apud Cassiodorum, ubi Rex pro reparatione murorum Arelatensium, vel turrium retustarum certam pecuniæ direxit summam. Similiter de AVENIONE certi sumus ex ep. 32. Lib. III. Var.

(*12) COINTIUS ad annum 509. N. I. opinatur, Theodoricum Regem abiisse in Hispaniam, & Gesalicum coëgisse, ut relictâ Barcinone, in Africam trajiceret, quod & asserit LUCAS TUDENSIS. Sed contrarium eruitur ex ISIDORO, CASSIODORO, & ex CHRONICO VICTORIS TUNUNENSIS, in quo postremo ad annum 510. ita legitur: *Hoc anno idem Gesalicus ab Helbane Theodorici Italiæ Regis Duce ab Hispania fugatus, Africam petit.*

dalorum profugi hominis fortunam ſublevandam cenſuit, non tam miſeratione Geſalici, quàm ſui Regni incolumitate adactus. Utì enim omnis vicinorum Regum potentia ſuſpecta eſt; ita Thraſimundo non poterat non eſſe formidoloſum, ſiquidem Theodoricus altero nimirum Viſigothorum Regno auctior, in Vandalos tandem ſuas quoque vires effundendi facultatem nanciſceretur. Sed quia Theodorici ſororem in conjugio Rex Vandalorum habebat; in propinquum aperto Marte ire, aut militem fœderatum Geſalico ſociare è re ſua minùs eſſe duxit: pecuniâ tamen adjutum in Galliam remiſit, ut diſſimulanter alienâ hoſtis manu contra Theodoricum pugnaret (y). Geſalicus inde reverſus, annum conſumpſit; dum ære à Thraſimundo accepto, copias conſcriberet. His demum comparatis, ad duodecimum ab urbe Barcinonenſi lapidem, belli, certaminíſque aleam reſumpſit; infauſto nihilominùs eventu. Nam ab Ilba novo rurſus prælio fuſus, ſalutem in fuga alterâ quoque vice quæſivit: quam ad breve tempus obtinuit; dum ægritudine animi omninò conſumeretur, anno, ex quo Rex renunciatus fuerat, quarto (z).

Geſalici fuga in Africam.

(y) Mariana de reb. Hiſp. L. V. c. 7.

Geſalici interitus.

(z) Iſidorus in Chronico. Pagius ad a. 511. N. XV.

4. Poſt Geſalici mortem THEODORICUS in nepotem ſuum Amalaricum Principatûs honores ita tranſtulit, ut tamen Regni procurationem ſibi ſervaret (*13). Nam cùm imbecillior Princeps eſſet, quàm ut turbatam tot procellis Rempublicam moderaretur; Oſtrogothorum Rex Tutoris ſpeciem, noménque profeſſus, unà cum Viſigothis Juventam Amalarici regendam ſuſce-

A. 511.

Theodoricus Rex Oſtrogothorum Regni Hiſpanici tutelam ſuſcipit.

(*13) PROCOPIUS Lib. 1. de B G. c. 12.: *Inde* (ex urbe Arelatenſi) *cùm expellere eos* (Francos) *nequiret Theudericus*, *ſcivit eos illa habere*, *ſatìs ducens Galliæ cætera retinere*: *mortuóque Giſelicho* (an. 511) *effecit*, *ut ad ſuum è filia nepotem Amalaricum Viſigothorum Principatus tranſoret*; *cujus admodùm pueri tutelam ipſe ſuſcipiens*, *pecunias*, *&* *quæ cara alia Carcaſſane* (Gregorius Turonenſis ſcribit Toloſæ) *erant*, *Ravennam abſtulit ſubitò*, *mittènſque tum Magiſtratus*, *tum exercitus in Galliam atque Hiſpaniam, non ſegniter id agebat*, *ſibi ut Imperium id firmaret.* Et ideò CYPRIANUS in vita S. Cæſarii ait: *Sic deinde à Viſigothis ad Oſtrogothorum devolutum eſt Regnum.* Ab hoc etiam tempore per quindecim annos, quibus Theodoricus Oſtrogothus rei ſummam in Hiſpania moderatus eſt, Concilia ibidem celebrata, Theodorici Regis nomen præferunt, Regni etiam ejus anno deſignato, quæ tamen ſpecialis Chronotaxis incipit ab anno 511., ita Concilium Gerundenſe anno 517. celebratum ſcribitur. Agapito Conſule, VI. Theodorici Regis anno fuiſſe habitum.

(a) Procop. L.I,B.G.c.12 (b) Pagius ad an. 508. N. 8. & ad a. 511. N. 15. (c) Ennod. L. 9. ep. 23. Cassiodor. Var. L. 2. ep. 6. & L. 11. ep. 1. (d) Procop. L. 1. c. 13. (e) Cassiod. Var. L. 4. ep. 19. (f) Jornandes c. 51. *Obitus Theodorici.*

suscepit (a). Ab hoc tempore nihil usquam negotii fuit, quod Theodorici curâ ac ingenio in Visigothorum Provinciis non dirimeretur (b): Galliæ Liberium, quem Præfectum Prætorio creârat, præesse jussit (c): in Hispania vices Theodorici agebat Theudis, belli & pacis artibus clarus, & ex multarum rerum usu collectâ prudentiâ excellens (d). Constitutis optimis Magistratibus, subditorum commodis Theodoricus prospectum ibat; quare Siliquatici rebus venalibus imposita præstatio abrogabatur (e); & navibus ad portus appulsis nullum de naulo aut exactione facessebatur negotium: reliquæ autem Hispaniæ opes, & vectigalia Regia conferebantur præsidiis ac exercitibus alendis. Inter Visigothos, ac Ostrogothos liberior nunc nubendi copia (f), atque ex vitæ communione ferè in unum populum coalescebant. Hic Regni modus per quindecim annos viguit, dum Theodoricus fatis concederet (g).

A. 526. (g) Cassiod. in Chron. *Athalaricus Rex Visigothorum.*

5. Defuncto Ostrogothorum Regi unus superfuit filius, Regníque hæres ATHALARICUS, qui octo annorum puer cùm ipse matris Amalasunthæ tutelâ egeret; Amalaricus Visigothorum res liberè gubernare cœpit (*14). Sub Regni verò hujus exordia, Amalasuntha cum Amalarico in sequentia capita convenit (h): nempe Galliæ portio (quæ ab Alpibus ad Rhodanum porrigerentur) Ostrogothis: quæ à Rhodano ad Pyreneos montes spectaret, Visigothis adscribitor: vectigalia, & quidquid opum Theodoricus Carcassone abstulerat, Amalarico redduntor: & quoniam hæ duæ Gentes connubiis affinitate se conjunxerant, unicuique viro, qui uxorem è Gente altera accepisset, permissa est optio, ŭtrùm mallet uxorem sequi, an ad Gentem, ex qua ipse esset, illam traducere (i). Hâc divisione limitum, rerúmque factâ, ad conciliandam suis Provinciis pacem, Amalaricus Childeberti sorori Clotildi (k) nupsit, útque sibi ex Francica Gente

(h) Procop. L. 2. de B. G. c. 13. *Ejus pactio & divisio cum Athalarico Theodorici filio.* (i) Procop. l. c. (k) Gregor. Turon. L. 3. c. 10.

(*14) Partes aliquas Regni jam reliquerat *Theodoricus*, dum viveret, nepoti suo *Amalarico*; uti testatur ISIDORUS in Chronico scribens: *Hispaniæ Regnum* (cujus pars tunc Septimania erat) *quod superstes Amalarico nepoti suo* Theodoricus *reliquit*. Et Cassiodorus Lib. VIII. Variar. refert epistolam ordine quintam, quâ Athalaricus significat, se, superstite adhuc Theodorico, sacramenta Gothorum recepisse, & epist. 6. ibidem idem Rex providentiam Theoderici laudat, quâ se adhuc vivus ad abscindendas turbas Regno donare voluerit, vel Regni parte.

Gente Regiam uxorem; ita dotis nomine Toloſatium præfecturam (quæ Gothorum olim ſedes præcipua fuerat) ditioni ſuæ rurſus adjunxit (*15). Quod nuptiali fide hunc in modum fœdus coaluerat, hoc ſubinde perfidâ in Deum mente, ac impiâ in conjugem crudelitate Amalaricus ipſe rupit (l). Erat quippe Clotildis Catholicæ Religioni addictiſſima, ac alieniſſima ab Arii errore, quem Regius maritus ad inſaniam uſque deperibat (m). Inde factum eſt, ut, cùm Regina ſacra templa obiret, incitata plebs, hortante, vel ſaltem indulgente Rege, devotam mulierem contumeliis, ſordibúſque injectis malè fœdaret. Petulantia ejuſmodi etſi injuriæ ſatìs haberet; Princeps tamen ipſe, quaſi cumulum additurus, in innocentem convitiis ac plagis ad ſanguinem uſque diriſſimè inflictis graſſabatur (m). Ferreâ patientiâ primos impetus Clotildis tulit; ſed ubi rabies in diem accenſa pejora præmonſtraverat, Regia ſoror Childebertum fratrem ac Pariſiorum Regem monet, ut, quod tyrannidis jugum ſibi prætextu nuptiarum impoſitum eſſet, commiſeratione tactus detraheret: pietatem ſuam impietate, obſequia crudelitate multari; ac tolerantiam non aliud habere ſolatium, quàm ut immanitas viri ad vulnera, & proximè etiam ad cædem proliciatur. Dictis nî fides ſit, linteum ſe literis addere ſuomet ſanguine delibutum, in quo cruento ſpectaculo legere notas improbi furoris poſſit (n). Childebertus ubi primùm epiſtolam lituris, lachrymíſque interfuſam, dein excuſſum è ſororis corpore, atque in linteo exceptum cruorem aſpexerat; inhorreſcenti ſimilis hæſit, mox collecto animo in Amalaricum totis viribus properavit (*16). Hic conſilii inops dum urbem, quam inſe-

Nuptiæ Amalarici cum Clotilde Childeberti ſorore.

(l) Procop. L. 1. de B. G. c. 13.

(m) Idem l. c. Greg. Tur. L. 3. c. 10. Aimoinus L. 2. c. 8.

Amalarici ſævities in uxorem ob fidem Catholicam.

(m) Greg. Tur. Lib. 3. c. 10. Aimoinus l. c.

A. 530.

(n) Gregor. Turon. l. c.

Childebertus ulciſcitur ſorori illatas injurias.

(*15) PROCOPIUS L. I. B. Goth. c. 13: *Rex Viſigothorum Amalaricus, adultâ jam ætate, Germanorum* (id eſt, Francorum) *potentiam reformidans, eorum Regis Theodeberti* (Pagius cum aliis Criticis *Childeberti* legendum putat) *ſororem in matrimonium duxit.* " His nuptiis (ait PAGIUS ad annum 523. N. XIX.) Francos inter & Viſigothos pax coaluit, cujus beneficio penes Francos manſerunt Toloſa & Ucetia Galliæ Narbonenſis civitates, cum Metropoli Provinciæ Lugdunenſis tertiæ, & tribus Aquitaniis, ſi partem excipias Epiſcopatûs Rutenenſis, quæ Viſigothis per aliquot annos adhuc paruit. „

(*16) AIMOINUS Lib. II. c. 8. locum deſignat, ubi Childebertus ſororis literas acceperat: *Urbs Arverna Childebertum in finitimis ſuis, de fratris Theodorici regimine*

Cædes Amalarici. A. 531. insederat, in potestate hostium jam viderat, ad templum Catholicorum, quos tot injuriis vexaverat, velut ad asylum confugiens, in ipso aditu militis hastâ trajectus occubuit (*17), postquam quinque annis Visigothorum Genti jura dictaverat (o).

(o) Isidorus in Chron.

6. Visigothorum Regum progenies in Amalarico jam à stirpe penitùs defecerat, tum rerum summa ad THEUDIM (genere Ostrogothum) à Regni Primoribus delata est (p). Ad hoc fastigium sibi gradum is jam inde straverat, ex quo à Theodorico in Hispaniam missus, & Reipublicæ curis admotus, fœminam præpotentem ex præcipua Hispanorum nobilitate sibi sociaverat; his enim adminiculis clientelas parare Theudis, & alere suo nomine militem tam copiosum poterat (q), ut Theodoricus Ostrogothorum Rex & Amalarici rebus prospiciens, hominem olim munere dimovisset, nisi ille utì opibus, ita quoque prævaluisset arte, quâ dolos ab Ostrogothis compositos scitè eludere noverat. Cæterùm, quantâcunque vesaniâ se Arii discipulum profiteretur, Catholicis tamen sacris adeò injuriæ nihil intulit, ut Orthodoxis etiam favores nonnullos impertiretur (*18). Regnum itaque dum multis modis stabile reddiderat;

(p) Jornand R. G. c. 58. Isidori Chronicon. Mariana R. Hisp. L. 5. c. 7.

Theudis Rex Visigothorum.

(q) Mariana l. c.

A. 532. *Ejus favor erga Catholicos.*

mine ab eo vi prærepta tenebat; cùm memorata sororis scripta ad eum pervenerunt. Inde vir militiæ peritus, non exspectato fratris Clotharii solatio, compositis ordinibus castra movit: atque improvisus armatas acies Hispaniis infudit. Vide infrà §. VII. ad annum 531. N. XV.

(*17) PROCOPIUS Lib. 1. B. G. c. 13. tantùm innuit: *Victus demum Amalaricus non sine magna suorum strage oppetit.* GREGORIUS verò TURONENSIS L. III. c. 10. genus mortis declarat: Childebertus *Hispanias appetiit. Amalaricus verò hæc audiens, naves ad fugiendum parat. Porrò imminente Childeberto, cùm Amalaricus navem deberet ascendere, ei in mentem venit, multitudinem se pretiosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cúmque ad eosdem petendos in civitatem regrederetur, ab exercitu à portu exclusus est. Videns autem se non posse evadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, unus emisîâ manu lanceâ, eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit spiritum.* VICTOR TUNUNENSIS: *Amalaricus Rex cum Zidiberto* (Childeberto) *Francorum Rege in Gallia superatus, Narbonensi in prælio Barcinonem fugiens venit; ibique à Franco Angone percussus interiit.* Ex his dubium manet, an Amalaricus in prælio, aut prope Narbonem cæsus sit. Vide etiam PAGIUM ad annum 531. N. VIII.

(*18) ISIDORUS in Chronico: *Teudis, .. qui, dum esset Hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ, adeò, ut licentiam Catholicis Episcopis daret, in annum apud Toletanum urbem convenirent, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria extitissent, liberè, licentérque disponere.*

rat; Gelimer Rex Vandalorum Oratores in Hispaniam ablegat, qui contra Belisarii vim à Theudi auxilia flagitarent. His lentâ navigatione ad Visigothorum Regem tendentibus, Africa in Cæsaris servitutem revocabatur: cujus eventûs nuncii ubi citiùs ad Theudin pervenerant; hic Legatis subinde ad Hispaniæ oras appulsis, & quid de Gelimeris captivitate, déque subactâ à Belisario Africâ intereà actum fuerat, prorsus ignaris, id tantùm reposuit: redirent continuò ad suos, ibíque conveniens postulatis responsum exspectarent. Sententia Regia pessimi ominis loco accepta est, cujus veritas paulò pòst etiam Oratoribus patuit, quando in confinia Carthaginis provecti, perditis rebus medicinam nullam, nullum auxilium superesse intelligebant (r). Theudis inter Africæ, & quæ ponè sequebantur, Italiæ ruinas tranquillum gessit imperium: nec antè in Hispania turbæ exortæ sunt; dum Childebertus Francorum Rex, ejúsque frater Clotarius vetere odio, junctísque armis in Hispaniam copias infunderent. Tarraconensi quippe agro tunc vastato, Cæsaraugusta (Provinciæ Caput) gravi obsidione petebatur. Theudis Rex viribus inferior, & rebus omnibus imparatus, cùm æquo certamine congredi formidaret, in S. Vincentii (cujus reliquias urbs tenebat) præsidio cives spem suam posuêre (s). Nec opem Martyris defuisse ferunt ii, qui tradidêre, Francos solis hujus Sancti reliquiis contentos, quin alia spolia asportarent, ex Hispania decessisse (t). Difficilior tamen Francorum reditus, quàm ingressus fuit; Theodisclo enim Theudis Duce Pyrenei montis fauces obsidente, Childebertus cum suis velut indagine cinctus, non habebat, quò evaderet: post ingentem luctam ac cladem sive ferro, sive auro hosti objecto, via in juga montium patefacta est (u). Visigothi, qui loci naturâ potiùs, quàm suis viribus contra hostes pugnaverant, subinde aliquid aperto Marte moliti sunt; Septam quippe urbem, quam alii in Africæ finibus, alii in Aquitania collocant (*19), obsidione prementes,

A. 533. *Afrorum legatio ad Theudin nimis sera & infructuosa.*

(r) Procop. L. 1. de B. Vand. c. 24. p. 231.

A. 534.

A. 542. *Francorum expeditio adversùs Theudin Visigoth. Regem.*

(s) Isidorus in Chron. Greg. Tur. L. 3. c. 29. Aimoinus L. 2. c 19. Victor Tun. in Chron.

(t) Mariana Rer. Hisp. L. 5. c 8.

In reditu Franci periclitantur.

(u) Isidorus in Chron.

A. 546.

(*19) IDEM l. c.: *Theudis sive acceptæ ignominiæ procurandæ studio, sive insigni aliquâ expeditione nominis famam extendere parans, seu (quod vero propius arbitror) ut Vandalos juvaret de Imperio Africæ jamdudum periclitantes, superato freto, SEPTAM urbem*

Theudis Septam nequicquam oppugnat.

tes, quidquid tenebant virium, exprompsêre. Ultimus jam in mœnia impetus agitandus credebatur, tum diei religione (incidebat ista in Dominicam) se prohiberi Theudis ajebat, quò minùs hostilem assultum præciperet. Species hæc pietatis urbi opportuna fuit; obsessorum enim globi undique in feriantes Visigothos erumpentes, tantam sparserunt stragem, ut occisis pluribus, Rex cum paucis ægrè in Hispaniam relaberetur (u). Funestissimæ cladi post aliquod tempus funus Regis ipsum accessit, cujus causam homo dederat gregarius: is perire certus aut perdere, amentiæ simulatione ad Theudis alloquium admissus, Principem ense transverberatum sternit anno Regni octavo supra decimum. Regem cum morte luctantem collectis extremo spiritu vocibus vetuisse perhibent, ne quis parricidæ malum inferre ausit, propterea quòd iste, volente Numine, sibi pœnam nunc irrogaret, quam eo tempore jam meruisset, dum olim Duci suo, cui fidei dixerat sacramentum, pari perfidiâ sicam fatalem intorsisset (x).

(u) Isidorus in Chron. Mariana l. c.

Exitus funestus Theudis.

A. 548.

(x) Isidorus in Chron. Mariana.

Theudisclus Rex Visigothorum Totilæ nepos.

7. Qui Theudio sublato sufficeretur eâ tempestate, nemo præ THEUDISCLO aptior visus est (y). Fuerat hic vir à parta nuper contra Francos victoria clarior, simúlque stirpis prosapiâ illustrior, Totilæ (qui tunc in Italia regnabat) ex sorore nepos. Spem proinde faciebat non tantùm magnarum rerum à se gerendarum, sed & novi inter Ostrogothos & Visigothos fœderis, quorum enim Reges sanguinis communione noverant devinctos, illos quoque communibus studiis, ac sociatis armis salutem utriusque Gentis defensuros ominabantur (z). Verùm Visigothorum exspectationi eventus minimè respondit. Læta quippe Regni initia ferox impietas excepit, & virtus militaris, quâ antè Theudisclus valuerat, effusâ subinde libidine atterebatur. Pellicum

(y) Isidori Chron. Pagius ad a. 548. N. 7.

(z) Mariana Rer. Hisp. L. V. c. 8.

Vitia Theudiscli.

urbem Hispaniæ objectam ad freti angustias diuturnâ obsidione premens, cùm diei Dominicæ religione obstrictus cessaret, obsessorum eruptione repentè factâ insignis clades accepta: deleti ad unum quicunque in castris erant Rex cum exercitûs parte classis beneficio servatus, rejectúsque est in Hispaniam. Dubium hìc oritur, an Septæ urbis nomine intelligatur *Ceuta in Africa*, an verò *Septa in Aquitania?* Pro primo stare videntur verba Isidori; sed quia nec Theudis, nec Visigothi ullo oppido in Africa potiebantur, neque fœdus, quod Vandali petebant, unquam impletum est, alii secundam opinionem deligunt. Conferatur P. DANIEL Hist. Franc. T. I. p. 101. &c.

Pellicum usus cùm effrænis hominis impudentiam haudquaquam exsaturaret, conjuges ad scelus abstractæ sunt: quod ut licentiùs fieret, mariti innocentes per insidias aut judicio adsimulatis criminibus ad supplicium damnabantur. Insolens æquè ac crudelis agendi, vivendíque modus populi, & Procerum adeò emovit animos, ut conjuratione initâ, de tollendo monstro decernerent. Hispali itaque, ubi turpis homuncio grassabatur, impetu in Regiam facto, inter prandendum Theudisclus à suis obtruncatus interiit; postquam supra annum sex mensibus breve Regni tempus majoribus vitiis fœdaverat (a).

Theudisclus inter epulas jugulatur. A. 549.

(a) Isidorus in Chron. Mariana l. c.

8. Invidia, quâ vivens Theudisclus laborabat, post mortem Regis in superstitem filium *Athanagildum* transiit; quare Visigothi timentes, ne à malo corvo malum ovum relictum esset, hærede Regni prætermisso, AGILÆ meliore spe, quàm eventu gubernacula tradidêre (b). Cordubenses, sive Principis intrusi fortunæ diffiderent, sive arctiùs Athanagildo adhærerent, Agilam ab urbe sua excluserunt; quo seditionis signo dato, Rex, quod cives spontè nolebant, vi extorquere conabatur. Obsidio vix mœnibus apposita fuerat, tum cives eruptione subitâ filium Agilæ occidunt, ac impedimentis captis, Regem in fugam repellunt. Agila post acceptæ cladis ignominiam despicatui esse cœpit; favore hominum eò, quò fortuna fertur, plerumque inclinante (c). Athanagildus hanc occasionem turbarum nactus, consilia ad invadendum Regnum composuit: atque ut factionis vires firmaret, missâ legatione Justiniani Cæsaris auxilia implorabat, pro locanda opera Hispaniæ partem (in Romani Imperii ditionem, hoste profligato redituram) pactus. Quamprimùm Liberius Patricius, jubente Justiniano, suppetias adduxerat, ad Hispalim atroci prælio certatum est; quo Agila victus, fugatúsque, suorum tandem ferro Emeritæ (d) anno Regni sexto periit.

Agila Rex Visigothorum.

(b) Isidorus in Chron.

Cordubenses in ejus fidem concedere renuunt.

(c) Isidorus l. c. Mariana Rer. Hisp. L. 5. c. 9.

A Justiniano Athanagildus auxilia poscit.

Cædes Agilæ.

(d) Isidorus in Chron. Pagius ad a. 554. N. 13.

9. ATHANAGILDUS ubi se compotem rerum, Regníque vidit; non parùm dolebat, se Romanarum copiarum vocâsse auxilia, quibus imperare abitum, aut eas intra sinum Hispaniæ retinere à summo periculo non aberat. Sollicitudinem Regis non parùm auxit institutum Ducis Liberii, qui Cæsari suo gratificaturus, pro præstito Visigothis beneficio non exiguam Hispa-

A. 554. *Athanagildus Rex Visigothorum.*

Hiſpaniæ partem cum ſuo exercitu ex pacto jam inſederat. Negotium inde Athanagildo multiplex, & anceps per omnem vitam fortuna fuit (e); dum anno decimo quarto ſui regiminis fato functus eſt (f), duas ex uxore Goſvinda filias relinquens, quarum alteram Galſwindam Chilperico Sueſſionum (g), alteram Brunechildem Sigeberto Mediomatricum Regibus in uxores dederat: quod tamen geminum connubium vel minùs auſpicatum, vel planè infelix fuit; nam Galſwinda primo conjugii fructu delibato periit; Brunechildis verò multis annis ſuperſtes, poſt immenſas calamitates ac ærumnas indignam Regiâ conditione mortem, ſive infame ſupplicium oppetiit (h).

10. Exacto quinque menſium interregno, LIUVA per ſeptenos jam annos Narbonenſis Galliæ Præfectus faſces Viſigothorum gerere exorſus eſt (i). Imbecilliores tamen viri humeri erant, quàm ut diu totam Regni molem ſuſtinerent. Itaque anno ſecundo, à quo regnaverat, Septimaniâ duntaxat ſibi ſervatâ, reliquas trans Pyreneos montes Provincias Gothico nomini ſubditas fratris Imperio demandavit (k). Erat is LEOVIGILDUS ad res gerendas acrior, & ad reſtituendum Reipublicæ ſplendorem non paucis adminiculis adjutus. Conjugem primam habebat Theodoſiam filiam Severiani Carthaginenſis Provinciæ Ducis, ac Leandri, Fulgentii ac Iſidori ſororem, poſteà Hermenigildi & Reccaredi matrem (l). Hâc ſubinde defunctâ, in thorum adſcita eſt Goſvinda vidua Athanagildi Regis eo ferè tempore, quo Liuva Leovigildum exæquatâ prorſus poteſtate Regni conſortem dixerat (m). Initium ſimul regnantis Leovigildi ſatis memorabile fuit; nam Romani, qui partem Hiſpaniæ occupaverant (*20), ſuâ ſtatione depulſi ſunt. Corduba ad officium revocata, Sabariæ agri latè evaſtati. Atque iſta felicibus armis ubi vivente adhuc Liuvâ confecerat, eodem circa annum DLXXII, mortuo (n), rerum jam omnium compos, è Bætica in

(*20) PAGIUS in Critic. Tom. II. ad annum 567. N. X.: "Plures adhuc urbes in Hiſpania Imperio Romano ſubjectæ erant, nec ante Siſebutum Regem Gothi Romanos ex Hiſpania expellere potuêre. Quare non mirum, ſi ISIDORUS in Chronico ſcribat, dum de Athanagildo loquitur: *Adversùs quos* (ſcilicet milites Romanos) *huc uſque conflictum eſt: frequentibus anteà præliis cæſi, nunc verò multis caſibus fracti, atque finiti;* ſed legendum cum exemplari, quo uſus eſt BARONIUS, *ac diminuti*."

(e) Mariana Rer. Hiſp. L. 5. c. 9.
Athanagildi obitus.
(f) Abbas Biclarienſis. Iſidorus in Chron. Baron. ad an. 567.
A. 567.
(g) Gregor. Tur. l. 4. c. 28
Ejus filiæ Galſvenda & Brunechildis.
(h) Sigebertus in Chron. Greg. Tur. l. 4. c. 28. & l. 6. cum 7. Marian. L. 5. c. 10.
(i) Iſidorus in Chron.
Liuva Rex Viſigothorum.
(k) Idem in Chron.
A. 569.
In Collegam Regni adſumit Leovigildum.
(l) Baron. ad a. 569. n. 1
Leovigildi binæ ex ordine conjuges.
(m) Abbas Biclarienſis in Chron.
A. 572.
(n) Mariana L. V. c. 11.
Mors Liuvæ.

in Cantabros, & his subactis in Aquitaniam movit; in qua Agarensi urbe cum dominatu regionis potitus, in Hispaniam rediit eo consilio, ut Suevorum Regnum Visigothis æmulum suæ potestati sociaret. De Suevorum Gente æquè, ac de eorum Regibus post Remismundum Scriptores ejus temporis tacuêre; propterea quòd Arii tabe infectos Principes, indignos putarent, quorum facta posteris proderent (*21). Theodemiri (*22) rursus in Annalibus post centum annorum silentium primò memoria ad annum DLVIII. designata est; is enim ad Catholicam fidem cum popularibus Suevis traductus (o), dignum se præstabat, qui præcipuum inter Catholicos Suevorum Reges locum, noménque haberet. Miro Theodemiri filius, post annum DLXX., quo Patri in Regno successerat, non dispari zelo Catholicæ Religionis semina inter suos aluit (*23); inde Visigothos inter & Suevos magna causa irarum, quæ antè positæ non sunt, dum Leovigildus anno DLXXXVI. subactâ Gallæciâ, Regnum Suevorum extinxisset.

Conversio Suevorum ad fidem Catholicam.

(o) Chronicon Suevorum, Acta Concilii apud Lucum de an. 569. N. 4. D'Aguirre Concil. Hisp. T. II. p. 300.

11. Post-

(*21) IDEM in Critic. Tom. II. ad annum 560. N. III.: "Remismundus Suevorum in Hispania Rex deceptus ab Atace, Arianus effectus est, & totam Gentem Suevorum lethali hâc tabe infecit. Hinc factum, ut successorum Remismundi nomina ab Historicis memorata non fuerint. Duos tamen ultimos Arianos Suevorum Reges fuisse, Hermenericum & Recilanum, discimus ex Actis Martyrum Vincentii Abbatis, & Sociorum, qui Legione in Hispania passi sunt, quæ recitantur à Bollando ad diem XI. Martii, quo Legione coluntur.„

(*22) Qui *Theodomirus* in ACTIS CONCILII apud Lucum ad annum 569. vocatur, is ab ISIDORO in Chronic. Suev. vocatur *Theudemirus*, & in Actis Concilii Bracarensis ad annum 561. appellatur *Ariamirus*. CHRONICON verò IRIENSE apud Ferreram duos fuisse Reges affirmat, qui sub diverso nomine eodem tempore regnârunt. Gregorius denique Turonensis de miraculis S. Martini Lib. I. cap. 2., & Lib. IV. cap. 7. dictum Suevorum Regem *Chararicum* nominat. Ejus dominatus complectebatur tractum, qui magnam partem Lusitaniæ, Gallæciam, partem Asturiæ continet.

(*23) Martinus Dumensis, qui posteà Archi-Episcopus Bracarensis, & Suevorum ad fidem conversorum Apostolus fuit, uti videre est in ejus vita apud Bollandum ad diem XX. Martii, & in Actis Ss. Ord. Bened. Tom. I.; hic (inquam) Mironi Suevorum Regi librum dedicavit, cujus inscriptio istum à Mabillonio posteà erutum titulum præferebat: *Gloriosissimo, ac Tranquillissimo, & insigni Catholicæ fidei prædito pietate, Mironi Regi, Martinus humilis Episcopus. Non ignoro, Clementissime Rex! flagrantissimam animi tui sitim sapientiæ* &c. Vide Spicilegium P. D'ACHERY Tom. X.

11. Poſtquam Leovigildus externos hoſtes vel domuerat armis, vel profligaverat; domi bellum invenit (p), quod eò funeſtius fuit, quò inſolentius eſt, Patrem cum filio in aciem congredi. Duo ex Theodoſia filii Leovigildo erant, Hermenigildus & Reccaredus (q); cum his Regnum partiturus Pater, ipſe Toleti Regiam ſuam ſedem defixit: Reccaredo minori Reccopolis, natu majori Hermenigildo Hiſpalis adſignatæ ſunt (r). Diviſione factâ, ſingulis ſingulæ ſponſæ conquirebantur: & quoniam in Hermenigildo maxima ſpes Patris fuerat; Ingundam Sigeberti Mediomatricum Regis & Brunechildis filiam eidem connubio junxit (s). Feliciores, & ad ſtabiliendam rem Gothorum aptiſſimæ hæ nuptiæ videbantur, eoquòd ſponſa ex Gallia adducta, neptis eſſet Goſvindæ & Athanagildi, ac proinde utriuſque Regiæ familiæ ſanguis tam optato vinculo (t) copularetur. Unum adhuc ad votorum ſummam deſiderabatur, nempe ut Ingunda à Catholicis ſacris, quæ altùm imbiberat, ad Arii hæreſin, ſive propriam Leovigildo Religionem avocaretur. Goſvinda ubi acerbam hanc curam ſibi ſumpſerat, blanditiis, quibus muliebre ingenium faciliùs expugnatur, Ingundam aggreſſa, repulſam tulit; tum paulò ferocior in eandem convitiis & vi ſævire, & capillis per humum tractam excuſſo ſanguine fœdare, demum in ſubjectam piſcinam magno vitæ diſcrimine dare præcipitem auſa eſt (u). Injuriæ ejuſmodi magìs animum Hermenigildi, quàm Ingundæ corpus cruciavêre; utprimùm enim id, quod contra conjugem innocentem crudeliùs actum fuerat, ab uxoris ore acceperat, in Goſvindam novercam, ac Patrem Leovigildum fremens, palàm ab aula Hiſpalim diſceſſit. Illinc dum de ultione meditatur, per otium cum Ingunda primò de iis, quæ indignè tuliſſet, tum etiam, pro qua fide tantâ támque ingenti conſtantiâ paſſa eſſet, colloquebatur (x). His ſermonibus veluti totidem gradibus ad æſtimationem Catholicæ Religionis (y), deinde adnitente & inſtruente Leandro Epiſcopo ad eandem amplectendam deductus eſt (*24). Leovigildus ob fugam

(p) Abbas Biclarienſis in Chron.

(q) Gregor. Turon. L. V. c. 38.

A. 577.

(r) Mariana Rer. Hiſp. L. V. c. 11.

Hermenigildus & Reccaredus filii Leovigildi.

(s) Gregor. Turon. L. V. c. 38.

A. 579.

(t) Baron. ad a. 583. N. 33.

Goſvinda uxor Leovigildi Ingundam conjugem Hermenigildi ad Arianam hæreſin adducere fruſtrà conatur.

(u) Gregor. Tur l. 5. c. 39.

(x) Idem l. c.

Hermenigildi converſio.

(y) Vid. vit. S. Leandri in Act. SS. Bolland. ad 13. Martii. Gregor. M. Dialog. L. 3. c. 31.

(*24) GREGORIUS TURONENSIS Lib. V. c. 38.: *Cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, ut relictâ hæreſis fallaciâ, Catholicæ legis veritatem agnoſceret. Quod ille diu*

fugam filii, tum maximè propter mutatam Parentum Religionem irâ incensus, armis castigare filium constituit; & procella, incitante Gosvindâ, citiùs intonuisset, nisi paternus amor, qui necdum omninò refrixerat, molliora adhibere remedia suasisset. Itaque priùs literis monendum Hermenigildum ducebat (z), nempe ut beneficiorum varii generis meminisset, quibus à primis annis cumulatus, pro grato animo seditiosum redderet, novæque Religionis vanitatem sectando, se à Patre, ac progenitorum sensu sejungens, summæ charitatis nomina sive Parentis, sive filii odio acerbo atque invidiâ convulsum eat: postremùm, nî ad fugam citò rediret, bellum comminatus, nullum deinceps in paterna clementia ei locum fore affirmabat (a). Ad hæc terriculamenta fortior Hermenigildus reponebat, sibi nec gratam beneficiorum memoriam, nec observantiæ, quam Patri deberet, modum excidisse: postulare se duntaxat, ut, quod Clodoveus in Galliis, aliíque Reges sibi recentiùs licere voluerint, filio Principi quoque licitum velit, nempe ut salutem suam, & saniorem Religionem rebus cæteris potiorem habeat. Demum Patri filius cavebat, ne criminationibus sinistris deceptus, ea consilia capiat, quorum acerbitate infamiam, luctúmque consciscat victo & victori parem (b). In hoc responsum magìs stomachatus Rex, sibi temperare ampliùs non potuit, quin indictâ belli Præfectis profectione, Hispalim cum filio cingendam demandaret. Antequam Leovigildi exercitus mandata sequeretur; Hermenigildus non minore providentiâ urbi de annona, sibíque de copiis auxiliaribus prospexerat. Nam Catholici cum Suevis ob communionem fidei Hermenigildi partes sequebantur, & Romani Duces (quorum pars in Hispaniæ terris remanserat) ad tuendum Principem iniverant fœdus. His accessurus credebatur exercitus ab Oriente,

(z) Mariana L. V. c. 12.

Leovigildus Hermenigildum ad Arii hæresin reducere studet.

(a) Idem l. c.

(b) Idem l. c. p. 223.

A. 580.

Parens & filius se ad mutuum bellum præparant.

diu refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem, conversus est ad legem Catholicam: ac dum chrismaretur, Joannes est vocitatus. Ad hunc locum MARIANA L. V. c. 12. ita commentatur: " Ermenigildum, Turonensis ait, sacro chrismate delibutâ fronte (is ritus erat recipiendis in Ecclesiam Arianis) veterem appellationem JOANNIS nomine mutâsse: aureæ monetæ resistunt in ipso (ùt videtur) belli ardore, ut essent videlicet pro tessera militari, præcipuæ puritatis percussæ, ERMENIGILDI nomen & faciem exprimentes altera ex parte, in altera victoriæ signum, his adjunctis verbis: *Homo Regem devita.* Nimirum ad Pauli sententiam allusit: Hæreticum hominem præcipientis post unam & alteram monitionem esse devitandum. "

Oriente; quem si Tiberius, ùti legatione interpositâ rogatus fuerat, propediem mitteret, supercilium Leovigildo atque Arianis detrahendum quisque ominabatur (c). Verùm longè aliter, ac spes erat, evenit. Leovigildus quippe cùm obluctari tantæ auxiliarium turbæ formidaret, fraude usus, fœderatorum societatem dissolvit: & Romanorum quidem animos, quos & ad bellum, & ad pacem venales noverat, profusione auri aliò facilè inclinavit (d); tum Catholicis, quibus tenerior Religionis sensus fuerat, excogitatâ concordiæ specie illudebat, hoc maximè molitus, ut libertate majore Orthodoxis concessâ (e), & abolitis, quæ utramque Religionem divellunt, vocabulis, fidem cunctis faceret, non de Religione filium, sed de eripiendo Patri Regno agere (*25). His dolis multorum zelus refrixit, & ad ancipitem eventum suspensi, spectatores belli esse malebant, quàm cum fortunarum alienarum periculo, rerum quoque suarum miscere discrimen (f). Spatium trium annorum volvebatur, dum vario studio, & multiplici arte ista tractabantur: quo tempore elapso, nudum abstractis fœderatis filium Hispali Leovigildus obsedit. Annum integrum obsidionis difficultates unà cum civibus magnanimiter Hermenigildus toleravit; tum deficiente annonâ Hispali elapsus, ad Ossetum oppidum confugit. Leovigildo inde Hispalensium urbs hoste vacua cessit, nec Ossetum diu ejus viribus restitit (g); quare cùm Hermenigildus alium locum non haberet, ubi perfugium quæreret, in templi adyta penetravit. Fuerat in Leovigildi castris natu minor Hermenigildi frater, qui, ùt fratrem cum extremo periculo luctari

(c) Mariana l. c.

(d) Gregor. Turon. L. V. c. 38.

Leovigildus fœderatos Hermenigildi multis artibus ab armorum societate avellit.

(e) Gregor. Tur. L. VI. c. 18. 40.

(f) Mariana L. V. c. 12.

Leovigildus filium Hermenigildum Hispali inclusum obsidet & expugnat.

(g) Mariana L. V. c. 12.

(*25) Veterum sensa circa ea, quæ Hermenigildus filius sub initium belli adversùs Patrem meditabatur, acerbiora fuisse, discimus primò ex GREGORIO TURONENSI, qui Lib. VI. N. 43. ita ait: *Igitur cùm Herminichildus.... Patri infensus esset, & in civitate quadam Hispaniæ cum conjuge resideret, solatio fretus Imperatoris, atque Mironis Gallicienses Regis, Patrem ad se cum exercitu venire cognovit, consiliumque iniit, qualiter venientem aut repelleret, aut necaret: nesciens miser, judicium sibi imminere divinum, qui contra genitorem, quàmlibet hæreticum, talia cogitaret.* Et ISIDORUS in Chronico Ær. DCVIII. inquit: *Ermingildum deinde imperiis suis tyrannizantem* (Leovigildus) *exsuperavit.* In quæ verba Authorum consensisse visus est postea MARIANA Lib. V. de reb. Hisp. c. 12., dum asserit. *Inerat Hermenigildo simplicitas & libertas, quæ, nisi modus accedit, in exitium vertuntur.* His tamen omnibus contradicit BARONIUS ad annum 584. N. IV.

ctari cognovit, volente etiam Patre, Hermenigildum convenit (h). Ad primum miseri conspectum Reccaredus stupenti similis hæsit: dein suppresso aliquantùm dolore, rogabat fratrem, ut ad misericordiam recurrens, pro factorum venia supplex Parenti fieret: rebus desperatis meminisset, contumacis vanum impetum ac exitialem fore. Trepidanti quo animum injiceret, appositâ jurisjurandi religione spondebat, si (quod jam necesse esset) spontè faceret, voluntario obsequio Patrem placatum iri. Fraternâ fide ac hortatu animosior Hermenigildus, Reccaredum ultrò ad Parentem sequebatur: Leovigildo jam propior in genua provolutus, & veniam precatus à Patre filius, amoris (quantum species ferebat) osculo excipitur; tum, ut condonati erroris, ac redintegrandæ gratiæ Rex signum daret, blandis sermonibus delinitum deduci in castra jubet (*26). Vix hominem in potestate Leovigildus habebat, simulatione positâ (nam antè in fictam amicitiam frontem coëgerat) Hermenigildum Regiis insignibus exutum, catenísque oneratum Hispalim tantisper deportari curat (*27), dum, quæ contra rebellem filium concepisset, animus deliberatione longiore discuteret. In carcerem ubi devenerat, manibus ad collum revinctis, eum in modum custodiebatur, quo ii solent, in quos capi-

(h) Gregor. Tur. L. V. c. 38.
A. 584.

Leovigildus captivum Hermenigildum in custodiam dat.

(*26) GREGORIUS TURONENSIS Lib. V. c. 38.: *At ille* (Leovigildus) *datis Præfecto Imperatoris triginta millibus solidorum, ut se ab filii solatio revocaret, commoto exercitu contra eum venit. Hermenigildus verò vocatis Græcis contra Patrem egreditur, relictâ in urbe conjuge suâ. Cúmque Leovigildus ex adverso venerit, relictus à solatio Hermenigildus, cùm videret, nihil se prævalere posse, Ecclesiam, quæ erat propinqua, expetiit, dicens: Non veniat super me Pater meus! nefas est enim, aut Patrem à filio, aut filium à Patre interfici. Hæc audiens Leuvigildus, misit ad eum fratrem ejus: qui dato sacramento, ne humiliaretur, ait: Tu ipse accede, & prosternere pedibus Patris nostri, & omnia indulgebit tibi. At ille poposcit, vocari Patrem suum. Quo ingrediente, prostravit se ad pedes illius: ille verò apprehensum osculatus est eum, & blandis sermonibus delinitum deduxit ad castra: oblitúsque sacramenti, innuit suis, & apprehensum spoliavit eum indumentis suis, induitque illum veste vili: regressúsque ad urbem Toletum, ablatis pueris ejus, misit eum in exilium* (in carcerem potiùs) *cum uno tantùm puerulo.*

(*27) ABBAS BICLARIENSIS in Chronico Hermenigildum Valentiam relegatum scribit, dum subjungit: *Anno III. Mauritii, qui est Leovigildi XVII. annus, Hermenigildus in urbe Tarraconensi à Sisberto interficitur.* MARIANA Lib. V. c. 12. ad annum 586. ait: " Monstratur Hispali ad eam portam (cui à Corduba nomen est) turris Ermenigildi custodiâ nobilis, loci altitudine, angustiâ, atque tenebris horrida. In eâ manibus ad collum revinctis asservatus traditur, "

Hermenigildi in carcere pietas. capitalis ſententia decreta eſt. Quare cùm Hermenigildus ſupremam diem ſibi inſtare adverteret, officia pietatis multiplicabat: corpus, quod ſqualore loci ſatìs jam affligebatur, cilicio inſuper macerabat; atque ut animo inter vincula libertas adhuc integra ſtaret, eundem rerum cœleſtium contemplatione, & creberrimo altioris Regni deſiderio extra arctas cuſtodiæ anguſtias attollebat (*28). Leovigildum intereà non una vel pervertendi, vel occidendi filium tenebat cura: & parciturus credebatur Hermenigildo, ſi, quod volebat repetito conatu Parens, ad Viſigothorum ſive Arii doctrinam is redire properaret (i). Poſt conflictus benè multos, eóſque irritos Paſchæ feſtum (*29) imminebat, ante cujus diei lucem Leovigildus ultimam aleam jacturus, Epiſcopum Arianum de media nocte in carcerem immittit, qui unâ manu vincto ſpem veniæ, Regni ac libertatis: alterâ, eâque ſacrilegâ Arianæ conſecrationis communionem eidem Hermenigildo ferat (k); tum Catholicus pugil pro fide ſanguinem, ac pro cæleſti Regno terrenum, & brevì periturum perdere certus, Pſeudoëpiſcopum acriùs increpitum à ſe & loco con-

(i) Mariana L. V. c. 12.

A. 585.

(k) Idem l. c.

(*28) GREGORIUS M. Dialog. Lib III. c. 31.: *Sicut multorum, qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenigildus Rex Leovigildi Regis Viſigothorum filius ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam Viro Reverendiſſimo Leandro Hiſpalitano Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto prædicante, converſus eſt: quem Pater Arianus, ut ad eandem hæreſin rediret, & præmiis ſuadere, & minis terrere conatus eſt Cúmque ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquam ſe veram poſſe fidem relinquere, quam ſemel agnoviſſet; iratus Pater eum privavit Regno, rebúſque ſpoliavit omnibus. Cúmque nec ſic virtutem mentis illius emollire valuiſſet; in arctam illum cuſtodiam includens, collum, manúſque ejus ferro ligavit. Cœpit itaque idem Hermenigildus Rex juvenis terrenum Regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærens, in ciliciis vinculatus jacens, omnipotenti Deo ad confortandum ſe preces effundere, tantóque ſublimiùs gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quantò & relegatus agnoverat, nihil fuiſſe, quod potuerit auferri.*

(*29) PAGIUS in Critic. Tom. II. ad annum 584. N. V.: " Cùm Divus Hermenigildus tam in veteribus, quàm in recentibus Martyrologiis colatur die 13. Aprilis, annóque 586. Sabbatum Sanctum in illum diem inciderit; Henſchenius ad diem XIII. Martii in Commentario prævio ad vitam S. Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, & ad 13. Aprilis, qui S. Hermenigildo ſacer eſt, ac Cointius anno 586. N. III exiſtimârunt, Martyrium iſtud ad annum 586. pertinere. Verùm præterquam, quòd ſanctos Confeſſores ac Martyres aliis plerumque diebus, quàm quibus ad Deum migrârunt, Eccleſia veneretur, Biclarienſis Abbas, & Gregorius Turonenſis Hermenigildo æquales eum anno 585. peremptum eſſe, diſertè affirmant; ideóque die 24. Martii, cùm anno ſequenti Paſcha 25. ejuſdem menſis celebratum fuerit. "

co confestim abigit. Ad Patrem igitur postquam infectâ re Popa viam relegerat; illa injuria velut violati Parentis ac Regis contumelia accepta est: & stimulante Gosvindâ, Parentis ira adeò invaluit, ut sicarios è vestigio ablegaret, qui rebelli (ùt ajebat) filio spiritum exhaurirent. Hi carcerem pro mandato Regis ingressi, securim cerebro Hermenigildi infligentes, vitam corporis abstulerunt (*30). Pretiosam in conspectu Dei mortem hanc fuisse, cælestia prodigia subinde palàm fecerunt; nam ad corpus Martyris lætæ cantantium voces personabant, & accensæ lampades obscuritatem obitûs insolito ac divino lumine fecêre illustriorem (*31).

Hermenigildi martyrium, & posthuma gloria.

A. 585.

12. Quemadmodùm verò gemino portento causam Hermenigildi cœlum probaverat; ita duo Franci Reges (Childebertus Ingundæ frater Germanus, & Guntchramnus ejusdem Patruus) sui affinis necem armis vindicare parabant (l). Sed Deus, qui Martyrum mavult patientiam coronare, quàm Tyrannorum ferociam ulcisci; fœderatorum dissipavit consilia. Antequam enim in

(l) Gregor. Tur. L. VIII. c. 21, 28.

Franci Reges injuriam Hermenigildo illatam ulcisci bello parant.

(*30) GREGORIUS M. Dialog. Lib. 3. c. 31.: *Superveniente autem Paschalis festivitatis die, intempesto noctis silentio, ad eum perfidus Pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet; ac per hoc ad Patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit, utì debuit, ejúsque à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia, etsi exteriùs jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus Pater infremuit, statímque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent. Quod & factum est: nam mox ùt ingressi sunt, securem cerebro ejus infligentes, vitam corporis abstulerunt: hócque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constiterat despexisse.*

(*31) IDEM l. c.: *Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuêre miracula: nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem Regis & Martyris audiri, atque ideò veraciter Regis, quia & Martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: unde & factum est, quatenus corpus illius, ùt videlicet Martyris jure à cunctis fidelibus venerari debuisset.* MARIANA Lib. V. de rebus Hisp. c. 12.: " Martyris memoria colitur in Hispania passim ad XVIII. Kal. Maji (nonnullæ Ecclesiæ priori die faciunt) Carceris locus consequenti tempore in sacellum Ermenigildi nomine transformatus est.... Corpus ubi sit, nostrâ ætate clàm est; ac ne satìs quidem constat, quo tunc loco fuerit tumulatum; nisi quod os ejus argenteæ statuæ inclusum, atque revinctum Cæsaraugustæ in templi maximi proprio sacrario servatur.... Sixtus V. Pontifex Max. Ermenigildi nomen in Romanos fastos adscripsit, & inprimis celebre XVIII. Kal. Maji universæ Hispaniæ fore sanxit lege in omne tempus lata. "

in Hiſpaniam cum exercitu commigrarent, Reccaredus jubente Patre, in Septimaniam, & præcipuè in Arelatenſem agrum invectus, omnia ferro & igne vaſtabat (m). Calamitates ejuſmodi necdum Francis ſpiritum ultionis ademerant; tum ex Africa nuncii ferunt, Ingundam Childeberti ſororem ac Hermenigildi uxorem fato conceſſiſſe: Regina hæc viri ſui caſu perſpecto, oppleta mœrore & lachrymis cum filio, quem ex juvene Rege ſuſceperat, in Africam tranſmiſerat; inde ad Mauritium Imperatorem Conſtantinopolim ſecuritatis causâ profectura (*32); luctus tamen, qui viduæ afflictæ animum & viſcera arrodebat, brevì dolentem conſumpſit, cui & parvulum Principem non diu ſuperſtitem fuiſſe ajunt. Itaque cùm Franci Reges eam nunc quoque extinctam audirent, cujus potiſſimùm injuriam propulſare adnitebantur; velut diminuto irarum fomite arma ad tempus, non tamen belli animum ſepoſuêre (n). Inducias cum externis hoſtibus nactus Leovigildus, multò crudelius cum ſuis (præcipuè Catholicis) bellum geſſit (o). Ab his quippe Regnum turbari queſtus, Præſules exilio, Gregem dirâ carnificinâ, opúmque direptione multabat. Tempeſtatis vis multorum ita exhauſit fidem, ut tormentorum metu ex ovili Eccleſiæ ad haram Arii provolarent (p). Bæticam Provinciam jam Rex hæreſi, ac ſacrilegiis deformaverat; tum in Gallæciam bellum adversùs Catholicos Suevos tranſtulit. Præerat Genti Eboricus Mironis Regis filius, qui ab Andeca viro præpotenti, & Giſegundæ Eborici novercæ marito ſupremâ poteſtate ſub idem tempus ſpoliatus, atque in monaſterium detruſus, Tyranno Regia inſignia relinquere cogebatur. Leovigildus hos inteſtinos motus in rem ſuam

(m) Abbas Biclar. in Chronico. Greg. Tur. L. VIII. c. 28. & 30.

A. 585. *Mors Ingundæ.*

(n) Mariana L. V. c. 13.

(o) Iſidorus de Script. Eccl. c. 28. 29. 30. 31.

(p) Mariana l. c.

Leovigildus Catholicos perſequitur.

(*32) GREGOR. TURON. Lib. III. c. 28.: *Igitur.... Ingundis à viro cum Imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipſum Principem cum filio parvulo duceretur, in Africa defuncta eſt, & ſepulta.* PAULUS DIACONUS, RHEGINO, & AIMOINUS referunt, Ingundem poſt Hermenigildi mortem in Galliam fugere voluiſſe, ſed à Græcis militibus unà cum filio interceptam, & in Siciliam fuiſſe abductam, ubi ex ægritudine animi deceſſiſſet: filium autem Athanagildum, matri ſuperſtitem ad Mauritium Imperatorem deportatum eſſe Conſtantinopolim. Hæc ſenſa Authorum minùs veroſimilia videntur, eoquòd Ingundis ante mortem Hermenigildi jam in poteſtate Græcorum fuerit; dein Gregorio ætate æquali major fides danda eſt, dum ait, Ingundem in Africa obiiſſe.

ſuam vertens, Andicam Regni raptorem aggreditur: dein ſub-actum armis, & in Monachi morem detonſum Pacem Juliam relegat (*33); demum compreſſo Mabarico, novorum tumultuum incentore, Victor Rex universâ Galliâ potitus, Suevorum Regnum (quod centum ſeptuaginta ſeptem annis in magna Hiſpaniæ parte Viſigothorum Principatui æmulum fuerat) penitùs extinxit. Hâc acceſſione ſuperbior Leovigildus, primus Gothorum Regum, veſte à populo diſcretâ uſus eſt, primúsque Regia inſignia, atque inſtrumentum Principale, trabeam, ſceptrum, diadema geſtavit (q): ſed ùt fluxæ ſunt res mortalium, ita brevem gloriæ ſuæ fructum Rex idem percepit. Nam poſtquam annus DLXXXV. victis Suevorum Regibus, ac Regno fatalem terminum præfixerat; ſubſequens Victorem quoque Leovigildum ad fatum & metam vitæ ſupremam devolvit (r): morti proximum crudelitatis, quâ innocentem filium, tótque Catholicos è medio ſuſtuliſſet, pœnituiſſe, & veritatem orthodoxæ doctrinæ agnoviſſe ferunt; factionis tamen metus, aliæque rationes humanæ non permisêre Regi, ut errorem Arii palàm ejuraret (s). Qui verò ſaluti ſuæ hunc in modum minùs conſulebat, Reccaredo filio & ſucceſſori meliùs proſpexit; hunc enim Leandri, quem jam ab exilio revocaverat, præceptis imbuendum dedit,

Finis Regni Suevici in Hiſpania.

A. 585.

(q) Mariana L. V. c. 13.

A. 586.

(*33) ISIDORUS in Chron. Suev.: *Poſt Theudemirum Miro Suevorum Princeps efficitur, & regnavit annis XIII. Hic bellum ſecundo Regni ſui anno contra Roccones intulit: deinde in auxilium Liuvigildi Gothorum Regis adverſus rebellem filium ad expugnandam Hiſpalim pergit; ibique vitæ terminum clauſit. Cui Eburicus (filius) in Regnum ſuccedit: quem adoleſcentem Andicas* (GREGORIUS TURON. Lib. VI. c. 48. *Audicam* vocat, & cognatum Mironis, qui ſororem illius deſponſatam habebat) *aſſumptâ tyrannide, Regno privat, & Monachum factum in monaſterio damnat, pro quo non dilata eſt ſententia. Mox enim Liuvigildus, Gothorum Rex, Suevis bellum inferens, obtento eodem Regno, Andicam dejecit, atque detonſo eo, poſt Regni honorem presbyterii officio conſecravit. Sic enim oportuit, ut, quod Regi ſuo fecerat, rurſus idem ab alio congruâ meriti viciſſitudine pateretur. Regnum autem Suevorum deletum in Gothos transfertur, quod manſit annis centum ſeptuaginta ſex.* PAGIUS numerat ex editione emendata Iſidori 177; ait enim ad annum 582. N. XII.: "Cœperat Regnum Suevorum anno Chriſti 409.; quare accuratè tradit Iſidorus, manſiſſe 177. annis (ùt habent correctæ editiones tam Grotii, quàm Labbei) non verò (ùt editio, quam ſecutus eſt Baronius) annis centum viginti ſex: ab anno enim 409. ad tertium Mauritii deſinentem (quo Biclarienſis Abbas Andicam in exilium miſſum dicit) ſive ad annum 585. anni centum ſeptuaginta ſeptem, & quidem utrimque incompleti intercurrunt."

dedit, sancto Præsuli id maximè injungens, ut, quâ curâ & pietate Hermenigildum, eâdem Reccaredum fratrem, ac potestatis Regiæ hæredem informaret (t).

(t) Greg. M. Dialog. L. 3. c. 31.

A. 586. *Reccaredus Rex Visigothorum.*

13. RECCAREDUS curato Patris funere, ad componendum Reipublicæ statum conversus, pacem primò cum Francis restaurare conatur. Guntchramno Burgundionum, & Childeberto Austrasiæ Regibus necdum exciderat memoria illarum injuriarum, quibus Ingundam proditam atque vexatam, Hermenigildum occisum, tum etiam partem Galliæ à Visigothis dirissimè evastatam dicebant (u). Pristini doloris sensum quo Reccaredus minueret, Legatos in Galliam misit, qui testarentur, ad Principis conscientiam minimè pertinere, quod in Hermenigildum, quòdque in Ingundam peccatum esset. Quantumcunque verò culpam à Reccaredo amovere Oratores niterentur, nec excusationi tamen, nec paci eo tempore locus fuit. Re infectâ postquam Legati redierant; alios subinde Rex in Galliam ire jussit, qui iteratis precibus exorarent fœdus. Guntchramnus quia hâc quoque vice obstinaverat animum (x), cum mitiore Childeberto causa peracta est; huic enim oblatis decem aureorum millibus Legati pacem persuasêre; quæ ut firmior esset, Childebertus Reccaredo sororem Chlotosvindam se in conjugem daturum promisit (y): sive autem Guntchramnus obstiterit, sive novæ simultates negotium interruperint, eam sponsam in connubio Reccaredi posteà fuisse, nullis Authoribus compertum est (*34).

(u) Gregor. Tur. Hist. L. 8. c. 35. 38.

Quærit pacem Francorum, quam difficulter impetrat.

(x) Idem L. IX. c. 16.

(y) Paulus Diac. L. 3. c. 27.

Conversio Reccaredi ad Catholicam fidem.

14. Intereà Leander & Fulgentius pro Leovigildi mandato Reccaredum optimis præceptis instruendum susceperant; quibus

(*34) ABBAS BICLARIENSIS ad annum III. Tiberii Imperatoris, sive ad annum 580. numerat inter *Sigeberti* Francorum Regis liberos, quos ex Brunechilde suscepit, sequentes: nimirum *Childebertum II.*, duásque filias, *Ingundem* Hermenigildi infaustam conjugem, & *Chlotosvindam*, quæ primò Authari Regi Longobardorum in sponsam data est; sed postquam Reccaredus Rex Hispaniæ legationem ad Childebertum II. Francorum Regem miserat, hic mutato consilio sororem suam maluit Reccaredo (utpote Catholico Principi) desponsare; utì legere est apud PAULUM DIACONUM Lib. III. c. 27., & GREGOR. TURON. Lib. IX. Idem c. 28. innuit, matrimonium illud peractum non fuisse, quod & eruitur ex Actis Concilii Toletani III. anno 589. celebrati, cui Reccaredi conjux *Baddo* his verbis subscripsit: *Ego Baddo Regina hanc fidem, quam credidi & suscepi, meâ manu de toto corde subscripsi.* Aliam igitur Reccaredus conjugem in matrimonio habuit, & à Chlotosvinda diversam. Vide etiam hìc PAGIUM ad annum 587. N. VII.

quibus ad Catholicæ Religionis amplexum (*35) paulatim deductus, decimo ab inito Regno menſe orthodoxam doctrinam profeſſus eſt (z). Animo itaque & ſententiâ cùm Catholicus jam eſſet, opperiebatur tempus, quo opportunè totam Viſigothorum Gentem ab Arii errore in viam veritatis, & in Eccleſiæ ſinum pertraheret (a). Nunquam delicata magìs ſunt hominum ſenſa, quàm dum de commutanda ea religione agitur, quam à primis annis accepêre : hanc qui vi eripere auſit, Regnum gravibus motibus, ſéque periculis multis obnoxium reddet; qui verò popularium mentes faciliùs flecti, quàm frangi ſolitas, diligentiâ, gratiâ, atque authoritate inclinârit, is illud, quod paucis Regibus conceſſum eſt, conſequetur, ut religionem permutare, aut Regno toti invehere citra diſcrimen valeat. Et certè Reccaredo duo à natura inſita erant adminicula (b), oris dignitas, & morum ſuavitas: hâc plebejorum alliciebat animos (c), illâ Procerum voluntates in optimas quaſque partes adeò verſabat, ut Gothi univerſi, atque ex Suevorum Gente ii, qui veteris erroris reliquias fovebant, in Eccleſiæ caſtra digreſſi, Catholicum Principem ipſi etiam Catholici ſequerentur (*36). In tanta obſequen-

A. 587.

(z) Joannes Biclar. ad an. V. Mauritii.

(a) Idem in Chronico.

(b) Mariana L. V. c. 14.

(c) Joannes Biclar. in Chron. ad an. V. Mauritii.

(*35) GREGOR. TUR. Lib. IX. c. 5. : *Igitur eo tempore in Hiſpania Reccaredus Rex compunctus miſeratione divinâ, convocatis Epiſcopis religionis ſuæ, ait : Cur inter vos & Sacerdotes illos, qui ſe Catholicos dicunt, jugiter ſcandalum propagatur : & cùm illi per fidem ſuam ſigna multa oſtendant, vos nihil tale agere poteſtis ? Quâ de re convenite, quæſo, ſimul & diſcuſſis utriuſque partis credulitatibus, quæ vera ſunt, cognoſcamus. Et tunc, aut acceptâ illi à vobis ratione, ea credant, quæ dicitis : aut certè ab illis veritatem cognoſcentes, quæ prædicaverint, vos credatis. Quod cùm factum fuiſſet, ... & Rex diceret, quòd nullum ſignum ſanitatis ſuper infirmos ab Hæreticorum oſtenderetur Epiſcopis; ..., vocavit ad ſe ſeorſum Sacerdotes Dei : quibus perſcrutatis, cognovit, verum Deum ſub diſtinctione coli perſonarum trium, ... nec minorem Filium Patre* &c. .... *Tunc intelligens veritatem Reccaredus, poſtpoſitâ altercatione, ſe Catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo S. Crucis cum Chriſmatis unctione, credidit JEſum Chriſtum Filium Dei æqualem cum Patre & Spiritu ſancto, regnantem in ſecula ſeculorum.*

(*36) GREGORIUS M. Dialog. Lib. 3. c. 31. : *Reccaredus Rex non Patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſecutus, ab Ariana pravitate converſus, totam quoque Viſigothorum Gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in ſuo Regno militare permitteret, qui Regno Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret .... Quâ in re conſiderandum nobis eſt, quia totum hoc agi nequaquam poſſet. Si Hermenigildus Rex pro veritate mortuus non fuiſſet. Nam ſicut ſcriptum eſt : Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet ; ſi autem mortuum fuerit, multum*

quentium multitudine aliqui tamen fuerunt, qui vicissitudine Reipublicæ statûs, cujus præcipua pars religione continetur, offensi, Regi periculum crearent. Athalocus de Arianorum factione Pseudoëpiscopus seditionis primum in Gallia Narbonensi signum extulit: Magnatum nonnullos in arma, plebem ad defectionem sollicitare aggressus, nihil obtinuit, nisi ut conjuratos in supplicinm, se in præmaturum fatum præcipitaret (d). Hoc nimbo, qui gravissimam procellam minabatur, discusso, pejor tempestas Emeritæ subnata est. Rex Catholicus, utprimùm Arii perfidiam ejuraverat, continuò Ecclesiis sua bona ablata, & Episcopis orthodoxis ab exilio revocatis suas Ecclesias restituit: & quoniam ad morem cæterorum Mausona beneficio Regis ad suam pariter Emeritensium Ecclesiam revertebatur (e); Sunna Arianus, qui exulis locum intereà occupaverat, se Præsulis statione deturbari indignatus, in cædem Episcopi, cæterorúmque potentium Catholicorum exitium conjuratorum manum vocat. Providente Numine contigit, ut, antequam nefariis consiliis locus esset, à factiosorum Antesignano conceptum scelus proderetur: à Rege itaque suppliciis, exiliísque reorum hic totus turbo dissipatus est; quæ animadversionis severitas eò minus habebat invidiæ, quò gratius etiam plebi erat, effrænes atque impios conatus coërceri. Postquam impietas in membra, sive in Catholicos subditos suas subornaverat insidias; in ipsum quoque Caput sive Regem (cujus morte extinctum iri quoque Religionis vigorem credebatur) machinatio non una procusa est (f). Gosvinda Regina, quæ in Privigni gratiam Catholicæ Religionis cultum simulaverat, Uldillam Episcopum Arianum in cædem Regis conduxerat: & in laqueum paratum Reccaredus incidisset; nisi conjuratione in lucem tempestivè prolatâ, authores sceleris vindicta seu Regia, seu cœlestis oppressisset. Nam Uldillâ in exilium ejecto, Gosvinda sacrilegiorum multorum rea, & Catholicis infestissima furia fato concessit. Pericula, quæ hucusque Regi structa fuerant, in Provinciis, vel saltem extra palatii limina

(d) Mariana L.V. c.14.

Conjurationes variæ Arianorum contra Reccaredum Regem.

(e) Idem l.c.

A. 588.

(f) Joannes Biclar. ad an. VII. Mauritii Imp.

A. 589.

Gosvindæ interitus.

tum fructum affert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Visigothorum enim Gente unus mortuus est, ut multi viverent; & dum unum granum feliciter cecidit, ad obtinendam fidem multa seges surrexit.

mina adornabantur, nunc in ipsis palatii penetralibus parricidam invenire licebit. Erat is Argimundus Regio cubiculo præfectus, qui Rege occiso, se regnaturum sperabat: res tanta cùm sine sociis perfici non posset, cum pluribus communicata celari non potuit. Scelere igitur evulgato, & adjutoribus supplicio mactatis, pœna gravior in conjurationis Ducem dictata est; nam ad amissæ nobilitatis testimonium crinibus detonsus (g), & manu mutilatus, asino per Toleti compita vehebatur; unde ab accurrente plebecula contumeliis benè multis laceratus, capite tandem plexus est. Quamprimùm externæ, ac domesticæ turbæ quieverant; Rex ab Episcopis Toleti Synodum convocari petiit (*37): in qua cùm congregati consedissent, Reccaredus ipse ordinem conversionis suæ primò exposuit: dein fidei, quæ nunc Gens Gothica profiteretur (h), capita conscripta manu suâ Episcopis porrexit; qui Regi tanto de hæresi post ducentos & tredecim annos abolita gratulati (*38), cætera, quæ ad ortho- doxæ

(g) Joannes Biclar. in Chronici fine.

Reccaredus in Synodo Toletana III. fidei suæ formulam exhibet.

A. 589.

(h) Acta Synod. Tol. III.

Conversio Hispanici Regni ad Catholicam fidem.

(*37) JOANNES BICLARIENSIS ad annum VIII. Mauritii Imp., & Reccarèdi IV. (anno 589): *Sancta Synodus Episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ, & Gallæciæ in urbe Toletana, præcepto Principis Reccaredi congregatur Episcoporum numero LXXII.; in qua Synodo intererat memoratus Christianissimus Reccaredus, ordinem conversionis suæ, & omnium Sacerdotum vel Gentis Gothicæ confessionem Tomo scriptam manu suâ Episcopis porrigens, & omnia, quæ ad Professionem fidei orthodoxæ pertinent, innotescens, cujus Tomi ordinem decrevit sancta Episcoporum Synodus, canonicis applicare monumentis. SUMMA tamen SYNODALIS NEGOTII penes S. LEANDRUM Hispalensis Ecclesiæ EPISCOPUM, & Beatissimum Eutropium Monasterii Servitani Abbatem fuit.*

(*38) IDEM Author, ut ostendat, quanto tempore Visigothi Arianâ labe infecti fuerint, & post quot annos Arii dogma ex Hispaniis exulare cœperit, sic ait: *A vigesimo Constantini Principis anno, quo tempore hæresis Ariana initium sumpsit, usque in octavum annum Mauritii Principis Romanorum, qui est Reccaredi quartus Regni annus, anni sunt CCLXVI.* (hoc est, ab anno 325: ad annum 589) *quibus Ecclesia Catholica hujus hæresis infestatione laboravit; sed favente Deo vicit, quoniam fundata est supra Petram.* Porrò ISIDORUS in Chronico refert, *Athanaricum* Gothorum Regem *anno XIII. Imperii Valentis* (hoc est, ùt Pagius numerat, anno CCLXXVI., quo Gothi à Valente in Mœsia suscepti, & Arii dogma complexi sunt) Legatos ad Valentem Imp. misisse, & ab eo Doctores, qui suos Christianam fidem edocerent, postulâsse, ac *Valentem*, qui Arianus erat, in eam Gentem virus pestiferum transfudisse: *Cujus blasphemiæ* (inquit) *malum per discessum temporum, Regúmque successu annis ducentis tredecim tenuerunt, qui tandem reminiscentes salutis suæ, renunciaverunt inolitæ perfidiæ, & Christi gratiâ ad unitatem fidei Catholicæ pervenerunt.* Ab anno autem 376. ad annum 589, interlabuntur ducenti anni & tredecim completi, utì supputanti patebit.

doxæ fidei perfectionem pertinebant, ſuis allatis in medium ſententiis decrevêre.

15. Sublato omni Religionis diſſidio, Hiſpania univerſa non minùs in fidei, quàm Regni feliciſſimam compagem conjuncta eſt; Provincias enim, quibus multas acceſſiones bello Leovigildus adjecerat, Reccaredus pace conſervavit, æquitate diſpoſuit, moderationis temperantiâ rexit; inde in vulgus tantam gratiam habuit, ut in omnium animos influens, etiam nefarios in ſuî amorem raperet: à turpi quæſtu alienus, Eccleſiarum prædia à Patre direpta juri proprio reſtituit, ac populi tributa indulgentiæ largitione ſæpè donavit. Alios demum rebus, alios honoribus cumulans, maximam opum partem in egenorum, velut in Chriſti manus profudit (i); Flavii prænomine (*39), quod dein in Gothos Reges poſteà tranſiit, meritò inſignitus; ut qui Flavii Conſtantini pietatem, Religionísque zelum in ſe eſſet complexus. His virtutum gradibus tandem ad extrema deductus, vitæ clauſulam multò illuſtriorem impoſuit; nam ſub ipſam mortem peccata (quod in Rege ſtupeas) pœnitentiâ publicâ, ídque ex Chriſtianorum vetere ritu expiabat (k). Mortuus anno Regni decimo ſexto tres reliquit filios, Liuvam, Suinthilam & Geilam: horum natu maximus LIUVA hujus nominis ſecundus patrii ſolii ac virtutis hæres fuit: at ætatis imbecillitas (nam viginti vix annos natus erat) occaſionem factioſis dedit, ut juvenem Regem injuriis appetitum, tandem poſt ſecundum Regni annum in flore ætatis perimerent. Wittericus quippe conjuratorum Dux, & non unius proditionis reus, ſicam Liuvæ & fatum parabat (l), & (quod nefaſtius fuerat) pro ſceleris mercede Parricida Regnum alieno ſanguine partum abſtulit, in ſeptimum deinceps annum ſive Rex, ſive Tyrannus Hiſpaniæ futurus.

Reccaredi Regis virtutes.

(i) Iſidorus in Chronico Gothorum.

A. 601.

Pius obitus Reccaredi.

(k) Iſidorus in Chronico.

Liuva filius Reccaredi, & ſucceſſor à Tyranno Witterico occiditur.

(l) Idem æra DCXLI.

(*39) MARIANA de Reb. Hiſp. c. 1. : “ Gothorum Reges ùt Romanæ potentiæ hâc ætate non multùm concedebant; ita honorum nomina ex Romano more libenter uſurpabant. Eâdem imitatione, utì quidam non ineptè ſuſpicantur, *Flavii* prænomen, quo primus Reccaredus uſus eſt, ad Gothorum Reges tranſiit frequens conſequentibus annis. TOLETO *Regiæ urbis* appellatio acceſſit, quoniam eo nomine Græci ſedem Imperii (urbem Conſtantinopolim) cohoneſtabant. Conf. BLONDELLUS in Aſſert. Geneal. Franc., ubi de nomine *Flavii* plura diſſerit.

Historia de Regno Francorum.

§. VII. *CHILDERICI ante obitum facta. Ejus sepulchrum ac monumenta. CLODOVEUS Regni Francici Conditor, Clotildem in uxorem ducit: convertitur ad fidem, & baptizatur: varia illius bella contra Alemannos & Armoricos; contra Gundobaldum Burgundionum, & Alaricum Visigothorum Reges, & contra Regulos Franciæ. Post mortem Clodovei dividitur Regnum inter quatuor filios, THEODORICUM, CLODOMIRUM, CHILDEBERTUM, & CLOTHARIUM: Neustriæ & Austrasiæ nomen: irruptio Danorum: Clodomiri & filiorum ejus funestus exitus: Theodoricus extincto Thuringiæ Regno, ipse extinguitur. THEODEBERTUS Theodorico Patri succedit: Godomarus ultimus Rex Burgundiæ subjugatur: Franci à Gothis obtinent Provinciam: Theodeberti infelix expeditio in Italia: ejus mors. THEODEBALDUS post Theodebertum Patrem brevi tempore regnat. Clotharius Austrasiâ potitur: bellum gerit contra Saxones, contra filium Chramnum: mortui Clotharii ditiones quatuor filii dividunt, CHARIBERTUS, GUNTCHRAMNUS, SIGEBERTUS, & CHILPERICUS: Brunechildis à Sigeberto in matrimonium adlegitur: bellum civile inter Chilpericum & Sigebertum: hujus interitus. Fredegundis uxor Chilperici multarum crudelitatum instrumentum. Chilpericus relinquit hæredem CLOTHARIUM, de cujus natalibus dubium movetur. Gundobaldus turbis involvit Franciam: Guntchramni in Septimania, & Childeberti in Italia infausta bella: uterque moritur. Childeberti Regnum duo filii partiuntur THEODEBERTUS & THEODORICUS.*

1. RElIgione augeri, & florere Imperia, Visigothi in Hispania seriùs, citiùs Franci in Gallia experti sunt. Nam cùm hi in parvis duntaxat spatiis ultra medium sæculi quinti considerent: neque aliter, quàm populantium more alias Galliæ ditiones pervagarentur; posteà à Clodoveo primo Christiano Rege circa ejusdem sæculi finem, & sub sequentis initium tanta stabilis

Clodoveus Francicum Regnum in Gallia stabilivit.

bilis & ampliſſimi Dominatûs acceſſio facta eſt, ut cum ætatis curſu Regni Francici magnitudo, felicitáſque in modum majorum fluminum latiùs ſe diffuderit. Antequam tamen Principem atque Authorem tam grandium rerum contemplemur, ordo Hiſtoriæ poſcit, ut, quid Childericus Clodovei Parens ad extrema vitæ tempora egerit, curſim evolvamus.

Childerici Francorum Regis progreſſus.

2. Defuncto Ægidio Childerici Regis æmulo, Syagrius filius in Parentis ſui vices in Sueſſionum urbe ſucceſſit (a). Romanorum tamen, qui in Gallia erant, Rempublicam ſeu ſuo, ſeu Imperatoris nomine gerens, Francos in amicitiam, fœdúſque contra Viſigothos ultra Ligeris confinia irrumpentes vocare ſtatuit. Sed Childericum domeſticæ adhuc turbæ retrahebant, quò minùs citò manus jungeret: his ut Rex Francorum ſe expediret, Primoribus Gentis terrarum quædam ſpatia conceſſit, quæ non aliter, ac minores Reguli deinceps adminiſtrarent; Sigeberto namque Coloniæ Agrippinæ, Ragnachario Cameraci, Cenomannis Rigomeri regnare permiſſum eſt (b). Magnatum animos offenſos ubi hâc ratione Childericus placaverat; Regni (quod à Vahali ad Somonam vix porrigebatur) proferendi causâ ad Ligerim pergit: per iter Lutetiâ potitus, S. Genovefam multis beneficiis affecit (c): demum ad Turonum civitatem contento in Viſigothos curſu proruens, cùm nihil proficeret, Aureliam deflectens, agrum vicinum evaſtavit (d). Appulerant eodem tempore in Galliam Saxones ſub Odovagrio Rege vel Duce ſuo (e), & ad Ligeris oſtia non ſolùm Inſulas, ſed & quædam Continentis oppida in tractu Armoricorum, finibúſque Bajocaſſium in poteſtatem redegerant (f); tum Andegavos profecti, inclinato in urbis deditionem Gubernatore Paulo, portas ſubeunt (g). Childericum Romanorum fœderatum hæc proditio Aureliâ ſubitò excivit ad Andegavenſium ſalutem: & auſpicatum Regi fuerat, ut per inſidias ſuas copias citiùs mœnibus inferret; quare Paulo ob rem negligenter aut perfidè geſtam trucidato, Childericus Odovagrium jam fugâ elapſum in ipſas Inſulas, ubi Saxones delituerant, perſecutus eſt (h). Illinc dum ferro, flammíſque omnia miſcet; novi in Galliam hoſtes ſe infuderunt, Alemanni nimirum, qui Rheno trajecto non procul à ditione Francica

(a) Geſta Francorum c. 8.

(b) Bucherius de Belg. Rom. L. 19. N. 4.

(c) Author vitæ S. Genovefæ.

(d) Gregor. Turon L. 2. c. 18.

(e) Rorico de Childeric.

(f) Gregor. Tur. L. 5. c. 10.

(g) Idem L. 2. c. 18.

(h) Idem c. 19.

Francica confederant (*1), divisi monte Jurâ à Sequanis, Lemano lacu & Rhodano à Sabaudia & Provincia Viennensi. Bellum ejusmodi novum Odoagrium inter & Childebertum fœdus, pacémque peperit; nam Saxones ex hostibus amici Francis sociabant arma, quâ communione virium, Alemannorum licentia vel cohibita, aut planè propulsata est (i). His devictis, Childericus ad solum proprium, sive ad Ambianorum urbem reversus, febri corripitur, ægérque Tornacum delatus, ibidem spiritum exhalavit (k), postquam in annum vigesimum ferè quintum regnaverat (*2). Extra urbis pomæria (*3) ethnico

(i) Gregor. Tur. L. 2. c. 19.

(k) Rorico de gestis Francor. L. 1.

A. 481. *Obitus Childerici.*

(*1) GREGORIUS TURONENSIS Lib. II. c. 19.: *Odoacrius* (Saxo) *cum Childerico fœdus iniit, Alemannósque, qui partem Italiæ pervaserant, subjugârunt.* VALESIUS pro voce *Italiæ* substituit *Galliæ*, eoquòd Childerico nullum unquam in Italia negotium fuerit, nec Alemanni Italiam, sed Galliam conturbârint. Erant hi Alemanni illi, qui tempore Taciti decumantes agros Rhenum inter Danubiúmque excolebant, quíque postmodùm trajecto Rheno Belgicam frequenter infestârunt, de quibus Sidonius:

- - - *Rhenúmque ferox Alamanne bibebas.*

(*2) Annos Regni Childerici varii variè definiunt. Viginti quatuor annos ei tribuunt epitome FREDEGARII c. 9., AIMOINUS Lib. I. c. 12. BUCHERIUS verò secutus Sigebertum, & alios paucos, in annum vigesimum sextum regnâsse asserit, adeóque decessisse anno 482. At PAGIUS in Critica ad annum 484. N. 15. Childericum vitâ exiisse anno Regni vigesimo quinto, & æræ quadringentesimo octogesimo primo, commonstrat ex eo, quia Clodoveus (teste Turonensi Lib. 2. c. 43.) regnavit annis triginta, ejúsque mors incidit in annum 511.; sed inter 481. & 511. triginta dicti anni intercipiuntur.

(*3) JOANNES JACOBUS CHIFLETIUS in Anastasi Childerici historiam exponit de ejusdem Regis Thesauro sepulchrali Tornaci Nerviorum effosso. Ubi sepultus fuerit Childericus, nemo ante tempus noverat, dum an. 1653. XIII. Kal. Junias Tornaci Basilica S. Briccii repararetur; terrâ enim ad septem pedum profunditatem erutâ, inventa sunt ossa hominis staturâ majoris, atque ut dignosceretur, cujus exuviæ essent, annulus aureus propè jacebat, cum inscriptione: CHILDERICI REGIS. Itaque patebat tunc, Childericum Tornaci ad viam militarem fuisse sepultum; nam mos olim Romanorum obtinebat, ne quis intra urbem sepeliretur; itaque ne Franci Romanis ægrè facerent, extra Tornaci muros mortuum condiderunt; pari ratione Theodoricus Rex Ostrogothorum Edicti Art. CXI. jubebat: *Qui intra urbem Romam cadavera sepeliverit, quartam partem patrimonii sui Fisco sociare cogatur.* Unde colligitur, in quinto & sæculo sexto morem istum adhuc viguisse, quo corpora extra oppida sepeliebantur. Præterea DU BOS *en' Histoire Critique de l'Etablissement de la Monarchie Françoise dans les Gaules* Tom. II. p. 302. observat, etiam primos Præsules Turonenses Lutetiæ & aliarum Diœceseon Galliæ non in Cathedralibus Ecclesiis urbium, sed in locis extra urbes positis tumulatos fuisse, super quorum sepulchra posteà Ecclesiæ ædificatæ sunt.

Sepulchrum ejus & monumenta de eo an. 1653. inventa.

nico ritu cum multis ornamentis, ac numiſmatis, gladio Regali, annulo, aliísque (*4) ſepultus eſt; cujus fidem poſteris fecit annus MDCLIII., quo XIII. Kalendas Junias hæc monumenta Tornaci eruta, & poſt aliqua temporum intervalla Lutetiam deportata, in Bibliotheca Regia hodiedum adſervantur (*5).

Clodoveus Rex Francorum.

3. Ut vivis exceſſerat Childericus; locum Patris ſtatim implevit filius (*6) CLODOVEUS, Tornaci è Baſina Thoringa natus.

(*4) Ex TACITO in Lib. de moribus German. diſcimus, quo ritu Germani olim ſuos tumulârint: *Funerum nulla ambitio; id ſolùm obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur: ſua cuique arma & equus adjicitur* &c. Ex legibus porrò Salicis cognoſcitur *Tit. de exſpoliationibus*, Francos ſuorum corpora non cremâſſe, ſed humi defodiſſe cum armis & aliis ornamentis. Quare in ſepulchro Childerici varia inventa ſunt: I. *Fibula aurea*, & *ciſtella centum aureis nummis* Romanorum Imperatorum referta, ſcilicet Valentiniani III., Marciani, Leonis, Zenonis & Baſiliſci, qui Childerico coævi fuêre. II. *Gladius*, cujus lamina ferrea illicò in pulverem reſoluta eſt, ubi ad aërem exponebatur. III. *Manubrii apex rotundus*, & in *capitis bovini* figuram elaboratus. IV. *Aſcia.* V. *Ferrum haſtæ præfixum.* VI. *Graphium cum ſtylo*, & *tabella* auro incluſa. VII. *Caput bovinum*, & *apes trecentæ* partim cœcæ, partim oculatæ ex auro. VIII. *Globus cryſtallinus.* IX. *Annulus ſignatorius* cum inſcriptione: CHILDERICI REGIS. X. *Ferramenta equi.* Omnia hæc accuratè collecta, & Bruxellas ad Archiducem Leopoldum Belgii Gubernatorem tranſmiſſa ſunt; qui ea per Dominum Chifletium Archiatrum ſuum, judicio, variâque eruditione conſpicuum, typis, figuríſque illuſtrari fecit anno 1654., & in lucem edi anno 1655. Ex hoc eruditiſſimo opere poſteà figuras ornamentorum Author Commentariorum de rebus Franciæ Orientalis ECKHARTUS in ſuum primum Tomum tranſtulit, ubi (ſi fortè CHIFLETII liber tibi ad manum non ſit) cuncta videre poteris. Conferatur etiam DU BOS Liv. III. Critique de la Monarchie Françoiſe à p. 302. ad p. 304.

(*5) IDEM DU BOS p. 300. teſtatur, illa eruta monumenta à Leopoldo Viennam fuiſſe tranſmiſſa. Leopoldus I. eadem ſubinde donavit Maximiliano Henrico Bavaro Electori Colonienſi; unde tandem Pariſios ad Ludovicum XIV. delata ſunt velut pretioſa munera, quæ hodiedum in Bibliotheca Regia adſervantur. Quod DU BOS tribuit Electori Colonienſi, hoc JOANNES MAURITIUS GUDENUS in Hiſtor. Erfurtenſi Lib. 4. p. 348. adſcribit Electori Moguntino Joanni Philippo: *Hæc* (cimelia) *Leopoldus Viennam miſerat, Galliarum Rege frequentiſſimis votis iſta prædeceſſoris monumenta deſiderante. Ablegavit Elector ad Cæſaris aulam Conradum Breuning, ſuum è Societate Jeſu Theologum, per quem à Divo Leopoldo Cæſare Auguſto theſaurum obtinuit, eum poſteà Regi Galliarum in grati animi teſſeram obtulit;* quia ſcilicet Galli ad annum 1664. ad Erfordiam ſubjugandam copias auxiliares dederant.

(*6) BUCHERIUS de Belg. Rom. Lib. XVIII. c. 3. N. 4.: "Porrò, quod ad *Clodovei* nomen attinet, moneo, diverſimodè illud à diverſis olim elatum. Ipſemet Clodoveus in epiſtola, quam ad Gallicanos poſt victum Alaricum ſcribit Epiſcopos, apud Sirmundum noſtrum primo Conciliorum Tomo p. 176. *Chlothovecum* ſe nominat; quod etiam faciunt Epiſcopi, qui è Synodo Aurelianenſi primâ ad ipſummet ibidem ſcribunt. Rurſus apud eundem p. 153. Avito Viennenſi Epiſcopo, ipſi Chlodoveo baptiſmum gratulanti, eſt *Chlodovecus;* ùt & Fortunato Lib. IX. In Legibus Salicis

natus (l). Adolescens vix quindecim annorum (m) fortiorem ætate animum circumferebat; quo universam, quâ latè patebat, Galliam complexus, tot hostium, Provinciarúmque spolia sibi jam præsignabat. Quantumcunque verò ferox juvenis à primo Regni aditu ad bella raperetur: æstum tamen illum prœmaturum quatuor adhuc annorum spatio cohibere necesse erat; dum Regnum finitimorum, potentiorúmque metu, solitâ rerum mutabilitate liberaretur (n). Pavore quippe non exiguo Francos compleverat Eurici Visigothorum Regis fortuna, quâ is dominatum suum ad Ligerim, in Pyreneos & mare mediterraneum, rursúsque ab Oceano in Rhodanum, quin & in Hispanias longè diffuderat (o); hoc autem Victore circa annum CCCCLXXXV. è mortali vita exempto (p), nihil Clodoveum ampliùs tenere potuit, quin in arma prorueret. Syagrius Ægidii filius, cui paternâ hæreditate non modò Suessiones, sed cuncta, quæ de Romana re in Galliis superfuêre, obvenerant (q), primam procellam excepit. Ad id bellum (quasi Gentis foret, non Regis) accersebantur Francici nominis Reguli: Ragnacarius, qui Cameraci, & Cararicus, qui alibi in Belgio rerum potiebatur. His accitis Clodoveus per Arduennam sylvam in Suessionum agrum invectus (r), adversùs Romanos ferrum expedit. Syagrium non minùs repentinus hostis, quàm incertus belli eventus anxium habuit (s): si enim pugnæ alea à Francis infeliciter jaceretur; cladis aliquid, quódque aliis auxiliis reparari posset, penes Clodoveum fore prævidebat. At si sibi imparibus viribus certanti humanitùs quid accideret; intelligebat facilè, nec ab Imperatore, nec ab Italia neglectæ ferè Galliæ subsidium esse reliquum, quo res inclinata ab extremo exitio sustineatur. Tergiversantem Syagrium intereà Clodoveus adoritur, & desperatio Duci subitò tantum animi addiderat, ut primo impetu Francorum ordines dirueret. Cararicus ubi sub initium certaminis Clodovei anceps periculum vidit; suos à societate armorum cohibe-

(l) Gregor. Tur. L. 2. c. 12.

(m) Bucherius de Belg. Rom. L. 19. c. 8. N. 3.

Clodoveus quinto Regni anno primum bellum parat.

(n) Gregor. Tur. L. 2. c. 27.

(o) Idem c. 9. Hincmarus in vita S. Remigii. Procopius de B. G. L. 1. c. 12.

A. 485.

(p) Victor Tunun. in Chronico. Jornandes R. G. c. 47.

(q) Gregor. Tur. L. 2. c. 18. 28. Fredegar. c. 12. 15. Aimoinus L. 1. c. 7.

(r) Hincmarus in V. Remigii.

(s) Gregor. Tur. L. 2. c. 27.

A. 486.

Cararici adversùs Clodoveum perfidia.

licis legitur *Lodoveus*. Cassiodoro & Jornandi est *Luduin*; aliis *Ludovius*. Agathiæ *Chlotoæus*. Recentioribus non paucis *Ludovicus*, quod ad nos usque perdurat: Linguâ hodiernâ Gallicâ non jam similibus ac fortioribus ex imo gutture aspirationibus; sed extremis ferè labiis lenissimè pronunciari solita. "

hibebat, dum ex Victoris utriusvis fortuna commodum suum feliciùs decerneret (t). Nihil perfidia Cararici, nihil scissa suorum acies Clodoveum exterruit, quin eò fortiùs contraire Romanis ausus, non antè pugnam abrupit, donec hostibus deletis, Syagrium in fugam ejiceret (u): hic copiis omnibus nudatus, Tolosam profugit ad Alaricum, qui Patri Eurico in Gothorum Regno successerat. Sed fugienti hæc salutis ara minùs (ac speraverat) profuit; nam Clodoveo hostem minacibus literis reposcente, Alaricus incolumitatem suam alienæ antehabendam ratus, Francorum reddidit manibus hominem miserum; cui, nî ipse miserrimus esse voluisset, fidem ampliùs, præsidiúmque præstare non poterat. Syagrius à Clodoveo receptus, primò dabatur in vincula, & (ne in æmulo scintilla Regni Romani aliqua glisceret) cumulo aliorum, qui ferro mactati ciciderant, ipse ultimus accessit (x). Hoc bello Suessionum, Remorum, Catalaunorúmque urbes in Belgica, & ex Provincia Lugdunensi quarta, Senones, Tricasses, & Antisiodorenses in Francorum potestatem concesſêre (y); fuítque idem ad Clodovei gloriam singulare, quòd fundamenta Romani Dominatûs, quæ ante DXLII. annos à Julio Cæsare jacta fuerant, in Gallia everterit, quódque post octoginta annorum intervallum, ex quo Barbari in Galliam irruperant, ipse unus fuerit, qui Francicum Regnum in peregrino solo condere, atque inde nunc Germanorum viribus Romanos ejicere concessum sit, qui olim Germaniæ populos ex Galliarum fertilibus agris quàm longissimè submovebant.

(t) Idem L. 2. c. 41. Fredegar. in epit. c. 28. Aimoinus L. 1. c. 23.

Clodoveus Romanos vincit.

(u) Gregor. Tur. L. 2. c. 27. Fredegar. epit. c. 15. Aimoinus L. 1. c. 12. Hincmarus in V. Remig. Rorico Mon. L. 1.

Syagrius interficitur.

(x) Gregor. Tur. l. c.

(y) Bucherius de Belg. Rom. L. 19. c. 8. N. 5.

Clodoveus extincto in Gallia Romanorum Imperio; Francicum condit Regnum.

4. Regni initia postquam Clodoveus feliciùs jecerat; eâdem fortunâ tempus nactus est opportunum, quo rudem rerum molem ordine quodam componeret. Nam quoniam Alaricus imperare vix exorsus, suis satìs curis in Hispania distinebatur: & quia in Italia Odoacer cum Theodorico de Principatu acerrimè certabat; Clodoveus hoste vacuus, manum componendæ Francorum Reipublicæ commodabat. Sed dum altiora ejusmodi consilia versantur, è Franciæ transrhenanæ finibus adsunt nuncii, qui de Thuringorum crudelitate, multísque eorum injuriis questi,

Clodovei bellum cum Thuringis. A. 391.

questi, Clodovei auxilia, ultionémque poscebant (*7). Thuringi id sive ob Basinæ raptum egerint, sive Regni Francici, suísque terris vicini (*8) incrementa ægriùs paterentur; temeritatis ac dati damni pœnas paulò pòst exsolverunt; à Clodoveo quippe subacti (z), Francis deinceps annuum tributum pendere cogebantur (a). Exultantem victoriâ Clodoveum vix Gallia receperat, tum eidem Francorum Regi de legenda thori consorte insedit animus (b): neque deliberanti alia placebat, quàm Clotildis virgo Regia; quæ cum eximiâ corporis formâ, spem etiam Regni Burgundici in dotem allatura credebatur. Patrem illa habuerat Chilpericum Catholica sacra professum, Gundeuci Burgundionum Regis filium; & trium Regiorum Principum Gundobaldi, Gondomari, & Godegisili fratrem. Concordia inter hos paterni Regni hæredes tamdiu stetit, dum cupiditas & ambitio Chilpericum & Godomarum adversùs Gundobaldum incitarent; huic quippe portionem suam primò eripere conati, eundem Alemannorum subsidio tandem in exilium profligant (*9). At Gundobaldus reparatis aliunde viribus reversus,

(z) Gregor. Tur. L. 2. c. 27.

(a) Gesta Regni Franc. c. 1.

A. 492.

(b) Gregor. Turon. Hist. L. 2. c. 28. Fredegar. epit. c. 17. 18.

Clotildis Chilperici Burgundici Regis filia deligitur in sponsam à Clodoveo.

(*7) GREGOR. TURON. Lib. III. c. 7. inducit Theodoricum Austrasiæ Regem loquentem, & vindicias exposcentem de iis, quæ Thuringi olim (forsan hoc tempore) contra Francos ausi essent: *Indignamini, quæso, tam meam injuriam, quàm interitum Parentum vestrorum, ac recolite, Thoringos quondam super Parentes nostros violenter advenisse, ac multa illis intulisse mala. Qui datis obsidibus pacem cum his inire voluerunt: sed illi obsides ipsos diversis mortibus peremerunt: & irruentes super Parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt. Pueros per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas ampliùs ducentas crudeli nece interfecerunt: ita ligatis brachiis super equorum cervicibus, ipsique acerrimo moti stimulo per diversa petentes, diversas in partes fœminas diviserunt. Aliis verò super orbitas viarum extensis, sudibúsque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractisque ossibus, canibus, avibúsque eas in cibaria dederunt* &c.

(*8) BUCHERIUS de Belgio Rom. Lib. XIX. c. 8. N. 11.: " Clodoveus etiam ultra Rhenum ea possedit, quæ ab ipso Rheno ad Thoringos usque, Lupiam inter & Mœnum, ac paulò ultrà porriguntur. Thoringi autem tunc, sicut & hodie, inter fluviorum Visurgis ac Salæ superiora incolebant; circa flumen Onestrudem, qui Salâ hauritur; & ab Occidente Francis, seu Francorum Genti præcipuæ, Chattis (inquam) etiam hodiernis vicini agitabant: quibus eam fundi partem jam olim (certè ante Clodoveum) eripuerant. Verosimiliter circa Vandalorum & aliorum Barbarorum, aut Attilæ vastationem, seu ab iis, aut eorum exemplo excitati, seu à Romanis, aliísque Francorum inimicis, quò & illi à tergo reprimerentur, instigati. ,,

(*9) VIGNIERIUS in Chronico Burgundico: *Convenit inter omnes, diuturnam inter Gundicarii* (Gundeuchi) *filios, qui regnum Patris* (in Sabaudia circa Genevam) *in*

ſus, tam ſubito impetu fratres Viennæ ad Rhodanum agentes oppreſſit, ut captos unà cum maſcula ſtirpe peſſimis modis perderet: Gundomarus, quò necem evaderet, in turrim eniſus, mox injiciente flammas Gundobaldo, vivus exuritur: Chilpericus, ejúsque ſexûs virilis liberi ferro cadunt: tum uxore Chilperici in undarum vortices præcipitatâ, nihil ex hac familia, præter duas filias, Chronam & Clotildem, ſuperfuit: illam Gundobaldus, ademptâ nuptiarum ſpe, in clauſtrum prope Genevam compegit; huic verò, quòd infans tenerâ ætate, & ſpecie virtutis furentis Regis animum emolliret, in aula patrui agere permiſſum eſt (*10). De Clotilde igitur ubi Clodoveus, déque ejus indole cognoverat, Aurelianum Legatum mittit, qui exploratâ clàm virginis mente, in concupiti conjugii ſpem annulum ſponſæ porrigeret (*11). Signum & pignus fidei utprimùm

Quâ ratione Clotildis ex familia Chilperici extincta ſuperſtes fuerit.

in quatuor Tetrarchias diviſerunt, concordiam non permanſiſſe: ſed ex regnandi libidine ſimultates primùm ortas, inde odia, poſtremò bellum. In quo Gundobaldum, juncto ſibi Godegiſclo fratre, in Chilpericum, Gothomarúmque fratres, transrhenanorum Gentium auxiliis ſubnixos, arma moviſſe, & ab iis in Æduorum finibus acie devictum, & pro cæſo creditum fuiſſe tradunt: adeò ut veluti confecto bello exercitus dimiſſi ſint.

(*10) IDEM l. c.: *Sed cùm paulò pòſt comparuiſſet, tantum populorum concurſum habuiſſe, ut fratres ſecuros, & nihil tale opinantes potuerit in urbe Vienna obſidere; eâque expugnatâ, comprehenſos ad necem adigere, cum omni maſcula ſobole. Vitam enim Childerici filiabus condonavit, juniorémque illarum Chrotildem* (quæ ab aliis Clotildis dicitur) *nomine, eleganti formâ & indole virginem, Clodovei Francorum Regis ſponſam futuram, in aula ſua regaliter educari voluit.* GREGORIUS TURONENSIS Lib. 2. c. 28. breviùs certiúsque eam rem ita exponit: *Gundobaldus Chilpericum fratrem ſuum interfecit gladio, uxorémque ligato ad collum lapide, aquis immerſit. Hujus duas filias exilio condemnavit: quarum ſenior mutatâ veſte Mucuruna, junior Chrotildis vocabatur.* FREDEGARIUS epit. c. 11. 17.: *Gundobaldus duos Chilperici filios gladio trucidavit, duas filias exilio condemnavit; quarum ſenior nomine Sedeleuba, mutatâ veſte, ſe Deo devovit: junior Chrotildis vocabatur; quam ille domi retinuit.*

(*11) GREGOR. TURON. Lib. 2. c. 28.: *Chlodoveus dum legationem in Burgundiam ſæpiùs mittit; Chrotildis puella reperitur à Legatis ejus. Qui cùm eam vidiſſent elegantem atque ſapientem, & cognoviſſent, quòd de Regio eſſet genere: nunciaverunt hac Chlodoveo Regi.* AIMOINUS inde pergit de Geſt. Franc. Lib. 1. c. 13.: *Hoc audito, Rex Clodoveus amore capitur puellæ, ſperans, & ex hac occaſione Regnum Burgundiæ accipere poſſe. Dirigit è veſtigio quendam familiarem, nomine Aurelianum, qui munera puellæ à ſe miſſa perferens, ſpeciem ejus diligentiùs contemplaretur. Huic imperat, ut puellam adeat, de nuptiis voluntatem Regis edicat; & quid in animo illa ſuper hac re habeat, agnoſcat. Ille præcepto parens, Burgundiæ partes ingreditur. Palatio appropinquans, ſocios ſilvis ſe abdere juſſit: ipſe habitu mendici circumamictus, ad aulam properat; & ut futuræ ſibi Dominæ colloqui poſſit, explorat. Tunc fortè illa ad Eccleſiam*

primùm Clotildis acceperat, alterâ legatione Gundobaldum idem Aurelianus de tradenda conjuge convenit (c): perculsus Clodovei votis Rex, in omnem partem versabat animum, & perscrutatus omnia, ex religionis dissimilitudine (nam Ethnicum Christi sacris imbutæ jungere, piaculo vertebat) dein è Primorum Regni dissensione rationes colligebat, quibus invisum sibi connubium præpediret. A consilio demum Sapientûm, & metu belli mitigatus, id, quod amicè adhucdum flagitatum, vi posteà extorqueri poterat, ultrò concessit (d). Suessione celebratis nuptiis Clotildis eò vertebat curas, ut, cum quo thori, cum eodem & fidei communionem haberet. Propensionis in orthodoxam religionem argumenta non pauca Clodoveus jam olim dederat: & Aurelianus inde Clotildi habebat polliceri, fore tempus, quo Rex abdicatis idolis, Christianorum Numen adoraret. Pia itaque fœmina, ut maritum ad vota sua præpararet, per intervalla de Christi dogmatis sementem jaciebat; quæ, etsi Clodovei animo concepta, nec radices agere, nec fructum ferre poterat, ob spissam caliginem, tum ob vitiorum licentiam, cui à Christiana lege poni metas indignè Rex ferebat. His causis accedebant subinde aliæ, quibus à pio proposito longissimè abducebatur. Post natum ex concubina filium Theodemirum (e), alterum, eúmque primum legitimum ex Clotilde susceperat Igno-

(c) Gregor. L. 2. c. 28. Aimoinus L. 1. c. 13.

A. 493.

Clotildis cum Clodoveo nuptiæ.

(d) Gregor. l. c. Fredegar. c. 18. Aimoinus c. 14. Rorico Mon. L. 2.

Clotildis conatur Clodoveum ad Christiana sacra traducere.

A. 494.

(e) Gregor. Tur. l. 2. c. 28.

Ecclesiam processerat, Domino suarum vota relatura precum, erat quippe dies Dominica. Aurelianus inter cæteros pauperes præ foribus stans, egressum ejus opperiebatur. Expletis Missarum solemniis, egreditur puella, egenis (ùt mos erat) eleëmosynam largitura. Accedit Aurelianus, ùt mendicus stipem postulaturus. Cúmque illa aureum ei porrigeret; ipse apprehensam manum ejus, pallio super brachium reducto, nudum ori ejus osculaturus admovit; illa pudore puellari perfusa, domum repetit. Mittit continuò puella, qui inventum (ùt putabat) Mendicum ad se deduceret compositum; quem taliter alloquitur: Quid tibi, ô homo! visum, ut eleëmosynam accepturus, manum meam veste denudans osculareris? Cui ille, interrogata omittens, tale dedit rdsponsum: Dominus meus Rex Francorum, auditâ generositatis tuæ excellentiâ, desiderat te habere conjugem: Ecce annulus ejus, & cætera ornamenta sponsalia.... Illa ubi de thori copula audivit, respondit: Non est fas Christianæ mulieri, Paganum sortiri maritum: sed si cunctorum præordinaverit Conditor Deus, ut ille per me Creatorem agnoscat suum, petita non abnuo.... Illo dicente, Regem per omnia assensum præbiturum, rogat illa, ut secretum apud se hoc verbum teneat, ne Patruus aliquo illud pacto persentiscat. Multa ex his, fabulis similia multis videntur, nihilominùs quia à nonnullis probantur; hæc saltem hìc (ùt Author notavit) judicio, oculísque subjicienda putavimus. Conferatur P. DANIEL Part. I.

(f) Fredegar. c. 20. Gesta Reg. Franc. c. 10.

Primus ex Clotilde filius post baptismum moritur.

Ignomerum: Religiosæ matris, quamprimùm proles lucem aspexerat, eandem per sacras undas Christo consecrare intererat (f); id ubi à Clodoveo impetraverat, filius recèns natus extinguitur. Eventus ejusmodi Patri altorum Dei consiliorum minimè gnaro, adeò mentem evertit, ut palàm diceret, Deorum superstitiosæ Christicolarum ceremoniæ indignantium irâ accidisse, ut primus Parentibus filius tam acerbâ morte præriperetur (*12). Nihil convitio mota Clotildis modestè reponebat, se verò in summo beneficio numerare, quòd Deus partum primum, diademati natum æterno & immortali Regno donare voluerit. Nec præsentis patientiæ præmio Christiana mulier caruit; nam anno exacto,

A. 495.

Alter itidem filius morti proximus precibus Clotildis servatur.

secundum, eúmque masculum fœtum enixa, comprobavit, veri Numinis esse, & dare, & tollere liberos. Clodoveus cœlesti benefacto lætior, nil precanti matri obstitit, quò minùs sacro lavacro hæc quoque proles admoveretur. Clodomirus (hoc enim infanti aquis sacris tincto inditum nomen erat) vix albis pro more vestibus indutus fuerat; tum fraterno fato ad mortis

(g) Gesta Reg. Fr. c. 14. Aimoinus L. 1. c. 15. Fredegar. c. 20. Hincmar. in V. Remigii §. 33.

confinia perduci visus est (g). Clodoveum repetitus ictus in pejora sensa egit præcipitem: nam præterquam, quòd amarè oggereret, conjugis impietate proles à Diis patriis concessas enecari; suspicabatur etiam, fatale quid Christianis ritibus inesse, quibus vitæ, salutísque periculum crearetur. Experimento novo Constantiæ ubi rursus matris Regiæ fides probata fuerat; Deus morientem propè filium integrâ valetudine, símulque parentes pleno solatio recreavit (h). Inde Clotildis in ethnicum maritum animosior, cæli favores, & Christi doctrinam ejus auribus

(h) Gregor. Tur. l. 2. c. 29

Clodoveus in mutatione Religionis hæsitat.

(*12) GREGOR. TURON. Lib. 2. c. 29.: *Igitur ex Chrotilde Regina habuit filium primogenitum; quem cùm mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assiduè viro, dicens: Nihil sunt Dii, quos colitis &c.... Intereà Regina fidelis filium ad baptismum exhibet; adornari Ecclesiam velis præcipit, atque cortinis: quo faciliùs vel hoc mysterio provocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer (quem Ignomerem vocitaverunt) in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis obiit. Quâ de causâ commotus felle Rex non segniter increpabat Reginam, dicens: Si in nomine Deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset utique; nunc autem, quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omninò non potuit. Ad hæc Regina: Deo (inquit) omnipotenti, Creatori omnium gratias ago, qui me non usquequaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum Regno suo dignaretur adscire. Mihi autem dolore hujus causæ animus non adtingitur; quia scio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos.*

ribus ingerere non destitit; sed fluctuans Clodovei animus alias ex aliis nectebat moras; dum majus prodigium hæsitantem, & quasi nolentem in veritatis semitam impelleret (i).

(i) Idem c. 30.

5. Alemanni olim ad dexteram Rheni ripam (Danubium inter & Mœnum) positi, subinde in Germania prima & Sequanis defixerant sedem; inde in Galliæ sinum dominationem suam proferre ausi (k), à Francis clades non paucas, & ditionis, quam jam tenebant, diminutionem passi sunt. Gens nihilominùs aliunde in Galliarum Provincias aditum quæsitura, Sigebertum Francorum Regulum, qui potentiâ & famâ inferior Coloniæ degebat (l), armis invadit. Utprimùm belli fama ad Clodoveum pervenerat; Tolbiacum (*13) usque hosti occurrit, junctísque cum Sigeberto Franco & affine copiis, construit aciem: Alemanni ex adverso feroces ad pugnam ferebant animos, salutis, nî vincerent, desperatione incensi. Conserto utrinque prælio anceps diu pendebat victoria; dum Sigeberto vulnerato, pedites, quos ille regebat, in fugam inclinarent. Pro stratâ unâ parte exercitûs, in aliam, eámque equestrem omnibus viribus Alemanni incumbentes, ferè debellaverant; tum turmarum earundem Ductor Clodoveus votum hortante Aureliano concipit, quo se, siquidem Victor bello exiret, Christo nomen daturum

A. 496.

(k) Bucher. Belg. Rom. L. XIX. c. 11. N. 2.

Bellum Clodovei contra Alemannos.

(l) Gregor. Tur. l. 2. c. 37.

Clodoveus in pugna cum Alemannis suscepta Christum invocat, & vincit hostes.

(*13) De loco pugnæ, quæ inter Alemannos & Francos commissa est, Authores variè scribunt: GREGORIUS TURON. Lib. 2. c. 30. hoc prælium describit, & c. 37. de Sigeberto Coloniensi Regulo loquens ait: *Hic Sigebertus, pugnans contra Alemannos apud Tolbiacense oppidum, percussus in geniculo claudicabat.* BUCHERIUS Lib. XIX. c. 11. N. 2. cum aliis pluribus per *Tulbiacense* oppidum *TULPIACUM* intelligit, quod oppidum Juliacensis Ducatûs hodie dicitur Zulch & Zulpick, teste *Ferrario* & *Baudrando* in Lexico Geographico. Huic communi recentiores obstrepunt: OLIVARIUS UREDIUS Flandr. Christ. pag. 2., & SCHOEPFLINUS Comm. Hist. & Critic. pag. 376. pro *Tolbiaco* nomen *Tulli* legendum putant, ex eo, quia ALCUINUS in vita Vedasti scribit, *Clodoveum, obtentâ victoriâ, statim Tullum venisse.* Sed Adversarii facilè Uredii fraudem deprehenderunt, quâ vocem *statim* Alcuini textui admiscuit. HENSCHENIUS in Act. SS. ad diem VI. Febr. prope Argentoratum ad Rheni ripas pugnam editam docuit, cui JOSEPHUS DE LA BARRE subscripsit. Denique GUNDLINGIUS pro Tolbiaco Alpiacum sive Alpzen in Wormatiensi tractu situm substituit: ex quibus tamen antiquior sententia præplacet. Conferatur STRUVIUS in Corp. Hist. Germ. p. 106.

daturum spondebat (*14). Acceperat illicò cælum datam fidem, & versâ belli aleâ, ii, qui vicerant, cum victis mutabant vices: Alemannorum quippe Rege anteà rerum potito, nunc cæso, cæteri hostes in fugam, aut in stragem cruentam impellebantur (m). Ex iis, qui de Alemannica Gente prælio superstites erant, Pars magna ad Theodoricum Italiæ Regem se convertit (n); cujus beneficio in Rhætia domicilium obtinuerunt (o). Altera Pars per Alemanniam quaquaversum dilapsa, insequentem è vestigio Clodoveum habuit: & internecionem Gens subiisset; nisi Ostrogothorum Rex suas pro Alemannorum salute preces interposuisset (p). Itaque eorum alii juribus suis relicti, tributo tantùm onerabantur: alii verò sub jugum missi, & Regibus ablatis Francorum Ducum imperio subesse jussi sunt (q).

(m) Gregor. Tur. l. 2. c. 30.
(n) Ennod. in Paneg. Theodorici.
(o) Valef. Franc. L. 6. Cassiodor. Var. L. 3. ep. 50.
(p) Idem L. 2. ep. 41. Agathias L. 1. p. 17.
(q) Vide Bucherium in Belg. Rom. L. 19. c. 11. N. 5. 6. 7. 8.

Clodoveus instruitur in fide.

6. Clodoveum ab Alemannica expeditione redeuntem S. Vedastus Tulli Leucorum agens excepit: ab hoc rectam fidem & religionem in itinere edoctus Rex (r) voto, cujus reus erat, propiùs implendo animum adhibuit. Clotildi utprimùm de victoria conjugis, déque illius in Religionem Christianam propensione nunciatum est, currenti calcar additura, cum comite S. Remigio Remorum Antistite (s) in occursum Clodovei lætissima venit. Inter mutua gratulantium, & fidem veram prædicantium studia iter Remos usque peragitur; tum S. Remigius S. Vedasti documentis sua quoque subjiciens, brevi tempore effecit, ut Clodoveus à sancto proposito haud longè abesset (*15). Antequam

(r) Vita Vedasti apud Surium 6. Febr. c. 2.
(s) Gregor. Tur. l. 2. c. 31. Aimoinus L. 1. c 16. Fredegar. c. 21.

(*14) GREGORIUS TURON. Lib. 2. c. 30.: *Factum est autem, ut confligente utroque exercitu, vehementer cæderentur; atque exercitus Clodovei valdè ad internecionem inclinari cœpit. Quod ille videns, elevatis ad cælum oculis, compunctus corde, commotus in lacbrymis, ait: JESU CHRISTE, quem Chrotildis prædicat esse Filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriámque in te sperantibus tribuere diceris; tuæ opis gloriam devotus efflagito, ut, si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus, probâsse se prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Invocavi enim Deos meos: sed (ùt experior) elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo, eos nullius esse potestatis, qui sibi obedientibus non succurrant. Te nunc invoco, & tibi credere desidero, tantùm ut eruar ab adversariis meis.*

(*15) Recentior quidam Scriptor in Dissertatione Historica anno 1751. Jenæ editâ, probare conatus est, *Clodoveum M. ex politicis duntaxat rationibus Christiana sacra amplexum esse*, ídque ex sequentibus argumentis evincere contendit: I. Quia Clodoveus

tequam tamen Catechumenus sacrum balneum susciperet, consilium de amplectendis Christi sacris milite, ac populo in concionem evocato palàm pronunciat, simúlque cunctos hortabatur, ut suo exemplo incitati, idola Deorum imbecillium abjicerent,

Clodoveus Francis mutandæ Religionis consilium proponit.

veus nullius unquam religionis rationem habuit; unde tam facilis erat in concedendo, ut liberi ejus Baptismo initiarentur, quamvis ipse adhuc Ethnicus foret. II. Quia Clodoveus, postquam Christo nomen dedit, mores minimè mutavit; nam æquè injusta bella movit in vicinos; & Regulos superstites interfecit. III. Clodoveus obiter tantùm in rebus fidei instructus, Baptismum suscepit, utì ex GREG. TUR. L. 2. cap. 31. colligitur; & Alcuinus apertè scripsit, Clodoveum *aliquantis diebus* tantùm cum Remigio commoratum esse ante Baptismum. AIMOINUS porrò Lib. 1. cap. 16. notat, Clodoveum adeò rudem Christianæ rei fuisse, ut Remigio, Christi patientis cruciatum exponenti, diceret: *Si ego cum Francis meis inibi adfuissem, Ejus* (Christi) *injuriam vindicâssem.* Demum RORICO Gest. Franc. p. 807. tradit: *Quum* (Clodoveus baptizandus) *persensisset Thymiamatis redolentis, thurisve fragrantiam, & miraretur, parietes cortinis, palliisve velatos, pavimentum omne diversis floribus fuisse respersum, quæsivit à Pontifice: Si esset hoc Paradisus, vel futura gloria, quam ei in sua prædicatione promiserat.* IV. Cùm cognitionem veræ fidei Clodoveus haud habuerit; argumento est, illum ad Christi sacra levitate quâdam, aut potiùs Catholicos Præsules (qui magnâ authoritate apud plurimos Catholicos in Gallia valebant) sibi conciliandi studio transiisse, ut hâc ratione Francicum Regnum per istas Provincias stabilius redderet; quod inde confirmatur, quia posteà sub specie religionis propagandæ Alarico Visigothorum (Regi Ariano) bellum intulit, dicens: *Valdè molestè fero, quòd hi Ariani partem teneant Galliarum* &c. Vide GREGOR. TURON. Lib. 2. c. 37., AIMOIN. L. 1. c. 20. *VERUM* contra has ratiunculas undequaque collectas meritò sequentia argumenta opponuntur: I. Si Clodoveus ante Baptismum nullius religionis fuerit; cur Clotildis tantoperè vanitatem Deorum, eorúmque contemptum inculcare studuit? utì videre est apud GREGORIUM TURON. Lib. 2. c 29. Cur Primogenito post susceptum Baptismum mortuo indignatus Pater dixit: *Si in nomine Deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset utique; nunc autem, quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omnino non potuit.* Cæterùm, quòd adhuc Ethnicus permiserit filium elui Baptismo, id non facilitati, sed rationibus à Clotilde adductis, quas apud *Gregorium* c. 29. legere poteris, tribuendum. Ad II. ℞. Neque sinceræ conversioni obsunt facinora, quorum se reum Clodoveus fecit post Baptismum: nam quis Constantinum M. & Theodosium M., aliósque Principes politico ex instituto mysteria sacra suscepisse dicet, eoquòd aliqui eorum non à nævis, atqui etiam à crudelitatis, maximorúmque criminum infamiâ deinde haud abfuerint. Quamvis Scriptorum testimonia non desint, qui facta Clodovei mitiùs cum *Gregorio Turonensi* explicent, aut *Aimoino* adstipulentur, dicenti: *Permansit in eo, usque ad terminum vitæ, custodia Religionis, & Justitiæ vigor.* Itaque si quid humanitus hinc inde passus est Clodoveus, illud à fragilitate omnibus communi, non verò ab hypocrisi quadam prorupisse cogita. Ad III. ℞. Quantâ sollicitudine Clodoveus à Clotilde instructus fuerit, enarrat *Gregorius Turonensis* Lib. 1. c. 29. Quid S. Vedastus prodigiis clarus, quid S. Remigius egerint, utpote Clodovei Magistri, ex *Vedasti vita apud Surium 6. Febr., & ex Gregorio Turon. Lib. 2. c.* 31. rescire licet. Quibus adde *Nicetii Trevirensis Episcopi* epistolam, quam ad Chlodosvindam Clodovei neptem dedit: *Audivisti* (scribit) *ab Avia tua Domina bonæ memoriæ, Rothildis, qualiter in Francia venerit,*

rent, eíque dicerent sacramentum, qui potentior Deus Francis triumphos, aliáque bona largiri posset. Dicentis orationem omnes faustis acclamationibus prosecuti, id porrò addebant: singulos illum nunc Deum cupere, quem Rex in melius mutatus coleret, & cujus Sacerdos esset Remigius (t). Intereà propinquabat Natalis Domini, qui dies Baptismo Regis destinabatur (*16): Solennitatis pompa ut clarior esset, pictis, albísque velis

(t) Gregor. Tur. l. 2. c. 31.

nerit, quomodo Dominum Clodoveum ad legem Catholicam adduxerit, &, quum bonæ esset astutissimus, noluit adquiescere, antequam vera agnosceret. Vide Marquard. Freher. Tom. I. Script. rer. Francic. p. 190. Prætereà, si Apostoli & discipuli in schola Christi tamdiu versati, adhuc terrenum regnum Israël, aliáque minùs Messiæ convenientia sapiebant, ecquid miremur, Ethnicum post sufficientem instructionem quædam aliter, ac erant, percepisse? Ad IV. ꝶ. Nihil admodùm conversio ad Christi veram fidem, nihil inermium Præsulum favor Clodovei ambitiosis cogitatibus conferre poterant: aliàs Visigothorum, Ostrogothorum, & Vandalorum Reges dudum fortè religionem politicis ex rationibus mutâssent; satis aliqui eorum esse judicabant ad pacandum populum, ut ex Religionis diversitate nullus alteri periculum crearet: quin Clodoveo ex hoc discrimen non parvum imminebat, quòd, cùm omnes vicini Principes Arium sequerentur, aut idola colerent, ipse unus Primus extiterit, qui à cæterarum Gentium Germanicarum Religione desciscere vellet &c. Meliùs itaque adstruitur, Clodoveum non ex politica, sed ex altiore ratione, quæ humanâ sit quâvis superior, Christianum factum fuisse.

(*16) Circa tempus, quo Clodoveus Baptismum suscepit, duo controvertuntur; nempe quo anno, & quo anni festo baptizatus sit. De primo SIGEBERTUS GEMBLACENSIS & BARONIUS statuunt, quòd Clodoveus Baptismo regeneratus sit Anno ID., HERMANNUS CONTRACTUS id factum putat Anno CCCCXCV. Sed PAGIUS meliore calculo Baptismum Clodovei tribuit Anno CCCCXCVI., quia Anastasius Pontifex in epistola ad Clodoveum sic scribit: *Tuum, gloriose fili! in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gratulamur* (utì videre licet apud D'Acherium in Spicileg. Tom. III. p. 304.) Ex quibus verbis sequitur, eodem anno Clodovei Baptismum contigisse, quo Anastasius in Cathedra Romana sedere cœpit. Cùm autem omnes AA., scilicet ANASTASIUS BIBLIOTH. in Vit. Pontif. Tom. I., & BARONIUS Tom. VI., PAGIUS in Critic. Tom. II. ad annum 499. N. X. ab anno CCCCXCVI numerent initium Anastasii Pontificis; necesse est, ut & cum eodem anno CCCCXCVI. solennem Clodovei regenerationem conjungamus. Accedit, quòd HINCMARUS in vita Remigii, HUGO FLAVINIACENSIS in Chronico Verdunensi, ADO VIENNENSIS in suo Chronico perhibeant, Clodoveum baptizatum esse anno Regni sui XV.; jam si ab anno CCCCLXXXI., quo regnare exorsus est, decimum quintum annum numeres, pervenies ad annum CCCCXCVI. Quod confirmat JACOB. CHIFLETIUS de Ampulla Remensi p. 7., ubi Diploma ex Roverii de Reomao Commentariis profert, cujus clausula ita finit: *Primo nostræ susceptæ Christianitatis atque subjugationis Gallorum anno. Datum sub die IV. Kalendas Januarias, Indict. V. Actum Remis civitate, anno Magni Clodovei XVI.* Indictio dicta convenit cum anno CCCCXCVII., ergo annus præcedens erat annus XV. & CCCCXCVI., quo primùm Christianitatem Clodoveus suscepit. *ALTERUM Punctum Controversiæ Chronologicæ* versatur

velis tum plateæ, tum Ecclesia ornabatur, intérque odorum fragrantiam magnus cereorum numerus collucebat; tum Clodoveus Candidatus ad baptisterium processit erecto vultu, & eo corporis habitu, qui à Christiana demissione alienus Præsuli videbatur. Itaque Remigius gravibus verbis Regem monebat (u): *Mitis depone colla Sicamber, adora, quod incendisti; incende, quod adorâsti* (* 17). Monito ejusmodi ad modestiam subactus Clodoveus, factâ Dei Unius & Trini confessione, ter sacris undis immergitur, inungitur Chrismate (* 18), & signaculo Crucis Christi

(u) Hincmar. in vita Remigii §. 36. &c. Hist. Franc. c. 16.

Clodoveus baptizatur cum multis Francis.

versatur] circa anni tempus; an scilicet in Paschatis vigilia Baptismo initiatus sit, aut in die Natali Domini? Primum asseruerunt FREDEGARIUS in epit. cap. 21., HINCMARUS in vita Remigii, & in Oratione de Caroli Calvi Coronat. Tom. I. oper. pag. 744. edit. Sirmondi, & AUTHOR CHRONICI MOISSIACENSIS ad annum 474. apud DUCHESNIUM Tom. III. Script. Franc. Alterum meliùs statuitur ex epistola ALCIMI AVITI Viennensis, quam edidit SIRMONDUS Tom. I Concil. Gall. pag. 154.; gratulatur enim idem Avitus Clodoveo his verbis: *Ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos, pareat, quo natum redemptionis nostræ cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est Natalis Domini, sit & vestri, quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo.* Huic Avito, quòd tempore æqualis Clodoveo fuerit, meritò subscribit PAGIUS ad annum 499. N. IX., qui porrò addit: " Post Clodovei Regis conversionem usus iste baptizandi in Natalitiis Domini perseveravit apud Francos; Guntramnus enim Francorum Rex apud Turonensem Lib. 8. c. 9. queritur, dilatum esse Nepotis sui Baptismum ultra Natalis Domini solennitatem.,,

(* 17) BUCHERIUS in Belg. Rom. Lib. XX. c. 1. N. 6. ait: *SICAMBRUM vocat ecce Clodoveum Remigius; quia Franci è tractu transrhenano, quem incoluerant olim Sicambri, in Gallias transmigrârunt.* SUETONIUS in Augusto c. 21. *Sicambros* ad ulteriorem Rheni ripam collocat; eosdem posteà *Francos* vocatos fuisse scribit RHENANUS Rer. German. Lib. 1. Tit. *Sicambri in Galliam*: cui notas adde OTTONIS JC., qui pag. 144. genuinam Sicambrorum progeniem hodiernos Francos esse ostendit.

(* 18) HINCMARUS in vita Remigii §. 38.. *Cùm verò pervenissent ad Baptisterium; Clericus, qui chrisma ferebat, à populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiverit. Sanctificato autem fonte, nutu divino chrisma defecit. Et quia propter populi pressuram illi non patebat egressus vel ingressus Ecclesiæ, Pontifex oculis & manibus protensis in cœlum, cœpit tacitè orare cum lachrymis. Et ecce subitò columba nive candidior attulit in rostro ampullulam chrismate sancto repletam, cujus odore mirifico super omnes odores, quos antè in Baptisterio senserant, omnes, qui aderant, inæstimabili suavitate repleti sunt. Accipiente autem Sancto Pontifice ipsam ampullulam, species columbæ evanuit.* Eadem habet AIMOINUS, & BARONIUS ad annum 499 N. 29. addit, Clodovei exemplo & reliquos omnes successores Francorum Reges consuevisse inungi. Oppugnavit hujus prodigii veritatem JACOBUS CHIFLETIUS *in Disquisitione de Ampulla Remensi*, quæ Antverpiæ edita est anno 1651., cui commentationi additum est *Parergon de Unctione Regum.* Chifletii sententiæ multi hodie subscribunt ex his rationibus: I. Quia AVITUS Viennensis de prodigio ejusmodi tacet, II. GREGORIUS

Christi munitur (*19). Præeuntem fratrem duæ sorores sequebantur; quarum altera Albofledis sacris undis eluta, altera Lanthildis ejurato Ario, æqualem Patri & Spiritui sancto Filium professa,

GORIUS TURONENSIS, qui tamen multa minoris momenti non negligenda duxit, de ampulla è cælo allata nec mentionem facit. III. FORTUNATUS Episcopus Pictaviensis altùm quoque de re silet, utì & FREDEGARIUS Scholasticus. Quare cùm Hincmarus post coævos tres primos Scriptores tribus ferè sæculis vixerit, Fredegarium autem integro sæculo subsequatur; illorum Antiquorum silentio plus, quàm novæ narrationi Hincmari tribuendum existimant. *VERUM* Galliæ Scriptoribus rationes contrariæ haud defuerunt, quibus Hincmari assertum probare conarentur. JACOBUS ALEXANDER TENNEURIUS, ut Chifletio responderet, anno 1652. Parisiis scripsit *Tractatum Apologeticum de ampulla Remensi.* MABILLONIUS in Annalibus Benedictinis Lib. III. N. XVIII. p. 62. objecta diluit, & ad I. respondet, Avitum non interfuisse Baptismo Clodovei, ùt ex eadem citata epistola, quâ se excusat, palàm fit, fortè igitur non rescivit, quæ tunc acta essent, cùm Clodoveus salutaribus undis elueretur: vel si scivit, quid attinebat illa commemorare Clodoveo ipsi, ad quem scribebat, horum omnium probè conscio? Ad II. ℞. Etsi Gregorius ampullæ cælitùs demissæ non meminerit, aliqua tamen prodigia tunc accidisse innuit. Ad IV. ℞. Fortunatus Clodovei & Francorum conversionem, & alia multa prætermisit; nihil ergo ex ejus silentio conficitur, præsertim cùm ipse profiteatur, *se pauca disserere, plurima præterire.* Verùm fac (pergit Mabillonius) ut nullus horum, aliorúmve Auctorum ante Hincmarum hujus ampullæ mentionem fecerit: quis Hincmarum adeò imprudentem, ne dicam impudentem, fuisse credat, ut rem novam, ac recèns inventam pro re antiqua & sacra in tam illustri hominum eruditorum cœtu obtruserit? Quid? quod id obiter tantùm, & absque ulla præfatione, utì rem omnibus notam, & nemini ambiguam, refert. Res ergo tum jam receptissima & exploratissima erat ampulla sacra: sed origo fortè non ita. „ DU BOS Histoire Critique Tom. II. L. IV. c. 1. pag. 507. ostendit, ex silentio Gregorii Turonensis, velut argumento negativo nihil probari, eoquòd idem Gregorius (ùt idem Author docet in præfatione Tom. I. pag. 29. & 30.) varia omiserit, utpote fœdus Clodovei cum Burgundionibus contra Visigothos, idem abdicationem Provinciæ Francis factam ab Ostrogothis anno 536.; demum Concilium Nationale Aureliæ celebratum anno 511. E diverso Hincmarus Biographus Remigii multis antiquis Authoribus usus est, quorum manuscripta documenta nobis tempora eripuerunt, ex quibus, ùt ait, de ampulla etiam sua hauserit. An hæ responsiones satisfaciant, tuum Lector esto judicium; certè nec PAGIUS, nec BUCHERIUS, magni viri, hac de re aliquid suis commentationibus inserendum putârunt. His adde JOANNEM CABASSUTIUM, qui Aquasextiensis, ac vel inde Gallus in Notitia CC. Lugduni impressa anno 1670. p. 496. fidem abnuit ampullam prodigiosam afferentibus: dein subdit: Ivonem Carnotensem Episcopum epist. 189. ex veteribus aliorum Franciæ Regum exemplis, tum ex aliis argumentis probare, quòd Unctio Regum ex ampulla Rhemensi non semper facta sit, neque Ecclesiæ Remensi id jus competat; nam Carolus VI. Crassus inunctus est à Metropolita Senonensi, Henricus IV. à Turonensi, ac ideò ex ampulla S. Martini, quem nihilominùs dicit, more cæterorum Regum, solo contactu multos strumis liberâsse: *Sed de his plura infrà in Historiæ Francicæ decursu.*

(*19) BUCHERIUS in Belgio Rom. Lib. XX. c. 2. N. 6. de *loco* Baptismi ita notat; " Baptismi istius in urbe Rhemensi locum, nemo dubitaret *Cathedralem S. Mariæ Basilicam* extitisse; id disertè tradente ipso Hincmaro, Aimoino, & Frodoardo: nisi una S. Nicetii Trevirensis Episcopi ad Chlodosvindam, Clodovei ipsius ex filio Lothario neptem data epistola diceret, Clodoveum coram S. Remigio *humilem ad Domini*

professa, inter Orthodoxos locum accepit; non minùs de exercitu tria (x), vel (ùt alii perhibent) sex (y) millia ad exemplar Principis in fontem salutis descenderunt (*20). Mutatio tam frequens dexterâ Dei facta Anastasium Pontificem, & Avitum Viennæ Episcopum adeò râpuit, ut ille Clodoveo inter tot Occidentis Principes primo Catholico scriptis literis benè precaretur (*21); hic verò ad summam felicitatis à Francorum Rege exoraret, ut, sicut Gentem suam, sic quoque ulteriores Nationes, & externos quoque populos paganos ad Regnum suum, simúlque ad fidei lucem traduceret (*22). Verùm Theodoricus Rex

(x) Gregor. L. 2. c. 31.
(y) Fredegar. in epit. c. 21.

Gratulationes ab Episcopis ad Clodoveum missæ.

mini Martini limina cecidisse, & baptizari se sine mora permisisse. Istis enim verbis quidam putant, Clodovei Baptismum *Turonis ad S. Martini limina* contigisse. Verùm si Lector verba diligenter excutiat, videbit mecum, nihil istis aliud indicari, quàm Clodoveum Remis in ea S. Martini Basilica ad S. Remigii pedes cecidisse, Baptismúmque petiisse, quæ ad portam Collaticiam (aliis Basilicarem) sita, in S. Remigii testamento memoratur; Baptismum autem ipsum, licèt ibi petitum, in Principe tamen Remorum S. Mariæ templo de more collatum.

(*20) COINTIUS ad annum 496. describit ritus Baptismi tunc receptos, nempe per trinam immersionem Catechumenos ablutos fuisse in Baptisterio, quod more antiquo extra Ecclesiam collocabatur. IDEM loco citato ostendit ritum chrismationis, quæ baptizatis tunc conferebatur. Quòd autem N. 67. ex *Flodoardo* Lib. II. cap. 19. probare velit, Clodoveum unctum esse in Regem, in eo multos adversarios patitur.

(*21) D'ACHERIUS Tom. V. Spicilegii publicavit Epistolam gratulatoriam *Anastasii Pontificis*, quam idem Clodoveo baptizato per Eumerium Presbyterum misit: *Tuum* (ait) *gloriose fili! in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu* (scilicet anno 496., quo Anastasius circa Novembrem Pontifex creatus est) *contigisse gratulamur. Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cùm plenitudinem Gentium intuetur, ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia repleri Sagenam, quam in altum jussus est mittere idem Piscator hominum, & cælestis Hierusalem Beatus Claviger.*

(*22) SIRMONDUS primus vulgavit epistolam AVITI VIENNENSIS T. I. CC. Gall. p. 153., in qua S. Episcopus Clodoveo gratulatur, quod contra PSEUDO-POLITICORUM etiam hodiernorum perversum morem & axioma non putaverit in Proavorum Religione ac errore perseverandum. Unde scribit: *Invenit tempori nostro arbitrum quendam Divina Provisio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis; vestra fides nostra victoria est. Solent plerique in hac eadem causa, si pro expetenda sanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcunque Sodalium suggestione moveantur, consuetudinem generis, & ritum paternæ observationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis custodia inutilem reverentiam servant, confitentur se quodammodò nescire, quid eligant. Discedat igitur ab hac excusatione, post talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priscæ originis stemmate, solâ nobilitate contenti, quidquid omne potest fastigium generositatis ornare, Prosapiæ vestræ à vobis voluistis exsurgere. Habetis bonorum auctores, voluistis esse meliores. Respondetis proavis, quòd regnatis in sæculo: instituistis posteros, quòd regnatis in cœlo.* 2. Ex eadem epistola eruitur, quòd plures Episcopi interfuerint Baptismo Clodovei: *Conferebamus* (pergit) *namque, nobiscúmque tractabamus, quale esset illud, cùm adunatorum numerus*

Rex Italiæ quibuſcunque Clodovei conatibus obſtitit: qui Viſigothos, Thuringos, ac Vandalos nuptiis ac affinitate ſibi ita devinxerat (z); ut ſinguli harum Gentium Reges Francos vel deſpicerent, vel minùs timerent. Quare cùm Clodoveo hoc tempore extra Galliam pedem aut arma proferre tutum haud eſſet; occaſio in propinquo Burgundionum Regno nata eſt, unde Regni, Religioníſque amplitudinem quæreret.

(z) Ennod. in Paneg. Jornand. Get. c. 58. Greg. Tur. L. 3. c. 31. Procop. Vand. l. 1. c. 8 Idem Goth. L. 1. c. 12.

7. Ex quatuor Gundeuchi (*23) Burgundiæ Regis filiis duo adhucdum

numerus Pontificum, manus ſancti ambitione ſervitii membra Regia undis vitalibus confoveret. Cùm ſe Dei ſervis inflecteret timendum Gentibus caput &c. 3. Hortatur Clodoveum, ut Gentibus ulterioribus fidem inferat. *Unum ergo eſt, quòd vellemus augeri, ut, quia Deus Gentem veſtram* (Francicam) *per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque Gentibus* (in Boream, Orientémque Franciæ objectis) *quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla pravorum dogmatum Arii germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis, fidei ſemina porrigatis.*

(*23) Stemma Genealogicum Regum Burgundicorum hoc ordine ſequitur:

GIBICA,

GODOMARIUS,

GISLARIUS,
De his tribus mentio eſt in LL. Burg. L. 3. de libertate ſerv.

GUNDICARIUS
Belgicam ingreditur an. 436., Sabaudiam obtinet an. 450., ab Attila vincitur.

GUNDEUCHUS
Greg. Tur. L. 2. c. 28.
Sub hoc Burgundionum fines prolati in Provinciam Viennenſem, Lugdunenſem, & Maximam Sequanorum circa annum 456.

CHILPERICUS
Regiam ſedem habuit Lugduni. Sidonius L. 5. ep. 6.

Filii Gundeuchi:

GUNDOBALDUS † an. 517. *Uxor Caritene.*
GODEGISILUS
CHILPERICUS
GODEMARUS

Filii Gundobaldi:

SIGISMUNDUS
GODEMARUS *ultimus Rex Burg.*

Filiæ Chilperici:

SEDELEUBA *Monialis.*
CLOTILDIS *Clodovei Francorum Regis conjux.*

Sigismundi liberi:

Ex Oſtrogotha Theodorici Regis Ital. filia prima uxore: SIGERICUS † an. 522. SUAVIGOTHA.

Ex N. N. ſecunda uxore: GISCLADUS GUNDEBALDUS.

adhucdum ſupererant (a), quorum unus Gundobaldus duorum fratrum Gondemari & Chilperici cæde fœdè inquinatus (b), Lugduni maximam Burgundici Regni partem regebat: alter Godegiſilus Genevæ Allobrogum viribus & ditione longè inferior, populares ſuos moderabatur. Hic inſidias Gundobaldi veritus, antequam fratrum exitio aggregaretur, de perdendo citiùs parricida deliberat. Metuenti, qui auxilium dare poſſet aut vellet, Clodoveus omnibus aptior viſus eſt: præterquam enim, quòd ille Gundobaldo ob ſoceri Chilperici mortem non parùm infenſus crederetur (c); juſto etiam bello exigere portionem Burgundiæ ab affine retentam poterat, quæ dotis nomine Clotildi uxori dudum debebatur. Clodoveus à Godegiſilo rogatus, nec fœdus, nec ſuppetias abnuit (d): atque ut clam Gundobaldo colligere copias poſſet, Viridunenſium coorta ſeditio cauſam dedit; in hos enim quaſi ducturus exercitum, legebat militem, & turbis mox compreſſis, in imparatum Gundobaldum armorum vim convertebat (e). Rex Burgundionum hunc in modum circumventus, à Godegiſilo fratre poſcebat opem, & impetrabat. Quamprimùm condicta auxilia in finibus Lingonum apud Divionem Gundobaldi copiis ſe applicuerant, magna rerum fit mutatio: Godegiſilus enim ex ipſa Burgundionum acie, in qua dextrum cornu regebat, ad Clodoveum cum ſuis repentè tranſit. Gundobaldus defectione fratris attonitus, ubi ſe victum ſenſit, Avenionem elabitur; ut, ſi caſus porrò ſiniſtri miſerum premerent, in proxima Theodorici ditione ultimum perfugium haberet (f). Clodoveus relicto in Burgundia Godegiſilo, ſolus, ut victoriæ invidiam temperaret, Gundobaldum inſequitur. Ad Avenionenſium agros translato exercitu, acerrima quidem, ſed ob reſiſtentium pertinaciam lenta urbis oppugnatio inſtituitur: ex mora etſi Clodoveus faſtidii aliquid caperet; Gundobaldus tamen magìs quotidiè ſuis viribus atque annonâ exuebatur. Aredius Regi ſuo in paucis fidus, quò periculum anteverteret, transfugam mentitus, in Clodovei caſtra exibat: illinc, ut fidem inveniret, multùm in Gundobaldi ſcelera detonans, ſenſim in Francorum amicitiam irrepſit: querentibus his de diuturnitate obſidionis, quaſi aliud agens, majora illis tædia injicere inde conabatur;

(a) Gregor. Tur. l. 2. c. 32.

Bellum Clodovei contra Gundobaldum Burgundionum Regem.

(b) Idem L. 2. c. 28. Fredegar. epit. c. 17. Aimoinus L. 1. c. 13.

A. 499.

(c) Gregor. Tur. l. 2. c. 32. Fredegar. epit. c. 22. Marius Avent. in Chron.

(d) Collatio Epiſcop. contra Arian. apud D'Achery T. III. p. 306.

(e) Vita S. Maximini apud Du Cheſne T. I. Scriptor.

A. 500.

Godegiſili in fratrem Gundobaldum doloſum conſilium.

(f) Gregor. Tur. l. 2. c. 32. Fredegar. epit. c. 22. Marius Aventic. in Chron. Geſta Reg. Franc. c. 16. Rorico l. 3.

Gundobaldus à Clodoveo intra Avenionem obsidetur, & operâ Aredii Ducis liberatur.

(g) Gregor. Turon. l. c. Fredegar. ibid. Aimoinus L. 1. c. 19. Gesta Reg. Franc. c. 16.

nabatur; tum, quòd munitiones inaccessas, alacritatem præsidiarii militis, cibariorum copiam prædicaret; tum etiam, quòd adfutura propediem Visigothorum auxilia fingeret (g). Francorum animos postquam his dolis inclinaverat; Clodoveo author erat, ut Gundobàldo victo partem Regni condonet, simúlque vectigalem sibi efficiat: id enim ad Francorum non tantùm gloriam, sed & ad securitatem pertinere; siquidem Clodoveus subditos Reges habeat, quíque Visigothorum insidiis ac bellis propiores, Francis longiùs dissitis tranquillas sedes procurent. In conditiones ejusmodi haud ægrè Rex consensit, & libertate Gundobaldo datâ, in Franciam militem prædâ refertum reduxit. Godegisilus intereà Viennæ se Regem Burgundiæ omnis periculi securum tamdiu gesserat, donec Francis ad Sequanam usque digressis, Gundobaldo locus esset, fratrem iisdem ferè artibus, quibus ab eodem anteà deceptus fuerat, capiendi. Utprimùm enim Godegisilus nudabatur Clodovei exercitu, Gundobaldus imparatum, ac in media pace bello aggreditur. Viennæ munitiones obsesso tantisper pro præsidio erant; sed viâ per aquæductum tandem inventâ latenter in urbem ingressus hostis, omnia ferro, flammísque miscuit. Godegisilus subitò oppressus ad templum confugit, in quo Aram amplexus, fraternúmque amorem nequicquam obtestando, inter sacra penetralia trucidatur (h). Tertium fratrem postquam idem Parricida Gundobaldus extinxerat; totum Burgundiæ Regnum, nemine admodùm obluctante (*24), sui juris fecit: atque ut Dominatum ad stabilita-

Gundobaldus pari dolo fratrem Godegisilum opprimit, & interficit.

(h) Marius Aventic. in Chronico. Greg. Tur. L. 2. c. 33. Fredegar. epit. c. 24. Aimoinus L. 1. c. 19.

(*24) BUCHERIUS Belg. Rom. Lib. XX. c. 6. N. 9. advertit, Gundobaldum cum Alarico Visigothorum, & Theodorico Italiæ Regibus fœdus habuisse, cujus metu Clodoveus bellum contra Burgundiones persequi noluit, imò N. 10. addit, amicitiam posteà tantam Clodoveum inter & Gundobaldum viguisse, ut hic cùm Francis contra Visigothos arma sociârit, nimirum in bello contra Alaricum subinde suscepto. PROCOPIUS de B. Goth. Lib. 1. c. 12. nihilominùs bellum vel prælia Francos inter & Burgundiones extitisse innuit; nam p. 342. ait: *Francos inter & Gothos coitur societas in Burgundionum perniciem, pactóque convenit, ut Gentem debellent, & ditionis illius terras obtineant: qui vicerint à sociis non adjuti, ubi mulctæ nomine certam auri summam ab illis acceperint, participes eos faciant bello captæ regionis. Igitur ex constituto Germani* (Franci) *cum magno exercitu Burgundiones petunt; dum Theodoricus, qui se in speciem ad expeditionem paraverat, copiarum profectionem differt, consultò procrastinans, exitúmque exspectans. Vix tandem emisso exercitu, Ducibus mandat, uti lentius*

bilitatem quandam firmaret; Burgundionibus mitiores leges imposuit, quas in codicem congestas anno DI. Genti suæ promulgavit (†). A. 501.

(†) REFLEXIO VIII.

8. Dum Gundobaldi Regnum in diem magìs efflorescebat (*25), Clodoveus potentibus viribus obsistendum haudquaquam ratus, in imbecilliores Armoricos bellum transtulit (i). De origine Gentis hujus quàm diversa multorum (*26) sententia,

Bellum contra Armoricos. A. 502. & 503.

(i) Gregor. Tur. l. 2. c. 36. Procop. Goth. L. 1. c. 12.

lentius iter habeant, ac si Francos victos audierint, ne porrò ire pergant: sin fortè victoriam cessisse illis acceperint, deinceps properent. Hæc Theodorici mandata accurantibus Ducibus, Germani soli cum Burgundionibus manus conserunt. Inito acerrimè prælio, ceciderunt utrinque plurimi. Etenim diu dubio Marte pugnatum est: at deinde Franci verso in fugam hoste, & ad ultimas regionis, quam incolebat, propulso eras, ubi multas habebat munitiones, reliqua occupârunt. Accepto rei nuncio, affuêre confestim Gothi, increpitíque à sociis, viæ difficultatem causati sunt. Tum mulcta repræsentata, regionem, uti convenerat, cum Victoribus diviserunt.

(*25) PAGIUS ad annum 509. N. 21. Burgundici Regni latitudinem infert ex Concilii Nationalis Epaonæ sub Sigismundo Gundobaldi filio anno 517. celebrati subscriptionibus; ibi enim memorantur sedes Episcopales viginti septem, scilicet *Tarantasiensis* & *Octodurensis* (vicus Veragrorum aliàs dicitur, vel hodie à Gallis Martigny, cujus sedes Episc. transiit Septam) in ALPIBUS GRAJIS: *Ebredunensis* in ALPIBUS MARITIMIS: *Viennensis Gratiano-Politana, Valentina, & Genevensis* in PROVINCIA VIENNENSI PRIMA: *Cabellionensis, Avenionensis, Vasensis, Carpentoractensis, Arausicana, Diensis, Tricastina, & Vivarensis* in PROVINCIA VIENNENSI SECUNDA: *Sistariensis, Aptensis, & Vapincensis* in PROVINCIA NARBONENSI SECUNDA: *Lugdunensis, Matisconensis, Lingonensis, Cabilonensis* in PROVINCIA SENONENSI, seu LUGDUNENSI QUARTA: *Vesontionensis, Aventicensis* (apud Helvetos olim in Bernensi ditione, non procul à Wisplisburgo, cujus sedes dein Losannam translata dicitur) *Vindonensis* (in eadem ditione, cujus honores Episcopales posteà Constantia accepit) *Bellicensis* in PROVINCIA MAXIMA SEQUANORUM, sive LUGDUNENSI QUINTA. Ex his non obscurè concluditur, Regnum Burgundiæ sub Gundobaldo amplissimis terminatum esse finibus; nam eas Galliæ terras complectebatur, quæ Ducatum & Comitatum Burgundiæ, Lugdunensem Dominatum, Delphinatum, partémque Provinciæ includunt. His accedebat Sabaudia, sive ditio Allobrogum cum Helvetorum, Sedunorum & Valesiorum tractibus.

(*26) ECKHARTUS de rebus Franciæ Tom. I. Lib. 3. N. 9. de ARMORICIS ait: "Valentiniani III. ætate Britannorum pars metu Anglorum, & amore libertatis ex Patria profugerant in Galliæ tractum Armoricanum *Venetum, Coriosopitum, Ossismorum* & *Diablintum*, tum etiam *Rhedonum* ac *Nannetum* civitates constituebant ARMORICOS, qui hoc tempore Romanos adhuc mores servabant. Ibidem putat eosdem ARMORICOS non distingui ab ARBORICHIS, de quibus PROCOPIUS loquitur Lib. I. B. G. c. 12. p. 341.: *Militarem operam Romanis tunc navabant Arborichi: quibus Germani, utpote finitimis, & à veteri Reipublicæ forma digressis, cùm legem ac jugum vellent imponere, primùm prædati, dein recto Marte eos aggressi sunt, agente omnes belli prurigine. Generositatem, & in Romanos benevolentiam testati Arborichi, rem in eo bello gessêre fortiter. Nihil vi proficientes Germani, illos ad societatem, & affinitates*

tentia; tam una omnibus insidet opinio, populum ejusmodi à finibus Clodovei haud procul abfuisse. Franci itaque incrementa Regni sui quærentes vicina huic nationi (quæ extinctâ Dominatione Romanâ, sui juris erat) Venetum eripiunt; dein reliquam regionem eâ lege subjugabant, ut regio ibidem nomine abolito, Rempublicam non alii, quàm Comites, iíque Francis clientelæ & tributi titulo obstricti moderarentur. Citimas Ligeris Provincias ubi Clodoveus sibi subjecerat; ultra ejusdem fluminis ripas protendere Francorum Regnum animus erat. Belli hujus contra Alaricum Visigothorum Regem suscepti non unam causam fuisse ferunt: alii enim dissidii ortum deducunt à religionis studio, quo incensum ajunt Clodoveum Arii sectatores armorum strepitu domare, & victis sanctioris fidei institutum afferre voluisse (k): Alii ex cupiditate amplificandi Regni, aut ex verborum contumelia, quâ Alaricus Clodoveum adusserat, belli contentionem exarsisse opinantur (*27). Theodorici Italiæ Regis equidem intererat, æstum animorum minis, monitísque comprimere (l); sed Clodoveus concordiæ concinnandæ modum aspernatus, Pictavos, ubi tunc Alaricus agebat, cum toto exercitu movet (m). Post transmissum Ligerim, & Turonum agrum ingressus, in reverentiam S. Martini olim populi hujus Episcopi vetuit, ne quid ab inquilinis (præter aquam & herbam) gregarius miles acciperet (n); tum missis ad Sancti Basilicam donis Regiis (o), quasi cælestis jam opis securior, per tumentis Vigennæ fluvii vada Pictavium venit. Alaricus relictâ urbe,

Bellum contra Alaricum Visigothorum Regem.

(k) Gregor. Tur. Hist. L. 2. c. 37.

A. 507.

(l) Cassiod. Var. L. 3. ep. 1. 2. 3. 4.

(m) Gregor. Tur. L. 2. c. 36. 37. Procop. L. 1. c. 12. Aimoinus L. 1. c. 20.

(n) Gregor. l. c. Hincmar. in V. Remig. §. 51. RoricoMonach. l. 4.

(o) Greg. l. c. Aimoinus L. 1. c. 21.

---

nitates jungendas invitârunt: quibus Arborichi libenter assensi sunt; quòd Christiani utrique essent. Eo pacto in unam coaliti Gentem, potentissimi evaserunt. MASCOVIUS Lib. X. Histor. Germ. §. 17. p. 486. ab Eckharti sententia non discedit. Cæterùm P. DANIEL Arborichos ab Armoricis velut specialem nationem distinguit. BUCHERIUS in Belgio Romano Lib XIII. c. 8. sect 4. nomen Armoricorum omnibus populis tribuit, qui in Gallia mari adsiti, aut Maritimi dici possunt. Conferatur etiam P. LE COINTE ad annum 502. N. 3., ubi Clodovei expeditionem contra Armoricos describit.

(*27) FREDEGARIUS in epitome c. 25. refert, quod, cùm Clodoveus *Paternum* Legatum miserit ad Alaricum, hic fraude contra eum & contumeliis usus sit. Quod etiam colligitur ex CASSIODORO Var. L. 3. ep. 1., ubi dehortatur Alaricum à bello: *Non vos Parentum fusus sanguis inflammat, non graviter urit occupata Provincia: adhuc de verbis parva contentio est.*

urbe, amnium objectu se tantisper tueri, & trahere bellum longiùs nitebatur; donec novis militum accessibus augeretur. Nec Visigothorum pudor, nec ardor Francorum has moras tulere (p): quare ad Vogladensem pagum, quem Clenus alluit, infestis armis concurritur (q). In Alarici acie pugnabat Apollinaris, filius celeberrimi Apollinaris Episcopi: quo cum Avernis suis cæso, reliqui Visigothi magnâ strage fusi sunt; ad victoriæ absolutionem tandem erat, quòd Alaricus Rex ipse sive in fuga, sive in acie caderet. Hoc perempto Clodoveus ad proferendum citiùs belli cursum, ita partitur exercitum; ut unam partem Ductore filio Theodorico in Provincias superiores Aquitaniæ abire juberet (r), dum ipse cum reliquis Francis Burdigalam & Tolosam (Regni Gothici Caput) unà cum depositis ibi thesauris, & demum Engolismam in potestatem redegisset (*28). Utriusque expeditionis consilio eventus respondit; nam effusâ victoriæ famâ perculsi Albigenses, Ruteni & Cadurci sub jugum Theodorici Francorum Principis ivêre, & Clodoveus vagantes, trepidósque Gothos vel ad fugam, vel ad deditionem cogebat. Pater & filius ubi tanta augmenta Regno adjicere moliebantur; Victoribus posituri metas Visigothi, in locum Alarici Gesalicum Narbone in Regem deligunt (s): sed Theodoricus, qui citiùs debellaverat, in novum Regem vertit vires, quæ hoc tempore Burgundionum auxiliis firmiores erant (t). Francis itaque Carcassonem obsidentibus, Gundobaldi Burgundi copiæ Narbone direptâ, Gesalicum expulerunt, mox in Arelatenses eandem vim exprompturæ (u). Antequam verò Carcasso & Arelatum in hostium abirent manus; Theodoricus Rex Italiæ exercitum miserat, qui Alarico nepoti Regnum restitueret, & Provinciam, (quo nomine regio adhucdum Gothis propria, intérque Rhodanum & Alpes sita tunc vocabatur) à Francorum potestate liberatam reciperet (x). Theodoricus Clodovei filius de adventu hostium certior, obsidione Carcassonis sepositâ, cum Burgundioni-

(p) Procop. L. 1. B. G. c. 12.

(q) Fredegar. c. 17. Aimoinus L. 1. c. 21. Gesta Reg. Franc. c. 17.

Clodovei victoria de Alarico in Vogladensi campo.

(r) Greg. l. c. Aimoinus c. 22. Fredegar. c. 26.

A. 508.

(s) Procop. B. G. l. 1. c. 12.

(t) Marius Aventic. in Chron. Isidorus in Chronico.

(u) Gregor. Tur. l. 2. c. 37

(x) Cassiod. in Chron.

A. 509.

Theodoricus Rex Italiæ Francos reprimit.

(*28) GREGORIUS TURON. Lib. 2. c. 37.: *Clodoveus verò apud Burdegalensem urbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tolosa auferens, Engolismam venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, ut in ejus contemplatione muri spontè corruerent. Tum exclusis Gothis, urbem suo dominio subjugavit.*

(y) Procop. B.G.l.1.c.12. Cyprianus in V. Cæsarii.

dionibus prope Arelatum Ostrogothis occurrit (y); pugnâ tamen subinde inferior (* 29), cum Itali Regis Ducibus ita pactus est, ut Provincia Gothis, reliqua Francis tribuerentur (*30).

A. 508.

9. Quo tempore Theodoricus in Narbonensi Provincia cum Gothis bellum gerebat, tum Clodoveum Anastasius Imperator missâ legatione in Gothos eosdem magis impellere visus est. Audiverat Cæsar Orientis Francorum victorias, quibus ad cæterorum Principum terrorem præcellerent. A Gentis hujus itaque amicitia subsidiorum aliquid adversùs Theodorici Ostrogothi potentiam sperans, Clodoveo de tot felicibus progressibus gratulatus, codicillos ejusdem manibus, atque insignia quædam Turonibus consignari fecit, quibus Anastasius Regem Franciæ ornare, & Patricii sive Consulis dignitate simul induere cupiebat (z). Equidem hæc honoris ac tituli species rei nihil aut emolumenti Galliarum Domino adjicere poterat: sed Clodoveus sive reverentiâ Romani Imperii quantumvis extincti incitatus, sive pompæ ejusmodi, quæ ad amorem civium in Franciæ jura translatorum, & ad admirationem novi Principis apta erat, more aliarum Germaniæ Gentium studiosior, & nomen Romani Consulatûs, & insignia admisit: atque ut solennior inaugurationis modus foret, in Basilica S. Martini tunicâ blateâ & chlamyde indutus, simul transmissum vertici diadema imposuit (*31): mox

(z) Gregor. Tur. l.2.c.38 Aimoinus L.1.c.22.

Clodoveus Consulatûs insignia ab Imperatore Anastasio accipit, & quibus ex causis.

(*29) JORNANDES Get. c. 58.: *Theodoricus* (Rex Italiæ) *non minus trophæum de Francis per Ibbam suum Comitem in Galliis acquisivit: plus triginta millibus Francorum in prælio cæsis.* De hac victoria ad Arelati pontem à Gothis reportata contra Francos Athalaricus Rex loquitur apud CASSIODORUM Lib. VIII. Var. ep. 10.

(*30) CASSIODORUS in Chronico: *Theodorici Domini nostri exercitus Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo acquisivit Imperio.* Gallias (inquam) non omnes, utì notat BUCHERIUS in Belg. Rom. Lib. XX. cap. 8. N. 7.; sed Massiliensem duntaxat, Arelatensem, Narbonensem, & Novempopulanam Pyreneo adsitam: nam reliquas Francis lubens reliquit. *Eos enim illis cùm depellere non posset* (ait PROCOPIUS Lib. 1. B. G. c. 12.) *ut sibi haberent, quæ jam occupâssent, permisit; ipse verò reliquam Galliarum partem* (mari & Pyreneo adjacentem) *recuperavit.* Ita Arelatum à Visigothis post annos circiter viginti octo (utì advertit Bucherius) ad Ostrogothos transiit.

(*31) GREGORIUS TURONENSIS Hist. Lib. 2. c. 38.: *Igitur ab Anastasio Imperatore Codicillos de Consulatu accepit, & in Basilica B. Martini TUNICA BLATEA,* (*sive* purpureâ) *indutus est, & CHLAMYDE, imponens vertici DIADEMA. Tunc ascenso equo,*

mox conſcenſo equo, triumphanti ſimilis circumvectus, ſparſit miſſilia populo, qui feſtivis acclamationibus *Conſulem* & *Auguſtum* (*32) ſalutabat.

10. Pompâ peractâ, Pariſios Clodoveus abiit, ibidem Francorum Regibus perpetuam ſedem poſiturus (a). Illinc rebus civilibus, quæ ad ſtabilitatem Regni fuerant, coordinatis, cum Theodorico filio, qui per idem tempus ab expeditione Narbonenſi redierat, in nova exivit bella; quæ tantò luctuoſiora extitêre, quantò atrociùs contra propinquos, & adversùs ejusdem ſtirpis

(a) Gregor. Tur. l. 2. c. 38

A. 509. *Clodovei bellum contra Regulos Francorum.*

ſo equo, aurum, argentúmque in itinere illo, quod inter portam atrii, & Eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis, manu propriâ ſpargens, voluntate benigniſſimâ erogavit, & ab ea die CONSUL *&* AUGUSTUS *eſt vocitatus.* Difficultas hìc non exigua ſuboritur, quid per *Conſulatum* Clodoveo oblatum intelligatur; nam cùm Conſulis titulo nullibi in faſtis ſcriptus inveniatur Clodoveus; BARONIUS putavit, hanc dignitatem ab eodem (velut hæretici Cæſaris donum) ſuſceptam non fuiſſe. At PAPUCIUS MUSSO per Conſulatum dictum intelligi vult *Patriciatum*, cui ſententiæ accedit PAGIUS ad annum 508. N. 2.; hic enim à Romanis Imperatoribus ſæpè Regibus Imperio Romano amicis conferebatur. Sic AVITUS VIENNENSIS in epiſt. 7. *Sigiſmundum* Burgundiæ Regem *Patricium* appellat, ejúsque Deceſſores Magiſtri militum ab Imperatoribus dicti fuerant. Ita PROCOPIUS Lib. 1. de B. G. c. 1. de *Theodorico* Gothorum Rege, & MALCHUS RHETOR in excerptis pag. 94. de *Odoacre*, demum ANASTASIUS in vita Stephani III. de *Pipino*, *Carolo M.*, & *Carolomanno* perhibent, his ſive à Cæſaribus, ſive à Pontificibus Patriciatûs honores decretos fuiſſe. Præterea Pagius loc. cit. N. 3. oſtendit, Conſulis & ὑπάτȣ nomen Patriciis quandoque datum. Quamvis enim Patriciatus inferior eſſet Conſulatu, & communis etiam pluribus privatis (uti Bucherius in Belgio Rom. Lib. XX. c. 9. N. 3. adnotat) in eo tamen præſtabat, teſte Caſſiodoro Lib. 6. Var. in form. Patriciatûs, quòd dignitas Patriciorum perpetua eſſet; Conſularis verò tantùm annua. Unde etiam titulus Capitis, ubi Gregorius Conſulatum Clodovei refert, his verbis inſcribitur: *De Patriciatu Clodovei*: & AIMOINUS c. 25. Epitaphium Clodovei repræſentat hiſce verbis:

Rex Clodoveus, & Idem
PATRICIUS, magno ſublimis fulſit honore.

(*32) FAUCHETIUS Antiquit. Franc. Lib. 2. c. 22. Clodoveo ultra Patriciatum etiam Regni inſignia ab Anaſtaſio ſubmiſſa ſcribit; quæ ſcilicet & olim Senatus, & jam Imperatoribus Regibus amicis, ac benè de Republica meritis offerebant: cujuſmodi præcipuè erant, Corona, veſtis purpurea, equi &c. BUCHERIUS Lib. XX. c. 9. Num. 5. addit, quòd Clodoveus his inſignibus acceptis ultra tranſgreſſus, ſupremam, & velut Imperialem ſuam toto Regno poteſtatem denotare, eíque novam authoritatem addere voluerit; unde etiam dicit Gregorius, quòd AUGUSTUS ſit vocitatus. Tam ampla & Auguſti & Imperatoris nomina poſteà tranſmittebantur in poſteros; nam Remigius in Teſtamento ſuo vovebat: *Ex ipſo* (Clodoveo) *Reges & Imperatores procedunt.* Theodoricus Clodovei II. filius Atrebatenſi S. Vedaſti Cœnobio bona *Imperiali edicto* dare, & per *Imperialem celſitudinem* ſancire ſe ſcribit. In ſecunda Regum Carolin-

ſtirpis Reges gerebantur (*33). Primus, cui Clodoveus exitium machinabatur, Sigebertus erat, idémque Princeps, qui pro Francico nomine ad Tolbiacum ſtrenuè contra Alemannos luctatus, nec ſine ingenti vulnere ex prælio exceſſerat (b), quíque Chlodericum filium in Vogladenſes campos miſerat, ut Clodoveum in pulſando Alarico, ínque Viſigothorum Provinciis ſubjugandis adjuvaret (c). Pro duplici beneficio unum, ídque acerbum proditionis præmium Sigeberto perſolutum eſt. Nam ſive hujus potentiam poſteris ſuis timendam, Clodoveus oppreſſam cuperet, ſive terris (quas ampliſſimas Sigebertus non tantùm cis Rhenum ad Coloniam Ubiorum, ſed & inde in Buchoniam, atque in Thuringiæ uſque fines poſſidebat) inſidiaretur; Clodericum filium in Patrem concitat, monens, ne ſerus Regnum, quod tot annis ſuperſtes Sigebertus ſibi attineret, exſpectare velit (d); quin Clodovei auxiliis confiſus, per occiſi maturè Parentis cadaver citiùs ad ſolium evolet: Adjutori tantarum rerum præter partem paternæ Gazæ nihil admodùm tributum iri. Clodericus his dictis in facinus impulſus, paulò pòſt Patrem in Buchonia ſylva Thuringis vicina, immiſſis ſicariis perimit, ſimúlque occupat Regnum. Quod ubi factum Clodoveus cognovit, Legatos mittit, qui pactam opum partem vindicent, nec Clodericus diviſionem nummorum abnuit: ſed dum hos inclinato in ciſtam capite profundiùs eruere contendit; unus ex Clodovei emiſſariis cerebro ejus haſtam infigens, pro parte

(b) Idem l. 2. c. 37.

(c) Fredegar. in epit. c. 17.

Clodomirum in Patris Sigeberti cædem inſtigat.

(d) Gregor Tur. l. 2. c. 40. Fredegar. in epit. c. 26. Valeſius Franc. l. 6. p. 306. &c.

Clodoveus poſt Sigeberti & ejus filii necem illorum terras ſibi adjungit.

rolingenſium proſapiâ, majore jure hic titulus velut in veris Imperatoribus eminuit. Sub tertia Capitingorum ſtirpe *Robertus* (in tabulis anno 996. datis) dicitur *Divinâ ordinante Clementiâ Rex Francorum ſemper AUGUSTUS*, quo nomine poſteà quoque nuncupati ſunt Ludovici VI. VII. VIII., & Philippi I. & II.

(*33) BASNAGIUS en l'Hiſtoire de l'Egliſe Liv. XX. c. 5. §. 4., alíique perſtringunt Clodoveum, quòd tam immaniter ſæviendo in propinquos, ambitionis ſuæ inſatiabilis, ſimúlque crudelitatis inſolita Chriſtianis exempla dederit. DU BOS in Hiſtoria Critica Tom. III. Lib. V. c. 2. Clodoveum excuſare conatur, ex teſtimonio GREGORII TURONENSIS, qui, poſtquam recenſuerat cædem Sigeberti Regis Ripuariorum, & ejus filii Cloderici, hæc ſubjungit de Clodoveo utriuſque cædis authore: *Proſternebat enim quotidiè Deus hoſtes ejus ſub manibus ipſius, & augebat Regnum ejus, eoquòd ambularet recto corde coram eo, & faceret, quæ placita erant in oculis ipſius.* Quæ verba ſanctus Epiſcopus proferre non potuiſſet, neque probare bellum veluti juſtum contra hoſtes publicos; niſi illi Reguli antè Clodovei vitæ aut ditionibus vim machinati fuiſſent, ac proinde cauſam dediſſent Clodoveo Victori, Regulorum vitam atque terras rapiendi. De his tamen Lectoris eſto judicium.

parte totum thesaurum, & cum vita Regnum abstulit. Quamprimùm fama Cloderici fatum vulgaverat; Clodoveus Coloniam properat: & exposito acerbiùs scelere, quo filius parricida exitum ejusmodi meruisset, luctum populi admoderatus, in suam fidem, ac potestatem, quidquid olim ditionis ad Sigebertum pertinebat, protinùs recepit (e). Clodoveus Regno suo ad Rhenum, & trans ipsum amnem ad fluvium Fuldam ac Thuringiæ fines propagato (f), non jam ex insidiis, sed aperto ac æquiore forsan etiam Marte cum Chararico agere cœpit: quibus is Regulus populis, an Ambianis, aut Morinis sive Treviris imperaverit, incertum est; inimicitiam tamen eundem apud Clodoveum iniisse ferunt, postquam in pugna adversùs Syagrium suscepta, minùs integrâ fide hæsitaverat (g). Repositam altâ mente injuriam, & per viginti quatuor annos ferè sopitam, Regni proferendi cupiditas hoc tempore suscitavit: quare Clodoveus Chararicum bello aggressus, illum cum filio capit: & utrumque detonsum, quò longiùs à spe Principatûs arceret, sacris ordinibus adscribit (h). Patrem pœnæ acerbitati indolentem filius ita solari auditus est: Ut quid detonsam barbam & crines expostularet? frondes esse decisas à trunco viridi, in quarum locum novæ statim succrescent: optandum, ut facinoris author tam citò pereat, quàm hæ pullulabunt. Verba temerè in aures quoque aliorum effusa ubi Regi renunciabantur; sicarium misit, qui jam non comam, sed caput duorum resecaret. Supererat tertius Ragnaçarius Rex Cameracensium, ac Clodovei affinis: hujus fidelitas, quia accusari non poterat, alia vitia libidinum, quibus laborabat, in odium atque invidiam trahebantur (i); ex his sumpta est causa belli, quod nonnisi paucorum, & Ragnacarii potissimùm sanguine confectum est. Proceres namque ad proditionem empti, Dominum suum catenis vinctum Clodoveo ad cædem dederant, quam ubi ipse Rex impactâ in Ragnacarii caput securi fœdè satis peregerat; post parricidii facinus hanc unam laudem tulit, quòd proditoribus dignam mercedem exsolverit. Pollicitus his armillas ex auro, alias non reddi fecit, quàm æreas auro leviter oblitas: expostulantibus de fraude reponebat, esse omninò, cur grati in acceptis ferant, quòd, cùm prodendo Prin-

(e) Iidem AA. l. c.

(f) Bucherius in B. B. L. XX. c. 10. N. 3.

Chararicus alter Francorum Regulus à Clodoveo capitur, & necatur.

(g) Gregor. Tur. l. 2. c. 41. A. 510.

(h) Gregor. l. c. Fredegar. epit. c. 27. Aimoinus L. 1. c. 13.

(i) Gregor. l. c. c. 42.

Ragnacarius tertius Cameracensium Regulus Clodovei armis & insidiis perit.

Principem, meruerint ſupplicium, incolumes dimittantur: cæterùm pro æqua proditorum remuneratione hanc juſtam cauſam videri, ut, qui ſceleratâ fraude egerint, fraudulentum proditionis præmium reportent; quibus dictis à ſe perfidos abegit (k).

(k) Gregor. l. c. Fredegar. Epit. c. 28. Aimoinus L. 1. c. 23. Geſta Reg. Franc. c. 18. Rorico Monach. L. 1.

A. 511. *Mors & ſepultura Clodovei.*

11. Poſtquam Clodoveus bello, aliiſque artibus tot Galliæ Provincias ſub dominationem Francorum coëgerat; vix delibatis univerſalis Regni (quod primus condiderat) fructibus, è vita Pariſiis migravit anno Æræ Chriſtianæ DXI., ætatis XLV (*34). Princeps erat, qui fortitudinis ingentis ſemper comitem fortunam habuit: poſt ſuſceptam ſincero animo fidem Chriſtianam, ſingularem pietatem in Eccleſias, & zelum propagandæ Religionis oſtendit; hæc tamen benefacta affinium cædibus fœdavit. Depoſitis in æde SS. Apoſtolorum exuviis (*35), Clotildis, utì anteà piiſſimæ conjugis, ita poſteà religioſiſſimæ viduæ munus inter varia virtutum officia implevit (l).

(l) Gregor. L. II. c. 43. & L. III. c 6.

Liberi ſuperſtites Clodovei.

12. Parentis funeri filia unica matris nomine compellata, & quatuor maſculi hæredes ſuperfuêre: ex his CLODOMIRUM, CHILDEBERTUM, & CLOTHARIUM Clotildis legitima conjux, THEODORICUM Concubina mundo dedit (m). Hic quamvis natalium conditione inferior; viribus tamen & validâ ætate major, ex paterno Regno maximam partem ſibi præripuit. Nam annos natus octo & viginti, jámque auctus filio Childeberto, & rebus militiæ geſtis clarior, arrogatâ

(m) Gregor. Tur. L. 3. c. 1. Fredegar. Epit. c. 30. Geſta Franc. c. 19.

(*34) SIGEBERTUS in Chronico, & AIMOINUS (quos BARONIUS aliíque ſecuti ſunt) mortem Clodovei differunt in annum 514. Sed BUCHERIUS Belg. Rom. Lib. XX. c. 11. N. 6., & PAGIUS in Critica ad annum 514. Num. 7. & 8. ſolidè demonſtrant, Clodoveum anno 511. obiiſſe; quod ex duobus Calendariis probat, in quibus hæc notantur: *V. Kalend. Decembris depoſitio magni Regis Clodovei.* CHRONICON S. VINCENTII Metenſis aſſeverat, eum *Felice Conſule* deceſſiſſe, qui Conſulatum geſſit anno 511. FREDEGARIUS in epitome tradit, Clodoveum poſt Vogladenſe bellum anno V. defunctum eſſe, Regnum tenuiſſe annis 30., & à tranſitu S. Martini uſque ad tranſitum Clodovei fieri annos 112. Cùm itaque S. Martinus die undecimâ menſis Novembris anno 400. obierit, dubium eſſe nequit, quin mors Clodovei in annum 511. inciderit. Plura apud Pagium vide N. 8. DU BOS en l'Hiſtoire Critique Tom. III. pag. 60. 61. ait: Singulis annis vigeſimâ ſeptimâ Novembris anniverſariam diem Clodovei in Baſilica Apoſtolorum, quæ hodie ſub nomine S. Genovefæ inclaruit, celebrari, addítque orationes eâ die recitari ſolitas &c.

(*35) GREGORIUS TURON. Lib. 2. c. 43.: *Apud Pariſios obiit, ſepultúſque in Baſilica Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat.* Similia habet Flodoardus Hiſtoriæ Remenſis Lib. 1. c. 15.

gatâ ſibi in fratres ferè pueros authoritate, ſortes ita compoſuit, ut *Clodomirus* Aureliæ, *Childebertus* Pariſiis, Sueſſione *Clotharius* Regni domicilium obtineret (*36); ipſe verò *Theodoricus* cæterarum Provinciarum, quas Clodoveus cis Rhenum ad Moſellam & Moſam, tum in tranſrhenanis regionibus ad Thuringos uſque poſſederat, Dominatu potitus, in Mediomatricum urbe, quæ nunc Metis, defixâ Regni ſede, magnam Aquitaniæ portionem, populóſque, quos poſt Vogladenſem pugnam devicerat, ſibi inſuper ſubjectos retinuit (*37). Diviſio hæc Regni Francici novis appellationibus occaſionem dedit; quæ enim regiones Occidentem versùs inter Moſam & Ligerim ad Oceanum uſque porrigebantur, *Neuſtriæ* ſive *Weſtriæ* nomen obtinuerunt; quas verò terras Moſa, Rhenúſque continebat, quáſque trans Rhenum Gentes Francicæ ditionis, nec non Alemanni, Bajoarii, Thuringi, Friſii, & poſteà Saxones tenebant, *Auſtraſiæ*, quòd ortum Solis propiùs reſpicerent, appellationem ſortitæ ſunt (*38).

Diviſio Regni Clodovei inter filios.

Neuſtriæ & Auſtraſiæ nomen.

13. Partitioni Regni, quantumvis inæquali, cùm obluctari imbecillior trium fratrum ætas haud poſſet; opera data eſt, ut quiſque portioni ſuæ ordinandæ tempus impenderet. Pax inde domi, A. 516.

(*36) FREDEGARIUS in Epit. cap. 30. diviſionem Regni Clodovei exponit: *Sortitus eſt ſedem Theodoricus Metis, Clodomeres Aurelianis, Childebertus Pariſiis, & Clotharius Sueſſionis.* Adhæc PAGIUS ad an. 514. N. XI. ita commentatur: "*Chlodomeres* Senonas, Antiſſiodorum, Aureliam, Turonos, Cenomanum, Andegavum, & Novempopulaniam obtinuit. *Childebertus* Meldas, Pariſios, Sylvanectum, Bellovacum, quidquid inde patet ad Oceanum, Provinciam Lugdunenſem ſecundam integram, civitates Redonum, Nannetum, Venetum, Britanniam, itémque aliquot urbes Aquitaniæ. *Clotharius* Laudunum, Sueſſionem, Veromanduos, Ambianum, quidquid ultra Semonam eſt inter Moſam & Oceanum, itémque partem Aquitaniæ.

(*37) PAGIUS loc. cit. ait: "Theodoricus (præter Provincias tranſrhenanas, & civitates inter Rhenum & Moſam ſitas) obtinuit Remos, Catalaunum, Trecas; & in Aquitania prima urbes Arvernorum, Ruthenorum, Cadurcorum, & Albigenſium cum Ucetia in Gallia Narbonenſi.„ Unde colligitur, latiùs explicanda eſſe ea, quæ GREGOR. TURON. Lib. 3. c. 1. ſcripſit: *Defuncto Clodoveo Rege, quatuor filii ejus.... Regnum ejus accipiunt, & inter ſe æquâ lance dividunt.* Ex antedicta enim diviſione patet, nullatenus æquas diviſionis partes fuiſſe, cùm Neuſtriam tres filii, & unus duntaxat Theodoricus penè cum cæteris terris totam Auſtraſiam ſibi vindicârit.

(*38) ECKHARTUS Rer. Francic. Lib. IV. § 1.: Diviſa tunc in genere Francia fuit in Orientalem & Occidentalem; illa latinè *Auſtria* vel Auſtraſia, hæc Neuſtria, voce ex *Weſtria* corruptâ, vocabatur. *Weſt* enim Germanis Occidentem notat, uti *Oſt* Orientem.

Cochilarchus Rex Danorum Franciam invadit. (n) Gregor. Tur. L. 3. c. 3. (o) Gregor. l. c. Fredegar. epit. c. 32. Gesta Reg. Franc. c. 19. Aimoinus L. 2. c. 2. *Bellum Burgundicum.* (p) Avitus Vienn. epist. 27. 29. 67. (q) Procop. B. G. l. 1. c. 12. Aimoinus L. 1. c. 4. (r) Procop. l. c. (s) Jornand. rer. Get. c. 58. *Sigismundus filium Sigericum occidit.* (t) Gregor. Tur. l. 3. c. 5. Fredegar. epit. c. 34.

domi, forísque aliquot annis inviolata stetit; tum Theodoricum Cochilarchus Rex Danorum cum ingenti Prædonum manu intra Mosæ ostia subvectus conterruit (n). Hostis ubi exscensione factâ, omnem latè viciniam ferro & ignibus exhausisset; Theodoricus filium Theodebertum in occursum latrocinantium ire jubet: hic ætate licèt junior, vota Patris superavit. Nam collecto valido exercitu, Danos palantes aggressus, Regem eorum interficit, tum cæteros ad naves confugientes paratâ classe invadit, & prædâ omni victis ereptâ, ad Oceanum suum totam Piratarum turbam repellit (o). Discussâ hâc procellâ, gravior tempestas in Burgundia suborta est. Gundobaldo anno DXVII. defuncto, duo filii (*39) superstites fuêre: inter hos natu major Sigismundus, vivente adhuc Patre, Catholicam amplexus fidem (p), prætermisso altero fratre Godemaro, solus regnare cœpit (q); applaudente populo, qui ad exemplum Principis, rejectâ Arii doctrinâ, ab eo tempore Divinitatem Christi profitebatur. A Religionis pietate apud Burgundiones inde concordia & pax magna viguit; dum muliebri astu & Regis familia atque ipsum Regnum in turbas atque exitium impelleretur. Sigismundus uxorem habebat Theodorici Ostrogothorum Regis filiam (r), & Sigerici matrem; cui maturiùs è vivis decedenti in thorum Regium alia ignoti nominis noverca successit (s). Hæc Sigerico privigno non dissimulanter infensa, quò citiùs Principem perderet, Sigismundo conjugi callidè persuadet, à Sigerico pessima quæque adversùs Parentem cogitari (t). Contumeliæ acerbitas nimiùm creduli Sigismundi animum adeò turbavit, ut protinùs innocentis filii vitam opprimeret. Vix in mortem Sigericus lumina clauserat; ipsa parricidii peracti atrocitas Sigismundo mentis oculos aperuit: atque ut crimen, quod dolens serò agnoscebat,

(*39) MARIUS in Chronico ad Petri Consul.: *Hoc Cos.* (sive ad annum 516.) *Rex Gundebaldus obiit, & levatus est filius ejus Sigismundus.* PAGIUS in Critic. ad an. 509. N. 19. mortem Gundobaldi in anno 517. defigit; constat enim ex lege 52. Codicis Burgundici *de mulieribus desponsatis* nomine *IV. Kal. Aprilis, Agapito Consule,* Gundobaldum vixisse usque ad annum 517., quo Agapitus fastis nomen dedit; mortuum autem oportet esse ante mensem Septembrem illius anni, quo mox *Sigismundus* Concilium Epaunense celebravit.

bat, expiaret, in Agaunense monasterium abiit (*40). Non diu hoc in carcere extra Regni curas latere Sigismundus potuit; quin è solitudine in hostilem campum, & à militia religiosa ad bellum periculosius vocaretur. Clotildis Clodovei vidua altâ adhuc mente versabat illas injurias, quas Gundobaldus Sigismundi Pater suæ stirpi olim attulerat (u): quæ tristis memoria indignatione quâdam firmata est; ubi Regina audivit, Sigismundum Gundobaldi filium majore crudelitate Sigerico suo fatum irrogâsse. Parricidiis multis ut digna tandem pœna infligeretur, Clotildem suis filiis de moliendo bello authorem fuisse ferunt. Clodomirus natu maximus frater ante omnes maternis monitis incitatus, arma expedit: & consilio concepto Theodoricus Rex Italiæ, idémque Sigismundi socer adeò favit; ut ad ulciscendam nepotis occisi mortem Francis fœdus palàm addiceret (x). His spebus incensi tres fratres (nam quartus Theodoricus Rex Austrasiæ utpote Gener Sigismundi bello abstinendum ducebat) in Burgundiam exercitum deducunt. Godemarus, qui pro fratre apud Agaunenses tunc agente, Burgundionum res curabat, cùm unus tantæ moli non sufficeret, confestim Sigismundum advocat. Magnitudo periculi fecit, ut relicto cœnobio, Lugdunum, & subinde in belli aciem procurreret: sed à Francis irruentibus victus, fugatúsque, Agaunum, unde venerat, remeare contendit (y): & ferè hoc suæ pietatis ac pœnitentiæ asylum jam attigerat; tum ab insequente militum globo unà cum uxore & liberis interceptus, Aureliam ducitur (z). Godemarus, cui è pugna feliciùs elabi concessum fuerat, utprimùm de captivi fra-

Clotildis filios incitat ad parricidium Sigerici puniendum.

(u) Gregor. c. 6. Fredegar. epit. c. 34. Gesta Reg. Franc. c. 20. Aimoinus L. 2. c. 3.

Theodoricus Rex Italiæ condicit fœdus contra Burgundiones.

(x) Procop. l. 1. B. G. c. 12.

(y) Gregor. Tur. l. 3. c. 6. Fredegar. epit. c. 34.

Sigismundus capitur.

(z) Marius in Chronico.

 tris

(*40) GREGOR. TURON. Lib. 3. c. 5.: *Ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & jejuniis orans, veniam precabatur, Psallentium ibi perpetuum instituens.* Quodnam fuerit illud *Psallentium*, inter Authores controversum est. Alii enim volunt, ad modum Acoemetarum Monachorum, diu noctúque aliis atque aliis succedentibus cantatum fuisse: alii cum COINTIO statuunt, Psalmodiam hìc nequaquam perpetuam, sed eam duntaxat designari, quâ certis horis, non tamen indesinenter psallebatur. Sed MABILLONIUS in Præfat. Part. II. sæc. IV. Benedict. N. 204. ostendit, apud Agaunenses perpetuum chorum fuisse, atque ideò Monachos in plures turmas divisos fuisse. Primæ recedenti à matutinis officiis succedebat secunda, & hinc tertia: dein absolutâ Primâ, priores locum secuturis faciebant, & ad assignatum laborem pergebant. Sed de hoc alibi plura. Conferatur PAGIUS ad annum 522. N. 11. 12, 13. 14.

(a) Gregor. Tur. l. 3. c. 6. Procop. B. G. l. 1. c. 12. Marius in Chronico.

A. 524.

Trucidatur cum uxore & liberis.

(b) Greg. l. c. Idem in glor. Martyr. c. 75. Bolland. ad diem I. Maji.

Funestus exitus Clodomiri

tris ſtatu cognovit; multò gravius bellum in Francos movet (a). Verùm unde ſalutem Sigiſmundo dare voluerat, inde eidem exitium creavit. Nam Clodomirus nequaquam committendum ratus, ut, dum Godemarum à fronte invaderet, alter à tergo hoſtis timendus reſtaret, continuò Sigiſmundum, ejúsque familiam necare ſtatuit. Equidem fuêre, qui precibus ac minis, tum etiam denunciatione divinæ ultionis Clodomiri ferociam frangere adniterentur (*41): at Rex implacabilis miſeram turbam è medio ſuſtulit, & occiſorum corpora in puteum projici præcepit (b). Fatum ejuſmodi, quo funeſtius Burgundionum Regi accidere haud poterat, Sigiſmundi tamen felicitatem auxit, & gloriam ſempiternam: ſuam namque & ſuorum necem excelſo animo ferens, pœnitentiæ & patientiæ ſub vitæ finem tanta, támque inſolita exempla reliquit, ut Deo, hominibúsque acceptus, in Cælitum albo locum meruerit (*42). Clodomirum intereà Regiæ ſtirpis ſanguine fœdatum alter æſtus adversùs ſuperſtitem Godemarum Sigiſmundi fratrem præcipitabat, & pugnâ conſertâ eundem impulerat in fugam; tum victoriâ jam ſubſultantem ira cæleſtis à tergo ſecuta eſt. Ardore quippe prælii à

(*41) GREGORIUS TURON. Lib. 3. c. 6.: *Chlodomeri à Beato Avito Abbate Nutiacenſi, magno tunc temporis Sacerdote, dictum eſt: Si* (inquit) *reſpiciens Deum, emendaveris conſilium tuum, ut hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum: & abiens victoriam obtinebis; ſi verò eos occideris, tu ipſe in manus inimicorum traditus, ſimili ſorte peribis: fiétque tibi, uxorique & filiis tuis, quod feceris Sigiſmundo & conjugi, ac liberis ejus.* Vaticinii veritatem eventus comprobavit.

(*42) Gloriam *Sigiſmundi* deſcribunt varii, HENSCHENIUS in Actis SS. die 1. Maji p. 86., VALESIUS Lib. VII. Franc. p. 346., USUARDUS, ADO in Martyrologiis. Miſſa S. Sigiſmundi pro Frigoritis ex editione *Ruinarti* in appendice operum Gregorii Turonenſis pag. 1364. Idem GREGORIUS TURONENSIS de gloria Martyrum cap. 75. ait: *Sigiſmundum in conſortio Sanctorum adſcitum, ipſa res, quæ geritur, manifeſtat. Nam ſi qui nunc Frigoritici in ejus honore Miſſas devotè celebrent, ejúsque pro requie Deo offerant oblationem, ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtinæ reſtaurantur.* Et SAUSSAJUS Lib. 3. Annal. Eccl. Aurel. dicit: *Adhuc puteum remanſiſſe, in quem S. Sigiſmundus cum filiis & uxore eſt projectus; & febricitantes ad eum puteum accedentes, ſumptâ aquâ convaleſcere* (quod ipſe febricitans anno 1611. expertus eſt). Ibidem porrò commemorat, quòd S. Sigiſmundi in variis Eccleſiis & Capellis memoria celebretur. Inter prodigia illud quoque adnumerabant ACTA ex VIII. Codicibus MSS. collecta N. 10. apud Henſchenium, ſcilicet *ſancta corpora per triennium in limoſi gurgitis aqua illaſa jacuiſſe*, uſque dum ab Agaunenſi Abbate, Regis Theodeberti permiſſu, inde extraherentur, *ad SS. Thebeorum limina deferenda, & digniſſimæ ſepulturæ tradenda.*

lii à ſuis longiùs provectus, in Burgundionum inciderat inſidias (*43); quibus circumventus, vitam, Regnúmque amiſit. Caput occiſi palo præfixum ubi Franci conſpexêre; adeò non abjecêre animos, ut in hoſtem multò fortiùs irent: nec jam pro victoriæ laude, ſed pro vindicanda morte Regis ultimas expromerent vires (c). Bellum, quod odio æquè ac viribus gerebatur, interrupit Francorum Regum cupiditas; hi enim dividendo potiùs Regno Clodomiri fratris, quàm ſubjugandæ Burgundiæ intenti, Godemaro ſpatium dederunt, Dominatum ſuum ad tempus aliquod ſtabiliendi. Cæterùm Clotharius primò ex iis, quæ Clodomirus reliquerat, viduam Gundeucam in thori conſortem adſcivit: deinde fratris ejuſdem ditionem cum duobus aliis (Childeberto & Theodorico) ita partitus eſt (d), ut Clodomiri tribus filiis à paterna hæreditate excluſis, nihil ſupereſſet, niſi aviæ Clotildis pietas: in cujus ſinu tamdiu adoleſcebant, donec, quos Patruorum avaritia bonis exuerat, hos eorundem quoque impietas vitâ privaret.

(c) Gregor. Tur. L. 3. c. 6. Fredegar. epit. c. 37. Aimoinus l. 2. c. 4.

A. 525. *Tres fratres Clodomiri terras partiuntur.*

(d) Greg. l. c. Fredegar. epit. c. 37.

14. Inter has domeſticas Francorum Regum ſimultates, Godemarus integrum Burgundiæ Regnum retinuit; ſi pauca excipias, nempe Cabellionem, Aptam Juliam, urbéſque Oſtrogothorum finibus adſitas, quas Theodoricus Rex Italiæ ſuo Principatui adjecit (*44). Acceſſionibus his ubi Oſtrogothus Regnum

(*43) GREGOR. TURON. Lib. III. c. 6.: *Clodomirus Burgundias petiit, vocans in ſuppetias Theodoricum Regem. Ille autem injuriam ſoceri ſui* (Sigiſmundi, cujus filiam Theodoricus habebat uxorem, ùt ait Fredegarius in epitome) *vindicare volens, ire promiſit. Cúmque pariter apud Viſorontiam* (*locum urbis Viennenſis*) *conjuncti fuiſſent, cum Godomaro confligunt. Cúmque Godomarus cum exercitu terga vertiſſet, & Chlodomeris inſequeretur, ac de ſuis non modico ſpatio elongatus eſſet; adſimilantes illi ſignum ejus, dant ad eum voces dicentes: Huc huc convertere; tui enim ſumus. At ille credens abiit, inruitque in medium inimicorum ſuorum.*

(*44) PROCOPIUS Lib. 1. B. G. c. 12. pactum inter Gothos & Francos initum deſcribit, vi cujus Theodoricus partem Burgundicæ ditionis accepit, licèt prælio non interfuerit, quod Athalaricus Rex Var. Lib. 8. epiſt. 10. apud CASSIODORUM indicat: *Mittitur Tolus, Franco & Burgundio decertantibus rurſus ad Gallias tuendas: ne quid adverſa manus præſumeret, quod noſter exercitus impenſis laboribus vindicâſſet. Acquiſivit Reipublicæ Romanæ, aliis contendentibus, abſque ulla fatigatione Provinciam, & factum eſt quietum commodum noſtrum, ubi non habuimus bellicâ contentione periculum. Triumphus ſine pugna, ſine labore palma, ſine cæde victoria.* Porrò ex ſubſcriptionibus CONCILII ARELATENSIS ſub Theodorici Italiæ Regis auctoritate, à S. Cæſareo

A. 526. gnum suum auxerat; sequenti anno DXXVI. extinctus, sive direpta à se spolia, sive alias Provincias (quas suæ potentiæ magnitudine vivus tuebatur) aliis diripiendas mortuus reliquit. Ex regionibus, quibus Theodorici authoritas pro præsidio erat, Thuringiæ Regnum fuit: Hermanfridus enim Rex Thuringorum, postquam Amalabergam Theodorici Italiæ Regis ex sorore neptem sibi connubio junxerat (e); Ostrogothorum viribus, & fœdere nixus, nec Francorum potentiam, nec vicinarum Gentium vim metuebat, timendus omnibus. Tantâ licèt gloriâ Hermanfridus potiretur; Amalberga tamen indignè adhuc ferebat, quòd conjux cum duobus fratribus divisum gereret Dominatum: tertiam enimverò Regni partem suæ stirpi fœmina, suóque fastui imparem reputans, querelas, minásque adhibuit (*45), ut maritum ad fratrum cædem incitaret. Bertharius, fratrum primus, dolosis insidiis interiit (f): at Badericus alter declinans ictum, armatam congerebat manum, ut (si tempus posceret) vim vi repelleret. Anceps igitur cùm belli exitus esset; Hermanfridus socium advocat Theodoricum Austrasiæ Regem, ex fraterna ditione partem pollicitus (g): nihil hic cunctatus, arma, copiásque jungit; conseritur pugna, quâ Badericus fusus, cæsúsque est. Hermanfridus inde pro parricidii præmio dimidiatum fratris Regnum abstulit, quâ accessione auctus, cùm Theodorico partem dare debuisset; nihil mercedis, præter inania verba, exsolvit (h). Quamdiu Theodoricus A. 527. Ostrogothus vixit, Francis haud tutum erat, præstitæ operæ merce-

(e) Procop. de B. G. l. 1. c. 12. Cassiodor. Var. L. 4. ep. 1

Bellum intestinum inter Thuringorum Reges.

(f) Gregor. Tur. L. 3. c. 4. Aimoinus L. 2. c. 9.

(g) Greg. l. c. Fredegar. epit. c. 33. Sagittarius Antiq. Regni Thuring. l. 2. c. 10. & 11.

(h) Iidem l. c.

Cæsareo *sub die VII. Idus Junias*, Opilione V. C. Consule, id est, anno 524. congregati, manifestum est, quæ urbes ex Burgundicis ditionibus per supradictam pactionem Theodorici dominationi accesserint. Nam cùm anteà Amnis Druentia, qui ab Alpibus maritimis in sinistram Rhodani ripam infra Avenionem devolvitur, hactenus Burgundiam à Gothorum terris discreverit: nunc verò in Synodo memorata Episcopi *Cabellicus*, *Aptensis*, *Carpentoractensis*, *Tricastinus & Genevensis* subscripserint; dubitari nequit, quin hoc tempore Cabellio, Apta Julia &c. dictæ aliæ urbes ad Theodoricum devolutæ sint.

(*45) GREGORIUS TURON. Lib. 3. cap. 4. *Herminefredi uxor iniqua atque crudelis* (*Almaberga nomine*) *inter hos fratres* (Badericum, Herminefredum & Bertharium *bellum civile disseminat. Nam veniens quâdam die ad convivium vir ejus, mensam mediam opertam reperit. Cúmque uxorem, quid sibi hoc velit, interrogaret, respondit*: *Qui* (inquit) *à medio Regno spoliatur, decet eum mensæ medium habere nudatum. Talibus & similibus ille permotus contra fratrem insurgit* &c.

mercedem exigere. Sed Italiæ Rege eodem ſubinde defuncto, Theodoricus Auſtraſiorum Princeps, adſcito in belli ſocietatem fratre Clothario, adversùs Hermanfridum movet minimè imparatum (i); nam gemino Francorum exercitui ingentes numero copias opponens (k), profundas inſuper, & fallaci ceſpite tectas foſſas hoſti prætendebat, ut tum robore militari, tum etiam arte quâdam vinceret. Neque initium pugnæ à votis Hermanfridi aberravit: ùt enim alacres Franci irruerant; ſubito caſu in imas foveas acti præcipites turbavêre ordines: & debellatum fuiſſet, niſi fraude maturè cognitâ, Francus miles circuitù facto ferociùs Thuringos invadens, victoribus palmam, quam jam tenebant, rurſus eripuiſſet. Poſt cædem multorum, cæteri Thuringi in fugam acti, ad amnem Unſtrutum conſtiterunt: redintegratur itaque eo in loco dimicatio: nec antè Franci arma poſuerunt; donec ipſe cadaverum occiſorum cumulus in ipſo fluminis alveo congeſtum veluti pontem ſtrueret, per quem Victores Reges ad alteram ripam, ſimúlque ad abſolutionem expeditionis eluctabantur (l). Hermanfridus à media ſuorum ſtrage in arcem elapſus, tantiſper ſe, ſuóſque liberos ac uxorem Amalabergam tuebatur: Theodoricus verò oppugnatione caſtelli nequicquam factâ, ut hominem quâcunque viâ in poteſtatem redigeret, ad dolum convertitur: fœderis nempe pangendi ſpecie Thuringorum Regem Tolbiacum pelliciebat; quem ubi intra urbem deſignatam blanditiis pertraxerat, cum Hermanfrido in lorica muri de pace multa locutus, tandem eundem ex compoſito in præceps devolvit. Parente extincto, in liberos (non tamen in omnes) ſævitum eſt (m); Amalaberga enim cum reliquis ad fratrem Theodehatum Italiæ Regem confugiens, reliquias ſuæ ſtirpis ad tempus ſervavit, dum cum Vitige poſteà capto à Beliſario Conſtantinopolim in novum exilium, & ad fortunam novam traducerentur (*46). Hâc ratione Thuringiæ

(i) Procop. B. G. l. 1. c. 12. 13.
(k) Gregor. Tur. l. 3. c. 7. Geſta Reg. Franc. c. 22.

Theodoricus Rex Auſtraſiæ Thuringos vincit, & ſubjugat.

(l) Wittichindus Annal. l. 1. Krantz Sax. l. 1. c. 26. Sagittarius l. c. c. 11. 12.

A. 528.

(m) Greg. Tur. L. 3. c. 8.

(*46) PROCOPIUS B. G. Lib. 4. c. 25. docet, *Amalafridum* Hermanfridi filium inter captivos Beliſarii fuiſſe; qui poſteà circa annum 574. inter Duces Cæſaris ſtipendia meruit, & Gepidas vicit: *E numero Ducum erat Amalafridus, vir Gothus, ex filia nepos Amalafridæ ſororis Theodorici Gothorum Regis, & filius Hermenefridi Regis Thurin-*


Finis Regni Thuringici. (†) REFLEXIO IX.

giæ Regnum Austrasiæ Regibus accessit: vectigal impositum Saxonum Genti, & fundamenta jaciebantur ejus Dominatûs, quem Franci à Danubio ad Oceanum posteà proferri conati sunt (†).

15. Ex Thuringiæ spoliis Clotharius belli socius nihil ferè retulerat, quàm Radegundem Bertharii filiam (*47): hanc dum

Thuringorum. Hunc Amalafridum cum Vitige Byzantium deportatum à Belisario, Romanorum Ducem creavit, & sororem ejus Auduino Longobardorum Regi collocavit. PAULUS DIACONUS Lib. 1. eam *Rodelindam* vocat: *Audoinus (de quo præmiseramus) Longobardorum Rex, Rodelindam in matrimonio habuit.*

Stemma Hermanfridi ultimi Regis Thuringici.



(*47) GREGORIUS TURON. Lib. 3. c. 4. de Berthario Hermanfridi fratre ita ait: *Is moriens, Radegundem filiam orphanam dereliquit. Reliquit autem & alios filios, de quibus in sequentibus scribemus* Sed promissis non stetit Gregorius; unius enim sollummodò filii à Clothario occisi meminit: nam c. 7. pergit: *Clotacharius verò rediens, Radegundem, filiam Bertharii Regis secum captivam abduxit, sibique eam in matrimonium sociavit. Cujus fratrem posteà injustè per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conversa, mutatâ veste, Monasterium sibi infra Pictaviensem urbem construxit, quæ orationibus, jejuniis, vigiliis, atque eleëmosynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur.* VENANTIUS FORTUNATUS in vita Radegundis c. 12. sic refert: *Et quoniam frequenter aliquâ occasione, Divinitate prosperante, casus cedit ad salutem, ut hæc religiosiùs viveret, frater interficitur innocenter. Directa igitur à Rege veniens ad Beatum Medardum Noviomago, supplicat instanter, ut ipsam mutatâ veste, Domino consecraret. Sed memor dicentis Apostoli: Si qua ligata sit conjugi, non quærat dissolvi, differebat, Reginam ne veste tegeret Monacham. Ad hoc beatum virum perturbant Proceres, & per Basilicam graviter ab altari retrahebant, ne velaret Regi conjunctam, ne videretur Sacerdoti, ut præsumeret Principi subducere Reginam non publicanam, sed publicam. Quo Sanctissima cognito, intrans in Sacrarium, monachicâ veste induitur, procedit ad altare, beatissimum Medardum his verbis alloquitur, dicens: Si me consecrare distuleris, & plus hominem, quàm Deum timueris, de manu tua à Pastore ovis anima requiratur. Quo ille contestationis concussus tonitru, manu superpositâ, consecravit Diaconam.* GREGORIUS TURON. Lib. X cap. 1. recenset Radegundis pium obitum, qui evenit anno 587.; funebrem verò pompam, cui ipse Gregorius interfuit, describit de Gloria Confess. c. 106. Vide etiam MABILLONIUM in Act. SS. Ord, S. Benedicti Sæc. I, p. 319.

A. 529.

dum ad ſpem nuptiarum Sueſſione educabat; Theodorico ſuſpicio injecta eſt, ne illo demum connubio frater ſibi ſpem pararet Thuringorum Regni recuperandi. Certè ab eo tempore hi duo Reges ſe mutuis inſidiis appetivêre, quibus tamen integer uterque exivit (n). Quo tempore apud Thuringos fervebat bellum, tertius frater Childericus Pariſiis conſidebat; rumor tamen, qui ſubinde de morte Theodorici perperàm jactabatur, otiantem ferè in arma excivit. Ut enim fratris (quem defunctum putabat) ditiones in tempore occuparet, regionem Arvernorum, ab Auſtraſia longiùs avulſam, ſibíque opportunam aggreditur: jámque magnam partem, faventibus Primoribus, ſubjugaverat (o); tum ſubitò certiúsque affertur, Theodoricum vivere, & incolumem ex Thuringia rediiſſe. Nuncio perculſus Childebertus, cœptis abſtinet: quò minùs verò arma tunc poneret, aut Pariſios reverteretur, Clotildis ſororis literæ perſuaſerunt. Poſt mortem Theodorici Italiæ Regis, Amalaricus Viſigothorum Princeps hanc Clodovei filiam connubio ſibi ſociaverat, ut Francorum Regum affinitate tutior regnaret. Sed cùm Clotildis Divinitatem Chriſti conſtanter profiteretur: ab illo verò dogmate Amalaricus pertinax Arii diſcipulus abhorreret; thoro eodem conjuges, ſed non eâdem fide jungebantur (p). Inde à Rege in uxorem acerbæ, & ad ſanguinem uſque inflictæ injuriæ promebantur: quarum impatiens tandem fœmina, Childebertum in propinquo agentem in ultionem vocat. Ille ex Arvernis exercitum jam paratum in Narbonenſem Galliam deducit, & prælio victum Amalaricum in fugam ejicit (q). Barcinonem jam Rex Viſigothorum pervenerat; tum à milite Franco occiſus interiit (r). Childebertus onuſtus prædâ, ſpolia quidem multa in Franciam, ſed non ſororem vivam retulit; hæc enim ſive morbo, ſive calamitatibus fracta, in ipſo Pyreneorum tranſitu è vita migravit, & Pariſiis apud Patrem Clodoveum ſepulta eſt (s).

16. Theodoricum intereà non parùm urebat Childeberti facinus, quo Arvernos in ſuam fidem traducere præſumpſiſſet: diſplicebat non minùs urbium nonnullarum perfidiæ plena ad fratrem defectio; utrumque crimen caſtigaturus, rebellem ſibi popu-

Clotharius & Theodoricus ſibi mutuas ſtruunt inſidias.

(n) Gregor. l. 3. c. 7. Aimoinus l. 2. c. 11. Venant. Fortunat. in vita Radegund. l. 1. c. 1.

Childebertus involat in terras Theodorici, & recedit.

A. 530.

(o) Greg. l. 3. c. 9. 10. Aimoinus l. 2. c. 8. Geſta Reg. Franc c. 23.

(p) Gregor. l. 3. c. 10. Procop. B. G. l. 1. c. 13.

Clotildis Childeberti ſoror ab Amalarico Ariano conjuge vexata, auxilium fratris implorat.

A. 531.

(q) Iſidorus in Chron. Victor Tunun. app. p. 8. Iſid. Chron.

(r) Gregor. l. 3. c. 10.

Mors Amalarici & Clotildis.

(s) Idem l. c. Geſta Reg. Franc. c. 23.

A. 532. populum primò ſubigere, deinde in Childebertum moliri vim (t) Gregor. Tur. l. 3. c. 12 conſtituit (t). Equidem Theodorico poſt expugnatum caſtellum validiſſimum (Meroliacum) oppida reliqua ſub jugum revocare (u) (u) Aimoin. l. 2. c. 8. haud difficile erat: ſed animos, ut ſpontè ſubeſſent, cogere, Greg. c. 13. plus temporis, plúſque curarum poſtulabat. Mundericus (ſeditioſorum Caput) adhuc inde ſe Arvernorum Regem jactabat; quòd ex antiquâ Regum Francorum proſapiâ ortus, partem (x) Gregor. c. 14. Valeſ. Franc. L. VII hæreditatis Regiæ æquo jure ſibi vindicaret (x). His cogitatibus ubi ſe, ſuóſque adversùs omnem armorum impetum obſtinaverat; intra Victoriaci muros confidens, quoſcunque belli conatus eluſit. Theodoricus moram ægrè ferens, ut hominem citiùs in caſſes ageret, Aregiſilum Ducem ſubornat, qui dolo, ac (ſi opus foret) etiam perjurio Mundericum illectum ex arcis *Mundericus dolo capitur.* munitione educat. Aregiſilus itaque petito colloquio Mundericum monebat, ne contumaciâ perfidiæ crimen auctum vellet: mœnia, quibus jam tantiſper tegeretur, duriore telo (ſcilicet fame) expugnatum iri; quare nunc beneficium occupet Principis: &, dum licet, ejus amicitiam maturâ voluntate ſibi paret, cujus furorem dilatione magìs incenſum ultima neceſſitas effugere vix poſſet. Munderico his dictis inclinato Aregiſilus incolumitatem capitis porrò pollicitus, ut fidem datam ſanciret, facto ſuper altare jurejurando promiſſionem firmabat. Securus vitæ Mundericus, protinùs urbe egreditur Aregiſilo comite: ſed *Munderici & Aregiſili cædes.* vix pedem munimentis extulerat, militum globus ſtricto enſe irruit in Mundericum: hic ſe proditum cernens, ne inultus caderet, Aregiſilo perjuro intorquet haſtam; tum parato ferro in circumfuſos ſæviens, ſtrage latè editâ, à turba tandem oppreſſus, ſuper cæſorum cadavera victor, victúſque ſimul occubuit. Theodoricus poſtquam arte nefaſtâ potiùs, quàm Marte Arvernos receperat; in Childebertum jam arma vertebat: infeſtis aliquoties exercitibus concurrebatur, tum bellum novo fœdere (y) Gregor. Tur. l. 3. c. 15 Fredegar. c. 38. Aimoinus l. 2. c. 9. finiunt, datis utrinque obſidibus (y). Verùm cùm pacis vinculum inter eos, quos cupido latiùs imperitandi perpetuò ſtimulat, diuturnum eſſe nequeat; non ſemel ſimultas recruduit magno obſidum damno, qui mox in duriſſimam ſervitutem rapti,

fraternæ perfidiæ, & alienæ ambitionis miſerrimas pœnas exſolverunt (z).

(z) Greg. l. c.

17. Necdum duo fratres mutuis dimicationibus fraternum provocare ſanguinem ceſſaverant; tum Childebertus veluti ſublatis naturæ legibus, & ortûs ſui oblitus, pejorem carnificinam adversùs Clodomiri filios (a) decrevit: atque ut ſceleris ſocium haberet, Clothario author erat, nequaquam è commodo utriusque fratris fore, ſi tres nepotes ultra ad ſpem Aurelianenſis Regni viverent: Clotildem anxiis curis id jam agere, ut hi in paternæ hæreditatis jura, nuper à fratribus æquâ lance diviſa, rurſus inferantur; proinde occupandum cæde tempeſtivâ facinus, ne pueri in viros creſcant, & leunculi ungues poſſeſſionibus eripiendis aptos efforment (b). Clotharius Childeberti conſiliis obaudiens, Sueſſione Pariſios (ubi Clotildis agebat) venit: vocantur ad ædes Childeberti nepotes, ut ſalutationem Patruis dent, donáque recipiant. Utprimùm conſpectum parricidarum ſubierant; Theodobaldus decennio major, Guntharius ſeptennis, & natu minimus Clodoaldus traduntur cuſtodiæ. Tum Arcadius ad Clotildim mittitur, qui forficem & gladium, velut inſtrumenta concepti ſceleris exhibens, ſimul optionem Aviæ faceret, utrùm nepotes mactari, aut attonſos procul à Regno in monaſterium compingi malit? Clotildem ſive repentinus nuncius turbaverit, ſive crediderit, vix tantum animi Patruis fore, ut in proprium ſanguinem truculentius quid ſtatuerent; incautiùs ſciſcitanti reponit: perinde ſe æſtimaturam, ſi tollerentur pueri, ac ſi tonderentur (c). Renunciatâ hâc voce Clotharius ferocior, Theodobaldum ſolo alliſum jugulat, cui ſpectaculo Guntharius intremiſcens, & ad Childeberti pedes provolutus, Patrui præſidium nepos rogat. Childebertus quantumcunque ad crimen obſtinâſſet animum; miſerabili tamen pueri gemitu, lachrymíſque emollitus, infimis precibus obteſtabatur fratrem, ut cohibito furore, naturæ aut innocentiæ aliquid daret. At ille à cruore fuſo immanior, & atroci aſpectu Childeberti imbecillitatem increpans, mox inſanienti ſimilis vociferabatur: Ut quid dimidiato ſcelere amittere Regni præmium, & obturbare nunc facinus vellet, cujus author antè fuiſſet? nî quantocyùs deſtinatam morti

A. 533.

(a) Gregor. l. 3. c. 6. 15.

Childebertus cum Clothario conjurat contra filios Clodomiri.

(b) Greg. l. c. Fredegar. in epit. c. 37. 39. Aimoinus l. 2. c. 12.

Inſidiæ contra eosdem ſtructæ.

(c) Gregor. Tur. l. 3. c. 18 Fredegar. epit. c. 37. 39. Ivo Carnotenſis in Chronico. Geſta Reg. Franc. c. 24.

Filii Clodomiri à Clothario occiſi.

morti victimam à pedibus abigeret, fratrem pro nepote periturum. Childebertus hoc fulmine ictus, puerum Clotharii ferro transfigendum objecit. Parricidarum inter se certantium interposita lis Clodoaldo juniori saluti fuit; inter medios enim strepitus à fido amico carnificinæ subductus, & ad meliores spes, insciis Patruis, servatus (d), postquam adoleverat, Novigenti vitam morum sanctitate plenam peregit, unde ad Superos translatus, pro terreno cæleste Regnum accepit.

Clodoaldus unus neci subducitur.

(d) Gregor. l. 3. c. 18.

A. 534.

Obitus Theodorici Regis.

18. Parricidarum insatiabilis cupiditas duorum nepotum sanguine, & Aurelianensis Regni rapinâ ad breve tempus impleri, non tamen exsatiari potuit; nam anno DXXXIV. animam agente Theodorico, eò vires rursus vertebant & consilia, ut THEODEBERTUM Theodorici filium, & tertium ex fratre nepotem paterno Austrasiæ Regno exuerent (e). Theodoricus vicesimum tertium sui Regni annum attigerat; tum in Metensium urbe in morbum fatalem incidens, ad vitæ metam devolvi visus est. Quod ubi Childeberto & Clothario nunciabatur, nihil artis omisêre, quo totum Austrasiæ Dominatum sibi adjungerent: & præda tantò expeditior apparebat, quantò longiùs apud Arvernos Theodebertus hæsitaret, Deuteriæ pellicis (*48) vetitis amoribus implicitus. Sed fides, quâ Patris subditi in filium hæredem ferebantur, artes insidiantium facilè elusit; antequam enim Theodoricus vivis excederet, Theodebertum celerrimè accersitum ex suâ, Patrísque voluntate prætermissis aliis Principatûs insignibus condecorârunt. Patrui spe unâ dejecti ad aliam aspirant: Theodebertum nimirum, quem suis armis, & dolis superiorem viderant, in fœdus pertrahere moliuntur (f); atque ut ex hoste amicum facerent, Childebertus eundem in filium (nam

(e) Gregor. l. 3. c. 23. Aimoinus l. 2. c. 14.

Theodebertus Theodorici filius in Austrasiæ Regno Patri succedit.

(f) Gregor. Tur. l. 3. c. 24

Adoptatur à Patruo Childeberto.

(*48) ECKHARTUS Rer. Francic. Lib. 5. N. 2.: Desponsata erat Theodeberto Patre ejus adhuc vivente, *Wisegardis*, quam GREGORIUS Lib. 3. c. 20. *cujusdam Regis filiam* vocat. PAULUS DIACONUS verò Lib. 1. c. 21. testatur, eam natam fuisse *Wacone Rege Longobardorum* filio Zuchilonis, ex secunda uxore *Austrigota* filia Regis Gepidarum. Sed Theodebertus ei prætulit *Deuteriam*, cujus ope *Caprariam castrum* occupaverat. GREGORIUS c. 21. eam vocat Matronam utilem valdè, atque sapientem & speciosam, cujus maritus adhucdum superstes erat. FREDEGARIUS appellat Romanam, vel (ùt AIMOINUS ait) *Romani generis fœminam*, sive *Gallam*. Hanc *Deuteriam Concubinam* post Patris Theodorici obitum Theodebertus in *conjugem* assumpsit, atque ex ea *Theodebaldum* suscepit.

(nam prole masculâ carebat) adoptat. Redintegratâ inter propinquos pace, bellum contra Godomarum Burgundionum Regem instaurabatur; erátque hoc nunc tantò validius, quantò potentiùs à tribus fœderatis gerebatur. Victus multitudine hostium Godomarus, ex acie in castellum se proripuit: nec antè in Victorum devenit manus; donec dolosis pollicitationibus ultimum Burgundiæ Principem extra mœnia arcis in necem pellexissent: toti inde regioni vectigal impositum, & inquilini (ùt bello captorum conditio postulabat) ad militare Francorum obsequium coacti sunt (g).

Regnum Burgundicum victo & cæso ultimo Rege Godomaro, inter se dividunt.

(g) Marius Aventic. in Chronico. Gregor. l. 3. c. 11.

19. Subactâ Burgundiâ, Francici Regni opes, tum etiam potentia adeò omnium Principum oculos rapuit; ut ab hac Gente & fœdera & suppetias impetrare avidiùs cuperent. Post mortem Athalarici & Amalasunthæ utprimùm Theodatus Rex Ostrogothorum se Græcorum bello premi sensit; pro auxiliis ad Francos confugiens, Galliæ partem in ditione Gothica sitam, & viginti aureorum millia iisdem condixit (h). Nec minore studio Justinianus muneribus, & ingentibus pollicitationibus Reges Francorum in armorum suorum societatem trahere tunc adnitebatur, id maximè inculcans, sanctiùs actum iri, si, qui orthodoxâ Consubstantialis fide unà cum Cæsare conjungerentur, communionem quoque belli inirent adversùs Gothos, quos Arii errore insanientes velut hostes odio persequi Religio juberet (i). Quamdiu Theodatus superstes fuit, Franci à Gothorum fœdere abstinuerunt: sed ubi Vitiges Theodati successor ejus, quod promissum fuerat, præsenti numeratione fidem statim exsolverat (*49), simúlque Francis dederat Provinciam ab Ostrogothis in Gallia possessam (*50); de fœderis amplexu nihil

Procop. B. G. l. 1. c. 13.

A. 535.

Ostrogothi & Justinianus Cæsar variis studiis impetrare conantur Francorum auxilia.

(h) Procop. B. G. l. 1. c. 13. p. 345.

(i) Procop. B. G. l. 2. c. 5.

A. 536.

A Gothis in Francos Provincia devolvitur.

(*49) PROCOPIUS Lib. I. B. G. c. 13. p. 345. ait, Theodatum Regem cum Francis pactum esse, ut pro auxiliis mittendis acciperent *Galliæ partem in ditione Gothica sitam, & aureorum viginti millia.* GREGORIUS TURON. Lib. 3. c. 31. dicit: *quinquaginta millia aureorum* à Francis Regulis dividenda missa esse.

(*50) PROCOPIUS Lib 3. B. G. c. 33: Gothi ... *totâ Galliæ parte sibi subditâ, Germanis* (Francis) *cesserant, illis ac Romanis resistere se simul non posse rati Quod ne fieret, adeò non impedire Romani potuerunt; ut Justinianus Augustus id confirmaverit, ne ab his Barbaris, si hostiles animos induerent, turbaretur. Neç verò Franci Galliarum possessio-*

nihil addubitatum est. Pecuniam à Gothis acceptam primò, dein Provinciam concessam fratres Reges divisêre : & Childeberto quidem Arelatensis ager (k), Massiliensis Clothario obvenit (l); Theodebertus indulgente Vitige Alemannos, qui sub Gothorum imperio in Italiæ finibus, ínque Rhætiæ tractu agebant, suo Regno apposuit (*51). Partitio ejusmodi cùm inæquali sorte peracta esset : & alii se pecuniæ dimenso, alii regionis portione se fraudari palàm quererentur ; res ad intestinum bellum spectabat. In Clotharium tum ob veteres injurias (m), tum ob recentes dolos (n) Theodebertus cum Childeberto socio arma repentè convertit (o) : unus duobus hostibus impar, licèt objectu arborum inter Arelauni sylvæ latebras se tantisper defenderet (p); ab exitio tamen haud procul aberat. Audiverat hæc Turonibus Clotildis mater (ad hunc enim locum post cædem Clodomiri filiorum, suorúmque nepotum afflicta decesserat) tum funesto nuncio exterrita, ne novis parricidiis pristinus dolor recrudesceret, aut iterato scelere augeretur, ad S. Martini tumulum provolat, & desperatâ humanâ ope, cælestem deposcit (q). Piissimæ matris preces Deus audivisse visus est; nam ubi hostilis exercitus jam ultimâ impressione Clotharii minutas copias conficere parabat, tempestas grandinibus, fulminibus, ventísque fœta bellantibus arma, animúmque pugnandi excussit (r).

(k) Cyprianus in vita S. Cæsarii. Epist. Vigilii Papæ ad Auxanium.
(l) Blancus in Nummis Franc. Reg.
A. 537.
(m) Gregor. Tur. l. 3. c. 18.
(n) Idem c. 23.
(o) Idem c. 28.
(p) Valesius l. 8. Francic. p. 423.
In Clotharium frater Childebertus, & ejus nepos Theodebertus bellum movent.
(q) Gregor l. 3. c. 28.
(r) Idem l. c. Aimoinus l. 2. c. 18.
A. 538.

20. Intereà Vitiges pro data fide Francorum urgebat auxilia, præcipuè eo tempore, quo Græci Româ jam potiti, Liguriam

possessionem sibi certam ac stabilem fore putabant, nisi illam Imperator suis literis comprobavisset. Ex eo tempore Germanorum (Francorum) *Massiliam Phocensium Coloniam, ac maritima loca omnia* (præter Septimaniam, quæ Visigothorum erat, & Britanniam Aremoricam, quæ suos Comites habebat) *adeóque illius maris Imperium obtinuerunt.*

(*51) ECKHARTUS Lib. V. Rer. Francic. N. 4 : " Quid *Theodebertus Rex* acceperit in partitione Provinciæ, nemo dicit. Suspicor tamen ex iis, quæ sequentur, partem Burgundiæ ei obvenisse. *Alemanni* prætereà ii, qui hactenus sub Gothorum regimine in finibus Italiæ, Comitatúque Tyrolis degerant, ac Francis à Vitige Rege hoc tempore etiam reddebantur, Theodeberto accesserunt. *Noricum* etiam & *Vindeliciam*, hoc est, *utramque Rhætiam*, quæ hactenus Gothis paruerant, nunc Theodebertum à Vitige accepisse credo. Quibus ille Bajoarios immisit, qui ex eo tempore sub Ducibus *Agilolfingis* has regiones tenuerunt. Primi eorum Duces nos latent; infrà tamen *Garibaldum* sub Clothario Rege inveniemus. Lyco fluvio ab Alemannis distincti erant. "

riam porrò cum Mediolanensi urbe oppressissent. Francorum Reges incerti, utrùm cum offensione Justiniani (cui socialem pariter operam spoponderant) Ostrogothis darent subsidia, aut cum perfidiæ labe negarent. Re in deliberationem vocatâ, tandem utrique parti satisfieri posse existimatum est, siquidem non à Francis, sed è subditis Francorum imperio Gentibus auxiliares copiæ Gothis mitterentur; ita enim fore, ut nec Vitiges se destitutum, nec Justinianus sibi à fœderatis illatam vim queri valeat (s). Theodebertus, cui magna pars Burgundionum serviebat (*52), eo consilio decem ex his millia in Liguriam ire jussit, non conferto agmine, sed manipulatim, ut suâ sponte, non Francorum impulsu eam militiam capessivisse viderentur (t). Vragas Vitigis frater Burgundiæ viribus auctus, Græcos facilè disjecit, & recepto Mediolano, totâque regione direptâ, Burgundionibus pro belli laboribus prædam ingentem, ac magnum captivorum numerum donavit (u).

Burgundionum auxilia Gothis in Italiam mittuntur.

(s) Procop. B.G.l.1,c.13.

(t) Idem l.2. c. 12. p.417.

(u) Idem l.2. c.21. p.439.

20. Theodebertus ubi suos tot spoliis onustos redire vidit; de fortuna belli jam certior, contempto tum Gothorum, tum Cæsaris fœdere, Italiam utrisque eripere constituit (x). Expeditionis ipse Dux tranquillo itinere, ut hostes subsidii specie deciperet, in transpadanos agros centum millia armatorum jam adduxerat; tum simulatione depositâ Gothos æquè, ac Græcos invadit (y), hísque primo impetu fusis, Liguriam, Æmiliámque atrocissimè populatur (*53), cæteras Provincias quoque exhau-

A. 539.

(x) Procop. B.G.l.2 c.25. Marius Aventic. in Chronico.

Theodebertus cum Francis in Italiam irrumpit, & redire compellitur.

(y) Gregor. Tur.l.3.c.32 Fredegar. epit. c.45. Gesta Reg. Franc. c. 26. Aimoinus l. 2. c. 21.

(*52) IDEM l. c. N. 5.: "Certum est: Theodebertum *Cabillonum*, *Burgundiæ urbem* possedisse; nam S. Germanus (ùt Aimoinus Lib. 3. c. 26. refert) pro villis Augustodunensis Ecclesiæ precaturus, ad Theodebertum Austrasiorum Regem Cabillonum venit: *Cabillonum* verò ad Burgundiæ Regnum pertinuisse, manifestum est ex Concilio Epaonensi anno 517. sub Sigismundo celebrato; ei enim Philagrius Episcopus Cabellicæ civitatis subscripsit. Habuit prætereà Theodebertus in Burgundia Lingonensem, Vivariensem, & Vindonissensem civitates. Nam Concilio Arvernensi anno 535. consensu Theodorici habito, interfuêre tres Burgundiæ Episcopi. Hos verò subditos fuisse Theodeberti, docet epistola Episcoporum ad Theodebertum Concilio præfixa." Contra Valesium igitur est, quòd benè Marius in Chronico notârit, tres fratres Reges Burgundiam occupatam inter se partitos esse.

(*53) PROCOPIUS Lib. 2. de B. G. c. 25. innuere videtur, quòd Franci, qui in exercitu Theodeberti erant, Idololatræ fuerint: *Franci* (inquit) *ponte occupato* (Padi scilicet ad Ticinum urbem) *quos ibi invenêre Gothorum liberos, & uxores immolârunt,*

exhausturus, nisi lues, Francorum exercitum depascens, Theodebertum ad tempestivum in Galliam reditum coëgisset (z). Utprimùm superstites bello & morti copiæ in Franciam remeaverant; fama tulit, Vitigen cum Belisario de dedenda Italia agere: Francorum Reges, quo pactionis consilia abrumperent, Legatos Ravennam mittunt, qui pro dimidiato Italiæ Regno quinquaginta auxiliarium millia pollicerentur (a). Sed Vitiges perfidiæ non uno exemplo territus, maluit Cæsaris servitutem, quàm instabilem Francorum fidem amplecti. Dissimulavêre ad tempus istam injuriam Franciæ Reges, dum Totilâ regnante, crebriora Græcos inter & Gothos prælia ultioni facerent locum; eâ quippe occasione Theodebertus utendum ratus, Venetiam, Liguriámque, præsidiis ferè vacuas Provincias suæ potestati subjecit (b). Postquam Theodeberti Duces in Italiam usque Francici Regni limites protulerant; Childebertus & Clotharius non minora Dominatûs incrementa ex Hispania decerpere conati sunt (*54). Per Pampelonensium sedes Cæsaraugustam progressi, jam urbem situ & munitionibus validam obsederant; tum cives desperatâ propugnatione, ad S. Vincentii Martyris opem implorandam vertuntur (c): abjectis omnes armis, ciliciis, non loricis tecti circuire muros, non tela in hostem, sed in cælum ejaculari preces: supplicationis mœstæ agmen claudebant

(z) Procop. l. c. Gregor. l. c.

A. 541.

(a) Procop. l. 2. c. 28.

Altera Theodeberti irruptio in Italiam.

(b) Gregor. Tur. l. 3. c. 32. Eckhart. l. 5. rer. Franc.

(c) Gregor. Tur. l. 3. c. 29.

A. 542.

---

lârunt, eorúmque corpora in fluvium, tanquam belli primitias projecerunt. Nam ita Christiani sunt isti Barbari, ut multos priscæ superstitionis ritus observent, humanas hostias, aliáque impia sacrificia divinationibus adhibentes. Pagius ad annum 540. N. 10. Procopium corrigendum putat, ut qui malè Francos cum Alemannis Religione suâ Ethnicis confundat. Hi enim licèt in exercitu Theodeberti fuerint, Franci tamen non erant, neque Christiani, ùt testatur AGATHIAS Lib. 1. Praetereà prædictus Author Lib. 2. idololatriæ maculam longè à Francis amolitur, dum ait: *Quotquot eorum Franci erant indigenæ, multam reverentiam, pietatémque circa templa exercebant, utpote rectam de Deo sententiam amplexi* &c. *Alemannica verò Gens universa (aliter enim hi circa Religionem sunt affecti) templa irreverenter diripiebant* &c. *fundamenta subvertebant, cruoréque & sanie delubra circumfluebant.*

(*54) VICTOR TUNUNENSIS sub anno II. post Coss. Basilii: *Hoc anno Francorum Reges numero quinque per Pampelonem Hispanias ingressi, Cæsaraugustam venerunt, quam obsessam per tres dies omnem seu Tarraconensem Provinciam depopulatione triverunt.* ISIDORUS in Chronico addit: Theudam Hispaniæ Regem Francos, *misso Theudisclo Duce, fortiter debellâsse, atque à Regno suo non pace, sed armis abire coëgisse.* Quinque Reges erant, Childebertus, Clotharius, & hujus tres filii; nam Regii filii ab hujus ævi Scriptoribus quandoque Reges nominantur.

bant ſacrorum Miniſtri, tunicam S. Vincentii deportantes: ad quod ſpectaculum defixi Franci Reges percontabantur, ecquid hoc novum bellandi genus ſibi vellet? Cúmque ab Antiſtite reſponſum accepiſſent, ſalutem eandem, quam ſæpiùs laborantibus Francis S. Martinus impertiiſſet, Hiſpanos nunc quoque à ſuo S. Vincentio exorare (d); commoti protinùs dant pacem urbi: & pro omni præda gratiorem ex S. Martyris ſtola partem depoſcentes; tanti ducebant ſe Martyri præbuiſſe vincendos, quanti viciſſe. Revertentibus ad pacis ſtudia Childeberto & Clothario, Theodebertus gravius bellum meditabatur contra Juſtinianum. Offenſionis cauſam Rex inde à Cæſare acceperat (e), quòd hic Francis ſæpè perfidiam exprobrâſſet, atque ut eos acerbiùs laceſſeret, identidem literis ſe *Francicum*, *Alemannicum*, *Gepidicum* & *Longobardicum* non aliter, ac tot Gentium Dominum aut Debellatorem jactantiùs prædicaret. Itaque ad tollendam, aut vindicandam injuriam, adſcitis etiam in belli ſocietatem aliis populis, in Thraciam, atque ad ipſa Conſtantinopolis mœnia proferre arma animus erat. Sed longinquæ profectionis curſum morbus brevì inſecutus abrupit. Venatu Rex Bubalos agitans, in belluam canum vi irritatam inciderat; tum fatalem impetum declinaturus, ſub denſam frondibus arborem profugit, non minore tamen periculo (*55); à reſiliente quippe ramo graviùs in capite læſus, & ex equo dejectus peſſimè habere cœpit,

Childeberti & Clotharii Francorum Regum bellum in Hiſpania.

(d) Geſta Reg. Fr. c. 26.

(e) Agathias p. 15.

Theodebertus in Orientem adversùs Cæſarem expeditionem meditatur.

Mors Theodeberti.

(*55) AGATHIAS Lib. 1. p. 15.: *Cùm venatum iviſſet* (Theodebertus) *taurus ei ingens, & excelſis cornibus præditus occurrit, non domito cuidam & aratori tauro ſimilis, ſed ſilveſter & montanus, & quidquid obviam habet, diſperdens. Bubulos (uti arbitror) Gens illa appellat: plurimos verò fert illa regio Thracica; denſiſſimæ enim in ea ſylvæ, horridi montes, & tractus frigidiſſimi, quibus omnibus gaudere ſolet hoc animal: quem quidem Taurum conſpicatus Theodericus* (Theodebertus) *è ſaltu quodam proſilientem, atque in ſe irruentem, conſtitit tanquam haſtâ occurſurus. Taurus verò jam propior factus, impetu curſûs delatus, in arborem quandam non ita magnam, fronte & cornibus eam ferit, & ſubverſâ totâ arbore, & in ſolum depreſſâ, maximus quidam ex iis, qui inde confracti erant, ramus violentiſſimo ictu ita ejus caput ſauciavit, ut lethali, intolerabilique plagâ acceptâ, confeſtim ſupinus prociderit, ægréque à ſuis domum reportatus, eodem die è vita deceſſerit.* Alio genere mortis extinctum ait PROCOPIUS Lib. 4. c. 24., qui tradit, ipſum Theodebertum *morbo interiiſſe*, cui conſentire videtur GREGORIUS TURON. Lib. 3. c. 36.: *Theodebertus Rex* (ait) *ægrotare cœpit, ad quem Medici multa ſtudia impenderunt; ſed nihil valuit:... cùm diutiſſimè ægrotâſſet, ab ipſa infirmitate deficiens, reddidit ſpiritum.*

cœpit, Medicis malum nequicquam curantibus: tandem dolor morte, & belli (quod contra Cæsarem cogitabat) consilium extremâ morientis luctâ consumptum est, anno, ex quo regnaverat, decimo quarto (f). Princeps erat à justitia, clementia & fortitudine in paucis celebratus; quas tamen virtutes immodicâ ditionum alienarum cupiditate & perfidiâ, tum maximè vetitis Deuteriæ complexibus vitiavit; hâc enim multis annis abusus, Wisegarden Waconis Longobardorum Regis filiam, & optimam conjugem neglexit; dum tandem Rex, mortuâ uxore, Deuteriam matrimonii vinculo sibi socians, ex pellice legitimam thori consortem, matrémque faceret Theodebaldi, qui Patri in amplissimum Francorum Regnum successit.

A. 547.

(f) Marius Avent. in Chron. Greg. Tur. l. 4. in fine.

Theodebaldus Theodeberti filius Patri succedit.

21. THEODEBALDUS vix tredecim annorum puer erat, quando Reipublicæ gubernacula capessivit (g). Imbecillitas hæc ætatis, tum etiam valetudinis (cum qua Princeps conflictabatur) Justiniano Cæsari injecit animum, ut duo capita, quæ à Theodeberto Patre frustrà petierat, nunc opportuniùs à filio impetraret. Distractus bello Orientis Imperator, Francis pro auxiliis in Italiam mittendis magnam pecuniæ vim numeraverat, quam etsi Theodebertus amicitiæ & societatis nomine accepisset, pactione tamen adeò non stetit; ut in Provincias, quas Justinianus jam sibi subditas habebat, contra jus fásque involaverit (h). Leontium itaque Senatorem ad Theodebaldum ablegabat, qui & fœderis promissa contra Gothos impleri, & nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, agríque Veneti partem maximam à Francis iniquiùs ereptam Cæsari reddi deposceret. Leontius ubi ea, quæ in mandatis habebat, exposuerat; Theodebaldus reposuit: Ad societatem belli in Gothos Francicam Gentem nullo jure posse impelli, quæ Totilæ de amicitia fidem jam præstitisset: cæterùm ea loca, à Francis possessa, non ad Cæsarem, sed ad Totilam pertinuisse, qui illa suis armis occupata, posteà Theodeberto Patri ultrò concessisset: atque ut justitiæ locus sit, Legatos se missurum, qui disceptatione in medium prolatâ, de re pleniùs cognoscant (i). His dictis, Leudardum (natione Francum) cum tribus aliis Constantinopolim abire jussit; ubi ex imperio Regis, & etiam ex voto Francorum causam coram Cæsare confe-

(g) Procop. Goth. l. 4. c. 24. Agathias l. 1. p. 15.

(h) Procop. de B. G. l. 4. c. 24. p. 635.

Justiniani legatio ad Theodebaldum.

A. 548.

(i) Idem p. 636.

A. 549.

confecerunt. Posthæc Theodebaldus Gothis, Græcísque inter se certantibus, medius neutri parti favit; atque uti vim, ita quoque beneficium ab utrisque abstinebat: quare cùm Narses Dux Græcorum subinde per Venetiam suo exercitui liberum commeatum rogaret, nec minis, nec precibus aliquid datum est (k). Eâdem ratione Totilæ, ac Tejæ Gothorum Regibus auxilia negabantur (l); extinctis tandem his Regibus, & re Gothicâ ad casum ultimum inclinatâ, Rex Theodebaldus duobus Alemannorum Ducibus indulsit, ut afflictis succurrere, vel à Græcis Italiam vindicare conarentur (m). Irrumpentibus fortuna primùm favit: at prædâ, victoriísque jam exultantes ultima demum clades ita oppressit, ut internecioni vix pauci superessent, qui exitii communis nuncium popularibus referrent (n). Francica Gens, quo jacturam, infamiámque belli ulcisceretur, nihil habebat domesticis malis distenta; annus enim insequens (qui Theodebaldo regnanti septimus erat) eidem quoque fatalis fuit: ex languore corporis confectus (o), ubi sine hærede decesserat, Clotharius sive ultimis tabulis Theodebaldi scriptus, sive populi, militúmque favore nixus, Austrasiæ terras occupavit. Turbarum inde aliquid inter magnos Theodebaldi Patruos suboriri cœpit: nam Childeberto seniore sibi hæreditatem pronepotis vendicante, Clotharius ditiones jam præreptas è manu dimittere haud sustinebat. Quò minùs vim in se mutuam fratres verterent, Childebertus primò causâ suâ abscessit, id suæ majori ætati & conditioni, quâ hæredis masculi expers adhucdum viveret, convenientius futurum ratus, si fratri natu minori & vegeto multorum filiorum Patri amplissimam dominationem ultrò relinqueret (p).

(k) Procop. B. G. l. 4. c. 26. 28. Menander Hist. p. 133.
(l) Procop. l. 4. c. 25.
(m) Agath. L. II. Gregor. L. 4. c. 9.
A. 553.
(n) Agath. p. 46. Greg. Tur. L. 4. c. 9. Aimoinus L. 2. c. 34. Paul. Diac. L. 2. c. 2.
A. 554.
Obitus Theodebaldi.
(o) Agath. L. 2. p. 51. Procop. B. G. L. 4. c. 9.
Childebertus Clothario Juniori hæreditatem nepotis Theodebaldi abdicat.

22. CLOTHARIUS non obluctante ampliùs fratre, Austrasiæ Regno potitus, ut subditorum animos sibi magìs devinciret; Walderadam Theodebaldi viduam in uxorem duxit (q): sed unde Principatûs stabilitatem petierat, & popularium amorem; inde se in discrimen salutis, atque in Christianorum odium conjecit. Ecclesiarum quippe Præsidibus has nuptias, quas cum Pronepotis conjuge Rex nefando ausu iniisset, palàm criminantibus,

(p) Agath. L. 2. p. 51.
(q) Gregor. Tur. L. 4. c. 9.

A. 555. tibus, plebs quoque adversùs Principis inceſtum furebat (*56); nec antè turbo componebatur, donec Walderadam thoro illicito abdicatam in melius connubium Garibaldo Bajoariorum Duci tradidiſſet (*57). Rebus domi pacatis, Saxones graviſſimo bello Clotharium invadunt: hi inter Albim, Rhenúmque poſiti, impatien-

(*56) GREGORIUS TURON. Lib. 4. c. 9.: *Regnum ejus* (Theodebaldi) *Clotharius Rex accepit, copulans Vuldotradam uxorem ejus ſtrato ſuo. Sed increpitus à Sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Garivaldum Ducem.* PAULUS DIACONUS hìc non parùm aberravit, dum Lib. 1. de Geſtis Longob. c. 21. ſcribit, Theodebaldum *uni ex ſuis, qui dicitur Garipald, Walderadam tradidiſſe*; id enim non Theodebaldus, ſed Clotharius fecit. Cæterùm Clotharius Rex plures uxores habuit. Prima erat *Radegundis*, de qua ſuprà *Not. 47.* egimus. Dein duxit *Ingundem*, ùt habet GREGORIUS Lib. IV. c. 1., ex qua ſuſcepit quinque filios, *Gunthariam* & *Childericum* (qui ante Patrem mortui ſunt) *Charibertum*, *Guntchramnum*, & *Sigebertum*, unam etiam filiam *Clothſidam*, Alboini Longobardorum Regis poſteà conjugem. *Ingundi* aliam uxorem appoſuit, nefando & inceſtuoſo matrimonio, ſibi ſocians *Aregundem* ſororem *Ingundis*, ex qua habuit filium *Chilpericum.* Tandem *Chunſenam* in conjugem duxit, quæ mater filii Chramni fuit. Poſt has uxores Walderadam (Theodebaldi Regis & Nepotis viduam) ſibi copulavit; ſed Sacerdotum minis, & cenſuris Eccleſiaſticis eam abdicare compulſus eſt. Urgebant hi Canonum præſcripta contra inceſtuoſas nuptias latas à Synodis Aurelianenſibus II. III. IV. V., & à Concilio Turonenſi.

(*57) PAGIUS ad annum 556. N. 15. putat, à Garibaldo hoc Clotharii Duce Tributario & Bajoariæ Præfecto initium *Ducum Bajoariæ* eſſe repetendum; licèt enim AVENTINUS, aliíque recentiores ab anno 508. fundamenta Ducatûs deducant, ſtatuántque, primos Bojorum Duces fuiſſe *Theodorum* & *Utilonem*; horum tamen nomina cùm nulla ſint apud Veteres, Garibaldo & ejus tempori hæc origo adſcribenda videtur, propterea quòd hujus duntaxat memoriam coævi Authores fecerint. IDEM, N. 18. ſubdit: "Bajoarii à Clodovei M. Francorum Regis tempore ſuos Duces habebant, utì *Alemanni*; neuter enim populus ſine Præpoſitis eſſe potuit. Sed Bavari nonniſi progreſſu temporis *Vindeliciam* (poſteà Bajoariam appellatam) occupârunt. Neque unquam Theodorico Gothorum Regi, ſed Principibus Auſtraſiæ dominantibus ſubditi fuêre, Theodoricus quidem Vindeliciam, ſeu utramque Rhætiam obtinuit; ſed Bajoarii nullam tunc ejus partem incolebant: & nonniſi poſt ejuſdem Theodorici, & Amalaſunthæ ejus filii mortem in ea ſedes fixêre; cùm nempe Oſtrogothi à Juſtiniani Imperatoris Ducibus ſub jugum miſſi fuêre: & *Theodebertus* Francorum Rex Vindeliciam, & Venetiæ Provinciam ſibi ſubdidit. Tunc enim Bajoarii in Vindelicia, partéque Norici conſtituti, & hæc regio *Bajoaria* appellata; loca verò ab eis anteà inhabitata Alemannis conceſſa, qui ab eo tempore, nemine contradicente, in eis morati ſunt, *Lecho* flumine, quo Auguſta Vindelicorum alluitur, Alemannos à Bajoariis dividente. Licèt itaque Theodorus Italiæ Rex ſupremus Vindeliciæ Dominus fuerit; nunquam tamen Bajoariis præfuit, quia tunc hi *Theodorico* Francorum Regi parebant, nondúmque regionem (poſteà *Bajoaricam* dictam) habitabant: ſed pendebant ab Auſtraſiæ Rege, utì etiam Alemanni, quibus utriſque *Theodoricus* Rex Francorum leges tunc dedit. *Garibaldus* poſt ſuum cum Walderada matrimonium Francorum ope ditiones ab Oſtrogothis amiſſas, aut derelictas ſuæ poteſtatis fecit.... Ex quibus perſpicuum fit, Bajoariæ Ducatum anno 508., & multis eum conſequentibus nondum initium habuiſſe." Ita *Pagius.*

patientiùs tributa à Theodorico Francorum Rege ſibi impoſita ferebant (*58): & quoniam infirma Clotharii regnantis credebant initia; illud ipſum tempus abjiciendo jugo opportunum arbitrati, adſcitis in ſocietatem Thuringis, contra Francos arma moverunt (r). Clotharius (utì dictabat neceſſitas) collecto protinùs exercitu, rebellibus ad Wiſaram occurrit, factioſorúmque globos disjiciens, Saxoniæ & Thuringiæ agros evaſtat (s). Pœnâ hâc primâ Gentis pervicacia adeò infracta non eſt, ut remeante ad ſuos Clothario, in novos gliſcerent tumultus. Pro altero crimine alteram quoque ultionem Rex Francorum jam parabat; tum rebelles ſuis diffiſi viribus, legationis interpoſitæ officio veniam, pacémque implorant. Regi quantumcunque placeret ſupplicibus parci; Francorum tamen Proceres in eam partem incumbebant, ut iteratum ſcelus condonatione omni majus eſſe profiterentur: nec antè perfidæ Genti dandam fidem, quàm ſuo ſanguine rebellionem expiâſſent. Obnitentium numero cùm Clotharius obſecundâſſet; Saxones alios aliis Legatos ſubſtituunt, qui in pœnam criminis, vel in pignus futuræ pacis mediam Facultatum partem (t) offerrent. His quoque conditionibus repudiatis, Tertii Oratores adſunt, qui de genibus à Clothario veniam precati, Saxonum nomine ſpondebant omnes opes, nec præter nuda corpora uxores ac liberos ſibi ſervari poſtulabant. Tunc enimverò Clotharius infimis precibus, ſummiſque pollicitationibus evictus, ſuis iram Dei comminabatur, qui ultra in deditios ac abjectos arma ſuaderent. Nihilominùs contrà auſi Duces inſtabant obluctanti licèt Regi: ſeditioſæ Gentis

(r) Gregor. Tur. l. 4. c. 10.

Clotharius rebelles Saxones compeſcit

A. 556.

(s) Greg. l. c. Fredegar. epit. c. 51. Geſta Reg. Franc. c. 27. Marius Aventic. in Chronico.

(t) Gregor. Tur. l. 4. c. 14. Aimoinus c. 27. Geſta Reg. Franc. c. 27.

Pax negatur Saxonibus.

A. 556.

(*58) GREGORIUS TURON. Lib. IV. c. 14.: *Clotacharius...; audivit à ſuis, iteratâ inſaniâ effervеſcere Saxones, ſibique eſſe rebelles, & quòd tributa, quæ annis ſingulis conſueverant miniſtrare, contemnerent reddere.... Saxones Legatos ad eum mittunt, dicentes:... Ea, quæ fratri & nepotibus tuis reddere conſuevimus, non negamus.* Ex his colligitur, quòd tributum, à Theodorico Saxonibus anno 531. impoſitum, auxerit: quod verò tributi augmentum fuerit, ex FREDEGARII epit. c. 74. perdiſcimus: *Tamen tributum Saxones, quod reddere conſueverant, præceptione Dagoberti habent indultum: quingentas vaccas inferendales annis ſingulis à Clothario ſeniore cenſiti reddebant, quod à Dagoberto caſſatum eſt.* Demum AIMOINUS clariùs docet, quid nomine *vaccarum inferendalium* ſignificaretur. *Quingentas vaccas inferendales à Clothario ſeniore* (*Clodovei filio, Chilperici Patre*) *Regiæ menſæ inferri* (Saxones) *juſſi ſunt: quæ ideò inferendales dicebantur, eoquòd ſingulis inferrentur annis.*

tis illum nutrire ſcelus, qui fidem perfidis præſtaret; nunc neceſſitatis fato fieri, ut polliceantur multa, quæ ſecuritatem adepti, nunquam exſolverent: inſculpendum ferro rebellibus obſequium, atque eos, qui ſapere noluerint, ita accidendos, ut audaciâ virium deſipere ampliùs non poſſint. His dictis, impetum in Regem faciunt: & (nî in bellum præeat) objectis gladiis vim, mortémque intentant. Saxones, poſtquam ſe vel deſpici, vel extrema omnia imminere perſenſerant; humilitate in iram versâ, pugnaturis obviam prodeunt. Nunquam clariùs patuit, quid deſperatio in miſeris valeat, quàm cùm Saxones in ultimam adacti pugnam, ultimis viribus in hoſtes irruerent: obſtinatâ congreſſione primùm Francorum turbavêre ordines, dein latiſſimam ſtragem in exercitum hoſtilem diffundunt. Clotharius internecionem ſuorum intuitus, cum paucis elabitur: ac ne fugienti porrò Saxones inſiſterent, eam, quam victis antè negaverat, pacem ab iisdem nunc Victoribus exorat. Saxones, etſi Francorum contumaciæ, & multiplicis repulſæ benè meminiſſent; Clothario tamen, quòd invitus à ſuis in bellum pertractus fuiſſet, nihil negandum putavêre: atque ita ab armis diſcedentes, Francos bello jam ſuperatos, modeſtiâ etiam ſuper Barbaros admirandâ vicerunt (u). Childebertus ubi de Clotharii fratris clade audiverat; ad eas, quas metu abdicaverat, Auſtraſiæ ditiones recuperandas animum reſumit: útque inter turbas faciliùs rem conficeret, Saxonibus rurſus ſubdebat ſtimulos, id maximè cavens; ne illi, quem vivum atque impunitum Clotharium dimiſiſſent, ſpatium colligendi vires darent: quin copiis nudato jam inſiſtentes, victoriæ curſum proſequerentur (x). His conſiliis poſtquam Saxonum Gentem in arma rurſus provocaverat; alium prætereà hoſtem in Gallia, ſive filium natu majorem in Patrem concitabat. Chramno huic nomen erat, in quo cùm prompta ad omne malum eſſet audacia, animus inquies, & inſaturata cupiditas (y); Clotharius ejusdem ingenium publicis curis ac negotiis ſubacturus, Chramnum regendæ Aquitaniæ præficit (z). Sed paternis votis degener filius adeò non reſpondit, ut in Arvernos tyrannide magìs, quàm imperio uteretur. Subditis palàm querentibus, Chramnus à Patre revocatur: at is ſeu

Saxones pacem deſperantes in arma ruunt, & vincunt Francos.

Clotharius victus à Saxonibus, ægrè pacem impetrat.

(u) Gregor. Tur. l. 4. c. 14 Aimoinus l. 2. c. 27. Geſta Reg. Franc. c. 27. Marius Aventic. in Chron.

(x) Agath. L. 2. p. 51. Marcellin. Chronicon.

Chramni ſeditio adverſùs Patrem Clotharium.

(y) Aimoin. l. 2. c. 28. Greg. Tur. l. 4. c. 13.

(z) Greg. l. c. c. 15. 16. Fredegar. epit. c. 52.

is seu scelerum suorum remedium, aut Patris severitatem extimescens, Pictavos secedit: & communicatis cum Childeberto Patruo consiliis, impiè jurat, se Patris perpetuum hostem fore (a). Clotharius secundùm in Saxones movebat, dum de rebellis filii crimine cognovit; quare Charibertum & Guntchramnum juniores filios cum magna militum manu mittit, qui Chramnum compescerent. Apud Lemovices jam utrinque acies in mutuas cædes expedita stabat; tum Chramnus dolo per castra evulgat, Clotharium à Saxonibus cæsum interiisse. Nuncius hic mendax duos fratres pugnaturos adeò conterruit, ut omisso certamine in Burgundiam revolarent. Quâ discessione Chramnus audacior, per recedentium vestigia sequitur: & expugnatâ Cabillonensi civitate, ad Divionense castrum pergit (b). Childebertus intereà eâdem famâ, quæ de morte Clotharii temerè ferebatur, deceptus, Remensem Campaniam prædationibus, incendiísque evastabat (c), ínque plures Provincias simili tempestate detonuisset; nisi de Clotharii incolumitate, déque belli contra Saxones feliciore eventu certiores nuncii veriora pronunciâssent. His acceptis, Childebertus Parisios remeat, quorsum Chramnus subinde veniens, in conceptum scelus multò audaciùs frontem, animúmque obstinabat; nam interposito ad sacra Lipsana jurejurando confirmabat, sibi otium non futurum (d), dum Patri Regnum, vitámque abstulisset. Parricidæ propositum mors Childeberti interrupit (e): qui incentor malorum ubi diutino morbo confectus, anno Regni quadragesimo octavo decesserat; Chramnus facti pœnitens ad Patris gratiam confugit. Redierat hic intereà ex ultimis Saxonum finibus, & post obitum fratris distractum antè in partes Francorum Regnum in se unum collegerat; quare utì Clotharius auctâ jam potentiâ rebellanti filio formidolosus, ita subinde pro venia supplicanti propitius fuit (f). Neque tamen eodem clementiæ genere adversùs Childeberti conjugem, duásque filias utendum censuit; in his quippe Patris defuncti perfidiam multaturus, proles cum matre in exilium expulit (g).

Childebertus Chramni rebellionem fovet.

(a) Gregor. l. 4. c. 16. 17. Gesta Reg. Franc. c. 25.

Clotharii Patris bellum adversùs filium Chramnum, quod dolo hujus abrumpitur.

(b) Gregor. Tur. l. 4. c. 16. Fredegar. epit. c. 52.

(c) Gregor. l. c. cap. 17.

(d) Aimoin. l. 2. c. 28. Marcell. in Chron.

A. 558.

Mors Childeberti.

(e) Greg. l. c. c. 20. Fredegar. epit. c. 52. Aimoinus c. 29.

Clotharius unus in Francia regnat.

(f) Gregor. l. 4. c. 20. Mar. Avent. in Chron.

(g) Gregor. l. c. cap. 20.

23. Chramnus vix Patris gratiam receperat; tum is beneficium in scelus vertens, ad priora consilia reversus est. Re Patri- A. 559.

Chramnus à Patre Clothario in gratiam receptus, alterâ vice rebellat. A. 560. *Clotharius filium cum uxore & liberis ignibus exurit.*

tri proditâ, filius rebellis ad Conobum Britanniæ minoris Ducem se cum liberis & uxore proripit. At Clotharius cum magno exercitu fugientem insecutus, armorum vi castigare scelus parabat: Chramnus ex adverso Britonum adjutus copiis, Patri opposuerat aciem; tum Clotharius apparatu belli viso, velut alter David, Absalonis sui malitiam deplorare visus est: in eo tamen Davidi dissimilis, quòd ille ante pugnam parci filio voluerit (i); hic verò post internecinum conflictum Victor, Chramnum captum, & unà cum uxore & filiabus tugurio rustico inclusum immissis mapali ignibus absumpserit (*59), ad potestatis patriæ ultionem pertinere ratus, ut, qui in authorem vitæ conspirâsset, vitâ & liberis (qui sunt vita altera) orbaretur. Postquam hunc in modum paterni furoris victimæ ceciderant, Clotharius æstu discusso peractæ crudelitatis dolorem cepit: atque ut facinus expiaret, anno quinquagesimo primo Regni sui ad limina S. Martini Turonensis multis cum muneribus profectus, ibidem confessione criminum factâ, clementiam Dei appellavit. Annus inde fluebat, dum Clotharius ex Clodovei filiis ultimus, & Galliæ nunc universæ Princeps mortalitatis æquè debi-

(i) Gregor. Tur. l. 4. c. 20. Aimoinus l. 2. c. 30. Gesta Reg. Franc. c. 28.

Clotharius pœnitens peractæ crudelitatis.

(*59) *Chramni* exitum infaustum Authores varii variè describunt. GREGORIUS TURON. Lib. IV. c. 20. ait: *Cùm se cerneret* (Chramnus) *evadere non posse, Britannias petiit: ibique cum Conoobro Britannorum Comite, ipse & uxor ejus, ac filiæ latuerunt. ... Clotharius autem Rex, contra Chramnum frendens, cum exercitu adversùs eum in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra Patrem egredi timuit. Cúmque in uno campo conglobatus uterque resideret exercitus, & Chramnus cum Britannis contra Patrem aciem instruxisset, incumbente nocte à bello cessatum est. Eâ quoque nocte Conoober Comes Britannorum dicit ad Chramnum: Injustum censeo, te contra Patrem tuum debere egredi. Permitte me hâc nocte, ut inruam super eum, ipsúmque cum toto exercitu prosternam. Quod Chramnus (ùt credo) virtute Dei præventus fieri non permisit; mane autem facto, uterque commoto exercitu ad bellum contra se properant. Ibátque Clotharius Rex tanquam novus David contra Absalonem filium pugnaturus, plangens.... Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens Sed dum uxorem & filias suas liberare voluit, ab exercitu Patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cùm Clothario Regi nunciatum fuisset; jussit, eum cum uxore & filiabus igne consumi: inclusisque in tugurio cujusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus, orario suggillatus* (suffocatus) *est, & sic posteà super eos incensa casula cum uxore & filiabus interiit.* AUCTOR APPENDICIS ad Chronicon Marcellini, & FRECULFUS tradunt, Chramnum vivum combustum esse, & Clotharium Victorem Britonum, eam Gentem sibi fecisse vectigalem. MARIUS AVENTIC. tantùm de vastatione terris illatâ mentionem facit.

debitum, ac criminum quorundam pœnam exſolvit (k). In venatione (cui ſenex nimiùm indulſerat) febrili æſtu fervere, & ad ultima devolvi cœpit, eodem ferè tempore, quo ante annum Chramnum filium ſubjectis flammis exuſſerat (l). Inter ſinceræ pœnitudinis indices voces non ſine ſalubri regnantibus documento exſpirabat, ita poſtremùm prolocutus: *O potentem Deum! ô proſtratam Regum ſuperbiam! ô quantum inter cæli, terræque Dominos intereſt! Si maximus Deus, ergo & optimus, quia potentiæ pars eſt ignoſcere: & infirmitas eſt ad ſupplicia ſola præpollere: habet igitur in me, quod ignoſcat, & puniat; in me ſit maximus, dum Regnum eripit; at optimus ſit, dum in gratiam recipit.* Præter hoc documentum pietatis, Francicæ Genti leges reliquit, quas *Salicas* dictas Clotharius & Childebertus in meliorem ordinem redegiſſe feruntur (†).

(k) Gregor. Tur. l. 4 c. 21
A. 561.
Mors Clotharii.
(l) Greg. l. c. Fredegar. epit. c. 55. Aimoinus l. 2. c. 37. Mar. Avent. in Chron.
(†) REFLEXIO X.

24. Ex variis uxoribus quatuor filii Clothario Regi ſuperſtites fuêre: horum tres CHARIBERTUS, GUNTCHRAMNUS, & SIGEBERTUS ab Ingunde; CHILPERICUS verò natu minimus ab Aregunde matre nati ſunt (m). Elato Patris funere, fratres eâ lege diviſêre Regnum, ut Chariberto Pariſii, Guntchramno Aurelia atque Burgundia, Chilperico Sueſſiones, Sigeberto demum ditiones Auſtraſiorum obtingerent. Poſtrema hæc hæreditatis pars utì cæteris amplior, ita hoſtium incurſibus latiorem explicuit locum. Hunni quippe occupatis in Pannonia ſedibus, inde paulò longiùs hoc tempore progreſſi, urbibus ad Rhenum poſitis imminebant (n); tum Sigebertus (cujus Dominatus ac Provincia petebatur) Barbaris in Thuringia validâ manu occurrit, & ad Albim fluvium prælio attritos in fugam compellit (o). Victis ut citiùs pacem Victor daret, bellum inteſtinum (quod intereà Chilpericus frater in Gallia ſuccenderat) perſuaſit (p): lucrum ille ex alieno quæſiturus, dum Sigebertus cum exercitu procul aberat, Remos, aliáſque fratris civitates occupatum ibat. De Chilperici inſidiis utprimùm Sigebertus audiverat; peregrinum hoſtem domeſtico mutans, in nefarium doloſi belli authorem invehitur: mox Sueſſione, Chilperici ſede, & ejus natu majore filio Theodeberto captis, & urbibus, quas amiſerat, per vim receptis, breve finiit bellum, non minore forti-

(m) Greg. Tur. l. 4. c. 22.
Filii Clotharii dividunt Regnum paternum.
(n) Gregor. c. 23.
Hunnorum irruptio in Thuringiam.
(o) Paulus Diac. l. 2. c. 10
A. 562.
(p) Gregor. Tur. l. 4. c. 23. Aimoinus l. 2. c. 6.
A. 563.
Civile bellum inter Chilpericum & Sigebertum.

fortitudinis, quàm clementiæ laude; Patri namque Chilperico culpam deprecanti pacem largitus, filio etiam Theodeberto libertatem reddidit, exactâ tamen sacramenti religione, ne quid juvenis in Patrui damnum unquam agitaret (q). Dum Marti uterque frater vacabat, alii duo (Guntchramnus & Charibertus) Veneri, & variarum pellicum, aut conjugum, quas pro libidine mutabant, aut necabant, amoribus serviebant (*60). His infaustis facibus citiùs consumptus est Charibertus: duxerat ille justo matrimonio Ingobergam matrem Bertæ, quæ posteà nupta Ethelberto Cantuariæ Regi (r), ad Christi cultum Principi eidem Dux atque Author fuit. Sed æstu libidinis subinde magìs inflammatus Charibertus, repudiatâ Ingobergâ, ancillas ejusdem vilissimo genere natas deperire cœpit. Ex his Merofledem primò, dein (hâc mortuâ) Marcofevam, virginitatis voto jam obstrictam, in thorum admisit, indignante Germano Episcopo Parisiensi; cujus tamen diras Apostolicas adeò parvi Rex fecit, ut Theodegildem opilionis filiam, velut alteram pellicem, alteri sociaret. Duplicatam criminis fœditatem Deus paulò pòst ultus est; nam Marcofevâ è vivis raptâ, Charibertus quoque in Aquitaniæ castro (cui Blaviæ nomen) vivere desiit (s). Tres fratres demortui terras partiti (*61), sedem non minùs Regiam (scilicet Parisios) in ternas partes divisêre: ex quibus quisque eorum

(q) Fredeg. in epit. c. 55. Sigebert. Gembl. ad A. 564.

A. 567.

(r) Gregor. Tur L. 4 c. 26 L. 9. c. 26. Gregor. M. L. 11. Ep. 29. 66.

Mors Chariberti.

(s) Idem l. c. Gesta Reg. Franc. c. 30.

Fraternum Regnum fratres superstites dividunt.

(*60) GREGORIUS TURON. Lib. IV. c. 25. perhibet, *GUNTCHRAMNUM* primò habuisse Concubinam *Venerandam*, cujusdam suorum ancillam, ex qua suscepit *Gundobaldum*: posteà duxisse *Mercatrudem*, *Magnacharii Francorum Transjurensium & Scutingorum filiam*, quâ dimissâ, nupsit *Austrigildi* Mercatrudis famulæ, ùt habet FREDEGARIUS c. 56., quæ mater dein fuit *Clotharii* & *Clodomiri*; *CHARIBERTUS* verò maritus primò *Ingobergæ* fuit, quæ peperit *Bertam*, posteà Ethelberti Regis Cantiorum conjugem, utì habet *Gregorius* Lib. 4. c. 26. Charibertus verò Rex post mortem Patris Clotharii ancillas Ingobergæ deperire cœpit, scilicet pauperis lanificis filias *Marcofevam* & *Merofledem*; demum *Theodegildem* opilione natam, & vilissimam fœminam.

(*61) ECKHARTUS Rer. Francic. Lib. VIII. N. XIX. divisionem Regni Chariberti inter fratres ita factam tradit: " *Guntchramno* tum aliæ urbes, tum Melodunum castrum, Santones, Aginnum & Petrocorii unà cum finibus suis & incolis obvenerant. *Sigeberto* duæ partes Silvanectarum, Meldi, Castella Dunum & Vindocinum, pársque pagi Stampensis & Carnutini, Abrincatæ, Turoni, Pictavi, Albiga, Vicus Juli, Lapurdum & Consoranni oppida cum agris suis obtigerant; reliqua verò Chilperico cesserant." Ut colligitur sparsim ex GREGOR. TUR. Hist. Lib. IV. c. 40. 46., Lib. VI. c. 12., Lib. VII. c. 6., Lib. IX. c. 20.

eorum unam eâ lege suam faceret, ut nulli tamen urbem (citra aliorum fratrum consensionem) ingredi liceret (*62). Guntchramnus cæteris felicior, præter designatam sibi sortem, thesauro etiam Regio potitus est: in hunc Theodegildis post Chariberti mortem involaverat, opulentâ hâc dote Regias nuptias emptura (t). Id ubi Guntchramno suboluit, se Procum simulans, cum ingentibus divitiis fœminam in potestatem trahit; quo facto, pellicem opibus exutam, in monasterium compingit, ubi libidinis daret pœnas (*63). Sed quæ Guntchramnus vitia in aliis plectebat, his ipse supra modum addictus, repudiatâ Mercatrude legitimâ thori consorte, vilium ancillarum turpissimis obsequiis utebatur (u). Sigebertus fratris indignum vivendi modum detestatus, meliore connubio Brunechildem (Athanagildi Visigothorum Regis filiam) sibi junxerat (*64): in hac puella nihil erat, quod Franci desiderarent, nisi veram Christi fidem:

(t) Gregor. Tur. l. 4. c. 26.

(u) Idem l. 4. c. 25.

A. 567.

Brunechildis ex Hispania arcessitur sponsa pro Sigeberto.

(*62) GREGORIUS TURON. Lib. 7. c. 6. Guntchramnum Childeberti Legatos alloquentem ita inducit: *Ecce pactiones, quæ inter nos* (fratres, Sigebertum & Chilpericum) *factæ sunt, ut, quisquis sine fratris voluntate Parisios urbem ingrederetur, amitteret partem suam, essétque Polioctus Martyr cum Hilario atque Martino Confessoribus Judex & Retributor ejus.* Eadem pactio tangitur ab eodem Gregorio Lib. IX. cap. 20.

(*63) GREGOR. TURON. Lib. 4. c. 26.: *Tunc* (Guntchramnus) *ablatis multis* (thesauris) *paucis relictis, Arelatensi eam* (Theodegildem) *monasterio destinavit. Hæc verò ægrè adquiescens, jejuniis ac vigiliis adfici, per occultos nuncios Gothum quendam adivit, promittens, si se in Hispanias deductam conjugio copularet, quòd cum thesauris suis monasterio egrediens, libenti cum animo sequeretur. Quod ille nihil dubitans repromisit. Cúmque hæc collectis rebus, factisque volucris, à cœnobio pararet egredi; anticipavit voluntatem ejus industria Abbatissæ: deprehensâque fraude, eam graviter cæsam custodiæ mandare præcepit, in qua usque ad exitum vitæ præsentis non mediocribus attrita passionibus perduravit.*

(*64) IDEM Lib. 4. c. 27.: *Porrò Sigebertus Rex* (Austrasiorum) *cùm videret, quòd fratres ejus indignas sibimet uxores acciperent, & per utilitatem suam etiam ancillas in matrimonium sociarent, legationem in Hispaniam mittit, & cum multis muneribus Brunichildem Athanagildi Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans corpore, venusta aspectu, honesta moribus, atque decora, prudens consilio, & blanda colloquio, quam Pater ejus non denegans, cum magnis thesauris Regi transmisit. Ille verò congregatis Senioribus secum, præparatis epulis cum immensa lætitia atque jucunditate eam accepit uxorem. Et quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem conversa, beatam in Unitate Trinitatem credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi Catholica perseveravit.* Ubi obiter adverte, Arianos ad Ecclesiam veram conversos, Confirmationem duntaxat, sive cum manuum impositione unctionem in fronte suscepisse.

A. 567.

(x) Gregor. Tur. l. 4. c. 27 Fredegar. epit. c. 57. 59. Aimoinus l. 3. c. 4.

Galeſvinda ſoror Brunechildis, & uxor Chilperici.

(y) Gregor. l. 4. c. 29. Fredegar. epit. c. 61. Aimoinus l. 3. c. 11.

A. 568.

Galeſvinda ſuffocatur.

(z) Gregor. Tur. l. 4 c. 29 Fredegar. epit. c. 61. Aimoinus l. 3. c. 11.

Infelix bellum Sigeberti contra Hunnos.

fidem: quam ubi ejurato Ario, paulò pòſt profeſſa fuerat, prima, eáque legitima inter fratrum Regum pellices ſponſa erat, quæ & moribus caſtis, & conditione generis ſtabilem unius ſaltem Regis thorum condecoraret (x). Chilpericum iſta exempli honeſtas adeò emovit, ut & ipſe alteram Brunechildis ſororem Galeſvindam ducere peroptaret. Athanagildo, quò minùs ſtatim in vota Chilperici concederet, inſtabile hujus ingenium moras injecerat: neque enim obſcurum erat, quantâ is perfidiâ primam conjugem Audoveram thoro expuliſſet, & adhucdum Fredegundem ancillam velut miniſtram ſuarum libidinum domi foveret: itaque non antè nuptiale fœdus coaluit, quàm Chilpericus jurâſſet, ſe abdicato pellicum commercio, unam Galeſvindam duntaxat in perpetuo matrimonio habiturum (y). Fide datâ, celebratíſque nuptiis, conjugalis amor aliquanto tempore viguit; at Chilperico ſubinde in illicitos Fredegundis amores rurſus exardeſcente, Galeſvinda non paucis vexata injuriis, violentâ demum morte opprimitur (*65). Sigeberto ùt de ſcelere nunciatum eſt; abominatus crudelitatem fratris, adnitente Brunechilde arma parat: horum tamen vim eo tempore in Chilpericum effundere non poterat, ad motus Thuringiæ comprimendos evocatus (z). Hunni nimirum ſeu initi fœderis obliti, ſeu prædam anhelantes, in Sigeberti fines impetum fecerant: in perjuram igitur, & infidam Gentem ducuntur copiæ; quæ ubi in prælium ruere parabant, ab Hunnis (ùt ajunt) per magica ſpectra deluſæ, capeſſunt fugam: Sigebertus ipſe in hoſtium manus delapſus, ſalutem, pacémque

(*65) IDEM c. 28.: *Chilpericus Rex, cùm jam plures haberet uxores, ſororem ejus* (Brunechildis) *Galſvintham expetiit.... Galſvintha ætate ſenior, quàm Brunechildis, erat;... ſed per amorem Fredegundis, quam priùs* Pellicem *habuerat* Chilpericus, *ortum eſt inter eos grande ſcandalum. Jam enim in lege Catholica converſa fuerat, & chriſmata; cúmque ſe Regi quereretur, aſſiduè injurias perferre, dicerétque, ſe nullam dignitatem cum eodem habere, petiit, ut relictis theſauris, quos ſecum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia diſſimulans, verbis eam lenibus demulſit. Ad extremum hanc ſugillari* (ſuffocari) *juſſit à puero, mortuámque reperit in ſtrato.* Galeſvinda Chilperico dotis loco attulerat civitatem Lemovicum, Cadurcum, Bencarnum, Bigerras, ùt patet ex pacto Andelaenſi apud GREGORIUM TURON. Lib. IX. c. 20.; ſed poſt cædem uxoris Chilpericus has Brunechildi ſorori & uxori Sigeberti reddere debuit.

pacémque ab Hunnorum Rege Cagano emere coactus est (*66). Ex infelici bello postquam Sigebertus in Galliam redierat; aliunde damnum acceptum reparaturus, Guntchramno fratri (a) Arelatem & Massiliam eripere aggreditur: facinori ut speciem justitiæ conciliaret, causabatur, Phocensem Provinciam, olim à Patruo Theodorico possessam, eodem nunc jure ad Austrasiorum Regem pertinere. Eo consilio Firminus Arvernorum Comes, & Audoarius Dux, jubente Sigeberto, Arelatem subjugant. Guntchramnus comperto fratris dolo, illico exercitum mittit, qui raptores possessione exigat. Nec post intervallum aliquod recipiendi urbem occasio defuit: nam cùm suadentibus civibus, omnia præsidia in palantem hostem extra portas sese effunderent, & post acerrimum conflictum in urbem, quam amicam putabant, remeare conniterentur; subitò cives, occlusis portis, accedentes è murorum pinnis vario armorum apparatu repulêre (b): seriùs tunc cognitum, non semper, quos nuper viceris, eorum quoque animos esse subactos. Itaque inde milite cominùs, hinc cive eminùs feriente, interceptæ Sigeberti copiæ vel jaculis confodiebantur, aut in proximis Rhodani aquis demersæ perierunt.

(a) Gregor. Tur. l. 4. c. 30 Fredegar. epit. c. 62.

Bellum Sigeberti adversùs Guntchramnum fratrem.

(b) Gregor. l. 4. c. 30. Fredegar. l. c.

25. Guntchramnus vix intestino bello defunctus erat; tum exterorum hostium arma ejus finibus periculosiùs atque frequentiùs illata sunt. Longobardorum Rex Alboinus quamprimùm in Italia Victor consederat; multi Barbarorum manipuli in eam

Longobardorum irruptio in Galliam. A. 570.

(*66) GREGORIUS TURON. Lib. IV. c. 29.: *Chuni* (Hunni) *verò iterum in Gallias venire conabantur, adversùs quos Sigebertus cum exercitu dirigit, habens secum magnam multitudinem virorum fortium. Cùmque confligere deberent; isti magicis artibus instructi, diversas eis phantasias ostendunt, & eos valdè superant. Fugiente autem exercitu Sigeberti, ipse inclusus à Chunis retinebatur, nisi posteà ùt erat elegans & versatus, quos non potuit superare virtute prælii, superavit arte donandi.* Vide etiam MENANDRUM PROTECTOREM in excerptis de Legat., de fine hujus belli nimirum pag. 110. edit. Paris. Cæterùm alii Francos (quos præstigiis diabolicis victos ait Gregorius) fortitudine Hunnorum profligatos dicunt, utì *Bühnavius* in Hist. Romani Imperii Tom. II. pag. 98.; postremùm *Gregorius* l. c. Hunnorum Regem, cum quo pacem Sigebertus iniit, *Gaganum* sive *Chaganum* vocat, quod aliàs Principum Sarmaticorum sive Sclavicorum generale nomen est; unde & nunc Tartarorum Principes *Chuni* appellantur. OTTO SPERLINGIUS apud *Eckbartum* Lib. 8. rer. Franc. opinatur, illud detortum esse à voce Koenig vel **Koennen**, quia Principes *potentes* dicuntur, & sunt.

eam Galliæ partem involabant, quæ ab Alpibus ad Rhodanum excurrit (c). Expeditio ejuſmodi licèt prædationis & latrocinii potiùs, quàm juſti belli ſpeciem haberet; Burgundia tamen eâ procurſione multis fœdata cædibus, atque opibus exhauſta eſt (d). Guntchramnus (cujus Regnum hoc modo petebatur) ad ſuorum cladem experrectus, Ennium Mummolum cum lectis copiis excubare ad Regni fines jubet: neque Dux magnanimus ſpem ſui Principis fefellit. Nam cùm ſubinde nova Longobardorum agmina Galliam invaderent, Mummolus ſub ipſis Alpibus ad urbem Ebredunum, quò hoſtes contendebant (e), cunctos internecione delevit. Hâc victoriâ (*67) Dux jam celebratus, mox certamine adversùs Saxones ſuſcepto, magìs inclaruit. Viginti hujus Gentis millia Alboinus in Italiam adduxerat; ubi non inutilem Longobardis operam commodabant: at mercede fraudati, alibi opes, ſedésque circumſpexêre. In Franciam proinde irruentes, poſitíſque ad Stablonem villam caſtris, manipulatim divitem omni ex parte prædam abigebant. Mummolus, quò infeſtam turbam opprimeret, occultis itineribus in ſecurum, & ſomno indulgentem hoſtem movet (f); ſtragem inde paſſi Saxones, poſtridiè dolore amentes in pugnam redeunt, quâ Gentis reliquiæ conſumptæ fuiſſent, niſi Mummolus parcendum ſanguini ratus, ultrò miſeris pacem, facultatémque dediſſet, in Italiam remigrandi; hâc tamen lege, ut captivos, prædámque redderent. Inanes ubi per Alpium juga relegerant iter; rogabant à Longobardis, ut deinceps proprio jure in Italia vivere, aut in patriam reverti liceret: primum cùm negaretur, alterum eligunt; & haud diſſentientibus Francis, Galliam divifis

(c) Gregor. Tur. l. 6. c. 6. Paul. Diac. l. 3. c. 1. 2. Mar. Avent. in Chron.

(d) Gregor. l. 4. c. 42.

Mummolus Longobardos reprimit.

A. 571.

(e) Gregor. Tur. l. 4. c. 42. 43. Paul. Diac. l. 3. c. 34.

Saxones invadunt Galliam.

A. 572.

(f) Gregor. Tur. l. 4. c 43 Fredegar. epit. c. 68. Paul. Diac. Longob. l. 3. c. 5. 6.

Cædes Saxonum.

(*67) GREGORIUS TURON. Lib. 4. cap. 43. ei prælio interfuiſſe, ait, duos Præſules, Salonium Ebredunenſem, & Sagittarium Vapincenſem Epiſcopos: *Fuerúntque* (inquit) *in hoc prælio Salonius & Sagittarius fratres atque Epiſcopi, qui non cruce cæleſti muniti, ſed galeâ, aut loricâ ſæculari armati, multos manibus propriis (quod pejus eſt) interfeciſſe referuntur.* BüHNAVIUS P. II. Lib. I. Hiſtoriæ Rom. Imperii pag. 105. tacitè hìc perſtringit Sacerdotes atque Antiſtites, qui ad bella ſacra poſteà proceſſerunt. Quaſi verò duo hæc in idem reciderent, & inter caſtra Iſraël Levitarum & Sacerdotum more circumferre arcam Domini, Deúmque exercituum ſacrificiis piacare: & arma ſacratâ manu ſtringere in hoſtem. Secundum omnes Catholici cum Gregorio Turonenſi improbant: primum cur non liceat, cauſa non apparet; ſed de his plura infrà, ubi de Cruciatis expeditionibus agemus.

visis agminibus ingressi, per has Provincias tendere in Saxoniam constituunt (g). Sive autem cupiditas, sive inopia proficiscentibus id suaserit; ad Rhodanum usque licentiùs agentes, omnia evastabant: quare Mummolus rursus in tempore aderat, & objectâ validâ manu tamdiu viam Saxonibus interclusit, donec illata civibus damna auro compensâssent (*68). Tandem per Sigeberti Austrasiorum Regis fines transmissi, in pristinas sedes majore periculo venêre. Nam cùm Suevi intereà Saxonum terras occupâssent (h): & domicilio semel capto, decedere pernegarent; tergeminâ pugnâ lis dirempta est, in qua Suevi Victores Saxones victos ita protrivêre, ut hi patriam (quam vivi colere non poterant) mortui solis cadaveribus tenerent (i). Digressis ex Italia Saxonibus, tres Longobardorum Duces, ut Francorum curas, virésque distraherent, divisis turmis Galliam tentandam putavêre: ex his Arno Avenionense solum, Zabanus Dux alter Diam & Valentinam, tertius (nomine Rhodanus) Gratianopolim subjugandam sumpsit; sed Mummolus divisionem hostium rem suam ratus, singulósque per vices adortus, omnes demum in exitium impulit, paucis in Italiam referentibus nuncium cladis (k).

(g) Gregor. l. 4. c. 43. Paul. Diac. l. 3. c 6.

A. 573.

Saxonibus ex Italia reversis per Galliam in patriam reverti conceditur.

(h) Paulus Diac. l. 3. c. 6.

Saxonum internecina strages in Thuringia.

(i) Paulus Diac. l. 3. c. 7. Aimoinus l. 3. c. 7.

(k) Gregor. Tur. l. 4. c. 45. Fredegar. epit. c. 68. Aimoinus l. 4. c. 9.

26. Necdum ad Galliæ fines hostilis procella detumuerat; tum in ipso Franciæ sinu turbulentior, & civili, fraternóque sanguine fœda tempestas concitata est. Chilpericus amplificandi Regni cupiditate stimulatus, Clodoveum natu minorem filium cum copiis in Sigeberti ditiones immiserat, ut Turones, Pictavósque in suam fidem cogeret (l): Guntchramnus pro icto nuper fœdere (m) Sigeberto auxiliaturus, Mummolum Ducem Clodoveo objicit, à quo hic fugatus, & subinde Burdegalæ, quò provolaverat, à Singulfo Sigeberti Duce accisus, non sine dedecore per Andegavos ad Patrem rediit (n). Chilpericus incon-

(l) Gregor. c. 48.

Bellum civile inter fratres Chilpericum & Sigebertum.

(m) Idem L. 4. c. 40. L. 9. c. 20.

(n) Gesta Fr. Reg. c. 23. Aimoinus l. 3. c. 12.

(*68) PAULUS DIACONUS Lib. III. c. 6.: *Saxones, dum ad Sigebertum Regem pergunt; multos in itinere negotiatione suâ deceperunt, venundantes tegulas æris, quæ ita, nescio, quomodo erant coloratæ, ut auri probati atque examinati speciem simularent. Unde nonnulli hoc dolo seducti, dantes aurum & æs accipientes, pauperes sunt effecti.* Eadem habet GREG. TUR. Lib. 4. c. 43.

consultæ filii juventæ infelicem eventum tribuens, è vestigio natu majorem Theodebertum urgere bellum jubet; eundem scilicet filium, cujus fidem Sigebertus olim jurejurando sibi adstrinxerat, ne è captivitate dimissus, contra vitæ & libertatis
(o) Gregor. l. 4. c. 23. Largitorem dato beneficio abuteretur (o). Hâc religione nequaquam prohibitus Theodebertus, Aquitaniam incendiis, cædibus, & sacrorum vastitate permiscet, perjurium insolitâ crudelitate & impietate cumulans: quæ quidem facinora tantò licentiùs exequebatur (p), quantò longiùs sub idem tempus Guntchramnus à fratris Sigeberti fœdere recesserat. Sigebertus aliunde ex Germania comparato exercitu ad Sequanam usque pergit (q): illinc tum ab opposito Chilperici milite, tum à Guntchramno obsistente retardatus, huic tandem interpositis minis transitum extorquet. Utprimùm flumen Sigebertus superaverat; vicos Sequanam inter & Ligerim populatus, Chilpericum Avalocium usque in Carnotense oppidum persequitur: fortuna Victoris in angustias redactum hostem in pacis consilia inclinabat, quam civitatibus, à Theodeberto anteà expugnatis, nunc verò redditis obtinuit (r). Neminem hoc repentinum fœdus magìs urebat, quàm transrhenanum militem, qui prædam sibi, pugnandíque gloriam præripi questus, mox castra seditiosis vocibus implebat; tum minabatur, se eum hostis loco demum habiturum, qui inani & commentitiæ pactioni confisus, promptas turmas in hostem ducere cunctaretur. Promissis ingentibus ægrè impetratum est, ut turbine composito Germani in terras suas abirent (s). Sed vix discesserant, jam revocare in bellum digressos necesse erat. Chilperico enim novis motibus Aquitaniæ agros concutiente, Sigebertus sueta auxilia requirebat (t): horum viribus prostratus Theodebertus, perfidiæ suæ ultimas dedit pœnas (u): & Chilpericus ad multitudinem hostium trepidus, Tornaci mœnibus se cum suis inclusit. Victoriacensibus mutatio subita persuasit, ut Sigeberto Regis nomen suetis ritibus deferrent: Chilpericum hic populi in Sigebertum favor adeò exterruit, ut intra Tornacensium mœnia anxius, & captivo similis, ultimum exspectaret impetum, quo Sigeberti exercitus in muros urbis enisus, sibi vitam, Regnúmque eriperet. Fredegunda,

A. 574.

(p) Idem c. 47. 48.

(q) Idem c. 49. 50.

(r) Idem l. 4. c. 50.

A. 575.

(s) Idem l. c. Aimoinus l. 3. c. 22.

(t) Gregor. Tur. l. 4. c. 51 Fredegar. epit. c. 71.

(u) Gregor. l. 4. c. 51. confer c. 22. & c. 48.

Chilpericus Tornaco inclusus, Fredegundis dolo liberatur.

da, desperatis omnibus, in omnes partes muliebre versabat ingenium: atque ut se, conjugémque indubitatâ morte expediret, salutem, quam virtute non poterat, scelere quæsivit (x). Duos namque sicarios amplis promissis subornatos in castra Sigeberti ex urbe emittebat: qui multis sermonibus transfugium mentiti, ubi alloquendi Regem copiam acceperant; venenatos cultros, quos in cædem designatam attulerant, in Sigeberti pectus immergunt: inde in circumstantes Primores sæviunt, majorem stragem edituri, nisi affluens militum globus impios parricidas in frusta concidisset (y). Inexspectatum facinus ingens rerum conversio excepit (*69): Chilpericus ad vitam, Regnûmque respirare, contrà in castris turbari omnia: mox ubi omnium luctum, irásque futurorum metus oppresserat; pars in sua quisque discedere, pars longè major (ùt cum fortuna plerumque homines consilia, ac obsequia mutant) Chilperici partes certatim amplecti festinabat (z). Funestus de conjugis nece nuncius Parisios intereà ad Brunechildem pervenerat, à quo ex summo votorum fastigio in imum calamitatis dejecta, id digesto dolore primùm curabat, ut Childebertum filium (cujus ætas vix lustrum exegerat) Regno servaret: quare eundem sportæ impositum, ac per fenestram palatii fune demissum Gundobaldi fidi Ducis operâ Metas ad patris mortui Regiam sedem deportari facit (a). Chilpericum, qui subducto jam puero Parisios advolabat, Childeberti fuga non parùm afflixit: & odio, quod in filium ampliùs vertere non poterat, in captam matrem, duásque filias maligniùs sæviens, Brunechildem opibus nudatam, Rothomagum; Ingundem verò & Chlodosvindam Meldos in exilium deduci jubebat (b). Chilpericus anno sequente fortunæ suæ ampliora

(x) Gregor. Tur. L. 4. c. 51. 52. Fredegar. epit. c. 71. Gesta Reg. Franc. c. 3.

Mors inopina Sigeberti.

(y) Greg. l. c.

(z) Gregor. Tur. L. V. c. 1

Childebertus Sigeberti filius furori Chilperici subducitur.

(a) Greg. l. c. Fredegar. epit. c. 72. Aimoinus L. 3. c. 15.

Brunechildis exilium.

(b) Gregor. Tur. L. 5. c. 1.

A. 576.

(*69) GREGORIUS TURON. in Libro V. bella civilia enarraturus, c. 1. ita incipit: *Tædet me bellorum civilium diversitates, quæ Francorum Gentem & Regnum valdè proterunt, memorare: in quo (quod pejus est) tempus illud, quod Dominus de dolorum prædixit initio, jam videmus. Consurgit Pater in filium, filius in Patrem: frater in fratrem, proximus in propinquum.... Utinam & vos, ô Reges! in his præliis, in quibus Parentes vestri desudaverunt, exerceremini, ut Gentes vestrâ pace conterritæ, vestris viribus premerentur.... Quid agitis? quid quæritis? quid non abundatis? In domibus deliciæ supercrescunt: in promptuariis vinum, triticum, oleúmque redundat: in thesauris aurum atque argentum coacervatur. Unum vobis deest, quòd pacem non habentes, Dei gratiâ indigetis.*

ampliora augmenta facturus, Meroveum filium Pictavos cum exercitu mittit: is Turonibus aliquamdiu moratus, posthabito Patris imperio Rothomagum repentè ad Brunechildem captivam deflectit (c). Huc sive Principem Reginæ commiseratio, sive tacitus amor exciverit; certè ùt fœminam pulcherrimam vidit, raptus formæ insolitæ spectaculo, vinculis liberatam, sibi suaviore conjugii nexu deinceps vinciendam sumpsit. Chilpericus Rex his auditis, in furias actus, Rothomagum properat, omnia tentaturus, ut nuptiæ, quas filius inscio & invito Patre, cum captiva hoste in Regni perniciem, & nepos contra leges Ecclesiasticas temerè cum Patrui uxore celebrâsset, protinùs dissolverentur (d). De Chilperici festino adventu quamprimùm conjuges novi cognoverunt; ad Basilicam S. Martini (quæ supra muros urbis ligneis tabulis constructa erat) confugiunt, loci religione se tantisper defensuri. Chilpericus, etsi vim sacrario inferre scelestum duceret; aliud tamen scelus elegit, quo conjugem utrumque in casses ageret. Perjurâ enim pollicitatione duobus in Ecclesia latentibus de incolumitate cavens, eos extra septa, atque in conceptum exitium illexit. Promissorum juratâ fide decepti, ubi palàm prodierant; Meroveus post aliquot dierum fictam amicitiam, Suessiones: & Brunechildis Rothomagum ad arctiorem custodiam amandantur. Hæc rogante Childeberto, ac impellentibus Austrasiæ Magnatibus, Metas unà cum duabus filiabus remissa, libertatem obtinuit (e). Gratiam, quam Chilperico pro beneficio Brunechildis debebat, non aliam reddendam censuit, quàm ut Godinus Dux filii Childeberti, potenti cum exercitu Suessiones tenderet, ad Fredegundem tot malorum incentricem (quæ eo tempore eâ in urbe agebat) intercipiendam (f). Evaserat tamen illa, & Chilpericus viribus superior, infesto certamine injuriam ultus est: interposito intervallo rursus idem victor succubuit, ex quo Guntchramnus Mummolum Ducem, majorésque copias Childeberto in auxilium dederat (g). Viginti quinque millibus amissis, internecinam ferè cladem passus Chilpericus, iram omnem in Meroveum adhuc captivum effudit: præ sanguinolento supplicio mors civilis placebat, quam Pater filio irrogaturus, eundem detonsum crinibus, & Presbyterio initiatum,

(c) Gregor. loc. cit. c. 2. Fredegar. epit. c. 74. Gesta Reg. Franc. c. 33.

Meroveus Chilperici filius invito Patre Brunechildem in uxorem ducit

(d) Gregor. c. 2. Aimoinus L. 3. c. 15.

Sponsus à sponsa separatur.

(e) Gesta Fr Reg. c. 33.

Brunechildis Metas remittitur.

(f) Gregor. L. 5. c. 3. Fredegar. epit. c. 74.

(g) Gregor. L. 5. c. 13. Fredegar. epit. c. 75.

Meroveus in monasterium relegatur.

tum, ſpem uxoris ac Regni deponere cogit: ac ne porrò in aulæ luce verſaretur, eundem Aniſolam (quod Cœnobium apud Cenomannos eſt) deduci facit (h). Antequam tamen paratum jam clauſtrum ſubiret, cuſtodum manibus ſe evolvens, Turones ad S. Martini ædem ſe ſubduxit. Gregorius Turonenſis Antiſtes Chilperico ſive roganti, ſive etiam minas intentanti reddere juvenem renuebat (i); quare cùm in ſanctitatem loci peccare Regi haud tutum eſſet, Fredegunda Bojonem quendam, qui in eadem Eccleſia ſecuritatis causâ latebat, ſpe & promiſſis inſtigat, ut Meroveo perſuadeat exitum. Meroveus Bojonis conſiliis doloſis tandem ex Eccleſia progreditur; feliciùs tamen, ac Regis opinio erat, per obſeptas inſidiis vias, pérque ancipites caſus Divionem ad Brunechildem pervenit (k). Auſtraſii tum inceſtarum nuptiarum odio, tum ne Chilperici arma in ſe concitarent, hoſpitem Meroveum ſuis à ſedibus repellunt; unde à Tarvennenſibus per fraudem invitatus, ultrò miſer in exitium ſuum properabat (l). Utprimùm enim Tarvennam acceſſerat; cives de intercepto filio admonent Patrem; quod ubi infelix juvenis compertum habuit, paternas manus magìs, quàm mortem veritus, à Gaileno fidiſſimo comite exorabat, ut ſe confoderet, & uno lethali vulnere multarum calamitatum imponeret finem (*70). Poſt teterrimum facinus peractum, Fredegunda conſiliorum ſuorum fructum, ſpémque ſimul ingentem hauſit; ſublato nempe natu majore, & ex Audovera prima conjuge oriundo filio, ſuis tribus maribus liberis, quos ex Chilperico ſuſceperat, propiorem nunc ad Regiam dignitatem gradum fore. Sed furiæ ambitionem providum Numen intervertit (m): rapiebantur ſubitò ex vivis Fredegundæ filii, nec alius Chilperico ſuper-

(h) Gregor. Tur. l. 5. c. 14. Geſta Reg. Franc. c. 33.

Ex monaſterio fugit.

(i) Fredeg. epit. c. 78. Aimoinus L. 3. c. 21.

(k) Marius Aventic. in Chron. Greg. l. c.

(l) Gregor. L. V. c. 19. & L. VIII. c. 10.

A. 577.

Meroveus per fraudulentam proditionem occiditur.

(m) Greg. Tur. l. 7. c. 14. l. 5. c. 40.

A. 580.

(*70) IDEM Lib. V. c. 19. innuit, à Fredegunde Meroveum clam interemptum fuiſſe. *Extiterunt tunc, qui adſererent, verba Merovei, quæ ſuperiùs diximus, a Regina fuiſſe conficta: Meroveum verò ejus fuiſſe juſſu clam interemptum. Grilanum verò adprehenſum, abſciſſis manibus & pedibus, auribus, & narium ſummitatibus, & aliis multis cruciatibus adfectum infeliciter necaverunt* &c. *Loquebantur etiam tunc homines, in hac circumventione Ægidium Epiſcopum* (Remenſem) *& Guntchramnum Bojonem fuiſſe maximum Caput; eoquòd Guntchramnus Fredegundis Reginæ occultis amicitiis potiretur pro interfectione Theodeberti; Ægidius verò, quòd ei jam longo tempore eſſet charus.*

Mors liberorum Fredegundis. supererat hæres, quàm Clodoveus, primo Audoveræ matrimonio natus. Urebat Fredegundam novercam Clodovei privigni felicitas: ac ne juvenis Regno aliquando potitus, sibi insultaret, Brennacum mittit, ut lue pestilenti, quæ oppidum infestabat, sine strepitu periret (n). Clodoveus periculo nihilominùs egressus, ubi novercæ cognoverat insidias; incautiùs in Fredegundam convitia & minas jactando, in luctuosius recidit fatum. *Fredegundis noverca privignum Clodoveum persequitur,* Mulier quippe necem Clodovei anhelans, testes subornabat, qui dicerent: liberos Regios Privigni malis artibus periisse, ab hoc mulierem, cujus filiam Clodoveus adamaret, spe Regni inductam, ut maleficio primùm fratres, dein Fredegundam perimeret. Rumore temerè evulgato, mulierculæ dantur in vincula; mox filia verberibus lacerata, abscissis comis, ante hospitium Principis sudi imponitur ad amoris aculeum: tum ejus mater tormentis subjicitur, quorum vi cùm crimen, quod nullum erat, confessa esset (o); Rex Chilpericus filium, quasi parricidii reum, Reginæ voluntati permittit. Donum ad explendam rabiem furenti mulieri haud gratius obtingere poterat; quare triduo exagitatum juvenem, & innocentem ultra amnem Matronam ad Nocetum villam deportari jubet, ubi à sicario transfossus occubuit. *Et falsorum criminum insimulatum occidit.* Occisum ne Parens lugeret, hoc quoque mendacium confingebatur, Clodoveum conscientiam scelerum non ferentem, sibi cultrum in pectus adegisse. A filio in matrem Audoveram prolata cædes est, *Cædes Audoveræ Clodovei matris &c.* cujus soror Basina à famulis Fredegundis per vim stuprata, in monasterium apud Pictavos amandabatur; demum mulier, cui cruciatus confessionem ficti criminis extorserat, quantumcunque recantaret dicta, inter ignes animam posuit (p).

(n) Fredegar. c. 85. Aimoinus L. 3. c. 42.

(o) Gregor. Tur. l. 5. c. 40 Fredegar. epit. c. 85. Aimoinus L. 3. c. 43.

(p) Iidem l. c.

Guntchramnus Childebertum adoptat. 27. Dum Chilpericus amissorum liberorum damna, pejora parricidio cumulabat, Guntchramnus duorum filiorum, qui intereà obierant, jacturam saniore consilio resarcire aggressus est. Nam ad orbitatis solatium Childebertum Austrasiæ Regem, & ex fratre nepotem adoptabat, arbitratus, hanc sibi superesse gignendi rationem, ut voluntate seligeret, cui naturâ genitos mors inopina subtraxisset (q). Postquam ad Petreum pontem Guntchramnus

(q) Gregor. Tur. L. V. c. 17. 18 Aimoin. l. 3. c. 28. 33.

chramnus cum Childeberto novo Patris & filii nomine (*71) se conjunxerant; factio Brunechildi inimica fœdus rursus dissolvere allaborabat (r). Lupus unus, Dux Campaniæ insidiantium obstabat consiliis; quem proinde factiosi aperto bello aggredi & perdere conabantur (s). Vix fidum sibi virum Brunechildis Childeberti mater periculo eripuit, increpata ideò non parùm ab adversariis. Lupo tandem ad declinandam hostium acerbitatem in Burgundiam discedente, Brunechildis authoritas in Regno Austrasiæ non parùm imminuta est. Ægidius Præsul Remensis, factiosorum Caput, inde occasionem captabat, juvenem Childebertum à Guntchramni amicitia amovendi; quod ut confectum daret, causabatur, in Guntchramni manibus adhuc teneri Massiliæ partem, quæ ex Chariberti hæreditate ad Childebertum pertineret: optandas igitur Chilperici potiùs partes, cujus auxilio Guntchramno Massilia extorqueretur. A Chilperico verò filiis orbato pro fide fœderis jus omne Regni in Childebertum aliquando devolutum iri, neque aliud ab eodem Rege vicissim nunc exigi, quàm ut (dum vixerit) Silvanectum Meldos, Pictavos Turones retinere liceat (t). His concessis, Childebertus Massiliam: Chilpericus Petrocorium, Aginnámque (Guntchramni urbes) invadunt (u). Guntchramnus ad Melodunum

(r) Gregor. L. 6. c. 38. Idem c. 4.
(s) Fredeg. epit. c. 86. Aimoinus l. 3. c. 39.
Childebertus à fœdere Guntchramni avellitur.
(t) Gregor. Tur. L. VI. c. 3. 11.
A. 583.
(u) Gregor. l. 6. c. 12. 22.

(*71) IDEM Lib. V. c. 18.: *Posthæc Guntchramnus Rex ad Childebertum nepotem suum Legatos mittit, pacem petens, ac deprecans eum videre. Tunc ille cum Proceribus suis ad eum venit: qui ad Pontem (quem Petreum vocant) conjuncti sunt, consalutantes, atque invicem osculantes se. Guntchramnus Rex ait: Evenit impulsu peccatorum meorum, ut absque liberis* (masculis, puta, quia duas filias, Chlodobergam & Clotildem virgines Deo sacratas adhuc habebat) *remanerem: & ideò peto, ut hic nepos meus mihi sit filius. Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei Regnum tradidit, dicens: Una nos parma protegat, unáque hasta defendat. Quodsi filios habuero, te nihilominùs tanquam unum ex his reputabo, ut illa cum meis, tecúmque permaneat charitas, quam ego tibi hodie polliceor, teste Deo. Proceres verò Childeberti similiter pro eodem polliciti sunt.* Ubi ex Gregorii verbis nota, quòd Guntchramnus hæredem suum declaraverit Childebertum per *inthronisationem*, sive collocationem in Regium thronum, & per traditionem HASTÆ, ùt ait Aimoinus Lib. III. cap. 68., nam Eckhartus benè advertit Lib. IX. rer. Francic. pag. 108., in nummis veteribus Francorum Reges ubique hastâ & clypeo instructos videri, quia à vetustis temporibus hasta pro sceptro in usu fuit. Justinus L. 43. de raptu Sabinarum agens: *Per ea* (ait) *tempora Reges HASTAS pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixêre. Nam & origine rerum Veteres pro Diis immortalibus HASTAS coluerunt; ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacbris HASTA additur.*

Chilpericus à Guntchramno victus ad pacem compellitur.

(x) Gregor. L. VI. c. 31.

(y) Aimoin. l. 3. c. 54. 31.

A. 584.

Childebertus fœdus renovat cum Guntchramno.

(z) Gregor. Tur. l. 6. c. 33. Fredegar. epit. c. 30. Aimoinus L. 3. c. 54.

Rithgundis Chilperici filia à Reccaredo in sponsam petitur.

(a) Gregor Tur. l. 6. c. 45.

Rithgundis in Hispaniam deducitur.

(b) Gregor. Tur. l. 6. c. 45.

num Chilperico occurrit: & postquam binis præliis hostiles copias fuderat, fratrem ad petendam pacem compellit (x). Childeberti exercitus ubi de Guntchramni victoria audiit; in Ægidium, aliòsque belli authores infremens, restitui cum Guntchramno fœdus, & urbes à Chilperico surreptas viribus conjunctis repeti volebat (y). Neque Guntchramnus pacis consiliis obstitit, quin Massiliæ parte nepoti suo redditâ, arma etiam adversùs Chilpericum sociabat: quâ rerum mutatione hic non parùm exterritus, cum omnibus thesauris Cameracum discessit (z). Melior subinde spes atque fortuna Chilperico ex Hispania affulsit; aderant enim Leovigildi Visigothorum Regis Legati, qui Rithgundem Chilperici filiam in Reccaredi Regii filii conjugem expetebant (a). Nuncio recreatus Pater, unà cum Fredegunde matre jam in nuptias convenerat; tum Theodoricus, qui ante annum Chilperico Regni hæres natus fuerat, subitò moritur: dolor inde genialem apparatum aliquantùm distulit, dum Clotharius infans recenter ex Fredegunde susceptus, communem luctum dispesceret. Digesto itaque mœrore, de Rithgundis nuptiis rursus cogitatum: & Fredegundis tantam auri argentíque vim in dotem conferebat, ut Rex obstupefactus crederet, omnes opes in Hispaniam deportari. Præter nobiles Paranymphos ingens familia ad sponsæ comitatum cogebatur: quæ multitudo cùm ægerrimè à patriæ complexu avelleretur; inter complorantium planctus, & malè imprecantium diras ab invita turba Rithgundis Pictavos deducta est (b). Pompa nuptialis etsi hâc ratione funebri similior videretur; multò luctuosior tamen subinde evasit, quando Chilperici mortem inopinatus nuncius attulit. A venatione is reversus, ex equo, quo vehebatur, famulorum accurrentium manibus suscipiebatur; tum unus eorum Eberculfus sive à Fredegunde, sive ab hujus adultero Landerico ad scelus emptus (*72), cultrum infra humerum Regis

(*72) IDEM Lib. VI. c. 46.: Chilpericus, *Nero nostri temporis & Herodes ad villam Calensem, quæ distat urbe Parisiacâ, quasi centum stadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quâdam verò die regressus de venatione, jam subobscurâ nocte, dum de equo susciperetur, & unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens quidam cum*

Regis defigit, mox iterato ictu corpus perforat, dum miser Chilpericus simul cum sanguine animam mitteret (*73). Ab hac cæde Francia variis motibus agebatur; alii enim defunctum Regem velut Neronem, ac Herodem sui sæculi maledictis lacerare (c), alii paternas in ipso libidines, superbiam ac rapacitatem (*74), tum demum nimiam in sceleratam conjugem indulgen-

Mors violenta Chilperici.

(c) Gregor. L. 6. c. 46.

cum cultro percutit sub ascella, iteratóque ictu ventrem ejus perforat, statimque profluente copiâ sanguinis, tam per os, quàm per aditum vulneris, iniquum fudit spiritum. De nomine licèt Sicarii Gregorius sileat; ex aliis tamen colligitur, à Fredegunde Parricidam fuisse subornatum; nam Childebertus posteà per Legatos suos questus est, Patruum suum Chilpericum à Fredegunde interemptum: & Prætextatus Rothomagensis Episcopus moriens Fredegundi suam & Regum Sigeberti ac Childeberti cædes in os objecit; nec ipsa crimen declinâsset, nisi Eberculfum cubicularium, parricidam fuisse mentita fuisset. FREDEGARIUS solus Falconem emissarium hujus flagitii authorem insimulat.

(*73) GESTA REGUM FRANCORUM c. 35. aliter fatum Chilperici exponunt, & his subscribit AIMOINUS Lib. 3. c. 56.: *Chilpericus venatum profecturus, è Regia in stabulum descendit equorum. Regina verò* (Fredegundis) *æstimans Regem jam progressum, in interiore cubiculo caput primùm aquis parabat abluere. Rex ergo iterum in Regiam regressus, cubiculum post illam intravit, & eam, ùt jacebat, super humum acclivem baculo percussit. Illa autumans, Landericum hoc fecisse (qui Comes tunc & Major Domûs erat Regiæ, consueverátque cum Regina stupri habere consuetudinem) ait: Ut quid, Landerice! talia facere præsumis? Illicò Rex quasi amens effectus, ubi hæc audivit, in suspicionem deductus, indignatione nimiâ furens, animíque impos, exiliit, fugiens turpis corruptelæ contagia: nec furentem capiebat aula. Itaque sylvarum secreta petiit, ut venatibus intentus, tantam animo conceptam leniret iracundiam. Cognoscens verò Regina,... periculum imminere saluti suæ,... mittens vocari jussit Landericum:... Ausculta (ait) paucis, & quid ego te facere velim.... Revertente Rege de venatione (ùt ei mos est) sub obscura nocte immittantur homicidæ,... laudat Landericus consilium, & revertentem de sylva Chilpericum, his, qui cum eo venerant, aliò intentis, circumstantes, qui missi fuerant, præcepto satisfaciunt, atque desilientem equo opprimunt* &c. VALESIUS Lib. XI. Franc. p. 187. huic ultimæ sententiæ suâ approbatione pondus apponit.

(*74) GREGORIUS TURON. Lib. V. c. 29.: *Chilpericus verò descriptiones novas & graves in omni Regno suo fieri jussit. Quâ de causâ multi relinquentes civitates illas, vel possessiones proprias, alia Regna petierunt: satiùs ducentes alibi peregrinari, quàm tali periculo subjacere. Statutum enim fuerat, ut possessor de propria terra unam amphoram vini per aripennem* (sic semijugerum pedes 125. continens appellabatur) *redderet. Sed & aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quàm de mancipiis: quod impleri non poterat.* IDEM loc. cit. cap. 27.: *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus, & junioribus Ecclesiæ* (sive de Clericis, qui Subdiaconis erant inferiores) *Bannos jussit exigi pro eo, quòd in exercitu non ambulâssent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exsolverent publicam functionem,* utì habetur L. X. Cod. Theodos. *de Episcopis.* Cæterùm *Bannum* & *Heribannum* erat propriè jussio Regia in exercitu comparendi; eædem verò voces etiam pro mulcta contemptæ hujus jussionis accipiebantur, quæ ex lege Francorum sexaginta solidis solvenda erat.

Chilperici vitia & virtutes.

dulgentiam deteſtari: ídque maximè probare, quod ab fœmina periiſſet, per quam in tanta flagitia ruerat, ut eadem eſſet pœna, quæ noxa. Non defuêre tamen, qui multa laude digna in Chilperico prædicarent; nam per annos viginti tres, quibus regnavit, ingenio, & pro captu illorum temporum arte poëticâ valuit (d). Grammaticis inde prodeſſe eum in modum ſtudebat, ut quasdam literas à Græcis petitas in vulgare Francorum idioma tranſcribi præciperet (*75). Theologiæ contrà peritiam infeliciùs in Brennacenſi Synodo affectâſſe notatus eſt; in eo enim Epiſcoporum conventu cùm adversùs Arii ſectatores pugnare præſumeret, limites fidei tranſgreſſus, in Sabellii errorem deflexit (e). Cæterùm Eccleſiis bona non pauca largitus, Epiſcopis magnum honorem habuit: quare Malulfus Silvanectenſis Antiſtes beneficiorum memor, ubi Chilperici cadaver cruore fœdum in luto jacere vidit (f); illud ablutum, navíque Calâ Lutetiam devexit, in Baſilica S. Vincentii terræ mandandum (*76). Triſte

(d) Greg. l. c. Venant. Fortunat. L. IX. Carm. I

(e) Idem l. 5. c. 45.

(f) Geſta Fr. Reg. c. 35.

(*75) GREGORIUS TURON. Lib. V. c. 45.: *Addidit autem* (Chilpericus) *& literas literis noſtris, id eſt, ω, ſicut Græci habent*: ae, the, Vuici, *quorum characteres hi ſunt, ω ᛦ Z Π, & miſit epiſtolas in univerſas civitates Regni ſui, ut ſic pueri docerentur, ac libri antiquitùs ſcripti, planati pumice reſcriberentur.* MABILLONIUS Lib. VI. pag. 638. ex Codice Gregorii Juliano ſive Corbejenſi Merovingicis literis ſcripto, characterum prædictorum figuras ait hujuſmod ifuiſſe ω ᛦ Z Δ: ſonum verò eorum talem illis adſignat, ut ω prima litera ùt *æ*, ſecunda ùt *the* ſeu *th*, tertia *Uui* exprimatur. Ex his ECKHARTUS rer. Francic. Lib. IX. §. 18. colligit, Z ſuperiùs tertio loco ſignatam literam, Librariorum errore adnexam eſſe, cùm trium literarum ſonum Gregorius duntaxat proferat; niſi fortè Z connexionem (&) ſignificet, qua Gregorius ᛦ cum Π conjungere voluit. Cæterùm *ω prima litera* non eſt *Omega*, ſed *Alpha* Longobardicum, quod *ä* Germanicum ſignificat. Secunda litera ᛦ ex Gothico idiomate deſumpta eſt, qui *th* ita ſcribere ſolebant. Tertia litera Δ ab Anglis mutuata ponitur pro VV quaſi Δ inverſo modo eſſet ſcripta, adeóque hunc in modum extaret ʊ & ◁. Hallucinari hìc proinde ait Eckhartus eos, qui Aimoinum, aut Gerardum Voſſium ſecuti, literas dictas à Græcis, aut cum Olao Wormio à Runicis characteribus deſumptas eſſe opinantur.

(*76) ECKHARTUS rer. Francic. Lib. IX. §. 19. repertum teſtatur, anno 1643. monumentum Chilperici in porticu Baſilicæ S. Vincentii, quæ à S. Germani Pariſiorum Epiſcopi tumulo, vulgò S. Germani Baſilica nuncupatur. Huic tumulo inſcripta legebatur epigraphe: TEMPORE NULLO VOLO HINC TOLLANTUR OSSA HILPERICI. In averſo pariter lapide ſequentia verba minio notabantur: PRECOR EGO ILPERICUS, NON AUFERANTUR HINC OSSA MEA. Verùm MABILLONIUS in Diſſertatione *de antiquis Regum Francorum ſepulchris* hunc Chilpe-

Triste funus Fredegundis cum Regio puero Clothario Parisios secuta, in Basilicam discessit, ut adversùs vim, insidiásque tuta lateret (g). At vix in sacrario respiraverat; unus ex Rithgundis filiæ famulis ad matrem feralis nuncius advolat: ferebat ille, sponsam, ut Tolosam cum thesauris subiisset, à Desiderio Duce, ac itineris comite opibus exutam, calamitosam vitam degere. Ut enim mortem Chilperici fama tulerat; Desiderius Rithgundis comes in sponsæ, quam Tolosam usque jam deduxerat, thesauros involabat, vitam etiam erepturus, nî salutis causâ in ædem B. Virginis misera profugisset. Fredegundis postquam novo filiæ fato ingemuerat; Rithgundem clam Parisios afferri facit, consortem maternæ deinceps fortunæ ac scelerum futuram (h).

Cadaver Chilperici Parisios deportatur.

(g) Gregor. L 6. c. 47.

Fredegundis cum Clothario filio degit Lutetiæ. Rithgundis post Patris mortem ex itinere in Hispaniam Parisios reducitur,

(h) Gregor. Tur. l. 7. c. 9.

28. Intereà Childebertus Chilperici defuncti Regnum spe jam devoraverat, & Brunechildis Fredegundæ poscebat necem; tum Regina vidua imploratâ Guntchramni ope, eidem, ubi Lutetiam precibus inclinatus advenerat, se, Regnum, filiúmque infantem committit (i). Childebertus quantocunque conatu contrà streperet; tum à Guntchramno, tum à civibus rejectus est. Legatos cùm subinde ad agendam causam mitteret; hi responsum aliud non retulêre, quàm solennem proximè conventum Parisiis fore, in quo, quid rei sit, agitare pleniùs valeant (k). Coactis itaque comitiis, Childeberti Oratores tria præcipuè capita postulârunt: scilicet ne puerum Regium suâ tutelâ & fide defendere Rex velit, cujus Pater Chilpericus in Guntchramnum æquè ac Childebertum perfida consilia concepisset; dein pugnabant, ut Childeberto redderentur ea, quæ de paterno Chariberti Regno ipsi filio subtracta fuerant. Denique Fredegundi capitale crimen intendebant, sive quòd Childeberti Patrem, & Patruum Chilpericum impurissima mulier extinxisset,

Childeberti molitiones contra Fredegundem.

(i) Idem c. 4. 5. Aimoinus L. 3. c. 58.

Guntchramnus in tutelam suscipit Clotharium & Fredegundem.

(k) Gregor. Tur. l. 7. c. 6.

Childeberti legatio ad Guntchramnum.

Chilpericum alium à Rege fuisse statuit; tum quia nullum sepulchro Regium insigne, nec nomini Regis titulus adscriptus inveniebatur; tum quia Fredegundis & Chilperici Regis exuviæ non in porticu, sed in ipsa Ecclesia (quam Rex idem construxerat) depositæ leguntur: demum quâ ratione Chilpericus subitâ morte occupatus, sibi designare locum sepulchri, aut componere inscriptiones potuit? Adde, quòd Valesius monumentum ejusmodi non adeò antiquum esse statuat.

set, sive quòd Brunechildi multoties insidiata, consobrinos ejusdem dirissimè jugulâsset (l). Guntchramnus his auditis, Legatos acriter increpans reposuit: nequaquam esse, cur perfidiam Chilperici accusent, qui ipsi suis consiliis Childebertum in suum Caput, atque Regnum concitâssent. Cæterùm Sigebertum jam tum Regni parte excidisse, quando contra pacta inita Lutetiam fuisset ingressus: & malè peti à filio, quod nullo jure Pater Childeberti possedisset: denique accusationi in Fredegundem prolatæ fidem abnuens, Legatos convitiis oppletos non sine contumelia comitiis expulit (m). Patrocinium, quo malam Fredegundis causam Rex Guntchramnus tuebatur, haud diuturnum fuit; nam digressis Legatis, aliæ ex aliis querelæ contra Reginam inferebantur, quibus Guntchramno primò persuasum est, ut de Sigeberti ac Chilperici parricidiis quæstionem moveret; Fredegundis ingenio astuto scelus, pœnámque in Eberulfum famulum amolita (n), se quidem supplicio tunc, non tamen omni suspicione peracti criminis liberavit; quare ne porrò turbas cieret, in villam Rotojalensem cum parvo Clothario abscedere, & publicis Regni negotiis omissis, res denique duntaxat privatas curare jussa est.

(l) Idem c. 7. 12. 13.

Ignominiosè à Guntchramno rejicitur.

(m) Idem c. 14.

In authorem cædis Chilperici inquiritur.

(n) Gregor. Tur. L. 7. c. 21. 29. Aimoinus L. 3. c. 58.

29. Guntchramnus postquam ditiones Chilperici suo Regno adjecerat (o); ab hoste intestino in summum Dominatûs amittendi periculum conjicitur. Erat is Gundobaldus ex pellice Clotharii Primi natus filius, qui utì se legitimum paterni Regni hæredem jactabat; ita non paucos Franciæ Proceres seditionis, quam dudum conceperat, adjutores habuit (p). Post Chilperici enim mortem Desiderius & Mummolus (magni nominis Duces) non mediocrem ditionum partem sibi designabant, cujus voti se tum compotes futuros credebant, si Regnum Gundobaldo in prædam objiceretur (q). Neque Brunechildis Childeberti mater, nec alii Austrasiorum Magnates ab his consiliis alieni erant, quibus hæc spes altùm insidebat, instante aliunde hostili impetu futurum, ut Guntchramnus cum Childeberto mitiùs ageret. In Gundobaldum igitur ubi plurimi magnâ consensione convenerant (r); Mummolus eum Avenione intra præsidium accipit, mox junctis armis ad Arvernos procurritur, tum apud Lemo-

(o) Gregor. L. 7. c. 12. 13.

Gundobaldus seditiosis consiliis turbat Franciam

(p) Gregor. L. 7. c. 24. Aimoinus L. 3. c. 61.

(q) Gregor. L. 6. c. 24. 26. L. 7. c. 10. 14. 28. 32. 36. 38.

A. 585.

(r) Gregor. L. 6. c. 24. 26.

Lemovices Gundobaldus clypeo impoſitus à parato milite Rex appellatur (s). Subactis Arvernis, Encoliſmenſibus & Petrocoriis occupatis, Toloſam itum eſt (t); quâ expugnatâ, Legatos Rex novus ad Guntchramnum mittit (u): hi, antequam ad Regis conſpectum admitterentur, ſe ad poſtulandum pro Gundobaldo Regnum veniſſe incautiùs præfati, ſubitò ad tormenta rapiuntur (x). Cruciatuum vis facilè ſcelus, ſcelerísque ſocios elicuit: atque ubi cognitum eſt, in Childeberti aula à Primoribus hanc turbarum ſementem ſpargi, atque foveri; Guntchramnus Childebertum citò conciliandum ratus, illum cum Primoribus ad ſe benevolè Cabilonum invitat (y). Venit Childebertus minore tamen ſuorum (nam cæteros conſcientia factionis retrahebat) coronâ accinctus. Illinc recitatis iis, quæ Legati expoſuerant, quaſi poſitâ priſtinâ ſimultate, Guntchramnus coram concione frequenti Childeberto haſtam tradit in ſignum firmatæ adoptionis, ſimúlque dominationem in terras, quæ Sigeberti Patris fuerant, & in univerſum exercitum conſignat (z). His ubi plaga vetus ſeu ſimultas conſanata erat; tum exacto inter epulas triduo, diſceſſurum Childebertum Guntchramnus monet de malis artibus Brunechildis matris, ac cæterorum Procerum, obteſtatus id maximè, ne horum conſiliis obſecundare velit. Quamprimùm Guntchramnus metum belli, quod à Childeberto impendere videbatur, à ſe amovit; quidquid virium habebat, in Gundobaldum convertit (a). Hic vim hoſtilem evaſurus, Convenas ſe recipit, in urbem non longè à Pyreneorum radicibus in colle poſitam, & annonâ inſtructam: quæ ut diuturnæ propugnationi ſufficeret, civibus dolo perſuadet, ut armati irrumpant in hoſtem. Vix illi pedem urbe extulerant, obſeratas occupat portas, & reverſam ab infelici expeditione incolarum multitudinem à ſua ſede excludit (b): eâ ratione ubi penuriæ alimentorum proſpexerat, nihil cæteri Duces fœderati omisêre, ut & armis ſua tuerentur. Lendigiſilus, quem Guntchramnus bello præfecerat, Gundobaldi acerrimè obſiſtentis pertinaciâ fractus, ſpem ultimam fortunæ, quam in vi non poterat, in fraude reponebat (c). Arcanum proinde cum Mummolo (factionis altero Capite) colloquium poſcit; huic, nî ſe cum ſpurio Rege, cum

(s) Idem l. 7. c. 10.
(t) Idem c. 26. 27. 28. 30. 31.
(u) Idem c. 32.
(x) Idem c. 32.
(y) Idem c. 33.
Guntchramnus conciliatur Childeberto.
(z) Aimoin. l. 3. c. 68.
Gundobaldi ſeditio comprimitur.
(a) Gregor. l. 7. c. 34.
(b) Idem l. c. Aimoinus l. 3. c. 69.
(c) Gregor. Tur. l. 7. c. 35. 36. 37. Aimoinus l. 3. c. 70.

cum ſociis & urbe ſpontè dedat, futura minari pericula, obſequenti contrà factorum veniam interpoſito jurejurando ſpondere, honores, opúmque vim polliceri (d): ſuadenti Duci haud refragari auſus Mummolus, ubi in urbem redierat, Gundobaldo, aliíſque factioſis author eſt, ut ad paratam Guntchramni gratiam citò confugere, quàm abſumptâ annonâ, & obſidionis tædio fractis militibus ſerò perire malint. Non fefellit miſerum Gundobaldum proditoris dolus; urgente tamen Mummolo, tardo veſtigio, perfusúſque lachrymis ductores ſequebatur: extra portas digreſſum Bojo in ſubjectam vallem præceps impellit; mox haſtâ impactâ, lapidúmque ictu vulneratum obtruncat (e). In cadaver primò Guntchramni miles, dein in deditam urbem atrociter ſæviit. Neque à Mummolo (contrà ac Leodegiſilus promiſerat) Guntchramnus manus abſtinuit: at is ubi in ſe militum globum incitari vidit, non ſine militari, quâ ſemper valuerat, gloriâ occumbendum ratus, non antè, quàm necem in multos forti manu ſparſiſſet, nec niſi numero pugnantium victus, mortem excepit (f).

(d) Gregor. Tur. l. 7. c. 35

Conjurati unà cum Gundobaldo intereunt.

(e) Idem l. c.

(f) Idem c. 39. 40.

30. Ex quo Gundobaldus in ſpeciem legitimi Franciæ hæredis ſe effinxerat; Guntchramno à ſuis ſuſpicio injecta eſt de genuinis natalibus Infantis Clotharii; hunc enim ab adultero Landerico genitum, à Fredegunde velut filium Chilperici obtrudi ajebant (g). Fidem ut dictis daret Guntchramnus, in cauſa erat Reginæ tergiverſatio, quâ Regi infantem ex ſalutis fonte levaturo, eundem exhibere (quamvis tertiò rogata) diſtulerit (h). Fredegundis ad amoliendam criminis infamiam, tres Regni Epiſcopos, & trecentos ex Primatibus viros Lutetiam vocat: quibus ubi Regina in ſolenne jusjurandum præiverat, hi quoque eâdem ſacramenti religione, Clotharium à Chilperico Rege oriundum eſſe, profeſſi ſunt (*77). Hæc dum aguntur in Gallia,

(g) Gregor. l. 8. c. 1. 9.

A. 585.

Dubium movetur circa legitimos Natales Clotharii.

(h) Gregor. l. 8. c. 9.

(*77) GREGORIUS TURON. Lib. VIII. Hiſt. §. 9.: *Hæc audiens Fredegundis Regina, conjunctis Prioribus Regni ſui, id eſt, tribus Epiſcopis, & trecentis viris optimis, ſacramenta dederunt, hunc à Chilperico Rege generatum fuiſſe.* Ubi adverte I. hanc purgationis juratæ ſpeciem *ſacramentum* dici, quam qui faciebant, *ſacramentales* audiebant vel ſacramentarii, vel juratores aut conjuratores. II. Horum numerus admittebatur major vel minor pro gravitate cauſæ: ſi *unus* jurabat, dicebatur, *jurare ſolâ*

Gallia, à Leovigildo intra Hiſpaniam Hermenigildum filium occiſum, & Ingundem ejus uxorem, ſive Sigeberti Regis ac Brunechildis filiam unà cum infante Athanagildo in exilium ejectam incerto pede per alienas terras vagari nunciatur (i). Guntchramnus & necem Hermenigildi, & Ingundis injurias ſimul ulturus, in Septimaniam immittit exercitum (k): at Leovigildus jam providerat, ut irrumpens hoſtis à Reccaredo multò fortiùs repelleretur, ac ne à Childeberto Guntchramni ſocio geminatæ Gothis inſtarent vires, hi cum Fredegunde jam convenerant, ut ea ſicarios ſubornaret, qui Childebertum cum Brunechilde cultris veneno illitis confoderent (l). A fatali ictu & mater & filius haud procul aberant, tum à Guntchramno de conjuratione monentur; quare captis, & ad ſupplicium raptis ſceleris machinatoribus, exitiales inſidiæ matri oppreſſæ ſunt (m). Fredegundis facinora utì omnes boni; ita Prætextatus maximè Epiſcopus Rothomagenſis adeò ferenda non cenſuit, ut Reginæ ſævitiem palàm increparet: libertatis hujus indignam mercedem tulit; nam paulò pòſt jubente Fredegunde in die Paſchæ, cùm Deo in Eccleſia hoſtiam litaret, ad altare occiſus, incruento ſacrificio cruentum alterum addidit, & qui Sacerdos erat, furoris fœminei victimâ occubuit (n).

(i) Idem l. 8. c. 28.

Guntchramni bellum in Septimania.

(k) Idem c. 30.

(l) Idem l. 8. c. 29.

Fredegundis conjuratio detegitur.

(m) Idem l. c.

Fredegundis crudelitas in Prætextatum Epiſcopum.

(n) Idem c. 31.

31. Intereà Leovigildus Rex Gothorum fato functus, Reccaredo filio Regnum, ſimúlque cauſam belli, quæ in Septimania

A. 586.

ſolâ manu ſuâ: ſi cum alio, *jurabat in manu proximi*: ſi cum pluribus, *jurabat tertiâ manu, vel quartâ, vel duodecimâ manu* &c. III. Ritus ſacramentum præſtandi extat in L. Alemannica tit. 6. §. 7.: *Illa ſacramenta debent eſſe jurata, ut illi conjuratores manus ſuas ſuper capſam ponant, & ille ſolus, cui cauſa requiritur, verba tantùm dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat, ut ſic Deus illi adjuvet, vel illa reliquiæ, ad illas manus, quas comprehenſas habet, ut de illa cauſa interpellatus eſt, culpabilis non ſit.* IV. Sacramenta illa in Eccleſiis peragebantur ſuper Crucem, ſuper unum vel plura altaria, ſuper S. Evangelia, ſuper Canonem Eccleſiæ, ſuper ſanctas Reliquias, quas tangebant juratores, vel ùt ſolebant Epiſcopi ac Sacerdotes, *inſpectis* duntaxat *ſacroſanctis* jurabant. Vide DUCANGII Gloſſarium in V *Sacramentum.* Cæterùm in cauſa Clotharii trecenteſimâ manu juratum eſt; Guntchramnum tamen poſt hæc multæ curæ vexârunt de ejuſdem Infantis Natalibus: timebat autem, ne, ſi genuinus Chilperici filius non eſſet, per alienum à Clodovei ſtemmate Merovingorum ſtirps propagaretur: unde poſt tres annos in colloquio (quod cum Gregorio Turonenſi habuit) ſibi necdum omnem ſcrupulum exemptum eſſe oſtendit. Vide *Gregor. Turon*, Lib. IX. c. 20.

nia à Francis urgebatur, armis definiendam reliquit. Sed novo Regi pacis consilia præ ancipiti bello placuerunt; quare iteratâ legatione (o) Guntchramni tentabat animum: quem ubi adversùs preces, ac mitiora remedia obstinatum sensit, resumptis armis, Narbonem usque procurrens, vicinas Guntchramni ditiones ferro, flammísque exhausit (p). Cladis multiplicatæ acerbitas adeò non Burgundici Regis pertinaciam infregerat, ut bello uno attritus, nova semper bella anhelaret; ad speciem causatus, suâ interesse, ut Ingundis ex fratre Sigeberto neptis sui fati ultorem habeat: re ipsâ tamen Guntchramno propositum erat, causam exsculpere, quâ Septimaniam è Gothorum manibus in suam traducere potestatem liceret. Childebertum, quò minùs is auxilia eodem tempore Guntchramno daret, Italicum, quod contra Longobardos conceperat, bellum, tum alii domestici turbines impedivêre. Nam Fredegundis, ùt in Brunechildem capitali ferebatur odio, omnem movebat lapidem, ut invisam sibi Reginam, ac Regis matrem à Childeberti latere avelleret: Bojonis primùm Ducis malignâ operâ utebatur: sed idem factorum pœnitens, dictato à Guntchramno & Childeberto Regibus supplicio pœnam exsolvit (q). Uno pessimorum consiliorum artifice sublato, Fredegundis alium nacta est, qui & Brunechildi matri vitam, & Childeberto filio Regnum eripere constituerat: Racchingo huic nomen fuit, qui Ursione & Bertefredo lectis sociis id agebat, ut Childeberto occiso Rege, & Brunechilde à clavo rerum longiùs submotâ, ipse loco Theodeberti, qui Childeberti filius major natu fuerat, Campaniam: Ursio verò & Bertefredus nomine Theodorici filii junioris reliquas Regni paterni ditiones gubernaret. Quibus pro ordine conjurationis dispositis, Racchingus ad Childebertum pergit hercíscundorum Regni finium specie, re ipsâ cædem Regi illaturus (r). Sed anteà, quàm limen Regium sicarius intraret, præmonitus à Guntchramno de insidiis Childebertus, venientem Racchingum dissimulanter admittit: mox à colloquio egressum ostiarii affligunt solo; tum prostratum cæteri, quibus in mandatis erat, in frusta concidunt. Ursio & Bertefredus utprimùm de iis, quæ acta essent, cognovêre, se intra castrum Vabrense subitò conjiciunt; ubi,

(o) Idem c. 35: 36.

Reccaredus frustrà pacem inire nititur cum Guntchramno.

(p) Gregor. Tur. l. 8. c. 35

Conjuratio adversùs Childebertum.

(q) Gregor. Tur. l. 9. c. 10

A. 587.

(r) Idem l. 9. c. 9. Fredegar. Chron. c. 8.

Detegitur conjuratorum consilium, & punitur.

ubi, poſtquam adversùs Childeberti inſtantem vim tantiſper ſe muniverant, deſperatione tandem actus Urſio, ultrò in ſicas hoſtiles (s) provolavit: Bertefredus verò Viridunum elapſus, in ipſa Eccleſia, ad quam confugerat, trucidatus eſt. Guntchramnus, poſtquam providentiâ ſuâ à nepote ſalutis periculum averterat; Childebertum eundem Andelaum evocabat, ut cætera, quæ ad regundos fines utriuſque Regni, tum quæ ad communem omnium incolumitatem pertinerent, decernerentur (t). Pactioni ſolenni Childebertus hoc quoque caput appoſuit, nihil ex gravioribus negotiis à ſe ſuſceptum iri, cujus non antè conſilium, ſententiámque Guntchramni expoſceret (*78). Dum hæc aguntur, Reccaredus tertiâ legatione Guntchramnum in pacem inflectere conabatur (u): ſed hâc rurſus in irritum cadente, Oratores ſuos ad Childebertum & Brunechildem pergere juſſit; illinc oblatis decem aureorum millibus evicturos, quod contumax Guntchramni ingenium toties abnuiſſet. Largitione ejuſmodi pax mutua à cupido Childeberto facilè empta eſt: ad firmitatem fœderis Legati porrò rogabant, ut Rex ſororem Chlodoſvindam Reccaredo in ſponſam daret. Id verò poſtulatum quò minùs expleretur, non pauca obſtacula fuêre; præterquam enim, quòd Authari Longobardorum Regi eadem uxor jam deſignata eſſet (x); tum conjugia ferè infauſta dicebantur, quæ Viſigothos inter & Francos inirentur. Cujus ad exemplum cùm Rithgundis in Hiſpaniam ad nuptias proficiſcentis, & Ingundæ nuper dirè vexatæ peſſima fata recitarentur; cumuli loco accedebat,

(s) Greg. l. c.

(t) Gregor. Tur. l. 9. c. 20. Fredegarii Chron. c. 7.

Pactum Andelaenſe Guntchramnum inter & Childebertum.

(u) Gregor. l. 9. c. 16.

Reccaredus impetrat à Childeberto pacem, ſimúlque ſororem ejus in ſponſam.

(x) Paulus Diac. Longob. l. 3. c. 29.

(*78) GREGOR. TURON. Lib. IX. c. 20. pactionem mutuam, quam Guntchramnus & Childebertus iniverunt, nobis ſervavit; hujus capita præcipua ſunt: I. Convenêre, ut, cùm Guntchramnus integram portionem Regni Chariberti ſibi deberi contendat, & Childebertus omnia paterna vindicare cupiat, Guntchramno adſcribatur *tertia pars Pariſiorum*, quæ ad Sigebertum ex Chariberti hæreditate devoluta fuerat, unà cum *Duno*, *Vindocino*, *Carnoteno* &c.; Childeberto verò tribuantur *Meldi*, *Silvanectum*, *Turones*, *Pictavi*, *Abrincates*, *vicus Julii*, *Conſorani*, *Lapurdum*, & *Albigis*. II. Se invicem mutuos horum Regnorum hæredes conſtituunt. III. Brunechildi conceſſum, ut *Cadurcenſi* civitate potiatur, & poſt mortem Guntchramni etiam *Burdigalâ*, *Lemovicis*, *Brencarno*, *Bigerrâ* &c. loco dotis, quæ ad Galeſvindam, ſive Brunechildis ſororem pertinuerat. IV. Pactioni appoſita eſt conditio, ut, ſi quis aliquid ex his violare auſit, omni jure excidat.

debat, quod citra Guntchramni consensionem, Chlodosvindam Visigotho tradere à pactis nuper conditionibus abhorreret. Nihilominùs cæteris difficultatibus omissis, Childebertus Felicem Legatum ad Guntchramnum misit, qui Reccaredum insontem diceret, neque conscium eorum, quæ acerbiùs Ingundæ evenissent: quo facto, Guntchramnus mollior, nuptiis non admodùm refragari visus est (y).

(y) Gregor. Tur. l. 9. c. 20.

Bellum Childeberti contra Longobardos in Italia.

A. 588.

32. Autharis Rex Longobardorum (cui eadem Chlodosvinda in uxorem paulò antè promissa fuerat) ubi præreptam sibi sponsam audiit; non obscurè intelligebat, pacis & amicitiæ pignore amisso, Longobardis deinceps cum Francica Gente periculosius bellum fore. Neque opinio Regem fefellit; nam Childebertus auxilia, quæ pro oblatis quinquaginta aureorum millibus Imperatori Mauritio dudum debebat, nunc tandem in Italiam mittere constituit (z). At Autharis seu odio, seu desperatione rerum fortior, propinquanti exercitui tam opportunè se objecit, ut, antequàm Francicus miles pedem Italiæ inferret, jam prælio fusus, fugatúsque, totâ Italiâ decederet (a). Rex Longobardorum, ut porrò acceptas injurias ulcisceretur, à Garibaldo Bajoariorum Duce filiam Theodelindam in thori consortem expetebat: hoc enim nuptiali vinculo universam illam Gentem devinciri posse credidit; quæ (si tempus posceret) vel Francorum abjicerent jugum, aut Longobardis paratam contra Francos operam præstarent (b). De nuptiis infestis utprimùm Childeberto nunciatum est; lectus subitò Francorum exercitus Bajoariam invadit, agrum, qua latè patebat, incendiis, cædibúsque miscet: quibus peractis, Tassilo Bajoariis deinceps præesse jussus, & Garibaldus in ordinem redactus est (c). In Franciam postquam onustus spoliis miles redierat; Childebertus legatione Constantinopolim missâ, restaurat fœdus (*79): & Mauritio gratificaturus,

(z) Gregor. l. 9. c. 29. Vales. rer. Franc. l. 14.

Francorum cædes.

(a) Gregor. l. 9. c. 25. Paul. Diac. Longob. l. 3. c. 30.

A. 589.

(b) Paulus Diac. c. 31. Fredegarii Chron. c. 34.

Franci Bajoariam populantur.

(c) Paulus Diac. Long. l. 4. c. 7. Aimoinus l. 3. c. 77.

Altera, eáque infelix Childeberti expeditio in Italiam.

(*79) GREGOR. TURON. Lib. IX. c. 2. duos ex Legatis per iter occisos ait, & tertium tandem Constantinopolim venisse; ubi conditiones fœderis cum Mauritio iniit, quæ tales fuêre (utì refert Eckhartus breviter Lib. IX. rer. Francic.) nempe ut Romanis sive Italis parceretur, & si qui à Francis in servitutem abducti essent, libertati redderentur, ac tandem post debellatos Longobardos pars regionis (quam Sigebertus in potestate habuerat) unà cum cunctis Autharis opibus Childeberti esset; reliqua omnia Imperatori restituerentur.

rus, omnes Regni ſui populos ad Italicam expeditionem provocat. Multitudo Ducum (viginti quippe ad ducendum militem deſignati (*80) fuerant) & Longobardorum paſſim ex agris in caſtella de compoſito recedentium dolus, tum morbis fœta inedia totius belli ſpem adeò infregêre; ut Archiſtrategis moleſtias graviſſimas citra commodum paſſis receptui canere, & ex ingenti multitudine exiguas reliquias in patriam reducere neceſſe fuerit (d). Infamiam cladis hoſtium metus aliquantùm imminuit; nam Autharis novam procellam ſubveritus, pacem à Francis precari cœpit (e): dein Alboinus in mortui Autharis locum ſuffectus, eandem annuo tirbuto oblato à Childeberto impetravit, minore utique Victoris, majore eorum, qui victi fuerant, emolumento (f).

(d) Gregor. l. 10. c. 3. Paul. Diac. l. 3. c. 32.

(e) Paulus Diac. c. 35.

Longobardi pacem ineunt cum Francis.

33. Dum Childebertus res ſuas cum externis hoſtibus componebat; domeſticæ turbæ ac diſſidia recruduerunt. Guntchramnus intereà ſiniſtrâ belli fortunâ Septimaniam tentaverat, & amiſſo toto exercitu, nihil ſpei aut virium habebat reliquum (*81, quo Viſigothis palmam, aut regionem eriperet. Id

(f) Gregor. l. 10. c. 3. Paul. Diac. c. 36.

Guntchramni infelix expeditio in Gothos.

A. 589.

(*80) Inter Duces viginti, qui ex teſtimonio Gregorii Lib. IX. cap. 3. exercitum Childeberti in Italiam deduxêre, ſequentes fuêre: *Audovaldus*, *Wintrio*, *Olo*, *Chedinus*, *Leufredus*, *Olfigandus* Bajoarius, filius Wolfi, ſive Welfi, (ex quo Eckhartus derivat, *Bonifacium* è Bajoariis oriundum, & primum Tuſciæ Ducem ac GUELFOS ſive CATULOS Bajoariæ & Sueviæ Principes) demum *Reudingus*. Eventum belli deſcribit GREG. Lib. X. c. 3.: *Per tres menſes Italiam pervagantes, cùm nihil proficerent, neque ſe de inimicis ulciſci poſſent, eoquòd in locis ſe communiviſſent firmiſſimis, neque Regem capere, de quo ultio fieret, qui ſe intra Ticinenſes muniverit muros, infirmatus aërum intemperantiâ exercitus, ac fame attritus redire ad propria deſtinavit, & ſic regredientes ita fame conficiebantur, ut priùs & arma & veſtimenta ad coëmendum victum demerent, quàm locum genitalem contingerent.*

(*81) GREGOR. TURON. Lib. IX. c. 31.: *Guntchramnus verò Rex exercitum commovit in Septimaniam. Auſtrovaldus autem Dux priùs Carcaſonam accedens, ſacramenta ſuſceperat, ipsóſque populos ditioni ſubegerat Regiæ. Rex autem ad reliquas civitates capiendas Bojonem cum Anteſtio deſtinavit, Qui accedens cum ſuperbia, deſpecto Auſtrovaldo Duce atque condemnato, cur abſque eo Carcaſonam regredi præſumpſiſſet? ipſe cum Sanctonicis, Petragoricis, Burdegalenſibúſque, Agennenſibus etiam & Toloſanis illuc direxit. Cúmque in hac jactantia ferretur, & Gothis hæc nunciata fuiſſent; paraverunt ſe in inſidiis. Hic verò ſuper fluvium parvulum, propinquum urbi caſtra ponit, epulis inſedit, ebrietatibus incumbit, convitiis & blaſphemiis Gothos exaggerans. Illique inruentes ſuper ipſos, reperiunt epulantes, inopinantéſque. Tunc hi dantes voces, exſurgunt contra eos; at illi paululùm reſiſtentes, fugam ſimulant: proſequentibúſque iſtis conſurgunt, qui præparati erant de inſidiis, concludentes eos in medio, uſque ad*

(g) Gregor. l. 9. c. 31. *Simultas inter Guntchramnum & Childebertum.* A. 590. (h) Idem c. 32. (i) Idem l. 9. c. 38. *Conjuratio contra Childebertum.*

Id quamvis fatum soli Ducum negligentiæ Guntchramnus adscribere debuisset (g); in Childebertum unum infausti eventûs caussam inde conjecit, quòd rogatus, sociare arma contra Gothos noluisset. Accedebat simultati suspicio, quæ Guntchramno persuadebat, à Childeberto Theodebertum filium Suessiones esse missum, ut inde Lutetiæ urbi insidiaretur: nec levis opera adhibenda fuit, dum gemina, eáque vana opinio Guntchramno eximeretur (h). Malo hoc consanato, in ipso Childeberti palatio nova conjuratio detecta est (i). Sicariis duodecim (nam totidem Fredegundis in Regis caput rursus conduxerat) captis, & supplicio affectis, Ægidius Remorum Antistes ob ejusdem criminis, tum aliorum flagitiorum conscientiam Metis in custodiam dabatur: & subinde Virodunum ad Episcoporum conventum traductus, ubi proprio ore & falsi admissum crimen, & Majestatis læsæ scelus audientibus omnibus confessus fuerat; Patres congregati eundem à Sacerdotali ordine amoverunt: quo peracto, vir exauthoratus, & multarum insidiarum caput in Argentoratensem urbem exulatum ivit (k). Post breve intervallum Fredegundis quoque à malefactorum suorum mercede haud procul aberat; postquam enim ex insidiis tres viros bipennibus confodi fecerat, comprehensa, atque in judicium capitale pertrahenda servabatur (l). Mora tamen dum nectitur, illa è periculo à suis erepta, ad Guntchramni opem confugit; quam ut certiùs sibi devinciret, eundem Parisios invitabat, ad puerum Regium è sacro fonte levandum. Neutrum officium Guntchramnus abnuit, cúmque salutis aquâ infans ablueretur, Clotharii nomen ei imposuit, id voti loco subjungens (m): Crescat puer, & hujus sit nominis executor, ac tali potentiâ polleat, quâ ille quondam præminuit, cujus nomen indeptus est (*82). Childeberto collata in Fredegundem & Clotharium beneficia non exiguas injecêre

(k) Idem l. 10. c. 19. *Fredegundis crudele & dolosum ingenium.* (l) Idem l. 10. c. 27. A. 591. *Guntchramnus Clotharium Chilperici filium è sacro fonte levat.* A. 592. (m) Idem l. 10. c. 28.

ad internecionem ceciderunt. Hæc postrema expeditio Francorum in Gothos fuit, nec Septimania rursus tentata est, dum Carolus Martellus Major Domûs fusis Saracenis, eam regionem ferè omnem in Provinciæ formam redegit.

(*82) GREGORIUS TURONENSIS, postquam Glotharii junioris Baptismum recensuit Lib. X. c. 28., duo adhuc capita subjicit, quibus positis suam finit historiam, scilicet anno 591.

cêre curas; à Guntchramno quippe diu adoptatus, nunc maximè timebat, ne Patruus mutato conſilio, Regni ſpem aliò transferret. Guntchramnus etſi Childeberto facta promiſſa amplioribus verbis firmaret; non antè tamen is metuere deſiit, dum Guntchramnus paulò pòſt morte ſuâ eundem ab omni ſollicitudine liberaret. Obiit hic nimirum ultimus ſuorum fratrum Cabilone anno Regni ſui tertio ſupra trigeſimum, in S. Marcelli Eccleſia ſepultus (n), quam Baſilicam ſuis opibus exſtructam, pluribus donis locupletaverat. Inter propinquos mitior, religioſior, & alieni minùs cupidus, latiſſimè & diutiſſimè imperavit: cæterùm à belli artibus parùm celebris, liberalitate verò in Eccleſias, clementiâ erga afflictos, voluntariis jejuniis, crebríſque orationibus, majorem apud poſteros virtutis, pietatíſque laudem promeruit (*83).

Guntchramni obitus. A. 593.

(n) Fredeg. Chron. c. 14. Aimoinus l. 3. c. 28.

34. Childebertus ùt Patruum vitâ & Regno abiiſſe audiit; Burgundiam (*84) adoptionis jure ſibi adjecit (o): quâ ampliſ-

Childebertus hæres Guntchramni Regis.

(o) Fredeg. Chron. c. 15. Aimoinus l. 3. c. 82.

(*83) HENSCHENIUS in Act. SS. ad XXVIII. Martii in Commentario prævio refert, GUNTCHRAMNI memoriam & cultum ſacrum in Martyrologiis celebrari; nempe in *Apographo Martyrologii antiqui*, quod S. Hieronymi dictum, ſub finem appoſitis SS. nominibus auctum eſt: *in MSS. Romano Cardinalis Barberini*, *Auguſtano S. Udalrici*, *Aquiſgranenſi* Eccleſiæ primariæ, in duplici *Pariſienſi*, quorum alterum Labbeus, alterum Dacherius edidit: in *Remenſi* SS. Timothei & Apollinaris: in *Lætienſi*, Corbejenſi & Tornacenſi S. Martini, in quo primo loco nominatur: In Martyrologio *Romano*, *Bedæ* &c. FREDEGARIUS in Sæc. VII. virtutes ejus ita congeſſit: *Cum Sacerdotibus utique Sacerdotis inſtar ſe oſtendebat, & cum Leudis erat aptiſſimus, eleëmoſynam pauperibus largè tribuens, tantæ proſperitatis Regnum tenuit, ut omnes etiam vicinæ Gentes ampliſſimas de ipſo laudes canerent.* SAUSSAJUS apud Henſchenium pag. 719. ait: “eum actiones ſuas ad legis Dei præſcriptum diſpoſuiſſe, ut perfectæ pietatis & juſtitiæ typum ſanctiſſimis ſuis moribus populo ſibi ſubdito exhibuerit. Hic zelo divini honoris intenſiſſimo flagrans, Eccleſias multas conſtruxit; censúque & ornatu copioſo ditavit & decoravit. Dignitatis ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindex acerrimus, pauperum amator munificus, theſauros ingentes in eorum ſolatium, & Religionis augmentum profuſis charitatis viſceribus erogavit. Ad avertenda divinæ iræ flagella, jejunia, vigilias, rogationes indici curavit. Totus ipſe pietatis officiis deditus, Dei furorem, populi peccatis excitatum, mentis puræ famulatu non ſemel delinívit: ipséque aliquando appellatus à ſicario, dum ad altare devotè communicaturus oraret, divinitùs ſervatus eſt illæſus. Cujus meritis hoc etiam Divina Bonitas addidit, ut gratiâ miraculorum inſignis foret: dum attactu fimbriæ iſtius veſtimenti puer à febre quartana ſanatus eſt: ac per ejus nominis invocationem diabolicæ præſtigiæ ſolutæ ſunt, larvæque ſæpiùs fugatæ.„

(*84) *Burgundiæ* nomine veniebant eæ ditiones, quæ Guntchramno paruerunt, iſque mos retentus uſque ad tempora Theoderici Clodovei junioris filii. Cæterùm ad

Bellum Childeberti contra Clotharium & Fredegundem.

ſimâ hæreditate auctus, mox altiores de tota Francia ſubjuganda ſpes agitabat. Neque poſt tot à Fredegunde in familiam Childeberti prolatas injurias, belli gerendi titulus deerat; quare ingenti ex Auſtraſiis coacto exercitu, ſociatíſque Burgundionum auxiliaribus, Vintrioni & Gundoaldo Ducibus imperat, ut Clotharii Regnum latè populando terrorem ſpargerent (p). Fredegundis de periculo admonita, Sueſſionum urbem occupat, militémque (quantùm arcta neceſſitas ſinebat) ſubitò collectum graſſantibus opponit. Copias tamen cùm numero impares haberet, ſingulorum multiplicare vires ac animos inde cœpit, quòd Clotharium (octo is tunc annorum erat) in mediam concionem deductum, omnibus præſentem Regem oſtentaret, veluti virtutis, quam daturus miles eſſet, teſtem ac ſpectatorem: viſo Clothario nullus erat, qui non in maximos auſus arderet. Tum Fredegundis ſuorum fortitudinem dolo adjutura, monebat, ut in procul diſſita ſylva deciſum arboris ramum equitum quiſque ad pugnam dexterâ præferret; dein tintinnabula equorum collis appendentes, ſub lucis ortum ad hoſtium caſtra lento gradu moverent (q). Quamprimùm in conſpectum hoſtilis exercitûs ſomno adhuc ſopiti deventum eſt; vigiles ex arborum ramis ſylvam in proximo poſitam, in qua pecora paſcua carperent ſuſpicati, periculum nullum advertunt, aut diſſimulant. Intra teli jactum tralatitiam ſylvam ſuam Clotharii miles jam deportaverat; tum ramis excuſſis, & ſcenâ ſylveſtri in horrifici exercitûs ſpeciem versâ, ubique in caſtra hoſtium ſomno adhuc ferè ſepulta, arma, promiſcuámque cædem infert: & Childebertus ſe ci-

Fredegundis dolo vincit Childeberti exercitum.

(p) Fredeg. Chron. c. 14. Aimoinus l. 3. c. 82. Geſta Reg. Franc. c. 36.

(q) Geſta Fr. Reg. c. 36.

Guntchramni Dominatum pertinebat 1. *Burgundia* propriè dicta. 2. *Regni Aurelianenſis*, & poſt mortem Chariberti *Pariſiaci* etiam *Regni* non minima pars in Gallia Lugdunenſi & Aquitania, cum *Provincia Arelatenſi.*

(*85) FREDEGARIUS in Chronico cap. 15. refert Bellum, quod Childebertus contra Warveum Britonum Regulum movit in Nannetum aut Rhedonum tractu. De exitu ſilet; ex quo colligitur, plurimis utrinque cæſis, ancipitem pependiſſe victoriam. Alterum bellum contra Varnos felicius Childeberto erat; nam Fredegarius teſtatur in Chronico cap. 15., Gentem totam à Francis deletam fuiſſe. Confederant Varni ad Rhenum inferiorem in Weſtphalia, ubi hic populus Saxonici generis ſub ſpeciali Rege habitabat: ſubinde à Francis Varni ſubjugati circa annum 550., poſteà anno 595. contra Childebertum aliis bellis diſtractum rebellârunt, non ſine ſuo exitio; nam adeò prælio attriti ſunt, ut ab eo tempore in Hiſtoria nulla eorum mentio habeatur. Vide Eckhartum Lib. IX. rer. Franc. §. 77.

se citiùs sensit vinci, quàm ejus, qui posset vincere, videret adventum. Post hanc pugnam Clothario quies à Patruo erat, utpote novis Britonum, & Varnorum bellis implicito (*85): quibus vario & ancipite Marte gestis, præmaturæ morti succubuit, non sine suspicione veneni extinctus, anno ætatis sexto supra vigesimum (*86), Regni vigesimo primo. Quàm obscurus Sago, tam illustris togâ fuit; in comitiis namque, & in Campo Martio de Reipublicæ incolumitate cum Regni Optimatibus multa meditatus, eas leges evulgavit, quæ hodiedum inter Francorum ac Ripuariorum sancita continentur (*87). Regium Conjugem Falileuba uxor eodem lethi genere secuta est (r). Parentibus defunctis, duo filii Theodebertus & Theodoricus ita Regnum divisêre, ut ille natu major (nam decennis alterum anno uno superabat) Austrasiam; hic minor Burgundiam sortiretur, Brunechilde Aviâ utriusque imbecillem ætatem moderante. Interea Fredegundis Patrueles novo bello aggreditur (s): Parisios, aliáque ad Sequanam oppida occupat, majores strages datura nisi

Bellum Childeberti contra Britannos & Varnos.

A. 596.

Childeberti inopinatus obitus, & ejus uxoris Falileubæ.

(r) Fredeg. Chron. c. 16. Paul. Diac. l. 4. c. 12.

Theodebertus & Theodoricus succedunt Patri.

(s) Fredeg. Chron. c. 17.

A. 597.

(*86) FREDEGARIUS in Chronico c. 16. ait: *Anno IV., postquam Childebertus Regnum Guntchramni acceperat, defunctus est.* Quartus tamen annus haud completus erat; unde CHRONICON MOSSIACENSE habet: *Anno tertio.* PAULUS DIACONUS Lib. IV. c. 12. scribit: *Hâc etiam tempestate Childebertus Rex Francorum, ætatis anno vigesimo quinto cum uxore propria (sicut fertur) vi veneni extinguitur.* Sed quia Childebertus circa Pascha anno 570. natus est, & mortuus anno 596., videtur saltem attigisse annum vigesimum sextum, quem incompletum Paulus non numeravit. Qui author necis fuerit, non constat: sunt, qui Falileubæ uxori eam tribuere velint; at hæc inde criminis suspicione vacare videtur, quia paulò pòst per eandem veneni vim extincta est. Brunechildem alii hujus sceleris accusant; ùt videri potest apud COINTE in Annalibus ad annum 596. §. 1. 2. ECKHARTUS tamen eam quoque absolvendam putat, eoquòd Clotharius posteà Brunechildi aliorum cædem objectans, de filii morte planè siluit.

(*87) ECKHARTUS Lib. IX. rer. Franc. §. 76.: " Childebertus Rex *anno vigesimo Regni sui anno*, qui Christi est 595., Calendis Martiis Campum Martium *Antonaci* ad Rhenum habuit cum Optimatibus Austrasiis, ibíque constituit, ut nepotes ex filio vel filia in aviaticarum rerum, sive allodiorum hæreditatem cum patruis & amitis veniant. " Sub idem tempus Trajecti ad Mosam ab eodem Rege constitutum est, ut, si quis quaslibet res, ad Ducem aliquem, aut Judicem, aut Comitem pertinentes, *per decem annos* inconcusso jure possederit, nemo licentiam habeat, easdem *intertiandi*, sive in manum tertiam ponendi aut sequestrandi. Cap. VI. de *Farfalio* sancitum est, sive de irruptione hostili, hanc qui in *mallo* sive publico conventu minatus fuerit, ad *Werigildum*, sive pretium vitæ suæ solvendum condemnatur. Eodem tempore *Coloniæ* pro incolis Provinciæ *Ripuariensis* lex de *Chreneebruda* per Childebertum abrogata est; erat autem ejusmodi: homo ob æs alienum in judicium adductus, duodecim sistebat viros, qui

Brunechildis ab aula Theodeberti amandatur. nisi Deus repentino fato mulieris æstum compressisset (*88). Dum fax una Franciæ extincta jacebat; altera sive Brunechildis in aula Theodeberti funestiores turbarum flammas jactare cœpit: impotentem fœminæ dominatum, bonorúmque cædes ægro animo Magnates tribus jam annis tulerant; tum efferati Austrasii Theodebertum cogunt, ut Brunechildem palatio exigat (t). Hæc subitò opibus, & favore nepotis exuta, ad Theodoricum in Burgundiam provolat: à quo honorificè suscepta, pro inquieto ingenio suo pejora inter propinquos bella incendit (u); Theodorici namque aures continuò pulsabat infestis consiliis, dum is vocato in auxilium Theodeberto, in Clotharium ultimam vim expediret. Clotharius irruenti hosti ad flumen Arvannam occurrit, conserítque pugnam tam atrocem, ut triginta amplius hominum millia interiisse ferantur (x). Clades demum & fuga in Clotharii aciem incubuit, quin ipse Rex ex suorum internecione elapsus, salutis causâ Parisios celerrimè advolabat. Victores fratres fugientem insequendo, terras eas, quas antè Fredegundis eripuerat, receperunt; & tandem lento gradu Clothario imminentes, eundem in has pacis conditiones compulêre: ut, quod Ligeris & Sequana usque in Oceanum Gallicum comprehenderet, Theodoricus: quod ab Isara ad mare protenderetur, Theodebertus acciperet (y). Quâ pactione præter duodecim pagos amisit omnia: supremo & provido in cælis Numine, quod rebus in humanis mirabili cum vicissitudine ludere solet, ita disponente, ut, qui ad arctissimam & imam fortunam depressus jam jaceret; paulò pòst ad amplissimum & summum totius Franciæ Dominatum universalis Gentis Princeps elevaretur (*89).


(t) Fredeg. Chr. c. 18. 19. A. 599. *A Theodorico suscipitur* (u) Fredeg. Chron. c. 20. Aimoinus l. 3. c. 28. *Bellum duorum fratrum contra Clotharium.* (x) Gesta Fr. Reg. c. 37. A. 600. *Clotharii exercitus internecione deletur.* (y) Fredeg. Chron. c. 20. Gesta Reg. Franc. c. 37.


qui jurarent, quòd debitor nihil præter ea, quæ obtulisset, in facultate habeat. Hoc facto idem debitor domum suam ingressus, de quatuor angulis pulverem terræ in pugno colligebat, & posteà in vestibulo sistens, atque in domum respectans, manu sinistrâ super scapulas pulverem in propinquum sanguine ejaculabatur, qui posteà æs alienum expungere tenebatur. Ut verò debitor se cedere bonis ostenderet; Camisiâ solâ indutus, & manum baculo fulciens, supra sepem exiliebat.

(*88) VENANTIUS FORTUNATUS L. IV. Carm. I. Fredegundem piam, plures alii scelestam depingunt. *Gesta Francorum* ajunt, Fredegundem sepultam esse Parisiis in templo S. Vincentii, cujus tumulum opere tessellato ornatum expressit RUINARTUS in Appendice ad opera Gregorii Turonensis.

(*89) Ad dicta magìs illustranda, sub finem stemma genealogicum à primis Francorum Regibus cœptum, & ad Clotharium II. usque continuatum hìc subjicimus:

HISTO-


MEROVEUS † anno 451.
CHILDERICUS † anno 481.
CLODOVEUS † anno 511. Uxor Clotildis Childerici Burgund. Regis filia.
Lantildis,
Albofledis,
Audofledis Theodorici Regis Ostrogothorum uxor.
THEODORICUS Rex Metensium, ex Concubina natus, † an. 534. Uxor Suavegotha filia Sigismundi Burgund. Regis.
Ingomerus † an. 494.
CLODOMERUS natus an. 495. Rex Aurelian. † an. 524. Uxor Gundeuca.
CHILDEBERTUS I. Rex Parisiorum, † an. 558. Uxor Ultrogotha.
Clotharius I. Rex Suessionum, & posteà Francorum Monarcha, † an. 561. Uxores 1. S. Radegundis, 2. Gundeuca Clodomeri vidua, 3. Ingundis, 4. Aregundis, 5. Chunsena.
Crotildis Uxor Amalarici Regis Visigoth. † an. 530.
THEODEBERTUS I. Rex Metensium, † anno 547. Uxores 1. Wisegardis, Waconis Regis Longob. filia 2. Deuteria.
S. Theudechildis Uxor Radichis Varnorum Regis.
Theodoaldus † an. 532.
Guntharius † an. 532.
Clodoaldus Monachus.
Crotberga
Crotsinda.
2 THEODEBALDUS Rex, Uxor Walderada, Waconis Regis Longob. filia.
Bertoara à Totila petitur sponsa, sed non obtinetur.
3 Guntharius † ante Patris obitum.
3 Childericus † ante Patris obitum.
3 CHARIBERTUS Rex Parisiorum, † anno 567. Uxores 1. Ingoberga, 2. Theodegildis, 3. Merofledis, 4. Marcoseva.
3 GUNTCHRAMNUS Rex Burgund. & Aurelian. † an. 593. Uxores 1. Veneranda Concubina, 2. Mercatrudis, 3. Austrigildis.
3 SIGEBERTUS Rex Austras. † anno 575. Uxor Brunechildis, Athanagildi Regis Gothorum filia.
4 CHILPERICUS Rex Suessionum, † anno 588. Uxores 1. Andovera, 2. Galesvinda, soror Brunechildis, 3. Fredegundis.
5 Chramnus cum uxore & liberis combustus anno 556.
Berta Ethelberti Cantiorum Regis uxor.
CHILDEBERTUS II. Rex Austras. Uxores 1. Concubina, 2. Falileuba.
Ingundis, S. Hermenigildi uxor.
Chlodosvinda.
Gundobaldus, † an. 562.
Clotharius, † an. 577.
Clodomirus, † an. 577.
Chlodoberga, Monialis.
Clotildis Monialis.
1 Theodebert, † an. 575.
Merov, † a. 577.
Clodov, † a. 580.
Rithgund, Reccaredi Visigoth. Regis uxor.
Samson, † a. 577.
Clodobert, † an. 580.
Dagobert, † an. 580.
Theodoric, † an. 584.
CLOTHAR. II. Franciæ Monarcha
Uxor Brunechildis vidua Sigeberti Regis.
THEODEBERTUS II. Rex Austras. † anno 612. Uxores 1. Concubina, 2. Bilichildis, 3. Theudichildis.
THEODORICUS II. Rex Austras. Uxores 1. Concubina, 2. Ermenberga Witterici Regis Visigothor. filia, posteà repudiata.
Theudelana
Meroveus,
DAGOBERT I. Rex, Austras.
Charibertus Rex Aquitan. &c.
2 Clotharius, † an. 612.
3 Meroveus, † an. 612.
1 N. Filia Adoboaldo filio Agilulfi Regis Longob. desponsata.
1 Sigebertus II. Rex Austras. † 613.
1 Meroveus,
1 Childebertus,
1 Corbus



Historia de Vandalorum Regno, ejúsque interitu.

§. VIII. *GENSERICI Lex de successione in Vandalico Regno: ex eâ HUNERICUS succedit Patri, ferox in propinquos, multò crudelior contra Catholicos. GUNDAMUNDUS persecutionem Orthodoxorum continuat; dein absistit à furore. THRASAMUNDUS honoribus & periculosioribus insidiis Catholicos subvertere conatur. HILDERICUS ob mite ingenium à Conjuratis Regno exuitur. GELIMER ultimus Rex Vandalorum in Africa victus, & à Belisario captus, Constantinopolim traducitur, finítque Regnum Vandalicum.*

1. REgnorum idem, qui fluminum cursus esse solet. Ut enim amnes lenibus initiis orti, si aquas ad regionis commodum intra justos alvei limites deducant, in longiora spatia excurrunt: sin verò à subita irruentium imbrium mole congesti, supra ripas cum strepitu, ac mortalium strage licenter se effundant, torrentium more magnâ celeritate defluunt; ita Principatus virtute cœpti, & ad subditorum salutem gesti, maturum gloriæ, potestatísque senium obtinent: quod attingere Regnis illis rarò concessum est, quæ à turbulenta vi, & ab impietatis impetu aut exordia, aut incrementa captant. Atque hæc ratio fuit, cur Herulorum, Ostrogothorum, Suevorum, Gepidarum, & Thuringorum Regna tam repentino lapsu in ipso fortunæ cursu defecerint; neque alia causa Regno Vandalico tam angustum annorum circuitum præfixit, ut, cujus formidolosam originem, & ferocem progressum sæculi quinti ætas viderat, hujus terminum subsequens sæculum præcipitârit. *In sæculo sexto varia Regna interierunt, & quare?*

2. GENSERICUS postquam Vandalorum Regnum anno CCCCXXIX. in Africa malignâ vi à se constitutum in annum CCCCLXXVII. pessimo furore gesserat; HUNERICUS filius A. 477. *Hunericus Genserici filius.*

ex ultimis Patris tabulis in Regiam sedem suffectus, mitiùs imperare cœpit (a). Nam procul amandatis suppliciis, quibus Orthodoxi exagitati fuerant, beneficia etiam illis impertiri visus est. Ex atrocissima Genserici lege Carthaginensium Ecclesiæ cautum erat, ne mortuo Deogratias Episcopo, alium sibi Præsulem imponeret: & viginti quatuor inde anni fluxerant, quibus fidelium grex Pastore destitutus, luporum insidiis perpetuò patebat; tum Zeno Orientis Imperator deserti popelli miseratus, Legatos ad Hunericum misit, qui donis, fœderísque mutui pollicitatione novum Episcopum eligendi copiam exorarent (b). Rex Vandalorum, quasi aliam à Patre mentem aleret, postulatis omninò annuebat: atque ut ampliùs se Catholicis favere comprobaret, Manichæos eodem tempore velut infestos orthodoxæ fidei hostes dirissimis pœnis coërcuit (c). Quibus minùs perspectum erat, frontem, oculos, vultúmque Tyrannorum sæpiùs mentiri, hi magnas de Hunerici Regno concipiebant spes: at quos varia fortuna ad multiplices casus erudiverat, timebant potiùs, ne pacis efficta species funestiorem tempestatem portenderet. Neque causa fraudem suspicandi deerat; nam Gensericus, antequàm è vita excederet, de successione Regum hanc legem dictaverat: ut Vandalorum Principatus ei semper obveniret, qui per virilem stirpem rectâ serie Gensericum ipsum attingens, cognatos suos ætate præcurreret (d). Suprema testatoris voluntas Hunerico non poterat esse non acerba; propterea quòd ejus filiis exclusis proximam Regni spem in Theodoricum Hunerici fratrem, aut in Patruelem Godagisum Genzonis alterius fratris filium devolveret. Hunericus proinde cùm Patris tabulas infringere non posset; propinquos suos vel proscriptionibus opprimere, aut è medio tollere decernit (e). Quamdiu atrox hæc carnificina in Regio palatio fervebat; ad motus populi sopiendos, Catholicis, quorum magna pars Carthagine fuerat, quâdam clementiæ specie Hunericus illusit: verùm ubi Theodoricus & Godagisus in exilium jam discesserant, ac tota propinquorum familia vel miserè proscripta, vel crudeliter extincta jacebat; extra ictum ac timorem positus Hunericus, odium, quod dolosè ad tempus dissimulaverat, subitò adversùs Catholicos palàm ostentavit (f). Instigantibus Arianæ sectæ Pseudo-

(a) Victor Vitensis Persec. l. 2.

Primò Catholicis favet.

A. 480. & 481.

(b) Idem l. c.

Manichæos exagitat.

(c) Idem l. c.

Lex Genserici de successione in Vandalico Regno.

(d) Procop. de B. V. l. 1. c. 7.

(e) Victor Vit. Persec. l. 2. p. 680.

A. 480. & 481.

Hunericus in propinquos sævit.

(f) Idem p. 682.

Pseudo-Episcopis, omnes, nisi qui Ario dedissent nomen, aulâ & officiis publicis exesse jubebantur: dein quater milleni nongenti sexaginta sex viri in exilium eremi destinabantur. Nec ætati affectæ senum, nec corporum penè exhaustorum infirmitati datum est aliquid: quin afflicta exulum turba, cùm præeuntes infesti itineris Duces insequi haud posset; jactu lapidum, aut hastilium cuspidibus propellebatur (g). A quibus molestiis siquando respirare concessum erat, ergastulo uni simul omnes inclusi, inter fœdissimas sordes ferè computrescebant: tandem in exilii locum deportati, eas solitudines pro domicilio habuêre, quæ aspidum, serpentum, & venenatorum animalium morsibus magìs obnoxiæ censebantur (h). In Gregem ubi tam insolitis modis Tyrannus sævierat; Pastores aggressurus, eodem anno Edictum conscribi facit, quo primùm querebatur, à Sacerdotibus Catholicis & statos Conventus, & Missas celebrari: dein omni excusatione postpositâ, cunctis Afrorum Episcopis præcipiebat, ut ad Kalendas Februarias anni sequentis Carthaginem venirent, fidei suæ rationes daturi (i). In tempore tunc Constantinopoli Cæsaris Zenonis Legatus (cui Regino nomen) advenerat: in hoc Oratore desperatis omnibus, aliquid adhuc fiduciæ erat; sperabant enim, Regem, quem tot lachrymæ ac preces Sacerdotum haud emollirent, legationis officio demulcendum. Sed Reginus tam exiguo loco apud Hunericum fuit, ut eodem præsente, legendum Eugenio Carthaginensi Episcopo Rescriptum mitteret (*1); quo facto, Veredi celeres in universam

A. 483.

Persecutionem acerrimam instituit contra Catholicos.

(g) Victor Vit. Persec. l. 2.

(h) Idem l.

Tyranni Edictum contra Episcopos.

(i) Victor Vit. Persec. l. 2. p. 682. Pagius in Critic. ad an. 483. N. 8.

(*1) VICTOR VITENSIS, postquam notaverat, Hunericum *per quinque annos & amplius* in Manichæos, & in suam familiam sæviisse; tum Lib. II. Persec. Afric. *Edictum primum* contra Catholicos editum testatur, quod erat de omnibus Africæ Episcopis Carthaginem evocandis: *Nam die Ascensionis Domini Legatus Zenonis Imperatoris Reginâ præsente, legendum in media Ecclesia Episcopo Eugenio dirigit præceptum.* In hunc textum subrepsisse errorem, certum est. Quomodo enim Eudoxia Regina præsens esse potuit, cùm ea hoc tempore in vivis non esset? Præterea quâ ratione Legatus Zenonis, sui officii esse putâsset, ut, qui ad placandum Hunericum venerat, Tyranni ferale Edictum contra Catholicos Eugenio Episcopo in media Ecclesia legendum dirigeret? Cæterùm Edictum missum est die XIX. Maji, in quam eo anno festum Ascensionis incidebat, ut legeretur die vicesimâ ejusdem mensis, cùm dicatur: *Datum sub die XIII. Kalend. Jun. anno VII. Regni Hunerici.* Quamobrem literis dies adscripta, non quâ eæ datæ, directæque sunt, sed qua promulgatæ literæ deberent.

versam Africam funestum mandatum detulêre (*2). Anteà quàm Præsules congregarentur (k), Hunericus in cœtum sacras virgines cogebat, ut inde crimen aliquod contra Sacerdotum castimoniam extorquere posset. Eo consilio illibatum pudorem primùm nefandæ obstetricum quæstioni; deinde variis cruciatibus subjecit: suspendebantur autem gravi suspendio corpora, & alligatis ponderibus luxati artus ignitis laminis cremabantur; quibus tormentis Tyrannus effecit nihil, quàm ut Ecclesiæ integritas, velut aurum inter ignes, gloriosiùs hostium oculis illucesceret (l). Intereà jussi Præsules Carthaginem venerant: fit silentium diebus multis; dum Hunericus, quod Cyrola Arianorum Antesignanus suggesserat, doctissimos quosque segregâsset calumniis appositis enecandos: ad disputationis locum subinde itum est, in qua cùm Præsules se Catholicos dicerent, fustuarium retulerunt (m). Ariani demum victoriam desperantes palàm discedunt, id pessimo posteà mendacio apud Regem criminati, Catholicos causæ diffisos suæ cum strepitu aufugisse. Hunericus convitio sponte inclinatus, alterum Edictum promulgat (*3), quo

(k) Victor Vit. Persec. l. 2.

Grassatur in sacras Virgines.

A. 484.

(l) Idem l. 2.

Collatio Carthaginensis vi & fraude peragitur.

(m) Victor Vit. Persec. l. 2.

(*2) IDEM Lib. 2. refert prodigia, quæ Vandalicam persecutionem antecesserunt: *Vidit quidam Fausti Ecclesiam in ornatu fulgentem, cereis quoque fulgentibus, palliorúmque velamine, ac lampadibus rutilantem. Et dum lætaretur candore tanti fulgoris, subitò luminis illius fulgor extinctus est, & tenebris succedentibus adversarius naribus ortus est fœtor, omnisque illa Beatorum turba, expellentibus quibusdam Æthiopibus, minata est foràs.... Quintianus V. Episcopus vidit, se super quendam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ovium suarum, & in medio gregis duæ erant ollæ nimiùm bullientes. Aderant autem ovium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cùm ità fieret, omnis illa multitudo consumpta est Gregis: uti posteà contigit.* Persecutionem hanc quinque libris descripsit VICTOR VITENSIS, quem ex errore communi BARONIUS vocat *Victorem Uticensem*, sive Episcopum in Provincia Proconsulari; nam in Martyrologio Romano ad diem XXIII. Augusti sic habet: *Uticæ Beati Victoris Episcopi*, à quo & scriptam historiam Vandalicæ in Africa persecutionis affirmat in Notis: sed quia de hoc Victore nulla apud Bedam, Usuardum, aliósque mentio fit: & quia tempore persecutionis Uticensis Episcopus erat *Florentinus*; ideò Pagius secutus Chifletium, libros illos *Vitensi Victori* attribuit, qui in Byzacena Provincia tunc erat Episcopus. Incipit autem Author ita opus suum: *Sexagesimus nunc (ùt clarum est) agitur annus, ex quo populus ille crudelis & sævus Vandalicæ Gentis Africæ miserabilis attigit fines.* Itaque cùm ingressus Vandalorum in Africam acciderit anno Christi 419.; liquet, eam historiam anno 488. aut sequenti anno fuisse compositam.

(*3) *Posterius Decretum* contra Catholicos dictatum est anno 484. *VI. Kal. Martias*, scilicet ipso die intercalari, uti advertit CHIFLETIUS in elucid. ad Victorem; cujusmodi

quo Homousianorum (ita Catholicos nominabat) occludi Ecclesias, exui bonis Episcopos, & cæteros iisdem mactari pœnis jussit, nisi ad Kalendas Junias Arium amplecterentur (n). Hæc jussa ubi præceps dederat; nudos & exspoliatos Episcopos extra Carthaginis pomæria ejicit, mox in afflictos, & fame propè enectos cum sessoribus equos immittit, quorum calcibus multi præsertim senes & infirmi Præsules contriti periêre (o). Demum Rex peractæ crudelitatis pœnitentiam simulans, ut in novas insidias Episcopos adigeret, jurare singulos voluit: sibi post Hunerici excessum nullum præ Hilderico filio in votis fore, neque ullum commissurum, ut ad transmarinas regiones epistolas rerum, quæ in Africa gererentur, nuncias transcribat (p). Utrumque cùm alii ob Ecclesiarum commodum sacramento sanciendum putâssent; non aliud præmium tulêre, quàm ut ad agrorum deinceps, non verò ad animarum culturam in Africa retinerentur: aliis verò jusjurandum religionis causâ detrectantibus exilium pœnæ loco dictatum est, nempe ut in Corsicam Insulam devecti Episcopi ligna pro navium usu deinceps inciderent, qui arbusta in Ecclesiæ horto plantare, aut securim ad vitiorum radicem tantùm defigere hactenus noverant (q). Episcopis omnibus rei Catholicæ vel proscriptis, aut in plebejum ordinem redactis (*4), in reliquos

(n) Idem l. 4. p. 687.

Hunerici injuriæ contra Episcopos.

(o) Idem p. 688.

(p) Idem l. 4. p. 689.

Ex Episcopis alii relegantur, alii in Africa retenti, in plebejorum ordinem rediguntur.

(q) Idem L.

cujusmodi dies velut malè ominosos Tyranni seligere solebant: nam LACTANTIUS de Mort. Persec. c. 12. de Diocletiano refert, quòd, cùm anno 303. persecutionem institueret, ominosum diem elegerit, scilicet Terminalia, *quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni.*

(*4) PAGIUS in Critic. ad annum 484. Num. 18.: "Ex congregatis Carthagine Episcopis (quorum erant 348.) trecenti duo extra civitates suas per Africæ Provincias dispersi, terram coluêre; quadraginta verò sex in Corsica ligna cædere coacti sunt. Quibus si addas viginti octo, qui effugerunt, passum unum, & Confessorem unum cum octoginta octo, qui ante Conventum Carthaginensem è vivis excesserunt, habebis numerum quadringentorum sexaginta sex Episcoporum in Africa currente anno sedentium. Et sic fiunt omnes Episcopi diversarum Provinciarum numero 466., ùt legitur in Notitia Provinciarum & Civitatum Africæ, quam Sirmondus Tom. I. Opusculorum publicavit, quæque extat apud Victorem Lib. 4. de Persec. Vandal. In Collatione Carthaginensi anno 411. Honorii jussu habitâ, mentio fit 175. Sedium Episcopalium. Quare intra annos 74. centum & quatuor Episcopatus in Africa extincti sunt. Victor quidem Lib. I. testatur, ex Zeugetanæ & Proconsularis Provinciæ Episcopis, quorum erat numerus 164., paulatim omnes defecisse: *Et nunc* (inquit) *si vel ipsi supersunt, tres tantùm esse videntur, Vincentius Gigitanus; Paulus Sirannitanus, verè, merito & nomine Pau-*

(r) Gregor. Tur. l. 2. c. 3. Victor Tun. ad Leonem Aug. III. Conf.
Victor Vit. Persec. l. 5.
Crudelitas promiscua in omnes Catholicos.
(s) Victor Vit. Pers. l. 5.
Mors funesta Hunerici.

reliquos Afros carnificina prolata est (r): nec ætati, nec sexui parcitum, tantâque cum rabie, támque vario cruciatuum genere in bona, vitámque Confessorum sæviebatur, ut Zeno alterum Legatum Uranium miserit, qui Cæsaris authoritatem interponeret. Sed hâc (contrà ac spes fuerat) contemptâ (*5), ubi furor in pejores ausus exarserat, sol dirissimâ caligine se obvolvisse fertur (*6), ne cruenta tyrannidis spectacula luce suâ collustraret. Porrò supremum Numen ut purpuratum carnificem humanitatis admoneret (s), Vandalos eodem tempore fame & peste castigavit: quibus ærumnis ictus Tyrannus cùm necdum saperet; Deus Hunericum Herodi in vita similem, eodem mortis genere confecit. Ex putrefacto quippe corpore, & vermibus ebulliente furentem evomens animam, obiit anno Regni octavo vastator potiùs Africæ, quàm Rex nominandus (*7).

3. Ex-

ne Paulus; & alius Quintianus, qui nunc persecutionem fugiens, apud Edessam (Macedoniæ civitatem) commanet peregrinus. Sed ibi loquitur Victor non de Episcopatibus. sed tantùm de Episcopis, qui ad eam redacti erant paucitatem, postquam Gensericus anno 455., ne aliqui ordinarentur, prohibuit, adeò, ut intra annos 34. mortui fuerint Episcopi in duabus tantummodò Provinciis 161. „

(*5) PROCOPIUS Lib. I. de B. V. cap. 8. refert, multos ab Hunerico proscriptos in exilium ivisse Byzantium usque, & licèt Tyrannus iis *linguam faucium tenus absciderit*, *explanatè* tamen *locutos* esse. Eâ occasione Zeno, qui anno 483. in Africam miserat *Reginum* Legatum, hoc anno 484. alterum Legatum (scilicet *Uranium*) ad Hunericum destinavit, de quo Victor Lib. 5.: *Sed qui hoc fabulosum putat, Uranium Zenonis Legatum interroget, cujus in præsentiâ præcipua gesta sunt; illâ scilicet causâ, quia veniens Carthaginem sese pro defensione Ecclesiarum Catholicarum venisse jactabat: & ut illi ostenderet Tyrannus, se neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores, & crudeliores statuit, in quibus, Legatis moris est ascendendo ad palatium, & descendendo transire, ad opprobrium videlicet Reipublicæ ipsius, & nostri jam deficientis temporis fæcem.*

(*6) GREGOR. TURON. Lib 2. cap. 3.: *Tunc & sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret; credo namque pro tantis sceleribus, & effusione sanguinis innocentis.* De hac Eclipsi plura habet MARINUS in vita Procli, item CARDINALIS NORISIUS in Histor. Pelag. Lib. II.

(*7) VICTOR Lib. V. Persec. Vand.: *Tenuit sceleratissimus Hunericus dominationem Regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans. Nam putrefactum, & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus videntur esse sepultæ.* Idem habet PROSPER in Chronico apud Canis. Lect. Antiq. Tom. I. pag. 311. At VICTOR TUNUN. in Chronico aliud mortis genus exhibet, dum ait: *Hic itaque Hunericus inter innumerabiles suarum impietatum strages, quas in Catholicos exercebat, octavo Regni sui anno interioribus cunctis effusis, ùt Arius Pater ejus miserè vitam finivit.* Quodipsum ISIDORUS in Chronico Æra quingentesimâ primâ clariùs exprimit:

3. Extincto Hunerico, in manus GUNDAMUNDI, cujus Pater *Genzo Genserici* filius fuerat (*8), sceptrum Vandalicum devenit, ætatis jure, quæ in Genserici stirpe locum ei principem dabat (t). Regni initia etsi eâdem crudelitate, quâ Patruus grassatus in Orthodoxos fuerat, funestaret; tertio tamen anno aliquantùm mitescere cœpit (u); nam Cœmeterium S. Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dari jubebat, cujus clementiæ adeò eum non pœnituit, ut post septimum inde annum Orthodoxorum Ecclesias ab octavo Hunerici anno jam occlusas aperuerit, & omnes Dei Sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi Antistite, de exilio revocaverit (x). His benefactis per annos duos, unúmque mensem vivus supererat, tum fato functus, Thrasamundo fratri Vandalici Regni fasces reliquit.

A. 484. *Gundamundus Rex Vandalorum.* (t) Procop. l. 1. de B.V. c. 8. A. 486. (u) Prosper in Chronico. *Persecutio mitigatur.* A. 494. (x) Prosper l. c. Confer. Ruinart. de Persec. Vand. c. 10.

4. Rex THRASAMUNDUS (*9) fuit formâ, ingenio, animíque magnitudine excellens, dignus proinde, quem alii Patre suo meliorem (*10): alii Vandalorum præstantissimum ac potentissimum dicerent; quémque Anastasius Imperator ob insignem ejus doctrinam in paucis charum haberet (y). His dotibus quantumcunque instructus, ab Ariana insania non abfuit; quâ incitante, Catholicos multò periculosiùs insectabatur, neque enim vi, Antecessorum more, corpora cruciabat, sed honores, Magistratúsque ostentans, pecuniæ quoque largus, imbe_

A. 496. *Thrasamundus Gundamundi successor.* (y) Procop. l. 2. de B.V. c. 8. *Is non suppliciis, sed honoribus & præmiis evertere Catholicos conatur.*

mit: *Octavo Regni anno, ùt Arius Pater ejus, interioribus cunctis effusis, miserabiliter vitam finivit.* PROCOPIUS pauló aliter Lib. I. de B. Vand. c. 8. differit: *Annos decennium octo* (Hunericus) *Vandalis Dominatus morbo oppetiit.*

(*8) Controvertitur inter Authores, utrùm Gundamundus sit idem, qui Godagisus, quémque Hunericus cum aliis propinquis in exilium ejecit. Vide BARONIUM in Annal. ad annum 454. N. 129.

(*9) Thrasamundi nomen variè apud Authores exprimitur: VICTOR TUNUNENSIS eum scribit *Thrasamundum*: ISIDORUS in Chron. *Transimundum*: PROCOPIUS de B. Vand. Lib. I. c. 8. *Trasamundum*: HISTORIA MISCELL. Lib. XV. *Transamundum.*

(*10) S. FULGENTIUS, qui Tractatum de Mysterio Mediatoris Christi Thrasamundo inscripserat, in opere dicto ita scribit: *Oremus autem Deum, ut aures Clementiæ tuæ verbo veritatis placidas reddat, & pio cordi tuo lumen sapientiæ spiritualis infundat, ut Filium Dei, Deum Dominum nostrum Jesum Christum sic honorifices, sicut honorificas Patrem. Meretur enim hoc à Te, ut eum, QUI TE FECIT PATRE TUO MELIOREM, Patri suo secundùm divinam naturam fatearis æqualem.*

imbecillos animos ad patrium dogma pellicere instituit: quin & si quos consilio aut fortunâ, gravibus criminibus obnoxios tene- (z) Idem l. c. ret, his sectam mutantibus impunitatem scelerum dabat (z). Pauci fuêre, qui mollibus ejusmodi insidiis frangebantur: quare, ut populum in vota citiùs inclinaret, contra Episcopos pro- (a) Schelstrate de Eccles. Afr c. 4 cellam concitavit (a). Ad imminuendum horum numerum Edicto Rex cavebat, ne quis Episcoporum initiare alium aut substituere A. 505. præsumeret. Impio mandato Præsules obsecundandum adeò non putârunt, ut cathedris per Byzacenam, pérque alias Provincias po- (b) Vita S. Fulgentii c. 16. sitis abundè prospicerent (b): quod ubi Thrasamundus cognovit, æstu abreptus, Ecclesiarum Patribus luctuosum exilium indixit (c). *In exilium ejicit Episcopos.* Itaque Eugenius Carthaginensis alterâ jam vice mutabat solum, ad Albigensem Galliarum urbem deportandus (d): S. Fulgen- (c) Ibid. c. 20. tius Antistes Ruspensis, & sui sæculi Oraculum cum sexaginta Episcopis in Sardiniam demigrabat (e): quos subinde alii septua- (d) Gregor. Tur. l. 2. c. 3. Confer. Pagi. Critic. ad a. 495. N. 7 8. ginta supra centum secuti sunt, nudi bonis omnibus; nisi quòd pretiosissimum thesaurum, scilicet corpus S. Augustini ex Africa in Sardiniam, sive in exilii locum secum asportarent (f), ubi (e) Vita S. Fulg c. 21. 25 Paul. Diac. hist. l. 4. Confessoribus egentibus profusa Papæ Symmachi charitas alimenta subministrabat (g). Non inulta Regis sacrilegia Deus voluit; nam Cabao Dux Maurorum cum Thrasamundi exercitu subin- (f) Ennod. l. 2. epist. 14. de congressus, Vandalos clade omnium maximâ, quas unquam anteà pertulerunt, affecit (h). His fatis præmonitum, & sub- (g) Herm. Contract. in Chron. inde mortalitate exutum Tyrannum supremus scelerum Vindex ad tribunal suum evocavit anno gesti Regni vigesimo septi- (h) Procop. de B. V. l. 1. c. 8. p. 197. mo (i).

Mors Thrasamundi. A. 523. (i) Prosper in Chron.

5. Thrasamundus, quoniam nec ex prima conjuge, neque ex altera Amalafreda (*11) Theodorici Ostrogothorum Regis sorore

(*11) PROCOPIUS Lib. I. de B. Vand. c. 8.: *Conjuge, ne marem unquam, nec fœminam enixâ, viduatus* (Thrasamundus) *ut Regnum optimè stabiliret, missâ ad Theodoricum Gothorum Regem legatione, sibi uxorem poposcit sororem ejus Amalafridam, à recenti viri funere viduam. Sororem ille misit cum comitatu Gothorum mille nobilium, qui stipatorum munus obirent; hos secuta sunt ministeria è viris bellicosis collecta, ad quina circiter millia* &c. Fuerat hæc Amalafrida jam anteà alteri marito in connubium data, ex quo susceperat *Theodatum* Ostrogothorum Regem, & *Amalabergam* Hermanfridi Thuringorum Regis postea uxorem. Vid. PROCOP. Lib. I. de B. G. cap. 3. 12. item CASSIODOR. Var. Lib. IV. Ep. 1.

ſorore prolem ſuſceperat; ex præſcripto Genſerici ad HILDERICUM *Hunerici* filium regnandi ordo devolutus eſt. Eudoxiæ is matris, ac Valentiniani III. Imperatoris filiæ mite ingenium potiùs, quàm Patris, Avíque ferociam animo receperat (k): quare ab omnibus turbis abſtinens (l), Catholicos (contrà ac Thraſamundus teſtamento reliquerat) vexare omninò ceſſabat; quin pro injuriis beneficia largitus, exulibus Epiſcopis libertatem, patriámque reddidit (*12). Mordebat manſuetum regnandi genus Amalafridam Thraſamundi viduam, cæterósque Arii cultores, quorum odium eò tandem prorupit, ut collatis conſiliis, Regi exitium intentarent. Anteà verò, quàm inſidiis eſſet locus, Hildericus de conjuratione certus, Amalafridam, utpote machinationis infeſtæ Caput, primùm carceri, mox neci dedit (m). Cædes Reginæ tanti apud Viſigothos valuit, ut, niſi vanæ ſine viribus Oſtrogothorum iræ fuiſſent, Athalaricus Rex Italiæ ad ulciſcendam Proamitæ mortem, graviſſimum bellum adversùs Vandalos concitâſſet (n). Periculo uno poſtquam Hildericus emerſerat, in exitialius vitæ, Regníque diſcrimen incidit; nam Gelimer Genſerici ſtirpe natus, Gelaridis filius, ac Genzonis nepos (*13) non dubiis artibus ad Regnum graſſabatur (o), hoc ne diutiùs Hildericus frueretur, eundem apud Vandalos ignaviæ, ac proditionis accuſat: illâ ajebat fieri, ut Maurorum Gens tot cladibus Vandalos atterat; hâc verò brevì actum

Hildericus Rex Vandalorum.

(k) Hiſtor. Miſcell.

(l) Procop. l. 1. de B.V. c. 9.

Favet Catholicis.

Conjuratio adversùs Hildericum.

(m) Victor Tun. in Chr.

(n) Caſſiod. Var. l. 9. ep. 1.

A. 530.

Gelimer Vandalicum Regnum invadit

(o) Victor Tunun. l. c. Jornand. Get. c. 33. Procop. de B. V. l. 1. c. 9.

(*12) VICTOR TUNUN. in Chronico: *Hilperic, qui ex Valentiniani Imperatoris filia à Giſerico captivata, & Ugnerico juncta natus eſt, regnavit annis ſeptem, menſibus tribus. Hic ergo ſacramento à deceſſore ſuo Traſamundo obſtrictus, ne Catholicis in Regno ſuo aut Eccleſias aperiret, aut privilegia reſtitueret, priuſquam regnaret, ne ſacramenti terminos præteriret, præcepit, & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, & Eccleſias aperire, & Bonifacium cum dogmatibus divinis ſatìs ſtrenuum ad poſtulationem totius urbis Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum conſecravit.* Eadem ferè habent ISIDORUS & PROSPER in Chronicis, cæterùm NICEPHORUS divinare videtur, dum Lib. 17. c. 11. ait: *Hoc autem* (Thraſamundo) *defuncto, Hildericus Honorici, ex Genſerico prognati, filius regnavit: vir mitis, & non ùt hic Thraſamundus, Arianus, & Chriſtianorum virorum perſecutor,* Unde enim conſtat, Hildericum inter Catholicos unquam nomen habuiſſe?

(*13) PROCOPIUS obſcuram Gelimeris originem facit; nam Gelimerem Lib. I. B. Vand. c. 9. appellat *Pronepotem Genſerici*, & in Lib. II. c 7. vocat *Abnepotem*; in Grotii verò verſione dicitur *Gelimer, Gelaridis, qui natus Gizericho filius*: nihilominùs

actum iri, ut Justinianus opes, totámque Africam sibi vindicet. Calumnia postrema fidem inde invenit, quòd eodem tempore Hildericus Imperatorem Orientis missis muneribus in arctiorem amicitiam sibi conjunxisset. Crimen itaque, quod nullum erat, suspicati Vandali, Hilderico exauthorato, & in custodiam abrepto, Gelimerem regnare jubent.

Gelimer ultimus Rex Vandalorum.

6. GELIMER, ubi primùm in solio consederat, non tantùm novi Regis, sed & totius Vandalici Regni salus nutare cœpit; Justinianus enim amicissimi sibi Hilderici causam tuitus, postquam verbis, minísque alieni Principatûs usurpatorem frustra terruerat (p), Belisarium cum instructa classe in Africam misit,

(p) Procop. l.1.B.V.c.19.

nùs primo Authoris textui Critici subscribendum putant, quando Procopius L. I. c. 9. ait: *Quidam erat è Gizerici stirpe Gelimer, Gelaridis filius, Genzonis Nepos, Pronepos Gizerici, jam grandis natu* &c.

Schema Genealogicum Regum Vandalicorum.

A. GODEGISILUS
in irruptione in Galliam, † occisus anno 406.

B. GUNDERICUS
ducit Vandalos in Hispaniam anno 409., bellum gerit cum Suevis & Romanis, † anno 428.

Varii liberi,
qui occiduntur à Genserico.

C. GENSERICUS *ex Concubina natus trajicit in Africam an. 429, ubi Regnum fundat Vandalicum, † anno 477.*

D. HUNERICUS *persecutor Catholicorum, † anno 484.*
Uxores 1. Theodorici Visig. Reg. filia,
2. Eudoxia Valentiniani Imp. filia.

Theodoricus
cum liberis ab Hunerico in exilium missus.

Genzo

Theodorus
† a. 455.

2.
G. HILDERICUS *privatur Regno à Gelimere, † an. 530.*

Filii & filiæ
à Belisario Constantinopolim ducuntur.

N. frater

Evageis, Hoamer
in carcere extincti.

E. GUNTAMUND.
† an. 496.

F. THRASAMUND.
† an. 523.
Uxores 1. NN.
2. Amalfreda
soror Theodorici Ostrogoth. Reg.

Godagisus, Gelaris
exul.

NN.

Gibamundus

H. GELIMER
ultimus Rex Vandalorum in Africa.

Ammatas
† in pugna anno 530.

Tzazo

ſit, qui irruptione ſubitâ Tyrannum opprimeret (q). Gelimer ad adventum repentinum hoſtium omninò trepidus, ne interciperetur, Carthagine elabitur, id Ammatæ fratri injungens, ut Hildericum protinùs, utpote belli infeſti fomitem, extingueret. Hoc occiſo, Cæſarei non jam pro alterius vindicanda injuria, ſed pro ſui Imperii incremento ad Decimum fortiſſimè pugnârunt (r). Dimicatione Vandalis funeſtâ, magna pars Barbarorum cum Duce Ammata interiit, ſimúlque Carthago (ſedes Regni) capta eſt (s). Fortuna ſiniſtra Gelimeri bellandi animum adeò non ademerat, ut Tzazone fratre in ſocietatem armorum confeſtim adſcito, redintegrare pugnam minimè dubitaret (t). Sed in fatis Gelimeris erat, ut altero quoque prælio fuſus, fugatúsque excederet (u). In Numidiæ inde montes inacceſſos ſe proripiens, tamdiu vim hoſtilem eluſit (x), donec fame debilitatus, ultrò in poteſtatem Beliſarii deſcenderet. Conſtantinopolim itaque cum Primoribus abductus (y), pro paucis Galatiæ prædiis totam Africam Cæſari reddere cogebatur; quo facto, Regnum Vandalicum (quod nonaginta quinque annos à capta Carthagine ſub ſex Regibus ſteterat) anno DXXXIV. finem accepit (*14).

(q) Victor Tun. in Chr. Marcellin. in Chron. Iſidorus in inChr. p. 736. Procop. l. c. c. 10. 17.

(r) Procop. l. 1. B. V. c. 18. 19.

(s) Idem c. 20. Marcellin. in Chron. Pagius in Critic. ad an. 533. N. 6. 75.

(t) Procop. l. 1. B. V. c. 2.


(u) Idem l. 2. c. 3.

(x) Idem c. 7.

(y) Idem c. 9.

A. 533. & 534.

(*14) PROCOPIUS de B. Vand. Lib. II. c. 3. tempus Regni Vandalici ita definit: *Prædiis fruiti per annos 95., quamdiu Vandali in Africa regnârunt.* Ex calculo Pagii ad annum 533. N. 7. capta Carthago fuit à Genſerico Vandalorum Rege menſe Octobri anni 439.; quare poſt annos 95., eósque incompletos recepta eſt. IDEM PAGIUS ad annum 534. N. 4. Geographum Anonymum Ravennatem (qui circa VII. ſæculum vixit) adducit teſtem, qui aſſerit, Vandalos à Beliſario devictos in interiorem Africam fugiſſe, & deinceps non comparuiſſe. Et N. 5. pergit PAGIUS: *Juſtinianus* receptâ Africâ, eam ad priſtinum ſtatum politicum revocandam cenſuit, & inter alia Præfectum Prætorio Africæ creavit, non equidem hoc anno (534) ſed anno ſuperiori (533). Nam in Conſtitutione Juſtiniani *de Confirmatione Digeſtorum*, quæ operi Pandectarum præfixa eſt, dicit Juſtinianus: *Leges noſtras, quas in his Codicibus, id eſt, Inſtitutionum & Digeſtorum poſuimus, ſuum obtinere robur ex tertio feliciſſimo Conſulatu* (anno 533. geſto) *præſentis duodecimæ Indictionis* (Kalend. Septembr. illius anni inchoatæ) *tertio Kalendas Januarias in omne ævum valituras.* In fine verò illius Conſtitutionis Juſtinianus mentionem facit Præfecti Prætorio Africæ. Quare Lex I. Cod. *de Officio Præf. Præt. Africæ*, quæ ſine die & menſe eſt, quave Archelaus Præfectus Prætorio Africæ renunciatus, data eſt ſub finem anni ſuperioris 533., ſcilicet quando Indictio XII. in curſu erat, ídque ante Conſtitutionem Confirmationis Digeſtorum, in qua Præfecti Prætorio fit mentio, ut XIII. Indictione, ſeu poſt menſem Auguſtum anni 534. executioni daretur.



Historia de Heptarchia Anglo-Saxonum in Britannia.

§. IX. *Heptarchia, sive Britanniæ Regnum in septem Regna distractum hoc ordine surrexit: I. Post fundatum ab Hengisto CANTII REGNUM* anno 457. II. *Ella AUSTRALE erexit* anno 491. III. *Cerdicius OCCIDENTALIS Regni PRINCEPS primus fuit* anno 519. IV. V. *Post annos octo DUO ALIA REGNA emerserunt in Oriente EAST-SAXONUM & EAST-ANGLORUM.* VI. *NORTHUMBRIÆ REGNUM cœpit in Septentrione* anno 547. VII. *Demum REGNUM MERCIORUM, sive Mediterraneum* an. 585. *In his septem Regnis ETHELBERTO Cantiorum Regi prima Evangelii lux affulsit.*

A. 477. 1. EX quo tempore Aurelius Ambrosius Britonum Rempublicam meliore, ac Votigernus, ingenio ac sollicitudine admoderari exorsus est; Saxonum undique triumphantium licentiæ modus aliquis imponi cœpit. Nam Hengistus Rex Cantii, cùm primum Britanniæ aditum adeptus, totam jam Insulam spe devorâsset; Ambrosii Regis continuò obluctantis certamina tam multa, támque infesta habuit, ut, nisi adductis ex patria auxiliis duplicaret vires, victoriam, salutémque Gentis suæ desperaret. Itaque Ella Dux, filiíque tres, Cymen, Pletingus, & Cissa validâ classe ingentem armatorum Saxonum manum in Australis Oceani littora subvehunt: & exscensione factâ, Britannorum saltem copias aliò avertere conantur; ne uno impetu deinceps in *Cantium*, aut adversùs Hengistum procurrere valeant (a). Novem inde anni inter frequentes velitationes consumpti sunt (b): quo intervallo elapso, Ellæ laboranti novæ suppetiæ accesserunt. Ad Meridionalem igitur Insulæ plagam dum Ella jam auctior milite in Ambrosium pugnat; Hengistus hoste liberatus,

Regnum Cantiorum sub Hengisto Saxone.

(a) Huntindonius l. 2.
(b) Idem l. c.

A. 485. 486. A. 487.

ratus, è Cantio in Septentrionem movet, ibique cum Pictis & Scotis conjunctus, validissima locorum occupat, mox regionem totam subacturus (c). Ambrosius, utprimùm audiit, Hengistum trans Humbrum ponere præsidia; magnitudine periculi excitus, relictâ Australi regione, formidolosiorem hostem insequitur. Propinquantem Hengistus in Eboracensi agro invadit; sed fortiore resistentis impetu profligatus, in castrum Dano fluvio imminens se recepit (d): obsidionis subinde incommoda, quibus arctabatur, brevì Regem in conflictum alterum adegêre, in quo à Britannis interceptus, vitam, Regnúmque amisit (e) anno, ex quo in Britanniam venerat, quadragesimo (f). Defuncto Æsca, Patri filius successit, quem alii Oise vocant, ajúntque, ab eo Reges Cantuariorum Oiskingas dictos fuisse (g).

(c) Alfordi in Annal. Eccl. Brit. ad an. 487.
Hengisti expeditio in Britanniam Septentrionalem.
(d) Westmonasteriensis ad an 487.
Æsca defuncti Patris successor.
(e) Huntindon. l. 2.
Ethelverdus ad a. 488.

2. Intereà, dum Ambrosius ab Austro recesserat, Ella firmiora Regni, quod ad Meridiem meditabatur, fundamenta jecit: nam terras militari vi parùm munitas aggressus, in potestatem redegit; tum Anderadâ præcipuâ urbe expugnatâ, dominationem totius Provinciæ (quam Sudsexiam appellant) sortitus, se *Regem Australium Saxonum* salutari jussit (h). Ambrosio, cujus consiliis Britonum Respublica unicè sustentabatur, altera jactura alias quoque curas injecit; timebat enim, ne Victores belli fortunâ inflati, in universam Britanniam se effunderent. Quare ad objiciendas hosti moras civium colligit reliquias, hísque in aciem vocatis, ad Badonicum Montem (*1) fortissimè depugnans, cruentâ strage Saxonum multorum corpora, non tamen

A. 488. & 489.
(f) Camdenus in Brig. Florilegus ad an. 489.
(g) Beda l. 2. c. 5.
A. 491.
Regni Australis initia sub Ella Saxone.
(h) Huntindon. l. 2.
A. 493.
Ambrosii Britannorum Regis facta.

(*1) HUNTINDONIUS Lib. 2. ingenuè fatetur, haud constare, quinam, & ubi famosus ille *Mons Badonicus* fuerit. POLYDORUS VERGILIUS Lib. 3. locum pugnæ ita definit: *Montem Badonicum putarem esse, qui vulgò vocatur Blachemora, & pertinet ad Arthesim flumen, quod Eboracensem agrum à Dunelmensi dividit, & ostium habet, quò commodùm ex Germania venientes naves applicant. Id quod Saxones Angli in dies singulos exspectabant; nam auxilia ex patria accerserant* &c. Sed fortè meliùs à GUILIELMO CAMDENO in *Belgis* & *Somerset* locus pugnæ statuitur in Somersetana Provincia; ibi enim urbs ad *aquas solis*, quæ à Thermis *Bathonia* dicebatur: cujus meminêre Antoninus, Ptolomæus: *Subsidet in planitie, haud ita magna, & ex omni parte collibus pari quasi altitudinis fastigio obvallata.... Hic mons* (Badonicus) *ille ipse videtur, qui nunc Bannesdovvne dictus, Bathestone viculo juxta hanc urbem impendet, suósque etiamnum aggeres & vallum ostendit.* Ibi igitur, non apud Brigantes mons Badonicus, & Saxonum cædes fuit.

(i) Malmesberiensis l. 1. de Reg. tamen Gentis totius animos dejecit (i); nam Cerdicius, unus ex Wodeni ſtirpe, ſub idem tempus quinque navibus novam Saxonum coloniam ad Scenorum littora adducebat (k), ad nominis ſui gloriam fore exiſtimans, ſi ad exemplum Hengiſti & Ellæ in peregrina Inſula figeret Regni ſedem. In extimis Provinciæ iſtius (quæ hodie Norfolcienſis dicitur) finibus, ac ferè in ſinu jam tutus conſederat; tum mutato conſilio in Occidentem vergens, opportuniores ibidem terras in agro (quem nunc Haraſtonienſem vocant) quæſivit: nec eventus conceptæ ſpei defuit; nam potentiſſimum ibidem *Occidentalium Saxonum Regnum* poſteà excitatum eſt (l), quod poſt duo ſæcula coronas omnes per Inſulam ſparſas ad unum & illuſtriſſimum Regni faſtigium coëgit.

A. 494. 495.

(k) Florilegus ad a. 464.

(l) Alfordi in Annal. Eccl. Brit. ad an. 495. N. 3.

3. Occaſionem adeundi & occupandi Occidentalem Provinciam Cerdicio Paſcentius dederat Vortgerni Regis filius, qui à morte Patris in Germaniam dilapſus, validam militum manum congeſſerat, quam hoc tempore in Britanniam reverſus, eo propoſito advexerat, ut ipſe inter tot Saxonum rapinas, Aquilonarem ſaltem Inſulæ partem, ídque paternæ hæreditatis jure, ſibi decerperet (m). Ambroſius ad novam aggreſſionem retundendam, Cerdicio tantiſper per Occidentem vagandi locum dare coactus, omnem vim in Paſcentium convertit, victúmque ad Scotorum terras propulſat. Expeditionis verò celeritas Ambroſii Victoris vires adeò attriverat, ut cadente hoſte, ipſe quoque in morbum incideret. Quod ubi Paſcentio nunciatum eſt; dolo conficiendum ratus, quod vi non poterat, Eopam Saxonem aſtutum ſubornat, ut Britannum ſe, Medicúmque ſimulans, ægrotanti pro ſalubri potione venenum propinet, quo fatali liquore Ambroſius non ſine Britannorum luctu & fato extinctus eſt (n). Fratris mortui vices frater alter, ſociúſque rerum geſtarum illico implevit; quin tamen expleret ſpes, quas Ambroſius conceperat. Cum Saxonibus quippe diu colluctatus, anno geſtæ Reipublicæ undecimo ſuperiori hoſtium vi vel morbo ſuccubuit (o). Jacturam penſabat vir magni animi *Arthurus*, quem quidam filium Utheri fuiſſe ferunt (p). Exordia is Regni ſatìs turbata expertus eſt; nam Saxonibus per occiduas partes triumphantibus, Picti quoque ac Hiberni Regnum novum

A. 496. *Paſcentii contra Ambroſium Brit. Regem rebellio.*

(m) Florilegus ad a. 496.

A. 497. *Ambroſii Aurelii Britan. Regis obitus, & Utheri ſuccedentis Regnum.*

(n) Alfordi ad an. 497.

A. 508. *Arthurus Uthero ſufficitur.*

(o) Alfordi ad an. 498.

(p) Idem ad an. 508.

A. 510. 511.

vum (quod *Albaniam* vocabant) moliebantur; & ex Cantio, at- A. 512.
que ex Australibus terris tempestas eodem tempore imminebat, 515.
nisi utriusque Regni Principem mors opportunè rapuisset. Ita- *Æscæ & Ellæ Regum funera.*
que dum Æscæ Cantiorum Regi Otta, & Ellæ meridionalis tra-
ctûs Principi Cissa ambo filii sufficiuntur (q); respirandi à bello (q) Malmesber. l. 1. de Reg. c. 2. Huntindon. l. 2.
aliquis locus fuit, quo intervallo Arthurus Regni coronam, ve-
luti fortunæ melioris omine accepto, sibi imponi voluit (r).
Sed dum plenâ manu fasces arripit; Cerdicius totum Regnum
Occidentale, sive West-Sexiam à Britonum ditione avellit, & A. 516.
auxiliorum è Saxonum patria adductorum adminiculo populos (r) Galfredi Monum. l. 9 c. 12.
Uthero subjectos sub suam cogit potestatem (*2).

4. Tertium jam Heptarchiæ Regnum sibi in Bri- *Regnum Occidentale Saxonum in Britannia.*
tannia Saxones struxerant; tum quartum & quintum accessit:
Occidente enim Insulæ penitùs subjugato, in Ortum verterant A. 519.
arma, ubi Suffolcienses, Norfolcienses, & Cantabrigienses, de- A. 526.
mum Trimobantes & Nedii post multa prælia in Saxonicæ Gen-
tis leges transierunt; unde geminus Principatus excitatus est,
quorum alter *East-Anglorum*, alter *East-Saxonum* nomen obti-
nuit (s). Vix Regna duo ortûs sui lucem aspexerant; jam Otta (s) Westmonaster. ad an. 526.
Rex Cantii, & Hengisti è filio nepos occidit, qui ex eo maxi-
mam laudem tulit, quòd Irmericum filium, & Ethelberti Pri- *Regnum East-Anglorum, sive Orientalium Anglorum.*
mi è Saxonica Gente Christiani Regis Parentem, in Principatu
successorem nactus sit (t). Sub idem tempus Cerdicius Occi
dentis Rex regnandi, vivendíque finem fecit (u), post cujus
mortem quietis aliquid Britonibus, non tamen pax integra con- *Et Regnum East-Saxonum, sive Orientalium Saxonum.*
cessa est; nam dum externi hostes, sive Saxones infesta arma
movere desierant, Britanni ipsi in se cruentâ discordiâ armaban-
tur. *Mordredus* nimirum Lothi Pictorum Regis filius, & Ar-
thuri è sorore nepos jure Natalium sibi Britanniæ Regnum ven- A. 532.
dicabat: (t) Alfordi in Annal. ad an. 532.

A. 534. (u) Ethelverdus l. 1.

(*2) MALMESBERIENSIS Lib. 1. de Reg. c. 2.: *Cerdicius non ignavo indulgens otio feriabatur; quin potiùs crebriùs circumquaque victoriis extendens, post adventum suum XXIV. anno in Occidentali parte Insulæ (quam illi West-Sexam vocant) Monarchiam adeptus est.* Sub Cerdicii enim imperio posteà fuêre Dannonii, in quibus Cornubienses, Devonii: Durotriges, ubi Dorsetanus est ager: Atrebatii, qui Bercheriam incolunt; denique Belgæ, qui in Somersetano Comitatu, in Wittonia Provincia, & in Hamtonia degunt. Hæc omnia Cerdicius anno 519. occupavit, & Occidentale Regnum constituit. Vide ALFORDI in Annalibus Eccl. Brit. ad an. 519. N. 18.

dicabat: atque ut Arthurum certiùs solio dejiceret, eundem adulterino thoro natum in fasces malignis artibus irrepsisse criminabatur (x). Calumnia itaque & cupiditas Regni cùm utrinque inter æmulos jactarent faces; subitò civile exarsit bellum, in quod ubique suos Arthurus præibat. Præliis multis ancipiti Marte gestis, ad internecinam tandem pugnam deventum est; nam Arthurus ferro per hostiles turmas sibi viam aperiens, in Mordredum ultimum, validissimúmque ictum vibrabat, cujus vi dum Regni Competitor exanimis sternebatur, ipse quoque Victor à circumstante milite eodem in loco, ubi lethale vulnus dederat, accepit (y); unde ægram toto anno trahens animam, postquam rerum summam *Constantino* cognato suo commiserat, in Insula Avalonia exspiravit (*3). Mordredi filii Constantinum in Regno sibi antehabitum ægriùs ferentes, pluribus in fœdus adscitis, novo Regi bellum indixêre (z), quod Constantinus majore fortitudinis, quàm pietatis famâ depulit; nam ubi rebelles certamine superaverat, factionis Antesignanos in fugam pulsos persequens, unum Wintoniæ in Ecclesia S. Amphibali ante altare trucidavit: alterum verò Londoniæ in quorundam Fratrum cœnobio absconditum crudelissimâ morte sustulit. Facinus duplex sacrilegum nec ipse in se, nec Deus impune esse passus est; nam pœnitentiâ, ùt ajunt, voluntariâ ubi crimen (a) deleverat, etiam præmaturum fatum à vindicis Numinis manu pœnæ loco lubens accepit. Ab obitu Constantini regnare cœpit *Conanus*, Regno dignior futurus (b), nisi Dominatûs impotentis primordia sanguine civium pessimè fœdâsset.

6. Dum

(x) Florilegus ad a. 540.

A. 540.

Mordredi & Arthuri Britannorum civile bellum.

A. 541.

Mordredi & Arthuri fatum.

(y) Westmonaster. ad an. 541.

A. 542.

Post Arthurum Britones regit Constantinus.

A. 543.

(z) Westmonaster. ad an. 543.

Gildas in excidio.

Constantino succedit Conanus.

A. 545.

(a) Hector Boëtius l. 9. Hist. Scotor.

(b) Gildas in excidio. Westmonast. ad a. 545.

(*3) MALMESBERIENSIS in Antiquit. Glaston. ita scribit: *Anno 542. Inclytus Arthurus obiit, & sepultus in Insula Avalona, in Domino requiescit.* USSERIUS magnam Glastoniensem Tabulam exhibet pag. 117., ubi hæc habentur; *In hac Insula, quæ Insula Avaloniæ dicitur; imò in hoc tumulo Sanctorum apud Glastoniam requiescit inclytus Rex Arthurus, flos Regum Britanniæ, & Guenhavera ejus Regina...., ibidem per multa annorum curricula* (videlicet 628. annos) *requieverunt usque ad tempus Henrici de Soili, qui post combustionem ejusdem Ecclesiæ Abbas illius loci fuit.* Hoc jubente, *foderunt in profundum valdè, & ad extremum, ingens sarcophagum ligneum, totum clausum invenerunt,... & Regium corpus intrò invenerunt, & quandam CRUCEM de plumbo totam in una parte inscriptam: HIC JACET SEPULTUS REX ARTHURUS IN INSULA AVALONIA.* Vide plura apud ALFORDI in Annalibus Eccl. Brit. ad annum 542.

5. Dum Britonum reliquiæ se mordebant invicem, & mutuis cædibus absumebantur; Saxonum Gens sextum Northumbriæ Regnum molita est (c). Hengistus, ex quo in Britanniam appulerat, militem eò, Ducésque miserat: hi licèt suis artibus, & subjectorum favore potestatis aliquid corrasissent; Regium tamen declinantes nomen, & communi habitu contenti, sub Cantiorum imperio privati agebant (*4). Sed haud posteà stetit par ambitionis continentia: nam anno DXLVII. Ida primus sive suâ sponte, seu aliorum consensu Regni speciem ostentabat, quam inde firmatum ibat, quòd bello invictus, domi severitatem Regiam genuinâ animi mansuetudine temperaret (d). Ut primùm Northumbriæ Regno datum est initium; Conanus Britonum Rex vitam finiit (e), cujus potestatem *Vortiporus* Demetarum Princeps in se transferebat: diuturnum tamen Vortiporo Regnum nequaquam fuit; nam quarto pòst anno mortalitate solutus, *Maglocuno* Rempublicam Britonum satìs convulsam reliquit (f). Monachum hic olim professus, pro religioso habitu purpuram sumpserat, cujus defectionis ut meritò pœniteret, Deus hominem Saxonum armis non semel cædendum objecit. A Monachi manu sceptrum Britanniæ ad *Careticum* haud melioris ingenii virum translatum est (g): quare scelerum mensura cùm quotidiè magìs aggereretur; tempus non procul aberat, quo à Britannorum Regulis auferendum Regnum prævidebatur. Antequàm verò Regia hæc dignitas in Saxones omninò transferretur; Westsexiæ & Cantii Reges civili bello se invicem appetierunt.

(c) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 3.

Sextum Saxonum Regnum in Northumbria.

A. 547.

(d) Malmesber. de Reg. l. 2. c. 3.

A. 548.

(e) Gildas in excidio.

A. 551.

Conano Britoni succedit Vortiporus.

(f) Spedus in Vortiporo. Gildas de excidio.

Post Vortiporum in Britannia regnat Maglocunus.

A. 558.

(g) Alfordi ad an. 558.

Maglocuno succedit Careticus.

A. 560. 561.

(*4) MALMESBERIENSIS de Reg. Lib. 1. c. 3.: *Anno itaque Dominicæ Incarnationis quingentesimo quadragesimo septimo, post mortem Hengisti sexagesimo, Ducatus in Regnum est mutatus.* Cæterùm ALFORDI ad annum 547. N. 3. notat, Northumbriæ bipartitam fuisse Provinciam in duo Regna, quorum hi Deiri, illi Bernicii vocabantur. Quidquid enim ab Humbro flumine ad murum Picticum erat; Deiri tenebant: quod inde porrigebatur ad Edenburgi fretum usque, Bernicii. Hoc igitur anno Provinciam videtur ita distinxisse Rex Ida: ut relicto ad Deiros Ella Principe, ipse trans murum dilataturus Imperium, in Bernicia regnaverit. Ella post mortem Idæ toti Northumbriæ præfuit, cujus Regni amplitudo hujusmodi fuit, ut Dunelmenses, Lancastrenses, Eboracenses, Northumbrios, Lumbrios, Westmorlandios, Laudoniam etiam & Pictorum Provinciam clauserit suo ambitu.

tierunt. Sub ſexageſimi ſuper quingenteſimum anni finem, & ſub ſequentis initium vivere & regnare deſierant Occidentalium Saxonum Princeps Kenricus, & Rex Cantii Irmericus: illi Ceaulinus; huic Ethelbertus filii ſucceſſerunt (h). Inter utrumque belli fomitem ſuccendebat vel invidia, vel Regni amplificandi cupiditas: indignè nimirum ferebat Ethelbertus, Ceaulinum Weſtſaxonum Regem paternis facultatibus, & potentiæ magnitudine ſibi prælatum: nec minùs inde pungebatur, quòd præter Weſtſexiam ad Orientem Angli & Saxones, ac illarum Provinciarum Principes Ceaulino velut univerſali Regi parerent. Quare Majorum gloriâ ſtimulatus, Provinciæ ſuæ fines egreditur; tum in Regnos & Surriam Provinciam Cantio vicinam profectus, ad Vandalim rivum in Ceaulinum arma movet: ſed fortiùs magnâ cum ſtrage repulſus, non ſine ignominia ad propria redire cogitur (i). Ex tyrocinio militiæ tam rudi, ac infelici id ſaltem Ethelbertus didicerat, operoſius eſſe, nova acquirere, quàm parta tueri. Poſthæc cùm adultiori ætati etiam conſultior rei militaris peritia acceſſiſſet, egregius, & probatæ virtutis miles evaſit, omnéſque Saxonum Provincias adufque Humbrum flumen, quod Meridionales, Aquilonaréſque diſterminat, quà vi, quà amore, quà jure ſuo cepit. Intereà poſt acceptam cladem Ethelbertus vires reſtauraturus, apud Francos novas nuptias, & matrimonii fœdere amica auxilia quærebat: Sponſa, quam Oratorum ſtudio conſectabatur, Berta Chariberti Pariſiorum Regis filia erat; ac ne Chriſtianam uxorem infideli marito dare Rex dubitaret, omnem circa Chriſti ſacra libertatem jurejurando interpoſito ſpopondit. Conditio cùm haud pœnitenda Francis videretur (k); Berta ad nuptias in Cantio celebrandas abiit, Deo interim humana conſilia ad ſublimius bonum referente, nempe, ut cum orthodoxa Regina recta fides in Cantiorum Regnum, mox in totam Britanniam tranſiret. Ceaulinus ubi Francos inter & Ethelbertum conſiſtere fœdus audiit; viribus unitis haud obſiſtendum ratus, in Britannos iras vertit: Mediterraneas igitur partes aggreditur (l), & Bedfordienſi agro ſubjugato, Britones, qui è præliis elapſi, arcium & clauſtrorum objectu ſalutem adhuc ſuam tuebantur, animosè inſequens, cunctos

(h) Huntindon. l. 2. Alfordi ad an. 561.

Ethelberti Cantiorum Regis, poſteà Chriſtiani initia.

A. 568. 569.

(i) Alfordi ad an. 568. N. 1. Ethelverdus in Chron.

Ethelberti nuptiæ cum Berta Francorum Regis Chariberti filia.

A. 570.

(k) Alfordi ad an. 570. N. 8.

A. 571. 572.

(l) Florentius Wigornienſis ad an. 571.

A. 577.

cunctos urbibus exutos in confragosa montium (quæ nunc Cambriam vocant) ejicit (m). Afflicti hâc probrosâ fugâ, & ad ultima redacti licèt Britones viderentur; post aliquot tamen annorum intervallum hosti occurrere non reformidârunt. Neque prima congressio Britannis sinistra fuit; tanto namque impetu in Saxones ferebantur, ut Angli dare locum cogerentur: at ubi Ceaulinus reparato exercitu, cunctos milites in jusjurandum adegisset, nullum fore, qui non in acie caderet, vel vinceret; novo ausu aleam belli agitans, Victoribus palmam rursus eripuit, cæsósque insecutus, regiones multas, & innumerabilia spolia cepit (n).

(m) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 2.

A. 584.

(n) Huntindon. l. 2. Florent. Wigorn. Usserius in Annal. Sax. ad an. 584.

6. Ab extremis partibus undique profligatæ Britonum reliquiæ non habebant, quò ampliùs confugerent, nisi ad Mediterraneum Insulæ sinum: huc igitur convolabant eo ferè modo, quo sanguis in humano & emoriente corpore paulatim extremos deserit artus; dein ad interiora vitalis luctæ penetralia, sive ad medium cor recedit (o). Britanni nimirum postquam extimas Insulæ Provincias fusi, cæsíque à Saxonibus reliquerant; ad mediam Merciorum terram se recipiebant, illinc vel in postremo certamine exspirantis Reipublicæ ictum, vel reviviscentis fortunæ favorem experturi. Sed quia fatalis quoque hæc arena Britonibus erat, Croda ibidem sive Regis, sive Ducis titulo, fundamenta posuit *Regni Merciorum*, quod ultimum & potentissimum posteà in Heptarchia Anglo-Saxonum visebatur (p). Surgente hoc novo Regni ædificio, Britonum Respublica ita concidit, ut, qui tot cladibus supererant, in Cornubiam, Demetriam, & Venedotium dilapsi, salutis moram saltem quæritarent.

A. 584.

(o) Alfordi in Annal. Eccl. Anglo-Sax. ad an. 585. N. 2.

Regnum Merciorum, sive septimum in Heptarchia.

(p) Westmonaster. ad an. 585.

7. Saxonum Gens nefastis Gentilium ritibus addicta, utprimùm omnem veterum Britonum Dominatum occupaverat; providum Numen voluit, ut eorundem quoque religionem ac fidem caperet: cujus conversionis mirificæ annus octogesimus octavus supra quingentesimum occasionem & exordium dedit. Barbarorum scilicet maximè eorum, qui per Septentrionalem Britanniæ partem vivebant, in more positum erat, ut filios etiam

A. 588.

etiam chariſſimos ad ſublevandam inopiam venales exponerent (*5). Quare cùm juvenes ejuſmodi non tantùm in Galliam, ſed & in Italiam longo itinere ducerentur; Gregorius adhuc

(*5) AUTHOR ANTIQUITATUM BRITANNICARUM pag. 34., & alii Novatores, ut occaſionem converſionis Anglorum, operâ Pontificis factæ, evertant, pernegant, & fabuloſum eſſe ajunt, quòd pueri Britonum venditi fuerint Romæ; unde enim (inquiunt) venales illi, quo jure proſtituti eſſent Romæ? nam nec bello parti (nullum enim tunc Romanos inter & Anglos legitur) nec alio titulo emi, vendíve ſervitia ſolebant. CONTRA HOS I. ſtat Gregorii Pontificis Coævi authoritas, qui ſcribit ad Candidum Presbyterum inter Gregorii Ep. Lib. 5. epiſt. 10., illíque dat in mandatis, ut pueros Anglos venire ſolitos comparet, mittátque Romam inſtruendos: vel ſi diſplicet Pontificis aſſertum velut in propria cauſa; SELDENUS (unus à Novatorum parte) Analect. Lib. 2. c. 2. audiatur: *Anglorum Apoſtolus Auguſtinus ſubſequente paulò tempore, venalibus quibusdam Anglorum, Romam allatis, Gregorius Monachus Chriſtiani nominis amore propagandi excitus, Gentísque pulcherrimâ ſpecie commotus, ad divina ſemina noſtris interſerenda, animum deſtinabat. Qui cùm in Pontificatum poſteà fuerit evectus, piis perſeverando cœptis, Monachum quendam Auguſtinum, ad Eccleſiam Chriſti exſtruendam, emiſit: cui, ut ad veri cognitionem, ab idololatria Gentem averteret; auxiliarios in expeditione milites adjunxit.* Seldeno accedat MALMESBERIENSIS de Reg. Lib. 1. c. 3.: *Allæ Regis tempore venales erant à Northumbria pueri, familiari ſcilicet, & penè ingenitâ nationi illi conſuetudine; adeò, ut, ſicut noſtra etiam ſæcula viderunt, non dubitarent, arctiſſimas neceſſitudines ſub prætextu minimorum commodorum diſtrahere.* Si antiquiorem Authorem deſideras, BEDAM Lib. 2. cap. 1 lege, ubi ait: *Nec ſilentio prætereunda relatio, quæ de B. Gregorio traditione Majorum ad nos uſque perlata eſt. Quâ videlicet ex causâ admonitus, tam ſedulam erga ſalutem noſtræ Gentis curam geſſerit. Dicunt, quia quâdam die cum advenientibus nuper Mercatoribus multa venalia in forum fuiſſent collata, multique ad emendum confluxiſſent, & ipſum Gregorium inter alios adveniſſe, & vidiſſe inter alia pueros venales* &c. Quid, quod TACITUS *de Mor. German.* hunc uſum priſtinis ſæculis receptum probat, dum ſcribit: *Aleam (quod mirêre) ſobrii inter ſeria exercent, tantâ lucrandi, perdendive temeritate; ut, cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu, de libertate ac corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit, quamvis junior, & robuſtior alligari ſe & veniri patitur. Ea in re prava eſt pervicacia; ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exſolvant.* Non igitur contra mores Germanorum, quales Saxones erant, fuit, venales ſuos exponere. II. Si pueri non venales olim exponebantur ex Britannia, cur Inas Occidentalium Saxonum Rex (Lib. 30. *de eo, qui popularem ſuum emerit.*) ita contra abuſum iſtum decernit: *Si quis popularem ſuum, ſive ſervum, ſive liberum, vel criminis conſcium mercatus fuerit, & trans mare amandârit; integrâ capitis ejus æſtimatione mulctator, Deóque faciat cumulatè ſatis.* Durâſſe iſtum abuſum vendendi ad Henrici II. tempora, colligitur ex GIRALDO CAMBRENSI in Hibern. exp. Lib. 1. cap. 18., qui tunc ita ſcripſit: *Anglorum namque populus, integro atque eorum communi Gentis vitio, liberos ſuos venales exponere, & priuſquàm inopiam ullam, aut inediam ſuſtinere, filios proprios & cognatos in Hiberniam vendere conſueverunt.* III. Abuſui ſe quoque oppoſuerunt Concilia; nam Idem *Giraldus* adducit Concilium Armachanum, in quo contrà fulminatum eſt. Et in Concilio Londinenſi ſub Anſelmo Cantuarienſi anno 1102. ſtatutum eſt: *Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus homines in Anglia ſolebant, velut bruta animantia venundari, deinceps ullatenus facere præſumat.*

huc Archidiaconus in foro Romano nonnullos eorum conſpicatus, vultûs formæque elegantiâ rapiebatur: & quæſtione de puerorum conditione, patrióque ſolo factâ, ubi reſponſum tulerat, venales pueros Anglos eſſe, & de Allæ Regis Septentrionali Deirorum Provincia oriundos; protinùs ſecum conſtituebat, non ferendum, ut ſub tam ingenua, gratáque hominum ſpecie monſtra idolorum tegerentur: neque committendum, ut formæ dignitas Angelis æmula nigræ dæmonum ſervituti porrò ſubſcribat (q); propoſito tamen dexteram anteà dare non potuit, dum idem Gregorius toti Eccleſiæ univerſalis Paſtor poſt aliquot annorum intervallum præponeretur (r). Beneficium, quod jam creatus Pontifex Inſulæ deſtinaverat, nec Allæ Deirorum, nec Ciſæ Auſtralium, neque Ceaulino Occidentalium Saxonum Regibus percipere licuit; duobus enim primis è vita raptis, tertius quoque à ſuis Regno depulſus, vivere deſierat (s). Regnantibus autem Ethelberto in Cantio, Celrico in Occidente, ac Ethelfrido apud Northumbros, Gregorius ſuo in Britannos ſtudio incitatus, aut Bertæ Cantuarienſium Reginæ precibus impulſus, ex ſuo monaſterio, quod Romæ ad Clivum Scauri habebat, pietate ac doctrinâ inſignes viros delegit, ſcilicet Auguſtinum, Mellitum, Paulinum, & Rufinianum, alióſque, qui fidem Inſulæ inferrent (t). Hos quamvis difficultas non una ab Apoſtolicis conatibus deterreret; ad ardua tamen quævis à Pontifice obfirmati, in Britanniæ Inſulam Tanatum trajecêre (*6). Illinc ubi Ethelbertum Cantiorum Regem à Chriſtiana conjuge Berta jam præparatum (*7) conveniſſent; vix aliquo ſpatio interpo-

(q) Beda l. 2. c. 1.

(r) Idem l. c.

A. 590.

(s) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 3. Weſtmonaſter. ad an. 590.

A. 591.

A. 596.

(t) Beda l. 2. c. 1. Gregor. l. 5. ep. 58. 59.

A. 597.

(*6) BEDA Lib. 1. c. 25.: *Eſt ad Orientalem Cantii plagam Tanetos Inſula non modica, id eſt, magnitudinis, juxta conſuetudinem æſtimationis Anglorum milliarium ſexcentorum* (Alfordi corrigit familiarum ſexcentarum) *quam à continenti terra ſecernit fluvius Vantſumus; qui eſt latitudinis circiter trium ſtadiorum, & duobus tantùm in locis eſt tranſmeabilis: utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit ſervus Domini Auguſtinus & ſocii ejus, viri (ùt fertur) fermè quadraginta.*

(*7) GREGORIUS Lib. 9. Epiſt. 59. ad Bertam ſcribit: *Sicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piiſſimi Imperatoris Conſtantini ad Chriſtianam fidem corda Romanorum accendit: ita & per gloriæ veſtræ ſtudium, in Anglorum Gentem ejus miſericordiam confidimus operari.... Et quidem jamdudum glorioſi filii conjugis veſtri animos, prudentiæ veſtræ bono, ſicut reverà Chriſtianæ, debuiſtis inflectere, ut pro Regni & animæ ſuæ ſalute fidem, quam colitis, ſequeretur.... Omnipotentem Deum benediximus, qui converſionem Gentis Anglorum mercedi veſtræ dignatus eſt propitius reſervare.*

Initium converſionis Anglo Saxonum
A. 598.
A. 599.

terpoſito, ita profecerunt, ut Rex cum populo primùm verbo Dei aures, dein animos fidei, demum ſeipſos Baptiſmo initiandos darent (*8). Auguſtinus jactis religionis initiis, ut fructuoſam magìs operam in Cantio collocaret, in Galliam remeans, ab Arelatenſi Epiſcopo (*9) conſecrationem ſuſcipit; tum initiatus Antiſtes in Britanniam relecto itinere Doroverniæ Eccleſiaſticam Metropolim conſtituit (*10), ex qua ſede totius Regni ſalutem copioſiùs poſteà profundebat: & quoniam à Gregorio præclaræ meſſis origo profecta fuerat; Auguſtinus duos rerum geſtarum nuncios Romam miſit, Laurentium & Petrum, qui expoſitis iis, quæ in converſionis negotio feliciter peracta eſſent (u), novos colonos rogitarent, ſimúlque poſcerent judicium Pontificis ad ea, de quibus Auguſtinus Sedem ſanctam Romanam conſulendam exiſtimabat (x). Gregorius ubi poſtulatis abundè reſponderat (y); Aurora fidei per Cantii Regnum integris radiis illuceſcere cœpit, quæ ſubſequente ætate in pleniorem diem aſſurgens, Anglo-Saxonum Gentilium tenebras omninò disjecit.

(u) Beda l. 1. c. 27.
(x) Idem l. c. Alfordi ad an. 599.
A. 600.
(y) Idem ad an. 601.

(*8) BEDA Lib. 1. c. 26. de Apoſtolis Angliæ loquens ait: *Orationibus, vigiliis & jejuniis ſerviendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando: ea tantùm, quæ victui neceſſaria videbantur, ab eis, quos docebant, ipſi per omnia vivendo, & paratum ad patiendum adverſa quæque, vel etiam ad moriendum, pro ea, quam prædicabant, veritate, animum habendo. Quid? crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes ſimplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cæleſtis.... At ubi ipſe* (Ethelbertus) *etiam inter alios delectatus vitâ mundiſſimâ SS., & promiſſis eorum ſuaviſſimis, quæ vera eſſe, miraculorum quoque multorum oſtenſione firmaverunt; credens baptizatus eſt; cœpêre plures quotidiè ad audiendum verbum confluere: ac relicto Gentilitatis ritu, unitati ſe ſanctæ Chriſti Eccleſiæ credendo ſociare, quorum fidei ita congratulatus eſſe Rex perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Chriſtianiſmum, ſed tantummodò credentes, arctiori dilectione, quaſi concives ſibi Regni cæleſtis, amplecteretur. Didicerat enim à Doctoribus, Auctoribúsque ſuæ ſalutis, ſervitium Chriſti voluntarium, non coactitium debere eſſe.* BARONIUS ad annum 597. ait: Porrò omnes hoc anno audientes verbum Dei baptizatos eſſe, ſequenti Natalis Domini die, primæ Indictionis, ipſe Gregorius teſtatur in literis ſequente anno, menſe Junio, datis ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum. ALFORDI ad eundem annum N. 17. ſatìs probabile eſſe confirmat, Ethelbertum hoc anno, & unà decem millia Anglo-Saxonum (de quibus illæ literæ loquuntur) ab Auguſtino & ſociis baptizata eſſe.

(*9) BEDA Lib. 1. c. 27.: *Intercà vir Domini Auguſtinus venit Arelas, & ab Archiepiſcopo ejuſdem civitatis Etherio, juxta quod juſſa S. P. Gregorii acceperat, Archiepiſcopus Anglorum ordinatus eſt.* ALFORDI notat, non ab Etherio, ſed à Virgilio Arelatenſi id factum eſſe: cur autem ab Arelatenſi potiùs, quàm à Lugdunenſi propiore initiatus ſit, hanc rationem ſubdit ad annum 598., Gregorium ſervare voluiſſe Arelatenſis Eccleſiæ prærogativam, quæ jam olim in Galliis Principatum habuerat: licèt illam Viennenſis, aliæque ſedes minuere aliquando tentaverint.

(*10) BEDA Lib. 1. c. 26.: *Nec diſtulit Ethelbertus, quin etiam Doctoribus ſuis locum ſedis, eorum gradui congruum, in Dorovernia Metropoli ſua donaret; ſimul & neceſſarias in diverſis ſpeciebus poſſeſſiones conferret.*

RE-

REFLEXIONES HISTORICO - POLITICÆ IN CAPUT I. LIB. VI.

REFLEXIO I. ad §. I. Num. 13. pag. 20.

Quare Anaſtaſius Imperator Chryſargyrum, infeſtum tributi genus, aboleverit?

QUemadmodum Regum ac Reipublicæ Majeſtas in potentiæ magnitudine; ita potentia in cenſu Principum & vectigalibus velut nervo rerum gerendarum maximè conſiſtit (a). Hæc enim ornamenta pacis ſunt & ſubſidia belli (b): neque quies Gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia abſque tributis haberi queunt (c). Romulus ſuas opes ex *prædiis* colligebat, dum agros univerſos in tres partes diſtribuit, quarum prima cultui Deorum, altera Reipublicæ dominio, tertia diviſa fuit inter cives (d): nec minùs poſteà Gubernatores Imperii bona habebant publica (e), quorum culturæ ipſi velut boni Patresfamilias operam dari curabant; ut ex iis frumenta, vina, ligna colligerentur, animalia alerentur, vel ex locis ſubterraneis varii generis metalla eruerentur. Præter hos redditus alii adhuc legebantur ex *hominum induſtria*, aut ab artium uſu, quas, qui exercebant, Principi pecuniæ dimenſum numerabant; ut unâ manu ſuas, alterâ Reipublicæ neceſſitates adjuvarent (f). Demum ærarium Reipublicæ aut Principum ex aliis quoque juſtis fontibus augebatur, ſive ex illis bonis, quæ à *donatione*, *teſtamento*, aut à *reorum damnatione* Principis ærario obtingebant: quibus communior nunc lucrandi modus acceſſit, ut *Cenſus*, *Vectigalia*, & *Tributa* theſaurum Reipublicæ ferè conficiant.

Tributorum neceſſitas.

(a) Vernulæus Inſtitut. politic. L. 3. Tit. 5.
(b) Cicero pro lege Manilia.
(c) Tacitus Lib. IV. Hiſt.
(d) Dionyſ. Halicar. l. 2.
(e) L. benè à Zenone C. de quadr. Præſcript.
(f) Herodianus l. 3. de Severo Imp.

2. Equidem ſi exactionum omne genus providentia Principis dictet, & pietas exequatur, nemo, qui utile Reipublicæ membrum eſſe velit, his magnoperè obluctabitur: probabis enimverò *Cenſum* olim à Servio Tullio inſtitutum, quo non viritim, ſed pro modo facultatum penſitationes ſolvebantur (g): neque quis accuſabit *Tributa* ſive pecuniam (ùt Varro ait) populo imperatam, ut tributim à ſingulis pro ratione cenſûs perſolvatur: neque ullus damnabit *Vectigalia* olim mercibus, portubus, vel contractibus impoſita, dum divites pro facultatum ratione præſtare jubebantur, pauperes operas conferebant: quin (ſi difficultas belli aut temporis

Quotuplex tributorum genus?

(g) Dionyſ. Halicar. l. 4. Livius l. 1.

temporis id ferat) pecuniam etiam extraordinariam subditi libentibus animis ærario Regio inferent, credéntque omninò, si salvi esse velint, necessitati esse parendum (h).

(h) Cicero l. 2. de offic.

3. At ubi avaritia, non necessitas: immoderatio paucorum, non utilitas publica novos semper ac sordidos emungendi, expilandíque titulos invenit; tum exactionis quodcunque nomen, aspera est in vulgi auribus vox, res in animis: nec alia crebrior odiorum seges. Provincias Imperii non parùm turbatas fuisse, novimus eo tempore, quo Augustus Imperator *aurum vicesimarium*, sive vigesimam partem hæreditatum & bonorum jussit in ærarium inferri, non alio consilio, quàm ut immensis exercitibus orbem oneraret, suáque ambitionis studia in barbaras, ultimásque terras proferret (i). In Cajum Caligulam turpis illa Homeri parœmia conjecta est: *Poplivorus Princeps* (k). Postquam enim non toto vertente anno opes à Tiberio congestas, nempe vicies ac septies millies Sestertium, hoc est, ultra centum milliones absumpsisset (l); ut novam insanarum voluptatum materiam aut pretium conquireret, vectigalia nova atque inaudita primùm per Publicanos: deinde, quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunósque Prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Quare in eduliis, litibus, judiciis, lenociniis, meretricibus, & etiam in matrimoniis quadragesimam partem iniquæ æstimationis exigebat (m). His Domitius Nero addidit Quinquagesimam & Centesimam, id importunis exactoribus inculcans: *Hoc agamus, ne quis quid habeat* (n). Atque ut locupletiorum bona eò citiùs in prædam cederent, ingens delatorum turba ad innocentum insidias alebatur (o): & continuò auribus insonabat lex Majestatis, sæpè singulare (teste Plinio) & unicum crimen eorum, qui crimine vacant (p). Crudelitatis ac vesaniæ utì plurimùm hæc decoriandi subditos ratio habebat; ita ignominiâ plenum vectigal erat, quod Vespasianus à corporis sordibus & cloacis exegit; cui Cæsari rapiendi cupiditas pudorem omnem adeò ademerat, ut vitium carpentibus reponeret, *lucri bonum esse odorem ex re qualibet* (q).

Tributa graviora & sordida odium pariunt.

(i) Dio in Augusto §. 18.
(k) Homerus in Iliade.
(l) Sueton. in Calig. c. 37
(m) Sueton. in Calig. c. 40
(n) Dio. Sueton. in Nerone.
(o) Tacitus l. 2. Hist.
(p) Plinius in Paneg.
(q) Sueton. in Vespasiano.

4. Ex his fœtentibus lacunis originem tandem suam deduxit CHRYSARGYRUS, infame & infestum Romanis tributi genus (r); quod omnes pendere cogebantur, qui negotiatione vilissimarum etiam rerum, aut quocunque quæstu victum quæritabant; unde hoc aurum, argentúmque calamitosissimum non tam ex divitum gazis, quàm ex mendicorum egente penu exsculpebatur. Vexatio ejusmodi primùm sex solidorum, dein majore pretio redimenda Parentum plurimos eò redegerat, ut liberos ad vim, injuriámque propulsandam venderent. Alii verò cives & coloni exactorum rapacitate afflicti, primò boves, mox agros, postremò corpora servitio aut pœnæ traderent. In quo cùm multa indigna

(r) Evagrius Histor. Eccl. l. 3. c. 39.

Chrysargyrus quale tributi genus fuerit?

digna essent, tum illud ad opprobrium Imperii majus fuit, quod pro oblata ejusmodi pecunia impunitas scelerum offerri videretur. Si enim Evagrio habemus fidem (s); "Tributum idem impositum quoque fuit meretricibus, quæ corporis formam venalem habentes, effusæ libidini tum in abditis recessibus, tum palàm in Ganeis vacabant, tum prætereà omnibus, quos scortari non pudebat: qui non naturam modò, verùm & ipsam Rempublicam dedecore & ignominiâ affecerunt, usque adeò, ut quæstus inde perceptus, non aliter ac lex quædam eos, qui tam turpis flagitii cupiditate flagrarent, velut voce emissâ, ad id quidem impelleret.

(s) Evagrius l. c.

Quàm difficulter Chrysargyrus aboleri potuerit?

5. Nefastum pretium tanti nonnulli fecère Cæsares, ut illud velut instrumentum graviorum causarum in ærario Præfecti Prætorio reponi vellent (t): Alexander Severus primus erat, qui pudendæ pecuniæ tam honestum locum minimè concedendum putaret (u); quin impium scelerum censum detestatus, antequam thesauro publico commisceretur, ad reparandas obvias ædium ruinas profundebat. Non diu tamen hæc verecundia stetit; defricto namque subinde à frontibus pudore, iniquitatis summa adeò in honore haberi cœpit, ut Nobilium quisque ambitiosis studiis huic pecuniæ colligendæ, & rationibus ejus ineundis operam addiceret (x). Dehonestamentum ingens Imperii, ubi Constantini Primi Christiani Imperatoris exordia illuxerant, exterminandum multi speraverant: sed malum diuturnitate temporis firmatum, & rapacitati plurium acceptum tam repentino conatu evelli haud poterat; quare id, quod tunc Principi pio licebat, magnanimiter ausus, præcepit, ne tanta subditorum expilatio frequenter, nec nisi post quartum annum præsumeretur (y). Inde factum credidero, quòd Chrysargyrus cum *collatione lustrali* idem acceperit nomen (z); nec à vero abesse videtur, quòd Zosimus ex hoc facto Constantini calumniæ struendæ occasionem nactus sit, dum præter cætera convitia, quæ Gentilis Scriptor perperàm & malignè in Christianitatis Vindicem evomebat, hoc quoque criminabatur: Constantinum fuisse, qui Chrysargyri pensitationem primus imperâsset (a). Theodosius Junior alterum profligando tributo laborem impendit anno CCCCXXXIX., quo per legem cavit, ne ab infami personarum aut rerum usu Respublica vectigal decerperet (b): & Christianitate jam adultâ, Imperatoris pietas rem confectam dedisset; nisi avaritia eorum, quibus omnis lucri bonus odor est, legem erasisset. Nempe his lusciniolis nunquam defuerit cantio (c): & dum cupido auri immensa obtentum habet, quasi subsidium Regno paretur (d), multi prompti visuntur, qui fronte gravi, & supercilio tristi, utilitatibus Fisci contumaciter adsint (e).

(t) Idem l. c. Tillemont. in Not. 2. ad V. Anastasii.
(u) Lampridius in Alexandro.
(x) Evagr. l. 3. c. 39.
(y) Tillemont. in V. Anastasii Imp. III. P. T. 6. p. 943.
(z) Valesius apud Tillemont. not. 2. ad V. Anastasii p. 1043. Leunclavius in Apolog. pro Zosimo.
(a) Zosimus l. 2. p. 691. Evagrius l. 3. c. 40.
(b) Tillem. ad V. Theodosii §. 2.
(c) Plautus in Bacch.
(d) Tacitus L. XV. Annal
(e) Plinius in Panegyr.

6. Ad Anastasii Augusti usque tempora Chrysargyri exactio subditis æquè atrox, ac Reipublicæ probrosa sævierat; tum idem Imperator labem & maculam publicam ultrà ferendam nequaquam putavit (f). Ad Senatum proinde retulit, turpissimum videri, ut ærarium porrò Principis ex scelere locupletetur: sibi in votis esse, ut Gazophylacium potiùs Principis auro & argento, quàm ut subditi libertate & vitâ, Respublica famâ ac virtute egeat: Tributum igitur ubi Deo invisum, Imperio nefastum, & ne quidem Barbaris tolerandum commonstrâsset; magnâ omnium consensione Chrysargyri censum omninò sustulit: ac ne vestigium debitionis restaret, schedas, quæ rationem exactionum complectebantur, sollicitè jussit colligi, collectásque igni cremandas tradidit (g). Evagrius, qui factum illustre amplioribus verbis describit, sibi olim Thucydidis linguam, summámque facundiam exoptabat, ut laudem, quam Anastasius unico hoc monumento meruit, posteris valeret commendare.

(f) Evagr. l. 3. c. 39.

Anastasius Imperator tributum infame ac intolerabile omnino sustulit.

(g) Idem l. c.

7. Quod verò encomium Anastasio, gravissimum tributi onus abolenti, apposuêre Veteres, hoc omnes posteri dabant iis Rerumpublicarum Præsidibus, qui in tributis piè & clementer exigendis specialem ponunt curam. Equidem Neronis stolidum consilium quisque reprehendet, quo tributa omnia remittere in animum aliquando induxerat; quin ex adverso Romani Senatûs Cæsaris proposito obsistentis dictum probabit: *Dissolutionem Imperii fore, si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminuerentur* (h). Exigantur proinde census & tributa, quia id salus publica postulat; sed & moderatione temperentur, propterea quod levamen privata cujusque conditio requirit. Lipsius quinque fomenta in suis Politicorum libris præscribit (i), quibus omnem, quæ exactiones gravat, acerbitatem mitigari posse contendit. Ac *Primum* est NECESSITAS, nempe, ut is, qui vectigalia imponit, secum perpendat, quid tempori, quid fortunis subditorum conveniat: sive ut ratio quæstuum, & necessitas erogationum inter se congruant (k). Extrema mala extrema quoque remedia poscunt: quare si in publicis redditibus ad necessarios pro Reipublicæ administratione, vel Religionis defensione sumptus subsidii satis non sit, æquum est, ut, qui Principis sunt sub potestate, suis opibus illi, aut universo Regno opitulentur (l); indignum enim & improvidum membrum foret, quod opportunam toti corpori servando operam pernegando se quoque destructum iret. Verùm ubi necessitas abest, abesse quoque debent nimiùm subtiles, & turpiter ingeniosæ pecuniarum accumulandarum rationes; præstat sanè, Rempublicam inopem habere, quàm ad divitiarum cumulum per discriminum, & dedecorum vestigia pervenire (m). Prætereà cavendum est, (*fomentum* hoc *alterum* est) ut MODERATIO servetur, ne tributa grandia nimis sint, sed modica, pro copia scilicet & angustia rerum (n). Apage istos, qui non tondent,

Quibus modis exactiones subditis tolerabiles fiant?

(h) Tacitus L. 13. Annal.

(i) Lipsius Politic. L. 4. c. 6. p. 206.

(k) Tacitus L. 13. Annal.

(l) Vernulæus Instit. Politic. L. 3. Tit. V. §. 5.

(m) Idem l. c. Tit. 6. § 1.

(n) Tacitus L. 4. Annal.

tondent, ſed deglubunt pecus (o): quíque pennas ita incidunt, ut ne queant renaſci (p): aut quibus ærarium eſt ſpoliarium civium, cruentarúmque prædarum receptaculum (q); qui enim nimis emungit, elicit ſanguinem (r). Agricolam imitare, qui arboris truncum non exſcindit, tametſi lignis ad domeſticos uſus opus habeat: ſed ramos duntaxat amputat, nec totos illos quidem, verùm ita, ut germinare poſſint denuò, & novis veſtiti foliis, in annum ſequentem fructus alios proferant (s). Unde Alexander optimè dixit: Hortulanum odi, qui ab radice olera exſcindit (t). Regnum ùt corpus tractandum eſt, non tamen tale, quale nobiſcum emoritur: ſed quod in ſucceſſoribus perennabit, quippe cùm perſpicuum ſit, Principes mortales, Rempublicam æternam eſſe (u). *Tertium fomentum* his appone, ſcilicet COERCTIONEM, quâ curabis, ut tributa ſine avaritia & ferocia exactorum tolerentur (x); horum quippe cupiditas (ſi avaritiam fraude miſceant) ita noxiè graſſatur, ut in varia prædandi vocabula ſæpè intenti (y), Provincias novis perpetuò oneribus turbent (z), rem cum pulviſculo auferant (a), & lucrum ex omni occaſione odorentur (b). Ex juſtitia erit horum, quorum oculos aurum ſtringit, licentiam pœnarum indagine induere (c), & ſpongias, quæ totum illud, quod ad irrigandas Provincias ſatis eſſet, traxerunt, comprimere, ne ſiccitate deficiens Imperium diutiùs laboret (d). Arcenda porrò eorum crudelitas, quæ vi agit; non prædo, non miles divexet, quamvis enim gravia, tamen injuncta Imperii munera impigrè cives obibunt, ſi vis & injuriæ abſint (e), has ægrè tolerant, hinc ira, queſtus, & poſtquam non ſubvenitur, tumultuoſa remedia (f). *Quartum fomentum* eſt DISPENSATIO reſtricta ac utilis, qualis in familia boni Patris eſſe ſolet (g); nam ſi ſubditi advertant, ſua, quæ tribuerunt, bona non in delicias ſumptuoſas (h), neque in hiantes quorundam cupiditates (i) profundi, ſed frugalitate quâdam, & ſapienti conſilio in uſus publicos diſpenſari, nullus erit, qui ſymbolam ſubtrahat; quare exemplum, dictúmque Alexandri Imperatoris hìc præ oculis, animíſque vigeat, dum, quod moribus exprimebat, verbis aſſeruit, nefas eſſe, ut Diſpenſator publicus in delectationes ſuas, ſuorúmve converteret id, quod Provinciales dediſſent (k). Quibus adde illud ſapientiſſimi Mecœnatis, magnas opes non tam multa capiendo, quàm haud multa perdendo quæri (l). *Quintum fomentum* eſt ÆQUALITAS, hoc eſt, ut juſta & uniformis contributio ſit, nec per bonam, malámve gratiam hunc ſubleves, illum premas (m); inſita enim humano ingenio invidia facit, ut pari dolore aliena commoda ad ſuas injurias metiantur (n). Quare ſint publicâ authoritate Cenſores & Inſpectores, qui ſingulorum bona ſtatis temporibus inſpiciant, ac tum ex æquo onera partiantur; ita ut tenuiores cives minus, plus opulentiores perdere jubeantur (o). De hoc argumento plura

(o) Sueton. in Tiberio l. 3. c. 27.
(p) Cicero ad Attic. l. 4. ep. 11.
(q) Plinius in Panegyrico.
(r) Proverb. c. 29.
(s) Savedra Symbol. 67. p. 568.
(t) Plutarch de Alexandro.
(u) Tacitus L. 3. Annal.
(x) Lipsius l. 4. Politic. c. 6.
(y) Tacitus L. 4. Hiſt.
(z) Idem l. 4. Annal.
(a) Plautus in Bacch.
(b) Sueton. in Veſpaſiano.
(c) Pliynius in Panegr. Trajani.
(d) Sueton. in Veſp. c. 26.
(e) Tacitus in Agricola.
(f) Idem l. 4. Annal.
(g) Lipsius l. 4. Polit. c. 6. p. 213.
(h) Dio l. 2.
(i) Tacitus L. 1. Hiſt.
(k) Lampridius in Alexandro.
(l) Dio l. 2
(m) Lipſius l. c. p. 216.
(n) Tacitus L. 1. Hiſt.
(o) Vernulæus Inſtit. Politic. l. 3. §. 2.

vide apud LIPSIUM Lib. IV. *Politic.*, apud VERNULÆUM in *Instit. Politic.* L. 3., apud SAVEDRAM in *Principe Politico Christiano Symbol.* 67., apud ZECCHIUM de *Principatûs administrat.* L. 2. c. 3.

REFLEXIO II. ad §. II. Num. 15. pag. 58.

Quæ, & quanta Authoritas sit illarum Legum, quas Imperatores, & præcipuè Justinianus de Personis, ac Rebus Ecclesiasticis tulêre?

Quodnam sit officium Principis.

(a) Petrus de Marca de Concordia Sacerdot. & Imp. l. 2. c. 10

Principis est, non tantùm Rempublicam, sed aliquâ etiam ratione curare Ecclesiam.

(b) Augustinus contra Cresconium L. 3. c. 51.

1. Qui Christianorum Regum ac Principum potestatem atque officia statis finibus dimetiuntur, duo potissimùm ab iis requirunt: nempe ut civium tranquillitatem procurent; dein ut aliquâ etiam ratione de Religionis integritate protegenda vel adjuvanda sint solliciti (a). Quamvis enim Dominatio civilis felicitatem temporariam, pacémque publicam tantummodò spectet; hæc tamen sæpè cum Religione adeò est conjuncta, ut nec Principum, qui Christo nomen dederunt, dignitas, salúsque: nec concordia civium erga se: neque officium eorum erga Imperii Præsides consistere possit; nisi Caput cum membris Religionis singulari etiam cultu, veluti vinculo quodam adstringatur. Doctrinam ejusmodi non ex recentioris Scriptoris, sed veterum Patrum sensu fluxisse, ne longiùs commonstrem; unum duntaxat Augustinum profero, in hæc verba disserentem (b): *In hoc* (inquit) *Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala probibeant, non solùm, quæ pertinent ad bumanam societatem, verùm etiam, quæ pertinent ad Divinam Religionem.*

Leges multæ Imperatorum in utilitatem Ecclesiæ latæ sunt.

(c) Cod. L. 1. Tit. 2.

(d) ibid. Tit. 3.

(e) ibid. Tit. 4.

(f) ibid. à Tit. 5. usque ad Tit. 14.

(g) Petrus de Marca de Concord. l. 2. c. 11. N. 3.

2. Quapropter, si prima Christianitatis sæcula levi oculo percurrere libet, multa Imperatorum Edicta generalia, plura Rescripta specialia occurrent; quibus iidem Christiani Principes vel reprimebant Hæreticos, aut interversæ disciplinæ Ecclesiasticæ consulebant. In Codice Justiniani sub titulis *de sacrosanctis Ecclesiis* (c), *de Episcopis & Clericis* (d), *de Episcopali audientia* (e), & aliquot sequentibus (f) innumeræ Imperatorum Leges hodie adhuc visuntur, quarum argumentum cùm penè infinitum mole suâ sit, ad duo capita revocari potest, ita ut Decreta Cæsarum vel personas, vel res Ecclesiasticas respiciant (g). Quæ de CLERICIS statuta sunt, *primò* versantur circa Patriarcharum, Metropolitarum, & aliorum Episcoporum jura, privilegia & officia, quæ tam ordinationibus, quàm administrationibus, id est, judiciis reddendis, & Ecclesiasticis negotiis exercendis sunt addicta. *Secundò* spectant totius Cleri functionem, assiduum in Ecclesiis obsequium, & eorum, qui Clero ad-

ro adscribi debent, mores & statum, Monachorum & Sanctimonialium Ascesin. Quod autem attinet ad RES ECCLESIASTICAS, de earum conservatione ubique in Legibus cavetur; unde administrationis modus præscribitur, numerus Clericorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ne reditus exhauriantur, constituitur; item alia de emphyteusibus, & impedienda bonorum alienatione ordinantur.

Leges Justiniani de rebus Ecclesiasticis quænam fuerint?

3. Præter Constitutiones variorum Principum, Novellas edidit Justinianus. Harum compendium ac synopsin dum Dupinius exhibet (h), simul hìc promptuarium totius disciplinæ Ecclesiasticæ latere ostendit. Atque ut ex multis pauca delibemus, in NOVELLA TERTIA ita disponit (i): *Invenimus, quoniam, qui SS. Ecclesias ædificarent, non tantùm pro ædificio, sed etiam ad sufficientes expensas darent, & determinarent, quantos quidem competens esset Presbyteros, aliósque Clericos per unamquamque Ecclesiam constitui: & reditus sufficientes dederunt iis, quæ à se constituta sunt.* Et donec hoc observatum fuit, sufficientes Ecclesiis reditus permanserunt. Cùm autem Episcopi aliquorum precibus pertracti, plures ordinârunt, crevit in immensum expensarum quantitas. Hinc pecuniæ multæ cum usuris à creditoribus acceptæ, quibus deficientibus ob nimium æs alienum, possessionum alienationes contra leges necessariò subsecutæ sunt. *Sancimus igitur, ut, qui sunt in majori Ecclesia Clerici, in suo ordine permaneant* (k). *Reliquo verò tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiquum numerum à Fundatoribus institutum Clericorum quantitas redigatur. Quapropter sancimus, non ultra sexaginta quidem Presbyteros in S. Majore Ecclesia esse, Diaconos autem centum, & quadraginta Diaconissas; Subdiaconos verò nonaginta: Lectores autem centum & decem: Cantores viginti quinque: ita ut omnes Clerici Majoris Ecclesiæ sint quadringenti viginti quinque: insuper centum Ostiarii.* In aliis quoque Ecclesiis minoribus Constantinopoli erant multi Clerici (l). Quare Imperator porrò statuit: *Ne liceat Clericis de minore ad majorem Ecclesiam favore potentium pertransire, sed, ubi sunt ordinati, ministrent* (m). *Demum quæ persolutis ministeriis supersunt de facultatibus Ecclesiarum, eadem in pauperes erogentur.* NOVELLA QUINTA est de *Monachis* (n): præscribit triennium probationis: prætereà jubet, ut ingredientem monasterium simul sequantur omninò res, quæ ad illud sic pertinebunt, ut, si posteà exierit, ejus facultates in priori monasterio remaneant (o). *Secundò*: Si Monachus factus Cantor aut Lector, ducat conjugem; excludatur modis omnibus à Clero, tanquam priorem conversationem, & solitariam confundens vitam (p). SEXTA NOVELLA in tres partes divisa *Primò* qualitates ordinandi in Episcopum exponit (q). *Secundò* de Clericis, quales eligendi, tractat (r). *Tertiò* de expensis Ecclesiarum & Clericorum multitudine non facienda cavet (s). SEPTIMA NOVELLA bonorum Ecclesia-

Novellæ Justiniani varia de Ecclesiasticis causis agunt.

(h) Dupin. in Biblioth.

(i) Novella 3. in præf.

(k) ibid. c. 1.

(l) Novell. 3. c. 2.

(m) ibid. c. 3.

(n) Novell. 5. c. 2.

(o) ib. c. 4. 7.

(p) ibid. c. 5.

(q) Novell. VI. c. 1. 2. 3.

(r) ibid. c. 4. 5. 6. 7.

(s) ibid. c. 8.

(t) Novell. VII. per tot.

(x) Novell. 123. c. 1. §. 1.

(y) ibid. c. 2. 7. 8. 11. 21. 22. 23. 24. 26.

(z) Novell. cit. c. 3.

(a) ibid. c. 7.

(b) ibid. c. 9.

(c) ib. c. 10.

(d) ib. c. 22.

(e) ib. c. 16.

(f) Nov. cit. c. 6.

(g) ibid. c. 12. 13. &c.

(i) ib. c. 19.

(k) ib. c. 21.

(l) ib. c. 35. & 36.

(m) ib. c. 44.

(n) ib. c. 37. & 40.

(o) Edict. 1. Justiniani.

clesiasticorum alienationes prohibet (t); inter omnes verò insignior est NOVELLA CENTESIMA VIGESIMA TERTIA, quia in eadem totius quodammodo disciplinæ compendium repræsentatur, quam 45. capitibus latè exponit. Pauca pro brevitate nostra hìc tantùm excerpere libet: I. Tres personas à Clero & populo eligendas, & Decretum Electionis ad Metropolitanum mittendum, qui uni è tribus electis suffragium suum conferat, statuit (x). II. Ordinem *judicii* præscribit, quem sequi oporteat, si quæ incidant controversiæ de persona electi, de vitio electionis, de simoniæ crimine, & de aliis hujusmodi (y). III. De *Cathedratici* quantitate disponit, ut Archiepiscopi & Patriarchæ pro recepta consuetudine in eorum ordinatione non dent ultra viginti auri libras: Metropolitæ pro Inthronisticis centum solidos, Notariis autem ordinantis, & aliis Ministrantibus trecentos solidos, vel etiam minus, si Ecclesia fuerit tenuiorum redditιuum (z). IV. De *Episcopis* statuit, ne evocentur dicendi testimonii causâ (a); ne proprias Ecclesias relinquant (b): útque Patriarchæ in annis singulis Synodos celebrent (c): & apud Metropolitanum Episcopi, si deliquerint, conveniantur (d); demum, ut gratis faciant ordinationes (e). V. De *Clericis & Presbyteris* præcipit, ut à negotiis sæcularibus abstineant (f): Clericos non aliter ordinari permittit, nisi literas sciant, & rectam fidem, vitámque habeant honestam &c. (g): Presbyterum minorem triginta quinque annorum fieri non permittit (h): Clericos vult habere res quolibet modo ad eorum dominium venientes sub sua potestate, ad similitudinem castrensium peculiorum (i), nec alibi conveniri posse, nisi apud proprium Episcopum (k). VI. De *Monachis* sancit, non statim schemate monastico vestiendos: ut habitent in uno conclavi (l): ne veste religiosâ se quis induat ad illusionem monastici statûs (m). VII. Quædam statuit, quæ dirimant matrimonia Christianorum (n). Harum Legum observationem Justinianus Patriarchis, Archiepiscopis, Provinciarúmque Præfectis speciali commendavit edicto (o).

Quam authoritatem habeant leges Imperatorum de causis Ecclesiasticis.

(p) Vid. T. II. P. I. univ. Hist. p. 212. 213. 214.

(q) Vide Suarez de legibus l. 3. c. 114.

4. Postquam Leges, quas Justinianus circa negotia Ecclesiastica tulit, in brevem epitomen congessimus; quæstio suboritur, utrùm Leges ejusmodi auctoritatem, ac vim obligandi habeant? Qui opinantur, utramque in Principibus laicis coaluisse potestatem, iis certa stat sententia, Justinianum in his ferendis Legibus jure suo, quo etiam in res sacras polleret, egisse (p), adeóque auctoritatem eam decretis suis tribuere potuisse, quâ sacratæ etiam personæ obstringerentur. II. Alii inde pondus his Cæsareis Constitutionibus accersunt, quòd cum Fortunio Garcia (q) opinentur, eundem esse Legum civilium & Canonicarum finem: quo ex capite contendunt, Legi civili non solum propositum esse finem promovendæ tranquillitatis publicæ, sed etiam veræ, æternæque felicitatis

felicitatis civibus procurandæ; quare à Cæsaris potestate abesse minimè putant, ut is per leges accommodatas subditos Christianos ad geminam beatitatem perducat. III. Sunt præter hos adhuc alii, qui ex ipsa Ecclesiæ observantia Cæsareorum Decretorum authoritatem legitimam commonstrant; nam in *Orientali Ecclesia* Constitutiones Justiniani summo applausu semper à Patriarchis exceptæ fuerunt, ad quos mittebantur, ut eas Gregi suo proponerent, & earum usum à Metropolitis exigerent (r). Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus collectioni Canonum à Theodoreto Cyri Episcopo factæ, collationem Legum, & præcipuè Novellarum adjecit, ita præfatus: *Ad gloriam Magni Dei & Servatoris nostri JEsu Christi, quæ nunc collata sunt cum sacris Canonibus sanctorum & beatorum Apostolorum, & qui eorum vestigia secuti sunt per unamquamque Synodum SS. Patrum, transcripsi è Novellis Constitutionibus à Justiniano felicis memoriæ post Codicem sparsim editis. Quæ quidem non solùm sequuntur orthodoxorum nostrorum Patrum Canones, sed etiam ex Principis imperio auctoritatem illis largiuntur; unà cum adjectionibus quibusdam legitimis, & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei consulunt* (s). IV. Non minor Novellarum Ecclesiasticarum authoritas, usúsque in *Occidentali Ecclesia* viguit, cujus testem habemus Gregorium M. Pontificem, qui Joannem Defensorem abeuntem in Hispaniam instructurus, de iis, quæ in causa commissa sequi debeat, Novellam CXXIII. eidem velut legem præscriptam commendat, dum ait (t): *De persona Presbyteri hoc attendendum est, quia, si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit; sicut Novella Constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis, & Deo amabilibus, & Reverendissimis Episcopis, Clericis & Monachis; Imperator Justinianus Augustus Petro gloriosissimo Præfecto Prætorio: Si quis contra aliquem Clericum* &c. In sæculo nono Joannes VIII. ex Novella Constitutione reprobat quorundam Episcoporum facinus, quo Bickbertinum Laicum sine causæ cognitione à communione removere tentabant (u). *Insuper nostro Apostolatui intimavit* (Bickbertinus) *ut eum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter Apostolicâ auctoritate jubemus, ut nemo vestrûm eum excommunicet, antequam ad legis examen perveniat. Scitote, quemadmodum in centesimo Capitulo Africani Concilii legitur, similiter in secundo Novellarum Justiniani libro, ut nemo Episcopus aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur.* V. Eodem tempore Hincmarus Remensis de hoc argumento ita scripsit (x): *Sed & Leges Romanæ ab Imperatore Justiniano promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt: De Episcoporum sine Metropolitani sui auctoritate profectione.* Denique duobus pòst sæculis Ivo Carnotensis adhucdum testabatur (y): *Dicunt Instituta Legum Novellarum, quas commendat & servat Romana Ecclesia.*

(r) Petrus de Marca de Concord. Sac. & Imp. l.2.c.11.N.3.

(s) Joannes Scholasticus in Præf. ad Collect. Canon. Theodoreti Cyrensis.

(t) Gregor. M. L. 11. epist. 57.

(u) Joannes Pontifex epist. 163.

(x) Hincmarus opuscul. 17.

(y) Ivo Carnot. ep. 280.

5. Verùm

5. Verùm contra hos meritò ſtatuimus, Conſtitutiones, ſive Juſtiniani, ſive aliorum Principum, ſi de rebus ſacris aut Eccleſiaſticis quid decernant, non à civili poteſtate, ſed à Conciliorum Canonibus, aut Pontificum Decretis, ſive à receptis Eccleſiæ conſuetudinibus authoritatem & vim obligandi primò accepiſſe. Nam ſi à judice, vel à foro competente ad jus ferendæ Legis argumentum præcipuum ducitur; jam dudum Valentinianus & Honorius Imperatores judicium omne rerum ſacrarum Eccleſiaſticis Præſidibus duntaxat convenire agnoverunt; ille quippe ſtatuebat: *In cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis* (z). Hic autem affirmabat, *ſi quid de cauſa Religionis agitur, Epiſcopale oportet eſſe judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos ſpectat Religionis obſequium* (a). Neque ab hac mente Prædeceſſorum Juſtinianus aberravit; nam licèt Baronius, ubi Novellas ejus Cæſaris primò inſpexerat, illum accuſâſſe temeritatis ſit viſus, quaſi rerum divinarum invaſor, humana divinis miſcuiſſet (b). Subinde tamen ſenſum Legum datarum aſſecutus, facilè deprehendit, Juſtinianum in his ſanciendis Decretis non Imperatoriâ agere poteſtate, ſed potiùs ex ſacrorum præſcripto Canonum, ut planè in his non earum Legum conditorem, ſed executorem atque cuſtodem Canonum præſeferat, id quod ſæpiùs ipſe in Conſtitutionibus ſuis profitetur in Novella III.: *Quod nobis videbatur* (inquit) *benè & competenter habere, & regularum ſanctarum dignè* &c. (c). Et in Novella VI.: *Hoc autem futurum eſſe credimus: ſi ſacrarum regularum obſervatio cuſtodiatur, quàm juſti & laudandi & adorandi Inſpectores & Miniſtri Dei verbi tradiderunt Apoſtoli, & SS. Patres cuſtodiverunt, & explanaverunt* (d). *Sancimus igitur, ſacras per omnia ſequentes regulas* &c. (e). Eadem Imperator repetit in Novellis aliis (f), ex quibus conficitur, Juſtinianum legibus latis non Canones condidiſſe, ſed conditos foviſſe, & brachio ſæculari executionem eorundem ſtabiliiſſe; ac proinde Conſtitutionibus inde tantummodò vim obligandi, atque authoritatem inditam fuiſſe, quòd cum ſacris ſtatutis Patrum ac Synodorum præteritarum quàm optimè concordarent. Nam *omnes ſanè pragmaticæ ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo, & firmitate vacuatæ ceſſare præcipiuntur* (g).

(z) Valentinianus Sen. in reſcripto apud Ambroſium.

(a) Epiſtola Honorii Imp. ad Arcadium.

(b) Baron. ad a. 528. N. 1 *Non videtur veroſimile, quòd Juſtinianus legibus ſuis authoritatem in Eccleſiam uſurpare voluerit.*

(c) Nov. 3. in præfat.

(d) Nov. 6. in præfat.

(e) ibid. c. 1.

(f) Novell. 123. 133. 137

(g) L. 12. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.

Difficultates oppoſitæ diluuntur.

6. Ad difficultates oppoſitas ex ordine nunc reſponſa ſubjicimus: Ad I. R. Chriſti doctrinæ adverſari eos, qui civilem poteſtatem cum ſacra confundunt; poſtquam enim is Epiſcopis, velut Apoſtolorum ſucceſſoribus, non verò Cæſari paſcendas oves commiſit; primò vis eorum, quæ fidei controverſias ex ſcripturis & antiqua traditione dirimunt, non à Principum, ſed ab Epiſcoporum auctoritate pendet; ita ut hi de jure ſolùm cognoſcant: ſcilicet an opinio inter hæreſes rejicienda ſit? Principibus

pibus verò alter locus relictus est, nempe, ut res decisas interposito imperio tueantur, & pœnas degradationis aut excommunicationis ab Ecclesia irrogatas sæcularibus pœnis, scilicet exilio, vel ultimo etiam supplicio intendant. Cujusmodi exemplum nobis Justinianus dedit in Anthimo Eutychetis Alumno; hic enim ubi ab Agapeti Pontificis sententia hæresis damnatus, & judicio Constantinopolitanæ Synodi ab ipsa Episcopi dignitate depositus fuerat, legem scripsit Imperator (h), quâ *interdicebat* Anthimo, *commorari in hac felici civitate* (Constantinopoli, ubi Episcopum egerat) *& ejus districtu, ac in quacunque alia insigni civitate*, & legem adversùs Hæreticum à Patribus latam Κυρίαν fecit (i), & *hoc firmiùs ponit, & imperialibus legibus corroborat, ac si ab Imperio ipso provenisset*. Confirmata enim de fide decreta licèt non indigeant Imperio Principis, ut Christianos adstringant; contumacia tamen refragantium novis Cæsarum decretis plectitur, ut, si divinas leges non revereantur rebelles, pœnam saltem ejusmodi sentiant, ac si in Imperatorias Leges peccâssent. Unde Imperator contra Anthimum ita decrevit: *Rem non insolitam Imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio sacris de sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychem, Arium, Macedonium & Eunomium, & quosdam non minores aliis, toties Imperium ejusdem sententiæ & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina pariter & humana concurrentia unam consonantiam rectis sententiis fecêre. Quemadmodum & nuper factum esse circa Anthimum scimus, qui quidem dejectus est de sede.... à S. & gloriosæ memoriæ Agapeto,... sed & communi sententiâ.... sacræ Synodi condemnatus fuit* (k).... *Propter hæc igitur omnia sententiam depositionis à S. Synodo factam propriam nostrum facit Imperium, & præsentem scribit legem* &c. (l). Quod verò ad Canones disciplinam concernentes attinet, ii non tantùm Clericos, sed & Laicos sæpè respiciunt; quapropter si à Principe novâ vi firmentur, executioni faciliùs per Provincias dari, & qui contrà nisi fuissent, auctoritate publicâ ac civili poterant coërceri.

(h) Nov. 42. c. 1.

(i) ibid. c. 3

(k) Nov. 42. in Præf.

(l) ibid. c. 1.

Ad II. ℞. Parem Imperatoris & Patrisfamilias conditionem esse; uti enim hujus præcipua cura est de educatione liberorum, ac tranquillitate domestica: altera verò, ut, si Christianus sit, impedimenta amoveat, quæ familiares à felicitate æterna arceant, vel Magistris aptis, qui eos deducant, instruendos committant; ita Principes solliciti sint, oportet, ut pacem Reipublicæ præprimis servent: dein, quatenus Christo dederunt nomen, Episcoporum gubernationi ac decretis cives relinquant: ac si minùs iis respondeant, suam addant manum, qui neglectum Canonum vindicent; atque ita non ex legis civilis, sed Christianæ charitatis fine subditos ad æternam quoque felicitatem perducant (m).

(m) Petrus de Marca de Concord. Sacerdotii & Imperii L. 2. c. 10.

Ad III. ℞. In Oriente quantocunque in pretio fuerint Leges Imperatorum; iis tamen alia interna ac insita vis obligandi attributa non est, quàm quæ à Canonibus definita erat; unde in iisdem Orientalibus Provinciis stata & accepta lex fuit Marciani Imperatoris ita decernentis: Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus (m). Equidem causæ quædam fuêre, quas à Canonibus necdum decisas, definire ausus est Justinianus, utpote de impedimentis matrimonii, & de Clericis quandoque apud Judices publicos conveniendis; sed Bellarmino teste (n), pars magna illius juris tunc Principibus dissimulanter relinquebatur. Prætereà diffiteri nemo potest, Justinianum non semel fines suæ potestatis transiliisse (o), præsertim eo tempore, quo trium Capitulorum litem suo arbitrio discutiendam sumpsit: licentiam tamen ejusmodi adeò non ea ætas probavit, ut Facundus Hermianensis in Africa Episcopus (qui regnante Justiniano vivebat) eidem Imperatori palàm exprobraret, quòd Canonicas quæstiones ad suum judicium revocare non perhorresceret; atque ut Marciani exemplo virum ad metas retraheret, hæc aberranti Justiniano perscripsit: *Sciens igitur ille* (Marcianus Imp.) *modestissimus Princeps, Oziæ Regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi Ordinis Sacerdoti, multò magìs sibi impune cedere non posse cognovit, vel, quæ jam de fide Christiana ritè fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere Canones, quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor* (p).

Ad IV. ℞. Gregorium M. eas duntaxat sanctiones Imperatoris laudare, quæ non novas regulas in Ecclesiam invehunt, sed Veteres augent in melius: propositum nempe sibi Pontifex habebat Justiniani Rescriptum (q): *Semper* (Cæsar inquiebat) *nostræ serenitati cura fuit servandæ vetustatis, maximè disciplinæ, quam nunquam contempsimus, nisi ut in melius augeremus, præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contingit quæstio, quæ Patrum constat regulis definita, imò adventu superni Numinis inspirata; quia constat, esse cælitùs constitutum, quidquid Apostolica decernit auctoritas.* At ubi posteà Mauritius legem dedit, ne illi, qui publicas actiones egisset, aut *manu signatus* inter milites fuisset, in monasterio converti liceret (r); palàm legi refragatus est, eoquòd alienum ab Ecclesiæ instituto esset, occludere hâc ratione viam salutis iis, *qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* Neque Fridericus II. posteà circa annum MCCXX. Imperator aliter pro Occidente statuit (s), dum irrita esse jussit omnia statuta & consuetudines, quæ contra libertatem Ecclesiæ

(m) L. Privilegia 22. C. de Ss. Ecclesiis.

(n) Bellarm. apud Petrum de Marca L. II. c. 11.

(o) Baron. in Annal. ad an. 523. N. 6.

(p) Facundus Hermian l. 12. c 3.

(q) Justiniani ep. ad Decianum Metropolit

(r) Gregor. l. 2. Indict. 11 epist. 62.

(s) in Constit. Friderici II. in Corpore Juris §. 1. p. 1269. & Authentica *Cassa* Cod. de Ss. Ecclesiis.

ſiæ edita ſunt adversùs Canones, qui ex Principum edicto aut conſenſu promulgati fuerint. Id quod Honorius III. Pontifex eodem tempore circa annum MCCXXIV. confirmavit, decernendo, illos excommunicandos eſſe, qui ſtatuta Eccleſiæ libertati adverſantia tueri, aut juxta ea judicare præſumpſerint (t).

(t) c. noverit de ſentent. excommun.

Ad V. ℞. Ex teſtimonio Hincmari & Ivonis nil aliud erui poſſe, quàm quod Gratianus in Diſtinctione X. per tredecim Canones probat, nempe *Conſtitutiones Principum Eccleſiaſticis Conſtitutionibus non præeminere, ſed obſequi.* Ex his Canonem primum hìc tantùm adducimus, in quo Nicolaus I. ita ſtatuit (u): *Imperiali judicio non poſſunt Eccleſiaſtica jura diſſolvi,... non quòd Imperatorum leges (quibus Eccleſia utitur contra Hæreticos, ſæpè contra Tyrannos, atque contra pravos quoſque defenditur) dicamus penitùs renuendas, ſed quòd eas Evangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis Decretis (quibus poſtponendæ ſunt) nullum poſſe inferre præjudicium aſſeramus.*

REFLEXIO III. ad §. II. Num. 16. pag. 59.

De Corpore Juris à Juſtiniano collecto, tum de ejus partibus.

Juſtiniano major laus à legum civilium, quàm Eccleſiaſticarum tractatione acceſſit.

1. JUſtinianus etſi magnam inde laudem conſecutus ſit, quòd ſuis legibus ſacra ſtatuta Canonum adjuvare, vel (ùt ipſe loquitur) pro reſtauranda Diſciplina *Tutorem Vetuſtatis & Vindicem* profiteri voluerit (a); majorem tamen nominis famam præcellenti illo opere meruit, quo velut ordinatâ compage ſuas, ac Prædeceſſorum civiles leges eſt complexus (b). Nam à primis ſacris laboribus, qui Eccleſiæ culturam ſpectabant, multum gloriæ decerpſit tum ejus ad Religionis dogmata definienda, Eccleſiaſticáſque cauſas tractandas effuſa licentia; tum etiam aliorum Cæſarum moderata pietas, qui ab Eccleſiaſticis ideò faſtis magìs celebrati, velut oves paſci potiùs, ac regi, quàm regendi, docendíque munus ſibi arrogare volebant. At in Conſtitutionibus veterum Principum certum in ordinem digerendis Juſtinianus tantam à Republica civili commendationem nunc obtinuit, ut inſigne hoc Cæſareæ providentiæ, ac induſtriæ monumentum (quod eidem Auguſto præ cæteris Imperatoribus ſingulare laudis genus eſt) duodecim ferè ætates hominum ſuo uſu publico immortali memoriæ conſecrârint.

(a) In Reſcripto ad Dacianum Metropolit.

(b) Alemannus in notis ad Hiſtoriam arcanam Procopii.

2. Arduo labori ut Juſtinianus manum admoveret, tres potiſſimùm cauſæ fuêre (c): nempe ut amputaret prolixitatem litium: dein ut multitudine Conſtitutionum ſublatâ, Juriſconſultorum ingenia levarentur: demum ut leges, quas anteà vagas & confuſas Gregorius & Hermoge- nes

(c) Conſtit. Juſtin. de Nov. Cod. Tac. Brunquell. in Hiſt. Juris p. 159.

(d) Vide Tom. I. nostræ Hist. p. 177.

Causæ, quæ impulerint Justinianum ad novam juris collectionem.

(e) Vide Tom. II. Hist. n. p. 1.

(f) Struvius in Hist. Juris Justin. p. 279

(g) L. 1. §. 2. C. de vet. Jure enucl.

nes privato primùm studio (d), Theodosius verò Junior publicâ auctoritate in peculiares Codices conjecerant (e), meliore ordine in justum Corpus quoddam colligerentur. Quibus alii quartam causam ex immodica gloriæ cupiditate apponendam putant (f); nihil enim Justiniano optatius erat, quàm novis operibus, & præsertim huic Legum volumini suum indere nomen, unde ipse ajebat (g): *Hócque opere consummato, & in uno Volumine nostro nomine præfulgente, coadunato, cùm ex paucis & tenuioribus redeunti ad summam & plenissimam juris emendationem pervenire properamus, & omnem Romanam Sanctionem & colligere, & emendare, & tot Auctorum dispersa volumina uni Codici indita ostendere, quod nemo alius neque sperare, neque optare ausus est.*

Adjutores Collectionis.

(h) Constit. de novo Cod fac. §. 1.

(i) Maranus in Comment. de æquitate.

(k) Procop. de B. Pers. L. 1 c. 24.

(l) Inscriptio Edicti IX.

(m) Procop. Hist. arc. c. 20.

(n) Procœm. Instit. §. 3.

(o) Procop. de B. Pers. l. 1. c. 24.

(p) Hesychius Milesius de viris illustr. Suidas in V. Tribonian.

An Tribonianus Gentilis fuerit?

(q) Hesychius l. c. Baron. ad an. 529. N. 25.

(r) Helvigius in Dissert. de Paganismo Tribon. Gryphisw. 1728.

3. Vastam operis molem ubi Imperator mente conceperat; decem viros elegit, qui uti Patriciorum, Comitum, Quæstorum, Consularium, & Advocatorum dignitatibus fulsêre; ita pares tantis curis, tantísque laboribus vires afferebant (h). Omnium tamen præcipuum operis totius moderatorem, Tribonianum fuisse ferunt (i). Erat is (k), teste Procopio, Pamphilius genere, & disciplinâ artium nulli secundus, apicem ferè eruditionis attigerat, sic, ut neminem ætatis suæ haberet hâc laude superiorem: Justiniano proinde in paucis acceptus, Præfecturam urbis (l), Quæsturam (m), Magisterium officiorum sacri Palatii (n) gessit. Sublimitatem nihilominùs ingenii humili ac sordidâ avaritiâ obscurabat; nundinationi quippe legum deditus, quotidiè pretio refigebat alias, alias figebat, prout è re erat atque usu poscentium (o). His accedit, quòd Christianam Religionem fronte & vultu tantummodò ostentâsse, animo verò superstitiones Gentilium fovisse dicatur (p); præterquam enim, quòd Hesychius Milesius Procopii æqualis, tum etiam Suidas Tribonianum *Gentilem*, *Atheum* & *impium* conceptis verbis appellent, non parva etiam de ejus erroribus conjectura ab ipsis legibus, quas digessit, depromitur: atque ut sileamus turpissimam illam, & Ethnico homine dignam adulationem, quâ Justiniano persuasit, non moriturum ipsum, sed unà cum corpore receptum in cælum migraturum (q). Helvigius Gryphiswaldensis Academiæ Professor varias Constitutiones congerit, quæ de Paganismo Triboniani apertius testimonium enunciant (r). Ex multis paucas has excerpimus. *L. 66. §. 1. de donatione inter virum & uxor.*, ubi ritus antiquus nuptialis, quo virgo aquâ & igne accipiebatur, repetitur. *L. 9. §. 1. D. de rer. divis. L. fin. ut in possess. Legat. vel fideicomm. serv. L. 8. de rel. & sumpt. fun.*, in quibus legibus fit mentio de consecratione locorum & rerum mobilium, & de solennitate verborum. *L. 18. §. 5. ff. de alim. & cib. leg. L. 44. de manum. test.* respiciunt gentiles ritus ad defunctorum sarcophagum. *L. 19. D. de in rem verso* loquitur de toga in funus dedicata. *L. 4. §. 8. ff. de instit. act.* Libitinariorum & Pol-

& Pollinctorum. *L. 9. §. 1. ad L. Jul. sec.* *L. 6. §. 3. D. de R. D.* olei pro uxore in æde sacra ponendi. *L. 60. §. 1. de donat. inter vir. & uxor.* Victimariorum meminêre. *L. 2. de in jus voc.* de juramento per genium Principis agit. *VERUM* non desunt, qui defricare hanc labem Triboniano cupiant (s); nam ex inficeta adulatione, quâ Tribonianus demulsit Cæsarem, negant continuò, Ethnicismum erui posse. Deinde Hesychii & Suidæ verba mitiùs ita interpretari conantur, quasi moribus suis Gentili fortè similem, non tamen Gentilem expresserit; postremùm quòd Collectores Corpus Juris Justinianei antiquis superstitionis seminibus inferserint, negligentiæ, aut nimiæ festinationi potiùs tribuendum putant (t). Cæterùm quid quisque de religione Triboniani statuere voluerit, illud certè Gothofredus invictè ostendit, Tribonianum in opere Justinianeo plura facinora admisisse (u). Nulla enim (inquit Pagius) penè lex est de earum numero, quæ in Codice Theodosiano leguntur, ubi ille securim non admoverit; ajentia ibi negantibus, & retrò mutata: Constitutiones meliore suî parte mutilatæ, una lex in plures distracta, & retrò plures in unam conflatæ: rationes sæpenumerò vel argumentationes rejectæ, quas etiam legum nexus & integritas suggerebat, aliquando verborum decor omnis detractus: denique mutatæ passim, inflexæque leges anteriores ad posterioris juris mentem, quod in ipsis rerum argumentis obtinere vellet. Notare etiam licet, ne leges quidem ipsas satis Tribonianum affecutum videri, & ideò vel abdicâsse, vel eas mutilâsse; & post hæc tamen omnia eorum ipsorum Principum seu Imperatorum titulos sive nomina legibus inscribit, quasi ab initio ita scriptæ eæ fuissent. Hucusque Pagius (x).

L. 24. D. ad L. Jul. *de adulteriis.*

(s) Hoffmannus in Hist. Juris l. 2. c. 2. p. 555.

(t) Ludewig in V. Justinian. c. 8.

(u) Gothofred. in Prolegom. Cod. Theodos. c. 4.

Quæ facinora Tribonianus admiserit in Collectione Juris Justinianei?

(x) Pagius in Critic. Annal. Baron. T. II. ad a. 529. N. 18.

4. Selecti ad conficiendum Codicem viri anno DXXVIII. laboris fecêre initium: atque ut parcerent fastidiosis investigationibus, non ex ipsis fontibus, sed ex collectionibus Constitutionum à Gregorio, Hermogene & Theodosio factis opus construxerunt. His addebant Novellas tum à Theodosio Juniore, tum à succedentibus Principibus editas (y). Quemadmodùm verò argumentum Codicis Justinianus præscripserat; ita & modum, quo congerendum vellet, præcepit, scilicet, ut præfationibus, aliisque, quæ redundarent, resectis, Constitutiones breviter & clarè conscriptas convenientibus subjicerent titulis, & in unam sanctionem cogerent (z), quæ dispersa per varias leges vagarentur. Facultas ejusmodi perfectioni operis non parùm nocuit; nam Collectores multas Imperatorum, qui post Theodosium vixerant, Novellas, libertate dicam, an negligentiâ, transmiserunt (a); quin è diverso (quod tamen in mandatis minimè habebant) Constitutiones antiquorum Imperatorum in tribus Codicibus omissas majore curâ addere studuerunt (b). Præterea cùm leges diversas diverso tempore editas in unam compagem con-

Initium factum à Constitutionibus Imperatorum.

(y) Hoffmannus in Hist. Juris Just. p. 566. 567.

(z) Constit. de nov. Cod. fac. § 2.

(a) Hoffmannus l. c.

(b) Idem p. 568. Ludewig in V. Justiniani c. 8. §. 31.

confunderent, incertiſſimum reddebant uſum annotati diei & Conſulis: temporúmque ordinem, qui in ponendis Conſtitutionibus obſervatus fuerat, penitùs deſtruebant (c). Anni ſpatio evoluto, ſive anno DXXIX., confectum Codicem Imperator ſpeciali conſtitutione confirmatum in ſingulas miſit Provincias (d), ſimúlque cavit, ne quis trium Codicum authoritate abrogatâ, ad alium deinceps Codicem, quàm ad præſentem in forenſibus cauſis provocare auſit. Adhæc Juſtinianus ſuſtulit diſcrimen omne inter leges generales & ſpeciales, adeò ut, quæ ad certas perſonas olim dirigebantur, nunc ab eo tempore, quo Codici inſertæ eſſent, univerſalium præceptionum vim obtinerent (e).

(c) Gothofredus Prolegom. Cod. Theodoſ. c. 4

(d) §. 2 Conſtit. de Juſtinianeo Cod. Confirm.

(e) Reinold. in Orat. de Leg. inſcript. §. 13.

Digeſta ſeu Pandectæ altero loco compoſitæ.

5. Quamprimùm CODEX lucem viderat, Juſtinianus Triboniano alterum negotium impoſuit, quò innumeras veterum Juriſconſultorum ſententias in unum volumen redigeret: amplior tamen labor erat, quàm ut breve tempus, paucíque ſocii exhauriendis difficultatibus ſufficerent. Itaque Præfecto operis Imperator ſollicitè commendavit, ut partim juris in Academiis Conſtantinopolitana & Berytenſi Profeſſores, partim cauſarum forenſium Patronos prudentiſſimos in ſuppetias vocaret, quorum ſeptendecim ubi Tribonianus *tam ex facundiſſimis antecesſoribus, quàm ex viris diſertiſſimis togatis ad ſociandum laborem* delegerat (f), iiſdem hic porrò modus præſcriptus eſt, ut ſparſos juris libros, & ex iis tantùm eorum ſcripta in Volumen contraherent, qui tempori Juſtiniani ſuas commentationes accommodâſſent; aut quibus authoritatem conſcribendarum, interpretandarúmque legum ſacratiſſimi Principes præbuiſſent. Quantus horum, ex quibus materia deſumpta eſt, Authorum numerus fuerit, non una fertur opinio; plures octo ſupra triginta recenſent (g), quorum in Digeſtis ſcripta laudantur, omiſſis iis Juriſconſultis, qui ſtante liberâ Republicâ Romanâ claruerant, propter eà quòd Imperator recentiores duntaxat Juriſconſultos adducendos volebat (h), qui principia juris ſecundùm noviſſimos mores & jura recepta proponerent. Sed quamvis Veterum nomina diſſimularentur, ex eorum tamen libris, quorum numerus ſecundùm Triboniani calculum ad duo millia, vel (ùt Imperator ait) ad pluſquam trecenties millia verſuum aſſurgebat (i), materia apta ſelecta eſt: atque ut hæc certo ordine diſponeretur, Collectoribus præcipiebatur, ut Antinomiis & Tavtologiis procul amandatis, ſepoſitóque omni authoritatis præjudicio redundantia reſcinderent, imperfecta ſupplerent, omitterent obſoleta, & ordinem Edicti perpetui propoſitum habentes ad uſum & conſuetudinem in foro Romano & Conſtantinopolitano præcipuè reſpicerent (k). Decennium labori deſtinaverat Juſtinianus: Tribonianus verò vota Principis citiùs impleturus, ſummâ feſtinatione opus triennio (utut immenſum & arduum) abſolvit (l); jus enim antiquum per mille & quadringentos penè annos

(f) L. 1. §. 3. C. de V. J. Conſtit. *Tanta* §. 9. de confirm. Digeſt.

(g) Budæus in not. ad ππ. Brunquell. in Hiſt. Juris P. II. c. 3. §. 11

(h) Hoffm. in Collect. Juris Juſt. l. 2. c. 2. not. 6.

(i) L. 2. 3 §. 1 C. de V. J. E.

(k) § 5. Conſtit. de Concept. Digeſt. l. 1. §. 5. C. de V. J. E.

(l) L. 2. 3. de V. J. E.

annos confusum in quinquaginta libros ita conjiciendum erat, ut nihil extra se haberet (m), tituli quoque libris, & legibus (n), quarum 8134. à Glossatore numerantur: Jurisconsultorum nomina, ex cujus scriptis desumptæ essent, præfigenda: quem laborem cùm nihilominùs maximâ celeritate Collectores deproperâssent; Justinianus opus miraculi loco habens, continuò illud Pandectarum nomine, quasi cuncta complecteretur, confirmavit (o), prohibens omnem veterum Scriptorum citationem, sibi verò soli interpretandi & supplendi facultatem reservans. Unde porrò cavebat, ne legibus Pandectarum Commentarii, sed *Paratitla* duntaxat adnecterentur (p): sive ut liceat tantummodò ad titulos Pandectarum annotare, quæ aliis in locis illum ad titulum pertinentia reperiuntur. Præthereà ad obscuritatem tollendam *Siglorum* usum omnino inhibebat (q); quare in exprimendis legibus licitus nullatenus deinceps usus erat singulariarum literarum, quibus solis positis, totus sensus significabatur: ùt D. M. A. *Dolus malus abesto* (r). Postremò ad levandum fastidium eorum, qui centum quinquaginta millia versuum & quinquaginta libros (tantum enim Pandectæ continebant) lecturi essent; in septem partes totam operis compagem divisit (s). *Prima Pars* primos quatuor libros tenet, in quibus generalia de jure, & ejus speciebus in Republica Romana, de personarum diverso statu & potestate, generalia de rerum divisione & qualitate, & diversa judicantium officia exponit. *Secunda Pars* à Libro V. ad XII. doctrinam de judiciis exhibet. *Tertia* à XII. ad XIX. de diversis agit contractuum speciebus. *Quarta* à XX. ad XXVII., de hypothecis, emptionibus, locationibus, usuris, probationibus, nuptiis & tutelis tractat, dicitúrque media pars operis, sive umbilicus (t). *Quinta* à Libro XXVIII. ad XXXVII. proponit leges de successione legitima & testamentaria. *Sexta* à XXXVIII. ad XLV. tractat de bonorum possessione, interdictis, actionibus & exceptionibus. *Septima Pars* à XLV. ad finem deducta materiam complectitur de verborum obligatione, ac de delictis tum privatis, tum publicis (u). IRNERIUS (Bononiæ à suis *Lucerna Juris* dictus) hanc Justiniani divisionem posteà immutavit in Sæculo duodecimo, dum Digesta in duo volumina partitus est, quorum alterum circa finem L. 82. ad *L. falcidiam* incipit (x). Subinde Bulgarus in eodem ævo, eâdémque in Bononiensi Academiâ, ubi Jus civile Glossematis illustrare cœperat, Pandectas in tres distinxisse partes fertur (y), quæ *Veteris*, *Infortiati*, & *Novi* nomina obtinuêre: *Vetus* ab initio producitur usque ad Tit. II. L. XXIV. *Infortiatum* seu infarcitum, infertúmque à Titulo III. ejusdem libri porrigitur ad ultimum L. XXXIIX. (z). *Novum* reliquos libros titulósque comprehendit.

Divisio Pandectarum in septem tractatus aut partes à Justiniano facta.

(m) Hoffman in Hist. J. Just. p. 571. l. d.

(n) Brunquell in Hist. J. T. II. c. 3. §. 251.

(o) L. 2. §. 23. C. de V. J. E. Constit. Tanta. ff. de Confirm. Dig.

(p) §. 12. C. de Concept. Dig. & §. 21. Const. Tanta.

(q) L. 2. §. 22. C. de V. J. E.

(r) Brunquell in H. J. P. II. c. 3. §. 20. 21. 22

(s) L. 2. §. 1. L. 3. §. 1. C. de V. J. E.

(t) L. 2. §. 5. & L. 3. §. 4. C. de V. J. E.

(u) Vide Hoffmannum l. c. p. 579.

(x) Alberic. Gentili de lib. jur. civ. p. 60.

(y) Brunquell in Hist. J. P. II. c. 3. §. 33.

(z) Conf. Ricius de lib. Jur. aphor. 34. Ludovici Hist. II. §. 5. in Du Fresne Glossar. V. *Fortiare.*

6. Pan-

6. Pandectarum opus hunc in modum digestum, etsi prima post Justinianum sæcula probârint; ætas tamen subsequens accuratiore crisi idem examinavit. Ad limam igitur cùm vocaretur, I. non paucarum legum dissensio inventa est, quæ inde ortum habuit, quòd librorum, unde argumentum sumebatur, multitudo, & alia opinantium diversitas, tum collectorum festinatio fecerint, ut sententiæ conscriberentur, quæ nullâ ratione (ùtùt aliqui id conentur) componi queant (a); certè Justinianus ipse subtimidè de absolutione operis loqui visus est, quando dicebat: *Contrariam autem aliis legibus legem ex his, quæ in hoc volumine positæ sunt, non facilè quis reperiet* (b). *Alter*, qui ex iisdem causis, *nævus* operi adhæsit, erat nimia sententiarum geminatio; nam in iisdem etiam titulis eadem responsa, rescriptáve repetuntur: & quæ uno tenore orationis scripta erant, inversa, immutata, truncata, & centonum in morem adsuta conspiciuntur (c). *Tertiò* Collectores ideò prolapsos alii asserunt, quòd non ubique eâ, quâ oportuerat, diligentiâ, fide, religione fuerint versati; quódque innumeras in usu tunc vigentes leges, ac plurima Senatûs consulta ac Edicta prætermiserint (d). Invenêre alii (utpote Alciatus, Hottomannus, Gothofredus, Cujacius, Perenonius) alia, quæ arguerent (e); his tamen se opponunt nonnulli, qui Librariorum, non Authoris vitio factum ajunt, ut Antinomiæ volumini irrepserint: ex Florentino MS. multa jam vitia esse correcta, & plura adhuc ex Theophilo & Hermenepulo corrigi posse (f): Legis insuper sensum non tam ex verbis conceptis, aut sæpè corruptis, sed ex iis Authoribus eruendum, qui tempus, casum, causásque latæ sanctionis & responsi nobis transcripserunt (g).

Nævi Pandectarum.

(a) Hoffmann. lit. e, p. 583. Brunquell. c. 8. §. 16.

(b) L. 3 §. 15 C. de V. J. E.

(c) Pard. Pratejus in Jurisprud. med.

(d) Schulfingius apud Hoffmann. p. 585.

(e) Hoffmann. p. 587. Brunquell in Hist. Jur. P. II. c. 4.

(f) Id. §. 22.

(g) Idem §. 23. &c.

7. Anteaquàm Imperator compositas jam Pandectas in lucem emitteret, ex iisdem, tum etiam ex legibus Imperatorum per Tribonianum, Theophilum & Dorotheum Institutionum libros extrahi jussit (h): ut, sicut in Constitutionibus ac Digestis pro Jurisconsultis forent ampliora Nomothesiæ argumenta; ita in Institutionum epitome prima & breviora legum principia & elementa existerent, ex quibus tyronibus ad Jurisprudentiam Romanam via facilior sterneretur. Pro levando labore Collectoribus non parvo usui fuêre Institutiones Caji (i), ad quarum imitationem quatuor libros sub nonaginta novem titulis concinnârunt, & materiam triplici parte complexi, hunc in modum opus divisêre (k): ut Liber primus Institutionum *Jus Personarum*, sive multiplices personarum differentias & qualitates traderet. In Libro autem secundo, tertio, & prioribus quinque Libri ultimi titulis *Jus Rerum* tractaretur. Denique à sexto Libri quarti titulo *Jus Actionum* explicaretur; quibus porrò lucem affuderunt ii, qui Antiquitates Romanas secundùm ordinem Institutionum exposuerunt (l). Absoluta à Triumviris Commentatio etsi magnam

Institutiones Justinianeæ.

(h) Justin. in Procem. Instit.

(i) Marsilius in not. ad § 6. Procem. Instit.

(k) Brunquell in Hist. Jur. P. II. c. 8. §. 56.

(l) Heineccius Antiq. Rom. Halæ 1719.

gnam

gnam laudem tulerit, eoquòd in Institutionibus multæ controversiæ Jurisconsultorum decisæ habeantur, tum quòd fideicommissorum & Codicillorum origo, furtorúmque genera, aliáque non pauca clariùs & accuratiùs ibidem exhibeantur (m). Nævis tamen suis opus non caruit; nam multa obsoleta & antiquata comprehendit, & quædam etiam necessaria, utpote de sponsalibus, dote, divortio, pignore, hypotheca, pactis, contractibus innominatis, restitutione in integrum, Jurisdictione, foro competente, & imprimis processu judiciario omittit (n). Nihilominùs Justinianus Institutiones à delectis viris sibi oblatas eâdem die, quâ Pandectas evulgaverat, scilicet undecimâ Kal. Decembris An. DXXXIII. suâ Cæsareâ authoritate roboravit, & luci dedit (o). Evoluto mense, sive XVII. Kalend. Januarii An. DXXXIII. Universum Corpus Juris, Codice, Pandectis & Institutionibus contentum à Justiniano binis Constitutionibus confirmatum est (p); ita quidem, ut à III. Kalend. Januar. ejusdem anni in omne ævum valere debeat (q), atque ut in Academiis Romanâ, Constantinopolitanâ, & Berytensi à Professoribus prælegeretur, mandavit (r) methodo etiam præscriptâ, quæ, quia anno quinto finiebatur, *Quinquennium Juris* appellabatur (s).

8. Per idem tempus, quo Pandectis & Institutionibus concinnandis intendebat Imperator, ad eundem variæ quæstiones multis Jurisconsultorum litibus obnoxiæ deferebantur (t): altercationibus supremâ decidendi potestate Justinianus finem imposuit; unde QUINQUAGINTA DECISIONUM posteà percrebuit notio. His specialibus definitionibus cùm per intervalla NOVÆ CONSTITUTIONES generales accederent, Legislator Augustus Triboniano, Dorotheo, Mennæ Constantino & Joanni, viris eloquentissimis injunxit, ut priorem *Codicem* suis nævis purgatum, insertis quinquaginta Decisionibus, & Constitutionibus recenter editis redderent auctiorem (u). Quatuorviri Imperio Principis obsecuti, Codicem in XII. Libros diviserunt (x): quorum singuli suos titulos, tituli Leges & Constitutiones habebant, ad propositam facti speciem emissas; quare Brunquellus notat cum aliis, in illis Constitutionibus non valere argumentum à contrario sensu, vel (quod idem est) ab unius inclusione ad alterius exclusionem (y). Porrò Legibus præfiguntur *Inscriptiones*, quibus exhibentur unius vel plurium Imperatorum nomina, ubi tamen Jacobi Gothofredi monitum observes (z), quorundam Cæsarum, utpote *Constantini, Constantii & Constantis: Joviani & Juliani: Valentiniani & Valentis: Justini & Justiniani* nomina subinde confundi. Interdum etiam tales Legislatores præmittuntur, qui eo tempore non regnârunt; atque hæc causa est, cur Pagius scripserit (a): *Corrigendus error Collectorum Codicis Justinianei, qui in titulis Legum emissarum Diocletiano & Aristobulo Coss., ac Maximo II. & Aquilino ante Kalend. Aprilis scripsère*

(m) Jacob. Cujacius l. 2. obs. c. 38.

(n) Hoffm. in Hist. Jur. l. 2. c. 2. §. 6. Brunquell l. c. §. 22. & 23. Thomasius in delineat. H. J. §. 53. 54.

(o) Justin. in Proœm. Inst. §. 6. Hoffm. l. c. §. 5. sub L. D.

(p) L. 1. C. de V. Jure enucl.

(q) L. 2. C. de J. V. enucl. §. 23.

(r) In Proœm. ππ. §. 7.

(s) ibid. §. 2.

Quinquaginta Decisiones.

(t) Brunqu. in H. J. P. II. c. 7. Hoffm. in Collect. Jur. Just. L. II. c. 2. §. 8.

Codex repetitæ prælectionis.

(u) Const. de emendat. Cod. ad Senat. U. Const. §. 1. & 2.

(x) Evagr. l. 4. Hist. Eccl. c. 12.

(y) Brunquel in Hist. Jur. P. II. c. 9. §. 7.

(z) Jacobus Gothofr. in Chronol. Cod. Theodos.

(a) Pagius in Critic. ad Baron. an. 287.

Quid de inscriptionibus & subscriptionibus Legum sit notandum?

scripsêre Impp. Diocletianus & Maximianus AA; cùm id temporis unus Diocletianus imperaret. Porrò in titulis Legum Codicis Justinianei toties error irrepsit, ut fateri cogamur, valde plerumque urgentia non esse, quæ inde deducuntur, argumenta. Uti autem Inscriptiones Legislatorem, sic *Subscriptiones* indicant tempus, quo Leges datæ sunt; hujus temporis characteres præcipui sunt *Ordinarii* Consules, quorum Consulatu gesto, annus editæ Legis designatur (b); aliquando tamen Leges hâc formulâ subnotantur: *Post Consulatum.* Ratio hæc signandi tempus initium accepit circa annum CCCVII., quo Maximinianus Herculeus IX. & Constantinus Consules fuêre (c). Et maximè posteà invaluit mos idem, postquam Constantinus Constantinopoli sedem fixit, voluítque, ut Consulum unus Romæ, alter Byzantii eligeretur; ita enim accidit, ut ob motus Reipublicæ anni sæpè ordinariis Consulibus vacarent, unde à Consulatu Præcessorum annus numerabatur (d). Postremùm de diebus & mensibus subscriptis illud sibi quisque persuadeat, non omnes Leges illis diebus datas esse, qui subscribuntur; nam aliæ earum Legum interdum redditæ, aliæ propositæ, aliæ lectæ (e). Codex ubi secundâ vice ad incudem, limámque revocatus fuerat; Justinianus eidem nomen repetitæ prælectionis imposuit, more tunc recepto, quo secunda editio Libri semper repetitæ prælectionis solebat appellari (f): Opus quasi novum novâ etiam Constitutione XVI. Kal. Decembris DXXXV. confirmavit (g): à quo tempore Codici præ Pandectis major authoritas ac prærogativa fuit (h).

(b) Pagius in Dissert. Hypat. p. 57.
(c) Idatius in Chron.
(d) Onuphr. Panoin. L. II. Fastorum. Pagi. in Diss. Hypat. p. 316.
(e) Hadrian. Relandus in præf. ad Fastos Conf. Trajecti Batav. 1715.
(f) Constit. de Confirm. Cod. §. 3.
(g) Struvius in Hist. Jur. Justin. c. 3. p. 317.
(h) Brunquel in H. J. P. II. c. 9. §. 18. 19. 20. 21.

Novellæ Constitutiones.

9. Sed quoniam humanarum Legum ea est conditio, ut multis vicissitudinibus obnoxiæ, raro in stabilem usum deducantur; ita Justinianus post tot labores concinnando Corpori Juris impensos, eadem, quæ inseruerat volumini, Jurisprudentiæ capita vel mutavit, vel nova indies sanciens, vel revocatis anterioribus juribus alia constituens, ab anno DXXXIV. usque ad annum DLIX. (i) ingentem Constitutionum numerum produxit, quæ à novissimo jure, quod in Jurisprudentiam inducebant, NOVELLÆ nuncupatæ sunt. Græco sermone Protographa earum saltem edita fuisse (k), plurimi affirmant, licèt textus Græcus aliquarum hodie desideretur (l). Cæterùm novæ sanctiones, quæ ad Occidentis res pertinebant, Latino etiam idiomate evulgabantur (m). De *Numero* Novellarum, quantus fuerit, difficile est statuere; nam Glossatores earum XCVIII. recitant. Haloander CLXV. collegit, quibus Dionysius Gothofredus ex Cujacio adhuc ternas adjecit; quæ diversitas inde orta videtur, quòd ab aliis illæ Novellæ omissæ fuerint, quæ certam personarum, aut Provinciarum conditionem concernentes, ferè posteà exoleverant (n). Prætereà cave sis, ne cum illis decipiaris, qui omnes Novellas in Corpore Juris servatas Justiniani esse, perperàm sibi persuaserant:

Novellarum numerus.

(i) Vide Chronotaxin Novellarum apud Hoffman. p. 605.
(k) Hoffman. p. 606.
(l) Brunquell P. II. c. 11. §. 2. 3
(m) Struvius c. 3. §. 9.
(n) Hoffman. l. c. p. 610. Brunquel P. II. c. 11. §. 11. 12.

ferant: Peritioribus enim jam indubitatum eſt, non tantùm Novellas 117. 140. 144. 148. 149. Juſtino, & non Juſtiniano tribui oportere; ſed & Novellas 161. 163. 164. Tiberium Imperatorem authorem habuiſſe (o). Novellæ ſingulæ utì tribus partibus conſtructæ ſunt, ſcilicet Præfatione, Lege & Epilogo; ita tota collectio ſequentibus ſæculis ab incerto Authore, *Bulgaro* vel *Berguntione*, aut à Juriſconſultis (ùt quidam putant) Papienſibus, ídque ætate *Friderici II.* Imperatoris in novem Collationes diviſa eſt (p); Collationis autem nomen eò potiſſimùm ſpectat, ut Authenticæ Collationes collatæ ad alias, atque propoſitæ ad declarandas vel abrogandas Leges Codicis dicantur (q). Imperator quantùm Novellis conſtitutis, juris immutârit ordinem; ex eo intelligas, quòd juris novi ſtudioſior, nequaquam reformidârit, hiſce & Anteceſſorum datas abolere leges, & propriis etiam Conſtitutionibus afferre repudium (r); nam (ut pauca exempla in medium afferantur) Leges 2. & 3. C. *de indicta viduit. toll.* anno DXXXI. datæ, correctæ ſunt per Novellam 22. c. 1. & 2.: ſimiliter Lex 10. *de uſuris* emendata eſt per Novell. 121. & 138., item Lex 7. C. *de repudiis* ſublata fertur per Novellam 22. c. 14. Demum Legi 29. *de teſtamentis.* modum atque correctionem adhibuit Novella 114. c. 9. Quâ ratione verò ipſæ Novellæ poſteriores (tempore, non verò ordine) prioribus derogent, inde ſtatues, quòd Novella 117. immutata legitur per Novellam 22. c. 14., & Novella 18. de *legitima.* correcta eſt per Novellam 115. &c.

(o) Struvius in Hiſt. Jur. Juſt. c. 3. §. 9.

Collationes Novellarum unde?

(p) Hagemajerus de auctorit. J. C. §. 8. § 4. Conſtit. de Emend. Cod.

(q) Struvius in H. J. c. 3. §. 10.

(r) Brunqu. in H. J. P. II. c. 11. §. 5. 6.

Quid Novellæ correxerint in præcedentibus Legibus?

10. Ex Novellis JULIANUS, qui ſub Juſtino II., Tiberio II. & Mauritio Imperatoribus floruit, EPITOMEN fecit circa annum DLXX, Latinóque ſermone evulgavit, quod Compendium, licèt Novellas 125. elegantiore charactere editas, & in duos Libros diſpertitas contineat, in foro tamen uſum non reperit (s). Quâ authoritate fori etiam deſtituuntur EDICTA *Juſtiniani tredecim*; nemo tamen inficiabitur, ab Edictis ejuſmodi illuſtrationi Legum Juſtiniani lucem non parvam accendi. Quod pari modo dictum volumus de Conſtitutionibus Imperatorum Juſtini, Tiberii, Leonis, eoquòd in forenſibus actionibus authoritatem nuſquam obtinuerunt (t).

Juliani Epitome.

(s) Struvius in H. J. c. 2. §. 11.

Edicta Juſtiniani.

(t) Idem §. 14.

11. Supereſt, ut de AUTHENTICIS, quæ in Corpore Juris habentur, pauca dicamus: ſunt autem hæ Conſtitutiones, quæ Codici repetitæ prælectionis inſertæ, ac ſub Codicis Legum tenore minoribus literis ſignatæ leguntur: Duplicis illæ claſſis exiſtunt; aliæ enim Friderici I. & II. Imperatorum juſſu in Codicem relatæ ſunt, ùt *Sacramenta puberum. C. ſi adverſùs venditionem*, Authentica *Caſſa de Ss. Eccleſiis.* Auth. *Item nulla.* C. *de Epiſcopis & Cler.* &c. Ad poſterius Authenticarum genus pertinent illæ, quæ ex Novellis excerptæ, illis Legibus Codicis, quibus derogant, eo conſilio ſunt appoſitæ, ut quiſque intelligat, in quo

Authenticæ.

Novella Codicis Constitutioni modum vel emendationem apponat. Authenticas has ab Imperatore Friderico I. accepisse authoritatem, quidam opinantur; alii verò primum aut majus robur ab usu & observantia accepisse decernunt (u).

(u) Brunqu. Hist. J Justin P. II. c. 10.

Variæ editiones partium Juris & Corporis Universi Jurisprudentiæ Justinianeæ.

12. Postremò ab editione Corporis Justinianei multum pendet id, quod sinceritatem Legum concernit. Quare ut ordinem, qui hodie in Corpore Juris extat, sequamur: I. *Institutionum* antiquissima editio est typographica, quæ anno 1468. per Petrum Schoyffer de Gernsheim Moguntiæ est excusa (x). II. *Pandectarum* tres sunt celebres editiones, *vulgata*, quæ tamen pro varietate opinantium variè transcripta: *Haloandrina*, sive ab Gregorio Haloandro confecta anno 1529. tribus voluminibus: *Florentina*, quæ ex MS. Etruriæ Ducis vulgata est (y). III. Codicis repetitæ prælectionis optima editio est Antonii Contii ex magno Codicum MSs. numero correcta Parisiis anno 1562. (z). IV. Novellæ probatâ à multis editione datæ sunt ab Haloandro, Græcè & Latinè Basileæ anno 1541., & Parisiis ex Francisci Duareni emendatione 1567. V. Universum Corpus Juris Justinianei prodiit Venetiis apud Baptistam de Tortis anno 1499. 1500. 1501., item Parisiis 1508. 1511. apud Jodocum Ascensium &c., Lugduni anno 1515. apud Jacobum Mareschall, 1536. impensis Hugonis à Porta (a). Inter Dionysii Gothofredi editiones celebrior est Amstelodamensis, facta anno 1663., quibus novissima accessit editio anno 1720. Lipsiæ vulgata cum notis Gothofredi, & aliorum JCtorum; item an. 1721. alia editio Christophori Freislebenii, cujus operâ Corpus Juris Civilis tyronum etiam usui ita accommodatum est, ut quisque vel leviter tinctus, uno obtutu leges, titulósque cujuscunque partis invenire jam valeat.

(x Mattaire Annal. Typogr. T. I. p. 64.

(y) Brunqu l. cit. c. 5. 6.

(z) Idem c. 9. §. 23.

(a) Idem c. 14.

REFLEXIO IV. ad §. II. Num. 16. pag. 59.

Quæ nova forma Magistratuum, Provinciarum, ac Urbium fuerit sub Justiniano?

Propositum Justiniani de ordinandis Magistratibus ac Provinciis.

1. QUemadmodùm Imperator universalem Imperii compagem sapientissimis Legibus excolere primò instituit; ita altero loco suum esse duxit, efficacitatem Constitutionum opportunis adminiculis curare. Quod ut præstaret, in tria potissimùm Capita intendit animum: nempe ut Magistratuum novam induceret formam; dein ut opportuniore nexu Provincias sociaret: demum ne minore urbium curâ tangi videretur; harum quoque præcipuis vel erigendis, vel ornandis, vel in disciplinam redigendis suum impendit studium. Nam licèt in Republica, velut in vasta navi Princeps ad clavum sedeat, ac præcepta dictet; multis tamen pro temporum necessitate Præfectorum, utpote Remigum manibus opus est,

eſt, ut navis ejuſmodi ex Gubernatoris præſcripto ad curſum impellatur. Neque Leges in ſubditos aliquâ vi valebunt, niſi Provinciæ in ordinatum corpus redigantur, quod in ſingula membra celeri & conſtanti propagatione Conſtitutionum ſuccum transfundat. His novarum Metropoleon erectio aut cultura ſpeciale illud emolumentum addit, quod ignobiliora oppida à nobilioribus urbibus velut matribus juris & æqui regulas non tantùm perdiſcant, ſed & imitatione quâdam, earum erga Legislatores obſequium faciliùs æmulentur. Itaque executionem Legum ſuarum Juſtinianus meliore conſilio urgere non poterat, quàm cùm Magiſtratus ceu optimi Imperii inſtrumenta mutaret vel innovaret, & Provinciis in meliorem ordinem diſpoſitis, Metropoles civiles ubique collocaret, aut numerum earundem augeret.

2. Atque ut de Magiſtratibus primò diſſeramus; eorum duplex genus eſſe, in confeſſo eſt: Alii enim *Majores*, qui nulli, præterquam Supremo Principi, ſubſunt, & commiſſam ſibi Reipublicæ partem habentes, vicario Imperio Gubernare, ſive (ut Veterum more loquamur) Magiſtrare dicuntur (a). Alii *Minores*, qui ſuperiori Magiſtratui ita parent, ut ſimul cæteris infra ſe Magiſtratibus vel Privatis præſint. Porrò inter Magiſtratus ſubordinatos multiplex ordo exiſtit; qui enim militibus imperant, *armati*, qui civibus, *togati* nominantur: atque horum rurſus non idem ſemper exiſtit officium, ſiquidem aliqui in gubernatione hominum, alii in opum publicarum adminiſtratione verſantur (b). Primi generis ſunt Principum Conſiliarii, ac Senatores Provinciarum, & urbium Præfecti, Judices, & oppidorum Præſides, quorum munus eſt, Principis ſubditos partitâ ſibi poteſtate ad Reipublicæ finem dirigere, ut honeſtè ſecundùm virtutem vivant, ac felices evadant. Secundi generis ſunt, qui rebus acquirendis, augendis, ac conſervandis occupantur, ſcilicet Principum, & Rerumpublicarum Quæſtores, qui vectigalia & reditus exercent. Hujuſmodi Magiſtratuum quædam eſt neceſſitas, propterea quòd hominum ſocietas (c) ſine imperantium, parentiúmque ordinibus ſtare nequeat, nec Princeps, qui velut anima vaſtum Reipublicæ corpus regit, in functionibus ſingularibus ſufficiat, niſi potentiæ quædam motrices & organa vicariam operam ſubminiſtrent. Nihilominùs ſupremo Gubernatori cavendum eſt, ne eam authoritatem ac dignitatem majoribus Magiſtratibus tribuat, unde Principis exiſtimatio diminuatur (d); nam honores altiores, quíque Regnanti proprii eſſe debent, flammæ minimè ſimiles ſunt, quæ cùm in aliam tranſit materiam, in ſua tamen integra permanet; quin omnes ii honores, quos in alios contulerit, in ipſo lucere deſinent, & manebit Majeſtas obſcura, nec quiſquam eosdem poſthac ſperabit, niſi ab eo, quem in hujuſmodi honoribus conſtitutum viderit (e).

(a) Nicol. Vernulæus Inſtit. Polit. L. II. Tit. 8. § 1. p. 227.

Magiſtratuum variorum varia acceptio.

(b) Idem l. c. p. 228.

(c) Vernulæus Inſtit. Politic. L. II. Tit. 8. §. 1.

Neceſſitas Magiſtratuum.

(d) Saavedra in Idea Principis Chriſtiani ſymbol. 49.

Quid tribuendum ſit Magiſtratibus à Principe?

(e) Saavedra l. c. ſymb. 48. p. 488.

Justinianus Romanos Consules abrogare cœpit,

3. Atque hanc causam fuisse, multi opinantur, cur Justinianus majorem Magistratum, qui olim Regiæ dignitati persimilis erat, sive Consulatum à Privatis geri solitum abrogare cœperit. Cœperat hic Consularis Magistratus Romæ post ejectos Reges anno urbis conditæ CCXLIV, & penes solos Patres Conscriptos, dein etiam ab anno urbis conditæ CCCLXXXVII. partim penes Plebejos fuit, dum Julius Cæsar sublatâ Romani populi libertate, Consulum authoritatem labefactatum iret. Sub Imperatoribus nihilominùs imminuta etiam hæc potestas eo in fastigio stetit, ut Principibus sæpè timenda videretur: Justinianus itaque invisum Cæsareæ Majestati Magistratum aboliturus, per opportunas vices rem aggressus est. Anno enim DXXXVI. Novellam de Consulibus evulgabat (f), quâ cavit, ne deinceps Consules sub muneris sui auspicium immensas (utì olim soliti fuerant) largitiones facere ausint (g), quâ Constitutione non tantùm splendorem pristinum, sed & venerationem plebis, quæ liberalitate unâ emitur, Consulatui detraxit. Accedebat, quòd Imperator eâdem sanctione omnem sibi in concedenda Consulari dignitate potestatem adscriberet, monens (h): *Perpetuum quodammodò ab Imperatore Consulatum geri, & ab ea manare trabeam, aliísque deferri ex nutu ejus, atque hâc ratione Consulatum Imperio hærere semper, sceptráque subsequi.* Duplici ex capite ubi hunc in modum Justinianus Consulum authoritatem infregerat, anno sequente DXXXVII. aliâ lege præcepit, ut in omnibus instrumentis primo loco poneretur annus Imperatoris, pòst Consulis, tertio loco Indictio, & inde mensis ac dies (i); quare hoc novo subscribendi more introducto, annos Consulum numerandi ratio exolevit, quæ ab anno urbis conditæ CCXLV. per annos MLXXIV. recepta fuerat. Baronio hæc argumenta persuasêre, ut statueret, per Novellam CV. Consules abrogatos fuisse (k); sed Pagius lapsum celeberrimi Scriptoris inde emendare non dubitavit (l), quòd post editionem ejusdem Novellæ adhuc quinque annorum Consules legantur, quorum postremus Fl. Basilius erat, è familia Deciana oriundus, qui anno DXLI. ultimus Privatorum Consulatum gessit: inde amandato Consulum nomine, anni hâc formulâ signabantur (m): *Post Consulatum Basilii anno I. III... XXV.*, duravítque iste supputandi modus, dum annus Justini regnantis tertius, sive annus Christi DLXVII. his verbis notaretur (n): *Justino Augusto, solo Consule.* A quo tempore Consulatus à Privatis ad Imperatores translatus, ac Consularis dignitatis hæc nova conditio stabilita est, ut Cæsares perpetuò sine collega Consules dicerentur, & utì ab Imperio, ita quoque à Consulatu anni dinumerarentur, qui mos à Successoribus usque ad Constantini Pogonati ætatem propagatus fuit (o).

(f) Novella Justiniani 105.

(g) ibid. in Præf. & c. 2.

(h) ibid. c. 3. sub finem.

(i) Hoffm. in Hist. Juris Justin. L. II. c. 1. p. 527.

(k) Baron. in Annal. ad an. 541.

(l) Pagius in Crit. Baron. ad a. 541. N. 2.

(m) Continuator Marcellini in Chron. Victor Tun. in Chron.

(n) Onuph. l. 3. Fastorum.

(o) Pagius in Critic. Baron. ad an. 567. N. 2. Idem in Dissert. Hypatica c. 3.

Senatûs authoritas imminuta.

4. Qui Consulum potestatem extinxerat, idem Justinianus Senatores ita in ordinem redegit, ut Procopius scribere ausus sit, Senatum inane quod-

ne quoddam simulachrum extitisse, penes quem nec sententiæ dicendæ, neque tuendi honesti arbitrium esset, sed consessum impleret ad speciem quandam, & ex prisca lege; ac nemini mutire liceret (p). Unde plebs in Theatro magnis clamoribus inclamabat: *Quæstionem, Imperator! habemus, ideóque omnia hìc loquimur: quandoquidem, Auguste maxime! neque Curiæ, neque Reipublicæ dignitatem ullam superesse videmus* (q). Hæc quanquam ita se habeant, ex amaro tamen nimis calamo profluxit illud, quod Procopius porrò criminatur: populum tunc judices nullos, apud quos causam institueret, habuisse; nulli in orbe Romano liberam juris dicundi potestatem permissam: sibi verò Justinianum omnia imprudenti fastu arrogâsse, & temperâsse sic judicia, ut alterutro litigatorum audito sententiam diceret, idque judicatum esse vellet (r).

(p) Procop. in Hist. arc. c.14. edit. Paris. p. 43.

(q) Theophanes in Chron.

(r) Procop. in Hist. arc. c. 14. p. 42.

Quos novos Magistratus creârit Justinianus?

5. Sed qui alia Procopii ejusdem sibi ipsi sæpè repugnantis scripta perlustrârit, inveniet Justinianum, etsi Magistratus quosdam suppresserit, Rempublicam tamen juris ac æqui arbitris adeò destitutam noluisse, ut potiùs novis Magistratibus instituendis operam dederit. Nam Constantinopolis ejusdem Imperatoris providentiæ debebat, quòd novus Prætor plebis, novúsque Quæstor crearentur, quorum munus in eo versabatur, ut indagine severâ furta, aliáque delicta eliminarent (s). His alium Prætorem addidit, qui eo officio perfungeretur, quod olim tres Præfecti vigilum, vico Magistri & Collegiati obibant, nempe ut in seditionibus avertendis, in abstinenda vi & rapinis, inque aliis grassationibus tempore incendiorum comprimendis suas ponerent curas (t). Non parvæ etiam utilitati fuit Quæstor ex Instituto Justiniani creatus, cui investigare incumbebat eos, qui aliunde in urbem hospites advenerant (u). Non minore Reipublicæ emolumento in Imperatoris palatio viro semper peritissimo Quæstoris vices delatæ sunt, ad quem pertinebat, Epistolas & Orationes Principum in Senatu legere, scriniis memoriæ præsidere, Edicta Principis ac Leges componere, mandata Præsidibus danda formare, quod officium Proclus primò, dein Tribonianus susceperunt. His si apposueris Præfectum Prætorio (x), Proconsules (y), Moderatores, Quæstores exercitûs, Præfectos (z), Prætores (a), & Comites (b), qui à Justiniano vel instituti, vel restaurati, aut aucti, ab Authoris Cæsaris nomine Justinianei vocabantur; injuriam certè facies Imperatori, si vacuam Judicibus aut Magistratibus Rempublicam eo tempore fuisse confinxeris. Neque Procopius, qui litem hâc de re Justiniano intentabat, alibi id diffitetur; sed novam inde criminandi causam depromit, dum eosdem Magistratus ad emungendos subditos, & ad dividendum cum Cæsare quæstum inventos esse ait (c). Equidem, ut reprehensio ejusmodi obtundatur, aliâ confutatione nobis opus haud erit, quàm ut Novellam VIII. in medium proferamus, cujus Titulus

(s) L. 1. de offic. Præf. Vigil. Hoffmann L. 2. Hist. Jur. Justinian. c. 1 p. 523.

(t) Alemannus in notis ad arc. Hist. c. 20.

(u) Procop. c. 20. Aleman. ad Novell. 74.

(x) L. 7. Cod. Theod. de honorat.

(y) Nov. 30.

(z) Aleman. in not. ad c. 9.

(a) Novella 24. 25. 26. 29.

(b) Novella 24. 27. 31.

(c) Nov. 8.

Cur venales noluerit Magistratus Justinianus?

tulus est, *ut Judices sine quoquo suffragio fiant.* Præceperat autem eâ Constitutione, ut cuncta Administratorum quorumcunque officia gratìs, & citra ullius pretii numerationem dispensarentur, ídque eo consilio, ut, cùm pro Magistratu accepto nihil solverint, ipsi quoque ab alieno abstineant. Prætereà ubi venalia sunt officia, ibi divitiæ in majore sunt honore, quàm virtus, & avaritiæ tota Respublica mancipatur. Imò hoc unum est malè constitutæ Reipublicæ argumentum, si pecuniâ Magistratus parentur (d). Finem Legis ubi sub initium Princeps commonstraverat, gratiis Deo actis sibi plaudens, in hæc verba proloquitur: *Volentes inhonesta hæc & servilia furta perimere, & nostros subjectos in quiete à Provincialibus Judicibus conservare: propterea festinavimus, gratìs administrationes eis dare: ut nec ipsis liceat delinquere & abripere subjectis, quorum causâ omnem perferimus laborem, dedignantes imitari eos, qui ante nos imperaverunt* (Zeno & Anastasius) *qui pecuniis ordinabant administrationes, sibimetipsis auferentes licentiam Administratoribus nocentibus increpandi justè* &c. (e). Neque sufficiebat Justiniano, hæc scriptâ lege injunxisse, sed in jusjurandum ita conceptum cunctos adigebat: *Juro ego per Deum omnipotentem, & Filium ejus unigenitum D. N. J. C., & Spiritum S., & per sanctam gloriosam Dei Genitricem & semper Virginem Mariam,.... puram conscientiam, germanúmque servitium me servaturum,.... & omnem laborem ac sudorem cum favore sine dolo, & sine arte quacunque suscipio in commissa mihi ab eis administratione,... & Communicator sum sanctissimæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ; & nullo modo vel tempore adversabor ei: nec alium quemcunque permitto, quantum possibilitatem habeo. Juro quoque idem jusjurandum, quod nulli penitus neque dedi, neque dabo occasione dati mihi cinguli, neque occasione patrocinii, neque promisi, neque professus sum de Provincia mittere* &c.... *& æquus in causis utrique parti, & in publicis disciplinis ero;... si verò non hæc omnia servavero, recipiam hìc, & in futuro sæculo in terribili judicio magni Domini Dei & Salvatoris nostri J. C., & habeam partem cum Juda & lepra Giezi & tremore Cain* &c. (f).

Jusjurandum, quod Præfecti à Justiniano delecto ante initum Magistratum edere debebant.

(d) Vernulæus l. c. §. 4.

(e) Nov. 8. c. 11.

(f) Authentic. Coll. II. Tit. 3. Nov. 8

6. Hæc quanquam à Justiniano sapientissimè constituta essent; Procopius tamen queritur legis hujus & jurisjurandi vires brevì defluxisse. Nam præterquam, quòd Joannes Cappadox Præfectus Prætorio (g), & Tribonianus Quæstor (h) de superstitione ethnica suspecti haberentur, tum flagitiosissimam Præfectorum cæterorum rapacitatem expilati subditi patienter ferre cogebantur: & quoniam inscitia Magistratuum maximarum calamitatum origo est, sæpè rudibus difficillima munera committebantur: certè de Junilo Afro, qui Triboniano Quæstori palatii surrogabatur, idem Procopius scribit (i): *Homo erat, cui leges ne famâ quidem notæ, cùm in albo Causidicorum non fuerit, & licèt Latinarum literarum non ignarus, Græcarum certò causâ ne salutatum quidem aliquando Ludimagi-*

(g) Aleman in notis ad Procopii Hist. arc. c. 21

(h) Suidas.

(i) Procop. Hist. arcan. c. 20. p. 59.

dimagistrum venit: sed & efferendis Græcis vocibus sic fuit inepta lingua, ut, si id unquam tentaret, famulis risum exprimeret. Turpi lucro sic inhiavit, ut minimè vereretur Imperatoris literas palàm vendere, vel pro aureo statere promptissimè clientibus manum porrigere, septem ipsis annis Reipublicæ Romanæ probro fuit. Hunc Junium Constantinus Quæstor excepit, *longè post homines natos furacissimus, idémque fastuosissimus. Hic Justiniano, si quis alius carissimus fuit, quem illi & suarum rapinarum præfectum, & judiciorum arbitrum habere libuit.... Erat superbia planè inaudita, sic tumido fastu omnes despiciens, ut, qui peragendorum causâ negotiorum ad eum opes deferrent, illas domesticorum fidei credere cogerentur, quod nemini hominum datum esset, illum alloqui & convenire, nisi ad Cæsarem euntem, redeuntémque, tum verò eum præproperè ac tumultuariè, ne fortè sine quæstu ab adventantibus detineretur* (k). Neque Procopius Cæsarem ipsum ab his flagitiis liberum pronunciat; nam *à lata lege* (de qua suprà diximus) *vix annus abierat, cùm ipse decreto, dirarum obnunciatione, pudoréque neglectis, dignitates haud obscurè, sed palàm in foro per summam impudentiam pretio divenditaret; ac dignitatum licitatores perjuri fœdiùs, quàm antea, omnia raperent* (l). Qui Justiniani facta omnia summis affectibus venerantur, dicta ejusmodi velut calumnias detestantur: alii proinde criminationibus criminationes Procopii refellere, & fidem elevare (m): alii piis & laudabilibus Justiniani factis objecta vitia obruere (n): alii testimonia Scriptorum Justinianum celebrantium colligere (o): alii, cùm nodos solvere non possent, eosdem scindere studuerunt; dum partum Historiæ arcanæ Procopio suppositum affirmare adnisi sunt (p). Sed de his infrà de Scriptoribus Sæc. VI. plura dicemus. Nos hìc omnem Procopio fidem nec addicimus, nec omnem abnuimus; præsertim cùm in Historia ejusdem Procopii sincerè satìs scripta vestigia deprehendamus, quàm instabili ingenio Justinianus fuerit. Factis igitur ille suis leges proprias interdum violârit, aut Magistratus optimis legibus ejusdem fuerint abusi; certè in eo Procopium nullatenus audiendum censemus, quando ait (q): *Statis Magistratuum formis, legúmque ac militarium ordinum abrogatis, alias invexit, non jure, non publico commodo adductus; sed ut omnia nova & de suo nomine dicerentur.* At quis mutationes has *sine jure* factas dixerit, quæ è Principis consilio (cujus omnino est, Magistratuum officià definire) profluxerunt? Neque utilitatem desiderabis publicam, si, quas pro creandis novis Magistratibus causas ipse Imperator in Novellis allegat, levi oculo perlustraveris.

7. Porrò cùm mutationes Magistratuum ex nova Provinciarum forma, divisione aut conjunctione penderent; investigare nunc libet, quo modo, aut quibus rationibus plures Provincias in alium ordinem, nexúmque redegerit. Ac primò *Cappadociam* ita ordinavit (r), ut non à di-

Plures Magistratus consilio ejusmodi & jurijurando parùm obsecundârunt.

(k) Procop. loc. cit. c. 20. p. 59. 60. edit. Parif.

Criminationes contra Justinianum an fundamento nitantur?

(l) Procop. in Hist. arc. c. 21. p. 61.

(m) Thomas Rivius in Defensione Justinian. Lond. 1626.

(n) Gabriel Trivorius in observ. Apologet. adversùs Procop. Anecd. Paris. 1631.

(o) Chifletius in Apolog. Antverp. 1651.

(p) Joannes Eichelius in Apol. Helmstad. a. 1654.

(q) Procop. Hist. arc. c. 11.

Quare Justinianus Provincias non diversis, sed uni Magistratui commiserit?

(r) Nov. 30.

Ordinatio Cappadociæ. versis Magistratibus, sed ab uno gubernaretur, qui triplici potestate ornatus, tum res civiles, tum militares; demum ea, quæ ærarium publicum concernerent, accuraret: quâ providentiâ Imperator se effecturum sperabat, ut factionibus diversis, quibus Cæsarea Metropolis perpetuò distrahebatur, unius potentia imponeret modum. Ne verò minùs honori Gentis, quàm viribus Magistratûs hæc novitas consulere videretur; *Proconsulem* mittendum censuit, propterea quòd Cappadoces, dum à Romanis subigerentur, totius Ponti imperio olim potiti, non minore, sed majore Magistratu honorari deberent. II. Quemadmodùm autem Justinianus Cappadociam omnem sub unius Magistratûs potestatem coëgit; ita *Helenopontum* & *Pontum Polemoniacum* in unam Provinciam conjunxit, quæ non à Polemone ampliùs (sueto aliàs Ponti Tyrannis nomine) sed ab *Helena* Constantini M. matre *solam appellationem* sortiretur (s). Cùm enim Helenopontus octo, & Polemoniacus Pontus vix quinque urbes complecteretur; ex tredecim urbibus unam justam Provinciam conflandam censuit, quæ unius Magistratûs arbitrio, cui *Moderatoris* indidit nomen (t), deinceps subjaceret. III. In *Pisidia* (u), *Thracia* (x), *Lycaonia* (y) causæ civiles ac militares ad *Prætores*, utpote ordinatos singularum Provinciarum Præsides delatæ sunt: quod eo consilio factum Imperator profitebatur (z), ut duplicis formæ Magistratus tum ea, quæ lex jubet, facilè, & sine intestinis dissensionibus ordinaret; tum verò, si quis in legem peccaverit, armorum adjunctâ potentiâ efficaciùs corrigeret (a). IV. Gens *Paphlagonum* eodem Justiniani Edicto in unam Provinciam coaluit (b): fuerat hæc primùm testamento Philomenis Regis in Romanam Rempublicam transcripta, & Gangrarum oppidum (ubi Rex illius Gentis Dejotarus olim consederat) Metropolim habebat. Sed posteà regnante Honorio Imperatore, in duas Provincias ita divisa est, ut ademptæ aliquot urbes cum tribus oppidis à Bithynia recisis, specialis & secundæ Provinciæ (quæ *Honorias* dicebatur) formulam sub altera Metropoli, scilicet Claudiopoli componerent. Displicuit hæc mutatio Justiniano, & pristinum modum restauraturus, ex Honoriade & reliqua Paphlagonia unum Provinciæ corpus rursus constituit. V. Quà verò providentiâ Imperator in unam compagem multas colligebat Provincias, eâdem, ubi visum è re fuerat, easdem divisit (c). *Armenia* ante Justiniani ætatem in primam & secundam divisa, duas tantummodò partes obtinebat; at ubi idem Cæsar bello regiones vicinas Barbaris eripuerat, amplificatam Armeniæ Dominationem in quaternas Provincias partitus est, quæ à totidem distinctis Præsidibus deinceps regerentur (d).

Conjunctio Helenoponti, & Ponti Polemoniaci.

(s) Nov. 29 c. 1. 2. &c.
(t) ib. c. 2. 3.
(u) Nov. 24
(x) Nov. 26
(y) Nov. 25

Cæteræ Provinciæ, quas ab unius Magistratûs imperio Justinianus deinceps regendas voluit.

(z) Nov. 28.
(a) Nov. 30.
(b) Nov. 29.

Quas Provincias diviserit, & Magistratibus auxerit?

(c) Procop. l. 3. de ædificiis Justinian c. 1.
(d) Nov 31.

In mutatione civili Provinciarum nihil Justinianus circa res sacras immutavit.

8. Has tamen divisiones, aut conjunctiones Provinciarum cùm Princeps exequeretur; nihil circa Sacerdotium illarum innovare præsumpsit.

ſumpſit. In Paphlagonia enim jam adunata, duæ Eccleſiaſticæ Metropoles Gangrenſium oppidum, & Claudiopolis permanſerunt: nec in Ponto conjuncto Amaſea & Neo-Cæſarea, Metropolitarum ſacræ ſedes eſſe deſierunt, Imperatore his verbis teſtante id, quod multoties in Conſtitutionibus ſcripſerat: *Nihil circa Sacerdotium illarum* Metropoleon *innovamus, cùm multas ejuſmodi inſtitutiones inter Dei amantiſſimos Epiſcopos in una etiam Provincia exiſtere tam vetuſtum ſæculum, quàm quod per nos modò exornatur, noverit* (e). Non minùs, ubi de diviſione Armeniæ agit, ſuum propoſitum exponit: *Quæ verò* (inquit) *ad Sacerdotia ſpectant, ea (ùt ſæpè diximus) volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa jus Metropoliticum, neque circa ordinationes, vel mutationem, vel novationem ſuſcipiente* (f). Ab hac tamen Inſtituti ſui ratione Juſtinianus longiùs aliquando aberrâſſe viſus eſt; dum Patriam ſuam Achridam (quæ civitas eſt Dardaniæ) ornare, & præ cæteris extollere cupiebat. Anno enim DXXXV. poſtquam natalem urbem *Primæ Juſtinianeæ* nomine deinceps compellatam voluerat; ſubinde legem dedit, Canonibus Concilii Chalcedonenſis planè contrariam (g), quâ jubebat, civitatem Metropolis Politicæ honore jam donatam, majore in Eccleſiaſticis quoque prærogativâ & authoritate fulgere, ita quidem, ut Antiſtes Achridæ ſeptem Provinciarum Metropolitis, nempe Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ ſuperioris, Dardaniæ, Prævalis, ſecundæ Macedoniæ, & partis ſecundæ Pannoniæ jura daret & ordines, ipſéque more aliorum Archiepiſcoporum à Concilio ſuo ordinaretur. Quemcunque colorem novitati Juſtinianus obtenderet (h); Agapetus Pontifex Imperatoris conatibus obſtitit (i): nec antè Cæſar votorum compos factus eſt, dum Vigilius Papa importunis Juſtiniani molitionibus cedendum putaret (k).

9. Imperator licèt à præpoſtero in Achridenſem urbem ſtudio reprehenſionem à multis tulerit; non parùm tamen laudis ex aliarum urbium cultura conſecutus eſt. Nam urbem Daram ab Anaſtaſio in Meſopotamia conditam munitionibus inſtruxit (l), mœnia Amidæ formavit (m), reſtauravit muros Theodoſiopolis, & Conſtantinæ aquæ penuriâ laboranti de aquæductibus proſpexit (n), Euphrateſiæ oppida Antiochiam à Choſroe exciſam, Chalcidem è ruderibus excitavit (o). Quot caſtella in utraque Epiro, ínque Illyrici partibus condiderit vel renovârit, Procopius teſtis eſt, qui latiſſimum Catalogum eorum complexus eſt (p); non parvo quoque numero veniunt caſtella, quorum author in Thracia fuit (q). Quin multæ Metropoles ſuâ nominis notione conditorem vel reſtauratorem ſuum tunc prædicabant; nam Bederina & Ulpiana in Dardania (r), Carthago & Adrumetus in Africa (s), Petreum in Lazica (t), Leontopolis in Armenia interiore (u), Zumina in Campo

Studium nationale Juſtiniani erga ſuam patriam.

Juſtiniani ſollicitudo circa culturam urbium.

(e) Nov. 28. c. 2.
(f) Nov. 31. de deſcriptione 4. Præſidum Armeniæ c. 2
(g) Nov. 11 Petrus de Marca de Concordia Sac. & Imp. L. 2. c. 9. §. 1. Pagius in Critic. ad an. 555. N. 3.
(h) Nov. 131
(i) Agapet. ep. 4. ad Juſtinianum. Pag. l. c. N. 4
(k) Nov. 131. c. 3. Petrus de Marca de Concord. Sac. & Imp. L. V. c. 29. §. 5.
(l) Procop. l. 2. de ædific. Juſtiniani c. 1.
(m) Idem c. 3
(n) Idem c. 5.
(o) Idem c. 9. 10. 11.
(p) Procop. de ædif. l. 4. c. 6.
(q) Idem l. 4. c. 11. (Hiſt.
(r) Agath. l. 5. Procop. l. 4. de ædif.
(s) Nov. 131. Procop. l. 6. de ædif.
(t) Nov. 28.
(u) Nov. 31.

(x) Procop. l. 3. de ædif. (y) Procop. l. 4. de ædif. (z) Synod. Trull. c. 39. (a) In Provincial. Eccl. Orient.

Armeniæ Majoris (x), omnes *Justinianæ* ab Imperatore Justiniano appellabantur. Præterea alias urbes visere licebat, quæ *Justinianopoles* dicebantur; ita Adrianopolis Epiri (y), alia urbs in Insula Cypro (z): Myloma Pamphiliæ, Spalæa Galatiæ, Evaria Phœniciæ, Cypselon &c. venerando Cæsaris nomine sese ornârunt (a). Angustiæ non patiuntur, ut palatia, domósque Augustas, aliáque monumenta hìc referam, quorum magnificentiâ id evicit Princeps, ut subditi, quorum urbes tam liberali Princeps manu colebat, morum etiam culturam ab ejusdem Legibus & Constitutionibus promptiùs admitterent. Et quoniam ad tranquillitatem publicam facit: si uti Leges in foro, ita Canones in Ecclesia vigeant; ad horum quoque observantiam Clerum inde inclinatum ibat, quòd non tantùm largos reditus Sacerdotibus, sed sumptuosa templa pro Religionis ornatu exstrueret. Ex multis, quæ Procopius sex Libris complexus est, unum S. Sophiæ templum obiter hìc commemorabo, cui adornando ædificio tantum artis, tantúmque æris impendit (b); ut ipsum Salomonem vicisse videri vellet; quare eum lepidè, & lugentis specie è regione S. Sophiæ expressum, atque genas, dum eam Basilicam contemplatur, vellicantem collocâsse ferunt, quasi ejus ædificii mole ac pulchritudine suum templum superatum doleret (c).

(b) Procop. l. 1. de ædif. c. 1.

(c) Alemannus in not. ad c. 11.

REFLEXIO V. ad §. II. Num. 48. pag. 142.

De Statu militari in Sæculo VI.

(a) Agath. L. V. Hist. p. 157.

Vires Romanorum, & exercituum robur quantum defecerint sub extrema tempora Justiniani Imperatoris?

1. JUstinianus posteaquàm Africam, & universam Italiam armis subegerat: & facto victoriarum perpetuo cursu, primus ex iis, qui Byzantii regnârunt, Romanorum Imperator non tam nomine, quàm re ipsâ fuerat appellatus (a); vires Imperii militares subinde adeò defluxerunt, ut universæ Romani Cæsaris copiæ, quæ olim sexcenta quadraginta quinque bellatorum millia æquaverant, ætate Justiniani regnantis postremâ, vix numerum centum quinquaginta millium conficerent. Et quoniam ex hoc attenuato exercitu sibi multos manipulos turbata bello Italia vindicabat, alias verò copias nondum satìs pacata Africa & Hispania, alias etiam Colchorum regio & Ægyptus motibus intestinis concitatæ, alias vicina Persis castella pro præsidiis decerpebant; tam parva militum portio ad profligandas Barbarorum irruptiones supererat, ut nonnisi trecentos armatos immensis agminibus hostium objicere (b), & imbelli duntaxat civium manu tueri Regiæ urbis mœnia licuerit (c). Mutationis tantæ, támque incredibilis causas cùm proinde indagare propositum sit; utrumque tum florentis, tum deficientis Romanæ militiæ statum juvat com-

(b) Id. p. 160

(c) Id. p. 159

componere: comparatione enim factâ, id tandem consequemur, ut, quid pro viribus Romanis erigendis, quid pro deprimendis adminiculi fuerit, velut ex adversantium rationum oppositu clariùs eluceat.

2. Justinianus, qui ante aditum Imperium Magister militum fuerat (d), in eadem præfectura satìs didicit, quid utilitatis, & quantum gloriæ non modò à legibus, sed & à copiosa & ordinata militia in Rempublicam promanaret. Quare posteà fastigio Imperii impositus, hanc regulam sibi præscripsit: *Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari; & Princeps Romanus non solùm in hostilibus præliis victor existat; sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus* (e). *Quorum utramque viam SUMMIS VIGILIIS, SUMMAque PROVIDENTIA, ANNUENTE DEO, se ita perfecisse gloriatur, ut, cùm populi omnes tam legibus à se promulgatis, quàm compositis regantur, Barbaricæ etiam Gentes sub jugum redactæ BELLICOS SUDORES cognoscant, idèmque Africa æquè, ac aliæ innumeræ Provinciæ, post tanta temporum spatia suis victoriis à cælesti Numine præstitis, iterum Ditioni Romanæ, sive Imperio additæ, protestentur* (f). Imperator, dum totidem verbis, velut brevi compendio, suam belli fortunam, ac triumphorum copiam prædicat, media simul adjungit, quibus tantam gloriam, ac felicitatem sit consecutus.

(d) Procop. de B. Pers. l. 1. c. 11. p. 31.

Justinianus sub Imperii sui initium non tantùm legum, sed & armorum curam habuit.

(e) Procemium Instit. ab init.

Media, quibus Imperator propositum suum sit executus.

(f) ibid. §. 1.

3. Ac primò quidquid militiæ feliciter gestum erat, id *annuente Deo*, sive cælesti auxilio peractum prædicat; quod divinum præsidium sibi tantò certiùs habebat polliceri, quantò æquiùs ex Justitiæ & Religionis rationibus omne belli initium suscipiebat. Gelimer in Africa per tyrannidem Cæsaris Amico Hilderico rapuerat Regnum (g): & in Italia Amalasunthæ fœdere conjunctæ vitam cum fascibus abstulerat Theodehatus Maritus sanguinolentus (h): quin tota Gens saltem Vandalica in jura Imperii dudum peccaverat, quòd vi subitâ ac nefariâ Africæ Provincias è compage Romanæ Dominationis abstraxisset (i). Itaque Justinianus æquitate causarum permotus, ad injurias propulsandas vel vindicandas actiones hostiles moliri cœpit. His momentis accedebat gravissimum Religionis pondus: quæ cùm æquè in Africa, atque in Italia summum subiret discrimen (k), Christianus Princeps è re Dei esse putavit, siquidem fidei Catholicæ se vindicem præstaret. Antequam tamen hostes aggrederetur, per Oratores agitabat consilia pacis, quos ubi ab hoste violatos, aut eorum monita contemni audierat; sequebatur Clarigatio sive denunciatio belli (l). Equidem ii, qui absque Dei consilio hæc bella institui à Cæsare cogitabant, omni studio eidem bellandi animum evellere adnitebantur: sed utprimùm quidam Episcopus Principi testatus fuerat, à cælo milita-

Divinum auxilium cur Justiniano in bellis primis præsto fuerit?

(g) Procop. de B. Vand. L. I. c. 9.

(h) Idem de B. Goth. L. I. c. 4.

(i) Idem de B. Vand. L. I. c. 3.

(k) Idem loc. cit. c. 8.

(l) Idem loc. cit. c. 9.

militarem expeditionem probari; copiis iter imperabatur: quod ut feliciùs eveniret, Antiſtes Conſtantinopolitanus profecturis anteà benè precari juſſus eſt (m).

(m) Idem l. c. c. 10. edit. Pariſ. p. 203.

Quâ providentiâ bella geſſerit Juſtinianus?

4. Ex divino igitur nutu cùm Juſtinianus bellum ſuſcepiſſet, *ſummis vigiliis, ſummâque providentiâ* illud gerebat: vigil nimirum & experrectus Imperator ubique ad omnes caſus erat: meditabatur profundo animo, quid vires valeant, unde in Oriente cum Perſis inibat pacem, ut poſteà collecto robore in Occidente pugnaret (n): cunctatio nimia, quæ ſpes maximas evertit, promptis conſiliis accelerabatur. Ad felices bellorum eventus id porrò percommodum fuit, quòd *Providentiſſimus* Cæſar apparatum bellicum copioſè inſtrueret: *pecuniariis* namque ſtipendiis militis fidem atque obſequium, *commeatu* regionum immunitatem à vaſtitatibus ac latrociniis, *armorum*, ac machinarum muralium copiâ expugnandarum urbium facilitatem, *delectu militum* præfectis confligendi alacritatem præſtabat. Quid? quòd Dux unus, cui Juſtinianus copiarum imperium demandare ſolebat, inſtar totius exercitûs erat. Ex cæteris *Beliſarium* ſolum commemoro, cujus prudentiam in conſultando, perſpicaciam in explorando, ac celeritatem in agendo poſteri omnes mirantur (o): *Eloquentiâ* quâ valuerit, nobis enunciant adhucdum conciones illæ militares, quibus militem impellebat in hoſtiles cuneos, adeò, ut vincere æquè linguâ, ac armis videretur (p). Præſentia Ducis, exemplum, præmia largè promiſſa, ſpes prædæ totidem argumenta erant, quibus pugnantium virtutem accendebat: & quoniam ipſe pudor aliquando audaciam extorquet, monebat ſubinde, ut labem, ſi quam admiſerant, factis eluerent; nam ſi victos fuiſſe ſemel puderet, cavendum, ne, dum alterâ vice vincerentur, pejore verecundiâ afflarentur. Ab intemperantiæ vitio alienus, non tantùm fœminarum aliarum blandimenta, ſed & ſuæ uxoris declinabat, propterea quòd turpe eſſe diceret, cujus corpus ferro, armìſque rigeſceret, ejus animum in molles delicias defluere, nec minùs deteſtabile profitebatur, ut, qui aliis imperat, intempeſtivæ pareat voluptati (q). *Abſtinentiâ* ejuſmodi ſervabat integras vires, quarum robur tantum obtinuit, ut cum Baliſtâ telum ejacularetur, Cataphractum etiam militem perforaret (r). Utì autem corporis, ſic *ingenii* admirabilem vigorem tunc oſtentabat; quando in varias formas diſponebat aciem (s): jam urgere, jam trahere bellum, temporibus inſidiari, hoſtium incommoda in ſuam utilitatem vertere conſpiciebatur. Nullibi tamen magìs ſe ſcientem rerum probabat, quàm cùm tot modos fallendi hoſtem, ſive callida ſtratagemata excogitaret; pacis enim & induciarum mentionem eo tempore injiciebat, quando neceſſaria ad bellum paranda erant: multitudinem hoſtium, quos ferro amovere non poterat, auro, magnìſque largitionibus, aut promiſſione fœderis

(n) Procop. de B. Perſ. l. 1. c. 22.

Apparatus bellicus Juſtiniani.

Duces belli quos habuerit Juſtinianus?

(o) Procop. de B. P. l. 1. c. 12 c. 18. &c. idem de B. V. & Goth.

(p) Idem de B. P. l. 2. c. 16. 18. 19. de B. Vand. l. 1. c. 12. 16. L. 2. c. 1. 5. 15. de B. G. c. 8. 9. 10. 20. 28. L. 2. c. 3. 6. 18. L. 3. c. 11. 12. 22 Agathias l. 5. p. 161. 162.

(q) Procop. de B. G. l. 4. c. 3.

(r) Idem de B. G. l. 1. c. 22.

(s) Idem de B. P. l. 1. c. 13.

Beliſarii Ducis virtutes bellicæ.

deris atque auxiliorum dividebat. Quoties fugientis ſpeciem præſeferendo, Barbaros in ea loca pellexit, unde tempeſtatem militarem certiùs in hoſtem emitteret (t). Quoties in ipſo aquarum inſtabili fundo turres (u), aliáſque machinas conſtruxit, è quarum faſtigio tela, ignéſque in medias urbes injiceret (x). Quoties ſimulabat, ſe Gothorum Regnum ambire, ut Regem cum ſubditis citra prælium vinceret (y). Atque ita cùm armis æquè, ac ingenio certaret, *felicitate* incredibili omnia confecit; nam Africam intra tres menſes, Italiæ maximam partem non interrupto victoriarum curſu cepit, & (quod nulli Ducum conceſſum erat) duos captivos Reges Conſtantinopolim advexit (z): in quo fortunæ apice nunquam Imperatori ſuo fefellit fidem: & cùm Perſas, Vandalos, Gothóſque viciſſet, tandem etiam multorum invidiam, calumniáſque pari animo ſuperavit (a).

(t) Vide in c.I. Hiſt. §. II.
(u) Procop. de B. G. l. 3. c. 19.
(x) Idem de B. G. l. 1. c. 5.
(y) Idem de B. G. l. 2. c. 29.
(z) Idem de B. G. l. 3. c. 1.
(a) Idem de B. V. l. 2. c. 8. Theophan. ad an. 554.

5. Quemadmodùm verò Ducum tantorum virtute militiæ Romanæ gloria ſuſtentabatur; ita milites *bellicis ſudoribus* eandem augebant: hyemem hi & æſtatem juxta pati, inopiam & laborem eodem tempore tolerare aſſueverant. Ad dubios Martis eventus intrepidi, ſive terrâ, ſive mari pugnarent, excelſos ferebant animos; ad armorum inſuper uſum, ádque omnem belli diſciplinam eruditi, ordinibus non turbatis celeriter & æqualiter incedere, jacula aptiſſimè torquere, tractare ſcuta, ictus deflectere, ſolem, pulverémque ferre, ducere foſſas, ſtruere machinas optimè noverant; quin portento non abſimile erat, paucos ſæpè milites ab urbium mœnibus depuliſſe innumeros hoſtes (b), & unum quandoque Romanum Pugilem objectu corporis totum exercitum ſtitiſſe (c).

Juſtiniani milites.

(b) Procop. de B. G. l. 2. c. 9.
(c) Idem l. cit. c. 5.

Cauſæ, cur militia Romana, ejúſque ſors defecerit?

6. Atque hæc veteris militiæ laus, hæc gloria fuit, quæ ſub prima Juſtiniani tempora florere viſa eſt. At quàm ſubitò vigor ille decidit; poſtquam Juſtinianus adversùs ſacros Canones, & Majorum traditiones, & contra præcipua Religionis dogmata bellum gerere cœpit. Numen iratum pro hoſtibus tunc pugnare ſolet, cùm à Principibus in Religionem peccatur: redduntúrque imbecilles, ac prorſus inutiles robuſtiſſimi quique exercitus, niſi pietate firmentur; at debiles hoſtes evadunt potentes, cùm in adverſariorum caſtris offenſam paſſa Religio mœret (d). Inſtigante nimirum Theodoro Cæſarienſi, contra tria Capitula arrogatâ poteſtate Edictum Juſtinianus appendi juſſerat: atque ut contumeliam primæ Sedis Antiſtiti inferret, nimiùm ſuî oblitus, ac furore percitus, in Vigilium Papam nefaſtam vim parabat (e): nec minùs in alios etiam Epiſcopos Alexandriæ (f), Africæ (g), & Illyrici poſteà exiliis, aliíſque pœnis ſæviit (h). Subinde Eccleſiam ipſam jugo nefaſto oppreſſit, quando alium renuebat admittere Pontificem, niſi quem ipſe Imperator confirmaret, cujus factæ probationis vectigal, aut tributum porrò quæſtuoſum exigebat (i). A Matre Eccleſiarum in cæteras vim convertit, quarum aras ſpoliare, expilare opes,

Prima cauſa, quia Deum Religionis Authorem & Vindicem Cæſar offendebat.

(d) Baron. in Annal. ad an. 551. N. 1.
(e) Id. N. 2.
(f) Liberatus Diac. Brev. c. 23.
(g) Iſidorus de Vir. illuſtr. c. 25.
(h) Id. c. 18.
(i) Greg. M. in ſeptem Pſ. Pœnit.

(k) Agath. p. re opes, haud Religioni duxit (k). Tandem consuetudine cum Hæreticis contractâ, non, quæ sunt Cæsaris, tantùm sibi sumens, sed & quæ Dei, procaciter usurpans, infelix se in hæresin, & novum *Incorruptibilium* errorem præcipitem dedit (l). Ex his nunc primam causam conjicias, cur Germanus Dux optimus, in quo post Belisarium omnis Italiæ spes posita erat, improvisâ morte sit subtractus (m): cur classis Imperatoria, dum contra Calabriam tenderet, Hadriatici militis fluctibus hausta (n): cur Sclavini Barbari in ipsa ferè pomæria Constantinopolis penetrârint (o): cur demum, Deo ubique manum, auxiliúmque subtrahente, ea deinde evenerint, quibus cum Imperii exitio militia Romana penitùs labefactaretur.

(l) Baron. ad a. 563 N. 1. 2 Nicephorus Lib. 17. c. 29. Evagr. L. 4. c. 38.

(m) Procop. de B. G. l. 3. c. 40.

(n) Idem l. 3. c. 7.

(o) Procop. de B. G. l. 3. c. 40.

Altera causa, negligentia Justiniani.

7. Quàm verò impiger erat Imperator ad agenda ea negotia, quæ potestatis illius excedebant fines; ita posteà negligens Imperii ac belli fuit. Cùm enim audîsset, Romam à Gothis captam (p), fugari undique & cædi militem Romanum, ad omnem calamitatum sensum ferè obtorpuit, nec nisi parcâ manu pecuniam, annonam, militarésque manipulos misit, quibus belli quantacunque moles sustineri solet. Non minùs ad fastidium, atque ad exitium disciplinæ militaris fuerat, quòd Logothetæ sive Censitores à Justiniano (q) constituti, egentes ac jejunos milites castrensi peculio, & donativis spoliarent; unde Respublica eò devenerat, ut exercitus numero exiguus esset: miles superstes extinctis emeritis, præter dignitatem in inferioribus detineretur ordinibus: stipendia, quàm pro loco & gradu acciperet, minora: reliqua castrensis pecunia Justiniano à Censitoribus toto hoc tempore corrogaretur: damnis præterea perquam multis alii milites afficerentur, ita compensatis periculis, quæ per sua corpora in prælio subiissent. Nonnulli exactâ ætate, quasi minimè idonei cingulo spoliati, propalam in foro stipem à religiosis viris emendicare, & obviis quibusque acerbum & lachrymabile spectaculum præbere visi sunt. Alii, ne eadem ipsi paterentur, se à Conquisitoribus grandi pecuniâ redimebant; ita miles multifariàm debilitatus, ac destitutus necessariis, animo sic abhorruit à militia, ut Romanorum & Italiæ res omnino dilaberentur (r). Nam quid de *Ducibus* dicam, quorum post Belisarii ex Italia excessum ea conditio fuit, ut ad privatam utilitatem omnia referentes, Romanos expilarent, aut militum injuriis permitterent: quâ in re cùm sæpiùs ab iis peccaretur, omnis res Romana brevi tempore pessum abiit (s); Itali enim rapinis Ducum, & aliis turpibus flagitiis offensi, Barbarorum servitutem gravissimo Cæsareorum jugo antehabendam putabant. Belisarius ad reparandas res secundò in Italiam missus, vix paucos juvenes in Thracia cogere poterat (t), qui Ducem ad expeditionem sequerentur: unde ad Imperatorem in hæc verba perscripsit: *In Italiam pervenimus à militibus, equis, armis, pecuniâ imparati: quæ si cui,*

(p) Procop. de B. N. L. 3. c. 3. c. 4. c. 5.

(q) Procop. Hist. arc. c. 24

Tertia causa erat avaritia

(r) Procop. Hist. arc. c. 24 edit. Paris. p. 69.

(s) Procop. l. 4. de B. G. c. 1. p. 468.

(t) Procop. l. 3. de B. G. c. 10. p. 487.

ſi cui, quantum ſatis eſt, non ſuppetant; nequaquam is bello gerendo par eſſe poterit. Thraciâ atque Illyrico continenter peragratis, milites coëgimus perquam paucos: quos miſellos, inermes, & ad pugnam omnino rudes videmus; eos autem, qui hìc remanſerant, parùm ſorte contentos ſuâ, hoſtium metuentes, & crebris perculſos cladibus: qui congreſſum hoſtilem conſultò vitant, dimiſſis equis, armiſque in terram projectis. Nec pecuniæ quidquam redire nobis ex Italia poteſt, jam ab hoſtibus receptâ. Quò fit, ut ſtipendiis die proſtitutâ non perſolutis militi, non ſit integrum nobis illis imperare: nos enim loquendi libertate debitum privat. Id etiam, Domine! pro certo habe, eorum, qui tibi militabant, maximam partem ad hoſtes deſciviſſe (u). Quinque nihilominùs annis inter ſumma egeſtatis & hoſtium diſcrimina incertis itineribus perreptabat Italiam Beliſarius, dum Beſſas Dux ſuâ avaritiâ & negligentiâ (x), cæteri autem Præfecti ad latibula convolantes, & inter ſcorta agentes, ſpes omnes evertiſſent (y); profligatis enim tunc rebus fugienti ſimilis ab uno maritimo præſidio ad aliud navigabat (z): nec jam aliud beneficium à Cæſare præſtolabatur, quàm ut citò ex infami Martis arena dimitteretur (a). Digreſſo Beliſario Conſtantinopolim, nullâ ſubſtituendi Ducis, nullâ belli meliùs gerendi curâ Juſtinianus tangebatur (b); neque antè ab oſcitatione ſua convaluit, quàm totam Italiam peſſumdediſſet. Tum enimverò experrectus, Germanum rebus gerendis idoneum Ducem mittere conſtituit (c); ſed hoc fatis prærepto (d), fortuna Cæſaris rurſus ſcopulo tamdiu adhærebat, donec Narſes jacturam Italiæ ſuo ingenio, viribúſque repararet (e). Neque tamen diu hæc felicitas ſtetit; idem namque Narſes à Juſtiniani Succeſſore offenſus, non negligentiâ, utì cæteri Duces, ſed proditione Italiæ Regnum è poteſtate Cæſaris ereptum in Longobardorum ſervitutem tradidit (f).

Quarta cauſa, Ducum optimorum neglectus.

(u) Procop. L. 3. de B. G. c. 12. p. 492.

(x) Idem c. 15. 16. 17. p. 500. 505. 506.

(y) c. 9.

(z) Idem l. 3. de B. G. c. 25.

(a) Idem c. 30. 35.

(b) Idem l. 3 de B. G. c. 34.

(c) Idem l. 3. c. 10.

(d) Idem l. 3. c. 11.

(e) Idem l. 4. c. 26. 29 &c.

(f) Mellit. Chronic.

8. Ex ſocordia Cæſaris, ac Præfectorum incuria nunc pronum eſt cognoſcere, quæ eâ ætate militum conditio, quis numerus, viréſque fuerint? Ad rem explanandam, duos Scriptores adducimus, quibus æqualis ætas idem videndi, teſtandíque copiam fecit. Primus eorum eſt *Procopius*, qui limitaneos manipulos ex albo militum à Juſtiniano expunctos ait (g), adeò ut Romani Imperii fines, qui eorum cuſtodiæ commiſſi erant, hoſtili incurſui undique paterent. Domeſtici & Protectores, quem ordinem fortiſſimi quique olim obtinebant, penſionibus ſuis exuti: & quia oblato pretio hanc ſtationem emere debebant, bellicæ virtutis expertes cenſebantur; cæteris verò militibus id, quod alii Imperatores quinto quoque anno ſolvere conſueverant, donativum Juſtinianus ſubtraxit. Quare inter Scholarios non Triarii, aut alii ſelectiſſimi viri, ùt olim, ſed promiſcua Calonum turba nomen dedit: *Agathias* porrò Scholarios eoſdem, quales hoc tempore fuerint, nobis exhibet, dum ait (h), milites ejuſmodi in aula diu, noctúque verſatos, & ſplendidè veſtitos ad

Quinta cauſa, iners & rudis militum diſciplina.

(g) Procop. in Hiſt. arc. c. 24.

(h) Agath. l. 5. p. 159. & 160.

augendam dignitatem deinceps Regiam, non ad belli usum adhiberi, quam quidem ignaviam cùm ære multo coëmissent, pompæ gnari, & militiæ rudes, ac ferè effœminati homines habebantur. Unde nunc de cæteris militibus esto judicium, quorum vel oppido pauci, vel ob negatam annonam ad Ducum imperium contumaces, aut quia nomen sub vexillis emerant, nimiùm delicati, nec obviare hosti noverant, aut, si quid ex disciplina pristina aliquid combiberant, eâ scientiâ uti, vel obire periculum pernegabant. Nihilo meliùs militia Romana sub Justiniani successoribus viguit; nam Justinus impacto in Narsetem Ducem convitio, veluti præacuto ferro sibi dexteram, virésque absciderat (i): & Mauritius tam parvi milites posteà fecit, ut pro singulis captivis vel nummum lytri loco pendere recusaret (k). Ex fastigio igitur summo Romanorum bellica gloria in imum decidit, & Cæsaribus inde onus incubuit, ut, qui neglectu, ac contemptu armatos, ac ferro pugnantes pro Imperio milites respuerent, ipsi deinceps auro, sive immensis auri largitionibus pacem ab hoste expugnare (l) cogerentur.

(i) Paulus Diac. l. 2. c. 5.

Sexta causa, militum vilipensio.

(k) Theophanes ad a. 592. p. 225.

(l) Theophylactus l. 7. c. 15.

REFLEXIO VI. ad §. IV. Num. 4. pag. 230.

De Ostrogothorum Legibus & Magistratibus.

I. OStrogothos, antequam in occiduas pervenissent Provincias, suis olim legibus vixisse, ejusdem nationis Author scriptum reliquit (a). At ubi Theodoricus primam in Italia sui Regni sedem constituerat; Romanas ita Leges sibi adoptavit, ut simul suæ Gentis barbaræ statuta admisceret. Quo quidem Decretorum complexu in *Edicti* formam proposito, utrumque populum in unum pacis communis vinculum colligare meditabatur; quare in Edicti sui procemio ita præfatur (b): *Querelæ ad nos plurimæ pervenerunt, intra Provincias nonnullas Legum præcepta calcari. Et quamvis nullus injustè factum possit sub Legum auctoritate defendere: nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes illa, quæ possunt sæpè contingere, pro hujusmodi casibus terminandis, præsentia jussimus Edicta pendere: ut salvâ juris publici reverentiâ, & Legibus omnibus cunctorum devotione servandis; quæ Barbari, Romaníque sequi debeant, super expressis articulis, Edictis præsentibus evidenter cognoscant.* Quantum verò Ostrogothorum Rex, licèt Barbarus, Juri Romano dandum censuerit, ex ejus Rescriptis intelligas; nam per Cassiodorum ad universos Provinciales Galliarum in hæc verba scribi fecit: *Libenter parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti, quia gratus ibi regressus est, ubi provectum vestros constat habuisse Majores* (c). Et alibi: *Delectamur*

(a) Jornandes de rebus Get. c. 11.

(b) Theodoricus in Edicti initio apud Pithœum: edit. Parif. 1579.

(c) Cassiod. Var. l. 3. ep. 17 ad Univ. Provincial. Galliarum.

lectamur Jure Romano vivere: quos armis cupimus vendicare: nec minor nobis cura est rerum moralium, quàm potest esse bellorum. Quid enim proficit, Barbaros removisse confusos, nisi vivatur ex Legibus? Romano porrò Juri suas sanctiones admiscuit, quarum plures apud Cassiodorum invenies (d). Sed quia has suo in Consistorio, quod Romano more adornabatur (e), omnibus attemperaverat, vix Gothicas Leges à Romanis discernes (f); unde Pithœus ante Edictum Theodorici ita proloquitur: *Cassiodori Variarum Libri ad Jus Romanum sic pertinent, ut Theodoriciana, & Ostrogothica pleraque admixta habeant: quæ, qui non satis discernunt, hybridas sæpè nobis pro merè Romanis obtrudunt* (g).

(d) Cochlæus in vita Theodorici c. 11.

(e) Struvius in H. J. Goth. c. 5 § 4.

(f) Baron. ad an. 468.

(g) Pithœus in Præf ad Edict. Theodorici.

2. Equidem Legati Gothorum, testante Procopio, inficiabantur, à Theodorico quidquam Legibus Romanis appositum, aut de novo conditum fuisse: *Hoc igitur* (ajebant) *pacto Italiæ Regnum adepti, Leges, ac Regiminis formam haud minori studio, quàm quivis Imperatorum veterum, conservavimus, neque ulla prorsus Theodorici, aliúsve cujuspiam Gothorum Regis Lex scripta extat vel inscripta* (h). Sed Athalaricus Italiæ Rex apud Cassiodorum (i) contrarium disertè asserit: *Edicta* (enim ait) *Domini Avi nostri, vel universa præcepta, quæ ad Siciliam pro componendis universorum moribus destinavit, sub tanta volumus obedientia custodiri, ut sacrilegii reus habeatur, quisquis belluinis moribus excitatus, munimen tentaverit irrumpere jussionum.* Atque hæ jussiones non aliæ erant, quàm quas simul collectas EDICTI titulo anno quingentesimo promulgavit (k). Occasionem, quæ Theodoricum ad dandam tum Gothis, tum Romanis communem juris regulam impulit, Auctor Chronici Alexandrini notavit (l): *Hoc anno* (CCCCLXXXV.) *ad Theodoricum, qui Romæ regnabat, accessit fæmina Senatorii generis Romana* (Juvenalia *nomine*) *Regémque hisce verbis est allocuta: Tertium jam annum cum Formo Patricio controversiam habeo, fac, ut expediar. Rex accersitis utriusque partis Judicibus: Nisi* (inquit) *intra constitutum diem sententiam tuleritis, & litigantes dimiseritis, plectam vos capite. Ii verò biduo invicem congressi, sententiâ ex Legibus datâ, utrumque dimiserunt. Tum Juvenalia accensis cereis Regem convenit, ut gratias ageret, quòd à lite esset absoluta. At Rex indignatus accersitis Judicibus: Quare* (inquit) *quod uno biduo confecistis, protraxistis in triennium? Et extemplò utriusque partis Judices securi percussit, ex quo ingens in alios exortus est terror. Rex postmodum* (anno D., ùt docet Pagius) *Decreto de singulis Legibus edito, urbe digressus Ravennam* (*maritimam civitatem*) *concessit, ubi usque ad vitæ exitum habitavit.*

(h) Procop. de B. G. L. 2. c. 6. p. 402.

(i) Cassiod. Var. l. 9. ep. 14.

(k) Pagius in Critic. Baron. ad an. 500. N. 5.

(l) Auctor Chron. Alex. ad an. 485.

3. Argumentum Edicti centum quinquaginta quatuor Capitibus aut Decretis comprehensum primò *Judicibus* justitiam, integras à muneribus manus, & custodiam Legum inculcat; quare pœna quadrupli solvendi, aut pœna capitalis in eos Judices fertur, qui pecuniâ corrupti,

 de

de bonis, aut de vita alterius iniquam protulerint ſententiam (m). II. Poſſeſſores malæ fidei ad reſtitutionem fructuum, perperàm litigantes ad litis ſumptus, temerarius accuſator ad talionis pœnam damnantur (n). Econtra, qui per triginta annos quamlibet rem poſſederit, is à publica ac privata quæſtione eximitur (o). III. Theodoricus moderamen inculpatæ tutelæ aut defenſionis probat, in raptores ingenuarum & ancillarum pœnam mortis ſtatuit, & pro accuſatione raptûs quinquennium definit (p). IV. Agit Rex de ſucceſſionibus & teſtamentis (q). V. Tractat de nuptiis, matrimoniis & adulteriis (r). VI. Crimini falſi irrogat pœnam capitis, falſo teſtimonio exilium (s). VII. Delatoribus dictat pœnam (t). VIII. De occupatione rei alienæ, de donationibus, & appellationibus (u), IX. De pœnis Abactorum, de ſtupris (x) X. præcipit Rex, ut ſervus, aut publico debito obſtrictus, ſi ad Eccleſiam confugerint, egredi Eccleſiâ cogantur, vel Archidiaconus pro iis ſatisfaciat (y). XI. De vi variâ variis illatâ (z), XII. De corruptoribus teſtamentorum, & falſis teſtibus (a), XIII. De libertate filiorum & ingenuorum non violanda (b), XIV. De incendiariorum crimine, de ſervis in quæſtionem vocandis, de limitibus non evertendis, ac de ſeditionibus (c), XV. De pagano ritu ſacrificantibus, Ariolis, & ſepulchrum deſtruentibus capitis pœna injungitur. Qui intra urbem Romam cadavera ſepeliverit, quartam partem patrimonii ſui Fiſco ſociare jubetur. Si nihil habuerit, cæſus fuſtibus, civitate pellatur (d). XVI. De damnatorum bonis, de furtis, de creditoribus (e). XVII. De aſylis, de ſubreptitiis impetrationibus, fidejuſſionibus, ædificatione in alieno fundo, de cautione mulieris invalida, de venditionibus (f). XVIII. Circa Judæos privilegia Legibus delata ſerventur &c. (g). Sive ſeges aliena, ſive quælibet arbor cujuſque dolo dejecta fuerit, aut aliquid damni provenerit, in quadruplum ejus nomine, qui hoc fecerit, addicatur (h). Uxor pro marito non debet conveniri: res ejus, aut ſponſalis munificentia pro mariti obnoxietate poſcatur (i). Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, ſed & diebus paſchalibus, nullum præcipimus conveniri. Qui contrà fecerit, ſacrilegii reus habeatur (k).

4. Ex his, cùm haud obſcurum ſit, Theodoricum ferè nihil à Legibus Romanis deſciviſſe; conſiderandum nunc porrò eſt, quâ ratione idem Rex Romanos Magiſtratus retinendos eſſe judicârit. Si fidem Legatis Gothorum cum Beliſario agentibus habere oporteret, dubium illi omne nobis adimerent, dum ajunt: *Prætereà civiles omnes Magiſtratus geſſère ipſi Romani, neque illos cum Gothorum quopiam communicârunt..... Accedit huc, quòd Romanis per Gothos licuit, ab Orientis Imperatore Conſulatum quotannis accipere* (l). Cùm igitur inde pateat, à Theodorico nihil mutationis in formas Romanorum Magiſtratuum inductum fuiſſe, ſpecia-

(m) Edict. c. 1. uſque ad c. 9.
(n) ib. c. 10. 11.
(o) ib. c. 12. 13.
(p) ib. c. 17.. 22.
(q) ibid. c. 23... 33.
(r) ib. c. 30. 36... 39. 54.
(s) ibid. c. 40. 41. 42.
(t) c. 25. c. 50.
(u) c. 51... 55.
(x) c. 56.... 66.
(y) c. 70. 71.
(z) c. 75.... 89.
(a) c. 90. 91.
(b) c. 94. 95. 96.
(c) c. 97.... 107.
(d) c. 108. 110. 111.
(e) c. 112.. 124.
(f) c. 125.. 142.
(g) c. 143.
(h) c. 151.
(i) c. 53.
(k) c. 54.
(l) Procop. l. 2. de B. G. c. 6. p. 402.

ſpecialiùs nunc ex Caſſiodoro, quis earundem præfecturarum ſtatus ac dignitas ſub Oſtrogothis extiterit, videamus. *Primum* locum tenebant poſt Regem CONSULES, quorum prærogativam ita Theodoricus exponit (m): *Priſcorum judicio, qualis ſit Conſulatus, hinc omninò datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximius ſolus meruit habere Palmatas veſtes,... jus dicebat etiam capiti: hinc eſt, quòd etiam faſces atque ſecures tantæ poteſtati præceptæ ſunt illigari..... Conſulebat, bella gerebat* &c. *In argumentum etiam publicæ gloriæ ſolvebat famulos jugo ſervili* &c. Atque hæc quidem Conſulatûs decora apud Veteres erant: poſteà Theodoricus de nova Conſulatûs forma loquens pergit: *Sed nunc ſumitis iſta feliciùs: quando Nos habemus labores Conſulum, & vos gaudia dignitatum. Palmatæ ſiquidem veſtræ, noſtræ probantur eſſe victoriæ, & proſperrimæ conditionis eventu vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cùm nos ſecuritatem demus per bella Romanis. Atque ideò per illam Indictionem Conſulatûs te decoramus inſignibus. Pinge vaſtos humeros vario colore Palmatæ: validam manum victoriali ſcipione nobilita: lares proprios etiam calceis auratis egredere: ſellam Curulem pro ſua magnitudine multis gradibus eniſus aſcende; ut in otio ſubjectus merearis, quod Nos per maximos labores aſſumimus imperantes. Rem victoriarum agitis, qui bella neſcitis: Nos, juvante Deo, regimus, Nos conſulimus, & veſtrum nomen annum deſignat. Viciſtis felicitate Principes, qui & honores ſummos geritis, & Dominationis tædia non habetis* (n). II. PATRICIATUS à Patribus dictus, dignitas erat, quæ ſolâ morte ſolvebatur, patriâ poteſtate filios exſolvebat: *Patricius Præfectorios, & aliarum dignitatum viros præcedit, uni tantùm cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis conſtat aſſumi* (o). III. PRÆFECTUS PRÆTORII *exhibet ſine præſcriptione longinquos, magnâ quantitate mulctat errantes, Fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuit, evectiones ſimili poteſtate largitur, vacantia bona proſcribit, delicta Provincialium Judicum punit, verbo ſententiam dicit:..... penes eum eſt, ut leges poſſit condere, quando ejus Reverentia poteſt negotia ſine appellatione finire;... poteſtate igitur nulla dignitas eſt æqualis.... Nullus ei miles de fori ſui auctoritate præſcribit, excepto Officiali Magiſtri militum.... Curiales etiam verberat, qui appellati ſunt Legibus minor Senatus.... Militiâ perfunctis Tribunorum & Notariorum honorem tribuit,... Legatos Gentium veraces explet ordinationibus ſuis. Et licèt aliæ dignitates habeant titulos præfinitos; ab iſta totum geritur, quidquid in Imperio noſtro æquabili moderatione tractatur* (p). PRÆFECTUS URBIS ROMANÆ, qui & Præpoſitus Senatui, & Conſularibus ſententiam primam dicit, neque intra Romam tantùm ejus poteſtas continetur, verùm etiam ad *centeſimum inde milliarium* juriſdictio hujus Præfecti protenditur: ex deſignatis Lege Provinciis, ab appellatione cognoſcit, curat, ne *diverſæ merces ſub nulla venalitate vendantur*, ut thermarum, & ſpectaculorum uſus ſit ſine diſcordia.

(m) Caſſiod. Var. L. VI. in formula Conſulatûs c. 1.

Formula Conſulatûs ſub Oſtrogothorum Regibus.

(n) Apud Caſſiod. l. c.

Patriciatus.

(o) Caſſiod. in formula Patriciatûs Var. L. 6. c. 2.

Præfectus Prætorio, & ejus officia.

(p) Caſſiod. Var. L. 6. c. 3. in formula Præf. Præt.

Præfectus urbis Romanæ.

cordia. Carpento in signum dignitatis vehebatur, togatâ, sive Romuleâ veste indutus (r). V. QUÆSTOR est veluti lingua Principis, qui mandata Regia Senatui, Provinciis, populo exponit: si quid Rex dubitat, à Quæstore requirit; unde cùm Principis imaginem portaret, decebat, ut scientiâ Legum esset instructissimus, ad consilia promptus, & fidelis in denunciandis iis, quæ Rex jusserat (s). VI. MAGISTER Senatores ad Principis alloquium inducit, in Aulico Consistorio primas tenet, Veredorum celerum gerit curam, Legatorum adventum Regi nunciat, eos obsequiis suis honorat, Judices Provinciales, Peræquatores annonæ constituit &c. (t). VII. COMITIVA, sive dignitas Comitis, cui SACRARUM LARGITIONUM cura commissa est: largitiones ejusmodi præcipuè Kalendis Januariis in populum fiebant, signabatúrque tunc etiam moneta imagine Principis, Comite eodem curante, cui Rex PRIMICERIATUM quoque adjungere solebat, ut & cum pecunia Regia honores dispensaret: subscribebat is omnibus Procerum chartis suum nomen. Adhæc quidquid in vestibus, ære, gemmis, quidquid in salis commercio, ad ejus arbitrium pertinebat (u). VIII. COMES PRIVATARUM administrabat privatam Principis substantiam, & ad eundem simul pertinebat, litigantium temeritatem constringere, prohibere vim & furta à sepulchris, demum caduca & vacantia bona Regio ærario inferre (x). IX. COMES PATRIMONII providebat, ne Patrimonium Principis cum oppressione privatorum extenderetur, útque apparatus semper decens esset in mensis &c. (y). X. ILLUSTRATUS DIGNITAS singularis honoris titulus, qui clarissimorum & spectabilium ordinem antecedebat (z). XI. COMITIVA primi ordinis, cingulo & prærogativâ ante spectabiles gaudebat, locum præcipuum etiam habebat in Consistorio, cæterùm honos erat sine onere (a). XII. MAGISTER SCRINIORUM: *Quatuor Scrinia erant, primum, quod dicitur Libellorum: secundum, Memoriæ: tertium, Dispositionum: quartum, Epistolarum; unde & quatuor Antigrafei sunt,... seu Scriniorum Magistri* (b). XIII. VICARIUS URBIS ROMÆ in hoc distinguebatur à cæteris Vicariis, quòd hi nomine Comitum in levioribus jurisdictionem exercerent: sed Vicarius urbis Romanæ propriam à Principe jurisdictionem habebat. Intra quadragesimum jura urbis custodiebat; chlamyde carpentóque velut insignibus utebatur (c). XIV. NOTARII notabant secreta scripta Regis. XV. REFERENDARIUS Regi exponebat causarum ordines, per eum vota interpellantium cognoscebat Rex, & responsa dabat (d). XVI. RECTOR PROVINCIÆ erat Judex causarum provincialium, tributa exigebat, & Principi novos casus referebat, pro honoris sui insignibus chlamyde & purpurâ utebatur (e). His vel minores, vel speciales Provinciarum quarundam Magistratus accedunt, quorum officia & digni-

(r) Idem l.c. c. 4. in formula Præf. urbanæ.

Quæstor.

(s) Idem c. 5 in formula Quæstoris.

Magister.

(t) Idem c. 6. in formula Magisteriæ dignitatis.

Comes Largitionum sacrarum.

(u) ibid. c. 7. in form. Comitivæ sacr. Larg.

Comes Privatarum,

(x) ibid. c. 8. in form. Comitivæ Priv.

Comes Patrimonii.

(y) ibid. c. 9.

(z) ib. c. 11. Du Cange in Glossario.

(a) Cassiod. Var. l. 6. c. 12.

Magister Scriniorum.

(b) Scholiastes Julian. Antecess.

Vicarius urbis Romæ.

(c) Cassiod. Var. l. 6. c. 15.

Notarii & Referendarii

(d) ibid. c. 17 in form. Referend.

Rector Provinciæ.

(e) ibid. c. 21 in formul. Rect. Prov.

dignitates apud Caſſiodorum legere eſt (f) in Variarum Libro ſexto; in quo etiam Comites Gothorum reperimus, qui in Romanos aliquam, ſed reſtrictam jurisdictionem habebant; utì ex formula cognoſcitur: *Cùm, Deo juvante, ſciamus, Gothos vobiſcum* (Romanis) *habitare permixtos, ne qua inter conſortes (ùt aſſolet) indiſciplinatio naſceretur; neceſſarium duximus, illum ſublimem virum.... ad vos Comitem deſtinare, qui ſecundùm Edicta noſtra inter duos Gothos litem debeat amputare: ſi quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per Provincias dirigimus Cognitores: ut unicuique ſua jura ſerventur, & ſub diverſitate Judicum una juſtitia complectatur Univerſos. Sic pace communi utræque nationes, Divinitate propitiâ, dulci otio perfruantur. Scitote autem, unam nobis in omnibus æquabiliter eſſe charitatem: ſed ille ſe animo noſtro ampliùs commendare poterit, qui Leges moderatâ voluntate dilexerit* (g).

(f) Caſſiod. Var. L. 6. per totum.

Magiſtratus Gothorum quando & quam jurisdictionem in Romanos habuerint?

(g) Theodoricus apud Caſſiod Var. l. 6. c. 3. in formula Comitivæ Gothorum.

REFLEXIO VII. ad §. VI. Num. 2. pag. 277.

De Legibus Viſigothorum.

1. QUemadmodùm omnes Germaniæ populi olim ritibus ſuis, ac moribus receptis, non verò ſcriptis legibus vivebant; ita & Viſigothorum Gens Germanis Progenitoribus orta, antequam in Occidentis Provincias tranſmigraret, vel Legum præſcripta ignoravit, aut ob incultum ingenium ferre non potuit. ATAULPHUS Viſigothorum Rex poſtquam ſedem in Gallia fixerat, ſuam nationem Romanis Legibus ſubjicere allaboravit, quando in id incumbebat maximè, ut Gothis, Romaniſque jus quoddam commune eſſet (a). Sed conatum ejus irritum fuiſſe, perhibet Oroſius (b), dum ait: *Ubi multâ experientiâ* (Ataulphus) *probaviſſet, neque Gothos ullo modo parere Legibus poſſe propter effrænatam barbariem, neque Reipublicæ interdici Leges oportere, ſine quibus Reſpublica non eſt Reſpublica, elegiſſe ſe ſalutem, ut gloriam ſibi de reſtituendo in integrum, augendóque Romano nomine Gothorum viribus quæreret, haberetúrque apud poſteros Romanæ reſtitutionis Author, poſtquam non poterat eſſe Immutator.*

Viſigothi olim Legum expertes.

(a) Vide Edictum Ataulphi apud Goldaſt. T. III. p. 92.

(b) Oroſius L. 7. c. 29.

2. Poſt Ataulfum EURICUS, qui in Gallia Narbonenſi ab anno CCCCLXV. ad annum CCCCLXXXIV. Gothis præfuit, efficaciùs Gentem ſuam intra ordinatam Legum diſciplinam conſtringere conabatur; quare hunc primum Gothorum Legiſlatorem fuiſſe, Authores non pauci affirmant (c), & apertè Iſidorus in hæc verba ſcripſit: *Sub hoc Rege* (Eurico)

Euricus Viſigothis dedit ſcriptas leges

(c) Franckenau in ſacris Themidos Hiſpan. arc. ſect. I §. 5. Saavedra in corona Gothic. Caſtell. P. I. c. 8.

(Eurico) *Legum Instituta scriptis habere cœperunt, antea tantùm moribus & consuetudine tenebantur* (d). Cùm enim eâ ætate Regnum Gothicum tantâ potentiâ vigeret, ut omnes ferè Gentes istius Principis fœdus, societatémque ambirent (e); vires Eurico non deerant, quibus propositum exequeretur. Sidonius Aulæ Gothicæ, quæ tunc florebat, Majestatem & auctoritatem exhibiturus, carmine eleganti Legationes variarum Gentium ad Euricum complectitur; & de Saxonibus ante omnes ita canit (e):

(d) Isidorus æra Hisp. 504

(e) Sidonius L. 8. ep. 9.

Aula Eurici Visigothorum Regis potentissimi multarum Gentium Legationibus honoratur.

Istic SAXONA Cærulum videmus,
Assuetum ante Salo solum timere,
Cujus verticis extimas per oras
Non contenta suos tenere morsus.
Altat lamina marginem comarum,
Et sic crinibus ad cutem recisis,
Decrescit caput, additúrque vultus.

Deinde de Francorum, Herulorum, Burgundionum, Ostrogothorum Legationibus ita scribere pergit:

Hic tonso occipiti senex SICAMBER,
Postquam victus es, elicis retrorsum
Cervicem ad veterem novos capillos.
Hic glaucis HERULUS genio vagatur
Imos Oceani colens recessus,
Algoso propè concolor profundo.
Hic BURGUNDIO Septipes frequenter
Flexo poplite supplicat quietem.
Istis OSTROGOTHUS viget Patronis:
Vicinósque premens subinde Chunos,
His quod subditur, hinc superbit illis.

Prætereà Romanos ab Eurico Rege contra Septentrionis Gentes opem poscentes inducit:

Hinc ROMANE tibi petis salutem,
Et contra Scythicæ plagæ catervas,
Si quos Parrhasis ursa fert tumultus,
Eorice, tuæ manus rogantur;
Ut Martem validus per inquilinum,
Defenset tenuem Garumna Tybrim.

Denique Sidonius prædicat Parthos seu Persas, procul à Gallia sitos, manus Eurico supplices pro pace tetendisse:

Ipse hic PARTHICUS Arsaces precatur
Aulæ Susidis, ut tenere culmen
Possit fœdere sub stipendiali.

Nam

Nam quod partibus arma Bosphoranis
Grandi hinc surgere sentit apparatu,
Mæstam PERSIDA jam sonum ad duelli
Ripâ Euphratide vix putat luendam.
Qui cognata sibi licèt astra fingens
Phœbeâ tumeat propinquitate,
Mortalem hic tamen implet obsecrando.

3. Quod Euricus Pater moliri cœperat, hoc ALARICUS filius circa annum DVI. in meliorem formam composuit; nam adhibitis eo tempore *in consilium Sacerdotibus ac nobilibus viris*, & ex *Episcoporum selectorum Provincialium adsensu* (f) præter fragmenta ex Codice Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, item ex Novellis Imperatorum, Caji Institutionibus, & Pauli sententiis, Papiniani libris Breviarium Codicis Theodosiani congeri curavit, quod suâ authoritate firmatum, & ad Comites Visigothorum Regni transmissum ita servari voluit, ut rejectis JCtorum libris, & genuinis Principum Constitutionibus, in foro velut stata juris regula reciperetur (g). Causam, finémque hujus Collectionis Alaricus ipse palàm fecit, cùm diceret, *se utilitates populi sui tractantem, id etiam, quod in jure iniquum videbatur corrigere, in animum induxisse: ut ita omnis Legum Romanarum & antiqui juris obscuritas in meliorem lucem & intelligentiam redigeretur: nihilque dubii relinqueretur, quo litigantes diu inter se jurgarentur; quin contrà eâ collectione negotia discingerentur, & juxta ejus seriem causæ deciderentur, additâ sanctione, ne quidquam aliud in disceptatione, vel in foro proferretur vel reciperetur, propositâ pœnâ acerbissimâ* (h). Postquam hic Legum Liber Aduribus in Novempopulania digestus fuerat (i), varia sortiebatur nomina; nam subinde Lex Theodosiana (k), interdum Lex Romana (l), sæpiùs etiam Breviarium Aniani appellabatur (m); ex quo postremo nomine multis subortum dubium est, fuerítne Anianus idem, qui, jubente Alarico, opus concinnârit. A quibus Aniano hic labor tribuitur, ii suam opinionem hauserunt (n) ex Breviarii Commonitorio, cujus finis in hæc verba desinit: *Anianus vir spectabilis ex præceptione Domini gloriosissimi Alarici Regis hunc Codicem de Theodosianis Legibus atque sententiis juris, vel diversis libris electum, Aduris* (in Novempopulania) *anno XXII. eo regnante EDIDI & subscripsi* (o). Sed alii contrarium docent, dum *τὸ edidi* hoc loco nil significare volunt, quàm legem subscribere, annulo Principis firmare, Judicibúsque illam insinuare, quod Referendariis tum temporis erat proprium (p). Idem Sirmondus solidè ostendit (q) hunc in modum: "Præfatus in ea epistola Rex, per quos selectæ leges fuerant, & enucleatæ, quorúmque adsensu totus liber comprobatus, tum de mittendis ad Judices exemplaribus agens, præcipit, ut Aniani manu subnotata destinentur.

(f) In Commonitorio, quod Breviario præfixum apud Gothofred.
(g) Gothofred. Proleg. ad Cod. Theod. c. 5. ibid. N. 7.
Codex Alaricianus cur editus fuerit?
(h) Præfatio Alarici apud Gothofred. N. 4.
(i) Gothofredus N. 9.
(k) Baluzius T. II. p. 474.
(l) In Edicto Clotharii apud Baluz. Tom. I. in LL. Burgund. Tit. 55 l. 2. &c.
(m) Sirmondus de Cod. Alarici Regis.
(n) Joannes Tilius & Cujacius apud Sirmondum T. IV. p. 293.
(o) Commonit. Brev. sub finem.
(p) Du Fresne in Glossar.
(q) Sirmondus T. IV. l. c.
Anianus Codicem dictum non concinnavit, licèt Breviarium Aniani dicatur.

tur. Itaque Aniani in hoc negotio partes aliæ non fuerunt, quàm ut Libros juxta Authenticum, qui in palatio Regis servabatur, descriptos ederet, fideique & authoritatis causâ subnotaret. Subnotabat autem iis ferè verbis, quæ in Cujacii editione leguntur. Sed alieno ibi loco post Alarici commonitorium in operis fronte posita sunt, cùm ad ejus calcem poni solerent, quemadmodum in antiquis exemplaribus observavimus, tum in nostro primùm, tum deinde in altero Regiæ Bibliothecæ, N. MXCVII., in quibus post selecta de Theodosiano & Novellis, & post Caji & Pauli, Gregoriani & Hermogeniani, Papinianique excerpta, hoc est in totius Libri umbilico, Anniani demum sequitur subscriptio hujusmodi: ANNIANUS V. S. *ex præscriptione D. N. Gloriosissimi Regis Alarici, ordinante Viro Magnifico & Illustri Gojarico Comite hunc Codicem Legum Juris, secundùm authenticum subscriptum, vel in thesauris editum subscripsi & edidi* &c. Eadem habet Jacobus Gothofredus in Proleg. Cod. Theod. c. 5.: Discimus (ait) factum id ordinante Viro illustri Comite Gojarico, qui procul dubio Alarici, si non Quæstor (ita nos vocamus) Cancellarius fuit. Hinc adeò in MS. Regio in totius Libri umbilico Anniani subscriptio hæc quidem tenebat &c. (r).

Gojaricus probabiliter author Collectionis fuit.

4. Post mortem Alarici, licèt Franci Tolosanum Regnum sive ab Aquitania ad Narbonensem primam Visigothis abripuerint; necdum tamen collecti istius juris vigor exolevit; nam Francorum Principes, utut novas conderent leges, devictis tamen Gentibus propria etiam jura, scilicet Cisalpinis Romana, Burgundionibus Gundobaldica, Transalpinis autem Longobardica & Romana, intacta posteà reliquerunt (s). Et quoniam Theodoricus Rex Ostrogothorum partem Galliæ Gothicæ subinde acceperat, ejusdem mandato factum est, ut idem jus in Narbonensi potissimùm, & in terris Gothicis vim retineret (t), dum Codex Legum Visigothicarum colligi & promulgari cœpit.

Post mortem Alarici adhuc ejus Codex observabatur.

5. Quo verò tempore hæc Jurisprudentiæ mutatio à Visigothis suscepta sit, non una est Authorum sententia; alii enim Sisenandum Gothorum Regem, qui circa annum DCXXXI. regnavit, Collectionis hujus authorem faciunt (u); alii verò meliùs Chintasvinthum, qui decennio posterior fuit, ad hoc opus præivisse contendunt, cujus Lex, quâ Legem Romanam abrogavit, adhuc prostat (x): *Alienæ Gentis Legibus ad exercitium utilitatis imbui, & permittimus & optamus: ad negotiorum discussionem & resultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeò cùm sufficiat ad Justitiæ plenitudinem & præscrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ Codicis hujus series agnoscitur continere, nolumus sive Romanis Legibus, sive alienis Institutionibus amodò ampliùs connexam.* RECESVINTHUS, qui filius Patri successerat, contra Legem Romanam odio quodam exacerbatus, pœnas etiam

Nova mutatio in Legibus Visigothorum

(r) Jacobus Gothofredus in Prol. Cod. Theod. c. 5.

(s) Altaserra in Lib. 3. Aquit. rer. c. 8.

(t) Conring. de Orig. Jur. Germ. c. 3.

(u) Ambrosius Moralis Coron. General. de España L. XII. c. 28.

(x) Cod. Leg. Visig. L. II. Tit. I. L. 9.

etiam iis proposuit, qui aliis statutis, quàm quæ in Codice Visigothorum continerentur, uteretur (y): *Nullus prorsus ex omnibus Regni nostri, præter hunc librum, qui nuper est editus, atque secundùm seriem hujus amodò translatum librum, alium legum, pro quocunque negotio in judicio offerre pertentet: quodsi præsumpserit, 30. libras auri fisco persolvat. Judex quoque si vetitum librum sibi posteà oblatum disrumpere fortasse distulerit, prædictæ damnationis dispendio subjacebit. Illos tamen à damno hujus Legis immunes esse jubemus, qui præteritas & anteriores Leges non ad confutationem harum Legum, sed ad comprobationem harum causarum proferre in judicio fortasse voluerint.* EGICA (cujus regnantis exordia Annus DCLXXXVII. fecit) id posteà accuravit, ut Leges Gothicæ mori Christiano magis aptarentur, quare Episcopis in Concilio Toletano XVI. congregatis emendationem hujusmodi eâ conditione commisit, ut, cùm aliena à Christianitate rescinderent Chintasvinthi, aliorúmque Regum Decreta, quæ *ad sinceram justitiam, vel negotiorum sufficientiam pertinere noscuntur* (h), haudquaquam abolere præsumerent.

(y) Cod. Visig. L. II. T. I. L. 10. *Lex Romana, sive Breviarium Aniani à Visigothorum Regibus abrogatur.*

(z) Vide Concil. Toletan. XVI. Acta apud Aguirre.

6. Cæterùm Codex Legum Visigothorum Libris XII. ad imitationem Codicis Justinianei comprehensus est (a), quorum I. est de Instrumentis legalibus, II. de Negotiis Causarum, III. de Ordine conjugali, IV. de Origine naturali, V. de Transactionibus, VI. de Sceleribus & Tormentis, VII. de Furtis & Fallaciis, VIII. de illatis Violentiis & Damnis, IX. de Fugitivis & Refugientibus, X. de Divisionibus & Temporibus atque Litibus, XI. de Ægrotis, Medicis, & Mortuis, & transmarinis Negotiatoribus, XII. de removendis Pressuris, & omnium Hæreticorum Sectis extinctis. Quem Codicem ita congestum Pithœus Parisiis edidit 1579.

(a) Arthurus Duck de usu & authorit. juris L. 2. c. 6. §. 15. *Argumentum novi Codicis Visigothicarum Legum.*

7. Magnæ semper authoritatis hæ Leges in Hispania & Gallia Narbonensi fuêre, adeò ut *Forum Judicum* tota Collectio diceretur: in Sæculo tamen VI. SANCTIUS Ramiri successor his legibus Jus Cæsareum surrogavit; ita enim *Mariana* scribit (b): *Sanctium Ramiri successorem memorant Gothicas Leges abrogâsse, Barcinonis exemplo scilicet: sanxisse Cæsareas, & secundùm eas jura populis dari* &c.

Quando Jus Cæsareum huic Codici sit suffectum?

(b) Mariana de reb. Hisp. L. IX. c. 7.

REFLEXIO VIII. ad §. VII. Num. 7. pag. 323.

Quando Burgundiones Leges scriptas acceperint: & ad quod tempus Legum earum vigor steterit?

1. BUrgundiones, quibus à vetustis quibusdam Scriptoribus Burgunzionum inditum nomen est (a), minimi ejus Gentis fuêre, quam Ptolomeus olim Frugundionum nationem dictam in Scytharum sedibus trans

(a) Agath. L. 1. p. 14.

trans Istrum, sive in Sarmatia Europea collocavit (b). Sed si antiquum eorum genus spectes, Gothicâ (c), vel Vandalicâ origine nati (d), ad fines Balthici maris consederunt; dum imperante Probo, in Cattorum solum, sive in Regionem Alemannis vicinam, quæ *Capellatium* vel *Palas* tunc appellabatur (e), transmigrarent. Anno CCCLXX. à Valentiniano I. in societatem armorum contra Alemannos vocati octoginta virorum millia submiserunt (f), majora præstituri, nisi Princeps datam fidem fefellisset. Digressis subinde in Rhætiam Alemannis, ampliorem succedentes Burgundi habitationem nacti sunt (g), quam ad Sæculi quinti initium tenuerunt: eo quippe tempore cùm Barbari Romanos limites perrumperent; Burgundiones quoque trans Rhenum profecti, Germaniam primam occupârunt. Jovino Tyranno illinc primùm sua obtulêre auxilia (h), tum à Gonticaro Rege (quem alii *Gundicarium* vocant) proferendi Regni causâ in Belgicam primam deducti, geminam cladem, eámque internecinam retulerunt; Aëtius namque Valentiniani III. Imperatoris Dux Burgundos ad extrema ferè redegit (i): & ferox Hunnorum Gens altero bello peritos, unà cum Rege delevit (k). Reliquiis Sabaudia pro domicilio data est (l); ex qua dein successu temporis in Sequanos, Æduos, Segusianósque Regni sui terminos promoverunt, quibus & paulatim Burgundiæ indiderunt nomen. Quamprimùm enim post mortem Gonticari Gundiacus & Chilpericus Regno potiti, superstites cladi Burgundos in regionem inter Rhodanum & Alpes jacentem subduxerant; prima eorum fuit cura, restaurare suorum vires. His reparatis, jam Romano Duci contra Attilam (m), jam Visigothis contra Suevos pugnantibus suam operam condixêre (n); unde, qui Burgundionum Reges fuerant, Militum Magistri, victoriosissimi Viri ac Propugnatores apud Romanos audierunt (o): ut, qui terras Rhodano, Araríque vicinas à Barbaris defenderent, & in Imperatorum potestate retinerent. Atque hâc occasione factum multi crediderunt, ut Burgundionum Principes in varias Galliæ regiones evocati, illas posteà, cùm Occidentale Imperium extingueretur, sibi servârint. Gundiaci, qui post diuturnum Regnum obierat, filii quaterni Burgundiam satìs auctam in quatuor partes divisêre (p), quæ partitio ubi discordiis fratres commisisset, duo ex his (nempe Godomarus & Chilpericus) vitam cum Regno amisêre: tertius Godegisilus fatum suum inito cum Francis fœdere aliquantùm inhibuit, donec Francorum amotis suppetiis, natu maximus frater Gundobaldus hunc quoque, utì cæteros, pessumdedisset (q).

Burgundici Regni initia.

2. Gundobaldus vix Burgundiam totam subegerat, è re esse putavit; siquidem Regnum Legum vinculo ad perpetuitatem quandam colligaret. Tulit itaque satìs mites Leges Rex aliàs ferocissimus, cavens maximè, ne Burgundiones Romanos, sive Provinciales Gallos opprimerent.

Primus Legislator Burgundionum fuit Gundobaldus.

(b) Hadrian. Valesius rer. Franc. l. 1. p. 50
(c) Plinius in Hist. Nat. l. 4. c. 14.
(d) Procop. l. 1. de B. V. sub init.
(e) Ammianus l. 18. c. 2.
(f) Orosius l. 7. c. 32. Ammianus l. 28. c. 5.
(g) Eumenius in Genethliaco Maximiani.
(h) Gregor. Tur. l. 2. c. 9. Sozom. l. 9. c. 14.
(i) Sidonius Apollin. in Carm. 7. ad Avitum v. 239.
(k) Idatius in Chronico.
(l) Prosper in Chronico.
(m) Jornandes de Reb. Get. c. 36.
(n) Id. c. 44.
(o) Sidonius L. V. ep. 6. 7. & L. III. ep. 4. Item Carm. XII. ad Catullinum.
(p) Gregor. Tur. Hist. Fr. l. 2. c. 28.
(q) Marius Aventic. in Chronico. Greg. Turon. l. 2. c. 32. Aimoinus l. 1. c. 19.

merent (r). Procemium Gundobaldicarum Sanctionum annum designat, quo Volumen ejusmodi lucem vidit; ita enim incipit: *In Dei nomine anno secundo Regni Domni Nostri Gratiosissimi Gundobaldi Regis* (sive juxta Pagium anno DL.) *Liber Constitutionum de præteritis, & præsentibus, atque in perpetuum conservandis Legibus, editus sub die IV. Kal. Aprilis Lugduni* (s). Argumentum porrò Decretorum Regiorum ex eodem Proloquio eruitur, dum Gundobaldus pergit: *Amore Justitiæ, per quam Deus placatur, & potestas terrenæ dominationis acquiritur, ea primùm habito consilio Comitum, Procerúmque nostrorum studuimus ordinare, ut integritas & æquitas judicandi à se omnia præmia vel corruptiones excludat: omnes itaque administrantes judicia secundùm leges nostras præsenti tempore judicare debebunt* (t).

(r) Gregor. Tur. l. 2. c. 33.

(s) Lindebrog. in Cod. LL. antiq. p. 269.

Argumentum Gundobaldicæ Legis.

(t) Procemium Legis in Cod. cit.

3. Gundobaldicus hic Codex, quem Lindebrogius edidit (u), Romanis æquè, atque Burgundis Legis loco erat; ita enim Rex præceperat: *Burgundio & Romanus unâ conditione teneantur* (x). In quibusdam tamen casibus pro Romanis Romana juris ratio solùm vigebat, quod ipsum specialis Lex insinuat: *Quodsi Romanus, hoc est, hospes ipsius adhibere præsumpserit, utrumque XII. solidos jubemus exsolvere, & causam Romanis Legibus terminari* (y). Et quoniam à Burgundionibus (utì etiam à cæteris Germaniæ Gentibus) subditis suis optio sæpè relinquebatur, utrùm Romanâ, an verò barbarâ Lege vivere vellent (z), ideò Papianus, quem Burgundum fuisse ferunt (a), Responsorum Librum XLVI. titulis comprehensum, & ex Lege Romana, utpote Breviario Aniani, Caji regulis, Pauli sententiis, item ex Corpore Novellarum Theodosii Valentiniani, Majoriani, Leonis & Severi congestum edidit (b), in quo, ordine Legum Burgundicarum servato, normam iis præscripsit, qui juxta Legis Romanæ constituta vivere aut judicari cuperent.

(u) Lindebrog. Cod. LL. antiq. Francof. 1613.

(x) Leg. Gundob. Tit. X. §. 1.

(y) Tit. LV. L. 2.

(z) Tit. LX. L. 1.

(a) Gothofred. apud Struv. Hist. Jur. Goth. c. 5. §. 3.

(b) Anton. Schulting. in Jurispr. Vet.

4. Cæterùm in aliis Legibus Burgundicis multa exprimuntur, quæ Gentis ritus, morésque declarant, ex quibus pauca hìc subjicimus. *Primò* Tit. III. homicidium prohibetur ita, ut, qui necare aliquem præsumpserit, *non aliter admissum crimen, quàm sanguinis sui effusione componat* (c): nihilominùs aliquando causas finire DUELLO permittebatur: *Multos in populo nostro & prævaricatione causantium, & cupiditatis instinctu ita cognoscimus depravari, ut de rebus incertis sacramenta plerumque offerre non dubitent, & de cognitis jugiter perjurare: cujus sceleris consuetudinem, præsenti Lege submoventes decernimus, ut, quotiès inter homines nostros causa surrexerit, & is, qui pulsatus fuerit, non deberi à se, quod requiritur; aut non factum, quod objicitur, sacramentorum obligatione negaverit, hâc ratione finem litigio eorum oportet imponi, ut si pars ejus, cui oblatum fuerit jusjurandum, noluerit sacramenta suscipere; sed adversarium suum dixerit veritatis fiduciâ, armis posse convinci, & pars diversa non cesserit, pugnandi licentia*

Ritus Burgundionum in Legibus expressi.

(c) Leg. Burg. Tit. II.

Duella quando permisserint?

centia non negetur (d). Obstitit Gundobaldo Regi hæc certamina approbanti non parùm Avitus Viennensis, quin tamen Regem à proposito dimoveret; cujus testem habemus Agobardum (e): *Quid iste venerandus & sanctus Vir sæpè dicto Gundobaldo de supradictis certaminibus responderit, audiat, si placet, Benignitas Vestra: Cùm de his inter utrumque sermo esset, & beatus Avitus talia reprehenderet; respondit ei Gundobaldus: Quid est, quòd inter Regna & Gentes, & etiam inter personas sæpè singulas dirimendæ præliis causæ divino judicio committuntur, & ei maximè parti, cui justitia competit, victoria succedit? Ad quod B. Avitus intulit, dicens: Si divinum (inquam) judicium Gentes & Regna expeterent; illud priùs formidarent, quod dicitur scribente Psalmistâ:* Dissipa Gentes, quæ bella volunt; *& illud diligerent, quod perinde dicitur:* Mihi vindicta, & ego retribuam, *dicit Dominus. An fortè sine telis & gladiis causarum motus æquitas superna non judicat, cùm sæpè (ùt cernimus) pars aut justè tenens, aut justa deposcens laboret in præliis, & prævaleat iniquæ partis vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio.* Aviti invectiva adeò non profuit, ut Privatorum mutua certamina inde magìs ferverent. II. CONTRACTUS NUPTIALIS antequam compleretur, sponso dotalitium numerare (quod & Wittemon dicitur) incumbebat (f): neque junctam uxorem antè dimittere ipsi licebat, nisi alterum tantum, quantum pro pretio sponsæ dedisset, eidem conjugi referret (g). III. Burgundionum Gens in varias hominum classes divisa, habebat liberos, ad quos Ingenui, & Optimates pertinebant, dein libertos & mancipia; his quarta classis accedebat eorum, qui LEUDES vocabantur (h): erant hi Vasalli, nobiliores, vel homines ejusmodi, qui posteà *Ministeriales* dicti, à Regibus certa prædia obtinebant, eo pacto, ut quædam obsequia vel servitia Principibus præstarent (i): atque hæc bona, siquidem Parentes ea à Regibus accepissent, transmitti poterant in filios; utì colligitur ex Lege Burgundica (k): *Illud etiam huic Legi adjungi placuit, ut, si quis de populo nostro à Parentibus nostris munificentiæ causâ aliquid percepisse dignoscitur, id, quod ei conlatum est, etiam ex nostra largitate, ut filiis suis relinquat, præsenti Constitutione præstamus.... Id etiam statuentes, ut, si quid etiam de nostro munere aut Deo præstante aliter perceperint, donationum nostrarum textus ostendant. Superest, ut posteritas eorum eâ devotione & fide deserviat, ut augere sibi, & servare circa se Parentum nostrorum munera cognoscant.* IV. Quemadmodùm verò Burgundiæ incolæ in varios ordines discernebantur; ita agri Regni ipsius in partes tres divisi sunt, eâ lege, ut tertiâ fundorum parte devictis Romanis relictâ, residuas sibi Burgundiones usurparent. Hæ agrorum partes *Sortes Burgundicæ* dicebantur, eoquòd in debellatis Provinciis tum victoribus, tum antiquis possessoribus sortitò evenirent (l). Prætereà adversione dignum est, quòd Burgundiones suas partes & sortes *hospitalitatis*

(d) Leg. Burgund. Tit. XLV.
(e) Agobardus adv. Leg. Gundob. p. 120.
Dos sponsarum.
(f) Leg. Burg. Tit. LXVI. LXIX.
(g) Leg. Burg. Tit. XII. L. 1. 3.
Quid Leudes fuerint?
(h) Additam. 1. ad L. Burg. Tit. I. §. 2. item Tit. XIV.
(i) Ib. Tit. I. §. 3.
(k) Ibid. l. c. §. 3. & 4.
Leudes bona sibi à Principe donata alienare non poterant.
(l) Du Fresne in Glossar item L. Burg. Tit. I. §. 1.
Quid fuerint sortes Burgundicæ?

talitatis jure possidere memorentur; nam ex eo Burgundi Romanos, cum quibus agros sortiebantur, *Hospites* appellabant, quòd ab iis velut advenæ hospitio excepti, & in possessionis partem adsciti, rebus iisdem *hospitalitatis jure* gaudere & frui dicerentur. Id colligere est ex Legibus eorum (m), quarum una ita præcipit (n): *Licèt eodem tempore, quo populus noster mancipiorum tertiam, & duas terrarum partes accepit, ejusmodi à nobis fuerit emissa præceptio, ut, quicunque agrum cum mancipiis, seu parentum nostrorum, sive largitione nostrâ perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata, requireret.* V. Alienatio sortium illicita Patribus erat, sed *terras sortis titulo adquisitas* (o), transmittere ad filios tenebantur. *Ornamenta* autem *& vestimenta matrimonialia ad filias*, absque ullo fratrum consortio pertinebant (p).

Quid intelligatur per jus hospitalitatis

(m) L.Burg. Tit. 55. §. 1. 2. Tit. 84. §. 2. 2

(n) L.Burg. Tit. 54. §. 1.

Sortes à Patribus transmittebantur ad filios.

(o) L.Burg. Tit. I. L. 1.

(p) L.Burg. Tit. 51. §. 3.

5. Gundobaldi Legibus alias adjecit ejusdem Successor ac filius Sigismundus: quod cùm nonnulli aliter, ac erat, accepissent; Burgundicarum Legum Authorem non Gundobaldum, sed Sigismundum fuisse affirmârunt (q). Eidem Sigismundo Anastasius Imperator Patriciam Dignitatem impertitus est (r): & post hujus & Godomari (ultimi Burgundionum Regis) mortem anno DXXV. in Francorum manus Burgundia pervenit. Quamdiu hoc Regnum sub propriis Regibus fuit, comprehendebat Lugdunensem primam, Sequanos, magnam Viennensis Provinciæ partem, Alpes Penninas & Grajas, & ex maritimis Alpibus quædam; Narbonensis item secundæ urbes Aptam, Vapincum, & Segustrionem: in Provincia Lugdunensi quarta Nivernum (s), ita ut fines ad Sequanam superiorem prolati, hinc Arare & Rhodano, inde Rheno & Alpibus concluderentur, nisi quòd nonnullæ ejus urbes, pars ad Rhodani, pars ad ulteriores ripas positæ fuerint, nimirum Alba Helviorum, Lugdunum Segusianorum, Matisco, Augustodunum, & Nivernum Æduorum ac Cabillonum. At ubi Guntchramnus (Rex Merovingicæ stirpis) suæ parti, quam ex Francico Regno jam tenebat, reliquam Burgundiam apposuit, latior Regni Burgundici significatio evasit; nam præter Burgundiam propriam hoc nomen quoque inde Regni Aurelianensis à Chlodomere olim possessi, atque post Chariberti obitum ex Parisiaco Regno in Gallia Lugdunensi & Aquitania magnam partem cum Arelatensi ditione complectebatur. Guntchramnus ubi Cabilloni Burgundiæ amplioris Regiam sedem fixerat; Patriciis, Ducibúsque pagum Transjurensem, vel Provinciam Arelatensem, vel alias Burgundiæ regiones regendas commisit (t). Post Reges Merovingorum Burgundia tandem cessit Carolo Magno stemmatis Carolingici primo Genearchæ: sed utriusque propaginis Principes non aliam Legem, quàm quæ Burgundionibus à Gundobaldo data fuerat, imponendam putârunt. Quare Carolus M. in Capi-

Sigismundus auxit Leges à Patre editas.

(q) Lindebrog. in Cod. LL. antiq.

(r) Valesius L. VII. rer. Fr

Burgundia sub Merovingicis Regibus quàm ampla fuerit?

(s) Valesius in notit. Galliarum p. 105

(t) Schœpflinus in Diss. Hist. de Burgundia Cis- & Transjurana.

Burgundicæ Leges adhuc sub Carolingicis Regibus vigebant.

Capitulari II. ad Legem Gundobaldi adhuc vigentem provocavit: *Karolus* (ait) *Sereniſſimus Imperator Auguſtus, à Deo coronatus, Magnus & Pacificus, cum Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibúsque Fidelibus Chriſtianæ Eccleſiæ cum conſenſu, conſilióque conſtituit ex Lege Salica, Romana, atque GUNDOBADA, Capitula iſta in palatio Aquis, ut unusquiſque fidelis juſtitias ita faceret, quæ & ipſe manu propriâ firmavit Capitula iſta* &c. (u). Quamvis autem Carolo propoſitum eſſet, Gundobaldicæ Legi nihil detrahere, prohibuit tamen, *ne* alibi *parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, cogantur jurare, ſicut Gunebodigni*, aut Gundebadi, ſive Burgundiones *faciunt* (x).

(u) Procem. Capitular. II. Caroli M. a. 813

(x) Caroli M. Capitular. Aquiſgran. LXII. an. 789.

REFLEXIO IX. ad §. VII. Num. 14. pag. 338.

De Thuringorum Origine, eorum Regno, & hujus Regni interitu.

Etymon Thuringici nominis.

1. QUi in deſcribenda Regni Thuringici formula operam poſuêre, ii incerto pede per omnem antiquitatem vagati, non pauca de Thuringorum nomine, ac populi origine, multa de ejusdem Gentis migrationibus, ac rebus geſtis inſtituto ſuo præmiſerunt (a). Ac primò *Nominis Etymon* Saxonum Annales à voce *Thor*, quod ſtultum ſignificat, derivare non dubitârunt: cujus opinionis etſi veſtigium aliquod tum ex Tacito (b), tum ex Witichindo (c) ſe deprehendiſſe putent: Petrus tamen Albinus non minùs Witichindi fabulam, quàm hauſtam inde appellationis rationem explodit (d). Alii Thuringis nomen à *duritie* arceſſunt, quaſi Duringos, ſive duros & patientes laborum dicas (e): quàm parùm verò Saxones à Saxis, tam ineptè Thuringos à latina voce compellaveris; præſertim cùm hoc nominis diu antè iſta natio obtinuerit, priuſquam Romanorum lingua iis innoteſceret (f). Non deſunt, qui à Gigante Theyra nominis originem deſumant; inde enim Germani ſuos Heroës, pretioſos viros & ſtrenuos nominabant (g): & ſi juxta Wendelinum vox *Tor*, vadum vel tranſitum fluminis ſignificet (h); cur non Thoringi æquè hanc Etymologiam admitterent, ſicut plures urbes eam ob rationem appellatæ ſunt, *Tornacum* Turnonium ad Rhodanum, Dordrechtum ad Moſam. Caſpar Sagittarius illam vocem *Thor* à Septentrionalium Gentium Deo accipit (i), ex quo vocabulo confirmat, varias virorum, mulierum & urbium appellationes deduci, ùt Thoraldus, Thoriſmuth, Thora, Thorilda, Torslund, Torsdrup &c. (k); quare ex Scheffero (l) concludit: *TORI potiùs memoria adhuc ſervari in Toringorum Gentes inter Germanicas celeberrimo vocabulo videtur....* *Thuringi*

(a) Caſp. Sagittarius in Antiquitatib. Thuring. Jen. 1685. L. 1. c. 1. 2. 3.

(b) Caſpar Danckwerth in Typograph. Holſat. I. P. c. 7.

(c) Witichindus apud Sagittar. l. c. L. I. c. 4. n. 31. 32.

(d) Petrus Albinus in ſpecim. Hiſt. Thuring. novæ p. 334.

(e) Anonym. apud Jo. Piſtor T. I. Scriptor.

(f) Heiderus in Vol. II. Orat. p. 1085.

(g) Wolffg. Lazius de migrat. Gent. l. 6.

(h) Chifletius in Anaſtaſi Childeric. c. 5. p. 86.

(i) Sagittar. l. 1. c. 3. p. 32.

(k) Wormius Monument. Danic. l. 1. c. 4.

(l) Scheffer. Upſaliæ antiq. c. 5. p. 40. Sagittar. L. I. c. 3. p. 44.

ringi ergo vel Thoringi (ſicut nominat Caſſiodorus) *ita dicti à Deo TOR, quem colebant. Neque* (pergit Schefferus) *illud INGI, quod Thoronis nomini adjicitur, quid aliud, quàm progeniem ſignificat: fuítque illa Priſcis Septentrionalibus valde uſitata terminatio, ùt ex hiſtoriis novimus, in quibus paſſim Othingi, Ekioldingi, Ynglingi, Folkingi celebrantur. Sed nec Germanis penitùs ignota, apud quos hodiéque in Annalibus Carlingi, Caroli progenies laudati* (m). Hæc tamen dum conjecturis non abſimilia admittis, cave, ne in Cluverii invectivam incidas, qui ait (n): *Tu tamen, ô infelix externæ gloriæ Captator Germane! Saxones tuos à Saſonibus vel Sacis: Cimbros à Cimmeriis: Miſnios à Myſis: Turingos à Tyregetis: Cauchos à Cauchonibus: Friſios à Phrygibus, alióſque populos neſcio unde deducis: nullis aliis documentis inductus, quàm nudâ vocabulorum alluſione; omnibus antiquis ſacrarum juxta ac profanarum hiſtoriarum monumentis reclamantibus.* Itaque monitum Conrigii obſerves, dum inquit (o): " Ex ſola quidem affinitate nominum conjicere de Gentium rebus, ſi nullum aliud adſit argumentum, audax eſſe & temerarium facinus, quis non videt? Quaſi verò quidquam vulgarius ſit, quàm ut ſoni quâdam cognatione diverſiſſimæ res in diverſis linguis conveniant. Itaque Getas eſſe Gothos, Sacas Saxones, Myſios Miſnenſes, Dacos Danos, Phryges Friſios, Vandalos Venedos, atque in univerſum Carmanos Perſas eſſe nos Germanos, tantùm propter ſoni aliquam convenientiam quotquot credunt, neſcio, an non riſum potiùs mereantur, quàm refutationem. Certè mirum eſt inventos & in Doctorum ordine, quibus iſta placuerunt;..... quare hæc quidem via calcanda non eſt, quidquid autem Scriptoribus noſtris ſolo hoc ex fonte hauſtum, inter fabellas numerandum, ac Germanas gerras. „

(m) Scheffer l. c. p. 61. Conferatur Beatus Rhenanus L. 3. rer. Ger.

(n) Philipp. Cluver. Ger. antiq. l. 1. c. 3.

(o) Conringius in præf. ad primam editionem Taciti de M. G. an. 1635. vulgatam.

Origo Thuringorum.

2. De Thuringorum nomine utì incerta lis pendet; ita originem Gentis caligo æquè obſcura involvit. Qui longiſſimam mundi ætatem retrò reſpiciunt; ii Thuringos à Tyra Japheti filio prognatos ſuſpicantur (p): quibus verò fabulari apertiùs volupe eſt, Thuringorum Protoparentem faciunt, Trebetam Nini filium (q), vel eos ex Trojano bello, aut ab exercitûs Alexandri Magni reliquiis deducunt (r). Veroſimiliùs loquuntur illi, qui Thuringos partem Gothicæ Gentis eſſe affirmant; quæ in prima tranſmigratione ex Aſia per Scythiam Europæam in ultimas Septentrionis Provincias, ſive in Scandinaviam abiit (s); atque ideò ſe rem aſſecutos non pauci crediderunt, ſi Thuringos eoſdem fuiſſe aſſererent, quos olim Tyringetas appellârunt (t). Neque omni fundamento caret conjectura eorum, qui tradunt, Thuringos ſub Turcilingis, aut Thervingis & Tayfalis latuiſſe; præterquam enim, quòd hi Gothicæ ſint originis, tum in Hiſtoriis populorum ejuſmodi antiquiſſima eſt memoria. Ammianus Marcellinus Athanaricum vocat *Thervingorum*

(p) Sagittar. de orig. Thuringor. L. I. c. 4. p. 54.

(q) Maſen. in Hiſtor. Trevirenſ.

(r) Gloſſator Speculi Saxon. apud Kranzium.

(s) Hugo Grotius in Proleg. Hiſt. Gothorum, Vandalorum &c.

(t) Ortelius in Theſauro Geograph. Albinus in Specim. cit.

(u) Ammianus Marcell. L. 31.
(x) Eutrop. L. 8. Brev.
(y Barthius in adversar. L. VIII.
(z) Thesaur. Antiq. Rom. Tom. VII. p. 1463.
(a) Paulus Diac. de gestis Longob. L. I. c. 19. Jornandes de reb. Get. c. 46.
(b) Beatus Rhenanus in Commentar. rer. Germ. l. 1.

gorum Judicem (u), & Eutropius de Trajano loquens ait (x): *Daciam Decabalo victo subegit, Provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Taiphali habent & Victophali, & Thervingi*; de his postremis advertit Barthius: *Priores sunt sine dubio Westfali hodierni, & posteriores Turingi* (y). Notitia porrò dignitatum Tervingos numerat inter auxilia Palatina (z), quæ posteà Gratianus & Theodosius conscripsêre. Non minor apud Veteres Turcilingorum celebritas viget: Odoacer enim horum viribus Italiam subjugavit (a). Sub Attilæ etiam exercitu, quo Galliæ Provincias obruit, Turcilingi sua fecêre stipendia; utì Beatus Rhenanus in Paulum Diaconum commentatus testatur: " Quod apud Paulum Diaconum legitur de Attilæ subjectis, *Fortissimæ Gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi, sive Tungri*, rescribo, sive Turingi. Nam pro Turingis doctus quispiam (cui nomen Gentis notum non erat) supposuit, *sive Tungri*. Horum enim crebrior fit in Historiis, præsertim Germanis, mentio „ (b). Postremò addenda venit sententia Ægidii Bucherii, qui in hæc verba disserit: *Thoringos, seu Deuringos* (mendosè apud Tacitum *Reudingos*) *Longobardis à Septentrione contiguos, ex Taciti Germania intelligimus, cis & ultra Albim, ùt existimo: iis quidem, quâ Tanger fluvius in Australi Marchiæ Brandeburgensis antiquæ tractu fuit, & abluto Tanger oppido ad Tangermund Albi sinistrorsum hauritur: trans Albim autem in adversa parte, & Marchia media, quâ fluvioli Dorse, Rhien, & Havela in Albis ipsius dexteram ripam decurrunt. Et ego quidem vehementer suspicor, Thoringos, & contractiùs Tongros, ab illo rivo Tanger, seu (ùt Ditmarus locorum istorum indigena legit) Tonger, nomen sortitos; eóque Thoringos & Tongros unam olim Gentem extitisse, qui ex prioribus hisce sedibus, primum ante Cimbrorum & Teutonum inundationem, in Belgica nostra Mosam inter & Rhenum sedes maximè fixerint, Germani primùm à Belgis devictis appellati, tum prisco Tongrorum nomini ab Augusto redditi, cum Germanias ille Cisrhenanas instituit.*

Sedes pristinæ Thuringorum.
(c) Procop. L. I. de B. G.

3. Prolatis pluribus de Thuringorum origine opinionibus, pauca adhuc de pristinis Thuringorum sedibus ac Regno commemorabimus. Procopius domicilium Thuringici populi hunc in modum dispòsuit (c): *Rhenus in Oceanum effluit, paludésque his in locis non paucæ. Ubi antiquitùs Germani (Gens barbara) colebant; haud magni ab initio momenti, qui nunc Franci dicuntur. His contermini erant Arborichi: qui cum reliqua Gallia, Hispaniâque jampridem Romanis parebant. Post hos in Orientem Solem versùs Thoringi Barbari, Cæsaris Augusti primum permissu, sedes tenuerunt. Ab his haud procul ad Austrum versùs Burgundiones incolebant. Suabi deinde sub Thoringis & Alemanni valida utraque Gens.* In hac Procopii Geographia multi multa controvertunt; nam quæ vicinia Arborichorum Cisrhenensium cum Thuringis, qui trans Rhenum sunt? Ubi verò Augustus

gustus legitur Thuringis sedes concessisse? Cluverius ad hunc locum fatetur: *Mira, me hercle! & nationum, & locorum, & temporum commixtio* (d). Gotfridus Wendelinus ad difficultatem mitigandam pro Thoringis, Tongros legendos putat: *Thoringi ergo barbari* (ait) *quos loquitur Procopius, quósque Augustus intra sui Imperii limites potuit collocâsse, nostri sunt Tongri, nec alii (forsan Transrhenanis istis Thoringis orti) qui Metropolim habuerint Atuaticam Tongrorum, circum quam per vicos ac regiones consederint* (e). Vitechindus Corbejensis Monachus clariorem quidem, sed commentitiis fabulis implicitam narrationem de Thuringorum priscis sedibus dedit (f); cujus longiorem textum breviùs contraxit Gobelinus (g): *Fama celebris fuit, apud Saxones antiquitus, & literis sic commendatum invenitur, quòd isti* (Saxones) *primùm navibus applicuerunt loco, qui dicitur Hadolaun, & Thuringos tunc tenentes regionem illam offendebant, cum quibus primò pacem fecerunt, & interim quidam juvenis de Saxonibus egressus de navi auro oneratus, cuidam Turingo occurrit: qui vendidit Saxoni tantum terræ, quantum in pallio suo portare potuit, pro certa auri quantitate. Saxo deinde per agros circumvicinos transiens, terræ pulverem undique sparsit, & posthoc suos hortatur occupare terram, quam auro comparavit, & sic Saxones sumptâ occasione contra Thuringos insurgunt: quibus Thuringi resistere satagentes, terram armis defendere tentant. Postquam verò mutuâ se cæde sternunt, treugas faciunt, & ad certum locum causâ pacis tractandæ se conventuros condicunt, eo pacto, quòd Principes utriusque partis absque armis conveniant. Erat autem usus Saxonibus magnorum cultellorum, quos sub sagis deferebant, cum quibus ipsi ad locum condictum, Turingis non advertentibus, advenerunt: cúmque de pace tractanda inciperent sermonem, Saxones Turingos invadunt, & omnes Principes eorum occidunt; inde quidam arbitrantur, eos à cultellis acutis Sassen appellatos, quia apud illos Saß cultellus acutus dicebatur.* Auctor Historiæ de Landgraviis Thuringiæ aliud commento non absimile adducit, quo ostendit, Thuringos ex inferiore Saxonia in loca vicina à Saxonibus fugatos fuisse (h). Petrus Albinus has fabulas non tantùm confutavit (i), sed & Kranzius, qui ita ait: *Nunquam Thuringi possedisse leguntur agros ad Hadeleriam, quos (ùt fabula finxit) pro auro Saxonibus per arma sua defensos tradidissent. Suevi usque ad mare aliquando dominati sunt, nunquam Thuringi* (k). His ultimò sensa Bucherii adjicio (l): *Circa irruptionis in Galliam Vandalicæ tempus, Albiani isti Thoringi, circa meridiem in mitiores & ipsi terras gradu facto, eam Cattorum Orientalem partem occupârunt, quæ abs Oriente quidem Salâ flumine; ab occasu autem Visurgi concluditur, cujúsque medius ferè fundus Onestrudâ fluvio dissecatur, & etiamnum hodie Thoringiæ nomen constantissimè retinet.* Quemadmodùm autem ea, quæ de populi juxta & nominis origine, ac migrationibus diximus, haud certo in antiquitate vestigio con-

(d) Cluverius in Germ. antiq. L. I. c. 3

(e) Gotfridus Wendelinus Lib. cui tit *Natal. Solum LL. Sal.* c. 9.

(f) Vitechindus L. I.

(g) Gobelinus in Cosmodromio ætate V. c. 11

(h) Author Hist. de Landgrav. Thuring. c. 3 apud Sagittarium p. 93.

(i) Petrus Albinus in Specim. Hist. Thuring.

(k) Kranzius L. I. Saxoniæ c. 28.

(l) Ægidius Bucherius in Belg. Rom. L. XV. c. 10. §. 2.

consistunt; ita Thuringici Regni firma forma, ac Regum successio tam recondita monumenta sunt, ut vestigantium diligentiam omnem fugiant (m). Nam Senno, Marcomerus, Hermannus, Hamerus, Heroldus, Mervigus, Regum nomina sive à Trithemio (n), sive ab aliis prodita ad fabulas æquè pertinere videntur.

4. Postquam dubias de Thuringis traditiones exposuimus, certiora nunc ex sæculis insequentibus documenta proponemus. Hadrianus Valesius (o) *Toringorum* Germanorum appellationem vix ante Placidum Valentinianum Aug. natam vel notam fuisse confirmat; inde Jornandes eximios *Thoringorum* equos commendat (p). Ejusdem sæculi Scriptor Gregorius Turonensis plura de Thoringia commemorat (q): *Tradunt multi, eosdem* (Francos) *de Pannonia fuisse digressos. Et primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse, dehinc transacto Rheno, THORINGIAM transmeâsse, ibíque juxta pagos vel civitates Reges crinitos super se creavisse, de prima, & (ut ita dicam) nobiliori suorum familia,.... ferunt etiam tunc, Chlogionem utilem ac nobilissimum in Gente sua Regem Francorum fuisse, qui apud DISPARGUM Castrum habitabat, quod est in termino THORINGORUM. In his autem partibus, id est, ad meridionalem plagam habitabant Romani usque ad Ligerim fluvium. Ultra Ligerim verò Gothi dominabantur, Burgundiones quoque Arianorum sectam sequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adjacet civitati Lugdunensi. Chlogio autem missis exploratoribus ad urbem Cameracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, civitatem adprehendit, in qua paucum tempus residens, usque Cuminam fluvium occupavit.* Apertam etsi Gregorius hâc narratione mentionem Thoringorum ac Thoringiæ faciat; sunt tamen aliqua, quæ rem difficultatibus impeditam reddunt. Et primò paradoxum videtur, quod Franci ex Pannonia egressi trajecto Rheno dicantur in Thoringiam venisse: quare Wendelinus loco Thoringiæ hìc Tongriam legendum putat; & hoc vocabulum in MS. antiquissimo Ecclesiæ Turonensis haberi ex Morelii editione probat (r). Quodipsum rationibus confirmat Gothefridus Henschenius (s), dum ait: *Non inficior, quasdam editiones hìc habere THORINGIAM & THORINGORUM. Sed quis capere possit, venisse è Pannonia ad Rhenum Francos, ejus littora accoluisse, eo deinde Trajecto Thuringiam transmeâsse, atque in ejus termino habitâsse? Erant ad Orientale Rheni latus, à quo procul itidem in Orientem distabat Thuringia. Hanc si petere volebant, inutile erat, Rhenum transmittere.* Urget idem fortiùs Bucherius (t): Ibi (scilicet in Tongria Belgica) juxta pagos vel civitates, Reges crinitos super se creârunt, quod posteà Clodovei victoriæ probavêre; hic enim plusculos Francorum Regulos, nullos trans, sed cis Rhenum duntaxat Regno dejecit. II. Prætereà faciliùs in *termino* seu territorio Tongrorum cisrhenano novo parto *Chlogio* agitaverit, quàm in alieno

(m) Sagittarius de antiquit. Thuring. L. II. c. 1 Petrus Ludewig in Differt. de formula Ducatûs Thur. p. 11.

(n) Trithemius Comp. 1. Vol. Hist Francorum.

(o) Hadrianus Valesius rer. Francic. L. 24.

(p) Jornandes de rebus Get. c. 3.

(q) Gregor. Turon. Hist. Francor. L. II. c. 9.

(r) Wendelin. in Natali Solo. LL. Sal. c. 13. 14.

(s) Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis L. IV. c. 8.

(t) Bucherius in Belg. Rom. L. XV. c. 10.

alieno Transrhenanorum; maximè cùm hoc abs ea, in quam acquirendam totus incumbebat, Gallia longissimè nempe ultra Visurgim sejunctum esset. III. Adhæc quis non manu tangit, *Chlogionem* multò commodiùs *exploratores* è Tongris Cisrhenanis, quàm ex illis tam procul ultra Rhenum projectis, in Carbonariam sylvam, id est, Hannoniam hodiernam, Tornacum, Cameracúmque misisse. IV. Denique postrema Gregorii verba: *In his autem partibus* (Belgicis) in quibus erat ista, de qua ipse intelligit, & in quam *Chlogio transacto Rheno transmeârat, ac Dispargi habitabat, Thoringia; ad meridionalem plagam habitabant Romani usque Ligerim fluvium, ultra Ligerim Gothi: ad Rhodanum & Lugdunum Burgundiones* &c. clarè docent, animum illius, dum ista scriberet, totum in Galliis, nullâ ratione in transrhenanis regionibus infuisse.

5. Sunt equidem hæc argumenta ejusmodi, quæ ferè evincant, Tongriam, non Thuringiam hìc à Gregorio describi. Sed si res penitiùs examinetur, in oppositam omninò sententiam eamus, necesse est. Nam *primam* difficultatem Valesius ita solvit (u), Gregorium, dum scribit, Francos transacto Rheno Thoringiam transmeâsse, errorem admisisse, vel transcriptorum incuriâ factum, ut pro *Mœno*, *Rhenum* supposuerint: & licèt in MSs. quibusdam inveniatur *Tongria*, non inde sequitur, plurima MSs., quæ *Thoringiam* exprimunt, corrupta esse. Quantùm verò Gens Tongrorum à Thuringis origine suâ differat, Sagittarius latiùs exponit (x). Ad II. ℞. nil conficit locus, quia, in quo Chlodio habitavit, non Thuringiæ medius, sed terminus fuit: ac proinde à Gallia haud procul abjunctus; nam Thuringia olim multò amplior totam Hassiam, & partem magnam inferioris Saxoniæ complectebatur. Ad III. ℞. ex castri Dispargi situ rem pendere, quodsi propiùs abfuit, non est, cur exploratores inde Cameracum mitti non potuerint: sin verò longiùs distabat, certè has primas vices noli dicere, quibus exploratores in magìs dissitas terras abierint, præsertim si interpositæ regiones fœdere, vel aliis modis devinctæ erant. Ne verò, quod de Dispargo commemoravimus, dissimulanter prætermittamus; duplex Authorum classis est, quorum alii trans Rhenum, alii cis, Dispargum collocant. Ac primo in numero eorum, qui in cisrhenana Tongria Dispargo locum dant, est Chifletius: is *Duisburgum* in Brabantia situm castrum ejusmodi fuisse docet, quod Chlodio occupavit, & inde exploratores Cameracum misit; nam illud in Tungrensi Diœcesi situm, vel saltem in confinio, in quo ab antiquissimis temporibus Principes, qui à Francis Regibus ortum ducebant, domicilium suum posuêre (y). Wendelinus alter aliud castrum sibi selegit, scilicet *Diesthemium*, vel *Diestburgum* ad fluvium Tameram: quod & Tongrensis fuit Diœcesis ante erectionem novorum Episcopatuum: cujus opinioni accedit Henschenius (z):

(u) Hadrianus Valesius L. III. rer. Francic.

(x) Sagittarius de Antiquit. Thur. L. I. c. 2.

(y) Jacobus Chifletius Lumine I. Salico p. 99.

(z) Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis L. IV. c. 8.

 "Duabus

" Duabus (ait) leucis à *Toxandria-loco*, vulgò *Tessenderloo*, distat Diesthemium Brabantiæ oppidum, quod ego Dispargum, sive Disburgum esse omninò autumo:... fuit Burgum primum, id est, castrum, quod sive quia Marti sacrum, sive à fundi Domino, sive ab habitatore *Diestburgum*, sive *Diespurgum* est appellatum.... Multa autem circa Diesthemium vestigia Saliorum Francorum extant, unde colligere possimus, illic Dispargum Regium castellum seu palatium fuisse recensitum à Wendelino." Tertius, qui de cisrhenano Dispargo divinat, est Bucherius (a): ille enim pro Heinsberga pago ita scribit: " Posterior Turonensis Epitome non *Dispargum*, sed *Heinsbergum* legit; nescio, an non feliciùs: illud enim optimè in Juliæ oppidum *Heinsberg* cadit ad Worms fluviolum situm, quo Leodiensis seu Tungrensis Diœcesis jam inde ab omni hominum memoria à Coloniensi distinguitur: quódque verissimé in *termino Thoringorum seu Tongrorum* jacet.

(a) Bucherius in Belg. Rom. L. XV. c. 10.

Altera Scriptorum classis in transrhenanam Thoringiam *Dispargum* transfert, tum quia illud apud Gregorium non in termino Tongrorum, sed Thoringorum positum fuisse legitur: tum quia (ùt Author Monumentorum Paderbornensium (b) arguit) non potest non paradoxum videri, *quo modo Rex Clodio exploratores à Diesburgo, si illud est Diesthemium Wendelini, si Heinsberga Juliæ, trans Rhenum dirigere, & illis reversis Rhenum trajicere potuit, ut in Belgica secunda Romanos opprimeret, & Cameraco, & Tornaco potiretur.* Neque tamen, qui pro Dispargo Thuringico militant, in unum locum, opinionémque conveniunt: Christophorus Browerus (c) *Dietespurgum in Buchonia* statuit ex ea ratione, quod Dispargum à Gregorio descriptum in limite Thoringorum ita designatur, ut utrimque saltum fuisse interjectum, planissimè conspiceres. Sed quia Gregorius nullius sylvæ, neque alterius conditionis meminit, quæ Buchoniæ congruat, ideò alii *Desenbergam*, castrum in Westphalia prope Warburgum, nunc in Paderbornensi Diœcesi adoptant, ad Aimoinum provocantes, qui ait (d): *Finitimos itaque Franci bello lacessendo Thoringorum, qui Germaniæ incolunt fines, depopulantes, castellum quoddam (Disbargum nomine) occupant, in quo Rex Clodio sedem sui constituit Regni* (e). Quid hic Aimoini textus pro Disberga faciat; non apparet: neque enim castrum illud tunc in Thoringorum aut Germaniæ finibus reperiebatur. Quare alia adhuc castra trans Rhenum investiganda sunt, utrum horum Gregorii Dispargum dici possit. Primum est *Drusiburgum in Zutphania*, in quo Georgius Hornius primam Francici Regni sedem defigit (f): " Hic (inquit) Drusiburgi status fuit usque ad Romani Imperii interitum, quem ab hac parte Francorum imprimis irruptio maturavit. Illi enim semel insessis ad Rhenum & Isalam regionibus, nunquam expelli potuerunt;.... ita à Romanis ad Francos Drusiburgum

(b) Author monumentorum Paderb. p. 157.

(c) Browerus L. I. Antiquit. Fuld. c. 2.

(d) Aimoin. L. I. de gestis Francor. c. 4.

(e) Conferatur Author monument. Paderborn. p. 154.

(f) Georg. Hornius Dissert. VII. de urbe Drusiburgo.

burgum devenit. Et tum fortasse canina litera à Barbaris extrita est, ac oppidum Dusburgum appellari cœpit,... ubi Francorum Regum primas fuisse sedes colligimus. Primò, quia in hoc ad Isalam tractu, terra Salica indubiè sita est, & Regio Salland hodiè vocatur: deinde, quia Dispargum hoc in finibus Thoringorum; Thoringi enim trans Rhenum eo tempore Francorum æmuli, ac latè per Germaniam potentes. Quos Isalæ approximâsse haud mirum, cùm ne hodiè quidem tam longè ab ea habitent. „ His argumentis evinceret Scriptor aliquid, si certò constaret, Drusiburgum, cum tempore (*r amisso*) in Disburgum desiisse: prætereà æquè obscurum est, an ad Isalam & fossam Drusi terra Salica extiterit, & an termini Thoringorum ad Isalam se extenderint. Eckhartus in Commentar. ad Leg. Sal. ad Salam fluvium in Franconia *Dispargum* constituit, cui adstipulatur Dietmarus in Programmate anno 1709. edito: *Si* (inquit) *& mihi conjicere licitum est, dicerem apud Turonensem, intelligi Dispargum Dispurg in Hennebergia situm...... A Sylva Thuringiana distat tertio lapide, interjectis urbibus Schmalcaldica, Wasurga, aliisque & amne verso.* Postrema demum sententia est Ortelii (g), Petavii (h), Pontani (i), Teschemacheri (k), aliorúmque multorum (l), qui consensione summâ ob nominis affinitatem, tum ob alias rationes Duisbergo sua suffragia addicunt, quibus suam symbolam addit Author Monumentorum Paderbornensium, dum ait: *Si igitur Dispargum est in termino Thoringorum, & Thoringi Germaniæ fines incolunt, hos certiùs Duisburgi prope Rhenum, quàm Desenbergæ ad Imolam* (addit Sagittarius, quàm Drusiburgi ad Isalam) *inquiras. Imò verisimilius est, Clodionem Francorum Regem Duisburgo Rheno proximo, quàm Desenbergæ in Belgicam secundam ad obsidendum Cameracum, & Tornacum expugnandum transportâsse exercitum* (m). Ex his nunc pariter responderi poterit ad III. difficultatem, quàm facile fuerit, Dispargo ex castro (hunc in modum descripto) exploratores mittere Cameracum.

Ad IV. ℞. neminem inficiari posse, Gregorium, dum Orientem Burgundionibus, Occidentem Gothis, Meridiem (Delphinatum & Provinciam cum parte Arverniæ) Romanis attribuit, eundem de Gallia loqui. Cùm enim anteà de finibus Thoringorum, ubi Francos contingerent, mentionem fecisset; necesse non erat, ut de Thuringia sermonem repeteret (n). Chlodio ex Thuringia in Galliam transgressus, Cameraco expugnato, Regnum ibidem figebat; ideò Gregorius breviter priorem Galliæ statum exhibere voluit, antequam idem Chlodio, & ejus successores latiùs Dominatum suum protulissent.

6. De Thoringorum notione ac finibus quoniam manifestiora monumenta in medium protulimus; superest, ut de Thoringorum Regibus ea, quæ minus dubitationis habent, breviter colligamus. Primus Rex Thurin-

(g) Ortelius in Thesaur. Geograph. in V. Asciburgum.

(h) Petavius in ratione temp. P. I. L. VI. c. 13.

(i) Isaac Pontanus L. 2. Geldriæ.

(k) Teschemacherus in Hist. Cliv.

(l) Vide Aubertum Miræum in Annal. Belgicis.

(m) Author monum. Paderb. L. IV. Orig. Franc. c. 12.

(n) Sagittarius de Antiquit. Thur. L. II. c. 2. p. 126.

Thuringorum (de quo Francorum Fasti nos certos reddunt) BASINUS, sive Bisinus erat, clarus potissimùm hospitio, quo Childericum Francorum Regem Regno pulsum suscepit, atque octo annis aluit (o). Quo intervallo exacto, Childericus exul in Galliam revocatus, Basinam Regii Hospitis uxorem post se traxit, quæ subinde ejusdem Regis matrimonio juncta Clodoveum Francicæ Genti dedit. Post Basinum Thuringiæ Regnum tres filii, BADERICUS, HERMINEFRIDUS, atque BERTHORIUS partiti sunt (p). Sustulit Hermenfridus è medio fratres, adjuvante eum Theodorico Francorum Rege; à quo deinde ipse victus atque peremptus, Thuringorum Regum ultimus fuit (q). Ut primùm Herminefridus fatum suum Tolpiaci obierat; Regiâ familiâ partim fugatâ, partim in Galliam abductâ, Franci finem Regno Thuringico funestissimum imposuêre (r): de cujus excidio Venantius Fortunatus (s) elegiacum carmen reliquit, ex quo paucos versus hìc subjicimus:

Conditio belli tristis, sors invida rerum
Quàm subito lapsu Regna superba cadunt!
Aula Palatino, quæ floruit anteà cultu,
Hanc modò pro cameris mæsta favilla tegit.
Quæ steterant longo felicia culmina tractu,
Victa sub ingenti clade cremata jacent.
Ardua, quæ rutilo nituêre ornata metallo,
Pallidus oppressit fulgida tecta cinis.
Missa sub hostili Domino captiva potestas,
Decidit in humili gloria celsa loco.
Stans ætate pari famulorum turba nitentûm,
Funereo sordet pulvere functa die,
Clara Ministrorum stipata corona potentûm
Nulla sepulchra tenens mortis honore caret.
Flammivomum vincens, rutilans in curribus aurum
Strata solo recubat, lacticolor amatis.
Heu malè texerunt inhumata cadavera campum,
Totáque sic uno Gens jacet in tumulo &c. (t)

7. Theodoricus Rex Francorum, Herminefrido occiso, Thuringicas ditiones sibi, suísque posteris Theodeberto filio, & Theodebaldo nepoti asseruit: regnante posteà Clothario Theodorici fratre, Thuringi cum fœderatis Saxonibus priscam libertatem recuperare frustrà connitebantur; sed majoribus Clotharii viribus in servitutem revocati, sub Francorum dominatione perstiterunt. Thuringia devicta quam regiminis formam subierit: utrùm Merovingicæ stirpis Reges *Ducibus*, an *Comitibus* exercendæ suæ potestatis demandârint Provinciam (u), nemo Historico-

(o) Gregor. Tur. Hist. Franc. L. II. c. 12. Gesta Reg. Fr. epit. c. 6. Aimoinus L. I. c. 7.

(p) Gregor. Tur. L. 3. c. 4. Venantius Fortunat. in vita Radegundis.

(q) Gregor. Tur. L. 3. c. 4. Fredegar. epit. c. 33. Aimoinus L. II. c. 9.

(r) Procop. de B. G. L. 1. Greg. Tur. L. III. c. 78. Gesta Reg. Franc. c. 22.

(s) Venant. Fortunatus.

(t) Fragmenta Venantii de excidio Thuringiæ vide apud Sagittarium de Antiq. Thur sub finem.

(u) Petrus Ludewig in Differt. de formula Ducatûs Thuringici.

ſtoricorum annotavit; extra dubium tamen eſſe videtur, *Comitum* iis non parvum numerum impoſitum fuiſſe, qui exequerentur legum obſervantiam, & populum in fide Francorum continerent. Res Fiſci Regii per *Miſſos*, ſive *Cameræ Nuncios* & *Exactores* procuratæ ſunt (x). Cæterùm Thuringi, etſi nullas decimas darent; cenſum tamen porcorum ad culinam Regis tradendorum pendere cogebantur (y). Inter Duces celebriores reperimus *Ratulphum* Chamari filium à *Dagoberto I.* inſtitutum, qui poſt ejusdem Regis obitum (quando *Majores Domûs* Sigeberti juventute abuſi, in poteſtatem Regiam involabant) ſibi quoque Thuringiam rapuit; viguítque hic Ducum Thuringicorum Dominatus integro ferè ſæculo, donec *Pipinus*, atque ejus filius *Carolus Martellus* Thuringos æquè, ac reliquos Germaniæ populos à Francici Regni compage ſolutos denuò in ſuam redegêre poteſtatem. Ab hac autem ætate frequentiores Thuringiæ Duces occurrunt, qui Regum Carolingicorum Adminiſtratores, aut per Thuringiam Vicarii, exercebant *judicia*, *comitia* Provincialia convocabant, inſtituebant *Comites ſubordinatos* quidem Ducibus, ſed non *ſubjectos*. Ad Duces tamen hujuſmodi minor civilium, major bellicarum rerum pertinebat cura; unde, ſi hoſtes vicini vel Sclavi ingruerent, imperium ſummum exercitûs & belli penes Duces erat: quâ de re frequentiùs *Sorabitici limitis* Duces, quàm Thuringorum appellabantur (z).

(x) Eckhart. rer. Francic. L. IV. N. 16. p. 62.

(y) Annaliſta Saxo Chronicon vetus Ducum Brunſvicenſ. in Leibnizii Script. T. II. p. 15.

(z) Petrus Ludewig in Differt. de formula Ducatûs Thuringici c. 3. §. 9. p. 26.

REFLEXIO X. ad §. VII. Num. 23. pag. 355.

De Legibus Salicis Ripuariorum, aliorúmque Francis devinctorum populorum.

1. DIſciplina Legum utì omnibus ſemper populis ad ordinandam Rempublicam utiliſſima fuit; ita barbaris Gentibus non poterat non neceſſaria videri: nam cùm innata barbaries vitæ licentiam ferè ſectetur; Legibus ac præceptis omninò opus erat, quorum metu humana coërceretur audacia, ſive ut tuta eſſet inter improbos innocentia, ac in ipſis improbis reformidato ſupplicio nocendi facultas refrænaretur (a). Hoc conſilio Franci ſub initium Sæculi quinti, ſive eo tempore, quo Regnum novum moliebantur, re priùs in Comitiis agitatâ, & quidem populi conſenſu, per Proceres atque Rectores Gentis, Legem condidêre, ex cujus præſcripto rudes ac barbari ſubditi meliorem culturam, Rex ſalutem, ac Regnum firmitatem acciperet. *Lex* ejuſmodi *Salica* dicta eſt, cujus nominis originem obſcura antiquitas adeò nos celavit, ut ſuſpicari multa, pauca, eáque certa ſtatuere quantumcunque conantibus liceat.

(a) Iſidorus L. 2. Etymolog. L. Leges C. de LL.

liceat. Coccejo placet, Etymon à voce *Saala*, id est, à palatio seu loco, ubi publici Regni conventus habebatur, deductum: *SALICI* (ait) *iidem sunt, qui FRANCI; Francicum idem, quod Salicum: adeò ut ipsa Francorum GENS, TERRA, LEX* &c. *SALICA dicatur* (b). *Cùm enim SAALA seu Palatium sit Curia Regni, nimirum Franciæ, quæ Franciæ Regnum repræsentat, & SALICI iidem, qui PALATINI, scilicet Curiæ ejus Proceres; hinc accipiuntur Salici pro Francis, quos repræsentant.* Unde Ammianus (c) inquit: petit *Francos, quos consuetudo Salios appellavit,* & Chronicon Frisingense (d) refert: *Nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur.* Alii verò à *Salegasto*, qui unus erat ex Proceribus Legis Auctoribus, nomen esse volunt (e), secuti authoritatem Ottonis Frisingensis, qui de Francis ita decernit: *Leges quoque Wisigastaldo, & Salagasto Auctoribus exhinc habere cæpêre. Ab hoc Salagasto Legem, quæ ex nomine ejus Salica usque hodie vocatur, inventam dicunt* (f). Apud Ivonem Carnotensem tres Salicæ Legis Conditores occurrunt: *Ubi primum Regem Pharamundum sibi statuunt, Legibúsque sese subdunt, quas Primores eorum Wisogastus, Arbogastus, Salegastus invenerunt* (g). Totidem affirmat Gregorius Turonensis: *Tunc & Legem habere cæperunt, quam Consiliarii eorum priores Gentiles his nominibus Wisogast, Arogast, Salegast in villabus Germaniæ tractaverunt* (h). Quaternum eorum numerum alii recitant, utpote Sigebertus Gemblacensis, qui Usogast, Bosogast, Salagast, Widigast velut Nomothetas allegat (i); non minore numero utuntur Godefridus Wendelinus in præfatione Salicarum Legum (k), & Eckhartus in Commentarii prologo ad easdem Leges (l).

2. Authores, quibus circa nomina, numerúmque Legislatorum controversia est, non minùs ancipiti dissidio distrahuntur, dum de terra Salica, aut de locis pertractant, in quibus dicti Proceres habitârunt. Godefridus Wendelinus natale solum Legis Salicæ statuit in Pagis vel Provinciis Taxandriæ vicinis, propè *Zeblem, Wintershofen* & *Bogenhofen:* Alii ad Isalam Saliorum sedem collocant (m). *Si quis, qui Lege Salicâ vivit, servum aut ancillam, caballum vel bovem, seu jumentum, seu quamlibet rem suam sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum, & ille, apud quem agnoscitur, debet adrhamire; & si intra Ligerim, aut Carbonariam, aut citra mare ambo manent, & qui cognoscitur, & apud quem cognoscitur, in noctes 40. placitum faciant..... Quodsi trans Ligerim, aut Carbonariam ambo manent, ille, apud quem res agnoscitur, in noctibus 80. Lex ista custodiatur.* Ubi non obscurè insinuatur, Francos circa Carbonariam sylvam habitâsse (n). Conringius, quia Pagi Procerum vocantur in Pithœana editione *Bodeheim, Windeheim, Saleheim,* se invenisse putat circa Moguntiam & Oppenheimium. Eckhartus verò Pagos sive domicilia Procerum in præfatione Legis his vocibus expressa legit: SALAGHEVE,

(b) Coccejus Prud. Jur. publ. c. 3. sect. 6. §. 88. 91.
(c) Ammianus Marcell. Hist. l. 17. c. 8.
(d) Frising. Chron. L. 4. c. 32.
(e) Trithemius L. I. Annal. p. 35. Idem de orig. Franc. p. 83.
(f) Otto Frising. L. IV. c. 32.
(g) Chronicon Ivonis apud Freherum de Scriptorib. rer. Franc. p. 51.
(h) Gregor. Turon. c. 4.
(i) Sigebert. Gemblac. ad an. 422.
(k) Wendelinus in Comment. ad L. Sal. Antverpiæ 1649.
(l) Eckhart. in Commentar. de LL. Sal. p. 5.
(m) L. Salica tit. 50. apud Eckhartum p. 93.
(n) Wendelinus in natali Solo LL. Sal.

LAGHEVE, BODOGHEVE, & WINDOGHEVE; unde de his (o) ita commentatur: "*SALAGHEVE* notus est pagus, à quibus Francis Saliis nomen, situs inter Salam Franconicam & Mœnum. Palatium Salæ Carolo M. adamatum in eo conspicuum fuit prope Neostadium: & rudera inde adhuc restant. Inter Proceres nominatur *Wisogast*; pagus tamen, unde ortus fuit, *Wisogheva*, Librarii negligentiâ, dubio procul omissus est. Ut Francorum ditio à Sala Franconico ad Bodam continuetur, necesse est; hunc pagum Werræ adsitum fuisse, qui olim *Wirraba* scribebatur. Sed ita pro *Wisogast* ponendum *Wirogast*; quomodo etiam olim scriptum fuisse *Virovade* illud inde corruptum, & in Codice Gothano extans indicat. *Wirogeve* autem pagus extensus fuit inter Salogheve & Windogheve in utraque Werræ ripa; ubi posteà partim Comitatus Hennebergicus exsurrexit. Finibus Thuringiæ comprehensum fuisse verosimile; unde etiam Eckhartus hìc collocat *Dispargum*. *BODOGHEVE* denotat regionem ad *Bodam* fluvium, qui ex *Harticis* montibus in Albim delabitur; hinc Legislator interdum Bodogast, & quandoque Arrogast appellatur. WINDOGHEVE à *Vinda* fluvio, qui dein *Unstrut* dictus est, nomen habet.

(o) Eckhart in Commentar. ad L. Salicæ præf. p. 5

3. De loco Salicæ Legis non tantùm Scriptores ancipites opiniones proferunt, sed & de idiomate, quo Lex ejusmodi primùm evulgata sit. Conringius cum nonnullis Romanâ linguâ conscriptam existimat, quòd Franci propriis characteribus destituti, suæ linguæ voces literis exprimere nescivérint (p). Alii cum Altaserra Germanis literas proprias defuisse negat, ac proinde Legem vernaculâ primùm Francorum linguâ editam, tempore Clodovei posteà latinitate donatam affirmat (q). Sed corrupta admodùm scribendi ratio à genio Sæculi quinti aliena; permixtæ tot voces Barbaræ atque Francicæ satìs indicant, ab homine barbaro, latini sermonis parùm gnaro easdem Leges, & primò quidem Romanâ linguâ fuisse exaratas (r). Barbararum hujusmodi vocum exempla quædam hìc afferemus: Tit. I. *Si quis ad Mallum Legibus Dominicis mannitus fuerit, & non venerit, si eum sumis, non detinuerit, solidorum quindecim culpabilis judicetur.* Ubi *Mallus* idem est, ac judicium civile, aut conventus publicus, ad quem *mannitus* sive citatus comparere debebat, nisi à *sumi* vel *sunni*, id est, legitimo impedimento retineretur. Itaque Leg. 3. ejusdem Tit. dicitur: *Nam si in Dominica Ambrascia* (id est, Regio Ministerio vel Legatione) *fuerit occupatus, manniri non potest* (s). Et Tit. II.: *Si quis Scrovam subpatit in furtum*, id est, qui porcellos à matre subtrahit (t). *Filtortus*, id est, falsa injuria (u). *Andocmitum* declaratio, quod alius causâ ceciderit (x), *manum ab æneo redimere*, sive se eximere è probatione, quæ fit manu in ollam ferventem immissâ (y). *Rathimburgii* Judices, quorum officium erat, Comiti in judicio assistere, causas perpen-

(p) Conringius de M. G. c. 2. Thomasius delin. Hist. Jur. §. 82.

(q) Anton. Dand. Altaserra rerum Aquit. l. 3. c. 9 Hoffmann sect. 1. §. 2. p. 124.

(r) Struvius in Hist. Juris Germ. c. 6. §. 3. p. 416.

(s) Leg. Sal. Tit. 1.

(t) Leg. Sal. Tit. 2.

(u) ib. T. 50.

(x) ib. T. 54.

(y) ib. T. 56.

(z) ib. T. 60. (a) ib. T. 61. (b) ib. T. 64. (c) ib. T. 67. (d) ib. T. 74. (e) ib. T. 78.

perpendere & definire (z). *Chrenceudis* vel *Chrenecruda* Lex agit de iis, qui ſolenniter demonſtrant, quòd nihil in bonis habeant (a). *Harouvenum*, id eſt, rapina (b). *Herburgium* vel *Chervioburgus*, veneficium vel veneficus (c). *Chreodiba*, cadaveris vel corporis mortui combuſtio (d). *Thalaptæ jurant*, id eſt, vir duodecimus jurat (e). Similia vocabula pluribus Commentationibus illuſtrant ii, qui ad Legem Salicam Commentarios ſcripſerunt, inter quos præcipui ſunt Gothefridus *Wendelinus* Canonicus Condatenſis, & Officialis Tornacenſis, & *Eckhartus*, quorum ille Antverpiæ anno 1644.; alter verò Lipſiæ ſuas notationes edidit. His adde *Petri Pithœi*, *Hieronymi Bignoni* Gloſſaria, Jacobi Chifletii tractatum de terra & Lege Salica, Leibnizii & Gundlingii lucubrationes de origine Francorum.

4. Argumentum Legis Salicæ circa delicta & pœnas, Francicæ Gentis familiaribus dictandas verſatur: quæ tamen pœnæ etiam pro graviſſimis facinoribus, utpote homicidiis, adulteriis, ac furtis haudquaquam capitales, ſed pecuniariæ duntaxat erant (f). Nam quæ de pœna capitali fuſtigationis & caſtigationis ſtatuta ſunt, ad ſervos aut pueros Regios pertinent (g). Cæterùm Leges Salicas rudi ingenio digeſtas Clodoveus, Childebertus & Clotharius excoluêre, quorum nomina in Prologo præfixa leguntur: *Ubi Deo favente, Clodoveus comatus & pulcher & inclytus Rex Francorum primus recepit Catholicum Baptiſmum, quidquid minùs in Pacto* (Lege Salicâ) *habebatur idoneum, per præcelſos Reges Clodoveum, Childebertum & Clotharium fuit lucidiùs emendatum* (h). Præcipuum inter Leges Salicas Caput ſextum in titulo de Allodiis (i), ubi articulus ſextus his verbis cavet: *De terra verò Salica in mulierem nulla portio hæreditatis tranſit. Sed hoc virilis ſexus acquirit, hoc eſt, filii in ipſa hæreditate ſuccedunt. Sed ubi inter nepotes aut pronepotes poſt longum tempus de Aloda terra contentio ſuſcitatur, non per ſtirpes, ſed per capita dividantur.* Quid per terram Salicam hìc Veteres intellectum velint, Scriptores admodùm dubiè expoſuêre. Pithœus indicari putat, terram, quæ hoſtibus devictis, Regi, militibúsque Saliis ſorte obtigit (k), Wendelino ejuſmodi fundus eſt prædium, quod Salicus ſive nobilis & liber homo poſſidet. Eckhartus ſuæ opinioni indulgens, ait, terram eſſe, quæ ad Salam, palatium, ſive domum Curtis præcipuam pertinet; hujus terræ Salicæ frequens mentio in Diplomatis, quibus Cæſares aut Reges Eccleſiis aut Monaſteriis prædia, fundóſque donavêre (l). Hæ terræ Salicæ cenſui non ſubjiciebantur; & ſiquidem decimæ domui herili adhærebant, eæ quoque Salicarum nomine veniebant (m). Cauſæ verò, cur mulieres ab hæreditatis jure hìc arcerentur, erant: ne mares, quibus alendæ familiæ, ac ſervitiorum militarium onus incumberet, facultate ferendorum ſumptuum exuerentur: neque filiabus inde fore injuriam

(f) L. Salica ferè per omnes Titulos.
(g) Tit. 42. c. 4. ... 15.
(h) In Prologo Leg. Salicæ apud Eckhartum.
(i) LL. Sal. Tit. 62.
(k) Pithœus apud Eckhartum in Commentar. ad L. S. p. 107
(l) Tradit. Fuld. L. III. Goldaſt. Alemann. T. II. N. 28. Marculfus L. 2. form. 12
(m) Freherus in origin. Palatin.

riam credebant, ut, quæ per connubia in alienas familias delatæ, facilè opes, vivendíque subsidia invenirent. Ex hac eadem Lege morem illum receptum deducunt, qui fœminas à Regno Galliarum excludit (n). Cæterùm filias tandem etiam, deficientibus masculis, ad hæreditatem terræ Salicæ admissas, Lex Ripuariorum clarissimè indicat, ubi ait: *Sed dum virilis sexus extiterit, fæmina in hæreditatem aviaticam non succedat* (o).

5. Duæ sunt, eæque diversæ Legis Salicæ editiones, quarum prima antiquissima ex MS. Fuldensi descripta, & à Basilio Heroldo, & Gothefrido Wendelino evulgata est (p). Alteram luci dedit Joannes Tilius Parisiis anno 1573., Petrus Pithœus, Lindenbrogius in Codice LL. antiquarum, ibid. Author Hieronymus Bignonius Parisiis anno 1665., Stephanus Baluzius, & Eckhartus in Commentario sæpiùs citato.

6. Præter Legem Salicam alia Lex apud Francos vigebat, quæ Ripuariorum inde dicta est, quòd Francorum pars, quæ his statutis ligabatur, ad cisrhenanas ripas consideret. De hoc Legum discrimine Eginhardus testabatur, cùm diceret: *Post susceptum Imperiale nomen, cùm adverteret* (Carolus) *multa Legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent Leges plurimis in locis valdè diversas) cogitavit, quæ deerant, addere* &c. (q). Prætereà Ripuarii in his Legibus à Francis non tantùm distinguuntur, sed & hi *advenarum* nomine compellantur: *Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit* (r). Et quamvis in multis hæ Leges cum Salicis conveniant, graviores tamen pœnas in furtum & crimen læsæ Majestatis decernunt (s); novum insuper probationis vulgaris modum (t), & judicium duellicum (u) introducunt. Edidit Ripuariorum Leges Heroldus & Baluzius (x), tum demum Eckhartus (y).

7. His demum à Francorum Regibus aliæ sanctiones appositæ fuerunt, quibus devictas Gentes subdebant; quare Stephanus Baluzius, dum Dagoberti Capitulare triplex proponit (z), ita præfatur: *Quamvis Dagobertus non sit primus auctor istarum Legum, sed Theodoricus, ùt docet præfatiuncula: quia tamen constat, illas plurimùm mutatas fuisse à Principibus, qui post Theodoricum regnârunt, ac tandem purgatas, emendatas, & auctas à Dagoberto, adeóque ab isto tales promulgatas, ac constitutas fuisse, quales etiamnum leguntur in veteribus Libris* (a); *consultius visum est, eas illi tribuere, quàm Theodorico, de quo nihil aliud certi compertum habemus, quàm ipsum Leges quasdam imperfectas composuisse, & dedisse Francis, id est, Ripuariis, Alemannis, & Bajuariis, quæ à successoribus ejus Francorum Regibus perfectionem acceperunt.* Et quidem *Alemanni* ad Tolbiacum debellati, à Francis primùm secundùm consuetudines suas accepêre Leges, quas posteà Childebertus, Clotharius, & Dagobertus auxerunt, vel emendârunt.

(n) Guiliel. de Montserrat tract. de succefs. Reg. Joan. Pyrrhi Differt. de L. Salic. Franc. Hotomann T. III. oper. Genevæ 1600. Le Cointe Diff. de Jure hæreditar. Coron. Fr. T. III Annal

(o) Vide Eckhartum in Comment. ad L. S. p. 108

(p) Struvius Hist. Jur. Ger. c. 6. §. 3.

(q) Eginhard. in V. Caroli M. c. 39

(r) L. Ripuar. Lib. I. Tit. 36

(s) L. Rip. Tit. 29. c. 1. Tit. 60. c. 6. Tit. 79.

(t) Du Fresne in Glossar. V.

(u) Ephr. Gerhardi Differt. de judic. duell.

(x) Baluz. T. I.

(y) Eckhart in Comm. ad L. S p. 119.

(z) Baluz. T. I. p. 25.

(a) Hoffm. in specim. conject. polit Lindebrog. in Coll. LL. antiq.

(b) Herol-dus p. 17. Lindebrog. p. 363. Baluzius T. I. p. 53. (c) Hoffm. l. c. sect. IV. (d) L. Bojorum Tit. II. c. 9. Struvius in Hist. Juris Germ. c 6. § 6

runt (b). *Bajuariorum* verò præcepta, quibus regebantur ex Codice Theodosiano, & Conciliorum Canonibus, magnam partem congesta fuerant (c), quibus Bojorum Duces, cùm majori uterentur potestate, sua statuta addidisse certum est (d).

REFLEXIO XI. ad Libri VI. Cap. I.

Scriptores Profani in Sæculo VI.

(a) Histor. Byzant. p. 78. Zonar. p 44 (b) Histor. Byzant. l. c. (c) Photius in Biblioth. c. 78.

SUb Zenone MALCHUS Sophista floruit: natus is Philadelphiæ, scripsit Historiam Zenonis & Basilisci (a); cujus operis varia fragmenta adhuc supersunt inter excerpta de Legationibus (b). Photius de ejus lucubrationibus ita scribit: *Lecti sunt Malchi Sophistæ Historiæ Byzantinæ Libri septem, auspicatur ab eo tempore, quo morbus Leonem Imperatorem septimo decimo Imperii anno extinxit* (c); & finiit in obitu Nepotis Imp. anno 480., ex quo colligas, Authorem hunc ordinem temporis minimè servâsse.... *Hi septem Historiarum Libri* (pergit Photius) *etiam præcedentes plures ab eo Libros fuisse conscriptos indicant, & initium Libri primi de septem idem ostendit. Quin & deinceps historiam persecuturum fuisse, si longior vitæ usura contigisset, extremo Libro septimo significat. Philadelphiensis est hic Scriptor; & si quis alius, in historia scribenda præstantissimus, utpote purus, minimè redundans, non confusus, verbis maximè floridis ac significantibus usus, quæ ad magnitudinem & pompam aliquam tendunt, ne novatis quidem vocibus, quando illæ vehemens quid & sonorum aut granditatem aliquam habent, prætermissis. Itaque quantus quantus est, norma historici sermonis est. Sophistam verò agens, ad Rhetoricæ summum apicem pervenit, inter Christianos Religionis cultu recensendus* (d).

(d) Vide Voss. Hist. Græc. L. 2. c. 22. (e) Photius in Biblioth. C. 79. (f) Evagr. l. 3. c. 37. Nicephor. hist. l. 14. c. 57 (g) Photius in Biblioth. Cod. 101.

CANDIDUS eâdem ætate scripsit Historiæ Libros tres ab Electione Leonis usque ad Anastasium: *Patria illi ea Isauria erat, quæ Trachea sive aspera dicitur; Tabellio fuit instituto sub iis, qui apud Isauros poterant plurimùm: Religione verò Christianus, & quidem Orthodoxus. Quartam enim Synodum laudibus ornat* (e). Stylum cæteroquin Authoris, utpote phrasibus Poëtarum refertum, & compositionem pariter duram & absonam Photius affirmat. EUSTATHIUS Syrus natione, patriâ Philadelphiensis, novem Volumina congessit Historiarum ab Ænea usque ad XII. annum Zenonis (f). Evagrius illi magnam laudem tribuit, & sæpè ad ejus authoritatem suis in scriptis provocat. VICTORINUS Antiochenus Lampadii filius scripsit *Orationes Consulares varias, simul & Imperatorias* in Zenonis Augusti laudem: quo imperante, ad extremam hic senectutem pervenit. Dictionem ejus, in qua nihil redundans, perspicuitas, usitatúsque loquendi modus exornant (g). ISIDORUS PHILOSOPHUS Paganus,

nus, cujus vitam ſcripſit Damaſcius regnante Juſtiniano (h): Photius in Bibliotheca fragmenta recitat ex ejusdem Iſidori vita (i).

2. *Sub Anaſtaſio Imp.* HESYCHIUS MILESIUS, cognomento *Illuſtris*, ſcripſit *Hiſtoriæ omnigenæ atque Romanæ Libros ſex.* Incipit à Belo Aſſyriorum Rege, & in Anaſtaſii Romanorum Imperatoris exceſſum deſinit: conciſus eſt atque diſertus. Veritatis præterea ſe hic imprimis ſtudioſum promittit, ùt refert Photius Cod. LXIX. Alterum ejusdem Opus continet res geſtas Juſtini Imperatoris. Ne cætera Scriptor memoriæ mandaret; revocatus eſt morte Joannis filii, quæ mentem hominis ita perculit, ut commentandi, ſcribendíque conatum infregerit. ÆNEAS GAZÆUS è Platonico Philoſopho Chriſtianus, ſcripſit ſub finem Sæculi quinti *Dialogum de immortalitate animæ, & reſurrectione corporum*, quem *Theophraſti* nomine compellavit, eoquòd hunc Sophiſtam velut præcipuum interlocutorem inducat. Idem Volumen ab Ambroſio Camaldulenſi Abbate è Græco in Latinum traductum typis Baſileenſibus prodiit anno 1516. (k). PROCLUS DIADOCHUS Philoſophus Gentilis, Byzantii natus Parentibus ex Lycia oriundis, Gentiles primùm Magiſtros Alexandriæ, dein Athenis audiit, ubi ſcholæ Platonicæ ſubinde anno 500. præpoſitus, ſcripſit *Epicheremata octodecim contra Chriſtianos*, ſecundus à Porphyrio, qui contumelioſam linguam adversùs Chriſtianam fidem exacuit (l).

3. *Sub Juſtino* PRISCIANUS Grammaticus, ortu Cæſareenſis, vixit Conſtantinopoli anno 525., ſcripſit *Commentariorum Grammaticorum Lib.* 18., *Librum de accentibus*, *de declinatione nominum* &c. (m).

4. *Sub Juſtiniano* DAMASCIUS, Patriâ Damaſcenus, ſectâ Stoicus, claruit circa an. 540., literis variis excultus, Rhetoricæ primùm, dein Philoſophiæ Athenienſi præfuit; quoad Religionem erat ſummè impius, timidè tamen, tectâque malevolentiâ in ſcriptis ſuis ſanctam fidem infeſtat. Edidit *Vitam Iſidori*, quem Magiſtrum in Dialecticis habuerat, cujus fragmenta Photius adſervavit (n).

Huc pertinent alii Gentiles artium Magiſtri, qui ſub finem Sæculi quinti, & in Sæculo ſexto celebres fuêre, *Alexandriæ*, utpote LEO *Rhetor*, ORION *Grammaticus*, OLYMPIODORUS *Philoſophus*, HERON *Mathematicus.* *Athenis* verò MARINUS *Geometra*, ZENODORUS *Philoſophus*, AMMONIUS *Mathematicus* (o). In numero Eruditorum Sæculi ſexti quoque ponunt nonnulli SEXTUM POMPEJUM FESTUM *Grammaticum*, qui viginti Libros congeſſit *de verborum ſignificatione*, ex Verrio Flacco deſumptos, editos autem typis Pariſienſibus anno 1681. (p). Ad eundem Calculum pertinet SIMPLICIUS Peripateticus Philoſophus, natione Cilix, Damaſcii diſcipulus, cujus ſuperſunt optimi *Commentarii in Ariſtotelem, & in Epicteti Enchiridion* (q).

5. *Sub*

(h) Voſſius Hiſt. Græc. L. 2. c. 22.

(i) Photius in Biblioth. Cod. 242.

(k) Tillemont in vita Anaſtaſii Imp. art. 29.

(l) Suidas.

(n) Photius in Biblioth. Cod. 242.

(o) Guilielm. Cave ad Sæc VI.

(p) Fabricii Biblioth.

(q) Suidæ Lexicon. Fabricius in Biblioth. Jonſius de Script. Hiſt. Philoſoph.

5. *Sub eodem Justiniano* Historica ſua Volumina digeſſit PROCOPIUS Cæſareenſis (r): venerat is, imperante Anaſtaſio, Byzantium, ubi vir omnis literaturæ, ſummæque prudentiæ, facilè in ſe Principum oculos convertit. Nam Juſtinus Senior difficillimo Reipublicæ tempore, Perſis bello prævalentibus, Beliſario Procopium à conſiliis dedit: Juſtinianus verò in Africana & Italica expeditione nunquam à Beliſarii latere divelli Procopium paſſus eſt, cujus fide atque conſilio non minùs, quàm armis ac virtute Beliſarii Romanos fines prolatari, atque ſtabiliri ſentiebat: dúmque Beliſarius ex Africa recèns ſubjugatâ in Orientem evocatur, Procopius Carthagine apud Salomonem deſignatum Ducem exercitûs ſubſiſtere juſſus eſt, ad firmandum in ea Provincia tenerum adhuc Imperium, & rebellionibus opportunum. In Perſide, in Italia, Romæ, Neapoli, Syracuſis, quæ geſſerit, ipſe quidem memoravit, at ea per occaſionem, temperatéque dicta licèt minùs inſignia & pauca videantur, parta tamen gloria in Rempublicam Procopii merita declarat; nam *Illuſtrium* dignitatem adeptus, & in Senatum cooptatus eſt. Poſt editam verò integram Hiſtoriam ad ſummum Senatûs Romani locum, id eſt, *Urbanam Præfecturam*, anno Juſtiniani quinto & trigeſimo pervenit. Scripſit I. *de Bello Perſico Libros duos*, qui rerum inter Romanos & Perſas ab anno 407. ad annum 549. geſtarum Hiſtoriam continent. II. *De Bello Vandalico Libros duos*, quorum argumentum incipit ab anno 395. ad annum 545. III. *De Bello Gothico Libros quatuor*, teſtes earum rerum, quæ in Italia evenêre ab anno 487. ad annum 554. Dictos quatuor Libros in Latinum vertit Hugo Grotius anno 1655. Amſtelodami, qui poſteà Baſileæ aliquoties luci dabantur. Circa annum 1661. Librorum octo Procopii interpretationem abſolvit Claudius Maltretus S. J., quæ verſio habetur in Corpore Byzantinorum Scriptorum, primùm Pariſiis edita, dein anno 1729. Venetiis recuſa.

(r) Alemann. in præf. ad Hiſt. arcan. Procopii.

His acceſſit *Opus Procopii de ædificiis Juſtiniani*, quod cum reliquis octo Libris prælo ſubjecit David Höſchelius Auguſtæ Vindelicorum anno 1607. De *Hiſtoria arcana*, quam idem Procopius ſcripſiſſe fertur ab anno 549. ad annum 562., inter primæ notæ Authores controverſia eſt, utrùm ea fœtibus Procopii adnumerari poſſit? Inter eos, qui hunc Librum Procopii eſſe negant, Anglus fuit THOMAS RIVIUS: is enim convitia per arcanam Hiſtoriam in Juſtinianum conjecta in reliquorum Regum injuriam redundare ratus, *Defenſionem* ſcripſit *Juſtiniani Imperatoris adversùs Alemannum* Londini an. 1626.; ſed præter declamationem importunam Apologiſta ferè nihil roboris habere dicitur. Plus eruditionis habet *Obſervatio Apologetica GABRIELIS TRIVORII HISTORIOGRAPHI REGII*, quam *Pariſiis adversùs Anecdota* vulgavit anno 1651. Poſt hunc rem tentavit JOANNES CHIFLETIUS JC. Veſontinus in paucarum plagu-

plagularum *Dissertatione de Juris utriusque Architectis Justiniano, Triboniano, Gratiano, & S. Raymundo Antverpiæ* 1651. Copiosiùs demum id præstitit JOANNES EICHELIUS Professor Helmstadiensis ibidem anno 1654. in præfatione, quam recusis Anecdotis præposuit:

Ac *primò* Procopii fidem elevat eodem modo, quo id posteà fecit *Guilielmus Cave*, dum hic ait *in Sæc. Eutychiano pag.* 331. *:* In eâ (arcanâ Historiâ) Procopius, summâ non tam audaciâ dicam, quàm mentiendi & calumniandi prurigine, turpissima & inaudita hactenus scelera Justiniano Imperatori, alíisque affingit: adeò, ut nullo alio fine scripsisse videatur, quàm ut optimi Principis aulam, tanquam diabolorum lernam, orbi invisam redderet. II. Vituperat Eichelius nomen *Anecdotorum*, quódque Alemannus hoc titulo abortivum partum condecorare voluerit. III. Idem in dubium vocat, utrùm hic fœtus Procopii sit, an alterius, cùm Synchronis silentibus, unus Suidas tempore multò posterior, aliam suspicionem legentibus non faciat, quàm quòd similis libellus à Procopio concinnatus sit: ex Scriptoris autem hujus verbis nihil admodùm erui, quòd Liber idem, ab Alemanno suppositus, Procopium Authorem habuerit. IV. Instat Eichelius, characterem, ac scribendi formam in hoc Libro longè differre à stylo, quo Procopius utitur in aliis Libris. V. Pugnant Anecdota cum iis, quæ Author alibì asseruit; nam quibus antè in Commentationibus suis summas laudes apposuerat, his eodem super argumento in Historia arcana omne vituperiorum genus infligit; Author ergo non est, vel si est, impudens & mendax convitiator est. VI. Denique quis fidem habeat ei, qui vel Gentilis religione, aut saltem de fide integra Christiana suspectus, de quæstionibus Theologicis frivolum judicium quandoque tulit. Sic L. I. de Bello Gothico cap. 3. ait: *Vesanæ puto esse insaniæ, Dei naturam, qualis sit, velle perscrutari; nam humana hæc ipsa, nedum Dei naturam perfectè assequi mortales haudquaquam posse existimo. Quare tutiùs hæc ego silentio præteribo, quæ religiosissimè coluntur; modò fidem illis non detrectes. Itaque de Deo nihil ipse aliud affirmaverim, nisi quòd bonus omni ex parte sit, résque universas suâ potentiâ complectatur. De illis verò controversiis ita quisque vel Sacerdos, vel privatus homo loquatur.* Denique VII. multa paradoxa, incredibilia portenta, ídque sine testibus enarrat.

His argumentis quantumcunque Eichelius conatus fuerit, vel Procopii fidem, vel Anecdotorum partum abnuere: sunt tamen alii, & præcipuè Nicolaus Alemannus, qui multo antè tempore utrumque propugnavit. In Græcia is natus, sub Gregorio XIII. Romæ dabat literis operam, inde Cardinali Borghesio ab Epistolis, demum Vaticanæ Bibliothecæ præpositus fuit (*Siberus Lib. de claris Alemannis*): ex

ex cujus MSs. Procopii arcanam Historiam in lucem protulit; in Præfatione autem præfixa jam antè ad Eichelii *Argumentum I. respondit*, dum ait: De odio atque malevolentia vetus suspicio est, quâ omnes ferè laborant Historici, qui veritatem liberiùs profitentur. Et in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quàm laudanda; tum si laudaveris, peccas; si culpaveris, nimiùs fuisse dicaris: quamvis illud plenissimè, hoc strictissimè feceris. Dein à Procopio viro tot honoribus aucto, quíque beneficentissimos habuerit Justinum & Justinianum, malevolentiæ crimen longè abhorrere ostendit; scribendi enim licentiam tum à Principibus, tum ab amicis, quorum mentio incidebat, sibi dari in exordio postulabat, ratus, decere Oratores quidem eloquentiam, Poëtas verò fabulas, & Historicos veritatem. Quamobrem ne amicissimorum quidem peccata occultavit, sed quæ cuique accidissent, sive illa pro dignitate, sive secùs ab iis patrata fuerint, summâ diligentiâ conscripsit. Quæ sanè scribendi severitas, quemadmodùm magnam veritatis laudem ejus Historiæ conciliat; ita omnem removet simultatis suspicionem objurgationis & censuræ gravitas: quæ tantùm ab odio & maledicentia distat, quantùm violatæ Reipublicæ querelas, justúmque dolorem, & communis damni castigationem spectare videtur. Præsertim cùm ea duntaxat de Justiniano commemorârit, quæ publicæ rei damno, & in subditorum perniciem peccavit, illúcque ipsa fœda narratio de turpissima Theodoræ vita pertineat, ut, quantùm Augustissimam Imperii Romani Majestatem execrandis nuptiis primus violaverit, dehonestaverítque Justinianus, clariùs intelligas.

Ad II. Responsio pariter jam data est ab Alemanno in Notis edit. Paris. p. 90.: Anecdota (ait) consueverant Auctores prænotare schedis librorum, de quibus ætatem suam celare volebant. Sic Romanam Historiam, quam Cicero lucubrabat, L. 2. ep. 6., & L. 14. ep. 17. ad Atticum, Anecdota nominat, quòd eam, in qua Senatorum, Nobiliúmve æqualium res gestas, mores, vitámque carperet, non aliis, sed sibi, Pomponióque suo, & posteritati scribebat.

Ad III. ℞. Si Synchronorum multorum testimonio quævis firmari velis, quàm pauca posteris monumenta dabis. Sufficit, quòd Codices MSs. plures de hoc Libro supersint: profectò Nicephorus Callistus L. 17. C. IV. Libelli hujus meminit, licèt alio nomine eundem vocet, *Retractationem eorum, quæ in laudem Justiniani dixerat, ac veluti palinodiam non rectè traditorum.*

Ad IV. ℞. Alemannus minimè dissimulat, alio genere scribendi hìc usum esse Procopium, atque in aliis libris; ita enim ait in præf.: Lector, si vacas, confer hunc postremum cum aliis libris, pluraque

que & graviora, quàm hìc habeantur, Justiniani crimina in illis invenies, pleraque etiam fusiùs, & majore apparatu explicata &c. Neque tamen adeò Procopius in hoc Libello sibi dissimilis est, ut eum non deprehendere liceat: neglectus scilicet in arcana Historia verborum cultus est, tum quia Liber publicis usibus non scribebatur, tum quia operi ultimam manum non apposuerat Author: quod ex eo patet, quia ad dicenda provocat, quæ dein nullibi reperiuntur. Vide *Procop. in arcan. Hist. c.* 10. *c.* 26. Conf. *Alemann. in Notis.*

Ad V. ℞. Procopium, quoties Justinianum, aliósque laudat, ingenuè eas laudes recitat, & eodem candore dum vitia perstringit: quis igitur mendacium in postrema narrationis parte subesse dicet? Adhæc inter historiam priorum librorum, quæ jussu Principis digerebatur, intérque eam, quæ nec spe, nec metu concinnabatur, magnum discrimen intercedere, nemo negaverit. Quamvis in prioribus quoque libris crimina Principum adeò non prætermiserit, ut vel ambiguis verbis, vel apertis, sed pompâ quâdam vocum vestita flagitia in medium adduxerit. Vide *Alemannum in Notis ad cap.* 8. *&* *in Præfat.*

Ad VI. ℞. Rursus Alemannus, se ipsum in Procopio mirari, quòd de nostræ Religionis mysteriis ita dicat, ut ab iis modò alienus, nonnunquam rectè sentire videatur; nam in ædificiorum Libris, Gentilium sacrificia detestatur: Hæreticos autem & Samaritas, qui Cæsareæ Palæstinæ frequentes admodùm erant, prorsus aversatur (*Vid. Alemannum in Præf.*) Intereà alibi pœnam in Hæreticos capitalem à Justiniano constitutam non probat. (*Idem in Notis ad cap.* 13. *&* 26.) De Deo, quid cuique pro libidine libeat credere, permittendum existimat potiùs, quàm Reipublicæ procellas videre. (*Procop. L.* 1. *de B. G.*) De Deo & fortuna nonnunquam videtur permittere optionem, quam quis sententiam tueri velit (*Idem l. c.*) Quamobrem (pergit Alemannus) Procopius ad eos se composuisse videtur, quos Politicos appellant; sed longè meliùs hæresum omnium sentinas, prorsúsque Atheos appellarent: qui, licèt in speciem Catholici videantur, nullíque sectæ nominatim addicti sint, privatis tamen rationibus, vel Reipublicæ commodis Christianam Religionem, pietatémque metiuntur: neque de Deo, quid sentias, quídve doceas, vehementer laborant. (*Idem in Præf. arcan. Hist. sub fin.*)

Ad VII. ℞. Non deesse veteres Scriptores, Evagrium, Victorem, Liberatum, Hesychium Milesium, Menandrum, Joannem Lydium, aliósque Justiniano æquales, qui id, quod Procopius in Augustis carpsit, reprehenderunt. Nisi Corippum Africanum excipere velis, qui tam improvidus est Justiniani atque Justini laudator, quàm levis Poëta. Cæterùm, quæ de portentis Author enarrat, aut quæ de Justiniani & Theodoræ cum dæmonibus commercio spargit, non ejusmodi sunt, ut

toti Libro fidem abroges. Quæ enim miranda Livius, & ut ad propiores ætati huic veniamus, quanta prodigia, & incredibiles eventus refert Agathias, quin tamen ullus ausit, iis Scriptoribus suas lucubrationes abnegare, aut velut suppositos partus arguere.

Habes hìc Lector utriusque opinionis argumenta; nunc quid ex his verosimilius videtur, elige. Nos Procopium cum Eichelio non ubique damnamus, sed nec cum Alemanno ubique eum malevolentiâ, & criminandi libidine absolvimus. Licèt enim in multis offenderit, utì in civili Historia jam à nobis commonstratum est; nihilominùs monstrosum adeò Cæsarem, qualem amaro calamo illum Procopius depingit, minimè fuisse, posteà ex Capite II. in Historia Ecclesiastica patebit; certum itaque nobis est, Procopium multa auxisse per hyperbolas, plura in perversum, & ingenio suo efformatum sensum detorsisse.

A. 566. 4. *Sub Justino II.* AGATHIAS *Murinensis Scholasticus* (s) Procopii Libros vel Historiam continuavit Libris quinque: auspicatus à morte Tejæ Ostrogothorum Regis, in Justiniani contra Hunnos bello desinit. Præter Epigrammata multa, quæ in Anthologia habemus, etiam *Daphniaca*, atque alia partim prosâ, partim carmine exaravit (t). Gentilem fuisse, ejus ipsius scripta testari videntur (u). CORIPPUS *Grammaticus*, Poëta Afer, *de Justino II.* scripsit *Poëma Historicum quatuor Libris* à Michaële Ruizio primò editum (x). Adulatorium ejus stylum perstringit Alemannus (y).

(s) Agathias in præfat. ad Hist.

(t) Suidas in Lexico.

(u) Agath. L. 3.

(x) Vossius de Hist. Lat. L. 3. c. 3.

(y) Alemannus in Præfat.

5. *Sub Tiberio* THEOPHANES *Byzantius* (qui diversus est à Theophane Confessore, qui floruit anno 780.) scripsit res bello gestas Romanos inter & Persas ab anno 567. ad annum 573., Historiam illius temporis decem Libris complexus. Excerpta servavit Photius (z); habentur etiam inter excerpta Legationum (a). JOANNES PHILOPONUS scripsit contra Proclum Gentilem; ipse tamen errore vacuus non fuit; de hoc namque Photius (b): lectus Joannis Philoponi de Resurrectione Liber Tom..... quibus corporum resurrectionem rejicit, & multa inconsideratè jactat, Ss. etiam Patrum authoritatem risu insectari ausus.

(z) Photius in Biblioth. C. 64.

(a) in Corpore Byzant. Script. edit. Parif p. 21.

(b) Photius in Biblioth. C. 21. Nicephor. L. 18. c. 47.

6. *Sub Mauritio Imp.* MENANDER PROTECTOR *Historicus*: qui (teste *Suidâ*) de se ita scribit: *Mihi Pater Euphrates erat, ex Byzantio profectus.* Dein se Legum doctrinæ applicitum, eâ tamen usum non esse profitetur, sed vago animo ad ludos equestres distractum, studia & seria neglexisse. *Postquam verò Mauritius Imp. Historiarum avidus auditor, ut qui & magnam noctis partem in hujusmodi studia consumeret, atque hinc progrederetur, & homines ad hæc studia incitaret, & pecuniis hebetiora ingenia acueret; tunc ego perlibenter oberrabam, & vagabar, & iniquo ferebam animo, mecum ipse reputans, me non habere res necessarias: quia non oportebat, nec decebat, me frustrà circumire. Quare, ne perpetuò frustrà vagarer, animum appuli ad hanc Historiam, ejúsque conscriptionem auspicatus sum ab obitu Agathiæ* (c). Excerpta habentur in T. de Legationibus (d).

(c) Suidas in V. Menand.

(d) T. I. Corporis Byzant. Script. p. 99. 174.

CAPUT

CAPUT II.
ECCLESIÆ ROMANÆ UNA FIDES,

Quam in SÆCULO VI. inter ſciſſiones Orientis nunquam diviſam, intérque Tyrannorum Hæreticorum, & novaturientium hominum perſecutiones nihil mutatam, ab Epiſcopis, & à Viris ex Ordine S. BENEDICTI oriundis per varias Provincias prædicatam, Reges Galliarum, Hiſpaniarum, & Anglo-Saxones amplexi ſunt.

§. I. *Chalcedonenſi Synodo, & orthodoxæ Fidei multùm incommodârunt Imperatores Baſiliſcus, Zeno & Anaſtaſius: Hunericus & Guntramundus Reges Vandalorum: item Pſeudo-Epiſcopi Timotheus Ælurus, Petrus Fullo, Petrus Mongus, & impius Severus. Cæterùm uti turbas movit in Occidente Anti-Papa Laurentius; ita in Oriente factionum author fuit Acacius, qui Zenoni Henotici promulgationem perſuaſit: at veram doctrinam, ac diſciplinam ſanctam tuiti ſunt Pontifices SIMPLICIUS, FELIX III., GELASIUS, ANASTASIUS II., SYMMACHUS, HORMISDAS, quibus adde varios Epiſcopos, qui Romæ, Agathæ, Aureliani, Tarracone, Gerundæ, Epaonæ, Lugduni, Conſtantinopoli & Tyri, Fidei & Eccleſiæ unitatem ſuis decretis, & Diſciplinam Canonibus editis, ac ſynodicis ſtatutis firmârunt, aut redintegrârunt.*

1. ECcleſiæ navis, quæ ſub Marciani & Leonis Imperio ſecura in portu conſederat, ſub Zenonis regnantis initia in procelloſum rurſus mare ejici viſa eſt. Nam licèt Zeno in vitæ licentiam potiùs, quàm in fidei controverſias primò intenderet; profuſione tamen vitio- *Status Eccleſiæ ſub Zenone.*

(a) Evagrius l. 3. c. 3. Suidas p. 33
A. 476.
(b) Suidas ß
Basiliscus Tyrannus & Hæreticus revocat ab exilio Eutychianos.
(c) Auctor Breviculi Hist. Eutych. apud Pagium ad a. 476. n. 10.
(d) Evagr. l. 3. c. 4. Pagius in Critic. ad an. 476. n. 9.
Timothei Æluri turbulenta facta.
(e) Evagr. c. 5.
Pseudo-Synodus Ephesina.

vitiorum ita subditos statim efferabat (a), ut hi Basilisco hæresin Eutychianam spiranti Regnum, locúmque ultro darent: unde Tyrannus idem, in Zenonem, & simul in Ecclesiam procellam exitialem posteà profundendi amplissimam copiam accepit (b). Utprimùm enim Basiliscus adnitente Verinâ Zenoni fasces ademerat, duos pessimos Dioscori sectatores, & Chalcedonensis fidei hostes ab exilio revocabat (c): horum alter Timotheus Ælurus erat, qui S. Proterii sacrilegus olim Parricida, per ejusdem Patriarchæ nefandam cædem ad Alexandrinam Sedem evaserat; sed à Leone Imperatore gradu suo dimotus, & in Chersonum anno CCCCLIX. deportatus, procul Alexandriâ suorum scelerum diuturnas pœnas exsolvit; dum octodecim annorum exilio maceratum Hæresiarcham Basiliscus in pristinum locum anno CCCCLXXVI. remigrare juberet (d). Vix de sua libertate, ac de Basilisci Regno Timotheus Ælurus nuncium perceperat; tum resumpto veluti spiritu exitium rei Catholicæ anhelare, & quà data porta, Ægyptum versùs accelerare iter cœpit: in medio autem viæ cursu, ne quid acerbitatis omitteret, Ephesum profectus, Paulum ab eadem Ecclesia pridem ejectum restituit (e). Atque ut porrò Chalcedonensi Synodo ægrè faceret, collectis in Synodum Eutychetis ac Dioscori patronis, jus ordinandi Asiæ Episcopos (quod Chalcedonenses Patres in Constantinopolitanum Episcopum jam transtulerant) creato Metropolitæ Ephesino reddendum censuit (*1). His præmissis gerendarum deinceps rerum ominibus, Alexandriam pergit, tanto nominis sui terrore sparso, ut Timotheus Solofaciolus, cui intereà Catholici gregis, ac Patriarchalis Sedis cura potestásque commissa fuerat, audito Æluri adventu, ad Monasteria in Canopo posita spontè secesse-

(*1) EVAGRIUS Lib. 3. c. 5.: *Idem Zacharias ait, Timotheum Constantinopoli digressum in Ephesiorum urbem venisse, atque illic Paulum in Archiëpiscopali sede collocâsse. Qui cum jam priùs ab Episcopis illius Provinciæ juxta antiquiorem consuetudinem ordinatus fuisset, sede suâ exciderat. Reddidit etiam Timotheus Ephesinæ Ecclesiæ jus Patriarchicum, quod illi ademptum fuerat à Chalcedonensi Synodo. Illinc profectus, Alexandriam venit.* VALESIUS ad hunc locum notat, per jus Patriarchicum hic intelligi jus ordinandi Metropolitanos, quod Sedi Ephesinæ per Sessionem XVI. Synodi Chalcedonensis ademptum est, eoquòd Patres decernebant, ut Constantinopolitanus Episcopus Metropolitas in Asiana Diœcesi ordinaret. Plura de hac Synodo habet PAGIUS in Critica ad annum 476. n. 16. 17. 18.

ſeceſſerit (f). Alter, quo Baſiliſcus ad turbandam Eccleſiam abutebatur, Petrus erat: hic ab arte, quam in Acoemetarum monaſterio exercebat, *Fullo* dictus, ſuorum ſodalium auribus vel Eutychis dogmata, aut acerbas adversùs Chalcedonenſium Synodum execrationes perpetuò inferebat (g). Peſſimè id à fratribus acceptum, quare monaſterio hominem peſtiferum protinùs ejiciunt; at is Chalcedonem digreſſus, in Presbyterium Eccleſiæ S. Baſſæ malignis artibus ſe ingeſſit. Non diu latuit turbulentum viri ingenium, cujus cùm non pauca ſpecimina dediſſet; urbem quoque mutare juſſus, Conſtantinopolim ſe convertit: illinc Zenonis (officiorum tunc Magiſtri) favorem captans, paulò pòſt eundem Antiochiam ad Orientis præfecturam miſſum comes ſecutus eſt. Et quoniam Petrus Zenonis poteſtate ſe abuti poſſe confidebat; conductis ex Apollinaris ſecta ſodalibus, contra Martyrium Epiſcopum, ejúsque fidem convitia diſſeminare cœpit; tum Theopaſchitarum errorem omnibus inculcaturus, diris eos perſequebatur, qui Triſagio addere illam formulam detrectarent, quâ Deum crucifixum profiterentur (*2). Dum hæc varios inter tumultus Antiochiæ agebantur; Martyrius Conſtantinopolim abiit, & causâ apud Imperatorem & Gennadium Patriarcham expoſitâ, id effecit (h), ut lege caveretur publicâ, ne quis Monachus (cujuſmodi Petrus Fullo erat) extra monaſterium vagando, aut importunis de Religione diſceptationibus turbas, tumultúsque concitaret (*3). Martyrius hoc

(f) Brevic. Hiſt. Eutych.

Petrus Fullo quis fuerit?

(g) Theodor. L. 1.

Idem turbat Eccleſiam Antiochenam.

(h) Theophanes ad a. Alexand. 456

Lex contra evagantes Monachos.

(*2) PAGIUS ad annum 471. N. 3. ex THEOPHANE ita refert: *Hoc anno Leo Imperator Zenonem Generum Ducem Orientis inſtituit, & Baſiliſcum Verinæ Auguſtæ fratrem Thraciæ pariter Ducem. Zeno verò Antiochiam profectus, ſacrum Martyrium in eâ comperit Epiſcopum. Petrus autem Fullo, etiam in templo Baſſæ Martyris Chalcedonenſi Presbyterio fungens, Zenonem ſequebatur. Is imploratâ Zenonis operâ, nonnullos ex Apollinari aſſeclis mercede conductos ſibi conjungit: & innumeros tumultus contra fidem & martyrium excitat: anathemate etiam ferit, qui non aſſererent, Deum cruci ſuffixum, populóque demum in duas partes Antiochiæ diſciſſo, addit ter ſancto hymno: Qui crucifixus eſt pro nobis: quæ voces ab eo tempore in hodiernum uſque diem à Theopaſchitis uſurpari conſueverunt.*

(*3) LEO Imperator ob turbas Antiochenas anno 466. ad Zenonem Strategum ſequentem legem dedit, quæ extat L. 29. Cod. de Epiſcopis & Cleric.: *Qui in Monaſteriis degunt, poteſtatem inde exeundi ne habento, vel in Antiochenſi civitate, ſeu aliis quibuſcunque civitatibus converſandi: exceptis duntaxat Apocriſariis.... Caveant autem*

hoc Decreto armatus, cùm relecto Antiochiam itinere seditionibus urbis nequaquam mederi posset; abdicat ultrò sedem (i): quam ubi per vim Petrus invasisset, eam adire, impio, non tamen possidere licuit; ab Imperatore Leone namque in exilium exactus, in Oasin deportandus fuerat, nisi fugâ elapsus, in Acoemetarum cœnobium clam se subduxisset (k). Latuit ibi extra lucem absconditus; donec Basiliscus (arrepto Regno) hoc impietatis instrumentum quoque reddendum Antiochenæ Sedi judicârit: quo facto, redire simul & grassari instituit (l). Timotheo igitur Æluro Alexandriam, & Petro Fullone Antiochiam turbantibus, Basilisco etiam non parvæ curæ erat, Imperium hæresi inficere. Utprimùm enim is rerum potiebatur, Encyclicas literas ad omnes ubique Episcopos misit, quibus decernebat: ut, si quis Præsulum ac Clericorum de Chalcedone gestis, aut de Leonis epistola vel docendo, vel scribendo memoriam renovaret; tanquam seditionum molitor deponeretur: sin verò Monachus aut Laicus tentare aliquid ejusmodi præsumpserit; non aliter, ac Dei, salutísque communis hostis exilio, bonorum publicatione, aliísque extremis pœnis coerceretur (m). Quingentos ferè Episcopos postquam Edicti immanitas ad Chalcedonensis Synodi detestationem induxerat; Acacius Constantinopolitanus Antistes (cæteris utì dignitate, ita & fortitudine longè superior) Basilisco se opposuit: atque ut indignationis æquè, ac doloris indices notas daret; se ipsum & cathedram, atque altare nigris vestibus obtexit (n). Insolens spectaculum plebis adeò emovebat animos, ut jurarent singuli: ni Basiliscus vim ab Antistite, aut ab Ecclesia abstineret, se non minùs urbi, quàm palatio Principis faces admoturos (o). Ultra minas tamen processum non est; nam Basiliscus ad declinandam tempestatem urbe egressus, id duntaxat in mandatis reliquerat, ut Senatores à consuetudine Acacii prohiberentur. Verùm interdicto adeò nullus parendum duxit, ut in Ecclesiam, atque ad Acacii sacra frequentiores confluerent; quin ipse Daniel Stylita, desertâ columnâ,

(i) Theophan. l. c.

(k) Idem l. c. Theodorus L. l. 1. Cedrenus ad an. 7. Leonis.

(l) Theoph. ad an. Alex. 467. Evagrius l. 3. c. 4. Breviculum Eutych. hist.

Basilisci Encyclica adversùs Synodum Chalced.

(m) Evagr. l. 3. c. 4.

Acacius resistit Basilisco.

(n) Theod. Lect. l. 1.

(o) Theoph. ad an. Alex. 468., juxta nos 477.

Daniel Stylita Basilisco exitium vaticinatur.

---

tem hi, qui ita exibunt, ne de Religione vel doctrina disputent, vel conciliabulis præsint, vel turbâ concitatâ simpliciorum animos seducant. Quibus omnibus tangitur Petrus Fullo.

nâ, velut ſueto domicilio in urbem, & in Catholicorum Synaxes ſe deportari fecit, cujus ſanctiſſimi, & à prodigiis clariſſimi viri præſentiâ quantùm fidelium erexit conſtantiam, tantùm Tyranni audaciam infregit; hunc enim in Hebdomum, quò ſeceſſerat, ſecutus, eidem exitium, & Regni breviſſimi finem inſtare prænunciavit (p).

2. Menſium viginti intervallo (q) Baſiliſcus Regnum uſurpaverat; tum ZENO Imperio reſtitutus, lege latâ cuncta, quæ à Baſiliſco conſtituta fuerant, abrogavit (r). Simplicius Pontifex Romanus ubi ex literis ejuſdem Zenonis reditum acceperat; ita gratulabatur Imperatori, ut ſimul & ad revocandam Chalcedonenſium Patrum fidem, & ad ejiciendos è ſedibus Pſeudo-Epiſcopos hortaretur (s). Timotheus Ælurus adhucdum Alexandrinam tenebat Cathedram: Paulus Epheſinam, & Petrus Fullo multò licentiùs in Antiochena agebat. Nam præterquàm, quòd Hæreticis pluribus manum imponeret, Joannem quendam Apamenis (*4) novum dabat Præſulem: at hi Eutychetis diſcipulum aſpernati, ſe pro Paſtore lupum admiſſuros pernegabant; quare Joannes idem Antiochiam remeans, in Epiſcopatûs ſui authorem vertebat vim, nec antè ab inſidiis ceſſabat, dum Petri Fullonis Eccleſiam, velut ereptum ſpolium ſibi vindicaret (t). Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus hæc Hæreticorum facinora, eorúmque errores primò in Synodo Conſtantinopolitana (u), dein Simplicius in Concilio Romano damnavit (x), petiítque ab Acacio, ut Imperatoris operâ Eutychianâ lue infecti Epiſcopi ſuis, quas malignè confunderent, Eccleſiis propediem depellerentur. Itaque Paulus Epheſo, Petrus Fullo, & Joannes Apamæus Antiochiâ exacti ſunt (x); cæteris verò, qui ſe neceſſitate adactos Baſiliſco ſubſcripſiſſe teſtabantur, locus relinquebatur (z), quâ gratiâ etiam uti, Timotheo Æluro

(p) Theod. Lect. l. c. Theophan. loc. cit.

(q) Pagius ad a. 477. n. 6. Victor Tun. in Chron. Procop. l. 1. de B. V. c. 7.

(r) L. 15. 16. Cod. de Ss. Eccleſ.

(s) Simplic. ep. 7. Tom. I. Epiſtolar. Decret. apud Baron. ad an. 477. n. 6.

(t) Theoph. ad an. Alex. 469. Simplic. in Epiſt. ad Zenonem.

A. 478. *Synodus Conſtantinopol. & Romana.*

(u) Valeſius L. 1. obſerv. Eccleſiaſt. ad Evagr. c. 2.

(x) Felicis III. epiſt. ad Clericos apud Baron. ad an. 483. N. 52.

(y) Gelaſius in ep. ad Epiſcop. Dardan

(z) Evagr. l. 3. c. 9.

(*4) PAGIUS ad annum 477. N. 11.: *Apamea* Metropolis erat Syriæ ſecundæ, ſive ſalutaris, indéque in Concilio Schiſmaticorum apud Epheſum nominatur poſt Joannem Antiochenum *Alexander Apameæ Metropolitanus*. De hac urbe legendus CARD. NORISIUS in Diſſert. II. de Epochis Syro-Macedonum c. 2. §. 1.

Æluro ad breve tempus concessum est. Nam licèt Imperator hunc quoque Alexandriâ ejicere decrevisset; senii tamen, quod hominem ad ultima ferè deduxerat, gravitas fecit, ut paucos dies, qui eidem ad mortem usque supererant, Timotheo Æluro transigere ad bonam frugem ibidem liceret, ubi tot malefactorum cumulum admisisset (a). Sed contumaci Hæretico pœnitentiæ tempus nihil profuit; errori quippe suo immortuus, etiam funere suo, Ecclesiam turbis non absolvit. Vix enim decesserat, duo Episcopi eandem cum ipso hæresin profitentes, Petrum Mongum suâ sibi authoritate Antistitem consecrabant. Quod ubi Zenoni relatum est, Petrum vel morte, vel exilio multandum, Timotheum verò Solofaciolum, eúmque Orthodoxum in sedem revocandum censuit. Ab hoc tempore Catholici Præsules præcipuas rexerunt Ecclesias; nam Stephanus Antiocheni, Timotheus Alexandrini gregis habebat curas: quin Zenonis studio (*5) circa idem tempus impetratum est, ut Hunericus Rex Vandalorum Carthaginensi Ecclesiæ Eugenium Episcopum Catholicum præfici rursus permitteret, postquam viginti quatuor annis idem Tyrannus Pastorem orthodoxum gregi deserto negaverat (b).

(a) Id. c. 20.

Episcopi Catholici suas repetunt sedes.

Carthaginenses Catholicum Episcopum recipiunt.

A. 479. & 480.

(b) Victor Utic. l. 2. de Persec. Afr.

3. Ex his Episcopis primus Antiochiæ, scilicet Stephanus, fato functus est, cui alius ejusdem nominis Præsul (c) ab Orientali Synodo surrogatus, vix annum in regimine Ecclesiæ explevit; quo elapso, ipse quoque perfidiæ Eutychianæ victima cecidit.

A. 481.

(c) Theoph. ad a. secund. Alex. 473.

(*5) MALCHUS RHETOR in Legation. p. 94.: *Proximo post Zenonis restitutionem anno .... Legati à Carthagine Byzantium venêre, quos Alexander uxoris Alliarii* (*Olybrii* legit Valesius) *Procurator ducebat, qui jam olim à Zenone* (*Placidiá consentiente*) *eò missus fuerat. Dicebant verò Legati, Honorichum velle cum Imperatore sine fraude amicitiam contrahere.... Neque verò ista, quæ in speciem dici videbantur, quia magnam belli suspicionem dederat, à verisimilitudine abhorrebant. Etenim à morte Genserici in omnem mollitiem devenerant, neque ampliùs sollicitudini, aut timori Romæ erant. Neque exercitus alere continuârant, quos Gensericus ad omnes occasiones instructos habebat, ut semper celeritate exequendi aliorum consilia præveniret, & anteverteret. Legatos Zeno liberaliter accepit, & honore debito est prosecutus, & muneribus pro merito ornatos dimisit, & Alexandrum Comitem privatarum rerum fecit.* Atque hæc est legatio, quâ mansuefactus Hunericus, concessit Catholicis, ut sibi Episcopum denuò eligerent.

cidit (*6). Cùm enim Hæreticorum animis altè inſitum eſſet, cæde Stephani Junioris Petro Mongo ad Antiochenam Cathedram patefacere aditum; in ſeditioſum globum concurſantes, peſſima quæque ſancto Epiſcopo minantur. Hic inſidias declinaturus, in ſancti Martyris Barlaami Baptiſterium confugit: at factioſi ſanctitate loci minùs abſterriti, invadunt Præſulem: & ubi in amentiæ ſubſidium furorem armaverant, acutis calamis perfoſſum & necatum in Orontem fluvium projiciunt. Fluvius etſi corpus tanti Martyris ad tempus contegeret; non tamen ſcelus Parricidarum contumulavit: quorum crudelitas utprimùm Conſtantinopolim perlata eſt, Zeno ſtatim Duces miſit, qui cædis authores meritis afficerent ſuppliciis; dein Acacio præcepit, ut Calendionem Antiochenæ Sedis Succeſſorem in urbe Regia conſecraret (d). Orientales Epiſcopi ignari rerum, quæ Conſtantinopoli agerentur, pro more recepto in Synodum coëunt

Stephanus Antiochenus Junior, Martyr.

A. 482.

(d) Theod: Lect. l. 1.

Calendio Succeſſor Stephani Martyris.

(*6) BARONIUS & VALESIUS L. I. Obſerv. Eccleſ. ad Evagrium c. 3. arbitrantur, Stephanum Seniorem martyrio coronatum fuiſſe, & Stephanum Juniorem ab Acacio Antiochenum Epiſcopum ordinatum, ac poſt ejus obitum Zenonem præcepiſſe *iterum Acacio, ut in urbe Regia Epiſcopum Antiochenſibus ordinaret*, qui Calendionem *ordinavit Antiochenſem Epiſcopum.* Quod anno 482. factum putat *Valeſius.* Verùm PAGIUS ad eundem annum N. 2. 3. 4. 5. 6. latiſſimè contradicit, aítque, utrumque Authorem tam in anno emortuali Stephani Senioris, quàm in ordinatione Stephani Junioris errâſſe. Quia *Stephanus Senior* uſque ad anni 481. finem vixit, & *Stephanus Junior* non ab Acacio, ſed à Synodo Orientali (ùt mos ferebat) Epiſcopus renunciatus eſt. Denique in eo etiam falli Valeſium aſſerit, quòd Acacium duos Epiſcopos Antiochenos Stephanum ſcilicet Juniorem & Calendionem ordinâſſe autumaverit. Acacius enim Calendionem tantùm ordinavit, teſte Theophane: *Hoc anno* (479. ſecundùm Alexandrinos, qui Kalendis Septembris anni Chriſti 480. incipit) *Stephano Antiochiæ Epiſcopo fatis functo, Stephanum alterum Zenonis Imperatoris juſſu in ejus locum ordinaverunt: quem fidei perduelles .... necatum in Orontem fluvium projecerunt. Zeno porrò facinus attentatum ulturus, Acacio Conſtantinopoli Præſuli, ut Antiochiæ crearet Epiſcopum, mandavit, qui conſecravit Calendionem.* Equidem EVAGRIUS L. 3. c. 10. paulò aliter loquitur: *Ejecto Petro Fullone, Stephanus Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopatum ſortitus eſt, quem Antiochenſium pueri calamis inſtar telorum præacutis interfecerunt, ùt ſcribit Joannes Rhetor. Poſt Stephanum verò ejuſdem Sedis adminiſtratio Calendioni commiſſa eſt.* Hìc quia Evagrius Joannem & Stephanum Seniorem omittit, ideo Baronius & alii putârunt, ab Evagrio prætermiſſum Stephanum Juniorem, & eum de Seniori tantùm locutum eſſe; cùm tamen ex eo, quòd *Joannem* tacuerit, & de Stephani ſucceſſore Calendione verba fecerit, procliviùs judicare ſit, quòd Evagrius Joannem & Stephanum Seniorem, utì minùs celebres omiſerit, ac deſignaverit eum, qui Calendionem proximè anteceſſit. Vide plura apud Pagium n. 4. 5. 6. & 7., ubi difficultates Adverſariorum ſolvit. Conferatur etiam HENSCHENIUS, qui ad diem 25. Aprilis S. Stephani Martyrium deſcribit.

coëunt, & deliberatione factâ, Joannem Codonatum Antiochenæ Ecclesiæ imponunt (e). Intereà Calendio Antiochiam advenerat, ubi collectâ Episcoporum Provincialium Synodo, jussa Cæsaris, ordinationémque suam exponit: & postquam persuaserat, ut omnium suffragiis electio comprobaretur, Synodicam epistolam Romam misit ad Simplicium. Pontifex etsi nil magìs cuperet, quàm ut Calendio non Constantinopoli, sed (utì antiqua jura poscebant) in Antiochena urbe à Comprovincialibus ordinatus fuisset; facilem tamen se excusationi, quam necessitas fecerat, ostentabat, testatus maximè id, quod voluntarium non est, in culpam verti haud oportere (f). Calendioni igitur cùm hâc ratione Sedes Antiochena Romani Antistitis assensu firmaretur; Codonatus posteà in Tyri Ecclesiam (quæ post Antiochenam prima erat) translatus est.

(e) Theoph. loc. cit. Victor Tunun. ad an. 490.

(f) Epist. Simplicii ad Acacium apud Baron. ad an 482. n. 2.

Ecclesiæ Orientales perturbantur.

4. Dum dissidia in Oriente aliquantùm conquieverant, ferocior turbo à parvis initiis, unde minimè credebatur, exortus, maximam procellam concitavit. Decesserat è vivis Alexandriæ Timotheus Solofaciolus, tum ejus locum implere jussus est Joannes Talaja (g), quem etiam *Tabennosiotam* ideò dixêre, propterea quòd ex Tabennensium Monachorum numero, qui apud Canopum ascesi suæ vacabant, delectus, ad Episcopale fastigium pervenisset. Electionem is licèt suam datis literis Pontifici Romano, & Antiocheno Præsuli Calendioni significaret; ab Acacio tamen Constantinopolitano communionem petere omittebat, sive quòd de amicitia Illi Magistri officiorum nimiùm præsumeret, sive quòd haud dissimulanter aliquo jam tempore Acacio esset infensus (h). Hic à Joanne se despectum fremens, omnia rimabatur consilia, quibus facinus ulcisceretur; sed superbia Episcopi, dum suas injurias persequi putabat, schisma & hæresin in Ecclesiam invexit. Nam nocendi spiritu tumens Acacius Imperatori ingerebat, minùs decere, ut Joannes in Ecclesia Cathedram obtineat, qui de Ecclesia olim exire jam constituisset, quíque Timotheo Solofaciolo fuisset author, ut Dioscori nomen sacris diptychis insereretur. Adhæc sacramenti religione eum prohiberi, quo minùs sedem ejusmodi affectare possit; id enim conceptis verbis Joannem olim jurâsse, sibi de Alexandrino Episcopatu

(g) Theoph. ad an. Alex. 473. Simplicius in Epist. ad Acacium.

Joannes Talaja creatur Episcopus Antiochenus. Causa dissensionum.

(h) Liberatus in Brev. c. 16.

Acacius Constantinopolit. Episcopus concitat Zenonem adversùs Joannem Talajam.

patu quærendo nec ſtudium, nec ambitum fore. Cæterùm hâc ſtatione ex omnibus unum Petrum Mongum dignum videri, cujus tandem gratiâ (quâ ſingulari apud populum valeret) fieri poſſit, ut reſciſsâ ſimultate, Eccleſiæ tum urbis Alexandrinæ, tum totius Ægypti in unum pacis communis vinculum conſocientur. Imperatorem hæc dicta adeò rapuêre, ut Pontificem Simplicium protinùs miſſis literis moneret, ne alium, quàm Petrum Mongum Alexandrinis præficiendum ſtatueret. Simplicius etſi accuſationes, quibus Joannes premebatur, confictas ſuſpicaretur; placandi tamen Cæſaris causâ negotium ſuſpendit: nequaquam autem ſibi integrum eſſe reſcripſit, ut in Petri Mongi reſtitutionem conſentiat, quippe qui Apoſtolico judicio hæreſis damnatus, priſtinum errorem necdum depoſuiſſet (*7). Zeno reſponſo Pontificis non parùm offenſus, Pergamio Duci Ægypti, & Apollonio Auguſtali dat in mandatis, ut exauthorato Joanne, Patriarchicam dignitatem in Petrum Mongum transferant (*8). Ne verò quis temerè hoc factum criminaretur, eodem tempore Eccleſiarum concordia procurabatur: nempe ut omnes crederent, Petrum Joanni tum ex cæteris rationibus, tum maximè ex ea antehaberi debuiſſe, quòd conciliandis fidelium diſſidiis opportunior videretur. Ad abſcindendas

Petrus Mongus in locum Joannis Talajæ ſufficitur.

(*7) AUCTOR BREVICULI Hiſt. Eutych.: *Defuncto iſto Timotheo Epiſcopo, Joannes Oeconomus Catholicus à Catholicis ordinatur Epiſcopus. Qui cùm de conſuetudine Majorum ad Apoſtolicam Sedem Synodica (per Iſidorum Presbyterum, & Petrum Diaconum) ſcripta miſiſſet, ſuperveniente Uranio Subadjuva, & contra Joannem jam Epiſcopum ſacra Principis deferente, ab Epiſcopatûs illius confirmatione Papa ſuſpenſus eſt. Et quia in iiſdem ſacris de reſtituendo Petro* (Mongo) *quem ipſe damnavit, fecérat mentionem, hæc pars omninò eſt denegata. Unde videtur Clementiſſimus Imperator offenſus. Cùm ergo ſanctæ memoriæ Papæ Simplicii nihil toties ad Acacium directa, propter Alexandrinæ Eccleſiæ quietem, & Catholicæ fidei integritatem, ſcripta perficerent, ſupervenit idem ſanctus Joannes Epiſcopus, qui (ſicut decebat) ab Apoſtolica Sede ſuſceptus eſt.*

(*8) LIBERATUS in Brev. c. 17.: Zeno ſcripſit ad Pergamium Ducem Ægypti, & ad Apolloniam Auguſtalem, *ut Joannes expelleretur ab Alexandrina Sede, quaſi eam contra ſuum jusjurandum, quod in Regia civitate dedit, arripuiſſet: cooperaretur Petro Mongo, ut remaneret in ſede; nec priùs hoc faceret, niſi ſuſciperet Henoticum Principis, Synodicas deſtinaret epiſtolas Conſtantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & cæteris Archiëpiſcopis. Acacius verò promittente Petro facère unitatem, nec adhuc implente legitimè, nomen ejus in diptychis recitari permiſit, tanquam jam Alexandrini Præſulis in Sede Apoſtolica poſiti.*

Acacius Zenoni author est, ut Henoticon promulget. das porrò lites Acacius Zenoni persuadebat, ut Henoticum seu Decretum pro universali Ecclesiarum pace instauranda evulgaret. Edicti hujus argumento Imperator Symbolum duntaxat unicum, nempe Nicænum, admittendum sancit: duodecim S. Cyrilli capitula probat; Nestorium verò & Eutychetem palàm damnandos proponit; Dioscori tamen proscriptionem dissimulanter prætermittit, ne apud Alexandrinos offensam consciscat. Cæterùm licèt Epistolam S. Leonis ad Flavianum, ac Chalcedonensem Synodum, cum maximè vocabula *ex duabus, & in duabus naturis*, quæ Catholicæ fidei contra Eutychianam perfidiam nota singularis erant, silentio premat: imò damnare videatur anathemate S. Synodum, si expositæ in hoc Edicto fidei contrarietur; nihilominùs re ipsâ dogmata omnia à Chalcedonensibus Patribus asserta firmabat, rejectis eorum erroribus, qui duas Personas, aut unam naturam, sive duas in unam confusas admittunt, aut Filium Dei naturæ humanæ veritatem suscepisse inficiantur (†). Henoticon ejusmodi postquam ad Ægyptiacæ Diœceseos Antistites, Clericos, Monachos, plebémque Christianam perlatum fuerat; Acacius Petrum, aliòsque Hæreticos in communionem suscipere non dubitavit: eâdem fraude Petrus Proterianos, seu quoscunque Orthodoxos amplexus, studia sua ita attemperabat, ut, cùm Synodum Chalcedonensem privatim apud suos improbaret, eum tamen palàm minimè damnaret (i). Dissimulatio ista Veteratoris ne quidem Eutychianis satisfecit; hi enim ægrè ferentes, de Chalcedonensium decretis mitiùs, ac vellent, agi, à Petri communione recesserunt, dicti propterea *Acephali*, quòd à Patriarcha suo disjuncti, separatos sine Capite cœtus celebrarent. Petrus Mongus, quò abeuntes in suas partes retraheret; Synodum Chalcedonensem dicto anathemate tandem detestatus (k), sublato nomine Proterii & Timothei Catholici de diptychis, Dioscori & Æluri nomina scripsit; quin & ejusdem Timothei Solofacioli corpus de terra erutum foràs projecit. Multiplex facinus æquè Zenonis, atque Acacii mentem emovisset, nisi Petrus fallendi arte similes homines invenisset, qui ea, quæ voce dicta fuerant, velut conficta mendacia aut convitia redarguerent (l).

Acephalorum origo.

Petri Mongi perfida dissimulatio.

(†) Reflexio I.

(i) Leont. de Lect. Act. 5.

(k) Liberat. Brev. c. 18.

(l) Evagr. l. 3. c. 16, 17.

5. In-

5. Intereà Joannes Talaja fugâ elapſus, Antiochiæ amicum ſibi Illum officiorum Magiſtrum, & Calendionem Epiſcopum: dein Romæ Simplicium Pontificem convenit; qui de Ægypti ſtatu edoctus, iteratis literis inculcabat Acacio, nec Petrum ob ancipitem fidem debuiſſe, nec communi Decreto damnatum ſingulari judicio reſtitui potuiſſe (m). Acacio deliberante, quid ad hæc reponeret, Papa Simplicius anno, ex quo creatus Pontifex fuerat, decimo ſexto, officio & vitâ excedit (*9). Fortem in eo Antiſtite Eccleſia ſuſpexerat fidei æquè, ac diſciplinæ aſſertorem; nam Zenoni Hiſpalenſi Epiſcopo vices ſuas in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis delegavit ad curandam Canonum executionem (n): Joanni Ravennatenſium Epiſcopo, quòd Gregorium adhibitâ vi ordinâſſet, poteſtatem ordinandi (ni deinceps ſapiat) adimere conſtituit (o). Eâdem non tantùm pœnâ multabat Gaudentium Aufinienſem Præſulem, illicitarum ordinationum uſurpatorem, ſed & triplici parte redituum Eccleſiæ & oblationis fidelium privabat (p); atque ut Eccleſiaſticorum bonorum rationes meliùs deinceps adminiſtrarentur, oblationes fidelium in quatuor partes diviſit, ſcilicet ut una pars eſſet Epiſcopi, altera Cleri, duæ in Eccleſiæ fabricam, peregrinos, ac pauperes erogarentur (†). In tempore quoque ordinationum immutationem ab eo ſuſceptam fuiſſe, multi crediderunt, propterea quòd putent, Prædeceſſores Pontifices menſe tantùm Decembri circa Natalem Domini conſecrationes miniſtrâſſe; Simplicium verò primum menſe Februario manus impoſuiſſe; cui tamen opinioni non parùm adverſatur id, quod re accuratiùs expensâ, Pagius poſteà obmovit (*10).

Joannes Talaja appellat ad Papam.

(m) Liberat. Brev. c. 18.

A. 483.

Obitus Simplicii Papæ.

(n) Collect. Concil. T. II. apud Harduin. p. 803.

(o) ibid. p. 803. 804.

Decretales Simplicii.

(p) ibidem p. 804.

(†) Reflexio II.

Quando ordinârint Pontifices?

6. Labente

(*9) BARONIUS ad annum 483. Simplicio tribuit annos quindecim, menſes quinque, & dies decem; PAPEBROCHIUS verò in Propylæo Maji eundem ſediſſe ait annos quindecim, menſes undecim, & dies ſex; ſed PAGIUS in Critica numerat tantùm annos quindecim cum diebus ſex: anno enim 468. die 15. Februarii ſedere cœpit, & anno 483. obiit, *ſepultus in Baſilica S. Petri Apoſtoli VI. Nonas Martii*, ùt refert Anaſtaſius; quare juxta MS. Colbertinum, & Marianum Scotum numerari tantùm debent anni quindecim, & dies ſex.

(*10) MABILLONIUS in Commentario prævio ad Ordinem Rom. §. 16. hæc de Simplicio obſervavit: *Primi Apoſtolici* (inquit Amalarius in L. 2. c. 1.) *ſemper in Decembrio menſe, in quo Nativitas Domini noſtri JEſu Chriſti celebratur, conſecrationes*

Laici se immiscent Electioni Pontificis.

6. Labente quinque dierum intervallo, quo Sedes vacabat, eorum, qui electuri convenerant, cœtui se quoque Basilius Præfectus Prætorio obtrudebat, Regis Odoacris nomine, cujus vices agebat, Simplicii defuncti Papæ mandatum duplex in medium proferens, nempe ut ad arcendos tumultus nullus citra Regis consultationem Simplicio surrogaretur (*11); dein, ne quid de bonis Ecclesiasticis electo Antistiti alienare unquam fas sit (*12). His Legibus, licèt vel confictæ, aut ob læsam liber-

nes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit à B. Petro XLIX. Ipse primus sacravit in Februario. Idem testatur Micrologus ex Romano Pontificali, quo nomine liber de gestis Rom. PP. intelligitur. Sanè inter tot Pontifices, qui ad finem Sæculi IX. ordinationes fecerunt, unus Leo II. in mense Majo ordinationes fecit; & in mense Septembri unam Gregorius M, alii post Simplicium omnes vel mense Decembri, vel in prima, vel in mediana hebdomada Quadragesimæ, nulli, quod quidem sciatur in Sabbato Paschæ. Hæc (inquit Criticæ Baronianæ Auctor) rectè Mabillonius, nisi quod asserit, Leonem II. mense Majo ordinationem fecisse, alibi enim ostensurum se ait, hunc Pontificem mense Junio ordinâsse. FRANCISCUS PAGIUS posteà in Breviario Pontificum T. I. pag. 219. re maturiùs examinatâ, ait, falli omnes, qui scribunt, Romanos Pontifices usque ad Simplicium semper in mense Decembri ordinâsse: sicut enim post Gelasium, qui primus ordinationes quatuor temporibus affixit, Romani Pontifices huic communi regulæ adstricti non erant, sed quibuscunque Sabbatis Diaconos, Presbyteros & Episcopos ordinabant; ita ante Simplicium Legi de ordinationibus mense Decembri faciendis ob principem dignitatem non alligabantur, sed aliis mensibus, ubi opus erat, ad sacros Ordines promovebant: ita Eusebius, Marcus ordinârunt, neque tamen mensem Decembrem attigerunt. Hinc EDMUNDUS MARTENE L. I. de antiquis Eccl. ritibus c. 8. art. 4. scribit, Anastasium quidem memorare ordinationes mense Decembri factas, non tamen negare etiam aliis temporibus contra regulam communem factas fuisse. Vide plura apud Franc. Pagium in V. Simplicii.

(*11) ACTA SYNODI ROMANÆ sub Symmacho anno 502. apud Harduinum T. II. pag. 977. N. II. Legem illam ita referunt: *Cùm in unum apud B. Petrum Apostolum resedissent, sublimis & eminentissimus vir, Præfectus Prætorio, atque Patricius, agens etiam vices præcellentissimi Regis Odoacris, Basilius dixit: Quanquam studii nostri & Religionis intersit, ut in Episcopatûs electione concordia principaliter servetur Ecclesiæ, ne per occasionem seditionis status civilitatis vocetur in dubium: tamen admonitione beatissimi viri Papæ Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis (meministis) sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio.... Nam & cùm quid confusionis atque dispendii venerabilis Ecclesia sustineret; miramur, prætermissis nobis, quidquam fuisse tentatum; cùm etiam Sacerdote nostro superstite, nihil sine nobis debuisset assumi. Quare si Amplitudini Vestræ vel Sanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antistitis electionem respiciunt, religiosâ honoratione servemus, hanc legem specialiter præferentes, quam nobis, hæredibúsque nostris Christianæ mentis devotione sancimus.*

(*12) IBIDEM l. c. pag. 978.: *Ne unquam prædium seu rusticum, seu urbanum, vel ornamenta, aut ministeria Ecclesiarum, quæ nunc sunt, vel quæ ex quibuslibet titulis ad*

libertatem Ecclesiasticam ferendæ minùs viderentur, utcunque tamen toleratis, FELIX III. natione Romanus electus est, Patre Felice Presbytero natus, S. Gregorii Magni Atavus (*13). Huic ubi Joannes Talaja de Acacii multiplici facinore retulerat; Pontifex convocat Synodum, atque ex Congregatorum sententia Vitalem Truentinum, & Misenum Cumanum Episcopos, unà cum Felice Defensore Ecclesiæ in Orientem ablegat (q), moniturus Acacium, ut jactato in Petrum anathemate, Romam ipse ad respondendum Joannis querelis veniat. Fidem Legatis ut Felix faceret, literas ad Acacium (r), & ad Zenonem (s) adjunxit, quarum argumento Episcopo Constantinopolitano author erat, ut citiùs rediret ad frugem: Zenonem autem hortabatur, ut concordiam Ecclesiæ inviolatam pateretur, néve committeret, ut tunica Christi hâc ratione porrò scinderetur, aut bestia illa (ita Petrum Fullonem vocabat) quam à Grege Christi ipse Imperator abigendam duxisset, rursus in perniciem sæviret. Quodsi nec Romani Antistitis verba, nec Apostolica authoritas quid valeant; fatum saltem Basilisci obversari oculis ajebat, cui Synodi Chalcedonensis hosti utì Deus attulisset exitium, ita Zenoni Catholicam rem gesturo Regnum reddidisset. Atque hæc

Felix III. Papa eligitur.

Legatos mittit Constantinopolim.

(q) Evagr. l. 3. c. 18. Breviculum hist. Eutych.

(r) Baron. ad an. 483. n. 21. item CC. T. II Harduin. p. 811. 814.

(s) ib. apud Baron. n. 31. CC. T. II. p. 814.... 818.

ad Ecclesiarum jura pervenerint, ab eo, qui nunc Antistes sub electione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris sæculis sequentur, quocunque titulo atque commento alienentur. Si quis verò aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur; sitque facienti, vel consentienti, accipientique anathema.

(*13) Licèt multi Felicem II. in numero Pontificum poni nolint, utì à nobis ostensum est in Tomi II. primâ Parte pag. 351. n. 25.; nihilominùs mos ferè communis nunc obtinuit, ut Felix (de quo hìc agimus) ordine *Tertius* dicatur. Atque hunc ipsum Felicem II. putat Baronius ad annum 492. §. 1. Atavum fuisse Gregorii Magni, cui subscribit Bollandus ad diem 25. Februarii: *Nam Felix IV.* (ait) *fuit Samnis natione, Patriâ Beneventanus; at Felix III. Romanus. Atqui certum & indubitatum est, S. Gregorium non ex Samnitibus originem ducere, sed ab antiquis Romanis Senatoribus.* Contrarium docet JOANNES DIACONUS in vita Gregorii Lib. I. c. 1., quem sequuntur Monachi Congregationis S. Mauri in vita Gregorii, quæ inserta est Tomo IV. operum ejusdem Gregorii, ubi Felicem IV. Gregorii Atavum pronunciant. Sed ratione BOLLANDUS vincere porrò videtur, dum pergit: *Si anni ab obitu Felicis IV. numerentur usque ad Electionem S. Gregorii Papæ jamtum senis, tantùm 60. invenientur, quibus includi nequeunt quinque generationes ab Atavo ad Atnepotem statuendæ: haberi autem poterunt, si anni circiter centum interponantur, qui verè fluxerunt ab obitu S. Felicis III. usque ad S. Gregorii Pontificatum.*

Cur mitiùs cum Zenone egerit Pontifex?

hæc cùm Pontifex literis commemoraret; nihil tamen de Henotico ſcribendum duxit (t): ne reprehenſione importunâ eo tempore Cæſaris animum irritaret, quo cruenta tempeſtas in Africæ Provinciis Eccleſiæ imminebat.

(t) Conf. Pagius in Critic. T. II. ad a. 483. n. 4.

Perſecutio in Africa ſub Hunerico.

7. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, qui nuper indulgente Hunerico primas Catholici rurſus Paſtoris vices obire cœperat, ſuâ virtute & eloquio tantam Arianis Pſeudo-Epiſcopis moverat invidiam, ut hi religioni ſuæ malè metuentes, Vandalorum Regem monerent, ne virum infeſtum ad injuriam Arianorum Carthagine ſedere, néve Barbaros etiam ad ejusdem conciones confluere ſineret (u). Interpellatus hac de re Eugenius, Regi repoſuit, ſuæ poteſtatis non eſſe, ut domum Dei, quæ omnibus patere debet, ingreſſuris occludat; dein ingentem eſſe multitudinem Catholicorum, qui ex eo, quòd domui Regiæ ſerviant, habitu barbarico utantur. Hunericus huic reſponſo indignatus, in portis Eccleſiæ tortores collocat, qui, ubi fœminam aut virum Barbarorum more veſtitos ſubire limen ſacrum viderent, illicò palos ſeu bacillos dentatos immittebant capiti, illigatósque crines cum pelle arctiùs ſtringentes omnibus acerbum inferebant calvitium, quibusdam etiam cruciatûs vi oculos ſuis è ſedibus emovebant, aut planè exanimabant (x). Dato hoc perſecutionis initio; cautum lege eſt, ne poſteris temporibus alteri, quàm Ariano in palatio militarem aut civilem gerere præfecturam fas ſit; magnus inde numerus eorum extitit, qui cingulum ſolverent, aut fidei causâ forenſe officium abdicarent. Exauthoratorum innumerabilem multitudinem Tyrannus pejore crudelitate in exilium velut pecorum armenta abegit; nam uſu pedum capti, ad modum truncorum jumentis portabantur: juvenes & ſenes, ſiquando exhauſti viribus in via deficerent, haſtilium cuſpidibus ad currendum urgebantur: vel collapſi penitùs, injectis ad pedes funibus per aſpera & invia raptabantur; dum inter trahentium manus ſpiritum exhalarent. Nec viæ terminus mitior, atque ipſum iter fuit: pro victu Dei ſervis hordeum non aliter, ac jumentis projiciebatur, quamvis & hoc crudum cibi genus famelicis ſubinde ſubtraheretur. Locum ipſum venenata animalia infeſtabant, quorum tamen feritas (Chriſto protegente) nulli

(u) Victor Utic. l. 2.

(x) Victor l. c.

Crudelitas adverſus Catholicos.

nulli Catholicorum nocuiſſe fertur (y). Dum diris his modis exules affligebantur, in Patriæ ſinu ſacræ Virgines acriora ſubibant ſupplicia; earum quippe corpora ſatellites alligatis ponderibus ſuſpenſa vel diſcerpebant, vel applicitis igneis laminis uſtulabant, eo conſilio, ut cruciatuum acerbitate victæ, faterentur ſcelus, quod nunquam commiſerant, nempe ſe cum Epiſcopis illicitos concubitus habuiſſe. Sed antè Tyrannus innocuæ turbæ ſpiritum, quàm injurioſum Eccleſiæ mendacium extorſit. Epiſcoporum honori cùm his inſidiis detractum eſſet nihil; iidem Præſules orthodoxi fame ferè enecti, aliiſque modis peſſimis exagitati, Carthaginem vocantur, ut cum Arianis de fide palàm congrediantur. Diſputationis verò modus alius non fuit, quàm ut reſponſi loco lumbifragia redderentur Catholicis; atque hoc ipſum Catholici nomen, quod Orthodoxi profitebantur, criminis loco habebatur (z). Tandem tumultibus cùm Collationi finem Ariani impoſuiſſent; Hunericus eaſdem pœnas, quas Imperatores contra Hæreticos promulgaverant, Homouſianis infligendas decrevit, niſi intra Kalendas Junias Ario nomen darent (a). Edicto hujuſmodi propoſito Epiſcopi omnibus rebus exſpoliati extra urbem ejiciuntur, quin miſeris tectum, victúmque præbere liceret. In hoc calamitoſo ſtatu Epiſcopi ſub aperto cælo, aëríſque injuriis expoſiti jacebant, dum Rex ſubinde ad piſcinas exiret: egreſſo afflicta Epiſcoporum multitudo obviam facta, aliud à Tyranno non impetravit, niſi ut preces amaro contemptu reprimeret: dein ferocibus equis in eos immiſſis, belluarum ungulis maximè ſenes & infirmos conterendos daret (b). Qui aliquantùm incolumes ab hac rabie ſupererant, iis Rex poſteà injunxit, ut ſequentia capita jurejurando ſancirent, ſe ad tranſmarinas regiones nullas directuros epiſtolas, neque ſibi poſt obitum Hunerici alium præ Hilderico in votis Regem fore. Aliis hoc juramenti genus detrectantibus, alii jurandum cenſuerunt, ne populus oggereret, contumaciâ Sacerdotum eveniſſe, ne Eccleſiæ reſtituerentur. Duplex igitur cùm claſſis eſſet Epiſcoporum, tum ii, qui ſacramentum dixerant, in Africa manere, ſed nonniſi agros colere juſſi ſunt, reliqui Regis imperio (quod iniquum putaverant) obluctati, in Corſicam

(y) Victor Utic. l. 2. de perſec. Afr.

Cur Virgines ſacras Tyrannus ferocius cruciârit?

Collatio Carthaginenſis indicitur, & in ea Epiſcopi peſſimis modis tractantur.

(z) Victor Utic. l. 3. de Perſec. Afr.

(a) Idem l. 4.

Lex Hunerici contra Catholicos.

(b) Idem l. c.

Epiſcoporum Catholicorum exilium.

cam ad ſcindenda pro Regiis navibus ligna diſceſſerunt. Inter abeuntes Eugenius erat, qui, antequam Africâ excederet, Catholicos hortabatur, ne timerent eos, qui, cùm occiderint corpus, non habent ampliùs, quid faciant (c). Monita hæc multis profuiſſe, poſteà intellectum eſt; nam carnificinâ per omnes Provincias prolatâ, & Epiſcopis Arianis Satellitum in morem ubique ferrum, faces, & omne cruciatuum genus circumferentibus, nulla Afrorum urbs fuit, quæ non ſummæ fortitudinis, & illibatæ fidei documenta ederet (d). Imbecilliores, quos vis Hæreticorum exterruerat, in ſpeluncas ſylvarum ſe abdidêre, ubi fame enecti, animas poſuerunt. Quàm gratæ Chriſto iſtæ fuerint victimæ, quámque accepta cælo Martyrum certamina, ex prodigiis cognitum eſt, quibus Deus Catholicorum victorias honoravit; atque ut cætera prætereamus, unum vel ipſi Gentiles Philoſophi ſtupentes poſteris adnotârunt: ſcilicet plures, quibus Tyranni furor linguam faucium tenùs exſecuerat, adeò loquendi facultate deſtitutos non fuiſſe, ut longo tempore articulatas voces conformare, & ſine lingua ſermocinari auditi ſint (*14). Neque Vandalis ac Regi Catholicos cruciâſſe impune fuit; nam illorum magnam partem peſtis, famésque: hunc vermes morte funeſtiſſimâ paulò pòſt abſumpſerunt (e).

(c) Gregor. Tur. l. 2. c. 3.

Perſecutio ubique invaleſcit.

(d) Victor Utic. l. 5. de Perſec. Afr.

Confeſſores evulsâ linguâ loquuntur.

(e) Victor Utic. l. 5.

A. 483. & 484.

8. Intereà Zeno Imperator, licèt legationibus, aliíſque conatibus Vandalicam procellam in Africa componere ſtuderet (f); per Orientem nòn minùs infeſtus Catholicis fuit. Vix enim Legati Pontificis Abydum venerant; carceri eos includi jubet, ne ultrà profecti, cum Cyrillo Acoemetenſium Monachorum Præpoſito (utì in mandatis habuerant) loqui, aut literas, quæ à Felice ad quoſdam Catholicos ſcriptæ erant, tradere poſſent. Chartis

(f) Evagr. l. 3. c. 19.

(*14) ÆNEAS GAZÆUS Philoſophus Platonicus in fine Dialogi, qui inſcribitur Theophraſtus (utì habetur in Biblioth. PP. Max. T. IX.) ita notat: *Eos viros vivos vidi, & loquentes audivi, & vocem adeò articulatam eſſe poſſe miratus ſum. Inſtrumentum vocis inquirebam; & auribus non credens, oculis judicandi munus remiſi: atque ore aperto, linguam totam radicitùs evulſam vidi, ac ſtupefactus mirabar, non ſanè, quo pacto vocem conformarent, ſed quomodo conſervati eſſent.* His ſequentia apponit PROCOPIUS Lib. I. de B. V. c. 8.: *Multis linguam faucium tenùs abſcidit, qui etiam noſtrâ ætate ſuperſtites Byzantii explanatè loquebantur, nullum capientes ſenſum illius pœnæ. Ex his duo rem habere auſi cum meretricibus, ſermonis uſum amiſerunt.*

Chartis igitur omnibus & libertate ſpoliati (*15), primùm metu mortis, dein pollicitationibus tentantur: at inſidiis cùm minimè cederent, Acacius jurejurando addito teſtabatur, negotium integrum Apoſtolicæ Sedi ſervatum iri, neque, ſi cum Acacio & Petro communionem inirent, ullum cauſæ præjudicium fore. Hâc demum arte decepti Legati, è cuſtodia in Eccleſiam, & ad Miſſarum ſolemnia celebranda cum Acacio & Petri Mongi Apocriſiariis procedunt (g). Orthodoxos prævaricatio ejuſmodi adeò urebat, ut primum proteſtationis libellum ad hamum circumligantes, uni ex Legatis ſuſpenderent; ſecundum mitterent in Codicem: tertium olerum cophino (h) inſerentes, ad Legatos dirigerent. Vitalis & Miſenus Petri Mongi, ad quem expellendum in Orientem abierant, communione polluti ubi receſſerant; Felix Defenſor Eccleſiæ (nam is, cogente morbi neceſſitate, tardiùs Legatos ſubſequebatur) Conſtantinopolim ingreditur. Sublatis is quoque chartis graviſſimam cuſtodiam paſſus, fortiorem ſe duobus aliis præbuit; quare cùm à propoſito nec dimoveri, nec ad prodendam fidem inflecti poſſet, ab Acacii conſpectu longiſſimè abactus eſt (i).

Legatorum Romanorum prævaricatio

(g) Gelaſius ep. 7. ad Ep. Dardaniæ apud Harduin. in Coll. CC. T. II. p. 905. 916.

(h) Theophanes.

(i) Felix Papa in ſent. damnationis Acacii.

9. Dum hæc Conſtantinopoli agebantur, Vitalis & Miſenus operti dedecore & ignominiâ, Romam revertuntur cum Zenonis & Acacii literis, quas illi ad Felicem Papam reſcripſerant, plenas contumeliarum in Joannem Talajam, Petri verò Mongi laudibus refertas (*16); Felix Papa aliunde jam de Legatorum crimine edoctus (k), utprimùm oblatas Zenonis & Acacii literas accepit; Synodum ſexaginta ſeptem Epiſcoporum convocat:

Legati Romam redeunt

A. 484.

(k) Evagr. l. 3. c. 21.

(*15) Epiſtolæ, quas Legatis dederat Pontifex tradendas variis, videri poſſunt in nova Collectione Conciliorum ab Harduino facta, in Tom. II., & *primò* ad Acacium erat epiſtola, quâ optabat Synodus Romana, ut Zenonem à cœptis contra fidem dehortaretur. p. 813. *Secundò* Epiſtola ad Zenonem, quâ Joannis Talajæ ejectionem, & Petri Mongi reſtitutionem reprehendit Pontifex. p. 814. *Tertiò* habetur Libellus citationis ad Acacium p. 830., dein Libellus à Felice Papa Decreto Concilii Romani ad Zenonem miſſus.

(*16) EVAGRIUS Lib. 3. c. 20. Zenonis epiſtolæ partem refert, in qua Joannem Talajam accuſat perjurii; dein ſuam fidem ita purgat Pontifici: *Pro certo habere debes & pietatem noſtram, & Sanctiſſimum Petrum Mongum (qui non abſque diligenti examine promotus eſt) & univerſas Eccleſias S. Chalcedonenſe Concilium amplecti atque venerari, quod cum fide Concilii Nicæni prorſus conſentit.*

cat: illinc Vitalis & Misenus à Simeone Acoemetensi Monacho, & Sylvano Presbytero accusati, cùm ad vanas admissi facinoris excusationes converterentur; Pontifex utrumque Sacerdotio & communione interdicit; posteà Petrum Mongum & Acacium (*17) à sacerdotali collegio proscriptos, & anathemate percussos pronunciat (l). Tutus Ecclesiæ Romanæ Defensor hanc sententiam Constantinopolim detulit cum duabus epistolis, quarum alterâ Papa Zenoni exprobrabat vim Sedis Apostolicæ Legatis illatam (m); alterâ commonefaciebat Clerum, populúmque Constantinopolitanum, ut à communione Acacii deinceps abstinerent (n). Tutus ubi per varias insidias Constantinopolim evaserat; chartam damnationis cùm ipse Acacii manibus

Damnantur cum Acacio & Mongo.

(l) Liberat. Brev. c. 18.

(m) Felicis epist. 8. apud Harduin. in CC. T. II.

(n) Vide Pagium ad an. 484. n. 13.

(*17) PAGIUS ad annum 484. N. 4.: *Acacius* in duabus Synodis Romanis damnatus est, quarum altera hoc anno (484) coacta: altera anno sequente. Cæterùm in damnatione ac depositione *Acacii* duo maximè posteà reprehenderunt Græci, ùt advertit Valesius in notis ad Lib. 3. Evagrii c. 18. Primum, quòd in Synodo damnatus ac depositus non fuisset: sed solus *Felix* Papa nomen suum sententiæ depositionis præfixisset. Duæ enim dictæ Synodi partim ob causam Miseni & Vitalis, partim ob Antiochenam Ecclesiam convocatæ fuerant; unde de Acacio tantùm incidenter hìc agebatur. Alterum, quòd non convictus Acacius, nec discussis juxta Ecclesiasticas regulas, damnationis sententiam excepisset. Priori objectioni ita respondebant Romani, non opus fuisse novâ Synodo ad condemnandum *Acacium*; omnes enim Sectatores & Communicatores Hæreticorum, qui speciali sententiâ olim condemnati sunt, simul cum iisdem Hæreticis damnatos intelligi, ùt scribit GELASIUS *in Epist. ad Orientales.* Quòd verò Felicem Papam solùm ei sententiæ nomen suum præfixisse querebantur Græci, huic objectioni ita respondet Felix in Epist. Synod. ad univers. Presbyt. & Archimandrit.: *Unde nunc causa Antiochenæ Ecclesiæ apud B. Petrum Apostolum collecti rursum dilectioni vestræ morem, qui semper apud nos obtinuit, properavimus indicare. Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas causas præcipuè Fidei colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut Successor Præsulum Sedis Apostolicæ, ex persona cunctorum, & totius Italiæ Sacerdotum juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem cuncta constituat.* Ad alterum Caput respondit GELASIUS posteà in *Epist. ad Episcopos Dardaniæ: Sed Acacius non solùm despexit satisfacere postulatis; verùm etiam ipsam legationem Sedis Apostolicæ, blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, quibus ei cum Imperatore promisit, integram Præsulis Apostolici causam de omnibus esse servandam, Petri communione pollutam redire perfecit.* Non ergo necesse erat, ultrà Acacium de sceleribus convincere, aut rem tam apertam longiùs discutere. Prætereà Vitalis & Misenus secum tulerant in Orientem citationis libellum ad Acacium, cujus initium: *Episcopali diligentiâ.* Post hanc primam admonitionem anno 483. factam, Acacius etiam anno 484. secundò monitus est, ùt habetur in Edicto sententiæ: *Acacius, qui secundò à nobis admonitus* &c. His cùm non cederet, quinto Kalendas Augusti, sive post aliquot menses sententia in Acacium prolata est, quam Tutus in Orientem detulit, & incipit: *Multarum transgressionum.* Quod latiùs commonstrat Pagius l. c.; ergo non temerè in hac causa processum est.

bus conſignare non poſſet, Monachorum quorundam operâ Epiſcopi pallio affigi fecit eo tempore, quo is ad celebranda Sacra progredi parabat (o). Tutus iſta omnia fideliter executus, in caſſes Acacii tandem incidit: ſubornaverat is Maronam ſenem, ut à Tuto largitione ingenti exſculperet ea, quæ Romæ contra Acacium agerentur; tum, qui aliis caſibus adverſis ſuperior fuerat, auri ſacræ fami ſuccubuit; nam ſtimulante pecuniæ cupiditate incenſus Tutus, arcana, fidémque prodidit (p). Quod ubi Pontifici nunciatum eſt; Communione, officióque expulſus, pœnas dedit (q). Diris Apoſtolicis, quibus minorum criminum rei percellebantur, Acacius adeò territus non eſt, ut Petri communionem fovere pergeret, & Felicis Papæ nomine ex diptychis eraſo, expulsíſque de ſede ſua Epiſcopis Catholicis, Hæreticos ſubſtitueret; Calendione namque Antiocheno in Oaſin relegato, Petrum Fullonem rurſus ſuffecit (r), qui in ſedem, unde Patrum ſententiâ ejectus fuerat, revocatus, præter alia nefanda, hoc quoque egit, ut Xenajam Perſam divino Baptiſmate nunquam luſtratum, Hierapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum præficeret, mox futurum Iconoclaſtarum Anteſignanum (*18). Felix, ne ad tantorum criminum famam conticeſcere videretur, in altera Synodo Fullonem cum Acacio & Petro Mongo iteratâ execra-

(o) Liberat. c. Victor Tun. in Chron.

(p) Liberat. c. 18. Nicephor. l. 16. c. 17.

(q) Felicis ep. 11. apud Labbe in CC. T. IV.

(r) Liberat. c. 18. Theophan. A. 485.

(*18) NICEPHORUS Lib. 16. c. 27.: *Xenajas quidam erat* (*Philoxenum* Græca lingua rectè vocet) *genere Perſa, & fortunâ ſervus, peridoneus Satanæ Miniſter: qui ſub Calendionis Epiſcopatu, cùm ab hero ſuo profugiſſet, ad Eccleſiam Dei acceſſit, Clericum ſe eſſe affirmans, cùm quidem nondum divinæ Regenerationis lavacro initiatus eſſet. Calendion ubi hominem eum, & latentem in eo malevolentiam ex ſignis & conjecturis quibuſdam cognovit, ab Eccleſia eum proſcripſit. Ubi verò Calendioni Petrus Cnaphem (qui & Fullo dictus eſt) ſucceſſit, Xenajam illum non ſolùm recepit, verùm etiam nondum Baptiſmo initiatum, vicinæ Hierapolis Epiſcopum creavit, & Philoxenem nominavit. Et Petrus ubi tandem ſe Epiſcopatum viro nondum baptizato mandâſſe intellexit, dixiſſe fertur, ſufficere ei pro Baptiſmo conſecrationem. Xenajas iſte primus* (ô audacem animum, & os impudens!) *vocem iſtam evomuit, Chriſti, & eorum, qui ei placuêre, imagines venerandas non eſſe.* Et in Synodo VII. Act. 5. ex antiquo Hiſtorico Joanne Diacrenomio recitantur: *Xenajas non eſſe decens, dicebat, Angelos exiſtentes incorporeos corporeâ formâ effigiare, & in humana effigie incorporeos repræſentare. Quin etiam & hæc fuit opinio ejus, Chriſto non dandum eſſe honorem, aut laudem dicendam picturâ arte hominum elaboratâ; eſſe autem illi ſolummodo acceptam adorationem in ſpiritu & veritate. Inter cætera autem dicebat, & hoc eſſe puerilis animi factum, fingere in columbæ idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum; nuſquam enim Evangelicis literis traditum*

Joannes Talaja creatur Nolanus Episcopus.

execratione ab Ecclesiastica communione submovit (*19); & quoniam Joanni Talajæ Alexandrinam Cathedram inter tot Orientis tumultus reddere non poterat, eundem Nolanæ in Campania Ecclesiæ præposuit (s).

(s) Liberat. Diac. in Breviar. c. 18.

Inventio Reliquiarum S. Barnabæ.

10. Quo tempore hæresis & furor Orientem sacris ferè expilabat, novum Ecclesiæ thesaurum Deus exhibuit: anno enim CCCCLXXXV. in Cypro Barnabæ Apostoli Reliquiæ sub arbore siliqua repertæ sunt, unà cum Evangelio Matthæi, quod viri sancti pectori incumbebat. Prodigii novitas Anthimio Salaminæ Antistiti in lucro fuit: nam cùm Petrus Fullo Salaminam sibi subjugare meditaretur; occasione inventarum Reliquiarum Anthimius obtinuit, ut eadem Metropolis ab hæretici Episcopi servitute

---

traditum esse, Spiritum S. Columbam esse, sed quòd in specie columbæ aliquando visus est: id autem dispensativè, & non substantialiter factum est. Ita (ut semel dicam uno verbo) intempestivum putabat, & inconveniens, pios homines Spiritum S. ùt corpus habentem delineare. Hæc quidem Xenajas, qui & Philoxenus, docens, simul cum ipsa doctrina & opere rem demonstrabat: sæpè Angelorum imagines afferens jecit. Christum autem imagines repræsentantes, omnes in unum locum collocavit. Vide hìc BARONIUM ad annum 485. N. 17.

(*19) Synodi hujus Romanæ sententiam Felix Papa scripsit ad Zenonem epistolâ, quæ incipit: *Convenit Clementiæ Tuæ;* éstque ordine quinta, recitata in Tom. IV. CC. vet. edit. Labbeanæ. In hac Pontifex Imperatori nunciat, *Fullonem* à Synodali judicio condemnatum esse, & hortatur, ut Imperator eundem ab Antiochena Ecclesia depellat. Eodem tempore Acacius, qui communicabat cum Petro Fullone, quantumvis Hæretico, iterum condemnatus est, non quidem ùt Hæreticus, sed ùt Hæreticorum fautor. Nam (ùt ait FACUNDUS HERMIANENSIS in *Libro adversùs Mocianum*, & *Breviculum Historiæ Eutychianæ*) nullibi eam causam damnationis proferunt, quòd Concilii fidem impugnârit *Acacius*, sed quòd inimicos Concilii Chalcedonensis *Petrum Mongum*, & *Petrum Fullonem* in communionem suam susceperit, laudaverit, & primum in Sedem Alexandrinam, secundum verò in Sedem Antiochenam à Zenone restitui curaverit: quòd *Simplicii* & *Felicis* Romanorum Pontificum sanctissima monita spreverit, & ludibrio habuerit *in eversionem totius Ecclesiasticæ disciplinæ*, & quòd hostili more Sedis Apostolicæ Legatos in carcerem detruserit. *Neque obstat*, quod LIBERATUS *in Breviario* c. 18. dicat: *Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius Hæreticus*: nam Scriptor ille nil aliud innuit, quàm quòd Hæreticus fuerit Acacius communione, non verò dogmate; quare statim subjungit: *Susceptis bis Acacius literis perseverat, neque recedens à communione Petri, neque suadens, & palàm suscipere Chalcedonense Concilium, & Tomum Leonis Papæ.* Eodem modo intellige, quæ apud PHOTIUM in Bibliotheca Cod. 42. Basilius Cilix scripsit: *Hic Petrus* (Mongus) *sanctam Chalcedone habitam Synodum publicè, atque in Ecclesia anathemate damnabat. Per quem & Acacius (rectè quidem initio contra illum permotus) pòst, quod ab illo non abhorreret, Hæretici opinionem apud multos non effugit, à Romanis etiam Sede motus est, ejúsque nomen ex sacris diptychis post mortem expunctum.* Vide plura apud NATALEM ALEXANDRUM in Dissertatione XIX. quinti Sæculi.

vitute libera pronunciaretur (*20). Alterum solatium Orthodoxis in Africa subinde obtigit: Gundamundo quippe in tertium annum regnante, Ecclesiæ ab octavo Hunerici anno jam occlusæ reserabantur, & Dei Sacerdotibus ab exilio revocatis curare gregem licebat (t). Hanc Africanæ Ecclesiæ pacem ubi quatuor Afrorum Episcopi Felici Papæ retulerant; congregavit Synodum, in qua assentientibus triginta Episcopis, de iis, qui in persecutione Vandalica defecerant, sequentia statuit: nempe ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, qui cruciatûs vi ad defectionem adacti fuissent, à cœtu fidelium segregati, in morte laicâ duntaxat communione donentur; Clerici verò, Monachi & Laici tribus annis in audientium consistant ordine; quo spatio evoluto, à sacra Synaxi ita abstineant, ut morituris tantummodò Eucharistiam percipere fas sit. Ætate demum parvulos, licèt pœnitentes sub manûs impositione retineri tamdiu voluit, dum Communionis capaces forent. Quodsi quis per id tempus in vitæ adduceretur discrimen, periclitanti eâ ratione Communionem restituendam decrevit, ut æger incolumitate reparatâ id, quod ad explendam pœnitentiæ integritatem præfixum erat, dictatarum pœnarum complemento absolveret (*21).

Pax datur Afrorum Ecclesiis. A. 487.

(t) Auctor fragmenti Augusti. apud Henric. Canis.

Synodus Romana de lapsis in Africana Persecutione.

Pœnitentia publica adhuc viget in Sæculo V.

11. Animadversio hujusmodi pro rigore veteris disciplinæ sat gravis videri poterat; sed longè funestiores pœnæ erant, quibus A. 488.

(*20) VICTOR TUNUNENSIS in Chron. post Consulatum Longini II., sive ad annum 488. Inventionem Reliquiarum S. Barnabæ recitat. SIGEBERTUS verò ad annum 489., NICEPHORUS Lib. 16. c. 37. regnante Anastasio id evenisse perhibet: quare licèt incertus annus sit inventionis, PAGIUS tamen ostendit, eandem accidisse inter annum 485. & 488., quo tempore Petrus Fullo Ecclesiam Antiochenam tyrannicè administrabat; quia eo tempore Episcopus Cypri ab Antiocheni subjectione independens declaratus est. De ista controversia, quæ diu inter Antiochenum & Episcopum Cypri vigebat, plura legi possunt apud LUPUM in *Scholiis ad Concilium Ephesinum.* Cæterùm Historiam Inventionis fusè descripsit ALEXANDER MONACHUS, cujus narrationem BARONIUS suis Annalibus inseruit ad annum 485. N. 8. Paulò pòst N. 13., quòd Zeno oblatum sibi Evangelii librum S. Matthæi, & ipsius Barnabæ manu descriptum, ac auro exornatum deposuerit in palatio, in æde S. Stephani, quódque deinceps magnâ quintâ Paschæ feriâ quotannis in palatio Oratorio Evangelium ex eo libro recitatum sit &c.

(*21) Sex illa capitula, quæ de Pœnitentia publica Pontifex in Synodo statuit, habentur in ejus epistola IX. ad universos Episcopos, sive in Tom. II. CC. apud Harduinum pag. 832... 834.

bus ſubinde Deus Hæreticorum perfidiam, aut Schiſmaticorum contumaciam in Oriente caſtigavit; Petrum quippe Fullonem Eutychis ſectatorem, & Theopaſchitam multoties Apoſtolico fulmine percuſſum, lethali tandem ictu confecit (*22). Acacium verò Conſtantinopolitanum Henotici, multorúmque tumultuum authorem anno CCCCLXXXIX. è vita rapuit (u). Horum funera mors Petri Mongi Alexandrini ſub annum ſequentem cumulavit (x). Triplex igitur ſedes cùm vacaret; ſpes non parva Catholicæ rei affulgebat: ſed Zenonis maligna ſtudia meliùs ſperare non ſinebant, ſiquidem Petro Fulloni Palladius, Petro Mongo Anaſtaſius, Acacio Flavita Presbyter ſucceſſerunt, omnes vel Hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti. Conſtantinopolitanæ urbi præ cæteris feliciter evenit, ut Flavitâ poſt quatuor menſes defuncto, Euphemius Chalcedonenſis Synodi Defenſor Epiſcopatu potiretur (y): is enim de diptychis Petri Mongi nomine expuncto, Felicem Papam in album repoſuit, & communio inter Orientales atque Occidentales eo tempore redintegrata fuiſſet; ſi, utì Petrum Mongum, ita quoque Acacium

Mors impia Petri Fullonis.
A. 489.

(u) Victor Tunun. in Chron. Evagrius l. 3. c. 23.

(x) Theophanes. Liberatus c. 18.
A. 490.

(y) Evagr. l. 3. c. 23.
Euphemius Conſtantinopol. Epiſcopus non-admittitur à Papa ad communionem, & cur?
A. 491.

(*22) In *Conciliorum Collectione* apud Labbe T. IV. variorum Epiſcoporum Epiſtolæ recitantur ad Fullonem, in quibus hic damnatur tum ob propoſitiones duriſſimas, tum ob Triſagio adjectum additamentum. VALESIUS Lib. 1. obſerv. Eccleſiaſt. ad Evagr. c. 4. has Epiſtolas falſas eſſe judicat, & ſuppoſititias ex ſequentibus argumentis: I. Quia omnes illæ Epiſtolæ à diverſis Epiſcopis ſcriptæ ex Græco ſermone in Latinum converſæ ſunt, ùt patet ex rudi elocutione, & diverſa interpretatione, quamvis quædam ſint Latinorum Epiſcoporum. II. Accedit, quòd nomina Epiſcoporum ibidem conſignata nullibi reperiantur in Hiſtoria illorum temporum. III. Non apparet ratio, cur minorum urbium Præſules extra Synodum monerent, aut deponerent Patriarcham, in quem nullam habebant poteſtatem. PAGIUS ad annum 483. his rationibus Valeſii occurrit, & ad I. reſpondet: Incertum, an Epiſtolarum autographum perierit, & ſolæ verſiones Latinæ remanſerint, quæ progreſſu temporis ab uno eodémque Scriptore in Græcum ſermonem converſæ fuerint, indéque factum ſit, ut duæ habeantur earundem interpretationes Latinæ ita inter ſe diverſæ. Ad II. R. quotidiè varia nomina antiquorum Epiſcoporum anteà ignorata è tenebris erui: ſic in ſolo Synodico adverſùs Tragœdiam Irenæi plura Epiſcoporum Græcorum nomina exhibentur, quæ omnes anteà fugerant. Ex Scriptorum tamen ſæpè vitio fit, ut Epiſcopi Ciliciæ, & Siciliæ Hiſpaniarum & Galliarum permiſceantur, ex quo proinde ſolidè nil probatur. Ad III. R.: In ſupremis periculis major fidei, quàm diſciplinæ & regulæ Eccleſiaſticæ ratio habita eſt; nam & Laici adverſùs naſcentem hæreſin ſæpè inſurrexêre. Dein ſi (teſte Evagrio Lib. 3. c. 34.) anno 512. Coſmas Epiphaniæ, & Severianus Arethuſæ Epiſcopi Antiocheno Patriarchæ Severo libellum depoſitionis mittere potuerunt, cur non & citati minores Epiſcopi arrogare ſibi voluerint, ut Fullonis doctrinam anathemate percellerent, eúmque, ut reſipiſceret, literis monerent?

cium & Flavitam ab Apoſtolica Sede rejectos è ſacris tabulis delere Euphemius voluiſſet (*23). Majorem ſubinde gratiam apud Catholicos idem Euphemius iniit, quando poſt Zenonis fatum Anaſtaſius Dicorus ad Regnum vocabatur; Magnatibus enim omnibus in Anaſtaſium conſentientibus, unus ipſe Epiſcopus obſiſtebat, negans hominem, qui matrem Manetis diſcipulam, & avunculum Arii cultorem haberet, quíque hæreſis ſuſpicione laboraret, Chriſtianis imperare poſſe. Minis quantiscunque Antiſtes pulſaretur, non antè Anaſtaſio coronam impoſuit, quàm chirographo in tabulariis Eccleſiæ reponendo profiteretur, ſe pro definitione fidei amplecti ea, quæ in Chalcedonenſi Synodo decreta fuiſſent (z). Anaſtaſius cùm promiſſione ſuâ palàm factâ obſtrictus, innovare jam nihil poſſet, Eccleſiæ ſtatum eâ ratione, quæ ſub Zenone recepta erat, adminiſtrandum voluit (*24). Varius autem pro varietate locorum illo tempore modus fidei, formáque erat: alii enim Synodum Chalcedonenſem nec probare, nec rejicere, alii diſſimulatione poſitâ vel Decreta ejus Synodi conſtanter tueri, aut damnare; alii demum Zenonis Henotico tenaciter adhærere viſi ſunt. Has factiones, quæ Orientem & Occidentem in adverſas partes divellebant,

Ejus pro Chalcedonenſi Synodo ſtudium.

(z) Victor Tunun. in Chron.

Miſer ſtatus Eccleſiarum ſub Anaſtaſio Imperatore.

(*23) CARDINALIS BONA Lib. 2. rer. Liturg. c. 12. *tria* recenſet genera *diptychorum* ſeu tabularum, quibus nomina in ſingulis Eccleſiis inſcribebantur. *Primum* erat Epiſcoporum mortuorum, eorum præſertim, qui illam Eccleſiam rexerant, dummodo ſanctis moribus claruiſſent. *Secundum* vivorum: in his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antiſtes, ac reliqui Clero adſcripti recenſebantur. Poſteà Imperator, Princeps, Magiſtratus, & populus fidelis. *Tertium* erat mortuorum fidelium, qui in Catholica communione deceſſerant: Oecumenica quoque Concilia diptychis inſerta erant. Hæc autem Diaconus, dimiſſis Catechumenis, ex ambone recitabat.

(*24) LIBERATUS in Breviario c. 18.: *Non poſt multum tempus moritur & Petrus Mongus Alexandriæ, & poſt eum in ea Sede ordinatur Athanaſius, qui & ipſe in Edicto Conſtantinopolitanæ & Antiochenæ & Hieroſolymitanæ communicavit Eccleſiæ. Cúmque ſcandalizarentur & in ipſo populi, eoquòd nomen Petri Fullonis haberet in diptychis, aſcenderunt quidam & adverſantium, & communicantium ei ad Imp Anaſtaſium. .. Conſiderans Imperator, quòd, ſi adjectionem Edicto faceret, tumultum moveret Eccleſiæ, & anathematizari Synodum* (Chalcedonenſem) *eſſet impoſſibile; perſuaſit eis ſufficere unitivum Edictum, ut communicarent ad invicem ſibi, ſicut & cæteri Eccleſiarum Epiſcopi; & cùm non obedirent hoc agere, nihil impetrantes dimiſit.*

lebant (*25), Imperator ſublaturus, propoſitis pœnis vetuit, ne Epiſcoporum quiſquam (contrà ac conſuetudo ferret) Chalcedonenſem Synodum prædicare, aut illi anathema infligere præſumeret (a). Tolerantia nimia Imperatoris licèt inimico homini anſam daret, lolium per agrum Domini diſſeminandi; Magnus tamen Sabas, & primus inter Cœnobitas ſuos Presbyter (b), tum etiam Theodorus Cappadox (c) Lauras ſuas ita excoluerunt, ut pulcherrimi virtutum fructus ab his Aſceſeos Magiſtris educarentur: qui dum in Oriente ad ubertatem progerminabant; Felicis Papæ Sanctitas cælo jam matura ad ſupernum paradiſum translata eſt anno Chriſti CCCCXCII., Regiminis ſacri IX. (d)

(a) Evagr. l. 3. c. 30.

(b) Cyrillus Monach. in Sabæ vita.

(c) Bolland. ad XI. Jan.

A. 492.

Obitus Felicis III.

(d) Vide Pagium ad an. 492. N. 2.

12. Poſt pium obitum S. Felicis GELASIUS natione Afer in Cathedra Petri ſedere cœpit, eo ſcilicet tempore, quo mutua inter Odoacrem & Theodoricum bella maximè ardebant (e). Domeſtica hæc Italiæ certamina non impedivêre Pontificem, quò minùs excelſo animo cum hoſtibus fidei, aut cum Eutychianorum fautoribus confligeret. Euphemio literis communionem precanti, hanc negavit, eoquòd Acacium, alióſque à Sede Apoſtolica damnatos inter ſacra diptycha recitaret (f); inde non parvæ Græcorum querelæ ortæ ſunt, quin ipſe Anaſtaſius Imperator expoſtulabat, quòd Papa electus ad ſe nullas literas dediſſet. His omnibus minimè cedendum putavit Pontifex: ſed reſcribebat ad Orientis Præſules, neminem eorum communionis honoribus donandum, niſi Acacius è diptychis expungeretur (g); tum graviſſimam epiſtolam reddebat Anaſtaſio Imperatori, quâ eundem

Gelaſius Papa

(e) Auctor Chronici Vet. PP. apud Pagium.

(f) Gelaſii epiſt. 1. ad Euphem. in CC. Tom. II. apud Harduin. p. 879.

Epiſtolæ variæ Gelaſii.

(g) Commonitorium Gelaſii in CC. T. II. edit. Harduin. p. 884. Item epiſt. 4. Gelaſii.

(*25) EVAGRIUS Lib. 3. c. 30.: *Et Chalcedonenſis quidem Synodus iis temporibus nec palàm prædicabatur in SS. Eccleſiis, nec omninò rejiciebatur; ſinguli enim earum Præſides, prout ipſis viſum fuerat, agebant. Et nonnulli quidem eorum cuncta, quæ in illo Concilio expoſita fuerant, pertinaciſſimè defendebant. Neque in ejus Decretis vel ullam ſyllabam remittere, ac ne unius quidem litteræ mutationem admittere ſuſtinebant: ſed magnâ cum fiduciâ recedebant ab iis, qui Decreta illius Concilii minimè ſuſciperent, nec illis communicare ullo modo ſuſtinebant. Alii verò Chalcedonenſem Synodum, ejúſque Decreta non modò non ſuſcipiebant; verùm etiam illam unà cum Leonis epiſtola ſub anathemate damnabant. Alii Zenonis Henotico mordicùs inhærebant, ídque tametſi inter ſe diſſiderent de una, aut de duabus naturis,... adeò út totius orbis Eccleſiæ in varias factiones diviſæ eſſent, ac ne Antiſtites quidem ſibi mutuò communicarent &c.*

eundem hortabatur, ut Apoſtolicæ Sedi obtemperaret, & damnato Acacii nomine, Eccleſiarum pacem curaret reſtituendam. Eodem tempore in Dalmatia, & in Piceno jugulata diu hæreſis Pelagiana reviviſcebat, Gelaſius malum citò compreſſurus, epi- A. 493.
ſtolas ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum duas, tertiam ad om- 494.
nes per Picenum Antiſtites dedit (h), quibus ſingulos de extir- (h) Epiſt.
patione erroris commonefaciebat; & quoniam belli furores, qui- Gelaſii III.
bus jactabatur Italia, ſacros Miniſtros abſtulerant, pro reſtauranda diſciplina Decretalem miſit ad Epiſcopos per Lucaniam, Bratios & Siciliam conſtitutos (i), quæ viginti octo capitibus (i) Epiſt. V.
conſtituta, præcipuè ſequentia definiebat: nempe ut ad ſupplen- Gelaſii edit.
dum Miniſtrorum numerum ordinationum interſtitia minore in- Harduin. in CC. T. II.
tervallo dirimantur (k), útque baptizandis, conſignandíſque fi- (k) Epiſt.
delibus Sacerdotes pretia nulla præfigant: dein prohibet, ne cit. c. 3.
Presbyteri chriſma conficere, Diaconi abſque Epiſcopo vel Presbytero baptizare audeant, niſi neceſſitas extrema compellat (l). (l) ibid. c. 5.
Rudes, & aliquâ parte corporis imminutos, utì & criminibus 6. 7. 8.
infames bigamos à Clero repellit (m); Clericis verò Ordines ſa- (m) ibid. c. 4.
cros conferri præcipit ſub quatuor ſolemnium jejuniorum tempora (*26): pari ratione Virgines velari jubet in Albis duntaxat paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis (n); earum verò, (n) ib. c. 12.
ſi quæ poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera, ſacrilegáque miſcuerit, hanc à communione ſejunctam publicæ pœnitentiæ ſubjicit (*27): demum diſtributionem Eccleſiaſticorum bonorum à Simplicio traditam confirmat (o). (o) ib. c. 27.

(*26) EPIST. V. GELASII Papæ c. 11. apud Harduin. in T. II. CC.: *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, niſi certis temporibus & diebus, exercere non debent: id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed etiam & quadrageſimalis initii, ac medianâ Quadrageſimæ die, Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas. Nec cujuslibet utilitatis* (causâ) *ſeu Presbyterum, ſeu Diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati.* Vide apud Gratian. Diſt. 7.

(*27) In *Epiſt. Gelaſii* cap. 20. & cap. 14. C. XXVII. Q. I. apud Gratianum: *Virginibus autem ſacris temerè ſe quosdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum DEO propoſitum, inceſta fœdera, ſacrilegáque miſcere. Quos protinus æquum eſt à ſacra Communione detrudi, & niſi per publicam, probatámque pœnitentiam omninò non recipi: ſed tamen viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negatur.* Item Epiſt. Gelaſii c. 21., & Causâ cit. c. 42.: *De viduis ſub nulla benedictione velandis ſuperiùs latè duximus differendum: Quæ ſi propriâ voluntate profeſſam priſtini conjugii caſtitatem*

A. 495. *Synodus I. Romana sub Gelasio in causa Miseni*

13. Misenus intereà Cumanus Episcopus, qui demandatam sibi à Felice Papa legationem prævaricatione fœdaverat, ad communionem Ecclesiæ, unde ejectus fuerat, respectabat, timore non vano incitatus; ne (quod Vitali defectionis socio jam contigerat, adhuc anathematis vinculis illigatus, mortalitate solveretur (p). Gelasius multùm precanti hoc dandum putavit, ut in Synodo causa discuteretur: sedentibus itaque Romæ XLV. Episcopis, cùm Misenus libello publico, ac jurejurando interposito à se omnem erroris suspicionem amovisset; Pontifex voluit, ut communionem Apostolicæ & Sacerdotalis dignitatis gratiam reciperet (q). Eodem anno sub autumnum, vel paulò seriùs altera Synodus septuaginta Episcoporum Romæ celebrata est (r); cujus cura, consiliúmque in eo versabatur, ut libros (quos *Apocryphos* dicimus) à genuinis discerneret. Itaque primò volumina sacrarum Scripturarum tum novi, tum veteris Testamenti, quæ Ecclesia probat, suo numero ac ordine referebantur: dein opera Patrum quædam recensebantur, quibus apponebatur notitia librorum apocryphorum, quos Ecclesia Romana vel respueret, vel quibus dubiam authoritatem, aut fidem impenderet. Decretum ejusmodi nonnulli olim ad tempora Damasi aut Hormisdæ vel revocare, aut proferre conati sunt; sed argumentorum, quæ afferunt, vis adeò rem non evincit, ut meritò in eorum sententiam eamus, qui Gelasium hujus Decreti Authorem profitentur (†).

(p) in CC. T. II. nov. edit. Harduin. p. 943.

(q) ibid. p. 948.

(r) In CC. T. II. apud Harduin. p. 938.

(†) Reflexio III.

14. Postquam Gelasius intra Synodos rem Ecclesiasticam non parùm curaverat, multò plura extra Patrum cœtum suâ Apostolicâ authoritate fretus agenda suscepit; nam Lupercalium superstitionem Romæ adhuc vigentem sustulit (*28), atque ad Mani-

stitatem mutabili mente calcaverit, periculi ejus intererit, quali Deum debeat satisfactione placare; quia (juxta Apostolum) primam fidem irritam fecit. Sicut enim, si se forsitan continere non poterat, secundùm Apostolum, nullatenus nubere vetabatur; sic habitâ secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debuit custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere; sed solùm adhortationes præmii sempiterni, pœnásque proponere divini judicii; ut & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio &c.

(*28) *In Tom. IV. CC. apud Labbe* pag. 1234. extat Tractatus Gelasii *de Lupercalibus*, quorum celebrationem damnat, ex quo opere porrò constat, Gelasium instituisse, ut *Litaniæ* fierent *in die Purificationis B. M. V.*

Manichæorum reliquias penitùs extirpandas, id, quod jam Leo Magnus jusserat, novâ sanctione præcepit: scilicet ut ii, qui ab usu calicis hoc tempore abstinerent, inter Manetis discipulos numerati, exilium, aliásque statas pœnas subirent (*29). Præter alios Tractatus (de quibus alibi sermo erit) edidit Codicem de Missarum solemniis (*30), *fecítque Sacramentorum Præfationes & Orationes cauto sermone* (*31). Quibus laboribus piis per-

A. 496.

Gelasii scripta & statuta, piúsque obitus.

(*29) *C. Comperimus Dist. 2. de Consecratione* habetur Canon Gelasii sequens: *Comperimus, quòd quidam sumptâ tantummodò Corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam, nescio, quâ superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius, ejusdémque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* In quæ verba sic commentatur Pagius in Breviario PP. T. I. pag. 232.: " Superstitio Manichæorum erat, vinum esse fel Principis tenebrarum, & à diabolo creatum; unde Communionem sub specie vini sumere recusabant, ùt testatur Leo M. serm. 4. de Quadragesima. Ut igitur Catholico nomine latitantes proderentur, idem remedium adhibuit Gelasius, quo pridem Leo usus fuerat, præcipiens, ut sub utraque specie omnes communicarent: ne, si Catholici à calice abstinerent, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent: aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent, si idem facerent, quod Catholici sub specie sola panis communicantes. Cùm verò (ait Gelasius) divisionem Mysterii sine grandi sacrilegio provenire non posse, eosdem Manichæos perstringit, qui haustum vini respuentes tanquam fel diaboli, divina Mysteria procul dubio mutilabant, séque grandi sacrilegio obstringebant. His ex *Baronio* desumptis, & ex *Cardinalis Bonæ Lib. 2. Rer. lit. cap. 18.* ostendit, Communionem sub utraque specie nec divinitùs institutam, nec unquam antiquos Patres eam ad salutem necessariam esse docuisse; licèt semper & ubique ab Ecclesiæ primordiis usque ad Sæculi XII. sub specie panis & vini fideles communicârint. Profecisse porrò hujusmodi remedium ad Manichæos detegendos, planè docent, quæ *Auctor Libri Pontificalis* de GELASIO habet: *Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum Codices ante fores Basilicæ S. Mariæ incendio concremavit.*

(*30) *Index Bibliothecæ Abbatiæ Centulensis* (ùt refertur in Tom. IV. Spicilegii D'Achery) ita habet: *De Libris Sacrarii, qui ministerio altaris inserviunt, Missales Gregoriani tres, Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus, Missales Gelasiani XIX.* Intereà JOANNES DIACONUS in V. Greg. M. Lib. 2. c. 12. tradit, Gregorium Codicem Gelasianum in unum volumen contraxisse: demum PAGIUS in Brev. PP. affirmat, ex antiquis monumentis colligi, Gelasium *Collectarum* authorem fuisse.

(*31) SCHELSTRATUS in notis ad Lib. Pontif. scribit, extare in Bibliotheca Vaticana MS Sacramentarium ante mille annos exaratum, in quo continentur *Præfationes* ante Gregorii tempora receptæ, quas dictus Author tribuendas Gelasio putat. Cæterùm CARDINALIS BONA Lib. 2. Rer. lit. c. 10. advertit, usum Præfationum jam in primis Ecclesiæ exordiis viguisse. Idem dicendum de *Canone*, quem aliqui perperàm Gelasio adscribunt; nam VIGILIUS Papa in Epist. ad Eucherium testatur: Canonem *ex Apostolica traditione suscepimus*; & CONCIL. TRIDENT. sess. 22. c. 4. constare Canonem docet ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum

(s) Pagius in Critic. ad an. 496. N. 2.

Anastasius II. Papa.

(t) Anastasii epist. ad Clodoveum in CC. T. IV. apud Labbe. item in Spicilegio d'Achery T. V.

A. 497.

(u) Epist. I. Anastasii in CC. T. IV. apud Labbe.

Anastasius mittit Legatos in Orientem.

perfunctus, ad Dominum migravit XIX. Novembris anno CCCCXCVI. (s), cui post sex dierum intervallum ANASTASIUS II. natione Romanus successit. Hujus Pontificis exordia tantò lætiora erant, quanto gratiùs nuncium ex Gallia ferebat, Clodoveum Francorum Regem eodem anno ac mense, quo Anastasius Petri Cathedram obtinuerat, lavacro salutis regeneratum Christo nomen dedisse (t). Amplectebatur Pontifex missis literis novum Ecclesiæ Alumnum, quem Christianum Principem dum tenero lætitiæ sensu Papa stringebat, spem non vanam conjiciebat, fore, ut & Anastasius Imperator ad Ecclesiæ sinum, à quo se separâsset, reverteretur. His votis incensus Pontifex pro pace Orientalium concilianda ad Imperatorem dabat literas (u), quibus flagitabat, ut amandato ex diptychis Acacii nomine, Imperator Alexandrinos ad sinceram fidem reduceret. Hæc ut faciliùs consequeretur Pontifex, Legatos misit duos Episcopos Cresconium Tudertinum, & Germanum Capuanum: qui ubi Constantinopolim venerant, omnia ad concordiam expedita videbantur; nam in tribus sedibus novi Patriarchæ rem agebant, & Constantinopolitano Euphemio in exilium ejecto Macedonius surrogatus fuerat, ab abstinentia, aliísque virtutibus commendatus: Athanasio Alexandrino Joannes Presbyter: Palladio Antiocheno Flavianus. His itaque ad clavum sedentibus, Legati sperabant, se officio benè functuros; sed aliter (ac conceperant) evenit: Imperatore quippe ad omnes preces obdurato, vel Legatorum conatus per insidias eludente, nec Constantinopolitano Antistiti, nec Antiocheno animus fuit, à schismate discedere: & licèt Alexandrini libellum supplicem Legatis porrigerent, quo communionem cum Romana Ecclesia rogitabant; fucum tamen hunc potiùs fuisse, ex libelli argumento patuit. Prærerquàm enim, quòd Chalcedonensis Synodus ibi alto silentio transmitteretur, tum etiam palàm instabant, ut deinceps Dioscori, Timothei Æluri, & Petri Mongi damnatorum memoria in sacris tabulis celebraretur (x). Re infectâ posteaquàm Legati redierant, Constantinopoli adhucdum Festus Romanus Senator mo- [illegible] rabatur,

Legatio fructu caret.

(x) In Actis CC. T. IV. apud Labbe V. edit.

ctorum Pontificum institutionibus: post Gregorium tamen Magnum nullus Pontificum Canoni aliquid addidit, aut immutavit. Vide Card. Bonam l. c. c. 11.

rabatur, ad civilia negotia transigenda, quorum causâ Legatos Pontificis in Orientem secutus fuerat. Is pro ea, quâ apud Imperatorem valebat, gratiâ, impetratum ibat, ut festivitas SS. Petri & Pauli Constantinopoli majore splendore, quàm anteà, perageretur (y). Quod ubi obtinuerat, quasi vices beneficio redditurus, Imperatori promisit, se effecturum, ut Anastasius Papa ad Henotici subscriptionem impelleretur. Literis inde ab Imperatore acceptis Festus Romam revolat: sed antequam urbem ingrederetur, Pontifex jam è vivis decesserat die XVII. Novembris anno CCCCXCVIII. (z)

Festi prævaricatio.

(y) Theod. Lect. l. 2.

Obitus Papæ Anastasii.

(z) Pagius in Critic. ad an. 458. n. 2.

14. Festus, mortuo Anastasio, fremens, se operam perdidisse; multis pecuniâ corruptis, Laurentium Romanum ArchiPresbyterum Pontificem eligendum curat, eo consilio, ut is, subscripto Henotico, promissis ac voluntati Cæsaris faceret satis. Sed dum hæc agitat, major pars Cleri SYMMACHUM natione Sardum Pontificali fastigio imponebat (a): itaque eâdem die XXII. Novembris duo ordinati sunt, Symmachus quidem in Basilica Constantiniana: Laurentius verò in Basilica S. Mariæ; exortis inde in Clero & Senatu dissidiis, ad cruentas usque cædes processum est (b). Causa demum tota, quòd ex Odoacris lege non deberet Pontifex creari sine consensu Regis Italiæ, ad Theodoricum Ostrogothum delata est: hic, licèt Arianus Princeps, utprimùm cognovit, Symmachum priùs ordinatum, & pluribus electum esse suffragiis, secundùm ipsum sententiam dixit. Compresso ad tempus incendio, Symmachus Kalendis Martii anno CCCCXCIX. Synodum convocat, in qua de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, & de præcludenda Schismaticis via duo capita decreta sunt: & primò cujusvis Ordinis Clerici loci sui dignitate ac Communione privandi pronunciabantur, quicunque incolumi adhuc Pontifice, alteri eligendo suum suffragium polliciti fuissent: secundò, ut post obitum Papæ ille Apostolicæ Sedis consecraretur Episcopus, qui totius Ordinis Ecclesiastici consensione electus esset: vel si studia essent diversa, vinceret sententia plurimorum: sic tamen, ut careret Sacerdotio, qui captus promissione, non recto judicio de electione decrevisset (c). Alteram Synodum idem Symmachus coëgit anno Christi

(a) Theod. Lect. l. 2.

Symmachus Papa, & Laurentius Antipapa.

(b) Paulus Diac. l. 17.

Schismatis causa ad Theodoricum Arianum defertur.

A. 499.

Symmachus in Papatu confirmatus colligit Synodum.

(c) Acta Synodi Rom. in CC. T. II. apud Harduin. p. 959.

A. 500.

Synodus II. Romana.

A. 502. Christi quingentesimo, cujus institutum erat, turbis, quæ adhuc serpebant, modum ponere; quare Patres Laurentium schismaticum, ut proposito absisteret, Nuceriæ Episcopum creârunt (d). Hâc ratione per aliquot annos Roma quievit, quo tempore, scilicet anno DII. in tertium Concilium LXIV. Episcopi cum Pontifice convenerunt, illas leges abrogaturi, quibus Princeps Odoacer Ecclesiæ libertatem afflixerat: itaque quod Basilius Præfectus Prætorio sanxerat, ne absque Italiæ Regis consensu electio Romani Pontificis fieret, aut ne liceret Papæ quidquam ex Ecclesiæ bonis alienare, tanquam irrita decreta, & à laica duntaxat potestate profecta capita procul amandabantur; suâ tamen ipse Pontifex auctoritate constituit, ne cui fas esset, prædia Ecclesiarum sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre (e). Tertius jam post quingentesimum annus labebatur, tum schismatis furor pejùs recruduit; Festus namque & Probinus evocantes Nuceriâ Laurentium, falsos subornabant testes, qui apud Theodoricum adulterii Symmachum Papam accusarent, ídque Ravennæ in aula Regis agerent, ut Visitator mitteretur, qui causam discuteret. Missus est Romam Petrus Altinæ (urbis prope littus Venetiæ positæ) Episcopus, qui in Laurentii partes inclinatus, tumultum auxit (f). Quare Theodoricus Symmacho consentiente, Synodum Romæ celebrari jussit, quæ à loco, ubi agebatur, *Palmaris* nomen obtinuit (*32); præsidentibus Laurentio Mediolanensi, & Petro Raven-

(d) Vide Pagium in Critic. ad an. 502. n. 4.

Synodus III. Romana.

(e) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 976.

A. 503. *Recrudescit schisma.*

(f) Ennod. libell. Apol. apud Sirmond. T. I.

Synodus Palmaris.

(*32) ACTA SYNODI PALMARIS apud *Harduin.* in T. II. CC. p. 967.: *Cùm ex diversis Provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes Regia præcepisset authoritas, ut de his, quæ Venerabili Papæ Symmacho Apostolicæ Sedis Præsuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum Concilium judicaret.... Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus* (Symmachus) *debuisse Synodum convocare; scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili facilè forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrâsse significavit: unde à mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat: hásque dari Sacerdotibus sine tarditate constituit: & quidquid in eodem negotio actum est, scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus Dei prosecutione præventum est. Et dum in venerabili Collectione sermo de incipiendo haberetur negotio, prout*

Ravennatenſi, dum ſermo de incipiendo negotio in Baſilica Julii habebatur, Papa Symmachus ingreſſus eſt; atque ut multis ſcrupulum eximeret, utrùm hæc legitima congregatio à Theodorico indicta dici poſſet, gratum & è voto ſuo Regem egiſſe teſtabatur; dein, antequam accuſatoribus reſponderet, amoto Viſitatore, ſuo gradui ipſe reſtitui poſtulabat (g). His ad Theodoricum relatis, operâ Laurentii Patronorum effectum eſt, ut Rex juberet, Pontificem ante patrimonii & Eccleſiarum receptionem cum adverſariis diſceptare (†). Conventus igitur ſecundus in Baſilica Seſſoriani Palatii cogebatur, ubi aliquibus Sacerdotibus è re viſum eſt, libellum accuſatorum à Synodo ſuſcipi: in eo duo erant (h), quæ vel in veritatem, aut in Canones peccabant; nam primò crimina Symmachi Theodorico jam patere mentiebantur: dein mancipia tradi volebant, quorum illicito teſtimonio criminibus fidem ſe facturos putabant. Intereà dum veniret Pontifex cauſam dicturus, ab irruentibus æmulorum turbis ita tractus eſt, ut multi Presbyteri, qui comites ejus erant, cædis periculo proximi forent (i). Rebus undequaque ad ſeditionem ſpectantibus, Synodus literis Regi nunciat, Symmachum, qui vi & injuriâ penè fuiſſet oppreſſus, à ſtatutis Canonibus ultrà compelli haud poſſe. Theodoricus Patribus reſpondit, *in Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere*, ſéque tantùm velle, *ut proviſione Concilii pax in civitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur.* Synodus hoc reſponſo accepto, decrevit, ut Symmachi cauſa divino judicio ſervaretur, & ab æmulorum criminationibus liber, purúſque ſceleris declaratus, ſacra Pontificatûs miniſteria obiret; Clerici verò, qui ab eo defecerant, ubi pro delictis ſatisfeciſſent, officiis ſuis ex miſericordia reſtituerentur (k). Laurentius Synodi authoritate nequaquam territus, à molitionibus nihil diſcedendum cùm putaret,

(g) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 968.

(†) REFLEXIO IV. *Falsò accuſatur Symmachus.*

(h) ibid. p. 968.

(i) ibid. p. 969.

Ad Laicos de ſacris ſtatuere non pertinet.

Synodus cauſam Pontificis divino judicio reſervat.

(k) ibid. pag. cit.

prout poſcebat cauſæ tractatus, ſanctus Papa Symmachus Baſilicam Julii, in qua Pontificum erat congregatio (prout habuit cura cæleſtis) ingreſſus eſt, & de evocatione Synodali Clementiſſimo Regi gratias retulit, & rem deſiderii ſui eveniſſe teſtatus eſt. Cauſa ergo de Sacerdotum animis (quæ de Concilio nondum firmato triſtitiam miniſtrabat) abſciſſa eſt.

taret; Symmachus tumultuum fontem obstructurus, eundem in exilium mitti curavit. Sed quanquam factionum caput hâc ratione amoveretur, membra tamen commotiunculas aliquas ostentabant, quarum originem in opere ab illis contra Synodum, ejúsque sententiam edito cernere licebat. Ennodio Ticinensi Diacono inde demandata cura est, ut Apologiam criminantium libello reponeret; quæ ubi ad absolutionem pervenit, ab Episcopis in Synodo quinta paulò pòst congregatis (l) approbata est & pœna in obtrectatores dictanda fuisset, nisi Pontifex exemplo Domini, culpas etiam hostibus dimittentis, justè damnandos conservari petiisset. Pontificum nihilominùs honor poscebat, ut antiqui Canones, quos Symmachi hostes proculcâssent, restituerentur: cavebatur itaque, ne oves in Pastorem, nisi à recta fide aberrârit, rebellare præsumant, útque Episcoporum causa non antè instituatur, quàm ablata receperint; demum, ne inimici, aut de simultate, ac vitæ conditione suspecti inter Episcoporum accusatores locum, numerúmque habeant (m). His Decretis sexta Synodus hoc apponendum voluit, ut invasores rerum Ecclesiasticarum, aut nefasti usurpatores communione, ínque modum Hæreticorum abdicentur (n).

Ennodii Apologia pro Symmacho. A. 504.

Synodus V. Romana.

(l) Pagius ad an. 503. n. 11.

(m) Acta CC. T. II. apud Harduin. p 985.

Synodus VI. Romana.

(n) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 989.

15. Eodem tempore, quo Symmachus cum factiosis Romæ confligebat, ab Imperatore quoque Anastasio impetebatur: mordebat nimirum Cæsarem, quòd, cùm æquè à Sede Apostolica damnato Acacio, ac Hæreticis faveret, à Pontificis, Ecclesiæque Romanæ communione sejunctus diceretur. Ægrè proinde facturus Papæ, illi Manichæi nomen, labémque impingebat, à qua infamia ut se Symmachus purgaret, in Cæsarem telum retorquebat, eundem Eutychianæ sectæ Patronum vocans, cujus furor Manichæorum errori quàm maximè suffragaretur: dein non Pontificis odio, sed contumaciâ Athanasii Cæsaris evenisse notabat, ut in anathema præceps iret: summum Antistitem nequaquam Regiæ potestati subjacere, neque hunc Principi parere posse, siquidem hic ea statuat, quæ Dei Legi adversentur (o). His Athanasius Imperator emendatus adeò non est, ut in dies ad pejora rueret. Bellum, quod Imperatorem inter & Persas adhuc fervebat, tempestatem à Catholicis nonnihil cohibuit; sed pace factâ,

Symmachi Apologia adversùs Anastasium Imp.

(o) Acta CC. T. IV. apud Labbe vet. edit.

factâ, bellum palàm Orthodoxis Anastasius indixit (p): neque defuerant, qui molitionibus Cæsaris manum suppeditarent (q). Eleusius Asemensis Episcopus, atque è Manichæorum secta quidam Syro-Persa & Xenajas prima flabella dabant, quibus seditio contra Macedonium Constantinopolitanum, Episcopos, aliósque Orthodoxos ventilaretur. Ardente per Orientem incendio, in Afrorum Ecclesiis persecutionis æstus pejùs reflagrabat; nam Trasamundus intereà Orthodoxos præmiis & honoribus periculo majore evertere cœperat: & maximum rei Catholicæ exitium hâc arte illatum fuisset, nisi Fulgentius Ruspensis Episcopus suo zelo ac eloquentiâ (r) ita cæteros Præsules accendisset, ut maluerint in Sicilia esse gloriosi exules, quàm Africæ perversi cives (s): quorum Confessorum fidem Papa Symmachus suis hortationibus, & charitatis beneficentissimæ obsequiis sustentavit (t).

(p) Theod. Lect. l. 2. A. 506.
(q) Theophanes. Evagrius l. 3. c. 31.
Anastasius persequitur Orthodoxos.
(r) Vita Fulgentii apud Bollandum I. Januar.
Persecutio Africana.
(s) ibid. c. 20
(t) Liber Pontifical.

16. Sub idem tempus ab Alarico Visigothorum Rege amplior pax rei Catholicæ concessa in Hispaniis fuit; eodem quippe permittente, viginti quatuor Episcopi Agathæ in urbe Provinciæ Narbonensis pro restauranda disciplina Synodum celebrârunt, condiderúntque quadraginta septem Canones, quibus alii viginti quinque posteà sunt additi ex statutis aliorum Conciliorum, præsertim Synodi Epaonensis: præceperant autem præcipuè Patres, ne bigami Clerici ministrent (u), útque Clericis contumacibus, aut qui furtum in Ecclesia fecerint, peregrina communio tribuatur (*33). Dein multa disposuêre de vita & honestate Clericorum (*34), de Monialibus & Mona-

Marian. Scotus in Chronico.
Concilium Agathense. A. 506.
(u) in CC. T. II. apud Harduin. p. 998. c. 1.

(*33) CONCILIUM AGATHENSE cap. 2.: *Contumaces Clerici (prout dignitatis ordo permiserit) ab Episcopis corrigantur: & si qui prioris gradûs elati superbiâ, Communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur* &c. Item Can. 5., nempe in eodem loco ac statu collocabantur, in quo erant Clerici peregrini, qui sine literis commendatitiis extra propriam Diœcesin peregrinabantur, qui benignè quidem habebantur Ecclesiæ sumptibus, à munerum tamen usu, & communione Clericorum arcebantur.

(*34) CONCILIUM AGATHENSE cap. 9.: *Placuit etiam, ut, si Diaconus, aut Presbyteri conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint; Papæ Innocentii ordinatio, & Siricii Episcopi auctoritas (quæ est his Canonibus inserta) conservetur.* C. 16.: *Episcopus benedictionem Diaconatûs minoribus, quàm 25 annorum, penitùs non committat.*

Monachis (*35), de consecratione altarium, de tempore, quo Laici communicare debeant; item de Missis celebrandis aut au-

S. Cæsarius. diendis (*36). S. Cæsarius Arelatensis Episcopus huic Agathensi Synodo præfuit, vir multis adversis exercitatus; nam proditionis falsò accusatus, à calumnia purus, & ab exilio bis incolumis redivit (x): restitutus Ecclesiæ suæ, Monialium & Monachorum specialem curam gessit, quibus diversis diversam Regulam præscripsit (*37).

(x) Acta Benedicti T. I. Pagius ad an. 508. n. 10.

A. 508.

Ejus regula.

17. Dum

tat. Sanè si conjugati juvenes consenserint ordinari; etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione præmissâ, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. C. 17.: *Presbyterum verò vel Episcopum ante* 30. *annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem veniat, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat.* C. 20.: *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur; vestimenta vel calceamenta etiam eis, nisi quæ religionem deceant, uti vel habere non liceat.* C. 33.: *Episcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium, quàm Ecclesiam reliquerit hæredem, si quid de Ecclesia, non in Ecclesiæ causa, aut necessitate præsumpsit, quod distraxit aut donavit, irritum habeatur.* C. 39.: *Presbyteri, Diaconos, Subdiaconos, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.* C. 41.: *Clericum, quem ebrium fuisse constiterit, triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* C. 42.: *Clericus vel Laicus, qui studet auguriis, vel per eas, quas sortes Sanctorum vocant, divinationis scientiam profitetur, ab Ecclesia habeatur extraneus.*

(*35) CONCILIUM AGATHENSE cap. 19.: *Sanctimoniales ante annum ætatis suæ XL. non velentur, eæ scilicet, quæ in paternis ædibus vivunt.* C. 27.: *Monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente, aut probante, nullus incipere, aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes ad officium Clericatûs, nisi eis testimonium Abbas suus dederit,... non ordinentur,... si necesse fuerit, Clericum de Monachis ordinari, sine consensu & voluntate Abbatis id non præsumat Episcopus.* C. 28.: *Monasteria longiùs à Monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur.*

(*36) IBIDEM Can. 14.: *Altaria placuit non solùm unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*: Sacerdotis nomine Veteres significabant sæpè Episcopum. C. 18.: *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha & Pentecosten non communicaverint, Catholici non credantur.* C. 21.: *Oratoria in agris, in quibus Missæ celebrentur, propter fatigationem familiæ permittit, eâ lege, ut solemniores festivitates celebrent in civitatibus, aut in parochiis.* C. 47.: *Missas die Dominico à sæcularibus totas teneri, speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.*

(*37) COINTIUS *Regulam Monialium* à S. Cæsario factam explicavit ad annum 536. n. 47. &c. Regula eadem Monialium extat apud SIRMONDUM T. I. in quadraginta quatuor capita distincta, cujus hæc sunt præcipua: 1. Nulla ex vobis usque ad mortem suam de Monasterio egredi, vel ipsam Basilicam, in qua januam haberis, aut permittatur, aut per se ipsam præsumat exire. 2. Unum Probationis annum eis præscribit in habitu laico. 3. Bonis se abdicent. 4. Ancillam propriam nulli, nec etiam Abba-

17. Dum medios inter Arianos Occidentales Ecclesiæ ad majorem indies sanctitatem proficiebant; unus in Oriente Anastasius Ecclesiarum pacem, ac vigorem penitùs prostravit (y). Neque enim (ùt antè) dissimulari tantùm volebat Chalcedonensem Synodum, sed & diris quibusdam ejurari: furenti Cæsari Macedonius Constantinopolitanus obstitit fortiter; quare in ejus locum Timotheum virum impudicum & hæreticum subrogari fecit (z). Facinus Imperatoris vel ipsis Schismaticis, & qui Henotico nomen dederant, displicuit; fucum proinde depositioni peractæ aspersurus Imperator, Sidone Synodum congregat Episcoporum: inter hos cùm essent Flavianus Antiochenus, & Elias Hierosolymitanus; hi passi non sunt, ut judicium iniquum adversùs Macedonium institueretur (a). Pupugit enimverò Cæsarem res infecta: atque ut ulcisceretur injuriam, utrumque Præsulem sede expellere decernit. Magnus Sabas equidem suis precibus ab Imperatore impetraverat, ne quid mali tunc in Eliam statueretur (b); at Flaviano pejor instabat procella: in hunc enim Xenajas Monachos per Syriam adeò concitaverat, ut, cùm Antiochiam irrumpentes, Patriarcham ad damnandam Synodum Chalcedonensem cogere pararent, non aliter, ac funestâ multorum cæde regressi sint (c). Flaviano inde magna apud Imperatorem invidia fuit: qui inter catenas eundem abduci (d), & pro eo impium Severum (* 38) substitui jussit. Synodicas is, ex

(y) Theophan. ad an. Incarn. Alex. 501. & 502. A. 510. 511.

Persecutio Anastasii Imperatoris in Oriente.

A. 512.

(z) Idem ad an. Incarn. juxta Alex. 504., juxta nos 511.

(a) Libellus Synod.

(b) Vita S. Sabæ apud Cotelerium c. 58....

(c) Evagr. l. 3 c. 32.

(d) Id. c. 33.

Flaviano Antiocheno surrogatur Severus impius.

Abbatissæ liceat in servitio suo habere 5. Jubentur omnia agere ex præscripto Senioris. 6. Serovenientibus pœnas præscribit. 7. Non concedit, ut castigata arguenti respondeat. 8. Cavet, ne quæpiam sibi aliquid proprium vendicet; porrò prohibet, ne munuscula vel mittant exteris, aut ab iis accipiant, ac litigent, aut in se invicem manus mittant; ne quis virorum Monasterium & Oratoria ingrediatur, exceptis Episcopis, Provisore, & Presbytero, & Diacono, & Subdiacono, & duobus Lectoribus, quos ætas & vita commendat; postremùm Matri vel Præpositæ charitatem erga infirmas & liberalitatem commendat. *Altera Regula* est *pro viris*: in hac S. Cæsarius specialiter præcipit abstinentiam à carne: dein, ut perfectis Missis dicant Matutinos, sive Laudes, scilicet: *Exaltabo te, Deus meus! Confitemini, Cantemus Domino.... TE DEUM LAUDAMUS*; ex hoc confutatur illorum opinio, qui Sigebertum Monachum Benedictinum Authorem Ambrosiani hymni fuisse tradiderunt, siquidem S. Cæsarius hanc Regulam scripsit viginti annis antè, quàm S. Benedictus solitudini se daret.

(* 38) *In Epistola Agathonis Papæ* recitantur fragmenta quædam de SEVERI operibus, unde, quæ hæresis ejus fuerit, facilè colligas: Severus hæreticus in Prosphonetico

ſis, ex quo Patriarchæ vices arripuerat, ad Eliam Hieroſolymitanum miſerat, ſed repulſam tulit: ac ne ſecundò ſcribenti communio daretur; Saba in ſanctam civitatem aſcendens unà cum aliis eremi Hegumenis, eos, qui cum Severi literis venerunt, urbe expulit, & præſentibus Imperatoris Legatis inter conclamantium Monachorum voces anathema Severo dixit (e). Coſmas Epiphaniæ, & Severianus Arethuſæ Epiſcopi aliquantò plura auſi ſunt: hi enim Aurelio Archidiacono injunxerant, ut depoſitionis libellum Severi manibus conſignaret. Ferociam Patriarchæ Aurelius reformidans, ad eum veſte muliebri veſtitus acceſſit: velóque, quo caput contexerat, ad pectus uſque demiſſo, ſupplicantis ſpeciem ferens, Severo obviàm facto depoſitionis ſententiam ſcriptam tradit, tum per mediam turbam ſe ſubducens, fugâ ſalutem quæſivit. Severus de authoribus rei certior, Coſmam & Severianum ſedibus dejicere, irrito tamen conatu inſtituit (f).

(e) Evagr. l. 3. c. 33.

Depoſitionis libellus Severo non ſine arte traditur.

(f) Id. c. 34.

18. Symmachus Orientales, ne è ſchiſmate in hæreſin abirent, literis ad concordiam revocare adnitebatur; neque illi Pontificis monitis repugnabant, quin parati ad omnia multis precibus communionem inſuper rogitabant; quam impetrâſſent, niſi Acacii damnationi ſubſcribere renuiſſent (g). Lætior nihilominùs alibi eodem tempore florebat pacis Eccleſiaſticæ vigor; nam in Gallia ſub Clodoveo multa Monaſteria atque Eccleſiæ ſurrexerant: atque ut non minor animorum, quàm ædificiorum haberetur cura, *Aureliani* duo & triginta Epiſcopi conſedêre,

(g) Act. CC. vet edit. apud Labbe T. IV.

A. 511.

Synodus Aurelianenſis.

netico ſermone facto in Daphne, in Martyrio S. Euphemiæ ſic ait: *Anathematizamus Synodum Chalcedonenſem, & Tomum Leonis Præſulis Romanæ Eccleſiæ, & eos, qui dicunt, vel dixerunt in duabus naturis unum Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, poſt ineffabilem & incomprehenſibilem unitionem, & conſequenter earum duas operationes, aut proprietates. Quoniam igitur unus eſt operans, una eſt ejus operatio, & motio operatoria.* ANASTASIUS SINAITA c. 18. hæc verba porrò Severi refert: *Quemadmodùm* (ait) *unius in homine naturæ alia pars eſt anima, alia corpus: ſic & in Chriſto, ejúſque una natura, unam partem eſſe Divinitatem, alteram corpus.* Monotheliſtæ hanc ejus hæreſin poſteà ſecuti ſunt. CYRILLUS in V. Sabæ erroris hujus principium oſtenſurus, ait de Severo: *Affirmans hypoſtaſim eſſe naturam, naturámque hypoſtaſim, nullámque differentiam in his nominibus agnoſcens, adorandam & conſubſtantialem divinarum hypoſtaſeon Trinitatem, naturarum ac Deorum Trinitatem dicere auſus eſt* Epheſinam ſecundam Synodum recipiens, priori parem affirmabat, Cyrillúmque & Dioſcorum æquales eſſe in Doctoribus, ac ejuſdem ſecum ſententiæ.

ſedêre, cujus Synodi XXXI. Canones agunt de aſylo, de bonis Eccleſiaſticis, eorúmque adminiſtratione, de Epiſcoporum poteſtate in Abbates; demum de Rogationibus ante Aſcenſionem Domini per omnes Eccleſias celebrandis (*39). In Gallia Narbonenſi Cæſarius multis virtutibus præfulgebat; quare Pontifex Symmachus Clerum, Virginéſque ſacras in tanti Epiſcopi exemplum provocaturus, iis pro diſciplina leges quaſdam præſcripſit: Cæſario autem, ut porrò authoritatem majorem conciliaret, Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiarum diviſionem confirmavit (h), & ſancto Præſuli non tantùm uſum Pallii, ſed & Diaconis ejus, cùm anteà tunicis induerentur, ad Romanæ inſtar Eccleſiæ Dalmaticarum habitum conceſſit (i). Demum eidem S. Cæſario privatim indulſit, ut invigilet circa ea, quæ tam in Galliæ, quàm in Hiſpaniæ Provinciis, nempe quæ Gothis parebant, de cauſa Religionis emerſerint, convocet Epiſcopos, qui Romam ſine ejus noticia venire non poſſent (k). Non minore ſollicitudine ac zelo circa idem tempus Theodorus Laureacenſem Eccleſiam in Norico poſitam excolebat, unde Papa hunc quoque ornavit Pallio, & collatis ejuſmodi inſignibus, illum Pannoniorum

Decretales Symmachi.

(h) Acta CC. in T.IV. vet. edit.

A. 513.

(i) Acta Ss. Benedict. T.I

(k) Acta CC. T.IV. vet. edit. apud Labbe.

(*39) CONCILIUM AURELIANENSE (utì videre eſt apud Harduin. in T.II. CC. p. 1009.) unum & triginta Canones condidit, ex his inſigniores ſunt ſequentes: I. *De homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſervandum,... ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Eccleſiæ, vel domo Epiſcopi eos abſtrahi omnino non liceat, ſed nec aliter conſignari, niſi ad Evangelia datis ſacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri. Quod ſi ſacramenta ſua quis convictus fuerit violâſſe, reus perjurii non ſolùm communione Eccleſiæ, vel omnium Clericorum, verùm etiam & à Catholicorum convivio ſeparetur.* XIV. *Antiquos Canones relegentes priora ſtatuta credidimus renovanda, ut de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vindicet, & medietatem diſpenſandam ſibi ſecundùm gradus Clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in Epiſcoporum poteſtate durantibus.* XV. *De his, quæ parochicis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum Canonum ſtatuta ſerventur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant.* XIX. *Abbates pro humilitate Religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant; & ſi quid extra Regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur: qui ſemel in anno in loco, ubi Epiſcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant.* XXVII. *Rogationes, id eſt, Litanias ante Aſcenſionem Domini, ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari; ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur: per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magìs plebs univerſa conveniat: quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.*

A. 514. rum Metropolitam ac Magistrum pronunciavit (l): quibus peractis, Pontifex Symmachus obiit die XIX. Julii anno DXIV.

Obitus Symmachi.

(l) Epist. 1. Symmachi ad Theodor. loc. cit.

Hormisdas Papa.

(m) Pagius ad a. 514. n. 4.

19. A morte Symmachi septem diebus vacaverat Sedes; tum HORMISDAS Diaconus, natione Campanus, & Frusione natus, à Clero delectus est (m). Electio hæc id singulare habuit, quòd, cùm Laurentii schismate Clerus, populúsque divisi essent, nunc ad antiquam concordiam reverterentur. Quò tranquilliùs verò Romæ agebatur, eò turbulentior tempestas Constantinopoli cœpit: præceperat Imperator Anastasius, ut in supplicationibus populus Trisagio voces illas adderet: *Qui crucifixus es pro nobis*, & multos, qui additamentum ægerrimè ferebant, primò in iras, dein in cædes incitavit (n): Vitalianus Orthodoxorum causam contra Cæsarem acturus, arma corripit. Imperator ùt res suas in Oriente deploratas esse cognovit, quidquid Vitalianus exegerat, simulatâ perfidiâ se facturum pejerat; pollicebatur autem, se Macedonium restituturum, Concilium Heracleæ coactum iri, & ad illud Pontificem Romanum evocandum (o). Indicto igitur Heracleæ Concilio ad Hormisdam literas, quibus eundem ad Synodum sequenti anno ad Kalendas Julias celebrandam invitabat; atque ut rem seriò agi fingeret, mox alias ad Papam subjunxit (p). Binis epistolis totidem responsa Hormisdas reddidit: & primò quidem Anastasii zelo commendato, quoad Concilium, per Legatos se responsurum pollicebatur: posteà per aliam paginam scripsit, se adfuturum Synodo; quamvis nulla antiquitatis monumenta probarent, Decessores suos Orientalibus Conciliis per seipsos adfuisse: id tantùm se poscere, ne Chalcedonensium Patrum Decreta traherentur in dubium, útque Dioscori, Timothei Æluri, Petri Mongi, Acacii, aliorúmque Eutychis Patronorum nomina damnarentur. Antequam Cæsar his responderat, Pontifex continuò Legatos misit Ennodium, Fortunatúmque Episcopos, Venantium Presbyterum, & Vitalianum Diaconum: qui commonitorio amplissimo (q) instructi ubi Constantinopolim venerant; Anastasius (cui fallere, & moras trahere propositum erat) Legatos artibus malignis delusos remisit, in hanc sententiam Hormisdæ rescribens, se Nestorium & Eutychetem execrari, tum Synodum Chal-

(n) Theophan. ad an. 22. Anastasii. Evagr. l. 3. c. ult.

Turbæ novæ in Oriente.

A. 514.

(o) Theophan. ad a. 23

(p) Acta CC. vet. edit. T. IV. apud Labbe.

Hormisdas mittit Legatos in Orientem.

A. 515.

(q) Acta CC. l. c. Baron. ad a. 515. N. 24.

Chalcedonensem se recipere simulat, ambiguis verbis usus, mirari se, cur de ea scripserit Papa, cùm nec alia Synodus, nec ipse legibus suis ejus statuta solverit. De Acacio demum subjungebat, sibi grave videri de Ecclesia propter mortuos, vivos expelli; præsertim cùm is citra cædes & seditiones populi ex diptychis expungi nequeat: sperare tamen, se omnia in melius per Concilium dispositum iri. Quæ verò de jactata modò Synodo Imperatori mens fuerit, inde patebat, quòd, cùm Heracleam ducenti Episcopi convenissent, à scelesto Cæsare, & à Timotheo Constantinopolitanæ Sedis Raptore miserabiliter decepti, re infectâ recesserint. Necdum Legati ex Oriente emigraverant, tum Anastasius iis duos ex suis adjungit, Theopompum & Severianum, qui pleniùs de pace Ecclesiarum concilianda cum Pontifice tractarent (r). Ferebant illi ipsi literas ad Senatum Romanum, quarum argumento Imperator impellebat Primores, ut negotium pacis apud Pontificem, & Theodoricum Regem urgerent (s). Hormisdas, cui necdum dolus Cæsaris suboluerat, citra moram datâ epistolâ suum concordiæ studium testabatur: idem affirmabant suis literis Senatores Romani, qui porrò recipiebant Anastasio, pacem in propinquo fore, dummodo Acacius damnaretur. Spem intereà Pontificis augebant Episcopi Dardaniæ & Illyrici, Epiri Metropolita, aliíque Thraces, qui à Schismaticorum partibus ad Romanæ Ecclesiæ communionem transgressi, Chalcedonensem Synodum palàm prædicabant (t). Quare ad redintegrandum cæterarum quoque Ecclesiarum vinculum, novam Legationem ad Anastasium mittit; pérque missos Episcopos Cæsarem gravissimè cohortabatur, ut rejecto Acacio, plures alios salvos vellet (u): sed Imperator multùm in epistolam Pontificis stomachatus, Legatos velut duros nuncios abesse jussit (x). Hoc dato signo, Severus Antiochenus, & Petrus Apameensis Monachos secundæ Syriæ, sive Maronitas Chalcedonensis Synodi defensores cædibus, aliísque modis pessimis afflixerunt (*40). Quæ ubi tum ex Legatorum responso,

Perfidia Anastasii Imperatoris.

A. 516.

(r) Baron. ad a. 516. n. 4.

(s) Idem l. c. n. 5.

Provinciæ multæ recedunt à Schismaticis.

(t) Epist. 10. Hormisdæ apud Labbe.

A. 517.

(u) Epist. Hormisdæ 18.

(x) Epist. 20 Theophan.

Orthodoxorum persecutio & cædes.

(*40) *Epistola Archimandritarum* ad Hormisdam (quæ est inter epistolas Hormisdæ 21.) sic habet: *Severus & Petrus, qui nunquam in Christiano numero reputati sunt, ...*

responso, tum ex Maronitarum literis Hormisdæ nunciata sunt, indoluit Orientis casibus (y), nec alio magis solatio reficiebatur, quàm quòd in Occidente Pastores gregem suum intra disciplinæ septa constringere laborarent.

(y) Epist. Hormisdæ 30.

Synodus Tarraconensis.

20. *Tarracone* in Hispania anno DXVI. jam in Synodum congregati Præsules negotiationem, usurásque Clericis ac Monachis ministerium Ecclesiasticum interdixerant, ac præceperant insuper annuas Ecclesiarum visitationes Episcopis (*41); tum anno sequente DXVII. *Gerundæ* septem Episcopi decem Canones edidêre, qui spectant Missarum ordinem, Litanias post solemnitatem Pentecostes celebrandas, tempus conferendi Baptismi, quódque parvuli infirmi lavacro salutis citra moram ablui debeant, quæ statuta Hormisdas datis ad Hispaniæ Episcopos literis confirmavit (*42). Quemadmodùm verò in Hispania sollicitè disci-

Synodus Gerundensis.

A. 517.

sunt,... cogentes nos illudere Synodum Chalcedonensem euntibus nobis ad Mandram Domini Simeonis pro causa Ecclesiæ, insidiati sunt in itinere, & occiderunt ex nobis trecentos quinquaginta viros, quosdam autem vulnerârunt, alios verò, qui potuerunt ad colenda altaria confugere, ibidem peremerunt, & Monasteria incenderunt.... Ad singula autem delatæ ad vestram beatitudinem instruent chartæ à venerabilibus fratribus Joanne & Sergio, quos miseramus Constantinopolim, sperantes vindictam fieri de his, quæ commissa sunt; sed eos cum grandi contumelia expulit Imperator, comminatus iis, qui ista porrigerent &c.

(*41) *Concilium Tarraconense* anno DXVI celebratum à decem Episcopis, edidit tredecim Canones, qui recitantur in Act. CC. Tom. II. apud Harduin. pag. 1041. quorum præcipui sunt: II. *Quicunque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur: certè si voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.* III. *Si quis verò Clericus solidum in necessitate præstiterit, ut hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causâ tempore statuto decretum fuerit, venumdari: cæterùm, si speciem non habuerit necessariam, ipsum, quod dedit, sine ullo augmento recipiat.* VII. *De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clerico id placuit definiri, ut Presbyteri vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum Clericis septimanas observent; id est, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, quâ expletâ, succedat ei Diaconus similiter: eâ scilicet conditione servatâ, ut omnis Clericus die Sabbato ad Vesperam sit paratus, quo faciliùs die Dominica solennitas cum omnium præsentia celebretur* &c. VASÆUS in Chronico ad hunc Canonem septimum ita commentatur: "Atque hinc fortassis emanavit consuetudo in totam ferè Hispaniam, cessandi die Sabbato ab omni opere sub horam vespertinam," qui mos utique à Judæis ad Christianos profluxit.

(*42) *Concilium Gerundæ* à septem Episcopis habitum decem edidit Canones, qui extant in Act. CC. T. II. apud Harduin. pag. 1043.; ex his paucos adducimus. II. *De Litania, ut expletâ solennitate Pentecostes sequens septimana à quinta feria usque in Sabbatum per hoc triduum abstinentia celebretur.* Mos ille paulò immutatus, ex Gallia in Hispaniam traductus est, & in III. Can. alias Litanias celebrandas addunt; Item *secunda*

disciplina curabatur; ita in Gallia Canonum vigor novis legibus munitus est. *Epaonæ* in civitate ad Rhodanum sita, à viginti quinque Episcopis, Præside S. Avito Viennensi, quadraginta Canones vulgabantur, quibus cavebant Patres, ne quis abesset ab indicta Synodo, néve Episcopi, Presbyteri aut Diaconi venationibus aut aucupio vacarent; demum, ne citra Episcoporum consensum vendantur bona ab Abbatibus, aut monasteria construantur. Prohibentur posteà propositis pœnis Clerici interesse conviviis Hæreticorum: viduarum consecratio abrogatur, & qui durior olim erat, Pœnitentiæ publicæ modus temperatur (*43). Postremò incestis matrimoniis proscriptis, gradus connubium dirimentes ad quartum usque protenduntur (*44). Epaonensem Synodum excepit *Lugdunensis*, in qua sex Canones propositi sunt: horum primus causam Stephani cujusdam incestuosi: alii disciplinæ Ecclesiasticæ capita decernunt (z).

Synodus Epaonensis.

Synodus Lugdunensis.

(z) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 1053.

21. Annus DXVIII. tandem malis in Oriente grassantibus finem attulit; nam Anastasio Imperatore è vivis rapto, Justinus Senior à Joanne Patriarcha coronatus, Chalcedonensem Synodum prædicari fecit, & Joannes Constantinopolitanus Episcopus Severo Antiocheno Pseudo-Episcopo & Manichæo damnato, nomina Euphemii & Macedonii defunctorum Patriarcharum,

Justinus Successor Anastasii Catholicorum fidem protegit.

A. 518.

dæ Litaniæ faciendæ sunt Kalendis Novembris. V. *De parvulis,..., qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut, si infirmi (ùt assolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eâdem die, quâ nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.*

(*43) Canon XXX. Concilii Epaonensis sic habet: *Lapsis, id est, qui in Catholica baptizati, prævaricatione damnabili pòst in hæresin transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breviatâ, pœnitentiam biennii conditione infrascriptæ observationis imponimus; ut præscripto biennio tertiâ die sine relaxatione jejunent, Ecclesiam studeant frequentare, in Pœnitentium loco standi & orandi humilitatem noverint observandam; ac etiam ipsi, cùm Catechumeni procedere commonentur, abscedant* &c.

(*44) Canon XXX.: *Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint. Incestos verò nec ullo conjugii nomine prævelandos, præter illos, quos vel nominare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, qui penè prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: si quis frater Germanam uxoris accipiat: si quis novercam duxerit: si quis consobrinæ, sobrinæve se societ: quod ut à præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anteriùs instituta, non solvimus. Si quis relictæ avunculi misceatur, aut patrui vel privignæ concubitu polluatur. Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.*

rum, qui ob Chalcedonensis Synodi defensionem multa passi fuerant, sacris diptychis populi acclamantis vocibus convictus restituit (a). Gesta eadem subinde amplius confirmavit *Synodus Constantinopolitana*, in qua XL. Episcopi, rogantibus quinquaginta quatuor Archimandritis, sequentia statuerunt: nempe, ut Euphemius & Macedonius tradantur Catalogo Prædecessorum Archi-Episcoporum, & simul venerabile nomen Leonis Papæ: dein, ut Severo anathemate profligato, quatuor sanctæ Synodi Generales in sacris libris reponantur (b). Synodica utprimùm Tyrum missa fuerat, Joannes Hierosolymitanus trium Palæstinarum Præsules convocat (c): horum triginta tres cum M. Saba, innumerique Monachi postquam confluxerant, nullus erat, qui prælectis Constantinopolitanorum Decretis suffragium abnueret; quin omnes quatuor Synodos amplexi, Severum insuper Orientalium Ecclesiarum turbatorem diris persequebantur. In eadem sensa convenerant eodem tempore Clerici Antiocheni, & Episcopi secundæ Syriæ, quibus utì Synodus Chalcedonensis jam cordi erat; ita longo libello Severi, & Petri Apameensis scelera ac sacrilegia descripserant, ut duobus iniquitatis machinatoribus tantò citiùs, ac fortiùs anathema, exterminiúmque indiceretur.

(a) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 1334.

Synodus Chalcedonensis Constantinopoli prædicatur.

Synodus Constantinopolitana.

(b) ibid. Act. V. Concil. Constant. sub Men. p. 1322.

Synodus Tyriensis.

(c) Acta CC. T. II. apud Harduin. p. 1346.

Passim omnes Chalcedonensi Concilio subscribunt.

22. Jactis his fundamentis, concordia Orientem inter & Occidentem superstrui poterat, quæ per annos triginta quatuor fuerat convulsa. Justinus enim Imperator utprimùm Regnum adierat, de pace cum Pontifice agere suscepit: & Joannes Constantinopolitanus Episcopus author erat Hormisdæ, ne Legatos in Orientem mittere gravaretur (d). Hujus itaque jussu quinque concordiæ futuræ Gestores aut Diribitores Constantinopolim ibant, cum variis ad diversos literis, quibus Pontifex Imperatori, Augustæ, Patriarchæ, aliisque testabatur, pacem tum demum ratam esse, si receptis quatuor Synodis, damnetur Acacius. In Commonitorio Legatis dato id porrò Hormisdas inculcabat, ut, cùm Imperator in anathema Acacii consensisset, etiam caverent, ne Acacii successorum, inter quos Euphemius & Macedonius, nomina in diptychis recitarentur. Nam licèt multa essent passi ob defensionem Concilii Chalcedonensis, favisse tamen aliquando Schismaticis; unde non quidem more Hæretico-

(d) Vid. CC. T. IV. Labbeanæ edit.

Hormisda mittit Legatos Constantinopolim.

Cur Ephemius & Macedonius deleti è diptychis?

A. 519.

reticorum eos damnari, ſed velut damnatorum fautores ex ſacro albo eraſos taceri conveniret (e). Legatis, ubi in Macedoniam pervenerant, Epiſcopi cum Clero & plebe cereos geſtantibus in occurſum properabant: atque ut oſtenderent, ſe ab hoc tempore omnes pacis conditiones à Pontifice dictatas admittere, libello ſcripto id palàm profitebantur, uno Theſſalonicæ Epiſcopo libellum ſubſcribere detrectante. Poſt hæc duo Comites ab Imperatore miſſi Legatos ad urbem Regiam deduxêre: decem adhuc milliaribus à Conſtantinopoli aberant, tum Primores cum Senatu, & innumerabili multitudine extra Pomærium effuſâ Legatis obviàm proceſſerunt. Hos poſtridiè, ubi illuxerat, Imperator omnibus officiis excepit: & ingenti cum honoris ſignificatione Hormiſdæ literas ſuſcipiens, hortabatur Legatos, ut Epiſcopum Conſtantinopolitanum de cauſa præſenti convenirent (f); at illi repoſuêre, ſe non ad certandum, ſed ad offerendum Pontificis libellum veniſſe, cui omnes ſubſcriberent. Is poſtquam lectus fuerat, & ab adſtantibus Epiſcopis probatus; Imperator voluit, ut iis, quæ libellus contineret, ſubnotatis nominibus ſe conſentire profiterentur: nec Conſtantinopolitanus Epiſcopus dato libello firmare cuncta, & Acacii, aliorúmque Hæreticorum, aut ſchiſmatis fautorum nomina è diptychis delere dubitavit. Quo facto proceſſum eſt ad Eccleſiam, ubi inter ſumma lætitiæ ſigna Eccleſiarum concordia redintegrata fuit.

(e) Commonitorium Hormisdæ.

Legati Papæ magno honore Conſtantinopoli excipiuntur.

(f) Acta CC. T. IV. Labbeanæ edit.

Concordia inter Orientales & Occidentales Eccleſias redintegratur.

* *

§. II. *Scytharum Monachorum propoſitio:* Unus è Trinitate paſſus eſt carne *primùm Conſtantinopoli, dein apud Sedem Apoſtolicam agitatur: Pax Eccleſiæ Africanæ redditur: JOANNIS Papæ Legatio Conſtantinopolitana & Martyrium; FELIX IV., ſub quo celebris Synodus Arauſicana peracta eſt. BONIFACIUS II., qui Romæ varias celebrat Synodos. JOANNES II. approbat propoſitionem Monachorum Scytharum. AGAPETUS Papa ad Juſtinianum ire à Rege Gothorum Theodato cogitur, Anthimo Patriarchæ Mennam Conſtantinopoli ſubſtituit, & ibidem moritur. SILVERIUS Papa & Martyr. Sub VIGILIO ſucceſſore & Pelagio Origeniſtarum, & trium Capitulorum cauſa in*

in Synodo V. Generali deciditur, & sententia Concilii recipitur. Variæ Synodi Provinciales. Hæreses Phantasiastarum, Agnoetarum, & Tritheitarum.

I. QUamprimùm Hormisdas pacem Justini operâ coaluisse acceperat; Imperatorem porrò literis obtestabatur, ut pari studio Alexandrinæ, Antiochenæ, aliarúmque Ecclesiarum dissidia componeret (a). Justinus ultimam manum reparandæ concordiæ daturus, Severum Antiochiâ, Xenajam Hierapoli, Apameâ Petrum, & Cyro Sergium expelli fecit (b). His peractis, major difficultas in concilianda Ecclesia Thessalonicensi occurrebat; Dorotheus namque ejusdem Antistes ab eo tempore in Pontificem odio ferebatur, quo Hormisdas in pœnam schismatis à Thessalonicensi Sede Vicariam per Illyricum Sedis Apostolicæ potestatem abstulerat (c). Itaque licèt Dardaniæ & Illyrici Episcopi paulò antè in fœdus Romanæ Ecclesiæ essent reversi (d); Dorotheus unus conditionibus pacis se subscripturum pernegabat: atque ut verbis vim, injuriásque adderet, concitatâ plebis seditione, Legatos Papæ vulneribus afflictos in cædes, mortísque discrimen conjicere conabatur (e). Equidem re ad Imperatorem delatâ, Dorotheo dicta dies est (f): sed ubi animadvertebatur, Episcopum testes auro corruptos misisse Constantinopolim, qui mendaciis scelus tegerent; Legati Hormisdam monuerunt: Pontifex iteratis proinde literis alterutrum ab Imperatore flagitabat: nempe ut vel Dorotheus sede suâ expelleretur, aut ad reddendam doctrinæ, factorúmque rationem, Romam veniret (g). Justinus postremum, ut concederet, adduci haud potuit, id maximè causatus, Accusatorum copiam nullibi, nisi in Oriente haberi; his verò absentibus, Pontificem impediri, quò minùs de minùs cognita causa in posito longiùs Occidente statuat. Heracleam tamen procul ab Ecclesia Thessalonicensi Dorotheum ad tempus amandandum Imperator voluit: quo spatio exacto, rursus ad suam Ecclesiam remissus Episcopus aliud Pontifici officium non persolvit, quàm ut Legationis simulato obsequio gravitatem criminum à se amoliri aut minuere adniteretur (h): quare Hormisdas totam causam Epiphanii Constantinopolitani arbitrio definiendam deinceps reliquit. Hujus

(a) Hormisdæ ep. 44. 45. 51. 53.

(b) Theophanes in Chronico.

Dorothei Thessalonicensis perfida agendi ratio.

(c) Gelasii epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ & Illyrici. Nicol. I. ep ad Mich. Imp.

(d) Hormisdæ ep. 30. ad Cæsar. Arelat

(e) Indiculus Joannis apud Baron. ad an. 519. N. 136.

A. 519.

(f) Hormisdæ ep. 57.

(g) Hormisdæ ep. 62. 63.

(h) Hormisdæ ep. 73.

Hujus ſanè Antiſtitis prudentiam tanti Hormisdas fecit, ut ſubinde grave non minùs negotium eidem velut Vicario Apoſtolicæ Sedis permitteret: ægerrimus adhucdum animus erat iis, qui Conſtantinopoli habitabant, tum etiam Eccleſiis Ponti, Aſiæ, Palæſtinæ, ac totius Diœceſeos Orientalis, ſeu Antiocheni Patriarchatûs vis inferri inde videbatur, quòd Pontifex Euphemium & Macedonium, licèt optimè meritos (contrà ac Juſtinus Imperator rogitâſſet) ex diptychis expungi voluerit. Hormisdas ut importunis querelis faceret finem, ad Epiphanium cauſam detulit (i), cujus judicio duo Conſtantinopolitani Epiſcopi non ſine plebis communi lætitia diptychis reſtituti ſunt.

Hormisdas Orientalium ſimultatum negotium committit Epiphanio Conſtantinopolitano.

(i) Hormisdæ epiſt. 77. apud Baron. ad an. 521. N. 28.

2. Legati Pontificis adhuc Conſtantinopoli agebant, tum Monachi Scythæ duo capita in medium projecêre, unde non parvi tumultus exorti ſunt (k). Leontius, & Joannes Maxentius Monachorum præcipui hanc ſententiam: *Unus è Trinitate in carne crucifixus eſt*, omnibus & credendam & defendendam inculcabant; quibus Victor Diaconus, & Paternus Tomitanæ civitatis Antiſtes cum reliquis Epiſcopis admodùm repugnabant, propterea quòd novam, & in Chalcedonenſis Synodi Decretis non expreſſam theſin populo proponere minimè conveniret. Altera controverſia verſabatur circa Fauſti Rhegienſis Libros, cujus litis originem hìc altiùs repetere juvabit. Fauſtus ortu Britannus, primùm Lerinenſi Monaſterio, poſteà Rhegienſi Eccleſiæ præpoſitus (l), cùm ſuorum Lerinenſium ac Caſſiani Magiſtri opinioni adhæreret, Auguſtini ſententiam de efficaci Electorum Prædeſtinatione impugnandi occaſionem captavit. Fama erat, nonnullos ita S. hujus Doctoris ſententiam de gratuita prædeſtinatione defendere, ut in abſurdos errores declinarent. Leontius igitur Arelatenſis Epiſcopus contra nova & periculoſa dogmata Arelaten Epiſcopos in Synodum convocat: quorum ſtatuta quia breviùs concepta erant, Fauſto injungebatur, ut editis libris ea latiùs pertractaret, de quibus in Concilio actitatum fuerat (m). Interim cùm rurſus errores de divinæ gratiæ auxiliis ſuborti eſſent; in Lugdunenſi Synodo eorum pariter confutandorum cura eidem Fauſto commiſſa eſt. At Fauſtus non eâ, quâ debebat, fide officium executus, in duobus libris *de gratia*

A. 519.

(k) Concil. T. IV. edit. Labb.

Scytharum Monachorum controverſia.

(l) Noriſ. L. 2. Hiſtor. Pelagian. c. 14. 15.

Doctrina Fauſti Rhegienſis à Scythis Monachis impugnata.

(m) Fauſtus in præf. ad Leontium.

& libero arbitrio, Augustini de gratuita prædestinatione sententiam totis viribus impugnâsse, & Massiliensium dogmata dudum à S. Doctore eversa restaurâsse dicebatur. Nihilominùs eo tempore tam anceps adhuc de Fausti lucubrationibus erat opinio, ut alii non modò in Occidente, sed & in Oriente eas utpote Catholicas tuerentur: alii verò velut Semipelagianorum partus detestarentur; atque inter hos postremos Monachi Scythæ erant, qui ex ipsius Fausti verbis, quid veneni lateret, palàm proferre adnitebantur (*1). Lis in immensum aucta postquam Principes etiam viros in partes distraxerat; Monachi Legatis Pontificis libellum porrigunt, in quo suam de Christo fidem exponentes eò incumbebant, ut inserta verba: *Unus de Trinitate crucifixus est carne* probarentur. Posteà explicato de divina gratia dogmate, contra Faustum concludebant: Abominari se eos, qui contra Apostoli vocem dicere ausint: nostrûm est velle, Dei autem perficere, cùm idem Doctor & velle & perficere donum testetur esse divinum. Legati negotium alienum admittere cunctati, tandem Justini Imperatoris rogatu Monachis dedêre aures; tum sententiis eorum sæpiùs auditis, quò se molestiâ expedirent, in hæc verba respondent: *Quod non est scriptum à Papa Leone,*

Legati Apostolici recusant admittere additamentum Scytharum Monachorum.

(*1) FAUSTUS Lib. 1. cap. 4., ubi S. Augustini sententiam de Prædestinatione oppugnâsset, concludit contra Augustinum: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem (ùt asserunt) est deputatus, sicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicati.* Dein Lib. 2. cap. 8. fidem ex viribus liberi arbitrii nasci docet: *Unde hìc extra legem positi accusantur increduli, nisi quia Legem Naturæ, cui fides juncta est, servare noluerunt? Unde objicitur incredulitas, nisi quia in promptu fuit credendi facultas? Liberi itaque arbitrii ratio facit, ut remuneretur credens, ut damnetur incredulus.* Tradit etiam, posse nos absque Dei gratia petere, quærere, pulsare, ut eandem impetremus Lib. 2. cap. 10.: *Adjutorii itaque sermo duos indicat, operantem, & cooperantem: petentem, & promittentem; hoc solùm nostrum est, ut, qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quærendi & pulsandi importunitate placeamus. Ubi erit sedulitas miserentis Dei, si cum persona nihil mereatur indigni, & ad hoc desideria accedant otiosi.* Hæc quidem Faustus ex suo, at contra AUGUSTINI mentem, qui Lib. de dono perseverantiæ cap. 23. ait: *Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperitúrque pulsantibus; nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Cæterùm de Fausti libris Gelasius in Decreto suo hæc pauca tantùm notavit: *Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha,*

Leone, non suscipimus. Novas quippe voces, quas Synodus Chalcedonensis non docuisset, jactitare, & hanc sententiam: *Unus è Trinitate crucifixus est carne* utì additamentum Patrum Decretis apponere temeritati proximum judicabant (*2). Hoc responso offensi Monachi, porrò de Fausti libris disceptare fastidiunt, & ob repulsam in indignationem acti, causam Romæ agere decernunt. In Italiam quatuor ex Monachis jam abierant; tum Legati Pontificis (*3), & Justinianus Justini nepos, qui provocationem ejusmodi ægrè ferebat, Hormisdam rogant (n), ut Monachos à con-

Monachi Scythæ provocant ad Sedem Apostolicam.

(n) Acta CC. apud Labbeum T. IV. Baron. ad an. 519. N. 56. 57.

(*2) BARONIUS ad annum 519. N. 84. conatur afferre causam, cur Scythæ Monachi ad profligandum errorem Nestorii, Synodo Chalcedonensi putârint esse addendum, nempe *Unum de Trinitate crucifixum*, ex DIONYSIO EXIGUO, qui in præfatione ad epistolam Procli Constantinopolitani ad Armenos ait: *Temporibus Antistitis* (Procli) *Theodosio Imperatore regente Rempublicam, per Syriam atque Armeniam discipuli Theodori Mopsuestenæ civitatis Episcopi pravam fidem, corrupto symbolo, rudibus populis exorsi sunt intimare, callidissimâ subtilitate beatam Trinitatem sed unius essentiæ prædicantes, ut Christum Dominum nostrum Conditorem Universitatis unum ex Trinitate nullatenus faterentur; unde sequebatur hæc inepta suæ temeritatis absurditas, ut, quia Christum constat verum esse Deum ac Dominum, quatuor personas in tribus adstruerent, duósque Dei filios procul dubio prædicarent. Sed huic impietati mirè Pontifex antefatus obsistens, docuit, Christum Dominum nostrum, & à principio Verbum apud Deum unum de Trinitate esse* &c. Porrò cùm ista acciderint ante Chalcedonense Concilium, à quo plenissimè satisfactum Catholicæ veritati adversùs hæreses Nestorii & Eutychetis absque assertione ejusmodi sententiæ; eam addi velle eidem sacrosancto Concilio, nec alicujus esse recipiendam Catholicæ fidei professionem absque ejus assertione sententiæ, nimis durum visum est Legatis Apostolicis, valdéque periculosum; ignominiosum verò ipsi Oecumenicæ Synodo. Ita BARONIUS; sed Pagius in Critica mitiùs loquendum contendit de Scythis, ut qui propositionem suam ex pluribus PP. comprobabant: neque voluêre Synodo adjiciendam utpote necessariam appendicem; sed adversùs Synodi calumniatores illam propositionem se defendere contestabantur, ùt legere est in præfatione libelli Legatis dati. In ipsa autem professione eos anathemate confodiunt, qui Synodum Chalcedonensem retractaverint, aut *imperfectam* judicaverint.

(*3) *In relatione Dioscori ad Hormisdam* apud Baronium ad annum 519. N. 80: hæc habentur: *Insidiator antiquus suscitavit Monachos de Scythia, qui de domo Magistri militum Vitaliani, sunt omninò Christianorum votis adversarii: quorum inquietudo non parvas moras generavit unitati Ecclesiarum.... Est in ipsis inter cætera, ubi volunt dicere, unum de Trinitate crucifixum, quod est nec in sanctis Synodis dictum, nec in Epistolis S. Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica. Quodsi permittitur fieri, mihi videtur, dissensiones & scandala non mediocria nasci inter Ecclesias.... Cujus sermonis si subtiliter attendere intentio, ad quantas hæreses pateat, & quæ mala per eam possint disputationibus Ecclesiasticis introduci, quoniam longum est, per præsentes insinuare, prætерimus. Unde sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi: sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur: sufficit Epistola B. Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus.*

conſpectu ex urbe abigat. Pontifex primùm controverſiam ad Joannem Conſtantinopolitanum rejicere parabat; at ubi comperit, Joannem nimio ſtudio Monachis favere, exſpectandum duxit, dum Legati Apoſtolici ex Oriente reverterentur (o). Moræ impatientes intereà Monachorum Oratores nihil non agebant, ut vel reſponſum à Pontifice, vel redeundi veniam extorquerent: utrumque negabat Hormiſdas, eoquòd Monachos Eutychetis labe infectos ſuſpicaretur. Libello fidei dato poſtquam hi ſe purgaverant; hoc quoque fortunatum Monachis accidit, quòd Juſtinianus mutatâ ſententiâ pro iis apud Pontificem unà cum Imperatore intercederet: utriuſque quantumvis potenti patrocinio cùm nequaquam inflecteretur Pontificis animus; Scythæ Monachi unum ad Epiſcopos Africanos, qui à Traſamundo Vandalorum Rege in Sardiniam exules deportati fuerant, dirigunt (p). Offerebat is ſuorum nomine Patribus fidei libellum in octo capita digeſtum, quo quid de Verbo uno ex Trinitate paſſo in carne, quid de gratia & libero arbitrio contra Fauſtum ſentirent, exponebat. Confeſſores Epiſcopi cùm Scytharum dogmata à fide vera minimè aberrare cernerent; libellum eorum non tantùm probavêre, ſed & volumen alterum de Incarnatione & gratia à S. Fulgentio compoſitum addiderunt, quo Scytharum ſententiæ pluribus argumentis muniebantur (q). Dum hæc in Sardinia geruntur, Romæ vulgatur, Legatos Pontificis ex Oriente propediem adfuturos; quare Oratores Scytharum timore perculſi, ne ab iis, quos infenſiſſimos ſemper experti eſſent, coràm opprimerentur, Româ aufugere conſtituunt. Antequam tamen urbe elaberentur, libellos fidei ſuæ teſtes ad Principum ſtatuas appendunt: id ſive fecerint, ut receptui ſuo cauſam prætexerent, ſive ut populum Romanum in commiſerationem traherent; certè à nullo auditi, re infectâ in Orientem receſſerunt (*4). Eodem tempore Africanorum Præſulum unus,

(o) Epiſtola Hormiſdæ 63. 64.

A. 520.

Confugiunt ad Africanos Epiſcopos exules.

(p) Baron. ad an. 519. N. 112. apud Fulgent. ep. 16.

Africani Scythis aſſentiuntur.

(q) Fulgentius de Incarnat. & Grat. c. 14. Noriſ. Hiſt. Pelag. L. 2. p. 307.

Monachi Româ fugiunt.

(*4) Scythæ Monachi, licèt ab Hormiſda dicantur *novarum quæſtionum cupidi*, hæreſis tamen nullius ab eo accuſantur, ùt patet ex epiſtolis, quas Pontifex ſcripſit ad *Poſſeſſorem* & *Juſtinianum*: & profectò in dogmate non defeciſſe, patet ex libello fidei, quem Maxentius Scytha ſociorum nomine Legatis Hormiſdæ obtulit: *Sequentes in*

unus (cui *Possessoris* nomen) ob fidem exul Constantinopoli agebat: hic Magnatum precibus impulsus, ubi ab Hormisda literis postulaverat, quæ mens Apostolicæ Sedi circa Fausti Regiensis libros foret (r), recenti, & ex fuga Monachorum conceptâ indignatione adhuc incensus Pontifex ita respondit Possessori, ut in epistolæ prima parte multâ amaritie in profugos detonaret (s), nil tamen definiret de sententia, quâ unum è Trinitate passum in carne professi fuerant, ad pacem Ecclesiæ magis opportunum esse ratus, si propositio, quæ in Petri Fullonis dogma ad speciem saltem similis videretur (*5), quæque à Synodo Chalcedonensi

(r) Norif. loc. cit. c. 19.

(s) Epistola Hormisdæ ad Possessorem.

Possessoris consultatio cum Pontifice

in omnibus fidem SS. Patrum, confitemur unum, eundémque Filium Dei Dominum nostrum JEsum Christum; perfectum eundem in Divinitate, perfectum eundem in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, Homousion Patri secundùm Divinitatem, Homousion nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia similem absque peccato. Ante sæcula quidem de Patre natum secundùm Divinitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, & nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice natum secundùm humanitatem. Unum eundémque Christum Filium Dei unigenitum, in duas naturas inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inseparabiliter cognoscendum. In nullo naturarum diversitatem, propter unitatem, perimendam, salvâ potius proprietate utriusque naturæ in una persona, unáque subsistentia concurrente. Addit, se cum suis Monachis hoc sensu asserere *Unum de Trinitate crucifixum*, quòd referat passiones ad carnem, non ad Divinitatem. *Quid enim est, quod nos sapimus? In hac ipsa essentia, quæ constat, & unitas est Filius Patri & Spiritui, non dicimus eum passum, sed carne, quæ ex nobis, & pro nobis est factus. Non autem alius est factus, nisi unus de Trinitate, & crucifixus est carne, quâ factus est, & non est passus Divinitate.* Eadem profitentur Monachi in Confessione Fidei ad Africanos Episcopos in Sardinia exules facta, ubi etiam Theodori Mopsvesteni scripta, & Nestorii discipuli ejus, Eutychen, Dioscorum, Timotheum cum omnibus sectatoribus eorum damnant. Itaque nil, nisi obstinatum eorum studium reprehendi poterat, quo præconceptæ sententiæ ad cæterorum usque contemptum adhærebant. Vide Natalem Alex. Sæc. VI. Dissert. 2., item Norif. Hist. Pelag. L. II. c. 18. 19.; unde meritò hìc corrigendus Baronius, quando Scythas Monachos hæresis Eutychianæ accusat, & dum ait, eos abhorruisse dicere, unam Trinitatis Personam esse passam in carne, explodere receptum in Ecclesia Personæ nomen conantes.

(*5) BARONIUS ad annum 519. N. 105. putabat, Scytharum propositionem à blasphemia *Petri Fullonis* non differre. Is enim Trisagio addidit hæc verba: *Qui crucifixus est pro nobis*, cum quibus hæc verba: *Unus de Trinitate crucifixus est*, sensu convenire videntur. Verùm Pagius iterum obstat, dum ait, *Petrum Fullonem* ideò crucem Trisagio addidisse, quo Deus *ter sanctus* pronunciatur, ut innueret, Filium Dei in substantia Deitatis, vel Trinitatem totam passam esse: duas enim in Christo naturas negabat; Scythæ verò Monachi duas in Christo, eásque inconfusas fatebantur, & Unum de Trinitate, scilicet Filium Dei, non in substantia Deitatis, sed carne passum propugnabant. NORISIUS in Historia Dissert. de uno ex Trinitate carne passo c. 6. ostendit, totam illam contentionem fuisse meram inter Catholicos Logomachiam. Utraque

(t) Epiſtola Hormisdæ ad Poſſeſſor.

(u) ib. apud Baron. ad an. 520. n. 19.

(x) Noriſ. L. 2. Hiſtor. Pelag. c. 18.

A. 522.

(y) Bibliotheca PP. Max. T. IX. p. 539.

(z) Vita S. Fulgentii c. 21.

Traſamundi perſecutio in Africa.

donenſi ad profligandos Hæreticos nuſquam adhibita fuiſſet (t), intacta relinqueretur. In altera verò parte epiſtolæ de Fauſto reponebat, neque illum recipi, neque quenquam, quos in authoritate Patrum non reciperet examen Catholicæ fidei (u), quíque Eccleſiaſticam diſciplinam dubiam redderent, aut Religioſis præjudicium procrearent. Sub finem tamen monebat, poſtrema Auguſtini volumina ſufficere iis, qui doctrinam Catholicam de gratia & libero arbitrio velut ex puriſſimis fontibus haurire optarent (x). Quantumcunque poſteà Maxentius Scytharum Monachorum Legatus contra Pontificis epiſtolam fremeret, ac Hormisdæ Neſtorianæ aut Eutychianæ hæreſis labem affricare conaretur; vanæ tamen ſine viribus iræ fuère (y).

3. Vix in Oriente tumultus aliquantùm conquieverant, jam Africanas Eccleſias Traſamundus Rex Vandalorum molliore inſidiarum genere ſubverſum ibat (z); promiſſis namque & quæſtionibus de fide propoſitis tentabat animos: at S. Fulgentius, qui per idem tempus à Tyranno ab exilio Carthaginem deductus fuerat, fidelium conſtantiam tum verbo, tum factis ita confirmavit, ut Ariani deportari alterâ vice ſanctum virum vellent, ne Hæreticis ejusdem præſentia majorem infamiam afferret.

Utraque litigantium pars duas in Chriſto naturas indiviſè adversùs Eutychianos fatebatur, & utraque unam in eodem Perſonam contra Neſtorianos adſtruebat, ita ut unus, idémque eſſet Filius Dei, & Filius hominis. At ſecum invicem diſputabant, num Chriſtus dicendus eſſet una Perſona, vel potiùs *unus de Trinitate*, quæ tamen in re idem ſunt. Utì enim alius & alter; ita etiam unus intelligi poteſt perſonaliter: ſic AUGUSTINUS c. 38. Enchiridii ait; *Unus Trium*, hoc eſt, una Perſona Trinitatis. Atque ùt olim Eccleſiam turbavit nomen *hypoſtaſis*, eoquòd alii per hanc vocem intelligi vellent naturam, alii Perſonam, quamvis re ipsâ omnes convenirent in fide; ita Monachi Scythæ illam formulam, quâ diceretur *una Trinitatis Perſona*, Neſtoriani erroris accuſabant, qui unam in Chriſto perſonam affirmabat, alio tamen ſenſu, ac Scythis videbatur; nam Neſtorius unam perſonam admittebat non ſecundùm hypoſtaſin, ſed pro authoritate dignitatis, quia Chriſtus Dei Verbi Vicarius conſtitutus ejus poteſtatem præferebat, ùt Vicarii Perſonas Principum repræſentant. At contra Scythas inſurgebant alii, dicentes, propoſitionem: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, Arianam ſapere hæreſin, & Eutychianam ſimul; nam illis verbis, *Unus de Trinitate*, ajebant, individuam Trinitatis eſſentiam proſcindi in plures diſtinctas ſubſtantias, propthereà quòd vox *Unus* nullam relationem exprimere videretur, ac proinde cum τὸ *Unus* ſubſtantialiter tantùm ſumi ſuſpicarentur, ſemel *Uno* Trinitatis aſſerto conſectaneum eſſe, ut eſſentia Trinitatis multiplicetur. Præterea τὸ *paſſus* ita ad Scytharum invidiam exponebant Adverſarii, ut Eutychis confuſionem inde fluere putarent.

ret (a). In exilio tamen suo S. Fulgentius etiam absens scriptis epistolis ac libris Afrorum fidem, ac fortitudinem sustentare non destitit; donec mortuo Trasamundo, mitior Hildericus S. Fulgentio, cæterísque Episcopis redeundi faceret copiam, & Ecclesiis libertatem (b), quam ante sexaginta sex annos Gensericus illis ademerat, magnâ cum Catholicorum lætitia restitueret. Hormisdas Pontifex tam optatæ vicissitudinis nuncio recreatus, in pace dimitti petiit, postquam annos novem, & dies undecim excelso animo Ecclesiam gubernâsset: mortuus octavo Idus Augusti anno DXXIII. (c); in epistolis octoginta ad varios perscriptis hodie adhuc apud posteros vivit.

(a) ib. c. 24. A. 523. (b) Vita S. Fulgentii c. 28. *Ecclesiæ Africanæ pax.* (c) Pagius in Brev. PP. *Mors Hormisdæ.*

4. Funere Hormisdæ elato, post septem dierum intervallum Sedem Apostolicam adivit JOANNES, natione Tuscus: hoc sedente, Justinus Imperator contra Arianos statuit, ut eorum Ecclesiæ Catholico ritu consecrarentur (d). Pessimè id accepit Theodoricus Rex Italiæ, pro more Gothicæ Gentis Arii partes secutus: & licèt nullum antè Religionis causâ Catholicis negotium facessivisset, imò ipsam Romanam Ecclesiam à Schismaticorum oppressione levâsset; mutare tamen nunc consilia, & pares Orthodoxis referre vices decernebat, ni Justinus cœptis suis abstinendum duceret. Id autem, ut certo nuncio referretur Imperatori, Joannem Papam Ravennam evocatum ad Legationem obeundam compellit. Dum Pastor supremus cum aliquot Episcopis & Senatoribus navi impositus, vi in Orientem abducitur (e); alii Præsules in Occidente suo gregi optimè prospexêre: nam hoc anno DXXIV. duodecim Episcopi, Præside Cæsario, *Arelate* quartam *Synodum* celebrârunt, in qua quatuor propositi sunt Canones (f), quibus Congregati cavent, ne Diaconus ante vigesimum quintum annum ordinetur, néve Episcopatûs aut Presbyterii honorem Laicus ante præmissam conversionem, vel ante triginta annos suscipiat. Dein publicè pœnitentes, bigamósque ab Ordinibus removent; demum communione privandum Episcopum censuêre, qui alienum Clericum suscipere ausus fuerit. Sub sequentis anni initium Bonifacius Carthaginensis Episcopus aliam *Synodum*, eámque generalem *totius Africæ* coëgit (g). Propositum Patrum erat, antiquam Ecclesiæ

Joannes Papa. (d) Theophanes ad a. 516. Alex. A. 524. *Cogitur à Rege Theodorico obire Legationem Constantinopolim.* (e) Anonymus apud Pagium in Critica ad an. 525. N. 6. *Synodus Arelatensis IV.* (f) Acta CC. in T. II. edit. Hard. p. 1069. (g) ibid. p. 1071. A. 525. *Synodus Carthaginensis.*

clesiæ Africanæ politiam confirmare, itaque secundùm receptum morem singulæ Provinciæ habere porrò jussæ sunt primæ Sedis Episcopos; ita tamen, ut Primas omnium Episcopus Carthaginensis præfulgeret. His statutis lis dirempta est, quæ inter Liberatum Episcopum primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ, intérque Petrum Abbatem fervebat; contendebat ille, dictum Abbatem cum Monachis ejusdem sibi subjicere, eoquòd monasterium in sua Provincia esset positum; id enim à Canonibus præscribi, ut Monachi non alteri parerent Præsuli, quàm in cujus Diœcesi domicilium haberent. At Petrus Abbas ad privilegia tot Episcoporum authoritate firmata provocans, Carthaginensi Primati se, suòsque semper subditos fuisse commonstrabat. Cæterùm ajebat, plura per Africam esse Monasteria, quæ à Diœcesani Episcopi jurisdictione exempta, ei tantùm subessent Antistiti, cujus Sedi se primùm addixissent. Bonifacius utrinque expensis rationibus hanc in sententiam pronunciavit: "Erunt igitur omnia omninò Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm, & Deo placentia.„ (h)

(h) Acta CC.cit. apud Harduin. T. II. p.1090.

Joannis adventus Constantinopoli.

5. Per idem tempus Joannes Papa cum sociis Constantinopolim venerat, ubi maximâ honoris significatione acceptus, in ipso aditu urbis cunctis intuentibus cæco lumen reddidisse fertur (i). Justinus Imperator Pontifici venienti non aliter, ac B. Petro summâ demissione occurrens, nihil se negaturum testabatur, quidquid Pastor totius Ecclesiæ, qui primus omnium Decessorum Constantinopolim suâ præsentiâ honorâsset, expetendum judicâsset (k). Duo autem Pontifici Legationis capita à Theodorico injuncta fuerant: nempe ut Justinus Arianos ad Catholicorum fidem transgressos, ad pristinam Religionem cogeret; dein ut Ecclesiæ Arianis ablatæ iisdem restituerentur. Primum cùm nefas esset, postulare ab Imperatore (l), nihil ejusmodi proponendum duxit; at alterum eâ de causâ Joannes flagitabat (m), ne, dum in Oriente premerentur Ariani, par clades Occidentalibus Catholicis inferretur. Nec precibus Justinus obstitit, Arianis quippe Ecclesias reddi, & vim ab Hæreticis abstineri jussit. His peractis, Augustus vicissim exigebat, ut

(i) Greg l.3 Dialog. c.2.

(k) Anonymus apud Pagium ad an. 525. n. 6.

Legationis injunctæ capita.

(l) Auctor Chronici veterum PP.

(m) Auctor Miscellæ l. 15. ad an. 6. Justini.

ut Papa sive Vicarius B. Petri sibi Imperialem coronam imponeret; quod officium ubi Pontifex magnâ solennitate fuerat executus (*6), coronatus Imperator in gratitudinis vicem multa & pretiosa munera Joanni donavit (*7). Rogatus hic subinde ab Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, ut sacram celebraret Litur-

Joannes Constantinopoli Latinorum ritum adhibet.

(*6) ANASTASIUS in Vit. PP.: *Occurrerunt B. Joanni Papæ à milliario XII. omnis civitas cum cereis & crucibus in honorem BB. Apostolorum Petri & Pauli.... Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit beatissimum Joannem.... Justinus autem Imperator gaudio repletus est, quia meruit, temporibus suis Vicarium B. Petri Apostoli videre in Regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus.* Huic textui subjungit PAGIUS in Brev. PP. p. 201. n. 7.: " Licèt Justinus Augustus jam coronatus fuisset à Joanne Patriarcha Constantinopolitano, ùt constat ex ejusdem Joannis epistola ad Hormisdam; iterum tamen à Joanne Papa coronari voluit, quod præter Anastasium disertè testatur AIMOINUS Lib. 2. c. 1. scribens: *Joannes Papa Justino Augusto ùt Vicarius B. Petri Imperialem imposuit coronam.* Nec insolens fuit, subsecutis sæculis Imperatores & Reges secundò, aut etiam tertiò coronari. Ante Justinum quidam Imperatores, à temporibus Theodosii Junioris, qui (teste THEODORO LECTORE Lib. 2.) à Proclo Patriarcha Constantinopolitano coronatus est, coronam Imperialem susceperunt ab Episcopis; sed nullus ante Justinum ab aliquo Pontifice Romano solemnem benedictionem acceperat. Antequam Imperatores benedictione Pontificali donarentur, fidei professionem emittebant, de qua, sicut & de ritu, quo consecrabantur, lege EDMUNDUM MARTENE Lib. 2. c. 9. *de antiquis Ecclesiæ ritibus* " De benedictione Imperatorum Occidentis post Imperii renovationem alibi infrà dicentur plura.

(*7) PAGIUS in Critic. ad annum 526. N. 3.: " Refert *Baronius* Epistolam hujus S. Pontificis *ad omnes Italiæ Episcopos* scriptam, in qua asserit, se, dum Constantinopoli esset, Arianorum Ecclesias consecrâsse, eósque hortatur, ut in agro Dominico viriliter elaborent, idémque in Italia præstent. At ea epistola una ex iis est, quas Isidorus Mercator supposuit, fundatus in verbis Gregorii Turonensis in libro de miraculis & gloria Martyrum, ubi c. 40., nullâ Joannis Legationis mentione factâ, Gregorius scribit, Joannem, cùm ad Episcopatum venisset, Ecclesias Hæreticorum in Catholicas dedicâsse; & quidem in Italia, & carceri mancipatum esse, cùm accepisset deprecaturus pro Catholicis ob consecrationem Ecclesiarum jam peractam periculo expositis. Et tamen iste Fabulator id factum affirmat post Legationem susceptam, ídque *Constantinopoli, & in partibus Orientis*; & Theodoricum ei infensum fuisse ob Ecclesias Orientalibus Orthodoxis restitutas. Turonensis fatetur his verbis, se solâ relatione, quæ scribit, accepisse: *De Joanne* (inquit) *Episcopo, quoniam agon ejus ad nos usque non accessit scriptus, quæ à fidelibus comperi, tacere nequivi.* At quantùm relationes hujusmodi errori obnoxiæ sint, vel hoc exemplum demonstrat, quia directè repugnat Auctori relationi Auctoris Chronici veterum Pontificum: *Justinus autem Augustus omnem concessit petitionem; & propter sanguinem Romanorum reddidit Hæreticis Ecclesias secundùm voluntatem Theodorici Regis hæretici.* Prætereà data fingitur epistola III. Idus Junii, ad quem diem Joannes non pervenit, mortuus die XVIII. Maji &c. Cæterùm Turonensem de rebus extra Galliam gestis parùm edoctum fuisse, ex multis aliis narrationibus palàm fit.

Liturgiam, dexter dextrum Ecclesiæ insedit solium (n), & in die Resurrectionis plenâ voce, Latinóque ritu Sacra peregit; tum cunctis Episcopis Communionem impertitus, hanc soli Timotheo Alexandrino pernegabat (o).

(n) Marcellinus in Chronico.

(o) Theophanes.

A. 526. *Joannes reversus carceri datur.*

6. Joannes Papa Legatione perfunctus, postquam Ravennam ad Theodoricum redierat; dubitabat Rex Arianus, utrùm infestum sibi Pontificem, sive eum, qui minùs ad Arianorum vota in Oriente egisset, funestâ morte perderet: meditantem scelus à proposito timor Justini cohibuit; quare eundem carceri saltem macerandum dedit (p), in quo ægritudine contractâ Martyr obiit XV. Kal. Junias, tertio Pontificatûs anno. Corpus subinde Ravennâ Romam translatum, ac in Basilica B. Petri Apostoli die VI. Kal. Junii conditum est (q). A morte S. Joannis quinque supra quinquaginta dies fluxêre, dum successor sufficeretur: cùm enim Theodoricus potestatem eligendi Pontificis sibi sumeret, Clerus verò alienum jus usurpanti repugnaret, multum temporis inter mutua certamina trahebatur. Controversia tandem eâ lege composita est, ut more pristino Pontifex eligeretur, quem Rex dein assensu suo confirmaret, certâ etiam pecuniæ summâ pro facta confirmatione Pontifici imperatâ (r). His conditionibus quantumvis acerbis quarto Idus Octobris FELIX IV. electus est, sive idem, quem Theodoricus multò antè Clero, Senatui, populóque Romano proposuerat (s). Ut primùm Felix clavum tenuit; Justinianus Imperator, qui Justino, & Athalaricus Rex Italiæ, qui Theodorico successerant, in commodum Ecclesiæ varias leges tulêre (t): & hic quidem, licèt Arianus, Clerum Romanum ita à civili tribunali exemptum voluit, ut non ad forum Regium, sed Pontificis, reus vel accusatus deinceps vocaretur (*8). Neque tantùm Principes, sed multò

(p) Anastasius. Auctor Miscellæ.

Mors Joannis Papæ.

(q) Anonymus Valesian Anastasius in Vit. PP.

Jus confirmandi electionem Papæ sibi Rex Theodoricus sumit.

(r) Edictum Athalarici apud Cassiod. l. 8. ep. 15.

Felix IV. Papa.

(s) Auctor Chronici vet. PP.

A. 527.

(t) L. 5. Cod. de SS. Trin. & fide. L. 42. C. de Episcop. &c.

(*8) CASSIODORUS Lib. 8. epist. 24. refert Edictum Athalarici: *Considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desideriis supplicantium, præsenti authoritate moderato ordine definimus, ut, si quispiam ad Romanum Clerum pertinentem, in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad B. Papæ judicium priùs conveniat audiendus, ut aut ipse inter utrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. Et si fortè (quod credi nefas est) competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad sæcularia fora jurgaturus occurrat, quando suas petitiones*

multò potiùs Synodi hoc tempore Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſulebant: *Carpentoractenſe* in Gallia Narbonenſi Concilium ſub præſidio Cæſarii ita ſtatuit, ut, ſi Eccleſia civitatis, cui præeſt Epiſcopus, penuriâ nullâ prematur, bona Parœciarum, quæ redundant, ſeu Clero, ſeu reparandis ædificiis Eccleſiarum impendantur (u).

Synodus Carpentoractenſis.

(u) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1095.

7. Inſigniora poſteà ad ſtabiliendam fidem Decreta fuêre, quæ poſt aliquot inde annos in *Arauſicana* Synodo vulgata ſunt. Invaleſcente nempe in diem Semipelagianorum factione, Cæſarius Arelatenſis Felicis Papæ auxilium imploraverat; tum Pontifex ſententias quaſdam ex Patribus, & ſacris Codicibus depromptas, & ad configendos circa gratiam & liberum arbitrium errores, idoneas tranſmiſit, quibus Congregati alicubi Præſules ſubſcriberent. Occaſionem & locum Concilio dabat Dedicatio Baſilicæ à Liberio Ex-Præfecto Prætorio Arauſici exſtructæ: huc enim ubi ad ſolennitatem Epiſcopi quinto Nonas Julii convenerant; per viginti quinque capita ex mente Sedis Apoſtolicæ propoſita Semipelagianorum ſententiæ damnabantur eum in modum, ut abſque hæreſeos nota à quovis impoſterum propugnari non poſſent. In primo & ſecundo Capite ex variis Scripturæ teſtimoniis oſtendebatur, offenſam prævaricationis Adæ non ipſi tantùm, ſed & ejus propagini nocuiſſe (*9). Quinque ſequentia

A. 529. *Synodus Arauſicana II.*

Canones Arauſicani.

tiones probaverit à ſupradictæ Sedis Præſule fuiſſe contemptas. Quodſi quis extiterit tam improbus litigator,... qui reverentiam tantæ Sedi exbibere contemnat, & ad aliquid de noſtris affatibus venerit promerendum, ante alicujus conventionis effectum decem librarum auri diſpendio feriatur, quæ per manus Romani Antiſtitis pauperibus erogentur, caréntque impetratis, negotii quoque ſui amiſſione mulctetur.

(*9) ACTA CC. T. II. apud Harduin. pag. 1098. Arauſicanos Canones referunt, inter quos I. eſt: *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt, ſecundùm corpus & animam commutatum, ſed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adverſatur Scripturæ dicenti*: Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. *Et*: Neſcitis, quoniam, cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis? *Et*: A quo quis ſuperatur, ejus & ſervus addicitur. (Ezech. 18. Rom. 6. 2. Petri 2.) II. *Si quis ſoli Adæ prævaricationis ſuam, non & ejus propagini aſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti*: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. (Rom. 5.)

tia stabiliebant necessitatem prævenientis gratiæ, à qua sit initium fidei, ipséque credulitatis affectus, & bona opera, quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent (* 10). Octavum Caput corrigebat eorum errorem, qui alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, licèt infirmum, ad gratiam Baptismi venire contendebant (* 11). Septendecim sequentia complectuntur varias

(* 10) IBIDEM Canon Arausic. III.: *Si quis ad invocationem humanam, gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti:* Inventus sum à non quærentibus me. Palàm apparui his, qui me non interrogabant. (Isaiæ 35. Rom. 10) IV. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit; non etiam ut purgari velimus, per sancti Spiritûs infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti:* Præparatur voluntas à Domino (Prov. 8.) *& Apostolo salubriter prædicanti:* Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. (Philipp. 2) V. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsúmque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad generationem sacri Baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente:* Confidimus, quia, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri JEsu Christi (Philipp. 1.) *& illud:* Vobis datum est pro Christo, non solùm, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini. (*ibidem*) *Et:* Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. (Eph. 2) *Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem; omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodò fideles esse definiunt.* VI. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs; non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem S. Spiritûs in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium; nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti:* Quid habes, quod non accepisti? *Et:* Gratiâ Dei sum id, quod sum. (1. Corinth. 4. & 15.) VII. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare (ut expedit) aut eligere; sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis:* Sine me nihil potestis facere (Joann. 5.) *& illud Apostoli:* Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. (2. Cor. 2.)

(* 11) VIII. Canon Arausic.: *Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam Baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit informatum; aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod, quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit.* (Joan. 6.)

rias S. Augustini & Prosperi sententias, quæ gratiæ præcipuè prævenientis necessitatem exponunt (*12).

8. Synodum Arausicanam Concilium *Vasionense* II. excepit eodem anno DXXIX. Nonis Novembris ab undecim Episcopis celebratum, ex quo quinque Canones supersunt (x). *Primus* decernit, ut Presbyteri juniores Lectores intra ædes receptos instruant, dignósque hunc in modum successores sibi parent. *Tertius* Kyrie eleyson ex more Orientis & Italiæ ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam cantari solitum in Ecclesiis quoque Galliarum recitari præcipit. *Quartus* & *Quintus* jubent, ut legatur nomen Papæ in Sacris, atque ut post *Gloria Patri* &c. semper versus subjungatur: *Sicut erat in principio* &c. ad eorum hæresin confutandam, qui Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse impiè jactabant. Anno sequente DXXX. in *Valentinam* Galliæ Viennensis urbem magno numero Episcopi convenêre (y), ad depellendos sinistros rumores, quibus nonnulli Semipelagianorum Cæsario Arelatensi affricare erroris labem adnitebantur. Concilio cùm injuriâ affectus Antistes per morbum interesse non posset (z); Cyprianus Tolonensis Episcopus ejus vices egit, simúlque proposuit Patribus Cæsarii de gratia sententiam ex sacris Scripturis, & traditione Apostolica firmatam: nempe nihil per se in divinis profectibus quenquam accipere posse, nisi fuerit anteà Dei gratiâ præveniente vocatus. Quæ orthodoxa doctrina ubi omnium suffragiis fuisset comprobata; ad Felicem Pontificem missus est Armenius Abbas, ut

Synodus Vasionensis II.

(x) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1105.

A. 530.

Synodus Valentina.

(y) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1103.

(z) Vita S. Cæsarii c. 30. apud Cyprianum.

(*12) Inter ultimos Canones Arausicanos, vigesimum secundum nota; qui sic habet: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo; ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.* (Augustin. Tract. 5. in Joan.) Quæ Canonis verba, ne perperàm ita intelligas, quasi liberum arbitrium sine speciali Dei auxilio sive gratia nonnisi ad peccandum valeat; id enim à Pontificibus damnatum est. Sensus itaque Canonis est, quòd relativè ad salutem, ex nostro nonnisi demerita habeamus. BARONIUS in appendice Tomi X. in addendis ad Tom. VII. ait: "Recitant Patres Arausicani capita in Gallias ab ipso Romano Pontifice missa, profitentes ea cuncta haud recentem esse Ecclesiæ doctrinam, sed antiquorum Patrum definitionem, eandémque Apostolicæ Sedis auctoritate firmatam, quæ Apostolica Sedes (ùt suis locis superiùs est declaratum) sancti Augustini se professa est, de gratia & libero arbitrio probare sententiam."

Mors Felicis IV. Papæ. ut ſupremi Paſtoris judicio Concilii ſententia muniretur. Sed antequam Legatus cum Synodica in urbem perveniſſet, Papa Felix die XVIII. Septembris jam mortalitate ſolutus (a) exceſſerat. Itaque BONIFACIO II. electo Succeſſori cauſa oblata eſt: hanc tamen is definire ſub exordia ſuæ Sedis haud potuit, ſchiſmate, quod Dionyſius Diaconus moverat, turbatus (b). Competitorem hunc Apoſtolicæ Cathedræ magna pars Cleri largitionibus iniquis inclinata delegerat, quem cùm populus, Senatúſque reſpueret, altercatio viginti novem dies tenuit: nec litis finis fuiſſet, niſi æmulus idem, qui vivus Eccleſiam diviſerat, morte præmaturâ remedium ſchiſmati tuliſſet. Defunctum Dioſcorum ad terrorem aliorum, qui Præfecturas Eccleſiaſticas mercantur, Bonifacius anathemate ſignandum cenſuit: atque, ut ſchiſmatum fontem obſtrueret, ſive ut Gothorum Regibus jus eligendi Pontificis extorqueret, Synodo Romæ convocatâ, ſucceſſorem vivo adhuc Pontifice ordinandum conſtituebat. *Conſtitutum* poſtquam Sacerdotes tum chirographo, tum jurejurando firmaverant ante B. Apoſtoli Petri; Vigilium Diaconum ſucceſſorem nominavit (c). Re maturiùs ſubinde expensâ viſum eſt, Legem ejuſmodi priſtinis Canonum Decretis adverſari, quæ Eccleſiam Chriſti ab hæreditariarum ſucceſſionum ſpecie longiſſimè abhorrere voluiſſent. In alterum itaque cœtum congregatus Clerus Legem abrogandam judicavit: & Bonifacius conceptæ ſententiæ adeò non refragabatur, ut factum velut crimen quoddam deteſtatus, chirographum, quo Vigilium ſcripſerat, flammis aboleret (d). Tertia eodem tempore Synodus his acceſſit (e), cujus negotium erat, querelas diſcutere Stephani Lariſſenſis Epiſcopi, Metropolitani Theſſaliæ: hic enim ubi ab Epiphanio Conſtantinopolitano exauthoratus fuerat, ad Sedem Apoſtolicam, cui Illyricum ſubeſſe profitebatur (*13), pro-

Margin: (a) Pagius in Critic. T. II. ad an. 530. N. II. — *Bonifacius II. Pontifex.* — (b) Baron. ad an. 530. Anaſtaſius in Vit. PP. Caſſiodor. L. 9. ep. 15. — *Synodus I. Romana ſub Bonifacio.* — (c) Anaſtaſ. in Vit. PP. — *Synodus II. Romana ſub Bonifacio II.* — (d) ibidem. — *Synodus III. Romana ſub Bonifacio.* — (e) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1111.

(*13) ACTA CC. T. II. apud Harduin. pag. 1116. in ſeſs. 2. Synodi Romanæ: Theodoſius Echinienſis Epiſcopus optimè diſtinxit duplicem in Papa poteſtatem primò Paſtoris univerſalis Eccleſiæ; dein Patriarchæ: *Conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet Principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis undique appellare neceſſe ſit; ſpecialiter tamen Gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicâſſe.*

provocabat. Quid verò Pontifex cum congregatis Episcopis decreverit, injuria temporum nobis subtraxit. Post has causas primò definitas, Armenius quoque Arausicanorum Patrum Legatus Bonifacio Decreta Synodi in Gallia peractæ confirmanda porrexit: non poterat non probare Papa Arausione constituta (*14), quæ in Ecclesia inde suum robur habuêre. Annus trigesimus primus supra quingentesimum labebatur, dum *Toleti* in Hispania secunda Synodus, Præside Montano Episcopo, quinque Canones edidit (f), de educatione juniorum Clericorum ac ordinatione: de eorundem, & præcipuè Subdiaconorum castimonia; præterea decrevit, ut, quidquid de jure Ecclesiæ Clerici tenuerint, post obitum eorum ad Ecclesiam revertatur, & propinquorum connubia anathemate puniantur (*15). Inter has Episcoporum curas Bonifacius gregem pascere desiit, mortuus die XVI. Octobris anni DXXXII. (g)

A. 531. *Synodus II. Toletana.*

(f) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1139.

Obitus Bonifacii Papæ. A. 532.

(g) Anastas. in Vit. PP. Pagius in Critic. ad an. 531. N. 4.

9. Quem-

(*14) BONIFACIUS II. epist. ad Cæsar.: *Indicas, quòd aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantùm, quâ in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ,... postulans, ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in Christo, totiúsque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, authoritate Sedis Apostolicæ firmaremus. Atque ideò cùm de hac re multi Patres, & præ cæteris bonæ recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri Sedis Apostolicæ Antistites ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulteriùs deberet esse ambiguum, fidem quoque ipsam nobis venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici... Quòd etiam fraternitatem tuam habitâ ratione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam.... Quapropter affectu congruo salutantes, subscriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus* &c.

(*15) Ex Canonibus Synodi Toletanæ II. præcipuè primus celebris est, qui ostendit, antiquissimum votum castitatis à *Subdiaconis* emissum; verba Canonis sic habent: *De his, quos voluntas Parentum à primis infantiæ annis Clericatûs officio mancipârit, statuimus observandum, ut mox, cùm detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia, à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, & professionem castimoniæ suæ absque conjugali necessitate se spoponderint servaturos; hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ lenissimo Domini jugo subdantur: ac primum SUBDIACONATUS ministerium habitu probationis suæ vicesimo anno suscipiant. Quodsi inculpabiliter ac inoffensè vicesimum & quintum ætatis suæ annum peregerint, ad Diaconatûs officium, si scienter implere posse ab Episcopo comprobentur, promoveri debent. Cavendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut furtivos concubitus ultra recurrant. Quodsi fortè fecerint, ut sacrilegii rei damnentur, & ab Ecclesia habeantur extranei.*

9. Quemadmodùm verò annus quingentesimus trigesimus secundus inde memorabilis est, quòd Pontificis vitæ terminum posuerit; ita apud Chronologos celebratur, quòd Dionysius Exiguus initium magni sui Cycli eidem anno alligârit. Erat is Monachus, Scytha natione, moribus Romanus: qui cùm indignè ferret, Antiochenos æquè atque Alexandrinos periodum DXXXII. ad computanda tempora apud eos receptam annis *Diocletiani* conjungere; digniorem epocham atque exordium temporum daturus, rejectâ Æra Dioclétianâ, Æram Incarnationis Dominicæ substituit. Cæterùm Antiochenorum calculum secutus, Christi ortum ad diem XXV. Martii anni Juliani XLVI. referebat. Quare Æram Christianam ita Dionysius auspicatus est, ut initium in anni Juliani XLVI. die XXV. Martii defigeret, ac proinde annus secundus Cycli DXXXII. annorum, primus foret Æræ Incarnationis (*16). Neque tantùm in ordine temporum digerendo, sed & in colligendis Canonum pristinorum Decretis suam Ecclesiæ operam Dionysius probavit; pro suo quippe, quo valebat, linguarum usu Græcos Canones in Latinum translatos ad Occidentalium commoda vulgavit (†), eo ferè tempore, quo Justinianus Augustus Antecessorum Leges in unum Corpus collectas luci dedit.

Æra Dionysiana.

Dionysii Exigui Collectio Canonum.

(†) REFLEXIO V.

10. Intereà duorum mensium, & quindecim dierum inter Pontificium Romæ erat (h), per quod intervallum complures supremæ dignitati inhiantes, ut votorum se compotes redderent, Ecclesiæ bona effundere, & Primores repræsentato pretio in suas trahere partes haudquaquam verebantur. Senatores Romani itaque ad sacrilegiorum licentiam constringendam adversùs eos, qui pecuniam accepissent, Senatûs Consultum promulgârunt (i). Hoc mandato ubi Simoniacorum studia refrixerant, JOANNES II., cognomento Mercurius, natione Romanus, Papa ordinatus est (k). Is quamprimùm Sedem tenebat, Athalaricum Regem rogavit, ut, quoniam sacrilegi emptores nec Cano-

(h) MS. exemplar Colbert. Anastasii.

Joannes II. Papa.

(i) Baron. ad an. 533. n. 32.

(k) Pagius in Crit. T. II. ad a. 532. n. 7.

(*16) BEDA Lib. de sex ætatibus anno M. 4480.: *Dionysius* (inquit) *Paschales scribit Circulos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis* 532., *qui est anni Diocletiani* 248. *post Consulatum Lampadis & Orestis.* De Æra Dionysii vide plura in Tom. I. universalis Historiæ pag. 301.

Canonum, nec pœnarum Ecclesiasticarum metu percellerentur, ipse Regio Edicto hominum scelus comprimeret. Annuit precibus Joannis Athalaricus, & lege adversùs Simoniacos editâ Senatûs-Consultum confirmavit (*17).

11. Sub idem tempus Justinianus Constantinopoli collationem Severianos inter & Orthodoxos institui jussit, eo consilio (l), ut sublatis dissensionibus, in fidei concordiam conjungerentur. Congregatis utriusque partis Episcopis (m), Hypatius Ephesinus Episcopus Catholicorum nomine primam quæstionem movebat, quinam Severi sectatoribus sensus de Eutyche ac Dioscoro foret? Detestantibus illis Eutychem velut Hæreticum, Dioscorum autem probantibus, inferebat Hypatius; probari illum non posse, qui hæresi notatum errore liberare præsumpsisset, quique Eutychis perversæ confessioni annuisset, quæ ejusmodi erat: *Ante unitionem quidem ex duabus naturis confiteor: post unitionem verò unam naturam.* His cùm Severiani refragari non possent; de Concilio Chalcedonensi altera quæstio agitata est. Adversarii id maximè in hac Synodo criminabantur, quòd duarum naturarum novitatem definiat, contrà ac SS. Cyrillus & Athanasius, Felix etiam & Julius Romani Episcopi, Gregorius Thavmaturgus, & Dionysius Areopagita (n) docuissent. Hypatius è diverso ostendebat, nihil ejusmodi in Patrum epistolis reperiri, imò eosdem adversùs Arianos & Apollinaristas duas substantias atque naturas decrevisse: non aliam doctrinam ab Athanasio in Concilio Nicæno, neque diversam à Cyrillo in Ephe-

A. 533.

(l) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1159.

(m) ibid. p. 1160.

Collatio Catholicorum cum Severianis.

(n) ibidem p. 1162. 1163.

(*17) CASSIODORUS Lib 9. ep. 15. Athalarici refert Epistolam ad Joannem Papam, quâ confirmat Senatusconsultum adversùs Simoniacos; dein subjungit: *Permittimus tamen* (inquit) *ut, cùm de Apostolici consecratione Pontificis contentio fortassè pervenerit, & ad palatium nostrorum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra millia solidorum cum collectione chartarum censemus accipere, à quibus tamen omnes idoneos removemus: quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potiùs consulendum.... Alios verò Patriarchas seu Archiepiscopos, quando in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur; in supradictis personis intra duo millia solidorum jubemus expendere; in civitatibus autem suis non amplius, quàm quingentos solidos tenuissimæ plebi se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes & Edicti præsentis, & Senatûs Consulti nuper habiti pœna constringat, & dantes Canonum severitas persequatur.*

Ephesino fuisse prolatam; cæterùm quosdam libros, scilicet adversùs Diodorum & Theodorum Cyrillo falsò adscribi, & Julii famosam epistolam meritò inter Apollinaris fœtus numerari: quare ea duntaxat volumina adducerent, quæ ætate Proterii & Timothei Solofacioli necdum Eutychianorum Patriarcharum manibus vitiata in tabulariis Alexandriæ latuissent (o). Inde ubi Hypatio Severiani propositionem Cyrilli protulerant, quâ is unam Verbi Dei naturam incarnatam conceptis verbis docebat (p); Hypatius sententiam Cyrilli minimè inficiatus, sensum tantummodò exponendum suscepit: corpus nempe, quod Deus assumpsit in Incarnatione, non esse consubstantiale Verbo; ac proinde alteram existere naturam, secundùm quam passus sit Christus; has porrò duas naturas in Christo divinam & humanam conjunctas esse in unitatem personæ, ita ut unum Suppositum Theandricum constituant; nequaquam verò in illa unitione humanam naturam (ùt Eutyches deliraret) fuisse adeò absorptam, ut Christus nobis consubstantialis dici nequeat. His longiùs disceptatis, Severiani aliò dilapsi, vitio vertebant, quòd Chalcedonense Concilium Ibam & Theodoretum admisissent (q); tum Hypatius fortiùs instabat, nequaquam temerè rem gestam esse, neque enim hos antè in communionem Patres admisêre, quàm Nestorium palàm proscribendo se puros sceleris commonstrâssent. Severiani, ne quid intentatum relinquerent, Imperatori postremùm suggerebant, ab Adversariis hunc errorem jactari, quo negarent, Deum carne passum, vel unum eum esse de sancta Trinitate, nec ejusdem esse personæ tam miracula, quàm passiones (r): Epiphanius & Hypatius ad hanc difficultatem diluendam Imperatori testabantur, " se cum Catholica & Apostolica Ecclesia ejusdem personæ magni Dei & Salvatoris nostri JEsu Christi prædicare & passiones & miracula, non tamen ejusdem naturæ: sed sicut docuerunt SS. Patres, passibilem carnem, impassibilem Divinitatem, ... sed & se Deum carne passum ita confiteri propter eos, qui confundunt vel dividunt, ut impassibilem confiteamur Divinitatem. Similiter & unum esse ex Trinitate secundùm divinam naturam credentes, secundùm carnem verò unum ex nobis placuisse ei credimus fieri: & sicut consubstantialem

(o) ibidem p. 1163.

(p) ibidem p. 1165.

(q) ibidem p. 1170.

(r) ibidem p. 1172.

ſtantialem Patri ſecundùm Divinitatem, ita nobis conſubſtantialem ſecundùm humanitatem. „ Imperator his auditis Severianos ad pacem hortatus, multos ex Clericis & Monachis ad veram fidem retraxit; ex Epiſcopis verò nullus (præter Philoxenum) ad Catholicorum partes tranſgreſſus eſt (s).

(s) ibidem p. 1174.

12. Scythæ Monachi poſtquam viderant, Juſtiniano æquè ac Patriarchæ, aliíſque Epiſcopis ſuam probari ſententiam, apertiùs jam contra Acoemetas Monachos infenſiſſimos adverſarios ſuos triumphabant (t). Acoemetis id adeò bilem movit, ut æmulatione accenſi pernegarent, unum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum, quin tanto diſputationis æſtu abripiebantur, ut beatam Mariam verè & propriè eſſe Dei Genitricem inficiarentur. Authoritate tamen & ratione cùm in Oriente premerentur, Cyrum & Eulogium Legatos ad Joannem Pontificem mittunt, qui opinionis ſuæ aut erroris approbationem elicerent. His Juſtinianus aliam Legationem oppoſuit; Hypatium Epheſiorum, & Demetrium Philippenſium Epiſcopos eodem tempore Romam ire juſſit, Pontificem de his quæſtionibus conſulturos. Romæ igitur dum cauſa utrinque agitatur, Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus à Ferrando Eccleſiæ Carthaginenſis Miniſtro de quæſtione ſententiam exquirebat: repoſuit ille ſciſcitanti, Scytharum dogma adeò nihil Eutychianis favere, ut hos, ſimúlque Neſtorianos uno ictu conficiat (* 18). Reſponſum

(t) Liberatus in Brev. c. 20.

Acoemetarum Monachorum contra Scythas Monachos varii motus.

Acoëmetarum Monachorum contra Scytharum ſententiam pugna. A. 534.

(* 18) FERRANDUS in epiſtola ad Anatolium ita ait: *Nihil planè diutiùs cogitans reperire valui, unde poſſit hæc ſententia (quod à quibusdam jactatur) Eutychianis favorem præbere. Primum enim mendacium delirantis Eutychetis hoc fuit, Unigenitum Deum, quando homo fieri dignatus eſt, non ſibi aſſumpſiſſe Carnem de utero Virginali. Secundum verò, non eſſe nunc in Chriſto ſubſtantias duas, Divinitatis & Humanitatis, ſed ex duabus his unam factam ſubſtantiam. Retractemus igitur diligenter utraſque ſententias, & ſi vel uni earum coaptari poſſit iſta ſententia, quæ Unum de Trinitate paſſum fatetur, ſollicitius inquiramus. Quid, rogo, proficit ad negandum Filio Dei materni corporis veritatem, quando Unus de Trinitate paſſus aſſeritur? Nónne ſi unus de Trinitate eſt, verè Filius Dei eſt; & ſi paſſus eſt, vere habet materni corporis veritatem? Alioqui tolle corpus ex matre ſumptum, & quomodo pati potuit plura Divinitas? Perpende, qualis eſt caro Mariæ: ſine dubio paſſibilis & mortalis. Ut ergo eſſet caro Verbi paſſibilis & mortalis, ex illa carne habet originem, quæ fuit paſſibilis & mortalis. In prole igitur cognoſce ſimilitudinem generis per teſtimonium paſſionis, & expugnari magis Eutychianos, quàm foveri, quando unus de Trinitate paſſus aſſeritur;... ſine dubio enim ſub his verbis etiam Prædicator unius in Chriſto ſubſtantiæ confutatur. Ut ſit enim Chriſtus*

ſponſum ubi hoc afferebatur in medium, alia, eáque adverſa Trifolii Presbyteri de propoſito argumento ſententia oggerebatur, qui dixiſſe ferebatur, iſtam doctrinam de fontibus Arii prodiiſſe (*19). Joannes tandem Papa vocum ſenſum altiùs ſcrutatus, controverſiam compoſuit; Scytharum quippe propoſitionem, velut Apoſtolicæ doctrinæ convenientem Fratrum & Coëpiſcoporum interveniente conſenſu probavit, & ſuâ authoritate confirmavit (u), Acoemetis (*20) Monachis porrò comminatus, ni ad ſanam mentem redirent, ſe eosdem communione depulſurum (x). Sententia ejuſmodi poſtquam Monachorum litem diremerat, tres adhuc quæſtiones erant à Juſtiniano oblatæ, de quibus ſigillatim judicium proferre Papa neceſſarium duxit. Prima autem fuit: *Utrùm unus ex Trinitate Chriſtus Deus noſter dici poſſit*, hoc eſt, una de tribus Perſonis ſanctæ Trinitatis Perſona? Secunda: *An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate?* Tertia: *An propriè & veraciter Mater D. N. JESU Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari?* Quas ſingulas propoſitiones Joannes II. fidei Catholicæ omninò conſentaneas aſſeruit:

(u) Joannis epiſt. ad Juſtinian. apud Baron. ad an. 534. n. 16.

Joannes II. Papa approbat hanc propoſitionem: Unus è Trinitate paſſus eſt carne

(x) ibidem.

Aliæ propoſitiones à Joanne approbatæ.

Chriſtus unus de Trinitate, ad Divinitatem pertinet; ut credatur paſſus, ad humanitatem &c.

(*19) PAGIUS in Critica T. II. ad annum 533.: " Cùm propoſitio hæc: *Unus de Trinitate paſſus eſt carne* in varios ſenſus diſtrahi poſſit, de quibus agit Lupus in notis ad Synodum Epheſinam; inde ob eandem tot tragœdiæ excitatæ. *Trifolius* Presbyter in epiſtola ad Fauſtum Senatorem, quæ extat Tom. IV. CC. edit. Labb. p. 1590, eam ſiniſtro prorſus interpretamento excepit, aitque: *Iſta doctrina de fonte Arii prodivit, & eſt conveniens omnibus hæreſibus.....* Verùm is error Presbytero iſti condonandus, qui à Fauſto de hac propoſitione interrogatus, nec certior factus de fide Scytharum, ſed de turbis duntaxat ab ipſis Conſtantinopoli & Romæ excitatis, facilè ſibi perſuaſit, eos propoſitionem illam hæretico ſenſu aſſerere, maximè cùm & Legatos Hormiſdæ Pontificis Romani adverſarios haberent, & ipſummet Pontificem. Prætereà nec ipſa propoſitio Scytharum fideliter ad Trifolium relata eſt, ùt liquet ex ejus epiſtolæ initio. Quæſivit enim ab eo Fauſtus Senator, quid de illa propoſitione ſentiret: *Unus de Trinitate crucifixus eſt*: & tamen propoſitio Monachorum Scytharum hæc erat: *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne.* Omnia *Trifolii* dubia reſolvit NATALIS ALEXANDER in Differt. Sæc. VI. „

(*20) PAGIUS in Breviario PP. T. I. pag. 275.: " Monachi à Joanne Papa damnati, erant fundati à S. Alexandro, cujus vitam exhibet Bollandus ad diem 15. Januarii; appellati autem ſunt Acoemeti, ſeu inſomnes, non quòd inſomnes, & conniventes oculis, perpetuis vigiliis ſe exercerent, ùt quidam ſcripſêre, ſed quòd divina in eorum Eccleſiis hymnologia non intercideret, nullâque horâ vacaret à laudibus divinis, quam perpetuam pſalmodiam in quædam Galliarum Cœnobia poſtmodùm introductam videre eſt in Baronii Critica anno DXXII. „

ruit: ac ne quis obstreperet, easdem subjectis Scripturæ sacræ & Ss. Patrum testimoniis ab omni errore vindicavit (y).

13. Dum in Oriente de dogmatis tractabatur, anno DXXXIII. in Gallia viginti sex Præsules *Aureliani* convenêre ad ordinandam disciplinam (z). Decreta verò edita de *Synodis* habendis ita statuebant, ut nemo vocatus ad Synodum venire cunctetur (a), útque Metropolita singulis annis Provinciales ad Concilium vocet (b). De *Ordinationibus* porrò cautum est, ne Metropolita (nisi Comprovincialibus præsentibus) ordinetur (c); Ordinatus autem gratìs imponat manum, nec Sacerdotium quis pecuniâ appetat (d). De *Matrimoniis* præcipiebatur, ne quis cum noverca, aut Christianus cum Judæa connubium habeat; hoc autem inter cæteros ita sit firmum, ut nec infirmitate accedente solvatur (e): Diaconos porrò & Diaconissas Patres arcebant à conjugio: atque ut fragilitati fœminei sexûs prospiciatur, placuit, ut nulli postmodùm fœminæ Diaconalis benedictio conferatur (f). Anno DXXXV. quando Justinianus receptam à Vandalis Africam in civilem restituere ordinem parabat, Reparatus Bonifacii Carthaginensis Episcopi successor septendecim supra centum Præsules convocavit, ut res Ecclesiasticas, quæ sub Arianorum servitute collapsæ fuerant, in vigorem pristinum erigeret. In primo Concilii aditu deliberatum est, utrùm Arianorum Sacerdotes, siquidem Ecclesiam ingredi vellent, in suis honoribus, aut in laica communione suscipi oporteret? Prætereà de parvulis, quos Ariani baptizâssent, quærebatur, an in Clericorum ordinem volentes admitti valeant? Initis suffragiis sententiæ definitio Apostolicæ Sedi relicta est: Legati itaque Romam ire jubebantur, tum ut quæstiones ambiguas proponerent, tum ut precarentur, ne inferioris ordinis Clericis deinceps integrum sit, Romam quacunque ex causa provolare (g). Sed antequam in Italiam Afri appulerant, Joannes Pontifex sexto Kalendas Junii vitam cum morte jam mutaverat (h); quare AGAPETUS, qui intereà suffectus fuerat, ad oblata Legatorum capita ita respondit: " Arianos ad Ecclesiam venientes singulari charitate, non tamen in suis officiis & honoribus suscipiendos; nec eorum filios, qui ab Hæreticis essent baptizati, promovendos ad Clerum.

(y) Joannis Epist. ad Avienum & Liberium apud Baron. ad an. 534. n. 24.

Synodus Aurelianensis II.

(z) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1173.

(a) Can. 1.

(b) Can. 2.

(c) Can. 7.

(d) Can. 3. 4.

(e) Can. 10. 11.

(f) Can. 18.

Synodus Carthaginensis. A. 535.

Synodus Africana mittit Legatos Romam.

(g) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1177.

Mors Joannis II Papæ.

(h) Pagius in Critic. ad an. 535. N. 2.

Agapetus Pontifex respondet Afris.

rum. De Clericis verò, qui relictâ Provinciâ ad transmarinas regiones sine causa navigarent, statuit, ut sine Sacerdotum suorum literis Romæ minimè audiantur (*21). Eodem anno in Arvernorum urbe Theodeberti Regis consensu Concilium celebratum est sexto Idus Novembris (i): Patrum cura erat, Simoniæ, quæ tunc grassabatur, occurrere; unde Pontificii honorem non votis, sed meritis quærendum decernunt. Et quoniam eo tempore ipsos Reges non pudebat, suum vendere suffragium; anathema iis infligebant, qui res Ecclesiasticas à Regibus obtinere laborarent. Demum Festivitates præcipuas cum Episcopo in civitate peragendas voluère (*22).

Synodus Arvernensis.

(i) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1179.

14. Italiæ circa idem tempus cum toto exercitu imminebat Belisarius, & victoriarum cursu perpetuo Catholicos Arianorum servitute exempturus credebatur; tum Theodatus Rex Gothorum, tentatis frustrà aliis pacis remediis, Pontificem Agapetum cogit, ut Constantinopolim profectus, Cæsarem ad ponenda arma, & ad submovendum ab Italia exercitum inflectat. Opponere se barbarico Imperio, nec Papæ, nec saluti civium tutum erat; quare iter aggressurus, vasis sacris in pignus datis, ab ærarii Præfecto tantum pecuniæ mutuò accepit, quantum ad tolerandos viarum sumptus sufficeret (k). In Græciam ubi pervenerat Agapetus, se Petro Apostolo, uti potestate, sic & virtute Thaumaturgâ similem ostendit; nam muto, claudóque simul linguæ, simúlque pedum usum oblato Missæ sacrificio restituisse fertur (l). Tandem Constantinopolim medio mense Martio anni

Agapetus ad Imperatorem Justinianum Legationem suscipere cogitur.

(k) Liberatus in Brev. c. 21. Cassiodorus L. XII. Var. ep. 20.

A. 536.

Agapetus Thaumaturgus.

(l) Greg. M. L. 3. Dialog. c. 3.

(*21) AGAPETUS in epist. 2. (ùt habetur in Conc. T. IV. apud Labbe) ita reposuit: ... *Illud quoque, quod Catholicos, qui præsunt, aut militant Ecclesiæ, sine Sacerdotum suorum literis suscipi à nobis minimè debere mandatis, & Canonibus est congruum, & disciplinis prodesse judicamus, ac fidei, qui permanendo in Ecclesiis, in quibus militant, & ministerii sui poterunt assiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, & quæ in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare.*

(*22) Canon XV. Arvernensis Synodi sic habet: *Si quis Presbyter atque Diaconus, qui neque in civitate, neque in parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villiculis habitans, in Oratoriis officio sancto deserviens, celebrat divina mysteria, festivitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt reliquæ solennitates, nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in civitate teneat. Quicunque etiam sunt cives natu majores, pari modo in urbibus ad Pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant. Quodsi qui improbâ temeritate contempserint, hisdam festivitatibus, quibus in civitate adesse despiciunt, communione pellantur.*

anni DXXXVI. appulsus, id, quod à Rege in mandatis habebat, Justiniano proposuit: at is belli apparatum, in quem magnam pecuniæ vim profudisset, causatus, precibus Theodati aures occlusit (m). Pontifex, spe pacis in irritum cadente, aliam legationem pro Christo ibidem in Regia urbe obire cœpit. Anno superiore in Epiphanii defuncti Constantinopolitanam sedem Theodoræ Augustæ studio Anthimus Trapezuntis Episcopus irrepserat (n): hic cùm Eutychianum virus alto pectore tegeret; Archimandritæ Agapetum de hominis conditione admonendum censuêre. Neque Pontifex officio suo defuit: utprimùm enim civile negotium apud Imperatorem absolverat; sacris operaturus, negabat, sibi cum Anthimo Tralatitio Episcopo, & de hæresi suspecto communionem esse posse, nisi sese libello commonstraret orthodoxum, & ad Cathedram suam reverteretur. Augustâ verò clam promittente munera, & iteratas Papæ minas intentante (o), Agapetus perstitit in sententia, & Anthimo sede, Sacerdotio, ac piorum societate depulso, Mennam Presbyterum, Præpositum Xenodochii majoris doctrinæ integritate, & sacrarum Scripturarum studio clarum suffecit; dein ubi Mennas fidem orthodoxam fuerat professus, eidem Agapetus manus imposuit (p). Postridiè ab ordinatione Mennæ Justinianus Pontificem rogabat, ut, quæ Joannes prædecessor contra Acoemetas decrevisset, suâ ipse authoritate quoque stabilita vellet; Pontifex proinde genuinæ fidei tesseram ab Imperatore suscipiens, Acoemetarum pervicaciam novis fulminibus concussit (q). His peractis, Agapetus ad reditum in Italiam se accingebat; sed post aliquot dierum intervallum ægritudine correptus (r), die XXII. Aprilis ad cælestem Patriam migravit Constantinopoli, vir in Oriente æquè, atque in Occidente celebratus, qui Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum exauthorando, & insolito à Petri temporibus exemplo Orientalis Ecclesiæ Episcopum ordinando, latissimæ jurisdictionis Primatum, séque universi Gregis Pastorem supremum palàm commonstravit (s). Corpus ejus loculo plumbeo inclusum, Romam delatum, & in Basilica B. Petri conditum est duodecimo Kalendas Octobris (t).

(m) Liberatus c. 21.

(n) Liberatus c. 20.

Anthimus in Sedem Constantinopolitanam intrusus ab Agapeto dejicitur,

(o) Liberatus in Brev. c. 21. Evagr. hist. l. 4. c. 11.

Et Mennas substituitur.

(p) Vigilii epist. ad Justinian. T. V. CC. apud Labb. p. 314.

(q) Epist. Agapeti ad Justinian. T. IV. CC. Labbean. edit. p. 1789.

(r) Liberatus c. 22.

Mors Agapeti.

(s) Pagius in Brev. PP. T. I. p. 281.

(t) Anastasius in V. PP.

15. Post-

A. 536. *Synodus Constantinopolitana sub Menna.*

15. Postquam Pontifex fato suo piè functus fuerat; Justinianus adhuc Mennam, Legatósque Apostolicos, quos Agapetus nihil imminutâ eorum potestate reliquerat, admodùm urgebat, ut convocatâ Synodo, schismati finem imponerent. Præsidente itaque Menna sexto Nonas Maji, quinquaginta Episcopi (u) jusserunt observari, propriísque singulorum nominibus subnotari, quæ à vivente Agapeto constituta fuissent; tum in Anthimum undique, sed frustrà investigatum nova depositionis sententia proferebatur: denique sub Synodi finem Severus, Petrus Apameensis, & Zoaras diris Apostolicis proscripti sunt. Sententias Patrum non tantùm Edictum Imperatoris contra Hæreticos evulgatum, sed & quadraginta alii Episcopi (à Petro trium Palæstinarum Antistite subinde congregati) suis suffragiis confirmârunt, robúrque dederunt.

(u) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1185.

Silverius Papa.

16. Romæ ubi primùm fama tulit, Agapetum decessisse; Theodatus Rex Gothorum SILVERIUM Campanum, Hormisdæ quondam Papæ filium ex legitimo ante Pontificatum matrimonio susceptum ordinari præcepit (x). Augusta verò Theodora consiliis suis opportuniorem circumspiciens, tandem in *Vigilium* Agapeti Diaconum, & Agapeti Papæ Constantinopoli Apocrisiarium incidit: qui ubi pollicitus fuerat Augustæ, se, si potitus rerum esset, Synodo Chalcedonensi anathema: Anthimo autem & Severo communionem daturum; illa vicissim Sedem Apostolicam Vigilio cum septingentis auri pondo condicens, eundem Romam misit. Illic ut sedere jam in Petri Cathedra Silverium audiit; dolore amens, Ravennam ad Belisarium avolat, & Belisario operam iniquam tum Theodoræ exhibitis literis, tum aureæ largitionis promissione conciliat. Belisarius namque Augustæ satisfacturus, Romam protinùs abibat: atque ut Silverium perderet, literas quasi à Papa ad Vitigen Gothorum Regem scriptas confingi fecit, quibus cum hoste de proditione urbis jam obsessæ Pontifex egisse vulgabatur (y). Intereà dum hæc calumnia struitur; Belisarius & Antonina ejus uxor Silverio authores erant, ut in gratiam Theodoræ, sublatâ Chalcedonensi Synodo, Acephalis communicaret. Pontifex ad declinandam vim in Basilicam S. Sabinæ confugit: at subinde fraude

(x) Liberatus c. 22.

A. 537.

(y) Procop. l. 1. de B. G. c. 25. Anastas. in Silverio. Continuator Marcellini.

Vigilius Antipapa.

fraude & jurejurando falſo deceptus, in palatium, quò vocabatur, progreditur. Vix in poteſtatem Beliſarii Papa venerat; tum repentè monaſticâ veſte indutus, Pataram (civitatem Lyciæ) amandatur. Ad Pontificis exulis adventum Patarenſis Epiſcopus inhorruit, literiſque apud Imperatorem egit, ut Silverius ſedi ſuæ reſtitueretur (z). Victus precibus Juſtinianus, in mandatis proinde dabat, ut Silverius Romanæ urbi, & ſiquidem literæ de tradenda Gothis urbe falſæ reperiantur, etiam Sedi redderetur. Vigilius, qui paulò poſt abitum Pontificis in Cathedram Petri ſe intruſerat, reditum Silverii ægerrimè ferens, ad prævertendum periculum à Beliſario poſtulabat, ut, quamprimùm Silverius urbi pedem inferret, ſuis is defenſoribus ac ſervis traderetur. In hoc ſacrilegum facinus ubi Dux quoque ſtudio Theodoræ conſenſerat; ſanctus Pontifex in Palmariam Inſulam deportatur, ubi arctæ cuſtodiæ incluſus, ærumniſque ac ediâ conſumptus, die XX. Junii anni DXXXVIII. extremum diem clauſit (*23). Quàm Vigilio certum erat, ante mortem Silverii

(z) Liberatus l. c.

Silverius Pontifex binis vicibus in exilium ejicitur.

Mors Silverii Papæ & Martyris.

A. 538.

(*23) PAGIUS in Critica ad annum 540. N. III. : Silverii mors immeritò adſcribitur Vigilio. Procopius enim in Hiſtoria arcana c. 1. loquens de Antonina Beliſarii uxore ait: *Fuit illi miniſter ſceleris quidam ex famulis, Eugenius nomine, qui & commiſſi contra Silverium piaculi ſatelles fuerat.* Ubi Procopius Silverium ferro, aut aliâ ſanguinarii hominis arte necatum indicat. Nam his verbis, quibus utitur, ἐργάζεσθαι μίασμα, piaculum patrare, ubique Procopium deſignare ſolitum notat Alemannus in notis ad illum librum, obſervátque, Liberatum ſcribere, Silverium inediâ defeciſſe, quod ab aliis accepiſſet; ſed Procopium ſcripſiſſe, quæ ipſemet viderat. Cæterùm Silverii Decretalem, quâ Vigilium anathematizat, ſuppoſititiam oſtendunt ſtyli barbaries; falſa nota Conſularis & emendicatæ ex epiſtola Felicis II. ad Acacium ſententiæ. Prætereà nullo Hiſtoricorum teſtimonio confirmantur, quæ de Vigilio in eadem epiſtola narrat Silverius, ſcilicet *cruentis ſanguine manibus* leviticum munus affectâſſe: *Deceſſoribus ſuis ſubrepſiſſe*, & Senatûs juſtitiâ repreſſum fuiſſe. Tertiò denique incredibile eſt, Silverium, quem ſtatim à dejectione ſua ſub inimicorum cuſtodia detentum, ac in exilium deportatum Liberatus teſtatur, indicto Epiſcoporum conventu anathematis ſententiam in ſedis ſuæ pervaſorem pronunciâſſe. Neque enim id contingere potuit eo tempore, quo Pataram patriâ pulſus, ſede privatus Pontifex incolebat, cùm huic anathematis Decreto non Aſiani, ſed Itali ſubſcribant Epiſcopi. Poſt reditum Silverii excommunicatum Vigilium nemo dixerit; ſtatim enim Silverius Vigilio æmulo ſuo traditus eſt, & in Palmariam vel Pontiam Inſulam deportatus, ubi veriſimile non eſt, cuſtodum vigiles oculos fallere, Synodos indicere, Canonicas ſanctiones condere, anathematiſmos in adverſarios torquere potuiſſe. „ *Hucuſque Pagius in Breviario PP. T. I. pag.* 286.

verii divina, humanáque convellere (*24); ita posteà in Papæ defuncti locum legitimè surrogatus, in alium virum mutari cœpit, sancto Spiritu, qui Ecclesiam regit, operante. Nam quæ aliàs adversùs Synodum Chalcedonensem ad Theodoram Augustam sacrilegè scripserat, solemni fidei professione delevit: & Justiniano quidem Imperatori ac Mennæ datis epistolis testabatur, quatuor Synodos Oecumenicas, & S. Leonis epistolas, aliorúmque decessorum se recipere, & præcipuè Agapeti constitutam de Anthimi exauthoratione; ac Acephalorum proscriptione sententiam confirmare (a).

Vigilius electione novâ fit legitimus Pontifex.

(a) Epist. Vigilii 4. ad Justinian. Item epist. ejusdem 5. ad Mennam.

17. Dum de redintegranda fide Romæ cogitabat Vigilius; *Aureliani* eodem anno DXXXVIII. viginti quinque Episcopi convenêre ad restaurandam Disciplinam (b); quare triginta tres Canones ex statutis priorum Conciliorum desumptos repetivêre, quorum præcipui continentiam, Ecclesiasticarum facultatum curam, & usurarum exterminium Clericis inculcant (c). In eadem urbe post aliquod intervallum, scilicet anno DXLI. quarta Synodus peracta est (d), cujus triginta octo Canones præcipiunt, ut Quadragesima in omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur, & Sabbatis jejunium non solvatur (e): ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aquâ mixtum offerre præsumat (f): ut Clerici publicis actionibus & tutelis non applicentur (g). Porrò volunt eos communione pellendos, qui post Baptismum immolatis vescuntur, aut ad capita animalium jurant (h). Cavent demum, ne quis immunitatem Ecclesiarum violet, ne Clerici constringantur, aut damnentur

Aurelianense III. Concilium.

(b) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1423.

(c) c. 2. 4. 7. 12.

(d) Acta CC. T. II. p. 1436. *Aurelianense IV.*

(e) Can. 2.

(f) Can. 4.

(g) Can. 13.

(h) Can. 15. 16.

(*24) LIBERATUS cap. 22., & VICTOR TUNUN. ad annum 543. sequentem Vigilii referunt epistolam: *Eandem fidem, quam tenetis, Deo adjuvante, & me tenuisse & tenere significo;... oportet ergo, ut hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat: sed magis tanquam suspectum hic me sapientia vestra ante alios existimet habere, ut faciliùs possim hæc, quæ cœpi, operari & perficere.....* LIBERATUS his subjicit: Sub hac epistola Vigilius fidem suam scripsit: *Nos non duas naturas in Christo confitemur, sed ex duabus naturis compositum Dei Filium, unum Christum, unum Dominum.... Qui dicit, quòd Christus velut homo misericordiâ dignatus est; & non dicit, ipsum Deum Verbum & crucifixum esse, ut misereatur nobis, anathema sit* &c. Baronius negat, hanc epistolam Vigilii fuisse, sed annotator Baronii ad annum 538. rationes Baronii elidit. Ex hoc tamen nullum Sedi Apostolicæ præjudicium oritur; cùm ejus tunc Vigilius invasor, non verò legitimus possessor fuerit.

tur à laico Judice, ac ne ullus, invitis parentibus, filiam sibi jungat alienam (i). Copiosior posteà Episcoporum numerus Aureliani confluxit anno DXLIX.; nam quinquaginta, inter quos decem in Sanctorum numerum relati, ad Synodum accessêre (k): hi viginti quatuor legibus sequentia decreverunt; continentiam injungebant Clericis, & puellis in monasterium receptis (*25). Cavebant immunitati electionum, atque inde simoniæ labem proscribebant (l). Definivêre etiam modum, quâ ratione causæ Ecclesiasticæ tractari debeant (*26).

(i) Can. 20. 21. 22.

(k) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 1444. *Aurelianense V.*

(l) Can. 9. 10. 11. 12.

18. Quemadmodùm verò Antistites Ecclesiarum vigorem, ita plures sancti Viri in Sæculo sexto monasticam Ascesin curârunt: horum primus & maximus nominari meretur S. Benedictus, qui in Occidente vitæ monasticæ Parens & instaurator, natus erat Nursiæ (*27) anno CCCCLXXX. (m), Romæ liberalibus literarum studiis excultus anno CCCCXCIV. sodales non paucos per abrupta vitiorum devolvi vidit (n). Licentissima hæc agendi & pereundi ratio Adolescenti piissimo tantum sæculi fastidium injecit, ut è domo paterna in sublacensem solitudinem secederet (*28). Illinc à Romano ex familia Theodati

S. Benedictus monasticæ vitæ in Occidente instaurator.

(m) Mabillon. in Annal. Bened. T. I p. 3.

(n) Gregor. l. 2. Dialog. c. 1.

 Mona-

(*25) Aurelian. Synodi Canon XIX.: *Quæcunque etiam puellæ, seu propriâ voluntate monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa, quâ intraverint, veste permaneant: in his verò monasteriis, ubi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium, ... & postmodum vestimenta religionis accipiant. Si posteà matrimonium ineant cum viris, Ecclesiæ communione priventur.* Illâ ergo ætate vestimentorum receptioni adjuncta erat religiosa Professio.

(*26) Aurel. Synodi V. Canon XVII.: *Si quis contra Episcopum vel Actores Ecclesiæ habuerit negotium, priùs ad eum recurrat, ut ea emendet, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tunc ad Metropolitani audientiam veniatur. Episcopus verò bis à Metropolitano admonitus, si sanare, mittere, aut venire distulerit, à charitate Metropolitani tamdiu sit suspensus, d um veniens rationem reddiderit. Quodsi patuerit Episcopum contra justitiam fatigatum, is, qui eum injustâ interpellatione pulsavit, anni spatio à communione Ecclesiastica suspendatur. Si verò Metropolitanus bis interpellatus ab Episcopo distulerit audientiam, causæ cognitio ad proximam Synodum devolvatur, & quidquid à Comprovincialibus statutum fuerit, studeat observare.*

(*27) MABILLONIUS in Annal. Benedict. L. 1. n. 3.: Nursia urbs quondam Episcopalis, Valeriæ Provinciæ annexa, nunc Umbriæ seu Ducatui Spoletino nullâ aliâ re, quàm S. Benedicti ortu illustrior fuit &c.

(*28) IDEM p 4.: *Sublacum*, Cornelio Tacito ac Plinio haud ignotum, à lacu, quem Anionis aquæ efficiunt, nomen habet. Distat ab urbe Roma quadraginta ferè millibus, hoc est, unius minimùm diei itinere, in cujus medio Tibur, in ea Latii regione,

Monacho habitum *sanctæ conversationis* indutus, & posteà ab eodem statis temporibus refectus, tres annos in arctissima specu clam omnibus exegit. Pastores tandem anno CCCCXCVII. in hominem pellibus (sive melote) vestitum incidentes, ac bestiæ genus esse opinati, ubi propiùs accesserant, à Dei famulo agnito adeò immutati sunt, ut positâ pristinæ vitæ consuetudine, ad pios & Christianos mores transirent (o). Nomen itaque Benedicti per vicina loca cunctis innotuit, cujus tamen virtuti adeò orcus invidit, ut immissis in sensus intimos præstigiis, memoriam refricaret cujusdam fœminæ, quam olim Romæ viderat: imagine turpes in eo ardores excitante, parùm absuerat, quin voluptate victus, eremum desereret (p); at vicissim Deus pugilem suum miseratus, tantum cælestium virium animo afflavit, ut abjectis subitò vestibus, nudum se in urticas ac vepres tamdiu volutârit, dum libidinis sensus dolore penitùs opprimeretur. Hanc tentationem alia sævior excepit: A sacro specu procul aberat Monasterium, cujus præsidium (nam Abbas paulò antè defunctus erat) Benedicto obtrudebatur. Importunis precibus ubi ille dederat locum, jámque ingenium, morésque Monachorum consanare cœperat, hi facti pœnitentes, quò ad pristinam licentiam redire liceret, novum Abbatem veneno extinguere constituunt. Illi ergo sancto Viro poculum toxico infectum propinant, quod impresso crucis signo statim dissiliit; ex prodigio de insidiis suorum certior, jussit fratres alium suis moribus convenientem Præsidem quærere, paucísque eos increpans, ad amicam solitudinem reversus est (q). In his tenebris non diu latuit virtus signis cælestibus refulgens; nam plures ad Viri sanctissimi famam exciti, ultrò se ejus culturæ tradidêre. Affluentium alumnorum numero ut satìs consuleret, duodecim construebat Monasteria, in quibus statutis Patribus duodenos Monachos subjecit, rudiores interim suæ culturæ reservans, alios quoque

(o) Ibid. c. 2. Annal. Benedict. L. I. N. 17. p. 8.

(p) Annal. Benedict. L. I. N. 18.

(q) Gregor. I. c. c. 3. Annal. Benedict. L. I. N. 19. p. 9.

gione, quæ Campania Romana vocatur. Anio amnis, torrentis instar, inter Simbruinos montes in Æquicolis excurrens, obstructis à Claudio angustiis illorum montium faucibus, aquas stagnare coëgit, & in lacum colligi atque extendi; ... infra lacum visitur oppidum, *Sublacus* dictum, à quo distat sacra specus trium fermè millium intervallo &c.

quoque adoleſcentes nobiles, quos Romani Benedicti diſciplinæ tradiderant, inſtruendos accepit (r). Creſcentem S. Benedicti familiam haud ferendam ducebat Florentius quidam vicinæ Eccleſiæ Presbyter, qui vitam primùm Sancti porrecto venenato pane appetere, & hoc conatu in irritum cadente, diſcipulorum Benedicti animas perdere inſtituit; in Monaſterii quippe hortum ſeptem procaces Veneres ad inflammanda ſpectantium pectora aptiſſimas inducebat (s): quod periculum tanti fecit S. Benedictus, ut è veſtigio Sublacum deſerens, in Caſinum caſtrum digrederetur (*29). Hìc à ruſticis Apollo colebatur; cujus idolum poſtquam Benedictus contriverat, erecto in ipſo templo Apollinis oratorio B. Martini, & altero S. Joannis gentium vicinarum converſioni incubuit (t). Proſtratis demum ſimulachris, & accolis ad fidem adductis, Monaſterio ædificando manum admovit anno DXXVIII., ſcripſítque Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam: cujus ſumma hæc erat: nempe, quòd diſciplina Benedictinæ Religionis tribus maximè virtutibus fulciatur, ſilentio, cum ſolitudine, humilitate & obedientiâ; hanc ſolam cum converſione morum ſecundùm Regulam ſolemni voto promittere jubebantur (*30). Anno DXLII. A. 542.

(r) Gregor. l. c. Annal. Benedict. L. 2. N. 1. 2. 3.

(s) Annal. Benedict. L. 3. p. 54.

S. Benedictus adit Caſinum.

(t) Annal. Bened. L. 3. N. 5. & 6.

Regula S. Benedicti.

 Totilas

(*29) IDEM Lib. III. n. 5. p. 55.: Caſinus Campaniæ felicis locus celebris apud Veteres, nunc Samnitum Provinciæ ſeu Aprutio, nunc Latio novo ob confinia attributus, Româ paſſuum millibus circiter ſeptuaginta, Neapoli ferè quinquaginta, totidémque Sublaco diſtat &c.

(*30) DU MESNIL *de Doctrina & Diſcipl. Eccl.* Lib. 27. n. 51. p. 108. de Regula S. Benedicti hæc notat : " Regulæ exemplaria, quæ nunc habemus, inter ſe non conveniunt. Illius vetus MS. Caſinenſe, quod ab ipſo Originali dicitur extractum, habetur in Bibliotheca maxima Patrum Tom. IX., & inſcribitur : *Incipit ordo, qualiter Fratres in monaſterio religiosè ac ſtudiosè converſari debeant ;* non convenit cum exemplari, quod edidit *Lucas Holſtenius in Cod. Regul.* Hæc Regula poſterior videtur eruditior, & quædam continet, quæ illorum temporum ſimplicitati parùm conveniunt... Præterea controverſum eſt inter RR. PP. Benedictinos, an S. Pater, qui abſtinentiam ab eſu carnium ſaltem quadrupedum perpetuam præcepit, volatilium uſum non tantùm infirmis, ſed etiam ſanis indulſerit ? Cæterùm, ùt ait MABILLONIUS in Annalibus Lib. 3. n. 7. p. 57. : *Tribus maximè virtutibus fulcitur tota Benedictinæ Religionis Diſciplina, nimirum ſilentio cum ſolitudine ac ſeceſſu, humilitate & obedientiâ. Hanc ſolam cum converſione morum ſecundùm Regulam ſolemni voto promittimus. Primum in religioſis exercitiis officium divinum ; ſecundum lectio & labor, qui manu exercetur. Nocte vigiliæ nocturnæ paulùm de media nocte, interpoſito ſpatio ante Matutinos, quos modò Laudes appellamus. A Matutinis ad lectos redire non licebat, quod tempus lectioni,*

Totilæ fraudem detexit.

Totilas Gothorum Rex ad Campanos & Samnites divertens, ubi Benedictum prophetiæ dono celebrem haberi audiverat, veritatis explorandæ causâ, Riggonem Ensiferum suum cum Regio ornatu, ut Benedictum falleret, præmittit; at Vir sanctus hominem eminùs conspicatus: Pone (inquiebat) fili! alienum istum, quem geris, habitum, qui tuus non est (u). Totila, quæ facta fuerant, à Riggone inaudiens, ipse quoque ad Dei virum accessit. Venienti primò S. Benedictus crudelitates exprobrabat: dein non vano vaticinio eum præmonuit; Romam inibis, mare trajicies, novem annis regnabis. His Totila, qui aliis terrori erat, tremefactus recessit. Qui Barbaro Regi fatum suum prædixerat, obitum quoque suum subinde suis prænunciavit. Ante sextum verò exitûs sui diem, tumulum, quem sibi vivus paraverat, & cui paulò antè sororis Scholasticæ corpus fecerat inferri (x), jussit aperiri; tum febri per quinque dies exhaustus, postremâ mortalis vitæ die in oratorium deportatus, & pane fortium munitus, spiritum inter preces efflavit anno DXLIII. XXI. Martii (y). Discipulorum præcipuus S. Maurus posteà in Gallia S. Benedicti institutum propagavit: Glannofoliensi Monasterio in Diœcesi Andegavensi constructo, cui dum per annos quadraginta præfuit, multas inde colonias in alias regiones deduxit (z).

(u) Gregor. l. 2. c. 14. Annal. Benedict. ad an. 542.

(x) Annal. Bened. L. 5. N. 3. ad an. 543.

A. 543. *Mors S. Benedicti.*

(y) ibid. n. 9. p. 115.

(z) ibid. n. 10. p. 116.

19. Quo

ni, meditationi.... insumebatur.... Post Primæ officium labor manuum à Paschate ad Kalendas Octobris in tres ferè horas.... Nulla diebus privatis Missa principio celebrabatur: sed solis Dominicis & festis, in quibus omnes sacrâ Communione reficiebantur &c. *In* CIBUM *quotidianum pulmenta duo, aliquando tertium ex nascentibus herbis, libra panis propensa, hemina vini in potum, tertiâ parte reservandâ cœnaturis. Mixtum lectori & servientibus ad mensam concessum ad relevandum laborem; at speciatim lectori propter Communionem sanctam, diebus Dominicis percipi solitam,.., jejunia à Pentecoste ad Idus Septembris singulis feriis quartis & sextis, inde ad festum Paschæ quotidiana....* De VESTIBUS idem Annalista ait: *Tunica & cuculla duplex cum cingulo; scapulare loco cucullæ ad laborem manuum, quod tunicam à sordibus protegeret, ad genua usque protensum, & ligaculis constrictum ad utrumque latus; minor cuculla nonnunquam dictum. Cuculla & scapulare passim ex nigro; tunica seu toga ex albo (quanquam de colore non admodùm curabat S. Legislator) utraque duplex, tum ad lavandum, tum ad decumbendum; nam absque tunica & cuculla jacere in lecto religio erat. Tunica ad cutem tum demum nigra fieri cœpit, postquam interulæ laneæ in usu esse cœperunt, tametsi seriùs.*

19. Quo tempore in Occidente tot præclari virtutum fructus ſurgebant; infelix lolium per agrum Orientis multiplicabatur; nam Acephali, dum ſchiſma diuturnum invehebant, in novos abiêre errores. Quæſtio jam olim circa annum DXXXI, quo Timotheus Alexandriæ ſedebat, agitabatur, an Chriſti Corpus perinde ac noſtrum detrimenta pateretur, propter quæ reparanda opus haberet cibo, potu, & requie ad reficiendas vires: an verò ſpecie tenus, ſolâque œconomiâ, quemadmodùm poſt glorioſam Anaſtaſin, affectiones ejuſmodi præ ſe ferret (a)? Julianus Halicarnaſſæus Epiſcopus Corpus Chriſti incorruptibile ea de cauſa dicebat, ne, dum corruptibilem Chriſti carnem aſſereret, duas in Chriſto naturas fateri cogeretur, ſcilicet unam incorruptam, alteram corruptionis capacem. At Severus ex adverſo Corpus Chriſti corruptibile à Patribus pronunciari, poſſéque naturæ ſingularitatem adſtrui affirmabat, licèt corruptioni carnem ſubjicias. Corrupticolarum proinde & Incorrupticolarum, ſive Phantaſiaſtarum duplex ſecta cùm pullularet, tertia ſubinde ex his enata eſt: nam Themiſtius Timothei Alexandrini Diaconus ubi audiverat Severi de corruptibili Chriſti carne ſententiam, inferebat, Chriſtum igitur ignorare futura, quæ ſunt ſcripta de die & hora noviſſima; atque hanc concluſionem tantâ pertinaciâ tuebatur, ut plures in errorem pertrahens, *Agnoëtis* originem dederit (b). Quarta demum Acephalorum progenies fuit ſecta *Tritheitarum*; cùm enim Joannes Grammaticus (cognomento Philoponus) objiceret Catholicis, ſi duas naturas in Chriſto aſſererent, conſectaneum eſſe, ut & duas hypoſtaſes confiterentur: hi repoſuêre, magnum diſcrimen exiſtere naturam inter & hypoſtaſin, quod ni adverſarii admitterent, eò tandem deflexuros, ut tres naturas in Trinitate, ſicut tres hypoſtaſes admittere cogantur. Philoponus verò ab hoc impio errore adeò non abhorruit, ut protinùs tres naturas in Sacroſancta Trinitate profiteretur (c),

20. Magna damna etſi Eccleſiæ errores ejuſmodi afferrent; multò periculoſior tamen hæreſis Origeniſtarum hoc tempore evaſit, quæ à pluribus Synodis, demum ab Anaſtaſio Papa damnata tantiſper in Monaſteriis latuerat (d); at nunc pleno impetu

Corrupticolæ & Phantaſiaſtæ.

Agnoëtæ.

Origeniſtarum errores recrudeſcunt

(a) Liberatus in Brev. c. 19.

(b) Victor in Chron. Sophron. ep. 6. ad Serg. Synod. VI. act. 11.

(c) Leontius de Sect. c. 5.

(d) Vita S. Cyriaci apud Sur. 29. Septembr.

petu erumpens, totum orbem Christianum commovit. Nonnus Monachus in Palæstina horum malorum incentor erat, qui juncto sibi Leontio Byzantino, hos errores circa annum DXXVIII. jactare palàm rursus cœpit. Obstitit conatibus S. Sabas: atque ut grassanti hæresi fortiùs obviam iretur, legatione susceptâ Cæsaris opem implorabat. Authoritas viri sancti auxilio Justiniani armata inimicos veritatis aliquantùm cohibuit (e): at Sabâ subinde anno DXXXI. mortuo, licentiùs per Monasteria Palæstinæ Origenis errores volitabant. Inter Antesignanos tumultuum (præter Nonnum) fuerant Theodorus ac Domitianus, qui duo ad sacras infulas Galatarum & Cæsareæ Cappadociæ evecti, non unâ calamitate Monachos S. Sabæ afflixêre (f). Cœnobitæ maximæ Lauræ de injuriis ab Origenis sectatoribus sibi illatis querelas facturi, Gelasium in urbem Regiam dirigunt; Nonni discipuli viam contrà obstruxerant, quò minùs ad Cæsarem aditus pateret: itaque Gelasius ad suos revertens, animi mœrore contabuit. Nonno victoriâ suâ diu lætari non licuit; nam paulò pòst pœnas dedit, miserrimè extinctus: Georgius etiam, qui Sabæ Lauram Abbas impiè rexerat, melioribus Præfectis Cassiano & Cononi locum relinquere cogebatur. Hæc fata Origenistas terrebant quidem, non verò exarmabant; dum Pelagius Vigilii Papæ Apocrisiarius causam agitandam apud Cæsarem circa annum DXLIII. susciperet (g): is enim Alexandriâ, ubi Zoilus Patriarcha recenter consecratus fuerat, reversus, obvios quosdam Monachos Palæstinos habuit, qui libellos contra Origenem ac sectatores ad Principem deferentes Pelagii operam rogârunt; ille enimverò rei manum tantò lubentiùs admovendam censuit, quantò certiùs hoc pacto Theodori potentiam atque existimationem deprimendam speraret (h). Utprimùm igitur Justiniano ab Apocrisiario causa commendata est, Imperatore jubente dictata est in Origenem, ejúsque doctrinam damnatio (*31), quæ à Menna Con-

(e) Vita S. Sabæ c. 36.

(f) ibid.

A. 540. 541.

Varias turbas cient Origenistæ.

(g) ibid. c. 85.

A. 543.

(h) Liberat. Brev c. 23.

Damnantur à Justiniano.

(*31) ACTA CC. T. IV. apud Labbe damnationem Origenis à Justiniano factam, & Mennæ transmissam referunt: .... *Cùm autem velimus omne scandalum à S. Ecclesia propulsare, ut nulla in ea macula relinquatur, obsequentes divinis Scripturis, sanctisque Patribus, qui ipsum Origenem, impiámque ejus doctrinam profligârunt, ac jure anathemati subjecerunt, hanc epistolam ad tuam beatitudinem dedimus, quâ eum hortamur,*

Constantinopolitano, aliísque Orientis Episcopis subscripta, dirigebatur ad Vigilium Romanum Præsulem (i), Zoilum Alexandrinum, Euphremium Antiochenum, & Petrum Hierosolymitanum. Horum consensu secuto, quoniam Origenistarum vires ubique fatiscebant, sectarii velut rebus desperatis ad ultionem animum vertunt.

(i) Concil. T. V. edit. Labbeanæ.

A. 544.

21. Florebat eâ tempestate magnâ apud Principem gratiâ Theodorus Cæsareæ Cappadocum Metropolita (cognomento Ascidas) Origenis defensor acerrimus (k): noverat is, Cæsarem nil magìs cupere, quàm ut Acephalos in unionem adduceret; adrepit igitur vir vaferrimi ingenii ad Augustum, eíque ostendere conatur, Acephalos, quò minùs in concordiam irent, & Chalcedonensem Synodum ex integro admitterent, à nonnullis in Synodo capitulis offendi, his sublatis minimè, ùt hucusque, hæsitaturos (l). Criminari eos adhucdum, quòd Synodus Theodorum Mopsvestiæ Episcopum Nestorii Magistrum absolverit, nec prohibuerit libros Theodoreti contra duodecim capitula S. Cyrilli in Ephesino Concilio consecrata: demum, quòd Ibæ Præsulis Edesseni epistolam ad Marim Persam (in qua laudat Theodorum, S. Cyrillum accusat, ac Ephesinam latæ citra examen præcipitis contra Nestorium sententiæ insimulat) suo anathemate haud-

(k) Vita S. Sabæ c. 86.

(l) Liberat. in Brev. c. 24. *Tria Capitula ex Concilio Chalcedonensi in controversiam adducuntur.*

hortamur, ut omnium, qui nunc in hac urbe Regia degunt, sanctorum Episcoporum conventum habeat, ac Præfectorum Monasteriis, faciátque, ut omnes in scriptis impium Origenem, ac ejus impia dogmata, capituláque omnia, quæ inferiùs ponuntur, omnimodis anathematizent..... Si quis dicit aut sentit, præexistere hominum animas utpote, quæ anteà mentes fuerint,... & in deterius conversas esse, dimissásque in corpora supplicii causâ: anathema sit. Si quis dicit, Domini animam priùs extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante Incarnationem: anathema sit. Si quis dicit, primò conformatum esse corpus Domini nostri JEsu Christi in utero B. Virginis, ac posteà unitum ei esse Verbum Deum, Verbum & animam, utpote quæ antè fuisset: anathema sit. Si quis dicit, in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari: anathema sit. Si quis dicit, cælum & Solem & Lunam & stellas animatas esse: anathema sit. Si quis dicit, D. Christum crucifixum iri pro dæmonibus, sicuti & pro hominibus: anathema sit. Si quis dicit, ad tempus esse dæmoniorum & impiorum hominum supplicium,... restitutionémque dæmonum & impiorum hominum futuram: anathema sit. Si quis dicit, finitam esse Dei potentiam: anathema sit. Anathema Origeni, unà cum nefaria ejus doctrina, & cuivis, qui ea sentiat, aut defendat.

haudquaquam profligârit (*32); iſtorum proinde trium capitulorum damnatione pacem reſtitutum iri. Talia cùm Theo-
(m) Noriſ. Differt. Hiſt. de Synodo V. c. 3. dorus doloſo ore (m) apud Cæſarem commemoraret, nempe, ut ægrè faceret Pelagio, ac Occidentalibus, qui Synodum Chalcedonenſem omninò ſartam tectámque volebant; Theodora
(n) Evagr. L. 4. c. 10. etiam Auguſta ſuam ſymbolam adjecit (n). Hæc enim pro ſuo in Eutychianos ſtudio idem Principi inculcabat diverſo tamen
Juſtinianus tria Capitula damnat. conſilio; ſperabat quippe fieri poſſe, ut, ſi Chalcedonenſis Synodus ullâ in parte mutationem acciperet, jam ejusdem authoritas univerſim collaberetur. Juſtinianus tum Theodori, tum Auguſtæ poſtulatis impulſus, continuò tria capitula Edicto pu-
A. 544. blico proſcripſit. Mennas Antiſtes Conſtantinopolitanus etſi pri-
(o) Facundus l. 4. c. 4. mò ſubſcribere cunctaretur (o); eâ tamen conditione Edictum ſubnotavit, ut chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. Zoilus quoque, Euphemius ac Petrus Patriarchæ veriti, ne, ſi ſecus facerent, dignitate privarentur, nomen Edicto dedêre: Patriarchas coacti Epiſcopi ſecuti ſunt. At Stephanus Diaconus, qui poſt Pelagium Conſtantino-
Damnationi ſubſcribunt Patriarchæ. poli Apocriſiarii munere apud Cæſarem fungebatur, Edicto Juſtiniani palàm reſtitit, arbitratus, facinus Epiſcoporum abſque gravi in Synodum Chalcedonenſem injuria perfici nullo modo potuiſſe. Nec minùs poſteà, ubi in Occidente res vulgata fuerat, à Vigilio Romano Epiſcopo, aliíſque Præſulibus, qui in Illyrico, Italia, Gallia, Hiſpania ac Africa Gregi præerant, re-
(p) Noriſ. l. c. p. 23. pugnatum eſt (p). Diſſidio communi cùm Occidens ab Orien-
A. 545. te divelleretur, Juſtinianus Patriarchas ac Epiſcopos ad Synodum evocat, in qua demum cauſa pertractetur. Vigilius pariter

(*32) LIBERATUS Brev. cap. 24. aliquantùm hallucinatur circa damnationem trium Capitulorum. Scribit enim falsò, à Synodo Chalcedonenſi Theodori Mopſveſteni laudes ſuſceptas in tribus epiſtolis, & Ibæ epiſtolam ab ejusdem Concilii Patribus pronunciari orthodoxam; nam licèt Theodoretum & Ibam, qui in ſuis literis Theodorum laudaverant, poſt factum ab iis in Neſtorium anathema, Synodus utpote Orthodoxos receperit; non tamen inde colligere poteris, ſcripta ipſa eorum inter orthodoxa reputari debere. Præterea cùm has ipſas perſonas duntaxat probârint ii Patres, qui poſt ſextam actionem, & poſt finitam cauſam, ob quam Synodus convenerat, adhucdum manſerant congregati ad judicandum de perſonis, & cauſis privatis, ex hac ipſa cauſa pro tribus capitulis aſſerendis nullum pondus affertur; neque enim Leo Papa plures, quàm ſex primas Actiones Concilii duxit approbandas.

ter invitatus ab Imperatore non primo itinere in Orientem, ſed in
Siciliam ivit, ad Synodum ibidem congregandam (q): illinc dum (q) Continuator Marcellini.
Sardiniæ atque Africæ Epiſcoporum ſenſa audit circa tria capi-
tula, annus trahitur, quo evoluto ſub initium anni DXLVII. Noriſ. p. 24.
Conſtantinopolim ingreſſus eſt. Vigilius quo animi magnitudi- A. 546.
nem monſtraret & ſedis ſuæ authoritatem, contra Acephalos *Vigilius Papa Conſtantinopolim venit.*
ſtatim Decretum promulgavit, quo Theodora etiam Auguſta,
quæ Acephalorum Patrona erat, à fidelium communione (tacito
tamen nomine) ſegregabatur (r): non abſimili fortitudine Men- (r) Facundus in libro contra Mocian.
nam, quòd plurimos Epiſcopos ad ſubſignandum Juſtiniani De-
cretum compuliſſet, à communione ſuſpendit (s). His Patriar-
chis igitur non communicantibus non antè in cauſa trium capi- A. 547.
tulorum decerni aliquid poterat; dum Theodoræ Auguſtæ ſtu- (s) Greg. M. l. 2. ep. 36.
dio ſubinde Vigilius Mennæ pacem redderet (t). Neque enim (t) Theophanes.
Pontifex eâ libertate inter Græcos, quâ vellet, gaudebat, vi *Ejus fortitudo.*
undique illatâ, contra quam idem teſtabatur, etſi ſe captivum
tenerent, facere tamen non poſſe, ut & beatum Petrum Apo-
ſtolum, ejúsque authoritatem captivitate ligarent (u). Rogabat (u) in libell. Cleri apud Noriſ. c. 4.
proinde Pontifex, ut in Occidente haberetur Synodus, quò La-
tinis commeandi, & accedendi facilior locus eſſet: ſed urgente
Juſtiniano cœtus Patrum Conſtantinopoli peragi debuit. Vigi-
lius, qui cum ſeptuaginta Epiſcopis intererat (x), ubi rem ali- (x) CC. T. V. apud Labbe.
ter, ac ſperaverat, ſuccedere ſenſit; moræ longioris pertæſus,
& vi Imperatoris fractus, Acta Synodi interrumpit: tum *Judi-* A. 548.
catum ad Mennam ſcribit, in quo propugnata hucuſque tria ca- *Judicatum Vigilii.*
pitula, quaſi in adverſum converſâ ſententiâ, damnavit. Hâc ra-
tione utì ſatisfecerat Græcis, Latinos pariter conciliatum ibat, ad-
jectâ Judicato hâc clauſulâ: *Salvâ in omnibus reverentiâ Synodi
Chalcedonenſis* (*33); jam enim ſentire cœperat, capitula illa
nihil ad Synodum Chalcedonenſem pertinere, ut, quæ poſt fi-

(*33) VIGILIUS in epiſt. contra Theodorum apud Noriſium in Diſſert. Hiſtor. de Synod. V. c. 4. cauſam judicati ſui ita reddit: *Pro ſcandalo refrænando condeſcendentes quorundam animis, quos aliquâ diſpenſatione credidimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietiſſimus ſtimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter exiſtimavimus ordinanda, tali ſcilicet conditione, ut omni impoſterum perturbatione ſopitâ, nihil ultra nec verbo, nec literis quiſquam facere ex eadem cauſa præſumeret.*

nitam Synodum confecta, & à Leone Magno (qui acta Synodi uſque ad definitionem fidei ſolummodo approbârat) nequaquam confirmata fuiſſent. *Vigilio multi adverſantur.* Spes tamen, quam Pontifex conceperat, penè irrita evaſit: nam, poſtquam in Occidente Vigilii Judicatum percrebuit; conqueri ſinguli ac deplorare Synodi Chalcedonenſis authoritatem à Papa depreſſam, & proditam ab illo fidem. Neque tantùm verbis, ſed & calamis Vigilii facto obſtrepebant: inter hos erant Facundus Hermianenſis (y), Ruſticus, & Sebaſtianus Pontificis Diaconi, qui perfrictâ fronte à Communione Vigilii digreſſi, Judicatum ejus palàm adeò carpebant, ut Illyrici Epiſcopi omnem reverentiam erga Papam exuerent (z). Quid? quòd Africani Antiſtites eò temeritatis proruperunt, ut Vigilium ipſum anathemati ſubjicerent (a). Equidem Pontifex injurias has aliquo modo ultus eſt, dum Diaconos ſuos, æquè ac Africæ Epiſcopos communione privavit (b). Verùm hæc remedia non ſanabant vulnera, ſed augebant; ex literis enim rebellium Diaconorum contra Judicatum emiſſis tantæ turbæ ciebantur, ut humanus ſanguis in aliquibus locis intra Eccleſiam funderetur. Quare Vigilius unà cum Juſtiniano cenſuit, plenariâ, ſeu Oecumenicâ Synodo opus eſſe, quam etſi Pontifex in Italia cogi cuperet, juſſi tamen ſunt nobiliores ſingularum Provinciarum Epiſcopi Conſtantinopolim ad Concilium accedere (c). His ex Romani Imperii urbibus undequaque affluentibus, Vigilius jam Judicati ſcripti, & Mennæ traditi pœnitens, cum Juſtiniano egit, ut à Menna ſibi Judicatum reſtitueretur; ita fore cauſabatur, ut, cùm ex priori Decreto nulla extaret præſcriptio, Patres in plenaria Synodo de tractanda quæſtione apertius ſuffragium darent: re ipsâ eò collimabat Pontifex, ut Judicato è Græcorum manibus recepto, ſuos Latinos ſibi conciliaret, propterea quòd ab invito Papa ſcriptum aut extortum chirographum judicaturos crederet.

(y) Facundus in lib. contra Mocian.
(z) Concil. Conſt. II. Coll. 7.
A. 549.
A. 550.
(a) Victor Tun. in Chr.
(b) Concil. Conſt. II. Coll. 7.
(c) Acta CC. T. III. edit. Hard.
Synodus Oecumenica pro tribus capitulis indicitur.

22. Intervallo aliquo temporis interjecto Juſtinianus accepit literas, Theodori nomen ex Eccleſiæ Mopſveſtenæ, cujus Epiſcopus erat, diptychis olim jam eraſum fuiſſe (d). De veritate rei ut propiùs cognoſceret; per Synodum Mopſveſtiæ in Cili-

(d) ibidem.
A. 551.
Synodus Mopſveſtena.

Cilicia habitam diptycha excuti, & tempus, quo Theodori nomen expunctum sit, investigari jubet. Lectis nominibus, quæ in diptychis ibidem scripta remanserant, nulla mentio de Theodoro fiebat, & Stephanus septuagenarius Presbyter cum aliis testabantur, nunquam, quantum memoriâ repetere ætates suæ res gestas possent, in diptychis Theodorum locum habuisse, nec constare nunc ex traditione aliud, quàm quòd ejus nomine deleto, Cyrillus Alexandriæ Episcopus inter tabulas sacras relatus sit, quæ per Synodicam illicò Justiniano ac Vigilio nunciata sunt. Intereà Constantinopolim venerant Afrorum Episcopi, quos Theodorus Cappadox, tum alii Justiniani Satellites vi acerbâ ad damnanda capitula inflectere instituebant: Reparatus Antistes Carthaginensis, cùm nullâ ratione cederet, falsi criminis accusatus, Euchaidem in exilium abigitur (e). Cæterùm Justinianus paucos Episcopos ex Occidente Synodo adfuturos suspicatus, multò fortiùs urgebat Vigilium, ut is solus cum Græcis concilium ageret. Sed Vigilio nullatenus acquiescente, Imperator, incentore Theodoro, tria capitula Edicto publico damnavit (f): cujus exempla ubi idem Theodorus in Ecclesia Constantinopolitana, tum in aliis locis suspendi fecerat; Vigilius in domum Placidianam tum Latinos, tum Græcos Episcopos venire jussos blandè admonuit: Rogarent Principem, ut Edicta sua removere, & Constitutum Patrum commune exspectare velit; aut si ad preces obduraret animum, saltem ne in ullam rem consentirent, quæ Ecclesiam divideret. Theodorus fortunæ suæ magnitudine ebrius, hæc Pontificis monita tam parvi fecit, ut ad Ecclesiam, in qua Edicta pendebant, reliquos Episcopos secum pertrahens, ibidem Missarum solemnia celebraret: atque ut authoritatem Apostolicam acerbiùs aspernaretur, nomen Zoili Patriarchæ Alexandrini, quòd Vigilio faveret, è diptychis eximens, Apollinarem ipsius Ecclesiæ adulterinum Episcopum tabulis inseruit. Vigilius indignitate facinorum commotus, Græcos à communionis consortio removet (g), non tamen impunè; nam Pontifici infremens Justinianus Prætorem cum apparitoribus mittit, qui Papam ex Basilica S. Petri (eò quippe Vigilius

(e) ibid. in ep. ad Legat.

(f) ibid. ep. Vigilii ad univ. Eccl.

Justiniani Edictum adversùs tria Capitula.

Vigilius Græcos Episcopos suâ communione privat.

(g) Vigilii ep. ad Legat.

salutis causâ profugerat) abductum custodiæ traderet (*34). Pontifex viso armatorum globo columnas altaris amplexus, adversus involantium vim se tueri parabat: sed fœdè nihilominùs tractus, multísque injuriis affectus, satellitio tandem in prædam cessisset, nisi circumsistentium indignatio & minæ sacrilegam catervam à cœptis abstinuissent (h). Vigilius vix à periculi æstu aliquantùm respiraverat; tum Theodorum tot malorum authorem Sacerdotali honore, & communione Catholicâ, vel omni officio Episcopali seu potestate spoliatum esse decrevit: Mennam verò, ac consentientes Episcopos à sacra communione tantùm suspendit (i). Hanc tamen sententiam Justiniani metu non statim publicavit, sed cuidam Christiano tradidit, ut, si hi, qui delinquerant, ad meliorem frugem minimè conversi fuerint, vel humanâ sorte transitus de hac luce contingeret, eam is in celeberrimis locis proponeret (k).

Vigilio vis illata.

(h) Vigilii ep. Encyclic. Item Clerus Italiæ in libello.

Vigilius Theodorum damnat.

(i) Baron. ad an. 551. N. VII. XIII.

(k) Pagius in Crit. ad an. 551. n. 11.

A. 551.

23. Justinianus mitiùs cum Pontifice agendum ratus, Judices paulò pòst misit, qui interposito jurejurando, & securitate promissâ ad Placidianas ædes Vigilium invitârunt, comminantes, ni oblatæ conditioni annueret, sub omni violentia è templo retrahendum (l): verbis etsi parùm Papa fideret; minis tamen cedens, quò vocabatur, redivit (m). Illinc sanctâ fide posthabitâ, cùm indies injuriosiùs tractaretur; sæpiùs Belisarium, aliósque Judices interpellabat, ut sacramenti dati memores, molestias continuas inferre cessarent. At quoniam verba non proficientia perdebat, simúlque custodibus undique obseptus vix elabi

(l) Epist. Vigilii ad Univ. Eccl.

(m) Vigilii Encyclic.

(*34) CLERUS ITALIÆ in libello anno 551. scripto hæc ita exponit: *Beatissimus Papa Vigilius nec in Basilica S. Petri sedes tutas habere meruit; in tantum, ut illuc Prætor, ad quem fures & homicidæ tantummodo pertinent, mitteretur, qui cum multitudine militum spathas nudatas, & arcus tensos portantes, supradictam Basilicam introivit; quo viso, S. Papa columnas altaris amplexus est; sed ille ferocitate & animo concitatus, primò de altari Diaconos ejus, & Clericos à capillis tentos ejecit; posteà verò ipsum S. Papam, alii à pedibus, alii à capillis & barba tentum crudeliter abstrahebant. Sed cùm ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantum ad ipsos, ibi super ipsum altare in partibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus angustiis semper adesse dignatur, tam aliquorum ex ipsis militibus, quàm populi, qui ad tumultum venerat, animos ad misericordiam provocavit, & cœperunt voces atque stridores mittere: & sic contigit, ut Judex iniquitatis supradictus Prætor cum Ministris crudelitatis suæ territus, fugiendo discederet.*

elabi poterat, nocte tandem intempestâ biduo ante Natalem Domini cæcis vestigiis & transitu per Fabricantium parvam maceriam facto digressus, Chalcedonem trajecit (n). Vigilii fugam molestè tulit Imperator, & jam majorem omni calamitate fortitudinem admiratus, sepositis minis eundem per Legatos convenit. Belisarius, aliíque Primores ubi ad Ecclesiam S. Euphemiæ, in qua Pontifex Chalcedone absconditus, & gravi ægritudine affectus latebat, pervenerant; Cæsaris nomine denunciant, ut acceptâ iterum publicâ fide Constantinopolim remearet. Quibus Vigilius præsentibus Latinis Episcopis, qui eum secuti fuerant, ita reposuit: Sin id egerit Princeps, ut eo modo, quo solebat regnante Justino avunculo, pacem ordinet Ecclesiæ, nihil obesse, quò minùs citra jurisjurandi datam fidem Papa progrediatur. At ante causam Ecclesiæ finitam, nec sacramenti cujuscunque religione se adactum iri, ut sacrum recessum deserat (o). Responsum ejusmodi adeò pupugit Cæsarem, ut is, qui Justiniano ab epistolis erat, chartam mendaciis & injuriis refertam ad Vigilium referre juberetur; sed cùm hæc nec temporis notâ, nec ullius nomine signata esset, Pontifex eam rejecit. Non diu aberat, dum idem nuncius à Cæsare rediit, in mitiorem jam partem agens, nempe, ut Papa conditionem de jurata fide admitteret, ac securus ad Regiam civitatem transiret: Vigilius contrà testatus, se ante septem annos Româ non ob privata negotia, sed propter pacem Ecclesiæ in Orientem discessisse, itáque se rogare, ne à Theodoro hoc pacis studium porrò convelli sineret, quem etsi ante sex menses jam communione & Sacerdotio ipse Papa amovisset; sententiæ tamen publicationem spe conversionis necdum vulgatam fuisse ajebat. Prætereà Vigilius eodem tempore Encyclicam dedit epistolam, in qua causas secessûs sui commemorans, fidei quoque suæ confessionem interserebat (p).

Pontifex fugit Chalcedonem.

(n) ibid. A. 552.

Justinianus Legatos ad Papam Chalcedone agentem mittit.

(o) ibidem.

Responsum Pontificis.

(p) ibid. in Encyclica.

24. Constantia Vigilii fecit, ut Justinianus jam cupidas Pontifici monenti aures dare, revocare Edicta, & jam Patribus Constantinopolim venientibus causam trium Capitulorum dimittere sustineret. Quod ubi Mennas Constantinopolitanus, ac Theodorus Cæsariensis cognovêre, misêre ipsi quoque fidei libellum

Græcorum libellus fidei Papæ missus.

bellum Pontifici, juxta decreta quatuor Synodorum Generalium concinnatum: atque ut in communionem reciperentur, factorum veniam precabantur (q). Salutaris hæc recantatio præcipuè Mennæ fuit; ille enim eodem anno DLII. mortuus, in communione Romanæ Ecclesiæ decessit (r). Eutychius Mennæ successor anno sequente DLIII. formulâ fidei ad Vigilium missâ quatuor Synodos, sanctíque Leonis epistolam confessus, id à Vigilio rogabat, ne Concilio dare initium cunctaretur. Neque Pontifex abnuere visus est (*35), sed eam conditionem adjunxit, quæ Græcorum animos non parùm commovebat. Intellexerat nimirum Vigilius, Occidentales Episcopos metu Justiniani fugere Orientis Synodum, & paucos ex Italia & Illyrico advectos Præsules multitudini Græcorum haud pares fore: itaque ne Latini posteà synodicis definitionibus intercederent, placuit Pontifici, ut pari Latinorum ac Græcorum numero Synodus componeretur, sive *facto regulari Conventu servatâ æquitate* (s). Justiniano eadem primò mens, consiliúmque erat: at ubi Græcos tumultuari audiit, mutavit sententiam. Nam illi palàm querebantur, venisse se ex longinquis provinciis Synodi Oecumenicæ causâ, hujus authoritatem deprimi, si à paucis celebretur; adhæc Latinos ad trium Capitulorum defensionem obstinâsse animos, cum quibus si exæquato numero suffragia ineantur, nusquam causam finitum iri: non has primas vices esse, quibus soli Græci cum paucis Latinorum Legatis Synodos celebrâssent, utì Synodi Nicænæ & Chalcedonensis exempla commonstrarent (t). Hæc, aliáque cùm ingererent, Imperator statuit, ut die quintâ mensis Maji Concilium præsentes omnes [Epi-

(q) Concil. 5. in Constit. Vigil. nov. edit.

A. 553.

(r) Theophanes anno Inc. secundùm Alex. 544., juxta nos an. 551. & 522.

Agitur de Synodo Generali indicenda ob quæstionem de tribus capitulis.

(s) Conc. V. Coll. I. Constit. Vigilii.

Justinianus indicit Concilium.

(t) Acta CC. T. III. apud Hard. Coll. I.

(*35) CONCIL. V. Coll. I. Eutychius à Papa congregari Synodum petebat; præmissâ fidei formulâ, ait: *Cùm igitur prædicta omnia & servavimus, & servamus, & in iisdem verbis invicem consentimus, necessarium conferri de tribus capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideò petimus præsidente nobis vestrâ beatitudine sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum* &c. Vigilius VIII. Idus Januarii Patriarchis petitioni subscriptis ita respondit: *Annuimus, ut de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto Regulari conventu, servatâ æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens iis, quæ à Ss. quatuor sunt definita Conciliis.*

Episcopi auspicarentur; aderant autem, præter tres Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Vicarios, Hierosolymitani Patres centum sexaginta quinque.

Collatio prima Synodi V. Generalis. in Act CC. apud Hard. T. III p. 54.

25. Quando die statâ hi omnes *Primò* consederant, lecta est epistola Justiniani, quâ Imperator causas proponi fecerat in Synodo decernendas, scilicet ut hæresibus eliminatis, compositísque Acephalorum tumultibus, Ecclesiæ quies reparetur, útque præmisso trium Capitulorum examine, judicium de illis suum Patres ferant. Posteà recitabantur Eutychii Constantinopolitani literæ, ad Vigilium datæ, quibus is Pontifici suæ fidei rationes exhibebat, simúlque interponebat preces, ut *Præsidente* ejus *Beatitudine* controversia de tribus Capitulis finiretur. His subjungebatur responsum Vigilii, pollicentis, se coràm de tribus Capitulis cum Patribus acturum. Quare cùm Græci meminissent, Synodum ab Occidentalibus non magni faciendam, nisi ipse Romanus Pontifex, aut saltem ejus Legati cœtibus interessent: placuit missâ legatione rogare Vigilium, ut Synodum accedere, & unà cum reliquis Episcopis de tribus Capitulis disputare dignaretur. Legationis species quò honorificentior foret, tres Patriarchæ cum octodecim aliis Episcopis ivêre: horum precibus reponebat Vigilius, se propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere; in postero autem die pollicitus est manifestare, quid ei de tali conventu placuerit. Postridiè ubi iidem Legati ad Vigilium regressi, repetebant preces, Pontifex respondit: Quandoquidem Occidentales ab Orientalium Episcoporum multitudine longissimè superentur; meliùs à re sua fore, ut seorsim in scriptis dicat sententiam, eámque ad Imperatorem dirigat. Postulaverat autem à Justiniano viginti dierum inducias, ut maturè causam dispiceret. Sed cùm Græci moram ejusmodi fastidirent, *Collatio secunda* (etiam absente Vigilio) die octavâ Maji peracta est (u): Pontificis responsum primò referebatur, tum alii Antistites, qui Patriarchæ Occidentis suberant, ad Synodum invitabantur, quibus venire detrectantibus, sequenti die, nempe nonâ Maji ad *tertiam Collationem* soli Græci rursus convenerunt, & professione quatuor Synodorum factâ, probatâque Patrum doctrinâ, reprehenderunt illorum

Collatio secunda Synodi quintæ.

(u) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 64.

Collatio tertia.

rum opinionem, qui ſine Chalcedonenſis Concilii injuria damnari poſſe, tria Capitula pernegarent.

Collatio quarta & quinta. apud Hard. p. 71. *Theodorus Mopſveſtenus damnatur.*

26. Triduo pòſt in *Collatione quarta* cauſæ diſcutiendæ datum initium eſt: unde plures ſententiæ ex libris Theodori Mopſveſteni deſumptæ, ejúſque ſymbolum legebantur (*36). Auditis blaſphemiis, Synodus Theodori dogmata, authorémque diris Eccleſiaſticis ac anathemate confixit. Plura adhucdum ſupererant, quæ de Theodoro in examen vocari debebant: ſed ob brevitatem temporis iſta in *Collationem quintam* rejecta ſunt (v). Decimâ proinde die Maji Epiſcopis congregatis prælecta ſunt ea, quæ à Ss. Patribus contra Theodorum ſcripta, quæque ab Imperatoribus ſancita fuerant. In medium nimirum adducebantur Cyrilli de erroribus Theodori teſtimonia: proponebatur libellus S. Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano ab Epiſcopis, Clericis & Monachis Majoris Armeniæ & Perſidis adversùs Theodorum oblatus; item fragmentum Tomi à S. Proclo ſcripti ad Armenos, Theodoſii Junioris Leges, epiſtolæ Cyrilli, aliorúmque Patrum lucubrationes, quibus Theodorus impietatis ubique arguebatur. Theodorum errores docuiſſe, atque à Patribus habitum

(v) In Actis CC. apud Harduin. p. 91... 129.

(*36) In Coll. 4. Synodi V. Callonymus Diaconus ex Theodori Codicibus recitavit 21. articulos, deſignans librum, ex quo quilibet fuerat excerptus. In I. ſic legitur: *Nam eſt quidem dementia, Deum ex Virgine natum eſſe dicere....* In VIII: *Nemo ex his, qui pietatis curam habent, iſtum patitur morbum habere dementiæ, ut dicat eum, qui ante ſæcula eſt, in ultimis factum eſſe,... cùm oportet fortè dicere, quòd, qui antè ſæcula erat, aſſumpſit hunc, qui in ultimis erat....* In X. exponens hæc verba Chriſti: *Qui diligit me, verbum meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Si enim* (ait) *apud unumquemque hujuſmodi hominum & Pater & Filius manſionem faciunt: quid mirandum eſt, ſi in Domino ſecundùm carnem Chriſto ambo ſimul putantur manere, communione eorum ſecundùm ſubſtantiam, communione etiam manſionis forſitan ſuſcipiente....* In XV. Thomas quidem cùm ſic credidiſſet, Dominus meus & Deus meus: *non ipſum Dominum & Deum dicens: non enim reſurrectionis ſcientia docebat, & Deum eſſe eum, qui reſurrexit, ſed quaſi pro miraculo facto Deum collaudat....* In XVII. dicit, quòd *Chriſtus erat imago Dei Verbi, & ſicut imago Imperialis adorabatur ab omnibus.* In XVIII. exponens hæc verba Scripturæ: Hic eſt Filius meus dilectus: *ejus nempe Chriſti, adoptionis præcipuum oſtendens hoc dixit: propter hoc & vox Patris fiebat adoptionem confirmans, & Filii nominatione per adoptionem ſecundùm gratiam eum, qui verè Filius eſt, demonſtrabat; cujus conjunctio ad firmam adoptionem iſtum conſtituebat* &c. His lectis, Synodus exclamavit: *Hoc jam condemnavimus... Anathema Theodoro Mopſveſteno*, & poſt lectum ſymbolum iisdem erroribus refertum: *Hoc ſymbolum Satanas compoſuit, Anathema ei, qui hoc ſymbolum compoſuit.*

bitum ùt Hæreticum utprimùm innotuit; Epiſcopi ad aliam quæſtionem vertuntur: ſcilicet an Hæreticos poſt mortem damnare conveniat; præſertim ſi in communione Eccleſiæ deceſſerint? Fuêre autem, qui ex Cyrilli & Procli teſtimoniis commonſtrabant: Theodoro licèt vivo ob metum ſchiſmatis anathema inflictum non ſit; horum tamen Patrum ſenſum eò inclinâſſe, ut ſaltem mortuus damnaretur. Accedebat Statutum in Africa editum, & à Sextiliano Epiſcopo recitatum, quo jubentur Epiſcopi, ſiquidem facultates Hæreticis reliquerint, etiam poſt mortem diris Eccleſiaſticis proſcribi, cui Canoni pondus addidit id, quod S. Auguſtinus in Collatione Carthaginenſi de Cæciliano, ejúſque ordinationibus dixerat: ſi nobis oſtendi potuerint criminoſi, illos anathematizamus. Denique Theodorus Cappadox ut ſcrupulum omnibus evelleret, Acta Synodi Mopſveſtenæ proferebat, ex quibus ubi reſcitum eſt, Theodori Mopſveſteni nomen jam olim in diptychis locum non habuiſſe, eò inducebat Patres, ut crederent, Theodorum in Eccleſiæ communione non eſſe defunctum.

In mortuos anathema ferri poſſe, Patres probant.

27. Necdum Collationis quintæ erat finis, tum ad ſecundi Capituli examen procedebatur: & quoniam id *Theodoreti* libros ſpectabat, utrùm orthodoxi partûs eſſent? Fontes (de quibus ſuſpicio erat) palàm recenſebantur, ſcilicet epiſtolæ Theodoreti ad Andream Samoſatenum: ad Neſtorium poſt initam pacem inter Orientales, & S. Cyrillum; ac denique ejusdem epiſtola ad Joannem Antiochenum poſt mortem Cyrilli ſcripta, quâ ſuam de S. Viri obitu ſignificabat lætitiam, multíſque ipſum onerabat maledictis (*37). Synodus poſtquam ſingulorum volu-

Theodoreti libri examinati damnantur.

 minum

(*37) Ex *Epiſtolis tribus* THEODORETI legebantur propoſitiones ſequentes: *Prima* eſt adversùs ſecundum Alexandrini Anathematiſmum: *Unum quidem Chriſtum confitemur,... & eundem propter unitatem & Deum & hominem nominamus: unitatem verò, quæ eſt ſecundum ſubſtantiam, omnino ignoramus, tanquam novam & alienigenam divinarum Scripturarum & Patrum, qui eas interpretati ſunt....* II. in epiſt. ad Monaſteria de Patribus Epheſinis dicit. *Impia Cyrilli Capitula cum anathemate in Regiam civitatem tranſmiſerunt ſuſcipientes, & ſuis ſubſcriptionibus (ùt putaverunt) confirmantes, quæ manifeſtè ex amara Apollinaris radice exorta ſunt.* III. In homilia, quam habuit Chalcedone, Cyrillum ſic compellat: *Dic inconfuſam unitatem, & ſuſcipio vocem: ſed quid dicis, quòd una duæ naturæ facta ſunt* &c. IV. In epiſtola ad Neſto-

minum ac ſcriptionum ſenſa diſcuſſerat. ita concluſit: " Ex his, quæ Theodoretus impiè conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas S. Chalcedonenſis Concilii. Sciens enim ejus blaſphemias; priùs quidem multis ſæpiùs uſa eſt contra eum exclamationibus: poſteà verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi priùs anathematizâſſet Neſtorium, & ejus blaſphemias, pro quibus anteà ſcripſit, defendens eas. "

Collatio ſexta. p. 139.

Ibæ epiſtola ad Marim Perſam examini ſubjicitur & damnatur.

28. *Collatio ſexta* habita eſt die XIX. Maji, in qua quæſtio movebatur de tertio Capitulo, ſive de Orthodoxia epiſtolæ, quam Edeſſenus *Iba* ſcripſerat ad Marim Perſam. Ad veritatem indagandam proponebatur alia epiſtola Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, cujus argumento teſtabatur, Ibam apud ſe accuſatum, quòd Neſtorii dogmata diligeret, & nonnulla ex impiis Theodori Mopſveſteni ſententiis in Syrorum linguam tranſlata evulgâſſet (*38); poſteà orthodoxa Patrum ſcripta, & Oecumenici Chalcedonenſis Concilii dogmata relegebantur, quibus cùm epiſtolam Ibæ adverſari compertum eſſet, eadem utpote hæretica & blaſphema damnata eſt.

29. In-

Neſtorium data poſt unionem Eccleſiarum: *His verò, quæ adversùs tuam Sanctitatem injuſtè & contra Leges facta ſunt, nec ſi ambas manus meas aliquis incideret, patior conſentire.* V. Plura habentur in epiſtola quarta ad Joannem Antiochenum ſcriptâ poſt mortem Cyrilli, ſed hanc Critici Theodoreto abjudicant.

(*38) Ex epiſtola Ibæ ad Marim Perſam notabantur ſequentia. I. Neſtorium & Cyrillum accuſat erroris: *Neſtorius* (inquit) *dixit in ſuis libris... quia B. Maria Dei Genitrix non eſt.... Cyrillus autem volens eum refutare, lubricavit, & inventus eſt cecidiſſe in dogma Apollinarii. Conſcripſit enim,... quia una natura eſt Deitatis & Humanitatis Domini noſtri JEſu Chriſti.* II. Fidem ſuam circa myſterium Incarnationis ſic exponit: Duæ naturæ, una virtus, una Perſona, quod eſt unus Filius Dominus noſter JEſus Chriſtus, & tamen eos, qui Deum Verbum Incarnatum & hominem factum eſſe dicunt, hæreticos vocat. III. Synodum Epheſinam ùt illegitimam improbat, & Neſtorium non ob hæreſim, ſed propter Majorum odium, in ſedem ſuam reverti non potuiſſe dicit. IV. Theodorum Mopſveſtenum laudat, ùt Prædicatorem veritatis, & Doctorem Eccleſiæ. V. Approbat pacem, quæ facta eſt inter Joannem Antiochenum & Cyrillum; atque hunc priores opiniones retractâſſe dicit, ſubſcribendo confeſſioni veræ fidei, quam ad eum miſerat Joannes. VI. Proclus ad Joannem Antiochenum ſcripſit: *Non ſolùm quidam Clerici Edeſſeni & Monachi, ſed etiam Primates.... inclamant, Epiſcopum Ibam tantùm diligere Neſtorii inſaniam, ut quadam Capitula.... omni plena impietate transferret voce Syrorum, & tranſmitteret ubique, & multis ſimpliciorum inconſiderato auditu læſionem pernicioſorum ſuſcipientibus perſuaderet ſapere, ſicut abdicatum eſt Dei Eccleſiæ.*

29. Intereà Papa Vigilius ad liberandam Cæsari datam fidem, die XIV. Maji Constitutum suum de tribus Capitulis ad Justinianum direxerat, quo ferè omnia, quæ Patres in quinta & sexta Collatione decreverant, infringebantur. Conqueritur in eo Pontifex primùm, Synodum non exspectatis Occidentalibus cœptam; deinde de tribus Capitulis disputans, sexaginta Theodori sententias recitat, eásque licèt ab errore non abesse profiteatur, Theodorum tamen damnandum negat, eoquòd in pace Ecclesiæ decesserit. Præterea de Theodoreto & Iba censebat innovandum nihil, postquam hos Chalcedonensis Synodus absolutos pristinis gradibus honoribúsque reddidisset: postremùm statuit, ne quis Constituto huic scripto vel definitione, aut importunâ quæstione adversari audeat; qui verò aliquid ejusmodi præsumeret, hujus facinus modis omnibus authoritate Sedis Apostolicæ repelli (*39). Constitutum hoc à sedecim Episcopis subnotatum admiserítne Justinianus ante finem Synodi, aut acceptum turbarum vitandarum causâ occultârit, Annales Veterum non perhibent. Illud certum in *Collatione septima*, quæ vigesimâ sextâ Maji celebrabatur, à Constituto planè aliena prolata fuisse; nam eodem in cœtu adducebatur Vigilii *Judicatum*, & quâ ratione Rusticus & Sebastianus Judicati impugnatores damnationis pœnam abstulissent, commemorabatur: quasi hâc solâ sententiâ Pontifex de tribus Capitulis mentem suam satis explica-

Constitutum Vigilii Papæ. apud Hard. p. 218.

Collatio septima. p. 17[illegible].

(*39) Adverte, quòd Vigilius in suo Constituto I. trium Capitulorum authores anathemate percelli nolit, eoquòd Patres Synodi Chalcedonensis personis eorum pepercerint, & in communione Ecclesiæ obierint. II. Theodori Mopsvesteni libros, & sexaginta propositiones ex eis excerptas, & Theodoreti scripta adversùs Cyrillum, & quasdam propositiones damnat. III. Ibæ epistolam & propositiones notari prohibet, quamvis in eâ quædam improbanda fateatur, quæ ratione circumstantiarum & temporum excusanda putat, professus, se in iis omnibus sequi judicium Synodi Chalcedonensis, cujus omnia Decreta vult prorsus inviolata permanere. His autem verbis Vigilius Constitutum conclusit: *Statuimus & decernimus, nulli ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinenti licere quicquam contrarium his, quæ præsenti asseruimus vel statuimus Constituto, de sæpè dictis tribus Capitulis aut conscribere vel proferre, aut componere vel docere, aut aliquam post præsentem definitionem movere ulterius quæstionem. Si quid verò de iisdem tribus Capitulis contra hæc, quæ hic asseruimus vel statuimus, nomine cujusque ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & à quolibet ubicunque repertum, hoc modis omnibus, & auctoritate Sedis Apostolicæ, cui per gratiam Dei præsidemus, refutamus.*

plicatam voluisset (*40). Quarto Nonas Junias tandem Synodi Decretum contra tria Capitula promulgatum est (*41); cui Patres duodecim anathemata subjecêre, quorum duodecimum Theodori tum impia scripta, tum ejus nomen ac personam, defensorésque configit. Decimum tertium autem, & sequens percellunt quidem Theodoreti scripta, & Ibæ epistolam, eorúmque defensores; Theodoretum autem ipsum & Ibam orthodoxos Antistites, & in pace Ecclesiæ defunctos non perstringunt (*42).

Damnantur per definitivam sententiam Synodi tria Capitula.

30. An-

(*40) PAGIUS in Brev. PP. pag. 312. n. 60.: " Licèt Vigilius *Constitutum suum* die decimâ quartâ Maji emiserit, & quinta Collatio die XVII. ejusdem mensis habita fuerit; in ea tamen lectum non est, sive quòd illud nondum accepisset Imperator, sive quòd se accepisse dissimularet. Imò in aliis Synodi Collationibus Constitutum lectum non fuisse, probat PETRUS de MARCA in Dissert. de Vigilii Decreto pro confirm. V. Synodi. Imò Justinianus ut faciliùs obtineret, quem sibi proposuerat, eventum, per Constantinum sacri Palatii Quæstorem suggessit, Vigilii mentem satìs explicatam esse ex iis, quæ hac de re sæpiùs docuerat; & quia noverat Imperator, primam in Synodis Oecumenicis semper primam Romani Pontificis sententiam fuisse, sine qua nihil decerni moris erat; hinc Constitutum suppressit.

(*41) *Synodi V. Collatio octava* profert sententiam contra tria Capitula: *Condemnamus autem & anathematizamus unà cum omnibus aliis Hæreticis, qui condemnati & anathematizati sunt à prædictis quatuor Conciliis, & à S. Catholica & Apostolica Ecclesia, & Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia ejus conscripta, & quæ impiè Theodoretus conscripsit contra rectam fidem, & contra XII. Capitula S. Cyrilli, & contra Ephesinam I. Synodum, & quæ ad defensionem Theodori & Nestorii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus & impiam epistolam, quam dicitur Iba ad Marim Persam scripsisse, quæ denegat, Deum Verbum de sancta Dei Genitrice, & semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; & S. memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario scribentem calumniatur: & inculpat quidem Ephesinam I. Synodum, tanquam sine examinatione & quæstione Nestorio ab eo deposito: & XII. S. Cyrilli Capitula impia & contraria rectæ fidei vocat: defendit Theodorum & Nestorium, & impia eorum dogmata & conscripta. Prædicta igitur tria Capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsvestenum, cum nefandis ejus conscriptis: & quæ impiè Theodoretus conscripsit: & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum.*

(*42) ACTA CC. T. III. apud Harduin. p. 194. exhibent 14. anathematismos sententiæ Concilii appositos, inter quos XII. sic habet: *Si quis defendit impium Theodorum, & impia ejus conscripta, . . . sed non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, & omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt, orthodoxè eum exposuisse, talis anathema sit.* In XIII. idem anathema fertur in eos, qui defendunt Theodoreti libros. In XIV.: *Si quis memoratam Ibæ impiam epistolam defendit, sed non anathematizat & defensores ejus, & eos, qui dicunt, eam rectam esse, vel partem ejus; & eos, qui scripserunt & scribunt, pro ea, vel insertam ei impietatem nomine Ss. Patrum vel S. Chalcedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanet, talis anathema sit.*

30. Anteà quàm verò de tribus ageretur Capitulis, contra Origenem actio instituta est, cujus Doctoris proscriptionem postea Patres inter anathematismos retulêre. Sententiæ cùm minùs acquiescerent Didymus & Evagrius; Conon Præfectus Lauræ S. Sabæ cum aliis Archimandritis causam ejusmodi suscepit adversùs eosdem Origenis sectatores: & lis adeò fervebat, ut Imperator ex Synodo sciscitaretur, quid de Origenis defensoribus statuendum duceret: Reponebant Patres, se Origenem jam antè tanquam furem & prædonem anathematis laqueis arctè constrictum extra Ecclesiam abjecisse: dein subjungebant, errores Didymi & Evagrii, ac Theodori Cappadocis eâdem Concilii authoritate contritos, & Ecclesiastico fulmine percussos jacere (*43).

In eadem Synodo V. damnatus est Origenes. pag. 198.

31. Vigilii Constitutum intereà omnem authoritatem gestorum Synodi dubiam cunctis reddiderat; quare Græci in eo omnem operam ponendam censuerunt, ut Pontificis Romani animum inclinarent. Neque diu ampliùs Vigilius restitit, quin eodem adhuc anno Synodi Decretis assensus ad Eutychium Constantinopolitanum quoque datâ epistolâ mutatæ mentis, consiliique rationes dedit: scribebat enimverò, se secutum esse exemplum S. Augustini, aliorúmque Patrum, qui propria scripta retractâssent; ac proinde re penitùs perspectâ, Theodorum, ejúsque scripta, dein Theodoreti volumina contra rectam fidem exarata: demum epistolam ad Marim Persam hæreticum, quæ ab Iba scripta diceretur, damnâsse. Postquam Vigilius ad Synodi sententiam accessit, Justinianus eundem cum honore in Italiam dimisit; nam Papæ obsecranti morem gerens, sanctionem Imperator edidit, quâ Italis bello Gothico exhaustis plura beneficia indulsit: cum hoc Justiniani Edicto reversus Vigilius, ubi

Vigilius quintam Synodum confirmat. pag. 218.

A. 554.

(*43) PAGIUS in Brev. PP. pag. 315. ostendit, Origenem in principio Synodi damnatum fuisse; nam in Collatione VIII., quæ de tribus Capitulis agebat, proferebatur Anathematismus VI.: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Origenem, cum impiis eorum scriptis, & omnes alios Hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt à S. Catholica & Apostolica Ecclesia &c., anathema sit.* In hoc quia jam damnatus dicitur Origenes, utique anteà ejus causam cognosci & judicari oportuit, ne indictâ causâ damnaretur. Vide & NORISIUM hìc de Synodo V, cap. 6.

(x) Continuator Marcellini in Chronico.

ubi in Siciliam appulerat, morbo calculi oppressus decessit, móxque Romam delatus, apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est (x).

Mors Vigilii Papæ. A. 555. *Pelagius I. Pontifex.*

32. Interpontificio trium ferè mensium exacto, XI. Aprilis anno DLV. Pelagius Romanæ Ecclesiæ Diaconus Vigilio successor datus est. Optimè is meritus fuerat de Republica tum sacra, tum civili: nam cùm apud Justinianum Sedis Romanæ Apocrisiarium ageret; Imperatori persuasit, ut Originis sectatorum licentiam publico edicto coërceret (y). Dein anno DXLIV. Romam à Vigilio revocatus, Romæ à Totila obsessæ solatio non minùs, quàm auxilio fuit; in castra quippe Gothorum egressus, lenire saltem hostiles iras conabatur (z): ac ubi posteà Totila urbem invaserat, Victori occurrit, manibus Evangelia gestans, supplicísque ritu procumbens ab hoste exoravit, ut furentem militem à prædatione crudeli, cædibúsque civium cohiberet. Vigilium Constantinopoli agentem sequi jussus, Pontificem in propugnandis tribus Capitulis adjuvit; quare cùm contra Synodum quintam posteà obstinâsset animum, nec tria Capitula damnare vellet, à Justiniano in exilium deportatus est, à quo non ante mortem Vigilii rediit (a). Papâ autem defuncto à Principe revocatus, ultrò tria Capitula proscripsit, quo facto, ita Justinianum sibi devinxit, ut Augusto annuente & confirmante PELAGIUS Pontifex designaretur. Utprimùm nunciabatur, Pelagium tribus Capitulis dedisse repudium; Romani eam Chalcedonensi Synodo illatam injuriam ulturi, se à Papæ communione sejunxerunt. Ante oculos multis adhuc obversabantur Constituta Vigilii: & cùm plerique linguam Græcam prorsus ignorarent; timebant, ne quid fraudis in illa causa lateret, aut ne Acephali novis artibus Concilii Oecumenici authoritatem convellerent (b). Itaque omnibus Pontificem aversantibus, duo tantùm in Italia Episcopi fuêre, qui Pelagium consecrarent. In Tuscia odium Pontificis adeò invaluerat, ut Episcopi ejus nomen inter sacrosancta Mysteria recitare recusarent (c); quin in ipsa Gallia Childebertus Rex Francorum de Pelagii fide addubitare cœperat (d). Ad has turbas componendas, multis literis opus erat, quas cùm ad Tuscos, Gallos, aliásque Gentes perscriberet Pontifex (e), inte-

(y) Liberat. Brev. c. 23.

(z) Procop. l. 3. de B. G. c. 20.

Ejus res gestæ ante Pontificatum.

(a) Victor Tunun. Vide Pagi. in Brev. PP. T. I. p. 320. n. 5.

Cur Italis odio fuerit sub initium Pontificatûs?

(b) Liber Pontific. Noris. de Synod. V. c. 9.

A. 556. 557.

(c) Pelagii ep. 6.

(d) Ep. 10. ejusdem.

(e) Ep. 7. ad omnes Orthodoxos.

integram ſuam iis fidem, factorúmque rationem exponebat: & certè invicta viri patientia effecit, ut Africa, Illyricum, Gallia, & universa Italia præter paucos Episcopos tria Capitula condemnarent. Universo Catholico orbe quintæ Synodo jam subscribente, soli Venetiarum, ac Istriæ Præsules repugnabant, Paulino Aquilejensi Metropolitâ cunctorum animos pro tribus Capitulis obfirmante. Pelagius ubi verbis nihil profecerat; Narsetem Italiæ Ducem rogat (f), ut vim adhibeat: & Paulinus incentor cum Mediolanensi Episcopo Byzantium deportatus fuisset; nisi spes frugis & sanioris mentis sententiam conceptam cohibuisset.

Pelagius pro Synodo V. laborat.

(f) Pelagii ep. 2. 3. 4. 5. ad Narsetem.

33. Intereà, dum de Capitulis & quinta Synodo Generali controversia fervebat, aliæ Synodi Provinciales in Gallia celebratæ sunt (g). *Parisiis* anno DLI. in conventu viginti sex Patrum Suffaracii Episcopi (qui ob crimen in monasterium detrusus fuerat) causa rursus judicata est, & exauthoratio nefasti Præsulis comprobata. Anno DLIV. *Arelate* Præside Sapaudo undecim Episcopi congregati septem edidêre Canones, quorum secundus statuit, ut monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt Diœcesi constituta. Quintus jubet, ut Episcopi de puellarum monasteriis curam gerant. Anno DLVII. Parisiis novus quindecim Patrum cœtus rursus confluxit, qui decem condidêre Canones (h): Primus eorum definit, Homicidarum adinstar eos puniendos, qui Ecclesiæ res retinere præsumunt. Cæteri Canones agunt contra illicita propinquorum connubia, contra raptores virginum. Octavus prohibet, ne quis invitis civibus ordinetur Episcopus. Inter hæc Pastorum studia Pastor supremus Ecclesiæ vivere desiit anno DLX, postquam clavum rexerat annos quatuor, menses decem & octo (i). Post mortem Pelagii vacua sedes fuit supra quadrimestre diebus septendecim, quo spatio evoluto, Joannes III. ordinatus est. Hoc sedente, Martinus Dumiensis Suevorum in Gallæcia conversioni incubuit (k): quos ubi ab Ariana impietate ad fidem Catholicam traduxerat; regulam fidei & disciplinæ constituit, Clerum informavit, & monasteria condidit. Fidei florentis initia quò magìs firmarentur, Theodomirus Rex Suevorum

Synodus Parisiensis II.

(g) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 335.

Synodus Arelatensis V.

Synodus Parisiensis III.

(h) Acta CC. T. III. apud Hard.

A. 559.

A. 560.

(i) Anastas. in vita.

Mors Pelagii Papæ.

Joannes III. Pontifex.

(k) Isidorus de vir. illustr.

A. 562.

A. 563. rum (*44) Concilium *Bracarense* celebrari voluit: ad hoc octo evocati Præsules primùm contra Priscillianistarum hæresin, A. 565. quæ per Hispaniam adhuc gliscebat, B. Leonis anathemata renovârunt: posteà de disciplina solliciti, per septemdecim Canones statuerunt, ut deinceps in psallendi ordine, Missa, & officiis Ecclesiasticis de interstitiis ordinum idem ritus servetur; útque de rebus Ecclesiarum in tres partes divisis una Episcopo, altera Clero, tertia servandis luminibus, aut reparandis Ecclesiarum fabricis impendatur: & si quid ex collatione fidelium, aut per festivitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericum fideliter colligatur, & semel aut bis in anno inter omnes Clericos dividatur (m). Prætereà jubent Episcopi, Diaconos superposito scapulæ orario uti: demum cavent, ne poësi quâdam compositi versus in Ecclesia decantentur: ne oblatio pro iis fiat, qui vel sunt Catechumeni, vel qui sibi necem consciscunt, aut pro suis sceleribus puniuntur: ne corpora defunctorum in Martyrum Basilicis, sed foris circa murum sepeliantur.

Synodus Bracarensis 1ma.

(m) Acta CC. T. III. p. 347.

34. Patrum ejusmodi in ordinandis ac innovandis moribus, ritibúsque zelum ut quisque laudaverit; nemo tamen erit, qui Justiniani studium non detestetur, quo in sacra involans, semper alias ex aliis novitates, ídque circa fidei dogmata quæritabat. Ad finem quippe vitæ ferè deductus, Incorrupticolarum, aut Phantasiastarum deliria non tantùm sequebatur, sed & Edicto hanc fidem imperare parabat, ut ubique crederent, Christi Corpus jam inde, ex quo in utero formatum est, nullam conversionem, nec immutationem in voluntariis æquè, ac naturalibus affectionibus habuisse (n). Hæc meditanti Eutychius Constantinopolitanus ex Patrum testimoniis adversa omnia ostendit (o): inde enim consectaneum ajebat, neque Christum circumcidi, nec perforari ejus latus in cruce potuisse, quin illam hæresin tandem emer-

Error Justiniani.

(n) Evagr. Histor. l. 4. c. 40.

(o) Vita S. Eutychii apud Bolland. mense April.

(*44) PAGIUS ad annum 560. notat: Remismundus Suevorum in Hispania Rex deceptus ab Ariace, Arianus effectus est, & totam Gentem Suevorum lethali hâc tabe infecit. Hinc factum, ut successorum Remismundi nomina ab Historicis memorata non fuerint. Duos tamen ultimos Arianos Suevorum Reges fuisse *Hermenericum* & *Ricilianum*, discimus ex Actis SS. *Riciliano* successit *Theodemirus*, qui Suevos Catholicæ fidei reddidit, innitente Martino Monasterii Dumiensis Episcopo, ùt habet *Isidorus* in Chronico tertio Regni anno.

emergere, quâ fingeretur, Christum ad speciem duntaxat, non re ipsâ carnem assumpsisse. Justiniano quæcunque rationum momenta obmoverentur; obstinaverat tamen mentem, ratus, eum, qui Vigilium in sua sensa vi supremâ inclinare potuisset, illum ipsum Eutychio, vel aliis Episcopis suam opinionem ingerere posse (p). Itaque Patriarcham primò minis tentat: dein in exilium ejicit, mox Anastasium Antiochenum aggreditur, posteà Episcopis bellum moturus, sed omnibus nusquam à vera fide cedentibus, deportationis sententiam contra Anastasium, ídque ad cæterorum terrorem dictat. Verùm antequam funestum Edictum evulgaretur, Imperator providi Numinis consilio è vita repentè extrahitur.

Eutychium in exilium mittit.

(p) Victor Tunun. in Chronico.

Edicto errorem suum propagare adnisus, moritur.

§. III. *Obitus JOANNIS Papæ; BENEDICTUS, PELAGIUS II., GREGORIUS M. Pontifices; hic Joannis Jejunatoris Episcopi Constantinopolitani, & Cyriaci successoris nomen Oecumenici superbè arrogatum comprimere conatur. Schismaticorum in Istria variæ molitiones; Sedes Aquilejensis Gradum transfertur; mittuntur in Angliam Apostoli: variæ Synodi tum in Oriente, tum in Gallia & Hispania. Obitus S. Gregorii.*

1. JUstinus II. ubi in Avunculi sui locum successerat, dissensiones, quæ ob tria Capitula proscripta Africam, atque Occidentales Provincias divellebant, compositurus, Edictum fidei publicavit (a), in quo (prætermissâ cujuscunque Synodi mentione) Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis orthodoxè exponens, litem deinceps propter personas aut syllabas fieri vetuit (b). Africani cùm mitiùs à Justino agi cernerent, neque in Edicto nominata tria Capitula legerentur; vulgârunt, revocata esse per Imperatorem Acta Synodalia quinti Concilii, statuta adversùs Synodum Chalcedonensem (c); quo rumore sparso, Hispani quintam Synodum per aliquot sæcula suis in Conciliis omittendam censuerunt (*1). Eodem anno DLXVI. Turonibus A. 566.

(a) Evagr. l. 5. c. 4.

(b) Noris. de V. Synodo p. 87.

Edictum Justini II.

(c) Abbas Biclariensis in Chronici initio.

(*1) NORISIUS in Differt. de Synod. V. p. 88.: Episcopi Africani vicinos Hispanos sinistrâ opinione imbuerant, unde non solùm ea dixit BICLARIENSIS, sed & ISIDORUS in Chronico Justinianum ob tria Capitula damnata reprehendit, & in Catalogo

Synodus II. Turonensis. (d) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 357.

bus altera Synodus, Præside Euphronio, celebrata est (d), cujus viginti septem Canones, Conciliorum frequentiam, ordinationum formam, & castitatem præcipuè Episcoporum præcipiunt, & abusus, qui in Ecclesias irrepserant, novis legibus extirpant (*2). Episcopi ex Chariberti Regis ditionibus collecti vix

---

talogo Script. Eccl. ubi de Theodoro Mopsvesteno: *Hunc* (ait) *Acephalorum Episcopi in præjudicio Chalcedonensis Concilii, Justiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba & Theodoreto Episcopis censuerunt, dum constet, eum laudabilium virorum testimoniis clarissimum Ecclesiæ Doctorem fuisse.* In Chronico verò, ubi de Justiniano agit: *Iste* (inquit) *Acephalorum hæresim suscipiens, omnes in Regno suo Episcopos tria Chalcedonensis Concilii Capitula damnare compellit.* Hinc in Synodis Hispaniæ, quæ eodem & sequenti Sæculo celebratæ sunt, nulla Synodi V. mentio facta est, ùt eruditè notavit LUPUS in Comment. V. Synodi cap. 8. Q. 3. Nunquam tamen Hispani ob illam controversiam ab Apostolicæ Sedis communione se separârunt.

(*2) CONCILII TURONENSIS II. Canon primus statuit, ut vel semel in anno deinceps fiat Synodus,... *& si quis Episcoporum ad eam venire distulerit, usque ad majorem Synodum maneat excommunicatus.* III. *Ut Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Ad quem Canonem COINTIUS in Annal. Eccl. ad annum 566. n. 18. ita commentatur: "Hoc Canone prohibetur, ne Corpus Domini inter sacras imagines super altari poni solitas ponatur; sed in digniore loco collocetur sub ipsa Cruce, quæ in meditullio ipsius altaris poni consuevit, de quo S. Paulinus in Carmine ad Sever. Sulpit.; BAILIUS verò ita edvertit: "His temporibus Corpus Domini intra columbam argenteam conservabatur. Legitur enim in Actis S. Basilii, quæ Amphilochii nomine inscripta habentur, isto Sæculo sacram Eucharistiam intra columbas argenteas repositam fuisse. Hic asservandi modus à Synodo prohibitus esse videtur, dum præcipit, ne in ordine imaginario collocetur. Ex quo patet, novum non esse, quòd extra sumptionem in Ecclesia Catholica sacrosanctum Corpus Christi in altari asservetur. Hinc CYRILLUS ALEXANDRINUS redarguit errorem illorum, qui putabant, Eucharistiam in sequentem diem non esse servandam; nam ad Cælosyrium Episcopum Arsomotem ita scribit: *Porrò alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil aliud ad sanctificationem proficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis & facultas & vivificans gratia perpetuò in ipso existit.* IX. *Ne quis Britonum aut Romanorum in Armorico sine Metropolitani aut Comprovincialium voluntate vel literis Episcopum ordinare præsumat.* Armorica (quæ Turonensi Ecclesiæ subjiciebatur) constabat Britannis & Romanis. Ex prohibitione autem conjicitur, inconsulto Turonensi tunc ordinationes factas fuisse, utì ad hunc Canonem notat Cointius. XII. *Episcopus conjugem ùt sororem habeat;... & licèt, Deo propitio, Clericorum suorum testimonio captus vivat; quia cum illo tam in cella, quàm ubicunque fuerit, sui eum Presbyteri & Diaconi, Deo authore, conservent.* Inde Syncellorum origo, de quibus vide Du Cange in Glossario &c. XVII. *De jejuniis verò antiqua à Monachis instituta serventur, ut de Pascha usque Quinquagesimam* (id est, Pentecosten) *exceptis Rogationibus, omni die Fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam totâ hebdomadâ exactè jejunent.... Et quia inter Natale Domini & Epiphania omni die festivitates sunt, itémque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis*

vix ista statuerant; tum Rex Guntramnus quoque annuit, ut anno sequente DLXVII. Lugduni secunda Synodus haberetur (e). Quatuordecim Præsules, qui convenerant, sex regulis sequentia complexi sunt: nempe, ut, si quid inter Coëpiscopos ejusdem Provinciæ contentionis ortum fuerit, Metropolitani cum Provincialibus suis judicio sint contenti: si verò diversæ Provinciæ fuerint, convenientibus in unum Metropolitanis ipsorum, omnis eorum actio judicio ipsorum terminetur. Petereà donationes Ecclesiis factas probant; nam etsi tabulæ quandoque à Legum civilium ordine discrepent, voluntas tamen defunctorum debet inconcussa manere, & in omnibus, Deo propitio, custodiri. Inde post duos annos in Hispania (jubente Theodemiro Suevorum Rege) in civitate Luco Episcoporum conventus peractus est (f), ubi plures per Gallæciam Diœceses institutæ sunt, & præter Bracarensem Sedem Metropolitanam, Lucensis quoque urbs Metropolis jura obtinuit. Iidem Præsules Gallæciæ ex Mironis Regis imperio anno DLXXII. aliam Bracaræ Synodum celebrârunt (g), qui primò avaritiam Sacerdotum constringentes, posteà statuerunt, ut in fine Synodi, quâ Lunâ Pascha futurum suscipi debeat, à Metropolitano nuncietur, quod cæteri Episcopi vel Clerici in sua Ecclesia, adveniente natali die Domini, populo pariter proponant, ne quis sit, qui deinceps Quadragesimæ initium ignoret. Demum Presbyteris pœna injungebatur, qui non jejuni in altari oblationem facere præsumpsissent.

A. 567. (e) Ibidem p. 354. *Synodus Lugdunensis II.*

A. 569. *Synodus Lucensis.* (f) Ibidem p. 373.

(g) Ibidem p. 383. A. 572. *Synodus Bracarensis II.*

Cccc 3 2. Post

dis Januario fieri Litanias &c., ut nimirum Gentilium solennitas in honorem Jani eâ die institui solita, jejuniis, aliisque devotionibus Christianis elideretur. Unde etiam in Concilio Tolet. IV. cap. 10. decernebatur, *ut Kalendis Januariis, qua propter errorem Gentilitatis aguntur, omnino Alleluja* (canticum lætitiæ) *non decantetur.* XXI. *De incestis verò conjunctionibus censuimus, statuta Canonum vetera non interrumpi;* qui Canon ad corrigendos incestus Chariberti Regis compositus est, unde præter Levitic. cap. 18. adduntur Canon 20. Synodi Aurelianensis, & 30. Concilii Epaonensis, & 11. Arvernensis Synodi. XXIII. *Licèt hymnos Ambrosianos habeamus in Canone; tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt formâ cantari, volumus libenter amplecti eos.* COINTIUS notat, Hymnum & Ambrosianum esse voces synonimas, & RADULPHUS ideò Ambrosianos dici ait, quòd à B. Ambrosio apud Latinos, & ad alias horas divinas, cantus publicus cum hymnis metricis est introductus. Cæterùm Canonis sanciendi causam dedisse videntur hymni illi, quos Venantius Fortunatus haud pridem de Cruce cecinerat, quique ab Ecclesia recepti, piè concini consueverant.

A. 573. *Obitus Joannis Pontificis.* 2. Post tot insignia Episcoporum pro disciplinæ decore studia, Pontifex supremus Joannes III. vitâ functus est anno Sedis tertio decimo, Æræ Christianæ septuagesimo tertio supra quingentesimum (h). Tumultus Longobardorum, qui hoc tempore Italiam perturbabant, prohibuêre, quò minùs locus defuncti Pontificis impleri posset: Interpontificium itaque sat diuturnum, nempè XXI. dierum, & X. mensium effluxit; dum tandem BENEDICTUS anno DLXXIV. eligeretur. Intereà non tantùm res Romanorum, sed & Gallia Regum Francorum intestinis motibus convulsa est. Guntchramnus Rex equidem omnes Episcopos Regni sui Parisios vocabat, ut dissidia, quæ inter Chilpericum & Sigebertum gliscebant, restinguerent: sed obstinatio belligerantium operam Præsulum elusit (i). Quare, ne irrita omnis esset molitio Patrum, Synodus saltem id egit (k); ut Ægidio Remensi exprobraret, quòd in aliena Provincia Promotum ordinâsset: ac, ne is arreptum Episcopatum porrò occuparet, propositis pœnis Ecclesiasticis cautum voluit. Anno DLXXVII. in eadem urbe Parisiensi quinta Synodus congregata est, ad quam Prætextati Rothomagensis Episcopi (l) causa deferebatur: is cùm à Chilperico accusaretur, quasi Meroveo filio rebelli ejusdem Regis favisset, ab Ecclesia pulsus, custodiæ traditur: & quoniam inde fugâ elabi meditabatur, gravissimè cæsus, in Insulam prope Constantiam est relegatus, subrogato in ejus locum Melanio (m). His laboribus ac turbis Benedictus Papa multùm debilitatus, post quartum annum à Sede ad æternam requiem discessit: mensium inde quatuor spatio elapso, PELAGIUS II. Petri Cathedram conscendit die XXX. Novembris anni DLXXVIII. (n), sive eodem tempore, quo Longobardi arctâ obsidione Romam premebant, quæ etiam causa fuit, ut inter has angustias Pontifex (contrà ac præscriptum fuerat) non exspectato Imperatoris aut Exarchi consensu consecraretur (o).

(h) Anastasius in vita. Pagius in Critic. T. II. ad an. 573. n. 2.

Benedictus Pontifex.

A. 573. & 574. *Synodus Parisiensis IV.*

(i) Gregor. Turon. l. 4. c. 47. & 48.

(k) Cointius in Annal. Franc. T. II. ad an. 573.

(l) Gregor. Tur. l. 5. c. 18.

Synodus Parisiensis V.

(m) Turon. Gregor. l. 7. c. 19.

Mors Benedicti Papæ.

A. 578. *Pelagius II. Papa.*

(n) Pagius in Critic. T. II. ad an. 577. n. 2.

(o) Anastasius in vita.

3. Pelagius summam rei Ecclesiasticæ adeptus, primas inter curas posuit, ut Imperatorem Tiberium in auxilium afflictæ Italiæ vocaret; quare Gregorium Apocrisiarii nomine Constantinopolim misit (p): erat is (si natalium decus spectes) Patre Sena-

(p) Joannes Diaconus & Paulus in vita.

Senatorii Ordinis Gordiano, Matre Silviâ circa annum DXL. natus, Atavúmque habebat S. Felicem III. Pontificem. Præfecturæ Romanæ subinde admotus, negotia sæculi ita fastidire cœpit, ut in Monasterium salutis causâ nudus evaderet (*3). Illinc dum sub Valentiniano & Maximiano Abbatibus monasticam Ascesin profitebatur (*4), ingenti virtutum suarum luce omnium, *S. Gregorii Magni initia*

(*3) GREGORIUS in epist. ad Leandrum, initio Moralium præfixâ: *Quoniam diu longéque conversionis gratiam distuli; & postquam cælesti sum desiderio afflatus, sæculari habitu contegi meliùs putavi. Aperiebatur enim mihi jam tunc de æternitatis amore, quod quærerem: sed inolita me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cúmque adhuc me cogeret animus, præsenti mundo quasi specie tenus deservire, cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo non jam specie, sed (quod est gravius) mente retinerer. Quæ tandem cuncta sollicitè fugiens, portum Monasterii petii, & relictis, quæ mundi sunt (ùt frustrà tunc credidi) ex hujus mundi naufragio nudus evasi.* Et Lib. IV. Dialog. c. 38., ubi agens de morte Crisorii, testimonium adducit Maximi ejus filii, *quem ipse* (Gregorius inquit) *jam Monachus Monachum vidi.*

(*4) Controversia hìc non parva oritur: sub qua Regula monasticum Institutum S. Gregorius professus sit? *Prima sententia* est BARONII Tom. VII. Annal. ad annum Christi 581., ubi ostendere conatur, Gregorium Regulæ S. Equitii nomen dedisse; postquam enim is Romæ in Clivo Scauri ad honorem S. Andreæ monasterium construxerat; primum Abbatem ex Provincia Valeria accersivit, qui antè monasterio suo, dein etiam Gregorio (postquam is habitum induit) præfuit; quæ optimè hauriuntur ex fonte ipso, nempe Lib. 4. Dialog. c. 22., ubi Gregorius ipse testatur: *Vita Venerabilis Valentius* (alii Valentinus legunt) *qui pòst in hac Romana urbe* (*sicut nôsti*) *MIHI, MEOque MONASTERIO præfuit, prius in Valeria Provincia suum Monasterium rexit*; unde duo inferuntur, *primò*, quòd, cùm in Provincia Valeria S. Equitii institutum viguerit, idem Abbas inde accersitus, illud, quod sectatus antè fuerat, & non aliud in Gregorii Monasterium induxerit. *Secundò*, quia Gregorius sub hoc Abbate, & non sub alio legitur Monachum egisse, pronum est conjicere, hunc alumnum Equitianæ Regulæ quoque se devovisse; nam licèt Maximianus etiam huic Monasterio præfuerit posteà, & huic Pretiosus & Probus Abbates successerint; de his tamen non dicit Gregorius (sicut de Valentino) *mihi, meóque Monasterio præfuerunt.* Præterea Valentinum dictum *suum Abbatem* vocat, à quo S. Equitii miracula didicisset. Dialog. L. 1. cap. 4.: *Silere non debeo, quod de viro hoc* (*Abbate quondam meo Reverendissimo Valentio narrante*) *cognovi.* MABILLONII *secunda sententia* est in Præf. Sæc. I. Bened. & in Dissert. singulari, quæ extat in Tom. I. Annal. appendice I. à p. 658. ad p. 678., cujus potissima argumenta hìc afferemus. I. Regulam S. Benedicti laudavit, aliis antehabuit, imò tanto affectu ferebatur in S. Benedictum, ut de Sancto integrum librum in triginta octo divisum capita conscripserit, quidni igitur pro suo Monasterio potiùs Regulam S. Benedicti adoptârit, quàm S. Equitii, de quo cùm parcissimè quædam L. 1. Dialog. referat, nihil de ordine per eum instituto, nihil de Regula conscripta memorat. II. S. Gregorius è suo Monasterio in Angliam Monachos misit pro conversione infidelium, qui omnes Regulam S. Benedicti profitebantur, teste JOANNE DIACONO, qui Lib. 4. vitæ S. Gregorii cap. 80. & 82. scribit: *Quòd verò Monachi, qui à Gregorio*

(q) Joannes Diac. in vita Gregorii.

nium, tum etiam Pontificis animum rapuit (q). In candelabro itaque Ecclesiæ cùm omninò ponendus judicaretur, in Diaconorum numerum relatus, paulò pòst à Pelagio II. apud Tiberium Orientis Imperatorem legatione fungi jubebatur. Antequam Gregorius Constantinopolim venerat, Joanne Scholastico mortuo, Eutychius à duodecim annorum exilio revocatus, suas Diœceses rursus regere instituit: quantâcunque verò virtute idem

Gregorio in Saxoniam (transmarinam) *missi sunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati: inter alia etiam illud ostendit, quia ex illius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito, quàm in habitu Regula Benedicti.* Idem adstruit AIMOINUS Floriacensis Monachus in vita S. Abonis. III. Quando S. Gregorii corpus fuerat inventum & translatum sub Gregorio IV. Pontifice, refert JOANNES DIACONUS: *In exilitate Balthei (quæ unius pollicis mensuram nunquam excedit) speciem propositi Regularis, olim à S. Benedicto constituti, cujus ipse vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudaverat, eum servâsse, luce clarius manifestat.* Ob has, aliásque rationes PAGIUS Tom. II. Critic. ad annum 581. N. IX., utì & NATALIS ALEXANDER in Hist. Sæc. VI. cap. 2. art. 13. huic sententiæ subscripsêre. Neque tamen Baronius ab aliis gravibus Auctoribus desertus est; certè GALLONIUS Oratorii Presbyter, & BOLLANDISTÆ in Commentario ad XII. Martii non contemnenda monumenta afferunt, quibus Mabillonio se superiores putant. Ad I. namque R. ex laude, quam Gregorius Regulæ S. Benedicti tribuit, deduci haud posse, quòd sub illa vixerit: dein laudavit Regulam S. Benedicti, non cùm sub Valentione (alii Hilarione aut Laurione legunt) Monachum ageret, sed posteà, quando Pontifex erat, unde iterum nihil ad rem probatur; nam illo etiam tempore statuit, ne pueri ante XVIII. annum in Monasteria admitterentur; quæ tamen consuetudo diversa erat à Regula S. Benedicti. Demum ex eo pariter nil conficitur, quòd Gregorius de Regula Equitii sileat; sufficit enim, quòd, ne actum agat, ad Albinum, qui hæc scripserat, lectorem remittat: & quamvis Valentio, qui in Valeria *suum* Monasterium rexisse dicitur, Equitii institutum secutus non fuisset, res necdum evincitur, quia teste Cassiano Lib. 2. de institutis Cœnobiorum c. 2. centum annis antè dixerat, *tot propemodum in Occidente typos & Regulas se vidisse usurpatas, quot Monasteria, cellásque conspexerat;* imò tempore S. Benedicti S. Romanus *in Monasterio sub Theodati Patris Regula degebat*, ùt refert ipse Gregorius in vita S. Benedicti. Quidsi ergo Valentio suam propriam Regulam, vivendíque modum habuisset? præsertìm cùm S. Benedicti Regula seriùs ab ejus discipulis publicì juris facta fuerit. Ad III. respondent, Joannem Diaconum ista scripsisse trecentis à condito S. Gregorii Monasterio annis: ante quod tempus (maximè sub Ludovico Pio) in pluribus Monasteriis Regula S. Benedicti assumpta fuit: quare, etiamsi concedatur, posteros discipulorum Benedictinæ Regulæ professores fuisse, nequaquam benè inferes, id quoque de Gregorio dici posse; sed de hoc plura infrà. Ad III. respondet Baronius Tom. VIII. ad annum Christi 604., ordines Monachorum ne quidem ex vestitu, multò minùs ex cingulo internosci potuisse. Et Tom. IX. ad annum 827. concedit, ex gestato cingulo adverti, Gregorium vixisse usque ad finem vitæ monasticæ disciplinæ studiosum, sed cinguli exilitatem negat esse signum, unde internoscas, utrùm Benedictini instituti fuerit; nam S. Fulgentius & Cassianus, eorúmque Monachi multò antè cingulis utebantur pelliceis. Ex his prolatis utrinque sententiis quidquid Lector statueris, me adversarium nequaquam habebis.

idem Patriarcha restitutus Sedi se mirabilem præstaret; evenit tamen, ut contra doctrinam Catholicam librum scriberet, in quo corpus nostrum in anastasi absque carne palpabili resurrecturum, ídque ex Origenis erroribus asserebat: magna hæc Gregorium inter & Eutychium disputandi, pugnandíque occasio fuit (*5). Victor nihilominùs Gregorius duo evicit: nempe, ut Commentarius de Resurrectione Carnis ab Eutychio compositus, ex Imperatoris mandato flammis absumeretur, simúlque author errorem agnosceret, qui subinde ad confinia mortis deductus, pellem manûs suæ contrectando præsentibus testabatur: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus* (r).

Disputatio Gregorii contra Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum.

(r) Gregor. l. 14. moral. c. 29.

4. Per idem tempus Pelagius in Italia cum Longobardis non tantùm, sed & cum Schismaticis non sine doloris sensu est conflictatus: & Longobardorum quidem furor eò jam invaluerat, ut in animas etiam grassari inciperent. Caput quippe capræ cùm passim diabolo immolarent, atque ut Christiani captivi eodem crimine macularentur, singulos frustrà compellerent; Martyrum numerus non parùm adauctus est (*6). Multò acerbius

Longobardorum furor in Christianos.

(*5) GREGORIUS Moral. Lib. 14. cap. 56. ita contra Eutychium certabat: *Catholica fides habet, quòd corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum subtile quidem sit per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ juxta exemplum Dominici Corporis, de quo à mortuis resuscitato dicit ipse: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet; sicut me videtis habere.* EUTYCHIUS respondit: Ideirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui GREGORIUS dixit: *Mira res est valde, quam adstruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda fuerunt à dubietate sanata. Quid enim deterius dici potest, quàm ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem sunt reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit; unde fides discipulorum ejus est confirmata, inde nostra destruitur.* EUTYCHIUS ait: Corpus palpabile habuit, quod ostendit, sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam est redactum. At GREGORIUS ostendit, id repugnare naturæ *Corporis glorificati, quod immortale est* (ùt docet Apostolus) ac proinde immutabile. Post mortem Eutychii nullus hunc errorem secutus est.

(*6) GREGORIUS Dialog. L. 3. cap. 27. 28.: *Ante hos fermè annos quindecim* (scripserat hæc Pontifex tertio sui Pontificatûs anno) *quadraginta rustici à Longobardis capti, carnes immolatitias comedere compellebantur. Qui cùm validè resisterent, & contingere cibum sacrilegum nollent; cœpêre Longobardi, qui eos tenuerant, nisi immolata comederent, mortem eis minari. At illi æternam potiùs vitam, quàm præsentem ac temporariam*

(s) Norisius de Synodo V. c. 9. §. 3.

Pontifex indulget, ut Aquilejâ Gradum transferatur Sedes Metropolitana.

(t) Dandulus in Hist. Venet. Ughellus Tom. V. Italiæ facræ.

A. 579.

Synodus Gradensis schisma non sanavit.

bius verò erat Pontifici, quòd filii Ecclesiæ inter hos Italiæ tumultus contra Matrem contentiosiùs pugnarent (s). Transpadani enim Istri ac Veneti adhucdum erant, qui repudiatâ quintâ Synodo, pro tribus Capitulis acerrimè adversùs Romanos Pontifices decertabant. Captâ à Longobardis Aquilejâ, spes componendi schismatis aliqua apparebat; nam cùm Helias Archi-Episcopus, qui Paulino & Probino (schismaticis Episcopis) successerat, tutum sibi haud putaret, Aquilejæ inter Christianæ reî infensissimos hostes degere, Pelagium Papam rogabat, ut Metropolitana Sedes Aquilejensis Gradum transferretur. Pontifex beneficio singulari Heliam devincturus, postulatis annuens, Laurentium Presbyterum Legatum mittit, qui Synodo Provinciæ eâ de causâ celebrandæ (t) suo nomine adesset. Anno igitur DLXXIX. die III. Novembris apud Gradum coacta Synodus est, in cujus principio ubi ex Pelagii epistola legebatur, Castrum Gradense totius Venetiæ ac Istriæ Metropolim perpetuò confirmari; omnes Episcopi in Pontificis laudes, votáque prorupe-runt (*7): deinde definitio fidei Chalcedonensis recitabatur, cujus Synodi cùm nimis anxiam curam Patres haberent; contra quintam Synodum denuò conclamatum est, propterea quòd ab ultimo hoc Concilio Chalcedonensium Decreta infringi suspicabantur.

porariam diligentes, firmiter perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt.... Eodem tempore, dum ferè quadraginta captivos alios Longobardi tenuissent, more suo immolaverunt caput capræ diabolo;... cúmque illud ipsi submissis cervicibus adorarent, eos quoque, quos ceperant, hoc pariter adorare compellebant. Sed ex eisdem captivis maxima multitudo, magis eligens moriendo ad vitam immortalem tendere, obtemperare jussis sacrilegis noluit;... unde factum est, ut hostes, qui eos ceperant, gravi iracundiâ accensi, cunctos gladiis interficerent.

(*7) Episcopi, qui Gradensi Synodo subscripserunt (ùt habet Ughellus, & Codex Barberini) *Helias Aquilejensis, Marcianus Episcopus Opiterginæ, Leonianus Tiburniensis, Petrus Ep. Altinatis, Vindemius Cenatensis, Clarissimus Celicanæ, Patricius Hemonensis, Maxentius Juliensis, Severus Tergestinæ, Solatius Veronensis, Joannes Parentinæ, Aaron Aventiensis, Marcianus vices agens Ingenuini Sederestiensis, Virgilius Scaradantiensis, Fontejus Feltrinæ, Ingenuinus secundæ Rhetiæ, Agnellus Tridentinus, Marcianus Petenensis, Joannes Calejanus.* Inde patet amplissima jurisdictio Aquilejensis; nam à Pannonia secunda usque ad Abduam in Insubria extendebatur: Continebat Rhetiam II., cujus Metropolis, Sabis: Noricum, cujus primaria urbs erat, Tiburnia ad Dravum. Vide NORISIUM in Differt. Hist. de Synodo V. mihi. pag. 38. Cæterùm post sedis translationem Metropolitæ promiscuè jam Aquilejenses, jam Gradenses appellatos esse, videre licet apud GREGOR. M. Lib. 1. epist. 16., & Lib. 11. epist. 38.

bantur. Pelagius proinde hoc tempore etsi nihil admodùm pro beneficio Schismaticis collato impetraret (u); post septem annorum intervallum aliam occasionem arripuit, Schismaticos ad concordiam reducendi. Longobardi nimirum Francorum metu cum Flavio Smaragdo Exarcho inducias anno DLXXXVI. pepigerant; quibus dum Italiæ quies aliqua reddebatur, Pelagius rursus Schismaticos aggreditur, auxilio Smaragdi confisus. Redemptum itaque Episcopum Ferentinum, & Quodvultdeum Abbatem ad eosdem misit cum epistola (x), quâ non sine paterno affectu Schismaticos hortabatur, ut, ni salutem projicere vellent, in unitatem fidei reverterentur; media insuper offerebat, quibus dissensionum vulnus consanari posset (y). His literis nil aliud extorsit Pelagius, quàm ut Schismatici Romam referri responsum juberent per nuncios, quin tamen his de causa dissidii agere cum Pontifice liceret. Quare Pelagius aliis literis Istriæ Episcopos multò graviùs commonebat (z), ut quosdam è suis Romam, vel (si eos itineris difficultas absterreret) saltem Ravennam mittant, ubi factâ congregatione Sacerdotum, à Legatis Pontificiis satisfactionem plenissimam accipiant. Schismatici ad hæc paterna monita adeò obstinabant animos, ut prolixiore epistolâ suam causam defendere præsumerent (*8). Pelagius ne tum quidem

(u) Chronicon Aquilej. apud Noris. A. 586.

Pelagius Schismaticos ad pacem sollicitat.

(x) Pelagii II. epist. 1. ad Episcopos Istriæ. In Actis CC. apud Hard. T. III. p 414.

(y) ibidem loc. cit.

(z) Pelagii II. epist. 2. l. c. p. 417.

Schismaticorum obstinatio.

(*8) Schismaticorum PRIMUM ARGUMENTUM erat: per ea, quæ acta sunt in V. Synodo, Chalcedonensem Synodum fuisse convulsam, quam illibatam debere observari, probabant ex variis S. Leonis epistolis, quarum textus inter se malè confusos proferebant. PELAGIUS ad hoc in epistola III. ita respondet: *Hæc sunt, quæ B. Leonis ad Leonem Principem verba posuistis: quæ apud Chalcedonem gesta sunt, proferuntur.... At postquam nihil aliud Synodi, nisi fidei definitionem recepit: quid est aliud, quod cætera, quæ illic specialiter mota sunt, refutavit.* SECUNDUM Schismaticorum ARGUMENTUM erat: Vigilius Papa, & omnes Latinarum Provinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. PELAGIUS respondet: *Tantò eis celeriùs credi debuit, scilicet, quando tria Capitula damnârunt, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores non relinquerent, nisi, quæ vera sint, agnovissent.* TERTIUM ARGUMENTUM. Negabant, mortuos damnari oportere. PELAGIUS verò ex Augustino id probat, scribente ad Bonifacium Comitem: *Si vera essent, quæ ab eis objecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus. Sed tamen Ecclesiam Christi.... propter quemlibet hominem relinquere non debemus.* Posteà Pontifex profert errores Mopsvesteni & PP. sensa

dem adversantium molitionibus fractus, tertiam epistolam dedit, in qua commonstrabat, Synodum Chalcedonensem, quod ad fidei decreta spectat, nihil per Concilium quintum violari: Vigilium Papam à damnandis Capitulis tamdiu abhorruisse, dum causâ penitùs discussâ, idem Pontifex illa ipsa proscribenda putâsset: porrò Theodorum Mopsvestenum hæreticum fuisse, ex SS. Patribus patere, nec aliter fieri debuisse, quàm ut Theodoreti libri contra Cyrillum, ac epistola Ibæ omnino anathemati subjicerentur. Postremùm in eo totus erat epistolæ finis, ut exprobraret Episcopis, quòd (contrà ac interdictum, & ab exemplis Majorum alienum) se sponte suâ ab Ecclesiæ communione separâssent (a). Hæc omnia quia surdis auribus excipiebantur, Pontifex

Pelagii Pontificis longanimitas.

(a) Pelagii epist. 3. in Actis CC. T. III. apud Hard. p. 421.

PP. sensa contra eos. Dein examinatâ Ibæ epistolâ ait: *Reprobetur ergo una epistola mentiens, ne utraque S. Synodus* (Ephesina & Chalcedonensis) *tanta falsitatis crimen sustineat,... vigilanti curâ respicite, quæ in sexta illius* (Chalcedonensis Synodi) *Actione sanctæ fidei professio consummatur: mox quæ in septima ad institutionem jam fidelium Regula Canonum figitur.... Quid enim supererat, quod perfectâ fidei professione fieret, nisi ut quorumdam fidelium actiones illicitas S. Synodus positis Regulis judicaret. Quamvis, si solerter aspicimus, Canonum Regulas positas non (sicut putatur) in septima, sed intextas sextæ Actioni invenimus. Nam cùm in eisdem Constitutionibus sanciendis non dies, non imperium ponitur, non qui residerent, describuntur; procul dubio cum non consueto exordio cœptæ sunt, quia præcedenti Actioni subnexæ sunt, demonstratur. Quia verò in Actione sexta fidei causa perficitur, ipsa Episcoporum omnium generali subscriptione declaratur. Nam qui pòst subscripserunt sententiam, cuncta, quæ de fide agenda fuerant, finita testati sunt. Unde & in causis pòst specialibus, nudis tantummodo verbis loquuntur, atque ea, quæ decernentes dixerant, nullâ suppositâ subscriptione firmaverunt.... Si igitur in Actione sexta professio fidei consummatur, móxque Canonum Regula figitur: si B. Leo negotiis, quæ illic privatè mota sunt, contradicit: si hoc, quod ultra fidem gestum est, nec is, qui fecit, Thalassius tenuit; cur nos hæreticam epistolam retractâsse reprehendimur, qui hac in re cunctorum nos præcedentium authoritate roboramur? Et quamvis ab eadem epistola alienum se Ibas respondeat; quamvis, quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstretur: licenter tamen unusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbâssent: quia postquam B. Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum, qui interfuerant, in privatis negotiis authoritas, vacuatur.* Denique ad tertium Capitulum delapsus Pontifex ita ait: *Neque Theodoreti omnia scripta damnamus, sed sola, quæ contra duodecim Cyrilli Capitula, sola, quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur: quæ tamen & ipse damnâsse cognoscitur.... Dum verò ejus & personam recipimus, & ea, quæ pravè scripta, reprobamus, in nullo à S. Synodi Actione deviamus.... Alia verò scripta illius non solùm recipimus, sed etiam iis contra Adversarios utimur.* Hanc epistolam gravissimè scriptam, jubente Pelagio, Gregorius Magnus composuit, uti nobis PAULUS DIACONUS de gestis Longob. Lib. 3. c. 20.

Pontifex armatâ manu cum Schismaticis agendum ratus, Smaragdum Exarchum contra eosdem concitavit. Is Pelagio obaudiens, minacibus continuò ad Heliam, reliquósque, qui sub potestate Imperatoris erant, literis obsequium cunctis erga Sedem Apostolicam imperat (b). At illi Oratores ad Mauritium dirigunt, qui seu precibus, sive metu inclinatus, ne Provinciæ turbulentâ hâc tempestate pejoribus ærumnis implicarentur, Smaragdo injunxit, ut à Schismaticis abstineret manum (c). Heliæ paulò pòst mortuo Severus Gavennas surrogatus est; de hoc ubi Smaragdus acceperat, eundem pro tribus Capitulis acerrimè pugnare, veritus, ne & vicinas regiones schismate inficeret, in Ecclesia Gradensi captum, & vi Ravennam deductum ad tria Capitula damnanda adegit (d). Utprimùm per Istriam, Venetiásque cognitum est, Severum, ac ejus Collegas tria Capitula ejurâsse; eorum præsentiam singuli quique fugiebant, nec antè in communionem cæterorum recepti sunt, quàm in Synodo posteà Marani celebrata iterum pro tribus Capitulis cautionem dato sacramento præstarent (*9).

(b) Paulus Diac. de gest. Longob. l. 3. c. 10.
(c) Libell. Schismatic. ad Maurit. Noris. de Synod. V. p. 102.
(d) Sigon. l. 1. de Regno Italiæ ad an. 586.
A. 589.

5. Dum mutuis dissensionibus Italia & vicinæ Provinciæ lacerabantur; alibi Præsules majore concordiâ Synodos peragebant. In Gallia apud *Cabillonum* anno DLXXIX. jubente Rege Guntchramno, Episcopi convenêre, & discussis diversis causis, contra Salonium & Sagittarium Episcopos, eosdem velut reos Majestatis ac Patriæ proditores deposuêre (e). Anno DLXXX. *Brennaci* coacta Synodus est, in qua Gregorius Turonensis illustre fortitudinis, Chilpericus Rex autem insigne demissionis & obedientiæ erga Episcopos exemplum dedit: nam cùm Chilpericus nimio contra Arianos æstu abreptus, in errorem Sabellii deflueret, húncque Gregorio vulgandum præciperet; restitit magno animo Regi Antistes, in hæc verba prolocutus: " Nunquam

Synodus Cabillonensis.
(e) Gregor. Tur. l. 5. c. 28. Le Cointe T. II. ad an. 579.
Synodus Brennacensis.

(*9) NORISIUS de Synodo V. c. 9. §. IV.: Maranum, ubi Synodus habita, est munitissimum modò Venetorum oppidum, stagnis Adriatici maris ferè circumdatum, in Forojuliensi littore ad Celinam amnem situm. Decem Episcopos eò convenisse, scribit PAULUS DIACONUS Lib. 3. c. 27.: *Post hæc facta est Synodus decem Episcoporum in Marano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquilejensem, dantem libellum erroris sui, quia trium Capitulorum damnatoribus communicârat Ravennæ.*

quam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc, quæ proponis, ſequi voluerit (f). „ Quibus verbis territus Chilpericus, docenti meliora Præſuli acquievit. Anno DLXXXIII. *Lugduni* Concilium octo Epiſcopi celebrârunt, cujus Canones ſuperſunt; qui mulieres extraneas à contubernio Clericorum amandant, Puellarum Deo devotarum inceſtas conjunctiones pœnis perſequuntur, præcipuas feſtivitates non alibi, niſi in Eccleſia ſua agi præcipiunt: demum leproſorum penuriæ proſpiciunt (g). Anno circiter eodem *Matiſconæ* XXI. Præſides congregati de Diſciplina Leges viginti promulgârunt; quorum argumentum in eo verſatur (h), ut caſtimoniam Miniſtris & Epiſcopis, ac puellis in monaſterio detentis præſcribant, veſtitum decentem Clericis ſtatuant. Deinde cavent, ne Archiëpiſcopus ſine pallio Miſſas dicere præſumat (*10). Porrò de cauſis Clericorum, ubi agendæ ſint, quâ ratione jejunia inſtituenda, multáque alia de obedientia debita Epiſcopo, de Monialibus, de Judæis, perjuris, & de accuſatoribus decernunt. Anno DLXXXV. in *urbe Valentina* convocati in Synodum XVII. Epiſcopi confirmârunt, quæcunque Guntchramnus Rex, ipſiúſque uxor & filiæ in diverſas Eccleſias contulerant (i). Eodem anno *Matiſconæ* altera Synodus inſtituta (k) Fauſtianum eâ conditione exauthoravit, ut ii, qui eidem impoſuerant manus, centenos aureos pro ejus victu ſingulis annis repræſentarent. Illa ipſa Synodus Urſicino Cadurcenſi graves intentavit pœnas (l); demum viginti Canones ſubjunxit, qui Dominicæ diei & Paſchatis feſtivam celebrationem urgent, Baptiſmi ſolennis præſcribunt tempora (*11); poſteà ſtatuunt, ut

(f) Gregor. Tur l. 5. c. 45.
Synodus Lugdunenſis III.
(g) Le Cointe in Annal. Francor. T. II. ad an. 583.
A. 583.
Synodus Matiſconenſis I.
(h) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 450.
Synodus Valentina.
A. 585.
(i) ibidem p. 458.
Synodus Matiſconenſis II.
(k) ibidem p. 459.
(l) Gregor. Tur. Hiſtor. l. 8. c. 20.

(*10) Canon VI. Concilii Matiſconenſis ſic habet: *Ut Archiëpiſcopus ſine Pallio Miſſas dicere non præſumat.* In hoc Canone, quid per Archiëpiſcopum intelligatur, obſcurum eſſe ait COINTIUS in Annalibus Tom. II. p. 238., quia tres tantùm Patriarchæ, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, qui olim Epiſcopi dicebantur Can. VI. Nicæno, in Epheſina Synodo Archiëpiſcopi appellari cœperunt. Archiëpiſcopi autem notio (qualis hodie accipitur pro Metropolitano) ſeriùs uſurpari cœpit, nec adhuc ea vox audiebatur in Galliis tempore Concilii Matiſconenſis, utì ex ſubſcriptionibus patet, & uſus Pallii ſolis Arelatenſibus tunc conceſſus fuerat. Quare Author dictus exiſtimat, hunc Canonem ex quopiam recentiore Concilio huc translatum.

(*11) Canon tertius Synodi II. Matiſconenſis: *Comperimus, Chriſtianos non obſervantes legitimum diem Baptiſmi, penè per ſingulos dies, ac Natales Martyrum filios ſuos baptizare; ita ut vix duo, aut tres reperiantur in ſancto Paſcha, qui per aquam & Spi-*

ut diebus Dominicis altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quàm vini, quibus ad ſacrificium uteretur Sacerdos: ut decimas pro antiquo more Eccleſiaſticis populus omnis inferat, quas Sacerdotes aut in pauperum uſum, aut in captivorum redemptionem expendant: ut Presbyteri Miſſas jejuni celebrent. Reliqui Canones agunt de aſylis, de cauſis Epiſcoporum & Clericorum, de violentia Potentûm coërcenda, de honore Clericis exhibendo, de Clericorum viduis, ac de ſepulturis (*12).

6. In Hiſpania non minora incrementa res Catholica, ſedente Pelagio, obtinuit; nam S. Hermenegildi ſanguis in fidei veræ teſtimonium profuſus tantùm valuit (m), ut Reccaredus Martyris frater, & Leovigildi ſucceſſor totam Viſigothorum Gentem ad Eccleſiam traduceret (n). Fundamenta converſionis hujuſmodi in Synodo III. *Toletana* ſolidiùs jacta ſunt; nam Reccaredus ubi coram Patribus ſe orthodoxum palàm profeſſus fuerat,

(m) Gregor. Dial. l. 3. c. 31

(n) Joannis Biclarienſis Chronicon.

A. 589.

Synodus III. Toletana.

& Spiritum S. regenerentur; idcirco cenſemus, ut ex boc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos, quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit, filiis ſuis Baptiſmum percipere. Ideóque præſentibus admonitionibus à ſuis erroribus vel ignorantia revocati, omnes omnino à die Quadrageſimæ cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, ut impoſitionem manuum certis diebus adepti, & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtivitate fruantur, & ſacro Baptiſmate regenerentur, quò poſſint & bonoribus, ſi vitæ comes fuerit, ſacerdotalibus fungi, & ſingularis celebrationis ſolemnitate frui. COINTIUS ad hunc Canonem advertit, non ſolos adultos, ſed ipſos etiam infantes ſcrutiniorum lege adſtrictos fuiſſe, non quidem, ut fidei & morum rationem redderent, quod præſtare per ætatem non licebat; ſed ut luſtrarentur aliquot ceremoniis, quæ per manuum impoſitionem & unctionem ex ſacro oleo declarantur. Cæterùm duo à primis ſæculis ſolemni Baptiſmo tempora adſignabantur; Patres verò Paſcha hìc ideò urgent, quia negligebatur. Præ oculis habendum dogma TERTULLIANI de Baptiſmo c. 19.: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcba præſtat, ... exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt. ... Cæterùm omnis dies Domini eſt, omnis bora, omne tempus babile Baptiſmo, ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nibil refert.*

(*12) Canon XVII. Concilii II. Matiſconenſis decernit: *Comperimus, multos, necdum marcidatis mortuorum membris, ſepulcbra reſerare, & mortuos ſuos ſuperimponere, vel aliorum (quod nefas eſt) mortuis ſuis religioſa loca uſurpare, ſine voluntate ſcilicet Domini ſepulcbrorum. Ideóque ſtatuimus, ut nullus deinceps boc peragat. Quodſi factum fuerit, ſecundùm Legum Decreta, ſuperimpoſita corpora de eiſdem tumulis rejactentur.*

fuerat (*13), pro fidei sanctæ reverentia & firmitate (uti Rex rogaverat) Canones à congregatis Episcopis sequentes conditi sunt: nempe ut maneant in suo vigore Conciliorum omnium Constituta, simul & Synodicæ Præsulum Romanorum epistolæ; ut Symbolum Constantinopolitanum, priusquam Dominica dicatur oratio, voce clarâ à populo decantetur; útque Episcopis res Ecclesiæ alienare, & Ministris cum uxoribus vivere, aut Clericos ad forum civile pertrahere nefastum sit. *Undecimus Canon* pœnitentiæ publicæ modum dictat, cæteræ Ecclesiasticæ Regulæ idololatriæ sacrilegia, infanticidia, oppressiones Clericorum, & turpia cantica, saltationésque in Sanctorum solemnitatibus institui solitas damnant; quæ omnia Reccaredus speciali Edicto firmanda putavit. Eodem anno Episcopi octo Provinciæ Galliæ (quæ Gothis subjecta erat) *Narbone* convenerunt (o), cujus Concilii quindecim Canones præcipuè decrevêre, ut die Dominicâ, non verò die Jovis (quod aliqui superstitiosè factitabant) ab opere servili abstineant; dein Clericis dictant pœnas, qui sine conscientia Episcopi aliquid Ecclesiæ subtraxerint, non minùs advertunt in eos, qui divinationibus dant locum aut causam.

A. 589. *Synodus Narbonensis.*

(o) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 491.

7. In Oriente intereà anno DLXXXVIII. Joannes (*Jejunator* dictus) Episcopus Constantinopolitanus Concilium convocaverat, ad causam Gregorii Antiocheni discutiendam: accusatus is ab Orientis Præfecto Asterio de pessimis flagitiis, in Synodo judicari exoptabat; quare cùm Patres congregati negotium suscepissent, absolutus ille quidem est, sed Concilii Præses, qui alium criminis infamiâ liberaverat, se ipsum novo flagitio obstrinxit. Nam quod

A. 589.

(*13) Reccaredi professio fidei: .... *Sicut veræ salutis indicium est, Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate sentire; ita erit consummatio Justitiæ, si eandem fidem intra universalem Ecclesiam teneamus, & Apostolicam unitatem in Apostolico positi fundamento servemus.... Adest omnis Gens Gothorum inclyta, quæ licèt suorum pravitate Doctorum à fidei hactenùs vel unitate Ecclesiæ Catholicæ fuerit segregata; toto nunc tamen mecum assensu concordans, ejus Ecclesiæ communioni participatur.... Nec Gothorum sola conversio ad cumulum nostræ mercedis accessit; quin imò & Suevorum Gentis infinitam multitudinem, alieno licèt vitio in hæresim deductam, nostro tamen ad veritatis originem studio revocavimus. Proinde SSmi PP. has nobilissimas Gentes quasi sanctum & placabile sacrificium per manus vestras æterno Deo offero* &c. Vide Acta CC. apud Harduin. Tom. III. p. 467.

quod diu agitaverat animo, palàm nunc exequi ausus, *Oecumenici* sive *Universalis* Episcopi titulum sumens, Pelagii & Sedis Apostolicæ diras sibi conscivit; Pontifex quippe, ubi de facinore intellexerat, Apocrisiarium suum Constantinopoli agentem monuit, ne prævaricatori Joanni in sacris communicaret (p). Non diu his turbis superfuit Pelagius inguinariâ lue (*14) extinctus octavâ Februarii anni DXC. Beneficentissimus in pauperes, præsertim in senes fuerat, quos propriâ domo in Xenodochium conversâ excipiebat (q): S. Petri tumulum tabulis argenteis deauratis investivit, & Subdiaconos, siquidem in gradu stare vellent, ad castimoniam adstrinxit (*15). Primus idem inter Pontifices memoratur, qui suas epistolas *Indictionum* charactere signârit (r).

Synodus Constantinopolitana.

(p) Gregor. l. 7. epist. 70.

Mors Pelagii II.

(q) Anastasius in vita.

A. 590.

(r) Pagius in Brev. PP. in vita Pelagii II. n. 23.

8. Pela-

(*14) GREGORIUS TURON. Lib. 10. cap. 1. postquam inundationem Tyberis mense nono A. 589. factam adduxerat, subdit: *Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant: nam medio mense XI. adveniens, primum omnium, juxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur:* A Sanctuario meo incipite, *Pelagium Papam percussit: quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est.* Erat autem pestis tanta vis, ut sternutando homines spiritum exhalarent; ac propterea cùm aliquem sternutantem quis audiret, accurrebant alii protinùs acclamantes: *Deus te adjuvet!* Inde SIFFRIDUS Presbyter Misnensis L. 1. ortam consuetudinem putat, quâ homines sternutantibus precantur: *Deus te adjuvet!* Sed BARONIUS ad annum 590. n. 26. hunc morem ad Gentilium revocat tempora. Præterea hìc adverte, luem ejusmodi mense undecimo cœpisse, id est, Januario, quia Gregorius more Gallorum anni initium ducebat à Paschate, sive à mense Martio.

(*15) PAGIUS in Breviario PP. Tom. I. p. 339.: " Quamvis Concilium Illiberitanum Canone 33. *Subdiaconis continentiam* indixisset; certò tamen constat, hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hispania tunc fuisse receptam, ùt MORINUS probat *P. III. sacr. ordin. exercit. 12. c. 5.* Post sextum verò Sæculum vix aliqua memoria *Subdiaconorum* reperitur, qui non fuerint *voto continentiæ* adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II.; hic enim Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur, ùt testatur Gregorius M. Lib. I. epist. 42. ad Petrum Siciliæ Subdiaconum: *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur.* A Romana autem ad alias Occidentis Ecclesias eadem Institutio propagata est, quâ occasione paulatim cœpit hic ordo à minoribus separari, & majoribus ac sacris accenseri, quod factum est circa finem Sæculi XII.; etenim Petrus Cantor, qui obiit anno 1197., relatus à Menardo in Lib. Sacram p. 280. ait: De novo institutum est, Subdiaconatum esse sacrum ordinem. De Subdiaconorum continentia legendus Lupus P. III. Synod. Differt. I. c. 3. proœm.; sed de his plura infrà dicemus.

Gregorius M. Pontifex.

8. Pelagio defuncto, post mensium sex & viginti quinque dierum intervallum Clerus, populúsque vota sua in GREGORIUM contulit (s), cui posteà rerum gestarum copia *Magni* nomen adjecit: gravius hoc jugum vir sanctus existimabat, quàm ut suis humeris ferret; quare Mauritium interpellabat Cæsarem, ne eligentium suffragia suâ authoritate firmata vellet; at Germanus Præfectus urbis pro literis Gregorii suas substituens, alia prorsus docuerat Imperatorem, scilicet huic tempestati Papam opportuniorem præ Gregorio vix futurum (t). Placuit enimverò mens Romanorum Mauritio tantò magìs, quantò familiariùs Gregorio Constantinopoli usus fuisset (u). Interea dum Gregorius à Mauritio exspectat responsum, calamitas publica & lues funeribus quotidianis acerba urgebat, ut Ecclesiæ curam quandam impenderet (*16). Ad avertendam proinde iram divinam supplicationes, Litaniásque indixit (*17): sed dum magna multitudo omnis ætatis, ordinísque convenisset, adeò pestis in mortales grassata est, ut intra unius horæ spatium octoginta homines spiritum exhalarent. Hæc calamitatis acerbitas licèt nihil animum Gregorii dejiceret; emoveri tamen tranquillitate suâ paulò pòst videbatur, ubi literas suas, quas ad Imperatorem dederat, à Præfecto urbis interceptas fuisse agnovit. Itaque responsum Mauritii declinaturus, latibula in cavernis toto tri-

(s) Joannes Diac. in vita. L. 1. c. 5. n. 39.

(t) Joannes Diac. l. c. n. 48.

Greg. Tur. l. 10. c. 5.

(u) Joannes Diac. l. 1. c. 5. n. 40.

Gregorii molitiones irritæ ad declinandum Papatum.

(*16) Ex epistola Romani Cleri ad Scotos reddita (cùm Sedes vacaret morte *Severini* Pontificis, electúsque in locum ejus esset *Joannes IV.*, sed necdum consecratus) BARONIUS in Annalibus advertit: post electionem Pontificis, antequam ordinaretur, curam Ecclesiæ fuisse penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, nisi contingeret, ut ex illis tribus unus eligeretur Pontifex; tunc enim quartus substituebatur. Iidem, absente etiam Pontifice, Ecclesiam Romanam administrabant, ut extat in capite 2. Libri diurni Rom. PP. tit. 1.; unde concludit PAGIUS, peculiare privilegium fuisse Gregorii, quòd Clero annuente, necdum ordinatus res administraverit.

(*17) SERARIUS Lib. 2. de Processionibus c. 7. & 8., & CARDINALIS BONA in Tractatu de divina Psalmodia c. 14. §. 4. hic legantur. Cæterùm Litaniæ septiformis à Gregorio indictæ ordo sic describitur in sermone, qui ad populum dictus habetur Lib. XI Registri Gregor. epist. 2., ut per diversarum personarum varias classes sigillatim ex diversis ipsis assignatis Ecclesiis procederent seorsum Clerici, Viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, Fœminæ conjugatæ, Viduæ, Pauperes & Infantes. Harum Litaniarum usus jam vigebat ante Gregorium; nullus tamen certus Author proferri potest, qui Sanctorum Litanias primus invenerit. Vide PAGIUM in Breviario PP. T. I. pag. 342.

triduo captabat, nec antè in lucem prodiit, quàm columnæ fulgentis indicio detegeretur (x). Quo facto, ad S. Petri Basilicam deductus, inaugurationem solennem suscipere cogitur. Consecrato Pontifici Joannes Ravennæ Episcopus eum in modum gratulabatur, ut simul eundem amicè reprehenderet, quòd pastorali officio se subducere conatus fuisset (y). Hâc occasione Gregorius loco epistolæ totum volumen, quod *Pastorale* dicitur, à se compositum remisit; in quo commonstratum ibat, qualis ad Ecclesiæ clavum eligi, quam vitæ rationem inire Præsides, quàm diversâ methodo diversos instruere debeant; unde non aberrare eos, qui onus tantum propiùs contuiti, de viribus suis diffidere instituant.

(x) Idem c. 5. n. 45.

(y) Paulus Diac. n. 14.

Pastorale S. Gregorii.

9. Ut primùm Joanni Ravennati satisfecerat; pro vetere more (z) Patriarchis Orientis suæ fidei professionem misit, in hæc verba scribens: *Sicut sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.... Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola (quæ dicitur Ibæ) erroris plena reprobatur, & Theodorus Personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementi prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata Veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Atque ut porrò Pontifex ea, quæ verbis professus fuerat, opere exequeretur; nil magìs ipse efficere studuit, quàm ne Schismatici Synodo quintæ ultra resisterent. Quare initio statim Severum Episcopum Aquilejensem (qui post damnata antè tria Capitula, subinde suorum vi inclinatus, ad eadem propugnanda mutaverat animum) Romam cum factiosis evocat ad Synodum (a), Decretum Imperatoris exhibens, quo pertinaces obsequi vocanti Pontifici jubebantur. Schismatici his minis nihil admodùm territi, ex Pseudo-Synodo, quam Marani coëgerant, ad Mauritium dant literas (b): & arte subdolâ impetrabant, ne Gregorio prosequi cœpta liceret. Quantumcunque Pon-

A. 591.

Gregorius literas Synodicis mittit ad Patriarchas Orientis.

(z) Joannes Diac. l. 2. c. 1. n. 3. 4.

Professio fidei S. Gregorii.

Gregorius ad pacem incitat Schismaticos, sed frustrà.

(a) Lib. 1. epist. 16.

(b) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 524.

Pontifex summâ libertate ac zelo, Principi rescribere hac super re non cessaret (c); nil tamen obtinuit, Romano Exarcho Papæ conatibus obsistente: ex quo factum, ut Severus jam pervicacior (annuentibus Schismaticis) Patriarchæ nomen sibi sumeret, quod ejus Successores retinuêre usque ad annum MXIX., quo Joannes XIX. illud eis legitimè indulsit cum honoris prærogativa supra omnes Italiæ Episcopos (†).

(c) Lib. 2. epist. 32.

(†) Reflexio VI.

A. 590.

Concilium Hispalense I.

10. Circa Gregorii Pontificis primordia S. Leander Hispali primam coëgerat Synodum: in qua dum de mancipiis, quæ pertinebant ad Ecclesias, item de fuga mulierum extranearum tractatum fuerat; Concilii Præses illud quoque definitum cupiebat, utrùm in Baptismo trinam, aut unam mersionem adhibere hoc tempore conveniret (d)? Quæstioni huic occasionem Ariani in Hispania dederant: hi enim trinâ mersione abutentes, triplicato hoc ritu se tres naturas divinas in tribus Personis profiteri ajebant; unde penes Catholicos Sacerdotes magna turbatio extitit, aliis trinam mersionem pro veteri more, aliis, ut Hæreticis contrairent, unam duntaxat faciendam esse contendentibus. S. Leander ista secum agitans, accipit Gregorium clavo Ecclesiastico præesse: quare Pontifici per literas gratulatus, eidem nunciat, Reccaredum Regem ad Catholica Sacra transiisse: deinde dubium de trina mersione solvi rogat. Gregorius sciscitanti reponebat: *Reprehensibile nullatenus esse posse, infantem in Baptismate vel ter vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari: sed quia nunc usque ab Arianis infans in Baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne, dum mersiones numerant, Divinitatem dividant* (e).

(d) Acta CC. T. III. recent. edit. p. 521.

Leander à Gregorio postulat decidi dubium de trina mersione.

(e) Gregor. l. 1. epist. 43. aliàs 41.

A. 591.

Gregorius Subdiaconos ad continentiam constringit.

11. Annus alter Gregorii labebatur, tum epistolâ ad Petrum in Sicilia datâ prohibuit, ne imposterum quis Subdiaconus ordinaretur, nisi continentiam servare Episcopo spopondisset: conjunctos verò ita manere monuit, ut nulla eis spes esset ad superiorem ordinem ascendendi, nisi ab ea, quam acceperant, uxore se penitus separâssent (f). Subinde eidem Papæ relatum est, Judæos in Galliis violentiâ ad fidem compelli; id autem ne porrò fieret, Arelatensi & Massiliensi Episcopis interdixit (g).

(f) Gregor. l. 1. epist. 42.

Judæos vi ad fidem compelli vetat.

(g) Gregor. l. 1. epist. 45.

Vetus

Vetus in Numidia consuetudo vigebat, ut Episcopus ordinatione antiquior Primas diceretur: ad hunc igitur morem cùm hoc tempore senior Donatista Primatum arriperet; Gregorius lege latâ intercessit, decernens, ut, quod beneficium Catholicis Regulæ Ecclesiasticæ tribuerent, id in Hæreticorum commodum, usúmque minimè proferretur (h). Ex eadem Numidiæ Provincia anno sequente DXCII. Pontifex cognoverat, Donatistas magnâ largitione à Catholico Antistite impetrâsse, ut in ipsius civitate alter Episcopus è Donatistarum secta officio suo fungeretur. Displicuit enimverò irreligiosum facinus Gregorio, & è vestigio Hilarium misit, qui coacto Afrorum Concilio sacrilegum Præsulem exauthoraret (i). Quemadmodùm verò Pontifex justissimus unâ manu plectebat scelera, ita aliâ innocentiam tuebatur: Hadrianus Thebanæ civitatis in Bæotia Episcopus à Coëpiscopis Joanne Larissæo, & Joanne Primæ Justinianeæ ob crimina falsò illi impacta damnatus fuerat: at is suæ causæ confisus, ad Sedem Apostolicam provocabat; cujus sententiâ suæ sedi restitutus, & Judicibus iniquis moderata pœna injuncta est (k). Hanc ipsam Pontificis opem eodem anno experiebatur Honoratus quidam Archidiaconus, quem Natalis Episcopus Salonitanus eâ tantùm de causâ gradu dejecerat, quòd vasa sacra & velamina ejusdem Natalis Parentibus donari ægrè ferret. Judicii iniquitas vindicem mox Pontificis manum provocavit; nam ni Honoratum sceleris purum Episcopus loco redderet, eum usu Pallii & communione privandum minabatur (l). Inter tot Ecclesiæ curas Gregorius id, quod supererat, temporis scribendis in Evangelia Homiliis impendit, quarum nonnullas à se dictatas assistenti plebi per Notarium recitari jusserat, quasdam verò ipse pronunciaverat (m). Laborum ejusmodi præmium Deus largiri visus est, quando eodem anno DXCII. Pontifex Tunicam S. Joannis Evangelistæ inventam, & Romam translatam velut pretiosum thesaurum accepit, *quæ quidem vestes* (ùt Gregorius ipse testatur) *hactenus tantis miraculis coruscare probantur, ut siccitatis tempore foras excussæ pluviam conferant, inundationis verò serenitatem reducant.* (n).

Donatistas à Primatis dignitate arcet.

(h) Gregor. l. 1. ep. 72. 75.

A. 592.

(i) Idem l. 2. epist. 33.

Thebanum Episcopum restituit.

(k) Gregor. l. 2. epist. 6.

Honoratum vindicat.

(l) Gregor. l. 2. ep. 14. 15.

(m) in Præfat. homil.

Tunicam S. Joannis Evangelistæ Romam deferri curat.

(n) Joannes Diac. in vita S. Gregorii l. 3. c. 59.

A. 593.
Joannis Jejunatoris ferociam reprimit.

12. Anno DXCIII. audiverat Gregorius à Joanne Jejunatore Episcopo Constantinopolitano alium Joannem Presbyterum, ac Isauriæ Monachos in Ecclesia palàm fustibus cæsos fuisse; hanc ferociam ut viro ab abstinentiæ laude cæteroquin celebri exprobraret, Sabinianum Diaconum cum literis Constantinopolim abire jubet (o). Necdum controversia hæc cum Episcopo exiverat, etiam cum Imperatore contendendum fuit: vulgaverat ille legem anno DXCII., prohibens, tum ne Curiales, sive publicis rationibus obnoxii in Clerum, vel in Monasteria reciperentur, tum ne, qui militiæ dedissent nomen, monasticæ Professioni adscriberentur; quod Edictum, ubi Gregorius serò acceperat, triplicem Legis partem non eodem animi sensu probavit. Nam primum etsi caput laudaret, propterea quòd, qui sæcularem habitum deferens ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare velit sæculum, non relinquere (p); alterum tamen ita temperari posse censuit, ut in Monasteriis suscipi non possent, nisi qui rationibus obnoxii forent, Monasterium eorum rationes redderet, aut debita solveret. Indigniùs tertium Legis caput Pontifex tulit: nam cùm Imperator militum conversioni moram aut obicem objecisset; erat, cur Gregorius quereretur, cælorum viam, exemplo Juliani Apostatæ, volentibus occludi (q). Post aliquod intervallum nihilominùs Legem Principis, temperatam tamen in Provincias misit (*18). Medias inter has procellas Simeon Junior æternitatis portum subivit: in columna is per octo & sexaginta annos omnibus cæli injuriis expositus, vilibúsque herbis pastus steterat, dum è statione virtútis suæ, in qua

(o) Gregor. l. 3. epist. 53.

Cum Mauritio de Legum Ecclesiæ libertati obsistentium asperitate expostulat.

(p) Idem l. 2. epist. 62.

(q) ibid. l. c. item l. 2. epist. 65.

A. 593.
Simeon Stylita junior.

(*18) GREGOR. Lib. VII. epist. 11.: *Legem, quam misimus, Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militiæ, vel rationibus publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis convertantur, vestræ studui Fraternitati transmittere, hoc maximè exhortans, quòd hi, qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt: quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter, quàm vixerant, vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. Quodsi etiam tales Monasterium petunt; suscipiendi nullo modo sunt, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita; & juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monasticum habitum, Deo authore, suscipere.... Qua de re etiam Christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.*

qua nunquam vacillaverat, in æterna ſtativa transferretur, in templo Dei ſui columna futurus (r). Eundem annum fatalem habuit Natalis Salonitanus, cui probante Pontifice Clerus primò Honoratum ſuffecerat: ſubinde tamen mutato conſilio Maximum quendam pravum hominem non ſine ſimoniacæ labis ſuſpicione ſubſtituendum cenſuit. Quod ubi Gregorius audivit; eos, qui virum ordinâſſent, à communione ſuſpendit (s). Maximus tandem pertinaciæ ſuæ pœnitens, Ravennam vocatus abiit: & poſtquam edito ſuper corpus S. Apollinaris jurejurando ſe à ſimoniaco flagitio immunem præſtiterat, poſt brevem admodùm pœnam etiam à Pontifice in Salonitana Sede firmatus eſt (t). Neque tamen publicis his curis adeò vaſta mens Gregorii abſorbebatur, ut non elucubrationibus privatis intenderet; nam res præclarè geſtas ſanctiſſimorum virorum Italiæ, eorum potiſſimùm, qui ſuâ ætate vixerunt, quas vel ipſe probè ſciret, vel à viris fide digniſſimis accepiſſet, ſollicitè colligens, eaſdem ſubinde quatuor Dialogorum libris complexus eſt (*19).

(r) Evagr. l. 6. c. 23.

(s) Gregor. l. 3. epiſt. 20.

(t) Idem l. 3. epiſt. 81. 82.

Libri Dialogorum.

13. Anno DXCIV. culturam ſuam Sardiniæ potiſſimùm commodavit: cùm enim Calaritanus Metropolita Januarius pro ſimplici ſuo ingenio cuncta negligentiùs ageret; ſuis hortatibus, conſiliíſque virum exſtimulare, aut inſtruere Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem inſtituit (u). Inter cætera verò ſtatuta, quæ præſcripſerat, illud inſigne erat, quo volebat, ut *Epiſcopi baptizatos infantes ſignare bis in frontibus Chriſmate non præſumant: ſed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodùm ungere debeant in fronte.* Obſtrepentibus huic interdicto Sardiniæ Presbyteris Gregorius aliis ad Januarium literis reſpondit (x), *ſe ſecundùm uſum veterem Eccleſiæ feciſſe, quòd Presbyteros Chriſmate tangere eos, qui baptizati ſunt, prohibuerit, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, Presby-*

A. 594.

(u) Gregor. l. 3. epiſt. 9.

(x) Idem l. 3. epiſt. 26.

(*19) PAGIUS in Breviario PP. Tom. I. p. 352. eos quatuor Dialogorum libros elaboratos, anno DXCIII., ſive *Gregorii* Pontificatûs anno IV. ejuſdem Papæ ſæpè in eodem opere teſtificatione certum redditur; dum de peſte agens, quæ urbem vexavit eo anno, quo ipſe Pontifex creatus eſt, ante triennium accidiſſe affirmat Lib. 4. Dialog. c. 16. 36. &c. Iidem Dialogorum libri poſteà à *Zacharia* Papa è Latino in Græcum converſi ſunt, ùt tradit ANASTASIUS in ejus vita.

concedimus (*20). Circa idem tempus Constantina Mauritii Imperatoris conjux in suo palatio Ecclesiam in memoriam S. Pauli construebat; cui ædificio ut præcipuum Gentium Apostoli monumentum inferret, à Gregorio sibi caput Sancti, vel saltem partem corporis mitti flagitabat (y). Sed Pontifex, quò minùs postulatis faveret, causabatur, se terroribus prodigiorum, quæ ad corpora SS. Petri & Pauli in diem coruscarent, absterreri; tum etiam inde, quòd Romanis consuetudo non sit, ut, quando Sanctorum donant Reliquias, de corpore quidquam tangere præsumant;

Caput S. Pauli Augustæ denegat.

(y) Idem l. 3. epist. 30.

(*20) Ex Rescripto Gregorii multi inferunt, Presbyteris (tanquam Ministris extraordinariis) Confirmationis administrationem committi posse. Nam licèt Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 3. definiat, Episcopum esse solum Ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis; ex eo tamen deducitur, Presbyterum posse etiam ex dispensatione esse Ministrum extraordinarium ejusdem Sacramenti. Gregorii dispensationem spectavit posteà Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum cum Ecclesia Latina, ubi quando assignaverat pro Ministro Confirmationis Episcopum, addit; legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, & urgente admodum causâ simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse Chrismatis Sacramentum. Vide plura apud NATALEM ALEXANDRUM in Sæculo II. Dissertat. X. *VERUM* alii ex facto Gregorii id minimè deduci posse contendunt; dicunt enim, Unctionem, quam Gregorius Presbyteris concesserat, Baptismo priorem fuisse, adeóque non Confirmatoriam; in pluribus enim Codicibus & editionibus, qualis est Parisiensis anno 1533, legitur in epist. 36. Lib. 3., qui *baptizandi* sunt, non autem *baptizati*. Alii frontis unctionem (de qua Gregorius) Baptismo quidem posteriorem concedunt, negant tamen, illam esse Confirmatoriam, sed meram ajunt ceremoniam, quam in Ecclesia Romana Presbyteri in pectore adhibere solebant, & Gregorius Presbyteris Sardiniensibus in fronte adhiberi permisit vitandæ offensionis causâ: posterioremque à priori, solo membro diversam fuisse. Ita ESTIUS in IV. Dist. 7. §. 22., tum quia Gregorius usurpatas hactenus à Presbyteris Calaritanis unctiones irritas non declaravit. 2. Quia fideles ejusmodi unctione signatos non monuit, ut Confirmationem legitimam susciperent. 3. Quia solum usum veterem Ecclesiæ Romanæ, non autem Christi Institutionem, nec fidem omnium Ecclesiarum attulit pro ratione suæ prohibitionis epist. nonâ. 4. Quia Presbyteris Calaritanis facilè concessit indulgentiam ad baptizatos in fronte ungendos. Credibile quippe non est, si de Sacramento sermo fuisset, quòd Gregorius usurpatas ab illis Presbyteris Unctiones Episcopales non declarâsset irritas, nec fideles baptizatos monuisset, suscipere legitimam Confirmationem, quam sic uncti non susceperant &c. *Ad ultimum respondent*, non videri, quòd Eugenius ad hoc Gregorii factum respexerit, tum quia INNOCENTIUS III, qui de *Consuetudine* c. *quanto* asserit: *ab Apostolorum tempore fuisse solis Pontificibus reservatum Sacramentum Confirmationis*, vel si respexit Eugenius ad hoc factum, non tam ex suo sensu locutus est, quàm ex eorum Scholasticorum, qui Gregorii factum juxta opinionem suam interpretantur. Cæterùm Pontifex dabat instructionem Armenis, non definiebat: quare inde sequitur, duntaxat Eugenium proposuisse opinionem affirmantem, quasi communiorem & probabilem. CAROLUS quippe VUITASSE *in Tractatu de Sacramento Confirmationis Tom. II. Artic. V. Sect. 1.* probat, de fide non esse, quod Presbyter per Sedis Apostolicæ dispensationem confirmare possit.

sumant; quin id tantummodò licere, ut in pixide brandeum, sive velamen sepulchro impositum mittatur, quod levatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debitâ cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. „ Ne tamen ad preces Augustæ durior Papa videretur; de cæteris, quas ipse S. Paulus in collo, & in manibus gestavit, partem aliquam se transmissurum spondet (*21).

14. Annus DXCV. cæteris turbulentior adeò non turbavit Gregorium, ut etiam inter tot Longobardorum discrimina Commentarios in Ezechielem conscriberet. Flagrante intereà in Italia bello, aliud Pontificem inter & Joannem Episcopum Constantinopolitanum bellum exarsit (z): damnaverat hic temerè erroris Joannem Chalcedonensis Ecclesiæ Presbyterum; cujus acta cùm Antistes Romam mitteret, in ipso volumine per omnem ferè versum se Patriarcham Oecumenicum nominabat (a). Superbiam ejusmodi etsi aliis vicibus Gregorius summâ patientiâ toleràsset; modo tamen nunc præter morem insolenti indignatus, Sabinianum Apocrisiarium monuit, ne Constantinopoli cum Episcopo importunum titulum jactitante (*22) communionem

A. 595. *Homilias in Ezechielem componit.*

(z) Gregor. l. 4. epist. 38.

(a) Gregor. l. 4. epist. 39.

(*21) GREGORIUS epist. 30. Lib. 3.: *Sudarium, quod transmitti jussistis cum corpore* (S. Pauli) *est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia Serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis, quas ipse S. Paulus Apostolus in collo & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere festinabo, si tamen hæc tollere limando prævaluero. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura accipiant, assistit Sacerdos cum lima: & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit: quibusdam verò petentibus diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen, ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.*

(*22) GREGORIUS rationes in variis Epistolis adducit, cur *Oecumenici* nomen ferendum non putet. I. in Lib. 4 epist. 38. *Nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne sibi in Pontificatûs gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegâsse videretur.* Hâc significatione Ecclesia dicitur Universalis, extra quam nulla potest Ecclesia. II. Lib 5. epist. 1. addit: *Nunquid non (sicut vestra fraternitas novit) per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo dispensante deservio, Universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit,...* quia nemo eorum Pater totius mundi dici patiebatur, cui reliqui omnes subessent ùt filii, & non ùt

Increpat Joannem Episc. Constantinopol. ob usurpatum Universalis *nomen.*

(b) Joannes Diac. in vita l. 4 c. 58.

(c) Gregor. l. 5. epist. 15. 16. 17.

Synodus Romana.

(d) Gregor. l. 4. epist. 44.

nionem haberet: ac ne minùs pœnis, quàm exemplo virum coërceret, Pontifex in literis se *Servum servorum Dei* deinceps scribere cœpit (b). Inter hæc modestiæ studia Gregorius viginti duos Episcopos cum triginta quatuor Presbyteris Romæ in Synodum vocat, & cognitâ Joannis Presbyteri causâ, eundem omni erroris suspicione absolvit (c): dein cum congregatis Patribus in sequentes Canones convenit: nempe, ut Corpora Romanorum Pontificum sine tegmine deferrentur ad sepulturam (*23), ut quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, ministerio cubiculi Pontificalis non modò obsequantur, sed & testes tales sint, qui vitam ejus, qui in loco regiminis est, secretâ conversatione videant. Præterea antiquam Patrum Regulam secutus decrevit, ne quis pro ordinationibus, aut pro concesso Pallii usu, vel traditione Chartarum, neque ex ea, quam nova simulatio invenit, appellatione Pastelli aliquid accipiendum constituat: sicut enim Pontificem non decet, manum, quam imponit, vendere; ita Minister vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamum venumdare (d). Primus, qui hoc præceptum impleret, ipse Legislator fuit: is enim eodem anno Marinianum

ùt fratres, & in administratione Collegæ. III. Alia nominis ejusdem significatio erat, quòd remanentibus partibus integris, unus Universalis cæteris velut subditis præemineat, quam notionem Pontifex pariter aversatus, vetuit, ne Patriarcharum quis alteri se anteponeret. Per hoc tamen à suo jure supremo Pontifex nihil remisit, ut qui facto & curâ totius Ecclesiæ universali Oecumenicus esse malebat, quàm dici, quod colligitur ex Privilegio concesso S Medardi Monasterio, ubi ait: *Hæc Sedes Romana speculationem suam toti orbi indicit, & novas Constitutiones omnibus mittit*; quin ipse Joannes Constantinopolitanus subditum se agnovit Romano Pontifici, ut qui Acta Joannis Presbyteri Romam discutienda misit. IV. ratio erat, cur à titulo *Oecumenici* Pontifex abhorreret, quia in dies novos titulos, nováque jura sibi vindicabant Patriarchæ Constantinopolitani, qui & de subditis aliorum Patriarcharum judicarent, ac ipsisinet Patriarchis terribiles se exhiberent, & Romano Pontifici sæpè resisterent, quod postea contigit: rectè præsagiebat Gregorius, futurum scilicet, ut Patriarchæ Constantinopolitani favore Imperatorum nixi, primum quidem honoris locum Papæ concederent, ejus verò jurisdictioni subesse nollent, sicque instituta à Christo solveretur Hierarchia; hinc in epist. 19. ad Sabinian. ait: *In isto scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quàm fidem perdere.*

(*23) PAGIUS ad Can. Romanæ Synodi ita commentatur: "Dalmaticis olim tegebantur Pontificum corpora, quas Dalmaticas populus postea inter se partiebatur, & loco Reliquiarum asservabat; quare voluit Gregorius, ut è corporibus Apostolorum ac Martyrum velamina potiùs populus acciperet; quo præcepto cavit Pontifex, ne post mortem coleretur ùt Sanctus.

nianum Ravennatem consecrabat, ac Pallii honore impertiebatur, quin pretium admitteret, illud duntaxat inculcans, ne eodem alibi, quàm in propria civitatis suæ Ecclesia uteretur, procedens à Salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda; extra Ecclesiam verò non ampliùs, nisi quaternis vicibus in anno, ídque in Litaniis adhiberet (e).

Pro ordinationibus, & pro pallio aliquid accipi vetat.

(e) Idem l. c.

15. Qui Italicis rebus hâc ratione prospexerat Pontifex, idem eodem tempore aliis Ecclesiis suam quoque impendebat curam; & in Gallia quidem anno DXCV. Virgilium Arelatensem (*24), rogante Childeberto Francorum Rege, Pallio donabat, ut hoc insigni ornatus, vicariam Pontificis potestatem per ejusdem Regis ditiones administraret, convocaret consilia, & omnes causas (si majores, & quæ fidem spectant, excipias) defi-

Arelatensi Episcopo vices suas in Galliis demandat.

Ffff 2

(*24) GREGORIUS Lib. V. epist. 53. Virgilio Arelatensi scripsit: *Juxta morem antiquum, usum Pallii, & vices Sedis Apostolicæ postulâsti,.... libenti animo postulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filii nostri Childeberti Regis petitionem contempsisse videamur* &c. *Pallium* gestare in Missarum solemniis, primò pertinuit ad solos *Patriarchas*, qui post ordinationem illud altari impositum assumebant, & posteà ejus usum concessêre *Metropolitis*, non tamen omnibus, nisi successu temporis. Viennensi enim negavit Gregorius, dum probaret, suis Decessoribus fuisse concessum. Demum *Episcopis*, & quidem omnibus in Oriente, paucis verò in Occidente. Quâ verò institutione vel concessione id factum sit, satis non liquet, variantibus opinionibus. Primum Pallii à Romano Pontifice dati monumentum habemus in Symmachi epistola ad Theodorum Laureacensem Pannoniæ Metropolitanum; PALLIUM verò hoc SACERDOTALE duo dixit, vestem illam, quâ Sacerdos utitur in Missarum solemniis, & fasciam laneam colore niveo, tribus digitis latam, & in circuli modum contextam, cui annexæ sunt & duæ cruces rubeæ, & fasciolæ totidem crucibus insignes. Ita apta est ad humeros, ut ex crucibus una humero dextero immineat, sinistro altera; ex ea pendent aliæ duæ fasciolæ, quarum anterior ante pectus, posterior intra humeros demittatur. Tribus aut aciculis aut spinulis alligatur, sive cappæ, sive Casulæ, ut cruces singulis partibus respondeant. Primis temporibus, dum Pallium perpaucis datum est, tum missa est vestis integra, hoc est, Casula & fasciolæ; ubi verò concessum est pluribus non solùm Metropolitanis, sed etiam Episcopis, tum sola missa est fascia, quam priùs Subdiaconi portant ad Basilicam Principis Apostolorum, & per Canonicos ponitur super corpora Petri & Pauli Apostolorum sub altari majori, ubi factis ex more vigiliis ibi per noctem dimittunt; deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto conservant, donec mittantur &c. Cum Pallio sæpè magna jura concessa sunt, etiam vicaria potestas, ùt Arelatensi in Gallia, & Thessalonicensi in Illyrico; sed alia aliis majora pro Romani Pontificis arbitrio. Modernum verò Pallium ab antiquo differt, sicut modernæ Casulæ differunt ab antiquioribus, quæ etiamnum in quibusdam Cathedralibus asservantur, erántque instar Pallii longioris ex omni parte clausi, reductis ad cubitum fibulæ lateribus, ut usus manuum liber esset. Ita breviter DU MESNIL L. 30. Doctr. & Disciplin. Eccl. T. III. pag. 341. Nos idem argumentum *de usu & authoritate Pallii* alibi latiùs tractabimus.

(f) Vide Pagium in Brev. T. I. p. 362. Conferatur Marca l. 6. c. 19. n. 9.

(g) Gregor. l. 5. epist. 53.

(h) Idem l. 6. ep. 5. 6.

(i) Beda l. 1. Hist. c. 4.

(k) Joannes Diac. in vit. l. 1. c. 21.

Gregorii sollicitudo pro Anglorum conversione.

A. 596.

(l) Legatur Alfordi in Annal. Eccl. Angl. ad an. 596. n. 15. 16

Apostolos fidei in Angliam mittit.

(m) Beda hist. l. 1. c. 25.

definiret (f). Interjecto spatio Candidum cum literis ad eundem Virgilium Gregorius misit, qui moneret eum (g), ne deinceps Neophyti, aut rudes rerum Ecclesiasticarum cathedras Episcoporum raperent: & quoniam Pontifex illâ tempestate jam Patrimonium Petri in Gallia habebat, id ut à Rege curaretur, eidem pro dono claves S. Petri (in quibus de limatura Catenarum ejus parva portio inclusa esset) consignari fecit (h). His peractis, Gregorius omnem operam in convertenda ad fidem Anglia posuit: nam etsi Papa Eleutherus in Sæculo II. huic Regno jam providisset (i), quando Fugatius & Damianus Lucium Britonum Regem ad Christi lucem traduxêre; in medio tamen Sæculo quinto ab irrumpentibus Anglis & Saxonibus Insulæ rursus Idolomania invecta est. Primus, quem Britonum salus sollicitaret, Gregorius erat: hic enim adhuc Diaconus cùm in Romano foro venales Anglos videret (k), indoluit, sub pulcherrima puerorum facie turpissimum diaboli characterem latere; atque inde conversioni Gentis dedisset operam, si voluntati pares vires respondissent. At posteà potestate supremâ Pontificis auctus, id, quod dudum animo conceperat, exequi decernit. Annus DXCVI. labebatur, quando Augustinum cum pluribus Monachis (l) ad annunciandum Anglis Evangelium misit: vix hi iter imperatum susceperant, tum parum aberat, quin inerti timore perculsi remearent; sed à Gregorio ad majorem fortitudinem accensi, per Gallias in Britanniam veniunt: illinc per interpretes suos Gallos Ethelberto Anglo-Saxonum in Cantio Regi nunciari jubent, se Româ profectos nuncium ferre optimum (m), qui sibi obtemperantibus æterna in cælis gaudia, & Regnum sine fine cum Deo vivo sine ulla dubitatione promitteret. Rex (cujus conjux Bertha, eáque Christiana de Francorum stirpe nata erat) de Christiana Religione aliquam jam notitiam hauserat; quare Legatos in Taneto Insula exspectare jussos, posteà ipse convenit: ac ubi incedentium pompam (nam crucem cum imagine Salvatoris ferebant, Litanias cantantes) non sine admiratione aspexerat; jucundo animi sensu de doctrina divina loquentes audivit. Ne tamen Rex à patriis ritibus ad peregrina sacra transiliisse diceretur; Dorovernіæ Legatos consistere voluit, dum, quid

quid facto opus, secum penitiùs expendisset. Illi doctrinæ vitam Apostolicam, ac prodigiorum mirabilem vim intereà sociantes, cunctantem Regem, multósque subditos ad fidei lucem propiùs pertraxerunt (n). Anno insequente Augustinus in Galliam reversus, ab Arelatensi Virgilio Episcopus creatus est (o); unde relecto in Insulam itinere, Ethelbertum Cantiorum Regem unà cum decem Anglorum millibus in die natali Domini baptizavit (p). Ab hoc tempore messis tam copiosa evasit, ut Augustinus ad Gregorium datis literis plures operarios rogitaret, qui paucis laborantibus manus jungerent. Pontifex hoc nuncio recreatus, è vestigio Mellitum, Justum, Paulinum, Rufinianum, multósque alios in Angliam ire jubet: atque ut, quæ ad cultum, ministeriúmque Ecclesiæ necessaria sunt, minimè deessent; suppeditabat vasa sacra, altarium ornamenta, & indumenta Clericis ac Sacerdotibus propria: his porrò apposuit Ss. Apostolorum ac Martyrum Reliquias, & Codices plurimos, è quibus sanam doctrinam populo prælegerent (q). Non sine fructu ista adjumenta fuisse, paulò pòst compertum est; ita enim Christianorum multitudo in dies augebatur, ut varios jam Episcopos per Angliam constitui necesse esset, quos omnes Pontifex Augustino, velut Sedis Apostolicæ Vicario ac Metropolitæ, subjecit (*25).

(n) Idem c. 26.

A. 597.

Augustinus plurimos Anglos ad fidem deducit.

(o) Beda l. 1. c. 27.

(p) Gregor. l. 7. ep. 30.

(q) Beda l. 1. c. 29.

Episcopatus in Anglia constituti.

16. Intereà Joannes Jejunator fato suo functus est (r); cui Cyriacus Presbyter successit. Sub initium hic ambire communionem Papæ videbatur; refrixit verò non parùm conatus ille, ex quo Gregorius Cyriacum urgebat, ut infestum Oecumenici titulum seponeret. Quare Papa Sabinianum Apocrisia-

(r) Theophyl. l. 7. c. 6.

Cyriacus successor Joannis Jejunatoris litem de Oecumenici *nomine renovat.*

 rium

(*25) GREGORIUS Lib 11. epist. 55. ad Augustinum: *Usum tibi Pallii ad sola Missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subjaceant: quatenus Londoniensis civitatis Episcopus semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris Pallium ab hac sancta & Apostolica Sede percipiat. Ad Eboracam verò civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinandum; ita ut, si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipsa quoque duodecim Episcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur; quia ei quoque Pallium tribuere disponimus, quem tamen Tuæ Fraternitati volumus dispositioni subjacere* Adverte, Gregorium subinde mutasse sententiam, & qui Londoniensi civitati Metropolitæ sedem destinârat, hanc Cantuariæ deinceps adscriptam voluit.

rium Constantinopoli avocat, & Anatolio, quem priori suffecerat, injungebat, ut à Cyriaci communione abstineret. Id cùm turbas non exiguas in Oriente, atque in ipso palatio Imperatoris cieret, reposuit Gregorius (s): Siquidem unum Episcopum Universalem vocari deceret, Universam Ecclesiam collapsuram, si unus Universalis caderet. Præthereà Imperatori testabatur Pontifex, aliud esse, quod conservandæ unitati fidei, atque aliud, quod deberet compescendæ superbiæ: itaque se fidenter dicere ajebat, eum, qui se Universalem Sacerdotem vocaret, in electione sua præcurrere Antichristum, eoquòd superbiendo se cæteris anteponeret.

(s) Gregor. l. 7. ep. 4.

17. Post Orientis curas Gregorius Galliam excolendam putavit. Brunechildis à Pontifice Pallium Syagrio Augustodunensi Præsuli dari petierat: sed ne precibus daret locum (t), duplex causa erat; tum quòd Syagrius schismatis labe inficeretur, tum etiam, quòd supplicatione speciali Pallium exorare idem Episcopus neglexisset (*26): his si satisfecisset, se Pallii dignitatem imperiturum respondebat. Eodem tempore Cyriacum ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit cum literis, quibus eundem reprehendebat, quòd, cùm nonnullos aspexisset adoratores imaginum, easdem in Ecclesia confractas projecisset (u); indignum facinus ex eo autem maximè reprobabat, quòd frangi non debuerint effigies, cujusmodi non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodò mentes nescientium fuerint collocatæ (*27). A Massilia digressus Cyriacus Pontificis Legatus,

(t) Gregor. l. 9. ep. 11.

Cunctatur Syagrio dare Pallium, & cur?

(u) Gregor. l. 9. ep. 105.

(*26) GREGORIUS Lib. VII. epist. 5. anno 597. datâ: *Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat.* Posteà tamen Gregorius III. sancto BONIFACIO, *qui minimè petiit, Archiepiscopatûs Pallium direxit*, ùt scribit OTHLONUS in ejusdem *Bonifacii* vita Lib. I. cap. 26. apud *Mabillonium* Sæc. III. Bened. P. II. Vide hìc PAGIUM in Breviar. PP. Tom. I. p. 363.

(*27) S. THOMAS II. 2. Q. 94. a. 2. explicat S. Gregorii mentem: "Sanctorum imagines non absolutâ adoratione, etiam inferiori, sed respectivâ tantùm possunt & debent adorari: sed adorari non dicuntur propriè, nec dici consueverunt antiquo usu;" nam sanctus Gregorius ait: *Aliud est, picturam adorare; aliud, per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere.* Plura de cultu imaginum vide apud eundem Gregorium Lib. 9. epist. 52.

gatus, Arelatem venit (x), ubi Virgilio Gregorii nomine leges multas de simoniacæ labis exterminio, de arcendis à consortio Clericorum mulieribus reliquit; quo facto, idem Legatus Gregorii in Hispanias transiit, Reccaredum Regem, & Catholicæ Ecclesiæ novum Alumnum excepturus (y): cui ubi pro sacro dono clavem S. Petri, cum ferro ex ejusdem catenis abraso Cyriacus dederat, Leandro Hispalensi Episcopo, & conversionis Regiæ Authori Pallium (jubente Gregorio) tradidit. Cæterùm Hispania ut beneficia sibi à Pontifice impensa grato obsequio pensaret; sub finem Sæculi sexti varia Concilia pro restauranda disciplina celebravit: nam *Cæsar-Augustæ* anno DXCII. decem Episcopi tres Canones ediderunt de Sacerdotibus ab Ariana hæresi redeuntibus (z). Anno DXCVIII. *Oscæ* in Arragonia pro Clericorum castimonia præscriptæ Regulæ (a), & anno DXCIX. *Barcinone* congregati Episcopi contra simoniacas promotiones quatuor Canones velut totidem fulmina procuderunt (b). Non minorem sollicitudinem Gregorius in curandis Africæ rebus habuit: Donatistarum furor, favente Patricio Catholico, eò proruperat, ut Catholicos rebaptizarent, Episcopósque de suis ejicerent Ecclesiis; quare Pantaleoni Africæ Præfecto scripsit, ut eorum audaciam comprimeret: dein Mauritium admonuit Imperatorem de Gennadii prævaricatione, quibus mediis Papa procellam composuit (c).

(x) Idem l. c. ep. 106. 107. 109.

(y) Idem l. c. ep. 121. A. 598. 599.

Synodus Cæsar-August.

(z) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 533.

Synodus Oscensis.

(a) Ibidem p. 535.

Synodus Barcinon.

(b) Ibidem p. 537.

Africanas res componit.

(c) Gregor. l. 4. ep. 32. 35. l. 5. ep. 5. l. 6. ep. 37. 63. l. 9. ep. 59.

18. Dum hæc pro exteris Provinciis Gregorius agitabat, divino afflatus Spiritu (*28); non destitit Romæ lucubrationibus piis ordinare ea, quæ ad Missarum solennia pertinerent (d), Episcopis varia dubia proponentibus respondere, celebrare Synodos. Quibus laboribus peractis, Pontifex æquè de Republica civili, atque Ecclesiastica optimè meritus, inter acutissimos podagræ cruciatus ad immortalem vitam transiit die XII. Martii Anno

Reliqua Acta S. Gregorii.

(d) Vide Sacramentarium P. Gregorii.

(*28) JOANNES DIACONUS in vita Lib. IV. cap. 69. scribit de Petro Diacono (cum quo Sanctus quatuor Dialogorum libros disputaverat) quod testatus fuerit, *super caput ejus* (Gregorii) *se Spiritum Sanctum in similitudine columbæ tractantis frequentissimè prospexisse.*

A. 604. *Pius obitus S. Gregorii.* no DCIV., poſtquam Sedem Apoſtolicam tenuiſſet annos tredecim menſes ſex, dies decem. Sepultus in Baſilica S. Petri (*29), ſed pars Reliquiarum poſteà ad Sueſſionenſe S. Medardi Monaſterium translata eſt (e). Epitaphium Pontifici poſitum Beda exhibet, & res geſtas Gregorii in breve compendium relatas ita digerit, ut fidem quibusdam narrationibus tribuendam nolit, inter quas illam meritò recenſeas, quæ Trajanum precibus Gregorii ab inferis protractum fabulatur (*30).

(e) Pagius in Brev. PP. in V. n. 70.

(*29) JOANNES DIACONUS Lib. 4. c. 68.: *Corpus* (Gregorii) *in extrema porticu Baſilicæ S. Petri Apoſtoli, ante Secretarium tunc antiquiſſimum, quo* alii Pontifices *tumulati ſunt, ſepultum eſt.* c. 80. *Pallium ejus & Phylacteni,* ſeu crux pectoralis Reliquiis referta, *ſed & baltheus ejus* diligenter conſervata ſunt: *quæ conſiderata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitûs, & ſpeciem regularis propoſiti ſignis perſpicuis repræſentabant. Ex Ejus balthei exilitate eum ſervâſſe S. Benedicti Regulam, quam laudavit,* colligit Joannes Diaconus c. 83. *Cæterùm* (Gregorii) *ſtatura erat juſta, & benè formata, & cum rotunditate quadam decentiſſima deducta, barba ſubfulva & modica: ita Calvaſter, ut in medio frontis gemellos cincinnos haberet, corona rotunda & ſpatioſa, capillo ſubnigro, & decenter intorto: fronte ſpecioſâ, elatis & longis, ſed exilibus ſuperciliis: oculis pupillâ furvis, non quidem magnis, ſed patulis, ſubocularibus plenis, naſo circa medium latiore, dein paululùm recurvo.... ore rubeo, & ſubdividuis labiis, colore aquilino & vivido, vultu mitis. Prætereà planeta ſuper Dalmaticam caſtanea, Evangelium in ſiniſtra, modus crucis in dextra, pallio mediocri, à dextro humero ſub pectore ſuper ſtomachum circulatim deducto* &c.

(*30) JOANNES DIACONUS Lib. II. cap. 44. in vita ſcribit, Trajano Imperatori ad bellum feſtinanti, viduam quandam obviam proceſſiſſe in hæc verba fletu mixta clamantem: *Filius meus innocens, te regnante, peremptus eſt, obſecro, ut, quia mihi eum reddere non vales, ſanguinem ejus legaliter vindicare digneris. Cúmque Trajanus, ſi ſanus reverteretur à prælio, hunc ſe vindicaturum reſponderet; vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præſtabit? Trajanus dixit: Ille, qui poſt me imperabit. Vidua dixit: Et tibi quid proderit, ſi alter mihi juſtitiam fecerit?... Tunc Trajanus pariter ratione, pietatéque commotus, equo deſcendit, nec antè diſceſſit, quàm judicium viduæ per ſemet imminens profligaret. Hujus ergo manſuetudinem Judicis, aſſerunt Gregorium recordatum, ad S. Petri Baſilicam perveniſſe, ibique tamdiu ſuper errore Clementiſſimi Principis defleviſſe, quouſque reſponſum ſequenti nocte accepiſſet, ſe pro Trajano fuiſſe exauditum, pro nullo ulteriùs pagano preces funderet.* Hanc narrationem BARONIUS ad annum 504, & NATALIS ALEXANDER Sæc. II. Diſſert. I. ùt fabuloſam explodunt. De quo argumento vide Hiſtoriam noſtram Univerſalem in Tom. I. p. 462.; quibus ex Gregorii Lib. 7. epiſt. 15. hoc addo, quòd Pontifex cùm audîſſet, Cyriaci Conſtantinopolitani Epiſcopi Legatos hanc propoſitionem fudiſſe, " JEſum Chriſtum ad inferos deſcendentem, omnes, qui illic confiterentur eum Deum, ſalvâſſe, atque à pœnis debitis liberâſſe. „ *De qua re* (reſcribit ad eoſdem Gregorius) *volo, ut Charitas veſtra longe aliter ſentiat Deſcendens quippe ad inferos, ſolos illos per ſuam gratiam liberavit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. Conſtat autem, quia poſt Incarnationem Domini nullus etiam ex his ſalvari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent* &c.

REFLE-

REFLEXIONES HISTORICO-ECCLESIASTICÆ AD CAPUT II. LIBRI VI.

REFLEXIO I. ad §. I. Num. 4. pag. 486.

Quibus ex causis Ecclesia Henoticon Zenonis abominata sit?

1. QUantò optatius Ecclesiæ Catholicæ semper fuit, eâ frui pace, quæ membra in unum corpus perpetuo fidei, Religionísque vinculo consociat; tantò cautiùs ab illo concordiæ, pacísque genere fidelium congregatio abhorruit, quod à fraudum fabricatoribus effictum, & omni bello nocentius fidei unitatem scindit, aut penitus labefactat. Concordiæ ejusmodi fucata species erat, quam Zeno Imperator, ultra potestatis suæ limites provectus, in Ecclesiam inducere laborabat. Nam cùm Synodus Chalcedonensis infestis ubique animis oppugnaretur, Zenonis suâ interesse voluit, Edictum aliquando evulgare, cujus argumento etsi dissidentium studia delinire maximè cuperet; adeò tamen non composuit, ut rem Catholicam majoribus turbis, motibúsque implicaret.

Veram pacem & concordiam, non fucatam amat Ecclesia.

2. De Lege ipsa Conciliatrice, ab Imperatore ad Alexandriæ, Ægypti, Lybiæ, ac Pentapolis Episcopos perscriptâ, antequam sententiam feramus, ejus verba concepta ex Evagrio huc transferemus (a): *Quoniam* (ait Zeno Imperator) *pro certo scimus, Imperium nostrum à sincera solùm & vera fide tum initium habuisse, tum stabilitum esse, tum robur, ac præsidium, quod expugnari nequit, ex ea sumpsisse (quam quidem fidem divini Numinis instinctu trecenti decem & octo sancti Patres Nicææ congregati exposuerunt, quam etiam confirmârunt 150. Ss. PP. Constantinopoli coacti) noctes, diésque non precibus solùm, sed studio omni, & legibus sancitis laboravimus, utì ea in sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia, quæ ubique terrarum est, quæque immortalis, & sempiterna nostri Principatûs quasi parens est, plenè, perfectéque expleatur: piúsque Dei populus in pace, & divina concordia perseverans, gratas, acceptásque precationes unà cum sanctissimis Episcopis & Clero pietati deditissimo.... Deo pro nostri Imperii conservatione offerat..... Jam igitur cùm constet inter omnes, nos, Imperiúmque Romanum sinceræ fidei subsidio conservari: afferuntur nobis libelli supplices à piis Monasteriorum Præfectis,... qui nos vehementer obtestantur, ut sanctissimis Ecclesiis*

(a) Evagrius l. 3. c. 14.

Henoticon, sive Epistola Conciliatrix Zenonis Imperatoris.

Zeno in suo Decreto Unitivo vel Henotico affectat pacem.

ſiis reſtituatur concordia, membráque membris conjungantur, quæ hoſtis probitatis (dæmonium) longiſſimo temporis ſpatio dirimere pro virili laboravit: pro certo perſuaſus, ſi corpus Eccleſiæ concordiæ vinculis firmè cohærens inpugnaret, ſe ſuperatum iri..... Quocirca dedimus operam, ut vos intelligatis, tum omnes ubique Eccleſias non aliud ſymbolum, vel doctrinam, vel deciſionem fidei, vel fidem, quàm S. Symbolum (de quo diximus) trecentorum & octo Epiſcoporum, quod centum quinquaginta Patres.... confirmârunt, aut habuiſſe, aut habere, aut habituros eſſe, aut ſcire alios habere. Quodſi quiſquam aliud habeat, eum alienum ab Eccleſia exiſtimamus...... Idem quoque aſſenſi ſunt Ss. Patres in Concilio Epheſino congregati, qui impium Neſtorium, & ejus erroris fautores Miniſterio Eccleſiaſtico abdicârunt. Cui etiam unà cum Eutychete (uterque enim fidei decretis, quæ diximus, repugnat) anathema denunciamus, approbamúsque ea, quæ duodecim capita dicuntur Cyrilli.... Nam confitemur, Unigenitum Dei Filium D. noſtrum J. C. verè incarnatum eſſe, conſubſtantialem Patri ſecundùm Divinitatem, ſecundùm humanitatem nobis conſubſtantialem, deſcendiſſe de cælo, carnem ſuſcepiſſe à Spiritu S., & Maria Virgine Deipara: Unum eſſe, non duo. Unius enim eſſe dicimus, & miracula, quæ edidit, & paſſiones, quas in carne ſuſtinuit. Eos autem, qui eum dividunt, aut naturas ejus confundunt, aut carnem ſuſcepiſſe imaginariam introducunt, omnino rejicimus. Quippe Incarnatio ſine labe peccati ex Deipara reverà facta, acceſſionem alterius filii non effecit. Nam manet Trinitas, etiam cùm una Trinitatis Perſona, nempe Deus Verbum, incarnata ſit. Quare cùm exploratum habeamus, tum omnes ſanctas ubique & orthodoxas Eccleſias, tum earum Præſides Deo cariſſimos, tum noſtrum Imperium nullum aliud ſymbolum, aliámve fidei deciſionem, præter ſymbolum, de quo ſumus modò locuti, vel admiſiſſe, vel admittere velle; abſque ulla hæſitatione nos ad concordiam reducemus. Iſta quidem certè vobis ſcripſimus, non ut novaremus fidem, ſed ut vobis de fide penitus perſuaderemus. Cuique autem, qui aliud quiddam vel ſenſerit, vel ſentiat, ſeu jam, ſeu aliàs, ſeu in Concilio Chalcedonenſi, ſeu in alio quovis Concilio, anathema indicimus, maximè verò omnium Neſtorio, Eutycheti, & illorum doctrinæ fautoribus &c.

Zenonis fidei velata profeſſio.

De Chalcedonenſi Concilio & Epiſtola Leonis ad Flavianum primò aſtute ſilet Imperator.

Idem poſtremò Chalced. Concilio videtur indicere anathema.

3. Vix Lex tot vallata præſtigiis exierat in lucem; tum Orientales Epiſcopi præter paucos (b), per Zenonis Henoticon communione, atque Petri Alexandrini, & Acacii Conſtantinopolitani Epiſcoporum conſenſu polluti, Synodo Chalcedonenſi renunciabant. Ac licèt plurimi cæco impetu ad Legis iſtius amplexum proruerent, *omnéſque alii Patriarchæ Zenonis Henotico conſenſiſſent*; *ſolus* tamen *Romanæ Urbis Epiſcopus Felix communicare ei noluit* (c). Theodorus Lector cùm à Pontifice repudiatum omnino Imperatoris Henoticon ſcriberet; facti hujus cauſam apertiùs apponere omiſit: quare poſteris Scriptoribus occaſio data eſt, in duplicem abeundi ſententiam. Alii enim ex eo Henoticon proſcriptum fuiſſe

(b) Victor Tununenſis in Chronico.

(c) Theodorus Lector l. 2. Hiſt. Eccl.

Pontifex rejicit Henoticon.

fuisse ajunt, quod hæresin contineret: alii verò Edictum Zenonis ab hæresis labe vindicant; æquas tamen rationes aliis ex fontibus afferunt, cur Legem eandem à Piis quibusque meritò rejectam confirment.

4. Inter primæ sententiæ Patronos præcipuus est Baronius (d), qui cùm Acacium Constantinopolitanum Episcopum objurgâsset, quòd Zenoni in eandem impietatem prolabenti minimè obstitisset, quin potiùs Henoticon suadendo, aut dictando impulisset; tum conciliatriculæ hujus legis tristes eventus Acacio in hunc modum oggerit: "Vidisti fidei naufragium, Ecclesiarum ruinam, cladem infelicium Orthodoxorum, sacrorum Canonum abrogationem, sancitam tacitam abdicationem Synodi Chalcedonensis, inversa jura, eversa Catholica dogmata, affectos ignominiâ Patres, irrisas traditiones Ecclesiæ, Apostolicam læsam authoritatem, spretam Sedis Pontificiæ Majestatem, pessumdatam funditùs Christianam Religionem, exturbatámque penitus Ecclesiasticam disciplinam, dum laicus homo fidei decreta sancit Episcopis, & claves potestatis suffurans latro, in non obtemperantes anathema violentus intorquet „ (e). Ac ne Annalium Parens hæc de sua penu deprompsisse dicatur; Liberati testimonium hìc adjungere placet (f): *Ubi* (inquit) *ad plenum detectus est Acacius Hæreticus, Papa Felix in literis suis Synodicis ad Acacium sic posuit: Peccâsti, ne adjicias, & de prioribus supplica.* Non absimili censurâ Hormisdas Pontifex Acacium Henotici authorem configit: *Nonne ille est Acacius*, ait, *qui cæno Petri* (Mongi) *Dioscori & Eutychetis dogmate & communione pollutus, dum copularetur, immersus est* (g)?

(d) Baron. in Annal. Eccl. ad an. 482. n. 31.

Baronius Henoticon ideo repudiatum putat, quia hæresin continebat.

(e) Idem l. c. n. 32.

(f) Liberatus in Brev. c. 18.

Argumenta, quæ Baronii opinionem stabilire videntur.

(g) Hormisdas epist. 11.

5. Postquam in Episcopum Baronius ita detonuerat; multo graviùs Zenonem aggreditur, quòd legem ab Acacio in secreto cubiculo procusam voce Præconis promulgârit. "Considera (ait) velatam fraudem, simulat se Imperator cum Nestorio damnare etiam Eutychetem, quo doceret, se non esse Hæreticum, qui authorem hæresis Eutychetem condemnet. At nunquid satìs ad hæresis proscriptionem unius potuit esse damnatio, quæ quamplurimos habuisset acerrimos defensores? Cur non cum Eutychete hæresin quoque ipsius, & omnes, qui eam secuti sunt, vel sequerentur, pariter condemnavit? & cùm scribat Henoticon illud ad Alexandrinos, cur ne verbum quidem habuit de damnatione Dioscori Eutychiani erroris antesignani? Satìs igitur, puto, intelligis, sanctionem pacis, & reconciliationis edictum intra se gladios occultos occuluisse ad necem Orthodoxorum, & propinatum aureum calicem Babylonis intus continuisse blasphemias (h). De Zenone quidem illud dixerim, atque firmiter asseveraverim: ex his, quæ præcesserunt Imperium, & quæ posteà sunt subsecuta, satìs ostensum fuisse, ipsum semper Hæreticum, illorúmque patrocinium modò palàm, modò clam suscepisse: ad breve autem temporis spatium, ut à Basilisci tyrannide sibi

(h) Baron. ad an. 482. n. 32.

Imperium vendicaret, se simulâsse Catholicum; atque tamdiu eam superinductam larvam pietatis præ se tulisse, quoadusque ipsum cerneret esse firmiter stabilitum: exuisse autem illam postmodum, ubi ex sententia prosperè cuncta se viderit consecutum „ (i). Neque in alteram sententiam Ecclesiam ivisse inde statuas, si ex Historia ipsa legeris, omnes, qui Henotico subscripserunt, damnatos, & Zenonem post mortem ex sacris Diptychis totius Ecclesiæ consensu expunctum fuisse (k).

(i) Idem l.c. n. 33.

(k) Baron. ad an. 491. n. 5.

Altera sententia probabilior, quæ docet, Henoticon non esse rejectum ex causa hæresis, sed ob alias rationes.

6. Hæc argumenta quantumcunque pondus habere videantur, ad hæresis labem tum Henotici authoribus, tum etiam Henotico ipsi imprimendam; firmiora tamen alii monumenta afferunt, quibus suspicionem hæresis ab hac lege omnino depellunt. Nam præterquam quòd Henoticum Zenonis Eutychianam hæresin nuspiam adstruat, tum etiam fidem duarum in Christo naturarum à Chalcedonensibus Patribus assertam, conceptis verbis propugnat: ac ne dubitare quis de mente Zenonis possit, ipse Imperator post evulgatum jam Henoticon, ita Felici Pontifici scriptâ epistolâ testabatur: *Pro certo habere debes, & Pietatem nostram, & suprà memoratum Sanctissimum Petrum, & universas sacrosanctas Ecclesias, sanctissimum quoque Chalcedonense Concilium amplecti, atque venerari, quod cum fide Nicæni Concilii prorsus consentit* (l).

(l) Evagrius l. 3. c. 20.

Veræ rationes deducuntur, ex quibus Ecclesia meritò Henoticon abominata sit.

7. Neque tamen ex his statuas, ab istarum partium Patronis Henoticon probari: aperto enim hæresis vitio licèt Henoticon absolvant; non tamen aliis maculis liberant, ob quas eandem Zenonis legem ab Ecclesia meritò rejectam affirment. Ac *primò* quidem negant, hanc potestatem decernendi de fide Principibus esse concessam, quibus uti Deus Imperium commisit; ita Sacerdotibus ea, quæ sunt Ecclesiæ, subjecit (m). Quare Zeno non parùm aberravit, quòd, cùm Palatii causæ subinde transferantur ad Ecclesiam, ipse mutato ordine Ecclesiæ causam ad Palatium transtulerit (n). Optimè is suas collocâsset curas, si seditionibus per Imperii Provincias grassantibus, si civilium quæstionum querelis posuisset finem: at cùm ne his quidem sufficeret, alienis insuper negotiis ac periculis se immergere præsumpsit. *Alterum* caput, in quod Imperatoris Henoticon peccabat, fuit, quòd per obliquas saltem vias authoritatem Synodi Chalcedonensis premere visus sit, dum definitionem Synodi Chalcedonensis contra Eutychetem, & epistolam S. Leonis ad Flavianum maximo Patrum consensu receptam silentio prætermittens, Hæreticis, qui ista execrabantur, nefastâ indulgentiâ aliquid concessit, quod Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, & Sæculi VI. Scriptor amaris hisce verbis deplorat (o): *Sed quid adhuc potestas mundana sibi, & non rationi confidens agat, accipite. Nam volens eisdem Semi-Eutychianis satisfacere, in hoc Edicto fidem suam exposuit, profitens, quòd Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum Concilium susciperet, tacens autem*

(m) Hosius in adhortat. ad Constantium.

(n) Facundus Hermian l. 12. c. 4.

(o) Idem l. c.

de

de Chalcedonensi, & duarum Christi naturarum professionem refugiens: quasi non antidoto sanandi sint morbidi, sed ad aliorum contagium colligendi. Cúmque scriptum sit: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar; Rex confundebatur in conspectu subditorum loqui, quod verum est. Quare si Ectesis Heraclii, & Typus Constantis (de quibus in sequente periodo agemus) fastidium Catholicis movit, proptereà quòd istæ Imperatorum fidei professiones *duarum operationum* voces, quibus Monothelitarum hæresis jugulabatur, dissimulanter prætermitterent; quid ni & Ecclesia abominaretur Zenonis Henoticon, cùm non minùs astutè vocabula illa, *ex duabus & in duabus naturis* Christum subsistere, silentio involvi vellet; adeóque tesseram singularem, quâ Catholici ab Eutychianis se discernebant, profligaret. *Postremùm*, licèt Zeno suo Edicto pacem Eutychianos inter & Orthodoxos coagmentare conaretur; non tamen opportunis, imò contrariis remediis ad parandam conconcordiam usus est: neque enim Hæreticis, antequam communionem Ecclesiâ susciperent, injungebat, ut ejurato errore fidei suæ integræ aut pœnitentiæ testimonium ederent. Quæ perperàm facta Facundus Hermianensis ita perstringit (p): *Ea verò, quæ posteà Zeno Imperator, calcatâ Reverentiâ Ordinis Dei, pro suo arbitrio, ac potestate decrevit, quis accipiat, quis attendat? In quibus potestas inconsiderata, non quòd expediret, sed sibi liceret, attendit: nec intellexit, quòd non confusio faciat unitatem. Nam si unitas non Hæreticorum conversione, sed contagio & commixtione facienda est, cur Acephali tantùm, & non omnes Hæretici, admitterentur in Ecclesiam, suis erroribus non antè damnatis, neque receptis definitionibus, quæ adversùs errores eorum constitutæ sunt? ..... Denique sic in memorato dixit Edicto: Coaptentur membra membris, quæ inimicus boni ex multo tempore separare festinavit* &c. *Quodsi consentiamus prædicationi potentiæ sæcularis, quæ post tantas generationes fallendo, vel tacendo, quod verum est, facere se posse credidit unitatem: dicemus etiam nos, quòd, nisi aggregati simus Eutychianis, integrum non sit corpus Ecclesiæ. Sed væ nobis est, si absque Acephalis truncos nos credimus remansisse, cúmque beatissimus Leo diceret: nam nullo modo fieri potest, ut, qui divinis audent contradicere Sacramentis, aliquâ nobis communione socientur; ille contradictores in Ecclesiam misit, dans Sanctum canibus, & conculcandas ante porcos projiciens margaritas.* Ex his igitur manifestum est, Zenonis Henoticon, quantumvis hæresin non complectatur; aliis tamen nævis laborare, ut proinde Ecclesia se, suásque rationes ab hac lege maximè alienas esse professa sit.

(p) Facundus Hermian. L. 12. c. 4.

Argumenta Baronii solvuntur.

8. Ad Baronii argumenta nunc paucis respondemus. Et ad I. quidem non diffitemur, Acacium multa admisisse crimina; negamus tamen, eum erroneum dogma contra fidem proposuisse, aut pertinaciter propugnâsse: certè Authores, qui eâdem tempestate Acacii *excessus gravissimos*

mos latè descripserant (q), nullibi eidem hæresis crimen impingunt: quin ipse adeò Pontifex Felix III. cùm causas recitaret, cur Acacius meritò damnatus esset, violatæ fidei reum minimè pronunciat (r). Neque Liberati testimonium plus affirmat, quàm quod communione, quam cum Petro Mongo, aliísque Hæreticis inierat, hæresi favere sit visus. Qui enim Liberati Breviarium evolverit, sequentia duntaxat Acacii crimina inde notabit: nempe quòd Joannem Talajam, Alexandrinum Præsulem, eúmque Catholicum ob privatas (ùt rebatur) injurias è sede sua expelli (s), & Petrum Mongum restitui curârit (t), Hæreticorum communione (contrà ac Simplicius Pontifex verbis suaserat, & Felix III. minis & diris Ecclesiasticis dimovere conabatur) se polluere, Sedem Apostolicam spernere, ejus Legatos evertere, ac contemptâ excommunicatione, usque ad mortem sacra obire non destiterit. Sed inter hæc crimina apertam hæresin nemo inveniet, præsertim cùm promiscua contubernia, pervicacia facinorum & temeritas necdum nomine hæresis venire possint; nisi error adjunctus sit. Deinde Hæreticis iis tantum communicavit, qui utpote Prothei Catholicam fidem ad speciem profitebantur. De Petro quippe Mongo, quem in communionem admiserat, Evagrius ait: *Hic Petrus veluti Cothurnus quidam ac Veterator, & qui temporibus se accommodaret, in eadem sententia minimè perseveravit. Nunc Chalcedonensem Synodum sub anathemate damnabat; nunc palinodiam canens, eandem omnibus suffragiis amplectebatur* &c. (u). Ex quo etiam facilè intelliges, cur Hormisdas Acacium cœno Petri, Dioscori, & Eutychetis dogmate & communione pollutum dicat: nempe vel negligentiâ Acacii factum, vel dum malæ causæ patrocinabatur, accidisse ait, ut suspicionem moveret multis, quasi erroris cœno immersus esset, quod ipsum Hormisdas in sua epistola expressit (x): *Hos mentibus perditis ausus nutrivit Acacii cum perfidis juncta communio: atque ideò æstimandus est Auctoris loco, cujus graviùs peccatur exemplo.* Et Felix III. idipsum gravissimè Acacio inculcabat (y). *Negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere: nec caret scrupulo, qui evidenti facinori desinit obviare.*

Acacius Hæreticus non fuit.

9. Quemadmodum verò Acacius ab hæresis vitio liber extitit; ita & Zenonem ejusdem arguere non possumus; qui ab eodem Episcopo persuasus, Henoticon evulgavit: neque enim Ecclesia legem illam repudiavit utpote hæreticam, sed ùt talem, qualis ad hæresin Eutychianam profligandam minùs sufficeret (z). Ex duplici ergo capite peccaverat Zeno, sive quòd professionem fidei nequaquam (utì debebat) absolutam proposuerit, sive quòd potestatis suæ limites transgressus, in jus Sacrorum profanam manum immiserit; id quippe Felix III. in Imperatore reprehendebat (a): *Certum est enim, hoc rebus vestris esse salutare, ut, cùm de causis Dei agitur, & juxta ipsius Constitutum, Regiam voluntatem Sacerdotibus*

Neque Zeno Imperator hæresis argui potest ob evulgatum Henoticon.

(q) Auctor Breviculi Histor. Eutych. Facundus Hermianens. Lib. contra Mocian.

(r) Felix Papa ep. 6.

(s) Liberatus in Brev. c. 17.

(t) Idem c. 18.

(u) Evagr. l. 3. c. 17.

(x) Hormisdas Pontifex ep. 11.

(y) Felix III. ep. ad Acacium.

(z) Simplicii epist. ad Acacium.

(a) Felicis III. epist ad Zenonem.

dotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorum Præsules discere potiùs, quàm docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitùs sequenda jura præfigere. Neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiam tuam piæ devotionis colla submittere, ne, dum mensura cælestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.

10. Neque demum pœnæ Ecclesiasticæ, quibus Acacius & Zeno (Henotici authores) constricti sunt, sententiæ Baronii suffragantur. Nam dum Acacium anathemate à Pontificibus percussum legimus, meminisse debemus eorum criminum, quibus iram Summorum Pontificum in se provocaverat. Quidni enim eum, licèt hæresi non laboraret, adhucdum fulmina Apostolica ferirent, qui communionem cum Hæreticis inverat, Catholicos Episcopos afflictos dejecerat ex sedibus, & Hæreticos in eorum locum substitui fuerat passus, qui Apostolicos Legatos, abstractis legationis literis, dederat carceri, & ad communionem Hæreticorum vi compulerat, qui denique seu roganti, seu mandanti Pontifici adeò non cesserat, ut etiam Papæ nomen ex diptychis nefarius schismatis author expungeret (b). Atque ut de Zenonis proscriptione etiam aliqua dicamus, certè hujus Cæsaris nomen non antè ex sacris tabulis sublatum est, quàm cùm è vivis decessisset: hâc autem œconomiâ nunquam Ecclesia usa fuisset erga Zenonem, si is palàm hæreticam legem suis proposuisset; quin ex eadem causa, quòd Synodum Chalcedonensem disertè necdum damnaverat, imò eandem privatis literis ad Pontifices datis fuerat professus (c), indulgentiùs cum Principe, quamvis cæteroquin flagitioso, agere placuit, ut ne, dum viveret, pœnæ acerbitate irritatus, in apertum schisma, vel etiam in hæresin tandem prorueret.

Nec pœnæ Ecclesiasticæ in Acacium & Zenonem latæ rem evincunt.

(b) Felicis III. Papæ epist. 6. Liberatus in Breviar. c. 17. 18. &c.

(c) Zenonis epist. ad Felicem III. apud Evagrium l. 3. c. 20.

REFLEXIO II. ad §. I. Num. 5. pag. 487.

Quibus ex fontibus originem habeant Bona Ecclesiastica, quis ea administraverit, & quando divisio bonorum eorundem primò instituta sit?

1. QUo tempore Christus prima Ecclesiæ suæ dedicavit exordia, paupertatis majorem, quàm opulentiæ, rationem habuit; Satoribus quippe Evangelii id maximè inculcabat: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas* &c. (a). His verò verbis cùm Servator suos opibus, vestibúsque superfluis exoneratos vellet; noluit tamen eosdem necessariis vitæ adminiculis destitui, quin triplicem iis fontem aperuit, unde victum, vestitúmque commodè acciperent. Nam primò Christus Apostolis quibusvis in locis alimenta paraturus in mandatis dabat, ut *manerent in eadem domo edentes & bibentes, quæ apud illos sunt*, propterea quòd

Christus quam paupertatem suis Apostolis præscripserit?

(a) Matth. c. 10. v. 10.

quòd *dignus* esset *operarius mercede suâ* (b). Præterea ne per iter quandoque egestas invalesceret, indulsit, ut *multæ* fœminæ, eæque divites, se, suósque discipulos insequerentur, quæ *ministrarent ei de facultatibus suis* (c); demum his subsidiis accedebant Piorum eleëmosynæ, quæ uti in futuros usus recondebantur, ita uni ex Apostolis (scilicet Judæ) earum cura demandabatur (d). Quâ paupertatis admoderatione is, qui humani totius generis Magisterium præ se ferebat, illum demum vivendi, agendíque modum præscripsit (quem si Augustini effatum tenet) Apostoli opportunè possent, & Apostolorum successores amplecti lubenter vellent. Idem enim S. Doctor in hæc verba olim disserebat (e): *Dominus noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cùm ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quò mitteretur pecunia, quæ conferebatur, utique à bonis fidelibus, eorum victui necessaria.*

(b) Lucæ c. 10. v. 7.

Quibus ex mediis Christus & Apostoli vixerint?

(c) Luc. c. 8. v. 3.

(d) Joannis c. 12. v. 6. & c. 13. v. 29.

(e) Augustin. de opere Monach. c. 5.

2. Postquam verò Christus in cælum reversus, miserat Spiritum sanctum; fidelium is corda ad amplectendum vitæ communis institutum (f) adeò inflammavit, ut primævæ Ecclesiæ inopia magìs sublevari cœperit; nam *possessores agrorum aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat, nec quisquam egens erat inter illos* (g). Equidem de omnibus affirmare non ausim, quod *omnia communia* habuerint, aut pretia rerum, quæ divendebantur, effuderint ad Apostolorum pedes. At hi ipsi, qui facultatibus se necdum exuerant, symbolas sive Collectas ad publicæ & gravioris necessitatis levamen statis diebus, scilicet Dominicis, congerebant (h); unde ab eo tempore patrimonia pauperum, & ministrorum subsidia augebantur, fuerátque persuasum cunctis, non oportere, ut quis suis militet stipendiis: non esse magnum, si, cùm satores Evangelii spiritualia seminent, carnalia saltem metant; aut si ii, qui Altari deserviunt, cum Altari participent (i). Neque contrarium suadet Divi Pauli propositum, quo idem opere manuum vitam tolerabat: nam licèt Gentium Apostolus ita Corinthi ad tempus ageret; potestate tamen, quâ alii operarii tunc in percipiendis fidelium bonis utebantur, se minimè destitui fatebatur, quin jus hoc ex Christi mandato profluxisse confirmabat, in hæc verba scribens: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

(f) Act. c. 2. v. 45.

Communis primorum Christianorum vita.

(g) Act. c. 4. v. 34. 35.

(h) 1. Cor. 16

Quâ ratione vitam tolerârint viri Apostolici?

(i) 1. Cor. 9.

Bonorum Ecclesiasticorum incrementa unde profluxerint?

3. Christianorum munifica erga res sacras beneficentia, quæ in Ecclesiæ primordiis ad modum tenuis fontis scaturiebat, sequentibus sæculis in ampliora incrementa velut in vasta flumina ita adaugebatur, ut non tam Ecclesiarum necessitati, quàm splendori largitiones gratuitæ fidelium consulere viderentur. Inter hæc piæ largitatis adminicula *primùm* erant OBLATIONES, quæ cùm quotidiè à populo ad aram frequentarentur, in his hostiis Deo oblatis cernere licebat grati & memoris animi in Presby-

Oblationes.

Presbyteros & Clerum monumenta, & amplæ in pauperes pignora charitatis (k). Præterquàm enim, quòd fideles ad Altare panem & vinum pro sacrificio, & quandoque etiam lac & mel in Catechumenorum solitum usum (l) offerrent, etiam in Sacrario vel Gazophylacio linum, vestes, aliáque munera Clericorum necessitatibus dicata deponebantur. Atque has statas oblationes cùm & Laici & Monachi præstare tenerentur; tanta opum vis inde Ecclesiæ Romanæ accumulata est, ut Prætextatus Consul Damaso Papæ jocantis in morem diceret: *Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus* (m).

(n) Thomassin. de Vet. & Nov. Disciplin. Eccl. P. III. L. 1. c. 12.

(l) Conc. Afric. c. 4.

(m) Hieronym. in ep. ad Pammach.

4. *Alteram* scaturiginem Ecclesiasticarum facultatum aperuêre DECIMÆ & PRIMITIÆ: hanc quippe portionem uti Deus in Veteri Testamento sibi, suísque Ministris de terrenis omnibus bonis deposcebat; ita in Lege nova Clericis, qui in sortem Domini vocati sunt, meliore jure hoc tributum persolvi debet (n), quod S. Hieronymus his verbis exponit: *Si ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & Altari serviens, Altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero* (o). Quod de Decimis S. Doctor differebat, idem alibi (p) de Primitiis affirmat: *Primitiæ frugum, & omnium ciborum atque pomorum offeruntur Antistiti, ut habens victum atque vestitum, absque ullo impedimento securus & liber serviat Domino.* Quare cùm omnes in prima Ecclesiæ ætate jam sibi Religioni duxerint, Decimis & Primitiis donare & colere Clericos, tanquam Majestate Dei circumfusâ effulgentes, & utpote Personam Christi indutos, vicémque omnium Pauperum circumgestantes; facilè quisque secum constituet, quantæ copiæ ex his fontibus Ecclesiæ, ejúsque Ministris accesserint.

(n) Origenes in Num. Hom. 11.

(o) Hieron. in epist. ad Nepotian.

(p) Idem in epist. ad Fabiolam.

Decimæ & Primitiæ ab antiquis temporibus datæ Clericis.

5. Neque tamen intra Decimarum pensitationes plurium, & maximè CHRISTIANORUM PRINCIPUM LIBERALITAS stetit, quin *majora dona* apponerent. De uno Constantino Magno perhibet Theodoretus (q), quòd *literas ad Provinciarum Præfectos dederit, mandâritque, ut certus frumenti numerus viduis, & his, qui perpetuam servant virginitatem, quin etiam illis, qui divinis mysteriis obeundis consecrati sunt, in singulis civitatibus quotannis suppeditaretur, eúmque non tam egentium necessitate, quàm suâ ipsius Magnificentiâ admensus sit.* Et quoniam de primo Christiano Imperatore mentionem facere cœpimus; illud quoque addamus, necesse est, quòd Idem ipse Princeps lege latâ facultatem concesserit omnibus, ex bonis suis, quidquid vellent, Ecclesiis per ultimas tabulas transcribendi: *Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo, Catholico, venerabilíque Concilio, decedens, bonorum, quod optaverit, relinquere, & non sint cassa judicia ejus* (r), quod Legis beneficium non paucos adegit ad pingues HÆREDITATES Ecclesiis devovendas. Nam Gregorius Na-

Aliæ largitiones Principum in Clericos & Ecclesias.

(q) Theodoretus L. 1 Histor. Eccl. c. 2.

(r) L. 1. C. de Sacros. Eccl.

Hæreditates Ecclesiis transcriptæ, & quâ moderatione eæ acceptæ fuerint?

(s) Gregor. Nazianzen. epist. 80.

(t) Ambros in Luc. c. 18.

Nazianzenus hujus rei fidem fecit, dum ait: *Cogitate, complures extitisse, qui totas etiam domos Ecclesiis addici passi sunt: non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum quæstum fecerint, hoc est, propter futuræ vitæ opes inopiam amplexi sint* (s). In his tamen hæreditatibus acceptandis providentiâ quâdam utebatur Ecclesia; neque enim donationes eorum censebat admittendas, qui Parentibus, iisque egentibus neglectis in sacraria sua inferre parabant, ùt colligitur ex Ambrosio (t): *Si dicis* (inquit) *quod eras Parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame Parentum..... Multi ut prædicentur ab hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferunt: cùm misericordia à domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo priùs Parenti, da etiam Pauperi.* Præterea Parentum legata, siquidem in filiorum fraudem fieri contingeret, penitus respuebantur, quam disciplinam Augustinus verbo & exemplo comprobavit (u). *Quid* (ait) *facturus sum eis, qui dicunt: Ecce, quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid; ecce, quare non eum faciunt, qui moriuntur, hæredem, quia Episcopus Augustinus de bonitate sua donat totum, non suscipit. Planè suscipio, profiteor me suscipere oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum; si viveret, non eum placarem?... Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imò Deo propitio neminem inveniat* (x).

(u) Possidius in vita S. Augustini c. 24.

(x) Augustinus Serm. 49. de diversis.

Ecclesiis dabantur bona non moventia, etiam ante Constantini Imp. tempora.

(y) Euseb. de vita Constantini L. 2. c. 39.

Martyrum bona cedebant Ecclesiis.

(z) Idem l. c. c. 35. 36.

Post destructa Gentilium delubra, fundi eorum transferebantur ad Ecclesias.

(a) Idem l. 2. c. 45.

6. Inter ea verò, quæ donationibus aut testamento Ecclesiis deferebantur, non tantùm res moventes erant, sed & fundi, prædia, ac totæ ditiones. De FUNDIS ac prædiis nemo dubitabit, qui legem Constantini Imperatoris altiùs secum perpenderit, quâ Ecclesiis domos, possessiones, agros, hortósque, quibus eas persequentium Tyrannorum furor spoliaverat, restitui voluit: *Omnia ergo* (inquit) *quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus, ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcunque alia nullo jure, quod ad dominium pertinet, imminuto, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus* (y). Ex his, credo, intelligis, fundos itaque ac prædia ante Constantini ætatem in facultate Ecclesiarum fuisse; quâ enim ratione aliàs Ethnici ea rapere, aut Constantinus ista Ecclesiis jure reddere potuisset? Neque tantùm Christianus Imperator pristinas possessiones reparabat, sed & novas, easque stabiles adjiciendi novos modos invenit. Nam Martyrum bona (si defunctis hæres aliùs non supererat) non Fisco, sed Ecclesiis transcripta volebat (z), quem zelum alii Christiani Imperatores posteà æmulati sunt, cùm delubra Ethnicorum ferè omnia prosternerent, & ingentem agrorum, redituúmque copiam, ex quibus Popæ olim superstitiosè non minùs, quàm munificè alebantur, in Ecclesiarum ac Ministrorum meliorum jura transferrent (a). Amplissimis ejusmodi subsidiis sequentia

tia sæcula multò nobiliores accessiones addidêre, quando Dominia, Principatus, Ducatus, & Comitatus integri in Episcoporum & Ecclesiarum ditionem ac jura ex Imperatorum, Regúmque liberalitate devenerunt; quo quidem tempore Ecclesiæ de gloria singulari licuit gratulari ex divino vaticinio (b): *Pro eo, quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem..... Tunc videbis, & afflues; mirabitur, & dilatabitur cor tuum,... suges lac Gentium, & mamillâ Regum lactaberis, & erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lapide ferrum,... ego implebo domum meam gloriâ.* Sed quia Principatuum ac Dominiorum memoriam quinque aut sex sæcula alto adhucdum silentio prætermittunt, idem argumentum ad posteriores ætates differre necesse est. Cæterùm de bonis aliis Ecclesiasticis nunc porrò quærendum est, quis primis sæculis facultatum Deo dicatarum dispensator extiterit?

Dominia & Principatus tandem ad Ecclesias pervenerunt.

(b) Esaiæ c. 60.

7. A primis Ecclesiæ initiis si potestatem bona Ecclesiastica dispensandi ordiri libet, Apostolis hanc concessam fuisse, nemo negaverit; ad quorum pedes Christiani eo consilio venditorum agrorum deferebant pretia, ut penes illos sacratarum Deo rerum authoritas foret: Post Apostolorum verò tempora ea cura ad Episcopos veluti successores devoluta est; de his quippe Gangrensis Synodus statuit (c): *Si quis dat vel accipit fructus oblatos, præter Episcopum, vel eum, qui est constitutus, ad beneficentiæ dispensationem, & qui dat, & qui accipit, sit anathema.* Et Concilium Antiochenum de bonis ita decernit, quòd ea *administrari conveniat cum judicio & potestate Episcopi, cui est omnis populus creditus, & eorum animæ, qui in Ecclesia conveniunt* (d). Quæ suo suffragio confirmavit posteà Gelasius Papa, dum ajebat: *Præsulum Authoritas nostrorum emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut viduarum, pupillorum atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant* (e). Quemadmodùm verò in Ecclesiæ primordio Apostolis graviùs illud temporalium negotium accidisset, nisi delectos Diaconos in partem sollicitudinis vocâssent; ita pro levando Episcoporum labore à Synodis duo capita præscripta sunt: Primò, ut tota & suprema dispensatio Antistiti eatenus permittatur, quatenus tamen administrationis suæ notitiâ Presbyteros, Diaconósque informet: *Sint autem manifesta, quæ ad Ecclesiam pertinent, cum cognitione Presbyterorum, & Diaconorum, qui sunt circa eum, ut sciant, & non ignorent, quæ sunt propria Ecclesiæ, ut nihil ipsos lateat: ut si contingat Episcopum è vita migrare, iis manifestis existentibus, quæ ad Ecclesiam pertinent: nec ea intercidant, & pereant: nec quæ sunt propria Episcopi, prætextu rerum Ecclesiasticarum vexentur* (f). Secundò cautum est à variis Synodis, ut Episcopus sibi Oeco-

Potestas prima dispensandi bona Ecclesiastica fuit penes Apostolos, dein penes Episcopos.

(c) Synod. Gangrens. c. 7. 8.

(d) Concil. Antiochen. c. 24.

(e) Gelasius Papa ep. 10.

Quinam adjutores dati fuerint Episcopis in administratione bonorum Ecclesiasticorum.

(f) Concil. Antiochen. c. 24.

Oeconomum adlegeret; & præcipuè Concilium Chalcedonense ita definivit (g): *Quoniam in quibusdam Ecclesiis (ùt rumore comperimus) præter Oeconomos, Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant; placuit omnem Ecclesiam, habentem Episcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam proprii Episcopi, ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticæ facultates.* Horum Oeconomorum officium Theophilus Patriarcha describit: *Ut pauperum omnium sint provisores; ut bona Ecclesiæ, utì decet, insumantur; Viduæ, & pauperes, & peregrinantes hospites omni quiete fruantur, & nemo ea, quæ sunt Ecclesiæ, ùt sua usurpet* (h). Atque horum cùm Oeconomi rationes Episcopo atque Clero reddere deberent; multarum obtrectationum causæ abscissæ sunt. Quamdiu enim soli Episcopi administrationem bonorum exequebantur, sæpè querelæ ab invidis spargebantur: in propinquos, aut in illicitos usus opes Ecclesiarum dissipari; unde Episcoporum ratiocinia non semel examini Metropolitani aut Concilii Provincialis, & quandoque etiam Imperatoris subjiciebantur. At ex quo Oeconomi sive Diaconi, aut etiam Archidiaconi velut dispensationis instrumenta adhibebantur, Episcopis non tantùm liberior erat functionum sacrarum usus, sed & ex Oeconomorum statis rationibus Clerus, populúsque satìs perspiciebat, an bona Ecclesiæ in Ecclesiarum, pauperum, & Ministrorum commoda legitimè expensa fuissent.

(g) Concil. Chalced. c. 26.

Oeconomorum officium.

(h) Theophili Commonitorium epist. apud Balsamon. c. 9. 10.

Varia ratio dispensandi bona Ecclesiastica.

8. Cæterùm non una olim dispensationis, ac distributionis ratio erat; nam alendis Episcopis, Presbyteris & Diaconis Primitiæ: Decimæ Clericis reliquis, & Pauperibus adsignabantur (i). Præterea de oblationibus sive Eulogiis (quæ in Mysticis supererant) Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus & Diaconissis pars una, Diaconis duæ, Presbyteris tres, Episcopo demum quatuor tribuebantur; quæ portio amplior ad Præsulem eâ de causâ pertinebat, quòd is peregrinorum, ac indigentium specialem haberet curam (k). Earum porrò distributionum sin tempus spectes, aliæ diurnæ erant, aliæ menstruæ sive mensurnæ (l): Diebus singulis esculenta sive sportulæ dabantur, unde etiam Clericis, in quos fiebat ista largitio, sportulantium Fratrum nomen accessit (m): singulis verò mensibus dispensabantur pecuniæ, quas iisdem temporibus fideles in Arcam Ecclesiæ stipis loco jactare solebant.

(i) Constit. Apost. l. 8. c. 31.

(k) Cyprian l. 3. ep. 24.

(l) Idem l. 4. ep. 5.

(m) Idem l. 1. ep. 9.

9. Ex his etsi aliqua bonorum Ecclesiæ partitio, non tamen alia cognoscitur, quàm quæ singulis pro cujusque officio & labore opes, fructúsque admetiebatur, aut quâ juxta Canonicas regulas piis usibus reditus Ecclesiæ applicabantur. Quo verò ævo alterum genus partitionis primò institutum sit, quo communes res Ecclesiæ planè in quatuor partes secernebantur, ob Annalium, Canonum, Patrúmque silentium vix quisquam satìs assequetur. In Sæculo quinto Papa Simplicius primus

erat,

erat, qui significabat, Ecclesiæ bona in quatuor portiones distributa fuisse, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia templorum restaurationi, quarta sustentationi pauperum cedebat. Cùm enim ordinationes Ausiniensis Episcopi Gaudentii non tantùm simoniacâ labe premerentur, sed & ipse in bonis Ecclesiæ dispensandis sæpè contra Canones peccâsset; Pontifex statuit, ut Gaudentius quartam duntaxat partem redituum Ecclesiasticorum perciperet: altera verò pars ex quaternis addiceretur Clero: reliquæ duæ partes consimiles pauperibus, & reparandis Ecclesiarum fabricis destinatæ, Onagro Presbytero velut Oeconomo committerentur (n): *Sola ei* (inquit Pontifex) *quarta portio remittatur: duæ Ecclesiasticæ fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro Presbytero, sub periculo sui ordinis ministrentur: ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur. Tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicâsse, restituat.* Quod de quadruplici bonorum partitione Simplicius præceperat, idem Gelasius Simplicii successor Episcopis injunxit (o): *Quatuor autem* (inquit) *tam de reditu, quàm de oblatione fidelium (prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit) sicut dudum rationabile est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una Pontificis, alia Clericorum, Pauperum tertia, quarta fabricis applicanda.... Ea verò, quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta Ss.: quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his destinata convertat. Ipsam nihilominùs adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensâsse monstraturus esse videatur; tamen juxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.* Partitionis hoc altero genere obicem poni posse credebatur tum Episcoporum avaritiæ, tum Clericorum cupiditati; Pauperum enim curam interdum utrorumque vitio neglectam fuisse, non pauci tunc querebantur. Subinde de parte Clericorum quæstio in medium afferebatur, utrùm reditus novi Clericis decerpi, & in usum Episcoporum converti possint? Gregorius M. cùm id agi ab Episcopo Syracusanæ Ecclesiæ audiret, eum objurgans monuit: minùs congruere, ut una, eadémque Ecclesiæ substantia duplici quodammodo jure censeatur, id est, Usurpationis & Canonum (p). Idem Pontifex posteà non semel urgebat, ut, quâ liceret æquitate, Clerici pro ordine quisque suo, pro modo laboris & industriæ remunerarentur (q). Eadem Oeconomia in Gallia & Hispania circa Gregorii tempora viguit: nam Concilium Agathense Clericos, qui minùs assiduè sacra frequentant, distributionibus mulctat, jubétque, ex albo expungi, dum pœnitudine ducti ad frugem se recipiant (r); ex adverso diligentioribus pinguiores sportulas dari præcipit.

Quando divisio facta fuerit bonorum Ecclesiasticorum.

(n) Simplicius Papa epist. 3.

(o) Gelasius Papa epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ.

Cur partitio ejusmodi facta sit?

Non licebat Episcopis à portione Clericorum decerpere.

(p) Gregor. L. 3. ep. 11.

(q) Idem L. 11. ep. 51.

(r) Concil. Agathense c. 2.

(s) ibidem c. 36.
(t) Concil. Tarrac. c. 8.
(u) Concil. Braccar. c. 2.

pit (s). Concilium Tarraconense tertiam bonorum Ecclesiasticorum partem fabricis vult impendi (t); unde conjicias, tripartitam tantùm divisionem in Hispania fuisse, scilicet in Episcopum, Clerum, & Ecclesiæ reparationes: portio namque & cura pauperum Episcopo & Clero relinquebatur. Braccarense hoc insuper addebat, ut Episcopus à singulis Parochiis duos solidos acciperet, velut censum suæ Cathedræ (u).

Quando Beneficiarii & præbendarum usus cæperit?

10. Quemadmodum verò redituum, & moventium bonorum divisio facta est; ita paulò pòst etiam mos invaluit, ut fundi ac prædia dividerentur. Dabantur autem eum in modum, ut in *beneficium*, aut in *præbendam* conferrentur; atque ideo horum vocabulorum notio in Sæculo sexto frequentabatur. De beneficiariis & precariis fundorum possessionibus in Ecclesia usitatis multa Concilium Aurelianense IV. refert: Præbendæ verò vox ab usu sæcularis militiæ ad Ecclesiasticam translata est, eoquòd militibus præbebantur victus, vestes, ac æs, uti testatur Cassiodorus: *Ducibus ac Præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem, ut eorum Præbendæ, quæ non potuerunt convehi, ibi debuissent sine alicujus dispendio comparari* (x). In his tamen fundorum distributionibus ita cavebatur, ut prædia hæc *non perpetuò, sed temporaliter, donec vixerint* Clerici, *perfruantur* (y). Ac ne ex possessione diuturna dominii integri acquirendi spes esset, hanc Aurelianense I. Concilium speciali Canone elidendam duxit: *Si Episcopus humanitatis intuitu vineolas vel terrulas Clericis vel Monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; etiamsi longa transiisse annorum spatia probentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur; nec sæculari lege præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur* (z).

(x) Cassiod. Var. L. 3. epist. 42.
(y) Symmachus ep. 5.
Præbendæ præscribi non poterant diuturnâ possessione.
(z) Concil. Aurelian. I. c. 23.

REFLEXIO III. ad §. I. Num. 13. pag. 502.

An Decretum de Canonicis & Apocryphis Libris, quod in Concilio Romano editum dicitur, Pontificem Gelasium habuerit Authorem?

Quare Pontifex Decretum de recipiendis libris ediderit?

1. INter opera, quæ Gelasius evulgavit, illud Decretum insigne planè est, quo Pontifex cum septuaginta Episcopis Romæ in Synodum vocatis, libros sacros & authenticos ab apocryphis discrevit. Propositum Authori Decreti fuerat, de medio tollere innumeros pravos libros, primævâ Ecclesiæ ætate tum à Catholicis, tum ab Hæreticis conscriptos, quæ volumina cùm complecterentur seu falsa, seu perversa, & quandoque hæretica dogmata, vel etiam aliqua dubia & periculosa, demum plurima ab Hæreticis intrusa, quibus simpliciorum animi offendi poterant; hujusmodi librorum discrimen statuit, ut aliqui omnino rejicerentur, alii absque offensionis periculo legerentur (a).

(a) Honoratus à S. Maria in notis ad Animadversiones in Regulas & usum Critices. L. IV. Diss. 2. §. 3.

2. Ante-

2. Antequam verò de apocryphis scriptis Decretum poneret Pontifex, ordinem librorum Veteris & Novi Testamenti, quem sancta & Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, præmisit: & quamvis Canon sacrorum Codicum, quantùm ad Vetus Testamentum attinet, in duobus à Tridentinæ Synodi Canone differre videatur, propterea quòd novissimi Concilii Oecumenici Patres *Esdræ* libros duos, totidémque *Machabæorum*, septuaginta Patres autem Concilii Romani unum sive Esdræ, sive Machabæorum volumen referunt; in melioribus tamen, nec interpolatis Romanæ Synodi exemplaribus, quæ Harduinus, aliique inspexerunt (b), idem librorum numerus utrinque deprehenditur.

Canon Scripturæ adprobatur.

(b) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 937.

3. Exhibito Canonicorum librorum syllabo, Pontifex Gelasius quatuor primas Oecumenicas Synodos suscipiendas decernit (c), dum opera variorum Patrum examinata probat: scilicet *Cypriani*, *Gregorii Nazianzeni*, *Basilii*, *Athanasii*, *Cyrilli Alexandrini*, *Chrysostomi*, *Theophili Alexandrini*, *Hilarii*, *Ambrosii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Prosperi*, *epistolam Leonis Papæ ad Flavianum*, *epistolas* genuinas *Pontificum*, *gesta Ss. Martyrum*, quamvis singulari cautelâ non legantur in Romana Ecclesia, quia quædam vel ab hæreticis, vel ab idiotis minùs aptè scripta esse putantur. Item *Actus Sylvestri Papæ*, licèt ejus, qui conscripserit, nomen ignoretur. De *Rufino* ita profitetur, quòd plurimos Ecclesiastici operis ediderit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus sit (d). Sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit; illa sentimus, quæ Hieronymum sentire cognoscimus, nec solùm de Rufino, sed etiam de universis, quos vir memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit: eodem modo *Origenis* illa duntaxat opera censurâ liberat, quæ eidem S. Doctori Hieronymo orthodoxa visa sunt. Chronica *Eusebii Cæsariensis*, & ejusdem Ecclesiasticæ Historiæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & posteà in laudibus, atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum; propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicit esse renuendos. Post hæc *Orosii*, *Sedulii* & *Juvenci* opera idem Pontifex laudat. Plures adhuc Patres fuerant, quorum operibus Ecclesia suum suffragium addicit: sed Gelasius commendationem de his apposuisse, in Decreto non notatur; nam de Irenæo, Justino, Justino, Theophilo Antiocheno, Gregorio Nysseno, Proclo, Cyrillo Hierosolymitano, & aliis magnum in Edicto silentium; unde non paucis suboluit, Decretum Gelasii vel ex hoc ipso capite interpolatum videri.

Concilia & Patres probati.

(c) ibid. p. 939. Conferatur can. 3. *Sancta Romana Ecclesia* Dist. XV.

(d) ibidem p. 940.

Libri cum cautela legendi.

Decretum non omnes Patres citat, ab Ecclesia probatos.

4. Volumina probanda Patrum ubi Gelasius recitaverat; ad *Apocryphorum* ordinem tandem convertitur, ita pronuncians: cætera, quæ ab Hæreticis sive Schismaticis conscripta sunt, nullatenus recipit Catholica

Apocryphi libri.

lica & Apostolica Romana Ecclesia: *Ariminensem* proinde damnat *Synodum*, Apocrypha declarat *Itinerarium nomine Petri Apostoli*, *Actus*, qui dicuntur *Apostolorum Andreæ*, *Thomæ*, *Petri*, *Philippi*: *Evangelia Thaddæi*, *Matthiæ*, *Petri*, *Jacobi minoris*, *Barnabæ*, *Bartholomæi*, *Andreæ*, & quæ Lucianus aut Epitius supposuêre, *Evangelium cujusdam Thomæ*, quo Manichæi utebantur. Ad hæc proscribebat *Libros de Infantia*, *de Ortu Salvatoris*, & *de Maria ac Obstetrice*, librúmque, qui appellatur *Transitus*: Libros de *Pœnitentia Adæ*, *Origenis*, & *S. Cypriani*: Tractatum, cui nomen est: *Fundamentum* & *Thesaurus*: *Actus Theclæ & Pauli*; *Canones Apostolorum*, *Revelationes Pauli*, *Thomæ Stephani*, *Librum Pastoris*, & alia scripta levioris momenti. Item *Opera Tertulliani*, *Lactantii*, *Africani*, *Posthumiani*, & *Galli*, *Montani*, *Priscillæ* & *Maximillæ*, *Fausti Manichæi*, *Commodiani*, *Clementis Alexandrini*, *Tuscii Cypriani*, *Arnobii*, *Tychonii*; *Cassiani*, *Victorini*, *Fausti Regiensis*, *Frumentii*, *Epistolam Jesu ad Abagarum*, & *Abagari ad Jesum*...... Hæc, inquit, & omnia his similia, quæ Simon Magus, & sequentes Hæretici (quos recenset usque ad Acacium) eorúmque discipuli conscripserunt, cum suis Authoribus, Authorúmque sequacibus indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

5. Quanquam autem hos omnes libros Concilium Romanum sine discrimine *Apocryphos* dicat; nihilominùs non unâ censurâ notari possunt: itaque τὸ *Apocryphum* diversis libris diverso sensu accommodari oportet. Etymum nominis si spectes, deducitur ille à verbo Græco ἀποκρύπτω, quod significat, occulto, abdo, recondo. Eusebius (e) ἀπόκρυφα distinguit ab Adulterinis; quod illa à quibusdam admittantur; spuria ab omnibus repudientur: quamvis ad hæc quoque porrigitur nonnunquam nomen Apocryphorum, veluti ad Hæreticorum damnata opera. Res ut clariùs pateat, Apocryphorum librorum quatuor classes adsignamus: Ad primum genus pertinent ii, qui & alicui Scriptori suppositi sunt, vel qui Authoris nomine carent, simúlque fabulis constant, rebúsque vel ad fovendam pietatem parùm idoneis, vel malis, vel superstitiosis & Philacteriis pleni, & propterea legendi non sunt, sed occulendi, eoquòd *Scriptor operis* & *Veritas* ignoretur: hoc sensu Decretum intellige, dum ait: *Actus nomine Andreæ Apostoli*, *Apocryphi*: *Actus nomine Philippi Apostoli*, *Apocryphi*: *Liber de Nativitate Salvatoris*, *de S. Maria*, & *Obstetrice*, *Apocryphus*: *Liber*, *qui appellatur Pœnitentia Adæ*, *Apocryphus*. In hunc pariter censum venire possunt libri illi, atque Auctores, qui à Concilio anathemate percelluntur: *Opuscula cum suis Authoribus*, *Authorúmque sequacibus sub anathemate indissolubili vinculo in æternum confitemur damnata.* Altera Apocryphorum classis continet libros, quorum veritas non admodùm in dubium revocatur, sed quia Author latet

(e) Euseb. l. 3. Hist. c. 31

Quotuplici sensu Apocryphorum nomen accipi debeat?

latet eorum, suspiciendi aut timendi ansam præbent, ne volumina ejusmodi ab Heterodoxis sint exarata, aut interpolata, aut falsa veris extrinsecus admixta. Unde dicitur: *Liber, qui appellatur Canones Apostolorum, apocryphus: Liber, qui appellatur Pœnitentia Cypriani, apocryphus: Passio Cyrici & Julitæ, apocryphus.* Dum autem *Apocryphos* vocat Concilium, ita se exponit, quòd *sine singulari cautela in S. Romana Ecclesia non sint legendi.* Tertiam classem tenere possunt ii libri, de quorum authore & veritate etsi constet, in Apocryphorum tamen ordinem redacti sunt, quasi *minùs digni, qui publicè in Ecclesia legantur.* Huc pertinent *Opuscula Clementis Alexandrini, apocrypha: Opuscula Tertulliani, apocrypha: Historia Eusebii Pamphili, apocrypha,* & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum opera, quæ Concilium *propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicit renuenda*; ea nihilominùs *apocrypha* pronunciat, cùm nolit facultatem dare, ut in Christianorum cœtibus publicè legantur, atque officii Ecclesiastici partem constituant. Quem quidem honorem iis tantumodo decrevit Ss. Patrum operibus, *qui in nullo à S. Romanæ Ecclesiæ consortio deviârunt, nec ab ejus fide, vel prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius, gratiâ Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ participes fuerunt.*

Quinam genuinus Author Decreti hujus fuerit?

6. Exposito argumento Decreti, in hujus Authorem nunc inquirere juvat; diversis quippe opinionibus hìc feruntur Critici, etiam Orthodoxi: dum alii alios Pontifices nominant, quibus ejusmodi Decretum tribui debeat. Qui *Damaso* id adscribunt, provocant ad vetustissimum Codicem, qui habetur in Collectione Dionysii Exigui, quémque secum communicatum à Dacherio Baluzius testatur. Prætereà Baronius affirmat, Cresconianam Collectionem continere Concilium Romanum sub Damaso, in quo de libris apocryphis agitur, cujus Decreta à Gelasio repetita credit Annalium Scriptor. Secunda sententia illorum est, qui ab Hormisda Pontifice opus hujusmodi deducunt: atque (ut fidem verbis faciant) duos afferunt Codices, quorum unus Ecclesiæ Urgellensis, alter Jurensis, ísque pervetustus Hormisdam Decreti Authorem fuisse confirmant. Verùm cùm multò antiquior Codex à Joanne Pearsonio lectus, & à Lanfranco ex Beccensi Cœnobio in Angliam delatus hunc titulum exhibeat: *Decreta Gelasii Papæ de recipiendis, & non recipiendis libris. Quæ scripta sunt ab eo cum LXX. eruditissimis Episcopis*; non est, quòd alteri, ac Gelasio Decretum illud tribuamus. Huic certè Pontifici id in acceptis tulêre Nicolaus I. (f), Lupus Abbas Ferrariensis (g), Gratianus (h), Burchardus Wormatiensis, aliíque Codices MSs. Cæterùm Cresconiana Collectio, quæ pro Damaso pugnat, tantò minùs contrarium evincit, quantò certius est, eandem Collectionem non paucis nævis redundare: inter quos illum duntaxat jam notandum velim, quod Autho-

An Damasus?

An Hormisdas, aut Gelasius?

Pro Gelasio plura stant monumenta.

(f) Nicol. I. epist. 42. ad Episcopos Galliæ.

(g) Lupus Ferrar. epist. ad Carolum Calvum.

(h) Gratian. Dist. 15.

Authores opuſculorum, qui ibidem commemorantur, ſcilicet Caſſianus & Fauſtus Regienſis, poſt Damaſum vixerint & ſcripſerint. Neque veroſimili ratione nituntur, qui ad Hormisdæ, Gelaſio poſterioris, tempora editionem Decreti prorogant. Nam Sæculo ſexto ineunte, cùm contentio inſtitueretur de Fauſti Regienſis libris, & Poſſeſſor Epiſcopus Africanus Hormisdam de librorum orthodoxia conſuleret (i); Papa idem circa annum DXX. repoſuit (k): *Non improvidè veneranda Patrum ſententia fideli poſteritati, quæ eſſent Catholica dogmata, definiit, certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, ſancto Spiritu inſtruente præfigens, ne opinioni ſuæ Lector indulgens, non quòd ædificationi Eccleſiaſticæ conveniret, ſed quod voluptas ſua concepiſſet, aſſereret.* Quibus verbis Hormisdas ipſe ad factum jam ab Anteceſſore quodam *Decretum de libris recipiendis, & non recipiendis* provocat: Anteceſſor autem is cùm non fuerit Anaſtaſius, nec Symmachus (nullibi enim de his mentio, neque ullus Codex MS. alterutrius nomen Decreto præfigit) reſtat, ut ſoli Gelaſio id adſcribamus, quem Papam velut Authorem innumeri Codices in Decreti capite repræſentant (l).

(i) Relatio ad Hormisdam in Actis CC. T. II. apud Hard.

(k) ibidem.

(l) Pagius in Critica Annal. Baronii ad a. 494. n. 5.

Heterodoxi proſcribunt hoc Decretum, & cur?

7. Controverſiam leviorem inter Catholicos agitari ſolitam poſtquam compoſuimus; ad multò graviorem nunc deſcendendum eſt, quam Heterodoxi Gelaſii Decreto intentant: hi enim fatale hoc telum eſſe rati, quo eorum qualiſcunque & mutilus ſacrorum librorum Canon confodiatur; ægerrimè ferunt in eodem Decreto in Canonicorum voluminum numero proponi ea, à quibus illi abhorrent, nempe librum Jobi, Tobiæ, & Judith, duos Machabæorum libros, epiſtolam ad Hebræos, Apocalypſin Joannis, Petri duas epiſtolas, Joannis Apoſtoli tres, Judæ unam. Itaque eò conantur maximè, ut fictum & ſuppoſititium hoc Gelaſii Decretum commonſtrent, aut ſaltem ejusdem eſſe cum Epiſtolis primorum Pontificum Decretalibus farinæ, ex eadémque Iſidori Mercatoris officina prodiiſſe oſtendant. Argumenta (m), quæ adducunt, paucis hìc perſtringimus: I. Vetuſtiores Codices id nunc Damaſo, nunc Gelaſio, demum Hormisdæ tribuunt (n): certiſſima igitur conjectura eſt, ſæcula vetuſtiora Authorem operis, opúsque ipſum ignorâſſe. II. Citantur in hoc Decreto libri anno 494. aut nondum ſcripti, aut penitus ignoti, qualis fuit opus Paſchale Sedulii. III. Multa continet abſurda: quis enim credat, Gelaſium palàm in tot Epiſcoporum cœtu Clementis Alexandrini in toto orbe celebrati opera in Apocryphorum cenſum relegâſſe, & Africani, Arnobii, Lactantii Commodiani ſcripta in eandem claſſem retuliſſe? Quis credat, Papam, Patrésque Synodales in eodem Decreto Euſebii Hiſtoriam inter probatos Authores ſimul recipere, ſimúlque cum damnatis eodem tempore damnare potuiſſe? IV. Damnat Decretum Canones Apoſtolicos, quos tamen Dionyſius Exiguus paulò pòſt Latinè vertit,

(m) Guilielmus Cave in Sæculo Neſtoriano p. 298.

(n) Baluzius not. ad Grat. Can. p. 444

Rationes Decreto adverſantium.

vertit, quin censuram adderet, vel timeret; imò Pearsonus (o) Canones Apostolicos admisisse, ac in Epistolis Decretalibus eorundem authoritatem agnovisse videtur. V. Hieronymi sententiam Pontifex præoptat circa Rufini, aliorúmque opera: & tamen Hieronymo circa Canonem Scripturæ, circa opera Tertulliani, Pastoris Clementis Alexandrini &c. repugnat; nam Gelasius hos reprobat, dum Hieronymus istorum libros valdè dilaudat. VI. Decreti istius nemo ante annum 840. meminit: silent Scriptores Ecclesiastici, Gennadius Ildefonsus, Isidorus Hispalensis: demum Dionysius Exiguus ipsi Gelasio ætate suppar, haud diu post illius obitum Decreta Romanorum Pontificum collegit; nec tamen Concilii, aut hujus Decreti mentionem fecit. Itaque cùm Authores Sæculi noni jam adulti, scilicet Nicolaus I., Hincmarus Rhemensis &c. hujus primùm meminerint; suspicioni locus est, an non inter merces ab Isidoro Mercatore expositas locum, numerúmque mereatur.

(o) Pearsonus in Vind. Ignat. P. I. c. 4.

Rationes objectæ diluuntur.

8. En argumenta! en difficultates ab Heterodoxo quodam in medium allatas! quibus tamen, si propiùs inspiciantur, vis nulla est. Quare ad I. ℞. suprà ostensus jam Author est Decreti, ídque ex vetustissimis Codicibus MSs.; ac vel ideo falsò arguitur, Antiquioribus hunc ignotum fuisse. Equidem diffiteri nullus ausit, *Viros eruditos etiamnum dubitare, aut hærere ancipites, an non primò hoc Decretum à Gelasio in Concilio Romano anno CCCCXCV. sancitum sit, ita tamen, ut non quasi Decretum Pontificium, sed velut totius Concilii quidam Canon prodierit* (p): dum postea ab Hormisda editum sub forma Pontificii Decretalis, & in quinque titulos methodi gratiâ divisum, ac fortè nonnullis in locis fuerit restitutum? Sed cum Natali Alexandro dicere liceat, an Gelasii sit, vel Hormisdæ, vel utriusque, parum interest. Venerandæ sacrum monumentum antiquitatis nemo negaverit. Illo confodiuntur Hæretici, qui numerum librorum Canonicorum pro suæ sectæ commodo & libidine minuunt, Traditione insuper habitâ „ (q). Ad II. ℞. cum Pagio, Concilium Romanum, in quo agebatur de recipiendis vel rejiciendis libris, non anno 494., sed anno 495., imò seriùs celebratum esse (r); adeóque cùm Turcius Rufus Asterius, qui anno 494. Consul, & sequenti anno Exconsul fuerat, illud evulgârit, nihil obstat, quò minùs tempore Synodi Romanæ illud opus innotescere potuerit: ita enim in vetusto Codice Vaticano N. 1165. post carmen Paschale Sedulii legitur, teste Norisio (s): *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit, quod recollectum & adunatum, atque omni diligentiâ divulgatum est à Turcio Rufo Asterio quinto U. C. Exconsule ordinario atque Patricio.* Et licèt Baronius, & CC. Collectores scribant, Decretum Gelasii datum esse Asterio & Patritio Coss., scilicet anno 494.; refellitur tamen hæc opinio ex Codicibus MSs. à Pagio citatis, in quibus nota illa temporaria non habetur (t). Ad

(p) Chiffletius in fine Not. ad Vigilium Tapsensem.

(q) Natalis Alexander in Sæc. V. Hist. c. 6. artic. 18. p. 173.

(r) Pagius in Critic. T. II. ad an. 495. n. 2.

(s) Noris. in Cenotaph. Pisanis.

(t) Pagius in Critic. T. II. p. 446.

III. ℞. Apocryphorum (ùt suprà dictum est) varias esse classes; vel enim Scriptor & veritas rerum, quæ in libro tractantur, ignorantur: vel Authoris nomine comperto, argumentum dogmatis aut scriptionis revocatur in dubium: vel demum nec de Authore, nec de veritate Codicis etsi nusquam addubitetur: tamen libri ejus ponderis ac dignitatis esse haud censentur, ut publicè in sacris conventibus legi, aut in partem officii Ecclesiastici cooptari cum quadam prærogativa mereantur. His præmissis nemo dixerit, Gelasium eò prolapsum, ut Ss. Patrum scripta ad primam aut secundam Apocryphorum classem amandârit. Quodsi autem tertio in loco eadem subinde posuerit, non inde infamia Patribus, eorúmque lucubrationibus consciscetur; præsertim cùm Patres quidam non ubique eodem charactere, neque semper in omnibus Codicibus scripserint ita, ut expediret, ea in suggestibus populo prælegi. Quòd verò Pontifex primò Eusebii Historiam propter rerum notitiam singularem, usquequaque non dicat renuendam, postea verò in ejusdem Decreti parte quinta apocrypham declaret; inde contradictionem nullam (si prædicta Apocryphorum genera diversa mente teneas) apprehendes. Quid enim obstat, quò minùs opera Eusebii ex una parte judicentur privatis lectionibus commodare: ex altera parte Apocrypha sive occulta esse jubeantur, sive ob nævos quosdam à publica prælectione in Ecclesia arceantur. Ad IV. ℞., Canones Apostolicos meritò rejectos esse à Gelasio, utì infrà in Reflexione quinta ostendetur. Cæterùm quia iidem Canones nil aliud sunt, quàm particularium Synodorum statuta, cur non licuisset Gelasio in suis scriptis aliquando, ubi ad rem erat, Synodalibus Decretis, quæ ante Pontificem in Sæculo tertio vel quarto jam edita fuerant, suam sententiam stabilire. Ad V. ℞. Hieronymus quantumvis quorundam PP. celebraverit opera, nunquam tamen addit, aut jubet, ut in Ecclesiis singula eorundem volumina recitentur: nihil igitur Patribus Gelasius derogat, si talem authoritatem non omnibus, qualem paucis, iisque selectissimis, tributam velit; unde in suo Decreto benè monet: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Ad VI. ℞. Silentium Scriptorum etiam coævorum quamvis invictum argumentum non sit, quo Decreta Pontificum elidi valeant, ipse tamen vetustissimus Codex Collectionis Dionysii Exigui suprà citatus contrarium commonstrat; imò Pearsonus antiquissimum volumen legit Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii SS. Trinitatis, cui iste titulus præfigebatur: *Decreta Gelasii Papæ de recipiendis, & non recipiendis libris.* Quid ergo mirum, si sequentium sæculorum Scriptores his Antiquitatis monumentis confisi, Veterum vestigiis, ac traditioni institerint.

REFLE-

REFLEXIO IV. ad §. I. Num. 14. pag. 507.

An verum ſit illud, primam ſedem à nemine judicari?

1. QUemadmodum à natura ipſa, aut ex Lege Divina didicimus, fas eſſe, ut à Majoribus minores regantur; ita ex diverſo facilè mente conſequimur, multùm aberrare eos, qui primam ſedem (quæ hanc prærogativam divino ex inſtituto obtinuit) inferiorum judicio ſubjici poſſe contendunt. Quàm malè enim convenit, Paſtorem à grege, Regem à ſubdito judicari; ita ordinem Univerſi is diſturbabit, atque confundet, cui animus eſt, Principem omnium, & Eccleſiæ Caput membrorum aut fidelium arbitrio atque examini ſubmittere. Adverſus hæc cùm nemo jure contendere auderet; fuêre, qui facto rem commonſtrari poſſe arbitrarentur: atque ut fidem opinionis ſuæ malè conceptæ facerent, Symmachi Pontificis fata in medium adduxerunt. Ex decurſu Hiſtoriæ ſuprà poſito (a) palàm fiebat, eundem Pontificem (licèt è Schiſmaticorum turbis beneficio Theodorici integer exiiſſet) ſubinde novis calumniis appetitum, eodem Gothorum Rege jubente, ad Synodi Romanæ (quæ *Palmaris* dicta eſt) diſquiſitionem redire debuiſſe; cauſabatur enim Theodoricus, *ad ſe de Papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata; & in Synodi oportere, ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, judicatione conſtare* (b). Epiſcopi, qui ad Synodum velut judices cauſæ vocabantur, excipiebant: *ipſam, qui dicebatur appetitus, debuiſſe Synodum convocare.... Nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio, in propoſitione ſimili; facilis forma aliqua teſtaretur.* Repoſuit Theodoricus, *Ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtrâſſe*, quod & Symmachus ipſe mox confirmavit, & *authoritatem ordinis corrigendi (ſicut poſcebant Eccleſiaſtica ſtatuta) in omnium, qui ibidem convenerant) Epiſcoporum præſentia ſe dare profeſſus eſt.* Quanquam autem præſto eſſet Symmachus *cauſam dicere* in Synodo, *affectu purgationis ſuum culmen humilians* (c), ſævitiâ & cædibus adverſariorum, quò minùs id exequeretur, prohibitus eſt. Quare ubi Epiſcopis reſponderat Rex Theodoricus, *in Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter Reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere* (d); hi ipſi jam congregati Præſules *totam cauſam Dei judicio reſervârunt, arbitrio divino dimiſerunt*, & Symmachum Eccleſiæ reſtituerunt.

Sedem ſupremam inferioribus ſubjacere non poſſe, ratio docet.

Adverſarii ex facto Symmachi Pontificis rem ſuam conficere nituntur.

Theodoricus Rex Oſtrogothorum Synodum pro judicanda Symmachi cauſa congregat.

Synodus cauſam Pontificis Dei judicio reſervat.

(a) Hiſtoriæ Univerſalis L. VI. c. 1. §. 4. p. 228.

(b) Acta CC. T. II. apud Hard. p. 967.

(c) ibidem p. 968.

(d) Acta CC. T. II. p. 969.

2. Ex his licèt optimus quiſque facilè intelligat, à Romana Synodo Symmachi Pontificis cauſam judicari nequaquam potuiſſe, niſi ipſe ſe Concilii judicio ſpontè ſubjicere voluiſſet; fuêre tamen eâdem tempeſtate viri, iique Schiſmatici, qui maledicentiâ ſuâ indignabantur Epiſcopis,

Adverſariorum criminationes contra Patres Synodi Romanæ.

eoquòd jure ſuo ceſſiſſent; ſi enim, ajebant, judicii ſuperioris expers eſt, impatiénſque perſonæ Pontificis, impunè ſcelera perpetrabit. 2. Si vera eſt Epiſcoporum aſſertio, Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubjacuiſſe ſententiæ, cur ad judicium diſtrictâ conventione productus eſt? 3. Quare Papa Synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognoſceret? Quomodo de cauſa primitùs tractabatur, cùm necdum haberet Synodus firmitatem? 4. Privilegium itaque ab Epiſcopis jactatum non à jure quodam, ſed à Romanæ Synodi in Pontificem nimiâ indulgentiâ ac propenſione proficiſcebatur.

Ennodius & Avitus obtrectatoribus occurrentes, Apologiis ſcriptis probant, Sedem ſupremam judicari non poſſe.

3. Hæc convitia cùm acriùs undique tunc diſſeminarentur; duo Epiſcopi (ſcilicet *Ennodius Ticinenſis*, & *Avitus Viennenſis*) obtrectatoribus ita ſe oppoſuêre, ut ſimul id, quod controvertebatur, multis argumentis, & apologeticis lucubrationibus ſtabilirent, ſcilicet primam ſedem à Nemine poſſe judicari. Et primò quidem Ennodius in eo totus erat, ut prærogativam iſtam ex inſtitutione Chriſti arceſſeret, qui dum Petro velut fundamento ſuperſtruxit Eccleſiam, hanc illi ſubjecit, nullatenus præfecit: & Petro dedit, ut ligaret, non ut ligaretur, privilegio divinitùs conceſſo. Accedit præſcriptio, propterea quòd ab omni ætate compertum ſit, nunquam Pontifici diem dictam ab Epiſcopis fuiſſe: & quoniam ſine conſenſione Pontificis nec rata Synodus eſt, nec firmi Canones, dic ſodes, quâ authoritate Synodus ulla niſi illegitima contra Pontificem decernet? Quas leges in diſceptanda Pontificis cauſa depromet; cùm hæ tantum roboris habeant, quantum illis Pontifex dederit? Certè fruſtra Princeps ad illud, quod præſcripſit, jus vocatur: nec lator legis lege conſtringitur, niſi volens, lubénſque. Imperant ſubditis ſummi Præſides, minoréſque Majorum judicio ita ſubjacent, ut Summus Judex ſive Deus tantùm de Principibus decernat, cujus judicium cum omni humano ſit formidoloſius, acerbiúſque, non eſt, quòd quis dubitet, quin ſupremo in terris Chriſti Vicario, ſiquidem peccaret, mora quidem aliqua detur, non venia: & pœna quidem differatur, non evitetur. Denique ſi quibuslibet in quoslibet, & in Pontificem ipſum permittenda eſt judicandi poteſtas, quanta inde Canonicæ libertatis ſtrages, quanta univerſali Eccleſiæ ſervitus enaſcetur.

Rationes, quibus Adverſariorum malevola opinio confutatur.

(c) Ennod. in Apol apud Baron. ad an. 503. n. 6.

Objectiones in medium productæ ex ipſis verbis Apologiſtæ Ennodii ſolvuntur.

4. Atque ut Adverſarios fortiùs confutemus, dictorum Apologiſtarum vocibus conceptis contra Obtrectatorum querelas ac difficultates utemur. Ad I. itaque cum Ennodio reponimus (e): *Faceſſat, qui in vobis eſt, pruritus iſte linguarum. Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, à Domino cum Sedis privilegiis, vel ſucceſſores ejus peccandi judicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem, cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim Sanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ digni-*

dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur. Aut enim Claros ad hæc fastigia erigit, aut, qui eriguntur, illustrat. Prænoscit enim, quid Ecclesiarum fundamento sit habile, supra quem ipsa moles innititur..... Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cælo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitionibus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit examini: Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Ad II. ℞. Ennodius, & increpat annosam infantiam recentium Cavillatorum, quasi ex ipso S. Petri ore loquens: *Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis & quæritis mendacium? Scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid canum possessionis genium, illius, qui per culpas juvenescit, ariete pulsatis: & divisione Ecclesiastici gregis, novis me & post carnem passionibus subjugatis* (f)? Præterea satis Adversariorum cavillationes per Scripturæ sententiam confutari affirmat: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* Ad III. respondet Idem: *Eramus dubii, quia non habebat Synodus firmitatem. Transibat negotii qualitas adituros, & plus adhuc remanserat in reverentia pulsati, quàm esset in nostri integritate Collegii* (g). Ut verò pateret, Symmachum Pontificem spontè se tantùm judicio humano inclinare voluisse; in eadem Apologia Ennodius ait: *Redemptor noster judicium, quod inter se & vineam suam optat evenire, magìs implorat. S. Athanasius ad coronæ pretium junxit, quod de dignitate submisit: & ante cælestem de absolutione sententiam, personam Rei innocentiæ bonus æstimator implevit. Sic enim Christi milites sudore suo honorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore humilitate castigant. Sed quamvis B. Athanasium Romano Antistiti (quantùm nôsse datur) imparem locus ostendat; facto tamen in negotio comparantur. Ille præsto fuit Judicibus: iste (quantùm & vos dicitis) advocavit. Ille intentatam discussionem ùt Dei famulus non refugit: iste triumphi sui spem in Discussorum collectione constituit. Sed quid his longiùs collationibus immoremur? Judicia & iste voluit, armavit, attraxit, ingressus est: & quod posset fidelia corda doloris justi aculeis excitare, venerando Concilio authoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit* (h). Ad IV. ℞. Privilegii ratio non à propensione Episcoporum, sed ex eo deducitur, quòd fit Pontifex omnium Episcoporum Caput, ùt advertit Ennodius: *Uni dictum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; &: Quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælo; & rursum sanctorum vocem Pontificum, dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium est, ubique submittitur: dum totius Corporis Caput*

(f) Ennod. in Apolog., quæ extat apud Sirmond. T. I. CC.

(g) ibidem.

(h) ibidem.

put esse designatur. De qua nihi videtur dictum per Prophetam, si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium? & ubi relinquetis gloriam vestram (i)? Porrò Avitus Viennensis, amoturus suspicionem propensionis, ostendit, Episcopos Romæ congregatos nimiâ in Pontificem licentiâ usos fuisse; in vertice enim statum omnium Episcoporum lacessi & nutare ait (k): *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxianimi ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes.* Dein probat, Symmachum ad exemplum Christi & Apostolorum etiam Principi benè paruisse, Episcopos autem tum ad solatium tantummodo Pontificis convenire debuisse: *Perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis formula Decreti, quam de Papa Symmacho apud urbem collecti Italiæ Antistites ediderunt. Quam Constitutionem licèt observabilem numerosi, Reverendíque Concilii reddat assensus; intelligimus tamen, sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs, quàm recipere debuisse judicium: quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet Arbiter cæli, staturos nos ante Reges & Principes in quacunque accusatione prædicens; ita non facilè datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cùm celebri præcepto* (l) *Apostolus clamet, accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum Generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam (quod salvâ ejus reverentiâ dictum sit) penè temerè susceperat inquirendam, divino potiùs servavit examini: perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi, vel gloriosissimo viro Theuderico Regi de his, quæ Papæ dicebantur objecta, patuisse. Quibus cognitis, quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, ut in conspectu vestro non sit Ecclesiæ minor, quàm Reipublicæ status; quôdque vobis Deus posse præstitit, prosit & nobis; nec minùs diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quàm in Civitate apicem Mundi.... In Sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè nutaverit, reformari. At si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare..... Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, quâ commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterùm non est gregis, Pastorem proprium terrere, sed Judicis.*

5. His rationibus etsi Ennodius, Avitúsque veterum Obtrectatorum ora oppilârint; fuit tamen recentiori ætate Joannes Launojus, qui cramben recoquere instituit (m). Argumenta ejusdem hìc breviter perstringere est animus: I. Patres Synodi, ait, quidem Professos esse, ex testimonio nullo haberi, quòd *Romanæ Sedis Antistes MINORUM subjacuerit judicio.* Sed *Minorum* nomine non intelligi Episcopos, sed Senatores, plebémque; nam Præsules esse Collegas, Fratrésque Pontificum, adeóque pares, testante hoc ipsum Symmacho, qui scripsit (n): *Ad*

(i) ibidem.

(k) Avitus Vienn. in ep. ad Faustum & Symmach. apud Hard. in Actis CC. T. II. p. 981.

Apologia Aviti Viennensis pro Symmacho.

(l) ibidem p. 982.

Launojus Pontificum Mastyx acerrimus resumpsit controversiam.

(m) Joann. Launojus in ep. ad Claud. Santeulium.

(n) Symmachi epist. ad Æonium Arelat.

Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium. II. Ennodium ignorantiæ accusat, ut qui ob imbecillitatem ætatis facilè nesciverit Ecclesiæ traditionem. III. Fraudem Ennodii arguit, quâ malè dissimulârit, quod in Synodica Patres Romanæ Synodi olim scripserant ad Gratianum & Valentinianum (o): *Accipite aliud quoque, quod Vir sanctus* (Damasus) *vestræ magìs conferre Pietati, quàm sibi præstari desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla Majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus apud Parentem vestrum Constantinum causam suam persecutus est.* IV. Symmachus ipse se judicari posse agnovit, quando Anastasii famosis criminationibus opposuit defensionem suam (p): *Dicis me esse Manichæum* (inquit) *nunquid ego Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo?... Procedat aliquis, & quâlibet ratione convincat, alioqui convitia sunt ista, non criminum probamenta.* V. His adde alios Pontifices, qui post Damasum, Sixtum III., Pelagium Papam I., Leonem III., Paschalem I., Nicolaum I. vixerunt. VI. Denique etiamsi fortè Provincialis Synodus tale nil posset; cur Oecumenico Concilio hæc potestas de Pontifice judicandi negaretur?

Launoji frivolæ rationes

(o) Synodica Concilii Romani ad Gratian. & Valentinian.

(p) Symmachi ep. 7. Apologet. adversùs libell. Anastasii.

6. His argumentis etsi vim omnem jam Ennodius in Sæculo sexto ademerit, ne tamen Launojus in suis appendiculis triumphet; ex ordine ad singula respondebimus: Ad I. ℞. ex Synodo Romana: *Sedi Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secutâ jussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Quâ autem ratione ista potestas *singularis* dici posset, si hanc Pontifices cum cæteris Episcopis æqualem aut communem haberent? Vel si supra Episcopos Romanus Episcopus singulari potestate eminet, quomodo non isto *minores* erunt, *quorum judicio Romanæ Sedis Antistes non subjaceat?* Cæterùm unum licèt Sacerdotium sit, non tamen unus est Sacerdotii gradus: supremum habent successores Petri, posteriorem reliqui Antistites. Hâc summâ jurisdictione potentior Symmachus Episcopos Arelatensem & Viennensem ad suum vocavit tribunal; nec hi parere vocanti detrectârunt, quin Cæsarius Arelatensis rescripsit in hæc verba: *Sicut à persona B. Petri Apostoli Episcopatus sumit initium; ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat* (q). Ad II. ℞., Ennodii ætatem vix colligi ex ejus Apologia, cujus scriptis cùm ei à Concilio Romano demandata sit, quis credat, tot Patres imbecillem & rudem virum pro tanto opere eligere voluisse? Sed quiscunque Ennodius fuerit, certè ejus Apologeticum opus tanti habitum est à Synodo quinta, ut hoc suum fecerit; ita enim hujus Concilii Patres pronunciabant: *Libellus, qui Synodali auctoritate contra*

Objectiones Launoji ab Ennodio jam dudum solutæ, iterum solvuntur.

Pontifex non Sacerdotio, sed gradu & jurisdictione supra cæteros Episcopos eminet.

(q) Epist. Cæsarii Arelat. ad Symmachum.

Ennodii Apologia à Synodo Romana probata est.

contra eos, qui adversùs quartam nostram Synodum, quæ habita est Romæ, palàm mutire præsumpserant, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur, & in præsentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus consonâ voce roborato, sancta Synodus dixit: Hæc futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus serventur &c. Ad III. ℞. Silvestri factum, quo is sacrilegii ab obtrectatoribus falsò accusatus, causam suam ad tribunal Constantini detulit, cùm ad rem non pertineat, nulla in Ennodii silentio fraudis suspicio esse potest. Nam ubi Canones prohibent, quò minùs Pontifex ad Protectorem & Defensorem Ecclesiæ, sive ad Cæsarem exemplo Pauli appellare valeat, ut idem Imperator, qui gladium portat, & Dei Minister est ad vindictam malefactorum, calumnias validiore manu comprimat? Sed hæc clariùs patebunt in responsione ad V. infrà. Ad IV. ℞., duplicem casum esse, qui si acciderint, ad Episcopos aut Ecclesiam judicandi potestas devolvitur. *Primò, si Pontifex deprehendatur à fide devius* (r), sive hæresis apertæ erroribus agitetur. *Secundò*, si insanabili cæteroquin schismate duo vel plures de Pontificatu certantes turbarent Ecclesiam; tunc enim Synodico judicio opus est, ne porrò Ecclesia nutet, útque se ambagibus aliis extricet: quo facto non de Apostolica Sede, sed de dubiis ejusdem Usurpatoribus feretur sententia. *Tertiò*, spontaneâ purgatione quandoque tenentur Pontifices amoliri suspiciones, calumniásque sibi impactas ad scandalum propulsandum. Hinc Ivo Carnotensis Episcopus Paschalem Pontificem monuit, *ut se judicet, aut factum suum retractet* (s); & Gregorius M. hoc ipsum probat exemplo S. Petri (t): *Certè Petrus potestatem Regni cælestis acceperat, ut quæque in terra ligaret;... & quia ex admonitione Spiritûs ad Cornelium Gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est,... & tamen idem Apostolorum primus querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit.... Si enim, cùm à fidelibus culparetur, authoritatem, quam in S. Ecclesia acceperat, attendisset; respondere poterat, ut Pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent; sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset.* Ad V. ℞. ex his Pontificum exemplis nil aliud cognosci, quàm quòd ipsi Pontifices suâ sponte se purgârint, & Synodum, vel populi conventum postulârint priores, vel indixerint, ut infamiam temerè sibi aspersam diluerent; minimè verò intelligi, quòd populus clerus, aut Episcopi hanc necessitatem primæ Sedis Præsulibus inflixerint. De singulis pauca disseremus: 1. DAMASUS Ursicini accusationibus infestatus erat, *eâ fraude* (ita scripsit Romana Synodus ad Gratianum Imperatorem) ut dum causam dicit, *qui in omnibus judex fuerat constitutus*, nemo esset, qui de lapsis, vel certè de factiosis posset Episcopatûs invasoribus judicare.... Memo-

Quare Pontifices interdum suam innocentiam spontè purgare debeant?

Exempla variorum Pontificum, qui accusati ab Adversariis, spontè obtrectationes impactas diluebant.

(r) c. si Papa Dist. 40.

(s) Ivo Carnot. ep. 235.

(t) Greg. M. l. 9. ep. 39.

Memoratus Frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, *non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativâ tamen Apostolicæ Sedis excellit*, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra submovit.... *Ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur....* Accipite aliud, quod Vir sanctus *vestræ magìs conferre Pietati, quàm sibi præstare desiderat,....* non novum aliquid petit, sed sequitur exempla Majorum; ut *Episcopus Romanus, si Concilio ejus non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat.* Nam & *Silvester* Papa à sacrilegis accusatus, *apud Parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.* Et de scripturis similia exempla suppeditant, quòd cùm à Præside *Paulus Apostolus* vim pateretur, *Cæsarem appellavit*, & ad Cæsarem missus est (m). 2. SIXTUS III. accusatus falsò de stupro virgini sacræ illato (n), sciens, quòd ab ejus communione Augustus & mater ejus, multúsque populus se segregaret, *venit in Basilicam B. Petri Apostoli, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit?* Et cœpit omnis urbana plebs clamare, ut dicta ejus Augustus & Clerus urbis Romæ probarent examine..... Introivit Epiphanius Presbyter, & dixit cum lachrymis: *Fiat probatio, ut Ecclesia non maculetur. Respondit Maximus Exconsul, & dixit: Non licet adversùs Pontificem dare sententiam.* Respondit Sixtus, & dixit: *Quanquam in meo arbitrio sit, judicer, an non judicer: tamen meo judicio non abscondatur veritas.* Tandem surrexit Augustus, & dedit in arbitrio Sixti Episcopi, ut judicaret judicium suum, & discesserunt cum Augusto omnes. 3. PELAGIUS I. in suspicionem necis Vigilio Papæ acceleratæ vocatus, ita se purgavit (o): *Pelagius tenens Evangelia & Crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* 4. LEO III. cùm quorundam criminum insimularetur, Episcopi dixerunt: *Nos Sedem Apostolicam (quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum) judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit, Canonicè obediemus* (p). Pontifex verò posterâ die *amplexus sacra Christi quatuor Evangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clarâ voce dixit: Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco: & hoc peracto, omnes Archi-Episcopi.... dederunt laudem Deo.* 5. PASCHALIS I. geminæ cædis factæ calumniâ exagitatus coram Legatis Ludovici Pii, se ab hujus pacti communione cum magno Episcoporum numero, jurejurando purgavit (q). 6. Synodus Octava Photium damnavit, quòd Pontificem NICOLAUM ausus esset judicare, & anathemate ferire (r), editúsque

(m) Append. Cod. Theod.

(n) Acta Synodi Romanæ de causa Sixti III Conferatur Pagius in Breviario Pontif. T. I. p. 184.

(o) Liber Vitæ PP.

(p) Anastasius in vita Leonis III.

(q) Eginhardus.

(r) Synodi VIII. Act. 19.

Canon ſequens: *Sed nec alium quemcunque oportet conſcriptiones contra Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ & verba complicare, & componere ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioſcorus. Quiſquis autem tantâ jactantiâ & audaciâ uſus fuerit, ut ſecundùm Photium & Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quasdam contra Sedem Petri Apoſtolorum Principis moveat, æqualem & eandem, quàm illi, condemnationem recipiat. Porrò ſi Synodus Univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas & controverſia: oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos ſenioris Romæ Pontifices* (s). 7. Quæcunque ab Ennodio vel Avito dicta ſunt de Provincialibus Synodis, parem vim habent adversùs Oecumenici Concilii judicium: Illi enim ajunt, Petri, ejúsque ſucceſſorum id eſſe privilegium, ut innocentiam cælo tantùm debeant; deinde Oecumenica Synodus æquè convocanda eſt à Pontifice, & confirmanda, éſtque membrorum collectio etſi numeroſior; ex numero tamen non accipit Grex poteſtatem de Paſtore judicandi. Plura de hoc argumento tractabuntur, quando agetur de Concilio Baſileenſi.

(s) Synodi VIII. can. 21.

REFLEXIO V. ad §. II. Num. 9. pag. 536.

De antiquioribus Collectionibus Canonum.

Canonum Eccleſiaſticorum ratio & finis.

1. QUod in Republica civili Leges Principum, hoc in Hierarchia Eccleſiæ ſacra Statuta Canonum altiore fine, ac ſublimiore animarum emolumento præſtare ſolent. Ut enim ii, qui ad clavum Imperii ſedent, Legibus Magiſtratuum, ſubditorúmque ordinem componunt, aut vitæ humanæ tranquillitatem his veluti mediis opportunis moderantur; ita illi, quos *Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* (a), quíque *Præpôſiti ſacri pervigilant, quaſi rationem pro animabus reddituri* (b), Canones præſcripsêre, quibus Eccleſiaſtica judicia dirigi, totam univerſi Gregis diſciplinam formari, ac præcipuam *regulam benè vivendi* conſtitui (c) deſiderabant. Itaque Canonum ejuſmodi argumentum non in uno verſatur; alii enim Canones vitia, naturali jure jam prohibita, appoſitis diris Eccleſiaſticis, multò longiùs à fidelium conſuetudine proſcribunt: alii, quæ ad cultum divinum, Clericorum honeſtatem, Presbyterorum ac Miniſtrorum ſanctitatem pertinent, ſuggerunt: munerum alii, dignitatúmque Eccleſiaſticarum gradus diſcernunt, Sacramentorum myſteria, ritúsque explanant, delinquentibus definiunt pœnas, & quidquid cælo nos dignos reddit, ut id agamus: quid-

Multiplex argumentum Canonum.

(a) Act. 20. v. 28.
(b) Hebr. 13 v. 17.
(c) Can. 1. 2 Diſt. 3.

quid à cælo avertit, ut fugiamus, statâ methodo ostendunt (d). Et quoniam hi ipsi Canones à diversis Legislatoribus proficiscuntur, inde fit, ut quidam eorum latiore, nonnulli verò minore potestate valeant; qui enim in Oecumenicis Patrum Synodis conditi, toti Ecclesiæ præcepta tradunt; qui verò in Nationalibus, Provincialibus, Diœcesanis dati, horum obligandi vis Patriarchæ, Metropolitæ, aut Episcopi limites non transgreditur, nisi à supremo Ecclesiæ Pastore Canones iidem adoptati & approbati in alias quoque Diœceses ac Parochias universalem authoritatem obtineant. Quemadmodùm verò Leges Ecclesiasticæ à varietate locorum aut Provinciarum terminos suos, finésque accipiunt; ita per ipsa temporum succedentium intervalla, Canones mutationem, modúmque, ídque ex Legislatorum voluntate, patiuntur. Quamvis enim ea decreta, quæ vitia jure divino jam vetita interdicunt (si pœnas Ecclesiasticas adjunctas excipias) vicissitudinem non admittant; alia tamen, quibus nonnisi exterior disciplina dirigitur, pro temporis & loci varietate attemperata quandoque aut mutata, aut per consuetudinem abrogata fuisse, compertum est. De his quippe ait S. Augustinus (e): *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentíque Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit.*

(d) Doviat. Prænot. Canon. l. 3. Petra Cardinal. in Comment. ad Const. Ap. T. I. p. 15.

Vis obligandi Canonum.

Mutatio Canonum ubi licita?

(e) S. Augustin. epist. ad Januar. Item Can. 11. Dist. 12.

2. Pontifices, atque Ecclesiæ Patres, postquam primam operam in definiendis sigillatim Canonibus posuêre; alterâ curâ contendebant, ut sparsæ passim Ecclesiasticæ Regulæ in unum Codicem colligerentur. Quod enim rei civilis Gestoribus consilium erat, cùm vagantes passim Leges in unum corpus conjungerent, nempe ut tota doctrina juris simul congesta, Judicibus repræsentaret, quæ quovis casu sententia à tribunalium Præsidibus ferenda: útque Leges hâc ratione à temporum injuriis vindicatæ securiùs posteris traderentur; ita Patres Ecclesiæ tum ad Judicum Ecclesiasticorum levandum laborem, tum ad spurios Canones à legitimis & genuinis secernendos se quàm optimè facturos credebant, siquidem tot Synodorum, ac Præsulum statuta è tabulariis eruta in certo Volumine, velut in communi thesauro, adservarentur: unde deinceps pro gubernatione Ecclesiarum nova & vetera depromere, vera à falsis discernere, quid Provinciam specialiter, quídque totam Ecclesiam universè obligaret, cognoscere facili operâ liceret. Accedit, quòd de cunctis, quæ in Codicem referebantur, fontium authoritas certiùs constaret; ac vel ideò Canones in paucorum Episcoporum cœtibus editi, ubi publicâ authoritate in unum corpus collecti fuerant, ab aliis quoque Ecclesiis utpote communis norma disciplinæ faciliùs adoptabantur. Ita planè Africanos Canones, utprimùm ab Ecclesia Romana in Codicem relati sunt, probatos novimus, & Pontificum epistolæ missæ ad privatas,

Collectio Canonum.

Quid authoritatis accedat Canonibus per Collectionem aut relationem in Codicem?

(f) Correct. Rom. ad Can. 1. Dist. 20.

 tas,

tas, exterásque Ecclesias ampliorem vim accepêre, cùm è privatis scriniis in publicum Codicem productæ, pro decretali constituto haberi cœperant (g). Econtra Ecclesia Romana Canones Concilii Constantinopolitani disciplinam concernentes, in Synodo Chalcedonensi exhibitos agnoscere noluit, propterea quòd Legati Apostolici testarentur, eos in Constitutionibus Ecclesiasticis non reperiri; atque inde etiam evenit (h), ut Antistites Africæ de Canonibus Sardicensibus quæstionem, litémque injicerent, quia in Codice Canonum se illos legisse pernegabant (i).

(g) Quesnell. Dissert. 12. T. II. operum S. Leonis.

(h) Concil. Chalced. Act. 16.

(i) Can. 1. Dist. 19.

An Collectio Canonum Apostolicorum prima fuerit?

3. Ex his igitur causis Patres primùm in Oriente, ubi Ecclesiæ incunabula extiterunt, Canones in Codicem referre allaborârunt. Sed quoniam non unum volumen Legum Ecclesiasticarum per Orientis Diœceses circumferebatur, hinc diversis nunc agitatur opinionibus, quæ Collectio alteram tempore antecesserit. Sunt, qui *CANONUM APOSTOLICORUM Collectionem* primo loco recenseant, tum quia in exordio Ecclesiæ ab Apostolis, ídque in Concilio Hierosolymitano jam compositi (k); tum quia ab Apostolorum discipulo Clemente jam collecti fuerunt (l). Atque ut assertum rationibus stabiliant; I. ad priorum sæculorum Pontifices provocant, qui horum Canonum in suis epistolis meminêre; II. nec minùs operosè primævorum Patrum testimonia adducunt, ex quibus Origenes docet, fideles lapsos, peractâ legitimâ pœnitentiâ, in Ecclesiæ communionem admissos fuisse, non tamen ad sacrum ministerium promotos (m): quod idem Canones Apostolorum LI. & LXXX. statuerunt. S. Alexander Præsul Alexandrinus *Canoni Apostolico* eos adversari confirmat, qui à communione abscissos Clericos suscipiunt (n). III. Neque tantùm Patres singuli, sed & in Synodis Oecumenicis, ac aliis Conciliis magno numero congregati id comprobâsse videntur; nam Nicænæ Synodi Canon primus nihil aliud decernit, quàm quod Apostolicis Canonibus XX., XXI., XXII. jam fuerat sancitum: nempe si quis se ipsum exciderit, ne in Clerum admittatur; *Quos verò barbari aut Domini castraverunt, si inveniantur aliàs digni, tales ad Clerum Canonem suscipere.* Præterea Synodus Antiochena ex Canone Apostolico XXXIV. prohibet, ne quid gravioris momenti agant Episcopi Provinciales, sine sententia ejus, qui præest Metropoli. Constantinopolitani Concilii Patres negaverunt, Episcopum, nisi à Provinciæ Præsulibus, dejici posse: nec permittebant Ephesini Antiocheno Episcopo, ut ordinationes Provinciæ Cypri ad se traheret, eoquòd aliter *Apostolici Canones* constituissent, & qui refragarentur, contra Leges Ecclesiasticas, & Canones Apostolorum peccarent. IV. His accedunt Rescripta & Constitutiones Imperatorum, ex quibus Apostolicorum Canonum antiquitas vindicatur; nam Theodosius præ oculis habens Canonem XVII. Ireneum quendam post binas nuptias, præter Apostolicos Canones Tyriorum civitatis Episcopum factum ab ea Ecclesia expellebat (o).

(k) Balsamon in Can. 2. Trull. Lindanus in Chron. Panopl. Franciscus Turrian.

(l) Joannes Damascen. Lambertus Guiterus in Præf. oper. Clem. Lorinus in Acta Ap. c. 15.

(m) Origenes L. contra Celsum.

(n) Theodoret l. 1. Histor. Eccl. c. 4.

Argumenta affirmantium.

(o) Lib. 3. C. de Summa Trinitate.

4. Alii

4. Alii verò Authores majore numero, ac firmiore rationum pondere eosdem Canones à prima Apostolorum ætate removendos censuêre. Nam si Apostoli hæc statuta Canonum condiderunt, quidni canonicis Scripturæ libris eosdem adscripseris, quod tamen à nemine, si unum Joannem Damascenum exceperis (p), hactenus tentatum fuit. Adhæc Canonum Apostolicorum argumenta intuenti quàm multa occurrent, clarè, dilucidéque exposita, ac definita, quæ tamen tertio, quartóque Sæculo summâ contentione disputata sunt. An ergo ignorantes adeò istius ætatis Patres fuêre, ut eos Apostolica Decreta laterent, aut ita obstinati; ut nec Apostolorum definitionibus cederent? Opportunè profectò Victor Pontifex Romanus in controversia de Paschate adversùs Asiaticos Canonem septimum protulisset: *Si quis Episcopus vel Presbyter vel Diaconus sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur, sive deponatur* (q); & S. Cypriano, cùm Hæreticorum Baptismum tanto totius Africæ strepitu rejiceret, contra Stephanum Papam suæ causæ suffragium ex Canone quadragesimo sexto depromere licuisset, qui his verbis conceptus erat: *Episcopum aut Presbyterum Hæreticorum suscipientem Baptisma, damnari præcipimus* (r). Atque ut silentium Eusebii, Hieronymi, qui cætera Apostolorum opera accuratè enumerant, hìc prætermittam, certè plura in illis Canonibus memorantur, quæ nec temporibus Apostolorum, nec illius ætatis disciplinæ conveniunt.

Sententiæ contrariæ rationes.

(p) Joannes Damasc. L. 4. de fide orthodoxa c. 18.

(q) Canon 7. Apost.

(r) Canon 46. Apost.

5. Neque difficultates oppositæ hujus sententiæ Patronis negotium facessunt; nam ad I. ℞. malè ex epistolis priorum Pontificum robur peti, quas ad Siricium usque suppositas esse, alibi ostendimus (s). Ad II. ℞. Ss. Patres equidem ex regula à Viris Apostolicis constituta, & omnium Ecclesiarum perpetuo usu firmata, sua sensa sæpiùs hausisse, quin tamen affirmari possit, eadem à Lege quadam scripta, aut ab Apostolis ipsis edita profluxisse (t). Ad III. ℞. in Sæculo tertio necdum viguisse illas pœnas, quæ Can. 21. 22. 23. contra eos, qui se abscindunt, constitutæ leguntur; neque enim Demetrius Origenem facinoris hujus causâ (ùt Lex posteà data jubebat) triennio à communione semovit (u): neque Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsariensis eum à sacris arcebant (x). Quòd verò Antiochena Synodus, tum Constantinopolitana, aut Ephesina idem statuant, cujusmodi Legem jam Apostolici Viri in privatis Synodis dederunt, non inde statim evinces, Decretum hocce ab Apostolis originem habuisse, præsertim cùm Concilia sæpè provocent ad Episcoporum statuta seu scripta, seu usu recepta, aut ad ea, quæ Apostoli generaliter duntaxat tradidêre, quæ tamen in Canonibus Apostolorum ita appellatis nusquam reperies; ita cùm Nicænæ Synodi Canon XII. ait: *De his, qui ad exitum veniunt, Lex antiqua, regularisque servabitur,*

(s) Vide T. I. Hist. N. Univ. p. 345.

Solvuntur Adversariorum difficultates.

(t) Natal. Alex. Sæc. I Diss. XVIII. p. 202.

(u) Idem Differt. XV. Sæc. III.

(x) Euseb. Hist. L. 6. c. 56.

bitur, ita ut, si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico minimè privetur; istud præceptum ex traditione aut usu Ecclesiarum potiùs, quàm ex collectione Apostolicorum Canonum (in queis nec apex de his extat) eruere poteris. Ad IV. ℞. Imperatores, siquando appellant Apostolicos Canones, non significare scriptas Apostolorum regulas, sed eum, qui Apostolicæ doctrinæ aut Patrum congruit, Canonem Ecclesiæ non literis expressum, sed more & usu Ecclesiarum comprobatum (y). Quanquam minimè deserendam hìc eorum opinionem existimemus, qui leges quoque scriptas, sive ex Episcoporum aut Synodorum particularium placitis excerptas fuisse ajunt (z), quas deinceps Pontifices, Cæsarésque posteà nomine antiquarum legum, regularum Ss. Patrum, Canonum Ecclesiasticorum aut Apostolicorum laudârint: cùm enim Apostolorum successores, qui & (teste Tertulliano) Apostolici Viri dicuntur, tales regulas formârint, quibus veterum sæculorum disciplinam excolerent, fieri potuit, ut Canones (qui Apostolicorum erant) deinceps quarundam literarum detractione, Apostolorum nominarentur. Non uno autem sæculo hos Canones in lucem prodiisse, inde conjicias; tum quòd ab iis, qui eorum mentionem faciunt, Authoribus non uno & constanti numero, sed subinde minore, modò ampliore, quando successu temporis aucti fuerant, recitentur; tum quòd controversias ejus generis dirimant, utpote de admittendis ad pœnitentiam lapsis, de Paschate, de Hæreticorum Baptismo, aliísque, quas quæstiones ambiguas diversis utique sæculis agitatas fuisse, nemo dubitabit (a).

(y) Natal. Alex. Sæc. I. Diss. XVIII.

(z) Albaspineus L. I. Observ. 13.

(a) Petrus de Marca l. 3. de Concordia c. 2.

Prima Collectio Canonum in Oriente.

6. Præmissis iis, quæ de Collectione Canonum Apostolicorum notanda fuerant, altera nunc Collectio Ecclesiasticarum Regularum consideranda est; quam in Oriente post S. Joannis Chrysostomi obitum, & ante Concilii Chalcedonensis ætatem operâ Stephani Episcopi Ephesini coaluisse ferunt: *Nicænos* ista Canones 20. primo loco exhibet, quos sequuntur 25. Canones *Ancyrani*; tum 14. *Neo-Cæsarienses*, qui quidem (ùt monet titulus in Codice præfixus) sunt Ancyranis posteriores, Nicænis verò anteriores: posteà subnectuntur 20. *Gangrenses*, 25. *Antiocheni*, *Laodiceni* 59., ac demum Concilii Constantinopolitani I. Canones 3., qui omnes perpetuâ numerorum serie juxta positi usque ad numerum 165. ascendunt (b). Hanc enim Græcam Collectionem ubi posteà in Latinum vertit Dionysius Exiguus, ita præfatus est: *Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ anteà, seu quæ postmodum facta sunt usque ad Synodum CL. Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo Capitulo usque ad centesimum sexagesimum quintum (sicut habentur in Græca authoritate) digessimus* (c). Ad decidendas causas Ecclesiasticas hoc Codice usa est Synodus Chalcedonensis; nam cùm congregati jussissent, ut *sacri Patrum Canones*

(b) Schelstrate in antiquit. illustr. Diss. II. c. 8.

(c) Dionys. Exiguus in Præf.

Canones legerentur, & insererentur Commentariis, tum sumpto libro Aëtius Archidiaconus & Primicerius Magnæ Ecclesiæ recitavit Canonem 83. & 84., qui erant Canones 4. & 5. Antiocheni (d). Prætereà vigente Bassianum inter & Stephanum de Sede Ephesina controversiâ (e), Stephanus dixit: Supplico, *ut Canones relegantur*, qui dicunt, ut, si quis in alia civitate ordinatus est, constitui non possit in altera. Gloriosissimi Judices dixerunt, *relegantur*. Leontius Episcopus Magnesiæ *è Codice relegit* Regulam 95.: *Si quis Episcopus vacans* &c., qui est Canon 16. Concilii Antiocheni. Item Leontius ex *eodem* Codice legit Regulam 96.: *Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatûs*, qui est Canon 17. Antiochenus. Ex quibus Baronius concludit (f): " Ex quadam antiquiori nobis incomperta Collectione in Concilio Chalcedonensi duos Canones Antiochenæ Synodi in Actione IV. & XI. ad verbum esse citatos, sed absque titulo Antiocheni Concilii: quorum quidem in eo Codice, qui in Synodo probatus atque lectus est in Actione XI., prior 95., alter 96. erat numero consignatus; cùm tamen iidem in Concilio Antiocheno 16. & 17. ordine describebantur: ut planè appareat, non ex ipso Antiocheni Concilii Codice editos esse, sed ex quadam antè jam facta Collectione, communi Majorum authoritate probata." Quam verò incompertam Collectionem Baronius appellavit, hanc Justellus ex Græcis Codicibus erutam anno 1610. Parisiis edidit cum hocce titulo: *Codex Canonum Ecclesiæ universæ à Justiniano Imperatore confirmatus* (g). Hanc inscriptionem, nisi ad Ecclesias Orientales restringatur, minimè Codici dicto convenire non tantùm notavit Lupus (h); sed & rationes evincunt: neque enim universa Ecclesia ita recepit, ut nullos admiserit pro Regula generali totius Ecclesiæ præter illos. Desiderat profectò in hoc Codice Romana Ecclesia Canones Concilii Arelatensis à Sede Apostolica comprobatos, & ultra viginti Canones Nicænos plura in eadem Synodo statuta addi Codici debebant, quæ Hieronymus, Augustinus, aliíque admiserunt, ùt certas Ecclesiæ Regulas (i): & cur ad complendum opus non adjiciebantur Canones Sardicenses, quos totus Occidens & Oriens ipse ab omni tempore venerati sunt (k)? imò cur ad invidiam & nauseam Occidentalium apponebantur Canones Constantinopolitani, quos longo tempore Sedes Apostolica rejecit?

(d) Synod. Chalcedon. Act. 4.
(e) ibid. Act. 11.
(f) Baron. in Annal. ad an. 341.
(g) Schelstrate in P. II. antiq. illustr. Diss. 2. c. 8.
(h) Lupus ad Synod. Chalced.
(i) Schelstrate l. c.
(k) Idem.

Collectiones Canonum apud Latinos.

7. A Græco Canonum Codice nunc ad Latinas Collectiones gradum facimus, de quibus Petrus de Marca ita scribere instituit: Occidentem ante Nicænum non Canonibus, sed solâ traditione pro Regula usum fuisse; post Nicænum verò ad Innocentium usque Primum Nicænorum Canonum duntaxat viguisse authoritatem (l). Sed D. David Petri Marcæ Adversarius hæc eo consilio excogitata esse ostendit, ut Canones Sardicenses, atque in iis appellationes ad Sedem Romanam probatæ supprimeren-

(l) Petrus de Marca de Concordia Sacerd&Imp L.3.c.2.n.1.

merentur. Quare contra iturus ejuſmodi doctrinæ, regulas permultas adducit, quæ licèt non Canonum more, Decretorum tamen à Pontificibus Eccleſiæ univerſæ impoſitorum nomine in Occidente uſum obtinebant. An enim de nihilo fuit Edictum Zephyrini, de Mœchis pœnitentiâ functis recipiendis, quod Tertullianus *perfunctorium* appellat? An Canon I. Concilii Arelatenſis nullum inter Regulas meretur locum, qui tunc Paſcha obſervari juxta Romanæ Eccleſiæ traditionem jubebat? & poſt *Nicænum* & Canones Sardicenſes (m), & Damaſi, Siricii, Innocentii I., Zoſimi, Bonifacii, aliorúmque uſque ad Leonem I. ſtatuta Eccleſiæ Romanæ pro Legibus fuêre. Neque tantùm particulares Canones, ſed & Canonum Codices integri priſtinis, & ante Dionyſii ævum lapſis temporibus in Occidente reperiebantur: Jacobus Sirmondus unius in Gallia Collectionis meminit (n); Gallos enim (ait) quidquid Decretorum poſteà Dionyſius exhibuit, in ſuis Codicibus habuiſſe, iíſque etiam ante Dionyſii ætatem in Conciliis ſuis uti ſolitos, docent inprimis Synodi aliquot Dionyſio ipſo, vel ejus Collectione antiquiores, ùt Valentina, Regienſis, Arelatenſis II., Agathenſis, & Epaonenſis, in quibus recitantur Græci Canones, Nicæni, Laodicenſes & Ancyrani, qui non ex verſione Dionyſiana, quæ nondum erat, ſed & ex altera vetuſtiore apud Gallos tunc recepta, in publica volumina tranſiêre. Utì autem hanc Galli, ita quoque Romani ſuam Collectionem ſervabant, in quam ita commentatur Petrus de Marca (o): " Poſt Synodum Chalcedone habitam Canones Græci latinitate donati ſunt, & Occidentalibus communicati, interpretatione in eam rem elaboratâ, cujus meminit Dionyſius Exiguus: ejúſque exemplar antiquiſſimum retinet adhuc Bibliotheca Vaticana à Viris eruditis laudatum; & alterum venerandæ antiquitatis Codicem MS. Vir de antiquitate canonica optimè meritus Chriſtophorus Juſtellus edidit, in quo deſcripti ſunt poſt cæteros Canones viginti ſeptem Synodi Chalcedonenſis. Atque ut porrò eluceſcat, in Romanæ Eccleſiæ uſu alium olim Codicem fuiſſe, Synodi Chalcedonenſis Acta, quæ Actione XVI. agitabantur, repetenda ſunt: Quæſtio illinc movebatur inter Legatos Leonis I., intérque Aëtium Archidiaconum Conſtantinopolitanum de Sede Conſtantinopolitanâ provectâ ad ſecundum honoris Patriarchalis gradum: utraque pars ut cauſam ſuam evinceret, ad Canonem ſextum Nicænum provocabat, non iiſdem tamen verbis utrinque expoſitum; nam Paſchaſinus Legatus Romanus è Codice ſuo legebat: *De Primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum civitatum Epiſcopis antiqui moris eſt, ut Epiſcopus urbis Romæ habeat primatum, ut ſuburbicaria loca, & omnem Provinciam ſuâ ſollicitudine gubernet* (p). At Aëtius Græcæ rei Geſtor in ſuo Volumine nihil de Primatu Sedis Apoſtolicæ commemorari lectione ſuâ comprobabat; unde intelligas, Latinis alium, atque Græcis Codicem eo tempore fuiſſe.

8. La-

(m) Leo I. ad Theodoſ. ep. 2.

(n) Jacobus Sirmondus in Præf. ad antiq. Galliæ CC.

Antiquiſſimus Codex Canonum in Eccleſia Romana.

(o) Petrus de Marca l. 3. de Concord. c. 3.

Idem Codex diverſus fuit à Collectione Dionyſiana.

(p) Concil. Chalced. Act. 16.

8. Latinus nihilominùs ille vetus Canonum Codex ordine, & genuinâ Canonum versione carere visus est; unde Laurentius Romanæ Ecclesiæ Presbyter, ac Stephanus Salonitanus in Sæculo VI. Dionysium Exiguum interpellabat (q), ut, quo in Græcis & Latinis literis polleret usu, indigestam Canonum molem meliore nexu ac interpretatione componeret; qui proinde operi manum daturus, hanc sui propositi rationem Collectioni anteposuit: *In principio Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus* (r). Antequam hìc in textu Dionysii pergamus figere pedem, & in numerum Apostolicorum Canonum, quos Dionysius colligendos putavit, inquirere necesse est. Ecclesia Orientalis in sexti Sæculi periodo octoginta quinque Canones ejusmodi adoptabat, teste Joanne Scholastico Antiocheno Presbytero, & postea Constantinopolitano Patriarchâ (s), dum ait: Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt; quodipsum posteà in VII. Sæculo Synodus Trullana confirmavit (t): Placuit, ut ab hoc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, stabilésque maneant, qui à sanctis & beatis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiam traditi sunt sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine 85. Canones. Sed Dionysius quinquaginta tantùm priores in Collectionem suam retulit, unde conjicias, eo tempore plures in Occidente agnitos non fuisse; nam Urbanus II. posteà scripsit: *Sciendum verò, quòd Canones Apostolorum, quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia* (u). Neque tamen inde statuere licet, quasi 50. Canones Apostolici priores (ùt hodie collocantur) ii fuerint, eóque ordine positi, quo Dionysius eos disposuerat; nam quædam in iis quoque, ùt & in sequentibus, reperiuntur, quæ multis suspicionem fecerunt, fuerintne ab Hæretico supposita (x). His breviter interpositis, in textu Dionysii pergimus: *Deinde Regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ anteà, sive quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum* 150. *Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo Capitulo usque ad* 165. *(sicut habentur in Græca authoritate) digessimus. Tum sancti Chalcedonensis Concilii Decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ videamur velle subtrahere, Statuta quoque Sardicensis Concilii atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. Universarum verò definitionum titulos post hanc præfationem strictiùs ordinantes, ea, quæ in singulis passim sunt promulgata Conciliis, sub uno aspectu locavimus, at ad inquisitionem cujusque rei compendium aliquod attulisse videamur* (y).

9. Collectio Canonum à Dionysio instituta utprimùm lucem viderat; ad Decreta quoque Pontificum evulganda idem Dionysius à Juliano Pres-

(q) Dionys. in præfat. ad Stephanum Ep. Salonit.

(r) ibidem.

(s) Joannes Scholasticus in præf. collect.

(t) Synod. in Trullo Can. 2.

Collectio Dionysiana.

(u) Urban. II ep. ad Præpos. S. Juventii Grat. Dist. 32. c. 6.

(x) Vid. T. I. univ. Histor. nostræ p. 347.

(y) Dionys. in præfat. Acta CC. edit. Binnianæ. Regiæ Labbeanæ.

Presbytero Romano incitabatur, cujus monitis quantum dederit, ipse in epistola retulit (z): *Sanctitatis Vestræ piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eorum, quæ ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum Constituta, quâ valui, curâ, diligentiâque collegi; & in quendam redigens ordinem, titulis distinxi compositis: ita duntaxat, ut singulorum Pontificum, quotquot à me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnêsque titulos huic Præfationi subnecterem eo modo, quo dudum de Græco sermone Patrum transferens Canones ordinâram, quod vobis nimiùm placuisse cognoveram.* Et quoniam hæc Collectio non alias Decretales continet, quàm quæ à Siricio incipiunt, inde Authores arguunt, alias anteriores (licèt summo studio omnia excusserit) investigare non potuisse (a). Opus ejusmodi bipartitum etsi Dionysius privatâ authoritate congesserit; ipsa tamen lucubrationis præstantia (b) adeò probata omnibus est, ut Cassiodorus coævus scripserit: *Fuit nostris temporibus Dionysius Monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in utraque lingua valde doctissimus, qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano ex Græcis Exemplaribus Canones Ecclesiasticos composuit, quos hodie usu celeberrimos Ecclesia Romana amplectitur* (c). Nam Joannes II. Papa in epistola ad Cæsarium Arelatensem hoc Codice paulò pòst usus est, cùm ex versione Dionysiana citatos Canones transcriberet (d). Et apud Nicolaûm I., & Leonem IV. subsequenti ætate tanto in pretio hic Codex fuit, ut prærogativâ quâdam Codex Canonum ab iis appellaretur (e). In Ecclesia Gallicana quando authoritatem Dionysiana versio obtinuerit, Authores adhucdum disceptant; alii enim eandem (statim atque edita erat) ibidem acceptam (f); alii verò seriùs, sive circa Caroli M. tempora admissam esse contendunt (g). Hispania quantum Authori Codicis tribuerit, ex eo intelligas, quòd Patres Concilii Braccarensis II. sub annum DLXII. interpretationi Dionysianæ adhæserint, nec antè receptum morem seposuerint, dum MARTINUS Dumiensis, Pannonius genere, ac postea Episcopus Braccarensis novam Collectionem edidit, quam ex Codice Ecclesiæ Orientalis, & nonnullis aliis Occidentalibus Synodis excerptam Concilium Lucense in Gallæcia probavit (h). Nec minùs Africa Dionysii Volumen in honore habuit: licèt enim FERRANDUS Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus (i) eodem ferè tempore *Breviarium Canonum* concinnavit (k); & CRESCONIUS Africæ Episcopus postea circa annum DXC. pro Afrorum usu aliam Collectionem adornârit; uterque tamen tanti fecerat Dionysii versionem, ut non verba Canonum, sed ordinem mutandum censuerint, quem ita suis in Codicibus Canonicis disposuêre, ut, quemadmodum Dionysius Conciliorum seriem & tempora sequebatur; ita illi Canonicam omnem Disciplinam certis capitibus ac titulis complecterentur (l).

(z) Dionys. in epist. ad Julianum Presb. S. Anastasiæ. *Altera Pars Collectionis Dionysianæ.*

(a) Petrus de Marca l. 3. c. 5. §. 1.

(b) Baronius

(c) Cassiodor. Abb. de div. lect. c. 23.

(d) CC. T. IV. apud Labbe p. 1756.

(e) Can. 1. Dist. 19. c. 1. Dist. 20.

(f) Petrus de Marca L. 3. de Conc. c. 3.

(g) Sirmond. in præf. ad Antiq. CC. Quesnell. T. II. operum Leonis Diss. 16.

(h) Garzias Loaisa in præf. ad Capit. Martini.

(i) Justellus in præf. Victor Tun. in Chron.

(k) Baron. ad ad a. 419 n. 90. Pagius ad an. 527. n. 15.

(l) Pagius l. c. n. 14.

10. An-

10. Antiquo juri novum ſucceſſit circa annum DCCCXXXVI., quando ISIDORUS MERCATOR ſedente Pontifice Nicolao I. veterum Romanorum Pontificum Decretales Epiſtolas congeſſit, cujus laborem ad ſuam Collectionem adhibuit REGINO Abbas Prumienſis anno DCCCCVI. Poſt Reginonem BURCHARDUS Wormatienſis viginti Decretorum Libros compoſuit anno MXX.; cui elapſo ferè ſæculo ſuam Canonum Collectionem appoſuit IVO Carnotenſis. Celebrior autem recentioribus Collectionibus eſt illa, quam concinnavit anno MCLI. GRATIANUS Monaſterii S. Felicis Bononienſis, Ordinis S. Benedicti Monachus: de quibus omnibus latè diſſerere, cùm pagina non permittat, idem argumentum ad opportuniorem locum, tempúsque rejicimus.

Collectiones Canonum recentiores.

REFLEXIO VI. ad §. II. Num. 9. pag. 536.

De Patriarchatûs Aquilejenſis origine, progreſſu, & extinctione ejusdem recenter anno MDCCLI. factæ.

1. INter eos, quibus anteriora Sæcula *Patriarcharum* tribuerunt nomen, duplex genus, diversáque ratio dignitatis à curioſis monumentorum Inſpectoribus animadverſa eſt. Alii enim Patriarchæ & titulo, & jure ampliſſimo dicebantur, propterea quòd multis in rebus ab altero minimè pendentes, & in ſua Sede à Provinciali Synodo conſecrati plures Ecclaſiaſticas Provincias moderarentur; Electos Metropolitas ac Epiſcopos ſuperiore poteſtate confirmarent, ac conſecrarent (a): quorum Nicolaus Papa I. ſub medium Sæculi noni quinque tantùm agnovit; dum ad Bulgaros reſcribebat: *Deſideratis nôſſe, quot ſint veraciter Patriarchæ?* & cùm reſpondiſſet eſſe tres, Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, addit: *Quia Conſtantinopolis nova Roma dicta eſt; favore Principum potiùs, quàm ratione Patriarcha ejus Pontifex appellatus eſt.* Demum Papa his *Hieroſolymitanum* Præſulem primò ſecundùm antiquam conſuetudinem ac Nicænam Synodum honorandum, dein factum Patriarcham annumerat (b). Hos itaque cùm nemo & nomine & reipsâ Patriarchas fuiſſe negaverit; Alii tamen ſunt, qui præter nomen Patriarchici Juris nihil habuêre (c) Horum è numero erant Regnorum *Primates*, qui ſedem primam adepti, quandoque honoris gratiâ Patriarchæ appellabantur; Qui enim Synodi Matiſconenſis II. Acta evolverit Priſcum *Metropolitam Lugdunenſem Patriarchæ* titulo conſignatum inveniet (d). Et apud Hiſpanos Primas Toletanus tanto loco erat, ut ejus Epiſcopatus *Dignitas Patriarchalis Toletanæ Sedis* compellaretur (e). Eandem Prærogativam Angli *Primati Cantuarienſi* adſcripſerunt (f). Denique idem Patriarchæ honos Metropolitæ Aquilejenſi majore cum amplitudine ſaltem temporis datus eſt. Aliis quippe Epiſcopis nomen ejusmodi ad

Quinam Patriarchæ re & nomine fuerint?

Patriarchæ titulares.

(a) Vide Hiſtor. Univ. noſtræ T. II. p. 828.

(b) Nicolaus Papa in reſponſ. ad cap. Bulg. c. 92.

(c) Noriſius de Synodo V. c. 10.

(d) Conc. Matiſc. II. in Præf. apud Harduin. T. III. p. 459.

(e) Luitprandus in chron. æræ 648.

(f) Guilielm. Malmesb. in Prolog. l. 1. de geſtis PP. Angl.

ad breve intervallum fortè obtigerit; at Aquilejensibus hoc felicius præ cæteris evenit, ut non antè Patriarchæ dici desierint, quàm cùm ante duos annos Benedictus XIV. Pontifex hunc titulum (g) unà cum Patriarchatu penitus supprimendum decrevisset. De hoc itaque Aquilejensi Patriarchatu tria nobis nunc examinanda sunt, ex quibus causis ille primò ortum suum, deinde progressum deduxerit, tertiò quæ Papæ Nostri, qui hodiedum felicissimè Ecclesiam gubernat, ratio fuerit, Patriarchatum Aquilejensem omnino extinguendi.

(g) In Bulla Bened. XIV. edita a. 1751 VI. Julii. quæ incipit *injuncta nobis*.

2. Ac primò ubi de Patriarchatûs Aquilejensis origine sermo est, Palladium (h) atque Ughellium (i) pro domo sua facundiùs perorantes audiamus. Horum uterque initia Patriarchatûs descripturus commemorat, S. Marcum à D. Petro Romæ consistente Aquilejæ præpositum fuisse, unde eum Evangelicis officiis functum, ac Hermagora substituto Alexandriam, jubente Christi Vicario, movisse dicunt. Antequam tamen Urbe, quæ post Romam omnium Italicarum prima erat, efferret pedem, Evangelium suâ manu descriptum iis, quos primos à Christo genuerat, reliquisse; quod postea a. 1420. Venetias translatum inter D. Marci cimelia hodiedum servatur. Quare cùm S. Marcus subinde Alexandrinæ civitati Patriarchalem titulum impertierit, quis negabit, hoc honoris juxta ac amoris testimonium Aquilejensibus apprimè dilectis paulò antè à S. Evangelista donatum fuisse? Equidem hæc consecutio roboris quidquam haberet; si Ecclesias omnes, quæ à D. Petri Discipulis fundatæ sunt, Patriarchalium in numerum referre liceret. Verùm cùm nec Ravenna, quæ ab Apollinaris ore olim pendebat, nec aliæ urbes, quibus Evangelium à Petri Discipulis annuntiatum est, titulis ejusmodi præfulgeant; non est, quòd quis argumento huic aliquid tribuendum putet (k). Certè S. Petrus ex eo, quod Sedem Patriarchalem Romæ defixerit; alterum in Italia haud collocavit, ne Patriarchatûs Romani fines coarctarentur, qui per Illyricum, per Septentrionem, latéque per Occidentem & Meridiem proferendi erant.

(h) Palladius l. 5. histor. Forojul.

(i) Ughellus Initio T. V. Italiæ sacræ.

Origo Aquilejensis Patriarchatûs inquiritur.

Sententia Palladii refutatur.

(k) Norisius de Synodo V. c. 10. p. 126.

3. Post Venetorum Scriptorum pro sua patria certantium studia *Salmasius* exterus suam quoque sententiam ex longinquis terris in medium producit; quam brevibus hisce verbis complectitur (l): *Venetiæ Metropolis Aquileja, hinc Aquilejensis Episcopus Patriarcha semper nuncupatus est*; nempe huic Autori persuasum erat, Metropolitam, siquidem primam Regionis totius regeret Provinciam, Patriarchali honore cæteros antecelluisse. Quare cùm in Notitia Imperii inter Italiæ Provincias Venetiæ atque Istria primo loco notentur; inde concludit, utriusque Provinciæ Metropolitam scilicet Aquilejensem nomen Patriarchæ omni tempore habuisse. Verùm quàm in multis hìc Salmasii ingenium hallucinetur, ex eo intelligas, quòd in variis Notitiæ exemplis alio atque alio & subinde penul-

Sententia Salmasii exploditur.

(l) Salmas. P. II. Eucharist. c. 3.

penultimo loco Veneta Provincia reponatur: & quamvis ubique prima in ordine civili scriberetur; anne ideo etiam in Ecclesiastica Hierarchia eundem gradum teneret? Bithynia, ubi Nicomedia erat olim Imperatorum sedes, & prima proinde inter Ponticas Provincias, Autocephalo Cæsareæ Cappadocum subjiciebatur. Byzacium in Africana Regione juxta ordinem civilem priùs collocabatur ante Numidiam, quo non obstante Metropolita Numidiæ Byzacenum antecedebat. Quare ex ordine Provinciarum in illa notitia descriptarum primam quærere, indéque ejusdem Metropolitæ Aquilejensi Patriarchatum adstruere vanum est (m): atque ut porrò palàm fiat, Venetam Provinciam nullatenus primam fuisse; relegenda sunt illa monumenta, quæ Sirmondus contra Salmasium copiosè adduxit (n). Quibus Christianus Lupus suffragatur (o), dum ait: *De Dacio Mediolanensi Episcopo secundo Italiæ Metropolita scribit Victor Tununensis ... adjunxit se tertius Italiæ Metropolita Paulinus Aquilejensis Episcopus, à cujus duritia schisma vocatum est schisma Istrium, & ipse ejus Patriarcha.* Ac ne dicas, Episcoporum ordinem non semper ex Sedis dignitate, sed quandoque ex Præsulum ordinatorum senio describi (p); Certè negari nequit, Ambrosium in Synodo Aquilejensi sub Damaso a. 381. ante cæteros, quos inter erat Valerianus Aquilejensis, sententiam pronunciâsse, quod sanè supremæ Jurisdictionis argumentum est (q). Verùm & illud concedamus, de quo tamen inter Italiæ Episcopos usque ad annum 1047. acerrimè disceptatum est (r), concedamus Aquilejensem Primum Metropolitam dici posse; ideóne hoc dato Patriarchatum illi vindicabis? Provinciam Proconsularem inter Africanas primam fuisse, nemo negaverit; quis tamen inde conficiet, Metropolitam Carthaginensem Patriarcham esse appellatum?

Sententia Baronii.

4. Duabus his opinionibus rejectis, tertia demum Baronii sententia (s) plurium Authorum gravium accessione firmata (t) restat; qui vera exordia & natales Patriarchatûs Aquilejensis à schismate deducit, quod à *trium capitulorum* in quinta Synodo condemnatione initium sumpsit. Hujus schismatis historiam quoniam jam alibi latiùs exposuimus (u); id solummodo hìc breviter ducimus repetendum: scilicet in Istriæ atque Venetiæ Episcoporum animis hic error vigebat; ni quinta aboleretur Synodus, quæ tria capitula condemnando ipsam visa sit Synodum Chalcedonensem proscripsisse, pacem sibi cum Pontificibus trium capitulorum osoribus esse non posse: Minas itaque, siquæ ab Apostolica Sede intentabantur, contemptu, & molliora consilia pertinaci protervià eludebant; quin eò tandem processerant, ut *omnes quatuor Patriarchales Sedes non ratione, sed malitiosâ mente subterfugerent* (x). Atque ut se Romani Pontificis seu hortatibus seu mandatis minimè ampliùs obnoxios venditarent, in Aquilejensem suum Antistitem nomen primùm, dein etiam Juris

Patriarchatûs Aquilejensis ex schismate ortum habuit.

(m) Norif. in Differt. Hist. de Synodo V.

(n) Sirm. in Propempt.

(o) Lupus in Comm. ad Synod. V. c. 6. q. 1.

(p) Hallier L. 4. Hier. Eccl. Sect. 4. c. 2. §. 76.

(q) Synod. Aquilejen. apud Norif. in Differt. de de Synod. V. p. 134 Conf Sirm. l. 1. Propempt. c. 8.

(r) Ughellus T. II. Italiæ sacræ.

(s) Baron. in Ann. T. VII. ad a. 570 n. 10

(t) Sirmond in Propempt. Bolland. ad 8. Febr. Lupus in com. ad Syn. V.

(u) Vide Hist. nostræ Univers. l. VI. c. 2.

(x) Gregor. M. l. 7. ep. 25.

ris Patriarchici speciem transtulêre. Nam cùm Episcopi Aquilejenses morem illum altè combibissent, quo Gothi ac Longobardi Metropolitanos ditionis suæ Patriarchas appellabant (y); visum est, Patriarchæ nomen & rebellioni fovendæ accommodum, & ei potestati confirmandæ, quam ab aliis liberam, nec cuiquam obnoxiam sibi sumpsissent (z). Itaque Præsul Aquilejensis (qui Occidentis Patriarchæ subjectus, neque sine ejus licentia consecrari poterat, ac Romam evocatus (a) comparere olim debuerat) arrogato jam Patriarchæ titulo nec evocanti Papæ obsequebatur, nec pro suî electione facultatem rogitabat.

(y) Cassiodor. l. IX. Var. ep. 15.

(z) Thomassin. de vet. & nov. Disciplin. Eccl. p. 1. l. c. 21. n. 5.

(a) Pelag. I. in ep. ad Episc. Istriæ. Greg. l. 1. epist. 16.

5. Patriarchatûs Aquilejensis forma tumultuaria, modúsque ubi coaluerat; tum ejusdem jam divisio rursus facta est. Longobardis quippe exitium Aquilejæ intentantibus, Paulinus ejusdem urbis Antistes Gradum cum thesauris Ecclesiæ dilapsus, illinc Sedem novam figere cœperat (b): huic subinde Elias, Eliæ Severus, qui omnes schismatis fautores erant, successerunt. Post mortem Severi electus Joannes Abbas, Aquilejam rediit, volente Agilulpho Longobardorum Rege (c); atque hæc causa fuit dividendi Patriarchatûs in duos; cùm enim interea plures Episcopi à schismate ad unitatem Ecclesiæ rediissent (d), Gradi, quæ urbs à Romanis Imperatoribus Longobardorum servituti erepta fuerat, alium catholicæ communionis Præsulem constituendum putârunt, qui simul schismatico Aquilejensi oppositus iisdem & majoribus præ illo honoribus frueretur. Ab hoc tempore Aquilejensis Patriarchatûs ratio adeò exigua habita est, ut Metropolitæ Italiæ primum ei locum dare recusarent, & Apostolica Sedes Ravennatem Archiepiscopum eidem præferendum decerneret (e). Nec mitiùs cum Aquilejensibus egit Gregorius II.: nam licèt hi meliùs subacti relicto schismate paci Ecclesiasticæ se nuperrimè reddidissent; nihilominus Pontifex Patriarchæ titulum, quem Gradensi tamen Episcopo dederat, Aquilejensi abnuebat, id insuper jubens, nequid in Gradensis Patriarchæ jura moliretur (f). Impensiùs tandem Aquilejensibus favit Joannes XIX., dum anno 1026. novo diplomate Popponi Primatum confirmavit: *Inclinati precibus vestris Apostolicâ Authoritate concedimus & . . . confirmamus vobis, vestrísque Successoribus, Patriarchatum S. Aquilejensis Ecclesiæ fore Caput, & Metropolim super omnes Italiæ Ecclesias, quoniam ante omnes constitutam, & in fide Christi fundatam esse cognoscimus, atque volumus sanctam Aquilejensem in cunctis fidei rebus peculiarem & vicariam & secundam esse post hanc almam Romanam Sedem, sicut olim à B. Petro Apostolo concessum fuisse videtur* &c. (g) Non diu hic favor tenuit, post viginti enim annos in Synodo Romana, coram Clemente II. causa denuo suscepta est, qui primum locum Ravennati, alterum Aquilejensi, tertium denique Mediolanensi adjudicavit. Hanc jacturam honoris pensavit rursus Alexander II., qui Ecclesiasticâ Jurisdictione Gosobaldum Aquilejensem

(b) Paul. Diac. l. 2. c. 8.

(c) Idem l. 4. c. 10.

(d) Idem l. 3. c. 12.

Patriarchatûs Gradensis initia.

(e) Noris. l. c.

(f) Gregor. II. epist. 15. 16.

Variæ vicissitudines Patriarchatûs Aquilejensis.

(g) Vide Noris. de Synod. V. c. 10. p. 140.

ſem adauxit: & quoniam Aquileja ab Hunnis olim, dein à Longobardis multoties excíſa, parvarum caſarum raríque habitatoris ob aëris gravitatem ſtatio erat, id Goſobaldo quoque emolumenti acceſſit, ut Forojulienſi Dominatione ornatus, Forojulii deinceps quaſi in Eccleſiæ ſuæ patrimonio habitaret (h). A quo tempore primum locum tum ipſe, tum ſucceſſores ob utriusque Imperii Civilis & Eccleſiaſtici amplitudinem inter reliquos Occidentis Metropolitas obtinuêre. Ampliſſima inſuper Patriarchæ Jurisdictio erat, nam præter Marcham Tarviſinam, Forumjulium, Iſtriámque etiam Noricum ac Rhætiam I. moderabatur.

(h) Idem, p. 142.

Aquilejenſes Forojulium Sedem transferunt.

6. Interea ſuis acceſſionibus non minùs augebatur Patriarchatus Gradenſis: cùm enim Imperatores Græci urbes Provinciásque maritimas occupâſſent Iſtriæ & Venetiarum (i); Gradenſis regere cœpit reliquam Iſtriam, quæ Venetorum ditionis erat, unde Venetiarum & Iſtriæ, & interdum etiam novæ Aquilejæ Patriarcha dictus eſt. (k). Leo quippe IX. poſtquam in Synodo Romana Gradenſis ditionem deſignaverat, datis Literis ad Epiſcopos Iſtriæ ſcripſit: *relectis Privilegiis à Sancta & Apoſtolica Sede ſibi conceſſis, judicio totius Synodi hoc definitum fuit, ut nova Aquileja totius Venetiæ & Iſtriæ caput & Metropolis perpetuò haberetur... Cùm Gradenſis, id eſt novæ Aquilejæ Patriarcha...* atque ut Patriarchatûs veri ſpeciem haberet Gradenſis, tandem civitas in Metropolin erecta eſt, quod Innocentius III. Venetis perſcripſerat, ideò factum eſſe, *ut Eccleſia veſtra non ſolo nomine, ſed pleno jure Patriarchalem dignitatem haberet, cùm ei ſubjecta foret Metropolis Jadertina.* (l) Præterea idem Pontifex huic Patriarchæ ſubjecit, quidquid erat Venetorum, aut Venetis ſubditorum in Conſtantinopolitano Imperio ſparſum, adjectâ etiam poteſtate creandorum Epiſcoporum illis in urbibus omnibus, ubi Veneti plures ſuæ gentis Eccleſias obtineant (m). Quantumcunque autem poteſtate Eccleſiaſticâ polleret Gradenſis Patriarcha, in inſula tamen adhuc extra lucem & ferè ſine opibus miſerè vivebat: quare Gregorius VII. primò Venetos hortabatur, ne dignitatem Patriarchalem, quâ Venetorum ditio honorata eſſet, adeò deſpectam vellent (n). Nicolaus V. plus efficiendum ſuſcepit, dum Gradenſem Patriarchatum in Veneti imperii primariam urbem introduxit (o). Erat eo tempore Venetæ urbis Epiſcopus Laurentius Juſtinianus non minùs pietate, quàm doctrinâ celebris: quem ubi Patriarchali faſtigio dignum Pontifex judicaverat, & eundem Patriarcham dixit; clam duce ac ſenatu, ne hi, quod jam fecerant, Pontificis conſilio reſiſterent (p); Laurentii demiſſio, utut obluctata cedere debuit: cujus in admittendis honoribus moderationem admirata Reſpublica, eundem quoque hâc dignitate cumulandum exiſtimavit, ut à Præſulis gloria decoris aliquid in Venetos redundaret: ſic quod invi-

Gradenſis Patriarchatûs incrementa.

(i) Thomaſſin l. c. c. 23. n. 4.

(k) Leo IX. ep. 2. a. 1050.

(l) Geſta Innoc. III. p. 113. Regeſti 1. ep. 537.

(m) Thomaſſin l. c. c. 23. n. 3.

(n) Idem l. c. n. 5.

(o) Baron ad a. 1050. n. 3.

Gradenſis Patriarchatus in Venetorum urbem introducitur.

(p) Rainaldus a. 1450. n. 19.

invidiosum erat in dignitate, ex mansuetissimis S. viri moribus gratissimum factum est (q).

7. Qui parciùs Gradensi Patriarchæ de vitæ subsidiis antè prospexerant, iidem Veneti Aquilejensi etiam illa, quæ pro patrimonio Ecclesiæ habebat, nempe Forojulii dominationem eripuerant. Turbarum inde illa origo, quæ in hoc ultimum sæculum deductæ finem Aquilejensi Patriarchatui imposuerunt. Concilium Basileense cùm nequicquam diris Ecclesiasticis Venetos ad restituendas terras adegisset; Eugenius IV. molliore consilio, Ludovicum natione Venetum à Florentino Archiepiscopatu in Forojuliensem sive Aquilejensem Patriarchatum transtulit, sperans Veneto à Venetis datum iri, quòd aliis negâssent (r). Sed spe hâc in irritum cadente, testabatur, si à restituendis Ecclesiæ bonis porrò abhorrerent, Aquilejensis Patriarchæ nominationem in Imperatoris deinceps potestate futuram, à quo ne spes quidem esse possit ulla, ut gente Venetus Patriarcha nominetur. Imperatores Austriaci, quorum ditioni jam Aquileja subdita erat, nominationis jus multis ex causis ita fecêre suum; (s) ut, cùm Urbanus VIII. Pontifex Patriarcham denuò natione Venetum designâsset, Ferdinandus II. constanter se restiturum significaret, ne qua suo juri injuria fieret (t). Neque sæculum hoc supremum bellis contentionibúsque ejusmodi vacavit. Quare Benedictus XIV. altiùs revolvens (u) tam ea, quæ in Ecclesiasticis Annalibus habentur circa Patriarchatûs Aquilejensis exordia, gravissimásque perturbationes, quibus Ecclesia DEI propterea vexata fuit; quàm quæ in historiis sæcularibus relata sunt de multiplicibus dissensionibus, cruentísque bellis, quæ inter Christianos Principes ejusdem Patriarchatûs occasione frequenter arserunt; cujusmodi periculis verendum erat, ne eorundem Christianorum Principum pax & concordia, donec Patriarchatus ipse subsisteret, perpetuò exposita remaneret. Ipsius quoque Civitatis Aquilejensis præsentem statum præ oculis habebat & miseram conditionem, ad quam à tanto jam tempore redacta esse dignoscitur; ut in multorum Patriarcharum serie nullus inveniatur, qui in ipsa, sed Forojulii aut Utini resederit; nec ullum imposterum in ea mansurum fore credendum esset. Considerabat præterea, quibus cautelis plurium sæculorum spatio ab Apostolica Sede procedi opus fuerit in ejusdem Patriarchatûs collatione & provisione ad evitandas offensiones, ac dissensionum, bellorúmque tumultus. Maximè verò Pastoralem sollicitudinem Benedicti angebat spiritualis necessitas tot millium animarum, amplissimam partem Aquilejensis Diœcesis ultra modum extensæ incolentium & à Veneto Dominio dissitarum, quarum regimen jam dudum ob inextricabiles rerum sæcularium difficultates haud feliciter procedebat. Quare de remedio allaboratum est, quo tot calamitatibus, contentionibúsque, quæ per aliquot sæculorum decursum Ecclesiam afflixerant, finis imponeretur. 8. E-

(q) Bollandus in V. Laurentii 8. Januarii c. 8.

Veneti Aquilejensi Patriarchæ restituere patrimonium negant.

(r) Rainaldus a. 1440. n. 11.

(s) Vide Prætens. illustres apud Suederum.

(t) Spondanus ad a. 1628.

Causæ graves extinguendi Patriarchatum Aquilejensem.

(u) Bulla Benedicti XIV. quæ incipit *injuncta*.

8. Equidem Benedictus binis literis Apostolicis tum anno 1749. & 1750. datis ex temporaneo, & dum res meliùs discuteretur, valitura remedia præscripserat, inter quæ erat, ut Vicarius Apostolicus interea gregem, qui in Austriacis ditionibus ageret, pasceret, sed ad perpetuitatem pacis illud minùs aptum videbatur; quare DEO inspirante Augusta Imperatrix & Respublica Veneta in sequentia capita à Pontifice confirmanda & perficienda convenêre (x), 1. Ut abolito Aquilejensi Patriarchatu duo Episcopatus aut Archiepiscopatus, unus ex parte Imperii, & alter ex parte ditionum prædictæ Reipublicæ subditarum instituantur, quorum alter Goritiensis, alter Utinensis imposterum nuncuparetur, servatâ utrinque facultatum æqualitate. 2. Ut pariter cum Patriarchatu extinguantur Tituli, dignitates, canonicatus & beneficia inde pendentia, nec aliter nisi à Goritiensi & Utinensi Metropolibus nomen accipiant. 3. Ut Cardinalis Delfinus, quamdiu vixerit, nomen, honorémque Patriarchæ retineat. 4. Eo autem mortuo, nomen titulúsque cesset. 5. Contra has concordiæ leges nihil unquam quâcunque ratione actum aut susceptum iri paciscentes promittunt. 6. Renunciant quoque titulis aut prætensionibus, quibus ab alterius ditione aliquid decerpi aut arrogari posset. 7. Pro tollenda omni dissidiorum ansa cavent, ut redditus, qui ad Aquilejensem Ecclesiam hactenus spectârunt, ità separentur, ut, qui ex terris Austriacis proveniunt, constituendo ibidem novo Episcopo aut Archiepiscopo, eique subjectis canonicis: illi verò, qui ex Veneto territorio promanant, Utinensi Episcopo, aut Archiepiscopo, & ibidem degentibus canonicis ex asse cedant. 8. Postremùm ut ab Ecclesia Aquilejensi ablata restituantur, aut saltem ex æquo & bono causarum ratio defendatur. 9. Quas conditiones ubi ex pactione Austriacos inter & Venetos inita oblatas Pontifex acceperat, lætissimo is animo eisdem subscripsit, & pro Apostolicæ potestatis plenitudine in Aquilejensi civitate & Ecclesiâ Patriarchalem Cathedram, dignitatem & sedem, titulum ac denominationem, atque omne patriarchale, Metropoliticum & Diœcesanum jus eidem Ecclesiæ hactenus annexum, nec non ipsius Ecclesiæ Capitulum, dignitates, canonicatus atque præbendas, penitùs omninò ad perpetuum suppressit & extinxit.

(x) Ibidem *Articuli conventionis inter Austriacos & Venetos.*

Executionem pactorum rogatus Pontifex in se suscipit.

9. Ut verò animabus Christi fidelium in locis ad id tempus Aquilejensi Patriarchæ subjectis aliunde prospiceretur; ad pactorum leges *Primò* statuit Benedictus Papa, ut in civitate Utinensi una Archiepiscopalis Sedes ab eâdem urbe deinceps nominanda cum omnibus Metropolitæ debitis juribus ac prærogativis erigatur, cui ille regionis tractus subsit, qui temporali Reipublicæ Venetæ Dominio citra controversiam ad hanc ætatem subjectus esse cognoscitur, nec non Episcopi, quorum Cathedrales Ecclesiæ ibidem consistunt, abolitâ Aquilejensium jurisdi-

In locum Patriarchatûs Aquilejensis extincti duo Archiepiscopatus eriguntur, Goritiensis & Utinensis.

ctione in Utinensium potestatem transgrediantur. *Secundò* definivit Pontifex, ut in Goritiensi civitate altera Archiepiscopalis Cathedra eodem jure, nec dispari facultate constituta eos suffraganeos, subditósque haberet, qui aut Præsulum, aut fidelium nomine in Austriacis, & antè Aquilejensium curæ olim adscriptis regionibus venirent. Atque ut paciscentium partium zelo aliquid porrò Pontifex tribueret, Austriacis Principibus Goritienses & Venetis Utinenses Metropolitas nominandi jus perpetuum concessit, quin tamen superstiti Cardinali Delfino, quoad viveret, Patriarchæ titulum ademptum vellet: hoc autem decedente, successoribus non aliud, quàm Utinensium Archiepiscoporum nomen fore præcepit.

Jus nominandi Austriacis ac Venetæ reipubl. respectivè tribuitur.

10. Postremùm ut Aquilejensis Civitas atque Cathedralis Ecclesia sui honoris, cujus olim potita fuerat, meminisse aliquâ ratione posset; eandem à futuri & pro tempore existentis Archiepiscopi Goritiensis Jurisdictione eximens, Sedi Apostolicæ immediatè subjecit, ac ne urgente necessitate longiùs Romam quibusvis in casibus provolare necesse sit, Delegatum Apostolicum constituit, qui Ecclesiam ejusmodi Archiepiscopali jurisdictione liberam, Pontificis nomine regat salubriter, gubernet feliciter, providéque conservet. *Plura de his videri poterunt in Constitutione, quam super Aquilejensis Patriarchatûs & Sedis perpetuâ suppressione & extinctione* Benedictus XIV. *Anno Incarnat. Domini MDCCLI. Pontificatûs sui XI. edidit, & incipit:* Injuncta nobis &c.

Ecclesia Patriarchalis olim dicta Aquilejæ, Sedi Apostolicæ immediatè subjicitur.

REFLEXIO VII. ad Caput II. Libri VI.

De Scriptoribus Ecclesiasticis à fine Sæculi V. usque ad Annum 604.

A. 484. Vigilius Tapsensis.

1. VIGILIUS in Africa natus, *Tapsensis* postea Provinciæ Byzacenæ Episcopus orthodoxus, cùm à Vandalis Arianis vexaretur Ecclesia, scripsit *Dialogum adversùs Arium*; ac ne persecutionis æstum in se, aliósque magis accenderet, hunc partum nomine Athanasii edidit. Valuit hæc pia fraus primò apud Vandalicam Gentem, quæ Patrum reverentiam non exuerat; at neminem fefellit, nisi incautum vel volentem. In secunda ejusdem operis editione Author fraudem confessus ait: *Ne singulorum persecutiones in dubium, nullo examinante, venirent, arbitrum quendam (nomine Probum) authoritate judiciariâ interesse feci.... Sabellium ergo, Photinum, Arium, atque ad nostras partes Athanasium introduxi, ut veritas summo confligentium certamine eliquata, ad omnium notitiam perveniret.* Tribus libris continetur Dialogus, cujus Author se ipsum prodit, dum ait (a): *De his omnium quæstionum Capitulis latiùs & planiùs beatus noster Ambrosius.* Ex quo conjicere datur, Dialogi Scriptorem non Græcum,

(a) L. 2. c. 50.

Græcum, sed Latinum, & Athanasio posteriorem fuisse. Præterea *Liber contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis*, item *Liber de Trinitate adversùs Varimadum*, quorum priori Athanasii, posteriori nomen Idacii clari præfixit. Vigilius postea cùm exul venisset Constantinopolim, *quinque Libros adversùs Eutychetem* composuit, quod opus aliqui perperàm Vigilio Tridentino attribuerunt, ùt videre est in Bibliotheca PP.; hic enim Tridentinus Episcopus & Martyr floruit tempore S. Ambrosii, & Martyrium obiit sub Stiliconis Consulatu, quo tempore Eutychiana hæresis necdum eruperat (b). Cæterùm à Vigilio quodam Africano Episcopo *Tractatum* confectum esse *de mille annorum, qui in Apocalypsi prædicuntur, intelligentia*, perhibet Cassiodorus (c); de quo tamen libro alii dubitant. *Symbolum S. Athanasii dictum*, quod tamen opus S. Athanasio abjudicant multi probabiliùs, eoquòd nec Athanasius ipse, nec sequentium sæculorum Scriptor aliquis ante Theodulphum Aurelianensem ejus meminerit (d), nec in Ecclesiis ante annum millesimum obtinuerit, neque ubique inclarescere cœperit, donec à Gregorii IX. Legatis anno 1233. in disputatione Constantinopoli peracta sub Athanasii nomine testimonii loco fuerit prolatum. Plures rationes vide apud Natalem Alexandrum (e), & apud Guilielmum Cave (f). Variis adhuc sententiis agitatur, quis Symboli hujus Author fuerit; an Eusebius Vercellensis, an Anastasius Sinaita, an Vincentius Lirinensis (g), an Anonymus Gallus (h)? Quenellus hoc opus adscribit Vigilio Tapsensi, eoquòd huic familiare fuerit, sub Athanasii nomine sua evulgare (i). Opera omnia Vigilii undique quæsita Franciscus Chiffletius in lucem produxit: extant *Divione* anno 1664., & in Bibliotheca PP. T. VIII.

2. VICTOR VITENSIS in Provincia Africæ Byzacena Episcopus orthodoxus, per errorem quandoque *Uticensis* appellatur (k), pro fide in exilium ejectus Constantinopolim anno 487. scripsit *Historiam Persecutionis Africanæ sive Vandalicæ sub Genserico & Hunnerico Vandalorum Regibus*. Hæc curâ *Beati Rhenani* prodiit Parisiis 1541. & 1569., Divione 1664. Recentiùs eam luci dedit *Theodoricus Ruinart* Parisiis 1693., habetur etiam in Bibliotheca PP. T. VIII.

3. GELASIUS PAPA natione Afer, Pontifex creatus anno 492. scripsit non pauca: 1. *Epistolas sedecim, quarum ultima ad Rusticum Lugdunensem*, à Dacherio edita est (l). 2. *Tomum de Anathematis vinculo.* 3. *Adversùs Andromachum Senatorem, cæterósque Romanos*, qui *Lupercalia* secundùm morem pristinum colenda constituebant. 4. *Adversùs Pelagii hæresin.* 5. *Decretum de Libris Canonicis*, de quo suprà (m). Hæc opuscula vide apud Harduinum in Actis CC. T. III. 6. *Liber contra Eutychem & Nestorium de duabus in Christo naturis* (n). Ex hoc libro Sacramentarii errorem suum contra panis & vini Eucharistici in corpus & san-

(b) Vide Pagium in Critic. T. III. ad an. 400. n. 4.
(c) Cassiod. Divin. Lect. L. 1. c. 9.
(d) Theodulph. Lib. de Spir. S. p. 72.
(e) Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæc. IV. c. 6. p. 110.
(f) Guilielmus Cave in Sæc. Ariano p. 123. & in vita Athanas. sect. 6. N. 10.
(g) Joseph Anthelmus de Symb. Athanas.
(h) Pithœus de Process. Spirit. S.
(i) Quenell. Dissert. XIV. in opera Leonis.
(k) Chiffletius ad L. 5. Vict. c. 7.

Victor Vitensis.
Gelasius Papa

(l) d'Achery in Spicil. Eccl. T. V. p. 561.
(m) Vide Reflex. V. ad C. II. L. VI.
(n) Gennadius de Script. c. 94. S. Fulgentius L. de 5. QQ. apud Ferrand. Diac. c. 18.

(o) Gelasius L. de duabus in Christo naturis.

Gelasii orthodoxa doctrina de Eucharistia.

(p) Baron. ad an. 496.

(q) Canus in loc. Theol l. 6. c. 8.

(r) Bellarm. de Script.

(s) Perronius L. 2. de Eucharistia N. 25.

(t) Labbe de Script. Eccl. T. I. p. 342.

(u) Fulgentius in respons. ad 2. Ferrandi Q.

(x) Epist. Joannis Papæ ad Avienum.

guinem Domini nostri conversionem substantialem eruere conantur (o): *Sacramenta enim* (inquit Pontifex) *quæ sumimus, Corporis & Sanguinis Christi divina res est: propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ; & tamen esse non desiit substantia vel natura panis & vini; & certè imago & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in Actione Mysteriorum celebrantur. Satìs ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, sumimus: ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt, Spiritu sancto perficiente, substantiam, permanent tamen in sua proprietate naturæ: sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam, virtutémque veraciter repræsentant, ex quibus constat propriè permanentibus, unum Christum, quia integrum, verúmque permanere demonstrant.* Ex his cùm transubstantiatio impugnari videatur, Baronius (p), Canus (q), Bellarminus (r), aliíque plures passim illud opus Gelasio abjudicavêre. Præcipuè autem Perronius (s) his utitur argumentis. Gennadius c. 14. scribit: *Gelasius urbis Romæ Episcopus scripsit adversùs Eutychem grande & præclarum volumen.* Sed opus de duabus in Christo naturis nec grande, nec præclarum est, utì videre est in Bibliotheca PP.; Gelasii igitur Papæ liber non est. Idem Author Eusebium Cæsariensem inter Catholicos Magistros agnovit, quem tamen Gelasius Papa ita abjecit, ut ejus opera dixerit apocrypha. Præterea Author laudat tantùm Græcos Patres, quod à more Gelasii Papæ alienum est &c.; è diverso Spondanus, Sirmondus, Petavius, Labbeus (t) librum illum asserunt Gelasio Papæ, ex fide MSs., in quibus inter indubitatas Gelasii epistolas invenitur. Præterea Fulgentius multò apertiùs id confitetur (u): *Hoc etiam B. memoriæ Papa Gelasius servato tenore doctrinæ, per viam veræ fidei, atque Apostolicæ confessionis, paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippe libro, quem memoratus venerabilis conscripsit Antistes adversùs eos, qui in Domino JEsu Christo duarum naturarum nolunt indivisam credere veritatem, sed eas unius naturæ professione confundunt, ipso tenore prædicationis Apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: Has easdem necessarium est profiteri sub una, eadémque persona sic indiscretas, atque inseparabiles illas unitione constare, ut permaneant esse, quod sunt.* Demum Joannes Papa II. sub nomine Gelasii Papæ librum istum citat (x); & quamvis rationes non desint Perronio, quibus à nominis ambiguitate decepto Fulgentio putet, pro Cyziceno aut Cæsariensi Gelasio, Papam Gelasium positum: Joannem autem Pontificem, prolato Gelasii nomine, omnino silere, fuerítne ille Papa, aut alius; in re tamen adhuc ancipiti argumentum illud, quod ex cujuscunque Gelasii opere profertur, intactum relinqui non debet. Quare ad legitimam textûs expositionem potiùs convertimur: nempe Veteres olim substantiæ & naturæ nomine sæpè intellexisse Accidentia

dentia cuique rei propria, quæ sunt veluti natura illius rei exterior, per quæ nobis innotescit interior, & ab alia quacunque re distinguitur. Quo sensu Augustinus ait (y): *Porrò autem, quia per iniquitatem homo lapsus est à substantia, in qua factus est: iniquitas quippe ipsa non est substantia,.....* ubi substantiæ nomine designat qualitates supernaturales & gratuitas, quas per peccatum amiserat; Augustinus enim omnes res substantias vocat, quatenus distinguuntur à Nihilo: *Quod nulla substantia est, nihil omnino est; substantia ergo aliquid esse est* (z). Eâdem ex ratione S. Chrysologus, dum post resurrectionem Christi mutatas proprietates corporis vult asserere, ita inquit: *Ut hoc sit mutâsse substantiam, non mutâsse personam* (a). Denique alibi ipse Gelasius docet, *substantiam hominis peccato originali fuisse depravatam* (b); quamvis solæ qualitates fuerint in deterius immutatæ, ergo pariter idem Gelasius in suprà allegato textu, dum affirmat, non desinere substantiam panis & vini, illud significavit, quòd nativæ qualitates panis & vini non desinant; si enim aliter Gelasius intellexisset, pugnantia fuisset locutus: dixisset enim, Sacramenta *transire* in divinam substantiam, & tamen *non desinere* terrenam substantiam, quod contra naturam transitûs est, qui inter duos terminos versatur, quorum unus acquiritur, alter deseritur. Cæterùm quia *nullum simile est idem*; hinc adæquata inter res similes similitudo non requiritur. Gelasius proinde hâc similitudine declarare tantùm instituebat, quòd sicut panis accidentia & corpus Christi in sua natura permanent in Eucharistia; ita & in Christo maneant duæ naturæ inconfusæ: aut si porrò similitudinem integram cupis, dicas necesse est, quòd sicut duæ naturæ in Christi persona hypostaticè uniuntur; ita & panis & vini substantia cum Christi corpore in Eucharistia, quod nemo dicet. Postremùm ut scias, quo sensu accipienda sint Gelasii verba illa: *Imago & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in Actione Mysteriorum celebrantur*, notandum est, Eucharistiam appellari imaginem Corporis Christi & Sanguinis, quia est incruenta repræsentatio cruenti sacrificii in cruce oblati; porrò Eucharistia Incarnationis imago triplici ex causa dicitur: I. quòd sicut Verbum divinum Incarnatione fit panis vivus & cælestis; ita panis terrenus consecratione fit caro Christi. II. Quemadmodum in Eucharistia sunt duæ naturæ, una *externa*, quæ sensibus percipitur, scilicet accidentia: altera *interna*, quæ intelligitur & creditur, scilicet Corpus & Sanguis Christi; ita in Christo sunt duæ naturæ, una visibilis & manifesta, altera occulta & invisibilis. III. Non aliter, atque Spiritûs S. virtute à purissima Virgine sanguinis portio evasit Corpus Christi; ita non naturæ, sed Spiritûs S. hanc mutationem perficientis operatione, & operatorio Dei verbo substantia panis & vini fit caro & sanguis Christi.

(y) Augustin. enarrat. 1. in Psalm. 68.

(z) Idem l.c.

(a) S. Petrus Chrysolog. serm. 82. de dotibus Corporis Christi gloriosis.

(b) Gelasii epist. ad Episc. Piceni.

Explicantur difficultates, quæ contra Gelasii doctrinam obmoventur ab Adversariis.

4. GENNADIUS Massiliensis Presbyter, scripsit *Catalogum Illustrium* — *Gennadius.*

ſtrium Virorum, *ſive Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & ab eo tempore, quo deſiit Hieronymus, ad annum 495. perduxit. Huic libro, qui à Caſſiodoro laudatur (c), ab Interpolatore quædam addita fuiſſe, notat Labbeus (d), aítque, in MSs. Codicibus magnam reperiri varietatem. Prodiit cum Hieronymi Catalogis *Baſileæ* 1628., & *Coloniæ* anno 1580., cum Scholiis Auberti Miræi *Antverpiæ* 1639. Alter Liber, quem Gennadius compoſuit, inſcribitur *de Fide*, *ſeu Dogmatibus Eccleſiaſticis*; qui Auguſtino malè tribuitur. Operis iſtius triginta capita à c. 22. ad 51. poſt Gennadii mortem ex epiſtola Cæleſtini ad Gallos, & ex Canonibus Conciliorum Milevitani, Africani, & Arauſicani II. adjecta ſunt. Extat inter opera SS. Auguſtini & Iſidori Hiſpalenſis. Cæterùm fides hujus Gennadii à variis variè accipitur. A Noriſio (e), & Natali Alexandro (f) Semipelagianiſmi inſimulatur; quibus alii accedunt ob ſequentes rationes: I. Gennadius Auguſtinum ita perſtringit: *Multa loquenti accidit*, *quod dixit per Salomonem Spiritus S.*: *In multiloquio non effugies peccatum* (g); dein ejuſdem S. Doctoris de prædeſtinatione gratuita ſententiam poſtquam carpſiſſet, frigidè ſatìs addit: *Catholicus permanſit tamen*, & *error illius ſermone multo*, *ùt dixi*, *contractus*, *luctâ boſtium exaggeratus*, *necdum hæreſis quæſtionem dedit.* Caſſiano verò Semipelagiano cenſuram impingere adeò veretur, ut Proſperum Caſſiani Adverſarium his verbis premat: *Legi* & *librum adversùs opuſcula ſub perſona Caſſiani*, *quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat*, *ille infamat nociva*; præterea libros Fauſti Semipelagianorum erroribus refertos commendat: *edidit quoque* (Fauſtus) *Opus egregium de gratia Chriſti*, *quâ ſalvamur.* Atque hæc cauſa eſt, cur Gennadii doctrina circa gratiam ſuſpecta fuerit, & accuſatus mittere debuerit librum ſuum ad Gelaſium. Alii verò Gennadium ex eo vindicant, quòd nullum damnationis ejus extet indicium; unde ajunt, vel doctrinam emendâſſe, vel Semipelagianorum opera non ſatìs intellexiſſe. Prædeſtinationis quidem (ùt tunc mos in Italia ferebat) inimicum ſe ferebat, eóque etiam nomine Auguſtinum & Proſperum reprehendebat; gratiæ tamen prævenientis neceſſitatem ab eo admiſſam fuiſſe, teſtantur ſequentia verba: *Initium ergo ſalutis noſtræ* (*Deo miſerante*) *habemus*; *ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi*, *noſtræ poteſtatis eſt*; *ut adipiſcamur*, *quod acquieſcendo monitioni cupimus*, *divini eſt muneris*; *ut non labamur ab adepto ſalutis munere*, *ſollicitudinis noſtræ eſt*, & *cæleſtis pariter adjutorii*: *ut labamur*, *poteſtatis noſtræ eſt* & *ignaviæ. Nullum credimus ad ſalutem*, *niſi Deo invitante*, *venire*; *nullum invitatum ſalutem ſuam*, *niſi Dei auxilio*, *operari*: *nullum*, *niſi orantem*, *auxilium promereri*: *nullum Dei voluntate perire*, *ſed permiſſu*, *pro electione liberi arbitrii*, *ne ingenuitas poteſtatis ſemel hominibus attributa*, *ad ſervilem cogatur neceſſitatem* (h). Ob hanc Orthodoxiam Hadrianus Papa Viris ſanctiſſimis Gennadium annumerat (i).

5. AL-

A. 495.

(c) Caſſiod. c 17. divin. Inſtit.

(d) Labbeus de Scriptor. Eccl. T. I. p. 343.

An Gennadius fuerit Semipelagianus?

(e) Noriſius in Hiſt. Pelag. l. 2. c. 16.

(f) Natalis Alexander in Sæc. VI. Hiſt. Eccl. c. 4

(g) Gennadius de Vir. Illuſtr. c. 38.

(h) Gennad. in libro de dogmatib. Eccleſ.

(i) Hadrian. epiſt. ad Carolum M.

5. ALCIMUS ECDICIUS AVITUS VIENNENSIS, Isicii viri Senatorii, postea Archi-Episcopi Viennensis filius, Aviti Imp. nepos, Apollinaris Valentiæ Episcopi frater, anno 490. in Sede Viennensi Patri successit: an. 496. Clodoveo de suscepta fide gratulatus, post aliquot annorum intervalla & Gundobaldum Burgundionum Regem, & Sigismundum hujus filium ad Catholica Sacra deduxit; mortuus anno 523., reliquit varia opera, de mundi origine, de laude virginitatis varias epistolas,... quæ monumenta collecta Jacobus Sirmondus edidit Parisiis anno 1643., & exinde Biblioth. PP. Tomo IX. inserta.

Avitus Viennensis.

6. CÆSARIUS in Provincia Cabillonensi natus, in Lirinensi Monasterio primam ætatem posuit; dein ab Eonio Arelatensi Episcopo Monasterio Monachorum præesse jussus, post exactum triennium Cathedram Arelatensem, eodem Eonio mortuo, accepit (k); apud Alaricum Visigothorum Regem ob proditionis suspicionem Burdegalam habuit pro exilio; at detectâ innocentiâ revocatus est. Anno 508. denuò apud Theodoricum Regem accusatus, Ravennæ causam suam feliciter egit. Anno 529. cùm ejus doctrina quibusdam suspecta videretur, coëgit Valentiæ Synodum, in qua per suos Legatos (nam ob valetudinem coràm esse non poterat) ostendit hominem sine præveniente Dei gratia salutem consequi non posse, obiit anno 542., vivítque adhuc in suis operibus; scripsit enim *Homilias varii argumenti 46.: Exhortationem ad custodiendam charitatem: Regulam Sanctimonialium in gratiam sororis suæ Cæsariæ* (l): *Regulam Monachorum, Testamentum* (m), *Librum de gratia & libero arbitrio adversùs Faustum* &c. (n). Ennodius Cæsarium vocat Episcoporum sui sæculi nobilissimum, doctrinâ, eloquentiâ, vitæ sanctitate clarissimum.

An. 502. *Cæsarius Arelatensis.*

(k) Acta Bened. T. I.

(l) Sirmondus T. I.

(m) Le Conte ad an. 542. n. 43.

(n) Vid. Biblioth. PP. T. VIII. & T. XXVII. Stephanus Baluzius Parif. 1669.

7. S. FULGENTIUS, Gente Afer, Teleptæ anno 468. illustri familiâ ortus, tantis naturæ dotibus valuit, ut adhuc puer totum Homerum memoriâ teneret. Græcis, Latinísque literis apprimè excultus, Procurator urbis Patriæ constituitur; à forensibus causis verò ad monasticam vitam transgressus, ab Arianis ob fidem multa tulit, Presbyterio tandem initiatus, circa annum 507. Ruspes Episcopus ordinatur (o). Non longo interposito spatio cum aliis Africæ Episcopis à Thrasamundo Vandalorum Rege in Sardiniam deportatur; retractus subinde Carthaginem ad disputationem cum Arianis, ubi hos satis convicerat, in prius exilium rursus abire compellitur. Tandem ad suam Ecclesiam Ruspensem reversus est, regnante Hilderico, sanctissimè obiit anno 533 (p); hunc Isidorus ita laudat: *In confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis* (q). Fulgentius, cùm Scythæ Monachi suæ fidei libellum per Joannem Diaconum ad Africanos Episcopos in Sardiniam misissent, hâc occasione scripsit

Gennadius c. 86.

An. 507. *S. Fulgentius.*

(o) Fulgentii vita apud Bollandum 1. Jan.


(p) Chiffletius.

(q) Isidorus de Scriptoribus c. 14.

psit *Librum de Incarnatione & Gratia*, in quo Scytharum doctrinam approbat, asserendo peccatum originale (r); dein ostendit, à gratia non tolli liberum arbitrium (s): demum Semipelagianos redarguit, qui voluntatem Dei, quâ omnes homines vult salvos fieri, æqualem circa redimendos & damnatos existimabant. Unde dicebant, quia Deus exspectat hominis voluntatem, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio, ac proinde initium bonæ voluntatis esse ab iis, qui verè salvantur. Utrumque errorem confutaturus S. Fulgentius primò ostendit, bonam voluntatem præparari à Deo, à quo sit etiam initium bonæ voluntatis. Dein specialem esse electorum prædestinationem, quibus (teste Augustino) Deus præparavit media salutis, quibus certissimè liberantur (t): *Quocirca illos omnes, quos Deus vult salvos fieri, sic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus salvari posse, nisi volente Deo, nec existimemus, voluntatem omnipotentis Dei aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim, quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur, nec possunt salvi fieri, nisi quos Deus vult salvos fieri.* Ubi duo advertas necesse est, Apostoli scilicet verba de *Deo*, qui *vult omnes salvos fieri*, intellecta de Dei *voluntate absoluta*, non debent intelligi de omnibus omnino hominibus, sed de omni universitate salvandorum, qui sunt ex omni gente & conditione; Fulgentius verò hìc loquitur de voluntate erga prædestinatos speciali & absoluta (u): *Ipse enim prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.* Quòd autem ait, eos, qui non sic sunt prædestinati, non posse salvos fieri, intellige de potentia, quam sequatur effectus, ita ut re ipsâ salvi fiant.

(r) Fulgent. de Incarn. & grat. c. 14.
(s) ibid. c. 20
Doctrina Fulgentii de prædestinatione.
(t) Idem c. 31.
(u) Idem c. ult.

II. Quando Trasamundus S. Fulgentio decem Arianorum objectiones exhibuit, *librum* composuit *adversùs Arianos*, paulò pòst *tres libros* edidit *ad Trasamundum Regem:* 1. de Mysterio Mediatoris Christi duas naturas in una persona retinentis, 2. de immensitate Divinitatis Filii Dei, 3. de Sacramento Dominicæ Passionis. Rex cùm obmutesceret, unus ex Pseudo Episcopis *Pinta* respondit; contra hunc igitur Vir sanctus *alium librum* misit, qui excidit; nam qui restat, suppostitium opus est ab homine Græcæ linguæ ignaro.



III. Subinde concinnavit *Libellos duos de remissione peccatorum ad Euthymium.* In his commonstrat, non remitti peccata, nisi sincerè conversis, non extra Ecclesiam, neque extra hanc vitam; agit autem de remissione peccatorum mortalium, quantum ad culpam & pœnam æternam (x).

IV. *Ad Monimum* virum laicum *Libri tres* S. Fulgentio tribuuntur, quibus quatuor quæstiones solvit ab eo propositas, PRIMA est: quomodo sit intelligendum, quosdam esse prædestinatos ad interitum (y)? Respon-

(x) Idem de remiss. peccat. l. 1. c. 5.
(y) Fulgent. ad Monim. l. 1. c. 5. 6. 7.

Respondet Fulgentius: *Quosdam quidem prædestinatos esse ad interitum supplicii, non delicti: neque ad malum, quod injustè admittunt; sed ad cruciatum, quem justissimè patientur... Quandoquidem Deus ait in Scriptura: Nolo mortem morientis, sed ut avertatur ipse à via sua mala, & vivat anima ejus. Hæc est mors impietatis, quam Deus non fecit.... Huic autem morti, quam peccator sibi per contemptum divinæ jussionis injustè concupiscendo accersivit, duplam Deus mortem justè judicando retribuit: primam in separatione animæ & corporis, secundam in æterna cruciatione animæ & corporis. Prædestinationis autem nomine non aliqua voluntatis humanæ coacta necessitas exprimitur, sed misericors, & justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam & justitiam cantat Ecclesia, cujus hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suæ, non tamen injusto consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam justitiam rependat injusto.* SECUNDA quæstio erat de *Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi: utrùm soli Patri æterno* (utì volebant Ariani) *immoletur?* Respondet S. Doctor: *Catholici fideles scire debent, omne cujuslibet honorificentiæ & sacrificii salutaris obsequium & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, hoc est, SS. Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi..... Neque enim præjudicium Filio vel S. Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cujus consummatio dum Filii & Spiritûs S. complectitur nomen, ostendit, nullum in Trinitate esse discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur: & cùm ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno, eodemque offertur litantis officio* (z). TERTIÆ Quæstioni, *cur in Sacrificio solius Spiritûs S. missio postuletur?* ita respondet: Sacrificium sanctificari à tota Trinitate, & nomine Spiritûs S. frequenter gratiæ dona significari (a). QUARTAM Quæstionem de supererogatione S. Pauli resolvit, intelligendo per supererogatoria opera consilium de virginitate servanda, vel victum labore manuum paratum, vel de immensis Pauli laboribus. QUINTÆ Quæstioni, *quem sensum habeat illud: Et Verbum erat apud Deum;* satisfacit, dicendo, idem esse, ac: *Verbum erat in Deo.*

S. Fulgentius propugnat, nullum, nisi ex demerito suo, damnari.

Idem docet, toti SS. Trinitati immolari sacrificium.

(z) Idem l. 2. ad Monim. c. 2. 5.

Explicat, quid per Spiritum S. quandoque intelligatur.

(a) Idem c. 6. 10 11.

V. Præter Epistolas morales & dogmaticas, *de continentia uxoris, de compunctione cordis, charitate, verâ pænitentiâ* &c. Petro Diacono Hierosolymam profecturo quadraginta dedit capita de fide, quibus in illis terris uteretur, velut fidei regulis; vigesimum tamen septimum caput à Theologis plerisque non admittitur, dum ait: *Firmissimè tene, & nulla tenus dubites,.... parvulos, qui sine Sacramento Baptismi.... de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.*

S. Fulgentius in eam inclinabat sententiam, quæ statuit, parvulos non baptizatos ignis supplicium pati in æternitate.

VI. Tres libri *de veritate prædestinationis & gratiæ* (b) exponunt *primò* nullis præcedentium aut subsequentium exigentibus operum meritis, Jacob priusquam nasceretur, electum, sed solâ divini propositi beni-

(b) Ferrandus in vita S. Fulgentii c. 29.

gnitate discretum. Subjungit generalem de parvulis sine Baptismo morientibus inquisitionem, docétque, negationem gratiæ & Baptismatis non esse refundendam in præscientiam futurorum peccatorum, quæ perpetrâssent parvuli, si ad majorem ætatem pervenissent. Ad judicia itaque Dei profunda referendum docet, quòd parvuli sive parentum negligentiâ, sive alio casu absque Baptismo moriantur. In secundo Libro gratiam Dei cum libero arbitrio concordare probat (c), & Augustini doctrinam, qui in hoc argumento abundantiùs aliis laboravit, ad sequentia capita reducit: *Sensum quippe Christi habens tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrii & officia discrevit & merita, semper divinis humana subjiciens, & veraciter docens, divinitùs homini, & gratuitò justificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.* In tertio Libro prædestinationem ait esse gratuitam non solùm ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis. In septem ultimis capitibus agit de origine animæ rationalis; recensitis sententiis, quarum una asserit animas singulis fieri, altera opinatur, animas cum corporibus propagari, laudat S. Augustinum, quòd suum in hac quæstione suspenderit judicium, utì & ipse Fulgentius à definitione hujus controversiæ abstinendum sibi arbitrabatur.

(c) Lib. 2. c. 2. 10. 27. 28

Doctrina S. Fulgentii de gratia & libero arbitrio.

De animæ origine hæret dubius.

Ennodius Ticinensis. An. 511.

VII. *Librum de Prædestinatione & gratia* multi Critici ob stylum diversum, & ob propositiones nonnullas absonas S. Fulgentio abjudicant.

Prodierunt hæc aliáque S. Fulgentii opera *Moguntiæ* 1515., *Coloniæ* 1526. per Jacobum Sirmondum, *Parisiis* 1612., habentur etiam in *Biblioth. PP.* T. IX.

8. ENNODIUS, Patriâ Ligur, natus anno 473., ab Epiphanio Ticinensi Episcopo inter Diaconos relatus est. Sub initium Sæculi VI. Symmachi causam Apologetico opere defendit. Anno 511. Ticinensi Ecclesiæ præpositus, pro Hormisda Papa legatione fungebatur apud Imperatorem Anastasium; obiit anno 521. (d). Opera ejus sunt: *Libri 9. Epistolarum, Panegyricus Theodorici Regis, Libellus Apologeticus pro Synodo Palmari, Vita Epiphanii Ticinensis, Præceptum de Cellulanis Episcoporum, Benedictio Cerei Paschalis, Dictiones Scholasticæ & Ethicæ, Poëmata varia.* Hæc aliáque volumina evulgata sunt *Tornaci* 1610., & *Parisiis* 1611. cum notis Sirmondi.

(d) Possevin. in Apparatu. Natal. Alexander Eccl. Hist. Sæc. VI. c. 4. a. 2. Labbeus de Script. Eccl. T. I. p. 275.

Boëtius. An. 510. & 511.

9. BOETIUS SEVERINUS Gente Romanus, illustri familiâ ortus (de quibus plura vide in Historia) Athenis octodecim annis literis dedit variis operam (e), unde Romam reversus, majoribus dignitatibus potiebatur; Theodorici Ostrogothorum Regis furor tam dignum, tam eruditum absumpsit, qui in suis operibus hodie adhuc apud posteros celebris est (f). Præter *plures libros*, quibus *Aristotelem* illustravit, addidit varias lucubrationes *de Arithmetica, Musica, & Geometria.* His tamen

(e) Cassiod. Var. L. I. ep. 45.

(f) Natalis Alexand. l. c. Labbeus l. c. p. 204. Isidorus l. 3. orig. c. 2. Julius Martianus Rota in vita.

men illustriores sunt opuscula *de duabus naturis & una Persona Christi*, *de Trinitate*, *& Unitate*, *Fidei Confessio*, & demum *Libri V. de Consolatione Philosophiæ*; quod postremum opus tanti habuit S. Thomas Aquinas, ut suas animadversiones eidem addere non dubitârit: Collecta opera Boëtii edita sunt *Venetiis* anno 1491., *Basileæ* 1546., & cum variorum Commentariis ibidem anno 1570. *De Consolatione* ad usum Delphini *Parisiis* anno 1680.

Ferrandus. An. 520.

10. FERRANDUS Diaconus Carthaginensis, S. Fulgentii discipulus (g), scripsit nonnullas *Epistolas ad diversos*: inter has notanda illa est, quam dedit ad Severum Scholasticum, in qua Sedis Apostolicæ authoritatem tuetur. *Interroga igitur* (inquit) *vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine veritatis* (h). Et alibi: *Universalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post libros Canonicos tenent* (i). Idem Ferrandus fecit *Canonum Collectionem* (k), Propositionem *Unus de Trinitate natus, & passus est carne* defendit, utì & *tria Capitula* acerrimè tuebatur (l); scripsit vitam S. Fulgentii, aliáque, quæ Chiffletius edidit *Divione* 1549., & in Biblioth. PP. T. IX.

(g) Isidorus Hispal. c. 14. Sigebertus de Scriptor. c. 28. 29. Chiffletius in Præfat. ad Ferrandi opera.

Ferrandi doctrina de Ecclesiæ authoritate.

(h) Ferrandi ep. ad Sever.

(i) Idem in epist. ad Pelagium & Anatolium.

(k) Facund. Herm. l. 4. c. 3

(l) Victor Tunun. in Chron.

An. 518. *Theodorus Lector.*

11. THEODORUS LECTOR Ecclesiæ Constantinopolitanæ, collegit ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto Historiam tripartitam duobus libris comprehensam, quæ à vigesimo anno Constantini usque ad Imperium Juliani deducitur. Huic alios duos libros V. Historiæ Ecclesiasticæ addidit, qui à tempore, quo Socrates desiit, usque ad Justinum Seniorem res gestas exhibent. Robertus Stephanus ea opera edidit Parisiis anno 1544., ubi etiam fragmenta cum notis Valesii anno 1673. prodierunt (m).

(m) Guilielmus Cave de Script. in Sæc VI. p. 326.

An. 520. *Procopius Gazæus.*

12. PROCOPIUS GAZÆUS ita dictus ab urbe, quam incoluit: *Hujus libri multi, variæque doctrinæ circumferuntur, lectu atque imitatione digni.... Dictio ab eo est optimè quidem exculta, sed comptior aliquantò, quàm Commentarii rudiorem formam decet* (n); scripsit Commentarios in plurimos sacræ Scripturæ libros. Eodem tempore floruit JOANNES MAXENTIUS, Gente Scytha, Monachus & Presbyter Antiochenus, qui Scytharum Monachorum causam Apologetico opere apud Hormisdam Pontificem tuitus est (o).

(n) Photius in Bibl. Cod. 160. 206.

(o) Photius Cod. 95.

An. 526. *Ephrem Syrus.*

13. EPHREM, natione Syrus, ex Comite Orientis Patriarcha Antiochenus, Justiniano in causa trium Capitulorum restitit; minis tamen Imperatoris victus, ea damnavit. Scripsit pro Ecclesiasticis dogmatibus, & Synodo Chalcedonensi libros tres, varias epistolas ad diversos, orationes panegyricas & Catecheticas, de quibus fragmenta duntaxat supersunt apud Photium in Bibliotheca (p).

(p) Photius Cod. 228. 229.

An. 527. *Dionysius Exiguus.* (q) Vide Reflex. V. ad C. II. L. VI.

14. DIONYSIUS EXIGUUS, natione Scytha, primùm Monachus, dein Abbas Romanus, Collectionem fecit Canonum Ecclesiasticorum, rogante Stephano Episcopo Salonitano, de qua suprà jam egimus (q). Item Collectionem Decretorum Pontificum à Siricio ad Anastasium II.; vertit etiam multa opera Græca in Latinum, utpote Epistolam Synodicam S. Cyrilli adversùs Nestorium, Gregorii Nysseni de opificio hominis librum, vitam Pachomii Abbatis. Demum edidit Cyclum Paschalem nonaginta septem annorum, ab anno 527 initium ducens. In hoc Cyclo annos à Christi Incarnatione numeravit, unde Æræ Dionysianæ nomen deinde frequentatum est (r). Dionysio adnumeramus MAGNUM AURELIUM CASSIODORUM, quia inter utrosque singularis vitæ & literarum communio fuit. Cassiodorus Scyllacii (quæ est urbs Brutiorum) post annum 463. natus est. Sub Odoacre Herulorum Rege Comitivæ rerum privatarum dignitate auctus, postea Largitionum Comes creatus est. A Theodorico Ostrogothorum Rege primùm Lucanis & Brutiis præponebatur, dein secretioribus consiliis adhibitus, omnia ferè dignitatum munia implevit. Sub Athalarico & Amalasuntha nomine Regis ferè administravit Imperium, infensiorem tamen subinde Vitigem habuit, quare vitæ aulicæ & civilis pertæsus, in Monasterio Vivariensi (quod in extrema Calabriæ parte prope Scyllacium exstruxerat) Monachus, simúlque Abbas consenuit. Eruditionis suæ posteris varia monumenta reliquit (s); supersunt adhuc *XII. Libri*, quos titulo *Variarum* inscripsit; *quinque priores libri* continent literas & edicta, quæ Theodorici nomine edidit; *sextus* & *septimus* complectuntur dignitatum formulas, *tres sequentes* ea, quæ sub Athalarico, Theodato, & Vitige scripsit; duo posteriores proprio nomine conscriptas habent. II. *Chronicon* evulgavit jussu Theodorici, ab Adamo usque ad annum 519., multis tamen vitiis scatet (t). III. *De rebus gestis Gothorum Libros XII. compositos* in compendium redegit Jornandes, quod postremum solum restat. IV. *Librum de anima* concinnavit, in cujus extremo capite erroneè docet, Justorum animas Dei visione non frui ante diem judicii. V. Ecclesiasticam tripartitam Historiam ex Sozomeno, Socrate & Theodoreto collegit, quæ vulgata est Basileæ 1568., & Francofurti anno 1588. VI. *Computus Paschalis* ad indictionem, epactas inveniendas à Cassiodoro congestus est. His accedunt *Commentarii in Psalmos Davidis*, *Institutionis ad divinas lectiones Libri duo*, *Liber de Orthographia*, *de septem Disciplinis*, *de oratione*, *& octo ejus partibus* (u). Sunt præterea opera, quæ ipsi perperàm adscribuntur, *Liber de amicitia vera*, *Expositio in Cantica Canticorum*; nam hunc librum non recenset in libro de Orthographia, ubi tamen omnium lucubrationum suarum numerum init, 2. citat Gregorium Papam, qui diu post mortem Cassiodori Pontificatum adivit &c.

(r) Sigebert. Gembl. c. 27. de Vir. illust. Cassiodor. Div. Instit. c. 23.

An. 530.

(s) Jornandes in Præf. de R. Goth. Greg L. VII ep. 31. 33. Paul. Diac. l. 1. c. 25. de gest. Longob. Aimoinus l. 2. Histor. Franc. c. 9.

Opera Cassiodori.

(t) Vossius de Hist. Lat. l. 2. c. 19.

Error quidam Cassiodori.

(u) Guilielmus Cave de Scrip. Sæc. VI Conferatur Labbeus T. I. p. 218. 219.

Opera

Opera Cassiodori duobus Tomis edidit *Joannes Garretus* Monachus è Congregatione S. Mauri Rothomagi 1679.

15. MARCELLINUS Comes Illyricianus regnate Justiniano scripsit Chronicon ab anno 379. (ubi desiit Hieronymus) usque ad annum 534., sive ad quartum Justiniani Consulatum, quæ enim postea sequuntur, ab alio adjecta sunt (x). Antonius Schonhovius illud primò luci dedit; correctior editio est, quam adornavit Sirmondus Parisiis 1619., habetur inde in Bibliotheca PP. T. IX. Scripsit præterea *Libros IV. de temporum qualitatibus* (y), item *de urbibus Constantinopoli & Hierosolyma*, sed hæc opera interierunt.

Marcellinus Comes. An. 534.

(x) Vossius de Hist. Lat. l. c. Possevin. in Apparatu.

(y) Cassiod. Divin. Lect. c. 17. 25.

16. FACUNDUS HERMIANENSIS in Africa Episcopus, acerrimus trium Capitulorum propugnator (z); Constantinopoli enim cùm negotiorum causâ degeret, à Mennæ communione, quòd Capitula damnâsset, se subducens, scripsit *duodecim libros pro defensione trium Capitulorum*, perperàm ratus fieri non posse, ut tria Capitula damnentur, quin Concilium Chalcedonense labefactetur: unde etiam à Vigilio, postquam is tandem examine controversiæ propiùs instituto, Capitula damnaverat, se separavit, nec à schismate recessisse legitur. Laudat Guilielmus Cave in Facundo hoc consilium vel constantiam, sicut opinatur; atque ut suum Heterodoxus faciat, ex eo testimonium profert (a), quo dicitur, Sacramentum adoptionis adoptionem nuncupari. Sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus dicitur Corpus ejus & Sanguis; non quòd propriè panis & vinum consecrata, sint ejus Corpus & Sanguis: sed quòd Mysterium Corporis & Sanguinis ejus in se contineant (b): *Sacramentum* (ait) *adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est: & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari: sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus; non quòd propriè Corpus ejus sit panis, & poculum Sanguis: sed quòd in se Mysterium Corporis ejus, Sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, Corpus & Sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus accipientes, Corpus & Sanguinem Christi rectè dicuntur accipere; sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici, adoptionem filiorum suscepisse.* Inde Calvino addicti inferunt, Facundum docuisse, quòd Christi Corpus nec verè, nec propriè Sacramento includatur, quemadmodum nec verè, nec propriè in Baptismo adoptio includitur. Equidem, qui Facundum Schismaticum, & à communione Ecclesiæ ad mortem usque alienum fuisse novit, quisque legit ejus *Epistolam Fidei in defensione trium Capitulorum*, ubi Romanos Pontifices ac Episcopos, qui Capitula damnârunt, prævaricatores nominat, violâsse

Facundus Hermianensis An. 540.

(z) Victor Tunun. in Chronico. Isidorus de Viris illustr. c. 18.

(a) Guilielmus Cave in Sæc. Eutych. p. 336.

Facundi doctrina de Eucharistia perperàm arguitur.

(b) Facund. lib. 9. c. ult.

pactum

pactum initum cum Deo, & fidem perdidisse, superbiores Diabolo, & Antichristo deteriores criminatur; ex his (inquam) quisque facilè negliget Facundi authoritatem, de quo meritò dicas, quod de Tertulliano pronunciavit Hilarius: *Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus authoritatem* (c); & quando de dogmatis agitur, sufficiet profiteri cum Hieronymo, Tertullianum (liceat nobis dicere Facundum) *hominem Ecclesiæ non fuisse.* Queis verò mitiùs Facundi mentem exponere placet, hi propositum Facundo fuisse ajunt, ut probaret, Sacramentum rei significatæ nomine designari, adeóque mirum non esse, quòd Sacramentum adoptionis adoptionem appellârit; cæterùm Eucharistia utì Sacramentum est, ita & signum tum Corporis Christi, tum passionis & mortis & Corporis mystici, quin tamen hoc modo realem veri Corporis Christi præsentiam quis neget. Et licèt species panis & vini non sint ipsum Corpus Christi, figurato tamen ac sensu orthodoxo dicuntur Christi Corpus & Sanguis eatenus, quatenus cum his constituitur unum sensibile Sacramentum, & quatenus species Corpus Christi & Sanguinem verè continent.

(c) Can. 5. in Matth.

Liberatus Diaconus. An. 553.

(d) Baron. ad an. 435. & 538. Bellarmin. de Scriptor. & L. 4. de Pontif. Rom. c. 10.

17. LIBERATUS Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, unus ex trium Capitulorum Defensoribus (d); à Synodo Africana anno 534. ad Joannem Papam Legatus mittebatur: scripsit *Breviarium de hæresi Nestoriana & Eutychiana*, in quo res gestas 50. annorum, & quid ex omnibus Tabulariis huc spectaret, congessit. *Garnerius* illud Breviarium edidit cum notis *Parisiis* 1675.

An. 555. *Victor Tununensis.*

(e) Otto Frising. l. 5. Hist. c. 6. Labbeus T. II. de Scriptorib. p. 463.

18. VICTOR TUNUNENSIS (alii Cemmensem (e), vel Cummenensem vocant) Episcopus in Africa, ob defensa tria Capitula multas ærumnas & exilia passus, obiit circa annum 565., reliquit *Chronicon ab orbe condito usque ad initium Justini Junioris*, cujus prima pars interiit, altera, quæ ab anno 444. ad annum 565. continuatur, edita est à Canisio *Ingolstadii* anno 1600., emendatior editio habetur apud Scaligerum.

Venantius Fortunatus. An. 560.

(f) Gregor. Tur. l. 5. Hist. Paul. Diac. l. 2. Histor. Longob.

(g) Beda l. 1 Hist. Angl. c. 7. Paul. Diac. l. 2. Hist. Longob. c. 3. Sigebertus de Scriptor. c. 44. Browerus in vita.

19. VENANTIUS FORTUNATUS, Gente Italus, in vico, non procul ab urbe Tarvisina natus, Ravennæ literis operam dedit (f); postea B. Martini ope ab oculorum, quos oleo lampadis ad imaginem ejus ardentis inunxerat, doloribus liberatus, in Gallias ad S. tumulum Turonas perrexit, inde in Pictavos transgressus, ob insignem Rhetoricæ & Poëseos artem, omnium æstimationem sibi vindicavit. Presbyter igitur primò, dein Pictavorum Episcopus creatus in magnam senectutem usque Ecclesiæ præfuit (g). Supersunt à Venantio *Libri XI. Poëmatum*, qui Gregorio Turonensi dedicati sunt. 2. *De vita B. Martini Libri quatuor* carmine Heroico &c. 3. *Hodæporicon ad Justinum Imp. & Sophiam August.* 4. *De excidio Thuringiæ.* Vide Bibliothecam PP. T. X., ubi etiam habentur *Expositiones breves orationis Dominicæ, & Symboli*

plurium

plurium Ss. vitæ S. Hilarii Pictaviensis, S. Albini Andegavensis Episcopi, S. Germani Parisiensis Episcopi, S. Radegundis Reginæ, S. Remigii Rhemensis, S. Amantii Ruthenensis, S. Medardi Noviomensis Episcoporum &c. (h)

20. MARTINUS DUMIENSIS, Gente Pannonius, Hierosolymam primò, dein in Hispaniam profectus, Suevos ad fidem convertit: plura Monasteria construxit, inter quæ unum *Dumiense*, à quo nomen hausit, ipse rexit; ex Abbate subinde Ecclesiæ *Bracarensis* Episcopus, variis Conciliis interfuit (i). Ex operibus, quæ edidit, insigniora sunt *Collectio Canonum Orientalium* in duas partes divisa, quarum prima agit de Personis & rebus Ecclesiasticis, altera de iis, quæ Laicos spectant; continet opus 85. Canones, Apostolicos tamen Canones non citat (k). *Sententiæ Patrum Ægyptiorum* (l), *Formula honestæ vitæ* (m), *de differentiis quatuor virtutum* (n).

21. ANASTASIUS SINAITA à monte Sinai ita appellatus, ubi monasticam vitam peregit. Anno 561. Patriarchatum Antiochenum nactus, Justiniano Incorrupticolarum errorem jactanti restitit, aliósque Monachos primæ & secundæ Syriæ in fide orthodoxa firmavit. Mors Justiniani fecit, quò minùs tunc in exilium ejiceretur; hoc tamen postea adiit, regnante Justino Juniore, ab obtrectatorum calumniis oppressus, nec ante vigesimum tertium annum inde elapsum ad sedem exuli reverti licuit: restitutus anno 595. deinceps rexit Antiochenum Gregem; dum anno 599. carnis mortalitate defunctus, factorum & scriptorum æternam mercedem percepit (o). Huic in Sede Antiochena successit alius Anastasius Sinaita, Junior dictus, ut à decessore distinguatur, qui circa annum 608. à Judæis multis cruciatibus sublatus est (p). Cæterùm Sinaitæ Senioris opera sunt sequentia: 1. *Dux viæ adversùs Acephalos*, qui liber videtur interpolatus (q), vel alteri Authori inscribendus (r); adhæc libri Author circa Eucharistiæ expositionem lapsus est; opinabatur enim, Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones, quæ conveniunt accidentibus, scilicet frangi, dividi, corrumpi, Corpori Domini convenire (s). 2. Scripsit Idem *Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron libros undecim.* 3. *Compendiariam fidei institutionem* &c. Opera alia anecdota vel deperdita ejusdem vide apud Guilielmum Cave.

22. JOANNES SCHOLASTICUS, genere Syrus: Presbyter iscùm pro Ecclesia Antiochena Constantinopoli Apocrisiarii munere fungeretur; anno 564. in locum Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani (qui eo tempore exauthorabatur) suffectus est. Scripsit 1. *Collectionem Canonum*, cui Canones Apostolorum inserti leguntur. 2. *Nomocanonem*, qui præter Collectionis Canonum epitomen adnotat etiam Leges civiles, quæ Canonibus concordant (t).

(h) Vide Dacherium in Spicil. T. VIII.

An. 560. *Martinus Dumiensis, vel Bracarensis*

(i) Isidorus de vir. illustr. c. 22. Honorius Augustodun. de lum. Eccl. l. 3. c. 26.

(k) Vide Bibliothec. Jur. Canon. Justelli T. I. in Append.

(l) Rosweydus de vitis PP. Antverp. 1628.

(m) Isidor. de Script. c. 22.

(n) in Bibliothec. PP. T. X.

Anastasius Sinaita. An. 561.

(o) Evagrius L. 4. c. 38. 39. 40. &c. L. 5. c. 5. & L. 6. c. ult.

(p) Sigebert. de V. Ill. c. 42.

(q) Guilielm. Cave in Sæc. Eutych. p. 345.

(r) Natalis Alexander in Hist. Sæc. VI. c. 4. art. 13. §. 1.

(s) Anastas. Sinaita in L. seu viæ Duce. c. 13.

Joannes Scholasticus. An. 564.

(t) Vide Bibliothec. Juris Canon. Justelli Parisiis 1662. T. II.

S. Gregorius Turonensis.

23. S. GREGORIUS TURONENSIS Episcopus, Patriâ Arvernus, Patrem habuit Florentium, S. Galli Arvernorum Episcopi fratrem, natus anno 544., à Patruo S. Gallo educatus. Anno 566. Turones abiit, ubi anno 569. Diaconis adnumeratus, ac demum anno 572. Turonensem Archi-Episcopatum accepit (u), postquam Euphronius Antecessor eundem Successorem designaverat. Anno 577. in Concilio Parisiensi Prætextatum Rhotomagensem Antistitem, à Chilperico accusatum fortiter defendit (x). Anno 580. Chilpericum Regem in Sabellianorum errorem delapsum ad frugem reduxit (y). Obiit anno 596., colitur in Ecclesia ejus memoria 17. Novembris; vir erat, si virtutem spectes, humilis, & à prodigiis clarus: si scientiam, pro sæculo, quo vixit, haud ineruditus; ab arte tamen Rhetoricæ & Grammaticæ tenuiter imbutus (z). *Parcendum* etiam *viri simplicitati*, inquit Hilduinus (a), *qui multa aliter, quàm se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto literis commendavit.* Opera ejus supersunt sequentia: 1. *Miraculorum Libri septem*, quorum duo *de gloria Martyrum*, quatuor *de miraculis S. Martini*, & unus *de gloria Confessorum*; in his libris miraculorum nimiæ credulitatis, & parùm exactæ Chronologiæ, præsertim in iis, quæ extra Galliam gesta sunt, accusatur (b). 2. Liber unus *de Vitis Patrum.* 3. Unus *in Tractatum Psalterii.* 4. Unus *de cursibus Ecclesiasticis*, hi duo postremi interierunt. 5. Libellus *de vita & morte septem Dormientium*, & in Majori Monasterio prope Turones quiescentium, est partus Gregorio suppositus; nam idem Sanctus in epilogo Historiæ suæ omnes lucubrationes suas recensens, hunc libellum omittit. 6. *Historiæ, sive Annalium Francorum Libri X.*; quibus Author res gestas à condito orbe usque ad Monarchiam Francorum brevissimè percurrit, postea copiosè tractat ea, quæ inde usque ad annum DXCI. evenerunt. Vulgata exemplaria multoties vitiata esse, probat Cointius (c) ad annum 417., 544., 545., 567., 572., 576., 580. &c. Emendare editionem studuit Andreas Du Chesne in suo Tomo I. Scriptorum Francorum, & recentiùs correcta & impressa nova editio est curâ & operâ Bouquetii Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri, & extat inter Scriptores Francicarum rerum Parisiis anno 1738. impressos Tom. II. unà cum Præf. & notis Ruinarti.

Marius Aventicensis. An. 581.

24. MARIUS AVENTICENSIS Episcopus apud Helvetios contexuit Chronicon ab anno 455., ubi S. Prosper desierat, usque ad annum 581 (d). Andreas Du Chesne hoc Chronicon suo Tomo I. inseruit.

Eulogius.

Eodem tempore floruit EULOGIUS Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, atque Ædis S. Deiparæ Præses, demum ab anno 581. Patriarcha Alexandrinus, scripsit 1. Libros quinque *contra Novatianos*, quorum excerpta exhibet Photius (e). 2. Libros duos *adversùs Timotheum & Seve-*

(u) Pagius in Critic. ad an. 574. n. 16. & ad an. 595. n. 13.

(x) Gregor. l. 7. c. 19.

(y) Gregor. l. 5. c. 45.

(z) Greg. in Præf. libri de glor. Confes.

(a) Hilduin. Abbas epist. ad Ludovic. Imp.

(b) Pagius ad a. 583. n. 8

(c) Le Cointe in Annal. Franc. T. I.

(d) Pagius in Critic. T. II. ad an. 455. n. 11. & ad an. 581. n. 17.

(e) Photius Cod. 182. & 208.

rum

rum Hæreticos (f). 3. *Contra Theodosium & Severum* (g). 4. *Invectiva adversùs pacem inter Theodosianos & Guinitas* (h).

(f) Idem Cod. 225.
(g) Idem Cod. 226.
(h) Idem Cod. 230.

Gildas.

GILDAS (cognomento *Sapiens*) Monachus Bannochorensis, Hiberniam fide, Monasteriísque exstructis excoluit, scripsit Epistolam *de Excidio Britanniæ* (i), quem librum ei multi abjudicant ob rationes, quas Guilielmus Cave in Sæculo Eutychiano p. 350. proponit; alii tamen (ùt ibidem videre est) eidem Gildæ hunc librum tribuunt. Præterea edidit Gildas *Epistolas plures*, *Concionum mordentium Librum*, aliúmque *de immortalitate animæ* (k).

(i) Joannes Priscus in Histor. Brit. Defens. c. ult.
(k) Guilielmus Cave in Sæc. Eutych. p. 350.

An. 583.
S. Leander Hispalensis.

25. S. LEANDER HISPALENSIS, ex Carthaginensi Hispaniæ Provincia oriundus, post diuturnam monasticæ vitæ professionem Hispalensi Ecclesiæ præpositus est Archi-Episcopus: ab Hermenigildo ad Tiberium Imperatorem mittebatur, ubi cum Gregorio Magno adhuc Diacono, & Pelagii Papæ Apocrisiario amicitiam iniit. In Hispaniam reversus, exilium passus, à Leovigildo pœnitente Rege revocatus, id mandati accepit, ut Reccaredum Catholicis sacris imbueret, quem & totam Gentem ad orthodoxam fidem traduxit, obiit anno 595. Vir erat, teste Isidoro fratre (l), suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vitâ non minùs, quàm doctrinâ clarissimus. Scripsit *Librum de institutione Virginum ad Florentinam Sororem* (n). Præterea edidit *adversùs Hæreticorum dogmata libros duos, adversùs instituta Arianorum opusculum, epistolas multas ad Gregorium Papam, de Baptismo unam, alteram ad fratrem de morte non timenda* (o).

(l) Isidorus Hispal. de Script. c. 28.
(m) Lucas Holstenius in Collect. Reg. Parisiis 1663.
(n) Isidorus.
(o) Idem loc. cit.

Joannes Climacus.

26. JOANNES CLIMACUS à libro, quem scripsit, scilicet *Scalam Paradisi* dictus, in monte Sina Monachus & Abbas, inter præcipuos sui ævi Asceras eminuit (p): ostendit autem in hoc libro, quomodo per 30. gradus, veluti per scalam, ad perfectionis apicem quis eniti debeat. In quinto gradu agens Climacus de sincera Monachorum pœnitentia scribit: Locus erat ab ipso Monasterio (quod est prope Alexandriam) uno milliari sejunctus, *Carcer* dictus, totus obscurus & squallidus, totus sordidus & fœtens (q). *Hìc nihil aliud quicquam præter panem, & minuta olusculа, & aquam in mensam inferebatur. Inclusi in eo seorsim manebant, quoad Præses de singulis divinitùs edoceretur. Isaacus eorum Præpositus ab iis precum assiduarum pensum exigebat. Suppeditabat illis magnam palmarum copiam, ex quibus calathos texebant ad vitandum otium. Hìc per mensem commoratus, vidi facta & verba, quæ Deo quodammodo vim inferre possent. Vidi quosdam ex innocentibus illis reis totas noctes ad usque mane sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & natura luctantes; alios cælum intuentes, & illinc opem cum lamentabili voce, gemitúque implorantes: alios, qui in precibus perseverabant, manus post terga sceleratorum ritu revincti, vultus alto mærore confusos humi defigebant, ut qui se indignos judicabant,*

(p) Menolog. Græc. 30. Martii.
(q) Climaci scala c. 5.

Austera vita Solitariorum veterum.

cabant, qui cælum respicerent, nihil ausos loqui, nec precari, Deúmque piæ conscientiæ trepidatione & ignominiâ appellare, sed solam animam ratione confusam repræsentantes..... Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant: oculos exesos & depiles: genas habebant saucias, & ardore ferventium lachrymarum adustas, vultúsque pallentes, & emaciatas facies, nihil à mortuis differentes: pectora plagarum ictibus liventia & cruenta; omnia illis rupta erant, & lacera, & inquinata, sordibúsque vermium scatentia. Nihil ad horum patientiam obsessorum à dæmonibus vexatio: nihil supplicium parricidarum ad voluntariam horum castigationem & carnificinam. Rogabant illi sæpè suum moderatorem, utì collum numellis & manicis brachia constringerentur, pedes cippo & robore, reorum ritu includerentur, nec priùs inde expedirentur, donec sepulchro inferrentur. Adverte, opus Climaci, quantumvis excellens, habere tamen ea interdum, quæ benignâ interpretatione egeant (r).

(r) Du Mesnil l. 29. doctrinæ & disciplinæ Eccles. n. 17.

An. 584. *Joannes Biclariensis.*

27. JOANNES BICLARIENSIS, Gothus origine, Scalabi in Lusitania natus, à Leovigildo Barcinonem relegatus, ad Pyrenæos montes Monasterium (cui *Biclaro* nomen) condidit, rexítque, dum inde evocatus, Gerundensium Episcopus crearetur. Scripsit *Chronicon* ab anno 2do Justini Senioris, sive ab anno 566., quo Victor Tununensis desiit, ad annum octavum Mauritii, sive 590 (s). Scaliger hoc Chronicon Eusebiano inseruit.

(s) Isidorus de Scriptor. c. 31. Honorius Augustodun lib. 3. c. 37.

Joannes Jejunator.

28. JOANNES JEJUNATOR, Gente Cappadox, ab abstinentia & paupertate mirifica Νηστευτȣ̃, sive Jejunatoris nomen duxit; mortuo Eutyhcio Constantinopolitano Patriarchâ, suffectus est anno 585. Oecumenici Patriarchæ nomen sibi arrogavit in Synodo Constantinopolitana anno 589, unde magna ei cum Pelagio & Gregorio Pontificibus controversia fuit (t): colitur ab Ecclesia Græca secundâ die Septembris. Scripsit de *Sacramento Baptismatis librum ad Leandrum Hispalensem*, in quo de trina mersione sententias Patrum refert: periit ille tractatus; superest *Pœnitentialis Canon* (u), in quo eum indulgentiorem, ac oportebat, fuisse, Synodus Constantinopolitana postea anno 1081. edixit; Joannes moderationis suæ causas jam anteà dederat: nempe *pœnæ imponuntur secundùm vires & voluntatem eas suscipientis, & non secundùm peccatorum proportionem. Contingit enim, eum, qui pauca peccavit, cùm animo est bono & prompto, pœnas sive epitimiâ magnâ libenter accipere, ut non modò peccatorum remissionem referat, sed etiam coronam; istum verò, qui multa peccavit, cùm animo est remisso & segni, castigatione affici parùm severâ, ne pœnæ gravitate absorbeatur, & animo languens, omnia deserat. Non enim jubemur gravia reddere levia, & gravia imponere. Suave est enim Christi jugum, & onus leve &c.*

(t) Isidorus de Vir. illust. c. 26. Sophronius Hierosolym. apud Photium Cod. 231.

(u) Vide Morinum in Appendice ad lib. de Pœnit.

Cur aliquando pœnitentiarum rigorem mitigare conveniat?

An. 589. *Evagrius Scholasticus.*

29. EVAGRIUS SCHOLASTICUS, Gente Syrus, ortus ex Epiphania

phania (urbe secundæ Syriæ) anno 536. Grammaticæ & Rhetoricæ ubi operam dederat, Antiochiæ more cæterorum Advocatorum causas egit (x). Inter familiares à Gregorio Antiocheno susceptus, hujus Patriarchæ orationes & epistolas in unum volumen congessit. A Tiberio Augusto Quæsturæ, à Mauritio Præfecturæ honorariæ dignitatem meruit. Anno 589. Gregorium Antiochenum variorum criminum insimulatum Constantinopolim secutus, ibidem laboranti à consiliis erat. Anno 594. finiit *Historiam Ecclesiasticam*, quam *sex libris* comprehendit, exorsus ab anno 431., quo Ephesina Synodus peracta fuerat, & ubi desierat Socrates, eámque protulit ad annum 594., quo tempore Mauritius Imperator duodecimum annum Imperii agebat (y). *Stylus ei non ingratus, tametsi interdum redundare videatur; verùm in dogmatum veritate cæteris Historicis accuratior est. Habet autem & de imaginibus quædam testimonia* (z).

(x) Evagr. l. 4. c. 26 29. & l. 6. c. 7.

(y) Labbeus de Scriptor. T. I. p. 291.

(z) Photius in Bibl. c. 29.

An. 590. *Gregorius Magnus.*

30. GREGORIUS I. sive MAGNUS (de quo jam multa in Historiæ decursu diximus) vir erat pietate insignis, & (teste Isidoro) *tanto per gratiam S. Spiritûs scientiæ lumine præditus, ut non modò illi præsentium temporum quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem illi par fuerit unquam* (a). Adversâ licèt cum valetudine, & cum acutis podagræ cruciatibus continuò conflictaretur; plurima tamen monumenta & opera exaravit (b), quæ Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri intra quatuor Tomos recenti editione concluserunt. In PRIMO TOMO habentur *Exegetica in sacram Scripturam*, qualia sunt Libri XXXV. in Job, sive Moralium, quod opus Gregorius adhuc Apocrisiarius Constantinopoli composuit, suadente Leandro Hispalensi Episcopo, qui pro causis Visigothorum transigendis tunc in urbem Regiam venerat: per trifarias autem intelligendi species procedit, nempe, quâ ratione Liber Jobi juxta literam intelligendus, quomodo ad Christi & Ecclesiæ Sacramenta referendus, & demum quo sensu quisque fidelium inde usum, commodúmque deducere valeat (c); sive (ut breviter cum Gregorio dicam) pauca historicè, quædam allegoricè, multa moraliter exposuit (d). Argumentum ejusmodi tam utile, támque amplum est, ut Theodorus Petrejus Campensis Carthusiæ Coloniensis Alumnus ostenderit, nullum fidei esse articulum, qui hìc contra recentes Heterodoxos non palàm defendatur. Cæterùm de modo scribendi Gregorius ipse testatur: *Non barbarismi confusionem devito, situs, motúsque, & præpositionum casus servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati* (e). 2. *Homiliarum in Ezechielem Libri duo*, quibus moralem sensum plerumque investigat & exponit (f); Homilias viginti duas in iis contentas pro concione Gregorius dixerat; sed dum à Notariorum negligenti manu exceptæ fuerant, petiêre Fratres, ut ipse emendatas

(a) Isidorus de Scriptor. c. 27.

(b) Sigebertus de Viris illustr. c 41. Joan. Diac. in vita Greg. Photius Cod. 252.

Opera in Scripturam.

(c) Gregor. in Præf. ad Lib. Moral.

(d) Gregor. Epist. dedicator. ad Leandrum.

(e) Gregor. in Epist. ad Leandrum.

(f) Gregor. in Præf. ad hom. Ezech.

datas luci daret, quod annorum octo elapso intervallo confectum est. Sæpè hìc Jeremiam agit, miserabilem Romæ & Italiæ statum describendo (g): *Ipsa autem* (ait) *quæ aliquando mundi Domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium.... ubi jam Senatus? ubi populus? omnis in ea sæcularium dignitatum fastus extinctus est.* 3. *Homiliæ in Evangelia*, de quibus ita præfatur (h): *Inter sacra Missarum solemnia ex his, quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, sancti Evangelii Lectiones quadraginta exposui. Et quarundam quidem dictata expositio, assistente plebe, est per Notarium recitata; quarundam verò explicationem coram populo ipse locutus sum: atque, ut ita loquebar, excepta est, non servato Evangelistarum ordine, sed prout diversis dictæ sunt temporibus.*

(g) Gregor. hom. 6. l. 2.

(h) Gregor. in Præf. ad homil. in Evang.

Liber Regulæ Pastoralis, ejúsque argumentum.

In SECUNDO TOMO servantur *opera, quæ ad Historiam, sive ad Ecclesiasticam pertinent Disciplinam:* 1. *Liber Regulæ Pastoralis*, quod egregium volumen scripsit Gregorius, ut Joanni Ravennati reprehendenti, quòd in admittendo Pontificatu tergiversatus fuisset, responderet. Docet quippe, quàm grave sit onus officii Pastoralis, quàm ægrè suscipiendum, & quâ curâ exequendum; opus autem in quatuor partes divisit. In *prima* ostendit, imperitos ad regimen Ecclesiæ venire non debere: *Nulla* quippe *ars doceri præsumitur, nisi in tanta priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Pastorale Magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum.* Dein docet, qualis quisque ad regimen venire debeat: *Ille igitur*, ait (i), *ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus; qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citiùs ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus, quàm deceat, ignoscens ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ùt propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sícque in bonis proximi, sicut in suis provectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat, ut inter eos non habeat, quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet videre, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare...... Qui ergo adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat, ne districti iram Judicis graviùs accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis author gratiæ.* In *secunda parte* commonstrat, qualem se Prælatus in ipso regimine debeat exhibere (k): *Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione seu virtute præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus,*

(i) Gregor. Pastoral. P. I, c. 10.

(k) Gregor. Pastoral. P. II. c. 1.

ctus, internorum curam in externorum occupatione non minuens, externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. In *tertia parte* explicat, quomodo Pastor docere debeat, nempe uti non ægris omnibus eadem ministranda medicina, sic aliter monendi viri, aliter fœminæ, aliter senes &c. In *quarta parte* instruit Pastorem, ut ad se quandoque à functionibus redire debeat. De hoc Libro Turonensis Synodus III. statuit (l), ut *nulli Episcopo liceat Canones, aut Librum Pastoralis à S. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque, quasi in speculo assiduè considerare.* Hincmarus Remensis etiam testatur, diu in more positum fuisse, ut consecrandus Episcopus coram altari, unà cum libro sacrorum Canonum Regulam Pastoralem S. Gregorii in manu acciperet, cum hac obtestatione: ut ita servaret in vivendo, docendo, & judicando, sicut ibidem descriptum est (m).

2. *Libros quatuor Dialogorum* Tomus secundus complectitur. De his Isidorus ait (n): *Libros etiam Dialogorum quatuor fecit, in quibus rogatu Petri Diaconi sic virtutes Sanctorum, quos in Italia clariores nôsse vel audire poterat, ad exemplum vivendi posteris collegit, ut sicut in libris expositionum suarum, quibus virtutibus sit insudandum, edocuit; ita etiam descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum earundem esset claritas, ostenderet.* Litem his libris intentant Heterodoxi non pauci, imò & Catholici, dum eos abjudicant Gregorio tum ob styli diversitatem, tum ob historias incredibiles, quæ immiscentur; demum, quia in Dialogis reperiuntur, quæ doctrinæ S. Gregorii adversantur; hinc suspicantur, eos Dialogos Gregorio secundo potiùs tribuendos, qui eâ de causâ *Dialogi* nomen sortitus est. *VERUM* fortiora argumenta sunt, quibus S. Gregorius eorum librorum author perhibetur; nam ipse in Historiis ejusmodi conquirendis operam singularem posuisse testatur (o), & Joannes Diaconus Biographus ejus, qui claruit anno 775., eosdem Gregorio tribuit (p): demum Photius Dialogos S. Gregorii à Zacharia Papa in Græcam linguam versos affirmat (q). Plures Authores, qui idem asserunt, in cumulum congerit Natalis Alexander (r). Neque ad difficultates objectas respondere difficile est: quis enim nescit, pro varietate argumenti etiam in sacris Libris quandoque diversum scribendi modum adhiberi? Adhæc S. Gregorius ipse non diffitetur, Libros Moralium non eodem stylo à se fuisse scriptos, unde ait: *Immutationem styli, Lector meus, æquanimiter accipe, quia & sæpè eosdem cibos edentibus diversitas placet coctionis* (s). Cæterùm Historias à Gregorio relatas vel vidit ipse, vel à testibus fide dignis accepit; si quæ autem paradoxa humano sensui videantur, monendum illud, quod Theodoretus suæ Historiæ præmisit: *Rogo autem, qui in hanc religiosam inciderint Historiam, ne iis, quæ dicuntur, minùs credant, si quid audient, quod eorum vires superet, nec ex se illorum virtutem metiantur.*

(l) Turon. Synod. III. anno 813. Can. 3.

(m) Hincmarus Remens. in præf. opusc. 55.

(n) Isidorus de Scriptor. Eccli c. 27.

Libri Dialogorum an sint opera genuina Gregorii?

(o) Gregorii Epist. ad Maximianum Syracus. l. 2. c. 89.

(p) Joannes Diac. de vita Gregorii l. 4. c. 75.

(q) Photius Cod. 252.

(r) Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæc. VI. c. 4. a. 16.

(s) Gregor. Lib. 11. Moral. c. 1.

tur (t). Denique si Gregorius quædam commemorando errârit, non credulitas erat, sed pietatis error, quemadmodum Melchior Canus insinuat (u): *Theologum admoneri operæ pretium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ Magni Authores scripserint, undique esse perfecta*; monet tamen de tantis viris modestè, & circumspecto judicio pronunciandum. Ac si necesse sit, malle se in alteram peccare partem omnia probando, quàm multa reprobando; videre etiam Regulam est apud eundem Theologum, quâ veras Historias discerni cupit. Nempe: *Prima Lex ex hominum probitate, integritatéque sumatur. Quæ omnino res locum habet, cùm, quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, quæ viderunt, accepisse: qualia sunt pleraque in Epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque hujus de Civitate Dei, in Dialogis Gregorii, ... in quibus mendacium suspicari, piaculum est.* Quòd autem adversari sibi, & pugnantia memorare dicatur Gregorius, id à temeritate non abest; equidem alicubi legitur, ignem gehennæ esse *incorporeum*, quem alibi corporeum docet. Sed Librariorum vitio factum, ut, qui ignis in accuratioribus exemplaribus corporeus eodem modo dicitur, aliquando incorporeus in MSs. corruptis reciterur (x).

3. *Registrum Epistolarum* libris duodecim contentum; in his libris supposita quædam invenies: nam (y) in una Epistola dicitur, Clericos post criminum pœnitentiam ad ministerium revocandos esse, quod Gregorius alibi negat (z). Sunt tamen aliæ Epistolæ, quas perperàm Gregorio Heterodoxi abjudicant, eoquòd Scriptorum vitio menda irrepserint, quæ tamen in Autographis non inveniuntur; nam sic in Epist. 64. Lib. VII. interseritur *Eusebius*, & in Epistola decima Lib. XI. addita est vox *Regum*, ùt aliqui asserunt. Eâdem crisi expungunt Privilegium S. Medardi Suessionensis, eoquòd in nullis MSs. Codicibus Regesti inveniatur. Sed de hoc vide Natalem Alexandrum latiùs agentem (a).

TERTIUS TOMUS Operum S. Gregorii bipartitus est; prior pars exhibet 1. *Sacramentarium*, quod ex Codice Gelasii Papæ collectum, à S. Gregorio novis orationibus & præfationibus auctum est (b). 2. *Antiphonarium* (c), quia multas Antiphonas à se, vel ab aliis compositas in ordinem redegit; his aliísque Liturgicis Gregorii Hugo Menardus Congregationis S. Mauri suas notas apposuit. Altera Tomi tertii pars tenet *Libros suppositos* Gregorio, inter quos videntur esse *Commentarius in Libros Regum*, *Commentarius in Psalmos Pœnitentiales*, & *Commentarius in Cantica Canticorum*; de quibus vide Natalem Alexandrum, Labbæum, & Possevinum.

QUARTUS TOMUS includit vitam S. Gregorii à Paulo Warnefridi, & à Joanne Diacono scriptam, & aliam recentem à Monachis Benedictinis congestam.

REFLE-

(t) Theodoretus in Præfat.
(u) Melchior Canus Lib. XI. de locis Theolog. c. 6.
(x) Vide Natalem Alexandr. Histor. Eccl. Sæc. VI. c. 4. art. 16.
(y) Gregorii ep. 54. L. VII.
(z) Idem L. 1. ep. 18. L. 3. ep. 26.
Registrum Epistolarum.
(a) Natalis Alexander Histor. Eccl. Sæc. VI. c. 4. a. 16. p. 419.
Sacramentarium.
(b) Pammelius T. II. Liturgic. Walafridus Strabo l. 2. de Reb. Eccles.
(c) Joannes Diac. in Vit. l. 2. c. 6.
Libri suppositii.

REFLEXIO ULTIMA

De Doctrina & Disciplina Ecclesiæ in Sæculo VI.

§. I.

De Doctrina Orthodoxa Ecclesiæ ejusdem Sæculi.

1. SI verso retrorsum oculo faciem Ecclesiæ, quam ea sexto Sæculo ferebat, respicere libet; triplex genus inveniemus hominum, quorum alii doctrinam Ecclesiæ hæresi evertere, alii turbulento schismate Doctorum sacrorum concordiam confundere, alii demum frigescente quâdam dissimulatione fidei veritatem supprimere in votis, malignísque studiis posuerunt. Sed quemadmodum picturis umbræ lucem, decorémque conciliant; ita Hæreticorum, Schismaticorum, & Pseudo-Politicorum artibus aliud nil hac in periodo temporum effectum est, quàm ut tenebræ & vitia, quibus Matris Ecclesiæ vultum fœdare quæritabant, eidem venustiorem formam, clariorémque integritatem afferrent. *Nec hæreses nec schismata Ecclesiam everterunt.*

2. Ac primò licèt *Hæretici* alii non fuerint, quàm qui deliria sua jam in Sæculo quinto sparserant, scilicet Eutychiani: hi tamen, quia semel novaturire cœperant, in varias rursus sectas nunc se divisêre. Nam cùm Severus Antiochenæ Ecclesiæ Usurpator Christi Domini Corpus ante gloriosam ejus anastasin corruptibile fuisse dixisset; ex adverso Eutychetis alius Discipulus (nempe Julianus Halicarnassensis Episcopus) docere instituit, Christi Corpus incorruptibile fuisse: ex qua controversia *Corrupticolarum* & *Incorrupticolarum*, *seu Phantasiastarum vel Aphthardocetarum* origo enata est. Errabant illi, quòd Christum ex naturæ ipsius necessitate passionibus subeundis obnoxium fuisse dicerent; hi verò perperam Christi Carnem nulli corruptioni obnoxiam jactabant, ne (contrà ac Eutyches docuisset) duas in Christo naturas fateri cogerentur, scilicet unam corruptionis capacem, alterámque incorruptam. Hæc zizania super agrum Dominicum latè disseminata adeò non obfuerunt, ut electa Christi grana firmiùs steterint; nam Ecclesia *Corrupticolis* oggerebat illud Christi: *Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à me ipso* (a): ac licèt eodem modo, quo nos patimur, Christus pœnas sit perpessus, non eâdem tamen omnino lege, cùm ipse volens ac libens Corpus suum tradiderit crucifigendum. *Incorrupticolas* verò Orthodoxi convincebant tum ex illo: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam* (b); tum ex tota Evangelica Historia: "Habebat quippe Christus formam Corporis nostro similem, & esto Divinitas fecerit, ut Caro Christi non videret corruptionem, sive dissolutionem in elementa, humanas tamen affectiones passa est, famem, sitim, laborem, clavorum ictus" (c). Anastasius *Error Corrupticolarum & Phantasiastarum.*

(a) Joan. c. 10. v. 18.

(b) Lucæ c. 24. v. 26.

(c) Joannes Damascenus in Panoplia Euthymii Tit. 16.

ſtaſius Sinaita Catholicus Juſtiniano in Incorrupticolarum errorem delapſo contrariam Apoſtolorum & Patrum, quales ſunt Athanaſius (d), Baſilius (e), Gregorius Nyſſenus (f), Joannes Chryſoſtomus (g), Ambroſius (h), traditionem perpetuam opponebat (i). Quæſtio infeſta cùm nihilominùs ferveret, Reginus S. Fulgentium eo tempore conſuluit, qui poſtulatis ſatisfacturus, pro ea, quâ in Sæculo VI. valebat, authoritate reſpondit: *Facillimè invenimus, quam partem corruptionis ſuſcepit Chriſtus in corpore. Nam quamvis carnem pro nobis ſuſceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali & actuali. Ipſam tamen carnem non ſolùm infirmam, ſed etiam veraciter agnoſcitur accepiſſe mortalem. Procul dubio in quantum corpori ejus inerat ſuſcepta mortalitas, in tantum ei potuit ineſſe corruptionis infirmitas. Ad talem corruptionem pertinet fames & ſitis: facilè ſiquidem eſuriendo & ſitiendo corpus mortale corrumpitur, quando per hæc etiam ad ipſius mortis exitum pervenitur. Per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deſerente animâ in tantum corpus corrumpitur, ut in putredinem ac pulverem redigatur. Hanc corruptionem caro Chriſti non vidit, quæ die tertiâ reſurrexit: famem tamen, ſitim, fatigationem corporis, ac dolorem veraciter ſenſit* (k). His argumentis quantumcunque Aphthardocetæ urgerentur; eò tamen confugiebant, ut dicerent, corpus Chriſti etſi patibile fuiſſet, non ideo conſectaneum fore, quòd & corruptibile fuerit; nam & apud inferos patiuntur corpora damnatorum, non tamen patiendo mortem vel interitum capient. Difficultas hæc ne intacta relinqueretur; Leontius ejuſdem Sæculi ſexti Scriptor (l) eam penitus diſſolvit: *Horum* (ait) *cruciatuum, quos damnati perpetiuntur, non eſt proprium, naturam ſubjectam corrumpere. Si enim audacter dicendum eſt, conferunt etiam tortis & cruciatis ad permanendum..... Humanæ verò & naturales paſſiones carnis, quas Dominus ſuſcepit, quodammodo erant naturâ aptæ ad debilitandam carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & denique ad diſſolvendum; quod quidem in cruce factum eſſe cognovimus. Diſſolutionem verò, quantùm in natura eſt, corruptio ſequitur.*

(d) Athanaſius L. de Incarnat.
(e) Baſilius in orat. de gratiarum action.
(f) Gregor. Nyſſenus L. contra Eunomium.
(g) Chryſoſt. Hom. 87 in Joan.
(h) Ambroſius in L. de fide ad Gratianum.
(i) Evagr. L. 4. Hiſt. c. 40.
(k) S. Fulgentius in epiſt. ad Reginum.
(l) Leontius in libro de Sectis Act. 10.

Objectiones Phantaſiaſtarum ſolvuntur.

Secta Agnoëtarum unde originem cœperit?

3. Dum inter Eutychianos de Corruptibili & Incorruptibili fervebat controverſia; Themiſtius Diaconus ex eo, quòd Corrupticolæ dicerent, Chriſtum corruptioni eſſe obnoxium, inferebat, eundem aliqua ignorâſſe, ſcilicet diem judicii, & ubinam eſſet ſepulchrum Lazari; nam ex ſororibus Lazari quærebat Chriſtus: *Ubi poſuiſtis eum* (m)? Atque inde Agnoëtarum ſecta conflata eſt. Gregorius M. Pontifex, ubi hunc errorem ſpargi inaudîit; Eulogio Patriarchæ Alexandrino impoſuit officium, eundem confutandi, qui continuò edito contra Agnoëtas volumine oſtendit *Primò*, nihil prorſus Chriſto Domino, etiam ùt homo erat, occultum fuiſſe, hócque in dubium trahere, periculoſæ eſſe temeritatis: *Chriſtum JEſum Dominum noſtrum* (ait) *neque ſecundùm humanitatem quidem,*

(m) Joannis c. 11. v. 34.

dem, multò minùs secundùm Divinitatem, ignorâsse sepulchrum Lazari, neque etiam illum ultimum diem. Neque enim humanitas Christi in unam inaccessibilis & substantialis sapientiæ hypostasin admissa, quidquam velut rerum præsentium, ita futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest, quod dicit: Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. An ergo & Patri nihil non audentes ignorantiam adscribent (n)? *Secundò* probat, eorum, quæ de Christo in sacra Scriptura dicuntur, aliqua illi *secundùm veritatem* convenire, ùt famem, sitim &c. Aliqua *secundùm relationem aut figuram κατὰ ἀνάφορὰν* ei tribui, ita ad Christum propriè non pertineant, sed quòd *veluti Caput vendicet sibi ea, quæ sunt reliqui corporis.* Sic dicitur *peccatum & maledictio: quare non absurdè loquetur, corpus non esse extra ignorantiam, aut humanam vocem, cujus Christus Caput est. Tertiò* per interrogationem non semper indicatur nescientia; Deus enim ex Adamo sciscitabatur, *ubi es* (o)? *Quartò* Christus propter quasdam causas negabat se scire diem judicii, præcipuè, ut à curiosis quæstionibus Discipulos avocaret: *Sunt, qui sentiant, illum dixisse, quòd ignoraret ultimum diem, ut humanæ naturæ signum proprium, quod illi inest, declararet & ostenderet, non quòd ipse ignoraret. Sed cùm (ùt B. Cyrillus docet) subtili mentis conceptu, & animi imaginibus per contemplationem, rem à re dividimus, tum videmus proprias naturæ utriusque, ùt in se est, notas & proprietates. Aut (ùt Gregorius Theologus tradit) quando naturæ ratione distinguuntur, etiam nomina naturarum simul dividuntur. Sed nudæ, puræque humanitatis signum proprium est ignorantia. Hâc ratione ergo Christi humanitati, ut simplici & puræ humanitatis naturæ, consideratæ præcisè secundùm eas, quæ à seipsa habet, adscribi poterit ignorantia. Et hoc est, quod Theologus explicavit, quando dixit: Scit quidem ùt Deus, nescit verò ùt homo* (p). Unde etiam porrò adverte, inter Agnoëtas eum minimè censendum, qui diceret, Christum, ùt hominem, aliqua ignorâsse; illi quippe Hæretici, erant Eutychiani naturam humanam cum divina confundentes, ac proinde dum negabant, Christum aliquid ignorare, delirabant, eum id nescire secundùm utramque naturam. Nihilominùs talis, qui diceret, Christum, ùt hominem, ignorare diem judicii, aliáque, quorum scientiam à Deo consequi mens creata potest, repugnaret Patribus Origeni, Augustino, Ecclesiæ Africanæ, quæ Leporium hanc propositionem retractare coëgit, quâ dixerat, *Dominum nostrum JEsum Christum secundùm hominem ignorare* (q). Repugnaret Eulogio Alexandrino, qui contra Agnoëtas utitur argumento à minore ad majus, nempe Christum non ignorare sepulchrum Lazari, diem judicii &c., ne secundùm humanam quidem naturam, ideóque multò magis eum non ignorare ista secundùm divinam (r): repugnaret denique Gregorio Magno, qui Eulogii ejusdem doctrinam approbavit (s).

Eulogius Patriarcha Alexandrinus confutat Agnoëtarum errorem.

(n) Eulog. Alex. apud Photium Cod. 230.

(o) Gen. 3. v. 9.

(p) Eulogius Alex. apud Photium C. 230. Conferatur Leontius L. de Sectis Act. 10. Isidorus lib. 8. origin. c. 5. Joannes Damascenus lib. de hæresibus.

(q) Leporius in libello emendationis.

(r) Photius Cod. 230.

(s) Greg. M. ep. 42. L. VIII

4. Quar-

Tritheitarum error unde natus sit?

(t) Leontius L. de Sectis Act. 5. Nicephorus l. 18. Histor. Eccl. c. 47.

(u) 1. ad Cor. 8.

(x) ad Eph. c. 4.

4. Quartus infaustus partus, quem hæresis Eutychiana enixa est, fuit secta TRITHEITARUM: nam *Philoponus* cùm more Eutychianorum naturam à Persona non distinguens, unam uti hypostasin in Christo, ita & unam naturam admitteret (t); ex eodem porrò principio hæretico novam procudit hæresin, quâ tres naturas in Trinitate esse staruminabat, eoquòd tres in eâ hypostases forent, adeóque in Polytheismum incidebat, contra tot testimonia Scripturæ, in quibus dicitur: *Nullus est Deus, nisi unus* (u), *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus* (x).

Propositio: Unus de Trinitate crucifixus est, controvertitur.

(y) Pagius in Crit. T. II. ad an. 519. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c.

(z) Noris. in Differt. de *uno ex Trinitate carne passo.*

(a) Norisius L. 2. Hist. Pelag. c. 18. Pagius ad an. 520. & 521 n. 11. 12.

Scythæ Monachi immunes ab hæresi Eutychiana.

(b) Epist. Joannis II. ad Justinian.

Error Acoëmetarum.

5. Præter hos Eutychianorum errores alias circa doctrinam controversias moverunt Orthodoxi, quæ licèt fidei substantiam non attingerent; Ecclesiam tamen ita perturbârunt, ut schismate publico Catholicorum animi scinderentur. Primæ litis occasionem dedêre Monachi Scythæ, dum enim hanc propositionem: *Unus è Trinitate carne passus est* acriter propugnabant; Victori Diacono, aliísque Catholicis, atque ipsi adeò Pontifici Hormisdæ suspicionem Eutychiani erroris injecerunt, propterea quòd *Petrus Fullo* Hæreticus similes (ùt credebant) voces sacro Trisagio impiè addidisse notatus fuisset (y). At re meliùs discussâ, eosdem Monachos puros erroris Joannes II. Papa declaravit; ubi enim ex eorum professione fidei duas ab iis in Christo naturas, & post Incarnationem inconfusas pronunciari deprehensum fuerat, seriùs tandem patuit, contentionem non de re, sed de verbis extitisse (z), longéque Scytharum mentem distare à Petri Fullonis sententia (a). Testimonium Sedis Apostolicæ pro Scythis editum non parùm Adversarios, & præcipuè Acoëmetas Monachos urebat, qui, ne cedere hostibus suis viderentur; ad hunc errorem obfirmabant animos, quo non tantùm negabant, *unum de Trinitate passum*, sed & *Beatam Mariam verè & propriè esse Dei Genitricem*, ex turbulento schismate in Nestorii hæresin sensim prolapsi. Pontifex errantibus remedium allaturus, minabatur, nî ad sanam mentem protinus redirent, ex Ecclesiæ sinu omnes omnino ejectum iri (b).

6. Majores eodem in Sæculo turbas Ecclesiæ invexit causa trium Capitulorum, quæ non antè gliscere cœpit, quàm cùm doctrina Originis circa annum DXLIII. proscriberetur; inde enim ii, qui Origeni addicti fuerant, tum maximè Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Metropolita artes omnes in ultionem vertebat, ac quò pungere adversarios posset, persuadebat Justiniano, ut Theodori Mopsvesteni scripta, dein Theodoreti Cypri Episcopi libros contra Capitula XII. S. Cyrilli editos, demum Epistolam Ibæ ad Marim Persam diris faceret devoveri; ita enim futurum spondebat, ut Acephali aliquando cæteris conjungerentur. Volenti & Imperanti Cæsari non pauci, intérque eos Vigilius Papa obluctabatur, ad injuriam Chalcedonensis Synodi pertinere ratus, siquidem

quidem eorum, qui ab hoc Concilio in communionem assumpti sunt, scripta anathemate configerentur. Subinde in Synodo Constantinopoli res eadem acta est, sed non confecta; nam præsens tunc Vigilius cùm perperàm tractari omnia cognosceret, à Synodo discessit, laturus solâ suâ authoritate sententiam. Judicatum proinde emisit, quo Capitula Pontifex damnabat, nisi quòd salvam reverentiam vellet Synodo Chalcedonensi. Huic Judicato postquam Occidentales acriter oblocuti fuissent; de Synodo Generali deliberatum est: iverant ad hanc plures ex Oriente Episcopi, pauci ex Occidente; quare cùm Vigilius eâ de causâ Synodo interesse cunctaretur, Justinianus contra tria Capitula damnationem evulgavit. Reluctanti Pontifici injuria & vis inferebatur, & absente etiam Pontifice Synodus contra tria Capitula celebrata est: restitit primùm Græcorum sententiæ Vigilius, misso ad Cæsarem Constituto, postea tamen Synodum hanc quintam Oecumenicam ratam habuit. Vehementer id Occidentales multos afflixit; obstrepentibus autem & tumultuantibus tum Vigilius, tum ejus successores reposuêre, nihil mutatione consilii, nihil novatione sententiæ contra Synodum Chalcedonensem peccari; cùm enim post Actionem sextam, & post conditos Canones modò de privatis horum Episcoporum causis actum sit, appendicem hanc Concilii esse, non Concilium, cujus authoritatem Leo Papa in sola fidei definitione constrinxisset, neque commisisse tunc Sedem Apostolicam, ut paucorum Chalcedonensium Patrum circa privatos Episcopos judicium suâ confirmatione roboraret. Quantumcunque verò his rationibus multorum animi emollirentur; diu tamen in diversis adhuc Provinciis, & præsertim in Istria longiùs & acriùs de hac causa etiam usque ad schismatis tristissimos eventus certatum est. Pontifices ubi mitiùs cum Schismaticis diu egerant, Gregorius M. validiora remedia adhibuit; is enim palàm professus se quatuor Concilia Oecumenica suscipere & venerari, sicut quatuor S. Evangelii Libros, quintam quoque Synodum Generalem, in qua damnata essent Capitula, suscipiendam præcipit, illis diras Apostolicas intentans, qui porrò hæsitàrint. *Quisquis ajebat, ergo aliud sapit, anathema sit; quisquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo-Patre* &c.

7. Ad tertium genus hominum, qui doctrinæ infesti fuêre, pertinent Pseudo-Politici, qui noxiâ dissimulatione voces quasdam hæresi jugulandæ oppositas supprimebant, aut in jus Sacrorum temerè se ingerentes, Ecclesiastica cum profanis confundebant. Inter ejusmodi viros meritò accenseas Zenonem & Acacium, Henotici Authores, Justinianum, aliósque, de quibus in Historia jam satis diximus.

8. Neque alia fidei dogmata, quæ ab initio Ecclesiæ fuerant, & quibus à sequentium duntaxat ætatum Heterodoxis repugnatum est, Patres

tres & Concilia sexti Sæculi stabilire suis testimoniis, definitionibúsque neglexerunt. I. ECCLESIÆ CERTAM IN DECRETIS & TRADITIONIBUS AUTHORITATEM asserit Gregorius M. ep. 24. L. 1., & Cassiodorus Lib. 1. Divin. Instit. c. 11. id confirmat: *Dicamus nunc, quemadmodum universalia, sanctáque Concilia fidei nostræ salutaria Sacramenta solidaverint, ut ibi cognoscentes veræ Religionis arcanum, pestiferos vitemus errores. Primo loco Nicæna Synodus legitur constituta, deinde Constantinopolitana: tertia Ephesina prior: quarta Chalcedonensis, quas meritò probat Ecclesia. Quæ tanta fidei nostræ lumina præstiterunt, ut nullum perversitatis scopulum, si tamen Domino protegente custodimur, cæcatis mentibus incedere debeamus* &c.... *Sunt nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid contra Antiquos sapiant, & aliquid novi, unde perire videantur, inveniant. Chalcedonensis autem Synodi testis est Codex Encyclius, qui ejus reverentiam tantâ laude concelebrat, ut sanctæ authoritati judicet comparandam.* II. PURGATORIUM AC PRECES, ALIAQUE SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS probat Eustratius sexti Sæculi Scriptor in libro, cui titulus est: *Refutatio eorum, qui dicunt, animas corporibus suis solutas non operari, nec precibus, sacrificiísque, quæ pro iis offeruntur, adjuvari;* & Gregorius M. L. 4. Dialog. c. 39. interroganti discipulo: *An post mortem purgatorius ignis sit?* respondet, *pro quibusdam levibus culpis tergendis esse ante judicium purgatorium ignem.* Et alibi Idem l. c. c. 55.: *Multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Item Concilium Valentinum cap. 4. III. SANCTUM POENITENTIÆ SACRAMENTUM adstruit Gregorius M. L. 22. Moral. in Job., & Hom. 26. in Evangelia, ubi ait: *Lazaro ergo dicitur: Veni foràs; ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foràs jam per confessionem egredere, qui apud te per negationem lates. Veniat itaque foràs mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foràs solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* IV. De EUCHARISTIA ait idem Gregorius L. 4. Dialog. c. 58.: *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Similia habet Cassiodorus in Psal. 109., & Evagrius L. 4. Hist. Eccl. cap. 35. memorat, *veterem fuisse consuetudinem Constantinopoli, ut, quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes evocentur, qui eas manducent.* Quâ occasione Evagrius subjungit miraculum, quo puer Judæus, qui insciis parentibus in Christianorum Ecclesia ejusmodi particulas degustaverat, in ardentem fornacem à parente missus, incolumis ab igne exierit. V. SACRIFICIUM MISSÆ Felix IV. epist. ad omnes Orthodoxos, qui

citatur

citatur à Gratiano Dist. 1. de Consecrat. Can. 11. *Sicut non alii.* Gregorius Hom. 22. in Evangelia; item Canon tertius Vasensis Synodi non tantùm publicas, sed & privatas Missas celebratas fuisse in Sæculo sexto supponit; nam ait: *Quia tam in Sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provincias dulcis, & nimiùm salutaris consuetudo intromissa est, ut Kyrie eleyson dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperas intromittatur, & in omnibus Missis semper, Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine (quomodo ad Missas publicas dicitur), dici debeat.* Et Gregorius Hom. 37. in Evang. notat, Cassium Narniensem Episcopum in Episcopii Oratorio Missas fecisse. VI. RELIQUIARUM HONOR. In vita S. Cæsarii Lib. 2. scribitur: *S. Corporis vestimenta sic à fidelibus populis piâ violentiâ diripiebantur, ut adsistentibus Presbyteris, Ministrísque vix potuerint vel à suscipiendarum Reliquiarum patientia revocari.* Et S. Gregorius sæpè Reliquiarum cultum inculcat Lib. 5. ep. 50. ad Palladium, & ep. 51. ad Brunechildem, item Hom. 32. in Evangelia, & ob venerationem Reliquiarum nolebat Pontifex secundùm morem Græcum agere, ac dividere corpora Sanctorum, sed linteamina sepulchris Sanctorum imposita pro Reliquiis mittebat. *Vide Gregorii Epist. 30. Lib. III.*

§. II.

De Disciplina Ecclesiæ in Sæculo sexto.

1. Quod rerum Universitati, & pulcherrimo naturæ Regno singularem speciem, formámque tribuit; idem Ecclesiæ, sive sacræ Reipublicæ maximum splendorem conciliat. Quemadmodum enim mundus plus admirationis habet, quòd omnia, quæ continet, in æquo pondere, numero & mensura condita sint; ita Hierarchiæ Ecclesiasticæ illustre ornamentum inde accedit, quòd totus ille sacrarum Personarum, Præsulúmque complexus debitâ ac numerosâ coordinatione, efficaci Legum, Canonúmque pondere, tum opportunâ rituum, consuetudinúmque mensurâ temperetur. Hæc Disciplina, sive Ecclesiastica Politia, quâ ratione in Sæculo sexto viguerit, ostendere propositum est.

Ordinata compages Ecclesiæ.

2. Atque ut ab Ecclesiæ Capite exordium ducamus; eadem Reverentia in Sæculo sexto, quæ in prioribus temporibus à Patriarchis, Episcopis æquè, ac ab Imperatoribus Pontifici exhibita est. Nam Mennas Patriarcha in Synodo Constantinopolitana palàm profitebatur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius Communicatores habemus; & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus* (a); & posteà, ubi damnationi trium Capitulorum subscripserat, contestatus est, se chirographum recepturum, *si hæc Romanus Episcopus non probaret.* Et Justinianus Imperator ad Joannem Papam, quem *Sanctissimum almæ Urbis Romæ Archi-Episco-*

(a) Synodus Constantinop. Act. 4.

Quæ reverentia & authoritas Sedi Apostolicæ in Sæculo sexto fuerit?

Episcopum & *Patriarcham* nominabat, ita scripsit: *Reddentes bonorem Apostolicæ Sedi, & Vestræ Sanctitati (quod nobis semper in voto fuit, & est, ùt decet Patrem) honorantes Vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem Vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire: quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nullâ intercedente contrarietate. Ideóque omnes Sacerdotes universi Orientalis tractûs & subjicere, & unire Sedi Vestræ Sanctitatis properavimus* (b). Hâc authoritate nixi Pontifices sua ubique jura tuebantur; nam Agapetus in aliena Diœcesi Constantinopoli etiam extra Synodum Mennam Patriarcham ordinabat (c). Idem Contumeliosi Regiensis in secunda Provincia Narbonensi Episcopi, qui à Cæsario in Synodo depositus fuerat, appellationem admisit (d), Canonúmque pristinorum statuta velut generalis Custos servanda duxit (e). Non minore potestate usi sunt Pelagius II. & Gregorius in reprimenda Patriarchæ Joannis Constantinopolitani ambitione, & in vindicanda adversùs Cæsares immunitate Ecclesiastica. Quantocunque verò cultu suprema Sedis Apostolicæ jurisdictio ita sarta tectáque servaretur; ipsa tamen libertas Pontificem eligendi in Sæculo sexto aliquid humanitus passa est. Nam ex quo Odoacer Rex Herulorum per Basilium Præfectum caverat, *ne novus Pontifex absque suo consensu eligeretur* (f), Theodoricus Rex Ostrogothorum, & Odoacris Victor ac Successor id novum jus sibi sumpsit, ut confirmationem Pontificis suæ potestati arrogaret (g). Justinianus Catholicus Imperator subinde potitus rerum, in Italia ab hoc more non destitit, quin ad oppressionem libertatis hoc quoque addebat, ut, cùm nullus citra suam, aut Exarchi Cæsarei voluntatem ad Sedem Apostolicam admitti posset (h), etiam certam pecuniæ summam nomine Inthronistici, aut Cathedratici æris pro facultate Pontifici, ut consecraretur, concessa imperaret (i). Quod Ecclesiæ vulnus postea Gregorius flebili hâc sententiâ deploravit: *Domina Gentium, & Regina Provinciarum* (Ecclesia) *facta est sub tributo* (k).

3. Eodem in Sæculo Aquilejensis Episcopus, cùm Istria tota à Pontificis communione ob causam trium Capitulorum se subtraheret, PATRIARCHÆ nomen usurpare cœpit; dum tandem anno 1047. & 1049. ipsi ab Apostolica etiam Sede hæc prærogativa honoris indulgeretur (l). PRIMATES quoque novos hæc ætas institui vidit; Justinianus Acridæ urbi patriæ (quæ dein *Prima Justinianea* dicta est) à Vigilio obtinuit, ut non tantùm Archi-Episcopali Sede ornaretur; sed & ii, qui Cathedram ibi tenerent, per illas Provincias Apostolicorum Vicariorum facultate (Thessalonicensibus Præsulibus olim concessâ) deinceps uterentur (m). In Galliis per omne Clodovei Regnum Pontifex Symmachus Remigio

(b) Justiniani Epist. ad Joan. Papam in T.II. CC.
(c) Liberat in Breviar. c. 21.
(d) Epist. 7. Agapeti ad Cæsarium.
(e) Idem epist. 6. ad Cæsarium.
Forma Electionis Pontificiæ in Sæculo sexto.
(f) Can. *bene* Dist. 96.
(g) Baron. ad an. 526. Pagius in Brev. PP. in V. Felicis III.
(h) Papebrochius in Con. Hist. p. 116.
(i) Justinian. in Novell. 123. c. 3.
(k) Thomassin. de N. & V. Disciplin P. II. L. 2. c. 16.
Patriarchatûs Aquilejensis initia.
(l) Vide Reflexionem VI
Primates in Sæculo VI.
(m) Novell. 131.

Remigio vices suas deferebat (n); ille autem Primatus, quo cohonestata fuerat Remigii virtus, an ad successores pertinuerit, quæstio anceps est inter Gallos Scriptores (o). Cæterùm Primatibus ac Metropolitis pallia in signum honoris & jurisdictionis mittebantur à Pontifice; nam Auxanio S. Cæsarii Arelatensis Episcopi & Primatis Successori, dum pallium cum vicaria potestate per Legatos petebat, Vigilius rescripsit: *De his verò, quæ Charitas Vestra tam de usu pallii, quàm de aliis sibi à nobis petiit debere concedi, libenti animo hoc etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Imperatoris hoc, sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitia* (p); & postquam Belisarii operâ Justinianus annuerat, Auxonius vices Pontificias, Palliique usum accepit (q).

4. In Regnis Christianis novi *non instituebantur Episcopatus* absque Metropolitarum consensu; neque enim aliàs Leonis Metropolitæ Senonensis assensum postulâsset Rex Childebertus, antequam Meloduni Episcopum institui curaret (r). Episcopatus tamen ejusmodi in Regionibus recenter ad fidem conversis authoritate Pontificis erigebantur: cujus exemplum habemus in Augustino Anglorum Apostolo; huic quippe Gregorius Pontifex imposuit, ut Londini & Eboraci duas Metropoles eâ conditione fundaret, ut alterutri duodecim Episcopos subjectos consecraret (s). Cæterùm *Electiones Episcoporum* etsi penes Clerum potissimùm forent (t); magna tamen Principum & Imperatorum in Sæculo sexto potestas circa eligendos Antistites fuit. Atque ut de Pontificis electione (quam suprà jam attigimus) dissimulemus; Concilium Aurelianense quintum anno 549. ita statuit: *Nulli Episcopatum præmiis, aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri & plebis* (u). In Oriente postquam Mennas obierat, Eutychium Patriarcham nominavit Justinianus (x), & Cyriacus voluntate Mauritii Imperatoris ad Sedem Constantinopolitanam evectus est (y). *Translationes Episcoporum*, nisi id bonum Ecclesiæ exigeret, haudquaquam permittebantur; nam Anthimum à Trapezuntino Episcopatu ad Sedem Constantinopolitanam transgressum adeò non ferebat Agapetus Papa, ut diceret, *impossibile esse, translatitium hominem in illa Sede permanere* (z). Neque Cessiones Episcopatuum aliter tolerabantur, quàm cùm causæ gravitas morem Ecclesiæ interrumpere suaderet: itaque ob rationum insigne pondus Paulo Antiocheno Patriarchæ, S. Amando Trajectensi Episcopo, aliisque non difficulter concessum est, ut sponsas suas Ecclesias dimitterent (a). De officio residendi in Ecclesiis multoties Gregorius Episcopis injunxit (b): & de Pimenio Amalphitano Episcopo, cùm eum à sua abesse Ecclesia audiisset, ad Anthemium Apocrisiarium suum ita perscripsit: *Hâc tibi authoritate præcipimus, ut supradicto Episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesia*

(n) Epist. Symmachi ad Remig. Flodardus in Hist. Rem. l. 1. c. 19.

(o) Vide Natal. Alex. Sæc. VI. Hist. Eccl. c. 6. a. 2.

(p) Vigilii Epist. 6. 7.

(q) DuMesnil de Doctr. & Discipl. l. 28. n. 30.

Episcoporum status in Sæculo VI.

(r) Vide Natal. Alex. l. c. a. 3.

(s) Gregorii epist. 15. L. 7.

(t) Concil. Aurel. II. c. 1. 7. Parisiense III c. 8.

(u) Aurelian. Concil. can. 10.

(x) Author vitæ apud Surium die 6. April.

(y) Gregor. ep. 6. L. 6.

(z) Liberat. in Brev. c. 21.

(a) Vide Natal. Alex. l. c. p. 451. n. 6

(b) Gregor. ep. 7. & 11. L. 8. & L. 4. ep. 50. & 52.

clesia sua Sacerdotali more resideat, quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoveris, in Monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut, quid facere debeas, nostrâ iterum præceptione cognoscas. Quodipsum Justinianus amplissimè suis sanctionibus explicatum, confirmatúmque voluit (c). A Residentiæ tamen lege ii excusabantur, qui Synodorum aut Legationum à Principibus impositarum ex causa legitima aberant: quales fuêre in Sæculo sexto plures, utpote Leander Hispalensis, qui Constantinopolim pro Hispaniæ salute profectus est; idem iter alii Episcopi, ac ipsi etiam Pontifices Joannes & Agapetus, ac Vigilius propter Ecclesiæ bonum instituêre. Si porrò spectes, quæ jurisdictio Episcoporum in sexto Sæculo fuerit; Justinianus hanc satìs expositam suis legibus declaravit (d), nempe ad Præsules pertinere, ut de Monachorum & Monialium causis soli judicent: & si cui litigantium in civili foro suspectus Judex videatur, Episcopum adeundi dedit facultatem Imperator, qui unà cum Judice sententiam ferat (e). Quod verò attinet ad ipsas Episcoporum causas, hæ à Comprovincialium Synodis decernebantur: nec aliud exempla plura Historia Sæculi sexti (f), & Statuta Pontificum nobis commonstrant (g).

(c) Justinianus Novell. 6 c. 2. & Novell. 67. c. 3.

(d) Justinianus in Nov. 79. c. 1. 2.

(e) Nov. 86.

(f) Vid. Natal. Alex. l. c.

(g) Pelagii II epist. ad Joan. Constantinop. Gregor. M. l. 4. epist. 50.

Conditio Clericorum inferiorum in Sæculo VI.

5. A majoribus Ecclesiæ Præsidibus ad inferiores Clericos gradum facimus: horum vestes nunc à Laicorum habitu distinctas fuisse, perhibet Gregorius Turonensis; nam de Meroveo scribit: *Tonsuratus est, mutatâque veste, quâ Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur* (h). Idem affirmat Gregorius M., dum ait, *Clericum, qui despecto habitu suo, ad laicam reversus vitam, ad Africam fugerat, prævidimus in pœnitentiam dari* (i). Institutio Clericorum à prima quandoque eorum ætate suscipiebatur, dum Parentes pueros Clero à teneris annis devovebant, inter quos fuit S. Cæsarius, qui *inter ipsa infantiæ rudimenta Clericus factus est* (k). Addidit his Toletanum II. Concilium Canonem: *De his, quos voluntas Parentum à primis infantiæ annis in Clericatûs officio, vel in Monachali posuit, pariter statuimus observandum, ut mox, cùm detonsi, vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi decimum octavum ætatis suæ annum compleverint, si gratia eis castitatis (Deo inspirante) placuerit, hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ levissimo Domini jugo subdantur, ac primò Subdiaconatûs Ministerium, probatione habitâ Professionis suæ, à vigesimo anno suscipiant* (l). Unde colligitur, juniores Clericos in Seminariis, Majores verò plerosque in Ecclesiis sub Episcopi disciplina in iisdem ædibus vixisse, & communibus stipendiis sustentatos fuisse; præterea palàm fit ex dictis, tum ex aliis Legum Statutis legem Cœlibatûs ac Castimoniæ hoc tempore Subdiaconis Ecclesiam Latinam imposuisse. Cæterùm Clericis, si quando uni Ecclesiæ per ordinationem erant addicti, ad alias se transferre Ecclesias,

(h) Gregor. Turonensis l. 5. c. 14.

(i) Greg. M. l. 3. epist. 24.

(k) Cyprianus in vita Cæsarii.

(l) Concil. Tolet. II. c. 1.

Castimonia Subdiaconorum.

clesias, nefastum erat, & prævaricatores ad pristinas stationes, officiáque retrahebantur (m). Non tamen Clerici ad nutum Episcopi à suo beneficio amoveri poterant (n). Denique Clerici multis immunitatibus gaudebant; nam à judicio civili liberi, non alibi, quàm coram Episcopo accusati rationes reddebant; quare Gregorius M. Januarium Calaritanum Episcopum monebat, ut Sacerdotes à laicis Judicibus in Sardinia opprimi non pateretur (o). Idem Justinianus suis adseruit Edictis; caverat quippe, ne absque Imperatoris mandato ulli fas esset, Episcopos invitos ad Judicem civilem vel militarem deduci (p); quin è diverso præcipiebat, ut Episcoporum, Clericorum & Monachorum causæ in Synodis Provincialibus duntaxat transigerentur (q). Neque personis tantùm, sed & rebus ac prædiis Ecclesiarum hæc immunitas concedebatur: quamvis enim Imperator fundos Ecclesiarum ab ordinariis tributis minimè exemptos vellet (r); jussit tamen, ut eadem latifundia ac prædia Ecclesiarum (si publicorum operum restaurationem excipias) aliis functionibus, oneribúsque liberarentur (s).

(m)Gregor. L. 3. epist. 42. Justiniani Novel. 3. c. 2.
(n) Gregor. L. 1. ep. 19. L. 12. ep. 1.
Immunitas Eccl. Personarum.
(o) Idem L. 3. ep. 24. L. 5. ep. 2.
(p)Nov. 86. c. 8. 10.
(q) Justiniani Novell. 123. 137.
(r) Novell. 37. 45.
Immunitas Eccl. realis.
(s)Nov. 131.

6. Post Clericorum Institutum, de monastica Ascesi quoque agendum restat; cujus Authores, quicunque ii fuerint, certè magni nominis ac sanctitatis extitêre. Ex præcipuis namque Institutoribus numeratur *S. Cæsarius*, qui duplicem scripsit Regulam, unam Sanctimonialibus in Monasterio Arelatensi viventibus, quibus Cæsaria Viri sancti & Fundatoris soror præerat (t). Regula hæc in multis convenit cum Regula S. Augustini; unde mirum est, quòd Mabillonius existimârit, Cæsarii Regulam primam fuisse pro Monialibus scriptam. Alteram Cæsarius Regulam composuit pro Viris, quæ in Sæculo sexto per pleraque Monasteria colebatur, præcipuè in Gallia Narbonensi, quámque suis Commentariis illustravit Cointius (u). Geminas itidem Regulas tum Virginibus, tum Monachis concinnavit *S. Aurelianus* (x). Præter abstinentiam à carne, & multa jejunia, quæ cum Cæsarianis communia suis esse voluit, id quoque præcipitur, ut capilli in testimonium suscepti Monachatûs tondeantur, & pars in Confessionem mittatur, id est, in thecam, in qua Sancti alicujus Reliquiæ collocatæ sunt, ut Deo, Sanctísque consecretur. Potio diebus æstivis hoc modo propinabatur, ut, quando jejunabant, Monachi acciperent vasculum vini, cum tribus caldellis, id est, cum tribus vasculis cerevisiæ vel zythi. *S. Ferreolus* Ucecienfis Episcopus pro suo Monasterio Ferriolacensi Regulam condidit circa annum DLVIII (y). Capita multa Regulæ hújus conveniunt cum Regula Cæsarii (z). Nullum ad Monasterium admitti volebat, qui literas ignoraret, & qui totum Psalterium è memoria recitare nesciret. *S. Columbanus*, relictâ Hiberniæ Insulâ, in Galliam venit anno DLXXXV. (a), & varia exstruxit Monasteria: primum erat Anagratense in Vogeso Monte, dein Luxo-

Monachorum instituta in Sæculo VI.
(t) Holsten. in Codice Regularum. Le Cointe in Annal. Ecclef. Francor.
(u) Idem l. c. ad a. 536.
(x) Idem l. c. ad an. 548
(y)Holsten. in Cod. Reg.
(z) Vide Cointium ad an. 548. n. 9.
(a)Mabillonius in vita Waldeberti P. II. Sæc. III. Bened.

(b) Jonas in vita S. Columbani.

Luxoviense & Fontanense, & in Italia Bobiense, ubi & sepultus fuit (b). Regula S. Columbani cùm cæteris severior esset, postea eidem non parùm obtrectatum fuit ab Agrestino Luxoviensi Monacho, sed hominis licentia compressa est, ubi tota Synodus Regulam suis suffragiis probavit anno DCXXIII. *S. Donatus* ex Monasterio S. Columbani ad Episcopatum Vesontionensem assumptus, ex SS. Augustini, Cæsarii, Columbani, & Benedicti Regulis unam concinnavit (c). *S. Benedictus* Monasticæ Ascesis in Occidente Restaurator, edidit Regulam *discretione præcipuam, sermone luculentam* (d), de qua jam alibi in Historia diximus, quem modum in victu ac potione suis admoderatus sit, multi disputant: nam licèt singulis diebus libram panis propensam, id est, quæ inclinata præponderet, & heminam pro mensura potûs statuat; ambiguum tamen est, an duodecim vel pluribus unciis libra, vel panis libratus aut paximatium appenderit; item an hemina æquet dimidium sextarii, vel superet (e)? *S. Isidorus* Hispalensis Episcopus Monasteriis in Hispania tradidit Regulam; nam ante ejus tempora Monachi in hoc terrarum tractu nullâ votorum religione constricti erant, aut per sylvas dissipati, solitariam vitam agebant (f). Institutorum ejusmodi leges etsi id unum spectabant, ut per arctam viam, pérque omnium rerum abdicationem ad Regnum cælorum quisque contenderet; circa Monasticæ Professionis tamen varia multorum disciplina fuit. Nam pueris & puellis anno decimo ætatis Religionem profiteri fas erat (g), & Gregorius ipse affirmat, pueros ad Monasteria S. Benedicti admissos fuisse (h); in Insularum tamen Cœnobiis, cùm soli durities robustiores postularet vires, idem Pontifex vetuit, ne quis ante decimum octavum ætatis annum admitteretur (i). Cæterùm duplex olim Monachorum genus erat; alios enim Professio, alios paterna devotio faciebat, dum Parentes pueros monasticæ vitæ devovebant, de quo ritu S. Benedictus ait (k): *Si quis fortè de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minore ætate est, Parentes ejus faciant petitionem,… & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant.* Oblati verò ubi adoleverant, Religionem excutere non facilè poterant. Nam Concilium Toletanum IV. ait: *Monachum aut paterna devotio, aut propria Professio faciat. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus* (l). Ex his Monachis quidam ordinabantur Presbyteri, qui in Congregationibus Sacra faciebant, sæpè etiam ad Ecclesiarum Regimen deposcebantur: *Ita ex Monachis Monasterii sui* (Gregorius M.) *Marinianum Ravennæ, Maximianum Syracusis, Sabinum Callipoli Præsules ordinavit. Sed & Augustinum penes Anglos à Galliarum Episcopis ordinari præcepit* (m). Denique Monachi, antequam Monasterio darent nomen, bonis ita se abdi-

(c) Holsten. in Cod. Reg.

(d) Greg. M. L. 2. Dialog. c. 36.

(e) Joannes Breul in expos. Reg.

(f) Mariana L. 5. Histor. Hisp. c. 11.

(g) Synod. Trull. c. 40. Gregor. M. L. 2. Dial. c. 3. 11. 24. 33. S. Aurelian. in Reg. c. 17.

(h) Gregor. L. 2. Dial. c. 3. 11. 24. 33.

(i) Idem L. 1. ep. 48.

(k) S. Benedictus in Regula c. 59.

(l) Concil. Tolet. IV. c. 48.

(m) Joannes Diac. L. 4. vitæ Gregorii c. 7.

abdicabant, ut partem eorum pauperibus erogarent, partem alteram Monasteriis darent, tertiam quandoque propinquis vel parentibus relinquerent (n). In Oriente Justinianus Monachis lege latâ concessit, ut illis paternam hæreditatem adire liceret; ita enim cavet, *ut non liceat Parentibus, impedire, quò minùs liberi eorum volentes, Monachi aut Clerici fiant, aut eam ob solam causam exhæredare. Sed si ipsi testamentum condant, necesse habento, quadrantem illis relinquere. Sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato,.... quodsi illi Monasteria aut Ecclesias relinquant, atque mundani fiant, omne ipsorum* (Monachorum) *jus ad Monasterium aut Ecclesiam pertinet* (o). Idem Justinianus Professis Monachis, velut voto paupertatis obstrictis, facultatem condendi testamenti ademit (p).

(n) Reg. Magistri c. 91.

(o) L. 1. 54. 55. Cod. de Episcop. & Cler.

(p) Nov. 76

7. Atque ut nunc postremùm de ritibus quædam dicamus, qui in Sæculo sexto vigebant, primò occurrit illud, quod Justinianus præcepit Græcis, ut Romanorum morem secuti, diem Natalem Domini 25. mensis Decembris, non verò in Epiphania Domini celebrarent (q). Equidem jam Constantinopoli is usus in Sæculo quarto invaluerat, à Theodosio Juniore in Sæculo quinto confirmatus (r); in aliis tamen Ecclesiis Orientis unâ die duplex festum colebatur. Quare epistolam ad Episcopos Justinianus hac super re scripsit; útque dividerent duo festa, mandavit: dicto ejus paruerunt Græci, exceptis Armenis, qui morem pristinum deponere noluerunt (s).

(q) Abulpharajus in Hist. Dynastian. p. 94.

(r) Leg. 5. Cod. Theod. de Spectacul.

(s) Vide Pagium in Critica T. II. ad an. 551. n. 21. & n. 22.

§. III.

De Conciliis, in quibus de Doctrina & Disciplina in Sæculo sexto tractatum est.

1. SUB FINEM SÆCULI V. celebratum est, *sedente Gelasio*, *Concilium Romanum* de Libris Canonicis recipiendis (a). An. 495.

(a) Vide Pagium in Critic. ad a. 494. & a. 495. n. 2.

2. *Sub Pontifice Symmacho* Anno 499. *Synodus Romana I.* de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, & de præcludenda schismatibus via. Anno 500. *Synodus Romana II.* acta est, quæ Laurentium Schismaticum, ut Ecclesiam turbare desineret, Nuceriæ Episcopum renunciavit (b): ejus Acta ad nos non pervenêre. Anno 502. *Romana Synodus III.* habita est (c), in qua abrogabatur Lex Odoacris per Basilium promulgata, de requisito Regis consensu ad Electionem Pontificis. Anno 503. *Romana Synodus IV.* sive *Palmaris* appellata, Symmachum Papam accusatum absolvit (d). Anno 504. *Romana Synodus V.* Acta prioris Synodi confirmantur, & Ennodii Libellus Apologeticus pro Symmacho comprobatur (e). Acta extant apud Harduinum in Tom. II. CC. Eodem anno *Synodus VI. Romana* Bonorum Ecclesiasticorum invasores anathemati subjicit. Anno 506. Concilium *Agathense* in Gallia Narbonensi dedit

An. 499.

(b) Pagius ad a. 500. n. 8.

(c) Idem ad an. 502. n. 4.

(d) Idem ad an. 503. n. 2.

(e) Idem ad an. 503. n. 11

dit Canones 48., quibus poſtea aliunde 25. alii adjecti ſunt de Diſciplinæ reſtauratione. Vide T. II. CC. p. 995. Anno 511. *Aurelianenſe I.* ad Ligerim à Clodoveo Rege convocatum, egit de Diſciplina, per Canones 31 (f). Anno 512. *Sidonienſe* in Palæſtina adversùs Synodum Chalcedonenſem (g).

3. *Sedente Hormisda Pontifice*, ſequentia Concilia habita ſunt. Anno 516. *Tarraconenſe* in citeriore Hiſpania edidit de Diſciplina 13. Canones (h). Anno 517. *Gerundenſe* in Catalonia de Diſciplina, & Litaniarum celebratione Canones decem poſuit (i). *Epaonenſe* in Gallia Narbonenſi, ſive in Provincia Viennenſi de Diſciplina condidit Canones quadraginta (k). *Lugdunenſe* adversùs Stephanum quendam inceſtuoſum (l). Anno 518. regnante Juſtino Seniore, inſtituta eſt *Synodus Conſtantinopolitana I.* pro defenſione Concilii Chalcedonenſis. Hujus Concilii Decreta extant in Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna peracti Actione quinta p. 1318. *Tyrium* confirmat Acta Concilii Conſtantinopolitani: cujus Acta habentur in loco paulò antè citato. *Romanum*, in quo ſancitâ cum Orientalibus concordiâ, de Acacii, Euphemii, & Macedonii nominibus è diptychis expungendis agitur. Acta habentur l. c. Anno 520. *Conſtantinopolitanum II.* ſub Patriarcha Epiphanio de pace Eccleſiarum tractat (m). Anno 522. *Agaunenſe*, in quo probata eſt Monaſterii Agaunenſis à Sigiſmundo Rege fundati Pſalmodia perpetua, nempe ut plures Monachorum turmæ, ſibi invicem ſuccedentes, perpetuum officium, cantúmque continuarent (n); qui pſallendi modus dein in varia Monaſteria introductus eſt (o).

4. *Sedente Joanne Papâ*, Conciliorum hic ordo, numerúsque erat. Anno 524. *Ilerdenſe* in Hiſpaniæ Tarraconenſi Provincia octo Epiſcopi celebrârunt, tulerúntque ſedecim Canones de Diſciplina (p), *Arelatenſe IV.* de ordinandis Clericis, cujus Canones quatuor explicat Natalis Alexander (q). Anno 525. *Carthaginenſe* à Bonifacio Primate convocatum, Fidem Catholicam ſtabilivit, & Monaſteriis ſua privilegia confirmavit (r).

5. *Sedente Felice IV. Pontifice* Anno 527. congregata eſt *Synodus Carpentoractenſis* in Gallia Narbonenſi, ſtatuit, quantum ex bonis Parochiali Eccleſiâ ablatis Epiſcopo ſumere liceat (s). Anno 529. Concilium *Vaſenſe II.* ab undecim Epiſcopis habitum condidit Canones quinque (t). Anno eodem *Arauſicanum II.* diremit contentiones de gratia & libero arbitrio (u); nam Leonis Papæ tempore Semipelagianorum placita damnata non fuerant, propter multos doctrinâ & pietate præſtantes viros, qui ſpatio interjecto illis favere viſi ſunt. Verùm in hac tandem Synodo, quam Bonifacii II. authoritas poſtea comprobavit, ea penitus exploſa & rejecta ſunt (x). *Synodus Valentina* in Gallia Viennenſi ad Rhodanum, in qua prioris Concilii Arauſicani Acta ac Definitiones ſtabilitæ ſunt (y).

6. Sedente

(f) Cointius T. I. p. 279.
(g) Marcellini Chronic.
(h) Act. CC. T. II. recent. edit. p. 1039.
(i) ibidem p. 1043.
(k) ibidem p. 1045.
(l) ibidem p. 1053.
(m) ibidem p. 1035.
(n) Mabillonius in Præfat. P. II. Sæc. IV. Bened. n. 204.
(o) Pagius T. II. ad an. 522. n. 11. 12. 13.
(p) Acta CC. T. II. rec edit. p. 1063.
(q) Natal. Alexand. Hiſt. Eccl. Sæc. VI. c. 5.
(r) Acta CC. T. II. p. 1071. Natalis Alexander l. c. a. 10.
(s) Acta CC. T. II. p. 1095. Pagius ad an. 529. n. 2.
(t) Acta CC. T. II. p. 1105.
(u) ibidem p. 1097.
(x) Pagius in Critica T. II. ad an. 529. n. 3. 4.
(y) Acta CC. T. II. p. 1103. Pagius l. c. n. 8. 9.

6. *Sedente Bonifacio II.* Anno 531. *Synodus Romana I.*, in qua Bonifacius Vigilium Diaconum sibi successorem delegit (z). *Romana II.*, in hac idem Papa Constitutum hoc suum revocat (a). *Romana III.*, in qua causa Stephani Larissensis Metropolitæ, qui ad Sedem Apostolicam provocaverat, proposita est (b). *Concilium Toletanum II.* edidit quinque Canones (c).

7. *Sedente Joanne Papâ* Anno 533. *Synodus Aurelianensis II.* de Disciplina edidit Canones 23 (d).

8. *Sedente Agapeto Papâ* Anno 535. *Synodus Arvernensis* apud Aquitanos de Disciplina, præcipuè autem cavetur, ut Ecclesiæ sartæ tectæ serventur. Canones sedecim ejusdem illustravit Cointius (e). Anno 536. Concilium *Constantinopolitanum* sub *Menna* Patriarcha post Agapeti obitum cum hujus Legatis institutum & confectum est contra Anthimum & Acephalos Actionibus quinque (f).

9. *Sedente Silverio Papâ* Anno 538. *Aurelianense* III. Concilium Nonis Maji sex supra triginta Episcopi celebrârunt, & pro reformanda Disciplina condidêre Canones 33 (g).

10. *Sedente Vigilio Papâ* Anno 540. *Barcinonense* Concilium in Catalonia edidit decem Canones de Disciplina (h). Anno 541. *Aurelianense IV.* de Ritibus & Negotiis Ecclesiasticis sanxit Canones 35 (i). Anno 548. *Constantinopolitanum* de tribus Capitulis (k). Anno 549. *Aurelianense V.* damnat Nestorium & Eutychetem, Canones 24. sunt plerique de Disciplina (l). Anno 550. *Mopsvestenum* inquirit in tempus, quo Theodorus è diptychis erasus fuerit (m). Anno 551. *Parisiense II.* tractat causam Saffaraci Episcopi (n). Anno 553. CONSTANTINOPOLITANUM II., OECUMENICUM V. damnat tria Capitula, octo Collationibus absolvitur, & sententiæ Patrum Vigilius tandem subscribit (o). Anno 554. *Arelatense V.* reliquit octo Canones de Disciplina (p). Anno 557. *Parisiense III.* post bellum civile consulit Ecclesiarum necessitatibus per Canones decem (q).

11. *Sedente Joanne III. Papâ* Anno 560. *Concilium Bracarense* in Hispania Tarraconensi inter Durium, Miniúmque fluvios condidit adversùs Priscillianistas 17. Canones (r). Anno 562. *Concilium Santonense I.* ad Carontonum fluvium, in quo amoto Emerico, qui contra Canones fuerat ordinatus, Heraclius Santonensis Episcopus creatus est (s). Anno 567. *Turonense II.* dedit Canones 27. de Disciplina (t). Anno 568. *Lugdunense II.* dedit de pace & libertate Ecclesiastica Canones sex (u). Anno 569. *Lucense I.*, ubi post confirmatam Fidem Catholicam, Sedium Metropolitanarum Hispaniæ limites definiti sunt (x). Anno 572. *Bracarense II.* sub Mirone Suevorum Rege, Præsidente Martino Dumiensi, Archi-Episcopo Bracarensi, condidit Canones decem (y).

(z) Anastas. in vita Bonifacii.
(a) Acta CC. T. II. p. 1111.
(b) Acta apud Holstenium.
(c) Acta CC. T. II. p. 1139. Conferatur Pagius ad an. 531. n. 9.
(d) Le Cointe T. I. p. 400. Natalis Alexander Sæc. VI c. 5. a. 13.
(e) Le Cointe T. I. p. 439.
(f) Acta CC. T. II. p. 1185.
(g) Cointius T. I. p. 554. Acta CC. T. II. p. 1421.
(h) Acta CC. T. II. p. 1434.
(i) ibidem p. 1435. Cointius T. I. p. 595.
(k) Liberatus in Brev. c. 24.
(l) Cointius T. I. p. 745.
(m) Pagius ad an. 550. n. 9.
(n) Cointius ad an. 551.
(o) Acta CC. T. III. à pag. 1. ad pag. 327.
(p) Cointius T. I. p. 799.
(q) Id. p. 825.
(r) Greg. Tur. l. 4. c. 16. Acta CC. T. III. p. 353.
(s) Acta CC. T. III. p. 347. Natal. Alex. Hist. Eccl. Sæc. VI. c. 5. a. 21.
(t) Cointius T. II. Ann. p. 67
(u) Id. p. 86.
(x) Acta CC. T. III. p. 373.
(y) ib. p. 383.

12. Se-


12. *Sedente Benedicto Papâ* Anno 576. *Parisiense IV.* contra Promotum egit Episcopum Dunensem, eoquòd ab Ægidio Rhemensi, Belgicæ secundæ Metropolita illegitimè ordinatus esset (z). Anno 577. *Parisiense V.*, in quo causa Prætextati Episcopi Rothomagensis, à Chilperico accusati, examinata est (a).

13. *Sedente Pelagio II. Papâ* Anno 578. *Concilium Antisiodorense* edidit Canones 45 (b). Anno 579. *Cabilonense:* in quo Salonius & Sagittarius ob crimen læsæ Majestatis, cujus accusabantur, depositi (c). Anno 582. *Matisconense I.* in Burgundia statuit Canones novemdecim pro disciplina & refrænatione Judæorum (d). Anno 583. *Brennacense* ad Vidulam fluvium in Campania, in quo Leudastes Comes, qui Gregorium Turonensem apud Chilpericum falsò accusaverat, excommunicatur (e). *Lugdunense III.* habet sex duntaxat Canones de Disciplina (f). Anno 585. *Matisconense II.* tulit Canones 20. de Disciplina (g). Anno 586. *Arvernense III.*, in quo Ruthenensi Sedi Parochiæ Cadurcinæ adjudicabantur (h). Eodem tempore celebrata Synodus est *Valentina II.*, in qua Monasteriis ac Ecclesiis data à Guntchramno privilegia confirmantur (i). Anno 689. *Toletanum III. Concilium* præsente Reccaredo Visigothorum Rege ab Episcopis 88. ex omni Hispaniæ parte congregatis peractum, in quo Gothi, post ejuratum Arii errorem, Fidem orthodoxam professi sunt (k). *Narbonense* 15. Canones promulgavit de Disciplina (l).

14. *Sedente Gregorio Magno Pontifice* Anno 590. *Hispalense I.* ad Bætim fluvium, Præside Leandro Archi-Episcopo, tria Capitula statuit de Disciplina (m). Anno 590. *Metense* tractavit causam Ægidii Rhemensis, accusati, quòd Chilperico & Chariberto insidias struxisset (n). Anno 592. *Cæsar-Augustanum* in Provincia Tarraconensi dedit tres Canones de Sacerdotibus vel Episcopis ab Ariana hæresi redeuntibus. Anno 598. *Concilium Oscense* in Tarraconensi Provincia Canones duos composuit de munere Episcopali, & Clericorum castimonia (o). Anno 599. *Barcinonense* objecit quatuor Canones simoniacis ordinationibus (p). Anno 600. *Romanum IV.* de Monasteriorum privilegiis definit (q).

(z) Cointius T. II. p. 135.
(a) Id. p. 172.
(b) Id. p. 308.
(c) Gregor. Tur. l. 5. c. 27.
(d) Cointius T. II. p. 237.
(e) Id. p. 206. Gregor. Tur. l. 5. c. 49.
(f) Cointius p. 236.
(g) Acta CC. T. III. p. 459.
(h) Gregor. Tur. l. 6. c. 38.
(i) Cointius T. II. p. 279.
(k) Concil. Hispal. T. II. p. 338. apud D'Aguirre.
(l) ib. p. 385.
(m) Acta CC. T. III. p. 522.
(n) Gregor. Tur. l. 10. c. 19.
(o) Acta CC. T. III. p. 535.
(p) ib. p. 537.
(q) Pagius in Critic. T. II. ad an. 601. n. 3.

LIBER



LIBER VII.
IMPERII ROMANI
ET
ECCLESIÆ
CALAMITOSA DIREPTIO
A
SARACENIS & MONOTHELITIS FOEDE
SUSCEPTA & PROPAGATA.

CAPUT I.

Respublica in Sæculo VII. ingentem passa est Regnorum conversionem; à Saracenis quippe Syria, Ægyptus, Africa & Numidia occupabantur; Arabum Duces Persiam à Romanis jam debilitatam penitus subjugavêre: Imperium Orientis domesticis cum calamitatibus sæpiùs conflixit. Italiam demum malè divexavit Longobardorum adversùs Exarchos, aliósque diuturnum bellum.

Ab Anno 603. ad Annum 712.

§. I. *PHOCAS à crudelitate exorsus Imperium, sibi omnium odium, fatúmque consciscit. HERACLII inauguratio, ejus bella cum Persis, & victoriæ: Mahometis initia, sectæ ejus propagatio cruenta. CONSTANTINI mors præmatura; HERACLEONÆ infamis exitus. CONSTANS edit Typum, occidit fratrem Theodosium, Romam expilat, à suis perimitur. CONSTANTINUS POGONATUS à Religionis studio celebris, cui filius JUSTINIANUS RHINOTMETUS sufficitur, ab Imperio deturbatus, successores habuit Leontium & Apsimarum: at Regno rursus admotus, illud multò crudeliùs gerit.*

An. 603.
Phocæ & Leontiæ Augustorum imagines mittuntur Romam.

I. QUamprimùm PHOCAS per Mauritii Imperatoris necem, pérque hujus filiorum cadavera ad Reipublicæ fastigium enisus fuerat; Romam ad Gregorium Pontificem literas, & ex more recepto ad Senatum suam, suæque uxoris Augustæ Leontiæ laureatas imagines misit (*1); quas ubi populus palàm prostare vidit, nullus erat, qui non spe felicioris Regni afflatus, Augustis vitam, prosperáque omnia acclamaret. Atque ut idem, quod Romæ Cæsari, etiam Constantinopoli perhiberetur obsequium, Gregorius omnium subditorum vota colligens, redditis ad Phocam literis, gratulabatur Cæsari, ejúsque Conjugi; útque exspectationem à Romanis conceptam implerent, infimis precibus flagitabat (*2). Dum

Gregorius M. Phocæ de Imperii dignitate gratulatur.

(*1) GREGORIUS Lib. XX. Epist. sub initium: *Venit autem Icona suprascriptorum Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam VII. Kalend. Maji, & acclamatum est eis in Lateranis in Basilica Julii ab omni Clero & Senatu: Exaudi Christe! Phocæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita. Tunc jussit ipsam Iconam Dominus beatissimus & Apostolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæsarii Martyris intra Palatium.* BARONIUS ad annum DCIII. N. I. hìc observat, Imagines mitti solitas fuisse ab Imperatoribus in diversas Provincias, & ad amicos, easdémque dici consuevisse Laurata sive Laureata; his veluti Imperatori præsenti debitus honoris cultus deferri consuevit ab omnibus, & in eas peccans, Majestatis reus habebatur. Porrò N. II. idem Author notat, per *Oratorium S. Cæsarii* intelligi Ecclesiam illam (quæ aliquando Diaconia, postea Titulus fuit) positam in viæ Appiæ divortio à Latina, quæ collapsa, à Clemente VIII. restaurata est. *Palatium* autem dicebatur, quia illic ædes peramplæ erant, sive usui Pontificis, sive Imperatoris, cùm Romæ eundem esse contingeret.

(*2) GREGORIUS Lib. XI. epist. 38.: *Gloria in excelsis Deo, qui, juxta quod scriptum est* (Dan. 2.) *mutat tempora, & transfert regna.... In omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione alternatim vitæ mortalis sunt moderamina: & aliquando cùm injustorum multorum peccata refrænanda sunt; unus erigitur, per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur: quod in nostra diutiùs afflictione probavimus. Aliquando verò cùm misericors Deus mœrentium multorum corda suâ decrevit consolatione refovere, unum ad Regiminis culmen provehit, per cujus misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citiùs credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad Imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cœli, & exultet terra, & de vestris benignis actibus universæ Reipublicæ populus nunc usque vehementer afflictus hilarescat.* Porrò hortatur Principem, ut mala, quæ sub Mauritio vigebant, tollat: *Quiescat felicissimis temporibus Vestris Universa Respublica prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur in singulis sub jugo Imperii Vestri libertas sua. Hoc namque inter Reges Gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quòd Reges Gentium Domini servorum sunt; Imperatores verò Reipublicæ Domini liberorum* &c. Eandem gratulationem Pontifex Leontiæ Augustæ persolvit, datâ epistolâ (quæ est XLVI. Lib. XI)

Dum hæc ſecundo omine in Italia gerebantur, Phocas quinto Imperii ſui menſe, miſſo ad Perſarum Regem nuncio, Choſroi ſignificabat, ſibi poſt Mauritii funus ab exercitu, populóque demandatum eſſe Imperium. Legationis hujuſce officium aliter (ac ſperabatur) acceptum eſt (a); nam Choſroës ſive aliunde de fœda Mauritii ſibi amiciſſimi cæde edoctus, ſive modò ex Lilio (qui antè Cæſaris parricida, nunc præſens in Perſide Orator fuerat) id extorſerit; certè facinus adeò indignè tulit, ut hominis ac Legati inviſi ſermonem aſpernatus, hæc duntaxat Phocæ referri juberet, Regis Perſarum intereſſe, ne fœdus deinceps cum Romanis, qui perfidi in ſuum Cæſarem fuiſſent, inviolatum ſervet: Perſarum exercitum in rebellium regiones proximè iturum; & demum ita actum iri, ut Mauritius etiam poſt fata ultorem habeat.

(a) Nicephorus l. 18. c. 43. Theophyl. l. 8. c. ult. Theophan. ad an. 595.

Perſæ fœdus cum Romanis antè initum rumpunt.

An. 604.

2. Antequam hæc Phocæ renunciarentur, Avares infeſtiora rurſus ſigna Orientis finibus intulerant (b): neque urbs Regia ab inteſtinis ſeditionibus vacabat; nam, qui ex paucorum cædibus exterminium malorum Magiſtratuum, ſalutémque publicam ſperaverant, ii ſpes vanas nunc in odium vertentes, palàm querebantur, tot Reipublicæ funeribus, quibus Phocas indies Provincias, urbéſque exhauriret, nihil aliud agi, quàm ut Mauritii propinquorum corpora petendo, innocentum multorum vitam affligeret. Accedebat ad ſimultatem civium augendam deformis ille habitus, feróxque & aſpectu terribilis forma, quam cùm Phocas per omnium ora, oculóſque circumferret, ſinguli ex ejus truci ſupercilio facilè legebant, quæ mala orbi Tyrannus parturiret (*3). Hic ſtatus rerum Conſtantinopoli erat, quando Lilius ex Perſide reverſus triſte nuncium attulit, Perſas rupto fœdere Imperii imminere Provinciis (c): Edeſſam teneri à Narſete Duce, & hunc rebellem, qui regnante Mauritio, Perſas toties deviciſſet, miſcere nunc cum hoſtibus conſilia.

(b) Nicephorus l. c.

Crudelitas Phocæ.

Phocæ habitus & forma.

(c) Miſcell. l. 17. an. 2. Phocæ. Theophan. ad a. Incarn. DXCV.

(*3) CEDRENUS Annal. an. I. Phocæ: *Staturâ* (Phocas) *fuit mediocri, deformis, terribilis aſpectu, rubente capillo, ſuperciliis coëuntibus, mento raſo, cicatrice in mala notatus, quæ ipſo iraſcente denigrabatur: vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miſeratione alienus, moribus ferus, Hæreticus* &c. Obſervat BARONIUS, nomen Hæretici malè impingi Phocæ: ex hujus tamen tyrannide tanta mala ſequebantur, ut eum omnibus convitiis onerandum Scriptores putârint.

Persarum irruptio in Imperium.

Phocas utprimùm ista cognovit, primùm velut ad monstra rerum obriguit, tum discusso aliquantùm animi dolore, cum Rege Abarum inducias pactus, Domitium Magistrum militum contra Persas in Cappadociam (eò enim jam pervenerant) Germanum Prætorem Narseti occurrere jubet. Sed utraque expeditio in irritum cecidit; Domitio namque in fugam rejecto, & Germano occiso licentia hostium pejùs invalescebat. Cæsar cladem aliquantùm reparaturus, Germano Leontium sufficiebat, majore Cæsaris damno, & non minore Ducis, qui substituebatur ignominiâ (d). Hic enim ubi impar Persarum viribus, victúsque, internecinam Romanorum pugnam ad Phocam ægrè evaserat, ad aliorum ludibrium Principis jussu vinctus circumducebatur; quo facto, graviorem sui Cæsaris, quàm hostium iram expertus est.

(d) Theophanes ad an. 596.

An. 605.

3. Interea Chosrois miles in Romanorum ditionem undique irrumpebat: cujus grassationes cùm Phocas æquo Marte vindicare non posset, omne ultionis genus in Narsetem turbarum incentorem convertere statuit. Verùm altioris consilii erat, hominem armatum, & Persarum auxiliis obsessum à proposito revocare: Phocas igitur, quod vi haud valebat, dolo conficiendum ratus, Narsetem ingentibus promissis tentare, atque (ut verbis daretur fides) summâ jurisjurandi religione pacta firmare aggreditur. Et erat in fatis Narsetis, ut his fallacibus escis captus, cæco impetu in casses rueret. Vix Ducem Phocas habebat in potestate, tum posthabitâ perfidiæ ac perjurii maculâ, virum olim de Imperio optimè meritum ignibus exuri mandat (e). Flamma infamis etsi hâc ratione unius scelus plectere videretur; scintillas tamen simul multas in Magnatum animos injecit, quibus in odium succensi, illud demum jactabant, non Cæsarem, sed Tyrannum violentissimum gubernacula invasisse, ut qui non hostium, sed Romanorum cæde stabilire sibi Imperium conaretur: in Persas, si quid virium esset, non in Duces ac cives esse expromendum. Ex his non obscuris vocibus posteaquam cognoverat Phocas, se ab omnibus timeri tantùm, à nemine amari; vicissim ipse omnes odisse cœpit, & quasi à conscientia scelerum timidus, quòcunque eum suspicio præcipitabat, cædibus

Phocas contra fidem datam, Narsetem jubet exuri.

(e) Theophan. ad an. Incarn. sec. Alex. 597.

An. 606.

Odium Procerum adversùs Phocam.

dibus iniquis, ac ſuppliciis innocentum Conſtantinopolim permiſcere præſumpſit.

4. Sanguinolenta procella jam urbem, vicináſque regiones involverat; tum multò gravior tempeſtas adversùs Mauritii genus, aut generis ejus amicos concitata eſt (f). Vixerat adhuc Conſtantina Cæſaris occiſi conjux cum tribus filiabus, privatæ cuſtodiæ incluſa, quæ ſuæ libertatis ſpem in eo poſitam credebat, quòd accepiſſet, unum Theodoſium ex cæde filiorum aliorum ſubtractum Imperio, melioribúſque rebus ſervari (*4). Solatium ejuſmodi cùm amiciſſimis Germano, ac Theodoro Orientis Præfecto communicâſſet; ipſum literarum commercium occultæ conjurationis indicium, aut ſuſpicionem fecit. Conſtantina itaque in quæſtionem rapitur, & inter cruciatus communionem familiarium confeſſa, ſibi, prolibus, optimíſque viris exitium conſcivit; nam Theodoro, Germano, aliíſque leviſſima de cauſa jugulatis, ipſa quoque Conſtantina, cjúſque tres filiæ in eodem loco, ubi Mauritius interemptus fuerat, victimæ crudelitatis cecidêre (*5). Quo tempore Phocas carnificinam

(f) Chron. Alexandrin. ad an. 60.

An. 607.

Phocas ſuperſtites reliquias ex familia Mauritii neci dat.

(*4) NICEPHORUS Lib. 18. c. 41.: *Fama autem obtinet, percuſſorem Theodoſio parcentem, alium pro eo admodum illi ſimilem jugulâſſe; ipſum verò Theodoſium profugum in locis multis multa expertum, poſtea morbo interiiſſe. Atque ea quidem fama per omnes Romani Imperii ditiones vulgata eſt; ſed eam barbarus quidam Erro perquam tenui conjecturâ id facere auſus, protulit, propterea quòd caput ejus ſolum, unà cum aliis, qui cæſi ſunt, exhibitum non ſit. Verùm inquiſitio ipſa ſatis ſollicitudine ſummâ defatigata, Theodoſium etiam mortuum eſſe cognovit.* Hanc famam etiam ad Perſas uſque perlatam teſtatur THEOPHANES anno Incarnat. ſecundùm Alexandrin. DXCV. *Theodoſium Mauritii filium fugâ evaſiſſe, & periculo ſuperſtitem vixiſſe, rumor eſt. Hanc verò famam Perſarum Rex Choſroës variis mendaciis in id confictis pro libito auxit, Theodoſium penes ſe habere ſimulans, ſéque ſubinde procurare, ut paternum reciperet Imperium.*

(*5) AUTHOR MISCELLÆ Lib. 17.: *Interea mulier quædam, Petronia nomine, fit Conſtantinæ Imperatrici relictæ Mauritii miniſtra, quæ ad Germanum reſponſa ferebat. Porrò cùm fama dilataretur, quòd Theodoſius Mauritii filius viveret, ſpem bonam tam Conſtantina, quàm Germanus habebant. At verò ſcelerata Petronia hæc Tyranno manifeſta fecit. At Tyrannus Conſtantinam Theoprepio Exarcho ad torquendum prodidit. Quæ dum torqueretur, Romanum Patricium nôſſe inter locutiones ſuas confeſſa eſt. Qui comprehenſus atque diſcuſſus, etiam alios fore in inſidiis Tyrannidis cooperatores perhibuit. Comprehenſus eſt autem Theodorus Orientis Præfectus, quem Tyrannus interemit, Helpidii quoque pedes præcidens tradidit igni, Romanúmque decollavit. Porrò Conſtantinam cum tribus filiabus in loco, ubi Mauritius interemptus eſt, gladio trucidavit* &c. Eadem habet THEOPHANES ad annum Incarnat. ſecundùm Alexandrin. 599.

An. 608. *Persæ Provincias Imperii vastant & subigunt.* ficinam intra Imperium exercebat, Chosroi prædas impunè per Syriam agere, & anno insequente proferre longiùs ditiones suas licuit; Carderiges quippe Dux Persarum, quin ullus obsisteret, perpetuo victoriarum cursu Armeniam, Cappadociámque emensus, peragratâ subinde Galatiâ & Paphlagoniâ, ad Chalcedonis urbis pomæria populationes suas proferebat (g). Propinquitas hostis negligentem Cæsarem, vel potiùs acerbo studio divexationi Optimatum incumbentem (h) ad Provinciarum extremè laborantium curam advertit; quare Bonosum Orientis Comitem creatum continuò in Persas movere jubet. An. 609. Propositum ejusmodi procursiones hostiles saltem retardâsset, nisi eodem tempore Antiochiæ flagrans seditio Bonosi copias, auxiliúmque poposcisset (*6). Hebræam inter & Christianam Gentem acriores solito inimicitiæ gliscebant, quæ ubi in lucem apertiùs eruperant, *Judæorum Antiochenorum seditio.* Judæi in furias acti, præcipuum Christianorum Antistitem sive Patriarcham Anastasium adoriuntur, & nefariis modis excarnificatum trucidant (i): neque hìc furentium rabies stetit, quin, quem vivum ampliùs non poterant, mortuum omni injuriarum genere exagitârunt. A Pastore in gregem conversa procella est, totáque Antiochena urbs eâ die ferro, flammísque evastabatur. Periculi magnitudo fecit, ut Phocas, mutato consilio, Bonosum Antiochiam advolare præciperet. Is maturato (ùt jussus fuerat) itinere urbem subit, at rebelles audaciore fronte venientem excipiunt, &, dum parabat arma, vim vi repellunt; ac ne Ducem ultimâ clade afficerent, accire festinat plures militum copias, quarum viribus auctus, tempestatem validissimam ægrè tandem compressit. Vix Antiochiæ reddita quies erat,

(g) Theophanes edit. Paris. p 246. 247.

(h) Idem p. 248.

(i) Idem ad an. Incarn. secund. Alex. 601. Cedren. an. ult. Phocæ. Nicephor. l. 18. c. 44.

(*6) PAGIUS in Critica Annal. T. II. ad annum 609. num. 2. advertit, quòd *Chronicon Alexandrinum* cædem Anastasii Patriarchæ Antiocheni referat ad annum post Consulatum Phocæ VI.; *Theophanes* verò id evenisse dicat anno Phocæ VII. sive anno DCI. secundùm Alexandrinos, qui numerari cœpit à Kalendis Septembris anni DCVIII. in annum DCIX.; sed Theophanis errorem correxit *Cedrenus*, qui cædem Anastasii protrahit ad annum Phocæ VIII., sive Æræ DCX., quem anni integri prochronismum usque ad annum 693. Theophanes propagavit. Quare ut Idem Chronographus ad Æram vulgarem accommodetur, non tantùm septem anni Æræ Alexandrinæ hìc, sed octo anni addi debent; quo facto, Chronologia Theophanis nostræ respondere poterit. De Chronographia Theophanis legatur *Henschenius* in Actis SS. Tom. III. mensis Martii in Exegesi præliminari.

erat, tum Constantinopolis terrore ac tumultu impleri cœpit (k). Theodorus Præfectus Prætorio Cappadox, & Helpidius armamenti Præpositus cum aliis viris bene multis in necem Phocæ novâ conspiratione convenerant: jámque tempus locúsque decernebatur, tum conjuratorum unus Anastasius largitionum Comes facti pœnitens, Imperatori, quæ agerentur, consilia prodit. Insidiarum modum ùt Tyrannus cognoverat; ferrum, ignésque, milléque necandi genera meditatus, Theodorum (cui socii post peractum facinus Cæsaris dignitatem dicaverant) primò cædit, dein in alios quoque crudelissimè sævitum est.

(k) Miscell. an. 7. Phocæ. Theophan. p. 249. edit. Paris.

Conjuratio adversùs Phocam

Detegitur, & atrocissimè punitur.

5. Laniena nobilium virorum etsi præsentes cives metu tantisper cohiberet, majorem tamen eadem audaciam longè disjunctis Provinciis injecit; per idem quippe tempus Alexandria defectione publicâ Tyranni jugum excussit, & Africa apertum Phocæ bellum indicere non dubitabat (l). Præerat Afris tunc Prætoris nomine Heraclius Patricius, cujus illustris ortus, ac militaris fortitudo in bellis contra Persas multoties probata (m), hoc virtutis demum præmium consequebantur, ut à Cæsare toti Africæ cum Imperio præficeretur. Ex Epiphania uxore is Flavium Heraclium, manu æquè ac ingenio promptum filium susceperat: qui cùm maximam spem rerum gerendarum omnibus faceret; Imperii Primores, atque ipse adeo Phocæ Gener Crispus Patrem Heraclium multis precibus interpellârunt, ut eundem filium Constantinopolim mitteret, ad tyrannidem depellendam (n). Quantumcunque Parens primò repugnaret; calamitate tamen publicâ emollitus, parabat classem, quæ sequente æstate copiosum exercitum unà cum filio Heraclio Imperatore (hoc enim nomine in Africa à suis jam appellatus fuerat) Abydum deduxit (o). Exterruit Phocam navalis apparatus, & magìs anceps periculum inde reddebatur, quòd Nicetas Gregoræ (qui Heraclii patruus erat) filius per Ægyptum pedestres adduceret copias (p). Rebus desperatis id ad hostis moram fore visum est, si Domentiolus Phocæ frater Heraclio aditum ad Hellesponti fauces intercluderet: sed seriùs ille stationem occupaverat, quàm ut classem ad Abydi littora jam appulsam retardaret. Quare Domentiolus cum suis repentè Constantinopolim remeans, firmare

(l) Chronic. Alexandrin.

Heraclii ortus.

(m) Theophan. p. 216. Cedrenus, p. 396. Simocatta l. 1. c 9. 10. 18

An. 610.

(n) Paulus Diac. l. 17. Manass. p. 141.

(o) Theophan. p. 250.

(p) ibidem

Heraclius ex Africa vocatus, Constantinopolim venit.

firmare præſidio urbem Regiam conatus eſt. Heraclius dum Abydi otium capit; Principes Regni exules, quos Phocas exegerat, inter ſuos recipit: tum cum navibus turritis, è quarum malis arculæ & Deiparæ, Servatoríſque imagines Religionis causâ appenſæ oſtentabantur, Conſtantinopolim citis velis provehitur (q). Ad Sophiæ portum dum claſſis tendebat; Phocas, quò hoſtem (ùt opinabatur) tumultuarium in tempore comprimeret, Heraclio qualicunque agmine occurrit: at venientem alacrior Heraclii miles excipit, fusúmque certamine victor in urbem repellit. Profligatus in Regiam ubi ſe abſconderat; Photinus (cujus uxori Tyrannus pudorem paulò antè eripuerat) ultionis æſtu incitatus, Phocam ſequitur, & validâ cum militum manu in palatium irrumpens, comprehenſum, & Imperatoriis inſignibus exutum Heraclio ſiſtit: hic hominem exauthoratum acerbo vultu configens, *miſer*, ajebat, *itáne Rempublicam gubernâſti?* Cui Phocas lugubri reponebat voce: *Tuum eſt, rectiùs eam gerere.* Plura haud exſpectabat Heraclius, tum miſerum manibus, pedibus, pudendis, ac demum capite truncari jubet (*7): quo facto, cæteras corporis reliquias milites in foro Bovis cremavêre (r). Eâdem die Heraclio Victori, ejúsque ſponſæ Eudociæ Sergius Patriarcha geminas coronas nuptiales ſimul, ſimúlque Auguſtas impoſuit (s), fuítque hoc ad memoriam ævi ſingulare, quod idem tempus & Heraclii Imperio, & ejusdem connubio initium dederit. Diuturnius tamen illud, quod inter Cæſarem ac Rempublicam, quàm quod inter utrumque ſponſum interceſſit, vinculum erat, nam Eudocia duplici partu

(q) Chron. Alexandrin. Nicephor. l. 18. c. 26.

Phocæ funeſtus exitus.

(r) Chron. Alexandrin. Nicephorus l. c. Theophan. p. 250.

(s) Zonaras. Cedrenus Chronic. Alexandr.

Heraclii inauguratio.

(*7) CHRONICON ALEXANDRIN.: *Hoc anno* (610) *menſe Hyperberetæo, Romanis Octobri die tertio, Indict. XIV. Sabbato, apparet magna claſſis ad Caſtellum rotundum (ad civitatis angulum, qui Propontidem ſpectat) in qua erat Heraclius Heraclii filius. Tunc Phocas eodem die à Proceſſo Hebdomi circa Veſperam equo venit in Palatium.... Die quinto ejusdem menſis feriâ ſecundâ illuceſcente, Photius Curator Palatii Placidiani, & Probus Patricius raptum Phocam ex Palatio Archangeli omnibus nudatum veſtibus deduxerunt in portum, velut ad ædem Sophiæ, impoſitúmque navi oſtenderant claſſi, & hunc deportârunt ad Heraclium: cujus Phocæ præcisâ ab humero dextrâ, & capite amputato, manus quidem ipſius cuſpidi impoſita, à foro per mediam urbem traducta eſt, caput autem conto præfixum, & ita ipſum quoque circumlatum eſt.* Phocas interfectus eſt, *cùm Imperio per annos octo inſultâſſet*, ait Zonaras, ex quibus demendi menſis & aliquot dies, cùm die XXIII. Novembris anni DCII. coronatus fuerit: Heraclius verò anno DCX. die V. Octobris Imperator inauguratus ſit.

partu Heraclii Junioris, & Epiphaniæ edito anno DCXII. extincta est (t). Alteram post hanc duxit Heraclius conjugem Martinam ex sorore neptem, infausto planè consilio: nam cùm Ecclesiasticæ regulæ propinquos ejusmodi conjungi vetent, contemptum legum sacrarum Deus postea ulcisci visus est; dum proles ex incestuoso hoc thoro vel distortæ, vel corpore luxatæ nascebantur (u).

(t) Niceph. p. 18. Cedrenus p. 408. edit. Paris.

Uxores Heraclii.

(u) Niceph. p. 40. Du Cange de fam. Byz. p. 100.

6. Dum regnantis Heraclii primordia urbs Regia celebrabat; Persæ licentiùs volitantes, fugatisque Romanis Edessam & Apameam occupant (x): deinde anno sequenti Armeniam & Cappadociam depopulati, Cæsaream Metropolim capiunt (y). Præda ingens, captivorúmque numerus postquam Barbarorum famem, avaritiámque aliquantùm impleverat; Saracenis spatium fuit, quo & ipsi Syriæ carpendæ initium facerent. Non diu tamen in otio Persarum inquies animus hæsit; anno namque decimo tertio supra sexcentesimum in Damascenum agrum invecti, urbem insidiis, aliísque artibus expugnatam in potestatem redegerunt (z). Direptiones repetitæ Provinciarum sollicitas equidem curas Heraclio injecerant; sed modus, quo tandem prædones importunos averteret, haud occurrebat: precari pacem placebat; at preces adeo non inclinabant Chosroën, ut inde potiùs imbecillitatis Romanæ argumentum captans, anno insequente majora agmina in Syriam ac Palæstinam effunderet: atque his supremis malis illud multò luctuosius accessit, quòd Hierosolyma (Christianitatis natalis sedes) in barbarorum hostium devenerit manus (a). Utprimùm capta urbs Victorem admiserat; in Clerum, Monachos, Virginésque sacras innumeræ sparguntur cædes: incenditur Domini sepulchrum: & æquatis solo templis, sacrísque vasis ablatis, etiam Crucis lignum, quod Servator suâ morte ac sanguine sacraverat, velut pretiosissimum spolium à Persis diripitur (*8). Jacturæ ejusmodi nemo acerbiùs,

An. 610.

(x) Theophan. p. 250.

An. 611.

(y) Idem p. 251.

An. 612.

Persarum direptiones.

An. 613.

(z) Theophan. l. c.

An. 614.

(a) Theophan. p. 252.

Persæ S. Crucis lignum Hierosolymis auferunt.

(*8) AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI: *Hoc anno* (DCXIV.) *mense Junio malum nobis accidit æternis lachrymis prosequendum. Præter alias enim multas Orientis Civitates etiam Hierosolyma à Persis capta est, multis millibus in ea Clericis, Monachis, sacris Virginibus occisis. Incenditur Dominicum sepulchrum, nobilissimáque*

biùs, nemo frequentiùs indoluit, atque Zacharias Patriarcha: poſtea enim quàm Choſroës nonaginta ferè millia Chriſtianorum Judæis, aut eorum potiùs carnificinæ multo auro vendiderat; eidem Antiſtiti beneficii loco ſaltem datum eſt, ut in Perſidem captivus ſacrum Crucis lignum ſequeretur, quem theſaurum quoties deinceps in ſervitute ſua impuris hoſtium fœdari manibus vidit, toties tacito mentem vulnere confodi ſenſit, aut excruciari.

An. 615. 7. Quemadmodum verò intemperies Corporis, ubi primùm extimas partes depaſta eſt, ad interiora ſenſim pervadit; ita Perſarum bellum, quod annis ſuperioribus longinquiores Provincias deſtruxerat, nunc intra Imperii ſinum proſerpens, ad Conſtantinopolitanæ urbis portas uſque penetrabat (b). Anno DCXV. Sainus Perſarum Exarchus ad Antiperam (*9), ſive ad ripam Byzantio objectam populabundum jam deduxerat militem; tum Heraclius præſentis belli metu conterritus, quo properantis ultra Ducis impetum ſiſteret, trajecto Boſphoro Thracico Sainum convenit, moribúſque placatum eò inducit, ut, quod malorum demum remedium eſſet, coràm ediceret. Largitione Cæſaris mollior Sainus Heraclio author erat, ut Legatos ad Choſroën mitteret; in horum enim demiſſo obſequio mitigandi Regis, & pacis reſtaurandæ ſpem unam ſupereſſe confirmabat. Ergo tres Legati decernuntur, Olympius Præfectus Prætorio, Leontius Præfectus urbis, & Anaſtaſius Presbyter,

(b) Chron. Alexandr. Indict. III.

Legatio Heraclii ad Choſroën.

Dei templa, & (ut verbo dicam) pretioſa omnia evertuntur Veneranda Crucis ligna, unà cum ſacris vaſis (quorum innumerus fuit numerus) à Perſis auferuntur. Ipſe Zacharias Patriarcha captivus ducitur. Atque hæc omnia non longo facta ſunt tempore, ſed intra paucos dies accidêre. XIV. Gorpidi menſis, qui Romanis eſt September, III. Indictione, in tertia Vitalis Crucis exaltatione accepta eſt ſacra Spongia, quæ unà cum Vitali Cruce exaltatur in magna Eccleſia, miſſa ab Niceta Patricio XXVIII. Hyperboretæi ſive Octobris (Pagius legendum putet XXVI.) *die Sabbato, eâ nocte, quæ præcedit Dominicam. Veneranda Lancea è ſacris Hieroſolymorum locis allata eſt, quam quidam familiaris execrabilis Sarberæ, acceptam à Barbaris dedit Nicetæ, de quo diximus. Et ſtatim die Dominico in maximo & ſanctiſſimo templo proclamata eſt ſimul ac illata.*

(*9) DU CANGE Lib. 4. Conſtantinop. Chriſt. c. 10. oſtendit, Græcos littus ſinûs Ceratini, quod Conſtantinopoli obverſatur, *Peræam*; *Antiperam* verò ripam ejuſdem ſinûs urbi objectam appellâſſe, interdúmque Antiperam ab eis ſumi pro Aſiatico littore, quod Peronæ obverſatur.

ter (*10), quibus, ne à proposito Cæsaris aberrarent, hæc oratio dictabatur, nempe ut Chosrois solio affusi testarentur, alium nunc à Phoca, cujus causâ hæ turbæ exortæ essent, regnare Principem: hunc, ex quo voluntate non suâ, sed quâdam Imperii necessitate oneri succollâsset, id semper in præcipuis habuisse curis, ut legatione opportunâ Chosrois amicum reposceret fœdus; sed quod Regni turbæ maturare prohibuisset, hoc ex consilio Saini Ducis Persarum nunc confici: quibus expositis, Oratores jubebantur obsecrare sibi incolumitatem, Heraclio Regis amicitiam, Imperio pacem (c). Legati monitis ejusmodi imbuti, Sainum in Persidem sequebantur, & proficiscentibus tamdiu honos debitus, cultúsque à Duce habebatur, dum superatis Imperii Romani finibus, extremas regiones Persidis attingerent (d). Tum enimverò Sainus sive Chosrois iram metuens, sive quòd perfido ore Imperatori inania duntaxat verba dedisset, Legatis catenas injicit, oneratósque ferro captivos ad Regem suum deducit. Quantumcunque Sainus fidem suam Chosroi probare hoc facinore conaretur; Regiam tamen indignationem inde sibi conscivit, quòd, cùm privatos adduceret homines, Imperatorem ipsum (utì in mandatis acceperat) capere, captùmque sistere Regi neglexisset: itaque Legatis in custodiam datis, Saino vivo, ut inertiæ pœnas penderet, pellem Rex detrahi, & excarnificatum multo cruciatu perire jussit.

(c) Chron. Alexand. l. c.

(d) Niceph. in Brev. p. 7.

Legati Heraclii dantur carceri.

8. De captivitate Legatorum ubi Constantinopoli compertum est; Imperator dolori iræque medius ancipitem undequaque versabat animum: & mederi externis malis eò difficilius erat, quò An. 616.

(*10) BARONIUS binæ legationis ad Chosroën missæ mentionem facit: prioris quidem anno DCXIII. n. 1., posterioris anno DCXXI. n. 3.; sed PAGIUS commonstrat ad annum DCXV. n. 9., Heraclium semel tantùm Legatos ad Chosroën misisse: Zonaras enim refert, Legatos Heraclii à Chosroë interfectos fuisse, ac vel ideo ultionis causâ Heraclium penetrâsse in Persiam; unde alii Legati, quàm qui trucidati sunt, fingi nequeunt. *Vide etiam Nicephorum in Brev. pag. 14.* Theophanes equidem anno Æræ Alexandrinæ DCIX. Kalendis Septembris anno DCXVII. inchoato ait: *Hoc anno aliam legationem de pace cum Persis habenda, & ab eis expetenda ad Chosroën destinavit Heraclius. Eam iterum respuit Chosroës, dicens: Vobis minimè parcam, donec Crucifixum, quem vos prædicatis, Deum, Solem adoraturi abnegaveritis.* Sed PAGIUS in Critic. ad annum 617. n. 8. alteram hanc legationem fictitiam esse ait, nec possibilem, cùm Legati anno DCXV. in Persidem missi, ibidem catenis constricti, detenti fuerint usque ad annum DCXXI., quo eos Chosroës occidit.

quò pluribus cum miseriis res domestica conflictabatur; nam eodem tempore Persæ Ægyptum ac Lybiam adeò eraserant (e), ut regiones illæ, ex quibus copiosa annona in Imperii urbes subvehebatur, solita frumenta deinceps negarent. Magna inde famis acerbitas, ac pestilens morbus Regiam urbem oppressit (f): quibus ex incommodis Heraclius summum in mœrorem ac desperationem redactus, migrare in Africam cogitabat: & jam ingentem opum vim præmiserat, paulò pòst secuturus, nisi nuncius tristior itineri moram posuisset. Ferebatur enim, non exiguam partem navium, quæ Cæsaris divitias ad Afrorum usque littora transvexerant, in ipso portu, cùm appellerent, ingenti coortâ tempestate, naufragio periisse (g). Heraclius igitur dum novis cum consiliis luctatur, propositum Cæsaris civibus & Patriarchæ suboluit, qui, ne Imperator à suis discederet, in Ecclesia eundem jurisjurandi religione obstrinxêre. Quibus ille cedens, tametsi præsentibus ærumnis ingemisceret, eorum tamen voluntati vel invitus paruit. Heraclius subinde animum levaturus, Heracleæ ludis equestribus vacat: spectaculum ejusmodi postquam innumeros mortales ex urbe Regia in Thraciam exciverat; Chaganus Rex Avarum tantæ multitudini insidias struit: ad murum enim (quem longum vocant) cum suis excubans, eo ipso tempore, quo ludi fervebant, urbi assilit, irrito tamen conatu; quare in Constantinopolis suburbia cursum vertens, domos, templáque diripit, magnámque hominum, pecorúmque prædam trans Danubium abducit (h). Quid tot inter hostes Heraclius ageret, in quem potiùs armatus iret, hærebat dubius; Persas tamen, quòd totum Orientem Chalcedonem usque occupâssent, aggredi, & contra hos, à quibus plus erat periculi, tentare belli fortunam placuit. Induciis proinde à Chagano emptis, conscribitur miles: & in ærarii, quod egebat, vicem ab Ecclesiis aurum, argentúmque petitur (*11). His

(e) Theophan. p. 252.

(f) Niceph. in Breviar.

An. 617. *Heraclius in Africam cogitat.*

(g) Nicephorus l. c.

An. 618.

Imperator ob calamitates obstantes profectionis consilium mutat.

An. 619.

(h) Chron. Alexandr. Indict. XI. Heraclii.

An. 620. 621.

(*11) THEOPHANES anno Æræ Alexandrinæ DCXIII., Æræ nostræ DCXX. in DCXXI.: *Hoc anno mensis Aprilis die quarto, Indictione X., Heraclius solemnitate Paschali peractâ, feriâ secundâ post vesperam confestim arma moturus, in Persidem perrexit. Tum verò ubi pecuniam mutuò vel cum fœnore acciperet dubius, sanctarum ædium facultates tulit, cudendisque numismatibus, & minutis Milisiariis conflandis, multifida magnæ Ecclesiæ candelabra, aliáque ejusmodi sacri ministerii vasa usurpavit.*

His paratis, Heraclius anno Imperii sui duodecimo circa festum Paschæ in Persas movet. Vias cùm hostiles copiæ undique obsepsissent; per Pontum Euxinum in Armeniam Imperator cum exercitu tendit: proficiscenti se turmæ equitum objecêre; ast his brevì cæsis, vel fugatis, prima felicis expeditionis omina capta sunt (i). Ingruente hyeme Imperator ut Persas falleret, regionem Ponticam versùs aliquantùm deflectit; at subito & occulto itinere retroagens cursum, Persidem ingreditur. Sarbarus Dux Persarum sub idem tempus in Cilicia consederat, quando ad eum celeres nuncii ferunt, Romanos in Persico stare solo. Ille ardente domi incendio frustra se alienis tectis injicere faces existimans, continuò in patriam sequitur. Antequam verò exercitus Persarum sui Regni contingeret fines; vastitatem undique Heraclius circumtulit, damnáque accepta paribus grassationibus ultus est. Ista dum agebantur, Sabarzarus anhelo spiritu advolat: ac primò à levioribus præliis cœptum est, facilè patiente Cæsare, conferendo vires, spei universæ victoriæ, tentato paulatim eventu certaminum, suos præludere. Cæterùm Persarum Dux moræ impatiens, diviso in tria agmina exercitu in Romanos irruit (k): impetum contrà Romani intrepidi excipiunt, mox fortiùs illatis in hostes signis, fundunt aciem, captísque quadraginta millibus, diripiunt castra; his summâ celeritate peractis, Imperator Byzantium, miles in Armeniam ad hyberna reversus est.

Heraclius movet in Persiam. An. 622.

(i) Theophan. p. 255.

Victoria Heraclii contra Persas.

(k) Idem p. 256.

9. Annus sequens DCXXIII. victoriæ cœptæ majora incrementa dedit: nam licèt Chosroës ad avertendum hostem, Sarmanazarimum maturiùs in Imperii ditiones immitteret (l); Heraclius tamen, qui tempestivè in Armeniam remeaverat, non minùs suis rebus prospectum ibat. Imperatori equidem pax præ bello placuisset, nisi tulisset fama, Chosroën, quantumvis victum, in victorem adhucdum insolenti ore ac ingenio uti. Heraclio igitur Persidem rursus invadente, Chosroës palantem per Imperii fines Ducem revocare cogitur: castra hic ad Gazacotem metatus, & se, & urbem perdidit. Nam Heraclius in quadraginta millia, quibus Sarmanazarimus accinctus erat, repentè invehitur, & uno impetu simul muros urbis, simúlque

An. 623. *Annus secundus belli Persici.*

(l) Idem p. 257. Chronicon Alexandr.

vallum hostium perrumpens, nequicquam obluctantes ejicit in fugam. Fugientibus Thabatmanum ad Mediæ fauces usque insistit miles; sed inclinati anni tempestas Cæsarem monuit, ut in Albania hybernam quietem fessis legionibus indiceret. Per iter, priusquam ad hybernacula deventum est, Cæsar ingentis clementiæ exemplum dedit: frigus enim acre cùm captivos (quorum quinquaginta millia trahebat) rebus omnibus penè nudos intolerabili rigore affligeret; fortunam hostium (quod in Victore mireris) molestè ferens, cunctos à vinculis dimisit (m). Necdum hyemale otium Heraclius exegerat; tum Chosroës, quo Romanos à Perside longiùs submoveret, Ducem Sarablacam Albaniæ fines præcingere jubet. Magna inde difficultas militarium profectionum enata est, nec minus discriminis habebat illud, quod Lazi & Absagi, qui in Cæsaris exercitu stipendia fecerant, seu tædio, seu perfidiâ ducti, bellum abnuerent (n). Multùm ideò cùm in Romanorum castris trepidatum esset; terrorem novum addidit alius Persarum exercitus, quem iisdem diebus Dux Sarbara priori conjunxerat, & tantò plus formidinis hæc scena militaris habebat, quantò certiùs vulgabatur, propediem à Saino tertium agmen adductum iri. Romani militis pavorem majoris, ni citiùs confligeretur, periculi metus discussit: nec ullus erat, qui non vociferatione ingenti, beneficii loco expeteret, antequam tertius accederet hostis, cum duplicato Persarum exercitu, inferiores quidem vires, at majores animos conferre. Heraclius suorum ardore accensus, certamini arctiorem locum inquirit, haud dubius in æquore campi, ubi hostis explicare latiùs aciem possit, superanti tantùm multitudini victoriam fore: dum autem vario cursu, flexúque locorum situm Cæsar explorat; Persarum Duces id pro fugæ molitione habentes, accelerato prælio timidam (ùt rebantur) turbam intercipere festinant. Necdum impulsa Barbarorum ruebat acies, jam Heraclius cum suis promptus, spémque opportuni loci nactus, parvâ manu in cuneum collectâ, pugnæ copiam facit. Persis multitudo, Romanis angustia campi, in quo consederant, necessitas extrema, ac Imperatoris singulos ordines pervolantis alacritas addebant vires. Congressione factâ, utrinque acriter pugnatum

Clementia Heraclii in captivos.


(m) Theophan. p. 258. Chronicon Alexandr.

An. 624.

Tertius annus belli Persici.

(n) Theophan. p. 259.

Prælia multa contra Persas ab Heraclio supra humanas vires edita.


THEATRVM
BELLI
inter
ROMANOS et
PERSAS
Sæc. VI. et VII.
PONTVS EVXINVS
MARE CASPIVM
EVROPA
Constantinopolis
Bosphorus Thracius
Sangarius Fl.
Carambis Pr.
Sinopus
Gangara
Pompeiopolis
Ancyra
Galatia
PONTICA
Cappadocia
Mazaca
Caesarea
Comana
Neocaesarea
Satala
Trapezus
Pharnacia
Heraclea
Phasis
Apsarus
Zalissa
ALBANIA
Gargari
Lesgæ
Gelæ
Albana
Albanus Fl.
Cassius Fl.
Gerrus Fl.
Soana Fl.
Chabalaca
Gogarena
Sacasene Regio
MAIOR
Araxes Fl.
Cyrus fl.
Cyropolis
ADERBIGANA
ATROPATENA
Gazaca
Tapuri
Amardus Fl.
ASIA
Ariaracæ
Mardi
MEDIA
Sigriane
Heraclea
Arsacia
Caspii
Ecbatana
Gabiana
PERSARUM IMPERIUM
Masfabatica
Sabatica
Paritacene
Elymais
SUSIANA
BABYLONIA
Seleucia
Babylon
Opis
Arbela
Nisibis
Singara
Amida
Martyropolis
Tigranocerta
Edessa
Samosata
Commagena
Euphrat.
Zeugma
Barbalissus
Beraea
Sergiopolis
Resapha
Palmyrena
Palmyra
Syria Salutaris
Gassanii Reges qui et Areta nominati sunt
Strata Regio
Decem dierum itinere ex Auranitide in Babylonium perveniri dicunt Arabes per viam lapidibus stratam quæ via Stratæ Regioni apud Procopium I. Persicor. nomen dedisse videtur
Saracani
Antiochia
Apamea
Emesa
Heliopolis
Damascus
Tripolis
Byblus
Berytus
Sidon
Tyrus
Ptolemais
Cæsarea
Joppe
Jamnia
Ascalon
Jerusalem
Lacus Asphaltites
Philadelphia
ARABIA PETRAEA
ARABIA DESERTA
Ægyptus Inferior
Catabathmus parvus
Paraetonium
Cyprus
Salamis
Paphos
Rhodus
Lycia
Xanthus
Pamphylia
Cilicia
Tarsus
Isauria
Lycaonia
Iconium
Pisidia
Caria
Miletus
Myndus
Halicarnassus
Ephesus
Smyrna
Pergamus
Hellespontus
Lampsacus
Abydus
Phrygia
Amorium
Dorilæum
Cotiæum
Nicaea
Prusa
Germa
Laodicea
Philomelium
Apamea
Synnada
Claudiopolis
Paphlagonia
Heraclea
Amastris
Apollonia
Mesembria
Adrianopolis
Sirmium
Scythia
Tomi
Istri
Chersonesus sive Chersona
Symbolis P.
Arietis Fron.
Panticapæum sive Bosphorus
Phanagoria
Sindica
Cercetæ
Mardi
Zichi
Achæi
Heniochi
Alani
Amazones
Sosnes seu Suani
Thali
Colchis
Iberia
Caucasus
Albana
Thermodon
Polemoniacum

gnatum eſt; dum cæſis innumeris, & Duce Sarablaca cadente, inclinaretur Perſarum acies, & reliqui non incruentâ ſe eriperent fugâ. Referentibus pedem Dux Sainus cum dudum exſpectato agmine occurrit, pugnámque reſtaurat (o): verùm non ſegniùs Victor in ſecundo, ac in primo certamine hoſtem cecidit aut fugavit: Heraclius inde detracta ſpolia pro donariis militum, locúmque conflictûs pro ſtativis hybernis eſſe juſſit (p). Transactâ hyeme, Imperator ultra Taurum ad Tigrim uſque eluctatus, Martyropolim & Amidam ſuperat: dein Nymphio & Euphrate fluviis trajectis, & Samoſatâ expugnatâ, per Germaniciam & Adanam ad Sarum flumen regreditur; properantem Sarbaras cum Perſarum reliquiis prope inſecutus, ad Pontem Sari tandem aſſequitur (q). Nunquam periculoſior belli alea, quàm in iſto trajectu jactari viſa eſt; nam in aliis conflictibus gregarius miles, aut fortiſſimus quiſque Ducum primas cum hoſte miſcebat manus: at hìc Imperator ipſe paucis ſtipatus, in Pontis medio ſe Perſarum agmini numeroſo opponit, objectúque corporis rem Romanam unus ferè ſuſtinens, cædit inſtantes, aut in vortices fluminis dat præcipites. Fortitudo ejuſmodi miraculi inſtar habita à Perſis eſt: nec Sarbaræ Heraclium ad Halym fluvium moventem perſequi animus fuit (r).

(o) Idem p. 260.

(p) Idem p. 261.

An. 625. *Annus quartus belli Perſici.*

(q) Idem p. 262.

(r) Theophan. p. 263.

10. Per hyemem Choſroës in novas belli artes intentus, Hunnos, Avares, vicinóſque Bulgaros ac Sclavinos ſollicitat, ut junctâ armorum ſocietate, expilent Thraciam: atque inde coorti, urbi Regiæ, quâ terram ſpectat, vim admoveant; dum Sarbaras Dux Perſarum alterâ parte Conſtantinopolim obſidione premendam ſuſcipiat. Præterea Saino Duci injungebatur, ne ullum iter, quà Heraclius in Perſiam tenderet, minùs communitum, perviúmque relinquat (s). Triplex hæc expeditio ubi in exitium rei Romanæ, Perſiæque incolumitatem parabatur; Heraclius æquè ſibi, ſuóque Imperio providens, trifarium exercitum ducit, cujus unam partem cuſtodiæ urbis Regiæ, alteram Theodoro fratri in Sainum ituro dabat, tertiam, eámque minorem ſervabat Imperator ſibi, Laziorum, aliorúmque Barbarorum auxiliis confiſus. Conſiliis ejuſmodi præſentem ubique Numinis opem obſecundâſſe compertum eſt: utprimùm enim Theo-

An. 626. *Annus quintus Belli Perſici.*

(s) Idem p. 263. Conferatur Pagius in Critic. T. II. ad an. 626. n. 3.

Theodorus Cæsaris frater in anceps certamen cum Saino devenerat; innumerabili & pertinaci hoste ferè circumfusus, tantisper luctabatur, dum pharetras miles Romanus penè exhausisset. Humanis viribus nil proficientibus, Theodorus ad B. Virginem vota fundit, & cælum audivit preces; nam grando nubibus subitò excussa tanto impetu in Persas detonuit, ut procella ventorum vi impulsa totum exercitum prosterneret, prostratúmque Romanorum ferro concidendum daret (t). Sainus cæde elapsus, in odium Chosrois incidit; quod ne vivus experiretur, seu metu supplicii intentati, seu mœrore contabuit. Non minore prodigio prope Constantinopolim res peracta est: incluserant hanc urbem Regiam Avares Persarum fœderati, & decem diebus terrâ, maríque obsessam machinis quatiebant; ac ne quis effugiendi locus civibus esset, Sarbaras eodem tempore Chalcedonensem agrum infestabat. Ad extrema Byzantinorum sors jam redacta erat, tùm singuli ad Dominum exercituum, atque Matris ejus cæleste auxilium confugiunt. Precantibus nec Dei adjumentum, nec patrocinium Virginis defuit; hæc quippe quasi mœnium custos, pulcherrimæ fœminæ specie se Barbarorum conspectui ingerens, eo terrore Chaganum perculit, ut citatâ fugâ suis ab urbe subductis, in Chalcedonensi ac otiosa obsidione Sabaram Ducem Persarum unum, desertúmque relinqueret (u).

Prodigiosæ victoria Romanorum contra Persas

(t) Theophan. p. 263.

(u) Idem p. 264.

11. Interea Heraclius cum parva manu ad Lazorum regionem appulsus, id quoque fortunatum habuit, ut à Turcis (quos & Gazaros vocant) quadraginta auxiliarium millia impetraret. Sed numerosum magìs hoc, quàm diuturnum subsidium fuit; nam ubi sequente anno (x) catervam ejusmodi in Persidem duceret, Turci nec montium asperrimorum, quos superare debebant, frigus, nec Persarum continuum assultum ferentes, ultrò in patriam recesssêre (y). Divino hanc defectionem consilio factam esse, non vani rerum æstimatores crediderunt, nempe, ut Heraclius secuturas victorias non humanis viribus, sed Dei (qui sive in multis, sive in paucis largiri victorias solet) subsidio potentiori tribueret. Et profectò eventus rerum mirabilis idem comprobabat (z); quocunque enim Heraclius solus cum suis in Chosroën pergebat, Persarum exercitus vel cladem subibat, vel fugam.

Annus sextus Belli Persici.

An. 627.

(x) Pagius ad an. 626. n. 4.

(y) Theophan. p. 265. Georg. Pisidius de Bello Persico.

(z) Theoph. p. 266. 267.

An. 628.

fugam. Quare populatione latè sparsâ, Imperator brevì ad Damastagerianam regionem, Ctesiphonti vicinam, atque ad ipsum Chosrois palatium penetravit; quo direpto, trecenta signa, quæ Persæ olim Romanis ademerant, ibidem defixa vindicabat. Dum tota Persia tot cladibus miscebatur; Sarbaras adhucdum periculi domestici ignarus, cum exercitu ad muros Chalcedonis otiosus ferè considebat: at ubi fama percrebuit, Heraclium victoriis peragrare Persiam, citis licèt itineribus, seriùs tamen patriam revisit (a). Per idem quippe tempus Chosroës ex malorum intemperie profluvium ventris passus, ac penè languescens, de successore deliberabat, quisnam ex filiis antehabendus videretur. In Mardesam Patris amor jam omnino rapiebatur: & parum aberat, quin solio imponeretur (b); tum Siroë alter filius id injuriæ loco æstimans, Parentis afflictæ & emorientis vitæ insidiari cœpit. Romanos facinoris minimè ignaros fuisse, Fasti perhibent; nam Siroë Heraclii amicitiam amplis conditionibus pactus erat, antequam Parenti violentas inferret manus (c). Sed postquam Romanorum fœdus sibi devinctum tenebat; Chosroën invasit, & paucos vitæ dies, qui Parenti ad extrema jam deducto supererant, eidem eripuit (*12). Occiso Chosroë, filius Siroë potitus Regno, fidem Cæsari datam primo, ùt poterat, tempore liberavit: pace namque cum Romanis constitutâ, etiam reddebantur captivi; inter quos Zacharias Archi-Episcopus Hierosolymitanus præcipuus erat (d). Demum S. Crucis lignum, quod Chosroës ante quatuordecim annos ex Hierosolymæ sacrario abstule-

(a) Nicephor. p. 1112.
An. 628.
(b) Theophan. p. 271.
(c) Elmacinus apud Pagium ad an. 627. n. 10. Theophan. p. 271.
Chosroën Patrem filius Siroës occidit
(d) Theophan. p. 272.

(*12) THEOPHANES ad annum Incarn., sive Æræ Alexandrinæ DCXVIII.: *Chosroës fugere molitus, nec fugæ compos deprehenditur. Illum brachiis retroactis, pedes & collum gravibus catenis onustum, compedibúsque toto corpore circumligatum, in tenebrarum ædem, quam ipse juvenis* (Siroës filius) *exstruxerat, & reponendis in ea divitiis firmiter muniverat, includunt; ibique strictò pane, & aquâ parcè effusâ sustentatum, fame miserè perire parant. Fuit enim istud Siroïs in eum pronunciatum: Aurum, quod frustra collegit, propter quod etiam plurimos fame necavit, & orbem ipsum fecit desertum, manducet: Satrapas insuper eum injuriis respersuros, & sputis conspurcaturos misit. Adductum etiam ob ejus oculos Merdesam ejus filium, quem nuper Regem coronare consiliabatur, interfecit: & reliquos omnes ejus liberos sub ejus conspectum è medio sustulit.... His per dies quinque in hunc modum perpetratis, jussit Siroës* (Chosroën) *sagittis confodi; atque ita sensim per lenta & morosa tormenta nefandam animam exhalavit*

ſtulerat, inviolatum, eodémque involucro (uti fuerat) clauſum & obſignatum Heraclius recepit (e). Hæc ubi miſſis literis ad Regiam urbem Imperator perſcripſerat; literarum argumentum, quod in maxima Baſilica populo recitabatur, tantâ lætitiâ cunctos affecit, ut præteritarum calamitatum ſenſum novarum rerum nuncius obrueret (f). Gaudio ingenti majorem ſubinde cumulum adjecit Cæſaris adventus, qui Byzantium triumphantis more ingreſſus (*13), oſtentabat pretioſiſſimum S. Crucis theſaurum, quem velut tot victoriarum præmium Imperator in ſuis etiam Nummis ſignatum voluit (†). Equidem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pignus hoc ſalutis ſervare ſuas inter reliquias ſacras peroptabant; ſed Imperator ei urbi reſtituendum decreverat, unde ſacrilegus prædo ſacrum lignum rapuiſſet. Quare ſequente anno Hieroſolymam profectus, Zacharia præſente (*14), info-

(e) Idem l. c.

Siroës pacem componit cum Romanis, & S. Crucem reſtituit.

(f) Chron. Alexandr. Vide Pagium ad an. 627. n. 12. 13. 14..... 19.

An. 629.

(†) Reflexio I.

(*13) NICEPHORUS pag. 15. triumphum Heraclii urbem Regiam ingredientis deſcribit. SUIDAS ait, quatuor Elephantibus tractum fuiſſe, quâ in re Heraclius imitatus eſt antiquos Imperatores, Alexandrum Severum, Gallienum, & Galerium Maximianum, quorum currus in triumpho Perſico non ab equis, ſed ab Elephantis trahebatur.

(*14) THEOPHANES p. 273.: *Hoc anno* (ſecundùm Æram Alexandr. DXX.) *ineunte Vere Heraclius Imperator, venerandis & vivificis lignis ſecum latis, Reginâ civitate ſolvens Hieroſolymam Deo gratias perſoluturus perrexit...... Imperator deinde Hieroſolymam ingreſſus, Patriarchâ Zachariâ Sedi ſuæ reſtituto, & venerandis, vivificisque lignis loco ſuo redditis, debitas grates Deo perſolvit, Hebræósque à ſancta civitate juſſit exulare; nec niſi ſupra tertium ab ea lapidem ad eandem accedendi fecit ipſis poteſtatem.* NICEPHORUS ait, *Modeſtum* tempore reſtitutæ Crucis, non verò Zachariam Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe: at ex Actis S. Anaſtaſii conſtat, Modeſtum Zachariæ Vicarium dici, cujus vices ceſſârunt, redeunte Zacharia. Neque veroſimile eſt, quod Baronius aſſerit, Zachariam jam defunctum eſſe anno DCXXIV.; nam Theophanes Zachariæ viventis memoriam adhuc facit anno DCXX. Æræ Alexandr., juxta nos anno DCXXVIII. in annum DCXXIX.; unde in dubium trahi nequit, Zachariam ex exilio reverſum, reſtitutioni Crucis præſentem fuiſſe. Cæterùm BARONIUS addit ad annum DCXXVIII. n. 2. ex Eccleſiaſticis Ritualibus: *Rediens Hieroſolymam Heraclius, ſolemni celebritate ſuis humeris retulit ſanctiſſimam Crucem in eum montem, quò eam Salvator tulerat. Quod factum illuſtri miraculo commendatum eſt; nam Heraclius ut erat auro & gemmis ornatus, inſiſtere coactus eſt in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat: quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Cúmque eâ in re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent; Zacharias Hieroſolymorum Antiſtes: Vide (inquit) Imperator; ne iſto triumphali ornatu parùm JEſu Chriſti paupertatem & humilitatem imitêre. Tunc Heraclius, abjecto ampliſſimo veſtitu, detractiſque calceis, & plebejo amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Calvariæ loco Crucem ſtatuit, unde fuerat à Perſis tranſportata. Itaque decretum eſt, ut quot annis Exaltationis S. Crucis memoria celebraretur, quòd ibidem fuerit repoſita ab Heraclio, ubi Salvatori primùm fuerat conſtituta.*

insolitâ, humili tamen pompâ ad Salvatoris crucifixi exemplum Crucem sanctissimam suo loco reposuit (*15). Heraclius Hierosolymâ perrexit in Syriam, inque alias Orientis partes, ut, quos Imperii pristinos limites Theodoro fratri suo cum Persarum Legatis definiendos præceperat, ipse authoritate suâ coràm dispiceret, aut probaret. Romanis, Siroë regnante, pax inviolata stetit, nec Persæ eodem post anni intervallum defuncto moliri bellum contra Imperium poterant, turbis domesticis distracti; ab eo quippe tempore mutuis se conficiebant cædibus, & Reges pro libidine mutabant, aut perimebant.

Heraclius Crucis lignum refert Hierosolymam.

12 Quò securior autem Heraclius, atque extra metum à turbatæ Persidis finibus fuerat, eò periculosior ex Arabia tempestas imminebat; cujus prima initia hìc paulò altiùs repetenda sunt. Arabiæ populi, qui à prædationibus Saraceni, à Progenitoribus, ex queis descenderant, Agareni aut Ismaëlitæ audierunt, in quarti Sæculi periodo Christo nomen dederant (g), dum Mahomet genere Arabs, famosus ille impostor & Pseudo-Propheta ad Gentis illius interitum, orbísque Christiani ac Imperii excidium vivere & grassari cœpit (h). Patre is Abdalâ Ethnico, & matre Eminâ Judæâ, utroque de vulgi ima fæce anno DLXX. tertio Nonas Maji natus, primùm Mercatori Arabi, & post hujus mortem ejusdem viduæ amoribus servivit; inde ex Vernæ pauperis servitio subitò in opulentum conjugium irrepens (*16), ea, quæ animo dudum conceperat, anno ætatis

(g) Theodoret. L. 4. c. 23.

Mahometis initia.

(h) Elmacin. in Hist. Sarac.

(*15) PAGIUS ad annum DCXXVIII. n. 3. advertit, Exaltationem S. Crucis Hierosolymis jam celebratam esse à tempore Divæ Mariæ Ægyptiacæ, die XIV. Septembris, quo tempore Crux è sacrario proferebatur, & à populo adorabatur, vide Bollandum ad diem II. Aprilis c. 3. n. 22.; adeóque festivitas exaltatæ Crucis tempore Heraclii propriè non instituta, sed illustrior reddita est. Festum verò Inventionis S. Crucis sub eo nomine Græcis ignotum fuit, & tantùm Romæ celebrabatur tempore Gregorii M., quem ritum nonnisi serò aliæ Occidentis Ecclesiæ secutæ sunt, & anno DCCXX. ab universa Ecclesia festum ejusmodi coli cœpit. Vide Joannem Frontonem in Martyrologio Romano, Menardum in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii; & Prosperi Lambertini Cardinalis, nunc Pontificis BENEDICTI XIV. Commentarium de festis JEsu Christi

(*16) CEDRENUS ad annum XXI. Heraclii: *Moamedus (qui & Muchumeti nomen gerit) genere & tribu Ismaëlita fuit: is cùm esset pauper, mercede operam suam locavit cuidam suæ gentili mulieri locupleti (nomine Chaida) ut Camelos pasceret, eâque re lucrum quæreret. Paulatim liberiore ejus utens consuetudine, ut erat vidua, se in gratiam*

tis ſuæ quadrageſimo quarto in lucem protulit. Batirâ & Sergio Hæreticis ac Judæis quibusdam adminiculantibus, religionis monſtroſæ ſpeciem conflabat (*17), quâ corruptæ carni blanditus, ſectatorum non tenuem numerum poſt ſe traxit. Arabum tamen Genti, quæ olim Chriſtum agnoverat (†), non ita ſaniorum dogmatum memoria exciderat, ut non ſimulachrum fidei impium averſantes, erroris ac perfidiæ diſſeminatorem urbe Meccâ ejicerent (*18). Verbis igitur cùm apud ſuos nihil proficeret, ad vim ac arma convertitur: ac ubi præliis, graſſationi-

(†) REFLEXIO II.

Mahometicæ ſectæ propagatio.

gratiam ejus inſinuavit, uxorémque adeò eam duxit. Profectus porrò in Palæſtinam, inter Judæos ac Chriſtianos verſatus eſt; & quædam de ſacris literis venatus. Cùm autem à dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, uxorem ſuam (quæ gravem ex eo capiebat dolorem, quòd nobilis ipſa egeno, & dæmonis vexationibus obnoxio homini nupſiſſet) ita demulſit, quòd diceret, ſe ad conſpectum Angeli Gabrielis ſibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri Monachus quidam, qui ob falſam fidem relegatus, ibi vivebat. Huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine prolato. Is autem Monachus, utì opinionem eam prorſus in animo mulieris confirmaret, verè Moamedum hæc dicere ait: eum enim Angelum ad quemvis Vatem mitti. Mulier fidem verbis impoſtoris illius Monachi habens, aliis ſuis Gentilibus mulieribus fabulam narravit: ab his porrò ad viros ea emanavit.

(*17) IDEM l. c. edit. Pariſ. p. 422: *Inviſus ille Deo ac veſanus Moamedus, Hebræorum, Arianorum, & Neſtorianorum utens conſuetudine, atque undique aliquid ſtipis corradens, à Judæis ſumpta de uno Deo doctrina, ab Arianis de Verbo & Spiritu creatis; à Neſtorianis* (ut ille Author tunc fortè opinabatur) *de cultu divino hominibus exhibendo, novam ſibi religionem confinxit, ac ſub prætextu cognitionis divinæ populi animis ſibi devinctis, auctor iis fuit, ut cùm mares, tum fœminæ circumciderentur: ut unum tantum Deum adorarent: ut Chriſtum venerarentur, non quaſi Filium, ſed tantùm pro Verbo Dei nato ex Spiritu S.: ut Verbum & Spiritus, quod profertur, & in aërem effunditur, opinarentur, non quæ in divina ſubſiſterent eſſentia: .... Ne Beatam Mariam dicerent Dei Genitricem, ſed ſororem Möyſis & Aaronis: ne baptizarentur, aut Sabbatum agerent: néque Legis, Evangeliive ſtatuta tenerent, ſed crucem abominarentur, umbrámque Chriſti in crucem actam faterentur. Quin & omnium eorum uſum iis conceſſit, quibus Lex interdicit, exceptâ Porci carne: Vino prorſus abſtinere juſſit* &c. His erroribus alios addidit errores, vel potiùs fabulas; quas *Cedrenus* pag. 423. exponit; & Elmacinus in Hiſtor. Sarac. breviter ait: *Mahomet anno ætatis XLIV. publicatâ vocatione juſſit credere in ſolum Deum, eúmque colere & adorare; deſtruxitque idolórum cultum, præcepit circumciſionem: ſancivit jejunium menſis Ramadani; quinque orationes, munditiem, peregrinationem ad templum Meccanum, & ne comederetur ſanguis, morticinum, aut caro porcina.*

(*18) PAGIUS ad annum DCXXII.: Hoc anno Mahometes Pſeudo-Propheta, cùm in urbe Mecca in Arabia felice ſita apparuiſſet, ob innovatam religionem in diſcrimen vocatus, ex ea fugere coactus eſt. Ab ea fuga *Æram ſuam* (quam HEGIRAM, id eſt, perſecutionem vocant) *Mahumetani novi cultûs annos, ac durationem emetiuntur*. Eſt ea apud Mahumetanos omnes, ac Orientalium Regionum incolas celeberrima, *initiúmque ducit à die XVI. menſis Julii*, quæ anno DCXXII. in feriam ſextam incidebat.

tionibúsque in suam fidem Arabes, ínque potestatem Meccam urbem compulerat, anno, ex quo ab illa civitate capessiverat fugam, sexto à suis Princeps creatus, latiore jure annis ferè octo dominari instituit; quibus exactis, decimo quinto Kalendas Julii anno DCXXXII. incertum quo mortis genere, decessit (*19). Dies, quæ Mahometi fatalis fuerat, Abubecro felicior illuxit (k): hic enim sive Mahometis gener, sive cognatus præ tribus aliis, quos Amiras vocant (*20), multò inde dignior Principatu habitus est, quòd ferociore ingenio suo Arabibus spem proferendi Regni faceret. Utprimùm igitur fasces ceperat Abubecrus, turbis domesticis compositis, ditiones tum Imperii, tum Persarum sibi pro præda designabat: nec temporis ratio ab ejus consiliis abhorrebat; eodem quippe anno, quo Principatum adiverat, universa Persia cædibus intestinis ferè exhausta Jesdegerden (*21)

Mors Mahometis.

An. 632.

(k) Theophan. an. Incarn. vel Æræ Alex. DCXXIII.

Abubecrus Mahometis successor.

An. 633.

Occasio belli Saracenorum contra Romanos.

(*19) LAONICUS Lib. 3. de rebus Turcicis: *Defunctus est* (Mahomet) *in loco quodam (cui nomen est Mecha) milites, regionisque incolæ exequias duxerunt, & graviter eum luxêre. Quotannis in ejus honorem sacra faciunt Arabes: Heroa etenim eum quendam esse putârunt, eundémque virum sanctum à Deo ordinatum, ut ipsis leges ferret; quem in dandis legibus non Tyrannum, sed virum quendam æquitatis vel imprimis amantem judicârunt.* Et paulò pòst de Homuaro Mahometis discipulo ait: *Sepulchrum quoque in honorem Mahometis adornans ibi manebat. Sacra quoque magna quotannis in honorem ejus fieri procuravit. Persuasit aliis plurimis, ut Mahometem adorent. Eos quoque justos fieri asserebat, qui ipsius sepulchrum inviserent. Etiam hodie non pauci ex Asia, Lybia, Europáque Mahometis sepulchrum adeunt, putantes, se hinc maximam colligere religionem, & probiores fieri. Quidam ex ipsis istam peregrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant iis, qui pro ipsis peregrinationem suscipiunt. Via autem, quæ ad sepulchrum ducit, est asperrima & difficillima. Eundum est enim per arenam non citra Camelorum alimenta portantium opem: nec etiam aqua, quâ utantur, ad manum prompta est sufficiens omnino. In hunc igitur modum necessaria præparantes, camelos conscendunt, utentes signis, quæ viam demonstrent magnetis demonstrationibus. Colligentes igitur ab Septentrionali plaga, quâ orbis parte eundum sit, eò viam conjectantes pergunt. Ubi autem accesserint loca, ubi aquarum scaturigines sunt, aquantes inde abeunt, transitâque arenâ intra quadraginta dies ad Mahometis corpus perveniunt. Sepulchrum ejus compertum habeo, exstructum esse ex lapidibus pretiosissimis, & sublimè pendere in medio templo.* Quæ de sepulchro Mahometis hìc prodita sunt, nunc inter fabellas numerantur.

(*20) THEOPHANES ad annum DCXXIII.: *Mahometes debellandis ex Arabum genere Christianis, Ameræos quatuor instituit.* *Amir* autem Arabibus Dominum significat, & *Amiræ* erant apud Saracenos Satrapæ, nempe Urbium vel Provinciarum Præfecti, atque adeo *Sultani*, qui *Chalifæ* suberant.

(*21) ELMACINUS Lib. I Hist. Sarac. c. 2.: *Convenerunt Persæ anno XI. Hegiræ, imperante Abubecro. Cúmque ad eum accessissent, ob seditionem & necem Regum ipsorum, & qui ipsis supervenerat, defectum, petierunt filium Chosroæ nomine Jezdegirdem*

(l) Theophan. l. c.

(m) Idem.

(n) Niceph. in Brev. p. 16.

(o) Theophan. ad an. DCXXIII. Æræ Alex.

An. 634.

(p) Idem ad annum DCXXIV.

Omarus Abubecro sufficitur.

An. 635.

(q) Idem ad an. DCXXV.

(r) Idem ad an. DCXXVI

Victoria mirabilis Saracenorum contra Romanos.

(s) Idem p. 280.

quindecim annos vix natum sibi imposuerat Regem (l): & Romanorum Provinciæ ob pacem cum Persis initam militari præsidio nudatæ, aliis planè negotiis, ac Religionis diffidiis scindebantur (m); atque hæc cùm Barbarus velut ex specula contueretur, ingentes Arabum catervas coëgit, quas datâ occasione in alienum solum effunderet. Neque diu opportunitas defuit Saracenis, optatum serendi bellum: negaverat Heraclius Arabum populo triginta auri libras aliàs pendi, aut mercibus permutari solitas (n), utque Gens acriùs pungeretur; vilium canum more, petentes facessere jubebantur (o). Momordit enimverò hoc convitii genus adeo Saracenos, ut anno DCXXXIV., præeunte Abubecro, Regioni Gazensi populabundi sese inferrent (p): palantibus Præses Palæstinæ tenuem, quem habebat, militum numerum opponebat; sed Dux ipse unà cum Romanis cæsus, Saracenis liberiùs vagandi, vastandíque locum reliquit. Quod Abubecrus cœperat, id sequente anno Omarus alter ex Amiræis, & Abubecri jam defuncti successor acerbiùs prosecutus est; Bostrâ namque, aliisque civitatibus expugnatis, ac Theodoro Heraclii fratre, quem ad injiciendam hosti moram Cæsar miserat, devicto, Emesam ad Orontem fluvium pergit (q), qui subinde in Arabiam prope Damasci agrum illapsus, cum Bahanis Ducis Romani, cúmque Sacellarii Cæsaris binis exercitibus congreditur. Audacia unius Omari contra duo numerosa agmina tantum valuit, ut Sacellarii cornu omnino disjiceret (r). Bahanes, qui alterâ parte victor erat, referre pedem probro duxit: quare solus restauraturus pugnam in hostem movet; tum enimverò venti Saracenorum fortunæ obsecundare visi sunt (s). Turbo quippe ab Occidente prorumpens, festinanti adversùs Saracenos militi Romano pulveream nubem in oculos ingerebat: quo facto, ille in hostiles citiùs gladios, quàm in hostium conspectum devenit. Saraceni alterâ jam vice Victores Damascum tentant, capiúntque;

---

giirdem (Theophanes vocat Hormisdam, Regibus enim Persarum pluribus nominibus appellari solenne est) *qui fugerat à Siroë, atque eum Regem super se constituerunt, cùm annos haberet XV. Erant autem voluntates eorum diversæ, & conventus divisi, atque inter se pugnantes* &c. Ab anno verò, quo Isdegerdes regnare cœpit, nova oritur Æra apud Arabes & Persas olim usitata, quæ initium ducit à XVI. die mensis Junii feriâ III.

que; mox Regionibus Phœnices sub jugum missis (t), Palæstinæ, & præcipuè Hierosolymæ vis illata est. In longius tamen tempus urbis hujus obsidio (ac hostis speraverat) extrahi debebat (u); quare Omarus parte exercitûs ad Palæstinæ Metropolim relictâ, alteram in Syriam mittit. Hanc Provinciam ubi Saraceni (profligato Sergio Romano Duce) in suam servitutem coëgerant, Hierosolymam redeunt, & urbem machinis, & fame labefactatam fortiùs infestantes, eam tandem (x) anno obsidionis secundo, pactis conditionibus suæ feroci potestati submittunt (*22). Ex Palæstina Antiochiam Syriæ procursum est, quæ civitas Orientis maxima citiùs armis oppressa, majores Saracenis dedit animos (y); inde enim Barbarorum colluvies reversa Ægyptiorum libertati insidiabatur. Ad procellam avertendam Cyrus Alexandriæ Præsul Saracenis ducenta denariorum millia in singulos annos condicebat; at pollicitatio Heraclio largior visa est, quàm quæ eo tempore probari poterat: itaque Cæsar Manuelem Præfectum Augustalem Constantinopoli Alexandriam provolare jubet. Hic dum ex mandato Cæsaris Saracenis id, quod Cyrus aurum pactus fuerat, adversâ & contumaci fronte pernegat; hostes armis pactionis fidem vindicantes, Ægyptum unà cum ejus divitiis sibi rapiunt (z). Re jam accisâ, Romani malorum remedium in Cyri Antistitis precibus positum esse rati, eundem in Saracenorum tandem miserant castra, nempe ut nunc restauratis primis conditionibus, ex Ægypto abitum Saracenis persuaderet; sed irrito conatu verba ejusmodi, ac seriùs occinebantur Victoribus: qui, cùm fundum universum jure belli se possidere dicerent, modicis ejus fructibus, & admensis stipendiis se jam acquiescere posse inficiabantur. Ita Deus Barbarorum ferro imminuere robur Imperii parabat, ex quo Imperator suo patrocinio ac favore Monothelitarum errori haud exiguas addebat vires.

(t) Theophan. p. 280. Auctori Miscellæ. An. 636.

(u) Pagius ad an. 635. n. 2. An. 637.

(x) Theophan. ad an. Æræ Alex. DCXXVII.

(y) Idem p. 282.

Saraceni destruunt ac diripiunt Romani Imperii Provincias.

(z) Niceph. in Brev.

13. Ejus-

(*22) CEDRENUS anno XXIV. Heraclii pag. 426. testatur, eundem Imperatorem, antequam Saracenorum procella ingrueret, *Syriam deseruisse, sublatisque Hierosolymis venerabilibus lignis, Constantinopolim abiisse.* Quâ ratione verò Crux Constantinopoli deinceps religioso cultu honorata sit, explicat BEDA *L. de locis sanctis* c. 20.

An. 638. *Saraceni subjugant sibi Persicum Regnum.*

13. Ejusdem Numinis consilio factum, ut Persia, quæ Christianæ rei tot injurias irrogaverat, hoc simul tempore exsolveret pœnas. Intestinis illa adhucdum motibus convellebatur, tum Omarus Ægypti ac Syriæ spoliis potentior, Jasdum Ducem cum exercitu Euphratem transire jubet: is Edessâ protinus & Constantiâ occupatis, ad Daras usque profectus, medias inter cædes Mesopotamiam subigit (a). Jesdegerdes sive Hormisdas Rex, ne Regnum ultro projiceret, aliquantùm hostibus obluctatus, sed prælio fusus, in ultimas Persidis terras confugit: Saraceni prope insecuti, Regis tantùm insignia, quæ Hormisdas in fuga abjecerat, & ejus filias captivas Omaro sistunt (b); quo facto, florentissimum Persarum Regnum per tot sæcula majoribus indies accessionibus auctum, cui sæpe Romanas vires cessisse oportuit, nunc repentè collapsum alienæ servitutis vincula induere cogebatur.

(a) Theophan ad an. DCXXX.

(b) Idem ad an. DCXXXI

An. 639.

Mors Heraclii. An. 641.

14. Post funestas Regnorum & Imperii conversiones Imperator quoque ipse Heraclius funus dedit (c); ex aqua siquidem intercute afflictus obiit anno ætatis sexagesimo sexto, Regni trigesimo primo, Christi sexcentesimo quadragesimo primo, felicioris Imperatoris ac Legislatoris nomine insigniendus, nisi inter amicos Sergium Monothelitam, intérque leges editas Ecthesin famosam posuisset. Duos reliquit filios, Constantinum ex Eudocia, & Heracleonam ex Martina Augusta nepte sua, quacum incestas nuptias, mortuâ Eudociâ, contraxerat. Ab his geminis fratribus primùm pari jure, uti ex Heraclii ultimis tabulis acceperant (d), legebatur Imperium; dein paulò pòst hanc Regni communionem Martinæ ambitio, Hæreticorum studiis suffulta, crudeli parricidio dissociavit: Constantinum namque hæc noverca veneno appetitum quarto Imperii mense, & anno, ex quo cum Patre regnare cœperat, vigesimo octavo perdidit (e). De mortis genere & causa cùm varius rumor esset; de vi tamen illata, déque insidiarum authoribus suspicionem fecit Martinæ perfidus animus, qui utprimùm Heracleonas annos vix sedecim natus, fasces ceperat; Hæreticos in Ecclesias ubique invehere, & Orthodoxos premere instituit. Inde enim multis suboluit, Martinæ ejusdem & Monothelitarum studio accidisse, ut Con-

(c) Niceph. in Hist. p. 18. Chronicon Orient. p. 60. Conferatur Pagius ad an. 641. n. 2.

Constantinus & Heracleonas filii Heraclii ac successores.

(d) Nicephor. l. c.

Constantinus veneno tollitur.

(e) Theophan. anno Æræ Alex. DCXXXII. Cedrenus ad an XXXI Heraclii.

Constantinus vitâ ac Regno exueretur. Nec Senatus rem inultam voluit; anno quippe ab aditu Regni sexto Heracleonam naribus mutilatum solio dejecit, & Martinam malorum incentricem, ne porrò seditiosa consilia garriret, evulsâ linguâ, unà cum filio in perpetuum exilium amandavit (f). Constantino orthodoxo post fatum duo adhuc supererant filii, quorum alter Constans dictus, omnium votis in Imperatorem adoptabatur (g): quantascunque spes ille in Regni primordio (h) ostentabat suis, adeo tamen conceptas exspectationes eum fefellisse, postea compertum est, ut omnium ore vulgaretur, Constantem plus exitii, quàm salutis Imperio ac Religioni attulisse.

Heracleonæ interitus.

(f) Theophan. ad an. Æræ Alex. DCXXXIII.

Constans Constantini filius & Imperator.

(g) Idem l.c.

(h) Idem p. 284.

15. Anni unius intervallum ubi trium Imperatorum vicissitudines viderat; Saraceni his dissidiis ad suam rem abusi, ditiones pro viribus amplificabant. Cæsarea namque, Palæstinæ urbs maritima, cumuli loco cæteris hoc tempore accessit (i); quâ civitate expugnatâ, ad edendum victoriæ & potestatis monumentum Omarus restaurandi Salomonei templi initia fecit (*23); opus tamen, quod moliri magnificè cœperat, haud exequi poterat, sequente anno à milite Persa occisus (k). Non minoribus motibus Italia & Africa sub idem tempus succutiebantur (l): disparem nihilominùs eventum utriusque seditio habuit. Mauritius namque Chartularius, qui contra Isaacium Italiæ Exarchum seditionis incendium succenderat, flammam non multòpòst utpote mali author in vincula datus, & capite truncatus suo sanguine restinxit (m). At in Africa periculosiùs res peracta est. Gregorius Patricius Africanarum Provinciarum Prætor non obscuris molitionibus ad Imperium grassatus (n), Primores fidei integræ viros adversantes habuit: concitavit hæc procella diffidentium animos, dúmque civile bellum gerebatur; Romanis & factiosis se invicem lacessentibus,

An. 642.

(i) Cedren. p. 430.

(k) Theophan. p. 284.

An. 643. 644.

(l) Theophan. ad an. Æræ Alex. 638.

Variæ seditiones.

(m) Anastasius in Theodoro.

(n) Theophan. p. 285. Baron. ad an. 646. n. 20.

(*23) THEOPHANES ad annum Æræ Alexandr. DCXXXV. ait: *Hoc anno Umarus templum Hierosolymis restaurare aggressus est: ædificium verò firmo fundamento stare non valuit, sed in terram concidit. Causam sciscitanti responderunt Judæi: Nisi Crucem in monte Olivarum elatam sustuleritis, nusquam ædificium consistet. Hujus gratiâ Crux inde dejecta est: atque ita eorum ædificatio firma stetit: & ob causam eandem innumeras Cruces suis locis Christi hostes deturbârunt.*

tibus, supervenêre Saraceni, qui utriusque partis victores Africam, Justiniani felici fortunâ Vandalis olim ereptam, & Romanorum in fide per centum quadraginta annos servatam, nunc tandem sibi vectigalem fecerunt (o). Hâc prædâ satiati hostes cùm ad tempus quiescerent; Imperator otium omne ad turbandam Ecclesiam impensum voluit. Nam Monothelitarum errori ne ægrè fieret, promulgato Typo inculcabat singulis silentium, quo Orthodoxi maximè ab omni controversiæ studio abstinere jubebantur (p). Dissimulatio ejusmodi utì Ecclesiam tricis; ita Imperatorem Deus (frigescentis Religionis ultor) novo bello implicuit. Eodem quippe anno, quo Typus velut infesta Orthodoxis lex exiverat in lucem, Saraceni ab Osmanno (hic enim Omaro Caliphæ in Principatu successerat) cum mille septingentis navibus in Cyprum adducti (q), Constantiam, totámque Insulam Imperio eripiunt: mox in Siciliam devecti (Olympio Exarcho nequicquam obnitente) cuncta expilant (r): inde reversi, Isauriam, Armeniámque subjugant; demum in Rhodum Insulam sua arma, victoriásque propagant. Mauvias rerum gestarum Dux, sui ut furoris memoriam figeret; Colossum Rhodium in partes dissectum Edesseno Judæo vendidisse fertur (*24): & æris, quo ingens machina steterat, tam ingens copia erat, ut vix nongenti Cameli divisum pondus exportârint. Propupnaculis Asiæ vel captis aut dirutis, Saraceni Imperatoris Regiæ sedi (s) paratâ classe intentabant vim; hoc verò navali apparatu per Christianorum operam destructo, consilia aliquantùm retardata sunt. Reparatis subinde navibus, Saraceni propositum jam tenebant iter; tum Constans (qui hucusque otiosus, ferè hostiles motus neglexerat) hostili classi prope Phœnicen Lyciæ, infelici tamen omine occurrit; nam nocte, quæ navale prælium antecessit, Imperatori secundùm quietem Thessalonica, & quasi in illa urbe degeret, insolita species oblata est. Expergefactus ubi somni imaginem conjectori

(o) Elmacin. an. Hegiræ 27.
An. 647.
Typus Constantis.
An. 648.
(p) Baron. ad an. 648. n. 1. Item Pagius ibidem.
(q) Theophan. p. 285.
An. 650.
Saracenorum direptiones.
(r) Paulus Diac. l. 5. c. 13
(s) Theophan. p. 287. Cedrenus p. 432.
Constans internecinâ clade à Saracenis affligitur.

(*24) THEOPHANES anno Æræ Alexandr. DCXLV.: *Hoc anno, Rhodo à Saracenis occupatâ, Mauvias Rhodium Colossum mille trecentis & sexaginta annis, postquam positus fuerat, dejecit. Judæus quidam Edessenus eum mercatus, nongentos ex ejus metallo Camelos oneravit.* CEDRENUS addit: *Rhodii maris imperium obtinentes, æream Soli statuam posuisse, altam cubitos supra octoginta. A magnitudine ei Colossi nomen indiderunt, ac ab eo ipsi quoque Colossenses sunt denominati.*

jectori descripserat; ille in hoc ipso somnio funestum cladis futuræ nuncium portendi affirmabat, propterea quòd Thessalonicæ vox ex tribus vocabulis Θὲτ ἄλλῳ νίκην composita jam Cæsarem præmoneret: *Cede alteri victoriam.* Nec ominatoris interpretatio fefellit; utprimùm enim navalis pugna cœperat, Constantis fortuna omnino inclinata est, intérque medias suorum cædes id duntaxat prosperum, fortunatúmque Cæsar habuit, quòd mutatâ veste in celocem transiliens, citissimâ fugâ ex oculis hostium & manibus se abstulerit (t).

(t) Theophan. l. c.

An. 655. *Saracenorum intestinum bellum.*

16. Annus DCLVI. Imperio aliquantò felicior, pacatiórque fuit, Saracenis in seipsos jam arma vertentibus. Belli hujus intestini causam dederat Osmanni Principis interitus; illo enim occiso, Arabes deserta colentes Mahumetis generum, ac nepotem seniorῖs Ali (qui unus inter Primores quatuor, vivente adhuc Pseudo-Prophetâ, numerabatur) in Calipham, Ducémque Gentis deposcebant: ast pars Saracenorum, quæ Ægyptum, Syriámque habitabat, Mauviæ sua dicabat vota (u). Tumultus, dissidiáque cùm mutuis cædibus agerentur; facilè Constanti fuisset, factionem utramque opprimere: sed levitas Cæsaris haud passa est, ut turbato hosti insisteret, quin potiùs in Sclavinos, contra vegetam adhuc Gentem bellum in Illyricum transferens, modicarum velitationum victoriis trahere tempus gestiebat (x). Optimè nihilominùs se rebus Imperii consuluisse putabat Cæsar, eoquòd Mauvias paulò pòst Legatos Constantinopolim mitteret, pacturos pacem his conditionibus, ut Saraceni per singulos dies nummos mille, equum & servum Romanis penderent: dolo id factum fuisse, postea eventus docuit, quando Saraceni domesticis rebus compositis tantò fortiùs in exitium Imperii (y) incubuerunt.

(u) Theophan. p. 288. edit Paris.

(x) Cedren. ad an. XVI. Constantis.

An. 658. *Saraceni cum Romanis paciscuntur inducias.*

(y) Theoph. Cedrenus ad an. XVII. Constantis.

An. 659.

17. Quò mitiùs cum exteris hostibus Constans agitabat, eò truculentior in suos propinquos evasit. Filios duos Heraclium & Tiberium Constantini Pogonati fratres eo consilio Cæsares Imperator creaverat, ut suæ propagini certiùs supremam Regni potestatem firmaret (z). Ambitiosa hæc studia Constantis animum in fratrem superstitem Theodosium commovêre: hominem quò longiùs à spe Imperii arceret, Paulo Patriarchæ imposuit,

(z) Synodus VI. Act. 16.

Constans fratrem Theodosium perimit.

fuit, ut eundem Diaconorum ordini accenseret. Vix à palatio ad Ecclesiam translatus Theodosius fuerat; impius Princeps suspicionibus novis exulceratus, sacrilegam injuriam parricidio cumulare decernit (a): invidiâ, irâque stimulante, Theodosius perimitur, cujus unius facinoris multiplicem pœnam ab Imperatore Deus exegit. Ab eo quippe tempore Parricidæ sceleris imago adeo ante oculos obversabatur, ut ne noctes quidem hæc terriculamenta sopirent: in somnis namque continuò se ingerebat importuna Theodosii fratris umbra, Diaconi habitu, poculum cruore plenum Imperatori in hæc verba propinantis: *Bibe frater* (c). In annum secundum Constans jam his portentis cruciabatur; tum mutare locum, & demigrare in alias Provincias constituit, si fortè terrarum longinquitas animo quietem, medicinam malo ferret. Anno igitur DCLXIII. Constantinopoli Athenas movit, inde Tarentum delatus, Benevento ac Neapoli superatis, Romam adivit (d): à Pontifice, Cleróque honorificè exceptus, varias invisit Ecclesias, & in ara S. Petri pallam auro textam pro munere deposuit. Religionis hujus qualemcunque speciem inexplebilis avaritia pessimè fœdavit; nam quidquid æris inveniri poterat sive in templis, sive in tectis, secum abstulit; adeóque intra paucos dies, quibus Romæ fuerat, plus ornamentorum splendori urbis detraxit, quàm multis annis Barbarorum grassationes expilârant. De Ecclesia B. Virginis ad Martyres illud compertum est, ejusdem tegulas ære fusas, ex templi fastigio direptas, in modum spolii divitis Constantinopolim missas fuisse. Post exactum duodecim dierum intervallum ex civitate satìs exhausta egressus, Siciliam petiit (e), & Syracusis defixâ sede, multò graviora tributa tum Siculis, tum Calabriæ, Africæ ac Sardiniæ civibus imposuit; nefastum tamen hunc pecuniæ cumulum nequaquam (ùt antea) Constantinopolim mittendum censebat, eoquòd ab Oriente, ubi ob Monothelitarum patrocinium omnium odio exponebatur, maximè abhorrens, Syracusas transferre Imperii sedem cogitaret. Hanc in rem liberos, uxorémque ad se in Siciliam commigrare jusserat; sed illis ex Primorum voluntate Constantinopoli vi quâdam detentis (f), Constans nihilominùs Syracusas sex adhuc annis coluit (g).

18. Ab-

An. 660.
(a) Cedren. ad an. XVIII. Constantis.
Constans umbrâ occisi fratris exagitatur.
(c) Cedren. loc. cit.
An. 663.
Constans ex Oriente venit in Italiam.
(d) Anastasius Biblioth. in V. P. Vitaliani.
Romam expilat,
(e) Anastasius l. c.
Cogitat Syracusas transferre sedem Imperii.
(f) Cedren. ad an. XVIII. Constantis.
(g) Theophan apud Pagium ad an. 663. n. 1.

18. Absente igitur Imperatore, facile hostibus, seditiosísque erat, turbas concitare (h): Saracenis Romanorum Provincias Constantinopolim usque divexantibus, Saborius etiam Armeniæ Præfectus Cæsaris fidem publicâ defectione excussit (i): & quoniam rebellis partes Mauvias Saracenorum Princeps susceperat; parva scintilla in majus incendium exarsisset, nisi fatum repentinum Saborio vitam, nocentémque animum ademisset. Is enim dum Adrianopoli equo sublimis per portam urbis vehebatur; animal subitò effractis habenis exiliens, sessorémque ferocitate quâdam succussum portæ urbis tantâ vi illisit, ut capite comminutus, protinus exspiraret (k). Eventus inopinus postquam seditionem unam in Oriente compresserat; altera, eáque periculosior in Sicilia suborta est: Insulæ cives in sextum jam annum à præsente Cæsare, dicam, an molestissimo grassatore? immensis exactionibus exhauriebantur (l); tum diuturnæ direptionis pertæsi, Constanti struunt insidias, quibus invisi Imperatoris petebant caput. Nec sceleris explendi occasio deerat: Constantem pro more balneum ingressum obsequii specie Andreas Trocli filius prope sequebatur; dúmque in accurandis officiis se aliquanto tempore curiosum, alacrémque ostendit, subitò quasi calentem aquam affusurus, situlam arripit, támque valido impetu capiti balneantis impingit, ut contuso cerebro, animam exhalaret (m). Post excessum Principis factiosi continuò unum ex his, eúmque Mizizium Armenum Imperatorem salutant: una igitur fama duplex fatum Constantinopolim tulit, occisum esse Constantem, & Mizizium regnare.

19. Inter filios Imperatoris natu major urbem Regiam Orientis tunc moderabatur Constantinus, quem Parens anno DCLIV. (n) in consortium Imperii adsciverat. Is ùt de cæde Constantis, ac de tyrannide Mizizii cognoverat; coactâ classe Siciliam versùs provolat, duorum scelerum acerbus ultor futurus. Mizizius, antequam navalis apparatus ad littora appelleretur, congestis undique navigiis, ultrò hosti suo occurrit; sed post initum certamen disjectus ac cæsus, Regnum usurpatum ac vitam amisit (o). Constantinus victor ex mari in Insulam provectus, conjurationis socios dat in vincula, hósque unà cum abscisso

An. 667.

(h) Theoph. p. 289. 290.

Barbari populantur Imperium.

(i) Theoph. ad an. Æræ Alexandr. DCLVIII.

Seditio Saborii.

(k) Idem p. 291.

(l) Idem p. 289.

An. 668.

Interitus Constantis.

(m) Theophan. ad an. Æræ Alex. DCLX. Cedrenus p. 436.

Mizizius Tyrannus.

Constantinus Pogonatus Imperator

(n) Pagius ad an. 654. n. 15.

(o) Theophanes anno Æræ Alex. DCLX. Cedrenus p. 436.

Vincit Mizizium.

scisso Tyranni capite spoliorum loco Constantinopolim deducit (p). Triumphalis iste reditus Constantino novam appellationem fecit: nam cùm is imberbis Byzantio egressus, post expeditionem barbâ promissâ conspicuus reversus fuisset; *Pogonati* inde sive *Barbati* à suis nomen accepit (q). Siculorum rebus vix compositis, novus turbo incubuit; Saraceni enim Insulæ calamitatem, dissidiúmque in suam rem vertentes, utprimùm Imperator retulerat pedem, continuò accurrere, quæ Constans ex tota Italia illuc convexerat, expilare omnia, ac editâ ingenti cæde, prædâque divite onusti Alexandriam remigrare instituunt (r). Major ac funestior strages erat, quam iidem Saraceni hoc vel superiore anno Africæ ditionibus intulêre (s). Postquam enim fortunas, opésque regionis ferè eraserant; octoginta insuper hominum millia in diram servitutem abduxerunt. Per breve intervallum inde induciarum aliquis modus fuit, sive ut Saraceni prædâ suâ abactâ pacatiùs fruerentur, sive ut majores colligerent vires, ad Romanam rem labefactandam. Anno DCLXXI. Lycia & Cilicia (t) infestari cœptæ, deinde ædificata classis est, quam Barbari Constantinopoli circumfundere cogitabant. Naves ubi velis, remísque, ac reliquo apparatu instructæ steterant; excursione primâ littora Thraciæ petebantur (u): Constantinus, quò periculum anteverteret, biremes oris jam præfixerat; quæ cùm per dispositos siphones ignem græcum, & inter ipsas aquas fortiùs ardentem in obvia quæque navigia spargerent, igneæ procellæ hostis se subduxit. Diuturna tamen haud fuit Saracenorum fuga; nam sequente æstate Constantinopolim obsidione undique conclusêre. Constantini ad omnia expediti alacritas fecit, ut, quoties Barbari assilirent, toties magnâ cæde repellerentur: ita bello in septimum ferè annum extracto, Saraceni navibus, atque exercitu exuti, pacem rogitare coacti sunt, quæ scriptis tabulis ad triginta annorum periodum firmata, has conditiones habuit (x), nempe ut Arabes Romanis in singulos annos tria millia pondo auri, quinquaginta viros captivos, & quinquaginta equos generosos tributi nomine penderent. Pactio ejusmodi Romanis honori non minùs, quàm commodo fuit; nam Cajanus Avarus, ac reliqui Occidentem versùs Principes fœderis hujus famâ

(p) Theophan. l. c.

(q) Cedren. p. 436.

An. 669. *Excursiones Saracenorum*

(r) Elmacinus ad a. Hegiræ XIV.

(s) Theophan a. Æræ Al DCLXI.

An. 670.

(t) Idem p. 294.

An. 671. & 672.

(u) Idem l. c. Cedrenus p. 437.

An. 673.

An. 677.

(x) Theophan. p. 296 *Pax sancita cum Saracenis.*

famâ territi, per Legatos Imperatori mittebant munera, quibus firmari aut restaurari amicitiam flagitabant. Dissidiorum etsi in Oriente æquè, ac in Occidente finis hâc ratione poneretur (y); à Bulgaris tamen novis motibus datum initium est (z). Gens illa ad Mæotidem paludem juxta Cophinem fluvium sita, Principem habuit, ac quinque filiorum Patrem; qui ubi tot hæredibus diviserat Regnum, tertius natu filius reliquis animosior, ducto trans Euxinum exercitu, Bajanum capit, & è Sarmatiæ limite, Danubióque superato in Thraciam usque populabundo similis procedit. Constantinus, ne Provinciam rapinis prædonum relinqueret, è mari in Istrum traducit classem: at expeditionis cursum interrupit morbus Imperatoris; is enim ingenti pedum cruciatu affectus, cùm ab exercitu ad balnea discederet, rumor Romanorum castra temerè pervasit, Constantinum viribus diffisum suis, fugam cepisse: quare omnes metu panico correpti, terga dant hostibus; at hi multis cæsis, trajectóque Istro, in ditionibus Imperii stativa fixêre (a). Calamitatis publicæ ut tandem aliquis modus, remediúmque foret; præter annuum tributum Mysia (cui hodie Bulgariæ nomen) Barbaris concessa est (b). Non exiguum dedecus inde Imperio, nec minor dolor Imperatori accessit, qui damna rei civilis incremento Religionis pensare studuit; nam anno duodecimo, ex quo regnaverat, in Synodo sexta Monothelitarum hæresin profligari, ac fidem orthodoxam ubique restaurari, aut implantari curavit (c). Ejusdem Imperatoris pietati Romana debet Ecclesia, quòd illam nefastis pensitationibus exemerit; vix ferendum enim videbatur gravissimum tributi genus, quod à Gothorum Regibus recèns electis Pontificibus confirmationis datæ titulo impositum, etiam ab orthodoxis postea Imperatoribus exigebatur. Constantinus hoc libertatis Ecclesiasticæ vulnus ita persanandum censuit, ut abrogato pensitationis quocunque onere, Pontifices deinceps, quin confirmationem Cæsaris, aut Legatorum adventum exspectarent, consecrari præciperet (d).

20. Procuratâ Reipublicæ tum sacræ, tum civilis tranquillitate, Imperator etiam res domesticas ordinatum ibat. Principis Augusti duo fratres erant, Heraclius & Tiberius: horum con-

(y) Idem l.c.

Bulgarorum motus.

An. 678.

(z) Theophanes anno Æræ Alex. DCLXXI.

Romani vincuntur à Bulgaris.

(a) Theophan. p. 298. Cedrenus p. 438.

Pacem probrosam inire coguntur.

An. 679.

(b) Theophan. p. 299.

An. 680.

An. 681.

Constantini studium Religionis.

(c) Idem l.c.

Constantinus Pogonatus jus confirmandi Pontifices ab Imperatoribus arrogatum omnino tollit.

(d) Anastasius in Benedicto II.

Constantinus fratres suos ab Imperio removet.

consortio gemina ne in filios, quos totidem habebat, nempe Heraclium & Justinianum, propagandi Regni spem dubiam redderet: utrumque, aliàs Regni Collegam, naribus mutilatum, in ordinem redegit (e); quo facto, solus cum Justiniano filio aliquo saltem tempore imperavit. Anno namque Imperii decimo septimo exacto, placidâ morte defunctus (f), Justinianum Regni hæredem reliquit (g). Interea Saracenorum Principi Mauviæ sive Patri post viginti annorum regimen Izidus filius pari successionis jure anno DCLXXX. surrogatus fuerat; neque hoc Caliphâ Dominatum exercente, aliquid cum Romanis susceptum est. Verùm eodem post trium annorum intervallum è vivis rapto, Arabes in diversas partes abiêre: aliis alios in Principatûs gradu collocantibus Abimelechus tandem omnium vota tulit; qui magnas molestias primò à Mardaitis expertus est: Libanum quippe hi ingressi, montium horum speculas & juga ab anno DCLXXVI jam insederant, & transfugarum, aut captivorum copiis aucti, metum, ac populationes æquè indigenis, ac Saracenis intentabant. Periculis proinde frequentibus quò se expediret Saracenorum Calipha, missis ad Imperatorem Legatis, pro restauranda aut stabilienda concordia in has conditiones cum Justiniano paciscitur: nempe ut Imperator Mardaitarum infestas excursiones cohibeat, & Saraceni contrà in officii præstiti vicem Cæsari in singulos dies mille aureos nummos, & equum ac servum repræsentent: uterque porrò Princeps ex æquo vectigalia Cypri, Armeniæ & Iberiæ partiantur (h). Pax ejusmodi etsi ad tempus commodi speciem præ se ferret; re tamen penitiùs consideratâ, damnosior postea Romanis visa est: nam cùm horum maximè interesset, relinqui hostes, qui Saracenos privatis velitationibus à publico bello averterent, quíque suo armorum objectu Syriæ aliquod præstarent præsidium; Justinianus pactioni suæ nimiùm indulgens, aut promissæ pecuniæ avidiùs inhians, Castella in Libano posita nudabat milite, simúlque dimoto obice, Saracenis grassandi, & Provincias Romanas expilandi amplissimam copiam fecit.

(e) Theophan. anno Æræ Alex. DCLXXIII. An. 685.

(f) Anastas. in Joanne V. *Mors Constantini.*

(g) Niceph. in Hist.

Justinianus Constantini filius & successor.

Justinianus pacem cum Saracenis sancit Imperio noxiam. An. 686.

(h) Theophanes anno Æræ Alex. DCLXXVIII.

21. Justinianus II. utprimùm Imperium levissimo pactionis genere afflixerat; alteram subdidit causam, quâ res Romanorum

norum aliis cladibus exponeretur. Conſtantinus cum Bulgaris de pace convenerat; quâ initâ, licebat Cæſari in Saracenos conjunctis viribus pugnare. Diſplicuit minùs ſapienti filio hoc conſilium; atque ut palàm eſſet, paterna fœdera diſſolvi, in Thraciam educit exercitum: inde porrò in Bulgaros movens, hoſtiles manipulos primo impetu fundit; Theſſalonicam poſtea progreſſus, immenſum Sclavorum numerum ſeu armis domitum, ſeu ſpontè deditum ad Opſicii partes, trajecto Abydi freto, transfert (i). Excurſio iſta utì fortunata, ita reditus infeliciſſimus fuit; per montium enim anguſtias ubi relegere iter cœperat, à Bulgaris interceptus, tantâque ſtrage oppreſſus eſt, ut Imperator ipſe ſupremum vitæ diſcrimen ægrè evaſerit. Necdum à periculo maximo reſpiraverat Princeps; tum pro levitate ſua in multò pejus præceps ruebat. Anno DCLXXVII. Conſtantino Arabes annuum condixerant tributum, quod cùm ex data fide Abimelechus nomine Gentis ſuæ rurſus anno DCXC. Imperatori perſolvere cuperet, Juſtinianus monetam velut adulterinam aſpernatus, aliam pecuniam, quàm quæ Cæſaris imagine ſignata eſſet, admiſſurum ſe pernegabat (k). Juſtiniano nimirum belli cauſam quærenti hoc utut leve momentum ſatis ponderis habere viſum eſt, ut pacem rumperet. Sclavorum auxiliis (quorum triginta millia comparaverat) confiſus Imperator, Saracenos prope Sebaſtiopolim adoritur, & acie profligat (l). Clades iſta victis nequaquam animos minuit, ſed auxit: Abimelechus enim fremens Saracenis tam indignis modis illudi, populares omnes in arma vocat; tum Sclavos profuſâ pecuniâ, ad defectionem illectos ab exercitu Romanorum disjungit. Imperatoris militare robur ubi hâc arte Abimelechus infregerat; nuncios ad Juſtinianum mittit, qui dicerent, Saracenos id nunc agere, ut pro auro, quod temerè Cæſar ſpreviſſet, offerrent ferrum; armis ſcilicet ulciſci injuriam, & juſtitiæ cauſam perſequi, cunctis in animo eſſe. His denunciatis, Abimelechus ex haſtili præfixum icti olim, & modò à Romanis fœdè violati fœderis autographum primis ordinibus anteferri jubet; tum Chriſtianorum Deum in perfidiæ ultionem vocans, Barbaros in prælium effundit (m). Aliquamdiu Leontius Romanorum Dux Saracenis obluctа-

Juſtinianus pacem cum Bulgaris initam diſſolvit.

(i) Theophanes anno Æræ Alex. DCLXXX. An. 689.

Pactionem cum Saracenis factam abrumpit.

(k) Theophanes anno Æræ Alex. DCLXXXIII

(l) Idem an. Æræ Alex. DCLXXXIV

Juſtinianus vincit Saracenos, An. 690.

(m) Id. l. c.

& viciſſim vincitur.

luctabatur: sed ubi Sclavos in medio certamine ponere arma, & proditionis signum palàm edere vidit; ipse cum Justiniano maturâ fugâ se proripit, suos vel ferro hostium mactandos, aut servituti relinquens (n). Dum hæc terrâ infelicissimè agebantur; etiam mari Romanis infestum bellum illatum est. Monuerat Justinianus Cypri colonos, ut, ne incursionibus Saracenorum porrò quaterentur, ex Insula in Hellespontum trajicerent: misera turba vix è portu in altum solverat; tum coorta repentè tempestas disjicit transfugas, quorum pars fluctibus hausta, pars morbis consumpta est, nec nisi paucis reliquiis ad Hellesponti littus appellere licuit (o).

(n) Cedrenus ad a. VII. Justiniani.

(o) Vide Synod. Trull. c. 39.

An. 691.

Saraceni subjugant Carthaginem.

22. Quò infeliciore loco res Romanorum erant, eò meliore fortunâ Barbari utebantur: Hasanus quippe Dux Carthaginem expugnabat (p), & sequente anno Armenia proditione Præfectorum in Arabum potestatem pervenit (q). Inter has Imperii ruinas Imperator non de restaurando bello, sed de ædificiorum vanis molitionibus cogitabat: insana opera quò exitialior subditis foret, ædificiis curandis Stephanum præfecit, natione Persam, officio Sacellarium, ingenio crudelissimum virum, qui in artifices manuarios verberibus, lapidúmque jactibus grassatus, in ipsam adeo Anastasiam (Cæsaris matrem) ferocem vim expromere non dubitavit (r); Imperatore enim peregrè profecto, audaciâ nusquam solitâ Augustam flagris dilacerare non abhorruit. Huic crudelitatis impiæ instrumento alterum addidit Justinianus, scilicet Theodorum, qui è Monacho Logotheta creatus, exactionibus immensis Magnatum patientiam adeo vexabat, ut, cùm solvendo satis non essent, funibus suspensos, palearum inferiùs accensarum fumo torqueret, aut in carceres conjectos, squalore diuturno ad vitæ ipsius usque periculum maceraret. Adhæc sacrilegus Princeps sacræ Ædi B. Virginis afferre vim, ínque ejus locum profanas substructiones, & Venetæ factionis sedilia sufficere meditatus, Callinicum Patriarcham impio Imperio urgebat, ut preces ritu solenni funderet, ad Ecclesiam Deiparæ evertendam: quantumcunque Antistes longè alia precatus refragaretur, Ecclesia nihilominùs diruta est, & in irreligiosos usus conversa (s).

(p) Elmacinus Lib. I. Hist. Sarac.

An. 692.

(q) Theophan. p. 306.

An. 693.

Stephanus & Theodorus crudelissimi Ministri Imperatoris.

(r) Theophanes anno Æræ Alex. DCLXXXVI

An. 693.

(s) Idem p. 307.

An. 694.

23. Justi-

23. Juſtinianus impiâ crudelitate ſuâ ubi jam omnium odio premebatur; ſuppliciorum metu reverentiam populi exacturus, Stephano Patricio mandat, ut à Patriarcha exorſus, in ultimam plebis fæcem cruentas cædes continuaret (t). Vix de propoſito Principis Primoribus ſuboluit, tum Leontius conjuratorum ope Imperium invadit. Fuerat is dignitate Patricius, & copiarum olim in Oriente Dux inſignis; ſed fato quodam in carcerem abreptus, tribus annis in ergaſtulo latuit: tandem his exactis, redditus libertati, à Juſtiniano in Græciam ſubitò navigare jubetur, ad moderandum exercitum. Nocte igitur ingruente dum è portu dare vela conſtituit; repentè ad profecturum Magnates convolant, ac Leontio authores ſunt, ut omiſſo itinere in urbem remeans, clavum Regni arriperet (u): ille hortatu Pauli & Gregorii Monachorum, quos fidos amicos ſemper expertus erat, è veſtigio Conſtantinopolim repetens, Prætorio Præfectum nil cogitantem opprimit; tum captivis plurimis è carcere in militiæ adjumenta adductis, ſe pro Imperatore gerit. Poſtridiè quàm hæc acta fuerant, Juſtinianus in Circum rapitur, & naſo mutilatus (unde etiam *Rhinotmetus* dictus eſt) in Cherſonam Inſulam relegatur. Utprimùm Imperator è ſolio in exilium abierat; in crudelitatis impiæ Miniſtros procella incubuit; nam Theodotus Monachus Logotheta, & Stephanus Sacellarius ligatis ad pedes funibus per compita urbis tracti, ad forum Bovis rogo impoſiti exuruntur (x).

(t) Idem anno Æræ Alex. DCLXXXVII.

Sanguinolenta rabies Juſtiniani.

An. 695.

Leontius ad depellendam tyrannidem ſe accingit.

(u) Idem p. 308.

Juſtinianus naribus mutilatur, & deturbatur Imperio.

Pœna Magiſtrorum.

(x) Idem l.c.

24. LEONTIUS à populo & Patriarcha ſalutatus Imperator id maximè cupiebat, ut monumento aliquo aut omine, ſui Principatûs initia ſignaret. Nec tempus opportunum quærenti diu aberat; nam Haſanus Saracenus novis ſubſidiis à Calipha inſtructus, univerſam ferè domuerat Africam. Quibus damnis eruditus Leontius, Joannem Patricium cum valida claſſe ad Afrorum pergere oras jubet (y): at adventus tantùm apud Barbaros valuit, ut toties vicerit, quoties hoſtem vidit; plus ſibi tamen, ac Imperio profuiſſet, ſi utì Saracenos ſæpe acie fuderat, ita fuſos ac fugientes ad internecionem uſque ferro victrici oppreſſiſſet. Sed dum ſpatium ac otium victis negligens cunctator relinquit, ſequente anno redintegratas ac numeroſiores vires hoſtis

Leontius Imperator

An. 697.

(y) Theophanes anno Æræ Alex. DCXC.

Africam recuperare conatur.

ſtis terrâ maríque adducit, quibus Joannes fugatus, ac in eas anguſtias compulſus eſt, ut poſtremam exercitûs ſalutem intra humile vallum tueretur. Arte quâdam tandem elapſus, ſibi quidem, ſuíſque conſuluit: at eâdem fugâ ſimul totius Africæ ſalutem, ſpémque ejusdem recuperandæ profligavit; ab eo enim tempore Saraceni has omnes terras invasêre, quam nobilem Romani olim Imperii portionem Barbari adhuc hodie devinctam tenent (z). Cæterùm Joannes pudore coopertus, in Cretam primò appulerat; inde porrò metu Leontii Conſtantinopolim movere reformidans, exercitum in deſperata conſilia conjecit: placebat enim omnibus, Ducem eligere, ſimúlque Imperatorem, qui rerum malè geſtarum nec memor, nec vindex eſſe poſſet (a). Quare Tiberius Apſimarus Auguſti Tiberii nomine ſubitis votis, vocibúſque militum celebratur: tumultuariâ hâc electione peractâ, idem Apſimarus ex Creta cum exercitu Conſtantinopolim pergit, & ad Sycænum portum aliquantùm moratus, urbem proditione ingreditur: utprimùm dedi cœpti cives, Leontius quoque capitur, & naribus mutilatus, in Dalmatæ Monaſterio ſeptennalem carcerem, unde ad ſupplicium aliquando prodiret, invenit.

Univerſa Africa in Saracenorum poteſtatem venit.

(z) Theophan. l. c.

Seditio militaris contra Imperatorem An. 698.

(a) Id. p. 310

Leontius naribus mutilatus, in Monaſterium relegatur.

25. Exauthorato Leontio paulò felicior APSIMARUS cladem, quam Romani à Saracenis in Africa acceperant, egregiè ultus eſt; is enim anno Imperii ſecundo fratrem Heraclium cum copioſo pedite ac equite in Syriam, ac in Saracenos Provinciæ ejus prædones ac tyrannos emiſit (b). Quòcunque Samoſatam uſque Heraclius ducebat militem; loca, urbéſque victoriis ſignabat, pulſis ubique hoſtibus, & ducentis ferè millibus occiſis, ingenti prædâ dives ad Auguſtum fratrem reverſus eſt. Anno inſequente Armeniæ Primores, excuſſo Saracenorum jugo, ſub Imperatoris Dominatum tranſiêre (c); quod ubi Muamedus cognovit, expeditione ſuſceptâ, Armenos ad ſervitutem priſtinam revocat: atque ut terrore cæteros contineret, Proceres unum collectos in locum vivos comburi jubet. Alea belli, quæ intra Armeniam Romanis infeliciùs ceciderat, in Cilicia meliorem eventum, fortunámque nacta eſt; nam Arabes, qui ſe Cilicum terris jam penè infuderant, Heraclius tanto robore oppreſſit,

Tiberius Apſimarus Imp. An. 700.

(b) Idem an. Æræ Alex. DCXCII.

Victoriæ Apſimari in Oriente. An. 701. 702.

(c) Idem an. Æræ Alex. DCXCV

Armeni à Saracenis deficiunt, & ſub jugum revocantur.

pressit, ut decem millibus cæsis, reliquam exercitûs partem vinculis datam Imperatori fratri velut pretiosa spolia transmitteret (d).

An. 703. *Heraclius Apsimari frater Saracenos fundit in Cilicia.*

26. Interea JUSTINIANUS RHINOTMETUS Chersonæ in exilio degens, ad recuperandum Imperium aspirare cœperat (e): Insulæ coloni, ne ambitiosâ Exulis sui molitione in commune periculum conjicerentur, de nece homini inferenda, aut de eo ad Imperatorem Apsimarum deportando maturè consultant. Quas ille præsentiens insidias, ad Chaganum Avarum Regem fugit: hunc ut sibi firmiore vinculo sociaret, ejus sororem Theodoram uxorem duxit. Paulò pôst Chaganus ab Apsimaro muneribus illectus, necem Genero molitur; sed ille uxoris indicio de insidiis certior, necatis Præfectis (quibus Chaganus Justiniani cædem demandaverat) & remissâ in Chazariam conjuge, apud Trebellium Bulgarorum Ducem vitæ suæ præsidium exposcit. Asylum quærenti in fidei pignus primò filiam in uxorem, deinde copias militares in subsidium tradit (f); quibus accinctus Justinianus, percurrit Thraciam: mox Constantinopoli vim intentans, conviciis civium repellitur. Rhinotmetus his injuriis minimè fractus, obsidionalem operam resumit, & tertio demum die, immissis noctu per aquæductum militibus, urbem capit. Utprimùm de capta Constantinopoli rumor percrebuit; Tiberius cum fratre Heraclio, ac Primoribus se in fugam præcipitat: verùm omnes subinde retracti Justiniano sistuntur (g); tum enimverò Regno restitutus Imperator, dirissimo furore in singulos debacchatus, Heraclium, aliósque Proceres circa mœnia urbis suspendi, cives saccis inclusos demergi in mare, & nonnullos ad cœnam invitatos è mensa ad patibulum duci jussit. Demum Tiberium Apsimarum & Leontium in vinculis per forum, atque Hippodromum circumductos ludis Circensibus spectaculo exhibuit; cúmque cervices eorum ante se projectorum pedibus calcando insultâsset, postremùm in Cynegium missis caput amputari præcepit (h). Funeribus Magnatum elatis, in Callinicum Patriarcham (Leontii Patronum) furiarum plenus Princeps acriter quidem, mitiùs tamen desæviit; oculorum quippe lumine orbatum Romam relegans, alium (cui Cyro nomen,

(d) Theophanes anno Æræ Alex. DCXCV. Cedrenus p. 444.

(e) Theophanes an. DCXCVI. Cedrenus ad annum I. Apsimari.

An. 704. *Justinianus quomodo Imperium receperit?*

(f) Theophan. p. 312. Cedrenus p. 445.

An. 705. *Justinianus potitur urbe & Imperio.*

(g) Theophanes anno Æræ Alex. DCXCVIII. *Ejus crudelitas in Magnates, & in Apsimarum & Leontium.*

(h) Theophan. l. c. Cedrenus p. 446. *Supplicium Callinici Patriarchæ.*

quíque Juſtiniano reditum ad Regnum auguratus fuerat) in ex-authorati æquè, ac deformati Præſulis locum ſubſtituit.

An. 706. 27. Interpoſito temporis ſpatio, unus ex iis, qui Imperatori à cubiculis erant, ſcilicet Theophylactus, ad Avares abit, ut Tiberium filium, matrémque Theodoram reciperet, receptósque ſuetis Auguſtorum honoribus ornaret (i). Inaugurationem lætiſſimam triſtis ex Africa nuncius excepit; eò enim ferebatur, Mauritaniæ Tingitanæ magnam partem à Saracenorum graſſationibus vexari (k). Laboranti Provinciæ cùm Cæſar ſuccurrere debuiſſet; temerario prorſus conſilio non in hoſtes, ſed in eos (quos maximè benevolos, & ſortis priſtinæ reſtitutores paulò antè habuerat) ſcilicet in Bulgaros arma vertit (l). Ad Anchialum utrinque, non tamen æquo Marte pugnatum eſt: Bulgari quippe incautos, & ad prædam intentos Romanos repentino impetu adorti, tantam dedêre ſtragem, ut Imperator re infeliciter geſtâ, ac ingratitudinis dedecore plenus, in proximum caſtellum ſe ejiceret, & poſt triduum inglorius ſatìs, Conſtantinopolim reverteretur (m). In urbe ubi per otium à fuga, cladíſque infamia reſpiraverat Rhinotmetus, meminiſſe cœpit inſidiarum, quibus Cherſoneſi incolæ Exulem malè perdere olim conſtituiſſent. Injuriis proinde acerbas vices relaturus, exercitum ad Inſulæ excidium mittit: Helias Spatharius Dux expeditionis aut carnificinæ ùt in Cherſoneſum venerat, in adultos ferro graſſatus, ſolos juvenes & pueros ad diram ſervitutem ſervabat: poſtea Tudunum Cherſonæ Præfectum, & Zoilum virum Principem, nec non alios Nobiles quadraginta ligneis verubus transfixos ad ignem aſſavit; demum alios viginti ad lembum lapidibus onuſtum alligatos in mare demerſit (n). Qui his malis ſuperfuerunt Cherſonenſes, eos ad ſe duci juſſit Imperator, haud dubiè crudeliſſimis ſuppliciis excarnificandos. Sed eos providum Numen tolerabiliore mortis genere tyrannidi Juſtiniani ſubtraxit: oborta enim tempeſtas redeuntem claſſem disjecit, quo naufragio milites cum captivis circiter ſeptuaginta tria hominum millia periêre. Juſtiniani furor hâc clade adeo non imminuebatur, ut novas copias deſtinaret (o), qui Cherſonenſium reliquias, ſcilicet infantes, vel naufragio ſuperſtites penitus conficerent.

(i) Theophan. p. 314.

(k) Anonymus apud Pagium ad an. 707. n. 2.

An. 707. *Juſtinianus bellum movet in Bulgaros.*

(l) Theophan. ad an. Æræ Alex. DCC.

An. 708.

An. 709.

(m) Theophan. l. c. Cedrenus p. 446.

Juſtiniani bellum atrox contra Cherſonenſes.

An. 710.

(n) Theophan. ad an. Æræ Alex. DCCIII.

(o) Idem p. 316.


rent. Hic ſicariorum globus ubi in Inſulam appulerat; Duces claſſis mutant animos: & ſcelus deteſtati, BARDANI PHILIPPICO honores Auguſti decernunt. In rabiem id porrò egit Tyrannum, & novo miſſo exercitu, injuriam ulciſci parabat; tum in ſubſidium Cherſonenſium rogatus Chaganus cum ſuis advolat, claſsémque mari advectam repellit. Victorum militum pudor effecit, ut, cùm ad crudelem Juſtinianum redire metuerent, Bardanem Philippicum (genere Pergamæum) Cæſarem proclamarent: is igitur auctus exercitu & claſſe, Conſtantinopolim navigat, urbem çapit & Imperium; tum gulâ Tiberii (qui filius Juſtiniani erat) intercisâ (p), Juſtinianus quoque Pater, Philippico jubente, ab Helia Spathario apud Damatoym, quò ſe receperat, capite truncatus eſt, poſtquam annis ſedecim regnaverat; quorum decem ante exauthorationem, ſex verò Regno reſtituto impleverat: ultimus Imperator, qui morte ſuâ Heraclii progeniem penitus exhauſit (*25).

An. 711.

(p) Theophan. p. 318.

Interitus Juſtiniani, & ſtirpis Heraclidarum.

(*25) Stemma Heraclidarum hìc pro meliore notitia ſubjungimus:





Hiſtoria de Regno Italiæ ſub Longobardis.

§. II. *Sub AGILULFO Hunni vaſtant Italiam; Romilda ob libidinem & proditionem perit. ADALOALDUS inſaniens exauthoratur. ARIOALDI Conjux Gundeberga duello probat ſuam innocentiam. ROTHARIS propagatum Regnum legibus firmat. RODOALDUS ob adulterium; GODEBERTUS per fraudem Garibaldi perimuntur. GRIMOALDI cum Francis, Conſtante Imperatore, & cum Hunnis bella. Alahis, in PERTHARITUM & CUNIBERTUM rebellis, duello perit. LUITBERTUM Regno exuit RAGUNBERTUS, cui ſuccedit ARIBERTUS filius, iterum ab ASPRANDO Regno ſpoliatus.*

Cæſarei inducias à Longobardis pecuniâ rediumunt.

An. 606.

1. PAcis fœdus, quod Gregorii Pontificis operâ Longobardos inter & Romanos ictum fuerat, regnante Phoca utcunque inviolatum ſtetit. Nam licèt à Longobardis quæſtûs causâ multoties rumperetur; ſuetis tamen, & in ſingulos annos repræſentatis induciarum emptionibus rurſus coaleſcebat (a). Inter hæc pacis qualiacunque ſtudia Italia ſuis calamitatibus non caruit; nam rem Romanam moderantibus Exarchis *Smaragdo*, & deinde *Lemigio* ejus ſucceſſore, annonæ inopia, aut aquarum illuvies, peſtilentéſque morbi mortalibus non parum incommodabant (b).

(a) Paulus Diac. L. IV. c. 33. 36. 42. Hermannus Contractus ad an. 606.

(b) Sigonius de Regno Italiæ L. 2.

An. 615.

Cacani Hunnorum Principis irruptio in Italiam.

2. Hic ſtatus rerum in Italia ad annum DCXV. fuit; eâ quippe tempeſtate Cacanus Hunnorum ſtirpe natus adoleſcens, prædandi cupiditate illectus, è Pannonia in Forojulienſem Ducatum ſuas tumultuariè adduxit copias: Giſulfus (penes quem Provinciæ ſumma erat) nihil omiſit, quo hoſtem reprimeret (c); at fortunâ virtutem Ducis deſerente, infeliciùs Barbaris inferebat ſigna; à quibus proinde circumventus, internecionem adivit.

(c) Paulus Diac. L. IV. c. 38.

vit (d). Hunni Victores agros depopulati, Forojulio (quorsum cum filiis Gisulfi uxor se receperat) admovent vim; sed tardior obsidionis mora spem expugnandæ urbis profligâsset, nisi unius fœminæ libido Metropolim in hostiles tradidisset manus. Romilda (hoc enim Gisulfi uxori nomen) è mœnibus Cacanum conspicata, repentè insano Barbari amore corripitur: ad Ducem itaque missis nunciis, significat, urbem citra negotium in ejus potestatem propediem traditum iri, siquidem sibi in proditionis præmium nuptias, consortiúmque thori promitteret (e). Accepit conditionem Barbarus, non tamen eâ fide, quâ Romilda speraverat; Cacanus namque intra mœnia receptus, unâ nocte mulierem in modum uxoris habuit, tum repudiatam, & Hunnorum abusibus fœdè projectam tandem palo suffixit (f). Infami morte ubi Romilda libidinis insanæ pœnas dederat; urbs flammis incensa est: Longobardi compacti in vincula, paulò pòst ferro concidendi. Ex cruenta tempestate prolibus Gisulfi ferè solis eluctari licuit; nam filiis fugâ citatâ dilapsis, filiæ etiam inter Hunnorum manus relictæ, nec pudoris, nec vitæ jacturam passæ sunt, Virginitatis studio, quo eximiæ fuerant, Barbarorum furorem æquè, ac libidinem comprimente (g).

(d) Aimoinus L. IV. c. 5. Sigebertus Gemblac. ad an. 616. Hermann. Contract. ad an. 613.

Romildæ libido, proditio & interitus.

(e) Paulus Diac. 1 c. Aimoin. l. c.

(f) Aimoin. L. IV. c. 5.

Filiabus Romildæ parcitur.

(g) Paulus Diac. L. IV. c. 38.

3. Turbine hoc discusso, Ravennæ tumultuatum est: *Joannis* nimirum Exarchi immoderatio cives in arma exciverat, qui rebellium more convolantes, & in palatium impetu facto Joannem unà cum Judicibus trucidârunt (h). Non minor procella eodem tempore Campaniam turbavit: Joannes ejusdem nominis, libidine ambitionis incensus, Neapolis Dominatum invaserat; cujus facinoris rumor Heraclium Cæsarem induxit, ut *Eleutherium* Exarchum Italicis rebus præficeret. Confusam is seditione Italiam ingressus, alias ex aliis calamitates aggeri vidit, quas cùm non tantùm humana malitia, sed & lues fœdissima quotidie cumularet; AGILULFUS Rex Longobardorum calamitosi sui Regni & vitæ finem fecit, postquam quinque supra viginti annos regnaverat (i). Sunt, qui eundem scribant, primum fuisse, qui Theodelindæ conjugis studio ad Catholica Sacra

An. 615.

(h) Sigon. l. 2. de R. It.

Seditiosorum motus Ravennæ & Neapoli.

Eleutherius Exarchus.

Mors Agilulfi Regis.

(i) Paulus Diac. L. IV. c. 43.

cra (*1) transierit; Ecclesias certè & Monasteria ab ipso multarum facultatum incrementa accepisse, nemo negaverit (*2).

An. 616.

4. Utprimùm Agilulfus excesserat è vivis; ADALOALDUS filius (quem Pater jam circa annum DCV. (k) Regni consortem dixerat) solus Principatum tenuit. Ad laudem non vulgarem Regis erat, quòd Catholicus Catholicæ pietati non parvis adminiculis suffragatus, felicia primordia Regni auspicari crederetur (l). Sub idem tempus Eleutherius Exarchus Ravennam petebat, ultor eorum futurus, quæ cives in Joannem Antecessorem peccâssent (m). Seditionis authoribus capitali supplicio affectis, Neapoli discessum est, ad alterius Joannis tyrannidem comprimendam. Cives, qui sub hujus jugum jam transierant, venienti Eleutherio occlusêre portas, in fidem Cæsaris neutiquam revocandi, nisi Exarchi vis potentior urbem obstinatam ad deditionem compulisset; rebellionis crimen quia ejus tantùm sanguine, qui plurimùm peccaverat, expiatum est, victoria ista, non uti in cæteris bellis civilibus solet, funesta, nec adeo cruenta fuit (n). Hæc rerum gestarum gloria Eleutherium ita inflaverat, ut, quod tyrannidis scelus in alio ultus erat, eodem se ipsum obstringere haud vereretur. Ravennam quippe reversus, animo ad invadendum Italiæ Dominatum intento, exercitûs sui vota mercari cœpit: muneribus inclinatus miles Eleutherium jam salutabat Regem, tum is successu rerum lætior, cum suis Romam movet, ibidem insignia Regia accepturus (o). Verùm ubi Luceo-

(k) Pagius in Critic. ad an. 605. n. 2.

(l) Bullar. Cassin. T. II

Paul. Diac. L. IV. c. 43.

(m) Anastas. in V. P. *Deus dedit.*

Adaloaldus Rex Longob.

(n) Id. l. c. Sigon. de R. Ital. l. 2.

An. 617.

Eleutherius Tyrannus occiditur.

(o) Anastas. l. c.

(*1) Qui negant. Agilulfum Catholicum fuisse, adducunt GREGORII epistolam IV. Lib. XI: *Illud autem, quod vobis ab Agilulfo indicâstis scriptum, dilectionem vestram non moveat. Nam nos in hominem, qui non à Catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nullâ præbemus ratione consensum.* Item Monachi Benedictini in vita Gregorii Lib. II. c. 5. n. 4. citant epistolam S. Columbani ad Pontificem Bonifacium; unde inferri potest, Agilulfum anno 607. adhuc Arianum extitisse; *fertur enim dixisse* (scribit ab eo S. Columbanus) *si certum sciret, & ipse crederet.*

(*2) UGHELLIUS Italiæ sacræ Tom. IV. pag. 954. profert Diploma Agilulfi Regis, quod S. Columbano de construendo Bobiensi Monasterio dedit, idem legere licet in Bullario Cassin. Tom. II. p. 1. Multò illustrius monumentum posuit Agilulfi uxor Theodelinda, construendo in Modicia Basilicam S. Joannis Baptistæ, de qua PAULUS DIACONUS Lib. IV. c. 22. 23. Thesauros in hac Ecclesia inventos describit MABILLONIUS in Musæo Italico T. I. P. I. p. 210., & inter cæteras opes aurea corona ibi reperitur cum hac inscriptione: AGILULF GRAT. DI VIR GLOR REX TOTIUS ITAL. OFFERET STO JOHANNI BAPTISTE IN ECCL. MODICIA.

Luceolos deventum eſt; milites facti pœnitentes Exarchum in-
terficiunt, & perempti caput (utpote tyrannidis oppreſſæ mo-
numentum) Conſtantinopolim tranſmittunt (p). De Eleutherii (p) Sigon. loc. cit.
fato poſtquam Cæſar cognovit, *Iſaacium* res Italicas gerere ju- An. 618.
bet; à quo tempore per quinque annos Italia quievit. His ex- *Iſaacius*
actis, Longobardorum Regnum Euſebii fraude ferè convulſum *Exarchus.*
eſt: convenerat iſte legationis nomine Adaloaldum, & multa de An. 623.
fœderibus, déque cauſis Imperii graviſſimis locutus, in familia- *Adoloaldus*
ritatem Regis penè irrepſerat; tum liberiùs, & ſubinde maligniùs *deponitur.*
abuti Regiâ amicitiâ cœpit. Sive enim ſuum, ſive Imperatoris
Italiæ inſidiantis conſilium, juſsáque ſecutus, Adaloaldo à bal- An. 624.
neo exeunti potionem propinat (q), quâ infatuatus Rex, Euſe- (q) Sigon. l. 2.
bio impellente, Primores è medio ſuſtulit, majorem daturus Conferatur
carnificinam, niſi Longobardi fraudem ſubodorati, in locum Fredegarius
inſanientis Principis ARIVALDUM ſuffeciſſent (*3). Diverſis in Chron. c 49
animorum motibus res agebatur; dum ii, qui Catholica Sacra *Arivaldus*
ſequebantur, Hæreticum, quíque Arium oleret, ſibi imponi *Rex Longobardorum.*
paterentur. Prævalentibus tandem Tranſpadanorum, ſive illo-
rum, quos factio Arivaldo addixerat, ſtudiis creatus Rex ſpem
ſuorum (ſi Eccleſiæ, Religionísque cauſas excipias) minimè fe-
fellit (r); res enim publica, hoc regnante, altâ fruebatur pace, (r) Sigon.
nec Annales de alia, quàm quæ privatam Regis domum ſuccuſ- loc. cit.
ſit, turbatione memoriam faciunt. Adalulfus quidam ſummo *Adalulfus*
inter Longobardos loco natus, cùm Reginam Gundebergam de *Gundebergam Reginam in ſcelus pertrahere conatur.*

(*3) Hiſtorici nec in modo, quo Adaloaldus infatuatus ſit, nec in annis ejus Regni conveniunt. HERMANNUS CONTRACTUS ad annum DCXXII, & FREDEGARIUS in Chron. c 49. ajunt, Adaloaldum unguento malefico in deliria præcipitatum eſſe; contra SIGONIUS Lib. II de Regno Italiæ id adſcribit potioni exhauſtæ. Præterea PAULUS DIACONUS Lib. IV. c. 43. Adaloaldum dicit cum matre regnâſſe annis decem, & Arivaldo adſcribit annos duodecim, HERMANNUS CONTRACTUS ſeptem annos numerat Arivaldi; at SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum DCXVII., omiſſo planè Arivaldo, quaſi illegitimo Rege, hæc verba notat: *Agilulfo Longobardorum Rege mortuo, Adaloaldus filius ejus regnavit annis tredecim.* Magna inde inter Criticos oritur controverſia, an Paulo Diacono, an verò Sigeberto adſtipulari conveniat; PAGIUS in Critica Baronii ad annum DCXXVI. §. 7. &c Sigeberti ſententiam amplectitur, rejicítque Paulum Diaconum, eoquòd is ipſe fateatur, ſe nullam ferè notitiam de Arivaldo habuiſſe; his alias rationes ſubjungit, quas loco citato vide. Huic exadverſo alii obluctantur, & Paulum Diaconum antehabent Sigeberto, de quo conſule Bünavium in Hiſtoria German. Imperatorum & Imperii Part. III. pag. 558.

ſtupro nequicquam interpellâſſet, repulſam injuriæ loco habens, ac ſimul proditi criminis pœnas veritus, alio ſcelere ſcelus obtegere præſumit: Arivaldo nimirum de fide conjugis ſuſpicionem dolosè injecturus, criminabatur, hanc cum Tatone Hetruriæ Duce complexibus nefandis diu conjunctam id nunc meditari, ut Rege ſublato, adulterum in Regium thorum, ſoliúmque adſciſcat (s). Rex (utì Magnatum faſtidia delicata ſunt) in furorem accenſus, quin Gundebergam audiret, in carcerem abripi jubet: illinc ubi per tres annos jam latuerat; Clotharius Rex Francorum miſellæ calamitate motus, Reginam legatione miſsâ reddi libertati poſcit. Verùm altiùs in mentem Arivaldi vulnus deſcenderat, quàm ut tam citò ſanaretur: experimento igitur ſingularis pugnæ controverſiam pro more Gentis dirimere placuit (t), eâ certaturis impoſitâ lege, ut, penes quem victoria ſtaret, innocens; qui ſuccumberet, reus cenſeretur (†). Conditione admiſsâ, Pitto quidam vicario nomine pro Regina in arenam deſcendit, & cum Adalulfo congreſſus, accuſatorem eundem fundit humi; quo in terram defluente, cùm à veritate victoria ſtaret, Arivaldus quoque victus, Reginam innocentem è cuſtodia in antiquum gratiæ locum eduxit.

(s) Fredegarius in Chronic. c. 51. Aimoinus L. IV. c. 10.

Gandeberga Regina adulterii inſimulata, innocentiam per duellum probat.

(†) REFLEXIO III.

(t) Paulus Diac. L. IV. c. 49. Fredegar. loc. cit. Aimoinus loc. cit.

5. *Gundebergæ* reſtitutæ idem, qui olim Theodelindæ, honos habitus eſt; Arivaldo enim extincto, ſuperſtes optionem à Longobardorum Gente oblatam accepit (u), ut, in quem conjugalem fidem, in hunc dignitatem ſimul Regiam transferendi poteſtatem haberet. ROTHARIUM illa Harodum genere oriundum, virum (*4) ſtrenuum quidem, ſed Arianum delegit (x), qui ad Regni ſui exordia factis quibusdam illuſtranda, Longobardorum fines proferre aggreſſus eſt. Duæ adhucdum in

Rotharis Rex Longobard.

(u) Herm. Contract. ad an. 634. Fredegar. c. 70. 71.

An. 629.

(x) Paulus Diac. L. IV. c. 44.

(*4) FREDEGARIUS in Chron.: *Gundeberga Regina, eoquòd omnes Longobardi eidem fidem cum ſacramentis firmaverant, Chrotarium quendam, unum ex Ducibus de territorio Brixiæ, ad ſe venire præcipit, eum compellens, ut uxorem, quam habebat, relinqueret, & eam matrimonio acciperet* &c. Conferatur hìc Lex Grimoaldi ſexta, quæ ita habet apud Murator. Script. Ital. Tom. I. P. II. pag. 50.: *Si quis uxorem ſuam abſque culpa legitima poſtpoſuerit, & aliam in domum ſuper eam duxerit, componat ſolidos* 500.; *medium Regi, & medium Parentibus mulieris, quam poſtpoſuerit. Mundum verò mulieris ejusdem, quam poſuerit, amittat. Et ſi voluerit ad maritum ſuum reverti, revertatur ad Parentes ſuos cum rebus ſuis & Mundo.*

in citeriore Italia Provinciæ, Alpes ſcilicet Cottiæ & Opitergium in Cæſaris dominatu ac fide ſtabant: Regionum harum ſpe illectus Rotharis, Alpes primùm infeſtat; dein terrore belli in Venetiam translato, Opitergium cum omnibus oppidis Tarviſium uſque in deditionem cogit (y). Exarchus cùm Longobardorum exercitum ſequi, haud tutum duceret; ad cohibendum ſaltem victoriarum curſum in hoſtiles terras Romanum infundit militem. Tum enimverò Rotharis domeſticâ calamitate preſſus, receptui canere, &, quàm celerrimè poterat, Cæſareis copiis ſe objicere feſtinabat. Ad Scultemnam (amnem Mutinenſem) confligitur, eventu Romanis infelici; nam ubi exarſerat prælium, octo millibus Romanorum cæſis (z), cæteri in fugam ejecti ſunt. Exarcho ſatìs attenuato nec pugnare ampliùs, nec Longobardis, cruentâ victoriâ non minùs acciſis, inſiſtere cœpto animus erat: quod pacis ſtudium utriſque uſque ad Luitprandi tempora ſacrum fuit (a).

Rotharis profert Regni fines.

(y) Paulus Diac. L. IV. c. 47. Fredegar. c. 71.

(z) Herm. Contract. ad an. 637.

(a) Sigon. de R. It. L. 2.

6. Romani externo bello vacui inde cum turbis domeſticis conflictati ſunt: Mauritius Chartularius circa annum DCXL. prædæ avidus, Iſaacio Exarcho author fuerat (b), ut ſecum ſacrilegas ſociaret manus, ad opulentum theſaurum Eccleſiæ Lateranenſis diripiendum. Vis ubi, Clericis pugnantibus, parum profecerat; dolo res tandem peracta eſt. Mauritius quippe alia quædam, quæ ad Eccleſiæ bonum forent, mentitus, ſe in ſacrarium admitti curat; tum Gazophylacio, ne quid Clerici ſubducerent, obſignato, Iſaacium accerſit ad prædam. Unus adhuc direpturos metus angebat, ne Clerus Romanus rurſus molitionibus intercederet: hujus igitur Præcipui in exilium confictis cauſis exigebantur; quo facto, Iſaacius opes Eccleſiæ, quos Imperatorum, aliorúmque piorum liberalitas S. Petro pro ſalute animarum, tum ad pauperes ſublevandos, redimendóſque captivos obtulerat, rapaciſſimâ manu ſimul templi ſeptis, totâque Româ Ravennam exportavit (c). Quos cupiditas ſacrilega in communionem ſceleris arctè conjunxerat, hos ſubinde ſimultas longiſſimè diviſit; Mauritius namque ſeu forte ſuâ non contentus, ſeu fato hominem ad interitum inclinante ductus, adversùs Iſaacium rebelles concitat milites, atque eos ipſos, qui ad expilandam

An. 640.

(b) Anaſtaſ. in V. Pontif. Severini.

Direptio Eccleſiæ Lateranenſis.

(c) Anaſtaſ. loc. cit. Baron. in Annal. ad an. 638. n. 7. 8. 9.

An. 643.

Mauritius Chartularius rebellat.

landam Ecclesiam subsidio fuêre. Isaacius Exarchus, ne tumultui vires daret, continuò Sacellarium Romam mittit, ac proficiscenti injungit, ut nihil omittat, quo miles à Mauritii partibus reducatur. Sacellarius probè jussa executus, Mauritium copiis exutum eò compulit, ut ad ipsam, quam paulò antè spoliaverat, Ecclesiam æquè divitiis, atque auxilio nudus profugeret (d); retractus tamen vi, Ravennâmque inter vincula deductus, antequam propinquaret urbi, capite plectitur, quod hastili præfixum ad terrorem aliorum aut ludibrium deinceps in Circo exponebatur. Prædo unus postquam sacrilegii sui pœnas dederat; Isaacio alteri divina dextera subitam irrogavit necem (e): repentinâ namque morte sublatus, successorem *Platonem* habuit. Hoc res Romanas in Italia moderante, Rotharis Regnum suum legibus excolere instituit; septuagesimum namque sextum (*5) annum à primo in Italiam ingressu Longobardorum Gens agebat, quin scriptarum legum usum sibi cognitum aut familiarem haberet: Rotharis igitur eatenus populo suo prospecturus, omnia scita collegit, ac multis decretis aucta in tabulas *Edicti* nomine compellatas retulit (†); quo simul labore, simul & vitâ functus est, postquam Regnum tenuisset annos sedecim, menses quatuor (f).

(d) Anastas. in V. Theodori Papæ.
Mauritii funestus exitus.
(e) Idem l.c. Baronius ad an. 643. n. 5.
(†) REFLEXIO IV.
An. 646.
(f) Paulus Diac. L. IX. c. 48.

7. Patris elato funere, RODOALDUS filius fasces sortitus est (g). Pacis amans dum erat, à bello abstinuit; patriâ tamen, sive Arianâ perfidiâ pollutus, cum Catholicis Episcopis belligerare, ínque eos infesto pugnare animo non cessabat (h). Anno DCXLIX. Platon Exarchus Constantinopolim remeare jussus, successorem nactus est Olympium (i): huic Imperator abeunti demandâsse fertur, ut *Typum* Romæ, ac in Italia recipi summis studiis curaret. Tentatis ille frustra Episcopis, populo atque exercitu, Martino Pontifici (velut adversantium Capiti) intentat necem, à qua, divinâ vi prohibente, cùm incolumis Papa evasisset, in Olympium exitialis ultio rediit (k); Saracenis enim Siculas terras depopulantibus, ipse internecinam cladem passus, morbo

(g) Idem c. 49.
Rodoaldus Rex Longob.
An. 649.
(h) Sigon. l. 2.
(i) Anastas. in V. Martini Papæ.
An. 650.
Olympii Exarchi conatus contra Pontificem.
(k) Anastas. apud Baron. ad an. 649. n. 51.

(*5) WARNEFRIDUS ita habet: *Erat autem jam, ex quo Longobardi in Italiam venerant, annus septuagesimus septimus.* Sed Muratorius in MS. ex Bibliotheca Estensi desumpto legit, *annus septuagesimus sextus.*

morbo interiit. Regnaverat jam (*6) in ſextum annum Rodoaldus, tum ab obſcuri nominis ſubdito, cujus uxori Rex vim intulerat, interemptus vivere deſiit (l). ARIBERTO poſt hæc Regnum delatum eſt (*7), qui ne Catholicis favere poſſet, Theodorus Calliopas Exarchus, & cauſarum iniquus arbiter, Pontificem captivum Conſtantinopolim deduxit (m), ubi carceris, vinculorúmque diritate exhauſtus, in Cherſonam traducitur, in exilio pretioſam animam poſiturus.

An. 651.

(l) Paulus Diac. L. IV. c. 50.

Aribertus Rex Longob.

(m) Epiſt. 9. Martini ad Theodorum.

An. 655.

8. Inter tot turbas Imperii & Eccleſiæ novem annis res Longobardorum pacatæ fuêre; quo temporis intervallo elapſo, huic non minùs Regno tempeſtas imminebat: Ariberto anno DCLXI. defuncto, GODEBERTUS & PERTHARITUS ejusdem filii Principatum inter ſe partiti (n), Regnum hâc ratione diviſum domeſticis inſuper diſcordiis peſſumdedêre (o). Godebertus enim ſuâ portione haud contentus, cum fratre de Regno contendere; atque ut æmulum fratrem planè Dominatu dejiceret (p), Grimoaldi Beneventani Ducis petere auxilia ſtatuit: eo conſilio Beneventum mittit Garibaldum Taurinatium Præfectum, nempe ut Godeberti nomine Grimoaldo (ſiquidem is in ſocietatem armorum ire cum Godeberto vellet) pro præmio Regiæ ſororis condiceret nuptias. Garibaldus magìs in illius, ad quem mittebatur, quàm in ejus, à quo miſſus fuerat, commodum intentus, Grimoaldo author erat, ut auxilii ferendi ſpecie Regnum fraternis diſſenſionibus debilitatum tertiâ veluti manu præriperet (q). Hâc ſpe imbutus Grimoaldus, ſubitò colligit copias, quas cùm Placentiam jam deductum iret; Garibaldum præmittit,

(n) Paulus Diac. L. IV. c. 53.

An. 661.

Godebertus & Pertharitus Reges.

(o) Sigebertus Gemblac. ad an. 660.

(p) Herm. Contract. ad annum cit.

(q) Paulus Diac. L. IV. c. 53.

Fraus Garibaldi.

(*6) Chronologia Regum Longobardorum valde hìc perturbata deprehenditur; nam ex Pauli Diaconi ſerie inſtituta ſequitur, Grimoaldum cœpiſſe regnare anno 667., cujus tamen initium ultra 663. proferendum non eſt. Aliqui errores correcturi Regem Aribertum omisêre, alii Regum annos ad minorem numerum redegerunt; PAGIUS etiam non parum in Chronologia hac reſtituenda deſudavit in Critic. Baron. ad annum 763., item MABILLONIUS Chronol. præmiſs. Tom. II. Act. SS. Ord. Bened. p. 50. Vide hìc Bünavium P. III. pag. 567.

(*7) PAULUS DIACONUS Lib. IV. c. 50.: *Huic* (Rodoaldo) *ſucceſſit in Regni regimine Aribertus, filius Gundualdi, qui fuerat Germanus Theudelindæ Reginæ. Hic condidit apud Ticinum Oraculum Domini Salvatoris, quod extra portam Occidentalem (quæ dicitur Marenca) ſitum eſt, quod ornamentis variis decoravit, & ſubſtantiis ſufficienter ditavit.*

tit, qui Regi ſuum adventum nunciet. Garibaldus ubi ad Godebertum redierat, ab eodem conſulitur, quâ demum ratione ſororis ſuæ futurum ſponſum, ſimúlque fœderatum Grimoaldum excipere deceret? Tum Garibaldus coactâ in dolum fronte ſuadet, è dignitate Regis fore, ſi Grimoaldo intra Regiam locum daret: cæterùm, ſi de Ducis fide addubitaret, ad providentiam Principis pertinere, ut non aliter ac loricâ ſub veſtibus indutus, Duci occurreret. Vix iſta Garibaldus Godeberto ſuggeſſerat; tum ad Grimoaldum pergit, fabulam, cujus telam cœperat, pertexturus: eam in rem Duci mentiebatur, eidem à Godeberto ſtrui inſidias, quas ut exequeretur, Regem occidendi ipſius causâ cum lorica adfuturum. Grimoaldus falſa locuto credidit, ac in Regia receptus, poſtquam inter mutuos amplexus re ipsâ cognoverat, Godebertum loricâ muniri, id ad cædem ſuî pertinere ratus, quo occuparet facinus, Regi in viſcera lethale ferrum demergit (r). Pertharitus ad monſtra rerum exterritus, Mediolano, ubi regnaverat, ad Hunnos, uxore, filióque relictis, fugit (s).

Godeberti Regis cædes.

An. 662.

(r) Paulus Diac. l. c. Sigebertus Gemblac. ad an. 661.

(s) Herm. Contract. ad an. 660.

9. GRIMOALDUM fuga ejuſmodi non vano metu ſuſpenſum tenuit; quare, ut Pertharitum retraheret, Legatis ad Cacanum miſſis Hunnorum Regi teſtabatur (t): ni protinus finibus ſuis transfugam ejiceret, ſibi cum ejus Gente pacem eſſe haud poſſe. Pertharitus rebus deſperatis, ac deſertus ab omnibus, ſolius Grimoaldi benignitati confidendum putavit; quâ fiduciâ in hoſtem conceptâ, ita Grimoaldi emovit animum, ut roganti vitam, veniámque cum quadam etiam honoris ſignificatione donaret. Nec brevi tempore inter duos amicum ſtetiſſet fœdus, niſi timida regnandi ambitio Grimoaldum novis ſuſpicionibus concitâſſet: confluente ſcilicet ingenti ad ſalutandum Pertharitum Papienſium numero, Grimoaldus timebat, ne in medio Regno Principatûs inviſum competitorem aleret; ad has igitur anxias curas levandas, proximâ nocte Pertharitum per diſpoſitos ad facinus Sicarios interfici imperat (u): at hic cognitis inſidiis, captatâ fugâ in Franciam dilabitur. Rex Francorum miſeri calamitate permotus, inſequente anno adversùs Grimoaldum numeroſum ducit exercitum (x): multitudini tantæ impar Grimoaldus,

Grimoaldus Rex Longob.

(t) Paulus Diac. L. V. c. 2.

Pertharitus in gratiam recipitur.

(u) Herm. Contract. ad an. 661. Paul. Diac. L. V. c. 3.

Idem inſidias Grimoaldi evadit.

(x) Id. c. 5.

dus, quod viribus non licebat, periculum arte propulſabat. A medio quippe prælio, quod cum hoſte ad ſpeciem cœperat, ſubitò ſe proripiens, ex compoſito caſtra vino referta relinquit, ratus, nunquam leviùs Francos debellatum iri, quàm cùm opimâ prædâ & intemperantiâ gravarentur. Neque aliter, ac putaverat, evenit: Franci enim hoſte, quem trepidum, victúmque exiſtimabant, vel omiſſo, vel contempto, ſe in relictas ab hoſte dapes effundunt; mox diſtenta cibis corpora componunt ſomno: experrectus ad hæc, vigílque Grimoaldus ſtabat, tum in ſopitos, vinóque merſos invectus, tantam ſpargit cædem, ut ex Francis pauciſſimi ſupereſſent, cladis cruentæ nuncii futuri (*8).

Franci Perthariti cauſam ſuſcipiunt.

An. 663.

Francorum cædes internecina.

10. Non minore diſcrimine à Longobardis contra Conſtantem Imperatorem ſubinde res peracta eſt (y): venerat is cum claſſe in Italas terras, domeſticarum, quas in Oriente paſſus fuerat, turbarum ſatur (*9); profectionis tamen cauſam ne palàm ederet, contra Grimoaldum belli gerens ſpeciem, Beneventum obſidione cingit (z). Præerat huic Metropoli Romualdus Grimoaldi filius, qui, utprimùm ſe à Græcis peti ſenſit, miſſis celeriter nunciis, Patris opem implorat. Grimoaldus de filii ſalute ſollicitus, è veſtigio Beneventum contendit: ac ne interea animum Romualdus deſponderet, Jeſualdum præire jubet, qui auxiliorum ſpe præſidiarios confirmet (a). Nuncius per occulta licèt itinera eniteretur; interceptus tamen & confeſſus, quid in mandatis haberet, interpoſito mortis metu adigitur, ut ad infringendam Romualdi conſtantiam filio teſtaretur, Patrem laboranti in ſubſidium venire non poſſe. Inter has minas, intérque hæc imperioſa juſſa Jeſualdus mœnibus Beneventi adducitur: verùm ille turpe eſſe ratus, Regi ſuo fallere fidem, elatâ voce Romualdo obſeſſo, & è muris proſpectanti addebat animos, Gri-

(y) Paulus Diac. L. V. c. 32.

Bellum Longobardorum cum Conſtante Imp.

(z) Herm. Contract. ad an. 662.

Conſtans obſidet Beneventum.

(a) Sigon. l. 2.

Jeſualdi in Regem ſuum inſignis fides.

(*8) PAULUS DIACONUS Lib. V. cap. 5. poſtquam cædem Francici exercitûs enarrâſſet, de loco conflictûs addit: *Qui locus, ubi hoc geſtum eſt prælium, Francorum uſque hodie Rivus appellatur, nec longe diſtat ab Aſtenſis civitatis mœnibus.*

(*9) De terriculamentis & angoribus, quos Conſtantinopoli paſſus fuerat *Conſtans* poſt cædem fratris ſui, ſupra dictum eſt in §. I.

Grimoaldum (inquiens) magnis itineribus accurrere, ut urbem, filiúmque periculo liberaret. Dicta haud exſpectata Jeſualdi adeo exacerbabant Cæſarem, ut hominis caput confeſtim à cervicibus abſciſſum per Lithobolon in urbem projici mandaret. Inde metu propinquantis exercitûs ſoluta obſidio eſt: nec Imperator aliud poſtea facinus ſuſcepit, quàm quòd Romam ſuis opibus exſpoliaverit (*10).

Beneventanæ obſidionis ſolutio.

11. Dum hæc felici omine agebat Grimoaldus; parum aberat, quin Longobardi in mutuas cædes armarentur. Lupus Dux Forojulienſis (b) ob criminum conſcientiam in ſeditioſum bellum jam proruperat (c); tum Grimoaldus rebellem domiturus, non ſuas, ſed Hunnorum copias in Ducem immiſit, indignum exiſtimans, ſiquidem eodem Longobardorum ſanguine nati, ſe ipſos conficerent (d). Cacanus Hunnorum Princeps ubi armis proterviam hominis caſtigaverat; veluti conditione fœderis impletâ, in ſuas terras recedere jubebatur: at ille nec ſibi, nec Genti ſuæ integrum fore reponebat, ſi Forojulium, ſi vicinos agros, quos ſuorum ſanguine partos teneret, tam temerè projiceret (e). Reſponſo Barbari licèt aduſtus Rex, virium ſatis non habebat, quibus juſſa urgeret: itaque ad artem converſus, inſpectantibus Cacani Legatis, ſuas hoc modo recenſuit copias; ſpeciem nimirum majoris, ac erat, numeri facturus, milites eosdem aliis atque aliis veſtibus indutos ſæpiùs ſuccedere in ordinem, atque in album nomina multiplicata referri fecit: quo dolo cùm ſumma multoties augeretur, Hunnorum Oratores trepidi

(b) Paulus Diac. L. V. c. 17.
(c) Id. c. 18.
Inteſtinum bellum inter Longobardos oritur;
(d) Id c. 19.
An. 664.
Ab Hunnis comprimitur.
(e) Id. c. 20.

(*10) PAULUS DIACONUS Lib V. c. 11.: *Conſtans Auguſtus, cùm nihil ſe contra Longobardos geſſiſſe conſpiceret, omnes ſævitiæ ſuæ minas contra ſuos, hoc eſt, Romanos retorſit. Nam egreſſus Neapoli, Romam perrexit. Cui ſexto ab urbe milliario Vitalianus Papa cum Sacerdotibus & Romano populo occurrit. Qui Auguſtus cùm ad B. Petri limina perveniſſet, obtulit ei pallium auro textum, & manens apud Romanos diebus duodecim, omnia, quæ fuerant antiquitus inſtituta ex ære, in ornamentum civitatis depoſuit, in tantum, ut etiam Baſilicam B. Mariæ (quæ aliquando Pantheon vocabatur, & conditum fuerat in honorem omnium Deorum, & jam ibi per conceſſionem ſuperiorum Principum, locus erat omnium Martyrum) diſcooperiret, tegulásque æreas exinde auferret, eásque ſimul cum aliis omnibus ornamentis Conſtantinopolim tranſmitteret..... Sed & alia multa & inaudita illarum Regionum populi ſunt perpeſſi, ut nulli ſpes vitæ remaneret. Nam & vaſa & cimelia ſanctarum Deo Eccleſiarum Imperiali juſſu, & Græcorum avaritiâ ſublata ſunt.* Vide etiam ANASTASIUM *in vita Vitaliani PP.*

pidi Cacanum monebant, ne cum numerosissimo exercitu decernere, aut summo periculo minores vires longè majoribus objicere præsumeret (f). Hoc metu vano in Patriam Hunni recesserè, & pace restitutâ, opportunum deinceps Grimoaldo tempus fuit, jura, legésque Longobardis describendi (g). Post sanctiones bene multas luci datas Grimoaldus tribus annis adhuc vivus superfuit, quibus exactis, mortalitate suâ functus (*11), GARIBALDO filio, ac ferè puero reliquit Regnum (h).

12. Infantia Regis cùm minimè sufficeret ferendo oneri; tertio mense vix evoluto, Principatus in PERTHARITUM translatus est. Consederat hic diu exul in Gallia sub Francorum præsidio: ast agente Grimoaldo, è Francia quoque depulsus, in Angliam cogitabat. Jam ex portu in altum solverat; tum divino veluti nuncio revocatus, ac reflectens vela, ad Alpium claustra contendit (*12): illinc magnâ Longobardorum consensione in Regem acceptus, Catholicâ, quâ valebat, fide Rempublicam excolere exorsus est. Octavum annum Regni sui jam emensus, CUNIBERTUM filium in potestatis consortium admisit (i), quo successore jam firmatus Pater, hostes, factiosósque continebat. Non diu tamen ista Italiæ tranquillitas stetit; nam ALAHIS Dux Tridentinus Perthariti Dominatum aspernatus, media conquirebat, quibus in Regiam Dignitatem eluctari posset (k). Petharito non minor cura erat, tempestivè mederi malo, ac licentiam

(f) Id. c. 28.
An. 665.
Hunni dolo coguntur ex Italia recedere in Patriam.
An. 668.
Legibus Longobardorum alias addit Grimoaldus.
An. 671.
(g) Vide Muratorii T. I. P. II. p. 49.
(h) Paulus Diac. loc. cit. c. 33.
Garibaldi breve regnum.
Pertharitus eligitur Rex Longobardorum.
Filium Regni Collegam creat.
An. 678.
(i) Paulus Diac L. V. c. 35.
An. 687.
(k) Id. c. 36.
Alahis rebellat contra Regem suum.

(*11) PAULUS DIACONUS Lib. V. cap. 33: *At verò Grimoaldus cùm nono die post phlebotomiam in suo palatio constitutus, accepto arcu columbam sagittâ percutere nisus esset, ejus brachii vena dirupta est. Cui (ùt ferunt Medici) venenata medicamina supponentes, eum ab hac funditùs privaverunt luce.*

(*12) PAULUS DIACONUS Lib. V. cap. 33.: *Pertharitus egressus de Gallia, navem ascendit, ut ad Britanniam Insulam ad Regnum Saxonum transmearet; cúmque jam aliquantùm per pelagus navigâsset, vox à littore audita est, inquirentis, utrùm Pertharitus in eadem nave consisteret? Cùm responsum esset, quòd Pertharitus ibi esset; ille, qui clamabat, subjunxit: Dicite illi, revertatur in Patriam suam; quia tertia dies est hodie, quòd Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quo audito, Pertharitus statim post se reversus est, veniénsque ad littus, invenire personam non potuit, quæ ei de Grimoaldi morte nunciavit. Unde arbitratus est, non hunc hominem, sed divinum nuncium fuisse. Exindéque ad Patriam rediens, cùm ad claustra Italiæ venisset, jam ibi omnia obsequia Palatina, omnémque Regiam dignitatem cum magna Longobardorum multitudine præparatam esse reperit. Exinde itaque Pertharitus Ticinum reversus, exturbato Garibaldo puerulo, mense tertio post mortem Grimoaldi in Regnum levatus est.*

centiam penè volitantem comprimere: eam in rem Tridenti mœnibus obſidione clauſis, rebellem non aliter, ac carcere quodam conſtringit; verùm Alahis improviſo impetu erumpens, obſidentium invadit caſtra, datâque ſtrage Regem cum ſuis in probroſam compellit fugam. Haud impunè tuliſſet hoc ſcelus homo contumax; niſi Cunibertus Parenti pro Alahi ſupplex, & in hoſtem adeo amicus fuiſſet, ut eum, qui pœnas meruerat, Ducatu Brixienſi ornandum curârit. His benefactis dum ferocem virum ſubigere Cunibertus parabat; filium ſæpè Pertharitus interpellare auditus eſt, ne mulcere Leonem, ac Viperam ſinu alere in ſuî exitium vellet. Quod Pater ſollicitè inculcaverat, præſagii potiùs, quàm moniti rationem habuiſſe, poſtea compertum eſt; nam anno DCLXXXVIII. Perthariτo defuncto (l), Alahis Dux adversùs Cunibertum hoſtilia machinatus, inteſtinis tumultibus omnia complevit.

Cuniberti in hoſtem ſuum eximius amor

Mors Pertha- riti, & ejus monita.

(l) Id. c. 37.

An. 688.

13. ALAHIS duobus Brixiæ civibus (quorum alteri Aldoni, alteri Grauſoni inditum nomen) familiariſſimè utebatur (m): horum opibus, ac potentiâ, quâ apud ſuos inſignes erant, Tyrannus Ticinum occupat, ac Cuniberto excluſo, arripit faſces. Regnum verò cùm non minore ſcelere, quàm quo invaſerat, gereret; ſubditorum amor, votáque in Cunibertum revixêre: quibus ut fieret ſatis, is, quem nemo putaverat, rem executus eſt. Aldo ſcilicet, uti Alahi olim amicus, ita nunc ob injuriam acceptam infeſtus (n), ſuadebat Regi, ut levandi animi causâ tantiſper ruri degeret. Urbe poſtquam perſuaſus Princeps exîerat; Cunibertus interea ex compoſito revocatus, Metropolis, dignitatíſque Regiæ poteſtatem recepit: quod ubi Alahis inaudiit, ſe deſertum, deceptúmque fremens, in Italiam ad inveſtiganda auxilia properabat: proficiſcenti per iter id fortunatum accidit, quòd varias in fidem ſuam urbes impelleret; quarum proinde auctus viribus, in Cunibertum movit. Certamine hic primùm ſingulari, ut ſanguini multorum parceretur, ſolus cum ſolo Alahi confligere parabat; tum Zeno quidam ore, habitúque Cuniberto ſimilis, quémque plures Diaconum fuiſſe ferunt (o), vicarium in pugna Regis officium ſe obiturum ſpondet, cauſatus, in vita Principis vitam omnium, tum præcipuè ſalutem Cleri verſari,

(m) Paulus Diac. L. V. c. 38.

Alahis novum bellum molitur contra Cunibertum.

An. 690.

(n) Id. c. 39.

An. 692.

Singulare certamen.

(o) Id. c. 40.

ſari, itáque è re publica fore ajebat, ſi privatus prodiret in aciem; quo cadente, Rex ſuperſtes proſtratam ſortem reſuſcitare, aut redintegrare prælium poſſet. Alahis poſt hæc cum eo, quem Cunibertum credebat, congreditur, æmulúmque vincit. In occumbentis funere vix ſibi victor applauſerat; tum ſubitò patuit, non Regi, ſed Zenoni alteri necem allatam fuiſſe (p). Reſtaurato proinde prælio, Cunibertus jam ipſe certaminis conſors, dato in adverſarium impetu, eundem ſternit, eóque perempto, factioſorum exercitum agit in fugam. Cunibertus partum aut firmatum unius cæde Regnum tranquilliùs, ſanctiúsque tenuit ad annum DCC. (q), quo vivere, non tamen celebrari deſiit, hoc elogium apud Poſteros meritus, quòd inter Longobardos barbaros vir fuerit mirâ vitæ elegantiâ, ac morum ſuavitate ornatus, in bello audaciæ ſingularis, in Chriſtianis ſacris apprimè Catholicus, quæ laus ſuperiorum Regum pauciſſimis data eſt (r).

(p) Id. c. 41.
In duello perimitur Alahis à Cuniberto.
(q) Paulus Diac. L. VI. c. 17. Hermann. Contract. ad an. 700.
An. 700.
(r) Sigon. L. 2. de R. It.

14. Juſtis Cuniberto perſolutis, Regia hæreditas in filium LUITBERTUM tranſiit: infirma Regis ætas (nam pueritiæ annos necdum exceſſerat) haud permiſit, ut ſolus clavum teneret; quare Aſprandus delectus eſt, qui imbecillitatem Principis, ſimúlque Regnum Tutoris nomine moderaretur (s). Octo menſibus hæc gubernandi ratio ſtetit; tum RAGUNBERTUS Godeberti Regis olim filius, jámque Dux Taurinatium captabat tempus, quo Patrii Regni ſpem, & (ſi fata tuliſſent) Principatum ipſum armis ad ſe retraheret (t). Aſprando contrà obluctante, in agro Novarienſi de ſumma rerum acriter primò certatum eſt, tum prælii exitus Ragunberto victoriam, Regnúmque, ſed perbreve dedit; idem namque hoc ipſo anno è vivis ſublatus didicit, ab hoſtibus invictum, victorémque à morte vinci poſſe (u). ARIBERTUS defuncti filius ac hæres, quo ſecuritatem ſibi, Regnóque pareret, bellum Luitberto, ejúsque ſectatoribus moliri cœpit: apud Ticinum belli proinde alea altero, ſed Luitberto fatali jactu tentata eſt (x): fugatis quippe ejuſdem copiis, Rex puer ipſe captus, & paulò pòſt in balneo extinctus eſt; Aſprandus verò Dux militiæ, Tutórque Comacinam primò, deinde urgente armorum vi ad Theodebertum Bajoariorum Ducem ſeceſſit (y); Luitprandus haud gravatè hanc

Luitbertus Rex Longob.
(s) Sigebert Gemblac. ad an. 699.
Ragunberti rebellio.
An. 701.
(t) Paulus Diac. L. VI. c. 18.
Ragunberti breve Regnum
(u) Herm. Contract. ad an. 700.
Aribertus Rex Longob.
An. 702.
(x) Paulus Diac. L. VI. c. 19. 20.
(y) Id. c. 21.

Asprandus fugit in Bajuarium. (z) Id. c. 22. Hermann. Contract. ad an. 702. Sigebertus Gemblac. ad an. 701. An. 703.

hanc fugam tulit; quin probabat, ut filius, quem in potestate habebat, Patrem exulem sequeretur (z). Cæterùm in alios Asprandi propinquos multò atrociùs sævitum est; quam demum crudelitatem Rex ipse abominatus, prudenter, sanctéque Rempublicam gerere instituit. In Ecclesias, & in Romanam præcipuè munificus, multos eidem donavit fundos, atque Alpes Cottias à Rothari Rege ablatas restituit: cujus liberalitatis ut perpetuum extaret monumentum, Decretum suum aureis literis exaratum Pontifici transmisit (*13). Non minor illi fuit rerum civilium cura: sæpiùs per noctem mutato habitu lustrabat urbem, ut, quis de se, quis de Judicum industria apud subditos sermo, sententiáque foret, propiùs, veriùsque audiret: Legatis citra fastum, pompámque occurrere solitus, maximè cavebat, ne exteris Italiæ opes, deliciásque ostentaret; hæc quippe ajebat esse ambitionis, cupiditatúmque fomenta, quibus tum hostes in Patriam allicerentur, si quando Regni divitias magni facere, & demum etiam maligniùs appetere usu ipso didicissent (a).

Ariberti Religionis ac Reipublicæ studium. (a) Paulus Diac. L. VI. c. 35. Sigonius L. 2. de R. It.

15. His per novem ánnos feliciùs gestis, Asprandus cum suo filio ex Bajoaria armatus, multísque accinctus copiis, in Italiam rediit (b): Non impari numero, viribúsque venientem Aribertus excepit, quin prope Ticinum tam intrepidus pugnabat, ut alta nox stragem, certaménque diremerit. Aribertus (quanquam constabat, ab eo Bajoarios eo prælio fusos fuisse) non tamen in castra ùt victor, sed in urbem ùt victus aufugit. Hâc probrosâ fugâ cùm suis metum, hostibus audaciam injecisset; verecundo pudore coopertus, se oculis omnium eripere, & in Franciam abire cogitat (c): eo consilio immensam auri vim congerit; hócque onere gravis, clam ex Regia, urbéque discedit. Verùm per iter flumen trajecturus, trahente auri pondere, in aquarum voraginem depressus, indignâ morte occubuit. Ariberto humanis

Asprandus redit in Italiam. An. 712. (b) Paulus Diac. L. VI c. 35. Sigebertus Gemblac. ad an. 710. *Confligit cum Ariberto.* (c) Paulus Diac. l. c.

(*13) PAULUS DIACONUS Lib. VI. cap. 28.: *Hoc tempore Aribertus Rex Longobardorum donationem Patrimonii Alpium Gottiarum (quæ quondam ad jus pertinuerant Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ) restituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit.* Eadem habet ANASTASIUS in vita Joannis VII., & ADO VIENNENSIS Chron in Biblioth. Max. PP. T. XIV, p. 802. Conferatur HERMANNUS CONTRACTUS anno 707. edit. Canis.

manis rebus exempto, ASPRANDUS vacuum Regnum capessivit (d): Longobardis is sapientiæ suæ laude, ac vitæ cultioris officio spes magnas fecerat, quas tamen implere minimè potuit, præmaturâ morte post tertium Regni mensem è vivis raptus. Quantamcunque Gens jacturam in tanto Principe passa erat, illam nihilominùs cumulatè pensavit boni Patris optimus filius Luitprandus: hic enim Asprando virtute ac prudentiâ haud absimilis, & multis etiam partibus major, Regnum Longobardorum maximis postea incrementis adauxit (e).

Asprandus potitur Regno.

(d) Idem l. c.

Mortuo Asprando, succedit filius Luitprandus.

(e) Sigon. L. 2. de Regno Italiæ sub finem.



Historia de Regno Hispaniæ sub Visigothis.

§. III. *WITTERICUS Rex Visigothorum dat Theodorico Burgundiæ Regi filiam in uxorem, quæ repudiatur. GUNDEMARUS belligerat cum Francis. SISEBUTUS Romanos milites in Hispania superstites armis coërcet, Judæósque ad fidem cogit. CHINTILA dat Gothis leges. CHINDASVINTHUS & RECESVINTHUS filius Hispaniam religione ac literis excolunt. WAMBA ad Regnum suscipiendum coactus, Paulo Tyranno victo, veneno fractus induit Monachum. ERWIGII Statuta. EGICA ultor Wambæ, VITIZA astutus & crudelis.*

I. WITTERICUS, occiso Liuva Gothorum Rege, Gentis Dominatum adeptus, præmium sanè suo scelere indignum tulit (a). Hoc tamen crudele initium si excipias, cursum deinde rerum gerendarum instituit, ut, quem antea Parricidam Regis Gens oderat, Patrem Regni postea (b) veneraretur. A quo tempore Gothi maximam Hispaniæ partem Romanis ademerant, quosdam adhuc agros, urbes, ac Provinciarum lacinias in Hesperia Imperator servabat, quibus impositum Cæsaris præsidium, vel veteris potestatis facultates tuebatur: aut si qua opportunitas daretur, ad id in medio Regni sinu excubabat, ut universus Hispanorum Principatus jure postliminii ad Imperium Roma-

An. 604.

(a) Isidorus in Chron.

Wittericus Rex Visigothorum.

(b) Mariana l. 6. c. 2.

An. 606. *Romanorum præsidia ex Hispania profligare conatur.* (c) Mariana loc. cit. Isidorus in Chron. An. 670. *Filia Witterici desponsata Theodorico Burgundiæ Regi repudiatur.* (d) Jonas in vita S. Columbani c. 31.

Romanum revocaretur. Invisos ejusmodi hospites cùm Gothorum Reges non pauci profligare frustra laborâssent; Wittericus multò fortiùs rem aggressus, prope Celtiberos Cæsareum militem ita præliis coërcuit (c), ut Gothi reliquias Romanas brevì universâ Hispaniâ decessuras sperarent. Potentia Regis postquam adversùs intestinos hostes prævaluit; eò jam incumbebat, ut ad augendas vires externorum Regum fœdera requireret. Hoc consilio filiam Hermemberbam Theodorico Burgundiæ Regi tradebat in sponsam: & nuptiale vinculum idoneum haberi poterat, ad Francorum, Gothorúmque animos jungendos, nisi inopinus casus spem Witterici evertisset (d). Pellicum, quibus Theodoricus ad insaniam devinctus erat, præstigiis, sive arte ambitiosæ Brunechildis acciderat, ut sponsus Regiæ virginis florem delibare nec posset, nec vellet; unde à thoro rejecta, & dote spoliata, in Hispaniam recedere cogitur. Incensus injuriâ Wittericus, varios Reges in societatem armorum, ultionémque vocat: Legatos ire jubet ad Clotharium Francorum, Theodebertum Austrasiorum, & ad Agilulfum Longobardorum Principes: neque hi auxiliatricem petenti abnuebant manum; tum Theodoricus ad periculum dissipandum, fœderatos singulos largitionibus tentat, placatósque muneribus eò inclinat, ut nullus (dum suâ non interest) alienam injuriam vindicare cuperet. Wittericus ex malo rerum eventu despectui suis esse cœpit: cúmque pristinum seu in Arianum hominem, seu in Liuvæ parricidam odium recrudesceret; plebs furentium more in Regiam facto impetu mox Regem ipsum aggreditur, eúmque inter epulas comprehensum trucidat anno gesti Principatûs septimo (e). Occisi corpus per plateas unco tractum, vix vilem angulum pro tumulo obtinuit.

Mors funesta Witterici. An. 610. (e) Isidorus in Chron. Roderic. Tolet. l. 2. c. 16.

Gundemarus Rex Visigothorum. (f) Mariana l. 6. c. 2.

2. Post fatum Witterici Conjurationis Princeps GUNDEMARUS invasit Regnum, Francorum auxiliis confisus (f). Horum igitur armis cùm dignitas publica in privatum devoluta esset; Gundemari intererat, perpetuum, & longè duraturum beneficium annuo vectigali remunerari. Mercenarium enimverò munus

munus ùt Gothis grave, ita Francis nequidem gratum fuit; nam Theodoricus Gundemari Legatos tam vili loco habebat, ut vel alloquii copiam venientibus negaret. Supercilium Regis exteri, ac contemptus Gothicæ Gentis singulos in arma excivit: procursum est continuò in Narbonensem Galliam, & quidquid in ea Reccaredus Brunechildi in Franciam deductæ loco dotis dederat, id omne in Gothorum potestatem vi retractum est (g). Plura Gundemarus exequi non potuit, altero Regni anno è vivis præreptus (h).

An. 611.

Theodoricum Regem Francorum bello adoriuntur Gothi.

(g) Mariana l. c.

An. 612.

(h) Isidorus in Chron.

3. SISEBUTUS inde in defuncti locum cooptatus, bonorum dolorem, quem ex præmaturo Gundemari funere ceperant, magna ex parte lenivit. Vir erat consilio non minùs, quàm armis potens, quibus dotibus Religionis amorem, eximias artes, & (quod iis temporibus miraculo simile habebatur) Latini sermonis usum adjungebat (i). Exspectatio itaque de novo Rege non parva fuit, quam ut impleret, primò Asturum & Rucconum motus forti manu compescuit (k): deinde ad exterminium Romanorum, qui per Bæticam, Lusitaniámque sparsi post Witterici bellum remanserant, ultimas adhibuit vires (l). Cæsarius Dux Romanæ militiæ unus erat, qui, quod armis exequi non poterat, legationis modesto obsequio confecit; utprimùm enim Sisebuto missi Oratores pro Romanis supplicaverant, Rex Gothorum non tantùm ab iis manum abstinuit, sed (quod incredibile penè visum est) locum ultra, ac stativa in medio Gentis suæ concessit (m). Pace inter Gothos, Romanósque (utpote Christo addictas nationes) factâ, exemplo Heraclii Imperatoris in Judæos arma conversa sunt: flagitiosam hanc, & Servatoris sanguine pollutam Gentem ab eo tempore Orientis Moderator persequi cœperat, ex quo sacrosanctam Crucem Persæ Hierosolymis abstulerant, & Judæi Persarum socii, cultores Crucis, sive Christianos pessimè vexatos exagitabant. Datis proinde ad Francos, Gothósque literis, Imperator urgebat, ut, in quacunque orbis parte Crucis hostes, & præcipuè Hebræâ stirpe oriundi, viverent, vel meliora edocti ad Christianam fidem, vel pertinaces ad dira exilia aut supplicia traducerentur. Hortatibus ejusmodi,

Sisebutus Rex Visigothorum.

(i) Roderic. Tolet. L. 2. c. 17.

An. 614.

(k) Isidorus Æræ Hisp. DCLIV.

(l) Isidorus in Chron. Roderic. l. c

(m) Mariana de rebus Hisp. l. 6. c. 3.

Persequitur Judæos.

An. 615.

Eosdem ad fidem Christianam cogit.

Sisebuti studium Religionis.

quidam ajunt, Gothorum Regem contra Judæos tempestatem concitâsse (*1): ac primò ingens eorum numerus ex Hispania pellebatur, tum zelus Sisebuti aliquantò longiùs, ac per Christianas leges licet, provectus, cruciatuum vi contumaces ad salutis lavacrum coëgit (*2): in quo etsi Rex potestatis suæ limites transgrederetur (*3), alia tamen pro Religionis incremento sub idem tempus suscepit, quæ Sisebuti memoriam in Annalibus sacris non parum commendârunt. Præterquam enim quòd singulorum Episcoporum Diœceses certis limitibus circumscribi, totámque Disciplinam Ecclesiasticam Synodorum authoritate revocari curârit; in id quoque vigilem intendebat oculum, ut viri à Mo-

(*1) FREDEGARIUS in Chron. c. 65. apud Baronium n 41.: *Cùm esset* (Heraclius) *literis nimiùm eruditus, Astrologus efficitur, per quod cernens à circumcisis Gentibus divino nutu imperium esse vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petiit ab eo, ut omnes Judæos Regni sui ad fidem Catholicam baptizandos præciperet; quod protinus Dagobertus implevit. Heraclius per omnes Provincias Imperii tale, idemque facere decrevit.* MARIANA de rebus Hispan. L. 6. c. 3. pariter asserit, *Sisebutum* Regem *Heraclii hortatu* Judæos ad Baptismum coëgisse. Sed VALESIUS L. 19. rerum Francic. p. 100. ait, id minimè apud veteres Galliæ Scriptores, nec apud Græcos reperiri: imò addit, quòd Heraclius, cùm Crucem Dominicam à Siroë Rege Persarum remissam Hierosolymæ restitueret, *Benjamino cuidam Judæo* persuaserit, ut baptizari se sineret, teste *Theophane.* Non igitur Judæos coëgit Heraclius, nec recusantes finibus Imperii expulit, qui Judæis Hierosolymitanis Hierosolymam, de qua jam malè meriti fuerant, tertium ab urbe lapidem interdicere contentus fuit. PAGIUS etiam ad annum DCXIV: n. 42. falsum esse ait, quod Mariana gratis affirmaret de Sisebuto Rege per Heraclii literas ad persecutionem Judæorum inducto.

(*2) Quidquid sit *de hortatu Heraclii*, certè hoc tempore *Sisebutum Judæos ad Baptismum compulisse*, habemus ex CHRONICO coævi, scilicet MARII AVENTICENSIS: *Heraclius* (inquit) *quinto Imperii sui dum fungitur anno, Sisebutus Gothorum Rex in Spania plurimas Romanæ militiæ urbes quarto Regni sui sibi bellando subjicit, & Judæos sui Regni subditos, præter eos, qui fugâ lapsi sunt ad Francos, ad fidem Christi convertit.*

(*3) In Volumine Gothicarum Legum duæ sunt à Sisebuto Rege promulgatæ, quarum una præcipit, ut Judæus Baptismum recusans *centum flagella decalvatus suscipiat, & debitâ mulctetur exilii pœnâ.* Gregorius Magnus Lib I. epist. 45. ad Virgilium Arelatensem, & Theodorum Massiliensem Episcopos multò antè monuerat, *Prædicationis suavitate, non necessitate* coactionem illam faciendam esse. Hinc ISIDORUS in Chronico de *Sisebuto* ita scribit: *Qui initio Regni Judæos ad fidem Christi promovens, æmulationem quidem habuit, sed non secundùm scientiam: potestate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit.* BAUDEMUNDUS in vita S. Amandi cap. 11. commemorat, Aicharium Noviomensem Episcopum à Dagoberto Rege præceptum obtinuisse, *ut, si quis* incolarum Gentilium ad Scaldim fluvium *se non spontè per Baptismi lavacrum regenerare voluisset, coactus à Rege, sacro ablueretur Baptismate.* Atque hæc sunt vestigia prima, ubi à Christianis sacris alieni, ad ea vi adacti notentur.

à Monialium alloquio, Acephali (quorum ſecta tunc maxima vagabatur) ab Hiſpaniæ Eccleſiis proſcriberentur (n). Hæc agitantem Regem mors oppreſſit: veneno alii, alii immodico potionis medicæ hauſtu periiſſe ſcribunt (o). Populus defuncto parentans, ſinceras perſolvit lachrymas; atque ut porrò ſui amoris ſignum daret, in Reccaredum filium, quantumvis puerum, Regnum tranſtulit, quod tamen ille delibare potiùs, quàm gerere exorſus eſt; poſt ſeptem enim menſes (p) extinctus, ſuo funere præmaturo Parentis exequias, funúsque cumulavit.

(n) Mariana l. cit. c. 3. Roderic. Tolet. l. 2. c. 17.

Obitus Siſebuti. An. 619.

(o) Iſidorus in Chron. Æræ Hiſp. DCLIII. An. 620.

(p) Roderic. Tolet. l. 2. c. 17.

4. Ad SUINTILAM inde Principatus Gothorum pervenit: cujus clementia in afflictos tanta fuit, ut paſſim *Pater Pauperum* audiret (q). Cæterùm cùm conſilio non minùs, quàm fortitudine inſignis eſſet, Vaſconum tumultus vel ſolâ nominis famâ compoſuit (r). Alterum contra Romanos bellum eâdem fortunâ confectum eſt: dederat his Siſebuti benignitas inducias, longiúsque tempus, quo priſtinas ad Gaditanum fretum, & ad Oceani littora ſedes tenere poſſent; at Suintila fomitem diſſidiorum, metúmque omnem ſibi, Gentíque ſuæ ſublaturus, poſthabitâ Siſebuti pacificatione, omnem belli, ingeniíque artem adhibuit, dum, quidquid Ducum, militúmque Romanorum in Gothorum Regno habitabat, ex Hiſpanis procul regionibus amandaretur (*4). Regni ſecuritati ubi Rex proſpexerat, etiam domeſticis rebus ſuis conſultum ivit: quintus nempe annus Regni agebatur, tum Suintila Rechimirum filium in poteſtatis conſortem adoptabat, eo conſilio, ut Dominationem Gothorum non tantùm Regi, ſed & Regiæ ſtirpi, ſecuturíſque ſuis poſteris

Conf. Iſidor. & Vulſa in Chronic. A. 621.

Suintila Rex Viſigothorum

(q) Iſidorus in Chron.

(r) Idem l. c. Rodericus Tolet. l. 2. c. 18.

Romanos ex tota Hiſpania exegit. An. 626.

 firma-

(*4) ISIDORUS in Chronico: Suintila, *poſtquam verò apicem faſtigii Regalis conſcendit, urbes reſiduas, quas in Hiſpaniis Romana manus detinebat, prælio conſerto obtinuit, multiſque triumphis gloriam præ cæteris Regibus felicitate mirabili reportavit. Totius Hiſpaniæ infra Oceani fretum Monarchiâ Regni idem potitus eſt, quod nulli retro Principum eſt collatum.* Eadem ferè ex Iſidoro deſcripſit RODERICUS TOLETANUS L. 2. cap. 18., qui ſub finem capitis citati addit: *Beatus Iſidorus Gothorum Hiſtoriæ Deſcriptor egregius uſque ad quintum annum Principis Suintilæ fuit ſeriem proſecutus, & quarto anno Regni Scintilæ, non dico Suintilæ, à quo tertius fuit iſte, cùm B. Iſidorus in Hiſpalenſi Eccleſia ſolemnia celebrâſſet, & populum ſibi commiſſum cæleſtis frumenti adipe ſatiâſſet, ſe eorum orationibus commendavit, & ultimum vale dicens, obitum ſuum, quem Propheticè noverat, revelavit. Obiit itaque quarto Principis anno Ærâ DCLXXXI. ſecundo Nonas Aprilis.*

firmaret. Quod quidem novum institutum cùm Optimatibus antiqua jura, eligendíque libertatem (s) adimere videretur: ac ne quid ad acerbitatem animorum deesset, illud non minùs mordebat Proceres, quòd Theodoræ Regiæ Conjugis licentior modus citra ejus, qui deberet, moderationem effrænis penè volitaret. His tandem causis inducti, sacramentum solenne dicunt, singulis nec noctem, nec diem quietum fore, dum Pater unà cum filio de Regni gradu dejiceretur (t). Sisenandus cæteris utì opibus domesticis, bellíque artibus insignior; ita dominandi cupiditate magìs incensus, Suintilæ machinabatur exitium: atque ut rem confectam daret, in Franciam profectus, Dagoberti auxilia conquirit; quibus impetratis, Gothi jam audaciores Regem suum, post exactos decem Regni annos, in ordinem redigunt (u).

(s) Mariana de reb. Hisp. l. 6. c. 4.

Seditio adversùs Suintilam, & ejus filium Recbimirum.

(t) Roderic. Tolet. L. 2.

Exauthorato Suintila, Sisenandus iuvadit Regnum.

An. 631.

(u) Fredegar. c. 73.

5. SISENANDUS Regno, quod in turbido (x) piscatus fuerat, à Religionis quadam specie firmamentum conciliaturus, convocat Toletum Episcopos, quibus injungebat, ut collapsam restaurarent disciplinam, re ipsâ, ut Rex Suintilæ actiones à Patribus damnari, ac proinde eorum, qui exauthorato Regi adhuc favebant, studium in se transferri curaret. Congregatorum proinde Præsulum conceptis verbis sancitum est: Suintila, ejus uxor, filii & frater diris devoventor ob ea, quæ crudeliter & impiè gesserant, Regiâ abusi potestate (y). Lex in hunc modum dictata ubi Sisenando Dominationem firmaverat; Rex ab omnibus acceptus, tranquillè Principatum gessit ad annum DCXXXV (z), quo demum è vivis sublatus, CHINTILAM successorem habuit. Electus hic à Magnatibus, id porrò cupiebat, ut Episcoporum etiam authoritate Rex crearetur; quo facto, Synodo Toletanæ morem gerebat, quæ paulò antè caverat, ne quis ad Regnum accederet, nisi legitimis Antistitum suffragiis vocatus (a); jubente proinde Chintila, Toletum rursus Episcopi convenerunt; initóque cœtu, pro Regis incolumitate decretum est, ut ex antiqua Gothorum nobilitate oriundi fascibus duntaxat gerendis admoverentur, néve ante obitum Principis involare in Regnum, ulli fas esse valeat. Huic Patres postea aliam addiderunt legem, cujus argumentum erat, ne antè Regem Regno impo-

Sisenandus Rex

(x) Roderic. Tolet. c. 19.

Synodali authoritate confirmatur.

(y) Mariana l. 6. c. 3.

(z) Idem l. c. Conf. Pagius ad an. 636. n. 5

Chintila Rex Visigothorum

Episcoporum consensum pro Regni firmitate postulat.

(a) Mariana l. 6. c. 6.

Synodus Toletana V.

An. 636.

imponere liceat, quàm in hæc capita jurâsset, se æquè Judæorum hostem fore, ac vindicem eorùm, qui in Hispanis territ... alienum à Christo cultum profiterentur (b). Inter hæc Religionis, pacísque studia cùm nec intestini, nec exteri motus orerentur, vel orti diligentiâ Regis subitò facesserent; Chintila tranquillum Regnum, vitâmque ad annum DCXL. produxit (c).

(b) Act. CC. apud Hard. T. III

An. 637.

Leges Chintilæ.

(c) Pagius ad an 640. n. 17.

6. In defuncti locum TULGA suffectus est, ætate (si annos spectes) juvenis; si virtutem, animúmque, senili prudentiâ, & æquitatis laude consummatus: Regias ille opes non ad privata, sed publica commoda pertinere ratus, optima fecit regnandi primordia (d); verùm à bonis initiis ad meliora enitentem mors oppressit (e). Fatum inopinum dolorem populo, simúlque CHINDASVINTHO Regni cupiditatem injecit: hâc immodicè æstuans, armis continuò Principatum invasit (*5). Tyrannidis hujusce vitium totius postea vitæ probitate ac prudentiâ ita emendavit, ut Regnum malè partum optimè gereret (f). Reipublicæ statu composito, ciebat undequaque Præsules, qui ea, quæ Religionis sunt ac disciplinæ, maturè discuterent (*6). Agente eodem Rege, Theodisclus ob pravas de fide opiniones Hispalensi sede exturbatus est (g); atque ut erroribus via præcluderetur, primam in eo Chindasvinthus operam posuit, ut Hispania literis excoleretur. Culturam verò expeditam fore judicabat, si Commentarios, quos Gregorius M. in Jobum scripserat, prælegi suis curaret. Eo igitur consilio Tajus Episcopus Cæsar-Augustanus deligitur, qui è Romanis tabulariis Pontificis genuina

An. 639. 640.

Obitus Chintilæ.

Tulga Rex Visigothorum

(d) Mariana l. 6. c. 5.

(e) Vulsa in Chronico.

An. 642.

Chindasvinthus Rex Visigothorum.

(f) Lucas Tudensis.

An. 647.

Ejus studium Religionis.

(g) Id. Æra DCLXXXII.

An. 648.

(*5) VASÆUS in Chronico ad annum 642. scribit: *Sigebertus Abbas* (ait) *propter pueritiæ levitatem Regno privatum* (Tulgam) *atque ad Ecclesiasticos Ordines relegatum. Caterùm nisi Sigebertus fidelior est in Historia, quàm in supputatione temporum, de iis loquor, quæ ad Reges Gothorum pertinent, non magnam illi fidem habeo.* PAGIUS ad cit. annum nihilominus Sigeberto hìc adstipulatur, putátque, Tulgam verè Reguo privatum fuisse, quia putat, Sigebertum sua desumpsisse ex Fredegarii capite 82., qui coævus tunc in Burgundia vivebat; adeóque si Mariana L. 6. c. 8., & Vasæus in aliam opinionem veniant, scilicet Ildefonsi, quem dicunt, *visa retulisse*, deserendos sibi existimat, eoquòd Fredegarii coævi Chronicon non viderint.

(*6) LUCAS TUDENSIS in Chronico Ærâ DCLXXXII. de Chindasvintho scribit: *Iste à Romano Pontifice obtinuit privilegium, ut secundùm beneplacitum Pontificum Hispanorum Primatiæ dignitas esset Hispali vel Toleti.... Cujus tempore ab omni perturbatione quievit Hispania, adeò ut nullus in eâ infidelis reperiretur, vel qui rebellionis sumeret arma.... Primatiæ dignitatem transtulit ad Ecclesiam Toletanam.*

(h) Roderic Tolet. l. 2. c. 20.
An. 649.
Recesvinthus in consortium Regni admittitur.

genuina volumina adducat (h). Voti se compotem ubi Rex vidit; datâ Recesvintho filio Regni communione, familiæ æquè suæ, ac Reipublicæ consuluit. Utprimùm enim RECESVINTHUS partem curarum acceperat; idem non tantùm tribus annis, quibus supervixerat Parens, sed & reliquo vitæ tempore Religionis, ac divini zeli studium inviolatum habuit: in Synodum Episcopos congregatos id enixè rogabat, ut, quæ ex Ecclesiæ ac Reipublicæ simul commodis forent, decernerent (i). Itaque Judæorum superstitiosis ritibus damnatis, & vectigalibus ad certas leges adstrictis, porrò provisum est, ne quis armis plus deinceps, quàm jure possit (k). Ex his regulis cùm tranquillè gereretur Imperium (*7); Africæ fatum Gothis metum non vanum incussit. Saraceni nimirum circa annum DCLXVI. Afrorum Provinciis imposuerant jugum, unde suspicabatur quisque, procellam tam latè effusam ultra freti Gaditani fauces in transmarinas Hispaniæ regiones proximè devolvendam (l). Verùm major tunc & acerbior terror, quàm eventus fuit: antequam enim Gens barbara in debellata Africa firmo consisteret pede, ultra procedendum non duxit. Quare Recesvintho adhuc otium datum est, Gothorum Rempublicam legibus augendi (m); quo labore defunctus Rex optimus vitâ cessit anno Regni à Patris obitu initi XXII., Æræ Christianæ DCLXXII (*8).

(i) Roderic. Tolet. l. 2. c. 22.

(k) Mariana L. 6. c. 11.
An. 666.
Saracenorum propinquitas terret Gothos.

(l) Idem l. c.
Recesvinthi Leges, & obitus.

(m) Lucas Tudensis in Chronico.
An. 672.
Wamba Rex Visigothorum

7. Accurato Recesvinthi funere, Magnates WAMBAM vacuo Regno imponunt (n): natus is in Lusitania, inter aulæ, bellíque

(n) Lucas Tudensis in Chron.
Rodericus Tolet. l. 3. c. 1.

(*7) IDEM in Chronic. Ærâ DCLXXXVI.: *Hucusque beatus scripsit Ildefonsus Hispaniarum Primas, & Archi-Episcopus Toletanus: qui tempore dicti Regis Recesvinthi quasi Lucifer inter sidera tam morum honestate, quàm signorum claritate fulsit in Ecclesia Dei. Qui etiam donis cælestibus à perpetua Virgine Dei Genitrice Maria & Leocadia in præsenti vita meruit honórari.* Vitam S. Ildefonsi latiùs describit MARIANA Lib. VI. cap. 10.

(*8) MARIANA de reb. Hisp. L. VI. c. 11.: *Extat à Municipio Vallisoleto* (*Pinejam* nonnulli vocant) *octo passuum millibus dissitum oppidum, Wamba nomine* (olim *Gertigus* vocabatur) *in monte Cauro. In illud oppidum Toleto profectus se contulerat Recesvinthus; cùm lethali morbo oppressus est.... In ejus oppidi templo Recesvinthi Regis sepulchrum nostrâ etiam ætate monstratur..... Quo tempore Philippus II. Hispaniarum Rex Anno MDLXXV. conjuncta Recesvinthi & Wambæ mausolea vetusti operis, se præsente, aperiri mandavit; nullæ literæ sunt repertæ: ossa tantùm bombycinis implicata pannis, inclusáque thecis ligneis. Ex ætatis tamen prærogativa suspicabantur viri eruditi magis, quàm certo argumento confirmabant, Recesvinthi Regis ossa dextram templi partem occupâsse* &c.

bellíque officia postea consenuit, quo diuturno usu rerum edoctus, omnium aptior censebatur, cui Regnum demandaretur. At Wamba probè sciens, voluntates multitudinis uti primo impetu acres, ita hoc cessante languidas ac mobiles esse, nihil omisit, quo onus à se rejiceret, causatus affectam, præcipitémque ætatem. Hæsitantem urgebant Proceres; ac ne privatæ tranquillitati communem omnium salutem postpositam vellet, identidem monebant (o). Ad has preces ubi Wamba nihilominus obstinâsset animum; Ducum unus stricto ferro virum adoritur, ac, ni continuò votis populi pareret, minabatur, senectam, quam inter curarum expertes commoditates proferre anxiè quæritaret, repentè hoc mucrone abruptum iri, & occisi fatum posteris documento fore, quòd is vitæ usurâ haud dignus sit, qui Reipublicæ utilitatibus vivere recusat. Vi, minísque fractus Wamba, à Proceribus Regnum, & à Quiricio Præsule inaugurationem capit (p). Primordia quantumcunque Gothis læta, ab hostium exterorum motibus non parum turbata fuêre: per Cantabricam enim Vascones, ac in Gallia Gothica Hildericus Nemausi Comes nova moliebantur; & quoniam hujus conatus aliquantò infestiores evaserant, neglectâ tantisper Vasconum Gente, contra Hildericum arma concitata sunt: magnis hic opibus potens, Wambæ Dominatum aspernabatur; atque ut Regem potestate exueret, clientes, Episcopósque traxerát in fœdus. Conjurationis dissipandæ prompta medela fuisset, nisi Paulum Ducem astutum & perfidum Rex fato quodam suo exercitui præfecisset. Hoc enim, dum in hostem movebat, lentas per iter moras trahente, mox etiam apertâ fronte factiosis favente, rebellionis crescebant vires: capiebantur præcipua Pyreneorum montium claustra: demum Narbonensis Provinciæ Metropolis subjugabatur; quâ in potestatem redactâ, Conjurati Paulo in proditionis præmium deferunt Regnum (r). Wamba de Pauli perfidia certior, cum Magnatibus deliberare cœpit, utrùm continuò lacessendus hostis, aut antè delectibus habitis providendum, ne, dum ex Hispania citatus miles ad alterius Provinciæ bellum restinguendum procurrit, à tergo, atque ex ipso Regni sinu major belli moles enascatur? Wamba, auditis suorum sententiis, eò inclinabat

Idem invitus ad Regnum suscipiendum compellitur.

(o) Mariana L. 6. c. 12.

(p) Julianus Episc. Tolet. apud Lucam Tudensem in Chron.

Seditiones adversùs Wambam Regem.

(q) ibid. l. c. Mariana L. 6. c. 12. Rodericus Tolet. l. 3. c. 2.

Pauli Ducis perfidia & tyrannis.

(r) Roderic. Tolet. l. 3. c. 3

Deliberatio Regis de bello.

bat animum, ut gliſcenti malo, ne ſeriora eſſent remedia, citiùs duceret occurrendum; occaſionem enim (ajebat) momento temporis verti, nec reparari facilè magnâ virtute poſſe, quod modicâ negligentiâ tranſmiſſum fuiſſet (s). Hâc oratione ubi Rex omnium accenderat animos, in Catalauniæ fines diviſum in tres partes exercitum deducit: ibi Barcino & Gerunda hoſtium ereptæ manibus, dein Pyreneorum montium anguſtiis ſuperatis, ac caſtellis, quæ properanti militi obſtabant, interceptis, Narboni vis major terrâ maríque admota eſt (t), quæ ubi Victoris potentiæ quoque ceſſerat, tandem Nemauſum (ultimum rebellium perfugium) tentabatur (u). Wambæ Duces indignati, victam perfidiam hoc loco adhuc conſiſtere, triginta armatorum millia in muros uno impetu immittunt; at rebellibus non ſegniùs repugnantibus, eâ die aliud confici haud potuit, quàm ut æquo Marte certamen dirimeretur. Antequam poſterâ die oppugnatio reſtaurata eſt; Paulus Tyrannus ſuos monebat, ut mœnium munitione ſpem ſuam tantiſper ſuſtentarent, dum Francorum copiæ, quas in ſuppetias vocâſſet, propediem auxilio venirent. Regi Wambæ id non modicas curas injecit: quare in ſola celeritate ſpem victoriæ eſſe ratus, eâ nocte decem millibus exercitum ſuum auget (x): quæ ſupplementa nova ubi illuceſcente cælo Paulus viderat; ecquod in periculum nunc ſua res deducta eſſet, facilè cognovit: ſuis tamen deſperatorum more inclamans, non numero, ſed virtute vinci, omnes ad alterum aſſultum inſtruit (y). Pugnabatur utrinque atrociter ad multam diem; tum præſidiariis pugnando feſſis, Regii tandem milites muris ſuccedunt, & ferro, igne, lapidúmque jactu aditum recludentes, confertâ multitudine per factas labes in urbem eluctantur (z): ſpargebatur protinus promiſcua cædes, aliíſque trucidatis, alii ſervabantur, ut vel Regis clementiæ, vel vindictæ vivi ſupereſſent. Wambæ poſt hæc in urbem venienti Argebaudus Narbonenſis Præſul obviam ibat, deprecator communis ſceleris aut pœnæ futurus (a): affuſus Victoris pedibus, ea inter mixtas lachrymas dicebat, quibus veniam facinoroſis exoraret. Neque Rex ad preces omnino immotus videbatur; nam ſontibus civibus ita clementiam admetiebatur, ut ſaltem factionis Duces juſtitiæ

(s) Idem c. 4.

Wamba movet bellum contra Paulum Tyrannum.

(t) Idem c. 5.

Wamba ſuperat Pyreneos, & Narbonem capit,

(u) Idem c. 6.

Nemauſum obſidet, & expugnat.

(x) Mariana L. 6. c. 12.

(y) Roderic. Tolet. l. 3. c. 7

(z) ibid. l. 6.

(a) Idem c. 8

Argebaudi Epiſcopi legatio ad Regem.

ſtitiæ relinquendos putaret. Wamba poſt hæc triumphantis more in urbem progreſſus, conjuratorum Anteſignanos ad ſe adduci jubet: quorum colla ubi Rex pede impoſito in ignominiæ ſignum calcâſſet, mox ad Paulum inſignibus Regiis jam nudatum converſus, hominem pro acceptis antè beneficiis ingratiſſimum, ac ſummè perfidum perſtringit; tum ex legibus cognoſci imperat, quid de ſuppliciis rebelli irrogandis Decreta Gothorum ſtatuant. Inveſtigantibus jura facilè occurrebat, mortis ignominioſæ ſententiam in Paulum æquè, ac ſocios pronunciari oportere; ſed Regi clementiæ laudem cupienti ſatis erat, ut ſeditionis authores cæſarie (quâ ſuetum olim Nobilitatis decus continebatur) reſciſsâ, decalvarentur (b). Wamba hanc pœnam executus, Toletum in urbem Regiam ſexto menſe, ex quo inde diſceſſerat, triumpho ſimillimâ pompâ revertitur. Rebelles barbâ & capite raſis, nudis pedibus, atque pannoſi in Camelis antevehebantur: Paulo ludibrii causâ, corona ex nigro corio impoſita: Regii milites prædâ onuſti ſequebantur, agmen demum ipſum Rex claudebat, ſub canitie vegetum corpus, & rerum geſtarum gloriam affluenti undique populo oſtentans. Poſt hæc Wamba ad Regiam urbem muniendam, & ad reſtituendum Religionis vigorem animum applicuit (c). Neque minùs ad Hiſpaniæ commodum fuit, quòd Regis curâ per idem tempus militaris diſciplina ad vetus inſtitutum revocaretur: nam cùm Saraceni Africâ potiti, per mare formidoloſam claſſem circumducerent; Wamba ſuos terrâ maríque pugnare doctos milites oppoſuit, quorum fortitudine hoſtium claſſis partim capta, partim incenſa eſt.

Pœna conjuratis dictata.

(b) Mariana L. 6. c. 13.

Triumphalis reditus Wamba.

(c) Id. c. 14.

An. 675.

Aliæ Actiones Wambæ.

Wamba vincit Saracenos.

8. Externis hoſtibus ab Hiſpaniæ littore procul amandatis, Rex domi exitialiorem hoſtem invenit (d): ERVIGIO huic nomen erat, qui Receſvinthi propinquus cùm ſpem nullam, niſi in ſcelere poſitam haberet, ambitione Regni eò ferebatur, ut Wambâ ſuperſtite, ſe voti compotem nuſquam fore exiſtimaret. Itaque eo conſilio Ervigius Regem veneno appetit, & mali vis adeo profecerat, ut Wamba penè mente emotus, ad extrema deduceretur; tum Rex quaſi rebus humanis renunciaturus, comam ponit, & in Sacerdotis morem attonſus, Monachi ritu cucullum induit (e): addi-

Ervigius ambit Regnum.

(d) Roderic. Tol. l. 3. c. 13.

An. 680.

Wambam veneno infatuat.

(e) Mariana L. 6. c. 14.

additum præterea fertur, ut intermorientibus vocibus, mentéque confusâ, Ervigium ſucceſſorem compellaret. Morbo ſubinde tantiſper remittente, deliriiſque depulſis, id quod cum habitu viſus fuerat inſtitutum amplecti, ſeu magnitudine animi, ſeu deſperatione recuperandi Regni dimittere noluit, quin Regno, quod in nonum annum geſſerat, ſpontè abdicato, in Pampligæ Monaſterium digreſſus, ultra ſeptem annos vitæ reliquum tempus inter ſevera Aſceſeos ſtudia tranſegit (f). Cæterùm Erwigius malè metuens, ne Regnum malis artibus quæſitum invidiâ populi premeretur, Religionis adjumenta, quibus plebs maximè capitur, ſtabiliendo Dominatui obtendere ac adhibere conabatur: inde Toletum Epiſcopos vocabat, ut Synodi authoritate ſibi Regnum confirmari curaret (g). Poſt duos annos alium Præſulum conventum coëgit, in quo Rex turbis daturus finem, omnium ordinum viros variis beneficiis mitigare parabat; nam venia data rebellibus, Provincialium vectigalia imminuta, cautúmque eſt, ne Gothorum nobilitas promiſcuis nuptiis, aut confuſo cum plebe ſanguine contaminetur; denique decernebatur, ut, ſi quid Regi humanitus accidiſſet, nemo Reginæ, aut ejus prolibus afferre vim præſumeret. His legibus utut ſecuritati ſtirpis Regiæ proſpectum eſſet; unus tamen adhuc Egica omnium hoſtium infeſtior parum hoc fræno coërcendus putabatur, niſi ejus acerbitas beneficio quodam emolliretur (h); quare Erwigius ex hoſte amicum, Generúmque facturus, eidem Cixilonem filiam in uxorem dedit, Regníque ſui ſucceſſorem, pridie quàm Rex moreretur, conſtituit.

Wamba Monachum induit.

(f) Id. l. c.

An. 681.

Erwigius Regnum ſtabilire conatur.

(g) Lucas Tudenſis in Chron. Rodericus Tol. l. 3. c. 13.

An. 683.

Erwigii Statuta ac Leges.

(h) Mariana L. 6. c. 17.

Egicam ſucceſſorem conſtituit.

9. Defuncto Erwigio, EGICA dotis loco Regnum adeptus (i), exemplo ſuo oſtendit, injuriæ diuturniorem ſæpe, quàm beneficii memoriam exiſtere; poſt Soceri enim fatum odium illud ſenſim reviviſcebat, quo in Regis familiam olim exarſerat (k). Hoc reflagrante, Egica veteres ulciſci injurias, & Cixilonem thoro ejicere aggreditur; tum in omnes Proceres, quorum ſtudio Wambæ ægrè factum erat, ſuppliciis ſævit. Hæc cruenta Principatûs initia uti Regem multorum exponebant invidiæ; ita Religionis ſtudium, pacis, bellíque artes eum Hiſpanis commendârunt. De forma ac vi jurisjurandi, in quod Erwigius

(i) Roderic. Tolet. c. 14.

(k) Mariana loc. cit.

Egica ulciſcitur injurias Wambæ illatas.

wigius Egicam de incolumitate Reginæ, filiorúmque adegerat, postea Episcopi congregati disceptârunt, utrùm scilicet ii, quibus bona ab Erwigio erepta essent, judicio res suas repetere, ac Regi, quin sacramenti violator audiret, secundùm eorum jura pronunciare liceret? Causâ discussâ, decernebatur, sanctitatem jurisjurandi, quo Egica se obstrinxisset, sceleri haudquaquam suffragari; imò calamitatibus hominum sublevandis æquissimè Religionis officium exsolvi (l). Regno post hæc magna quies fuit, dum Sigebertus Toletanus Præsul novitatis studio elatus, in caput Regis rebellaret: verùm antequam turbo penè erumperet, homo de Patrum sententia gradu ejectus, & ignominiâ notatus, in exilium commigrare coactus est (m). Vix proscriptione unius, omnium tranquillitas redîerat; tum Judæorum motus pacem publicam infestârunt: Hebrææ proinde Genti ut supercilium, rebellandíque animus adimeretur, ex placito Antistitum perpetuæ servituti alienam à Christo Gentem addicere placuit; deinde sancitum est, ut Judæorum proles, ubi septimum attigissent annum, in aliorum Christianorum disciplinam, ac religiosam curam educandi traderentur (n).

An. 688. *Ad stabiliendum Regnum utitur auctoritate Synodorum.*

(l) Mariana L. 6. c. 18.

Sigeberti Præsulis molitiones comprimit.

An. 693.

Judæos coërcet.

(n) Id. l. c.

10. Reipublicæ statum ubi à præsentibus malis vindicaverat; futuris non minùs, ne evenirent, occurri posse judicabat, si filium VITIZAM, quem ex uxore Cixillone susceperat, in consortem Regni citiùs admitteret. Gallæciæ autem partem illi regendam tradebat, ut ex modico Dominatu majoribus assuesceret. Quamdiu Pater superstes erat, consilio Patris filius non defuit; nam ore ad probitatis, ac clementiæ speciem efficto compositus apparebat: at utprimùm decesserat è vivis Egica, coacta illa frontis scena citò disparuit (o). Vitiza quippe in omnem effusus licentiam, nequidem ab iis vitiis abstinebat, quæ qualiscunque Patris reverentia nonnihil tardaverat. Magno numero concubinæ ejus penetralia tenebant: ac ne solus pudenda flagitia erubescere cogeretur, lege publicâ infamem hanc consuetudinem utpote licitam probavit (p). Judæis (contrà ac Statuto veteri cautum erat) redeundi, & in Hispania domicilium habendi concessa facultas est (q). Ista scelerum facies cùm omnium irritâsset animos; non paucos solabatur, quòd unus Chin-

VitizaRexVisigothorum.

(o) Idem l. 6. c. 19.

An. 701. *Facinora & fraudes Vitizæ.*

(p)Roderic. Tol. l. 3. c. 16.

(q)Mariana L. 6. c. 19.

dasvinthi filius, ac Recesvinthi frater vivus superesset, scilicet Theodefredus: huic tutò sperabant Regnum committi posse. Rex æquè astutus, ac nefarius, ut eluderet insidias, Theodefredum oculorum luce exuit; & ægrè successerat, ut Rudericus Theodefredi filius saltem integer fugâ elaberetur. Unguem itaque cùm in ulcere Optimatum Rex teneret, res ad civile bellum spectabat; huic quoque se adempturum vires confidebat Vitiza, siquidem castella præsidiis, mœnibúsque nudaret (r). Hoc tristi & inviso labore functus Princeps, quasi periculi omnis expers, in omne vitiorum genus se projicit: Gundericus Toletanæ Ecclesiæ Antistes, quamvis probitatis laude insignis foret, animi tamen tantum non habuit, ut, qui scelere carebat, in Rege scelestam vitam ratione reprimeret, aut arte aliâ sanaret. His pejus malum accessit, cùm Gunderico Sinderedus succederet: is enim tempori, affectibúsque Regis serviens, nihil non probabat, quod detestari maximè & profligare debuisset. Vitiza itaque seu indulgentiâ Præsulis, seu malitiâ suâ ad scelera obfirmatus, perversitati suæ consentaneum exitum habuit; nam vel Toleti ex fatali morbo decessit (s), vel (ùt alii perhibent) oculorum luce privatus, Cordubæque exul, ac Regno proscriptus, inter tenebras & vincula vitam finiit (t), relictis duobus filiis Eba & Sisebuto, quorum partes dum alii sequuntur, resistunt alii, Respublica in majorem calamitatem præcipitata est.

Theodefredum Chindasvinthi filium oculorum luce privat.

(r) Roderic. Tol. l. 3. c. 16.

Scelera Vitizæ foventur adulatione.

Vitizæ exitus. An. 711.

(s) Mariana loc. cit.

(t) Roderic. Tolet. c. 17.



Historia de Regno Neustriæ, Austrasiæ, & Burgundiæ sub Francis.

§. IV. *Brunechildis facta maligna: THEODORICUS II. Hermenbergam repudiat, bello insectatur THEODEBERTUM, & perimit. CLOTHARIUS Monarcha totius Franciæ supplicio afficit Brunechildem, Majoribus Domûs Provinciarum regimen relinquit, tributum remittit Longobardis. DAGOBERTUS I. disceptat cum Patre de Regni divisione, belligerat contra Saxones, ac Vinidos, Bulgaros perfidè trucidat, redit ad frugem,*

frugem, condit testamentum. SIGEBERTUS à Patre Dagoberto vivente creatur Rex Austrasiæ, probrosam pacem cum Radulfo inire cogitur; ejus pietas. CLODOVEUS II. Rex Neustriæ Grimoaldi perfidiam domat; tres relinquit filios CLOTHARIUM III., THEODORICUM III., & CHILDERICUM II. DAGOBERTUS II. Sigeberti filius exul vocatur ad Regnum Austrasiæ. Post Theodoricum Patrem ejus filii in Austrasia regnant CLODOVEUS III. & CHILDEBERTUS III.

I. FRanciæ Regnum, quod virorum Principum ambitio multoties ferro, incendiisque exhauserat, id hoc tempore mulier una in novas belli flammas agere cœpit. *Brunechildis* illa erat THEODORICI Burgundiæ Regis Avia, ac in aula ejusdem æquè potens, ac flagitiosa: quæ ubi Protadio amores vetitos addixerat; eò curas vertit, ut hominem in Regiam pertraheret: & quò honestiùs Regina prævaricaretur, *Protadium* majoribus dignitatibus mactatum ibat. Hæc agitanti mulieri cùm unus Palatii Magister negotium facesseret (a); *Berthoaldum* (id enim viro inviso nomen) perdere certa, in mille insidias intendebat, quibus adversantem è statione dejiceret. Noverat illa CLOTHARIUM II. ex ultima Regni sui diminutione adhuc ægrum animi, & opperiri tempus, quo Theodorico damnorum authori reddere pares vices posset; nihil igitur expeditius ad oppressionem Berthoaldi futurum sperabat Brunechildis, quàm si inermis armato hosti objiceretur. Astuta fœmina postquam ista consilia in miseri caput procuderat; Regi persuadet, ut Berthoaldum in agros Sequanæ adsitos, sive in fines Clotharii mittat, tributa exacturum (b): proficiscenti trecentorum manipulus militum dabatur non præsidii causâ, sed ut tenui hoc numero faciliùs hostem viribus superiorem in se concitaret. Neque aliter (ac optaverat Brunechildis) evenit: utprimùm enim rescitum est, Berthoaldum in propinquo agere; Clotharius in Duce cæteroquin strenuo, sed copiis nudato, Theodorico Regi ægrè facturus, continuò Meroveum filium, & Landericum mittit cum valido exercitu, qui imparatum opprimerent. Berthoaldus de insidiis clam monitus, antequam hostile agmen irrumperet, acce-

Brunechildis malorum incentrix in Franciæ Regno.

An. 604.

(a) Fredegarius in Chronico c. 24.

Insidias struit Berthoaldo Majori Domûs.

(b) Fredegar. c. 25. Confer. Ruinart in notis.

Clotharius II. filium Meroveum, & Landericum Majorem Domûs cum exercitu mittit contra Berthoaldum

celeratâ Aureliam fugâ, periculum antevertit: fugientem ad ipsa usque mœnia secutus Landericus, cùm jam salutis securum vi, armísque retrahere non posset, imbecillitatis Berthoaldum accusans; hoc quasi conjecto convitio strenuum Ducem foràs prolicere contendit (c). Non abnuebat Berthoaldus pugnæ genus, dummodo solus cum solo, & militibus, quibus Landericus accinctus erat, abscedere jussis decernere liceret. Conditionem ejusmodi, eludente Landerico, Berthoaldus tempus exspectandum existimabat; dum & ipse obtentis auxiliis, paribus armis, paríque numero confligere posset. Nec diu æqui certaminis occasio defuit; Theodoricus enim, ubi de iis, quæ hostiliter à Clothario suscepta fuerant, cognovit, numeroso exercitu adducto Ducem suum firmat: jámque acies utrimque parata steterat, tum Berthoaldus fidenter Landericum de singulari certamine compellat; verùm hoc intra militaria suorum signa se occultante, Berthoaldus audax aggressus est facinus (d): sive enim generosâ morte Brunechildis evadere insidias cuperet, sive Landerici injurias ulcisci vellet; certè moræ impatiens citato impetu se in hostiles ordines præcipitat, tum proximos quosque ferro cædit, donec multitudine oppressus, se æquè, ac Brunechildem voti compotem fecisset. Ducis unius exemplo gregarius Theodorici miles jam fortior continuat pugnam, tandémque clade attritos ejicit in fugam. Deprecanti THEODEBERTO datum est, ut Theodoricus Neustriæ Regnum, quod nuper imminutum iverat, nunc alterâ vice victo Clothario penitus non abstraheret. Restauratis proinde nuperæ pactionis conditionibus, alius hujus belli fructus non fuit, quàm quòd Protadius dignitatem supremam Palatii velut opimum Berthoaldi mactati spolium legere, ac Brunechildis novum aulæ Pullum, utpote libidinum suarum instrumentum propiùs, tutiúsque amplecti potuerit (e).

Berthoaldi cædes.

Theodoricus II. Rex Victor Clotharium ad pacem admittit.

An. 605. *Protadius Brunechildis dolo creatur Major Domus in aula Theodorici.*

(c) Fredegar. c. 25.

(d) Fredegar. in Chronic. c. 26. Aimoinus L. III. c. 91.

(e) Fredegar. c. 27.

2. Protadius ubi in fastigium honoris funestis artibus irrepserat, suæ potentiæ initium à bonorum oppressione, Nobilium contemptu, ac disseminatione discordiarum malè auspicatus est (f); nam ut Amasiæ suæ cupiditatibus serviret, duos Burgundiæ, Austrasiæque Principes ac fratres capitali succendit odio, apertóque bello commisit. Brunechildi nimirum altâ adhuc

(f) Id. l. c.

Brunechildis Theodoricum II. & Theodebertum II. bello committit.

(g) Aimoin. L. III. c. 92. Geſta Reg. Franc. c. 38.

huc mente repoſta manebat injuria, quâ dolebat, ſe à Theodeberti aula non ita pridem ejectam: jam verò, poſtquam Theodoricus cum Clothario iniiſſet pacem, tempus opportunum, & vacuas ejuſdem Theodorici manus credebat, quibus ad explendam ultionem uteretur (g). Hæc meditata, Protadium in conſilium adſciſcit, à quo mulier malignè inſtructa ita Theodoricum aggreditur: fingebat, Theodebertum non à Childeberto Rege, ſed à vili Hortulano prognatum eſſe filium (*1), qui proinde alienum Regnum, alienáſque opes iniquè uſurparet; hic niſi nefaſtâ & arrogatâ poſſeſſione exturbetur, aliquando fore aſſerebat, ut, qui in Auſtraſiam (utpote primam hæreditatis partem) involâſſet, Burgundiam quoque quaſi alteram portionem Theodorico legitimo Childeberti filio eriperet. Fabulæ quò plenior fides conſciſceretur, Protadius ex compoſito aderat, qui Reginæ dicta confirmans, Theodoricum primò in iram, mox in arma provocabat. Parato utrinque bello caſtra fratrum jam apud Cariſiacum oppoſita ſtabant, paulò pòſt in aciem ventura; tum Burgundiæ Proceres ad Regem ſuum advolant: atque ut pacem certam dubiæ belli fortunæ præoptet, aut controverſias, ſi quæ ſint, mitiore remedio componat, enixè rogant. Contrà cùm unus Protadius bellum Theodorico occineret; omnes boni Conſultorem inviſum è medio tollere decernunt, ad Regum famam expedire rati, ſi unius potiùs, quàm multorum, eorúmque innocentum ſanguine fraterna odia ſanentur. Occaſio perdendi hominis inde captata eſt: Theodorico aliquando caſtra obambulante, in Regio tentorio Protadius remanſerat; atque ut falleret tempus, cum Petro Archiatro tabulâ ludebat (h). Conjurati

Protadius à Theodorici exercitu occiditur.

(h) Fredeg. c. 27. pag. 423 edit. Pariſ. apud Bouquet.

(*1) In GESTIS FRANCORUM *Theodebertus* meretricis filius à Brunechilde vocatur, & ex concubina Childeberti ſtupro procreatus. RHEGINO ſcribit, eundem non legitimum Regni hæredem dictum eſſe, quòd Pellice natus eſſet. RUINARTUS in notis ad *Fredegarii* c. 27. inquit: Hoc falſum eſſe exiſtimant Viri eruditi: quod ex *Gregorii* Hiſtoria Lib. 8. c. 37., & L. 9. c. 4. conſtare videtur. Uterque (*Theodoricus* & *Theodebertus*) ex Faileuba legitima Childeberti uxore natus erat: quæ ſi aliquando *Concubina* apud nonnullos Authores dicta legatur, meminiſſe debemus, eâ voce legitimas uxores frequenter deſignatas fuiſſe, quæ ex infimo genere natæ erant. His addit ECKHARTUS Lib. 10. *Rer. Francic.*: Non nocere illi poterat, quòd ex Concubina natus eſſet. Nam tunc apud Francos è Concubinis progeniti à Regno non excludebantur, ùt Genealogia Regum Merovingicorum clariſſimè commonſtrat.

jurati opportunam horam nacti, subitò locum forti militum globo circumfundunt: Protadii vim ultimam metuentis clamor, & strepitus militaris absentem etiam Regem adeo sollicitum habebant, ut Theodoricus ipse laboranti Protadio opem ferre constitueret. At quò minùs in hominis auxilium veniret; à suis cohibitus, id saltem egit, ut Uncilenus Regis nomine factiosis interdiceret facinus. Quod Protadio saluti esse debebat, hoc enimverò ejus acceleravit exitium; missus enim nuncius aliud, ac Rex jusserat, mandatum evulgabat, id maximè mentitus, Theodoricum cupere, ut pacis turbator Protadius protinus è vivorum medio auferatur. Vix dixerat, tum quasi dato signo in tabernaculum omnes irruere, discindere vela, & viâ factâ Protadium singuli singulis ictibus conficere intendunt. Unius igi-
An. 606. tur morte pax fraterna restituta est, infremente Brunechilde, sed
An. 607. *Brunechildis ulciscitur necem Protadii.* (i) Fredegar c. 28. & 29 fœminæ penè inflammatæ necesse erat motos tunc animi componere fluctus, dum ultionem, irámque opportuniùs, atrociúsque postea in necis machinatores (i), ínque Theodebertum profunderet.

3. Theodoricus domesticis his calamitatibus eruditus, meliorem in Burgundiam mentem retulisse credebatur. Nam cùm antea Concubinarum amoribus implicitum viri sancti ad vitam Christianis dignam hortari frustra laborâssent; ipse nunc S. Desiderii Viennensis Episcopi (k), & S. Columbani salutaria monita ultro secutus, *Witterici* Hispaniæ Regis filiam *Hermenbergam*, missâ legatione, in sponsam expetebat (l). Juratâ fide postquam condictæ fuerant nuptiæ; virgo dantium & excipientium plausu Cabilonum in Franciam deducitur. Rex pulchritudine novæ conjugis captus, abdicatâ vetere consuetudine, castos
An. 607. jam inibat amores; & spes erat, Principem aliquando intra Christianitatis leges coërcitum iri, nisi nefasta Brunechildis ambitio conceptam amoris flammam confestim restinxisset. Hæc enim mulier improbo metu agitata, ne sponsa ejusmodi mariti potens, Aviam pristinâ authoritate excluderet, omnia Reginæ facta carpere, spernere genus, formámque; & (si Scriptoribus fides est) etiam diabolicis præstigiis matrimonii usum impedire
An. 608. instituit (m); quibus artibus cùm Regis fastidium, odiúmque in

(k) Anonymus in vita S. Desiderii.
Theodoricus nubit Hermenbergæ filiæ Regis Hispan.
(l) Id. c. 30. Jonas in V. S. Columbani.
(m) Fredegar. c. 30.

in ſponſam concitâſſet, ſummo dedecore abdicata, & dote ſpoliata in Hiſpaniam remittitur, Witterico Gothorum Rege fruſtra de injuria multiplici querente, fruſtra Clotharium & Theodebertum Francorum Reges in auxilium, ultionémque depoſcente (n). *Hermenberga Witterici Regis filia à Theodorico repudiatur.* (n) Id. c. 31.

4. Theodebertus quantò ſegniùs ad alienas injúrias frigeſcebat, tantò ſtudioſiùs ſubinde ad proprias vindicandas exarſit. *Childebertus* Theodorici Pater partem Alſatiæ (*2) Burgundionum Regi moriens tranſcripſerat: at quò minùs hæredi portio ejuſmodi obveniret, Theodoricus ad retinenda oppida animum obfirmabat (o). Belli ſemente jactâ (p), intervenêre Proceres, qui fratribus diem, locúmque dicebant, ubi ſepoſitis armis tranquilliùs contenderent. Saliſſo caſtrum, Argentoratum inter & Tabernas ſitum deſignabatur (q): quorſum cùm Theodoricus ſimplici animo, nec niſi decem virorum millium comitatu cinctus advenerat; Theodebertus contrà haud ſine ſuſpicione fraudis ingentem trahens exercitum, non perorandæ cauſæ, ſed expugnandæ ferebat ſpeciem. Hoc numeroſo milite circumſeptus Rex Auſtraſiæ facilè impetravit à Burgundiæ Principe, quæ vis armata dictaret. Verùm pactis conditionibus Theodoricus adeo non ſtandum eſſe duxit, ut tempus circumſpiceret, quo injuriam ulciſceretur: neque deerat Brunechildis, quæ Theodeberto dudum infenſa, Burgundiæ Regem in arma proliceret. Ad expe-

Controverſia inter Theodebertum & Theodoricum de finibus. (o) Marius Avent. app. p. 217. apud Du Cheſne T. I. An. 610. (p) Fredeg. Chron. c. 37. Aimoinus L. 3. c. 96. Cointius Annal. anno 610. n. 4. (q) Fredegar. c. 38. Jonas in V. Columbani c. 18. & 27. *Fraude vincit Theodebertus.* *Theodoricus contra Theodebertum novum parat bellum.* An. 611.

(*2) FREDEGARIUS cap. 37.: *Anno XV. Regni Theuderici, cùm Alſaciones, ubi fuerat enutritus, præcepto Patris ſui Childeberti tenebat, à Theudeberto ritu barbaro pervaditur.* RUINARTUS in notis ait, *Eliſatiam*, ſive *Alſatiam* Provinciam notiſſimam, ubi Theodoricus apud Marilegium nutritus fuerat, utì refert GREGORIUS TURONENSIS. Ex hoc autem loco OBRECHTUS in Prodromo rerum Alſaticarum meritò eorum opinionem rejicit, qui ſcripsêre, *Aliſatiæ* nomen ante ſæculum octavum nuſquam apud Auctores reperiri. Atque ut conſtet, quos pagos repetierit Theodebertus, FREDEGARIUS innuit: *Theudericus timore perterritus, per pactionis vinculum Alſacios ad partem Theudeberti firmavit; etiam & Suggentenſes, & Turenſes, & Campanenſes.* RUINART per *Suggentenſes* intelligit *Suntgoviam* in Provincia maxima Sequanorum versùs Eliſatiam ſuperiorem; per *Turenſes* accipit *Turgoviam* pagum Helvetiorum inter pagum Tigurinum, & lacum Conſtantienſem. *Campanenſis* nomine hic deſignari putat COINTIUS eam Campaniæ partem, quæ eſt circa Sequanæ ripas, ſupra infráque Trecanum urbem, quam antea Guntramnus tenuerat. Verùm hic pagus haud procul à Sugitenſi & Turenſi videtur abfuiſſe.

expeditionis successum id maximè pertinere visum est, siquidem Clotharius utrique parti medius, nulli vires, auxiliáque sociaret; quare Ducatus *Dentelini* Neustriæ Regi in quietis præmium (*3) condicitur. Post hæc Theodoricus innumerabilem militum copiam Lingonas ducit, ac inde in Austrasiam movens, Nasium (*4), Tullúmque Leucorum capit. Theodebertus ad captæ urbis mœnia, inferior tamen viribus hosti occurrit, unde consertâ acie victus, depulsúsque, per Metensem agrum Coloniam Ubiorum elabitur (r): illinc dum novos ex adsitis Provinciis delectus facit, Theodoricus tempestivè per Arduennam sylvam, pérque fugæ hostilis vestigia secutus, Tolbiacum pergit. Theodebertus Saxonum, Thuringorúmque copiis jam animosior, fratri ultro occurrit, móxque in prælium ruens, haud disparem prioris belli sortem expertus est; alterâ namque, & ferè internecinâ strage afflictus, è medio suorum emorientium cumulo ægerrimâ fugâ se evolvit. Theodoricus Coloniâ, thesaurísque potitus, eò incumbebat, ut fratrem (optatum victoriæ spolium) in potestatem, manúsque retraheret. Ripuarios igitur minis, ac fœdâ vastitate urgebat, dum Regem suum proderent. Captus demum Theodebertus Cabillonum mittitur, ubi in Clericum attonsus, exuere Regiam purpuram, ac ne eam recuperandi spes foret, paulò pòst etiam vitam ponere coactus est (s). Theodoricus altero jam Regno auctior, Metas ad Aviam reversus, duos secum ducebat Theodeberti filios, crudelitatis mox victimas futuras: his sublatis, una restabat filia, in quam ne Theodeberti furor porrò expediret manus, puellæ forma effecerat, cujus pulchritudine Rex penè exarmatus, virginem neci devotam sibi in conjugem, Regínámque destinabat. Urebat id enimverò Brunechildem, nempe de stirpe Theodeberti non tantùm superesse aliquid, sed & in solio regnare. Brunechildis contrà

Theodebertus casus fugit.

(r) Marius Avent. Chr. app. p. 217. Fredegar. Chron. c. 38. Aimoinus L. 3. c. 96.

An. 612.

Retractus è fuga, tondetur, & tandem perimitur.

(s) Marius Avent. Chr. app. p. 217. Fredegar. Chron. c. 38. Jonas in V. Columb. c. 27 Aimoinus L. 3. c. 98. Gesta Reg. Franc. c. 38. Cointius ad an. 612 § 1.

(*3) RUINART in notis ad Fredegarium apud *Bouquet* in Collect. Scriptorum Galliæ T. II. p. 421.: Ducatus Dentelini complectebatur regionem, quæ jacet inter Sequanam, Isaram, seu Oesiam & Oceanum.

(*4) *Nasium* nunc in Barrensi Ducatu situm ad Ornam fluvium, celebre olim fuit, ùt patet ex nummis antiquis, qui ibi frequenter inveniuntur. Vide *Ruinartum* in notis ad Fredegarium c. 38.

trà itura Theodorici consilio, criminabatur incestuosas nuptias, quarum scelere se Rex contaminaturus esset, sin ipse Patruus neptem ex fratre duceret (t). At Theodoricus in stomachantem mulierem multò acerbiùs detonans reponebat: ut quid fratrem eum nunc mentiretur, quem antea Hortulani filium jactitâsset? aut si vera jam tandem diceret, à parricidio haud innoxiam fore, postquam ad Theodeberti fratris cædem consilia, primásque insidias attulisset. Hæc ingenti commotione animi prolocutus Rex, nudato ferro in Brunechildem irruit, lethalem ictum daturus; nisi circumstans Procerum corona Aviam periculo præsenti subduxisset. Necdum Theodorici mens ab æstu quieverat, tum novis motibus irritata est: nunciabatur, Clotharium in Dentelini Ducatum (quem ex nupera pactorum fide suum dicebat) suâpte voluntate involâsse. Non poterat id displicere ei Regi, cui solenne erat, pollicitationes immensas, ubi è re sua foret, aliis admetiri, quin promissa aliquando exsolvere in animum induxisset: quare Theodoricus missis Legatis Clotharium monet, ni toto Regno proscribi malit, parte usurpatâ protinus decedat; stare in armis Austrasiorum, Burgundionúmque exercitum, horum geminatis viribus confectum iri, quod verbis ipse dare detrectaret (u). Clothario multùm metuenti, &, quo facto opus sit, deliberanti hoc felicius accidit, quòd eodem tempore Metis Theodoricus vel Brunechildis dolo (x), aut altiore Numinis vi (y) è vivis raperetur: itaque Neustriæ Regi, antequam is cum hoste congrederetur, spolia legere, & Dentelini Ducatui duo insuper Burgundiæ & Austrasiæ Regna sociare auspicatum fuit.

(t) Aimoin. L. 3. c. 100. Gesta Fr. c. 39. ValesiusFr. L. 17. p. 559. Conf. Cointius ad an. 613. §. 1.

Theodoricus Brunechildi mortem intentat.

An. 613.

Bellum Theodorici contra Clotharium.

(u) Fredegar. c 38. 40. Chronicon S. Benigni.

Mors Theodorici.

(x) Gesta Franc. c. 39. Fredegar. c. 40.

(y) Jonas in V. Columbani c. 28.

ClothariusII. Monarcha totius Franciæ.

5. Brunechildis sive ipsa fati hujus dolosa artifex fuerit, sive ambitionis novâ spe inflata, hocipsum peroptârit; ad mortis nuncium certè gestire visa est: eo quippe consilio ferebatur, ut SIGEBERTO (qui è quatuor Theodorici liberis maximus natu erat) in Regnum suffecto, Avia tutelæ nomine fasces moderaretur (z). Verùm *Arnulphus* & *Pipinus* muliebrem dominatum pertæsi, Proceribus Austrasiæ suadent, Clotharium filiis ex ille-

(z) Marius Avent. Chr. append. p. 40 Fredegarii Chron. c. 40. Jonas in V. Columb. c. 28 Theodor. in V. S. Magni c. 6. apud Surium.

gitimo thoro natis antehaberi oportere (*5). Vocatus itaque Magnatum votis Clotharius, cum exercitu Regnum Austrasiæ ingreditur: jámque Antonnacum (quod Castellum Bonnam, intérque Rheni Confluentes situm est) celeri itinere moverat; tum

Brunechildis Regnum transferre conatur in Sigebertum II.

Brunechildis, quæ cum suis Wormatiæ agebat, Chadoindum & Herponem Legatos mittit, qui expostulent, hâc irruptione Clotharium id demum agere, ut protritis humanis legibus, spretóque consanguinitatis jure, in hæreditatem alienam, quam liberis suis Theodoricus reliquisset, involet, rapinásque de ditionibus alienis exerceat (a). Clotharius contrà respondebat, se non belli, sed pacis studio venisse: ac ne aliud suspicanti mens diversa inesse possit, se in iis, quæ ad rem communem forent, Optimatum judicio, ac placitis staturum. Brunechildem responsum ejusmodi adeo non fefellit; ut, quid Primores Regni, quid Clotharius constitutum haberet, facilè conjiceret; quare cùm in armis jus duntaxat versari conspiceret, Sigebertum cum *Warnagario* Majore Domûs, & *Alboino* inter Austrasios præpol-

(a) Aimoin. L. 4. c. 1. Vita S. Lupi Ep. Sen. c. 6. Fredegarii Chron. c. 40.

Brunechildis Warnagario sibi suspecto machinatur necem.

lente in transrhenanas mittit Provincias, ut Thuringos, aliásque Gentes in societatem belli alliciant. Vix cœperat Brunechildis (utì fœminæ ingenium haud stabile erat) de fide Warnagarii addubitare; tum metûs concepti vi adacta, ad Alboinum dat literas, quibus Magistrum Palatii è medio tolli jubet (b). Alboinus

(b) Fredegar. Chr. c. 40 Aimoinus L. 4 c. 1.

(*5) COINTIUS in Annal. Franc. T. II. ad annum DCXIII. pag. 658. confutat hanc rationem ex AIMOINO, cur Austrasii Clotharium Neustriæ Regem Sigeberto prætulerint, 1. quia Theodorici filii *ex pellicibus* essent suscepti, & *quia erant materno latere minùs nobiles, ad Regni quoque gubernacula impares.* Sed non deerant exempla, quæ Sigeberto, quamvis ex Concubina suscepto, Regnum paternum adjudicarent; anno enim DXI. Theodoricus I (quem Gregorius Turon. L. 2. c. 28. *de Concubina filium* appellat) Clodoveo Patri in partem Regni, sive in Austrasiam successit. Multò turpiores ac sceleratiores extiterunt matres Theodebaldi & Chilperici, quorum ille in Austria post Theodebertum Patrem circa annum DXLVIII.; hic in Neustria post Clotharium Patrem circa annum DLXI. regnare cœpit. Deuteria marito superstite, à quo discesserat, Theodebaldum Theodeberto Regi peperit (ùt *Gregor.* habet L. 3. c. 22.) & *relictâ Deuteriâ, Wisigardem duxit uxorem.* Aregundis vivente adhuc sorore Ingunde, quæ Clothario Regi nupserat, eidem Clothario incestè sociata Chilpericum edidit, ùt habet *Gregorius* L. 4. c. 28; Chilpericus autem Clotharii Senioris & Aregundis filius Fredegundem Pellicis primùm, dein loco Conjugis habuit, ex cáque tum uxore suscepit Clotharium Juniorem, qui Sigeberto, cæterísque Theodorici II filiis expulsis, Austriam & Burgundiam in suam potestatem redegit. His positis concludit COINTIUS: Videat jam Aimoinus, utrùm in eundem potiùs Clotharium, quàm in Theodorici filios jus regnandi debuerit transfundi.

nus lectam epistolam, ne cui de consilio suboleret, in minutas partes discerpens, humi ùt jam inutilem abjicit. Quæ incauta agendi ratio curioso cuidam Conjectori occasionem dedit, disjecta chartæ frusta ita colligendi, ut ex compositis deinde laciniis argumentum proderetur. Warnagarius de Brunechildis insidiis hunc in modum factus certior, subitò benevolentiam in stirpis Burgundicæ odium vertit, mox transrhenanas urbes ac Magnates circumcursans, omnes non ùt antè voluerat, in Brunechildis, sed in adversas partes pertrahit. Deinde quasi re ex votis gestâ ad Reginam reversus, omnia optimo stare loco simulat; atque ut telam, quam alibi cœperat, penè contexeret, dolum alto pectore premens, Brunechildem, filiósque Regios in Burgundiam deducit: illinc Burgundionum pariter animos tentare, ac subinde inclinare Warnagarius aggreditur, tum exitum fabulæ daturus, clam Clotharium monet, ut Sigeberti terras protinus cum suis invadat. Clotharius composito consilio obsecutus, ubi irruperat; Sigebertum non minùs stimulabat Warnagarius, ut hostiliter agenti armatus occurreret. Prope Axonam in Catalaunico campo his artibus duo commissi sunt exercitus (c). Sigebertus, trésque ejus fratres, quid insidiarum lateret, ignari certaminis dant initium; at vix increbuerat prælium, tum Warnagarius apertè nunc agendum ratus, palàm ad Clotharium cum Burgundorum præcipuis manipulis transgreditur: quâ defectione conterritus Sigebertus, unà cum fratribus, diminutíque exercitûs reliquiis fugam capit: quò minùs elaberentur, Araris fluvius moram fugientibus injecit. Intercepti igitur sunt *Sigebertus* Rex, duóque Regii juvenes *Corbus* & *Meroveus*, quarto fratre *Childeberto* equi subsidio Victoris tantisper manibus, non tamen fato se subducente; nam per nemora vagatus, incertum posteris reliquit, utrùm aquis haustus, aut inter feras, latronésque absumptus perierit (*6). Childebertus ut præsenti tantisper se periculo evol-

Warnagarius injuriam illatam vindicat dolo.

(c) Fredegarii Chron. c. 41. 42. Aimoinus L. 4. c. 1.

Proditus Sigebertus unà cum fratribus capitur.

Sigeberti, & fratris ejus Corbi cædes, ac Brunechildis supplicium.

(*6) FREDEGARIUS in Chron. c. 42. ait: *Captis filiis Theuderici tribus, Sigeberto, Corbo & Meroveo, quem ipse* (Clotharius) *de fonte excepit; Childebertus fugaciter ascendens, nunquam postea fuit reversus.* ANONYMUS, qui ad Marii Lausannensis Episcopi Chronicon appendicem scripsit sub Rege Clothario, captos sine discrimine filios esse ait. JONAS in Monasterio Bobiensi Monachus viginti annis seriùs in

evolverat; investigatio acrior in Brunechildem suscepta est. Warnagarius excussis diligenter latibulis, Urbæ in villa Ultrajurani pagi Reginam deprehendit, retractámque Clothario sistit. Increpita primùm de multorum Principum parricidiis (*7), mox cruciatibus addicitur: atque ut animo, quo tot crimina conceperat, priùs, quàm corpore exciperet pœnas; duo nepotes Sigebertus & Corbus sub oculis inspectantis Aviæ trucidabantur (d): Meroveo, quòd Clotharius eum de sacro fonte suscepisset, venia vitæ data est. Peractâ geminorum Principum cæde, Brunechildis toto triduo tormentis subjicitur; inde strigoso Camelo imposita, & inter militum sannas per castra deducta, tandem ad inauditum supplicii genus damnatur; crinibus namque, alteróque pede & brachio ad caudam indomiti equi alligata, per devia & invia raptabatur, majore intuentium horrore, quàm miseræ sensu, cui primus animantis calces elidentis impetus cerebrum, vitámque jam excusserat (e); postea exanimata membra, quòcunque per rupes, sentésque ferebantur, fœdè lacerata, ac divulsa nequidem cadaveris formam reliquêre. Dei misericorditer sævientis consilio hunc exitum Brunechildis passa est: qui dum peccata Reginæ in hac vita punire decreverat (*8), in altera

(d) Marius Avent. Chr. App. p. 217. apud Du Chesne T. I. Script. Fr. Jonas in V. S. Columb. c. 28.

(e) Fredegar. c. 42. Aimoinus L. 4. c. 1. Gesta Reg. Franc. c. 40.

in vita Columbani notavit mortem trium Principum c. 58., quin Childerici fugam afferret. COINTIUS ad annum DCXIII. N. 5. fidem habendam Fredegario inde putat, quia FLORENTIUS Presbyter Ecclesiæ Tricastinæ Rusticulam Monasterii S. Cæsarii Arelatensis quondam Episcopi Abbatissam tradit apud Clotharium falsò accusatam fuisse, quòd *occulte Regem nutriret*, quod Cointius & Eckhartus non de alio, quàm Childeberto intelligi posse affirmant.

(*7) FREDEGARIUS c. 42.: *Clotharius, cùm Brunechildis suo conspectui præsentaretur, & odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei, eoquòd decem Reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigebertus, & Meroveus, & Genitor suus Chilpericus, Theudebertus, & filius Clotharius, item Meroveus filius Clotharii, Theudericus, ejusdémque filii tres, qui ad præsens extincti fuerant; per triduum eam diversis tormentis affectam, jubet priùs Camelo per omnem exercitum sedentem perducere, posthæc comâ capitis, uno pede & brachio ad vitiosissimi equi caudam ligare, ibique calcibus, & velocitate cursûs membratim disrumpitur.* Cointius ad annum DCXIII. à N. 7. ad N. 14. ostendit, Brunechildi perperam tot parricidia objici; nam Theodorici filios duos Clotharius ipse interimi jusserat, & tertius Childebertus in fuga perierat. Constat quoque, Sigebertum Regem, Meroveum Chilperici filium, ac Chilpericum ipsum à Fredegunde Clotharii matre occisos esse: victori tamen omnia dicere licebat.

(*8) AIMOINUS Lib. 4. c. 1. Brunechildem purgat: *Nec Brunechildis ex toto ita vecors extitit, quin Dei ac Sanctorum ejus memorias à Prædecessoribus structas venerabiliter*

altera utique coronârit merita, quæ in Ecclesia non pauca habuit. In sacras quippe res religiosior, innumera monumenta, ac Ecclesias exstruxit, in quarum una Augustoduni ejusdem cineres conquiescunt (f).

Quid sentiendum de Brunechildis funesto exitu?

6. CLOTHARIUS Rex extinctâ Theodorici Regis prosapiâ, universæ Franciæ Imperium adeptus, in Neustria habitare cœpit, Austrasiam ac Burgundiam aliorum interea fidei committens: qui cùm nomine Majorum Domûs Regium ferè his in Provinciis Dominatum exercerent; ex aulæ Præfectis primùm Principes, Procuratorésque Regnorum, dein ipsorum Regum Tutores, postremò ipsi Reges evaserunt. Warnagario rerum, quæ hucusque feliciter gestæ fuerant, Duci atque Authori Clotharius Burgundiam regendam dedit, additâ jurisjurandi religione, quâ Rex pollicebatur, Warnagarium nusquam ab hac potestate dimotum iri: Radoni Austrasia cessit: Herpo Ultrajuranis impositus (g), bene, sed brevi tempore rexit Provinciam, ab æmulis virtutem ejus non ferentibus occisus. Necem integerrimi viri adeo acerbè tulit Clotharius, ut facinus multorum supplicio vindicatum iret (h); quare *Aletheus* Patricius Conjuratorum incentor, quo pœnam evaderet, scelus scelere cumulandum ratus, Leudemundum Episcopum Sedunensem subornat, qui Bertrudem Reginam à Rege, ac vel inde etiam Regnum à Clothario (i) submoveat. Dolus quò succederet, Leudemundus *Bertrudi* perpetuò triste fatum occinebat, quod ejus conjugi immine-

(f) P. Daniel Hist. Fr. T. I. p. 271.

An. 613.

Majoribus Domûs Clotharius Austrasiam & Burgundiam committit.

An. 614.

(g) Fredegar. Chron. c. 43.

(h) Aimoin. L. 4. c. 6.

(i) Fredeg. Chron. c. 44.

Insidiæ Alethei Patricii contra Clotharium

rabiliter excoleret, ipsáque novas fabricando devotè multiplicaret. Nam in Suburbano Laudunensi Basilicam in honorem S. Vincentii construxit, & apud Augustodunum aliam sancto Martino jussit dedicari, usa necessariis ad hoc opus ministeriis venerabilis viri Siagrii, prædictæ urbis Episcopi. Multis quidem & aliis in locis sub nomine S. Martini magnificas fundavit Ecclesias, illum sibi præ cæteris adjutorem fore confidens, & confidendo exposcens. Ædificia sane ab ipsa constructa usque in tempus durantia, ostenduntur tam innumera, ut incredibile videatur, ab una muliere, & in Austria tantummodo & Burgundia regnante, tanta in tam diversis Franciæ partibus fieri potuisse. Plura congessit postea HADRIANUS VALESIUS Lib. XVII. Rer Francicarum. Defensionem quoque pro Brunechilde suscepit MARIANA in Hist. Reg. Hisp. Lib. V. c. 10. Hæc tamen omnia nil aliud probant, quàm quòd sub viro, filióque laudabiliter vixerit; at sub nepotibus eam virtutes vitiis suppressisse quis negaverit, nisi coævis *Fredegario* & *Jonæ* fidem abnuat? Quo non obstante monumenta illa Brunechildi tribui possunt, utpote Ecclesiæ, Monasteria, Castra, viæ militares, de quibus BERGIERIUS Lib. I. c. 27., quæ ædificia ex immensis opibus, quas corraserat, exemplo aliorum Regum (quamvis vitiosorum) fundavit vel exstruxit.

mineret: itaque, ne in illa funesta tempora incideret, è re futurum suadebat, siquidem maturatâ fugâ cum Regiis opibus Sedunum provolet; Adesse jam alium, eúmque Aletheum sanguine nobilissimo ortum, qui ubi potiretur Francorum Imperio, eandem simul in thalamum, simúlque in Regni consortium sit adsciturus. Bertrudis amantior conjugis sui erat, quâm ut his malignis artibus daret locum; quin promissioni insolenti indignata, continuò ad Clotharium Regem se proripit, eíque, quid perfidia alterius suggessisset, fideliter enunciat (k). Insidias suas utprimùm structores fraudis patere cognoverant, præcipitant se in fugam quidem, sed non effugêre manus Principis, qui Episcopo dignam scelere pœnam fuisset admensus; nisi Luxoviensis Abbas infimis precibus Regis iram emollivisset: Aletheo tamen adeo parcitum non est, ut rebellem animum morte luere adigeretur. Hâc ratione etsi incolumitati Regis aliquantùm prospiceretur; annus nihilominus DCXVII. facinus parturiit, quo Regni salus magnopere affligebatur. Longobardi multò antè Francis pro pace impetranda duodecim millia solidorum in singulos annos solvenda condixerant; quod onus cùm Gens iniquiùs ferret, *Agilulfus* Legatos ad Clotharium misit, qui gravissimum tributi genus deprecarentur (l): & quoniam ad inclinandos animos munera plus roboris habent, Regi triginta quinque millia aureorum unâ numeratione repræsentata sunt. Largitio inde non parum probabatur Regi, eoquòd magnitudo summæ, quidquid jacturæ esset, præsenti lucro sarcire videretur: sed quominùs Longobardis annueret, Proceres intercessêre, qui contendebant acriter, minimè abjici oportere id, quod sumptuoso bello vindicandum foret. Hæc mens tamdiu Optimatibus inhæsit, dum & ipsi donis empti, mitiorem sensum de remittendo tributo induissent; quo facto, intellectum est, quantum detrimenti sæpe ab utilitatibus privatis publicæ capiant.

(k) Id. l. c. Aimoinus L. 4. c. 6.

Deteguntur, & puniuntur

(l) Fredeg. Chron. c. 45.

Clotharius II. remittit Longobardis tributum singulis annis pendi solitum,

An. 622. 7. Interea Clotharium universa Regni moles in diem gravabat magìs; quare, ut oneris divideret curam, DAGOBERTUM in Principatûs societatem admittit. Adoleverat ille dudum ad spem Regni ex prima conjuge susceptus; sed matre mortuâ utprimùm novercam Clotharius palatio induxerat, filius, quò longiùs

Clotharius II. Dagobertum filium in Regni consortium admittit.

gius ſubmoveretur litium occaſio, Auſtraſiam regere jubetur (m), iis duntaxat oppidis exceptis, quæ Arduennæ ſylvæ, montiſque Vogaſo adſita, Parens privato ſuo regimini ſepoſuerat (*9): Proviſum etiam de juventæ Regiæ Moderatoribus Arnulfo Metenſi Epiſcopo, & Pipino Majore Domûs, quorum conſiliis Dagobertus uteretur (n). Sub his Rex Auſtraſiæ quatuor jam annos exegerat; tum Clotharius Dagobertum Chilpiacum evocat, ad nuptias cum *Gomatrude* celebrandas: erat hæc *Sichildis* Novercæ ac Reginæ ſoror, cujus connubio, quidquid domeſticæ ſimultatis extitiſſet, ſanari poſſe ſperabatur (o). At vix nuptialis ſolennitas abierat; major diſcordia filium inter atque Patrem gliſcere cœpit. Dagobertum nimirum anxia verſabat ſollicitudo, ne Auſtraſiæ parte unâ ſibi tributâ, Clotharius Parens alteram in Charibertum *Sichildis* filium transferret: itaque dimidiato Regno haud contentus, id quod retentum fuerat, jure quodam, ac contentioſè nunc depoſcebat. Clotharius, quamdiu viveret, hæreditatem debere filio inficiatus, commonſtrabat porrò, in dantis, non recipientis poteſtate eſſe, benefacti fines, limitéſque definire (p). Altercatio ne in bellum cruentum deſineret; cauſa duodecim virorum judicio relicta eſt, qui utprimùm controverſiam diſcuſſerant, omnibus placuit, ut, quæ Arduennnam & Vogaſum interjacerent, Dagobertus reciperet; quid-

(m) Fredeg. c. 47. Aimoinus L. 4. c. 8.

(n) Geſta Dagob. I. c. 1.

Dagobertus apud Clippiacum uxorem ducit Gomatrudem.

An. 625.

(o) Fredeg. c. 53. Geſta Dagoberti I. c. 13.

Diſſenſio Clotharium inter & Dagobertum componitur.

(p) Aimoin. L. 4. c. 12. Geſta Dagob. I. c. 13. in Collect. Script. Fr. apud Bouquet T. II.

(*9) COINTIUS Annal. Eccl. Franc. ad annum DCXXII. N. I.: Auſtraſiæ Regnum Neuſtriam versùs *Arduennâ ſylvâ*, & *Burgundiam versùs Vogaſo monte* ſic circumſcriptum multò minùs, quàm antea patebat; Clotharius enim Diœceſes, *Remenſem*, *Catalaunenſem*, *Meldenſem*, *Laudunenſem*, & *Cameracenſem* ſibi retinebat, *cis Ligerim* cum multis aliis prioribus Auſtraſiæ Regibus trans Ligerim & Rhodanum in Aquitania & in Provincia quondam paruerant. Ad annum verò DCXXV. N. 13., ubi de *pacificatione* Patrem inter & filium agit, ita pergit: Ætatem egit *Fredegarius* in Burgundia, ideóque *Arvernos*, *Albigenſes*, *Cadurcos*, alióſque populos *Aquitaniæ*, qui Regibus Auſtraſiis parere conſueverant, *citra Ligerim* poſitos dixit. Hos in ſua poteſtate retinuit Clotharius cum aliis Provinciæ populis Regno Auſtraſiæ annumerari ſolitis inter Alpes & Rhodanum: talis fuit *Provincia Maſſilienſium*: talis & Diœceſis *Cabellicenſis*. Nihil igitur additum (poſt pacificationem) Dagoberti Regno præter aliquot Diœceſes cis Voſagum & Arduennam ſitas, puta *Remenſem*, *Catalaunenſem*, *Laudunenſem*, & *Cameracenſem*. Meldas autem in ſua poteſtate retinuit Clotharius, quia Meldæ (priuſquam à Theodeberto II. Auſtraſiæ Rege pervaderentur, & ipſimet Clothario ſolius tunc Neuſtraſiæ Regi per vim eriperentur) ad ipſam Neuſtraſiam pertinebant.

quidquid verò trans Ligerim, Rhodanúmque in Provincia situm erat, Clotharius retineret. Pace domesticâ restitutâ, in cæteros hostes, scilicet in Saxones Dagobertus movit (q): Berthoaldus Dux ejusdem Gentis huic bello causam dederat; is enim Francorum pacifica studia imbecillitatis loco habens, tempus hoc armis opportunum judicabat, quo jugum Francorum excutere liceret. Coacto proinde exercitu, Berthoaldus in Dagoberti terras irrumpit; nec minùs strenuè Rex Austrasiæ hosti occurrens, à Patre majores postulaverat copias, quibus rem conficeret. Antea verò quàm filius Patris auxilio firmaretur, Saxones Francos adorti, Dagoberto palmam, non tamen animum eripuêre: ille quippe primo in ordine, támque proximus periculo luctabatur, ut miles, cum quo conseruerat manus, ei partem Galeæ, multúmque crinem ferro impacto exciderit (r). Clotharius de iis, quæ acta citiùs fuerant, monitus, accelerato jam itinere paulò pòst ad Wiseram contendit: illinc hosti adventûs sui daturus indicium, ripæ fluminis, quo castra Francorum, Saxonúmque divisa stabant, venerandus canitie inambulat. Berthoaldum inopina Regis præsentia aliquantùm terruit; sed metu mox in iram verso, Dux cùm sagittas in alterum littus validè ejaculari non posset, convitia in Clotharium projecit. His Rex incensus, subitò in torrentes undas equum præcipitat, & prope insequentibus Francis inter densam telorum irruentium nubem in objectam fluvii crepidinem evadit: Saxones spectaculo ejusmodi exterrefactos, ac ferè victos aggreditur; tum viâ per cædes factâ, in Berthoaldum invectus, multis ictibus convitiatori malignæ linguæ, vitæque usum ademit (*10). Post hæc per Saxoniam profertur strages, & ultio tanto furore ubique exacta est, ut, qui longitudinem Regii ensis (mensuram enim istam Clotharius suis præmonstraverat) staturâ excederet, is occisorum cumulum augere juberetur (s). Internecioni atrocissimæ exiguo tempore Clo-

Bellum contra Saxones.
(q) Gesta Franc. c. 41. Gesta Dagob. I. c. 14.

An. 627.
(r) Gesta Dagoberti I. c. 14. apud Bouquet T. II. p. 583. Gesta Reg. Franc. c. 41. Aimoinus L. 4. c. 18.
Clotharius laboranti filio Dagoberto succurrit, & vincit Saxones.

(s) ibid. l. c. Aimoinus L. 4 c. 18. Gesta Reg. Franc. c. 41. apud Bouquet T. II. p. 567.

(*10) Bellum hoc Saxonicum Dagoberti I. cum Berthoaldo Duce, fictum, falsúmque nonnullis videtur, quia Veteres, & præcipuè *Fredegarius* de hac Historia silent. Unde suspicio oritur, an non inde fabula nata sit, quòd cùm *Berthoaldus* Major Domûs, in duellum provocârit *Landericum*, hic alius, ísque Saxo genere Berthoaldus fingatur, qui cum Dagoberto I. conflixerit. Vide de his plura apud VALESIUM Lib. 18.

Clotharius superfuit, anno vitæ XLIV, Regni XVI extinctus (*11). Non exiguarum virtutum eundem fuisse, Annales perhibent, quarum tamen lucem nimio in mulieres obsequio non parum obscuravit.

Mort Clotharii.

8. Parente defuncto, duo filii DAGOBERTUS & *Charibertus* de Regno certârunt: & primo quidem ob priorem nascendi sortem, ac usum delibati jam Imperii, Neustriæ, Burgundiæque Proceres favebant (t); alterum contrà fratrem Brunulfus tuebatur: sive enim ab indole ignavior ille foret, sive alienis consiliis magis obnoxius, ex iisdem causis transferre Regnum ad Charibertum placebat, ut Brunulfus rerum summam, Rex inane nomen sibi vendicaret. At hominis ambitione, ac salute paulò pòst oppressâ (u), Dagobertus solus regnare cœpit, Chariberto tantùm ad vitam dignè agendam tractu illo relicto, qui ripis Ligeris, Pyreneísque montibus interceptus, pars magna Aquitanici Regni fuit (*12). Primordia Dagoberti haud illaudata fuêre; Provincias namque ad justitiæ leges componens, nullo personarum, opúmve delectu potentium æquè ac infimorum delicta in disquisitionem vocabat, & in pœnam (x). Atque hæc cùm optimè exequeretur, Arnulfi Metensis Episcopi, Pipini

An. 628.

(t) Fredeg. Chron. c. 56. Gesta Dagoberti I. c. 15. 16.

Dagobertus I. Rex & Monarcha Francorum

(u) Fredeg. Chron. c. 58.

Laudabiliter Regnum ordinat.

(x) Aimoin. L. 4. c. 19. Gesta Dagoberti I. c. 17. 18. 19. 20. 21.

An. 629.

(*11) FREDEGARIUS c. 56.: *Anno XLV. Regni sui Clotharius moritur, & in Suburbano Parisiis in Ecclesia S. Vincentii sepelitur.* Annus Regni quadragesimus quintus (ùt notat *Cointius* ad annum DCXXVIII. N. 1.) numeratur ab obitu Chilperici Patris; regnavit enim Clotharius annos duntaxat sexdecim, ex quo Monarchiam Francorum suscepit, ùt habet idem Fredegarius c. 42. Utrobique Fredegarius annos incompletos pro completis usurpat. Clotharius enim in Neustria post Chilpericum regnare cœpit anno DLXXXIV., Monarcha factus est Franciæ anno DCXIII., mortuus est anno DCXXVIII. Regnavit igitur post mortem Patris annos 43. completos, duósque incompletos, quorum altero Regnum iniit, altero amisit. Plures vide Chronotaxeos difficultates hìc solutas apud Cointium l. c. N. 2. 3. 4. 5, 6.

(*12) FREDEGARIUS c. 57.: *Cùm Regnum Chlotarii tam Neptrici, quàm Burgundiæ à Dagoberto fuisset præoccupatum, captis thesauris, & suæ ditioni redactis, tandem misericordiâ motus, consilio sapientum usus, citra Ligerim & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Wasconiæ, seu Montes Pyrenæos, pagos & civitates fratri suo Chariberto ad transagendum, quod ad instar privato habitu ei vivendum potuisset sufficere, noscitur concessisse. Pagum Tholosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his versùs montes Pyrenæos excluditur, hoc tantùm Chariberto regendum concessit, quod & per Pactionis vinculum strinxit, ut ampliùs Charibertus nullo tempore adversùs Dagobertum de Regno Patris repetere præsumeret. Charibertus Sedem Tholosanam eligens, regnat in parte Provinciæ Aquitanicæ.* Unde etiam AIMOINUS c. 78. Charibertum *Regem Aquitaniæ* vocat.

Ab instituto virtutis deficit,

pini Majoris Domûs (*13), ac Cuniberti Colonienfis Antiftitis confilia fecutus: fubinde tamen rerum magna converfio facta eft. Utprimùm enim luftratis aliis Regni partibus, Lutetiam pervenerat; five ab adulatione Principum, five à fecuriore rerum ad vota fluentium profperitate corruptus, à virtutis tramite ad ingentem criminum licentiam defecit (y). Spretis primùm iis, qui meliora fuggefferant, Gomatrudem è thoro abjicit, fterilitatem ejus caufatus; dein (*14) Reginæ ancillam (alii Monialem fuiffe ferunt) probrofo ac nefafto conjugio fibi fociat: incensâ (ùt fit) pravo ufu libidine, mox etiam Berchildem in modum uxoris habere cœpit; quæ flagitia cùm S. Amandus Regi in faciem exprobraret, falutaris moniti aliam non, quàm exilii mercedem retulit (*15). Tertia his acceffit Ragetrudis, quam in

(y) Fredeg. Chron. c. 60. Aimoinus L. 4. c. 20.

Multas uxores fimul ducit,

(*13) Pipinus Landenfis (diverfus à Pipino Heriftallio, & Pipino Brevi, qui Caroli Martelli filius, & tandem Rex Franciæ) Carolomanni *Hasbaniæ Principis filius* fuiffe dicitur, non quòd ejus Parens Principatum gefferit in illa ditione, fed quòd bona infignia ibidem habuerit. In Theodorici Regis aula Magifter Palatii erat, & hoc defuncto, fuâ curâ effecit, ut in Clotharium Auftrafii Regnum transferrent: Major inde Domûs tum apud Clotharium, tum apud Dagobertum filium præpotens fuit, donec Dagobertus in voluptatum licentiam deflueret, perftitit nihilominus in aula ejusdem, & Sigebertum Dagoberti filium fuis etiam confiliis adjuvit. Mortuus eft circa annum DCXXXIX., & *Landis* in oppido Brabantiæ ad Getam amnem fepultus, unde & Landenfis dictus eft; inde Nivellam itidem in oppidum Brabantiæ corpus translatum, ubi in Litaniis invocatur, & Reliquiæ in capfa portatili in diebus Rogationum circumferuntur, non tamen illic, utì nec alibi officio Ecclefiaftico colitur. *Vitam Beati Pipini Ducis* vide apud BOLLANDUM XXI. Februarii p. 260., apud CHESNIUM T. I. Script. Franc. p. 594., demum apud BOUQUETIUM in recenti Collectione Scriptorum rerum Gallic. & Francic. T. II. p. 603.

(*14) FREDEGARIUS cap 54.: *Cùm* Dagobertus .. *per civitatem Senonas Parifios venit, ibique Gomatrudem Reginam in Romiliaco villa, ubi ipfam in matrimonium acceperat, relinquens, eoquòd effet fterilis, cum confilio Francorum Nanthildem unam ex puellis de Monafterio in matrimonium accipiens, Reginam fublimavit.* Similia habet AIMOINUS L. 4. c. 19., dum Nanthildem *de Monafterio raptam* afferit: fed COINTIUS ad annum XXVIII. N. XIV. Fredegarii textum corruptum effe probat ex MS. Jacobi Sirmondi, in quo legitur *unam ex puellis de Minifterio in matrimonium accipiens.* Item VALESIUS in Præfat. T. II. affirmat in MS. Chronico Cœnobii Metenfis, & in Codice Thuaneo, non aliter legi, ac *de Minifterio*: unde concludit Cointius, Nanthildem unam ex miniftris five famulabus Reginæ Gomatrudis, non verò Monialem fuiffe.

(*15) Juxta COINTIUM ad annum 589. n. 19. S. Amandus natus eft anno DCLXXIX. in pago Aquitaniæ Provinciæ Herbatilico: dein in Ogiam Infulam translatus fitam è regione Rupellæ, & in Infulæ Renco, Clericorum, mox etiam Afcetarum inftitutum coluit; deinde Epifcopus creatus, Sclavis verbum Dei prædicavit, circa annum

in Austrasia natam prætextu prolis thalamo admovit. Effrænis libido hucusque Regi hæredem negaverat; quare Ragetrudis nunc prima erat, quæ eodem anno, quo amari cœperat, Sigebertum filium enixa, Dagoberti vota aliquantùm, non tamen cupiditatem nefandam implevisse visa est (z); post hæc enim Rex nihilo castior, inter scortorum innumerabilem multitudinem, famam, valetudinémque absumpsit. Lasciviæ fœditatem Dagobertus avaritiæ sordibus auxit (a). Reversus ille in Neustriam, eleëmosynis, ac sumptuosis substructionibus ærarium penè exhauserat; tum ad inopiam sublevandam acerbas ex civium bonis agebat rapinas: quæ vexatio tantâ insuper atrocitate exercebatur, ut, quantum pius Rex erga Ecclesias; tantum improbus erga pauperes subditos haberetur. Charibertus interea sede Regni sui Tolosæ positâ (contrà ac multorum opinio, spésque fuerat) meliorem Dominationis, vitæque cursum tenuit: cúmque ignavam in ipso indolem non pauci reprehendissent, eâ fortitudine res suas gerebat, ut Vascones trium annorum præliis attritos, domitósque miserit sub jugum (b). Plura fortitudinis, gloriæque suæ dedisset exempla, nisi mors inopina Principem citiùs sustulisset (c). Patrem Chilpericus filius brevì secutus est, sive fato suo, sive (ut creditum est) Dagoberti scelere.

9. Dagobertus post duorum funera, ditiones relictas Imperio suo adjunxit: quibus terris auctus, in Sclavos movit: huic Genti primùm Mæotis Palus, dein regio (d) inter Dravum & Savum amnes sita, ubi olim Pannónia Valeria, sedes dederat (e); ab Hunnis subinde in servitutem pertracta, nihil non egit, ut in libertatem se assereret (*16). Id cùm Sclavi agerent; Samo quidam Senonensis, è Francia mercaturæ causâ in eas terras accesserat, cujus viri ingenium ac fortitudo Barbaris adeo probabatur, ut hunc sibi Regem imponere consensione summâ decernerent (f). Nec spem Sclavorum Samo fefellit; nam Hunnis undique pulsis, victorias suas perpetuò prosequebatur. Cursus hic

An. 630.
Ex Ragetrude Sigebertum suscipit.
(z) Fredeg. Chron. c. 59. Gesta Dagob. I. c. 24.
(a) Fredegar. l. c.
Avaritia Dagoberti.
Charibertus totam Wasconiam suæ subdit ditioni.
(b) Gesta Dagoberti I. c. 16.
An. 631.
Mors Chariberti.
(c) Fredeg. Chron. c. 65. Gesta Dagob. I. c. 25. Chronicon Mossiacense apud Bouquet T. II. p. 651.
(d) Jornandes Get. c. 5. 23.
Bellum contra Sclavos, cognomento Winidos, ejúsque origo.
(e) Procop. Goth. B. L. III. c. 14. 38. 40. L. IV. c. 25. Paul. Diac. L. V. c. 22.
(f) Fredeg. Chron. c. 68.

num DCXXIX. Dagobertum redarguit; unde ab eo in exilium pulsus abiit in Vasconiam. Revocatus à Dagoberto circa annum DCXXX., baptizavit Sigebertum Regis filium, & postea Gandavensium conversioni totus incubuit.

(*16) De *Sclavis* ac *Winidis*, eorúmque origine lege *Hugonis Grotii* Prolegomena in Historiam Gothorum.

hic secundus rerum, sive consuetudo cum Barbaris, Samoni Patriæ amorem ferè omnem eripuerat; unde cùm Mercatores alii ex Francia ad Danubii confinia pergerent, eorum merces à Sclavis diripi, atque impunè illos interfici patiebatur (h). Dagobertus suorum subditorum injurias ulturus, Legatum mittit Sicharium, qui raptas merces, necísque illatæ pœnas à Sclavis reposcat. Samo, ne, quod Jus Gentium præcipit, dare cogeretur; Francorum Oratorem longiùs à conspectu arceri jubet; at Sicharius in artes facilis, & suetâ Sclavis veste indutus, Barbarorum Regi (nullo vetante) se sistit, statímque Francum, & Legatum se professus, postulabat ea, quæ in mandatis acceperat. Peroranti ubi verba vana duntaxat reddebantur; Sicharius contentiosè agendum ratus, Regi in os oggerebat, eum tum Sclavos omnes subditos Dagoberti, ac planè servos esse: acrius dictum Samo dissimulans, leniter reponebat, Sclavoniam utique Francorum Regis fore, siquidem non servitutis, sed amicitiæ titulo ageretur; tum Legatus bile magìs accensus, importuniùs, ferociúsque institit, fieri posse negans, ut Christiani & Dei servi cum canibus partem, fœdúsque habeant. Hæc enimverò contumelia omnem spem pacis non poterat non profligare. Samo quippe in iram nunc magìs effervescens, aut Sichario illudens referebat (i): Vos Christi famuli, nos canes simus, sed meminisse te velim, canum esse, id morsibus ulcisci, quod famuli pravè ac nequiter contra Heri jussa prævaricantur; atque his dictis confestim Legatum à conspectu, totóque Regno expelli jussit. Dagobertus nuncio de eventu legationis accepto, exercitum cogit, simúlque Longobardos & Alemannos in belli societatem adsciscit. Triplicis hujus exercitûs diversa planè fata fuêre; nam Longobardi & Alemanni cùm ubique vincerent, Austrasii soli à Sclavis vincebantur. In Vogastrum castrum (k) præcipua pars Barbarorum se receperat; tum Franci feras reti inclusas, & exitio destinatas jam victimas esse rati, negligentiùs hostes obsident: at hi in securius agentes, improvisâ eruptione invecti, tantam dedêre stragem (l), ut ab hoc tempore Sclavis in Thuringiam, proximâsque Austrasiæ Provincias licenter debacchari facile fuerit (m). Quemadmodum verò Dagoberti miles hoc tem-

(h) Aimoin. L. 4. c. 23.

Sicharii legatio ad Sclavorum Principem Samonem.

(i) Fredeg. Chron. c. 68. Aimoinus L. 4. c. 23.

Dagobertus fœderatos sciscit contra Sclavos.

(k) Wendelin. in LL. Salic. p. 105.

(l) Fredeg Chron. c. 68.

Franci à Sclavis vincuntur.

(m) Id. l. c.

tempore ingenti socordiæ maculâ notari cœpit; ita paulò pòst Rex ipse immanis perfidiæ & crudelitatis labe fœdatus est. Bulgari seu ab Hunnis debellati, seu sedibus pristinis depulsi, à Dagoberto novam Patriam expetebant: quam ubi Rex in Bajoaria tantisper indulserat (n), dividi eos per plures urbes, domósque, & omnes (si paucos excipias) intra unius noctis spatium, ac somno sopitos insolitâ barbarie, & violato hospitii jure trucidari jussit. Sclavi interea Soraborum & Bohemorum viribus aucti, ac populabundi in Thuringiæ agros remeabant; quibus grassationibus cùm Dagobertus exercitu accinctus obviam iret, Saxones Moguntiam usque (eò enim jam Rex pervenerat) occurrunt, pollicitatione amplâ confirmantes, suâ operâ æstum belli compressum iri (o); nec laboris aliud se præmium poscere, quàm ut quingentarum vaccarum tributum à se pendi solitum remittatur. Conditione admissâ, postquam recesserat cum suis Dagobertus; Saxones velut metu soluti, juratam etiam super arma fidem (*17) exsolvere cunctabantur. Dagobertus ubi inaudiit perfidiam Gentis, quâ nec reprimere Sclavum, nec solvere vectigal in animum induxisset; ad arma Francos rursus vocat; sed Austrasii ob molestas Saxonum grassationes, tum etiam ob tributa immensa, quibus à Dagoberto emungebantur, Regi non dissimulanter infesti, dare nomina pernegabant. Seditione jam latiùs invalescente, Proceres Dagoberto authores erant, ut gratum magis Regem Austrasiæ, eúmque SIGEBERTUM filium præficeret (*18), cujus suavior Majestas Francos armaret. In consilium ægrè Dagobertus tandem adductus constituit, ut Sigeber-

(n) Fredeg. c. 72. Gesta Dagob. I. c. 28.

Bulgari à Bajoariis unâ nocte, jussu Dagoberti occiduntur.

An. 632.

(o) Fredeg. c. 75. Gesta Dagob. I. c. 31. Chronicon Mossiacense.

Dagobertus filium seu puerum Sigebertum creat Austrasiæ Regem.

(*17) *Juramentum super arma* receptum & solenne erat apud Septentrionis populos, hinc FREDEGARIUS c. 74 de Saxonibus, & GESTA DAGOBERTI I. c. 31.: *SAXONES autem ... sacramentis (ut eorum mos erat) super arma patratis, pactum pro universis Saxonibus firmant.* DANI apud Eginhardum anno 811.: *Condicta inter Imperatorem, & Hemmingum Danorum Regem Pax.... in armis tantùm jurata servatur.* BAJOARII in LL. Tit. 16. § 6. de teste sortito vel nominato: *Juret ille taliter, & dicat: Ad testem sortitus sum, & ad testem me facere volo. Adprehendat manum proximi sui, & dicat: Sic verò Deus adjuvet & illum, cujus manum teneo, quòd ego ad testem illum inter vos per aurem tractus fui, de ista causa ad veritatem dicendam. Tunc solus juret cum sua manu, postea donet arma sua ad sacrandum, & per ea juret ipsum verbum cum uno Sacramentali.*

(*18) Ab hoc tempore Critici existimant, *Majores Domûs* suam potestatem in immensum auxisse, ita ut Reges eorum prope servi, aut saltem clientes forent.

(p) Fredeg. Chron. c. 75. Gesta Dagob. I. c. 31. An. 633. (q) Eckhart. in Dagob. I. p. 204.

gebertus Metis velut in Regia sede Austrasios moderaretur (p), adjunctis insuper Cuniberto Coloniæ Antistite, & Adalgisclo Magistro Palatii, qui adolescentem pro tutoribus regerent: horum sapientiâ ac fortitudine Vinidorum ac Sclavorum audacia repressa est (q).

Clodoveus Dagoberti filius nascitur. An. 634. (r) Aimoin. L. 4. c. 27. (s) Fredeg. c. 78. Aimoinus L. 4. c. 28. An. 635.

10. Austrasiis postquam novi Regis auspicia bene evenerant; Neustrasiis quoque ac Burgundis sequenti anno suus Princeps obtigit (r): susceperat nempe Dagobertus ex Nanthilde filium, cui Clodovei inditum nomen, simúlque Regnum Neustriæ & Burgundiæ assertum est (*19). Lætitiam communem, quæ ex ortu Regiæ sobolis nascebatur, motus Vasconum turbavêre (s): Grassatorum licentiam, quâ Francis sæpiùs jam incommodaverant, Dagobertus tanto loco habuit; ut duodecim Duces delectos in rebellium catervam immitteret, à quibus partim cæsi, partim fugati, cùm in armis præsidium nullum porrò reperirent, Regis clementiam appellârunt. Rex quominùs hostibus petitam veniam negaret, Britonum tumultus impediverunt: Judicahil Aremoricorum Princeps (contra pactorum, quæ olim Britones inter & Francos intercesserant, datam fidem) Regni Francici limites populatus, in se Dagoberti curas, armáque vertebat: antequam verò consererentur manus, priùs legatione, & linguæ officio rem exequi placuit (t). Eligius proinde sanctitate morum æquè, ac civili prudentiâ clarus, ad Britonum Principem mittitur, qui injuriæ emendationem reposcat (*20). Non

(t) Fredeg. c. 78. Gesta Dagob. I. c. 38. *Bellum contra Britones feliciter legatione componitur.*

(*19) COINTIUS ad annum 638. N. 87.: Clodoveus annum ætatis quartum agebat, tum Dagoberto Patri successit in Neustriam, & in Burgundiam, Ducatu Denteleni, quem Austrasii aliquando Neustrasiis eripuerant, Neustriæ iterum attributo regionem istam inter Sequanam, Isaram & Oceanum jacentem (teste Fredegario c. 20.) Theodebertus II. anno DC. Clothario per fraudem ac vim eripuerat: tum Theodoricus anno DCXI. hunc tractum rursus Clothario reddendum promisit, si eo tempore neutrius esse vellet, dum inter Theodoricum & Theodebertum arma fervebant, ùt habet Fredegarius c. 37.; unde à Clothario post conditionem impletam occupabatur anno DCXIII., sed Theodoricus promissi pœnitens, armis repetere ditionem parabat: tandem anno DCXXXIV. Neustriæ legitimo jure Denteleni tractus redditus est. Vide Fredegarium in Chronico c. 76.

(*20) S. Eligii Episcopi Noviomensis vitam, miracula, legationem ad Armoricos, ejúsque prædicationem apud Flandros, Antverpienses, Frisios, Suevos, Cortracentes Audoenus reliquit, & COINTIUS latiùs ad annum 634., 635., 640., 641. &c. commemorat. Obiit anno 658., ùt Mabillonius Sæc. III. Benedict. p. 613. demonstrat.

Non exigui ponderis authoritatem viri fuiſſe, inde compertum eſt, quòd Britonem non tantùm ad conſilia pacis inflexerit, ſed & ipſe Judicahilus Eligium in aulam Franciæ ſecutus, petitâque errorum veniâ, ſe Dagoberti Stipendiarium profiteretur (u). (u) ibid. l. c.

II. Rebus Regni hunc in modum compoſitis, Dagobertus ex tot turbarum, criminúmque abyſſo longiùs ad vitæ finem, æternúmque Regnum proſpiciens, malefacta benefactis obruere, & piâ in Eccleſias liberalitate mercari inſtituit, quod avaritiâ, rapiníſque viſus fuerat perdidiſſe (x). Atque ut pœnitentiæ, ultimæque voluntatis teſtimonium daret iis, quibus olim inſpectantibus deliquerat, Proceres, liberóſque ſuos in Bigargium Palatium convocat: illinc ubi ſublimis ſolio, & coronâ redimitus conſederat, exhibitis mutati animi rationibus, Baſilicarum inibat numerum, quibus opes ſuas tranſcriptas vellet; deinde Antiſtites Eccleſiarum precabatur, ut tribus poſt obitum annis ſuî memoriam facerent, & tribus per ſingulas hebdomadas diebus in animæ ſuæ ſolatium in ara ſacram hoſtiam immolarent (*21). Hæc à ſe dicta poſtquam Rex ex ſcriptis tabulis latiùs

Dagobertus I. in melius mutat animum.

(x) Geſta Dagoberti I. c. 29. 27. 39. 52.

Ejus teſtamentum.

(*21) ANONYMUS in Geſtis Dagoberti c. 39.: *Eodem anno Dagobertus Rex poſtquam omnes Gentes, quæ in circuitu Regni ſui erant, ſubjugaverat, & opitulante Domino jam pace firmatâ, filióſque ſuos Sigebertum & Hendovium (ut ſuprà diximus) Reges deſignaverat, conſilio divinitus inſpirato, convocatis filiis, omnibúſque totius Regni Primatibus, X. Kal. Junias in Palatio Bigargio Placitum generale inſtituit. Cúmque (ùt Francorum Regibus mos erat) ſuper ſolium aureum coronatus reſideret, omnibus coram poſitis ita exorſus eſt: Audite, ô me vos Reges, & dulciſſimi filii, omnéſque Proceres, atque fortiſſimi Duces Regni noſtri! priuſquam ſubitanea tranſpoſitio mortis eveniat, oportet pro ſalute animæ vigilare* &c. Inde latè orationem Regis Geſta Dagoberti proſequuntur apud COINTIUM T. III. ad annum 635. n. 8., & apud BOUQUETIUM T. II. p. 591. Eundem Dagoberti ſermonem breviùs contraxit AIMOINUS L. 4. c. 30. HADRIANUS VALESIUS totius hujus conventûs acta in dubium trahit Lib. 19. Hiſt. Rer. Franc. 1. Quia Fredegarius de hoc conventu ſilet. 2. Sigebertus annum ſextum ætatis agens, cùm paulò antè in Auſtraſiam miſſus ſit, quis credat eum tam citò revocatum? 3. Reges Franciæ tunc aureâ coronâ non utebantur, ſed circulo gemmis ornato. 4. De Palatio Bigargio nullibi apud Veteres mentio: COINTIUS ſubſcribit opinioni Valeſii. Sed ad I. ℞. argumentum negativum, ſe ſolo nil admodum probare. Ad II. ℞. non difficile creditu eſſe, Sigebertum, ut teſtamento adeo ſolenni intereſſet, ex Auſtraſia evocatum fuiſſe. Ad III. apud Blancum, alióſque Numiſmatum tractatores Regum capita etiam coronis radiatis decorata videre licet. Ad IV. ℞. Mabillonius Rei Dipl. L. 4. p. 251. indicat, duplicem in Pago Pariſiaco locum eſſe, *Garges* ſive *Gargiæ* dictum, unúmque in veteri Catalogo nuncupari, non

latiùs recitari mandâsset; instrumentum quatuor exemplaribus conscriptum est, quorum unum Lugduni, Parisiis alterum, tertium Metis, postremum in Thesauro Regio asservaretur (y). Conventu dimisso, Dagobertus in diem pejùs habere cœpit; dum demum anno Æræ DCXXXVIII., Regni verò XVI. in villa Sequanæ ripis adsita, alvi profluvio prostratus est (z). Ad extrema deductum famuli in Basilicam S. Dionysii deportant; ubi Clodoveum filium, ac Nanthildem uxorem Ægæ Palatii Magistro commendans, spiritum Creatori reddidit (*22).

(y) Gesta Dagoberti I. c. 39.

Mors Dagoberti I.

An. 638.

(z) Fredeg. in Chr. c 79. Gesta Dagoberti I. c. 52. 53.

Clodoveus II. Rex Neustriæ & Burgundiæ.

12. Mortuo Dagoberto, CLODOVEUS sub tutela Ægæ constitutus *Neustriam* & *Burgundiam* regendam suscepit (a): reliqui Patris thesauri trifariàm divisi, partim in filiorum Regiorum, partim in matris *Nanthildis* facultates devenêre (b). Admirationis tamen illud non parum habuit, quòd, cùm Sigeberto minor Regni pars obtigisset, nulla inter fratres, fratrúmque Ministros discordia suborta sit. *Ægæ* & *Pipini* sapientiæ ac virtuti id maximè debebatur, quòd cupiditate repressâ, tranquillitas inviolata consisteret; sed felicem hunc rerum cursum mors utriusque paulò pòst interrupit. Anno enim DCXL. postquam Æga tum in Neustria, tum in Burgundia Palatii Magister (c) è vivis decesserat (*23), agente Nanthilde, gemina præfectura in

(a) Fredeg. c. 79. 80. Gesta Dagob. I. c. 55.

(b) Fredeg. c. 85. Gesta Dagob. I. c. 56

Mors Ægæ & Pipini Magistrorum Palatii.

An. 639.

(c) Fredeg. c. 83. Gesta Dagob. I. c. 47.

An. 640.

non procul à Crodoldo ac Bonogilo villis etiam Regis; alium ejusdem nominis vicum esse Parisiis trans Sequanam prope Rocconis-Curtem ac Versalias. Utrumque *Bigargii* appellationem retulit.

(*22) BOLLANDUS ad diem XIV. Kal. Februarii refert, Dagobertum in Codicibus MSs. *Sanctum* & *Beatum* appellari, non tamen arbitratur uspiam coli. Quiescit Dagobertus in Basilica Monasterii Dionysiani, & ab illius loci Monachis nec Beatus, nec Sanctus prædicatur; in eadem enim Æde pro illius anima preces quot annis funduntur. Certè qui beatum aut sanctum dicunt, solâ innituntur visione, quam Monachus Dionysianus, & Author Gestorum Dagoberti c. 43...45. recitat. Vide *Cointium* ad annum 638 T. III. p. 44. 45. Cæterùm ad Chronologiam Dagoberti I. addendum est, quòd *Bucherius*, *Petavius*, & *Sirmondus*, ac *Chiffletius* XVI. annos Dagoberti ab obitu Patris Clotharii computârint, atque ita mortem ejus in annum demum DCXLIV. retulerint. Sed *Valesius* primus fuit, qui annos Regni ejus in meliorem ordinem digessit, eósque ab anno DCXXII., quo à Patre Rex Austrasiæ dictus est, inchoari, & usque ad annum DCXXXVIII., quo obiit, continuari ostendit. *Cointius* ad annum DCXXXVIII. N. I. huic sententiæ adstipulatus est, utì & *Acherius* & *Mabillonius*, item *Henschenius* & *Papebrochius*. Epitaphium Dagoberti liliis ornatum recentioris est sæculi, quod Valesius solidè probat.

(*23) FREDEGARIUS Ægæ elogium c. 80. ita describit: *Æga verò anno primo Regni*

in duos ita distributa est, ut *Echinoaldus* apud Neustrasios, *Flaccatus* apud Burgundos (*24) rerum potiretur (d). Nova hæc Magistratuum partitio tumultibus initium, fomitémque dedit: Echinoaldum Ægæ successorem aliquantùm pungebat, quòd dimidiatum beneficium accepisset; majorem verò invidiam æmulorum Flaccatus inde patiebatur, quòd, cùm esset homo exterus, neque multis indigenis splendore generis aut opum comparandus, Burgundis antehaberetur. *Villebaldus* Ultrajuranus Patricius clientum numero, ac divitiis potentior, inter præcipuos erat, quem peregrini dignitas urebat (e): itaque ille Flaccatum palàm contemptui habere, ac injuriis affligere non destitit. Ardens in ultionem Flaccatus jam Procerum conventum Cabiloni (etiam præsente Rege) coëgerat, hostem suum in quæstionem aut pœnam vocaturus; vocanti quidem Villebaldus paruit, sed Nobilium agmine, & propemodum ad bellum instructo stipatus: quare, ne subsellia Procerum ad eam diem sanguine respergerentur, infectâ re discessum est. Flaccato inde animus erat, non jure, sed armis cum hoste publico contendere: & protinus in Villebaldum irruisset, nisi Nanthildis defunctæ obitus Magistrum Palatii Parisios ad novas curas evocâsset. Hoc verò curato funere, prior acerbitas recruduit; nam ex mandato Regis Villebaldus Augustodunum ire compellitur: tergiversanti mittuntur obviam, qui falsâ spe delusum in exitium pelliciant (f).

(d) Fredeg. c. 84. Gesta Dagob. I. c. 38

(e) Fredeg. Chr. c. 89. 90.

Villebaldus Flaccati æmulus in Burgundia & Neustria tumultus excitat.

An. 641.

(f) Fredeg. Chron. c. 90. Aimoinus L. 4. c. 40.

Pre-

Regni Chlodovei, imminente secundo ejusdem Regni anno, condignè Palatium gubernat, & Regnum. Ipse namque inter cæteros Primates Neptrici prudentiùs agens, & plenitudine sapientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Erátque genere nobili, opibus abundans, justitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis; tantummodo à plurimis blasphematur, eoquòd esset avaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ jussu Dagoberti in Regno Burgundiæ & Neptrico inlicitè fuerant usurpatæ, & Fisci ditionibus contra modum justitiæ redactæ, consilio Æganis omnibus restaurantur. IDEM cap. 83.: *Anno III. Regni Clodovei Regis* (an. 640.) *Æga in Clippiaco villa vexatus à febre moritur.*

(*24) AIMOINUS Aurelianos *Caput Regni Burgundici* vocat, quia subactis à Clothario & Childeberto Burgundionibus, ita inter quatuor Clotharii liberos Regna divisa sunt, ut pleraque Regni Aurelianensis, quod Clodomeris fuerat, cum tota Burgundia & Provincia Arelatensi Guntchramnus obtinuerit; quibus deinde, mortuo Chariberto fratre suo, Regni Parisiaci eximiam partem adjunxit, & posthabitis Aurelianis, Clodomeris quondam Regiâ, *Cabilloni* Regni sedem constituit. Huic verò omnes regiones junctæ, & quidquid aliàs Guntchramnus possederat, *Burgundiæ* nomen tunc acceperunt, ac usque ad Theodoricum Clodovei junioris filium retinuerunt. Vide *Eckhart* Lib. XIII. Rer. Franc. p. 216.

Precibus armatis adactus Villebaldus, venit quidem, sed non sine militum globo, ut, si vis ingrueret, hanc depellendi copia foret. Non enim ex vano suspicabatur, Flaccatum venienti armatâ manu occursurum: quod ubi propior factus ita se habere vidit, indignanti similis cæco impetu in Flaccatum, sociósque fertur; sed fortunâ spem, conatúmque destituente, confossus cecidit (g): nec Flaccatus diuturnum voluptatis ex vindicta sensum percepit, febri non procul Latona extinctus (h).

Villebaldi exitium.

(g) Iidem loc. cit.

Mors Flaccati.

(h) Fredeg. c. 90.

An. 642.

13. Quas turbas in Regno Burgundiæ mors Ægæ cieverat, has ab obitu Pipini Austrasia experta est. *Otto* Sigeberto Regi familiaris, gratiâ Patris Uronis Regis in pueritia bajuli apprimè florens, spem vacuæ præfecturæ jam devoraverat; tum *Grimoaldus* Pipini filius, Genitoris meritis confisus, idem officium sibi jure hæreditario poscere non dubitavit. Magna inde lis Regis palatium distraxit, dum tandem Leutharius Grimoaldi beneficio devinctus, Ottonem oppressit, æmulationis incendium, quod ab honoris scintilla inflammatum fuerat, unius competitoris sanguine restinguens (i). Præter domesticas pugnas etiam in longè dissitis Provinciis certatum est. Radulfus Dux Thuringiæ inito cum Sclavis fœdere, Faróque Austrasiæ Principe sibi adjuncto, in Sigebertum rebellabat: Rex pristinum ab homine stipendiario obsequium exacturus, Rheno superato, primò adversùs Farum in extimis Hassiæ finibus obvium arma movet; quo certaminis celeritate fuso, victor Regius miles per Buchonicam sylvam in Thuringiam properat (k). Radulfus Fari fato terrefactus, in munitum castrum prope Unstrutum se cum uxore, liberísque recipit, à belli casibus, quid fortuna ferret, opperiens. Sigebertus, ùt hostem declinâsse pugnam audiit, castrum obsidet; & metuentem Radulfum festinâ tunc aggressione opprimere facile erat, nisi Ducum pugnantes opiniones, & non obscura proditio victoriæ spem corrupissent. Dum enim alii citra cunctationem castro vim admovendam suadent, alii contrà fessum de via militem causati, negabant primo & cæco impetu pugnandum. Nec tantùm consilium, sed & ipsa expeditionis susceptio diversa fuit: Bodone nimirum cum suis eluctante in arcem, Grimoaldus cum reliqua exercitûs parte in castris con-

Otto & Grimoaldus certant de Præfectura Palatii.

Cædes Ottonis

(i) Fredeg. c. 88.

Author Vitæ Sigeberti c. 4. apud Bouquet T. II. p. 601.

Radulfus Thuringiæ Dux contra Sigebertum Austrasiæ Regem rebellat.

(k) Fredeg. c. 87.

Auth. Vitæ Sigeberti c. 4.

Conf. Vales. Hist. Franc. l. 20.

Idem Francos cædit & profligat.

confidebat. Radulfus simultate per proditores acceptâ, subitò è Castello in assilientes prorumpit, abactósque Austrasios ferro delet. Rex procul insidens equo, suorum inani questu cædem prosequebatur: & quoniam in paucis belli reliquiis exigua spes erat, postridie in pudendas pacis conditiones concessit, scilicet, ut Radulfus nullius deinceps obsequio obnoxius, Thuringiam gubernaret (l).

Sigeberti pax probrosa cum Radulfo.

(l) Fredeg. c. 87.

14. Sigebertus ab hoc tempore in exstruendis, dotandísque Cœnobiis piam operam posuit; Sancti inde nomen promeritus, animam ad Cælites transmisit, postquam tribus supra viginti annis regnaverat (m). Corpus ejus Metis tumulatum est in Basilica S. Martini, quam Ecclesiam Rex vivus suis sumptibus erexerat (*25). Antequam Sigebertus fato fungeretur; Dagobertum teneræ admodum ætatis filium unà cum Imnechilde Regina fidei Grimoaldi commendabat (n): sed hic Major Domûs Regno inhians, non sine perfidiæ scelere Austrasiæ Dominatum suo filio Childeberto asseruit; & ne Dagobertus aliquando Francorum oculos, animósque sollicitare posset, eum monasticâ veste indutum, & à Didone Pictaviensi Episcopo in Hiberniam procul abductum Cœnobio (*26) inclusit. Ad declinandam facinoris invidiam ex composito vulgabatur, Dagoberto humanitus quid accidisse: atque ut mendacium plebi persuaderetur, funebris pompa quasi defuncto Regi adornata est (o). His artibus utcunque Grimoaldus facilè credulis imponeret; aliunde tamen nova tempestas in eum detonuit. Clodoveus Rex Neustriæ sive

Sigeberti pietas & mors.

(m) Vita Sigeberti c. 5.

An. 656.

Grimoaldi Majoris Domûs perfidia in Sigebertum & Dagobertum filium.

(n) Gesta Fr. Reg. c. 43. In vita Sigeberti apud Bouquet T. II. p. 602.

(o) Henschen. de tribus Dagobertis L. II. c. 2.

(*25) De anno, quo obiit Sigebertus, inter Chronologos non exigua est controversia; nam VALESIUS annum DCL. designat: COINTIUS annum DCLIV.: MABILLONIUS annum DCLV.: BARONIUS annum DCLVII.: HENSCHENIUS annum DCLVIII.: SIGEBERTUS GEMBLACENSIS in Chronico obitum affigit anno DCLVI., cui nos subscribimus. Sigebertus enim anno DCXXXIII. Rex renunciatus est, regnavítque annis 23., ut habet antiquissimus Index Regum Francorum, quem *Du Chesne* inseruit Tomo I. Scriptorum p. 781. Cæterùm Idem *Gemblacensis* vitam Sigeberti Austrasiæ Regis scripsit, quæ habetur apud *Bollandum* 1. Februarii.

(*26) SIGEBERTUS GEMBLACENSIS in vita Sigeberti Regis; *Mortuo Sigeberto Rege, Grimoaldus Major Domûs Dagobertum filium ejus suæ fidei commendatum, ut Austrasiorum potiretur Regno, tonsoravit in Clericum, consilio Didonis Pictaviensis Episcopi, qui fuit avunculus S. Martyris Leodegarii, & per manum ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irrevocabili; filium verò suum Childebertum Austrasiorum Regno constituit Regem.* Similia habent GESTA REGUM FRANC. c. 43.

Occiditur à Clodoveo Grimoaldus.

(p) Flodoardus Histor. Eccl. Rhem L. 2. c. 7. Conf. Valeſ. Fr. l. 20.

An. 656. *Mors Clodovei II.*

Dagobertum mortuum, ſive exulem crediderit; certè ægerrimè ferebat, ab extero præripi Regnum (p): inſidiis itaque paribus doloſum hominem aggreditur, & mox captum Pariſios deduci curat, ubi à Magnatibus Majeſtatis violatæ damnatus, unà cum filio ſeptem menſium Rege ſupplicium ſubiit. Quo facto, Clodoveus Franciæ univerſæ Dominatum minimè tamen diuturnum obtinuit; nam annus, qui eum Monarcham Francorum viderat, idem mortis funeſtam victimam deploravit (*27).

Clotharius III. Monarcha Franciæ

(q) Fredeg. Chr. Contin c. 91. 92.

(r) Id. c. 94.

An. 660. *Childericus creatur Rex Auſtraſiæ.*

(s) Vita S. Bathild, c. 3. 4. Cointius Annal. 665. §. I.

15. Clodoveus ex *Bathilde* (*28) Saxonum Gente oriundâ conjuge tres ſuſceperat liberos, CLOTHARIUM, CHILDERICUM, & THEODORICUM; horum natu major, ùt Pater in vivis eſſe deſiit, aliquo tempore univerſæ Franciæ Imperium adeptus eſt (q), Bathilde matre cum Magiſtro Palatii Erchinoaldo Regnum adminiſtrante. Aliquos annos hic rerum ſtatus in Francia tenuit; tum agentibus Proceribus, Childerico Auſtraſia tributa eſt (r), Theodorico in nullam partem admiſſo, cujus juventus interea à Wulfoaldo ad majores ſpes educabatur. Partitione Regni factâ, Neuſtraſii in diverſa ſtudia diviſi ſunt: querebantur horum non pauci, Bathildem Sigebrandi Epiſcopi Pariſienſis ſuperbiam nimiùm fovere; jámque ſeditioſiùs concitati, Præſuli necem machinabantur (s). De Bathilde cùm non vana ſuſpicio

(*27) CONTINUATOR FREDEGARII c. 91.: *Chlodoveus in Regno pacem habuit abſque bello. In extremis verò vitæ annis amens effectus, vitâ caruit, regnavitque annos XVIII.*, ſcilicet completos; & quoniam anno DCXXXVIII. Regnum iniit, habebis annum DCLVI. emortualem. Vide *Diſſertationem* MABILLONII *de anno mortis Dagoberti I., & Clodovei Junioris*, quæ in Analectorum T. III. extat.

(*28) ANONYMUS, ſed Synchronus apud Bollandum XXVI. Januarii: *Baltildis* (quæ & Baltechildis, Bathildis, Baltis, Baldetildis ab aliis vocatur) *de transmarinis partibus vili pretio venumdata huc advenit, receptáque eſt à Principe Francorum, viróque illuſtri Archinoaldo quondam, in cujus miniſterio ipſa adoleſcens honeſtiſſimè converſata eſt, ita ut pia ejus converſatio & admirabilis complaceret tam Principi, quàm & omnibus ejus Miniſtris;.... & in tantum felicem famam promeruit, ut Matronâ supradicti Principis Archinoaldi defunctâ, ei complacuiſſet, ut denuo ſibi Baltidem honeſtiſſimam virginem in thoro matronali ſociaret. Quam rem ipſa comperta, latenter ſe & ſtudioſe ab ejus ſubtraxit aſpectu .. Et tum ibi demum Baltidis puella inventa eſt, nutu Dei veri, ut quæ Principis nuptias devitaverat, poſtea Chlodoveum Dagoberti quondam Regis filium in conjugium acciperet.... In quo gradu ipſam divina diſpenſatio decreverat honorare, ut, dum Miniſtrum Regis* (Archinoaldum) *contempſerat, ad Regis copulam perveniret, atque ex ipſa Regalis ſoboles procederet.* Vide Cointium ad annum DCLXV. N, I.

ſuſpicio eſſet, eam amiciſſimi Sigebrandi fatum aliquando ulturam; ſceleri ſcelus addendum rati, Reginam coëgerunt, ut abdicatâ tutelâ filii, in Calenſe Monaſterium, quod non ita pridem exſtruxerat, ſecederet. Nihil optatius Bathildi accidere poterat, ut quæ aulæ dudum pertæſa, in hoc aſceterium eò celeriùs provolabat, quò ardentiùs dudum expetierat, tandem terreni Regni curas cum grandiore animæ negotio permutare (*29). Bathildis ubi ex aula extulerat pedem; è Francorum Regno pax & tranquillitas abiiſſe viſa eſt. Echinoaldo optimo viro, & Palatii Magiſtro defuncto, *Ebroinus* malignarum artium homo ſucceſſerat (t); ac ne quid ad tumultuum ſementem deeſſet, Clotharius eodem tempore, ſolio, vitâque deceſſit (u): tum enimverò aliis Childericum ad ſceptrum vocantibus, Ebroinus THEODORICUM natu minorem ad Regnum evehit, certus de Dominatu in juvenem Regem, cui ſuâ operâ purpuram addixiſſet. In ipſa tamen inaugurationis ſolennitate offenſa gravior apud Proceres inita eſt (x); agente enim Ebroino, cavebatur, ne quis Optimatum creationi Regis intereſſet: id cùm Francos ſummopere morderet (*30), Theodoricum æquè, ac Ebroinum attonſos, & injecto cucullo, Monaſteriis partim Luxovienſi, partim Dionyſiano includunt. Fomite belli reſtincto, CHILDERICUS magnâ omnium bonorum exſpectatione gubernaculis admovetur (y). Sed imprudentia Adoleſcentis, aſſentatoribus, volu-

Bathildis mater Clodovei aulâ exigitur.
An. 665.

Echinoaldo ſuccedit in Præfectura Palatii Ebroinus.

(t) Fredeg. Contin. c. 94. Vita S. Leodegarii c. 3.

An. 670.

Mors Clotharii III.

(u) ibid. c. 93

Theodoricus III. Rex Francorum.

(x) Vita S. Leodegarii c. 3 in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. II

Childericus II Rex Francor.

(y) Geſta Fr. Reg. c. 44. Vita S Leodegarii apud Bouquet T. II. p. 613.

(*29) IDEM in vita cap. 7. l. c. virtutes Bathildis in Cœnobio deſcribit: *Ipſa piiſſimo affectu diligebat ſorores ùt proprias filias, & ſanctæ Abbatiſſæ earum obediebat ùt matri, & miniſterium exhibebat eis, ùt viliſſima ancillula ex ſancta devotione. Inſiſtebat aſſiduè orationi devotæ cum lachrymis, & divinam lectionem ſæpiùs frequentabat. Conſolationem verò continuò per ſacram exhortationem, & frequentem viſitationem infirmorum faciebat* &c. Mortua eſt anno 678., & ſepulta B. Bathildis in Eccleſia S. Crucis, quam conſtruxerat: ad ejus tumulum varia mox fulſerunt miracula. Vide COINTIUM ad annum 678 T. III. Annalium p. 788.

(*30) ANONYMUS in vita S. Leodegarii apud Cointium ad annum 669. N. 12.: *Cùm Ebroinus* (poſt Clotharii mortem) *ejus Germanum, nomine Theodoricum, convocatis Optimatibus ſolenniter (ùt mos eſt) debuiſſet ſublimare in Regnum; ſuperbiæ ſpiritu tumidus, eos noluit deinde convocare. Ideo magìs cœperunt metuere, eoquòd Regem, quem ad gloriam Patriæ publicè debuerat ſublimare, dum poſt ſe retineret eum pro nomine, cui malum cupierat, audenter valeret inſtare. Cúmque multitudo Nobilium, qui ad Regis novi properabant occurſum, mandante Ebroino, itineris accepiſſent repudium, inito in commune conſilio, relicto eo omnes expetunt Childericum Juniorem, ejus fratrem, qui in Auſtraſia acceperat Regnum.*

voluptatibúsque obnoxia, ita in præceps paulò pòst agebatur, ut Leodegarium Augustodunensem Antistitem, famâ sanctitatis inclytum, è Palatio in Luxoviense abigeret Cœnobium, ne posset erranti pia monita porrò oggerere (z). Crudelitas & superbia postquam Regem in omne flagitiorum genus (dissimulante Wulfoaldo Palatii Magistro, vel etiam adjuvante) devolverat; unum tandem facinus criminum mensuram implevit. Erat Bodilo generis nobilitate inter Francos insignior, quem Childericus pro sua libidine stipiti alligatum flagris dirissimè cædi jusserat: injuriam utì corpore Bodilo, ita animis Franciæ Proceres sensêre, & indignissimè ferentes in nobilem sanguinem tam vilibus modis sævìri, adversùs Regem conspirant (a). Bodilo (quem vindictæ cupido maximè urebat) furoris faces præferens, in Latonia sylva Childerico struit insidias; dúmque Rex parvo comitatu venationi dabat operam, eidem violentas injicit manus: mox ferrum à sanguine filii Childerici calens in Bilehildem uxorem, Regináմque stringit, prægnantémque utero ferit, interficítque (b).

(z) ibid. c. 5.

An. 673.

Bodilo occidit Childericum.

(a) Fredeg. Contin. c. 95. Gesta Reg. Franc. c. 45.

(b) Gesta Fr. Reg. c. 45. Vita S. Leodegarii c. 7. Chronicon Moissiac. ap. Bouquet T. II. p. 652.

16. Post cædem Childerici Theodoricus detracto cucullo, purpuram rursus induit; simúlque ex Cœnobio Leodegarius in aulam revocatur: hujus consilio potissimùm actum est, ut Leudesius Echinoaldi filius (nam Wulfoaldus, cognitâ Childerici morte, in Austrasiam salutis causâ profugerat) Præfecturâ Palatii donaretur. Mutatio rerum cùm pristinas spes non minùs Ebroino injecisset; is suo Monasterio elapsus, & ad Theodoricum armatus venit, dignitatem etiam vi repetiturus, quam alius Leudesius sibi præripuisset. Æmulus itaque hic primus erat, quem Ebroinus suæ ambitíonis victimam designabat (c); hoc necato, in omnes, qui suis cupiditatibus adversabantur, desævìit: mox truculentus carnifex in sanctissimum Præsulem Leodegarium exarsit. Viri cunctis acceptissimi authoritatem sive impius suo honori noxiam, aut ejus virtutem suis vitiis acerbam existimârit; certè è luce publica Antistitem tollere animus erat: eo consilio Leodegarium orbatum oculis unà cum fratre Gerino in Monasterium relegat (d).

Theodoricus redit ad Regnum.

An. 674.

(c) Fredeg. Contin. c. 96. Gesta Reg. Franc. c. 45. Chronicon Moissiacense p. 652.

S. Leodegarii vexatio.

(d) Vita S. Leodegarii c. 10. apud Bouquet p. 619. 630.

17. Dum Neustriam & Burgundiam in servitutem penè redigebat Ebroinus; Austrasiis fortuitò occasio oblata est, quâ se à mon-

monstrosa tyrannide liberarent: Dagobertus II. jam per octodecim annos (*31), ex quo à Grimoaldo in Hiberniam deportatus fuerat, omnibus ignotus sub cucullo latebat; tum repentè præter opinionem, nautarum indicio significatur, Dagobertum vivere. Imnechildis Sigeberti vidua, ac Austrasiæ Proceres ad hoc nuncium erecti, in Hiberniam mittunt Legatos, qui Regium Principem in Regnum reducant: Catalaunum prima urbs erat, quæ redeuntem Regis nomine salutabat (e). De his ut primùm Ebroinus in Neustrasia audiit, cùm mitescere debuisset, ferocior evasit: crudelitatis insolitæ exemplum daturus, Leodegarium, ejúsque fratrem Gerinum è Monasterio rursus proripit ad nova supplicia (f). Antistes sanctus carnificinam haud reformidans, Tyranno scelera in os objectabat; unde Ebroinus bile magìs accensus, Gerinum palo alligatum lapidibus obrui, & Leodegarium post abscissa labia, linguámque evulsam in Cœnobio ad diuturniora tormenta servari jubet. Interea Dagobertus omnes Austrasiæ ditiones jam sibi subegerat (*32), si Massiliam, aliásque regiones nonnullas excipias (g), quas ne Theodoricus Dagoberto dimitteret, Ebroinus malignis consiliis persuaserat. Austrasiis id justa belli causa visa est; quare Edicto publico (quod *Heribannum* vocant) quicunque cives vocantur ad arma:

Dagobertus II. in Austrasiæ Regnum revocatur.

(e) Mabillonius in Præf. Sæc. IV. Acta SS. Ord. S. Bened P. I. §. 9. &c.

(f) Anonymus in V. S. Leodegarii c. 12. apud Bouquet T. II. p. 619.

Crudelitas Ebroini in S. Leodegarium

(g) Valesius Franc. L. 22. Cointius ad an. 673. §. 19. Henschenius de tribus Dagobertis.

An. 678.

(*31) EDDIUS STEPHANUS in vita *S. Wilfridi* c. 27. loquens de S. Viro hoc, cùm Romam pergens, in itinere Dagobertum inviseret, addit: *Nam supradictus Rex in juventute sua ab inimicis regnantibus in exilium pulsus, navigando ad Hiberniam Insulam (Deo adjuvante) pervenit, post annorum circuitum amici & propinqui Ejus viventem, & in perfecta ætate florentem à Navigantibus audientes, misêre nuncios suos ad B. Wilfridum Episcopum, petentes, ut eum de Scotia & Hibernia ad se* (in Angliam) *invitâsset, & sibi* (Austrasiis) *ad Regem emisisset* (sive mitteret, ut regnaret apud eos) *& sic S. Pontifex n[illegible]er perfecit, suscipiens eum de Hibernia venientem per omnia ditatum, & viribus so[illegible]um* (Principum Anglorum) *elevatum ad suam regionem emisit.*

(*32) COINTIUS ad annum 673. n. 13. Dagobertum Regem in Thuringia cum uxore sua habitâsse tradit ex Chronicis MSs. MATTHÆUS MARIANUS in Topographia Archi-Episcopatûs Moguntini, cùm agit de Heiligenstadio Eichsfeldiæ urbe primaria, quem locum sua exordia Dagoberto debere ajunt, castrúmque illic exstructum, quod *antiquum Burgum* etiamnum appellatur, eidémque divinitus ostensas Reliquias Ss. Aurei & Justini Martyrum, ob quorum memoriam *Heiligenstadt* loco nomen sit factum, atque ob Basilicam liberalibus impensis ædificatam, & Collegium Canonicorum amplâ dote instructum, etsi eorum quædam à posteris, potissimùm à Rabano & Willigiso Archi-Episcopis Moguntinis credantur adjecta.

arma: atrox utrinque, sed breve quoque bellum fuit; nam eodem anno debellatum, pacémque restitutam Annales perhibent (h). Ebroinus etsi hoc modo arma poneret; minimè tamen Dagoberti odium deposuit; nam anno sequente Regem, cùm is in Vaurensi sylva venatione animum levaret, insidiis circumventum trucidavit (*33). Ingemuit ad funus sui Patris tota Austrasia, & plura Monasteria suo Fundatori piè parentârunt (*34): atque ut Ecclesia religiosissimi Regis merita remuneraretur, eundem sacrâ apotheosi in Cælitum album retulisse creditur (i).

(h) Anonymus in V. S. Salabergæ apud Eckhart. L. 14. rer. Fr. §. 6.

Mors Dagoberti II.

(i) Cointius ad a. 680. §. V Confer Pagium in Crit. ad a. 678. § 12

18. Equidem post Dagoberti mortem in Theodorici fidem jurare Austrasiis haud dubitatum erat: at ut Ebroinus vir crudelissimus in ea Regni parte Majoris Domûs præfecturam sortiretur, id in animum inducere nullus poterat (k); quare Martinus Dux, & Pipinus Andegisili (*35) filius populo præficiuntur,

(k) Gesta Fr. Reg. c. 46. Fredegarii Contin. c. 97.

(*33) De morte Dagoberti II. EDDIUS in vita Wilfridi c. 31. ait, *per dolum Ducum, & consensu Episcoporum occisum esse.* HENSCHENIUS in Dissertatione de tribus Dagobertis in MS. Martyrologio Adonis, quod auctum extat in Monasterio S. Laurentii juxta Leodium ad diem 23. Decembris, testatur ibidem legi: *Eâdem die Passio S. Dagoberti Regis Francorum, qui quâdam die pergens venatum in sylva Vaurensi, in loco, qui dicitur Scortias, tribus milliaribus distante à fisco Sataniaco* (Stenay nunc urbe munitâ ad Mosam) *in quo ipsè morabatur, à filiolo suo* (*nomine Joanne*) *X. Kal. Januarii martyrizatus est, & ab Angelis deportatus ad Societatem Martyrum.* Vide etiam MABILLONIUM Præf. Sæc. III. P. 2. observ. 7. Act. Ss. Ord. S. Bened. COINTIUS ad annum 680. n. 4. ait: Quo lethi genere Dagobertus interierit, nusquam exprimitur. Violentâ morte creditur periisse, quia bellum gessit adversùs Theodoricum Neustriæ Regem, & ejus corpus in hostili mansit potestate, sepultúmque fuit Rothomagi.

(*34) ECKHARTUS Lib. 15. Rer. Franc. p. 263.: Tribuitur nunc ab Eruditis Dagoberto II. constructio aut dotatio Monasteriorum *Saraburgensis*, *Haselacensis*, *Horreensis*, *Regio-Pontani.*

(*35) CONTINUATOR FREDEGARII c. 97. *Pipinum* hunc vocat *filium Andegisili quondam Franci nobilis*, sive Regii domestici, cujus mater Begga, uxores verò *Alpais* & *Plectrudis*: filii *Carolus*, *Drocus* seu Drogo, & *Grimoaldus*: cæterùm varia apud Scriptores nomina sortitur; nam à Fortitudine dicitur *Magnus*: ab obeso corpore *Crassus*: ab arce Herstall (quæ ad Mosam non procul Leodio stetit) *Herstallius.* Vide MABILLONIUM in Diplomat. LIV. n. 66., item VALESIUM in notis Gall. p. 242. Præterea adverte, eundem Pipinum quandoque à Scriptoribus appellari *Seniorem*, interdum *Juniorem*, quod ita intelligas, nempe Pipino ab iis Junioris tribui nomen in fragm. de Major. Domûs, qui illum cum Pipino I., quique sub Clothario Major Domûs fuerat, comparant: ab aliis verò Seniorem dici apud Bollandum 8. Jan. in vita S. Gudulæ c. 4., qui eundem considerant utpote Avum Pipini III. sive *Brevis*, qui Præfecturæ Palatii Regiam potestatem ac dignitatem sociavit.

tur, Ebroino admodum repugnante. Verbis primùm, dein etiam armis tamdiu certatum est, donec Austrasiis victis, Martinus Laudunum, Pipinus aliò in Austrasiæ recessus dilaberentur (l). Ebroinus ubi cognovit latere Martinum intra Lauduni mœnia, perjurio Ducem in casses agere statuit: Episcopis scilicet duobus, Ægilberto Parisiensi, & Regulo Rhemensi injungebat, ut Laudunum profecti, Martinum ad colloquium invitarent, præstito super Lipsanothecas jurejurando, quo incolumitatem Martino sponderent. Illi rem dolo confecturi, ridiculâ religione super capsas reliquiis vacuas sacramentum dixêre (*36), quo sacrilegio cùm Martinum extra urbem Estrecum usque pellexissent, idem ab Ebroino confestim perimitur, fidem ac Superos nequicquam implorans (m). Eodem tempore Leodegarius ex Parthenone, cui inclusus tantisper fuerat, ad conspectum Ebroini rapitur: sanguinarium latronem minimè movebant prodigia, quibus vir sanctus refulgebat (*37), quin signis cælestibus irritatus, Thaumaturgo ferro caput demessuit. Ad hæc scelerum monstra Theodorici stupiditas cùm omnino conticesceret; effusus tamen sanguis ultionem inclamabat: neque diu hæc aberat, nam Ermenfredus injuriâ ab Ebroino lacessitus, finem tandem grassationi truculentæ imposuit; nocte is intempestâ in ædes Ebroini irrumpens, incautum interfecit (n). Austrasii à tanto periculo vix respiraverant; tum Varadonem Magistrum Palatii constituunt: hâc tamen dignitate viro optimo diu frui non licuit;

Martinus & Pipinus Majores Domûs in Austrasia.

(l) Gesta Fr. Reg. c. 46. Sigebert. in Chron. ad an. 687.

An. 680.

Martinus sacrilegâ perfidiâ proditus occiditur.

(m) Contin. Fredeg. c. 97. Valesius Fr. L. 22.

S. Leodegarii Martyrium.

Ebroini cædes.

An. 681.

(n) Gesta Fr. Reg. c. 47. Fredegarii Contin. c. 98.

(*36) Juramenti ad Ss. Reliquias crebra fit mentio apud PP. *Augustinum* ep. 137., *Gregorium M.* L. 5. epist. 33. L. 7., apud alios Scriptores, *S. Audoënum* L. 2. de vita S. Eligii c. 56. 59. 75., *Gregorium Turonensem* L. 1. Mirac. c. 39. 58. 74. &c., *Aimoinum* L. 3. c. 30. *In Lege Frision.* Tit. 3. §. 3. Tit. 12. §. 1. Tit. 14. §. 3. Præstabatur autem ejusmodi sacramentum tactis ipsis sanctis Reliquiis; uti Lex Alemannica declarat Tit. 6. §. 7., *ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant.* Vide plura apud Cangium in Glossario.

(*37) ANONYMUS in vita S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi: *Is, postquam in Monasterio Fiscanensi per biennium ferè sub custodia sedit, linguâ præcisâ, solitum recepit officium. & magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo* &c. IDEM in vita c. 14. Sancti describit Martyrium, ad quod antequam Præsul duceretur, refert Author, quòd Ebroinus *reduci eum præceperit ad palatium, ut in Episcoporum Concilio ejus disrumperet vestimentum, quatenus ob hoc ei esset interdictum, ut ultra offerre non præsumeret Sacrificium.* Hoc signum tunc usitatum erat in Depositionibus Episcoporum aut Sacerdotum.

(o) Annal. Metenses. Cont. Fredegar. l. c. *Varado, & ejus filius Gislemarus Majores Domûs in Austrasia.*

licuit (o); nam Gislemarus Varadonis filius, homo æquè sagax, ac perfidus, Patri veluti per ætatem infirmo clavum indigno facinore abstulit, tenuítque non minore ferociâ, quàm quâ rapuerat. Primam vim in Pipinum, Austrasiósque vertit: quos cùm armis vincere non posset, plures perjurio deceptos in exitium illexit; sed sacrilegæ perfidiæ ac crudelitatis pœnas paulò pòst dedit, ictu apoplectico repentè oppressus (p). Ad Patrem Waradonem inde potestas Regni, & hoc defuncto, ad Generum Bertharium devoluta est (q): levitas hominis Francis summopere displicuit, ac ubi in Optimates furiosiùs egerat, odio Gentis, & maximè Pipini premi cœpit. Hic enim amicorum injurias, suas esse ducens, in Theodoricum æquè, ac in Bertharium movebat arma, tum ut Regi ad omnes questus obsurdescenti sensum redderet, tum ut incentorem malorum ex aula profligaret (r). Prope Veromanduos postquam infestis animis pugnatum est; Bertharius in fugam actus perimitur: Theodorico cum thesauris Regiis potestas aufertur, solo Regis nomine relicto. Ab hoc tempore summa rerum penes Pipinum fuit, qui, ut Regni statum ad pristinas leges ordinaret, Optimates ab exilio revocatos in consilium adhibuit, & pro more Gentis cum toto populo Kalendis Martii convenit, ad ea emendanda, quæ Regum ignaviâ neglecta fuerant. Interiore compage Reipublicæ compositâ, Pipinus iis Gentibus bellum indixit, quæ socordiam Regum in suam rem vertentes, se Francorum Dominationi penitus subduxerant. Inter has præcipui erant Frisones, quorum Princeps Radbodus non tantùm Francicum exuerat obsequium, sed & potentiâ verè Regiâ, nullíque obnoxius maritimas regiones à Rheno usque ad Egidoram Holsatiæ fluvium cum suis Insulis possidebat. Huc ergo Pipinus copias, huc belli primam procellam concitabat: pugna utrinque magnis animis gerebatur, sed dispari exitu; nam Radbodus victus, fugatúsque, pacem petere coactus est, quâ se, suósque Pipini Regno subdidit, & datis obsidibus, tributum solvere promisit (s). Bello Frisonum confecto, Pipinus collegit conventum Procerum, in quo de utilitatibus Ecclesiarum, Orphanorum ac Viduarum tractatum est. Ex his negotiis non parum inclaruit Pipini fama etiam apud exteros; nam Legatis

An. 684. *Mors Gislemari.*

(p) Iidem l. c.

(q) Gesta Reg. Fr. c. 48. Contin. Fredeg. c. 99. *Bertharius Major Domûs perimitur.*

(r) Contin. Fred. c. 100. Vide Pagium ad an. 687. §. 10. Annal. Metenses a. 690.

An. 688. *Pipini cura circa Rempublicam.*

Radbodus Dux Frisonum rebellat.

An. 689.

(s) Annal. Metens. ad a. 691. 692.

An. 690. *Pipini authoritas apud exteros.*


REGNUM
FRANCORUM
sub
Regibus Primæ
Stirpis.
BRITANNIA MAIOR quæ et Insulæ Cantu Pars
ALBION IS
OCEANUS BRITANNIC
Fretum
OCCIDENTALIS
GALLICUS
OCEANUS
LUGDUNENSIS
NEUSTRIA
TERTIA
Britanni
Armoricanus
BELGICA SECUNDA
AUSTRASIA
FRANCIA
GERMANIA SECUNDA
WESTPHALIA
GERMANIA MAGNA
SAXONES
THURINGIA
FRANCIA ORIENTALIS
GERMANIA PRIMA
ALAMANIA
BAIOARIA
BURGUNDIA
ALPES GRAIÆ et PENNINÆ
LONGOBARDIA
GALLIA CISALPINA
ALPES MARIT
AQUITANIA
AQUITANICUS
OCEANUS
NOVEM
POPULANIA
VASCONIA
SEPTIMANIA
NARBON
PROVINCIA
MARE GALLICUM
MARE LIGUSTICUM
MARE TYRRHENUM
Corsica Insul
Astures
Cantabria
HISPANIÆ PARS
GOTHIA
Geneva
Lugdunum
Vienna
Massilia
Arelas
Burdegala
Tolosa
Santones
Argentoratum vel Strateburgum
Danubius
Padus

Legatis circumſitarum omnium Gentium ad hunc Ducem confluere, & repræſentatis donis expetere fœdera frequens ac ſolenne fuit (t).

(t) Annales Metenſes ad an. 692.

19. In Regno ordinando ubi multam operam Pipinus collocaverat, etiam ſuæ ſtirpi proſpectum ibat: ex *Plectrude* conjuge duos numerabat filios (u), quorum uni Drogonis, alteri Grimoaldi nomen. In his ad altiora formandis cùm Pipinus admodum laboráſſet, *Drogonem* Burgundiæ Ducem creat; *Grimoaldum* verò ad ſummam Palatii præfecturam evehere conſtituebat (x). Sed ſpes, quas Parens de utroque filio conceperat, mors eorum præmatura intervertit. His duobus ex alia matre tertius ſubinde acceſſit filius, *Carolus*, cognomine *Martellus* (y), paterni honoris ac poteſtatis diuturnior hæres futurus; nam cùm apud Francorum Reges mos ille minimè laudatus, ac Chriſtianis legibus contrarius inoleviſſet, ut uxoribus repudiatis, alias ducerent, Pipinus quoque in locum Plectrudis, Alpaidem admiſit, quæ deinceps thori conſors, Parénſque Caroli celebrata eſt.

(u) Geſta Reg. Fr. c. 48. Cont. Fredeg. c. 100.

Filii Pipini Majoris Domûs.

(x) Annales Metenſes ad an 693.

(y) Geſta Reg. Fr. c. 49. Cointius ad an. 688.

Carolus Martellus.

20. Annus XIX., ex quo Theodoricus regnaverat, utì Regi fatalis, ita Pipino bene ominatus fuit; vacuum quippe à morte Principis ſolium potentiſſimo Majori Domûs ferè tempus obtulerat, ſed ille re magìs, quàm nomine contentus, authoritate ſibi retentâ, titulum Regium in Clodoveum Theodorici filium etiamnum puerum tranſtulit (z). Pipini dominatio eò gratior Magnatibus erat, quò majorem rationem cujuſcunque dignitatis in negotiis, conſiliíſque haberet: atque inde evenit, ut idem Palatii Magiſter ad annum DCXCV. Clodoveo funeſtum, ſummâ tranquillitate Regnum moderaretur. Regi mortuo ubi parentatum eſt, ejus frater Childebertus (volente rurſus Pipino) Regio nomine cohoneſtabatur (a): primordia tamen hujus Regni Friſonum in novum bellum prorumpentium motus turbavêre. Radbodus turpe ſibi eſſe ratus, ſi cum ſuis Genti alteri ſerviret, nupero fœdere reſciſſo, ad arma alterâ jam vice convolabat: Pipinus limites Franciæ laceſſenti occurrens, novo prælio rebellem vincit, victúmque (quod mireris) ex hoſte amicum, ac ſocerum facit. Nam Radbodus acie fuſus, poſtquam Pipino ſtatum tributum pactus fuerat, ejus quoque filio Grimoaldo

An. 691. *Theodorico III Regi ſuccedit Clodoveus III.*

(z) Annales Metenſes ad an. 693. Cointius ad an. 692.

An. 695. *Mors Clodovei III.*

(a) Annales Metenſes ad an 695.

Childebertus III. Rex Francorum gerit bellum contra Friſones, aliáſque Germania Gentes.

moaldo Teutsindam filiam post aliquot annos in uxorem, pignúsque pacis tradidit (b). Quemadmodum verò pax ejusmodi Reipublicæ non parva commoda tulit; ita & Ecclesiæ ingentes fructus per Frisiam, sanctorum virorum fidei dogmata disseminantium operâ, legere licuit. Florentissimo rerum cursu cùm Pipinus ubique uteretur; mors inopina ei Drogonem filium ac Burgundiæ Ducem eripuit: cujus funeris acerbitatem ut Major Domûs leniret, in ejus Principatum primò, dein etiam in Neustriæ præfecturam (mortuo Notkero) alterum fratrem Grimoaldum suffecit. Vix dolorem hoc modo discusserat, tum Pipinum in Alemanniam & Sueviam novi tumultus excivêre (c); quibus tandem armorum vi aliquantùm compressis, Childebertus Rex Francorum moritur anno DCCXI. Hujus exuviæ uti Cauciaci in Basilica S. Stephani honorificum tumulum nactæ sunt; ita Dagobertus III. Regis defuncti filius gloriosum in Regio solio ortum accepit (d).

(b) Gesta Reg. Fr. c. 49. Cont. Fredegar. c. 102.

An. 700.

(c) Cointius ad an. 709.

An. 708.

An. 709. 710. 711.

Mors Childeberti III.

(d) Annales Metenses ad an. 710. Chronicon Medardi. Gesta Reg. Franc. c. 50. Erchunberti Breviar. apud Bouquet T. III.

Historia de Heptarchia Anglo-Saxonum in Britannia.

§. V. *BRITONUM & SCOTORUM controversia de ritibus, & de celebrando Paschate diu agitata tandem componitur. In CANTIO jam fideles florent Reges, Ethelbertus, Edbaldus, & Ercombertus. ORIENTALES SAXONES anno 604. cum Seberto Rege fidem amplectuntur. In NORTHUMBRIA Edvinus Rex Primus baptizatus est anno 627. ORIENTALES ANGLI cum Erpenvaldo Rege Baptismo lustrantur anno 632. OCCIDENTALES SAXONES Rex Kinegislus suo exemplo ad Christum adduxit anno 635. MERCII convertuntur anno 653. sub Rege Penda. AUSTRALES SAXONES sub Rege Edilwalchio fidei lucem accipiunt anno 661. Inde Insula in varias virtutes effloruit, & Romanam Sedem Reges coluerunt. Ex Britannia, & ex Hibernia varii Apostoli prodeunt ad salutem Germaniæ.*

1. Post-

1. POstquam Germanæ Anglorum, Saxonúmque Gentes Britanniam vario Marte subactam, & in septem Principatus, aut Regna divisam gubernare cœperant; Britones in eam Insulæ partem (quæ *Cambria* primùm, postea *Wallia* dicta est) confugêre: illuc cùm ex tota Patria sua nihil admodum, præter ingens in hostes odium, vanásque sine viribus iras intulissent; *Æidano* Scotorum Regi supplices, id maximè rogabant, ut junctis armis in vicinum Northumbriæ Regulum movere, atque, hoc devicto, spem recuperandæ Britanniæ per totam Insulam proferre aggrederetur. Æidanus seu Saxonum fortunæ invidens, seu miserorum exulum precibus adductus, ETHELFREDUM Northumbrorum Principem lacessit bello, sed adeo infelici, ut exercitu exutus, cæteris Scotorum Regibus animum ademerit, adversùs Anglorum Gentem prælio decernendi (a).

An. 603. *Æidani Scotorum Regis funestus cum Ethelfredo Northumbriæ Rege conflictus.*

(a) Beda Lib. I. c. 34. Fordenus in Scoti-Chronico.

2. Infausta pugnæ alea etsi arma Britannis aliquantùm excusserit, non tamen ab omni simultate cessatum est: viderant illi ETHELBERTUM Cantii Regem ab idolis ad Christi castra transiisse, jâmque *Augustinum* id agere, ut præter dogmata Christiana etiam ritus, quos ex Romano fonte hausisset, Saxonibus inculcatos velit (b). Mordebat id enimverò Britones, & cunctis acerbum erat, cum iis in unitatem fidei conjungi, à quibus animo infesto diffidebant: doctrinâ tamen cùm discrepare altercantibus haud tutum foret; de ritibus controversia, ac in Wigorniensi Synodo (c) quidem agitabatur. Britonum accitos Præsules monebat Augustinus, ut, quoniam in Christi scholam Anglo-Saxones æquè, ac Britanni coivissent, ad unam mystici corporis compositionem formandam, rituum quoque concordiam spectarent: itaque tria à septem Episcopis (nam totidem è Britonum Gente duntaxat aderant) enixè deposcebat (d), ut Paschæ diem Dominicam celebrando, tempus non à decima quarta Luna ad vigesimam, sed à decima quinta ad vigesimam primam, more Romano metirentur (*1). Præterea, ut in Baptismo

An. 604. *Britones Anglo-Saxonibus infesti.*

(b) Alfordi in Annalib. Eccl. Anglo-Saxon. T. II. ad an. 604.

(c) Huntindon. L. 3. p. 325. Alfordi l. c. n. 3.

Errores Britonum circa ritus Ecclesiasticos.

(d) Beda L. 2. c. 2.

(*1) ALFORDI in Annal. Ecclesiæ Anglo-Sax. ad annum 603. N. 3.: Cambri, quos ad montes & extrema Insulæ coëgerat Saxo, Christum quidem, & omnia, quæ fidem spectant, colebant integrè; tamen iniquitate temporum, bellorúmque inju-

ptiſmo miniſtrando, & in prædicatione Verbi Divini non aliam locarent operam, quàm quæ rituum unitate Religionis unitatem Neophytis comprobaret (*2). Obſiſtebant hortanti Auguſtino primùm Epiſcopi Britonum, malignè ſuſpicati, colloquio ejusmodi id demum quæri, ut Eccleſiæ Britannorum Dorobernenſi (cui Auguſtinus tunc præerat) ſubjiciantur. Verboſiùs ſubinde, ac pertinaciùs cauſa peracta eſt, ubi in cœtum Monachi Banchorenſis Cœnobii doctiſſimi pervenerant; hi enim palàm conquerebantur, Auguſtinum magno elatæ mentis indicio, ingredientibus haud aſſurrexiſſe (*3). Britanni ubi levicula de cauſa obſtinâſſent

Cauſæ, cur Auguſtino Britones obſequi noluerint.

riâ preſſi & depreſſi mores, in barbariem ferè, & alienos aliquando ritus abierant. Dudum ſiluerant armorum ſtrepitu ſanctiores literæ, quas cùm à Romano fonte non poſſent de more derivare, neſcio, quas fæces, damnatóſque ab antiquo ritus hauſerant. Hinc Paſchatis diem, non ùt Nicænus Canon ſanxerat, nec ùt Græci & Aſiatici faciebant (hi enim Paſchæ diem celebrabant ſive in Dominica, ſive in alia die, in quam Luna decima quarta incidiſſet) ſed more proprio, ex ſola tamen calculi ignorantia ſervabant, & pudendo ab Anglis odio diſſidentes Chriſtianam illis fidem inviderant. Sed & *alia plurima* (inquit Beda L. 2. c. 2.) *unitati Eccleſiæ contraria faciebant.*

(*2) BEDA Lib. 2. c. 2.: *Dicebat autem eis Auguſtinus, quòd in multis quidem noſtræ conſuetudini, imò univerſalis Eccleſiæ contraria geritis, & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis: ut Paſcha ſuo tempore celebretis: ut miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, juxta morem ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ compleatis: ut Genti Anglorum unà nobiſcum prædicetis verbum Domini: cætera, quæ agitis, quamvis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* EDUARDUS STILLINGFLEDUS in Lib. de orig. Britann., utì & alii Novatores hìc maximè falluntur, dum ajunt, Auguſtinum in hac Synodo equidem petiiſſe à Britannis, ut ſe ſubjicerent Romanæ Eccleſiæ; at hos omnino id pernegâſſe ſe facturos. PAGIUS in Critic. ad annum 604. N. 9., & ALFORDI in Annalibus Eccleſ. Anglo-Sax. commentum Novatorum inde rejiciunt, quòd nec SPELMANNUS, nec reliqui in aſſerenda ejuſmodi fabula ſibi conſtent, cùm Codex, ex quo T. I. Conc. Angl. teſtimonium Spelmannus deſumpſit, nequaquam probatæ ſit antiquitatis; ait enim: *Quo autem tempore confectus fuit Codex ille, vel quo Auctore, nec mihi in eodem conſtitit* &c. Re ipsâ ſtylus recentiorem ætatem ſapit. Itaque antiquiori Bedæ habenda fides, quòd inter Auguſtinum, intérque Britannos Epiſcopos de quibusdam duntaxat Eccleſiæ traditionibus, & de Metropolitana Auguſtini dignitate actum ſit, minimè autem de Primatu Pontificis, cui ſi Britones tunc repugnâſſent, certè poſt Saxonum irruptionem à Religionis Catholicæ dogmatis defeciſſent, & tanquam Schiſmatici à centro communionis Eccleſiaſticæ ſe ſeparâſſent. Vide plura apud *Schelſtratum*, & apud *Alfordi* in Annalibus Eccl. Anglo-Saxon. T. II. ad annum 604.

(*3) BEDA Lib. 2. c. 2.: *Factúmque eſt, ut venientibus illis* (Britannorum Epiſcopis & Doctoribus) *ſederet Auguſtinus in ſella; quod illi videntes, mox in iram converſi ſunt, eúmque notantes ſuperbiæ, cuncta, quæ dicebat, contradicere laborabant.* BARONIUS factum Auguſtini inde purgat, quòd Præſulem non decuerit Epiſcopos ſchiſmaticos ſalutare; ſed ALFORDI negat, eos Britones ſchiſmatis aut pertinaciæ ante Synodum

ſent animos; Auguſtinus factioſis comminabatur, ni pacem cum fratribus accipere, & viam vitæ prædicare vellent, fore tempus, quo eorum veluti hoſtium ultrices manus, ſimúlque mortis diſcrimen ultimum perciperent (e). Vatem hæc non vano profudiſſe ingenio, poſtea eventus docuit: nam Ethelfredus Regni propagandi cupidior cùm Legionum civitati in Cornaviis admovere vim pararet; Britanni, qui hanc urbem (velut rerum ſuarum poſtremum perfugium) muniverant, duplex hoſti agmen oppoſuêre. Horum alterum armata Britonum tenebat acies, alterum inermis Monachorum Banchorenſium multitudo implebat: quorum in eo partes verſabantur, ut, dum primi armis, hi precibus pro victoria certarent (f). Rex Northumbriæ infidelis & barbarus difficillimam pugnam futuram ratus, ſi Chriſtianorum Deus ab oratoribus placatus dimicantibus Britannis faveret, in Monachos precantes primum certaminis æſtum vertit, & mille ac ducentis eorum trucidatis, armatum militem modò adortus, eum fudit, fugavítque. Non minores clades Britanni ſubinde paſſi ſunt à *Ceolulfo* Occidentalium Saxonum Rege, tum ab ejus ſucceſſoribus *Kinegislo* & *Quicelmo*, qui cruentam tempeſtatem ſæpe in exiguas Britonum reliquias concitârunt.

Vaticinii Auguſtiniani veritatem eventus comprobat.

(e) Beda L. 2. c. 2.

Ultio divina de contumacia Monachorum Banchorenſium.

(f) Idem l. c. Huntindon. L. 3. fol. 325. Conf. Alfordi ad an. 613.

3. Cambrorum fines dum his tumultibus fervebant; ETHELBERTUS Chriſtianus Cantii Princeps in pace rexit, legibúsque coluit Rempublicam (h): quibus ſapientiſſimis inſtitutis inſigne addidit Religionis propagandæ ſtudium. Nam prædicante Auguſtino Doroberniæ Epiſcopo, & Ethelberto Rege ſuos in pietatis exempla præeunte, proſcriptis idolorum tenebris, aurora fidei in diem aſſurgebat, & in immenſum aucta, radios etiam ſuos ad Orientales Saxones diffundebat. Præerat his *Sebertus* Ethelberti ex ſorore nepos, qui ubi Cantii Regnum meliore in Chriſtum fide efflorescere vidit, ad lavacrum ſalutis anhelans, pro Apollinis

(h) Beda L. 2. c. 5.

An. 604.

Synodum argui potuiſſe; unde aliter rem exponit, S. Auguſtinum ſacris tunc veſtibus indutum ex Eccleſiaſtico more non aſſurrexiſſe: quòd autem Auguſtinus in Concilio hoc ſacro veſtitu ornatus fuerit, probat ex *Epheſina Synodo*, ubi Seſs. 2. legitur: *Cùm inſtaret ſolemnitas Pentecoſtes, adfuit & Cyrillus cultu, apparatúque Pontificio, quippe Cæleſtini juſſu, & Apoſtolicæ Sedis authoritate Synodo præfuturus.*

linis fano novam Ecclesiam S. Petro sacram prope Londinum in Thornensi Insula erexit (i). Eodem tempore altera Ecclesia in urbe Londinensi in honorem S. Pauli excitata est; quæ Regum succedentium beneficentiâ in eam surrexit amplitudinem, ut inter totius orbis celeberrima ædificia mole, elegantiâque meritò numeretur (k). *S. Mellito* Episcopo primùm ista designata sedes est, ut sicut Augustinus antea è *Dorobernensi* in *Cantios*, ita Mellitus è *Roffensi* Cathedra in Trinobantum Patriam sive Essexiam Verbum Dei disseminaret; atque ut laborum socii frequentes adessent Præsuli, Monasterium velut operariorum Seminarium adjunctum est. Inter hæc Religionis incrementa mors *S. Augustini* (l) Cantiorum Episcopi infantem, & in cunis adhuc vagientem Ecclesiam Parente suo orbavit. Qui vulnus ejusmodi doctâ manu sanaret, Nutritiúmque pusilli Gregis ageret, *Laurentius* fuit: is enim in Augustini locum suffectus (m), non tantùm spinas, quæ domi ad premendos fidei flores, aut incrementa præpedienda subnascebantur, evellere (n), sed & Britonum dissidia componere allaborabat. Ad hæc futuris rebus quoque prospecturus, *Ethelberto* ac *Seberto* Regibus author erat, ut Mellitus Londoniensis Præsul Romam iret, & expositis iis, quæ duorum Regum pietate, sudoribúsque Apostolicis hucusque acta essent, sequentia peteret à Pontifice capita: nempe ut Monasteria, in Cantio, & Orientali Saxonia posita, privilegiis ita munirentur, ut nemini deinceps fas sit, horum bonis aut prædiis liberali Fundatorum manu concessis insidiari, aut prohibere, quò minùs quisquam ex Regni incolis religiosi instituti rationem amplecti valeat (o). Mellitus imposito officio bene functus, facilè postulata Romæ impetravit; unde in Britanniam regressus, literas Pontificis *Bonifacii* ad *Ethelbertum* retulit, paterni amoris significatione plenas, tum etiam privilegiorum indices, quæ Papa Anglicanæ Ecclesiæ, ac Monasteriis tributa vellet (p). His peractis, copiosissimi operarum Evangelicarum fructus per aliquot annos in Australi & Orientali parte Insulæ legebantur. Sed annus DCXVI. multò funestior non modò messem multis laboribus partam gemino turbine prostravit, & spem, quæ in herba adhuc alebatur, protinus disjecit. Abierat hoc anno è mortali

(i) Joannes Fletus de Eccles. Westmon. Fund. c. 1.

(k) Alfordi in Annalib. Eccl. Anglo Sax T. II. ad a. 604. N. 57.

Mors Augustini Apostoli. An. 608.

(l) Matth. Westmonaster. ad a. 608.

Laurentius ejus successor An. 609.

(m) Beda L. 2. c. 4.

(n) Alfordi ad an. 609. & 610.

An. 610. *Mellitus abit Romam.*

(o) Beda L. 2. c. 4. Antiquit. Britann. in Mellito. Alfordi ad an. 610. n. 13. 14.

An. 611. *Legationis causæ.*

(p) Edmerus L. 1 Nov.

An. 616.

mortali vita ad immortalem coronam *Ethelbertus* (q), ad quam meritorum mercedem *Sebertum* Orientalis Saxoniæ Principem vel præmiſerat, vel certè fati, felicitatíſque æternæ ſocium habebat (r). Duplici itaque Regum funere cùm Cantium, & Orientis Regnum ſimul affligeretur; novella Eccleſia in geminam maxillam percuti viſa eſt; cui ad ſummum mœrorem id paulò pòſt acceſſit, quòd optimorum Genitorum peſſimi filii paterni Regni, ſed non paternæ pietatis hæredes, ſucceſſoréſque extiterint. Nam EDBALDUS Ethelberti filius poſt mortem Patris in Idolomaniam relapſus, in eam porrò libidinem devolvebatur; quæ nec inter Gentes ſolita erat: ita ut Novercam ſuam in matrimonium duceret (s). Non minore ſcelere tres Seberti filii Orientalem Britanniam fœdârunt; hi quippe ad nefandum Deorum cultum abrepti, eò inſaniæ prolabebantur, ut fonte ſalutis necdum tincti, de menſa Domini divinum epulum (*4) poſcere haud formidarent. A ſacrilegio quò longiùs Londonienſis & Roffenſis Epiſcopi abhorrebant, eò ferociùs Orientali Regno exeſſe jubebantur (t): inde igitur *Mellitus* & *Juſtus* Dorobernum digreſſi, ad Laurentium deliberaturi veniunt, utrùm totâ Inſulâ Regum criminibus corruptâ excedere, & excuſſo pedum pulvere, in Galliam trajicere præſtaret? Parum aberat, quin Dorobernenſis Præſul in exulum duorum ſententiam iret, abeuntibúſque in Galliam ſe adjungeret comitem, tum per quietem dormienti ſe offert Apoſtolorum Princeps, qui in Laurentio flagris acerrimis affecto (u) hoc reprehendit, quòd merce-

Mors Ethelberti Cant.
(q) Beda L. 2. c. 5. Martyrolog. Rom. 24. Februar. Author vitæ apud Capgravium.
Mors Seberti Orient. Regis.
(r) Alfordi ad a 615. n. 1.
(s) Idem ad an 617. n. 1.
Filii Seberti idololatræ Apoſtolicos viros proſcribunt.
(t) Beda L. 2. c. 5.
An. 617.
Mellitus & Juſtus Epiſcopi ex Britannia in Gallias abeunt.
(u) Beda L. 2. c. 6. Alcuinus epiſt. 97.
Laurentius Epiſcopus Dorobern. à S. Petro flagellatur.

(*4) BEDA Lib. 2. c. 5.: *Auxit procellam hujuſmodi perturbationis etiam mors Sabereth* (Sebertum alii communiùs vocant) *Regis Orientalium Saxonum: qui ubi Regna perennia petens, tres filios ſuos, qui pagani perduraverant, Regni temporalis hæredes reliquit: cœperunt illi mox idololatriæ, quam vivente eo, aliquantulùm intermiſiſſe videbantur, palàm ſervire, ſubjectiſque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cúmque viderent Pontificem* (Mellitum) *celebratis in Eccleſia Miſſarum ſolemniis, Euchariſtiam populo dare; dicebant* (ùt vulgò fertur) *ad eum Barbari inflati ſtultitiâ: Quare non & nobis porrigis panem illum nitidum, quem & Patri noſtro Sabæ* (*ſic eum namque appellare conſueverant*) *dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis? Quibus ille reſpondebat: Si vultis ablui fonte illo ſalutari, quo Pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, cui ille participabat, eſſe participes: ſin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus poteſtis panem vitæ recipere. At illi, nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec illo nos opus habere novimus: ſed tamen pane illo refici volumus* &c.

narii ac timidi Paſtoris more à Grege defugiens, oves luporum graſſationi relinquere meditaretur. Antiſtes ex ſomno experrectus, ubi ex livente ac cruentato plagis corpore non vanam imaginem fuiſſe cognovit, profectionis mutat conſilium, quin ad Regem Edbaldum provolans, conciſos ac laceratos undique artus oſtentat: quo quidem inſolito ſpectaculo ita Principem exterruit, ut, quod verbis non proficientibus, lingua haud poterat, nunc verberibus malè acceptum corpus perſuaderet (x), ſcilicet Edbaldo meliorem vitam, fidémque. Rebus in melius mutatis, Mellitus & Juſtus è Galliis reverſi, diſſimili ratione accipiuntur; nam Juſto quidem Roffenſis denuo patebat Eccleſia: at Mellitum Londonienſes tres Principes ad idolomaniam animos obſtinantes excluſêre. Grege tamen S. Paſtor non diu caruit; nam ſubinde in mortui Laurentii locum Dorobernenſis Antiſtes ſucceſſit (y). Mellito interea Cantium excolente (z), Divinum Numen à tribus Orientalis Saxoniæ Regibus perfidiæ exegit pœnas: hos quippe Kinegislus Occidentalis Regni Princeps bello adortus, ubi primas conſeruerat manus, internecinâ clade extinxit (a).

Edbaldi converſio. An. 618.

(x) Idem l. c.

Mort S. Laurentii Dorobern. Epiſc.

(y) Sigebertus in Chron.

(z) Antiquit. Brit. in Mellito.

(a) Florilegus ad a 623. Malmesber. de Reg. l. 1. c. 6

4. Sub idem tempus Northumbriæ lux fidei affulgere cœpit, cujus converſionis initia hìc altiùs repetenda ſunt. ETHELFREDUS *Edvino* Allæ Regis filio abſtulerat (b) Regnum, à quo ſpolio ne aliquando abigeretur, eundem Edvinum in exilium ejicit: ille perfugium quærens apud *Redwaldum* Orientalium Anglorum Regem, continuò ab Ethelfredo repetitur: atque ut jure hoſpitii excluſum Edvinum citiùs retraheret in manus, Redvaldo comminabatur bellum, ni transfugam redderet. Redvaldus dum deliberat, quid facto opus, Edvinus quoque anxiè timebat, ne ſuî unius diſcrimen communi periculo Rex poſtponeret. Tum deſperanti ſe homo ſub ignota ſpecie offert, qui mœſtum ſolatus, Edvino Redvaldi fidem, Northumbriæ Regnum, & tandem mortalem æquè, ac æternam gloriam promittebat (c), dummodo viciſſim ſe doctrinam ſalutis auditurum ac ſectaturum polliceretur: in conditiones miſer ubi facilè conceſſerat, cæleſtis genius (talem enim fuiſſe, eventus docuit) impoſitâ Edvino manu repentè evanuit. Vix reluctantem ſpiritum Edvinus hoc oraculo

Northumbriæ converſio.

(b) Alfordi ad a. 617. n. 1. Polydor. Virgil. L. 4.

(c) Beda L. 2. Huntindon. L. 2. Wigornius an. 616. Florilegus an. 627.

An. 619.

oraculo firmatus revocaverat; jam audit Reginæ precibus adductum Regem, ne hoſpitem proderet; quin ita Redvaldum cauſam ſuam feciſſe, ut Ethelfredum ad prælium provocaverit. Nec diu tempus abfuit, quo gemini Reges accenſis animis in Merciorum finibus concurrerent (d). Prima aggreſſio quò felicior Ethelberto fuerat, eò funeſtior altera: nam ſecundo impetu Redvaldus in hoſtem invectus, occiſo Rege, Regios filios, & reliquum exercitum compulit in fugam. Poſt victoriam EDVINUS Regno paterno reſtitutus, in Menavias Inſulas (Gallovidiam & Landoniam) proferebat imperium. Deus itaque cùm promiſſionis factæ magnam partem impleverat; Edvini jam erat, ſuam non minùs fidem liberare, nempe ut Regno ampliore potitus, Chriſtianis ſacris aurem, animúmque commodaret. Occaſionem hujus implendæ conditionis dedit annus DCXXV., quo Edvinus Ethelburgam Edbaldi Cantiorum Regis Chriſtiani filiam in uxorem expetiit. Pernegabat enimverò ſponſa ſe cum infideli connubium habituram, nec antè virum accepit, quàm iſte utì thalami, ita & Chriſtianæ fidei conſortem ſe fore ſpondiſſet (e). Eam in rem abeunti in Northumbriam Reginæ Juſtus Epiſcopus (nam is defuncto Mellito, è Roffenſi Eccleſia (f) ad Dorobernenſem translatus fuerat) Paulinum adjunxit, qui poſtea Eboracenſis Antiſtes, modò cum Ethelburga ſociaret operam, quâ demum Edvinus in ſinum Eccleſiæ traheretur. Hi igitur dum monitis, ac exemplis Regis animum impellunt; Deus pariter, quò ſpes citiùs matureſceret, Regem adverſis caſibus pulſabat: Kinegislus Occidentalium Saxonum Princeps unà cum Quicelmo filio Edvini potentiam haud ferentes, cùm æmulum aperto Marte non poſſent, inſidiis perdere conſtituūnt (g). Hoc conſilio Eumerum manu promptum ſicarium legationis ſpecie mittunt, qui Northumbriæ Regem confodiat: admiſſus idem ad colloquium Edvini, ubi multa de variis negotiis præfatus fuerat, ſubito & valido conniſu ſicam in Regium vibrat latus; & vulnere exanimis corruiſſet Princeps, niſi Lilla Miniſtrorum fideliſſimus medio corpore ictum excepiſſet. Vulnus ejuſmodi tandem id fuit, quod Northumbriæ ſalutem attulit; nam cùm eodem tempore Ethelburga è puerperio laborans, quà timore

(d) Huntindon. L. 2. Alfordi ad an. 617. n. 14.

Edvini contra Ethelfredum victoria, & Regnum.

An. 620.

An. 622.

An. 625.

(e) Beda L. 2. c. 9. Alfordi ad an. 625.

(f) Beda L. 2. c. 8.

Converſio Edvini Northumbriæ Regis.

An. 626.

(g) Huntindon. L. 3. Florilegus ad an. 626.

periculi, quà consternatione subiti casûs eâdem nocte filiam peperisset; Rex discriminis sui ferè oblitus, eò vertebat curas, ut pro duplici beneficio Diis sospitatoribus se gratum sisteret: jámque sobolem vix natam falsis Numinibus immolandam decreverat; tum Paulinus opportunè Regem monet, ne, quod Christo Benefactori deberet, mutis simulachris adscriptum vellet (h). Hæsit ad hæc Edvinus, at hæsitantem novis promissis Episcopus urgebat, nempe fidei victas daret manus; & nihil propiùs futurum, quàm ut hostium victor amplissimum etiam Regnum consequeretur. His demum spebus subactus, non tantùm filiam lavacro salutis elui continuò voluit, sed & recepit, siquidem Christus victoriam adversùs Occidentis Reges largiretur, se ex triumpho ad Christianitatem rediturum. Quicelmus jam in aciem Edvinum provocaverat; tum Rex magno animo in hostem irruit, fundit, votíque reus regreditur. Sed quò minùs exsolveret, vanas adhucdum nectebat moras; tergiversantem Paulinus multò fortiùs aggressus, cùm multis Christi beneficia inculcâsset, postremùm dexteram Regis capiti imponit; quo dato signo, ipsi in memoriam revocavit cælestem imaginem ac oraculum, quo olim confirmatus, nunc ad tantam gloriam emersisset (i). Itaque cunctatione abjectâ, post alteram cum Proceribus apud Eboracum habitam collationem (k), póstque idola ab ipso etiam supremo Sacrificulo destructa Baptismum cum Optimatibus, populóque suscepit (l).

(h) Beda L. 2. c. 9. Florilegus loc. cit.

An. 627.

(i) Beda L. 2. c. 9. Florilegus loc. cit. Malmesber. L. 1. c. 2.

Optimates Northumbriæ cum Rege Edvino baptizantur.

5. Edvinus Fidelium cœtui adnumeratus, primum Christianitatis trophæum erexit in Eboracensi Ecclesia, quæ omnium Episcoporum deinceps sedes in maximum postea monumentum accrevit (m). Inde Regi Christiano cura fuit, aliis Provinciis non jam arma, sed fidem inferre (n); Regnum Orientalium Anglorum, ubi hospitium, præsidiúmque invenerat, primum erat, cui gratitudinis loco æternæ salutis beneficium reddere studebat. Verùm *Redvaldus* licèt adduci haud posset, ut idolis perpetuum nuncium remitteret (o); ejus tamen filius ac successor *Erpenwaldus* majore constantiâ fidem suscepit, susceptámque sanguine signavit; nam à Gentili viro Ricberto occisus, cruentam sementem reliquit, unde Christianorum Religio uberiùs aliquando

(k) Beda L. 2. c. 13.

(l) Idem c. 14.

Prima Ecclesia Northumb.

(m) Idem c. 14.

(n) Idem c. 16.

An. 632.

(o) Malmesber. de Reg. L. 1. c. 5.

quando progerminaret (p). Edvino pro Ecclesiis, Regnique bono eximiè laboranti duo nefasti Principes invidebant: horum alter erat Christianus *Cedwalla* Britonum, alter infidelis *Penda* Merciorum Reges; hi junctis armis, commissóque prælio, Offridum primò filium, mox Patrem Edvinum trucidant (q). Ecclesiæ, & Genti Northumbrorum calamitosa cumprimis hæc certaminis dies fuit: & quoniam turbatis adeo rebus, in fuga una salus erat, Paulinus unà cum Regina, Regiæque familiæ reliquiis Cantium confugit (r). Post necem Edvini Northumbrorum Regnum inter *Osricum* & *Enfredam* ejus nepotes, ac Ethelfredi filios divisum est (s). Huic cùm Bernicia, illi Deira obvenisset; Religionem, quam à Patris morte exules in Scotia admiserant, temerè abjecerunt, nequaquam tamen impunè; nam iis subinde à Cedwalla peremptis, ad OSWALDUM tertium Ethelfredi filium Regnum transiit: iste, uti meliore præ fratribus erat fide, erectâ cruce velut labaro militem in bellum contra infideles, Tyrannósque vocatum accendit, tantámque dedit stragem, ut Cedwallâ cæso, præter Northumbriam vicinas Provincias sub jugum cogeret (t). At ne servitus ejusmodi sine lucro foret, Aidanum Episcopum ex Hyensi Insula accersit, qui in Lindisfarnensi Insula sede positâ, molli manu sementem Evangelicam in Barbarorum corda injiceret (u).

Anglorum Orientalium conversio.
(p) Huntindon. L. 2.
An. 633.
(q) Beda L. 2. c. 20.
(r) Idem l. c.
(s) Idem L. 3. c. 1.
An. 634.
Oswaldus Rex Catholicus Orientalium Anglorum.
(t) Beda L. 2. c. 2. Alfordi ad an. 635.
(u) Beda L. 3. c. 2. item c. 5.

6. Oswaldus postquam pietate ac liberalitate, aliísque adminiculis (x), Northumbris bene prospexerat; *Occidentalibus Saxonibus* etiam salutis viam aperuit. Circa annum DCXXXV. Birinus Episcopus ab Honorio Papa missus, venerat in Britanniam eo consilio, ut in intimis Anglorum partibus, quò nullus Doctor præcessisset, sanctæ fidei semina spargeret (y). Is ubi in Occidentalis Insulæ littus primùm exscenderat, idoneum laboribus agrum esse ratus, pedem defixit; unum tamen adhuc operario moras injecerat, nempe quòd peregrinus ipse peregrina dogmata Genti nunciaret. Commodùm igitur Prædicanti eodem tempore in Occidentali Saxonia adfuit Oswaldus, qui Christianis legibus jam probè imbutus, in illas terras abierat, *Kinegisli* Regis filiam postulaturus in conjugem. Ille namque Birinum veritatis Præconem esse, & fidem illam totâ ferè Northumbriâ,

An. 635.
(x) Reyner. in append. Beda L. 2. c. 20. L. 3. c. 3.
Occidentalium Saxonum conversio
(y) Baron. ad an. 635. Malmesber. de Pontif. L. 2 Beda L. 3. c. 7.

aliísque

aliísque Provinciis creditam insigni suffragio testabatur. Regis Oswaldi hæc adstruentis authoritas tanti habita est, ut Kinegislus cum populo ad sacras undas, Christianáque sacra iret (z).

(z) Alfordi in Annalib. ad an. 635. n. 34. 35. 36.

An. 636. *Sigebertus Orientalium Anglorum Rex sanctus.*

7. Interea *Orientales Angli* sublato Erpenwaldo, SIGEBERTUM Regem acceperant (a): qui in Galliis, ubi antea exulaverat, doctorum virorum consuetudine ad scientiam veri Numinis traductus, veram fidem in Patriam retulit: ac ne populus, qui multoties in Religionis cultu nutaverat, Christi sacra rursus desereret, scholas publicas aperuit eo fine, ut jacta fidei semina in teneram ætatem ad fructum constantiùs adolescerent (b). Opus cœptum promovêre *Felix* Burgundus, postea Orientalium Anglorum primus Antistes (c), cui *Fursæus* Monachus ex Hibernia accessit (d): atque uti illius studio Dumvicensis Ecclesia surgebat; ita hujus operâ Monasterium Knobherburgense excitatum est, in qua Asceseos sacræ palæstra Fursæus mundi fastidium, rerúmque cælestium amorem popularibus adeo inculcabat, ut Rex ipse Sigebertus tam salutaribus documentis raptus, depositâ purpurâ, insolito ad eam diem exemplo, Monachi habitum induerit (e).

(a) Florileg. ad an. 636. Alfordi ad eundem an.

(b) Beda L. 3. c. 38. Polyd. Virgil. L. 4.

An. 637.

(c) Idem L. 2. c. 15.

(d) Idem L. 3. c. 19.

Idem Regno relicto, Monachum induit.

An. 638.

8. Annus sexcentesimus quadragesimus *Edbaldo* Cantiorum Regi vitæ finem, & ERCOMBERTO filio Regni initium dedit: hic religione in Deum, pietate in Patriam insignior (f), Avum, Patrémque superavit. Nam cùm illi Christi fidem ita colerent, ut tamen falsorum Numinum delubris vim nullam afferrent; Ercomberti zelus eò exarsit, ut eversis Deorum fanis, nullum superstitionis Ethnicæ vestigium posteris relinqueretur. Adhæc pro tollendo vitiorum fomite quadraginta dierum jejunium ab Ecclesia Fidelibus præceptum Regiâ authoritate firmavit (g); quare qui virtutis amore Legi sacræ obsequi neglexerant, nunc formidine pœnæ obedire compellebantur. Quò lætior in Cantio rerum status erat, eò tristior turbo Orientale Regnum concussit. Utprimùm *Sigebertus* illinc Palatium cum Monasterio commutaverat; EGRICUS in vicem suffectus, à Penda Merciorum Rege bello lacessitur. Procellam licèt diu sustineret, auctæ tamen subinde tempestati impar, Sigebertum notæ virtutis Principem ex monasticis latebris ad clavum revocandum cum Proceribus

(e) Beda L. 3. c. 19. Conf. Alfordi ad an. 638.

An. 640. 641.

(f) Malmesber. de Reg. L. 1. c. 1.

Ercombertus idola in Cantio destruit.

(g) Beda L. 3. c. 8.

An. 642. *Sigebertus ex Monasterio ad arma revocatus caeditur.*

ribus decernit: iſte ubi diu Legatorum precibus eſſet obluctatus, invitum tandem, nec niſi monaſtico habitu indutum ad exercitum deducunt (h): illinc pro gladio virgam gerens, milites ad priſtinum robur cohortatur. Necdum ſermonem abſolverat; jam Penda ferox irruit, & Sigebertum inermem, adeóque accipere ictus, quam dare paratiorem unà cum Egrico Rege trucidat, coronâ immortali (poſtquam mortalem exuerat) exornandum (i). Jacturam duorum Regum aliquantùm reſarſit ANNA Eni filius, multorúmque liberorum ſanctitate præcellentium Pater (k); quo apud *Anglos Orientales* regnante, in Northumbria Rex *Oſwaldus* interficitur (l) ab eodem Penda, qui hoc tempore Principum ſicarius, Regio ſanguine ſæpiùs mucronem reſperſerat. Oſwaldi integram pietatem (m), ac ſanctimoniam manus ejus incorruptæ diu poſteris commonſtrârunt; utpote quæ pauperibus toties ſtipem, argentúmque profudiſſent (n). Mitiore fato ſub idem tempus extinctus eſt *Kinegiſlus* (o): primus is cùm in Occidentali Regno Chriſto dediſſet nomen; filius ejus KENEWALCHIUS à Patris inſtituto diverſus (p), teneram adhuc Eccleſiam non leviter vexabat. Principem aberrantem, & Fidelibus acerbum Deus calamitate ſubigendum voluit; cujus occaſio inde orta eſt: duxerat Kenewalchius Pendæ Merciorum Regis ſororem: at nuptias has paulò pòſt faſtidiens, fœminam è thoro ejecit; ad ultionem igitur injuriæ armatus Penda protinus advolat, perfidúmque Deo & hominibus maritum Regno exutum ad Annam Orientalium Anglorum Regem fugere compellit (q). Illinc per tres annos exulanti mens ſanior data eſt: nam ad Baptiſmum aſpirans, documenta fidei toto animo hauſit; quo facto, amicorum armis adjutus, recepit Regnum, melior, quàm qui fuerat, deinceps ſuis futurus.

9. Interea poſt Regis Oſwaldi mortem Northumbriæ Regnum in duas partes diviſum eſt, OSWIO Oſwaldi fratre *Berniciam*, OSWINO verò filio Oſrici & Edvini Regis abnepote *Deiram* obtinente (r). Horum amica concordia, quâ Principatûs utriuſque exordia fecerant, perditorum hominum operâ in funeſtam diſſenſionem deſiit. Oſwium Imperii cupiditas conſortis impatiens in domeſticum bellum ſtimulaverat; tum Oſwinus Pro-

(h) Alfordi ad an. 642.

(i) Beda Epit. L. 3. c. 9. Malmesber. de Reg. l. 1. c. 3. Alfordi ad an. 642.

(k) Beda L. 3. c. 18.

An. 642.

(l) Beda in epit.

(m) Alfordi ad an. 643.

(n) Malmesber. L. 1. c. 3. Beda L. 3. c. 6.

An. 643.

(o) Godwin. in Catalog.

(p) Beda L. 3. c. 7. Malmesber. de Reg. l. 1. c. 2

An. 645.

(q) Beda l. c. Malmesber. loc. cit.

An. 648. 649.

Mirifica mutatio Kenewalchii Occid. Regis.

(r) Malmesber. de Reg. L. 1. c. 3.

A. 651.

Oſwinus Rex Deirorum perfidè occiditur.

Provinciæ magis, quàm suo periculo cavens, cum exigua manu ad deprecandam, non ad inferendam vim irruenti hosti occurrit (s). Sed quia æmulus precibus flecti nequibat, uno duntaxat milite stipatus, in villam in Eboracensi agro positam, quámque non ita pridem Hunwaldo Comiti amicissimo donaverat, secedit; ab hac tamen latebra subinde ab Ethelwino Emissario extractus, sive ab Hunwaldo proditus, indignam suâ virtute mortem oppetiit (t). Eminebant in sanctissimo Rege insignis animi demissio, & mira in pauperes charitas (u), quæ Principem non tantùm Superis, sed hominibus longè gratissimum reddidêre: quin ipse adeo OSWIUS, cùm vivum haud tulisset, postea mortuum luxisse, ac piis operibus crimen expiâsse fertur. Præter cætera enim pietatis monumenta, quæ Oswius postea edidit, illud non minimum habebatur, quòd ad conversionem Mediterraneæ Provinciæ (*5) consilia, manúsque contulerit. *Penda* Rex Merciorum postquam Pedæ filio Regni partem, sive Anglos Mediterraneos regendos dederat; tum eidem thalami sociam in aula Oswii, scilicet Alefledam quæsivit (x). Hæc Regia & Christiana soboles nefastum sibi existimans, si cum Ethnico vitæ communionem iniret, se in vota Pedæ ituram negabat, nisi, quos matrimonium idem conjuges faceret, hos una fidei professio redderet Christianos. Accepit conditionem Peda, & sacris elutus undis, populares multos pertraxit in Ecclesiæ sinum, *Pendâ* aliàs Christianitatis infestissimo hoste nihil refragante. Sed qui furorem hâc vice compressisse visus erat, idem Tyrannus mox in novas Regum Christianorum cædes ferrum acuit. *Annam* primò Orientalium Anglorum Principem aggressus, huic & ejus filio *Firmino* vitam, Regnúmque ademit (y); inde anno sequente crudelitatis æstum in Northumbriam proferens, Oswium invadit: precibus hic, muneribúsque sævitiem viri placare conatus, nihil obtinuit. Quare *Oswius* fusâ ad Deum oratione, votum nuncupat, se filiam Elfledam perpetuâ virginitate cælo consecraturum,

(s) Beda L. 3. c. 14.

(t) Florileg. ad an. 651. Martyrolog. Anglic. 20. Augusti.

(u) Alfordi in Annal. ad an. 651.

Conversio Mediterran. Anglorum.

An. 653.

(x) Beda L. 3. c. 24.

An. 654.

(y) Westmonaster. ad an. 654.

An. 655.

(*5) ALFORDI in Annal. Eccl. Anglo-Sax. ad annum 653. N. 1.: *Mercii* à *Mediterraneis* distincti paululùm, nec idem omnino populus; nam qui loca palustria & regiones situ humiles incolebant, Saxonicâ dialecto *Mercii*: qui verò Insulæ Meditullium occupabant, *Mediterranei* vocabantur.

turum, & duodecim prædia totidem construendis Monasteriis donaturum, si victor Superûm beneficio evaderet (z). Nec precanti juxta ac voventi defuit; nam commisso licèt imparibus viribus certamine, Pendam primò in fugam vertit, mox deleto ejus exercitu, tot Regum truculentum Parricidam, & infidelem Christianitatis hostem cæsum orco immolavit. Oswius Merciorum Regno potitus, *Pedæ* Pendæ filio, cui Alefledam in uxorem dederat, Australes Mercios (quos Trenta fluvius à Borealibus diviserat) supposuit (a); & quoniam Annâ interfecto, Orientales Angli Principe carebant, his Edelvaldum præesse jussit. Clementia hæc Regis Provinciis ita opportuna erat, ut ab hoc tempore & Mercii, & Angli Orientales constantiam in fide probarent. Equidem turbationis aliquid subinde apud Mercios exortum est; hi enim *Pedâ* occiso (b), adversùs *Oswium* rebelles, non alium, quàm WULFERUM sibi imponi patiebantur (c). Nihil tamen tempestas ejusmodi vel Regno, vel Ecclesiæ incommodavit: licèt enim is Pendæ infidelis Patris filius foret, nefanda tamen simulachra detestatus, exemplo Erminildæ sanctæ conjugis Christi sacra summâ fide non tantùm coluit, sed & in Australem Saxoniam propagavit. Surrexerat ille populus ante alios in Regnum, & *Ellam* habuit aliquando primum, potentissimúmque omnium Regem (d): sed ad Christi fidem venit ultimus, Wulfero agente. Hic enim Mediterraneorum Saxonum Princeps postquam EDILWALCHIO Christum persuaserat; eundem quoque de sacro fonte levavit: cujus adoptionis gratiâ, duabus Provinciis Neophytum donabat Vectâ videlicet Insulâ, & Meanuariorum ditione in Gente Occidentalium Saxonum (e). Cœptum opus zelo suo promovit S. Wilfridus, qui eloquio, signísque potens, excisis loliis idolomaniæ, agrum illum in Paradisum convertit.

10. Postquam tota Insula in dogmata fidei convenerat; Scoti sive Hiberni de Paschate celebrando adhuc movère litem (*6): nam etsi à Quartadecimanis eatenus se distinguerent, qua-

Hhhhh 2

(z) Beda L. 3. c. 24. *Penda ab Oswio non sine prodigio vincitur.* An. 656.

(a) Florileg. ad an. 656. *Anglorum Orientalium fides stabilitur.* An. 659.

(b) Westmonaster. ad an 657.

(c) Huntindon. L. 3. Wigorn. ad an. 659. An. 661. *Conversio Australium Saxonum.*

(d) Alfordi ad a. 661. n. 8.

(e) Huntindon. L. 2. Westmonaster. ad a. 661. Wigorniensis ibid. Malmesber. de Reg. l. 1. c. 4. An. 664. *Controversia de Paschatis celebrandi tempore agitatur.*

(*6) BEDA de sex ætat. ad an. M. 4591. ait: *Eo tempore exortum apud Scotos de observatione Paschæ errorem QUARTADECIMANORUM Honorius Papa per epistolam redar-*

Pro Romano more deciditur.

quatenus non in quacunque die, sed in Dominica Pascha asserent peragendum; in eo tamen adhucdum aberrabant, quòd eandem Paschalem Dominicam non à Luna decima quinta, Orthodoxorum & Romanorum more: verùm à Luna decima quarta ad vigesimam numerarent. Perturbatio inde ingens subnascebatur, propterea quòd alii alio tempore habendi Paschatis calculum subducerent. Re tandem ad Conventum Pharensem deductâ, in duas partes ibant: Colmannus Lindisfarniensis Episcopus Scotis; Wilfridus Abbas, & Angilbertus Occidentalium Saxonum Antistes Romanis adstipulabantur (*7). Oswius Rex Nort-

redarguit &c. ALFORDI ait ad annum 630. n. 2., hæc verba non in rigore, sed hoc sensu accipi debere, quòd Scoti aut Hiberni Dominicâ aliquando in decimam quartam Lunam cadente, non exspectaverint sequentem, quam tamen exspectandam Nicæni Patres sanciverant. Unde ADO VIENNENSIS in Chronico *Bedam* exponit: *Eo tempore apud Scotos in observatione decimæ quartæ Lunæ Paschalis error maximus exortus est.* Vocat *errorem maximum*, tum quia Judæis aliquando accedere, sacrilegum censebatur; tum quia præcipua fidei mysteria, & festa Christi Domini, omniáque, quæ ad Paschatis motum moventur, à Paschatis observatione pendebant, & lacerari, distrahíque Christianos in solennitate maxima maximus sine dubio error fuit. USSERIUS ita hunc describit: *Annus ille Æ. C. 630. fuisse videtur, quo Hiberni Cyclum 84. annorum secuti, Paschalem Dominicam Kalendis Aprilibus, integrâ (ante tempus in Alexandrina Enneadecateride à Romanis jam receptâ præstitutum) septimanâ observabant: cùm anno proximè insequente, totarum quatuor hebdomadarum inter utrumque calculum intercederet differentia illis XXXI. Aprilis; Romanis verò XXIV. Martii die Pascha suum celebrantibus.* Idem notat BEDA Lib. 3. c. 25. de controversia Paschatis, quæ anno 664. resumebatur: *His temporibus quæstio facta est frequens & magna de observatione Paschæ. Confirmantibus iis, qui de Cantia, vel de Galliis advenerant, quòd Scoti Dominicum Paschæ diem contra universalis Ecclesiæ morem celebrarent.... Observabat Jacob Diaconus quondam venerabilis Archi-Episcopi Paulini verum & Catholicum Pascha.... Observabat & Regina Eanfled cum suis, juxta quod in Cantia fieri viderat: habens secum de Cantia Presbyterum Catholicæ observationis, nomine Romanum; unde nonnunquam contigisse fertur illis temporibus, ut bis in anno Pascha celebraretur; & cùm Rex Pascha Dominicum, solutis jejuniis, faceret: tunc Regina cum suis persistens, adhuc in jejunio diem Palmarum celebraret.*

(*7) Ad annum 664. in causa Paschatis colloquium habuêre coram Rege Oswio, in quo pro Scotorum more ita disputabat COLMANNUS: *Pascha, quod agere soleo, à meis Majoribus accepi; quod ipsum est, quod B. Evangelista Joannes celebrâsse legitur.* At AGILBERTUS unà cum WILFRIDO pro Romano more certantes reponebat: *Pascha, quod facimus, vidimus Romæ, ubi BB. Apostoli Petrus & Paulus vixêre, docuêre, passi sunt, & sepulti, ab omnibus celebrari. Hoc in Italia, hoc in Gallia ab omnibus agi conspeximus. Hoc Africam, Asiam, & Ægyptum, Græciam, & omnem orbem uno, & non diverso temporis ordine geri comperimus.* Cæterùm per hoc non reprobari consuetudinem S. Joannis, *cùm scita Legis Mosaicæ juxta literam servaret, judaizante adhuc in multis Ecclesiâ, nec subitò valentibus Apostolis omnem Legis obser-*

Northumbriæ, qui causæ intererat, auditis omnium sententiis, secundùm Romanos decrevisse auditus est (f). Hæc controversia tantisper infestaverat animos; at pejùs morbus pestilens corpora eodem tempore afflixit (g): hæc lues primùm Cantium pervagata, ad Orientalem Saxonem transibat, ubi Suithelmo Sigeberti fratre mortuo, *Sigherus* & *Sebbus* Imperium obtinebant variæ virtutis, fideíque Principes. Nam Sigherus cùm speratam à cælo opem haud citò impetraret, ad exoranda idola revertebatur; verùm Sebbus sanctior (h) eò constantiùs Christum tenuit, quò periclitari socium, & turpiùs cessisse viderat. Iterum ergo Orientale Regnum pudendo fidei divortio lacerabatur; non modò deficiente Rege, sed vanissimâ etiam plebe incônstantem Principem sequente. Malum ejusmodi omni peste gravius ut Sebbus persanaret, auxilium Wulferi Merciorum Regis implorabat, qui submisso Jarumnano Merciorum Episcopo, invalescenti errori metas, finémque posuit (i). Britanniæ Reges ubi Insulam fide conjunctam conspexerant, eò jam connitebantur, ut arctiore vinculo Romano Capiti singula Regna velut membra totidem innecterentur (k). Itaque Oswius Rex Northumbriæ, & Egbertus Ercomberti defuncti filius, ac Anglo-Saxonum Princeps legatione

(f) Beda l. 3. c. 25. & 26.

(g) West-monaster. ad an. 664. Beda L. 3. c. 23. Harpesfeld. c. 14. Sæc. VII

Sigheri defectio à fide.

(h) Alfordi ad an. 664. n. 34. 35.

Sebbi Regis zelus & pietas.

(i) Beda L. 3. c. 30.

An. 665.

Legatio ad Pontificem.

(k) Huntindon. L. 2. Beda L. 3. c. 29.

observantiam, quæ à Deo instituta est, abdicare. Itaque Joannes secundùm Legis consuetudinem decimâ quartâ die mensis ad vesperam incipiebat celebrationem Paschatis festi, nil curans, utrùm hæc Sabbato, an aliâ quâlibet feriâ proveniret. At verò Petrus, cùm Romæ prædicaret, memor, quia Dominus primâ Sabbati resurrexit à mortuis, ac mundo spem resurrectionis contulit, ita Pascha faciendum intellexit, ut secundùm consuetudinem, & præcepta Legis, decimam quartam Lunam, primi mensis, æquè sicut Joannes, Orientem ad vesperam semper exspectaret. Et hâc exortâ, si Dominica dies (quæ tunc prima Sabbati vocabatur) erat manè ventura, in ipsa vespera Pascha Domini celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus. Sin autem Dominica non proximo manè post Lunam decimam quartam, sed decimâ sextâ, aut decimâ septimâ, aut aliâ quâlibet Lunâ usque ad vigesimam unam, esset ventura, exspectabat eam; & præcedente Sabbato Vespere, sacrosancta solennia celebrabat. Sicque fiebat, ut Dominica Paschæ dies nonnisi à decima quinta Luna usque ad vigesimam primam servaretur. Neque hæc Evangelica & Apostolica traditio legem solvit, sed potiùs adimplet, in qua observandum Pascha, à quarta decima, primi mensis ad Vesperam, usque ad vigesimam unam Lunam ejusdem mensis ad Vesperam, præceptum est: in quam observantiam imitandam, omnes S. Joannis successores in Asia post obitum ejus, & omnis per orbem Ecclesia conversa est, & hoc verum esse Pascha, hoc solum à Fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statutum noviter, sed confirmatum est. Vide hìc *Alfordi* in Annalibus Eccl. Anglo-Saxon. ad annum 664. à Num. 4. ad Num. 12.

gatione Romam missâ, Episcopum à Pontifice consecrandum postulant, qui accepto Archi-Episcopatûs gradu, Catholicis per omnem Britanniam Ecclesiis Anglorum ordinare posset Antistites. Post aliquot annorum intervallum *Theodorus* Monachus Tarsensis ad hoc munus, simúlque ad *Dorovernensem* Ecclesiam, velut *sedem primam* (l) evectus est. Hic utprimùm præesse magno zelo Britanniæ rebus sacris cœpit, vivere desiit (m) *Oswius* Rex Northumbriæ, & Ecclesiæ strenuus propugnator, cui EGFRIDUS primogeniti jure suffectus, turbata aliquantùm Regni initia habuit; nam Wulferus Rex Merciorum Patris sui Pendæ mortem ulturus, filium Oswii Regis, qui Pendam occiderat, bello aggressus est (n): verùm mali vis adeo in authorem recidit, ut idem nudatus milite, & Lincolniensis Provinciæ parte mulctatus prælio, quod temerè cœperat, turpiùs excesserit.

An. 668. 669.

(l) Beda l. 4. c. 1. 2. Malmesber. de Pontif. l. 4.

An. 670.

(m) Beda L. 4. c. 5.

Mors Oswii.

An. 671.

(n) Malmesber. de Pontifice L. 3.

An. 673.

11. Northumbria necdum à Wulferi vexatione respiraverat; tum Cantiam ob mortem Egberti Regis commotione non exiguâ convellebatur (o): filiis enim (quorum duo Regi superstites erant) *Lotharius* Patruus Regnum ereptum ibat. Imbecillitas hæredum fecit, ut spolium ad undecimum annum Lotharius retineret; sed hoc tempore exacto, *Edricus* filiorum unus vario Marte, & occiso Patruo Regnum repetiit (p). Inter has Cantuariensium procellas immota pax Ecclesiæ stetit, Theodoro Antistite clavum tenente, qui cum congregatis Episcopis ad submovendas occasionum causas id tandem statuit, ut sanctum diem Paschæ eodem more omnes celebrarent Dominicâ post decimam quartam Lunam primi mensis. Anno sequente nova facies Regni Occidentalis visa est; Rege enim *Kenwalchio* fatis functo, ad uxorem ejus *Sexburgam* suprema potestas deferebatur. Nec deerat mulieri spiritus ad Regia munia obeunda; ipsa quippe novos exercitus moliri, veteres tenere in officio; ipsa subjectos clementer moderari, hostibus minaciter infremere, prorsus omnia facere, ut nihil præter sexum discerneres: veruntamen plus quàm fœmineos animos anhelantem vita destituit, vix annuâ potestate perfunctam (q). Sexburgâ mortuâ, cùm nullus esset Regni hæres; Subreguli Dominatum spontè occupatum decem omnino annis gessêre (r). Inter hos citiùs vitam, Principatúmque finiit *Elcuinus*;

(o) Beda L. 4. c. 5.

Mors Egberti Cantuar. Regis.

(p) Id. l. c.

Decernitur tempus celebrandi Paschatis.

An. 674.

Sexburga Occidentali Regno præficitur.

(q) Malmesber. de Reg. L. 1. c. 2.

(r) Beda L. 4. c. 12.

An. 675.

Elcuinus; is enim à *Wulfero* Merciorum Rege bello petitus, tam cruentam accepit, dedítque ſtragem, ut Rex uterque cladi haud diu ſuperfuerit. Wulfero frater *Ethelredus* ſucceſſit, qui primò nulli acerbus Principi, jure militari defendere magìs, quàm amplificare Regnum ſtuduit; at paulò pòſt à Lothario Cantiorum Rege offenſus (nam tot Britanniæ diviſa ſceptra Provincias, Provincialiúmque animos diſtrahebant) in Cantuarienſe Regnum tam atrox bellum infudit, ut nequidem ab Eccleſiis crudeles manus abſtineret (s).

Ethelredus Rex Merciorum.

An. 676.

(s) Beda L. 4. c. 12.

12. Anno DCLXXVIII. fœmina una Imperium, Sacerdotiúmque in Northumbria turbulento diſſidio inter ſe commiſit. *Egfridus* Rex cum Ediltrude per aliquod tempus virgineum conjugium inſtituerat; dum eâdem ſponsâ ad Parthenonem aſpirante, aliam, eámque *Ermenburgam* in thorum adſciſceret. Iſta ubi pedem aulæ intulerat, adversùs Eccleſiæ nimias opes, & contra Wilfridi Epiſcopi potentiam ſtomachata, Regi author erat, ut ex Eccleſiaſticis bonis, quæ in unum Eboracenſem acervatim profuſa forent, quatuor deinceps Epiſcopi alerentur (t). Hâc diſcordiarum ſemente in medium projectâ, *Theodorus* Cantiorum Antiſtes mandatum egium exequitur, & tres novos Præſules Northumbrorum Provinciæ imponit (u). *Wilfridus* injuriam queſtus, ad Romanam ſedem provocat; quorſum dum navi conſcensâ pergit, ventorum vi ad Friſonum litùs appellitur: illinc à Barbaris cum honore ſuſceptus, prima fundamenta Chriſtianitatis poſuit, quæ poſtea in majus ædificium S. Wilibrordus excitaturus eſſet. Nam per hyemem (quâ ibi apud Friſones ſteterat) multa millia verbo veritatis inſtituens (x), fonte Salvatoris eorum inſuper ſordes abluit; tum iter proſecutus, & Francorum beneficiis cumulatus (y), Romam ingreditur. Seriùs venientem jam antevolaverat Kenewaldus Monachus à Theodoro Cantuarienſi miſſus: qui poſtquam Pontificem Agathonem multis contra Wilfridum accuſationibus jam imbuerat; hic ſubinde in Synodum adductus, ſe ita purgavit, ut Papa eundem non tantùm abſolverit, ſed & voluerit reſtituendum, inſuper præcipiens, ut amotis tribus Epiſcopis, quos Theodorus perperam intruſiſſet, alii ex congregandorum Epiſcoporum placito

Egfridi Regis prima uxor fit Monialis.

An. 678.

Altera Egfridi uxor, turbulenta fœmina.

(t) Alfordi in Annal. ad an. 678. n. 3.

(u) Malmesber. de Pontif. L. 3.

Wilfridus appellat Pontificem.

(x) Beda L. 4. c. 20. Marcellin. in vita S. Swiberti.

An. 679.

(y) Malmesber. L. 3. de Pontif.

Deus Wilfrido illatas injurias ulciscitur.

placito substituerentur. Dum ista Romæ decernuntur, ultor Deus à Northumbrorum Rege justas facinoris pœnas exegisse visus est; nam post annum, ac eâdem die, quâ Wilfridum Eboracensi sede expulerat, ab Ethelredo Merciorum Rege cæsus, in ipso conflictu fratrem, Regníque consortem Elfuinum amisit (z).

(z) Beda L. 4 c. 21.

An. 680.

His tamen malis adeo subactus non est Egfredus, ut reversum ad Northumbros Wilfridum in ergastulum compingeret (a); quin Regina Ermenburga sancto viro infestissima eò furoris devenerat, ut Chrismarium (sive capsam Reliquiarum) Episcopo abreptum vel collo, vel vehiculo sacrilegè circumferret. Scelus fœminæ Deus morbo repentino ultus est, & Regem multis prodigiis non parùm exterruit, quibus Egfredus magìs excæcatus, Wilfridum Northumbriâ rursus expellit. Neque intra fines Regni tantùm S. Antistitem exagitabat, sed & fugientem in Occidentales terras insecutus, eum undique proscribi fecit; dum postremùm ad Australes Saxones delatus Wilfridus novam Ecclesiam, gregémque ab Edilvalchio Rege acceperit (b). Aliquot adhucdum anni inde labebantur, dum Egfregus mensuram criminum impleret; vastatis quippe citra fas Hibernorum ditionibus atque Ecclesiis, in Pictos supremo bello movens, in ipso prælii æstu infelix cecidit (c), ac victoribus Pictis unà cum libertate copiam captandi Regni reliquit anno DCLXXXV., qui Regibus multis præterea fatalis fuit; nam præter *Egfredum* Northumbriæ, & *Lotharium* Cantii Principes, *Kentuinus* quoque mortalitate suâ functus est (d).

(a) Malmesber. L. 3. de Pontif.

Wilfridus in Britanniam reversus, novis vexationibus afficitur.

An. 681. 682.

Wilfridus sedem nanciscitur apud Australes.

(b) Idem l. c. p. 266. Beda L. 4. c. 13.

Egfredi funestus exitus.

An. 685.

(c) Beda L. 4. c. 26. Malmesb. de Reg. l. 1. c. 3

(d) Wigorniens. ad an. 685.

13. Post Regia illa funera utì in variis Provinciis varii emersêre Principes; ita in Occidentali Saxonia post Kentuinum CEDWALLA regnare cœpit. Australi Saxoniæ is maximè infestus, Cantium etiam acri bello vexabat (e). Inter has tamen populationes infidelis Princeps fidei Christianæ scintillas quasdam concepit; nam Vectam Insulam subjugaturus, voto se obstrinxerat, quartam Insulæ, nec non & prædæ partem, si victor evaderet, se vero Deo oblaturum: neque victoriâ reportatâ, promissum exsolvere cunctatus est (f). Posteaquam Christo aliquid de suo Cedwalla dederat, subinde affulgente magìs cælesti luce se ipsum totum dare constituit; hoc consilio abdicatus Regnum,

An. 686.

(e) Wigorniensis ad an. 686.

Cedwalla Rex Occid.

Ejus votum.

(f) Beda L. 5. c. 7.

gnum, Romam ivit Christi sacris initiandus (g). Sergius Papa in urbe Catechumenum complexus, eidem salutis fontem affudit die sancto Paschalis Sabbati: unde primùm Christo natus, paulò pòst cælo renatus est; in Neophytorum quippe Candidatorum numero adhuc positus (utì frequenter optaverat) è vita decessit, & in Ecclesia S. Petri (cujus nomen ipsi fuerat à Sergio Pontifice impositum) sepultus est (*8). Non minore pietatis exemplo eodem tempore ALFREDUS Egfredi in Northumbria suis præfuit: in Hiberniam ubi post mortem Oswii Patris ille secesserat, in Philosophum, virúmque sacræ scientiæ peritissimum evasit; dum fratre defuncto, ad Regnum revocaretur (h). Wilfridum ab Egfredo expulsum Eboracensi sedi restituit, & ab hoc benefacto Principatum exorsus, novemdecim annis Deiros & Bernicios (nam Picti Anglorum potestati se paulò antè subduxerant) gubernavit.

Ceduallavadit Romam, & à Papa baptizatur.

(g) Beda l. c.

An. 689. *Moritur Romæ.*

Alfredus piissimus & doctissimus Rex Northumbr.

(h) Beda L. 4. c. 26. Malmesber. de Reg. L. 1. c. 3.

14. Quemadmodum verò Hibernia suâ literarum culturâ Principes Reipublicæ optimos formabat; ita per idem tempus Apostolicos viros sacratioribus scientiis præparabat, qui Germaniæ nationibus, unde Angli vel Saxones originem duxerant, Evangelii lucem afferrent. Equidem in nonnullis Borealibus regionibus fidem aliquando illuxisse ferunt: sed Barbarorum moribus, continuis bellis, quidquid luminis allatum fuerat, penitus suppressum est (i). Præterea vicinæ his adhuc erant Provinciæ, utpote Frisonum, Danorum, Hunnorum, antiquorum Saxonum, Boruchtuariorum, & aliorum populorum, quæ paganis adhuc ritibus serviebant (k). Ad tenebras igitur Idolomaniæ dispellendas, ex Hibernia (quam olim & Scotiam dixêre) primus Romam abiit anno DCLXXXVI. *S. Kilianus* (l), ubi à Conone Pontifice Gentibus prædicandi facultate, ac officii Episcopalis

Anglo-Saxonum pii conatus pro convertendis Germanis.

(i) Alfordi in Annal. ad an. 690. n. 1.

(k) Beda L. 5. c. 10.

S. Kilianus.

(l) Surius 8. Julii. Serarius in vita S. Kiliani

(*8) BEDA Lib. 5. c. 7.: *Jubente Pontifice* (Sergio) *Epitaphium in ejus* (Ceduallæ) *monumentum scriptum est, ut & memoria devotionis ipsius fixa per sæcula maneret, & legentes quoque, vel audientes exemplum facti ad studium Religionis accenderet,* Epitaphium verò sic incipit:

Culmen, opes, sobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuvias, Proceres, mœnia, castra, Lares,
Quæque Patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
Cedual armipotens liquit amore Dei &c.

palis poteſtate donatus (*9), mox tranſrhenanæ Germaniæ agrum (juvantibus Colonato Presbytero, & Totnano Diacono) excolere cœpit.

S. Egberti zelus. An. 690. *Ejus iter à Deo probibetur.*

Poſt quatuor inde annos exactos *Egbertum* Hiberniæ Monachum idem zelus afflavit: jámque mari dabat vela; tum tempeſtatis vi rejectus, ex cæleſti oraculo audit, ejus operam non pro convertendis Germanis, ſed pro inſtruendis S. Columbæ Monaſteriis, quæ in Hyenſi Inſula, & apud Pictos forent, depoſci (m).

(m) Beda l. 5 c. 10. 11. Faſti Belg. 7. Nov.

Witberti in Friſia ſteriles labores.

Egbertus dum propoſitum mutare cogebatur; unus ex ejus ſociis *Witbertus* iter proſequitur: & in Friſiam perveniens, duobus annis continuis Genti illi, ac Regi illius Radbodo verbum ſalutis annunciabat. Operarii tamen induſtriam ſpes fefellit; quare, cùm Gentem Evangelio haud idoneam experiretur, in Hiberniam reverſus eſt.

An. 693. *Wilibrordus, ejúsque ſocii fructuoſiùs in Germania deſudant.*

Egberto ſalutem Teutonum anhelanti hæc infœcunda initia adeo non eripuêre animum, ut continuò alios *duodecim viros* (*10) trans mare mitteret. His venientibus auſpicatum erat, quòd eodem tempore Franci partem Friſiæ armis debellâſſent: *Wilibrordus* igitur (is enim aliorum anteſignanus fuerat) à Pipino Majore Domûs ampliſſimam authoritatem nactus, & à Romano Pontifice Apoſtolicâ

(*9) ALFORDI ad annum 686. N. I. ex Surio hæc notavit: *KILIANUS Vir ſanctiſſimus coram Primate Apoſtolicæ Sedis, ejuſdémque Miniſtris, ut ipſi ſemina divini verbi Gentilibus erogare liceret, ſtudio divini amoris expetivit. Tunc autem præerat Romanæ Eccleſiæ Conon Pontifex, humanis, divinisque literis pollens, Pontificali officio congruus, in ordinandis Eccleſiaſticis rebus diſcretor idoneus. Is auditâ fide, jam dicti viri charitatis nexibus alligatâ, Deo quidem gratias egit: ille verò ſeſe charitatis benevolentiâ impertivit, exultans ſemina divini eloquii ab Inſularibus, & longè poſitis Doctoribus propagari. Itaque conſenſu totius urbis beatiſſimum Virum in Præſulatûs officio conſtituit: quo & Chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros Ordines conferre irreprehenſibiliter valeret. Atque his ita peractis, dimiſit eum, monens, ut cœpto operi inſiſteret, à Domino parata ſibi præmia æternæ retributionis. Beatus igitur Kilianus urbe egreſſus, emenſo itinere longiſſimo, cum Colmanno Presbytero, & Totnano Levita ad locum ſibi deſtinatam pervenit.* Ita hoc anno 686. S. Kilianum Herbipolenſem Epiſcopum creatum eſſe, opinatus eſt quidem *Alfordi*: ſed de hoc differendi argumento infrà in Eccleſ. Hiſtoria opportuniùs tractabimus.

(*10) MARCELLINUS in vita Swiberti apud Surium I. Martii: *Elegit ergo* (Egbertus) *& congregavit inſtar duodecim Apoſtolicos viros, in fide conſtantes ex diverſis Monaſteriis, ad prædicandum Germanis Apoſtolicam fidem. Fuerunt autem hi miſſi, Willebrordus, Suibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebvinus, duo Euvaldi, Verenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc hiſtoriam; ſicut & S. Willibrordi conſcripſi. Omnes præfati Presbyteri & Sacerdotes fuerunt, ac ſanctiſſimus Adalbertus Levita, filius Regis Deirorum, qui pro Chriſto dimittens Regale patrimonium, cum prædictis Ss. Presbyteris electus à S. Egberto, amore Chriſti peregrinum non recuſavit exilium.*

licâ facultate (n), & Ultrajectano Episcopatu donatus, laborum minimè infructuosum initium fecit; nam ipse ac socii post aliquot annos Germaniæ agros sanguine, sudoribúsque rigatos (o) in copiosam messem animârunt.

(n) Beda L. 5. c. 12.

(o) Alfordi ad an. 697.

15. *Alfridus* Rex Northumbrorum interea pacem rupit, quam ante quinque annos cum *Wilfrido* iniverat: Regi nimirum propositum erat, ex Monasterio Ripensi ad Episcopatûs novi fundationem opes transferre; cui cùm pro officio suo Wilfridus repugnaret, rursus emigrare Regno cogitur (p). Exulanti Præsuli *Ethelredus* Rex Merciorum hospitium, sedémque *Lichfeldensem*, quæ tunc vacua erat, dedit. Dum in Northumbria miscebantur Regem inter & Episcopum discordiæ, Regnum Occidentale pacis melioris fructus gustavit; INA enim, qui post Cedwallam Principatum adiverat, juncto cum Episcopis studio, sacris, civilibúsque legibus subditorum mores ad fidei ac disciplinæ unitatem conformabat. His probè admodum peractis, Ina Rex memor, quòd Cantii Cedwallæ fratrem Mollonem in tugurio concremâssent (q), in Gentem eandem cum exercitu movet, injuriam ulturus. Withredus pacis amantissimus Princeps, Egberti filius, qui tunc Cantiis præerat, ne subditorum fortunas in hoc discrimen adduceret, largitione ingenti hostem placatum à suo Regno abegit (r): postea coacto Procerum conventu, salutaribus statutis Rempublicam composuit. Uti autem sapientiæ *Withredi* Cantium; sic sanctitati *Sebbæ* Regis felicitatem suam Occidentales Saxones tribuerunt. Triginta annis hic populum in pietate rexit; tum infirmitate fractus, ultimos vitæ dies in Monasterio exegit, post mortem miraculis insignis (s). Sub finem Sæculi septimi Ceolfredus Abbas ex Anglo-Saxonum Gente natus, Pictorum Regem Naitanum Paschatis celebrandi errorem dedocuit: nam cùm per longioris argumenti epistolam Principi, Optimatibúsque tres regulas pro ratione temporis paschalis, causásque simul commonstrâsset, cur Romano more hæc solennitas peragenda foret; abjecerunt ritum, cui perperam antea adhæserant, & cæteras quoque cæremonias amplexi, ad exemplum Anglo-Saxonum Romanas Leges omnino sequebantur.

Wilfridus rursus exul.

(p) Beda L. 5. c 20.

Novam sedem accipit apud Mercios

Ina Occidentalium Rex.

Ejus Leges.

(q) Malmesber. de Reg. L. 1. c. 1.

An. 693.

(r) Id. c. 2.

An. 694.

Sebba Rex Orientalium induit Monachum.

(s) Beda L. 4. c. 11.

An. 699.

Picti admittunt morem Romanum, celebrandi Pascha.

16. Postquam Sæculum septimum effluxerat, exagitari rursus in Northumbria cœpit causa Wilfridi: exulaverat ille à sede sua

An. 702.

Causa Wilfridi rursus agitatur.

ſua Eboracenſii ab anno DCXCI., & dudum Sergius Papa reſtituendum decreverat: ſed *Alfridus* Rex nectendo moras, Pontificis juſſa ſuſpenderat. Poſtremò cùm prorogare tempus haud liceret, conventus cogitur, in quo ſperabat *Wilfridum* in ſua conſilia inflectendum: nihil verò iſte à propoſito decedens, Alfridi iram magìs accendit; parúmque aberat, quin Rex ArchiEpiſcopum vi opprimeret (t). In hæc diſcrimina conjectus Wilfridus rogabatur, ut pacem amplexus, ſponte ſuâ cederet ſede, hócque factum ſuâ manu ſubſignatum Epiſcopis, Regíque porrigeret. Tum Wilfridus dolum advertens reponebat: Nihil æquè ad cumulum infamiæ homini valere, quàm ſi ſuâ ſe damnaret voce; ſe primum fuiſſe, qui in Northumbria veri Paſchatis rationem docuerit, qui cantus Eccleſiaſticos ordinârit, Benedictíque Regulam à Monachis juſſerit obſervari, pro quibus omnibus nunc ſenem & ſeptuagenarium eò impelli, ut ſe ipſum ſcripto reum fateatur; negavit itaque ſe hoc facturum, quin potiùs Sedem Apoſtolicam adire ſtatuit. Alterâ jam vice auditus Romæ Wilfridus in Epiſcoporum Synodo innocentiæ ſuffragia, & jus recipiendæ Sedis tulit (u): quò minùs tamen continuò reſtitueretur, Alfridus ſolus obluctabatur. Regem, quem legatio Pontificis nihil movit, ſubinde fatalis morbus emollivit; hoc quippe ad extrema deductus, meliora promiſit, ſed maturè defunctus, Apoſtolicas literas ſe ſpreviſſe ſerò indoluit (x). Quod Pater ob repentinum fatum exequi non poterat, id ejus filius *Oſredus* confecit; in collecta quippe Synodo decretum eſt, ut Eboracenſis ſedes Wilfrido redderetur; in qua cùm ſanctus Præſul quatuor adhuc annos exegiſſet, poſt tot labores & exilia, æternam quietem, Patriámque cæleſtem adivit. Cæterùm tota Britannia hoc tempore in pulcherrimos fidei, virtutúmque fructus efflorescebat; nam duo ſummi Reges *Coenredus* Merciorum, & *Offa* Orientalium Saxonum purpuram cum monaſtico habitu commutantes, Romam cum aliis plurimis ad limina Apoſtolorum ibant, & expiatis peccatis, in ſinu Romanæ Eccleſiæ ſpiritum reddebant Creatori (y). Tota denique Inſula (ſi Monaſteria, Parthenonésque ſpectes) in Paradiſum converti viſa eſt; quæ monaſtica diſciplina quamdiu hoc in loco ſtetit integra, nulla hæreſis acceſſum habuit; at illâ laxatâ aut ſolutâ, terra illa fructifera in ſalſuginem redacta eſt (z).

REFLE-

(t) Malmesber. de Pont. L. 3. p. 265. Alfordi in Annal. Eccl. Anglo-Sax. ad an. 702.

(u) Beda L. 5. c. 20.

An. 704. *Mors Alfridi Regis.*

An. 705.

(x) Malmesber. p. 267.

Oſredus filius Wilfridum reſtituit.

An. 709.

Reges duo Romam abeunt.

(y) Beda L. 5. c. 20.

An. 710. *Florens ſtatus Eccleſiæ Anglo Saxonicæ*

(z) Baron. ad an. 703.

REFLEXIONES HISTORICO-POLITICÆ AD CAPUT I. LIBRI VII.

REFLEXIO I. ad §. I. Num. 11. pag. 698.

De Nummorum Byzantinorum figuris, symbolis, ac inscriptionibus.

1. Qui Numismata Græcorum cum Romanorum nummis seu monetis comparârunt, hi palmam meritò Græciæ semper putârunt tribuendam. Nam præterquam quòd eadem Græcia sua numismata è meliore metallo aut ære Corinthiaco cuderit, tum etiam ipsa cælaturâ imaginum adeo eminebat, ut etiam musculos & venas in Græcis nummis videas expressas (a). Quantumcunque verò Græci se materiæ pretio aut arte discernerent; id tamen cum Romanis commune habuêre, quòd superstitiosa adhucdum Gens nummos suos Deorum simulachris, aut effigie vilissimi cujusvis animalis consignaret (b). Ita *Samii* Pavonem Junoni sacratam avem (c), *Tarantini* Tarantem Neptuni filium Delphino vectum, *Corinthii* Pegasum, *Dardani* Gallorum Gallinaceorum pugnam, *Athenienses* noctuam, *Argivi* murem, in virtutum, aut benefactorum symbola adoptârunt (d).

Græcorum Nummorum præstantia.

(a) Joberti S. J. la science des medailles.

Imagines variæ in nummis descriptæ.

(b) Vide Golzii Lib. de Græciæ universæ numismatis.

(c) Athenæus L. 14.

(d) Julius Pollux L. 9.

2. Quare uti Græci olim Romanos; ita Byzantini nunc veteres Græcos multùm antecellunt, postquam illi à tempore Constantini Magni rerum gestarum monumenta, ac victorias non fictis Numinibus, sed Christi, Sanctorúmque imaginibus in nummis exprimunt, neque fabulosa symbola, sed victoriosa Crucis trophæa in iis effingi curant. Atque ut de venerando CRUCIS signo, quod Byzantinorum nummorum (e) ferè proprium esse solet, initium faciamus, insignis est ille nummus *Constantini Magni*, labarum cruce superiùs signatum, infrà subjectum draconem medio ventre transfigit (f), cum epigraphe: *Spes publica*, quod symbolum Eusebius ita exponit, *inimicam belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide oppugnâsset, in altum demersam & confixam* (g). Nec minùs celebris nummus est *Constantini Junioris*, tum Cæsaris, in cujus medio Crux grandior eminet inter duas figuras militares, cum inscriptione: *Gloria exercitûs.* Non absimiles his sunt nummi alii Catholicorum Imperatorum, utpote Valentiniani, Theodosii M., Arcadii, Theodosii Junioris, Marciani, Justiniani (h); & præcipuè Heraclii, qui multos cruce signatos nummos cudi fecit eo tempore, quo recuperatum à Per-

Byzantinorum pietas & Religio circa icones sacras in nummis expressas.

(e) Du Cangius in familiis Byzantinis. Item in Dissertat. infer. Ævi Numism.

(f) Strada in Append. ad Dialog. Anton. Aug.

(g) Eusеb. L. 3. c. 3.

Crux sacra in Nummis Byzantinorum.

(h) Vide Ducangium in familiis Byzantinis.

 sis

(i) Baron. ad an. Gretserus T. III. de S. Cruce p. 41. recent. edit.
(k) DuCangius in famil Byzant. in Corpore Scriptorum Byzantin.
(l) Gretserus de S. Cruce T. III p. 41.

ſis S. Crucis lignum Hieroſolymam reduxit (i). De uno tamen ejusdem Imperatoris Staurophili nummo inter Criticos controverſia agitur, utrùm ille inter genuinos numerari poſſit. Nummum ejuſmodi Lipſius & Ducangius (k) ita exhibent: Imperator curru triumphali ſublimis & coronatus conſpicitur, ſiniſtrâ Crucem geſtans cum hac epigraphe: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulavit, & conculcavit leonem & draconem.* Supernè quatuor pendent lampades, quibus hæc adſcripta: *Gloria in excelſis Chriſto, quoniam confregit portas ferreas, & liberavit Crucem ſanctam Imperatore Heraclio* (l). A parte anteriore eſt imago Heraclii coronâ radiatâ & crucigerâ, & prolixâ barbâ conſpicui, vultum ad radios cælo delapſos attollentis, hâc precatione adnexâ: *Illumina vultum tuum Deus ſuper tenebras noſtras: militabor in Gentibus.* Qui hunc nummum ex recenti Officina profectum aſſerunt, negant tunc Byzantinis Imperatoribus fuiſſe in more, prolixam barbam nutrire; nam Cedrenus de hoc ipſo Heraclio agit: Fuit Heraclius ſtaturâ mediocri &c., barbâ latâ atque prolixâ: Imperator factus, ſtatim comam totondit, ac mentum raſit, qui eſt Imperatorum habitus: alii etiam contra coronæ novæ formam, & contra nimis frequentes & amplas inſcriptiones ab illo ævo abhorrentes excipiunt. Unde Gretſerus non diffitetur, nummum non quidem ab Heraclio, ſed à ſucceſſoribus editum eſſe, qui Heraclii victoriam inſigni illo monumento celebrare voluerunt (m). Neque tantùm Imperatoribus Catholicis ſolenne fuit, Crucis figuras in nummis exprimere, ſed & Hæreticis, ac Iconomachis: nam (ut Conſtantinum Valentem, & Baſiliſcum omittam) Conſtantinus Copronymus, Leo Iſauricus, aliíque licèt diriſſimè in Servatoris, Sanctorúmque imagines graſſarentur (n); Crucem tamen privatim & publicè effingebant, colebántque (o). Cæterùm modus repræſentandi Crucem in nummis varius erat: vel enim obliquè decuſſata, vel ad perpendiculum erecta, vel etiam cum duplici tranſverſo ſtipite proſtabat, cujus poſtremæ figuræ uſus à Conſtantino & Irene matre cœptus in aliorum ſucceſſorum morem inde tranſiit, ſcilicet duo Auguſti ſimul in nummo ponebantur, quorum alter lævâ, alter dexterâ complectebantur Cruces binas ſinguli ſingulas; ita ut earum propiùs conſerti ſtipites oblongi cùm oculis ſeparatim ſubjici non poſſent, brachia ſaltem Crucum tranſverſa duplicatâ vel triplicatâ figurâ exprimerentur.

(m) Gretſerus de S. Cruce T. III. L. I. c. 23. p. 42. Confer Du Cange in Diſſert. de infer. ævi nummis.
(n) Theophanes ad an. 25. Copronymi.
(o) DuCangius in fam. Byzantin. p. 104. in Diſſert. de Nummis n. 23.

Globus cruciger in Nummis.

3. His accedit GLOBUS CRUCIGER, ſive Pila, cui Crux inſiſtit; de cujus ſignificatione ita Suidas commentatur (p): *Imperator lævâ quidem manu globum tenet, cui Crux infixa eſt, quæ ſignificat, ipſum propter fidem in Crucem, terræ Dominum factum. Globus enim is terra eſt propter rotundam ipſius figuram: fides verò eſt ipſa Crux, ob incarnatum Deum illi clavis affixum.* Equidem jam olim Auguſtus (q), Maximianus (r), alíique Ethnici Cæſares Pilam in ſignis, nummíſque conſtituiſſe feruntur,

(p) Suidas.
(q) Iſidorus L. 18 c. 3.
(r) Ammianus L. 25.

tur, ut se Dominos, Rectorésque Orbis commonstrarent; verùm post Valentiniani tempora, consuetudo pia Imperatorum firmata est, quâ nudæ cæteroquin sphæræ signum Crucis imponerent: Primus, aureúsque Valentiniani nummus exhibebat figuram stolatam ac galeatam, quæ sinistrâ hastam, dextrâ globum crucigerum tenebat; inde in utriusque Theodosii, Justiniani, aliorúmque numismatibus ac imaginibus similis formæ globi frequentes conspiciuntur (s). A Byzantinis ad Occidentales Augustos postea globus iste cruciger transire visus est. Benedictus Papa VIII. sub annum 1013. Pilam Cruce signatam Henrico II. Imperatori tradidisse fertur; nam Glaber Radulphus ita scribit (t): *Præcepit fabricari* (Benedictus) *quasi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream Crucem inseri. Erat autem instar speciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate consistere perhibetur, ut, dum siquidem illud respiceret Princeps terreni Imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm ut dignus haberetur vivificæ Crucis tueri vexillo.* Non multùm ab his discedunt sensa Godefridi Viterbiensis (u), quæ de globo crucigero adnotavit:

(s) Procop. de ædif. c. 2.

(t) Glaber Radulphus l. 1. c. ult

(u) Godefrid Viterb. in Panth.

Aureus iste globus POMUM vel Palla vocatur,
Unde figuratum mundum gestare putatur.
Crux superest Pomo cæli super insita dono &c.
Crux & Palla simul pariter connexa tenentur:
Hæc magis, illa minùs parte reverenda videntur,
Hæc ferit, hæc sanat; hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis pugno concludere Regna,
Significata Crucis tibi sunt reverenter habenda:
Servulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

In subsequentibus postea sæculis inter insignia Imperatorum globus cum Cruce numerabatur (x), quid? quod Carolus IV. Imperator Comiti Palatino Rheni id officii demandavit, ut inaugurando Augusto globum crucigerum tradens, Imperatorem hisce verbis compellaret: *Accipito globum sphæricum, & omnes terræ nationes Imperio Romano subjicito* (y). A fastigio Cæsarum si nunc paulò inferiùs demittere oculos libet; varios Reges tum Hierosolymæ (z), tum Poloniæ (a), ac Hungariæ (b) hoc glorioso signo suam dignitatem ornâsse videbimus. De Edvino Nortthumbrorum Rege Beda perhibet, quòd, ubicunque incederet, illud genus vexilli, quod Romani *Tufam* vocant, ante eum fuerit prælatum (c). Justus Lipsius hoc insigne expositurus ait, Pilam fuisse, quâ uti consuevit Augustus tanquam Monarchiæ symbolo, cui Christiano more Crux addebatur præcipuè hoc tempore, quo Heraclius Imperator insigni victoriâ Crucem Ecclesiæ reddidisset (d).

(x) Conradus Urspergensis in Henric. V.

(y) Vide auream Bullam

(z) Coquillius in Hist.

(a) Cromerus in Polon. L. 2.

(b) Jessenius in relat. de Coron. & Reg.

(c) Beda L. 2. c. 16.

(d) Alfordi in Annalib. Eccl. Anglo-Saxon. ad an. 629. n. 4.

4. Quem-

Christi imagines in Nummis.

4. Quemadmodum verò Byzantinorum Cæsarum pietas fuit, ut signo salutis in ære procuso suus existeret honos; ita sub Justiniano Rhinotmeto mos vigere cœpit Servatoris ipsius imaginem in nummis describendi (e). Joannes Zimisca in obolis ita effingi jubebat Christi iconem, ut in parte anteriore Servator, in posteriore hæc verba repræsentarentur characteribus Romanis: JESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON: paulò aliter eundem alii Græci efformârunt, dum vel benedicenti similem, vel cum Evangeliorum libro proposuêre, ùt qui hunc mysteriis plenum librum solus aperire potuit (f). Quanquam & Augustos quandoque intueri in nummis liceat, Evangelicum Codicem manu gestantes, non quasi Imperatores exponendis scripturis vacare deberent, sed quòd interdum fidem suam tactis sacris Evangeliis, quæ fuit semper apud Christianos jurisjurandi formula, populo obligarent (g).

(e) Octavius Strada l. c. p. 265. Chiffletius de lint. sepulch.

(f) Allatius L. 1. de Cons utr. Eccl. c. 6. n. 31.

(g) Auctor Chronici Alex.

B. Virginis Mariæ, & Sanctorum icones in Nummis Byzantinorum.

5. Post Christum Dei Filium ad Virgineam Ejus Matrem nunc ordo delabitur: hujus nomen in Anastasii Dicori nummis ita exprimitur, ut M cum subjecta litera A Mariam denotet, in multis etiam Deiparæ imago conspicitur vel JEsum infantem sinu complectens, vel (qui mos Græcorum pingendi Virginem peculiaris est) Christum in clypeo aut tabella orbiculari sustentans, cui quandoque sequentes literæ adscribuntur: MP ΘV, id est, μήτηρ Θεοῦ (h). Hujus formæ nummos edidit Joannes Commenus, Zimisca, Manuel, Andronicus, Isaacius Angelus, aliique. Neque Christum duntaxat, aut Deiparam, sed & Sanctos Byzantini in nummis expressos voluêre; nam Isaacius Archangelum Michaëlem, Joannes & Manuel Commeni S. Georgium (i) vel equitem, vel militem cum nudato ense, spiculo & clypeo procudi fecerunt cum characteribus O (in quo quia A minutum includitur, ἅγιος vulgò contrahunt Græci) & ΓΕΡΟΓΙΟC vel O. ΑΓΙΟC ΓΕ (k).

(h) Octav. Strada in arte Numismat. p. 318. 327. Du Cange in Differt. de Nummis infer. ævi n. 3.

(i) Codin. de off. c. 6. Gregoras L. 8.

(k) Octav. Strada p. 361

Inscriptiones in Nummis Byzantinis.

6. Præter singulares figuras etiam inscriptiones in nummis Byzantinis aliquid peculiare habent. Nam quædam earum in medio nummi, loco figuræ ponuntur, ita Joannes Zimisces intra medium numismatis hæc verba describi voluit: JESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON. Aliæ ad nummi marginem removebantur; quæ vel titulos Imperatorum, v.g. perpetui, Augusti: dignitatem Imperatoriæ & Tribunitiæ potestatis, Flavii, aut Novi Constantini, Domini aut Despotæ nomina vel vota populi & acclamationes, vel annos Imperii continebant. Inferiori demum nummorum ac posticæ parti mutilis characteribus inscribebantur urbes, ubi, & ex quarum officinis numismata ejusmodi prodiissent, vel etiam Monetariorum nomina. Quare iis, quæ Constantinopoli numismata procudebantur, subsignatas has literas invenies:

CONOB.

CON. vel CONOB & KONOB, quos characteres non tamen omnes eodem sensu accipiunt. Alii quippe putant Regi debere *Constantinopolitanum*

num Obryzum, alii *Constantinopoli obsignatum*, alii etiam hoc modo interpretantur *Constantinopoli Moneta obsignata*; & quamvis eædem literæ in aliis quandoque nummis reperiantur, illæ tamen aliud nil præmonstrant, quàm quòd consensione quâdam mutuâ similia numismata procusa sint in distinctis urbibus, quæ quia Regiæ urbi Constantinopoli subjectæ erant, hujus Metropolis mentio duntaxat in nummis prostat.

7. Porrò ut officinarum, Monetariorúmque notas faciliùs percipias, ex plurimis paucas hìc adnotandas putavimus. ΑΛΕΞ. *Alexandriæ*, AMB. *Ambiani*, ANT. *Antiochiæ*, ANB. *Antiochiæ*, ubi B est Imperii annus secundus. ANTP. *Antiochiæ* P est nota Monetarii, ANTS. *Antiochiæ signata*, AQOB. *Aquilejæ obsignata*, AQS. *Aquilejæ signata*, AQT. *Aquilejæ percussa*, ubi T pro P perperam scribitur. ATR. A nota Monetarii *Treviris*. KARR. CAR. KART. KE. ΚΔ. KRTC. *Carthagine*; KYZ. *Cyzici*, LUG. *Lugduni*, LUGSP. *Lugduni pecunia signata*, MDPS. *Mediolani pecunia signata*, MKV. *Moneta Carthag.*, V est nota Monetarii. MNL. *Moneta nova Lugduni cusa*, NIC. *Nicomediæ*, PAQ. *percussa Aquilejæ*, PAR. *percussa Arelate*, PERP. *Pecunia Romæ percussa*, PL. *percussa Lugduni*, PROM. *percussa Romæ*, PS. *percussa Sisciæ*, QA. pro AQ. *Aquilejæ*, R *Romæ*, RA. *Ravennæ*, RB. *Romæ percussa*, B pro P. ROPS. *Romæ pecunia signata*, RSLC. *pecuniæ signata Lugduni*, ubi R pro P. SIR. *Sirmii*, SANB. *signata Antiochiæ*; B nota Monetarii, vel annus secundus Imperatoris. SAR. *signata Arelate*, SMAN. *signata moneta Antiochiæ*, SMANS. *sacra moneta signata Antiochiæ*, SMNS. *sacra moneta nova signata*, SMRB. *signata moneta Romæ*, B est signum Monetarii. SMTS. *signata moneta Thessalonicæ*, TESA. *Thessalonicæ*, TRO. *Treviris obsignata* (l).

Inscriptiones Monetariorum & urbium, à quibus nummi edebantur.

8. Esset, ut postremo loco de nummorum forma vel orbiculari, vel quadrata, vel scyphata, item de variis monetarum speciebus, scilicet de follibus, Leptis, & Assariis, Aspris, Cauciis, & Malliis quædam subjungerem; sed quia de monetis, & de jure monetas cudendi alibi copiosior sermo erit, hìc vela contrahimus.

(l) Vide Du Cangium in Differt. de infer. ævi nummis n. 52.

REFLEXIO II. ad §. I. Num. 12. pag. 700.

De veterum Arabum Republica ac Religione ante Mahometismum.

1. Quibus Arabum prima initia investigandi cura fuit, hi Cahtanum Heberi filium, ejus populi antiquissimum progenitorem ac Regem agnoscunt (a). Is enim ubi primus omnium regionem, quæ postea Arabia dicta, ingressus est, Reipublicæ fundamenta quædam ponere cœpit: defuncto Patri successit Jaarab filius, qui regioni ex suo nomine Arabiæ nomen dedit. Cæterùm Scriptores Arabum Gentem in *Indigenas*,

Regni & nominis Arabum origo.

(a) Abraham Ecchelens. in Hist. Arab. P. I. c. 2 & P. II. c. 1.

nas, *Advenásque* partiuntur: *Indigenæ* illi vocantur, qui omnium primò terram illam occupârunt, suásque ibi fixerunt sedes. *Advenæ* verò, qui multò pòst eò profecti, connubia & fœdera contraxerunt cum primis incolis (b): cujusmodi sunt illi, qui ab Ismaële Abrahæ filio ducunt originem; à quo omnes Arabes (posteaquam ejus posteri regionis præcipuâ parte potiti sunt) *Ismaëlitæ* aliquando vocati fuerunt (c), nec non *Hagareni* à matris Hagar nomine (d). Discernebantur hi porrò in *Cives*, sive urbium incolas, & in *Scenitas*, qui per deserta perpetuò vagati, nullibi certas designant sedes. Arabes itaque (si universam Gentem spectes) ex variorum subinde accedentium populorum colluvie conflabantur, unde Syri Etymologiam nominis considerantes, Arabes ideo dictos crediderunt, eoquòd à commistione & confusione ex diversis regionibus coorti sint (f).

(b) Abraham Ecchelensis in Historiæ Arab. P. I. c. 1.
(c) Gregor. Barhæbr. in Poëmat. de Arab. rapin.
(d) Breviar. Maronit.
Ismaëlitæ & Hagareni.
(f) Auctor Syriaci Vocabularii apud Ecchelensem.

Successio Regum Arabicorum.

2. Post Jaarabum filius ejus Jasahab suffectus est, qui Regni hæredem reliquit Habsciames *cultorem Solis*, qui ob acerrima bella finitimis illata Gentibus, & spolia ab illis reportata *Saba* nuncupatus est, id est, *direptor*, aut *deprædator*; urbémque de suo nomine condidit Sabam, à qua universæ regionis coloni *Sabæi*, sive *latrones* aut *prædatores* appellabantur. Ab hoc Saba descendit abneptis quædam (nomine Balkais) fœminarum sui temporis sapientissima. Ista ex omnium Arabum sententia illa Regina Sabæ fuisse fertur, quæ Salomonem adivit, ut illum ænigmatibus & problematis tentaret, probarétque. Et quoniam de Salomone hìc mentio incidit, de lingua ac characteribus Arabum Syri & Chaldæi produnt, Salomonem Arabicas literas invenisse, ac Reginæ Sabæ tradidisse; nam Jesudad Episcopus Hadtensis, postquam pluribus demonstraverat, ante Moysen nullas extitisse scripturas, nullósque characteres, subdit (g): *Quidam autem ajunt, quòd quemadmodum ille* (Moyses) *primus excogitavit literas Hebraicas, quibus legem posuit; ita Salomon excogitavit characteres aliorum librorum sive scripturarum, quos tradidit populis, à quibus affectus est honoribus, & primùm quidem Syriacæ linguæ* (characteres) *quos dedit Hiram Tyri.* Non desunt tamen, qui Jaarabo Cahtani filio tribuant, quòd uti regioni nomen, sic & linguæ idioma dederit, characteres & scripturam excogitando (h).

Regina Saba.
(g) Jesudad in præf. elucid. Genes.
Literarum Arabicarum origo.
(h) Mashudius apud Ecchellens. P. II. Hist. Arab. c. 1.

3. A filiis Homairi filii Sabæ, unde Homairitarum nomen Arabum parti inditum, ad filios fratris ejus Cahtani translatum est sceptrum, quod cùm per varias vicissitudines stirpis ejusdem soboles tenuisset, Dusnaterus homo peregrinus hæredibus legitimis illud eripuit: libido tamen nefasta, quâ in Zahram flagrabat, non permisit, ut dignitate diu potiretur; Zahra quippe Principis æstum compressurus, eidem vitam, Regnúmque abstulit. In Principatu confirmatus ab Homairitis, Judæorum religionem professus est: cujus dein tuendæ tam impotenti zelo exarsit, ut,

Regnum Homairitarum Christianorum.

ut, cùm audivisset, in urbe Nahram Arabiæ felicis plures esse, qui Christum colerent, eò contenderit ad Christicolas exurendos. Zahrâ è vivis rapto, Dugiadan ultimus ex Homairitis Rex successit; in qua familia ubi Arabiæ felicis Regnum annis 2020. durâsset, ad Æthiopes brevi tempore pervenit. Zahram Dunaam Judaicis superstitionibus addictum quippe Elesbaan Rex Æthiopum Christianus bello adortus, Arbatam Patruelem cum septuaginta millibus misit, qui subactam Provinciam tenuit, ab Abraha tamen Æthiope rursus occisus, Sicario suo reliquit Regnum: duo inde adhuc Æthiopum in Arabia dominati sunt Reges, post quos ad Homairitas Principatus rediit; nam cùm valde premerentur Arabes ab Æthiopibus, Saiphum ex Homairitarum genere delectum ad Cæsarem mittunt, qui auxilia posceret: sed illo inficiante, fas esse, contra Christianos Principes arma ministrare, ad Chosroën Persarum Regem confugiunt, qui multis precibus adactus ubi tandem suppetias dederat, Æthiopes debellati Regno cessêre. Saiphus licèt pro legationis præmio Principatum tulisset; Æthiopum tamen dolo paulò pòst periit: quare Chosroës Arabiam deinceps per suos Præfectos gubernandam sumpsit, quorum postremus nomine Badhan sub Pseudo-Propheta Mahometanam Religionem professus est. *Ultimus Rex Arabum ante Mahometem.*

4. Quemadmodum verò Reipublicæ civilis apud Arabes diversa conditio sub diversis Regibus fuit; ita non una Religionis forma & ratio inter tot nationum congestos populos observata est. Multi siquidem ab eo tempore, ex quo Zahra Dunaam fasces gesserat, *Mosaicæ* Legi dederant nomen: è diverso dum Christiani Æthiopes tenebant Regnum, Regiâ authoritate ac exemplo *Christi Sacra* in eadem Arabia floruerunt. Magna etiam popularium pars in sectas scindebatur. Omnium præcipua *Chaleditarum* erat, qui à Chaledo dicti, unum Creatorem, bonorum præmia, & malorum supplicia agnoverunt. Hos proximè sequuntur *Cultores Intelligentiarum*, quas invocabant variis superstitiosis ritibus, ut nos Deo conjungerent, vel idola illis erigebant sub certis formis & figuris, animarum immortalitatem concedebant utrique, sed Prophetarum dicta amoliebantur (i): Equos aut Camelos morituri super suis sepulchris mactari jubebant, eoquòd ipsis esset persuasum, eum equitem iter facturum ad locum judicii, cujus super tumulo ejusmodi animal jugulatum fuisset. Quidam ad *Chaldæorum* instituta deflectentes, Planetas adorabant, nullúmque ordiebantur opus, nisi siderum motus, occasus, aut effectus antè consuluissent. Non pauci etiam fuêre, qui sigillatim sua idola secuti, diversa sidera pro Diis habuêre; ita Cananitæ Lunam, Lahemitæ & Gedamitæ Jovem, Aseditæ Mercurium colebant. Secta quoque apud Arabes antiquissima *Philosophorum* erat, qui *Dabritæ* sive *temporales*, *æterníque* appellari consueverunt: Atheis, vel Sadducæis fuêre per-

Religio quotuplex fuerit in Arabia ante Mahometem?

(i) Abraham Ecchelensis in Hist. Arab. P. I. c. 3

re persimiles; nam mortalitatem animarum asserentes, Deum, quem verbis confitebantur, factis omnino negabant (k).

(k) Echellensis l. c.

Mahomet è variis sectis unam, eámque monstrosam conflavit Religionem.

5. Atque hanc Sectarum multitudinem pessimus Arabum Seductor Mahomet in unam, eámque monstrosam Religionem ita conflavit, ut singularum consuetudines, ritus, cæremonias, superstitiones, incantationes formulis quibusdam conceptas, mores, ac alia id genus intacta conservaret, ac retineret (l). Nam cùm Pseudo-Propheta nationes omnes & populos cujusque legis & instituti ad se pertrahere, & quibusvis carnis illecebris allicere studeret; idem sibi propositum voluit, quod Gentes olim in Samariam deportatæ moliebantur: nempe ut veri Dei cultui idolorum ac superstitionum sacra admisceret. Quo consilio ea præscribebat, probabat, addebat, aut fingebat, quæ personarum conditio, quæ res, tempus, locúsque postulabant.

(l) Ismaël Schiahinschin. Hist. Gent. c. 3.

REFLEXIO III. ad §. II. Num. 4. pag. 724.

De Monomachia judiciali ad detegendos criminum reos, & ad alias controversias dirimendas olim adhiberi solita.

De quo duelli genere hìc quæratur?

1. Dum de Monomachia hìc verba facere aggredimur; non de illo singulari certamine loquimur, quod hostis unius odio, aut vani honoris vindicandi studio inter paucos geritur. Hæc enim cruenta carnificina, privatorum duntaxat libidine ac audaciâ suscepta, odium piorum, Principúmque vindictam in se dudum provocavit. Verùm de alia pugnæ specie nobis jam sermo est, quæ moribus, legibúsque variarum Gentium probata, inter necessaria, ac idonea adminicula Magistratuum recensebatur, quibus dubiæ lites dirimi, ac nocentes ab innocentibus discerni possent.

Unde Judiciale Duellum initium sumpserit?

2. In more Veterum equidem positum erat, ut, si quis reus aut innocens in quæstionem peracti criminis vocabatur, is interpositâ jurisjurandi formulâ se purgaret, quo facto quivis conscientiam aut suspicionem sceleris à se amoliri censebatur (a). Purgationis hujusmodi modus tamdiu tenuit, dum Judices timere cœperant, ne impunitatis spes plures flagitiosos ad perjuria alliceret: itaque ut plus sacri horroris jurantibus injiceretur, ad sepulchra Sanctorum sacramentum purgationis dicturi ducebantur, ut ibi simul Reliquiis imponentes manum, simúlque jusjurandum solenni formulà pronunciantes, innocentiæ suæ testimonium comprobarent: quod quidem tantò faciliùs discernere erat, quantò severiùs iis in locis Deus in perjuros animadverterat. Certè S. Augustinus, quando inter Bonifacium Presbyterum, intérque alium Clericum anceps lis fervebat de occulto crimine, nec, quis eorum reus foret,

(a) Anonymus de superstitione.

Jurisjurandi olim Religio causas decidebat.

foret, liquidò poterat ostendi, iisdem præscripsit, ut Nolam ad tumulum S. Felicis abirent, ubi terribiliora opera Dei cujuscunque conscientiam faciliùs aperirent, & ad confessionem vel pœnâ vel timore compellerent (b). Cujus consilii rationem porrò daturus, in hæc verba pergit: *Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui, ut pergerent, quia inde nobis faciliùs, fideliúsque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam SS., ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse, confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere.* Non absimilia prodigia in medium proferunt Gregorius M. (c), & Gregorius Turonensis (d), quibus scelerati, vel occultis criminibus impliciti ad confessionem flagitii altiore vi adigebantur. Sed quoniam teste Augustino (e), nec in Africa ad Reliquias SS., nec in aliis pluribus memoriis SS. ista Deus fieri volebat; imò nec Nolæ, nec Mediolani, nec in Gallia ad sepulchrum S. Martini talia miracula singulis vicibus edebantur; inde factum est, ut nocentes ad ipsa etiam sacra Lipsana pejerare, Judicésque ac populum decipere minimè abhorrerent.

Jusjurandum olim accusati edebant super sacras Reliquias, & cur?

(b) S. Augustin. ep. 78

(c) Gregor. M. hom. 32. in Evang.

(d) Gregor. Turon. L. I. de gloria Martyrum.

(e) S. Aug. *Causæ, cur duellum pro probatione innocentiæ statuerint Veteres?*

3. Securius itaque & universalius remedium nocentes discernendi, aut causas dirimendi illud potissimùm Veteribus placuit; nempe ut accusati, vel de causa disceptantes singulari certamine (siquidem alia probationum adjumenta deessent) jus suum, aut integram à scelere immunitatem experirentur. Quem ritum Ansegisus in Capitularibus (f) hunc in modum exponit: *Quodsi ambæ partes testium ita inter se dissenserint, ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et Campioni, qui victus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur: cæteri verò ejusdem partis testes, qui falsi fuerint, manus suas redimant.* Sæpe etiam severiùs Franci non tantùm fustibus, sed & gladiis suas peregêre pugnas (g). *Judex cuique duos præbere debet, qui videant, quòd secundùm consuetudinem præparentur. Quantum voluerint de corio & lineo, induant, dummodo frontes, id est, capita atque pedes permaneant enudati. In manibus nonnisi simplices habeant chirothecas: nudum in manu quilibet habeat gladium, . . . clypeum ligneum corio tectum, & nonnisi umbonem ferreum in manu ferant, & unicam tunicam induant, cujus manicæ usque ad cubitum se extendant.* Sin verò Equites decurrebant in pugnam, certarum hastarum usus à certantibus adoptabatur (h). Præterea non qualibet de causa, & quibusvis duellum judiciale suscipere licebat; nam nec iis, qui infra vigesimum primum, aut supra sexagesimum ætatis annum erant, hoc pugnæ genus demandabatur. Conditio etiam statûs etsi Clericos, mulierésque

(f) Capitular. Franc. Tit. de falsis testibus convincendis.

Ritus duelli ad purgationem reis impositi.

(g) Speculum Saxon. L. 1. a. 63.

Habitus & arma pugnantium.

(h) Assisiæ Hierosl. MS. c. 95. apud Du Cange in Glossar.

Quibus, & quas ob causas duellum inire concessum sit?

(i) Bracton L.3.tr.2.c.21 Goffridus Vindocin. L.3. ep.39.
(k) Bellomanerius c.63.
Assiss.Hier. MSs. c.95.
Pœna in duello succumbentium.
(l) Stabilim. S. Ludovici L.1.c.8. Speculum Saxon. L.2. a.16 §.2. Weichbild. Magdeb.a.82
Apud Germanos veteres præcipuus duellorum usus in controversiis.
(m) Livius Lib.28.c.21.
(n) Vellejus Paterc. L.2. Hist.
(o) Tacitus de M.G.c.22
(p) Id.c.10.
(q) Joachim Maderus de duello ùt Ordalii specie. Jacob Thomasius de duellorum diversi. gen. moralitate.
Quomodo Germani in cæteras Provincias hunc suum morem propagârint?
(r) Fredeg. in Chr.c.51.

lierésque ab hoc certamine removeret; Vicarios & Campiones tamen dare tenebantur (i). Non minùs causæ, ob quas depugnari duntaxat poterat, suos habebant limites; unde nec in causa apertè falsa aut conclamata, nec Ingenuo cum Notho, nec Patri cum filio certandi copia fiebat (k). Duello semel à Judicibus indicto, obsidibus datis post quadragesimum inde diem pugnam committere necesse erat, cui qui succumbebat, ultimum supplicium, suspendium, vel capitis minutionem, aut pecuniariam mulctam pro delicti conditione subire cogebatur (l).

4. Monomachiæ judicialis formam, arma, exitúmque postquam descripsimus; superest, ut causas proferamus, cur potissimùm hic de rebus occultis judicandi ac definiendi modus præ aliis apud Gentes ex Germania oriundas frequentatus sit. Equidem apud Romanos pauca quædam vestigia hujus duelli reperies; nam Livius de Corbi & Orsua testatur, quòd de *Principatu civitatis ambigentes* condixerint, *ferro se certaturos, nec alium Deorum, hominúmve, quàm Martem se judicem habituros* (m); sed multò ampliùs de Germanis disserit Vellejus Paterculus (n), dum hujus Monomachiæ non tantùm apud eos quædam exempla, sed communem omnibus morem extitisse testatur, ut *lites* non *Romanâ justitiâ*, sed *armis discernere soliti* fuerint. Huic sententiæ subscribit Tacitus (o), dum ait: *Rixas apud Germanos cæde & vulneribus sæpiùs transactas fuisse, quin ejus Gentis, cum qua bellum erat, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committebant* (p). Hanc consuetudinem, cui Hyperboreæ Gentes inter Idolomaniæ tenebras penitus assueverant, postea in Galliam, Italiam, & Britanniam secum advexêre (q). Neque ab illo more, licèt subinde ad Christi sacra transiissent, desciscendum rati, hæc ipsa duella *Ordaliorum* sive *Judiciorum* (ùt vocabantur) *divinorum* genus esse tradebant, quo Dei ipsius judicio & sententiâ innocentes esse, vel jure niti credebantur, qui certamine singulari cum adversario suo inito illæsi, & salvi evasissent. Ad Deum quippe malorum, proborúmque vindicem pertinere ajebant, ut is, qui causâ melior, etiam fortior reo, & nocentis victor prælio exiret. Exemplum ejusmodi nobis Fredegarius proponit (r) de Gundeberga Charoaldi Regis Longobardorum Conjuge; hæc enim cùm falsò ab Adalulfo parricidii & adulterii insimulata esset, Ansoaldus Clotharii Francorum Regis Orator Charoaldo hoc remedium causæ discernendæ suggessit: *Liberare poteris de blasphemia* (calumnia) *hanc causam: jube illum hominem, qui hujuscemodi verba tibi nunciavit, armari, & procedat alius de parte Reginæ Gundebergæ, quíque armatus ad singulare certamen, ut JUDICIO DEI his duobus confligentibus cognoscatur, utrùm hujus culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis. Cúmque hæc Charoaldo Regi, & omnibus Primatibus Palatii sui placuissent; jubet Adalulfum arma-*

armatum conflictum adire certaminis, & de parte Gundebergæ procurrentibus consobrinis Gundebergæ, & Ariberto, homo, nomine Pitto, contra Adalulfum armatus adgreditur. Cúmque conflixissent certamine, Adalulfus à Pittone interficitur. Gundeberga igitur statim de exilio, in quod à Charoaldo ob existimatum crimen ejecta fuerat, *post annos tres regressa sublimatur in Regnum.* Non dissimilem de duellis opinionem fovebat Guntchramnus Boso; hic enim ubi Regem Guntchramnum ad singularem pugnam evocaverat, dicere auditus est, *se ponere hoc in DEI JUDICIO, ut ille discernat, cùm nos in unius campi planitie viderit dimicare* (s). Brevitatis ultra præstitutos limites progrederer, si quas historias alii Authores (t) adducant, commemorare luberet.

Gundobaldi Regis prima lex de duellis.

(s) Gregor. Turon. L. 7. c. 14.

(t) Aimoin. L. 4. de mirac. S. Bened. c. 11.

5. Primus tandem, qui barbaro ritui authoritatem lege latâ conciliaret, Gundobaldus fuit Rex Burgundionum Hæreticus Arianus; hic enim statuit (u), *ut si quis jusjurandum oblatum recipiens, adversarium suum veritatis fiduciâ armis dixerit posse convinci, pugnandi licentia non negetur.* Equidem *S. Avitus* Viennensis Episcopus omnem admoverat operam, ut legem nefastam aboleret; at huic Gundobaldus obluctando reponebat: *Quid est, quòd inter Regna & Gentes, vel etiam inter personas sæpe singulas dirimendæ præliis causæ divino judicio committuntur, & ei maximè parti, cui justitia competit, victoria succedit?* S. Antistes hâc quæstione minimè territus respondebat: *Sæpè (ùt cernimus) pars aut justè tenens, aut justa deposcens, laborat in præliis, & prævalet iniquæ partis vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio* (x). Sed viri sancti industria adeo non profecit, ut Sigismundus Gundobaldi filius, ejuratâ quantumvis Arianâ hæresi, hunc errorem minimè deposuerit; quare lex illa paulò pòst ab Alemannis, Bajoariis, Longobardis, Danis & Francis inter statuta publica cooptata est.

(u) Lex Gundobaldi Tit. 35.

S. Avitus Gundobaldo resistit, sed irrito conatu.

(x) Avitus Vienn. in L. contra Leg. Gundobald.

Error propagatur.

6. In Sæculo nono in abusum illum rursus calamum strinxit *Agobardus* Lugdunensis Præsul, & libro toto, quem inscripsit Ludovico Pio (y), ostendit, Monomachiam purgationis causâ susceptam vel impositam, legibus Christianitatis esse contrariam, exitu incertam, ac superstitiosam; ac primò cùm Christiana Respublica mansuetudinis & charitatis instituto compaginata sit, quis credat, tam arctum vinculum stare posse, ubi sanguinariis cædibus pars in partem sævit, dúmque membra membris sibi cruentos dentes infigunt, séque invicem mordentes, salutem publicam consumunt? Ferarum isthic, non hominum, nec Christianorum lites dirimendi modus est, ut idem sit causâ & pugnâ vincere. Deinde, quo nomine justitia illa compellabitur, quæ per incertas dimicationes rerum æquitatem definit. Si enim de facto aut jure cujuspiam agitur, ut quid sanguinario supplicio duellorum addicatur is, quem nemo sceleris convicit? Absolvendum illum, non condemnandum jura volunt, quem nec testimonia, nec confessio malefacti reum probârunt.

(y) Agobard. Lib. adversùs leg. Gundob.

Agobardus libro scripto duella impugnat.

(z) L. ult. Cod. de probat.

(a) Agobard. l. c. c. 7.

(b) c. 2. ✕. de purgat. vulgari.

runt (z). Accedit, quòd in duello ille plerumque succumbat, non qui causâ, sed qui arte & viribus inferior est (a). Innocentius III. ad rem nostram commemorat (b), quòd, cùm Spoletani Judices, nonnullos de furto falsò accusatos ad duellum coëgissent, innocentes prælio ceciderint, sed non causâ; nam re furtivâ paulò pòst apud alium raptorem inventâ, innocentia eorum, qui incertâ Monomachiæ fortunâ oppressi fuerant, rursus erecta est, & ex sinistro duelli eventu cognoscere licuit, æquius semper agi in causis forensibus, si hæ rationibus jurisprudentiæ, non verò ferro, aut ancipiti Marte transigantur. Nisi fortè credas, Numinis intervenire manum, cujus intersit, ne alius succumbat, quàm qui causam iniquam in arenam adducit. At ubi, quando, & cui id Deus promisit? Deum omnia posse, nemo negaverit; sed quod potest, id quoque semper eum velle, quis suspicabitur, nisi divinum testimonium, aut specialem instinctum habeat? Miracula non quo tempore homines suo ex beneplacito petunt, sed quo Deo allubitum est, patrantur; cavesis igitur, ne ille prodigium tibi temerè & ubique deposcenti reponat illud: *Nondum venit hora mea* (c), aut ne tibi oggerat, quod olim Judæis in os exprobravit: *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei* (d). Equidem sacras literas perlegenti obscurum non est, quoties Deus bonæ causæ Moysis, Josue & Gedeonis adstiterit, quoties auxilium contra hostem poscentibus ostenderit, Deum æquè salvare posse in paucis, ac multis viribus: unde David ferè puer & inermis cum Gigante & armato Philistæo congressus, in funda & lapide carneam molem dejecisse legitur, supremo Numine meliori causæ favente, & certaminis eventum moderante. Sed paucorum, quíque vel ex promissione divina, vel aliunde de præsenti Dei ope securi erant, exempla Deo vim non inferunt, ut communi quâdam necessitate cuivis homini Thaumaturgam manum, quoties voluerint, expedire teneatur. Noverat Juditha, à cælo multa signa & prodigia Majoribus impensa fuisse, quo non obstante, Bethuliensibus illa exprobravit, quòd Deo tempus, diémque ferendi auxilii præstituendo, eidem injuriam irrogarent: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum* (e)? Quare cùm Deus nec expresso mandato, nec tacito causas innocentum per duellum decidi jusserit, an non pariter is tentabit Dominum, qui postpositis aliis remediis, ad sortem ejusmodi recurrit, & superstitiosâ observantiâ innocentiam detegere præoptat? nam, ùt Agobardus inculcat (f), *non est in præsenti meritorum retributio, sed in futuro. Non oportet mentem fidelem suspicari, quòd omnipotens Deus occulta hominum in præsenti vita revelari velit per crudelia certamina.*

Rationes, cur duella ejusmodi nefasta & superstitiosa haberi debeant?

(c) Joannis c. 2.

(d) Matthæi c. 12.

Objecta diluuntur.

(e) Judith. cap. 8. v. 11.

(f) Agobard. in tract. contra Leg. Gundobad.

Post Agobardum non desiit duellorum usus.

7. Hæc quantumcunque Agobardus contenderet; mos tamen ille adeo jam invaluerat, ut evelli animis haud posset. Certè *Luitprandus* Rex Longobardorum jam multò antè duellorum ejusmodi vanitatem ac mali-

malitiam agnoverat, quin torrenti obluctari auderet, nam ajebat (g): *Incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdidisse; sed propter consuetudinem Gentis nostræ, Longobardorum Legem impiam* (alii legunt *ipsam*) *vetare non possumus.* Consuetudini receptæ porrò vires addidêre non tantùm Carolingenses, sed & alii subsequentes Imperatores ac Principes; nam OTTO II. ita statuit: *De investitura Prædii si contentio fuit, ut per pugnam decernatur, edicimus* (h). Post Ottonem II. S. HENRICUS inter Augustos PRIMUS, in Regni comitiis decrevit, ut *per pugnam* homicidia dubia purgentur (i). Henricus III. ad dirimendam controversiam Henrico I. Galliarum Regi duellum obtulit (k). Edmundus Rex Angliæ cum Canuto Rege Daniæ jus succedendi in Britanniæ Regnum certamine singulari experiri voluit (l). Ludovicus IV. Imperator duellum inter Hectorem de Trautsmandorff, & Seyfridum Fraunsbergerum probavit literis publicis (m). Nec minùs memorabilis pugna erat, quâ arma Maximilianus I. cum Claudio Batrio in Comitiis Wormatiensibus commisit anno 1495 (n). Neque in Annalium memoria obliterata duella sunt, ad quæ se invicem iteratò Carolus V. Imperator, & Franciscus I. Rex Galliarum provocârunt (o).

8. Abusus iste certaminum in controversiis illustribus nunquam tantas egisset radices, nisi Ecclesiastici etiam Viri sive permittendo, sive probando singulares pugnas fovissent, aut potiùs suo exemplo veluti sacrâssent. Præterquam enim quòd Capitularia, in quibus his pugnis datur copia, Præsulum consensione edita sint; tum Henricus Primus fatetur apertè, se legem suam decrevisse *attestatione laudis quamplurium nobis adstantium fidelium Archi-Episcoporum* (p). Quin monumenta Veterum non diffitentur, Canonicos & Clericos, Abbates & Monachos, ipsásque Sanctimoniales aut pugnam in litibus obtulisse, aut in oblatam consensisse: atque ut pauca ex multis delibemus, lis (quæ oborta fuerat Berengarium, Hugonem Comitem inter & Eufrasiam Abbatissam Ticinensis Parthenonis) per pugnam coram Henrico I. susceptam dirempta est (q). Canonici Volaterrani ab Henrico II. Imperatore facultatem impetrare conati sunt anno 1052., causam suam *per duellium* propugnandi (r). Eodem remedio Lucensis Episcopus Wido anno 1055. possessionem, quam contra Gandulfum asserebat, tueri aggressus est (s).

9. Non defuêre tamen per intervalla temporum, qui præposteram illam consuetudinem, duelli examine controversias dirimendi, iverint abrogatum. Certè post Nicolaum I. (t) & Agobardum (u) Cælestinus III., Alexander III., demum Synodus Tridentina (x) huc omnes attulêre vires, & Ivo Carnotensis (y) cum Auctore Fletæ (z) in hunc superstitiosum morem calamos acuendos putârunt. Quin etiam ipsi Reges suam operam deesse non sunt passi; nam S. Ludovicus Rex Franciæ in suis saltem

Ecclesiastici etiam Præsules olim non improbârunt ejusmodi duella.

(g) LL. Longob. Lib. VI. Leg. 65. Vide Murator. P. II. T. I. Rer. Italic. & Antiquit. med. ævi Differt. 39. p. 635.

(h) L. II. L. 5. §. 38. Vide Murator. in P. II. T. I. rer. Ital.

(i) Idem in Differt. cit.

(k) Lambert. Schaffnab. ad an. 1056.

(l) Polydor. Virgil. Histor. Angl. L. 7. If. Pontan. L. 5. rer. Dan.

(m) Dithmarus Differt. XI. de Jud. duellico p. 247.

(n) Fugger L. 6. c. 20.

(o) P. Heuterus L. 9. c. 4. rer. Austr.

(p) apud Murat. Differt. 39. p. 638.

(q) Annalista Saxo ad a. 1020.

(r) Vide Murator. in Antiq. Diss. 39. p. 642.

(s) Id. p. 646.

(t) Nicol. I. ep. 50. ad Carol. Calvum.

(u) L. contra Leg. Gundobald.

(x) Trident. Sess. 25. c. 19.

(y) Ivo ep. 168.

(z) Auctor Fletæ L. 1. c. 34.

(a) L. 1. c. 2.

(b) Regest. Arvern.

(c) Henrici I. Aug. LL. c. 59.

ſaltem terris duella prohibuit (a): Alphonſus Comes Pictavienſis & Arvernenſis ſuis ſubditis conceſſit privilegii vice, ne quis eorum ad committendam pugnam cogi poſſet (b). Henricus I. Rex Angliæ porrò cavit, ne leviores controverſiæ in truculenta prælia deſinerent (c), néve quævis cauſæ admitterentur ad confligendum.

(d) Anonym. Jenæ 1711. vom Kampff- und Kolben-Gericht. c. 1. §. 9. &c.

Recentioris cujusdam ſententia heteroclita.

(e) Dietmarus in Diſs. XI. de judicio duellico in Controv. Illuſtr. §. 13.

Heterodoxa argumenta confutantur.

10. Ad emolliendas Adverſantium iras, & ad morem illum aliquâ ratione præpediendum, etſi Pontificum, & Principum conſilia aliquid adjumenti afferrent; nemo tamen erat, qui mali radicem penitus tolleret. Unde recentior Anonymus, quò pugnandi licentiam omnem recluderet, commentatione infelici (d) commonſtrare inſtituit, I. à duellis tranquillitatem publicam ali, ac proinde juri naturali nequaquam eadem obeſſe. II. Belli & duelli pares ita haberi rationes, ut, qui primum juſtitiâ niti dixerit, id quoque de altero profiteatur, neceſſe ſit. III. Duella non temerè olim, ſed certo ordine ſuſcepta, inter utiles proinde Reipublicæ ritus meritò cenſeri. IV. Denique deficiente probationum vi, jus duellorum ſtabiliri, ſtatúmque tunc incipere naturalem, in quo talibus remediis uti liceat. Hominis in alienas vias abeuntis ingenium carpendum ſumpſit Dietmarus (e), qui ex ordine dicta confutans, I. repoſuit, tranquillitatem publicam pro principio Juris naturalis aſſumi haud poſſe, cùm multa eandem non lædant, quæ tamen ſint iniqua: ex adverſo quid tranquillitati magìs obeſt, quàm invaleſcens vicini Principis potentia: hanc tamen ſi quis ideo armis impetere præſumeret, quantum à juſtitia aberraret. Ad II. ℞. perperam aſſeri, duellum cum belli conditionibus communionem habere, propterea quòd bella gerantur ab illis, qui præter Deum, neminem ſuperiorem habent: aſt cauſas privatorum, qui judicio humano ſunt ſubjecti, Deus Magiſtratuum cognitioni permiſit. Cæterùm de duellis in controverſiis illuſtribus à gravibus Authoribus diſceptatur, utrùm licita ſint, an illicita ejuſmodi certamina, de quo argumento plura nos alibi in medium afferemus. Hìc verò ad rem noſtram cum *Hugone Grotio* L. 2. c. 33. dixiſſe ſufficiat, quòd *vanum ſit, & à vera pietate alienum, condicto certamine uti, tanquam teſtimonio bonæ cauſæ, & judicii divini inſtrumento.* Ad III. ℞., lepidum prorſus videri, quòd ob ritus adhibitos conſuetudinem cæteroquin nefaſtam ſacrandam velit, niſi fortè ex eodem capite latronum ſocietates probandas judicet, eo-quòd ſuis præceptis, ordinéque legum haud careant. Ad IV. ℞., Adverſarium extra oleas hìc planè rapi, cùm duella inde licita adſtruat, quòd, ubi teſtium adminicula deſint, ſtatus naturalis incipiat: quid enim hoc ratiocinio aliud conficeres, quàm ut judicia à Deo conſtituta eluderentur, & Principum de cauſis cognoſcendi poteſtas evaneſceret. Quodſi Actor jure quidem non deſtituatur, illud verò conceſſis mediis probare nequeat; Dei ultioni injuria illata committenda eſt (f). Ita ille: quibus

(f) Dietmarus in Diſs. de jud. duell. Lipſiæ 1737.

ego

ego addo coronidis loco sententiam Apostolicam Pontificis BENEDICTI XIV., qui, cùm anno 1752. per specialem Bullam (g) quinque propositiones de duellis à quibusdam evulgatas anathemate configeret, has quoque duas profligatas voluit: *Licitum est, in statu hominis naturali acceptare & offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.* Item: *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malè ordinatæ, in qua nimirum vel negligentiâ vel malitiâ Magistratûs justitia denegatur.*

(g) Constitutio, quæ incipit: *Detestabilem.* 1752. 4. Id. Novembr.

Propositiones de duello à Pontifice recenter damnatæ.

REFLEXIO IV. ad §. II. Num. 6. pag. 726.

De Longobardicis Legibus, earum authoritate & usu.

1. Quamdiu post pulsos Gothos Justinianus rerum summam in Italia habebat; per eas Provincias authoritas illarum Legum prævaluit, quas idem Cæsar in vastum Corpus redigi curaverat. At ubi sublato è vivis Justiniano Augusto, Longobardi Italiam invaserant; inter ipsos armorum strepitus Romanæ Leges aliquantùm conticuêre. Gens quippe illa ditionibus occupandis magis, quàm Legibus adoptandis idonea, ex Majorum usu ac consuetudine non scripta, ita res suas admoderabatur, ut paucis expediret contractus, paucis lites dirimeret, ídque secundùm Leges Naturæ, Jura Gentium, & Avorum exemplum.

Longobardi olim expertes Legum.

2. Ad annum DCXXXVIII. mos ille apud Longobardos tenuit: tum Rex ROTHARIS popularibus utilius fore ratus, siquidem ex norma scriptarum Legum viverent, statuta quædam colligi, & in tabulas referri jussit, de quibus Paulus hæc notavit: *Rotharis Rex Longobardorum Leges, quas solâ memoriâ & usu retinebant, Scriptorum serie composuit, Codicémque ipsum EDICTUM appellari fecit* (a). Prologus verò ad Edictum sic habet (b): *In nomine Domini incipit Edictum, quod renovavi cum Primatibus meis Judicibus: Ego in Dei nomine Rothar Rex, Vir excellentissimus, septimus decimus Rex Gentis Longobardorum, anno (Deo propitiante) Regni mei octavo* (Pagius legendum vult anno XIII.) *Indictione secundâ, & post adventum in Provinciam Italiæ Longobardorum, ex quo Albuin tunc temporis Rege, procedente divinâ potentiâ adjuti sunt anno septuagesimo sexto feliciter. Datum Ticini in Palatio* &c. Inde subjiciuntur 390. Leges à Rothari evulgatæ.

Rotharis Primus Legislator Longobardorum.

(a) Paulus Warnefrid. de Gestis Longobard. L. 4. c. 44.

(b) Juxta Autographum MS. Biblioth. Estensis apud Muratorium T. I. P. II. Script. rer. Ital.

3. In hoc Edicto cùm multa essent, quæ meliore ordine & limâ indigerent, GRIMOALDUS Rex Longobardorum circa annum DCLXVIII. alteras sumpsit curas, quibus æquitati haud consentanea abscinderet, & obscuriora ad meliorem sensum revocaret. Novem itaque capita Edicto adjecit; labore tamen ejusmodi adeo necdum absolverat opus, ut LUITPRANDO sub incudem retrahere volumen necesse fuerit.

Grimoaldus Edicto Rotharis alias Leges addidit.

rit. Hic quippe prædeceſſoris exemplum ſecutus, multa Longobardorum placitis detraxit, & alia ſubſtituit (c). Univerſam verò Legum compagem ſex libris contentam reperies, quorum *Primum* anno DCCXIII. ſeptem capitibus abſolvit. Anno DCCXVII. ſubjunxit *Librum alterum* novem Legibus comprehenſum. Anno DCCXX. his acceſſit *Liber tertius* cum Statutis quatuor. Sequente anno DCCXXI. undecim rurſus Statuta prodierunt, quæ habet *Liber quartus*. Quando Leges viginti quatuor in *Libro quinto* contentas ediderit Luitprandus, Librariorum incuria notare neglexit. *Sextus* denique *Liber* multò amplior centum & duas Leges anno DCCXXIV. vulgatas proponit. Viginti duo inde fluxêre anni, dum RACHIS anno DCCXLVI. in prædictis Longobardorum Legibus novem capita immutanda cenſuit (d), nec poſt octo annos elapſos Longobardico Regno præpoſitus AISTULPHUS, ſuam operam, manúmque deeſſe paſſus eſt, quin Decretorum examine facto, cùm perplexa quædam, aut omiſſa planè in iis cognoſceret (e), anno DCCLIV ad inſtruendos cauſarum arbitros quatuordecim Leges adjunxit.

4. In hoc brevi admodum volumine etſi tota Longobardorum ſcientia forenſis conſtringeretur; non ideo tamen Reges prædicti prohibebant, quominùs Italiæ indigenæ, qui medii inter Longobardos, & veluti populi Romani reliquiæ vivebant, Romanâ Lege uterentur ſive in contractibus, ſive in aliis actionibus fori tum civilibus, tum criminalibus; unde Luitprandus Rex Notariis injunxit, ut, quicunque publicas chartas conſcriberent, Romanarum æquè, ac Longobardicarum præceptionum uſum familiarem, perſpectúmque haberent (f). Neque tantùm ſub Longobardorum in Italia Principatu, ſed & regnantibus poſtea Francis utrique Legi ſua authoritas ſtetit. Nam licèt Carolus M. Deſiderio Regi circa annum DCCLXXIV., ejúſque Longobardico populo dominatum, libertatémque ademerit; Legibus tamen Longobardicis ſuum vigorem reliquit. Et quoniam ſubſequentibus temporibus variæ nationes, quibus Carolus imperabat, ſeu militiæ, ſeu mercaturæ causâ ad Italicas ſedes confluxerant; his quoque conceſſum eſt, ut propriis Legibus uterentur. Itaque in tribunalia, præter Romanas, Longobardicáſque Leges, etiam Saliorum, Ripuariorum, Bajoariorum, & Alemannorum Statuta invehebantur. Acceſsêre his Capitularia Regum Francorum, quæ ubi auctoritate Regum, & conſenſu populi Corpori Legum illata fuerant; cunctos Italiæ populos obligabant (g). Quodipſum ex epiſtola Leonis IV. Papæ ad Lotharium I. Rom. Imperatorem data colligimus: *De Capitulis* (ait) *vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorúmque Prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valuimus, & valemus (Chriſto propitio) & nunc, & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur* (h). Et in Capitulari apud Baluzium (i) legitur: *Volumus atque præcipimus, ut* omnes

Tertius Legislator Luitprandus.

(c) Luitprandus in Prologo LL. Long. Lib. I. apud Muratorium T. I. P. II. Script. rer. Ital. p. 51.

Rachis & Aiſtulphus Longobardicas Leges augent, & corrigunt.

(d) Rachis in Prologo ad LL. Longob. apud Murator. T. I P. II. p. 85.

(e) Vide Prologum Aiſtulphi l. c. p. 89.

Præter Longobardicas Leges in Italia vigebat Jus Roman.

(f) Luitprandus Lib. 6. LL. c. 37.

Item aliarum Gentium privata jura in Italia obſervabantur.

(g) Baluz. in Præfat. ad Capitul. n. 21

Præcipuè tamen Capitularia Francorum Regum.

(h) c. 9. Diſtinct. X.

(i) Baluzius Capitular. T. I. p. 385.

omnes ditioni nostræ (Deo auxiliante) subjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Longobardi, Wascones &c. quocunque videantur Legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi hanc sententiam,.... quam.... inter nostra Capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum tam Clericorum, quàm Laicorum posuimus, cuncti lege perpetuâ teneant (k). Muratorius tamen observat, id non de Capitularibus quibusvis, sed tantùm de iis intelligi, quæ in Corpus Legum Longobardicarum sive à Carolo, sive ab aliis ejus successoribus cooptabantur (l): cæterorum in Italia minùs frequens usus erat, ubi in judiciis ac contractibus Longobardorum Leges tunc prævalebant, quando de Gente illa oriundus litem movebat. Itaque dum causa instituebatur, necesse erat, ut is, qui in foro agebat, genus suum profiteretur illâ formulâ: *Ego NN., qui professus sum &c., Natione, meâ Lege vivere Longobardorum:* ac ne quis judices falleret, modò unam, modò alteram Legem, quæcunque pro tempore favisset, amplectendo: Lotharius I. Imperator præcepit (m): *Volumus etiam, ut omnis Senatus, & populus Romanus interrogetur, quali vult Lege vivere; ut tali, quali professi fuerint vivere velle, vivant. Illísque nuncietur, quòd hoc unusquisque sciat, tam duces, quámque Judices, vel reliquus populus. Quodsi offensionem contra eandem Legem fecerint, eidem Legi, quam profitebuntur, per dispositionem Pontificis & nostram, omnimodis subjaceant.*

(k) Can. 37. Caus. XI. q. 1.

(l) Murator. in Præfat. ad T. I. P. II. Scriptorum Italiæ p. 3.

Diversæ nationes ex diversis Legibus judicabantur.

(m) Lotharii I. Imp. Capitular. 35

Quâ ratione Judicum labor, tótque jurium diversorum difficultas mitigata sit?

5. Equidem varietas jurium, quæ eo tempore occupabat Italicum forum, non parum negotii Judicibus facessebat, dum quemque pro suo natali jure judicare, ejúsque litem definire impositum erat; sed modus tamen adhibebatur, quo difficultas non parùm imminuta est. Nam præterquam quòd tres præcipuæ Leges in quotidiano usu forent, nempe Romana, Longobardica, & Salica, cæteris rarò in medium allatis, hæ quoque adhiberi solitæ modico Constitutionum apparatu expediebantur, quin de Romana adeo Lege cùm nil præter Codicem, Novellásque tunc percrebesceret; id quoque compendii loco accessit, quòd iis in sæculis diversæ causæ diversus quoque Judex adsignaretur; ita ut, qui Romanæ Legis peritus, Romanas; qui Longobardicorum Statutorum, Longobardicas causas decidere juberetur (n).

(n) Muratorius l. c. p. 4

Quando exolescere cœperit usus Longobardicarum Legum?

6. Longobardicarum Legum vim temporum succedentium lapsu defluxisse nemo negaverit: sed quis primò authoritatem illis detraxerit, meritò Authores controvertunt. Sigonius suam sententiam hac de re sic aperuit (o): *Constans doctorum hominum monumentis est fama, Lotharium* (II.), *ut ex uno Jure Civili Romano posthac judicia fierent, Lege sanxisse. Ante hoc tempus Italici certè, alii Longobardicâ, alii Salicâ, alii Romanâ Lege utebantur. In posterum autem omnes uni juri, unique Legi, reliquis abrogatis, nempe Romanæ obtemperârunt; jusque civile publicis Italiæ*

(o) Sigonius L. XI. de Regno Italiæ ad an. 1137.

 in

in Gymnasiis majore celebrari studio, & diligentiore coli operâ cæptum. Primus autem Bononiæ Irnerius exponere cæpit, ut Odofredus memoriæ prodidit; primúsque Glossas (ùt vocant) in illud scripsit, quem deinde alii secuti, certatim illius sunt industriam æmulati. Hoc autem sensisse quoque videtur Urspergensis, quum Irnerium (regnante Lothario) ad Pandectas interpretandas accessisse scribit. In eo tamen apertè falsus, quod Mathildis rogatu id suscepisse muneris ait, quæ multò ante Lotharii Imperium è vita migravit. Cæterùm Sigonio adversantur Lindebrogius (p), & Conringius (q), qui cum Muratorio (r) contendunt, à Sigonio abrogationem Longobardicæ Legis malè tribui Lothario II., cujus facti testimonium nullus adhucdum protulerit: è diverso non paucos invenies, qui post tempora Lotharii Longobardicas Leges viguisse constanter affirment; nam (ut reliquos omittam) Innocentius III. Pontifex ad annum MCC. Juri Longobardico nil authoritatis detractum agnovit (s), & Nicolaus Bokerius in Præfatione ad Leges Longobardicas anno MDCXXI. editas commemorat, Obertum de Orto Mediolanensem, qui post Lotharium (regnante Friderico I.) floruit, ad Anselmum filium hæc scripsisse: *Causarum, quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur jure Romano, aliæ verò Legibus Longobardorum* (t). Demum Gothofredus notat (u), *Longobardiæ Libros authenticos esse, hinc colligitur.*

Quorundam acerbior opinio adversùs Leges Longobardicas.

7. Nihilominùs Longobardicum jus cum tempore vel siluisse, vel obsoletvisse, nemo negaverit; nam Odofredus Longobardicas Leges authoritate nudatas diu pronunciaverat, & Baldus Longobardis solita jura esse *invalida*, & *hodie à foro recessisse* (x) profitetur. Lucas de Penna ne quidem ea Statuta inter Leges, sed *inter fæces* Legum recensenda existimat (y). Andreas de Isernia (z), & Maranta (a) jus Longobardorum *asininum*, & *sine ratione* fuisse criminantur. Quibus Aristarchis daremus aliquid, nisi acerbiùs, quàm veriùs convitiarentur: nihil certè in iis Legibus reperies, quod rationi adversetur, si duella, quæ ob communem errorem omnes Hyperboreæ Gentes *Judicia Dei* vocabant, ab his præscripta, aut ob consuetudinem firmissimam potiùs permissa (b) excipias. Cæterùm Edictum nullum Cæsaris proferes aut Regis, quo Itali Longobardicam Legem deponere aut detestari jussi fuerint; imò non desunt Authores, qui multis laudibus Jus Longobardicum prosecuti (c), id per Canones adprobari contenderunt.

8. Illorum itaque modestior sententia præferenda est, qui dicunt, ex Italorum usu, & tacita confirmatione temporum Romana jura Cæsarum Longobardicis Statutis antehabita fuisse. Vestigia hujus mutationis quædam legimus post pacem Constantiæ anno MCLXXXIII. initam; inde enim cùm Italiæ civitates latiorem Imperii, libertatísque nomen acceperint, singulæ earum municipalibus suis Statutis regi malebant. His autem

(p) Lindenbrog. in Præfat. ad Cod. LL. Antiq.

(q) Conring. de orig. Juris Germ. c. 22.

(r) Muratorius in Præf. T. I. P. II.

(s) C. Raynutius de Testamentis.

(t) In Procœ. T. I. L. II. de Feudis.

(u) Gothofred. in Notis ad T. I. L. II. de Feudis.

(x) Baldus in Auth. *Dos data.* in L. *Si invita* C. de Nuptiis

(y) Lucas de Penna in L. unic. C. de gladiator.

(z) Isern. in c. 1. §. *Item sciendum.* de not. Feud.

(a) Maranta in Praxi P. 3. n. 121.

(b) Luitprandus Lib. VI. LL. Longob. c. 65.

(c) Franc. Curt. Jun. in Tract. Feud. c. 6. n. 2.

autem undique prævalentibus, Longobardici juris authoritas vilescebat: ac ne Romanis Legibus fatum simile infligeretur, peropportunè paulò antè, scilicet anno MCXXXVII. acciderat, ut Codex Pandectarum, qui hucusque latuerat, in Pisanorum veniret manus, qui, dum manibus suis versabant opus, voluminis eruditione ita rapiebantur, ut Jurisprudentiam Romanam rudi Longobardorum mori facilè anteferrent. Majorem porrò Juris Romani existimationem fecit Academia Bononiensis, quæ in Sæculo XII. præcipuè suos Alumnos propositis etiam præmiis, laureisque Legum Romanarum notione excolere incepit, atque ex hoc Juris-Consultorum & Magistrorum studio, ac Italorum tacitâ vel apertâ consensione admoderatio ejusmodi in Italia suscepta est (d), ut, ubi Leges municipales, ac urbium particularia Statuta nil decrevissent, Jure Romano cuncta ita decernerentur, ut Longobardicis præceptis omnino in scholis ac foro neglectis, nulli animus esset ad illa deinceps revocanda.

Modus, temporisque ostenditur, quo præ Longobardicis Legibus, Statuta municipalia, & Jus Romanum in Italia adoptata sint.

(d) Muratorius in Præfat. ad T. I. P. II. Scriptorum Ital.

REFLEXIO ULTIMA.

De Scriptoribus Profanis Sæculi VII.

Sub *Heraclio Imp.* floruit THEOPHYLACTUS ὁ Σιμοκάτ7ης (a), oriundus erat Ægypto (b), in Græcia tamen natus (c), de rebus gestis Mauritii *Historiam* condidit *Libris octo:* Prioribus quinque agit de bello ejus Imperatoris adversùs Persas; reliquis tribus tractat de iis, quæ gessit adversùs Avares & Sclavos: item de miserabili Mauritii ac liberorum cæde. Hosce libros cùm post obitum Phocæ de superiori loco populo legeret, ubi ad cædem Mauritii ventum fuit, lachrymas ei excussit (d). Stylus ejus venusti aliquid habet, scitamenta tamen orationis, figuræque immixtæ affectationem sapiunt (e). Præter Historiam restant etiam ejus *Epistolæ morales, rusticæ, & amatoriæ*, ab Aldo olim editæ (f): *Physica Problemata* Lugduni evulgata à Bonaventura Vulcanio. His adde legationum excerpta, quæ sunt fragmenta Historiæ ab illo scriptæ.

An. 612.

(a) Suidas.
(b) Photius in Biblioth. Cod. 65.
(c) Theophylact. de Physic. Q. 2. in Præf.
(d) Theophyl. Simoc. L. 8. c. 12.
(f) Gerard. Vossius de Script. Græc. L. 2. c. 23. p. 275.

2. Ad eadem tempora referri debet Scriptor CHRONICI ALEXANDRINI, quod Historiam complectitur usque ad annum Heraclii vigesimum. Hoc opus in antiqua Siciliæ Bibliotheca ab Hieronymo Surita inventum, & Romam subinde translatum est (g).

3. *Eodem Heraclio regnante* celebris fuit Historiographus, SECUNDUS nomine, qui de Longobardorum rebus gestis commentatus est (h). In majorem numerum Scriptores Sæculi VII. hìc augendi forent, nisi hoc tempore penes Episcopos, Sacerdotes & Diaconos scribendi & commentandi labor fuisset, qui cùm in civilibus modicè, plus in sacris rebus exponendis versati sint, eorum nomina referre ad Capitis secundi finem differimus.

(g) Gerard. Vossius l. c. p. 276. 277.
(h) Paulus Warnefrid. L. 3. de gest. Longobard. cap. 29.

CAPUT



CAPUT II.
ROMANÆ
ET
APOSTOLICÆ SEDIS
CATHOLICA DOCTRINA
IN SÆCULO VII.

Adversùs Monothelitarum fraudes ab errore vindicata, Anglo-Saxonibus, Frisonibus, aliísque Germaniæ populis prædicatur. Ab anno 604. ad annum 711.

§. I. *Pontifices SABINIANUS, BONIFACIUS III. IV. V. DEUSDEDIT, HONORIUS, ejúsque Oeconomia, SEVERINUS, JOANNES IV. Apologiam scribit pro Honorio THEODORUS. MARTINUS pro fide exul, & Martyr. EUGENIUS. VITALIANUS. Monothelitarum origo & propagatio; Cyri novem Capitula; Sophronii zelus pro fide; S. Maximi studium pro Religione, & vexatio; Pyrrhi perfidia; Ecthesis Heraclii; Typus Constantis. Synodus Parisiensis V., Hispalensis II. Remensis, Toletana IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. Cabillonensis.*

Sabinianus Pontifex. An. 604.

1. A Pio S. Gregorii obitu postquam Romana Sedes sex mensium intervallo vacaverat; SABINIANO (natione Tusco) suprema Sacrorum potestas delata est. Apocrisiarii is non ita pridem munere apud Mauritium Cæsarem perfunctus, suâ dexteritate meruit, ut è Diaconi gradu ad altissimam Petri Cathedram elevaretur (*1). Hâc verò dignitate auctum gemina calamitas afflixit;

(*1) PAGIUS in Brev. PP. T. I. pag. 375.: Mos erat Veterum, *Diaconos* potiùs, quàm Presbyteros eligere in Summos Pontifices, quia cùm Diaconi res Ecclesiasticas in potestate haberent; reliquorum animos sibi facilè devinciebant. MABILLONIUS in Commentario prævio in *Ordinem Romanum* §. 18. putat, Diaconos prætermisso

afflixit; nam præterquam quòd Longobardi Italiam premerent; ipsa etiam fames urbem ferè oppressit. Duplici igitur malo laturus opem, ære profuso hostes ad inducias, largitione egestatem populi ad leniorem tolerantiam deduxit (*2), pro solido uno triginta tritici modios inopibus admensus. Ecclesiæ quantâ curâ de An. 605. *Ejus benignitas in pauperes.*

misso Presbyteri gradu Pontifices ordinatos fuisse: I. quia, dum de consecratione Pontificali *Valentini I.* & *Nicolai I.* agit, Anastasius nullam Presbyteratûs mentionem facit. II. Quia PHOTIUS id Romanis vitio vertit; neque ita fieri apud Latinos inficiatus est ÆNEAS PARISIENSIS Episcopus Spicileg. 17. p. 114., imò respondere Græcis objicientibus conatus est: *Quòd fortè illi, qui istiusce ordinationi assentiunt, hoc intelligi velint; quia, qui benedictione Pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoratur: & quòd in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis.* Tum subdit: *Forsitan autem illi, qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissâ benedictione Presbyterali, assertioni B. Hieronymi loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio Episcopali.* VERUM à Mabillonio hìc recedimus: nam sive cum Theologis statuatur, Episcopatum non esse Sacramentum à Sacerdotio distinctum, sed solam illius extensionem: sive admittatur, Episcopatum esse aliud à Presbyteratu Sacramentum; præmitti semper debet Presbyteratus, per quem solum confertur potestas in Corpus Christi verum. Ad Argumentum I. ℞., illud utpote negativum facilè respui. Ad II. ℞., *Photium* criminandi ansam inde captâsse, quòd Latini Canones permitterent, ut ex Presbyteris ac Diaconis Episcopi eligerentur; nam ex hoc statuto malè concludebat, Diaconis æquè immediatè Episcopatum conferri, ac Presbyteris: RATRAMNUS Monachus proinde Lib. 4. c. 6. contra opposita Græcorum reponebat: *In cæteris sibi demant authoritatem fidei, quando quidem in istis tam evidenter mentiuntur.* Imò idem Latinus telum contra Græcos retorquet: ab illis scilicet *ex Laicis subitò tonsis fieri Episcopos contra Regulas Ecclesiasticas.* Cæterùm Æneas Parisiensis dicteriis Græcorum deceptus est, ùt probatur ex Ratramni verbis, & Pontificum Joannis XII. & Benedicti V. Ordinationibus: nec obstat, quòd hæc exempla sint posteriora Photii temporibus; nam hoc saltem evincitur, quòd Photii ætate æquè Presbyteratus sit præmissus Episcopatui, cùm verosimile non sit, per Photii criminationes in Ecclesiis Occidentalibus, & præsertim in Romana aliquid immutatum fuisse. Vide *Commentar. Historico-Dogm. Jouenin.* de Sacramentis p. 862.

(*2) ANASTASIUS in vita Sabiniani: *Cùm esset in Civitate Romana fames gravis, factâ pace cum Gente Longobardorum, jussit aperire horrea Ecclesiæ, & venumdari frumentum populo pro solido uno modios tritici triginta.* Aliqua exemplaria Anastasii (ùt monet PAPEBROCHIUS in Conatu Historico) videntur perperam referre: *Pro modio frumenti solidos triginta exegit*; inde fabula orta est, quòd ob tenacitatem Sabinianus à suo Decessore S. Gregorio in somnis increpitus, percussúsque in capite, non multò pòst obierit. De hoc commento etsi nec coævi, nec Paulus Diaconus aliquid habeat; SIGEBERTUS tamen ista recitat, & BARONIUS credulitate quâdam ductus, eò illud Anastasii interpretatur, quòd Sabiniano defuncto, funus ejus evectum est per portam S. Joannis, & ductum est foràs muros civitatis per Pontem Milvium ad Ecclesiam Vaticanam, ne populus injuriam corpori faceret: quasi verò non aliæ hujus exportationis novæ causæ, eæque laudabiles esse potuissent.

de dignis Ministris, tanto zelo Basilicæ S. Petri de ornamentis prospexit; Campanarum tamen usum (quem ei quidam primò tribuunt) ad alia temporum initia Authores plures meritò rejiciunt (*3). Felicibus auspiciis vix ampliores spes subditis dederat; tum exspectationem optimam præmaturâ morte abrupit anno DCVI. XXII. Februarii defunctus (d).

(d) Anastasius in vita. Pagius ad an. 605. n. 3.

An. 606. *Bonifacius III Papa.*

2. Interpontificio undecim mensium & supra viginti sex dierum interposito, BONIFACIUS III. Romanus sedere cœpit anno DCVII. die XIX. Februarii (e). Prima clavum tenenti cura erat, ab Imperatore Phoca id demum elicere, quod Constantinopoli idem adhuc Apocrisiarius multis precibus jam efflagitârat, nempe ut Episcopus Constantinopolitanus invidiosum *Oecumenici* nomen ponere juberetur Id cùm pro sua, quâ apud Cæsarem valebat, gratiâ effecisset, brevi tempore consecutus est, quod Pelagius II. ac Gregorius M. magnis conatibus haudquaquam impetrârunt (*4) Majora molientem idem annus, quo regere Ecclesiam exorsus fuerat, è vivis subitò rapuit (f). Mortuo ejusdem nominis BONIFACIUS IV. (natione Marsus) successit: cui ne in aditu Pontificiæ Sedis factiosorum motus negotium facesserent, ejus Antecessor lege latâ providè jam caverat, ne quis antea de eligendo Pontifice moliri aliquid præsumeret,

(e) Pagius in Critic. ad an. 606. n. 2.

Oecumenici nomen soli Papæ tribuitur.

An. 607.

(f) Anastas. in vita. Ordericus L. 2

Bonifacius IV. Pontifex.

Decretum de electione Pontificis.

(*3) POLYDORUS VIRGILIUS L. 6. de Inventoribus rerum c. 12., & ONUPHRIUS PANVINIUS in Epitome PP. Sabiniano campanarum primum usum velut Authori tribuunt. Sed PAGIUS in Breviario PP. Tom. I. p. 378. 379. id confutat tum ob silentium Anastasii, tum quia in vita S. Columbæ Abbatis Hyensis anno DXCIX. defuncti Biographus jam scribit, *mediâ* eum *nocte pulsante campanâ* ad Ecclesiam perrexisse: ergo ante finem Sæculi sexti campanarum sonitu jam Fideles ad divinum officium vocabantur. Cæterùm qui à *Paulino Nolano Nolas* dictas fuisse existimant, aut à *Campania Campanas*, fabulari videntur. Vide plura de Campanis apud CARD. BONA Lib. 1. Rer. Liturg. c. 22., & apud EDMUNDUM MARTENE in Tract. de Antiq. Eccl. Discipl. in div offic. celebr. c. 2. n. 11.

(*4) PAULUS DIACONUS de Gestis Longob. Lib. 4. c. 37. : *Hic* (Phocas) *regnante Papâ Bonifacio, statuit, Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* Eadem totidem ferè verbis refert ANASTASIUS in vita Bonifacii III. BARONIUS id à Phoca factum putat: quia Imperator Cyriaco Patriarchæ Constantinopolitano infensus erat; sed hanc conjecturam rejicit PAGIUS in Brev. PP. : cùm Cyriacus jam obierit anno DCVI , & Bonifacius necdum tunc ordinatus fuerit Pontifex. His adde, quod BELLARMINUS Lib. 2. de Rom. Pontif. c. 17. notat : *Phocas id sanxit declarando, non instituendo aliquid novi*

ret, quàm cùm ei, qui morte suâ Petri Cathedram evacuâsset, per triduum jam sepulto, solenni ritu parentatum fuisset (*5). Quare seriùs quidem ille, pacatè tamen ab Eligentium suffragiis in Sedem sacram (g) vocatus est anno DCVIII. die XXV. Augusti. Utprimùm autem Bonifacius se rerum compotem fecerat; insignius monumentum ad fidei decorem, Sanctorúmque cultum ponere constituit. Eo consilio à Phoca Augusto dari sibi petiit Pantheon, nobile (h) Romæ delubrum à Marco Agrippa tempore Octaviani Augusti erectum, ac Jovi vindici dedicatum; quod à tot sæculis intactum cùm obtinuisset, in templum B. V., omniúmque sanctorum Martyrum, quorum copiosas Reliquias ex Cœmeteriis eò transtulerat, convertit, ab ædificii forma ad S. Mariam Rotundam deinceps appellatum (*6). Dum Pontifex Domum Dei Romæ struere parabat; S. Columbanus (i) plures domesticos fidei ad Ecclesiam adducere studuit: expulsus ille à Brunechilde Regina è Lexoviensi Monasterio, ad caput Lacûs Tigurini abiit, Idolorum cultoribus salutem allaturus. Sed ubi noctuarum more magìs ad lucem cæcutirent; hâc terrâ relictâ, Brigantium profectus cum discipulo S. Gallo, agrum culturæ capaciorem invenit. Post trium annorum sudores Germaniæ impensos, Italiam adiit, & ab Agilulpho Longobardorum Rege honorificè receptus, Bobiense Cœnobium in Alpibus Cottiis exstruxit, Magistri exemplum secutus. S. Gallus non procul ab Augia Insula condidit Monasterium ad Lacum Acronium in finibus Helvetiorum, cujus Monasterii Abbas inter Imperii Principes postea locum sortitus est. Non minores fructus eodem tempore

An. 608.
(g) Pagius in Critica ad an. 607. n. 2. Vide Papebrochium in vita Bonifacii IV. ad 25. Maji.
(h) Beda L. 2. Histor. Eccl. c. 4. Anastasius in vita.
Pantheon in Ecclesiam S. Mariæ convertit.
(i) Jonas in vita S. Columb. Walfridus in V. S Galli.
An. 609.
S. Columbani res gestæ.

(*5) ANASTASIUS in vita Bonifacii III.: *Hic fecit Constitutum in Ecclesia B. Petri, in qua sederunt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, Diaconi, & omnis Clerus sub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de Successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero, & filiis Ecclesiæ tunc electio fiat, & quem quisque voluerit, habebit licentiam eligendi sibi Sacerdotem.*

(*6) BARONIUS in Martyrol. Kal. Nov.: *Ut omnium simul Martyrum unâ, eâdémque die celebritas ageretur, ex Bonifacii Papæ institutione Romæ est sumptum exordium. Postmodum verò (quod Romæ tantùm peculiariter agebatur) Gregorius Papa IV. cæteris Occidentalis Orbis Ecclesiis faciendum præcepit.* His PAGIUS in Brev. PP. addit, *Gregorium Papam III.* istam solennitatem Ss. Martyribus consecratam, postmodum in honorem Sanctorum omnium ab omni Ecclesia observari decrevisse, ùt habet USUARDUS in suo Martyrologio.

pore viri alii religioſi in Britannia colligebant: qui zelus cùm probari debuiſſet; cenſuram potiùs tulit. Nam invidia nonnullos eò abſtulerat, ut palàm jactarent: Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotali officio indignos, myſteria aliis impertiri non poſſe. Ad Pontificem ubi criminationes ejuſmodi delatæ fuerant; coactâ Patrum Synodo Romæ definivit, à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendíque officium (Deo imperante) dignè adminiſtrari: quodipſum cùm exemplo S. Gregorii Papæ, S. Auguſtini, & S. Martini è monaſtica vita ad Presbyterium promotorum commonſtrâſſet; vetuit, ne quis impoſterum Monaſticæ Profeſſionis Presbyteros Sacerdotalis poteſtatis munere arcere, aut reprimere quovis auſu præſumeret (*7).

Toletanæ Ecclesiæ prærogativa.
(k) Acta CC. Harduin. T. III. p. 546.
An. 614.

3. Quo tempore Papa Operariorum in Britannia motus componere laborabat; eodem *Toletanæ Eccleſiæ prærogativa* ad reſcindendas Hiſpanorum lites decreta eſt (k). Sed dum Eccleſiæ paci in Occidente proſpicitur, in Oriente pejùs Chriſtiana Reſpublica vexata eſt: Perſæ enim ubi jam Armeniam & Cappadociam, Galatiam & Paphlagoniam unà cum Edeſſa & Damaſco ſub jugum miſerant; Hieroſolymæ validiorem vim admoventes, ſacræ Crucis Theſaurum, Archi-Epiſcopum Zachariam, urbémque in poteſtatem redegerunt: inde Syriam, ac Palæſtinam, cæteráſque Chalcedonem uſque Provincias populati, innumeris cædibus cuncta permiſcuerunt. Inter has Eccleſiæ Orientalis calamitates Bonifacius IV. vivere deſiit anno DCXV. die XVII. Maji (l); cui poſt ſex menſes ac dies duodecim ſuffectus eſt Papa DEUSDEDIT; Viri prodigiis clari Sanctitas fecit, ut ex

(l) Anaſtaſ. in vita.
An. 615.
Deuſdedit Pontifex.

(*7) ACTA CC. edit. Harduin. T. III. p. 543.: *Sunt nonnulli* (ita habet Decretum Bonifacii IV.) *fulti nullo dogmate, audaciſſimè quidem zelo magìs amaritudinis, quàm dilectione inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentiâ indignos, neque Pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per divinitus injunctam Sacerdotali officio poteſtatem, ſed omnino labuntur.* Idque Bonifacius Papa confirmat exemplo Gregorii Pontificis, & S. Auguſtini, & S. Martini, qui cùm eſſent Monachi, promoti ſunt ad Sacerdotium. Tum ſubjungit: *Tantorum igitur Patrum inſtituti exemplis, quibus perculoſiſſimum eſt refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique officium (Deo imperante) haud indignè adminiſtrari, ſi eos contigerit ad hoc Miniſterium ſublimari..... Decertantes igitur Monachicæ Profeſſionis Presbyteros Sacerdotalis potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum &c.* Vide etiam Can 25. C. XVI. Q. 1.

ex Subdiaconi gradu ad dignitatem Pontificis summi vocatum ferant (*8). Eodem sedente, *Egarum* quindecim Provinciæ Tarraconensis Præsules in Synodum congregati statuerunt, ut, quod in Concilio *Oscensi* de castimonia Presbyterorum, & inferiorum Clericorum conscriptum fuerat, eâdem formâ etiam de Episcopis servaretur (m). Sub idem tempus septuaginta novem Episcopi (Clothario II. Rege jubente) ex universa Francia Parisios convenêre, quorum quindecim supersunt Canones (n). Ac *Primo* vetitum est, ne Reges ad se trahant Episcoporum electiones, néve alius, quàm quem Metropolitanus cum Clero & populo spontè elegerint, sedem accipiat (*9). *Quarto* Judicibus PP. interdicunt, ne Clericos sine scientia Pontificis damnare præsumant (*10). *Septimo* & *Octavo* cavent, ne ante reclusas ultimas tabulas quisquam in defuncti Clerici, aut Ecclesiæ res involet,

Synodus Egarensis.

(m) Acta CC. Hard. T. III. p. 549.

Synodus Parisiensis V.

(n) Acta CC. T. III. p. 651. Cointius Annal. Fr. T. II. p. 667.

Mmmmm 3

(*8) BARONIUS ad annum 614. §. 1. in Anastasio legit: *Deusdedit filius Stephani ex Subdiacono sedit annos tres*; & hinc arguit, hunc primum fuisse, qui electus dicatur ex numero Subdiaconorum. Alii verò legunt: *Deusdedit ex Patre Stephano Subdiacono*, quæ interpretatio non adeo contemnenda videretur, nisi LIBERATUS c. 22. *Silverium à Subdiacono creatum Pontificem* dixisset. Ad annum 769., sive ad tempora *Stephani III.* Subdiaconos eligere haud illicitum erat, sed hoc Pontifice Stephano sedente (utì ANASTASIUS habet in vita Stephani III.) cautum est, *ne ullus unquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatûs honorem posse promoveri.*

(*9) In *secundo Canone* Parisiensis Concilii V. (quod COINTIUS sextum vocat) ita habet: *Ut nullus Episcoporum, se vivente, alium in loco suo eligat; nec qualiscunque persona, illo superstite, locum ipsius sub quocunque argumento vel ingenio adoptare præsumat, nec à quoquam debeat ordinari; nisi certæ conditiones extiterint, ut Ecclesiam suam & Clerum regere non possit.* Quo Canone tria præcipiuntur, 1. ut nullus Episcoporum, se vivente, successorem eligat: 2. ut Episcopo superstite, nullus ei subrogetur: 3. nisi certæ conditiones adsint, quas quia Canon non sigillatim explicat, res difficultate non caret. Expressiùs loquitur Aurelianense V., non subrogandum alteri Episcopum, *nisi forsitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit.* Gregorius M. hanc conditionem ponit Lib. 11. epist. 8.; *Vivente Episcopo, quem ab administratione officii sui non culpa, sed ægritudo subducit, alium loco ipsius sacri nullo modo permittunt Canones ordinari.*

(*10) Similia statuunt SYNODUS MATISCONENSIS II. can. 10., & ANTISSIODORENSIS c. 43., & diversas pœnas transgressoribus statuunt; nam *Matisconenses* Patres de solis honoratioribus Clericis loquentes decreverunt, *ut ipse, qui Decretum fuerit audacter transgressus, quàm omnes, qui ei consenserint usque ad Generale Concilium* (Franciæ) *anathemate ab Ecclesia separentur*, *Antissiodorenses* Prævaricatorem *toto anno* à communione removent; & *Parisienses* ab Ecclesia *tamdiu* eum secludunt, *quamdiu reatum suum corrigat.* Vide COINTIUM ad hanc Synodum Tom. II. Annal, Franc.

volet, aut inde aliquid decerpat, néque alius, niſi Archi-Diaconus, easdem cuſtodiat. *Decimo Canone* rata habent Clericorum teſtamenta, ac pia legata, & contraria molientibus Anathema impingunt (*11). *Undecimo* jubent, ut, ſi Epiſcopus cum Epiſcopo controverſiam habeat, non civile, ſed Metropolitani judicium adeat. *Duodecimo* & *Decimo tertio Canone* Monachos & Moniales, item Viduas aut Virgines à caſtitatis aut religioſo inſtituto diſcedentes à communione reſecant. *Ultimo* publicam actionem à Judæis contra Chriſtianos moveri poſſe inficiantur.

An. 618.

His legibus ubi Antiſtites Hiſpani excoluerant diſciplinam; ſupremus Eccleſiæ Legislator ac Pontifex Deusdedit mortalitate ſuâ functus eſt (o), de cujus monumentis id præcipuum Veteres reliquêre, quòd (p) *ſecundam Miſſam in Clero conſtituerit* (*12). Interjectis tredecim menſibus, ac ſedecim diebus, Cathedra Petri BONIFACIO V. Neapolitano demandata eſt anno DCXIX. die XXIII. Decembris.

An. 619.

Sub exordia ſacri Principatûs ubi Edbaldum Cantii Regem ad meliora mutâſſe mentem audiit; Mellito Cantuarienſi, & Juſto Roffenſi gratulatus, eos porrò ad ardua gloriæ divinæ obſequia hortatus eſt (q). Interea in Hiſpania rurſus coacta Synodus, Hiſpali tribus iteratis cœtibus tredecim capita propoſuit, quorum præcipuum argumentum in eo verſabatur, ut reſtitutis iis, qui ſedibus perperam ejecti fuerant, Chorepiſcopi & Presbyteri limites poteſtatis non egre-

(o) Anaſtaſius in V. Confer. Pagi in Critica ad an. 617. n. 2.

(p) Author Lib. Pontif. *Bonifacius V. Papa.*

(q) Beda Lib. 2. c. 7. *Synodus II. Hiſpalenſis.*

(*11) Canon XI. Pariſienſis Synodi V.: *Et quia multæ tergiverſationes infidelium Eccleſiam Dei quærunt conlatis privare donariis, ſecundùm Conſtitutionem præcedentium Pontificum id convenit inviolabiliter obſervari, ut teſtamenta, quæ Epiſcopi, Presbyteri, ſeu inferioris Ordinis Clerici, vel donationes, aut quæcunque inſtrumenta propriâ voluntate confecerint, quibus aliquid Eccleſiæ, aut quibuſcunque perſonis conferre videantur, omni ſtabilitate ſubſiſtant. Specialiter ſtatuentes, ut, etiamſi quorumcunque Religioſorum voluntas, aut neceſſitate, aut ſimplicitate faciente, aliquid à legum ſæcularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconvulſa manere, & in omnibus (Deo auſpice) cuſtodiri* &c.

(*12) PETRUS URBEVETANUS apud Card. Bona Lib. 1. c. 14. n. 4. de Reb. Liturg. ait: *Forſitan adinſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia, niſi una Miſſa.* Sed contrarium patet ex epiſtola 81. Leonis ad Dioſcor. Alexand. c. 2.: *Illud quoque volumus cuſtodiri, ut, cum ſolemnior quæque feſtivitas conventum populi numeroſioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit, ſacrificii oblatio indubitanter iteretur.* Fortaſſe quod *Leo* neceſſitatis causâ ſtatuit, id pietatis ergo *Deuſdedit* permiſit.

egrederentur; unde publicè in Miſſa quenquam reconciliare, aut alia agere prohibebantur (*13): Epiſcopis verò & Monachis inculcabatur, ne illi laicos miniſtros haberent; ac ne hi (ſiquidem ad gubernanda Virginum Monaſteria adhiberentur) conſuetudine familiariùs aut licentiùs cum Monialibus agendi uterentur. Demum Fratres congregati Acephalum Epiſcopum, ac Eutycheti addictum ad errorem ejurandum impulêre (r).

(r) Acta CC. Hard. T. III. p. 558.

4. S. Iſidorus Hiſpali præpoſitus Antiſtes, qui primus dictæ Synodo ſubſcripſerat, omnem huc conferebat operam, ut Patrum Decreta celeriùs exequeretur. Et quoniam Synodicæ Leges non tantùm Cleri diſciplinam, ſed & monaſticam aſceſin ſpectabant; concinnavit monaſticæ vitæ Codicem pro Cœnobio Honoriacenſi, cujus Regulas pro Patriæ uſu, & imbecilliorum viribus mirificè temperavit (*14). Majore ſeveritate Regula S. Co-

Monaſticum ejus Inſtitutum.

(*13) Canon VII. Hiſpalenſis II. Synodi: *Relatum eſt nobis,... Agapium Cordubenſis urbis Epiſcopum frequenter Chorepiſcopos vel Presbyteros deſtinâſſe (qui tamen juxta Canones unum ſunt) qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicas conſecrarent..... Ergo ne ultra talis à nobis licentia uſurpetur, communi ſententiâ ſtatuendum oportuit; ſcientes, quia ſicut Presbytero vel Chorepiſcopo illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim literis, præcipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit: utique quia ſummus Dei Sacerdos erat, ſicut ſcriptum eſt: Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus. Ideóque id, quod tantùm facere Principibus Sacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moyſes & Aaron tenuerunt; Presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis myſteriorum communis ſit diſpenſatio; quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam Novellis, & Eccleſiaſticis Regulis ſibi probibita noverint: ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio vel unctio: ſiquidem nec licere eis Eccleſiam vel altarium conſecrare, nec per impoſitionem manûs fidelibus baptizatis vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare: ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam Pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe Presbyteris vel Chorepiſcopis, quia PONTIFICATUS APICEM NON HABENT.... Sed neque coram Epiſcopo licere Presbyteris in Baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentes ſine præcepto Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.*

(*14) In Cod. Reg. Iſidorus de ABBATE ſtatuit cap. 2.: *Abbas eligendus eſt inſtitutione ſanctæ vitæ, duratus atque inſpectus patientiæ, & humilitatis expertus.* Et c. 10.: *Abbas cibos pariter cum Fratribus ſumat, nec aliud, quàm cæteri, nec cultius præparari ſibi quidquam expetat.* De Monachis c. 2. Novitiorum vitam in hoſpitalis ſervitio tribus menſibus obſervari præcipit: *Si quis vult conjugatus converti ad Monaſterium,*

(s) Cointius ad an. 590. n. 36. 38. *Columbani Regula ab Agrestino infestatur.*

S. Columbani in Gallia colebatur (s), ac ob diversos ab aliis ritus Monachorum etiam ciebat invidiam: Agrestinus quippe ex Theodorici Regis Notario Monachus Lexoviensis adeo ægrè asperum S. Columbani institutum ferebat, ut perpetuis criminationibus aures Clotharii Regis pulsare non desisteret; dum is tandem in Suburbio Matisconensi (præsentibus Burgundiæ Episcopis) quæstionem de Columbani Regula haberi præciperet. In medium deductus Agrestinus nihil ferè, quod accusaret, habebat, quàm singulares quosdam ritus à S. Columbano adoptatos (t); quare Eustasius Abbas Lexoviensis objecta breviter confutans, ut temerario Actori metum injiceret, eum intra præsentis anni decursum ad æterni Judicis tribunal adstiturum evocat. Quæ quidem comminatio etsi ad tempus turbulentum Viri ingenium reprimeret; subinde tamen nova molitus, Romaricum & Amatum Monachos astutis suis consiliis subvertit: parum igitur aberat, quin recrudesceret malum, tum Deus se causæ defensorem, aut ultorem potiùs ostendit. Nam in Romarici & Amati Monasterium lupi per intempestam noctem irrumpentes, aliquos ex fratribus morsibus dilaniârunt; deinde fulgur ingens è cælo lapsum homines plures, magnámque Cœnobii partem exurit; demum Agrestinus ultimo vertentis anni mense, sive eo tempore, quo ab Eustasio rationes in altera vita dare jussus erat, à servo suo enectus interiit (u). Vindictæ divinæ exemplum Romarico & Amato salutare erat; nam inde ad frugem recepti, ad tantum sanctitatis gradum porrò evaserunt, ut in Cælitum numerum ab Ecclesia transcribi meruerint. Hos paulò antè præiverat pius Joannis Eleëmosynarii obitus (x): nomen ejusmodi ob liberalitatem in pauperes, & Sedem Alexandrinam ob virtutis meritum anno DCIX. sortitus, afflictis postea Syriæ ac Palæstinæ populis solatio fuit. Cùm enim Persæ cædi superstites incolas ab agris, bonísque abigerent; Præsul Alexandrinus cunctis hospitium,

(t) Acta CC. Hard. T. III. p. 569. Cointius ad an. 623.

Deus Agrestini infestationes ulciscitur.

(u) Acta Ss. Bened. T. II.

(x) Bollandus ad 23. Januarii. *S. Joannes Eleëmosynarius.*

sterium, non est recipiendus, nisi priùs à conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. C. 9.: *Refectorium cunctis Fratribus unum erit.* C. 10. Esus olerum, & jejunium in pane & aqua præcipitur. C. 14.: *Nullus Monachorum comam nutrire debet.* Demum Isidorus jubet, ut *alterâ die post Pentecosten pro spiritibus defunctorum sacrificium Deo offeratur*; quem morem imitatus est S. Odilo Abbas Cluniacensis.

tium, victúmque præbuit. Tandem Persarum exercitu Ægypti Metropoli propinquante, Joannes Patriarcha in Cyprum (natalem Insulam) profugit: Proficiscenti Nicetas Patricius author erat, ut mutato itinere, Constantinopolim pergeret, Imperatori coràm preces sacras daturus: cui utprimùm annuit, tempestas cooritur, quæ non sine cælesti vaticinio de exitu suo jam monitum Antistitem in Amathuntem Cypri urbem repellit; ubi conditis ultimis tabulis, pretiosam Creatori animam reddidit, post mortem æquè, ac in vita prodigiis clarus (y). Non absimiles sanctitate Viros eodem tempore aluit Gallia; præter S. Columbani enim plures Alumnos, pietate celebres Episcopi numerabantur, qui circa annum DCXXIV. Remis in Synodum congregati, immunitatem Ecclesiarum, pœnas Apostolicas contra homicidas, & ultimum exterminium Gentilis superstitionis (quæ in illis Provinciis supererat) decreverunt (z): horum Antistitum insigniores erant S. Sindulphus Viennensis, S. Sulpitius Bituricensis, S. Arnulphus Metensis, & S. Cunibertus Coloniensis.

(y) ibidem l. c. c. 14.

An. 624. *Synodus Remensis.*

(z) Cointius ad an. 625. n. 14. Acta CC. Hard. T. III. p. 569.

An. 625.

5. Quemadmodum verò Gallia maximis pietate Viris hoc tempore illustrata est; ita Anglo-Saxonum Ecclesia suos Episcopos nunc quoque habuit, quibus Britonum Insula veluti totidem sideribus collucebat. Post SS. Augustinum, Laurentium, Mellitum, Justus vir sanctissimus Dorobernensem tenebat sedem, qui ubi Cantii Regem, ejúsque sororem Ethelburgam optimis præceptis, ac fidei dogmatis imbuisset, simul viam aperuit, quâ Northumbrorum Principi per sponsam Christianam Religio melior afferri posset. Apostolicis his laboribus adeo lætabatur Pontifex Romanus, ut Justo Pallium Archi-Episcopale; Edvino & Ethelburgæ amplas literas (a) cum muneribus transmiserit, Regem Northumbrorum, Reginámque cohortatus, ut cœpta perficerent. Majorem animarum messem videre Pontifici non licuit, qui eodem anno DCXXV., quo literas in Angliam dederat, obiit; postquam annos quinque, menses decem sede potitus, sapientibus legum statutis Ecclesiam excoluisset (b). A morte Bonifacii quinque duntaxat dies fluxêre; tum HONORIUS

Justi Dorobernensis Episcopi zelus.

(a) Beda l. 2. c. 8. 9. 10. 11. *Bonifacii V. Epistola ad Edvinum Northumbriæ Regem.*

(b) Anastasius in V. Godfridus Viterb. in Chron.

Honorius Pontifex.

RIUS (natione Campanus) ordinatus est Pontifex die XXVII. Octobris (*15); quo sedente, per Britanniam Religio Christiana latissimè propagines suas diffudit; nam Northumbri, Angli Orientales (c), ac subinde etiam Occidentales Saxones Ecclesiæ inserti (d), copiosissimos fidei, pietatísque fructus tulêre. Unum tamen erat, quod tenellas plantas adhuc premeret, Scotorum, Britonúmque dissidium; hi enim Pascha alio tempore (ac reliquus Orbis Christianus solebat) peragentes, non exiguum Episcopis Angliæ, atque Pontifici facessivêre negotium. Honorius quo pacem novellæ Ecclesiæ daret, literis, monitísque Hibernos, Scotósque docere meliora, & communem omnibus morem persuadere non destitit (*16): nec irrita Papæ monita fuisse, postea compertum est (*17). Sed quò felicior, accuratiórque Honorii sollicitudo fuerat in sanando Britonum schismate, eò minùs expedita ejus opera videri poterat in reprimendo errore, qui à *Monothelitis* nomen habet, quíque à fraudum fabricatoribus ita propinabatur, ut incautos non tantùm involveret, sed & Pontificis fidem integram, vel saltem zelum ejus labe quâdam obfuscâsse, aut maculam illi affricuisse à non paucis crederetur. Opinio hujusmodi cùm primùm apud multos Præsules, dein apud universam Patrum Synodum prævaluisset, summum Ecclesiæ

(c) Beda l. 2. c. 14 15.
(d) Idem L. 3. c. 7.

Scotos de errore Paschatis celebrandi admonet.

(*15) PAGIUS in Critica T. II. ad annum 625. n. 16. ex *Epistola Honorii Papæ ad Episcopos Epiri directa* (quæ dicitur *data Id bus Decembris Indictione XIV.*, ideóque anno 625.) probat contra *Papebrochium*, Interpontificium quinque dies non excessisse. Cæterùm Idem asserit n. 17., Honorii Confirmationem non ab Heraclio, qui à triennio in Oriente agebat, sed ab Exarcho Ravennatensi obtentam fuisse, & quidem, dum is hoc anno propter rationes nobis ignotas Romæ versabatur.

(*16) BEDA LIB. 2. cap. 19 Histor. Eccles.: *Misit idem Papa Honorius literas etiam Genti Scotorum, quos in observatione sancti Paschæ errare compererat, juxta quod suprà docuimus; solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis, quæ per orbem erant, Christi Ecclesiis æstimarent; néve contra Paschales computos, & Decreta Synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent.*

(*17) USSERIUS in Antiquit Brit. Eccles. pag. 934.: *Quæ quidem monita* (Honorii) *irrita non fuisse, partim ex Beda colligo, qui Gentes Anglorum, quæ in Australibus Hiberniæ Insulis morabantur ad admonitionem Apostolicæ Sedis Antistitis, Pascha canonico ritu observare didicisse narrat; partim ex Cummiano, qui eo ipso tempore vixit, & in epistola ad Sigenium Hyensis Cœnobii Abbatem de Alexandrinorum magno XXVIII. Enneadecateridum, sive DXXXII. annorum Cyclo, in Hibernia primùm admisso, ita scripsit* &c.

clesiæ Caput, insolito exemplo, ferire anathemate non dubitârunt. Rem tantæ molis ut ex ordine quisque cognoscat, ejus originem, causásque altiùs scrutari juvabit.

6. Postquam Eutyches Monophysitarum Parens à Chalcedonensi Synodo proscriptus fuerat; Hæresiarchæ quidem nomen, non tamen ipsa hæresis coli desiit. Nam cùm explicandi modus, quo Eutyches duas naturas in Christo commiscuerat, ipsis adeo sectatoribus absurdus, ridiculúsque videretur (*18); in novas artes intenti, alios colores quærebant, quibus ad fallendos homines errorem expingerent. Atque his fraudibus cùm uterentur, non jam Eutychiani, sed Acephali, Dioscoriani, Theodosiani, Jacobitæ vocari malebant (e), quasi posito Magistri nomine, abdicatísque ejus loquendi formulis hæresin quoque exuissent. Interea omnes verborum apicibus quibusdam inter se diversi, in erroris principio, quo unam in Christo naturam adstruebant, facilè convenêre. His Eutychianæ hæresis propaginibus in Sæculo VII. tandem *Monothelitarum* secta accessit; quorum error in eo versabatur, quòd unam in Christo operationem, adeóque voluntatem unicam propugnarent. Contendebant namque, naturam humanam ita esse unitam Verbo, ut, licèt mente, aliísque facultatibus, quæ naturæ sunt appendices, prædita esset; ipsa tamen propriam non exerceret Actionem: sed unica esset Actio, profecta quidem à Verbo, ùt à causa principe; ab humanitate verò, ùt à causa instrumentali (*19).

(e) Tillemont T. XV. p. 787. Idem T. XVI. p. 300.

Monothelitarum origo & errores.

(*18) In LEONIS epistola ad Flav. n. 6. refertur error Eutychetis: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem unam naturam confiteor*; in quæ verba ita pergit S. Leo: *Miror tam absurdam, támque perversam ejus professionem nullâ judicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil offenderit auditum.* TILLEMONT Tom. V. Histor. Eccl. memorat, Elurum (quamvis Eutychianum) Eutychem tamen nominetenus damnâsse, eoquòd hic dixisset, carnem Christi nostræ non esse consubstantialem. Præterea Severiani non dubitârunt, Eutychem pronunciare Hæreticum in colloquio cum Catholicis habito An. 533., utì refertur in AA. CC. T. II. p. 952.

(*19) CYRUS in epist. ad Sergium (quæ refertur in Concil. Lateran. sub Martino I. Secretario III.) ait: *Eundem Christum operari Deo decibilia & humana unâ operatione, quia omnis divina & humana operatio ex uno, eodémque incarnato Deo Verbo procedebat.* THEODORUS PHARANITA in fragm.: *Oportet ita sapere, & dicere nos omnia, quæ in Incarnatione Christi dicuntur, unam operationem esse; hujus autem Opificem*

Neque his involutis expositionibus Monothelitæ contenti, ubi premebantur, ad quærendum erroris patrocinium, levissimo pede in alias & alias temerè deflectebant vias; unde voluntatem unam, à cujus professione illis nomen obvenit, jam vocabant hypostaticam, vel divinam, aut consultatricem; jam à sensu naturali ad moralem transilientes, in Christo non duas voluntates contrarias, sed unam divinæ consentaneam se affirmare testabantur (*20).

7. Qui hæresin tot implexam dolis primus stabiliret, *Sergius* fuit Patriarcha Constantinopolitanus: natus is in Syria Jacobitis Parentibus (f), Eutychis virus cum lacte materno hauserat; sed errorem dissimulans, duas in Christo naturas tantisper profitebatur, dum anno DCX. (g) in sedem Regiæ urbis irrepserat. Potestate sacrâ auctus, eò vertit consilia, ut, cùm Eutychianum dogma Catholicis invisum restaurare non liceret, idem alio fuco comptum Orienti venditaret. Itaque ab eo tempore occasiones quasvis captans, sementem, ubi poterat, in Episcoporum animos ingerebat, quos velut emissarios aut instrumenta postea ad propagandum Monothelitarum errorem adhiberet. Anno

(f) Nicephor. Callist. L. 18. c. 44. *Sergius Episcopus Constantinopolitanus præcipuus Author & Dux Monothelismi.*

(g) Chron. Alexandr. apud Pagium in Critic. ad an. 608. n. 2.

Opificem & Creatorem Deum Verbum, Organum verò humanitatem. SERGIUS in epist. ad Honorium: *Operatur quidem verè Deitas per corpus, quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.* MACARIUS in Synodo VI. Act. 5.: *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Deimobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium.* Hinc illa Monothelitarum phrasis: *Nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim, & ex appetitu proprio contra nutum sibi subsistentialiter uniti Dei Verbi naturalem motum suum efficit, sed quando, & qualem, & quantum Deus Verbum volebat.*

(*20) Synodus VI. Act. 8. apud Harduin. Tom. III.: Monothelitæ affirmant: *Confitemur unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro JEsu Christo, & Deivirilem ejus operationem. Neque enim, quæ divina sunt, secundùm Deum; neque quæ humana sunt, secundùm hominem operatus est: sed humanitati Dei Verbi Deivirilem operationem in conversatione demonstratam confitemur secundùm B. Dionysium.* S. Maximus in Disput. cum Pyrrho apud Harduin.: *Nihil me ita à tuo Antecessore* (Sergio) *alienavit, ut mutabilitas ejus & inconstantia. Aliquando enim eos, qui hanc unam voluntatem divinam appellabant, approbans, Eum, qui erat incarnatus, dicebat tantùm Deum. Aliquando his assentiens, qui dicebant esse consultatricem voluntatem, hominem solùm eum adstruebat, more nostro consultantem. Quandoque verò vocans hanc voluntatem hypostaticam cum differentia Personarum, simul inducebat differentiam voluntatum in Personis ejusdem substantiæ.*

Anno DCXVI. (h) Sergius primas de hoc argumento literas dedit ad Theodorum Præsulem Pharanitam (i), eíque per alium Sergium Macaronam Episcopum Arsinoës, libellum (quem dicebat Mennæ esse ad Vigilium) tradi fecit, id insuper flagitans, ut, cùm in eo volumine una Christi operatio assereretur, ipse de eo dogmate mentem aperiret (k). Hic ubi dicta probaverat; Sergius jam audacior, ad Paulum Monoculum, & ad Georgium Arsam Paulianistam eadem perscribit: atque ab illo quidem ad Theodori exemplum par suffragium; ab hoc autem testimonia Patrum, qui de una operatione tractarent, conscribi postulabat, spondens, ad pacem & concordiam Ecclesiarum id maximè valiturum (l). S. Joannes Archi-Episcopus Alexandriæ ubi, quid Sergius moliretur, accepit; Arsæ aufert epistolam, eundémque exauthorâsset, nisi Persarum Ægyptum depopulantium incursus sanctissimo viro moras injecisset (m). Ad annum inde DCXXII. error sub cineribus dolosis latuerat; tum Heraclius importuno zelo reflagrare cœpit (n). Hoc quippe tempore Imperator in Armenia cum Paulo (qui ex Primoribus Severianorum erat) temerè congressus, eundem de dogmate suo ad frugem advertere contendebat (o): sed dum Hæreticum capere conatur, ferè ipse captus est; nam exinde misso ad Arcadium Episcopum decreto vetuit, ne quis duplicem in Christo operationem affirmaret. Disceptatio hæc Heraclio postea non parva causa formidinis fuit; quare in Lazicam Regionem adductus, Cyrum Phasidis Episcopum in consilium vocat, utrùm de Christo sermocinanti unam operationem aut voluntatem commemorare conveniret? Cyrus, quid certi reponeret, ignarus, ad Sergium dat literas (p), quibus significabat, Imperatorem æquè angi de dogmate, an una vel duplex operatio in Christo asserenda sit; atque de illa lege, quâ geminam in Christo operationem statui prohibuisset: nec se satis animi certum quid adstruere possit, cùm in S. Leonis epistola duæ operationes indicentur. Sergius acceptis literis multùm gavisus, rem è votis geri, continuò Cyro callidè rescripsit: de quæstione hac equidem silere Concilia, Cyrillum tamen Alexandrinum in quibusdam commentationibus unam vivificam Christi operationem dixisse, quin & Mennam Regiæ urbis

An. 616.

(h) Pagius ad a. 616. n. 6.

(i) S. Maximi Disputatio cum Pyrrho T. II. operum, & apud Baron. T. VIII. sub finem.

(k) ibidem.

(l) ibidem.

(m) ibidem

(n) Pagius ad a. 622. n. 3.

An. 622.

(o) Maximi Disput. l. c. Epistola Sergii ad Honorium.

An. 626.

(p) Synod. VI. Act. 12.

Monothelismi occultè serpentis incrementa.

bis Archi-Episcopum in sermone ad Vigilium Papam, cujus exemplum addebat, in hanc sententiam fuisse locutum. De cætero negabat, Leonis hanc mentem extitisse, ut unquam suo in libro duas operationes comprobaret (*21). Ut in Sergii sen-

An. 629. tentiam magìs impelleretur; Annus DCXXIX. causam dedit; nam cùm eodem tempore Imperator apud Hierapolim degeret, cum Athanasio Jacobitarum Patriarcha, viro acerrimo, & versuti ingenii, de fide multa disceptans, eò tandem delabebatur, ut, quem flectere Cæsar argumentis haud posset, promissionibus ad concordiam inclinare conaretur. Itaque homini Antiochenum Patriarchatum pollicitus, evicit, ut Athanasius se ad duas in Christo naturas, quas Chalcedonensis Synodus doceret, omnino pronunciandas promptum exhiberet; hæc tamen doloso animo confessus, postea Heraclium acutâ quæstione turbavit: utrùm duabus naturis admissis, etiam geminam voluntatem, totidémque operationes asserere necesse foret (q)? Hæsitanti Imperatori Sergius suggessit, ad fidem omnino pertinere, ut suppressis duarum operationum vocibus, una deinceps sola operatio agnosceretur (r).

(q) Theophanes in Chron.
(r) Gesta S. Maximi Abbatis.

An. 630.
Cyrus Phasidis Episcopus transfertur ad Sedem Alexandrin.

8. Monothelitarum hæresis intra privatos duntaxat sermones hucusque agitata fuerat; at paulò pòst plenam in lucem prorupit. Athanasio Jacobitâ Cathedræ Antiochenæ imposito, Cyrus Phasidis Episcopus (mortuo Georgio) in Alexandrinorum sedem transferebatur (s); hi Sergii partibus devincti, ubi factionem, quæ unam & naturalem in Christo operationem profitebatur, multis Episcopis auxerant, è re fore censuère, si Eutychiano-

(s) Theophanes in Chronico.

(*21) Acta CC, apud Harduin T. III. in Synodo VI. Act. 12. p. 1310. Sergii ad Cyrum Epistola hæc habet: *Asserimus, quòd in sanctis, & in universalibus Conciliis nulla de hoc mentio facta est: nec invenire est de ejusmodi quæstione, definitionem quamlibet esse prolatam à quodam orthodoxorum* Conciliorum. *Nonnullos verò Patrum probabilium scimus, & præcipuè S. Cyrillum Alexandrinum, in quibusdam scriptis suis unam vivificam operationem Christi dicentem: sed & Mennas quondam Archi-Episcopus hujus Regiæ urbis sermonem composuit acclamatum ad Vigilium Papam, in quo & ipse & unam voluntatem, & unam Christi operationem adstruxit..... Quoniam igitur asseruit V. R. Leonem Papam ... duas operationes in Christo tradere, atque prædicare, oportet scire, quòd multis ex schismate Severi adversùs hanc epistolam latrantibus, quæ commune revera rectæ fidei fundamentum existit, multi Doctores Catholici ad ejus defensionem assurrexerunt, & nullus horum dixit, quòd in eo libro duas operationes S. Leo asseruisset.*

chianorum ſectas in ſua ſenſa pertraherent. Poſt tres igitur exactos annos Cyrus Alexandrinus Antiſtes Synodum cogit: in qua cùm novem edidiſſet Capitula (u), octo eorum Catholicam de Incarnatione doctrinam perhibebant; at ſeptimum Monothelitarum errorem complectens (*22), unam Chriſti operationem Dei-virilem, ídque ex conficta S. Dionyſii authoritate, ſtipulabatur (*23). Theodoſianis hæc nova fidei effigies præcipuè placuit: cùm enim hi Hæretici ſuo more unam, eámque compoſitam in Chriſto naturam dudum docuiſſent; nunc quoque ex unius operationis confeſſione unum naturale principium facili ratiocinio arguentes, adeo Cyri doctrinæ refragati non ſunt, ut protinus ad diem IV. Maji in fœdus, ínque concordiam ire pararent. Triumphans hoc de eventu Cyrus continuò ad Sergium ſcripſit, vinculum pacis tandem Alexandriæ inter ſuos ac Theodoſianos coaluiſſe.

An. 633. *Cyri novem Capitula.* (u) ibidem p. 1339.

9. Alexan-

(*22) ACTA CC. apud Harduinum Tom. III. p. 1342. *Capitulum ſeptimum* Cyri Phaſidis ſic habet: *Si quis unum Dominum noſtrum JEſum Chriſtum in duabus conſiderari dicens naturis, non eundem unum de Trinitate confiteatur ſempiternè quidem ex Patre genitum Deum Verbum, noviſſimis autem ſæculi temporibus eundem incarnatum, atque genitum ex ſanctiſſima & intemerata Domina noſtra Dei Genitrice, ſempérque Virgine Maria; ſed alterum hunc noſcit & alterum; & non unum, eundémque, ſecundùm ſapientiſſimum Cyrillum, in Deitate perfectum, & in humanitate eundem perfectum, éxque hoc ſolo in duabus contemplandum naturis; eundem paſſum, & non paſſum ſecundùm aliud & aliud, ſicut idem S. Cyrillus ait: & patientem quidem humanitus carne, ſecundùm quod homo eſt: permanentem verò impaſſibilem, ùt Deum, in paſſionibus propriæ carnis; eundémque unum Chriſtum & Filium, operantem Deo decibilia & humana unâ Deivirili operatione ſecundùm S. Dionyſium: ſolâ contemplatione diſcernens ea, ex quibus unitio facta eſt, & hæc intellectu conſiderans, inconvertibilia & inconfuſa poſt eorum naturalem, & ſecundùm ſubſiſtentiam unitionem manentia, in biſque indiviſè atque inſeparabiliter unum, eundémque Chriſtum & Filium recognoſcens, juxta quod duo ad invicem inconfusè convenientia conſiderat intellectu, cauſativam eorum contemplationem faciens, & non phantaſiâ mendaci, atque inanibus mentis figmentis; nullatenus verò disjungit, quaſi peremptâ jam illâ, quæ in duo eſt, ſectione, propter ineffabilem, & inconfuſam, & inexcogitabilem unitionem: dicens ſecundùm Athanaſium: ſimul enim caro, ſimul Dei Verbi caro: ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei Verbi caro animata rationalis; ſed ad diviſiones per partes hujuſmodi aſſumit vocem, anathema ſit.* Item in Concil. Lateran. Act. I. 5. Octobris.

(*23) In Concilio Lateranenſi Act III. apud Harduin. T. III. p. 782. juſſu Martini Papæ lecta eſt epiſtola Dionyſii ad Gajum: *Etiam non ſecundùm Deum divina operatus, neque humana ſecundùm hominem, ſed Deo homine facto, NOVAM quandam DEIVIRILEM, id eſt,* θεανδρικὴν *OPERATIONEM nobis oſtendens.* Falſitatem Cyri inde Martinus oſtendit, quòd, cùm Dionyſius dixiſſet *novam*, ille finxerit *unam* operationem.

9. Alexandrinus Archi-Episcopus adhuc velut re optimè gestâ exultabat; tum ejus jactantiam Sophronius aliquantùm interrupit. Profectus hic Monachus, idémque Presbyter Alexandriam, ubi in novem à Cyro procusos Canones incidit; Antistitem interpellans, pedibúsque ejus affusus orat, ne committere velit, ut impium Apollinaris dogma, in septimo Capitulo contentum, palàm ex Cathedra prædicet (x). Cyrus adversùs Monachi preces animum obstinans, id tantùm reponebat: in Patrum testimoniis, præterquam quòd una operatio legatur, tum ad prudentem Præsulis scientiam, zelúmque pertinere, ut, quando tot millia ad Ecclesiam reducendi spes sit, dissimulare quædam non vereatur (y). Sophronius his minimè pacatus, ad Sergium pergit: sed is datis ad Cyrum literis, jam ejus acta probaverat; quare vix auditum facessere jubebat, monuítque, ut, cùm Patrum duas operationes asserentium testimonia afferre non posset, abstineret à perturbanda Ecclesia Alexandrina, ubi post longi temporis memoriam Leonis Papæ nomen palàm celebretur (z). Sergii concitatior æstus utprimùm deferbuerat; causæ suæ non admodum fisus, ad Cyrum perscripsit, ut ad rescindendas offensiones abstineret omnes ab usu vocum, quibus unius vel duplicis operationis mentio induceretur: neque aliud deinceps profiterentur, quàm quòd unus Christus operatus sit divina & humana. Huic Sergii consilio aliquantùm Sophronius acquievisse visus est, & acceptis Archi-Episcopi literis, in Palæstinam rediit (a).

Sophronius resistit Cyro.

(x) Maximus in ep. ad Petrum.

(y) Sergii epist. ad Honorium.

Sergius Sophronii causam improbat.

(z) In epist. Sergii ad Honorium. Synod. VI. Act. XII. apud Harduin. T. III. p. 1315.

Sergius conatur disceptationem de una operatione supprimere.

(a) ibidem.

10. Anno DCXXXIV. dum Heraclius Edessæ agebat, à Sergio exegit, ut ex libello Mennæ ad Vigilium testimonia de una operatione excerpta sibi transmitteret. At Sergius, mutato in aliam partem consilio, Imperatori respondit: ad pacem Ecclesiæ opportunius fore, si unius, vel duarum operationum professio dissimuletur (b). Eodem anno Modestus Hierosolymæ Archi-Episcopus è vivis decessit; cui ubi subrogatum Sophronium Sergius cognovit; ab eo sibi malè metuens, confestim ad occupandum Papæ Honorii animum Romam dedit literas, dolis & mendaciis refertas. Nam primò Pontifici controversiæ initium de una, vel duabus operationibus perscribens, supprimebat multa, plura lauda-

An. 634.

Sophronius creatur Episcopus Hierosolymitanus.

(b) ibidem.

Sergii Epistola ad Honorium.

laudabiliter commemorabat de libello Mennæ, de Cyri novem Capitulis, déque iis, quæ idem Alexandrinus Archi-Episcopus pro conciliandis Ecclesiæ Theodosianis præstitisset (*24). Demum Sophronii importunas agendi, opponendíque rationes acriter insectatus, suâ curâ ac providentiâ cautum esse refert, ne cum offen-

(*24) SERGII EPISTOLA AD HONORIUM, quæ habetur in Synodo VI. Act. XII. apud Harduin. Tom. III. p. 1315.: *Nos verò considerantes (inquit Sergius) incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere; & scientes, quòd semper ex hujusmodi decertationibus hæreseon dissensiones affectæ sunt; necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum, atque amputandum talem superfluum verborum conflictum: & ad sæpedictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut, postquam unitatem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magìs autem (sicut sancta & universalia tradiderunt Concilia) unum, eundémque Filium Unigenitum, Dominum nostrum JEsum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina, quámque humana, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem ex uno, eodémque incarnato Deo Verbo indivisè procedere, & ad unum, eundémque redigi: eoquòd unius quidem operationis vox, quanquam à quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorundam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfusè, atque secundùm subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum; quod non est unquam, nec fiet: similiter autem & duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote à nullo Sanctorum, & probabilium Ecclesiæ Institutorum edita: insuper & consequens ei sit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes; tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate verò ejus obsistente ejus voluntati & resistente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium est. Impossibile quippe est, in uno, eodémque subjacenti duas simul, & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifestè instruit, quòd nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim, & ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundùm subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit; sed quando, & qualem, & quantam ipse Deus Verbum volebat: & ut planiùs dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra: ita & in Domino nostro tota humana ejus consperso ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Deimobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium contra Eunomium: ita secundùm quod Deus Filius impassibilis utique est, & immortalis. Si qua autem passio, de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profectò, quæ suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est. Operatur quippe verè Deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio. Hanc igitur (ùt dictum est) contentionem incipientem accendi videntes necessarium judicavimus, attritas potiùs Ss. Patrum voces, & synodicè definitas semper sequi, & neque, quæ raro à quibusdam Patribus dicta sunt, & non circa hæc intentionem habentibus, quasi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent; ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere, quale est, & quod de una operatione ab eis dictum est: neque iterum, quæ nullatenus dicta sunt à probabilibus Patribus, nunc verò à quibusdam proferuntur, duas (inquam) operationes, tanquam dogma Ecclesiasticum proferre &c.*

offensionis periculo, una vel duæ in Christo operationes dicerentur: sed unus, idémque Filius Unigenitus verus Deus Dominus noster JEsus Christus diceretur operatus tam divinam, quàm humanam, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem.

II. Honorius utprimùm à Sergio epistolam acceperat, quin rerum scriptarum argumentum maturiùs discuteret, aut Sophronii, aliorúmque Orientalium literas aut libellos exspectaret, protinus Constantinopolitano Archi-Episcopo in hanc sententiam respondit (*25): Probabat Sergii studium, quo vocabuli scandalis

(*25) EPISTOLA HONORII AD SERGIUM in Actis CC. Synod. VI. Act. XII. apud Harduin. Tom. III. p. 1319. : *Scripta Fraternitatis Vestræ suscepimus, per quæ contentiones quasdam, & novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quendam tunc Monachum, nunc verò ex auditu Episcopum Hierosolymitanæ urbis constitutum, adversùs fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ Antistitem, unam operationem Domini nostri JEsu Christi conversis ex hæresi prædicantem. Qui denique ad Vestram Fraternitatem Sophronius veniens, querelámque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quæ à vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis refecari, quarum literarum ad eundem Sophronium directarum suscipientes exemplar, & intuentes satis providè, circumspectéque Fraternitatem Vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim, in quo percepimus, oportet ambulare,..... confitentes Dominum nostrum JEsum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina mediâ humanitate Verbo Deo naturaliter unitâ, eundémque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumptâ carne, discretè, inconfusè, atque inconvertibiliter plenâ Divinitate. Et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est & carneus: effectus plenè Deus & homo..... Dum profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti; sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ, divinæque naturæ: idcirco & ubique Deus dicitur pati, & humanitas ex cælo cum Divinitate descendisse. Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri JEsu Christi, quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa,.... quia sine peccato conceptus de Spiritu S, etiam absque peccato partus est de sancta & immaculata Virgine Dei Genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ..... Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis.... Viâ igitur Regiâ incedentes,... non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates Canonicæ visæ sunt explanâsse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare; quas neque Evangelicæ vel Apostolicæ literæ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminâsse.... Nam quia Dominus JEsus Christus Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator Divinitatis atque humanitatis, plenæ sunt sacræ literæ luculentiùs demonstrantes. Utrùm autem propter opera Divinitatis & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum JEsum Christum, ejúsque S. Spiritum sacris*

dalis obnoxii novitatem abstulisset, & postremùm hortabatur, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugiens, unum Dominum JEsum Christum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide orthodoxâ, & unitate Catholicâ prædicaret (†). Interea Sophronius Sedi Hierosolymitanæ impositus, Præsules Palæstinæ in Synodum vocabat, quorum auditis sententiis, Encyclicam ad Patriarchas de more mittendam composuit: præmisso fidei symbolo, confessus *unum Christum in duabus naturis.... operatum divina & humana*, exponebat ex PP. authoritate operationes diversas aut distinctas, adhibito etiam verbo *utriusque operationis* (c); cujus rationem ubi prolixè reddiderat, quinque generales Synodos se amplecti, & probatorum Patrum scripta testatus, Hæresiarchas ac sectatores singulos nominetenus damnabat. Hanc epistolam primùm ad Sergium, dein Romam ad Honorium Papam unà cum Epistola Synodica misit (d); sperabat enim à præsentibus Legatis ac nunciis latiùs Pontifici explicatum iri, quanta Cyrus Alexandrinus Archi-Episcopus adversùs fidem orthodoxam moliretur; dum unam in Christo voluntatem, unámque operationem prædicare non cessaret. Honorius his acceptis, in concepta antè sententia perstitit, & Cyro (e) rescripsit, ut silentio præteriret unam operationem ac voluntatem; non minùs literis Sophronium monuit de omittenda duarum operationum voce, quæ apertiùs ad Sergium alterâ epistolâ inculcabat, *ut unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione eximeretur, quia unius operationis vel duarum esse vel fuisse Mediatorem Dei & hominum, Dominum JEsum Christum sentire & promere satìs ineptum est* (f).

12. Dum in Oriente causa fidei tractabatur; Toleti in Occidua Hispania à congregatis sexaginta duobus Episcopis de ordinanda Ecclesiæ disciplina per sexaginta quinque Canones laboratum est (g). *Primo* Canone Spiritum S. profitebantur nec creatum,

(†) Reflexio I.

An. 635.

(c) Synod. VI. Act. XI. apud Hard. p. 1253. *Sophronii Synodica ad Sergium & Honorium.*

(d) Baron. Photius in Bibl. C. 231.

(e) Synod. VI. Act. XIII. p. 1354. *Honorii epistolæ ad Cyrum & Sophronium. Item altera epistola ad Sergium.*

(f) Synod. VI. Act. XIII p. 1351.

An. 633. *Concilium Toletanum IV., ejúsque Canones.*

(g) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 575.

sacris literis percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum.... Hæc nobiscum Fraternitas Vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus: hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum JEsum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide orthodoxâ, & unitate Catholicâ prædicetis.

tum, nec genitum, ſed ex *Patre*, *Filióque* procedentem. *Secundus* jubet, ut ordo orandi, Miſſas celebrandi, atque pſallendi per Hiſpaniam Galliámque conveniat (*26). *Quartus* præcipit, ut in Conciliis celebrandis veteres ritus minimè negligantur. *Quinto* decretum eſt, ut, quo tempore Paſcha annunciari debeat, Metropolitæ ante tres menſes Epiphaniorum à ſe invicem requirant. Et quoniam Arianorum uſus erat, ut Catechumenos ternâ merſione baptizarent; *Sextus* Canon juxta mentem S. Gregorii ſtatuit, ut una deinceps merſio Baptiſmo adhibeatur. Præterea diverſa ſolvendi aut celebrandi Quadrageſimam conſuetudo cùm perturbationis aliquid inveheret; *Octavus* & *Nonus* Canon decernunt, ne quis in die Dominicæ Paſſionis ante peractas indulgentiæ preces jejunium reſolvat, aut hoc mœroris tempore Alleluja cantet. *Decimus ſeptimus* Apocalypſin in album divinorum librorum refert, idémque volumen à Paſcha ad Pentecoſten in Miſſarum ſolennitate prædicandum conſtituit. *Decimus octavus* hoc ordine Communionem diſpenſandam præſcribit, ut Sacerdos & Levita ante altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus. *Decimus nonus* impedimento canonico obſtrictos ab Ordinibus removet, ſimúlque modum eligendi, ordinandi, ac tempus diſponit (*27). *Vigeſimus quintus* doctri-

(*26) PAGIUS ad annum 633. n. 29. corrigit Baronii ſententiam, ſtatuentis, quòd in Concilio Toletano IV. Iſidoro Hiſpalenſi demandatum munus ſit, concinnandi *Miſſam Mozarabicam*, cujus ritu dein omnes uterentur. Nam cùm in Miſſa S. Martini jam legantur, quæ in hac Miſſa habentur; item cùm *Toletanum Concilium III.* Can. 2. ejuſmodi rituum jam tunc uſitatorum mentionem faciat; non eſt, quòd ad ſeriora tempora origo hujus Gothici officii differatur: unde MARIANA Lib. 6. de reb. Hiſpan. cap. 5. inquit, uſum obtinuiſſe, ut Iſidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen *Leandrum* inveniſſe. CARDINALIS BONA Lib. 1. de rebus Lit. c. 11. de primo officii Authore haud conſtare dicit: ſed à *Leandro* hoc idem eſſe illuſtratum, ab *Iſidoro* auctum, ab aliis poſtea amplificatum. Cæterùm Mozarabum Miſſa tunc dici cœpit, quando Chriſtianorum pars, quæ ſub ſuis vivebat Regibus, ordinem Romanum ſuſcipiebat; pars verò ſub Saracenis poſita, officium Gothicum retinebat. Nam inde à Chriſtianis inter Saracenos degentibus (qui & *Mixtarabes*, ſive *Mozarabes* appellabantur) *Mozarabicum* dictum eſt. Quo tempore verò eidem officio ſubrogatus fuerit ordo Romanus, alibi dicetur.

(*27) Canon XIX. Toletani IV. Concilii ſequentia recenſet Canonica impedimenta, quò minùs ad SACERDOTIUM quidam promoveantur: *Qui in aliquo crimine detecti ſunt, qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſin*

ctrinam in Sacerdotibus requirit; *ignorantia* enim *mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus vitanda est;.... sciant igitur Sacerdotes Scripturas sacras, & Canones meditentur:* proximè sequentes Canones officium Episcoporum, & jura exponunt. *Quadragesimus primus* tonsuræ modum Clericis præscribit: *Omnes Clerici & Sacerdotes detonso superiùs capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant* (*28). Post hæc *Quadragesimus nonus* habet: *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit, quidquid horum fuerit, alligatum tenebit* (*29). A *Quinquagesimo septimo* ad

 Sexa-

hæresin lapsi sunt, qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur: qui secunda uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt: qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt: qui concubinas fornicarias habuerunt: qui servili conditioni obnoxii sunt: qui ignoti sunt, qui Neophyti sunt vel Laici: qui sæculari militiæ dediti sunt: qui curiæ nexibus obligati sunt: qui inscii literarunm sunt: qui nondum ad triginta annos pervenerunt: qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt: qui ambitu honorem quærunt: qui muneribus honorem obtinere moliuntur: qui à Decessoribus in Sacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, & auctoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit &c.

(*28) ISIDORUS Lib. 2. de Eccl. offic. cap. 4.: *Tonsuræ Ecclesiasticæ usus à Nazaræis exortus est, qui priùs crine servato, denuò pòst vitæ magnæ continentiâ devotione completâ caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei, crine præciso innoventur.* Utrùm autem ab Apostolicis temporibus Tonsura Ecclesiastica usitata fuerit, diximus jam in Tom. I. Historiæ nostræ Universalis p. 650. N. 4. Ubi verò usus ejus Tonsuræ invaluit, varius in tondendis capitibus modus adhibebatur. GREGORIUS TURON. de gloria Martyrum c. 28. ait, *Petrum* ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituisse; plures rationes habet ALDELMUS in epist. ad Geruntium. Hæc forma Tonsuræ (quæ Romana, sive S. Petri dicebatur) ad modum spineæ coronæ formata erat. Altera in Oriente adhibita toto raso capite infernè solùm exiguam crinium partem in circuli morem relinquebat. Tertia forma Tonsuræ erat propria Scotis: quippe ab aure ad aurem per frontem in Coronæ modum incisus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonsus dependebat, ùt habet CEOLFRIDUS Abbas in epistola, quæ extat in Actis S. Eustasii. Ex hujus postremæ Tonsuræ occasione multæ tricæ in Britannia exortæ sunt, quas refert BEDA Lib. 3. Hist. Eccl. c. 3. 4., Lib. 5. cap. 16., item ALFORDI in Annalibus Anglo-Saxonicis ad annum 664. à N. 14 ad N. 23. De hac Tonsura vide *Mabillonium* ad T. III. Ss. Ordinis S. Bened. §. 1.

(*29) In Canone XLIX. *Toletani IV.* Concilii probatur ritus ille, quo Parentes solebant filios suos devovere Monasteriis; ìdque se facere testabantur ad exemplum Abrahæ filium suum Deo consecrantis, aut Annæ Samuelem templi servitio & cultui dicantis, ùt habetur in Charta SANCTII RAMIREZ Regis Arragonum, apud Yepez Tom. VII. Chronici Ord. S. Benedicti. His autem filiis per voluntatem Parentum Deo conse-

Sexagesimum septimum agitur contra Judæos, ne quis iis favorem præstet adversùs fidem Christianam, ut Judæi Christianis uxoribus juncti separentur, vel Christi sacra suscipiant; ne officia exerceant publica, ne servos habeant Christianos; vetant tamen Canones, ne Judæis vis ad mutandam Religionem inferatur. Reliqua Decreta de libertis Ecclesiæ tractant, quorum postremum plebi juratam suis Principibus fidem inculcat. Anno DCXXXVI. *in* eadem *urbe Toletana* Chintila Rex Gothorum viginti duorum Episcoporum cœtum celebrari fecit (h), qui novem Canonum statutis incolumitati Regis ac Regno consulturi prohibuerunt maximè, ne ante Principis mortem de successoris electione ageretur. *Quintum* hoc *Toletanum Concilium* post sesqui annum *Synodus sexta* ejusdem nominis, sed multò numerosior excepit (i); nam quinquaginta duo Antistites novendecim Canones ediderunt, quorum *primus* apertiùs Mysterium SS. Trinitatis explicat (*30). *Tertio* cavetur, ne quis Regiam teneat dignitatem, nisi antè sacramento se devinxerit (*31), Catholicam fidem ejus autho-

(h) Acta CC. T. III. p. 597. *Concilium Toletan. V.* An. 636. *Concilium Toletan. VI.* (i) ibidem p. 601. An. 638.

consecratis ad sæculum reverti non licebat; quod etiam postea CONCILIUM TOLETANUM X. Can 6. confirmavit: nam Episcopi Hispaniæ ita ratiocinabantur: Cùm parvuli Baptismo sine suo assensu, ac ne conscii quidem tingantur, ac proinde ab eo tempore vinculis Christianæ Religionis, quin ea dissolvere fas sit, adstringantur; quidni etiam parvuli citra eorum voluntatem monastico instituto, & divino cultui mancipari valeant à Parentibus, qui supremam in filios potestatem habent. THOMASSINUS de vet. & nov. Discipl. P. I. Lib. 3. cap. 56. 57. & 58. ostendit, quâ ratione in variarum Provinciarum Monasteriis pueri impuberes Deo dicati fuerint. Sed quia non pauci hunc modum improbabant, ob vim, quam liberis à Parentibus inferri judicabant, ideo CONCILIUM AQUISGRANENSE Can. 36. definivit, ut pueri oblationem à Parentibus factam *tempore intelligibili* confirmarent. Demum Pius V. in Bulla 1570. edita, quæ habetur Spicileg. T. IV. pag. 33. voluit: ut Novitii etiam oblati ante decimum octavum ætatis suæ annum completum non recipiantur. Et TRIDENTINUM Sess. 25. cap. 15. de Reform. decrevit, ut in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum. Vide etiam *Dissertationem nostram II. de Hierarchia Ecclesiastica*, in qua Cap. 2. Sect. I. §. 21. latiùs de hoc argumento tractavimus.

(*30) CONCILIUM TOLETANUM VI. Can. 1.: *Credimus & profitemur. ... Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis: Filium à Patre intemporaliter, & ante omnem creaturam sine initio genitum, non creatum. Nam nec Pater unquam sine filio, nec filius existit sine Patre: sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo: ille autem Filius Patris;.... Spiritum verò S. neque genitum, neque creatum, sed de Patre Filióque procedentem, utriusque esse Spiritum; ac per hoc substantialiter unum sunt, quia & unus ab utroque procedit* &c.

(*31) Can. 3. CONCIL. TOLET. VI.: *Sancimus, ut, quisquis succedentium tempo-*

authoritate servatum iri. *Quarto* largitiones munerum ab Ordinibus sacris longissimè arceantur, & desertores Religionis communionis Ecclesiasticæ expertes pronunciantur.

13. Mense Januario anni DCXXXVIII., quo Concilium Toletanum VI. finem acceperat, octo integri menses adhuc supererant, quos Honorius Papa inter mortales exigeret, quibus elapsis, duodecimâ mensis Octobris obiit (k). Annos is duodecim, menses undecim, & sedecim dies (quibus in Cathedra Petri sederat) non admodum pacatos habuit; nam inter Mahometanæ superstitionis cruenta exordia, intérque Monothelitarum callidas fraudes acerbam vitam duxit; sed nec per mortem vexatione omni exemptus est. Ut enim prætermittamus eos, qui Pontificis nomini hæreseos labem perperam affricare conati sunt (l); certè ob oculos nobis versatur adhucdum solenne illud anathema, quo subinde Synodus sexta Honorii cineres ferire non dubitavit (m).

(k) Anastas. in vita. Pagius in Critica ad an. 638. n. 2.

Obitus Honorii Papæ.

(l) Pagius in Brev. PP. T. I. p. 398.

(m) ibidem p. 400.

14. In defuncti Honorii locum, vel labente anno DCXXXVIII., vel sub sequentis initium electus est SEVERINUS Romanus: anni tamen unius, septémque mensium Interpontificium effluxit; dum electum inauguratione solitâ consecrare, ac imponere Sedi per Imperatorem liceret (n). Heraclius nimirum, instigante Sergio, anno DCXXXVIII. *Ecthesin*, sive Edictum promulgaverat, quo cavebatur, ne quis unam, aut duas in Christo confiteretur operationes; verùm ut singuli dicerent, unum Christum in duabus naturis operatum divina & humana: unam porrò in Christo voluntatem disertè asserebat, & SS. Patres in hoc sequi se jactavit imperitus Princeps (*32). Utprimùm lucem

Severinus Pontifex.

(n) Anastas. in vita. Pagius ad an. 638. n. 3.

Ecthesis Heraclii.

temporum Regni sortitus fuerit apicem, non antè conscendat Regiam sedem, quàm inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se Catholicam non permissurum eos violare fidem: sed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat prævaricationis &c.

(*32) ECTHESIS HERACLII jussu Martini Papæ in Concil. Later. Act. III. lecta est, & habetur apud Harduinum in Act. CC. Tom. III. pag. 791...795., ex quâ præcipua hìc excerpsimus:... *Compositum autem Christum glorificamus sanctorum Patrum sequentes doctrinam; pro mysterio enim, quod in Christo est, per compositionem unitio & confusionem & divisionem ejicit. Et servat quidem utraque natura proprietatem, unam autem substantiam, & unam Personam Dei Verbi cum animata intellectualiter ejus carne osten-*

cem hæc formula viderat; Sergius convocatâ Synodo probat Ecthesin (o), & Cyrus Alexandrinus, qui tunc Constantinopoli agebat (*33), suum quoque Edicto suppofuit nomen: inde anno sequente Lex eadem ad Isaacium Exarchum Italiæ mittitur, ut à Severino, qui paulò antè electus in Pontificem fuerat, Ecthesin faceret comprobari. Exemplum Decreti Romæ vix Severinus legerat; tum ipse unà cum Clero Legem detestatus, negavit se cum suis in hanc professionem unquam consensurum (p). Isaacius, quo Romanos premeret, inaugurationem Papæ prohibuit; donec is magis mitigatus in voluntatem Cæsaris iret: neque intra hos

(o) Lateranensis Synodus Act. III. p. 798. 799.

An. 639.

(p) Synod. VI. Act. III. p. 803.

Severinus Papa cur seriùs ordinatus sit?

ostendit. ... Unde & ex duabus naturis unum Christum confitemur, ... & unam naturam Dei Verbi incarnatam, corpore animato intellectualiter, sicut Cyrillus M. sapuit & docuit, & in duabus naturis eundem esse glorificantes.... Unius, ejusdémque miracula & passiones prædicamus, & omnem divinam & humanam operationem uni eidémque incarnato Deo Verbo tribuimus...., Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini Incarnatione*: sed magis, sicut sanctæ & universales tradiderunt Synodi, unum, eundémque Filium Unigenitum Dominum nostrum JEsum Christum verum Deum confiteri, operari divina & humana: & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno, eodémque incarnato Deo Verbo indivisè & inconfusè procedere, & in unum, eundémque sortiri: eoquòd unius quidem operationis vox, licèt ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat, & extraneat quorundam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote à nemine dictam Ss. Patrum, & præcipuorum Patrum: sed & sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrariè ad invicem venientes; Deo quidem Verbo volente, saluberrimam Passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati, & oppugnantem: & exinde duo contraria volentes introduci: quod impium est, & extraneum Christianici dogmatis. Si enim insanus Nestorius licèt dividens divinam Domini nostri humanitatem, & introducens filios duos, voluntates istorum dicere non ausus est; è contrario autem consonantem voluntatem in eo, formatis duabus Personis, confessus est: quomodo possibile est, orthodoxam confitentes fidem, & unum Filium Dominum nostrum JEsum Christum verum Deum glorificantes, duas, & has contrarias voluntates in eo suscipere? Unde Ss. Patres in omnibus sequentes, unam voluntatem Domini nostri JEsu Christi verissimi Dei confitemur, utpote in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis separatim, & ex proprio impetu contrariè nutui uniti ei Dei Verbi in una substantia naturalem ejus producere motionem, sed quando, & qualem. & quantam ipse Deus Verbum voluerat* &c.]

(*33) Epistola *Cyri*, quâ Ecthesin probat, habetur in *Concil. Lateran.* Act. III. apud Harduin. Tom. III. p. 803.; scripta autem ea videtur non *Alexandriæ*, sed *Constantinopoli*, ùt verba prima epistolæ obscurè indicant; dicit enim Cyrus, quòd legerit Ecthesis exemplum mittendum ad Isaacium Exarchum Italiæ, ut comprobetur à Severino, qui Romæ ordinatur: non autem per Alexandriam Decreta mitti debebant. Præterea ibidem dicitur, quòd Heraclius liberaverit subditos à ferocia Persarum, & temeritate Saracenorum.

hos limites Isaacii malevolentia stetit; sed anno insequente Romam provolans, Primates ex urbe in exilium ejicit, ac Episcopium Lateranense sacris vasis spoliatum omnino diripit (q). Prædâ æquè, ac sacrilegiis gravatus Isaacius ubi Ravennam redierat; Severinus tandem ordinatur anno DCXL. die XXVIII. Maji: ærumnis tamen, quibus ab Heraclii Præfectis infestabatur, brevì exhaustus, post duos menses, diésque quatuor eodem anno inter vivos esse desiit, mortuus Kalendis Augusti (r). Interjectis inde quatuor mensibus, & viginti quatuor diebus, Cathedram obtinuit JOANNES IV. S. R. E. Archi-Diaconus (s).

An. 640.

(q) Anastasius in vita Honorii. Confer. Combefis. in Hist. Monothel. Disp. I. § 11. 12.

(r) Anastas. in vita.

Joannes IV. Pontifex.

(s) Idem.

15. Antequam Severinus Romæ Sedem suam reliquerat; Sergius Constantinopoli jam fato concessit anno DCXXXIX. Indictione XII. (*34): hujus utì locum, ita & animum tenuit Pyrrhus, ex Præfecto Monasteriorum sive Hegumeno Chrysopoleos Episcopus Constantinopolitanus. Supremâ Antistitis potestate auctus, quò Cæsaris favorem sibi obstringeret, convocatâ Synodo (q) Ecthesin probat; tum Encyclicis literis absentes etiam Episcopos terret, urgétque, ut & ipsi Ecthesi subscribere haud cunctentur (r). Inter turbulentas has molitiones S. Maximus Abbas, qui in Præfectura Monastica Pyrrho successerat, Constantinopoli in Africam abiit (s), sive metu Persarum, qui Romanum Imperium Chalcedonem usque vastabant, sive potiùs ad declinandas Pyrrhi sibi infesti insidias. Per idem tempus Joannes Papa Romæ coëgit Synodum, in qua cùm prætermissâ damnatorum appellatione, Ecthesin solam nominatim proscripsisset; Pyrrhum de

Mors Sergii, cui Pyrrhus succedit.

(q) Concil. Lateran. Act. I.

(r) Synod. Lateran. Act. III.

Pyrrhus urget subscriptionem Ecthesis.

(s) Acta S. Maximi.

S. Maximus fugit in Africam.

(*34) Intervallum temporis à morte Honorii ad mortem Sergii PAGIUS justo brevius statuit, nam ait, *Honorium* obiisse anno DCXXXVIII. die XII. Octobris. *Sergium* verò eodem adhuc anno defunctum, cùm tamen *Cyrus* adhuc scripserit ex assumptis, vivente Sergio. Fortè PAGIUS quoad obitum Sergii nititur *Nicephoro* in Chronico, ubi dicit, *Pyrrhum* sedisse annos duos, menses novem, dies novem; discessisse autem videtur mense Octobri anno 641. ineunte. Hoc tempus Sedis quidni ita minui possit, ut quatuor menses demantur, quibus postea iterum tenuit Sedem. Sic enim dici poterit *Cyrus* scripsisse mense Martio circiter annum 639.: *Sergius* mortuus mense Martio vel Aprili Indict. XII., *Pyrrhus* successisse mense Majo, & tunc usque ad discessum tenuisse annos duos, menses quinque; fortè etiam apud *Nicephorum* pro mensibus novem legendi sunt quatuor ex lapsu Librariorum.

(t) Acta S. Maximi apud Baron. an. 640. n. 7.

An. 641.

Joannes proscribit Ecthesin.

Heraclius se purgat de Ecthesis promulgatione.

(u) Excerpta Dogmatica ex Tom. VI. Synodi Act. XIII.

Pyrrhus accusat Honorium.

An. 642.

Joannes Papa Honorium defendit.

de eo, quod in Italia contra Cæsaris legem actum esset, admonuit (t). Heraclius se in Decreti damnatione præcipuè tangi ratus, quò probrum averteret, literas ad Papam misit, quibus Ecthesin non suo, sed Sergii ingenio ante quinque annos, quàm Cæsar ex Oriente reverteretur, conceptam fuisse testabatur: ac ubi Constantinopolim remeâsset, Archi-Episcopum eundem orâsse, ut Augusti nomine promulgaretur (*35). Imperator licèt hâc ratione modestiùs ageret; Pyrrhus tamen causâ suâ non decedens, in varias Occidentis partes mittebat epistolas, quarum argumento spargebat, Honorium dogmati Sergii, suóque consensisse (u). Joannes Papa injuriam Antecessoris non ferens, Apologiam reddit Constantino Heraclii (mense Martio anno DCXLI. jam defuncti) filio ac successori inscriptam, quâ epistolam Honorii ad Sergium expositurus declarabat, ab Honorio nusquam asseri unam voluntatem Divinitatis & Humanitatis; sed à Pontifice duas contrarias duntaxat in Christo voluntates repudiari, quales sunt in nobis, qui experimur aliam legem in membris nostris (*36): tum de Ecthesi subjicit, se accepisse chartam

(*35) In ACTIS S. MAXIMI refertur, quòd Idem Sanctus Constantinopoli postea coram Senatu de Heraclio dixerit, illum Joanni Papæ scripsisse in hæc verba: *Ecthesis mea non est, neque enim ego vel dictavi, vel jussi, ut fieret. Sed cùm hanc Sergius Patriarcha composuisset ante quinque annos, priusquam ab Oriente rediissem, deprecatus est à me, cùm ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione, & suscepi deprecationem illius. Nunc verò cognoscens, quòd quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea.*

(*36) JOANNIS PAPÆ IV. EPISTOLAM APOLOGETICAM pro Honorio ad Constantinum Imperatorem missam edidit primùm Jacobus Sirmondus, & habetur etiam in Actis CC. apud Harduinum Tom. III. pag. 610:.... *Omnes Occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarchâ per literas suas huc atque illuc transmissas nova quædam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum, quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam Decessorem nostrum attrahere festinante; quod à mente Catholici Patris erat alienum..... Sergius .. Patriarcha prædicto... Pontifici significavit, quòd quidam in Redemptore nostro Domino JEsu Christo duas contrarias dicerent voluntates: quo præfatus Papa comperto, rescripsit ei, quia Salvator noster, sicut esset Monadicus unus, ita & valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus & natus esset. Et sanctâ quoque ipsius incarnatâ dispensatione docebat, quia Redemptor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset & homo perfectus, ut, quam primus homo per prævaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primæ imaginis nobilem originem renovaret. Natus est ergo secundus Adam, nullum habens nascendo, vel cum hominibus conversando peccatum: etenim Verbum caro factum in similitudinem carnis peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatûs vitium ferens ex traduce prævaricationis exortum.*

chartam propositam contra Tomum Leonis, & Synodum Chalcedonensem, cui subscribere coacti sint Sacerdotes; in hac verò scriptionis formula cùm nova, & Ecclesiastico dogmati adversantia legantur, rogabat impensè Cæsarem, ut chartam ad offensionem fidei palàm affixam refigeret ac aboleret (x). Constantinus Princeps Catholicus seu morbo, seu dolo Novercæ ac Pyrrhi enectus, hanc epistolam Joannis Papæ non vidit: Constans proinde ejus filius, & post exauthoratum Heracleonam in Imperio successor Pontifici rescripsit, ad suas manus excellens mandatum pervenisse, quo Episcopus Romanus Ecthesin sublatam vellet (y), ratum se omnino habere hoc placitum, chartámque igni tradi jussisse. Quo minùs facto intercederet Pyrrhus, ejus Constantinopoli jam egressi absentia fecit; nam à populo de nece Constantini accusatus, ne ultimam vim experiretur, clam in exilium abiit (*37). In meliorem subinde ac cælestem Patriam

(x) Act. CC. T. III. apud Harduin.

(y) Eutychius in Annal. T. II. p. 335.

Pyrrhi secessio ex urbe Constantinopolitana.

tum. Similitudinem ergo intelligimus non carnis ejus, sed peccati, . . & idcirco unam voluntatem secundùm primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ Dominus noster JEsus Christus habere dignatus est: non duas contrarias, nempe mentis & carnis, quemadmodum nos nunc habere dignoscimus, qui de peccato Adæ sumus geniti. . . . Sed ne quis minùs intelligens reprebendat, quemadmodum de humana tantùm natura, & non etiam de divina natura docere sciatur, . . . debet scire, quoniam hæc facta est responsio ad Sergii interrogationem. Sic Paulus de Christo loquens, aliquando de divina, aliquando de humana natura tacet. . . . Prædictus ergo Prædecessor meus docens de Mysterio Incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidem ad proprium sensum convertentes, Divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium. . . . Sicut enim utrasque naturas in adunatione unius Christi (ùt impius Nestorius) non partimur; ita differentiam naturarum penitus non negamus. Sed neque confundimus: quoniam utrasque naturas cum adunatione unius Personæ Christi Dei inenarrabili consonantiâ confitemur. Qui enim unam voluntatem dicunt Divinitatis Christi & humanitatis, & unam simul operationem; quid aliud, nisi quia & unam naturam Christi secundùm Eutychianam & Severianam divisionem opinari noscuntur? Denique orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, sicut utrasque naturas, ita & voluntates ac operationes Christi docere concordi prædicatione monstrantur. Joannes IV. in hac sua Apologia illam Honorii epistolæ partem omittit, in qua Pontifex dicebat, inquirendum non esse, an *unâ vel duplici operatione* Christus operetur; de hoc enim nec Scripturam, nec PP. quidquam affirmâsse, sed simpliciter confitendum, *Christum humana & divina ineffabiliter operari.* Fortè Apologista Joannes IV. minùs œconomiam Honorii probavit, vel saltem palàm defendendam non putavit; certè Pontifex in sua epistola testatur, Patres duas Christi voluntates & operationes concordi prædicatione docuisse, quod tamen Honorius dici nolebat.

(*37) NICEPHORUS in Chronico: *Quidquid erat plebis vilissimum & abjectissimum, armatis*

(z) Anastasius in vita. Ordericus Lib. 2.

Theodorus Pontifex.

An. 643.

(a) Epistola Pauli in Collectaneis Anastasii.

Theodori ad Paulum Pyrrhi successorem epistola.

(b) Acta CC. T. III. p. 615. 616. 618.

(c) ibidem p. 616.

triam demigravit Joannes Pontifex die XI. Octobris anno DCXLII., cui post mensis unius, ac tredecim dierum intervallum (z) THEODORUS Græcus suffectus est: ad hunc Paulus, qui anno superiore in locum Pyrrhi, ínque Sedem Constantinopolitanam à Cæsare vocatus fuerat, Synodicam dirigit, virus Monothelitarum, quod alto pectore premebat, callidè dissimulans (a). Theodorus his acceptis, Apocrisiarios mittit Constantinopolim, & Paulo respondens, laudat ejus fidem, quâ Romanæ Ecclesiæ sensa profiteri videbatur (*38): deinde tria vitio vertebat, scilicet quòd charta Pyrrhi, sive sententia, quâ is in Synodo Ecthesin probaverat, quantumvis id Princeps juberet, & Romana Sedes dudum voluisset, nondum ab Ecclesia esset sublata: quòd Episcopi, qui Paulum consecrârunt, Pyrrhum in suis literis appellent *Sanctissimum*: quódque Pyrrho secundùm Canonum rationes necdum deposito, alium substituere præsumpserint (b). Quare causam Pyrrhi in Synodo examinari jubet, suggerens causas, ob quas ille deponi possit, aut si tantum animi adversùs Pyrrhi amicos non habeant, id saltem à Principe obtinere conentur, ut Pyrrhus ad Romani Pontificis judicium transmittatur (c). Paulus adeo nihil mandato Pontificis dedit, ut potiùs varios per Orientem Pseudo-Episcopos creari curaret, qui Monothelitarum errori suffragarentur. His, alíisque nefariis studiis cùm jam apertiùs perfidiam proderet; Sergius Metropolita, & Episcopi Cypri libellum supplicem ad Theodorum misêre, quo testatum faciebant, Pontificis Apostolicam Sedem à Christo fuisse constitutam, additâ eâ clavium potestate, quâ profanarum hæresum depositor existat (*39), ac proinde fidem huic profi-

armatis contra Pyrrhum manibus in templum ingreditur..... Hac ubi Pyrrhus comperit, sequenti nocte in templum ingreditur. Ibi sacris omnibus salutatis, ac detracto Humerali, & in sacra mensa deposito, non Sacerdotio (inquit) me abdico, sed contumaci populo cedo. Inde furtim egressus, apud religiosissimam quandam fœminam delituit, & opportunitatem nactus, Chalcedonem navigavit &c.

(*38) PAGIUS ad annum 643. n. 5.: *Theodorus* Papa *Paulum* laudat in suis literis, quia tacuerat is in sua Synodica de una operatione. Alia planè est Pauli epistola post annos aliquot ad eundem scripta, & recitata in *Concilio Lateranensi*, cùm scilicet frequenter admonitus de hæresi, eo modo Monothelismum exposuit, qualem ferè habet *Ecthesis*.

(*39) In Actis CC. T. III. apud Harduin, pag. 730. habetur epistola Sergii Cypriensis

profitentes suam scribebant, se credere, quod S. Leo Papa prædicâsset, scilicet operari utramque naturam cum alterius communione: pacem se habituros cum Adversariis, si renunciârint iis, quæ in Regia urbe contra confessionem Patrum, & gloriosi Papæ Leonis proposita sunt: è diverso sibi integrum fore, ut ad Apostolicorum Patrum exemplum sive scriptis libellis, sive aliis modis quibuscunque anathema hostibus infligant (d). Easdem querelas contra Monothelitas moverat apud Pontificem Sophronius Archi-Episcopus Solymitanus, qui ut statum Orientis, Cyri Alexandrini insolens fidei genus Occidentalibus satìs commonstraret, Stephanum Dorensem Episcopum impulerat (*40), ut legatione susceptâ coràm, quid ageretur, Romæ eloqueretur (e). Nec Hierosolymitanæ Ecclesiæ questus post annum DCXLIV., quo Sophronius obierat, conticuêre; nam cùm Fidus Joppensis Episcopus Pauli partibus addictus, Sedem Hierosolymitanam invasisset: jámque id ageret, ut Præsules suæ factioni devinctos ordinaret; à Catholicis Stephanus Dorensis rursus urgebatur, ut per iter quibusvis etiam periculis obseptum Romam pergeret, Palæstinæ calamitatem Papæ relaturus. Romam is ubi pervenerat, renunciatis Monothelitarum sacrilegiis, Sedi Solymitanæ præficitur (f). Reversus proinde in Palæstinam, Præsules à Fido Joppensi Episcopo ordinatos à gradu dimovet, nisi qui redditis pœnitentiæ libellis, & scripto chirographo pollicebantur, se sanctarum Synodorum fidem servaturos (g).

Episcoporum Catholicorum querelæ ad Theodorum scriptæ contra Paulum.

(d) Synod. Lateran. Act. II. apud Hard. T. III. p. 730.

An. 644.

(e) Libellus Steph. Dor. apud Hard. Tom. III. p. 711.

Stephani Dorensis Episcopi legatio ad Papam, ejúsque translatio ad Sedem Hierosolym.

(f) ibidem p. 714 & 715

(g) Libellus Stephani apud Hard. Tom. III. p. 718.

16. Dum in Oriente Catholici in Monothelitas fortiter pugna-

priensis Episcopi, quæ ita incipit: *Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, Vestram Apostolicam Sedem constituit Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: Tibi & claves cælorum commisit, atque ligare & solvere potestativè, quæ in terra & in cælis sunt, promulgavit: Tu profanarum hæresum depositor existis; ut Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei* &c.

(*40) BARONIUS ad annum 633. putat in initio motuum, à *Sophronio* missum Romam fuisse *Stephanum Dorensem*, sive tum, quando *Cyrus* non cessabat prædicare unam operationem; item putat, Sophronium jam anno 640. obiisse. Verùm cùm in libello Stephani (qui habetur in Synod. Lateran. Act. 2., ubi & ipse præsens adfuit) mentio fiat Adversariorum *Sergii*, *Cyri*, *Pyrrhi & Pauli*, de quibus & *Sophronius* locutus videtur, inde anno 642. adhuc superfuisse Sophronius, & legationem destinâsse conjicitur, hoc tempore, quo gravius periculum imminebat.

gnabant; Africam quoque causa eadem in paria certamina excivit. Pyrrhus, ex quo Constantinopoli se subduxerat, Chalcedone, aliisque in locis per aliquot annos latuerat; tum in Africæ Provincias digressus, ibidem suum errorem disseminare cœpit. unus, qui conanti obsisteret, Maximus erat, in hanc regionem non sine divino consilio multò antegressus: hunc igitur ut Pyrrhus fraude eluderet, librum eidem misit, in quo dubitantis in morem sciscitabatur, quid de una, vel duabus Christi operationibus disserere conveniret. Maximus sive dolum nesciret, aut se nescire simularet, Pyrrhum conciliatriculâ laude primùm emollire studuit (h): dein confitebatur, se Pyrrhi scripta eo sensu accepisse, quo nunc ipse responderet, scilicet unius, ejusdémque Christi duas secundùm naturam esse operationes, sicut etiam duas naturas sine confusione & divisione copulatas. Hâc velitatione præmissâ, mox ad publicam concertationem (i) deventum est mense Julio, Indictione III. Gregorio nimirum Africæ Præfecto utrumque ad collationem evocante, Pyrrhus considentibus pluribus Episcopis, ac aliis illustribus Viris dogma suum inde defendere exorsus est, quòd, cùm Christus unus sit, unus pariter velit non duplici, sed unâ voluntate. Maximus hunc laqueum facilè confregit, commonstrando, Christum Deum & hominem duas habuisse naturas; ac proinde his convenienter, & non uno modo voluisse, quin tamen à duplici voluntate duo volentes inferantur: sicut enim numerus naturarum unius & ejusdem Christi, si piè intelligatur, non dividit Christum; ita nec numerus voluntatum ac operationum. Nisi pariter cum Sabellio aberrare lubeat, qui ex numero voluntatum, personarum volentium numerum metiri voluit: & quia unam tantùm in Deo voluntatem esse noverat, unam quoque personam agnoscebat (k). Maximus ubi ex differentia naturarum distinctas voluntates in Christo ostenderat; probavit, eas non esse contrarias. Nam cùm à Christo peccatum utpote omnis pugnæ origo & causa absit; impossibile ajebat, ut effectus causæ, quæ non esset, subsequeretur. Hoc effugio intercluso, Pyrrhus ex duabus voluntatibus volebat saltem componi unam, præsertim cùm Verbum carnem suo nutu moverit: negabat verò Maximus id dici fas esse ab iis, qui

Pyrrhus in Africam abit.

(h) Maxim. in epist. ad Siculos.

Conatur Afros suo errori involvere.

An. 645.

(i) Maximi Operum T. II. & apud Baron. in Annal. T. VIII. sub finem.

S. Maximi Abbatis cum Pyrrho concertatio de Monothelitarum erroribus.

(k) ibidem.

qui aliorum naturalium compositionem diffiteri deberent, qualis foret creati & increati, mortalis & immortalis; cæterùm etiam Moysen ac Davidem nutu Dei motos esse, quin unam & compositam voluntatem hìc quis arguere valeat. Verbum igitur homo factum cùm habuerit vim infinitam ad tuendam humanitatem; ejus conatum ad prosequendum & refugiendum volens ostendebat per operationem: conatum quidem prosequendi ostendebat in naturalibus, & à reprehensione alienis usque eò utendis, ut infideles Deum esse non crederent; conatum verò fugæ commonstravit, cùm tempore passionis voluntariè se metu mortis contraxit (l). His convictus Pyrrhus, eò prosiliebat, ut dissimulatis cæteris vocibus, Christum esse Deum perfectum, ac hominem duntaxat pronunciari vellet, ídque propter calumniam Hæreticorum. At hoc silentium improbabat *Maximus* tum ex eo, quòd Synodorum statutis adversaretur; tum quòd his ipsis Hæreticis faveret (*41). Præterea quæ Pyrrhus ex Scriptura (*42), & ex doctrina Patrum (*43), Pontificum, maximè Honorii

(l) Ibidem.

(*41) In DISPUT. MAXIMI cum PYRRHO apud Baronium Tom. VIII. sub finem MAXIMUS ajebat: *Si Synodi propter vocem unam voluntatis Apollinarium & Arium anathematizârunt, quia uterque eorum hâc voce ad probandam suam hæresin abutebatur: Apollinarius quidem, ut carnem ejusdem substantiæ cum Verbo ostenderet; Arius verò, ut Filium diversæ substantiæ à Patre introduceret; quomodo possumus nos pii esse, si voces Hæreticis contrarias non confitemur? Quinta verò Synodus cùm decrevit, ut amplecteremur omnia scripta SS. Athanasii, & Basilii, & Gregorii, & aliorum, in quorum scriptis sunt duæ voluntates, & ipsa duas voluntates tradidit....*

(*42) IBIDEM Maximus, ut ostenderet ex SCRIPTURA duas voluntates in Christo, ait: *Christus dixit Matth. c. 27.:* Sitio, & dederunt ei vinum cum felle mixtum, & cùm gustâsset, noluit bibere.... *Igitur quia humanitate sitivit, eadem voluit, quod naturæ suæ conveniebat, & poterat velle quatenus homo.... Et divinus Apostolus in epist. ad Philipp. 2. de eo ait:* Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. *Volens igitur obedivit, aut non volens? Siquidem non volens, tyrannis meritò, & non obedientia dicetur; sin verò volens, obediens autem non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit, ùt Patres sentiunt;...... igitur quatenus homo poterat etiam velle* &c.

(*43) IBIDEM ex PATRIBUS pro duabus voluntatibus, postquam Maximus adduxisset ATHANASIUM, BASILIUM, GREGORIUM,... ait porrò: *Rursus si secundùm Patres, quorum una est voluntas, una etiam substantia est; opinione verò ipsorum Monothelitarum una est voluntas Divinitatis Christi, & humanitatis ejus: igitur unam & eandem ajunt esse harum substantiam.... Ac rursus, si (ùt sentiunt iidem Magistri ac Doctores) non est communis voluntas ambarum substantiarum, necesse est, ipsos aut dicere ambas naturas ipsius non habere communiter unam voluntatem: aut si hoc dicunt,*

Honorii de una Christi voluntate aut operatione objecerat, facilè dissolvit: quibus argumentis Pyrrhus omnino expugnatus, non jam de agnoscenda veritate dogmatis, sed de modo laborabat, quo demum error citra eorum, qui nunc sapere vellent, ac citra habitæ super hac re Synodi infamiam in melius emendari posset; suggessit enimverò Maximus, utrisque bene consultum iri, si errore damnato, de personis errantibus taceretur; deinde minimè Synodo legitimæ, qualis non fuisset, sed qualicunque conventui (*44) labem aspergi, si facta ibidem perperàm recantarentur. Pyrrho cùm superesset nihil, quod obmoveret, erroris ac certaminis finem facere visus est; ad Pontificem enim deduci petiit, ut libello publico factorum pœnitudinem testaretur: Maximo itaque comite Romam progressus, paulò pòst in Ecclesiæ communionem cum quadam honoris significatione rediit (m).

Pyrrhus à S. Maximo victus, ad fidem Catholicam redit.

(m) Vide Baron. l. c. sub finem Disput.

An. 646.

17. Postquam Constantinopolim fama tulit, Pyrrhum damnatis erroribus, in Theodori Papæ communionem transiisse; Paulus

---

cunt, planè cum Legibus & Decretis Patrum pugnare. Et quoniam Monothelitæ pro assertione unius operationis CYRILLI & DIONYSII authoritate abutebantur, Maximus horum duorum Patrum sensa ita exposuit: nempe *Cyrillum non dixisse unam naturalem operationem Divinitatis Christi & humanitatis,... sed cùm vellet demonstrare, unam esse Divinitatis sine carne, & cum carne operationem,... unam operationem dixit divinam & paternam, quæ essentialiter in Verbo Deo incarnato inerat: quâ non solùm jussu suo miracula incorporaliter faciebat, sicut ipse ait, siquidem etiam post Incarnationem habebat eandem operationem communem cum Patre in corpore operante: sed tactu etiam propriæ carnis hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat.* De Dionysio autem ad Cajum scribente, quòd Christus exercuerit quandam novam operationem Theandricam, pergit Maximus: *Si* (Dionysius) *unam operationem declarat, aliam operationem præter operationem Patris habebit Christus ùt Deus,...... siquidem operatio Patris non Theandrica...... Quæ autem operatione differunt, substantiâ quoque differunt, ùt docent Patres. Itaque hæc ejus verba,* nova Christi operatio Theandrica *indicant novum & arcanum modum demonstrationis operationum naturalium Christi, convenienter modo arcano mutuæ circummeationis naturarum Christi inter se ipsas, ac modum reciprocæ communicationis secundùm unionem inexplicabilem.*

(*44) IBIDEM Maximus ex iis, quæ pertinent ad Synodum Generalem, conditionibus probat Pyrrhi concilium, conciliabulum tantùm fuisse: *Synodus non est habita, ut Leges, & Canones, & Jura Ecclesiastica jubent. Nec enim Epistola Encyclica ex consensu Patriarcharum edita est: neque locus, neque dies conveniendi decretus: non fuit aliquis Actor aut accusator: qui convenerunt, epistolas commendatitias non habuerunt, nec Episcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis: non epistolæ, neque Vicarii ab aliis Patriarchis missi sunt. Quî igitur dici potest Synodus, quæ scandalis & discordiâ cunctum implevit orbem?*

Paulus Constantinopolitanus Antistes in adversas partes pervicaciùs incumbens, novam chartam proponit in Ecclesia, quâ unam æquè voluntatem, atque operationem in Christo dictabat (n): cujus instituto ne quis exemplo Pyrrhi tractus obloqueretur, factiosorum rumore vulgabatur, eundem Pyrrhum vi adactum, libellum Professionis dedisse (o). Itaque cùm his nefastis adminiculis Monothelitarum hæresis per Orientem invalesceret; Episcopi Africani in Synodum congressi, Constantem missâ Synodicâ, rogandum censent, ut Paulum compellat, omissis novitatibus, docere fidem Patrum: Paulo verò Constantinopolitano suæ fidei rationes scriptâ epistolâ ita reddendas putabant, scilicet se Sergii, & sectatorum inventa execrari, credere in Christo voluntatem & operationem divinam, voluntatem & operationem humanam: in Christo duas naturas, duas operationes, duas voluntates naturales, sicut Catholica docuit & docet semper Ecclesia (p). Quò minùs Episcopi Afrorum ipsi has epistolas per Legatos Constantinopolim deferri vellent; seditio Gregorii Africæ Præfecti prohibuit: hic enim cùm eodem tempore in Cæsarem rebellaret, ab hostibus fidei innocentes Præsules in suspicionem ejusdem sceleris vocabantur: unde Cæsaris odio expositi dubitabant, utrùm Constans legationi Afrorum aliquid esset daturus (q). Itaque Victor (qui tunc Primas Carthaginensis creatus fuerat) cum reliquis Episcopis ad Pontificem suas Synodicas dirigit, per Pontificis Apocrisiarios Constantinopolim deferendas (r). Theodorus Papa ne precibus, consiliísque tot Præsulum deesset; Oratores suos in Orientem ire jubet, qui literas Afrorum ad Principem, Paulúmque deportent. Constantinopoli ubi Legati scriptas epistolas Archi-Episcopi manibus consignaverant; suis etiam verbis urgebant Paulum, ut tandem exponeret, quo sensu unam Christi diceret voluntatem: ille silentium causæ suæ probrosum fore ratus, protinus ad Theodorum rescribens (t), fatebatur se unam voluntatem in Christo eâ de causâ prædicare, ne contrarietatem & differentiam voluntatum uni eidémque Personæ tribuere, aut duos volentes introducere cogatur. Cæterùm unius voluntatis notionem non eò spectare, ut vel naturæ duæ confundantur, vel una earum absor-

Pauli de fide novum Decretum.

(n) Victor. Ep. Carthag. in epist. ad Theodorum

(o) Epist. S. Martini ad Theodorum apud Hard. Tom. III. p. 684.

Africanorum Episcoporum Catholica epistola ad Paulum.

(p) Concil. Lateran. Act. II. apud Harduin. T. III. p. 738. 742.

(q) ibidem p. 735.

(r) ibidem p. 754.

An. 647.

Theodorus Papa mittit Apocrisiarios Constantinopolim.

(t) ibidem p. 815.

Epistola Pauli ad Theodorum.

ſorbeatur; ſed *quia caro Chriſti rationabiliter & intellectualiter animata, ex ipſa ſumma unitate inenarrabiliter omnibus divinis ditata, unientis eam ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam divini Verbi, divinam habebat indiſcretè voluntatem, quâ ab ipſo ſemper ducebatur & movebatur, utpote in nullo ſemper eadem diviſè, & ex proprio impetu contrariè nutui uniti ei ſecundùm hypoſtaſin Dei Verbi, naturalem ejus faciens motionem, ſed quando, & qualem, & quantam ipſe Deus Verbum volebat....* Tum verba Chriſti, quibus petebat transferri paſſionem, interpretatur in ſenſum oppoſitum, ídque (ùt falsò ajebat) ex mente Athanaſii, Gregorii Theologi, ac Cyrilli, nempe quòd non re ipsâ talis affectus in Chriſto extiterit, qualis illis verbis exprimitur: atque ut porrò pungeret Romanos, adjecit Paulus, in hanc ſententiam ſcripſiſſe non tantùm Sergium, ſed & Honorium Pontificem (*45).

An. 648. 18. Antequam Pauli literæ in Italiam perveniſſent, Plato Exarchus Ravennâ frequentes Romam Emiſſarios miſit, qui Pyrrhum promiſſionibus amplis à Latinorum, Catholicorúmque partibus ad Græcorum perfidiam retraherent (u): ille ſive ficto animo,

(u) Theophanes ad annum XX. Heraclii. Auctor Libelli Synod.

(*45) PAULUS in ſua Epiſtola Dogmatica ad Theodorum Papam, quæ habetur in Lateranenſis Concilii Act. IV. apud Harduin. T. III CC. pag. 815., ſub finem autem epiſtolæ pag. 819. ſic ait: *Sed & omnes pietatis Doctores & Prædicatores hujuſmodi unius voluntatis mente detinentur. Quorum ſi opus eſt requiſitione proveniente, & competenter relegemus teſtimonia: quibus concordantes & conſonantes facti ſunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, unus quidem novæ, alter autem antiquæ Romæ ſummi Sacerdotii ſedem decorantes.* PYRRHUS non tantùm Honorium, ſed & Vigilium ſui erroris Patronos fuiſſe affirmat; & quidem de Vigilio ait: *Quomodo igitur Vigilius tunc Pontifex Romanus libellum à Menna Epiſcopo hujus urbis Regiæ oblatum, qui unam voluntatem continebat, accepit*; negabat Maximus, oblatum libellum eſſe, ſed tantùm de eo commonefactum affirmabat. Deinde de Honorio Pyrrhus ex Maximo ſciſcitabatur, *quid de eo haberet dicere, qui ad Prædeceſſorem meum ſcribens, unam Domini noſtri JEſu Chriſti voluntatem apertè dogmatizavit.* MAXIMUS: *Quis epiſtolæ illius fide dignus erit interpres? qui eam ex perſona Honorii compoſuit, & vivit adhuc, inter alia ſua bona, hoc etiam conſpicans, quod pietatis dogmatibus univerſum illuſtravit Occidentem? an Conſtantinopolitani de corde ſuo loquentes?* PYRRHUS: *Qui eam compoſuit?* MAXIMUS: *Ille idem igitur ad Divum Conſtantinum quondam Imperatorem ſcribens, rurſum ex perſona ſancti Papæ Joannis de ipſa: unam (inquit) voluntatem Domini diximus, non Divinitatis ejus & humanitatis, ſed ſolius humanitatis. Cùm enim ſcripſiſſet Sergius, eſſe, qui dicerent in Chriſto duas contrarias voluntates, reſcripſimus, Chriſtum non habuiſſe duas contrarias voluntates, carnis (inquam) & ſpiritûs; ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatis ejus nota eſſentialis eſt. Id ita eſſe, evidenter ex eo demonſtratur, quòd membrorum & carnis facta eſt mentio, quæ Divinitati quoque ejus non poſſunt attribui.*

animo, ſive ſpe ſedis ſuæ per Occidentalium operam recuperandæ, hæreſin antè ejuraverit; certè Exarcho Cæſaris benevolentiam, priſtinóſque honores pollicenti tantum dedit, ut Româ Ravennam, demum Conſtantinopolim, aut potiùs ad vomitum ſuum reverteretur (x). Quo comperto Theodorus Papa Eccleſiæ cœtum convocat; tum ad ſepulchrum Principis Apoſtolorum progreſſus, ex calice vivificum Chriſti ſanguinem in atrâmentum deſtillans, propriâ manu depoſitionem Pyrrhi, ac ei communicantium ſubſcripſit (*46). Paulus ubi Conſtantinopoli jam æmulum viderat; nihil omiſit, quo Cæſarem ſuis novitatum ſtudiis devinctum ſibi ſoli teneret: atque ut memoria eorum, quæ Sergius, ac Pyrrhus antè ſuſceperant, exoleſceret, Ecthеſin de Eccleſia tolli juſſit, ſubrogato *Typo*, quem *Conſtantis* nomine promulgatum ibat. Erat hæc fidei formula, quâ ſimulatâ pacis atque unionis ſpecie tum Catholicis, tum Hæreticis præcipiebatur: non tantùm ut de una, aut de duabus operationibus ſilerent (utì jam in Ectheſi cautum erat) ſed ne quis etiam de eo, an una vel duplex in Chriſto voluntas foret, in controverſiam vel diſceptationem adducere deinceps præſumeret (*47). Exemplum Typi, Paulíque literas poſtquam

Pyrrhus relabitur in Monothelitarum hæreſin.

(x) Paulus Diac Aquilej Miſc. Hiſt c. 18.

Damnatur à Pontifice in Concilio.

Typus Conſtantis.

 Theo-

(*46) THEOPHANES in Chronograph edit. Pariſ.: *Theodorus Papa univerſo Eccleſiæ Conventu convocato, ad Coriphæi Apoſtolorum ſepulchrum aſtans, calice afferri juſſo, ex vivifico Chriſti ſanguine ſtillam excutiens, Pyrrhi, cæterorúmque, qui cum eo communicarent, abrogationem & condemnationem propriâ manu exaravit.* PAGIUS in Brev. PP. Tom. I. pag. 420. ad hæc notat, ritum iſtum Græcis uſitatum fuiſſe, ut ſubſcribentes damnationi, calamum non atramento, ſed ſanguini Domini intingerent. BARONIUS ad annum 869. §. 39. ex Niceta commemorat, à Patribus Concilii Conſtantinopolitani IV. damnationem Photii ſacrato hunc in modum calamo exaratam fuiſſe. COMBEFISIUS in Hiſtor. Monothelit. Diſp. I. §. 13. ſcribit, nihil eâ, velut Dominici Sanguinis abuſione, irreverentiâ gravius peccatum fuiſſe, ob Veterum piam & ſimplicem intentionem; unde exempla, quæ legere eſt apud Mabillonium Lib. 2. de re diplomatica c. 22. §. 2., apud Martene Lib. 1. de Antiq. Eccl. Ritib. c. 5. art. 4., ubi Dominici Corporis & Sanguinis abuſus quidam fuiſſe cernitur, pariter excuſari poſſunt.

(*47) In Synodo Lateranenſi Act. IV. apud Harduinum in Actis CC. Tom. III. p. 823. TYPUS CONSTANTIS Imperatoris nomine vulgatus refertur, cujus fragmentum hìc recitamus:... *Quapropter ſancimus nobis ſubjectos, qui conſiſtunt in orthodoxa & immaculata noſtra Chriſtianorum fide, qui ſunt Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, non habere licentiam invicem à præſenti de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcunque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam. Hæc autem ſancimus, nihil aliquid inficiantes penitus de piiſſi-*

Theodorus Papa acceperat, viri nuſquam ſanabile ingenium eſſe ratus, eundem à Communione Eccleſiæ proſcriptum, & à gradu ſuo depoſitum pronunciavit (y). Paulus de iis, quæ Roma in ſe decreviſſet, factus certior, altare & oratorium ex domo Placidiana, ubi Apocriſiarii Sedis Apoſtolicæ ſacra-facere conſueverant, cùm id nullus auferre antea auſus eſſet, primus abſtulit, diripuítque: dein adversùs eos, cæterósque Catholicos furens, quosdam carceri tradidit, alios in exilium emiſit, alios verberibus affecit (z).

(y) Synod. Lateran. Act. II. p. 723

Theodorus Papa Paulum deponit. Pauli vindicta.

(z) Anaſtaſius in vita. Synod. Later. Act. I. p. 699.

Belgii converſio.

19. Dum in Oriente ager Dominicus zizaniis obruebatur; Occidentis & Septentrionis Provinciæ Apoſtolicis laboribus ad novam frugem excultæ ſunt. S. Eligius Noviomagenſis Epiſcopus Belgium, & accolas maris à ſuperſtitione Gentili ad veram fidem traduxit (a). Præterea virtute inſignes viri, qui & in Sanctorum numerum poſtea relati ſunt, Galliam hoc tempore velut

(a) Spicileg. T. V.

piiſſimis dogmatibus, quæ à ſanctis probabilibus Patribus de diſpenſatione incarnati Dei Verbi dogmatizata ſunt: ſed ulteriùs contentionem, quæ gratiâ propoſitæ quæſtionis orta eſt, ceſſare prævidentes: & tantummodo de eis ſequi, & ſufficienter habere divinas Scripturas & Traditiones ſanctorum quinque Univerſalium Conciliorum, & ſimplicibus ſine quæſtione ſanctorum probabilium Patrum uſibus ſive vocibus, quorum dogmata, regulæ & leges ſanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ conſiſtunt, nihil addentes eis proprium, aut per ſuam intentionem eas interpretantes; ſed priorem habitum ubique cuſtodiri, ſicut antequam procederet contentio dictarum quæſtionum, quaſi nulla de eis exorta contentio, nulli de omnibus uſque ad præſens unam voluntatem, aut unam operationem, aut duas voluntates, aut duas operationes dogmatizaverunt, ſub qualemcunque querelam hujus gratiâ, aut accuſationem facto (ubi in Græco μηδ' ἐπὶ.... γινομένῳ difficilem ſenſum facit) *Ad perfectam autem unitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum, & communem concordiam, Chartas atque Ecthesin, quæ poſitæ fuerunt in Narthecа magnæ Eccleſiæ noſtræ Regiæ urbis, quæ continent prædictas quæſtiones, juſſimus levari* &c. Primicerius dixit Typum editum *nuper*, id eſt, anno tranſacto 647. In Actis S. Maximi apud Baronium anno 648. S. Maximus ait editum Indictione VI.; Indictio autem ſexta incipit à Septembri an. 647. Cæterùm Typus iſte Catholicis æquè, ac Monothelitis quibusdam inviſus erat; nam Theodoſius Cæſarienſis in Collatione cum Maximo: *Per Deum* (ait) *qui me judicaturus eſt, & quando factus eſt, dixi, & nunc idipſum dico, quia malè, & ad læſionem multorum factus eſt Typus.* Et Martinus Papa in Synodo Lateranenſi Act. 1. ait de Paulo: *In quo Typo omnes omnino voces ſanctorum Patrum cum Hæreticorum dictionibus ejecit, nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Chriſto definiens confiteri. Ac per hoc ſine voluntate omnino, & ſine operatione Chriſtum prædicare, id eſt, abſque ſubſtantia & natura. Quod enim nullam virtutem habet, ſicut S. Dionyſius dicit, nec eſt, nec quidquam eſt, neque ullam habet ſtabilitatem.* Idem S. Martinus in eodem Concilio ſæpe, & in epiſtola ad Orthodoxos repetit: item poſt lectum Typum in Concilio Lateran. Act. IV. Patres reprehendunt, quòd ad pacem conciliandam unà cum aſſertione hæretica & damnata, etiam prohibeatur ſententia Catholica, & à Patribus tradita.

velut totidem ſidera illuſtrârunt. Inter hos eminuêre Epiſcopi Deodatus Matiſconenſis, Palladius Antiſiodorenſis, Malardus Carnotenſis, Gratus Cabilonenſis, Magnus Avenionenſis, Chatoindus Cenomanenſis, S. Modoaldus Trevirenſis: qui cùm Domui ſuæ bene eſſent præpoſiti, alios etiam Eccleſiæ Miniſtros ad ſimile ſanctitatis ſtudium impellere volentes, Cabilonum in Synodum convenêre; ubi viginti Statutis caſtimoniam Clericis, Nicenæ fidei, Canonúmque curam injunxerunt: prohibebant verò, ne duo in eadem civitate eſſent Epiſcopi, ne quis ad ſacros Ordines per præmium promoveatur, néve turpia vel obſcœna in Baſilicis, aut in earum porticibus & atriis cantari permittantur (b). Subinde in Hiſpania circa annum DCXLVI. Patres in Synodo Toletana VII. ſex Canones de Diſciplina promulgârunt (c), quorum argumentum eſt, ut, *ſi Presbyter celebrans in morbum incidat, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri, conſecrationem exequi cœpti officii,.... nullus tamen poſt cibi, potûſve quamlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat.* Ad avaritiam Epiſcoporum coërcendam, quartus Canon vetat, ne ultra duos ſolidos annuâ illatione exigant conferri: ne viſitantes Eccleſias ultra quinarium numerum evectionis excedant; ac nonniſi unâ die per unamquamque Baſilicam remorentur. Denique recluſos deteriùs viventes abjiciendos, & ad id vitæ genus non antè admittendos præcipiunt; niſi priùs in Monaſteriis conſtituti, regulas Aſceſeos didicerint.

Synodus Cabilonenſis, ejúſque Canones.

(b) Acta CC. apud Hard. T.III. p. 947.

(c) ibidem p. 619.

Concilium Tolet. VII.

20. Inter hæc mixta bonis, malíſque tempora cùm Theodorus annos ſex, menſes quinque, dies octodecim clavum Eccleſiæ rexiſſet; humanis ereptus die XIII. Maji (d) anni DCXLIX. De obitu Pontificis ubi Conſtantinopoli percrebuit rumor, id jam Conſtanti Imperatori deliberatum erat, ſucceſſorem adigere, ut Typo adſtipuletur; quare duo ſupra quinquaginta dies interceſsêre, dum MARTINUS, Patriâ Tudertinus, & Theodori in urbe Regia antea Apocriſiarius, in Sedem S. Petri ſurrogaretur (e). Ordinatus quintâ Julii, ſpem Cæſaris non minùs piè, quàm fortiter infregit; nam hortante S. Maximo, qui ex Africa Romam profectus, per duos jam annos ibi ſteterat, centum & quinque Epiſcoporum Synodum convocat (f): cujus prima

Obitus Theodori Papæ.

An. 649.

(d) Anaſtaſ. apud Pagi Confer. Bolland. ad XIV. Maji.

Martinus Theodori ſucceſſor.

(e) Anaſtaſius in vita.

(f) Act. CC. T.III. p. 687.

Concilium Lateranense in causa Monothelitarum

prima consultatio die tertio Nonas Octobris in Secretario Lateranensis Ecclesiæ (*48) cœpta, causam ipsam ac errorem Monothelitarum, tum ea etiam, quæ Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus pro suæ hæresis propagatione egissent, exponebat. In *altera Sessione* (g) die octavâ Idus Octobris lectus est libellus supplex Stephani Dorensis Episcopi adversùs Cyrum Alexandrinum, & Sergium Joppensem: postea auditæ sunt querelæ Abbatum contra Sergii Ecthesin, ac Typum Constantis; demum recitatis Afrorum literis, damnare errorem omnibus placuit. In *Sessione tertia* (h) die XVI. Novembris Theodori Pharanitæ scripta, septimus Cyri Alexandrini articulus (in quo unam Christi operationem asserebat) Sergii ad Cyrum epistola proferebantur; quibus discussis, ostendebatur, quàm malignè S. Dionysii Alexandrini, & S. Leonis authoritate Monothelitæ ad hæresin suam abuterentur. In *Sessione quarta* (i) Præsules definierunt, eos, qui Ecthesin admitterent, quíque cum Paulo Typum tuerentur, quinque Conciliorum Generalium Decretis, ac Ecclesiæ paci adversari. In *Sessione* demum *quinta* (k) Patrum primò testimonia allata sunt, qui Catholicam de duplici voluntate, ac gemina Christi operatione doctrinam reliquissent: è diverso Hæreticorum Lucii Ariani, Apollinaris, Severi, ac Theodori Mopsvesteni asserta cum Monothelitarum dogmatis comparabantur; quibus perpensis, horum novum quidem, sed priscis hæresibus similem errorem tota Synodus damnavit, & singuli Episcopi ex Chalcedonensi formula *Christum, & duas ejusdem sicut naturas unitas inconfusè, indivisè, ita & duas naturales voluntates, divinam & humanam, & duas naturales operationes, divinam & humanam, in approbatione perfecta & indiminuta, eundem veraciter esse*

(g) ibidem p. 710.

(h) ibidem p. 762.

(i) ibidem p. 806.

(k) ibidem p. 854.

(*48) *Secretarium* est locus, in quem Senatus collectus est, ùt habet *Anastasius* in Collectaneis; unde & apud *Ammianum* Lib. 15. dicitur *Judiciale Secretum.* II. Idem nomen sumitur pro Ædicula templo adjuncta, in qua sacra Ecclesiæ ministeria reconduntur, & in qua Sacerdotes & Clerici, priusquam ad Sacra procedant, vestes Ecclesiasticas induunt. In his Secretariis agebantur Synodi, unde & ipsæ Conciliorum sessiones *Secretaria* ferè semper appellantur. Ita *Liberatus Diaconus* cap. 13. de Synodo Chalcedonensi: *Et ita soluto primo Conventu, secundo Secretario interloquentibus Judicibus. ... tertio Secretario* &c. Secretaria proinde Ecclesiarum perampla fuisse, non modò inde colligitur, sed & quòd in ea interdum Sacerdotes diverterent, in iísque mansionem facerent. Vide Severinum Sulpitium Lib. 3. de vita S. Martini.

esse perfectum Deum, & hominem perfectum secundùm veritatem: eundémque atque unum Dominum nostrum & Deum JEsum Christum utpote volentem & operantem divinè & humanè nostram salutem, uno ore omnes confessi, viginti insuper Canones addidêre, quorum priores adstruunt doctrinam præcedentium Conciliorum: posteriores damnant unà cum cæteris HH. etiam Monothelitas, utpote Theodorum Pharanitam, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum; denique Heraclii Ecthesin, ac Typum authore Paulo à Constante concinnatum proscribunt (*49).

21. Post Synodum Synodicæ epistolæ ad varios missæ sunt, quibus gesta in Concilio in Græcam etiam linguam translata exponebantur (l). Præcipuè verò Martinus Pontifex Amandum Episcopum Trajectensem commonefecit, ut Acta Synodalia, quæ ad ipsum dirigebat, in Synodo relegi, & à Franciæ Episcopis subsignata, ad Constantem Imperatorem unà cum Synodica per Legatos Sigeberti Francorum Regis deferri curaret (m). Deinde aliis

(l) Martini epist. 1. in Actis CC. T.III.p.625. In Concil. Later.Act.V. p.933.
(m) Martini epistola 2. p.945.

(*49) CANON XV. Concilii Lateranensis sic habet: *Si quis secundùm scelestos Hæreticos Dei-virilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, unam operationem insipienter suscipit; non autem duplicem esse confitetur secundùm Ss. Patres, hoc est, divinam & humanam, aut ipsam Dei-virilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ & gloriosæ Unitionis demonstrativam, condemnatus sit.* CANON XVII.: *Si quis secundùm Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem omnia, quæ tradita sunt & prædicata sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindéque à Ss. Patribus, & venerandis Universalibus quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo & mente, condemnatus sit.* CANON XVIII.: *Si quis non anathematizat animâ & ore omnes nefandissimos Hæreticos, quos anathemati cum omnibus eorum conscriptis usque ad unum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est, sanctæ & Universales quinque Synodi,.... id est, Sabellium, Arium,... Eutychem,..., Theodorum, Nestorium, Origenem,... & eos, qui similia cum illis usque finem obstinatè sapuerunt, aut sapiunt,... hoc est, Theodorum quondam Episcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel ejus successores Pyrrhum & Paulum, in sua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conscripta, & eos, qui similia cum illis usque in finem obstinatè sapuerunt, & sapiunt, hoc est, unam voluntatem, & unam operationem Deitatis & humanitatis Christi: & super hæc IMPIISSIMAM ECTHESIN, quæ persuasione Sergii facta est ab Heraclio quondam Imperatore adversùs orthodoxam fidem.... Et cum illis SCELEROSUM TYPUM, qui ex suasione Pauli nuper factus est à Serenissimo Principe Constantino* (Constante) *Imperatore contra Catholicam Ecclesiam,.... hujusmodi condemnatus sit.* Oeconomiâ prudenti Martinus Papa erga Constantem hìc usus est. dum, ne porrò iram Principis provocaret, aut schisma vel hæresin ullâ occasione firmaret, Typum sub ejus nomine non condemnandum duxit; quod magìs intelligitur ex Synodica epistola à Martino ad Constantem subinde data.

Synodicæ epistolæ Pontificis.

aliis literis ad Cæsarem datis, Constanti exponebat, quâ ratione Episcoporum & populorum querelis inductus, convocatâ Synodo errores cum authoribus & scriptis damnaverit: rogabat etiam Principem, ut unam orthodoxam fidem servet; hâc enim bene custoditâ, Reipublicæ statum florescere, minui verò, cùm Imperatores & Reges pro hostibus fidei depugnent (n). His epistolis alias ex aliis adjecit sive ad Afrorum, & Ecclesiarum plurium Episcopos, quibus Constituta vel explicabat, vel in locum Monothelitarum Præsules Catholicos substitui jubebat (*50). Antea quàm de Lateranensi Synodo Constantinopoli renunciatum est; Imperator Olympio in mandatis dedit, ut Exarchi nomine in Italiam profectus, Typum Romæ, & in Italia recipi ab exercitu curaret; & hoc in ejusdem formulæ placita consentiente, Papam etiam vi in vota compelleret (o). Olympius eodem tempore Romam ingressus est, quo Episcopi se Papæ in cœtu Synodico conjunxerant: operam itaque cùm Olympius per-

(n) Ejusdem epist. 3. p. 626.

An. 650. *Constans jubet, ut in Italia quibuscunque modis Typi executio urgeatur.*

An. 651.

(o) Anastasius in vita.

(*50) Variæ epistolæ Martini extant in Actis CC. Tom. III. pag. 634. apud Harduinum: QUARTA ad *Electum Eccles. Carth.*, *&* *omnes Episcopos*; quibus mittit gesta Synodi. QUINTA ad *Joannem Episcopum Philadelphiæ*, cui demandat vices Sedis Apostolicæ, jubétque, ut constituat Presbyteros & Diaconos per omnes civitates Sedi Hierosolymitanæ & Antiochenæ subditas. SEXTA ad *Theodorum Episcopum Esbuntiorum*, quem hortatur, ut assistat Joanni Philadelphiæ constituto à se Vicario. SEPTIMA ad *Antonium Episcopum Bacathorum* similis argumenti. OCTAVA ad *Georgium Archimandritam* Monast. S. Theodosii, laudat, quòd adjuverit Stephanum Dorensem à Sede Apostolica missum: hortatur, ut assistat constituto Vicario Joanni. NONA ad *Pantaleonem*. Scribit, eum non rectè detulisse Dorensem Episcopum, & hunc fuisse absolutum. Non rectè actum, quòd ei non fuerit permissa potestas ordinandi Episcopos: docet, quæ nunc observanda circa eos, qui ante Patriarchatum Sophronii, aut post ejus obitum ordinati fuerunt. DECIMA ad *Petrum Illustrem Virum*. Commendat integritatem vitæ: hortatur, ut faveat suo Vicario. UNDECIMA ad *Ecclesiam Hierosolymitanam & Antiochenam*, significat hæresin Monothelitarum in Concilio damnatam, gesta transmissa ad Joannem Philadelphiæ Vicarium Sedis Apostolicæ ordinationem Macedonii Antiochiæ, & Petri Alexandriæ perperam factam: hortatur, ut persistant in fide Catholica, & obediant Vicario. DUODECIMA ad *Paulum Episcopum Thessalonicensem*. Direxerat is antea epistolam per nuncios ad Martinum, in qua Monothelismum profitebatur: Nuncii quoniam Paulum excusabant, dicebántque facilè corrigendum; Martinus missis literis illum docuit rectam fidem. Sed is in responso cùm testaretur, se in errore persistere, tum Martinus hâc epistolâ XII. ei significat, eum à die I. Novembr. Indict. VIII. excommunicatum, & ab omni functione Episcopali prohibitum, donec apertè corrigat errores suos. In fine etiam reprehendit, quòd in epistolis suis non meminerit, se agnoscere subditum Romanæ Ecclesiæ, & ejus Vicarium. DECIMA TERTIA ad *Ecclesiam Thessalonic.* de eodem argumento; jubet interim præesse Presbyteros & Diaconos &c.

perderet in turbanda Ecclesia, sicarium conduxit, qui Papam sacris operantem, ad ipsam aram confoderet tum, quando Martinus ad Olympio dandam pacem se inclinaret: sed Deo, ne Spatharius Pontificem internosceret, prohibente, ex ipso prodigio emendatus Olympius, quin alia auderet, abscessit.

22. Interea Imperator damnatum Romæ Typum cognoverat; unde Theodorum Calliopam festino itinere adire Italiam, ac inde Martinum Constantinopolim adduci mandat. Violentæ injuriæ quò colorem Constans aspergeret, emptis testibus tria Pontifici flagitia imposuit; nam fingebat, Papam primò mutâsse fidem: secundò cum Nestorio sacrilegas in B. Virginem edidisse voces: demum eundem adversùs Imperium Romanum inito cum Saracenis consilio nefaria moliri. His in Pontificem confictis criminibus, Calliopas (p) cum Theodoro Cubiculario, & exercitu Cæsareo Romam venit die Sabbati. Imminens Dominica prohibebat, quò minùs tumultuum initium Exarchus faceret; quare in feriam secundam causam differens, hâc ipsâ die Episcopium pervestigare cœpit, in id intentus, utrùm illic armorum lateret apparatus, quo vis futura depelli posset. Periculi nihil ubi deprehensum est, audacior armatorum militum globum in Ecclesiam adducit; tum Presbyteris & Diaconis jussa exponit Cæsaris: nempe Constantem omnino velle, ut Martino, qui præter leges in sedem se injecisset, Constantinopolim jam abducendo alius continuò sufficeretur. Pontifex, quantumvis Clerus refragaretur, haud invitus Exarcho se permisit; mox ab Ecclesia die XIX. Junii anno DCLIII. ad portum raptatus, Mesenam Siciliæ navigare cogitur: inde post mille discrimina, & nautarum injurias toto trium mensium spatio patienter toleratas Calabriam prætervectus, in Insula Naxo hyemem difficilem exegit. Post annuam ferè moram ex Ægei maris Insula Abydum, ac inde Byzantium Pontifex devehitur: ibi die decimâ septimâ Septembris manè appulsus, sannis improbæ plebis ad vesperam usque relinquitur, tum ad custodiam excubitoris (q), quæ *Prandearia* dicitur, clam deportatus, nonaginta tres dies omnium hominum consortio, oculísque subducitur. Hoc tempore elapso, die XIX. Decembris,

An. 653.

(p) Martini ep. XIV. XV. ad Theodor. in Act. CC. T. III.

Calliopas Exarchus vi S. Martinum Româ abducit.

Hyemat S. Martinus in Insula Naxo.

An. 654.

S Martinus deportatur Constantinopolim.

(q) Hypomnesticum in Act. CC. T. III. p. 679.

Calumniæ afflicta S. Martino.

(r) ibidem p. 680.

bris, feriâ ſextâ Sacellario (*51), præſente Senatu, ſiſtitur; & cùm ex ægritudine vix pedibus conſiſteret (r), nihilominus reorum more ſtare juſſus, falſorum teſtium calumnias audire cogitur: accuſabatur autem conjurationis cum Olympio contra Cæſarem initæ; quódque cùm poſſet, Olympio non reſtiterit. Pontifex primum facilè diluit; ad alterum verò modeſtiùs reponebat, in ſua poteſtate minimè fuiſſe, ut Olympium Exarchum antea crearet, aut ut armatum ipſe inermis poſtea coërceret (s).

(s) ibidem p. 681.

Sacellarius dum his auditis ad Cæſarem ſe proripit, nova mandata accepturus; Martinus in locum apertum, ubi Conſtans per cancellos ea, quæ agerentur, intueri poſſet, producitur: illinc Pontifex à circumfuſa multitudine gravia paſſus, ad pejora ſubinde ferenda ſe accingebat; nec abs re: nam per confertam jam plebem Sacellarius ſubitò ex Imperatoris palatio revolans, protinus jubebat Epiſcopi *Pſachnion* (*52) tolli; quo facto, veluti depoſitus Præfecto urbis tradebatur, & vinculis undique oneratus, præeuntibus armatis lictoribus, in carcerem nefaſtis ſicariis communem ibat; inde tamen eâdem die adhuc ad Diomedis cuſtodiam crudeliſſimis modis raptabatur (t), in cruentato & afflicto morbis corpore ægerrimam trahens animam.

Ærumnæ ac carceres S. Martini.

(t) ibidem p. 682.

De Pontificis vita jam tum conclamatum fuiſſet, niſi Paulus Hæreticus propius periculum, ſuppliciúmque depuliſſet. Conſtantinopolitanum hunc Archi-Epiſcopum ad extrema jam deductum Cæſar poſtridie, quàm S. Pontifex tot injuriis laceratus fuerat, inviſebat, ut morituro ultima ſolatia afferret. Locutus itaque Paulo Conſtans, eidem, quæ in Martinum ſtatuiſſet, exponit. Ad hæc Paulus ingemiſcens, in has demum erupit voces (u):

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolit. moriturus, Conſtanti ſuadet mitiora erga Martinum.

(u) ibidem p. 683.

Hei

(*51) THEOPHANES ad annum XXV. Heraclii memorat, Imperatores Conſtantinopolitanos habuiſſe *Sacellarios ſuos*, qui Sacelli, ſive Sacri, ſive Fiſci Cuſtodes erant; tales quoque in aula Imperatorum & Regum Occidentis fuiſſe, imò etiam in Eccleſia utraque tum Romana, tum Conſtantinopolitana, probat DUCANGIUS in Gloſſario, quibus æquè Sacelli, ſeu Fiſci Eccleſiaſtici cura incumbebat.

(*52) *Pſachnion* erat veſtis ſummorum Pontificum & Patriarcharum propria, quæ cùm auferretur, aut incideretur in lacinias, Patriarcha hoc ſigno dato exauthoratus ac depoſitus cenſebatur. Quare Hiſtoria de S. Martini exilio ita habet: *Et continuò exclamans Sacellarius, quendam aſtantium Excubitorum tonſorem præcepit ſine mora auferre Pſachnion Summi & Apoſtolici* &c.... *Cùm ergo incidiſſet Pſachnion beati viri excubitor & corrigiam compagiorum ejus* &c.

Hei mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. Nunquidnam, Domine, non est miserabile, talia pati Pontificem? Verba ejusmodi, quæ instantis fati necessitas expresserat, adeo emollivêre Cæsarem, ut illo saltem tempore à Martini corpore ferrum cohiberet.

23. Post octo dies è vivis Paulo decedenti Pyrrhus rursus succedere adnitebatur; sed moram cupienti injecit publicatio libelli, quem Theodoro Papæ Pyrrhus dedisse ferebatur tunc, quando à Monothelitarum errore ad Catholica sacra transiisse visus erat (x). Constans probrosum sibi esse ratus, nisi ei, cui ad partes suas revertenti spem fecerat recuperandi honoris, fidem nunc exsolveret; à Martino elicere conatus est, ut is à Pyrrho Professionis libellum fraude vel vi extortum diceret: at cùm contrarium ex Platonis Exarchi testimonio palàm faceret, Imperator nihilominus de promovendo homine certus, Pyrrhum in sedem Archi-Episcopi ascendere jussit (y): non diu tamen perfido hunc locum tenere licuit; nam post quinque menses nomine ejus ex libro viventium deleto, Petrus ejusdem hæresis labe infectus, Constantinopolitanam Cathedram invasit.

An. 654.

(x) ibidem p. 683.

Pyrrhus rursus Paulo mortuo succedit.

An. 655.

(y) ibidem p. 684.

24. Dies octoginta quinque jam lapsi erant, quos Martinus in Diomedis ergastulo inter innumeras ærumnas exegerat; tum subitò Sagoleba à Sacellario missus adest, qui Pontificem è carcere sublatum in domum suam transferat, inde in exilium longiùs amandandum. Post aliquot dierum intervallum clam omnibus abductus, in Chersonam circa Idus Maji pervenit: illinc loci egestas virum itinerum, ac carceris diuturni difficultatibus jam exhaustum brevì confecit, quippe die XVI. Septembris defunctus, & in templo B. Virginis extra Chersonæ muros posito sepultus, apud Græcos Confessoris, à Latinis etiam Martyris honores meruit (z). Sedem interea Apostolicam, quamdiu Martinus Româ abfuit, EUGENIUS seu suo, seu (ùt aliqui opinantur) vicario nomine moderabatur; nam utprimùm Constans Martino violentas injici manus jusserat, in mandatis quoque Clero Romano dedit, ut abducto Pontifici alium surrogaret: hic subveritus, ne invitis Hæreticus Episcopus obtruderetur, alium

S. Martinus ex carcere Diomedis deducitur in exilium.

Moritur exul.

(z) ibidem p. 685.

Eugenius Pontifex.

Pontificem eligendum duxit, inſcio primùm Martino, poſteà tamen conſentiente (*53).

25. Dum Romana Eccleſia his motibus graviter conturbabatur; Hiſpania ſub ſuo Rege Receſvintho lætiſſimâ pace recreata, illuc omne tempus, operámque contulit, ut Religio ac Diſciplina Eccleſiaſtica ſuis in Provinciis coleretur (a). Eodem conſilio circa annum DCLIII. Toleti octava Synodus celebrata eſt, in qua poſtquam Rex ſinceram ſuæ fidei formulam Epiſcopis exhibuiſſet, Præſules de religioſo ac orthodoxo affectu Principis multùm gaviſi, Nicænæ fidei ſymbolo ad exemplum S. Leonis addendum cenſuerunt: *Credimus in Spiritum S. ex Patre, Filióque procedentem*; tum duodecim ſubjunctis regulis, perjuris pœnitentibus indulgentiæ ſpem faciunt, Simoniacis contrà decernunt pœnas, Epiſcopos ac Clericos minùs continentes coërcent (*54), omnes à dignitatis Eccleſiaſticæ gradu ſubmovent, qui

(a) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 952.

Toletana Synodus VIII. Anno 653.

(*53) In quibusdam exemplaribus ANASTASII legitur, *poſt S. Martinum ceſsâſſe Epiſcopatum, annum unum, menſes duos, dies viginti*, quod intervallum ſumptum à die XIX. Junii anno 653, quo die ſuinmo mane *S. Martinus* Româ abductus, deſinit in diem VIII. Septembris anno 654. Idem ANASTASIUS etiam de Eugenio ſcribit: *Sedit annos duos, menſes octo, dies viginti quatuor; ſepultus IV. Nonas Julii*, quod tempus inchoatur ab VIII. Septembris anno 654, deſinit primâ Junii anno 657., quâ die obiit Eugenius. His adde, quòd S. Martino Conſtantinopolim abducto, per aliquod tempus Archi-Diaconus, Archi-Presbyter, & Primicerius Notariorum Romanam Eccleſiam rexerint, utì cognoſcere licet ex epiſt. XV. ad Theodorum Conſtantinopoli ſcripta, ubi ait Martinus: *Juſſio à Calliopa porrecta eſt Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter, & ſine lege Epiſcopatum ſurripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica Sede dignus inſtitui, ſed omnimodis in hanc Regiam urbem tranſmitti, ſubrogato in loco meo Epiſcopo, quod necdum aliquando factum eſt, & ſpero, quod nec aliquando fieri habet; quia in abſentia Pontificis Archi-Diaconus, & Archi-Presbyter, & Primicerius locum præſentant Pontificis.* Hæc epiſtola poſt diem XVII Septembris anni DCLIV. ſcripta; eâ enim tantùm die S. Martinus Conſtantinopolim appulit. Quo tempore adhuc eum latebat Eugenii in Romanum Papam electio; quia dicit, ſe ſperare, ut id abſente Pontifice non fiat. Quia tamen Clerus metu adactus Eugenium elegerat, ne, ſi cunctarentur, Cæſar Hæreticum invitis obtruderet, ideo S. Martinus de Eugenii electione poſtea certior factus, conſenſiſſe videtur; ita enim in epiſtola anno DCLV. Cherſonæ ſcripta ait: *Veruntamen Deus per interceſſionem S. Petri ſtabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem Hæreticorum & Adverſariorum Eccleſiæ noſtræ Perſonam, & immobiles cuſtodiat, præcipuè PASTOREM, quem eis NUNC PRÆESSE monſtratur.*

(*54) *Canon ſextus* CONCILII TOLETANI VIII. de Subdiaconis ita ſtatuit: *Relatum eſt nobis, quosdam Subdiaconos.... non ſolùm carnis immunditiâ ſordidari,...: ſed etiam novis uxoribus copulari: aſſerentes, hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem à Pon-*

qui non totum Psalterium, vel canticorum usu receptorum & hymnorum, sive baptizandi modum ex toto noverit. Quicunque per Quadragesimæ dies vesci carnibus præsumpserit, hunc à communione Resurrectionis Dominicæ prohibentes, eidem usu carnium per anni tempus interdicunt. Regibus (Pontificum, Majorúmque Palatii assensu eligendis) conditiones præscribunt, in quas, antequam Regnum adeant, jure teneantur. Exactis inde duobus annis, sive anno DCLV. (b) in eandem urbem rursus convenêre Antistites sexdecim, quorum septendecim Canones sequentia præcipuè decernunt: nempe ut Jus Patronatûs Ecclesiarum Fundatoribus ratum sit, útque bona Ecclesiastica administrentur in Ecclesiæ favorem & utilitatem: Episcopos, aliósque majores Clericos, si castimoniæ leges transgrediantur, canonicis pœnis subdunt; filios verò ab iis genitos arcent ab hæreditate Parentum, & perpetuæ Ecclesiæ servituti addicunt. Nonam Synodum Toleti celebratam Decima excepit anno DCLVI., cujus septena supersunt Decreta (c), quorum *primo* præcipitur, ut Festum Annunciationis B. Virginis quot annis, non uti aliàs ad VIII. Kal. Aprilis, sed ob Quadragesimæ celebritatem ad XVIII. Decembris peragatur. *Tertio* cavetur, ne Episcopi propinquis Parochiarum aut Monasteriorum præfecturas committant. *Quarto* & *quinto* jubentur virgines & viduæ Religionem professæ velo contegere capita. *Sexto* statutum est, ut pueri à Parentibus ante decimum sextum annum Religioni consecrati vel devoti in instituto permaneant. Et quoniam ultimum semper Canonem duæ priores Synodi contra Judæos strinxerant; hic quoque Cœtus sacer disposuit postremâ lege, ne Christiani Judæis vendantur.

(b) Act. CC. T. III. p. 971. *Toletana Synodus IX. Anno 655.*

Toletana Synodus X. Anno 656.

(c) Acta CC. T. III. p. 977.

26. Quò religiosiùs ista in Occidente agebantur, eò nefastiùs per idem tempus fidei propugnatores in Oriente divexati sunt. Nullum verò hæc procella magis petebat, quàm S. Maximum

Persecutio contra Maximum Abbatem instituta

Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum disscisso velamine, id præcipimus observari; ut, cùm iidem Subdiacones ordinantur, cum vasis Ministerii benedictio eis ab Episcopo detur, sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, omni penitus ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remotâ. Quodsi hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus usque ad extremum vitæ Monasteriis religandi.

ximum Abbatem: ægerrimè enim Monothelitæ ferebant ab hoc suæ hæresi illatam cladem, cùm is primùm in Africa Pyrrhum palàm devicisset, ac inde trajiciens Romam, Martinum in sententia firmâsset (d). Itaque anno DCLIII., ubi Pontifex jam Constantinopolim abreptus erat, S. Maximus quoque (utpote Catholicarum partium Dux) cum suo discipulo Anastasio in eandem urbem deportatur. Nudi illinc ferè vestibus, separatósque in carceres conjecti, post aliquot dies ducuntur in palatium: ubi S. Maximus à Sacellario accusatur, quòd oderit Imperatorem, quódque Saracenis prodiderit Ægyptum, Alexandriam, & Pentapolim, Tripolim atque Africam. Hæc dicta quo confirmaret, quatuor subornati testes in medium prodibant; at vir innocentissimus ita mendacia confutabat, ut vim sermonis Adversarii haud ferentes, eum à conspectu ejicerent. Magistro discipulus succedere jussus, ab Actoribus iniquis tentabatur, utrùm ex eo indicium elici posset, quo Maximus Pyrrho fecisse injuriam videretur: horum nihil cùm elici posset, Anastasius pugnis cæditur. Menas interea infestius convitium confinxerat, S. Maximum omnes ad Origenis errores pertraxisse; quod ut viro sancto in os oggereret, in Senatum rursus rapitur: verùm is præsentibus omnibus anathema contra Origenem professus, ne porrò Judicum improbitatem confunderet, unà cum discipulo in custodiam reducitur (e). Postero die sub vesperam Troilus Patricius & Sergius Maximum conveniunt, & primè de sermone Maximi cum Pyrrho varia scrutati, id quoque rogabant, quid causæ foret, quòd Ecclesiæ Constantinopolitanæ communionem abdiceret? Causabatur ille, se Religione prohiberi, quominùs iis sociaretur, qui, postquam per novem Cyri Capitula per Ecthesin, ac Typum quatuor Synodos profligâssent, in Romana Synodo fuissent damnati. Repressisset his verbis Adversantium falsitatem S. Maximus, nisi eodem tempore accidisset id, quod vir sanctus minimè præviderat. Miserat Eugenius Papa Apocrisiarios ad Constantem cum Synodica, ordinationem suam de more significans, quod ubi Petro Archi-Episcopo Constantinopolitano nunciatum est, eò fraudes vertit, ut novis vocabulis Apocrisiariorum credulitati illuderet. Itaque triplicem

(d) Acta S. Maximi apud Sirmond. T. III.

Maximus falsò accusatur,

(e) Acta S. Maximi l. c.

S. Maximi collatio cum Troilo.

Petrus Episcopus Constantinopol. decipit Apocrisiarios Pontificis.

plicem in Christo voluntatem prædicabat, unam scilicet substantialem cum Monothelitis, duas verò naturales cum Orthodoxis, quas subdolè propter unionem in unam coaluisse dicebat; hâc novitate deceptos Apocrisiarios suo errori (ùt ajunt) consentire compulit (f). Quare Troilus contra Maximum inde inferebat, ex quo ipse Româ discessisset, meliora jam sapere Romanos, ut quorum Apocrisiarii sequente Dominicâ cum Patriarcha communicaturi essent. Maximus ista affirmanti reponebat, eos, qui venissent sine Papæ ad Patriarcham literis, siquidem communicent, Sedi Romanæ præjudicii nihil facturos (*55). Alio rursus Sabbato duo captivi, præsentibus (*56) duobus Patriarchis Constantinopolitano & Antiocheno, in quæstionem vocantur. S. Maximo impingebatur, quòd, cùm Typum Constantis execraretur, Cæsarem ipsum anathemate feriret: ille minimè inficiatus se chartam Typi damnare; negabat tamen se Cæsari anathema

(f) ibidem.

S. Maximus secundò in quæstionem vocatur.

(*55) Apocrisiarii Pontificis an à Petro in errorem abducti sint, non satis liquet: fieri potuit, ut spargeretur simile quid in vulgus, ita ut etiam Anastasius discipulus putaret esse factum, qui tunc tenebatur in custodia Constantinopoli. Et quamvis illis humanitus aliquid accidisset; Eugenius tamen explodendo Synodicam Petri, haud dubiè factum suorum Apocrisiariorum reprobavit.

(*56) Non parva circa Chronologiam difficultas occurrit. PAGIUS censet judicium contra Maximum actum esse anno 655. ante diem 13. Martii. Paulus enim Constantinopolitanus Patriarcha ante eum diem mortuus, ac inde statuit; duos Patriarchas, qui unâ die adfuisse judicio scribuntur, fuisse Paulum & Pyrrhum. Item Apocrisiarios Romanos, qui memorantur tum in relatione motionis, tum in epistola Anastasii Monachi ad Monachos Calari, fuisse destinatos ab Eugenio Papa, & eos deceptos à Petro nondum Episcopo Constantinopolitano. Item notat in epistola Maximi Abbatis ad Anastasium Monachum solemnitatem mediæ Pentecostes apud Græcos agi solitam feriâ IV. post Dominicam, nobis tertiam post Pascha. Hæc autem anno 655. cadit in diem 22. Aprilis, cùm Pascha fuisset die 29. Martii: & idcirco *Pagius* vult mendum irrepsisse in dictam epistolam; ubi legitur: *Herì (quod fuit decima octava mensis)* legendum putat *vigesima secunda mensis.* Verùm *Pagius* in his sibi sumit, non satis probat, judicium istud actum anno 655. Quid si dicatur actum anno 654. vel 656., potiùs videtur non fuisse actum inter 20. Decembris, & 23. Martii? Paulus enim die 20. Decembris morti vicinus, non videtur iterum convaluisse, & adfuisse judicio. Duo Patriarchæ potuerunt esse Paulus & Pyrrhus, si contigit anno 654. Potuerunt etiam esse Constantinopolitanus & Antiochenus vel Alexandrinus, qui fortè tunc Constantinopoli fuerunt. Dubium etiam, an Apocrisiarii Constantinopolim missi fuerint ab Eugenio, vel à Vitaliano Pontifice? & an non decepti à Petro jam Episcopo, adeóque post Majum anno 655. Media Pentecoste in epist. Maximi dicitur XVIII. mensis. Igitur Pascha vel 25. Martii, vel 24. Aprilis: quale circa hos annos non occurrit, nisi anno 658. die 18. Aprilis. *Pagi* substituit 22. Aprilis. Hic autem numerus substituitur ex hypothesi anno 655. absque alio fundamento.

Maximus cum discipulo Anastasio in exilium ducitur.
(g) ibidem.

anathema dixisse. Postea de ætate sua, de Synodo Lateranensi multùm interrogatus, tandem adigebatur, ut saltem novæ Petri doctrinæ consentiret: at ille apertè falsitate hujus dogmatis commonstratâ exulare jubetur; quo facto, Maximus Byzohen in oppidum Thraciæ, Anastasius Perberim deportati sunt (g).

An. 656.

(h) ibidem.
S. Maximus tertiò interrogatur.

27. Circa Nonum Kalendas Septembris nomine Constantinopolitani Antistitis ad Maximum exulem venit Theodosius Bithyniæ Episcopus; quare Paulus ac Theodosius Consules ab Imperatore Legati comitabantur (h). His interrogantibus, quare se Maximus ab Ecclesia Constantinopolitana sejungeret, respondebat iste, aliam causam non esse, quàm quòd unam profitentes in Christo operationem, tollerent humanam, quódque unam voluntatem, quàm divinam dicerent, satis impiè venditarent: quibus demum hæc novitas accessisset, ut lege sancirent, nec unam, nec duas in Christo voluntates aut operationes dicendas: quod est rerum non existentium; nihil enim eorum, quæ sunt, si rationalium de genere existunt, privatur voluntate, habente virtutem & operationem. Theodosius mitigaturus, Maximi animum contendebat, Typum non dogmatis, sed pacis conciliandæ causâ positum, quibus verbis Maximus illudens referebat, ut quid ergo ipse cum discipulo in exilio squaleret, aut cur Anastasius Apocrisiarius à tot annis jactaretur, & nunc Mesembriæ jaceret proscriptus (*57), si Typi tam parva ratio apud Primores foret? Confutatis mox iis, quæ Theodosius ex Patribus afferebat, Theodosium eò inflexit Maximus, ut jurejurando cum cæteris pronunciaret, se dogmate Romanæ Ecclesiæ admisso, communionis postulandæ causâ (siquidem Imperator

Maximo consentit Theodosius.

(*57) De Anastasio Apocrisiario Chronologia pariter implexa est: nos ordinem rerum gestarum probabiliter ita accipimus: Anno 647. Theodorus Papa mittit Apocrisiarios Constantinopolim: inter hos Anastasius Monachus & Presbyter (uti ipse se appellat in epist. ad Theodos. Gangr.) cæteris revertentibus Constantinopoli relinquitur. Anno 648. cùm Typus ederetur, eum admittere recusans, incurrit indignationem Constantis: & deinde relegatur Trapezuntem. Anno 653. vel 654. cùm S. Martinus, & S. Maximus adducerentur in Thraciam; Anastasius Trapezunte transfertur in Thraciam, Mesembriam. Inde Constantinopolim adductis tribus S. Maximo Abbate, Anastasio S Martini discipulo, & Anastasio Apocrisiario sententia denunciatur, & executioni mandatur: itinere maritimo veniunt Gangram, & dein in Lazicam mense Junio anno 662. &c.

tor annuerit) unà cum Maximo ad Pontificem iturum (i). Legati ubi Imperatori acta renunciaverant; nihil eorum, in quæ Theodosius cum aliis consenserat, admittere sustinuit. Postea octavâ die Septembris Paulus Consul (jubente Cæsare) Maximum ad Monasterium S. Theodori Constantinopoli vicinum transtulit. Postridiè, quàm venerat, ab Epiphanio & Troilo Patriciis ei Imperatoris mandatum exponitur, ut, quoniam Occidentales æquè, ac ii, qui in Oriente à Typo dissentiunt, illius exemplo potissimùm ducerentur, sive concordiæ studio, sive etiam honorum ingentium proposito præmio Typum tandem comprobaret, ínque communionem tum Cæsaris, tum Petri Patriarchæ transgrederetur. Maximus miratus, tam subitò datam à Legatis fidem, conventúmque rumpi; negabat omnino sibi fas esse, ut postulatis ejusmodi obsequatur. At quod minis extorquere non poterant, id adhibitâ vi eliciendum rati, in S. Maximum variis debacchantur injuriis, tum postridiè Selymbriam deduci exulem curant (k).

(i) Acta S. Maximi apud Sirmond. T. III.

S. Maximi secundum exilium.

(k) ibidem.

28. Antea quàm hi fidei pugiles suum de hæresi triumphum consummarent; Eugenius Pontifex è militante Ecclesia ad triumphantem præivit Kalendis Junii (l). Annos duos, menses octo, dies viginti quatuor ubi in Cathedra Petri sederat; alterum Pseudo-Petrum, sive Constantinopolitanum Episcopum Apostolicâ fortitudine suâ terruit (*58). Nec minoris virtutis aut animi virum successorem habuit; nam post mensium ferè duorum intervallum VITALIANUS Sedi impositus, Legatos suos ad Constantem, ejúsque filium Constantinum direxit (m): quâ occasione Petrum Episcopum de suis erroribus, rebúsque gestis monere, & ad meliora revocare conatus est; verùm homo pertinax

An. 657.

Mors Eugenii Papæ.

(l) Anastasius in vita.

Vitalianus Pontifex.

(m) Idem loc. cit.

(*58) ANASTASIUS de Petri Episcopi Constantinopolitani ad Eugenium literis sic refert: *Hujus Eugenii temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam ad Sedem Apostolicam, juxta consuetudinem, omnium obscurissimam, & ultra regulam, non autem declarans operationes aut voluntates in Domino nostro JEsu Christo. Et accensus est populus & Clerus, eoquòd talem Synodicam direxisset, quæ minime est suscepta, sed cum majore strepitu est à sancta Dei Ecclesia projecta: ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus vel Clerus Missas celebrare in Basilica S. Dei Genitricis,.... nisi promisisset iis ipse Pontifex minimè eam aliquando suscipere.*

nax adeo jam occalluerat, ut medentis operam aspernatus, etiam libellum Pontifici redderet, truncatis Patrum testimoniis refertum (n), quo malè consuto centone ubi errorem utcunque se texisse, aut stabilivisse jactaverat; in Christi Athletas suo dogmati adversantes pejorem procellam effudit. Hoc quippe tempore Maximus Abbas cum duobus sociis ex Thracia Constantinopolim reducti, civili Magistratui tradebantur. Utprimùm Judicibus profanis religiosi viri permissi sunt; feralis hæc sententia in eos detonuit: nempe ut flagris cæsi, & linguis ab imo revulsis, amputatísque dextris mutili, per duodecim regiones Augustæ urbis circumducerentur (o); quod quidem supplicium tam acerbè exactum est, ut neque membris fœdè discerptis cauterium adhibere licuerit (*59). Vulneribus, & libidine plebeculæ pessimè affectis regio Lazica pro exilio designatur; quorsum dum trahuntur (ne itineris difficultate miseri conficerentur) iis in Galatia, dein Trapezunte per interposita spatia morari concessum est. Anno DCLXII. tandem ubi in regionem Lazorum sexto Idus Junias pervenerant Christi Confessores, omnibus, quæ ex amicorum liberalitate acceperant, spoliati, in diversas dissitas custodias includuntur. Maximus cùm per ægritudinem nec equo, nec vehiculo insidere posset; grabato ex viminibus contexto defertur ad Castrum Schemari Alanis vicinum: Anastasius ad arcem Apsiliæ (Scotori dictum) ducitur; demum Anastasius Apocrisiarius ergastulo (quod dicitur Buculus regionis Mesimianæ) mancipatur. Ex his, qui primus vitæ calamitosæ finem faceret, Anastasius Abbas erat; nam carcerem mutare jussus, dum ad Castrum Suaniæ pergebat, die XXIV. Julii anno DCLXII. migravit ad Dominum: hunc paulò pòst, die XIII. Augusti secutus est S. Maximus (p), cujus tumulum diu tres cælestes lampades (velut gloriæ ejus indices) singulis noctibus magnâ aspectantium admiratione illustrârunt (q). Unus igitur Anasta-

(n) Synod. VI. Act. XIII

An. 658.

Martyrium S. Maximi, & sociorum.

(o) Epist. ad Theod. apud Sirmond. T. III.

An. 662.

An. 662.

(p) Pinius in Act SS. in Commentar. prævio.

(q) Hypomnesticon Theodosii & Theodori. Joannes Pinius in Comment, prævio ad vitam S. Maximi.

(*59) HYPOMNESTICUM Theodosii & Theodori fratrum, uti & THEOPHANES referunt (Deo mirabiliter operante) Maximum, & utrumque Anastasium elingues, postea expeditè locutos fuisse, & sine dextris varia scripsisse. De Anastasio Apocrisiario narrat Hypomnesticon, quòd duo tenuia ligna aptaverit brachio, & ita scripserit: extat ejusdem Epistola hoc modo scripta ad Theodorum, in qua ærumnas suas exponit.

Anastasius Apocrisiarius longiori cruciatui supererat: ex Buculo primùm Thacyriam juxta Hiberiam, dein in Castrum Phustas traductus, per aliquot postea annos variis in carceribus reliquos dies exegit; dum anno DCLXVI. undecimâ Octobris captivitatis, corporísque vinculis solutus, in libertatem filiorum Dei assereretur. Qui tot ærumnarum truculenti authores fuerant, minimè impune hoc scelus tulêre; nam Petro Episcopo Constantinopolitano idem annus, scilicet DCLVI., qui Anastasio Apocrisiario carcerem, cælúmque paulò antè reseraverat, omnem vivendi, salutísque spem reclusit: nec minores Justitia divina pœnas à Constantis tyrannide exegit, post exactos quippe duos annos in balneo Syracusis occisus, infelicem, crudelémque exhalavit animam.

An. 663. 664.

An. 666. *Anastasii, & sociorum mors sancta*

An. 668.



§. II. *Constantini Pogonati pro pace Ecclesiæ restituenda studium: Pontifices VITALIANUS, ADEODATUS, DONUS, AGATHO, LEO II., BENEDICTUS II., JOANNES V., CONON, SERGIUS I., JOANNES VI. VII., SISINNIUS, CONSTANTINUS, qui Constantinopoli ab Imperatore honorificè exceptus est. SYNODI: Romana in causa Monothelitarum, GENERALIS VI. OECUMENICA, Toletana XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII., Bracarensis, Synodus Trullana à Sede Apostolica repudiata. Conversiones Frisonum, Danorum, Francorum Orientalium, quorum Apostolus primus fuit S. KILIANUS. Aquilejensium schisma extinctum.*

1. DEfuncto Patre impio, religiosior filius CONSTANTINUS successit, quo Imperii gubernacula capiente, non obscura spes affulsit redintegrandæ cum Ecclesia Romana concordiæ; id enim inter primas curas Augustus numerabat, ut lites, quæ fidelium animos malè distraxissent, supremâ potestate abolerentur (a). Nec minùs auspicatum Orientali Ecclesiæ fuit, quòd *Thomas* Archi-Episcopus Constantinopolitanus alia à Petro Antecessore, & quidem Catholica dogmata impensè coleret (b): hunc optimum Præsulem etsi citius fatum abstulerit, ejusdem

An. 668. *Constantini Pogonati studium pro restituenda pace Ecclesiæ.*

(a) Constantini epist. ad Donum PP.

(b) Synod. VI. Act. XIV.

An. 669.

ejusdem tamen zeli ac fidei Antistes paulò pòst mortui locum implevit. Archi-Episcopus is ille *Joannes* erat, qui tanto studio in Sedem Apostolicam ferebatur (c), ut, cùm anno DCLXXII. VITALIANUS Papa è vivis decederet, eundem sacris diptychis Constantinopoli inseri curaret (d). Præsul Catholicus plura in Orthodoxorum solatium meditabatur; tum mors repentina Episcopi pia consilia interrupit, minimè autem sustulit; nam *Constantinus* tertius jam, ex quo Joannes obierat, Catholicus Patriarcha in Sedem Constantinopolitanam subvehebatur; is potestatem sacram nactus, eò potissimùm intendebat animum, ut duorum, qui præcesserant, Episcoporum conatus fortiter exequeretur: sed antequam operi curas, manúmque commodare poterat, piè fato functus, vitam, spémque bonorum omnium rursus deseruit (e). Luctum, quem inde Catholici conceperant, auxit *Theodorus*; is enim Heterodoxus cùm tribus integerrimis Episcopis sufficeretur, inito cum Macario Antiocheno fœdere nihil omisit, quo Cæsarem à restituenda Ecclesiis pace averteret: atque ut bellum apertum Occidentalibus inferret, ab Imperatore impetrare conabatur, ut nulli Pontificum, nisi soli Honorio, in sacris diptychis locum relinqueret (f). Post Vitalianum Papam ab anno DCLXXII. Ecclesiæ gubernacula in quintum annum moderabatur ADEODATUS fide, zelo, ac liberalitate in pauperes insignis, & hoc mortuo, sub annum DCLXXVI. (g) DONUS in Cathedra Petri sedere cœperat. His duobus summopere infensus Theodorus, providendum duxit, ne utì Vitaliani nomen, ita quoque Adeodatus & Donus Constantinopoli inter sacra legerentur: quin odio incensus, in id quoque incumbebat, ut Vitaliani memoria deinceps à sacris proscriberetur. Constantinus Imperator adduci facilè haud poterat, ut Theodori postulatis annueret; sed causâ ad Synodum rejectâ, ad Donum Papam scriptâ epistolâ petiit, ut ex Occidente in Regiam urbem Legati mitterentur, qui cum cæteris Orientis Episcopis in conventu publico de constituenda Ecclesiarum concordia tandem decernerent (h). Dum Legati Orientis cum consignatis ad Donum literis ibant, idem Pontifex jam ad immortalem vitam transierat: unde non exiguum temporis inter-

(c) ibidem. Synodic. Joannis ad Macarium.

Mors Vitaliani Papæ.

An. 672.

(d) Acta Eccl. Orient. Epist. Constantini ad Donum.

Patriarchæ Constantinopolitani Catholici.

(e) Acta Synodi VI. Act. XIV.

An. 676.

Theodorus Patriarcha Hæreticus.

(f) Epist. Constantini ad Donum.

(g) Anastasius in vita.

Adeodatus & Donus Romani Pontifices.

Constantinus Imperator de pace Ecclesiæ agit.

(h) Sacra Constantini ad Donum PP. apud Harduin. in Act. CC. T. III. p 1047.

Mors Doni Pontificis.

tervallum labebatur, dum ex Romana urbe ad Constantinum responsi aliquid rediret; nam novus antea Pontifex surrogandus erat, & hoc electo, congregandæ Synodi, ex quarum sententia statueretur, quid ad sanciendam Ecclesiarum pacem conveniret. Fastidio interim Cæsaris, qui unionem Ecclesiarum, totámque causam diu proferri ægriùs ferebat, Adversarii in rem suam abusi, Constantino authores erant, ut fœdus, quod cum Occidentalibus moliretur, omnino abrumperet (i). Imperatori hoc consilium summopere displicuit: ac ne Theodorus porrò paci, quam Constantinus ardentissimis votis expetebat, officeret, virum factiosum à sede dimoveri, eíque Georgium substitui præcepit (k). Nihilo melior hic Theodoro erat, nisi quòd hæresin, malitiámque dissimulare astutiùs noverit. Itaque cùm Constantinum amore concordiæ faciendæ urgeri cerneret; Imperatori malignè obrepens suggerebat, ad componendos multorum hostiles animos id maximè opportunum fore, siquidem Vitaliani nomen, quod celebrari in diptychis inviti audirent, à sacris tabulis eximi pateretur. Constantinus cùm nil magis, quàm concordiæ obicem sublatum vellet; his rationibus, & Occidentalium cunctatione permotus indulsit, ut Vitaliani memoria tantisper negligeretur.

(i) Synod. VI. Act. VIII
Molitiones Monothelitarum contra Sedem Apostolicam.
(k) Pagius in Critic. ad an. 678. n. 5. & ad an. 681. n. 6.
Vitaliani nomen rursus ex diptychis expungitur.

2, Interea Dono undecimâ Aprilis defuncto, post exactos inde menses duos, & quindecim dies AGATHO Siculus sublectus est: is ubi epistolam, quam Constantinus ad Donum miserat, accepit (l); ad Episcopos Galliæ & Angliæ, aliarúmque Provinciarum ac Regnorum perscripsit, ut quique in Synodis suis statuerent, quæ de hæresi Monothelitarum in Concilio Generali pronuncianda forent. Mansuetus igitur Mediolanensis Episcopus cum suis Provincialibus definivit, errores Novatorum fortiter comprimendos (m); nec aliam sententiam inivit Anglorum Synodus sub Theodoro Archi-Episcopo Dorovernensi congregata (n): inter hos cœtus multò insignior erat ille, quem Pontifex Romæ anno DCLXXX. coëgit (*1). Ad hunc quinque

An. 678.
Agatho Pontifex
(l) Anastasius in vita.
Indicit varias Synodos.
An. 679.
Synodus Romana.
(m) Acta CC. apud Hard. T. III. à p. 1051. ad p. 1054.
(n) Beda in Recapitulat. Vide Pagi ad an. 679. n. 6.

(*1) PAGIUS ad annum 679. n. 14. contendit, Synodum Romanam magnam habitam fuisse circa Pascha anni DCLXXIX.; idque comprobat quibusdam monumentis

An. 680.

que centum viginti quinque Præsules ex omnibus Italiæ Provinciis (*2), cum ex Gallia & Britannia convenêre. Utprimùm Patres consedêre, omnium ore & sensu Monothelitarum error proscribebatur; deinde ex cæteris designabantur Joannes Episcopus Portuensis, Abundantius Episcopus Paternensis, Joannes Episcopus Rhegitanus, qui cum Legatis Agathonis, Theodoro & Georgio Presbyteris, ac Joanne Diacono Constantinopolim irent: proficiscentibus duæ consignabantur epistolæ (o), quarum alterâ Agatho Papa Imperatori agebat grates de pio ejus, fratrúmque

(o) Synod. VI. Act. XIV. in Actis CC. Tom. III. *Epistola Agathonis, & Synodi Rom. ad Imperatorem*

tis Anglicanis. BARONIUS & alii AA. ferè statuunt, celebratam esse anno DCLXXX., quod potiùs videtur. Nam Agatho PP. in epist. ad Constantin. excusat, quòd tardiùs mittat Legatos; eoquòd Concilium convocaverit ex Provinciis remotis, & ex iis etiam Legatos destinare desideraverit. Probabilius autem videtur tardè convenisse Synodum Romæ, & idcirco dilatam ad Pascha anni DCLXXX.: cæterùm Legati integro pòst anno ex Italia abiêre, ùt qui mense Septembri anni DCLXXX. venerunt Constantinopolim. Agatho exspectat venturos ex variis & remotis Provinciis, ùt patet ex epist. Synodi Romanæ ad Constantinum, & in subscriptionibus leguntur Felix Arelatensis Episcopus, Adeodatus Leucorum Episcopus, Legati Synodi per Gallias constitutæ. Si igitur Agatho scripsit in Gallias, Hispanias, Angliam mense Julio anni DCLXXVIII., satis difficile erit, in his Provinciis cogi Synodos: exponi fidem; designari Legatos; & hos in ejus temporis ac itinerum difficultate adesse Romæ ad Pascha anni DCLXXIX. die III. Aprilis. Adde, quod *Pagius* asserat, Adeodatum Leucorum Episcopum cum Wilfrido Eboracensi venisse Romam circa initium Octobris, vel ante Octobrem, qui præcedit Synodum Romanam; quod certè fieri potuisse vix videtur; nisi fortè dicatur Adeodatus alia ex causa Romam missus. *Pagius* equidem adducit Synodum Romæ habitam in causa Wilfridi Eboracensis, in cujus initio habetur; *Imperantibus* &c. *Indict. VII. mense Octobri*, ac proinde anno DCLXXVIII.; verùm, si relinquit annum Imperii Constantini XXVI, & emendet Indictionem, quam fortè posterioribus sæculis aliquis corrupit, totum Pagii fundamentum ruit. Adde, quòd in ea Synodo mentio quidem fiat de dissensione Episcoporum in Anglia; nihil tamen speciale de causa Wilfridi. Alia legitur ejus Synodi descriptio apud Malmesberiensem, ubi de causa Wilfridi Synodus, & fortè alia sine charactere temporis notatur.

(*2) Præter alios Episcopos Italiæ notatur adfuisse *Theodorus Ravennas* Episcopus cum aliis duodecim; adeóque causa, quæ inter Ravennatenses, & Romanam Sedem controversa intercesserat, hoc tempore exolevit: Vitalianus Papa (utì refert HIERONYMUS RUBEUS Lib. IV. Hist. Ravenn.) *Maurum* Præsulem Ravennatem Communione semoverat, eoquòd causam dicere Romæ noluisset; quod anathema ubi pervicax retorsisset magno scandalo Italiæ in Pontificem, tandem excommunicationi immortuus est. Ejusdem successor *Reparatus* simili obstinatione Apostolicæ Sedi se subjicere recusabat; in fine tamen vitæ pœnitens, *Dono Papæ* se submisit. Theodorus etiam in ejus locum suffectus, Romanæ Synodo se stitit. Redintegratam hoc modo concordiam *Felix Ravennæ* ibidem Episcopus postea sub Constantino denuo rupit, sed non impunè; nam Imperator rebelles cives Constantinopolim deduci, & Felicem oculis orbatum exulare jussit, quâ calamitate mitigatus, & postea restitutus, Romano Pontifici solitam obedientiam præstitit.

trúmque proposito, postea orthodoxam Trinitatis & Incarnationis fidem conceptis verbis professus, subjungit Legatorum nomina, quibus libros, Patrúmque sententias se tradidisse testabatur, ut ex his interrogati respondere, nihil autem temerè addere, diminuere vel mutare, sed traditionem Apostolicæ Sedis ab Antecessoribus acceptam sine simulationis artificio exponere valeant: quam si Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsul amplecti delegerit, abscissis dissensionum offensionibus, pacem Ecclesiarum in propinquo fore (p): postremùm Sedis Romanæ authoritatem, ac Cathedram Petri, in qua nunquam defecturam fidem Servator promiserat, gravissimis verbis commendat. Altera epistola (totius Romanæ Synodi nomine data) idem argumentum complectebatur, nisi quòd sub finem congregati Patres comminarentur, qui Romanam fidem, regulámque admittere detrectarent, eos tanquam Catholicæ & Apostolicæ confessionis inimicos, æternæque damnationi obnoxios esse censendos.

(p) ibidem apud Hard. Tom. III. p. 1023.

3. Legati his literis binis instructi, ad Orientis urbem Regiam die X. Septembris appulêre: illinc honorificè in oraculo B. Petri suscepti (q), ubi Constantino geminam & Pontificis & Synodi epistolam porrexerant; Imperator continuò Georgium Patriarcham monuit, ut Metropolitas & Episcopos acciret, qui unà cum Romanis Oratoribus dogma de voluntate & operatione Christi decernerent (r). Mensium duorum inde intervallum ferè labebatur, dum Præsulum majore numero affluente, ad septimum Novembris ACTIO PRIMA Synodi sextæ Generalis cœpta est in Secretario Palatii, quod *Trullus* appellatur. Præsente Constantino unà cum tredecim Magistratibus velut Synodi defensoribus, ac considentibus Patriarchâ Antiocheno, aliorúmque Patriarcharum vices gerentibus, nec non quadraginta Episcopis Orientalibus (*3), Agathonis Legati, qui à læva Imperatoris

(q) Anastasius in vita Agathonis. Confer Pagium ad an. 680. n. 5. 6.

An. 680.

(r) Acta CC. T. III. in sextæ Synodi initio.

Sexta Synodus Oecumenica.

Actio prima sextæ Synodi.

(*3) De numero Episcoporum Auctores non conveniunt: ducentos octoginta novem *Theophanes* & *Cedrenus* numerant. Id certum, quòd per vices plures successerint in Synodum Præsules, unde in primis sex Actionibus quadraginta octo, in Actione XI. nonaginta duo, in aliis plures fuêre; nam Actio postrema Synodalis subscriptos habet centum sexaginta quinque vel sex. Præter *Episcopos* interfuêre etiam *Imperator* velut defensor fidei, & *Judices* Laici, utpote ordinis judiciorum custodes, *non* verò ut *Judices* contro-

ratoris obtinuerant locum, de fide disceptare exorsi sunt (*4): querebantur autem, nonnullas vocum novitates adversùs orthodoxam fidem ante quadraginta annos esse introductas, Sergii, Pauli, Pyrrhi & Petri Episcoporum Constantinopolitanorum consilio, tum etiam studio Cyri Alexandrini, ac Theodori Episcopi Pharitani (s); qui cùm heterodoxum de una Christi voluntate, ac una operatione sensum in Dei Ecclesiam invexissent, Legati fontes requirebant, ex quibus novam isti doctrinam deprompsissent. Macarius adversas partes tuitus, quò errorem ex Synodis, Patribûsque probaret, ex Actis Concilii Ephesini legi curavit verba Cyrilli ad Theodosium dicentis (t): *Vestri autem religiosi Imperii sustentaculum est ipse Dominus noster JEsus Christus;.... est enim ejus omnipotens voluntas.* At ex his vocibus nihil pro una in Christi voluntate erui posse, facilè commonstrârunt Legati Papæ; propterea quòd Cyrillus de divina duntaxat Christi natura scribens, eam (quin Unitatis numerum adderet) omnipotentem affirmâsset. In ACTIONE SECUNDA decimâ Novembris celebratâ Idem Macarius ex Actis Concilii Chalcedonensis magìs convictus est; nam cæteris ab Antiocho Lectore recitatis, hæc quoque verba epistolæ Leonis Papæ prælegebantur: *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, Verbo quidem operante, quod Verbi est: carne autem exequente, quod carnis est* (u). In TERTIA ACTIONE XIII. Novembris equidem inter quintæ Synodi Acta commemorabatur sermo

(s) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 1058.

(t) ibidem p. 1059. & p. 1062.

Actio secunda.

(u) ibidem p. 1063.

Actio tertia.

controversiarum fidei. Quare in Græco ἄρχοντες, id est, Proceres; non verò δικαςαὶ, id est, Judices dicuntur.

(*4) Ordo sedentium Episcoporum hic erat: Sedebant à *sinistris* Imperatoris Legati Pontificis, à *dextris* Macarius Antiochenus, & Georgius Constantinopolitanus: in quo Sessionis ordine nihil præter morem Ecclesiasticum commissum est; nam & in Concilio Nicæno Eustathius Antiochenus ad dextram sedebat, Hosio, aliisque Legatis ad sinistram sedentibus. Nec mirum, cùm sinistra in Ecclesia honoratior sit; unde in Chalcedonensi Synodo à sinistris locum occupabant non tantùm Legati, sed & Antiochenus, sedente à dextra Dioscoro Alexandrino. Deinde cùm in medio consessûs sacrosancta Evangelia in sublimi loco collocarentur, quæ Typum Christi Domini gererent; ex eo intelligitur, illos, qui à parte sinistra sederent, à dextris Christi fuisse. Quò etiam respicit vetus ordo Romanus: *Sedebunt* (jubet) *eâ locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram; Presbyteri verò ad dextram, ut, quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dextram, Presbyteros contueatur ad sinistram.*

ſermo Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Vigilium Papam *de eo, quòd una ſit in Chriſto voluntas.* Sed teſtimonium hoc qualecunque ex eo repulſam tulit (x), quòd ex ipſa conditione ſeu ordine temporum Mennæ libellus omnino confictus videretur: cùm enim quinta Synodus anno XXVII. regnantis Juſtiniani ſub Eutychio Patriarcha convenerit, non apparebat, quâ ratione locus in ea eſſe potuerit Mennæ, ut qui anno XXI. ejusdem Imperatoris jam fato conceſſiſſet (*5). Non minùs falſitatis inſimulata ſunt, quæ ex ſuppoſitis ejusdem Concilii paginis de una operatione Vigilio affingebantur: dicebatur enim ab eodem Pontifice, Theodorum Mopſveſtenum anathemate percuſſum fuiſſe (y), eoquòd hic confiteri noluerit, Chriſtum eſſe unam Perſonam, & unam operationem. Nullum verò operationis unius veſtigium, cùm in Decreto ſeu Vigilii, ſeu Synodi à Judicibus deprehenderetur; omnibus perſuaſum eſt, pro Adverſariorum ſententia nihil eorum, quæ allata eſſent, ſuffragari. Quare majore cum aſſenſu in ACTIONE QUARTA die XV. Novembris lectæ ſunt Agathonis Papæ, & Romanæ Synodi binæ epiſtolæ, verioris doctrinæ indices (z). In QUINTA ACTIONE die VII. Decembris Macarius cauſam ſuam reſtauraturus, duos Codices protulit, qui ex Patrum ſenſu unam operationem in Chriſto ſtabilire dicebantur. His omnibus recitatis, Imperator juſſit, ut, ſi alias Patrum ſententias Adverſarii haberent, eas alterâ die proferrent (a).

(x) ibidem p. 1067.

Actio quarta.

(y) ibidem p. 1070.

(z) ibidem p. 1115.

Quinta Actio

(a) ibidem p. 1146.

4. In

*5) ACTA CC Tom. III in Synodo VI. Act. III. pag. 1067.: *Exurgentes Legati Apoſtolicæ Sedis Romæ exclamaverunt: Piiſſime Domine! falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi; nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt, ... eoquòd vigeſimo primo anno Juſtiniani divinæ memoriæ obiit Mennas. Quinta autem Synodus vigeſimo ſeptimo anno Imperii ejus congregata eſt, Epiſcopatum tenente hujus Regiæ urbis Eutychio ven. memoriæ. Et inſpicientes tam piiſſimus Imperator unà cum glorioſiſſimis Judicibus, & quibuſdam ex ſancta Synodo... Epiſcopis, & aperientes, & diſcernentes, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos, non habentes ſubnotationem numeri, qui ſecundùm conſuetudinem affigitur in quaternionibus. Sed in quarto quaternione habere primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum & tertium, ante quartum ſubſequenter: alias verò, & diſſimiles eſſe literas eorundem in exordiis ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, à literis, quæ priùs ſcriptæ ſunt in eodem Codice.*

An. 681. *Sexta Actio.* (b) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 1147. (c) ibidem p. 1150. *Septima Actio.* (d) ibidem p. 1154. *Actio octava.* (e) ibidem p. 1158. (f) ibidem p. 1162. (g) ibidem p. 1163. (h) ibidem p. 1175. (i) ibidem p. 1182.

4. In SEXTA itaque ACTIONE, quæ insequentis anni DCLXXXI. duodecimâ mensis Februarii peracta est, Macarius novum Codicem pro suo dogmate in medium attulit (b); verùm cùm sententias Patrum à Monothelitis truncatas ibidem contineri, Legati operosè contenderent (c); sequenti die in ACTIONE SEPTIMA sinceriora Patrum testimonia à Legatis Romanis adducta sunt, quibus duæ voluntates, & duæ operationes in Christo commonstrabantur. Postea à Georgio & Macario postulatum est, utrùm testimoniis relatis convenirent suggestiones Papæ Agathonis, & Synodi Romanæ? Negârunt enimverò hi, se quid statuere posse, nisi antea Patrum sententias cum libris Patriarchii contulissent. Data illis igitur sunt suggestionum exemplaria, ut examine inito, in proximo conventu certius quid responderent (d). Die VII. Martii in ACTIONE OCTAVA dum in quæstionem rursus vocabantur; Georgius Constantinopolitanus fatebatur, se expensis Patrum legitimis sententiis credere (e), adeóque penes se non stare, ut epistolis Agathonis, ac Romanæ Synodi deinceps accedat. Exemplum Georgii licèt alii complures Episcopi sequerentur; Theodorus tamen Meletenæ Antistes chartam obtrüdere ausus est, quâ urgebat, ut nil aliter decerneretur, quàm quod à quatuor Conciliis definitum fuisset (f); harum autem Synodorum cùm nusquam lex extaret, de una, aut de duplici operatione & voluntate, æquum haud videri, ut, contrà ac ii Patres voluissent, quidpiam ultra reprehendatur. Theodori mens minùs integra ubi cognita fuerat, adnitentibus cæteris Episcopis, quos in patrocinium erroris falsò appellaverat, in medio Synodi loco ad rationem reddendam consistere jubetur (g). Ad eandem stationem digredi subinde coactus est Macarius Antiochenus Patriarcha: negabat ille, se duas voluntates, aut duas operationes in Christo dicturum, etiamsi in frusta concisus, in mare projiceretur (h). Pertinaciam viri adeo non tulêre Patres, ut ex honorifica sede submotum, pallióque Patriarchali nudatum in medium prodire, ac rei partes tueri compellerent (i): illinc à Theophane rationibus novis pressus (*6), & de

(*6) THEOPHANES ex authoritate S. Augustini probabat, Adamum à Deo accepisse naturalem voluntatem ante peccatum; ex quibus conclusit Synodus, Christum

& de corruptis malignè Patrum veterum ſententiis convictus (k), (k) ibidem
illum quoque dolorem ſibi inuri ſenſit, quòd cùm maximus au- p. 1183.
thor fuiſſet, cur Vitalianus è diptychis expungeretur, ille idem
nunc (Georgio palàm agente) ſacris tabulis redderetur (l). Men- (l) ibidem
tis ejuſmodi acerba vulnera Macarium infami rubore coopertum p. 1163.
à publica luce poſtea abſtinuerunt; unde octavâ menſis Martii,
dum ACTIO NONA peragebatur, eodem abſente Stephanus *Actio nona.*
diſcipulus reſpondit: neque tamen, cùm vitiatæ Patrum ſen-
tentiæ rurſus recitarentur (m), quidquam, quo ſatisfaceret (*7), (m) Acta
habebat. Itaque de Macario ac Stephano poſtquam Synodus ſta- CC. T. III.
tuerat, quòd ſtuduerint divina dogmata ſubvertere, & doctri- pag. 1194.
nam corrumpere Patrum, & ſenſum adoptare Hæreticorum, 1195.
tandem definivit, eos ab omni Sacerdotali dignitate ac miniſte-
rio eſſe proſcriptos (n): Epiſcopis autem & Clericis, qui erro-
rem abjuraverant, ſervata dignitas eſt eâ lege, ut fidei libellos (n) ibidem
cum jurejurando Synodo offerrent. Die XVIII. Martii Epiſcopi p. 1198.
in ACTIONE DECIMA legi curârunt Patrum teſtimonia à Le- *Actio decima*
gatis laudata (o), quæ cùm Codicibus Patriarchii conſentanea ju- (o) ibidem
dicarentur, alii ſuſpecti Præſules, inter quos Petrus Nicomediæ, p. 1203.
& Theodorus Meletenæ libellos profeſſionis tradidère (p). Die (p) ibidem
vigeſimâ Martii in ACTIONE UNDECIMA, præſente Impera- p. 1250.
tore, audientibus duobus ſupra nonaginta Epiſcopis lecta eſt *Actio undecima.*
epiſtola Sophronii olim Epiſcopi Hieroſolymitani ad Sergium (q), (q) ibidem
excerpta quoque ex libris Macarii & Stephani loca quædam, quæ p. 1258.
cum Hæreticorum ſcriptis collata, non abſimilem habere ſenſum
judicabantur (r). Die XXII. Martii ACTIONI DUODECIMÆ (r) ibidem
pro Imperatore alius gerens vices interfuit: ibidem epiſtolæ Ser- p. 1299.
gii ad Cyrum (s), & ad Honorium (t), nec non Honorii epi- *Actio duodecima.*
ſtola prima ad Sergium (u) proferebantur: quibus recitatis, Ju- (s) ibidem p. 1310
dices (t) ibidem p. 1311. (u) ibidem p. 1319.

ſtum naturalem etiam habuiſſe humanam voluntatem. His ſubjungebantur tres Patrum orthodoxæ ſententiæ: I. S. Ambroſii, II. S Dionyſii Areopagitæ, III. S. Joannis Chryſoſtomi.

(*7) MACARIUS in Actione IX. ex Gregorii Theologi ſecunda Oratione de Filio unam voluntatem probare conabatur, ubi dicit: *Illius enim velle nec Deo eſt contrarium, cùm ſit totum Deificatum....* BASILIUS *Cortynæ dixit; Quam voluntatem Dei dicis Deificatam? Si divinam dixeris, quæ eſt divina, non eget Deificatione: ſi autem humanam, duas voluntates per hanc ſententiam vel invitus ſignificas.*

dices petiêre, ut Patres de Sergio, Honorio, & Sophronio ſententiam dicerent; verùm cùm maturioris id indaginis eſſet, ad ſequentem cœtum cauſa rejecta eſt. Antequam diſceſſio fieret, percontabantur Proceres, an Macarium (ſiquidem pœnitudine factorum teneretur) in Sedem reſtitui conveniret? Affirmare id nemo ex Synodo præſumpſit, quin ad regulam divinam cuncti provocantes decrevêre, ut juxta ſtatuta Canonum in ſede Doctoris reſidere ultra haud permitteretur (x). Die XXVII. Martii in ACTIONE DECIMA TERTIA Synodus damnabat epiſtolam Sergii ad Cyrum, & ad Honorium; & viciſſim Honorii ad (*8) Sergium: deinde ut, quorum maligna dogmata æquè ac nomina ab Eccleſia projicerent, Patres ſigillatim enunciarent, *Sergium*, *Cyrum Alexandrinum*, *Pyrrhum*, *Petrum & Paulum*, *Theodorum Pharitanum*(nam horum Agatho in ſuggeſtione ſua ad Imperatorem meminit) Communione Eccleſiaſticâ abdicârunt (y). Præter hos autem ex ſancta quoque Dei Eccleſia ejiciendum, & anathemate feriendum putârunt *Honorium*, propterea quòd invenerint per factas ab ipſo literas ad Sergium, eum illius ſententiam eſſe ſecutum in omnibus, & ejus impia dogmata confirmâſſe (†). Cæterùm Sophronii non minùs laudata epiſtola eſt, quàm ejus nomen diptychis inſertum. Poſtea eorum, quorum ſcripta olebant hæreſin,

(x) ibidem p. 1327.

Actio decima tertia.

(y) ibidem p. 1331. 1334.

(†) REFLEXIO II.

(*8) ACTA CC. Tom. III. Act. XIII. pag. 1331. & 1334. Synodus decernit: *Retractantes dogmaticas epiſtolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: ſimiliter autem & epiſtolam ab illo, id eſt, Honorio reſcriptam ad eundem Sergium: háſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas Hæreticorum; eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem, id eſt, eorundem, impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta Dei Eccleſia projici judicavimus: id eſt, SERGII quondam Præſulis hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis,... CYRI Alexandriæ, PYRRHI, PETRI & PAULI, qui & ipſi Præſulatu functi ſunt in Sede.. hujus civitatis, & ſimilia eis ſenſerunt; adhæc & THEODORI quondam Epiſcopi Pharan, quarum omnium ſuperſcriptarum perſonarum mentionem fecit Agatho... Papa.... in ſuggeſtione, quam fecit ad piiſſimum noſtrum & magnum Imperatorem, eóſque abjicit, utpote contraria rectæ fidei ſentientes, quos anathemati ſubmitti definimus, cum his verò ſimul projici à ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimúlque anathematizari prævidimus & HONORIUM, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eoquòd invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.*

hæresin, volentibus Judicibus relegebantur (z): ac ne quid industriæ omitteretur, de eorum quoque commentationibus quæsitum est, qui post Petrum Sedem Constantinopolitanam tenuissent. Itaque de scriptis *Thomæ*, *Joannis* & *Constantini* Patriarcharum examen initum est; sed discussis omnibus, cùm orthodoxa mens singulorum ostenderetur, commendatâ eorum fide decretum est, ut horum Præsulum nomina diptychis nequaquam eximerentur (a). Postremùm unà cum aliis libellis legebatur epistola altera Honorii ad Sergium (b): lecta pariter epistola Pyrrhi ad Joannem IV., quæ scripta quia non minùs detestanda censebantur, igne coram Synodo exusta sunt. Die quintâ mensis Aprilis ACTIO DECIMA QUARTA suscepta est: in hac ubi unà cum Judicibus, ac reliquis Episcopis etiam Theophanius novus Antiochiæ Archi-Episcopus in Macarii locum surrogatus consederat; quæstione de Codicibus quintæ Synodi institutâ, inventum est, sermonem Menæ ad Vigilium, & duos alios ejusdem Vigilii libellos à Stephano Macarii discipulo confictos ac suppositos fuisse (c). Die XXVI. Aprilis ACTIO DECIMA QUINTA Polychronii Presbyteri fraudes detexit. Nam cùm idem Monothelita errorem suum miraculo se comprobaturum Patribus spopondisset, hæc verba: *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Dei-virilem operationem, non est Christianus*, chartæ inscripta cadaveri imposuit, sperans, primo attactu mortuum ad vitam excitatum iri: verùm post multas horas ubi invalidas præstigias frustra adhibuerat, tanquam seductor populi, & pertinax Hæreticus omni Sacerdotali ordine ac officio denudatus est (d). Die nonâ Augusti, quando ACTIO DECIMA SEXTA peragebatur, auditus est Constantinus Presbyter Apameæ Syriæ, qui Synodo concordiæ modum suggerere conabatur, quo controversiam de una, vel duabus voluntatibus & operationibus ex facili conciliandam jactabat (e): novum autem Henotici genus eò spectabat, ut Christus humanam quidem voluntatem habuisse diceretur, sed quam in morte cum carne & sanguine exuisset; ac proinde post anastasin in Christo divinam duntaxat remansisse voluntatem. Non potuit non displicere Patribus hoc fidei simulachrum, quod ex Manetis & Apollinarii erro-

(z) ibidem p. 1335.

(a) ibidem p. 1351.

(b) ibidem p. 1351. 1354.

Actio decima quarta.

(c) ibidem p. 1362.

Actio decima quinta.

(d) ibidem p. 1375.

Actio decima sexta.

(e) Act. CC. Tom. III. p. 1383.

erroribus conflatum esset; quare impostor anathemate percussus, ac Synodo ejectus est. Die XI. ac XVI. Septembris in ACTIONE DECIMA SEPTIMA, & DECIMA OCTAVA edita est & promulgata fidei definitio unà cum subscriptionibus Legatorum, Episcoporum, & Imperatoris (*9); in definitione verò (f) Authores erroris, & organa Diaboli dicuntur Theodorus Episcopus Pharitanus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Regiæ urbis Antistites, insuper & Honorius, qui fuit Papa antiquæ Romæ, Cyrus Alexandriæ, Macarius Antiochiæ, & Stephanus ejus discipulus (*10). Post lectam definitionem Episcopi profitebantur, se ita credere; laudes dicebant Imperatori, anathema Hæreticis,... (g) Sergio & Honorio. Ista excepit sermo acclamatorius ad Imperatorem à Synodo compositus (h), quo ipsum etiam

Actio XVII. & XVIII.

(f) ibidem p. 1398.

(g) ibidem p. 1414.

(h) ibidem p. 1415.

(*9) Legati Agathonis primi subscripsêre (inter quos duo Presbyteri, tertius Diaconus) tum Archi-Episcopi, Legati Synodi Romanæ, Metropolitæ & Episcopi; post Episcopos subscripsit Imperator: *Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus.*

(*10) Definitioni fidei præmissum est Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum (uti in Actis CC. Tom. III. pag 1395. habetur) deinde priores quinque Synodos etiam Patres confirmârunt, tum addidêre fidei definitionem, quæ habetur pag. 1398.: *Sanctum & Universale Concilium dixit: Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxæ fidei cognitionem atque confirmationem, pium ac orthodoxum hoc divinæ gratiæ symbolum* (scilicet Constantinopolitanum I.) *sed quoniam non destitit ab exordio adinventor malitiæ cooperatorem sibi serpentem inveniens,.... & ita organa ad propriam suî voluntatem apta reperiens Theodorum dicimus,.... Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum,.... insuper & Honorium,... & Cyrum,... Macarium quoque,.... & Stephanum ejus discipulum non vacavit* (cessavit) *per eos plenitudini Ecclesiæ erroris scandala suscitare, unius voluntatis, & unius operationis in duabus naturis, unius de SS. Trinitate, Christi veri Dei nostri* &c. Cæterùm *Universalis Synodus fideliter suscipiens ... suggestionem Papæ Agathonis, assecuti quoque Oecumenica quinque Concilia.... consonanter confiteri, definientes Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum.... perfectum in Deitate, & perfectum in humanitate, .. & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundùm SS. Patrum doctrinam prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem; sed potiùs & subjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.... His igitur cum omni undique cautela atque diligentia à nobis formatis, definimus aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere.... Qui verò præsumpserint fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum,..... hos, siquidem Episcopi fuerint, aut Clerici, alienos esse, Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos verò à Clero: sin autem Monachi fuerint vel Laici, etiam anathematizari eos.* Postremùm adverte, ab hac Synodo compositos non esse Canones, imò novem illi, qui circumferuntur, decerpti sunt è Theodati Aurelianensis Capitulis.

etiam rogabant, ut Edicto (i) Concilium firmaret, quatenus his, quæ gesta erant, nullus contradiceret, aut novam quæstionem moliretur. Exempla definitionis ab Imperatore subsignata utì cæteris Sedibus Patriarchalibus tradebantur; ita Patres synodicam relationem ad Agathonem Papam perscripsêre, confirmationem Actorum postulântes (*11).

(i) ibidem p. 1445.

5. S. Agatho priusquam Synodi literas reciperet, mortalitate suâ functus est die decimâ Januarii anni DCLXXXII., postquam sedit annos duos, menses sex, & dies tres (k). Ante obitum à Constantino Pogonato impetraverat, ne in Pontificis electione pecunia aut frumentum penderetur; quæ tributa Gothorum Reges Ariani à Pontificibus persolvenda indixerant (*12). Exacto septem mensium Interpontificio, successit LEO II., natione Siculus, quem eloquentia singularis, literarum divinarum ac linguarum peritia, tum etiam insignis virtus ad tantum munus præparaverat (l). Necdum electi Pontificis consecratio peracta fuerat (*13); tum Legati mense Julio Constantinopoli Romam redierunt, Acta Synodica unà cum Imperatoris literis deferen-

Mors Agathonis Papæ. An. 682.

(k) Anastasius in vita.

Decretum Imperatoris pro ordinatione Papæ.

Leo II. Papa.

(l) Anastas. in vita.

(*11) EXEMPLUM *literarum* ad *Agathonem missarum* habetur in Actis CC. T. III. pag. 1438., in cujus fine pag. 1439. hæc subjiciunt PP.: *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus. Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem.*

(*12) ANASTASIUS de Agathone ait: *Hic suscepit divalem jussionem secundùm suam postulationem, ùt suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, ut, si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi priùs Decretum Generale introducatur in Regiam urbem, secundùm antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Non additur tamen tempus, quo Agatho id Rescriptum obtinuerit. *Pagius* notat, potestatem approbandi electionem Papæ antea Exarchis Ravennæ fuisse permissam; quam nunc Constantinus sibi reservat.

(*13) ANASTASIUS de Leone II. scribit: *Qui suprascriptus Sanctissimus Vir ordinatus est* (17 Augusti) *à tribus Episcopis, id est, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo, quòd Albanensis Ecclesia Episcopum minimè tunc habuit;* ex quo falli constat Sigonium docentem, ante Leonem II. à solo Episcopo Ostiensi Papam consecrari solitum esse. Nam cùm asserat Anastasius, ideo in locum Episcopi Albanensis subrogatum esse Veliternensem, quòd Albanenses Episcopo carerent; id argumento est, moris antea fuisse, ut simul cum Ostiensi & Portuensi etiam Albanensis ordinationi Papæ ministraret. Vide MABILLONIUM in cap. 18. Commentarii ad Ordinem Rom. Tom. II. Musei Italici pag. 118.

ferentes (*14). Leo Papa his acceptis ad Constantinum rescribens, laudat Imperatoris fidem, & eosdem, quos Concilium damnaverat, proscribit (*15. Interea Imperator Constantinus Maca-

(*14) Constantinus in literis ad Leonem (quæ habentur in Actis CC. Tom. III. pag. 1459.) breviter refert gesta in Synodo, cætera ait cognoscenda ex Actis, rogátque, ut Leo Apocrisiarium mittat Constantinopolim. Idem Imperator aliam epistolam similis argumenti direxit ad Synodum Romanam (quæ extat in Actis CC. Tom. III. pag. 1463) In hac & præcedente mentio fit de Macario damnato, de definitione fidei; nihil verò de Sergio, Cyro, Honorio &c. In fine primæ dicitur, quòd missa sit epistola XIII. Decembris Indîct. X., quod & in Græco habetur. Secunda verò dicitur data decimo Kal. Jan., Imperatoris anno XXIX., post Consulatum ejus XIII., Indictione X.; quæ verba habentur in Latino textu, non in Græco.

(*15) EPISTOLA LEONIS II ad CONSTANTINUM in Actis CC. T. III. pag. 1471:.... *Legatos hujus Apostolicæ Sedis.... cum divalibus Clementiæ Vestræ apicibus, & synodalibus gestis cum magno jucunditatis gaudio suscepimus... Igitur gestorum synodalium seriem recensentes,... eadem, quæ Apostolicæ Sedis Legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim, quòd sancta & Universalis sexta Synodus, quæ per Dei gratiam Imperiali Decreto in Regia urbe nuper congregata est, eadem, quæ & universum Concilium assidens huic sanctæ Sedi Apostolicæ, cujus ministerio fungimur, senserit, atque decreverit sub orthodoxa fidei integritate, regulisque Majorum..... Propterea sicut suscepimus, atque firmiter prædicamus sancta quinque Universalia Concilia, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat & sequitur: ita & quòd nuper in Regia urbe pro Vestræ Serenitatis annisu celebratum est sextum Concilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans pari veneratione, atque censurâ suscipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tanquam unâ & æquali Dei gratiâ congregatum decernimus, & qui in eo fideliter convenerunt Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres atque Doctores adscribendos æquè censemus. Nam & istis, sicut & illis, idem Spiritus salutem animarum operatus est.... Anathematizamus præterea atque execramur omnes hæreses, omnésque earum authores atque fautores.... Pariter anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores* (insidiatores) *magis quàm Præsules, nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam maculari permisit* (ita habet Græcus textus, ex quo corrigendus Latinus, qui habet: *immaculatam fidem subvertere conatus est.*) *Similiter anathematizamus Macarium, Stephanum, Polychronium,... qui similia eorum sapuerunt vel sapiunt, qui unam scilicet voluntatem, & unam operationem dicere præsumpserunt vel præsumunt in duabus naturis Domini nostri JEsu Christi.* Adverte, à BARONIO duas epistolas Constantini ad Leonem & Synodum Romanam, & epistolam Leonis ad Constantinum inter suppositas haberi; I. quia tempus subnotatum non convenit, sed *Pagius* hoc sufficere negat, quia facilè potuit mendum irrepere in notas temporum. Ex rebus gestis videtur colligi hic ordo: Synodus finita est mense Septembri anno 681. Indict. X. Constantinus detinet Legatos per hyemem, & donec cum iis posset mittere exemplum synodicorum Actorum, Agatho moritur X. Januarii. Eodem mense vel sequenti eligitur Leo: Decretum Electionis mittitur Constantinopolim. Constantinus approbationem electionis, epistolas suas ad Leonem & Synodum, & gesta synodalia tradit Legatis mense Aprili vel Majo: Legati veniunt mense Julio Romam: Leo ordinatur mense Augusto. Igitur in epistola Con-

Macarium & ſocios erroris ad Leonem miſerat, ut, ſi quid valeret paternâ curâ, errantes ad viam veritatis reduceret (m). Verùm Pontifex quoque operam perdidit in ſanandis iis, qui animum ad omnia monita obſtinaverant; quare in diverſa Monaſteria detruſos, ne alios inficerent, à luce publica abſtinuit (n).

(m) Leonis epiſtola ad Conſtantin.

(n) Anaſtaſius Bibl.

6. Utiliùs Leo Papa ſubinde laboravit, dum non ſine Occidentalium commodo ſextam Synodum in Latinum vertit (o): &, ut reciperetur, ad varias Provincias direxit. In Hiſpania Monothelitarum error vel minùs hucuſque cognitus, vel contemptui habitus erat: unde Præſules (neglectis Orientalium litibus) in Synodis ea tantùm curabant, quæ ad præcipuum Trinitatis Myſterium, quæque ad diſciplinam ſuarum Eccleſiarum pertinebant (p). *Emeritæ in Luſitania* anno DCLXVI. celebrata Synodus Concilia Provincialia quot annis peragenda injungit (q): permittit Epiſcopis, ut Clericos ex Parochiis ad Cathedralem ſuam transferant. Sic verò translati, quamvis aliquo ſtipendio ab Antiſtite donentur, ab Eccleſiis, in quibus antea miniſtrabant, & à rebus earum extranei ne ſunto; ſed Presbyterum nominent ab Epiſcopo in iis Parochiis eorum loco inſtituendum, cui victum & veſtitum procurent (r). Oblationes ita dividi ſtatuit, ut pars una cedat Epiſcopo: altera Presbyteris & Diaconis diſtribuatur: tertia inter Subdiaconos, & inferiores Clericos à Primicerio dividatur (s): Curatis ſecundùm facultates Parochiarum ſuarum Clericos adlegere imperat, quos inſtituant, & quibus tum ad officium ſanctum dignè peragendum, tum ad obſequia domeſtica utantur (t). Præterea decernit, ut Presbyter, cui plures Parochiæ regendæ commiſſæ ſunt, quòd ſingulæ uni alendo Presbytero

(o) Anaſtaſ.

An. 666.

(p) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 998. *Concilium Emeritenſe.*

(q) Can. 5. 6. 7.

(r) Can. 12.

(s) Can. 14.

(t) Can. 18.

Conſtantini corrigendus eſt menſis, & pro Decembri ſubſtituendus eſt Aprilis vel Majus: cæterùm notatio temporis, quæ eſt in epiſtola Conſtantini ad Synodum, non habetur in Græco, adeóque meliùs omittitur. Similiter quia in fine epiſtolæ Leonis notatur Julius elapſæ Indictionis X, omitti hæc ſubnotatio quoque ſine ſcrupulo poterit. II *Alterum* BARONII *argumentum* potiſſimùm pugnat contra epiſtolam Leonis; nam ibi ait: *& Honorium, ... & omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt.* Dici autem non poſſe videtur, Honorium, ſi erravit, in errore defunctum; ùt qui ad S. Petrum cum honore ſepultus fuit: ſed τὸ *&* non eſt cauſalis particula, cur damnati ſint, quia etiam, qui adhuc vivebant, utpote Macarius, Stephanus, Polychronius, anathemate fuerant percuſſi.

bytero non ſufficiant, pro ſingulis Dominicis in ſingulis Miſſas celebret, & eorum, qui Eccleſias illas fundârunt, vel dotârunt, nomina recitet ad altare (u). Anno DCLXXV. *Toleti undecima Synodus* convenit, cujus præcipui Canones decernunt, ut ſingulæ Eccleſiæ in ordine & ritu divini officii Metropolitanam Sedem ſequantur, ne Monaſteriis quidem exceptis, ne quis Sacerdotum capitalem ſententiam ferre audeat, atque ut Sacerdotes, qui pecuniam pro Baptiſmo, Chriſmate, aut Ordinationibus exigunt, anathemate plectantur; útque Energumeni à ſacris Miniſteriis removeantur (x). Circa idem tempus *Bracaræ* congregatum Concilium Sacerdotum abuſus correxit; unde vetitum, ne abſque Orariis celebrent, ne lac aut uvas non expreſſas offerant, néve Euchariſtiam vino madidam populis porrigant, aut vaſa ſacra profanis uſibus adhibere præſumant (y). Anno DCLXXXI. *Toletana Synodus duodecima* celebrata eſt in favorem Ervigii Regis, cujus Regnum non tantùm contra æmulum Wambam Præſules ſtabilire, ſed & ejusdem potentiam in ſacra amplificare ſervili obſequio ſtuduerunt (z). Ex novem Canonibus ſextus antiquam ordinationum formam planè evertit; nam cùm antea Metropolitanus electum à Clero aut confirmatum ordinaret, ordinandi nunc & confirmandi totâ ditione Epiſcopos, quos Rex nominâſſet, Archi-Epiſcopo Toletano jus conceſſum eſt (a). Anno DCLXXXIII. *decima tertia Toleti Synodus* congregata duodecim Canones edidit (b), quibus ex voluntate Regis Epiſcopi ſtatuerunt, ut nemini fas ſit viduas Reginas ducere, vel adulterinâ pollutione contaminare. *Decimus* verò *Canon* de Gaudentio Valerienſi Epiſcopo decernit: cùm in infirmitate poſitus, pœnitentiam ſolenni ritu ſuſcepiſſet, quin ullum tamen mortale crimen eſſet confeſſus, ut ex ſolitis diſciplinæ regulis ſacri Ordinis contrectare Myſteria, & Miſſarum ſolita officia explere valeat (c).

7. Epiſcopi Hiſpaniæ vix à Synodo digreſſi fuerant; tum Petrus Subdiaconus Romanus literas attulit Leonis, quibus idem Pontifex definitionem Synodi ſextæ de duarum naturalium in Chriſto voluntatum ac operationum aſſertione, & acclamationem factam ad Imperatorem, & Conſtantini Edictum in Latinum de Græco

(u) Can. 19. *Synodus Toletana undecima.*

(x) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 1018. *Synodus Bracarenſis.*

(y) ibidem p. 1031. *Synodus Toletana duodecima.*

(z) ibidem p. 1715.

(a) Can. 6. Synodi Tolet. XII.

An. 683. *Synodus decima tertia Toletana.*

(b) Acta CC. T. III. p. 1738.

(c) Can. 10. Synod. Tolet. XIII.

Græco translatum mittebat (*16), déque damnatione illorum, quos congregati Patres ob erroris adjumentum aut patrocinium anathemate feriendos censuerint; tum hortabatur omnes, ut in Synodum congressi, sententiæ Concilii Generalis subscriberent. Ejusdem argumenti literas Papa dedit ad Quiricium Episcopum, & ad Simplicium Comitem: demum ad Ervigium Hispaniæ Regem; quapropter Acta sextæ Synodi privatim ad singulos Præsules missa sunt, ut de iis in proxima Synodo responderent. Verùm antequam Concilii, quod meditabantur, darent initium; Leo II. Pontifex vitæ & sedis, quam in undecimum mensem tenuerat, finem fecit anno DCLXXXIII., sepultus III. Julii; cessavit inde Episcopatus menses undecim, & dies viginti duos, quibus elapsis, cùm Imperator ad Clerum Romanum, populúmque dedisset literas: ut persona, quæ electa fuerit ad Sedem Apostolicam, è vestigio absque cunctatione Pontifex ordinetur (d): BENEDICTUS II., cui sua suffragia jam multò antea omnes contulerant, consecratus est Pontifex die XXVI. Junii anno DCLXXXIV (e). Prima post hæc cura supremi Pastoris erat, ut, quæ Leo Antecessor Hispanis Episcopis de recipienda sexta Syno-

Epistola Leonis ad Hispanos.

Mors Leonis II. Papæ.

(d) Anastas.

Benedictus II. Pontifex.

(e) Idem

An. 684.

(*16) *Leonis epistolæ* ad Hispanos habentur in Collect. CC. T. VI. edit L'Abbe. BARONIUS movet difficultatem præcipuè contra epistolam ad Episcopos Hispaniæ; nam Leo dicit ibidem se non potuisse mittere integra Acta: Episcopi autem Hispaniæ in Synodi XIV. cap. 2. profiteri videntur, se integra gesta accepisse. Epistolæ tenor hic erat: Primò laudat Pontifex Hispaniæ *Episcoporum fidem*: tum narrat, *Constantinopoli* sextum celebratum fuisse Concilium, cui Legati Sedis Apostolicæ præsedissent, ibique receptam *Agathonis* Papæ, & Romanæ *Synodi definitionem* pro *confirmatione duarum naturalium voluntatum & operationum in uno Domino nostro JEsu Christo.... Qui verò adversùs Apostolicæ Traditionis puritatem perduelles extiterunt, abeuntes quidem æternâ condemnatione mulctati sunt, id est, Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ùt decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit;.... & quia quæque in Universali Synodo gesta, & Græcè conscripta sunt: & necdum in nostrum eloquium examinatè translata, definitionem interim ejusdem VI. Concilii, & acclamationem factam ad Imperatorem, paritérque Edictum Imperatoris in Latinum de Græco translatum per latorem præsentium vobis direximus.* Verùm Episcopi in Toletano non asserunt, se recepisse integra, sed sufficienter intellexisse res gestas ex iis, quæ transmissa sunt, nempe definitio fidei, sermo acclamatorius, & Edictum Constantini, item epistola Leonis, in quibus varia habetur præcipuorum gestorum narratio. Præterea quoniam istud Concilium habitum est mense Novembri anno 684., potuerunt etiam integra Acta sextæ Synodi in Latinum transferri, & in Hispaniam mitti, cùm à tempore, quo Leo epistolam scripsit, scilicet Junio anni 683. ad Novembrem anni 684. intercedant septendecim menses.

Synodo, generalíque conventu convocando injunxerat, quamprimùm exequeretur; itaque Ervigium Regem, Præſuléſque rurſus monuit: at Concilium totius nationis, utì arduum negotium exigebat, cogere tunc non ſinebant Regni calamitates. Quod ergo pro illo tempore facilius erat, particulares Synodi in quibusdam Provinciis agebantur, eâ lege, ut, quidquid primarum ſedium Præſules ibi ſtatuiſſent, id etiam cæteri quâdam propagatâ concordiâ obſervarent. Hoc conſilio imbuti Carthaginenſis Provinciæ Antiſtites cum Legatis aliorum Metropolitarum in urbe Toletana convenêre: & definitionem Synodi probantes (*17), inſuper voluerunt; ut iſta Synodus deinceps cum quadam honoris ſignificatione poſt Concilium Chalcedonenſe collocaretur (f). Benedicto Papæ cum his Actis tranſmisêre volumen, in quo Myſterium Incarnationis latè exponentes, quædam admiſcuerant, quæ Pontifici velut minùs cautè dicta videbantur; præterquam enim quòd *tres in Chriſto ſubſtantias* dicerent, de generatione etiam divina his utebantur vocibus: *Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam* (g). Benedictus proinde perlecto Hiſpanorum libro, ad eos reſcripſit, ut has dictionum formulas emendarent. Antea verò quàm literæ Benedicti in Hiſpaniam deportarentur; idem Pontifex è vivis exceſſit ſeptimâ Maji

Synodus Toletana decima quarta.

(f) Synodi Tolet. XIV. cap. 6.

(g) Rodericus 11. Hiſtor. Hiſp.

An. 685.

Mors Benedicti II.

(*17) Synodus Toletana XIV. cap. 2. declarat, ſe ſextæ Synodi Acta recepiſſe cum Leonis Papæ literis, *per quæ omnis ordo geſtorum noſtris ſenſibus patuit*: in quibus etiam omnes Hiſpaniæ Præſules invitati ſunt, ut *prædicta Acta noſtri etiam vigoris manerent authoritate ſuffulta, omnibúſque per nos conſiſtentibus pateſcerent divulganda.* Ubi adverte, ſuffragia ejuſmodi neceſſaria *non* fuiſſe *ad vim obligandi conciliandam*; nam Synodus Oecumenica jam definierat: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, & iis, qui non acquieſcerent, *anathema* dixerat; *reliquis* igitur *ſolius obedientiæ partes relinquebantur*, licèt abſentium Epiſcoporum conſenſum *ad majorem unitatem*, & *hæreſeos ſubverſionem* quandoque requirat Eccleſia. Hinc Clerus Gallicanus in Actis anno 1715. damnavit has propoſitiones ùt hæreticas & ſchiſmaticas: *Synodus quantumvis ſit generalis, non ita ei propria eſt Cathedræ authoritas, ut non remaneat apud abſentes Epiſcopos, qui reclamare poſſunt, eorúmque recipi debet oppoſitio: Conciliique Oecumenici definitio ſemper pendet à ſuffragiis abſentium. Væ his, qui non examinant propoſitiones ab Epiſcopis, & Romano Pontifice damnatas. Examen illud prohibetur, non quo veritas, & verus propoſitionum ſenſus inquiritur, ſed quo quis dubitans, an rectè damnatæ ſint, eas defendere paratus eſſet, ſi veræ ſibi apparerent.* In ſequentibus capitibus Patres Toletani Synodi definitionem ſuſcipiunt; nam dicunt: *Pari animorum judicio prædicta geſta cum antiquis Conciliis conferentes.... iteratò... probavimus,... Decretis quidem illis Synodalibus & præcipuis in omnibus conſona* &c.

Maji anno DCLXXXV.: in ſede menſium decem, ac dierum duodecim licèt breve ſpatium emenſus (h), Epiſcopum tamen ſe probavit, in quo verè ſupernæ benedictionis gratia, excelſarúmque virtutum chariſmata redundarent. Conſtantinus Imperator tanti eum fecit, ut filiorum ſuorum detonſos capillos eidem miſerit, palàm facturus, quòd hoc ſigno pro illius ætatis more (*18) Papam in ſpiritualem filiorum ſuorum Patrem adoptaret. Quàm placidi ingenii fuerit, ex eo, quo Macarium ad Eccleſiæ ſinum revocare ſtudebat, modo intelligas; Theophane namque Patriarchâ Antiocheno defuncto, pollicebatur Macario, illum ſedi priſtinæ reſtituendum, dummodo hæreſin ejurare feſtinaret: ſed durior hominis animus erat, quàm ut mitiſſimi Pontificis promiſſis cederet (i). Ad meliorem tamen eodem tempore mentem reverti viſus eſt Theodorus olim Patriarcha Conſtantinopolitanus; paci quippe Eccleſiæ, cui infeſtior antea ſede ſuâ exciderat, ad ſpeciem magìs inclinatus, Patriarchatûs honores omnino recepit, & ad annum DCLXXXVI. ſibi fatalem tenuit (k).

(h) Anaſtaſius in vita.

Ejus res geſtæ ac virtutes.

(i) Acta Synodalia Concilii Nicæni II. Act. I.

(k) Nicephorus in Chronico.

8. Romæ interea poſt Benedictum II. JOANNES V., natione Syrus, die XXIII. Julii anno DCLXXXV. (l) ſolennitate ſuetâ, quin Imperatoris nova mandata exſpectarentur, Pontifex inauguratus eſt. Ad hunc Juſtinianus (nam Pater Conſtantinus jam ſub initium Septembris obierat) literas dedit (*19), quibus ſignificabat, Acta ſextæ Synodi hactenus apud Judices ſervata, nunc coram Apocriſiario Papæ, Patriarchis, Epiſcopis, militiæque Ducibus in palatio relecta fuiſſe, & Imperatoris (ne quid in iis immutaretur) cuſtodiæ, fideíque commiſſa (m). Seriùs hæc epiſtola Romam venerat, quàm ut viventi Joanni tradi poſſet (n): is enim jam ſecundâ Auguſti anno DCLXXXVI. vix

Joannes V. Pontifex.

(l) Anaſtaſius in vita.

(m) Div. juſſio Conſtantini ad Joannem PP.

An. 686.

(n) Pagius in Brev. PP. p. 479.

(*18) PAULUS DIACONUS Lib. 6. de geſtis Longob. cap. 53.: *Carolus Princeps Francorum Pipinum filium ſuum ad Luitprandum* (Longobardorum Regem) *direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet. Qui ejus cæſariem incidens, ei Pater effectus eſt, multisque eum ditatum Regiis muneribus Genitori remiſit.* Vide *Pagium* in Breviario PP. Tom. I. p. 474. n. 8.

(*19) Extat Epiſtola Juſtiniani Imperatoris ſubjuncta ſextæ Synodo, inſcripta Joanni Papæ in fine: *Data decimo tertio Calend. Martias Conſtantinop. Imperiali Domo, piiſſimo perpetuo Auguſto Juſtiniano Imp. anno II., & poſt Conſulatum ejus anno II. Indict. XV.* Epiſtola illa tantùm Latina habetur.

Mors Joannis V. Papæ. ſupra annum diebus decem evolutis, vitam, ſedémque reliquerat Cononi, genere Thraci; cujus electio hoc ſingulare habuit: quòd, cùm Clerus Petrum Archi-Presbyterum, exercitus verò Theodorum Presbyterum in Papam adverſantibus inter ſe ſtudiis, ſuffragiísque depoſcerent, mutato repentè & concordi conſilio in tertium, eúmque CONONEM convenerint, *Conon Pontifex.* qui proinde die XXI. Octobris conſecratus, brevem Pontificatum adivit (o), undecim vix menſium ſpatio exacto rurſus defunctus die XXI. Septembris anno DCLXXXVII.

(o) Anaſtaſius in vita.

An. 687.

9. Quantiſcunque verò anguſtiis Cononis vita circumſcriberetur; Francia tamen Orientalis ab eodem Pontifice ampliſſimam ſalutem, primúmque Apoſtolum Kilianum (*20) accepit. *S. Kilianus Francorum Orientalium Apoſtolus,* Sive ex Scotia, ſive Hibernia hic oriundus (*21), à prima ætate in ſacrarum literarum ac virtutum ſtudio tam utilem, ſublimémque operam collocaverat, ut Clero adſcriptus (*22), per aliquod

(*20) NICOLAUS SERARIUS in *S. Kiliani geſtis* Notatione II. variè nomen ejus ſcriptum ſe inveniſſe teſtatur, alibi *Chilianus*, *Chillianus*, & *Kilianus*, in ipſius etiam epitaphio, & quibusdam MSs. Codicibus *Killena* & *Kyllena* appellatur; unde autem etymus nominis deſumendus ſit, an à Calice Latino, vel à Græco κύλιξ, vel à Cella, vel aliunde, obſcurum eſt, utì SOLLERIUS noſter in Actis SS. ad VIII. Julii affirmat.

(*21) IDEM Notatione III. advertit, Scotiam S. Kiliano Patriam fuiſſe. MARIANUS SCOTUS Hyberniam ei tribuit. Sed ANONYMUS RAVENNAS Lib. 5. c. 32. apud Eckhart. Tom. I. rer. Franc. Lib. 16. pag. 271. ita ait: *Britanniam versùs Septentrionem habere Inſulam Scoticam,... iterum in eodem Oceano Occidentali, poſt ipſam Magnam Britanniam, ſimúlque & ampliùs longiùs (ùt diximus) quàm omnes Inſulæ à terra magnâ finitâ parte Septentrionali, magis ex ipſa Occidentali, eſt Inſula maxima, quæ dicitur HIBERNIA, quæ (ùt dictum eſt) & SCOTIA appellatur.* Nam cùm ex Hibernia Scotorum pars egreſſa in Pictorum Patria conſederit, ùt teſtatur *Beda* Lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 1., inde nomen eorum eidem regioni obtigit; ita *Scotia* una *vetus*, ſive Hybernia, & *recentior Scotia* in Septentrionali Britannia recenſentur. Ex qua autem S. Kilianus egreſſus ſit, nec Sollerius loc. cit., nec Eckhartus audent definire, aliis Authoribus pro diverſo affectu alia ſtatuentibus.

(*22) INTERPOLATOR *vitæ S. Kiliani*, Sanctum iſtum *Monaſticam* profeſſum eſſe, & Abbatis munere functum ſcribit; & ſi TRITHEMIO credimus, in Hyenſi Monaſterio. Verùm major fides habenda eſt Biographo ſcribenti: Kilianus *congregatis in unum ſuis ſociis atque diſcipulis,... aliis ſeptem illis adjunctis, cœpit eis perſuadere, propria contemnere, Patriámque & Parentes... relinquere, & nudos ſequi Chriſtum;... illi verò obtemperantes firmiter coadunati, relictis omnibus, de propria perrexerunt Patria.* Ex quibus verbis colligitur, necdum illos ſua reliquiſſe antea, adeóque monaſtico inſtituto, quod tamen id exegiſſet, minimè addictos fuiſſe. Neque dum ſe accingebant Miſſionibus, impedimentis relictis, Profeſſores Monaſtices eſſe cœperunt, niſi omnes Apoſtolos ejuſmodi vitam ſecutos eſſe velis.

quod tempus novellæ adhuc Anglo-Saxonum Ecclesiæ profuerit. Post hæc altiore incitatus spiritu, ad conversionem exterarum Gentium applicuit animum: quo consilio Episcopalibus auctus insignibus (*23), alios laborum socios sacris Ordinibus itidem initiatos anno DCLXXXVI. secum trans mare in Germaniam deduxit (*24). Cum his bene longum iter emensus, tandem ad Castellum devenit Mœno vicinum, quod *Wirceburgum* jam Veteres dixêre (*25): & loco, & Genti Francorum Orientalium *Ejus socii.*

(*23) De *Episcopatu S. Kiliani* duplex quæstio agitatur, quarum *prima* est, ubi Episcopatum susceperit? *Altera*: an primus Episcopus fuerit Herbipolensis? Ad I. ℞. Sanctum Kilianum, antequam Cononem Papam convenisset, jam *Pontificem* appellari; nam apud *Sollerium* in Comment. prævio ad VIII. Julii dicitur: *Prædictus PONTIFEX Kilianus amabiliter & honorabiliter susceptus*, scilicet à Conone,.... acceptâ autem *licentiâ & potestate prædicandi & docendi*, inde ad Missionem suam eodem anno 686. rediisse. Unde discedimus ab Egilwardo, qui S. Kilianum Romæ ordinatum putat. Nos Sollerio adstipulamur, notanti, quòd Sanctus jam in Patria Episcopatu initiatus fuerit. *Altera quæstio*, an Episcopus primus Wirceburgensis dici queat? Ad quam ℞. II. contra Sigebertum, & paucos alios, Kilianum non Wirceburgensem primum Episcopum, sed Regionarium & Apostolicum fuisse; antequam enim Wirceburgum cogitaret, jam consecratus erat Episcopus. Moris autem erat apud Scotos & Hibernos (ùt videre est apud *Mabillonium* in Tom. II. Annal.) plures Episcopos sede carentes creare, qui dein Patriâ egressi, Episcopalia munera exercebant. Neque ex eo dicitur primus Wirceburgensis Episcopus, quòd postea Ecclesiam illam primò plantârit; nam S. Burchardus meritò à Lamberto, Mariano Scoto &c. primus Episcopus vocatur, quia ab hujus Episcopatu cœpit Episcopalis dignitas & sedes Herbipoli fixa esse; quod colligitur ex Zachariæ Papæ literis infrà in Sæculo VIII. adducendis, è diverso S. Kilianus ad convertendi tantùm populi utilitatem, & suscepti muneris functionem in Franconiam venerat, non ad exigendum thronum, quem successores tenerent.

(*24) Sociorum, qui S. Kilianum in Germaniam secuti sunt, diversa nomina, diversúsque numerus apud AA. refertur: BEDA in Martyrologio commemorat duos, *Colomannum* Presbyterum, atque *Totnanum* Diaconum, qui à SIGEBERTO dicuntur *Dolomannus* & *Tholmannus*, in HERBIPOLENSI MISSALI *Colonatus* & *Totnanus*, tertium discipulum Sigebertus addit *Arnvalem*; alii apud SERARIUM §. XI. addunt *Adananum*, *Adelinum*, & *Wilfridum*. LECTIONARIUS LIBER MOGUNTINUS apud eundem adjungit cum *Gallone* alios *septem Anonymos*. SOLLERIUS putat, hos quidem discipulos Kiliani, sed (si duos excipias) alios alibi ministerio suo functos fuisse. ECKHARTUS indicat, ex sociis plures cum Kiliano perrexisse Romam; unde in alias regiones se diviserunt, solis Colonato & Totnano cum Magistro suo in Franconiam redeuntibus.

(*25) *Wirceburgum*, quò S. Kilianus venit in vita simpliciore, vocatur *Castellum*: à Rabano & Notkero dicitur *Castrum*: BEDA appellat *Pagum Austriæ & Castrum Wirceburg.*: RITUALIA verò ROMANA *Herbipolim*. In S. Bonifacii Historia Lib. 21. cap. 1. aliquoties etiam occurrit sub nomine *Oppidi Orientalis Franciæ*; quia pars Francorum ex iis, qui in Occidentem commigraverant, hìc in finibus Thuringiæ consederat; de quo vide Tom. I. nostræ Historiæ pag. 557. Apud Viterbiensem quandoque

talium ibidem Ducis nomine Gosbertus (*26) præerat, feracis soli opibus felix quidem, sed unâ hâc conditione miserandus, quòd veri Numinis cultu haud agnito, stygio Dianæ simulachro divinos honores dicaret. Kilianus itaque hunc agrum suis sudoribus, suæque sementi Evangelicæ opportunum ratus, protinus cum sociis Romam contendit, ut à Joanne V. Pontifice potestatem prædicandi his Gentibus Evangelium exoraret. Nam cùm nonnulli Britonum, Scotorúmque adversùs Sedis Romanæ ritus animos aliàs obstinâssent; ii, qui sanioris erant ingenii, quasi facturi doctrinæ æquè ac obedientiæ specimen, semper antea Pontifici se sistebant, ut ab hoc in fide probati, & facultate Apostolicâ impertiti, fructuosiùs in vinea Domini laborarent. Mensis October anni DCLXXXVI. jam ferè effluxerat; tum Kilianus urbem ingressus, alium à Joanne Papa jam defuncto successorem, scilicet Cononem, Ecclesiæ præpositum invenit: hic S. Kilianum benevolè complexus, ubi ejus propositum, dogmatúmque integritatem coràm cognoverat; tum sancto Episcopo, sociísque facultatem prædicandi & docendi concessit. Aliis, qui comitati Præsulem fuerant, inde in alias terras digressis, S. Kilianus cum duobus Colonato Presbytero, & Totnano Diacono Wirceburgum reversus, verbum divinum popularium animis inserere cœpit, tanto cum fructu, ut Dux ipse Gentis potenti viri eloquio inclinatus, Christo nomen dare, & lavacrum regenerationis suscipere non dubitârit. Exemplum Gosberti ad cæterorum, qui sub ipsius potestate erant, salutem multiplicandam adeo profuit, ut Dianæ Idolo destructo, aliísque Gentilium superstitionibus ejura-

Romam abit pro facultate prædicandi & docendi Francones exoranda.

Tempus, quo S. Kilianus Romam venit.

Conon Pontifex S. Kiliano & sociis dat licentiam convertendi Gentes.

Gosberti, & ejus populi conversio.

doque nominatur *Guerzeburgum*, quod idem est, ac Wirceburgum. Frustra hìc se fatigant in disquirendo nominis etymo, an ab herbis vel musto, vel à Wirco aut Wirico castri forsan primo Domino aut conditore; nam præter vanas conjecturas admodum nihil exsculpunt.

(*26) In Historia S. Burchardi ille, qui tum erat præpositus Orientali Franciæ, & eam Theodorici Francorum Regis nomine gubernabat, vocatur *Gosbertus Dux*; à Beda Lib. 2. cap. 4. dicitur *Gosbertus Judex*; appellatur etiam in MS. apud Serarium *Gozbertus Rex*, sed impropriè, sive potiùs Regulus. Hujus Gosberti Genealogiam Eckhartus ita concepit: nempe *Gosbertum* Avum habuisse *Ruodem*, quem opinatur solo nomine differre à *Rudolfo Thuringorum Duce*; natum autem esse *Hetano seniore*, ac proinde Gosbertum Ducem Thuringiæ facit; quamvis res difficultate non careat, de qua alibi plura notabimus.

ejuratis (*27), universus populus Christiana sacra sequeretur. In maximas spes postquam prima Religionis veræ germina hunc in modum accreverant; tum mulieris unius ferox ingenium concitatâ tempestate non tantùm tenellos fidei flores, sed & ipsos sacros Colonos oppressit. Geilana (hoc enim fœminæ seu furiæ nomen) Gosberti fratri olim nupta (*28), postquam primum maritum inopino fato amiserat; jam vidua, Gosberto licèt affinitate proximè juncta, eundem etiam altero matrimonii vinculo multò arctiùs sibi adstrinxit (*29). Id quoniam Christianis legibus

S. Kilianus Gosberto suadet, ut Geilanam deserat.

(*27) AUCTOR apud *Serarium* § XIV.: *Diana* (inquit) *apud Ducem illum in summa veneratione habebatur*, quia in his locis nemora densissima, & venatio plurima; de quo Dianæ simulachro plura commentatur ECKHARTUS Rer. Francic. Lib. XVI. pag. 276.

(*28) VALENTINUS MUNZERUS, & ex eo CENTURIATORES fratrem Gosberti ajunt *Troandum* fuisse, qui Monasterium *Holzkircham* in pago Wadsatorum fundârit. Sed Troandus idem Caroli M. ætate vixit, & huic Monasterium à se conditum tradidit; unde nec natu major, nec natu minor Gosberti frater esse potuit: nomen itaque & gesta fratris Gosberti ignorantur.

(*29) Difficultas hìc non parva oritur, quomodo S. Kilianus baptizare potuerit Gosbertum, necdum abdicatâ Geilanâ? Respondet *Serarius*, legem, quæ est de non ducenda mortui fratris vidua, non esse ex illis legibus naturalibus, quæ nec relaxari, nec dispensari possunt; aliàs nec apud Judæos conjugia ejusmodi licita fuissent. Unde causæ plures esse potuerunt, cur connubium lege tantùm positivâ vetitum S. Kilianus dissimularet, aut toleraret, ne scilicet conversio totius Gentis, quod est majus bonum, impediretur, aut quia Lex ejusmodi Christiana Gentibus illis nunquam erat exposita. His expeditis, crescit aliunde difficultas, nimirum ex Wirceburgensium Chronotaxi; nam illi duos annos, & aliquot menses tribuunt prædicationi S. Kiliani in Franconia, quibus exactis, martyrio sit consummatus anno 689. PAGIUS equidem ad citatum annum n. 7. ait, *certum fieri* hunc computum ex versibus, qui in S. Kiliani Epitaphio leguntur: *Annis Centenis, Octogenisque Novenis.* Idem tamen numero immediatè sequenti Epitaphii hujus fidem elevat, ostendens, illud antiquum non esse, sed pluribus post Sanctorum martyrium sæculis exaratum, quandoquidem de Canonizatione mentionem facit, quæ ante sæculum decimum in usu non fuit. Præterea Anachronismum in anno mortis S. Burchardi ibi commissum notat; quomodo autem certum sit, quod ex ejusmodi monumento petitur? Verùm Wirceburgenses licèt hoc Epitaphio annum Martyrii firmare omnino non possint; habent tamen Patriam traditionem, cui *Serarius* & *Mabilio*, *Sollerius*, & alii plures adstipulantur, eoquòd cum Actis S. Kiliani minimè pugnet: ita illi. At *Eckharto* id saltem in Actis paradoxum videtur, dicere, quòd Geilana vindictam per duos ampliùs annos distulerit, quódque S. Kilianus ferre potuerit, ut Gosbertus post Baptismum susceptum bene instructus, illicito matrimonio uteretur; quare ad annum 687. potiùs Martyrium S. Kiliani retrahendum putat, quò difficilis ille nodus solvatur. Eckharti argumento nos tantùm tribuimus, ut cum quibusdam Martyrium protrahere nolimus ad annum 694. aut 697.: interim quæ in Actis notantur, duos saltem annos requirunt, quia dicunt baptizatum Gosbertum, populum ejus omnem in eadem fide

gibus adversabatur; S. Kilianus Ducem adortus, nihil omisit, quo Gosberto Geilanæ repudium persuaderet. Nec multùm aberat, quin à Duce illicitum connubium rescinderetur; tum Geilana de inferenda sibi injuria multùm questa, mox acta in furorem, ne è Ducis thalamo ejiceretur, S. Apostolum cum sociis, utpote consilii invisi authoribus, è vivorum numero exturbare constituit. Ab hoc tempore in omnem occasionem, quâ scelus moliretur, intenta, tandem opportunam nacta est: nam Gosberto Duce sive belli, sive alterius negotii causâ aliò avocato, ubi mulier sanctos viros insidiis suis ac vi patere vidit; continuò lictorem submisit, qui clam, & nocturno tempore oppressos capite minueret. Eâdem nocte, ad occultandum crimen, Geilana jussit, ut corpora Sanctorum unà cum omni supellectile sacra in cædis loco altùm defoderentur (*30). His fœdè peractis, Gosbertus domum revertitur, & de viris sanctis, ubinam sint, multa sciscitatus, aliud responsum non tulit, quàm quòd in alias, easque ignotas terras dilapsi, sponte suâ discessissent. Verùm qualicunque arte Geilana scelus tegeret (*31); prodigia tamen quædam (ùt ajunt) abstrusas fraudes luci exposuêre. Quid? quod ipsa parricidii machinatrix à dæmone occupata, inter diros cruciatus evomuit animam (*32): nec minor Sicarii pœna

Geilanæ furor in S. Kilianum, ejúsque socios.

Cædes SS. Kiliani & sociorum.

Ultio divina in authores sceleris.

fide confirmatum; imò *Sollerius* negat, quod *Eckhartus* adstruit, Geilanam post cædem Sanctorum necdum à Gosberti thoro separatam fuisse: nisi enim Gosbertus à Kiliano inductus, uxori repudium misisset, in tam audaces iras, & crudelia consilia non facilè se præcipitâsset.

(*30) In MOGUNTIACENSI VOLUMINE habetur: *Illorum capsæ, & crux, & Evangelium, aliáque Pontificalia vestimenta simul cum illis in sepulchro posita sunt.* Adservatur adhuc (teste *Serario*) in Thesauro Ecclesiæ Cathedralis Liber Evangeliorum S. Kiliani, ejus ætate si non superior, saltem æqualis.

(*31) EGILWARDUS addit, Geilanam stabulum equorum in eodem loco, ubi sancti Martyres humati fuerant, fieri jussisse, quódque animalia ibi inclusa super sepulchra Martyrum nec stercora, nec urinam miserint; sed *Sollerius* & *Eckhartus* ajunt, hæc ab *Egilwardo* promi sine coævorum testimonio; quamvis in translatione sanctarum Reliquiarum multa miracula patrata fuisse, aliunde compertum sit; de quibus BEDA in Martyrologio.

(*32) VITA SIMPLICIOR KILIANI narrat, Geilanam à spiritu maligno obsessam, eámque ad mortem usque agitatam fuisse; *Hetanum verò filium ejus populus Orientalium Francorum de Regno ejecit* &c. Bollandistæ hìc monent Lectorem, ne de hac Gosberti progenie quærendo se fatiget. Vide etiam *Serarium* hìc § XXI., ubi Sicarii pœnam recenset.

pœna fuit; hunc enim ferunt phreneſi correptum, & ſæviente per medullas taciti ignis æſtu coctum, vagis circumcurſationibus quæſiviſſe quidem malo remedium; ſed ultione divinâ ubique hominem urgente, tandem cruentis dentibus, quibus propriam carnem dilaniabat, non ſine aſpectantium terrore, ſeipſum confeciſſe. Cæterùm etſi Franconiæ tum Colonos ſacros crudelitas ſubtraxiſſet; ipſe tamen ager novellæ Eccleſiæ ſanguine Martyrum fœcundatus dare fructus non deſtitit, ſubſequenti ætate amplioris meſſis ſpem, copiámque facturus.

10. Conon, qui operarios in hanc Domini vineam miſerat, antea obiit, quàm quædam fructuum ubertas enaſceretur; anno enim DCLXXXVII. vigeſimâ primâ Septembris fatali ægritudine animam agere cœpit. Morti proximus, Paſchali Archi-Diacono theſauros Eccleſiæ porrexit in Clerum ac Monaſteria diſpenſandos: at Paſchalis ambitioni potiùs ſuæ, quàm pietati ac Religioni hanc ſummam devovendam cenſuit (p); quare datis continuò literis Joanni Exarcho, quidquid auri haberet in manibus, ſe donaturum pollicebatur, ſiquidem ejusdem operâ ſibi ad vacuam ſedem eluctari concederetur. Joannes ubi conditionem, promiſſáque larga acceperat; poſt ſeptem dies à Cononis funere diverſis planè ſententiis electionis negotium ſuſceptum eſt. Aliis quippe Paſchali, aliis Theodoro Archi-Presbytero faventibus, lis ambigua hæſit; dum novâ deliberatione factâ, SERGIUS patriâ Antiochenus, & ab Adeodato Papa olim in Romanum Clerum adoptatus, omnium ferè vocibus Summus Pontifex acclamaretur. Paſchalis injuriæ loco æſtimans, ſibi alium antehabitum fuiſſe, ad reſtituendam rem Exarchum evocat: is ubi Romam advolaverat, multitudini obſtrepere non auſus, ſe in Sergii etiam electionem conſenſurum condixit; dummodo idem Pontifex centum auri libras, quas à Paſchali promiſſas acceperat, de ſuo perſolveret (q). Sergius inopiam cauſatus, ut hominis cupiditati aliquantum objiceret; cantharos & coronas, quæ ante confeſſionem S. Petri pendebant, deponi juſſit, & in pignus tradi: nihil his motus Exarchus inſtitit, nec antè conſecrari Papam permiſit, donec ſummam dictatam extorſiſſet. Paſchalis ſacrilegiorum hujuſmodi author paulò pòſt meritas dedit pœnas; nam

Schiſma poſt Cononis mortem.

(p) Anaſtaſius in vita Sergii.

Sergius legitimus Pontifex eligitur, & ſchiſma componitur.

An. 687.

(q) Anaſtaſius loc. cit.

magiæ convictus, Archi-Diaconi munere excidit, mox in Monaſterium compactus, poſt calamitoſam quinque annorum captivitatem impœnitens obiit (r).

(r) Idem.

11. Sergius die XXII. Novembris conſecratus, jam ſupremâ poteſtate Eccleſiam moderari cœperat; tum Hiſpanorum Legati adſunt, qui Apologiam à Toletano Concilio decimo quinto conceptam (s) afferebant ad propoſitiones illas exponendas, quas Benedictus II, non ita pridem perſtrinxerat. Primò autem declarabant, cùm Deo eſſe ſit, quod velle, ſe non ſecundùm relativum, ſed ſecundùm eſſentiam dixiſſe, quòd voluntas ſit ex voluntate, ſicut ſapientia ex ſapientia (*33): & quoniam in Chriſto eſt corpus, anima, & natura divina, ſe tres hujuſmodi ſubſtantias appellâſſe, quamvis in Chriſto ſint duæ tantùm naturæ, ac proinde & duæ ſubſtantiæ completæ. Sergius ubi ſenſum eorum, quæ exhibebantur, Catholicum deprehenderat; nihil refragatus acquievit (t). Majus negotium ſubinde faceſſivêre Orientalium infeſtæ molitiones ac ſententiæ, quæ in collecta Synodo Conſtantinopoli in lucem proruperunt. Cauſa ejuſmodi Concilii cogendi inde deſumpta eſt, quòd, cùm duæ poſtremæ Generales Synodi nullos pro reſtauranda diſciplina Canones edidiſſent, alius Patrum conventus congregandus videretur, qui omiſſas in quinta & ſexta regulas ſupplendo, Quiniſexta Synodus diceretur. His conſiliis imbutus Imperator, anno ſupra ſexcenteſimum nonageſimo primo Patriarchas, & ducentos ampliùs Epiſco-

Synodus Toletana decima quinta.

(s) Acta CC. T. III. p. 1759.

An. 688.

Ejusdem Apologia.

(t) Roderic. 11. Hiſtor. Hiſp.

An. 691.

Synodus Trullana ſive Quiniſexta.

(*33) Vide ACTA CC. apud Harduin. Tom. III.: item Bollandum ad VIII Martii, ubi Apologeticum à Juliano conſcriptum extat: *In illo tamen libro reſponſionis fidei noſtræ* (inquit Julianus) .... *id primum Capitulum jam dicto Papæ Benedicto incautè viſum fuit à nobis poſitum, ubi nos ſecundùm divinam eſſentiam diximus: Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam. Quod vir ille* (Petrus Regionarius Romanæ Eccleſiæ, per quem miſerat primum libellum) *incurioſâ lectionis tranſcurſione præteriens, exiſtimavit hæc ipſa nomina, id eſt, relativum, aut ſecundùm comparationem humanæ mentis nos poſuiſſe: & ideo ipsâ renotatione ita nos admonere juſſus eſt, dicens: Naturali ordine cognovimus, quia Verbum ex mente originem ducit, ſicut ratio & voluntas, & converti non poſſunt, ut dicatur: quia ſicut Verbum & voluntas de mente procedit, ita & mens de Verbo & voluntate: & ex iſta comparatione viſum eſt Pontifici, voluntatem ex voluntate non poſſe dici. Nos autem non ſecundum hanc comparationem humanæ mentis, ſed ſecundùm eſſentiam diximus: Voluntas ex voluntate, ſicut ſapientia ex ſapientia; hoc enim eſt Deo eſſe, quod velle; hoc velle, quod ſapere, quod tamen de homine dici non poteſt.* DU MESNIL Doctr. & Diſcipl. Lib. 33. n. 48. bene advertit, Hiſpanorùm propoſitionem parùm eſſe accuratam, licèt expoſitio ſit orthodoxa.

Epiſcopos in Trullo conſidere juſſit: atque ut Synodus ex Sedis Apoſtolicæ authoritate Oecumenicæ ſpeciem præ ſe ferret; licèt Sergius Papa Legatos mandatis ſuis inſtructos non miſiſſet, Apocriſiarii tamen Pontificis Romani, qui pro more Conſtantinopoli degebant, ad hoc Concilium quoque vocati ſunt. Ab hoc igitur qualicunque conventu centum & duo Canones promulgati ſunt (†), quos utì Acta Concilii ſex tomis comprehenſa, & ab Epiſcopis æquè, ac ſuâ manu ſubſcripta Juſtinianus miſit ad Sergium Papam, ut eis ſubſcriberet (u). Sed nullis precibus, miníſque Pontifex adduci potuit, ut ratas regulas haberet, quæ contra ritum, diſciplinámque Eccleſiaſticam multa ſtatuebant, eligens magis mori, quàm novitatis erroribus conſentire. Imperator utprimùm audiit gravari Sergium, quominùs Canones Synodicos probaret; Romam miſit Sergium Magiſtrianum, qui Joannem Epiſcopum Portuenſem, & Bonifacium Sedis Apoſtolicæ Conſiliarium Conſtantinopolim abduceret (x). His in poteſtatem receptis, Juſtinianus ſequente anno Zachariæ Proto-Spathario ſecundis in mandatis dedit, ut is feſtino itinere in Italiam procurreret, atque ex Occidente in Orientem Sergium Papam ſeu arte, ſeu vi deportaret. Non difficile fuiſſet Emiſſario juſſa exequi, niſi ſubitò numeroſus Ravennâ, & ex Ducatu Pentapolitano miles pro præſidio Pontificis Romam affluxiſſet. Multitudine armatorum territus Zacharias, cùm ſalutem alibi quærere haud poſſet, ad Sergium ipſum in Patriarchium confugit: illinc dum ſupplex Pontifici, ne furentibus dederetur, orat, jam irruentes undique milites domum circumſiſtunt; perfracturi limen, ni aperiretur (y). Sergius ad depellendam etiam ab hoſte ſuo vim foràs progreſſus, miti oratione inſectantium æſtum aliquantùm componit: à Patriarchio tamen illi diſcedere negabant, donec Proto-Spatharius multis contumeliis coopertus, prædâque inanis, urbe totâ exceſſiſſet. Eodem anno DCXCIII. mors inopina Paulo Archi-Epiſcopo Conſtantinopolitano vitam (z) ademit, ſedémque in Callinicum tranſtulit, qui poſt aliquot annos (expulſo Jùſtiniano) meliorem Principem Leontium coronavit.

(†) Reflexio III.

(u) Anaſtaſ. in vita Sergii.

An. 692. *Canonibus Trullanis ſubſcribere recuſat Sergius.*

(x) Idem loc. cit.

An. 693. *Sergius liberatur ab inſidiis Imperatoris operâ exercitûs Italici.*

(y) Idem loc. cit.

(z) Theophanes.

In Africa Religio affligitur à Saracenis.

(a) Theophanes.

Decima sexta Synodus Toletana.

(b) Acta CC. T. III. apud Hard. p. 1793.

An. 694.

Synodus Toletana decima septima.

(c) ibidem p. 1813.

12. Circa idem tempus, quo Saracenorum impietas optima germina Christianitatis in Africa funditus evellebat (a); non procul dissiti Hispani in suis Ecclesiis lolia vitiorum utiliore culturâ eradicabant. Anno DCXCIII. in *decima sexta Synodo Toletana* (b) hanc in rem decem conditi sunt Canones, quibus Leges contra Judæos firmabantur, proscribebantur Idololatriæ reliquiæ, animadvertebatur in Sodomitas, ac in eos, qui Regibus rebelles forent: vetitum etiam, ne plures Ecclesiæ uni Presbytero committerentur, ac ne Episcopi ampliùs, quàm tertiam oblationum partem à Parochianis exigerent, quam percipientes restaurandarum subirent onus Basilicarum: correcti demum Sacerdotes, qui non panes mundos in sacrificio offerebant, sed crustulam ex pane usitato in orbem decerptam (*34). Anno sequente DCXCIV. *decima septima Synodus Toletana* (c) egit contra sacrilegos, & vasa sacra confringentes, contra Judæos, & Regibus rebelles, & contra eos Sacerdotes, qui Missam pro defunctis præscriptam, pro vivis, aut potiùs contra vivos homines celebrarent. His vitiis castigatis, ordinârunt etiam Patres, ut initio Quadragesimæ Baptisteria solenni ritu clausa, Episcoporum annulo obsignarentur, non antè, quàm in die Cœnæ Domini solenniter reseranda: præterea ut in eadem die Antistites exemplo Christi pedum ablutionem celebrarent. Non minore cœpit curâ S. Wilibrordus eodem tempore Frisones, vicinásque Provincias ad fidei lucem adducere: præter has regiones Britannia in tantam virtutum ubertatem sensim efflorescebat, ut, quæ damna à Saracenis Religio in Africa & Oriente tunc patiebatur, in Germania inferiore, ac in Insulis Septentrionalibus abundè compensarentur (d).

Frisonum conversio.

An. 698.

(d) Beda L. 5. c. 12.

13. Quem-

(*34) Can. 6. Concil. Tolet. XVI: *Delatum est ad nos, quòd quidam Sacerdotum.... non panes mundos, & studio præparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant; sed.... de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eámque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ authoritatis historia uspiam gestum perpenditur;... unde... id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sacrificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus.* Ex eo Canone constat, Hispanos his temporibus pane fermentato usos fuisse; non enim Synodus Hispanos reprehendit, quòd panem fermentatum neglecto azymo consecrent, sed eos increpat, quòd panes singulari studio præparatos non offerant. Vide de hoc Canone plura apud Cardinal. BONA L. 1. Rer. Liturg. c. 23. n. 14.

13. Quemadmodum verò alii Præsules aliarum regionum Ecclesias doctrinâ ac disciplinâ optimè efformabant; ita supremus Pastor Sergius in Italia inveteratum Aquilejensium schisma extinxit (e): damnatis quippe tribus tandem Capitulis, consilio & prudentiâ Pontificis in concordiam Ecclesiæ Romanæ circa annum DCXCVIII. revocabantur. Adhæc augendæ rei divinæ intentus jussit, ut tempore confractionis Dominici Corporis, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, à Clero & populo decantaretur (*35); demum instituit, ut supplicationes seu Litaniæ quot annis haberentur *diebus Annunciationis, Nativitatis & Dormitionis sanctæ Dei Genitricis*, ac *S. Simeonis*, quam Hypapanten Græci vocant (*36). His laboribus perfunctus, post vicarias Christi in terris vices annis tredecim, mensibus octo, & diebus viginti tribus gestas migravit ad Dominum anno DCCI. die septimâ Septembris (f). Interpontificium inde mensem unum & dies viginti tenuit, quibus expletis, JOANNES VI. natione Græcus ordinatus est XXVIII. Octobris. Tiberius Apsimarus, qui post Leontium anno DCXCVIII. Imperium invaserat, ubi de Joannis electione cognoverat, Theophylactum Exarchum Romam misit, ut electo negotium facesseret; sed ab exercitu repressus, eandem procellam in se concitatam vidit, cujusmodi olim in Zachariam Proto-Spatharium effusa fuerat: precibus itaque Pontificis debebat, ut integer tempestate elaberetur (g). Joanni post prehensum Ecclesiæ clavum res Britannicæ non parum molestiæ creaverunt: cùm enim Wilfridus è Sede Eboracensi æmulorum & Regis

Aquilejensium schisma Sergius extinguit.

(e) Paulus Diac. l. 6. c. 14.

Sergii Pontificis Decreta.

Ejusdem obitus.

An. 701.

(f) Anastasius in vita.

Joannes VI. Papa.

(g) Anastasius in vita Joannis VI.

(*35) INNOCENTIUS III. Lib. 6. de Myster. Missæ c. 6. testatur, à Sergio institutum fuisse, ut post *Agnus Dei* ter dicatur, *Miserere nobis*; sed postea ad tollendum schisma, vel ob alias Ecclesiæ calamitates decretum est, ut in tertio diceretur: ***Dona nobis pacem***; qui ritus ubique receptus est, exceptâ Basilicâ Lateranensi, quia (ut observat JOANNES DIACONUS in Lib. de Eccl. Lateran. c. 6.) hæc cælestis Ecclesiæ typum gerit; ***in ea*** (inquit) ***non cantatur ad Missas Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem; quoniam ibi summa pax Justorum ipse Christus erit.*** Conferatur CARDINALIS BONA Lib. 2. rerum Liturg. c. 16. n. 5.

(*36) FRANCISCUS MARIA FLORENTINIUS in Notis ad Martyrolog. Hieronym. ait, olim ante Sæculi VI. finem ***Assumptio B. Virginis*** vel ***Dormitio*** celebrabatur die XVII. Januarii: inde putat ad XV. Augusti à Mauritio Imperatore translatum fuisse. De *Festo Purificationis* verò scribit THEOPHANES Lib. 16. Hist., & LANDULFUS in vita Justiniani: ***Anno quinto decimo Imperii Justiniani mense Octobri facta est mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium die secundâ Februarii.***

& Regis malignis studiis dejectus, ad Sedem Apostolicam provocâsset (h); Pontificis intererat restituere innocentem, & Synodi Romanæ Decreto (i) absolutum. Sed impetrare ab obstinatis aliquid, cassus labor fuit: quibus contentionibus Joannes omnino fessus, in æternam requiem concessit, defunctus anno DCCV. die IX. Januarii, cui post mensis unius, & dierum octodecim spatium JOANNES VII. itidem Græcus suffectus est Kalendis Martii, sive eo tempore, quo Justinianus (occisis Leontio & Tiberio) receperat Regnum (k). Restitutus Imperator, quò sub initium recuperati Principatûs Ecclesiasticis litibus daret finem; ad Joannem Papam Volumen Canonum Synodi Trullanæ transmisit, id enixè rogans, ut convocatâ Synodo, discussa Decreta vel stabiliret (l), aut si quæ Ecclesiasticis legibus haud consentanea, rescinderet. Verùm Pontifex cuncta improbans, quin aliquid duntaxat emendandum censeret, totum opus Imperatori reddi voluit. Mors Joannis anno DCCVII. die XVII. Octobris intercessit, quominùs plura Justinianus moliri posset: nec cum successore SISINNIO viginti dierum Pontifice agere de causa licuit (m). Quare ad Constantinum, qui post duorum Pontificum funera anno DCCVIII. die XXV. Martii consecratus fuerat, circa annum DCCX. literas misit officio plenas, quibus eundem Constantinopolim evocavit. CONSTANTINUS precibus Imperatoris obsecuturus, ex Italia Agdruntum movet, ac illinc exactâ hyeme, Constantinopolim profectus, ab omnibus Ordinibus summâ honoris significatione excipitur; inde Nicomediam deductus, obvium ipsum Imperatorem habuit (n). Non minoribus lætitiæ signis Justinianus intra palatium gratissimum hospitem prosecutus est; nam die Dominicâ à Pontificis manu Communionem accepit, firmavit Ecclesiæ Romanæ data à Decessoribus privilegia, quibus non sine honore peractis, quæstio de quibusdam Capitulis (de regulis Trullanis nonnulli existimant) agitata est: quæ cùm prudenter Pontifex dissolvisset, probanda probando, & spuria rejiciendo, eâdem, quâ venerat, honorificâ pompâ rursus in Italiam dimissus est (o); fuitque hoc ad hujus Papæ memoriam sempiternam, quòd in Oriente, ubi aliquot jam Pontifices vel vincula, vel injurias, aut mortem ipsam invenissent, hic unus gloriæ triumphum visus sit agitâsse.

REFLE-

(h) Eddius in vita Wilfridi c. 44. 45

(i) Acta CC. apud Hard. T. III.

Mors Joannis VI. Papæ.

An. 705.

Joannes VII. Papa.

(k) Theophanes.

(l) Anastasius in vita.

An. 707.

Mors Joannis VII.

(m) Anastasius in vita.

Sisinnius Papa.

An. 708.

An. 710.

Constantinus Papa.

An. 711.

(n) Anastasius.

Ejus iter Constantinopolim, & varii honores in Oriente ab eo accepti.

(o) Anastasius in vita Gregorii II.

REFLEXIONES HISTORICO-ECCLESIASTICÆ AD CAPUT II. LIBRI VII.

REFLEXIO I. ad §. I. Num. 11. pag. 843.

An Honorius in suis ad Sergium epistolis Monothelitarum errorem professus sit?

1. QUi præsentem controversiam discutere aggressi sunt: in duos, & ex adverso oppositos scopulos sæpiùs offenderunt; nam dum alii Honorium atrâ hæresis fuligine maculare, alii contrà eundem minimo etiam nævo purgare conantur, à medio velut puncto in extrema quævis deflectentes, vel amaro nimiùm ingenio facta augent, aut leniore, quàm veritas patitur, affectu rerum gestarum ordinem aut sensum imminuunt.

Duplex sententia circa præsens argumentum rejicitur.

2. Ac primò non pauci Honorium Monothelitis accensent: quod quidem facinus aspernando transirem; sin tantùm Forbesius (a), aut Centuriatores Magdeburgici (b) hanc labem Honorio affricarent. Verùm cùm & Catholici, iique, qui Apostolicæ Sedi multum debent (c), non minùs Papam erroris accusent; argumenta eorum haudquaquam prætermittenda sunt, ut omnibus discussis, quid ponderis subsit, in luce pateat. Provocant illi I. ad epistolam Honorii ad Sergium datam, ubi verba, quibus Monothelitarum dogma exprimi putant, ita concepta leguntur: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri JEsu Christi* (d). II. Subruit idem Pontifex fidei Catholicæ fundamenta, quibus uti Synodi Chalcedonensis stabat vigor, ita Apollinaristarum & Eutychianorum hæresis evertebatur; Honorius quippe illud, quòd in Christo post unionem manserint duæ voluntates & operationes, leve, ac otiosum, & Grammaticorum tricis tantummodo dignum, scandalo obnoxium appellat. Postquam enim exposuerat controversiam de una vel duplici in Christo voluntate & operatione, inquit (e): *Nisi fortassis.... quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent.* Et paulò pôst: *Utrùm autem propter opera Divinitatis atque humanitatis una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent; relinquentes ea Grammaticis* &c. Tum sub finem epistolæ primæ veritatem indagantes de una vel gemina in Christo voluntate *vanos* vocat *naturarum ponderatores otiosè negotiantes*; vocabulum autem geminæ

Sententia eorum, qui Honorium Monothelismi accusant.

(a) Forbesius L. 3. Instruct. Hist. Theol. c. 30.

(b) Centuria VII. c. 19. column 482. & c. 11. column. 553.

(c) Melch. Canus in locis Theolog. L. 6. c. 8. & ult.

(d) Epist. I. Honorii ad Sergium.

(e) ibidem in epist. 1.

minæ operationis dicit esse novum, & recenter introductum ad plurium offensionem. III. Epistolam porrò secundam ejusdem Honorii ad Sergium non minus Monothelismi facere indicium ostendunt ex verbis ibidem descriptis: *Unius operationis vel duarum esse vel fuisse Mediatorem Dei & hominum Dominum JEsum Christum, sentire ac promere satis ineptum est* (f). Ex his nunc ita concludunt: quî fieri potuit, ut Honorius absque errore illud *ineptum* vocaret, pro cujus defensione Joannes, Martinus, Maximus, Agatho tot labores, tot ærumnas perpessi sunt? An *balbutiisse*, & *novas voces* venditâsse verè dici poterunt tot sancti Patres antiquissimi, qui hæc vocabula diu antè prædicârunt, & quorum sexcenta testimonia S. Sophronius collegit? Et quomodo ad gerras grammaticales amandabitur, quod erat unicè necessarium ad propugnandam Synodum Chalcedonensem, atque ad auferendum probrum Ecclesiæ illatum per conciliabulum Alexandrinum? Demum quantum à veritatis scopo aberrare is censendus est, qui *otiosos negotiatores* nuncupat eos, qui tot incommoda pertulêre, ut innumeras emerent animas, quas fraudes Sergii, Cyri, & aliorum Hæreticorum mendacia agebant in præceps? Postremùm an non fallere potiùs, quàm fidem adstruere ille putabitur, si quis illos utpote vanos naturarum ponderatores traducat, quibus curæ est, ad dogmatum firmitatem exactam instituere naturarum Christi considerationem (g)?

3. Sed quò fortiùs hujus Partis Patroni Honorium in mediam Monothelitarum catervam projicere laborant; eò acutiùs alterius Partis Actores Pontificem illum ab omni non tantùm hæresi, sed & à quavis culpa vindicare præsumunt. Ex rationibus, quibus id conficiunt, PRIMA est (h): quòd epistola Honorii, antequam produceretur in Generali Synodo, Sergii maligno ingenio fuerit corrupta; nam præterquam quòd ab hominis dolosi, levissimi (i), malitiosi, & de plurimorum voluminum à SS. Patribus scriptorum corruptela jam convicti (k) ingenio id non abhorreat; tum ipse S. Maximus (l) factum etiam affirmat, me *certiorem autem ipsum reddidit sanctissimus Presbyter Dominus Abbas Anastasius è seniore Roma reversus, vir si quis alius divinâ virtute ac prudentiâ ornatus, qui & dixit, diu se multúmque cum magnæ illic Ecclesiæ sanctissimis viris sermonem contulisse ejus, quam ad Sergium scripserant* (Anastasius Bibliothecarius vertit *scripserat*) *epistolæ gratiâ, sciscitando, quid causæ esset, ac quomodo una illi voluntas inserta esset: invenisséque ejus rei causâ dolentes ac excusantes; præterea, qui jubente Honorio hanc Latinè vertit, sanctissimum Abbatem, ei ab epistolis adjutorem, affirmantem NULLO MODO IN EA PER NUMERUM, UNIUS PRORSUS VOLUNTATIS MENTIONEM FECISSE. Licèt hoc nunc ab eis confictum sit, qui epistolam Græcè reddiderunt.* Ex quibus consequitur, studio maligno hæc verba *in humanitate* à pro-

(f) Honorii epist. 2. ad Sergium.

(g) Vide Pagium in Breviario PP. T. I. p. 401. *Altera sententia eorum, qui Honorium omnino absolvunt.*

(h) Corgne Dissertation Critique sur le Monothelisme Q. 2. pag. 55.

(i) S. Maximus Disput. cum Pyrrho T. II. oper.

(k) S. Martinus PP in Concil. Lateran. secret. 3. T. III. CC. Harduin. p. 732. 786. *Epistolam Honorii quidam dicunt esse mutilatam;*

(l) Tom. Dogmat. ad Mar. T. II. oper. S. Maximi.

à propositione Honorii (*Confitemur unam voluntatem Domini nostri JEsu Christi*) esse decerpta. II. Alii volunt, verba propositionis ejusdem esse immutata, ita ut non legi debeat, *confitemur unam voluntatem* (h), sed *novam*, quodipsum Catholicè docuit Dionysius; neque enim satis intelligi posse credunt, quo modo Papa in eadem epistola vetuerit, proferre *unam* vel *geminam* in Christo voluntatem, siquidem ibidem ipse apertè *unam voluntatem* confiteretur. Dein *uni voluntati* non respondet ratio subjuncta, scilicet, *quia à Divinitate assumpta est nostra naturâ, non culpa.* Quid enim ad *unitatem voluntatis* confert illud, quòd Christus humanitatem peccato non fœdatam assumpserit? dum è diverso ex eodem bene concluditur, Christum *novâ* præditum fuisse voluntate, quâ in Adam lapsi peccatores careant. III. Alii planè negant, epistolam dictatam fuisse ab Honorio; ita Anastasius Bibliothecarius sentire videtur (n), dum ait: *Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrùm ipse pro certo dictaverit epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cùm ex Scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio quid contingere tale potuerit?*

Alii docent, esse mutatione verborum vitiatam.

(m) Anonymus apud Natal. Alexandrum in Histor. Eccl. Sæc. VII. Dissert. II. p. 609.

Alii planè dubitare videntur, an Honorio debeat tribui epistola.

(n) Anastas. Biblioth. in præf. sua ad Joan. Diacon. Collect.

4. Inter eos, qui pro Honorio scripsêre vindicias, non pauci etiam sunt, qui, licèt epistolas Honorii omnino genuinas esse testentur, Oeconomiam tamen ibidem descriptam, quâ Pontifex unam, vel duas operationes supprimere jubet, adeo omni ajunt vacare culpâ, ut laude non exiguâ debeat celebrari. Atque ut porrò rem evincant (o), asserunt I., Decreta Chalcedonensis Synodi satis jam Monothelitarum errorem destruxisse (p), ut proinde non opus sit voces non adeo necessarias repetere, aut exprimere. II. S. Basilius abstinuit à vocabulo, quo Spiritum sanctum Deum diceret, atque id eo consilio agebat, ne Pnevtomachos in se concitaret, & ad Ecclesias invadendas armaret: cujus Oeconomiæ Gregorius Nazianzenus defensionem suscepit, in hæc perscribens (q): *Præstat Oeconomiam quandam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus: quàm ut ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur.... Nec enim in verborum sono potiùs, quàm in mente & sententia veritas sita est.* Quare si S. Basilio innoxium fuerit supersedere à Spiritûs S. Divinitate expressis vocibus pronunciandâ; cur Honorio in piaculum vertatur, temperâsse alios à verbis paucis, quibus gemina Christi voluntas & operatio prædicaretur? III. Equidem si Honorio hac de causa crimen impingere quis vellet, non uni Pontifici, sed pluribus Ecclesiæ Præsidibus litem is intentaret. De Hormisda Papa certè accepimus, quòd Monachis Scythis interdixerit, ne propositionem illam (*Unus de Trinitate crucifixus est*) utut orthodoxam prædicarent, cujus silentii imperati causam ita perscripsit Imperatori (r): *Quid est, quod emergentibus Nestorii & Eutychetis venenis paterna omisit instructio?...* Revol-

Alii epistolam admittunt, sed negant, inde culpæ insimulari posse.

(o) Corgne l. c. quæst. 4.

(p) Verit. rend. sensib. p. 448. edit. 3.

(q) Gregor. Naz. epist. 26.

Oeconomia Honorii integra probatur ab exemplo & doctrina Patrum.

(r) Epistola Hormisdæ ad Justin. Imp. in Act. CC. apud Hard. T. II. p. 1013.

Revolvantur Decreta Synodica, & B. Papæ Leonis convenientia sacræ fidei Constituta, eadem invenietis in illis, quæ recensueritis in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statutorum? quid ampliùs,... quamlibet curiosus scrutator inquirat, aut opere, aut instructione perfectius? nisi fortè mavult quispiam dubitare, quàm credere: certare, quàm nôsse: sequi dubia, quàm servare Decreta. Præterea Vigilius in controversia trium Capitulorum utrique parti silentium indixit: & ut ad recentiora exempla veniamus, Pius IV. eâ ætate, quâ Bajus errores suos spargere cœperat (s), Bajum æquè, ac Doctores Lovanienses inter se certantes tacere jussit; Apostolica insuper fulmina illis comminatus, qui vocibus intra scholas non receptis uterentur, quíque in Bajum, ejúsque sectatores hostiliter agerent. In horum Pontificum reticentiam, aut taciturnitatis œconomiam cùm nullus adhucdum sævierit; ùt quid Honorius ferocia convitia excipiat, qui non dissimili conditione novas voces & insolitas, ídque ex triplici causa pergravi prætermitti voluerit? Harum causarum *prima* erat, exemplum Antecessorum, qui nullum loquendi, scribendíque modum approbabant, qui Concilii Generalis suffragium antea non tulisset. In eam quippe sententiam *Trifolius* ad *Faustinum* scripserat (t): *Sedes Romana super fidem Synodi Chalcedonensis nunquam permisit unam syllabam, aut unum apicem addi aut minui.* E diverso si novas formulas procudendi libertas cunctis relinqueretur, quanta seges disceptationum inter fideles exoreretur; dum, qui unam voluntatem diceret, videri posset, unam cum Eutychete quoque naturam admittere: qui verò duas voluntates, duásque operationes affirmaret, Nestorii partes sequi reprehenderetur, quasi utì duas operationes, ita duos operantes, vel inde duas in Christo personas agnosceret. Et profectò (ut cætera dissimulemus) re ipsâ jam altercatio in Oriente eruperat, dum duas in Christo voluntates quidam accipiebant hoc sensu, quòd duæ contrariæ, pugnantes, discordésque in Christo voluntates fuerint, adeo ut humana nollet, quod vellet divina. Alii verò unam tantùm in Christo voluntatem adstruebant, hoc est, non diversam aut contrariam, propterea quòd Christus naturam hominis, non culpam aut repugnantiam naturæ cum divina voluntate assumpserit (u). *Altera ratio*, quæ Oeconomiam Honorii criminis puram reddit, non minus habet ponderis: Sergius, qui suis ad Honorium literis longissimè ab Eutychis errore abhorrere videbatur, Pontifici significabat, se pro remedio ad finiendas inter Cyrum & Sophronium lites id demum præscripsisse, ut omni voce unius vel duarum operationum dissimulatâ, cuncti profiterentur ex Concilii Chalcedonensis Decreto, *unum, eundémque Filium unigenitum Dominum nostrum JEsum Christum verum Deum operatum tam divina, quàm humana* &c.; frustra enim anxiè de verbis disquiritur, quando per ea dogmati nec vis, nec præjudicium affertur.

Tertia

(s) Bajana T. II p. 61. Histor. Eccl. lib. 170. n. 46

Oeconomia Honorii probatur ex tribus causis, ob quas instituta fuerat.

(t) Trifol. epist. ad Faust. Senat. T. II. CC. apud Hard. p. 1462.

(u) Sfondrati in Regali Sacerdotio L. III. §. 9. p. 549.

Tertia causa demum, quæ à Pontifice stabat, erat desiderium Hæreticos Severianos conciliandi Ecclesiæ; nam cùm Sergius dissimulatione quâdam pacis vinculum fieri posse Honorio persuasisset, ad prudentem Pontificis zelum pertinebat, huic remedio minimè renunciare (x).

(x) Corgne l. c. quæst. 4. p. 207... 210.

Confutantur prædictæ sententiæ.

5. Authorum ita disceptantium parti alterutri daremus aliquid, nisi, dum alii convitiantur nimiùm, aliíque contrà in purgando & laudando hoc Pontifice modum excedunt, ferè omnem amitterent fidem. Ut enim veritati adversantur, qui illum Hæreticum dicunt, qui nihil definit, sed quæstionem relinquens indecisam, utrique parti silentium indicit de una vel duplici operatione; ita paradoxa loquuntur, quibus propositum est, Oeconomiam illam summis laudibus celebrare, quam plures ac supremi Ecclesiæ Pastores, ac Synodi reprehendendam putârunt. Deinde modus, quo hæ duæ sententiæ inter se pugnant, tam diversus est, ut nunquam in certamen concurrere, vel cassis tantùm ictibus se ferire videantur. Qui Honorium hæresis accusant, satis se fecisse existimant, dummodo epistolas Honorii genuinas asserant: at qui è diverso Honorio hanc labem abnuunt, causæ suæ haud fidunt, nisi easdem literas à Sergio aut Monothelitis adulteratas profiteantur. Mendacio proinde illi & criminandi audaciâ certant: hi verò conjecturis ambiguis, velut inanibus armis confligunt. Nam si epistola prima Honorii corruptelam passa esset, cur Joannes IV. in sua Apologia id dissimulavit? cur in Synodo sexta Legati Apostolici non reclamârunt, quorum circumspectæ vigilantiæ tribuendum est, quòd, cùm scriptus libellus Mennæ ad Vigilium proferretur, continuò ostenderint, volumen appendicibus vitiosis esse corruptum (y)? Cur demum ipsa Concilii Acta, quæ Leo II. Pontifex postea è Græco in Latinum totidem verbis transtulit, ita hodiedum concepta leguntur (z): *Similiter perlata est à Georgio Deo amabili Diacono & Cartophylace EPISTOLA AUTHENTICA Latina Honorii, quondam Papæ Romani ad Sergium quondam Patriarcham Constantinopoleos, unà cum ejus interpretatione, & collata est eadem Latina epistola per Joannem Reverendum Episcopum civitatis Portuensis, qui unus extitit de Concilio antiquæ Romæ.* Quare cùm de Honorii legitimo partu dubitare nemo possit (a), aliam viam tentare libet, quâ Pontifex ex hac ipsa epistola, quam alii perperam vitiatam dixêre, à Monothelitarum errore quidem, non tamen ab omni nævo vindicetur; ne, dum in unius rebus gestis ac scriptis expoliendis sumus nimii, multorum Pontificum, Patrum, ac Conciliorum authoritati infesti habeamur.

(y) Act. 14. sub init.

(z) Act. 12. Synod. VI. in fine.

(a) Vincent. Contenson. Theolog. mentis & cord. l. 5. c. 51.

Tertia sententia videtur probabilior.

Honorius ab hæresi vindicatur.

6. Ex his itaque epistolis, quantum re penitiùs expensâ judicare licet, Honorius hæresin Monothelitarum adeo non adstruit, ut planè etiam destruat; Hæretici enim illi negabant duas in Christo voluntates, & unam asserebant: Honorius apertè præcipit, non esse dicendam unam vo-

(b) in ep. 2. ad Sergium sub finem.

(c) Joannes Damascenus de fide orthodoxa L. 3. c. 14.

luntatem, vel unam operationem, sed unum operantem (b), planè insinuans, non convenire Personæ unitatem operationis, sed operantis: id quod Joannes Damascenus postea apertè docuit (c), non posse dici ratione unius personæ unam voluntatem, sed unum volentem, sicut nec unam operationem, sed unum operantem in duabus scilicet naturis; quas dum Pontifex asserit indivisè, inconfusè, & inconvertibiliter conjunctas, duas planè necessariò inducit operationes & voluntates. Præterea Monothelitæ ideo in Christo unam voluntatem ponebant, ut ex illa inferrent unam naturam, cùm natura humana sine voluntate esse non possit, quod S. Maximus specialiter advertit. Verùm Honorius, prætenquam quòd *Eutychianistarum stultam dementiam* appellet; ita abhorruit ab eorum errore, ut disertis vocibus duas naturas inconfusas profiteretur. Neque tantùm duas naturas, sed & duas operationes distinctas agnovit; nam confiteri se ait, *Dominum JEsum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina mediâ humanitate, Verbo Deo naturaliter unitâ: eundem operatum humana ineffabiliter* (d). In eadem porrò prima epistola operationes Divinitatis & humanitatis distinguit, dum ait: *Utrùm autem propter opera Divinitatis & humanitatis una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent* (e). Multò clariùs Pontifex loquitur in secunda epistola (f): *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communicatione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem; & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Quis Monothelitarum unquam ita docuit, quorum error erat in hoc, quòd nullam propriam & humanam operationem in Christo agnoscerent, sed tantùm divinam? dicebant enim, admissis duabus operationibus, admittendos esse duos operantes. Atque ut mentem Honorii penitiùs scruteris; en verba, quibus epistolam suam secundam finit: *Pro una, quam dicunt, operatione oportet nos Deum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridicè confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potiùs duas naturas, id est, Divinitatis & carnis assumptæ in una persona Unigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* Ex his ita statuas, necesse est: si quælibet natura habet propriam operationem, hoc est, humanam & divinam, ergo sunt duæ operationes; sicut enim unum, idémque non potest esse equus aut lapis; ita, multóque minùs potest esse divinum & humanum: perinde igitur est, duas naturas cum propriis operationibus (quod Monothelitæ negabant) admittere, atque duas operationes.

(d) Epistola I. Honorii ad Sergium.

(e) ibid. l. c.

(f) S. Thomas III. P. q. 18. a. 1. Pyrrhus in Dialog. cum S. Maximo.

7. Sin verò duarum epistolarum argumentum adhucdum implicatius tibi appareat, quàm ut orthodoxiam intelligas; en vadem, interpretémque verborum se tibi sistit is, qui Honorio primùm, dein Joanni IV.

ni IV. ab epistolis erat, de quo Vitassius docet, *nullum esse posse luculentiorem Honorii sententiæ interpretem* (g). Hic ubi à Joanne IV. jussus, pro Honorio Apologiam scripserat; ita erroris suspicionem ab eodem amolitur: *Omnes Occidentales partes scandalizatæ dicebantur, fratre nostro Pyrrho Patriarchâ per literas suas huc atque illuc transmissas nova quædam, & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum, quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod à mente Catholici Patris erat penitus alienum* (h). Deinde idem Cartophylax epistolæ argumentum persecutus, protestatur, Honorio nunquam propositum fuisse, unam voluntatem in Christi tum Humanitate, tum Divinitate docere; quia cùm Sergius scriberet ad Pontificem, in Oriente inveniri homines, qui spargerent, Humanitatem Filii Dei æquè, ac nostram obnoxiam esse desideriis, ac voluntatibus oppositis; ac proinde rebellioni carnis adversùs spiritum; Honorium negâsse ajebat, duas ejusmodi contrarias in Christo voluntates, mentis nimirum & carnis, quia illa pugna appetituum peccati fructus est. *Secundùm hunc igitur modum jam dictus Decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis* (i). Ad hujus viri, qui Honorio à literis fuerat, testimonium provocabat S. Maximus, unde quærebat: *Quis fide dignus istiusmodi epistolæ interpres, is qui eam ex persona Honorii scripsit, cùm & adhuc vitæ superstes sit.... an ii, qui Constantinopoli loquuntur, quod in mentem venit?... Is igitur ipse cùm ad Constantinum.... ex persona Joannis IV. de hac epistola scriberet, dixit, unam voluntatem diximus in Domino non Divinitatis ac Humanitatis, sed Humanitatis duntaxat: cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit, unam voluntatem diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis scilicet & spiritûs* &c.

(g) Vitasse de Incarn. q. 6. a. 3. sect. 3.

(h) Epistola Joannis IV. ad Imperatorem Constantinum.

(i) ibid. l. c.

8. Quemadmodum verò Honorium ab hæresis labe præstamus immunem; ita ab illis stare non possumus, qui illius Papæ Oeconomiam inter monumenta sapientiæ numerare contendunt. Nam quâ ratione purgari poterit illud, quòd Honorius, cùm Religionis causâ loqui exigeret, Sergii potiùs fraudibus, quàm Sophronii Catholici salutaribus monitis obsecutus, de una vel duplici operatione silentium imperârit; unde Adversariis facile foret populo persuadere, Monothelitarum opinionem non esse hæreticam? Quomodo etiam dignum laude censebitur, quòd idem Honorius (si scripta ejus spectes) quæstionem hanc de gemina Christi operatione (quam Ecclesia postea ex verbo Dei, & sexcentis Patrum testimoniis definivit: atque ut dogma credendum omnibus proposuit) adeo nauci habuerit, ut eandem controversiam levem, otiosam, & à Patrum sensu,

Honorii Oeconomia in ejus literis descripta improbatur.

ſenſu, & Scripturis divinis alienam, ad Grammaticos dixerit eſſe remittendam? Næ is Æthiopem lavaret, ſi quis in hac Oeconomia nævos repertos paucis verbis abſtergere, & Honorium omni negligentiâ, omníque in Adverſarios favore, aut præcipiti agendi, ſcribendíque ratione abſolvere fuerit aggreſſus.

Argumenta eorum, qui Honorium hæreſis perperam accuſant, ſolvuntur.

9. Sed quoniam hoc idem argumentum in *Reflexione ſequente* latiùs exequemur, hìc tantùm utriuſque partis Patronorum adducta argumenta ex ordine expediemus: & iis quidem, qui Honorium hæreſi implicare audent, non noſtris, ſed coævorum duorum Apologiſtarum verbis reſpondebimus. *Primo* itaque eorum argumento, quo Honorius *unam* diſertè *voluntatem* confeſſus fuiſſe dicitur, hunc in modum occurrit Joannes IV. Papa, ſive potiùs ejus Amanuenſis, qui paulò antè Honorii epiſtolam ſcripſerat, adeóque ſenſum optimè noverat:.... *Unde ſcientes, quòd nullum in eo, cùm naſceretur & converſaretur, eſſet peccatum, decenter dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in ſanctæ ipſius diſpenſationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus; ſecundùm quod quidam Hæretici velut in puro homine delirare noſcuntur. Secundùm hunc igitur modum jam dictus Deceſſor noſter prænominato Sergio Patriarchæ percontanti ſcripſiſſe dignoſcitur; quia in Salvatore noſtro duæ voluntates contrariæ, id eſt, in membris ipſius, penitus non conſiſtunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis* (k). Ex his proinde patet, Honorium *unam voluntatem in Chriſti humanitate* æquè orthodoxè ſtatuiſſe, utì duas voluntates contrarias in eodem Catholicè negabat; cui teſtimonio Anaſtaſius tantum tribuit, ut ſcriberet (l): *Ad manus noſtras venire contigit Apologiam Joannis IV. Romani Pontificis pro Honorio Papa à calumniatoribus impetito, quòd unam Domini noſtri JEſu Chriſti tantùm ſcripſerit voluntatem. Quæ videlicet Apologia ſatìs hunc (ut reor) excuſabilem reddit.* Ad hanc Apologiam reſpexiſſe multò antè videtur S. Maximus Martyr, ſive cùm Pyrrhum falſitatis convinceret, ſive cùm in data ad Marinum epiſtola Honorium defenderet. Nam ad Pyrrhum ita loquebatur: *Ille idem* (Apologiſta) *ad Divum Conſtantinum Imperatorem ſcribens... de ipſa* (epiſtola Honorii) *unam* (inquit) *voluntatem Domini diximus, non Divinitatis ejus & humanitatis, ſed ſolius humanitatis* (m). Marino verò in hæc verba ſcribebat: *Honorium etiam Romanum Pontificem non diffiteri reor, naturaliter in Chriſto voluntatum dualitatem in epiſtola, quam ſcripſit ad Sergium, eoquòd unam dixerit voluntatem; ſed potiùs confiteri, & hanc fortaſſis etiam conſtabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris & naturalis voluntatis, ſed quòd nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit ſine ſemine, vel incorruptam nativitatem præceſſerit voluntas carnis, vel cogitatio vitioſa* (n). Ad II. & III. ℞., ſupprimere verbum, quod veritatem exprimit, non eſt idem, ac veritatem dogmatis ſupprimere

(k) Joannes IV. Papa in Apologia ad Conſtantinum Imp.

(l) Anaſtaſ. Biblioth. in Præfat. ſua ad Joan. Diacon. Collect.

(m) S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho.

(n) S. Maximus in epiſt. ad Marinum inter Collectanea Anaſtaſii.

mere aut abolere; nam quædam olim formulæ fidei, licèt ab iis Consubstantialis nomen, velut solita contra Arianos tessera abesset, ab Hilario tamen erroris aut hæresis nullo modo accusabantur. Eodem modo Honorius seu fraudibus Sergii deceptus, seu spe reducendorum ad Ecclesiam Eutychianorum lactatus, supprimi quædam vocabula voluit, quin tamen hæresin affirmaret; quippe taceri pariter volebat duas operationes, atque unam. Quare utì imperato hoc silentio, Monothelitarum dogma non propugnavit; ita nec Catholicam doctrinam definitione erroneâ evertit. Cæterùm non inficiamur, Honorium in epistola sua talibus verbis fuisse usum, quibus Orthodoxorum causa aliquo modo premi, & Hæreticorum audacia erigi poterat; unde si quis cum Leone II. Pontifice dixerit (o), quòd Honorius *flammam hæretici dogmatis, non, ùt decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxerit, sed negligendo confoverit:* nos adversarios non habebit.

(o) Leo II. in epist. ad Hispanos.

Argumenta illorum, qui Honorii Oeconomiam laudant, refelluntur.

10. Postquam eorum, qui Honorio hæresis labem impingunt, vim ac convitium infregimus; ad illorum nunc argumenta dissolvenda convertimur, qui Honorio plus (ac oportet) student: ad duplicem autem classem (ùt suprà vidimus) revocantur; nam alii epistolas genuinas Honorii, sive factum negant: alii admissâ etiam epistolarum integritate, rei gestæ applaudunt. Nos verò *Primo argumento*, quod primæ classis Patroni proferunt, ita respondemus: recentiores Authores suæ perspicaciæ nimiùm confidere, ùt qui post tot sæcula tandem corrupta Honorii scripta deprehenderint, de qua interpolatione nec VI. VII. VIII. Synodi, nec Leo II., nec Hadrianus II. Pontifices fuerant suspicati. Equidem S. Maximus negat ab Honorio factam in epistola mentionem per numerum unius prorsus voluntatis: & si quid ex adverso adferatur, ait, id esse confictum (p); sed si hoc argumentum tenet, cur Joannes Apologista eodem telo non Monothelitas repressit (q)? cur ad sensum verborum exponendum confugit, siquidem hæc ipsa verba adulterina erant? imò cur S. Maximus in vocum istarum interpretatione (r) adeo sedulò desudavit? Itaque non verba, sed sensus ab Hæreticis confictus erat, quasi numero una voluntas in Divinitate & Humanitate simul assereretur, atque utut Hæretici corrupta exemplaria produxerint, in iis quædam truncârint, criminandi studio: quis tamen Honorii *epistolam*, quam Synodus VI. *authenticam* vocat (s), non contradicentibus Legatis Romanis, corruptam & vitiatam dixerit? nisi arma Monothelitis ministrare lubeat, qui eodem jure jactabunt, Sergii, Pyrrhi epistolas ab aliorum invidis manibus vitium accepisse. Ad II. ℞., de verbo *novæ* voluntatis hìc suspicionem moveri non posse; nam unam, vel duas operationes Honorius dici ideo nolebat, quia ex duarum operationum geminato numero duas in Christo contrarias voluntates colligi, non aliter ac Sergius judica-

Epistola Honorii ad Sergium non fuit mutilata

(p) Tom. Dogmat. S. Maximi ad Marinum in T. II. oper. S. Maximi.

(q) Apolog. Joan. IV. ad Constantin.

(r) Maxim. in Coll. cum Pyrrho.

(s) Synod. VI. General. Act. 12. in fine.

Neque immutatis vocibus vitiata est epistola.

dicabat: ergo errorem hunc destructurus, non de novitate alicujus voluntatis adstruenda (t), sed de unitate voluntatis affirmanda laborabat. Cæterùm si Honorius in ratiocinationem peccavit, & adversas rationes dictis subnexuit; meminisse debemus, quòd jam dudum de eo questus sit Constantinus Imperator, quòd *etiam suî extiterit oppugnator* (u). Ad III. ℞., Anastasium Bibliothecarium dubitantis in morem sua proponere; pergit enim dicto loco (x): *Quamvis non ignoremus, docente S. Maximo in epistola sua, quam Marino scripsit Presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Joannem Abbatem. Esto & ipse Honorius dictator extitit: quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem investigavit? Quis hunc corrigere voluit, & illi percontanti, aut emendare volenti restitit, vel contentionibus serviens resultavit?* Hæsitationum ejusmodi causam deprehendimus ex Ænea Parisiensi, qui palàm docuit: *In Romana Sede (Deo Rectore) tale nunquam contigit dedecus, ut aliquis Hæresiarcha eidem præsideret, quam summus Apostolorum Princeps suâ sessione illustravit.* Quare cùm de epistolæ aut dogmatis authore decernere tutò multi haud possint; maluerunt ad vindicandam Apostolicæ Sedis fidem, facti, quod exponere desperabant, veritatem inficiari, quàm Petri successorem, quem firmamentum Ecclesiæ Christus dixerat, defectionis arguere.

(t) Natal. Alexander in Hist. Eccl. Sæc. VII. Differt. II. p. 609.

(u) Synod. VI. Act. 18.

(x) Anastas. Biblioth. in Præfat. ad Joan. Diac.

Nec abjudicari Honorio potest epistola.

Rationes, ex quibus Oeconomiæ integritas defenditur, dissolvuntur.

11. Postremò nunc illorum rationes confutandæ veniunt, qui, licèt Honorium id fecisse, quod fecit, profiteantur; eum tamen ab omni nævo liberare anxiè instituunt. Ad I. itaque ℞., licèt Monothelitarum hæresis ab Eutychianorum errore ducat originem, ac proinde in Chalcedonensi Synodo jam aliquâ ratione videatur profligata; nihilominus sub novis fraudum involucris, & aliis vestita coloribus ita serpebat, ut, dum Eutychem Monothelitæ ore detestabantur, animo eundem penitus complecterentur. Per Canones Chalcedonenses vetitum erat, ne quis unam naturam in Christo diceret; duas igitur naturas confitebantur, ne porrò bellum indicere Ecclesiæ arguerentur. At naturis his suas singulas proprietates, quales sunt voluntates distinctæ & operationes, negabant eo consilio, ut duabus proprietatibus duarum naturarum negatis, tacitè & astutè duas quoque naturas inficiarentur. Sophronius fraudem advertens, Cyro resistebat; qui strepitus ne Orthodoxorum zelum excitaret, Sergio placuit causam silentio sopire, ut, cùm dormierint homines, inimicus homo faciliùs superseminare zizania posset. Nec Honorius à periculoso Sergii consilio abhorruit; quin (ùt Hæretici cupiebant) sermonem de una vel duabus operationibus moveri interdicebat. Hoc verò silentium, quo vires hæresi dabantur, quâ ratione laudari queat, aut excusari, haud apparet. Quàm parùm laudabiliter ageret is, qui cupientibus Arianis vocem ὁμοούσιον, aut petentibus Nestorianis nomen *Deiparæ*, aut instigantibus Eutychianis voces solennes *ex duabus, & in duabus*

Silentium de duabus operationibus favet Hæreticis.

duabus naturis usurpari prohiberet; tam parùm ad bonum Ecclesiæ Honorius egisse dicendus est, qui, rogantibus Monothelitis, obrui duarum operationum voces silentio voluit, quibus illorum hæresis profligabatur, & orthodoxa fides firmabatur. Ad II. ℞., dispensationem S. Basilii cum Honorii Oeconomia in comparationem adduci nequaquam posse; nam de illo testatur Gregorius Nazianzenus: *Licèt vocem Deitatis dispensaret ad tempus*, indulgendo Macedonianis, ut silentium de Spiritûs sancti Divinitate servaretur, dum ad rectæ fidei professionem eos revocaret, abstinerétque illos tantisper à vi, quâ se ab Ecclesia expellere, & Ecclesias invadere meditabantur; adhuc tamen *in aliis vocibus è Scriptura petitis, testimoniísque minimè dubiis, eandem vim habentibus, Adversarios comprimebat* (y). Simile certamen contra Cyrum & Sergium Honorius non instituit; sed illis in omnibus obsecutus, Sophronium Catholicum perstrinxit, quòd se Cyro opposuisset. Laudaverit itaque Gregorius silentium opportunum Basilii, ne eodem ob apertam fidei confessionem à Macedonianis ejecto, *Ecclesia gravius vulnus acciperet*: Certè Maximus illud in suppressione unius, vel duarum operationum abominatus est, dum ajebat: *Non patiuntur Romani sanctorum Patrum lucidas voces unà cum impuris Hæreticorum vocibus auferri, vel simul cum mendacio veritatem extingui. Nullum enim nostrum numen erit, si quæ divinitus edocti sumus, verba perimantur,... penes divinam Scripturam silentium ipsum peremptio existit* (z). Ad III. ℞., Pontificum exempla minimè Honorii Oeconomiæ suffragari; nam Hormisdas ideo Monachos Scythas à propositione (*Unus de Trinitate passus est*) quamvis Catholica abstinere jussit, quia eam adeo necessariam esse jactabant, ut, nisi istius expositio adderetur, definitio Synodi Chalcedonensis non sufficeret. Ubi verò postea patuit, nullum periculum subesse, ne authoritas Concilii imminueretur; propositio illa recepta est & probata. Pro Honorio nil ejusmodi affertur; nam ille non ad tempus, quoad discuteret voces propositas, silentium earum tantummodo indixit, sed perpetuum: instructionem non à Catholicis, sed ab Hæreticis admisit, inter quos Cyrus Alexandriæ jam palàm suam heterodoxam doctrinam proposuerat: & nihilominus æquè Catholicorum dogma, ac Heterodoxorum dissimulari Honorius voluit, unde offensio non parva exorta est ac suspicio, quasi Monothelitarum causa meliore loco, quàm Catholicorum haberetur, eoquòd his arma hoc silentio eriperentur, quò minùs nutantem Religionem tueri, & crescentem lentè hæresin propulsare valerent. De Vigilii causa nihil attinet dicere, cùm silentium, quod ille indixerat Ecclesiasticæ pacis studio, non circa dogma, sed circa facta quarundam personarum versaretur. Neque ex Pii IV. Pontificis modo Honorii indulgentia purgatur: noverat iste (a), Bajum esse in sacris scientiis eruditissimum, Lovaniensis Academiæ Decanum,

S. Basilii Oeconomia differt ab Honorii dispensatione.

(y) Gregor. Naz. or. 20.

(z) Actâ S. Maximi apud Sirmond. T. II.

Hormisdæ, Vigilii, & Pii IV. Pontificum Oeconomia non est comparanda cum Oeconomia Honorii.

(a) Sianda in Lex. Polem.

canum, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis Theologum, atque ad Concilium Tridentinum delegatum; quare cùm vir tantus tumultuoſiùs accuſaretur, ad primos ſtrepitus comprimendos tricis ſcholaſticis interim ſilentium indicere opus erat, dum ex Baji ſcriptis temerè dicta excerperentur; quo facto examine, poſtea ſeptuaginta novem propoſitiones à Pii IV. ſucceſſore, ſive à Pio V. damnatæ ſunt, quin tamen Author, qui ſe ſanctæ Sedis judicio ſubmiſerat, damnaretur. Quid autem hujuſmodi pro Honorio adduces, qui ſine prævia diſquiſitione in damnationem utriuſque partis præceps ruebat; imò à Sophronio meliora edoctus, adeo non ceſſit, ut aliis quoque literis decerneret, duas operationes profiteri prorſus ineptum eſſe. Dein Honorius non inuſitata, ſed probata à Scripturis & Patribus verba vetuit; quare cum Maximo (b) hìc dicere liceat: *Quiſnam fidelis diſpenſationem recipiet, eas voces ſilentio damnantem, quas Univerſorum Deus per Apoſtolos & Prophetas, atque Doctores loquendas diſpenſavit?* Ad IV. ℟., cauſas allatas ad abſolvendum Honorium nullatenus ſufficere; nam ſi *nihil Synodorum definitionibus addere* fas eſt, cur Honorius Capitulum VII., quod Cyrus antea de una Chriſti operatione ediderat, cenſurâ non confixit? Catholici ſuarum proinde partium eſſe ducebant, ut, cùm error in apricò ſtaret, veritas duarum operationum hæreſi opponeretur; novis namque emergentibus erroribus nova quoque arma proferre Eccleſiæ ſemper in more fuit, quibus Veteratorum conatus eliderentur. Neque *pacis Eccleſiaſticæ ſtudium* hìc aliquis anxiè prætexat; nam hanc fucatam rationem dudum rejecit Synodus Lateranenſis, dum ait: *Retectus Typus* (quo pariter unam vel duas voluntates, unam vel duas operationes dicere vetitum erat) *bonum quidem intentum habere dignoſcitur, diſſonantem autem virtutem intentui continet. Bonum eſt namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum deſiderabile, cohibere diſſenſiones & altercationes pro cauſa fidei: ſed non eſt utile & bonum, cum malo deſtruere bonum, id eſt, cum Hæreticis orthodoxorum Patrum verba & dogmata* (c). Poſtremò *Spes convertendorum Hæreticorum* tale ſilentium non excuſat, teſte S. Maximo, dum ait (d): *Ariani aliquando prætenderunt in ſcriptis ſub Magno Conſtantino dicentes: Auferamus dictum unius ſubſtantiæ, & alterius ſubſtantiæ, & uniantur Eccleſiæ. Non id admiſerant Deiferi Patres noſtri; ſed elegerunt potiùs perſecutionem pati, & mori, quàm tacere vocem comprobantem unam Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti superſubſtantialem Deitatem.* Addit porrò S. Maximus, ſi nefaria hæc ſilendi Oeconomia in controverſia de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus ob ſpem converſionis teneret, quid obſtare poſſet, quò minùs ſimili Oeconomiâ cum Judæis uteremur: *Siquidem cras nefandi Judæi dicent: Diſpenſemus in alterutros pacem, & uniamur: & amputemus nos quidem circumciſionem, vos verò Baptiſmum, & jam non invicem impugnemus* &c. (e)

Cauſæ, ob quas ſilentium indixit Honorius, ejus Oeconomiæ non patrocinantes.

(b) Tom. I. operum S. Maximi.

(c) Synodus Lateran. ſub Martini I. Secretario IV

(d) S. Maximus in Collatione cum Principibus in Secret. inter opera S. Maximi apud Sirmond. T. III.

(e) ibid. l. c.

REFLE-

REFLEXIO II. ad §. II. Num. 4. pag. 884.

An, & cur Synodus ſexta Generalis Honorium damnaverit?

1. QUicunque Acta ſextæ Synodi levi oculô percurrit, mirabitur fortè, quomodo in dubium ejus Pontificis damnatio vocari poſſit, quæ Patrum ſententiis toties decreta, Imperatoris literis promulgata, & multorum Pontificum authoritate firmata legitur. Nam in ſextæ Synodi Actione XIII. Patres uno ore hoc judicium de Honorio tulêre (a): *Retractantes dogmaticas epiſtolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: ſimiliter & epiſtolam ab illo, id eſt, HONORIO, reſcriptam ad eundem Sergium: hásque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas Hæreticorum, eas omni modo abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta Dei Eccleſia projici judicavimus, id eſt, Sergii,... Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri & Pauli,... adhæc & Theodori quondam Epiſcopi Pharan;... cum his verò ſimul projici à ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimúlque anathematizari prævidimus & HONORIUM, qui fuerat Papa antiquæ Romæ* &c. Unde in Actione XVI. XVIII. anathema eidem Honorio infligunt; ídque à ſe factum in Proſphonetico ad Conſtantinum, & in Synodica ad Agathonem Papam palàm ac iteratò Patres congregati profitentur. Nec à Concilii Oecumenici VI. ſententia diſceſſit poſtea Synodus VII. (b) & VIII. (c): quin ipſi adeo Honorii ſucceſſores in hanc damnationem conſenſerunt; nam Leo II. Pontifex in epiſtola ad Conſtantinum, & in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ Honorium damnatum diſertis verbis pronunciat. Nec Hadrianus II. illud inficiatus eſt in Synodo Romana. Demum Liber diurnus Romanorum Pontificum (d) exhibet nobis fidei profeſſionem, quam dum à ſexta Synodo uſque ad duodecimum ſæculum emisêre nuper electi Romani Pontifices, anathema ſimul conceptis verbis Honorio dixêre.

Damnatum eſſe Honorium in VI. Synodo, probatur.

(a) Synod. VI. Act. XIII

(b) Epiſtola Synodica Theodori in Synod. VII. Act. III. item Act. VII

(c) Synod. VIII. Act. 7.

(d) Liber diurn. PP. p. 32.

2. Verùm poſt tot certiſſima monumenta, cùm Baronius etiamnum neget, Honorium in ſexta Synodo damnatum fuiſſe, nemo nobis vitio vertet, ſi quæſtionem, quæ à tanto viro in controverſiam trahitur, paulò meliùs expendamus. Ac primò ait, Acta Synodi VI. vitiata eſſe, & interpolata à Theodoro Patriarcha Conſtantinopolitano, qui, poſtquam defuncto Georgio, in ſedem ſuam (unde aliquo tempore ejectus erat) ſe reſtitutum vidit; nomen ſuum, cui anathema appoſitum erat, expun-

Sententia Baronii affirmantis Acta Concilii Generalis ſexti eſſe corrupta.

expunxit, ac Honorii nomen intrusit (e). II. Ne verò conjectura illa ex vano concepta videatur; ostendit porrò Annalista purpuratus, omnes Patriarchas Constantinopolitanos & Monothelitas in damnatorum legi numero: Orthodoxos verò sacris diptychis inseri: ab utrisque autem cùm Theodorus absit, nec ullibi nominis vestigium reperiatur, argumento id esse, quòd manum suam in Acta Synodi immiserit. III. Sextæ Synodi Patres in epistola ad Agathonem inquiunt, se damnâsse Monothelitas juxta tenorem sententiæ ab ipso in eosdem latæ (f); at ubi, & quonam tandem ex loco evinces, ab Agathone Honorium fuisse damnatum? IV. Quis credat, Legatos Apostolicos ad damnationem Honorii obmutuisse, vel planè ei consensisse, qui elingues certè non erant, quando duo libelli errore pleni Vigilio Papæ velut authori falsò tribuebantur (g)? V. Si sexta Synodus Honorium damnavit, cur eidem pepercit Concilium Lateranense? imò cur Martinus I., cùm ad Ecclesias Antiochenam & Hierosolymitanam daret literas; tam fidenter Pontificum integram fidem Patriarcharum aliorum erroribus opponere non reformidavit, in hæc verba testatus (h): *Qui non permiserunt eos* (Patriarchas Monothelitas) *fidei surripere thesaurum?* Nullus igitur erat Pontifex Romanus, qui non potiùs laudari ob fidem, quàm anathemate configi deberet.

(e) Baron. Tom. VII. ad an. 681.

Ejusdem argumenta proponuntur.

(f) Synodica sextæ Synodi ad Agathonem.

(g) Synod. VI. Act. XVI.

(h) Epistola Martini I. ad Eccl. Antiochenam & Hierosol.

Baronii sententia evertitur.

3. Rationes ejusmodi etsi fortè sufficerent, ad veri similitudinem aliis factis conciliandam; infirmiores tamen sunt, quàm ut iis facinus extraordinarium, quale in corruptela Actuum totius Synodi esse solet, comprobetur. Quis enim sibi persuadeat, ad injuriam Papæ corrumpi potuisse illud Concilium, in quo plures Episcopi Occidentis consederant, quin ullus Præsulum Pontifici devinctorum nefariæ fraudis indicium conjecturâ quâdam assequeretur, aut cognito dolo validè repugnaret? Neque apparet, quomodo Legati Apostolici vitiata tot in locis Acta tam pacato animo receperint, ut adversùs injuriam Honorio irrogatam ne quidem hiscerent, & spurios hos partus velut genuinos Romam referrent. Quod eò magis incredibile nunc videtur, postquam in Actis sextæ Synodi legimus, Legatos, utprimùm suppositum libellum Mennæ ad Vigilium, & Patrum sententias malè truncatas ex literis Petri Constantinopolitani ad Papam Vitalianum recitari audierant, indignantium in morem adulterata scripta repudiâsse. Accedit, quòd vix intelligatur, quomodo Theodorus coram tot oculatis, ac minimè negligentibus rerum inspectoribus capitali ac injuriosâ Pontifici fraude Acta sextæ Synodi corrumpere potuerit: aut si Acta etiam, quæ in scriniis sui Patriarchii servabantur, adulterare valuisset; certè dolus à synodica epistola ad Agathonem Papam aberat, nisi velis Romanos omnes tam parvi honorem sui Pontificis fecisse, ut, cùm delata Romam legeretur, nequidem ex Legatis quæsiverint, qua ex causa Honorii nomen toties anathemate notare-

taretur; aut hi rerum in Concilio gestarum tam repentè obliti, interrogantibus de dolo facto rationem reddere nescierint. Verùm demus etiam, à Theodoro Synodicam unam corruptam esse: ánne ideo dices, omnia exemplaria Actorum, quæ ad singulas sedes Patriarchales destinabantur, in Theodori potestate fuisse; aut si fuerunt, tot Orientis Episcopos, qui Concilio interfuerant, dolo nihil admodum obmovisse? Sanè fraudem hanc dum utcunque prætexis, necesse est, ut Diaconum Agathonis, & Notarium in Synodo VI. perfidiæ accuses, quâ is vitiata Acta Romam attulit, quin rem infandam loqueretur, & quin corruptorem nefandi sceleris apud Imperatorem postularet. Vide porrò, ne Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, Patres duorum insequentium Conciliorum Generalium, aliósque innumeros nimiæ credulitatis insimules, eoquòd Honorium in Synodo VI. damnatum omnes uno ore profiteantur.

Argumenta Baronii de Actis Synodi VI. corruptis sigillatim confutantur.

4. Ex his, etsi jam allatæ Baronii rationes confutentur, singulas tamen nunc dissolvemus. Ad I. igitur ℞. cum Pagio, Legatos Romam cum Actis rediisse mense Julio anno 682., cùm adhuc Georgius esset Patriarcha, ergo Theodoro occasio non fuit corrumpendi Acta: *neque dicas*, Theodorum, quamvis sede non potiretur, potuisse inducere Constantinum, ut Acta Synodi mutaret. Nam quis credat, Constantinum (quem Synodus Constantino Magno parem dixit) venisse in societatem facinoris tam injuriosi? Quis (inquam) sibi persuadeat, id tentatum à Principe tam bene Catholico, ut Typum Constantis, sive sui Parentis; Avíque Ecthesin proscripserit? Ad II. ℞.: Non opus erat de Theodoro agi in Synodo, ùt qui tunc extra Episcopatum erat, & fortè nec Presbyteri munus in Ecclesia Constantinopolitana gerebat. Præterea Theodorum ob hæresin Monothelitarum vel ante Synodum exauthoratum fuisse, vel à Synodo proscriptum nullo Authore, nullo argumento evincitur. Ad III. ℞., Agathonem præcipuos tantùm Monothelismi Auctores nominatim damnâsse (i): *Nunc necesse est* (inquit) *ut novi dogmatis intentio, quosnam secuta sit, & quorum Doctorum auctoritate fulciatur, annotemus.* Inter hos, quia Honorius tantùm Hæreticorum fautor erat, commemoratus non est, profligatus tamen generali sententiâ, quâ Agatho *errorem novitatis* damnabat *cum suis inventoribus, & iis, qui eorum doctrinam secuti sunt*, quales etiam erant, *Macarius*, *Stephanus*, *Polychronius*, quibus tamen speciale anathema non est inflictum. Ad IV. ℞.: *Natalis Alexander* (k) equidem Legatorum silentium partim inde excusat, eoquòd nec doctrinæ laude, nec rerum agendarum peritiâ insignes fuerint, sed homines idiotæ & indiserti; verùm *Du Mesnilius* contrarium meritò dicit (l): *Non semel obstupui, Romanos Legatos à quibusdam traduci, ut rusticè imperitos, quorum prudentiam & eruditionem, quæ retulimus, Acta testantur.* Cæterùm ab aliis traditur, quòd Legati, utprimùm Synodus Hono-

(i) Epistola Agathonis ad Constantinum.

(k) Natalis Alexander Differt. II. ad Sæc. VII. p. 605.

(l) Du Mesnil de Doctr. & Discipl. Eccl. L. 33. n. 36. p. 485.

Honorium damnaverat, clam ad Agathonem dederint literas, interrogantes, quid deinceps circa hanc causam agendam præcipiat: imò ex Hadriani II. Papæ epistola discimus, Agathonem Pontificem Legatis suis in secretis mandatis dedisse, ut, si orthodoxi Græcorum Episcopi Honorium damnare vellent, aliàs in Ecclesiarum pacem non consensuri, eum dispensatione damnari permitterent; scribit enim: *Licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus; propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet licitum fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis præcessisset authoritas* (m). Ad V. ℞.: Patrum Lateranensium, & Martini I. silentium damnationi tacitæ non absimile fuit; nam ubi de *Severino* mentio facta est, quasi *Ecthesin* recepisset, statim Martinus I. id palàm negavit. At cùm in eodem Concilio Lateranensi (n) ex Pauli Constantinopolitani Synodica commemoraretur Honorii cum Sergio plena consensio; Martinus, aliíque Patres tacuêre, eoquòd nil occurreret, unde macula illa propulsari posset. Postremum sin hæc pauca, quæ Baronius objicit, adeo incredibilia illi videantur; certè fidem omnem superabunt, quæ Garnerius hìc in Baronium retorquet (o). Quòmodo enim homini uni licuit, fidei professionem Episcoporum manibus subscriptam, ipsásque Constantini Imperatoris literas sigillis obsignatas adulterare, aut tantum Principem in communionem trahere sceleris? An totus orbis eâ tempestate obstupuerat eò usque, ut & vitium & facinus agnoscere non posset; vel si agnosceret, uni homini, neque potentissimo, neque optimæ famæ adularetur? Quò tandem spectat summorum Pontificum subsequentium, ac Conciliorum de hac corruptela silentium? Quid contrà loquitur diuturna Romanæ Ecclesiæ confessio in officio S. Leonis II., ubi dicitur, in sexta Synodo Honorium damnatum fuisse? Omitto dicere de ipso Leone II., qui Synodum, etiam quâ parte accusatur Honorius, Latinis & legendam & recipiendam exhibuit; sed etiam de Gallicanis, Hispanísque Præsulibus, qui exhibitam recepêre; imò & de Collectoribus Canonum, Ivone, Anselmo, Deusdedit, & Gratiano, qui sextam Synodum accensuerunt aliis sine exceptione ulla, aut animadversione. An non erat utrâque maximè opus, si vel spuria sit sexta Synodus, vel erroris, usurpatæque auctoritatis rea? His clausulæ loco addimus testimonium *Agathonis*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, & in sexta Synodo Notarii munus obierat; iste in hæc verba scribit (p): *Omnes Tomos Actorum præfatæ Synodi mundo codice, propriâ ipse manu, Ecclesiasticis literis consignavi: qui etsi sub signaculis, unà cum fidei definitione, quam sancta Synodus palàm edidisset, Patrum subscriptione munitâ, in Imperatoris palatio fuerunt repositi,*

(m) Epistola Hadriani II. in Synodo Romana, item in Synodo VIII. Act. 17.

(n) Concil. Lateran. Secret. 4.

(o) Garnerius ad not. c. 2. Libri diurni Rom. PP.

(p) Agatho in peroratione apud Combefis. in Hist. Monothelit. p. 199.

fiti, ac tutò servati: quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita definitionis ejusdem, eadem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo: ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente, quo fidei Orthodoxæ sinceritas atque veritas nullis pateret insidiis.

Causæ, cur damnatus sit à Generali Concilio Honorius.

5. Ex his omnibus cùm de Actorum integra sinceritate, ac de damnatione Honorii Synodica vix ullus dubitandi locus relinquatur; nunc de altero capite inquirendum, cur Synodus VI. Honorium condemnârit: quæ quæstionis pars citra negotium ex Actis confici posset, nisi verba Synodi ab omnibus diverso sensu acciperentur. In Actione XIII. Patres Synodi causam, cur Honorium damnandum censeant, hanc reddidêre: *Eoquòd invenerint per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quòd in omnibus ejus mentem secutus sit, & impia dogmata confirmârit;* quam causam repetunt in Prosphonetico. In Actione verò XVI. *Honorio* utpote *hæretico anathema* dicunt. In Actione XVIII. hanc rationem subjiciunt: quòd *Dæmon plenitudini Ecclesiæ erroris scandala suscitârit, per Theodorum Episcopum Pharan .... & Honorium.* Hæc Synodi verba (quantumvis omni obscuritate carere videantur) Authores in diversas sententias distraxêre.

Synodus sexta in lata sententia non erravit errore facti.

6. Ac primò sunt, qui in facti quæstione errâsse docent sextam Synodum & Catholicæ Honorii epistolæ hæreticam infamiam illevisse. Verùm hi, ut uni Pontifici parcant, multum dedecoris universæ Ecclesiæ aspergere non verentur: an hæc enim iterum atque iterum ad septimam, octavamque Synodum collecta ita cæcutivit, ut errori illi & temerariæ Honorii damnationi subscripserit? An omnes Patres obtusi adeò cerebri fuêre, ut opportuniores Honorianæ epistolæ interpretationes haud adverterent: vel si obscurum ambiguúmque erat, an epistola illa omnis nævi esset expers, cur non potiùs Majorum sequimur authoritatem, quàm recentiorum sæculorum præsumptionem? Neque tantùm ita statuendo Patribus, sed& Pontificibus inurunt labem, propterea quòd cùm Sedem suam ab omni macula puram immunémque defendere debuissent, post factam Honorii damnationem non tantùm acquieverint; sed & Synodi sententiam diversis verbis confirmârint. Ut cætera prætermittamus, ob oculos adhucdum nobis obversatur Leonis II. epistola ad Constantinum, in qua præter Constantinopolitanos Præsules etiam *Honorium* anathemate profligat; *qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam maculari permisit* (q). Eccur Hadrianus II. in Romana Synodo hunc modum non sectatus est, ut, quod instituerat, perficeret, Romanam Ecclesiam, ejúsque Præsulem à nullo judicari posse? ut quid super hæresi accusari, damnaríque Romanos posse Pontifices confitetur? Aut si accusari damnaríque super hæresi potest, quorsum attinet, ne damnatus jure videatur Honorius, laborare? Proclivius est

Rationes pro integritate Actorum.

(q) epist. Leonis II. ad Constantinum.

fateri jure damnatum, quem damnari potuisse confiteris, quàm Oecumenicæ Synodo mendacii aut erroris fœditatem impingere (r).

(r) Thomassin. in Differt. XX. in Syod. VI. n. 4.

Honorius non ex Oeconomia laudabili à PP. damnatus dici potest.

7. Ab hac gravi injuria equidem Oecumenicas Synodos liberare conantur Alii, dum ajunt, Honorium à Concilii sexti Patribus salubri dispensatione fuisse damnatum, non quòd idem Pontifex hæreseos reus, sed quòd ejus authoritate & scriptis Hæretici Monothelitæ ad patrocinium sui erroris abuterentur: atque hoc Oeconomiæ genus religioni tuendæ necessarium videbatur eo tempore, quo Ecclesia Sergium & Antesignanos hæresis unà cum eorum scriptis, ne fideles seducerentur, aut turbarentur, profligavit. Quare Lateranensis Synodus postquam plura Monothelitarum scripta cum suis Authoribus; utì & Ecthesin Heraclii, Typum Constantis, damnârat, rogante maximè Imperatorem Agathone, Sergium, Pyrrhum, Petrum & Paulum pariter damnabat, nempe ut *offensionis ac decepionis occasio de medio Christi tollatur, abscindantur* (s). Hæc necessitas damnandi Antesignanos hæresis, etiam subinde implicabat Honorium, nam Paulus testabatur in sua epistola, Monothelitarum commenta Sergii & Honorii authoritate fulciri. Antiochus Macarius in sexta Synodo non minùs ad Honorium provocabat, quòd ab illo, sicut à Sergio & Pyrrho documenta hausisset; Quare si munimenta novellæ hæresis evertere, & fontem seditionum obstruere animus erat, utique etiam Honorius quantumvis innocens proscribi debebat (t). Hæc sententia etsi injuriæ, quæ vel Honorio vel Synodo fit, modum afferre aliquem velit, vulnus tamen infame tegit potiùs, quàm sanet: nam si innocens Honorius, cur non repellantur accusantium calumniæ? hoc enim dispensationis modo semel admisso, quid non in optimos Doctores hæretici valebunt? Certè nec Leo II., nec Adrianus II Pontifices hanc purgandi Honorii solertiam cogitavêre; imò Hincmarus apertè profitetur, Honorium non simulatè aut alio communis pacis studio damnatum, sed quia *contra fidem sensisse, aut potiùs pravè sentientibus consensisse detectus & evidentissimè comprobatus est; ... Nam si idem Honorius hoc in præsenti sæculo non meruisset*, qui post mortem Papæ eidem anathema infixerunt, *hi sibi potiùs, quàm illi nocerent, maledictum jaculantes non judicio justitiæ, sed livore vel temeritate* (u). Quare si anathema immerenti dicere, livor sit & temeritas, quomodo dispensatio justa & laudabilis appellabitur?

(s) Synod. VI. Act. 4. apud Harduin. T. III. CC. col. 1122.

(t) Synod. VI. epist. Constantini ad Agathonem. Item Act. 1. Synodi ejusdem.

(u) Hincmarus l de non Trina Deitate.

Honorius non fuit damnatus velut Hæresis vel erroris privati reus.

8. Postquam harum partium Patroni anathema mitiore expositione lenire aggressi sunt; producendi nunc alii in medium sunt, qui multò crassiore ingenio aut acerbiore illud interpretentur: opinantur quidam scilicet verbis Concilii standum, quæ damnationis factæ aliam causam non perhibent, quàm quòd ejus epistola *ab Apostolicis dogmatibus & à definitionibus Ss. Conciliorum aliena existat, quódque Sergium* Monothelitam & *falsas doctrinas Hæreticorum sequatur* (x); Quare eidem velut *Hæretico* ana-

(x) Synodi VI. Act. CC. apud Harduin. T. III.

anathema etiam inflictum iteratò legitur. Et quoniam ex Hadriani II. Papæ testimonio Pontifex de hæresi judicari à Synodo potest & damnari; propiùs à verò abesse existimant, siquidem dicatur, Honorium ùt privatum malè sensisse de fide, ac proinde eo ex capite damnatum fuisse. Nam oves suum pastorem, *si à fide exorbitaverit* (y), *aut si forte fuerit à fide devius* (z) reprehendere ac corrigere possunt, quod ipsum Innocentius III. profitebatur: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum Judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possim in Ecclesia judicari* (a).

9. Neque tantùm Honorio privatim hunc errorem insitum fuisse, sed & illum Ecclesiæ pro supremo suo Pastoris jure dogma heterodoxum præscripsisse, nonnullis hodie persuasum est; nam I. Honorii epistola à Synodo sexta vocatur dogmatica: *oportet ad nos afferri dogmatica scripta.... ab Honorio facta, super præsenti dogmatica quæstione* (b). II. Honorius rescribebat Sergio in causa definitionis editæ à duobus Conciliis *Alexandrino* & *Constantinopolitano* (c). III. Idem Pontifex in sua epistola loquebatur toti Orienti; nam ait (d): *Hoc Nobiscum Fraternitas Vestra prædicet, sicut & Nos ea Vobiscum unanimiter prædicamus: exhortantes Vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum Nobiscum Dominum JEsum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs fide orthodoxâ & unitate Catholicâ prædicetis.* IV. In epistola sua secunda pariter ad dogma Ecclesiæ propositum provocat: *Cæterùm quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ tenere & prædicare debemus propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut superiùs diximus, non unam vel duas operationes in Mediatore Dei & hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes confiteri debemus* (e). V. Honorius literas dedit quoque ad Cyrum Alexandrinum & Sophronium Hierosolymitanum: *Scribentes etiam communibus Fratribus Cyro, Sophronio Antistitibus, ne novæ vocis* &c. Cujus & in epistola 2. (f) dat rationem: *Et quidem, quantum ad instruendam notitiam ambigentium Sanctissimæ Fraternitati Vestræ per eandem insinuandam providimus.* VI. Præterea Honorii epistola si non in Synodo, certè non sine consilio Cleri Romani, & præcipuè Chartophylacis dictata fuerat, utì colligitur ex S. Maximo, cui Anastasius Abbas retulerat (*plures*, scilicet Honorius & Clerus) epistolam illam *scripserant:* & quamvis in versione latina habeatur apud Bibliothecarium Anastasium, in singulari: *scripserat*, Græcus tamen textus contrarium loquitur. Deinde cur reliqui Pontifices id, quod prætexitur de privato errore, non vindiciarum loco assumpsêre? aut cur Leo II. affirmare potuit, quòd Honorius non se tantùm, sed *Apostolicam Ecclesiam maculari permiserit*, siquidem idem

(y) c. oves XI. Q. 7.
(z) c. Si Papa. Dist. XL.
(a) apud Turrecremata lib. 2. de Ecclesia c. 93.
Neque Honorius ullam hæresin Ecclesiæ credendam proposuit.
(b) Acta CC. T. III. apud Harduin.
(c) Verit. Rend. sensibl. p. 430. edic. 3. Author de la respons. p. 160.
(d) epist. Honorii apud Harduin.
(e) epist. II. Honorii Act. 13. Conc. VI.
(f) epist. cit. l. cit.

(g) Author Responſ. à l' inſtr. de M. le Cardinal de Byſſy.

Pontifex ſibi ſoli ſingulari errore, non verò publicè propoſito dogmate toti Eccleſiæ incommodâſſet (g)?

Argumenta oppoſita ſententiæ exponuntur

10. Sunt hæc argumenta eorum, qui ex quovis ligno tela ſculpunt, ut per Honorii latus configere Conſtitutiones Apoſtolicas valeant. Sed præterquam quòd in Reflexione prima jam oſtenſum ſit, Honorium à privato etiam errore Monothelitarum longiùs abfuiſſe; utpote cujus epiſtola, ſi ſenſum legitimum, & Coævorum interpretationem ſpectes, fidei nequaquam adverſatur; tum certè nihil definiit: aut ſi quid ſtatuit, minimè id credendum agendúmque Eccleſiæ univerſæ legis loco eſſe voluit. Nam quicunque ſeu judicis ſeu Legislatoris munere fungitur, ex ſua & publica authoritate tunc agere cenſetur, ſi quando non privatâ ad particularem epiſtolâ, ſed univerſali ad omnes, qui ei ſubſunt, decreto ſua mandata exponat, ídque modo quodam ſolenni, qui ex poteſtate ſuprema ſententiam prolatam fuiſſe teſtetur. Ex his cùm nihil epiſtolæ Honorii conveniat, ut quid eam ex Cathedra Petri dictatam, aut ad Fideles omnes miſſam aſſeres? Ac primò antequam Honorius literas meditaretur, argumentum in nullius niſi Sergii conſcientiam pervenit; neque enim rogata Synodus eſt, quæ Pontificis inſtitutum tueretur: neque antè epiſtola in manibus Clericorum erat, donec poſt multos annos è Patriarchii Conſtantinopolitani tabulariis deprompta lucem ſeriùs aſpexerit. Præterea decreta Pontificum (ſiquidem ſolennia ſint) in illis terris, quibus parendi neceſſitatem imponunt, promulgari ſolent: ita Innocentii I. & Zoſimi dogmaticæ literæ adversùs Pelagianos, Cæleſtii contra Neſtorium, & Leonis contra Eutychem ſcriptæ epiſtolæ ad earum regionum notitiam mittebantur, quibus præſentis erroris periculum obverſabatur. Sed Honorii epiſtola in abſtruſis adeò tenebris detenta eſt, ut nec Sergius nec Heraclius ad ſuî aut Ecthesis defenſionem unquam eam protulerit: certè Sophronius, ſiquid de his Honorii literis habuiſſet compertum, eodem Zelo hunc Pontificem monuiſſet, quo olim Afri Zoſimum monendum putârunt, quando iſte in Pelagium ac Cæleſtium mitior ac indulgentior viſus erat. Denique de Ectheſi utprimùm publicus ſermo fuit, ubique Eccleſiæ in queſtus, Severinus in riſus, Pontifices in anathemata prorumpebant: nihil autem turbationis cùm contigerit in Oriente aut in Occidente, poſtquam Honorius ad Sergium ſcripſerat; argumento eſt, Epiſtolam illam, quamdiu Pontifex ille vixit, ignotam, ac ad privatum duntaxat directam fuiſſe.

Eadem argumenta confutantur.

11. Ne verò difficultates objectas diſſimulanter prætermittamus, ad I. ℞. Inter definitionem, quæ ſolenni Pontificis authoritate Eccleſiæ proponitur, intérque eam commentationem aut epiſtolam ad unum Patriarcham perſcriptam (licèt hæc qualitercunque dogmatica dicatur) magnum diſcrimen eſſe. Nam & Sergii ſcripta dogmatica dicuntur, quin definitionis

nis vim habeant aut authoritatem: *Gloriosissimi Judices & S. Synodus dixerunt, oportet ad nos referri regesta & dogmatica scripta, quæ exposita sunt à Sergio ad Honorium* &c. Ad II. ℞. Respondisse equidem Honorium consultanti Sergio, sed privatam responsionem reddidisse ad causam, quæ nullâ Synodo discussa erat; nam Constantinopolitanum Sergii concilium nequidem Sophronius agnovit, ut qui ante Ecthesin promulgatam adhuc Sergium catholicè sentire credidit. De Alexandrino Cyro multa Sergius, nil de Concilio ibi habito memorat. Ad III. ℞. Nihil ampliùs inde erui, quàm quòd Honorius privatis literis tumultum Orientis tempestivè componere annisus sit; non enim (utì aliàs Anastasius, Zosimus, Leo PP.) toti orbi scripserat, sed uni Sergio. Ex adverso si solenne decretum fuisset, cur nullus sive in Italia, sive in Africa, sive in toto Occidente, epistolæ hujus authoritate ad sectam Monothelitarum transiit? nam extra fidem est, ad pronunciantis ex Cathedra Pontificis oraculum totum Orientem vel conticescere, aut si æqua causa sit, resistere. Ad IV. ℞. Dogma, quod Honorio decidere incumbebat, erat: an duæ appellandæ forent operationes? Hanc autem quæstionem cùm inutilem Pontifex dicat, & ad Grammaticos ablegandam; quomodo dici poterit, dogma novum Ecclesiasticum proposuisse? De reliquo ad citatum textum & truncatum addenda sunt, quæ catholicè ex definitione utique dogmatica & Ecclesiastica Concilii Chalcedonensis non primò statuit Pontifex, sed repetit (h). *Utrasque naturas ... & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem, non divisè, non confusè aut convertibiliter Dei naturam, in hominem, aut humanam in Deum conversam edocentes.* Ad V. ℞. Literas ad Cyrum & Sophronium datas, distinctas fuisse à literis Sergii: quare hìc plus non conficitur, quàm quòd Honorius eâ instructione disceptationes quasdam silentio opprimere voluerit, quin tamen decretum ex Cathedra proferretur. Istud enim non ad aliquid statuendum de fide pertinet, sed ad suspendendam definitionem; non ad fidei decretum, sed ad decreti suspendium. Ad VI. ℞. Esto, Pontifex sæpius in quæstionibus arduis Cleri consilium adhibere solitus sit; non tamen ideo ad quasvis particulares literas scribendas Synodi cogebantur. Notarius has scribebat jubente, rariùs consulente Pontifice. Quis enim dicet, cùm Leo variis Personis inscriberet literas, semper antè de particulari quovis argumento Papam consultâsse, aut in Synodum, sciscitandi gratiâ, Patres convocâsse? Cæterùm textus Græcus à Sirmondo citatus, qui à pluribus scriptam epistolam indicat, an Latino Anastasii Bibliothecarii, qui ab uno exaratam ait, præferendus sit, eò magìs ambigua res est, quò incertius est, an Sirmondi aut Anastasii autographum, quod sic vertit, sinceritate majore polleat. Accedit, quòd formula quædam usitata summis Pastoribus sit & Principibus, ut, quæ ab uno capite emanant decreta, plurium vel corporis authoritate quasi edita nomi-

(h) Vide epist. III. Honorii Synod. VI. Act. 13.

nominentur. Quodsi verò Clerus universus epistolæ manum apposuit; cur post aliquot annorum intervallum nullus eorum (si Amanuensem excipias) sciscitanti Anastasio Abbati de hujus tenore respondere potuit? quare superfluum erat dicere, Honorium hanc epistolam privato consilio scripsisse, cùm aliunde constaret, Ecclesiam Romanam hujus scripti conscientiam non habuisse. Neque obstat, quòd Leo II. affirmet, quòd Honorius maculari Ecclesiam permiserit; id enim eò nequaquam spectat, quasi Romana Ecclesia consentiendo maculata fuisset, sed quòd epistola à Monothelitis postea in alium sensum detorta, suspicandi occasionem dederit, quòd Sedis Apostolicæ fides nunc vitium accepisset.

Nostra sententia statuitur.

Hæretici nomen olim variè acceptum.

12. Sententiis hujusmodi confutatis restat, ut causam, cur Synodus VI. Honorium velut hæreticum damnârit, proferamus. Id verò faciliùs erit, si, quàm vario sensu hoc nomen Hæretici apud veteres acceptum sit, antea ostendatur. Præcipuè quidem hâc appellatione signantur illi, qui cum pertinacia flagitiosa errorem admissum tuentur, quíque se Ecclesiasticis definitionibus submittere recusant. Sed in primis sæculis hæc vocis notio etiam iis tribuebatur, qui in resistendo Hæreticis negligentes, aut ad fraudes eorum evertendas minùs solliciti, aut improvidâ agendi loquendíque ratione favere errori videbantur. Ita *Didymum* & *Evagrium* Concilium Lateranense sub Martino I. damnavit velut duos Hæreticos, quin tamen hi ad hæresin ullum animum unquam obstinâssent (i); sed quòd quædam post eorum mortem in eorum scriptis invenirentur, quæ favere heterodoxis censebantur. Præterea Ecclesiæ in prima ætate non erat usitata methodus, quæ hodie in more est, ut quando libros aut propositiones damnabat, hæc scripta variis, diversisque censuris notaret; sed quæ nunc vel scandalis obnoxia, aut temeraria scripta vocantur, illo tempore unâ & quasi communi voce hæretica appellabantur (k): cujusmodi exempla plura habemus in variis fidei formulis, à quibus cùm abesset vox Consubstantialis, ab Athanasio inter hæreticas, ab Hilario verò inter Catholicas quandoque numerabantur: ita Patres Ariminenses hæresi subscripsisse à multis notantur, quamvis formulæ non alii subscripsissent, quàm quæ in reprobum sensum ab Arianis detorqueri poterat.

(i) Vide Act. XI. Synod. VI. Conc. Later. secret. V. c. 16.

(k) Tillmont. T. X. p. 396.

Honorius damnatus est ùt Monothelitarum fautor, non ùt hæreticus in rigore acceptus.

13. Ex his nunc concludo, Honorium à Synodo VI. damnatum fuisse velut Hæreticum; non quòd in errorem lapsus, aut eundem cum obstinatione propugnâsset, sed quòd in sua epistola silentium omnibus indixerit; unde suspicio Catholicis æquè ac Hæreticis subnasci poterat, acsi utriusque partis causam eâdem bilance Pontifex libraret. II. Talibus loquendi modis utebatur, quibus Orthodoxorum quæstionem inter Grammaticorum leves tricas rejiciebat; itaque ad fraudes Monothelitarum facilis, *flammam hæretici dogmatis, non, ùt decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit* (l): & licèt Honorius unam in Chri-

(l) Leo II. in epist. ad Ep. Hispan.

ſto voluntatem non docuerit, docentibus tamen hunc errorem favit, docendíque opportunitatem ſuppeditavit; quod idem eſt, ac *Apoſtolicam Eccleſiam non eſt conatus luſtrare doctrinâ Apoſtolicæ traditionis, ſed profanâ proditione puram maculari permiſit* (m). III. Propoſitum fuerat Honorio, Sergio conſentire, ídque ficto pacis nomine; uterque igitur concordiæ ſtudio, ſive potiùs negligentiâ fovit hæreſin, Honorius alienam, quia eam non peremit: ſuam Sergius, quia diſſimulavit (n); ſubſcripſit uterque ſimilia reprobatis duorum Imperatorum ſcriptis, ac vel ideo de Honorio palam fit, quòd *in omnibus Sergii mentem ſecutus ſit, & impia dogmata confirmârit* (o). His adde ſententiam ex libro diurno Rom. PP. depromptam, quâ Pontifex profitetur ſe damnare *Auctores novi Hæretici dogmatis ... unà cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit* (p). IV. Oeconomia Honorii meritò negligentiæ accuſatur: nam de una vel gemina operatione taceri voluit, cùm religionis cauſa exigeret, geminam operationem profiteri, ne fides, ab Eutychianorum reliquiis de duabus naturis non confuſis petita, nutaret: inde autem Catholicorum non exiguæ offenſiones oriri poterant; quare Honorius meritò damnatus eſt, quia *una eadémque culpa eſt eorum, qui aut diſſimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præſtiterint* (q).

(m) Idem in epiſt. ad Conſtantin.

(n) Garnerius in appendice ad Not. c. 2. lib. diurni Rom. PP. § 6.

(o) Synod. VI Act. XIII.

(p) Liber diurnus Rom PP. p. 32.

(q) Reſcript. Honorii & Theodoſ. ad Aurel. Ep. Carthag.

REFLEXIO III. ad §. II. Num. 11. pag. 901.

De Canonibus Trullanis.

1. QUo tempore *Synodus in Trullo* magni palatii, ad ſupplendos quintæ & ſextæ Synodi Canones convenerit, ambigua inter Authores controverſia eſt. I. *TARASIUS* Conſtantinopolitanus de ſextæ Synodi Patribus teſtabatur (a): *Illi igitur Hæreticos anathemate verberantes, orthodoxámque fidem confirmantes ſub annum decimum quartum Imperii Conſtantini domum redierant. Poſt annos igitur quatuor aut quinque iidem illi Patres ſub Juſtiniano Conſtantini filio congregati prædictos Canones ediderunt.* Qui hujus Patriarchæ dictis confidunt, Synodum deſignat ad annum DCLXXXVI., quintum circiter poſt VI. Synodum Generalem. Verùm quia annus 6199. in correcto canone tertio Trullano expreſſus, inſinuat Synodum habitam proximâ poſt quartam Indictione, ſive quintâ ante Januarium, nempe menſe Octobri: inde fit, ut quartus aut quintus annus poſt ſextam Synodum Synodo Trullanæ tribui nequeat, eoquòd Indictio quarta cum illis annis non conveniat. *Secundò THEOPHANES* (b) Synodum collocat ad annum DCCVI., quia annum Mundi ſexies milleſimum centeſimum nonageſimum nonum in Canone tertio citatum ad Æram Alexandrinam refert, ſicque inchoatur Kalendis Septembris anni DCCVI.

(a) Synod. VII. Act. 14. *Quonam anno celebrata Synodus Trullana fuerit?*

(b) Theophanes

Neque

Neque hæc ſententia ſatisfacit, nam (cùm eodem Authore teſte) Paulus, qui Synodo præfuit, anno DCXCIII. obierit; accipi non poteſt, quâ ratione ad ſeriora tempora differri valeat. *Tertiò.* Alii annum in Canone III. Trullano computant ad Æram Conſtantinopolitanam (c), ac proinde Trullanam Synodum affigunt anno DCXCI., qui annus cùm Paulum Concilii Præſidem adhuc vivum oſtendat, veroſimilior videtur. Accedit, quòd Author libelli Synodici, poſtquam de hac Synodo locutus eſt, memoret Leontium invaſiſſe Imperium, Juſtinianum relegatum; quæ facta incidunt in annum DCXCV.: igitur Synodus ſicuti anticipari anno 686. non poteſt, ita nec ad annum 706. differri.

(c) Pagius in Critica T. III. ad a. 692. n. 7.

Annus DCXCI. pro Synodo Trullana probabiliùs ſtatuitur.

An Legati Apoſtolici interfuerint huic Concil.?

2. Græci recentiores cum Balſamone, huic Synodo authoritatem conciliaturi eandem appellant *Oecumenicam*; ídque ex eo potiſſimùm titulo, quòd Legati Eccleſiæ Romanæ interfuiſſent; de iſta quippe legatione Anaſtaſius ita ſcribit: *Hujus Pontificis* (Sergii) *temporibus Juſtinianus Imperator Concilium in regia Urbe fieri juſſit, quò & Legati Sedis Apoſtolicæ convenerant* (d). Sed *Petrus de Marca* doctè hìc advertit (e), in more Pontificum olim fuiſſe, ut Legatos ad Imperatores Chriſtianos mitterent, qui negotia univerſalis Eccleſiæ in palatio regio curarent. Juſtiniano I. poſtea regnante non tantùm temporarii Oratores commorabantur in Oriente, ſed & ibidem Apocriſiorum ac Reſponſalium nomine perpetuò, pro rebus fidei & diſciplinæ in Urbe Regia excubabant, quin tamen plenæ legationis jure impertirentur (f). Atque hæc Reſponſalium authoritas eò magís reſtringenda videbatur, quò faciliùs erat Patriarchis, Legatorum aſſenſum ad machinationes quaſcunque ſeu terrore ſeu minis Principum extorquere. Itaque in Synodo Trullana licèt *Baſilius Gortyniorum Cretæ Inſulæ Epiſcopus & locum tenens totius Synodi Sanctæ Eccleſiæ Romanæ* dicatur; alio tamen munere quàm ſuggeſtionis non fungebatur: neque enim more legatorum Sedis Apoſtolicæ, qui mandatum ſpeciale Pontificis habent, ac in Eccleſiaſticis negotiis Papæ perſonam exprimunt ac gerunt, primo loco, ſed poſt Epiſcopos ſubſcripſit. Primus quippe ſubſcripſit Imperator Juſtinianus: infra locus Romani Papæ vacuus relictus eſt; tum ſubſcripsêre quatuor Patriarchæ, Paulus Conſtantinop., Petrus Alexandriæ, Anaſtaſius Hieroſolym., Georgius Antiochiæ; Poſtea Joannes novæ Juſtinianopolis; *Locus vacuus* pro Theſſalonicenſi, Cyriacus Cæſareæ, Stephanus Epheſi; *locus vacuus* pro Sardinienſi, Ravennate, Corinthio: Baſilius Gortyniorum & locum tenens totius Synodi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, hunc titulum idem Baſilius habuiſſe legitur in ſexta Synodo, quam proinde in Trullana Synodo ſine nova delegatione retinuit; neque enim iis temporibus ulla Synodus Romæ celebrata eſt. Balſamon & alii Legatorum Sedis Apoſtolicæ nomen affingunt Epiſcopis, Theſſalonicenſi, Corinthio, Ravennæ & Sardiniæ, quos ex Græcis ſubſcriptionibus huic Syno-

(d) Anaſtaſ. in vit. Sergii.
(e) Petrus de Marca l. 8. de Concordia c. 8.
(f) Leo II. in epiſt. ad Conſtantinum.

Synodo non adfuisse constat; imò locus iis in suo ordine relictus est ad subscribendum. Hinc Balsamon, qui locum vacuum pro subscriptione sumpsit, non ausus est edere nomina Episcoporum, quos subscripsisse fingit.

3. *Centum & duo Canones* in hoc Trullano Concilio promulgati sunt: inter quos cùm nonnulli reperiantur, qui decretis Romanorum Pontificum & bonis moribus adversentur; meritò Sedes Apostolica eos reprobandos censuit. Horum è numero sunt sequentes: I. *Canon secundus*, quo octoginta quinque Apostolorum Canones & Constitutiones decernuntur admittendæ (g). II. *Canon decimus tertius*, quo lex Ecclesiastica *cælibatûs* violatur, & castissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, quâ sacris Ministris usûs conjugii interdicitur (h). III. *Canon quinquagesimus quintus*, quo *jejunium sabbati* in Romana Ecclesia damnatur. IV. *Canon sexagesimus septimus*, qui perperàm Clericis sub depositionis pœna, laicis sub pœna excommunicationis *abstinentiam à sanguine & suffocato* prohibet, eámque abstinentiam velut ex divinæ Scripturæ mandato etiam obligante imponit (i). V. *Canon octogesimus secundus* præcipit, ut Christus in imagine Agni non depingatur, sicut ostensus est Patribus in figura; sed in imagine hominis, quâ demum omnes sunt adimpletæ figuræ (k). His Canonibus subscribere noluit SERGIUS Papa, quantumcunque à Justiniano Imperatore rogatus (l). Idem Justinianus postquam in Imperium restitutus fuerat, *JOANNEM VII. adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ concilium aggregaret, & quæ ei visa essent, stabiliret; & quæ adversa, renuendo excluderet* (m). Sed *Pontifex humanâ fragilitate timidus, hos nequaquam Tomos emendans per suprà fatos Metropolitas* (quos ad eum miserat Imperator) *direxit ad Principem, post quæ non diu in vita duravit* (n). Ab hac timiditate Joannis VII. ortam fabulam de Joanna Papissa quidam conjectant: *Quid autem*, inquit (o) Papebrochius, *si illius* (Joannis VII.) *pusillanimitas viro indigna Apostolico, dicacibus Romanis occasionem dederit, eum fœmineâ Joannæ Papissæ appellatione dehonestandi?* Cæterùm Anastasius de Canonibus Trullanis ita loquitur (p): *Sanè notandum est, quædam ex Apostolorum & VI. universalis Synodi Canonibus & sententiis in hac Synodo inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur ... Ergo Regulas, quas Græci à VI. Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo Principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus vel decretis sanctorum hujus Sedis Pontificum, aut certè bonis moribus inveniuntur adversæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ; sed nec in cæterarum Patriarchalium Sedium, licèt Græcâ utantur linguâ, reperiantur Archivis: nimirum quia nulla earum, cùm ederentur, aut promulgans aut consentiens, aut saltem præsens inventa est: quanquam eosdem Patres illas Græci promulgâsse perhibeant, qui in sexta Synodo sunt inventi: sed hoc nullis certis probare possunt indiciis.*

(g) Vide Baronium ad annum 692. n. XLII.
(h) Idem l. c. n. XVIII. XXIV. Pagius ad a. 692. n. XIV.
(i) Baronius l. c. n. XXX.
(k) Idem n. XLIV. Lupus in Notis ad Canones Conc. Trull.
(l) Anastas. in V. Sergii I.
(m) Idem in V. Joannis VII.
(n) Idem l. c.
(o) Papebrochius in conatu. Chronico-Hist.
(p) Anastas. in præf. VII. Synodi ad Joan. VIII.

4. Canonum Trullanorum authoritas etsi hâc ratione satis infirmetur; inficias tamen ire non possumus, plurimos eorum Ecclesiasticæ disciplinæ adeò idoneos & perutiles inveniri, ut viri graves censeant à Constantino Papa, quo tempore in urbe Regia Orientis erat, Canones eosdem probatos fuisse; hic enim Pontifex *à Justiniano Principe inquisitus de quibusdam Capitulis optimâ responsione unamquamque solvit quæstionem* (q). Unde BARONIUS, LUPUS aliíque concludunt, à Constantino eos Canones robur suffragiúmque obtinuisse, qui juri divino, veterum Synodorum regulis moribúsque non contradicerent: Idem namque ADRIANUS I. postea pronunciare voluit, cùm diceret: *Easdem sanctas Synodos suscipio cum omnibus regulis, quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt.* Septima equidem Synodus omnes Trullanos laudat Canones, confirmátque (r) his verbis: *Divinos Canones amplexabiliter teneamus, qui à sex sanctis Generalibus Synodis promulgati sunt.* At Lupus monet (s), eos admodum falli, qui huic confirmationi Canonum velut authenticæ confidunt; cùm & VII. Synodi Canones saltem omnes Romana Ecclesia nunquam confirmârit.

(q) Anast. Bibliothec. in V. Gregorii, II.

(r) Synod. VII. Can. 1.

(s) Lupus in Notis ad Can. Trull.

5. Postremò ad laudabiles quosdam Græcorum usus, & nonnullos abusus commonstrandos, præcipua Trullanorum Canonum Statuta ita recensebimus, ut simul asteriscis notísque, quæ in iis advertenda, aut re probanda sint, consignemus.

Primus Canon sex priora Concilia confirmat, & condemnat hæreticos in illis damnatos, & in sexta specialiter Synodo Theodorum Pharan, Cyrum Alexandriæ, Honorium Romæ, Sergium &c. In Can. II. admittuntur * Canones Apostolorum nomine editi octoginta quinque: excluduntur ordinationes Apostolorum per Clementem; eoquòd iis ab Hæreticis quædam perversa sint addita. Probantur verò Canones à Patribus editi Nicææ, Ancyræ, Neocæsareæ, Gangris, Antiochiæ Syriæ, Laodicææ Phrygiæ: Item in Synodo Constantinop. 150. Patrum **, Ephesi, Chalcedone, Sardicæ, Carthagine: Porrò Canones Synodi Constantinop. sub Nectario & Theophylo Alexandrino; Præterea Canones Dionysii Archiepiscopi Alexandriæ, Petri Alexand. & Martyris, Gregorii Neocæsareæ Thaumaturgi, Athanasii Alexandr., Basilii Cæsareæ Cappad, Gregorii Nyssæ, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Timothei Alexandr., Cyrilli Alexandr., Gennadii Constantinop. Item Cypriani Archiepiscopi Afrorum. ***

Errat hìc triplici ex capite Synodus Trullana. *Primò* * quòd admittat *Apostolorum Canones*, ex quibus plures alibi meritò rejiciendos putavimus. 2. ** Suscipi jubentur *Canones Synodi Constantinop.* Quos tamen Ecclesia Romana semper reprobavit. 3. *** Laudatur *Canon Cypriani*, sed quis ille sit, obscurum est: *Gratianus* partem Canonis refert Dist. 16.. can. 7., & quidem eam, quâ Synodus S. Cypriani de iterando hæreticorum baptismate probatur; sed ut benè advertit *Ante-*

Antonius Augustinus de emend. Gratiani l. 1. dialog. 8. contra Cypriani Synodum omnes veteres Patres steterunt. Demum interdicitur, ibidem, ne quis præter dictos canones alium recipiat, ac proinde Trullani Patres plurimas Synodos, quas semper recepit Ecclesia, abjiciunt.

In Canone III. de continentia Clericorum mediâ quâdam viâ electâ statuitur, ut Presbyteri & Diaconi, qui duobus matrimoniis implicati fuerunt & usque ad XV. præteriti mensis Januarii præteritæ IV. Indictionis *Anni millesimi centesimi* (*nonagesimi*, hunc enim numerum interponendum esse ex Theophanis Chronographia patet) *noni*, ab eo peccato resipiscere noluerunt, dispositioni canonicæ subjaceant: qui autem ad conversionem respexerunt, vel uxores secundis nuptiis ductæ mortuæ sunt, à Ministerio sacerdotali cessent; honorem tamen Cathedræ & stationem participent. Qui autem uxorem viduam acceperunt; aut post ordinationem matrimonio se applicueruut, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi ad breve tempus arceantur ministerio, dein restituantur propriis gradibus dissoluto matrimonio: *Atque hæc respiciunt tempus præteritum. Pro futuro* autem renovatur Canon, qui dicit, eum, qui duobus matrimoniis post Baptismum implicatus fuerit, vel concubinam habuerit, non posse esse Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex sacerdotali Catalogo: similiter & qui viduam accepit, vel dimissam, vel meretricem, vel servam, vel scenicam &c. *

* Adverte in hoc Canone permitti Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis retinere uxores, quas ante ordinationem duxerant Virgines: quod est alienum à disciplina Ecclesiæ Romanæ: vel si antiqua tempora tantùm spectes, etiam Græcæ. Videntur autem non pauci fuisse sub Constantinopolitano, qui etiam retinuerunt, quas duxerant viduas, aut qui secundo matrimonio juncti fuerunt; Item qui post ordinationem acceperunt uxorem. Hoc quidem isto Canone prohibetur, ne in posterum fiat.

In Canone VI. prohibetur, ut nulli deinceps liceat matrimonia contrahere post ordinationem. C. XII. dicitur, quòd in Africa & Lybia & aliis locis quidam Episcopi post ordinationem habitent cum suis uxoribus: hoc autem Synodus prohibet fieri deinceps. C. XIII. refertur, quòd Romæ quidem traditum sit, ut ordinandi Presbyteri vel Diaconi spondeant, se uxoribus antea dictis non ultrà conjungendos: Synodus autem statuit servandum Canonem Apostolicum, & matrimonia horum non separanda juxta Apostolum. *

* Canon 5. Apostol. ita habet: *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat, religionis prætextu: sin autem ejecerit, segregetur; et si perseveret, deponatur.* Græci hunc canonem mutant quoad *Episcopos*, nam hi in Orientali Ecclesia, etiamsi antea uxorem duxerint, perfectam in Episcopatu servant continentiam. Pro Diaconis verò & Presbyteris Canon Apostolicus apud Græcos eatenus observatur, quòd retinere uxorem & usum conjugii possint, nisi quòd tempore Ministerii sacri ab uxoribus abstinere debeant; imò post ordinationem etiam his uxores ducere amplius non licet. Reprehendunt hìc Trullani PP. usum Ecclesiæ Latinæ, in qua omnes Ministri ad perpetuam continentiam obligantur; suúmque statu-

ſtatutum ex Synodi V. Carthaginenſis authoritate confirmare conantur: *ſcimus autem, ſicut & qui Carthagine convenerunt, & honeſtatis vitæ Miniſtrorum curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui ſacra Myſteria contrectant, & Diaconi, Presbyteri ſecundùm proprios terminos à conjugibus abſtineant.* Sed Concilium Carthaginenſe non habet hæc verba: *ſecundum proprios terminos*, ſed ſimpliciter jubet abſtinere. Ita Concil. Carthag. II. anno 369. can. 2. dicitur, *ſicut decet Sacerdotes, & eos qui ſacra Myſteria contrectant*: Hoc verò Græci præter mentem Patrum Carthaginenſium exponunt; quia ex *S. Auguſtino* l. 2. de adulter. Conjug. c. 20. conſtat; in Africa ſacratis Perſonis nunquam matrimonii uſum conceſſum fuiſſe. Deinde ſi Canon teneret, non minùs Epiſcopis, quàm aliis miniſtris extra tempus Miniſterii conjugium licitum foret.

Can. XIV. jubetur, ut Presbyter non ordinetur ante triginta annos, Diaconus ante viginti quinque, Diaconiſſa ante quadraginta annos. *XV.* Subdiaconus non ordinetur minor viginti annis. *XVI.* probatur, Diaconorum numerum ſeptenario majorem non pugnare cum Actibus Apoſtolicis. *

* Referunt Trullani PP., in Neocæſarienſi Synodo edito canone 15. decretum eſſe, *quòd ſeptem debent eſſe Diaconi ex Canone, etiamſi ſit magna civitas ex libro Actuum perſuadeberis.* Græci ubi ſuæ diſciplinæ hunc Canonem adverſari cognovêre; dicebant per Diaconos, ibi intelligi viros, non qui myſteriis, ſed qui menſis miniſtrant. Latinis hæc expoſitio parum placet, quia ex hoc ſequeretur, Diaconos hodiernos cum illis Apoſtolicis, qui tantùm menſarum curam habuiſſe feruntur, non eſſe conferendos. Vide Baronium ad ann. 34. Item Morinum de SS. Ordinat. P. III. exercit. 9. c. 3.

Can. XVII. Nullus Clericus à menſe Januario præteritæ IV. Indictionis poteſtatem habeat ſine proprii Epiſcopi ſcripta dimiſſione in alienæ Eccleſiæ Catalogum referri. *XXI.* Qui canonicè criminum rei facti, ac perpetuæ diſpoſitioni ſubjecti, ſi ad converſionem ſponte ſuâ reſpicientes peccatum delent, ... Clerici tondeantur; ſin autem non ſuâ ſponte hoc elegerint, comam ſicut laici nutriant. *

* Græci Sacerdotes nunc contra antiquum uſum comam nutriunt.

XXVII. Nullus eorum, qui in Cleri Catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat ... ſed utatur veſtibus, quæ iis, qui in Clerum relati ſunt, attributæ fuêre. Unde colligitur, veſtes jam dudum proprias Clericos habuiſſe. *XXXII. XXXIII.* reprobantur abuſus quidam Armeniorum, qui aquam vino non miſcentes Sacrificium peragebant, atque eos tantùm in Clerum cooptabant, qui erant genere ſacerdotali. *XXXVI.* Renovantes, quæ à Ss. CL. Patribus, qui in hac Regia urbe convenerunt, conſtituta ſunt: decernimus, ut thronus Conſtantinopolitanus æqualia Privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis, ùt ille, magni fiat, ut qui ſecundus ſit poſt illum. Poſt quem magnæ Alexandrinorum numeratur thronus, deinde Antiochiæ & poſt eum Hieroſolymitanæ civitatis. *

* Canon tertius Conſtantinopolitanæ Synodi, & Canon 28. Concilii Chalcedonenſis hìc confirmantur, ſed prior non eſt approbatus à Damaſo Papa, & poſterior rejectus eſt à legatis Leonis PP. in Synodo Chalced. & deinde ab ipſo Leone.

Can.

Can. XXXVIII. Canonem qui à Patribus factus est, nos quoque observamus, qui sic edicit: siqua civitas ab Imperiali potestate innovata est, vel rursus innovata fuerit, civiles ac publicos typos Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur. *

* In Canone XII. Conc. Chalced. dicitur: *nullus Episcopus audeat ab Imperatore petere divisionem Provinciæ: si qua autem civitas ab Imperatore facta est Metropolis; Episcopus honorem solum habeat; jus autem reservetur Metropolitano Ecclesiastico.* Iste autem Canon Trullanus illimitatè vult, ut juxta typos civiles procedat ordo Ecclesiasticus.

Can. XXXIX. Cùm Joannes Cypri præsul cum suo populo in Hellespontum migraverit; conserventur ei Privilegia à Synodo Ephesina concessa; ut nova Justinianopolis Constantiensium civitatis in Insula Cypro jus habeat, & ejus Episcopus præsit omnibus Episcopis Hellesponti, ejúsque Metropolita Cyzicenus Episcopus dicto Joanni subjiciatur. Balsamon tamen monet, istam œconomiam tunc cessâsse, quando Cyprus Gentilium manibus liberata est, & Metropoles Hellesponti ad Thronum Constantinop. rediêrunt.

Can. LIII. In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus præterquam Sabbato & Dominicâ & sancto Annuntiationis die, fiat Sacrum Præsanctificatorum. *

* Ritus ille, de quo alibi diximus, apud Latinos abolitus est, præterquam in die Parasceves; Græci verò adhuc hodie per totam quadragesimam observant. Vide *Dissert.* LEONIS ALLATII *in opere ejus de Eccl. Occid. & Orient. consensu.*

Can. LII. & *LIV.* agitur de impedimentis matrimonii ex cognatione spirituali & consanguinitate. *LV.* Quoniam intelleximus in Romanorum civitatibus, in sanctis Quadragesimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare, præter Ecclesiasticam traditam observationem: sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcussè vires habeat Canon, qui dicit: *Si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico vel sabbato jejunare, præter unum & solum deponatur, sin autem Laicus, segregetur.* *

* Canon hic inter eos est, qui ab Ecclesia Romana suntrejecti: licèt enim jejunium sabbati sit unum ex iis, de quibus ait S. Augustinus; *in his rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura Divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt*; interim tamen temerè egêre Trullani PP. quòd morem in Oriente tantùm receptum superiore quâdam authoritate Romanis imponere voluerint.

Can. LVI. Similiter accepimus in Armeniorum Regione, & in aliis locis in Sabbatis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova & caseum comedere: visum est ergo & hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis & caseo. *

* Ostendit hic Canon, veteres Græcos, licèt quadragesimæ Dominicis & Sabbatis non jejunarent; à carnibus tamen abstinuisse, & credidisse abstinentiam à carnibus inferre abstinentiam ab iis omnibus, quæ ex carne trahunt originem; quod & olim apud Latinos omnes, nunc verò in quibusdam tantùm regionibus viget.

Can. LXVII. Divina nobis Scriptura mandavit à ſanguine & ſuffocato & fornicatione abſtinere . . . ſi quis deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem Clericus, deponatur. *

* Præceptum hoc Apoſtolicum, de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato vigebat olim teſte Tertulliano in Apol. c. 9. & quidem poſtea in quibuſdam Eccleſiis tempore longiore; nam Gregorius III. circa Annum 731. inter Canones pœnitentiales hunc reponit: *Suffocatum dicimus, quod ſine ſanguinis effuſione perimitur ... ſiquis à lupo vel à cane aut in laqueo ſuffocatum invenerit, nullatenus manducetur; nec ſanguinem alicujus beſtiæ quis manducare, aut bibere præſumat; quod ſiquis fecerit, quadraginta dies pœniteat.* LUPUS tamen ad c. 67. Trull. docet, licet hæc lex primis ſæculis viguerit, perſuaſum tamen fuiſſe, eam Eccleſiæ authoritate poſſe deſinere.

Can. LXIX. Nulli laico licet ingredi intra ſepta ſacri altaris, nequaquam tamen ab eo prohibitâ poteſtate & authoritate Imperiali; quando voluerit Creatori dona offerre, juxta quandam antiquiſſimam traditionem. *

* Balſamon ad hunc Canonem reprehendit Latinos, quòd apud eos non ſolùm viri Laici, ſed & mulieres in ſanctum tribunal ingrediantur & ſedeant, ſtantibus ſæpe iis, qui ſacrificant.

Can. LXXII. Non licet virum orthodoxum conjungi cum muliere hæretica, aut mulierem orthodoxam cum viro hæretico. Si quid tale factum fuerit, nuptias irritas exiſtimari, & illicitum conjugium diſſolvi. Siqui autem in infidelitate & gregi orthodoxorum necdum adſcripti, conjuncti ſunt, hic quidem ad orthodoxos accedat, illa in errore maneat: & fideli placet cum infideli habitare; non ſeparentur à ſe invicem. *

* Hic Canon loquitur de matrimonio fidelis cum infideli non baptizato, atque hocmodo Canon conformis eſt deciſioni Innocentii III. cap. *Gaudemus* ✠ de divortiis.

Can. LXXXII. In aliquibus venerabilium imaginum picturis Agnus, qui digito Præcurſoris monſtratur, depingitur &c. jubet, ut omiſſâ figurâ, Chriſtus in forma humana pingatur. *

* Nequaquam hic Canon adverſatur conſuetudini Eccleſiæ Romanæ; in qua Pontifex Agnos Dei ſolemniter benedicit. Cæterùm Molanus in orat de Agnis Dei c. 16. ait: *Græcos hìc nec accuſandos nec defendendos ſuſcipio.* Nam ſi Chriſtus non pingendus eſt ſub figura Agni, cur Spiritus S. exprimeretur ſub forma columbæ? cæterùm picturæ quædam ſunt, quæ pro diverſa conditione temporum, populorum magis vel minùs inſtructorum permitti aut prohiberi poſſunt.

Can. LXXXIII. PP. Trullani mortuorum corporibus infundi vetant Euchariſtiam. *XC.* Traditionem antiquam ſervari præcipiunt de genu non flectendo diebus Dominicis. *XCI.* Abortionem fœtûs procurantes pœnis contra homicidas ab Eccleſia latis ſubjiciunt. *XCVI.* Fideles, qui capillos ad videntium detrimentum, ſcitè excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis eſcam eâ ratione objiciunt, anathemate feriendi & emendandi cenſentur. *XCIX.* Damnatur judaica Armenorum conſuetudo, quâ carnes in altaribus coquebant, & earum fruſta dividebant Sacerdotibus. *C.* Obſcœnæ picturæ è medio tollendæ ſunt. *CII.* Sacerdotis officium in ſacro tribunali exponitur, nempe ut conſideret peccati qualitatem, & ejus, qui

qui peccavit, ad conversionem promptum studium; & sic morbo convenientem afferat medicinam, ne si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat.

REFLEXIO IV.

Scriptores Sacri in Sæculo VII.

SCRIPTORES GRÆCI. *Leontius*

1. QUi rebus sacris describendis suos calamos, operámque in sæculo VII. consecrârunt, ad duplicem classem revocantur; nam alii *in Oriente* monumenta sua græcis literis prodiderunt in lucem: alii *in Occidente* latinis commentationibus Ecclesiam illustrârunt. Inter Scriptores Orientis *Regnante Phocâ* celebris fuit LEONTIUS de quo Sigebertus (a): *Leontius Neapolis* (alii legunt Salaminis) *Cypriorum insulæ, Episcopus scripsit vitam Joannis Alexandrini, qui ob eximiam in Pauperes misericordiam, agnominatur Eleemosynarius.* Scripsit is porro apologiam contra Judæos unde postea Joannes Damascenus quædam desumpsit (b). Sub Principatu Heraclii vixit GEORGIUS PISIDES Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus & Chartophylax: condidit Poëma de opere sex dierum, quod κοσμουργίαν vocat: fecit idem Historiam de Heraclio Imp. (c). Eodem tempore JOANNES ANTIOCHENSIS opus περὶ ἀρχαιολογίας sive de antiqua Historia evulgavit (d). Circa annum DCXXIX. floruit SOPHRONIUS, ortu Damascenus, primùm Monachus, postea Patriarcha Hierosolymitanus, de quo plura in Historiæ decursu jam diximus. Præter epistolas ad Honorium & Sergium, scripsit vitam Mariæ Ægyptiacæ, quæ habetur latinè versa apud Surium II. Aprilis; Tractatum de Incarnatione unius ex Trinitate (e). Æqualis huic vixit JOANNES MOSCHUS sive Eviratus cognomento dictus, in variis Monasteriis ascesin professus, res gestas Monachorum sub Heraclio illustriores in volumen redegit, quod vocatum *Pratum spirituale*, Limonarium, aut Viridarium, editum est à Rosweido Lugduni a. 1617. *inter vitas Patrum.* Hodie in capita 209. divisum est; sed Photius testatur, in quibusdam libris habuisse narrationes 342.; meminit operis hujus Joannes Damascenus (f). ELEUSIUS sive GEORGIUS Presbyter celebrabatur tempore Heraclii & filii ejus Constantini, scripsitque vitam sui Præceptoris S. Theodori Siceorum Archimandritæ (g). *Sub Constante & Constantino Pogonato* ANASTASIUS Monachus sui Magistri *S. Maximi* fidei Catholicæ vindicis & Martyris *vitam* composuit; cum quo Imperatoris jussu Româ Constantinopolim deportatus & post multas ærumnas in exilio piè obdormivit: scripsit idem circa annum 655. *ad commune Monachorum apud Caralim constitutorum epistolam*, quæ extat inter collectanea Anastasii à Sirmondo edita Paris 1620. & inter Maximi opera T. I.

(a) Sigebertus in Catalog. c. 57. Conferatur Possevinus.

(b) Joan. Damascen. orat. 3. de Imag.

Georgius Pisides.

(c) Joan. Tzetzes Chil. 3. Hist. 66.

Joan. Antiochensis.

(d) Jacob. Gothefred. in proleg. ad Philosostorg

Sophronius.

(e) Vide Biblioth. Sabb. MS. p. 90.

Joannes Moschus.

(f) Joan. Damas. de cultu Imag.

Eleusius

(g) apud Surium T. II. XXII. April.

Anastasius Monachus.

2. Plu-

SCRIPTORES LATINI.

Faustus Cassinensis.

2. Plures in Occidente sæculum septimum Scriptores insignes numeravit *sub Imperio Phocæ*. Ex latinis Commentatoribus primum locum tenet, FAUSTUS CASSINENSIS S. Benedicti discipulus, & S. Mauri in Galliam comes, deinde eo defuncto Cassinum reversus scripsit *vitam S. Mauri* (h) & vitam S. Severini (i). ELBOLDUS BRITANNUS Venedotarum in Anglia Archiepiscopus, luci dedit librum de ratione Paschæ, & Historiam sui temporis (k). MARCUS CASSINENSIS Ord. S. Benedicti, carmine eleganti vitam S. Benedicti à Gregorio M. prosâ descriptam enarravit (l). MAXIMUS Cæsaraugustanæ civitatis Episcopus digessit Historiam de iis, quæ à Gothis in Hispania gesta sunt (m).

Elboldus.

Isidorus Hisp.

3. *Sub Imperio Heraclii* EUSTASIUS scripsit iter S. Columbani (n). NENNIUS ANGLUS Historiam condidit de origine Britannorum. ISIDORUS HISPALENSIS Episcopus, stirpe gothicâ natus Severinum urbis Carthaginensis præfectum Patrem, fratrésque duos Episcopos habuit Leandrum Hispalensis & Fulgentium Carthaginensis Ecclesiæ (o). Antistitis munere ab anno 595. per annos XL. functus est: dicitur *Isidorus junior*, ut discernatur à *Cordubensi*, qui regnante Honorio vixit, Concilio Hispalensi II. & IV. Toletano præsedit. Anno 636. morti proximus se in S. Vincentii templum deportari fecit, ubi III. Aprilis accepto viatico sacro, placidè in Domino obdormivit (p), dignus de quo dicerent Patres Concilii VIII. Toletani; quod fuerit *sui sæculi Doctor egregius*, *Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus*, *præcedentibus ætate postremus*, *doctrinæ comparatione non infimus*, *& quod majus est*, *in sæculorum fine doctissimus atque cum Reverentia nominandus Isidorus* (q). Opera ejus sunt I. *Chronicon* ab initio mundi ad quintum annum Suinthicani Regis, Christi 626. II. *Historia Gothorum*, *Vandalorum*, *Suevorum*, prodiit Hamburgi A. 1611. & Amstelodami auctior A. 1655. III. *Originum sive Etymologiarum libri viginti*, cui immortuus est Isidorus, & Braulio complevit: Prodiit Parisiis A. 1509. & Basileæ 1577. quæ ultima editio corrupta est, si Arnoldo Wion fides est. IV. *De Scriptoribus Ecclesiasticis ac viris illustribus* liber, ubi Hieronymus & Gennadius desierunt: habetur in T. I. Hispaniæ illustratæ. V. *De vita & morte SS. utriusque Testamenti* Hagenoæ A. 1529. VI. De *divinis & Ecclesiasticis officiis libri duo* ad Fulgentium fratrem scripti A. 610. Suppositum hoc opus arguit Baronius; sed Braulio & Ildefonsus inter ejus opera referunt. VII. *Regula Monachorum in capita* 24. *distributa*. Atque ut omittamus alia plura opuscula; postremò est advertendum, quod Isidorus idem aliquam *Collectionem* fecerit *Conciliorum*; sed hæc collectio diversa existimari debet ab ea, quam Isidorus Mercator concinnavit: quamvis enim quidam inter duos hos Isidoros discrimen facere nolint; Vossius tamen ex eo distinguendos probat (r), quòd Isidorus Mercator quædam in Collectionis suæ præfatione adferat ex Concisio

(h) Bollandus XV. Januar. Mabilon. Sæc. Bened. I. p. 274.

(i) ibid. p. 565.

(k) Balæus.

(l) Petrus Diac. de Viris illustr.

(m) Isidor. in Catal. c. ult.

(n) Vossius de Hist. Latin l. 2. c. 25.

(o) Idem p. 263. Natal. Alex. Sæc. VII. Hist. Eccl. c. 4. a. 4.

(p) Guiliel. Cave in Sæc. Eutiph. p. 356.

(q) Concil. Tolet. VIII.

(r) Gerard. Joan. Vossius de Hist. latin. l. 2. c. 25. p. 265.

cilio Toletano XI. quod celebratum eſt anno 675: item quod ibidem mentionem faciat Agathonis Papæ, qui ſedere cœpit circa annum 678. quæ omnia non conveniunt in Hiſpalenſem Iſidorum, qui ultra annum 636. non vixit, ùt ſcribit Lucas Tudenſis.

4. *Sub Imperio Conſtantis* floruit AUDOËNUS Rothomagenſis Archiepiſcopus: Scripſit vitam S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi (s) quæ extat in Tom. V. ſpicilegii. JONAS, quem Voſſius Patriâ Scotum (t), Bellarminus (u) Anglum aut Hibernum appellat, Abbas erat Congregationis Luxovienſis: ſcripſit vitam Columbani Abbatis & vitas Attalæ & Euſtaſii ejuſdem Sancti Magiſtri diſcipulorum (x). ILDEFONSUS gente Hiſpanus (y), Iſidori Diſcipulus, ac Monachus, poſtea Toletanæ Sedis Epiſcopus, Eugenio ſucceſſit anno 658., Helvidii & Pelagii errores repullulantes creatus Præſul compreſſit, & obiit anno 667. Scripſit librum de illibata Virginitate Deiparæ, aliosque ſermones de Nativitate, Aſſumptione & Purificatione B. Virginis: Hiſtoriam contexuit Gothorum, quam exorſus eſt ab anno quinto Suinthilæ Regis, ubi deſierat Iſidorus; produxit autem usque ad finem Receſvinthi Regis. Liber quoque extat de Scriptoribus Eccleſiaſticis XIV.; ſive appendix ad librum Iſidori de viris Illuſtribus poſt Hieronymum & Gennadium (z)

5. *Sub Imperio Conſtantini Pogonati* claruit JULIANUS Archiepiſcopus Toletanus anno 680.; ad hanc ſedem elevatus ſcripſit vitam S. Ildephonſi, cujus ſucceſſori Quirico ipſe ſucceſſerat (a); condidit etiam Hiſtoriam de Pauli Ducis Narbonenſis rebellione in Wambam Regem Goth. (b): obiit anno 690. Multi eum confundunt cum Juliano Pomerio, qui vixit a. 490. (c). MARCULPHUS Monachus ſub Pariſienſi Epiſcopo Landerico, cui *formularum Eccleſiaſticarum libros duos* dedicavit circa annum 660. (d). THEODORUS Cantuarienſis Archiep. à Vitaliano in Angliam miſſus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex (e) *Pænitentiale* edidit, in quo quædam paradoxa inveniuntur: nempe c. 2. dicitur: Presbyter fornicans, ſi baptizaverit: poſtquam compertum fuerit, iterum baptizentur illi, quos baptizavit &c. & c. 11. ſi cujus uxor fornicata fuerit, licet dimittere eam & aliam accipere &c.: *Sub Juſtiniano Juniore* ADAMANNUS Scotus, Abbas Monaſterii, quod Columbanus in Hyenſi inſula Scotiæ exſtruxit, ſcripſit *libros tres de ſitu & locis terræ ſanctæ* (f).

(s) Sigebertus.
(t) Voſſius de ſcript. lat. lib. II. c. 26.
(u) Bellarm. in Script. Eccleſ.
(x) Sigebertus c. 61.
(y) Mariana de reb. Hiſp. l. 6. c. 10
(z) Vide Guilielm. Cave. & Voſſium de Hiſt. latin.
(a) Vide Surium ad XXIII. Jun.
(b) Felix Ep. Tol. in appendice Ildephonſi.
(c) Gerardus Voſſ. de Hiſt. latin. l. 2. c. 77.
(d) Vide Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Sæc. VII. c. 4.
(e) Beda l. 5. Hiſt. Eccl. c. 8.
(f) Beda l. 5. Hiſt. Eccl. Sigebert. de Script. Eccl. c. 64.

REFLEXIO ULTIMA.

De Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ in Sæculo VII.

§. I.

De Doctrina Orthodoxa ejuſdem Sæculi.

1. CONTRA *Monothelitas* Eccleſia Catholica in Sæculo VII. duas in Chriſto voluntates duásque operationes profeſſa eſt; ídque probabat invi-

invictis argumentis ex scripturis (a): *Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Et S. Maximus ad hæc Evangelii verba provocat (b): *Posterâ die voluit Jesus intrare in Galilæam.* Igitur quatenus homo poterat intrare ac velle; divinitas enim cùm nusquam absit, nec aliò moveri potest. II. (c) Sophronius Doctrinam Orthodoxam probavit ex sexcentis Patrum testimoniis, quorum nonnulla hìc in medium afferimus: DIONYSIUS, ait, *Discreta est autem benignissima circa nos Dei operatio, per hoc, quòd secundùm nos ex nobis, integrè & verè substantialiter plasmari voluit verbum & operatus est, & passus, quanta humana ejus operationi congruunt præcipua. In his namque Pater & Spiritus nullâ ratione communicavit* (d). S. BASILIUS: *Eorum*, inquit, *quæ diversæ sunt substantiæ, non potest similis esse operatio* (e) & alibi, ait, *Qualem voluntatem asserit verborum scriptor, quam non vult Dominus fieri, dicens ad Patrem: non mea voluntas, sed tua fiat? putásne intelligit, in qualem delapsus est sermo ejus controversiam? Appopinquat passio, & tunc hujusmodi facta est oratio. Qui deprecatur homo est, an Deus? si Deum esse, qui deprecatur, existimat, parem ei cum hominibus inspicit impotentiam. Quomodo igitur Deus, qui nullum habet inditum bonum, sed supernum invocat adjutorium? Dehinc quando reprehendebat Divinitas propriam voluntatem, bonum fuit, an malum, quod volebat? Et siquidem bonum, quomodo non ad effectum perducitur, quod volebat? Si autem malum, quæ est divinitati ad malum familiaritas? . . . Quia igitur alia est humana voluntas, alia Divina, loquitur quidem, & quasi ex homine, quod infirmitati naturæ congruit, qui nostras passiones assumpsit: adjungit autem secundùm vocem, sublimem & Deo decibilem voluntatem, præter humanam, firmari pro hominum salute volens. Qui enim dixit: NON MEA, humanam hoc sermone significavit: addens verò, TUA, ostendit conjunctionem suæ Deitatis ad Patrem, cujus nulla voluntatis est differentia propter communitatem ad Patrem. Nam Patris dicens voluntatem, etiam filii demonstravit.* CYRILLUS (f) probat Christum Deum & consubstantialem Patri ex operandi consortio: *Non enim unam utique esse dabimus operationem Dei & opificii: ne aut creaturam ad divinam provehamus substantiam, aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio & virtus citra ullum discrimen est una, iis speciei quoque constare necesse est unitatem.* Similia & multò plura legere licet apud CHRYSOSTOMUM (g), EPHREMIUM (h), MAXIMUM Martyrem (i), JOANNEM DAMASCENUM (k). Quemadmodum verò *Græci Patres* duas in Christo voluntates, duásque operationes tuebantur; ita & *Latini* pro hoc dogmate Orthodoxo pugnârunt S. HILARIUS (l): *Natus igitur Unigenitus Deus ex Virgine homo . . . . locutus & gerens homo universa, quæ Dei sunt: loquens deinde & gerens Deus universa quæ, hominis sunt . . . Hinc itaque*

(a) Matth. c. 26.
(b) Maximus in Disp. cum Pyrrho.
(c) Acta CC. apud Harduin. T. III. p. 714.
(d) Dionys. l. 4. de divin. Nom. c. 2. Agatho PP. in Synod.
(e) Basilius l. 4. adv. Eunom.
(f) Cyrill. l. 32. Thesauri.
(g) Chrysost. hom. 67. in Joan.
(h) Ephrem Antiochen. in Apolog. pro Synodo Chalced.
(i) Maxim. in Dial. cum Pyrrho.
(k) Joan. Damasc. de duabus Christi volunt.
(l) Hilar. lib. 9. de Trinit.

que fallendi simplices atque ignorantes Hæreticis occasio est, ut, quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: Et quia unus atque idem est loquens omnia, ea quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendant. Nostri igitur causâ hæc omnia JEsus Christus manens, & corporis nostri homo natus, secundùm consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen omittens naturæ suæ esse, quod Deus est &c. S. AMBROSIUS (m): *Æqualis in Dei forma, minor in susceptione carnis & hominis passione. Nam quomodo eadem posset minor esse, æqualísque natura? Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit? Nam quemadmodum eadem operatio diversæ esset potestatis? Nunquid sic potest minor, quemadmodum major operari? Aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?* S. AUGUSTINUS de voluntate ita docet (n): *Motus animi, quid est nisi motus naturæ? Animus enim sine dubitatione natura est: Proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi . . . Ab illo est voluntas, cujus est voluntas, ab Angelo scilicet voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei; & si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id agit, ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus est voluntas . . . Cur ergo negas clausis oculis res apertas, de natura hominis exoriri hominis voluntatem?* Ex hoc Principio S. Augustini ita concludit Agatho Papa (o); *Quibus testimonis claret unamquamque earum, quas hic spiritualis Pater dinumeravit naturas, propriam naturalem habere, & unicuique assignari debere propriam voluntatem. Neque enim poterit Angelica natura divinam habere voluntatem aut humanam: neque humana natura voluntatem Dei aut Angeli. Cùm hæc ita veritas habeat, certissimè claret, quòd in Domino nostro JEsu Christo duas, id est, Dei & hominis naturas sive substantias confessi in unam ejus convenisse subsistentiam sive Personam, necesse est & duas nos naturales in eo fateri voluntates, divinam scilicet & humanam: quia neque divinitatem ejus, quantùm ad naturæ rationem pertinet, humanam habuisse voluntatem dicendum est; neque humanitatem ejus divinam habuisse naturaliter voluntatem credendum est.* Hanc fidem Orthodoxam Patrum, Orientalis æquè ac Occidentalis Ecclesia professa est (p); *& erat quidem domus omnium per divinam concordiam & unanimitatem in unum, favente Dei gratia, in universitate, quæ sub sole consistit, pacificâ & tranquillâ fide munitis Ecclesiis. Hi verò, qui horum invidebant consonantiæ, ac in Christum confessioni, veluti quandam caliginosam nubem & stridentem vel gravem fluctum maris ac barbarorum, nemine hos movente, quàm solo Dæmone turbationis amico, qui genus humanum ad simultatem concitavit, repentè contra veram Christianorum fidem excogitaverunt Ecthesin.* Interim his quantùm Orthodoxi restiterint, idem S. Maximus declarat: *Quæ hos non rogavit Ecclesia, quis pius & Orthodoxus non supplicavit Antistes, cessare illos à propriâ hæresi clamando & obtestando? Nónne Oriens totus & Occidens lachrymas, lamenta, obsecrationes; deprecationes, ex æquo tam Deo per Orationes*

(m) S. Ambros. l. 2. de fide ad Gratian. c. 4.

(n) S. Augustin. l. 5. adv. Julian.

(o) Agátho in epist. Synodica.

(p) S Maxim. in epist. ad Petr. Illust. T. II. oper. S. Maximi.

tiones, quàm bis per epistolas offerebant (q)? *In Ægypto* ubi hæresis eruperat, præter Cyrum Patriarcham, qui heterodoxè doceret, nemo alius à Sergio appellari poterat. *In Palæstina* quàm tenuis Monothelitarum numerus fuerit, ex S. Maximo cognosces, dum ait: cùm Sophronius Jerosolymorum sedem suscepisset, ad eum confluunt, quotquot Episcopi erant, & orthodoxi, conjunctísque pariter studiis ac votis eos diris feriunt, damnántque, qui unam in Christo naturalem operationem, unámque voluntatem sentirent (r). Non minùs *Africa* hoc errore immunis erat; S. Maximus enim ideo, *quòd seniorem Romam ac Universam Africam, locáque alia, nec non iis circumjacentes Insulas eâ labe vacare cognoverat, bis relictis sedibus ad eas se partes confert* (s). Quid? quod ipse Oriens, si urbem regiam excipias, non multos admodum Monothelitas numerabat: nam Concilium Lateranense pronuntiat dogma orthodoxum ab omnibus, accipi: *Quam piam & sanctam & Deo placitam determinationem omnis suscepit libenter fidelis Ecclesia . . . Quia verò comperimus, quod quædam contraria in Constantinopolitana sunt civitate, contra instituta fidelium & antiquissimorum Patrum, & Universalium Conciliorum proposita per chartulæ cujusdam venenosæ dicta; miramur, imò dolemus, cur hæc vobis sunt permanere permissa, aut non statim conscissa, & recto Sacerdotali proposito radicitus amputata. Nos ergo . . . damnamus . . . confitemur . . . in Deo Domino N. JEsu Christo duas esse naturas, duásque voluntates naturales, sicut Catholica docuit, & docet semper Ecclesia* (t).

2. Præter Monothelitarum hæresin, alteram in Oriente *impurissimam* MAHOMETIS *sectam* sæculum VII. infelicissimo partu edidit; sed ab hac umbra Tartarea religio Christiana multò splendidior evasit: hæc enim à Deo tradita, virtutis Magistra, promissionibus supernaturalibus stabilita, firmata miraculis, in veritate fundata cernitur; è diverso Mahometis Secta sibi novum Evangelium confinxit: non virtutes sed immoderatum libidinum usum docet: nec alia præmia post mortem hominibus proponit, quàm fœdas voluptates, ut non beatitudinem hominum, sed brutorum descripsisse videatur: non prodigiorum suavi vi, sed armis ferociáque truculentâ superstitionem suam protulit; nec nisi mendaciis, pugnacibus & absurdis sermonibus blasphemiísque suam doctrinam refersit. Quæ omnia latiùs exequitur RICOLDUS in libro inscripto: *confutatio Legis Mahometicæ*, quæ in Azoaras seu capita 124. distincta est, & impugnata: Eandem Sectam confutârunt CARDINALIS DE CUSA *in Alcorani cribratione*; RICHARDUS FLORENTINUS *in confutatione Legis à Mahometo Saracenis latæ*; HIERONYMUS SAVANAROLA in Commentatiuncula, quâ probat Mahumetanorum Sectam omni ratione carere; S. PETRUS PASCHASIUS Episcopus & Martyr ex Ordine B. M. V. de Mercede, qui sub Mahometanis Granatæ passus est anno 1300. ubi & con-

(q) Idem l. c. p. 75.

(r) Vita S. Max. T. II. operum ejus.

(s) Tom. II. operum S. Max. p. 4.

(t) Conc. Lateran. secret. 2 Tom. III CC apud Harduin. p. 743.

& consignavit literis *vitam Mahometis.* His adde NATALEM ALEXANDRUM, in Sæc. VII. Dissert. VI. Cæterùm ut religionis undequaque conflatum monstrum ex præcipuis ejus dogmatis agnoscas; Mahomet I. docebat cum *Ærario pseudo Apostolo*, quem Paulus tradidit Satanæ (u) circumcisionem ac legalia esse servanda. II. Negabat Mysterium SS. Trinitatis, quod inficiatus, Christum cum Arianis, ac Ebionitis divinitate exuebat, quamvis Prophetæ nomen ei non negaret. III. Cum Agarenis volebat alium à Christo esse crucifixum. IV. docebat, Dæmones sub finem mundi salvandos, V. quantâ severitate postea Mahometani suis interdixêre usu vini, tantâ vesaniâ uxorum multitudinem permittebant. VI. Cultum astri, quod Lubar Turcæ vocant, sive lunæ Mahomet proponebat, non sine Gentilitatis cujusdam specie.

(u) 2. ad. Timoth. 2

3. Neque in eodem hoc Sæculo VII. cæterorum dogmatum stabiliendorum occasio defuit; nam I. *Ecclesiæ authoritatem & Traditionem* agnovit Concilium Lateranense sub Martino I. secret. 5. & Concilium Tolet. XII. sub initium. II. *Primatus Petri & Ecclesiæ Romanæ* asseritur à Concilio VI Generali in subscriptione Theodori Act. 17. & 18. III. *Liberum arbitrium* statuitur ab Isidoro lib. 2. de summ. bono c. 2. & in Concil. Tolet. IV. c. 56. IV. *Eucharistiam & Sacrificium* exponit Isidorus Hispal. l. 1. offic. c. 18. V. *De Pœnitentiæ sacramento* agit idem Isidorus lib. 7. origin. sub finem & Concilium Cabilonense c. 8. VI. *Purgatorium* adstruit Concilium Tolet. XI. c. 12. & Isidorus l. 1. de offic. Eccl. c. 18. VII. *Invocationem SS. & reliquiarum cultum* affirmant Toletanum Concil. X. c. 1. Isidorus Hispal. de vita & morte SS. c. 68. ac idem l. 1. de offic. c. 10. VIII. *Cœlibatum* idem firmat l. 2. c. 10. Demum *abstinentiam à cibis* probat Concil. Tolet. Octav. c. 9.

4. Dum igitur in Sæculum totum VII. reflectis, necesse est, ut ex Baronio hic Lector monearis (x). " *Antequam novi Sæculi ostium patens* " *ingrediaris, attende animo, & lustra memoriâ, siquid inveneris in Ecclesia* " *Catholica diminutum eorum, quæ in reliquis omnibus superioribus videris* " *Sæculis. Positos namque ob oculos habeas singulos annos, veluti totidem in* " *paginas versus, alios aliis cohærentes: in quibus inspicias, non alias, sed planè easdem, quas in superioribus Sæculis Ecclesiæ dotes & Sacramenta: Eandem semper universam Ecclesiam Charismatibus, quibus primum, secundum, tertium, & sic deinceps reliqua usque in præsens, visa sunt Sæcula abundâsse.* " *Res ipsa id testatur, facta clamant, & mirâ consensione scripta SS. omnium* " *prædicant, à regia nunquam deflexisse, sanctam Dei Catholicam Ecclesiam,* " *viâ, quæ Ss. omnium Martyrum & Confessorum fuit attrita vestigiis: satísque docent errâsse, qui ab ea recedentes, in devia declinârunt. Hæc autem* " *dixisse voluimus, quòd ter miseri Novatores jactent, descivisse hoc Sæculo* " *Romanam Ecclesiam à pristino instituto Majorum: licèt alii id in alia tempora* " *rejiciant, pro mentis arbitrio blaterantes. Cùm in his, quæ fidem spectant,*

(x) Baron. ad A. 700.

 " *unam*

" *unam eandémque sit in omnibus semper intueri Ecclesiam à Christi tempore,* " *usque in præsentem diem: prout non solùm connexi simul annis anni singuli* " *docent, sed & dies ipsi, secundùm propheticum illud: Dies diei eructat ver-* " *bum, & nox nocti indicat scientiam.* "

§. II.

De Disciplina Ecclesiæ in Sæculo VII.

1. CUm Disciplinæ Ecclesiasticæ forma, quæ apud Orientales in hujus sæculi decursu viguit, ex Trullanorum Canonum Statutis non obscurè jam intelligatur; illud duntaxat hìc subjungendum censemus, quæ ratio Politiæ Ecclesiasticæ, quis Monasteriorum status, quísque modus rituum aliorum sacrorum apud Occidentales eodem tempore servatus sit.

2. Ac primò in Hierarchia Ecclesiastica *Electio Pontificis* majori libertati reddita est; nam Constantinus Pogonatus Cathedraticon, sive tributum illud, quod Pontifices pro confirmatione Imperatori pendere cogebantur (a), omnino sustulit; altera tamen adhuc lex Augusti stabat, quâ vetabat, ne quis consecraretur Pontifex, nisi Constantinopoli ex Aula Regia assensum Principis impetrâsset (b). Difficultatis non parum cùm inde Clero Romano crearetur, Justinianus II. rem saltem ita admoderatus est, ut electus non à longiùs posito Orientis Imperatore, sed ab Exarcho Ravennatensi comprobaretur (c). Consecratus Pontifex velut supremus Ecclesiæ Pastor Archiepiscopos ordinabat; ita Theodorus electus Cantuariensis Episcopus Romam ivit; ut consecraretur (d). Ad Sedem Apostolicam Antistites vel Sede pulsi, vel aliis modis afflicti suam causam deferebant, cujusmodi exemplum habemus in Wilfrido Eboracensi, quem Agatho Sedi suæ restituendum definivit (e). Ad eandem Cathedram Romanam illi potissimùm convolabant, quibus propositum erat Barbaris atque Gentilibus annunciare Evangelium; hi quippe religioni sibi ducebant, Apostolicum suscipere munus antea, quàm à summo Ecclesiæ Capite prædicandi facultatem nacti fuissent (f). *Consecratio Episcopornm* quâ ratione instituta sit, discimus ex Eddio Stephano, qui de Wilfridi ordinatione ita loquitur: *Ubique* (in Gallia) *statim conventio magna facta est non minùs, quàm duodecim Episcoporum Catholicorum, è quibus unus erat Ægelberchtus Episcopus, qui eum propter fidem suam indicatam, gratulanter & honorificè coram omni populo publicè ordinaverunt; & in sella aurea sedentem, more eorum, sursum elevaverunt; portantes in manibus soli Episcopi intra Oratoria, nullo alio attingente, hymnósque & cantica in Choro cantantes* (g). Cæterùm sella auro inducta, de qua paulò antè mentio facta est, plicatilis erat, & græcè *Kliothedron*, & barbaro-latinè *Faldistolium* dicebatur. *Exauthoratio* vel *Depositio Episcoporum* sequentibus ritibus peracta est: Tunica sacerdotalis discindebatur illius, qui deponendus erat; nam cùm S. Leodegarium Ebroinus deponi curaret, *ejus tunicam consciderunt à capite* (h). *Tonsura Sacerdotum* apud diversos diversæ for-

(a) Thomassin. de discipl. Eccl. §.II. l.2.c.16.
(b) C. Agatho Disp. 53.
(c) Anastas. in V. Canonis PP.
(d) Beda l.4. c. 1.
(e) Vita Wilfridi c. 24. Acta CC. apud Harduin. T. III.
(f) Baron. ad a. 650. Antiq. Eccl. Brit. p. 358.
(g) Eddius in Vita Wilftidi c. 12.
(h) Anonym. in V. Leodegarii c. 14.

formæ erat: *Romani Sacerdotes*, detonſo ſuperiùs capite, infrà brevem capillorum geſtabant circulum. *Græci* penitus detonſi; rasíſque omnino capillis tunc incedebant. *Britones* & *Scoti* anteriorem capitis partem capillis nudabant ab aure ad aurem, poſteriore parte intonsâ (i).

3. Monaſteriorum quantus ubique numerus in Sæculo VII. evaſeſerit, ex ſyllabo Aſceteriorum in Gallia ſola erectorum conjicias: quorum fere centum & viginti indicem Cointius Tomo ſuo tertio Annalium adnexuit. His accedit ingens multitudo Parthenonum, quorum in Sæculo VII. in Gallia conditorum indicem pariter eodem loco idem exhibet Author (k). Neque tantùm in Francia ſed & in Britannia Aſceſis ſacra magnis incrementis intra hanc periodum propagata eſt (l). Siquis verò de regula, quam ſingula monaſteria ſequebantur, ſermonem inferat; ultrò ſatebimur, non unam Monachorum claſſem tunc fuiſſe, quin aliqui eorum ita ſuo inſtituto veteri adeò adſtricti videbantur, ut tam citò à priſtinis legibus deflectere ſibi religioni ducerent. Equidem in Anglia poſt ſæculi VII. medium S. Benedicti regula ubique laudabatur, ſed animi tenaciores eorum, quæ à multis annis dudum perceperant, non facilè, niſi lapſu temporis interpoſito, legem novam, novúmque inſtitutum admisêre (m). Hæc verò Religionis domicilia ne pro alendis Dei ſervis & ancillis neceſſario egerent ſumptu, Reges ac alii Optimates fundos ac prædia largiebantur: donationum autem literas rubris crucibus obſignabant; tum quia illo Chriſti inſigni charactere fideles ſe Chriſtianos eſſe, & Chriſti caſtra ſequi profitebantur: tum quia ea, quæ donabantur, eo indicio in Dei dominium & poſſeſſionem tranſibant (n).

4. Cæteri ritus cum diſciplina Sæculi VI. facilè conſensêre, niſi quòd pauca hæc notanda veniant. *Diſciplinam arcani* hoc tempore adhucdum per Germaniam & Galliam viguiſſe, imò in Latina Eccleſia ad duodecimum uſque ſæculum ſtetiſſe inviolatam (o). Occidens Cleri ordinem ita diſtinguebat, ut ſacri & majores Ordines caſtitatem voverent: minores autem & non ſacri minimè eſſent voto obnoxii; de quo intellige reſponſionem S. Gregorii ad interrogationem II. S. Auguſtini: *Si qui verò ſint Clerici extra ſacros Ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent, & ſtipendia ſua exteriùs accipere* (p). Intra ſeptimum gradum propinquitatis matrimonium contrahere olim non licebat, unde cùm Gregorius M. circa Anglos aliter diſponeret, ut quartâ progenie conjuncti non ſeparentur (q), Felix Meſſanenſis Epiſcopus hanc indulgentiam reprehendere viſus eſt. Gregorius verò Siculis ac dicto Præſuli repoſuit, ſe in eo, quod Anglis indulſit, non jus condere aut innovare: ſed ſolùm lac parvulis dare, donec formetur in eis Chriſtus; & ita formetur, ut manducare poſſint ſolidum cibum; Velle nihilominus de cætero, Canones integros eſſe & ſeptimi gradûs impedimentum (r). *Progeniem verò ſuam* (inquit) *unumquemque de his, qui*

(i) Mabil. Annal.Benedict. l. 16. c. 25. Alfordi in Annal. Anglosax. ad A. 664.

(k) Cointius in annal. Eccl. Francor. T. III. in fine.

(l) Alfordi in Annal. Anglosax. T. II.

(m) Alfordi in Annal. Eccl.Anglosax. l. c. ad A. 677. Item in Maj. Hierar. Eccl. à nobis edita A. 1746 p. 188.

(n) Alfordi l. c ad A. 660. n. 8.

(o) Pagius in Brev. PP. T. I. p. 435.

(p) Greg. M. in reſponſ. 2. ad Q. 2. S. Auguſtini.

(q) Felix Maſſanenſ. Ep. in ep. ad Gregor.

(r) Greg. M. in epiſt. ad Felicem apud Baron. ad A. 604.

qui fideliter edocti sunt, & jam firmâ radice plantati, stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem. Et quamdiu se affinitate agnoscunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem præsumant. Nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicitâ pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli Christianorum liceat, vel licebit; quia incestuosus est talis coitus ... incestuosos verò nullo conjugis nomine reputandos, à Ss. Patribus dudum statutum esse legimus. Ideo noluimus nos in hac re à vobis, sive à cæteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed considerando, ne Christianitatis bonum, quod cæperat, imperfectum dimitterent, egimus. Quam juris legísque dictionem Ecclesia servavit, donec *Innocentius III.* (s) justissimas ob causas, illam graduum amplitudinem ad quartum contraxit. Postremò *De organorum usu in Ecclesiis* perhibet Cardinalis Bona, eundem cœpisse sedente Vitaliano Papâ (t).

(s) Innoc. III. in Later. Conc.

(t) Cardin. Bona l. 1. rer. Liturg. c. 25. n. 19. Pagius in Brev. PP. T. I. p. 442.

5. Prærerea ex *Marculphi formulis* non pauca conjicere licet, quæ sub Regibus primæ Stirpis per Galliam in veteri usu fuêre. I. Episcopi ex mandato Regum consecrabantur aut confirmabantur: nec ullus ordinabatur Clericus absque Regis licentia (u). II. Reges Ecclesiis multa dabant Privilegia: *Statuentes ergo, ut neque eos, neque juniores, neque successores vestri, nec ulla judiciaria potestas quocunque tempore in villis, ubicunque in Regno nostro, ipsi Ecclesiæ, aut Regiâ Privatorum largitate collatis, aut qui in antea fuerint collaturis, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda* (sunt compositiones fisco debitæ) *de quibuslibet causis exigere, nec mansiones aut paratas vel fidei jussores tollere non præsumatis* (x). III. Servabantur Monasteriorum immunitates à Regibus & Episcopis concessæ (y): *De vestra Congregatione, qui in Monasterio sancta debent bajulare* (id est ad ordines promoveri) *cùm Abbas cum omni congregatione poposcerit à nobis vel à Successoribus nostris sacros percipiat gradus. Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio benedicat, & S. Chrisma annis singulis, si voluerit postulare, pro reverentia loci sine pretio concedat... quem unanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis elegerit .. Episcopus ipse promoveat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in Monasteria.. Episcopi .. habere præsumant .. Et nisi rogatus à Congregatione illa vel Abbate pro oratione lucranda nulli nostrûm liceat adire Secreta .. Etsi aliquando ipsi Monachi .. secus egerint, ab Abbate corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa civitate coercere debet,* IV. Reges causas graviores cum Episcopis & Optimatibus judicabant (z), V. Matrimonia mutuo hominum consensu ob solam discordiam dissolvebantur, & utrique alias contrahere nuptias permittebatur (a), quem morem Evangelio adversantem meritò Gallicana repudiavit Ecclesia, nam *aliæ sunt Cæsarum leges*, ùt monet Hieronymus (b), *aliæ Christi.* VI. Adverte ex his formulis barbaro stylo conscriptis, tantam istius & sequentium Sæculorum, ignorantiam fuisse, ut pro dirigendis & latinè utcunque scribendis Actibus publicis ad Monachos fuerit recurrendum. §. III.

(u) Synod. Aurel.

(x) Marculphi form. l. 1. c. 3.

(y) Ibidem c. 1.

(z) Ibidem.

(a) Lib. 2. c. 10.

(b) B. Hieronym. in epist. 3. ad Occam.

§. III.

De Conciliis, in quibus de Doctrina & Disciplina in Sæculo septimo agebatur.

1. ANno 604. Concilium *Cantuariense* S. Augustini celebratum est, in quo monasterium Ss. Petri & Pauli fundatum firmatur (a). Anno 610. *Romanum* habitum est præsente Mellito Londinensium primo Episcopo in causa Ecclesiæ Anglicanæ (b). *Toletanum III.* ita dictum ab eo tempore, ex quo Reccaredus Catholicam fidem amplexus est: In hoc Primatum Ecclesiæ Toletanæ adjudicant Episcopi Provinciæ Carthaginensis (c). An. 615. *Egarense* in Provincia Tarraconensi agit præcipuè de castimonia Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum (d). Anno eodem *Parisiense*, quod dicitur *Generalis Synodus*, quia præter morem 79. Episcopi interfuêre (e); edidit Canones quindecim (f). Anno 617. *Hispalense* sub Isidoro Metropolita tractat de negotiis Ecclesiasticis, & adversùs Acephalorum hæresin (g). Anno 622. *Charnense* apud Theodosiopolim majoris Armeniæ urbem, addere *Trisagio* vetat illa verba: *Qui crucifixus est pro nobis.* Præcipit etiam Dominicæ Nativitatis & Baptismi festivitates separatim esse celebrandas (h). Anno 624. *Remense* dedit 25. Canones de Disciplina (i). Anno 627. *Matisconense* vindicat regulam S. Columbani (k). Anno 633. * *Alexandrinum* sub Cyro Patriarcha, ubi ad Monothelismum stravit viam, unionem Hæreticorum prætexens (l). Anno 633. *Toletanum IV.* sub Isidoro Hispalensi tractat de Disciplina (m); A. 636. 638. *Toletanum V. VI.* Præside Eugenio Toletano habitum, de rebus Ecclesiasticis (n). A. 645. *Aurelianense* contra Monothelitarum hæresin egit (o). Anno 646. *Toletanum VII.* contra seditiosos & transfugas (p).

2. Anno 649. LATERANENSE Romæ in Ecclesia Constantiniana sub Martino I. Papa, cui interfuêre centum quinque Episcopi, & damnârunt hæresin Monothelitarum, ejúsque Authores & Sectatores confixêre: Præterea anathema dictum ab iis est Heraclii Ecthesi, ac Typo Constantis. Post quinque Secretaria seu Constitutiones, editósque viginti Canones & anathematismos finita Synodus, maximâ ubique authoritate valuit (q). *Cabilonense* egit de Disciplina per viginti Canones, quibus subscripsêre Episcopi undequinquaginta (r). Anno 653. *Toletanum VIII.* multa, quæ ad fidem ac disciplinam spectant, constituit: Canones undecim, qui supersunt, Loaisa notis illustravit (s). A. 655. *Toletanum IX.* sub Eugenio Archiep. condidit Canones septendecim (t). Anno 656. *Toletanum X.* reliquit Canones septem de disciplina, quos Cardinalis d' Aguirre eruditâ dissertatione interpretatus est (u). Anno 660. *Nannetense* ad Ligerim, Nivardo Ecclesiam Remensem regente, habitum pro disciplina emen-

(a) Conc. Brit. T. I. apud Spelm.
(b) Beda l. 2 c. 4.
(c) Garsias Loaisa Conc. T. V.
(d) Aguirre T. II. Conc. Hispan.
(e) Canon 3. Conc. Rem.
(f) Cointius ad A. 615. T. II.
(g) Loaisa l. c.
(h) Anonym. Hist. Patriarch. Armeniæ c. 13.
(i) Cointius T. II p. 751.
(k) ibid. p. 729.
(l) Acta CC. T. III. apud Harduin.
(m) Aguirre T. II. Conc.
(n) ibid. l. c. Loaisa Conc. T. V.
(o) Cointius T. III. p. 15.
(p) Aguirre l. c.
(q) Acta CC apud Harduin. T. III.
(r) Cointius T. III. ad A. 644.
(s) Conc. Hispal. T. II.
(t) ibidem.
(u) ibidem.


danda viginti capitula definivit (x). A. 663. *Augustodunense* sub S. Leodegario celebratum, in quo prima Symboli Athanasiani mentio occurrit. Ex Canonibus de disciplina Monastica supersunt octo, quibus & alium de Clericis addidit Sirmondus (y). Anno 664. *Pharense* in Anglia, in quo de ritu Paschatis celebrandi, de tonsura Sacerdotum aliisque disputatum est: Anglosaxones tamen in hac controversia victores fuêre (z). A. 666. *Emeritense* apud Lusitanos sub Proficuo Metropolitano, in quo symbolum Constantinop. cum particula FILIOQUE proferebatur: editi sunt Canones XXIII. (a). Anno 672. *Herefordiense* in Anglia sub Theodoro Archiepiscopo, sanxit, canonica Ss. Patrum Decreta ab Anglis esse observanda (b). Anno 675. *Bracarense*, cui præfuit Leocidisius Metropolitanus, & cum octo Episcopis de fide & disciplina novem Canones posuit (c). *Toletanum XI.* sub Quirico Metropolita, qui cum novendecim Episcopis & duobus vicariis & Abbatibus aliquot, post fidei confessionem editam sedecim Canones de disciplina promulgavit (d).

3. Anno 680. CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM III. OECUMENICUM, cui interfuêre Legati Agathonis Papæ, Patriarchæ Orientales, eorúmque Vicarii: proscripta ibidem est hæresis Monothelitarum, uti ex duodecim ejus Actionibus videre licet (e). A. 681. *Toletanum XII.* sub Juliano Metropolitano, cujus tredecim capitula restant (f). Anno 683. *Toletanum XIII.* ante recepta Acta sextæ Synodi celebratum (g). A. 684. *Toletanum XIV.* peractum pro admittenda sexta Synodo (h). A. 688. *Toletanum XV.* in quo à Juliano Præside & aliis LX. Episcopis agitata quæstio est non parùm obscura circa propositiones quasdam ab Episcopis Hispaniæ prolatas, & Benedicto II. Papæ suspectas (i). A. 690. *Cæsaraugustanum* vulgò *III.*, cujus extant quinque Constitutiones Ecclesiasticæ (k).

4. Anno 601. * *Concilium Trullanum* Constantinopoli in Secretario Imperatoris Justiniani Rhinotmeti habitum, quod etiam *Quinisextum* dicitur, cujus centum Canones Romana Ecclesia minimè admisit, præcipuè eos, qui ritibus ac moribus, tum etiam Decretis pristinis adversantur. A. 693. *Toletanum XVI.* sub Felice Archiepiscopo tractavit de fide, & de Disciplina (l). Anno 684. *Toletanum XVII.* post firmatam fidei regulam condidit Canones octo (m). Anno 701. * *Toletanum XVIII.* & ultimum, multa Disciplinæ Ecclesiasticæ contraria statuit.

(x) Flodoard. l. 2. c. 7. Vide Pagium ad A. 660. n. 14.
(y) Acta CC. apud Harduin. T. III. Cointius ad A. 663. T. III.
(z) Beda l. 3. c. 25. Spelm. Conc. Brit. T. 1.
(a) Conc. Hisp. T. II. p. 625.
(b) Beda Hist. Eccl. l. 4. c. 5.
(c) d'Aguirre Conc. Hisp. T. II.
(d) ibidem p. 660.
(e) Acta CC. T. III. apud Harduin.
(f) Aguirre Conc. Hisp. T. II. p. 681.
(g) Pagius ad A. 683 n. 15.
(h) idem ad A. 684. n. 11.
(i) Rodericus Tolet. l. 3. de reb. Hisp. c. 14.
(k) Conc. T. III. apud Harduin.
(l) d'Aguir. Conc. Hisp. T. II. p. 735.
(m) ibidem p. 752.

LIBER



LIBER VIII.

IMPERII ROMANI
PARTIM A SARACENIS DIREPTI
PARTIM A FRANCIS REGIBUS REPARATI
VARIA FATA
ITEM
ECCLESIÆ
PER ICONOCLASTAS AFFLICTÆ, & PER VIROS APOSTOLICOS IN GERMANIA PROPAGATÆ
VICISSITUDINES.

CAPUT I.

In Oriente Imperatores Iconoclastæ turbant Imperium. *Occidentale Italiæ Regnum* Francorum Reges à Longobardorum jugo vindicant. Partem *Hispaniæ* occupant Saraceni: Asturiæ & Legionensis Regni initia fundantur. *Britanniam* novi Reges Christiani piis exemplis & institutis illustrant. Ab anno 711. ad annum 800.

§. I. *PHILIPPICUS BARDANES Monothelita exauthoratur: ANASTASIUS II. Catholicus ejicitur in exilium: THEODOSIUS sponte deponit Imperium: LEO ISAURICUS Saracenorum victor, & Iconoclasta orthodoxos exagitat: CONSTANTINUS COPRONYMUS Patre scelestior iconomachus: Neque LEO IV. hujus filius ab hac hæresi cessat: CONSTANTINUM filium IRENE mater Augusta excæcat, & tandem ipsa in exilium relegatur.*

I. UTprimùm PHILIPPICUS BARDANES Orientis Principatum invaſerat (a), malè parto Regno peſſimè abuſus, impietate Eccleſiam, Imperium crudelitate turbavit. Stephanus Monachus, Macarii Antiocheni Monothelitæ diſcipulus, calamitatum ejusmodi primam ſementem projeciſſe fertur: is enim olim, antequam Leontius regnaret, Philippico Auguſtos honores præſagiens, hoc pro fauſto vaticinio præmium repoſcebat, ut, ſiquidem Bardanes aliquando rerum potiretur, Monothelitarum hæreſin à ſexta Synodo proſcriptam è latebris in lucem revocaret (b). Præſtigiator ſive omen à ſtygiis artibus hauſerit, ſive temerè conjectionem ſuam jactârit; certè Bardanes ad Imperium ſubvectus nihil non Divinatori ſuo ſe debere profeſſus eſt; atque ut datam liberaret fidem, primas ac acerbas curas in eo poſuit, ut errorem Monothelitarum per Orientem ſtabiliret (c). Itaque *Cyro* Conſtantinopolitano Patriarchâ, quem Catholicum noverat, in Pontum relegato, *Joannem* ſuis conſiliis aptiorem ſubſtituit, quo adjuvante, vel ſaltem maligniùs connivente (* 1) Sergii, aliorumque

(a) Nicephor. in Brev. Anaſtaſius.

An. 711. *Philippicus Bardanes Imperator Orient.*

(b) Theophanes ad A. Incarn. ſecund. Alex. 703. Agatho Diacon. in Joann. Conſtantinop. Epl.

Monothelitarum hæreſin reſtaurat.

An. 712.

(c) Nicephorus in Brev. Agatho Diac. l. c. apud Combeſiſium in Hiſt. Monoth. p. 211.

(* 1) JOANNES CONSTANTINOP. *in Apologet. Epiſtola ad Conſtantinum Papam* apud Combeſiſium in Hiſtoria Monothel. p. 211. excuſat à ſe geſta tempore Philippici, qui tyrannicè opprimere conabatur Eccleſiam. Initio Conſtantinum agnoſcit caput Eccleſiæ, à quo languentia membra ſanari & reſtitui poſſint: teſtatur, ſe invitum ſuſcepiſſe Epiſcopatum Conſtantinop.: compulſum fuiſſe à clero, ut excluderetur alius, qui non erat ex cœtu Eccleſiæ & hæreſi Monothelit. addictus, quem Philippicus ad Patriarchatum evehere meditabatur; imo quidam ſpargebant etiam S. Synodum Chalcedonenſem abrogandam. Deinde pergit, magnam ſibi à Philippico moleſtiam allatam, ut juxta ejus mentem ad Papam ſcriberet: ſe iniiſſe conſilium, ut tyrannidem depelleret, & tum ad magis moderata perduceret: idcirco duxiſſe, non omnino abjiciendam indifferentiam: ſe rectam affectionem erga fidem orthodoxam, cum maximè urgeret tempeſtas, conteſtatum eſſe apud Apocriſiarium ſedis Romanæ. Oſtendit ex Baſilio, Gregorio Theol. Dionyſio Areopag. poſſe in verbis aliquid diſſimulari: ſe laborâſſe, ne aliena dogmata apertè inducerentur in Eccleſiam: pro magno habuiſſe ita loqui, ut etiam inimici fidei eam confiterentur, & fides confirmaretur potiùs, ſi verba rectè exponantur; volendi enim & operandi poteſtate præditum in altera natura dicere eſſe Chriſtum, nihil eſt aliud, quàm intelligere duas naturales voluntates, & duas naturales operationes . . . infra rogat Papam, ne in eum conferat culpam, cui non poſſit ignoſci. Si enim dicatur, non eſſe aſſecutus perfectum, etiam Patres interdum adhibuiſſe œconomiam. Tyrannus auſus eſt comburere Tomos VI. ſynodi, repoſitos in palatio: ſe tamen diligenter cuſtodiviſſe Tomos illos apud ſedem Conſtantinop. repoſitos, in quibus & ſubſcriptiones Epiſcoporum & ſubſignatio Imperatoris. Rogat Papam, ut dignetur benignè cum eo agere & viciſſim reſcribere. Addit ſe diſcipulum eſſe

que damnatorum nomina dipthychis reddebantur: exurebantur ſextæ Synodi Acta, quæ in Palatii tabulario ſervabantur (d); demum formula nova fidei procudebatur, quam cum occidentales æquè ac Orientales abominarentur, in orthodoxos diris cruciatibus ac proſcriptionibus ferociter ſævitum eſt. Necdum Procella hæc Eccleſiæ infeſta deferbuerat; tum ab eodem Cæſare res Imperii non minoribus damnis afflictæ ſunt. Præterquam enim quòd ingenio ad gerendas cauſas planè inepto ac fere ſtolido opes reipublicæ jampridem congeſtas exiguo tempore diſſipaſſet (e); ipſis etiam Saracenis ac Arabum genti Provincias diripiendas reliquit: qui proinde Ciliciam, Myſiámque depopulati, captis pluribus urbibus, innumerabilem Chriſtianorum multitudinem in fœdam ſervitutem (f) abſtraxerunt. Neque tantùm ignavus Imperator patiebatur ſuis vim inferri, ſed & ultro Unnuguros Bulgaros violato pacis fœdere in bellum provocavit: hi perfidiam ulturi dum continuis irruptionibus, cædibúſque Thraciam permiſcebant (g); Romani Duces ac Optimates inſipientiam Cæſaris deteſtati Conſtantinopolim veniunt, captúmque ex inſidiis Philippicum orbant oculis, atque in carcerem compingunt. (* 2)

(d) Agatho Diac. in peroratione apud Combefiſ. Nicephor. in Brev. ad A. 712.

(e) Theophan. ed. Par. p. 319.

Imperium inſipienter regit.

(f) Niceph. edit. Pariſ. p. 32.

(g) Theophan. p. 320. Agatho Diac. in peror.

An. 713.

Ejus exauthoratio.

2. Poſtridie, quàm Philippicus exauthoratus fuerat, & pridie nonas Junii, ſive in feſtiva Pentecoſtes die *Artemius*, qui Philip-

eſſe Petri Apoſtoli, qui cùm peccâſſet, citò reſtitutus fuit &c. *Adverte*: Joannes Conſtantinop. hic quidam ſuum & aliorum factum excuſat, magis tamen fatetur culpam & petit indulgentiam. Unde non ſolùm videtur anſam dediſſe, ut *Nicephorus* & *Theophanes* ſcriberent damnatam fuiſſe in Conciliabulo ſextam Synodum; ſed & culpam non levem admiſiſſe, unà cum aliis, qui ſubſcripſerunt; etſi fortè verbis expreſſis non damnaverint ſextam Synodum. Certè *Nicephorus* & *Theophanes*, qui centum circiter annis poſt rem geſtam ſcripſerunt, benè nôſſe potuerunt, quid actum fuerit.

(* 2) De Exauthoratione Philippici THEOPHANES edit. Pariſ. p. 321. ait: Imperator *publico Zeuxippi balneo lotus cum civibus urbis antiqua nobilitate ſpectatis pranſus eſt. Cum verò quieti ſub meridiem indulgeret, Rufus Officii Protoſtrator, ex Georgii Patricii & Comitis officii, cognomento Boraphi, Conſilio, Theodori quoque Myacii, qui Patricius erat, hortatu cum militibus præſidiariis, quos in Thracia ex eodem Themate regebant, irrumpentes, Philippicum meridianâ relaxatione ſolutum reperientes, raptum è lecto in Praſinorum ornatorium abduxerunt, ibique nullo penè propoſiti conſcio oculos effoderunt. &c.* Similia ferè habet *Nicephorus* & *Cedrenus*. At *Zonaras* ſcribit, Senatores, qui cum Imperatore diſcubuerant, ipſum comprehendiſſe adhuc prandentem, & ei oculos effodiſſe.

Philippico à secretis serviebat, communi omnium ordinum suffragio in Imperatorem electus à Joanne Archiepiscopo coronabatur (h); indito ANASTASII nomine. Hoc Augusto probante sexta Synodus suæ authoritati & fides orthodoxa suo vigori restituta est, cujus indices literas Anastasius per Scholasticum Exarchum Italiæ ad Constantinum Papam deferri jussit (i). In tertium inde annum res Imperii satis prosperè gerebatur, dum Saraceni multâ Orientis prædâ jam divites adornabant in Syria classem, arma Regiæ ac Constantinopolitanæ urbi illaturi (k). Anastasius, quo vim averteret, copiosum militem in Rhodum insulam â Joanne Diacono Generali Logotheta deduci curat: vix illinc omnibus, quæ expeditio præsens postulabat, comparatis, dum classis præfectus movere porrò in hostem imperat, seditio repente cooritur: ardentibus primis ac turbulentis vocibus, mox etiam armis mandato Ducis repugnatum est, quibus Joannes tandem concisus interiit (l). Rabies furentium ubi aliquantùm refrixerat; multò nocentior rebellium animos timor subiit: verebantur nimirum singuli Constantinopolim ad Anastasium Principem reverti, cujus iram seditiosis molitionibus se noverant accendisse. Quare premente factorum conscientiâ trepidi, anxiique remeant: vix Adramyttium venerant, tum repentè metum in desperationem vertentes ex communi omnium sententia novo scelere scelus obruere decernunt. THEODOSIUS tributorum exactor quamuis invitus ad captandam purpuram cogitur (m), quem præeuntem dum factiosi ad Regiæ urbis obsidionem sequuntur, Anastasius de perfidia suorum certior novam classem venturo hosti objicit, hócque Constantinopolis præsidio constituto Nicæam digressus, eventum rerum ancipiti Marti reliquit. Interea Theodosius magnis passibus propinquabat urbi, & occupatâ Chrysopoli cum classe Anastasii conserere manus cœpit: pertinaci utrinque bello in sextum Mensem certatum est; tum Theodosius urbem, quam armis non poterat, proditione capit, Anastasium verò detonsum ac monastico habitu indutum Thessalonicam in exilium emisit (n).

3. Interiore tumultu composito, exteri hostes Provincias Orientis invadunt; Saraceni namque in Asiam irrumpentes, Pergamum

(h) Theophan. l. c. Nicephor.

Anastasius II. Imperator Catholicus.

(i) Agatho Diac. in peroratione in Auctar. Bibl. PP.

An. 715.

Ejus expeditio contra Saracenos.

(k) Nicephor. p. 33.

(l) Idem. l. c. Theophanes p. 322.

A seditiosis Theodosio defertur Imperium.

(m) Theophan. p. 323. Nicephor. p. 33.

An. 716.

Anastasius in exilium ejicitur.

(n) Nicephor. p. 34. Theophan. l. c.

Saraceni ad obsidionem Constantinopolis se accingunt.

gamum obſident, quod caſtellum dum per tredecim menſes infeſtant; ſimul claſſem ædificavere mille octingentarum navium, quo apparatu Conſtantinopolim ſubigendam ſperabant (o). Ad has publicas Imperii adverſitates Theodoſius planè inhorruit, intellectúmque eſt, non ſemper bonum eſſe Principem, qui optimus fuiſſet civis; nam Theodoſio licèt ingenium facile & ad devinciendos animos idoneum foret, debilius tamen illud erat, quàm ut arte quadam, aut etiam valido robore inter decumanas ejuſmodi procellas clavum Reipublicæ moderaretur (p). Itaque Magiſtratus civiles & Præfecti militiæ Cæſari authores fuere, ut abdicatum ſponte Imperium in alterum transferri ſineret. Nec ille multum refragatus purpuram cum veſte clericali commutabat, quod inſtitutum unà cum filio ſuo amplexus, vitæ reliquum in ſancto otio transegit (q).

(o) Nicephor. p. 34.

(p) Idem l. c.

Theodoſius deponit Imperium.

An. 717.

(q) Theophanes p. 327.

4. Theodoſius ubi Imperio ceſſerat, LEO Dux ad Principatum evocatus eſt (r). Vili is genere in Iſauria natus ac Conon appellatus, à mutata fortuna *Leonis* nomen & à patria *Iſaurici*, cognomen accepit: Juſtinianus huic, cùm ſecundò regnaret, inter Prætorianos (s), ac ſubinde Anaſtaſius inter præcipuos Orientis Duces locum dedit (t); vir namque erat, quem utì felicitas in apparandis & fortitudo in conficiendis rebus multum commendaverat; ita omnium oculis notabatur ejuſdem ſingularis in Principem Anaſtaſium fides, quæ tunc maximè eluxit, ubi Theodoſio in Imperium ſe ingerente ipſe fere unus cum Artabasdo Armeniorum Duce reluctabatur, indignum ratus, jura Regni in eo agnoſcere, qui in ſuum Imperatorem injurioſus fuiſſet (u). Leo cùm ob virtutes ejuſmodi Imperio dignus haberetur, Conſtantinopoli in majore Eccleſia à Germano Archiepiſcopo coronatus eſt (x). Antequam tamen ſubmiſſo vertice coronam acciperet, jusjurandum palàm edidit, quo profitebatur ſe fidem Catholicam illibatam ſervaturum: Eadem cùm ſubinde Gregorio Papæ ſcriberet, miſſam orthodoxæ fidei confeſſionem adeò probavit Pontifex, ut in Communionem Romanæ Eccleſiæ recepto Principi

Leo Iſauricus Imperator erratur.

(r) Theophanes ad ann. Inc. ſecund. Alex. 709.

(s) Theophan. p. 327.

(t) Idem p. 331.

Primordia Leonis Iſaurici.

(u) Theophanes l. c.

(x) Nicephor. in Brev.

Ejus integra fides.

Saraceni obsident Constantinopolim.

Principi Imperium (* 3) gratularetur. Primordia tam felicia multò celebriora reddita sunt à Victoria, quam paulò post contra Saracenos reportavit: hi â capto Pergamo, Duce Muselma Constantinopolim cum ingenti classe movebant; quam urbem ut navibus omnino concluderent (y), Suliman Calipha aliam classem in subsidium adduxit. Summi, infimíque jam ad infestum spectaculum tremebant, tum Leo cunctis audentior naves ad spargendos græcos ignes compositas in hostem incitavit, quibus tanta strages edita, ut navalis Saracenorum apparatus vel flammis aut fluctibus absumeretur (z). Exitialis ista clades etsi Saracenis vires aliquantùm adimeret, expugnandæ tamen urbis spem iis necdum eripuit, quare geminam rursus tum ex Ægypto, tum ex Africa classem accersunt (* 4), quâ aucti obsidioni acriùs insistunt, urbémque ad ultimas angustias redigunt. Sed miserante Deo calamitatum finis tandem secutus est; nam Bulgari in auxilium civium properantes viginti duo millia Saracenorum cecidêre; multos oppressit fames, quâ stimulante cùm humanis carnibus, cibísque insolitis solari inediam cogerentur, dirissimâ lue absumpti sunt. Tot malis victi Saraceni reliquias exercitûs imminenti exitio subducere constituunt, jámque die XV. Augusti Virgini beatissimæ sacrâ â Byzantinis oris solvere parabant, tum tempestas ingens concitata validissimis naves cœpit jactare motibus,

(y) Theophanes ad a. Inc. secund. Alex. 709. pag. 331. & 332.

naves Saracenorum græco igne exuruntur

An. 718.

(z) Idem l. c. conf. Nicephorus in Brev.

Constantinopolis obsidione Saracenorum liberatur.

(* 3) Ex GREGORII PAPÆ *Dialogo ad Leonem* apud Baronium Annal. ad a. 726. *Literas vestræ à Deo custoditæ Majestatis ac fraternitatis . . . missas accepimus . . . in sancta Dei Ecclesia repositas in limine confessionis S. & gloriosi Principis Apostolorum Petri diligenter servamus, ubi & Christi amantium prædecessorum tuorum, qui piè imperarunt, sunt literæ. Et in decem Syllabis rectè ac piè, utque Imperatorem Christianorum decet, observaturum te, ac custoditurum in perpetuum omnes SS. Patrum nostrorum & Doctorum admonitiones promisisti. In primis autem, ac præcipuè, quòd literæ tuæ, & non alienæ, sigillis Imperatoriis obsignatæ diligenter essent, & accuratæ intus subscriptiones per Cinnabarin proprià manu tuâ, ut mos est Imperatoribus subscribere, rectéque admodum ac Religiosè confessionem inculpatæ & orthodoxæ fidei nostræ edidisti, sed & scripsisti, eum, qui solvit ac dissolvit terminos Patrum, execrandum esse. Cumque hæc accepissemus, gratiarum actionis hymnos Deo obtulimus, quòd à Deo tibi planè donatum esset Imperium:*

(* 4) THEOPHANES ad a. Inc. sec. Alex. 709. p. 332. edit. Paris. *Insequente vere Suphiam advenit, conflatam in Ægypto classem adducens navium frumento convehendo idonearum ad quadringentas & totidem celoces . . . Non diu post cum altera classe in Africa collecta, in qua naves onerariæ trecentæ sexagintæ, cum armorum & commeatûs numero Izib adfuit.*

bus, atque proximis ripis illidere: inter horrendos fragores micabant ignes, ac ſciſſis triremium vinculis, quidquid vectorum, militúmque erat, in ima maris effundebantur; neque ex hoc communi naufragio, niſi quinque duntaxat navibus, iiſque laceris & malè afflictis Damaſcum reverti conceſſum eſt (* 5). Fama rei contra Saracenos feliciter geſtæ tantùm profuit Cæſari, ut duobus aliis hoſtibus arma, ac ſeditioſa conſilia excuteret: Baſilius Onomaguli filius in Sicilia (Tiberii nomine accepto) regnare præſumpſerat; quod ubi Leo cognovit, Paulum legatum miſit, qui victoriam adverſus Saracenos relatam Siculis nunciaret (a). Vix ea, quæ in Helleſponto, ádque ipſa Conſtantinopolis mœnia, aſpirante cælo evenerant, Primoribus expoſita ſunt; tum mutatis omnes animis, ac tyranno interfecto in jura Imperatoris redierunt. Non minor poſt hæc Byzantinorum in ſuum Principem amor conſtitit; Anaſtaſio enim, qui ex Imperatore Theſſalonicæ exul aliquo tempore vixerat, ad regnum priſtinum aſpiranti (b) adeò ſinguli reſtitêre, ut Bulgari, qui pro Anaſtaſio reſtituendo arma induerant, ubi obfirmatas in Leonis obſequio civium voluntates notârunt, factâ pace candidatum Imperii Leonis poteſtati permiſerint (c): à quo miſer capitis damnatus ambitionis funeſtas pœnas exſolvit. Secundo rerum curſu cùm regni initia fluerent, tum illud ad propagandam in poſteros Auguſti dignitatem Cæſari multò fortunatius accidit, quòd Conſtantinum filium tertio regni anno ex Marina conjuge ſuſceptum, cùm adhuc in cunis vagiret, non tantùm in Principatûs hæredem, ſed & Regni conſortem ſuetis ſolennitatibus potuerit adoptare (d).

5. Im-

Claſſis Saracenorum perit.

Tiberius Tyrannus Siciliæ opprimitur.

(a) Nicephorus in Brev. ed. Par. p. 35.

An. 719.

Artemii ſive Anaſtaſii regnum denuo quærentis ſtudia eliduntur.

(b) Idem p. 36.

(c) Idem p. 37.

Conſtantinus Leonis filius fit conſors Imperii.

An. 720.

(d) Idem l. c. Theophanes p. 335.

(* 5) IDEM ad annum Inc. ſecundum Alexandr. 710. p. 334. *Die igitur Auguſti XV. Saraceni cum magno generis ſui dedecore receſſerunt. Claſſe ſiquidem à littoribus noſtris ſolvente, immiſſa Dei nutu, Deique matris interventu, procella naves hinc inde jactatas diſperſit; & quasdam quidem ad Præconeſum, alias ad varias Inſulas, quasdam per flexuoſos ſinus, alias denique ad diverſa maris littora illiſit ac ſubmerſit. In reſiduas Ægeum mare præternavigantes repentina de cælis ultio incubuit. Ignita quippe grando in eas dilapſa maris aquam ebullire fecit: ex quo pice liquatæ naves cum ipſis rectoribus pelagi profundo abſorptæ ſunt; ſolæ decem ex eis, Deo ita diſponente, incolumes ſervatæ ſunt, quæ nobis pariter atque Arabibus miracula circa eos potenti Dei manu edita referrent: quæ cùm in Noſtrorum manus incidiſſent, quinque ex eis captæ, quinque reſiduæ Dei virtutem annunciaturæ in Syriam latæ.*

Leo Montanistas & Judæos ad baptismum cogit.
An. 722.

(e) Theophanes ad a. Inc. secund. Alex. 714.

Leo Imper. bellum indicit sacris imaginibus.
An. 726.

(f) Zonaras in Leone Isaur. Stephan. Diac in Vita Stephani Jun.

(g) Dionys. Petav. L. 15. Theolog. dogm. de Incar. c. 13.

Imaginum usus in veteri Ecclesia minus frequens,

Cessante idololatriæ periculo imagines frequentiùs usurpatæ.

5. Imperium itaque Leonis postquam Deus tantis beneficiis cumulaverat; nemo erat, qui non speraret, hunc demum Principem fore, qui ea, quæ ad Deum, superósque pertinent, inter primas curas poneret. Conceptæ huic exspectationi eò plus tribuebatur, quò severiùs Cæsar subinde, Judæis ac nonnullis hæreticis cavebat, ni suscepto legitimo Baptismo Christi sacra amplecterentur, singulos suppliciis postremis sublatum iri (e). Id quamvis ex sententia minùs succederet; Religionis tamen studium, ac Zeli cujusdam ardor, quæ ex hoc proposito aliquâ ratione conjiciebantur, opinionem multorum firmârunt, Leonem illud maximè conari, ut rerum sacrarum cultum summâ potestate adauctum, latiùs proferret. Verùm longè aliter, ac creditum est, evenit; nam circa annum DCCXXVI. Idem Imperator aliud Edictum evulgabat, quo sacris imaginibus exterminium, & nefandum Christianæ Ecclesiæ bellum indicere non reformidavit (f). Mutationis adeò impiæ causa cùm repentina esse non possit, eam ab origine repetendam ducimus. Imagines si primam Christianitatis ætatem percurrimus, semper ex eorum genere esse existimata sunt (g), quæ licèt substantiam religionis non attineant, in potestate tamen erant Ecclesiæ, ut pro conditione temporum atque locorum illa modò adhibere, modò omittere concessum foret. Itáque in Anterioribus Ecclesiæ sæculis, per quæ nefanda Dæmonum in idolis religio, & Christiani nominis crudelissima vexatio cursum suum tenuit, utì minor templorum, ità nec promiscuus, imò alicubi ferè nullus imaginum usus fuit; propterea quòd à metu non abesset, ne offensionis aliquid traheret externa quorundam rituum species, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, similitudine ipsâ congruens, velut ne imagines Christi atque Sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, â rudibus & imperitis haberentur: & ut eorum animus ab inanium simulachrorum consuetudine longiùs avocaretur. At ubi Gentilium tempestas aliquantùm deferbuerat, cúmque Christianis in fide magis firmatis idololatriæ periculum ferè nullum immineret; Præsules Ecclesiarum alibi citiùs, alibi tardiùs, prout nationum captus & indoles erat, expedire judicârunt: siquidem in templis ac Oratoriis imagines, ídque ad propagandam Christi ac Martyrum,

tyrum, Sanctorúmque cæterorum memoriam & ad fideles illorum exemplo ad pietatis constantiam animandos palàm proponerentur. A quinto proinde sæculo plerisque locis imagines frequentes haberi cœptæ, viguítque per tria sequentia sæcula Imaginum cultus religioni æquè consentaneus, atque fidelium excitandæ virtuti perquam utilis. Sed vixdum octavi sæculi initia paulatim defluxerant; tum non unus turbo adversus imagines concitatus est; Judæi enim, qui unà cum Marcionitis, Manichæis ac Theopaschitis, capitali odio contra ejusmodi ritum ferebantur, circa annum DCCXXIII. occasionem captârunt, Principes ad Iconomachiam pertrahendi. Eodem quippe tempore *Sarantapechys* Dux Hebræorum Jezido Arabum Caliphæ author erat (h), ut, si diuturno ac felici regno uti vellet, exterminio imaginum hoc cæleste beneficium mereretur. Falsâ pollicitatione aut vaticinio deceptus Jezidus protinus in imagines vim convertit, quin tamen eâ sævitiâ prolixam vitam sibi apponeret: altero quippe anno, â quo Iconoclasta grassatus fuerat, repentino fato succubuit. Ulido filio, ac successori mors Patris meliora consilia suggessit, unde Hebræo Præstigiatore ad supplicium damnato cultus imaginibus, ac imagines templis restituebantur. Interruptum hac ratione impium bellum, minimè sublatum fuit; quo enim antea furore Hebræus Arabem Principem, eodem nunc Christianus, & Antistes quidem, Imperatorem succendit: erat is Constantinus Nacoliæ in Phrygia Salutari episcopus, cujus impietatem cùm cives haud ferendam ducerent, eundem lupum ab ovilis cura, totáque Diœcesi expulerunt. Adustus homo, ùt rebatur, injuriâ ad ægrè faciendum Ecclesiæ in aulam Leonis Isauri irrepit: illinc variis artibus ubi se in Imperatoris gratiam insinuaverat; turbarum fomitem, quem sub ardenti pectore contra imagines versabat, in aures, animumque Augusti profundere aggressus est (i): jámque scintillæ mali gliscebant, tum Besurus natione Syrus (qui licèt Parentibus Christianis ortus ad Mahometis errorem defecerat) pro eâ, quâ apud Leonem valebat, gratiâ, incensum jam â Constantini dictis Principem adeò inflammavit, ut Imperator ineunte decimo sui regni anno populo ediceret (k): *quandoquidem imaginum fabricatio ars est idolica, illas*

Iconomachorum hæresis unde originem habeat?

Hebræi Iconomachiæ primi authores.

Constantinus Ep Nacoliæ Leonem inducit in Iconoclastarum hæresin.

(h) Theophan. p.336. Synod. VII. Act. 5.

(i) Theophan. p.337.

(k) Anonym. apud Combefis.

Vita Stephan. Jun. An. 726. *Edictum Imperatoris contra imagines.*

illas adorare non oportet. Sacrilegæ hæ voces totam urbem Constantinopolitanam concussêre, parúmque aberat, quin ad seditionum ultima res spectaret; quare Imperator pejora veritus, continuò mitiore edicto prioris sensum emollire conabatur, id maximè testatus, sui instituti non esse, ut imagines prorsus aboleantur: id verò se omnino cupere, ut ad sublimiorem reponantur locum, ne ore quispiam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat (l).

(l) Acta Martyrum S. Stephani & sociorum ap. Damasc. item Baronius ad a. 726.

(m) Paul. Diacon. l. c. de gest. Longob. c. 49. *Leo Imp. furit adversus Gregorium Papam.*

6. Dum Constantinopoli Cæsaris mandato repugnabatur; plebem ille, ac Præsules exemplo Romani Pontificis inclinandos putabat. Quare ut rem conficeret, literis ad Gregorium Papam datis deposcebat (m), ut si perpetuum Imperatoris studium sibi conciliatum vellet, Sanctorum imagines cum eodem detestaretur. Quàm promptas Augusti literis, literas reddebat Pontifex; tam parum insolenti ejusdem postulato dandum censebat. Leo in rabiem actus Exarchum Italiæ, cæterósque Duces hortabatur, ne illius caput incolume esse sinerent, qui fronte adversâ suis mandatis tantopere obniteretur. Insidiæ ad jussa Principis subornatæ salutem vitámque Pontificis jam petebant; tum Pentapolensium & Venetiarum exercitus infestis Imperatoris molitionibus obluctati & Exarchi obsequium exuentes, delectu suo quisque sibi Duces præficiunt (* 6). Præterea Itali universi in apertam defectionem erumpere & novum Principem creare parâssent; nisi consilium compescuisset Pontifex, qui ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii, admonebat (* 7). Quantumcunque Italia

(* 6) ANASTASIUS in vita Gregorii II. edit. Paris. p. 70. *Unâ se quasi fratres catenâ fidei constrinxerunt Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera & Christianorum certantes salute.* IDEM p. 69. *Igitur permoti Pentapolensium & Venetiarum exercitus jussioni Imperatoris restiterunt, & nunquam se ejus Pontificis condescendere neci dicebant; atque sic de Pontificis, déque sua immunitate cuncti studebant.* PAGIUS ad an. 726. advertit: Ex eo tempore ducem Romana Provincia, quemadmodum & cæteræ, suo arbitratu, id est, procerum delectu, habuit, qui eodem jure uteretur in administranda Republica, quo Duces ab Imperatore missi.

(* 7) THEOPHANES ad annum Leonis Isauri XIII. scribit: *in Veteri Roma . . . clarebat Gregorius; qui Romam atque Italiam, totúmque Occidentem à Leonis obedientia tam civili, quàm Ecclesiastica & ab ejus Imperio subtraxit:* Eadem habet CEDRENUS: Gregorius, *à Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto, tributa Leoni*

lia hunc in modum â ſeditione avocaretur; populi tamen, qui Græciam, & Cycladas inſulas habitabant, adeò Cæſaris hæreſin execrabantur, ut Coſmam quendam Imperii gubernaculis admovere, & ſtructâ claſſe Regiam urbem expugnare conſtituerent (n). Prope Byzantium poſtea acerrimè certatum eſt; at Rebellium navibus igne exuſtis, Coſmas cum Duce Stephano ad Byzantinorum manus, mox etiam ad fatale ſupplicium devenit, uno Agalliano Aciei ductore, qui ſe vivum in aquas præcipitaverat, necis infamiam per citius mortis genus occupante. A victoria penè tumidus Imperator multò audacius bellum orthodoxis inferre auſus, Germanum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum aggreditur (o). Sanctus hic Antiſtes jam multo ante tempore Imperatorem â concepta impietate revocaturus commonſtraverat, imaginum cultum tum ex Synodorum authoritate, tum ex ipſo uſu Eccleſiæ omnino receptum eſſe: & qui Chriſti imaginem ignominiâ afficeret, in illum, quem ea exhibet, non tantùm rejicere injuriam, ſed & Antichriſti præcurſorem eum nominatum iri, qui facinore ejusmodi ſe obligare non dubitârit; Adhæc Principem monebat, ne omitteret meminiſſe jurisjurandi, quo in ſolenni ſuæ inaugurationis die promiſiſſet, ſibi æquè fidem ac integritatem rituum in curis fore. His precibus, monitísque Patriarcha inſanienti errorem non exemit, ſed irritavit; quare Cæſar opperiebatur tempus, quo Sanctum virum perderet, aut ſua

Seditio adverſus Cæſarem.

(n) Theophanes ad a. Inc. ſec. Alex. 718.

Contentio Leonis cum S. Germano Patriarcha Conſtant.

(o) Vita Stephani Jun. Monachi & Martyr.

Leoni denegavit: Tributum hoc aliud non fuit, atque capitatio ſimilis ei, quam Imperator teſte *Theophane*, Siciliæ & Calabriæ indixerat. *Verùm* ANASTASIUS contrarium dicit in Vita Gregorii II. *Cognitâ Imperatoris nequitiâ omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligeret Imperatorem, & Conſtantinopolim duceret, ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis . . . Ne deſiſterent ab amore vel fide Romani Imperii, admonebat.* Item Paulus Diaconus L. 6. de geſt. Long. c. 49. *omnes*, inquit, *Ravennæ exercitus vel Venetiarum talibus* Imperatoris *juſſis uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.* Quare rectè MARCA l. 3. de concordia c. 11. exiſtimandum putat, ex hæreſi à Gregorio damnata occaſionem quidem ſumpſiſſe Italos, pellendorum Ducum ab Imperatore conſtitutorum, & vectigalium retinendorum; ſed Pontifex tantùm abfuit à rebellione fovenda, ut potiùs interceſſerit & hortatu Luitprandi Longobardorum Regis (ſicut teſtatur Anaſtaſius) cum Eutychio Exarcho redierit, ac ei ſuam in Urbe Romana authoritatem reſtituerit. Cæterùm Græci ſcriptores, præterquam quòd occidentalium rerum parum periti ſint, congerunt illa in unam narrationem, quæ ad diverſa tempora pertinent; tum etiam rem ipſam referunt ad Gregorium II, licèt ejus origo tantum inde peti debeat.

An. 730.

S. Germanus Epiſcopatum abdicat.

in ſenſa inclinaret. Decimum quartum ſui Imperii Leo agebat, quo tandem in conventum Procerum (* 8) evocabat Antiſtitem eo conſilio, ut Decretum, quod Imperator de abolendis ſacris imaginibus multò acriùs conceperat, dato nomine ſubſignaret. Exhorruit ad chartam impietate plenam S Germanus, ac ne abominando inſtituto ceſſiſſe videretur, Epiſcopi munere ſe ultro abdicavit (p). Necdum in Epiſcopium vir Sanctus redierat; tum armatorum globum Cæſar â tergo abeuntis ſequi jubet, qui pugnis, convitiíſque laceratum Præſulem Patriarchio exigant (q). Inde igitur in privatas ædes, & paulò poſt in monaſterium longè diſſitum deportatus: ac ubi centeſimum vitæ annum ferè egerat, etiam ex Tyranni mandato ſuffocatus ærumnarum finem poſuit. Pientiſſimo Epiſcopo impius Anaſtaſius, degener ejusdem S. Germani diſcipulus ſucceſſit, militum vi potiùs, quàm divinæ pietatis ſuffragio (r). In hunc fortunæ alumnum quoniam Cæſari licenter dominari integrum erat; Leo in ſacrilegum facinus jam fortior, Chriſti effigiem (* 9) dejicere & igni tradere tentavit: fœminæ, quas altior Zelus ſuccenderat, Tyranni ferociæ adeò non ceſsêre, ut Spatharium è ſcala, quorſum ad amovendam Servatoris imaginem eniſus fuerat, præcipitatum & humi afflictum neci darent. Inde in Anaſtaſium lapidum multiplici jactu detonantes id pſeudo-epiſcopo exprobabant: quod cùm impuriſſimum caput & veritatis hoſtis eſſet, ideò

(p) Theophan. ad a. Inc. Alex. 721.

(q) Steph. Diac. in V. Stephani Jun.

Impius Anaſtaſius occupat ſedem Conſtantinop.

(r) Idem.

Leo imaginem Chriſti jubet dejici.

(* 8) THEOPHANES *Indictione XIII. . . . irreligioſus Leo Silentium contra ſanctas venerandáſque imagines in novemdecim Accubitorum tribunalio celebravit, Germano Sanctiſſimo Patriarchâ advocato, cui perſuadendum arbitrabatur, ut ſuo de abolendis ſacris imaginibus Decreto, tandem ſubſcriberet &c.* ubi adverte I. *per Silentium* ſignificari conventum optimatum, in quo de rebus publicis agebatur, vide HENRIC. VALESIUM ad Euſebium l. 4. de V. Conſtantini c. 29 II. *per tribunal novemdecim Accubitorum* verò intelligitur domus, in qua Die Chriſti Natali Imperator & Convivæ non ſedendo, ùt cæteris diebus, ſed recumbendo epulabantur. Accubitorum iſte uſus ab Agapis oritur, quæ cùm primò intra Eccleſias celebrarentur, poſtea tamen in adjunctis Eccleſiarum ædibus peragebantur, quas ædes deinde *Accubitorum domum* nominârunt. Vide DU CANGIUM in Conſtantinopoli Chriſtiana L. 2. §. 6.

(* 9) COMBEFISIUS in Hiſtor. hæreſ. Monoth. p. 613. publicavit piam narrationem *de hac Imagine Chriſti*, quæ ſervabatur in æde Deiparæ ſacra ſive in Eccleſia Chalcopratiana, ita dicta, ab urbis tractu, in quo condita fuit; colebatur autem ſummâ veneratione & magno populi concurſu.

ideò Sacerdotium invaserit, ut sacra anathemata labefactari fineret. Mulierum pro imaginum cultu depugnantium ardor etsi subinde mille cruciatibus ac sanguine earum restingueretur (s); vox tamen Pontificis Gregorii tantò altiùs auribus Imperatoris & Anastasii insonuit, quorum illum, nisi â scelere abstineret, Sathanæ se traditurum comminabatur (* 10): hunc autem, ut potestatis ac justitiæ exemplum daret, sacerdotali officio extorrem declaravit (* 11). Hæ minæ, tum etiam fulmina Apostolica adeò emovêre animum Leonis, ut Patrimonia Ecclesiæ Romanæ in Calabria & Sicilia sita in fiscum redegerit, & Diœceses Illyrici & reliquas Provincias in Thraciam usque â Romano Patriarchatu per summam vim abstractas, damno nunquam reparando separârit (* 12). Utì autem in longè positum Occidentem grassabatur,

(s) Menæa Græc. ad IX. Augusti

Provincias Illyricianas ab Ecclesia Romana per vim distrahit Imperator.

(* 10) GREGORIUS in ep. II. ad Leonem: *Imperatores, qui piè & in Christo vixerunt, Ecclesiarum Pontificibus obedire minimè recusârunt, nec eos vexârunt. Tu verò Imperator cùm transgressus fueris, ac perversus evaseris, & manu propriâ subscripseris, te ipsum subjiciens, & confessus fueris, eum qui terminos Patrum tollit, execrabilem esse, in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum S. à te alienâsti. Persequeris nos, ac tyrannicè vexas militari, carnalique manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitûs omnis creaturæ sedentem in cælis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum Virtutum, ut immittat tibi Dæmonem, sicut ait Apostolus: Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*: ex quo colligitur, Pontificem ultra scripta non præcessisse, neque Imperatorem communione privatum palam declarâsse.

(* 11) ANASTASIUS Bibl. in V. Gregorii II. *Qui* (Anastasius Patriarcha) *missâ Romam synodicâ, dum tali hæresi eum consentientem reperiret; vir sanctus non censuit eum Fratrem, aut Consacerdotem solitò vocari, sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem à Sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque suadens salutaria, ut à tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.* Adeóque Pontifex verè communione exclusum declaravit Anastasium.

(* 12) ADRIANUS Papa in epistolæ fine ad Carol. M. ad Calcem Synodi Nic. II. *quæsivimus*, ait, *restituere eidem S. . . Romanæ Ecclesiæ, quæ tunc cum Patrimoniis nostris abstulerunt, quando sacras imagines deposuerunt, & nec responsum quodlibet inde dederunt. . .* Item NICOLAUS I. ep. ad Mich. Imp. *Oportet vestrum Imperiale decus . . . ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum Veterem, Epirúmque Novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam Ripensem, Daciámque Mediterraneam, Mæsiam, Dardaniam, Prævalim, B. Petro Apostolorum Principi contradicere nullus præsumat; quæ nostrorum Antecessorum temporibus scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cælestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis, atque Hormisdæ SS. Pontificum sacris dispositionibus augebatur . . . Paterea*

mors Leonis Iſaurici. An. 741.

batur, ita furioſiùs cum illis actum eſt, qui in Oriente Leonis propoſito obſiſtere viſi ſunt. Itaque in Theodorum, Procopium, Baſilium, SS. viros exilia, ac ſupplicia expediebat, nec ante furere deſiit, dum anno DCCXLI. vivere ceſſaret (t).

(t) Theophanes ad a. XXIV. Leonis.

Conſtantinus Copronymus Patre ſcelestior.

7. Neque poſt mortem Leonis major ſpes incolumitatis Imperio aut Eccleſiæ fuit: cùm enim Conſtantinum reliquiſſet impietatis æquè ſuæ ac Imperii hæredem; in nova pericula, utì poſteri ſæpe vitioſiores eſſe ſolent, mox cuncta reciderunt (u). Conſtantinus primò vitalem lucem hauſit anno DCCXVIII. â ſtercore, quo ſacrum baptiſmatis fontem fœdaverat, Copronymus (x), poſtea etiam Caballinus appellatus (y), quòd equorum fimo maximè delectaretur. Infans in Patris conſortium adlectus anno DCCXX, ubi adoleverat, ſe Leone natum ex unguiculis probavit; nam fœdis amoribus magicíſque artibus addictus monſtroſam gerebat religionis ſpeciem, illis feris perſimilis, quæ ex diverſi generis coitu, confuſaque ſpecie multiformes naſci perhibentur, furore, quo præcipuè ardebat, in Georgium S. Taraſii poſtea Patriarchæ Conſtantinopolitani Parentem piiſſimum atrociſſimè & petulanter anno DCCXXXVI. ſæviit (z); quam ferociam in immenſum auxit, poſtquam mortuo genitore Imperii ſummam adeptus eſt. Flagitioſi Principis initia cùm omnes propè odiſſent; Artabasdum affinem ac orthodoxum Imperio admovendum cenſuêre: ſibi proinde metuens Conſtantinus, quò pacis obſides haberet in poteſtate, Artabasdi filios ſive ſuos ex Sorore nepotes ad ſe transmitti poſtulat. Fraudem ſubodoratus Artabas-

(u) Idem p. 346.

(x) Idem p. 335.

(y) Damaſcenus in orat. de ſacr. Imag.

(z) Ignat. Diac. in V. Taraſii apud Bolland. XXV. Febr. c. 1.

terea Calabritanum Patrimonium & Siculum, quæque noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur. . . Inter iſta & ſuperiùs dicta volumus, ut conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo noſtra à ſede impendatur, ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenus noſtris temporibus violetur. Pontifices ſua poſtulata non obtinuerunt, ſed à tempore Leonis Romana Eccleſia à Conſtantinopolitana diviſa eſt: criminabantur ſchiſmatici Græci, quaſi Romani ſe ab orientalis Eccleſiæ communione temere & ob errores ſuos ſubduxiſſent; ſed ALLATIUS l. 2. de Eccl. Occid & Orient. perpet Conſenſ. c. 3. calumniam refellens ait: *Ut Græci intelligant, ſchiſma ſub Leone Iſauro, quod ferè omnes Orientis Eccleſias à ſuo capite avulſit, non ex aliqua hæreſi (licet id, ùt vidimus, invaſores prætenderent, ut ſpecioſo aliquo titulo ſeceſſionem ſuam cohoneſtarent) ſed ex contentione ob Diœceſes malè uſurpatas exortum eſt.*

Artabasdus posita prope Opsicium castra militum ad defectionem sollicitat: seditione jam cuncta ardebant; tum Constantinus ex urbe Amorium provolat, apud Orientales copias auxilium quæsiturus (a). Interea spargitur rumor de morte Cæsaris, & Artabasdus ex composito Imperator proclamatur; quo facto inter faustas plebis, & Patriarchæ Anastasii gratulationes novus Princeps Constantinopolim ingreditur: atque ut suæ fidei melioris documentum continuò ederet, sacras imagines suo cultui ubique restituit (b). Dum hæc Byzantii aguntur, Constantinus Orientalium copiarum suppetias nactus, adversus Artabasdum movet: & post aliquot secundas dimicationes in Thraciam transgressus (c), non procul ab urbe regia castra metatur. Intercluso commeatu, ubi Constantinopolitanos annonæ caritas affligere cœpit; Artabasdus ad ultimam belli aleam jaciendam, ádque periculum propulsandum in hostem erumpit: sed amissis præcipuis Ducibus fœdè repulsus, civium animos non parum dejecit. Constantinus Victoriæ cursui insistens protinus occupat urbem: tum sparsâ cæde, Artabasdi petebat caput. Is igitur ex ea, quam meditabatur, fuga retractus in circum ludis equestribus frequentem cum duobus filiis deducitur; ubi oculis privati calamitosum ac diuturnum supplicium subiêre (d). Nihilo mitiùs cum Anastasio Patriarcha actum est: præterquam enim, quòd ad easdem oculorum tenebras damnaretur; non sine acri ludibrio Asino etiam facie ad caudam versâ impositus per medium circi stadium invehebatur, quo infami spectaculo plebejorum oculos ipse cæcus pascere cogebatur. Hoc ignominioso triumpho postquam Constantinus probè subactum, & renovandæ pœnæ metu emendatum Præsulem crediderat; eundem velut sententiæ suæ sectatorem in Sacerdotii sedem restituit (e).

8. Civilibus motibus compositis Orientis Imperium majoribus calamitatibus agitari cœpit: nam circa annum DCCXLVI. tam validus terræ motus regiones omnes concussit, ut unâ nocte sexcentæ in Oriente urbes dirutæ, & homines ac animalia innumera ruinis ædificiorum obruta interierint (f). Eodem tempore lues pestilens â Cilicia primùm exorta, atque in modum volitantis flammæ per Græciam, adjacentésque insulas pervagata, in urbem

(a) Theophan. ad a. Inc. sec. Al. 733. p. 347.

Artabasdus Imperator salutatur.

(b) Idem p. 348.

An. 742.

(c) Nicephorus in Brev.

Artabasdus à Constantino victus cum duobus filiis excæcatur.

An. 743.

(d) Theophan. ad a. Inc Sec. Al. 735. p. 352.

Anastasii Patriarchæ ignominiosa vexatio.

(e) Idem p. 353.

(f) Theophan. p. 354. Elmacin. in Hist. Sarac.

An. 746.

Varia portenta & calamitates Orientem

terrent & affligant.
An. 747.
(g) Nicephor. in Brev. ad a. 747.
(h) Idem p. 42.
An. 748.
Mors Augustæ & Anastasii.
An. 751.
(i) Nicephorus ad a. 750.
An. 754.
Imperator pseudo synodum agit adversus imagines.
(k) Theophan. ad an. XIII. Constantini p. 359.
Imperatoris Iconoclastæ furor.
An. 764.
(l) Stephan. Diac. in Vita Stephan. Jun. Nicephor. ad a. 763. 766.
An. 766.
Copronymi stolidus favor in Iconomachos.

urbem tandem regiam pervenit: illinc ubi mali vis invadebat corpora, simul in hominum vestibus cruces plurimæ oleagineo liquore consperfæ (g) apparebant. Inter hæc tristia omina pestis adeo sæviit, ut locus tumulandis cadaveribus, & qui ea sepelirent, propè deficerent. Post tot funera etiam Maria Augusta, sive altera Copronymini conjux (h), tum Anastasius Patriarcha è vivis excessêre, quo tempore terrificum in aëre Monstrum contuentium animos incredibili metu suspendit: videbantur quippe astra suo ordine ac statione dissoluta in terram decidere, atque ubi propè illam attigerant, nullo cujusquam damno dissipari (i). Portenta ejusmodi Imperatorem ab impietate adeo non avocârunt, ut in scelus sacrilegum animum obfirmârit: Constantino namque Patriarchâ (qui flagitioso Anastasio multò sceleratior successerat,) Copronymum inflammante, pseudo-synodus cogitur, in qua trecenti & triginta octo Episcopi sequenti impio Decreto subscripserunt: *Qui ab hac die imaginem ausus fuerit sibi parare aut adorare, aut in Ecclesia, aut in privata domo constituere, aut clam habere, si Episcopus fuerit, aut Diaconus, deponitor: si verò solitarius aut laicus, anathemate percellitor, imperialibúsque constitutionibus subjicitor, ut qui divinis decretis repugnet & dogmata non observet* (k). Hanc legem â Conciliabulo latam tam severè Imperator executus est, ut in omnes ordines, qui obsequi renuebant, atrocissimè debaccharetur. In Monachos postea crudelissima procella detonuit, quam ut multi devitarent, suadente S. Stephano in Scytharum vicinas terras, in Cyprum, & in Diœceses trium Patriarcharum Romæ, Antiochiæ & Alexandriæ, qui Iconoclastarum dogma abominabantur, secesserunt. Cæterùm nullum supplicii genus fuit, quod non exprompserit Imperator in eos, qui imagines tollere cunctarentur; alios namque oculorum luce exuit, alios ad mortem flagris concidit, aliis præcidit nares, vel saccis insutos in mare projecit (l). E diverso in impurissimam hominum fæcem sua spargebat beneficia, dummodo Iconomachiam profiterentur; quare *Nicetam* natione Sclavum ac servili genere ortum, Eunuchum, ac in turpibus Gynæcei ministeriis â puero versatum, imò literarum omnino rudem (expulso Constantino) Patriarchali imposuit sedi, sacrilegam hanc ob causam, quòd imagines

nes pictas de parietibus abraderet, ligneas exureret, & ex ære conflatas in profanas formas refunderet (m).

9. Post Iconomachiam subinde Constantinus novissimum bellum & arma in Bulgaros vertit: ancipiti enim Marte ubi cum hac gente sæpe victus, sæpe victor aliàs depugnâsset (n); Anno DCCLXXIV. in Bulgariam rursus numerosum adduxit exercitum, pristinas injurias ulturus Id quo minus posset, morbo sibi divinitus immisso præpeditus est, nam carbunculis tacito igne carnem depascentibus subito corripitur; tum è medicorum consilio, qui mali vim haud agnoscebant, Arcadiopolim, indeque subditorum humeris Selymbriam grabato delatus est; tandem ut ad fatum accelerandum nihil deesset, in Castellum Stroggylum deportatus in ipso navigio, quo vehebatur, miseram efflavit animam (o), vociferans: etiam vivus igni nusquam extinguendo addictus sum ... Sanctam Virginem & Dei Genitricem hymnis & laudibus celebrari, qui vixerat hostis ejus infensissimus, postulavit. Obiit itaque cùm regnâsset ab obitu Patris annos XXXIV. menses duos, dies viginti sex, verbo Christianus, re judæus, Manichæus, Nestorianus, aut nullius fidei, certè Christianorum cædibus, dæmonum artibus ac libidinibus inquinatus: Corpus ejus in Basilica SS. Petri & Pauli tumulatum, postea refossum, jubente Irene in foro publicè ignibus crematum est, quos ipse vivus propter insolita crimina promeruerat (p).

10. Patri pessimo nihilo melior filius LEO IV. successit, Anno DCCL. ex Helena Cagani Scytharum Ducis filia & prima Copronymi conjuge natus (q): deinde sequente anno adhuc infans ab Anastasio Patriarcha coronatus Paterni Regni communionem (r), & post octodecim annos cum Irene Græcâ uxore vitæ consortium nactus est (s); unde cùm filium anno DCCLXXI. vivente etiamnum avo Constantino Copronymo suscepisset, eundem Constantinum appellari voluit. Anno DCCLXXV. gubernacula Imperii adeptus, post annum vix exactum Constantinum filium Principatûs summi socium creat, quo tempore exercitûs præfectos, ac senatum simul in sacramentum adigebat, cujus conceptis verbis sponderent, se nullum, dum Leo decederet, alium â filio Imperatorem suscepturos (t). Nicephorus Leonis

(m) Theophan. ad an. XXVI. Constantini p. 370.

Bellum Constantini contra Bulgaros.

An. 775.

(n) Nicephor. in Brev. ad an. 765. Theophan. ad a. XXXIII.

Ejusdem mors funesta.

(o) Theophan. ad a. Constantini XXXV. p. 378.

Copronymi vitia.

Ejus sepulchrum.

(p) Zonaras.

Leo IV. Imperator Patri succedit.

(q) Theophan. ad an. IX. Constantini.

Irene uxor Leonis.

(r) Cedrenus ad an. X. Const.

(s) Theophan. ad an. XXX. Const.

An. 775.

Constantinus Leonis filius infans fit consors Imperii.

(t) Theophan. p. 378.

An. 776. *Nicephori insidiæ comprimuntur.*

nis frater indignè ferens, ſibi infantiam Principis antehaberi, necem Conſtantino moliebatur; ſed de facinore, quod meditabatur, convictus, detonſis crinibus exulum more in Cherſonam deportatur. Quemadmodum verò Leo acerbior in fratrem, ita mitiſſimus erga hoſtem ſubinde viſus eſt (u): erat is Telericus Rex Bulgarorum, qui cùm ſæpius Byzantinis arma intuliſſet, nunc â ſuis pulſus Conſtantinopolim ſalutis causâ confugit (x): Imperator exulem benignè ſuſcepit, & Chriſtiana ſacra amplexum Patricii dignitate, ac uxoris ſuæ Conſobrinâ ei in conjugem datâ, altero etiam affinitatis honore donavit. Neque tamen beneficiis tantùm, ſed & armis feliciter adverſus hoſtes pugnavit; nam cum numeroſo centum millium exercitu in Syriam irrumpens Arabum ingentem multitudinem cecidit (y), alióſque innumeros captos in Thraciam tranſtulit. In quintum ſui Imperii annum rebus hunc in modum ſecundis utebatur, ſive ad illud tempus, quo hæreſis virus â Patre hauſtum diſſimulaverat: At ubi fortunâ inflatus poſuerat frontem, ínque imagines, earúmque cultores haud minore ſævitie graſſari cœperat (z); breve poſt intervallum vindicem Dei ſenſit manum. Nam cùm S. Sophiæ Eccleſiam aliquando ingreſſus, coronam ab Heraclio Cæſare huic templo dedicatam conſpiceret; gemmarum luce ac pretio captus, eam abſtulit, dicens, eum, cujus ſacrarium foret, non gemmas, ſed pauperiem probâſſe: quo dicto capiti ſuo diadema ſibi fatale impoſuit. Utprimum verò verticem corona tetigerat, undique erupêre carbunculi, qui febris repentinæ æſtu inflammati, vitam ſacrilegi & avari Imperatoris exhausêre (a). Anno DCCLXXX. poſtquam annos quinque, exceptis ſex diebus, regnaverat (b).

(u) Idem p. 380.

(x) Idem l. c. ad an. II. Leonis.

Telericus Rex. Bulgarorum Chriſti ſacra amplectitur.

(y) Idem ad an. III. Leonis.

Leo Iconomachiam profitetur.

(z) Idem ad a. V. Leonis.

Leonis feralis exitus. An. 780.

(a) Idem l. c. Zonaras.

(b) Pagius ad a. 780. N. 2.

11. Eadem die, quâ Leo obiit, Irene cum filio Conſtantino duodecim annorum puero Imperium ſuſcepit (c): támque fortiter geſſit, ut Nicephori molitionibus repreſſis, alios mariti ſui fratres, ut ſpem regni deponerent, ad ſacros ordines deſtinârit. Ab his initiis Principatum exorſa ſapiens mulier, Legatos ad Carolum Magnum Francorum Regem miſit, qui filiam ejus Rothrudem Conſtantino filio uxorem peterent (d): pactíſque conventis Eliſæus Eunuchus in aula Caroli conſiſtere juſſus eſt,

Conſtantinus VI. & Irene Auguſti.

(c) Theophan. p. 383.

(d) Theophan. ad a. II. Conſtantini.

An. 781.

est, ut regiam puellam literas, morésque Græcorum edoceret. Interea Siciliam turbabat Elpidius, cui Irene Insulæ præfecturam incautiùs commiserat: is enim Nicephori evehendi studiosior Constantino imperium eripere non obscuris machinationibus quæritabat (e). Constantinopolim ubi fama, quid apud Siculos ageretur, pertulerat; Augusta Theodorum cum ornata classe in seditiosum hominem ire jubet: qui etsi ab Elpidio victoriam non unam reportaret, non tamen insulæ opes, quas perfidus paulò post in Africam (Arabum sedem) secum abstulerat, referre potuit. Arabes, dum in suam fidem Imperii hostem receperant, mox ipsi quoque in Asia Imperatorem hostiliter aggressi sunt. Frangebantur illi quidem primò præliis, sed quo minus ad internecionem delerentur, discordia Ducum effecit; nam Dux Buccellariorum, Stauratii Patricii potentiam non ferens, ejuratâ Christi religione ad Arabes defecit, quibus ut Apostata gratum faceret, author erat, ut â Cæsare armis superiore pacem peterent. De hac igitur ubi Legati Cæsaris cùm Arabibus agunt, subitò comprehensi ad eas, quas Barbari dictabant, conditiones, ádque censum annuum etiam Victores coguntur (f). Felicius sub idem tempus contra Sclavinos actum est; hos quippe Thessaliæ ac Peloponesi depopulatores Dux Stauracius adeò attrivit, ut gentem omnem Imperio, ac seditiosorum regiones tributo (g) subjiceret.

Irene mittit Legatos ad Carolum M.

Elpidii Seditio in Sicilia, ejusque fuga in Africam.

(e) Idem l.c.

(f) Idem l.c.

Arabum perfidia in ferienda pace cum Romanis

Victoria de Sclavinis.

(g) Theophan. ad III. an. Constantini p. 385.

12. De Religione non minùs, quàm de Imperii regionibus servandis sollicitam Irenen fuisse, annus DCCLXXXV. palàm fecit; nam licet ab inito Principatûs exordio Augusta Parens cultum imaginum restituere allaborârit; hoc tamen tempore Generali concilio firmandum propositum putavit. Quare suo & Constantini filii nomine ad Hadrianum Papam datis literis synodum Episcoporum omnium vocari postulat (h), quæ A. DCCLXXXVI. Constantinopoli cœpta, & sequenti anno Niceæ absoluta Iconomachorum errorem penitus damnavit (i). Pace Ecclesiæ restitutâ bellum Græcos inter & Francos subortum est: Irene nimirum tot annis imperare sueta, nil magis extimescebat, quàm ne filio ad maturiorem ætatem emergente, ipsa Imperio exueretur; quod ipsum eò citiùs futurum sibi malè ominabatur, siquidem Constantinus sponsæ Francicæ connubio, & Soceri Caroli viribus,

An. 785.

(h) Epist. Constant. & Irene ad Hadrian. Phr. apud Baron. ad a. 785. n. 2.

An. 786. & 787.

Irene curat, ut contra Iconomachos Synodus generalis celebretur

(i) Acta CC. apud Harduin. T. IV.

(k) Theophan. ad a. Inc. Sec. Al. 781. p. 391. *Bellum Francos inter & Græcos, ejusque causa.* An. 788. *Nuptiæ Constantini cum Maria.* An. 789. (l) Theophan. ad a. Inc. Sec. Al. 782. p. 392. *Irene indignius tractat filium Imperatorem.* An. 790. *Irene ab aula amandatur.*

viribus augeretur (k). Itaque ut filium ultro in poteſtate haberet, eundem ad ducendam aliam, eámque Mariam ex Armenorum gente natam impellere ſtatuit. Franci injuriam ulturi in Romaniam irrumpunt, & ad locum, cui nomen Copidnadus, congreſſi præcipuos Byzantinorum Duces cædunt. Hac clade minimè ambitioſa mulier territa, filium invitum ac reluctantem ad nuptias conceptas cogit; quibus utcumque transactis Conſtantinus (cui mens Auguſtæ ſuboluit) imperioſum Irenes Dominatum abominatus, accitis in conſilium Primoribus de abdicanda & in Siciliam releganda matre cogitat (l). Irene quò periculum â capite ſuo arceret, Imperatoris familiares alios indigniùs habitos in exilium expulit, alios verò aulæ aditu interdixit, quin in Auguſtum filium conviitiis ac verberibus invecta, eundem â conſpectu hominum intra Palatii latebras quàm longiſſimè ſubduxit. His peractis exercitûs Duces jurejurando ſpondere adigebantur, ſe non paſſuros, ut Irene ſuperſtite Conſtantinus regnaret. Omnibus in ſenſa Auguſtæ euntibus, Armeni milites negabant ſe ſacramentum mulieri dicturos; qui viro Conſtantino jurata nomina dediſſent. Exemplum paucorum adeò valuit, ut cæteri quoque immutatâ mente Conſtantino ſoli Imperium deferendum profiterentur. Quare filio poteſtati reſtituto, Irene paulò poſt in palatio, quod ad Eleutherium ſtruxerat, ſibi res ſuas privatas habere juſſa eſt (m).

(m) Theophan. ad an. Inc. Sec. Al. 783. p. 393. (n) Theophan. p. 394. An. 791. *Irene revocatur in aulam.*

13. Regni viciſſitudo hæc non diu tenuit; nam Optimatum qui Auguſtæ admodum faverant, ſtudio mater ſubinde revocata (n), infeſtum filio animum, cupidúmque vindictæ dolorem ſecum in aulam retulit; quem ut quacunque ultione tandem levaret, non ægrè tulit præcipitem Conſtantini juventutem, populi, militúmque odio exponi. Neque occaſio deerat; Imperator namque â Bulgaris, in quos temerè moverat, ingenti clade afflictus, ubi in urbem receſſerat; milites in ſeditionem coorti partim Nicephoro Cæſaris Patruo, partim Alexio Patritio rerum ſummam committendam clamavêre. Conſtantinus conjuratione cognitâ Nicephorum, atque Alexium oculis privat, ne ſe regere deinceps poſſent, quos ſibi rectores exercitus exoptaret (o). Poſt hæc in Proceres, Duces ac milites, præcipuè Armenos ſæviit, quorum aliis oculorum lumen ademit, aliis linguas abſcidit, in alios dirâ lanienâ, aut proſcriptione graſſatus eſt.

(o) Idem p. 395. An. 792. *Seditionem Nicephori & Armeniæ Legionum Conſtantinus crudeliter ulciſcitur.*

est. Compresso uno turbine, periculosior tempestas in ipsis aulæ penetralibus concitari cœpit: Constantinus nempe Theodotæ cujusdam, quæ Gynæceo ab obsequiis erat, nefasto amore captus, hanc sibi in uxorem expetebat; quod ut confectum daret, in Mariam legitimam conjugem calumniam struit, se veneno ab Augusta petitum, criminatus: quo rumore falso in vulgus sparso, repudiatam Mariam, & attonsam cœnobio inclusit (p). Nuptiæ inde cum Theodota celebratæ (q) Ecclesiam Constantinopolitanam in diversas partes distraxêre, aliis pro connubio, aliis adversus connubium acriter, sed non impunè, decertantibus. Tarasius his medius feroci Cæsaris juventæ aliquantùm connivebat, ne si Principem libidinis facibus adustum communione privaret, amor seu impeditus seu punitus efferaret hominem, aut in sepultam vix iconomachiam præcipitaret (r). Nihilominus hoc mitius agendi genus quorundam zelus adeò abominabatur, ut Patriarchæ communicare religioni ducerent.

An. 794. *Constantinus repudiatâ uxore ducit Theodotam.* An. 795.

(p) Theophan. ad an. Inc. Sec. Al. 787.

(q) Idem ad a Inc. p. 788.

Tarasii Patriarchæ Oeconomia erga Imperatorem An. 796.

(r) Vide Baronium ad an. 795. n. 47. 55. Confer. Pagi n. 6.

14. Ecclesiasticis his motibus subinde compressis, Cardamus Bulgarorum Princeps misso nuncio tributa ab Imperatore exigebat: quæ nî solveret, minabatur, se Thraciæ vastitatem illaturum. At Constantinus pro juvenili suo ingenio involuta sudario equina stercora Cardamo remittens hæc renunciari jussit: tributa, quæ te deceant, misi; senior autem cùm sis, hucusque venientem te fatigari nolo: ego ad Marcellorum Castrum obvius prodibo, tu fac illuc te quoque conferas; de successu Deus judicabit. Exterruit Barbarum petulans facinus & quo minus in aciem cogeretur, in Sylvas ac latebras se occultabat (s). Interea Irene multa cum suis Proceribus agitabat consilia, quibus eos in communionem sceleris pelliciebat: nempe ut redacto in ordinem filio, soli matri fasces demandarentur. Plurima tamen obstacula se interjecerunt, quo minus conjurati facinoris opportunitate citò uterentur (t): & quoniam sceleratorum consilia utì impetu valent, ita morâ languescunt, parum aberat, quin ipsa cunctatio horrore injecto cunctos â proposito dimoveret. Tum enimverò impotens mulier, quæ Augusta magìs, quam mater dìci ardebat, singulos minis ultro impellere, & trepidos grandioris periculi metu firmare ad facinus (u). Quare resumptis animis, & timore in audaciam verso sicarii Imperatorem adorti, eidem oculos tantâ

Ultima contentio Constantini cum Bulgaris.

(s) Theophan. ad an. Inc. Sec. Al. 789. p. 397.

An. 797.

(t) Idem p. 398.

Insidiæ struuntur Constantino Cæsari.

(u) Idem p. 399.

Constantinus Imp. excæca-

tur jussu matris. tâ crudelitate eruunt, ut qui in tenebras amissis luminibus jam concesserat, in funestam etiam mortis umbram planè demigraret, postquam solus annos decem & cum matre annos septendecim regnaverat. Parricidium insolens id porrò singulare habuit, quòd in eo loco, cui Porphyræ nomen, oculos vitámque amiserit, ubi Princeps primò lucem aspexerat (x): quódque Imperator eâdem die & horâ, quâ ante quinque annos Patrui oculos effodiendos curaverat, simile omnino subierit supplicium. Certè Sol ad magnitudinem sceleris exhorruisse visus est; nam per septem ac decem dies nullâ radiorum emissâ luce adeo obscurabatur, ut errantia per mare navigia temerè circumferrentur, omnésque palam assererent, solem cum Imperatore cæcatum, se suis radiis abdicâsse.

Mors Constantini.

(x) Idem l. c.

An. 798. *Eclipsis solis terrifica & diuturna.*

Legatio postrema Irenes ad Carolum Magn.

An. 799.

15. Irene Imperio, quod per tot scelera quæsiverat, tandem potita, Ecclesiam turbatam paci restituit; atque ita mater parum pia, pietatis saltem aliqua causa fuit. Cæterùm ne regno semel capto facilè excideret, in filios Copronymi superstites crudeliter sæviit: deinde multiplici legatione cum Carolo Francorum Rege primùm de pace, mox etiam de nuptiis egit, eúmque jam sibi destinabat conjugem, & Imperii assertorem, cujus filiam suo Constantino negaverat (y). Ad conficiendum negotium, jam Francorum Legati Constantinopolim pervenerant; tum magna rerum conversio facta est: nam Nicephorus Patricius subitò invasit Imperium, ac inspectantibus Caroli oratoribus Irenen fortunis omnibus exutam in Lesbon insulam relegavit, ubi nondum vertente anno consumpta est. Quinque annis, quos sola regnavit, magnam virtutum, vitiorúmque speciem habuit: nam si religionem, fidémque spectes; restaurandæ, tuendæque Ecclesiæ nusquam defuit. At hæc merita vi filio illatâ, & crudeli regnandi cupiditate non parùm corrupit; quamvis has quoque labes animi quâdam magnitudine & promptâ in adversæ fortunæ casus constantiâ expiarit: Nicephorum quippe Tyrannum ita allocuta fertur (z): *Ego quidem orbatam quondam Parentibus Deum me extulisse & ad Imperii thronum licèt indignam extulisse certa sum: quapropter exauthorationis hujusmodi causam mihi, delictísque meis adscribo. In omnibus itaque & per omnem modum sit nomen Domini benedictum.*

(y) Theophan p. 401, 402.

Exilium Augustæ Irenes.

An. 802.

Virtutes & vitia Irenes.

(z) Idem p. 403.

§. II.

Hiſtoria de Regno Italiæ ſub Longobardis.

§. II. *LUITPRANDUS Rex Longobardorum Regni proferendi cupidus varias turbas in Italia ciet: placatur à Zacharia Pontifice. HILDEBRANDI Regis brevis Dominatio. RACHISIUS Regno depoſito induit Monachum: Finis Exarchatûs Italici. AISTULPHUS rapit Eccleſiæ bona ac ditiones: à Pippino Francorum Rege ad reſtitutionem cogitur. DESIDERIUS ultimus Rex Longobardorum à Carolo Magno victus Principatu ſuo exuitur.*

1. LOngobardorum Dominatui, quem vis armorum Anno DLXVIII. in Italia excitaverat, hujus ſive octavi Sæculi ætas finem impoſuit: id ſive provido tribuas Numini, quod rerum fluxarum ordinem eodem eſſe loco non ſinit, ſive hoc Regnorum ferat conditio, ut poſtquam violento quodam impetu in ſublime ad tempus elata fuerant, mole tandem ſuâ depriman-tur; certè Longobardorum Principatus ducentis ſex annis vix exactis ita defecit, ut præter nominis appellationem ditionibus quibusdam relictam, de Barbarorum regno monumentum celebrius haud ſuperfuerit. Antea tamen, quàm Longobardi ad extremum ejusmodi fatum delaberentur, ſub aliquot adhuc, iíſque potentioribus Regibus ſuam adhucdum fortunam vel laceſſere, vel ultimis conatibus ſuſtentare viſi ſunt.

Regnum Longobardicum ad finem labitur.

2. LUITPRANDUS, qui Aſprando Patri anno DCCXII. ſucceſſerat, compreſſis privatorum inſidiis (a), leges etiam condidit, quibus publica ſalus curaretur (b). His præclarè geſtis divitiarum plus æquo appetens, Patrimonium Alpium Cottiarum, paulò antè ab Ariberto Sedi Apoſtolicæ firmatum repetiit (c), & ditionem etiam Sabinenſem Pontifici ademit. Altero regni anno DCCXIII. Petrus à Philippico Imperatore in Italiam venit,

An. 712. *Luitprandus Rex Longobardorum.*

(a) Paulus Diac. l. 6. c. 38.

(b) Vide Murator. T. I. P. II. p. 51.

An. 713.

(c) Anaſtaſ. in V. Gregor. II.

venit, ut Romanam urbem Ducis nomine administraret; sed hominem â Philippico sive ab hæretico Principe missum Itali adeò detestabantur, ut Petrum ab urbis aditu armorum etiam vi depellendum ducerent (d). Neque cruenta hæc procella antè composita est; dum Anastasius in locum Philippici surrogatus, suam Romanis probâsset fidem: quâ cognitâ & jurejurando Ducis firmatâ, Petro Romæ tandem accessus patuit, quem suspicio hæresis eidem antè occluserat. Ab hoc tempore urbs Romana, intestinis motibus vacua, cum Luitprando Longobardorum Rege aliquantum conflictari cœpit: audierat is calamitosas in Oriente rerum conversiones, quódque Imperatores alii ex aliis pro militum libidine solio imponerentur; quare hoc tempus proferendis sui regni finibus opportunum ratus, de subjuganda tota Italia cogitabat. Hæc meditantem Luitprandum Gregorius II. Papa (nam is Constantini Antecessoris locum impleverat) non armis, sed precibus adoritur, gravibúsque ac piis hortatibus adeò emovit Barbari animum, ut non modò â cœptis desisteret, sed & Patrimonium Alpium Cottiarum paulò antè raptum Romanæ Ecclesiæ restituendum curaret (e).

An. 714. (d) Sigon. de regno Ital. l. 3. p. 59.

An. 716. *Luitprandi consilium de proferendo Longobardorum regno.*

Luitprandus cum Gregorio II. P. paciscitur.

(e) Anastas. in V. Greg II. Paul. Diac. l. 6. c. 43.

3. Periculo uno depulso, aliæ calamitates Italiam afflixêre; nam Tiberis à continuis imbribus tantam vehebat aquarum illuviem, ut super ripas effusus maximam urbis Romanæ partem demergeret: resedit tamen paulò pòst iste undarum impetus, Deo ad mali vim cohibendam precibus publicis exorato (f). Nec minùs laboratum est in adsitis Romæ Provinciis; Cumarum quippe oppidum in Campania Romanis Dux Beneventanus eripuerat, & Narnia, ac Classis (Ravennatium castrum) Ducis Spoletani dolo fuerant intercepta (g), quibus non modicis damnis accedebant motus Siciliæ à Tiberii cujusdam tyrannide concitatæ (h): demum Saracenorum latè per omnia maria vagantium hostiles incursiones terrore suo vicinam Italiam percellebant. Verùm his ex fluctibus pariter integri Romani evasêre; nam castellis subinde è raptorum manibus rursus extortis, Tiberii seditio compressa est: neque Saraceni nisi Insulis vicinis cladis aliquid invexerunt (i).

An. 717. *Calamitates Italiæ.*

(f) Sigon. l. c.

An. 718.

(g) Idem.

(h) Niceph. in brev.

An. 721.

(i) Paul. Diac. l. 6. c. 48.

4. Nec-

4. Necdum levioribus his ærumnis Italia defuncta fuerat; tum multò gravior tempestas Romanæ urbi incubuit. Leoni Isaurico adversùs Imagines sævienti (k) Gregorius II. Papa obnitebatur; Inde in se furorem Cæsaris concitans, alias ex aliis subibat insidias, ex quibus Pontificis vita aut dignitas periclitabatur. Itaque ad propulsandum periculum subitò ex Spoletano, ac Thusco agro exciti milites, imò & Longobardi in Gregorii auxilium advolârunt (l). Luitprandus ubi hoc beneficio tum Papam, tum Italos sibi devinxisse crediderat; Ravennam petebat quasi præstiti obsequii præmium: nec multum negotii Longobardis in expugnanda urbe fuit (m). Paulus Exarchus perditis rebus remedium rogaturus, ad Ursum Venetorum Ducem pergit: illinc dum pro recuperanda Cæsareorum sede suppetias enixè flagitat, rumor Romam perfertur, Ravennam teneri à Barbaris, & Exarchatu in Ducatûs formulam redacto, Leonem à spe, atque aditu Italiæ jam penitus excludi. Gregorium hic nuntius non parùm perculit; injuriæ enim privatæ omnino oblitus Pontifex eo jam adjiciebat animum, ut Cæsarem, quem Apostolicis monitis inflectere non poterat, novo officio inclinaret. Quare Venetorum Duci author erat, ut laboranti rei Romanæ armorum subsidio succurreret (n): neque roganti Papæ gens Veneta defuit; quin adductâ ad Ravennatium muros, classe, támque repentino assultu urbem hostibus eripuêre, ut antequam Luitprando aliquid de expeditione suboleret, Ravennam captam atque expugnatam Imperatoris Exarcho redderent (o). Longobardos hæc victoriæ celeritas turbavit primùm, dein in ultionem accendit; Luitprandus quippe Imolam, Mutinam, & nonnulla Æmiliæ oppida aggressus, Feronianum, Montem bellum, Buxetum, Persicetum, Bononiámque subjugavit; post hæc illatis Pentapoli signis, captísque Arimino & Auximo, ad vicum Pileum regionis constituendæ causâ consedit (p).

5. Interea Imperator benefacto Pontificis aliam gratiam non retulit, quàm quòd iteratis molitionibus Gregorium in suum errorem adigere niteretur: ac ne intra minas, quas in immensum augebat, consisteret, Eutychium Romam pergere jussit (q), ut constantiam Pontificis verbis haud inclinandam vi labefactaret. At Romani corporum suorum objectu Gregorii vitam tueri impensè

(k) Idem c. 48.
An. 726.
(l) Anastas. in V. Gregorii II.
Luitprandus obsidet Ravennam.
(m) Idem l. c.
Paul. Diac. l. 6. c. 49.
Agnellus lib. Pontificum P. II. in S. Joan. Epis. Raven.
Gregorius II. Pontifex Venetos in auxilium Græcorum vocat.
(n) Epist. Greg. II. ad Ursum apud Baron. ad an. 726. n. 27.
(o) Sigon. l. 3. de regno Ital. p. 63.
(p) Paul. Diac. l. c.
Eutychius insidiatur Gregorio P.
An. 728. 729.
(q) Anastas. in V. Gregorii II. p. 69. p. 70.

pensè ſtudebant. Quare Eutychius aliunde Pontifici ægrè facturus, cum Luitprando Longobardorum Rege ſciſcit fœdus (r), quod his legibus conceptum erat, ut Cæſareus miles Regem in comprimendis turbis domeſticis, & Rex viciſſim Cæſarem in ſubjugando Pontifice adjuvaret. Et primum quidem fœderis caput Eutychius illico implevit, dum conjunctis armis Duces quosdam Regi rebelles in priſtinum revocavit obſequium: neque Luitprandus poſtea ſuis partibus defuit; pacatis enim domi rebus, ſubitò terrorem belli ad Romæ mœnia transferebat. Gregorius ubi ſe urbémque à duplici hoſte circumſeſſam vidit (s), Romanorum viribus diffiſus, non ullo armorum genere, ſed precibus disjiciendum periculum putabat. In caſtra proinde comitante Procerum coronâ progreſſus Luitprandum coràm monebat, ne cum eo Imperatore ſocietatem belli habere ſuſtineret, à quo pietate ac religione longiſſimè diſtaret; illo enim in ſanctas Chriſti ac Divorum imagines ſæviente, Luitprandum rebus ſacris tantum honorem detuliſſe, ut, cùm Saraceni nuper in Sardinia S. Auguſtini oſſa è tumulo impuris manibus eruiſſent, eadem, quominus à Barbaris ignominiâ afficerentur, magno auri pondere redemerit, atque in regiam ſuam deportata templo ac ſepulchro condecorârit (*1). Itaque hujus inſtituti memor rogabat Pontifex, ut ſibi obſecranti Rex Chriſtianus jam daret, quod olim Attila Ethnicus precanti Gregorio Magno indulſiſſet, nempe ut ab illa urbe vim abſtineret, quam Apoſtolorum Principes ſuo ſanguine conſecrâſſent. His dictis Luitprandus ſive tacitâ religione captus, ſive præſentis Pontificis verecundiâ adductus ſtatim ad pedes ejus ſe proſtravit (t); tum mutatâ mente reſurgens,

(r) idem l. c. pag. 70. edit. Pariſ. in Corpore Byzant.

(s) Idem l. c.

Eutychii fœdus cum Luitprando.

An. 729.

(t) Anaſtaſ. l. c.

Luitprandi reverentia erga Pontificem.

An. 730.

(*1) PAULUS DIACONUS l. 6. c. 48. *Luitprandus verò audiens, quòd Saraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem Barbarorum olim translata & honorificè fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato magno pretio, accepit, & tranſtulit ea in urbem Ticinenſem, ibique cum debito tanto Patri honore condidit.* MABILLONIUS in Muſ. Ital. T. I. P. I. ex diplomate conatur probare, quod translatio ejusmodi facta ſit primo anno regnantis Luitprandi, ſed PAGIUS ad 725 §. 1. ait; cùm Luitprandus regnare cœperit anno 712. & Baſilicam ædificârit ubi S. Auguſtini reliquiæ depoſitæ ſunt, non oſtendi, quomodo eodem anno Baſilicam illam condere potuerit, & intra paucos menſes abſolvere. Cæterùm rei geſtæ annus in obſcuro manet, dum *Marian. Contractus* translationem refert ad a. 722. *Sigebertus* ad a. 721. *Marianus Scotus* ad a. 734.

gens, receptúmque ſuis imperans, Eutychio etiam in Pontificis amicitiam rurſus adducto, continuò diſceſſit.

6. Gregorius II. paci reſtitutus, literis Imperatorem ad meliora hortabatur (u): ſed paternis monitis degener Eccleſiæ filius adeò non ceſſit, ut claſſem tumultuariam congereret, quâ Italiæ & Gregorio III. (nam ſecundus hujus nominis jam obierat) exitium machinaretur. In Adriaticum jam ſinum incolumis illa evaſerat, tum ferox tempeſtas repentè coorta, naves fœdè laceratas in undas demergit (x). Leo his cognitis nihilo mitior eò adjecit animum, ut cùm Romanos premere non poſſet, in Siculos & Calabriam furorem ſuum effunderet; Itaque intolerabili tributo cives ejusmodi divexando ultionem ſuam exſatiare conabatur.

(u) Epiſt. Greg. II. apud Pag. ad a. 730. n. 10.

An. 731. & 732.

Leo Iſauric. mittit claſſem verſus Italiam, quæ perit.

(x) Sigon. de reg. Ital. l. 3. p. 67. edit. Francof. a. 1575.

7. Interea Luitprandus à Cæſaris fœdere abjunctus, in magìs piam armorum, meliorísque Principis ſocietatem diſceſſit. Saraceni eraſis permultis regionibus inſulísque Galliam ſibi in prædam deſtinaverant; tum Carolus Martellus Major Domûs, incolumitati perutile credidit, ſiquidem ad reprimendam Prædonum multitudinem Longobardorum auxilia vocarentur (y). Fœdus igitur ut faciliùs condiceretur, Magiſtratuum omnium Princeps Carolus Pippinum filium ad Luitprandum miſit, id à Rege precatus, ut hunc juvenem Longobardorum more attonſum ſibi in filium pro temporum more adoptaret (*2). His mutuis officiis, ubi amicitiæ primordia jacta fuerant, fidentior jam Martellus Longobardorum utpote fœderatorum arma adverſus Saracenos Franciæ Provinciam evaſtantes flagitavit: neque hoc negabat Luitprandus, quin ultro in Franciam cum ſuis movens, hoſtiles catervas junctâ operâ diſſipavit (z). Rex Longobar-

An. 738.

Longobardorum fœdus cum Francis.

(y) Paulus Diac. l. 6. c. 54. Annal. Nazar. ad a. 739.

(z) Paul. Diac. l. c. c. 54. confer. Pag. ad an. 739.

(*2) PAULUS DIAC. l. 6. c. 53. *Circa hæc tempora Karolus, Princeps Francorum, Pipinum ſuum filium ad Luitprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet. Qui ejus cæſariem incidens, ei Pater effectus eſt. multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remiſit.* Mos iſte à Romanis & Græcis profluxit, ut adoptando inciderentur capilli ab adoptante, unde hic fiebat pater alterius ſpiritualis. ANASTASIUS in V. Benedicti Papæ ait: *Hic unà cum clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum Domini Juſtiniani & Heraclei filiorum clementiſſimi Principis, ſimul & juſſionem, per quam ſignificat eoſdem capillos direxiſſe.* Dies, quâ hæc ceremonia inſtituebatur, vocata eſt *Capillatoria.* L. ſal. tit. 68. *Similiter, quando filius ſuus ad Capillatorias ficiret, quo quid donato fuiret, extra parte hoc teniat.*

An. 740.

(a) Paul. Diac. l. c. c. 55.

Tranſemundi fuga ad Romanos fit cauſa turbarum Italiæ.

gobardorum externo bello feliciter defunctus, relecto in Italiam itinere domi multò nocentius bellum invenit. Nam Tranſemundus Dux Spoletanus à Luitprando defectionem molitus (a), ejus juſſa palàm contemnere cœperat; quod facinus tanti habitum eſt, ut armis coërcendus videretur. Vix Longobardi in Ducem invehebantur; tum Tranſemundus ſuis viribus diffiſus Romam elabitur: illinc à Pontifice ob quædam in Eccleſiam merita, & ob priſtinam amicitiam à Proceribus ſuſceptus, Romanæ urbi maximum ſalutis periculum conſcivit (b). Nam Luitprandus hominem repetens, Pontifici, ni transfugam redderet, belli vim comminabatur: at Gregorius è fide dignitatéque ſua haud fore ratus, ſiquidem virum fœderatum & Eccleſiæ amicum traderet ad ſupplicium, negabat ſibi fas eſſe, ut poſtulatis Regiis locum daret. Luitprandum reſponſio Pontificis adeò urebat, ut Ducatu Spoletano in poteſtatem redacto, & oppidis Ameriâ, Ortâ, Polimartio & Bledâ per iter occupatis, tandem Romæ exercitum ſuum circumfunderet (c). His malis circumventus Gregorius, Deceſſoris ſui exemplo, Regi precibus, ut obſidionem ſolveret, inſtitit; quas cùm irritas eſſe cognoſceret, neque aliunde ſubſidii cujusdam ſpes affulgeret, ad Carolum Martellum, qui tunc in Francia Major Domûs, maximum Magiſtratum gerebat, duos è Clero Oratores, Anaſtaſium Epiſcopum & Sergium Presbyterum maritimo itinere miſit (*3), qui claves S. Se-

(b) Sigon. de reg. Ital. l. 3. p. 67. & 68. Anaſtaſ. in V. Zachariæ.

Luitprandus in agrum Romanum irrumpit.

(c) Anaſtaſ. in V. Zachar.

An. 741.

(* 3) Epiſtola Gregorii Papæ ad Carolum Martellum (quæ eſt I. Cod. Carolin.) *Nimiâ fluctuamur tribulatione, & lachrymæ die noctúque ab oculis noſtris non deficiunt, quando conſpicimus quotidie & undique Eccleſiam ſanctam Dei à ſuis, in quibus ſpes erat vindicandi, deſtitui filiis. Propterea coarctati dolore in gemitu & luctu conſiſtimus, dum cernimus id, quod modicum remanſerat præterito anno pro ſubſidio & alimento pauperum Chriſti ſeu luminariorum concinnatione; in partibus Ravennatium, nunc gladio & igni cuncta conſumi à Liuthprando, & Hilprando regibus Longobardorum: ſe in iſtis partibus Romanis mittentes plura exercita ſimilia nobis fecerunt & faciunt, & omnes Salas ſancti Petri deſtruxerunt, & peculia, quæ remanſerant abſtulerunt. . . non credas fili, falſidicis ſuggeſtionibus ac ſuaſionibus eorundem regum. . . ut rei veritas vobis declaretur, Chriſtianiſſime fili, jubeas poſt ipſorum regum ad propria reverſionem, tuum fideliſſimum Miſſum, qui non â præmiis corrumpatur, dirigere, ut propriis oculis perſecutionem noſtram, & Dei Eccleſiæ humiliationem, & ejus rerum deſolationem & peregrinorum lachrymas conſpiciat . . . ſed hortamur bonitatem tuam coram Domino & ejus terribili judicio Chriſtianiſſime fili, ut propter Dominum & animæ tuæ ſalutem ſubvenias Eccleſiæ S. Petri, & ejus peculiari populo, eoſdémque reges ſub nimia celeritate refutes, & â nobis repellas, & jubeas eos*

S. Sepulchri, aliáque munera augustissima deferentes à Subregulo Francorum præsentem Papæ, afflictísque Ecclesiæ rebus opem postularent. Ea res ùt nova, sic mirabilis atque honorifica illo tempore visa est, quòd Carolus è Francis primus esset, quem Pontifex honoribus singularibus donísque ornatum, ad Ecclesiæ Romanæ tutelam defensionémque imploràsset (d); quare haud cunctatus, redditis ad Papam aliis muneribus literísque se patrocinium delatum suscepisse testabatur (†): tum confestim ad Luitprandum suos ire Legatos jussit, qui discessionem ab agro Romano Regi persuaderent. Haud ingratam, nec inanem hanc Marcelli legationem fuisse postea compertum est; nam Luitprandus è Romanis finibus subinde reducto exercitu, & quatuor duntaxat oppidis in expeditionis præmium sibi retentis, hostiliter agere destitit (e). Pace datâ Transemundus unus in ordinem redigendus erat; is quippe Spoletanæ ditioni recuperandæ intentus, Italiam novis motibus concutere parabat: neque inquies ejus animus à turbis ciendis sibi temperâsset; nisi Transemundus in Clericum attonsus, ínque claustrum ablegatus mitiùs arctiúsque vivere didicisset (f).

(d) Continuator Fredeg.

(†) REFLEXIO I.

(e) Anastas. l. c.

Transemundi rebellio extinguitur.

(f) Sigon. l. 3. p. 69.

8. Postquam Romana urbs à belli turbine respiraverat; Zacharias Pontifex, qui à Gregorii III. anno DCCXII. defuncti obitu Ecclesiam regebat, eò curas convertit, ut damna à Longobardis illata repararet. Quare legationis officio Luitprandum conveniendum ratus, Interamnam (ubi Rex tunc consederat) comitante numeroso Clero pergit (g): de adventu Papæ ubi Luitprandus cognovit; humanitate se vinci nequaquam passus, appropinquanti supremo Antistiti in occursum properat, & honorificentissimè acceptum in Regiam deducit. Zacharias his beneficiis

An. 742.

(g) Anastas. in V. Zachar. p. 75.

Luitprandus Zachariam Pontificem benignè excipit, ejúsque postulata concedit.

eos ad propria reverti. Et postea in Epist. II. ita scribit Pontifex: *Ob nimium dolorem cordis & lachrymas iteratâ vice tuæ Excellentiæ necessarium duximus scribendum, confidentes te esse amatorem filium B. Petri Principis Apostolorum & nostrum, & quod pro ejus reverentia nostris obedias mandatis, ad defendendam Ecclesiam Dei & peculiarem populum, qui jam persecutionem & oppressionem gentis Longobardorum sufferre non possumus. Omnia enim luminaria ad ipsius Principis Apostolorum, & quæ â vestris parentibus, & â vobis offerta sunt, ipsi abstulerunt: Et quoniam ad te, post Dominum, confugium fecimus, propterea nos ipsi Longobardi in opprobrium habent & opprimunt. Unde & Ecclesia S. Petri denudata est, & in nimiam desolationem redacta.*

ficiis animosior Regem interpellabat, ut captivos, quos vis belli à patria abstraxisset, tum etiam intercepta oppida S. Petro restitueret; ne, quem Sanctum magnifico apud Regiam suam templo condecorâsset (h), eundem bonis suis in sua sede à Longobardis expilatum esse diutius homines demirentur: præterea ad salutem gloriámque Regis fore affirmabat, siquidem ipse Longobardorum Principum primus se fœdere cum Ecclesia consociaret. Hæc prolocutus Zacharias adeò Regis emovit animum, ut is redditis omnibus, junctóque cum Papa fœdere Ecclesiam ad viginti annorum intervallum susceperit defendendam. Atque ab hoc tempore Præsulis hujus authoritas apud amicissimum sibi Luitprandum tanta fuit, ut quod magnâ armorum vi confici non poterat, ipse inermis ac interpositis precibus exoraret. Nam cùm anno sequente Rex Longobardorum captâ Cæsenâ ad Ravennam expugnandam se accingeret, Zacharias ab Eutychio Exarcho & Joanne Ravennatium Archiepiscopo rogatus, alterâ ad Luitprandum legatione functus est, non minùs felici eventu (i). Utprimùm enim in conspectum Regis Papa devenerat, quem terror armorum devincere non valebat, hunc potentior eloquio Pontifex devicit. Beneficentiâ hâc Regiâ quominus Zacharias diutius uteretur, repentinum Luitprandi fatum prohibuit; eo enim post XXXI. annos, septémque Regni menses sublatus (k), apud posteros suî insignem memoriam reliquit. Vir quippe erat prudentiæ ac justitiæ laude percelebris (l), quas virtutes ita coluit, ut non veteribus solùm legibus studiosè servandis, sed novis etiam ferendis regnum suum sanctissimè administrârit (*4). Ut autem rebus civilibus ubique præstò erat, ita pietati ac religioni non deerat, quod ipsum palàm fecit singulari liberalitate, quâ ubique Ecclesias ac templa vel exstruxit aut repara-

(h) Idem p. 76.

(i) Idem p. 77 & 78.

An. 743. *Altera legatio Zachariæ Papæ ad Luitprandum pro Ravennatibus.*

An. 744. *Mors Luitprandi.*

(k) Paul. Diac. l. c. c. 58.

(l) Sigon. l. 3.

(*4) Inter alia monumenta, quæ de Luitprando supersunt, est *Pes Luitprandi* sive, ùt aliàs dicitur *Aldiprandipes*, quo Itali utuntur in dimensione agrorum, ita enim habet Chronicon Novaliciense p. 223. *His quoque diebus Luitprandus rex Longobardorum apud Italiam strenuè regnabat, qui tantæ longitudinis pedes fertur habuisse, ut ad cubitum humanum metiretur. Horum verò pedum mensura pro consuetudine inter Longobardos tenetur in metiendis arvis usque in præsentem diem, ita ut pedes ejus in pertica fune XII. fiat tabula.* Conferatur MABILLONIUS in Museo Ital. T. I. P. I. p. 175. HORAT. BLANC. in not. ad Paul. Diaconum c. fin.

paravit (*5); inter meliores Principes numerandus, nisi rerum gestarum famam nimiâ dominandi libidine corrupisset (*6).

Hildebrandi Regis breve regnum.

9. Hildebrandus Luitprandi nepos regnum inde, in cujus consortium ab anno DCCXXXVI. adscitus fuerat (*7), solus, sed brevi septem mensium spatio gerere cœpit (m). His enim elapsis, sive Longobardi imbecillitatem Regis fastidirent, sive alterius virtutem magis amarent, in Hildebrandi locum RACHISIUM Ducem Forojuliensem suffecêre (n). Regni is sui exordia à pacis studio, & ab emendatione legum auspicatus, non exiguam optimi regiminis spem fecerat; sed subinde ditionis amplificandæ cupidine afflatus Pentapoli bellum intulit, atque oppidis pluribus primo impetu captis, Perusiam Ducatûs Romani urbem obsidione cinxit (o). Zacharias Pontifex, cùm serpens adversùs se incendium nec Imperatoris auxilio, nec aliis subsidiis extinguere posset, in solitis precibus perfugium superesse ratus ad Rachim in castra Perusina egreditur, quem mirâ ac suavi, quâ valebat, eloquentiâ adortus ita agere cœpit: mirari se magnopere, Regem Catholicæ fidei assertorem, eò adduci potuisse, ut

An. 744.

(m) Murator. Script. Ital. T. II. P. I.

(n) Anastasius l. 6. Sigebert. Gemb. ad a. 742.

An. 746.

(o) Anastasius in V Zach.

An. 748.

(*5) PAULUS DIAC. l. 6. c. 58. *Hic Gloriosissimus Rex multas in Christi honore per singula loca, ubi degere solebat, basilicas construxit. Hic monasterium* B. PETRI, *quod foràs muros Ticinensis civitatis situm est, & cælum aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis alpe monasterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit. In Olonna nihilominus, suo probastio, miro opere in honorem S. Anastasii Martyris, Christo domicilium patuit, in quo & monasterium fecit. Pari etiam modo multa per loca singula divina templa instituit. Intra suum quoque palatium oraculum Domini salvatoris ædificavit, & quod nulli alii reges habuerunt, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent.*

(*6) Elogium Luitprandi, tumulo ejus in Basilica S. Adriani Martyris adscriptum est, quod etiam PAULUS DIACONUS refert. l. 6. c. 58. videatur etiam HORATIUS BLANCUS in notis ad Paulum Diaconum l. 6. c. ult. [illegible] 245.

(*7) PAUL. DIAC. l. 6. c. 55. *Ipse Rex eo tempore in languorem decidens morti approximavit. Eundem Longobardi vitâ excedere existimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros civitatis, ad S. Dei Genitricis Ecclesiam, quæ ad Perticas dicitur, in regem levaverunt. Cui dum contum, sicut moris est, traderent, in ejus conti summitate cuculus avis, volitando venieus, insedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portento visum est, significari, ejus Principatum inutilem fore. Rex autem Luitprandus cùm hoc cognovisset, non æquo animo accepit; tamen de infirmitate convalescens eum regni sui consortem habuit* circa annum 736. Post mortem Luitprandi paucis mensibus regnâsse dicitur apud Bacchin. in excurs. Chronol. ad Joann. VI. Pagius verò ad a. 736. §. 9. putat illo prætermisso statim Rachisium cepisse regnum, cui alii tamen meritò adversantur.

ut Christianos injuriâ aliquâ, quamvis nullâ ipse lacessitus afficeret: & postquam sapientissimas pro republicâ tulisset leges (p), adeò nunc præceptorum divinorum ac pœnarum oblivisci, ut in bona S. Petri manum injicere, & exiguum vitæ fructum horrendis post mortem cruciatibus anteponere non reformidet. Acquievit non tantùm Rex gravi Pontificis orationi, sed & melioribus præceptis imbutus anno DCCXLIX. se Monasticæ vitæ in monte Cassino devovit (*8), gaudente Zachariâ, quòd regem eò compulisset; ut qui per vim antea ditiones eripuerat, his nunc restitutis, ac violentiâ sibi soli illatâ regnum cœlorum rapere in votis haberet.

(p) Vide Murator. Scriptor. T. I. P. I. p. 85.

Rachis deposito regno Cœnobitam profitetur.

An. 749.

10. Utprimum Longobardi de Rachis instituto acceperant (q), Aistulphum fratrem fratri substituunt: promptus is æquè manu (r), quàm consilio potens, initia regni inter simulatæ pacis studia transegit; At paulò pòst fronte positâ in bellum æstuans, Ravennam primâ expeditione appetebat. Eutychius Exarchus frustra aliquantulùm obluctatus, cùm Constantinum Imperatorem ab aliis hostibus, & Græciam atque Asiam, quominus in auxilium accurrerent, peste ubique grassante impediri cerneret, de dedenda urbe cogitare cœpit (s), atque inde egressus in Orientem, quin recuperandi Metropolim unquam animus fuerit, se recepit: quo facto ipse Exarchorum ultimus finem ejus Præfecturæ imposuit (*9). Aistulphus Exarchatu ac Pentapoli po-

(q) Murator in notis ad leges Aistulphi T. I. p. II. script. p. 89.

Aistulphus Rex Longobard.

(r) Paulus Diac. l. 6. c. 56.

(s) Sigon. p. 75.

Finis Exarchatûs Cæsarei in Italia.

An. 751.

(*8) CHRONICON CASIN. L. I. c. 8. *His quoque Diebus Rachis Rex Longobardorum ad cupiendam Perusinam urbem cum valido exercitu pergens eam fortiter undique expugnabat. Ad quem prædictus Papa Zacharias profectus, multis precibus ac monitis, multisque illi concessis donariis, ad sua illum redire coëgit. Cujus idem rex monitionum sollicitè reminiscens, non multò post, divino afflatus instinctu, relinquens regalem dignitatem & gloriam, cùm jam per annos quinque & sex regnâsset, Romam unà cum uxore & filia ad B. Petri Apostolorum Principis limina, devotus advenit. Ibique â præfato Apostolicæ Sèdis Præsule Zacharia comam attonsus, & clericus factus, monachico etiam habitu simul cum uxore & filia est indutus. Moxque ad hoc monasterium B. Benedicti, eodem Apostolico transmittente perveniens, & sub regulari magisterio instituendum se tradens, post religiosam satis, ac Deo placitam conversatiönem, ibidem vitæ finem sortitus est.*

(*9) EXARCHI RAVENNÆ dicebantur, qui ab Imperatoribus Constantinop. in Italiam cum imperio mittebantur, quorum ea erat potestas, ut ministerium Imperialis fastigii peregisse in Italia colligatur. Horum Exarchorum seriem tradit Hieronymus Rubens: Aliorum calculo sedecim sequentes numerantur. I. *Longinus* ab a. 568. Ravennæ impositus â Justino II. præfuit annis 15. II. *Smaragdus* ab a. 584. III. post tres annos ab

li potitus, in Romanam ditionem exercitum transtulisset; nisi fœderis religio, quâ ante quatuor menses cum Stephano Pontifice ac Zachariæ defuncti Successore quadraginta annorum inducias pactus fuerat, bellicosis consiliis obstitisset (t). Quod igitur aperto confestim Marte agere non licebat, id arte quâdam moliri cœpit: tributum nimirum pergrave (u) Romanis imponebat, causatus, cum Ravennate Exarchatu jus quoque Exarchorum ad se transiisse, qui ex antiquo instituto Romanis imperare consuevissent. Pontifex quantiscunque precibus aut donis cupiditatem Aistulphi reprimere conabatur, nihil admodum impetravit: neque Cæsaris ad Regem Longobardorum legationem plus ponderis habuisse, postea cognitum est (x). Rex quippe ab his officiis multò ferocior in agrum Romanum armatam deducebat manum; quarum calamitatum metu Pontifex, cùm ab Imperatore vix ulla auxiliorum spes appareret, ad Pipinum nuper Francorum creatum Regem confugiens, eum privatis nunciis rogabat, ut se per submissos Legatos ex tanto ærumnarum cumulo deduci curaret (y). Pipinus voluntati Pontificis facilè obsecutus viros in Italiam direxit, qui incolumem Stephanum ad Alpes usque comitarentur. Antequam tamen Papa Italiâ exiret, suadentibus Franciæ Oratoribus Aistulphum convenit, quo animum in solitam pertinaciam obstinante, cum Francorum Legatis ad Alpium claustra perrexit: Inde ad Monasterium S. Mauritii progressus, obvios Pipini Legatos habuit; tum Pontigonem deductus, à Rege & Optimatibus honorificentissimè excipitur (*10). In Regiam ubi deventum est, Pontifex coràm sui

Hhh hhh 2 ad-

(t) Anastas. in vita Stephani II. p. 81. edit. Paris.

(u) Idem l. c. Joan. Abbas in hist. de Collat. Mon.

Aistulphus imponit tributum Romanis.

(x) Anastas. in V. Stephani III. p. 81

Legatio Pontificis & Cæsaris ad Aistulphum irrita.

(y) Idem l. c. p. 83.

Stephanus Pontifex legationem primò mittit ad Pipinum Francorum Regem; dein ipse in Franciam pergit.

Pontifex magnis honoribus in Francia exceptus

ab a. 587. *Romanus.* IV. inde post annos undecim sive anno 598. *Callinicus* gubernavit exarchatum Italiæ quatuor annis. Ab anno 602. *Smaragdus* rursus Exarchus fuit per novem annos. V. Ab anno 611. *Joannes Remigius* quatuor annis regnavit, sex mensibus. VI. Ab a. 616. *Eleutherus* tribus annis. VII. Ab anno 619. *Isaacius* viginti tribus annis. VIII. Ab anno 642. *Theodorus Calliopas* octo annis. IX. Ab anno 650. Olympius tribus annis, cui rursus suffectus est Theodorus Calliopas & præfuit annis triginta quatuor. X. Ab anno 687. *Theodosius* (vel *Theodorus* juxta alios) aliquot mensibus XI. Ab anno 688. *Joannes Platon* quindecim annis. XII. Ab anno 702. *Theophilactus* octo annis. XIII. *Joannes Trisocopus* quinque annis. XIV. Ab anno 715. *Scholasticus* decem annis. XV. Ab anno 725. *Paulus* duobus annis. XVI. Ab anno 727. *Eutychius* ultimus Exarchus gubernavit viginti quatuor annis.

(*10) ANASTASIUS in V. Stephani III. *Audiens verò (p. 84.) Isdem Rex ejusdem*

adventûs causam exponit, nempe ut à Græcis desertus, à Pipino adversùs Longobardos auxilia deposceret, quibus peroratis Pipinus respondisse fertur: se daturum operam, ut & Ille & tota Italia intelligat, sibi neque erga Ecclesiam fidem deesse, neque in Italia defendenda virtutem: proximâ æstate exercitum Alpes trajecturum, & Aistulphum, si ultro nolit, per vim Exarchatum & cætera loca reipublicæ restituere coacturum (z). Unum illud modò vicissim peti, ut dum Pontifex illinc hospes degeret, se suósque filios Reges Franciæ perungat (a). His suo tempore peractis, Carisiaci in conventu Procerum de bello agitur: Carolomannus Pipini frater, & Cassinus Monachus ex Imperio Aistulphi illuc quoque ad expeditionem dissuadendam venerat: verùm sermo ejus adeò Optimatibus displicuit; ut omnes à partibus Pontificis standum decernerent (b); quo facto Pipinus delectum militum indicit, qui dum coguntur, novâ legatione, literísque Aistulphi animum tentare placuit, sed Principe Barbaro omnia pacis consilia aspernante, Francorum exercitus versus Italiam contendit præeunte Pipino, qui hoc voto se obstrinxerat, ut si se Longobardicæ compotem victoriæ Deus fecisset, Exarchatum & Pentapolim Reipublicæ Romanæ adempta Beato Petro & Successoribus ejus traditurum se promitteret in perpetuum possidenda. Prima cum hoste velitatio ad Alpium angusta commissa est, & fortunatum Francis accidit, ut parva eorum manus Aistulphum cum suo exercitu profligaret; devictum ac fugientem Regem subinde totus Francorum exercitus Papiam usque prosequebatur, ubi Aistulphus undique conclusus pacem, quam toties spreverat, rogare tandem compulsus est. Pipinus verò has ei leges præscripserat, ut Exarchatum & Pentapolim, & quæcunque cepisset, se restituturum solenni sacramento (c) juraret, hujusque fidei obsides quadraginta

(z) Idem p. 84.

(a) Baron. ad a. 754.

(b) Anastas. p. 85.

Bellum à Francorum Rege Pipino decernitur contra Longobardos.

Francorum victoria adversus Aistulphum.

(c) Anastas. p. 86.

dem beatissimi Pontificis adventum, nimis festinanter in ejus advenit occursum, unà cum conjuge, filiis etiam & primatibus, pro quo & afferens centum millia, filium suum (nomine Carolum) in occursum ipsius evangelici Papæ direxit cum aliquibus ex his optimatibus. Ipseque in palatio suo in loco, qui vocatur Ponticone, ad fere trium millium spatium descendens de equo suo cum magna humilitate terræ prostratus, unà cum conjuge sua filiis & optimatibus eundem sanctissimum Papam suscepit. Cui & Vicestratoris usque in aliquantum locum juxta ejus Sellarem properavit &c.

ginta in Franciam deducendos daret. At Franci vix Italiâ extulerant pedem, tum Aiſtulphus ad priſtinum ingenium reverſus, promiſſa adeò non exſolvit, ut ſequente inſuper anno in Romanas ditiones irrumpens, obſidionem urbi intentaret (d). Fruſtra Pontifex Principem juratæ fidei admonuit: itaque Pipinus alterâ vice in Italiam revocatus (*11), majore vi Aiſtulphum ad implenda promiſſa coëgit. Pipinus antea, quàm abiret Italiâ, Fulradum S. Dionyſii Abbatem reliquit, qui urbes condictas reciperet, receptáſque Pontifici traderet (*12). Vix aliqua è poteſtate oppida Aiſtulphus dimiſerat; tum facti pœnitens de fœdere frangendo, bellóque inſtaurando acriora agitabat conſilia: & à periculo res Romana haud abfuiſſet, niſi anno ſequente Longobardorum Rex vitæ & turbarum feciſſet finem inter venandum equo effuſus (e), vel ùt alii perhibent, â divino ictu

An. 755. *Aiſtulphus initas conditiones pacis negligit.*

(d) Idem p. 87.

An. 756.

Eginhardus ad a. 758.

(e) Continuat. Fredegar. in Chronic.

(*11) ANASTASIUS in V. Stephani III. p. 87. *Cùm ad prædictas Longobardorum Cluſas jam fatus Chriſtianiſſimus Pipinus Francorum appropinquaret Rex; conjunxerunt in hac Romana urbe Imperiales miſſi, Gregorius ſcilicet Protoſecreta & Joannes Silentiarius* (legati cæſarei) *directi ad prædictum Francorum regem . . . Protoſecreta Apoſtolicæ ſedis miſſum celeriter prænominatum Francorum aſſecutus eſt Regem, quem & in finibus Longobardorum non procul â Papia reperit civitate: & nimis eum deprecans, atque plura ſpondens tribui imperialia munera, ut Ravennatium urbem vel cæteras ejuſdem Exarchatûs civitates & caſtra imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam valuit firmiſſimum jam fati chriſtianiſſimi, atque benigniſſimi fidelis Dei, & amatoris B. Petri Apoſtoli Pipini inclinare cor, ut eaſdem civitates & loca imperiali tribueret ditioni. Aſſerens idem Dei cultor nullâ penitùs ratione eaſdem civitates â poteſtate B. Petri & jure Eccleſiæ Romanæ vel Pontificis Apoſtolicæ ſedis quoquomodo alienari, affirmans etiam ſub juramento, quod per nullius hominis favorem ſeſe certamini ſæpiùs dediſſet, niſi pro amore B. Petri & venia delictorum, aſſerens & hoc, quòd nulla eum theſauri copia ſuadere valeret, ut quòd ſemel B. Petro obtulit, aufferret.*

(*12) ANASTASIUS l. c. p. 87. & 88. *Ad recipiendas verò ipſas civitates miſit ipſe Chriſtianiſſimus Francorum rex* (Pipinus) *ſuum conſiliarium, id eſt, Fulradum venerabilem Abbatem & Presbyterum . . . Is Ravennatium partes cum miſſis jam fati Æiſtulfi Regis conjungens, & per ſingulas ingrediens civitates tam Pentapoleos, quàm & Æmiliæ, eaſque recipiens, & obſides per unamquamque aufferens, atque Primates ſecum unà cum clavibus portarum civitatum deferens Romam conjunxit. Et ipſas claves Ravennatium urbis, quamque diverſarum civitatum ipſius Ravennatium Exarchatûs unà cum ſupraſcripta donatione de eis â ſuo Rege emiſſa, in confeſſione B. Petri ponens, eidem Apoſtolo & ejus Vicario Sanctiſſimo Papæ, atque omnibus Ejus Succeſſoribus Pontificibus perenniter poſſidendas atque diſponendas tradidit, id eſt, Ravennam, Ariminum, Piſaurum atque Fanum, Cæſenas, Senogallias, Eſium, Forum Pompilii, Forum Livii cum caſtro Suſſubio, Montemferetri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, caſtellum S. Mariani, Bobium, Urbinum, Callium, Lucalos, Eugubium ſeu Comiaclum, nec non & Civitatem Narnienſem, quæ à Duce Spoletano à parte Romanorum per evoluta annorum ſpatia fuerat invaſa.*

(f) Angelus de Nuce in Notis ad Leon. Ost.

ictu aut telo percussus (f), postquam regnaverat annis sex cum aliquot mensibus à perfidia magis (g), quàm â bello uspiam prudenter suscepto aut strenuè gesto memorabilis.

(g) Epist. 8. Cod. Carol.

Desiderius Rex Longobardorum.

(h) Anastas. in V. Stephani III. p. 88.

11. De Aistulphi fato ubi cognitum est, Longobardorum pars magna Desiderium stabuli Comitem (*13), pars altera Rachisium, qui nuper purpuram cum monastica veste commutaverat, præoptavit. Res cùm ad intestinum bellum spectaret (h), Desiderius ad Stephanum Pontificem confugit, fœdus perpetuum, oppidáque, quæ Aistulphus Sedi Apostolicæ debebat, à se restituenda pollicitus (*14), dummodo Pontifex curaret, ut per Francorum auxilia sibi deinceps captato regno tranquillè uti liceret. Hæc Papa probè executus suo Successori Paulo (nam ipse post breve tempus decesserat) Apostolicas ditiones satis pacatas reliquit. Paulus vitam regiménque per decem annos oppidò tranquillum egerat, tum in ipso suæ mortis confinio à Longobardis exagitari cœpit (i); nam Desiderius libidine Imperii prope

Ejus initia.

An. 757.

(i) Epist. 27. Cod. Carol.

(*13) *Desiderii Genealogiam* descripsit Anonym. Mediolan. Dissert. de Italia Medii ævi apud Murator. T. X. p. 84. Primò fuit *Comes stabuli* in aula Aistulphi, & mox *Dux Tusciæ*, dum Rex crearetur Longobardorum anno 756., ùt vult Pagius ad eundem annum, vel anno 757., utì alii ex Desiderii diplomatis ostendere conantur. Modum, quo ad Regnum pervenerit, refert ANASTASIUS in V. Stephani III. sub fin. *Tunc Desiderius quidam Dux Longobardorum, qui ab eodem nequissimo Aistulpho in partes erat directus, audiens præfatum obiisse Aistulphum, illico aggregans ipsius Tusciæ universam exercituum multitudinem, Regni Longobardorum arripere nixus est fastigium, cujus personam despectui habens Radebisus dudum Rex & postmodum Monachus, Germanus præfati Aistulphi, sed & alii plures Longobardorum Optimates cum eo eundem Desiderium spernentes plurimam trans Alpium vel cætera Longobardorum exercituum multitudinem aggregantes ad dimicandum contra eum profecti sunt. Adhæc præfatus Desiderius obnixè præfatum beatissimum Pontificem deprecatus est, sibi auxilium ferre, quatenus ipsam regalem valeret assumere dignitatem, spondens jurejurando omnem præfati beatissimi Pontificis adimplere voluntatem. Insuper & Reipublicæ se redditurum professus est civitates, quæ remanserant . . . Post hæc verò peracta statim* (Pontifex Stephanus) *suum missum cum Apostolicis literis Radebiso vel cunctæ genti Longobardorum direxit, properans & prædictus Fulradus venerabilis cum aliquantis Francis in auxilium ipsius Desiderii, sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exigeret, in ejus disposuit occurri adjutorium* &c.

(*14) STEPHANUS II. in ep. 8. Cod. Carolin. *Ordinatus Rex super gentem Longobardorum Desiderius vir mitissimus, & in præsentia ipsius Folradi sub jurejurando pollicitus est, restituendum B. Petro civitates reliquas, Faventiam, Imolam, & Ferrariam cum eorum finibus, simul etiam Saltora & omnia Territoria, nec non & Ausimum, Anconam, & Humanam civitates cum eorum territoriis: & postmodum per Gacinodum Ducem & Grimoaldum nobis reddendum spopondit civitatem bonam cum finibus ejus, & in pacis quiete cum eadem Dei Ecclesia & Nostro populo semper mansurum professus est.*

pe hæreditariâ ſtimulatus turbas ubique ſerebat, quarum occaſione & ea, quæ Pontifici reddiderat, recuperare, & validiora his apponere ſpolia poſſet (*15). Francorum, quos Paulus in opem vocabat, nomen metúſque Deſiderium à publicis motibus nonnihil cohibebant (k). At mortuo ſubinde Paulo Pontifice res Romanæ apertiùs turbatæ ſunt; Dodo quippe Dux Nepeſinus inſtigante Deſiderio Rege cum armata manu in Romanam urbem eluctatus, Conſtantinum fratrem ſuum quantumvis laicum Apoſtolicæ Sedi impoſuit: inde non exiguo tumultu cuncta fervebant. Valdipertus, quem id facinus maximè urebat, etſi Philippum utpote meliorem Pontificem maximè cuperet (l); utroque tamen Pſeudopapâ abdicato, Optimates alii Stephanum (*16), eúmque hujus nominis Tertium (aliàs Quartum) delegandum putârunt (m). Tempeſtas, quâ Deſiderius Romam convulſam volebat, cùm Chriſtophori ac Sergii conſilio citiùs, ac Rex Longobardorum ſperaverat, difflata fuiſſet, anno DCCLXIX. iras ſuas in duos hoſce viros effudit. Simulato namque religionis ſtudio Romam petens cum Paulo Affiarta urbis Duce clàm agebat, ut moleſtos ejuſmodi pacis arbitros luminibus orbatos etiam vitâ exueret; tum Pontificem ipſum aggreſſus, eum intra Eccleſiam S. Petri occluſit, & reluctantem ad Carolum Francorum Regem ſcribere coëgit, quòd Deſiderius omnia S. Petro ex pactis conventis reſtituiſſet (n). His fraudibus ubi Deſiderius Francos deluſerat, Carolo perſuaſit, ut filiam ſuam, poſt abdicatam priorem conjugem, obnitente quantumvis Pontifice, duceret; ſed Rex idem Francorum conſcientiæ ſtimulis ſubinde

An. 767. *Deſiderius ciet turbas in Italia.*

(k) Anaſtaſ. in V. Stephani IV. p. 91.

(l) Idem p. 92.

An. 768.

(m) Idem p. 93.

An. 769.

(n) Epiſt. 21. 24. 26. 40. Cod. Carol. Confer Coint. ad a. 759. n. 2. Pag. ad a. 770. n. 2.

(*15) PAULUS Papa in epiſt. 15. Cod. Carol. deſcribit calamitates, quas Deſiderius inferebat Romanis ditionibus: *Præfatus Longobardorum Rex Pentapolenſium per civitates tranſiens, quas Beato Petro pro magna animæ veſtræ mercede contuliſtis, ferro & igne omnia ſata & univerſa, quæ ad ſumptus hominum pertinent, conſumpſit. Sicque Spoletinum & Beneventanum, qui ſe ſub veſtra à Deo ſervata poteſtate contulerant, ad magnum ſpretum regni veſtri deſolavit, atque ferro & igne eorundem Ducatûm, loca & civitates devaſtavit* &c.

(*16) PAGIUS in Brev. PP. ad a. 752. notat ex Anaſtaſio, Stephanum quendam Presbyterum natione Romanum electum quidem fuiſſe, ſed tertio die mortuum, unde licèt ab Onuphrio & Baronio inter Pontifices numeretur Stephani II. nomine; in Catalogis tamen Rom. PP. omittitur, quia nunquam ordinatus fuerat. Atque hæc ratio eſt, quòd Stephanus ſubſequens ab aliis *Secundus*, ab aliis *Tertius* dicatur: & proinde pariter qui *Tertius* vocatur, à nonnullis *Quartus* appelletur.

inde adactus, à connubii nefaſti fœdere protinus diſceſſit. Re-
An. 771. pudium filiæ adeò ægrè tulit Deſiderius, ut Carolomanni uxo-
rem ejúsque filios palàm in clientelam, ídque odio Caroli non
tantùm ſuſceperit, ſed & Hadrianum Pontificem, Stephani II.
Succeſſorem minis promiſsíſque fallacibus ad inaugurationem ſo-
lennem, quâ ipſe Papa coràm Carolomanni liberos & Caroli æmu-
los crearet Reges, invitârit (* 17); quo factoDeſiderius ſibi duplex
commodum acceſſurum ſperabat, nempe ut, ſi obſequeretur
Pontifex, Carolum ab Hadriani fœdere alienaret, aut bello civi-
li per eandem cauſam in Francia concitato, faciliùs Romam Ita-
(o) Anaſtaſ. in V. Hadriani p. 100. liámque ſubigeret (o). Poſtulatis ubi repugnare Pontificem
Deſiderius cognovit, in Exarchatum irrumpens, occupatíſque
non paucis oppidis (* 18), Ravennæ etiam diſcrimen ultimum
An. 772. intentabat. Hadrianus, quò Principem inclinaret, iterato lega-
tionis obſequio Longobardorum Regem demulcebat: verùm ſe-
riùs hæc agebantur, quàm ut Deſiderius è re ſuâ fore crederet,
à belli motibus ſubducere manum (* 19).

12. Quare Pontifex Carolo Francorum Regi, cujus cauſa
An. 773. potiſſimùm has injurias ferebat, nuncios miſit, qui in tempore
oppor-

(* 17) ANATSAIUS in V. Hadriani p. 100. *In ipſis verò diebus contigit uxorem & filios quondam Carolomanni Regis Francorum ad eundem Regem Longobardorum* (Deſiderium) *fugam arripuiſſe cum Autcario, & nitebatur ipſe Deſiderius, atque inbianter decertabat, quatenus ipſe filii ejusdem Carolomanni regnum Francorum aſſumpſiſſet. Et ob hoc ipſum Sanctiſſimum Præſulem ad ſe properandum ſeducere conabatur, ut ipſos antefati Carolomanni filios Reges ungeret, cupiens diviſionem in regno Francorum immittere, ipsúmque Beatiſſimum Pontificem à charitate & dilectione Excellentiſſimi Caroli Regis Francorum & Patritii Romanorum ſeparare, & Romanam urbem, cunctámque Italiam ſui regni Longobardorum poteſtate ſubjugare.*

(* 18) ANASTASIUS l. c. *Nec enim duo menſes præterierunt, quod ipſe Sanctiſſimus Vir* (Adrianus) *Pontificatûs culmen adeptus eſt. Ita iisdem atrociſſimus Deſiderius easdem abſtulit civitates, conſtringens ex omni parte civitatem Ravennatium & Caſales ac omnia Præſidia Ravennatia occupans . . . . Siquidem nominatus Deſiderius jactantiæ faſtu levatus, confeſtim direxit multitudinem exercitûs, & occupare fecit fines civitatum, id eſt, Senogallienſis, Montefereti, Urbini, Eugubii & cæterarum civitatum.*

(* 19) ANASTASIUS recitat legationes à Pontifice ad Deſiderium miſſas, & promiſſum, quo Papa ſe ipſum ad Regem venturum pollicebatur, ſiquidem Rex antea rapta rediditſſet. IDEM l. c. p. 103. & 104.. *Nihil apud eum* (Deſiderium legati Pontificis) *impetrare potuerant: potiùs permanens in ſua iniquitate multis civitatibus ac finibus Romanorum, inferri faciebat ex omni parte mala . . . . pro quo nimio fletu ipſe Sanctiſſimus Pontifex cum ſuo populo poſitus, portas civitatis Romanæ claudi juſſit, & alias ex eis fabricari fecit.*

opportuno Pontifici & Eccleſiæ Romanæ auxilium rogarent (*20). Carolus in Theodonis villa conſederat (p), cùm ex urbe Legatos exciperet, quorum allatas adversùs Deſiderium querelas ubi audierat; Regem Longobardorum moneri juſſit, ut, quæ deberet Pontifici, continuò redderet. Hic etſi ſe ſatisfacturum mentiretur, nuſquam tamen exſolvit fidem, imò novas indies Papæ ſtruebat inſidias (*21), quibus Hadrianum in caſſes ageret. De fraudibus Deſiderii utprimum Carolo renuntiatum eſt; per alios Legatos Principem Barbarum pertentavit (q), vellétne quatuordecim millibus ſolidorum acceptis Pontifici ſatisfacere? Ad iſta cùm frigidè Deſiderius reſponderet; Carolus haud cunctandum ratus, bipartito cum exercitu ad ſaltus Alpium pergit (r): ne tamen Clementiæ ſuæ deeſſet, ibi tantiſper moratus, ultimos ad Deſiderium nuncios miſit, qui armatis precibus Regem tandem inflecterent; verùm eodem ad bellum rurſus animum obſtinante, irruptione ſubitâ, cruentáſque inter ſtrages Francorum agmina ſe Italiæ infuderunt (s). Deſiderius undique à fronte & à tergo petitus, quo ſummi prælii diſcrimen devitaret, Ticinum ſe proripuit, Adalgiſo filio cum Berta & prolibus

Legatio Hadriani Papæ ad Carol. M.

(p) Annal. Loiſel. ad an. 773.

(q) Anaſtaſ. in V. Hadriani p. 105.

(r) Annal. Nazar. Annal. Pithœ.

Expeditio Caroli Magni contra Deſiderium Regem Longobardorum.

(s) Eginhard. ad an. 773.

(*20) IDEM p. 104. *Hadrianus dum in magnâ anguſtia ac tribulatione conſiſteret, neceſſitate compulſus, direxit ſuos miſſos marino itinere cum Apoſtolicis literis ad Excellentiſſimum Carolum à Deo protectum Regem Francorum, & Patritium Romanorum deprecans ejus Excellentiam, ut ſicut ſuus Pater ſanct. mem. Pipinus, & ipſe ſuccurreret, atque ſubveniret ſanctæ Dei Eccleſiæ & afflictæ Romanorum ſeu Exarchatûs Ravennatium Provinciæ, atque plenarias B. Petri juſtitias & abſtultas civitates ab eodem Deſiderio Rege exigeret.*

(*21) IDEM p. 104. *Dum per nullam occaſionis verſutiam potuiſſet iſdem malignus Deſiderius perſuadere antefatum Sanctiſſimum Pontificem ad ſe eum deducendum, ut antefati Carolomanni filios Reges unxiſſet . . . Tunc pertinaciâ & audaciâ egreſſus à ſuo palatio cum Adalgiſo proprio filio & exercitu Longobardorum, deferens ſecum & uxorem & filios ſæpedicti quondam Carolomanni, nec non & Autcharium, qui ad eum fugam arripuerant: hic vero Romam properare nitebatur . . . Cujus jam adventum appropinquantem cognoſcens Sanctiſſimus . . . aggregans univerſum populum Tuſciæ, Campaniæ, & Ducatûs Peruſini, & aliquantos de Civitatibus Pentapoleos munivit hanc civitatem Romanam . . . dúmque hæc omnia diſpoſuiſſet, exemplo, facto in ſcriptis anathematis verbo direxit eidem Deſiderio tres Epiſcopos . . . proteſtans, eum in eodem obligationis, exhortationiſque verbo, & adjurans per omnia divina myſteria, ut nullo modo in finibus Romanorum ſine ejus abſolutione ingredi aut conculcari præſumſiſſet . . . ſuſceptóque obligationis verbo per antefatos Epiſcopos ipſe Longobardorum Rex illico cum magna reverentia à civitate Viterbienſi confuſus ad propria reverſus eſt.*

An. 774. libus interea Veronam ſe recipiente (*22). Verùm Veronæ mœnibus haud diu Adalgiſus confiſus eſt; quin in Græciam elapſus urbem Carolo victori reliquit (*23). A Verona Franci per Transpadanos agros undique has victorias circumtulêre; dum tandem totus belli turbo ad Ticini muros, aliquanto longiùs adhæreſceret (t). Deſiderio quippe deliberatum erat, potiùs perpeti ultima, quàm deditione regiæ urbis factâ omnem, quæ in ea ſola ſuperſtes eſſet, ſpem regni abjicere. Itaque dum longior ad Paſcha uſque mora trahitur, Carolus relicto ad muros exercitu Romam abit, illinc cum Pontifice Reſurrectionem Domini ſolenniter celebraturus. Hadriano ubi de Adventu Caroli relatum eſt; Optimates cum vexillis ad mille paſſus venienti in occurſum ire juſſi ſunt: deinde ad primum lapidem univerſæ ſcholæ cum Patronis & pueris palmarum olearúmque ramos tenentibus proceſsêre (u): extremum agmen Cruces venerandæ clauſerunt, quas Papa Regi non aliter atque Exarchis, Patriciíſque quondam obviam miſit. Pontifex poſtridie ad Vaticanæ Eccleſiæ gradum ſummos inter honores exceptum Regem in Baſilicam deducebat, Clero Auctori publicæ ſalutis libertatíſque his lætis vocibus accinente: *Benedictus qui venit in nomine Domini!* tum Carolus urbe templíſque piè perluſtratis, poſtremùm ad Vaticanam Eccleſiam reverſus, Donationem Pipini, quâ is apud Cariſiacum Stephano Pontifici Exarchatum & Pentapolim addixerat, non modò firmavit, ſed & multis ditionibus auxit (†). Quibus ritè peractis poſt octavum diem Carolus Ticinum in caſtra receſſit: Ibi cùm Deſiderius obſidentibus

(t) Anaſtaſ. in V. Adriani p. 106.

Carolus M. inviſit Romam. Anaſtaſ. p. 107.

(u) Sigon. de reb. Ital. l. 3.

(†) Reflexio II.

(*22) ANASTASIUS in V. Hadriani p. 106. *Adalgiſus verò* (Deſiderii) *filius aſſumens ſecum Autcharium Francum, & uxorem atque filios Carolomanni in civitate, quæ Verona nuncupatur, pro eo, quòd fortiſſima præ omnibus civitatibus Longobardorum eſſe videretur, ingreſſus eſt.. Carolus dum agnoviſſet, fugam arripuiſſe in Veronam prædictum Adalgiſum, relinquens plurimam partem ex his exercitibus Papiæ, ipſe quoque cum aliquantis fortiſſimis Francis in eandem Veronam properavit civitatem. Et dum illuc conjunxiſſet, protinus Autcharius & uxor, atque filii ſæpe nominati Carolomanni propriâ voluntate eidem benigniſſimo Carolo Regi ſe tradiderunt.*

(*23) AGNELLUS in vita Leonis Archiep. Raven. *Adelgiſus filius prædicti Regis* (Deſiderii) *unà cum exercitu ſuo ante eum* (Carolum) *terga dedit, & in partes Chaonides fugit, & per aliquantos dies Salerni commoratus, exinde cùm Carolus Romam veniſſet, timidus cum ſuis aliquantis fidelibus Conſtantinopolim perrexit.*


REGNVM ITALIÆ in Sæculo VII. et VIII.
Scala Milliarium Italiæ seu passuum Geometricorum Mille.
20 40 60 80 100
RHETIA PRIMA
LONGOBARDIA
ALPES COTTIÆ
LIGVRIA
ÆMILIA
FLAMINIA
TVSCIA
PICENVM ANNONARIVM
PICENVM SVBVRBICARIVM
VALERIA
SAMNIVM
LATIVM
CAMPANIA
APVLIA
CALABRIA
LVCANIA
BRVTIA
ILLYRICVM OCCIDENTALE
SAVIA
DALMATIA
SINVS ADRIATICVS
MARE ADRIATICVM
MARE IONIVM
SINVS TARENTINVS
MARE GALLICVM
MARE TVSCVM quod et HETRVSCVM et TYRRHENVM et INFERVM
SICILIA INSVLA
SARDINIA
Roma
Ravenna
Genova
Arelate
Massilia
Danubius fl.
Rhenus fl.
Rhodanus fl.
Padus fl.
Sebast. Dorn. sculps. Norib.

bus aliquanto adhuc tempore restitisset, fame demum fractus se, uxorem, liberósque Carolo permisit, qui victor etiam in hostem tantum gratiæ honorísque impendit, ut dubium fuerit, utrùm Desiderius amisso regno apud posteros debeat dici illustrior; quàm aut Alboinus adepto aut Autharis & Agilulfus formato (*24). Deditionem Regis Longobardorum populus secutus est, Atque hic quidem finis Regni Longobardorum fuit, quod ab initio ferox, post Christianam & Catholicam fidem adscitam mitius, honoribus æquè & fortunis amplissimis potentissimum evasit, quas tamen opes ac decora nimia dominandi libido ita corrupit, ut etiam fastigio Regio & Italiæ Dominatu exuerit, anno postquam Italiam occupaverat, CCVI., Christi verò DCCLXXIV.

Desiderius Rex Longobardorum capitur.

Finis Regni Longobardici.

Iii iii 2 §. III.

(*24) ANASTASIUS in V. Hadriani Pontif. p. 108. *Reversúsque cum suis exercitibus Ticinum ipse Excellentissimus Francorum Rex, fortitérque debellans atque obsidens civitatem Papiam, dum ira Dei super omnes Longobardos, qui in eadem civitate erant, grassaretur atque sæviret, & plures de languoribus seu mortalitatis clade defecissent, ita Dei nutu eandem civitatem, simúlque & Desiderium Longobardorum Regem, atque cunctos, qui cum eo erant, ipse Excellentissimus Francorum Rex comprehendit, & suæ potestati cunctum Regnum Longobardorum subjugavit. Præfatum verò Desiderium Longobardorum Regem & ejus conjugem secum in Franciam deportavit.* ALBERTUS in Chronico ad an. 775. *Desiderius Rex cum uxore & filia & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias Agilfrido Leodicensium Episcopo dirigitur.*

(*25) MARQUARDUS FREHERUS in Corpore *Francicæ Historiæ veteris* p. 168. publicavit è MS. Palatino *Pauli Diaconi supplemeneum Longobardicorum*; in cujus fine legitur: *Dominans* (nempe Carolus) *Italiam anno Dominicæ Incarn. DCCLXXIII., præfatum verò Desiderium, & ejus conjugem ad Franciam misit. Finitúmque est Regnum Longobardorum, quod mansit per annos CCVI.; postquam ipsi Italiam intraverunt.* Sed ùt PAGIUS notat, supplementum illud est Junioris Authoris, qui docet anno DCCLXXIV. Regnum Longobard. finem accepisse. Cæterùm ante captam Papiam Carolus Rex Longobardorum jam dicebatur; unde COINTIUS duplicem adsignat Epocham Caroli in Italia regnantis. Prima est ante expugnatam Papiam, ùt colligitur ex epistola 35. Codicis Carolini. Altera & posterior Epocha Regni Italici est post diem nonam mensis Maji, sed ante decimum tertium mensis Junii anni DCCLXXIV., quando inter utrumque diem Papiam sibi subjecit, quod porrò MABILLONIUS colligit ex variis monumentis Lib. 5. de re Diplomatic, allatis.

Hiſtoria de Regno Hiſpaniæ ſub Gothorum & Maurorum Regibus.

§. III. *Julianus contra RODERICUM Gothorum Regem rebellis, Mauros in Hiſpaniam provocat. PELAGIUS in Regem Aſturum electus mirabili victoriâ Mauros domat: Eorundem Maurorum internecina clades in Aquitania. Favila Rex Gothorum ejusque repentinus interitus. ALFONSI CATHOLICI res geſtæ & religio. Sub FAVILA Maurorum Victore inſigni, Abderahmanus novum in Hiſpania regnum fundat. AURELIUS turpe tributum Mauris condicit: SILO Regno ineptus: VEREMUNDUS DIACONUS in conſortium Regni adſciſcit ALFONSUM CASTUM diuturnum Hiſpaniæ Fulcrum & Reparatorem.*

Rudericus Rex Gothorum in Hiſpania.

(a) Lucas Tudenſis in Chronic. Æra 748.

(b) Mariana de reb. Hiſp. l. 6, c. 21.

(c) Tudenſis l. c. Rodericus Tolet. de reb. Hiſp. l. 3. c. 18.

1. POſt *Vitizæ* Patris funus, prætermiſſis filiis Proceres RUDERICO Regni gubernacula tradidêre. Hujus ſi ſanguinem ſpectes, Theodefredi erat filius ac Chindaſvinthi nepos (a); ſin ea, quæ poſtea molitus eſt, Hiſpaniæ facem peſtémque dixeris (b). Principatum adeptus Rudericus timebat primò, ne dum in Hiſpaniæ conſpectu Vitizæ filii viverent, pacato minùs regno uteretur: itaque inviſos ſibi æmulos injuriis infeſtare aggreſſus eos tandem ad quærendas alibi ſedes coëgit (c). Illi in Africæ Tingitanæ partem Gothorum Imperio obnoxiam profecti, Optimatum ac præcipuè Juliani Comitis opem implorant (*1): & parum aberat, quin cuncti ad arma jam expedirent

(*1) RODERICUS TOLETANUS de reb. Hiſpan. l. 3. c. 18. *Adhuc Vitizâ vivente cœpit coregnare Rodericus ultimus Rex Gothorum, anno Ulit quarto, Arabum verò XCI., Ærâ DCCXLIV., anno ſeptimo Vitizæ, & tantùm tribus annis regnavit, UNO PER SE, duobus etiam cum Vitiza.* Ex hoc Authore Pagius colligit, Marianam, alióſque Scriptores aberrare à Chronotaxi, qui ſoli regnanti Ruderico triennium tribuunt, ac proinde Epocham captæ à Mauris Hiſpaniæ ſeriùs collocant.

An. 710.

Juliani Comitis filiam opprimit.

rent manus; niſi Juliani moderatio conjuratorum conſilium retardâſſet. Belli ſerpentis initia authoritate nobiliſſimi viri jam languefcere cœperant, tum facinore uno Rex Rudericus omnem Juliani fidem, totúmque Gothorum Regnum intervertit. In aulæ Gynæceo per idem tempus alebatur Cava, Juliani Comitis filia formæ dignitate præſtans (d): in quam ubi Rex incautiùs obtutum conjecerat, ictu hoc obſcœno tactus, intra medullas tam ferocem libidinis æſtum concepit; ut inſano amore furens nec noctes, nec dies quietos duceret, dum flagitio immani pudorem Virgini quantumvis reluctanti eripuiſſet (*2). Puella ignominiæ dedecus haud ferens ad Patrem dat literas, & ſibi ab eo, cujus cuſtodiæ commiſſa fuiſſet, illatum eſſe vitium queſta (e) poſcebat, ne Ruderico Regi impune eſſe fineret, innocentiæ ſuæ ac paternæ familiæ illuſiſſe. Julianus ad hoc nuncium dolori, iræque medius primùm obriguit, mox intento ad ultionem animo in aulam pergit; diſſimulans tamen ea, quæ animo verſabat (f), Regi ad ſolita obſequia, & tractanda, ùt acris ingenii erat, Regni negotia promptum ſe ſiſtit. Atque hæc cùm ageret, quaſi rebus Hiſpaniæ meliùs conſulturus ſuadebat Ruderico, ut quoniam pax immota Regno ſtaret, in Maurorum, Francorúmque fines, quidquid militum eſſet, ad hoſtiles eorum motus cohibendos emitteret; Propoſitum quippe Juliano erat, Regem præſidio militari exuere, quo inermis injuriæ opportunior evaderet. Hæc ubi comes facili nimiùm Regi ſuggeſſerat, idem Julianus quaſi ad Matris morbo afflictæ ſolatium filiam ex aula tantiſper abduci rogat (*3). Neque Rudericus id quoque abnuit, tum poſtremò

(d) Tudenſis l. c. Rodericus Santius Hiſt. Hiſp. P. II. c. 37. Mariana de reb. Hiſp. l. 6. c. 21.

(e) Mariana l. c.

(f) Rodericus Tolet. de reb. Hiſp. l. 3. c. 19. Lucas Tudenſis in Chronic. Æra 748.

Julianus ultionem parat contra Rudericum.

Aſtutia Juliani.

(*2) RODERICUS IDEM c. 19. dubitat, an Rudericus Rex vim uxori Juliani, an verò filiæ attulerit: *Inter cæteras Domicellas filia Comitis Juliani præſtantior habebatur. Erat autem Julianus vir nobilis de nobili Gothorum Proſapia ortus, illuſtris in officio Palatino, in armis exercitatus; Comes Spathariorum, familiaris & conſanguineus Vitizæ, & in oppido, quod Conſecra dicitur; & in maritimis diverſarum poſſeſſionum titulis abundabat. Contigit autem, ut idem Julianus legationis causâ à Rege Roderico in Africam mitteretur. Quâ legatione pendente Rex Rodericus filiam ejus violenter oppreſſit . . . Alii dicunt, uxori Comitis vim feciſſe.*

(*3) IDEM l. c. *Julianus dolorem continuit alacritate exteriùs procuratâ . . . tempore hyemali navigio ivit Septam, ubi uxorem cum rebus domeſticis collocavit, & habito cum Arabibus in Hiſpaniam eſt reverſus, & ægrotantis matris deſiderium ſimulans, à Rege filiam impetravit infirmæ matri ſolatio deſtinandam, quam receptam reſtituit matri*

mò ipſe Pater, neſcio quæ negotia cauſatus, veniam abeundi à Rege petit: Hâc conceſsâ confeſtim ex Hiſpania in Africam ad Saracenorum Principes contendit.

2. Gens ejusmodi Mahometi addicta poſt occupatam Ægyptum, Syriámque, póſtque ſubactos Perſas eo tempore, quo Romanæ Regiones Tiberium Apſimarum creatum Imperatorem Conſtantinopolim deducebant (g), vacuam Africæ poſſeſſionem invaſerunt; unde poſtea *Valit Calipha* Muzam præfectum ad Beraberes Mauritaniæ Tingitanæ incolas miſit, qui Regionem ad jugum, ſectámque Mahometis adduceret: renuentes (ùt in mandatis acceperat) cum exercitu adoritur, *Tingim* occupat, ínque hac urbe Præfecturæ ſede conſtitutâ, *Tharecum* præeſſe jubet. Anno ſequente *Muza* Saracenus urbem Septam unà cum Mauritaniæ Tingitanæ parte, quæ Gothorum adhuc erat, aggreditur; ſed Juliano Comite ſtrenuè obluctante, hoſtis expeditionis lucrum aliud non habuit, quàm ut agris vaſtitate illatâ integer in Africam recederet. Ruderico ſubinde Regnum Hiſpaniæ capeſſente, magna rerum converſio fuit (h); Julianus enim idem, qui antea Saracenos â Gothorum finibus longiùs ſubmoverat, mutato nunc ob acceptam à Rege injuriam animo, hoſtes ultro in ſinum Patriæ provocabat, ex defenſore Regni proditor futurus (*4). Julianus utprimùm in Africam appulerat, Muzam, qui nomine

(g) Mariana l. 6. c. 22.

An. 699. *Primus Saracenorum adventus in Africam.*

An. 707.

An. 708. *Juliani olim fides erga Reges Hiſpaniæ.*

An. 710. *Idem Julianus Roderici odio Mauros in Hiſpaniam provocat.*

(h) Rodericus Tolet. l. 3. c. 19. Tudenſis in Chronico.

ri ſuæ . . . Erat autem tunc temporis in Africa Princeps quidam, qui Muza proprio nomine dicebatur, & erat ab Ulit (alii Valitum vocant) *à Miramomenino* (ſive Miramamolino, quod eſt ſummi Imperii nomen) *Præſes Africæ conſtitutus, Huic fuit Julianus Comes factioſo colloquio fæderatus, promittens ei, ſi ſibi crederet, Hiſpaniam ſe daturum.*

(*4) BARONIUS irruptionem Barbarorum conjicit in annum DCCXIII., ùt ibi videre eſt num. XVIII. Sed SCALIGER l. 6. de Emendat. temporum p. 622. eandem deſignat ad annum DCCX., cui adſtipulatur Pagius ad an. 710. num VIII. Neque opinioni huic adverſatur RODERICUS TOLETANUS, dum dicit: *Muza autem . . . continuò verbum hujusmodi* (Alulit ſeu Alwalid) *Amirobomoumenine Arabum nunciavit, qui inhibuit ei, ne in Hiſpaniam cisfretaret* (transfretaret) *ſed paucos mitteret, per quos poſſet promiſſum Comitis aperiri. Muza autem miſit cum Comite Juliano quemdam Taris nomine & cognomine Abonzarcha* (ſeu Ebn Zarick) *cum centum militibus* (equitibus) *& CCCC peditibus Africanis: & hi in quatuor navibus tranſierunt, anno Arabum XCI. Ærâ DCCL., in menſe qui dicitur Ramadan.* Annus iſte Arabum ſive Hegiræ cœpit die VIII. Novembris anni Chriſti DCCX., quod ipſum Noweirius Arabs confirmat teſte Pagio. Cæterùm *Ramadan* erat nonus Arabum menſis lunaris, vagus, qui anno DCCX. in menſem Julium incidebat.

ne Valiti Caliphæ, five Saracenorum fupremi Principis ditiones Afrorum gubernabat, extemplò adit, & expofitis iis, quæ fibi, quæ Vitizæ injuriofiùs accidiffent, Barbarum ad occupandam Hifpaniam invitat, id maximè monens, ne cùm Provincialium ftudia à Rege abhorrerent, & miles jam in ultimis Regni finibus abeffet, tempus opportunum cunctatione quâdam neglectum vellet. Muzæ etfi oblata occafio multùm placeret; de fide tamen Chriftiani hominis addubitans, re cum Calipha Principe communicatâ, modicis primùm copiis tentare Hifpaniæ vires ac eorum, quæ à Juliano jactarentur, periculum facere decernit (i). Centum itaque equites quatuor navibus impofiti in vicinas freto infulas devehuntur (k); ubi uni earum à Tarifo Duce datum eft nomen (*5): poftea cum divite præda reverfi, Saracenorum genti majores addiderunt animos: Muza quippe de Juliani fide, ac de eventu rerum certior, Tareko dat in mandatis, ut duodecim pugnatorum millia Juliano in Hifpaniam ducenda daret. Dux Africæ Gubernatori obfecutus, ubi exfcenfione factâ in primum montem enifus fuerat; expeditionis primum monumentum facturus, eundem locum à nomine fuo *Gebel Tarik* vocari voluit (*6): poftea per Bæticæ & Lufitaniæ agros ftrages, cæ-

(i) Idem l. c.

Primus Arabum ingreffus in Hifpaniam

(k) Rodericus Tolet. c. 19.

Altera Maurorum expeditio.

An. 711.

(*5) RODERICUS c. 19 *Et ifte fuit primus adventus Arabum citra mare, & applicuerunt ad infulam citra mare, quæ dicitur ab ejus nomine Gelzira Tharipb: & ibi fubftitit, donec ad fe cognati & complices ex Hifpania advenerunt, & primos infultus fecit in Gelzirat Albadra* (id eft, infulam viridem vulgò Algezirio) *& inde abftulit magnam prædam, & alia loca maritima devaftavit.* Oppidum de cætero iftud *Tarifa* pofitum eft in angulo Occidentali freti Gaditani. Præterea Geographus Nubienfis fcribit: *Infula Tarif fita eft juxta mare Syriacum* (Mediterraneum) *ad initium freti Gaditani. Eft autem bæc civitas modica, babètque ex oppofito fuî duas infulas parùm à continenti remotas, quarum una dicitur Alkantir* &c.

(*6) Mariana de reb. Hifp. l. 6. c. 22. *Agente Juliano Tariffio Duce, qui altero oculo captus erat, cognomine Abenzarca, duodecim pugnatorum millia, mercatorum navibus, quò res occultior effet, transvecta funt in Hifpaniam. His copiis cum Calpe mons primùm effet occupatus, Heraclea urbs illi monti impofita Gibraltaris nomen accepit à Tarif & Gebal, quæ vox montem fignificat nomine duplicato.* Alii tamen putant *Gebal Tarik* dictum effe montem propterea, quod Rodericus Tolet. l. 3. c. 19. fcribat: *Muza Tarico Abentiet, qui erat Strabo* (& omnino diverfus à Tareco) *injunxit, ut Juliano Comiti auxilia largiretur, & amicitiam conftervaret. Tunc autem* (Tarek) *dedit Comiti Juliano XII. millia bellatorum, quos feparatim duxit in Hifpaniam in navibus mercatorum, ne caufa tranfitûs perciperetur, & convenerunt ad montem, qui ab illo Mauro Gebal Tarik adbuc bodie nuncupatur.* Præterea Pagius ad an. 711. n. 8. inde Tarifum

(l) Roderic. l. c.

Cædes Gothorum.

(m) Idem.

cædésque circumlata est (l). Magnitudo periculi Rudericum adeò exterruit, ut Enconem cum tumultuario etiam milite hostilibus conatibus occurrere juberet; sed vix pedem hosti contulerat, cæsus ipse totúsque Gothorum exercitus dissipatus est (m). Tareckus victoriâ elatus cum Juliano in Africam remeat, & novas Saracenorum copias supplementi loco nactus, majorem quàm antè equitum, peditúmque numerum in Hispaniam deducit: gravissima igitur tempestas cùm Regno, Regíque immineret; Rudericus seu suorum Procerum perfidiæ infremens, seu ignominiæ, quæ jam ab hostibus accepta erat, delendæ cupiditate inflammatus, propositis etiam suppliciis centum millium exercitum qualemcunque sub signa cogit; nam utì nullus corporibus vigor, sic neque animis ardor inerat, lenta agmina, inermésque milites, nec nisi fundis ac fudibus armati. Cum hoc exercitu Rudericus in Bæticam movet adversus Mauros tot victoriis & proximo belli successu inflatos, & ad Cæsarianum in planitie, quam Lethes amnis interfluit, locat castra. Septem dies utrinque levioribus præliis exacti sunt, tum die octavâ, quam alii XXVI, Julii, alii tertiam Idus Novembris fuisse ferunt (*7), de tota Gothorum salute ac Regno communi Marte certatum est (n). Ante initium pugnæ Rudericus & Regis & Ducis munere functus, curru eburneo sublimis cunctos precibus, præmiis, & metu periculi incendere studebat: neque apud Gothos hæc oratio irrita fuerat; nam odio, ultimísque, ùt desperati solent, viribus confligentes ita Maurorum aciem inclinavêre, ut victoria ferè penes Rudericum staret; tum Oppas unus ex

Tertia Marrorum expeditio in Hispaniam.

Rudericus Rex contra Mauros Ducis vices agit.

(n) Mariana l. 6. c. 24.

Pugna decretoria inter Gothos & Mauros.

sum à Tarecko distinguendum putat, eoquòd *Tarifus* fuerit filius Zarchæ, sive *Abenzarcha*. At *Tarekus* cognominatur *Abentiet*. Porrò ad stabiliendam Chronotaxin dictus Pagius n. 9. advertit ex Toletano, Arabes ad montem *Tarek* convenisse, *mense Regeb* (sive mense Aprili Romano) *Anno Regni Arabum* DCII., Æerâ DCCLI. (quæ tamen erat DCCXLIX, & in annum 711. convenit.

(*7) MARIANA l. 6. c. 24. & alii multi Recentiores ex quodam *Chronico Alfeldensi* volunt, pugnatum esse ad oppidum *Xerex*, fluviúmque *Gwadalete die Dominico*, *Xaveris Arabum mensis*, *nono die*, *tertio Idus Novembris ipso Martini festo die*, *anno salutis septingentesimo decimo quarto*. Sed PAGIUS ad an. 711. n° 33. ostendit, anno DCCXLV. incepisse Hegiræ annum, XVI. Septembris, feriâ primâ, unde fieri non potuit, ut nonus dies Schawalli, qui decimus est Arabicorum mensium, in XI. Novembris ejusdem anni Dionysiani DCCXIV. inciderit.

ex regiis Ducibus, ubi clàm cum conjuratis (*8) ante convenerat, una cum ſuis ad hoſtes transfugiens ſecundum belli curſum interrupit; Gothi enim prælio æquè feſſi, ac ad perfidæ defectionis ſcelus attoniti, ubi ſe non tantùm à Mauris, ſed & à ſuis poſtremùm quaſi duplicato certamine infeſtari ſenſerunt; jam propius fugam, quàm pugnam reſpexêre: trepidantium quidem animos una Regis in prima acie pugnantis præſentia adhucdum firmabat: ſed hoc quoque inter hoſtiles gladios aut inter ipſa fugæ molimina extincto, tota Gothorum fortuna præcipitabatur (*9); diésque tunc funeſta illuxit, quâ cæſo aut fugato regio milite (o), captísque Cordubâ, Toleto aliísque urbibus gentis Imperium, quod trecentis amplius annis ſteterat, à Maurorum ferocia compreſſum eſt.

Gothorum internecina clades Regisque interitus.

(o) Roderic. c. 23. 24. Elmacin. l. 1. c. 13.

3. Saracenorum gens univerſa dum lætabatur de nobiliſſima Europæ regione ſubjugata; unus Muza dolere viſus eſt, quòd expugnatæ Hiſpaniæ non præda modò, ſed & laus ad ſolum Tarekum pertineret (p). Itaque avaritiâ æquè atque invidiâ agitatus, cum duodecim millium exercitu trans mare provehitur, ſibi quoque ex Hiſpaniæ agris belli gloriam prædámque decerpturus. (*10). Algezira, ubi Barbarorum copiæ expoſitæ

An. 712. *Muza Ducis Arabis in Hiſpaniam adventus.*

(p) Roderic. c 24.

(*8) RODERICUS TOLET. l. 3. c. 20. conjurationem inſinuat. *Per octo dies continuos de Dominica in Dominicam dimicârunt, ita quod de Tarik exercitu ferè decem & ſex millia ceciderunt . . . duo autem filii Wittizæ, qui cum Juliano Comite conſpiraverant, Regi Roderico in hoc prælio adſtiterant, & alter à ſiniſtris, alter à dextris collaterales acies gubernabant, & dicuntur in præcedenti nocte cum Tarik conſilium habuiſſe, ut ipſis à bello ceſſantibus, Gothorum exercitus de facili vinceretur; & Rex Rodericus cùm eſſet magnanimus, antequam fugeret, permitteret ſe occidi, & eo mortuo poſſet eis regnum perditum provenire. Non enim credebant, quod poſſent, vel vellent Patriam* (Gothorum Hiſpaniam) *retinere.*

(*9) RODERICUS TOLET. l. 3. c. 20. *Gens Gothorum in parte cæditur, in parte fugæ præſidio liberatur: & dum hoc agitur, quid de Rege Roderico acciderit, ignoratur: tamen corona, veſtis & inſignia & calceamenta auro & lapidibus adornata, & Equus, qui Orelia dicebatur, in loco tremulo juxta fluvium ſine corpore inventa ſunt.*

(*10) PAGIUS ad an. 712. n 10. & 11. Ab adventu Muzæ in Hiſpaniam nonnulli Veteres Epocham ingreſsûs Arabum, & Hiſpaniæ devictæ deducunt; ſic Chronicon Moſſiacenſe apud Ducheſnium T. III. p. 136. aſſerit, Saracenos Duce Famâ in Galliam Narbonenſem irrupiſſe *anno IX., poſtquam Spaniam ingreſſi ſunt*, qui anni inchoandi ſunt ab anno DCCXII. At alii Epocham illam ſumunt ab anno DCCXI., quo *Tarekus* transfretavit ex Africa in Europam, paulò pòſt exercitum Gothorum delevit in prælio Guadaletenſi: hâc ratione computandi utitur Anaſtaſius Scriptor vitæ Gregorii.

Muza varias urbes & oppida capit.

(q) Rodericus l. 3. c. 24.

Simultas inter Muzam & Tarekum componitur.

sitæ sunt, Assidoniam primùm itum est; quâ in deditionem acceptâ, Carmona Bæticæ firmissima urbs jugum subiit, deinde Hispalis & Pax Julia captæ: nec melior Emeritæ Romanorum olim in Lusitania coloniæ fortuna fuit (q). His peractis Muza Toletum progressus à Tareko rationes eorum exegit, quæ in bello expensa, quæque in ipso victoriæ cursu spolia lecta fuissent. Injuria ejusmodi quantumvis Tareko ægrè faceret, metus tamen amittendæ potestatis fecit, ut acerbitatem premens, accommodatis ad tempus officiis Muzam deliniret. Concitati vixdum animi in amicitiam redierant; tum conjunctis simul armis Cæsaraugustam appetunt, hâcque in potestatem acceptâ, reliquis etiam urbibus atrocem Dominatum, fœdáque Saracenorum vitia aggementibus Christianis intulêre.

Gothorum reliquiæ in montes Asturum fugiunt.

(r) Rodericus Tolet. l. 4. c. 1. Mariana l. 6. c. 24.

Pelagius à Gothis in Principem & Regem deligitur.

(s) Roder. l. 4. c. 10. Mariana l. 7. c. 1.

4. Ex hoc teterrimo Patriæ naufragio pars Gothorum in Asturum, Gallæcorum, aut Cantabrorum terras evasit; ubi locorum munitione magìs, quam armis freti summis se montium jugis tuebantur: illinc de recuperanda libertate sollicitè consultantes, Ducem circumspiciunt, qui in arma præeat (r). Omnibus à muneris difficultate abhorrentibus, opportunè PELAGIUS adfuit, qui ne periculo plenum onus declinaret, casus in necessitatem verterat. Pelagio quippe Regis Gothorum sanguine nato soror erat ætatis flore eximia, quam Munuza Tareki Legatus etiam invitam in conjugium coëgerat: id ægerrimè Pelagius ferens, sororem clàm subductam in finitimos Astures deportat (s) eo tempore, quo inter Gothorum reliquias de expeditionis Principe deliberatum est. In hunc itaque recenti injuriâ adustum virum omnes ita convenêre; ut ab eo jura admittere, illo Duce vincere aut mori decernerent. Gallæci & Cantabri ad belli societatem adjuncti, missæque legationes, quibus reliquæ urbes sollicitarentur, ne communi causæ deessent (11). Tarekus ubi de Asturum motibus accepit, Alchamam Præfectum cum Bar-

(*11) Pelagii regnantis initium non ab eodem anno Scriptores desumunt, nam LUCAS TUDENSIS differt exordium Pelagiani regiminis ad annum DCCXVIII, quem MARIANA l. 7. de reb. Hisp. c. 2. sequitur, utì & BARONIUS. *Pagio* verò præplacet sententia SANTII, qui Hist. Hisp. c. 1. asseruit, Pelagium regnare cœpisse anno DCCXII.

Barbarorum numeroſa manu, & Oppam Hiſpalenſem Præſulem, Vitizæ Regis olim fratrem illuc abire jubet, ut ille rebelles armis, hic Sacerdotii authoritate Chriſtianos tumultuantes componat. Utprimum armatus æquè ac togatus Legatus ad Aſtures venerat (t); Oppas primùm verbis ſingulos hortabatur, ne cùm bona per publicam Regni calamitatem amiſiſſent, nunc furentium inſtar vitam ultrò projicerent: inſtare, ajebat, ingentem obſtinatis exercitum, brevíque fore, ut tanquam feræ indagine cinctæ intra hos montes jaculis, ſummâque vi conficiantur; ni, dum veniæ ſpes ſupereſt, arma ponant: ſe illis melioris conſilii authorem eſſe, nempe ut tempori cedentes univerſæ Hiſpaniæ potiùs judicium ſequantur, quàm animi ſine ratione impetum, & cæcam temeritatem. Ad hæc indignatus Pelagius increpabat graviter Præſulem, quòd, cùm ejus, Vitizæ filiorum ac Juliani proditione Barbarorum gens in Hiſpaniam pertracta eſſet, hoc adhucdum ſcelus adderet, ut etiam eos, quibus evadere crudelem procellam licuiſſet, in Maurorum poteſtatem retrahere conaretur: cæterùm omnibus hanc ſtare ſententiam Pelagius profitebatur, vel Dei ope, Patriæ Eccleſiarúmque injurias ulciſci, aut morte obitâ præſentes redimere calamitates. Oppas poſtquam verbis nihil profecerat, Alchama armis agere cœpit. At vix hoſtis lapides ſagittáſque innumeras in Gothos ſparſerat; tum ipſa miſſilia cæleſti vi in jacientes retorquebantur (u); quo prodigio conterriti Barbari in effuſam ſe projiciunt fugam: tum Chriſtiani è latebris prorumpentes (*12) viginti millium ſtragem edidêre; inter quos Dux Alchama periit, Oppas verò captus duriori ſupplicio ſervatus eſt (*13).

Oppa Epiſcopus Maurorum Legatus fruſtra diſſuadet bellum Pelagio.

(t) Roder. l. 4. c. 2. Mariana l. 7. c. 2.

Mauri vincuntur mirabiliter à Pelagio.

(u) Alphonſi M. Reg. Chronicon. Rodericus Tolet. l. 4. c. 2. Mariana l. 7. c 2.

(*12) RODERICUS TOLET lib. 4. c. 2. deſcribit caveam, in qua Pelagius cum ſuis latuerat; *Quorum* (Maurorum) *adventum cùm Pelagius percepiſſet, in cavea quadam, quæ eſt in latere montis Auſevæ, ſe recepit. Eſt autem hæc cavea quaſi divino artificio rupe inexpugnabili circumcluſa, & ab impugnatione ſecura. Et cum illa cavea vix ſit mille hominum receptiva, aſſumptis ſecum, quos ſtrenuiores credidit, reliquos divinæ gratiæ commendavit ... Ipſe autem in cavea, cum iis, qui ſecum aderant, Dei miſericordiam imploravit.*

(*13) *Oppa* ille erat *Hiſpalenſis Sedis Metropolitanus*, & ùt Iſidorus Pacenſis docet in Chronico, *Witizæ Regis frater*: Præterea veroſimile eſt, hunc perditiſſimum virum (ùt arguit PAGIUS ad an. 712. n. 15.) nepotes ſuos Witizæ filios in hanc perditionem impuliſſe; quia Principes iſti adhuc juniores erant, quàm ut rem ſimilem attentare auderent.

Muza ex Hiſpania ad Syriæ Caliphum evocatur.

(x) Rodericus l. 4 c. 4.

5. Neminem magis, quàm Muzam hic cladis nuncius perculit: & erat ad Muzæ dolorem illud multò acerbius, quòd eodem tempore fortè à Tareko criminum accuſatus Valiti Caliphæ imperio ad reddendas belli rationes ex Hiſpania evocaretur (x). Tergiverſando aliquamdiu ille Principis juſſa diſſimulabat; dum Chriſtianis nuperæ internecionis authoribus pares retuliſſet vices. De Vitizæ filiis & Juliano Comite prima ſuſpicio coorta eſt, utrùm eorum flagitio aut novâ apud ſuos proditione eveniſſet, ut Saracenis iſta expeditio fraudi foret. Itaque in hos multis ſuppliciis Muza detonuit, deinde varias Hiſpaniæ regiones ad Oceanum uſque ferro incendiiſque miſcet, & majora damna Gothis illaturus erat, niſi altero jam Caliphæ nuncio citatus Hiſpaniâ egredi debuiſſet. Antequam verò in Hiſpaniam trajiceret, filium Abdalaſiſium Hiſpanis impoſuit; hic commendatam à Patre Provinciam ita admoderatus eſt (y), ut Hiſpali in Maurici Imperii ſedem delectâ, ex Africa novos colonos arceſſeret, qui latiſſimas terras incolis vacuas implerent. Nam ſive bellorum injuriâ factum, ſive crudeli Maurorum in Chriſtianos odio; certè miſerabilis adeò Hiſpaniæ facies erat, ut Chriſtianorum plurimi in montes altiſſimóſque receſſus dilaberentur: pauciores Arabibus mixti viverent; unde Mozarabum nomen ortum quidam credidêre (*14). Hi religionis Chriſtianæ libertatem ac templa ſacrata, Virginum & Monachorum collegia retinebant; tametſi plerique Antiſtites, ne videlicet in tanta rerum colluvione nominis

An. 713.

Abdalaſiſius Muzæ filius præfectus Hiſpaniæ.

(z) Mariana l. 7. c. 27. Roderic. in Hiſt. Arab. c. 9.

Mozarabes.

(*14) RODERICUS de reb. Hiſp. c. 3. Chriſtiani, *qui in Hiſpaniis ſervituti barbaricæ mancipati elegerunt degere ſub tributo, permiſſi ſunt uti lege & Eccleſiaſticis inſtitutis, & habere Pontifices & Eccleſiaſticos Sacerdotes, apud quos viguit officium Iſidori & Leandri; & viget hodie in ſex Parochiis Toletanis.* IDEM 3. c. 23. *Iſti dicti ſunt mixti Arabes, eoquòd mixti Arabibus convivebant* MARCA l. 3. Marcæ Hiſp. c. 1. exiſtimat, illud *Mozarabum* nomen venire à *Muzæ* Arabis beneficio, quo libertatem conſecuti, ejus ſe nominis patrocinio tuebantur. Meliùs hoc nomen interpretatur Eduardus POCOCKIUS ANGLUS, qui Arabicæ linguæ gnarus in ſpecimine Hiſtoriæ Arabum docet, quòd qui ab Iſmaële genus ducunt, dicti ſint *Moſt-Arabes*, ſeu inſititii, eoquòd non eſſent ex primis Arabiæ incolis oriundi. Cæterum Petrus de Marca l. 3. Marcæ Hiſp. c. 2. ex Privilegio, quod Alboncamus Saracenus Princeps populis conceſſit, colligit, quòd ſub Saracenis Chriſtiani ſacris vetiti non fuerint, quódque habuerint judices ex ſua gente, qui lites juxta Patrias leges Comitum titulo dirimebant, ut ſic Proceres viros & plebem Chriſtianam in officio continerent. Vide *Pagium* ad an. 734 n. 5.

nis majestas ludibrio esset, in Gallæciam aliásque regiones se receperint (z).

6. Interea *Muza* cum Tareko in Africam atque in Syriam, ubi Damasci Calipha Valitus degebat, pervenerat, infinitam pecuniæ vim spoliáque ex Hispaniis lecta secum deducens (a); *Tarekus* pro ea, quâ æmulus in æmulum simultate ferebatur, nunc opportunum tempus nactus, Muzam peculatûs clàm accusat: ob quod crimen hic bonis nudatus in exilium ejicitur, ubi ignominiæ dolore obiit (b). Non meliore fato filius *Abdalasisius* paulò pòst in Hispania extinctus est: hujus enim libidines cùm Egilona Ruderici Regis olim, nunc Abdalasisii uxor haud ferendas duceret; virum barbarum mulier exosa insidiis appetit, circumventúmque conjuratorum ferro objecit (c). *Zuleimannus* sive summus Saracenorum Princeps, qui defuncto Valito fratri in regno successerat, in Abdalasisii locum *Alaborum* substituit, hominem non minùs Christianis in Hispania, quàm Mauris popularibus crudelem (d). Odium, quo cuncti in Barbarum ferebantur, Pelagio eatenus profuit, quatenus Mauri variis per Hispaniam, tum etiam intestinis bellorum motibus distenti, impedire haud possent, quo minùs Asturiæ Princeps ex Audesenæ latebris montibúsque in planitiem descendere, & captis benè multis urbibus Gegione Regiam constituere sedem posset (e). Idem status Hispaniæ sub *Homaro* Calipha Zuleimanni successore fuit; sed *Izitus* Homaro fratri suffectus Hispaniâ haud contentus, *Zamæ* Præfecto injunxit, ut porrò Galliæ Narbonensi signa inferret. Narbonem adeptus, Tolosam jam obsederat, tum ab Eudone Aquitaniæ Duce acie victus cæsúsque est (f); cujus locum fatúmque Aza ibidem Præfectus rei Mauricæ paulò pòst excepit, à suis Dertosæ extinctus, qui fessam tot malis Hispaniam insolitis vectigalibus oppressum ibat (g). Non meliores Gubernatores *Hiscamus* proximus post Izitum Calipha Hispaniæ dedit (h): inter cæteros ferocior visus est *Abderahmanus*, cujus licentiam cùm nequidem Mauri ferendam ducerent; Munizius vir acris & inter Mauros præpotens tyranno arma bellúmque opposuit, quod se tanto feliciùs confecturum sperabat, quò certior fuerat de suppetiis Eudonis Aquitanici, qui firmandi fœderis

(z) Mariana de reb. Hisp. l. 6. c. 27. p. 301.

(a) Rodericus in Hist. Arab. c. 10.

Infelix Muzæ exitus.

(b) Idem l. c.

(c) Mariana l. 7. c. 2.

An. 715.

Alaborus Hispaniæ Præfectus.

(d) Idem l. c. Rodericus in Hist. Arab. c. 10.

(e) Idem l. 7. c. 3.

An. 717.

An. 720

Infelix expeditio Maurorum in Gallia Narbonensi.

(f) Chronicon Mossiac. Annalista Ananiensis & Nazarian.

(g) Mariana l. 7. c 3.

An. 724.

(h) Elmacin. in Hist. Saracen. c. 16. Roderic. in Hist. Arab. c. 13.

An. 730.

An. 736.

Dissidia intestina Mauror.

(i) Mariana l. 7. c. 3.

Irruptio Maurorum in Gallias.

(k) Idem l. c. p. 313. edit. Toletanæ 1592. Eginhard. in V. Caroli M.

An. 732.

Caroli Martelli cum Eudone Aquitanico fœdus contra Saracenos.

(l) Vasæus in Chronic. Marian. l. c.

(m) Roderic. in Hist. Arab. c. 14.

(n) Anastas. in V. Greg. II.

Victoria ingens Christianorum adversus Saracenos.

(o) Anonym. Andalusian. Isidor. Pacensis in Chronic.

An. 738.

Mors Pelagii Regis Gothor. Favila Rex Gothorum.

(p) Sebastian. Salmantic. in Chronic.

deris causâ Barbaro filiam connubio junxerat (i). Sed Deo conjugium ejusmodi displicuisse, eventus docuit; Munizius enim in Ceretania urbe ab Abderahmano circumsessus, cùm nulla spes salutis esset, præcipitio vitam finiit, uxor, viríque occisi caput in Africam missa, grata nimirum summo Maurorum Imperatori munera. Abderahmanum victoria ista adeò inflaverat, ut ultra Hispaniæ fines terrorem belli in Eudonis ditiones, totámque Galliam proferre aggrederetur (k). In Arelatensibus & Aquitaniæ secundæ agris victores non semel palmam jam tulerant; tum Carolus Martellus communi Galliæ periculo permotus Eudoni Duci Aquitanico arma sociat (l). Hoc virium qualicunque subsidio minimè exterriti Mauri quadringenta pugnatorum millia Turones ad designatum supremi certaminis locum adducunt: Ingens itaque omnium exspectatio erat, par metus: mox magnis animis, dissimili tamen numero utrinque concurritur (m); & in multam diem anceps erat victoria, dum Christianorum virtuti multitudo Barbarorum cederet. Occisis trecentis septuaginta quinque hostium millibus (n), Christiani mille quingentos suorum duntaxat desiderârunt, minorem utique, quàm pro tanta victoria jacturam. Mauri post hæc intra Hispaniæ fines conclusi, ne otio diffluerent, Pelagium multis velitationibus infestârunt (o); sed magnanimus Dux in parvo agmine maximi exercitûs vim circumferens, ea egit tulítque, ut dum Canicæ diem obiret, optimè merito Principi ac Patriæ Vindici tota Hispania lacrymas daret (*15).

7, Elato Pelagii funere FAVILA dissimillimus Patri filius regnare cœpit: quâ enim erat morum levitate, communes Reipublicæ curas privatis voluptatibus posthabebat. Venandi gaudia nimio plus amans in ipsa ferarum indagine luctuosum finem captavit (p); nam ab urso, quem incautiùs insectabatur, discerptus periit, nullâ neque vitæ, neque mortis gloriâ memora-

(*15) De anno mortis Pelagii nil certi statui potest ob Chronotaxin Scriptorum valde incertam. *Sebastiani Salmant.* Codex MS. apud *Pagium* ad an. 738 n. 3. ita habet: *Pelagius Rex post nonum decimum Regni sui annum completum propriâ morte decessit, & sepultus est cum uxore Regina sua Gaudiosa, territorio Cangas in Ecclesia S. Eulaliæ de Velamnio.*

rabilis. Post Favilam multò melior ALFONSUS, ùt ultimæ Pelagii tabulæ jusserant, Rex renunciabatur: Petro is Cantabriæ Duce ex nobilissimo Reccaredi sanguine natus (q), res Christianorum Pelagiique, dum Asturibus præesse cœperat, Principatum consilio viribúsque firmare instituit, unde in rerum gestarum præmium Ormisindam Pelagii filiam, Regum posterorum præcipuam Matrem, Regnúmque sortitus est (r). Auspicaturo Dominatum non parùm profuit turbatio rerum, quæ Africam Galliámque convellebat. Carolus námque Martellus Eudonis defuncti ditionibus occupatis hæreditatem tribus filiis ademerat; tum unus eorum, cui Asmari nomen, in Vasconum confinia se proripiens, Aragonum comitatum fundâsse fertur (s). Alii duo verò nempe Hunoldus & Vaifarius armis jus suum persecuti Maurorum sibi jungebant auxilia, quibus Carolum à Paternis bonis dejicerent (t). Sed Caroli Martelli virtute res Gallica ita stetit, ut rejectis in Hispaniam hostibus Avenio atque Narbo in potestatem redigerentur. Non minor discordia hoc tempore Regnum Maurorum turbavit; præterquam enim quòd Caliphæ varii sibi invicem succedentes rerum novandarum occasionem darent, tum etiam ipsi Præfecti Hispaniæ impositi, seu ambitione, seu invidiâ stimulante turbulentis moribus Maurorum Rempublicam in varia studia, factionésque divisêre (u). Ex his intestinis dissidiis Alfonsus sua lucra captans, cœptum facili negotio protulit Principatum, non minùs Patriæ, quàm Religionis commodo; quas enim urbes interea sibi subjecerat, Mauricâ superstitione repurgatas pristinæ reddebat fidei ac pietati (x), ALFONSUS inde CATHOLICUS dictus, quod cognomen jam ante Concilii Toletani Patres Reccaredo Regi acclamaverant, postquam is universam Gothorum gentem ab Arii erroribus ad Ecclesiæ Catholicæ castra revocârat (y). Rebus tot præclarè gestis Alfonso dies ultima illuxit anno DCCLVII. Canicæ extinctus, ex Ormisinda quatuor liberos reliquit, *Froilam*, *Bimaranum*, *Aurelium*, atque *Usendam*; quibus ex impare Matre seu serva genitus accessit, scilicet *Mauregatus* (z).

An. 739. *Alfonsus Catholicus Gothorum Rex.* (q) Roderic. Tol. l. 3. c. 5. (r) Marian. l. 7. c. 4. *Alfonsi regnantis initia.* (s) Mariana l. c. Confer Pagi ad an. 759. An. 742. (t) Vasæus in Chronic. Mariana l. c. An. 743. *Intestini motus Mauricæ reipublicæ.* An. 750. (u) Mariana c. 4. Rodericus in Hist. Arab. c. 17. *Pietas & Religio Alfonsi cognomento Catholici.* (x) Roderic. Tolet. de reb. Hisp. l. 3. c. 5. (y) Mariana l. 7. c. 4. An. 757. *Obitus Alfonsi Regis ejúsque liberi* (z) Roderic. de reb. Hisp. l. 3. c. 5.

8. FROILÆ

(a) Rodericus Tolet. de reb. Hisp. l. 3. c. 6.

Froila Rex Gothorum.

An. 759.

Victoria Gothorum contra Mauros.

(b) Idem l. c.

Principatus Maurorum in Hispania ad stirpem Humejarum transfertur.

8. FROILÆ uti jus Natalium primas dederat, ita eidem post mortem Alfonsi Patris Regni gubernacula obtigerunt (a). Oveti in præcipua à se fundata urbe Principatum defigens, Rempublicam severiùs, ac multi optabant, gessit; invidiam tamen ejusmodi militari gloriâ superabat, dum post aliquot annos *Iuzephum* Hispaniæ Mauricæ Præfectum à Gallæciæ finibus, cæsis quinquaginta quinque hostium millibus, repressit (b). Clades illa æquè Christianis percommoda, atque Primo Calipharum per Hispaniam Imperio exitialis fuit; nam Abderahmanus Abenhumeja hoc tempore jugo illo, quod Syriæ Caliphæ captis Hispanorum urbibus imposuerant, penitus excusso novum fundavit Regnum. Fuerat is ex Humejarum gente (*16): quæ cùm olim à Fatimæ familiæ ablatum supremum Saracenorum Principatum sibi multo tempore vindicâsset; Abdalla tandem Fatimæ posteritatis soboles injuriam hanc ulturus Humejam stirpem extirpare constituit: & Maroanum Africæ Imperatorem ea de causa jam

(*16) MARIANA de reb. Hisp. l. 7. c. 5. *Mahumetani* unum initio habuerunt summum Principem, qui universæ genti imperaret: hic in historiis Arabum nunc *Calipha* dicitur, quod Romanâ interpretatione successor est; nunc *Miramamolinus*, hoc est, credentium Princeps. Sub principia quietæ res erant, deinde multa ex uno facta imperia. Mahumetus Gentis conditor moriens ex multis uxoribus tres filias tantùm reliquit, *Fatimam* natu maximam, *Zeinebim*, atque *Imicultim* viris Principibus junctas. Mahumete defuncto, ejus Soceri *Abubacarus* priùs, deinde *Homarius* quasi filiarum neptúmque vicarii præfecti sunt. Post hos *Autumanus* Fatimæ vir, quæ ob ætatis prærogativam meliori jure niti videbatur, imperium obtinuit. Hinc *Alavecinorum* familia exorta. Autumano successit non sine multorum invidia *Moabia* Zeinebim alteram Mahumetis filiam uxorem habens, *Benhumejarum* familiæ conditor. *Moabiæ Iziti* filius & *Maula* nepos suffecti sunt. Maulæ obitu Mauri in factiones diducti, pars *Maroanum* secuta est, pars *Abdallam* ex Alavecinorum gente vel natum, vel ei amicum, qui Maroano ejecto solus rerum potitus est; eo verò defuncto, imperium ad Maulæ filium *Abdemelicum* rediit, cum quo Africâ devictâ gentis imperium firmavit . . . Abdemelico substitutus est filius *Ulit* (Valit). His cæcis auspiciis Tarifii ductu Hispania subjugata est. In Uliti locum frater *Zuleima* primùm, deinde *Homar* & *Izit* filii Uliti cooptati. Post hos *Iscamus* utriusque germanus frater. Iscamo filius Iziti *Abulit* in Imperio successit. Abulito *Ibrahemus* ejus frater, & Maroanus ex eadem familia. Horum dissidia Alavecinorum genti & posteris Fatimæ se opportuna præbuerunt, ut æmulos opprimerent. Ergo *Abdalla* Maroanum occidit, atque Fatimæ posteritati imperium tandem restituit. Quod ut posteris firmaret: *Humejam gentem* extirpandam curavit. *Abderahmano Abenhumejæ* igitur necessitudo imposita est, ut carnificinæ, quæ in suos gentiles exercebatur, se subduceret fugâ in Hispaniam; ubi vulgò Mauri veteri Humejæ familiæ imperio favebant. Horum studio, Abderahmani virtute & felicitate, *novum in Hispania Maurorum regnum* fundatum est Cordubâ sede.

jam occiderat; tum Abderahmano Abenhumejæ, nî ob odium ſui generis, Abdallæ ſævitiam experiri vellet, in Hiſpaniam ſe fugâ ſubducere neceſſe fuit (c). Complures Maurorum ibi invenit, qui Humejæ familiæ imperio favebant, quorum proinde ſtudio ac Abderahmani felicitate evenit, ut Juzepho ultimo Calipharum per Hiſpaniam Præfecto, cujus vires Froila armis nuper ſatis acciderat, exitium machinatus, Mauros omnes ciſmarinos ſub ſuum, Humejarúmque imperium vocaret (d). Mauricam Hiſpaniam ubi Barbarus ſibi ſubjecerat (e), Ameræ titulo contentus à Caliphæ nomine abſtinuit; tum proferendi regni avidus, Gallæciam Gothorum Sedem invaſit haud fortunato expeditionis eventu; à Gothis namque repreſſus fortunam virtutémque Chriſtianorum timere cœpit. Periculoſiora ſubinde fuêre diſcrimina, quæ Froilæ domi naſcebantur; Ingenio enim cùm ſeveriore uteretur, abuſum illum, quo Sacerdotes per Hiſpaniam conjugiis ſe implicare conſueverant, continuò, propoſitíſque pœnis ſublatum voluit (f): aſperiùs hi agi ſecum rati, aliorum ſollicitabant animos, nempe ut abdicato Froilâ regnum in fratrem alterum transferretur. Conjuratio ejuſmodi utprimùm cognita eſt; Froila novandarum rerum fomitem ac inſtrumentum compreſſurus, fratrem Bimaranum ſuis ipſe manibus crudeliter æquè ac impiè jugulabat (g). Ab hoc ſcelere Superis ac hominibus inviſus Rex timidam in corpore animam aliquanto adhuc tempore circumtulit; dum Aurelius tertius frater parricidam Froilam novo parricidio perimeret (h). AURELIO velut Bimarani vindici ex conſenſu gentis regnum delatum eſt: quod bellis inteſtinis turbatum, ſuo etiam flagitio fœdavit. Nam cùm ſervi libertatis amore accenſi in arma ruerent (i); Aurelius ſervilem hanc turbam ſatis infeſtam habuit. Faſtidiis turbíſque quò tandem modum poneret, ad impium delapſus conſilium cum Abderahmano hunc in modum de auxiliis pactus eſt, nempe ut dum Mauri Aſturum Regi ſubvenirent, Chriſtiani, quod fœdum cogitatu eſt, Maurorum genti ingenuæ conditionis virgines ad certum numerum, ſceleſti & annui tributi loco repræſentarent.

(c) Mariana l. 7. c. 5. & 6.

(d) Rodericus in Hiſt. Arab. c. 18. Elmacin. l. 2. c. 3.

Abderahmani Abenhumejæ regnantis initia.

An. 760.

(e) Vide Pag. ad an. 756. n. 7.

(f) Roderic. Tol. de reb. Hiſp. l. 2. c. 6.

Froila fratrem Bimaranum occidit, & à fratre Aurelio occiditur.

(g) Rodericus. de reb. Hiſp. l. 3. c. 6. Mariana l. 7. c. 6.

An. 768.

(h) Idem l. c.

(i) Rodericus de reb. Hiſp. l. 3. c. 7.

Aurelius Rex turpe tributum condicit Mauris.

Aurelio nihilo melior Princeps SILO ſucceſſit, qui annis gravior nihil dignum ad Principatum attulit, niſi quòd Regio ſan-

Silo Rex Gothorum impar Regno.

ſanguine natam Adoſindam Froilæque ſororem in conjugio haberet: militaribus itaque ac civilibus muneribus ineptus Alfonſum Froilæ filium juvenem conſortem regni adoptavit (k); erat nimirum hoc Hiſpanicarum calamitatum complementum, ut cùm contra tot procellas Reipublicæ viro ac gubernatore opus eſſet, tunc ad gubernacula ſederent plurimùm Reges inutiles & ignavi (l). Silone defuncto ALFONSUS, qui interea negotiis innutritus erat, à Proceribus firmatum Regnum accepit: unus Mauregatus Froilæ ex ſerva natus filius cunctorum ordinum votis obſtrepebat, injuriæ loco habens, quòd legitimus nepos filio qualicunque antehabitus eſſet (m). Ac ne intra querelas cauſa ſtaret, ad Maurorum opem confugit, ſpondens, beneficiarium ſe Regem fore, & tributi annui nomine quinquaginta virgines natalibus nobiles daturum, ſiquidem Barbarorum auxiliis in ſolium eveheretur: fœdiſſima & in Venerem prona Maurorum gens ejusmodi illecebris capta, facilè ſuppetias & adjumenta belli conceſſit, quibus viribus impar Alfonſus in Cantabriam aufugit, poſtea digniùs in Regnum revocandus. Mauregatus iniquis his artibus ubi ſummam rerum adeptus erat, ita annis quinque, menſibus ſex ſive reliquum Dominationis ſceleſtæ tempus, ignavè ac turpiter transegit. Eodem anno, quo Abderahmanus, cui Patriam prodiderat, mortuus, ſcilicet DCCLXXXVIII., ſucceſſorem habuit VEREMUNDUM cognomento Diaconum, quòd in eum ordinem lectus eſſet in minori ætate; huic an Bimaranus, an Alfonſi Catholici frater Froila, Pater fuerit, Scriptorum variat opinio. Ex Uſenda, quam contra leges ſibi ſociaverat conjugem, Ramirum Garſiámque filios ſuſcepit, quo tamen conjugii uſu, ſaniora nimirum conſilia amplexus, poſtea abſtinuit. Cæterum res Maurorum hoc tempore aliquantò magìs turbârunt Abderahmani filiorum, quorum is undecim reliquerat, de hæreditate diſſidia (n). Zulemannus maximus natu & ab Abderahmano Succeſſor deſignatus primam belli jecit aleam adversùs Iſſemum altero loco genitum, qui vi inſidiiſque Regnum anhelabat; pretio tamen ſexaginta millium aureorum, quod Iſſemus pro Regno obtulerat, venalem Principatum tandem, Cordubámque Regni ſedem fratri vendidit.

(k) Vaſæus in Chronic.

An. 783. *Alfonſus à Mauregato ejicitur Regno.*

(l) Marian. l. 7. c. 6.

(m) Lucas Tudenſis. Mariana l. c. c. 7.

An. 788. *Veremundus Diaconus Rex Gothor.*

(n) Mariana l. 7. c. 7. *Mors Abderahmani, ejusque filiorum diſſidia.*

10. Iſſe-

10. Issemus ubi Regnum hâc ratione mercatus erat, majorem fastum ac libidinem, quàm Maurorum Regum quisquam insueverat, præsetulit; nam ex externa gente, sive tria millia Christianorum, qui impiè ejuraverant fidem, ad custodiam corporis, & duo millia Eunuchorum ad domestica ministeria, demum nobiles virgines ad fœdas voluptates adhibebat (o). Qui hominis superbiam ac luxum comprimeret, nemo melior erat, quàm *Alfonsus*, qui à purioris vitæ studio, *Casti* cognomen accepit; Mauregati scelere is depulsus ante octo annos in Cantabriam fugerat, sed nunc pietate Veremundi ad regni consortium revocatus inclinatæ Hispaniæ res restituit. Castimoniæ laude cùm floreret, primum pro virginitate bellum gessit; impium nimirum detestabatur fœdus ac tributum, quo Christiani Reges Mauris lectum virginum numerum condixerant: ab hac igitur servitute ut Christianam gentem eximeret, cum Maurorum gente ad Sedos oppidum congreditur, & Principis integritas adversùs libidinem hostium adeò prævaluit, ut cæsis septuaginta Maurorum millibus Virtus de vitio nunquam gloriosiùs triumphârit. Alfonsus non minora postea per diuturnum Regiminis sui cursum commoda Patriæ ac Religioni dedit (p): nam per quinquaginta & tres ferè annos, quibus regnavit, perpetuâ rerum gestarum felicitate bellicis artibus, clementiæ, pietatis ac liberalitatis laude inclaruit: suis itaque charus, ac hostibus externis formidandus, *Hispaniæ Regnum illibatâ castitate* reparavit, quod Ruderici effrænis intemperantia ferè extinxerat (* 17).

(o) Mariana l. c.


Alfonsus cognomento Castus revocatur ad Regnum.

Ejus victoria contra Mauros.

(p) Mariana l. c.

Alfonsi felicitas & virtus.

(* 17) RODERICUS SANTIUS Hist. Hisp. P. III. c. 9 de Alfonso secundo sive Casto ita loquitur: *Hic nonus Rex fuit à Pelagio primo Rege Gothorum post cladem Hispaniæ, sed XLVI. ab Athanarico primo Rege Gothorum . . . Sobrius autem & pudicus admodum fuit, pius & humilis; ideo rectè nomen CASTI sortitus est. Quare Deus ei præcipuas contulit victorias, quia scriptum est, Vir humilis loquetur victorias. Nam magna Arabum multitudo Asturias ingressa est, quam Alfonsus Deo Duce prostravit LXX millibus Arabum cæsis. Ædificator fuit præcipuus Ecclesiarum, inter quas Ovetensem & Astoricensem construxit & dotavit: & ut cultus Dei augeretur, plurimùm fuit sollicitus. Quare auxit Deus Domum & Regnum suum.*



Hiſtoria de Regno Neuſtriæ, Auſtraſiæ & Burgundiæ ſub Francis.

§. IV. *DAGOBERTUS III. Rex Francorum, Pipinus Major Domûs Franciam regit, Plectrudis regimen capit, Caroli Martelli Primordia. CHILPERICUS II. Rex Francorum, ejúsque fœderati Friſones ac Vaſcones à Carolo vincuntur. THEODORICUS Cala Rex Fr., ſub quo Carolus Martellus Major Domûs vincit Aquitanos, Ragenfredum, & Saracenos: Pontificis Gregorii Legatos excipit. CHILDERICO III. regnante Caroli Martelli filii Pipinus & Carolomannus Alemannos, Bajoarios, Vaſcones vincunt: Carolomannus Monaſticam vitam eligit. Exauthorato Childerico PIPINUS Rex creatur, Longobardis infert bellum. CAROLUS & CAROLOMANNUS Reges: Monarchia ad Carolum transfertur: Carolus Longobardorum Regnum in Italia extinguit: varia ejus bella contra Saxones, Bajoarios* &c.

Dagobertus III. Rex Francorum. An. 712.

Conjuratio contra Pipinum. *Pipini morbus.*

1. POtentia Pipini Majoris Domûs, poſtquam in ſupremum fortunæ apicem venerat; Dagoberto III. regnante aliquantùm imminui cœpit. Neuſtraſiæ nimirum Proceres dudum offenderat inſolens unius hominis Auſtraſii authoritas, quâ ille non tantùm Regnum univerſum, ſed & Reges ipſos haberet ſub poteſtate: itaque intra limites hanc dominandi licentiam vel coërcere, aut ad avitas Francici Regni leges temperare omnibus propoſitum erat. Sed dum deliberant, conjuratorum æſtum nonnihil reſtinxit morbus, quo per idem tempus in Jobii villa Pipinus proſternebatur (a): præterquam enim quòd ſperarent, invaletudinem ejusmodi Majori Domûs fatalem fore; tum nil ampliùs jam curandum cenſebant, quàm ut Grimoaldus Pipini filius tempeſtivè opprimeretur, ne quis poſt mortem Patris ſupereſſet, ad cujus manus uſurpatæ poteſtatis amplitudo devolveretur.

(a) Annales Metenſes ad an. 714. Fredegarii Continuator c. 104. Valeſ. Not. Galliæ p. 253.

retur. Eo consilio Rangarius Frisonum nequissimus ad scelus emitur, nec flagitio diu occasio deerat, nam Grimoaldus ubi de Pipini ægrotatione cognoverat, ad Patrem advolat, dúmque per iter Leodii ad tumulum S. Lamberti fundebat preces, à sicario appetitus, perfossúsque sanguinem vitámque profudit (b). Non sine periculo conjuratorum evenit, ut Pipinus paulò pòst à morbo recreatus Regni negotiis se denuo daret: Prima quippe Parentis cura erat, ut scelesti facinus suum non impune ferrent; quibus proinde pessimâ morte sublatis, Theudoaldum Grimoaldi ex pellice filium (nam à Theudesinda conjuge liberos nullos susceperat) Majorem Domûs in Neustria & Burgundia constituit (c). Neustriorum spes etsi hâc ratione succisa videretur; revixit tamen illa subinde, dum eodem anno Pipinus in morbum relapsus inopinâ morte decessit (d). Elato námque funere ii, qui Pipinum etiam in posteris oderant, multò apertiùs infremuerunt, Theudoaldum septem annorum puerum ad regendam Dagoberti Regis juventam relictum esse: ac ne ad opprobrium nobilissimæ gentis quidquam desideretur, Plectrudem Aviam nunc id agere, ut Theudoaldi nepotis nomine Regni gubernaculis sese ultro admovens, totam Franciam muliebri Dominationi subjiciat (e). Hæc cùm foris jactarentur, à domesticis etiam turbis periculi aliquid gliscebat. Præter Theudoaldum Grimoaldi filium alter Pipini ex Alpaide matre (*1) supererat Carolus, cui postea

An. 714.
Grimoaldus filius Pipini occiditur.
(b) Gesta Francorum c. 50. Sigeberti Chronic.
Pipinus convalescens ulciscitur filii necem.
Theudoaldus Grimoaldi filius.
(c) Gesta Francorum c. 50. Continuator Fredegar. l. c.
Mors Pipini.
(d) Chron. Sandiongæ ad an. 114. Annales Metenses. Gesta Francorum c. 51.
Plectrudis Theudoaldi nomine regnat.
(e) Annal. Metenses. l. c. Chronicon Moiss. ad an 714.

(*1) GESTA FRANCORUM c. 48. *Erat Pipino uxor nobilissima & sapientissima nomine Plectrudis*, hæc dicitur *filia Hugoberti* in charta pro Epternacensi Monasterio, apud Martenium & Durandum in Collect. Veter. Script. & Monum. T. I. p. 15. Ex hac PLECTRUDE Pipinus progenuit filios duos *Drogonem* & *Grimoaldum*. Drogo à Patre Campaniæ Dux constitutus, de *Textriciaco prælio aufugerat, nec multò pòst interfectus interierat*, utì habent Gesta Francorum & Annales Metenses. *Grimoaldus* alter ex Plectrude fuit filius. Huic primæ uxori Pipinus etiam addidit aliam nomine ALPAIDEM more priscis Regibus Francorum non insueto, quamvis Christianæ doctrinæ adversante. Nam Gesta Francorum c. 49. referunt: *Habebátque Pipinus præfatus Princeps filium ex alia uxore* (Alpaide) *nomine Carolum* (Martellum). Hisce ex verbis HADRIANUS VALESIUS rer Franc. l 22. & COINTIUS in Annal. Eccles. anno 688. n. 11. conclusêre, Pipinum tunc Plectrudi repudii libellum dedisse, & confirmati sunt inde, quòd apud Marculfum l. 2. c. 30. *formulam libelli repudii* quasi tunc usitatam invenerint. ECKHARTUS verò opinatur eodem tempore morem viguisse, ut Reges duas aut tres uxores simul haberent. Demum Alpais *concubina* vocatur ab ERCHANBERTO in Breviario, & FRODOARDUS l. 2. c. 12. pariter Carolum *ex ancilla stupro natum* dicit. Ex his, quæ sententia magis congruat, tuum Lector esto judicium.

postea Martelli tributum est nomen. Non obscuris hic studiis hæreditatis paternæ partem poscebat: atque uti Neustriam Burgundiámque, sive id, quod à Pipino Grimoaldo transcriptum fuerat, Theudoaldo facilè cedebat; ita Austrasiæ gubernationem jure quodam suo sibi vindicatam volebat. Plectrudis sive novercali odio, seu ambitione muliebri de dominatione integra nihil decerpi passa, eò acerbas intendebat curas, ut Carolum libertate novandíque facultate exueret (f): itaque eo post mortem Pipini Coloniæ in custodiam dato, Theudoaldi tranquillitati utcunque & brevi nonnisi tempore prospexit. Vix enim potestatis avidiùs quæsitæ æmulus extra lucem amandatus fuerat; jam per Franciam Neustriorum armata agmina palàm volitabant, quæ infanti Theudoaldo, & vetulæ Aviæ rerum summam excuterent (g). Equidem Plectrudi non deerant veteres amici ac clientes, quorum intererat Pipini potentiam in nepote stare; sed horum minor numerus viribus & copiis magìs valido hosti par non erat. Nam infestis signis ubi in Cottia sylva utrinque concursum est, Pipiniani magnâ strage concisi sunt: & Theudoaldus ipse in Victorum venisset manus, nisi citissimâ fugâ ex cruenta tempestate se maturè abstulisset. Neustrii inde Ragenfredo in Majorem Domûs delecto ad Mosam usque populabundi procedunt, ubi Ratbodum Frisonem, & Hattuarios in fœdus ac societatem armorum porrò incitabant (h). Interea Carolus è Plectrudis custodia elapsus ab Austrasiis accipitur in Ducem (i), quâ dignitate ne à Ragenfredo dejici posset, mors Dagoberti Regis impedivit; nam dum Neustrii de novo Regni capite consultabant, Carolo Austrasio ad tempus tranquillo esse licuit (k).

Plectrudis Carolum dat in custodiam.

(f) Annal. Metenses ad an. 714. Annal. Pithœ. an. 715. Gesta Fr. c. 51.

An. 715. *Neustriæ Optimates rebellant adversus Plectrudem & Theudoald.*

(g) Annal. Metenses a. 715. Conf. Valesf. Franc. l. 23. p. 414.

(h) Gesta Fr. Reg. c. 51. Annal. Petav. ad an. 715.

(i) Fred. Cont c. 105.

Dagoberti Regis obitus.

(k) Annal. Nazar. ad an. 715. Annal. Metens. a. 715. Fredegar. Cont. c. 106.

2. Dagoberto filius admodum puer Regníque hæres supererat, sed minor ætas Neustriis displicuit, quominus rerum summam committerent ei, qui regnandi expers, regi magis ipse deberet (l). Itaque Dagoberti filio neglecto, Daniel Clericus, cui postea CHILPERICI nomen fuit, in solium evehitur (*2). Chil-

(l) Gesta Fr. Reg.

Chilpericus II. Rex Fr.

(*2) De CHILPERICI II. ortu ac natalibus licèt multi ambigant; monumenta tamen non desunt, ex quibus probetur, eum *Childerici II.* Regis filium fuisse, qui dum occidebatur anno DCLXXIII., Avia Imnechildis hunc in Austrasia secum habebat, &

Chilpericus Regno potitus, quasi prima providentiæ ac fortitudinis documenta daturus, collatis cum Ragenfredo consiliis ad Caroli Pipinianæque stirpis exterminium se accingit: conscribitur miles; atque ut undique ingrueret procella, cum Ratbodo ita bellum dividitur, ut dum Neustrii per Arduennam sylvam Austrasiæ inferrent arma, ipse ex adversa parte in Carolum incumberet (m). Dux Frisonum expeditionis initia capiens Coloniam usque movet (n): Carolus contrà gnarus periculi, ne obrueretur, dum longiùs distat Ragenfredus, alacer soli Ratbodo occurrit; verùm commissâ pugnâ acerrimâ vincitur fugatúrque. Interea dum Carolus nova supplementa colligit ad cladem reparandam, Franci & Frisii conjuncto exercitu Coloniam obsessuri veniunt, ubi Plectrudis cum Pipini Gaza adhucdum consederat. Verùm cùm regio populationibus erasa alendo exercitui haud sufficeret, fœderati certâ pecuniæ summâ contenti, protinus ad sua regressi sunt (o). Carolus restauratis jam viribus fortior abeuntes Neustrios insequitur, atque ut certiùs vinceret, arte potiùs, quàm aperto Marte utendum ratus, exercitum suum manipulatim partitur; quo facto incautum & præfidentem hostem velut indagine includit, & in loco, quem *Amblana* dicunt (p), cæsum ejicit in fugam (q). Hâc victoriâ firmatus Carolus, insequente anno, quin exspectaret hostem, justum exercitum in Neustriam ducit: jámque è Carbonariâ sylva ad Cameracenses agros populationes protulerat (r); tum Chilpericus damno suorum admonitus, cum Ragenfredo obviam Austrasiis procedit. Ad Vinciacum utrinque castris locatis Carolus fecialem ad Chilpericum misit, qui bellum meliore pace mutatum iri suggereret, dummodo Pipini Patris jura filio salva forent (s). His non auditis vel contemptis adversæ partes in arma proruunt, & ancipiti fortunâ mul-

Concitat Frisones in Carolum.

(m) Gesta Reg. Fr. c. 25. Annal. Metens. a. 716.

Carolus vincitur.

An. 716.

(n) Annal. Naz. h. anno. Annal. Metens. l. c.

(o) Annal. Metens. l. c. Gesta Fr. Reg. c. 53. Fred. Chronic. c. 106.

(p) Vide Valesf. Not. Gall. p. 16.

Carolus fœderatos Neustrasios & Frisones cædit.

(q) Annal. Metens. ad an. 716.

An. 717.

(r) Annal. Met. a. 717.

(s) Gesta Fr. Reg. c. 35.

& postea in monasterio quodam *Danielis* sub nomine, ne nisi à consciis agnosceretur, recondidit. *Daniel* idem *Clericus*, qui sub nomine CHILPERICI, Dagoberto III., postea in regno successit in tribus præceptis, mense Martio, anno Regni primo, qui Christi annus 716. est, Monasterio S. Dionysii datis *Proavum* suum vocat DAGOBERTUM I., *Patrem* CHILDERICUM, *avunculos* verò sive *Patruos* CHLOTARIUM & THEODORICUM; *Consobrinos* sive ex fratre Patris sui, Theodorico Rege genitos, CHLODOVEUM & CHILDEBERCHTUM ac DAGOBERCHTUM. Vide Mabillonium Rei Dipl. l. 4. c. 30. 31. 33.

multóque ſanguine diu pugna fervebat, donec ſuperior virtus Caroli cæſis ad internecionem hoſtibus fugientem Ragenfredum Regémque Pariſios usque propelleret. Victor mox reflexo itinere, ne quis à tergo obex ſupereſſet: aut ut adjumentis gerendi belli potiretur, Coloniam protinus regreditur, ad Plectrudis & opulentiæ Pipinianæ ſedem. Illinc cùm civium animos induſtriâ ac vi ſermonis expugnâſſet, urbem etiam invitâ quantumvis Aviâ per incruentam victoriam cepit (t). His theſauris jam ditior potentiórque Carolus, quaſi ægrè facturus hoſti, CLOTHARIUM quendam (*3) Auſtraſiæ Regem renunciat. Ragenfredo facilè ſuboluit, quò hæc conſilia ſpectarent; quare ut Chilperici Regis adverſus æmulum augeret vires, Vaſcones in ſocietatem belli arceſſit (u). Servierat gens iſta primis Francorum Regibus; dum poſt Dagobertum ignavia Principum, aliáque Magiſtratuum inteſtina diſſidia Vaſconibus locum darent, quo Francicum non tantùm excuterent jugum, ſed & Novempopulaniam in ſuam redigerent peteſtatem (x). Itaque ab ea ætate à ſuis Ducibus regebantur, quorum poſtremus nunc Eudo, majora Vaſconum potentiæ incrementa appoſuit (y). Quo enim tempore Rudericum Saraceni Regno exuerant, ipſe Galliæ Gothicæ curam gerens, regiones illas ſibi potiùs aſſertas, quàm Mahometanis projiciendas voluit; unde ſubinde à Garumna ad Ligerim uſque prolatis finibus potentiſſimus Dux Aquitaniæ evaſit. Hunc igitur Eudonem legatione (*4) regiis-

(t) Fredeg. Chron. Contin. c. 107. Annal. Metenſ. an. 717.

Clotharius Rex Auſtraſ. An. 719.

(u) Geſta Reg. Fr. c. 53.

(x) Alteſerra Aquit. l. 5. c. 16.

(y) Idem l 7 c 7. Marc. de Marc. Hiſp. l. 3. c. 1. Coint. Annal. an. 719. n. 5.

(*3) ECKHARTUS rer. Franc. l. 20. p. 328. CLOTHARIUS hic, de quo Geſta Franc. Reg. c. 53. tradunt, cujus filius fuerit, non dicitur; credibile tamen eſt, cùm in Auſtria delituerit, eum ex ſtirpe Regum Auſtraſiorum *Sigeberti* & *Dagoberti* fuiſſe. Neuſtraſios enim Pipinus & Filius ejus Carolus oderant. Unde Pagius conjicit, *Dagoberto II.* natum fuiſſe.

(*4) CONTINUATOR FREDEGARII c. 107. ſcribit, *Regnum ei* (Eudoni) *& munera tradunt*, ſcilicet Chilpericus & Ragenfredus. VALESIUS per *Regnum* intelligit Coronam Eudoni miſſam, quæ ſignum eſſet, ut ei liceret Regiâ poteſtate in Aquitania dominari. ANASTASIUS coronam regiam per regnum intelligi indicat, *Eodem*, inquiens, *tempore venit Regnum cum gemmis pretioſis à Rege Francorum Clodoveo Chriſtiano donum B. Petro Apoſtolo.* TIARA etiam PONTIFICIA quandoque dicitur *Regnum*, nam Durandus lib. 3. Ration. c. 13. ait: *Romanus Pontifex in ſignum Imperii utitur REGno, id eſt, CORONA IMPERIALI; & in ſignum Pontificii utitur Mitrâ, ſed Mitrâ utitur ſemper & ubique; REGNO verò non ſemper.* Regno itaque ſive coronâ regiâ Eudoni miſſâ Childericus teſtatus eſt, ſe ei quaſi Regiam poteſtatem in Septimaniam & cæteras ditiones concedere.

regiísque muneribus in fœdus pertrahendum Ragenfredus putavit: neque Eudo invitus ſociavit arma, nempe ut hoc beneficio voluntatem Francorum & poteſtatem ab Aquitania avocaret (z). Ragenfredus novis auxiliis firmatus, continuò in Auſtraſiam invehitur: irrumpentibus fæderatis obſiſtit Carolus; tantóque impetu prope Sueſſiones fudit hoſtes, ut Eudo cum Chilperico primùm Pariſios, dein ſalutis causâ in Aquitaniam procurreret (a). Interea dum Chilpericus Franciâ exul degit, Carolo certum erat, Chlothario univerſi regni tradere Imperium; niſi inopina mors Chlotharii conſilium Ducis interrupiſſet. Ergo cùm Franciæ rurſus eſſet Principe opus, qui, dum Major Domûs rem ipſam gereret, Regiæ authoritatis ſimulachrum aut ſaltem nomen circumferret; Carolus cum Eudone convenit, ut parte theſaurorum regiorum retentâ, Regem Chilpericum libertati redderet (b).

3. Chilpericus ùt redierat in Franciam, Regni umbram potiùs, quàm Regnum, ídque brevi intervallo adeptus eſt; nam Carolo jubente vel Principis titulo depoſitus, vel fato functus (*5) ſucceſſorem habuit Theodoricum Dagoberti III. filium (c). Prætermiſſus is ob imbecillitatem ætatis, poſtea ſe Regno digniorem præſtitit, ubi in *Calenſi Monaſterio* (unde & *Cala* dictus eſt) ad graviora negotia adoleverat. Hoc regnante Carolus denuo rerum potitus, in Saxones primam vim convertit, quibus externis hoſtibus ad Viſurgim uſque magnâ celeritate domitis (d), domum etiam ſuam componere, ac propinquorum inſidiis liberare aggreſſus eſt. Ex Drogone duo etiamnum filii ſuperſtites vixerant, Arnoldus & Hugo: hi ſive novis rebus ſtuduerint, ſive callidâ machinatione paternæ inhiârint dignitati, certè Carolus fomitem turbarum compreſſurus utrumque ligatum in cuſtodiam dari juſſit (e). Litem domeſticam Ragenfredi publica ſeditio excepit: ex prælio is prope Sueſſiones peracto Andegavum ſe ſubdu-

(z) Fredeg. Cont.c. 107. Confer Valeſ. Franc. l. 23. p. 434.

Neuſtrii & Vaſcones à Carolo vincuntur.

(a) Annal. Metenſ. ad an. 718. Fredegar. Cont. l. c.

Mors Chlotharii.

An. 720.

(b) Geſta Reg. Fr. c. 53. Annal. Pithœ. ad an. 719.

Chilpericus regno reſtituitur.

An. 721.

(c) Franc. Geſta c. 53.

An. 722.

(d) Annal. Petav. & Nazar. ad an. 722.

An. 723.

Carolus propinquos dat in cuſtodiam.

(e) Annal. Nazar. Conf. Valeſ. & Coint.

(*5) ECKHARTUS l. 20. rer Fr. p. 333. in eam ſententiam inclinat, quæ docet, *Chilpericum*, poſtquam ab Eudone receptus fuerat, Attiniaci in palatio ad Axonam fluvium incluſum eſſe, ubi regni expers ſub priſtino Danielis nomine uſque in annum 727. vitam protraxiſſe fertur. Petaviani enim Annales ita habent: DCCXXVII. *Daniel in Attiniaco mortuus eſt.* ANNALES verò FULDENSES, & HERMANNUS CONTRACTUS non dejectum à regno Chilpericum dicunt, ſed mortuum anno 720.

An. 724. *Ragenfredi molitiones comprimit.* (f) Annal. Petav. ad an. 724. Conf. Coint. n. 35 (g) Annal. Nazar. ad an. 731. An. 725. (h) Contin. Fredeg. c. 108. Herman. Contr. an. 727. (i) Paul. Diac. l. 3. c. 31. 42. (k) Adon. Chronic. ad an. 725. (l) Fredeg. Cont. c. 108. Vita Corbin. c. 27. Eginhard. Annal. an. 741 (m) Annal. Til. an. 728. Conf. Coint. ad h. an. §. 1. *Bellum in Aquitania & Vasconia.* (n) Mariana l. 7. c. 1. (o) Roder. Hist. Arab. c. 11. An. 721.

subduxerat, jámque extra periculum positus id agitabat, ut conciliatis civium animis, & Britonum auxiliis confisus, præfecturam Majoris Domûs, quam amiserat, armis repetere constitueret. Utprimùm de seditiosis Ragenfredi consiliis renunciatum est (f); Carolus continuò hosti imminet, & Andegavensi urbe expugnatâ, non vindictæ, sed Clementiæ trophæum erexit. Dum enim infensum dignitati ac saluti suæ perdere poterat, eum non modò vitæ veniâ, sed & ipsius rebellis urbis præfecturâ donavit (g). Quo tempore Carolus ad Ligerim movebat bellum, Saxones & Alemannorum Dux Theodebaldus Francicos invasêre fines (h); neque tamen diuturni operis erat, gentes ejusmodi ad jugum, quod sæpe excutere moliebantur, revocare. Eâdem felicitate per idem tempus à Carolo Bajoarii devicti sunt; nam pro veteri odio (i), quod inter hanc gentem Francósque vigebat, Grimoaldus Theodonis filius seu ad Francicam servitutem depellendam, seu ad recuperandam libertatem ad arma convolaverat (k): nec segniter à pertinaci hoste pugnatum est; his nihilominus fortitudo Caroli prævaluit, qui cùm victoriæ fructus subinde legeret, in potestatem simul Sunichildem cum Avia Bilitrude accepit, futuram aliquando Victoris conjugem, simúlque pignus pacis (l), quæ subinde ita coaluit, ut licèt per intervalla Bajoarii rursus prorumperent (m), ab anno tamen DCCXXVII. vim nullam ampliùs viventi Carolo intentârint.

4. Majore mole ac difficultate bellum in Aquitania contra Saracenos peractum est: ferox ejusmodi gens postquam Rudericum Regem debellaverat; Hispaniæ ditionibus haud satiata, eas etiam Regiones, quas Gothi in Gallia tenebant, suo jugo submittere contendit (n). Per novem igitur annorum spatium Eudoni Aquitanico in repellendis Barbaris acerba dimicatio fuit: Zamæ tandem Saracenorum Præfecti vis anno DCCXXI. Pyrenæos montes perrupit, & Tolosam deducto exercitu, urbem circumsedit (o). Vix obsidionis cœperat initium; tum Eudo ad arcendum hostem advolat, & primo assultu ita cecidit Barbaros, ut Zama ipse peremptus stragem cumularet. Maurorum gens hâc clade ferocior anno DCCXXV. novo assultu in Gallias irruit, & post fœdas Ecclesiarum ac Monasteriorum populationes Ambisa Rex Saracenorum

cum

rum Carcassonam expugnat; demum Nemausum per insidias capit (p): & majora his fuisset molitus, nisi Eudo cælesti virtute armatus Ambisam binis dimicationibus accisum profligâsset (*6). Inducias inde Saraceni pacti sunt, quæ ut speciem diuturnæ pacis haberent (q), Eudo filiam suam Munizio Maurorum præfecto in uxorem dedit. Hoc fœdere nuptiali facto ubi Saracenos placatos ab irruptione semoverat, unâ quasi parte securus, frontem Carolo objecit infelici prorsus eventu; nam Eudo binis præliis attritus pacem, quam fœdè violaverat, petere coactus est. Interea Abderahmanus Saracenus Munizium Eudonis generum & infestum æmulum suum præfecturâ Hispaniæ & vitâ exuerat; jámque solus rerum, Regníque gestor constituerat Franciam universam invadere (r). Ergo effunditur Oceani instar Barbarus cum quadringentis hominum millibus in Galliam, & per Arecomicos ad Arelaten progressus urbem obsedit (*7). Eudo æquè ejus servandæ, ac Barbarus expugnandæ cupidus, continuò adest cum selectissimo militum flore, sed victus, profligatúsque pedem referre cogitur (s). Victoriâ unâ tumidus Abderahmanus, sparsâ undique cæde, templísque dirutis Burdegalam Aquitaniæ caput, & Eudone alterâ jam vice repulso expugnat. Mauro tot palmis elato jam per Petrocorios ac Santones in Franciæ intima patebat iter; tum Carolus pristinæ simultatis, quæ ei cum Eudone intercesserat, oblitus, ad depellendum commune periculum confestim accurrit (t) cum Aquitanico verò Duce in amicitiam & fœdus recepto ita belli rationes divisit, ut dum Carolus

(p) Chronic. Mossiac.

(q) Idem c. 13. Conf. Marca de Marca Hisp. II. c. 3.

Saracenorum irruptio in Galliam.

An. 731.

(r) Roderic c. 13. 14. Mariana l. 7. c. 3.

Eudo à Saracenis bis vincitur.

(s) Annal. Petav. Annal. Metens. a. 732.

An. 732.

Carolus pristinæ injuriæ oblitus partes Eudonis amplectitur.

(t) Roder. l. c. c. 4. Paul. Diac. Gest. Longobard. l. 6. c. 46. Fredeg. Cont. c. 108.

(*6) Ad hoc tempus referendum putat ECKHARTUS, quod ANASTASIUS narrat; nempe quod Gregorius II. Papa, ubi audierat, Francis imminere Saracenos, in benedictionem miserit Eudoni Duci *tres spongias, quæ ad usum mensæ Pontificis apponuntur*: has Eudo *populo suo in hora, quâ bellum committebatur* (ad Rhodanum nimirum) *per modicas partes tribuit ad sumendum eis; nec unus vulneratus est, nec mortuus ex his, qui participati sunt* Idem FRODOARDUS recenset in Gregorio II.

(*7) CONTINUATOR FREDEGARII c. 108. de *Eudone* tradit, *eum Saracenos ad auxilium contra Carolum Principem & Gentem Francorum excitâsse*; qua in re Annales Fuldenses & Metenses eum secuti sunt. Huic tamen opinioni obstat, quòd Abderahmanus jam duas Galliæ Provincias Vasconiam & Aquitaniam II., cujus Metropolis Narbona erat, subegerit, atque ex hac causa cursum victoriæ in sinum Galliæ proferre voluerit. Sed Carolus bonum publicum privatis simultatibus, quas cum Eudone habebat, antehabens, junxit Eudoni arma sua ad communem hostem profligandum.

lus ad Ligerim ſe objiceret hoſti, Eudo Barbari exercitûs terga laceſſeret: ſelecti ad pugnam Turonenſes agri, quorſum ubi poſt Pictonum vaſtas clades Saraceni pervenerant, ſeptem diebus pugnæ

(u) Annal. Nazar. ad an. 732.

Pugna prope Pictavos inter Saracenos & Francos.

communi inter velitationes cruentas præluſum eſt (u); tum ad octavum demumdiem univerſali conflictu concurritur; quo aliquantum invaleſcente, Eudo in Saracenorum caſtra irrumpens, mulierum infantúmque imbellem turbam cædit: ploratus ſuorum ad Barbaros delatus, primùm aures, mox animos pugnantium feriebat. Mahometanorum inde ingens primùm trepidatio, mox eorundem ſtrages maxima ſecuta eſt, Eudone hoſtium terga, Carolo verò primam aciem

Saracenorum internecina clades.

An. 733.

cædente (*8). Peremptis (ùt quidam ferunt) trecentis ſeptuaginta millibus, reliquiæ Saracenorum ultra Lugdunum receſſerunt; cum quibus Carolus pactus inducias Burgundiam adiit; atque ut rebellibus ibidem frænum injiceret, *Leudibus* ſive Optimatibus fideliſſimis fines tutandos commiſit (x); poſtea in Popponem Friſonum

(x) Contin. Fredeg. c. 109.

An. 734.

Expeditio Caroli contra Friſones.

(y) Idem l. c. Annal. Petav. ad an. 734. Annal. ſan-Dionyſ. eodem an. Conf. Emmius rer. Friſ. lib. 1. p. 14.

Ducem nova molientem binâ expeditione terrâ maríque ſuſceptâ tamdiu pugnatum eſt, dum Poppone cæſo, victíſque Friſiis ſpoliis dives, ac obſidibus acceptis Carolus in Regnum Francorum reverteretur (y). Necdum annus effluxerat, tum in Aquitania obitus Eudonis belli inteſtini ſementem jecit; nam Carolus hoc opportunum tempus eſſe ratus, quo ereptam Francis Aquitaniam (*9) velut avulſum membrum corpori reſtitueret, confeſtim transmiſſis ultra Ligerim copiis, Burdegalam gentium caput, Blaviúmque munitiſſimum caſtrum occupat: neque cæteræ urbes Victori refragabantur, quibus optatius fuerat, unius potiùs, quàm trium filiorum (nam totidem Eudo reliquerat) imperio ſubeſſe

(*8) Ab hac inſigni contra Saracenos relata victoria aliqui putant, Carolo MARTELLI nomen datum eſſe, quaſi non aliter ac *Malleus* contuderit hoſtes. Verùm ECKHARTUS l. 22. rer. Franc. p. 385. advertit, hoc nomen Carolo neminem olim tribuiſſe, ſed *Hepidannum* & *Odorannum* Sæculi XI. Scriptores id primò excogitâſſe vel adjeciſſe: quod ipſum VALESIUS l. 25. rer. Francic., & PAGIUS obſervant.

(*9) ECKHARTUS rer. Fr. l. 21. p. 368. hìc notat, Franciam trans Ligerim ſitam complexam eſſe duos Ducatus, *Aquitaniæ* nimirum & *Vaſconiæ.* Aquitaniæ Ducatus complectebatur *Aquitaniam primam* & *ſecundam*: Vaſconiæ Ducatus *Novempopulaniam.* Duces inde Aquitaniæ diverſi fuerunt à Ducibus Vaſconiæ. Cùm tamen hoc ævo Vaſconum major pars à Saracenis oppreſſa Ducem non haberet: & qui à Saracenis non oppreſſi erant, Aquitaniæ Duci parerent; hinc Aquitaniæ Duces, etiam Duces Vaſconiæ promiſcuè vocati ſunt.

subesse (z). Admoderatus tamen Carolus est ita consilii sui rationes, ut ne Optimatum odium Saracenorum auxiliis facilè firmandum irritaret, seniorem ex filiis Hunaldum suæ, filiorúmque suorum fidei jurejurando adstringeret, & hoc præstito quasi pietatis specie eidem Ducatum paternum impertiretur (*10). Beneficio ejusmodi Eudonis hæredes minimè placabantur, sed injuriam sibi factam questi, Burgundos etiam ad bellum provocabant (a). Carolus ubi infestum coaluisse fœdus audiit; Aquitaniam repetens, Eudonis filios Burgundósque, recepto insuper Lugduno subegit. Post hanc procellam validior tempestas alibi exorta est: Maurontus Comes Massiliensis seu invidiâ seu dominandi studio incensus, exemplo Eudonis Provinciam sibi subjugare conabatur, jámque Saracenos repræsentatâ Avenionis urbis spe lactatos adversus Carolum incitârat (b); tum Carolus extemplo in Provinciam profectus Massiliam & Arelatum vindicat, ejectísque infidis Magistratibus alios oppidis urbibúsque imponit. His peractis sollicitus adhuc timor angebat Carolum, ne concitores turbarum Saracenos æquè ac Longobardos tandem pellicerent in fœdus. Itaque ad periculum avertendum Francorum Dux Luitprandum Regem Longobardorum multò antè per legationem Pipini filii, pérque alia intimæ amicitiæ officia in suas pertraxit partes (c). Antequam tamen Luitprandus sua arma jungeret Carolo; Saraceni à Mauronto, aliísque instigati Avenionem ex insidiis capiunt. Præda ejusmodi quò citiùs manibus hostium eriperetur, Carolus Childebrandum Germanum fratrem præmittit; tum ad urbem confestim advolans, indictâ copiis omnibus oppugnatione, militem Francum in muros eniti jubet: qui inter adversa tela ignésque hostium in urbem irruens, concisis Mauris

Mmm mmm 3 locum

An. 735.

(z) Annal. Metens. a. 735. Fredeg. Chron. c. 109.

Hunaldus Patri defuncto Eudoni à Carolo sufficitur.

(a) Fredeg. Contin. c. 109. Annal. Metens. ad an. 736.

Mauronti rebellio

(b) Fredeg. Cont. l. c. Annal. Metens. l. c. Conf. Valesi. Franc. l. 24. p. 500.

Caroli & Luitprandi fœdus.

(c) Paulus Diac. Gest. Longob. l. 6. c. 53. Otto Frising. chr. l. 5. c. 16.

Franci Avenionem expugnant.

(*10) ANNALES MET.: *Ducatum illum solitâ pietate Hunaldo filio Eudonis* (Carolum) *dedisse, qui ipsi & filiis suis Pipino & Carolomanno fidem promiserit.* Nullam ergo tunc rationem Regum suorum Majores Domûs habebant, Regum Regníque Domini. Cæterùm *Aquitaniæ Ducatus* extraordinario modo Hunaldo datus est; nam Regiones à Francis in Provinciam redactæ, qualis utique Aquitania tunc erat, à *Cameræ nuntiis* sive *Missis Regiis & Comitibus* administrabantur, & *Duces*, ubi erant, *temporarii* tantùm hactenus fuerant. Soli *Alemanni*, *Bajoarii* ac *Thuringi*, quia remotiores nec Francis cognatione juncti, atque si rebellarent, ob potentiam timendi erant, Duces ex sua gente habebant, nec à posteris horum dignitas Ducalis auferebatur, nisi in Patriam & Regem cum hostibus conspirâssent.

(d) Annal. Metens. an. 737. Conf. Vales. l. 24. Cointe ad an. 737. §. 21.

Narbonem obsident.

(e) Iidem l. c. Vales. not. Gall.

Pugna inter Saracenos & Francos.

(f) Fredeg. Cont. c. 109. Annal. Nazar. Annal. Petav. an. 737.

Franci Saracenorum Victores varias urbes muris nudant.

Author Chronic. S. Pantal.

(g) Abbas Ursperg. ad an 737.

Mors Theodorici Regis.

Interregnum in Francia.

An. 739.

(h) Vide Cointe in Annal. ad an. 737. § 34.

locum Carolo subjecit (d). Inde in Occitaniam Gothici Imperii appendicem itum est; ubi Narbo arx Maurorum validissima primùm vi, deinde obsidione tentabatur. Athima Septimaniæ Gubernator sive situ loci, sive Maurorum propè adfuturis auxiliis fretus Francorum ferocem elusit impetum; nam Duci Amorro Tarraconæ Præfecto in mandatis jam datum fuerat, ut in Athimæ subsidium classem benè instructam mari adveheret (e). Carolus explorato exercitûs tanti accessu, fratrem cum ingenti agmine ad Narbonem stare jubet, dum ipse cum reliquis Francis in occursum hostis pergeret. Ad fluviolum Biram, qui in proximum mare influit, commissa pugna est, quæ primum inter cruentas dimicationes pari clade peracta, mox occiso Duce Amorro partim in internecionem; partim in multò funestiorem hostium fugam desiit (f). Victor Carolus opulentum spoliis militem jam Narbonem reducebat, tum Athima cladis suorum nuncio perculsus mari effugit. Arx inde Occitaniæ omni ope & spe destituta, an in Francorum manus devenerit, non omnium eadem est opinio(*11), id saltem certius est, alias urbes Agatam, Biterras & Nemausum Gothici ante Imperii, tunc Saracenici, captas, murísque, ne fœdæ genti pro latibulo forent, nudatas fuisse. Quominus longiùs moveret Carolus, fatum Theodorici Regis (g), tum etiam Saxonum motus prohibuêre.

5. Postquam Theodoricus Rex, qui ex memoria hominum propemodum expunctus fuerat, nunc etiam è vivis esset sublatus; è re sua Carolus, tum etiam ad regni commodum utilius esse duxit, siquidem nudas illas, ac inanibus, quæ hucusque fuissent, Regum simulachris plenè omissis, ipse Ducis nomine potestatem Franciæ solus teneret; dum tandem vel sibi vel suis liberis propior ad Regnum gradus sterneretur (h). Consilium verò ejusmodi ne intestinis factiosorum motibus obnoxium foret, in eo desudabat cura Ducis, ut Francos continuis bellis victoriísque distractos à novandi Regni cogitatibus quàm longissimè

(*11) ANNALES METENSES ad an. 737. Carolum universos hostes devicisse affirmant, præter eos, quos in Narbona incluserat urbe, eâdem custodiâ derelictâ. ECKHARTUS inde suspicatur, à Carolo *Narbonem* non esse captam, sed multis eam adhuc annis Saracenorum sub jugo remansisse.

gissimè avocaret. Neque occasio conflictuum post mortem Theodorici defuit; nam Saxones, dum eodem tempore Franci in Saracenos ibant, Franciæ finibus populabundi se infuderant. Quare Carolus continuò ad Lippiæ ostia, per quæ idem amnis se in Rhenum exonerat, contendit (i), ibique domitæ Saxonum genti vetus tributum, quod Dagobertus I. illis jam dictaverat, acceptis ad fidem præstandam obsidibus rursus imponit. Necdum expeditione unâ Dux defunctus erat; tum percrebuit Saracenos redintegrato bello turbare provinciam Galliæ, jámque Avenione in potestatem receptâ, incendente Mauronto majora moliri (k). His acceptis Carolus primò in Italiam nuncios mittit, qui à Luitprando Longobardorum Rege ex pactis jam conditionibus auxilia deposcant: dein ipse cum suis accelerato itinere remeabat in ultimos Franciæ fines. Utriusque exercitûs adventum vix fama nunciaverat (l); tum ipse geminatarum virium armorúmque terror jam devicit hostes, quibus nullâ pugnâ editâ dilapsis, Mauróntus tantæ perfidiæ reus, relictâ Massiliâ in maritimum locum se abdidit, excelsisque rupibus, aviâque solitudine magìs ignotum, quàm securum.

Carolus domat Saxones.

(i) Fredeg. Cont c 109. Annal. Nazar. ad an. 738.

An. 739.

(k) Annal Nazar. ad an. 739. Annal. Petav. ibid.

Carolus adjunctis Longobardorum auxiliis Saracenos fugat.

(l) Paulus Diac. l. 6. c. 54.

6. Factâ domi pace Carolus ad componenda Italiæ dissidia vocabatur. Luitprandus Rex Longobardorum Trasimundum Spoletanum Ducem (postquam is in Gregorii III. tutelam profugerat) ab eodem Pontifice intentatis etiam minis repetebat: eum verò, quominus redderet Pontifex, multa causatus, mox bellum ac vim Longobardorum in se provocavit (m). Post occupata quippe Pontificiæ ditionis quatuor oppida, nimirum *Ameriam*, *Hortas*, *Polimartium*, & *Bleram*, & post vastitatem Ecclesiæ bonis illatam Luitprandus Romam ipsam etiam gravi obsidione premebat. Inter tantas malorum procellas constitutus Gregorius, cùm ab hæretico Imperatore auxilia sperare haud posset; ad Carolum Martellum Legatos cum clavibus sepulchri, vinculis S. Petri, & magnis muneribus mittit (n), Consulatum insuper pollicitus, si Ecclesiam Romanam à Longobardorum crudelitate liberaret. Carolus Dux delatam Consulis aut Patritii dignitatem suscepit quidem, & Pontifici Romanísque auxilia promittebat; sed illa quominus statim præstaret, impediebatur à fœdere, quo Longobardorum

An. 740.

(m) Paul. idem c. 55. Anastasius in V. Zachar.

Motus Italiæ à Longobardis concitati.

An. 741.

Legatio Pontificis Gregorii ad Carolum Martellum

(n) Fred. Chr. Cont. c. 110.

An. 741.
Confer Ruinart. in not. ad Fredeg. Pagius ad a. 740. n. 4. 5.
Altera epistola Gregorii ad Carolum.
(o) Annal. Petav. Annal. Nazar. ad an. 741.
Mors Caroli Martelli.
Regnum Franciæ inter filios Caroli divisum.
(p) Fredeg. Cont. c. 109. & 110.
An. 742.
(q) Annal. Nazar. an. 742.

dorum Regi devinctus erat; ad mitigandam tamen calamitatem protinus Legatos ſuos in Italiam abire juſſit Grimonem Abbatem Corbejenſem & Sigebertum recluſum Baſilicæ S. Dionyſii, qui ſimul Pontificem de ſuo Patrocinio redderent certiorem. Ingraveſcente ſubinde malo alteris Gregorius Carolum literis de mittendis ſuppetiis admonebat: & fortè epiſtolæ argumentum Ducis propoſitum acceleràſſet, niſi eodem tempore Carolus Cariſiaci à febre correptus (o) Idibus Octobris anno DCCXLI. vitam cum morte commutâſſet (*12). Paulò ante obitum ex Optimatum conſilio filiis ſuis Regna partitus, natumajori Carolomanno Auſtraſiam, Sueviam atque Thuringiam: Pipino Burgundiam, Neuſtriam & Provinciam dedit. Ab hac tamen bina partitione hæreditatis tertius filius (cui Grifoni nomen, quémque Carolus non ex prima conjuge Rotrude, ſed ex altera uxore Sonichilde ſuſceperat *13) jubente Patre decerpſit partem Neuſtriæ, Auſtraſiæ & Burgundiæ, quibus rurſus ditionibus paulò pòſt à fratribus exutus, aliquo tempore obſcuram in cuſtodia vitam transegit (p).

7. Interea poſt Caroli funus Aquitaniæ, & qui in Auſtrum & Boream diſſiti populi erant, in libertatis ſpem allecti jugum excuſſerant (q); quod ne impune illis foret, Carolomannus & Pipi-

(*12) CONTINUATOR FREDEGAR. c. 110. ait Carolum *XI. Cal. Novembris tranſiiſſe, & Pariſiis in Baſilica S. Dionyſii Martyris ſepultum eſſe.* Econtra ANNALES PETAVIANI aſſerunt eum mortuum eſſe Idibus Octobris; itaque facilè conjicitur, quòd *Continuator* de die ſepulturæ, Annales verò de die obitûs loquantur. *Fredegarii Cont.* porrò ait; *Rexit utraque Regna annos XXV.*, quia idem Author Regimen ejus auſpicatur à prælio Vinciacenſi anno 717. commiſſo. ANNALES METENSES ei Regiminis annos XXVI. cum menſibus ſex tribuunt, quia inchoant ejus Regimen ab anno 715., quo è cuſtodia evaſit.

(*13) Conjuges Caroli Martelli duæ fuêre, prima HROTRUDIS vel CHROTRUDIS aut ROTRUDIS, quæ defuncta eſt anno 725., & ex ea ſuſcepit *Carolomannum*, *Pipinum* & *Chiltrudem*, de qua Continuator Fredegarii ait: *Chiltrudis faciente conſilio nefario novercæ ſuæ fraudulenter per munus ſodalium ſuorum Rhenum tranſiit, & ad Odilonem Ducem Bajoariæ pervenit. Ille verò eam ad conjugium copulavit, contra voluntatem & conſilium fratrum ſuorum.* Ex hac Childrude Odilo ſuſcepit *Taſſilonem.* Altera conjux erat SONICHILDIS, quæ ex Agilolfingica ſtirpe nata fertur; de quo Eckhardum vide l. 21. rer. Fr. p. 351.; ex qua progenuit Carolus *Grifonem*, hic cùm à fratribus Carolomanno & Pipino hæreditatis ergo premeretur, *Lugdunum Clavatum* ſe recepit. ubi in deditionem coactus in *novum Caſtrum* cuſtodiendus deferebatur, *Sonichildis* verò ejus Mater *Cala* monaſterio incluſa eſt.

REFLEXIO II. ad §. II. Num. 4. pag. 1102.

An Hadrianus Pontifex Carolo magno concesserit jus eligendi summos Pontifices?

I. QUi jus Sacrorum in manibus Principum collocatum opinantur, nuspiam pro ea re se fortius argumentum deprehendisse credunt, quàm dum (a) apud Gratianum legunt Carolo Magno potestatem eligendi Pontificem, aut Episcopos investiendi attributam fuisse. Ut enim idem Decreti concinnator perhibet: *Hadrianus Papa cum universa synodo tradiderunt Carolo jus & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem: dignitatem quoque Patriciatûs ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere diffinivit; ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur, & quicunque contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit* (b). Ac ne Canonem irrepsisse quis putet, eadem dicta per alium subjunctum Canonem firmantur (c), qui ita habet: *In Synodo congregata Romæ in Ecclesia S. Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatûs dignitatem & investituram Episcoporum concessit &c.* Porrò ut Adversarii Canoni robur apponant, ab aliis retro sæculis exempla petunt, ex quorum argumento dum electionum jura semper penes Principes fuisse asserunt, id quoque simul ostendere conantur, Hadrianum nil novi, nihil alienum dedisse, sed quod Principum juri jam esset insitum, novo Canone confirmâsse. Ac *primò* Valentinianus anno CCCLXVI. Damasum Pontificem sedi Apostolicæ imposuit, profligato Ursicino Pontificatûs competitore (d), II. Eandem authoritatem in ordinando Ecclesiæ capite sibi sumpsit Imperator Honorius; anno enim CCCCXIX., quo Bonifacius & Eulalius de Pontificia sede disceptabant, Symmachus urbis præfectus ad Augustum perscripsit: *quoniam pietatis vestræ est, de hac parte ferre judicium, statim pro competenti sollicitudine vestram Majestatem credidi consulendam, ut quod de hac parte pietas vestra decernat, præcepto vestri Numinis evidenter informet* (e). III. Odoacer rex Herulorum in Italia provocabat ad Pontificis Symmachi legem, quâ jusserat, ut in electionibus regia authoritas interponeretur (f), quare per Basilium præfectum Odoacer anno CCCCLXXVI. edictum evulgavit, cavens, *ne novus Pontifex absque suo consensu eligeretur . .* (g). IV. Theodoricus rex Gothorum anno DXXVI. post obitum Joannis Papæ Felicem IV. renunciavit. V. Justinianus, postquam Italiam à Gothis vindicaverat, more Gothorum sibi, suisque posteris non tantùm jus confirmandi electionem Romani Ponti-

Adversarii hoc Canone abutuntur ad jus sacrorum Principibus tribuendum.

(a) Can. Hadrianus Dist. 63.

(b) V. Sigebertum ad a. 773.

(c) Can. in Synodo 23. Distinct. 63.

Argumenta, ex quibus canon iste videri posset genuinus.

(d) Rufinus Hist. l. 1. c. 20. Sozomen. l. 4. c. 11.

(e) Vide Baronium ad a. 419.

(f) Can. bene Dist. 96.

(g) Sigonius de Imp. Occid. l. 15.

Hunoldus Dux Aquitaniæ à Pipino domatur. An. 745. (z) Fredeg. Cont. c. 114. *Transfert Ducatum in filium, & secedit in monasterium.* (a) Annal. Metens. An. 746. (b) Vita Bonif. l. 2. c. 16. (c) Walefridus Strabo de Mirac. S. Galli c. 11. (d) Annal. Mossiac. An. 747. (e) Annal. Nazar. an. 747. *Carolomannus depositâ gubernatione fit Monachus.* (f) Eginhard. in V. Car. M. c. 2. Conf. Mabilon. in annal. Be: edict. (g) Eginh. l. c. *Grifo à Pipino fratre redditur libertati.* An. 748. (h) Annal. Met. a. 717. *Concitat contra Pipinum Saxones.*

nicum duxit: pactus de belli societate cum Bajoariis fuerat, ut dum hi arma contra Francos agitarent, Aquitanorum copiæ Ligeri superato Galliam evastarent. Perfidiam Ducis ne Pipinus tunc ulcisceretur, hyemis imminentis tempestas prohibebat. At insequente anno tota belli vis in eum incubuit (z), quâ prostratus ad meliorem vitam resurgere cœpit; translato quippe in Waifarium filium Ducatu ad monasterium Santonum in insula Radis situm discessit (a), nobilior suî, quàm hostium victor futurus. Ad idem vitæ institutum anno DCCL. è Principatûs sui fastigio se demisit Carolomannus: in cœnobia & præsertim in id, quod Fuldæ surgebat (b), liberalior Monachum induere statuit sive *ob amorem Regni cælestis & causâ vitæ quietioris* (c), sive ùt alii ajunt, ut tot cædes hominum in Alemannico bello peremptorum religiosâ pœnitudine expiaret (d). De capto consilio Pipinum confestim edocet, qui ubi sancto fratris proposito nihil ferè opponeret, Carolomannus Romam ad explenda vota abiit (e): illinc depositis honorum insigniis à Pontifice Zacharia monasticum suscepit habitum; tum ad Soracten in Tuscia montem profectus Monasterium ædificat in honorem S. Sylvestri. In hoc cœnobio cùm maxima virtus abscondita lateret (f); rei novitas & admiratio Francos præcipuè, qui Romam ibant, adeò permovebat, ut nullus digrederetur Soracten, quin Carolomannum Francorum Ducem in monastica veste coràm intueri ambiret. Affluentium tumultus de mutando loco consilium Carolomanno latere volenti suggessit; itaque ad Cassinum montem in Samniis situm, sive ad cœnobium eidem impositum contendens (g) inter vilia culinæ pascendíque gregis officia tyrocinium patientiæ, demissionísque tantâ religione explevit, ut inter Monachos tam virtute Princeps extiterit, quàm inter Aulicos ortu, aut inter milites fortitudine olim resplenduerat.

9. Pipinus, utprimum Carolomannus discesserat, unus jam rerum compos, fratrem alterum, eúmque in castro novo hucusque detentum, scilicet Grifonem libertati reddit, tantísque bonis cumulat, ut ei omnia suppeterent præter imperium (h); verùm turbidus juvenis altiores spes meditatus, in Saxoniam se subduxit, ad Austrasiam gentium istarum auxilio vindicandam. De fuga consilióque Grifonis ubi Pipino renunciatum est, protinus in terras

ras Saxonum movet (i): venienti Saxones ad Obacrum flumen ſe opponunt; ſed fortitudine Pipini territi ſequente nocte arripiunt fugam: per quadraginta inde dies Victor Pipinus Saxoniam populando injuriam ultus eſt (k). Grifoni hæc meticuloſa Saxonum imbecillitas animum ferè eripuit, ſimúlque fiduciam, quâ ſe Saxonum fidei commiſerat. Circumſpicienti meliora novarum molitionum occaſio oblata eſt: audierat ille, ſub idem tempus Odilonem Bajoariæ Ducem è vivis deceſſiſſe, & Taſſilone filio admodum juvene relicto Chiltrudem unam rerum potiri (l). Igitur ad hanc ſuam ſororem Grifo dilapſus amicè excipitur, exceptus multos promiſſis, aliíſque illiciis in partes trahit, donec plurium fœdere nixus Bajoariam, quam à fratre obtinere jure nequiverat, injurioſo flagitio à ſorore ejúſque filio extorqueret (m). Pipinus ùt audiit de perfidia fratris; miſeratus ſororis Chiltrudis calamitatem cum exercitu ad Oeni confinia venit (n), jámque trajicere flumen, ac ire in rebellem Grifonem parabat; tum hic æquè imparatus à milite, atque ab animo abjectus, facti vitæque veniam poſcit: roganti pepercit Pipinus ſingulari moderationis exemplo; nam Taſſilone nepote in Ducatum reſtituto, Grifonem, cujus ſcelus ſupplicium meruerat, aliis duodecim comitatibus ac Cenomanenſium urbe donavit (o). Beneficia tanta perturbatorem juvenem adeò non emendârunt, ut evoluto vixdum anno pejora meditatus, ad Waifarium Aquitaniæ Ducem perfugerit. Pipinus levitatem hominis non favoribus amplius, ſed pœnis corrigendam ratus, à Waifario transfugæ deditionem poſcit; id verò ne fieret, Grifo Aquitaniam cum Italia mutare, & ad Aiſtulphum Longobardorum Regem elabi conſtituit. Volitanti per Alpium juga viam intercludunt Theodoricus Comes Viennenſis, & Fridericus Comes Ultrajuranus: hos ubi vi ſubmovere Grifo tentat, ferrum illi viciſſim objiciunt; dum tandem poſt cædem utrinque datam & acceptam Grifo peremptus turbarum vitæque fecerat finem (p).

10. Pacatâ Franciâ universâ, ſubmotíſque æmulis Pipinum de occupando Regno Regíſque titulo cura inceſſit (q): nam cùm Childericum non modò omni ſpe, ſed ſuo ipſius animo deſtitutum cerneret; penes ſe verò eſſe Regni vectigalia, dignitates, arces & milites, atque hæc ſuos ad nutus verti & agi; tum è re ſua, ac

(i) Fredeg. Cont. c. 117.
(k) Annal. Met. 748. Annal. Eginhard. 747.
An. 749.
Bajoariam dolo ſorori & nepoti eripit.
(l) Vita S. Rutbert 342.
(m) Annal. Eginhard. an. 748
Pipinus venit in Bajoariam.
(n) Annal. Met. ad an. 749. Fredeg. Cont. c. 117. Annal. Eginhard. a. 748.
An. 750.
Grifo à Pipino vincitur.
(o) Annal. Pithœ. ad 749. Fredeg. Cont. c. 118.
Nova rebellio Grifonis.
An. 751.
Mors Grifonis.
(p) Annal. Metenſes ad an 751.
(q) Fredeg. Cont. c. 117.
Pipinus cum poteſtate Regia Regium titulum ſociare aggreditur.

ac totius Franciæ fore credebat, siquidem is, qui Regni potestatem haberet, etiam Regis nomine deinceps uteretur. Duo tantùm erant, quæ ad explendum consilium pertinebant, nempe Procerum consensus, & facile populi ad accipiendam novi Regni formam obsequium. Primum ut Pipinus curaret, Attiniaci in solenni conventu Optimatum in se animos votáque inde inclinabat, quòd turpe esse diceret Francico nomini, regnum ab iis teneri, qui rerum gerendarum, viriúmque expertes, ac ignavi inter domesticos parietes umbram larvámque inanem regii nominis repræsentarent: sanguini equidem Avitorum Regum satis hucusque datum esse, dum eorum nepotes solio imponebantur; at nunc vitiosiorem progeniem à virtute Avorum ita discessisse, ut nihil cum iis commune habeant. Quare si regno benè cuperent, in eum jam titulum regium transferrent, qui potestatem diu impetrâsset à meritis, aut terrorem adversus hostes suis victoriis latè circumtulisset, aut cui, siquidem stirpis etiam aliqua ratio habenda sit, Progenitores nobile genus, dotésque ad gubernandum idoneas reliquissent (r). In hanc sententiam ubi Pipinus peroraverat; cuncti magno assensu edixerunt, exauthorato Childerico Pipinum substituendum, illúmque nomine etiam condecorari oportere, penes quem res, potestas, regnúmque ipsum existeret. His constitutis in eo quoque laboratum est, ne populus jurisjurandi religione Childerico obstrictus, si obsequium aliò verteret, perfidiam timeret. Igitur Romam Legati abeunt, qui dum se Regni studio pro suo antiquo jure alium delegisse Regem testabantur (s), Zacharias Pontifex tot Episcoporum Galliæ ac Abbatum votis, nec juri Francorum, quo sæpe jam vel Regibus occisis vel in monasteria detrusis substituere alios consuevissent, nihil admodum contradicere ausus est: imò cùm Legati id factum ex legitima Francorum potestate probâssent; nefas Pontifici fuisset ei regis negare nomen, cui illud Franci dedissent, & cui jam electo nihil præter unctionis complementum deesset (†).

(r) Vide Eckhartum rer. Franc. l. 23. p. 508.

Francorum Proceres Pipinum eligunt in Regem.

An. 752.

(s) Annal. Loisel. & Tillian. & Bertinian.

Zacharias à Francis electo Regi non contradicit.

(†) REFLEXIO III.

11. Pipinus Suessionibus Regium nomen adeptus Childericum attonsum in monasterium Sithiense detrusit (t): inde Vermeriam profectus in comitiis ibidem celebratis expeditionem contra Saxones decrevit, quibus ad Visurgim devictis, postquam in

Childericus Monachus.

(t) Bertinian.

An. 753.

in Franciam redierat, accepit à Stephano II. (aliis III.) Zachariæ Papæ literas, quibus Pontifex rogabat (u), ut & ſibi in Franciam ire, & de ærumnis à Longobardorum Rege Eccleſiæ irrogatis coràm agere liceret: Pipinus primò Droctegangum Abbatem ablegavit Romam, quò voluntatem ad omnia promptam Francorum Stephano nunciaret. Pontifex ubi Droctegango animi ſui ſenſa expoſuerat; reverſus ille ad Regem ſuum apertiùs referebat, quæ demum Stephani calamitas petitióque foret. Poſt aliquod intervallum miſſi à Pipino veniunt Chrodegangus Epiſcopus Metenſis, & Autcharius Dux Stephanum in Franciam deducturi: cum his Pontifex Ticinum ad Aiſtulphum Longobardorum Regem profectus ubi precibus irritis denuò flagitâſſet, ut Longobardi ablata redderent, tandem facultatem eundi in Franciam ab invito Aiſtulpho extorquet. Per Alpes inde ad cœnobium S. Mauritii, ab obviam miſſis Rothardo Duce, ac Fulrado S. Dionyſii Abbate ſummo honore excipitur (x); mox ad plura milliaria cum Optimatibus Carolus Regis filius, atque milliari tertio Rex ipſe occurrit; tum inter Cleri populíque plauſus Ponticonem Papa deductus, cauſam ſuam Eccleſiæque Regi commendat. Pipinus liberaliter ſua auxilia pollicitus, Stephanum in Francia conſiſtere jubet, dum apparetur, quod conficiendæ rei opus foret. Hinc imminente hyeme Pontifex Regem Pariſios ſecutus ad S. Dionyſii cœnobium hoſpitaturus abſcedit. Ibant interea Legati Regii ad Aiſtulphum, qui monerent, ut à vi Romæ illata, & ab exigendis tributis ingentibus abſtineret; At Aiſtulpho hæc monita aſpernante, Pipinus Brennaci circa Kalendas Martii (y), aut ùt alii volunt, Cariſiaci cum Optimatibus bellum adverſus Longobardos decernit. Intercedebat huic propoſito unus Carolomannus Pipini frater (a), qui è Monaſterio Caſſinenſi ab Aiſtulfo miſſus fuerat in Franciam, ut fratrem Francóſque ab Italico bello averteret: obſtrepenti adeò nihil datum eſt, ut potiùs Viennam ipſe abductus & Monaſterio incluſus fuerit, in quo poſt aliquod tempus è vita diſceſſit (b).

12. Dum omnia ad parandum bellum in Francia fervebant, Stephanus Pontifex Cariſiaco Pariſios reverſus in morbum incidit, à quo ope Apoſtolorum Petri & Pauli (c) ac S. Dionyſii eo

(u) Anaſtaſ. in V. Stephani.

Stephanus Papa à Pipino poſcit auxilia contra Longobardos.

(x) Anaſtaſ. l. c.

Stephanus P. abit in Franciam ad Pipinum, & ſolenniter recipitur.

(y) Rhegino. Annaliſt. Saxo.

(z) Anaſtaſ. l. c.

Auxilia decernit Pipinus contra Aiſtulphum.

(a) Annal. Loiſelian.

Carolomannus fruſtra intercedit.

An. 754.

(b) Annal. Laureſham.

Stephanus à morbo mirabiliter recreatus.

(c) Anaſtaſ. in V. Steph. Hilduinus in Areopagitic.

eo fere tempore recreatus est, quo Childericus II. Rex quondam Francorum in monasterio Sithivensi vitæ miserias cum morte mutavit (d). Extinctâ proinde Merovingorum stirpe, Stephanus solenni pompâ Pipinum, duósque filios ejus Carolum & Carolomannum unà cum Bertrude Pipini uxore in Reges inungit (*14), palàm contestatus Pipinum legitimum Francorum Principem, filiósque justos esse Regni hæredes (e). Anno DCCLIV. penè senescente, Rex inauguratus exercitum in Italiam duxit, cui frustra ad Claustra Vallis Segusianæ se Aistulphus opposuit; nam in iniquissimo quantumvis Francis loco Longobardi devicti paucas reliquias, quæ cædi supererant, Ticinum secum abstraxerunt (f). Pipinus secutus victoriæ cursum, Longobardorum Metropolim obsidione cingit: & spes erat, propediem pertinaciam Regis seu captivitate seu multorum sanguine multatum iri; tum Pontifex, qui in castris Pipini erat, pacem antehabendam suasit, nec Aistulphus calamitate fractus hanc abnuit, quin datis obsidibus, jurejurando cavebat, se Exarchatu & Pentapoli Pontifici redditis, à belli motibus deinceps conquieturum (g). Stephano Romam, & Pipino in Franciam regressis, Aistulphus urbes adeò non restituit, ut majore ferociâ in Romanam etiam ditionem irrumperet (h). Ad subitam belli facem imparatus Pontifex rursus datis literis Pipinum appellat (i), qui licèt Aistulpho graviter indignaretur, Franciâ tamen egredi cunctatus est, sive quòd Pipino malis artibus, promissísque Procerum nonnulli fucum facerent, seu quod injicerent spem Regis Longobardi minis à proposito deterrendi. Interea dum nulla apparent auxilia, Aistulphus Romam ope destitutam omni ex parte exercitu cingit (k). Stephanus Pontifex in tantas conjectus angustias, confestim mari, quæ via brevior & expeditior, Legatos cum Varnerio rerum omnium ocula-

(d) Iperius in Chron. Mon. Bertinian.

Stephanus inungit Pipinum ejúsque filios.

(e) Codex Eccl. Senon. apud Eckhart. T. I. p. 533.

Expeditio Pipini in Italiam.

(f) Anastas. in V. Steph.

Vincit Aistulphum.

(g) Contin. Fred. c. 119.

(h) Idem c. 122

An. 755.

Aistulphus à fide data resilit.

(i) Ep. 6. 7. 9. Cod. Car.

(k) Anastas. in V. Steph.

(*14) ANNALES METENSES: *Stephanus Papa, quod jam diu absens Pipino, Principibúsque Francorum mandaverat, præsens explevit, ordinavitque secundùm morem Majorum unctione sacrâ Pipinum piissimum Principem Francis in Regem & Patricium Romanorum.* ECKHARTUS hìc advertit, non fuisse hunc *Majorum* morem, ut ordinarentur & coronarentur: legendum itaque putat *secundùm morem Judæorum.* Nam antiquis Francorum Regibus unctio & coronatio ignota erat; tradebatur iis hasta & scutum: clypeo imponebantur, atque tribus vicibus in altum jactabantur, unde cùm primò Pipinus in solium collocabatur, Annales Loiseliani testantur, eum more *Francorum Suessione elevatum.*

oculato teste in Franciam mittit: subinde alias S. Petri nomine ad Pipinum Procerésque scribit literas; quibus demum effecit, ut Rex Francorum abjectâ omni morâ in Italiam accurreret (l). Festinanti ex composito occurrunt legati Græci Imperatoris, quorum postulata eò spectabant, ut Exarchatum cæterásque urbes ab Aistulfo captas Constantino Cæsari Pipinus redderet (m). Cùm enim ditiones ejusmodi Exarchatus scilicet & Pentapolis ab annis plus ducentis in potestate Cæsarum fuerint; haud commissurum Francorum Regem, ut aliena largiendo Pontificem ita augeat, ut cujus in sacris suprema duntaxat erat authoritas, appositâ nunc Provinciarum civili potentiâ in Cæsarem æquè ac Pipinum deinceps summus evadat. Ad hæc Pipinus sapienter reponebat, nihil esse, cur aliena ille invadere aut largiri diceretur, qui belli jure occupatas à Longobardis urbes, & à Græcis, quamdiu Barbari eas tenuissent, neglectas vindicaret, aut ab hoste extortas ex voti religione Pontifici daret, cujus hortatu & conceptâ in Ecclesiam pietate hæc tota belli causa à se suscepta fuisset: & quoniam Papa non exigua jura his in terris sibi ablata meritò quereretur, justitiam poscere, ut datæ injuriæ multò ampliùs reparentur. Cæterum nec Constantino, cui volenti urbes perierint, nec Aistulpho, qui belli iniqui sementem jecerit, caussam esse, quam obmoveant; siquidem Christi Vicarius potestate majore quâdam armetur, ne propemodum nudus Græcos inter & Longobardos Sedis Apostolicæ infensissimos hostes exponatur. Pipinus ubi Cæsaris legatos re infectâ dimiserat; Ticinum obsidet, & Aistulfum in angustias redactum cogit (n), ut datis obsidibus Papæ urbes tradat. Itaque Pipini nomine Fulradus Abbas urbis adit Primores, in verba Pontificis jurare jubens: nec ante abscessit, dum Longobardi conditiones pacis implevissent; quo facto Pipinus in Franciam, Aistulphus verò paulò pòst (belli & vitæ cursu infeliciter consummato) ex inopino fato in æternitatem discessit (o).

(l) Contin. Fredeg. c. 122.

(m) Anastas. in V. Steph.

Legatio Græcorum ad Pipinum irrita.

(n) Anastas. l. c.

Pipinus Pontifici Exarchatum & cæteras civitates restitui curat.

(o) Annal. Petav.

13. Quæ beneficia Pipinus Stephano Pontifici, eadem postea successori ejus Paulo impendit (p); nam Desiderium Longobardorum Regem vel ad pactorum fidem adegit, aut, ne noceret, coërcuit. Uti autem Ecclesiæ, sic quoque Regni sui hostes

An. 763.

(p) Ep. 17. Cod Car.

Pipinus auxiliatur Paulo Pontifici.

ſtes domuit; præterquam enim quòd Saxones & Taſſilonem etiam Bajoariæ Ducem (q) compreſſerit, non unâ expeditione Vaifarium Aquitaniæ Ducem exercitu ditionibúsque exutum ſubegit (r); quo bello per novem annos feliciter geſto, omnique Aquitaniâ ſubactâ, ad Santones reverſus Victor in febrim incidit (s); quâ lentè depaſtus Turones primùm ad S. Martini, poſtea ad S. Dionyſii reliquias, poſcente ipſo delatus, diem tandem VIII. Kal. Octobris DCCLXVIII., ætatis LIV. (t), poſtquam populum Francorum à deceſſione ſui Patris Caroli Martelli annis XXVII. rexerat, Regni amplificandi utì intra Franciam cupidus, ita in Italia poſt devictos Longobardos ſibi pietatis causâ temperans, cujus tumulo in æde Dionyſiana annis ſequentibus hoc elogium grande inſcriptum eſt: *Pipinus Rex, Pater Caroli Magni.*

(q) Annal. Eginhard. a. 763. An. 766. & 767 (r) Contin. Fredeg. c. 124. (s) Fred. Cont. c. 136. *Morbus & Mors Pipini.* (t) Vide Pag. ad an. 768. An. 768.

14. Regnum, quod Pipinus ad ultima deductus, filiis ita diviſerat (u), ut Carolus natumajor Neuſtriam, Carolomannus Auſtraſiam teneret, duo fratres defuncto Parente ex Francorum aſſenſu adiverunt: inæqualitas tamen ſortis fecit, ut partitio ejusmodi non minùs Regnum, quàm Regentium animos divideret (x). Anno enim inſequente, dum Hunoldus olim ex Aquitaniæ Duce Monachus, depoſito nunc cucullo in novas ſpes armáque prorumpebat; Carolus bello petitus à Carolomanno impetrare haud poterat, ut manus viréſque fratri jungeret, invidiâ uno ortos Patre, uno utero natos in diverſa diſtrahente, aut tot vincula, quæ natura adſtrinxerat, reſcindente. Carolus ſibi igitur ſoli relictus modico cum exercitu in rebellem Hunoldum movet. Necdum Engoliſmæ confinia ſuperaverat; tum hoſtis jam trepidus fugam circumſpicit: atque ut tutiùs lateret, ad Lupum Vaſconum Ducem elabitur: fugientis veſtigia Carolus ſecutus, factioſum virum, transfugámque ſibi reddi à Duce poſcit: nî faciat, Aquitaniæ excidium comminatur. Lupus ne alterius pœnam odiúmque in ſe ſuóſque transferri ſineret, ultro Hunoldum Carolo tradit in Franciæ Regnum deducendum (y). Carolum in Neuſtriam reverſum peſſimè habebat Carolomanni contemptus, quódque nuper de mittendo milite appellatus plus ambitioſis Aulicorum conſiliis, quàm fraternis precibus dederit: Bertrada igitur Regis utriusque mater benè gnara, nullam capitaliorem diſcor-

Partitio Regni Pipiniani. (u) Append. II. Cont. Fred. Vide Eckhart. p. 600. (x) Eginh. in V. Carol. Mag. c 3. *Caroli Aquitanica expeditio contra Hunoldum.* (y) Annal. Petav. An. 770.

An. 770.

ſcordiam eſſe, quàm ſanguinis: & duo corporis capita, ſi diſſentiant, monſtrum eſſe, neutrúmque ſtare poſſe, niſi alterum juvet; eò ſollicitas impendebat curas, ut fratrum diſſidio (z) conſanato, tum civilia, tum externa, quæ jam gliſcebant, bella averteret. Taſſilo enim Bajoariæ Dux nuptiis cum Deſiderii Longobardorum Regis filia Luitberga initis, fœderibúsque ferox palàm rebellabat: nec Deſiderius ſocer generi partibus deſuturus credebatur; propterea quòd Regibus Franciæ (veluti Papæ & Romanæ urbis Patriciis ac defenſoribus) non diſſimulanter infenſus tempus exſpectabat, quo Pontifici civitates ac terras rapere, & in turbatæ Franciæ ſinum belli flammam projicere poſſet. His malis contraitura Mater, Saloſſi binos fratres ad amicitiam reducit (a); tum in Bajoariam profecta, nepotem Taſſilonem conciliat: demum ut diuturno fœdere diſſidia compoſita ſtarent, ad Deſiderium in Italiam properat, mutuósque ſanguinis & affinitatis nexus pacta, Giſelæ filiæ ſuæ cum Adalgiſo Deſiderii filio nuptias condicit (b), viciſsimque Carolo Neuſtriorum Regi à Longobardorum Rege filiam ſponſam expetit. Deſiderio geminum connubium honorificum æquè ac utile erat, nam præterquam quòd barbarum ſanguinem ſuum hâc conjunctione nobilitatum iri cerneret, tum etiam ſibi perſuadere poterat, à Francis hoc vinculo obſtrictis haud commiſſum iri, ut Romano Pontifici potiùs ſua tuenti, quàm amico Longobardo quantumvis ambienti auxilia darent (c). His peractis Bertrada Romam ivit, ſive religionis causâ (d), ſive ut divortium Caroli cum prima & vivente adhuc uxore, novúmque cum altera Deſiderii ſobole vinculum Pontifex probaret (e). Verùm Paſtori Supremo aliter viſum eſt, imò Legatis ad Reges Carolum & Carolomannum miſſis cavebat, ne cum fœda & ſordida gente, néve cum infenſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus Martelli & Pipini ſive Romanæ urbis & Pontificis Defenſorum hæredes in eam neceſſitudinem venirent, quæ ipſis piaculo, Eccleſiæ exitio foret (f): monitis Stephanus III. (quem alii IV. vocant) cœleſtes diras apponebat, quibus, niſi à deterrimis nuptiis abſtinerent, eos à Deo, Regno alienos, & communione fidelium privatos pronunciabat. Graviſſimis ſanè literis adeò nihil effecit Pontifex, ut adnitente Matre Carolus Deſiderii filiam protinus duceret (g). Vix tamen annus

(z) Annal. Bertin. a. 770.

Bertrada mater conciliare conatur diſſentientes fratres.

Taſſilo in obſequium Caroli reducitur.

(a) Ep. 47. Cod. Car.

(b) Annal. Loiſel. a. 770.

Pacta Bertradæ cum Deſiderio Rege.

(c) Annal. Petav. a. 770.

Bertrada venit Romam.

(d) Annal. Laureſham.

(e) Eckhart. rer. Fr. l. 24. p. 607.

Papa diſſuadet connubium cum filia Deſiderii.

(f) Ep. 45. Cod. Carol.

Carolus Rex filiam Deſiderii uxorem ducit.

(g) Annal. Nazar.

annus defluxerat, tum Carolus (incertum de qua causa) Longobardam è thoro dimittit (h), & Hildegardem de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis fœminam in uxorem, & futuram numerosæ sobolis matrem accepit: factum ejusmodi, quo Carolus jam alterâ uxore abdicatâ tertiam ambiret, multis offensioni fuit, & facinoris impatientia Adalhardum Caroli consobrinum adeò urebat, ut ab aula digressus, Monachum induerit (i).

(h) Eginhard. in V. Caroli M. c. 18.

(i) Paschasius Ratbert. in V. Adalhardi c. 7.

Obitus Carolomanni.

15. Carolomannus post has Caroli nuptias non diu in vivis erat; eodem quippe anno fato functus juxta urbem Remorum in Basilica S. Remigii sepultus est (k). Carolus utprimùm de morte fratris cognovit, prætermissis duobus Carolomanni filiis, ipse ex Procerum consensu universæ Franciæ Regnum adeptus est. Vidua molitionibus Caroli impar, id saltem agebat, ut liberos ab hoc naufragio in meliores spes, ínque tutelam Desiderii subduceret (l). Nihil optatius esse poterat Longobardorum Regi, quàm in potestatem recepisse pignora ejusmodi, quæ vel illatæ a Francis sibi nuper injuriæ vindicandæ, aut belli per Italiam serendi occasionem darent. Nam utprimùm Carolomanni vidua Ticinum advenerat, Desiderius ad Hadrianum Stephani III. successorem Legatos misit, qui poscerent, ut Pontifex Carolomanni filios in Reges ungeret (m). Hadrianus facilè suspicatus est, quod res erat, nempe Desiderium id agere, ut maligno consilio Francorum vel divideret vires, aut à Caroli amicitia separaret Romanum Pontificem, facili negotio, propugnante nullo, opprimendum; sin contrà Pontifex petita negaret, causam belli inferendi à Barbaro quæri. His expensis Hadrianus negavit, sibi omnino fas esse ungere Reges, qui nondum se per ætatem regerent, quíque totius Regni consensu abdicati essent & dejecti; quo responso efferatus Rex Romanorum urbes populanti similis invasit. Pontifex etsi legationum obsequio mollire Principis iram adniteretur; ille tamen nihilo mitior palàm jactabat, se propediem cum exercitu ad portas Romanas fore. Hadrianus igitur clausâ & munitâ tantisper urbe, mari (nam Alpium transitum hostis occluserat) Legatos ad Carolum Francorum Regem mittit (n), qui peterent, ut is exemplo Patris Pipini laboranti Ecclesiæ opem ferret. Desiderius sive Saxonum bello occupatum minùs timeret, sive Oratorum

(k) Annal. Bertin. a. 771

Ejus vidua fugit ad Desiderium.

(l) Annal. Metens. an. 771. Eginhard. in V. Caroli Magni c. 3.

(m) Anastas. in V. Hadriani.

Desiderii Longobardi & Hadriani Pontificis diffidium.

An. 772.

Hadrianus legatos mittit ad Carolum Regem.

(n) Annal. Tiliani an. 783. Annal. Metenses.

torum ſuorum, quos & ipſe ad Carolum miſerat, artibus confideret; quaſi periculi ſecurus, Romam ire conſtituit, ut ſeu vi ſeu fraude inaugurationem filiorum Carolomanni extorqueret. Negabat verò Pontifex, ſe antea Regem videre poſſe, quàm is Eccleſiæ rapinas reddidiſſet. Longobardus his contemptis inſtat itineri; Hadrianus verò collecto ex propinquis civitatibus milite urbem inſtruit: tum Præſules ad Deſiderium properare jubet, qui poſtremas Eccleſiæ diras in Regem pronuntiarent, ſiquidem injuſſu Pontificis fines Romanorum ingredi præſumeret: quibus minis abſterritus Rex ad ſua receſſit (o). Interea Carolus Saxonum Victor in Franciam reverſus, in Theodonis villa ea acceperat, quæ per idem tempus Pontificis legati de Deſiderii injuriis querebantur; verùm dum Longobardorum Oratores ſatisfactum Pontifici, reſtitutáſque urbes mentiebantur (p), placuit Regi aliquos ex ſuis Romam mittere, qui de re certiùs cognoſcerent: hi ubi veriora nunciaverant, alios ad Deſiderium Carolus Legatos dirigit, oraturos Regem, ut numeratis quatuordecim aureorum millibus contentus urbes redderet, bellúmque pace mutaret. Quâ conditione repudiatâ Carolus confeſtim militem verſus Alpes ducit: Genevæ exercitum mox in duas partes partitus, alteram tradit Bernardo Patruo per montem Jovis deducendam, alteram ipſe per Cineſium præibat. Ad fauces Alpium, quas Longobardi firmiſſimis munimentis obſepſerant, collectum rurſus exercitum morari jubet; dum Deſiderii animum novis conditionibus ad pacem inclinâſſet (q). Sed poſtquam cæcâ pertinaciâ Longobardus obduruerat, Carolus nihil cunctandum ratus (r), partem exercitûs ad clauſtra occupanda immittit: quod cùm difficillimo labore trepidi Franci ſuſciperent, cœleſti vi agente major Longobardos terror invaſit (s), egítque in fugam; direptis igitur caſtris Carolus Ticinum pergit, quorſum Deſiderius cum ſuis Optimatibus profugerat. Ne tamen omnis Longobardorum fortuna intra unius urbis mœnia concluderetur; Deſiderius Aldegiſum cum liberis Carolomanni & vidua Veronæ imponit: nempe, ut ſi quid Patri humanitus accideret, filius ad ſpem Longobardici Regni ſervaretur (t). Sed Carolus conſilium Regis everſurus, partem exercitûs ſui Ticino, alteram Veronæ applicuit. Armorum vis citiùs ancipitem

Deſiderius imminet Romæ, & recedit.

(o) Anaſtaſ. in V. Hadriani P. An. 773.

(p) Idem l. c.

Caroli expeditio Italica contra Deſiderium.

(q) Anaſtaſ. in V. Hadr.

(r) Annal. Met. a. 773.

(s) Poëta Saxo a. 773. Fragm. Longobar. Paul. Diac.

(t) Anaſtaſ. in V. Had. P. Cointius ad an. 773 §. 18.

(u) Annal. Loisel. an. 774. *Expugnatio Veronæ.*

An. 774.

(x) Anastas. in V. Hadr. P. *Multæ urbes se sponte Pontifici subjiciunt.*

(y) Annal. Eginhard. an. 774. *Carolus invisit Romam*

(z) Anastas. in V. Hadr.

An. 774.

(a Anastas. in V. Hadr. *Carolus Pontifici donationem Pipini confirmat & auget.*

Veronensium fidem inclinabat, unde Aldegiso, antequam in hostium incideret manus, clàm elapso, vidua ultro se, liberósque ac urbem dedit (u). Obsidio Ticini aliquantò longiùs, scilicet in sequentem annum extracta est; quare Carolus ne, dum abesset, infensi animi in suos domi quid molirentur, Hildegardem uxorem, filiósque in castra è Franciâ adduci jussit (x): cum his ad Papiæ mœnia considente Rege, Firmani, Auximani, Anconitani & castelli Fulginatis incolæ id, quod Spoletini & Reatini multò antè fecerant, ad S. Petrum confugêre, ubi jurejurando fidelitatis præstito, ad morem Romanorum attonsi se Pontifici submiserunt. Sextus mensis jam agebatur, quo Ticinum per hyemem obsessum fuerat; tum Carolum invisendæ Romæ cupido subiit (y): curatis igitur iis, quæ ad obsidium pertinebant, adjunctis sociis Ducibus ac Præsulibus Romam Rex contendit. Illuc in Pervigilio Paschatis delatus, inter summas honoris significationes piósque plausus excipitur (z); tum post prælatas Cruces pedibus ad atrium S. Petri procedens, singulis ad Basilicam gradibus oscula pia fixit, donec ad summum limen ascendisset; ubi consistens cum Clero Pontifex Charissimum Filium amplexus, eundem in Basilicam deduxit; inde ad corpus S. Petri fusis precibus, fœdus mutuum Pontificem inter & Regem sacramento firmatum est: subinde Carolo id roganti potestas data visendi urbem, & præcipuas Ecclesias, quo facto vicissim Pontifex precabatur à Rege, ut Exarchatum aliásque urbes, quas B. Petro Pipinus Pater donaverat, easdem & suo suffragio donatas sanciret (a). Hadriani votis amplissimè Carolus satisfecit; nam & scripto per Etherium instrumento confirmatis prioribus Ducatum Spoletinum insuper addidit, plura postea liberaliter donaturus. His peractis Ticinum reversus Rex, urbem, quam pestis atrocitas ad ultima inclinaverat, simúlque Desiderium tot ærumnis fessum una cum uxore in deditionem accepit; Longobardorum inde regnum, (*15), Regíum-

(*15) *Regnum Longobardorum* hoc tempore *à meridie* claudebatur mari Mediterraneo, Neopolitano tractu, aliísque ibidem urbibus ad Græcos pertinentibus. *Versus Occidentem & Septentrionem* terminabatur Franciâ, Alemanniâ & Bajoariâ. Cæterùm præcipui Ducatûs Longobardicæ Dominationis erant; Ducatus *Spoletinus*, *Forojuliensis* & *Beneventanus.* Ex his Papa sibi vendicavit illum tantùm, quem versus Orientem Misus fluvius

giúmque nomen adeptus Carolus sanciebat ea, quæ ad novi Regni tutelam facerent; quo consilio Ducibus Longobardorum ditiones quasdam (b), urbiúmque regimen permisit, ut in recens corpus vetera membra faciliùs coirent (*16). Majora pro Italiæ commodo parantem Carolum repentè Saxonum motus avocârunt; Gens ea tum naturâ ferox, tum ob dœmonum cultum à Christianis sacris aliena vicinas Francis tenebat sedes, ex quibus cùm multas inter cædes ac rapinas *Westfali* sive Occidentales, *Ostfali* à Visurgi ad Albim positi, & *Angarii* sæpe prorumperent, Franci his populationibus irritati apertum bellum moliebantur, quo nullum diuturnius, nec Francorum populo difficilius susceptum est (c). Nam præterquam quòd hostes per triginta tres annos in armis starent, tum semper magnâ utrinque alacritate, majore tamen Saxonum, quàm Francorum damno res gerebatur. Anno primo ab aditu universæ Franciæ Regni, sive anno DCCLXXII. Carolus conventu Wormatiæ habito bellum contra Saxones decrevit, tum Saxoniam ingressus, firmissimo castro Eresburgo expugnato (d), idolum etiam gentis, cui *Irminsulæ* nomen, destruxit (*17).

(b) Eginhardi Annal. Poëta Saxo an. 776.

Bellum Saxonicum.

(c) Eginhard. in V. CaroliM.c.7.

(d) Annal. Nazar. an. 775.

Ooo ooo 3 Mox

fluvius, versus Occidentem Padus, versus Septentrionem Tartarus circumfluunt, quíque versus Meridiem Apenninos montes includit. His adjecit Carolus Ducatum Spoletinum, illámque regionem, quæ inter Pentapolim & Romanam ditionem sita est. Reliquas terras sive duas ferè Italiæ partes Carolus Victor sibi retinuit; nam tertia Italiæ pars, quæ mari utrinque clausa est, unà cum Sicilia Constantinopolitano Imperatori adhucdum propria erat.

(*16) Ante expugnatam Papiam *Carolum Longobardorum Regem* appellatum esse, constat ex epistola Cod. Carol. 55., huic quippe inscribitur *Carolo Regi Francorum, & Longobardorum Hadrianus Papa.* COINTIUS & PAGIUS ex diversis diplomatis ostendunt, eundem Regem à die incerto mensis Aprilis, vel etiam à mense præcedenti jam Regni Italici annos numerâsse, ob receptas nempe plerásque Regni Longobardici civitates; vide etiam ECKHARTUM lib. 24. rer. Franc. p. 652. n 168., ubi Epocham Regni Italici à Carolo adhibitam demonstrat primam fuisse ante 30. mensis Martii. Alteram verò à capta Papia anno 774. post diem IX. Maji, sed ante XIII. mensis Junii.

(*17) ANNALES PETAVIANI. *Venit ad locum Irminsul, & succendit* hunc locum, vel ùt TILIANI. *fanum destruxit.* ANNAL. FULD. ajunt: Carolum *Idolum Saxonum, quod vocabatur Irminsul, destruxisse*; ADAM BREMENSIS Hist. l. 1.c. 5. *Truncum quoque ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum sub divo colebant, patriâ eum linguâ IRMINSUL appellantes, quod latine dicitur Universalis columna quasi sustinens omnia.* Hanc columnam ligneam ferunt fuisse in honorem Irmini sive Armini Deastri positam; sed ex Poëta Saxone colligitur, eam Irmini columnam, quâm Carolus M destruxit, è lapide constructam extitisse: hæc in luco stetit, & in propinquo ædiculam habe.

Mox ad Visurgim amnem eluctatus, hostibus poscentibus pacem, acceptis in fidei pignus duodecim obsidibus in Franciam se recepit (e): inde in Italiam à Pontifice contra Longobardos vocatus, summâ felicitate & belli turbas, & Barbarorum regnum ibidem extinxit (f). Sed dum ad Ticini obsessi mœnia diutiùs considet, Saxones securi discriminis Franciæ finibus signa & vim inferunt; jámque Buriburgum ad Ederam populati, etiam Ecclesiæ, quam S. Bonifacius in loco vicino *Frictislar* erexerat, ignem admoverant; tum duo juvenes sive cœlestes Genii visi sunt, qui flammas vel coërcerent, vel in hostes averterent (*18); quo prodigio con-

(e) Annal. Eginh. a. 775.

(f) Vide Sigon de regno Italiæ.

An. 775. *Altera expeditio Saxonica.*

habebat; pro reponendis donariis. De loco, ubi Irminsula culta sit, non una est opinio, Scriptoribus aliis Eresburgum, aliis alium locum designantibus. ANNALES LAURESHAMENSES loci notitiam faciunt, dum ajunt: *Contigit, ut propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed ne diutiùs siti confectus laboraret exercitus* (Caroli M.) *divinitus factum creditur, ut quâdam die, cùm juxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret.* Ex hac narratione colligitur, Irminsulam nullatenus Visurgi aut alteri flumini vicinam fuisse; nam aliàs aquarum tantâ penuriâ milites non laborâssent. Hodie adhuc in Ecclesia Cathedrali Hildesheimensi monstratur Irminsula sive columna ex eleganti sive polito marmore facta, atque aliquot circulis ex aurichalco cincta, quæ post altare Omnium SS. posita cereo portando deserviebat; postea è choro translata, & ibidem juxta gradus chori altari apposita est, gestátque B. M. Virginis imaginem. Vide plura in Monumentis Paderbornensibus p 106. Item Meibomium de Irminsula Sax. c. 1. Schatenium in Hist. Westph. Buhnau in Hist. Imp. P. II. L. II. p. 350.

(*18) ANNALES FRANCORUM apud Bouquet Tom. V. p. 19. *Ipsi Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum usque Buriaburg. Ipsi confiniales castello sunt ingressi, & ipsi Saxones venerunt ad quandam Basilicam* (in loco) *qui dicitur FRICTISLAR, quam S. BONIFACIUS consecravit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quòd nunquam incendio cremaretur. Cœperant autem ipsi Saxones cum nimia intentione adversus ipsam Basilicam* (certare), *quemadmodum eam per quodlibet ingenium cremare potuissent. Et dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis, qui erant in Castello, similiter & quibusdam paganis, qui in ipso loco aderant, duo Juvenes in albis vestibus, qui ipsam Basilicam protegebant, & non fuit concremata: sed nutu Domini in fugam versi sunt nemine persequente.* Ex aliis ANNALIBUS FRANCORUM, quos Rhegino secutus ast, & quos refert Bouquetius T. V. p. 38. additur: *Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam Basilicam, genibus curvis, adclinis super pedes habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset.* Eadem versibus illigavit Author, qui claruit tempore Arnulphi Imp.; habetúrque apud Leibnitium in Scriptoribus rer. Brunswicens. p. 120.

Tales Italicis dum res agerentur in oris,
Saxones sibi contiguos invadere fines
Ausi, Francorum pagum, qui dicitur Hassi,

Prædan-

conterriti Saxones in suas sedes revolârunt. Carolo hæc gentis inquietatio sat causæ fuit, ut Duriæ antè explorato Optimatum congregatorum sensu, ad hostiles motus coërcendos festinaret (g). Rheno ad castrum Bonnam transmisso, primo impetu Sigeburgum occupabat; deinde Eresburgo, quod hostes interea receperant, in potestatem redacto ac restaurato, Brunsbergam ad Visurgim processit: ab altera fluminis parte transituro obsistebant Saxonum copiæ, sed his majore ausu devictis fugatísque, per Sollingam sylvam viam sibi Victor in Saxoniam Orientalem, sive ad Obacrum usque fluvium aperuit (h): ibi Ostphalorum Dux Hassio cum suis se Regi subdidit, cujus exemplum paulò pòst Bruno Dux Angariorum secutus est. Westphali soli erant, qui arma ponere renuebant, clades tamen, quâ pertinaces Carolus subinde attrivit, illis aliam prorsus mentem ingessit.

(g) Annal. Loisel. Poëta Saxo an. 775.

(h) Annal. Bertin. Annal. Metenses.

17. Dum Saxonia reddebatur paci, Italia novas turbas, belláque parturiebat: Leo Ravennatium Præsul Æmiliæ urbes ac Ferrariæ Ducatum cum universa Pentapoli occupaverat; id maximè mentitus, eas regiones sibi à Carolo concessas fuisse. Hadrianus igitur Pontifex missis litteris à Rege Francorum auxilium, ut rerum ipse arbiter in Italiam rediret, rogitabat (i). His multò tristior subinde nuntius accessit, qui ferebat, Optimates Longobardorum regiis consiliis refragari. Permiserat Carolus Ducatum Beneventanum Aragiso Desiderii Regis genero; Forojuliensem Rotgaudo, & Clusinum Reginaldo. Verùm illi ægrè ferentes Imperii summam Longobardis ereptam, eò jam vires animósque vertebant, ut Adalgiso Desiderii filio commodarent manus,

Italiæ turbæ.

(i) Ep. 54. Cod. Carol.

Pontifex rogat rursus opem à Carolo.

Prædantur, flammísque simul populantur & armis,
Quos animavit ad hoc longinqua profectio Regis,
Credentes, ulciscendi sibi nunc fore tempus
Damna priùs per eum, quæ maxima sustinuêre.
Qui tamen usque locum, qui FRIDESLAR vocitatur,
Progressi, quandam cupierunt tradere flammis
Ecclesiam, quam sacravit Bonifacius illic
Martyr, & Antistes Christo dilectus in ævum.
Hoc frustra nisos facinus complere nefandum,
Invasit subitò terror divinitus ingens,
Atque fugâ turpi trepidos repedare coëgit
Ad patriam, quos non hostes, non arma fugârunt.

manus: & ſiquidem ſors belli feliciùs caderet, Regnum Longobardis reſtitutum irent (k). Carolus ut rebelles compeſceret, ſub initium anni DCCLXXVI. cum valido exercitu perrexit in Italiam, & Rotgaudum Forojulienſem Ducem victum, captúmque ultimo ſupplicio affecit (l); quo exemplo territi cæteri ad officium redière. Equidem Regi Francorum deliberatum fuerat, eodem tempore adire Romam, ut illic Hadriani Pontificis rebus proſpiceret, tum ut filium, quem Hildegardis Regina nuper genuerat, ipſo die Paſchatis è ſacro fonte faceret levari (m); ſed bellum contra Saxones, ac deinde contra Hiſpanos gerendum impedimento fuit, quominus ante annum DCCXXXI. Romam videre potuerit. Ac primò Saxones Eresburgo caſtro rurſus occupato, vi majore Sigisburgum invaſerant (n); non inde deceſſuri, niſi prodigio quodam profligati fuiſſent. In attonitam adhuc ſuâ clade & fugâ gentem confeſtim invectus Carolus adventûs ſui famâ ita cunctos exterruit, ut inermes ſupplicum more ad Lippiæ amnis (o) fontem Regi obviam facti veniam factorum, pacémque peterent; quam ut exorarent, plures ejuratis idolis cum ſalutari lavacro Chriſti ſacra amplexi ſunt. Ita receptis obſidibus Saxones denuò Carolus pace donavit, ſed ne gens inſtabilis facilè in novos auſus prorueret, Paderbornam ſequente vere cuncti Saxonum Proceres in Comitia vocabantur, ubi dicto palàm ſacramento in hanc legem jurabant, ut ſi in poſterum fidem violarent, libertate & Patriâ in rebellionis pœnam privarentur (p).

18. Necdum à conventu Paderbornenſi Carolus diſceſſerat, tum in mediam Procerum coronam ſe Saracenorum Regulus inferebat, qui ex intima Hiſpania huc demum venerat, Caroli opem imploraturus (q). Erat hoc ad gloriam Regis Franciæ, & ad metum Saxonibus incutiendum; Binaralabus enim (hoc Saraceno erat nomen) ab Abderahmano Hiſpaniæ Tyranno preſſus, & Cæſaraugustâ (ſuâ ſede) exutus, ad ſuî præſidium Regem eò faciliùs inducebat, quòd ſpem injiceret, univerſæ cis Iberum Hiſpaniæ occupandæ (r). Sed dum ad arma in Hiſpanos Saracenos vertenda ſe Carolus accingit, moram injecêre Regi legationes repetitæ Pontificis (s), quibus is promiſſum in urbem adventum Caroli ad expedienda contra Duces Longobardos & adverſus Leo-

(k) Ep. 58. 59. Cod. Car. Coint. ad an. 775. §. 1.

An. 775.

(l) Chron. Moſſiac. an. 776. Annal. Petav. ibid.

(m) Ep. 49. Cod. Carol.

Nova expeditio contra Saxones.

(n) Annal. Bertiniac. Item Metenſes.

(o) Annal. Petav.

Saxones rúrſus victi donantur veniâ

(p) Annal. Eginhardi.

(q) Annal. Pithœa. 777.

An. 777.

Saraceni implorant auxilium Caroli pro Italia tarbis.

(r) Annal. Loiſel.

(s) Ep. 50. Cod. Carol.

Leonem Ravennatem Præsulem negotia urgebat. Carolo nihilominus tunc è re visum est, prætermissis tantisper Italiæ Alpibus, Pyrenæos montes invisere. Hos igitur postquam magnis itineribus accesserat, exercitum Rex ita divisit, ut dum pars per Ruscinonensem agrum tenderet, ipse cum altera exercitûs parte in prærupta montium ex Vasconum Regione eniteretur (t). Intrementibus Saracenis Pampelo (Navarrorum oppidum) primo impetu capta est (u): postea ubi duæ exercitûs partes Cæsaraugustæ convenerant, hæc quoque urbs subacta, & Ibinaralabo reddita est. Deinde ad Iberum usque, Carolus Saracenorum Præfectos aut Regulos acceptis obsidibus suæ fidei ac tutelæ submisit (x). Plura agere non poterat Francus miles ardentis soli planè impatiens: & reditum anhelantem exercitum eò libentiùs Carolus reduxit, quò certiùs renunciabatur, Saxones solitâ perfidiâ Franciæ fines populari. Angusta Alpium Francorum copiæ jam ingressæ fuerant; tum Vascones (vias utrinque obsidentes) eruptione subitâ in ultima agmina assiliunt, impedimentísque direptis milites præcipuósque Duces cædunt (y), inter quos Rolandus tot fabulis celebris etiam occubuisse fertur (*19). Dolorem, quem inde Carolus ceperat, conjux Hildegardis per idem tempus duorum Principum Lotharii & Ludovici partu lenivit (z). Interea alii ex aliis nuncii Antissiodorum usque Carolo occurrentes monebant, ne belli flammam, quâ Saxones Rhenum & Mosellæ confinia jam succendissent (a), extinguere cunctaretur. Witechindus nimirum implacabilis Francorum hostis ab eo tempore evaserat, ex quo nuper armis Caroli devictos Saxonum Primores non tantùm sub Francicum jugum, sed & in Christi fidem transire vidit. Indignatus proinde ad Danorum Regem secessit, dum libertatis reparandæ, & religionis Patriæ vindicandæ occasio foret. Igitur dum

Carolus in Hispaniam movet.

(t) Annal. Naz. a 778. Annal. Eginh. ibid.

(u) Chron. Mossiac an. 778.

(x) Annal. Til. an. 779.

Reditus Caroli ex Hispania cruentus.

An. 778.

(y) Eginh. V. Caroli M. c. 9.

Nascuntur filii duo Caroli M., scil. Lotharius & Ludovicus.

(z) Anonym. in V. Ludovici Pii.

Nova Saxonum irruptio

(a) Annal. Loisel a 778. Annal. Bertin. ibid.

(*19) ECKHARTUS l. 24. rer. Franc. p. 656.: *Rutlandus* Comes sive Marchio limitis Britannici, Audæ, sororis Autcharii, maritus, à Recentioribus *Rolandus* dictus, in heroem Giganteum à cantoribus Provincialibus erectus, & contra Historiæ fidem ex sorore Caroli M. nepos creditus est. Fabularum de illo magna seges, â Pseudo-Turpino Monacho coacervata est. Vide etiam hic BUHNAVIUM in Hist. Germ. Imperator. & Imperii P. II. L. II. p. 305. Conferatur commmentatio Historico-Politico-Juridica de Statuis & Colossis Rolandinis, quæ Authore Nicolao Megero Basileæ anno 1675. edita est, & Halæ Magdeburgicæ ob raritatem recusa anno 1739. De quibus fortè alibi plura differendi locus erit.

Saxones cæduntur. dum Carolus longiùs in Hispania abest, opportunum tempus nactus ad Rheni confinia cædibus ac populationibus evastanda hortatur. Utprimùm Carolus de hostium grassatione audiit, confestim selectas cohortes in prædones immittit: qui Francorum adventu territi, & dum ad Adranam sive Ederam fluvium elabuntur, deprehensi tantam tulêre stragem, ut nec nuncius acceptæ cladis superfuerit (b).

(b) Annal. Eginhard. ad an. 778. Annal. Loisel. ibid.

An. 779. *Leges Caroli M.* 19. Carolo uti armis suæ Franciæ incolumitati prospicere, ita eam ordinare legibus curæ fuit; nam Compendii (c), & subinde Duriæ in campo Martio capitula ea decrevit, quæ & sacris & civilibus rebus percommoda forent (d). Dissoluto Duriensi cœtu rursus in Saxones movêre Franci, & munimentis hostium ad Lippiam destructis, deinde Westphaliâ subjugatâ (e), Medofullum ad locum Visurgi adsitum perrexerunt: illic Rex ab Angariis & Ostphalis fidei sacramentum accepit, simúlque nova capitula Francis suis publicavit (f). Postea ad Sclavos, qui & Winidi vocantur, trans Albim arma prolata sunt, quibus eâdem sorte in fidem adactis, Carolus (ùt Hadrianus Pontifex dudum petierat) Romam cum uxore & duobus filiis, Carolomanno & Ludovico (g) profectus est. Omnes Papa honorificè amplexus Carolomannum Pipini nomine vocatum sacrísque undis ablutum Regem Italiæ, Ludovicum verò Aquitaniæ Principem ungebat (h); cui Provinciæ subinde præpositus sub Arnoldo juventutis moderatore Aquitanos regere cœpit (i). Cæterùm Carolus vulnera Pontificiæ Sedi hucusque illata sanaturus loco Ducatûs Spoletani Sabinensem regionem concessit (k); tum in Germaniam reversus primùm Wormatiæ, deinde ad Lippiam prope Paderbornam cœtum Procerum habuit, in quo Saxonum genti gratum facturus ei ad morem aliarum Provinciarum Comites imposuit (l); deteriore tamen, ac speraverat, eventu: nam Witechindus, qui alterâ jam vice in Daniam se receperat, ubi absente Carolo ex suo latibulo redierat, hos ipsos Comites unà cum populo magnam partem in factiosa consilia sua pertraxit (m); quare Ecclesiis, ac cunctis, qui Christo dederant nomen, summa vis inferebatur. Horum facinorum cùm Dux unus & author Wintechindus esset, ad eum compescendum Thedoricus Comes cum Ripuario in Saxoniam

(c) Annal. Bertin. a. 776
(d) Baluzius Legislator T. II. p. 195.
(e) Annal. Tiliani. Anonym. in V. Car. M.
An. 780.
(f) Eckh. rer. Fr. l. 24. p. 673.
An. 781
(g) Annal Eginh. ad an. 781.
(h) Appendix ad Chronicon Nibelungi.
(i) Anonym. in V. Ludovici Pii.
(k) Codex Carol. Ep. 56. 69. 76. 178.
(l) Rhenanus rer. Germ. l. 2.
An. 782. *Saxones Christianos Francos occidunt.*
(m) Vita S. Wilehardi c. 6.

xoniam venit, cui ſe adjunxêre ſubinde aliæ copiæ Francorum, quas Carolus contra rebelles Sorabos paulò antè præmiſerat (n); Francis enim id primum Theodoricus perſuaſerat, ut omiſsâ tantiſper, cui delecti erant, Provinciâ, ſibi arma ſociarent, dum Saxonibus debellatis in Sorabos irent. Laudavêre non tantùm Franci conſilium Ducis, ſed ut victoriæ gloriam Ripuario præriperent, trajecto clàm Viſurgi ſoli hoſtem tumultuariè adoriuntur; Saxones è diverſo Francos cœco impetu raptos fortiter excipiunt, pluribúsque cæſis pugnantium temeritatem caſtigant (o). Carolus poſtquam nuncium cladis cognoverat, rei geſtæ infamiam ulturus in Saxoniam feſtinat, & quæſtione de turbarum concitatoribus factâ, comperit Witechindum belli facem tubámque eſſe. At cùm ſeditionis Author in Daniam revolâſſet, Francorum Rex alios facinoroſos, qui Witechindo adhæſerant, ad amnem Alarum interfici juſſit (p). Una igitur dies quater millenis & quingentis viris tunc non ſine crudelitatis nota caput vitámque abſtulit. Poſt funebrem hanc ſcenam domi etiam ſuæ Carolus funus invenit; nam Hildegardis conjux diem ſuum obierat, cui eodem anno Rex Wormatiæ Faſtradam Radulfi Comitis filiam ſurrogavit (q). Domeſticis expeditus curis in domanda Saxonia multò graviorem Carolus operam ponendam duxit; itaque Rheno circa Veſaliam ſuperato ad locum *Teutmalli* primò hoſtes internecinâ ſtrage fudit: deinde ad Haſſam fluvium Weſtphalos decretorio conflictu contrivit (r). Minoribus præliis ſequente anno contra Friſones & Orientales Saxones tum adverſus Weſtphalos res peracta eſt; neque antè bello impoſitus finis, dum Witechindus & Albio Saxonum præcipui Duces arma ponerent (s); & erat annus DCCLXXXV., quo iidem ſive Patriæ cladis miſerati, ſive veniâ factorum promiſsâ illecti, receptis antè ſecuritatis causâ obſidibus, per Amalungum pacis bellíque diribitorem Attiniacum ducerentur, ubi fœdere inito Carolo obſequium ſpondebant, ſimúlque abdicato Paganorum cultu, ſacris undis abluti in fidem Chriſti conceſſerunt (t).

20. Triumphus hic Clementiæ ac Religionis tanti à Pontifice habitus eſt, ut merito Victori ſcriptis literis gratularetur (u). Sed vix gloriæ pacíſque iſtius primos fructus Carolus perceperat, tum

Carolus in Saxoniam mittit copias.

(n) Annal. Eginh. a. 782

Æmulatio & invidia Francorum ſortem profligant.

(o) Poëta Saxo a. 782. Annal. Bertin. an. 782.

Carolus crudeliter cladem perceptam ulciſcitur.

(p) Annal. Met. an. 782. Annal. Pithœ. ibid.

An. 783.

Obitus Hildegardis Regin. cui Faſtrada ſurrogatur.

(q) Annal. Eginh. a. 783

(r) Annal. Loiſel. Metenſ. ib.

An. 784.

(s) Annal. Loiſel a. 783.

An. 785.

Pax inter Carolum & Witechindum.

(t) Annal. Laureshamen. 785.

(u) Ep. 91. Cod. Carol.

An. 786. *Conjuratio contra Carolum.* (x) Eginh. in V Caroli M. c. 20.

tum Hartradus cum Proceribus quibusdam Orientalis Franciæ ſive Franconiæ in Caroli jurabant caput, cujus ſceleris origo inde petita eſt (x): Francus ortu nobilis Thuringi, filiam ſibi in ſponſam adoptaverat; cui connubio cùm Pater ſponſæ gentis odio reſiſteret, Faſtradâ Reginâ impellente, Carolus Thuringum monuit, ne nuptiis intercederet. At ſponſæ Pater repugnare regiis juſſis certus, etiam Francones Thuringósque induxerat, ut Carolo necem machinarentur. De perfidia ubi compertum; conjurationis conſcii partim excæcati, partim multati bonis, Patriam exilio mutârunt (y). Reſtitutâ per Regnum quiete publicâ Rex Italiam adiit, ibíque Aragiſo Beneventanorum Duce domito & in fidem revocato, urbes Campaniæ, quas Carolus rebelli antea eripuerat, Pontifici donavit, atque ut liberalitatis Regiæ multò amplior locus foret, addidit & in partibus Tuſciæ ſita Longobardorum oppida. Inde in Taſſilonem Bajoariorum Ducem arma verſa ſunt: egerat de hoc homine toties ſeditioſo, nunc in ordinem redigendo paulò antè Carolus cum Pontifice; & placebat utrique mitti Legatos, qui Taſſiloni ultima de fide, quam non ſemel fregerat, tandem præſtanda, monita darent (z). Taſſilo his nil aliud dedit, quàm ut Oratores Romam ablegaret, qui potiùs Regi & Papæ illuderent, quàm negotium conficerent pacis. Carolus ne ultima conciliandi Ducis remedia negligeret, Wormatiam digreſſus, Taſſilonem in Comitia vocat: nec intereſſe Dux abnegâſſet, niſi Luidgarda uxor (filia Deſiderii poſtremi Longobardorum Regis) Carolo velut Paterni imperii everſori infeſta, Marito alia negotia ingeſſiſſet: itaque dum jubenti Regi Dux obſequi cunctatur, ex Procerum conſenſu exercitus trifariam diviſus in Bajoariam tendit, incluſúmque undequaque Taſſilonem cogit, ut ſupplex pro pace clientelam palàm profiteatur. Fidem tamen datam cùm ſubinde, Hunnorum fœdus ad novas molitiones conquirendo, falleret; Ingelhemium in Comitia à Carolo citatus (a), ad cucullum Monaſticum unà cum filiis proſcribitur (b). Per idem tempus Aragiſus Dux Beneventanus jurisjurandi præſtiti oblitus, ad Irenen & Conſtantinum Auguſtos Conſtantinopolim Oratores miſerat, & auxilia precatus, inſuper poſcebat, ut Adalgiſus Deſiderii filius levir ejus cum copiis ad ipſum mitteretur: quâ conditio-

Conjurati puniuntur. (y) Moſſiac. Chron. Chronic. S. Galli. Coint. an. 786. § 3. & 7.

An. 787.

(z) Eginh. Vit. Caroli M. c. 11. *Taſſilonem Bajoariæ Ducem Carolus ſubigit.*

An. 788.

(a) Annal. Naz. a. 788 (b) Annal. Pithœ a. 788. *Aragiſus Dux Benev. ad Græcos deficit.*

ditione promisit, se in obsequium Græcorum transiturum (c). Placuit enimverò Imperatori & Irenæ hoc consilium, & fœdus coaluisset, nisi mors Aragisum repentè è vivis subtraxisset. Irene nihilominus ægra animi minimè passa est, ut nuptiæ, quas Constantinus Imperator cum Rotrude Caroli filia meditabatur, integræ starent; quin his rescissis ex Armeniis puella adducebatur, quæ prioris sponsæ teneret locum: dissidium ejusmodi Italos Græcósque in Cantabria bello commisit, in quo Græcorum numerus non tenuis occubuit (d).

(c) Append. ad Chron. Nibelungi ep. 68 Cod. Carol.

(d) Annal. Loisel. a. 788

21. Bellis in Italia & Bajoaria perfunctus Carolus, ad aliud multò difficiliùs se accingit: Sclavorum gens ad Oceanum Balthicum posita sociis & amicis Francici nominis infensa, undique per vicinas Provincias fœdè grassabatur. Rex igitur Abodritis, quorum eximia in Francos fides erat, daturus opem, Rheno prope Coloniam trajecto, copias ad Albim ducit, inde in Sclavorum sedem ingressus, Barbaros misit sub jugum (e). Necdum Sclavi deposuerant arma, jam Hunni Scythiâ oriundi ingentes in humanum genus clades invexêre: his tamen brevi intervallo Carolus modum finémque posuit. Inter has militares expeditiones rei civilis quoque cura suscepta est; nam ad majora commoda in Germaniam & Europam citiùs promptiúsque inferenda, Carolus Rhenum Danubiúmque uno alveo cursúque committere parabat: & spes Regi indubitata erat, posse rem perfici, præsertim quòd inter duos fluvios duo alii amnes fluerent, quorum nexu conjungi majora flumina valerent (f); adhæc solum molle, aptúmque fossoribus, nec montium rupiúmve intercapedine impeditum; sed vix facto operis initio apparuit, fas esse haud mortalibus, naturam, quam Deus condidit, immutare; ipsa quippe imbrium copia, tum soli uligo fossorum ærumnosos labores ferè eludebat. Itaque Carolus hoc opere omisso, ad bella domandósque Barbaros feliciorem operam transtulit, quos dum ubique Victor vel cæderet, vel domaret, à tanta rerum gestarum mole MAGNI nomen sortitus est; quibus paulò pòst illud longè maximum accessit, quòd Occidentalis Imperii gloriam noménque è ruinis revocârit, deinceps non Regis Francorum nomine, sed Imperatoris titulo compellandus.

An. 789.

An. 791.

(e) Helmud. Chronic. Sclav. l. 1. c. 2.

An. 793.

Conjunctionem Danubii & Rheni Carolus tentat.

An. 794. & 795.

(f) Annal. Mossiacenses Lauresbamenses an 793. Conferatur Eckhard. l. 25. rer. Fr. p. 750. Item Zippelii Dissert. Histor. de Danubii & Rheni conjunct. Ratisp: 1720. edita.

An. 800.



Hiſtoria de Heptarchia Anglo-Saxonum in Britannia.

§. V. *Inſulæ varias Provincias varii Reges hoc adhuc ſæculo regunt. Apud OCCIDENTALES SAXONES eminuit INAS, qui Regnum ſuum Romanæ Eccleſiæ vectigale fecit; & CEOLULFUS è Rege deinceps Monachus. In Regno MERCIORUM gubernârunt CEOLREDUS, ETHELBALDUS & OFFA à vitiis magis infames, quàm à virtutibus inſignes. In Regno ANGLORUM ORIENTALIUM claruit S. ETHELBERTUS, Regiâ & Martyris coronâ illuſtris. NORTHUMBRI Reges ſuos pro ſuo ingenio eligebant & exauthorabant &c.*

An. 715.

RES Britannicas, quæ pace ac religione per aliquod tempus floruerant, anno DCCXV. invidia Regum turbavit. Occidentalium nimirum Regulos urebat Merciorum gloria, quâ per annos ferè quadraginta ſummam Imperii geſſerant, & ea tandem ferebant conſilia, quibus hunc gloriæ curſum ſiſterent. *Inas* ergo cæteris impatientior *Ceolredo* Merciorum Regi, ejúsque finibus infeſta infert ſigna: venienti ex adverſo Ceolredus occurrit, tantâque pertinaciâ utrinque pugnatum eſt, ut neſciatur, cui clades deteſtabilior acciderit (a). Ceolredus nihilominus ſibi ſatis fortunam arriſiſſe arbitratus, quòd Inam milite acciſum è Provinciâ expuliſſet, ab hoc tempore ſolutum metu curíſque animum, ſimúlque corpus in omne vitiorum genus præcipitare cœpit; nam præterquam quòd privilegia Regibus hactenus ſacroſancta, primus ipſe temerare auderet, tum etiam virgines Deo ſacras violare non reformidabat. Quare immaturâ morte è vivis raptus eſt; accumbentem quippe epulis nequam ſpiritus invaſit, animámque illi vitalem cum dæmone ſermones ſerenti, Deúmque deteſtabili linguâ execranti, nullâ pœnitentiâ aut confeſſione expiato,

Inas Occid. Sax. Rex cum Ceolredo Merciorum Rege pugnat,

(a) Huntindonus l. 4. Wigorniensis ad a. 715. Ethelverdus l. 2. c. 2.

Inas à Ceolredo victus.

An. 716.

Ceolredi infauſtus exitus

piato, neque ſacrâ Euchariſtiâ munito expreſſit (b). Ceolredum ſecutus eſt in Merciorum regimine *Ethelbaldus*: Regii is ſanguinis adoleſcens dudum Regno inhians moram moleſtè ferebat; quod advertens Ceolredus ad ambitionem juvenis comprimendam, eum procul ab aula amandavit. Ethelbaldus injuriâ, ùt rebatur, aduſtus, Deum, quem priùs neglexerat, adire, & inter Croylandiæ paludes melioris vitæ ponere rudimenta conſtituit: ſemotum ex hominum oculis S. Guthlacus inviſit, eíque, ſi cœptis inſiſteret, Regnum ex Dei potentia ac virtute pollicitus, id jam prædixerat, quod poſt Ceolredi mortem evenit (c). Non abſimile Divinæ Juſtitiæ exemplum eodem tempore apud Northumbrios viſum eſt: *Oſredus* Rex Deirorum & Berniciorum undecim ferè annis vagâ libidine Regnum jam fœdaverat; tum quaſi menſurâ peccatorum impletâ, Principatum ac juvenilem ætatem minimè decorâ morte amiſit (d). Oſredo ſucceſſit *Kenredus* Cuthwini filius & Oſredi cognati ſui ſicarius; ſed ſcelere partum Regnum ultra duos annos non tenuit (e).

(b) Malmesberienſis Harpesfeld Sæc V. c. 13. Bonif. epiſt. 19. Baron. ad an. 716.

Ethelbaldus Merciorum Rex Ceolredo ſuccedit.

(c) Ingulphus in Hiſt. Croyland. Monaſterii.

Oſredus Rex Deirorum moritur, cui ſufficitur Kenredus

An. 718.

(d) Malmesberienſis ad an. 745. n. 13. Huntindonus l. 4. Weſtmonaſterienſis ad an. 718.

2. Dum Regum vitia inſulam deformabant, ſanctorum Virorum intererat, ut alienis in terris virtutem pietatémque plantarent. Hos inter præcipuus Bonifacius fuit, ſive Winfridus ex Weſtſaxonum gente oriundus, qui anno DCCXVI. prædicandi Evangelii causâ, aſſumptis duobus aut tribus Monachis ex Anglia in Friſiam venit (f); bellum tamen, quod Ratbodi animum contra Carolum Martellum Francorum Ducem tunc vel diſtraxerat, aut à Religione Chriſtianâ planè abalienaverat, haud permiſit, ut Vir Apoſtolicus in propoſito agro ſedem figeret; quin medio anno vix expleto Trajectum regreſſus, mox in Patriam relecto itinere, opportunius tempus opperiebatur, quo ſacram ſementem majori cum fructu ſpargeret. Necdum tempus adeò longum inde fluxerat, tum Bonifacius ad ſacram operam rurſus anhelabat. Abdicatâ ergo, quæ ei demandabatur, Abbatis dignitate, acceptíſque à Daniele Occidentalium Saxonum Epiſcopo literis Romam adivit (g); illinc Gregorio II. Pontifici ſui adventûs cauſam exponens, alia quoque diſſerebat multis ſermonibus, quæ ad Apoſtolicum inſtitutum pertinere videbantur: gratiſſimus inde ſummo Eccleſiæ Antiſtiti ad vernum uſque tempus Romæ perſtitit, tum

(f) Willibaldus in V. S. Bonif. c. 4.

S. Bonifacii Angli & Germanorum Apoſtoli initia.

(g) Epiſt. Bonifacii 33.

Bonifacius Romæ agit cum Pontifice

An. 718.

ſacris

(h) Wilibald. in V. S. Bonif. c. 5.
(i) Idem c. 6.
(k) Idem c. 16.
Ejusdem labores apud Frisones.
An. 722.
(l) Idem c. 14.
(m) Liudgerus in V. Greg. c. 8.
An. 723.
An. 724.
Bonifacius ex urbe Romana & ab Episcopis Angliæ consilia expetit.

ſacris reliquiis, & ampliſſimâ per omnem Germaniam prædicandi facultate donatus, ad demandatas ſibi terras receſſit (h): per iter Luitprandum Regem Longobardorum inviſit (i), poſtea ſuperatis Alpibus Bajoariam Thuringiámque luſtravit; inde Franciam ingreſſus, ubi de Ratbodi Friſonum Regis obitu cognovit, continuò cum ſociis ſecundo Rheno in Friſiam deſcendere maturavit (k). Per triennium ibidem locatâ operâ (l), Haſſorum æquè ac Thuringorum regionem excoluit tanto cum fructu, ut Gregorius Pontifex illum Romam evocatum Epiſcopali dignitate augendum cenſuerit (m); reverſus ſubinde in priſtinas Haſſorum Thuringorúmque ſedes ad ampliorem animarum meſſem labores ſuos applicuit: atque ut in Eccleſiaſticas leges nihil peccaret, in iis, quæ ancipitis juris altiorísque conſiderationis videbantur, vel ad Danielem, Occidentalium Saxonum in Britannia Epiſcopum, vel ad ipſum Pontificem recurrebat, quorum placicita piè ſecutus, nunquam à fidei morúmque regula deflexit. Et quoniam tantum, quod Bonifacius meditabatur, negotium, non aliter ac ingens navis unius quidem ingenio regi, multorum autem remigum manibus impelli debebat; inde multoties Germaniæ Apoſtolus ex Anglia viros, fœmináſque pias in ſubſidium poſcebat, qui in Monaſteriis aut Parthenonibus per Germaniam exſtructis opportuna ſeminaria conderent, unde continuò novi coloni ſeu operæ ad agrum Domini excolendum ſufficerentur (*1).

3. Cæ-

(*1) ALFORDI Tom. IV. Annalium Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ ſubjunxit Indicem virorum Apoſtolicorum, qui è Britannia egreſſi alias Provincias doctrînâ & fide orthodoxâ illuſtrârunt, unà cum eorum elogiis, ex quibus memorare lubet tantùm præcipuos, qui in Sæc. VIII. Inſulâ in Germaniam exiêrunt. *Adelberus Epiſcopus Erphordienſis*, Monachus aliquando in Northumbriæ regno, deinde S. Bonifacii in laboribus & Martyrio ſocius. *Alcuinus* Abbas & Diaconus à Carolo M. in Gallias vocatus, ipſum Carolum, pluréſque alios omnibus diſciplinis liberalibus imbuit, atque ibi Felicem Urgelitanum & Elipandum Toletanum Epiſcopos nova dogmata cudentes ſcriptis vel convertit vel evertit. *Bonifacius* Archiepiſc. Moguntinus anno 755. Martyrio coronatus, unà cum Sociis *Boſcone* Diacono & *Adolfo* Presbytero, *Gunderharo* Monacho, *Hamunto* Diacono, *Stilchardo* Diacono, *Waccaro* Monacho, *Willibero* Monacho, & *Wintrugio* Presbytero, ac *Waltero*. *Burchardus*, de quo Alfordi ait: " à Bonifacio è Britannia evocatus anno 725 cùm inſignem operam in animarum meſſe poſuiſſet, ab eodem Sancto conſecratur Epiſcopus Herbipolenſis. Quo munere religiosè functus, cùm Ducatum Orientalis Franciæ à Pipino impetratum Eccleſiæ ſuæ adjunxiſſet, ſanctè moritur ". *Willibrordus* Ultrajectenſis Epiſcopus ab Egberto cum aliis duodecim in Friſiam miſſus,

Socii

3. Cæterùm eodem tempore, quo Angli alienis terris salutem inferebant, in insulâ non defuêre, qui Patriam suam benefactis virtutúmque exemplis illustrarent. Atque ut de piissimis cœnobitis ac Episcopis taceamus; ipsi adeò Reges ad fidei Ecclesiarúmque splendorem, suam operam commodârunt. *Ethelbaldi* Merciorum Regis adhuc in Annalibus prostant privilegia ac monumenta, quibus ille ornâsse, aut Ecclesias condidisse fertur (n). *Withredus* Rex Cantiorum per triginta tres annos, quibus regnavit, domi civilis, bellóque invictus Christianam Religionem sanctissimè colebat (o). Nec in Occidentali Regno Saxonum *Inas* in regia fide aut pietate aliquid desiderari passus est; siquidem multorum annorum, magnæque virtutis Princeps, Ethelburgâ uxore impellente, abdicare Regnum meditabatur, quò ad limina Ss. Apostolorum, curis vacuus pergere, ibíque consenescere posset (p). Antequam verò potentiam Principatûs Regii deponeret, Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis, sic devincire populum studens, ut annui censûs pensitatione cognosceret, se subditum S. Petro, cujus & fidem firmam illibatámque jugiter conservaret. Inas postquam Gregorium in Petri Cathedra sedentem, & loca Apostolorum & Martyrum rigata sanguine piè veneratus fuerat; rejectâ omni pompâ cri-

(n) Alfordi in annal. Eccles. Anglosax. an. 718.

Pietas Anglosaxonum Regum.

(o) Malmesberiensis de Reg. l. 1.

An. 726.

(p) Idem l. 1. c. 2.

Inas Regnum suum Occidentale Saxonum Ecclesiæ Rom. vectigale facit.

Socii fuêre *Engelmundus* Martyr, *Ewaldus* niger, & *Ewaldus* cognomento albus. *Levinus* Martyr, *Wigbertus* Martyr &c. *Eobanus* à Bonifacio ex Anglia vocatus, ab eodem Romam missus ad Zachariam Papam. Denique ut Bonifacium senio fatiscentem sublevaret, Ultrajectensis consecratur Episcopus. *Germanus* natione Anglosaxo, dignitate Episcopus Frisonum Apostolus & Martyr. *Gregorius* Bonifacii discipulus. *Joannes* Monachus inter Australes Saxones, Bonifacium in Germaniam secutus, ab eodem consecratur Antistes Salisburgensis. *Sturmius* Anglosaxo S. Bonifacii Discipulus, & fundati ab eo Monasterii ad Fuldam primus Abbas, Germaniæ conversionem & verbo juvit & exemplo. *Wigbertus* Abbas & Confessor. Hunc Bonifacius à Britannia & Glostomiensi Monasterio vocatum Fritzlariensi cœnobio præfecit; cùm priùs in animarum conversione strenuè laborâsset. *Willibaldus* primus Eystattensis Episcopus, & alter *Willibaldus* Abbas Heildeshemensis uterque Germaniæ Apostolus & S. Richardi Regis filius. *Witta* sive *Wittanus*, quem & Albuinum vocant, evocatus à Bonifacio è Britannia an. 725., ordinatus Birburgensis Episcopus, ad quem & ad Burchardum Herbipolensem Zacharias dedit epistolam: *Sanctissimi & Dilectissimi Nobis, toto conamine elaborate pro fide Christi . . . ut cum egregio Apostolo mereamini dicere: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita mihi est corona justitiæ.*

crinéque reſecto, amictum plebejum amplexus pietatis operibus ſe totum dedit (q): inter quæ illud ſingulare, quòd in urbe domum exſtruxerit, ſcholam deinceps Anglorum appellatam (r); ad quam Reges Angliæ & genus Regium, cum Epiſcopis, Preſbyteris & Clericis in doctrina & fide Catholica erudiendi venirent: ne quid in Eccleſia Anglicana ſiniſtrum, aut Catholicæ fidei contrarium doceretur; & ſic in fide ſtabili roborati ad propria remearent.

(q) Idem l. c.

Exſtruit ſcholam Anglorum Romæ.

(r) Weſtmonaſterienſis ad a. 727. Harpesfeid. Sæc. 8. c 10.

4. Interea *Ethelardus* Inæ non tam in Regno, quàm in pietate ſucceſſerat, ratum eſſe jubens (s), quod Inas Romæ inſtituerat: nam Domum & Eccleſiam Angloſaxonum uſibus erectam annuo reditu censúque è ſuo Regno dotari voluit. Dignum hujus munificentiæ præmium idem Ethelardus anno ſequente tulit, dum Oſwoldum è regio Weſſaxonum ſanguine natum, ac rebellem utì meliore causâ, ita quoque feliciore eventu oppreſſit (t). Anno DCCXXIX. *Oſricus* Rex Northumbriæ poſt actos undecim Regiminis annos fato conceſſit (u); poſthumam ex eo laudem meritus, quòd *Ceolulſum* Kenredi Regis fratrem hæredem ſcripſerit, qui doctrinæ & probitatis opinione cum paucis comparandus (x), ubi plures annos Northumbriæ ſceptrum tractâſſet, æternæ vitæ deſiderio, coronam reliquit. Sed quoniam virtus nuſquam majora, quàm in rebus adverſis incrementa capit; ex Septentrione ingens procella in Ceolulfum concitata eſt: petebantur à factioſis rerum publicarum capita, atque ipſe Rex captus, attonsúsque vix medio ex furentium æſtu vitam abſtulit (y). Detumeſcente tamen ſubinde tempeſtate Ceolulfi integritas ac prudentia hoſtiles quoque animos compreſſit. Quemadmodum verò afflicta fortuna Ceolulfum ad ultima extulerat; ita proſpera nimiùm ſors *Ethelbaldum* Merciorum Regem ad varia vitia depreſſit. Eſt enimverò magnis animis inſitum à natura, ut magnis ponderibus ad ſua vota ferantur. Præclarè id quidem, ſi benè vovent: ſi ſecus, ruunt in ſcelera præcipites, ac in imum deſcendunt, niſi obſtet benignior Dei manus. Ethelbaldus cùm Merciam omnésque Orientis Provincias ſubditas haberet, his non contentus (z), aliena inſuper pro libidine appetens, in Occidentem inſulæ armis graſſatus eſt. Inde Somerſetenſi agro exhauſto, vim

(s) Weſtmonaſter. ad an. 727.

An. 728.

Ethelardus Occ. Sax Rex Oſwoldum rebellem domat.

An. 729.

(t) Malmesber. l. 1. c. 2. fol. 15 Huntind. l. 4. p. 338.

(u) Beda in epitom. Wigornienſis ad an. 729.

(x) Malmeſber. de Reg. l. 1 c. 3.

An. 733.

(y) Hovedenus ad an. 732. Weſtmonaſt. ad an. 733.

(z) Wigorn. ad an. 731.

An. 734.

vim in Northumbros vertit (a), five in eam Provinciam, ubi paulò pòst Ceolulfus fluxas mortalium res ac Regna multis casibus obnoxia fastidiens, abdicatis honoribus opibúsque nudus ad monasterium confugit (b). Verùm ejusmodi exemplum adeò non emovit Ethelbaldi animum, ut pro amplificando Regno avidè cum Cuthberto Occidentalium Saxonum Rege pugnaret: neque intra Provinciarum ambitum cupiditas stetit, sed ne flagitiis modus finísque poneretur (c), Ethelbaldi etiam effrænis libido in alienos thoros, atque in asceteria sacrarum virginum penetrabat. Scelerum regiorum fama cùm intra insulam haud contineretur, ad ipsas Germaniæ partes pervasit: quare Bonifacius, qui illis in terris animarum lucro dabat operam, hanc quoque curam suæ Patriæ impendendam duxit, ut Regem literis à vitiorum infamia deterreret (d). Paterna Apostoli monita utrùm Regem ad frugem revocârint, nullus prodit; illud certius, eum post undecim annorum intervallum à suis occisum violentâ morte periisse (e). Eodem fato antea sublatus est *Selredus* Orientalium Saxonum Rex anno gesti Principatûs trigesimo octavo (f). Successit illi in Regnum *Schwitredus*, qui ultimam eidem Regno periodum fecit: quod modò Cantii Regibus, modò Merciis, modò Occidentali Saxoni subesse coactum est: cæterùm Selredus vitæ tempora eò protulit, dum Egbertus cuncta regna sub unius vocaret Imperium (g).

5. Meliora virtutum exempla apud Occidentales Anglos hoc tempore legere licuit; nam *Ethelbertus* ubi *Ethelredo* Patri piissimo optimus filius successerat (h), documenta ea, quæ ab ineunte ætate hauserat, saluti suorum impendit. Nihil hoc Principe officiosius, nihil gratius (i), cui familiare illud erat: decere, ut mortales, quò magis sunt in alto positi, eò mente animóque sint minores; nisi cum potentioribus detrahi de sede, & in difficillimo itinere agi præcipites velint. In pauperibus legebat miseram humanæ conditionis sortem, teneríque ad subsidia eos, quibus melior fortuna arriserit: aliàs arguendam esse naturam ajebat, aut naturæ Deum, qui inæquali manu prœmiat punítque. His virtutibus Ethelbertus effecit, ut ejus regno nihil deesse videretur,

(a) Huntindon l. 4.
An. 737.
(b) Hoveden. ad an. 552. Huntindon l. 4.
An. 743.
(c) Huntindon l. 4.
Ethelbaldum S. Bonifacius à vitiis deterret.
An. 745.
(d) Ep. Bonif. apud Alfordi in annal. Eccl. Anglosax. an. 745. n. 7.
(e) Epitome Hist. Anglic. apud Baron. an. 745.
An. 746.
(f) Wigorniensis ad an. 746. Huntindon l. 4. f. 341.
(g) Alfordi ad an. 746.
An. 749.
An. 749.
(h) West. monaster. de regno Orientalis Saxon. p. 689.
(i) Polydor. Virgil. p. 66. Alfordi in annal. an. 749. n. 9. 10.

Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex castitatis aliarúmque virtutum exemplum.

tur, nisi ut semper regnaret. Quod quia uni natura invidit, cupiebant saltem Proceres, Ethelbertum in prolibus ac nepotibus immortalem esse. Verùm castissimo Principi deliberatum erat, potiùs suî extingui memoriam, quam mulierum consuetudine corpus inquinare. Utì verò Ethelberti vita, sic quoque mors *S. Richardi* Regis multum admirationis habuit (k): Cantii huic corona jure natalium debebatur, sed ab æmulis exclusus se totum privatæ pietati dedit, vel ex liberis suis, si cætera deessent, agnoscendus; nam æternâ memoriâ dignos *Willibaldum*, *Winibaldum* & *Walburgam* educavit, qui Bonifacium in Germaniam olim secuti nomen suum æternitati transcripserunt. Parens interim cùm se diu intra Britanniam continuisset, auditis tandem suorum felicibus successibus; ipse etiam Bonifacium, filiósque visere constituit: quo facto Romam ad veneranda Apostolorum limina profectus est, sed dum anno DCCL. ad suos redire parabat, meliori compendio in cœlum migravit. Post aliquot annos inde evolutos dissimilem planè Regis imaginem apud Occidentales Saxones videre erat (l); *Sigebertus* nimirum Cuthredi, circa annum DCCLIV. defuncti, locum impleverat, vir sævitiâ ac ignaviâ infamis: Principem igitur abominandum cùm ægerrimè cuncti ferrent, didicit suo fato, diuturnum haud fore imperium, nisi pietate & morum exemplo firmetur; irritati namque cives *Kenulphum* de stirpe regia juvenem eligebant, qui res scelere afflictas virtute repararet, quod dum egregiè Kenulphus præstabat, Sigebertus suorum metu ad abdita ferarum spelæa secessit, ubi à Subulco confossus interiit (m).

An. 750.

(k) Alfordi in annal Eccl. Anglosax. ad a. 750. n. 4.

S. Richardi Regis felix obitus.

An. 754.

(l) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 2. Huntindon. p. 34.

An. 755.

6. Infausta Ethelbaldi ac Sigeberti fata saniorem *Egberto* Northumbrorum Regi mentem indidère: Ecclesiæ is infestus varias de templis arísque egerat rapinas, tum infelici Regis non unius exitu admonitus (n) ad meliorem vitam aspirare aggressus est: itaque Regno, quod annis viginti gesserat, relicto, tonsuram capitis, æternum diadema generaturam suscepit, furvásque vestes æthereum splendorem collaturas induit: iste est octavus Regum illorum, qui Regna sua pro Christo sponte dimiserunt; imò ut veriùs dicam, pro Regno æterno commutârunt: quibus octo beatitudinum jucunditas perennis, multiplici delectamento ineffa-

(m) Malmesber. l. c. Huntindon p. 342. Westmonasteriensis a. 756.

(n) Wigorniensis ad an. 757. Westmonaster. ibid.

An. 757.

ineffabiliter jucundatur, quorum ſtrenuitatem imitari Beatorum eſt (o). Utprimùm Egbertus ſceptrum poſuerat, idem amplexus eſt ejus filius *Oſulfus*: immatura tamen juvenis ætas fecit; ut aliorum inſidiis pateret, à ſuis namque anno Regni primo vix expleto occiſus, *Ethelbaldo* dignitatem regiam reliquit (p). Longiorem regiminis curſum ingreſſus eſt hoc tempore *Offa*, novus poſt Beornredum Rex Merciorum (q). Pendæ abnepos erat, ac vir ingentis animi, quíque omnia, quæ mente conceperat, efficere conatus, regnavit annis quadraginta; diuturnum tamen hoc tempus vitiis virtutibúſque ita miſcuit, ut poſteris dubium fecerit, an probus, an minùs impius debeat appellari. Anno DCCLX. *Edbertus* Rex Cantii duodecim annorum Principatu functus, vitâ quoque defungitur, in cujus vices *Withredus* filius tertio loco genitus adoptabatur; cladibus poſtea à Merciorum Rege acceptis potiùs, quàm re benè geſtâ memorandus (r).

(o) Huntinდonus l. 4. p. 342.

(p) Hovedenus ad an. 758.

(q) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 4.

Offæ Regis Merciorum initia.

An. 760.

(r) Huntindon. l. 4.

7. Interea Rex Northumbrorum *Ethelvaldus* ab *Oſwino* factionis infeſtæ duce appetitur; ſed armis contritum hoſtem, ne porrò noceret, interfecit. Victor etſi prælio uno incolumis, nec inglorius exiîſſet; in turbas tamen ſubinde recidit, quibus à civibus ſuis oppreſſus, regnum amiſit (s). Vix aliam ſortem ſequentes Northumbriæ Reges habuerunt. Nam inſolens populus & diuturnæ ſervitutis impatiens, aliquorum Procerum adminiculo, dicebat Reges & ſuo arbitrio amovebat (t). *Alredus*, qui ſicam Ethelvaldo intorſerat, pro parricidii pœna, regnum præmii loco abſtulit; Principatum tamen virtutibus honeſtare haud poterat, cujus initium tanto flagitio fœdâſſet; quare eâdem vi, quâ regno ſe ingeſſerat, poſt decem annorum periodum rurſus ejectus eſt (u). Subſtituerunt exauthorato Regi *Alfwoldum*: qui juſtitiâ & pietate populum in ſeditiones proclivem decem annis continuit. Dum hæc in Northumbria agebantur, in Cantium atrocem tempeſtatem *Offa* Rex Merciorum concitavit (x). Rex ille ingentis vir animi jam Suſſexiæ auſtrales Provincias, minorúmque gentium regulos ſubegerat, tum dominandi ambitione incenſus Cantuarienſibus bellum intulit. Ex pugna illinc peracta diſſimili fortunâ diſceſſum eſt: nam penes Mercios victoria, penes Cantios funeſta clades fuit; quæ quidem belli ſors Offæ animum adeò extulit, ut

An. 761.

In Northumbria Reges pro arbitrio populi deponebantur.

An. 765.

(s) Wigonienſis ad an. 765.

(t) Alfordi in annal. ad a. 765. n 2.

(u) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 3.

Alfwoldus Rex pius.

An. 778.

(x) Hovedenus an. 779.

Offæ contra Cantios victoria.

(y) Hovedenus p. 490. Huntindon p. 342.

(z) Alfordi in annal. ad an. 774.

Offæ fœdus cum Carolo M.

ut vicini Principes metu Victoris exterriti, Magni Caroli Francorum Regis amicitiam contra domesticum hostem ambirent (y). Neque Carolus factiosorum votis defuturus credebatur, eoquòd eidem cum Offa simultas aliquo tempore intercessisset (z). Verùm gliscente periculo Regis Merciorum intererat, hostem in suas priùs, quàm in alienas iret, partes pertrahere. Legationum igitur obsequiis eum muneribúsque Offa ita conciliabat, ut placatus à novandis rebus planè abstineret (a).

An. 775.

(a) Westmonaster. an. 775.

Infaustus exitus Kenulfi.

An. 785.

(b) Malmesber. de Reg. l. 1. c. 2.

8. Annus DCCLXXXV *Kenulfum* Occidentalium Saxonum Regem mortali vitâ & regno, quod in trigesimum primum annum gesserat, absolvit: ab Offa multis damnis afflictus sordidum etiam exitum sortitus est; nam à Kineardo Sigeberti fratre medias inter libidines interceptus in hostem suum insiliit, parúmque aberat, quin vitâ privaret: sed à multitudine circumventus, dum cedere damnum gloriæ arbitratur, mortem probè ultus occubuit (b). Supererant in Occidente è regio sanguine, qui jure de imperio & rerum summâ certare poterant, *Bithricus* & *Egbertus*; sed ille ex leni ingenio, civiúmque suffragiis prærogativam meruit, Egberto interea manus, ad sceptrum tractandum expediente, cujus potestatem post Bithrici obitum amplissimè consecutus, novæ Monarchiæ fundamentum posuit, & obliterato Saxonum nomine insulam omnem novâ *Angliæ* appellatione dici primus mandavit (c).

Sub Egberto Insula Angliæ nomine compellari cœpit.

(c) Alfordi in annal. an. 785. n. 4.

An. 789.

(d) Malmesber. de Reg. l. 1, c. 3.

Alfwoldus Rex nefariè perimitur.

(e) Huntindon. p. 343. Wigorniens. Westmonaster.

(f) Howedenus an. 793.

9. Circa annum DCCLXXXIX. in Northumbria Sigga Patricius Regem Alfwoldum invasit; ingenium hominis turbidum cùm nec sanctitas Principis, nec divina humanáque jura à concepto parricidio deterrerent (d); collectâ ille perditorum hominum manu, innocentissimum & fidei Romanæ amantissimum adortus in loco, qui dicitur *Sciliæster*, eundem obtruncavit. Corpus defuncti in Ecclesiam Hagustaldensem delatum prodigiis claruit (e), quibus id meritò accenseas, quòd sceleris ultor Deus pestem Northumbriæ regno eodem tempore immiserit, quæ miserâ strage Provinciam populata, egregiè Alfwoldi manibus parentavit (f). Alfwoldo suffectus est *Osredus*, Alredi, qui nuper regnavit, filius: in regio is apice vix integro anno stetit, eâdem viâ, quâ eluctatus fuerat, rursus delapsus. Cedere coactus, *Ethelredum* successo-

cessorem habuit, scilicet eum, quem cives ante duodecim annos jam semel Principatu ejecerant (g). Osredus etsi ad aliquod tempus fortunæ suæ acquiesceret; anno tamen DCCXCII. novas res moliebatur, coronam, quam posuerat, resumere conatus; verum dum cæcâ regnandi cupiditate illectus, altiorem recuperare locum adnitebatur, omnem in hac vita locum amisit, Ethelredi Regis jussu occisus (h). Submoto æmulo Ethelredus Offæ Merciorum Regis fœdus ad firmandum regnum quæritabat, quod ut obtineret, repudiatâ suâ uxore, Elfledam Offæ filiam in thorum adscivit, quod facinus uti boni omnes detestabantur, ita Deus illud pœnis ingentibus persecutus est.

(g) Alfordi in annal. ad an. 789. Alcuin. apud Malmesb. de Reg. l. 1. c. 3.

An. 792.

(h) Wigorniensis ad an. 729. Hovedenus ibid.

10. Multò graviùs iram Numinis provocabat aliud immane flagitium, quod anno DCCXCIII. scelestissima fœmina in aula Merciorum parturivit. Offa postquam unam filiam adulterinis Northumbrorum Principis complexibus desponderat; alteram eámque Alfredam *Ethelbertus* Orientalium Saxonum Rex castè amare cœpit. Tenacissimus ille quidem, contra ac Regni Proceres volebant, propositi antea fuerat, quo uxoria vincula virtutis altioris amore aversabatur (i), sed tandem suorum precibus victus in eam duntaxat, qualis Alfreda erat, scilicet naturæ gratiæque dotibus insignem consensit (k). Nuptiarum tempus ubi advenit, Ethelbertus sponsæ deducendæ causâ ad Mercios profectus, in ipso itineris aditu talia undique è terra cœlóque omina sibi instare sensit, qualia nec tædas ad nuptias, sed funalia ad mortem proficiscenti præferre videbantur (l): firmato tamen ad utramque fortunam animo Ethelbertus in villam regiam Sutton Herefordiensis Provinciæ venit; ubi magnis honoribus hospes à socero accipitur. Faustæ gratulationes jam ubique personabant, tum Quendreda Regina & Offæ uxor nequissima festivos applausus in odium luctùmque vertit. Nam regni per scelus etiam amplificandi cupida, ostentabat marito spem, quæ uno fatali ictu totam Provinciam Merciis posset aggregare: nempe è medio tollendum Ethelbertum suadebat; qui cùm hærede careat, nullum fore, qui post ejus mortem spolium è manibus eriperet (m). Ad primam impiámque uxoris vocem inhorruisse Offam, sed muliebri tandem astu evictum ad scelus consensisse ferunt (n). Mulier utprimùm Maritum ad patientiam criminis, aut ad crimen ipsum

An. 793.

Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex Offæ filiam Alfredam ducere statuit.

(i) Polydor. Virgil. p. 66.

(k) Alfordi in annal. Eccles. Anglo-Saxonicæ a. 793. n. 3.

Prodigiis terretur.

(l) Capgravius in Ethelberto Martyre.

Quendredæ Reginæ crudelis malitia.

(m) Alfordi ad a. 793. n. 5

(n) Idem n. 6.

ipſum pellexerat, ad Winebertum ſicarium audaciſſimum provolat, illique dat in mandatis ea, quibus ex arte ſcenam proſequeretur. In Reginæ iſte juſſa omnino promptus, Ethelbertum deducit in regiam veluti cum Offa de nuptiis locuturum; vix aulam uterque ſubierat, tum homo verſipellis mentitur, Regem ſolito ſecretiùs ob ægritudinem in penetralibus agere; unde per obſcuriora palatii, ut acceſſum haberent, eundum eſſe monebat: & jam Ethelbertus infido duce ſeu comite in tenebricoſum ac neci deſtinatum locum inciderat, tum quaſi caſſibus capta victima jugulatur (o). Elatum è ſpecu Regis corpus juſſit Offa Rex ad Lugum fluvium in vili oppido ſepeliri; ubi ſub ignobili titulo diu jacuit, dum Deo innocentiam Regis prodigiis illuſtrante, fama S. Martyris orbi vulgaretur (p). Alfreda ſponſa Ethelberti mortis tam crudelis nuncio accepto atrocia ſponſi fata accuſans, altiore & vatidico ſpiritu etiam impelli viſa eſt; dum quæ ſingulis parricidii reis poſtea obvenerunt, non diſſimulanter prædixit; Mater namque, utì filia vates ei fuerat, poſt tres à parricidio menſes miſerabili morte defuncta in eadem fovea, cui exuvias Ethelberti commiſerat, tumulata eſt (q). Offa Pater poſt triennium non ſuperfuit: variis tamen pietatis monumentis ſceleris conſcientiam (r) expiare adniſus, ad ipſa etiam Apoſtolorum limina pœnitudinis causâ, & tandem ad reddendam Judici ſupremo rerum ſuarum rationem in æternitatem migravit (s). Mortuo licèt Egfridus filius ſuccederet, immaturâ tamen ætate poſt paucos menſes ſublatus Merciorum regnum finiit, quod inde ab Offæ prole, ad Pendæ nepotes tranſiit. Alfreda ſponſa tam triſtibus fortunæ caſibus edocta, aliò ſpes amoréſque ſuos tranſtulit, ſponſa deinceps non perituri hominis, ſed Chriſti in Croylandenſi seceſſu futura (t).

Ethelbertus occiditur.

(o) Confer Weſtmonaſter. ad a. 754

(p) Florent. Wigorn. an. 793. Malmesber. de Pontif. l. 4. p. 287.

Ethelbertus Sanctus & Martyr.

Alfredæ ſponſæ luctus & vaticinium.

(q) Alfordi l. c. n. 8.

(r) Polydor. Virgil.

An. 794.

(s) Weſtmonaſt. ad an. 794.

(t) Capgravius in Ethelberto Mart.

II. Poſt hæc varia Regum per Northumbriam, Mercios, aliáque Regna viciſſitudo fuit. Cuthredus precariò imperitabat Cantio: vivebat in Oriente Swithredus; ſed Merciorum imperio ſubditus, donec Egbertus Inæ Regis abnepos ſparſas ubique coronas ſceptro Occidentalium Saxonum, factus Inſulæ Monarcha, colligaret.

REFLE-

REFLEXIONES HISTORICO-POLITICÆ AD CAPUT I. LIBRI VIII.

REFLEXIO I. ad §. II. Num. 7. pag. 975.

De Advocatiæ Ecclesiasticæ origine, dignitate, officio & potestate.

1. CUm Imbecilliorum, & qui viribus minùs valent, misera sit hæc conditio, ut eorum salus ac incolumitas à potentiorum ac improborum vi ac insidiis sæpiùs appetatur; inde Protectorum honestissimum ac maximè pium officium enatum est (a), sive potiùs illud jus aliorum personas & bona adversus injuriam defendendi, certâ conventione Patronos inter & fiduciarios Clientes constitui solitum (b); quod plerumque *Mundiburdium* aut *Advocatia* à medii Ævi scriptoribus nominatur. Hujus Protectionis aut juris Patronalis usus primò apud Græcos (c), deinde apud Romanos aliásque gentes frequentari cœpit; posteà transiit ad Imperatores nostros, aliósque Reges (d), adeò ut ditiones aut civitates quasdam in specialem clientelam reciperent, vel cum ob distantiam locorum ipsi eas defendere non possent, Vicarios suî constituerent, aut demum tutelam earum vicinis Principibus demandarent (e).

2. Quemadmodum verò in republica civili Protectoribus ejusmodi opus erat, qui tenuium contra potentiores, bonorum adversus improbos, Innocentum contra sceleratos caput, famam, fortunásque defenderent (f); ita Ecclesiæ ac Monasteria Patronis non minus postea egebant, qui suâ tutelâ ac consilio vel bona servarent, aut virium præsidio injurias depellerent. Cum enim ex liberalitate Principum ditiones subinde amplæ, & prædia veluti Patrimonia Ecclesiis ac Monasteriis donarentur; non pauci quandoque reperti sunt, qui his Deo sacratis opibus inhiantes, lites contra moverent tantò fidentiùs atque audaciùs, quanto certiùs noverant, Clericos ac Cœnobitas legibus ac Canonum statutis prohiberi, quo minùs ipsi, dum Deo militant (g), sæcularibus negotiis se implicare, laicorum terere forum, aut litibus vacare possent. Itaque ex ordine Scholasticorum causidici sive *Advocati togati* (h) Ecclesiis à Rege vel Principe dabantur (i): vel ab Episcopis aut Abbatibus ii adoptabantur (k), qui causas in foro perorarent, & in Comitum, judicum-

(a) Besold. de fœder. jure c. 4.
Advocatiæ notio.
(b) Mageræus de Advocat. c 4.
Clientelarum origo antiquior.
(c) Id. c. 5.
(d) Chopp. l. 1. de Sacra Polit. c. 7.
(e) Hepingk. de Jure Protect. concl. 15.
Advocatia Ecclesiastica.
(f) Besold. l. 1. de Repub. c. 7.
(g) 2. Tim. 2.
Advocatia togata.
(h) Cod. Afric. c. 97. leg. Longob. l. 3. Tit. 1. § 11. Concil. Mogunt. c. 12
(i) Capitul. l. 5. c. 31.
(k) Leg. Longob. l. 2. Tit. 47. §. 1. 2. 4. 7.

judicumque tribunalibus ſive mallis ſacrarum ædium fundos ac jura tuerentur. Neque Togatorum ejusmodi Advocatorum uſus antè exolevit, dum ſuam operam in rapinam malè vertentes, non jam Protectores cupidi ſed prædatores audirent (l). Et quoniam aliquando rerumpublicarum ſtatus eo delabebatur, ut quilibet ſua jura armis & bello proſequi ac tueri cogeretur; Abbates & cæteri Eccleſiarum Præſules *Advocatis* etiam *armatis* opus habuêre, qui vim vi abigerent, nec jam in mallis tantum & judiciis, ſed in arena armatam hoſtibus frontem, dexteramque objicerent (m). Quamvis enim Eccleſia fortè ipſa jus armorum non habeat; ſufficit tamen, quod Advocatus eo potiatur, & vis armorum ad præſtandam ſecuritatem ſit neceſſaria, jure gentium nos docente, quod qui jus armorum habet, eo uti poſſit, non tantùm ad ſuam, ſed & aliorum juſtam defenſionem.

3. *Armatæ* hujus *Advocatiæ* veſtigia in ſæculo quarto jam deprehendes; nam Synodus Carthaginenſis V. anno 398. ab Arcadio & Honorio defenſores poſtulavit, qui Donatiſtarum comprimerent rabiem (n). Idem poſtea Patres Synodi Ticinenſis ſibi rogandum cenſuerunt: *Suggerendum eſt*, inquiunt, *beatiſſimis Imperatoribus, quia hi, qui Monaſteria & Xenodochia ſub defenſione ſacri palatii poſuerunt, ideo feciſſe probantur, quod à nullo meliùs, quàm à Summis poteſtatibus protegenda crediderint* (o). In Gallia Reges præter eam, quam toti Regno impertiebantur generalem tutelam, ſpeciali Patrocinio tuebantur quasdam Eccleſias; nam Stradenſis Monaſterii (p) & Cœnobii S. Galli defenſionem (q) Pipinus à fundatoribus oblatam accepit: Carolus M. Lauriſheimenſe Monaſterium donavit Advocatiæ ſingulari præſidio (r). Nec Germaniæ Imperatores ab hoc inſtituto deceſſiſſe palam eſt, nam S. Bernardus Lotharium Imp. monebat: *non eſt meum hortari ad pugnam, eſt tamen Advocati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione Schiſmaticorum rabiem* (s); & ad Conradum Regem Romanorum idem perſcribebat: *utrumque intereſſe Cæſaris conſtat & propriam tueri Coronam & Eccleſiam defenſare: alterum Regi, alterum convenit Eccleſiæ Advocato* (t). Sed quoniam Imperatoribus ac Regibus tot Eccleſiis ſpecialem intendere tutelam difficilioris operæ erat; ad Duces ac Comites ſubinde hoc munus detulère (u). Dagobertus Rex Galliæ anno 603. Trevirenſis Eccleſiæ defenſorem eſſe voluit Arnulfum: (x) & Clodulfum Abbatiæ S. Mauri adeſſe juſſit (y). Pipinus Lambertum Auſtraſiæ Ducem Trevir. Eccleſiæ, Carolus M. Augiæ diviti Adalbertum Comitem Briaconium Advocatos deſignavit. (z). Atque ut hujus moris perpetua lex eſſet, Concilium Moguntinum juſſit Advocatos in ſingulis Eccleſiis conſtitui (a); quod firmavit Carolus M. jubens, ut defenſores Eccleſiarum adverſus potentias ſæcularium ſeu divitum ab Imperatore poſtularentur (b). Quamvis hoc Decretum eatenus mutârint

Franco-

(l) Concil. Rhem. c. 6. Concil. Lateran. c. 45.
Advocatia armata.
(m) Polyptychum Marcianenſe. Chronicon Lamb. Schaffnab. an. 1071.
Armatæ Advocatiæ mos introductus.
(n) Concil. Carth. V. c. 22. Grat. in c. ab Imperatoribus XXIII. Q. 3.
Concilia petunt armatos Advocatos
(o) Syn. Tic. a. 850. c. 6.
Reges Advocati Eccleſiarum
(p) Aud. N. S. Genulfi l. 2. c. 8.
(q) Ratpert. Mon. de caſ. Monaſt. S. Galli c. 1.
(r) Chron. Laur. a. 776.
Imperatores Advocati.
(s) Bernard. ep. 139.
(t) Id. ep. 243.
Duces & Comites Advoc.
(u) Alteſerra de Duc & Com. l. 1. c. 6.
(x) Magerus c. 5. p. 121. n. 120.
(y) Id. p. 123.
(z) Id. p. 125.
(a) Concil. Mog. c. 50.
(b) Capitul. l. 3. §. 7.

Francorum alii Reges, quatenus utilius fore judicabant, siquidem Advocatos eligendi potestas Ecclesiis deinceps relinqueretur (c).

(c) Thomas. P.III.l.2.c. 55.

4. Ab aliarum Ecclesiarum & Monasteriorum tutela, nunc ad magis præcipuam Ecclesiæ Romanæ Advocatiam gradum facimus; quæ uti ab Apostolicæ Sedis dignitate ac prærogativa est celebrior: sic multò honorificentior inde existit, quòd hujus Advocatiæ charactere Maximi Imperatores se discernere soleant. Antequam tamen argumentum præsens expendimus, in ipso veluti limine de tempore cogitandum est, à quo nobilissima hæc Advocatia usurpari cœperit. Non una autem Scriptorum sententia occurrit; nam alii affirmant, Carolum Martellum primum omnium Principum Francorum fuisse, qui postulante Pontifice Ecclesiæ Romanæ patrocinium susceperit, quod ipsum ostendunt ex Continuatore Fredegarii ita scribente (d): *Eo tempore bis à Roma B. Papa Gregorius* (III.) *claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis (quod antea nullis auditis vel visis temporibus fuit) memorato Principi* (Carolo) *destinavit: eo pacto patrato, ut à parte Imperatoris recederet, & Romanum Consulatum* (sive Patriciatum) *præfato Principi sanciret.* Non absimili testimonio idem declarant Annales Metenses (e): *Carolus Princeps domitis circumquaque positis gentibus, dum ea, quæ pacis sunt, infra Regiminis sui terminos disponeret, bis eodem anno legationem B. Gregorii PP. ab Apostolica sede directam suscepit. Qui sibi claves venerandi sepulchri Principis Apostolorum Petri ejusdémque pretiosa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt: quod antea nulli Francorum Principi, à quolibet Præsule Romanæ Urbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum Principum sibi prædictus Præsul Gregorius miserat, quod se populus Romanus relictâ Imperatoris Dominatione ad suam defensionem & invictam clementiam convertere voluisset.* Knichenius verò (f) & Lehmannus (g) Advocatiæ hujus antiquitatem ad Pipini & Caroli Magni tempora referunt; nam licèt Martellus Caroli Magni Avus primum Romanæ Sedis patrocinium egerit, morte tamen præventus Italiam, Romámque suæ tranquillitati restituere omnino non potuit: Plura igitur postea Pipinus moliebatur, qui armatâ manu Aistulphum Luitprandi successorem à Romanæ Urbis direptione cohibuit. Quibus porrò omnibus longè anteponendus est Carolus Magnus, cujus fortitudini & auxiliatrici dexteræ tribui debet, quod extincto Longobardorum Regno, Pontifici suas possessiones non modò reddiderit, sed & multùm amplificârit, unde & *S. Petri Advocatum* se inscribere solebat (h).

Advocatia Eccles. Romanæ.

(d) Continuator Fredegarii c. 110. Conferatur Pagius in Critic. Baron. ad an. 740.

(e) Annal. Metens. ad 741.

Advocatiæ armatæ origo inquiritur.

(f) Knichen in Commentar. de Saxon. non provocand. jur. n. 495.

Diversæ sententiæ proponuntur.

(g) Lehmannus in Chronic. Spirens. l. 2. c. 40.

(h) Alteserra in Tract. de Ducib. & Comit. L. I. c. 6. p. 35.

5. Quàm propè hæ sententiæ à se invicem absunt, tam longè ab omnibus recedit opinio Mageri (i), qui Ecclesiasticam Advocatiam à Constantini Magni ætate potissimùm ortam, & ab eodem aliis Imperii Successoribus per manum quasi traditam, & ad Carolum unà cum Imperio

(i) Magerus de Adv.

Romano ait devolutam fuiſſe. Nam de Conſtantino Euſebius perhibet (k), quòd cùm *probitatis hoſtis gravi in proſperum Eccleſiæ ſtatum exardeſcens invidiâ tumultus inteſtinos contra illam excitârit, hic Imperator ea quæ ad ſuum ſpectabant officium, minimè neglexerit, ſed omnia contraria his, quæ antea à tyrannica crudelitate admiſſa inſtituit, & quemque Eccleſiæ hoſtem inimicúmque facilè devicit.* Non minora Advocatiæ monumenta nobis ea ſuggerunt, quæ de Joviano, Valentiano, ac Gratiano poſteris relicta ſunt (l): certè S. Auguſtinus teſtimonium de Theodoſii in Eccleſiam ſtudio daturus ita perſcripſit (m): *Inter hæc omnia ex initio Imperii ſui non quievit juſtiſſimis & miſericordiſſimis legibus adversùs impios laboranti Eccleſiæ ſubvenire.* Atque ut Leo Eccleſiæ Præſul commonſtraret, ſuo jam tempore Advocatiæ munus Imperatoribus incubuiſſe; ita Auguſtum hortatus eſt: *Debes Imperator incunctanter advertere, Regiam poteſtatem Tibi non ſolùm ad mundi Regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam* (n). Juſtiniani leges quicunque animo repetit, plura in iis inveniet, quæ ad Eccleſiæ ſervandam incolumitatem ſpectant, ita ut in epiſtola ad Pontificem data ſcribere non dubitàrit: *Quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, Unitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire* (o).

(k) Euſeb. l. 3. c. 3. c. 5.

(l) Magerus l. c. p. 130.

(m) Auguſt. de Civit. Dei l. 5. c. 26.

(n) Leo ep. 19.

(o) Juſtinian. in ep. ad Joan.

6. Ex his ſententiis, quantumcunque inter ſe pugnare videantur, adeò nullam rejicimus, ut facili modo conciliandas putemus. Ac primò Magerum non longè à primis diſcedere judicabit is, qui diſcrimen Advocatiæ duplex, quod utì ipſe facit (p), ob oculos poſuerit: dividit nimirum protectionem in ordinariam, quam & generalem appellare licet, & in extraordinariam ſeu ſpecialem. Jus Advocatiæ *ordinarium* Magiſtratibus & præcipuè Imperatori ex cauſa officii, ac dignitatis adeò inſitum eſt, ut neceſſariò debeat commune dare Imperio præſidium, ac improbitati omni frænum ponere. Præterea hæc ordinaria Advocatia Imperatorem obſtringit ad pacem Eccleſiæ in religionis Chriſtianæ concordia ſervandam (q). Ideo enim legum vindex & tranquillitatis publicæ cuſtos appellatur. *Extraordinarium* verò jus protectionis eſt, quo ſuſcepti in fidem clientes vel ab ipsâ lege ſeu canone vel alia quavis conventione, per protectores obligatos contra vim injuſtam proteguntur: vel ut cum Petro de Marca loquamur; jus Advocatiæ extraordinarium eſt, quod Eccleſiis ſibi non ſubditis adversùs potentiorum vim publicam aut privatam, impertiri ſolent illi, qui aliàs ex munere ſuo ad id non obligantur (r). Primi itaque generis protectio licèt à Chriſtianorum Principum ortu arceſſi poſſit; altera tamen tutelæ ſpecies (eodem Authore affirmante) ex eo profecta eſt, quòd Summi Pontifices aut ipſi etiam Imperatores, Proceribus viris aliquando demandàrint, ut ab injuriis Eccleſias ſibi creditas extra ordinem defenderent; vel etiam, quòd

(p) Magerus de Adv. c. 3. n. 64.

Sententiæ conciliantur.

(q) Petrus de Marca l. 1. de Concord. c. 12.

(r) Idem l. c.

quòd Ecclesiarum Episcopi aut Abbates cum assensu Capitulorum & Monasteriorum se in defensionem Procerum certis legibus tradiderint, mercedis annuæ & pensionis perpetuæ utplurimum stipulatione adhibitâ (s). Quibus præmissis Marca subjungit, initium pactorum de Protectione cum Ecclesia Romana conventorum in ea tempora conferendum esse, quibus Gregorius se suámque Ecclesiam Tuitioni Caroli Martelli commisit.

(s) Continuator Fredegarii loco suprà cit. Pagius in Critic. Baron. ad a. 740. n. 8.

7. Ex quo nunc porrò altera quæstio resolvitur, utrùm à Carolo Avo, an à Filio Pipino, aut Carolo Magno Nepote Ecclesiæ Romanæ Advocatiam deducere oporteat? Nam si historiæ decursum propè inspiciamus, quisque intelliget, primum Carolo Martello à Pontifice Patricii & defensoris Ecclesiæ authoritatem oblatam, à Pipino verò & Carolo novis legibus firmatam fuisse: Ac ne de aliis testimoniis addubitemus, Carolus M. id insinuat, dum Regnum inter filios divisurus ita ajebat: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab Avo Nostro Carolo & beatæ memoriæ Genitore Pipino Rege, & à Nobis postea suscepta est, & ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulaverit, habere faciant.*

Dignitas Advocatiæ Ecclesiæ Romanæ.

8. Quemadmodum verò omnis beneficentia, ita non minùs ea, quæ in Protectione consistit, singularem ab iis honorem exigit, quibus defendendæ Ecclesiæ cura demandata est. Itaque Summi Pontifices Pipino & Carolo non tantùm sacra & insignia munera, sed & Patricii titulum obtulêre, cujus dignitas in eo versabatur, quòd à Constantini M. ætate nonnisi Consulibus & Præfectis Prætorii, vel aliis de Republica optimè meritis conferretur. Hinc Zeno Imperator ait (t): *Nemini ad sublimem Patriciatûs honorem (qui cæteris omnibus anteponitur) ascendere liceat, nisi priùs aut Consulatûs honore potiatur, aut Præfecturæ Prætorio, vel Illyrici vel Urbis administrationem, aut Magistri militum, aut Magistri officiorum, in actu videlicet positus, gessisse noscatur.* Et Cassiodorus (u) hæc verba in collatione hujus dignitatis adhibita fuisse refert: Tot Parentum *laude decoratus, tot etiam morum laude conspicuus sume post Consulares fasces emeritos, Patriciatûs insignia, tuarum munus plenarium dignitatum, & cani honoris infulis, adultam cinge cæsariem, qui meritorum laude ætatis indicia superâsti.* Quis igitur miretur, quòd cùm hanc dignitatem Gothorum, Burgundionum, & Longobardorum Reges ambiverint, etiam Principes ac Reges Francorum hanc sibi prærogativam à Pontifice collatam adeò suspexerint, ut hunc titulum suis Diplomatis, inscriptionibúsque insererent: certè Carolus M. cum titulo Regis Francorum & Longobardorum, Patricii nomen adeò arctè ubique conjunxit, ut Mabillonius illa Diplomata inter supposita recenseat, in quibus Carolus

(t) Zeno Imp. Leg. 3. Cod. de Consulibus.

(u) Cassiodor. Var. III. 5.

(x) Mabillonius l. 2. de re Diplom. c. 3. §. 7.

(y) Auctor Chron. Gottwic. T. I. de Otton. I.

Officium Advocati & Defensoris Ecclesiæ Romanæ.

(z) Eginhardus in Annal. ad a. 886.

(a) Paulus Diac. in Hist. Longob. in MS. Vatic.

(b) Eginhardus in Annal. ad a. 796.

(c) Epistol. Caroli ad Leonem T. VII. CC. edit. Labb. p. 1128.

(d) Ceremoniale Roman. l. 1. sect. 5. c. 3.

lus Patricii titulo non consignatur (x). Post Carolingicos etiam Otto Magnus hoc Patriciatûs decore gloriabatur; nam in Diplomate Laurisheimensis Monasterii ita legitur, *Otto Dei Gratia Rex Francorum & Longobardorum ac Patritius Romanorum* (y).

9. Sed quoniam parum est, titulo refulgere, nisi nomini facta respondeant; inde Carolus M. & Ludovicus pius in regnorum suorum divisionibus, filii suis præcipiunt, ut Ecclesiam Romanam Caroli Martelli & Pipini exemplo defendant, atque ita se veros Patricios exhibeant (z). Ad Patriciorum autem præcipuum munus pertinebat, Ecclesiam & Pauperes contra vim potentiorum defendere, cujus documentum ex ipsa Patriciatûs formula Paulus Diaconus nobis reliquit (a), quæ ita habet: *Hunc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiis Dei & Pauperibus legem facias, & inde apud altissimum judicem rationem reddas;* quare dum Pontifex Martello ejúsque Successoribus Patriciatum detulit, ei Advocatiam ejusmodi voluit oblatam, quâ Ecclesiæ Romanæ afflictæ, ac ope egentis urbis protectionem in se susciperet; ita enim Eginhardus testatur (b), quando Epistolæ, à Leone Papa ad Carolum perscriptæ argumentum refert: *Leo per Legatos suos claves confessionis S. Petri, ac vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi* (Carolo) *misit, rogavítque, ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per Sacramenta firmaret.* Et quoniam Carolus ipse optimè sui muneris partes noverat, ex ejusdem epistola ad Leonem data id rescire opportunum erit (c): *Angilberto* (inquit Carolus) *injunximus . . . ut ex conlatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem S. Dei Ecclesiæ vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patriciatûs nostri firmitatem necessarium esse intelligeretis. Sicut enim cum Beatissimo Prædecessore Vestræ Sanctæ Paternitatis pactum inii; sic cum Beatitudine Vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero: quatenus Sanctitatis Vestræ divinâ donante gratiâ, Sanctorum advocatis precibus me ubique Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, Nostrâ semper devotione defendatur. Nostrum est, secundùm auxilium divinæ pietatis, sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incursu Paganorum & ab infidelium devastatione armis defendere, foris & intus Catholicæ Fidei agnitione munire.* Ab hoc officio post Carolingicos adeò non discesSêre alii Imperatores, ut has muneris partes omnino se impleturos conceptâ hâc sacramenti formula (d) obligârint: *Ego N. Rex Romanorum, adjuvente Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor atque juro Deo & Beato Petro, me de cætero protectorem atque defensorem fore Summi Pontificis & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus, custodiendo & conservando possessiones honores, & jura ac jus, quantum divino fultus adjutorio potero, secundùm scire & posse meum, rectâ & purâ fide. Sic me Deus adjuvet,*

adjuvet, & sancta Dei Evangelia. Equidem Lymnæus cum non paucis adversarum partium Patronis huic jurijurando non parùm indignatur, illúdque malignâ interpretatione convellere studet (e): sed omni suo conatu non impedivit, quominus hodiedum electi Reges Romanorum & Imperatores in Capitulationibus initio statim jurati promittant id, quod Carolus V., Ferdinandus I., Maximilianus II., Rudolphus II., Matthias, Ferdinandus III., IV., Leopoldus, Josephus, alíique ad hæc usque tempora Imperatores promisère (f), quódque jusjurandum dicere Capitulationis perpetuæ articulo primo omnes Cæsares jubentur, *se populum Christianum, Sedem Romanam*, Pontificem Romanum & Ecclesiam Christianam tanquam eorum Advocatos protecturos esse (g).

10. Quantumcunque verò nonnulli ab Advocatia hac Sedis Romanæ Cæsarea offendantur; non desunt tamen, qui inde tela contra Pontificem sculpere conentur: ex hac quippe defensione ajunt Imperatori jus confirmari, quod ipse ex naturali ac divinâ ordinatione haberet in sacra (h); cujus veritatis convictum asserunt fuisse Hadrianum pontificem, qui Cæsari omnem Ecclesiasticorum Præsulum institutionem concessisset (i). Non hìc prætermitterem confutare nova & paradoxa hújusmodi sensa, nisi multoties alibi in Tomo II. P. I. & P. II. nostræ Historiæ Universalis hunc errorem confutâssem: cæterùm quod de Concessione fictâ Hadriani statuminant, tanti ponderis esse videtur, ut illud speciali Reflexione aliàs impugnandum decreverim. Mitiùs loqui videntur illi, qui contendunt Cæsares unà cum Patriciatu ac Advocatia supremum Dominium Romanæ urbis accepisse; huc enim referunt illud, quod Carolus in signum supremæ in Romam & Ducatum Romanum potestatis claves ex confessione S. Petri, & vexillum Romanæ urbis missa acceperit.

11. Sed pace horum virorum ita docentium dixerim, eos à priscis tum suis jurisprudentiæ regulis hìc quàm longissimè deflectere. Nam si verum est, quod Cicero Romanorum tempora describens ait: *Patrocinium Sociorum penes eos fuisse, non imperium* (k); aut si veritati congruat, quod statuta tum legum, tum Canonum disertè docent, eos qui in Protectionem alterius recipiuntur, ab ordinariâ sui Magistratûs jurisdictione nullatenus eximi (l). Quis veteris juris adeò immemor erit, ut Protectionem ac defensionem urbis Romanæ cum ejusdem Dominatione confundat? Præterea *Grotius* licet ab adversis cæteroquin militet partibus, docere non dubitavit, *Sicut Patrocinium privatum non tollit libertatem Personalem; ita Patrocinium publicum non tollit libertatem civilem* (m). *Gailius* negat defensorem aut Protectorem jure tutelæ posse Ecclesiis ac Monasteriis utpote non subditis imponere Collectas (n): *Conringius* & *Struvius* prorsus inficiantur ex Advocatiæ jure quidquam profluere, quo potestas in fidei commissas ditiones prorogari valeat (o): ex quibus omnibus

(e) Limnæus apud Pfeffinger in Notis l. 3. Tit. 2.
(f) Vide Capitulationes Impp.
(g) Capitulationes perpet. a. I.
(h) Hugo Grotius de Imper. summa potest. Slevogt de Advocatia Imperatoris Eccl.
(i) Can. Hadrianus 22. Dist. 63.
(k) Cicero l. 2. de Offic.
(l) desertorem §. fin. ff. de re Milit. c. recepimus. de Priv.
(m) Grotius l. 1. c. 3. n. 21.
(n) L. Rescripto §. fin. ff. de Mun. & Honor. L. cum neque. c. de incol.
(o) Conring. T. I. Struv. in Synt. Jur. P. c. 10. §. 40.

bus consequitur, quantùm aberrent illi, quibus ad solius Romanæ Ecclesiæ invidiam Advocatiæ limites ita extendere volupe est, ut Jurisdictionem ab armati patrocinii notione vel non discernant vel non satis perspiciant, quòd qui in aliquo territorio aliquam jurisdictionis speciem exercet, necdum illius Dominium sibi vendicare possit, præsertim cum vulgata Jurisconsultorum Regula tam facilè exolescere nequeat. Schutz und Schirm giebt keine Obrigkeit.

12. Si quis verò in *Clavibus S. Petri*, tum in *Vexillo* quod Advocato à Pontifice mittebatur, aut in *Numismatis* quibusdam Dominatûs hujus indicia se deprehendisse putet; huic illud cum Pagio dabimus (p), quod Dignitas Patricii à Caroli Martelli ævo præter defensionem Ecclesiæ, etiam jurisdictionem delegatam in urbe & Ducatu Romano fuerit complexa. At si Dominatum superiorem etiam extundere cupiat; tum alios facilè erit exhibere Principes & Comites; quibus Pontifices similia signa donârint, quin cum his Dominatum urbis illis tradiderint. Certè Gregorius M. (utì ex ejus epistolis manifestum est) multoties Christianis Principibus claves ex sepulchro S. Petri transmisit: & Vexillum, teste Sigonio Patriciis aliis non tantùm more solenni obviam ferebatur, sed & Vexillum postea Alexander II. Wilhelmo Notho Duci Normanniæ in bello contra Haraldum (q): Victor III. Roberto Guiscardo in bello contra Græcos schismaticos (r) Urbanus II. Hugoni M. Viromanduorum Comiti in prima expeditione sacra consignari fecit; anne ideo hos supremos urbis Dominos fuisse dixeris? Accedit, quod ab anno 754. ea monumenta nobis ob oculos versentur, quæ nos convincant, Pontificem etiam in rebus civilibus, tam Romæ, quàm in Exarchatu Ravennatensi administrationem exercuisse. Nam præterquam, quod Pipinus hoc tempore Exarchatum Petro concesserit; tum Romani Constantino Copronymo, à quo penitus deserebantur, abdicato, Rempublicam instituerunt, cujus subinde Caput Romanus Pontifex & Defensor Pipinus appellatus est; ita enim Stephanus II. ad Pipinum scribit (s): *Tuæ amantissimæ excellentiæ Sanctam Dei Ecclesiam & NOSTRUM Romanæ Reipublicæ populum commisimus protegendum*; & Hadrianus I. ad Carolum M. de Græcis velut hostibus queritur: *cupientes NOSTRAM Romanam invadere civitatem* (t). Quare si Carolus M. in Numismate tempore Leonis III. cuso *Dominus urbis* vocatur; id ita accipias, quod Patricius fuerit Romanorum, & delegatam jurisdictionem in urbe exercuerit. De quo si cuipiam adhuc insideat scrupulus; legat epistolam Caroli ad Leonem P., in qua non aliud Patriciatûs sui officium agnovit Carolus, quàm ut Ecclesiam defenderet (u). *Angilberto* (inquit Carolus) *injunximus . . . ut ex conlatione mutuâ conferatis, quidquid ad exaltationem S. Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris Vestri, vel Patriciatûs nostri firmitatem esse intelligeretis. . . . Nostrum*

(p) Pagius in Critic. ad a. 774. n. 4.

(q) Ingulphus p. 90.

(r) Guilhelm. Apul. l. 4. de gestis Normann.

(s) epist. 3. & 4. ad Pipin. in Cod. Carol.

(t) Epist. 4. Adriani P. ad Carol. M.

(u) Epist. Caroli ad Leonem T. VII. CC. p. 1128.

Nostrum est, secundùm auxilium divinæ pietatis sanctam ubique Ecclesiam ab incursu Paganorum & ab Infidelium devastatione armis defendere, foris & intus Catholicæ fidei agnitione munire. Ex his cùm intelligatur, Carolum non jurisdictionem supremam, sed Patriciatûs tantummodo honorem & munus in se agnoscere; tum nec illud Eginhardi testimonium suprà allatum Adversarii suffragari potest, quod populus Romanus Carolo subjectionem fidémque jurejurando firmârit. Nam cùm Carolus à Pontifice Patriciatûs firmitatem duntaxat petierit; hæc subjectio alia esse non poterat, quàm quæ jure Patriciatûs & Protectionis debebatur. Quibus omnibus Grotius lumen aliquod affundit, dum docet (x): Clientes qui suâ naturâ fœderati sunt (non subditi) suam potestatem in protectores neutiquam transferunt; nam & jure Naturæ, fœdera ab una parte superiorem, ab altera inferiorem non supponunt. Imò si cum superiore ineantur; superior iste censebitur non potestate, sed authoritate & dignitate.

(x) Grotius l. 1. c. 3.

REFLEXIO II. ad §. II. Num. 12. pag. 986.

De Pipini, & Caroli Magni Donationibus, quibus Patrimonio S. Petri auxerunt, & amplificârunt.

Patrimonii varia significatio.

1. QUamvis *Patrimonii* nomine illa plerumque bonorum portio designetur, quæ ex Parentum aut propinquorum substantia à privato quovis accipitur; vocis tamen hujus notio eò subinde traducta est (a), ut & publicas Principum & Ecclesiarum facultates complecteretur. Nam sicut Procopius nobis perhibet, Domûs Regiæ fundos Patrimonium Cæsaris olim appellatos fuisse (b); ita Anastasius (c), ordo Diurnus Romanus (d) & Nicolaus Alemannus (e) veterem morem nobis reliquerunt, quo Ecclesiæ Romanæ prædia, Ditiones aut census in Provinciis uno nomine Patrimonium Apostolicum, & Ecclesiasticum, sive Patrimonium S. Petri dicebantur. De Patrimonialibus Cæsaris facultatibus, & de Comitibus sacri, ut vocabantur, Patrimonii hìc plura disserere cùm nostri instituti non sit, ad Cujacium Lectorem remittimus, qui de hoc argumento latius pertractavit (f). At de altero Patrimonio scilicet Apostolico verba facturi, rem ita agemus, ut vestigatis Bonorum ejusmodi Ecclesiasticorum initiis, mox majora illorum incrementa, & quibus authoribus illa profecta sint, subjungamus.

2. Ad prima Christianitatis sæcula cui respicere animus est, non uno opum, divitiarúmque genere Ecclesiæ Thesaurum crevisse inveniet; nam vel collectis pecuniis, aut oblationibus, Primitiis, decimis, sive

(a) DuCange in glossar.
(b) Procop. l. 1. de bello Goth. c. 4. & 6.
(c) Anastas. in Canone PP.
(d) Diurnus Rom. c. 6. Tit. 3. 4.
(e) Nicol. Alemann. in Dissertat. de Lateran. Parietin. c. ult.
(f) Cujac. in Paratit. l. 1. Cod. Tit. 32. 33. 34. & ad l. 11. Tit. 26.

ſive demum hæreditatibus adeo implebatur, ut nec ſtipendia Miniſtris, nec Pauperibus ſubſidia, neque Eccleſiis ſacra ſupellex deeſſet (g): Atque ut porrò fidelium munificentia Eccleſiaſticam rem ſtabiliret, fundos & prædia eidem addixêre. Quamvis enim *Apoſtoli cùm Eccleſiam in Gentibus futuram præviderent, prædia in Judæa minimè ſint adepti, ſed pretia tantummodo ad fovendos egentes* admiſerint (h); Epiſcopis tamen æquè ac fidelibus ex Eccleſiarum jam fundatarum commodo expeditius fore viſum eſt, ut ſtabiles fundi veluti perennes Eleemoſynarum, ſtipendiorumque fontes ſervarentur (i). Ex his igitur adjumentis Eccleſiarum opulentia cœpta eum in modum augebatur, ut poſt Conſtantini tempora magna Clericorum pauperum & viduarum copia Eccleſiæ Romanæ ſumptibus aleretur. In ſæculo quinto Socrates de Cæleſtino Papa ſcribens, dicere non dubitavit: *Epiſcopatus Romanus non aliter, atque Alexandrinus ad ſæcularem Principatum erat jam ante delapſus* (k). Quantis opibus valuerit Apoſtolica Sedes eâ ætate, quâ Gregorius Magnus clavum Eccleſiæ regebat, ex ipſis Gregorii Epiſtolis cognoſcere licebit: Gennadio Patricio ac Exarcho per AFRICAM is pro beneficiis Eccleſiæ Romanæ collatis grates referens, ita ſcribebat (l): *Plurima pro paſcendis ovibus B. Petri Apoſtolorum Principis utilitatibus excellentiam veſtram præſtitiſſe dicimus . . . horum autem retributionem, quæ Chriſtiana mente confertis, per ſpiritualem in futuro judicio ſuſtinetis.* E diverſo idem Gregorius Gregorium Juſtinum SICILIÆ Prætorem increpabat, quod frumenta Eccleſiæ Romanæ debita mittere neglexerit: *Ad regendum,* ajebat, *Siciliæ Patrimonium, talem, ut æſtimo virum, Deo authore tranſmiſi, cum quo vobis, ſi (ut ego expertus) recta diligitis, omnino conveniat* (m). Certè ex Siculis fundis tanta Proventuum vis veniebat, ut tria talenta & dimidium auri Eccleſiæ Romanæ ſola Sicilia dederit (n); imò terrarum ac ſtabilium ibidem poſſeſſionum numerum haud tenuem fuiſſe ex ſcriptis Gregorii conjicias, dum ait (o): *multi huc veniunt, qui terras aliquas vel inſulas in jure Eccleſiæ noſtræ in Emphyteuſin ſibi poſtulant dari: & aliquibus quidem negamus, aliquibus verò jam conceſſimus. Sed tua experientia* (ita monet Patrimonii Eccleſiaſtici Rectorem) *Sanctæ Eccleſiæ utilitatem conſpiciat, memor, quod ante Sacratiſſimum B. Petri Apoſtoli corpus poteſtatem Patrimonii acceperit.* Non minùs Eccleſia Romana in GALLIIS eodem tempore ſuas habebat opes; nam eâ de causâ Gregorius Brunechildi Francorum Reginæ Candidum Presbyterum, cui Apoſtolici Patrimonii per Gallias impoſuerat curam, commendabat (p); & paulo poſt Rectori eidem præſcribens jubebat, ut cùm perrexerit ad Patrimonium, quod eſt in Galliis, gubernandum, veſtimenta, victúmque pro Pauperum, & præcipuè Anglorum uſu compararet (q). Quemadmodum verò in Regnis, Provinciiſque exteris opulenta Eccleſiæ Romanæ erant adminicula

(g) Thomaſſin P. IV. l. 1. de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.
(h) c. futuram. C. XII. Q. I.
Fundi ſtabiles Eccleſiæ Rom.
(i) ibid. c. Venerabilem.
(k) Socrates l. 7. c. 7. 13.
Poſſeſſiones variæ Eccleſiæ Rom. per diverſas Provincias.
(l) Greg. l. 1. Reg. epiſt. 73. edit. Pariſ. 1605.
(m) Greg. M. l. 1. ep. 2.
(n) Diac. l. 21. rer. Rom.
(o) Greg. M. l. c. ep. 70.
Facultates Eccleſiæ Romanæ tempore Gregorii Magni.
(p) Greg. M. l. 5. ep. 5. 6.
(q) Idem l. c. ep. 10.

nicula ac possessiones; ita multò copiosiorem bonorum cumulum ITALIA præbebat: *Neapolim* utì & *Campaniam* S. Petro suum pependisse tributum, Rectores Patrimonii Apostolici, qui in iis partibus perpetuò considebant, nobis testantur (r); Quin ipse *B. Gregorius* (ut scribit Maphæus Vegius) *ad instruenda abun antiùs Basilicæ S. Petri luminaria, multa prædia, multáque præsertim oliveta illi donavit, sicut constat ex publico documento inscripto tabulis marmoreis* (s) quarum una affixa erat ad Porticum S. Petri, altera ad Basilicam S. Pauli (t). Denique Paulus Papa in epistola ad Pipinum Anno DCCLVIII. datâ mentionem facit de fundis, quæ in Ducatibus Beneventano, ac Tusco & Neapolitano territorio ad Pontifices Romanos pertinebant: *Deo propitio, de partibus Beneventanis atque Tuscanensibus & fecimús & ad invicem nostras recepimus* . . . & infra *Direxerit nobis à Deo protecta Excellentia Vestra, præfatum vos Desiderium admonuisse Regem, Neapolitanos ac Cajetanos constringere, ob restituenda Patrimonia Protectori vestro B. Petro, illic Neapoli sita* (u).

3. Verùm hæc Patrimonia (ut cum Pagio (x) & Cointio (y) loquamur) omnino diversa forsan fuerint à juribus, locis, finibus ac territoriis c vitatum, neque alia, quàm quæ essent *pro subsidio & alimento pauperum C risti seu luminarium concinnatione* (z); At Dominia, Ducatus, supremúmque in compluribus Italiæ Provinciis Principatum, quo hodie Romani Pontifices potiuntur, non aliunde, ajunt, quàm ex profusa Regum Francorum liberalitate, ac famosis donationibus profluxisse. Nam postquam à Constantini obitu Constantius, Valentinianus, Honorius, aliique Imperatores per suos Præfectos Urbi non minùs quàm Italiæ dominati fuerant (a); etiam Gothorum subinde Reges tam amplam sibi juris dicundi potestatem vendicabant, ut Theodoricus Senatui Romano, populo, Præfecto urbis dictare leges, judices Romæ designare, ac plurima, quæ Urbis munimenta restaurationémque spectarent, decerneret (b). Gothis demum profligatis Imperatores Græci Ravennæ Exarchos imposuêre, qui universæ Italiæ præesse jussi omnia negotia tum civilia, tum bellica summo jure tamdiu moderabantur; dum Longobardi partem Italiæ adepti, mox postea Exarchum Ravennæ, Romanósque in suam penè potestatem redactos; & à Græcis Imperatoribus omnino desertos non paucis injuriis affligere cœpissent. Ab hac crudelissima servitute quò se tandem Pontifices evolverent, Gregorius II. & III. Francorum opem imploravêre (c). Carolus Martellus Major Domûs ubi interpositâ legatione Longobardorum ferociam nonnihil deliniverat (d); Zacharias quoque Papa Gregorii III. Successor Luitprandum Longobardicæ gentis Regem ita demulsit, ut quatuor Civitates Romano Ducatui ereptas redderet (e). Post obitum Zachariæ majorem Rei Romanæ curam Stephanus III. (aliàs IV.) habuit; Aistulpho quippe Rege ac Luitprandi Succes-

(r) Idem l. 5. ep. 11. & l 2. ep. 49.
(s) Maphæus Vegius in libello de præstantia Basilicæ S. Petri.
(t) Vide in Tom 1. Gregorii edit. Paris. 1605.
(u) Epistol. 26. Cod. Carolin.
(x) Pagius
(z) Gregor. III. in ep. ad Carol. Martell.

Patrimonia Ecclesiæ nonnulli à juribus ac territoriis discernunt

(a) Vide Natal. Alex. Diss. 25. Sæc. IV

Quæ potestas fuerit Imperatorum & Gothorum ante Carolingos?

(b) Cassiodorus in ep. variar.
(c) Anastas. Biblioth. in V. Stephani III. P.
(d) Continuat. Fredegarii in Append.
(e) Anastas. in V. Zachar.

Pontifices ad auxilia Regum Francorum confugiunt.

(f) Anastas. in V. Stephani III.

(g) Sigonius de regno Italiæ l. 3. p. 78.

(h) Anastas. in V. Stephani III.

(i) Epist. Pauli Papæ in Cod. Carol. 21.

(k) Epist. 14. Cod. Carol. item 17.

(l) Anastas. Biblioth. in vita Hadriani Papæ.

Franci Reges an primas Sedi Apostolicæ dederint ditiones?

(m) Vide Natal. Alex. in Differt. 25. Sæculi IV.

Successore Romanum agrum rursus evastante ad Pipinum Regem Francorum confugit, eúmque, ut Ecclesiam & rempublicam Romanam protegeret, obtestabatur his precibus ab Anastasio descriptis (f): *Salva nos, antequam pereamus, Christianissime Rex! ... per Deum vivum Te conjuro... quoniam tantummodo Tuæ amantissimæ Excellentiæ vel dulcissimis filiis & cunctæ genti Francorum per Dei præceptionem & B. Petri, sanctam Dei Ecclesiam & Nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.* Pipinus roganti Pontifici adeò non defuit, ut in Aistulphum arma vertere constitueret, voto insuper concepto "pollicitus, se *pro remissione peccatorum impetranda*, siquidem bello Longobardico Victor exiret, *Exarchatum & Pentapolim Reipublicæ Romanæ adempta, B. Petro & Successoribus ejus traditurum æternùm possidenda.* Atque hanc promissionem in tabulas relatam & suo & Caroli & Carolomanni filiorum præsentium sacramento munivit" (g). Nec diu cunctatus est Pipinus propositum exequi; nam Aistulphum ad angustias Alpium prælio fractum, & subindè Papiæ obsessum coegit, ut Ravennam cum universo Exarchatu, Pentapolim & viginti civitates in iis provinciis comprehensas restitueret (h). Necdum belli turbo quieverat, tum Desiderius alter ab Aistulpho Rex cupidine proferendi Regni incensus Pentapolim & Ducatum Spoletanum ac Beneventanum ferro flammísque invasit. Paulus Papa, qui Stephano fratri successerat, his malis perterritus ad solita Pipini auxilia provolat (i): & hortatu Francorum Regis *Desiderius* eò adactus est, ut promitteret se Pontifici *omnia B. Petri Patrimonia, jura etiam & loca atque fines & territoria diversarum civitatum plenissimè reddíturum.* Partem promissorum etsi ad tempus Longobardorum Rex exsolveret; postea tamen facti pœnitens, etiam quæ dederat, vi repetenda duxit (k). Mortuo Pipino Carolus M. tandem Principi devicto Regnum spoliáque detraxit, quæ utì Hadriano Papæ & Ecclesiæ Romanæ erepta fuerant; ita ea non solùm victor restituit, sed & paternæ donationi territorium Sabinense, Ducatum Spoletanum & Beneventanum, aliáque plurima succedente tempore adjecit (l).

4. Equidem si de plena harum Ditionum, tum Ducatûs Romani, atque Exarchatûs Ravennatensis administratione hic sermo sit, in sententiam imus eorum, qui illam ante annum 754. non evenisse affirmant, nec abnuimus, quòd Pontifices Romani politicam potestatem à Pipino & Carolo M. auctam firmatámque acceperint. At si id jam contendunt, Sedi Apostolicæ ante Pipini tempora nil nisi fundos, nullas autem ditiones, nulla jura, nec temporalem præterea potestatem saltem summo Cæsarum Dominio subordinatam fuisse (m); tum enimverò ex Synchronis Authoribus commonstramus, Pontifices Romanos ante Carolingensium ætatem multas in Italia provincias possedisse. Sic primò diu antè ad Sedem

dem Apoſtolicam pertinebant *Alpes Cottiæ*, quibus Genua & tota ejus ora maritima uſque ad fines Galliæ continebatur; nam Paulus Diaconus (n) de anno 704. ita ſcripſit (o): *Hoc tempore Aripertus Rex Longobardorum donationem Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant Sedis Apoſtolicæ, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxit.* Hanc antiquæ poſſeſſionis *reſtitutionem* ubi poſtea Rex Luitprandus infeſtare aut minuere viſus eſt; Zacharias Papa Principem ad *reddendas* quatuor Ducatûs Romani urbes compulit, cujus teſtem habemus Anaſtaſium, qui de Luitprando hæc commemorat (p): *Quatuor civitates redonavit in Oratorio Salvatoris intra Baſilicam S. Petri. Nam & Sabinenſe Patrimonium, quod per annos ferè triginta fuerat ablatum, atque Narnienſe & Auximanum atque Anconitanum, nec non* &c . . . *per donationis titulum ipſi B. Petro Apoſtolorum Principi reconceſſit.* His accedunt tot epiſtolæ Pontificum, quibus ſibi jura ac territoria non primò donari, ſed reddi petebant; ita enim Stephanus Pipinum cum Francis in auxilium evocabat, *ut ablata à Longobardis reſtituat B. Petro:* ac ne Pontificum fundos aut agros duntaxat reſtitui ſibi voluiſſe credas; Anaſtaſius de *Pipino* refert (q): eum jurejurando promiſiſſe *Stephano*, *ſe, ut illi placitum fuerit, Exarchatum Ravennæ & Reipublicæ jura ſeu loca reddere modis omnibus: Aiſtulphum* verò per Miſſos *admonuiſſe, ut jura & loca ſanctæ Dei Eccleſiæ & Reipublicæ reſtitueret:* imò armis eum adegiſſe, *ut juraret ſe illico redditurum civitatem Ravennatium cum diverſis aliis civitatibus.* Atque ut cæterorum Synchronorum teſtimonia prætermittamus (r); Hadrianus I. Papa teſtatur, *Carolum M. tam Provincias, quàm Civitates ſeu Caſtra & cætera territoria; imò & Patrimonia, quæ à privata Longobardorum gente detinebantur, brachio forti, Dei Eccleſiæ reſtituiſſe, cujus & jure eſſe dignoſcebantur.*

5. Ex his jam ſatis apparet, quæ & quanta Regum Francorum in Eccleſiam Romanam fuerit munificentia; præterquam enim quod tres Provincias, quæ Picenum, Flaminiam & Æmiliam complectebantur, primò donârint (s), tum multa quoque reſtituerunt, ſive ùt aliquibus loqui placet, ſecundò donârunt. Utrùm verò his Donationibus Pontifices traditarum civitatum ac Provinciarum dominium æquè directum atque utile acquiſiverint, à nonnullis addubitatum eſt. Sigonius ait, Carolum terras illas *jure Principatûs & ditione ſibi retentâ*, Pontifici permiſiſſe (t). Atque ut iſta verba idem Hiſtoriographus etiam diſſimulâſſet, certè donationes Principis nunquam, niſi ſalvo ſummo Imperii jure, factæ eſſe præſumuntur. Deinde Carolum M. jus in Romanum Ducatum adhuc ſervâſſe inde palàm fit, quòd de eodem in ſuo teſtamento legatur diſpoſuiſſe. His addi poteſt Natalis Alexander (u), qui in eo laborat, ut inter Francorum Reges & Pontifices ſupremi Dominii conſor-

(n) Baron. ad a. 704.
(o) Paulus Diac. l. 6. de geſt. Longobard. c. 28.

Oſtenditur ante Pipini tempora territoria jam in Italia Pontificibus fuiſſe.

(p) Anaſtaſ. Bibl. apud Baron. ad a. 742.
(q) Anaſtaſ. in V. Stephani P. III.
(r) Eginhardus in V. Caroli M. Paulus Diac. l. 6. c. 60.

An Dominium utile, an directum Pontificibus datum ſit?

(s) Anaſtaſ. Bibl. in V. Stephani II. Leo Oſtienſis in Hiſt. Caſin. l. 1. c. 7. Sigonius de Regno Italiæ l. 3.
(t) Sigon. l. c. p. 90.
(u) Natal. Alex. in Diſſert. 25. Sæc. IV. p. 318.

consortium posthæc saltem in Romana civitate fuisse probet. Id autem inde manifestum esse opinatur, quòd Carolus Romæ tanta cum honorificentia ab Hadriano exceptus sit, quódque Leo III. Electus missà ad Carolum legatione *rogâvit, ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per Sacramenta firmaret* (x). Eodem Dominatûs jure Carolus, uti Annales Francorum referunt, quæstionem de Majestatis reis Romæ instituit (y), & postea Lotharius decrevit, ut populus Romanus delectum unius legis faceret, ex cujus præscripto judicia peragi possent (z). Qui jurisdictionis usus continuatus est usque ad Caroli Calvi tempora, sive ad annum 876., quo idem *renovavit pactum cum Romanis perdonans illis* (in solidum) *jura Regni ... & cuncta illis contulit, quæ voluerunt* (a); in cujus absoluti Principatûs signum fortè Nicolaus I. Tiaram duplici coronà ornare cœpit.

(x) Eginhard. in Annal. ad 796.
(y) Annal. Franc.
(z) L. 2. leg. Longob. Tit. 57.
(a) Eutropius Longobard. de Carolo Calvo.

6. Hæc qualiacunque argumenta non obstant, quominus dicamus, Pontifices Dominium etiam directum in Civitates & Provincias obtinuisse; neque enim complures Veterum, qui de donationibus ejusmodi aut restitutionibus scripserunt, iis vocibus utuntur, quæ absolutum sine ulla reservatione dominium significent (b); *Exarchatum* (inquiunt illi) *S. Petro fuisse oblatum, neque jam quoquo modo alienabilem esse: Carolum omnia largitum sub integritate: velut holocaustum* jam esse in Pontificum *potestate, ditione, jure ac Principatu.* Quod ipsum apertè testatus est Constantinus Porphyrogenitus (c): *Roma*, ait, *Regium deposuit Principatum & proprium administrationem & jurisdictionem obtinuit, eique propriè ac legitimè dominatur, qui suo tempore Papa est*; unde conjicies, Pippinum & Carolum Dominium in illas Romanas terras non tam donâsse, quàm agnitum firmasse. Cùm enim Italiæ populi se ab antiquis Dominis desertos, à Longobardis verò oppressos gemerent; nullus erat, qui non Papæ ac Ecclesiæ potestati se subdendum putaret. De Spoletani Ducatûs incolis compertum est, quod dato fidei sacramento *Hadriani* Papæ *provoluti pedibus enixè deprecati sint, ut eos in servitio B. Petri, sanctæque Romanæ Ecclesiæ susciperet* (d). Et quamvis de aliis quoque Regionibus, scilicet de Parma, Mantua, Corsica, & Benevento idem conjiciant; universim tamen dici potest, Pontifices jure sibi tunc curandum sumpsisse, ut, cùm Græci Imperatores Italiam à Longobardis vexatam destituerent, ipsi velut præcipua Romanæ reipublicæ membra eandem à Longobardorum incursibus tueri, & sicuti multis periculis curisque jam præstiterant, præsidii quodam jure servare porrò incolumem adniterentur.

(b) Anastas. Biblioth. Eginhard. in V. Caroli.
(c) De Them. Imp. Orient. P. I. l. 2 Them X. in Corpore Histor. Byzant. T. 18. p. 22.
Nostra sententia declaratur.
(d) Anastas. Bibl. in V. Hadriani p. 106.

Objectiones Adversariorum solvuntur.

7. Ut verò ad ea, quæ pro diversis partibus stare videntur, respondeamus, PRIMO reponimus, verba Sigonii, licèt is cæteroquin contraria locutus antiquioribus non præjudicet, non de Roma & Patrimoniis aliis S. Petri, sed de Ducatu Spoletano & Tusco accipi oportere:

re: hos quippe solos, utì postea Otto declaravit, Cæsares *salvâ in eosdem Ducatus suâ in omnibus dominatione* devinctos volebant, ita ut nonnisi pensionem annuam Pontifici tribuerent (e). At cæteras Provincias profitebantur esse & manere *in Jure, Principatu & Ditione* S. Petri, *nullam sibi partem, aut potestatem disponendi, judicandi* &c. vendicantes, nisi à Pontifice *tanquam vero Domino in omnibus & per omnia* requisiti fuerint. AD ALTERUM ℞. Frustra hic Imperii jus aliquod contra Donationes intorqueri, cùm nec Pipinus, nec Carolus illo tempore ad Imperatorum numerum dignitatémque pertinerent. Aut si penes Imperatores Orientis jus istud positum fuisse contendas, tum meminisse debes, civitates Italiæ, ac Provincias ab Orientalium hæresi æquè afflictas, atque undequaque à suis desertas, jure naturæ se in libertatem asseruisse, ut quem derelicti vellent vel Imperatorem vel defensorem appellare, ejusque se fidei ac Imperio committere meritò possent. Quare cùm Græci jure suo jam excidissent, non est, quòd Donationes illæ (quæ nec ordinariæ erant, nec feudales, aut cum onere aut investitura, sed quæ Deo & Ecclesiæ Dei fiebant) dicantur à Francorum Regibus factæ *salvo Imperii jure*. AD TERTIUM ℞., Carolum in primo condito Testamento, A. 806. suo filio transcripsisse eam Italiæ partem, *quæ & Longobardia dicitur*, quæque aliis Longobardis propria, nunc ad se jure belli devenerat: ac ne existimes, in his Ducatum Romanum urbémque comprehendi; Carolus ipse limites traditarum Provinciarum defixit *usque ad terminos S. Petri* (f). AD QUARTUM ℞., nihil ab Alexandro hìc afferri, quod munus honorémque Patricii ac Protectoris excedet, ac proinde nulla jurisdictio, nisi ad summum delegata inde concluditur, utì nuper latiùs in priore Dissertatione de Advocatia ostendimus.

(e) Vide Gretserum de Munific. Princ.

(f) Eginhard. in V. Caroli M.

8. His omnibus expensis orthodoxarum quisque partium gratulabitur Francorum Regibus, quòd per eos prædicta ab Esaia gloria Ecclesiæ partim data, partim firmata sit, *Pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam Sæculorum, gaudium in generationem & generationem... mamillâ Regum lactaberis, & erunt Reges Nutritii tui & Reginæ Nutrices tuæ... meum est aurum, meum est argentum; ego implebo Domum meam gloriâ* (g). Verùm has gratulantium voces adeò ferre invidia nequit, ut Regum dictorum famam conviitiis non paucis proscindat. Inter alios Centuriatorum Magdeburgensium signifer *Illyricus Adrianum* & *Pipinum* duos prædones appellat, qui ad Italiæ devastationem mutuas operas contulerint (h). Nisi Centuriatorum Næniis frontem dudum Gretserus detraxisset; esset, cur hìc eorum audaciam longiùs vellemus depexam: sed ne actum agamus, impræsentiarum nobis edant Adversarii, cujus injuriâ Pontifex & Pipinus iniquas prædas egerint, aut cui aliquid, quod ipsi jure debebatur, eripuerint? An Longobardis? At

(g) Esaiæ c. 60.

(h) Centur. 8. c. 10.

Alia Protestantium postulata confutantur.

(i) Anastas. Bibl. Stephan. II. in epist. ad Pipinum

(k) Anastas. in V. Zachariæ P.

(l) Conringius de Republ. Papal. p. 368.

(m) Vid. ep. PP. Anastas. Eginhard.

(n) Thomassin. de Vet. & Nov. Eccl. Disciplin. P. III. l. 1. c. 29. n. 8.

(o) Vitriarius L. II. Tit. 4. §. 4.

At alieni juris invasores erant, quos à Romanis Pontificibus vocati Reges Franciæ debellarunt & ditiones ipsis ereptas velut bona Ecclesiæ ablata restituerunt (i). An Orientis Imperatoribus? Sed hi Regnum Italiæ, populúmque extra curas posuerant, & ferè abdicârant. *Cernens* quippe Zacharias Papa *ab Imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium, tunc quemadmodum prædecessores ejus Gregorius, & alius Gregorius & Zacharias Carolo Regi Francorum direxerunt, petentes sibi subveniri propter oppressiones . . . ita & ipse misit literas Pipino Regi Francorum &c.* (k) Posthæc Conringius non minore acerbitate in Pipinum invehitur (l): "Pipinus, ait, ductus partim superstitione, partim ambitione (ambiebat enim Regis nomen) dedit omnes terras Ravennatensis Exarchatûs Papæ". Conringio recenti; suis criminationibus nimiùm ubique indulgenti opponimus Veteres ac Synchronos, qui Pipinum Carolumque non alio fine ingressos Italiam fuisse perhibent, quàm, *ut Princeps Apostolorum suam susciperet justitiam & civitates, quas Longobardi abstulerant, B. Petro redderentur* (m). Alii, qui Protestantium castra sequuntur, litem inde Pipino & Carolo intentant, quod Papæ potiùs, quàm Imperatori & civitates ac Provincias donare aut restituere voluerint: Thomassinus verò brevem ac eruditam apologiam hisce verbis pro dictis regibus conscripsit (n): "Confidebat, ait, Imperator eas antiquissimas Imperii Romani Provincias, nuper à Longobardis direptas, suo sibi jure restitutum iri. *Pipinus* jure bellantium, tot exhaustis pecuniis, tot aditis periculis, earum sibi Dominium non injuriâ videbatur arrogare posse, qui eas non Dominis, sed illis jamdiu cessantibus, & pro derelictis eas habentibus, usurpatoribus eripuisset. Pontifex & Romanus populus in eas prisca retinebant Rom. Imperii jura, cùm earum tuitioni semper incubuissent, inter belli fremitus, quando nec pecuniâ illis Imperator, nec copiis affuisset. His æquâ lance perpensis certissimum est, potuisse Pontificem deposcere, ut eæ civitates Ecclesiæ & Reipublicæ Rom. restituerentur: potuisse & *Pipinum* non injuriâ profiteri, & præ se ferre, eo à se dono affici, colique B. Petrum. Si consilium cepisset earum Imperatori reddendarum, repensis sibi exercitûs & expeditionis expensis, quis illi violati juris maculam inussisset? Sed gratificari ille maluit Papæ, ùt qui eas sibi Ditiones peperisset, tam diuturnâ earum defensione, ubi nec impensis, nec vitæ pepercisset suæ". Causas alias infirmandi has Francorum Regum Donationes alii inde desumunt, quod demonstrari nequeat, an & quomodo factæ sint? tabulis non summatim excerptis, sed authenticis & formalibus (o)? an præter utile Dominium Pontificibus aliquid accesserit? an Imperator solus hoc, vel etiam cum consensu Electorum sive jure Cæsareo id potuerit? An non clausula salutaris de Juribus Imperii reservatis omni Donationi tali tacitè insit, etiamsi verbis clarè non fuerit expressa? *Verùm*

rùm cùm de Regibus Francis, non de Imperatoribus aut Imperio Romano Germanico hic ſermo eſſe poſſit, intempeſtivum foret, his quæſtionibus reſpondere; quibus tamen ſatisfacere haud difficile erit, ubi aliquando de Donationibus Imperatorum agemus. Id modo dixiſſe ſufficiet, Donationes illas Regum Francorum tum teſtibus Synchronis, tum etiam inſtrumentis authenticis ac genuinis probari. Nam Anaſtaſius, qui vixit a. 858. ſcribit (p): Pipinum Gregorio legato Conſtantinopolitano reſtitutionem Exarchatûs rogitanti repoſuiſſe. *Eundem S. Petro à ſe oblatum, non poſſe jam quoquo modo alienare à poteſtate Eccleſiæ*, dein addit, hanc Donationem *in ſcriptis* Apoſtolicæ Sedi in *perpetuum traditam*, quæ *ſcripta usque hactenus in Archivo S. Eccleſiæ recondita teneantur.* Urbes porrò *poſſidendas & diſponendas* ibidem enumerat absque ulla mentione ullius factæ reſervationis. Idem Anaſtaſius factam Pipini Donationem à Carolo M. Cariſiaci anno 774. Adriano I. confirmatam novo erecto inſtrumento refert, ſubſcriptam *propriâ manu à Carolo Univerſis Epiſcopis, Abbatibus, Judicibus etiam & Graphionibus ſuper altare B. Petri poſitam & terribili Sacramento corroboratam*, rurſus nullâ factâ mentione ullius poteſtatis reſervatæ (q). Eadem commemorant Ado Viennenſis noni ſæculi ſcriptor (r) & alia antiqua monumenta, inter quæ vetus inſcriptio etiamnum Ravennæ proſtat (s). PIPINUS PIUS PRIMUS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERUIT, & EXARCHATUM RAVENNÆ CUM AMPLISSIMIS . . . . reliqua inſcriptionis verba vel injuria temporum vel Tyrannorum invidia delevit. His accedit volumen Epiſtolarum, quas Romani Pontifices Gregorius III., Stephanus II., Zacharias I., Paulus I., Stephanus III., Adrianus I. ad Reges Francorum ſcripsêre, quod opus curâ Caroli M. collectum & P. Gretſeri ſtudio ex Bibliotheca Cæſarea Viennenſi deprompTum, ac anno 1613. editum eſt. Unde clarè eluceſcit, ut idem Gretſerus ait (t), quanta ſit Proteſtantium quorundam impudentia, qui falſi conantur arguere diplomata Donationum, quandoquidem in ſingulis propemodum Pauli & Adriani Pontificum epiſtolis harum oblationum mentio extat, ita ut cùm Centuriarum fabri nimiâ claritate perſtricti non invenirent, quod contra hiſcerent, ad convitia converſi *Adrianum & Pipinum duos Prædones* appellârint.

(p) Apud Baron. ad a. 755.

(q) Vide Gretſerum de Munific. Princip. Baron. ad a. 774.

(r) Ado ad a. 728.

(s) Leo Oſt. l. 1. Chron. c. 7.

(t) In ep. dedicat. ad Henric. Ep. Auguſt.

REFLEXIO III. ad §. IV. Num. 10. p. 1020.

Cujus Authoritate Regnum Francorum à Childerico Merovingicorum Regum ultimo ad Pipinum translatum ſit?

1. QUicunque ex antiquitate & numero Scriptorum præſentem controverſiam definiunt, hi Translationem authoritate & conſenſu Pontifi-

Pontificis Zachariæ factam dicere non reformidant (a); nam Eginhardus suam de Caroli M. vita lucubrationem ab ipsa Regni translatione ad Pipinum ejusdem Caroli Patrem sic exorsus est (b). *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant usque Childericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium detrusus est, durâsse putatur: quæ licet in illo finita possit videri; tamen jam dudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat: Nam & opes & potentia Regni penes Palatii præfectos, qui Majores Domûs dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur . . . . Quo officio tum, cùm Hildericus deponebatur, Pipinus Caroli Regis Pater jam velut hæreditario jure fungebatur . . . Pipinus autem per authoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex constitutus.* II. Huic narrationi postea Annales Francorum nempe Pithœani seu Fuldenses (c), Paulus Diaconus (d), Egilvardus (e), Marianus Scotus (f), Regino (g), Sigebertus (h), Otho Frisingensis (i), Ado (k), Abbas Urspergensis (l) & alii plures subscripsêre (m). III. Atque ut de Historia minùs addubitari possit; Annalista Loiselianus modum causásque refert, ex quibus Childericus suo Regno dejectus & vicissim Pipinus eidem sit impositus: *Burgardus* (ait) *Wirzeburgensis Episcopus & Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si bene fuisset, an non? & Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum, qui sine regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam jussit Pipinum Regem fieri* (n). Idem asserit Annalista Laurishamensis (o), nec Eginhardus (p) alias profert causas, cur Childericus de solio descendere & Pipinus illud conscendere jussus sit: multò his apertiùs Zachariæ Papæ exauthorationem Childerici adscripserunt Annales Tiliani (q), dum ajunt: *Zacharias Papa per Fulradum mandavit, ut Pipinus ad Regem levaretur.*

2. Verùm Cointius huic, ut ait, fabellæ post mortem Pipini duntaxat excogitatæ & absque examine per manus à multis retro sæculis acceptæ se opposuit (r): ac *primò* Eginhardo fidem derogare adnititur, ut qui in multis aliis narrationibus hallucinari sit visus (s). Neque inde quidquam confici putat, quòd tota testium nubes posteà in Eginhardi sententiam cæco impetu sit prolapsa (t). 2. Certè Annalista Loiselianus sæculi noni scriptor, eâ de causâ vapulat magis, quòd primus sit, qui Zachariæ super illo negotio consulti mentionem injecerit, quódque primum posteris fucum fecerit excusando Pipino haud importunum, dum fabellam circumstantiis variis, minúsque vero congruis vestivit (u). Quid enim à veritate aberret magis, quàm illud, quod Loise-

(a) Baron. ad a. 751. n. 1. Bellarmin. de Rom. Pontif. l. 2. c. 17. Serarius not. 43. in V. S. Bonfacii.
(b) Eginh. in V. Caroli Magni sub init.
(c) apud Baron. l. c.
(d) Paul. Diac. l. 6. c. 5.
(e) in vit. S. Burchardi.
(f) l. 3. Chronolog.
(g) l. 2. Chronic.
(h) Sigeb. in Chronic.
(i) l. 5. Hist.
(k) in Chron. l. 6.
(l) in Chr.
(m) vide Bellarm. de potest. Papæ c. 24.
(n) Annal. Loisel. ad a. 749.
(o) Laurish. Annal. ad a. 749.
(p) Eginh in V. Car. M.
(q) Annal. Tiliani ad a. 749.
(r) Coint. in Ann. Franc. ad a. 752.
(s) Idem l. c. n. 12. 13. ... 16.
(t) Id. l. c. n. 17. 18. &c.
(u) Id. l. c. n. 5

Loiseliani Annales perhibent, Pipinum secundum morem Francorum electum esse in Regem, & unctum per manus S. memoriæ Bonifacii Archiepiscopi (x). 3. Equidem nullus, cui Francorum ritus in eligendis Regibus unquam perspectus fuit, dicere ausit, penes Francos viguisse morem, ut à Romanis Pontificibus Reges peterent aut acciperent. Certè ex Gregorio dudum ante cognovimus quòd post *Sigeberti* Regis, ejusque filii *Chloderici* mortem Colonienses, cùm se *Clodovæo Magno* dederent, *plaudentes tam parmis, quàm vocibus cum clypeo evectum super se Regem constituerint* (y): haud alterius ceremoniæ Annalista Tilianus meminit, quando scripsit, quòd *Pipinus secundum morem Francorum à Romanis Pontificibus electus sit ad Regem & elevatus sit à Francis* (super clypeum scilicet) *in Regno suo in Suessionis civitate* (z). 4. Verùm esto, moris fuerit apud Francos subinde, Pontificis consilium authoritatémque interpellare; non poterat tamen Zacharias quantumcunque rogatus consentire, ut Rex innocens & natalium jure imperans solio expelleretur. Equidem inertiæ illum ac væcordiæ accusatum ajunt: sed quis Actor hanc litem illi movit, aut etiam movere potuit Adolescenti quindecim (a) sive octodecim annos (b) nato, cujus ætas negotiis, gerendis adhuc impar, nec aptum regno nec ineptum commonstrabat (c)? florent hodiedum adhuc Regna & Principatus, in quibus Reges aut Principes liberam dominandi potestatem ante annum ætatis decimum forsan octavum non suscipiunt; anne ideo socordes & solio indigni? 5. Superest majorum ex Merovingica stirpe Patrum ignavia aut ingenium vitiis infame, ex quo de nepote statuas. Sed præterquam quòd non desint, qui aliis coloribus Merovingicos Antecessores describant, nihilque fuisse admodum dicant, quod iis vitio verti possit (d); tum Childerico hanc injuriam nemo impegerit, ut Parentum malitiam in filium traducat. His omnibus expensis quis credat, quod Zacharias sanctissimus Pontifex Childericum non auditum, imò accusationis ignarum condemnârit, & Regnum illi ereptum in Pipinum transtulerit? 6. Certè Cointio persuasum est, indignationem hìc omnem in solum Pipinum verti oportere, qui totius mali fuit Architectus, & in Francos, qui fidem Childerico Regi datam fefellerunt (e). Et nisi Pipinus contra jusjurandum quo Childerico Regi idem Major Domûs obstrictus erat, prævaricatus fuisset, nihil causæ fuisset, cur Papa *Stephanus* postea *Pipinum à perjurio in Regem admisso absolvisset* (f). Si enim jure res acta credebatur, & quidem approbante ac consentiente Zacharia Pontifice, non erat, quòd absolutio ejusmodi adhiberetur.

(x) Idem n. 6. 7.

(y) Gregor. Turon. lib. 2. Eccl. Fr. c. 40

(z) Annales Tiliani ad a. 750.

(a) Annales Loiseliani.

(b) Annales Fuldenses & Petaviani. Diploma Childerici apud Mabillon. l. 6 de re Diplom.

(c) Natalis Alexander Hist. Eccl. sæc. VIII. Dissert. 2.

(d) Coint. Tom. IV. & V. Annal. Eccl. Franc.

(e) Coint. ad a. 752. n. 1.

(f) Theophanes.

3. Inter has duas sententias, quarum prior authoritate, altera ratione pugnat, unam, eamque vero similiorem deligere, molestum Historicis negotium est; certè Spondano hæc difficultas adeò implicata videba-

(g) Spondanus in notis Baroniano Compend. insert. ad a. 751. n. 1.

Nostra sententia statuitur.

debatur, ut diceret (g): *Hoc Translationis opus operosissimum ipsum non levem plerisque, ac præcipuè Nostratibus occasionem intulit de eo etiam cum indignatione disserendi.* Nos, ne omnino silentii arguamur, de præsenti Controversia ita statuimus: ex rationibus Cointii quidem probari, Zachariam exauthorationis Childerici authorem non fuisse; sed post tot Coævorum & ferè æqualium scriptorum testimonia haud credibile videri, ut Zachariæ nulla consensionis species, neque ulla planè permissio intercesserit. Ut enim aliis rebus, quas Historici passim commemorant, minorem habeas fidem; illud profectò in dubium vocare haud poteris, penes reges ultimos Merovingicos ferè solum nomen: penes Majores Domûs totam authoritatem Regni fuisse: ex quo conjicias, illum paradoxa minimè loqui, qui scriptorum unanimi consensu nixus asserit, bellicosæ Francorum nationi æquum esse visum, ut Regiæ authoritati nominis dignitas conjungeretur, præsertim eo tempore, quo Regnum tot hostes invaserant, qui à Majoribus Domûs sæpe profligati, & ab iis porrò profligandi censebantur. Quicunque Gregorii Turonensis fastos pervolvit, non uno loco inveniet morem illum à Francis usitatum, quo Regibus occisis aut in monasteria detrusis substituebant alios ex eadem quidem Merovingica stirpe, sed non semper Successionis jure proximos. Itaque si nunc Francis consideratâ Regni necessitate alium parem hostibus, à Majorum Domûs meritis commendatum, populo, optimatibúsque gratissimum eligere placuit, quid in hoc Francorum consuetudini contrarium, quid recepto gentis juri adversum deprehendis? intererant electioni Episcopi, Abbates, Procerésque doctrinâ, & virtute clarissimi, quin ullus contradiceret, aut Childerico factam injuriam agnosceret, vel innocentem Regem ullo verbo defenderet; imò Childericus ipse viso tanto statuum omnium in Pipinum consensu nullibi de injuria conquestus esse legitur; qui proinde maluit cum iis, quæ promittebantur, commodis, privatam degere vitam, quàm alieno arbitrio inane Regis nomen gerere. Concordi totius Regni deliberatione postquam in Pipinum Regia dignitas translata fuerat; prudenter Pipinus, aliique Galliarum Optimates in hoc tanto negotio, ubi de sacramenti quoque religione agebatur, quo obstricti erant Childerico, Zachariam P. consulendum censuerunt, & unctionem ab Episcopis suscipiendam distulerunt, dum legati Pontificis consensum retulissent, quo exhibito subditorum animi in Novi Regis obsequio firmarentur. Hìc verò tu ais, Zachariæ tunc incubuisse, ut electioni factæ refragaretur. At quo pacto id præstare poterat Pontifex, qui Pipinum propriis, paternísque meritis longè maximis insignem omnium suffragiis, idque ad Franciæ gentis utilitatem, Regem jam proclamatum audiebat, nisi fortè tot Episcopos Procerésque sui juris ignaros, aut cæcitatis ac impieta-

impietatis arguere voluisset. Præterea, si nemo Patriarchis Constantinopolitanis vitio vertat, ubi ab iis Imperatores agnitos aut coronatos esse legerit, quos fortuna quâcunque demum viâ & modo ad thronum evexerat; quâ ratione Zachariam increpabis, si de eo Authores perhibeant, quòd electum jam Pipinum, cui cæteris peractis solum unctionis sacræ complementum deerat, non repudiandum duxerit, vel etiam omnium votis ad Regnum vocato consenserit. Accedit, quòd eâ tempestate Zachariæ id minimè tutum fuerit; nam cùm Longobardi Italiæ infesti, Ecclesiastica bona, fundósque diriperent, sibi Pontifex Romanæque urbi, ac Italicis Provinciis exitium accelerâsset, si Francis, quorum operam jam contra hostes expertus fuerat, & in quorum auxiliis spem unicam defixam habebat, litem movere, eorum jura trahere in controversiam, ac Regni utilitati repugnare præsumpsisset; ex quibus nunc demum consequitur, quanta Centuriatorum Magdeburgensium aliorúmque (h) impudentia sit, qui Pipinum velut perfidum prædonem & latronem, & Zachariam perfidiæ adjutorem, cæteros Galliæ Episcopos ac Proceres rebellionis, simoniæ ac feloniæ reos impiè traducunt; quorum calumnias scriptores veteres jam confutârunt, dum omnia jure, consilio, potestatéque publicâ & legitimâ gesta fuisse innumeris testimoniis confirmant.

(h) Centur. Magdeb. Cent. 8. c. 10. Calvini l. 4. Instit. c. 7. §. 17. Junius lib. de Transl. Imp. c. 1. & 2. Hotomannus in Franco-Gallia c. 13.

Argumenta & difficultates contrariæ dissolvuntur.

4. Superest, ut, quæ secundæ sententiæ Patroni objiciunt, diluamus. Ad *Primum* igitur ℞. Eginhardum, licèt illi quidam nævi adhæreſcant, eum tamen non esse, cui fides omnis denegetur. Qui Gregorium Turonensem ubique vindicet, nemo erit; eò tamen, credo, non prorues, ut, nisi antiquorum in Francia monumentorum notione carere velis, scriptorem veterem seponendum arbitreris, præsertim si ejus dicta totidem verbis repetant alii, Gregorii rerúmque gestarum ætati propiores. Ad *secundum* ℞. Loiselianos fastos non inde vapulare, quòd de Burchardi legatione mentionem faciant: in adjunctis rerum utpote chronotaxi, & in aliis, quæ variè à variis proponuntur, etsi quandoque inter Authores dissidium videatur; hoc tamen non obstat, quo minus substantia Historiæ, quæ narratur, integra sit & salva (i). Eckardus negat Burchardum in hac causa legationem Romanam obiisse, sed unde probat? & quid tandem piaculi in Burchardum redundâsset, si, quod tot Episcopi Francorum sancti æquè ac docti probaverant, nec contradixerant, ipse quodam legationis officio, visus esset adjuvisse. Ad *tertium* ℞. Pipini & Procerum Prudentiam novum Pontificis consilium exegisse, ne sacramenti religio, quâ se suo tempore Childerico porrò obstrictos existimare poterant, turbas Regno invehendi & quibusdam obloquendi novo regimini, ansam daret. Ad *quartum* ℞. De ætate Childerici valde esse incertum: Chronicon Centulense paulò post Pipini ætatem

(i) Vide infra dicenda in c. II. §. I. N. 13.

 scriptum,

ſcriptum, Childerico jam filium Theodoricum attribuit: & Papebrochius ex diplomate à Mabillonio detecto colligit Childericum, cùm exauthoraretur, quadragenario, aut etiam quinquagenario majorem eſſe potuiſſe: ut quid ergo ætas Childerici inhabilis & vitiorum, quæ ab Authoribus æqualibus notantur, incapax in argumentum adducitur? Ad *quintum* ℞. è Majorum, qui tot annis Regnum ignavè adminiſtraverant, deſidia etſi Franci præjudicium ſumpſerint; non tamen antè Childericum deponendum judicârunt, quàm cùm exploratum habuiſſent, quòd nepos in Anteceſſorum veſtigia iret, ídque non ſine Regni neglectu, cujus intererat poteſtatem regiam à nomine non ſeparari. Ad *ſextum* ℞. A Stephano Papa Pipino non tam abſolutionem datam, ſed declarationem factam fuiſſe, quòd Pipinus ſit à tota gente, recepto apud Francos jure, electus, quódque à Zacharia minimè reprobatus, ipſo facto abſolutus fuerit jurejurando, quod antea Childerico præſtiterat: & quâ demum ratione Theophanis acerbâ phraſi uti poterunt ii, â quibus ejusdem Authoris narratio, cui citata verba inſerit, velut aliena à veritate & ex falſis relationibus hauſta exploditur: Accedit, quòd poſteà Stephanus Pipinum unà cum filiis Carolo & Carolomanno ſuis præſens ipſe manibus coronârit: ac ne deinceps alius, quàm è Pipini ſtirpe Rex Francorum eligeretur, ſub pœna excommunicationis prohibuerit (i). Quo tempore ſi forte, ùt Theophanis narratione fertur, Pipinum abſolvit, id eo conſilio factum crede, ut omnis, ſi quis nonnullis inerat, ſcrupulus, omnino ſententiâ publicâ Pontificis evelleretur.

REFLEXIO ULT. Scriptores Profani Sæculi VIII.

1. IN Oriente res literaria circa a. DCCXXX. magnam jacturam paſſa eſt, de qua ANASTASIUS ita refert (a): "Conſtantinus Magnus juxtæ Sophiæ templum nobilem conſtruxerat Bibliothecam, quæ trecenta & tria millia volumina complectebatur, pulcherrima quæque de diſciplinis omnibus illic aſſervabantur. Huic præfecerat duodecim viros doctiſſimos; eorum primus dicebatur Doctor œcumenicus. Tanta verò in opinione virtutis erant, ut ne ipſi quidem Imperatores novi quidquam agendum ſibi putarent, illis in conſilium non adhibitis. Imperator (Leo Iſauricus) eos promiſſis & minis aggreditur, ut pertrahat in ſuam ſententiam. Sed re deſperatâ, Conſilium impium capit: materiam ſiccam ex aridis faſcibus circa Bibliothecam coacervat, eâque ſuccensâ, Bibliothecarios cum Bibliotheca concremavit, & cum ipſe eſſet imperitiſſimus, tantam jacturam ſtultè contempſit".

(a) Anaſtaſius.

2. Nihilominus hoc detrimentum aliquantum repararunt ſcriptores, quorum plures hoc ſæculo floruerunt, tum in Hiſpania, de quibus Mariana refert (b), in Anglia, Gallia, & Italia, nec minùs in Oriente, qui cum fuerint ex ordine claricali aut monaſtico; eorum vitas aut ſcripta in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Reflexione IV. referemus. CAPUT

(b) Mariana de Reb. Hiſpan. l. 7. c. 3.

CAPUT II.

FIDES ORTHODOXA
IN ORIENTE
PER ICONOMACHOS VEXATA,
IN GERMANIA
PER SANCTOS APOSTOLOS
PROPAGATUR.

§. I. *Sexta Synodus impugnata restituitur: Iconomachiæ initia in Oriente: S. Germani pro fide fortitudo: Pontifices CONSTANTINUS, GREGORIUS II. III., ZACHARIAS, STEPHANUS II. Bonifacii Apostolatus in Germania, ejus Socii ac labores: Episcopatus ab illo instituti: variæ habitæ ab illo Synodi: creatur Archiepiscopus Moguntinus: Martyrio coronatur.*

1. PHilippico Imperii summam capessente, sextæ Synodo Generali bellum atrox illatum est; nam Imperator Monothelitarum errore à teneris imbutus pro suo in hæresin studio nihil omisit, quo decretorum à Concilio editorum memoriam aboleret (a); ergo antequam Regiæ suæ Princeps inferret pedem, positam ante palatii fores sextæ Synodi imaginem dejici, & Actorum volumina Agathonis Diaconi manu conscripta exuri jussit (b); quibus nefariè gestis libellum suæ perfidiæ cunctis proposuit, id maximè comminatus, ut qui perverso quantumvis edicto Imperatoris subscribere cunctarentur, exilio aut aliis suppliciis pœnas darent (c). Post has minas non una omnibus Orthodoxis mens constantiáque fuit; aliis quippe metu ad subscribendum adactis (d), alii Cæsari hæretico palàm restiterunt: fuêre nihilominus nonnulli, quibus, ne totam Ecclesiam in apertum conjice-

An. 711. *Philippici Acta contra VI. Synodum.*

(a) Combefisius in Auctario Biblioth. Ss. PP.

(b) Ibidem l. c.

(c) ibid. l. c. Agathonis Diaconi epilog. Acta CC. apud Hard. T. IV.

An. 712.

(d) Theophan. in Chron.

Oeconomia nonnullorum ad vexationem declinandam.

jicerent diſcrimen, media hæc via placuit, quâ fidei formula ſenſu Catholico concepta, eum tamen in modum proponeretur, ut verba illa de gemina in Chriſto operatione & voluntate à ſexta Synodo definita, nunc autem Philippico nimiùm inviſa diſſimularentur (e). Hanc Oeconomiam cùm non tantùm Epiſcopi Germanus & Andreas Cretenſis, ſed & Joannes Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus profiterentur; à Conſtantino Papa in quæſtionem vocati, conſilium ſuum exemplo S. Baſilii purgare conabantur, qui religioni aliquanto ſibi non duxiſſet, impii viri moribus cedere, ut confeſſio fidei in iis, quæ momentum haberent, ſi non vocibus, ſenſibus ſaltem & intelligentiâ immutabilis, firmaque ſervaretur (f). Ærumnis ejusmodi publicis finem impoſuit Anaſtaſius, qui Philippico exauthorato ſuffectus pacem Eccleſiæ reddidit (g). Nemini hic nuncius gratior accidit, quàm Papæ Conſtantino; præterquam enim quod Anaſtaſium in orthodoxorum Imperatorum album referret; tum Legatum etiam Conſtantinopolim miſit (h), qui authoritate Sedis Apoſtolicæ Epiſcopos in perſecutione Philippici lapſos Eccleſiæ conciliaret, quibus laboribus curíſque Pontifex benè functus, veluti tranquillitate per Orientem reſtitutâ, ipſe quoque in pace dimitti petiit; poſtquam annos ſeptem, dies quindecim Eccleſiam rexerat (i).

(e) Agathonis Diac. epilog.

(f) Ibid. l. c.

An. 713. *Anaſtaſius Imperator reſtituit ſextam Synodum.*

An. 714. (g) Anaſtaſ. in V. Conſtant. P.

(h) Theophanes in Chron.

An. 715. *Mors Conſtantini P.*

(i) Honor. Auguſtod. Pagius in Brev. PP.

2. A morte Conſtantini Interpontificium quadraginta dierum fuit, quibus exactis XIX. Maji Gregorius hujus nominis Secundus electus eſt (k); à parvâ is ætate inter varia Clericorum munera nutritus, ubi adoleverat propter inſignem virtutem atque doctrinam ante cæteros longè excelluit; unde poſtea à Conſtantino Papa in itineris ſocium adſcitus eſt eo tempore, quo ille ad Juſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim abiit (l): ampliſſimum illinc Gregorius locum ſuæ facundiæ ac eruditionis nactus, Juſtiniano de pluribus Diſciplinæ capitibus diſputanti ita reſpondit, ut audientium atque ipſius etiam Imperatoris laudem referret. In Sedem Apoſtolicam anno DCCXV. ſublevatus ea egit, quæ ad triſtes hæretici Philippici reliquias exterminandas opportuna videbantur: quam in rem Joanni Conſtantinopolitano Antiſtiti (m) meliorem Præſulem S. Germanum, antea Cyzici Epiſcopum ſubſtitui voluit (n). Ab Oriente in Occidentem ſuas Gregorius curas ver-

An. 715. *Gregorius II. Pontifex.*

(k) Ordericus l. 2. Lib. Pontifical.

(l) Anaſtaſ. in V. Greg II.

(m) Vide Baron. ad an. 717. Confer Pagi.

An. 718. (n) Theophan. in Chron.

vertit: Beneventanus Longobardorum Dux Romanæ Ecclesiæ eodem tempore Cumanum castrum per insidias abstulerat: hoc verò ut redderet, nec Pontificis precibus, nec muneribus poterat induci (o). Itaque validiore manu repetendum esse spolium ratus, Ducis populique Neapolitani auxilia Gregorius accersit, quorum viribus tandem possessor iniquus depellebatur (p). Pontificis leviore operâ per idem tempus effectum est, ut Luitprandus Rex Longobardorum vim, quam ad rapiendas Alpes Cottias jam parabat, citiùs abstineret. Gregorius enim Ecclesiæ jure, quo ea hos tractus olim jam possedisset, commonstrato, Regis animum adeò emovit, ut restitutionem Alpium, quam ab Ariberto Joanni VII. nuper perperam factam credebat, amplissimis etiam literis confirmârit (q).

(o) Anastas. in V. Greg. II.

(p) Paulus Diac l. 6. de Gest. Longobard. c. 40.

(q) Idem l. c. c. 42. Beda l. de sex ætatibus.

3. Quemadmodum in Ecclesiæ temporariis opibus servandis vigil ac experrectus Gregorius erat; ita majore studio captabat animarum lucra, sive illas divitias, quibus Ecclesia multò insigniùs locupletatur. Necdum annum in Apostolica Sede exegerat, tum Corbiniano munus per Germaniam Christi fidem prædicandi demandavit (r): natus is in Galliis ex regione Milidunensi, à teneris annis solitudinem amabat; quare ad S. Germani Ecclesiam confugiens, ibidem in constructo sibi ergastulo delitescere cœpit: quatuordecim annos ubi intra has latebras Deo servierat, virtutis fama Nobilium complures excivit, qui à S. Viro solatia opémque peterent. Fastidiebat enimverò Viri sancti demissio tantam hominum frequentiam, atque ut extra lucem hominúmque contubernium longè positus habitaret, Romam digressus est. Verùm aliter, ac Corbinianus speraverat, evenit; nam Gregorius Papa Corbiniani Zelum puritatémque animi demiratus, minimè ferendum censuit, ut tanti Luminis fulgor sub modio absconderetur. Itaque renitenti etiam Episcopale Sacerdotium, Palliúmque impertitus simul jussit, ut cum amplissima potestate ubivis locorum Dei verbum disseminaret; quo facto reversus in Galliam muneri imposito per aliquod tempus satisfecit. Tum solitudinis pristinæ amore denuo raptus unà cum paucis Clericis Ascesin coluit (s); non diu tamen, quantumvis vellet, hoc vivendi institutum proferre poterat, accursu homi-

S. Corbinianus à Pontifice Apostolus Germaniæ designatur.

(r) Aribo in Vita Corbiniani apud Mabillon. Sæc. II. Benedict. P. I.

(s) Acta Benedict. T. II.

num ſeceſſum diſturbante. Ergo alterâ vice circa an. DCCXXII. Romam contendit, in Monaſterii clauſtrum, ſiquidem per Pontificem liceret, ſe abditurus: at ubi à Gregorio propoſitum ſuum minimè probari coràm cognovit; vocanti Deo obſecutus in Bajoariam receſſit, & Sede Epiſcopali in caſtro Friſingenſi conſtitutâ, Chriſti gregem paſcere, aliáque Præſulis munia obire cœpit; à quibus antè non ſubtraxit manum, dum anno DCCXXX. ſpiritum Deo redderet (t).

Corbinianus Friſingenſium primus Epiſcopus.

(t) Annal. Friſingenſ. apud Veſerum l. 4. Hiſt. Bajoar.

An. 716.

4. Eodem tempore Theodo II. Dux Bajoariæ Romam ad limina Ss. Apoſtolorum profectus, fidei, quam paulò antè à S. Rutberto hauſerat, teſtimonio palàm facto, ſe ſuámque gentem Eccleſiæ ſubjecit (u). Bojorum equidem populum, Ducémque Theodonem I. S. Emmeranus jam ad Chriſti ſacra traduxerat; ſed poſt Viri Apoſtolici obitum ager ille culturâ deſtitutus, erroribus Idololatrarum ac Hæreticorum rurſus ſcatere cœpit. Qui hoc lolium aptâ manu evelleret, S. Rutbertus erat Vangionum Epiſcopus: Regiâ is Francorum progenie exortus (x), nobilitatem ſanguinis majore virtute illuſtraverat, cujus viri pietatem ac prodigia cùm fama per varias latè Provincias evulgaret; Theodo II. Dux Bajoariæ his adeò raptus eſt, ut S. Rutbertum evocandum cenſeret, qui ſibi ſuóque populo veram ſalutis viam commonſtraret. Vocanti Duci S. Epiſcopus paruit, & in Ratisbonenſium civitatem progreſſus Theodonem, & Primores gentis fidei dogmatis probè imbuere, & ſalutari lavacro regenerare inſtituit. Dux inde Chriſtianus Paſtori ſuo facultatem ampliſſimam dedit, deligendi locum, ubi & Epiſcopii ſedem, aliáſque Eccleſias conſtrueret: Rutbertus poteſtate acceptâ continuò uſus, poſt luſtratas Danubii oras Laureacenſem civitatem prodigiorum luce ad veram deducit fidem: deinde in loco, qui Walarium dicitur, in honorem S. Petri ædificatâ Eccleſiâ, porrò ad fluvium Warum (qui poſtea Saltzæ nomen obtinuit) contendens, Juvavii ſedem Epiſcopalem defixit; unde cum adſcitis novis ſubinde operariis in omnem regionem Evangelicam ſementem circumferebat: Eccleſias, Clerum, aliáque, quæ ad firmandas fidei ſacræ colonias ſpectant, ordinabat, quibus optimè inſtitutis ad propriam ſedem reverſus, diem ſupremum obiit in feſto Paſchæ anno

(u) Paulus Diac. l. 6. de Geſt. Longobard. c. 44. Anaſtaſ. in V. Greg. II. Conferatur Pagius in Critic. Baron. ad an. 716.

(x) Mabillon. Sæc III. Benedict. P. I.

Fides in Bajoaria à Rutberto Saliſburgenſi Epiſcopo propagatur.

no DCCXVIII., poſt mortem æquè ac in vita miraculis glorioſus (y). Cœptum S. Rutberti opus ut Gregorius Pontifex omnino perficeret, Martinum Epiſcopum & Georgium Presbyterum in eam Provinciam ablegavit, ut in Sacerdotum Magnatúmque cœtu ſequentes leges proponerent (z): nempe ut nemini ſacrificandi aut miniſterium ſacrum obeundi poteſtas ſit, niſi qui à recta fide commendatus, & ex Canonum præſcripto probatus fuiſſet: Præterea ut Epiſcopia deſignentur, & ſi tres aut quatuor fuerint conſtitutæ ſedes, Archiepiſcopo præcipuæ ſedis locus reſervetur; quem quidem Antiſtitem Pontifex vel ſuo duntaxat ſuffragio deligendum, aut ſiquidem à Clero & plebe idoneus inveniretur, ſuo ſupremo judicio firmandum volebat. Deinde digamos, illiteratos aut Afros Manichæorum labe notatos arcet ab Ordinibus: quaternas ex oblationibus portiones pro Epiſcopo, Clero, Pauperibus ac Eccleſiarum fabrica fieri præcipit; poſtremò ſuperſtitiones, auguria ac obſervationes quàm longiſſimè proſcribit.

(y) Bollandus XXVII. Martii.

(z) Acta CC. T. III. edit. Harduin. *Gregorii II. Pontificis Capitula ad Eccleſias Bajoariæ tranſmiſſa.*

5. Quo tempore S. Rutbertus Germaniæ Apoſtolus opus Miniſterii ſui conſummaverat, Apoſtolicos labores ſuos exorſus eſt S. Winfridus natione Anglus, profeſſione Monachus & Presbyter, poſtea *Bonifacii* nomine compellandus. Aſſumptis is duobus aut tribus Monachis anno DCCXVI. prædicandi Evangelii causâ in Friſiam ex Anglia trajecerat (a); ſed Radbodus Dux Friſonum eo tempore à Carolo Francorum Duce bello petitus, Chriſtianorum reſpuebat dogmata, quorum arma ſibi infeſta ſentiebat. Bonifacius itaque, ne operam tempúsque perderet, ad natale ſolum cum ſociis remeabat: illinc in Nutſchelenſi Monaſterio tantis virtutibus claruit, ut cæteri Viro ſancto Abbatis munus demandarent (b). Verùm cupido convertendi gentes haud paſſa eſt, ut dignitatis onus acciperet, quin ſtudio ſubinde ardentiore inflammatus Romam feſtinabat, Gregorio II. ſua vota expoſiturus (c). Pontifex integritatem Viri, ardorémque demiratus, eundem variis de fide ſermonibus inſtructum, datâ benedictione cum literis dimiſit, quibus eidem Evangelium prædicandi gentibus amplam poteſtatem impertiebatur. Bonifacius hac facultate acceptâ protinus in Thuringiam profectus, legatione pro Chriſto fungi cœpit

An. 718. *S. Bonifacii Germanorum Apoſtoli initia.*

(a) Wilibaldus in V. S. Bonifacii. Bollandus V. Junii. *Venit primò in Friſiam.*

(b) Ibidem c. 2. *In Britanniam redit.*

(c) Wilibald. in V. S. Bonif. c. 2.

(d) Ibidem c. 24.

pit (d); neque Apoſtoli irritus labor erat: nam pluribus è gentilitatis tenebris ad lucem fidei adductis, Sacerdotes etiam flagitiis deditos ad Inſtitutionis Canonicæ normam correxit. Plura novus Apoſtolus meditabatur, tum fama tulit, Ratbodum Friſonum Regem deceſſiſſe. Quare Bonifacius mutato conſilio in Friſiam devectus S. Wilibrordo Trajectenſis Eccleſiæ Præſuli ſacram operam junxit. In Provincia illa colenda, atque in eradicanda idolomania tertium fere annum Bonifacius confecerat (e); tum Wilibrordus ætate gravior eundem rogitabat, ne uti partem laboris hucuſque aſſumpſiſſet, ita unà cum Epiſcopalis Regiminis gradu, integram deinceps regendi populi curam ſuſcipere gravaretur. At Bonifacius, quominus oneri ſubjiceret humeros, imbecillem ætatem cauſatus, inſtanti Wilibrordo id porrò repoſuit, ſibi poſtquam Gregorius Pontifex publicis literis alias Germaniæ gentes deſignâſſet, fas non eſſe, ut iis neglectis alibi ſtationem præoptet. His dictis ubi ſenem Antiſtitem demulſerat, muneri ſuo ſatisfacturus ad Haſſos Thuringóſque movit (f). Non unam difficultatem Germaniæ Apoſtolo hæc regio objecit, præterquam enim quòd Saxonum incurſibus turbaretur, paucos eóſque heterodoxos habebat Presbyteros, qui gentem idololatriæ tenebris ſepultam, nec ipſi ad ſalutaris doctrinæ lucem erigere poterant, nec ſaniora docentibus, invidiâ ſtimulante, locum relicturi videbantur. Obſtacula ejusmodi adeò non terruêre Bonifacium, ut cum ſociis Amanaburgi in oppido ad Amanam amnem (qui nunc Ohma dicitur) laborum initium cœperit (g). Pſeudoapoſtoli Bonifacio primum obtrectando incommodabant; ſed horum calumniis virtute ac Dei ope ſuperatis tanta converſio popularium facta eſt, ut Bonifacius Binnanum cum literis Romam miſerit, qui Pontifici lætos Evangelii progreſſus nunciaret. Gregorius utprimùm de fructu multiplici cognovit; Bonifacio gratulatus, eundem in urbem evocat (h): ille nihil cunctatus, comitantibus Fratribus & laborum Sociis Romam pergit, ubi benignè ſuſceptum Pontifex in Xenodochium diſcedere juſſit: inde poſt aliquot dierum intervallum à Gregorio de ſymbolo & fide Eccleſiaſtica interrogatus (i), illibata dogmata non tantùm ore, ſed & ſcriptâ formulâ profeſſus eſt. His peractis Pontifex Boni-

Ad Wilibrordum redit in Friſiam.

(e) Ibidem 25.

(f) Wilibrord. in V. c. 3. n. 28.

Abit in Haſſiam & Thuringiam.

(g) Willibrord. in V. c. 3. n. 28. 29.

De ſucceſſu informat Pontificem.

(h) Ibidem n. 29.

Romam vocatus creatur Epiſcopus.

(i) Ibidem n. 30. Confer. Eckhardus rer. Fr. l. 21.

Bonifacium (k) Episcopum, nulli tamen affixum sedi, consecravit, ut Apostolicæ dignitatis authoritate fultus, in officio prædicandi cunctis acceptior foret. Ad hæc Gregorius à Bonifacio solenne sacramentum de unitate Ecclesiæ servanda, ac de obedientia singulari supremo Pastori præstanda exegit, quod juramentum ubi propriâ subscriptione munitum, supra corpus S. Petri Bonifacius pro more reposuerat; commendatitiis literis donatus in Germaniam recessit. Inter idola, quæ ibidem primò destructa sunt (l), fuit præcipuum illud *Robur Jovis*, quod Geismariæ colebatur: Deastri hujus casus Gentiles non paucos ad salutem excitavit. Nam utprimùm securis leviter superstitiosæ arbori impingebatur, divino flatu validiùs agitata roboris moles repentè corruit, & in quatuor ingentis magnitudinis & æqualis longitudinis truncos disrumpitur; quo prodigio Pagani adeò percellebantur, ut pristinis erroribus abjectis, veram Numinis Supremi fidem cultúmque ultrò amplecterentur (m). Hassiâ lustratâ Bonifacius Thuringiam adiit: regio hæc à Saxonibus & Sorabis Vinidis miserè vastata id quoque suas inter calamitates numerabat, quòd pseudo-Apostoli ubique errores ad gentis exitium circumferrent (*1). Verùm molitionibus malignis Bonifacius una cum Sociis strenuè obluctatus, brevi tempore meliora dogmata populo persuasit. Neminem felices hi successus recreabant magìs, quàm Gregorium II. Papam, tantarum rerum authorem, qui cùm Bonifacium in *partes Hesperiarum* ad illuminationem *Germanicæ gentis* (*2) misisset; suo studio cœpta perfecturus, Carolum Francorum Ducem lite-

(k) Ibidem n. 23.

In Hassiam revertitur.

(l) Ibidem n. 24.

S. Bonifacii labores in Hassia.

(m) Willibaldus in V. S. Bonif. c. 3. n. 34. apud Bollandum V. Junii.

An. 724.

(*1) WILLIBALDUS in V. S. Bonifacii c. 3. n. 35. errorum Architectos commemorat, nimirum *Trochewinum*, *Berchterum*, *Eanbrechtum* & *Hunredum*. BONIFACIUS autem in epist., quæ inter Bonifacianas tertium habet locum, Danieli Episcopo Wintoniensi errores quosdam describit: scilicet quosdam *abstinere à cibis*, quos Deus ad percipiendum creârit: quosdam *melle & lacte* vesci, & *panem* cæterósque cibos abjicere; quosdam affirmare *homicidas vel adulteros* in ipsis sceleribus perseverantes, fieri tamen posse Dei *Sacerdotes*.

(*2) GREGORIUS II. in epist. ad Bonifac. anno V. Constantini Copron. data ait, se Bonifacium misisse *in partes Hesperiarum* ad illuminationem Germanicæ Gentis, ubi nota ex Eckharto L. 21. Rer. Fr., Germaniam divisam esse in *Occidentalem* sive *Hesperiam* & *Orientalem*: illa à Francia Rhenensi ad Visurgim aut Werram usque processit, & Hassos, Thuringósque Provinciæ, quæ postea Franconia dicta est, incolas complexa est; hæc à Visurgi aut Werra ad Salam Albi influentem se extendit & Thuringos tunc adhuc sic dictos comprehendit.

literis rogitabat, ut Bonifacii Adversarios validâ manu compesceret (n). Aliam insuper idem Pontifex epistolam dabat ad Thuringos & Germaniæ populum, quâ Neophytos ad construenda Episcopia, condendásque Ecclesias hortabatur (o). Neque tantùm Apostolica sedes favore suo Bonifacium prosequebatur, sed & Britannia suum civem ac operarium consilio, novísque supplementis adjuvit; extant adhuc Danielis Episcopi Wintoniensis monita, quibus is Bonifacio suggerebat modum, quo demum obstinatio agrestium convinci, & ad credendum induci posset (*3). His proinde instructus Bonifacius tantam animarum messem collegit, ut ex Britanniæ insula Socios complures arcesseret, qui in laborum succederent partes, neque tantùm viros, sed & fœminas vitæ integritate ac divinarum rerum benè gnaras vocabat, quæ in Parthenonibus sexûs alterius Magisterium profiterentur (*4). ut

(n) Greg. in ep. cit.

(o) Ibidem

Subsidia ex Britannia S. Bonifacius flagitat.

(*3.) DANIEL Ep. in ep. (quæ est 67. inter Bonif.) Bonifacium ita instruit: *Neque enim contraria iis de ipsorum, quamvis falsorum Deorum Genealogia adstruere debes. Secundum eorum opinionem quoslibet ab aliis generatos, per complexum Mariti ac fœminæ, concede eos asserere, ut saltem modo hominum natos Deos ac Deas, potiùs homines, non Deos fuisse & cœpisse, qui antè non erant, probes. Tum verò rogandi, utrum initium habere hunc mundum, an sine initio semper extitisse arbitrentur? si initium habuit, quis hunc creavit? cùm procul dubio ante constitutionem seculi, nullatenus genitis diis inveniant subsistendi vel habitandi locum .... si sine initio semper extitisse mundum contenderint, hoc refutare stude ... Iterum interroga, quis ante natos Deos mundo imperaret? ... quomodo item suo subdere dominatui mundum ante se semper subsistentem potuerunt? unde autem vel à quo vel quando substitutus aut genitus primus Deus vel Dea fuerit? utrum autem adhuc generare Deos, Deásque alios, aliásque suspicantur? vel si jam non generant, quando vel cur cessaverunt à concubitu & partu? si autem adhuc generant, infinitus jam Deorum effectus est numerus. Et quis tamen inter tot, tantosque potentior sit, incertum mortalibus est, & valde cavendum, ne in potiorem quis offendat .... Hæc & his similia multa alia non quasi insultando vel irritando eos, sed placidè ac magnâ objicere moderatione debes, & per intervalla nostris, id est Christianis, hujusmodi comparandæ sunt dogmatibus superstitiones, & quasi è latere tangendæ, quatenus magis confusi, quàm exasperati Pagani erubescant, pro tam absurdis opinionibus, & ne nos latere eorum nefarios ritus ac fabulas æstiment &c.*

(*4.) OTHLONUS l. 1. c. 25. Prædicans & baptizans S. Præsul Bonifacius in Thuringorum & Hessorum regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Unde in Provinciam, Patriámque suam mittens exinde tam fœminas, quàm viros religiosos, scientiaque variâ imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri BURCHARDUS & LULLUS, WILLIBALT & WUNNIBALT *frater ejus*, WITTA, & GREGORIUS; *fœminæ verò religiosæ, matertera scilicet Lulli, nomine* CHUNIHILT & *filia ejus* BERATHGIT *valde erudita in liberali scientia, in Turin-*

Receptis tot adjutoribus Bonifacius multò alacriùs propositum suum jam urgebat; tum laboranti quædam dubia moram injecêre: nimirum hærebat de conjugiis licitè contrahendis, aut de matrimonii usu; quæstiones insuper ambiguæ occurrebant de Missa, idolodythis, sacra Synaxi, ac de Baptismo parvulorum, è quibus ut se expediret, Pontificem consulens, id responsionis loco impetravit (p), *In barbara gente ampliùs concedi id oportere, ut post quartam generationem jungantur*; de conjugii verò usu id reponebat Gregorius, ut *si mulier infirmitate perpetuâ corrupta* (id est à primo matrimonii initio ob infirmitatem jam inhabilis) *non voluerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc Magnorum est, ille, qui se non potuerit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit.* Postea præscribit Pontifex, ut in Missarum solemniis exemplo Christi *unus* tantummodo *calix benedicatur.* De immolatitiis respondet, servandum esse præceptum Apostoli dicentis: si quis dixerit, quia hoc immolatitium est, nolite edere propter eum, qui indicavit, & propter conscientiam. Cæterùm parvulis, à parentibus subtractis, si de eorum Baptismo non constet, dandum Baptismum, neque leprosis negandam esse communionem injungit. Denique *si filius aut filia intra septa Monasterii in infantiæ annis sub regulari traditi fuerint disciplina*, his *postquam pubertatem attigerint, egredi, & matrimonio copulari* interdicit, eoquòd *nefas sit*, ut *oblatis à parentibus filiis voluptatis fræna laxentur.*

(p) Epist. Gregor. II. inter Bonifacianas 126.

Responsiones Gregorii II. Pontificis ad quæstiones S. Bonifacii.

6. Dum in Germania Christiana fides latè propagabatur, Orientem hæresis Iconomachorum turbavit (q). Agente nimirum Constantino Nacoliæ olim Episcopo, Leo Imperator (r) imaginum cultum velut idololatriæ genus publico edicto proscripserat; tum Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus ejus conatibus fortiter reluctatus, duo maximè tela in Cæsarem contor-

Iconomachiæ initia in Oriente.

(q) Synod. VII. Act. 4.

(r) Vita S. Nicet. apud Bolland. 3 April.

S. Germanus defendit imagines.

Turingorum regione constituebantur Magistræ. CHUNITRUD. *in Bajoariam destinata est, ut verbi divini semina ibi spargeret;* TECLAM *verò juxta fluvium Moin in locis Kibbingen* (Kizingen) *& Ochsnofrut* (Ochsenfurt) *nuncupatis collocavit;* LIOBAM *quoque ad Biscofesheim* (Bischofsheim) *ut illic multitudini Virginum congregatæ præesset, constituit* De Parthenonibus & Monasteriis tunc constitutis latiùs agit Eckhartus Rer. Fr. l. 21. à p. 353. ad p. 361.

torquebat, scilicet imaginum usum ac venerationem ab Ecclesia diu receptam, neque nunc ab eo Imperatore aboleri debere, qui primâ inaugurationis suæ die jurejurando promisisset, se Ecclesiæ ritus nequaquam profligaturum. Nihil eorum, quæ Vir sanctus opposuerat, mentem Leonis inflexit (s); quare Germanus ad impietatis authorem sive Constantinum pseudo-Episcopum conversus, eum in alia sensa inducere conabatur; ostendebat autem Apostatæ, nequaquam imagines cerâ vel coloribus effingi, ut in manufacta aut res creatas honor ille transferatur, quo Deum solum in spiritu & veritate adorare necesse est; sed eò cultum iconum spectare, ut "dilectionem, quam justè possidemus, circa veros Dei servos per talem modum monstrantes, per illorum honorem ad Deum, qui ab his glorificatus est, & illos glorificavit, glorificationem & cultum referamus.„ At quoniam Germanus cognoverat (t), Thomam Claudiopolis Episcopum non minùs acerbis contra sacras imagines erroribus agitari, hunc pluribus argumentis adortus est; verùm uterque veritati vel nihil vel parum dedit. Pontificem igitur Gregorium literis S. Germanus edocebat, quæ hæresis in Oriente parturiret: Propugnatori Ecclesiæ rescribens Papa amicè gratulabatur, quòd tantâ fortitudine Imperatori restitisset; tum laudatâ ejus fide, ex Patribus probabat licitum imaginum cultum (u); nam *imaginis honor ad Principalem transit* secundùm Basilium. Et *pietate est plena venerabilium imaginum causa*, sicut dicit Chrysostomus; *Eorum quippe, quæ non sunt, formatio idolica pictura nominatur: quæ & Paganæ fabulationis poëma finxit.* His literis firmatus Germanus, nec Imperatoris blanditiis, nec minis cessit; Leoni tamen cùm Virum vel evertere, vel Sede dejicere propositum esset, anno DCCXXX. ad Optimatum cœtum Antistitem vocat, eíque decretum quod Cæsar de abolendis imaginibus rursus instauraverat, subscribendum porrigit (x). At fortis Christi servus sceleratæ chartæ se daturum nomen inficiatus, præsulis munere, quod annos quatuordecim & menses quinque piè gesserat, sponte abdicato, in paternam domum secessit, ubi inter sacra Asceseos studia vitam propè centenarius clausit. Germani sedem inde Anastasius obtinuit, qui favorem Principis sibi conciliaturus, fidei Ecclesiæque arbitrium in

(s) Synod. VII. Act. 4. apud Hard. in Act. CC. Tom. IV.

Contra Constantinum Nacoliæ Episcopum agit.

(t) Ibidem pag. 246. *Thomam Claudiopolitanum Ep. hæreticum oppugnat.*

(u) Ibidem pag. 231. *Gregorii II. epistola ad Germanum.*

An. 730.

(x) Theophanes in Chronogr. *S. Germanus abdicat Episcopatum Constantinopolitanum.*

manus Leonis projecit: Imperator iniquâ poteſtate armatus (y), primam vim in imaginem Chriſti vertit, quâ dejectâ eos, qui ſacrilego graſſatori reſiſtere auſi fuerant, variis ſuppliciis ſuſtulit. Magnâ Martyrum cæde editâ, Tyrannus ipſum Pontificem aggreditur, id maximè poſtulans, ut vel ſolus, vel coacto Epiſcoporum conventu imaginibus exterminium intentaret. Ad hæc Gregorius II. reponebat, Imperatorem longiſſimè à vero Eccleſiæ ſenſu declinâſſe (z), dum citra Patrum, Doctorúmque conſilium, ſuo ingenio indulgens, lapides & parietes aut tabellas adorari ab Orthodoxis exiſtimaret (a): monebat præterea ſancta dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum (b); atque in eo inſuper hallucinari Cæſarem, quòd Concilium univerſale cogi præciperet, ex quo inſtabilis & barbarorum more agens Princeps nequicquam hauſturus eſſet medicinam. Poſtremò Leonis minas adverſus Pontificem aſpernatus, magìs valida fulmina mináſque in caput Leonis retorquebat, paratos eſſe Occidentales, inquiens, ad ultionem Orientalium, quos Auguſtus injuriis affeciſſet. Vulgatus ſubinde per Italiam rumor ferebat, Leonem in mandatis dediſſe, ut Gregorius niſi vivus vinctúſque Conſtantinopolim mitti poſſet, exanime ſaltem corpus in hoſtis occiſi indicium transmitteretur (c). Itali huic impio Imperio, contra ac præviderat Leo, indignati, armorum objectu avertere non tantùm à Pontifice vim decreverunt, ſed & ad abjiciendam Tyranni ſervitutem propiùs convolâſſent; niſi Pontifex ipſe conſilium conjuratorum compeſcuiſſet, ſperans converſionem Principis (d): Hanc quò certiùs impetraret, aliis literis in Cæſarem multò acerbiùs invehitur, quòd inermem Paſtorem tot invaderet ſicariorum inſidiis; precabatur quoque Deum, ut ipſi dæmonem immitteret, qui ad interitum carnis ipſum cruciaret, ut ſpiritus ſalvus redderetur (e). Gregorius his turbis non diu ſuperſtes, anno Pontificatûs decimo quinto, menſe octavo evolavit ad Superos (f), quorum albo ab Eccleſia inſertus colitur.

(y) In V S. Stephani Junioris.

Leo Imperator dejicit imagines.

(z) Gregorii II. ep. 1. ad Leonem.

(a) Synod. VII. Act. 1.

(b) Ibid.

(c) Anaſtaſius in Vita Gregorii II.

An. 731.

Italia deficit à Leone Iſaurico.

(d) Anaſtaſ. in V. Gregorii II.

(e) Synod. VII. Act. 1.

(f) Vide Pagium in Breviar. PP.

7. Interpoſito menſis unius, ac quinque dierum intervallo Viri Romani Gregorium Presbyterum quantumvis reluctantem Sedi impoſuêre: Græcæ is Latinæque linguæ peritus, Divinarum Scripturarum & Pſalmorum, quos omnes memoriâ complecte-

(g) Anastas. in V. Gregorii III.

Georgius à Gregorio mittitur ad Leonem.

(h) Anastas. loc. cit.

An. 732.

Georgii ejusdem ad Leonem missi ærumnæ.

(i) Anastas. in V. Gregorii III.

An. 733.

Sævities Leonis Imp. in Legatos Pontificis.

Classis Leonis Imp. naufragio perit.

(k) Theophanes in Chron.

Varii Martyres in Oriente & in Occidente.

(l) Vita S. Steph. Jun.

S. Joannes Damascenus tuetur imagines.

(m) Damascen. oper. Tom. I.

batur, intelligentiâ præprimis excelluit (g). Quantâ verò fortitudine ac constantiâ fuerit, ex iis, quæ paulò pòst contra Leonem Isauricum egit, commonstratum est. Georgio Presbytero Gregorius II. literas dederat, ad Imperatorem deferendas: at periculi metus hominem adeò absterruit, ut ex medio itinere Romam reversus, easdem literas adhuc integras ad Gregorium III. successorem referret: gravissimè id novus Pontifex accepit; & parum aberat, quin meticulosum nuncium in Synodo deponeret, nisi Patrum complures precibus interpositis suasissent, Sacerdoti injungi oportere, ut imbecillitatem suam majore firmitate animi emendaret (h). Pontificis igitur repetito Imperio adactus Georgius ad iter se accingit, jámque in Siciliam venerat, tum à Cæsaris Ministris comprehensus, scriptísque spoliatus, in exilium ejicitur; nec antè remeare misero Romam concessum est, dum annum inter ærumnas explevisset. His in Urbem delatis nonaginta tres Episcopi Romæ in Synodum convenêre (i), qui ad firmandas Traditiones Patrum, Decretum constituerunt, ut, qui imagines injuriâ affecerit, ab Ecclesiæ compage divulsus haberetur. Gregorius ut porrò exemplis, quod sanctione Synodicâ ratum fuerat, tueretur; variæ artis operísque imagines erexit, quibus ad absolutionem perductis resumebat calamum, quo Leonem forsan jam molliorem ab impietate revocaret. Sed Imperator obduruerat magìs, quàm ut monita acciperet: legatis inde literæ denuò abreptæ sunt, nec minore acerbitate Cæsar eorum, qui literas attulerant, patientiam octo mensium captivitate exercebat. Plura mala adversus totam Italiam paranti Leoni Deus obstitit; nam ejus classem milite numeroso instructam eo tempore, quo illa passis velis in Occidentis exitium ferebatur, mari demersit (k). Tempestas, quæ hac ratione ab Italia avertebatur, multò validiùs deinceps in orthodoxos Orientis sæviit: nam alii eorum fortunis, patriâ, aut etiam vitâ exuti, alii in carceribus ad diuturniores cruciatus servati sunt (l); qui ne Tyranno cederent, S. Joannes Damascenus effecit, dum triplici oratione pro imaginibus vindicandis compositâ Catholicorum juvabat fidem, aut constantiam confirmabat (m). Nihilo mitiùs per idem tempus Saracenorum gens in Hispaniæ Galliæque

que Provinciis grassata est; quoties enim Barbara multitudo in urbes ac regiones irruebat, Mahometis Sectatoribus solenne erat, Parthenones & Monasteria subvertere, ac innumerabili Martyrum strage editâ, Ecclesias populari (n).

8. Ruinas ejusmodi, quas in Oriente & Occidente fides patiebatur, abunde in Germania compensavit S. Bonifacius (o); multis is hominum millibus ad Christi sacra perductis, gregem fidelium in immensum auxerat; tum nunciis certis ex Italia accepit, mortuo Gregorio II. Pontifice, Gregorium ejusdem nominis III. ad clavum Ecclesiæ sedere. Legatos igitur continuò Romam Bonifacius misit, qui & prioris amicitiæ expeterent fœdera, & tot populorum conversionem Pontifici nunciarent (p). Gregorius legationis obsequio recreatus, non tantùm suos favores Germaniæ Apostolo addixit, sed & *Archiepiscopatûs Pallium* ad eum direxit unà cum literis, quarum argumento cùm Bonifacium de variis disciplinæ capitibus edoceret, id etiam præcipuè demandabat, ut crescente fidelium numero novos quidem ordinaret Episcopos, in eam tamen curam intentus, *ne vilescat dignitas Episcopalis* (q). Bonifacius his acceptis duas confestim Ecclesias, alteram *Frideslariæ* in honorem S. Petri, alteram *Hamanaburgi* D. Michaeli sacram (r) construxit; atque ut solennior frequentiórque cultus foret, duo Monasteria Ecclesiis adjunxit, quorum uni, Frideslariensi, Wigbertum natione Anglum præposuit (s). Ex Hassia in Bajoariam profectus, Ermwolfum hæreticum ab Ecclesia expulit, è diverso Sturmium, qui postea Fuldensis Abbas primus fuit, à Parentibus recepit oblatum, ac inde Frideslariam deductum Wigberti disciplinæ tradidit (t). Anno DCCXXXVII. Bonifacius tertiò revisit Romam, magno Francorum, Bajoariorum Anglorúmque numero accinctus (u); Gregorius summis officiis suscepit præsulem, & postquam cum eodem de Ecclesiarum statu egerat, sacris reliquiis donatum, tribúsque epistolis ad Episcopos & Optimates datis instructum in Germaniam remisit (x). Proficiscenti se comites junxêre Ss. Willibaldus, Wunibaldus & Sebaldus Nurimbergensium postea Apostolus, qui unà omnes ab Odilone Duce invitati, Bajoariam lustrârunt. Desudantium in agro Domini labores non parùm augebant perversorum dogmatum

(n) Roder. Histor Arab. c. 14.

(o) Acta SS. Bened. T. III

Gregor. III. Pontifex.

(p) Othlonus l. 1. c. 26.

Bonifacius creatur Archiepiscopus.

(q) Gregorii III. Ep. ad Bonifac.

(r) Willib. in V. Bonif. n. 438. Eberhard. in tradit. Fuld. c. 6. §. 5.

(s) Lullus in Vita S. Wigberti.

An. 736.

737.

(t) Eigil. in V. Sturmii c. 2.

(u) Willib. n. 40.

An. 738.

Bonifacius tertiò venit Romam.

(x) Id. n. 41.

An. 739.

gmatum disseminatores, quorum malignis studiis ut Bonifacius obsisteret, Bajoariæ Provinciam in quatuor divisit Parochias, quibus magnarum virtutum Episcopos hoc ordine præfecit (y), ut primus *Joannes* Salzburgensem Episcopatum, *Erimbertus* Frisingensem, *Gaubaldus* Ratisbonensem sortirentur: *Vivilus* autem, qui jam à Papa ordinatus fuerat Pataviensis Præsul, suam Ecclesiam retineret. Gregorius Pontifex, utprimùm ea, quæ Bonifacius instituerat, accepit; non potuit non probare Viri sancti prudentiam, atque ut porrò (siquidem locum alibi opportunum invenisset) alios quoque Episcopos ordinaret, præcepit. Crescente igitur fidelium numero anno sequente DCCXLI. tres Episcopatus erexit, *unam sedem Episcopalem in Castello, quod dicitur WIRZEBURG*; alteram *in oppido, quod nominatur BURABERG*; tertiam in loco, *qui dicitur ERPHESFURT, qui fuit jam olim urbs Paganorum Rusticorum* (†). Antequam Bonifacius hæc renunciaret Pontifici, Gregorius III. jam vivis excesserat, Luitprandi Longobardorum Regis, & Leonis Isaurici, qui eodem fere anno scelestum Imperium vitámque amiserat, infestis motibus afflictus.

(y) Willib. n. 42.
Quatuor Episcopatus Instituit in Bajoaria.
An. 740.
Tres Episcopatus alii à Bonifacio conditi
(†) REFLEXIO I.
Obitus Gregorii III.

9. Quarto post obitum Gregorii III. die, nempe trigesimâ mensis Novembris anno DCCXLI. ZACHARIAS natione Græcus in ejus locum ordinatus est (z). De novo Ecclesiæ præside utprimùm intellexit Bonifacius, eidem, quantos animarum fructus in Germaniæ partibus collegisset, perscripsit; tum de institutis nuper Episcopis mentione factâ, quinque quæstiones subjunxit, quas Pontificis judicio definiri cupiebat. Zacharias igitur amplam Bonifacio (a) reddidit epistolam, in qua tres Episcopatus antedictos confirmabat, tum ad Carolomanni consilium sermonem convertens, omnino jubebat, ut quod Rex Francorum suaserat, synodus in Germania ad ignorantiam abstergendam & emendandos mores celebraretur (*5). Demum postulatis

(z) Anastas. in V.
An. 742.
(a) Epist. Zachariæ inter Bonifac 132. 133.
Zacharias Papa confirmat tres Episcopatus à Bonifacio institutos.

(*5.) *Bonifacius in Epist.* 132. ad Zachariam; quam exhibet COINTIUS ad a. 742. n. III. has justas querelas movet: *Franci, ut Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ Canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civi-*

Bonifacii ſatisfacturus ad primam quæſtionem de Sacerdotibus, qui vel intemperantiæ venationibúsque ſe dederent, aut præliis intereſſent, hos longiſſimè à Sacerdotum ordine ſubmovendos reſpondit (b). Et quoniam Gregorius Bonifacio facultatem dederat, ſucceſſorem ſibi deligendi; ſciſcitabatur Apoſtolus, utrùm eadem mens Zachariæ foret? negavit enimverò (*6) per regulam Eccleſiaſticam id permitti poſſe, id tamen ſoli Bonifacio ſe conceſſurum, ut in hora mortis teſtibus præſentibus ſucceſſorem denominet eâ conditione, ut is deinde Romam ordinandus veniat. Conſulebat prætereа Pontificem Bonifacius de laico, qui licentiam à Gregorio III. ſibi indultam aſſerebat, ut mulierem in tertia generatione ſibi propinquam, avunculi ſui viduam, ab altero viro conſobrino ſuo adhuc ſuperſtite digreſſam, & ante matrimonium velatam in uxorem aſſumeret. At hoc matrimonium Zacharias penitus improbabat (c). Non minùs Papa deteſtatus Calendarum Januariarum celebrationem, quas Gentili more Romæ obſervatas Bonifacius ſcripſerat: ſubjungebat Gregorium Prædeceſſorem ſuum editâ conſtitutione hæc jam amputâſſe. Poſtremùm teſtabatur, ſe Confirmationis literas, ſingulas ſingulis, ſcilicet Wirceburgenſi, Buriburgenſi & Erphesfordienſi miſiſſe (d), aliáque ſcripta ad Carolomannum direxiſſe, quibus celebrari in Germania Synodum præceperat. Rex Francorum utprimùm men-

(b) Vide Coint. ad a. 743. n. 11.

(c) In epiſt. 132 inter Bonifacianas.

(d) epiſt. 131. 133. inter Bonifac.

civitates, Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis ſeculariter ad perfruendum. Per *Francos* (ùt advertit ECKHARTUS l. 23. p 401. n 14 Bonifacius intelligit *Auſtraſios*, apud quos diſciplina Eccleſiaſtica per annos ſexaginta vel ſeptuaginta calcata & diſſipata fuit, ex quo nempe Francia per concertationes Majorum-Domûs & bella civilia poſt mortem Clotharii III. Regis ab anno circiter 670. diſciſſa jacebat. Per Synodum *ante annos octoginta* habitam intelligit, *Synodum Namnetenſem* ſub Clothario III. anno 659. celebratam, quæ Franciæ Univerſalis fuit. Cæterum Carolus Martellus *propter aſſiduitatem bellorum*, ut ſtipendia militibus daret, *res Eccleſiarum* laicis tradidit. Ut habet Author coævus de Majoribus Domûs.

(*6.) *Bonifacius* epiſt. 132. cit. Zachariæ ſcribit: *Venerandæ memoriæ præceſſor veſter* (Gregorius III.) *ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit, ut Presbyterum poſt obitum meum, Deo volente, in Eccleſiaſtico Miniſterio hæredem ut ſucceſſorem conſtituere debeam.* Ad hoc reſpondet Papa: *Quòd autem tibi ſucceſſorem conſtituere petiſti, ut te vivente in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nullâ ratione concedi patimur, quia contra omnem Eccleſiaſticam Regulam vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur, ſed volumus, ut tibi miniſtret, & ſit in Evangelio adjutor, dicente Apoſtolo; ſi quis bene miniſtraverit, gradum ſibi bonum acquirit &c.*

Synodus Germaniæ ejúsque Canones.
(e) Cointius ad an. 743. n. 41. ad n. 55.

mentem Zachariæ de habendo Concilio cognoverat; Episcopi tam cis, quàm trans Rhenum positi in cœtum vocabantur (*7), qui sedecim Canonibus sequentia definierunt (e): Nimirum ut singulis annis Synodus peragatur, utque pecuniæ Ecclesiis oblatæ restituantur: Patres porrò Clericos & Sacerdotes adulteros aut lascivientes exauthorabant: cavebant etiam, ne Clerici venationem sectarentur, ne tractarent arma, néve ad exercitum pergerent, præter eos, qui sacrorum causâ electi fuerint: decimo tertio Canone Pœnitentiam dictabant Presbyteris, Clericis, Monachis & Monialibus in fornicationem lapsis, nempe ut antea flagellati in carcere per unum vel duos annos in pane & aqua macerarentur. Decimo sexto jubent, ut Monachi & Ancillæ Dei juxta regulam S. Benedicti vivere studeant. Sequente anno ad Liptinas in Episcopatu Cameracensi alia Synodus celebrata est, cujus quatuor Canones prioris Concilii statuta confirmant, pecuniæ Ecclesiasticæ partem sub precario & censu in subsidium exercitûs præstandam volunt, adulteria & incesta matrimonia prohibent, vetántque, ne mancipia Christiana Paganis tradantur; mulctam demum iis imponendam constituunt, qui Gentilium superstitionibus dederint operam (f). Anno DCCXLIV. Suessionibus ad Axonam fluvium in Picardia viginti tres Episcopi in Synodum convenêre, qui Præside S. Bonifacio Concilii anterioris decreta firmantes Adalbertum hæreticum condemnârunt (g). Circa idem tempus Sacerdos linguæ latinæ ignarus in Bajoaria controversiæ de Baptismi formula locum dedit; nam cùm idem salutare lavacrum affundens his omnino verbis uteretur: *Ego baptizo te in nomine patria & filia & spiritua sancta*; Bonifacius contendebat, novo baptismo infantes ita tinctos elui debere: Archiepiscopi è diverso Virgilius (*8) & Sidonius obluctati causam ad Pontificem tandem

An. 743. *Synodus Liptinensis ejúsque Canones.*

(f) Cointius ad a. 744. n. 2.

An. 744. *Synodus Suessionensis.*

(g) Idem ad a. 745. n. 2. 3 &c.

Controversia de forma Baptismi.

(*7.) WILLIBALDUS in vita S. Bonifacii Synodi præfationem refert: *In Nomine D. N. Jesu Christi Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnat. Domini* DCCXLII. *cum consilio servorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos, qui in Regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi, id est Bonifacium Archiepiscopum, Burchardum, & Reginfredum* (Coloniensem) *Witanum* (Birburgensem) *& Willibaldum* (Aichstadianum) *Dadanum* Ultrajectensem *Aidanum* Strateburgensem *cum Presbyteris &c.*

(*8.) ECKARTUS l. 23. Rer. Fr. n. 74. hunc Virgilium cum altero ejusdem nominis, qui postea Salisburgensis Episcopus creatus est, confundendum putat. Sed

dem deferendam cenſuêre. Zacharias ubi intellexit, formulæ pronuntiatæ ſubſtantiam minimè ab hæreſi aut alio errore vitiatam, ſed levioribus quibusdam latinitatis nævis, ídque ob linguæ inſcitiam diſtortam fuiſſe; præcepit, ne quis de repetendo ejusmodi baptiſmo cogitaret (h).

(h) epiſt. Zachar. apud Harduin. Tom. III. in A. CC.

10. Dum Eccleſiæ Bonifacii ſtudio ubique per Germaniam multiplicabantur; eò etiam idem Apoſtolus connitebatur, ut Monaſteriorum numerus augeretur. Fritzlariæ anno DCCXXXII. jam conſtructo cœnobio, Fuldenſis Aſceterii prima à Sturmio fundamenta jacta ſunt: ſub Magiſterio Wigberti Abbatis Fritzlarienſis is adeò profecerat, ut Presbyter jam ordinatus de nova eremo cogitaret. Annuente igitur S. Bonifacio, cum duobus Sociis in locum, qui *Hersfelt* dicitur, profectus, habitationem illinc figere conſtituerat; tum Bonifacius vicinos Saxones veritus, Sturmium aliò commigrare, & ſolitudinem hoſtilibus motibus minùs obnoxiam indagare juſſit, quâ tandem in Buchoniæ ſylvis inventâ, S. Bonifacius Carolomannum rogavit, ut fundum illum Fuldæ fluvio adſitum fundando Monaſterio donaret (k). Rex Francorum ubi Archiepiſcopi poſtulatis indulſerat, Optimates etiam ſua, quæ illinc poſſidebant, Sturmio ejúsque Fratribus tradidêre, adeò ut donatorum fundorum in omnem partem diffuſa amplitudo quatuor paſſuum millibus definiretur (l). Quo facto Fratres in has leges unà omnes conſensêre, ut à potione forti abſtinentes, tenui tantùm cereviſiâ uterentur (*9). S. Bonifacius

Conferatur Serarius l. 3. c. 5. & Pagius ad a. 744. n. 2. *Fuldenſis Monaſterii initia.*

(i) Eigil. in V. S. Sturmii confer. Eckhart. 23. Rer. Fr. n. 75.

(k) Othlonus in V. S. Bonifacii l. 2. c. 18.

(l) Eigil. in V. S. Sturmii.

PAGIUS ad a. 748 n. 1. 2. ex erroribus, qui Virgilio à Zacharia objiciuntur in octavo Capitulo eodem anno edito, ſatis oſtendi putat Virgilium hunc planè alium fuiſſe à Salisburgenſi propter hujus eximiam ſanctitatem, quâ alter non claruit.

(*9.) ECKHARTUS l. 23. Rer. Fr. n. 75. Bonifacius à Synodo Sueſſionenſi redux menſe Majo locum (ubi Fuldenſe cœnobium) inviſit, quod deinde ſingulis annis præſtare, ibíque per tempus morari, orationi & labori manuum vacare ſolitus fuit. Regulam S. Benedicti ante biennium in Synodo Monachis obſervandam commendarat, & hanc itaque in ſuo Monaſterio obſervari voluit. Quanquam videtur ad eam ſeveriores aliquas leges adjeciſſe. Illius enim ſuaſu decretum eſt, ut apud illos nulla potio fortis, quæ inebriare poſſit, ſed tenuis cereviſia biberetur. Ipſe Zachariæ ſcripſit, *fratres ibi congregatos fuiſſe viros ſtrictæ abſtinentiæ, absque carne & vino, absque ſicera & cereviſia, proprio manuum ſuarum labore contentos.* De quo rigore *teſte Eigilio* poſtea aliquid remiſſum eſt, *Poſt plures annos*, ait, *creſcente familiâ propter ægrotos & imbecilles tempore Pipini Regis Synodali decreto immutatum eſt; aliqui tamen ex fratribus usque ad finem vitæ ſuæ ſe a vino & fortibus potionibus abſtinuerunt.*

An. 744.

cius poſt duos menſes locum ipſe inviſit, & adductis operis, poſtquam nemora ſuccidi, & tellurem culturæ aliquantum aptari curaverat, Monaſterii ac Eccleſiæ initia fecit (* 10).

Alia Synodus in Germania.

(m) Act. CC. apud Hard. Tom. III.

11. Anno DCCXLV. Præſide S. Bonifacio alia in Germania Synodus congregata eſt; cujus decreta eò ſpectabant, ut Clerici, quos hæreſis eo tempore in prava dogmata præcipitârat, ab Eccleſiæ communione reſcinderentur (m). His peractis Præſules in Geuviliebum Epiſcopum Moguntinum Apoſtolicas diras protulerunt: Carolomanni exercitum adverſus Saxones iſte priore anno ſecutus, nihil anhelabat magis, quàm ut cædem ſui Patris ulciſceretur: in parricidam igitur ubi inciderat, cum eo pauca locutus, illi ferrum in viſcera intorſit. Non terruit hoc ſcelus Præſulem, quo minùs cruentis ac ſceleratis manibus ſacra adminiſtrare pergeret; quare in cœtum Patrum vocatus omnium judicio exauthoratus eſt. Finitâ Synodo Bonifacius ad Zachariam tres dedit epiſtolas, quarum unâ apud Pontificem de injuriis querebatur, quibus à flagitioſis Clericis, tum maximè ab hæreticis Adalberto Gallo & Clemente Scoto pulſabatur. Inſectabantur hi Archiepiſcopum eâ potiſſiuùm de causâ, quòd eorum errores non tantùm authoritate Eccleſiaſticâ, ſed etiam ſquallore carceris coërcendos putaret. In ergaſtulum hæreticos duos jam compegerat, dum hi fraude elapſi, pejùs ac antè in animarum exitium graſſabantur. Ad Zachariam itaque Bonifacius Deneardum Presbyterum miſit, qui in publica Synodo Veteratoris utriusque errores commonſtraret (* 11). Quibus auditis Synodus

(* 10) COINTIUS ad a 745. initia Monaſterii Fuldenſis revocat, idque ideo, ut *Eckhartus* advertit, quia ab anno obitûs S. Bonifacii conſtituendo aberravit: cæterùm ex EIGILIO in vita Sturmii annus verus initialis deſignatur: *aſſumptis*, inquit, *fratribus ſecum ſeptem commigravit ad locum, ubi nunc ſanctum ſitum eſt Monaſterium, & anno Incarnationis Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus Karlmanno atque Pipino, Indictione XII. menſe primo, duodecimo die menſis ejusdem ſanctum, & à Deo prædeſtinatum dudum ingreſſus eſt locum.* Vide hìc Pagium ad a. 744. n. XI. XII.

(* 11.) BONIFACIUS in ep. 135. recenſet errores Adalberti: Hic in primæva ætate hypocrita fuit, dicens, quod ſibi Angelus Domini in ſpecie hominis de extremis mundi finibus miræ & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit, ut exinde poſſet omnia, quæcunque à Deo poſceret, impetrare . . . . & per illam ſimulationem . . . domos mulierum penetravit & captivas poſt ſe mulierculas duxit, oneratus peccatis: & multitudinem ruſticorum ſeduxit. Deinde conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe ordi-

dus decrevit, ut ab omni Sacerdotali officio abdicati populum meliora docerent, ac nisi id fecerint, anathemate proscripti, æterno Dei judicio condemnarentur.

Synodus Romana damnat. hæreticos.

12. Bonifacius postquam Regiones Germaniæ ad Christi fidem perduxerat; Francorum Principes id maximè cupiebant, ut civitas una deligeretur quæ, Archiepiscopo stabilem deinceps sedem præberet (n). Colonia iis (probante Pontifice) placuit, sed Geuwiliebo Moguntino Episcopo subinde deposito, hæc ipsa urbs, quæ jam olim in civilibus Metropolis fuerat, Coloniensi civitati, antehabita est (* 12). Id verò ut ratum esset, Franciæ Proceres legatos ad Zachariam misêre, qui à Pontifice sua vota confirmari rogitarent (o). Antequam verò hæc Romam deferrentur; Pipinus jam per Ardabanium Presbyterum consuluerat Papam de quibusdam disciplinæ capitulis (p): viginti igitur septem quæstionibus, quas Dux Francorum de ordine Episcopali, de pœnitentia publica, & de matrimoniis illegitimis movebat, datâ epistolâ Pontifex ita resolvit, ut cuilibet antiquum Canonem pro responsione subjiceret. Bonifacio verò Zacharias injunxit, ut hæc ipsa responsa in Synodo palàm promulgari curaret; depositos verò Epi-

An. 745.

(n) epist. Bonif. 138.

An. 746.

(o) Othlonus in V. S. Bonifac.

Moguntia fit Metropolis Ecclesiastica.

An. 747.

(p) Act. CC. apud Hard. T. III. pag. 1916.

Zachariæ epistola ad Bonifacii consulta.

nârunt. Demum in superbiam elatus in proprii nominis honore oratoria dedicavit . . . & jussit *ibi publicas orationes . . . celebrari, donec multitudines populorum, dimissis antiquis Ecclesiis, in talibus locis conventus celebrarent, dicentes: Merita S. Adalberti adjuvabunt nos. Ungulas quoque & capillos suos dedit ad honorificandum & portandum cum reliquiis S. Petri &c. Clemens verò Canone (Ecclesiarum) abnegat & refutat &c.*

(* 12.) BONIFACIUS in epist. quæ est ordine 138. n. 45. *de civitate namque illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia juxta petitionem Francorum, per nostræ auctoritatis præceptum, nomini tuo Metropolim confirmavimus & tuæ sanctitati direximus, pro futuris temporibus ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitate.* Pagius putat ad a. 745. n. 2. 3. antea aliam incertam civitatem pro Metropoli à Francis delectam fuisse; sed Raginfredo Coloniensi Episcopo sub idem tempus mortuo hanc urbem, quæ aliàs in sacris subdita Trevirensi Metropolitæ fuerat, Metropoleos Ecclesiasticæ dignitate donare placuit, ut ibi resideret Bonifacius: res tamen ad effectum deducta non est, sed Geuwiliebo sive Gervilione Episcopo Moguntino ob homicidium deposito, Moguntia præoptata est. Ubi tamen adverte, merito Pagium dissentire à Petro de Marca, in dissert. de Primatibus n. 76. qui ex eo conatur probare, Moguntiam fuisse jam olim Metropolim, sed exolevisse successu temporis jus illud, quod proinde jam restitutum sit; nam ad eum confutandum duo sufficiunt, quòd ipse ad asserendum hoc se veterum testimonio destitui fateatur. *Secundò* ex eo, quòd, cùm Metropolis fuerit civilis, nullatenus consequatur, eam urbem quoque Metropolim Ecclesiasticam extitisse. Vide Pagium ad an. 745. n. 5.

Episcopos Aldebertum, Godolsatium & Clementem vel ipse coërceret, aut si in malitiam obdurâssent animum, sedis Apostolicæ supremo judicio traderentur. Eodem tempore legati Francorum urbem ingressi petebant à Pontifice, ut, quod de sede Moguntina constituerant, maximus Ecclesiarum moderator ratum haberet; Annuit omnino Zacharias, & scripto testabatur (q), Procerum consilium sibi admodum probari, quod è Coloniensium civitate Metropolitanam sedem Moguntiam transferri cuperent. Itaque ab hoc tempore Moguntia esse cœpit Metropolis *omnium in Germania positarum Ecclesiarum* (*13). Consensio Pontificis etsi omnium gaudio exciperetur; unus tamen Bonifacius minùs acquiescere videbatur, unde misso Romam Burchardo Episcopo Wirceburgensi, id saltem poscebat à Zacharia, ut ingravescente ætate alium sibi substituere in Moguntina sede liceret: Præterea quædam de Baptismi valore sciscitatus, Virgilii cujusdam turbatoris dissidia, errorésque accusabat. Pontifex ad ista confestim datis literis reposuit, eos, qui sine Trinitatis nominatione baptizati fuissent, rursus salutari lavacro elui oportere, postea hortabatur, ut pseudoclericos, qui in Ministerium sacrum se ingessissent, subjiceret regulæ Monasticæ, aut pœnitentiæ perpetuæ dicaret (r). Adhæc Samsoni Presbytero & Virgilio diras, pœnásque Ecclesiasticas intentabat, huic quidem, quòd doceret, alium mundum & alios homines sub terra existere (s): alteri verò, quod

(q) Epist. Zachar. apud Harduin. l. c. pag. 1909.

Bonifacius frustra quævit declinare stabilem Metropolim.

Zacharias proscribit Hæreticos.

(r) Act. CC. Tom III. apud. Hard. pag. 1912.

(s) Ibid.

(*13.) OTHLONUS lib. 2. c. 14. Zachariæ epistolam refert ad Bonifacium in qua Pontifex scribit: *Auctoritate B. Petri Apostoli sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntia perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has civitates, id est Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam, & Trectis & omnes Germaniæ gentes, quas per tuam Prædicationem Christi lumen cognoscere fecisti.* Per Germaniæ gentes intellige Thuringos, novos Francos, & Hassos, Bonifacióque suffraganeos constituit horum Episcopos *Wirceburgensem*, *Buriburgensem* & *Erphesphordiensem* COINTIUS ad a. 746. n. 34. "Regnante Childerico III. Moguntiacensis omnium ad utramque Germaniam pertinentium Metropolis est effecta. Præter Ecclesias utriusque Germaniæ Cisrhenanæ, Bonifacio Metropolitæ Moguntino subjectæ sunt aliæ Diœceses transrhenanæ, quæ vel Metropolitæ Wormatiensi olim paruerant, vel ab ipsomet Bonifacio Archiepiscopo anteà Regionario erectæ ac eruditæ fuerant, nec non Curiensis, quæ Francorum Regno nuper adjecta. Tredecim igitur comprovincialibus Episcopis, Argentoratensi, Nemetensi, Wormatiensi, Coloniensi, Leodiensi, Ultrajectino, Augustano, Wirceburgensi, Birburgensi, Erphesfurdiensi, Eystettensi, Constantiensi & Curiensi præfuit Bonifacius Archiep. Moguntinus ".

quòd necessitatem Baptismi pernegaret. Postremò monet; ut consilium de relinquenda sede Moguntina deponat; sed si vires deficerent, ut alium, qui illum in laboribus adjuvet, sibi adsciscat, permittit. *Bonifacium jubet perstare in sede Moguntina.*

13. Anno DCCLI. in Gallia deliberatum est, utrùm hoc tempore, quo Francorum Respublica, intestinis seditionibus sæpe obnoxia, & à finitimis populis lacessita, etiam à Longobardis, ac Saracenis infestabatur, expediret vacuum Regii nominis simulachrum in Childerico porrò colere (t), aut Regnum transferre in Pipinum Ducem, Caroli Martelli filium, acerrimum bello, & pacis artibus solertem virum? omnium auditis sententiis Pipino, penes quem potestas jam fuerat, dare etiam nominis dignitatem placuit. Sed cùm in negotio ejusmodi de sacramenti religione quoque ageretur; Zachariam Papam per duos legatos (*14), nimirum Burchardum Wirceburgensem Præsulem, ac Fulradum Abbatem S. Dionysii consulendum consuêre. Oratores ubi Romæ causam exposuerant, respondit Zacharias, Regio nomine ornandum esse Pipinum, penes quem erat libera totius Regni administratio. Proceribus ita firmatis Pipinus Rex ubique salutatus, unctione sacrâ (*15) à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino inau-

An. 751.

(t) Annal. Fuld. Laursham. Fredeg. Cont.

Legatio ad Zachariam in causa Childerici.

Pipinus à Bonifacio ungitur.

An. 752.

Yyy yyy 2

(*14.) Legatio ista *S. Burchardi* ac *Fulradi* à compluribus scriptoribus sæculo IX. viventibus & à Serario recitatis refertur; imò & à Continuatore Fredegarii in sua Appendice, qui hoc tempore floruit: Et *quievit terra à præliis* annis duobus, *quo tempore unà cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione à Sede Apostolica auctoritate perceptâ, præcelsus Pipinus electione totius Franciæ in sedem Regni, cum consecratione Episcoporum & subjectione Principum unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in Regno.* Ad hæc consultum fuisse Zachariam scripsit Anonymus in veterrimo Codice, Anno 767. Regni Pipini 16to, id est annis 15. vel 16. post rem gestam conscripto, in quo sic legitur: *Pipinus Rex per Authoritatem & imperium Sanctæ recordationis Domini Zachariæ, Papæ, & Unctionem S. Chrismatis, per manus Beatorum Sacerdotum, Galliarum, & Electionem omnium Francorum . . . in Regni solio sublimatus est.* PAPEBROCHIUS in Conat. Chron. laudatum Codicem in Museo PP. S. J. Hagiographorum Antwerpiensium extare, atque ab his Mabillonio exhibitum testatur. Eundem laudat & approbat HENSCHENIUS in Exegesi præliminari ad T. III. SS. Mensis Martii pag. 384. PAGIUS in Critic Baronii ad a. 751. n. 4. itidem probat. & n. 6. hoc subjungit: *Hoc Anonymi testimonium dissimulavit* COINTIUS & *Continuationis Fredegarii locum interpolatum dixit, quia ad illum responderi non posse vidit.*

(*15.) COINTIUS ad a. 752. n. 5. negat, Pipinum unctum fuisse à S. Bonifacio, quia Willibaldus & Othlonus in ejus vita nullam rei adeò insignis mentionem faciunt. At

Obitus Zachariæ. inauguratur, quibus peractis paulò post ad superos Zacharias evolavit die XIV. mensis Martii anno DCCLII. Pontifex erat humanitatis laude insignis, tardus ad iram, velox ad misericordiam, quæ virtutes etiam Longobardorum Regi Luitprando vim suavem intulêre, ut Ecclesiæ bona vel redderet, vel æstum armorum quandoque cohiberet (u).

(u) Anastas. in V.

14. Defuncto Zacharia Stephanus Presbyter electus, antequam consecraretur, tertio Pontificatûs sui die obiit (*16). Igitur intervallo novem dierum interposito alius ejusdem nominis Stephanus in sedem suffectus est; à Longobardis is multùm vexatus ad Pipinum in Franciam confugit, quem uti & filios ejus postquam solenni ritu in Reges unxerat; præsentem Francorum opem contra Aistulfi hostiles molitiones non semel expertus est (x). Per idem tempus Pipinus anno Regni sui secundo Episcoporum & Optimatum conventum indixerat, qui in Palatio Vermeria juxta flumen Isaram celebratus est: Canones illinc XXI. editi, summam eorum temporum corruptelam ac ignorantiam indicant; unde mirum non est, quædam etiam in hoc cœtu statuta fuisse, quæ merito Ecclesia reprehendit (*17).

(x) vide supra L. VIII. §. IV. c. 1.

An. 753.

19. Boni-

At PAGIUS ad eundem annum n. 1. ait Cointium hìc contra communem Antiquorum consensum ad argumentum inficiativum frustra recurrere; nam cùm in not. 14. præcedente, tum Fredegarii Continuator, tum Anonymus citatus hæc verba habeat, *Pipinus . . . per unctionem Sancti Chrismatis per manus beatorum Sacerdotum Galliarum in Regni solio sublimatus est*, neque ullus Codex proferri possit, ubi ista non legantur; Cointius id ne quidem obmovere poterit, textum Fredegarii esse interpolatum. Cæterùm ait, Pipinum videri fuisse primum ex Francorum Regibus, qui unctus est in Regem; nullus enim antea ab Episcopis benedictus legitur, sed omnes, ùt Regni Imperium adepti erant, à populis Clypeo evecti, constituebantur Reges. Longè autem antiquiorem fuisse Regum Scotiæ & Hispaniæ benedictionem ostendit Edmundus Martene l. 2. de Antiquis Eccl. ritibus T. III. c. 10.

(*16) ONUPHRIUS in Chron. BARONIUS hunc *Stephanum* inter Pontifices numerat; sed iis adversantur alii, nempe ANASTASIUS & veteres Catalogi PP., qui ideo omittendum putârunt Stephanum, quòd tantummodo electus, nunquam ordinatus fuit: unde perturbatio aliquando oritur, ut alii successorem Stephanum III., alii verò II. nominent.

(*17.) Inter Canones Synodi Vermeriensis duo arguuntur: SECUNDUS, qui statuit *si aliquis cum filiastra sua manet, nec matrem, nec filiam ejus potest habere; nec ille, nec illa aliis se poterunt conjungere. Attamen uxor ejus . . . . postea quam cognovit, quòd cum filia sua vir ejus fuit in adulterio . . . . potest alii nubere*; nisi fortè subintelligatur, quòd post mortem viri nubere possit. QUINTUS: *Si mulier mortem viri sui cum alio conciliavit, eúmque vir ipsius se defendendo occiderit, potest uxorem dimittere, aliámque accipere.*

15. Bonifacius interea meliore fide ac zelo ſuum paſcebat gregem: cujus rationes pro ſolito more novo Pontifici Stephano jam dediſſet; niſi reſtauratio Eccleſiarum, quarum ferè triginta Gentilium Saxonum vis vaſtaverat, Archiepiſcopi totum animum curáſque ſibi vindicâſſet. Hoc autem labore perfunctus Anno DCCLII. datis ad Stephanum II. literis ſibi eos ſedis Apoſtolicæ favores expetebat, quibus per trium Pontificum gratiam maximè cumulatus fuiſſet (y). Tringinta ſex annis in cultura Germaniæ Bonifacius jam deſudaverat; tum ſeu ſenii debilitate, ſeu altiore ſpiritu de conſummando vitæ curſu admonitus, Lullum ordinavit Epiſcopum (z), eúmque ſibi in ſede Moguntina, probante etiam Pontifice, conſtituit Succeſſorem. Sedi igitur vixdum proſpexerat Bonifacius; in Friſiam rurſus cogitabat, ut ubi Apoſtolatum fuerat exorſus, ibi etiam finem poneret: atque ut citiùs eò provolaret, cauſam dabat Hildegarius Epiſcopus Colonienſis, qui Eccleſiam Trajecti ad Rhenum poſitam Metropolitæ Moguntino, contra ac Zacharias decreverat, ſibi vindicare conabatur. Equidem Colonienſium Antiſtes inde ſuas ſtabiliebat partes, quòd Rex Dagobertus prædeceſſoribus urbem iſtam eâ lege dediſſet, ut Friſonum genti excurſionibus Apoſtolicis commodarent: neque olim aliò Sergii Papæ mentem ſpectâſſe, cùm Willibrordo ordinandæ Eccleſiæ poteſtatem feciſſet (a). At Bonifacius ægerrimè ferens, ab Hildegario arrogari jura, quæ unà cum injuria Gregis nunquam vel ignavè eſſet adminiſtraturus, ad Papam Stephanum litem perſcribit, qui ubi Bonifacio cauſam adjudicaverat, novo Zelo inflammatus Apoſtolus in Friſonum Regiones unà cum tribus Presbyteris, totidémque Diaconis & quatuor Monachis contendit (b). Jam multos ſalutis fonte abluerat, tum ad flumen Burdum, quod Orientalem Friſiam ab Occidentali dividit, Neophytos, ac baptizatos vocat, ut ibidem confirmationis ſignaculo cunctos roboraret. Sed illi mutato animo, è filiis in Chriſto genitis ſubitò armati lictores in Patrem ſuum irruebant, ac Bonifacium cum Sociis crudeli mactant nece, anno Chriſti DCCLV., peregrinationis ſuæ, ex quo in Germaniam venerat XL.; Epiſcopatûs ſanctiſſimè geſti XXXVII. Poſtquam impii parricidæ in corpora Sanctorum ſævierant, in ſacram quoque ſuppellectilem graſſa-

Bonifacius ſcilicet ad Stephan. II.

(y) epiſt. 91. inter Bonifacian.

Sibi ſucceſſorem eligit S. Lullum.

(z) ep. 92. 94. inter Bonif. Pipino.

An. 754. *Controverſia S. Bonifacii cum Hildegario Epiſcopo Colonienſi de Eccleſia Ultrajectina.*

(a) ep. 97. inter Bonif.

(b) Act. SS. Bened. T. IV.

Martyrium S Bonifacii & ſociorum. An. 755.

Ejus scripta & libri. grassabantur, sed dum præter chartas auri nihil, uti speraverant, inveniunt; scripta, librósque discerptos per palustria loca dispergunt. Vindicavit tamen Deus ab interitu hæc pietatis monumenta, nam post intervallum benè longum integra reperta, & sacrario Fuldensi illata sunt (c). Corpus verò B. Archiepiscopi Trajecti primò depositum, deinde trigesimo ab obitu die poscente Lullo Moguntiam deportatum; unde idem Moguntinus Antistes, sacras exuvias in Fuldensem Ecclesiam, in qua Sanctus adhuc vivens tumulum expedierat, perduci curavit, ubi multis post mortem miraculis claruit, inter quæ illud multo insignius dici potest, quòd iis, qui in Fuldensi cœnobio asceseos Benedictinæ alumni alebantur, duplicem suum spiritum reliquerit, quo inflammati totam Germaniam doctrinâ & virtute illustrârunt.

(c) Ibidem in V. S. Bonifacii. Bolland. 5. Junii.

Sepultura.

§. II. *Pseudosynodus Iconoclastarum; Constantinus Copronymus persequitur imaginum cultores; Patris vestigia sequitur Leo filius. Irene & Constantinus Ecclesiæ pacem restituunt. Pontifices Stephanus II., Paulus, Stephanus III.; Hadrianus & Leo II.; & Constantinus Antipapa. Nicænum II. Concilium; item Francofordiense. Elipandi & Felicis hæresis.*

1. QUò majora incrementa in septentrionalibus Provinciis Ecclesia acceperat, eò pejùs à Constantino Copronymo in Oriente affligi cœpit: victoriis ille, contra Armenos, & alios hostes relatis, inflatus (a) eò jam adjiciebat animum curásque, ut quod odium dudum contra imagines fuerat complexus, uno impetu effunderet: sub Theodosio itaque Ephesino, octo & triginta supra trecentos præsules in Synodum cogit, qui ubi in Basilica Blachernarum Constantinopoli congregati fuerant (b), singulos *propositis vivifico corpore & sanguine Christi, intemeratísque lignis, in quibus Christus Deus pro nobis manus extendit, atque etiam inviolatis Evangeliis* omnes jurare jussit: *Sanctam imaginem se non adoraturos, sed eam idolum vocaturos.* Posteà Constantinum Monachum, Sylæi antea Episcopum, non Dei & Sacerdotum suffragio, sed proprio dolo in Ecclesiam adduxit, ubi cùm uterque

(a) Theophan. in Chron.
An. 744.

(b) Acta CC. apud Harduin. T. IV. pag. 325.

que in ambonem aſcendiſſet, à Copronymo Patriarcha Conſtantinopolitanus ſubitò nuncupatus eſt. His præmiſſis multùm de idololatriæ origine diſceptatum, tum ab indiviſibili duarum in Chriſto naturarum unione Iconomachi arguebant eos,qui imaginemChriſti nobis exhibent: cùm enim divina Chriſti natura nec comprehendi valeat, neque ab humana ſeparari, conſectaneum eſſe ajebant, vel humanitatem à divinitate dividendam, vel utique pingendum, quod nullâ arte nullis coloribus repræſentari queat. Addebant porrò Chriſtum Dominum S. Euchariſtiam apud nos reliquiſſe tanquam veram ac unicam imaginem vivifici corporis ſui, quæ pretiosè ac honorabiliter facta ſit; in hujus aſſerti patrocinium quaſdam Scripturæ, Patrúmque ſententias afferebant (c), quibus in medium adductis definiêre, *omnem imaginem ex quacunque materia, improbâ Pictorum arte factam, ab Eccleſia Chriſtianorum rejiciendam, veluti alienam & abominabilem;* cavebant inſuper Canonibus prolatis, ne cui deinceps fas eſſet, imaginem conſtruere vel adorare, aut ſtatuere in Eccleſia vel in privata domo ſeu occultare: poſtremùm ſingulari anathemate in Germanum Conſtantinum, ínque Georgium Cyprium, & Joannem Damaſcenum Imaginum defenſores vibrato, Pſeudoſynodus ſoluta eſt (*1).

(c) Ibidem pag. 415.

Statuta Pſeudoſynodi.

2. Hæc decreta utprimùm publicabantur, ubique ſacra vaſa immutata ſunt, imagines vel deſtructæ aut rogo crematæ (d), quæ verò in Eccleſiarum parietibus extabant icones, ſi profanas ani-

(d) Vita S. Stephani Jun. apud Joan. Damaſcenum.

(*1) STEPHANUS DIACONUS in V. Steph. Jun. *Quânam ratione Veſtram Synodum Oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Pontifex (quanquam Canone præſcribitur, res Eccleſiaſticas abſque Papa Romæ conſtitui non debere) neque Alexandrinus, ut verum fatear, neque Antiochenus, neque Hieroſolymitanus? ubi enim illorum libelli, ut falſa veſtra Synodus Oecumenica prædicetur? Quomodo porrò ſeptimam nuncupatis, quæ ſex priores non eſt ſecuta? . . . Vos verò, qui ſex Synodorum Traditiones antiquâſtis, quonam titulo veſtram Synodum ſeptimam nominetis, ignoro.* Tandem ait, *ſex priores Synodos in templis SS. celebratas fuiſſe, in quibus omnibus imagines ſculptæ erant, quas Patres approbavêre & adoravêre . . .* Adverte, quòd Proteſtantes, qui cum Guilielmo Cave de Scriptoribus in Sæculo Iconoclaſtico pag. 427. hanc Synodum vocant omni jure Oecumenicam ac legitimam, hanc ſibi neceſſitatem imponant, ut & ejus Canones ſine diſcrimine admittant, inter quos DECIMUS QUINTUS ſic habet: *Si quis non confitetur, S. ſemper Virginem Mariam proprie & verè Deiparam, quâvis viſibili & inviſibili creaturâ ſuperiorem, & cum ſincerâ fide ejus interceſſiones . . non poſtulaverit, anathema ſit.* DECIMUS SEPTIMUS definit, Sanctos coram Deo venerandos, eorúmque interceſſiones poſtulandas.

animantium, venationum, aut hippodromorum effigies exceperis, calce oblinebantur. Neque tantùm imaginibus vitæ expertibus, sed & vivis imaginum cultoribus bellum indictum est; cujus atrocitas brevì ita invaluit, ut Monachi Europæ, Byzantii, Thyniæ & Provinciæ Bithyniensis simul universi ad S. Stephanum in monte Auxentii Abbatem convolarent, consilium exquisituri, quo tandem remedio tam valida tempestas posset devitari (e). Rogantibus Vir sanctus author erat, ut siquidem saluti suæ consultum vellent, in eas fugerent regiones, quæ extra Imperium Tyranni aut longè ab hæresi sejunctæ forent: esse Bosphorum, Chersonesum, & quæ in Gothiam Cœlem porriguntur; vacare etiam errore inferiorem Lyciam, Sileum, Sicen, Cyprum Insulam, Tyrum & Joppen, demum Alexandriæ & Antiochiæ Antistites, tum præcipuè Romanum Pontificem Stephanum Iconoclastas non tantùm anathemate percussisse, sed etiam literis in Imperatorem invehi non cessâsse (f). Quod præsidium apud Romanam Sedem Abbas Stephanus Monachis pollicitus fuerat, Pater universæ Ecclesiæ lubens præstitisset, nisi Longobardorum ærumnis exhaustum annus quinquagesimus septimus supra septingentesimum è vivis abstulisset. (g). Primus hic fuisse dicitur, qui veterum Prædecessorum suorum scribendi methodum non parùm immutârit. Amplum idem dominium Romanæ Ecclesiæ asseruit, quod speciali Providi Numinis consilio factum multi credidêre, ne Romanus Pontifex diviso inter tot Reges & Principes Romano Imperio alicujus ditioni subesset, quò liberiùs de religione consuleret aut decerneret, aut ne dum necessitate compulsus uni favet impensiùs, inde schismata nascerentur.

An. 755. *Persecutio Orthodoxorum.*

(e) Vita S. Stephani Jun.

Regiones Imperii ab Iconoclastarum hæresi immunes.

An. 757.

(f) Hadrian. P. in ep ad Constantin. & Iren.

(g) Anastas. in Vita.

Obitus Stephani II.

3. Interpontificio unius mensis exacto, Paulus Diaconus Stephani frater fratri successit (h), Vir mitissimi ingenii, & singularis in captivos egenósque charitatis. Ubi primùm clavum Ecclesiæ capessiverat, cum Pipino de rebus Italiæ componendis egit (i): dein eundem enixè rogabat, ut Romanam Ecclesiam adversus Græcos tueretur, id testatus, non alia de causa Romanum Pontificem ab iis vexari, nisi propter sanctam & orthodoxam fidem, quam illi destruere cupiunt ac conculcare (k). Imperator cùm Paulum Papam Francorum armis defendi doleret, crude-

(h) Idem in V.

Paulus Pontifex.

(i) Epist. 13 Cod. Carol.

(k) Epist. 34. Cod. Car.

crudele ferrum in Orientis Monachos vertit, quorum pluribus occisis, tandem Stephanum Auxentii montis Abbatem aggressus est. Pollicitationibus primò ac muneribus Virum Catholicum ac sanctum inflectere parabat, ut Iconoclastarum Synodo subscriberet nomen: his verò in irritum cadentibus, Stephani Monasterium igne vastari Tyrannus jubet; tum fugatis Discipulis unus Abbas in S. Philippici cœnobium raptatur: ferreis illinc compedibus ligatus, à Theodosio Ephesino & à quatuor aliis Episcopis Iconomachis in quæstionem vocabatur (l). Liberrimo ille inter vincula animo hæreticos judices increpans, ultrò profitebatur, si sibi pro orthodoxa fide mille suppliciis tolli contingeret, mortem in lucro fore; tum Nacoliæ Episcopum Constantinum (cùm ex Actis Pseudosynodi legeret has voces: *Definitio sanctæ & œcumenicæ VII. Synodi*) amentiæ arguebat, quòd à mendacio adhiberet præsidium; neque enim *sanctam* Synodum dici posse, ajebat, quæ polluisset *sancta*, sanctissimos Episcopos idolomaniæ etiamnum insimularet, quæque Cælitibus apud Deum regnantibus Sancti vocabulum ademisset (m). Quemadmodum verò dicebat sanctimoniæ nihil in illa Synodo reperiri, sic quoque eidem *Oecumenicæ* nomen posse tribui pernegabat; propterea quòd tres Patriarchæ, & ipse etiam Romanus Pontifex huic conventui palàm repugnarent: unde etiam falsò *septimam Synodum* nuncupari eam commonstrabat, quæ nil simile cum sex præcedentibus haberet, quæque in templis coram SS. imaginibus celebratæ, nunquam illarum cultum aspernatæ fuissent. His dictis Stephanus dolori ac iræ medius in hæc verba desiit: *Si quis Dominum Nostrum JEsum Christum in imagine secundùm humanitatem circumscriptum non adorat, anathema sit, & cum illis censeatur, qui clamavêre, tolle, tolle, crucifige* (n). Pudore inde suffusi Episcopi ad Imperatorem redeunt, séque ab eo, qui & dicendo valeret, nec expavesceret mortem, omnino victos confitentur. Constantino ista bilem ita movêre, ut confestim Stephanum ad Proconnesum exulare juberet. Principem inde fidei, sanctísque Viris acerbum Deus variis calamitatibus appetebat; nam Turcæ eodem tempore primùm Caspiis portis egressi (o), plurimis per Armeniam occisis, ingentem spoliorum captivorúmque numerum secum abstrahebant.

S. Stephanus à Constantino Imp. exagitatur.

(l) Vita S. Stephani.

(m) Ibidem

Fortitudo & fides integra S. Stephani.

(n) Ibidem.

Ejicitur S. Stephanus in exilium.

An. 763.

(o) Theophanes in Chron.

Impietas Constantini Imperatoris.

Quibus Imperii ruinis Cæsar adeò emendatus non est, ut potiùs impietatem suam novis in Deiparam blasphemiis cumularet; præterquam enim, quòd illam exemplo Nestorii Christiparam duntaxat dici vellet, eò etiam prorupit, ut eam post partum honore ac dignitate nihil à reliquis hominibus differre jactaret (p): non aliter ac marsupium quamdiu aureis nummis plenum est, pretii aliquid ab auro accipit; hoc autem effuso, nullâ æstimatione dignum haberi dictitabat. Neque tantùm voce, sed rebus infandis Imperator scelestum suum animum palàm fecit; nam jurejurando omnibus Imperii civibus ad detestationem imaginum adstrictis(q), in adversantes Principes æquè ac milites grassatus est: atque religioni porrò illusurus, præcepit, ut Monachi singuli manu mulierem trahentes hippodromum transirent; quod spectaculum ubi in convitia ac ludibria populi desierat, post aliquot etiam dies crudeliorem scenam seu carnificinam hominum Imperator exhibuit. Neque ab hac procella Pseudopatriarcha, rerum impiarum magna pars, omnino incolumis exivit; nam Constantinus Imperator Constantinum ejusdem nominis Episcopum pro solita Tyrannorum levitate fastidiens, testes subornabat, qui eum contumeliæ in Imperatorem jactatæ accusarent. Criminationibus igitur, quæ ad rem erant, perjurio firmatis, Præsul expellitur, & continuò Nicetas Canutus, ne quidquam in facinore sceleris expers foret, præter jura Canonum in sedem subrogatur. In homines postquam satis sacrilegus Imperator sævierat, bellum contra Superos resumpsit (r), subditis omnibus, ne sanctæ Dei Genitricis & Sanctorum suffragia peterent, interdicens: præterea sacras reliquias vel in mare, vel in sterquilinia projecit; atque ipsa etiam Sacraria ut fœdis hominum sordibus inquinarentur, facilè permisit.

(p) Ibidem.

An. 766.

(q) Theophanes in Chron.

Acerba ejusdem crudelitas in Orthodoxos.

(r) Theophanes in Chron.

Chrodogangi regula.

4. Inter tantas Orientis calamitates religio ac disciplina per Occidentem multò insigniùs floruêre: Chrodogango quippe Episcopo Metensi authore Regula pro Canonicis Regularibus condita (s), & quatuor capitibus comprehensa prodiit; quam omnes ferè Ecclesiæ postea ingenti Clericalis Ordinis emolumento acceperunt. His pietatis fructibus cùm Paulus Pontifex sua incommoda, quæ à Desiderio Longobardorum Rege perceperat, aliquan-

(s) Acta CC. apud Hard. T.III. p. 2001.

quantùm ſolaretur, ægritudine correptus è terris in cœlum abiit anno DCCLXVII., poſtquam annos decem, menſem unum ſediſſet (t). Pontificis obitus multum perturbationis in Eccleſiam invexit (u); nam Toto Dux Nepeſinus ambitionis ſtudio incitatus fratrem ſuum Conſtantinum, quantumvis ordinationis omnis expertem, Sedi imponere adnitebatur: atque ut votorum fieret compos, vi armatâ in Baſilicam B. Petri irrumpens, Georgium Præneſtinum adegit, ut manus laico homini citò imponeret. Impunè Georgius hanc inaugurationem haud tulit; nam manus, quâ Conſtantinum conſecraverat, paulò pòſt exaruit. Neque Pſeudopapæ diu arrogatum vi Pontificatum uſurpare licuit; vix enim anno evoluto Sergius & Waldipertus Presbyteri de homine in ordinem redigendo captant conſilium: quod ut feliciùs eveniret, collectam militum manum in Totonem immittunt, hócque cæſo nudatum præſidio Pſeudopapam etiam poteſtate exuunt. Philippus inde Presbyter tanto munere dignus, ſed ſimul eâdem die indignus viſus eſt: quare hoc quoque rejecto in Stephanum IV. natione Siculum, multíſque muneribus optimè geſtis celebratum omnium vota convenêre. Conſecratus ſubinde Pontifex ad Pipinum Legatum miſit, qui peteret à Rege, ut Epiſcopos Canonum peritos ad Synodum Romanam dirigeret. Verùm antequam Pontificis Orator in Galliam venerat; Pipinus VIII. Kalendas Octobris anni DCCLXVII. jam fato functus, Carolo & Carolomanno filiis Regnum reliquerat. Hi igitur ubi cauſam legationis acceperant; protinus Epiſcopis Galliarum injunxêre, ut propoſitum Pontificis exequerentur. Præter hos Antiſtites alii etiam Tuſciæ, & aliarum Italiæ Provinciarum Præſules vocabantur, quibus congregatis, in Baſilica Salvatoris Synodo datum eſt initium, anno DCCLXIX., menſe Aprili: Prima Patrum Actio diſcutiebat Pſeudopapæ Conſtantini res malè geſtas; quare idem in medium adductus de uſurpatione Sedis Apoſtolicæ rationem reddere jubetur (x): reponebat ille, vim ſibi à populo Romano factam, ac in terram proſtratus veniam à Patribus precabatur. Quominus eâ die in Pſeudopapam proferretur ſententia, demiſſio & miſera conditio Conſtantini fecit; nam cùm anno præcedente è Monaſterio, quorſum fuerat deportatus, à militibus, inſcio etiam

An. 767. *Obitus Pauli Papæ.*

(t) Anaſtaſ. in V.

(u) Author Vitæ Stephani III.

Conſtantinus Pſeudopapa.

An. 768.

An. 769. *Synodus Romana contra Conſtantinum Pſeudopapam.*

(x) Anaſtaſ.

etiam Stephano, rursus extractus, & crudeliter excæcatus fuisset; ipsum hominis spectaculum Patrum animos aliquantùm mitigavit. Sed ubi die insequente Constantinus suam ordinationem quasi mutato consilio inde propugnare præsumeret, eoquòd Sergium Ravennatem & Stephanum Neapolitanum Archiepiscopos ex laicis diceret consecratos; tum illum colaphis cædi jussum extra Ecclesiam Patres ejecêre (y). His peractis à Synodo cautum est, ne ullus laicorum neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus Diaconatûs ac Presbyterii ascendisset, ad sacrum Pontificatûs honorem possit promoveri: atque ut libertas suffragantibus constaret, interposito anathemate prohibitum, ne cui armatâ manu Ecclesiam ingredi deinceps fas sit. De Episcopis verò, quos Constantinus consecraverat, statuebatur, ut siquis Presbyterio aut Diaconatu functi fuerint, ad pristinum reverterentur gradum; quodsi tamen ad frugem conversi rursus eligerentur, iis indultum est, ut ab Apostolica Sede benedictionis susciperent consecrationem. Nihil ejusmodi Presbyteris aut Diaconis concedebatur, hi enim semper ab altiore gradu omnino arcebantur. In quarta Synodi Actione, recitatis trium Patriarcharum Orientalium ad Paulum Papam literis, hæc de sacris imaginibus statuta sunt (z): *Si ad Sanctorum consortium venire optamus, profectò hæc omnia in honorem Sanctorum, sive reliquias non solùm corporum, sed & vestimentorum, sive Basilicas nominibus eorum memoratas, seu etiam imagines & vultus illorum, in quolibet loco depictos, celeberrimo honore venerari debemus . . . Crucem pro Crucifixo in ea Christo adoramus & amplectimur. Si quis Ss. imagines Domini Nostri JEsu Christi, & ejus Genitricis, atque omnium SS. secundùm Ss. Patrum statuta venerari noluerit, anathema sit.* Paucis post Synodum mensibus Sergio Ravennate Episcopo defuncto, Michael ejusdem Ecclesiæ scriniarius, necdum sacris Ordinibus initiatus, Mauritii Ducis Ariminensis militari manu se in Episcopium ingesserat (a): facinus hoc Canonibus recenter decretis infestum, ac Leoni Archidiacono legitimè electo injuriosum adeò displicuit Pontifici, ut Michaelem ab usurpato Episcopatu discedere protinus juberet. At ille Longobardorum potentiâ accinctus, postquam adversus Papæ jussa obstinaverat animum, Sedem

(y) Acta CC. apud Hard. T. III.

Statuitur de Episcopis & aliis Ministris à Constantino consecratis.

(z) Ibidem pag. 2014.

Decretum de Cultu imaginum.

An. 769.

(a) Anastas.

Michael Ravennatium Episcopus à Sede sua removetur.

dem per annum detinuit: ne verò longiùs iniquus usurpator Sacerdotii honore frueretur, Francorum legati obstiterunt. Hi enim Ravennates eò inclinaverant, ut Michaelem Romam vinctum mitterent; quo facto Leo quoque in Urbem accersitus ibidem â Pontifice Episcopalem potestatem suscepit. Multas post hæc insidias ac injurias à Longobardis Stephanus Papa excepit (b): nec minorem molestiam metúmque Pontifici creabat matrimonium illud, quod Carolus Rex Francorum cum Ermengarda Desiderii (Longobardorum Regis, ac Ecclesiæ Romanæ hostis) filia meditabatur (c); illâ tamen subinde repudiatâ, de Francorum amicitia atque auxilio meliora Pontifex sperare cœpit. Spes verò illas successor ejus Hadrianus duntaxat omnino impletas vidit; nam Stephano III. post trium annorum & sex ferè mensium Pontificatum defuncto hic ipse (d) an. DCCLXXII. suffectus est; Vir erat nobilitate, eruditione, charitate in pauperes, constantiâ, aliísque virtutibus conspicuus, quibus præsidiis hoc tempore opus erat ad Longobardorum molitiones evertendas. Desiderius namque Rex cùm injuriæ loco haberet, filiam suam è thoro Caroli ejectam fuisse, in ultionem intentus, eò nunc incumbebat, ut vel Pontificem à Carolo, vel Carolum à Pontifice divelleret. Itaque ab Hadriano exigebat, ut is Carolomanni superstites filios Reges consecraret. Hadrianus respondit, se pro transigendo negotio missurum nuncios, qui receptis simul à Rege civitatibus, mutuam ipsi amicitiam suo nomine sponderent. Desiderius hoc responso se delusum ratus, bello populationibúsque Pontificem premit; at presso rogatus Carolus confestim adfuit, ductóque in Italiam exercitu obsedit Ticinum: inde Romam digressus, magnóque exceptus honore (e), Pontifici non tantùm ea, quæ Majores donaverant, rata habebat, sed ampliora se his incrementa appositurum pollicebatur. Neque Principis fides post expugnatam Papiam, ùt alibi diximus, desiderata est: Regis illa liberalitas etsi ea gratitudinis obsequia, quæ Pontifex poterat, sibi conciliaret; fabulæ tamen non absimile videtur, quod quidam suis scriptis inseruêre: quasi Hadrianus favorem Principis sibi magis devincturus, in publica Romæ Synodo, Carolo jus dedisset, eligendi Pontificem & Episcopos per singulas Provincias, quódque

(b) Ep. 46. Cod. Carol.

(c) Eginhard. in V. Caroli M. ep. 45. Cod. Carol.

Stephani III. Obitus.

(d) Anastas. Vide Pagi. in Critic. ad an 772. n. 1.

Hadrianus Pontifex.

(e) Anastas. in V. Hadr.

An. 774.

simul cunctos Præsules, interpositâ anathematis comminatione, ad accipiendas à Rege investituras adegisset (†). Carolus utprimùm relictâ Italiâ in Franciam redîerat; Leo Ravennas Episcopus Hadriano non leve facessivit negotium (f): is enim Æmiliæ urbes cum universa Pentapoli sibi à Rege donatas esse, commentus, his ipsis spoliis injecerat manum. Pontifex, quod à donatione Caroli in jus suum verterat, nunc ab alieno usurpatore diripi minimè passus, Carolum multis literis rogat, ut ad componendas turbas in Italiam revertatur. Carolus Saxonum bellum causatus, quominus jam veniret, Legatos misit, qui, quæ sentiret, coràm exponerent. Verùm cùm Oratores Regis aliò, quàm Romam diverterent, ex itinere hujusmodi Pontifex adeò nihil solatii hausit, ut potiùs novis exinde cum suspicionibus conflictaretur. Literis proinde aliis profectionem ipsius Caroli urgebat, & propius jam aberat, ut anno DCCLXXV. Italiæ immineret, cum in ipso Ducatu Forojuliensi in Saxonum terras revocatus, ad annum DCCLXXXI. Italicum iter distulit, quo tempore demum cum filiis Pontificem invisens, ejusdem vota cumulatissimè implevit; nam hostilibus motibus compressis, Pontifici integrum Sabinensem Dominatum Carolus donavit. (g).

(†) Reflexio II.

(f) Ep. 54. Cod. Carol.

Hadrianus vocat Carolum in Italiam.

An. 775.

(g) Anastas. ep 69. Cod. Carol.

5. Dum in Occidente Carolus Romanam Ecclesiam ab intestinis turbatoribus liberatam, ac ditionibus auctam, reddiderat paci; Orthodoxis etiam in Oriente spes ab Iconomachorum vexationibus respirandi data est; utprimùm enim Leo Constantini Copronymi anno DCCLXXV. defuncti, filius in Regnum successerat; ferrum tot Martyrum cædibus ferè hebetatum seposuit. Ingenio tamen cùm esset ferox, rerúmque cupidus, exemplo Patris rursus in Catholicorum vitam, atque in Ecclesiarum divitias grassari cœpit (h). Sed antequam dira ac sanguinolenta tempestas omnino se effunderet, Deus Principem sævum non minùs, quàm sacrilegum è vivis rapuit eodem anno DCCLXXX., quo Nicetas Patriarcha Constantinopolitanus impiæ Iconomachiæ incentor vitæ ac scelerum finem fecit (i). Sublatis Persecutionis Ducibus Irene unà cum filio Constantino Imperii simúlque Religionis meliorem curam suscepit: hæc quippe conjux Leonis, adhuc vivente Marito, haud dissimulanter imaginum cultui dedita,

Persecutio Leonis Copronymi filii haud diuturna.

(h) Theophanes.

An. 780.

(i) Ibidem

Irene cum filio Constantino religionem restituit.

dita, ubi jam poteſtatem nacta fuerat, eò adjecerat animum, ut libertatem Monaſteriis, cunctis remedium ſalutis impertiretur. Ne diutiùs conſilium differret, Paulus, qui Nicetæ Patriarchæ impleverat locum, ſuis hortatibus confecit. Irene jam in annum quartum rerum potiebatur, tum Paulus morbo tentatus Monaſticum habitum aſſumpſit in Flori cœnobio: Irenæ mutationis ſubitæ cauſam roganti mœſtus geménſque reponebat: *Utinam Eccleſiâ Dei tyrannicè adminiſtratâ, & à reliquis Sedibus ea de cauſa reſciſsâ, diriſque & execrationibus devotâ, in Sacerdotii throno Conſtantinopoli nunquam ſediſſem* (k): ſubinde Patriciis ſe inviſentibus teſtabatur, niſi Synodo univerſali congregatâ errorem emendarent, nihil ſalutis illis ſupereſſe. At illis inſtantibus, ut quid ergo ipſe Patriarcha deſignatus, imagines ſe nunquam adoraturum ſcripto nomine confirmâſſet? reſpondit emortuâ ferè voce, hanc lacrymarum ſuarum, vitæque mutatæ cauſam eſſe, ſéque nunc ſerò Deum deprecari; ne ſe velut Pontificem hucuſque mutum, nec veritatem, ſolo inſanientium metu, palàm annunciantem corripiat (l). His dictis ubi Paulus vitam clauſerat, Taraſio, qui Imperatori à ſecretis erat, Patriarchæ munus defertur (m): repugnabat ille dignitati, cauſatus laici conditionem, cui tale munus accipere non minùs, quàm dare nefas foret: ſed adactus Auguſtorum imperio ceſſit, eâ tamen conditione, ut, quod Paulus ante obitum ſuaſerat, Synodus Generalis cogeretur, quo conceſſo, Taraſius inauguratus libellum fidei teſtem, & de vocando Concilio literas ad Hadrianum dedit (n): Pontifex his acceptis eidem epiſtolam reddidit, quâ ita ei communionem Eccleſiæ Romanæ diſpenſabat, ut ſimul ejus ſingularem in reſtituendo imaginum cultu operam depoſceret (o). Eodem tempore Conſtantinus & Irene Pontifici authores erant, ut vel per ſe Concilii Præſidem Conſtantinopoli ſiſteret, aut Vicarios poteſtatis ſubſtitui curaret. Hadrianus ad hæc Auguſtis reſcribens, quæ Sedi Apoſtolicæ reverentia, quanta veneratio imaginibus debeatur (p), præcepit, ut legatis Papæ commeatus liber, & Patrimonia ſancta, ſiquæ à Longobardis diminutionem paſſa eſſent, integra redderentur. Poſtea titulum univerſalis Patriarchæ (*2), quo Impe-

An. 784.

Paulus Conſtant. Patriarcha moriens deteſtatur errorem Iconoclaſtarum.

(k) Theophanes in Chron. Cedrenus.

(l) Ibidem.

An. 785.

(m) Synod. VII. Act. 2.

Taraſius Patriarcha vult fieri Synodum.

(n) Theophanes in Chron.

(o) Synodi VII. Act. 2. *Hadriani P. ad Imperatores.*

(p) Synodi VII. Acta 2. apud Hard. T. IV.

(*2) HADRIANUS in ep. ad Imperatores; *Mirati ſumus, quod in veſtris Im-*

Imperatores in literis Tarafium nominarent, perftringens, ultimò monebat, contra Canonum ftatuta accidiffe, ut Tarafius ex laicorum ordine ad Epifcopatûs faftigium fubitò eveheretur, cui errori fe minimè indulturum teftabatur, fi is contrà, ac cuperet, imaginum cultum in Orientis Ecclefiis reftituere cunctaretur. Interea Tarafius alios tres Patriarchas ad Synodum invitabat: fed Legati, ubi Hierofolymam pervenerant, accepêre Theodori Patriarchæ mortem, ejúsque Succefforis à Saracenis profcripti exilium. Antiochenus & Alexandrinus cùm eorundem Saracenorum infeftum jugum fubiiffent, adire Concilium non poterant (q); itaque duo horum nomine Monachi ad Synodum directi funt (*3). Eodem tempore Hadrianus Papa Petrum Archipresbyterum Ecclefiæ S. Petri, & Petrum S. Sabæ Conftantinopolim Legatos mifit, qui fuo nomine Synodo præeffent. Concilii inde primordia facta funt in Bafilica Ss. Apoftolorum, die menfis Augufti XVII.; quibus fubinde per Iconomachorum machinationes turbatis Irene coacta eft, Concilium Nicæam transferre (r). Sequente igitur anno revocatis Legatis Apoftolicis, & præfentibus Tarafio, aliífque Orientalium Patriarcharum Vicariis unà cum trecentis quinquaginta Epifcopis, pluribúsque Archimandritis & Monachis (s), *Prima Actio* Synodi habita eft octavo Kalendas Octobris. Lecta eft Imperatorum ad Synodum epiftola, quæ decernebat; ut literæ ab Hadriano miffæ *fecundùm Jus Canonicum* legerentur. in *Actione fecunda* & *tertia* recitabantur literæ Hadriani Papæ ad Imperatores & Tarafium; & literæ Tarafii ad Patriarchas Orientis (t). In *Actione quarta* afferebantur in

Cur Patriarchæ alii Orientis Synodo non potuerint interesse?

(q) Synodi VII. Act. 3.

An. 786.

Synodus VII. Generalis.

(r) Theophanes.

An. 787.

(s) ActaCC. apud Hard. T. IV. p. 27.

(t) Ibidem à pag. 57. ad 141.

perialibus juffis pro Patriarcha Regiæ urbis fcilicet Tarafio directis, Univerfalem ibi reperimus exaratum; fed utrùm per imperitiam, aut fchifma vel hærefim iniquorum fcriptum eft, ignoramus . . . Nam fi univerfalis fupra prælatam fibi Romanam Ecclefiam, quæ eft Caput omnium Dei Ecclefiarum, defcribatur, tanquam Ss. Synodorum rebellem atque hæreticam manifeftare fe certum eft. Quia fi univerfalis eft, etiam Ecclefiæ noftræ fedis primatum habere dignofcitur &c.

(*3) Ex literis Patriarcharum Orientalium difcimus, quòd Romanæ Sedis Authoritas aliorum Patriarcharum abfentiam fuppleat: fcribunt enim fuam abfentiam Concilio non obfuturam, quominus Oecumenicum dicatur. quod probant Synodi fextæ exemplo: *Etiam in ipfa facra Univerfali fexta Synodo nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus Epifcopi erant, conveniffe repertus eft, propter Barbarorum Tyrannidem; fed nullum ex hoc fanctæ adhæfit Synodo præjudicium . . . præcipuè cùm Sanctiffimus Apoftolicus Papa Romanus concordaverit. & in ea inventus fit per Apocrifiarios fuos*

in medium ſacri Codicis Patrúmque ſententiæ, quibus hæreſis Iconoclaſtarum perimebatur; dum definitio fidei dictata eſt, cui primò Legati Apoſtolici, deinde Taraſius, Legati aliorum Patriarcharum, cæteríque Epiſcopi ſubſcripsêre (u). In *quinta Actione* & *ſexta* commonſtrabatur, Iconoclaſtas errorem ſuum à Gentilibus, Judæis ac Saracenis hauſiſſe, poſtea rejectâ Conſtantinopolitanâ Pſeudoſynodo declaratum eſt, nullum Præſulum cœtum inter Oecumenicorum numerum venire poſſe, niſi cognitum ſit, eidem Romanum Pontificem ſuam operam commodâſſe. Præterea confutabatur illud, quod Iconomachi in Pſeudoſynodo Euchariſtiam vocaſſent imaginem (*4). In *Actione ſeptima* ſex Concilia Univerſalia firmata ſunt, decretúmque ſanctis imaginibus honorariam adorationem, non autem veram latriam exhiberi oportere (*5). Præter hæc dogmatica capita diſciplina quoque viginti duobus Canonibus ſtabiliebatur (x). Quibus omnibus peractis geſta Synodi Irenæ & Conſtantini nominibus ſignata ſunt.

(u) Ibidem pag. 266. *Canones Concilii.*

6. Eodem tempore, quo in Oriente hæreſis Iconomachorum Synodicâ definitione profligabatur, Carolus Rex Francorum Romam profectus (y), Capuam aliáſque civitates Sedi Apoſtolicæ tradidit (z). Deinde Taſſilone Bajoariæ Duce in fidem obſequiúmque revocato (a), ad publicas ſcholas, quæ bellorum tumultibus per Franciam interruptæ fuerant, reparandas curam adjecit: atque ut Religioni propagandæ in Saxonia prodeſſet, Willebaldum Bremenſibus, & Paderbornenſibus Vibonem primos Antiſtites præfici curavit (*6). His Caroli ſubſidiis etſi fidei

(x) Vide Lupum in Scholiis ad Synod. VII. Natal. Alexand. Sæc. VIII.

(y) Annal. Loiſel. Eginhard. in Annal. Regino ad an. 787.

(z) Ep. 81. 86. Cod. Car.

(a) Monach. Engoliſm. in V. Car. M.

(*4) NATALIS ALEXANDER in Hiſt. Eccl. Sæc. VIII. probat, quòd, etſi Iconomachi in ſua pſeudoſynodo Euchariſtiam vocârint imaginem, veritatem tamen corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento non abnegent: & *Scriptura* docet, panem & vinum poſt conſecrationem eſſe verè & propriè carnem & ſanguinem Chriſti, licèt nonnulli ex PP. eadem ſubinde *typos* ac *ſymbola* appellent, ad occultandum iis, qui Chriſtiani non erant, Myſterium.

(*5) Quæ poſt VII. Actionem Synodi referuntur, interdum *Actionis octavæ* nomine veniunt, ſed cùm Græci & Latini *ſeptem Actiones* tantùm nominent, impropriè à quibusdam hæc Actio Synodalis appellatur.

(*6) COINTIUS ad an. 780. n. 10. nullum in Saxonia Epiſcopatum ante Witechindi Baptiſmum fuiſſe erectum probat ex Gobelino, tum ex monumentis Paderborne-

fidei curſus lætiùs proveheretur, eundem tamen quædam molimina, neſcio quâ manu profecta interruperunt: prodibant nimirum ſub idem tempus libri, qui vulgato nomine Carolini inſcripti, Nicænam & Oecumenicam ſeptimam Synodum ex eo capite impugnabant, quòd falsò eorum Author íſque incertus (†) perſuadere conaretur, Nicænos Patres definiiſſe, SS. imagines cultu latriæ, qui ſoli Deo debetur, adorandas eſſe. Hadrianus Papa utprimùm de paradoxo partu cognovit; Carolo Regi reverenter perſcribens, hæc ipſa volumina confutanda ſumpſit (b). Majorem ſubinde laborem idem Pontifex in alia & apud Hiſpanos anno DCCLXXXIII. nata hæreſi comprimenda collocare debuit, quæ Neſtorii placita Concilii pridem Epheſini diligentiâ ſopita, quaſi veteris incendii ſcintillas reſuſcitavit. Elipandus nimirum Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Felicem, Urgelitanæ Sedis Epiſcopum, Præceptorem quondam ſuum conſulebat, quo pacto Chriſtum Dei Filium cognoſceret, naturalem, an adoptivum (c)? Felix ad hæc profeſſus, Chriſtum ſecundùm naturam aſſumptam non naturalem, ſed adoptivum eſſe filium, Elipando author erat, ut datis ad Aſturum, Calæcorúmque Epiſcopos literis, eos in errorem impelleret. Felix eodem ac ardenti ingenio poſtquam Vaccæos in Hiſpania, & Septimaniam in Galliæ aditu blaſphemiâ imbuerat; in Galliam etiam ac Germaniam nullo operæ pretio hæreſin diffudit. Hæc ubi Hadriano Papæ nunciabantur, per epiſtolam (d) univerſos Hiſpaniarum Præſules cohortabatur, ut ſe à cæteris, tum præcipuè ab hoc errore longiſſimè ſejunctos vellent. Nec in Germania arma deerant, quibus infelix Felicis conatus reprimeretur, anno enim DCCXCII. apud Reginum Bajoariæ civitatem Epiſcopi congregati præſente Carolo Francorum Rege Felicem damnaverunt, miſsúmque Romam rationes doctrinæ Pontifici reddere coëgêre (e). Veterator ubi ſe undique oculis judiciíſque Orthodoxorum notari vidit; res ſuas tempori accommodans, coram Pontifice hæreſin ſimulato animo

An. 789. *Libri Carolini.*

(†) REFLEXIO III.

Eos confutat Hadrianus P.

(b) Acta CC. apud Harduin. T. IV.

Elipandi & Felicis hæreſis.

(c) Mariana rer. Hiſp l. 7. c. 8.

Ejus propagatio.

(d) Ep. 97. Cod. Carol.

An. 792. *Ratisbonenſis Synodus.*

(e) Eginh. in Annal.

An. 793. *Synodus Francofordienſis.*

bornenſibus; nam Ferdinandus Furſtenbergius Ep. Paderborn. ait, *uſque ad Carolum Magnum nullæ per ſaxoniam civitates, in quibus ex Canonum ſacrorum præſcripto Epiſcoporum ſedes collocaret, uti ipſe querebatur Carolus. Hinc illos in frequentioribus vicis & caſtellis poſuit.* Poſtea tamen Brema, Oſnabrugum, Minda, Verda, Monaſterium, Paderborna, Halberſtadium, Hildeſium, Hamburgum exereverunt.

animo abdicabat. De qua fraude postquam vulgatum est, ad radices etiam loliorum evellendas altera Synodus Francofurti ad Mœnum convenit (f). Legati Apostolici Theophylactus & Stephanus, aliíque Hispaniæ tum Germaniæ Antistites eò tunc incumbebant, ut pravam opinionem ritè discussam unà cum Authoribus reprobarent; quare omnibus perpensis Canonis loco id posuère: *De impia & nefanda hæresi Elipandi Toletanæ Sedis Episcopi & Felicis Orgellitanæ, qui malè sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes Ss. Patres respuentes unà voce contradixerunt; atque hanc hæresin funditus à S. Ecclesia eradicandam statuerunt.* Altero loco *in medium quæstio* ab iisdem Patribus *allata est de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerant, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Hujus secundi Canonis doctrina etsi orthodoxa omnino debeat censeri, in eo tamen aberrat, quòd per ignorantiam utique definitionis factæ, septimæ Synodo id tribuat, quod in ejus Actis Synodicis nullatenus reperitur, nempe Patres Nicæni II. Concilii sacris imaginibus, quemadmodum Increatæ Triadi, adorationem & servitium impendendum (g).

(f) Acta CC. apud Harduin. T.IV. p. 904.

An. 794. *Elipandum & Felicem dam[illegible].*

Ejus Decretum de cultu imaginum.

(g) Vide infrà reflex. III.

7. Anno DCCXCV. Hadrianus optimè de Ecclesia meritus ad Deum migravit, cùm sedisset annos viginti tres, menses decem, & dies septendecim (h). Carolus Rex tanto Pontifici lacrymis orationibúsque parentavit, simúlque aureis literis elogium marmori incisum, ejúsque tumulo apponendum Romam misit (i). In Hadriani locum surrogatus & omnium votis expetitus est LEO III. natione Romanus, qui Pontificatûs fastigio potitus, Caroli fœdus ac protectionem misso Urbis Vexillo petiit (k). Rex Francorum grato animo accepit Legationis obsequium, atque ut amicitiam suam testaretur, magnam thesauri eodem tempore Hunnis erepti partem Pontifici per Angilbertum Abbatem transmisit (*7) Hunni

Obitus Hadriani P.

(h) Anastas.

(i) Lambecian. Annal.

Leo III. Pontifex.

(k) Eginh. Annal.

Munera Caroli ad Leonem Papam.

(*7) Leo Pontifex, *teste Anastasio*, Caroli muneribus multas Ecclesias decoravit, & fecit in Patriarchio Lateranensi triclinium majus, nominis sui magnitudine decoratum, totúmque in circuitu laminis marmoreis ornavit, geminæ in eo erant tabulæ insigniores; in prima Christus in throno sedens (ùt refert Alemannus c. 9.) ex utraque

Hunni seu Avares jam ferè ab annis trecentis cum Romanis bellum gesserant: nunc verò cùm non uni, ùt olim, sed pluribus Regulis subditi, atque ita distracti se ipsos alternis cladibus conficerent; Carolo haud difficile fuit, Hunnorum regnum, sive totum illum tractum, qui Dravum, Danubium & Arabonem fluvios interjacet, subjugare. Victor ut Gentem barbaram non minùs Christo quàm Francorum potestati addiceret, Arnoni Salisburgensi Episcopo (l) Religionis per illam Provinciam propagandæ curam detulit, Leone Papâ Regis consilium omnino comprobante, qui Arnonem paulò pòst primum ejusdem Sedis Archiepiscopum renunciavit (*8).

Arno Salisburgensis creatur primus Archi-Episcopus.

(l) Author Anonym. in V. S. Virgilii apud Canisium T. VI. Antiq. Lect.

An. 799.

Atrox facinus Romanorum adversus Leonem Papam.

Ad annum DCCXCIX. navis Ecclesiæ secundo cursu ferebatur; tum repentinus turbo adversus eum, qui ad clavum sedebat, Pontificem concitatus est: is enim dum more solito Romæ Litanias Majores VII. Kalendas Maji cum universo Clero & populo obibat; Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius Romanæ Ecclesiæ Leonem invadunt, atque effossis oculis, abscissâ linguâ & multis plagis saucium tetro carceri includunt (m). Nec Christus suo Vicario, nec Apostoli suo Successori defuêre; nam nocte sequente non tantùm ingenti miraculo (*9) Pontifex oculorum & linguæ usum recepit: sed & ope Winigisi Spoletani Ducis carcere liberatus est, ac inde in Saxoniam digressus Papa à Rege

(m) Anastas. in V. Leonis. Annalista Lambec. ad an. 799.

Leoni visus & loquela miraculosè redduntur.

parte genua sibi submittentibus S. Petro claves, Constantino vexillum donat. In altera S. Petrus pro tribunali sedens, Leoni Papæ Pallium, Carolo Regi vexillum sex rosis ornatum porrigit, infrà legitur hæc inscriptio: B. Petre dona vitam Leoni Papæ; & vitam Carolo Regi dona. Vide Eckhartum l. 23. rer. Franc. ubi iconismus extat.

(*8) ANNALES RATISBON. apud Mabillonium T. IV. Analect. ad an. 798. *Arn sive Arno Archiepiscopus factus est.* AVENTINUS l. 4. Annal & plures alii scribunt, Sedem Archiepisc. Laureaco Saltzburgum translatam fuisse, quod falsum est; nam PAGIUS ad an. 660. ait: nullus in Francia Orientali Archiepiscopus fuerat; Laureacum verò hoc tempore excisum erat, & Episcopatus Laureacensis jam ab anno 739. Pataviensi fuerat unitus, sed sine titulo Metropolitano, quo ante Arnonem nemo in Bavaria fuit hâc dignitate exornatus.

(*9) De hoc miraculo testantur ANASTASIUS, FRODOARDUS in fragmentis de Pontif Rom, SIGEBERTUS GEMBLAC, LAMBERTUS SCHAFFNABURG, ALCUINUS in Carmine de Leonis profectione ad Carol.; & quamvis aliqui Scriptores dubitent, an Leo III. oculis & linguâ penitus orbatus fuerit; quòd tamen horum usum cum prospera valetudine tam subitò receperit, à miraculo non abfuit, ùt præter Authores citatos afferunt POETA SAXO. THEODULPHUS AURELIUS, PAULUS AQUILEJENSIS. Vide etiam Cointium ad an. 799.

ge Francorum Carolo summo cum honore Paderbornæ excipitur(*10). Tum post aliquot mensium intervallum Romam reductus, in Sedem quoque Apostolicam reversus est (n). Neminem interea injuria Pontifici facta magìs afflixit, quàm Carolum, qui ut dignas tanto facinore pœnas dictaret, Romam profectus, causam Pontificis in Synodo judicari jussit. Verùm omnibus negantibus sibi fas esse, Sedem Apostolicam judicare (o), Leo sacra Evangelia amplexus; umbone conscenso, coram omnibus Ordinibus se purgavit(*11). Inde urbs Romana laudibus innocentis Pontificis personuit; at hic præconia in Carolum sui Vindicem vertens, præstolabatur tempus, quo tanta in Ecclesiam & Christi Vicarios merita coronaret (o). Nec dies opportuna diu absuit; nam imminente Christi Nati festivâ memoriâ, ubi Rex Francorum Ecclesiam subiret, Carolum Imperatorem & Augustum repentè pronunciat, tum inter Cleri populique applausus unctione sacrâ consecrato, coronam imponit.

(n) Eginh. in Annal. ad an. 799. Annal. Lambec.

An. 800.

Leo se de criminibus objectis purgat.

(o) Anastas. in V. Leon. Adamarus in V. Car. M. Conferatur Eginhardus.

Carolum Imperatorem coronat.

(*10) IDO Presbyter Paderborn. apud Surium die 23. Julii perhibet, quòd Leo Papa Paderbornæ existens Ecclesiam Episcopalem à Carolo constructam consecraverit. *Hæc*, inquit, *Ecclesia postea commendata fuit aliquamdiu tuitioni Præsulum Capellæ Orientalis Franciæ, quod sermone barbaro Wirziburg appellatur.* OLDOINUS in Notis ad Ciaconium scribit, Leonem dedicâsse quoque *Capellam in monte Eresburg*, & huic loco *insigne* concessisse *Privilegium.* Sed à PAGIO suppostitium esse monstratur, quia Carolus in illo nominatur *Imperator* & *Magnus*, qualis dictus non est ante annum 800.; neque, quoad vixit, *Magni* nomen habuit. 2. Quia Leo III. nunquam Pontificatûs sui annum literis suis adscripsit. 3. In his legitur Leo nomen Caroli nomini suo postposuisse; cùm tamen in omnibus aliis epistolis semper nomen suum postposuerit. Ubi adverte, non eandem fuisse olim quoad hoc omnium Pontificum consuetudinem: alii enim nomina sua modò primo, modò ultimo loco ponebant, ùt observat CANTELIUS in Hist. Metrop. P. II. Dissert. I., additque Nicolaum I. cœpisse constanter nomen suum, Episcoporum, imò & Regum nominibus præponere; quæ consuetudo nostrâ adhuc ætate usurpatur.

(*11) ANASTASIUS in V. Leonis III. MONACHUS SAN-GALLENSIS l. 1. c. 18.: *Assumens Evangelium posuit super caput suum, & in conspectu Caroli ejusque militum, assistentibus etiam persecutoribus in hæc verba juravit:* Sic in die Magni Judicii sim particeps Evangelii, sicut immunis sum criminis falsò mihi ab istis objecti.

REFLEXIONES HISTORICO - ECCLESIASTICÆ AD CAPUT II. LIBRI VIII.

REFLEXIO I. ad §. I. Num. 8. pag. 1084.

De tribus Episcopatibus *Wirceburgensi*, *Buraburgensi*, & *Erphesfordiensi* à S. Bonifacio institutis.

(a) Cointius in annal. Eccles. ad an. 742. n. 5.

1. INter Germanicas Francicæ ditionis Provincias (a), quas Bonifacius erudivit, tres potissimum commemorantur, Thuringia, Francia & Hassia, de quibus in ejus vita sic Willibaldus refert: *In THURINGIAM juxta mandatum Apostolicæ Sedis progressus est* &c. FRANCIAM dein, id est, Franciam Orientalem seu Franconiam, ùt postea vocârunt, *Fratribus secum commeantibus ingressus est* &c. *Ad obsessas antea HESSORUM metas cum consensu Caroli Ducis rediit.* Hæ Provinciæ, quia carebant Episcopis, & ab uno Bonifacio Præside regionario gubernabantur, à Willibaldo & Othlono ejusdem Bonifacii *Diœcesis*, modò *propriæ Ecclesiæ* nuncupantur. Crescente verò in illis Ecclesiis numero fidelium Bonifacius Archiepiscopus circa annum DCCXLI. tres Episcopatus erexit, singulos in singulis Provinciis, unum in Francia apud *Wirtzburg*, alterum in Hassia apud *Buraburg*, tertium in Thuringia apud *Erphesfurt*; de quibus Episcopatibus nunc paulò latiùs disseremus.

S. Bonifacius Fundator trium per Franciam, Hassiam & Thuringiam Episcopatuum.

2. *Wirceburgum*, quod alio postea nomine *Herbipolis* dictum est, Castellum erat (b), vel Francicæ Austrasiæ nobile oppidum (c), cujus cives aut coloni à Ducibus aut Judicibus regebantur. Ante S. Kiliani adventum gens misera Dianæ idolo serviebat, & hujus Apostoli prædicatione ad veri Numinis cultum erudita Christo nomen dedit. post obitum tamen ejusdem S. Martyris Ecclesia illa rursus collapsa jacuit; dum S. Bonifacius Francorum fidem suis laboribus excitaret: quæ ut deinceps stabilis persisteret, Wirceburgi Sedem Episcopalem fixit, eique S. Burchardum primum Antistitem præesse jussit. Hæc etsi omnium Historicorum monumentis comprobentur; lis tamen de anno, quo Episcopatus ille erectus sit, non parva inter Scriptores oritur. *Lambertus Schaffnaburgensis*, *Hermannus Contractus* & *Sigebertus* initia Wirceburgensis Episcopatûs designant ad annum DCCXLVI. Quatuor annis seriùs sive ad annum DCCL. Primordia *Marianus Scotus* protrahit. Demum *Egi-*

(b) Notkerus in Martyrolog.

Episcopatus Wirceburg.

(c) Egilwardus. Eckartus l. 16. rer. Franc. n. 12. Serarius in notis ad S. Kilianum.

Egilwardus planè annum DCCLI. cœpti Episcopatûs primum fuisse docet (d). Primum enim lucubrationis suæ librum sic absolvit: *Acta est hæc nova institutio novi Pontificatûs apud urbem Wirceburg anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo primo, anno verò sexagesimo secundo post passionem Ss. Martyrum Kiliani ac Sociorum ejus, quæ incidit in annum Incarnat. Dom. DCLXXXIX. ad incrementum Ecclesiarum Germaniæ, maximè ad salutem totius Orientalis Franciæ, authoritate nimirum Zachariæ Papæ, consensu quoque Pipini Junioris Principis Francorum, mediante Bonifacio Præsule Moguntino, Beato verò Burchardo Primo Pontifice ad eandem Cathedram consecrato* &c. Sententiis ejusmodi planè à sana crisi alienis meritò se opposuerunt Pagius (e), Cointius (f), & Mabillonius (g), qui omnes in eo conveniunt, Annum primum Episcopatûs Wirceburgensis ab annis MDCCXLI. & DCCXLII. removeri non posse. Nam cùm S. Burchardus cum cæteris Episcopis jam interfuerit Synodo Germaniæ anno DCCXLII. Kal. Maji: & primus Actis subscripserit, necesse est, eum jam tum Episcopali charactere insignitum fuisse. Præterea Zacharias Papa anno DCCXLIII. Indictione XI. Kalendis Aprilis jam literis ad Bonifacium datis significabat, se Burchardum in Episcopatu confirmâsse. Quid ergo ad seriora tempora Episcopatûs initia differuntur? Cæterùm Egilwardo Monacho Cœnobii S. Burchardi propè Herbipolim Cointius (h) nihil admodum tribuendum censet, præterquam enim quòd opus suum multis fabulis & anachronismis asperserit; tum adversus ejus asserta ipsa Zachariæ epistola XI. Indictione data evincit, Burchardum Sedis fecisse initium, quando nec Archiepiscopatu Moguntiacensi, nec Childericus regio titulo potiebatur. Hàc controversiâ diremptâ, altera restat: utrùm anno DCCXLI. aut DCCXLII. Wirceburgi primum Episcopatum capessiverit? Pagius & nonnullli alii, tanquam decernere rem non auderent, ita ancipites loquuntur, ut S. Burchardi vel ab anno DCCXLI. aut sequenti ineunte repetendam putent; nos verò cum Mabillonio non ad alium annum, quàm ad annum DCCXLI. exordia dicta referimus. Id verò ut conficiamus, ex ea ratione Adversariis obsistimus: quòd Willibaldus jam ante annum DCCXLII., in quo Synodo Germanicæ interfuit, consecratus fuerit Episcopus Eystettensis *autumnali tempore, tribus hebdomadis ante natalem S. Martini* (i), assistentibus *S. Burchardo* Herbipolensi & *Wizone* Buriburgensi. Itaque si S. Willibaldus autumnali tempore anni DCCXLI. consecratus fuit: si huic consecrationi S. Burchardus Episcopus adstitit; jam istum non exeunte anno DCCXLI., multò minùs anno DCCXLII. ineunte, sed ut minimùm sub exordium anni DCCXLI., aut non multò post ordinatum fuisse Episcopum necesse est. Stabilito jam Episcopatûs Wirceburgensis exordio quæstio adhucdum ambigua suboritur, *quot annis hanc Sedem Burchar-*

(d) Egilwardus in V. S. Bonif. l. 1. sub finem.

Variæ sententiæ de Anno primo fundati Episcopatûs Wirceburg.

(e) Pagius ad an. 748. n. 4.

(f) Coint. ad an. 742.

(g) Mabillon. Sæc. III. Benedict. p. 699.

Annus verus fundati Episcopatûs Wirceburg. fuit DCCLI.

(h) Coint. ad an. 742.

(i) Hodœpoicon sive vita S. Burchardi à Sanctimon. conscript.

Quot annis S. Burchardus Sedem Episcopalem tenuerit?

(k) Baron. ad an. 791. n 9. 10.

(l) Marian. Scotus in Chronic..

(m(Trithemius de Viris Illustr. Ord S.Benedicti.

(n) Pagi. ad a. 754. n. 21.

(o) S. Ludgerus in V. S. Gregorii Abb. & Rat. Ultrajectens. Ecclesi.

(p) Scriptor Vitæ secundæ S. Burchardi.

Burchardus tenuerit? *Baronius cum interpolatore vitæ S. Burchardi annis XI. Episcopatum* ejus circumscribit (k). *Marianus* Scotus (l) & *Trithemius* (m) ad annos novem gestum à Præsule munus contrahunt, quibus Cointius & Mabillonius ita subscribunt, ut tamen inter se dissentire videantur. Nam *Mabillonius* asserit Burchardum anno DCCLI. vitâ functum esse: *Cointius* è diverso affirmat, eo anno à Burchardo Episcopatum duntaxat dimissum fuisse. Tertiam *Pagius* sibi seligit sententiam, quâ opinatur, Burchardum anno DCCLIV. abdicâsse Episcopi officium (n), & subinde eodem anno è vivis decessisse; cùm enim S. Burchardus *unus sit ex illis electis Dei, qui ante Magistrum* (S. Bonifacium) *migrarunt à sæculo* (o), certè ante annum DCCLV., quo Bonifacius Martyrium subiit, obitus & abdicatio ante illud tempus evenêre. Præterea abdicatio Episcopatûs facta fuit cum consensu & approbatione Moguntini Metropolitani Lulli, ad quem priùs *aliquos de Clero suo* S. Burchardus miserat, *tam verbis, quàm literis id agentes, quod Megingaudus per omnia vir laudabilis ægrotanti & jam deficienti Præsuli Burchardo in Cathedra Wirceburgensi subrogaretur* (p). Cùm igitur S. Lullus superiore primùm anno DCCLIII. post XII. diem mensis Martii S. Bonifacio in Archiepiscopatu successerit; neque abdicatio, neque mors S. Burchardi ante modò dictum Christi annum contingere potuit. Sed neque statim à Consecratione S. Lulli abdicatum à S. Burchardo Episcopatum fuisse, magnitudo negotii ostendit; etenim ad illud conficiendum variæ legationes ad Regem & Archiepiscopum obitæ priùs fuerunt: ad alios etiam Episcopos consilii petendi gratiâ ultrò citróque missæ literæ: útque intervenire aliqui eorum ordinationi novi Episcopi possent, exspectandum erat, quemadmodum ex eadem vita S. Burchardi discicimus. Restat proinde, ut concludamus, S. Burchardum nonnisi sub finem anni DCCLIII. vel sequentis initio Episcopali Sede cessisse, & non *multò pòst* anno DCCLIV. in Domino obdormivisse. Plura adhuc hìc disquirenda forent de *Ducatu*, quem *Pipinus* dicitur *S. Burchardo* donâsse; sed cùm ista materia longiorem sermonem requirat, illam ad alia tempora reservamus.

Episcopatus Buraburgensis.

(q) Coint. ad an. 742.

(r) Epist. Gregorii III. inter Bonifacian. 128.

(s) Serarius not. 29. ad V. S. Bonifacii.

3. Alter Episcopatus, quem S. Bonifacius instituit, erat Buraburgensis à loco *Buriburg* ita dictus, quem & *Buriaberg* vel *Boraburg* Historici nominant. A Cointio vocatur præcipuum oppidum (q) *Bortharorum*, de quibus Gregorius in sua ad Optimates Germaniæ epistola mentionem facit: *Gregorius Papa universis Optimatibus & populo provinciarum Germaniæ, Thuringis & Hassis, Borthāris* &c. (r). Hos Bortharos una cum sua Sede Buraburgo Serarius collocavit Friteslariam inter & Paderbornam (s); & Buraburgum proinde confundit cum Warburgo oppido ad Dimolam amnem posito. Verùm multò veriùs Bro-

Browerus de re hac disserit, *apud Ederam Fritislaria civitas, solo fructifero, planoque conspicitur. Hic Bonifacii studio, ductúque S. Wigbertus, Albuinus seu Vitta, Megingozus aliique Apostolici viri & Præsules egregii complures adolevêre. Juxta in excelso monte Buriburgum, vetus Episcopi sedes stabat, cujus hodiéque ruinas illic monstrant. Observo posteriore item ætate Buriburgi castellum, cum stirpe, quæ insedit, illamet regione, apud Fridislariam reponi.* Ipsemet etiam Serarius ex manuscripto codice (t) oppidum *Buriburg juxta Frislar* positum fuisse non dissimulat, & inter varia nomina, quæ tribuuntur illi loco, *Buriaberg* ob terminationem in *berg*, quæ montem significat, oppidum in monte situm ostendit. Et profectò hodiedum adhuc mons ille hoc nomine Birberg appellatur, & in fastigio montis sacellum S. Bonifacii superest, ad quod sæpius per annum supplicationes sacras Frideslarienses instituunt: visuntur præterea ibidem rudera, ex quibus de oppido ibi olim posito conjicias. Accèdit popularis traditio, quæ refert, in eo loco antiquis temporibus oppidum stetisse, sed eo aliquoties ignibus vastato, incolas monitos cælitus fuisse, ut trans Ederam prope Ecclesiam à S. Bonifacio ibidem ædificatam habitationem suam transferant. Cæterùm primus Episcopus Buriburgo præpositus est *Witta*, seu *Witanus*, quem & Servatus Lupus *Albuinum* vocat & *Præsulem Fritislariensis oppidi*, nec non Lulli Moguntiacensis *suffraganeum* (u), & MS. codex apud Serarium ita habet: *In oppido Buraburg juxta Frislar Sedi Episcopali post suum recessum ordinat Episcopum* Albuinum. Ob viciniam locorum contigit, ut Witta tum Birburgensis (x), tum etiam quandoque Friteslariensis Episcopus promiscuè nuncupetur (y). Causas autem, cur Bonifacius in hac Hassiæ parte potiùs, quàm in alia, Episcopatum excitaverit; ex *Schminkio* Marburgensi Professore Historiarum sequentes accepimus (z). Prima est loci amœnitas; "hæc quippe vicinia insigni suâ planitie, quæ interdum in modicos assurgit colles, sylvísque variatur opacis, & mirâ agrorum fertilitate, dein aurifer fluvius est Adrana, qui sapidissimos profert pisces. Has verò naturæ dotes longè superat loci opportunitas ad opus illud peragendum, quod S. Bonifacius moliebatur; castrum enim *Buriaburgum*, fortè Francorum militibus præsidiariis erat munitum, in quod Hassis ob mutationem avitæ religionis tumultuantibus se recipere poterat. Præterea in hac vicinia ad *Geismariam* solemnis fuerat Hassorum (a) ad *Arborem Jovis* conventus, quâ occasione commodè admodum fidei Christianæ mysteria majoribus nostris poterant explicari." Ex qua causâ porrò id egisse Bonifacium credibile est, ut Ecclesiam Frideslariæ collocaret. Ecclesiæ hujus initia Alii revocant ad a. DCCXXII. Alii ad a. DCCXXV. Alii demum ad a. DCCXL. ejus originem designant, quod & inscriptio in Frideslariensi Basilica posita indicat: *S. Bonifacius Archiepis-*

Buraburgum quo in loco aut regione positum fuerit?

Buraburgum verosimilius propè Frideslariam fuit.

Causæ cur in hoc loco Episcopatum fundarit S. Bonifacius.

(t) Vide Serarium l. c.

(u) Lupus Servatus in V. S. Wigberchti c. 24.

(x) Epist. Zachariæ Papæ ad VItam.

(y) Servatus Lupus l. c.

(z) Schminckius in Dissert. Historica de Antiquitatibus Frideslariensibus edita Marburgi 1715.

(a) Vide Eckartum Fr. lib. 21. n. 16. d. 344.

Ecclesiæ Frideslariensis à S. Bonifacio fundatæ initia.

chiepiscopus Moguntinus anno Domini DCCXL. hanc Basilicam exstruxit, Gentem Cattorum ad Christianam fidem convertit. Sed inscriptio hæc à recentiore videtur supposita, eoquod anno DCCXL. S. Bonifacius necdum fuerat Archiepiscopus Moguntinus, sed nulli adhucdum sedi affixus, Archiepiscopi munere utebatur; postquam anno DCCXXXII. Archiepiscopale pallium acceperat. Unde nobis Othloni sententia præplacet, qui postquam retulisset, Gregorium III. pallium Bonifacio misisse, subjungit, post legatorum, quos Romam Apostolus destinârat, reditum, (b) *duas mox Ecclesias Domino construxit, unam quidem in Frideslar, alteram verò in Hamanaburg.* Ecclesiæ etiam eodem tempore adjunctum est Monasterium, cui Wigbertum primum Abbatem S. Bonifacius præposuit (c), sub cujus disciplina S. Sturmius postea primus Abbas Fuldensis nutritus est (d). Episcopo Buriburgensi ad labores Apostolicos hoc monasterium semper doctos & sanctos operarios suppeditavit; Cœnobitæ enim æquè doctrinâ atque rigidâ vivendi ratione insignes erant, cujus vestigia deprehendimus in angustiis cellis eorum, tum in scholis adjunctis, quæ à prima ætate servatæ adhuc hodie visuntur. Non minùs antiquitatem nobis suam exhibet hoc tempore ipsa Ecclesia Bonifaciana, de qua vir Sanctus Episcopus id vaticinatus fuisse fertur: *Hæc tua Basilica semper manebit inusta* (d); vicissitudinem tamen aliquam monasterium sequentibus sæculis accepit; dum sepositâ S. Benedicti regulâ, quæ ibi alias vigebat, in Ecclesiam Collegiatam mutatum fuit. Bibliothecarius ejusdem Ecclesiæ ac Canonicus Pl. R. & perillustris D. de Speckmann anno MDCCLIII. typo vulgavit seriem Dominorum Præpositorum, Decanorum, Scholasticorum, Cantorum cæterorúmque Capitularium Canonicorum; in qua ad sæculum undecimum jam signavit D. Adalberonem Ecclesiæ Frideslariensis Præpositum; atque inde ordine temporum servato, cæterorum Canonicorum exhibet nomina, investituras & obitus usque ad annum MDCCLIII.

Monasterium adjunctum Frideslariensi Ecclesiæ.

Monasterii ejusdem mutatio in Ecclesiam Collegiatam Canonicorum.

Tertius Episcopatus Erphesphordiensis.

4. Tertius Episcopatus his accessit, eodem tempore fundatus in Thuringia *Erphesfordiæ*, sive Erfurti, uti hodie usus nominis tenet: Huic *Adelberum* sive *Adlarum* S. Bonifacius præposuit, qui monachus olim in Northumbriæ regno posteà Bonifacii socius in Germanorum conversione & in corona Martyrii (e). De eo mortuo & Erphordiam translato sic legitur in supplemento Gallicani martyrologii (f). *In Frisia translatio S. Adelharii Episcopi Erphordiensis à S. Bonifacio ordinati; quocum coronatus fuit illustri Martyrio.* Diu mansit Adelheri corpus incorruptum teste Auberto Miræo (g): *Adelherii corpus (& quidem velut integrum) Erdfordiæ hodièque asservatur, in Collegiata Canonicorum B. Mariæ Ecclesia, & anniversariam ejus memoriam celebrant duodecimo Kal. Maji.* Præterea idem Author Adelharium vocat primum & ultimum

Erfor-

(b) Othlonus in Vita S. Bonifacii Wilibaldus c. 25. Lupus in V. Wigberti c. 13. 14. 15.

(c) Lupus l. c.

(d) Eigilius de S. Sturmio.

(d) Vide dicta supra pag. 130. not. 18.

(e) Alfordi in syllabo virorum Apost. Britanniæ in T. III. Annal. sub finem.

(f) Martyrol. Gall. in supplem. ad 20. April.

(g) Aubertus Miræus in fastis Belgicis 5. Junii.

Erfordiensem Episcopum. Sed Eckartus l. 23. Rer. Francic. tertium Episcopatum non *Erphesfordiæ*, sed *Aichstadii* institutum opinatur; quod inde confirmare conatur, quòd *Willibaldus* sub idem tempus à S. Bonifacio Erfurtum vocatus, ordinationem acceperit: & quia de ordinatione Erfurtensis Episcopi ubique silentium, inde suspicatur Erfurtum Aichstadii loco epistolis Bonifacii & Zachariæ à vetere librario infartum esse. Verùm si ex conjecturis definire res Historicas liceret, quanta monumentorum & traditionum strages foret. Quæ Bonifacius ad Zachariam scripserit, ex ejus epistola (h) perdiscimus his verbis concepta: *Unam esse sedem Episcopatûs decernimus in Castello, quod dicitur Wirceburg, & alteram in oppido, quod nominatur Buraburg; tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt;* ultimas verò voces perperam in aliena vocabula transiisse Eckarto probandum relinquimus. Quæ enim inter Erphesfordiam & Aichstadium vocum vel sitûs consensio, ut mutationi locus sit? Accedit, quod ordinatio Willibaldi Erphesfordiæ à S. Bonifacio facta sit præsentibus Episcopis Burchardo & Wizone: itaque uti duo illi Episcopi Wirceburgensis & Buraburgensis jam ante Episcopatum Willebaldi ordinati fuerant; ita quoque Erphesfordiensis Adelharus characterem Episcopalem acceperat, nam de tribus eodem tempore constitutis Bonifacius ad Zachariam refert. Ex Hodœporico (i) apud Gretserum porrò colligitur, S. Willibaldum anno DCCXL. sacerdotio initiatum *Ecclesiæ fundamenta cœpisse ponere, claustrum & officinas Cleri signare . . . revoluto autem ab hinc anno Archiepiscopum in Thuringia modò adiisse*, ut consecraretur, adeoque anno DCCXLII. postea ordinatus est Episcopus (k), quando jam tres alii Episcopi supradicti ordinationem suam multò ante acceperant. Tandem Gretserus ad alios Authores provocat, qui Willibaldi ordinationem anno DCCXLV. affigunt (l).

Eckartus Erphesfordiensem Episcopatum cum Aichstadiensi confundit.

(h) Epistola Bonifacii ad Zachar. inter Bonifacianas 132.

(i) Gretserus Tom. X. recent edit. lib. 1. observat. pag. 772.

(k) Cointius ad a. 742.

(l) Gretserus l. c. p. 773.

5. Et quamvis ex Concilii Germanici, cui interfuit Willibaldus, epocha, annum ordinationis ad a. DCCXLI. retrahant (m); alia tamen monumenta non desunt, ex quibus Eckarti sententia evertatur. Nam MS. apud Serarium de Buriburgensi & Erphesfordiensi ita tradit: *Hi episcopatus à D. Bonifacio ob literarum Papalium suasionem qualemcunque, retractando fuerunt postmodum, ut nunc constat, revocati & dispositi.* (n) Nil simile legitur de Aichstadiensi Episcopatu, qui adeo destructus non est, ut Philippus referat; (o) *concessum esse* (Willibaldo) *ut cum privilegii attestatione, & in his & in aliis Deo digna gerendis, ipse omnesque successores ejus, Eystettensis Ecclesiæ Pontifices, cùm necessitas, aut tempus exigeret, specialiter præ aliis sanctæ Moguntinæ sedis suffraganeis, vicem Archiepiscopi gereret, & tanquam præfatæ Sedis Cancellarius & prælocutor Concilii à dextris Metropolitano proximus assideret; in cujus dignitatis evidentiam vestitura magni & mystici ornatus ei concessa est, nec non omnibus rite succedentibus*

(m) Falkenstein de Antiq. Nortgav. p 1. c. 1. § II.

(n) MS apud Serarium Moguntic. Rer. l. 3. not. 29.

(o) Vide & Philippum in Vita Walburgis c. 23.

dentibus præ cunctis Episcopis, qui de linea Moguntinæ derivationis computantur. Est autem vestis illa Rationale, quo & summus Pontifex accedens ad Sancta Sanctorum olim supervestiebatur. Habebat autem summus Pontifex in lege veteri in præfigurationem multæ perfectionis. Pontificibus verò novi Testamenti quibusdam conceditur, in exhibitionem consummatæ virtutis, quæ gratiâ & ratione perficitur, unde & Rationale nuncupatum est. Atque ut de pristinis privilegiis ac flore Episcopatûs Aichstettensis sileamus, viget etiamnum hodie Episcopalis illa sedes, postquam jam ultra decem sæcula Erphesphordiensis Episcopatus exoleverat.

Episcopatus Buraburgensis & Erphesford. non diu durârunt.

(p) Epistola Zachariæ inter Bonifacianas 142.

6. Si verò sciscitaris, cur duo Episcopatus Buriburgensis & Erphesphordiensis tam citò defecerint, causam reperire licet in epistolâ Zachariæ ad Bonifacium data (p): *Tres Episcopos per loca singula . . . te ordinâsse cognovimus . . . & petîsti, ut per authoritatem nostræ sedis, Episcopales ibi sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet maturè & subtili consideratione discernat, si expedit, aut si loca vel populorum turbæ, talia esse probantur, ut Episcopos habere mereantur. Meminisse enim debes, charissime, quod in sacris Canonibus præcipimur observare; ut minimè per villulas aut modicas civitates Episcopos ordinemus; ne vilescat nomen Episcopi.* ex quibus nunc colligis, nec Erphesphordiam, nec Buriburgum eo tempore tantæ amplitudinis fuisse, ut Episcopalem decerent dignitatem; imò Buriburgum quale fuerit, ex ruderibus atque ex montis, cui castrum illud impositum erat, situ minus capaci intelligere datur. Itaque utriusque Episcopatûs duratio haud diuturna fuit: unum Præsulem numeravit Erphesfordia, duos (q) Buriburgum, quibus defunctis Thuringorum & Hassorum cura ad Moguntinum rediit; quamvis nonnulli sint, qui Buriburgensem Episcopatum Paderbornam translatum fuisse suspicentur (r). Cæterùm Buriburgo majus fatum, quam Erphesfordiæ subinde imminebat; hâc enim in urbem maximam postea crescente, Buriburgum penitus igne vastatum est, ejusque coloni Frideslariam suas traduxerunt sedes, unde hæc civitas adeo aucta est, ut in medio ævo inter nobilissimas non tantum civitates à Withikindo (s), Reginone (t) Mariano Scoto, aliisque referatur, sed & Optimates Imperii solennes multoties ibidem conventus celebrarint: quibus clausulæ loco illud apponere juvat, de quo Withikindus (u): *Eberhardus congregatis Principibus & natu majoribus exercitûs Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, designavit eum* (Henricum Aucupem) *Regem coram omni populo Francorum atque Saxonum.*

(q) MS. apud Serarium l. 3 rer. Mog. not. 39.

(r) Serarius loc. cit.

(s) Withikind. l. 3. c. 36.

(t) Regino Marian. Scot. ad a. 905.

(u) Withikindus l. 1. Annal. p. 637.

REFLE-

REFLEXIO II. ad §. II. Num. 4. pag. 1102.

An Hadrianus Pontifex Carolo magno concesserit jus eligendi summos Pontifices?

I. QUi jus Sacrorum in manibus Principum collocatum opinantur, nuspiam pro ea re se fortius argumentum deprehendisse credunt, quàm dum (a) apud Gratianum legunt Carolo Magno potestatem eligendi Pontificem, aut Episcopos investiendi attributam fuisse. Ut enim idem Decreti concinnator perhibet: *Hadrianus Papa cum universa synodo tradiderunt Carolo jus & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem: dignitatem quoque Patriciatûs ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere diffinivit; ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur, & quicunque contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit* (b). Ac ne Canonem irrepsisse quis putet, eadem dicta per alium subjunctum Canonem firmantur (c), qui ita habet: *In Synodo congregata Romæ in Ecclesia S. Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatûs dignitatem & investituram Episcoporum concessit &c.* Porrò ut Adversarii Canoni robur apponant, ab aliis retro sæculis exempla petunt, ex quorum argumento dum electionum jura semper penes Principes fuisse asserunt, id quoque simul ostendere conantur, Hadrianum nil novi, nihil alienum dedisse, sed quod Principum juri jam esset insitum, novo Canone confirmâsse. Ac *primò* Valentinianus anno CCCLXVI. Damasum Pontificem sedi Apostolicæ imposuit, profligato Ursicino Pontificatûs competitore (d), II. Eandem authoritatem in ordinando Ecclesiæ capite sibi sumpsit Imperator Honorius; anno enim CCCCXIX., quo Bonifacius & Eulalius de Pontificia sede disceptabant, Symmachus urbis præfectus ad Augustum perscripsit: *quoniam pietatis vestræ est, de hac parte ferre judicium, statim pro competenti sollicitudine vestram Majestatem credidi consulendam, ut quod de hac parte pietas vestra decernat, præcepto vestri Numinis evidenter informet* (e). III. Odoacer rex Herulorum in Italia provocabat ad Pontificis Symmachi legem, quâ jusserat, ut in electionibus regia authoritas interponeretur (f), quare per Basilium præfectum Odoacer anno CCCCLXXVI. edictum evulgavit, cavens, *ne novus Pontifex absque suo consensu eligeretur* . . (g). IV. Theodoricus rex Gothorum anno DXXVI. post obitum Joannis Papæ Felicem IV. renunciavit. V. Justinianus, postquam Italiam à Gothis vindicaverat, more Gothorum sibi, suisque posteris non tantùm jus confirmandi electionem Romani Pontificis

Adversarii hoc Canone abutuntur ad jus sacrorum Principibus tribuendum.

(a) Can. Hadrianus Dist. 63.

(b) V. Sigebertum ad a. 773.

(c) Can. in Synodo 23. Distinct. 63.

Argumenta, ex quibus canon iste videri posset genuinus.

(d) Rufinus Hist. l. 1. c. 20. Sozomen. l. 4. c. 11.

(e) Vide Baronium ad a. 419.

(f) Can. bene Dist. 96.

(g) Sigonius de Imp. Occid. l. 15.

ficis ratum voluit (h), ſed & Enthroniſticon ſive magnam pecuniæ ſummam pro fictâ confirmatione exegit (i); nam in Novella 123. decrevit: jubemus igitur Beatiſſimos Archiepiſcopos & Patriarchas hoc eſt ſenioris Romæ . . . ſiquidem conſuetudo habet Epiſcopis & Clericis in eorum ordinatione non minùs, quam viginti auri libras dari, ipſa ſolummodò præberi (k).

Canon dictus rejicitur velut Spurius.

2. Verùm Canonem iſtum, qui incipit *Hadrianus*, ac vel inde ejus quoque argumentum inter fabulas recenſent *Baronius* (l), Petrus de Marca (m), Natalis Alexander (n), Pagius (o) Papebrochius (p); quorum rationes hìc in faſcem colligimus. I. In chronico interpolato Sigeberti equidem legitur, Carolum poſt Papiam expugnatam rediiſſe Romam, & ſynodum conſtituiſſe cum Hadriano Papa, & congregatis inſuper centum quinquaginta tribus Epiſcopis & Abbatibus, in qua Hadrianus dediſſe fertur Carolo jus eligendi Pontificem & Epiſcopos per ſingulas provincias. Sed cum in editione Sigeberti ab Auberto Miræo ſollicitè purgata & cum MSS. collata, hujus ſynodi nulla mentio reperiatur, ea alicui interpolatori attribuenda, à quo proinde Gratianus deceptus narrationem ſuo decreto infarſit; licèt Eginhardus aliique coævi de hoc canone & ſynodo planè ſileant. 2. Imò ſi in ſæculo VIII. de Canone ejusmodi conſtitiſſet, ut quid Florus ſcriptor ferè æqualis anno DCCCXX. ſcribere potuiſſet: *in Romana Eccleſia usque in præſentem diem cernimus absque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis divinæ judicio & fidelium ſuffragio, legitimè Pontifices conſecrari* (q). Uti autem Hadriani conſtitutio Floro, ita & Lupo Ferrarienſi haudquaquam cognita fuit, qui cum de jure regum in electionibus ſtabiliendo tractaret, non ab Hadriani Canone, ſed à conceſſione aliâ Zachariæ deducere conatur, certè non omiſſurus ſynodi publicam legem, ſi quæ edita fuiſſet. 3. Præterea quicunque Hadriani Pontificis epiſtolas inſpexerit ad Carolum datas, omnia dicto Canoni adverſa inveniet; nam idem in epiſtola una anno DCCLXXXIV. data notat, Epiſcoporum ordinationes à ſe factas *poſt Cleri & plebis decretum ad ſe miſſum.* Et poſt tres annos ſive a. DCCLXXXVII. Hadrianus Papa Carolo petenti, ne Ravennatis Epiſcopi electio fieret absque miſſorum ſuorum interventu, reſpondit, *id nunquam factum, ſed morem iſtum obſervari ſolitum etiam tempore Pipini regis, ut Decreto Cleri & populi ad ſedem Apoſtolicam perlato, proprium ſibi præſulem conſecrandum Ravennates flagitarent* (r). Ex quibus tandem ita arguimus: ſi Hadrianus ipſe poſt annum 774, quo Canon ab eo editus fertur, adhuc à ſe ordinationes factas non Caroli, ſed Cleri & plebis decreto ad ſe miſſo teſtatur, quâ ratione is dici poterit Carolo poteſtatem decernendi de electione dediſſe? vel ſi idem Pontifex ne quidem interventum legatorum Caroli in electione Ravennatis Antiſti-

Rationes, quibus probatur Hadrianum nunquam Carolo jus eligendi Pontificem &c. dediſſe.

tis

(h) Vide Papebrochium in Conatu Chronohiſt. p. 116.

(i) Novella 123. c. 3.

(k) Vide Petrum de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. l. 4. c. 10. §. 3. 4. 5.

(l) Baron. ad a. 774.

(m) Petrus de Marca l. 8. de Concord. c. 12.

(n) Natal. Alexand. in Hadriano Sæc. VIII.

(o) Pagius ad a. 774.

(p) Papebrochius in Con. Chron. de Hadriano I.

(q) Florus Magiſter in Tract. de elect. Epiſc.

(r) Vide Pagium in Breviario Pontificum T. I. p. 595.

tis permittere voluit, ut quid jus planè eligendi Pontificem, quod amplius est, regi Francorum concessisset? Neque Canoni valorem aut robur addit, quod in alio Canone 23., distinct. 63. mentio tum prioris Canonis ac synodi facta sit: nam præterquam quod Baronius ultimum hunc quoque Canonem 23. ab imperito quodam schismatico circa sæculi X. finem excogitatum, & à Theodorico Niemo anno DCCCCX. relatum probet, tum ex eo quoque Canon ille pondere omni exuitur, quod ab Antipapa Leone VIII. procusus sit, qui ut Ottoni Imperatori ac suo promotori gratificaretur, eidem pariter facultatem eligendi Pontificem & investituras Episcopis tribuendi obtulit: atque ut exemplo quodam prævaricationem Canonum purgaret, ad Canonem illum fictitium à fabulatore fortè tunc jam vulgatum provocavit. Appositè hìc ad rem Brietius (s) ait: quæ autem à Leone concessa sunt Imperatoribus, tantum habent ponderis, quantum ejus valet authoritas, cujus vis & externa violentia tribuit authoritatem. In Gratianum itaque postremò culpa recidit; quod Canonem ejusmodi ex Sigeberti chronico interpolato suo decreto incautiùs ingesserit, ex eadem causa à Bellarmino (t) aliisque non semel reprehensus, quod non habuerit *delectum Auctorum, ex quibus decreta collegit.* Quid? quod Collector ipse suis verbis de eodem argumento vim afferat, dum in subsequentibus canonibus ad eandem Distinctionem 63. positis, inculcat electionem & consecrationem Romani Pontificis nonnisi justè & Canonicè faciendam; & ne ab Imperatore vel nuntiis ejus electioni Romani Pontificis obstaculum generetur.

Canon. 23. Dist. 63. supra citatus nil roboris addit valori canoni, qui incipit Hadrianus.

(s) Brietius ad a. 774.

(t) Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiast. ad a. 1145.

3. Neque Historica monumenta, quæ superiùs citata sunt, pro Canone aliquid evincunt. Ad I. enim ℞. Valentinianum nequaquam jus electionis sibi arrogâsse, sed seditionis prohibendæ causâ Ursicinum Antipapam Damaso legitimè jam electo adversantem expulisse, quod & Gratianus postea multò efficacius præstitit, quando à synodo IV. Romana rogatus, turbatorem Ursicinum in Gallias relegavit. Ad II. ℞. Quàm parum Valentiniano & Gratiano jus quoddam sacrum adscripseris, quòd ad seditiosum hominem compescendum opportunam vim adhibuerit; tam parum Honorio tribuendum, quod â symmachi mendace epistola circumventus Imperator Bonifacium legitimum Papam urbe exesse jusserit; nam ubi Eulalio Antipapâ ejecto Bonifacium in sede stabiliverat, decrevit, ut si imposterum duo de Papatu certarent, neuter illorum ad Pontificatum eveheretur, sed *ille solus in Sede Apostolica permaneret, quem ex numero Clericorum novâ ordinatione divinum judicium & Universitatis consensus elegisset* (u) ad III. ℞. Hæc omnia velut statuta Canonum gesta in synodo Rom. III. sub Symmacho Papa rejecta sunt (x). Ad IV. ℞. Theodorico Felicem obtrudenti diu Clerus, Senatus, populúsque restiterunt, donec hac lege res componeretur, ut more pristino

Difficultates Adversariorum eliduntur.

(u) Rescriptum Honorii ad Bonif. apud Baron. a. 419. n. 41.

(x) Baron. ad a. 485.

ſtino Clerus Papam eligeret, Rex verò Gothorum, eundem aſſenſu ſuo confirmaret. Cæterùm de Theodorico quantumvis Ariano non omittendum illud, quòd contra Laurentium Antipapam Symmacho adverſantem juſſerit Romæ convocari ſynodum: ad quam cùm Symmachus accedere per factioſorum vim & injurias non poſſet, Patres congregati juſtas querelas ad Regem detulêre; qui reſpondit: *In ſynodali eſſe arbitrio, in tantò negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere, ſeque tantum velle, ut proviſione Concilii pax in civitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur* ad V. ℟. nos minimè inficiamur Juſtiniani facta, ſed negamus tamen ex factis præſumptis jus illico enaſci: Propoſitum nimirum Juſtiniano fuerat, papam nullum ad ſedem admittere, niſi quem probâſſet ipſe, aut ejus Exarchus ſive Apocriſiarius: cautum ſibi hâc ratione volebat Imperator, nequis Pontificum contra aulæ Byzantinæ juſſa ſupremam ſacrorum Præfecturam aggreſſus, moliretur aliquid, quo Italia nuper â Gothis vindicata rurſus in diſcrimen conjiceretur: atque hoc quidem ferendum putâſſet tunc Eccleſia, niſi Cæſar nomine confirmationis datæ certam pecuniæ ſummam ſive ἐνθρονιστικὸν exegiſſet; (y) cujus ſummam ita definit: *jubemus igitur Beatiſſimos Archiepiſcopos & Patriarchas, hoc eſt, ſeniores Romæ . . . . ſiquidem conſuetudo habet, Epiſcopis & Clericis in eorum ordinatione non minus, quàm viginti auri libras dari, ipſa ſolummodo præberi* (z). De hoc penſo pecuniario poſtea queſtus Gregorius Magnus, ingeminavit *Domina Gentium & Regina Provinciarum* (Eccleſia) *facta eſt ſub tributo* (a). Conſtantinus Pogonatus tamen a. DCLXXXV. ſervitutem illam ſuſtulit, dum abrogato Enthroniſtico ſubinde etiam præcepit, ut abſque mora poſt electionem fieret ordinatio Pontificis (b). Juſtinianus autem II. Pogonati filius ad exiſtimatum jus reſpectans, voluit ut Electionis approbatio ſaltem ab Exarchis peteretur. Quare ſub annum DCLXXXVI. Cononis Papæ electionem ad Theodoricum Exarchum miſſam fuiſſe legimus, *ùt mos eſt*, inquit Anaſtaſius (c). In ſæculo demum octavo hoc quoque jugo liberata eſt Eccleſia, eo tempore nimirum, quo Exarchi â Longobardis omni poteſtate erant exuti: unde Zacharias anno DCCXLI. ſtatim poſt mortem Gregorii III. electus & conſecratus fuit abſque ullo ad Exarchum recurſu: idemque poſtea in electionibus ſucceſſorum Zachariæ obſervatum fuit (d).

(y) Petrus de Marca de Concord. t. 4. c. 10. §. 3. 4. 5.

(z) Novella 123. c. 3.

(a) Gregor. M. in Pſ. 5.

(b) Anaſtaſ. in Vita Benedicti II.

(c) Vide Papebroch. in Conatu Chr. p. 116.

(d) Pagius in V. Zachariæ. Papebroch. l. c. contra Mabillonium.

REFLE-

REFLEXIO III. ad §. II. Num. 6. pag. 116.

De Libris Carolinis & de Francofordiensis synodi Canone secundo.

1. DUo sunt armorum genera, quibus Adversarum partium Patroni Nicænæ II. ac Oecumenicæ synodi decreta de imaginum cultu suffodere ac evertere conantur: & primò quidem in medium adducunt libros Carolinos, quos primùm edidit Joannes Tilius sub nomine *Eliphyli Christiani* Parisiis 1549., loco tamen impressionis minimè notato. Horum argumento non sine summâ acerbitate Nicænorum Patrum Doctrina perstringitur (a); nam l. 4. c. 13. & 28. habetur: *inter cætera deliramenta, quæ in synodo Nicæna vel gesta vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus minus est, quod eandem synodum universalem nuncupant, cum neque universalis fidei habeat puritatem, nec per universarum Ecclesiarum gestam constet authoritatem.* Ad alterum genus pertinet canon secundus Francofordiensis Concilii, qui non privati Authoris, sed Patrum congregatorum consensu prolatus Nicæno II. Concilio majus vulnus infligere videtur. Sic autem statuit (b): *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in quâ scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicaretur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Ex quibus cùm facile intelligatur, apertè Nicæna dogmata impugnari, de singulis breviter disserere ducimus opportunum.

(a) Fragment. ex 4. libro Carol.

Libri Carolini & Canon. secundus Francofordiensis synodi adversari videntur synodo Nicæno II.

(b) Canon. 2. Concilii Francoford. apud Harduin. in Act. CC. T. IV.

Quinam fuerit Author librorum, qui Carolini dicuntur?

2. Atque ut â libris Carolinis, qui ante Synodum Francofordiensem prodierunt, ordiamur; his magnam authoritatem adjiciunt ii, qui horum authorem Carolum Magnum pronunciant; inter quos non tantùm Guilielmus Cave (c), Dallæus (d), Fredericus Spanhemius (e), sed Natalis Alexander (f) aliique orthodoxi, qui â prioribus in hoc differunt, quòd nequaquam inde concludi velint, quasi Carolus Iconomachorum errore infectus fuerit, cùm eandem hæresin libri Carolini multis in locis impugnent, neque imagines destrui permittant, nec quamlibet earundem venerationem, sed cultum duntaxat latriæ improbent, quem ipsi Franci putabant â synodo VII. decretum fuisse. Argumenta, quibus id evincant, sunt sequentia. I. In præfatione Carolinorum librorum *Carolus* se authorem operis profitetur, nam ait (g): *Quoniam in Ecclesiæ sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepimus. . . Item: quod opus aggressi sumus, cum cobibentia* (seu consensu) *sacerdotum in regno à Deo nobis concesso.* Imo alibi idem Author *Pipinum regem ve-*

(c) Guilielm. Cave in Sæc. Iconoclast. p. 418.

(d) Dallæus de Imag. l. 2. v. c. 3.

(e) Spanhemius Hist. Imag. Sæc. VII.

(f) Natal. Alexander in Sæc. VIII.

(g) Præfat. lib. Carolin.

Sententia eorum, qui libros Carolo tribuunt.

Cccc ccc *neran-*

nerandæ memoriæ genitorem suum appellat (h). II. Synodica epistola Concilii Parisiensis sub Ludovico Pio testatur, Carolum ex synodo Nicæna II. *capitula quædam, quæ reprehensioni patebant, annotâsse, eaque Hadriano P. direxisse, ut illius judicio & authoritate corrigerentur.* III. Pontifex ipse Hadrianus, ubi missos sibi libros acceperat, rescribebat Carolo, ad se pervenisse *hoc Capitulare adversus synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est* (i). IV. Hincmarus Remensis (k) refert, se, cùm adolescentulus esset, legisse non modicum volumen de synodi VII. destructione ab eodem Imperatore Carolo, Romam per quosdam Episcopos missum. V. MSS. Vaticanum & Tilianum Caroli nomen præmittunt operi: igitur libri Carolini verè Carolo velut authori tribui possunt & debent.

(h) Lib. 1. Carol. c. 6.

(i) Epistol. Hadriani ad Carolum.

(k) L. contra Laudun. Ep. c. 20.

Sententia contraria aliorum, qui Carolo hos libros abjudicant.

3. Qui verò in adversam partem nituntur, Carolo illa opera abjudicant, rationibus minimè destituti (l), nam 1. Hadrianus Papa nil in illis proprium Carolo agnoscit nisi ultimum capitulum: quod ita habet: *Sciat Domnus Apostolicus & Pater noster ... ut secundum quod continetur in epistola B. Gregorii ad Serenum Massiliensem: permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quàm extra Ecclesiam propter amorem Dei & Sanctorum ejus. Adorare verò eos nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel destruere non permittimus: & quia sensum B. Gregorii sequi in hac epistola universalem Catholicam Ecclesiam indubitanter liberè profitemur* (m). Cætera verò capitula cùm paralogismis & convitiis abundent, Carolo minimè tribuenda existimant. 2. Idem Pontifex quando libros Carolinos confutabat (n); Hadrianus non adversus unum sed plures apologeticum opus dirigit: *Addendum est ad incredulorum satisfactionem ... ô insania infrementium contra fidem & Religionem Christianam; ut asserant non colere, aut venerari imagines, in quibus figuræ sunt Salvatoris ... Absit talium credere amentiæ. In hoc capitulo, qui hæc scripserunt ... contradicere veritati nituntur;* ex quibus conficitur, plures voluminum consarcinatores fuisse. 3. Præterea cùm Hadrianus ubique in suis epistolis Carolum tractet honorificè, in librorum ac capitulorum verò authores tantoperè invehatur, quis credat, Pontificem sui ac Regiæ Majestatis oblitum adeo, ut nunc tanto sale Carolum perfricuisset. 4. Materies rerum nullo ordine posita, & immixtæ contradictiones ostendunt, partum illum multiplicem & diversum ex variis ingeniis prodiisse. Nam Carolinorum librorum quicunque Author tum Nicænæ II. tum synodi Iconoclastarum; definitionem pariter rejicit, contendítque imagines in Ecclesiis retinendas, sed ad memoriam & instructionem, non autem ad cultum & venerationem. Et tamen sibi contradicens sanctorum Reliquias & Cruces, quæ veræ sunt imagines & vasa sacra, quæ sunt opera manuum hominum

(l) Vide Baron. in Annal. Eccl. T. IX. ad a. 794. n 30.

(m) Epistola Hadriani Tom. VII. Concil. apud Labbeum.

(n) Vide Acta CC. apud Harduin. T. IV.

Argumenta quibus probatur Carolina volumina minime Caroli fuisse.

num à fidelibus honoranda concedit: imò & verè dictum à Nicænis Patribus, imaginis honor transit ad Principale, fatetúrque eâ mente, viros peritos posse imagines venerari, sed addit: inde idiotis nasci posse scandalum: At nullum erit, si Pastores eos rectè edoceant. Instruatur igitur populus, & *cultus ille relativus, quam imaginibus exhibemus, cultui latriæ valde inferior, nihil habebit reprehensionis* (o). Quo semel concesso ruit omnis Carolinorum librorum ratiocinatio, quæ tantùm probat, imagines sicut Deum non esse adorandas, nec venerandas cultu absoluto, & quales sunt in se ipsis; & venerationem relativam, ne scandalum generetur indoctis, rejicit. 5. Neque Hincmari de Libris Carolinis relatio multis probatur, quia, quæ in duabus diversis Synodis sunt definita, uni tribuit, cujus una pars confringendas, altera adorandas imagines decreverit. *Præterea* ait hanc Synodum, de qua loquitur, sine authoritate sedis Apostolicæ factam fuisse, cum tamen constet, Hadriani legatos Nicænæ II. præsedisse. *Tertio* ait Pontificem Hadrianum Synodi Acta misisse, sed primam Concilii latinam versionem adeò malè concinnatam, ut vix lector, quid vellet, intelligeret. Inde Anastasius perhibet, sibi postea impositum, ut alteram versionem adornaret. Et certè si acta rectè translata missa fuissent, Episcopi novissent in ea synodo præsidentibus legatis Apostolicis, damnatam Iconoclastarum Pseudo-Synodum, & imaginibus non aliam tributam esse venerationem quàm honorariam: Latriam verò soli Deo adjudicatam: unde concludi potest relationem falsam II. synodi ad Galliarum Episcopos missam, ab Iconoclastis, quæ cunctos Præsules communi errore deceperit.

(o) Lib. 5. c. 36.

Tertia Sententia duas Priores conciliare conatur.

4. Quid in re tam ambigua tandem statui oporteat, haud expeditum est affirmare: melius tamen nos facturos credimus, si utramque sententiam hoc modo conciliemus, ita ut primò cum Baronio inficiemur Carolum librorum Authorem, propterea quòd acerba illa convitia & graves contumeliæ, quibus omnes paginæ scatent, Caroli sapientiæ, moderationi ac reverentiæ erga Pontifices minimè conveniant: fatemur tamen, Carolum oblatas sibi Galliæ, Germaniæque Præsulum difficultates contra cultum imaginum ac synodum Nicænam in unum volumen collegisse, atque ex hoc *capitum duntaxat lemmata seu titulos*, non autem libros ipsos, Hadriano transmisisse; adjectâ epistolâ suâ, quâ studium suum pro Ecclesia atque hoc ipsum negotium nonnisi Zelo gloriæ Dei & veritatis studio, à se susceptum commendabat. Huic Indiculo titulorum suum denique sensum in ultimo capitulo adjunxit, affirmans *se judicare secundum id, quod olim Gregorius Papa ad Serenum Massiliensem Episcopum scripsit:* permittendas esse quidem SS. imagines, adorationem earum â se non probari, fractionem verò aut eversionem penitus

nitus prohiberi. Et hoc ultimum capitulum Carolum de suo tantùm addidisse inde colligitur, quòd Hadrianus in Apologia (p) ex misso ad se capitulari referat, quod tamen in libris Carolinis non reperitur. Demum quo pacto Apologista Pontifex tacuisset ad tot convitia, cur non eodem ordine, quo libri Carolini scripti sunt, respondisset, siquidem toti libri convitiis refertissimi & alio ordine digesti ad Hadrianum missi fuissent. Carolini tamen libri dicuntur, quia postquam circa annum 790. scripti fuissent, ex iis Carolus lemmata capitum describi fecerat, ac Hadriano Pontifici transmiserat.

(p) Hadrian. in Apol. c. 25.

Canon Secundus Francofordiensis Concilii, an aliam synodum, vel an Nicænam proscribat?

5. Alterum telum, quod Adversarii contra Synodum II. Nicænam stringunt, est Concilii Francofordiensis Canon secundus supra recitatus. Equidem aliqui cum Cointio hìc aliam concipiunt synodum Iconoclastarum, quam à Francofordiensibus Patribus dicunt profligatam. Sed præterquam quod Pseudo-Synodi post Nicænam II. habitæ nullum vestigium extet, etiam canone citato illa tantùm synodus damnatur, quæ adorandas, non quæ more Iconomachorum evertendas imagines Ss. asseruit. Verosimilius igitur alii, Patres Concilii Francoford. synodum VII. *errore facti* damnâsse affirmant, nam iis sententiam Nicænæ synodi minùs perspectam fuisse, Canon ipse testatur, dum supponit, à Patribus definitum esse, ut imaginibus SS. ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adoratio impendatur, quam latriam soli Deo & non iconibus SS. Nicæni Patres tribuendam voluêre (q). Ut autem Francofordienses Præsules in errorem faciliùs abriperentur, duo præcipuè capita in causa fuêre, *primò* libri Carolini ante Francofordiensem synodum malignâ manu conscripti, *secundò* Constantini Episcopi Professio, quæ ineptè versa ita exhibebatur: *Suscipio & amplector venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod SS. Trinitati emitto.* Hæc verò melius ex Græco traducta alium sensum habuit: Consentio ... suscipiens & honorariè amplectens sanctas ac Venerabiles imagines ... postea sequitur: *& adorationem, quæ fit secundùm latriam, soli vivificæ Trinitati emitto.* Cæterùm Francofordienses Patres venerationem religiosam imaginibus non abnuerunt, licet pro illarum Ecclesiarum tunc adhuc vigente disciplina hanc venerationem peragi noluerint inflexione genuum & capitis, osculis, thurificatione, accensis luminaribus, id quod constat ex Capitulari ad Hadrianum P. misso. *Permittimus imagines SS, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quam extra illam propter amorem Dei & Sanctorum Ejus* (r).

Verius dicitur Francofordiæ damnatum fuisse Concilium II. Nicænum.

(q) Nicæn. II. C. Act. VII.

Patres Francofordienses errore facti decepti sunt.

(r) Vide Pagi. ad a. 794. Natal. Alex. Histor. Eccl. sec. VIII. dissert. VI.

REFLE-

REFLEXIO IV.

De scriptoribus Ecclesiasticis in sæculo VIII.

1. REgnante *Leone Isaurico* inter Græcos scriptores præcipuus fuit JOANNES DAMASCENUS, *Chrysorrhoas* à facundia, & *Mansur* seu *Manseron* ab Arabibus dictus. Natus Damasci, literisque optimè postea imbutus à Saracenorum Calipha in consilium aulicum adsciscebatur. Fervente Iconoclastarum hæresi imaginum causam suscepit, quare ei dextram amputatam, sed ope B. Virginis Joanni restitutam perhibet author vitæ, Joannes Patriarcha Hierosolymitanus. Cui Historiæ à plurimis receptæ licet Guilielmus Cave (b) & Spanhemius (c) fidem abnuant; negare saltem non possunt, eundem Joannem sæpius in exilium relegatum & carceribus maceratum pro Iconodulia ac fide catholica gloriosè occubuisse. Non pauca monumenta à Joanne Damasceno conscripta & recentius à *Michaele le Quien* in duos Tomos collecta luci data sunt Parisiis A. 1707. I. Præfationis loco Author præmittit varia, quæ vitam S. Joannis Damasceni spectant: dein ponit opera genuina ejusdem, etiam illa, quæ necdum antè viderant lucem; mox opera dubia & supposititia subjungit, inter quæ meritò recensetur *Oratio de iis, qui in fide dormierunt*, cui fabula de liberatione Trajani Imperatoris ab inferis S. Gregorii precibus intercessione peracta intexitur. Vide dicta in Tomo I. nostræ Historiæ p. 362. Non minùs dubitatur de *Historia Barlaam & Josaphat*, sitne hæc à Joanne Damasceno conscripta, idque ex hoc potissimùm capite, quod ibidem Barlaam jubeat filium regis *credere in Spiritum S. à Patre Filioque procedentem*, id verò S. Joannes Damascenus in libris de fide orthodoxa negat. Sunt, qui hæc verba *Filioque* à Latinis adjecta dicant, in Billiana quippe editione non habentur. Accedit, quòd in nonnullis Codicibus Joanni Sinaitæ Historia inscribatur; cæterùm Huetius (d) aliique opinantur fuisse equidem quendam Barlaamum & Josaphatum, & generalia quædam narrationis fundamenta, reliqua autem à quocunque & incerto authore apposita. *Vita Stephani Junioris* si Damasceno tribui debeat, uti multi faciunt, necesse erit, Joannem Damascenum ultra annum 767. vixisse, sub hoc enim tempus Stephanus Martyrium suum consummavit. IN SECUNDO TOMO multæ habentur Panegyres de B. Virgine ejúsque festis.

Joannes Damascenus.

(a) Joann. Hierosol. in V.

(b) Guilielm. Cave in Sæc. Iconclast. p. 410.

(c) Spanhemius Histor. Imag. Restit. Sect. 2. n. 13.

Opera S. Joannis Damascen.

(d) De Orig. Fab. Rom. p. 60.

2. Quemadmodum verò hoc tempore in Oriente florebat Joannes Damascenus, ita in Occidente VENERABILIS BEDA inclaruit, natione Anglus: is vivere cœpit in agro Dunelmensi anno 672. In monasterio Girvensi sub Benedicti & Ceolfridi Abbatum disciplina educatus pre-

Beda.

presbyterium suscepit anno ætatis trigesimo. De anno obitûs multi ambigunt, nam alii mortem ejus tribuunt anno septingentesimo trigesimo quinto, (e) alii aliquot annis ejus obitum antevertunt (f) aut etiam ad seros annos illius vitam producunt. Volumina ab ipso scripta, tempúsque quo ea luci Beda dederat, notavit Mabillonius (g): *Explanatio in epistolam Joannis* prima videtur ex ipsius lucubrationibus in Scripturam sacram. Deinde *expositio in Apocalypsin* & commentationes *de actibus Apostolorum, in Lucæ Evangelium*, secutæ sunt: *Quæstiones quoque triginta de libris Regum*, & in *utrumque Testamentum* quæstiones alias exposuit: postea anno 716. aggressus est *commentarios in Samuelem.* Præterea post annos plures evulgavit *expositiones in Marcum, in Epistolas Pauli, inque Epistolas Canonicas.* Anno 724. absolvit librum de sex ætatibus; tum scripsit *Historiam Ecclesiasticam* gentis suæ, quam cum Epitome adjuncta perfecit anno 731.; hanc ipsam Historiam Anglicè vertit Thomas Stapletonus S. J. ediditque typis Antwerpiæ 1565. Ante hoc tempus exaraverat jam *epistolam de Æquinoctio verno*: Demum jam senex his adjecit retractationum libros in Acta Apostolorum post annum 731. Præter opera Bedæ in suo Indice recensita alia quoque ab aliis illi tribuuntur, de quibus Mabillonius latiùs agit; ad quem lectorem remittimus. De laudibus ejus audiatur Malmesburiensis: *vir*, inquit, *quem mirari faciliùs, quàm dignè prædicare possis, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco lumine terras omnes perstrinxerit* (h). Ab aliis *clarissimus Ecclesiæ Dei magister* (i), ab aliis *Sacerdos & doctor eximius* appelletur (k); communius tamen ejus est elogium, quòd VENERABILIS vocetur, cujus tituli ortum inde deducit Petrus Equilinus (l), quod ejus Discipulorum quidam ipsi Epitaphium invitis Musis adornare conatus, cùm Leoninum carmen sic cœptum: *Hac sunt in fossa*, vellet absolvere, nec satis posset, post nocturnum somnum repererit hunc versum Angelicis manibus tumulo inscriptum:

Hac sunt in fossa Bedæ venerabilis ossa.

Verùm conjecturam confutat Mabillonius ex coævorum silentio, qui Bedæ hoc nomen nunquam tribuerunt. Et licet Homiliæ ejusdem in officiis divinis jam, dum vivebat, recitarentur, de more tamen non erat, ut nomina Authorum tunc præcinerentur. Postea tamen in sæculo nono hoc nomen *Venerabilis* ei attribui cœptum esse nemo inficiabitur (m).

3. Ad eadem Leonis Isauri regnantis tempora referuntur sequentes scriptores EULOGIUS, qui scripsit *vitam Georgii Diaconi, Aurelii, Nataliæ* &c. qui martyrium passi sunt anno 725. (n). EDDIUS STEPHANUS in Britannia monachus reliquit *vitam S. Wilfridi Episcopi* (o). NOTHBERTUS LONDINENSIS collegit *Acta S. Augustini* Anglorum

(e) Rogerus Hoved. Simeon Dunelmens. Cuthbertus &c.
(f) Vide Guilielm. Cave p. 402.
(g) Mabillon. Sæc. II. §. 1. p. 539.
(h) Malmesbur. de Gest. Angl. l. 3. c. 3.
(i) Cutbertus in Ep. 95. inter Bonif. ad Lullum.
(k) Ratramnus l. de Nativ. Christi.
(l) Equilin. in Catalog. 53.
(m) Amalarius l. 1. de div. Offic. c. 37. Jonas Aurel. Ep. l. 1. de Instit. Laic. c. 16.
(n) Surius T. IV 27. August.
(o) Vide Mabillon. Sæc. Bened. IV. P. I. p. 871.

lorum Apostoli (p). CUMBERTUS Anglus scripsit *facta Comprovincialium*, qui Bedam suâ operâ in Historia adjuvit (q). Ex Græcis verò scriptoribus hìc adhuc memorandi veniunt: COSMAS HIEROSOLYMITANUS, qui scripsit hymnos tredecim in præcipuas anni festivitates S. Joanni Damasceno perquàm amicus (r). GEORG. HAMARTOLUS eâdem ætatè Græcè scripsit Chronicon ab exordio mundi usque ad Imperium Constantini Copronymi.

4. *Regnante Constantino Copronymo* ex Latinis scriptoribus insigniores erant. CUTHBERTUS monachus Girwicensis & Biographus Bedæ præceptoris sui (s). ARIBO quartus Ecclesiæ Frisingensis Ep. scriptor vitæ S. Corbiani (t). ANONYMUS qui appendicem sive librum undecimum adjecit Gregorii Turonensis Historiæ Francorum. Desinit ea appendix in morte Caroli Martelli (u). ANSO Belga monachus monasterii Laubiensis & scriptor vitæ S. Ermini Ep. & S. Ursmeri Ep. (x). CHRODOGANGUS natione Germanus, Görziensis monasterii conditor a. 749. Metensis præsul scripsit regulam suis Clericis (y). ANASTASIUS monachus Casinensis scripsit Historiam de Translatione partis reliquiarum S. Benedicti & sororis ejus Scholasticæ, quæ in Casinensi Bibliotheca servatur (z). ISIDORUS gente Hispanus PACENSIS in Lusitania Episcopus floruit anno 754. & scripsit Chronicon Hispaniæ sub Arabum Imperio ab anno Christi 610. ad annum 754. (a). Circa annum 760. celebris fuit AMBROSIUS AUTHPERTUS gente Gallus cœnobii S. Vincentii in Samnio monachus; scripsit de Purificatione S. Dei Genetricis, aliásque Ss. homilias (b). Eodem tempore vixit FLORUS monachus S. Trudonis Leodicensis Diœcesis; composuit gesta & Passiones SS. Martyrum, & Bedæ martyrologium adauxit (c). Anno 773. TURPINUS vel TILPINUS vixit, Gallus natione, S. Dionysii prope Parisios monachus; Carolo M. à secretis, deinde Archiep. Remensis fertur scripsisse *Historiam de vita Caroli M. & Rolandi* (d). Sed alii abjudicant hoc opus Turpino ob farraginem fabularum, tum ob silentium scriptorum coævorum, & præcipuè quòd author referat obitum Caroli M., quem tamen Turpinus scire non potuit, utpote ante Carolum anno 811. defunctus (e). PAULUS WARNEFRID gente Longobardus, qui priùs fuit Diaconus Aquilejensis & Desiderii Longob. regis Cancellarius. Victo rege suo inter nobiles captivos à Carolo Francorum rege abductus fuit: ac propter prudentiam & eruditionem egregiam, magno aliquamdiu in honore fuit; sed suspectior postea, in Diomedeam insulam est relegatus: unde ad Arichin Beneventanum Ducem profugit: eóque defuncto monachus factus est Casinensis (f), ubi piè & religiosè vitam traduxit. Opera ejus sunt, I. *de Historia Longobardorum libri sex*. II. *Historiæ miscellæ libri viginti quatuor*, ex quibus un-

(p) Vossius de Script. Lat. l. 2. p. 278.

(q) Idem l. c.

(r) Vide Tom. XII. Biliоth. PP.

(s) Guilielm. Cave p. 413. Vossius de Script. Lat. l. 2. p. 284.

(t) Vide Surium T. V. die 8. Sept.

(u) Vossius l. c. p. 285.

(x) Ibid.

(y) Labbe Concil. T. VII. p. 1444.

(z) Petrus Diac. de Viris Illustr. Casin.

(a) Anton. Biblioth. Hisp. Vet. l. 6. c. 3.

(b) Vide Guilielm. Cave p. 415.

(c) Ado in Præfat. ad Martyrolog.

Turpinus vel Tilpinus.

(d) Apud Reuberum Script. German. p. 67.

(e) Vossius de Hist. Latinis l. 2. c. 32. p. 298.

Paulus Diaconus.

(f) Vossius de Script. Latin. l. 2. c. 30.

undecim primi libri iidem ſunt, ac decem Eutropii: niſi quod aliqua ſubinde de ſuo addat Paulus. Exinde Eutropium continuat, cujus ſunt quinque libri ſequentes (g). Reliqui octo à Landulpho Sagace additi ſunt, imprimis ex Theophane, ſaltem ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui Teophanem vertit. III. *De vita S. Georgii Papæ libri quatuor* (h). IV. *Vita S. Cypriani* (i). V. *Vitæ SS. Benedicti, Mauri & Scholaſticæ.* VI. *Excerpta de primis Metenſium Epiſcopis* (k). VII. *Hymnus* in honorem S. Baptiſtæ Joannis, qui incipit, *ut queant laxis.* VIII. *Variæ homiliæ* in varia anni feſta ex Patribus collectæ &c. Cæterùm hic Paulus diſcernendus eſt à PAULO DIACONO Eccleſiæ Neapolitanæ, qui vitam S. Mariæ Ægyptiacæ à Sophronio Hieroſolym. Ep. conſcriptam Latinè vertit (l).

(g) Voſſius l. c. p. 292.
(h) Mabillon ſæc. Bened. I. p. 385.
(i) In initio Operum S. Cypr.
(k) Ducheſne T. II.
(l) Vide Surium ad IX. Aprilis.

5. *Sub finem ſæculi octavi* floruêre ſcriptores ſequentes: ETHERIUS Axumenſis in Hiſpania Epiſcopus & BEATUS in Aſturia Provincia presbyter circa annum 783. pullulantem Elipandi hæreſin oppugnârunt & dato etiam ſubinde in lucem volumine errores ejusmodi aggreſſi ſunt (m). GEORGIUS monachus Conſtantinop. Taraſii Patriarchæ SYNCELLUS, ſcripſit anno 729. *Chronicon* ab orbe condito usque ad Diocletiani tempora, quod integrum fere ex Chronico Euſebii deſumpſit (n), nihilominus teſte Teophane erat vir *eruditiſſimus* ſui temporis: & Anaſtaſius Bibliothecarius ait: *ne multa perſequar, ſufficere arbitror ad præconium ejus, quod à ſede approbatus ſit Apoſtolica: quando ſcilicet Vicarii ejus unà cum trecentis quinquaginta Patribus in Nicæa urbe ſecundò convenientes Univerſalem Synodum celebrârunt. Siquidem & laus ejus in eodem* VII. *& ſancto Concilio reperitur.* THEOPHANES ISAACIUS, Conſtantinopoli natus anno 758. Patre Iſaacio, nupſit virgini nobili, quam ad perpetuam continentiam pariter ſervandam ſuis hortatibus impulit, inde à ſocero & Leone Copronymi filio exagitatus eſt, nam honoris ſpecie ad caſtrum Cyzicenum miſſus ædificia publica prope Sigrianam in minore Myſia curavit (o): inde revocatus Conſtantinopolim inter Spatharios locum obtinuit; faſtidiens tamen ſubinde ſæculum, dedit poteſtatem uxori inter virgines ſacras religionem profitendi: quo facto ipſe quoque in Sigriano Cœnobio monachum induit. Poſteà à Leone Armeno cultum imaginum damnare fruſtra juſſus, Conſtantinopolim deducitur, ubi pædore carceris, ac fame primùm exhauſtus, deinde in Samothraciam tandem Inſulam deportatus, brevi vitam finiit. Sanctitas viri miraculis illuſtris à Græcis XII. Martii colitur. Scripſit Chronographiam ab anno I. Diocletiani Imp., Chriſti 285. ad primum Leonis Armenii, Chriſti 813. ubi adverte à Theophane adhiberi Chronotaxin Alexandrinam, quæ à recepto æræ Chriſtianæ uſu octo annis deficit. Prodiit hæc hiſtoria cum Jacobi Goaris & Fr. Combefiſii notis a. 1655.

Georgius Syncellus.
(m) In Auctario Caniſii p. 17. & in Biblioth. PP. T. XIII. p. 353.
(n) Guilielmus Cave p. 422. Voſſius de Hiſtor. Græc. l. 2. c. 24.
Theophanes Chronographus.
(o) Guilielmus Cave. p. 422. 423.

a. 1655. Equidem quibusvis annis ubique præfixas invenies tabulas Chronologicas per loculos divisas, quæ referant annos Mundi, Christi, Imperatorum, quinque Patriarcharum, &c. sed quia vel mendis Tabulæ scatent vel erroribus aut etiam hiatibus, ideo Henschenii suspicio est, illas ab alia manu insertas operi fuisse (p).

(p) Acta SS. in exegesi in Theophan. Chronograph. sub init. T. III. Martii.

Fredegarius.

6. Postremùm huic sæculo alii inserunt FREDEGARIUM, alii eundem ad sæculum VII. revocant, certè Vossius eum inter Authores incertæ ætatis reponit (q). Erat is gente gallus, & scripsit *Historiam seu chronicon de gestis Francorum* ab anno 596. ubi desiit Gregorius Turon., & progressus est ad annum 739. de *Appendicibus ejusdem Authoris* alibi agemus. Scripsit & *Historiam miscellam seu Chronicorum libros quinque* ad exemplum Chronici Hieronymiani velut compendium Historiæ Gregorianæ (r).

(q) Vossius l. 3. de Histor. Latin. c. 3. p 753.

(r) Lambecius comment. l. 2. c. 8. p. 850.

REFLEXIO ULTIMA.

De Doctrina & Disciplina Ecclesiæ in sæculo VIII.

§. I.

De Doctrina Orthodoxa Ecclesiæ ejusdem sæculi.

Argumenta contra Iconoclastarum hæresin.

1. POstquam hæresis Monothelitas in sæculo VII. adversus Ecclesiam concitaverat; in sæculo sequente Iconoclastas eâ vi ac furore in aciem deduxit, ut utrique hæreticorum catervæ par bellum, diversâ tamen causâ bellandi foret. Oppugnaverant illi nullo fructu Christum ipsum sive ejus duplicem voluntatem ac operationem; At Iconomachi à Christo in ejus duntaxat Sanctorúmque imagines arma sua vertebant, Idololatriæ labem Ecclesiæ impingentes, propterea quòd contra sacræ scripturæ præcepta, Patrumque veterum doctrinam sacras icones cultu religioso coli aut adorari criminarentur. Orthodoxos nec hæ calumniæ, nec subsecutæ subinde vexationes crudelissimæ à vera fide dimoverunt; reponebant autem nihil scripto aut tradito verbo contrarium ab eo admitti, qui imagines eâ lege honoret, ut ob habitudinem, ac rationem motivam illum honorem penitus in Prototypum transferat; secundùm id, quod notavit Athanasius (a): *Qui adorat imaginem, in ipso Regem adorat.* Et nisi hæc causa cultui ac adorationi sufficeret, cur Psalmographus monet (b): *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:* profectò uti proximum licitè propter Deum amamus; ita respectivo, ùt ajunt, cultu creaturas adorare illicitum ne dixeris, propterea quod eâdem ratione intentio nostra primò ac præcipuè in Deum tendat, dum concomitanter creaturas propter Deum veneramur. Cæterùm appo-

(a) Athanasius Serm. 4. contra Arianos.

(b) Psal. 98. v. 5.

apponuntur imagines SS. in Ecclesiis, ut ad earundem aspectum faciliùs excitemur ad devotionem, illa conspiciendo, quæ Christus pro nobis gessit, quæque sancti operati sunt; quo aspectu faciliùs quàm auditu ad imitanda SS. vestigia te senties permoveri; rudibus certè hominibus hæc apta subsidia sunt, ut, quæ in libris legere nequeunt, è sacrarum imaginum tacito magisterio perdiscant. Atque hoc erat, quod Gregorius II. Papa ad Leonem Isaurum perscribebat, Ecclesiam à calumnia vindicans(c): *Dicis nos lapides & parietes ac tabellas adorare. Non ita est, ut dicis Imperator! sed ut memoria nostra excitetur, & ut stolida & imperita, crassáque mens nostra erigatur, & in altum provebatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ sunt imagines, & non tanquam Deos, ùt tu inquis, absit; non enim spem in illis habemus. Ac siquidem imago sit Domini, dicimus, Domine JEsu Christe, Fili Dei, succurre & salva nos. Sin autem sanctæ Matris ejus, dicimus: Sancta Dei Genitrix, Domini Mater, intercede apud filium tuum &c. Sin verò Martyris: S. Stephane, qui pro Christo sanguinem tuum fudisti, qui ut Proto-Martyr loquendi confidentiam habes, Intercede pro nobis. Et de quovis Martyre ita dicimus: tales per illos preces offerimus; nec ita est, ùt tu dicis Imperator! quasi Deos Martyres appellemus.* S. GERMANUS CONSTANTINOP. PATRIARCHA ac Defensor Imaginum Joannem Episcopum Synadensem ita instruxit: *Hic est modus faciendarum imaginum, non quò convenientem incomprehensibili & inaccessibili Deitati in spiritu & veritate adorationem transferamus in manufactas Imagines . . . sed quò dilectionem, quam justè habemus circa veros servos Dei nostri, hoc modo demonstrantes, per illorum honorem in Deum, qui ab his glorificatus est, & illos glorificavit, in confessione Dominationis ejus glorificationem & cultum referamus: ut & nos imitatores fortitudinis eorum & charitatis in Deum, per bona opera, & refragationem contra vitia demonstremur... Porrò etsi Domini & Salvatoris nostri & intemeratæ matris ejus & SS. Imagines salutamus, sed non secundùm eundem affectum & fidem circa illos habemus. At Deum illum quidem novimus . . . Porrò hanc ancillam & propriè matrem ejus, & intercessionem potentissimam suscipimus. Illum quidem ùt Dominatorem & quæ salutis nostræ sunt, tribuentem; hanc verò ut maternè pro nobis petentem. Et Sanctos omnes tanquam conservos quidem nostros, sed placentes Deo, & supernam confidentiam & beatitudinem apud eum adeptos, & gratiam consecutos â Deo ad ministrandum nobis beneficia ipsius* (d) S. JOANNES DAMASCENUS Ecclesiæ orthodoxiam de iconoduliâ ita vindicat: *Neque ego tanquam Deum imaginem adoro: sed per imaginem, perque Sanctos adorationem Deo atque honorem exhibeo, propter quem & amicos ejus veneror & colo* (e). HADRIANUS PAPA Augustos non minus genuino hoc Ecclesiæ dogmate

(c) Gregor. II. ep. 1. ad Leon. Isaur.

(d) S. Germanus Patriarcha Const. in epist. 1. ad Joann. Synad.

(e) S. Joann. Damascen. Orat. III. de cultu Imag.

inate imbuendos, confirmandosque voluit: *In Universo*, ait, *mundo ubi Christianitas est, ipsæ sacræ imagines permanentes ab omnibus fidelibus honorantur, ut per visibilem vultum ad invisibilem Divinitatis Majestatem mens nostra rapiatur speciali affectu. Per contemplationem figuratæ imaginis secundùm carnem, quam filius Dei pro nostrâ salute suscipere dignatus est, eundem Redemptorem nostrum, qui in cœlis est, adoramus. Nam absit â nobis, ut ipsas imagines (sicut quidam garriunt) Deificemus. Sed affectum & dilectionem nostram, quam in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, omni modo præferimus* (f). Ex his igitur rationibus benè definivit SYNODUS VII. GENERALIS: *Sequentes divinitus inspiratum SS. Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ definimus, sicut figuram gratiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quàm quæ ex alia materia congruenter se habente in sanctis Dei Ecclesiis & sacris vasis & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis... quanto enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur; tanto, qui has contemplantur, alacriùs eriguntur ad Primitivorum earum memoriam & desiderium. Et his osculum, & honorariam adorationem tribuunt; non tamen veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam divinam naturam decet: Ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis & sanctis Evangeliis & reliquiis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & Antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad Primitivum transit: & qui adorat imaginem, adorat in eâ depicti subsistentiam* (g). Iconoclastarum error quantumvis toties profligatus à Petro de Bruis revocatus est anno 1126. quem S. Bernardus confutandum sumpsit. Non minùs cultui imaginum obstrepuerunt Albigenses & Waldenses, Wicleffus cum Hussitis, Carlstadius, Zwinglius & Calvinus, quorum alumni in imagines pejùs ac Leo Isaurus, Copronymus & Theophilus seu flammis ac ferro, seu etiam calamis sævierunt; Dallæus certè cùm aliter non posset, scriptione suâ contra eas grassatus est, cujus argumenta solidà dissertatione evertit Natalis Alexander (h).

(f) Act. II. Syn. VII Hadrian. Papa in epist. ad Constantin. & Irenen.

(g) Acta CC. apud Harduin T. IV.

(h) Natalis Alexand. in Sæc. VIII. Differt. VI. p. 757.

2. Alterum dogma, quod Ecclesia hoc tempore contra hæresin Felicis & Elipandi stabilivit, erat, Christum quatenus est hic homo, id est, quà genitus à B. Virgine reipsa, proprieque naturalem Dei filium esse in humana natura subsistentem? nam Angelus ad B. Virginem testabatur (i): *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* & S. Joannes (k). *Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum... & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* denique Paulus de Christo ita loquitur (l): *Deus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum.* Quæ omnia cùm de Christo, *ùt Deo*, dici nequaquam possint, consequitur, ea de

(i) Lucæ c. 2. v. 35.

(k) Joann. c. 1. v. 32

(l) Hebr. c. 1. v. 2.

Argumenta contra hæresin Felicis & Elipandi.

de Christo, *in quantum homo est*, intelligenda; ac proinde Christum, ùt hominem verum ac proprium esse Dei filium: neque tamen has voces, *in quantum*, eo sensu hìc accipias, quasi humanitas causa & ratio foret, cur Christus Dei filius existat; sed eas ita exponas necesse est, quod Christus in humanitate subsistens reipsâ habeat habitudinem filii ad Deum, non tantùm realem illam filiationis naturalis ac Personalis, quâ secunda SS. Trinitatis Persona constituitur; sed relationem in super rationis, filiationis, quæ fundata sit in gratia unionis hypostaticæ, includátque communicationem ejusdem beatitudinis & hæreditatis æternæ. Et quoniam Adoptandus secundum se totum ita debet esse extraneus, ut vi originis suæ non habeat jus ad hæreditatem, antequam adoptetur; inde injuriam Christo facis, si eum adoptivum nomines: nam etsi secundum humanam naturam præcisè spectatam nullum habeat jus, tamen cùm secundùm Personam nequaquam extraneus dici queat, inde perfectum & naturale jus habet ad hæreditatem. Denique Christi humanitas non tantùm sanctitate gratiæ habitualis, ob quam cæteri SS. adoptivi sunt, sed & unione substantiali Verbi sanctificatur substantialiter, adeoque jus intrinsecum, essentiale & necessarium ad hæreditatem humanitati Christi meritò tribuitur. Hæc sunt potissima argumenta, ex quorum vi Sæculi Octavi Episcopi ac synodi errorem Felicis & Elipandi jugulârunt. (m)

(m) Vide Natal. Alexandr. Differt. VII. in Sæc. VIII. p. 801.

3. Quemadmodum verò Ecclesia novarum hæresum deliria, his orthodoxis expositionibus retundebat; ita Patres & Scriptores sacri non neglexêre dogmata illa in aliis sæculis jam asserta repetitis testimoniis firmare: sic *Ecclesiæ authoritatem* & *traditionem* ratam habuit Concil. Generale VII. Act. 7. Damascenus lib. 4. de fide c. 13. *Liberum arbitrium* propugnavit Beda in Genes. c. 2. *Bona opera & Merita* Gregorius III. in Ep. 2. ad Bonifacium, *Eucharistiæ veritatem* Damascenus de fide L. 4. c. 14. *Pœnitentiæ Sacramentum* Alcuinus de div. Offic. in c. jejunii. *Purgatorium* Damascen. in Orat. *quod hi, qui cum fide ex hac vita* &c. Hæc aliaque latiùs exposita vide apud Nicolaum Schatenum S. J. in libro, cui titulus: *Carolus M. Romano-Catholicus libris 4. explicatus, & adversus Christ. Nifanium vindicatus, & impressus Francofurti* A. 1700.

§. II.
De Disciplina Ecclesiæ in sæculo VIII.

1. QUoniam de *electione Pontificis* ac ejus vicissitudinibus suprà egimus (a); à summo Ecclesiæ capite ad *Primates* sermonem convertimus; Horum sub turbulenta sæculi VIII. initia in Francia nullus erat, S. Bonifacio id testante: *Franci plusquam per tempus octoginta annorum*

(a) Vide Reflex. I. ad §. II. C. II. L. VIII. p. 117.

rum synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt; nec Ecclesiæ Canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maximâ ex parte per civitates episcopales sedes traditæ sunt Laicis cupidis ad possidendum vel adulteratis Clericis, scortatoribus & publicanis seculariter ad perfruendum (b). Malo ejusmodi ut remedium afferretur, à Pontificibus Bonifacius Vicarius Apostolicus per Gallias & Germaniam constitutus est, quod officium per annos 25. gessit, nulli certæ sedi affixus; donec Zacharias P. ipsum Ecclesiæ Moguntinæ Metropolitanum constituit (c) cum jure Primatûs in omnes Germaniæ & Galliæ Episcopos; quà prærogativâ auctus synodos ex utriusque gentis Præsulibus convocabat, Ecclesiis Rothomagensi, Remensi & Senonensi ordinabat Metropolitas, illísque pallium à Pontifice impetrabat (d). Primatus hic S. Bonifacii in Ecclesias Gallicanas an ad successores transierit, alii affirmant (e), alii negant (f): certè nullos in Galliis Primates fuisse tempore synodi Francofordiensis ex hujus canone VI. colligas, in quo Carolus M. edicit, ut ad suum tribunal deferantur negotia, quæ à Metropolitanis finiri non poterunt; non ita decreturus, siquidem superiores ultra Primates extitissent, ad quos porrò provocandi facultas fuisset (g). Ubi tamen adverte non hìc agi de judiciaria in causis spiritualibus potestate, sed de authoritate & sententia Metropolitani tuendâ à rege, cui defensio & Advocatia Ecclesiarum commissa est.

(b) S. Bonifacius in ep. ad Zachariam Papam.

(c) Hincmarus epist. 6. c. 19. Serarius in V. Bonif.

(d) Vide Epist. Zach. & Bonif. Item Flodoard. Hist. Rem. l. 2. c. 16.

(e) Vid. Morinum ad Zach. lit.

(f) Thomasinus.

(g) Concil. Francoford. can. 6.

2. Cæterùm dum de Primatibus hìc loquimur, non de nomine sed de re ac officio propriè dicto id asserimus; nam si titulum Primatis præcisè spectes, eo Metropolitani quivis abutebantur, ut proinde Carolus ad abusum ejusmodi tollendum statuerit: *Ne alii Metropolitani appellentur Primates, nisi illi qui primas sedes tenent, & quos SS. Patres synodali & Apostolica auctoritate Primates esse decreverunt. Reliqui verò, qui alias Metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur* (h). His Metropolitanis verò ut suus quoque staret honos, agente Pipino in Vernensi conventu decretum est, ut Episcopi Metropolitanis præstarent obedientiam *secundùm Canonicam institutionem.* Eâdem ex causâ Carolus M. sanxit (i): *ut ad Metropolitanum Episcopum suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis Parochiis sinè conscientia & consilio sui Metropolitani, nec Metropolitanus sine eorum consilio.*

(h) Lib. 7. Capitular. c. 36.

(i) Capitular. Aquisgran.

3(A Metropolitanis ad *Episcopos* descendimus, qui si novi instituendi erant in Provinciis recens ad fidem couversis, eorum institutio authoritate Romani Pontificis peragebatur, utì ex Episcopatibus illis patet, quos S. Bonifacius in Germania fundavit (k). Cæteri verò Episcopi Canonicè jubente etiam Carolo M. eligebantur, qui ajebat: *sacrorum Canonum non ignari* (l) . . . *adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundùm statuta Canonum de pro-*

(k) Vide supra p. 1084. v. 9.

(l) Capit. Aquisgran. c. 2.

propriâ Diœcesi eligantur. Electio confirmabatur à Metropolitano; nam etsi electionum confirmatio ad Pontificem Romanum pertineret; eo tamen non utebatur per totum Occidentem, sed in Ecclesiis tantùm suburbicariis secundùm morem priorum sæculorum. Jurisdictio Episcoporum ex synodo Vernensi colligitur: *Unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero, quàm de regularibus vel sæcularibus ad corrigendum & emendandum secundùm ordinem Canonicum spiritualem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint* (m). Imò Carolus M. statuit: *ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcodo dijudicentur, non à sæcularibus* (n).

4. De aliis ritibus quæ Ecclesiasticam Monasticámque disciplinam spectant, in sequenti Tomo latior differendi locus erit.

§. III.
De præcipuis Conciliis sæculi VIII.

1. SUb GREGORIO II. P. A. 726. *Romanum* adversus Iconoclastas (a).

2. *Sub* GREGORIO III. P. duo Romana Concilia adversus Iconomachos (b). *Sub* ZACHARIA P. Anno 742. *Germanicum*, in quo de Disciplina editi sunt canones XIX. (c). A. 743. *Liptinense* prope Cameracum, in quo Adalbertus Gallus & Clemens Scotus damnati sunt: habentur ibidem Canones quatuor de disciplina (d). Eodem anno *Romanum* de Disciplina (e). A. 744. *Suessionense* in Picardia condidit decem Canones de Disciplina (f). A. 745. *Germanicum II.* contra Hæreticos & Gervilionem Ep. Moguntinum ob homicidium depositum (g).

3. *Sub* STEPHANO II. *Vermeriense* in diœcesi Suessionensi, in quo contra incestum fornicationes & adulteria actum per 21. Canones (h). Anno 753. *Metense I.* condidit Canones octo (i). A. 754. *Pseudosynodus* Iconoclastarum *Constantinopolitana* (k). A. 755. *Vernense* C. ad Senam fl. in palatio Pipini (l). A. 756. *Compendiense* Concilium ad Isaram fl. extant 18. Canones de gradibus consanguinitatis &c. (m)

4. *Sub* PAULO *Papa Gentiliacense* in agro Parisiensi de Ss. Imaginibus, de voce *filioque* symbolo addita (n). *Sub* STEPHANO III. *P.* A. 769. *Romanum* contra Constantinum Antipapam (o). *Sub* HADRIANO *Papa* A. 787. NICÆNUM II., GENERALE VII. contra Iconomachos (p). A. 789. *Aquisgranense* habet capitula 82. de Disciplina & Regimine Ecclesiæ (q). A. 791. *Forojuliense* contra Felicem & Elipandum: extant Canones 14. adversus simoniam, impudicitiam & ebrietatem Clericorum (r). A. 792. *Ratisponense*, quo Felicis error rursus damnatur (s). A. 794. *Francofordiense* eandem causam tractat, ediditque decretum de cultu imaginum, de quo vide dicta supra. *Sub* LEONE III. *Romanum* contra Felicem (t). *Romanum II.*, in quo Leo III. à criminibus sibi objectis se purgabat (u).

SYLLA-

(m) Synod. Vern c. 5.
(n) Capit. Aquisgran c. 28.
(a) Labbe T. VII. p. 915.
(b) Anastas. in V. Gregorii III.
(c) Cointius ad a. 743. n. 34. 35. T. V. p. 92.
(d) idem ad a. 744. Tom. V. p. 105.
(e) Acta CC. Harduin. T. III. p. 1027.
(f) Cointius ad a. 745. T. V. p. 118.
(g) Harduin. in Act. CC. T. III. p. 1933.
(h) Coint. T. V. p. 339.
(i) Harduin. l. c. p. 1991.
(k) vide Act. 6. Nicæn. II.
(l) Coint. T. V. p. 529.
(m) idem p. 587.
(n) Idem l. c. p. 698.
(o) Anastas in V. Stephani IV.
(p) Act. CC. apud Harduin. T. IV.
(q) vid. Labbe T. VII. p. 966.
(r) Coint. T. VI. p. 540.
(s) idem p. 476.
(t) Labbe T. VII. p. 1150.
(u) Anastas. in V. Leonis III.

SYLLABUS

REFLEXIONUM HISTORICO-POLITICARUM

REFLEXIONES AD LIB. VI. HISTORIÆ ROMANI IMPERII.

REFLEXIO I. Quare Anastasius Imperator Chrysargyrum, infestum tributi genus aboleverit? *pag.* 407

II. Quæ & quanta Authoritas sit illarum legum, quas Imperatores, & præcipuè Justinianus de Personis, ac rebus Ecclesiasticis tulêre? 412

III. De Corpore Juris â Justiniano collecto, tum ejus partibus. 419

IV. Quæ nova forma Magistratuum, Provinciarum ac urbium fuerit sub Justiniano? 428

V. De statu militari in sæculo VI. 436

VI. De Ostrogothorum legibus & Magistratibus. 442

VII. De legibus Visigothorum. 447

VIII Quando Burgundiones leges scriptas acceperint, & ad quod tempus Legum earum vigor steterit? 451

IX. De Thuringorum origine, eorum regno & hujus regni interitu. 456

X. De Legibus Salicis, Ripuariorum, aliorumque Francis devinctorum populorum. 465

XI. De Scriptoribus Profanis Sæculi VI. 470

REFLEXIONES AD LIBRUM VII. HISTORIÆ ROM. IMPERII.

REFLEXIO I. De Nummorum Byzantinorum figuris, symbolis ac inscriptionibus. *pag.* 805

II. De veterum Arabum Republica ac religione ante Mahometismum. 809

III. De Monomachia judiciali ad detegendos criminum reos, & ad alias controversias dirimendas olim adhiberi solita. 812

IV. De Longobardicis Legibus, earum authoritate & usu. 819

V. De Scriptoribus profanis Sæculi VII. 823

REFLEXIONES AD LIBRUM VIII. HISTORIÆ ROM. IMPERII.

REFLEXIO I. De Advocatiæ Ecclesiasticæ origine, dignitate, officio & potestate. *pag.* 1049

II. De Pipini & Caroli M. Donationibus, quibus Patrimonium S. Petri auxerunt & amplificârunt.

III. Cujus Authoritate Regnum Francorum â Childerico Merovingicorum regum ultimo ad Pipinum translatum sit? 1065

IV. De Scriptoribus profanis Sæculi VIII. 1070

SYLLA-

SYLLABUS

REFLEXIONUM HISTORICO-ECCLESIASTICARUM

REFLEXIONES AD LIB. VI. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

Reflexio I. Quibus ex causis Ecclesia Henoticon Zenonis abominata sit? *pag.* 601
II. Quibus ex fontibus originem habeant bona Ecclesiastica: quis ea administraverit & quando divisio bonorum eorundem primò instituta sit? 607
III. An Decretum de Canonicis & Apocryphis libris, quod in Concilio Romano editum dicitur, Pontificem Gelasium habuerit Authorem? 614
IV. An verum sit illud, Primam Sedem â nemine judicari? 621
V. De antiquioribus Collectionibus Canonum. 628
VI. De Patriarchatûs Aquilejensis origine, progressu & extinctione ejusdem recenter Anno MDCCLI. factâ. 637
VI. De Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculi VI. 644
VII. De Doctrina & Disciplina ejusdem Sæculi
§. I. De orthodoxia Doctrinæ 665
§. II. De Disciplina Ecclesiæ 671
§ III. De Conciliis, quæ eodem in Sæculo de Doctrina & Disciplina tractarunt. 677

REFLEXIONES AD LIB. VII. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

Reflexio I. An Honorius Pontifex in suis ad Sergium Epistolis Monothelitarum errorem professus sit? *pag.* 905
II. An & cur Synodus VI. Generalis Honorium damnaverit? 917
III. De Canonibus Trullanis. 927
IV. De Scriptoribus sacris in Sæculo VII. 935
V. De Doctrina & Disciplina Ecclesiæ in Sæculo VII.
§. I. De Doctrina orthodoxa ejusdem Sæculi. 937
§. II. De Disciplina Sæculi VII. 942
§. III. De Conciliis, in quibus de Doctrina & Disciplina in Sæculo VII. tractabatur. 945

REFLEXIONES AD LIB. VIII. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Reflexio I. De tribus Episcopatibus, *Wirceburgensi*, *Buraburgensi* & *Erphesfordiensi* â S. Bonifacio institutis. *pag.* 1110
II. An Hadrianus Pontifex Carolo Magno concesserit jus eligendi Pontifices? 1117
III. De Libris Carolinis & de canone secundo Francofordiensis Synodi. 1121
IV. De Scriptoribus Ecclesiasticis in Sæculo VIII. 1125
V. De Doctrina & Disciplina Ecclesiæ
§. I. De Doctrinæ orrhodoxia in Sæculo VIII. 1129
§. II. De Disciplina Sæculi ejusdem 1132
§. III. De Conciliis, quæ eodem tempore de Doctrina & Disciplina celebrata sunt. 1134

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS
Sacræ & Civilis Hiſtoriæ, quæ in hoc Volumine Tertio comprehenditur.

Anni Chronolog.	A SÆCULO V. ÆRÆ CHRISTIANÆ AD VII.	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
476	*Baſiliſcus Tyrannus & Hæreticus revocat ab exilio Eutychianos* p. 478 Odoacer occupat Italiæ regnum p. 209 210 Euricus Viſigothorum regnum auget p. 274 Zeno in regnum reſtituitur p. 5	Zeno Imp. regnavit an. 17. menſ. 3.	*Simplicius ſedit an. 15. dieb. 6.*
477	Julius Nepos aſpirat ad Imperium p. 210 Hunericus Genſerici filius in Africa regnat p. 385 *Pſeudoſynodus Epheſina* ibid. *Petrus Fullo & Timotheus Ælurus turbant Orientis Eccleſiam. Baſiliſci Encyclica contra Chalcedon. Synodum* p. 480		
478	Bellum Theodorici Strabonis contra Zenonem p. 5 Odoacer mittit legatos ad Zenonem p. 211 *Synodus Romana ſub SIMPLICIO Papa.* item *Conſtantinopolitana ſub Acacio Patriarcha contra Eutych.* p. 481		
479	Marciani ſeditio comprimitur p. 6 *Carthaginenſes rurſus Catholicum Epiſcopum accipiunt* p. 482		
480	Legatio Conſtantinopoli mittitur in Africam ad Hunericum p. 387 Funeſtus exitus Julii Nepotis p. 212		
481	Fatum Theodorici Strabonis p. 8 Odoacer contra Rugios bellum gerit p. 213 Obitus Childerici Francorum Regis p. 305 Sepulchrum ejus & monumenta p. 306 Childerico ſuccedit Clodoveus ibid. *Stephanus Antiochenus Patriarcha Martyr* p. 483 *Cui Calendio ſuccedit* ibid		
482	Theodoricus Amalus Macedoniam & Theſſaliam expilat p. 9 *Timotheo Soloſaciolo Alexandrino Patriarchæ ſufficitur Joannes Talaja* p. 484 *Petrus Mongus ab Acacio Conſtantinop. præfertur Talajæ* p. 485. *Eodem Acacio Authore Zeno promulgat Henoticum* p. 10 486 601 &c. *Joannes Talaja ad Papam appellat* p. 487		
483	Zeno Theodorico Amalo abdicat partem inferioris Daciæ & Mœſiæ, eique conciliandæ pacis causâ varios honores tribuit p. 9 *Hunericus Rex Vandalorum perſequitur Catholicos* p. 387 388 389 490 *Virgines præcipuè exagitat* p. 491 *In collatione Carthaginenſi Epiſcopos injurioſè tractatos in exilium ejicit* ibid. *Martyrum ingens multitudo* p. 492 *Confeſſores evulſâ linguâ loquuntur* ibid. *Obitus Simplicii Papæ* p. 487 *cui ſuccedit FELIX III.* p. 489		
484	Illus inſtigat Zenonem, ut Verinam in exilium ejiciat p. 11 Illi conjuratio contra Zenonem p. 12 Verina coronat Leontium p. 13 Eurici Viſigothorum Regis obitus p. 276 moritur Hunericus Vandalor. Rex p. 390 ſuccedit Gundamundus p. 391 *Legati Pontificis à Zenone decepti communicant Eutychianis* p. 493 *reverſi Romam damnantur cum Acacio & Mongo* p. 494		*Felix III. ſedit an. 8. m. 11. d. 16.*
485	Zeno Illum & Leontium opprimit p. 13 *Inventio Reliquiarum S. Barnabæ* p. 496 *pax datur Afrorum Eccleſiis* p. 497 *Synodus de lapſis in Africana perſecutione.*		

Anni Chronolog.	*Sæculum V. Æra Chriſtiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
486	Clodoveus extincto Romanorum in Gallia Imperio Francicum condit Regnum p. 30▮ Thraſamundus Gundamundi Vandalorum Regis locum implet p. 391 *perſequitur Catholicos* p. 392		
487	Theodorici Amali bellum contra Zenonem p. 14 perſuaſus à Zenone in Italiam movet p. 15 Rugiorum regnum extinguitur p. 313		
488	Vitia Zenonis p. 16 Hengiſtus Saxo ſeptentrionalem Britanniam invadit p. 397 moritur, ibid. Æſca filius ei ſuccedit p. 397 *Mors impia Petri Fullonis* p. 498		
489	Victoriæ Theodorici contra Odoacrem p. 215		
490	Zeno conſultat Magos de ſucceſſore p. 16 in Magnates ſævit p. 17 Theodoricus Ticinum occupat p. 215 *Euphemius* creatur Ep. Conſtantinop. p. 498 moritur Zeno p. 17 Longinus ejus frater inhiat Imperio p. 18		
491	ANASTASIUS Ariadnæ ſtudio creatur Imperator, ibid. Euphemius ei reſiſtit, & formulam fidei Catholicæ ab eodem exigit p. 19 498 499 Anaſtaſius Chryſargyrum abolet p. 20 407 Theodoricus obſidetur intra Ticinum ab Odoacre p. 216 vincit verò Odoacrem auctus auxiliis Viſigothorum p. 217 obſidet Ravennam p. 217 Clodovei bellum cum Thuringis p. 309	Anaſtaſius regnavit an. 27. m. 2. d. 29.	
492	Iſauri rebellant contra Anaſtaſium p. 20 vincuntur p. 21 *moritur Felix III. Papa, cui GELASIUS ſuccedit* p. 500		*Gelaſius ſedit an. 4. m. 8. d. 18.*
493	Theodoricus obtinet Italiæ regnum p. 21 218 Odoacrem occidit p. 218 Clodoveus Rex Francorum Clotildem uxorem ducit p. 309 310 311 Ambroſii Britonum Regis victoria contra Saxones ad Badonicum montem p. 397		
494	Theodoricus S. Epiphanium mittit ad Gundobaldum Burgundiæ Regem pro redimendis captivis p. 225 Ingomeris filius Clodovei naſcitur, baptizatur & moritur p. 312		
495	Clodomius alter filius Clodovei naſcitur & baptizatur p. 312 *Synodus I. Romana ſub Gelaſio in cauſa Miſeni* p. 502 *Decretum de Canone Scripturarum* p. 502 614 *præcipit ſumptionem Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie* p. 503		
496	*Euphemius Conſtantinop. Ep. ob proditum Anaſtaſii Imp. ſecretum depoſitus* p. 22 Clodoveus invocato Chriſti nomine de Alemannis victoriam reportat p. 313 baptizatur p. 317 *moritur Gelaſius Papa* p. 504 *cui ſuccedit ANASTASIUS II* ibid.		*Anaſtaſius II. ſedit an. 1. m. 11.*
497	Belli Iſaurici finis p. 22 Theodorici Ariani Regis benevolentia erga Catholicos p. 226 Ambroſii Britonum Regis obitus p. 398 *Anaſtaſius Papa mittit legationem Conſtantinopolim* p. 504 *Feſti prævaricatio* p. 505		
498	Plebs Conſtantinopolitana rebellat adverſus Anaſtaſium Imp. p. 23. Theodoricus Rex Gothor. legatos mittit ad eundem Imp. p. 227 moritur Anaſtaſius Papa p. 505 *ſuccedit SYMMACHUS* ibid. *Laurentius Antipapa.*		
499	Saraceni & Bulgari invadunt Provincias Imperii p. 23 24 Clodoveus bellum gerit contra Gundobaldum Burgundion. Regem p. 321 *Theodoricus Rex Gothorum pro Symmacho ſententiam dicit* p. 228 505 *Synodus Romana* ibid.		*Symmachus ſedit an. 15. m. 7. d. 27.*
500	Theodoricus Romanam urbem inviſit p. 228 reparat urbis mœnia p. 229 Theodorici Edictum p. 230 Godegiſilus à fratre & Rege Gundobaldo interficitur p. 322 *Synodus Rom. II. ſub Symmacho* p. 322		

SÆCULUM VI. ÆRÆ CHRISTIANÆ.

Anni Chronolog.		Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
501	Anaſtaſius emit pacem à Bulgaris p. 24		
502	Cabades Rex Perſarum in Oriente bellum movet p. 25 *Synodus III. Romana ſub Symmacho* p. 506		
503	Perſarum victoria contra Cæſarem p. 26 *Recrudeſcit ſchiſma Laurentii Antipapæ* p. 506 *Synodus Palmaris* p. 507		
504	Pax Romanos inter & Perſas p. 27 Theodoricus Rex Gothorum Bulgaros in Illyrico domat p. 232 *Ennodii Apologia pro Symmacho* p. 508 *Synodus V. Romana* ibid.		
505	*Synodus VI. Romana* p. 508 *Symmachi Apologia adverſus Cæſarem Anaſtaſium* p. 508		
506	Promulgatur Codex Alaricianus p. 277 *Anaſtaſius Imp. vexat Orthodoxos* p. 509 *Perſecutio Africana* ibid. *Concilium Agathenſe* p. 509 *Regula S. Cæſarei* p. 510		
507	Anaſtaſius Imp. à Ponto Euxino ad Propontidem murum ducit p. 27 bellum inter Alaricum Viſigothor. Regem & Clodoveum Fr. p. 277 pugna in campo Vogladenſi p. 279 325 cædes Alarici ibid., cui ſuccedit Gelaſicus p. 279		
308	Anaſtaſius Clodoveo mittit Conſulatûs inſignia p. 29 326		
509	Theodoricus Rex mittit auxilia Viſigothis in Galliam p. 280 325 Cloderịcus inſtigante Clodoveo Sigebertum Patrem interficit p. 328		
510	Theodoricus devictis Francis Gallo-Provinciam ſibi retinet p. 280 Geſalici fuga in Africam p. 281 Clodoveus Ragnacarium Cameraci Regulum opprimit p. 329		
511	Anaſtaſius perſequitur Eccleſiam p. 29 511 Theodoricus regni Hiſpanici tutelam ſuſcipit p. 281 mors & ſepultura Clodovei p. 330 Ejus quatuor filii regnum dividunt p. 331. *Synodus Aurelianenſis* p. 512.		
512	Vitalianus movet bellum contra Anaſtaſium Imp p. 30		
513	Anaſtaſius Vitaliani motus & plebis vim perjurio eludit p. 31		
514	*Obitus Symmachi Papæ* p. 514 *cui HORMISDAS ſuccedit* ibid. *Turbæ in Oriente ob additamentum Triſagii* p. 514		*Hormiſdas an. 9. d. 11.*
515	Mors Ariadnæ Auguſtæ p. 32 Theodoricus Rex Gothorum Eutharicum ſucceſſorem & maritum filiæ Amalaſunthæ conſtituit p. 233 *Hormiſdas mittit legatos in Orientem* p. 514 *irrito cum eventu* p. 515		
516	*Tarraconenſis Synodus* p. 516		
517	Gundobaldus Rex Burgund. moritur p. 332. Sigiſmundus Patri ſuccedit ibid *Anaſtaſius Imp. perſecutionem contra Catholicos exacerbat* p. 515 *Synodus Gerundenſis* p. 515 *Epaonenſis Synodus* p. 517 *Lugdunenſis* ibid.		
518	Anaſtaſii mors repentina p. 33 ſuccedit JUSTINUS p. 35 res Eccleſiæ tuetur p. 37 *Synodus Chalcedon. Conſtantinopoli rurſus prædicatur* p. 518 *Synodus Conſtantinopolitana* ibid. *Synodus Tyrienſis* ibid. *Concordia inter Orientales & Occidentales Eccleſias redintegratur* p. 519	Juſtinus regn. ann. 9. d. 23.	
519	*Hormiſdas Orientalium diſſidia Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo de finienda tradit* p. 521 *Doctrina Fauſti Regienſis à Scythis Monachis impugnatur* p 521 *Legati Apoſtolici recuſant admittere additamentum Triſagii* p 522 *Monachi Scythæ ideo ad Pontificem provocant* p. 524		
520	Vitaliano Juſtinianus mortem machinatur p. 42. *Monachi Scythæ a Pontifice*		

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	fice repulsi ad Africanos Episcopos in Sardinia exules confugiunt p. 524 *& patronos inveniunt* ibid. *iidem Româ discedunt* ibid.		
521	Consulatus Justiniani p. 43 Bellum Persarum contra Romanos, ibid. Cabades Rex Persarum vult à Justino Chosroen filium adoptari p. 33 Adoptione repudiatâ bellum recrudescit p. 45 *Lazorum Rex Christo dat nomen* p 46 *Dunaan Homeritas Christianos persequitur* p. 47 *Possessor Africanus Episcopus consulit Pontificem de Fausti Regiensis libris* p. 525		
522	Theodorici Regis Gothorum in pejus mutatio p. 234 Sigericus filius Sigismundi Burgund. Regis jussu Patris interficitur p. 332		
523	Elesbaan Rex Auximitarum vindicat Christianos à Dunaane oppressos p. 48 Clodomirus Sigismundum & fratrem ejus Godomarum prælio superat, Sigismundus capitur p. 333. Hildericus Hunerici filius succedit Trasamundo in regno Vandalico p. 393 *restituit pacem Ecclesiæ Africanæ* p. 527 *Obitus Hormisdæ Papæ*, ibid. *succedit JOANNES* ibid.		*Joannes P. sedit an. 2. m. 9. d. 6.*
524	Theodoricus Rex Italiæ Joannem Papam cogit fungi legatione Constantinopolitanâ apud Justinum p. 50 527. Boetium capite damnat p. 237 Sigismundi Burgund. Regis mors funesta p. 334 335 *Synodus Arelatensis IV.* p. 527		
525	*Synodus Carthag.* p. 527. *Joannes Papa venit Constantinopolim* p. 528. *Legationis injunctæ capita* ibid. *Ritum Latinorum Constantinopoli adhibet* p. 529 *Justinum coronat* p. 51 Fratres Clodomiri mortui terras partiuntur p. 335		
526	Antiochia motu terræ concutitur p. 51 aliarum urbium ruina p. 52 *Joannes Papa Romam reversus carceris squalore extinguitur* p. 238 530 *succedit FELIX IV.* Mors funesta Theodorici Regis Gothorum p. 240 Amalaricus regnat in Hispania p. 282 Athalaricus succedit Theodorico, cujus tutelam gerit Amalasuntha p. 240 Bellum intestinum Thuringorum p. 336		*Felix IV. sedit an. 4 m. 2. d. 6.*
527	JUSTINIANUS Imp. succedit Justino p. 52 53 ejus orthodoxia p. 54 Hæreticos persequitur p. 55 Theodoricus Rex Austrasiæ Thuringos subjugat p. 337 *Synodus Carpentoractensis* p. 531	Justinianus regnavit an. 38. m. 7. d. 13.	
528	Corpus Justinianeum colligitur p. 58 419 S. Benedictus Casini Monasterium struit & regulam condit p. 549		
529	Finis regni Thuringici p. 338 464 465 *Synodus Arausicana II.* p. 531 & 532 *Synodus Vasionensis II.* p. 533		
530	Justinianus varias leges promulgat de Oeconomia Ecclesiastica p. 56 57 58 412 ejusdem bellum contra Persas p. 59 60 *Synodus Valentina* p 533 *Mors Felicis IV. Papæ, quem secutus est BONIFACIUS II.* p. 534 *duæ Synodi Romanæ sub Bonifacio II.* p 534		*Bonifacius II. sedit an. 2. d. 20.*
531	Cæsareorum clades à Persis accepta p. 63 Mors Cabadis Regis Persarum, ibid. Amalaricus Rex Visigoth. regnum cum vita amittit p. 284 339 cui Theudis succedit ibid. *Synodus II. Toletana* p. 535 *Corrupticolarum & Phantasiastarum hæresis* p. 551 item *Agnoëtarum* ibid.		
532	Godomarus vincit Clodomirum, & interficit p. 334 Seditio oritur Constantinopoli p. 64 Hypatius invadit Imperium, & interficitur p. 65 *Obitus Bonifacii II. Papæ* p. 535 *Dionysius Exiguus huic anno alligat initium sui cycli* p. 536. *JOANNES Papa eligitur* p. 536	*Joannes II. sedit an. 2. m. 4. d. 26.*	

Pax

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
533	Pax Romanos inter & Persas p. 65 initium belli Vandalici p. 66 67 Belisarius Justiniani classem ducit in Siciliam p. 67 inde in Africam p 68 Carthaginem subjugat p. 69 vincit, fugátque Gelimerem p. 71 Gelimer alterâ clade in fugam actus obsidetur in monte Pappua p. 73 dedit se Gelimer, & Constantinopolim deportatur p. 74 75 Filii Clodomiri Franc. Regis superstites à Childeberto & Clothario jugulantur p. 341 *Collatio Catholicorum cum Severianis* p. 537 538 *Acœmetarum Monachorum contra Scythas varii motus* p. 539		
534	Præmatura mors Athalarici Gothorum Regis p. 243 Theodatus ab Amalasuntha in conjugem & Regem eligitur ibid. Amalasunthæ funestus exitus p. 244 Theodoricus Rex Franc. moritur p. 342 cui Theodebertus in regno Austrasiæ succedit ibid. Childebertus, Chlotharius & Theodebertus Godomari Regis Burgundici regnum dividunt p. 343 *Joannes II. Papa approbat hanc propositionem*: unus è Trinitate passus est carne p. 540 *Aliæ propositiones ab eodem approbatæ* ibid. *Synodus Aurelianens. II. Syn. Carthag.* p. 541		
535	*Mors Joannis II. Papæ, cui succedit AGAPETUS* p. 541. *Synodus Arvernensis* p. 542 *Agapetus ad Imperatorem Justinianum Theodati nomine legationem suscipere cogitur* p. 542		*Agapetus sed. m. 10 d. 19.*
536	Theodati Ostrogoth. Regis perfida inconstantia p. 79 244 Neapolim expugnat Belisarius p. 80 81 Vitiges Theodato Regi succedit p. 82 245 Belisarius recuperat Romam p. 84 246 *Agapetus Pontifex Thaumaturgus* p. 542 *Anthimo Constantinop. Ep. deposito substituit Mennam* p. 543 *Mors Agapeti* ibid. *Synodus Constantinop. sub Menna* p. 544. *SILVERIUS Papa successor Agapeti* ibid.		*Silverius sedit an 1. m. 5. d. 11.*
537	Gothi Romam obsident p. 85 Childebertus & Theodebertus contra Clotharium arma movent, quod bellum componitur precibus Chlotildis p. 344 *Vigilius Antipapa* p. 544		
538	Vitiges obsides necat p. 87 auxilia Romani accipiunt & vincunt Gothos p. 87 Gothi Romam obsident p. 88 89 alterâ vice Romanam urbem obsident p. 90 Solvit obsidionem Vitiges, ibid. Intestina dissidia Ducum in exercitu Cæsareo p. 91 29 93 Vitigi Theodebertus decem millia Burgundionum in auxilium mittit p. 345 *Mors Silverii Papæ & Martyris* p. 545 *VIGILIUS electione novâ fit legitimus Papa. Aurelianense III. Concilium* p. 546		
539	Mediolanensium strages p. 93 246 Vitiges Persas concitat adversus Cæsareos p. 94 Theodeberti Fr. Regis expeditio in Italiam p. 95 96 247 345 Gothi regnum Italiæ deferunt Belisario p. 97		
540	Belisarius Ravennam cum Vitige Rege capit p. 98 247, eúmque Constantinopolim deportat p. 100 Negligentia Rom. Ducum in Italia p. 105 Ildibaldus Rex Gothorum in convivio interficitur p. 249		
541	Chosroes Rex Persarum tentat Edessam & Daram p. 100 Belisarius cum Persis causam Imperii agit p. 101 Erarico Gothorum Regi sufficitur Totila p. 105 p. 250 *Aurelianensis Synodus IV.* p. 546 *Varias turbas cient Origenistæ* p. 552		

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
542	Chosroes Comagenam expugnat p. 101 Thesauris Hierosolymæ inhiat p. 102 redit trajecto Euphrate p. 103 Totila Beneventum occupat p. 251 Childeberti & Clotharii bellum in Hispania p. 347		
543	Belisarius æmulorum invidiâ & Cæsaris odio premitur p. 103 104 *Mors S. Benedicti* p. 550 *Origenistæ damnantur adjuvante Justiniano* p. 552		
544	Belisarius redit in gratiam Justiniani & remittitur in Italiam p. 106 ejus difficultates p. 107 *Tria capitula ex Concilio Chalcedonensi in controversiam adducuntur* p. 553 *ea damnat Justinianus* p. 554 *uti & Patriarchæ*		
545	Totila obsidet Romam p. 108 109 252 Bessæ in defendenda Urbe ignavia p. 108 111		
546	Belisarius conatur adducere obsessæ Romæ auxilia p. 110 casu exterritus cœptis absistit p. 111		
547	Totila Romanæ urbis captæ muros diruit p. 112 Belisarius urbem recipit p 113 fugit in Siciliam p. 114 Theodebertus Rex Franc. moritur p. 349 cui Theodebaldus filius succedit ibid. *Vigilius Papa venit Constantinopolim* p. 555 *ubi fidei causam fortiter gerit* ibid.		
548	Theodoræ Augustæ obitus p. 115 Revocatur Belisarius in Orientem p. 115 116 Totila rursus Romam occupat p 116 Theudi Visigoth. Regi sufficitur Theudisclus p. 286 inter epulas jugulatur p. 287 *Judicatum Vigilii* p. 555		
549	Germanus bello Italico præficitur 117 Agila Visigoth. regnum accipit p. 287		
550	Totila vastat Siciliam p. 118 *Synodus Oecumenica pro tribus capitulis indicitur* p. 556 Gubazes Rex Lazorum Justiniani auxilia implorat p. 134 Romani Petram in Lazica occupant p. 135		
551	*Synodus Mopsvestena* p. 556 *Justiniani edictum adversus tria capitula* p. 557 *Vigilius Græcos Episcopos suâ communione privat* p. 557 *Vigilio vis affertur* p. 558 *Pontifex Chalcedonem fugit* p. 559 *Synodus Parisiensis II.* p. 569 Justinianus emendo pacem à Persis offendit Lazos p. 136 137 Gubazes Rex Lazorum perfidè à Romanis interficitur p. 37 Parricidæ à Justiniano puniuntur p. 139		
552	Totila à Narsete victus occiditur p. 254 Tejas succedit p. 255 in prælio fortiter occumbit ibid. Leutharis & Butilini Francorum grassationes in Italia p. 129 *Justinianus legatos ad Papam Chalcedonem mittit, cui Pontifex fortiter respondet* p. 559		
553	Exercitus Leutharis peste absumitur p. 130 Butilinus à Narsete victus interficitur p. 131 Mors Theodebaldi, cujus Regnum obtinet Clotharius p. 349 *Justinianus curat indici Concilium generale de tribus capitulis* p. 560 *Synodus V. Generalis in eadem causa* à pag 561 ad 567 *Vigilius V. Synodum hanc confirmat* p. 567		
554	Occiso Agila Athanagildus regnat in Hispania p. 287 Bellum Gothicum in Italia finem accipit p. 133 *Mors Vigilii Papæ, Synodus Arelatensis V.* p. 569		
555	Clotharius Saxones rebellantes vincit p. 351 & rursus ab iis victus pacem petere cogitur p. 352 *PELAGIUS I. Pontifex creatur* p. 565		*Pelagius sedis*
556	Romani inducias ineunt cum Persis p. 140 moritur Athanagildus Rex Visigoth. p. 288 Chramni rebellio adversus Patrem Clotharium p 325		*an. 4. m. 10. d. 18.*

Pela.

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Chriſtiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	Pelagius antea Italorum aliorúmque odio preſſus, eosdem ſibi rurſus devincit, Synodi V. decreta ſtabiliendo p. 569		
557	*Synodus Pariſienſis III.* p. 569		
558	Peſtis ſævit Conſtantinopoli p. 141 Hunni Thraciam invadunt p. 142 his opponitur decrepitus penè Beliſarius cum parvâ militum manu & ſtratagemate hoſtes vincit p. 143 Mors Childeberti Franc. Regis p. 353		
559	Chramnus ſecundò rebellat adverſus Patrem p. 354		
560	Chramnus cum uxore & filiabus capitur & igne conſumitur p. 354 *Mors Pelagii Papæ. JOANNES III. ei ſuccedit* p. 569 *Concilium Bracarenſe* p. 570		*Joannes III. ſedit an. 12. m. 11. d. 26.*
561	Mors Clotharii Fr. Regis p. 355 filii dividunt Regnum ibid.		
562	Hunni irrumpunt in Thuringiam d. 355		
563	Conjuratio adverſus Juſtinianum p. 144 hujus criminis quoque inſimulatus Beliſarius in cuſtodiam datur p. 145 Civile bellum inter Chilpericum & Sigebertum p. 355		
564	Beliſarius honoribus reſtituitur, paulò pòſt moritur p. 146		
565	Mors Juſtiniani p. 147 *Error Juſtiniani* p. 570 JUSTINUS II. p. 148 149 Edictum Juſtini pro Eccleſiæ pace 150 Avaribus dare tributum renuit p. 151	Juſtinus regnavit an. 12. m. 10. d. 22.	
566	Edictum Juſtini de facultate diſſolvendi matrimonium p. 152 Turcorum prima legatio ad Juſtinum Imp. p. 153 Juſtini Ducis funeſtus interitus p. 154 *Synodus Turonenſis* p 572		
567	Narſes ex Italia à Juſtino revocatur p. 155 257 Sophiæ convitio turbatur p. 156 258 Longobardos in Italiam accerſit p. 157 258 moritur Athanagildus Rex Viſigoth. p. 288. mors Chariberti Fr. Regis p. 356 Brunechildus Sigeberti Fr. Regis ſponſa ex Hiſpania adducitur p. 357 *Synodus Lugdunenſis II.* p. 573		
568	Narſes fruſtra conatur Longobardos ab ingreſſu Italiæ revocare p. 159 obitus Narſetis p. 160 Longobardi invadunt Italiam p. 160 161 Galeſvinda uxor Chilperici Fr. Regis ſuffocatur p. 358		
569	Alboinus Rex Longobardorum varias Italiæ urbes capit p. 263 Liuva Rex Viſigoth. in regni conſortem admittit Leovigildum p. 288 Bellum Sigeberti Fr. Regis adverſus Guntchramnum fratrem p. 359 *Synodus Lucenſis* p. 573		
570	Liguria à Longobardis occupatur p. 162 Longobardorum irruptio in Galliam p. 360		
571	Mummolus Longobardos reprimit p. 360		
572	Ticinum Longobardi expugnant p. 162 & in ſedem Regiam conſtituunt ibid. moritur Liuva Rex Viſigoth. p. 288. Saxones prorumpunt in Gallias p. 360 & à Mummolo cæduntur ibid. *Synodus Bracarenſis II.* p. 573		
573	Leovigildi bellum contra Suevos in Hiſpania p. 289 Saxonum internecina ſtrages in Thuringia p 361 *Obitus Joannis III. Papæ* p. 574		
574	Alboini Longob Regis funeſtus exitus p. 264 cui Clepho ſuccedit p. 266 Roſimundæ Alboini conjugis interitus p. 265 bellum civile Sigebertum inter & Chilpericum in Francia p. 362 *BENEDICTUS Pontifex creatur* p. 574 *Synodus Pariſienſis IV* ibid.		*Benedictus ſedit an. 11. m. 2. d. 10.*
575	Clepho Rex Longobard. moritur p. 266 Ariſtocratia Longobardorum ſub 30. Ducibus, ibid. Tiberius Imp. mittit legatos ad Choſroen p. 169 Indu-		

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Chriſtiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	Induciæ inter Romanos & Perſas, ibid. Sigebertus Rex Franc. à ſicariis interficitur p. 363 cui Childebertus filius ſuccedit p. 363		
576	Chilpericus Brunechildem in exilium mittit p. 363 Meroveus Chilperici filius Brunechildem ducit uxorem invito Patre p. 364 in Monaſterium relegatur, ibid. recrudeſcit bellum inter Perſas & Romanos p. 169		
577	Duces Longobardici Francis inferunt bellum p. 267 Meroveus occiditur p. 365 *Synodus Pariſienſis V.* p. 574		
578	Mors Juſtini Imp. p. 170 Sophia Auguſta à *Tiberio* Imperatore exauthoratur p. 171 *Mors Benedicti Papæ; cui ſuccedit PELAGIUS II. Longobardi ſæviunt in Chriſtianos* p. 577 *Pelagius concedit, ut ſedes Aquilejenſis Gradum transferatur* p. 568		*Pelagius II ſedit an. 11. m. 2. d. 3.*
579	Mors Choſrois Perſarum Regis p. 171 Hermenigildus Leovigildi Viſigoth. Regis filius Catholicam fidem amplectitur p. 290 *Synodus Gradenſis* p 578 *Synodus Cabellonenſis* p. 681		
580	Hormiſdas ſucceſſor Choſrois bellum proſequitur contra Romanos p. 172 Fredegundis Clodoveum Chilperici filium dat neci p. 366 *Brennacenſis Synodus* p. 581		
581	Romanorum victoria ad Callinicum contra Perſas p. 172 Diſſidium Childeberti & Guntchramni Franc. Regum p. 367		
582	Tiberii Imperatoris morbus p. 173 eligit MAURITIUM in ſucceſſorem p. 174 175 mors Tiberii p. 176	Mauritius regnavit an. 20 m. 3.	
583	Romani cæduntur à Perſis ad Nymphium p. 178 Leovigildus filium Hermenigildum ad hæreſim revocare conatur p. 291 *Synodus Lugdunenſis III.* p. 582 *Synodus Matiſconenſis* p 582		
584	Philippico Duci datur imperium exercitûs Romani p. 178 Childebertus Rex Fr. fœdus renovat cum Guntchramno p. 368 mors violenta Chilperici p. 369 Gundobaldus regnum Guntchramni invadit p. 312 Hermenigildus arma movet contra Patrem, fretus auxilio Imperatoris & Mironis Gallicienſis Regis; Hermenigildus capitur & in cuſtodiam datur p. 339 Ejus in carcere pietas p. 294		
585	Abrogatâ Longobardorum Ducum Ariſtocratiâ, Autharis Rex eligitur p. 268 Leovigildus Hermenigildum filium necari jubet p. 295 Franci cædem ulciſci parant ibid. 375 Gundobaldi ſeditio in Gallia comprimitur p. 373 374 Fredegundis conjuratio p. 375 ejuſdem crudelitas in Prætextatum Epiſcopum, ibid *Synodus Valentina* p. 582 *Matiſconenſis II* ibid.		
586	Mirabilis victoria Romanorum contra Perſas p. 179 Mors Leovigildi Viſigoth. Regis p. 274 cui Reccaredus filius ſuccedit p. 298 fruſtra nititur pacem inire cum Francis p. 376 Conjuratio contra Childebertum detegitur p. 376 *Pelagius Papa Schiſmaticos ad pacem ſollicitat* p. 579 *& illi Synodum V. generalem in cauſa trium capitulorum admittere renuunt* p. 580 *Brachio ſæculari demum eos Papa compellere aggreditur* p. 581		
587	Avares Thraciam depopulantur p. 190 Reccaredus amplectitur Catholicam fidem p. 299 Pactum Andelaenſe Guntchramnum inter & Childebertum p. 377 Reccaredus impetrat à Francis pacem & Childeberti ſimul ſororem Chlodoſvindam in ſponſam accipit p. 377		

Priſcus

Anni Chronolog.	*Sæculum VI. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
588	Priscus Philippus Duci subrogatur p. 180. seditio adversus Priscum ibid. Philippicus remittitur in Orientem p. 181 Bellum Childeberti contra Longobardos in Italia p. 378 Franc. cædes, ibid.		
589	Seditio militaris in Oriente componitur p. 182 Conversio Visigothorum in Hispania ad Catholicam fidem p. 301 Altera expeditio, eáque infelix Childeberti in Italiam p. 378 Longobardi pacem ineunt cum Francis p. 379 *Synodus III. Toletana* p. 583 *Synodus Narbonensis* p. 584 *Synodus Constantinopolitana* p. 585		
590	Varami Persarum Ducis rebellio adversus Hormisdam Regem p. 182 Chosroes Patre occiso Regnum occupat p. 183 Bellum civile inter Varamum & Chosroen p. 184 Agilulphus mortuo Authari Longob. Regi succedit p. 270 *Mors Pelagii II. Papæ* p. 585 *cujus successor erat GREGORIUS M.* p. 586 *Pastorale suum edit* p. 587 *Hispalense I Conc.* p. 588		*Gregorius M. sedit an. 13. m. 6. d. 10.*
591	Mauritius Imp. Chosroem regno restituit p. 185 Gregorius M. rogat ab eo auxilia adversus Longobardos p. 188 Guntchramnus Clotharium Chilperici filium è fonte levat p. 380 *Gregorius frustra ad pacem vocat Schismaticos* p. 587 *Subdiaconos ad continentiam adstringit, & Judæos ad fidem vi compelli vetat* p. 588		
592	Mauritius movet adversus Avares p. 191 variis ominibus territus redit Constantinopolim p. 192 *Synodus Cæsaraugustana* p. 599		
593	Prisco Duci bellum Avarum committitur p. 193 Guntchramni Fr. Regis obitus p, 381 cujus hæres fuit Childebertus, ibid. Idem cum consobrino Clothario bellum cruentum gerit p. 382 *Gregorius M. Joannem Jejunatorem reprimit* p. 590 *cum Mauritio expostulat de legibus Ecclesiæ libertati contrariis* p. 590 *Libri Dialogorum Gregorii* p. 591		
594	Agilulphus Romam obsidet p. 188 271 *Gregorii M. statutum de Ministro Confirmationis* p. 591 *Caput S. Pauli Augustæ denegat* p. 592		
595	Pax à Gregorio M. expetita per Exarchos impeditur p. 272 *Idem Pontifex componit homilias in Ezechielem* p. 593. *Increpat Joannem jejun. ob usurpatum Universalis titulum* p. 594 *Synodus Romana* ibid. *pro ordinationibus & pallio aliquid accipi vetat* p. 595 *Arelatensi Episcopo vices suas demandat* p. 595		
596	Childeberti inopinatus obitus & ejus uxoris Falileubæ p. 383 Theodebertus & Theodoricus Patri succedunt, ibid. *Gregorius M. Apostolos mittit in Angliam* p 596		
597	Moritur Fredegundis p. 384 *Augustinus à Gregorio in Angliam missus multos convertit* p. 597 *Cyriacus Jejunatoris successor pergit se Oecumenicum Episcopum appellare* p. 597 *Syagrio negat Pallium* p. 598		
598	Bellum Avarum recrudescit p. 196 *Synodus Oscensis* p. 599		
599	Pax Romanos inter & Longobardos p. 190 Induciæ inter Chaganum & Mauritium p 196 Commentioli Ducis perfida proditio Romanos perdit p. 197 Mauritius captivos milites vili lytro redimere recusat p, 198 Captivi à Chagano Avarum Rege trucidantur p. 199 Phocas Dux à Cæsare injuriosè tractatur p. 100 Brunechildis ab aula Theodeberti Regis ejecta suscipitur à Theodorico p, 384		
600	Commentiolus proditor rursus præficitur exercitui à Mauritio p. 200 Tumultus concitatur contra Imperatorem ob caritatem annonæ p. 200		

SÆCULUM VII.

Anni Chronolog.	SÆCULUM VII.	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
601	Philippicus in Tyrannidis ſuſpicionem perperam adducitur p. 201. pius obitus Reccaredi Viſigothorum Regis p. 302. Liuva filius Reccaredi & ſucceſſor à Witterico occiditur ibid.		
602	PHOCAS ab exercitu in Mœſia appellatur Imperator p. 204. Mauritius cum uxore & liberis conſcenſâ navi fugit p. 205 Phocas â Cyriaco Patriarcha coronatur p. 206 Mauritius cum filiis adducitur ad portum Eutropii, ubi coram ipſo quinque filii præſentes occiduntur & denique ipſe p. 206 207 capita deferuntur ad circum p. 207	Phocas regnavit an. 7. m. 11.	
603	Phocas Romam mittit imagines, ſuam & uxoris Leontiæ Auguſtæ p. 682 *Gregorius M. Phocæ de Imperii dignitate gratulatur.* ibid. Theodoſius ultimus Mauritii filius occiditur p.208 Phocas literas mittit ad Choſroem, qui in ultionem Mauritii rumpit fœdus cum Romanis. p. 683.		
604	S. *Gregorius M. Papa moritur* p. 208 *SABINIANUS ei ſuccedit* p. 824. Perſæ irrumpunt in Imperii Provincias p.684 Narſes obtinens Edeſſam rebellat adverſus Phocam ibid. Brunechildis inſidias ſtruit Berthoaldo majori Domûs p. 749 *errores Britonum circa ritus Eccleſiaſticos* p. 783 784		*Sabinianus ſedit an. 1. m. 5. d. 9.*
605	Phocas Narſetem exuri jubet p. 684 Brunechildis Theodoricum II. & Theodebertum II. bello committit p. 751		
606	*Sabinianus Papa moritur* p. 826		
607	Phocas in Amicos Mauritii ſævit p. 685. Choſroes deprædatur Syriam p. 686 *Bonifacius III. Papa eligitur.* p. 826 *moritur Auguſtinus Anglorum Apoſtolus.* p. 786 *cui Laurentius ſuccedit.* ibid. *vivere deſinit Bonifacius Papa* p. 826		*Bonifacius III. ſedit m. 8. d. 22*
608	Perſæ occupant Armeniam & Cappadociam, & prodeunt Chalcedonem uſque p. 686 *Bonifacius IV. Papa creatur* p. 827		
609	Conjuratio Conſtantinopoli conflatur contra Phocam p, 687 *Mortuo Iſaacio, Hieroſolymorum Epiſcopo, Zacharias ſufficitur.* S. Columbanus floret p. 827		*Bonifacius IV. ſedit an 6. m. 8. d. 13.*
610	Heraclius in Aſia appellatus Imperator cum claſſe in Orientem venit p. 687 Phocæ Imp. funeſtus exitus p. 688 Heraclius cum Eudocia ſponſa coronatur ibid. Perſæ veniunt in Syriam, occupant Edeſſam & Apameam, progrediuntur uſque Antiochiam p. 688 Witterico in Viſigothorum regno ſuccedit Gundemarus p. 736 *Sergius fit Epiſcopus Conſtantinop.* p. 836		
611	Perſæ occupant Cæſaream Cappadociæ p. 689 Bellum Gothorum contra Francos p. 737		
612	Eudocia Auguſta moritur p. 689 Siſebutus Rex Viſigothorum p. 737 Theodebertus Rex Fr. perimitur p. 754.		
613	Perſæ occupant Damaſcum p. 689 Heraclius Martinam ducit ex ſorore neptem ibid. Mors Theodorici II. Fr. Regis p. 755 Brunechildis Sigebertum Theodorici filium ſubſtituit, Magnatibus ægrè id ferentibus p. 756 757 Sigeberti cædes p. 757 Brunechildis immane ſupplicium p. 758		
614	Hieroſolyma â Perſis capitur p. 690 *S. Crux ablata in Perſiam defertur* p. 689 *quorſum & Zacharias Ep. abducitur* p. 690 Clotharius II. Monarcha totius Franciæ p. 755		

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
615	Chosroes legatos Imperatoris includit carceri p. 691. Chagani Hunnorum regis irruptio in Italiam p. 720 Sisebutus Rex Visigothorum judæos ad Christi fidem cogit p. 738 *moritur Bonifacius IV. cui succedit DEUSDEDIT* p. 828 *Egarensis Synodus* p. 829 *Concilium Parisiense, Generale dictum sub Clothario II.* p. 829		*Deusdedit sedit an 3. d. 20.*
616	Persæ invadunt Ægyptum & Lybiam p. 692 Adoloaldus Longobardiam regit p. 722 Sergius dat literas ad Theodorum Pharanitam de una Christi operatione p. 837		
617	Heraclius in Africam cogitat p. 692 *Mellitus & Justus Episcopi ex Britannia in Gallias discedunt* p. 787		
618	Imperator mutat profectionis consilium p. 692 *moritur Laurentius Dorobernensis Ep.* p. 788 *Hispalensis II. Synodus* p. 830 *Floret S. Isidorus* p. 831		
619	Chaganus Avarum Rex populatur suburbia Constantinopolis p. 692 *Bonifacio IV. mortuo succedit BONIFACIUS V. Joannes Alexandrinus Episcopus, supprimit hæreticam epistolam Sergii ad Arsam datam* p. 837		*Bonifacius V. sedit an. 5. m. 10.*
620	Heraclius cum Chagano pacem componit, parátque expeditionem contra Persas p. 692 Suintila obtinet regnum Visigothorum p. 739 *S. Joannes Eleemosynarius Archiep. Alexandriâ navigat in Cyprum Patriam suam, & ibi moritur,* p. 833		
621	Heraclius movet contra Persas p. 693 Suintila Romanos ex tota Hispania abigit p. 739		
622	Victoriæ Heraclii contra Persas p. 693. Mahomet Pseudopropheta fugit Meccâ, unde inchoatur Hegira Arabum à die 16. Julii Feriâ 6tâ anni 622 p. 700 Clotharius Dagobertum filium consortem regni facit p. 760 *Paulus Hæreticus persuadet Heraclio, ut probibeat duplicem in Christo operationem affirmari* p. 837		
623	Annus secundus belli Persici p. 693 Clementia Heraclii in captivos p. 694 Arivaldus Adoloaldo in regno Longobardico succedit. p. 723		
624	Annus tertius belli Persici p. 694 Prælia multa ab Heraclio supra humanas vires peracta p. 694 *Synodus Remensis* p. 833		*Honorius sedit an. 12. m. 11. d. 16.*
625	Annus quartus belli Persici p. 695 *mors Bonifacii V. cui succedit HONORIUS* p. 833 *hic Scotos, ut errorem Paschatis celebrandi deponant, monet* p. 834		
626	Annus quintus belli Persici p. 695 Prodigiosæ victoriæ Romanorum contra Persas p. 696 *Heraclius, dum in Lazica moratur, Cyrum Phasidis consulit, quid de una aut gemina Christi operatione ac voluntate sentiat* p. 837		
627	Annus sextus belli Persici p. 696 *Northumbriæ conversio* p. 790		
628	Chosroes ad ultima deductus, Mardesam filium nominare constituit p. 697 ideo à Siroë altero filio occiditur ibid. Siroë cum Romanis pacem ferit, & fœdus p. 697 S. crucem restituit p. 698 quam Heraclius Constantinopolim deportat ibid. Moritur Clotharius: & Dagobertus fit monarcha Francorum p. 763.		
629	Heraclius Crucem reportat Hierosolymam p. 699 Rotharis Rex Longobard. profert regni sui fines p. 725 *Athanasius Jacobitarum Patriarcha & Sergius*		

gius

Anni Chronolog.	*Saeculum VII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	gius Constantinop. Ep. Heraclium inducunt, ut in Christo unam operationem tantùm prædicari curet p. 838		
630	Suintilâ Visigoth. Rege Exauthorato, Sisenandus invadit regnum p. 740 Dagobertus I. in Neustria libidini se dat p. 764 Charibertus frater Dagoberti Vasconiam subjugat p. 765 *Cyrus Phasidis Ep. transfertur ad sedem Alexandr.* p. 838		
631	Mors Chariberti p. 765 Bellum Dagoberti I. contra Sclavos seu Vinidos infelix p. 765 766		
632	Mahomet moritur, cui succedit Abubecrus p. 701 Dagobertus Saxonibus eâ lege tributa remittit, ut Vinidos â Thuringia reprimant. p. 767 Idem Sigebertum filium Austrasiæ Regem creat ibid. *Anglorum Orientalium conversio* p. 791		
633	Isdegerdes Chosrois filius regnum Persiæ obtinet p. 701 *Cyrus novem edit capitula* p. 839 *cui Sophronius resistit* p. 840 *Sergius conatur disceptationem hanc supprimere* p. 840 *Concilium Toletanum IV.* p. 843		
634	Saraceni arma vertunt contra Romanos in regione Gazensi & Palæstina p. 702 *Sophronius creatur Episcopus Hierosolym.* p. 840 Sergius epistolam scribit ad Honorium p. 841 *Honorius respondet Sergio* p. 842		
635	*Sophronius synodicam dirigit ad Sergium* p. 843 *Honorius scribit ad Sergium, Cyrum, Sophronium ut abstineatur â vocibus unius, aut duarum operationum* p. 843 Abubecro succedit Omarus p. 702 Saraceni veniunt in Arabiam contra Damascum & capiunt: occupant regiones Phœniciæ ibid. Chintila potitur regno Visig. p. 740 Occidentalium Saxonum in Britannia conversio p. 791		
636	Saraceni invadunt Palæstinam, obsident Hierosolymam duobus annis p. 703. totam syriam subigunt ibid. Dagobertus I. Rex Fr. condit Testamentum p. 769 *Concilium Toletanum V.* p. 846		
637	Expugnatur â Saracenis Hierosolyma p. 703 occupatur ab iis Antiochia Syriæ ibid. Ægyptus sub tributum cogitur ibid. *Sigebertus Rex Orient. Anglorum deposito regno, Monachum induit* p. 792		
638	Heraclius Imp. instigante Sergio edit *Ecthesin* p. 847 mors Dagoberti I. p 770 in Neustria & Burgundia succedit Clodoveus II. qui sub tutela Ægæ & matris Nanthildis regit p. 770 Sigebertus obtinet Austrasiam ibid. *Synodus Toletana VI.* p. 846 *Moritur Honorius Papa* p. 847 *succedit SEVERINUS, qui serius sequente anno consecratur* p. 848		*Severinus sed.*
639	*Ecthesis mittitur ad Isacium Exarchum in Italiam & per hunc destinatur Romam* p. 848 *Severinus eam abominatur ibid.* Saraceni vincunt Persas, & Isdegerdes Rex regalia insignia in fuga dimittit p. 704 *mors Sergii Constantinop. cui sufficitur Pyrrhus* p. 849		*m. 3. d. 4.*
640	*Direptio Ecclesiæ Lateranensis* p. 725 *moritur Severinus Papa* p. 849 *IOANNES IV. eligitur Pontifex* p 849 *damnat in synodo Ecthesin* p. 849 850 *Pyrrhus urget subscriptionem Ecthesis* p. 849 *S. Maximus fugit in Africam* ibid. Tulga succedit Chintilæ in Regno Visigoth. p. 741 Rodulfus Dux Thuringiæ contra Sigebertum rebellat p. 772		*Joannes IV sedit an. 1.*
641	Heraclius Imp. moritur p. 704 Constantino filio & successore dolo novercæ paulo post extincto, Heracleonas alter ex Martina filius ac juvenis imperium suscipit p. 704 Heracleonas post sex menses naribus mu tilatus		*m. 9. d. 18.*

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
	tilatus, & Martina linguâ abſciſsâ in exilium ejiciuntur p. 705 *Pyrrhus accuſat Honorium* p. 850		
642	Chindeſvinthus Rex Viſig. creatur p. 741 *Joannes Papa Honorium defendit* p. 850 *Pyrrhi ſeceſſio ex urbe Conſtanſtantinopolitana* p. 851 *Papa Ioannes moritur* p. 852 *ſuccedit THEODORUS in Imperio Orientali: varii creantur Epiſcopi faventes errori Monothelit.* p. 852		*Theodorus ſed. an.* 6
643	*Paulus Conſtantinop. dirigit ſynodicam ad Theodorum Papam, diſſimulato hæreſis veneno* p. 852 *reſpondet Theodorus* ibid. *querelæ Epiſcoporum Catholic. ad Theodorum contra Paulum* p. 853 *Pyrrhus venit in Africam* p. 854		*m.* 11. *d.* 17.
644	*Mors Sophronii Hieroſolymæ Epiſcopi* p. 853 *Fidus Joppenſis Monothelita invadit ſedem.* ibid. *Stephanus Dorenſis ideo Romam mittitur ab aliis Epiſcopis, & fit Hieroſolymæ Epiſcopus* p. 853 *Epiſcopos â Fido Joppenſi ordinatos, in errore perſiſtentes deponit* ibid.		
645	Omarus ſive Haumar Saracenorum Princeps occiditur â Perſis, cui ſuccedit Oſmanus p. 706 *In Africa S. Maximus diſputat contra Pyrrhum de Monothelitarum errore* p. 854 855 *Pyrrhus â S. Maximo victus fidem Catholicam ſe amplecti profitetur vel ſimulat* p. 856		
646	In Africa rebellat Gregorius Prætor contra Conſtantem Imp. p. 705 Rotharis Rex Longob. moritur, cui Rodoaldus filius ſuccedit p. 726 *Pauli novum decretum, quo prædicat in Chriſto unam voluntatem & operationem* p. 857 *Africanorum Epiſcoporum epiſtola ad Paulum* ibid. *S. Maximus Abbas venit Romam. Epiſcopi Africani apud Conſtantem inſimulantur, quod conſpirent cum rebelli Gregorio* p. 857		
647	Saraceni Gregorium ex Africa pellunt & regioni tributa imponunt p. 708 *Theodorus Papa miſſis legatis monet Paulum Conſtantinop. Ep. ut errorem corrigat* p. 857 *cui Paulus per epiſtolam reſpondet* p. 858 *Pyrrhus Româ ſecedit Ravennam: ibi relapſus in errores, revocat Profeſſionem Romæ factam* p. 859		
648	*Theodorus Papa in ſynodo damnat Pyrrhum in hæreſin Monothelit. relapſum & deponit* p. 859 *Item damnat Paulum Conſtantinop.* p. 860 *Conſtans Imperator ſuadente Paulo edit Typum, quo vetat dicere vel unam vel duas in Chriſto operationes aut voluntates* p. 706 859 Saraceni invadunt Cyprum, capiunt Conſtantiam &c. *Synodus Cabilonenſis* p. 861 *Concilium Toletan. VII.* p. 861		
649	Chindeſvinthus Rex Viſigoth. Receſvinthum in Regni conſortium admittit p. 742 *Theodorus Papa moritur* p. 861 *MARTINUS Theodori Succeſſor* ibid. *Concilium Lateranenſe in cauſa Monothelitarum* p. 862 Platon Exarchus revocatur Conſtantinopolim: Olympius Exarchus mittitur in Italiam, ut faciat *recipi Typum Romæ* p. 864		*Martinus ſed. an.* 5.
650	Olympius *conatur ad ſuas partes pertrahere Clerum & popul. Romæ ſed nihil efficit, imperat fruſtra ſpathario necem Martini Papæ* p. 864		
651	Rodoaldus Rex Longobard. occiditur, ſuccedit Aribertus filius Gundoaldi. p. 727		
652	*Theodorus Calliopas Exarchus Romæ S. Martinum vi abducit* p. 863 *Toletana Synodus VIII.* p. 868		

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
654	*S. Martinus deportatur Constantinopolim* ibid. *ejus ærumnæ* p. 866 *Paulus moriturus mitiora Constanti suadet erga S. Martinum* p. 866 *EUGENIUS Papa ordinatur* 8 Sept.		*Eugenius sedit an. 2. m. 8. d. 24.*
655	*S. Martinus in Custodia Diomedis* p. 867 *unde in exilium deducitur* ibid. *moritur Chersonæ in exilio* p. 867 *S. Maximus Abbas & uterque Anastasius adducuntur Constantinopolim & quæstioni subjiciuntur* p. 870 871 *Maximus cum discipulo Anastasio in exilium ducitur* p. 872 *synodus Toletana IX.* p. 869		
656	Saracenorum intestinum bellum p. 107 Moritur Sigebertus Rex Fr. p. 773 Grimoaldus Major Domûs Dagobertum, Sigeberti filium ex Francia in Scotiam amandat & filium suum Childebertum in Austrasiæ Regno statuit p. 773 interficitur Grimoaldus p. 774 moritur Clodoveus II. ibid. *Toletana Synodus X.* p. 869 *S. Maximus tertiò interrogatur* p. 872 *ejusdem secundum exilium* p. 873		
657	*Mors Eugenii Papæ* p. 873 *cui succedit VITALIANUS.*		*Vitalianus sed. an. 13. m. 6.*
658	*S. Maximus, Anastasius ejus discipulus & Anastasius Apocrisiarius ab exilio in Thracia ducuntur Constantinopolim & excruciati relegantur* p. 874		
659	Constans Imp. filios juniores Heraclium & Tiberium appellat Cæsares p. 707		
660	Constans Imp. occidit fratrem suum Theodosium p. 707 occisi fratris umbra exagitatur p. 708 Childericus Clotharii Fr. Regis frater creatur Rex Austrasiæ p. 744		
661	Ariberto defuncto duo filii Godebertus & Pertharitus in Longobardorum Regno succedunt p. 727 *conversio Australium Saxonum in Britannia* p. 795		
662	Grimoaldus Cæso Godeberto & fugato Pertharito regnum Longob. sibi rapit. p. 728 *Anastasius & S. Maximus post multa Martyria ac ærumnas pie obeunt in exilio* p. 874		
663	Constans Imperator Constantinopoli abit Romam, & hinc in Siciliam, ubi Syracusis deinceps habitavit p. 708 Franci Perthariti Longobardorum Regis causam suscipientes cædem magnam patiuntur p. 729		
664	Intestinum bellum inter Longobardos p. 720 *controversia de Paschatis celebrandi tempore in Britannia* deciditur p. 795 796		
665	*Oswinus Rex Northumbriæ & Egbertus Anglo-saxonum Princeps legatione Romam missâ petunt Episcopum â pontifice consecrari* p. 798		
666	*Anastasii Apocrisiarii & sacrorum Martyrum mors sancta* p. 875		
667	Saborius Præfectus Armeniæ rebellat contra Constantem p. 709		
668	Constans Imp. factione quorundam rebellium occiditur Syracusis in balneo p. 709 Mizizius invadit Imperium, ibid. sed hoc occiso Tyranno regnat CONSTANTINUS POGONATUS filius Constantis p. 709 710	Constantinus Pogonat. regnavit an. 17.	
669	Saraceni deprædantur Siciliam, & cum exercitu excurrunt in Africam, unde octoginta hominum millia in captivitatem ducunt p. 710		
670	Moritur Clotharius Franc. Rex p. 775 Theodoricus ejus frater in regnum Neustriæ & Burgundiæ elevatur, ibid. paulò pòst exauthoratus Childerico II. Monarchiam relinquit p. 775		

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
671	Grimoaldus Rex Longob. moritur p. 731 tertio pôst mense Pertharitus filius Ariberti antea Regis, ab exilio reversus Rex salutatur, ibid. ejus studium pro Religione p. 732		
672	Saraceni magnam classem comparant ad obsidendam Constantinopolim p. 710 Constantinus Imp. ignibus græcis arcet hostes p. 710 Wamba creatur Rex Visigothorum licèt invitus p. 742 743 *Mors Vitaliani Papæ* p. 876 *ADEODATUS obtinet Sedem* ibid.		*Adeo-*
673	Saraceni cum altera classe redeunt Constantinopolim, sed repelluntur magnâ strage p. 710 Wamba Rex Visigoth. Septimaniam rebellem domat p. 744 745 Bodilo cum Francis contra Childericum Regem conjurat, & eundem cum Bilehilde uxore prægnante interficit p. 776		*datus sedit an. 4. m. 2.*
674	Theodoricus Rex Franc. restituitur regno p. 776 Dagobertus II. ab exilio suo sive ex Scotiæ Monasterio ad regnum Austrasiæ accersitur p. 777 *Constantinus Archiep. Constantinop. ordinatur, qui post Thomam & Joannem prædecessores Catholicos ipse quoque tertius orthodoxus fuit* p 876		*dieb. 5.*
675	*Synodus Toletana XI* p. 890 *Synodus Bracarensis* ibid.		
676	Saraceni sæpe victi regiones Thraciæ relinquunt: in reditu classis eorum ferè tota tempestate perit p. 710 *Adeodatus papa moritur, cui quinto inde mense succedit DONUS. Constantino Archiep. Constantinop. mortuo sufficitur Theodorus, qui occultè favet Monothelitis* p. 876		*Donus sedit*
677	Constantinus Imp. pacem sancit cum Mauvia Saracenorum Calipha p. 710 item cum Chagano Avarum Principe, ibid. *Theodorus Archiep. Constantinop. & Macarius Antiochenus postulant ab Imperatore, ut Vitaliani Papæ nomen ex diptychis deleatur, Honorium volunt ibi retineri, nullum autem, qui post Honorium Papa fuit* p 876 *Res à Constantino rejicitur ad Synodum à Græcis & Romanis habendam* ibid.		*an. 1. m. 5. d. 10.*
678	Constantinus pacem cum Bulgaris componit promissâ annuâ pensitatione p. 711 Pertharitus Rex Longob. Cunibertum filium Regni consortem facit p. 731 Ebroini Majoris Domûs crudelitas in S. Leodegarium p. 778 Mors Dagoberti II. p 778 *Wilfridus Northumbriæ Episc. à Theodoro Cantiorum præsule vexatus provocat ad Pontificem* p. 799 *Donus Papa moritur* p. 877 *AGATHO Papa ordinatur* p. 877 *Constantinopoli convenientibus Episcopis nomen Vitaliani ex diptychis deletur, connivente Constantino Imp* p. 877		*Agatho sedit an. 2. m. 6.*
680	*Agatho Papa celebrat Synodum Romæ contra Monothelitas* p. 877 878 *Epistola Agathonis & Synodi ad Imperatorem* p. 878 *SEXTA SYNODUS OECUMENICA, cujus sex priores Actiones CONSTANTINOPOLI hoc anno habitæ* p. 879 Wamba Rex Visigoth. Monachum induit p. 746 Erwigius succedit, ibid.		*d. 3.*
681	Constantinus Pogonatus fratres ab Imperii dignitate removet p. 711 *reliquæ Actiones Concilii sexti Oecumenici hoc anno absolvuntur* à p. 882 ad 886 *Synodus Toletana XII* 890		*Leo II. sedit m. 10.*
682	*Mors Agathonis Papæ* p. 887 *LEO II Papa ordinatur* ibid.		*d. 17.*
683	*Leo Papa Acta Synodi in latinum transfert* p 890 *mittit Petrum Notarium in Hispaniam cum epistolis ad Episcopos & Regem Ervigium* p. 891		

Syno.

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
	Synodus Toletana XIII p. 890 *Mors Leonis Papæ* p. 891 Izid Calipha Saracenorum moritur, post aliquod tempus succedit Abdumelech.		
684	*BENEDICTUS II. Papa ordinatur* p. 891 *scribit ad Petrum Notarium à Leone in Hispaniam missum, jubens, ut curet subscribi sextæ Synodi definitionem ab omnibus Episcopis* p. 892 *Synodus Toletana XIV.* ibid *Benedictus II. accipit Divalem jussionem à Constantino, per quam concessit, ut persona quæ electa fuerit in sedem Apostolicam, è vestigio absque tarditate Pontifex ordinaretur.*		*Benedictus II. sedit m. 10. d. 12.*
685	*Benedictus II. Papa moritur* p. 892 *JOANNES V. ordinatur* p 893 *non fuit exspectata jussio Imperatoris* ibid. Constantinus Pogonatus Imp. moritur, succedit eod. anno JUSTINIANUS Constantini filius p. 712	Justinianus regnavit an. 10.	
686	*Joannes V. Papa moritur* p. 894 *in electione fit dissensio: Clerus nominat Petrum, Exercitus Theodorum; tandem convenêre in CONONEM* p. 894 *Decretum Electionis mittitur ad Theodorum Exarchum.* Justinianus cum Saracenis paciscitur nocivis conditionibus p. 712. *S. Kilianus Apostolus Francorum Romam venit ad obtinendam facultatem prædicandi* p. 896 *revertitur cum Sociis duobus Colonato Presbytero, & Totnano in Germaniam* p. 896		*Conon sedit m. 11. d. 23.*
687	*Populum Franconicum unà cum Gosberto ad Christi sacra traducit* p. 896 *Conon Papa moritur* p. 894 *in electione Papæ fit dissidium; pars Cleri & populi eligit Theodorum, alia pars Paschalem Archidiaconum; tandem in SERGIUM vota contulêre.* p. 899 *Synodus Toletana XV. & ejus Apologia* p. 900		*Sergius sedit an. 13. m. 8. d. 23.*
688	*S. Kilianus Gosberto persuadet abdicationem Geilanæ* p. 897 *inde fœminæ in S. Kilianum Sociósque odium* p. 898 Cunibertus apud Longobardos regnat p. 732		
689	*Martyrium Ss. Kiliani & Sociorum* p. 898		
690	Justinianus Imp. pacem rumpit cum Bulgaris p. 713 tributum, quod Saraceni pendebant, rejicit, eoquòd nummi non essent cum imagine Imperatoris cusi; atque ita pacem à Constantino Patre cum Saracenis factam dissolvit p. 713 Justinianus item ex Cypro Insula in Hellespontum transferre conatur incolas, quorum pars undis hausta, pars in Cyprum reversa: multi in Hellesponto deinceps habitârunt, ubi à Justiniano condita civitas, dicta *nova Justinianopolis* p. 714 *Joannes antea Constantiæ Cypri Episcopus illuc cum Juribus Constantiensis sedis transiit, Cyzicenus eidem & omnes Episcopi Hellesponti subjecti sunt, utì habetur in Can. 39. Synodi Trullan.*		
691	*Constantinopoli habetur Synodus Trullana, quæ & Quinisexta appellatur* p. 900 901 927 Saraceni subjugant Carthaginem p. 714		
692	*Justinianus Imp. Canones Trullanos Romam mittit ad Sergium, ut ab eo confirmentur: Sergius eos rejicit* p. 901 *Imperator mittit Sergium Magistrianum, qui Joannem Ep. Portuensem & Bonifacium Consiliarium Sedis Apostolicæ abducat Constantinopolim* p. 901		
	Armenia Ducum proditione spoliatur robore militari p. 714 Saraceni invadunt Armeniam, ibid. Leontius Præfectus copiarum Orientis custodiæ traditur accusatus per calumniam p. 715		

Justi-

Anni Chronolog.	*Sæculum VII. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
693	*Justinianus Imp. Zachariam Protospatharium suum Romam mittit, ut Sergium Papam abducat Constantinopolim* p. 901 *Exercitus Ravennæ, Ducatûs Pentapolitani ad tuendum Sergium Romam veniunt* ibid. *Zacharias territus fugit in Patriarchium ad Sergium: milites circumsistunt, nec quiescunt, dum Zachariam ex Urbe cum ignominia expellunt* p. 901 Justinianus nova ædificia molitur: operi præficit Stephanum Persam Sacellarium, qui multis plagis in operarios sævit; etiam Imperatore absente, matrem ejus Anastasiam loris flagellat p. 714 Theodorus Monachus antè, nunc Logotheta multos Procerum absque eorum culpa suppliciis afficit p. 714 Paulus Archiep. Constantinopol. moritur, succedit Callinicus p. 901		
694	Justinianus destruit ædem B. V. prope palatium p. 714		
695	LEONTIUS Imperium invadit p. 715 Justinianus in circum productus ac mutilatus naso relegatur in Chersonam, ibid.	Leontius regnavit an. 2.	
697	Hasanus Saracenus ingreditur Africam, & multa loca occupat p. 715 Leontius Imp. in Africam mittit Joannem Patricium cum classe: qui omnia recuperat, ibid.		
698	Saraceni cum exercitu & classe redeunt in Africam. Joannes cum suo exercitu relinquit Saracenorum potestati Africam p. 716 contra Joannem rebellant milites, qui TIBERIUM APSIMARUM Imperatorem eligunt p. 716 Apsimarus cum exercitu abit Constantinopolim, & Leontium naso mutilatum in Monasterio Dalmatiæ sub custodia servari jubet, ibid.	Apsimarus regnavit an. 7.	
700	Cuniberto Regi Longobard. succedit Luitpertus filius p. 733 Romani Syriam peragrantes, & venientes usque Samosatam multa occiderunt Barbarorum millia p. 716		

SÆCULUM VIII.

701	*Sergius Papa moritur, succedit IOANNES VI.* p. 903 Ragunbertus Dux Taurinensium, Ansprandum Tutorem Regis Luitperti bello superat p. 733		*Joannes VI. sedit an. 3. m. 2. d. 12.*
702	Tiberius Apsimarus Romam mittit Theophylactum Exarchum aliquid molitu rum contra Papam, at hunc militia totius Italiæ contra Exarchum defendit p. 90 Aribertus Ragunberti filius pugnat cum Luitperto apud Ticinum & captum in balneo vitâ privat p. 733 Aribertus Rex constitutus Luitprandum Ansprandi filium ad Patrem suum in Bajoariam discedere permittit p. 733		
704	Justinianus Rhinothmetus cupiens resumere imperium, ex Chersoneso civitate, ubi exul degebat, fugit: mittit ad Terbelem Principem Bulgarorum, cui promittit filiam suam &c. Terbeles colligit omnes copias Bulgarorum & Sclavorum p. 717	Justinianus secundò reg. an. 6.	
705	*Joannes VI. Papa moritur, cui surrogatur Joannes VII.* p. 904 Justinianus Rhinotmetus cum Terbele venit Constantinopolin, urbem capit Tiberius Imp. & ejus frater Heraclius & Primores civitatis fugiunt, capti traduntur supplicio p. 717 *Callinicus Patriarcha oculis privatus Romam mittitur*		*Joannes VII sedit an. 2. m. 7.*

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æræ Christianæ.*	Anni Imperatorum.	Anni Pontificum.
	mittitur, ubi in carcere moritur p. 717 *Cyrus anteà Monachus in Amastride insula, qui Justiniano recuperationem Imperii prædixerat, constituitur Archiep. Constantinopolitanus* ibid.		
706	Justinianus post recuperatum Imperium, Tomos Canonum synodi Trullanæ, quos ante ad Sergium miserat, per duos Metropolitanos cum sacra dirigit ad Joannem Papam, petens, ut convocatâ Romæ synodo, quæ visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet. Joannes Papa eos Canones non emendat, sed ad Justinianum remittit p. 904 Justinianus Tiberium filium & Theodoram conjugem Imperiali coronâ insigniri facit p. 718		
707	*Joanni VII Papæ mortuo succedit SISINNIUS* p. 904 Muza Saracenus â Valid Calipha missus in Africam, conatur Beraberes sive nativos Africanos, qui in Mauritania Tingitana habitabant, ad jugum & sectam Mahometis adducere: renuentes cum exercitu adoritur, Tingim occupat & ibi sedem præfecturæ constituit, ubi Tareckum relinquit, ipse in Africam revertitur. p. 990		*Sisinnius sedit d. 20.*
708	*Sisinnius Papa moritur* p. 904 *post hunc CONSTANTINUS ordinatur*; Muza Saracenus cum exercitu aggreditur partem Mauritaniæ Tingitanæ, quam tenebant Gothi, in qua præcipuum oppidum *Septa*; sed Juliano Comite strenuè agente repellitur. p. 990		*Constantinus sedit an. 7. d. 17.*
710	*Justinianus Imp. literis Constantinum Papam Constantinopolim vocat* p. 904 Idem Imperator classem mittit ad Chersonesum & Bosphorum cum mandatis, ut omnes illic occidant, eoquod ab iis in exilio injurias passus esset p. 718 classis solvens mense Octobri tempestate dissipatur in Ponto. Justinianus aliam classem mittit; quæ jussa perficit. ibid. *In Hispania* Vitizâ Rege vel defuncto vel deposito Rudericus Rex constituitur, præteritis Vitizæ filiis. p. 988 Rudericus gravi injuriâ afficit Julianum Comitem p. 989 hic Muzam saracenum adit & incitat, ut cum exercitu in Hispaniam transeat. Muza Juliano non satis fidens milites quosdam cum eo mittit, qui multas prædas agunt, & in Mauritaniam referunt. p. 989 991		
711	*Constantinus venit Constantinopolim: ab Imperatore rogatus pergit Nicomediam, ubi varias quæstiones de variis capitulis â Justiniano propositas Papa dissolvit* p. 904 Exercitus â Cæsare in Chersonesum missus Bardanem iis in locis exulantem acclamat Imperatorem, qui nomen Philippici assumit, & occupatâ Constantinopoli Justinianum occidit. In Hispania Muza mittit Tareck præfectum cum duodecim millibus Arabum cum Juliano Comite, Transeunt fretum, & conveniunt ad montem, qui dein dictus Gabel Tarik p. 991 pugna Decretoria inter Gothos & Saracenos p. 992 Gothorum internecina clades Regísque interitus. p. 993	Philippicus regnavit an. 1. m. 6.	
712	*Philippicus Bardanes Monothelitarum hæresin restaurat* p. 948 Imperium insipienter regit p. 949 Muzæ Ducis in Hispaniam adventus p. 993 simultas Muzam inter & Tareckum p. 994 Gothorum reliquiæ in montes Asturum fugiunt ibid. Pelagium sibi in Regem adoptant ibid. Pelagii mirabilis victoria contra Mauros p. 995 *Conciliabulum Constantinopoli habetur contra VI. synodum Generalem* p. 1072		

Philip-

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
713	Philippicus Imperio pellitur: Anastasius Imperator salutatur p. 950 Muza Saracenus ex Hispania revocatur ad Valid Calipham p. 996 ejus infelix exitus p. 997	Anastasius regnavit an. 2. m. 9.	
714	*Respirat Ecclesia Orientalis sub Anastasio Imp.* p. 1072 Pipini Majoris domus in Francia obitus p. 1005 Plectrudis dat Carolum in custodiam p. 1006		
715	Anastasius Imperator classem mittit contra Saracenos: milites, cùm Rhodum venissent, rebellant & THEODOSIUM Imperatorem dicunt. Rebelles occupant Chrysopolim, pugnant cum classe Anastasii per sex menses p. 950 Neustriæ Optimates rebellant adversus Plectrudem. *Constantinus Papa moritur, GREGORIUS II ordinatur* p. 1072 *Joannes Archiep. Const. moritur. S. Germanus Cyzicenus Metrop. transfertur ad sedem Constantinop.* Neustrasii rebellant contra Plectrudem & Theudoaldum p. 1006 Dagoberti III. Regis obitus ibid. Chilpericus II. Rex Francorum ibid. Carolus elabitur ex custodia, in quem Chilpericus concitat Frisones p. 1007	Theodosius regnavit an. 1. m. 3.	*Gregorius II. sedit an. 15. m. 8. d. 23.*
716	Theodosius Imp. transit fretum, & factâ proditione ad murum Blachernarum capit urbem p. 950 Anastasius Artemius acceptâ fide de servanda vita monasticum induit habitum ibid. Saraceni irrumpunt in Asiam, obsident Pergamum tredecim mensibus, classem quoque mille octingentarum navium contra Constantinopolim dirigunt p. 951 Optimates, advertentes Theodosium imparem esse hostibus, eum rogant, ut spontè abdicet Imperium p. 951 Leo Isaurus Patricius Orientalium copiarum Dux partes Anastasii secutus Theodosio non paruit: utì neque Arbasdus cohortium Armenicarum Dux p. 951 Carolus Princeps Franc. fœderatos Neustrasios & Frisones vincit p. 1007 *Theodo Dux Gentis Bajoariorum ad Apostoli Petri limina primus de gente eadem occurrit, Orationis gratiâ* p. 1074 *Fides in Bajoaria à S. Rutberto Episcopo propagatur* 1074	Leo Isauricus regnavit an. 24. m. 2. d. 25.	
717	Theodosius Imperator deponit Imperium, Clericorum ordini cum filio adscriptus, vitam deinceps in quiete agit p. 951 LEO ISAURUS consensu Senatus & Ducum militiæ vocatur ad Imperium p. 951 Constantinopoli in majore Ecclesia â Germano Archiep. coronam accipit ibid. *Leo antequam coronam acciperet coram S. Germano Archiep. jurat, se fidem Catholicam illibatam servaturum. Deinde scribit ad Gregorium Papam & orthodoxæ fidei confessionem adjungit.* p. 951 *A Gregorio in Ecclesiæ communionem accipitur* p. 952 Saraceni Duce Musalma capiunt Pergamum. Postea comparata ingenti classe veniunt Constantinopolim & urbem obsident p. 952 Leo Imper. missis contra naves Saracenorum navibus incendiariis, igne græco plurimas Saracenorum naves absumit ibid.		
718	Saraceni pergunt obsidere Constantinopolim. Alia eorum classis appellit ex Ægypto, & deinde alia ex Africa p. 952 multæ eorum naves igne absumuntur, & denique recedere cum ignominia coguntur p. 953 Constantinus Copronymus Leonis Imp. filius nascitur. p. 953 *Corbinianus Frinsingensium postea primus Episcopus floret* p. 1073 *moritur S. Rutbertus* p. 1075 *S. Bonifacius venit in Frisiam, & paulo post redit in Britanniam* 1075		

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
719	Anastasii Regnum denuò quærentis studia eliduntur p. 953 Constantinus Leonis Filius fit consors Imperii ibid. Eudonem Vasconum Principem & Neustrasios Carolus vincit p. 1009. *S. Bonifacius petit Romam & inde ad Thuringos abit* p. 1075 *redit in Frisiam* p. 1076		
720	Leo Imp. Montanistas & Judæos ad Baptismum cogit p. 954 Infelix expeditio Maurorum in Gallia Narbonensi p. 997 Chilpericus Regno restituitur p. 1009 & paulò post Regno vel etiam vitâ cedit ibid.		
721	*S. Bonifacius ex Frisia abit in Hassiam & Thuringiam* p. 1076		
722	*S. Bonifacius de successu laborum suorum informat Pontificem* p. 1076 *Romam vocatur â Papa* ibid.		
723	Sarantapechys Dux Hebræorum persuadet Iezido Arabum Caliphæ exterminium imaginum p. 955 *S. Bonifacius â Gregorio P. Episcopus ordinatur & Legatus sedis Apost. in Germaniam mittitur* p. 1076		
724	Carolus Martellus Ragenfredum rebellem in urbe Andegavensi obsidet, & in potestatem reducto comitatum Andegavensem, quoad viveret, concedit p. 1010 *Gregorius II. Papa scribit ad Carolum Francorum Ducem & ad Germaniæ populos* p. 1078		
725	*Constantinus Nacoliæ olim Episcop. & Besurus Leonem Isauricum inducant ad imagines exterminandas* p. 955 Carolus Martellus subigit Bajoarios p. 1010 Bilitrudem cum Sunichilde abducit p. 1010 Ambisa Rex Saracenorum Gallias aggreditur p. 1011		
726	Leo publico edicto proscribit imagines sacras p. 954 S. Germanus Archiep. Constant. resistit Imperatori p. 957 Luitprandus Rex Longob. obsidet Ravennam p. 971 Gregorius II. P. Venetos in auxilium vocat ibid.		
727	Leo sævit adversus Gregorium II. Papam p. 971 Provinciæ Italiæ ab Imperatore deficiunt, cuius rebellionis purus fuit Gregorius 1081		
728	Cycladum Insulani, Ægei maris & Helladici rebellantes contra Imperatorem profligantur incensâ rebellium classe p. 975 *Leo Imperator S Germanum* vexat.		
729	Luitprandus Rex Longob. â Gregorio II. placatur p. 972		
730	*S. Germanus abdicat Episcopatum Constantinop.* p. 958 *huic Leo Imp. substituit discipulum degenerum S. Germani nempe Anastasium* ibid. *imaginem Christi dejicit* p. 958 1081 Munizius Maurorum Dux pacem facit cum Eudone duce Aquitaniæ, filiam ejus in uxorem ducens p. 1011		
731	Carolus in Vasconia pugnat contra Eudonem p. 1010 Munizius ab Abderahmano saraceno in exitium impellitur p. 1011 dein Eudonem Aquitanicum armis premit ibid. *moritur Papa Gregorius II.* p. 1083 *succedit GREGORIUS III.* ibid.		*Gregorius III sedit an. 10. m. 8. d. 10.*
732	Leo dat S. Bonifacio pallium Archiepiscopale p. 1083 Caroli Martelli cum Eudone Aquitanico fœdus contra Saracenos, p. 998 Irruptio saracenorum in Gallias p. 998 *Leo Imperator iniquius tractat legatos Pontificis* p. 1082 Carolus in suppetias Eudoni subveniens Saracenos clade internecina afficit p. 1012		

Caro-

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
733	Carolus Burgundiam penetrat, & fines Ducibus suis dat tuendos p. 1012 Leo mittit classem adversus Italiam, quæ naufragio perit p 1082		
734	Expeditio Caroli contra Frisones p. 1012 *varii Martyres in Oriente & Occidente* p. 1082 *S. Joannes Damascenus tuetur imagines* ibid.		
735	Eudo Aquitaniæ Dux moritur p. 1012 Carolus Martellus Aquitaniam usque ad Garumnam, Burdegalam, & Blavium occupat ibid.		
736	Carolus Ducatum Aquitaniæ dat Hunaldo Eudonis filio certis conditionibus p. 1013		
737	Saraceni Avenionem occupant: Carolus eos vincit p. 1013 Narbonem obsidet, in subsidium urbis venientes Saracenos in fugam agit p. 1014 moritur Theodoricus Rex filius Dagoberti Junioris p. 1014 Interregnum 5. annorum in Francia ibid. *S. Bonifacius tertiò venit Romam* p. 1081		
738	Mors Pelagii Regis Gothorum, cui Favila succedit p. 998 Carolus domat Saxones p. 1015		
739	Alfonsus Catholicus Gothorum Rex p. 999 Carolus conjunctis Longobardorum auxiliis Saracenos ex Arelatensi agro fugat p. 1015 *S. Bonifacius Bajoariam in quatuor Episcopatus divisit* p. 1084		
740	Italia Longobardorum grassationibus turbatur p. 1015		
741	*Gregorius III. Papa legatos mittit ad Carolum Martellum* p. 1015 *altera Epistola ejusdem Gregorii ad Martellum* p. 1016 *Patriciatus Ecclesiæ Romanæ Carolo Martello à Gregorio defertur* p. 1015 *Mors Caroli Martelli* p. 1016 *S. Bonifacius tres Episcopatus per Franciam orientalem, per Hassiam & Thuringiam instituit* p. 1084 Moritur Leo Imperator p. 960 cui succedit CONSTANTINUS COPRONYMUS, *obit piè Gregorius III. Papa* p. 1084 *succedit* ZACHARIAS ibid. *qui cum Luitprando Longobardorum Rege pacem componit.*	Constant. Copronym. regnavit post mortem Patris solus an. 34. m. 2. d. 26.	*Zacharias sedit an. 10. m. 3. d. 14.*
742	Contra Artabasdum, quem Constantinopolitani anno superiori Imperatorem salutaverant, Constantinus Copronymus Orientales copias in auxilium adducit p. 961 Trasamundi rebellio extinguitur p. 975 Pax inter Zachariam Papam & Luitprandum Longob. regem sancita p. 975 Chiltrudis Caroli Martelli filia se recipit ad Odilonem Bajoariæ Ducem, cui nubit p. 1017 Carolomannus & Pipinus Vascones domant p. nascitur Carolus M.		
743	Artabasdus à Constantino victus unà cum duobus filiis Niceta & Nicephoro excæcatur p. 961 Anastasii Archiepiscopi Constantinop. ignominiosa vexatio ibid. legatio Zachariæ Papæ Luitprandum pro Ravennatibus p. 976 Carolomannus & Pipinus expeditionem faciunt in Odilonem Bajoariæ Ducem, *Synodus Germanica ejusque Canones* p. 1086 *Synodus Liptinensis* ibid.		
744	Moritur Luitprandus Rex Longb. p. 976 Hildebrandus nepos suffectus regit septem mensibus p. 977 cui substituitur Rachisius p. 977 Carolomannus contra rebellantes Saxones exercitum ducit p. 1017 Pipinus in Aquitania Hunaldum bello premit p. 1018 *Synodus Suessionensis* p. 1086 *Fuldensis monasterii initia* p. 1087		

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
745	Hunaldus Waifario filio Ducatum relinquit, & in Radense Monasterium secedit p. 1018 *Alia synodus in Germania Præside S. Bonifacio* p. 1088 *Hæretici & S. Bonifacii Adversarii in Synodo Romana damnantur* p. 1089		
746	Varia portenta & calamitates Orientem terrent ac affligunt p. 961 *Moguntia fit Metropolis Ecclesiastica* p. 1089		
747	*Carolomannus devotionis causâ deposito Regno, Romam veniens, clericalem habitum assumit, inde in Cassinum montem pergit monasticæ vitæ institutum amplexurus* p. 1018 *Zachariæ epistola ad S. Bonifacii Consulta* p. 1089		
748	Grifo â Pipino libertati redditus ad Saxones fugit p. 1018 eorumque auxilio Austrasiam sibi vendicare instituit ibid. Saxones vincit Pipinus p. 1019 obit Odilo Dux Bajoariæ p. 1019 *S. Bonifacius renunciare desiderat Archiepiscopatui Moguntino* p. 1090 *sed à Zacharia Papa non auditur* p. 1091 *Pontifex Virgilium, aliósque errorum disseminatores proscribit* p. 1090		
749	Rachis Rex Longob. monachum induit p. 978 cui succedit Aistulphus ibid. Grifo in Bajoariam venit & Tassiloni Duci Principatum rapit p. 1019 Pipinus Tassilonem Principatui suo restituit ibid.		
750	Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex Castitatis aliarumque Virtutum exemplum p. 1044 Richardi Regis felix obitus qui fuit *Pater trium SS. Wilibaldi Wunebaldi & beatæ Walburgis.* ibid.		
751	Grifonis funestus exitus p. 1019 Franci Pipinum eligunt in Regem p. 1020 Burchardus Wirceburgensis Ep. & Fulradus Capellanus Romam mittuntur, Zachariam Papam hoc super negotio consulturi; qui proposito Francorum favet p. 1020 & 1091		*Stephanus alius II. dictus*
752	Pipinus unà cum Regina Bertrada Rex consecratur per manus S. Bonifacii Archiepiscopi in urbe Suessionensi p. 1081 Tondetur Childericus & in Sithivense monasterium detruditur p. 1020 *moritur Zacharias Papa, cui STEPHANUS succedit, sed necdum ordinatus fato fungitur* p. 1092 *sufficitur huic alius ejusdem nominis, qui consecratus STEPHANI II. nomen accepit* p. 1092		*ante Consecrationem defunctus.*
753	*Stephanus II. ab Aistulpho Rege Longob. vexatus Pipini auxilium implorat* p. 972 1021 abit in Franciam & â Pipino honorificè excipitur ibid. *S. Bonifacius sibi Lullum in Episcopatu Moguntino subrogat* p. 1093 Pipinus Saxones compescit p. 1020		*Stephanus II. alias III dictus*
754	In Conventu Carisiacensi decernuntur auxilia pro Pontifice contra Longobardos, Carolomanno nequicquam obstante p. 980 1021 *Stephanus Papa inungit Pipinum ejusque filios* p. 1022. *Pseudosynodus Iconomachorum* p. 962 1094 1095 *Moritur S. Burchardus Wirceburg. Ep.* p. 1112 Expeditio Pipini in Italiam contra Aistulphum p. 980 1022 vincit Aistulphum ibid. *Controversia S. Bonifacii cum Hildegario Episcopo Coloniensi de Ecclesia Ultrajectina* p. 1093		*sedit an. 5. d. 29.*
755	Aistulphus â fide data resilit p. 1022 981 Romam obsidet ibid. Legationem Pontifex literasque rursus ad Pipinum mittit p. 1023 Legatio Græcorum ad Pipinum irrita p. 1023 Pipinus Aistulphum cogit, ut Exarchatum aliásque civitates restituat ibid. *Martyrium SS. Bonifacii & sociorum* p. 1093 *S. Bonifacii sepultura* p. 1094		

Per-


Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
756	*Persecutio orthodoxorum* p. 1096 *Regiones Imperii ab Iconoclastarum hæresi immunes* ibid. mors Aistulphi Longobardorum Regis p. 982 Regnum idem obtinet Desiderius ibid.		
757	*Stephanus II. hoc anno moritur* p. 1096 *succedit Paulus Pontifex* p. 1096 moritur Alphonsus Catholicus, cui Froila in Regnum Asturum succedit p. 1000		*Paulus sedit an.* 10. *m.* 1.
758	Principatus Maurorum in Hispania ad stirpem Humejarum transfertur p. 1000 Abderahmani Abenhumejæ regnantis initia p. 1001 *Paulus Pontifex â Pipino contra Græcos petit auxilium* p. 1096		
759	Victoria Gothorum contra Mauros p. 1000		
760	Bellum Aquitanicum contra Waifarium â Pipino inchoatur, quod dein novem annis gessit p. 1024		
762	Constantinus Imperator persequitur Monachos p. 1097		
763	S. Stephanus Auxentii montis Abbas & sacrarum imaginum defensor in vincula rapitur p. 1097 Pseudosynodum Iconoclastarum confutat ibid.		
764	S. Stephanus in exilium relegatur p. 1097 Impietas Constantini Imperatoris in novas blasphemias erumpit p. 1098 Persecutio Catholicorum invalescit ibid.		
766	Imperator jurejurando omnes adstringit ad detestationem imaginum p. 1098 sævit in Proceres & milites & monachos ibid. Constantinum Patriarcham in exilium pellit eique Nicetam Eunuchum substituit ibid. p. 962 grassatur in sacras reliquias ibid. *moritur S. Chrodogangus* p. 1098 *ejus regula* ibid.		
767	Desiderius Rex Longobard. ciet turbas in Italia p. 983 *Pauli Papæ obitus* p. 1099 *Constantinus Antipapa Pipinum ad suas partes pertrahere nititur* p. 1099		*Stephanus III. sedit an.* 3. *m.* 5. *d.* 27.
768	Clerus Romanus die V. Augusti eligit legitimè *STEPHANUM III.* (ab aliis IV. dicitur) & Constantinus Antipapa in monasterium Cellanovas deportatur. Pipinus finito novennali bello totam Aquitaniam subigit p. 1024 Pipinus VIII. Kalend. Octobris moritur p. 1024 1095 Carolus & Carolomannus Pipino Patri succedunt ibid.		
769	*Synodus Romana contra Constantinum pseudopapam instituitur* p. 1099 *corrigitur ea, quæ â Constantino male facta fuerant* p. 1100 *probatur cultus imaginum* ibid.		
770	Froila Christianorum Hispaniæ Rex in Vindictam fratris occisi à fratre vicissim Aurelio occiditur p. 1001 fratrum Caroli & Carolomanni dissidia domestica Bertrada mater componere studet p. 1025. ex Bertradæ consilio Carolus filiam ducit Desiderii Longobardorum Regis p. 1025		
771	Carolus Rex repudiat filiam Desiderii p. 1026 obitus Carolomanni ibid. ejus uxor cum filiis ad Desiderium fugit p. 1026		*Hadrianus sedit an.* 2 *m.* 10. *d.* 17.
772	Moritur Stephanus III. Pontifex p. 1026 1101 succedit *HADRIANUS* ibid. Desiderius Rex Longob. Pontificem vexat ibid. Papa mittit legatos ad Carolum M. ibid. decernitur in Conventu Wormatiensi bellum contra Saxones p. 1029		
773	Legatio Hadriani Papæ ad Carolum M. p. 985 expeditio Caroli M. adversus Desiderium p. 1027 expugnat Carolus Veronam p. 1028		

Bel-

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christiana.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
774	Bellum Constantini contra Bulgaros p. 775 Carolus M. invisit Romam p. 986 1028 Desiderius Rex Longob. capitur p. 987 Finis Regni Longob. ibidem. Carolusdonationem Pipini confirmat & auget p. 1101 1057	Leo IV regnavit	
775	Funesta mors Constantini Copronymi, p. 963 cui succedit LEO IV. sive filius: hujus ortus, primúmque Imperii consortium ibid. expeditio altera Caroli contra Saxones p. 1030 Pontifex â Longobardorum Ducibus pressus implorat auxilium Caroli p. 1035	post obitum Patris an. 5.	
776	Leo Constantinum filium consortem Regni facit p. 963 Nicephori insidiæ comprimuntur p. 964 nova expeditio contra Saxones p. 1032		
777	Telericus Rex Bulgarorum Christi sacra amplectitur p. 964 Saraceni ex Hispania ad Carolum veniunt auxilium petituri p. 1032		
778	Carolus in Hispaniam pergit cum exercitu p. 1033 ibi subactis Hispanis, Vasconibus & Navarris in Franciam revertitur, p. 1033 Vascones in Pirenæi montis jugo ex insidiis adoriuntur Francorum ultimum agmen & cædunt ibid. Saxones denuo in Franciam irruunt p. 1033 & cæduntur ibid.	Con-	
779	Leo Iconomachiam profitetur p. 964 varias leges edit Carolus M. 1034	stantinus VI.	
780	Leonis Imperatoris feralis exitus p. 964 succedit CONSTANTINUS VI. cujus tutelam Irene mater suscipit ibid. Hadrianus Papa Caroli Romæ præsentis filios Pipinum & Ludovicum in Reges ungit p. 1034	regnavit post mor-	
782	Rebellant Saxones, 1034 Carolus in Saxoniam mittit copias p. 1035 æmulatio & invidia sortem Francorum profligant ibid. Carolus cladem ulciscitur ibid.	tem Patris an. 17.	
783	Alphonsus à Mauregato ejicitur Regno Gothorum p. 1002 obitus Hildegardis Reginæ Fr. cui Fastrada surrogatur p. 1035 *Elipandi & Felicis hæresis nascitur* p. 1106 *& propagatur* ibid.		
784	Witechindus Dux Saxonum rebellionen fovet p. 1035 *Paulus Constantinop. Patriarcha moriens detestatur errorem Iconoclastarum* p. 1103 *Tarasius ei succedit* ibid.		
785	Irene curat, ut contra Iconomachos Synodus generalis celebretur p. 965 Pax inter Carolum & Witechindum p. 1035 *Hadriani Papæ epistola ad Imperatores* p. 1103		
786	In Austrasia fit valida conspiratio contra Carolum authore Hartrado p. 1036 conjurationis conscii partim morte, partim cæcitate & exilio puniuntur ibid. *incipit SYNODUS VII. Generalis* p. 1104 sed turbatur ibid.		
787	Carolus Tassilonem Bajoariæ Ducem in obsequium & pacem cogit p. 1036 Concilium VII. Generale Nicæam transfertur, p. 1104 Canones Concilii p. 1105		
788	Bellum Francos inter & Græcos ob repudiatam Caroli M. filiam p. 966 Constantinus Imp. ab Irene ad ducendam Armenam uxorem cogitur ibid. Veremundus Diaconus Rex Gothorum p. 1002 Tassilo perfidiæ convictus in monasterium relegatur. p. 1036		
789	Irene indignius tractat filium Imp. p. 966 *Libri Carolini* p. 1106 *quos confutat Hadrianus Papa* ibid.		

Irene

Anni Chronolog.	*Sæculum VIII. Æra Christianæ.*	Anni Imperatorum.	*Anni Pontificum.*
790	Irene ab aula amandatur p. 966 Alphonsus à Veremundo restituitur Regno p. 1003 ejus victoria contra Mauros ibid.		
791	Irene revocatur in aulam p. 966		
792	Seditionem Nicephori, & Armeniæ Legionum Constantinus crudeliter ulciscitur p. 966 *Felix Urgelitanus in synodo Ratisbonensi damnatus Romam mittitur* p. 1106		
793	Carolus conjunctionem Danubii & Rheni efficere conatur p. 1037 Ethelbertus Rex Orientalium Anglorum insidiis Quendredæ appetitur p. 1047		
794	Constantinus repudiatâ Mariâ Armenâ ducit Theodotam p. 967 Martyrium S. Ethelberti p. 1048 *Synodus Francofordiensis damnat Felicem* p. 1107 *ejus Decretum de cultu imaginum* ibid.		*LEO*
795	Matrimonium novum Constantini turbas ciet Constantinopoli p. 967 *obitus Hadriani Pontificis* p. 1107 *LEO III. succedit* ibid.		*III. sedit*
796	Carolus M. Hunnos vincit & partem spoliorum ad Pontificem mittit p. 1108 *Arno creatur primus Archiep. Salisburgensis* p. 1108		*an. 20. m. 5.*
797	Insidiæ struuntur Constantino Imperatori ab Irene p. 967 Imperator, eâdem matre jubente, excæcatur p. 950.		*d. 16.*
798	Eclipsis solis terrifica & diuturna p. 950		
799	Legatio postema Irenis ad Carolum M. p. 950 *Atrox facinus Romanorum adversus Leonem Papam* p. 1108 *Leoni visus & loquela miraculosè redduntur* ibid.		
800	*Leo se de criminibus purgat* p. 1109 *Carolum Imperatorem coronat* ibid.		



INDEX
RERUM & VERBORUM.
p. indicat paginam, N: numerum Paragraphi, n. notationem minoribus literis subjectam.

A.

ABdalasisius Muzæ filius præfectus Hispaniæ p. 996
Abderahmani Abenhumejæ regnantis initia p. 1001 ejus obitus, ejusque filiorum dissidia p. 1002
Abubecrus Mahometis successor p. 701 bellum ejus contra Romanos p. 701 702 n. 21
Acacius Ep. Constantinop. synodum cogit contra Petrum Fullonem & Joannem Apamæum p. 481 concitat Zenonem adversus Joann. Talajam Antioch. Ep. p. 484 Petrum Mongum ei surrogare conatur p. 485 Suadet Zenoni, ùt Henoticon promulget p. 486 deponitur â Papa & excommunicatur p. 494 n. 17 quæ sententia ei à Tuto insinuatur p. 495 Pertinacia Acacii in Schismate p. 495 Sacrilega Ejus factâ ibid n. 18. Moritur p. 498 ab hæresi immunis fuit p. 606 N. 8
Acephalorum origo p. 486
Achanaar Rex Nephtalitarum Cabadem Regem Persarum vincit p. 24 N 17
Acœmetæ Monachi quinam fuerint? p. 540 eorum acre certamen contra doctrinam Monachorum Scytharum p. 539 excommunicationem iis intentat Joannes II. P. p. 540 Acœmetarum error p. 668 N. 5
Addæus Parricidii falsò insimulatus damnatur p. 154 n. 12
Adelphopistia qualis olim ritus fuerit? p. 40. n. 12
Adeodatus Papa p. 876
Adoloaldus Rex Longob. p. 722 N. 4 potione veneratâ infatuatur p. 723 n. 3 deponitur ibid.
Advocatia quid sit p. 1049 N. 1 Advocatia Ecclesiastica vel est togata vel armata ibid. N. 2 & p. 1050 Imperatores, Reges, ac Duces Advocati Ecclesiarum p. 1050 N. 3 Advocatia Ecclesiæ Romanæ â quo tempore cœperit? p. 1051 1052 N. 4. 5. 6. 7 Dignitas Advocatorum Ecclesiæ Romanæ p. 1053 N. 8 officium Advocatorum Eccl. Rom. 1054 N. 9 ex Advocatiæ jure perperam colligitur jus sacrorum p. 1055 N. 10 neque ex Advocatia Ecclesiæ Romanæ bene infertur supremum Dominium aut jurisdictio in urbem Romanam p. 1055 N. 11 & p. 1056 N. 12
Æga Major Domûs p. 770 N. 12 ejus Sapientia ac Virtus ibid. n. 2. 3.
Æidani Scotorum Regis funestus conflictus cum Ethelfredo Northumb. Rege p. 783 N. 1
Æneas Gazæus scriptor p. 471 N. 2
Æra Dionysiana, ejusque initium p. 536 N. 9 n. 16
Æsca Rex in Cantio p. 397 filius Hengisti & successor p. 397 obitus p. 399
Africa â Saracenis subjugatur, p. 716
Africana persecutio sub Hunerico p. 491 492 Africanis Ecclesiis pax redditur p. 497 527 Synodus Romana lapsis in persecutione Africana leges præscribit p. 497 N. 10 n. 21
Agapetus P. p. 541 Afrorum quæstionibus de Arianis respondet ibid. legationem suscipit ad Justinianum Imp. p. 542 miracula patrat ibid. Anthimum sedi Constantinop. intrusum deponit p. 543 obitus Agapeti ibid.

Aga-

Agathias continuator Historiæ Procopii de bello Gothico p. 126 n. 105 p. 476 N. 4 modus, quo annos militares numeravit ibid.
Agathense Concilium p. 509 N. 16 Canones ejusdem ibid. n. 33 34 & p. 510 n. 35 36
S. Agatho P. p. 877 indicit varias synodos ibid. ejus epistola ad Imperatorem p. 878 obitus p. 887
Agaunensium monasterium p. 333 ejusdem monasterii perpetua psalmodia ibid. n. 40
Agila Rex Visigoth. p. 287 ejus cædes. ibid.
Agilulfus Rex Longobard. p. 188 270 Romam obsidet p. 271 moritur p. 721 N. 3 an fuerit catholicus? p. 722 n. 1 2
Agnoëtarum error unde originem ceperit? p. 666
Aistulfus Rex Longobard. p. 978 imponit tributum Romanis p. 979 â Pipino armis vincitur p. 1022 jurejurando pollicetur se satisfacturum Papæ ibid. à fide data resilit ibid. & p. 981 iterum â Pipini exercitu ad conditiones implendas cogitur. funestus ejus exitus p. 982
Alamundarus Saracenorum Princeps Imperio infestus p. 61 n. 34 dissuadet Cabadi pacem cum Romanis p. 61 N. 17 Comagenæ suadet bellum movendum esse contra Romanos p. 61 62 n. 36
Alaricus Rex Visigoth. p. 276 N. 2 n. 3 ejus leges sive Codex Alaricianus p. 276 Gener Theodorici Ostrogoth. Regis p. 277 n. 5 Alarici bellum cum Francis ejusque causa p. 277 n. 6 p. 324 ejus pugna in Campo Vogladensi p. 279 cædes Alarici ibid. n. 9
Alboinus Rex Longobard. â Narsete vocatur in Italiam p. 158 159 262 varias Italiæ urbes capit p. 160 161 n. 22 p. 263 Duces Provinciis Italiæ imponit p. 161 n. 23 inauguratur Rex Italiæ p. 162 263 Ticinum triennali obsidione expugnat p. 162 263 ejus simultas cum conjuge Rosimunda p. 264 n. 11 Uxoris insidiis necatur p. 264 n. 12 tempus Regiminis p. 265 n. 13 ejus interitus p. 163
Alchones præfectus Hispaniæ p. 997
Alemannorum irruptio in Galliam p. 305 n. 1 vincuntur â Clodoveo p. 314 n. 14 eorum sacrilegæ expilationes in Italia p. 129 n. 107
Alfonsus Catholicus Rex Visigoth. p. 999 ejus pietas ibid. obitus & liberi ibid.
Alfonsus Castus Rex Visigoth. à Silone Rege adoptatur p. 1002 â Mauregato ejicitur regno ibid. revocatur in regnum p. 1003 ejus Victoria contra Mauros ibid. Virtus & felicitas ibid n. 17
Aligernus Tejæ frater Cumas tradit Narseti p. 129
Amalafrida Trasamundi Vandalorum Regis uxor p. 392 N. 5 n. 11
Amalaricus Rex Visigoth. p. 282 N. 5. ejus Pactio cum Athalarico Ostrogothorum Rege ibid. Nuptiæ Amalarici cum Clothilde Childeberti Regis Fr. sorore p. 283 n. 15 sævities ejus in uxorem ob fidem Catholicam p. 283 339 â Childeberto bello appetitus occiditur. p. 284 N. 5 n. 17
Amalasuntha Eutharici conjux p. 234 Athalarici Ostogoth. Regis mater ibid. n. 40 filii nomine regit p. 240 N. 7 ejus eximiæ dotes ac scientia p. 240 n. 52 curat filium Athalaricum literis imbui ibid. n. 53 quod molestè Gothi ferunt p. 241 242 stipendia liberaliter largitur artium Magistris, p. 240 241 n. 54 pacem init cum Justiniano Imp. p. 241 n. 55 Conjuratio contra Amalasuntham p. 241 In Orientem fugere cogitat p. 242 Theodatum in conjugem & Regem adsciscit p. 76 N. 25 p. 243 N. 8 â perfido Theodato in carcerem mittitur & necatur p. 76 243 cædem ejus Justinianus ulcisci parat p. 76 77
S. Amandus Ep. redarguit Dagobertum I. Regem Fr. ob uxorum multitudinem, & in exilium ejicitur p. 764 n. 15
Amantius in Theocritum transferre Imperium conatur p. 36 N. 1 jussu Justini Imp. necatur p. 38 N. 2 n. 7
Ambrosius Britonum Princeps ad Badonicum montem saxones cædit p. 397 N. 2 n. 1. Ejus obitus p. 398 N. 3
Anastasius Dicorus Imp. ab Ariadna deligitur Imperator p. 18 19 N. 12 Ejus ante Imperium officia ibid. Eutychianæ hæresis patronus ibid. ab Euphemio Ep. Constantinop. adigitur ad professionem fidei tradendam p. 19 N. 18 Anastasii simulatio p. 20 n. 19 Leges ab Anastasio editæ p. 20 n. 20 Chrysargyrum tributi genus abolet, p. 410 N. 6 Oratores Indorum excipit p. 21 N. 14 Euphemio Constantinop. Episcopo Catholico hæreticum substituit p. 22 N. 14 Isauros domat p. 22 N. 15 pacem emit â Bulgaris p. 24 N. 16 Anastasii bellum contra Cabadem Persarum Regem p. 26 N. 18 infestatur â Getis p. 27 N. 19 murum contra Barbarorum assul-

assultus exstruit ibid. à Persis pacem redimit p. 28 N. 19 ejus copiæ oras Italiæ expilant p. 28 N. 20 Clodoveo Regi Fr. mittit Consulatûs insignia p. 29 N. 20 decreto unitivo hæreticos æquè ac Catholicos sibi communicare voluit. p. 499 n. 24 Ejus pessima in rebus fidei tolerantia p. 500 n. 25 persequitur orthodoxos p. 29 511 515 Acacium è diptychis expungi non patitur p. 515 A Vitaliano Imperii æmulo exagitatur p. 30 N. 21 n. 29 mitigat populum rebellem perjurio p. 32 N. 23 omina mortem ejus funestam antecedunt p. 32 n. 31 p. 33 n. 32 superstitiosè explorat Successorem p. 33 n. 24 fatum prædictum humano consilio frustra evadere conatur p. 33 N. 24 Mors repentina Anastasii p. 34 N. 24 genus mortis ibid. n. 33 Tyrannis Ecclesiæ accensendus p. 34 n. 35

Anastasius II. Papa p. 504 Clodoveo de suscepto Baptismo gratulatur p. 319 n. 21 mittit Legatos ad Anastasium Imp. p. 504 obitus ejusdem p. 505

Anastasius Monachus discipulus S. Maximi p. 872 cum Magistro in exilium ducitur ibid. ejus Martyrium p. 875 ejus scripta p. 935

Anastasius pseudo-Patriarcha Constantinop. p. 958 ignominiosâ pœnâ ab Imperatore afficitur p. 961

Anastasius Sinaita p. 657 N. 21

Anglorum Orientalium Regnum p. 399 N. 4 eorum conversio p. 791

Anglo-saxonum conversionis initia p. 406

Aniani Breviarium sive Codex Alaricianus p. 276 N. 2

Ansprandus tutor Luitberti Longobard. Regis p. 733 fugit in Bajoariam p. 734 in Italiam redit p. 734 confligit cum Ariberto ibid. N. 15 potitur Regno p. 735 mortuo succedit ejus filius Luitprandus ibid.

Antiochia terræ motu concutitur p. 51 N. 10

Antonina Belisarii conjux Constantinopoli revocationem mariti sui ex Italia impetrat p. 114 115

Apamea metropolis p. 481 n. 4

Apocryphi libri in Gelasii P. decreto nominantur p. 616 N. 4 quotuplici sensu Apocryphorum nomen accipi debeat? p. 616 N. 5

Apostoli & Apostolici viri ex quibus mediis olim vixerint? p. 608 N. 1. 2.

Apsimarus Tiberius Imp. Leontio succedit p. 716 N. 25 ejus victoriæ in oriente ibid. occiditur à Justiniano II. p. 717 N. 26

Aquilejensis metropolitæ amplissima olim jurisdictio p. 582 n. 10 hæc sedes Metropolitana Gradum translata p. 578 Aquilejensis Patriarchatus origo p. 638 N. 2 Salmasii & Palladii opiniones eliduntur p. 638 N. 2 3 Ex schismate ortum habuit p. 639 N. 4 variæ vicissitudines Patriarchatûs Aquilejensis p. 640 N. 5 Aquilejenses Forojulium sedem transferunt p. 641 N. 5 Veneti Aquilejensi restituere Patrimonium negant p. 642 N. 7 Causæ graves extinguendi Patriarchatum Aquilejensem ibid. Articuli conventionis inter Austriacos & Venetos hac super re. p. 643 N. 8 Executionem pactorum Legatus Pontificis in se suscipit ibid. In locum Patriarchatûs Aquilejensis duo Archiepiscopatus erecti Goritiensis & Utinensis p. 643 N. 9 jus nominandi Austriacis ac Venetæ Reipublicæ respectivè tribuuntur p. 644 Aquilejensis Ecclesia (antè Patriarchalis) Apostolicæ Sedi immediatè subjicitur p. 644 N. 10

Arabum origo p. 809 Eorum regnum & Regum Successio p. 810 N. 2

Arabicarum litterarum origo p. 810 N. 2 religio quotuplex ante Mahometem in Arabia fuerit? p. 811 N. 4 Mahomet Arabes seduxit p. 812 N. 5

Arausicana Synodus II. p. 531 N. 7 Ejus Canones ibid. n. 9 de gratia & libero arbitrio genuinam tradit Doctrinam p. 512 n. 10 11 & p. 533 n. 12 confirmatur à Bonifacio II. P. p. 535 n. 14

Archiepiscopi nomen seriùs Metropolitis datum est p. 582 n. 10

Arelatensis Synodus IV. p. 527 N. 4

Ariadna Zenonis uxor Illo insidias struit p. 12 N. 8 ejus obitus p. 52 N. 24 n. 30

Aribertus I. Rex Longob. p. 727 Aribertus II. Rex Longob. Luitbertum vita & Regno exuit p. 733 N. 14 Ejus liberalitas erga Ecclesias, p. 734 n. 13 occiditur p. 734

Ariminum Gothi obsident p. 91 N. 30 arte Belisarii liberatur p. 92 n. 68

Aristocratia Longobardorum p. 266 267

Arivaldus Rex Longobard. p. 723

Armorici quinam fuerint? p. 323 n. 26 à Clodoveo oppugnantur p. 323

Artabasdus Imperium invadit p. 961 victus à Constantino Copronymo excæcatur ibid.

Arthurus Rex Britonum p. 398 N. 3 ejus fatum p. 400 sepulchrum ibid. n. 3
Athalaricus Rex Ostrogothorum Eutharici filius p. 234 n. 40 Ejus tutrix Amalasuntha p. 240 N. 7 à literis ad otium & licentiorem vitam volentibus Gothis traducitur p. 242 præmatura ipsius mors p. 243 n. 56
Athanagildus Rex Visigoth. p. 287 N. 8 9 ejus obitus p. 288 illius filiæ ibid.
Athanasiani Symboli quis author fuerit? p. 645 N. 1
Athanasius Iacobitarum Patriarcha Heraclium ad Monothelismum adducit p. 838
Avares bellum movent contra Romanos p. 196 Induciæ inter Avares & Romanos ibid. ob grassationes impias in sacras reliquias peste puniuntur p. 198 n. 61 pacem ineunt cum Romanis ibidem.
Audoinus Rex Longobard. Gepidis partem Pannoniæ eripit p. 261 n. 7 ejus decretorium cum Gepidis prælium ibid. n. 8 fœdus illius cum Cæsare p. 261 262 n. 9
Augustinus Anglosaxonum primus Apostolus p. 406 596 597 Ejus ac Sociorum sanctitas & doctrina ibid. n. 8 ordinatur in Gallia Episcopus p. 406 n. 9 Doroverniæ sedem Metropolitanam constituit p. 406 n. 10 ubi primum appulerit? p. 405 n. 6 Episcopatus in Britannia fundat p. 597 Sedis Apostolicæ vicarius constituitur p. 597 n. 25 ejus obitus p. 786
Avitus Viennensis & ejus scripta p. 649 N. 5
Aurelianensis Synodus II. p. 541 Synodus III. & IV. p. 546
Aurelianum caput Regni Burgundici p. 771 n 24
Aurelius Rex Visigoth. turpe tributum condicit Mauris p. 1001
Austrasia unde nomen acceperit p. 331 n. 38
Autharis Rex Longobard. p. 268 n. 21 item 186 vincit Francos p. 269 187 ejus columna p. 269 n. 23 obitus p. 270 n. 24 187
Authenticæ Corporis Justinianei p. 427 N. 11.
Auxumitæ quinam fuerint p. 48 n. 20 eorum Rex Elesbaan ibid.
Azarethæ Ducis Persarum exauthoratio, hujusque causa, p. 63 n. 37

B.

BAjoariæ conversio p. 1074 N. 4
Barcinonensis synodus p. 599
Badonicus mons à Saxonum clade insignis p. 397 n. 1
Baptismi ritus olim receptus per immersionem p. 319 n. 20 Baptismi solennis stata olim tempora p. 582 n. 11 an trina mersio requiratur p. 588 mersio una pro Baptismo statuitur p. 844 controversia de forma Baptismi p. 1086
S. Barnabæ reliquiæ inveniuntur p. 496 N. 10 p. 497 n. 20
Basiliscus Tyrannus & Hæreticus revocat ab exilio Eutychianos p. 478 N. 1 Ejus Encyclica adversus synodum Chalcedon. p 480 ei exitium vaticinatur Daniel stylita ibid. Imperio amovetur p. 3 N. 2 ejus leges abolentur p. 4 n. 3
Basilius junior se immiscet & Electioni Pontificis p. 212 n. 3
Bathildis conjux Clodovei II. & mater Clotharii II. p, 774 ejus ortus, ibid. n. 28 ab aula amandatur p. 775 ejus virtutes in Calensi Monasterio p. 775 n. 29 moritur sancta ibid.
Beda venerabilis ejusque scripta p. 1126
Belgii conversio p. 860
Belisarius ejusque ingenium ac ars militaris p. 45 N. 6 Patria p. 45 n. 17 Ejus expeditio contra Persas ibid. Bello Vandalico præficitur p. 68 n. 39 appellit ad litus siculum p. 68 Classem ducit in Africam p. 68 N. 21 n. 39 dissuadentibus aliis conscendit Africæ litus p. 69 n. 40 movet Carthaginem ibid. hortatur suos ad pugnam p. 70 n. 42 vincit, fugatque Gelimerem p. 71 N. 22 Carthaginenses in fidem suscipit ibid. epulatur in *Delphica* ibid. n. 43 perfidiam Hunnorum liberalitate corrigit p. 72 N. 23 alterâ vice Gelimerem vincit p. 73 N. 23 Africæ Regiones subjugat p. 73 N. 24 Gelimerem in monte Pappua obsideri jubet p. 74 N. 24 ad deditionem cogit ibid. singularis Belisarii gloria ibid. calumniam sibi impactam amolitur ibid. triumphus Belisarii p. 75 N. 24 n. 45 Belisarii expeditio in Siciliam p. 77 N. 26 obsidet Neapolim p. 80 81 N. 27 obsidionis difficultas ibid. n. 50 51 52 per aquaductum in urbem immittit milites p. 81 n. 53 urbem capit p. 81 n. 54 p. 245 Romam occupat p. 84 246 quo anno id evenerit? p. 84 n. 58 Belisarius à Justiniano auxilia poscit p. 86 87 n. 62 Silverium Papam in Græciam relegat p. 86 n. 61 Arimino prospicit contra Gothorum assultum p. 91 N. 30 Narsetem aliosque invidos Duces placare conatur p. 93 N. 31 Theodeberto Francorum Regi bellum Italicum dissuadet

ſuadet p. 95 n. 69 Ravennam cum Vitige Rege capit p. 98 n. 71 72 73 eundem deportat Conſtantinopolim p. 100 n. 76 Siſauranum Caſtellum expugnat p. 101 N. 33 In Euphrateſiam venit p. 102 N. 34 reverſus criminationibus proſcinditur p. 103 Beliſarii in bello negligentia p. 103 n. 78 Juſtinianus eidem indignatur p. 104 N. 34 n. 79 reſtituitur in gratiam Cæſaris p. 106 remittitur in Italiam p. 106 magnis cum difficultatibus luctatur p. 107 poſcit auxilia à Juſtiniano ibid. n. 84 ejus Providentia contra hoſtilem Romæ obſidionem p. 108 n. 86 Auxilia obſeſſæ urbi adducit p. 110 n. 90 Caſuturbatus Dux Romam deſerit p. 111 dehortatur Totilam, ne muros Romæ deſtruat p. 112 N. 37 recuperat Romam & munit p. 113 In Siciliam fugit p. 114 revocatur Conſtantinopolim p. 116 mittitur contra Hunnos p. 142 n. 125 exiguis cum copiis Hunnos vincit p. 143 n. 126 Conjurationis contra Juſtinianum factæ inſimulatur p. 144 n. 128 & p. 145 n. 129 datur in Cuſtodiam p. 145 reſtituitur libertati & honoribus p. 146 Poſt mortem ejus bona Fiſco addicuntur p. 146 fabula de exoculatione & mendicitate Beliſarii p. 146 n. 130 Beliſarii virtutes bellicæ p. 438 N. 4

Benedict. I. Papa p. 574 ejus obit. ibid. Ben. II. P. p. 891

S. Benedictus monaſticæ vitæ in occidente reſtaurator p. 547 ejus ortus ibid. n 27 in Sublacenſem ſolitudinem ſecedit p. 547 n. 28 fama nominis illius creſcit p. 548 ſancti cum orco certamina ibid. veneno appetitur ibid. duodecim conſtruit monaſteria ibid. à S. Florentio Presbytero vexatur p. 549 Adit Caſinum ibid. n. 29 regula p. 549 n. 30 Totilæ Regis Gothorum fraudem detegit p. 550 obitus ibid.

Benedictus XIV. extinguit Aquilejenſem Patriarchatum p. 642 N. 7

Berta Chriſtiana uxor Ethelberti Cautiorum Regis p. 402 promovet converſionem Inſulæ p. 405 n. 7

Berthoaldus Major Domûs Brunechildis inſidiis perit p. 749 750

Bertrada mater Carolomanni & Caroli M. p. 1024 eadem conciliare nititur diſſidentes fratres p. 1025 Pacta Bertradæ cum Deſiderio Longob. Rege ibid.

Beſſas ignavè tuetur urbem Romanam p. 108 ſordida ejus avaritia p. 111 A. Juſtiniano Lazorum expeditioni præficitur p. 135 ob rem malè geſtam exauthoratur ibid. n. 115

Boëtius Severinus p. 235 ejus conditio ibid. officiorum Magiſter in aula Theodorici p. 236 Albinum virum Conſularem falsò accuſatum defendit ibid. n. 45 crimina objecta diluit, p. 236 237 n. 47 mancipatur carceri & damnatur cum ſocero ſymmacho p. 237 n. 47 48 Eorundem ſupplicium ac genus mortis p. 238 n. 49

Bona Eccleſiaſtica unde orta ſint? p. 608 609 N. 3 4 5 Bona etiam immobilia Eccleſiis tributa ſunt ante Conſtantini M. tempora p. 610 N. 6 Item Martyrum bona ibid. poteſtas ea bona diſpenſandi primum penes Apoſtolos, dein penes Epiſcopos fuit p. 611 N. 7 Adjutores Epiſcoporum in adminiſtratione bonorum Eccleſ. p. 611 N. 7 varia ratio diſpenſandi bona Eccleſ. p. 612 N. 8 quando diviſio facta ſit bonorum Eccl. p. 613 N. 9 cur partitio ejusmodi facta ſit in certas claſſes? ibid. non licebat Epiſcopis à portione clericorum decerpere ibid. Beneficia Eccleſiaſtica quando cœperint p. 614 N. 10

Bonifacius II. Pontifex p. 534 Tres Romanæ ſub eo Synodi. ibid. confirmat Arauſicanam II. Synodum p. 535 n. 14 obitus p. 335

Bonifacius III. P. p. 426 N. 2 pugnat contra uſurpatum à Conſtantinop. Epiſcopis titulum *Oecumenici* ibid. decretum ejus de electione Papæ p. 827 n. 5

Bonifacius IV. P. p. 827 inſtituit feſtum Omnium Ss. Martyrum, ibid. n. 6 Pantheon in Eccleſiam S. Mariæ convertit p. 827 declarat Monachos à Sacerdotio non debere arceri p. 828 n. 7

Bonifacius V. P. p. 830 ejus epiſtola ad Edvinum Northumbriæ Regem p. 833 N. 5 obitus ibid.

S. Bonifacius Anglus & Germanorum Apoſtolus p. 1039 1075 N. 5 venit in Friſiam p. 1075 in Britanniam redit, ibid. abit Romam ad Pontificem p. 1039 N. 2 labores ejus apud Thuringos p. 1040 1076 ad Wilibrordum revertitur in Friſiam p. 1076 1040 pergit in Haſſiam, & Thuringiam p. 1076 de ſucceſſu informat Pontificem, ibid. Romam vocatus creatur Epiſcopus, ibid. revertitur in Haſſiam p. 1077 ejus apud Haſſos Thuringósque labores, ibid. n. 1. 2. ſubſidia ex Britannia efflagitat p. 1078 n. 4. ab Epiſcopo Wintonienſi Daniele de modo convertendi gentes accipit literas p. 1078 n. 3 conſulit Gregorium II. Pontificem de quibusdam dubiis, & reſponſum accipit p. 1079 cre-

creatur Archiepiscopus p. 1083 N. 8 tertiò venit Romam, ibid. Bajoariam in quatuor Episcopatus dividit p. 1084 tres Episcopatus instituit, Wirceburgensem, Buriburgensem & Erphesfordiensem p. 1084 Synodos in Germania celebrat p. 1086 1088 Bonifacii Archiepiscopi sedes primùm Coloniæ, dein Moguntiæ constituitur p. 1089 1090 hanc frustra declinare nititur p. 1090 Pipinum ungit Regem p. 1091 sibi successorem eligit S. Lullum p. 1093. ejus controversia cum Hildegario Episcopo Coloniensi, ibid. Martyrium S. Bonifacii & Sociorum p. 1093 ejus sepultura, scripta & libri p. 1094

Bracarensis Synodus I. p. 570 Synodus II. p. 573

Brennacensis Synodus p. 581 N. 5

Breviarium Aniani p. 449 N. 3 p. 450 abrogatur p. 451

Britones suos filios venales olim exponebant p. 404 n. 5 Anglosaxonibus infesti p. 783 N. 2 errores Britonum circa Paschatis celebrationem aliósque ritus p. 783 N. 2 n. 1 S. Augustino Apostolo suo obsequi detrectant p. 784 n. 2 controversia de paschate celebrando agitatur p. 795 N. 10 n. 6 pro Romano more deciditur p. 796 n. 7

Brunechildis sponsa Sigeberti ex Hispania deducitur in Franciam p. 357 n. 64 â Chilperico in exilium ejicitur p. 363 nubit Meroveo Chilperici filio p. 364 invitus Pater rescindit hoc matrimonium, ibid. Brunechildis in exilium amandatæ causam Theodebertus Rex suscipit p. 364 Brunechildis Fredegundem persequitur, ibid. turbat Franciam p. 749 insidiatur Berthoaldo Majori Domûs, ibid. Protadium Amasium ei dolo substituit p. 750 Theodoricum II. & Theodebertum Reges Fr. bello committit p. 751 ulciscitur necem Protadii p. 752 Theodorici furorem in se provocat p. 755 Regnum transferre conatur in Sigebertum II. p. 756 Warnagario Majori Domûs necem machinatur p. 756 dolo ejusdem Warnagarii in exitium agitur p. 757 Brunechildis atroci supplicio tollitur p. 758 n. 7 varia opinio Authorum de ejus vitiis ac virtutibus p. 768 759 n. 8.

Bulgarorum nomen quando primò innotuerit? p. 23 n. 23 eorum origo ac pristinæ sedes, ibid. bellandi ratio p. 24 N. 16 eorum bellum contra Constantinum Pogonatum p. 711 & victoria, ibid.

Buraburgum castrum vel oppidum quo in loco positum fuerit? p. 1112 N. 3. verosimiliùs prope Frideslariam erat p. 1113 causæ, cur hoc in loco Episcopatum fundârit S. Bonifacius? p. 1113 Episcopatus Buraburgensis citiùs finem accepit, & ex qua causa? p. 1116 N. 6

S. Burchardus ex Britannia in Germaniam vocatur â S. Bonifacio p. 1078 n. 4. creatur primus Episcopus Wirceburgensis p. 1084 1111 quo anno sedere cœperit? ibid. interfuit Synodo Germaniæ p. 1111 1086 & consecrationi Willibaldi p. 1111 quot annis sedem Episcopalem tenuerit? p. 1112 annus quo Episcopatu & vitâ cessit p. 1112 legationem ad Zachariam P. ab ipso Burchardo in causa Childerici susceptam perperam quidam in dubium trahunt p. 1122

Burgundicum Regnum sub Merovingis, ejúsque amplitudo p. 322 n. 25 455 N. 5 Burgundicæ Provinciæ p. 381 n. 54 Burgundiæ magna pars servit Theodeberto p. 345 n. 52. Burgundicæ leges p. 451 n. 1 â Sigismundo Rege auctæ p. 455 ritus in iis expressi p. 453 N. 4. 454 vigebant adhuc sub Carolingensibus p. 456 Burgundicæ sortes quid fuerint? p. 454 Burgundiorum auxilia â Francis in Italiam missa p. 345 N. 20

Busta Gallorum locus in Italia p. 121 n. 99

Butilinus Francos adducit in Gothorum auxilium p. 127 ejus copiæ morbo consumuntur p. 130 ejus acies & pugna contra Romanos p. 130 n. 108 internecinâ clade afficitur p. 132

C.

CAbades Rex Persarum gerit bellum cum Hunnis Nephtalitis p. 24 N. 17 fraude eludit jusjurandum Hunnis factum, ibid. libidinis promiscuæ usum concedit, ibid. â suis rapitur in carcerem p. 25 N. 17 liberatur operâ fœminæ, ibid. gerit bellum contra Anastasium Imp. ibid. Amidam expugnat p. 26 N. 17 n. 25 exercitum Cæsareum profligat p. 26 N. 18 â Romanis victus pacem inire renuit p. 61 n. 35 Azaretham Ducem post relatam etiam victoriam malè accipit p. 63 n. 37 Cabadis obitus p. 63 N. 19

Cabilonensis I. Synodus p. 581 N. 5 II. Synod. p. 861

Cæsaraugusta â Francis obsessa S. Vincentii ope liberatur p. 347

S. Cæ-

S. Cæsarius p. 510 ejus Regula ibid. n. 37 ejus Scripta p. 649 N. 6
Calamitates civilium bellorum in Francia p. 363 n. 69
Calendio Archiep. Antiochenus p. 483 n. 6 ordinatur contra morem Constantinopoli ab Acacio ibid. & p. 484
Callinicus Exarchus Italiæ p. 272 ejus bellum cum Longobardis p. 273
Calliopas exarchus S. Martinum Papam vi Româ abducit p. 865
Candidus Ep. Sergiopolitanus jubente Chosroe excarnificatur p. 101 N. 34
Candidus Historicus p. 470
Canon S. Scripturæ à Gelasio P. declaratur p. 615 N. 2
Canonum Ecclesiasticorum ratio & finis p. 628 N. 1 vis obligativa canonum p. 629 N. 1 Collectio canonum quam authoritatem addat canonum statutis? ibid. N. 2 vide *Collectio Canonum.*
Canones Trullani quonam anno conditi? p. 927 N. 1 consensu à legati Pontificum editi dici nequeunt p. 928 N. 2 nonnulli ex iis Romanorum Pontificum Decretis & bonis moribus adversantur p. 929 N. 3 plures tamen Ecclesiasticæ disciplinæ sunt perutiles p. 930 N. 4 præcipua Trullanorum Canonum statuta unà cum animadversionibus recensentur à pag. 930 931 932 933 934
Capitula tria ex Chalcedonensi Concilio excerpta in controversiam vocantur p. 553 554 N. 21 n. 32 ea Justinianus Imp. damnat p. 554 Damnationi subscribunt Patriarchæ, ibid. Synodus Oecumenica ob trium capitulorum causam indicitur p. 556 Justiniani Edictum adversus tria capitula p. 557
Cararicus perfidus contra Clodoveum p. 307
Carolus Martellus filius Pipini p. 781 unde Martelli nomen acceperit? p. 1012 n. 8 à Plectrude datur in custodiam p. 1006 elabitur è custodia ibid. Chilpericus concitat Frisones in Carolum p. 1007 Carolus à Frisiis victus, Neustrasios & Frisones rursus vincit ibid. Coloniam urbem unà cum Pipini opibus obtinet p. 1008 Clotharium Austrasiæ Regem renunciat ibid. Neustrios & Vascones magna clade affligit p. 1009 Chilperico umbratilis Regni speciem reddit p. 1009 N. 3 propinquos suos custodiæ includit ibid. Ragenfredi molitiones comprimit p 1010 Alemannos, Saxones & Bajoarios debellat ibid. Sunichildem cum Avia Bilitrude capit ibid. Eudoni Aquitaniæ Duci dat auxilia contra Saracenos p. 1011 expeditio Caroli contra Frisones p. 1012 Hunaldo Eudonis defuncti filio Aquitaniam certis conditionibus relinquit p. 1013 n. 10 Mauronti rebellionem extinguit ibid. fœdus ferit cum Luitprando Longob. Rege ibid. Avenionem à Mauris occupatam expugnat ibid. Narbonem obsidet p. 1014 Saracenos vincit ibid. n. 11 domat Saxones p. 1015 Longobardorum auxilio firmatus Saracenos fugat ibid. à Gregorio III. Pontifice legationem & Patriciatûs insignia accipit p. 1015 N. 6 p. 1051 N. 4 Ab eodem Pontifice Caroli auxilium imploratur contra Longobardos p. 1016: moritur ibid. n. 12 ejus Conjuges & liberi ibid. n. 13 duo filii Regnum dividunt ibid.
Carolomannus filius Caroli Martelli obtinet Austrasiam p. 1016 Alemannorum mo us compescit p. 1017 Odilonem Bajoariorum Ducem ad fidem & obsequium revocat, ibid. Saxones subigit, ibid. depositis gubernaculis induit Monachum p. 1018 missus ab Aistulfo Longobard. Rege in Franciam frustra conatur Francis dissuadere bellum contra Longobardos p. 1021 Viennæ monasterio includitur & moritur p. 1021
Carolomannus filius Pipini Regis & frater Caroli Magni in partitione Regni potitur Austrasiâ p. 1024 N. 14 ejus cum fratre dissidium à matre Bertrada componitur p. 1024 1025 moritur p 102 N. 15.6 ejus filii excluduntur à regno, ibid. Vidua cum illis fugit ad Desiderium, ibid.
Carolus Magnus filius Pipini natumajor & Rex Neustriæ p. 1024 N. 14 ejus expeditio Aquitanica, ibid. & 1025 Desiderii Longobard. Regis filiam ducit in uxorem p. 1025 & subinde repudiat p. 1026 defuncti Carolomanni filios à Regni successione arcet, & Monarchiam Franciæ invadit, ibid. N. 15 à Pontifice Hadriano rogatus in Italiam contra Desiderium Longob. Regem cum exercitu movet p. 1027 Longobardos vincit, ibid. Veronam expugnat & Ticinum obsidet p. 1028 Romam invisit, ibid. Pontifici Donationem Pipini confirmat & auget p. 1028 1060 1061 1062 1063 Longobardorum regnum in Italia extinguit p. 1028 n. 15

à quo

â quo tempore Carolus dictus sit Rex Longobardorum? p. 1029 Irminsulam destruit p. 1029 n. 17 Altera ejus expeditio in Saxoniam p. 1030 n. 18 tertia expeditio contra Saxones p. 1032 A. Saracenis rogatus in Hispaniam ducit exercitum p. 1033 reditus Caroli ex Hispania cruentus ibid. Quarta expeditio contra Saxones p. 1034 Leges Caroli M. p. 1034 cladem à Saxonibus acceptam crudeliter ulciscitur p. 1035 pax inter Carolum & Wittechindum Ducem Saxonum p. 1035 conjuratio contra Carolum p. 1036 Carolus Tassilonem Bajoariæ Ducem subigit ibid. Danubium & Rhenum conjungere conatur p. 1037 Libri Carolini p. 1106 an Carolo velut authori adscribi debeant? p. 1121

Carpentoractensis synodus p. 531

Carthaginensis synodus generalis Africæ p. 527 N. 4 alia synodus ibidem sub Reparato p. 541

Cassiodorus ejusque origo p. 221 Theodoricum Ostrogoth. Regem adjuvat in felici regimine ibid n. 19 ejus scripta p. 654 N. 14 in libro de anima erroneè docet justorum animas visione dei non frui ante diem judicii ibid.

Catholicus à fide apostata, jubente Theodorico Arianorum Rege, capite plectitur p. 227 n. 29

Cedvalla Rex Occid. Sax. p. 800 Romam profectus à Papa baptizatur p. 801 obit Romæ ibid. ejus Epitaphium ibid. n. 8

Ceolredus Rex Occid. Sax. pugnat cum Ina Merciorum Rege p. 1038 N. 1 obitus p. 1039

Ceratium quale monetæ genus? p. 199 n. 62

Certamen singulare inter Gothum & Romanum p. 251

Chaganus Princeps Avarum Romanos violatæ pacis accusat p. 195 ejus bellum contra Romanos 196 inducias facit cum Romanis ibid. cædit Romanos p. 197 ægrè Legatos Romanorum admittit p. 198 pacem admittit ibid. Captivos omnes Romanos trucidat p. 199

Chagani Hunnorum Principis irruptio in Italiam p. 720 N. 2 Romildæ libidinem & proditionem punit p. 721

Chalcedonensi Concilio omnes subscribunt p. 518 N 21

Charibertus filius Clotharii I. p. 355 N. 24 Parisiorum Rex ibid. Ingobergam conjugem repudiat p. 356 ob nimias libidines citiùs absumitur ibid. n. 60 mortui Regnum fratres dividunt ibid. n. 61

Charibertus Dagoberti I. frater partem regni Aquitanici tantùm accipit p. 763 n. 12 totam Vasconiam sibi subjicit p. 765 ejusdem obitus ibid.

Childebertus I. Rex Francorum condicit Mauritio Imp. auxilia contra Longobardos p. 187 sororis Clotildis injurias ulcisci parat p. 283 n. 16 p. 339 cum Clothario conjurat contra filios Clodomiri p. 341 in Clotharium arma movet p. 344 ejus bellum in Hispania p. 337 Chramni rebellionem fovet p. 353 obitus ibid.

Childebertus II. Sigeberti filius furori Chilperici subducitur p. 363 adoptatur á Guntchamno p. 367 n. 71 à fœdere Guntchramni malevolorum dolo avellitur ibid. renovat fœdus cum eodem p. 368 persequitur Fredegundem p. 371 legatio ejus missa ad Guntchramnum repudiatur p. 372 reconciliatur Guntchramno p. 373 conjuratio adversus Childebertum p. 376 Pactum Andelaense inter Childebertum & Guntchramn. p. 377 Recarredo Hispan. Regi dat pacem simulque sororem suam ei sponsam jungit p. 377 bellum Childeberti contra Longobard. in Italia p. 378 altera expeditio ejus in Italiam infelix, ibid. simultas ejus cum Guntchramno p. 380 conjuratio contra Childebertum p. 380 Childebertus hæres Guntchramni p. 381 bellum Childeberti contra Clotharium II. & Fredegundem p. 382 ejus bellum contra Britannos & Varnos p. 483

Childebertus III. frater Clodovei III. Reg. Fr. p. 781 ejus bella contra Frisones ibid. obitus p. 782

Childericus I. Regnum Francorum auget p. 304 Odoagrum Ducem saxonum ab Andegavorum obsidione repellit p. 304 Alemannos cædit p. 305 n. 1 obitus p. 305 tempus regiminis ibid. n. 2 Childerici tumulus ibid. n. 3

Childericus II. Rex Fr. frater Clotharii III. p. 775 in varia vitia se præcipitat p. 776 à Botilone occiditur ibid.

Childericus III. Rex Fr. p. 1017 deponitur & in Monasterium relegatur p. 1020 cuius authoritate à Childerico III. Regnum Francorum translatum sit in Pipinum? p. 1065 1066 an hæc Childerici exauthoratio fabulosa sit? p. 1066 1067 1068 1069

Chilpericus I. filius Clotharii I. Rex Suessionum p. 355 N. 24 civile bellum inter Chilpericum & Sigebertum fratres ibid. Galesvindam sororem Brunechildis in uxorem ducit p. 358 Fre-

degundis amasiæ studio Galesvindam occidit ibid. novum bellum inter fratres Chilpericum & Sigebertum p. 361 362 Chilpericus Tornaco inclusus Fredegundis dolo liberatur p. 362 sævit in Sigeberti propinquos p. 363 Merovei filii nuptias cum Brunechilde improbat & eundem filium in monasterium relegat p. 364 Chilpericus à Guntchramno victus ad pacem compellitur p. 368 mors violenta Chilperici p. 368 369 n. 72 73 ejus vitia p 369 n. 74 Alphabethum literarum novis literis auxit p. 370 n. 75 in Sabellii errorem aliquando incidit ibid. Ejusdem sepulchrum p. 370 n. 76

Chilperius II. (aliàs Daniel clericus dictus) Rex Neustriæ creatur p. 1006 ejus Natales ibid. n. 2 bellum ejus conta Carolum Pipini filium p. 1007 vincitur & fugatur à Carolo p. 1007 Ad Eudonem Aquitaniæ Ducem se recipit p. 1009 iterum à Carolo vincitur ibid. ejus ultima fata ibid. N. 3 n. 5

Chindasvinthus Rex Visigoth. p. 741 ejus studium pro Religione ibid. impetrat à Papa, ut Primatûs dignitas esset Hispali vel Toleti ibid. n. 6

Chintila Rex Visigoth. Episcoporum consensum ad sui electionem postulat p. 740 N. 5 ejus leges p 741

Chorepiscopi à Presbyteris non distinguntur p. 831 n. 14 Jurisdictio eorum certis limitibus circumscribitur ibid.

Chosroës à Cabade successor in Regno Persarum scribitur p. 43 n. 15 adoptandus Justino Imperatori proponitur p 44. N. 6. Romani eum more barbarorum armis tantùm adoptandum decernunt p. 45 N. 6 n. 6 Chosroës tentat Edessam & Daram p. 100 N. 33 redit in Persidem p. 101 Ejus sævitia in Candidum Ep. p. 101 N. 34 Comagenam expilat ibid. Hierosolymorum thesauris inhiat p. 102 N. 34 Chosrois bellum contra Lazos p. 123 N. 46 Ejus legatio de pace ad Justinianum p. 140 expostulat cum Justino II. quòd per Sarmeniosin fidem susceperit p. 164 n. 27 & p. 165

Chosroës Junior Hormisdæ filius Patrem suum occidit p. 183 n. 49 à Varamo regno exuitur p. 184 ejus pietas in Sergium Martyrem p. 184 n. 51 an Christianus fuerit? ibid. à Mauritio Imp. impetrat auxilia p. 184 vincit hostes p. 185 n. 52 53 ingratus Romanis pro beneficio p. 185 rumpit fœdus cum Romanis p. 683 N 1 Provincias Imperii regnante Phocâ vastat & subigit p. 685 sub Heraclio bellum continuat p. 689 Crucis sacrum lignum Hierosolymis aufert ibid. n. 8 legatos Heraclii dat carceri p. 691 diuturnum ejus bellum cum Heraclio p. 692 694 695 696 occiditur à filio Siroe p. 697

Chramnus filius natu major Clotharii I. Franc. Regis p. 452 ejus rebellio adversus Patrem, ibid. & bellum p. 353 recipitur à Patre in gratiam p. 354 iterum rebellat, ibid. in bello captus à Patre ignibus exuri jubetur n. 59

Chronicon Alexandrinum p. 723

Chrysargyrum quale tributi genus fuerit? p. 408 N. 4 quàm difficulter aboleri potuerit? p. 406 N. 5 Anastasius Imp. illud abrogavit p. 20 N. 13 p. 15 N. 6

Clepho Rex Longobard. ejúsque cædes p. 163 266 N. 3 n. 15

Clepsydræ & horologia muneris loco missa à Theodorico Rege Goth. ad Gundebaldum Burgund. Reg. p. 226 n. 27

Clericorum inferiorum conditio in Sæc. VI. p. 674

Clodoaldus filius Clodomiri neci subducitur p. 342

Clodomirus filius Clodovei I. p. 330 partem Regni paterni sortitur p. 331 n. 36 Sigismundum Regem Burgund. necat p. 334 funestus ejus exitus, ibid. ejus superstites fratres Clodomiri terras partiuntur p. 335

Clodoveus I. & ejus nomen variè à variis scriptum p. 306 n. 6 bellum Clodovei contra Syagrium Romanorum Ducem p. 307 Franciæ regnum fundat p. 308 N. 3 bellum gerit cum Thuringis p. 309 n. 8 amplitudo regni Francici tempore Clodovei p. 307 n. 8 Clotildem uxorem ducit p. 311 ab eadem ad Christi fidem suscipiendam incitatur, ibid. duos filios natos baptizari permittit p. 312 n. 12 uno ex iis mortuo hæsitat in fide, ibid. bellum contra Alemannos p. 313 N. 5 in pugnæ periculo Christum invocat, & voto facto vincit hostes p. 313 314 n. 14 locus prælii, ibid. n. 13 fidem Christianam amplectitur p. 315 an id factum ex politicis rationibus? ibid. n. 15 ejus solennis baptismus p. 317 quo tempore is susceptus? p. 316 n. 16 cur dictus Sicamber? p. 317 an chrismate cœlitùs allato unctus fuerit? p. 317 n. 18 Clodovei bellum contra Gundobaldum Burgund. Regem p. 321 pugna cum Armoricis p. 323 N. 8 n. 26 cum Alarico Visigoth. Rege p. 324 p. 27 ejus victoria in Vogladensi campo p. 325 Consulatûs insignia accipit ab Anastasio Imper. p. 326 n. 31

n. 31 32 Consulatus Clodovei qualis fuerit? p. 327 n. 31 bellum contra Regulos Francorum p. 327 N. 10 eos cædit, eorúmque terras subjugat p. 328 329 an inde crudelitatis accusandus? p. 328 n. 33 mors & sepultura Clodovei p. 330 N. 11 n. 34 35 liberi Clodovei, ibid. n. 12 divisio ipsius regni inter filios p. 331

Clodoveus II. Neustriæ & Burgundiæ Rex p. 770 Grimoaldum Majorem Domûs occidit p. 774 obitus. ibid. n. 27

Clodoveus III. Theodorici II. filius sub Pipini tutela regit p. 781 obitus ibid.

Clotharius I. Neustriæ Rex cum Theodorico fratre simultate divellitur p. 339 struit insidias Clodomiri filiis, eósque crudeliter necat p. 341 in partitione Provinciæ Massiliam sortitur p. 344 à Childeberto fratre & Theodeberto nepote bello impetitur, ibid.; quod Chlotildis precibus discutitur, ibid. cum Childeberto bellum molitur in Hispania p. 347 potitur Austrasiæ regno p. 349 N. 22 Theodebaldi viduam ducit p. 349 N. 22 nuptiæ hæ velut incestuosæ reprobantur p. 350 n. 56 rebelles Saxones compescit p. 351 n. 58 Victus à Saxonibus ægrè pacem impetrat p. 353 bellum ejus contra filium Chramnum p. 352 Clotharius Monarcha Franciæ p. 353 filium secundò rebellem flammis absumi mandat p. 354 n. 59 pœnitens peractæ crudelitatis p. 354 Mors Clotharii p. 355 Salicas leges in meliorem ordinem redegit p. 355 ejus quatuor superstites filii dividunt regnum ibid. N. 24

Clotharius II. aliquo tempore Monarcha totius Franciæ p. 774 n. 15 cum fratribus postea Regnum partitur, ibid. mors p. 775

Clotharius III. Rex Austrasiæ à Carolo renunciatur p. 1008 n. 3 moritur p. 1009

Clothildis Chilperici Regis Burgund. filia p. 309 à Clodoveo petitur in sponsam, ibid & p. 310 n. 11 eam ducit invito Gundobaldo p. 311 Maritum ad fidem Christianam deducit p. 312 315 bellum intestinum Childeberti & Theodeberti componit p. 344

Clotildis Childeberti soror ab Amalarico Visig. Rege & conjuge dirè vexatur p. 339 fratris opem implorat, ibid. obitus p. 339

Cochilarchus RexDanorum Franciam invaditp. 332

Codex Alaricianus cur editus fuerit? p. 449 N. 3 Anianus ejusdem author non fuit, ibid. sed Gojaricus p. 450

Codex Gundobadicus Burgundionum p. 452 453

Codex repetitæ prælectionis quis sit? p. 425 N. 8.

Codex recentior legum Visigoth. p. 451 N. 5 ejus divisio ac argumentum ibid. N. 6 jus Romanum ei tandem sufficitur N. 7

Codonatus electus Antioch. Episcopus ad Tyriensem Ecclesiam transfertur p. 484 N. 3

Coënredus Rex Merciorum induit Monachum p. 804

Collatio Catholicorum cum Severianis p. 527 538

Collatio Carthaginiensis vi & fraude peragitur p. 388

Collectio Prima Canonum Apostolicorum p. 630 N. 3 631 N. 4. 5. Prima collectio Canonum in Oriente p. 632 N. 6. Collectiones Canonum apud Latinos p. 633 N. 7. Antiquissimus Codex Canonum in Ecclesia Romana p. 634 Collectio Canonum Dionysiana p. 635 N. 8, 9. p. 636 Collectiones Canonum recentiores p. 637 N. 10

S. Columbanus ejusque res gestæ p. 827 ejus Regula infestatur ab Agrestino p. 832 sed non impunè, ibid.

Comes sacrarum Largitionum p. 446 Comes Privatarum, ibid. Patrimonii, ibid. Domesticorum p. 40 N. 3. n. 11

Commentiolus Dux Mauritii Persas vincit p. 182 N. 14 n. 47 adversus Chaganum mittitur p. 196 N. 19 prodit exercitum Cæsareum, ibid. ex composito turbat militares suorum ordines p. 197 Proditionis apud Cæsarem postulatur p. 199 N. 19

Communio sub utraque specie à Gelasio præcipitur, & quare? p. 503 n. 29

Conanus Rex Britonum p. 400

Conciliorum in Sæc. VI. habitorum series p. 677 in Sæc. VII. p. 945 in Sæc. VIII p. 1134

Concordia inter Orientales & Occidentales redintegratur p. 519

Confirmationis Sacramentum an Presbyteri administrare possint? p. 592 n. 20

Conon Pontifex p. 894 S. Kiliano dat facultatem prædicandi p. 896

Constans Constantini Copron. filius & Imp. p. 705 N. 15 Typum suum promulgat p. 706 internecinâ clade à Saracenis affligitur, ibid. paciscitur cum Saracenis p. 707 N. 16 fratrem Theodosium perimit, ibid. N. 17. umbrâ occisi fratris exagitatur p. 708 ex Oriente in Italiam venit, ibid. Romam expilat, ibid. p. 730 n. 10

n. 10 cogitat Syracusas transferre Imperium ibid. Constans in balneo occiditur p. 709 N. 18
Constantinus Antipapa p. 1099
Constantinus Copronymus cur ita dicatur? p. 960 fit consors Imperii, ibid. ejus crudelitas, ibid. vincit Artabasdum, & excæcat p. 961 Anastasium Patriarcham injuriosè tractatum Sedi restituit, ibid. Pseudosynodum contra imagines cogit p. 962 Imperatoris Iconoclastæ furor, ibid. bellum contra Bulgaros p. 963 ejusdem funesta mors, ibid. vitia Copronymi & sepulchrum ibid.
Constantinus Heraclii filius veneno tollitur p. 704 N. 14
Constantinus Pogonatus Constantis filius & Imperator p. 709 N. 19 Mizizium Tyrannum vincit, ibid. repellit Saracenos ab urbe Constantinop. p. 710 ejus exercitus vincitur a Bulgaris p. 711 studium Religionis, ibid. jus confirmandi Pontifices ab Imperatoribus usurpatum abrogat ibid. fratres ab Imperii administratione removet ibid. N. 20 mors ejusdem p. 712
Constantinus Leonis IV. filius unà cum Irene Imperium suscipit p. 964 N 11 eo regnante habetur Synodus Generalis VII. contra Iconomachos p. 965 N. 12 ad nuptias cum Maria Armenia cogitur p. 966 indigniùs tractatur ab Irene matre p. 966 Irenen ab aula amandat, ibid. eandem revocat, ibid. seditionem Nicephori & Armeniæ legionum crudeliter ulciscitur p. 966 repudiatâ Mariâ ducit Theodatam p. 967 Bellum ejus cum Bulgaris, ibid. N. 14. excæcatur jussu matris p. 950 ejus obitus, ibid.
Constantinopolitana Synodus V. Generalis in causa trium Capitulorum p. 561 damnat tria Capitula p. 565 ¦ damnat Origenem p. 567 confirmatur à Vigilio P., ibid.
Constantinopolitana Synodus Generalis VI. contra Monothelitas p. 879 numerus Episcoporum ibid. n. 3. ordo sedentium Episcoporum p. 880. n. 4. octodecim Actiones Synodi p. 880 881 &c.
Constitutiones Imperatorum à Justiniano collectæ p. 421 N. 4
Consulatus Clodovei qualis fuerit? p. 327 an Patriciatus per eum intelligatur, ibid. quâ solennitate assumptus? ibid.
Consulatus quando ad solos Imperatores venerit? p. 155 Consulatus privatorum cum Justino desiit p. 155. n. 13 an etiam Honorarii Consules tunc desierint? p. 155 n. 13
Consulatûs formulæ sub Ostrogothis p. 745
Conversio Belgii p. 860 Anglorum Orient. p. 749 Australium Saxonum p. 795 Frisonum p. 902
Corippus Poëta p. 476 N. 4
Corpus Juris Justinianei p. 419 N. 1 Causæ concinnandæ ejusmodi collectionis 420 N. 2 Adjutores, ibid. N. 3 Initium factum à Constitutionibus Imperatorum p. 421 N. 4 Digesta altero loco composita p. 422 N. 5 Institutiones Justinianeæ p. 424 N. 7. quinquaginta decisiones p. 425 N. 8 Novellæ Constitutiones p. 426 N. 9 Edicta Justiniani p. 427 N. 10 Authenticæ, ibid. N. 11 Editiones variæ Corporis Justinianei p. 428. N. 12
Corrupticolarum hæresis p. 551 p. 665 N. 2 confutatur p. 666
Crotoniatarum portus p. 114 n. 93
Crucis sacrum lignum à Persis Hierosolymâ abducitur p. 589 n. 8 in Persidem deportatur p. 690 à Siroe Chosrois filio restituitur p. 698 reportatur Hierosolymam p. 698 699 n. 14 Exaltatio S. Crucis an tempore Heraclii fuerit instituta? p. 699 n. 15
Crux sacra in Nummis Byzantinis p. 805 806 Item globus cruciger p. 806 n 3
Cunibertus Perthariti filius in Regni Longob. consortium admittitur p. 731 N. 12 pro Alahi hoste rebelli apud Patrem intercedit p. 732 Alahim rursus rebellantem singulari in certamine perimit p. 733 moritur, ibid.
Curopalatis officium quale fuerit? p. 148 n. 1
Cyriacus successor Joannis Jejunatoris litem de Oecumenici nomine revocat p. 597
Cyrus Phasidis Ep. ab Heraclio consulitur de una aut gemina Christi operatione p. 837 â Sergio Constantinop. Ep. hæresin Monothelitarum accipit p. 838 transfertur ad sedem Alexandrinam ibid. N. 6 novem Capitula sua proponit p. 839 n. 22 increpatur à Sophronio p. 840 N. 9

D.

DAgobertus I. filius Chlotharii II. Austrasiæ Rex p. 761 n. 9 Gomatrudem uxorem ducit ibid. cum Patre de Regni finibus contendit p. 761 ejus bellum contra Saxones p. 762 post mortem Patris

Patris fit Monarcha Franciæ p. 763 N. 8 Fratri Chariberto portionem exiguam relinquit ibid. n. 12 multas simul uxores ducit p. 764 n. 14 ex Ragetrude Sigebertum suscipit p. 765 ejus avaritia ibid. bellum contra Sclavos p. 765 Sicharium Legatum mittit ad Samoem Sclavorum Principem, p. 766 fœderatos sibi sociat contra Sclavos ibid. vincitur à Sclavis ibid. Bulgari omnes ejus jussu à Bajoariis occiduntur p. 767 Dagobertus filium Sigebertum creat Austrasiæ Regem p. 767 Alterum filium Clodoveum II. Neustriæ & Burgundiæ præficit p. 768 N. 10 n. 19 Bellum contra Britones legatione componit ibid. n 20 in melius mutat animum p. 769 N. 11 Quid sentiendum de conventu Procerum ab ipso habito? ibid. n. 21 Dagoberti I. Testamentum p. 769 Ejus obitus p. 770 An sanctus dici possit? ibid. n. 22
Dagobertus II. Sigeberti filius in Scotiam amandatur p. 773 n. 26. in regnum Austrasiæ revocatur p. 777 n. 31 In Thuringia habitavit, ibid In Eichsfeldia quædam ejus monumenta p. 777 n. 32 Mors ejus p. 778 n. 33 Monasteria ab eo exstructa ibid. n. 34
Damascius Philosophus p. 471 N. 4
Daras castrum Mesopotamiæ munitur ab Anastasio p. 27 n. 27
Decimæ & Primitiæ ab antiquis temporibus Ecclesiis datæ p. 609 N. 4
Decretum Gelasii de Apocryphis & Canonicis libris p. 614 in eo Canon Scripturæ adprobatur p. 615 N. 2 item Concilia & PP. ibid. N 3 Apocryphi libri recitantur p. 616 N. 4 An Gelasius hujus Decreti author fuerit? p. 502 617 N. 6 Heterodoxi cur hoc decretum abominentur p. 618 N. 7 rationes eorum diluuntur p. 619 620 N. 8
Delphica, locus in urbe Carthaginensi p. 71 n. 43
Desiderius Rex Longobard. p. 982 ejus Genealogia ibid. n. 13 ejus promissa erga Pontificem ibid. n. 14 ciet turbas in Italia p. 983 n. 15 Christophorum & Sergium suis insidiis perdit ibid. Pontificem exagitat ibid. repudium suæ filiæ à Carolo factum ulcisci parat p. 984 Pontifici insidiatur ibid. & urbes rapit ibid. n. 18 19 ad Romæ obsidium se accingit p. 985 n. 21 Caroli M. conditiones propositas aspernatur p. 985 p. 986 victus à Carolo capitur, & Rex ultimus Longob. Regno suo exuitur p. 987
Deusdedit Papa p. 828 N. 3 è subdiaconi gradu ad hoc fastigium ascendit p. 829 n. 8 quo sensu Missam secundam constituisse dicatur? p. 830 n. 12
Deuteria pellex Theodeberti p. 342 n. 48
Diaconi olim præ Presbyteris eligebantur in pontifices p. 824 n. 1 non tamen ante susceptum sacerdotium inaugurabantur p. 825 n. 1
Dionysius exiguus & ejus scripta p. 654 N. 14 ejus æra p. 536 collectio Canonum p. 535 536
Dipthycha quotuplicia olim fuerint? p. 499 n. 23
Disciplina Ecclesiæ in sæculo VI. p. 671 in Sæc. VII. p. 942 in Sæc. VIII. p. 1132
Doctrina orthodoxa Ecclesiæ in Sæc. VI. p. 665 in Sæc. VII. p. 937 in Sæc. VIII p. 1129
Dominium quale Pontifices olim habuerint in urbe Romana? p. 1061
S. Domitianus Metensium Ep. sacrificium peragit solenne p. 185 n. 54
Domus nobilissimæ quæ fuerint Constantinopoli? p. 146
Donus Papa p. 876
Dorothei Thessalonicensis perfidia p. 520 N. 1
Dorovernia fit metropolis Ecclesiastica p. 406 n. 10
Ducatus Beneventanus quando erectus? p. 269 n. 22 Ducatus triplex Longobard. in Italia p. 161 n. 23
Duces triginta Longobardorum Regnum administrant p. 266 N. 4. n. 16 eorum crudelis gubernatio ibid. n. 17 Francis inferunt bellum p. 267 n. 18 urbes varias in Italia subjugant p. 267 n. 19 Romam obsident p. 267 n. 20
Duces belli quales habuerit Iustinianus? p. 438 N. 4 Ducum multitudo perdit exercitum p. 26 N. 18 Ducum invidentium discordia Liguriam & Mediolanum pessumdat p. 93 N. 31
Ducum ac militum Romanorum improbitas p. 252
Duellum judiciale quid sit? p. 812 N. 1 unde initium sumpserit? ibid. cur id pro probatione Innocentiæ veteres elegerint? p. 515 N. 3 Ritus duelli ad purgationem solennem reis impositi ibid. habitus & arma pugnantium ibid. quibus ex causis duellum inire concessum sit? ibid. pœna eorum qui in duello succumbebant p. 814 N. 3 Cur hoc duelli genus apud Germanos potissimùm invaluerit? p. 814 N 4 item p. 817 Lex de duellis judicialibus à Gundobal-

dobaldo lata p, 815 N. 4 à S. Avito Vienn. Ep. impugnatur ibid. N. 5 Agobardus Duellis his se opponit ibid. N. 6 rationes cur Duella ejusmodi superstitiosa haberi debeant p 816 Aliæ leges de Duellis datæ p. 817 Ecclesiastici Præsules olim talia Duella non improbabant, p. 817 N. 8 Postea ab Episcopis & Pontificibus damnata p. 817 N. 9 819 Duellorum judicialium usum perperam recentior quidam propugnavit p. 818 N. 10

Duisburgum (de quo Gregorius Turonensis) quo in loco situm fuerit? p. 461 462 463

E.

EBroinus Major Domûs homo insolens & seditiosus p. 775 Theodoricum Regno imponit p. 775 n. 30 in monasterium amandatur ibid. libertati redditus sævit in S. Leodegarium p. 776 N. 16 777 N. 17 occiditur p. 779

Ecthesis Heraclii p. 847 n. 32 Probatur à Sergio & Cyro p. 848 n. 33 item à Pyrrho p. 829 proscribitur à Joanne IV. Papa p. 850 Heraclius se purgat de promulgatione Ecthesis p. 850 n. 35

Edicta Justiniani p. 427 N. 10

Edictum Theodorici Ostrogothorum Regis p. 442 443 ejus argumentum p. 444

Egarensis synodus p. 829

S. Egbertus pro conversione Germaniæ sollicitus p. 802 n. 10

Egfridus Rex Northumbriæ vexat S. Wilfridum Ep. p. 799 800 funestus Egfridi exitus ibid.

Egica Rex Visigoth. Successor ab Erwigio constituitur p. 746 N. 8 ingratus adversus Erwigii amicos sævit ibid. N. 9 Sigeberti Præsulis molitiones comprimit p. 747 Judæos coërcet ibid.

Electionis Pontificiæ forma in Sæc. VI. p. 672 Electioni Pontificis se immiscet Basilius Odoacris Herulorum Regis præfectus p. 488 Hadrianus postea Pontifex Carolo M non dedit jus eligendi ac constituendi Pontifices p. 1117 1118 1119 nec Imperatorum facta contrarium probant p. 1119 1120

Electiones Episcoporum olim faciebat Metropolitanus cum Clero & populo p. 829 n. 9 quis olim electiones confirmarit? p. 1133

Elesbaan Rex Auxumitarum bello vincit Homeritas p. 48 N. 8 abdicato sponte Regno Monachum induit p. 49 N. 8 quando id evenerit? p. 49 n. 21

Eleutherius Exarchus p. 721 N. 3 Ravennam vi capit p. 722 N. 4 Italiæ Dominatum invadere conatur ibid. interficitur à militibus p. 723

Ella Regni Australis in Britannia Rex p. 397 ejus obitus p. 399

Elpidii seditio in Sicilia, ejusque fuga in Africam p. 965

Emeritense Concilium p. 889

Engolisma non sine prodigio capitur à Clodoveo p. 325 n. 28

Ennodius Ticinensis & ejus scripta p 652 N. 8

Epaonensis synodus p. 517 lapsis præscribit rigidam pœnitentiam p. 517 n. 43 proscribit incestuosa matrimonia ibid. & definit gradus prohibitos ibid.

Ephesina pseudosynodus p. 478

Ephrem scriptor p. 653 N. 13

Episcopatus novi per Germaniam à S. Bonifacio instituti p. 1084 item p. 1110 &c.

Episcopi gentium recens conversarum à Pontificis authoritate instituebantur p. 1133 Episcoporum electio confirmatio & Jurisdictio tempore Pipini & Caroli M. p. 1133

Eraricus Rex Gothorum in Italia p. 250 legatos ad Imperatorem mittit ibid. occiditur ibid.

Erphesphordiensis Episcopatus à S. Bonifacio institutus p. 1084 an idem fuerit, qui erat Episcopatus Aichstadiensis? p. 1115 cur non diu durârit? p. 1116

Erwigius Wambam Regem Visigothorum veneno infatuat p. 745 Regnum sibi rapit p. 746 Egicam anteà hostem sibi in successorem ac generum eligit p. 746

Ethelbertus Orient. Anglorum Rex à castimonia aliisque virtutibus celebris p. 1044

Ethelbertus Rex Cantiorum p. 402 ejus nuptiæ cum Berta Chariberti Fr. Regis filia ibid. à Ceaulino Westsaxonum Rege bello appetitur p. 402 403

Eucharistia olim in Ecclesiis asservata p. 572 quo in loco? ibid. n. 2

Eudo Aquitaniæ Dux bellum gerit cum Carolo Martello p. 1009 dat filiam suam in uxorem Munizio Maurorum Duci p. 1011 vincitur à Carolo p. 1010 item ab Abderahmano Saraceno p. 1011 accipit auxilia à Carolo, p. 1012 moritur ibid.

Eugenius post Vandalicam Persecutionem primus Carthaginensis Episcopus p. 483

Eugenius Papa p. 867 N. 24 ejus epiſtola ad Petrum Ep. Conſtant. p. 873 n. 58

Eulogius Alexandr. Patriarcha confutat errorem Agnoëtarum p. 667 ejusdem alia ſcripta p. 658 N. 24

Euphemia uxor Juſtini Imp. coronatur p. 37 N. 2 n. 6 Procopio eam perſtringenti non habenda fides ibid. prædicatur ab Hormiſda ob fidei Zelum p. 42 n. 13

Euphemius Conſtantinop. Ep. Felicem III. Papam dipthychis inſerit p. 498 à Felice tamen non ſtatim admittitur in communionem ibid. Euphemius electioni Anaſtaſii Imperatoris reſiſtit p. 19 N. 18 n. 18 illum, niſi traditâ prius fidei formulâ coronare recuſat p. 499 Ab Anaſtaſio Imp. à Patriarchatu ejicitur p. 22 N. 14

S. Epiphanius pro Liguribus ſupplicat p. 224 n. 24 mittitur in Burgundiam pro redimendis captivis p. 525

Euricus Rex Viſigoth. auget Regnum p. 274 275 n. 1 ejus leges p. 275 n. 2 p. 447 ejusdem aula multarum gentium legationibus honoratur p. 448 obitus p. 276 n. 3

Euſtathius Hiſtoricus p. 470

Eutharicus Amalaſunthæ conjux à Theodorico ſocero ſucceſſor in Regno Oſtrogoth. declaratur p. 233

Eutychius ultimus exarchus Italiæ inſidiatur Gregorio II. Papæ p. 971 Eutychii fœdus cum Luitprando Longobard. Rege p. 972 fugit ex Italia in Orientem p. 978

Evagrius Scholaſticus ejusque ſcripta p. 660 N. 29

Exarchatûs Cæſarei in Italiæ finis p. 978

Exarchi Italiæ, eorum officium, ac ſeries p. 978 n. 9 eorum vitia p. 188 190

Excommunicatio ſolennis olim ſanguine Dominico ſcribebatur p. 859 n. 46

F.

FActio Veneta & Praſina Conſtantinopolim turbant p. 63 64 N. 19 harum factionum origo p. 64 n. 38

Facundus Hermionenſis & ejus ſcripta p. 655 N. 16 ejus Doctrina de Euchariſtia perperam arguitur ibid.

Fames atrox vexat Romanos p. 109 n. 89 fames Gothos in pugnam cogit p. 125.

Fauſti Rhegienſis doctrina p. 522 n. 1 à Monachis Scythis accuſatur p. 521 Poſſeſſor Epiſc. Africæ conſulit Papam de libris Fauſti p. 525

Felix III. Pontifex p. 469 n. 13 legatos mittit Conſtantinopolim in cauſa Petri Mongi & Joannis Talajæ, ibid. prudens ejus Oeconomia cum Zenone p. 490 Synodum celebrat de lapſis in perſecutione Afric. p. 947 n. 21 Euphemium ad communionem admittere recuſat p. 468 ejus obitus p. 500

Felix IV. Papa p. 530 N. 6. obitus p. 634

Felix Urgellitanus Ep Chriſtum ſecundum naturam aſſumptam Filium Dei tantùm adoptivum prædicat, hæreſique ſuæ dat initium p. 1106 in ſynodo Ratisbonenſi damnatur & Romam mittitur p. 1106 iterum damnatur à ſynodo Francofordienſi p. 1107 argumenta contra hunc errórem exhibentur p. 1131

Ferrandus Scriptor p. 653 N. 10

Feſtus Rom. Senator urget ſubſcriptionem Henotici p. 505 ex ea cauſa Laurentium Antipapam obtrudit, ibid.

Flavii nomen Viſigothorum Reges ſibi adoptârunt p. 302 n. 39

Florus Scriptor p. 1127

Formulæ variæ Magiſtratuum ſub Oſtrogothis p. 445 446

Forojulium Chaganus proditione captum diripit p. 195 n. 60

Franci fœdus ineunt cum Vitige p. 83 n. 57 Romanos & Gothos fraude vincunt p. 95 N. 2 Francorum exercitus lue & fame in Italia conſumitur, ibid. conantur reſtaurare fœdus cum Vitige p. 96 n. 70 negant Narſeti tranſitum per agrum Venetum p. 121 depopulantur Italiam p. 129 divinitus puniuntur p. 130 internecinam cladem patiuntur à Narſete p. 132 Franci auxiliares Imperatoris Mauritii contra Longobardos p. 187 Francorum clades, ibid. eorum irruptio ſecunda in Italiam, ibid. re infectâ recedunt, ibid. armorum ſocietatem offerunt Mauritio contra Avares p. 192 Francorum Reges ſibi invicem inſidias ſtruunt p. 339 Juſtinianus & Oſtrogothi variis ſtudiis Francorum auxilia petunt p. 343. N. 19 Franci poſt Gothos obtinent Dominatum Provinciæ p. 343 n. 50 de Francis malè ſentit Procopius, dum eos Ethnicos fuiſſe ait p. 345 n. 54 Francorum cædes in Italia p. 378 populantur Bajoariam ibid.

Franciæ divisio in Austrasiam & Neustrasiam p. 331 n. 38
Franconia à S. Kiliano primam Evangelii lucem accepit p. 896 à S. Bonifacio primus ibi institutus Episcopatus p. 1084 1110 Annus primus fundati Episcopatûs p. 1111 Primus Wirceburgensis Episcopus p. 1112
Francofordiensis Synodus p. 1107 ejus decretum de cultu imaginum, ibid. in quo errârint Francofordienses PP.? p. 1123
Fredegarius scriptor & Historicus p. 1129
Fredegundis Pellex Chilperici p. 356 n. 55 Chilpericum Tornaco inclusum fraude liberat p. 362 Sigebertum per emissarios occidit p. 363 ejus dolo Meroveus Chilperici filius extinguitur p. 365 Fredegundis filii repentinâ morte tolluntur, ibid. Privignum Clodoveum persequitur p. 366 interficit eundem ac ejus matrem Audoveram, ibid. exagitatur à Childeberto & Brunechilde p. 371 ejus conjuratio in Childebertum detegitur p. 375 conjuratio altera p. 376 Fredegundis crudele & dolosum ingenium p. 380 dolo vincit Childeberti exercitum p. 382 moritur p. 384 ejus sepulchrum p. 384 n. 88
Frideslaria urbs ac ejus status in medio ævo p. 1110 Frideslariensis Ecclesia ac Monasterium p. 1113 quando in Collegium Canonicorum transierit? p. 1216
Fulcaris temeritas totum Romanorum exercitum supremo periculo exponit p. 128
Fuldensis Monasterii initia p. 1087 n. 9. p. 1088 n. 10
S. Fulgentius & ejus scripta p. 649 N. 7 doctrina de prædestinatione p. 650 951 docet toti Ss. Trinitati immolari Sacrificium p. 651 in eam inclinat sententiam, quæ statuit, parvulos non baptizatos ignis supplicium pati in æternitate p. 651 doctrina ejusdem de gratia & libero arbitrio p. 752 de animæ origine hæret dubius, ibid.

G.

GAlesvinda soror Brunechildis p. 358 à marito Chilperico interficitur, ibid. n. 65
Garibaldus Dux Bajoariorum ducit Walderadam uxorem p. 350 inde initium Ducum Bajoariæ multi deducunt p. 350 n. 75
Geilana pellex Gosberti Francorum Ducis p 897 hortatu S. Kiliani rursus thoro ejicienda, ibid. ejus furor in S. Kilianum ac Socios p. 898 Ss. Martyrum cædem tegere conatur p. 898 n. 31 Geilanæ funestus exitus ibid.
Gelimer Hilderico Africæ Regi Regnum eripit p. 65 66 N. 20 ejus epistola ad Justinianum p. 66 ejus expeditio contra Belisarium p. 70 N. 22 victoriam cunctatione negligit p. 70 71 N. 22 Hunnorum emit auxilia p. 79 n. 23 Tzazonem fratrem cum copiis ex Sardinia evocat, ibid. n. 44 redintegrat prælium & rursus vincitur p. 72 N. 23 ejus in monte Pappua calamitas p 73 N. 24 captus Constantinopolim ducitur p. 79 ejus magnanimitas, ibid. in Galatia moritur, ibid.
Gelasius Papa creatur p. 500 N. 12 ejus variæ epistolæ, ibid. Orientalibus negat communionem p. 500 Decretalis ejus epistola pro restauranda Ecclesiæ disciplina p. 501 Ordinationum tempora præscribit p. 500 n. 20 Virgines Deo sacras, si transierunt ad nuptias, pœnitentiæ publicæ subjecit p. 501 n. 27 in synodo Romana Misenum admittit ad communionem p. 502 an Author decreti fuerit de canonicis libris & apocryphis? p. 502 617 n. 19 Proscribit Lupercalia p. 502 n. 28 Manichæis præcipit usum Calicis p. 503 n. 29 Codicem edit de Missarum solemniis p. 503 n. 30 moritur p. 404 Gelasii Papæ alia scripta p 745 n. 3 orthodoxa ejus doctrina de Eucharistia p. 646 647
Genealogia Justiniani Imp. p. 38 39 n. 9 Alarici Visigoth. Regis p. 287 n. 5 Theodorici Ostrogothorum Regis p 220 n. 14 Regum Burgundiæ p. 320 n. 24 Hermanfridi Thuringorum Regis p. 338 n. 46 Heraclidarum p. 719 n. 25 Primorum Regum Franciæ usque ad Clodoveum II. p 384 Regum Vandalicorum p. 394
Gennadius Scriptor p. 648 N. 4 an Semipelagianus fuerit? p. 648
Georgius Syncellus Chronographus p. 1128 N. 5
Germaniæ divisio in Occidentalem & Orientalem p. 1077 n. 2
Germaniæ synodus ejusque Canones p. 1086 altera synodus p. 1088
S. Germanus Ep. Constantinop. defensor imaginum p. 1079 Constantinum Nacoliæ Episcopum ab iconomachia revocare conatur p. 1080 item Thomam Claudiopol. Ep. ibid. vexatur à Leone Isaurico ibid. informat Pontificem Gregorium II. de

de hæresis molitionibus ibid. recipit à Papa literas ibid. abdicat Episcopatum p. 1080 ejus obitus ibid.

Germanus Dux à Justiniano Italico bello præficitur p. 117 N. 39

Germanus Dux à Mauritio insidiarum insimulatur p. 204 vindicatur ejus innocentia p. 205. n. 69

Gerundensis Synodus p. 566 N. 20 abstinentiam præcipit tempore Litaniarum, ibid. n. 42 Baptismum parvulorum, ibid.

Gesalicus Rex Visig. p. 279 N. 3 n. 10 ejus fuga in Africam p. 280 n. 12 interitus ejusdem p. 281

Gildas scriptor p. 659 N. 24

Godomarus Rex Burgundiæ filius Sigismundi p. 332 â cæde Burgundionum solus elabitur p. 334 bellum ejus cum Clodomiro p. 335 n. 45 à Theodorico & Childeberto victus cæditur ultimus Rex Burgundionum p. 343

Gosbertus Franconum Dux p. 896 n. 26 Ejus conversio p. 897 n. 29

Gothici belli initia in Italia p. 75 76 N. 25 Gothi Romam obsident p. 85 n. 59 n. 60 fame & peste laborant p. 89 conditiones pacis Belisario frustra proponunt p. 89 n. 64 iterum tentant Romam p. 50 Italiam repetunt tanquam suam p. 89 n. 64 Gothi decipiuntur à Francis p. 95 N. 32 cæduntur ab his æquè ac Romani ibid. obstruunt Gothi Belisario viam ad Romanam urbem p. 110 n. 90

Gothorum querelæ contra imprudentiam Totilæ p. 113 n. 92 Gothi Siciliam devastant p. 118 Insulam mulieris dolo decepti relinquunt p. 119 n. 97 à Romanis Navmachiâ vincuntur p. 120 N. 40 internecinâ clade à Narsete afficiuntur p. 123 ejus infaustæ cladis causæ ibid. n. 102 Ostrogothorum prima irruptio in Italiam p. 214 n. 7 Gothi cur suos potius armis, quam literis excoli voluerint? p. 223 n. 22 Gothi quâ ratione Reges suos inaugurârint? p. 245 n. 59 Romam obsident p. 246 solvunt obsidionem ibid. Gothorum reliquiæ post Regnum eorum destructum quorsum pervenerint? p. 256 n. 69

Gradum fit sedes metropolitana p. 588 Episcopi illi subjecti ibid. n. 7

Gradensis Patriarchatûs initia p. 640 N. 5 ejus incrementa p 641 Gradensis Patriarchatus in Venetam urbem introducitur p. 641 N. 6

Gregorius M. & ejus ortus p. 575 induit Monachum ibid. n. 3 quale monasticum institutum secutus fuerit? p. 575 576 n. 4 Diaconus creatur p. 576 juvenum Anglorum in foro venum expositorum miseratione tangitur p. 404 n. 5 & p. 405 legatione fungitur apud Tiberium Imper. p. 576 Constantinopoli Eutychium Patriarcham ab errore circa carnis nostræ anastasin revocat p. 577 n. 5 Pontifex eligitur p. 586 Pontificatum declinare frustra nititur ibid. Septiformem litaniam instituit ibid. n. 17 Pastorale Gregorii p. 587 Professionem fidei mittit ad Pastores Orientis p. 587 Schismaticos ad pacem frustra solicitat p. 587 Dubium de trina mersione in Baptismo resolvit p. 588 Subdiaconos ad continentiam adstringit ibid. Donatistas à Primatis dignitate excludit p. 589 Tunicam S. Joannis Evang. Romam deferri curat ibid. Joannis jejunatoris superbiam reprimit, p. 590 rogat auxilia contra Longobardos ab Imperatore p. 188 bello præoptat pacem p. 189 ejus Apologia ad Imperat. Mauritium p. 189 cum eodem Mauritio Imp. de legum Ecclesiæ libertati noxiarum asperitate expostulat, p. 590 libri Dialogorum S. Gregorii p. 591 n. 19 de ministro Confirmationis statuit p. 591 592 n. 20 Caput S. Pauli Imperatrici negat & cur? p. 592 593 n. 21 Homilias in Ezechielem componit p. 593 N. 14 Increpat Joannem Ep. Constant. ob usurpatum Oecumenici titulum p. 594 Simoniacas largitiones pro ordinationibus dari solitas proscribit p. 594 Item pro dispensatione Pallii p. 595 Gregorii sollicitudo pro Anglorum conversione p. 405 596 Apostolos fidei in Angliam mittit ibid. resistit Cyriaco ob titulum Oecumenici Ep. usurpatum p. 597 598 vetuit confringi sacras imagines p. 598 S. Leandro Ep. Hispalensi mittit Pallium p. 599 Reccaredo Hisp. Regi donat clavem S. Petri p. 599 Africanas res componit p. 599 Pius obitus S. Gregorii p. 600 ejus sepultura ac reliquiæ ibid. n. 29 ejus scripta p. 661 N. 3 illius Pastorale p. 662 libri Dialogorum an sint opera genuina Gregorii? p. 663 N. 2 Registrum epistolarum p. 664 N. 3 Sacramentarium ibid. fabulosum est, per S. Gregorii preces Trajani Imp. animam ab inferis liberatam fuisse p. 600 n. 30

Gregorius II. P. p. 1072 jura Ecclesiæ Romanæ tuetur p. 1073 S. Corbinianum Germaniæ Apostolum designat ibid. Gregorii II. capitula ad Ecclesias Bajoariæ transmissa

miſſa p. 1075 S. Bonifacio dat poteſtatem prædicandi p. 1075 eundem vocat Romam & Epiſcopum creat p. 1076 ejus reſponſa ad quæſtiones Bonifacii p. 1079 Papæ epiſtola ad MagnatesGermaniæ p. 1080 reſiſtitLeoniIſaurico p. 956 vetat tamen, ne à fide Imperatoris Itali omnino deſciſcant ibid. & p. 957 n 7. comminatur Leoni, ſe illum excommunicaturum, niſi reſipiſcat p. 959 n. 10 Anaſtaſium Patriarcham deponit ibid. n. 11 Venetos in auxilium Græcorum vocat p. 971 ab Eutychio Exarcho vexatur ibid. & p. 972 Luitprandum à fœdere, cum Hæretico Imperatore inito dehortatur p. 972 fruſtra meliora ſuadet Leoni Iſaurico p. 973 1082 obitus Gregorii II. p. 1083 p. 973

Gregorius III. P. ab Imperatore Leone bello appetitur p. 973 Tranſemundum Ducem ſpoletanum ſuſcipit p. 974 inde à Longobardis multæ urbes eripiuntur & Roma obſidione cingitur p. 974 Papa à Carolo Martello per Legatos auxilia petit p. 974 n. 3 Epiſtola Gregorii ad Carolum p. 974 n. 3 munera à Gregorio III. ad Carolum miſſa p. 974 Carolo defert Patritiatûs & Advocati Eccleſiæ Romanæ inſignia p. 1051 N. 4 quanta hæc dignitas fuerit? p. 1053 quod officium? p. 1054 N. 9 quæ poteſtas inde Carolo data? p. 1055 N. 10 11 & p. 1056 N. 12 An Carolus per hoc acceperit ſupremum Dominium in urbem Romanam? p. 1056 N. 12 S. Bonifacium creat Archiepiſcopum p. 1083 mandat Bonifacio ut novos Epiſcopatus in Germania inſtituat p. 1083 literæ Gregorii III. ad Germaniæ Proceres ibid. dat poteſtatem Bonifacio ſibi conſtituendi ſucceſſorem p. 1084 n. 6 obitus Gregorii III. p. 1084

Gregorius Prætor Africæ rebellat adverſus Conſtantem Imp. p. 505 N. 15

Gregorius Turonenſis & ejus ſcripta p. 658 N. 23

Grifo frater Pipini Regis Fr. redditur libertati p. 1018 N. 9 Saxones in Pipinum concitat ibid. Bajoariam dolo invadit p. 1019 vincitur à Pipino ibid. nova rebellio Grifonis & ejus exitus ibid.

Grimoaldus dolo Garibaldi obtinet Regnum Longobard. p. 727 728 N. 8 Pertharitum Ariberti Regis filium in gratiam recipit ibid. N. 9 rurſus eum perſequitur ibid. Franci Perthariti cauſam ſuſcipiunt p. 729

Grimoaldus vincit Ftancos, ibid. Cæſareas copias à Benevento repellit p. 730 moritur p. 731 n. 11

Grimoaldus DuxFr. Dagobertum II. Sigeb. filium in Scotiam ablegat p. 773 n. 26 occiditur à Clodoveo II. p, 774

Gubazes Rex Lazorum Juſtiniani Imperatoris auxilia poſcit contra Perſas p. 134 Romanorum Ducum inſidiis occiditur p. 137 Parricidæ à Juſtiniano capitis damnantur p. 139

Gundamundus Rex Vandalorum p. 391 N. 3. n. 8

Gundeberga Arivaldi Longobard. Regis uxor p. 723 Adalulfus ejus pudicitiæ inſidiatur p. 724 apud Arivaldum adulterii falsò inſimulata, innocentiam per duellum probat p. 724 n. 4 Poſt mortem mariti Rotharim in ſponſum & Regem deligit p. 724 N. 5

Gundemarus Rex Viſigoth. bellum movet contra Theodoricum Fr. Regem p. 737

Gundeuci Burgundiæ Regis filii ſibi invicem necem machinantur p. 309 n. 8 una Clothildis neptis cædi ſuperſtes p. 310 n. 10

Gundobaldus Rex Burgund. precanti Epiphanio Ep. captivos dimittit p. 225 n. 25

Gundobaldus Gundeuci Burgund. filius p. 309 appetitur bello à Clodoveo I. p 321 obſidetur intra Avenionem p. 322 liberatur, ibid. interficit fratremGodegiſilum, ibid. occupat Burgundiæ totum Regnum. Ejus leges p. 323 turbat Franciam p: 372 n. 83 ſeditio ejus comprimitur p. 373 illius interitus p. 374

Guntchramnus filius Clotharii I. p. 355. Rex Burgundiæ, ibid. in libidinem maximè profuſus p. 356 n. 60 Chariberti mortui theſauris potitur p. 758 ejus bellum contra Sigebertum fratrem p. 559 Childebertum II. nepotem adoptat p. 366 N. 27. in tutelam ſuſcipit Clotharium & Fredegundem p. 371 Legationem Childeberti ignominiosè rejicit p. 372 Conciliatur Childeberto p. 373 n. 79 ejus bellum in Septimania p. 375 Pactum Andelaenſe Guntchramni cum Childeberto p. 373 n. 78 infelix expeditio contra Gothos p. 379 N. 33 n 81 ſimultas nova inter Guntchramnum & Childebertum p. 380 Clotharium Chilperici filium è fonte levat ibid. ejus obitus p. 381 an Sanctorum albo inſertus? p. 381 n. 83

Hadri-

H.

HAdrianus P. p. 1101 ejus causa cum Desiderio Longob. Rege, ibid. p. 1026 mittit Legatos ad Carolum M. ibid. 985 auxilia impetrat à Carolo contra Longobardos p. 1027 1028 excipit Romæ Carolum p. 1028 & Donationem Pipini ab eo confirmatam recipit p. 1101 1057 rursus opem contra hostes à Carolo implorat p. 1031 ejus epistola ad Impp. Constantin. & Irenen p. 1105 n. 2 mittit Legatos ad synodum Oecumenicam VII, Nicæn. II. p. 1104 confutat libros Carolinos p. 1106 1123 1124 ejus obitus p. 1107

Hæreditates Ecclesiis transcriptæ quâ moderatione acceptæ fuerint? p. 610 N. 5

Hæretici nomen olim variè acceptum p. 926. N. 12

Heugisti Saxonis expeditio in Britanniam Septentr. p. 397 interitus ejus, ibid.

Henoticon Zenonis p. 20 N. 8 p. 601 N. 2 ejus argumentum p. 10 N. 8 Felix Pontifex illud rejicit, & cur? p. 10. 602 N. 3 603 N. 45 probabiliter non erat hæreticum p. 604 605 nec ejus Authores inde hæretici p. 606 607

Heracleonas Heraclii filius regno depellitur p. 705

Heraclius ex Africa vocatus Constantinopolim venit p. 687 N. 5. Phocâ occiso Imperium aggreditur p. 688 n. 7 Heraclii inauguratio p. 688 uxores Heraclii p. 689 Legatio Heraclii Imp. ad Chosroen p. 690 N. 7 Legati Heraclii dantur carceri p. 691 n. 10 Heraclius in Africam cogitat p. 692 mutat consilium, ibid. pro bello Persico ab Ecclesiis argentum mutuum accipit p. 692 n. 11 Victoriæ Heraclii contra Persas p. 692 696 Crucis lignum à Siroe Chosrois filio restitutam reportat Hierosolymam p. 698 n. 14 infelicia ejus bella contra Saracenos p. 702 703 promulgat Ecthesin p. 847 n. 32 se purgat ob Ecthesis promulgationem p. 850 n. 35 mors Heraclii p. 704

Hermanfridus Rex Thuringorum dolo perimitur p. 337 Amalafridus ejus filius quorsum devenerit? p. 337 n. 46 Hermanfridi Genealogia p. 338 p. 46 n. 14

Hermenigildus filius Leovigildi Regis Visigoth. p. 290 N. 11 Ingundis ejus uxor Catholica p. 290 Hermenigildi conversio p. 291 bellum parat contra Patrem Leovigildum p. 291 Hispali inclusus obsidetur p. 292 se Patri dedit & subinde custodiæ traditur p. 293 ejus in carcere pietas p. 294 n. 28 ejus Martyrium p. 295 tempus Martyrii p. 294 n. 29 illius post mortem miracula & cultus p. 295 n. 31 Franci Reges ejus mortem ulcisci parant p. 295 N. 31

Heruli deficiunt à Narsete p. 131 n. 109 defectionis eos pœnitet p. 110

Hesychius Milesius Historicus p. 471

Hildericus Rex Vandal. à Gelimere spoliatur Regno p. 66 N. 20 ejus causam suscipit Justinianus Imp. ibid.

Hispalensis Synodus II. p. 830

Hispania à Juliano Comite Mauris proditur p. 989 990 n. 4 novum Regnum in Hispania à Gothis erigitur 994 N. 4

Hispani cur per duo fere sæcula nullam mentionem fecerint V. synodi Generalis? p. 571 n. 1 eorundem mos cessandi ab omni opere sub vesperam sabbati p. 516 n. 41

Homeritæ p. 47 n. 19 & quando facti Christiani? ibid. eorum Regnum p. 810 N. 3 varia Martyria Homeritarum sub Dunaane p. 47 N. 8

Honorius P. ordinatur p. 834 n. 15 Scotos de errore Paschatis celebrandi edocet ibid. n. 16 17 ejus epistolæ ad Sergium Ep. Constant. p. 842 n. 25 an in hac epistola Monothelitarum errorem professus sit? p. 905 N. 1 argumenta eorum, qui id adstruunt ibid. N. 2 Aliorum rationes, qui hoc errore Honorium absolvunt p. 906 N. 3 Alii dubitant sitne hæc epistola Honorii? p. 907 N. 3 At Alii Honorii Oeconomiam omnino probant p. 907 N. 4 908 909 Verosimiliùs Honorius ab hæresi Monothelitarum vindicandus p. 910 911 912 non tamen ab omni nævo p. 911. N. 8. argumenta solvuntur p. 912 913 814 915 916 Damnatus est Honorius in synodo VI. Generali p. 884 n. 6 p. 917 N. 1. hujus Synodi Acta corrupta dici nequeunt, ibid. & 918 n. 2, 4. & p. 919 920 N. 4 p. 921 N. 6 Synodus sexta non erravit errore facti p. 921 Honorius non fuit hæresis privatæ reus p. 922. N. 8 neque hæresin ullam Ecclesiæ credendam proposuit p. 923 N. 9 argumenta contraria solvuntur p. 924 925 Honorius damnatus est ùt Monothelitarum fautor p. 926 N. 13 Honorii obitus p. 847 N. 13

Hormisdas P. p. 514 n. 19 scribit Anastasio Imp. ibid. mittit Legatos Constantinopolim, ibid. hi ab Anastasii perfidia eluduntur p. 515 Orien-

talium simultatum negotium committit Epiphanio Ep. Constantinop. p. 521 obitus Hormisdæ p. 527 N. 3.

Hormisdas successor Chosrois bellum contra Romanos prosequitur p. 172 ejus vitia, ibid. n. 36 Varamum Ducem ignominiâ afficit p. 182 deponitur regno & excæcatur p. 163 n. 48 à filio Chosroe crudeliter occiditur p. 183 n. 49

Hunericus Genserici Vandalorum Regis filius primò Catholicis favet p. 386 Manichæos exagitat, ibid. Catholicos exagitare incipit p. 387 ejus edictum contra Episcopos p. 389 n. 4. alterum edictum Hunerici quo tempore editum fuerit? p. 388 n. 3 ejus crudelitas promiscua in Catholicos p. 390 n. 5. 6. Legationem accipit à Zenone Imp. p. 482 n 6 indulget, ut rursus Catholicus Episcopus præsit Carthaginensi Ecclesiæ p. 484 persequitur Catholicos p. 490 N. 7 virgines sacras ferociùs exagitat p. 491 ejus obitus funestus p. 390

Hunni urgente Justiniano irrumpunt in Thraciam p. 141 142 non diversi à Bulgaris p. 141 n. 123 eorum crudelitas & libido p. 141 142 n. 124 Belisarius eos stratagemate vincit p. 142 n. 125 item 143 n. 126 127 Hunni Longobardis in Pannoniæ sedibus succedunt p. 159 n. 20. etiam Avares dicti, ibid Bajoariam & Laureacensem Ecclesiam vastant, ibid. Hunnorum irruptio in Thuringiam p. 355 N. 24 Sigebertum Francorum Regem vincunt p. 358 Hunnorum Reges cur Chagani dicantur? p. 359 n. 66

Hypatius Anastasii nepos sumit imperium p. 64 N. 19 ejus funestus exitus p. 65 N. 20

I.

Iconoclastarum hæresis unde originem habeat? p. 955 Hebræi Iconomachiæ primi authores ibid. Constantinus Ep. Nacoliæ Leonem Isauricum inducit in Iconoclastarum hæresin, ibid. item Besuras, ibid. stabilitur idem error in Pseudosynodo Constantinopolitana p. 1094 1095 quam Iconomachi perperam Oecumenicam dicunt ibid. n. 1. damnatur Iconomachorum error in Synodo Oecumenica VII. sive Nicæna II. p. 1100. argumenta Ss. Patrum contra Iconomachos 1130

Jesualdi singularis fides erga Grimoaldum Longob. Regem p. 729

JESU Christi effigies non manu facta p. 179 n. 44 in exercitu contra hostes præfertur, ibid.

Ildebaldi Regis Goth. breve regnum p. 105 N. 35

S. Ildefonsus Scriptor & Hispaniarum Primas p. 742 n. 7

Illibaldus Rex Gothorum in Italia p. 248 Romanos vincit p. 248 ejus simultas cum Vraja; quem necat ibid. & vicissim occiditur p. 249 n. 63

Illus amicus Zenonis p. 11 N. 8 pervertitur à Pamprepio Gentili et mago ibid. Verinam ex aula amandari curat ibid. ejus conjuratio contra Zenonem p. 12 N. 8 vincitur cum Leontio ab exercitu Cæsaris p. 13 N. 9 ejus interitus p. 13 N. 9

Illyrici Provincias Leo Isauricus ab Ecclesia Romana abstrahit p. 959 n. 12

Imagines earumque usus minus frequens in veteri Ecclesia p. 954 cessante idololatriæ periculo imagines frequentiùs usurpatæ ibid. Edictum Leonis Isaurici contra Imagines p. 956 imagines defendit Gregorius P. II. p. 956 Item S. Germanus p. 957 1079 1080 & varii Martyres in Oriente p. 1080 1098 S. Stephanus Martyr p. 1097 Argumenta quibus PP. evicere cultum imaginum p. 1130 imaginum cultum respectivum minimè improbavit Gregor. M. p. 598 n. 27

Imagines in nummis Byzantinis p. 805 806

Immunitas Ecclesiastica Personarum p. 675

Induciæ inter Persas & Romanos p. 104 n. 81 140 N. 47

Ingunda uxor Hermenigildi p. 290 N. 11 à Goswinda ejus Catholica fides frustra tentatur ibid. maritum suum Hermenigildum ad Catholicam fidem convertit p. 290 N. 24 in Africam fugit p. 296 n. 32 piè moritur ibid.

Impedimenta Canonica p. 844 n. 27

Inscriptiones in nummis Byzantinis p. 808 809

Institutiones Justiniani p. 424 N. 7

Joannes Biclariensis scriptor p. 660 N. 27

Joannes Climacus p. 659

Joannes Damascenus & ejus scripta p. 1125

Joannes Dux Belisarii mandatis adversatur p. 91 N. 30 ejus ars militaris & fortitudo p. 119 n. 98 & p. 120

S. Joannes Eleemosynarius p. 832 833

Joannes jejunator Ep. Constant. sumit titulum Episcopi Oecumenici p. 585 Pelagius Papa ei resistit ibid. item Gregorius M. p. 590 593 n. 22 & p. 594

Joannes I. Papa p. 527 N. 4 cogitur à Theodorico obire Legationem ad Justinum ibid. Legationis

tionis iniunctæ capita p. 528 N. 5 Idem summo honore Constantinopoli excipitur p. 529 latinum ritum Constantinopoli adhibet ibid. Epistola ad omnes Italiæ Episcopos ipsi tribui nequit ibid. n. 7 reversus Romam carceri datur à Theodorico p. 530 ejus obitus ibid.

Joannes II. Papa p. 536 utitur Athalarici brachio sæculari ad comprimendos Simoniacos p. 537 n. 17 approbat hanc propositionem *unus è Trinitate passus est carne* p. 540 n. 19 Aliæ propositiones ab ipso approbatæ ibid. ejus obitus p. 541

Joannes III. Papa p. 569 ejus obitus p. 574

Joannes IV. P p. 849 proscribit Ecthesin Heraclii p. 850 Honorium Papam defendit contra Pyrrhum p. 850 n. 36 ejus obitus p. 852

Joannes V. P. p. 893 epistola à Justiniano II. ipsi inscripta ibid. n. 19 obitus ibid.

Joannes VI. P. p. 903 ejus electionem Theophylactus exarchus frustra turbare conatur ibid. Joannes pro restitutione Wilfridi Ep. apud Northumbriæ Regem agit p. 904 obitus ibid.

Joannes VII. P. p. 904 Canones Trullanos confirmare noluit ibid. moritur ibid.

Joannes Scholasticus scriptor p. 657 N. 22

Joannes Scytha Dux Anastasii Imp. p. 21 N. 13 Victor Isaurorum p. 22 N. 15 ejus triumphales honores ibid.

Joannes Talaja Ep. Antiochenus p. 484 N. 4 cur dicatur Tabennosiota ? ibid. offendit Acacium Constantinop. Ep. ibid. appellat ad Pontificem p. 487 N. 5 creatur Nolanus Episcopus p. 496

Irene uxor Leonis IV. Imp. p. 963 N. 10 mater Constantini ibid. Rothrudem filiam Caroli M. pro filio sponsam expetit p. 964 ejus operâ convocatur synodus Generalis VII. contra Iconomachos p. 965 N. 12 dirimit sponsalia inter Rothrudem & Constantinum p. 966 cogit filium ad nuptias alias cum Maria Armena ibid. indignius tractat Constantinum filium Imp. ibid. ab aulâ amandatur ibid. revocatur in aulam ibid. N. 13 insidias struit filio Imp. p. 967 illum excæcari facit p. 950 Legatio Irenæ ad Carolum M. ibid. in exilium relegatur ibid. ejus virtutes & vitia ibid.

Isaacii Ducis temeritas Belisarium ad desperationem deducit p. 111

Isaacius exarchus p. 723 diripit Ecclesiam Lateranensem p. 725 rebellantem Mauritium punit p. 726 subitâ morte extinguitur ibid.

Isauri rebellant adversus Athanasium p. 720 N. 13 vincuntur p. 21 N. 13 produnt Gothis Romam p. 112 116 n. 95

Isdegerdes à Saracenis victus Regnum Persarum amittit p. 704

S. Isidorus Hispal. Ep. p. 831 Monasticum ejus institutum ibid. n. 14 ejus scripta p. 742

Isidorus Pacensis Ep. chronographus p. 1127

Ismaelitæ & Hagareni p. 840

Italia olim variis legibus ac juribus utebatur p. 820 821

Italici belli sub Justiniano initia contra Ostrogothos p. 244

Italorum querelæ contra Narsetem apud Justinianum p. 257 N. 1 Italis à Leone Isaurico Iconomacho defectionem publicam dissuadet Gregorius II. P. p. 956 n. 7

Judæi ad Christianam fidem vi cogendi non sunt p. 738 n. 3

Julianus à Ruderico Gothorum Rege offensus parat ultionem p. 989 n. 2 3 Mauros in Hispaniam vocat p. 990 n. 4 novas copias Maurorum pro subigenda Hispania petit p. 991 n. 6 ejus filii produnt Ruderici exercitum p. 993 n. 8

Juliani epitome p. 427 N. 10

Julius Nepos rursus aspirat ad Imperium p. 210 N. 1 ejus funestus exitus p. 212

Jurisjurandi formula à Justiniano Magistratibus præscripta p. 432

Justinianus, ejus natales p. 38 39 N. 3 n. 9 ejus scientia p. 39 n. 10 creatur Comes Domesticorum p. 40 n. 11 fœdus ejus juratum cum Vitaliano p. 40. n. 12 author cædis Vitaliani p. 42 n. 14 magnâ Pompâ primum adit Consulatum p. 43 N. 5 Successor Justini I. constituitur in Imperio p. 52 N. 11 Nobilissimi honorem accipit p. 53 n. 24 Augustus appellatur ibid. n. 25 mortuo Justino solus regnat p. 53 N 12 avulsas ab imperio Provincias recuperare constituit p. 53 n. 26 ejus sobrietas & pietas p. 52 N. 12 n. 27 orthodoxia p. 54 n. 28 29 Gentes exteras ad fidem traducit p. 55 N. 13 Hæreticos persequitur p. 55 N. 13 n. 30 ejus bellum contra Samaritanos p. 56 N. 13 n. 31 ejus variæ ordinationes circa œconomiam Ecclesiasticam p. 56 57 N. 14 his legibus authoritatem in Ecclesiam sibi probabiliter

liter usurpare noluit p. 416 N. 5 collectio juris à Justiniano facta p. 58 N. 16 n. 52 causæ cur Justinianus novam Juris collectionem fecerit, p. 420 N. 2 Adjutores collectionis ibid. N. 3 partes Corporis Justiniani. p. 59 N. 16 p. 419 420 428 Magistratus ordinat p. 431 432 433 Romanos Consules abrogare cœpit p. 430 N. 3 Senatûs authoritatem imminuit ibid. N. 4 vetat venumdare Magistratus p. 432 Provincias in novum ordinem redigit p. 433 434 studium nationale Justiniani erga suam Patriam p. 435 ejus sollicitudo circa culturam urbium p. 435 N. 9 sub initium Imperii non tantùm legum sed & armorum curam habuit p. 437 cur meliore fortunâ usus sit in bellis sub regiminis exordium ibid. N. 3 Apparatus bellicus Justiniani p. 438 ejus Duces ibid. milites p. 439 N. 5 Bellum Justiniani contra Persas p. 59 N. 17 Persas vincit p. 60 N. 17 Vandalicum bellum meditatur p. 67 N. 21 Sardiniam & Tripolim capit ibid. Classem mittit in Siciliam ibid. inde in Africam p. 68 N. 21 Literis Vandalos à Gelimeris fide abstrahere nititur p. 69 n. 41 Bellum suscipit contra Theodatum Goth. Regem p. 76 N. 25 Theodatum Regno decedere volentem in proposito confirmat, p. 79 n. 49 Italiæ postea laboranti negligentiùs prospicit p. 107 n. 84 p. 114 Narseti committit bellum Italicum p. 119 n. 98 Gubazi Lazorum Regi auxilia mittit p. 134 à Persis inducias turpiter emit p 136 N. 46 n. 116 Conjuratio contra Justinianum p. 144 cujus Belisarius quoque insimulatur p. 145 n. 129 Justiniani edictum adversus tria capitula p. 557 vexat Vigilium P. p 558 Indicit Concilium generale V. p. 560 error Justiniani p. 570 Eutychium Constantinop. Ep. in exilium mittit p. 571 moritur p. 147 N. 50 ejus vitæ vicissitudo ibid. n. 135 funebria p. 149 n. 4 Tyrannus vocatur ab Evagrio p. 147 n. 136 ejus symbolum ibid. n 134 avaritia p. 150 n. 6 & p. 151 n. 8 an Procopio vitam ejus describenti ubique sit habenda fides? p. 473 474 475 476

Justinianus II p. 712 pacem noxiam cum Saracenis facit ibid. pacem rumpit cum Bulgaris & Saracenis p. 713 vincit Saracenos & vicissim vincitur ibid. ejus sanguinolenta rabies p. 715 N. 23 naribus mutilatus deturbatur Imperio ibid. recipit Imperium p. 717 N. 26 ejus crudelitas in Apsimarum & Leontium p. 717 Item in Patriarcham Callinicum ibid. Bellum movet contra Bulgaros p. 718 N. 27 contra Chersonenses ibid. illius interitus p. 719

Justinus I. Imp. vili genere natus p. 35 N. 1 n. 2 p. 36 n. 3 ejus Patria p. 35 n. 1 officia ante aditum Imperii p 36. N. 1 cur *Anicius* dicatur? p. 36 n. 4 an fraude ad Imperium venerit? p. 37 n 5 Coronatio Justini & ejus uxoris Euphemiæ p. 37 N. 2 Justinus fidem Chalcedon. Patrum tuetur p. 37 N 2 Analphabetus & literarum rudis p. 37 n. 8 Hæreticos proscribit p. 41 N. 4 Apostolicæ Sedis observantissimus ibid. ejus edicta contra Manichæos & Hæreticos p. 49 n. 22 ejus pietas p. 52 N. 10 restaurat Edessam & Anazarbum ibid. invitus Justinianum successorem creat. p. 52 N. 11 mors Justini p. 53 N. 11 ejus elogium ac tessera p. 52 N. 11

Justinus II. Imp. Justiniani ex sorore nepos p. 148 cunctatur accipere Imperium p. 149 n. 2 de ejus regimine omina p. 149 n. 3 ejus edictum pro Ecclesiæ pace inutile p. 150 n. 5 remittit tributorum gravitatem p. 150 151 n. 6 Avaribus tributum dare renuit p. 151 n. 7 edictum de dissolvendo matrimonio p. 152 n. 9 nimia indulgentia Justini à Præfecto corrigitur p. 152 n. 10 sacrilega ejus avaritia p. 153 exprobat Persis crudelitatem in Persarmenios christianos p. 165 eorum causâ bellum suscipit ibid. Inducias à Persis turpiter emit p. 166 in amentiam incidit ibid. n. 28 Tiberium suadente Sophiâ conjuge Regni consortem designat p. 166 quo tempore id factum? ibid. n. 29 Justinus dat monita Regnaturo Tiberio p. 167 n. 30 ejus obitus p. 170 N. 8 n. 32 ejus vitia p. 170 n. 33

Justinus dux & ejus interitus funestus p. 154 mortuo Justinus Imp. & Sophia Augusta crudeliter insultant. p. 154

Justus Dorobernensis Episcopus, ejusque Zelus p. 833 N. 5

K.

Kalendæ Januarii cur *jejuniis olim exactæ?* item cur Alleluja hac die cantatum non fuerit? p. 573 n. 2

S. Kilianus Germaniæ & Francorum orient Apostolus p. 801 802 n. 9 Variè ejus nomen notatur

tur apud Veteres p. 894 n. 20 Ejus Patria n. 21 An Monasticam vitam professus sit? p. 894 n. 22 ubi susceperit Episcopatum? p. 895 n. 23 An primus Episcopus Wirceburgensis dici possit? ibid. n. 23 ejus socii p. 895 n. 24 Romam abit pro facultate prædicandi impetranda p. 896 tempus quo S. Kilianus Romam venit. ibid. à Conone P. facultatem accipit convertendi gentes ibid. Gosbertum Franconum Ducem ejusque populum convertit ibid. n. 26 Gosberto suadet, ut Geilanam thoro ejiciat. p. 897 n. 29 ejusdem Geilanæ instinctu occiditur unà cum sociis p. 898 ultio divina in authores sceleris ibid. n. 32

L.

LAteranense Concilium in Causa Monothelitarum p. 862 ejus Canones ac definitiones dogmaticæ p. 863 n. 49 Ecthesin Heraclii & Typum Constantis damnat ibid. ejus Concilii authoritas p. 945 N. 2

Laurentius Antipapa Symmacho Papæ se opponit p. 505

Laurentius S. Augustini Anglorum Apostoli successor p. 786

Lazica Regio quàm commoda Persis fuerit? p. 134 n. 114

Lazi offensi à Romanis p. 136 n. 117 ab his deficere cogitant p. 138

Leander Hispalensis Episc. convertit S. Hermenigildum p. 294 n. 28 instruit Reccaredum Regem in Catholica fide p. 298 ejus scripta p. 659 N. 25

Legati Apostolici pelliciuntur à Zenone ad communicandum Hæreticis p. 493 N. 8 prævaricationi indignantur Catholici ibid. Legati Romam reversi damnantur p. 494 Legati Apostolici primi subscribunt Synodo VI. generali p. 886 n. 9 item VII. Synodo p. 1105

Leges *Anastasii* Imp. p. 20 n. 20 leges *Burgundionum* p. 451 N. 1 ritus Burgundionum in Legibus expressi p. 453 leges *Imperatorum* in utilitatem Ecclesiæ latæ p. 412 N. 1 p. 413 N. 2. 3. quam authoritatem hæ leges in causis Ecclesiasticis habeant? p. 414 415 416 417 N. 4. 5. 6 Leges *Longobardorum* earumque conditiones p. 820 quando vilescere cœperit usus Longobardicarum legum? p. 821 823 Leges *Ripuariorum* p. 469 N. 6 Leges *Romanas* Theodoricus Rex Ostrogoth. pro suis adoptat p. 442 N. 1 Consuetudines tamen gentis in edicto suo adjecit p. 443 N. 2 *Leges Salicæ* p. 465 N. 1 unde hoc nomen acceperint? p. 466 Quibus authoribus latæ? ibid. N. 2 in quo loco conditæ? p. 467 N. 3 earum editiones p. 469 N. 5 Leges *Visigothorum* p. 447 449 nova mutatio in Legibus Visigoth. p. 450 N. 5 7

S. Leodegarius Ep. Augustodun. ab Ebroino majore Domûs vexatur p. 776 N. 16 crudeliùs excarnificatur p. 777 Martyrio consummatur p. 776 n. 37

Leo Isauricus creatur Imp. p. 951 N. 4 ejus integra fides ibid. & p. 952 n. 3 Saracenos ab urbe Constantinopolit. repellit p. 952 Tiberium rebellantem in Sicilia comprimit p. 953 Anastasii iterum imperium ambientis studia extinguit ibid. Constantinum filium in consortium Imperii admittit p. 953 Montanistas & Judæos ad Baptismum cogit p. 954 Indicit bellum sacris imaginibus ibid. Edictum Leonis contra Imagines p. 956 furit contra Gregorium II. Papam ibid. N. 6 Contentio Leonis cum S. Germano Patriarcha Constantinop. p. 957 Leo imaginem Christi dejicit p. 958 n. 9 Provincias Illyrici ab Ecclesia Romana abstrahit p. 959 n. 12 non excommunicavit Pontifex Leonem p. 959 n. 10 mors Leonis Isaurici p. 960

Leo IV. Imperator filius Constantini Copronymi p. 963 Constantinum consortem Imperii facit ibid. Nicephori insidias evadit p. 964 Iconomachiam profitetur ibid. ejus feralis exitus ibid.

Leo II Papa p. 887 à tribus Episcopis consecratur ibid. n. 13 epistola ejus ad Constantinum p. 888 n. 15 illius epistola ad Hispanos p. 891 n. 16 mittit Acta Concilii Oecumen. in Hispaniam ibid. obitus ibid.

Leo III. P. p. 1107 à Carolo M. missa munera accipit ibid. Atrox facinus Romanorum adversus Pontificem p. 1108 Leoni visus & loquelæ usus miraculosè redduntur ibid. n. 9 Leo de criminibus objectis se palàm purgat p. 1109 n. 11

Leontius rebellat contra Iustinianum II. Imp. p. 715 N. 23 Imperator proclamatur ibid. N. 24 Africam recuperare conatur ibid. Naribus mutilatus relegatur in Monasterium p. 716

Leovigildus collega Regis Liuvæ p. 288 ejus binæ con-

conjuges ibid. Hermenigildum filium ad Arii errorem revocare studet p. 291 ejus bellum contra filium ibid. eundem Hispali inclusum obsidet p. 292 eundem in odium fidei perimi jubet p. 295 n. 30 Catholicos persequitur p. 296

Lethe carcer in Persia p. 25 N. 17

Leutharis & Butilinus Francorum auxiliares copias Gothis adducunt p. 127 populantur Italiam p. 129 Leutharis infelix exitus p. 130 item p. 256 n. 68

Liberatus Eccl. Carthag. Diac. & ejus scripta p. 656 N. 17

Libri Carolini Nicænam II. Generalem Synodum oppugnare videntur p. 1121 N. 1 Quinam Author fuerit horum librorum? ibid. alii eos Carolo M. adscribunt p. 1121 1122 N. 2 alii abjudicant p. 112 N. 3 tertia sententia priores conciliat p. 1123

Liguria à Longobardis capta p. 162

Liuva filius Reccaredi & successor à Witterico occiditur p. 132

Longinus frater Zenonis capitur ab Illo p. 12 N. 8 libertati redditur p. 14 N. 9 n. 10 post mortem Zenonis frustra inhiat Imperio p. 18 N. 12 capite plectitur p. 22 N. 15

Longinus Narsetis in Italiæ gubernatione successor p. 156 n. 14 & p. 157

Longobardi & eorum origo p. 258 N 2 n. 1 bella gessêre contra Romanos p. 258 n. 2 eorum variæ transmigrationes p. 259 n. 3. 4. 6. in vacuas Rugiorum sedes succedunt p. 213 n. 6 p. 158 subinde fœderati Cæsaris p. 261 262 n. 9 stipendia faciunt contra Gothos p. 157 eorum sacrilegia & crudelitas p. 158 n. 16 Duces & leges Longobardorum antiquiores p. 260 n. 5. 6 ex Pannonia à Narsete in Italiam vocantur p. 108 n. 17 vaticinium S. Sabini, aliáque omina de futura irruptione Longobardorum in Italiam p. 262 n. 10 eorundem in Italiam irruptio p 568 2 - 63 Hunni eorum sedes in Pannonia occupant p. 159 n. 20 plures in Italia civitates subjugant p. 161 n. 22 24 tres Longobardorum Ducatus p. 161 n. 23 invadunt Galliam p. 359 N. 25 pacem ineunt cum Francis p. 271 379 N. 132 multas calamitates Italiæ inferunt p. 271 n. 26 Longobardorum intestinum bellum p. 740 N. 11 Hunnorum operâ extinguitur, ibid. legum olim expertes Longobardi p. 819 Rotharis primus eorum legislator, ibid. N. 2 alii Legislatores ejusdem Gentis p. 820 Longobardici regni finis p. 987 n. 24 - 25

Lucensis Synodus p. 573

Lucensium pertinacia stratagemate expugnatur p. 127 128 n. 106

Lugdunensis Synodus I. p. 517. Synod. II. p. 573 III. Syn. p. 582

Luitpertus filius Cuniberti Longobard. Regis p. 733 N. 14. à Ragunberto regno exuitur, ibid. ab Ariberto occiditur p. 733 N. 14.

M.

Magister Scriniorum p. 447

Magistratus Civiles à Justiniano ordinantur p. 428 N. 1 Magistratuum variorum varia acceptio p. 492 N. 2. necessitas Magistratuum, ibid. quid tribuendum iis à Principe? ibid. quod jusjurandum iis Justinianus præscripserit? p. 432 non debent Magistratus esse venales, ibid. Magistratus Gothorum qualem Jurisdictionem in Romanos habuerit? p. 447

Maglocunus Rex Britonum p. 401 N. 5

Mahomet Pseudopropheta p. 699 N. 12. n. 16 ejus monstrosa religio p. 700 n. 17 Mahometis fuga p. 700. n. 18 ejus mors ac sepulchrum p. 701 n. 19 quatuor instituit Amiras seu Satrapas p. 701 n. 20

Majores Domûs quando in Francia uti cœperint ampliore potestate? p. 767 n. 18

Malchus Sophista p. 479

Marcellinus Comes Scriptor p. 655

Marcianus Anthemii filius rebellat adversus Zenonem p. 6. N. 4 exauthoratus relegatur, ibid.

Marcinianus Ravennas Metropolita à Gregorio M. certis conditionibus pallium accipit p. 595

Marius Aventicensis Scriptor p. 658 N. 24

Martina conjux Heraclii Constantino Privigno insidiatur p. 704 N. 14 in exilium cum filio Heracleona ejicitur p. 505

Martinus Dumiensis vel Bracarensis, Apostolus Suevorum p. 279 n. 24 Scriptor p. 652 N. 20

Martyres in Vandalica Persecutione sub Hunerico exsectis linguis loquuntur p. 300. n. 5 Martyrium Homeritarum Christianorum sub Dunaane p. 47 N. 8.

Martinus I. p 861 Synodum Lateranensem convocat contra Monothelitas p. 882 Synodicas mittit

mittit in Orientem p. 864 vi abducitur Constantinopolim p. 865 calumniæ afflictæ S. Martino p. 866 ærumnæ ac carceres S. Martini, ibid. deducitur in exilium p. 867 moritur exul, ibid.
Martyropolis urbs à Persis traditur Romanis p. 185 n. 54.
Matasuntha filia Amalasunthæ Reginæ Gothorum p. 245 uxor Vitigis, ibid. n. 60 & p. 83 n. 56
Matisconensis synodus I. & II. p. 582
Matrimonium Justinus perperam statuit communi conjugum consensu solvi posse p. 152 n. 9
Mauri à Juliano in Hispaniam evocantur p. 990 N. 2 in Hispaniam primò veniunt p. 991 n. 5 altera expeditio Maurorum, ibid n. 6. tertia Maurorum expeditio p. 992 pugna decretoria inter Gothos & Mauros, ibid. n. 7 Gothos internecinâ clade Mauri afficiunt p 993 n. 8. 9 infelix expeditio Maurorum in Gallia Narbonensi p. 997 Dissidia intestina Maurorum, ibid. irruptio Maurorum in Gallias p. 998 vincuntur à Christianis. ibid. intestini motus Mauricæ reipublicæ p. 999 à Froila Alphonsi Catholici Regis Gothorum filio Mauri debellantur p. 1000 Principatus Maurorum in Hispania ad stirpem Humejarum transfertur p. 1000 n. 16 ab Aurelio Rege Gothorum turpe tributum Mauris condicitur p. 1001 parem cladem accipiunt ab Alphonso Casto p. 1003 n. 17
Mauritius Chartularius insidiatur opibus Ecclesiæ Lateranensis p. 725 N. 6. eámque ab Isaacio Exarcho diripi facit, ibid. rebellat contra eundem Isaacium p. 705 N 15. 726 ejus funestus exitus, ibid.
Mauritius Imp., ejus ortus p. 173 n. 37 literarum amans ibid. virtutes & dotes ingenii ibid. officia p. 174 à Tiberio adoptatur ibid N. 10. à Chagano Avarum Domino pacem emit p. 177 Philippicum præficit expeditioni contra Persas p. 178 n. 48 copias ex Oriente in Thraciam contra Avares reducit p. 190 N. 18 ante expeditionem malefaustis ominibus terretur p. 191 n. 56. 57 item p. 192 ab exercitu redit Constantinopolim, ibid. Francorum oblata auxilia non admittit ibid. Prohibet, ne Curiales aut milites Monasticum institutum amplectantur p. 193 n. 58 vili lytro redimere captivos detrectat p. 198 seditio in Mauritium p. 200 203 204 eligit Mauritius potiùs in hac, quàm in altera vita pœnas pendere p. 202 n. 66 ejus avaritia p. 203 fugit cum suis Constantinopoli p. 205 n. 70 interficitur cum quinque filiis p. 206 n. 71 occisorum corpora in mare projiciuntur p. 207 eorum capita in campo militari exponuntur ibid. n. 70 milites cædis authores divinitus puniuntur p. 208 Scriptor vitæ Mauritii p. 199 n 63.
S. Maximus fugit in Africam p. 849 convincit Pyrrhum erroris sui p. 854 855 856 à Constante II. Imp. exagitatur p. 869 falsis accusationibus impetitur p. 870 ejus Collatio cum Troilo, ibid. *secundò* in quæstionem vocatur p. 871 in exilium ducitur p. 872 N. 26 *tertiò* interrogatur ibid. N. 27 S. Maximi secundum exilium p. 873 ejus ac Sociorum Martyrium p. 874
Mediolanum ob Romanorum Ducum discordiam hostibus cedit p. 93 N 31 Mediolanensium stupenda strages, ibid. & p. 246 Mediolanensis ager ab Herulis & Burgundionibus exscinditur p. 216 n. 10
Menander Protector Historicus p. 476 N. 6.
Mennas extruso Anthimo ab Agapeto P. creatur Archiepisc. Constantinop. p. 543. celebrat Synodum p. 544 Mennæ libellus ad Vigilium P. fictus p. 881 n. 5
Merciorum regnum in Britannia p. 403
Meroveus Chilperici filius invito Patre Brunechildem in uxorem ducit p. 364 matrimonium dissolvitur ib. Meroveus in Monasterium relegatur ibid. dolo Fredegundæ occiditur p. 365 n. 70
Mersio una pro Baptismo sufficiens statuitur p. 844
Mesopotamiæ, Euphratesiæ & Osrhoënæ descriptio p. 62 n. 36
Metropolitarum authoritas restauratur p. 1132
Militia Romana sub Justiniano defecit p. 439 N. 6 ejus defectionis causæ variæ exponuntur ibid. & p. 440 441 442
Mirrhanes Dux Persarum à Cabade Rege exauthoratur p. 61. n. 33
Mismiani deficiunt à Romanis p. 139 redeunt in fidem Cæsaris, ibid.
Missa Mozarabum unde ortum habeat? p. 844 n. 26 Missa olim una à Græcis in festis solennibus legebatur p. 830 n. 12
Mizizius Tyrannus invadit Imperium, & profligatur p. 709 N. 18
Moguntia quando facta sit Metropolis Ecclesiastica? p. 1089 n. 12 Quas Zacharias P. Ecclesias Moguntinæ Metropoli subjecerit? p. 1090 n. 13

n. 13 S. Bonifacius sedem illam frustra abdicare conatur p. 1090 p. 1091 S. Lullus secundus Archiep. Mogunt. p. 1093
Monachorum Institutio in Sæc. VI. p. 675 N. 6
Monothelitarum origo & errores p. 835 836 n. 18 19 20 Monothelismi præcipuus author Sergius Ep. Constantinop. p. 836 molitio Monothelitarum contra sedem Apostolicam p. 877 damnantur in VI. Synodo Generali p. 886
Mopsvestena Synodus p. 556
Motus terræ ingens tempore Zenonis p. 5 n. 5. item Constantinopoli p. 104 N. 48 n. 120
Mozarabes unde dicti fuerint? p. 996
Mummolus Dux Longobardos reprimit p. 360
Mundericus apud Arvernos, contra Theodoricum rebellis dolo capitur p. 340 occiditur non sine fortitudinis famâ, ibid.
Muza Dux Saracenus Septam & Tingim occupat p. 990 ex Juliani Hispaniæ proditoris consilio Mauros in Hispaniam mittit. ibid. n. 4. p. 991 n. 5 in Hispaniam ipse venit p. 993 n. 19 varias urbes capit p. 994 simultas inter Muzam & Tarekum componitur ibid. Muza ex Hispania ad Syriæ Calipham evocatur p. 996 Abdalasisius Muzæ filius interea præficitur Hispaniæ ibid. infelix Muzæ exitus p. 997

N.

NAchoranges Persarum Dux dirum patitur supplicium p. 139
Narses Dux Justiniani p. 91 ejus dotes ac virtutes p. 156 n. 15 item officia & res gestæ ibid. auxilia in Italiam adducit ex Oriente p. 91 N. 30 ejus cum Belisario dissidium p. 92 N. 30 Narseti Justinianus exercitum bellúmque Italicum demandat p. 119 n. 98 in Apennino castra metatur p. 121 n. 99 Totilam Gothorum Regem provocat p. 121 Gothos vincit p. 122 Francos internecinâ clade affligit p. 132 n. 111 querelæ Italorum contra Narsetem p. 155 revocatur à Justiniano ex Italia ibid. & p. 258 à Sophia Augusta convitio adustus, immoderatiùs fert injuriam p. 156 n. 16 & p. 258 Longinum habet successorem in Italia p. 157 Longobardos in Italiam vocat p. 157 n. 17 & p. 258 hoc minimè fabulosum esse contra Baronium ostenditur p. 158 n. 19 Narses facti pœnitens frustra conatur Longobardos ab aditu Italiæ dehortari p. 159 ejus mors & tempus mortis p. 160 n. 21 an ejus corpus Constantinopolim translatum? ibid.
Narses Dux à priore distinctus p. 158 n. 19
Narbonensis Synodus p. 584
Navale prælium Romanos inter & Gothos p. 120 n. 40
Neustria unde dicta sit? p. 331 n. 38
Northumbrorum Ducatus mutatur in Regnum p. 401 n. 4.
Northumbriæ conversio p. 788 ejus amplitudo.
Novellæ Constitutiones p. 426 N. 9 earum Numerus ibid. Collationes Novellarum unde? p. 427 quid Novellæ correxerint in præcedentibus legibus p. 427 in Novellis habetur Promptuarium Disciplinæ Ecclesiasticæ p. 413 414 quam authoritatem hæ Novellæ habeant in causis Ecclesiasticis? p. 414 N. 4
Nummi Byzantini & eorum præstantia p. 805 In iis imagines plerumque sacræ exprimuntur, utpote Christi, B. Virginis, & SS. p. 808 item S. Crux ibid. N. 2 Globus cruciger p. 806 N. 3 Inscriptiones in nummis Byzantinis p. 808 809 N. 6. 7.

O.

OBlationes olim in Ecclesiis factæ p. 608 609 N. 3
Obsidio Neapolis à Belisario suscepta p. 8 801 n. 52 53 54 obsidio Romæ à Gothis facta p. 85 n. 59 60 Item p. 108 112
Odoacer Rex Herulorum Regno Italiæ potitus intestinos motus componit p. 210 N. 1 in fœdus adsciscit exteros Reges ibid. mittit Legatos ad Zenonem p. 211 contra Rugios molitur bellum in Norico p. 213 devotus erga S. Severinum Regni sui Vatem p. 213 n. 5 immiscet se electioni Pontificiæ p. . . . dedit se Theodorico Gothorum Regi p. 218 n. 12 occiditur ibid. n. 13
Odoagrius Dux Saxonum in Galliam irrumpit p. 304 N. 2 Andegavensium urbem obsidet & repellitur ibid. cum Childerico I. Fr. Rege arma sociat contra Alemannos p. 305 n. 1
Oeconomia Honorii Papæ perperam à quibusdam probatur p. 913 914 œconomia S. Basilii & Hormisdæ Papæ non videntur posse accusari p. 915
Oecumenici titulus cur in Episcopis Constantinop. ferre PP. noluerint? p. 593 n. 22 usurpatur

primo

primùm à Joanne jejunatore p. 585 Cyriacus ejus successor idem nomen adhibere ausus est p. 597 N. 16

Offa Rex Merciorum p. 1045 ejus contra Cantios Victoriæ ibid. Offæ fœdus cum Carolo M. p. 1046 illius filiam Ethelbertus Rex Orient. Anglorum in sponsam poscit p. 1047 eo adjuvante vel dissimulante Ethelbertus occiditur p. 1048

Olympius Exarchus mittitur Romam, ad Typum Constantis promulgandum, p. 726 Insidiatur Pontifici p. 726 N. 7 ejus interitus ibid.

Omarus Amira Saracenorum p. 702 ejus bellum contra Romanos ibid. Victoria mirabilis ibid. Hierosolymam obsidet & expugnat p. 703 Syriam evastat ibid. Ægyptum subjugat ibid. item Persarum Regnum extinctum sibi rapit p. 704 restaurare conatur Salomonis templum p. 705 n. 23

Oppa Episcopus, Legatus Maurorum impius frustra dissuadet bellum Pelagio contra Mauros p. 995 n. 13

Origenes damnatur in synodo Generali V. p. 567 n. 43

Origenistarum errores recrudescunt p. 551 N. 20 varias turbas cient Origenistæ p. 552 damnantur à Justiniano ibid. n. 31

Oscensis synodus p. 599

Osredus Rex Deirorum moritur p. 1039

Oswaldus Rex Catholicus orientalium Anglorum p. 791

P.

PAllium, ejusque usus cum conditione appositâ datus à Gregorio M. Ravenn. Episcopo p. 595 Idem pro Pallio vetat aliquid accipi ibid. Pallium quibus olim concessum fuerit? p. 595 n. 24

Pallii Episcopalis forma p. 595 n. 24 datur Vicariis Pontificiis p. 595 N. 15 non dabatur nisi antea supplicantibus p. 599 n. 26

Palmaris synodus sub Symmacho, quæ & quando fuerit? p. 506 n. 32 vide *Symmachus*

Pandectæ quo tempore compositæ? p. 412 N. 5 earum divisio in 7 Tractatus p. 423 nævi Pandectarum p. 424 N. 6

Pantheon in Ecclesiam quando conversum? p. 827

Parentes an filios devovere possint Monasteriis? p. 845 n. 29

Parisiorum urbs à tribus filiis Clotharii I. post Chariberti mortem legibus certis possessa p. 357 n. 62

Parisiensis synodus II. p. 569 N. 33 III. ibid. IV. V. p. 574 p. 829 830

Pascentii contra Ambrosium Britonum Regem rebellio p. 398 N. 3

Paschatis solemnitas quo tempore celebranda, agitatur, p. 795 tempus decernitur p. 795 n. 67 p. 798 N. 11

Patriarchæ quinam re & nomine fuerint? p. 637 N. 1 Patriarchæ titulares ibid.

Patriarchatûs Aquilejensis origo p. 638 672 N. 3 vide *Aquilejensis*

Patriciatus formula sub Ostrogothis p. 445 Patriciatus Ecclesiæ Romanæ p. 1054 1056

Patrimonium ejusque varia significatio p. 1057 Patrimonium Cæsaris aut Principis ibid. Patrimonium S. Petri ibid. Patrimonia Ecclesiæ nonnulli à juribus ac territoriis discernunt p. 1059 N. 3 Francorum Reges Patrimonium S. Petri amplificant p. 1060 1061 1062 1063 1065

Pauli Cilicis Magnanimitas & erga Cæsarem fides p. 116 p. 117

Paulus successor Pyrrhi in sede Constantinop. p. 852 à Theodoro Papa monetur sui erroris ibid. n. 38 de Paulo queruntur alii Episcopi apud Papam p. 853 Pauli de fide novum Decretum p. 857 Africani Episcopi eundem literis dehortantur p. 857 Paulus scribit ad Theodorum P. p. 858 n. 45 Paulus Constanti II. Imperatori author est de edendo Typo p. 859 Theodorus Papa Paulum deponit p. 860 Pauli vindicta ibid. moriturus Constanti suadet, ut mitiùs S. Martinum Papam habeat p. 866

Paulus Papa p. 1096 ejus obitus p. 1099

Paulus Warnefridus Diaconus p. 1127 ejus Historia scripta ibid. & p. 1128 Idem author de regibus Longobardorum quandoque corrigendus ex Sigeberto p. 260 n. 6

Paupertas qualis præscripta fuerit Apostolis? p. 607 N. 1

Pelagius à Gothis in Principem & Regem eligitur p. 994 n. 11 Oppæ Episcopi ac proditoris consilia respuit p. 995 n. 13 mirabiliter Mau-

ros vincit ibid. n. 12 item p. 998 mors Pelagii ibid. n. 15

Pelagii Diaconi ad Totilam Legatio irrita p. 109 n. 87

Pelagius I. P. p. 568 ejus res gestæ ante Pontificatum ibid. pro synodo V. suscipienda laborat p. 569. Mauritii Imp. auxilium implorat contra Longobardos p. 177 n. 42 mors p. 569

Pelagius II. P. p. 574 concedit, ut Sedes Metropolitana Aquilejâ Gradum transferatur p. 578 schisma de tribus Capitulis sanare frustra conatur p. 579 ejus obitus p. 585 Subdiaconos ad continentiam adstringit p. 585 n. 15

Persarum centenales Induciæ cum Romanis p. 25 n. 24 ob injuriam Chosroi illatam moliuntur bellum p. 44 N. 6 vincuntur à Romanis p. 62 N. 18 conflictus Persarum cum Romanis p 60 N. 17 à Gothis concitantur in bellum adversus Romanos p. 94 N. 31 Persarum bellum cum Justino II. p. 164 n. 27 quis author hujus belli fuerit? p. 165 Persæ cæduntur à Romanis p. 173 N. 9 cædunt vicissim Romanos p. 178 N. 12 Persarum vicennale bellum componitur p. 186 n. 55 fœdus rumpunt cum Phoca p. 683 eorum irruptio in Imperium p. 684 vastant Imperii Provincias p. 686 auferunt Hierosolymâ sacrum lignum Crucis p. 689 Persarum Regnum à Saracenis subjugatur p. 704

Persarmenii quinam fuerint? p. 164 Christi sacris addicti ibid. n. 27 vexantur à Persis ibid. à Cæsare in tutelam suscipiuntur p. 165

Persecutio Vandalica p. 389 390 mitigatur p. 391 N. 3 Persecutio sub Hunerico validior p. 490 491

Pertharitus filius Ariberti Longobard. Regis p. 727 à Grimoaldo regia hæreditate exclusus fugit ad Hunnos p. 728 receptus in gratiam iterum fugere cogitur ad Francos ibid. N. 9 ejus causam Franci frustra suscipiunt p. 729 post mortem Grimoaldi in Regem eligitur p. 731 N. 12 n. 12 Cunibertum filium Regni consortem facit p. 731 mors Perthariti & ejus ad filium monita p. 732

Pestis in Oriente diuturna p. 104 n. 60 sævit Constantinopoli p. 141 n. 122

Petra Lazorum Castellum obsidetur à Romanis & expugnatnr p. 135

Petrus Fullo quis fuerit? p. 479 turbat Ecclesiam Antiochenam p. 479 n. 2 Calendioni substituitur ab Acacio in sede Antiochena p. 495 percutitur anathemate à Felice IV. P. p. 495 n. 19 mors impia Petri Fullonis p. 498 Epistolæ, quas varii Episcopi ad Fullonem scripsisse feruntur, incertæ sunt authoritatis p. 498 n. 22

Petrus Mongus dissimulator perfidus p. 486 in locum Joannis Talajæ Ep. Alexandr. sufficitur p. 485 cui facto resistit Simplicius P. ibid. deponitur & excommunicatur p. 494 mors Petri Mongi p. 498

Phantasiastarum hæresis vide *Corrupticolæ*

Philippicus Bardanes Imp. 948 Monothelitarum hæresin restaurat ibid. n. 1 Imperium insipienter regit p. 949 ejus exauthoratio ibid. n. 2 sufficitur Imperator Catholicus Anastasius p. 950

Philippicus Dux Mauritii cunctando Persas vincit p. 178 n. 43 & p. 179 n. 44 componit rebelles milites p. 181 In Tyrannidis suspicionem falsò adducitur p. 201 N. 21 vindicatur à suspicione sceleris p. 202 n. 67

Philoponus Ioannes scriptor p. 476 N. 5

Phocas à Militibus salutatur Imperator p. 204 Mauritii Legatos despicit ibid. ejus inauguratio p. 206 occidit Mauritium & filios p. 207 n. 71 sævit in propinquos Mauritii p. 208 n. 73 Phocæ imago Romam mittitur p. 682 N. 1 Phocæ Gregorius M. de Imperio gratulatur ibid. n. 2 Phocæ crudelitas p. 683 N. 2 ejus habitus & forma ibid. n. 3 Narsetem Ducem jubet exuri p. 684 superstites Mauritii amicos dat neci p. 683 n. 4. 5. conjuratio adversus Phocam punitur p. 687 funestus Phocæ exitus p. 688 n. 4 An Phocas primò constituerit Apostolicam sedem in caput omnium Ecclesiarum? p. 826 n. 4

Pipinus *Landensis* Major Domûs p. 764 n. 13 resistit Brunechildis ambitioni p. 755 N. 5 Dagobertum intra virtutis metas continet p. 764 ejus obitus p. 770 N. 11

Pipinus *Herstallius* Major Domûs in Austrasia p. 778 ejus ortus ibid. n. 35 illius cura circa Rempublicam p. 780 Radbodum Frisonum Ducem compescit ibid. Pipini authoritas apud exteros p. 780 ejus filii p. 791 N. 19 Clodovei III. nomine regit Franciam p. 781 N. 20 conjuratio contra Pipinum p. 1004 Pipini morbus ibid. ejus filius Grimoaldus occiditur p. 1005 Pipinus convalescens ulciscitur filii

necem ibid. moritur Pipinus ibid. ejus uxores ac liberi ibid. n. 1

Pipinus *Caroli Martelli filius* p. 1016 n. 13 cum fratre Carolomanno Aquitaniam domat p. 1017 Childericum III. Francorum Regem eligi curat ibid. bellum in Bajoaria conficit, ibid. Hunaldum Aquitaniæ Ducem iterum rebellantem compescit p. 1018 gubernationem Franciæ, discedente in Monasterium fratre, solus suscipit, ibid. Grifonis fratris motus seditiosos comprimit p. 1019 Pipinus è Majore Domûs creatur Rex Franciæ p. 1020 cujus authoritate regnum hoc à Childerico III. ad Pipinum translatum sit? p. 1065 an Zachariæ Pontificis jussu id factum fuerit? p. 1066 an verò Pipini artibus & vi hoc totum tribui debeat? p. 1067 nostra sententia statuitur p. 1068 difficultates objectæ solvuntur p. 1069 1070 à Stephano P. rogatus mittit Legatos ad Aistulphum Longob. Regem p. 979 & 1021 Stephanum auxilii causâ in Galliam profectum honorificè suscipit p. 979 1021 & bellum contra Aistulphum decernit p. 980 1021 à Stephano Papa Pipinus ejúsque liberi in Reges unguntur p. 1022 n. 14 expeditio Pipini in Italiam p. 1022 vincit Aistulphum & ad satisfaciendum Pontifici cogit p. 980 1022 alterâ vice Pipinus contra perfidum Aistulphum movet p. 1023 Legatos Græcorum non audit p. 981 n. 11 Pontifici Exarchatum & cæteras civitates restitui curat ibid. n. 12 an ante Pipini tempora Pontifices jam habuerint ditiones & territoria? p. 1060 1061 N. 4 an horum dominium utile vel directum fuerit penes Pontifices? p. 1061 1062 1063 auxiliatur Pipinus Paulo Pontifici p. 983 1023 morbus & mors Pipini p. 1024 convitia Centuriatorum frivola contra Pipinum p. 1063 N. 8.

Plectrudis uxor Pipini p. 1005 n. 1 post mortem Pipini Theudoaldi filii nomine regnat ibid. Carolum Alpaidis filium dat in custodiam p. 1006 Neustriæ Optimates rebellant adversus Plectrudem & Theudoaldum ibid. Plectrudis Coloniæ sedem figit p. 1007 ejus opes urbémque capit Carolus Martellus p. 1008

Pœnitentia Publica adhuc viget in Sæc V. p. 497 n. 21

Pontifices quo tempore ordinare soliti fuerint? p. 487 488 n. 10 duplicem potestatem habent, alteram, quæ est Universalis Ecclesiæ Pastoris, alteram, quæ est Patriarchæ p. 534 n. 13 Pontificum habitus in sepulturis p. 594 n. 23 Pontifices non sacerdotio, sed gradu & jurisdictione supra cæteros Episcopos eminent p. 625 N. 6 non judicantur ab inferioribus p. 611 N. 1 622 623 625 quare Pontifices interdum suam innocentiam spontè purgare debeant? p. 626 Exempla variorum Pontificum, qui accusati ab Adversariis spontè obtrectationes impactas diluerunt p. 626 627 628 Pontifices Romanos eligendi jus ab Hadriano P. Carolo M. concessum non est p. 1117

Possessiones ac fundi stabiles Ecclesiæ Romanæ quando esse cœperint? p. 1058 Variæ Possessiones Ecclesiæ Romanæ per varias Provincias ibid. facultates ejusdem tempore Gregorii M. ibid. an Franci Reges primas Sedi Apostolicæ dederint ditiones? p. 1060 1061 an possessionum ac ditionum dominium tantùm utile vel etiam directum Pontifices habuerint? p. 1061 1062 1063

Præbendarum usus quando cœperit? p. 614 N. 10 Præbendæ diuturnâ possessione præscribi non poterant p. 613 N. 10

Præfectus Prætorii ejúsque officium sub Ostrogothis p. 445 Præfectus urbis Romanæ ibid.

Præfationes in Missa Gelasius P. composuit p. 503 n. 31

Primates in Francia tempore S. Bonifacii nulli erant p. 1132 1133 Primus fuit S. Bonifacius ibid. ejus jura ibid. Carolus M. prohibet, ne Metropolitani Primatis titulo utantur p. 1133 N. 2.

Primatus Jurisdictionis Pontificiæ asseritur p. 853 n. 39

Primitiæ olim Ecclesiis dicatæ p. 609 N. 4

Principis officium p. 412 Ecclesiæ etiam cura ipsi incumbit ibid. N. 1 Principum Christianorum liberalitas erga Ecclesias p. 609 N. 5.

Priscianus Grammaticus p. 471 N. 3.

Priscus Dux à Mauritio Persarum bello præficitur p. 183 n. 59 in eum rebellant milites p. 194

Processio Spiritûs S. ex Patre Filióque asseritur p. 844

Proclus Quæstor dissuadet adoptionem Chosrois faciendam p. 44 n. 16

Proclus Diadochus Philosophus p. 471 N. 2

Procopius de rebus gestis Belisarii variè loquitur p. 45 n. 18 ejus historia, aliáque scripta p. 472 N. 5 quæ fides ei tribuenda in iis, quæ in arcana Historia contra Justinianum Imp. scripsit? p. 472 473 474 475

Procopius Gazæus & ejus scripta p. 653

Prodigia visa ante Mauritii mortem p. 201 n. 65 p. 202 n. 66 prodigia in cælo visa tempore persecutionis Vandalicæ sub Hunerico p. 390 n. 6.
Protadius dolo Brunechildis fit Major Domûs p. 750 ejus fraudibus regnum Franciæ turbatur p. 751 occiditur ibid.
Provinciæ Dominatum à Gothis Franci accipiunt p. 343 n. 50 hunc inter se dividunt Francorum Reges p. 344 n. 51 Provinciarum quarundam conjunctionem fecit Justinianus p. 443 p. 34 N. 8 alias divisit p. 432 in mutatione Provinciarum civili nihil circa res sacras immutavit p. 434 N. 8
Psachnion quale vestimenti genus? p. 866 n. 25 ejus scissio erat signum depositionis, ibid.
Pseudopoliticorum axioma vapulat, scilicet à Proavorum quantumvis erronea religiove non esse descifcendum p. 319 n. 22 confutavit hunc errorem S. Avitus Viennensis p. 319 n. 22.
Purgationis juratæ species, ejúsque ritus olim usitatus p. 374 375 n. 77
Pyrrhus succedit Sergio Ep. Constantinop. p. 849 urget subscriptionem Ecthesis ibid. accusat Honorium P. Monothelismi p. 850 fugit ex urbe Constantinop. p. 851 abit in Africam p. 854 disputat cum S. Maximo ibid. & p. 855 n. 41 42 43 victus à S. Maximo, ad Catholicam fidem redit p. 856 n. 44 relabitur in hæresin Monothelitarum p. 859 damnatur à Pontifice in Concilio Romano p. 859 n. 46 mortuo Paulo rursus succedit in sede Constantinop. p. 867

Q.

Quendreda, Offæ Regis Merciorum uxor, Ethelberto Orientalium Anglorum Regi insidias struit p. 1047 N. 10 impia & ambitiosa fœmina eidem Ethelberto, filiæ suæ Alfredæ sponso, in nuptiarum solenni apparatu necem machinatur p. 1048

R.

Radbodus Dux Frisonum rebellat p. 780 vincitur à Pipino Herstallio, ibid. & p. 591 N. 20. vincit Carolum Martellum p. 1007 moritur p. 1076
Radegundis uxor Clotharii I. p. 338 n. 47
Radulphus Dux Thuringiæ contra Sigebertum Austrasiæ Regem rebellat p. 672 N. 13 Idem Francos cædit & profligat ibid. Sigebertum ad pacem cogit p. 773
Ragenfredus Major Domûs apud Neustrios p. 1006 bellum molitur contra Carolum Martellum p. 1007 vincit Carolum ibid. vincitur p 1008 novos motus ciet p. 1010 pro pœna à Carolo Andegavensis urbis præfecturâ donatur ibid.
Ravenna triennio à Gothis obsidetur p. 317 Ravennam Belisarius obsidet p. 96
Ravennates Episcopi schismatici concordiam redintegrant cum Romana sede p. 868 n. 2.
Reccaredus filius Leovigildi p. 290 N. 11 persuadet fratri Hermenigildo, ut se dedat Patri p. 292 293 n. 26 creatur Rex Visigoth. p. 298 N. 13 pacem à Francis difficulter impetrat ibid. ejus conversio ad Catholicam fidem p. 208 N. 14 Childeberti sororem in sponsam accipit p. 298 n. 34 & p. 377 Visigothos ad Catholica sacra deducit p. 299 n. 35 36 conjurationes variæ contra Reccarredum p. 300 Rex idem in Synodo Tolet. III. fidei suæ formulam exhibet p. 301 n. 37 p. 584 n. 13 Reccaredi virtutes p. 302 N. 15 pius ejusdem obitus ibid.
Regnares Gothorum reliquias contra Romanos concitat p. 133 N. 45 ejusdem cædes ibid.
Reliquias SS. dispensandi modus antiquus p. 592
Remensis ampulla p. 317 n. 18
Remensis Synodus p. 833
S. Remigius Remensis Ep. Clodoveum baptizat p. 317 an Clodoveum unxerit chrismate cœlitus accepto? p. 317. n. 18
Ripuariorum Leges. vide *Leges.*
Rithgundis Chilperici filia à Reccaredo in sponsam petitur p. 368 post mortem Patris injuriosè habita ante nuptias reducitur in Franciam N. 27
Rodoaldus Rex Longob. Arianus p. 726 N. 7. interimitur p. 727
Rogationum solennes dies inter jejunia transacti p. 572 n. 2
Rolandus Dux Caroli M. p. 1033 n. 19 ejus cædes ibid. an fabulæ, quæ de eo vulgantur, Turpino sint tribuendæ? ibid. n. 19 & p. 1127 N. 4.
Roma à Vitige munitur præsidio p. 83 n. 55 occupatur à Belisario p. 84 n. 58 iterum obsidetur

detur à Gothis p. 85 n. 59 Belisarius eam arte & ingenio tuetur ibid. n. 60 Romæ à Gothis obsessæ calamitas p. 86 n. 62 Roma ab Isauris Totilæ proditur p. 112 ejus muri à Totila destruuntur ibid. eandem urbem alterâ vice Isauri Gothis produnt p. 116 n. 95 Roma recipitur à Narsete p. 124 n. 104

Romana Synodus I. & II. sub Symmacho p. 503 III. Synodus p. 506 IV. Synodus *Palmaris* ibid. n. 32 V. Synodus p. 508 VI. Synodus ibid.

Romana Synodus I. II. III. sub Bonifacio II. p. 534

Romana Synodus contra Monothelitas sub Agathone p. 877 n. 1

Romanæ Ecclesiæ Advocatia p. 1051 N. 4 dignitas hujus Advocatiæ p. 1053 N. 8. officium Advocati & Defensoris Ecclesiæ Romanæ p. 1054 N. 9 An Advocati Ecclesiæ Romanæ supremum habuerint Urbis Dominatum? p. 1056

Romana Ecclesia ex quo tempore habuerit fundos stabiles? p. 1058 1059 Item territoria & ditiones? p. 1060 1061

Romani tempore Gothorum Imperatoribus adhuc subjecti p. 21 n. 22 Romani cum Persis confligunt p. 60 N. 17 p. 62 N. 18 faciunt pacem cum Persis p. 65 N. 20 vincunt Gothos p. 87 N. 29 vincuntur à Gothis p. 88 Romanorum querelæ de Belisario p. 88 n. 63 Romanorum militum vitia exosum Cæsaris Imperium Italis reddunt p. 105 n. 82 p. 106 n. 83 Romanorum victoriæ adversus Persas p. 172 173

Romanus Italiæ exarchus & ejus vitia p. 188 190 N. 17 pertinaciâ suâ eludit spem pacis cum Longobardis p. 272 ejus mors ibid.

Romilda Gisulfi Forojuliensis Ducis uxor p. 721 Forojulium libidinis ergo prodit p. 195 n. 60 punitur ejus libido à Chagano Hunnorum Duce p. 721

Rosimunda uxor Alboini Longobard. Regis à Marito offenditur p. 264 n. 11 insidiatur vitæ conjugis ibid. n. 12 ejus funestus exitus p. 265 n. 14

Rotharis à Gundeberga Arivaldi vidua eligitur in sponsum ac Regem Longobard. p. 724 profert Regni fines p. 725 vincit Romanum exercitum ibid. Leges promulgat sub *Edicti* nomine p. 726 n. 5 moritur p. 726

Rudericus Rex Gothorum in Hispania p. 988 n. 1 Juliani comitis filiam opprimit p. 989 n. 2 Ruderici odio Julianus Mauros in Hispaniam evocat p. 890 Ruderici pugna decretoria cum Mauris p. 992 Victus amittit regnum p. 993 ejus interitus ibid. n. 9

Rugiorum Regnum extinguitur p. 213

S.

SAbinianus Dux oratione suâ ignaviam Zenonis excitat p. 7. N. 6.

Sabinianus P. p. 824 N. 1 ejus benignitas in pauperes p. 825 n. 2 obitus p. 826 an campanarum usus primus ei tribui debeat? p. 826 n. 3

Sacellarii quinam fuerint? p. 866 n. 51

Sacrilegia militum divinitus puniuntur p. 129 130 & 132

Salicæ Leges. vide *Leges*.

Saraceni bellum movent adversus Athnasium Imp. p. 23 N. 16 Saracenorum bellum contra Romanos p. 701 n. 21. 702 diripiunt provincias Imperii p. 703 Regnum Persicum subjugant p. 704 Africam vectigalem faciunt p. 706 Constantis Imp. exercitum fundunt p. 706 Cyprum, Siciliam & Rhodum expilant p. 706 n. 24 eorum intestinum bellum p. 707 Inducias faciunt cum Romanis p. 707 N. 16 Siciliam rursus evastant p. 710 obsidium Constantinopoli intentant ibid. repelluntur ibid. Pacem ineunt ibid. hæc à Justiniano rumpitur p. 713 expugnant Saraceni Carthaginem p. 714 N. 22 universam Africam subjugant p. 716 Hispaniam aggrediuntur p. 991 vide V. *Mauri*. eorum irruptio in Galliam p. 1011 Eudonem Aquitanicum vincunt ibid. Saracenorum internecina clades p. 1012 pugna inter Saracenos & Francos p. 1014 fugantur à Carolo Martello p. 1015

Saxones à Clothario Rege Franc. domiti p. 351 n. 58 pax petentibus negatur ibid. & p. 352 pacem desperantes in arma ruunt & vincunt Francos p. 352 invadunt Galliam p. 360 eorum magna strages in Thuringia p. 361 Saxones jurant super arma p. 767 n. 17 factam Dagoberto I. fidem fallunt Ibid. Carolus Martellus domat Saxones p. 1015 Carolomannus eosdem oppugnat p. 1017 Grifo concitat contra Pipinum Saxones p. 1018 Caroli M. bellum adversus Saxones p. 1029.

Saxo-

Saxonum Orient. Regnum in Britannia p. 399 N. 4. Occident. p. 397 in Northumbria ibid.

Schisma Romanum, inter & Symmachum ac Laurentium p. 505 à Theodorico extinguitur p. 228 229 n. 31 32 33 & p. 505 recrudescit factiosorum studio p. 506

Schisma contra Synodum Generalem V. movent Istriæ & Venet. Episcopi p. 569 eos Pelagius I. & II. PP. frustra revocant p. 569 579 Justinus II. Imp eos edicto suo fovet p. 571 Item Africani Episcopi ibid. n. 1 Schismaticorum contra V. Synodum argumenta Pelagius II. P. confutat p. 579 580. n. 8 Idem Pontifex brachio sæculari utitur ad Schismaticos reprimendos p. 581 contra Schismaticos Marana Synodus celebratur, ibid. n. 9.

Sclavenorum crudelitas p. 117 N. 39 n. 96 eorum irruptio in Rom. Imperium p. 118 fugantur à Germano Duce ibid. cædunt Romanos in Dalmatia ibid.

Sclavorum bellum contra Dagobertum I. p. 765 766

Scriptiones & subscriptiones Legum quid denotent? p. 426 N. 8

Scythæ Monachi tuentur pertinacitur hanc propositionem: *Unus è Trinitate crucifixus est* p. 521 N. 2 523 n. 2 Fausti Rhegiensis doctrinam accusant ibid. Legati Apostolici Scytharum propositionem repudiant p. 522 monachi iidem provocant ad Sedem Apost. p. 523 apud Pontificem in suspicionem Eutychianæ hæresis ducuntur p. 524 confugiunt ad Africanos Præsules ibid. ii Scythis assentiuntur ibid. Româ Scythæ Monachi fugiunt p. 524 n. 4 an eorum propositio conveniat cum blasphemia Petri Fullonis? p. 525 n. 5 Ferrandus Scytharum monachorum doctrinam probat p. 539 n. 18 iidem Scythæ ab hæresi Eutychiana immunes declarantur p. 668 N. 5

Sebba Rex Occid. Saxonum Monachum induit p. 803

Secretarium qualis locus fuerit? p. 862 n. 48 cur Sessiones Conciliorum subinde Secretaria dicantur? ibid.

Sedes prima à nemine judicatur p. 621 N. 1 622 N. 3. 4

Seditio Constantinop. adversus Anastasium Imp. multo Sanguine fuso sopitur p. 23 N. 15

Sepultura Romanorum extra urbis pomæria fieri solebat p. 305 n. 3 ritus sepeliendi corpora apud Germanos p. 306 n. 4 apud Francos ibid. Monumenta varia in Childerici tumulo à Chiffletio inventa p. 306 N. 3 quorsum illa translata sint? p. 306 n. 5

Sergius Ep. Constantinop. author Monothelismi p. 836 N. 7 ejus epistolæ ad Theodorum Pharanit p. 837 ad Paulum Monoc. & Arsam ibid. ad Cyrum Phasidis Ep. p. 838 n. 21 Sophronii Capitulis Cyri obsistentis causam improbat p. 840 N. 9 conatur disceptationem de una Christi operatione supprimere p. 840 ejus epistola ad Honorium p. 841 n 24 moritur p. 849 n. 34

Sergius P. p. 899 ejus electio schismate turbatur ibid. canonibus Trullanis subscribere recusat p. 90 liberatur ab insidiis Imperatoris Justiniani II. operâ exercitûs Italici ibid. Aquilejensium schisma extinguit p. 903 ejus Decreta ibid. n. 35 36 obitus ibid.

S. Severinus Odacri prædicit Regnum Italiæ p. 213 n. 5

Severinus P. p. 847 cur seriùs ordinatus sit? p. 848 obitus p. 849

Severus Patriarcha Gradensis ad ejuranda tria Capitula compellitur p. 581

Sextus Pompejus Festus, Grammaticus p. 471 N. 4

Siculi à Rege Gothorum Totila premuntur p. 109 n. 88 expilantur p. 118

Sidonius Claromont. Ep. exulat. p. 276 n. 2

Sigebertus Regulus Francorum unâ cum filiis à Clodoveo interficitur p. 328

Sigebertus Rex Orient. Anglorum monachum induit p. 792 N. 7 revocatur ex Monasterio, cæditur p. 792

Sigebertus filius Clotharii I. p. 355 ejus bellum civile cum Chilperico ibid. N. 24 Austrasiæ Rex ibid. Brunechildem uxorem ducit p. 357 n. 64 ejusdem Sigeberti bellum adversus Guntchramnum p. 359 ejusdem infelix bellum contra Hunnos p. 358 359 n. 66 illius bellum contra Chilpericum p. 361 N. 26 Victor Chilperici & Guntchramni p. 362 pacem cum iis facit ibid. huic Austrasii obstrepunt ibid. Chilpericum rursus victum Tornaci obsidet ibid. mors inopina Sigeberti p. 363

Sigeberti Austrasiæ Regis obitus p. 773 N. 14 n. 25

Sighe-

Sigheri Orientt. Sax. Regis defectio à fide p. 797
Sigismundus Rex Burgundiæ Catholicus p. 332 n. 39 Sigericum filium astu novercæ deceptus occidit p. 332 in Agaunense monasterium pœnitentiæ ergo secedit p. 333 n. 40 è monasterio reipublicæ causâ egreditur p. 333 à Clodomiro captus necatur p. 333 n. 41 Cœlitum albo adscribitur p. 334 n. 42
Silentiariorum officium & dignitas p. 16 n. 14
Silo Rex Gothorum p. 1001
Silverius P. p. 544 ei se opponit Antipapa Vigilius ibid N. 16 Vitigi Regi Gothorum homagium præstare cogitur p. 83 n. 55 binis vicibus in exilium ejicitur p. 545 p. 86 n. 61 mors Silverii P. & Martyris ibid. an ejus mors Vigilio tribuenda? p. 545 n. 23
Simeon Stylita Junior p. 590
Simplicius P. hortatur Zenonem scriptâ epistolâ p. 3. n. 2 in Synodo Romana damnat Eutychianos, & Episcopos hæreticos è sedibus expelli mandat p. 481 Petrum Mongum ad sedem Antiochenam admitti vetat p. 485 n. 7 obitus Simplicii p. 487 ejus Decretales ibid. quot annis sederit? ibid. n. 9. divisio bonorum Ecclesiasticorum sub hoc Papa facta p. 486 p. 613 n. 9 Lex ejusdem, ne citra Regis consultationem Pontifex crearetur p. 488 n. 11
Siroe filius Chosrois occidit Patrem Persarum Regem p. 695 n. 12 pacem componit cum Romanis, & S. Crucem restituit p. 698
Sisebutus Rex Visigoth p. 737 bellum ejus contra Astures & Ruccones ibid. contra reliquias Romanorum in Hispania ibid. Judæos persequitur & ad Christi fidem cogit p. 738 n. 1. 2. 3. moritur p. 739
Sisenandus Rex Visigoth. Francorum auxiliis obtinet regnum p. 740 ejus potestas regia synodali authoritate confirmatur ibid. N. 5. moritur, ibid.
Smaragdus Exarchus Italiæ pacem init cum Longobardis p. 373
Solitariorum veterum austera vita p. 659 n. 29
Sophia Augusta convitio offendit Narsetem p. 156 N. 17 p. 157 n. 17 in Mœsiam inferiorem exul deducitur p. 171 n. 35
Sophronius Presbyter Alexandrin. obsistit Cyri Ep. Capitulis p. 840 N. 9 creatur Episcopus Hierosolymitanus ibid. N. 10 ejus synodica ad Sergium & Honorium p. 843
S. Stephanus Abbas ob defensionem imaginum à Constantino Copron. exagitatur p. 1097 ejicitur in exilium ibid.
Stephanus Antiochenus Ep. ejúsque Martyrium p. 482
Stephanus Dorensis Episc. venit Romam p. 858 n. 40 transfertur ád sedem Hierosolymæ ibid.
Stephanus Presbyter post Zachariam eligitur Pontifex p. 1092 ante consecrationem mortuus à multis non reponitur in ordine Pontificum ibid. n. 16
Stephanus P. II. succedit Stephano tantùm electo Papæ p. 1092 accipit literas à Bonifacio p 1093 rogat à Pipino auxilia contra Longobardos p. 1021 abit in Franciam, & honorificè excipitur p. 1021 in Carisiacensi conventu impetrat à Francis opem contra Longobardos ibid. incidit in morbum, & ab eo mirabiliter recreatur ibid. inungit Pipinum ejúsque filios p. 1022 à Pipino Longobardorum Victore terras Ecclesiæ restitutas accipit ibid.
Stephanus III. (quem alii IV. vocant) Papa creatur p. 1099 Synodum Romanam celebrat contra Constantinum Antipapam ibid. statuit de Ministris à Constantino consecratis p. 1100 edit decretum de cultu imaginum ibid. ejus obitus p. 1101
Sternutantibus olim acclamabatur: *Deus te adjuvet!* p. 585 n. 14 quâ occasione hic mos cœperit? ibid.
Stratagema militum Belisarii in expugnatione urbis Romanæ p. 90 n. 65 aliud stratagema idem adhibet ad solvendam obsidionem Arimini p. 92 n. 68 arte & ingenio Belisarius capit Neapolim p. 81 n. 53 54 stratagemate Romam servat p. 85 n. 69 obsidioni Gothorum providenter occurrit p. 108 n. 86 inter medios hostes innoxiè classem deducit Romam p. 110 n. 90 Dolus Totilæ militaris p. 121 122 n. 101 stratagema Narsetis, quo Lucenses expugnavit p. 127 128 n. 106 stratagema Belisarii contra Hunnos p. 143 n. 126 stratagemate Mauritius liberat Zuruli castrum obsidione p. 193
Subdiaconorum ordo à quo tempore inter sacros numeratus sit? p. 585 n. 15 eorundem continentia quando præcepta sit? ibid.
Suevi ad Arianam fidem traducuntur p. 289 n. 21 Reges eorum Ariani fastis inserti non sunt, ibid. sub Theodomiro & Mirone ad Catholicam redeunt fidem p. 289 n. 22 Apostolus eorum

S Martinus Dumiensis p. 289 n. 23 Suevici regni in Hispania finis p. 297 n. 33
Suintila Rex Visigoth. & Pater pauperum p. 739 N. 4 Romanos ex tota Hispania expellit ibid. n. 4. exauthoratur p. 740
Syagrius filius Ægidii interficitur p. 308
Symmachus Papa legitimè eligitur p. 505 N. 14 Laurentius Antipapa se ei opponit ibid. Symmachus à Theodorico Gothorum Rege confirmatur ibid. colligit synodum, quæ de electione Pontificis agit ibid. in II. Synodo Laurentium Nuceriæ Episcopum creat p. 506. in III. Synodo Odoacris decretum de electione Papæ abrogat ibid. accusatur à Festo & Probino pessimorum criminum ibid. causam Pontificis Synodus *Palmaris* divino judicio reservandam decrevit p. 507 & p. 621 N. 1. in quo Synodi Patres non errârunt p. 621 N. 2. Adversariorum & præcipuè Launoji ratiunculæ solvuntur p. 622 N. 4 623 625 Ennodii Apologia pro innocentia Pontificis p. 508 item Apologia Aviti Viennensis p. 624 Apologia Symmachi, quâ se ipsum Papa tuetur contra Anastasii Imp. criminationes p. 508 Decretales Symmachi p. 513 ejus obitus p. 514
Symmachus socer Boëtii p. 237 239 n. 48 morte damnatur p. 238
Syncelli Episcoporum p. 572 n. 2.

T.

TArasius Patriarchatum Constantinopolitanum certis conditionibus accipit p. 1103 poscit Synodum Generalem congregari contra Iconomachos ibid.
Tarekus Dux Maurorum irrumpit in Hispaniam p. 991 n. 6. inde monti nomen dedit Gebel Tarik, hodie *Gribraltar* ibid.
Tarifus Dux Maurorum an distinguendus à Tareko? p. 991 n. 5. 6.
Tarraconensis Synodus p. 516
Tassilo Dux Bajoariæ Desiderii Longob. Regis filiam ducit in uxorem p. 1025 rebellat adversus Carolum M. Regem Fr. ibid. in obsequium reducitur ibid.
Tejas Rex Ostrogoth. p. 124 255 obsides Romanos occidit p. 124 frustra implorat auxilia Francorum p. 125 126 255 fortiter occumbit p. 125. 126
Testamentum Clericorum ac pia legata in Parisiensi Synodo approbantur p. 830 n. 11
Theodatus Rex Ostrogoth. p. 243 N. 8. adoptatur in sponsum à Regina Amalasuntha ibid. & p. 175 ingratitudo ejus in Conjugem & odium, ibid. n. 57 Uxorem in insulam Vulsiniensem relegat & occidi jubet p. 67 244 regnum Italiæ transcribere cogitat Justiniano Imp. ibid. & p. 78 79 n. 47 48 ejus inconstantia ibid. obitus p. 245
Theodebaldus Patri in Regno Fr. succedit p. 348 Justiniani Legatio ad Theodebaldum p. 348 obitus 349
Theodebertus I. Theodorici filius ac Rex Austrasiæ p. 342 N. 18 adoptatur à Patruo Childeberto ibid. cum eodem Godemarum Burgundum vincit & terras dividit p. 343 344 n. 51 Clothario Patruo bellum movet p. 344 à Clotilde belli flamma sopitur ibid. Gothis auxilia in Italiam Theodebertus mittit p. 345 n. 52 expeditionem parat in Italiam p. 95 N. 32 p. 345 ob luem in exercitu grassantem redire cogitur p. 346 alterâ expeditione Venetiam & Liguriam subjugat p. 346 Justiniano bellum intentat p. 347 funestus ejus interitus p. 347 n. 55
Theodebertus II Childeberti filius cum fratre Theodorico regnum Patris partitur p. 383 bello appetitur à Theodorico II. Fr. Rege p. 751 an legitimis natalibus ortus sit? p. 751 n. 1 cum Theodorico de Regni finibus contendit p. 753 n. 2 à Theodorico victus fugit p. 754 monasterio inclusus paulò pòst perimitur p. 754 filii quoque necantur ibid. Theodoricus superstitem filiam ducit in uxorem p. 754
Theodegildis concubina Chariberti p. 356 hic opes pellicis rapit p. 317 relegatur Theodegildis in monasterium p. 357 n. 63
Theodelinda uxor Agilulfi Longob. Regis p. 189 271 Catholica & liberalis erga Ecclesias p. 272 n. 27 pacem inter Longobardos & Romanos conciliat p. 190 N. 17
Theodora Augusta dissuadet fugam Justiniano p. 65 N. 19 obitus p. 115 N. 38 an pia, an scelesta fuerit? p. 115 n. 94
Theodoricus Amalus ex Amalorum stirpe oriundus p. 220 n. 14 ejus Majores p. 221 n. 18 à fœdere Zenonis discedit p. 6 N. 5 expilat Thraciam p. 7. N. 6 vincitur à Zenone ibid. ejusdem novæ molitiones contra Cæsarem p. 9. N. 7

pacem init cum Zenone ibid. honores ingentes Zeno Theodorico decernit p. 9 N. 7 n. 11 iterum bellum movet contra Zenonem p. 14 N. 10 suadente Zenone cum suis Italiæ infert arma p. 214 n. 7. ejus contra Herulos victoria ad Sontium p. 215 altera victoria prope Veronam ibid. n. 8. Ticinum expugnat ibid. n. 9 intra Ticinum obsidetur p. 216 tertia victoria Theodorici ad Adduam p. 217 n. 11 primus Rex Ostrogothorum in Italia proclamatur p. 219 N. 2 externorum Principum conquirit fœdera p. 330 n. 15 habitum regium ab Anastasio Imp. accipit p. 21 n. 22 Cassiodori operâ utitur ad gubernationem p. 221 felix Theodorici regimen p. 222 n. 21 & p. 223 Clementia ejus p. 223 Romanos literis, Gothos armis instrui jubet p. 223 n. 22 23 Theodorici justitia p. 224 n. 24 benevolus erga Catholicos p. 226 Catholicum Apostatam capite plecti voluit p. 227 N. 2. n. 29 init pacem cum Anastasio Imp. p. 227 n. 30 ad schisma inter P. Symmachum & Laurentium Antipapam operam suam adhibet p. 228 229 n. 31 32 33 jus confirmandi electionis Pontificiæ sibi sumit p. 530 N. 6 Clerum Romanum à Foro Civili eximit p. 530 n. 8 Romanam urbem invisit p. 228 N. 4 liberalitas p. 229 n. 24 reparat Italiæ ruinas ibid & p. 230 n. 35 Edictum Theodorici p. 230 442 ejusdem Edicti argumentum p 443 444 variæ leges Theodorici p. 231 ejus vita frugalis ibid. illius memoria posthuma ibid n. 36 Numismata ibid. n. 73 ars militaris p. 232 N. 5 n. 33 victoria adversus Bulgaros p. 235 contra Francos pro Alarico Visigoth. Rege bellum suscipit p. 232 280 n. 11 p. 325 Regni Hispanici tutelam suscipit p. 281 n. 13 condicit fœdus contra Burgundiones p. 333 partem Burgundiæ à Francis accipit p. 335 n. 44 Euthericum successorem & Amalasunthæ filiæ Maritum constituit p. 233 234 n. 39 40 Theodorici in pejus mutatio p. 234 N. 6 ejus indulgentia nimia in tolerandis vitiis Præfectorum p. 234 n. 41 & p. 235 ejus iniqua agendi ratio contra Boëtium p. 326 327 crudelitas illius contra Pontificem Joannem p 238 Theodorici funestus exitus p. 239 n. 50 de damnatione ejus quædam referuntur p. 239 n. 51

Theodoricus I. Rex Austrasiæ queritur de Thuringorum injuriis p. 309 n. 7 movet bellum contra Hermanfridum Thuringorum Regem p. 337 eundem Tolbiacum datâ fide vocat ibid. & dolo interficit ibid. Arvernos rebelles dolo & facto perjurio in fidem recipit p. 340 ejusdem obitus p. 342 N. 18

Theodoricus II. Rex Fr Clotharium II. vincit & in gratiam recipit p. 750 ejus bellum cum Theodeberto II. p. 751 Protadium Brunechildis amasium occidit ibid. nubit Hermenbergæ Witterici Visigoth. Regis filiæ p. 752 eam repudiat p. 753 novo bello Theodebertum II. vincit p. 754 illum monasterio includit ibid. Brunechildi mortem intentat p. 755 arma vertit contra Clotharium II. ejusdem mors p. 755

Theodoricus III. Clodovei II. filius à Regno excluditur p. 774 ab Ebroino Majore Domûs Regno imponitur p. 775 n. 30 in monasterium amandatur ibid. redit ad Regnum p. 776 moritur p. 781 N. 19

Theodoricus Strabo movet bellum contra Zenonem p. 5 N. 3 insidiatur Constantinopoli p. 7 N. 5 Theodorici ejusdem funestus exitus p. 8 N. 6 n. 6. 7

Theodorus Lector & ejus Historia p. 653 N. 11

Theodorus Papa creatur p. 852 ejus ad Paulum Constantinop. epistola ibid. n. 38 mittit Apocrisarios Constantinopolim p. 857 Pyrrhum damnat in Concilio p. 859 Paulum Patriarcham Constant. deponit p. 860 obitus ejus p. 861 N. 20

Theodosius invitus Imperator ab exercitu rebelli eligitur p. 950 Imperium cum statu clericali commutat p. 951

Theodosius Mauritii filius Germani Senatoris filiam ducit p. 200 coronatur ibid n. 64 post Patrem & fratres ipse quoque occiditur p. 208

Theophanes Byzantinus Historicus p. 476 N. 5

Theophanes Isaacius Chronographus p. 1128 N. 5

Theophylactus Simocatta scripsit Historiam Mauritii p. 199 n. 63 & p. 823

Theudis Theodorici Regis Ostrogoth. nomine Hispaniæ partem regit p. 282 N. 4 Rex eligitur à Visigothis p. 284 N. 6 ejus favor erga Catholicos ibid. n. 18 à Vandalis vocatur in auxilium p. 285 bellum cum Francis p. 285 eos in Franciam repellit ibid. Septam nequicquam obsidet p. 285 n. 19 exitus ejus funestus p. 286

Theudisclus Rex Visigoth. p. 286 N. 7 ejus vitia ibid. inter epulas jugulatur p. 287 N. 7
Theudoaldus Grimoaldi filius & Pipini Herstallii Nepos p. 1005 n. 1 post mortem Pipini fit Major Domûs ibid. Plectrudis Avia ejus nomine regnat ibid. n. 1 Neustriæ optimates rebellant adversus Theudoaldum & Plectrudem p. 1006 à Carolo Martello subigitur p. 1008
Thrasamundus Gundamundi filius Rex Vandalorum p. 391 n. 9 10 honoribus propositis Catholicos pervertere conatur ibid. in exilium ejicit Episcopos p. 392 obitus ibid.
Thuringi unde nomen habeant? p. 456 N. 2 origo p. 457 N. 2 sedes pristinæ eorum p. 458 459 460 461 Thuringia à Clodoveo subacta p. 309 n. 8 Thuringi tributarii Francorum ibid.
Thuringorum Regum bellum intestinum p. 336 n. 45 vincuntur à Theodorico Austrasiæ Rege p. 337 Thuringici Regni finis p. 338 464 465
Tiberius Imp. adoptatur in Collegam à Justino II. p. 170 N. 8 n. 32 ejus dissidium cum conjuge Augusta Sophia p. 170 Tiberii fatalis morbus p. 173 N. 9 adoptat Mauritium successorem in Imperio p. 174 N. 10 eidem filiam Constantinam dat in uxorem ibid. n. 39 ejus oratio ad Mauritium p. 175 mors Tiberii p. 176 n. 40 ejus liberi p. 174 n. 38 Pauperum Patronus p. 176 n. 41
Ticinum ab Albonio Longobard. Rege expugnatur p. 162 n. 25 sedes Regia constituitur ibid.
Timotheus Ælurus & ejus turbulenta facinora p. 478 pertinax in hæresi moritur p. 482 N. 2
Timotheus Solofaciolus Ep. Alexandr. redit ad suam Ecclesiam p. 482 moritur p. 484
Tolbiacensis pugna, & victoria Clodovei contra Alemannos p. 313 N. 5 n. 13
Toletana Synodus II. p. 535 ostendit, voto castitatis jam diu Subdiaconos fuisse obstrictos p. 535
Tolet. Synod. III. p. 583 in ea Reccaredus Rex solennem fidei Professionem facit p. 584 n. 13
Toletan. Concilium IV. p. 843 an inde Missa Mozarabica habuerit ortum? p. 844 n. 26 ejus Canones 845
Tolet. Concilium V. p. 740 N. 5 VI. p. 846 VII. p. 861 VIII. p. 868 IX. p. 869 X. ibid. XI. XII. XIII. XIV. p. 892 Synod. XV. Toletana & ejus Apologia ad Sergium P. missa p. 900 n. 33 Synod. XVI. p. 902 Syn. XVII. Toletana ibid. ejus canones ibid. n. 34
Toletanæ Ecclesiæ prærogativa p. 828 N. 3
Tolosanum Regnum Franci occupant p. 979 n. 9
Tonsuræ Ecclesiasticæ antiquitas p. 845 ejus varius modus olim usitatus ibid. n. 28
Totila Rex Ostrogoth. p. 250 N. 12 n. 65 Græcos vincit p. 105 N. 35 251 magnam Italiæ partem subjugat ibid. & p. 105 Neapolim capit p. 252 Romam tentat p. 106 n. 83 108 252 Romam proditione capit p. 112 N. 37 253 Ducem Joannem in Lucania cædit p. 113 in Gargano monte castra metatur p. 113 n. 91 vastat Siciliam p. 118 ejus in Siculos odium p. 109 n. 88 moritur ex vulnere p. 124 254 n. 66 ejus elogium p. 124 n. 103 Gestorum ejus brevis synopsis p. 254 n. 67 vestimenta illius cruenta Constantinopolim mittuntur p. 124 n. 104
Trajani animam precibus Gregorii liberatam esse ab inferis, fabula est p. 600 n. 30
Tribonianus adjutor Collectionis Juris Justinianei p. 240 N. 3 an gentilis fuerit? ibid. quæ facinora admiserit in eodem opere? p. 421 N. 3
Tributorum necessitas p. 407 N. 1 varia tributoram genera ibid. N. 2 gravia & sordida odium pariunt p. 408 N. 3 quibus modis tolerabilia fiant subditis? p. 410 411
Trisagii additamentum *qui crucifixus est pro nobis* multas tricas movet in Oriente p. 514 N. 19
Tritheitarum error unde natus sit? p. 668 N. 4
Trullana Synodus sive Quinisexta p. 900 quo anno celebrata? p. 927 N. 1 An Legati Apostolici interfuerint huic Concilio? p. 928 N. 2 Concilii canones nonnulli decretis PP. & bonis moribus adversantur p. 929 Alii Canones veterem Græcorum disciplinam exponunt p. 930 931 932 933 934 rejiciuntur à Sergio P. p. 901 quosdam postea videtur probasse Constantinus P. 904
Tulga Rex Visigoth. p. 741 N. 6 deponitur p. 741 n. 5
Turcica gens Romanis redditur amica p. 153 n. 11
Turpinus sive Tilpinus scriptor p. 1127 an ei vita Rolandi sit adscribenda? ibid.
Typus Constantis p. 859 n. 47 ejus executio urgetur ab Imperatore p. 859
Tyriensis synodus p. 518 p. 864
Tzates Gubazi Lazorum Regi à Justiniano sufficitur p. 138 n. 119

V.

Valentina Synodus p. 533 Synodus II. p. 582
Vandalici belli initium p. 65 N. 20 ejus belli difficultates p. 67 N. 21 p. 68 n. 39 Vandalici Regni finis p. 395 n. 14
Vandalicæ Persecutionis prognostica p. 388 n. 2 Persecutio invalescit sub Hunerico p. 389 n. 4 490 n. 5. 6.
Varamus Dux Persarum victus à Commentiolo p. 182 n. 47 ab Hormisda Rege ignominiâ affectus rebellat p. 182 exoculato Hormisdæ substituit filium Chosroën p. 183 à Narsete Mauritii Duce vincitur p. 185 n. 52 ejus insolens ingenium p. 183 n. 50
Vascones fœderati Neustrasiorum vincuntur à Carolo Martello p. 1009 novennale bellum Vasconum cum Saracenis p. 1010 Carolus Martellus Vasconibus in auxilium venit p. 1011 Victoria contra Saracenos p. 1012
Vasionensis Synodus II. p. 533
Venantius Fortunatus & ejus opera p. 656 N. 18
Veremundus Rex Gothorum dictus diaconus p. 1002 ejus illicitum matrimonium cum Usenda ibid. Alfonsum cognomento castum revocat ex exilio & Regni consortem facit p. 1003
Verina socrus Zenonis & Augusta, in exilium amandatur p. 11 N. 8 capitur ab Illo p. 12 N. 8 in Leontium jus Imperii transferre conatur p. 13 N. 8
Vermeriensis synodi canones p. 1092 n. 17
Victor Tununensis & ejus chronicon p. 656 N. 18
Victor Uticensis an potius Vitensis dicendus sit? p. 388 n. 2 item p. 645 N. 2 ejus scripta ibid.
Vigilius primùm Antipapa p. 544 an fuerit causa mortis Silverii Papæ? p. 545 n. 23 Vigilius electione novâ fit legitimus Papa p. 546 venit Constantinopolim p. 555 Judicatum Vigilii ibid. n 33 Vigilio multi adversantur p. 566 Vigilius Græcos Episcopos suâ communione privat p. 557 Vigilio vis in templo affertur p. 558 Idem Theodorum damnat ibid. indigniùs habitus, fugit Chalcedonem p. 558 ejus fortitudo contra Justinianum p. 559 Vigilii Constitutum p. 565 confirmat V. Synodum Generalem p. 567 mors Vigilii p. 568
Vigilius Tapsensis p. 644 Ejus scripta p. 645
Visigothi mittunt auxilia Ostrogothis p. 217 eorum in Hispania ad Catholicam fidem conversio p. 301 n. 38 Visigothi olim legum expertes p. 447 ab Eurico scriptas accepêre ibid.
Virgilius Arelatensis Ep. creatur à Gregorio M. Vicarius Sedis Apostolicæ in Galliis p. 59 N. 15
Vitalianus contra Anastasium Imp. rebellat p. 30 N. 21 proclamatur Imperator ibid. N. 22 Conditiones pacis Anastasio proponit p. 31 Militiæ Magisterium obtinet p. 40 N. 3 ejus iuratum cum Justiniano fœdus p. 40 n. 12 Consulatus Vitaliani p. 42 N. 5 occiditur operâ Justiniani p. 42 n. 14
Vitalianus P. p. 873 N. 28 ejusdem obitus p. 876 illius nomen Monothelitæ ex dipthychis expungunt p. 877
Vitiges creatur Rex Gothorum p. 82 245 Romæ imponit præsidium p. 83 n. 55 ejus nuptiæ cum Matasuntha Amalasunthæ filia p. 83 n. 86 & p. 245 n. 60 cum Francis pangit fœdus p. 83 n. 57 obsides Romanos necat p. 87 N. 29 insidiatur Romæ p. 90 n. 65 Persas concitat in Romanos p. 94 N. 31 capitur à Belisario p. 247 transfertur Constantinopolim ibid.
Vitiza Rex Visigoth. p. 747 N. 10 facinora & fraudes Vitizæ ibid. Theofredum Chindasvinthi filium oculorum luce privat p. 748 scelera Vitizæ adulatione foventur ibid. ejus exitus ibid.
Vortiporus Rex Britonum p. 401
Vrajas Regnum Gothorum admittere recusat p. 247 N. 10 ab Ildibaldo occiditur p. 249 n. 62
Usdrila Dux Gothorum illudit Romanis & pœnas luit p. 121 N. 41
Utherus Rex Britonum p. 598 N. 3

W.

Waifarius ablatum Patri Hunaldo Aquitaniæ Ducatum à Pipino accipit p. 1018
Walderada Theodebaldi vidua nubit Chlothario Patruo p. 349 nuptiæ hæ ab omnibus reprobatæ p. 350 n. 56 connubio rescisso Walderada Garibaldo Bajoariorum Duci in uxorem traditur p. 350

Wamba Rex Visigothorum eligitur p. 742 N. 7 eligentibus resistit p. 743 seditiones adversus Wambam ibid. movet bellum contra rebelles p. 744 & eos punit p. 745 triumphalis Wambæ à bello reditus ibid. ab Ervigio per vim veneni infatuatur p. 745 monachum induit p. 746

Wigbertus Monasterii Frideslariensis primus Abbas p. 1083 Magister Sturmii, postea primi Abbatis Monasterii Fuldensis ibid.

Wilfridi Ep. controversia cum Ermenberga uxore Egfredi Northumbr. Regis p. 799 Wilfridus provocat ad Pontificem ibid. N. 12 Deus illatas Wilfrido injurias ulciscitur p. 800 in Britanniam reversus Wilfridus pejùs exagitatur ibid. sedem novam nanciscitur apud Saxones Australes ibid. secundum ejus exilium p. 803 aliam inde sedem accipit apud Mercios ibid. ab Osredo restituitur p. 804

Wilibrordus Conversioni Frisonum dat operam p. 802 803 S. Bonifacium suorum laborum socium successorem constituere frustra meditatur p. 1076

Willibaldus Aichstettensis primus Episcopus 1115 N. 4

Wirceburgum quibus nominibus à Veteribus appelletur? p. 895 n. 25 ejus nominis Etymus p. 896 n. 25

Wirceburgensis Episcopatus à quo fundatus fuerit? p. 1084 & p. 1110 N. 1 quis primus annus fuerit fundati Episcopatûs Wirceburgensis? p. 1111 S. Kilianus non fuit primus Episcopus Wirceburg. p. 895 n. 23 sed S. Burchardus p. 1110 quot annis S. Burchardus hanc sedem tenuerit? p. 1112

Witechindus Dux Saxonum rebellium p. 1034 in Daniam se recipit p. 1035 arma ponit & pace cum Carolo factâ Baptismum suscipit ibid.

Wittericus Rex Visigoth. p. 735 N. 1 Romanorum præsidia ex Hispania profligare conatur p. 736 ejus filia Theodorico Burgundiæ Regi desponsata repudiatur p. 736 ejus mors funesta ibid.

X.


Xenajas Persa sacrilegè ab Acacio Ep. Constantinop. Hierapolitanæ Ecclesiæ Episcopus creatur p. 495 n. 18

Z.

Zacharias Papa eligitur p. 1084 N. 9 Episcopatus à S Bonifacio institutos confirmat ibid. S. Bonifacio ad quæstiones propositas respondet p. 1085 eidem interdicit, ne vivus sibi successorem constituat ibid. n. 6 concedit, ut Moguntia sit metropolis Ecclesiastica p. 1089 n. 12 Episcopos ei subjicit p. 1090 n. 13 nullo modo concedit Bonifacio, ut hanc Metropolim deserat p. 1090 Legatio ad Zachariam in causa Childerici Fr. Regis p. 1066 p. 1091 an fabulosa sit? ibid. n. 14 & p. 1067 N. 2 p. 1068 obitus Zachariæ p. 1092

Zeno potitur Imperio p. 2 N. 2 ejus exilium ibid. restituitur p. 3 N. 2. ingratitudo erga S. Martyrem Theclam p. 3. n. 1 à Simplicio P. de regimine in melius mutando monetur p. 3. n. 2 abrogat Leges Basilisci p. 4 n. 3 Hæreticos episcopos expellit p. 4 n. 4. omina infausta de Zenonis Regno p. 5 N. 2 item n. 5 à Theodorico Strabone victus pacem emit p. 6 N. 3 cum Marciano Anthemii filio de Regno contendit p. 6 N. 4 Marcianum in exilium ejicit p. 6 N. 4 vincit Theodoricum Amalum p. 7 N. 6 init pacem cum Amalo & ei honores, statuámque erigendam decernit p. 9 N. 7 promulgat Henoticon p. 10 N. 8 ob evulgatum Henoticon dici Zeno hæreticus non potuit p. 606 607 N. 9 10 Verinam Augustam in exilium ejicit p. 11 N. 8 Suadet Theodorico Amalo, ut bellum transferat in Italiam contra Odoacrem p. 15 N. 10 n. 12 Consilii huius causæ ibid. n. 31 vitia Zenonis p. 16 N. 11 crudelitas Zenonis in Pelagium p. 17 N. 11 n. 15 Zeno accipit Legatos ab Herulorum Rege, & Odoacri respondet p. 211 n. 2 Zenoni de reditu ad Regnum gratulatur Pontifex p. 481 N. 2 Zeno Catholicos Episcopos ad sedes suas revocat p. 482 mittit pro Catholica re in Africam Legationem p. 482 ab Acacio persuasus Petrum Mongum Antiochenæ sedi imponit p. 485 n. 8 quo mortis genere Zeno obierit? p. 17 n. 16 tempus mortis p. 18 n. 17

Zuruli castrum à Chagano obsidetur & à Mauritio Imp. liberatur p. 193



Emendanda in hoc Tertio Volumine.

Pag.	*Errata*	*Lege*
518	Ephemius	Euphemius.
637	MDCCLI factæ	facta
705	anno quippe	menſe quippe
736	A. 670	607
754	Theodeberti furor	Theodorici furor
803	Rex Orientalium	Occidentalium
830	Antiſtites Hiſpaniæ	Franciæ
862	agit	cogit
946	N. 4. 601	691
	item 684	694
975	A. DCCXII.	DCCXLII.
1032	auxilium pro Italiæ turbis	pro Hiſpaniæ &c.
1047	Offæ	Offæ
1057	quibus Patrimonio S. Petri	Patrimonium S. Petri
1095	DCCLXVII.	DCCLVIII.

Cætera Benevolus Lector corriget.



DAUDE
HISTORIA
VNIVERSA